







LEXICON ANTIQVITATVM ROMANARVM

AVCTORE

SAMVELE PITISCO.


S. PITISCI
LEXICON
ANTIQVITATVM
ROMANARVM
LEOVARDIAE
Excudit FRANCISCVS HALMA,
B. Picart del.
M. Pool sculp.

LEXICON ANTIQVITATVM ROMANARVM:

IN QVO

RITVS ET ANTIQVITATES

cum Graecis ac Romanis communes,
tum Romanis peculiares,

SACRAE ET PROFANAE, PVBLICAE ET PRIVATAE, CIVILES AC MILITARES

EXPONVNTVR.

Accedit his Auctorum notatorum, emendatorum, & explicatorum Index copiosissimus.

AVCTORE

SAMVELE PITISCO:

CVM FIGVRIS IN AES INCISIS.

TOMVS I.



LEOVARDIAE,

Excudit FRANCISCVS HALMA, Ordinum Frisiae Typographus Ordinarius; cIɔ Iɔ cc xiii.

CVM PRIVILEGIO S. CAESAREAE MAJESTATIS.

PRIVILEGIUM
S. CAESAREAE MAJESTATIS.

CAROLUS Sextus, Divinâ favente clementiâ, electus Romanorum Imperator, semper Augustus, ac Germaniæ, Hispaniarum, Hungariæ, Bohemiæ, Dalmatiæ, Croatiæ, Sclavoniæ Rex, Archidux Austriæ, Dux Burgundiæ, Stiriæ, Carinthiæ, Carniolæ & Wirtembergæ, Comes Tirolis, &c. &c.; Agnoscimus, & notum facimus tenore præsentium universis, quod cum noster & sacri Romani Imperii fidelis, dilectus, Franciscus Halma, Inclytorum Ordinum Frisiæ Typographus Ordinarius, humillime nobis exposuerit, se Librum duorum voluminum in folio, cujus inscriptio est; LEXICON ANTIQVITATVM ROMANARVM, â Samuele Pitisco adornatum & perfectum, in publici utilitatem suis sumptibus excudendum decrevisse: vereri autem, ne, quod sæpe fieri solet, æmulorum fraude, qui editionem istam dolose imitentur, laboris atque impendii sui fructu destituatur; eaque propter demissé nos rogârit, ut ipsius ac hæredum hac in parte indemnitati, privilegio nostro Cæsareo consulere dignaremur; Nos benigne ejus precibus annuendum censuerimus, ut vigore præsentium annuimus. Ac proinde omnibus & singulis Typographis, Bibliopolis, Bibliopegis, & aliis quibuscunque negotiationem Librariam exercentibus firmiter inhibemus, vetamus ac interdicimus, ne eorum quispiam prædictum opus & LEXICON ANTIQVITATVM ROMANARVM, dummodo â quodam eum in finem sufficienti authoritate munito perlustratum & approbatum fuerit, proximis duodecim annis ab ipsa editione computandis, intra Sacri Romani Imperii & Regnorum, aut quarumcunque ditionum nostrarum hæreditariarum fines, simili aut alio quopiam typo, charactere vel forma, sive in toto sive in parte, mutatisve titulis, vel in aliam linguam translatum recudere, aut alii recudendum dare, aut etiam alibi recusum apporta-

portare, venundare aut distrahere, clam aut palam, citra voluntatem atque consensum prædicti supplicantis, vel hæredum, ausit vel præsumat: si quis autem secus faciendo interdictum hoc nostrum neglexerit, aut violaverit, eum non solum ejusmodi libris (perperam quippe recusis & adductis) quos quidem supra nominatus supplicans, vel ejus hæredes ubicunque locorum deprehensos, vel propria authoritate, vel Magistratus loci illius auxilio sibi vendicare poterunt, de facto privandum, sed & pœna insuper sex marcarum auri puri, pro semisse Fisco nostro Cæsareo, & ex reliqua parte injuriam passis, pendenda decernimus, irremissibiliter plectendum; dummodo tamen præfatum opus hujus privilegii nostri Cæsarei extractum (ne quis ignorantiæ prætextu ob locorum intervalla sese excusare possit) in fronte impressum exhibeat, & ejusdem quaterna ad minimum exemplaria ad Cancellariam Nostram Imperialem Aulicam transmittantur. Mandamus ergo universis ac singulis nostris, ac sacri Romani Imperii subditis, & fidelibus dilectis, tam Ecclesiasticis quam sæcularibus, cujuscunque gradus, ordinis, status, conditionis & dignitatis extiterint, præsertim vero iis, qui in Magistratu constituti sunt, & vel superiorum suorum, vel suo nomine, juris & justitiæ administrationem exercent, ne quemquam privilegium hoc & interdictum nostrum impune violare, spernere vel negligere patiantur, sed si quos contumaces repererint, præscripta pœna plecti, & quibuscunque recte fieri potest, modis coerceri curent, quatenus & ipsi eandem mulctam incurrere noluerint. Harum testimonio Literarum manu nostra subscriptarum, & sigilli nostri Cæsarei appressione munitarum. Datæ in Civitate nostra Viennæ die quartâ mensis Octobris An°. Dni. millesimo septingentesimo duodecimo, Regnorum nostrorum, Romani primo, Hispanicorum decimo, Hungarici & Bohemici vero secundo.

CAROLUS.

V^t. FRID. CAR. COM. DE SCHÖNBORN.

Ad Mandatum Sacrae Caesareae Majestatis proprium.

PETRUS JOSEPHUS DOLBERG.


SERENISSIMVS . SABAVDIAE . PRINCEPS . HEROS
INVICTISSIMVS . EVGENIVS . EQVES . AVREI
VELLERIS . EXERCITVVM . CAESAREORVM . DVX
CONSILII . BELLICI . IN . AVLA . CAROLI . VI . IMP .
ROM . ET . HISP . REGIS . P . F . A . PRAESES . DVCATVS
MEDIOLANENSIS . SVPREMVS . PRAEFECTVS
AVGVSTISSIMI . ITEM . CAESARIS . PVRPVRATVS
ET INTIMAE ADMISSIONIS MINISTER . ETC .



A. Houbraken del. — M. Pool sculp.

SERENISSIMO. SABAVDIAE
PRINCIPI. HEROI. INVICTISSIMO

EVGENIO

EQVITI. AVREI. VELLERIS. EXERCITVVM
CAESAREORVM. DVCI. CONSILII. BELLI-
CI. IN. AVLA. CAROLI. VI. IMP: ROM: ET
HISP. REGIS. PII. FORTIS. AVGVSTI
PRAESIDI. DVCATVS. MEDIOLANENSIS
SVPREMO. PRAEFECTO. AVGVSTISSIMI
ITEM. CAESARIS. PVRPVRATO. ET
INTIMAE. ADMISSIONIS. MINISTRO

HOC. LEXICON. ANTIQVITATVM
ROMANARVM

EA. QVA. OPORTET. PIETATE. ET
ANIMI. SVBMISSIONE

L. M. Q

D. D. D

FRANCISCVS. HALMA

DEDICATIO.


EMO profecto mirabitur, ſi tibi, SERENISSIME PRINCEPS, mirari in mentem venit, quod ego tenuis homo, nec ullis ingenii aut doctrinae laudibus inſignis, nomen tuum in excelſo gloriae loco poſitum praeponere huic operi, teque ipſum, tantum Principem, in ejus limine compellare per litteras animum induxi. Sed eum ſcrupulum & meae menti, & aliorum, nullo negotio eximit perſpecta dudum & celebrata humanitas tua ac comitas, cum generis regio fere ſplendore atque heroïcae virtutis indole conjuncta. Quis enim neſcit, quam faciles ad te aditus praebere conſueveris cunctis, etiam inferioris conditionis hominibus, qui ad te, *Sereniſſime Princeps*, vel coram venerandum, vel de diverſis rebus ac negotiis tecum agendum, ea qua par eſt, animi ſubmiſſione viam affectant? Muſas certe, ac pios earum caſtiſſimosque cultores, tantum abeſt, ut a limine Palatii tui, aut a conſpectu tuo arceas, ut potius illarum commercio, & hominum eruditione non umbratili praeſtantium colloquiis & conſuetudine, nihil tibi ſuavius aut jucundius poſſit acci-

cide-

cidere. Quid? quod etiam in caſtris, inter tubarum clangorem & armorum ſtrepitum, mitiores Muſas contubernales perpetuo habes? & illa dextra, quae tot tantasque res, virtute duce & comite fortuna, gèſſit, quasque in illuſtri poſitas monumento nulla gens, nulla aetas reticebit, illa, inquam, dextra, quam terribilem eſſe & invictam, dum ſuo ſe arbitratu movere poteſt, magno ſuo malo ſenſerunt potentiſſimi ac perpetui AVGVSTISSIMAE DOMVS AVSTRIACAE hoſtes, ſive Muhammedani eſſent, ſive Chriſtianiſſimi, tractare ſubſecivis horis, & pervolutare optima quaeque & exquiſitiſſima ingeniorum monumenta ſoles. Res eſt mira dictu, ſed tamen vera, & noſtri ordinis hominibus, id eſt, librariis cognita in primis & explorata. Tuum, *Sereniſſime Princeps*, nomen in ſplendidiſſimo orbis terrarum theatro, tot turbis, tot fluctibus agitato, celeberrimum ita ſimul in tabernis noſtris celebratur, ut dum refertiſſimam omnium linguarum in omni diſciplinarum genere ſcriptoribus Bibliothecam conſtruis, perquirendis optimis libris, ſed plerisque difficillimis repertu, ea fere nomina edas, vel edenda cures per eos, qui quum apud te gratia & auctoritate plurimum valeant, rei militaris ſcientia non minus, quam optimarum artium ſtudiis conſpicui,

 Tuae

Tuae Bibliothecae amplificandae & locupletandae partes susceperunt: quae sane nomina scriptorum, quamvis praestantium, iis etiam adhuc magna ex parte latuerunt, qui in litterarum interiorum cognitione ac rei librariae notitia pro muneris, quod sustinent, ratione omnem aetatem suam contriverunt.

Quae cum ita sint, merito nonnullorum hominum, non satis aequa rem lance ponderantium, voculas pertimesco, qui non e dignitate tanti Herois, nec ejus delicati saporis palato consentaneum esse criminabuntur, sub ejus splendidissimo nomine ac felicibus auspiciis in dias luminis auras prodire LEXICON, & quidem LEXICON ANTIQVITATVM ROMANARVM: quod solum nomen nescio quid scholastici paedoris redolere ipsis videbitur. Qui quid spectent, ipsi viderint. Parum certe vel operis usum ac praestantiam, de qua in sua praefatione copiose agit Auctor, vel tuum, *Princeps Incomparabilis*, institutum videntur intelligere. Tuae equidem personae in sublimi loco constitutae ejusmodi Antiquitatum index vel eo nomine convenire in primis videtur, non modo, quia faciliorem tibi & expeditiorem cursum reddere in legendis praestantissimis Graeciae Latiique scriptoribus antiquis potest: verum etiam quod

quod earum rerumpublicarum, atque eorum populorum, instituta moresque complectitur, qui non minus litterarum atque ingenuarum artium cognitione, quam rei bellicae peritia & gloria floruerunt: atque sapientiae & imperii fines, pari aviditate, pari successu, devictis barbaris, protulerunt. Tales, hoc est, fortes simul, sapientes ac litteratos, Graecos & Romanos fuisse, nemo tam indoctus est, nemo tam hospes in historia, ut ignoret: nihilo magis, quam easdem gentes & nationes, quum fortissimos & numerosissimos hostium exercitus fudissent & profligassent; statu imperii sui, sapientiae & doctrinae fulcris potissimum subnixi, ad summum potentiae & gloriae gradum perducto, nullum unquam externum hostem, qui labefactaret publicam rem, nedum everteret, extimescere necesse habuisse: nisi demum fatali rerum humanarum conversione in sua ipsorum viscera saeviissent, & qui concordes erant invicti, discordes subito concidissent. Tales nominatim, hoc est, Minervae pariter & Martis cultores, fuisse constat illa publicae felicitatis apud Graecos columina & propugnacula, Pericles, Agesilaos, Themistocles, Epaminondas, ac qui rerum gestarum magnitudine justa ac regalis personae exsuperantia cunctos supergressus est, Alexandrum Macedonem, aliosque,

 quos

quos enumerare longum foret, apud Romanos, Scipiones, Fabios, Aemilianos, Marcellos, Lucullos, Syllas, Pompejos, & qui ad unum omnes, & prisci aevi, & suae aetatis Duces ingenio, virtute bellica, doctrina & eloquentia vicit, Cajum Julium Caesarem. Talem te quoque, *Serenissime Princeps*, nostris temporibus esse, id est, armis & invicti animi robore non solum, sed etiam sapientiae studio, ac politiorum litterarum, omnique elegantiarum, sive picturae, sive statuariae, sive cœlaturae, sive singularum denique rerum, quas ingeniosa, seu prisca, seu recens, manus, & artis eximia species commendat, incredibili & cupiditate, & intelligentia admirabilem, nemo tam stupidus est, qui non videat, nemo tam malus & improbus, qui non fateatur. Sed utinam, quam facile est, illud rebus a te in Pannonia, in Dacia, in Italia, ac Pedemontio nominatim, in Germania superiori, & inferiori Belgica, Hispaniensi, Francica, fortiter ac sapienter gestis commemorandis, tuisque recensendis palmis, heroica virtute partis, nec non luculentis illis tui in litteras & litteratos studii & benignitatis significationibus demonstrandis planum facere: tam facile quoque foret, illud a modestia tua, illa verissimarum etiam laudum contemtrice, impetrare! aut etiam-

si

ſi per eam quodammodo liceret, tam facile etiam eſſet, gloriae tuae in altiſſimo faſtigio collocatae imaginem vel mente & cogitatione aſſequi, vel oratione exprimere & adaequare! ego certe haec ſacra, meae mihi tenuitatis conſcius, contrectare, dicam, an profanare non auſim. Xenophonti inter Graecos eam attribui laudem ex viris eruditis accepi, ut quae in illa celebratiſſima decem millium militum expeditione geſſerat, recte atque ordine, & cum ſingulari eloquentiae laude tradidiſſe poſterorum memoriae videatur. Nam Caeſaris inter Romanos Commentarii, quibus doctiſſimorum virorum judicio perfectius dici nihil poteſt, ſatis oſtendunt, quantus ille non ſolum Imperator fuerit, ſed quam doctus etiam & elegans ſcriptor, naturali orationis pulcritudine illuſtris; ut qua manu tantas res, immortalitate dignas geſſit, eadem illas immortalitati ſuis ſcriptis conſecrarit. Parili ratione tuarum rerum hiſtoriam conſcribere, nemo te, *Sereniſſime Princeps*, melius, nemo limatius poſſet; ſi quorum praeclara facinora vel aequas, vel ſuperas, eorum etiam inſtitutum imitari hac in parte velles. Nam, qui privatae ſortis Hiſtoricus parem tuis rebus, antiqua Romanorum majeſtate dignis, afferre majeſtatem orationis Latinae & vere Romanae queat,
optari

optari facilius, quam reperiri in tanto ſeneſcentium litterarum diſcrimine poteſt.

Haec quum ita ſe habeant, nemo, uti ſpero, vitio mihi amplius vertet, quod tibi, *Sereniſſime Princeps*, hoc ANTIQVITATVM ROMANARVM LEXICON, obſervantiae erga te meae & pietatis teſtificandae cauſſa inſcribere inſtitui: Quod inſtitutum ſi tibi tanto tamque ſapienti Principi probabitur, omnia me conſecutum eſſe putabo. Deus te ſervet diu incolumem, & omni felicitatis genere cumulatiſſimum Caeſari, exercitibus, Muſis, Bono Publico. Ita vovet toto pectore

TVI, SERENISSIME PRINCEPS, NOMINIS,
IN EXCELSO GLORIAE LOCO POSITI

devotiſſimus cliens & cultor

F. HALMA.



SAMUEL PITISCUS
ÆTAT. AN. LXXV.


Effigiem, Lector, spirantem cerne PITISCI,
Ex oculis cujus vis micat ingenii.
CURTIUS ô quantum, quantum SUETONIUS illi
Debet, inoffenso currit uterque pede.
Ut cumulum famæ longisque laboribus addat,
Addidit hoc aliis quod Tibi donat opus.
Roma sinu quondam vasto quæcumque tenebat,
Ordine digessit, disposuitque suo.

G. Hoet Pinxit. F. Halma Excudit. P. van Gunst fecit

Back of
Foldout
Not Imaged

PAVIMENTVM TESSELLATVM.

Post Praefationum Auctoris inser.



En tibi imaginem Pavimenti tessellati, hoc anno CIƆ DCCXII in Britannia reperti, quod inter reliquias Antiquitatum Romanarum, ex solo Britannico erutas, principem facile locum tenet. Longum est pedes XXXVI, latum XV casu in illud incidit agricola, haerente aratro in lapillis istis, quos litera A notavimus ad locum STUNSFIELD *dicto, non longe a Woodstock terra tegebatur omne per trium pedum spatium, qua remota eximium hoc pavimentum se prodidit. Narravit mihi vir clarissimus Hadrianus Relandus, ad quem ex Britannia haec imago delata fuerat ab aliquo, qui ipse pavimentum conspexerat, quique illam mecum communicavit se vidisse aliquot lapillos sive tesseras, e quibus hoc pavimentum constructum erat ex ista area in qua Bacchus cernitur; desumtas hae omnino erant quadratae et hujus magnitudinis ▬ quum aliae essent tesserae altero tanto majores in ambitu areae. Quas autem ipse vidit, erant coloris rubri, aliae nigrae, albae aliae aut cinericeae.*

F. Halma exc.

PRÆFATIO,

In qua Lexici hujus ſcribendi occaſio, forma, uſus, & apologia pro illo exhibentur, ſcripta ad

LECTOREM BENEVOLUM,

Quem ſalvere jubet

SAMUEL PITISCUS.



Natalem meum quartum & ſexageſimum, qui ſeculi proximi anno ultimo in pridie Kalendas Apriles inciderat, mei familiares albati ſollenni cultu celebraverunt. Illis Amſtelædamo evocatus interfuit Franciſcus Halma Typographus noſtra memoria celeberrimus, & amicus meus ex animo.

Poſtquam prima quies epulis, menſæque remotæ,

potiones adhuc meracæ volitabant. Inter illas, ut aſſolet, varia garriebamus, præcipue qui fumum bibituri a reliquo familiarium grege ſeceſſeramus. Ad ſtudia humanitatis quum veneramus, Halma aliquamdiu meditabundus, columnato ore, demorſis vivis unguibus, neſcius loqueretur an taceret, rumpebat vocem: Sodales, cogito edere novum opus, & quale ad hoc temporis nemini viſum. Lexicon, inquam, juxta literarum poſitum Alphabetarium, quod mihi fas erit dicere. In illo Antiquitates Græco-Romanas ex Theſauris Antiquitatum Romanarum Johannis Georgii Grævii, & Græcarum Jacobi Gronovii colligi, & ordine Alphabetico diſponi curabo. Et pleriſque aliis, e loco addebam ego, ſcriptoribus, qui proximis ſeculis a renaſcentibus literis ſuis commentariis res Romanas explicaverunt & illuſtraverunt. Innumerabiles enim fere Antiquitates nobis ſuppeditabunt viri eruditi, quorum monumenta in dictis Theſauris deſideramus, & quæ illorum editores, ſi ita viſum fuiſſet, infulcire potuiſſent. Hiſce tranſactis mihi gaudebam, & erudito orbi gratulabar de excogitato tam præclaro opere, quod cum rudioribus, tum eruditionis conſummatiſſimæ viris, non tantum Philologis, verum etiam Theologis, Juriſconſultis, Medicis, Philoſophis, imo omnibus omnium artium, & ſcientiarum cultiorum & politiorum amatoribus apprime utile fore videbam, ut ea quæ oculis cernuntur. Hoc concinnandum, alium, cui offerrem, non invenio, offero tibi hodie nate (ad me enim orationem convertebat orator) dum blanda ſpes me fovet, te precibus, præmio honeſto, & laborum laude non vulgari, qua nomen tuum in cœlum poſteritas efferet, ad hoc adornandum impelli poſſe. Periculoſo inhorreſcebam frigore, cum audiebam mihi iſta ſacra parari, & me ad illas delicias fingendas vocari. Probe enim mihi conſcius eram, me iſti oneri ferendo parem non fore, cum quia plures minimum manus videbatur requirere, tum quia corpus ſenile continuis laboribus, quibus junioribus, & fortaſſe interdum ſenioribus (quod præfiſcine tamen dixerim) multis abhinc annis prodeſſe conatus ſum, infractum negabat moleſtiores curas, quas opus, de quo agebamus, nemine me monente, exigere conjiciebam, in ſe ſuſcipere. Exactis tamen ſex ſeptem menſibus incidi caſu, neſcio quo, in præfationem Juſti Lipſii in Senecam, quam me olim legiſſe dememineram (utor Martialis verbo, de quo criticos inter ſe controverſari probe memini) & audivi virum magnum de hujus generis Lexicis, de quibus nobis ſermo, & eorum uſu & utilitate differentem ad hunc modum. *Itaque vetus meum conſilium magis magisque ſedet, quo inſtitueram ritualium libros ſcribere, & in illis ſingulos ritus ſuis verbis, ac literarum quodam ordine explicare. Sicut Lexica quædam verborum utiliter habemus: ſic & rerum volebam eſſe. Ut ecce in Seneca occurrunt, abdicatio, acta, admiſſio, adoratio, aſſeſſor, atrienſis: iterumque balnea, baſilica, boleti: & calda, caldarium, canuſinati ſervi, caricæ anno novo, ceroma, ceſtus: & uno verbo, quicquid ritum antiquum tangit aut alludit; in iſto libro, & ſua quodque litera, haberes teſtibus exemplisque firmatum aut illuſtratum. Quid opus in ſingulis auctoribus perſequi, quæ omnium fere communia ſunt? Itaque & communis hic quidam velut commentarius eſſet, Latinorum, Græcorum, Poetarum,*

*

Orato-

Oratorum, Historicorum, Philosophorum, Miscellorum. Hæc inquam institueram, & materiem ab annis quinque & viginti jam paraveram: disponere & exstruere ætas, & magis valetudo, me vetant. Et dissertatiunculam hoc epiphonemate concludentem: *O utile tamen opus!* arrigite aures maledici Lexicorum hostes. Lipsius loquitur. Lipsii auctoritatem defugere nec debetis, nec potestis. Lipsius, *Belgarum gloria*, si superaret, *hoc munus sibi sumeret*. Ego, & omnes qui mentis sunt bene sanæ pluris facimus unius Lipsii politissimum judicium, quam multorum Arcadum vanissima somnia. *O quis æmulatur & suscipit!* pergit enim ille, *trado facem, & una gloriam, quæ cum literis lucebit, & vivet.* Hæc simulac semel iterumque legissem, rejectis, quæ obstiterant, obstaculis mutavi consilium, & hoc opus, cujuscunque etiam foret moliminis, Herculea audacia in humeros suscipere decrevi. Videntur tamen me occupavisse, ne prior forem, qui Lipsium æmularetur, viri doctissimi & celeberrimi. Janus Laurembergius, qui in Antiquario præter antiqua & obsoleta verba, ac voces minus usitatas, dicendi formulas insolentes, plurimos ritus populo Romano, ac Græcis peculiares exponit, & enodat. Dicitque opus esse ex plurimis Latinæ linguæ auctoribus, multo labore concinnatum, & juxta alphabeticam seriem digestum, quod cuivis prolixi commentarii loco esse posset. Prodiit Lugduni typis Johannis Anard 1622. in 4. plagulis 43. Johannes Georgius Schielen, Bibliothecæ Ulmensis præfectus, qui in Bibliotheca enucleata, seu aurifodina artium & scientiarum omnium exhibet apographa, elenchos, & pericopas in jurisprudentia, physica, medicina, politica, mathematica, & philosophia, nec non in sacris, & prophanis historiis passim occurrentes, & in alphabeti seriem, Lexici instar, digestas. Dicitque opus esse prædictarum facultatum doctoribus, professoribus, bibliothecariis, registratoribus, advocatis, ac studiosis, ut in auctorum cognitionem pervenire, ac in promptu habere possint, unde ex illorum monumentis materiam desumant ad epistolas, chrias, & orationes componendas, ad discursus formandos, ad integros tractatus compilandos, non solum usui quotidiano accommodatissimum; sed propriis cujusque studiorum conatibus infinite augendis, magno labore ac industria compilatum. Prodiit Ulmæ sumptibus auctoris 1679. in 4. plagulis 78. Johannes Adamus Schill Schol. Isnac. Collab. qui in Nomenclatore Philologico verborum difficiliorum origines, proprietates, ac differentias, omnes fere Ægyptiorum, Persicarum, Græcarum, Latinarum, aliarumque gentium antiquitates, ritus, consuetudines, festa, ludos, convivia, arma, judicia civilia & militaria, supplicia, vestimenta tam sacra quam prophana, funera, &c. &c. &c. studiosæ juventutis scholasticæ coadjutandi gratia emisit Isnaci typis I. Davidis Kolbii typographi aulici 1682. in 8. plagulis 72. Matthæus Zimmermannus SS. Theologiæ Doctor, & Superintendens Misenensis, qui in Florilegio Philologico-Historico aliquot myriades titulorum cum optimis auctoribus, qui de quavis materia scripserunt, curiose & ex professo tractavit. Prodiit impensis Michaelis Guntheri bibliopolæ Dresdensis Misenæ, literis Christophori Guntheri 1687. plagulis 95. in 4. M. Petrus Danetius, Academicus, Abbas Sancti Nicolai Virdunensis, qui Dictionarium Antiquitatum Romanarum & Græcarum in usum Serenissimi Delphini, & Serenissimorum Principum Burgundiæ, Andium, Biturigum collegit, & sermone Gallico jussu Christianissimi Regis reddidit Amstælodami apud Stephanum Roger bibliopolam 1701. in 4. plagulis 120. Sed pauca sunt, quæ adferunt, & quia pauca, speciosis, quos præferunt, titulis (quod tantorum virorum pace dixerim) non satis digna. Qui enim septuaginta, aut ad summum centum plagulæ exhiberent Antiquitates Græco-Romanas, quæ in utriusque linguæ historiis tot numero occurrunt: præcipue cum illis antiqua verba & obsoleta, ac voces minus usitatæ: artium, ac scientiarum omnium apographa, elenchi & pericopæ: Ægyptiorum, Persicarum, aliarumque gentium Antiquitates & ritus immisceantur. Ego latam & vastam hanc Antiquitatum sylvam ingressus omnes, etiam alicujus quæ sunt momenti, me collegisse mihi fingo. Et, ut dicam quod res est, aliquid in Romana historia fieri potuisse hi viri scriptis suis ostendunt; sed quod fieri oportuisset, & debuisset, non præstant. In his colligendis diligenti & assidua manu evolvi commentatores, qui res Romanas proximis seculis a renatis literis conscripserunt, fere sexcentos: & ex illorum Adversariis, Annotationibus, Antexegematibus, Collectaneis, Conjectaneis, Divinationibus, Electis, Interpretationibus, Lectionibus antiquis, novis & variis, Locis memorabilibus, Miscellaneis, Observationibus, Parergis, Quæstionibus Epistolicis, Schediasmatis, Verisimilibus cognitione quæque dignissima excerpsi, & hoc Antiquitatum corpus feci. Non inficior multo plures res Romanas scriptis suis ornasse. Sed Fortuna respiciens me tam blando vultu nunquam respexit, ut illos omnes meo ære comparare potuerim. Illorum nonnullos, & in illis Johannem Baptistam Ferrettum de Tesseris, Angelum Roccham de Campanis, Henricum Kitschium de Annulis aureis, quæsivi in libellis, in quibus si invenissem, pretio etiam insano emissem: quæsivi in bibliothecis publicis & privatis; sed frustra. Ferrettum adhuc quæro. Roccham vidi in Bibliotheca instructissima Marckiana. Sed opus nostrum jam erat in fine. Kitschius quoque, de quo multa mihi promiseram, quia copiosissimum & elegantissimum titulum præ se fert frons libri, serius ad me pervenit. Sed quia illo caremus, nihil detrimenti capit Respublica literaria. Nihil enim nisi jejunas, & aridas quasdam theses, quas nihili facimus, prodidit. Imo, quod deplorandum est, sunt perdito hoc seculo viri docti, qui Lexicographos odio plus quam Vatiniano persequuntur, ut librorum, quos se possidere jactabant, usum mihi impensissimis

ſiſſimis precibus petenti, licet breve tempus exorarem, concedere noluerint. Laudatis; quos habeo, ſcriptoribus libros; librorum capita, & capitum ſectiones adjeci, ut ſi plura de hac vel illa Antiquitate, quam mihi pro chartæ ratione adferre integrum fuit, ſcire volueris, ſine labore apud illos invenire queas. Antiquitates, ut modum, quo illas exhibeo, ſcias, ſerie Alphabetica, ut hoc opus merito Lexici nomen ſibi vindicet, diſpoſui: & illas, quæ & alia loca occupare potuiſſent, loco quo mihi viſum fuit, collocavi; & ubi rurſus occurrerunt, elementum, ſub quo traduntur, indicavi. Et licet in illis diſponendis elementorum ſeriem me curatiſſime ſervaſſe mihi finxerim, & ut ſervarem conſonantem V a vocali U ut diverſæ naturæ ſeparaverim: tamen de *Vulva ſuilla* & ejus deliciis dicenda, & poſt *Vulturnalia* locanda quæ fuiſſent, poſt *Uvas*, cum illam plagulam emendarem; perperam, quo fato neſcio, locata inveni. Claſſicorum ſcriptorum teſtimonia, quibus ſua commentatores probant, non omnia; in immenſum enim hoc opus excreviſſet; ſed duo, aut tria, maxime ad rem facientia cum judicio ſelegi, atque attuli: illisque & libros, & librorum capita, & capitum ſectiones, & terminum numerum ob rationem jam commemoratam ſubjunxi. Ærumnabili labore, & ſudore non uno hæc collegi. In more enim poſitum eſt pleriſque commentatoribus etiam hoc ſeculo claſſicos auctores, quos modo dicto diviſos manibus terimus, laudare nulla capitum, aut ſectionum, imo interdum ne libri quidem facta mentione. In promptu cauſa eſt. Gaudent tenaciſſima memoria. Et hæc auctorum, quos laudare inſtituunt, verba illis dictat. Moleſtum itaque & grave foret auctores evolvere, & diſtinctiones in margine appoſitas enotare. Accedit & altera, quam in præfatione Tacito ſuo præfixa indicavit Johannes Freinshemius. Ejus αὐτολεξεὶ ſunt hæc. *Apud doctos pravus mos inolevit, ut fere gratiam, aut auctoritatem ferre ſcriptis ſuis vereantur, ſi conſtet quibus auctorum locis uſi ſint: adeoque nonnulli ne nomen quidem auctoris citent; alii autem nomina nudo tantum ſono nota, antiquiſſimos, inquam ſcriptores, quos illi, niſi a poſterioribus citatos, nunquam viderunt; quidam contenti ſint nominaſſe auctorem ſuum, veluti Livium aut Plinium, nulla librorum, nedum capitum mentione; quod (ut Athen.* III. 7. *inquit) eſt ad capras ſilveſtres relegare.* Facilis eſt etiam hæc ſcribendi methodus, qua tuti non poſſunt accuſari de his, vel illis auctoribus perperam laudatis, de quibus bene multos cum veterum, tum recentiorum accuſandos eſſe in Præfationibus ad Franciſci Pomey Pantheum mythicum ſexto editum, & a me recenſitum, nec non ad Johannis Roſini Antiquitates Romanas, quæ mea cura anno hujus ſeculi primo ab innumerabilibus erroribus repurgatæ in lucem prodierunt: imo per ſaturam in præfatione ad Lexicon Latino-Belgicum ante octennium docui. Et his, ſi tibi gravis non ſum Benevole Lector, libet addere etiam veteres, & recentiores, qui laudant ea, quæ apud ſcriptores, quos laudant, non inveniuntur. Plin. XIX. 4. Plauto dat hæc verba: *In remedio Satyrica ſigna, quanquam hortos tutelæ Veneris aſſignante Plauto.* Sed quo loco Plautus id prodat, hactenus eſt incompertum: licet Plinium iiſdem verbis tranſtulerit Salmaſ. Exercit. Plin. p. 219. Hotmann. de Barba §. 6. *aram*, quæ fuerit Romæ, *Deæ capillatæ* fuiſſe teſtem laudat Plinium. Sed illa apud Plinium non invenitur. Panvin. Deſcr. Urb. Rom. Theſ. Antiq. Roman. Græv. Tom. III. p. 256. C. & Bergier. de viis milit. III. Sect. 26. §. 2. ſcribunt Gellium viam Laurentinam inter Ardeatinam, & Oſtienſem ponere, Laurentinamque, & Oſtienſem tanquam propinquas inter ſe videre conjungi. Sed toto cœlo errant. Nam nihil de viæ Laurentinæ iſto ſitu Gellius, licet viæ meminerit X. 2. Jurantes manum levare ritum veterem eſſe exiſtimat vir quidam doctus: & Ariſtotelem Polit. IV. ejus meminiſſe dicit. Sed σφάλμα eſt μνημονικόν, nec in toto Politicorum opere quicquam iſtiuſmodi, ut aſſerit Hanſen. de Jurejur. Vet. c. 13. qui laudant ea, quæ apud ſcriptores, quos laudant, ſed non loco, quem laudant, inveniuntur. Mitto Hieronymum Magium, qui de Equul. c. 12. ſcribit Suetonium in Caligula dicere, *Excogitatum inter genera cruciatus etiam ut larga meri potione oneratos veretris deligatis, fidicularum ſimul urinæque tormento diſtenderet:* cum hæc legantur apud illum in Tiber. c. 62. n. 3. Nam hic miſellus hæc ſcripſit in Conſtantinopolitano carcere omni librorum ope deſtitutus. Sed Kircher. Lat. Vet. & Nov. II. 2. ſcribit apud Plin. XVI. 44. legi: *Scripſit Sylla Dictator*... *& in villa ſua Tuſculana, quæ fuit poſtea Ciceronis, pinxit.* Leguntur apud illum XXII. 6. Sigon. de Judic. II. 33. ſcribit apud Cicer. Orat. pro Sextio legi: *De vi quæritis, quam legem Q. Catulus armata diſſenſione civium Reipublicæ pæne extremis temporibus tulit.* Leguntur apud illum pro Cœlio c. 29. Spanhem. in Julian. Imperat. Orat. I. p. 46. b. ſcribit Sueton. in Auguſt. c. 21. deſcribere adoptionem Tiberii ab Auguſto factam. Deſcribit illam Tiber. c. 21. n. 4. & 5. Salmaſ. in Spartian. Peſcenn. Nigr. c. 12. probaturus tecta veterum pluribus faſtigiis conſtitiſſe laudat Ciceronem ad Atticum; cum illum laudare debuiſſet ſcribentem ad Q. Fratr. III. 1. Ibi enim inveniuntur, quæ laudat, hæc verba: *Abſolutum offendi in ædibus tuis tectum: quod ſupra conclavia non placuerat tibi eſſe multorum faſtigiorum.* Apud Suet. Tib. c. 58. n. 3. legitur: *Capitale erat dictum illum, factumve ejus, Auguſti, exiſtimatione aliqua læſiſſe.* Sed illud legi apud eundem Aug. c. 58. ſcribit Schulting. in Senec. Controv. II. p. 205. a. Apud Senec. ad Polyb. c. 34. legitur: *Cæſar patruus meus, Druſum Germanicum patrem meum, intima Germaniæ recludentem... in complexu & oſculis ſuis amiſit.* Sed illud legi apud eundem de Brevitate vitæ ſcribit Kirchmann. de Funer. Roman. I. 5. Lamprid. in Heliogab. c. 20. narrat illum *omnes de theatro, de circo, de ſtadio, & omnibus locis, & balneis meretrices collegiſſe.* Hoc illum narrare in Vero

dicit

dicit Buleng. de Circ. Roman. c. 56. Suet. Oth. c. 12. n. 3. teſtis eſt illum, *vulſo fuiſſe corpore, galericulo capiti propter raritatem capillorum adaptato & annexo, ut nemo dignoſceret.* Illum de Galba hoc teſtari teſtatur Hotmann. de Barba §. 5. & 21. Calig. c. 10. n. 4. illum *barbam poſuiſſe ſine ullo honore.* Sed in Tiberio notaſſe idem Hotmann. ibid. §. 5. Apulej. Florid. c. 23. a ſchedium format *ſchedicum.* Illum ſic hoc formare de Deo Socratis ſcribit Hermol. Barbar. Caſtigat. in Plin. XIII. 11. & ex Hermolao Voſſ. Lex. Etym. in Scheda. Suet. Ner. c. 41. n. 6. annotavit hæc verba: *Cum annotaſſet inſculptum monumento, militem Gallum ab equite Romano oppreſſum trahi crinibus.* Hoc in Claudio annotatum eſſe annotat Meurſ. de Fun. c. 32. c. 46. n. 2. ſcribit illum per quietem vidiſſe, *ſe a ſimulacris gentium, ad Pompeji theatrum dedicatarum circuiri.* Hoc legi in Claudio dum ſcribit, errat Harduin. in Plin. XXXVI. 5. Grang. in Juven. Sat. V. 148. ziphris Romanis laudat de boleto Claudii ſcribentem Junium Anim. VI. 17. Sed hic de illo ſcribit Anim. I. 17. Et iiſdem Tomaſ. de Donar. c. 1. Vitruv. VIII. coronæ votivæ meminiſſe. Sed apud illum IX. 3. hæc de corona aurea leguntur: *Hiero cum auream coronam votivam diis conſtituiſſet.* Etiam qui hunc ſcriptorem laudant, cum illum laudare debuiſſent. Kircher. Lat. Vet. & Nov. 11. 2. hoc carmen

Nec ut superni villa candens Tuſculi
Circæa tangat mœnia.

adfert ex Martial. Od. 11. cum ex Horat. Epod. I. 29. transferre debuiſſet. Salmaſ. in Tertull. de Pall. p. 410. hoc carmen

- - - Si forte ſubucula pexæ
Trita ſubeſt tunicæ.

apud Perſium exſtare dicit, cum exſtet apud Horat. Epiſt. I. I. 95. Lipſ. Saturn. I. 5. ex Capitolino in Gallienis laudat hæc verba: *Pugiles rudibus, non veritate pugillantes.* cum in Gallienis illa referat Trebell. Poll. c. 8. Sagittar. de Jan. Vet. c. 10. §. 4. hæc verba, Petronii quæ ſunt c. 16. *Sera ſua ſponte delapſa cecidit, recluſæque ſubito fores admiſerunt intrantem.* transſcribit Nonio in Patibulum ſive IV. §. 355. Indices, quos habemus in ſcriptores, & Græcos, & Romanos ſæpius me conſuluiſſe dices. Et hoc non nego. Habemus enim, habemus fateor indices; ſed, quod in laudata præfatione in Tacitum me prior queſtus eſt Johannes Freinshemius, qui præter nominum propriorum collectionem nihil fere continent. Habemus, ſed pleroſque conſarcinatos a junioribus, quibus fortaſſe adhuc muccus & mala pituita naſi fluxerunt: & qui præ ſterilitate ingenii neceſſaria omiſerunt, &, ut multas tamen plagulas explerent, minus neceſſaria collegerunt. Quod ſi quis negaret, proferrem Johannem Henricum Bœclerum, Æliam Scheidium, Wolfgangum Seberum, qui confitentur, ſe indices, quos commendant, diſcipulorum opera congeſſiſſe. Ipſe Andreas Tiraquellus, qui multa lectione libros ſuos ſtipat, & cujus diligentiam ſupra humanam omnem commendat Petrus Faber commentario ad caput 178. de Regulis juris, tota cohorte juvenum ad colligenda teſtimonia uſus dicitur, ut teſtatur Caſpar Barthius ad Papinii Statii Thebaid. V. 675. Habemus etiam pleniores, ſed nec illi, rerum infinita prætermittentes, ſatisfaciunt, quod de Stephani Cellarii indicibus in Curtium, Nepotem, Silium Italicum Thomas Crenius ad Simeonis Boſii de comparanda eloquentia civili diſſertationem Iſagogicam §. 20. & quos, quod de Melchioris Freinshemii indice in Tacitum idem Crenius ad Boſii de comparanda prudentia civili diſſertationem Iſagogicam §. 126. adhuc pleniores mallemus. Habemus ſingulorum vocabulorum, quos concinnarunt qui in uſum Delphini claſſicos ſcriptores ediderunt; ſed qui in illis integras pagellas corradendo voculas *a, ab, ac, ad, de, denique, dum, de, etiam, enim, ex, hic, hinc, his, hos, quæ, quoque, quidem,* & ſimiles, quas nunquam quæres, incurioſa diligentia ad nauſeam conſpurcarunt, & multas, quæ uſui eſſe poſſent, præterierunt. Habemus, ut ſingillatim de Cicerone quid dicam, Apparatum Latinæ locutionis in uſum ſtudioſæ juventutis ex ejus libris collectum a Mario Nizolio, & poſtea a Cælio Secundo Curione, Marcello Squarcialypo, Alexandro Scot, fortaſſe & aliis mirifice adauctum; ſed ex rebus multis imperfectum relictum. Veterum itaque teſtimonia a Commentatoribus abſque librorum, capitum, & ſectionum numero allata, quæ labans memoria negabat, ſemiperfecti indices non ſuppeditabant, apud illos aſſidua manu quæſivi. Innumera fere inveni, & mihi gaudeo. Nonnulla, ſed pauciora non inveni, & me non inveniſſe doleo. Quare vero doleam, neſcio. Nemo enim in aliorum laboribus tam acutum cernit, ut omnia teſtimonia a Commentatoribus perperam ſcriptoribus, apud quos non leguntur, transſcripta poſſit illis, apud quos inveniuntur, reddere. In Ictis, ut quidem oportuiſſet, laudandis etiam fortaſſe minus ſatisfacio: dum illorum libros, ſectiones, & paragraphos, quibus jus ſuum & laudant, & illuſtrant, non ſemper annotavi. Confiteor enim me in Juriſconſultorum libris parum eſſe verſatum. Et hac confeſſione a calumniantium injuria me vindico, qua, quia in promptu non habebat Ictorum locos, quos Hieronymo Magio in dura illa carceris fortuna memoria non ſuppeditaverat, ſeſe vindicavit Gothofredus Jungermannus. Pleriſque Antiquitatibus vocabulorum etyma præmittere fuerat animus. Probe enim noveram, quantum lucis vocum originatio afferat rebus. Et contra ea eum fere

fere nihil scire, qui etyma nescit. Quæ quoque sententia est Isidori 1. 6. dicentis: *Nisi nomen scieris, cognitio rerum perit.* Et recte Ulpian. l. 1. ff. de Instit. & jure. *Juri operam daturum prius nosse oportet, unde nomen juris descendat.* Unde hoc institutum probat ipse Cicero. De illo enim Acad. Quæst. 1. 8. *Verborum explicatio probatur, id est, qua de causa quæque ita essent nominata, quam etymologiam appellabant: post argumentis, & quasi rerum notis ducibus, utebantur ad probandum, & ad concludendum id, quod explanari volebant.* Nec minus Quintil. Instit. Orat. 1. 6. *Originatio verborum habet aliquando usum necessarium, quoties interpretatione, de qua quæritur, res eget. Continet in se multam eruditionem, sive illa ex Græcis orta tractemus: sive ex historiarum veterum notitia nomina hominum. . . . requiramus.* Sed hoc consilium sufflaminarunt, qui Lexicon non Etymologicum, sed Philologicum me scribere censuerunt, imo magna vocis contentione contenderunt. Et hac de causa vel duobus, vel nullis Etymologis usus sum. Antiquitates tamen, quas vocum etymis in Lexico Etymologico Vossius immiscuit, etymis missis, in nostrum transtuli. Græcos suo sermone loquentes producere institueram; sed magno Grævio suasore in Latinum translatos adduxi: cum ut sumptuum huic operi impendendorum rationem Typographus haberet, tum quia cuilibet Græca desideranti proclive erit Græcorum loca enotata evolvere. Terrarum regiones, & urbes in illis sitas non depinxi: nec deorum, dearumve mythologiam contexui, nisi quorum, quarumve meminerunt a thesaurorum editoribus congesti Commentatores. Quos terras & divos non condigne, sed presse & anguste, ut sæpius, describentes ubi observavi, plura ex aliis cum explicatius, tum uberius, & ad pleniorem intelligentiam accommodatius tradentibus attuli. Horum omnium, quæ exhibeo, si quid minus verum esse censueris, & refutandum in animum induxeris, non me, cujus non sunt, sed illos, quorum sunt, refutandos tibi sumes. Indicem etiam operi præfixi certissimum & locupletissimum. In illo, tanquam in parva tabella exhibentur & scriptores, cum sacri, tum prophani, & commentatores, quorum lucubrationibus usus sum, qui notantur, emendantur, explicantur. Hoc opus dum urgebam; Typographus duas priores plagulas typis descripsit, & cum erudito orbe communicavit. Et hinc illico diversa eruditorum judicia. Evenitque mihi, quod solet evenire iis, qui in publico ædificia ponunt, & se transeuntium variis censuris exponunt. Prout quisque quod sibi placet probat: quod displicet improbat. Fuerunt qui laudarent, fuerunt qui in illo hoc vel illud vituperarent. Omnes, fuerunt enim plurimi, qui in os laudarunt, dicere nihil attinet. Pro omnibus erunt Janus Broukhusius, & Johannes Georgius Grævius, dum fuerunt, & dum esse desierunt, viri multi nominis, eruditionis judices & censores integerrimi. Horum ille Typographo fuit auctor, ut tale Lexicon adornandum curaret: & viam, quam in eo adornando insisterem, mihi comiter monstravit, & quam institisse me nunquam pœnituit. Hic, cum operi manus vix admoveram, Halma comite ad me invisit, & plagularum, quas jam prelo paraveram, inspiciendarum copiam sibi facerem postulavit. Ubi plerasque legisset, & mihi, & Halmæ gratulabundus proclamavit: nihil est quod carpam, omnia mihi arrident: pede, mi Pitisce, quo cœpisti, perge. Per literas laudarunt viri consummatissimæ doctrinæ, & inter illos in re literaria princeps Jacobus Perizonius a. d. VII. Eidus Majas CIↃ IↃCCVIII. *Curtium tuum, iteratæ, & pulcherrimæ editionis, tuo beneficio & opera recte accepi: pro quo munere tam splendido gratias tibi, ut par est, ago maximas. Adjecisti etiam folia Lexici tui Antiquitatum Græco-Romanarum, quod magnæ profecto erit utilitatis opus, nomenque tuum sane commendabit posteritati, apud illos certe, qui literas amabunt. Quod si meum non aspernaris consilium, id unum te monitum velim, ut singulas res, quantum fieri potest, referas ad ea potissimum verba, ad quæ Lectores, qui tuo Lexico utentur, illas res potissimum quærent. Ex. gr. Abeuntes Magistratu, & quæ illic erudite notas, referri ego quidem maluissem ad vocem Magistratu, quam ad Abeuntes, quia verisimilius videtur in illa potius voce, quam in hac, Lectorem ea quæsiturum. Sed Tu, qui reliqua tam eleganter curas, id quoque videbis, & decernes omnium optime, quid maxime e re tua publicaque sit.* Theodorus Janssonius ab Almeloveen a. d. IV. Kal. Majas CIↃ IↃCCXI. *Quæ misisti folia utriusque operis, me capiunt mirifice. Ast qui sapient, ubi ipsa opera videro perfecta, & absoluta.* Antonius Bilertius Kalendis Januariis 1709. *Annus hic novus precor tibi auspicatissimus & fortunatissimus eveniat, proboque omnino consilium, quo tandem senectuti tuæ post exhaustos tot improbos labores aliquam requiem indulsisti. Finis coronat opus.* **Sulk een** Lexicon Antiquitatum **was'er noch nodig in de geleerde waereld / en sal met seer groote dankbaarheit en plaisier by de liefhebbers van studie ontfangen worden.** *Hæc Latina Belgicis permixta scribo, ut posthac faciam ad viros doctos, postquam Wetstenius edidit literas ad Francium datas.* Johannes Flenderus 30 Maji 1708. *Ad Lexici tui specimen missum quod attinet, sedulo & attente legi, & quod ex animi sententia dico, opus varia, utili, imo necessaria, eaque profunda eruditione plenum probavi, mecumque omnes politiorum literarum, & antiquitatum amantes, quibuscum communicavi. Namque, ut alia omittam, per rem angustam tot tantaque Grævii, Gronovii, & plerorumque aliorum eruditissimorum virorum Antiquitatum volumina non omnibus licet emere: paucis ad hoc vacat legere: forte etiam non omnibus datum est, eadem intelligere: e contrario vero Lexicon tuum ordine Alphabetico, eoque perspicuo & distincto concinnatum quivis fere sibi poterit parare, & legere, & intelligere, non tantum literator, sed & Theologus, &*

Ictus,

ktus, *& historiarum amans. Tuo jam claro nomini majorem afferet hic senectæ tuæ nondum effœtæ fœtus claritudinem & decus. Faxit Deus ad umbilicum hoc excellens tuum opus sanus & firmus ex animi voto videas perductum, detque gratiam senectuti tuæ placidæ hic quietem; & postea electorum salutem.* Qui vituperarunt, fuerunt multis partibus pauciores, & fortasse unus & alter. Illos habeo incognitos. In scenam enim non sunt ausi prodire. Et ea de causa illos lente & secure ferre potuissem. Sed ne in sinu suo gaudeant, me bene depexo, & virtutibus meis (scilicet) eleganter exornato, placuit exhibere tibi, Benevole Lector, vitia, quæ huic Lexico parare sunt conati homines infruniti & male sani. Primus, quod sciam, animo concoquere non potuit, opere hoc etiam desidibus, & ignavis sterni viam pronam & facilem, quam calcantes nullo sudore (miror non adjecisse, absque Professorum collegiis, etiam domi, atque intra privatos parietes; sed hoc non esset ex re lucripetarum quorundam Professorum) ad Antiquitatum cognitionem possint pervenire. Idem Johanni Freinshemio, cum se gratiam initurum sperasset, quod studiosos faciliorem methodum suis laboribus modo, quem dicit, adornatis docuisset, objectum esse memini me legere in ejus præfatione in Tacitum. Quod itaque ille suis reposuit, hoc ego meo repono homini, & quidem ejus verbis: *Quamquam*, inquit ille, *non ignorem summam in eo consistere criminum, quæ nobis imputantur, quasi per nimium facilitatis, atque commoditatis studium fores aperiamus desidiæ. Quod quidem si accideret, eveniret utique præter animi nostri sententiam; ut nulla re evidentius pateret instituti nostri utilitas: quantum enim inde commodum ad studiosos atque industrios perveniet, si dummodo levem opellam impendas, quod ne quidem negligenti licet esse sine fructu.* Repono etiam quod hujus farinæ censoribus in sua ad Argum Homericum præfatione Wolfgangus Zeberus: *Qui hujuscemodi* χειραγωγίας, *ignaviæ subsidium præberi nugantur, eos jam dudum virorum doctissimorum auctoritas explodit.* Secundus, si criminationum ordinem recte memoria teneo, clamitabat me supervacaneis inscriptionibus Lexicon hoc onerasse: illasque atrociori stylo esse effodiendas. Sed o affabre caput! non videtur habere cerebrum. Quod si haberet, re bene perpensa & explorata statueret eas, si omisissem, adhuc esse addendas. Necessitas enim probationis scriptoribus incumbit omnium rerum, quas posteris student tradere. Nihil dicit, præsertim in re literaria, qui quid dicit sine testimoniis & auctoritatibus. Sine quibus quod adfertur, eadem facilitate, qua adfertur, rejicitur. Ea de re Alexander ab Alexandro, ut reliquos taceam, ab eruditis plus vice simplici taxatur, & ejus fides elevatur, *quia quæ docet, non probat:* ut de illo Martinus Delrio in Senecæ Herculem Oetæum. Et de eodem Constantinus Landus in C. Plotii triumviri numismatis explicatione. *Hæc Alexander: sed nullo, ut ejus mos est, unquam citato auctore.* Nec non Olaus Borrichius in Antiqua Urbis facie. *Alexandri auctoritas, cum se nulla muniat veterum auctoritate, imbelle telum est.* Antiquitates non omnes classicorum scriptorum testimoniis muniri possunt. Deficiunt interdum. Invocandæ Inscriptiones. Laudo testes idoneos meæ sententiæ, sed paucos, licet sint plurimi. Agmen ducet Henricus Norisius in Marmor Pisanum Dissert. I. p. 25. *Reliquarum coloniarum numerus apud scriptores deficit, ac ex numismatum tantum epigraphis suppleri potest.* Dissert. III. p. 363. *In illis contexendis sola consulum cognomina recitat, & plurima quidem, quæ ex marmoreis tantum lapidibus intelliguntur.* Illum excipient Onuphrius Panvinius de Civit. Roman. c. 50. *Tribus Horatiæ nullam apud veteres auctores mentionem fieri adhuc inveni, quanquam marmoreæ inscriptiones frequenter ejus meminerint.* Et *Menenia tribus nunc demum vetustæ inscriptionis auxilio pristino splendori restituta est.* c. 60. *Triumvirorum valetudinis nulla apud veteres auctores, quod sciam, mentio est: in antiquo vero nummo sic scriptum est, . . .* Imper. Roman. c. 11. *Apulesii coloniæ vetus lapis meminit.* c. 26. *Trium flaminum, Lucularis, Laurentalis, Lavinalis ullam mentionem apud veteres auctores exstare nunquam vidi. Eos ex antiquo epigrammate concinnavi.* De Nominibus Romanorum Thes. Antiq. Roman. Græv. Tom II. p. 2028. D. *Mamerci nomen pæne exstinctum e tenebris vetustatis antiquorum marmorum auxilio renovatum est.* Adrianus Turnebus Advers. XI. 10. *Omnium deorum flamines fuisse cum in auctoribus non fere legamus, tamen in antiquis inscriptionibus municipiorum, quorum auctoritas calcanda non est, reperimus.* Nicolaus Bergierius de Viis milit. III. Sect. 22. §. 9. *Viam Anniam non invenimus, nisi in Inscriptionibus.* Sect. 28. §. 7. & Guido Pancirollus Descr. Urb. Romæ Thes. Antiq. Roman. Græv. Tom. III. p. 261. C. *Viæ Corneliæ situm sola conjectura divinamus per Inscriptiones.* Claudius Salmasius in Vopisc. Carin. c. 16. & Johannes Kirchmannus de Annul. c. 9. *Nulla profecto hodie velariorum uspiam exstaret mentio, nisi eorum memoriam Inscriptiones nobis conservassent.* Idemque Kirchmannus de Funer. Roman. III. 18. *Sepulcra simulacris exornare antiquitus solita, non tam ex veterum scriptis, quam ex ipsis priscorum monumentorum ruderibus colligere est.* Johannes Georgius Grævius Thes. Antiq. Roman. Tom. V. Prolegom. * *. 2. vers. *Patres sacrorum noti sunt ex Tertulliano & Inscriptionibus.* Sertorius Ursatus de Not. Roman. Thes. Ant. Rom. Græv. Tom. XI. p. 725. B. *Furina dea mihi ignota est. In Romanorum tamen Notitia legitur.* Nec mirum. *Lapides enim Romano imperio florente inscripti, Latini sermonis longe certiores testes censendi sunt, quam vetustissima quæque volumina, in quæ tot subinde indoctæ librariorum manus grassatæ sunt.*

Ut

Ut de illis Henricus Norisius in Cenotaph. Pisan. Differt. IV. p. 427. Unde Henricus Kippingius præfationis suæ ad Antiquitates Romanas p. 2. ubi agit de opusculi sui ortu & methodo: *Addo summæ & optimæ fidei censores, Inscriptiones, & commodis locis aptissime insero.* Eat nunc Censor meus, & Inscriptionibus rejectis, singulas Antiquitates veterum testimoniis suffulciat: & ego causa cadam; ille vero æqui censoris nomen habebit. Tertius, nam & ille, quod carperet, invenerat: me ritus externos, & consuetudines peregrinas, Romanorum ritibus & consuetudinibus inseruisse. Qui imperitiæ me non insimulasset, si cogitasset, Romanos ritus illos, & consuetudines illas ab exteris mutuatos esse, & ad suum usum transtulisse. Si Romanis abstulerimus, quæ ab exteris & peregrinis petierunt, quantulumcunque supererit ab illis inventum & excogitatum? Leges duodecim tabularum, in Antiquitatibus Romanis celeberrimæ, ne omnes peregrinorum terras percurram, magnam partem fuerunt externæ & peregrinæ. Annis fere viginti post Reges Roma pulsos Romani regiis legibus abrogatis novas leges condituri auctore Titio Romilio tres legatos Sp. Postumium Album, A. Manlium, & Serv. Sulpicium Athenas, & Lacedæmonem; inque alias Græciæ civitates miserunt. Hi cognitis, & examinatis peregrinorum illorum patriis institutis, ac legibus sapientissimis; exemplum inde ad imitandum ceperunt, & triennio consumpto Romam deportarunt. Decemviri ad id constituti suis quæ deesse videbantur ex Græcorum institutis suppleverunt. Quartus, ne ἀσύμβολος esset, ægre ferebat, me pœnas, quibus facinorosos Romani puniverunt, attulisse. Hæc castigari auribus cum audirem stabam attonitus, & mentis vix eram compos. Qui de moribus gentium scripserunt, descripserunt etiam pœnas, quibus crimina in suo solo commissa vindicaverunt. Et ego juxta cum illis descripsi pœnas tristiores, & supplicia graviora, quibus Romani sanctas leges, quæ sine illis despicatui, & ludibrio fuissent, ab injuria facinorosorum asseruerunt. Quintus, qui se prioribus socium addidit, indignabatur, me finxisse in Republica Romana, qui nusquam fuerint, certos viros per singulas provincias constitutos, qui rationem habuerint collationum a provincialibus exigendarum ad cursus publici instructionem, inde a commentariis vehiculorum dictos: & quidem fide Henrici Christiani Henninii: quem negabat tantæ in Republica literaria esse auctoritatis, ut ea sola nixus quid adferre debuerim. Sed iniquus censor Henninium non evolvit, & ideo jure culpandus. Quem si evolvisset, invenisset inscriptionis ex Grutero petitæ ab Henninio mentionem factam, in qua M. Ulpius Aug. lib. Saturninus filius *a commentariis vehiculorum* conceptis verbis occurrit. Hanc, quia Inscriptionis verba Henninius omisit, ut censorem pudore suffunderem, & demortuum hac calumnia liberarem, ex Grutero transscripsi, & in Lexico sub suo elemento collocavi. Sextus, qui criminantium agmen claudit, est Frisius. Hic amplo boatu insurgebat in Sponium. Sponius in Miscellaneis Eruditæ Antiquitatis explicaverat lapidem, in quo *a cognitionibus*; sed non ad genium hujus Sophi. Explicaverat illum Sponius his verbis: *A cognitionibus, quæ eædem ac recognitiones erant, dicebatur recognitor, Græcis* ἀντιγραφεύς, *nostris controlleurs.* Quid ille? hoc *cognoscere* non significare jurabat: & hoc ex ICtis, quos in promptu, versabatur enim Amstælodami, cum hæc effutiret, se non habere deflebat, probari posse affirmabat. *Cognoscere* quando in Republica Romana Princeps, vel Principe absente summus Magistratus fuerit dictus, non tantum illi; verum etiam mihi, imo illis qui nondum ære lavantur, est notum: & probandi gratiam illi facio. Hoc non quæritur. Verum lapidem dictum rectene, an perverse; extra illum enim nihil de hoc verbo Sponius, explicuerit qui de errore accusatur. Rogatus per Typographum, quis ergo fuerit *a cognitionibus*, ingenue fatebatur se nescire. Quid vero est delirare, si hoc non est? Sponii explicationem ingenti fastidio rejicere, & illa meliorem, minimum verisimiliorem afferre non posse. Sponius fuit medicus. Hoc addebat censor. Quis negat? Sed quid inde? Sequiturne, ergo non fuit literator. In scholis qui manum ferulæ nondum subduxerunt, negarent syllogismi majorem propositionem. Medici uno plures in re literaria excelluerunt, & hujus monimenta excellentissima memoriæ prodiderunt. Illorum denarrandorum labore supersedeo. Sponius medicus; & insimul literator opera eruditæ antiquitatis plura edidit, & doctorum, si non censoris, manibus teruntur. His, in chartam enim jam hæc conjeceram, accesserunt duo supernumerarii, qui opera typographi me amice monuerunt, me nimis parcum esse in describendis Familiis. Sed hos amicius ablego ad elementum G. & sub illo ad Gentes, sub quibus ut toto Familiæ continentur: & quas fere describo, cum illas describo. Ipse Antonius Augustinus suo libello de familiis nomine indito, plerasque, dum pertractat, gentes nominat. Richardus Streinius de iisdem agens, suo de Gentibus & Familiis nomen fecit. Errores operarum, dum unum tollunt, & unius loco sæpius duos committunt, emendatoribus malam crucem figentium diligenter sustuli. Exinde non putem ullum vitium te hæc legentem moraturum. Qui enim elementum inversum, e. g. n pro u, vel u pro n positum te moraretur? Et paucula, quæ fortasse moram afferrent, ad finem operis annotavi. Pavimentum tessellatum anno proximo exeunte in Britannia est repertum. Inter reliquias Antiquitatum Romanarum ex solo Britannico erutas principem facile locum tenet. Typographus, qui sumptibus non parcit, ut opera suo prelo subjecta quam nitidissime in lucem prodeant, hoc in æs incidi curavit, & ad calcem

 præfa-

præfationis locari jussit. Hoc Lexicon, ad finem enim properare propero, non perfunctorie, ut canis in Nilo bibens, scripsi; sed solidum decennium, & si quid amplius, licet, ut Curtius veste nova posset nitere, bis denos annos me sudavisse pervicax negem, illi adornando impendi. Nec ita in illud incubui, ut muneris, quod in hac Urbe susceperam (adversarios hoc mihi objicientes nihil moror) procurationem neglexerim. Imo ne momentum quidem horæ periit officii mei. Sed horas subcisivas, quas alii deambulationibus, alii conviviis, alii aleæ & pilæ tribuunt, egomet mihi ad hæc studia sumpsi. Vale Benevole Lector, & Pitisci tui conatibus fave.



INDEX AUCTORUM,

Qui in hoc Lexico notantur, emendantur, explicantur, in quo *N.* notatos, *Em.* emendatos, *Ex.* explicatos designat.



Accius Menalippa Ex. *Te esse huic noxæ obnoxium* in *N x.1.*

Accurs. ad l. 242. de verb. signific. N. quia artemona minus recte explicat in *Artemon.*

ad l. 2. ff. de aur. de argent. legat. N. quia clavos vestium perperam interpretatur in *Clavi.*

ad l. 4. & 38. ff. de serv. fugitiv. N. quia limenarchas non recte describit in *Limenarcha.*

ad l. athletas ff. de iis qui notant. infam. N. quia spartores frigide exponit in *Spartores.*

ad l. placet C. de Episc. & Cleric. N. quia parabolanos ridicule explicat in *Parabolani.*

ad l. omnimodam C. de inoffic. testam. N. quia fingit silentiarios fuisse a secretis Principum in *Silentiarii.*

Acron in Horat. Od. III. 9. N. ubi docet, *sepulcrum Scipionis Africani in Vaticano* exstitisse in *Sepulcrum Scipionis.*

Od. III. 30. 6. N. ubi docet, *libitinam esse lectum, in quo mortui efferebantur* in *Libitina.*

Sat. I. 2. N. ubi docet, *institam stolæ imam partem ambiisse* in *Instita.*

N. ubi docet, *lixas servos militum fuisse* in *Lixa.*

Sat. I. 8. Ex. in *Sessorium.*

Epist. I. 5. I. N. ubi docet, *Archaicos lectos humiles ab Archaico fabro esse dictos* in *Lectus Archaicus.*

Epist. I. 18. 66. N. ubi docet, *pollicem utrumque pro manu utraque esse positum, & utramque manum esse sublatam* in *Pollex.*

de Art. poet. n. 445. Ex. in *Notæ.*

Ado in Chronic. N. & Em. ubi Procidum quendam primum quadrigam tradit junxisse in *Equus.*

Ælian. Var. Hist. x. 7. N. & Em. ubi Metonem, qui magnum annum adinvenit, Lacedæmonium vocat in *Annus magnus.*

XII. 31. N. & Em. ubi legitur vinum myrrhinites in *Myrrines.*

Æschylus N. quia negat, mortem nec aras, nec templa habuisse in *Mors.*

Afran. apud Festum in supparus Ex. *Puella non sum, supparo si induta sum* in *Supparum.*

African. l. ejus qui in prov. ff. si certum petat Ex. *Qui servum Kalendario præfeceras* in *Kalendarium.*

Agricol. de Nat. fossil. VI. 22. N. ubi vasa murrhina ex onyche lapide scribit facta in *Vasa murrhina.*

Albinovan. ad Liv. n. 159. Ex.

—— altera fratris
Formarent oculos, comprimerentque meos.

in *Oculus col. 2.*

n. 208. Ex.

Strata per obscœnas corpora nuda vias.

in *Cadaver col. 10.*

Alciat. Dispunct. II. 21. N. quia satis oscitanter synthesin vult fuisse vestem viliorem in *Synthesis.*

II. 23. N. quia negat duorum fratrum uxores recte janitrices dici in *Janitrices.*

II. 25. N. quia apud Scævolam pro pecunia ærosa ἔρανος legendum esse perperam contendit in *Pecunia ærosa.*

IV. 9. N. quia parabolanos putat fuisse plebejos quosdam famulitio ecclesiarum deputatos in *Parabolani.*

Par. jur. III. N. quia polyptichos dicit fuisse chirographa vel apochas in *Polyptichon.*

IV. 19. quia sirpos apud Gellium minus recte in scrypos mutat in *Sirpus.*

Alexand. Gen. dier. III. 16. N. quia quindecimviros a Sylla factos esse dicit in *Quindecimviri.*

III. 21. Ex. *Chius ternarium numerum facit* in *Chius.*

N. quia nuces ocellatas ridicule explicat in *Ocellata col. 2.*

III. 27. N. quia pulvinaria & lecticas confundit in *Pulvinar.*

Alphen. l. 60. ff. de legat. III. §. 3. Ex. *Asinus machinarius* in *Machina.*

Ambros. Epist. 7. N. *Manumissus libertatem palma lictoris donatus acquirit* in *Manumissio.*

Ammian. XIV. 9. Ex. *Pectoralem tunicam. . . .* in *Dalmatica.*

XV. 5. Ex. *Cum principiorum verticibus secretius collocutus* in *Principia col. 4.*

XX. 9. Em. & Ex. *Ut provincialis, & miles, & Republicæ decrevit auctoritas* in *Milites provinciales col. 2.*

XXI. 16. Ex. *Nec sub eo dux quisquam cum clarissimatu provectus est* in *Perfectissimi.*

XXII. 16. Ex. *Saccus Ammonius Plotini magister* in *Saccariam facere.*

XXVI. 10. Ex. *Sub equuleo cepit incurvos.* / XXVIII. 1. Ex. *Incurvus sub equuleo staret.* } in *Equuleus.*

XXIX. 2. Ex. *Ad supplicia sellis gestatoriis ducebantur* in *Sella col. 3.*

Ammon. Ex. Ἡ δὲ χλαμὺς εἰς τέλειον περὶ τὰ κάτω συνῆκται in *Chlamys col. 4.*

N. *Genesia in mortuorum honorem celebrantur* in *Parentatio.*

N. quia asserit opus fuisse scalis, quibus in crucem saliret cruciarius in *Staticulum.*

Anastas. in Liberio Em. *Fecit basilicam juxta macellum Liviæ* in *Macellum Livianum.*

Hilario. Ex. *Nymphæum fecit ante oratorium S. Crucis* in *Nymphæum col. 2.*

Gergorio II. Ex. *Viri Romani, seu. . . .* / Paschali I. Ex. *Cæcilium, seu. . . .* } in *Tabula vestium.*

Felic. IV. N. quia templum Romæ urbis collocat in Sacra via in *Templum.*

M. Antonin. I. §. 7. Ex. Ἐν τῇ στόλῃ κατ' οἶκον μὴ περιπατεῖν in *Stola col. 4. & 5.*

Appian. in Lybic. p. 63. Ex. *Reliquis inferioribus ferreos gestantibus* in *Annulus col. 2.*

de Bell. civ. I. p. 355. Ex. *Quintæ vero ex plantatis* in *Ex plantatis.*

II. p. 457. Ex. *Decimum quemque sorte ad mortem ducam* in *Decimari.*

p. 491. Ex. *Intulisse sexaginta quinque millia talentorum* in *Manubiæ triumphales.*

V. p. 746. N. quia vigiles nocturnos in triumviratu invenit, & Pompejo in Sicilia victo dicit institutos in *Præfectus vigilum col. 2.*

Apul. Met. I. p. 15. Em. & Ex. *Quas saccariam faciens merebam* in *Saccariam facere.*

p. 22. Ex. *Janitor pone stabuli ostium humi*

* * *

cubi-

cubitans in *Janitores.*

II. p. 45. Ex. *Prolixa serie porrectus dorsa permanat* in *Coma col. 3.*

p. 63. Ex. *Pedes palmeis baxis inductum* in *Induci.*

III. p. 71. Em. *Minas portentorum hostiis circumforaneis expiant* in *Hostiæ circumferraneæ.*

IV. p. 110. Ex. *Vos scrutariam facitis* in *Scrutarius.*

VIII. p. 264. Ex. *Flagro pecuinis ossibus catenato* in *Flagrorum.*

IX. p. 291. Em. & Ex. *Crurum ejus fragium abominata* in *Crurifragium.*

X. p. 333. Ex. *Pisces exotico jure perfusos* in *Garum sociorum.*

p. 334. Ex. *Grandissimum calicem uno haustu perhausi. Clamor exsurgit consona voce cunctorum, salute me prosequentium* in *Vivas.*

XI. p. 357. Ex. *Quæ repertæ latata filiæ* in *heresis.*

p. 360. Em. *Umbonis vice dejecta partem* in *Palla col. 2.*

Apol. p. 526. Ex. *Tanta formido ferri est* in *Cludo.*

de Mundo p. 753. Em. *Jupiter propagator* in *Jupiter propugnator.*

Florid. p. 787. Em. & Ex. *Ipse bene vestitus, bene prædiatus* in *Præs col. 2.*

p. 791. Em. *Gestu suo sabulum citharæ admovet* in *Sabulo.*

p. 799. Ex. *Excuneati queruntur* in *Cuneus theatralis.*

Aretas in Apoc. c. 57. N. quia byssum interpretatur corticem arboris Indicæ in linum redactam in *Byssus.*

Argol. in Panvin. de Lud. Circens. I. 3. N. quia scribit Venerem Cloacinam fuisse dictam, quia ejus simulacrum in cloaca fuit repertum in *Venus Cloacina.*

II. 2. N. quia ferculum pro pheretro dicit capere Stat. Theb. VI. 126. in *Ferculum col. 3.*

N. quia putat thensas fuisse vela explicata instar tentoriolorum in *Thensæ.*

Aristænet. Epist. I. 1. Ex. Τὸ μέλαν ἄκρατον in *Supercilium.*

Aristot. Hist. Anim. VII. N. & Ex. ubi scribit die septimo pueris nomina veteres imposuisse in *Dies lustrici.*

Arnis. de Exempt. Clericor. t. 8. N. ubi affirmat pontificem maximum potestate & imperio vacuum fuisse in *Pontifex maximus col. 4.*

Arnob. II. p. 69. Ex. *Tibia, calamosque flantes* in *Flator.*

II. p. 70. Em. *Quid panchristarios* in *Panarius.*

IV. p. 128. N. dum docet *Pandam, vel Panticam deam esse appellatam, quod Tito Tatio, Capitolinum ut caperet collem, viam pandere permissum est* in *Panda.*

IV. p. 132. Ex. *Donare honorum suggestus* in *Suggestus.*

Arrian. Differt. in Epictet. III. 26. Em. Εἰκοσώνης in *Vigesimarius.*

Artemid. II. 2. Ex. *Quod hi, qui in turba versantur, albo vestimento utantur* in *Græci col. 3.*

IV. 59. Ex. *Cum mortuis oleas simul efferunt* in *Olea.*

Ascon. in Cicer. p. 19. Ex. *Equites Romani militares* in *Equites col. 7.*

p. 29. N. ubi portitores nuncupatos scribit, qui portorium exigebant in *Portitor.*

p. 34. N. quia subsellia separat a majoribus causis, & sellis curulibus & tribunalibus in *Subsellium col. 3.*

p. 185. Ex. *Manumiserat eos Milo, sub hoc titulo. . . .* in *Manumissio col. 3.*

p. 191. Em. *Ita ut numerus judicum, qui sententias ferrent, relinqueretur quinquaginta & unus* in *Judex col. 2.*

Athen. VI. p. 273. N. ubi scribit Romanos a Græcis machinas didicisse in *Machina bellica.*

Auctor. dialog. de caus. corr. eloq. c. 31. Ex. *Frena tenere* in *Frena.*

Auctor. Var. de Limit. p. 271. Edit. Amstelæd. N. & Ex. quia colli rigorem dicunt in *Rigor col. 2.*

Augustin. Anton. Antiq. Roman. & Hispan. Dial. 1. N. ubi Cæsaraugustæ fundatorem fuisse Augustum scribit in *Cæsaraugusta.*

Emend. II. 10. N. ubi docet duas uncias in centum in annum præstandas fuisse in *Usura centesima col. 5.*

de Legibus c. 9. N. quia putat pontificem maximum potuisse habere comitia pontificibus sufficiendis in *Pontifex maximus col. 5.*

Aurel. de Civit. Dei III. 17. N. quia docet pulvinar & lectisternium idem esse in *Pulvinar. col. 2.*

IV. 11. Ex. *Ipse sit Mutinus* in *Mutinus.*

Epist. 50. Ex. *Si quisquam regio charactere a signato desertore signetur* in *Inscriptio col. 4.*

adv. Secundin. Em. *Propter omnium generum, quæ inerant, herbas. . . .* in *Pancarpus.*

Auratus N. dum putavit indigetare semper esse ἀποθεοῦν, sive indigetem facere in *Indigetare.*

Aurel. Vict. de Orig. gent. Rom. c. 3. n. 1. N. quia *Saturniam* urbem *arcem Saturniam* appellat in *Saturnia.*

de Vir Illustr. c. 32. n. 3. Em. *Ut equites Romani Idibus Quintilibus ab æde Honoris, albis equis insidentes, in Capitolium transirent* in *Equites col. 12.*

de Cæsar. c. 11. n. 8. Ex. *Senatus gladiatoris more funus ferri decrevit* in *Gladiator c. 7.*

c. 17. n. 9. Ex. *Faucibus brachiorum nodo pressis* in *Nodus luctaminis.*

c. 21. n. 4. Em. *Aucta Urbs magno accessu viæ novæ* in *Via nova col. 2.*

Epitom. c. 10. n. 10. Ex. *Petiisse gladium, quasi ad explorandam aciem* in *Gladiator col. 6.*

c. 35. n. 5. N. quia scribit *Aurelianum* Imperatorem primum veste aurata fuisse usum in *Vestis aurata.*

Auson. Epigramm. 88. Ex. in *Lex Titia de muneribus.*

Profess. Burdig. c. 20. n. 11. Ex.

Arbitrium de te sumet origo suum.

in *Mors col. 3.*

c. 26. n. 1. Ex.

Quos legis a prima deductos menide libri.

in *Cornua librorum.*

Epitaph. c. 35. n. 9. Ex.

Pegasus hinc dexter currat sibi, lævus Arion
Funis.

in *Equi funales.*

Urb. nob. ord. c. 4. n. 5. Ex.

—— inclusi moles cuneata theatri.

in *Cuneus theatralis.*

Eidyll. c. 10. n. 49. Ex.

Tendens marmoreum laqueata per atria campum.

in *Atrium.*

c. 11. n. 20. Ex.

—— omina trina

in *Omen.*

c. 11. n. 26. Em. & Ex.

—— noctisque per umbram
Tergemini vigiles.

in *Vigilia.*

c. 12. n. 100. N.

Quis subit in pœnam capitali judicio? vas.
Quis cum lis fuerit nummaria, quis dabitur? præs.

in *Præs.*

c. 13.

INDEX AUCTORUM.

c. 13. Præfat. Ex. *Simile ut dicas ludicro, quod Græci ὀσομαχίαν vocavere* in *Ocellata.*

Eclogar. c. 17. n. 15. Em.

Viſne ope ſanctæ ſacrum. . . .

in *Opalia.*

Epiſt. 4. 102. Ex.

Nec jam poſt metues ubique dictum.

in *Vacuna.*

5. 25. Em. & Ex.

Expoſitum ſubter paradas. .

in *Parada.*

21. Ex. *Quocunque nomine loquar ; li-quor iſte ſociorum vocatur* in *Garum ſociorum.*

21. 34. Ex.

Qui machinali ſaxa volvunt pondere.

in *Machina.*

Gratiar. act. p. 236. Ex. *Nihil cum ſequeſtro depoſui, cum diribitore nihil pepigi* in *Sequeſtres.*

Paneg. p. 239. Ex. *Per omnes honorum gradus provehi* in *Gradus honorum.*

Autumn. in Juven. Sat. IX. N. dum ſomniat orcam eſſe vas fictile, in quod pueri ludentes nuces jaciebant in *Orca.*

Babelon. in Suet. Oth. c. 6. n. 3. N. quia putat milliarium aureum in foro Romano fuiſſe vocatum, quod ab eo numerus milliariorum, quibus vias dimetiebantur, inceperit in *Milliarium.*

Baccius de Conv. Antiq. I. 2. N. quia ſibi fingit & explicat, quæ nulla eſt, cœnam adjicialem in *Cœna adjicialis.*

III. 1. N. quia negat porcellanea eſſe veterum vaſa murrhina in *Murrhina col.* 2.

Balduin. de Calc. Ant. c. 1. N. quia docet ipſum Deum Adamo & Evæ calceos conſuiſſe in *Calceus.*

c. 13. N. quia docet caligas ad mediam adſcendiſſe tibiam in *Caliga col.* 3.

c. 16. N. quia docet periſcelides fuiſſe faſcias crurales in *Periſcelides.*

c. 17. Ex. in deſcribendis peronibus, an & ſenatoribus fuerint uſurpati in *Pero col.* 2.

N. quia docet perones a feminis uſurpatos in *Pero col.* 2.

c. 23. N. quia docet nudipedalia Judæorum ſollennibus jejuniis originem debere in *Nudipedalia.*

Balſamo Expoſ. Canon. Synod. in Trullo 62. N. quia Kalendas, Idus & Nonas appellatas dicit a tribus Romanis, Kalendo, Ido & Nono in *Kalendæ.*

In Donat. Conſtantini N. quia lorum cum Phrygio, ſive tiara confundit in *Lorum col.* 2.

Barbarus Daniel in Vitruv. VII. 3. N. quia docet veteres caminis nonniſi in ſumma parte ædium fuiſſe uſos. . . . in *Caminus col.* 2.

Barbarus Hermolaus in Plin. XIII. 11. N. quia perperam Plinii illud *in ceris, in ſchedis* mutat in *Libri in ceris.*

in Plin. XXIV. 8. N. quia pancratiaſten deſcribit, ut qui quinque certandi generibus omnes vicerit in *Pancratiaſtes.*

Baronius Annal. ad an. Chriſti 58. N. quia ſcribit Bovem Lucam vocatum alluſione facta ad figuram bovis Euangeliſtæ Lucæ tributam in *Bos Luca.*

N. dum aſſerit caſulam fuiſſe pænulam in *Caſula.*

N. quia contendit planetam fuiſſe pænulam in *Planeta.*

ad an. 103. N. quia conſules ſuffectos pro honorariis accipit in *Conſul ſuffectus.*

ad Martyrol. die 14. Martii N. quia ſitum clivi Capitolini minus recte deſcribit in *Clivus Capitolinus.*

a. d. prid. Kalend. Jun. N. ubi Ammian. XIX. 9. de Dalmatica ſcribentem perperam interpretatur in *Dalmatica.*

ad Martyrol. p. 230. & Annal. Tom. I. p. 221. N. quia ſcribit crucem ſupplicium fuiſſe ex conſuetudine Judæorum in *Crux col.* 2.

Barrient. Sylv. Annot. c. 14. N. quia cucumam genus ædificii fuiſſe exiſtimat in *Cucuma.*

Barth. Adv. VII. 3. N. quia architriclinum cum modimperatore confundit in *Architriclinus.*

XXXV. 10. N. quia ſuſpicatur fritillum fuiſſe clauſum, & concuſſum, ut teſſeræ bona fide emitterentur in *Fritillus.*

N. quia ſcribit tabulam luſoriam habuiſſe ſigna certa, in quæ teſſeræ inciderint in *Tabula luſoria.*

XXXVI. 13. N. quia diſtincta genera facit veſtium, bombycina & ſerica in *Bombycina.*

in Statium p. 8. N. quia Romæ collegium poëtarum fuiſſe putat in *Collegium poetarum.*

in Claudian. Conſul. Prob. & Olybr. n. 231. N. quia Felicem Gallum & Secundinum, germanos, Severini Boethii filios fuiſſe contendit in *Germani fratres.*

Bartholin. de Tib. vet. II. 19. N. quia docet aſſamenta fuiſſe poemata, in unum ſolum hominem condita in *Aſſamenta.*

Puerp. vet. p. 55. N. quia Propertii IV. 12. 81. perperam Catullo transſcribit in *Lectus genialis.*

Epiſt. medic. I. p. 393. N. quia putat opus fuiſſe ſcalis, quibus in crucem ſaliret crucifigendus in *Staticulum.*

Baſil. Homil. in S. Julittam p. 369. Ex. *Opifex nos honore illo decoravit, æque ac viros, ut virtutis eſſemus capaces* in *Mulier.*

Bayf. de Re Veſt. c. 1. N. quia docet ſtolam etiam virorum veſtimentum fuiſſe in *Stola.*

c. 2. N. quia putat colorem ferrugineum ferro ardenti haud abſimilem eſſe in *Color ferrugineus.*

c. 7. N. quia clavos veſtium interpretatur fibulas, aut globulos aureos & purpureos in *Clavi veſtium.*

c. 10. N. quia ſyntheſin vult fuiſſe veſtem viliorem in *Syntheſis.*

c. 13. N. quia fingit, efferendo pallio etiam tunicam fuiſſe ſublatam in *Stola col.* 3.

de Re naval. Theſ. Antiq. Græcar. Gronov. Tom. XI. p. 607. A. N. quia non ſatis clara ſunt ejus verba, de navibus actuariis, an ſolis remis impulſas putaverit: & actuarias a longis differre ſcribit in *Naves actuariæ.*

de Vaſcul. Theſ. Antiq. Græcar. Gronov. Tom. IX. p. 688. D. N. quia repoſitorium pro tripode accepit in *Repoſitorium.*

p. 707. A. N. quia fatetur, ſe nihil apud probatos ſcriptores de viriolis inveniſſe in *Viriæ.*

N. quia viriolas ex ſmaragdo de colli ornamento interpretatur in *Viria.*

Becmann. in Origin. Ling. Lat. p. 1115. N. quia tranſennam funem extentum interpretatur in *Traſenna.*

Bellon. Obſerv. II. 18. N. quia poſcam dicit eſſe xythum antiquorum in *Poſca.*

Bergier. de viis milit. I. Sect. 12. §. 10. N. quia novum & inauditum, quod pro umbra exegerint veteres, vectigal ex Plinio conatur eruere in *Vectigal pro umbra.*

III. Sect. 13. §. 2. N. quia docet milliarium in foro Romano fuiſſe dictum, quod ab eo milliariorum numerus inceperit in *Milliarium.*

Sect. 23. §. 12. N. quia portam Gabinam etiam Gabiuſam dictam contendit in *Porta Gabina.*

26. §. 2. N. quia ex Gellio quod laudat, apud Gellium non legitur in *Via Laurentina.*

IV. Sect. 34. §. 5. N. quia comminiſcitur pontem Aurelianum etiam pontem Nobilium fuiſſe dictum in *Pons Aurelianus col.* 2.

v. Sect. 8. §. 6. N. quia nymphæum vult fuiſſe ædem publicam, in qua nuptias celebraverint pauperiores in *Nymphæum*.

Beroald. in Apulej. p. 717. N. quia vocabulum cheniſcus derivat ἀπὸ τῆς χοίνικος & interpretatus vas in puppe navis in *Cheniſcus*.

Annot. c. 39. N. quia tranſennam extentum funem interpretatur in *Tranſenna*.

c. 96. N. quia, licet ex Auſonio, prædem & vadem falſo diſtinguit in *Præs*.

c. 102. N. quia docet milliarium aureum in foro Romano fuiſſe dictum, quod ab eo milliariorum numerus inceperit in *Milliarium*.

in Virg. Eclog. I. 34. N. quia cenſet ovilia appellata eſſe, quod ibi exſtructa fuerint, ubi Romulus pecora paverit in *Ovile*.

in Suet. Claud. c. 18. n. 3. N. quia Tacit. Annal. xv. 40. 3. perperam emendat in *Vicus Æmilianus*.

in Suet. Dom. I. c. I. N. quia cenſet Malum Punicum fuiſſe vicum dictum ab arbore, quæ illic ſpecioſa ſuccreverat in *Malum Punicum*.

Blondus Rom. Triumph. I. p. 19. N. dum Roſtra magnum aliquod ædificium fuiſſe animo fingit in *Roſtra*.

II. p. 42. N. dum Turcarum accumbendi morem cum priſcorum Romanorum accubitu ſimilem facit in *Accumbere col. 2*.

II. p. 58. N. dum aſylum ad radices Tarpejæ rupis ſtatuit in *Aſylum*.

III. p. 63. N. dum luſtrum quadriennii tempus notaſſe putat in *Luſtrum*.

v. p. 111. N. quia aurum viceſimarium ex vigeſima tributorum & vectigalium redactum putat in *Aurum viceſimarium*.

N. quia atrium Neronis ultra Conſtantini arcum vallem inter Cœlium & Palatinum occupaſſe ſcribit in *Atrium Neronis*.

Rom. Inſtaur. I. §. 77. N. dum curiam Hoſtiliam alteram collocat, ubi poſtea Templum Pacis fuit; alteram ubi nunc Johannis & Paulli eſt ædes in *Curia Hoſtilia*.

I. §. 100. N. dum hortos Mæcenatianos vult fuiſſe in Quirinali, & turris veſtigia in hortis Columnenſibus extare in *Horti Mæcenatiani*, & *Turris Mæcenatiana*.

II. §. 13. N. dum ſtadium a Domitiano ſtructum ex inſcriptione quadam hariolatur in *Stadium*.

II. §. 28. N. dum hortos Salluſtianos inter portam Salariam, Numentanam, & ædem S. Suſannæ agnoſcit in *Horti Salluſtiani*.

II. §. 56. N. quia exiſtimat rotundam S. Stephani ædiculam fuiſſe Veſtæ medio quod fuit inter Capitolinum & Palatinum ſpatio in *Templum*.

II. §. 71. N. dum ſepta ſtatuit in area Flaminia, ubi M. Aurelii columna conſpicitur in *Septa*.

III. §. 34. N. quia fingit vallem Martiam eſſe Auguſti Mauſoleum in *Vallis Martia*.

Boiſſard. Topogr. Urb. Rom. Tom. I. p. 15. N. quia ſtatuit templum Dianæ Aventinæ, ubi nunc S. Sabina colitur in *Templum Dianæ Aventinæ*.

de Boot de Natur. lapid. II. 85. N. quia vaſa murrhina ex onyche gemma facta fuiſſe dicit in *Vaſa murrhina*.

Borrich. Ant. Urb. Fac. c. I. §. 5: c. 10. §. 3. N. quia fingit milliarium aureum in foro Romano fuiſſe vocatum, quod ab eo milliariorum numerus inceperit in *Milliarium*.

Briſſon. de Regn. Perſar. I. p. 48. N. quia aſtandæ munus nec vile, nec ignobile vult fuiſſe in *Aſtandæ*.

de Formul. I. p. 8. N. quia paſcere linguam interpretatur illam coercere in *Paſcere linguam*.

IV. p. 348. N. quia macte adverbii, & propemodum interjectionis vim habere contendit in *Macte*.

IV. p. 738. N. quia minerval mercedem fuiſſe dicit, quam magiſtris ſolebant ſcholaſtici dare in *Minerval*.

Britann. in Juven. IV. 321. N. quia velaria vult fuiſſe loca, ubi vela reponebantur, quæ ad ornandum theatrum tendebantur in *Velaria*.

x. 354. N. quia tomacula dicit edulia, & quidem inſicia in *Tomacula*.

Brod. Miſcell. II. 10. N. dum bojam interpretatur lorum e bubulo corio confectum in *Boja*.

IV. 7. N. dum ocellata dicit fuiſſe ludicrum ὀστομάχιον in *Ocellata*.

VI. 7. N. dum ſyntheſin vult fuiſſe veſtem viliorem in *Syntheſis*.

IX. 17. N. quia affirmat teſtas ex ære eſſe fabricandas in *Teſtæ*.

Anthol. III. 24. 17. N. dum caminos veterum ait fuiſſe mobiles ex ære, ferro, aut teſta: non habuiſſe exitum, unde fumus evaporare poſſet in *Caminus*.

Budæus de Aſſe v. p. 634. N. quia negat denarium apud Romanos unquam fuiſſe æreum in *Denarius æreus*.

Comment. L. G. p. 10. N. quia ſortiri dicas minus recte interpretatur in *Sortiri dicas*.

in Pandect. p. 36. D. 67. B. N. quia prætorem vult dictum judicem quæſtionis, ſive quæſitorem in *Prætores*.

p. 91. A. N. quia parentalia interpretatur juſta, & funerandi officium in *Parentalia*.

Bulenger. de Conviv. I. 32. N. quia inter accumbere, & recumbere ſemper diſtinguendum contendit in *Accumbere*.

I. 37. N. quia repoſitorium accipit pro tripode, quo menſa ſuſtinetur in *Repoſitorium*.

IV. 13. N. quia negat porcellanea noſtra eſſe veterum murrhina in *Murrhina*.

IV. 18. N. quia Pandam vult fuiſſe Cererem in *Panda*.

N. quia Plauti pultiphagum Moſt. III. 2. 143. Pœn. prol. n. 53. intelligit de Romano in *Puls Punica*.

de Circo c. 19. N. quia docet ova metis impoſita indicaſſe metam ultimam, quæ & circumflectenda fuit in *Ova*.

c. 28. N. quia docet primas metas tantum fuiſſe ad ornatum circi in *Meta*.

c. 52. N. quia putat milliarium in foro Romano vocatum fuiſſe, quod ab eo milliariorum numerus inceperit in *Milliarium*.

c. 58. N. quia pararios vult dictos eſſe, qui paribus equis vehuntur in *Pararii*.

de Omin. c. I. N. quia paſcere linguam interpretatur illam coercere in *Paſcere linguam*.

de Theatr. II. 19. N. quia ſcabillorum crepitum pro crepitu teſtarum accipit in *Scabellum*.

de Vectig. c. 50. N. quia vectigal ædilitium vult fuiſſe pecuniæ genus, quod provinciales ludorum nomine ædilibus pendebant, qui hoc in ornatum fori, & apparatum munerum conferebant in *Vectigal ædilitium*.

c. 74. N. quia novum & inauditum vectigal, quod pro umbra exegerint veteres, ex Plinio conatur eruere in *Vectigal pro umbra*.

de Veſt. Pontif. I. 45. N. quia putat χρυσόκλαβον eſſe veſtem aureis clavis diſtinctam in *χρυσόκλαβον*.

Burmann. Diſſert. de Vectig. c. 10. N. quia Blondum Triumph. Rom. III. laudat, cum illum v. p. III. A. laudare debuiſſet in *Aurum viceſimarium*.

Bynæus de Calc. Hebr. I. 5. §. 2. N. quia vult caligam etiam crus texiſſe, & ad mediam tibiam adſcendiſſe in *Caliga*.

Cæcil.

Cæcil. Andrógyn. apud Festum Ex.

Sepulcrum plenum taniarum, ita ut solet.

in *Tænia.*

Cæl. Aurelian. Morb. Chron. I. I. Ex. *Adhibenda est vectatio in Sella procurata.*

Cæsar de Bell. Gall. v. 8. Ex. *Quæ cum annotinis navibus erant visæ* in *Naves annotinæ.*

v. 18. Em. *Sub aqua defixæ sudes flumine tegebantur* in *Sudes col. 2.*

VII. 24. Ex. *Instituto Cæsaris duæ semper legiones pro castris excubabant* in *Procubitores.*

VII. 72. Ex. *Quantum summa labra distabant* in *Labrum.*

VII. 73. Em. *Paullulum angustiore ad summum fastigio* in *Lilium.*

Calcagn. Quæst. Epist. III. I. N. quia scribit dalmáticam figura chlamydi fuisse persimilem in *Dalmatica.*

IV. 10. N. quia, sed frustra, dicit, amanuensem vocabulum esse novum in *Amanuensis.*

de Calcul. p. 298. N. quia asserit scacchiæ ludum diversum esse ab eo, quem latrunculorum veteres dicebant in *Schacchia.*

de Re naut. p. 309. quia scribit thalamitas brevioribus usos esse remis, & minus accepisse mercedis in *Thalamitæ col. 2.*

Calepin. Lexic. N. quia ferculum putat esse missum cibi, & ipsum cibum in *Ferculum.*

Callim. Hymn. in Dian. n. 14. Ex.

--- *πάσας ἔτι παῖδας ἀμίτρους.*

in *Zona.*

Calpurn. Ecl. IV. 91. Ex.

Laurus fructificat, vicinaque nascitur arbos

in *Corona quercica.*

VII. 51. Em. & Ex.

Et coit in rutilum. . . . .

in *Ligna versatilia col. 2.*

VII. 58. Ex.

Hic niveos lepores. . . . .

in *Lepus col. 2.*

Canter. Var. Lect. I. 12. N. quia scribit, Plutarchum, Halicarnasseum, Livium. . . . ignorasse unde Capitolium fuerit dictum in *Capitolium.*

in Lycophron. n. 97. N. quia statuit pedem navis dici ipsam navem in *Pes navis.*

Cantic. c. 4. n. 4. Ex. *Mille clypei pendent ex turri Davidis* in *Clypeus col. 3.*

Capitolin. in M. Anton. Philos. c. 7. Em. *Pueros, & puellas novorum hominum. . . .* in *Frumentum col. 2.*

c. 9. Em. quia scribit illum *jussisse unumquemque civium natos liberos profiteri, intra tricesimum diem nomine imposito* in *Dies lustrici.*

in Macrin. c. 11. Ex.

Qualis Latinus Gabalus iste fuit.

in *Gabalus.*

c. 13. Em. *Nefas enim dicebat leges videri Commodi, & Caracalli, & hominum imperitorum* in *Rescripta col. 2.*

in Maximin sen. c. 4. *Bibisse illum sæpe in die vini amphoram Capitolinam* in *Quadrantal.*

c. 23. Ex. *Quorum affectus in monte Albano erant* in *Mansiones Albanæ.*

jun. c. 1. Em. *Monolium de albis* in *Monolinum.*

in Pertin. Helv. c. 11. Ex. *Ingressi porticus Palatii usque ad locum, qui appellatus Siciliæ. . . .* in *Porticus Palatii.*

in Gordian. c. 4. Ex. *Filium Gordianum Antonini signo illustravit* in *Liberi.*

c. 32. Ex. *Instituerat porticum in campo Martio, Cogitaverat præterea, ut hyemales porticus poneret* in *Porticus Gordiani.*

c. 34. Ex. Gordianus *non fuit victor Philipporum* in *Campum colligere.*

Casal. de Prophan. Roman. ritib. c. 26. de Urb. ac imp. Roman. splend. part. II. c. 21. N. quia, quoties mortuum inclamaverint, non habet certo affirmare in *Cadaver col. 4.* & cremandi consuetudinem usque ad Antoninorum tempora duravisse scribit *ibid. col. 9.*

de Urb. ac Imper. Rom. splend. part. II. c. 4. quia opinatur, essedarios solitos etiam pedites pugnare, de curru subito prolapsos in *Essedarii col. 2.*

Casaub. in Spartian. Adrian. c. 3. N. quia putat pænulam fuisse vestem adstrictam, & quæ partium corporis, quas tegebat, figuram exprimeret in *Pænula col. 2.*

c. 22. N. quia togam submissam dicit fuisse, quæ nullos facit sinus in *Toga submissa.*

Pescenn. c. 12. N. quia Spartiani & Statii trichora nostros architectos hodie papiliones vocare contendit in *Trichorum.*

in Lamprid. Heliogab. c. 19. N. quia mantelia accubitalium nomine illi videntur venire in *Accubitalia.*

c. 25. N. quia sigma dicit fuisse diætam, sive cœnationem hemicycliam in *Sigma.*

c. 33. Ex. *Severi tunicas asemas ad usum revocavit suum* in *Tunica col. 5.*

Alex. Sever. c. 40. N. quia Lampridium perperam emendat & explicat in *Purpura Probiana.*

c. 45. N. quia ad illum notat procuratores principum a posteriore ætate rationales fuisse dictos in *Procurator Cæsaris.*

in Trebell. in Gallien. c. 14. N. ubi vult Trebellii temporibus hominum adulationem omnem dignitatem cœpisse appellare majestatem in *Majestas.*

in Vopisc. Aurelian. c. 12. N. quia multicias tunicas a subsericis distinguit, & πολυμίτους interpretatur in *Multicium.*

Prob. c. 13. N. ubi vult jus prætorium dici, quod præsides provinciarum ex administratione sederent in senatu inter prætorios in *Jus prætorium.*

Saturnin. c. 10. N. quia docet magistros e trivio in pergulis docuisse in *Pergula.*

Procul. c. 13. N. quia docet in latrunculorum lusu ipsum, qui ludebat, si faveret alea, regem exiisse in *Calculi col. 2.* & ludum calculorum & latrunculorum distinguit *ibid. col. 3.*

Bonos. c. 15. N. quia Vopiscum male interpretatur in *Tunica palliolata.*

in Suet. Aug. c. 10. n. 10. N. quia mirum illi visum, Augustum aquilam humeris subiisse, diuque portasse in *Aquila col. 2.*

c. 15. n. 2. N. ubi vult pœnam gladii fuisse honestiorem pœna securis in *Gladius col. 4.*

c. 31. n. 10. N. ubi Pompeji regiam domum theatro additam quasi appendicem interpretatur in *Regia Pompeji.*

c. 43. N. quia sellam curulem perperam describit in *Sella curulis.*

c. 82. N. ubi vult periscelides fuisse fascias crurales in *Periscelides.*

c. 98. N. quia docet supparum Alexandrinorum tantum fuisse, & veli genus, quod non ad usum, sed ad indicium gaudii rebus secundis sustulerint nautæ in *Supparum.*

c. 101. n. 9. N. ubi dicit facultatem discernendi cineres & ossa cremati a cineribus ligni, & animantium simul crematorum fuisse ex cadaveris situ & collocatione in *Cineres crematorum col. 2. & 3.*

Calig. c. 15. n. 3. N. ubi dicit fer-

ferculum fuisse instrumentum, in quo cineres erant cum inferrentur in Mausoleum in *Ferculum col. 2.*

c. 54. n. 6. N. quia scabillorum crepitum pro crepitu testarum accipit in *Scabillum.*

Ner. c. 17. n. 3. N. quia fingit subsellia in judiciis magistratuum a litigantibus conducta fuisse in *Subsellium col. 3.*

c. 49. n. 1. N. quia statuit in scrobe fuisse collocatos, quibus cervix erat praecidenda, quo securius ferirent in *Scrobs.*

in Pers. I. 17. N. quia plasma apud illum vult esse de genere medicamentorum, quae λεαντικὰ vocant Graeci in *Plasma col. 2.*

IV. 38. N. quia palaestritas apud illum dicit vulsores robustissimos, & suae professionis apices in *Palaestritae.*

Exercit. ad Annal. Ecclef. Baron. XVI. 84. N. ubi Euthymii hyemalia operimenta perperam feltra, sive coactilia, & impilia interpretatur in *Operimenta.*

in Strab. p. 80. N. quia ex Solino c. 22. torques non recte describit in *Torques.*

Lection. Theocr. c. 3. N. quia putat ephebos rutro se exercuisse, & illud exercitationis genus fuisse praeludium graviorum certaminum in *Rutrum.*

M. Antonin. I. §. 7. N. quia apud illum στολὴν togam vertit in *Stola col. 4.*

Cassiod. Var. II. 20. Em. *Ut quantas falcatorias potueris reperire* in *Sculcatoria.*

III. 51. Ex. *Euripus maris vitrei reddit imaginem* in *Euripus.*

N. & Ex. *Alba linea non longe ab ostiis producitur* in *Linea alba.*

N. & Em. *Primus apud Elidem Asiae civitatem. . . .* in *Ludi circenses.*

N. & Em. *Quod metarum circuitus ovorum crectionibus exprimatur* in *Ova.*

Ex. *Spina infelicium captivorum sortem indicat* in *Spina circi.*

Ex. *Septem metis certamen omne peragitur* in *Meta col. 2.*

IV. 51. N. *Mimus tanta Philistionis cautela repertus est* in *Mimus.*

V. 7. Ex. *Cinctis jura* in *Cingulum.*

VI. 1. Ex. *Sellam curulem multis gradibus enisus adscende* in *Sella curulis col. 2.*

VI. 8. Ex. *Defunctorum sacra quies* in *Requietorium.*

VI. 14. Ex. *Laudes in cinctum Gabinum includere* in *Senator col. 10.*

VI. 15. Ex. *Tribunal tuum tam excelsum factum noveris* in *Carpentum.*

21. N. & Ex. *Chlamydis tuae inter alia clavos intende* in *Chlamys col. 3.*

Castal. Observ. II. 4. quia tradit caligam crus texisse, & ad mediam tibiam adscendisse in *Caliga.*

Castellan. de Esu carn. II. 2. N. quia dicit tomacula esse insicia in *Tomacula.*

Cato Dionysius Distich. mor. n. 1. Ex.

Si Deus est animus, nobis ut carmina dicunt.

in *Carmen.*

Cato Porcius de Re rust. c. 11. Ex. *Asinus molarius* in *Mola asinaria.*

c. 14. Ex. *Telae jugales duae* in *Tela.*

c. 18. Ex. *Torcularia fuerunt quadrinis vasis* in *Mola quadrina.*

c. 102. Ex. *Sumito bituminis tertiarium, & sulphuris quartarium* in *Quartarius.*

apud Festum Em. & Ex. *Equus respondit, oreas mihi inde* in *Orea.*

in Procubitores Em. quia dicit *procubitores dictos fuisse velites, qui noctu custodiae causa ante castra excubabant* in *Procubitores.*

Catull. IV. 21. Ex.

—— sive utrumque Jupiter
Simul secundus incidisset in pedem.

in *Pes veli.*

22. Ex.

Neque ulla vota littoralibus diis
Sibi esse facta.

in *Dii littorales.*

XVII. 6. Ex.

In quo vel Salisubsuli sacra suscipiunto.

in *Salisubsulus.*

XXXVII. 2. Ex.

A pileatis nona fratribus pila.

in *Castor & Pollux.*

XXXIX. 18. Ex.

Quod quisque minxit, hoc solet sibi mane
Dentem, atque russam defricare gingivam.

in *Pumicare & Color russeus.*

XLV. 23. Ex.

Uno in Septimio fidelis Acme
Facit delicias, libidinesque.

in *Deliciae.*

LIV. 3. Ex.

Subtile, & leve peditum Libonis.

in *Crepitus.*

LVI. 6. Ex.

—— hunc ego si placet Diana
Protelo rigida mea cecidi.

in *Protelum.*

LXI. 171. Ex.

Cernis, intus ut accubans
Vir tuus Tyrio in thoro
Totus, immineat tibi.

in *Locus sinister.*

LXIV. 263. Ex.

Multis raucisonos efflabant cornua bombos.

in *Bombus.*

LXVIII. 27. Ex.

—— quod hic quisquis de meliore nota.

in *Amphora col. 2.*

LXXIV. 1. Ex.

Si quis delicias diceret, aut faceret.

in *Deliciae.*

Cellar. in Plin. Epist. VII. 27. 13. N. quia paedagogium putat vocari cubiculum puerorum in *Paedagogium.*

Cels. III. 18. Ex. *Confert ad somnium silanus juxta cadens* in *Silanus.*

Cels. Citadin. ad Ligorium N. quia tropaea marmorea in Capitolio erecta Domitiano tribuit in *Tropaea col. 2.*

Censorin. de Die nat. c. 18. N. dum scribit *inter primum a Servio Rege conditum lustrum, & id quod ab Imperatore Vespasiano* V. *& Caesare* III. *cos. factum est, annos interfuisse paullo minus sexcentos quinquaginta* in *Lustrum col. 3.*

Cerda Adv. Sacr. c. 36. §. 13. N. ubi Ammian. XIV. 9. de Dalmatica scribentem perperam interpretatur in *Dalmatica.*

c. 135. §. 9. N. quia nablion vult esse duodecim chordarum, & nostrae chely fortasse non dissimile instrumentum in *Nablion.*

c. 141. p. 329. N. quia male propala legit in *Propola.*

c. 141. §. 502. N. quia pilicrepum vocatum fuisse dicit, qui pilas pice illitas in ignem vaporarii conjiciebat in *Pilicrepus.*

la Chausse de Bullis tab. 7. N. quia ex Livio sinistrarum ornamenta colligit armillas fuisse in *Armilla.*

de,

de Sign. milit. Thes. Antiq. Roman. Græv. Tom. x. p. 1528. D. N. quia Claud. in Nupt. Honor. & Mar. n. 187. perperam interpretatur in *Signum militare col. 2.*

Chiflet. Analt. Childer. p. 151. N. quia dicit basternam esse tractam a burdonibus in *Basterna.*

Chimentell. de Honor. bisell. c. 7. N. quia duo diversa Augustea finxit, quæ apud Romanos unus idemque locus erant in *Augusteum.*

c. 11. N. quia negat magistratus curules a curru fuisse dictos in *Magistratus curules.*

Chronicon Alexandrinum N. & Ex. quia in illo traditur chlamydes habuisse coccineos clavos in *Chlamys col. 3.*

2 Chronic. c. 23. n. 9. Ex. *Constituit omnem populum tenentium pugiones a parte templi dextra* in *Pugio col. 2.*

Chrysost in II. ad Timoth. homil. v. Ex. *Ubi productos ad velum quis stiterit* in *Velum col. 2.*

Ciaccon. de Triclin. p. 25. N. quia quadras apud Virg. Æneid. VII. 115. interpretatur mensas in *Quadra.*

p. 105. N. quia architriclinum dicit fuisse regem convivii in *Architriclinus.*

Cicer. ad Herenn. I. 13. Ex. *Paterfamilias uti super familia sua legassit, ita jus esto* in *Manumissio col. 3.*

I 14. Em. *Et in senatum, aut ante Imperatorem talis causa potest venire* in *Pratorium col. 3.*

de Orat. I. 35. Ex. *Signa & tabulas palam collocare* in *Tabulæ pictæ.*

Ex. *Quasi per transennam prætereuntes* in *Transenna.*

II. 6. Ex. *Conchas eos, & umbilicos legere consuevisse* in *Umbilicus col. 2.*

II. 63. Ex. *Sed quia addidit, nihil addo, ducas licet* in *Æs confessum.*

II. 70. Ex. *P. Mucium judicem ejuro* in *Ejuratio.*

II. 75. Ex. *Quid si pro altero dicas, litem tuam facias* in *Lis.*

Brut. c. 6. Ex. *Cum tibi ætas nostra fasces submitteret* in *Fasces col. 2.*

c. 28. Ex. *Tuus gentilis, Brute, M. Pennus* in *Gentiles.*

c. 94. Ex. *Ad causas simillimas novi veniebamus quotidie* in *Lex Pompeja de Ambitu.*

Topic. c. 4. Ex. *Quæ si capite non deminuta esset* in *Testamentum.*

pro Quint. c. 11. Ex. *Si quid in controversiam veniret, aut intra parietes, aut summo jure experiretur* in *Jus col. 2.*

Verrin. Protem. c. 10. Ex. *Ludos votivos, quos Cn. Pompejus facturus erat* in *Tabulæ votivæ.*

I. 20. Ex. *Quem omnia intus canere dicebant* in *Locus sinister.*

I. 23. Ex. *Habeo & istius, & patris ejus accepti tabulas omnes* in *Tabulæ domesticæ.*

II. 15. Ex. *Interea dies advenit, quo sese ex instituto dicas sortiturum iste dixerat* in *Sortiri dicas.*

II. 18. Ex. *Cæteras dicas omnes illo foro M. Postumius quæstor sortitus est* in *Sortiri dicas.*

II. 41. Ex. *Vertit stylum in tabulis suis* in *Stylus.*

III. 7. Ex. *Senatum permisisse, ut vini & olei decimas Romæ venderent, legemque his rebus, quæ ipsis videtur, edicerent* in *Vectigal.*

III. 81. Em. *Cum ex Sicilia frumentum ei in cellam sumere liceret* in *Vectigal.*

IV. 14. Ex. *Accurrit Venerius, jubet me scyphos sigillatos ad prætorem afferre* in *Staticula.*

IV. 28. Ex. *Antiochus imperat suis, ut id in prætorium deferrent* in *Prætorium col. 3.*

IV. 43. Em. *Quod in precibus, ac gratulationibus osculari solent* in *Osculum religiosum.*

IV. 56. Em. *Ex ebore diligentissime perfecta argumenta erant in valvis* in *Janua col. 2.*

V. 11. Ex. *In qua erat pulvinus, rosa fartus* in *Pulvinus col. 2.*

pro Manil. c. 6. Em. *Familias maximas, quas in salinis habent. . . .* in *Salina.*

c. 21. Ex. *Quam ullum alium magistratum per leges capere licuisset* in *Ætas ædilitia, & Pompejus.*

pro Cluent. c. 59. *Hominem multorum hospitum . . . servisque ejus in taberna. . . .* in *Taberna diversoria.*

c. 65. Ex. *Satis quæsitum videri* in *Quærere.*

pro Corn. I. Ex. *Passum esse Scipionem secerni a cætero consessu spectacula senatorum* in *Spectacula col. 2.*

Agrar. II. 7. Ex. *Creare decemviros per tribus septendecim* in *Sortitiones.*

26. Ex. *Urbanam plebem exhauriendam esse* in *Plebs urbana col. 2.*

29. Ex. *A Suburana usque ad Arniensem* in *Tribus col. 9.*

pro Rabir. perduell. c. 3. *Porcia lex virgas ab omnium civium corpore amovit, hic misericors flagella* in *Flagellorum.*

Catil. I. I. Ex. *An P. Scipio pontifex maximus Tiberium Gacchum privatus interfecit* in *Pontifex maximus col. 2.*

I. 6. Ex. *Prætereo ruinas fortunarum tuarum, quas omnes impendere tibi proximis Idibus senties* in *Idus col. 2.*

I. 11. Ex. *Per omnes honorum gradus efferri* in *Gradus honorum.*

II. 8. Ex. *Ergo tuas possessiones sacrosanctas futuras putas?* in *Religiosi col. 2.*

pro Mur. c. 9. Ex. *Assiduitatis, & operarum harum quotidianarum putat esse consulatum* in *Assidui.*

pro Domo c. 14. Ex. *Minuere gentem* in *Dare col. 2.*

c. 17. Ex. *Multas res ad placandum, atque ad misericordiam esse concessas. . . .* in *Reus col. 4.*

c. 18. Ex. *Quæ coeant de hominum locupletissimorum bonis* in *Coire.*

c. 33. Ex. *Homines in campum municipiis clausis venisse* in *Opifices.*

c. 37. Ex. *Nondum morte complorata arbitria petentes funeris* in *Mors sine arbitrio.*

c. 38. Ex. *M. Manlii domum eversam duobus lucis convestitam videtis* in *Rupes Turpeja col. 3.*

c. 43. Ex. *Si modo eadem prima litera competitorem habuisset aliquem* in *Tabella in comitiis.*

pro Sex. c. 8. Ex. *Vestitus asper e nostra hac purpura plebeja, ac pæne fusca* in *Purpura plebeja* & *Tunica.*

pro Cœl. c. 26. *Mulier potens quadrantaria familiaris facta erat balneatori* in *Clodia.*

pro Balb. c. 25. Ex. *Quod hic assecutus est legis de ambitu præmio. . . .* in *Senatores col. 12.* & *Tribus col. 4.*

in Pison. c. 15. Ex. *Præterquam duos de lapide emptos* in *Lapis suggestus.*

pro Mil. c. 20. Ex. *Quid minus promptum ad pugnam, quam pænula irretitus?* in *Pænula.*

Dejot. c. 9. Ex. *Dejotarus Galatiæ tetrarcha* in *Tetrarches.*

Philipp. I. 8. Ex. *Quicunque equo meruisset* in *Equites col. 8.*

II. 33. Ex. *Quamdiu tu voles, vitiosus consul Dolabella* in *Vitium col. 2.*

II. 34. Ex. *Sedebat in rostris collega tuus, in sella aurea* in *Sedes aureæ.*

II. 38. Ex. *Antonium censoria comitia non habuisse, quia tribunus plebis fulmen sinistrum nuntiasset* in *Magistratus majores.*

VI. 8. Ex. *Lucius frater familiam ducit* in *Familia.*

VI. 5. Ex. *Illa statua palmaris, de qua non possum sine risu dicere* in *Palma.*

IX. 6. Ex. *Sepulcrorum sanctitas in ipso solo est* in *Religiosi col. 2.*

Famil. III. 7. Ex. *Appiani mihi volumen a te reddid-*

viderunt in *Libri.*

III. 9. Ex. *Longi subsellii judicatio* in *Subsellium.*

VI. 14. Ex. *Cum ad secundum Kalendas intercalares priores venissem ad Cæsarem* in *Kalendæ Intercalares.*

VII. 5. Ex. *Quod familiam ducit in jure civili* in *Familia.*

VII. 6. Ex. *Caveto, ne ab essedariis decipiaris* in *Essedum.*

VII. 10. Ex. *Camino luculento utendum censeo* in *Caminus.*

VII. 29. Ex. *Quod si inter senes coemptionales venale proscripserit, egerit non multum* in *Coemptionales.*

VIII. 8. Ex. *Senatui placere, in Ciliciam provinciam, inque IIX. reliquas prætorias mitti* in *Provincia col. 2.*

VIII. 8. Ex. *Senatûs auctoritates* in *SCtum col. 5.*

VIII. 9. Ex. *Nolo te putare Favonium a columnariis præteritum esse* in *Columnarii.*

IX. 16. Ex. *Tu, quod mihi bonam copiam ejures, nihil est* in *Ejuratio.*

IX. 26. Ex. *Supra me Atticus, infra Verrius* in *Locus.*

XII. 28. Ex. *Senatusconsulto scribendo jam jam affuisse* in *Scribere.*

XII. 30. Ex. *Non te epistolis, sed voluminibus lacesserem* in *Libri.*

XIII. 10. Ex. *Versatus in utrisque subselliis* in *Subsellium col. 2.*

XV. 6. Ex. *Tibi . . . jucundum fuisse quod scribendo adfuisti* in *Scribere.*

XVI. 17. Ex. *Tuas epistolas vis referam in volumina* in *Libri.*

Attic. I. 1. Ex. *Sine fuco* in *Fucus.*

I. 4. Ex. *Tutela legitima* in *Feminæ col. 2.*

I. 13. Ex. *Fistula pastoritia* in *Sibilum.*

II. 3. Ex. *Epicratem suspicor lascivum fuisse. Etenim mihi caligæ ejus non placebant* in *Caliga col. 2.*

II. 24. Ex. *Ut in foro gladiatoribus Gabinis Pompejum adorirentur* in *Gladiator spectaculum.*

IV. 2. Ex. *Legationem votivam suscepisse* in *Votivæ tabellæ.*

IV. 5. Ex. *Drusus, Scaurus non fecisse videntur* in *Formula absolvendi.*

IV. 16. *In campo septa tributis comitiis marmorea & tecta sumus facturi* in *Septa.*

IV. 18. Ex. *Nec enim me una ex hoc naufragio tabula delectat* in *Tabella.*

V. 18. Ex. *Ne quid inter cæsa, aut porrecta, ut ajunt, oneris mihi addatur* in *Inter cæsa & porrecta.*

V. 20. Ex. *In mustaceo laureolam quærere* in *Mustaceum.*

IX. 9. Ex. *Volumen epistolarum* in *Volumen.*

X. 5. Ex. *Cui vellem addici: diem pecuniæ Idus Novembris esse* in *Idus col. 2.*

XII. 6. Ex. *Pro isto asso sole a te nitidum solem, unctumque repetemus* in *Insolatio.*

XIII. 13. Ex. *Campum Vaticanum fieri quasi Martium campum* in *Porta Fontinalis col. 2.*

XIV. 20. Ex. *Jam vel sibi habeat nummos, modo numeret Idibus* in *Idus col. 2.*

XVI. 15. Ex. *Mihi videtur ille dejectus de gradu* in *Gradus gladiatorum.*

Q. Frat. I. 2. Ex. *Catienus, homo equestri censu* in *Census senatorius.*

II. 4. Em. & Ex. *Cæterum qui confectum erat Latiar, erat exiturus* in *Conficere.*

III. 1. Ex. *In balneariis assa in alterum apodyterii angulum promovi* in *Caldarium.*

Em. *Is diruptis tabellis de circulo se subduxit* in *Suffragium col. 3.*

III. 7. Ex. *Hæc scribebam ad lychnuchum ligneolum qui mihi erat perjucundus* in *Lucerna.*

Octav. Ex. *Gladiatores veteres ad rudem compellere* in *Rudiarii.*

V. 3. Ex. *Hæc etiam in equuleum conjiciuntur* in *Equuleus.*

Nat. Deor. II. 3. Ex. *Ex acuminibus est* in *Auspicium ex acuminibus.*

II. 4. Ex. *Se recordatum esse vitio sibi tabernaculum captum fuisse* in *Tabernaculum col. 2.*

II. 35. Ex. *Quid scire Etrusci haruspices de tabernaculo rite capto potuerunt* in *Tabernaculum.*

II. 67. Ex. *Dea, quæ est custos rerum intimarum* in *Penates.*

III. 40. Ex. *Pro aris & focis pugnare* in *Ara col. 5.*

Divinat. I. 41. Ex. *A luco Vestæ, qui a Palatii radice in novam viam. . . . devexus est* in *Lucus Vestæ.*

I. 52. Ex. *Cæsar quo primum in aurea sella sedit* in *Sedes aureæ.*

II. 21. Ex. *Quam scite per notas nos certiores facit Jupiter* in *Notæ col. 4.*

II. 34. Ex. *Quinte Fabi te mihi in auspicio esse volo* in *Auspicium col. 2.*

II. 36. Ex. *Ex acuminibus quidem, quod totum auspicium militare est* in *Auspicium ex acuminibus.*

de Legib. II. 12. Ex. & Em. *Vestæ virgines præsunt, ut advigiletur facilius ad custodiam ignis, ut sentiant mulieres in natura feminarum omnem castitatem pati* in *Vestales col. 2.*

II. 21. Ex. *Decembri mense mortuis parentare solebat, cum Februario. . . .* in *Brutus Decius.*

II. 23. Ex. *Extenuato sumptu tribus riciniis. . . .* in *Ricinium.*

II. 24. Ex. *Cætera funebria duodecim sustulerunt: homini mortuo ne ossa legito* in *Ossilegium.*

II. 24. Ex. *Longæ coronæ ne prætereantur* in *Corona longæ.*

III. 3. Ex. *Censores populi partes in tribus distribuunto* in *Equites col. 8.*

III. 4. Ex. *Senatori, qui nec aderit, aut causa aut culpa esto* in *Senator col. 12.*

Tusc. Quæst. I. 16. Ex. *Pherecydes antiquus sane, fuit enim meo regnante gentili* in *Gentiles.*

II. 26. Ex. *Singulis punctis honorem colligere* in *Gradus honorum.*

de Offic. I. 23. Ex. *Nec tumultuantem de gradu dejici, ut dicitur* in *Gradus gladiatorum.*

III. 16. Ex. *Ac de jure quidem prædiorum sancitum est apud nos jure civili. . . .* in *Mancipatio col. 2.*

Q. Cicer. de Petit. c. 2. Ex. *Quo in magistratu amicam de machina emit* in *Catasta & Machina*

Claudian. in Honor. consul. VI. 519. Ex.

Inter utrumque jugum tortis anfractibus albet.

in *Narnia.*

538. Ex.

Cum victaris equo, simulacraque Martia ludis.

in *Simulacrum belli.*

645. Ex.

—— desuetaque cingit
Regius auratis fora fascibus Ulpia lictor.

in *Basilica Trajani.*

Nupt. Honor. & Mar. n. 187. Ex.

—— Mavortia signa rubescunt
Floribus, & subitis animantur frondibus hastæ.

in *Signum militare col. 2.*

Mall. Theod. Consul. n. 294. Ex.

Audaces legat ipse viros, qui colla ferarum. . . .

in *Pancarpus.*

INDEX AUCTORUM.

Epigramm. de Mulab. Gallic. n. 5.
Quamvis quæque ſibi longis diſcurrat habenis.
in *Esſedum* col. 2.

Cluver. Ital. Ant. III. 2. 36. N. quia lucum Annæ Perennæ inter Anienis confluentem, & pontem Milvium ponit in *Lucus Annæ Perennæ.*

in Tacit. Germ. c. 38. n. 2. N. quia Taciti hæc verba: *Inſigne gentis obliquare crinem, & nodo ſubſtringere* perperam capit in *Nodus.*

Cod. leg. ult. de Can. largit. tit. Ex. *Si delegatio minus contineat omnes largitionales titulos* . . . in *Canon.*

IX. 32. 4. Ex. *Uxor ſocia rei humanæ, atque divinæ domus* in *Domina.*

IX. 41. 2. Ex. *Cum eo tempore, quo indulgentia noſtra crimina exſtinxit* in *Indulgentia.*

Public. lætit. l. 2. Ex. *Inſinuatoribus ſacrarum literarum ſex ſolidos dari* in *Inſinuare.*

de Donat. l. 30. Ex. *Donationes apud magiſtratum cenſus inſinuentur* in *Inſinuare.*

de Sepulcr. viol. l. 2. Em. & Ex. *Si ſervus in ſepulcris demoliendis fuerit deprehenſus* in *Relegatio col.* 3.

de Naufr. l. 5. Ex. *Ut levato velo cauſa cognoſcantur* in *Velum col.* 2.

Cod. Theod. I. 122. Ex. *Hi veluti dicatis inſidis myſterium perenne cuſtodiunt* in *Pontifex maximus col.* 6.

Cœl. Aurelian. I. 15: II. 1. *Fertoria ſella, vel cathedra* in *Sella.*

Colum. de Re ruſt. V. 6. Ex. *In frondatione cavendum* in *Frondator.*

VII. 8. Ex. *Liquor in calatho transferendus* in *Calathus.*

VIII. 2. Ex. *Laniſtæ rixoſarum avium* in *Laniſta.*

16. Em. *Clauderent eadem cura mugilem, ſcarumque* in *Piſcina dulcis.*

XII. 27. Ex. *Uvæ commodius inſolatæ percoquuntur* in *Inſolatio.*

Contaren. de Stipend. milit. Ant. Rom. Græv. Tom. X. p. 1516. B. N. quia autumat duos obolos quinis reſpondere aſſibus in *Stipendium col.* 2.

Coraſ. Miſc. III. 20. N. quia putat ciſium fuiſſe vehiculum geſtatorium in *Ciſium.*

Coripp. in deſcriptione calceorum Juſtini junioris II. 5. Ex.
Parthica Campano dederant quæ tergora fuco.
in *Calceus col.* 4. & *Tzanga.*

Corradus. N. quia exiſtimat gentem Hortenſiam fuiſſe plebejam in *Gens Hortenſia.*

Coſtan. de Matrim. p. 98. N. quia Tibull. I. 9. 5. perperam interpretatur in *Nodus magicus.*

Creſoll. Theat. Rhet. III. 18. N. quia liquidum plaſma apud Perſ. I. 17. dicit eſſe de genere medicamentorum, quæ λεαντικὰ vocant Græci in *Plaſma col.* 2.

Crinit. de Honeſt. diſciſpl. II. 10. N. quia ſcribit tonitrui ſimilitudinem quandam ludis abſolutis in ſcena imitari conſueviſſe in *Tonitrua.*

IX. 4. N. quia neſcit, quare ænigmata dicantur ſirpi in *Sirpus.*

XIX. 10. N. quia ſcribit S in foribus tricliniorum habere notam ſilentii in *S.*

Cujac. l. 2. ff. commun. prædior. N. quia illam male interpretatur, & neſcit quid eſſet caſtellum in *Caſtella col.* 6.

ad tit. I. 1. C. de proxim. ſacror. ſcrin. N. quia magiſtros diſpoſitionum dicit fuiſſe comites diſpoſitionum in *Magiſter diſpoſitionum.*

ad l. 5. C. de Aquæduct. ubi ſtatuit nymphæum fuiſſe ædem publicam, in qua pauperiores nuptias celebrabant in *Nymphæum.*

ad l. 18. §. 21. ff. de mun. & honor. N. quia paraveredos ſtatuit fuiſſe majores equos agminales in *Paraveredi.*

ad Novell. 119. N. quia præfectianos putat in præfecti prætorio officio fuiſſe in *Præfectiani.*

Obſerv. VI. 21. N. quia negat mulierem eſſe hominem in *Mulier.*

X. 7. N. quia ex Plinio novum & inauditum vectigal conatur eruere in *Vectigal pro umbra.*

Cuper. Obſ. IV. 19. N. quia milites in principiis negat capite punitos fuiſſe in *Principia.*

in Lactant. c. 22. N. quia gladii ſupplicium Reipublicæ priſcæ in militia ignotum, & honeſtius ſupplicio ſecuris fuiſſe ſcripſit in *Gladius col.* 4. & 5.

Cur. Fortunat. III, p. 78. Ex. *Quid in umbone: nec fluxe, nec adſtricte* in *Sinus.*

Ex. *Sinus ab humero poteſt labi* in *Humerus.*

Curt. IX. 2. §. 29. Ex. *Ne infregeritis in manibus meis palmam* in *Palma.*

Cyprian. de Ablut. ped. Em. *Caput pro ſuppeditaneo ſtravit* in *Suppedaneum.*

de Diſcipl. Virgin. c. 16. Ex. *Quorum innox lavatio eſt* in *Virgines.*

Dacer in Horat. Epiſt. I. 6. 26. N. quia porticum Agrippæ de Panthei porticu intelligit in *Porticus Panthei.*

18. 20. N. quia viæ Minuciæ auctorem facit Minucium Augurinum, qui Sp. Mœlii conſilia ad ſenatum retulit in *Via Numicia.*

Damaſcen. pro Imag. Orat. III. Ex. *Homines magiſtratus ab illis conſtitutos, eorumque labrata adorant* in *Oſculum labratum.*

Daniel. c. 5. n. 7. Ex. *Torquem aureum habebit in collo* in *Aſſyrii.*

c. 13. n. 2. Ex. *Afferte mihi oleum, & ſmegmata* in *Smegma.*

c. 14. n. 2. Ex. *Impendebantur in eo per dies ſingulos ſimilæ artabæ duodecim* in *Artaba.*

Demſter. Paral. ad Antiq. Roman. Roſin II. 18. N. quia aſſerit templum Pacis a D. Claudio inchoatum in *Templum Pacis.*

V. 1. N. quia docet trochum eſſe turbinem in *Trochus col.* 2.

25. N. quia campiductorem dicit qui campidoctor eſt in *Campidoctor.*

29. N. quia putat ferculum eſſe miſſum cibi, & cibum ipſum in *Ferculum.*

35. N. quia periſcelides dicit fuiſſe faſcias crurales in *Periſcelides.*

36. N. quia Acron. in Horat. Sat. I. 6. 27. Ubi ille: *Et circumdedit medium crus, quia altiores ſunt calcei ſenatorum* de altitudine ſoli explicat in *Corrigia.*

N. quia nudipedalium originem deducit a ſollennibus Judæorum diebus in *Nudipedalia.*

VII. 31. N. quia docet ſcutulum idem eſſe, ac ſi variegatam araneæ telam dicas in *Veſtis ſcutulata.*

Diacon. Epiſt. ad Corradum Imperatorem N. quia ſcribit X literam ante Auguſti tempus non fuiſſe in *X.*

Dilher. Diſput. I. 3. 6. N. quia caligam vult ſuper genua extendiſſe, & braccis alligatam fuiſſe in *Caliga.*

Dio XL. p. 128. D. Ex. 'Eςὶ νεὼς μικρὸς, καὶ ἐν αὐτῷ ἀετὸς χρυσοῦς ἐνίδρυται in *Aquila.*

XLIII. p. 224. B. Ex. *Cæſar gradus in Capitolio genibus impreſſus conſcendit* in *Gradus Capitolii.*

XLIV. p. 243. A. Ex. *Ut ſella aurea, & veſte regia uteretur* }
Ex. & Em. *Sella aurea, & columna, qua Reges olim uſi, decreta* } in *Veſtis regia.*

L. p. 438. B. Ex. *Ut remos demitterent, juſſit* in *Remus col.* 2.

LI. p. 460. D. Ex. *Statilius Taurus in campo Martio theatrum quoddam venatorium lapideum ſtruxit* in *Amphitheatrum Statilii.*

LIII. p. 518. E. Ex. *Ut quoties senatus haberetur; etiamsi consulatum non gereret, de quibuscunque rebus referre posset* in *Imperator col. 3.*

LIV. p. 526. A. Em. *Templum Martis Ultoris in Capitolio ad imitationem Jovis Feretrii* in *Templum Martis Ultoris col. 2.*

p. 532. conciliatur cum Suetonio in censu senatorio definiendo in *Census senatorius.*

p. 539. B. conciliatur cum Tacit. Annal. I. 17. 7. in annis prætoriis cohortibus definitis in *Milites urbani.*

p. 541. A. Ex. *Cum esset creatus pontifex maximus, domum publicam non accepit; sed suarum ædium partem ipse publicam esse jussit. . . .* in *Domus Regis sacrificuli.*

LV. p. 565. A. N. quia dicit prætorianos in decem cohortes fuisse divisos in *Prætoriani col. 2.*

p. 673. D. Ex. *Illos magna cum voluptate spectabat, qui circa prandii tempus concidebantur* in *Meridiani.*

LX. p. 680. B. *Per gradus in Capitolio genibus adscendens* in *Gradus Capitolini.*

Diodor. XII. p. 302. B. N. quia machinas bellicas ad Periclem refert in *Machina.*

Diomed. II. Ex. *Ut mare concretum in creta, in ligneo campo. . . .* in *Abacus.*

III. p. 487. N. Planipes Græce dicitur mimus in *Planipes.*

Dionys. II. p. 98: IX. p. 583. N. quia negat cives Romanos ex instituto Romuli sordidas, & humiles artes exercuisse in *Artes sellularia.*

p. 129. N. quia Saliis *togas purpura prætextas* tribuit in *Salii col. 2.*

p. 102. conciliatur cum Floro & Eutropio scribentibus Tarquinium Priscum primum egisse triumphum, cum ipse hoc Romulo transscribat in *Triumphus.*

p. 133. N. quia docet pontifices nullius potestati fuisse obnoxios in *Pontifex.*

III. p. 160. Ex. & concil. cum Festo in *Tigillum.*

p. 170. Em. Τὰς οἴκους Κοϊντιλίους in *Gens Quinctia.*

IV. p. 219. Ex. *Servius Urbem in quatuor regiones divisam quatuor tribuum fecit. . . .* in *Tribus col. 2.*

p. 225. Em. *Jussit cives omnes adesse cum armis in campo: ibi lustravit eos tauro, ove, & hirco* in *Solitaurilia.*

p. 259. Ex. *Tarquinius duos e civibus viros illustres elegit, quibus istorum librorum custodiam tradidit* in *Duumviri Sibyllini.*

V. p. 278. Ex. *Jusserunt pontifices & augures designare unum e senioribus quam maxime idoneum. . . .* in *Comitia calata col. 2.*

VI. p. 351. Ex *Incipiunt ab æde quadam Martis extra Urbem sita* in *Equites col. 12.*

IX. p. 606. Ex. *Ea Romanis patria quadam punitio est in eos, qui ordines reliquerunt* in *Decimari.*

p. 620. Ex. *Factum est SCtum, antequam clara illuxisset dies* in *Senatus col. 5.*

Ditmar. Chron. IV. Ex. *Ad mensam quasi semicirculum factam sedebat* in *Sigma col. 2.*

Dolet. apud Sabin. Lect. Subcis. I. 3. N. quia scripsit remulcum esse parvam navem, qua grandior navis trahitur in *Remulcus.*

Domit. in Stat. Sylv. I. 3. 58. N. quia scripsit trichora ædificia esse tribus pennis surgentia. Et cur sic, tacuit in *Trichorum.*

Donat. Ælius Fragm. de Trag. & Com. p. 2. Ex. *Qui non cothurno, aut socco utuntur in scena, aut pulpito, sed plano pede* in *Planipes.*

p. 4. N. quia in illis legere est: *Megalenses magnis diis consecrati* in *Ludi Megalenses.*

N. quia scripsit *aulæa in scena in terra strata* fuisse in *Siparium.*

in Terent. Phorm. I. 1. 9. N. quia scripsit *quatuor modios servos singulis mensibus accepisse* in *Demensum.*

in Virg. Æneid. I. 272. Ex. ubi plumbum ancorarum capitibus affusum vocat pondera ancorarum in *Ancora.*

Donat. Marcell. in Capitol. Maxim. jun. p. 917. N. quia putat campagum fuisse ocream ad obtegendas tibias accommodatam in *Campagus.*

in Treb. Pollion. Gallien. p. 996. N. quia putat apinarios gladiatores fuisse, & corpore vasto & ingenti in *Apinarii.*

in Suet. Cæs. c. 76. N. ubi scribit pulvinar deorum fuisse, quod super lectos in templis ad sublevanda illorum simulacra ponebatur in *Pulvinar col. 2.*

Ner. c. 17. N. quia scribit subsellia in judiciis magistratuum a litigantibus esse conducta in *Subsellium col. 3.*

Donat. Alexand. de Urb. Rom. I. 6. N. quia Janiculum, & quicquid erat trans Tiberim olim extra Urbem & pomœrium fuisse censet in *Janiculum.*

8. N. quia spatium campi Martii nimis liberaliter dimensus est in *Campus Martius.*

19. N. quia putat portam Ratumenam fuisse portam Carmentalem in *Porta Ratumena.*

22: III. 16. N. quia septa ab aquæ Virginis fonte ad collem propemodum hortulorum producere non dubitat in *Septa.*

II. 5. N. quia existimat ædem Concordiæ ab Ovid. Fast. I. 637. descriptam in principio graduum Monetæ, non antiquum a Camillo dedicatum esse templum, verum aliud a Tiberio conditum in *Rupes Tarpeja col. 2.*

14. N. quia milliarium aureum in foro Romano fuisse dictum putat, quia ab eo numerus milliariorum, quibus itinera metiebantur, inceperit in *Milliarium.*

17. N. quia templum nunc S. Mariæ Ægyptiacæ ad pontem sublicium putat fuisse Fortunæ Bonæ in *Templum Fortunæ Bonæ.*

III. 10. N. quia hodiernam Suburram, quæ secundum latus Quirinalis & Viminalis procurrit, antiquorum Suburram fuisse arbitratur in *Suburra.*

13. N. quia viam rectam extendit inter pontem Sixti & S. Angeli in *Via recta.*

15. N. quia malum Punicum vult fuisse vicum Mamurii in sexta Urbis regione in *Malum Punicum.*

16. N. quia montem citorium collocat in campi margine, & collis clivo, ad introitum septorum in *Citorius.*

Doroth. Doctrin. I. N. & Ex. quia chlamydem aureis clavis ornatam fuisse dicit in *Chlamys col. 3.*

Douza in Lucill. apud Non. VIII. 57. N. dum putat tintinnabulum apud Plaut. Pseud. I. 3. 38. esse vehiculum in *Tintinnabulum.*

Ecclesiastic. c. 32. n. 1. Ex. ἡγύμενόν σε κατέστησαν in *Architriclinus.*

Eggeling. Myster. Cerer. & Bacch. Thes. Antiq. Græc. Gronov. Tom. VII. p. 63. B. N. quia vasa murrhina docet ex onyche gemma fuisse fabricata in *Vasa murrhina.*

Egnat. in Annotat. N. quia monitores exponit vestium textores in *Monetarii.*

in Lamprid. N. quia clavos vestium vult esse flores vesti intextos in *Clavi vestium.*

Heliog. c. 25. N. quia fingit *S* in foribus tricliniorum habere notam silentii in *S.*

Ennius

Ennius Annal. I. Em. & Ex.

Romulus in cœlo cum diis genitalibus. . .

in *Dii geniales.*

Ex.

Quis potis ingentes oras evolvere belli.

in *Ora.*

Em.

Tonsillas rapiunt, configunt littus, aduncas.

in *Tonsilla.*

Epigramma vetus de tabula Ex.

Et quamvis pariis scriptorum tramite currant.

in *Scripta duodecim col. 2.*

Epiphan. Hæres. 79. p. 728. Ex. *Quod universam Romaniam corriperet* in *Romania.*

Epitaphium Narbonæ Ex.

Orbem sub legem sic habeas, dum vivis, ad orcum.

in *Orcus.*

Erasm. in Adagio Chius ad Coum N. ubi dicit: *damnosum fuisse senionem, si cum cane subsilisset* in *Senio.*

Adag. p. 116. N. quia scribit similitudinem tonitrui ludis absolutis in scena imitari consuevisse in *Tonitrua.*

Erhard. in Petron. p. 596. N. quia suavia perperam interpretatur in *Suavia valga.*

p. 594. N. quia chiramaxium vult esse genus modici plaustri, quo homo tantum gestari poterat in *Chiramaxium.*

p. 597. N. quia negat janitores vinctos servasse in *Janitores.*

Esai. c. 3. n. 18. Ex. *Tempore illo amovebit dominus lunulas* in *Lunulæ.*

n. 21. Ex. *Tempore illo amovebit dominus* τὰ μεσοπόρφυρα in *Femina col. 2.*

c. 5. n. 27. Ex. *Non rumpetur corrigia calceamentorum* in *Corrigia col. 2.*

c. 10. n. 27. Ex. *Aperietur jugum de collo tuo, & computrescet jugum a facie olei* in *Jugum vehiculorum.*

c. 18. n. 2. Ex. *Qui mittis in mare legatos, & in vasis papyri super aquas* in *Expositio.*

c. 40. n. 3. Ex. *Vox clamantis in deserto: parate viam Jehovæ, complanate semitas ejus* in Λεωφόρος.

Eumen. Rhet. in ea, quæ de instaur. Mænian. Em. *Hic plerumque velut sudibus & saxis* in *Arma col. 6.*

Eurip. Orest. n. 1438. Ex. *Fascis plumeus bene compactus* in *Flabellum.*

Euseb. Chronic. p. 155. N. quia *Munatium Plancum* scribit *Lugdunum ædificasse* in *Lugdunum.*

Eustath. N. apud quem legitur: *crobylus virorum, feminarum corymbus, puerorum scorpius vocatur* in *Crobylus.*

Ex. ubi κεκλασμένον κώδωνα appellat in *Codon.*

Iliad II. p. 131. Ex. Ἔνθα κλᾶται τὸ σῶμα συγκαμφθὲν in *Sedile.*

v. 194. N. quia peplum dicit fuisse tunicam muliebrem in *Peplus.*

Odyss. XVIII. 291. Ex. ubi dicit peplum esse vestimentum muliebre, apertum a parte anteriori in *Peplus.*

Eutrop. I. 6. concil. cum Dionysio asserente Romulum primum triumphasse, cum ipse hoc Tarquinio Prisco transscribat in *Triumphus.*

VI. 17. Ex. *C. Julius Cæsar ex Galliis quingenties centena millia sestertium addidit* in *Reditus.*

Ezech. c. 16. n. 11. Ex. *Ornavi te, induens armillas manibus tuis* in *Armillæ.*

c. 21. n. 21. Ex. *Stetit Rex Babyloniæ in bivio.... inspexit jecur* in *Aruspicina.*

c. 23. n. 5. Ex. *Cupressum de Libano tulerunt, ut facerent tibi malum* in *Cupressus.*

c. 23. n. 42. Ex. *Ac si essent daturi armillas manibus ipsarum* in *Armillæ.*

c. 26. n. 6. Ex. *Roboreos faciebant remos tuos* in *Remus col. 2.*

c. 40. n. 3. Ex. *In manu viri calamus mensuræ* in *Arundo & Calamus.*

Faber N. quia vestem ancillarum atram, & sordidam interpretatur in *Ancillæ.*

Semestr. I. 3. N. dum carpentum somniat fuisse tribunal, sella curuli magistratuum altius in *Carpentum.*

I. 19. N. dum macte dicit vim habere adverbii, & propemodum interjectionis in *Macte.*

III. 4. N. quia Jovem Carvilianum cum summo Capitolino eundem existimat in *Jupiter Carvilianus.*

Fabric. Descript. Urb. Rom. c. 3. N. quia fingit statuas duas marmoreas in Quirinali collocatas, a Phidia & Praxitele factas, Alexandrum Bucephali domitorem expressisse in *Mons Quirinalis.*

N. quia putat Aventinum a Remo Romuli fratre Remurium esse dictum in *Remurium.*

c. 5. N. quia dicit viam Collatinam extra portam ejusdem nominis Collatiam ducere & post exiguum spatium in Salariam incidere in *Via Collatina.*

c. 6. N. quia autumat libros elephantinos dictos ab operis amplitudine in *Libri elephantini.*

c. 9. N. quia docet templum Dianæ in Cœlio D. Johanni cognomento ante portam Latinam cessisse in *Templum Dianæ.*

c. 12. N. quia ex Lampridio probat scobe auri & argenti Heliogabalum circum maximum stravisse; quod apud Lampridium non legitur in *Circus maximus c. 2.*

Falconer. ad Inscript. athlet. Thes. Ant. Græc. Gronov. Tom. VIII. p. 2307. E. N. quia xystarchæ cum gymnasiarchæ idem aut geminum munus vult esse: & Mercuriali & Fabro in xystarchæ munere constituendo dissidentibus conciliandis sequestrum, sed frustra, agit in *Xystarchus.*

Faunus Antiq. Urb. Rom. I. 15. N. quia docet viam Gabinam etiam fuisse dictam Gabiusam in *Via Gabina.*

II. 25. N. quia busta Gallica ad ima montis e regione hortorum Piorum, ubi ædicula S. Andreæ in Portugallo est, sita fuisse opinatus est in *Busta Gallica.*

III. 4. N. quia putat Vestæ templum esse ædem rotundam S. Stephani, quæ ad Tiberim est in *Templum Vestæ col. 2.*

IV. 8. N. quia comminiscitur statuas duas marmoreas in Quirinali collocatas Alexandrum Bucephali domitorem expressisse in *Mons Quirinalis.*

Fernel. de abdit. rer. caus. c. 16. N. quia Tibull. I. 9. 5. minus recte interpretatur in *Nodus magicus.*

Ferrar. Octav. de Re vest. I. 2. 7. N. quia vult blatteum appellari a blattis vermiculis in *Blatta.*

9. N. quia togam purpuream Cæsaris cum triumphali confundit in *Vestis regia.*

II. 2. 7. N. quia putat pænulam fuisse vestem astrictam, & quæ partium corporis, quas tegebat, figuram expresserit in *Pænula.*

Analect. de Re vest. c. 31. N. quia censet vestes scutulatas dici a virgis se intersecantibus, quales sunt retium maculæ in *Vestis scutulata.*

Elect. II. 15. N. quia statuit delphinem in circo venetæ aurigationis notam & insigne fuisse in *Delphines.*

de Origine Roman. Thes. Antiq. Roman. Græv. Tom. I. (p. 12.) N. quia valde argutatur in notis scripturæ quibusdam compendiis explicandis in *Notæ col. 4.*

Ferrar. Francis. Bernard. de Acclamat. & Plausib. II. 19. N. quia Plaut. Mil. Glor. II. 1. 5. explicat de obtortionibus oris ad deridendum in *Suavia valga.*

Ferret. Muſ. Lapid. I. memor. 29. V. memor. 23. N. quia luſtrum dicit fuiſſe ſpatium temporis, quod quatuor annos complectens quintum iniit in *Luſtrum col.* 2.

II. memor. 41. N. quia pilicrepum vult fuiſſe, qui pilas pice illitas in ignem balneorum conjiciebat, ſicubi forte reſtingueretur in *Pilicrepus.*

Feſtus Em. *Advoſem adverſarium ſignificat, & hoſtem* in *V. cum F.*

in Bidental. Ex. *Bidental dicebant quoddam templum, quod in eo bidentibus ſacrificaretur* in *Bidental.*

in Cacula N. quia confundit caculam cum calone in *Cacula.*

in Canaliculæ forenſes Ex. *Canaliculæ forenſis homines pauperes dicti, quod circa canales fori conſiſteren* in *Canale.*

in Claſſici Ex. *Claſſici teſtes dicebantur, qui ſignandis teſtamentis adhibebantur* in *Claſſici.*

in Cocetum Em. *Cocetum genus edulii ex melle & papavere factum* in *Cocetum.*

in Curia N. quia ſcribit *curiis nomina curiarum virginum impoſita eſſe, quas virgines Romani de Sabinis rapuerunt* in *Curia.*

in Flaminius Ex. *Flaminius circus, & via Flaminia a Flaminio conſule dicta ſunt* in *Via Flaminia.*

in Gentilis Ex. *Gentilis dicitur, qui eodem ex genere natus eſt. . . .* in *Gentilis.*

in Lance & licio N. ubi legitur: *qui furtum ibat quærere in domo aliena, licio cinctus intrabat, lancemque ante oculos tenebat* in *Furtum.*

in Lingula Em. quia ſcribit. . . . *a ſimilitudine linguæ inſertæ, id eſt, infra dentes coercitæ* in *Ligula.*

in Lucumones N. quia ſcribit *dictos homines quosdam ob inſaniam* in *Lucumones.*

in Optio Em. & Ex. *Optio qui nunc dicitur, antea appellabatur accenſus. Is adjutor dabatur centurioni a tribuno militum, qui ex eo tempore. . . .* iu *Optio.*

in Ouſentina Em. *Ouſens eſt in agro Privernate inter mare & Terracinam. Lucretius* in *Tribus Ouſentina.*

in Parmulis Ex. *Parmularum uſum ſuſtulit C. Marius, datis in vicem earum Bruttianis* in *Parma.*

in Peculatus N. ubi ſcribit *Menenium & Seſtium conſules fuiſſe ante Tarpejam legem: & illis conſulibus æs nondum fuiſſe ſignatum* in *Lex Menenia Seſtia.*

in Popillia N. quia ſcribit *Popilliam tribum a Popilliæ felici nomine appellatam* in *Tribus Popillia.*

in Privatæ Ex. *Privatæ vocabantur feriæ ſacrorum propriorum, velut dies operationis* in *Operari.*

in Propius Em. *Propius ſobrina mihi eſt conſobrini mei filius* in *Propius ſobrino.*

in Prorſi limites Em. & Ex. *Prorſi limites appellantur in agrorum menſuris, qui directi ſunt ad Orientem* in *Prorſa.*

in Quintana N. & Em. quia ſcribit: *Quintana appellabatur porta in caſtris poſt prætorium* in *Porta caſtrorum.*

in Rates Ex. *Eo nomine ſignificarunt etiam remos* in *Rates.*

in Ratitum Em. *Ratitum quadrantem Tarquinius in libro, quem inſcripſit. . . .* in *Quadrans ratitus.*

in Remulco Ex. *Remulco eſt, cum ſcapha remis magna navis trahitur* in *Remulcus.*

in Recto fronte Ex. *Cato in diſſertatione conſulatus: recto fronte cæteros ſequi ſe norit* in *Acies col.* 3.

in Retrices Em. *Quæ eſt ſupra viam Ardeatinam.... qua irrigantur horti infra viam Ardeatinam atque Aſinariam uſque ad Latinam* in *Porta Aſinaria* & *Retrices.*

in Ricinium Em. & Ex. *Ricinium omne veſtimentum quadratum eſſe dixerunt vir toga, qua mulieres utebantur* in *Ricinium.*

in Robur Ex. *Robur in carcere dicitur locus, quo præcipitatur maleficorum genus* in *Robur col.* 1. *&* 2.

in Rogatio Em. & Ex. *Rogatio eſt genus legis: quæ lex non continuo ea rogatio non poteſt non eſſe lex* in *Rogatio.*

in Romanam portam Ex. *Romanam portam vulgus appellat, ubi ex epiſtylio defluit aqua: qui locus ab antiquis appellari ſolitus eſt ſtatuæ Cinciæ* in *Sepulcrum Cinciorum.*

in Rumentum Em. *Rumentum ſignificare videtur interruptio, abruptiove, dum verba ancilibus movendis præit....* in *Rumentum.*

in Rutrum Ex. *Rutrum tenentis juvenis eſt effigies.... arenam ruentis exercitationis gratia* in *Rutrum.*

in Seliquaſtrum Ex. *Seliquaſtra ſedilia antiqui generis appellantur* in *Seliquaſtrum.*

in Senis Em. & Ex. *Senis crinibus nubentes ornantur* in *Crine.*

in Sonivium Em. *Aut arbor viviradix ruit, quæ nec præ vitio humanive cædantur* in *Tripudium ſonivium.*

in Stata Em. *Statæ matris ſimulacrum in foro colebatur, poſtquam id colluſtravit* in *Stata.*

in Stellatina Em. *Stellat. . . . eo qui in Campania eſt, ſed eo qui pena. . . .* in *Tribus Stellatina.*

in Supparus Em. *Puniceum veſtimentum vocat Nævius.* Ex. *Et in Nautis vocat Neptuno veſtem conſecratam ſupparum.* } in *Supparus.*

in Tributorum Ex. *Eſt quoddam tributum temerarium. . . .* in *Tributum.*

in Vagulatio Ex. *Cui teſtimonium defuerit, is tertiis diebus ob portum obvagulatum ito* in *Obvagulatio.*

Feſtus Avienus Ex.

Lux hebes eſt matri, vix qualem Caria quondam
Noverit intrantem per clauſtra ſonantia clavem.

in *Clavis Laconica.*

Fevardent. ad Tertullianum N. qui Eſai. c. 3. n. 18. lunulas interpretatur fibulas in *Lunulæ.*

Figrell. de Stat. Rom. c. I. N. quia ſignum & ſtatuam differre vult materia, forma, & conditione eorum, quorum ſimilitudo refertur in *Signum* I. *ſtatua.*

Firmic. VI. 31. Ex. *Qui veterum fabularum exitus in ſcenis imitentur* in *Exodia.*

Flor. I. 2. §. 3. Ex. *Ut ad ſimulacrum cœleſtium ſiderum cuſtos imperii flamma vigilaret* in *Veſtales col.* 3.

I. 5. §. 6. conciliatur cum Dionyſio aſſerente Romulum primum triumphaſſe, cum ipſe hoc Tarquinio Priſco adſcribat in *Triumphus.*

II. 14. §. 3. Ex. *Regium nomen mimo quoque regio implevit* in *Mimus col.* 3.

16. §. 6. N. quia apud illum legitur: *Æris notam pretioſiorem ipſa urbis fecit injuria: quia incendio permiſtis ſtatuis, atque ſimulacris, æris, auri, argentique venæ in commune fluxere* in *Æs Corinthium.*

IV. 9. §. I. Ex. *Quum ſcopulus, & mora publicæ ſecuritatis ſupereſſet Antonius* in *Nodus magicus.*

du Freſne Gloſſar. N. quia ſcribit χευσόκλαβον eſſe veſtem aureis clavis diſtinctam in Χρυσόκλαβον.

N. quia putat Ammianum dixiſſe dalmaticam ſimilem figura chlamydi fuiſſe in *Dalmatica.*

N. quia non docet ubi gradus illi, in quibus panis gradilis diſtribui ſolitus in *Panis gradilis.*

Frontin. Strateg. II. 3. 20. Ex. *Paullus adverſus Perſen triplicem aciem cuneis inſtruxit* in *Serra col.* 2.

IV. I. II. Ex. *Q. Metellus coſ. maluit filium in ordine merere.* Ex. *P. Rutilius coſ. filium in legione militem fecit.* } in *Ordinarius.*

IV. 3. 12. Ex. *Modus agri quem conſummati milites accipiebant* in *Gladiatores conſummati.*

de Aquæduct. II. p. 1663. A. Ex. *Reditus, quem vocant punctam.* Em. & Ex. *Convulneratis omnibus in tranſitu negotiatoribus.* } in *Puncta.*

Fulgent. Mythol. Præfat. p. 8. Ex. *Quibus adhuc impreſſæ bellantium plantæ muricatos ſigillaverunt greſſus* in *Murex.*

Fuller. Miscell. sacror. I. 2. N. quia arbitratur plumarios dictos eos, qui ex plumis versicoloribus opera elaborant in *Pluma col.* 2.

IV. 12. N. quia verba Justini contr. Tryphon. p. 318. D. *ubi requiescit, qui clavis affigitur* male conjungit & explicat in *Staticulum*.

Fulvius N. quia curiam Hostiliam putat fuisse sitam, ubi postea a Vespasiano dedicatum est templum Pacis in *Curia Hostilia*.

N. quia statuit lacum Juturnæ fuisse, in quo ecclesia S. Sylvestri dicta fuit in *Forum Romanum*.

N. quia asserit duo exstitisse Lupercalia, alterum ad ædem S. Theodori, alterum ad arcum Titi in *Lupercal col.* 2.

Galeot. Mart. de Homine I. N. quia putat segmentum esse dictum, quia circumit collum: & Plin. VI. 33. signare circulum in *Segmentum*.

de Promisc. Doctrin. c. 28. N. quia male accipit Tortellium in Lexico suo qui literis prodidit stapias apud antiquos non fuisse in usu in *Stapeda*.

Gaudent. Brix. N. quia architriclinum confundit cum præfecto morum, qui convivis apponi solitus in sollennioribus epulis in *Architriclinus*.

Gell. I. 3. Ex. Δεῖ μὲ συμπράττειν τοῖς φίλοις, ἀλλὰ μέχρι βωμῶν in *Ara col.* 4.

12. Ex. *Ut pontificis maximi arbitratu virgines legantur* in *Vestales*.

22. N. dum scribit: *Irroboravit, inveteravitque falsa, atque aliena verbi significatio ejus, quod dicitur, hic illi superest* in *Superesse*.

II. 24. Ex. *In quo jubentur principes civitatis, qui ludis Megalensibus mutitarent, id est, mutua inter se dominia agitarent...* in *Mutitatio*.

III. 18. N. & Em. dum refert *Bassum dixisse senatores in veterum ætate, qui curulem magistratum gessissent, curru vectos esse, in quo sella esset, quæ ob eam causam curulis appellaretur* in *Magistratus curules*.

IV. 20. Ex. *Censor agebat de uxoribus sollenne jusjurandum* in *Ex animi tui sententia*.

V. 17. Ex. *Post diem tertium ejus diei Urbem a Gallis occupatam esse* in *Roma col.* 11.

19. Em. *Uti pariendo filio est* in *Formula arrogationis*.

IX. 13. Em. *Gallus sua disciplina, scuto projecto, cantabundus* in *Status*.

X. 3. Ex. *His annis paucis ex Asia missus est* in *Lectica*.

XII. 6. Ex. *Quæ Græci dicunt ænigmata, quidam e nostris veteribus sirpos appellaverant* in *Sirpus*.

XIII. 15. Ex. *Neque iis comitiis in auspicio fuimus* in *Auspicium col.* 2.

21. Ex. *Maluissem vos togatos esse. Pigitum est, cinctos esse saltem, & pannlatos* in *Senator col.* 10.

XIV. 2. Ex. *Quo primum tempore a prætoribus lectus in judices sum* in *Judex col.* 2.

Em. *Sive boni, sive mali essent, quod duo rei gessissent* in *Reus*.

Ex. Tabularum obsignationem in *Tabula syngrapha*.

XV. 13. Ex. *Æris confessi debitique judicatis triginta dies justi sunto* in *Dies justi*.

17. Ex. *Centuriata comitia intra pomœrium fieri nefas esse; quia exercitum intra Urbem imperari jus non sit.... exercitum imperari præsidii causa solitum....* in *Exercitus*.

XVII. 2. Ex. *Quæ in eo libro scripta essent in utrasque existimationes laudis, aut culpæ adnotamentis digna* in *Notæ*.

XVIII. 13. Ex. *Hoc ære collecto, quasi manuario* in *Manus col.* 3.

XIX. 8. Ex. *Quadrigæ semper, etsi multijugæ non sunt* in *Quadrijuges*.

10. Ex. *Tibi deculpatum hoc verbum videtur* in *Notæ*.

Gentil. de Verbor. signific. p. 288. N. quia milliarium in capite fori Romani vult dictum esse, quod ab eo numerus milliariorum, quibus itinera metiebantur, inceperit in *Milliarium col.* 2.

German. Cæs. de Erigone Em. & Ex.

— *tristique genas abscondita ripa*.

in *Rica*.

Glossæ veter. Ex. *Confectorium* in *Confici*.

Ex. Κελευστής in *Hortator*.

Em. *Strepus* in *Stroppus*.

Em. *Suggestus*, ὕψος in *Suggestus col.* 2.

Em. *Quadra*, τόπος in *Quadra col.* 2.

Em. *Suppalta*, κεκαλυμμένα in *Suppactum*.

Em. *Salior* in *Vates*.

Glossæ Petron. N. quia chiramaxium interpretantur genus plaustri in *Chiramaxium*.

Glossæ Philox. Em. *Gibus*, γίλβος in *Color gilvus*.

Goclen. Lex. Phil. Græc. N. quia xenia facit synonyma strenarum in *Xenia*.

Gonsal. in Petron. p. 103. N. quia Mart. II. 57. 5. male interpretatur in *Lecticarii col.* 2.

c. 26. apud quem suavia, sive oscula pro suaviationibus accipit in *Suavia valga*.

Grang. in Juven. Sat. VII. 192. N. dum apud Satyricum lunam interpretatur fibulam in *Calceus lunatus*.

X. 354. N. quia putat tomacula esse edulia, & quidem isicia in *Tomacula*.

Grapald. de Partib. dom. II. 3. 2. N. quia transennam funem extensum interpretatur in *Transenna*.

Gregoras VII. Em. Ἀντὶ μεγάλου πριμικηρίου μέγαν κήριον ὀνομάζουσι νῦν in *Primicerius*.

Gruch. de Comit. I. 3. N. ubi docet exercitus potuisse imperari præsidii causa aut a consulibus aut a prætoribus... atque interim a pontificibus comitia haberi in *Exercitus*.

I. 3: II. 3: III. 5. N. quia negat pontificem maximum potuisse habere comitia pontificibus sufficiendis in *Pontifex maximus col.* 5.

III. 2. N. ubi docet detestari sacra esse populo denuntiare, quod quisque consecrari cupit in *Detestatio sacrorum*.

Guibert. Dissert. de Murrhin. c. 10. ubi docet murrhina ex onyche olim fuisse fabricata in *Vasa murrhina*.

Guilandin. Papyr. membr. III. §. 29. & 30. N. ubi negat veteres in palmarum foliis scripsisse in *Palma col.* 2.

VII. §. 2. 3. 4. 22. N. ubi Theophrast. Hist. Plant. IV. 9. minus recte explicat in *Papyrus col.* 2.

XI. §. 2. & 3. N. ubi Turneb. Adv. VII. 2. in describenda charta hieratica ineptissime reprehendit in *Charta Hieratica*.

XIV. §. 2. & 3. N. ubi Tanis & Taphnis perperam confundit in *Charta Tæniotica*.

XVI. §. 4... N. quia putat, sed falso, tabulam esse philuram papyri in *Tabula col.* 2.

Gruter. in Cicer. in Pison. c. 27. N. quia apud illum propala legendum esse contendit in *Propola*.

Guilielm. in Plaut. Most. III. 2. 143. N. quia Plautum intelligit de Romano in *Puls Punica*.

Pœn. III. 2. 20. N. quia lupinos vult esse nummos ex lupino macerato factos in *Lupinus col.* 2.

Gutberlet. de Saliis p. 170. N. quia regiam pontificum confundit cum regia Numæ in *Regia pontificum*.

Guther. de Vet. jur. Pont. I. 3. N. quia negat septemviros epulones in quatuor summis collegiis fuisse in *Collegium col.* 2.

6. N. quia dicit brabeutas fuisse viliores sacrorum certaminum ministros in *Brabentæ*.

II. N. quia docet pontificem maximum in circensi pompa, & sacris publicis præcinuisse in *Præcentio*.

O quando faba Pythagoræ cognata...
in *Faba.*
7.10. Ex.
— *clavum mutabat in horas.*
in *Clavus latus col. 2.*
97. Ex.
— *contento poplite miror*
Prælia.
in *Gladiator col. 5.*
Epist. I. I. 85. Ex.
— *cui si vitiosa libido*
Fecerit auspicium.
in *Auspicium col. 2.*
87. Ex.
— *lectus genialis in aula est?*
Nil ait esse prius, melius nil cœlibe vita.
in *Lectus adversus col. 2.*
3.36. Ex.
Pascitur in vestrùm reditum votiva juvenca.
in *Votivæ tabellæ.*
5.1. Em. & Ex.
Si potes Archiacis conviva recumbere lectis.
in *Lectus Archiacus.*
30. Ex.
Tu quotus esse velis, rescribe, & rebus omissis
Atria servantem postico falle clientem.
in *Posticum.*
6.50. Ex.
Mercemur servum, qui dictet nomina, lævum
Qui fodiat latus, & cogat trans pondera dextram
Porrigere.
in *Nomenclator.*
7.23. Ex.
Nec tamen ignorat, quid distent æra lupinis.
in *Lupinus col. 2.*
65. Ex.
Vendentem tunicato scruta popello.
in *Plebs col. 3.*
9.78. Ex.
- - - *sic me servavit Apollo.*
in *Apollo* Ἀλεξίκακος.
10.17. Ex.
Cum semel accepit solem furibundus acutum.
in *Æstus.*
11.17. Ex.
- - - *facit quod*
Penula solstitio, campestre nivalibus auris.
in *Campestre.*
14.14. Ex.
Tu mediastinus tacita prece rura petebas.
in *Mediastinus.*
18.20. Em.
Brundisium Numici melius via ducit.
in *Via Numicia.*
II.2.15. Ex.
In scalis latuit metuens pendentis habenæ.
in *Habena.*
4.40. Ex.
Ibit eo, quo vis, qui zonam perdidit.
in *Balteus & zona.*
Epod. II. 69. Ex.
Omnem relegit Idibus pecuniam.
in *Idus col. 2.*
IV. 3. Ex.
Ibericis peruste funibus latus.
in *Pœna.*

II. Ex.
Sectus flagellis hic triumviralibus
Præconis ad fastidium.
in *Flagellum.*
Carm. secul. n. 67. Ex.
Alterum in lustrum, meliusque semper...
in *Lustrum col. 2.*
Art. Poët. n. 90. Ex.
- - - *ac prope socco*
Dignis carminibus narrari cœna Thyestæ.
in *Soccus col. 2.*
n. 97. Ex.
Projicit ampullas, & sesquipedalia verba.
in *Sesquipedale.*
n. 155. Ex.
— *donec cantor, vos plaudite, dicat.*
in *Cantare.*
n. 288. Ex.
Vel qui prætextas, vel qui docuere togatas.
in *Comœdiæ prætextatæ & togatæ.*
n. 332. Ex.
— *speramus carmina fingi*
Posse linenda cedro.
in *Cedrus col. 2.*
Hoseas c. 7. n. 8. Ex. *Ephraim est panis subcineritius, qui inter coquendum non fuit versus* in *Panis subcineritius.*
Hostus de Re Pecun. II. I. N. quia duodecimum ponit partem pro toto ex duodecim partibus constante in *Usura centesimæ col. 8.*
Hotomann. N. quia bissextum nomen fictum appellat in *Bissextum.*
N. quia duas voces, *pedes terra*, inducit & aufert ex Cæsar. de Bell. Gall. VII. 73. in Commentario suo in Cæsarem in *Lilium.*
Antiq. Roman. II. 13. N. quia vult prætorem fuisse etiam dictum judicem quæstionis, sive quæsitorem in *Prætores.*
17. N. quia aliculam interpretatur tunicam manicatam, pueris decoram, grandioribus minus honestam in *Alicula.*
III. I. N. quia putat omnem circumpotationem in funeribus lege decemvirali esse sublatam in *Circumpotatio.*
N. quia docet, tunicas Ennii ætate fuisse inusitatas in *Tunica.*
Huber. Comment. II. de Prætorio c. 9. N. quia dicit prætorianos milites proprie, ut aulam Cæsarum custodirent, fuisse institutos, & ex ea ita nominatos in *Prætoriani.*
Hugo de Milit. Equest. I. 6. N. quia scribit covinarium fuisse equitem, qui de covino pugnabat in *Covinarius.*
IV. 2. N. quia putat stationes in militia fuisse solius diurni temporis custodiam in *Stationes.*
Hygin. Fab. 14. Ex. *Proreta navis, qui multum videbat* in *Proreta.*
de Limit. agrorum p. 191. Ex. *Qui primi exierint, primam sortem centuriarum tollere debebunt* in *Sortes convivales.*
Em. *Si qua præda in quæstione ponitur* in *Forum in castris.*
Manuscriptus Em. *Si qua præda facta fuerit, in quæstione ponitur* in *Forum in castris.*
Jacob. c. I. n. 12. Ex. *Qui postquam probatus fuerit, accipiet coronam vitæ* in *Corona col. 2.*
Jerem. c. 3. n. 3. Ex. *Frons mulieris meretricis facta est tibi, noluisti erubescere* in *Meretrices col. 2.*
c. 22. n. 24. Ex. *Etiamsi esset Conia annulus signatorius in manu dextra mea* in *Annulus col. 8.*
c. 36. n. 22. Ex. *Rex sedebat in domo hiberna, idque*

que cum foco ante ipſum accenſo in *Arula.*

Inſcriptio vetus Ex. *Sub aſcia dedicare* in *Aſcia.*

Ex. *Minervæ Aug. L. Calidius primus aures argenteas V. S. L. M.*
Ex. *Auribus D. D. D. Petruſia.*
} in *Auris.*

Em. *Quod ex pecunia ſua diem privatum ſecundum dignitatem coloniæ ediderit honorem bis illi* in *Biſellium col.* 2.

Ex. *Sutor caligarius.*
Ex. *In caliga functo.*
Ex. *Numerus militum caligatorum.*
Ex. *Aurelius. Cal. mil. leg.* 10.
} in *Caliga.*

Em. & Ex. *D. M. Cajus dedicationem & clypei ſimpi dedit* in *Clypeus col.* 4.

Em. *Auguſtus murum dedit curante L. Turno ſecundo Aproniano* in *Correctores.*

Em. & Ex. *Marti Aug. conſervatori corporis ſui Mercurialis Aug. N. V. poſuit.*
Ex. *Junonibus Juliæ & Sextiliæ.*
} in *Dii proprii.*

Ex. *Succeſſit & vicit* in *Eripere.*

Ex. *Tricoſus poſt mea fata vocor* in *Hercules Tricoſus.*

Ex. *Honorati & decuriones* in *Honor col.* 2.

Ex. *Matris deum magnæ Ideæ Palatinæ. . . .*
Ex. *M. D. M. Idea, & Atidi Minotauro.*
} in *Idea.*

Ex. *Gal. Faventino qui annona frumentaria plebem adjuvit collegia Kalendariorum & Iduariorum duo poſuerunt* in *Idus col.* 2,

Ex. *Memmius Vitraſius præfectus Urbi judex ſacrarum cognitionum* in *Judex col.* 4.

Ex. *Templum Iſidis Exoratæ* in *Templum Iſidis.*

Ex. *Mancipi viæ Appiæ Herennia Priſcilla fecit* in *Manceps col.* 2.

Ex. *Vigilia Metia Maſſæ filia Marti Olloudio V. S. L. M.* in *Mars Olloudius.*

Ex. *Infeliciſſimi parentis Taciti nomine extra ſortem ad rudera poſuere* in *Monumentum extra ſortem.*

Ex. *L. Sextius Sex. F. N. N. Sextin. Lateran.* in *Numerius.*

Ex. *Nymphis lymphiſque Aug. dulciſſimis ob reditum aquarum.*
Ex. *Undis Cyanes donum placavile fecit Contucius.*
} in *Nymphæ.*

Ex. *Cui & ſacris domeſticis offerre conceſſerat. . . .* in *Offerendarium.*

Em. & Ex. *Tabellariorum aram cum ſuis ornamentis & bela domini inſignia habentes N. IIII. ut voverat* in *Ornamenta aræ.*

Ex. *Pro ſalute domus Auguſtæ corpora pauſariorum & argentariorum* in *Pauſarius.*

Ex. *C. Julius Epaphra pomar. de circo maximo. . . .* in *Pomarium.*

Ex. *Scriba colleg. Arval. procurator ludi matutini* in *Procurator ludi.*

Ex. *Imperio D. M. tauropolium.*
Ex. *S. M. D. Junia Domitia taurop. accepit.*
} in *Taurobolium. col.* 2.

Ex. *Deo. Silvano. pro. ſalute. ratiarior. ſuperior. amicor. ſuor. baſim. ſanct. . . .* in *Ratiarius.*

Em. *M. Numius ſilicarius* in *Silicarii.*

Ex. *Magiſter vici ab cyclopis region. prim. faber argentarius* in *Vicus Cyclopis.*

Ex. *Numinibus Auguſtorum Deo Volia-no. . . .* in *Volianus.*

de Jode Triumph. major. N. quia fingit currum triumphalem fuiſſe vehiculum quadratum cum rotis quatuor, in cujus ſupremo ſella cui inſideat imperator in *Currus triumphalis.*

Johann. c. 1. n. 23. Ex. *Ego ſum vox clamantis in deſerto* in Δεωφὶρ۞.

n. 27. Ex. *Cujus ſolearum ego non ſum dignus qui ſolvam corrigiam* in *Solea col.* 4.

c. 2. n. 8. Ex. *Haurite deinceps, & offerte architriclino* in *Archiriclinus.*

c. 6. n. 9. Ex. *Puerulus quidam habet duos piſciculos* in *Obſonium.*

c. 11. n. 44. Ex. *Facies* Lazari *ſudario fuit ligata* in *Sudarium.*

c. 13. n. 4. Ex. *Surrexit a cœna, & poſuit veſtimenta ſua* in *Chriſtus col.* 2. & *Convivium col.* 2.

c. 18. n. 25. Ex. *Stabat Simon Petrus, & ſeſe calefaciebat* in *Atrium col.* 2.

n. 28. Ex. *Ducunt Jeſum a Cajapha in Prætorium* in *Prætorium col.* 3.

n. 31. Ex. *Accipite vos eum, & ſecundum legem veſtram judicate eum. Itaque Judæi dixerunt ei: nobis non licet interficere quemquam* in *Procurator Cæſaris col.* 2.

c. 19. n. 15. Ex. *Illic clamaverunt: tolle, tolle* in *Tolle.*

n. 17. Ex. *Bajulans ſuam crucem, exivit in locum Calvariæ dictum* in *Cruciarius col.* 2.

n. 23. Ex. *Milites acceperunt ejus veſtimenta, & fecerunt quatuor partes, unicuique militi partem* in *Veſtis col.* 4.

n. 34. Ex. *Quidam ex militibus lancea latus ejus fodit* in *Cruciarius col.* 4.

c. 20. n. 7. Ex. *Sudarium, quod fuerat ſuper tumulati caput* in *Sudarium.*

c. 21. n. 18. Ex. *Alius te cinget* in *Cruciarius col.* 3. & *Crux compacta col.* 2.

Apocal. c. 21. n. 15. *Habebat calamum aureum. . . .* in *Arundo.*

Jonas c. 4. n. 5. Ex. *Egreſſus Jonas e civitate fecit ſibi tugurium, ut reſideret ſub eo* in *Caupona.*

Joſeph. Ant. Judaic. xix. 4. Ex. Ἐξ ἐπιπέδου in *de Plano.*

de Bell. Judaic. iii. 3. Ex. *Foſſa exterius circumjicitur profunda quatuor cubitis* in *Foſſa.*

Ex. *Inter hæc prætorium divum templo ſimillimum* in *Prætorium.*

vii. 3. Ex. *Calceos habens creberrimis atque acutis clavis* in *Caliga col.* 3.

24. Ex. *Inter ſpectacula tranſeuntes. . . .* in *Pompa triumphalis col.* 2.

Joſua c. 17. n. 16. Ex. *Currus ferrei ſunt apud omnes Cananæos* in *Currus falcatus.*

c. 18. n. 8. Ex. Χωροβατήσατε τὴν γῆν in *Chorobates.*

Iſidor. i. 4. N. quia ſcribit X literam ante Auguſti tempus non fuiſſe in *X.*

23. Em. & Ex. *In breviculis T. nota in capite verſiculi poſita ſuperſtitem deſignabat* in *T.*

25. N. ubi ſcribit: *Stola a dextro latere in lævum humerum mittitur* in *Stola col.* 2.

v. 24. Ex. *Veteres quando aliquid ſibi promittebant, ſtipulam tenentes frangebant: quam iterum jungentes ſponſiones ſuas agnoſcebant* in *Symbolum.*

ix. 3. Em. *Fortes pueri quod ad militiam deligantur. . . . ex aſpectu & valetudine corporis æſtimantur* in *Tyrones.*

Em. *Tyrones dicuntur fortes pueri quod ad militiam delegantur* in *Sacramentum.*

xii. 1. Ex. *Doſinus dictus, quod ſit color ejus de aſino: idem & cinereus* in *Color gilvus.*

xvii. 36. Ex. *Quadrigæ, & bigæ, trigæ, & ſejugæ ab equorum numero, & jugo dictæ* in *Quadrijuges.*

xviii. 2. N. quia dicit carnificem fuiſſe, qui coronam triumphantis in curru triumphali ſuſtinuerit in *Triumphantes col.* 3.

52. N. quia amphitheatrum facit rotundam in *Amphitheatrum.*

55. N. quia ſecutori tribuit maſſam plumbeam in *Secutor.*

54. Em. *Ferebat rete, quod jaculum appellatur* in *Retiarius.*

60. N. quia fingit aleam inventam eſſe a quodam milite, nomine Alea in *Alea.*

XIX. 2. Em. *Remi a removendis, & decutiendis fluctibus dicti, ſicut tonſores a tondendis & decutiendis capillis* in *Remus.*

4. Ex. *Remulcus eſt funis, quo deligata navis trahitur vice remi* in *Remulcus.*

22. N. quia ſcribit *Romanos ſub conſulibus tunica ruſſata* uſos in *Tunica col.* 5.

Em. *Laculata veſtis, quæ lacus quadratos quosdam cum pictura habet intextos* in *Lacus col.* 4.

24. N. quia ſomniat ſagum quadratum fuiſſe in *Sagum Gallicum.*

N. quia pallium comminiſcitur dictum a pellibus in *Pallium col.* 2.

31. N. quia docet monile tantum eſſe feminarum in *Monile col.* 2.

N. qui ſcribit *omnes liberos annulo aureo eſſe uſos* in *Annulus col.* 4.

Em. *Dextras eſſe communes virorum & mulierum* in *Dextrale.*

Em. *Nonnulli hoc & ſegmenta, & longos habitus* in *Segmentum.*

32. N. quia ſcribit *libertinos annulo argenteo fuiſſe uſos* in *Annulus col.* 5.

N. quia fingit in ſiniſtræ manus digito, qui minimo eſt proximus, *nervum quendam tenuiſſimum ad cor hominis pergere, & ideo digitum illum annuli honore decorandum* in *Annulus col.* 9.

34. N. *Caligarius a calo, id eſt, ligno vocatus, ſine quo conſui calceamenta non poſſunt* in *Caliga col.* 3.

XX. 2. Ex. *Panis ſubcinericius cinere coctus & reverſatus* in *Panis ſubcinericius.*

3. N. quia *melicratum* dicit eſſe *vinum melle mixtum* in *Melicratum.*

12. N. quia dicit *baſternam dictam quaſi viæ ſternam.* in Gloſſis Em. *Baſterna tecta manualis.* } in *Baſterna.*

N. *Culleus fuit tunica ex ſparto in modum crumenæ facta.* Em. *Quæ linebatur a populo.* } in *Culleus.*

Em. *Sculna ſponſus* in *Sculna.*

Iſo magiſter Em. *Baga ferrum dicitur, quo captiva ſæpe mancipia aguntur* in *Boja col.* 2.

Judic. c. 1. n. 19. Ex. *Eo quod currus ferrati eſſent in illis.* c. 4. n. 13. Ex. *Accerſivit Siſera omnes currus ſuos, nongentos currus ferratos.* } in *Currus falcatus.*

c. 8. n. 26. Ex. *Præter torques, qui erant ad colla camelorum* in *Torques.*

c. 19. n. 15. Ex. *Conſedit in platea civitatis, quia non erat quiſpiam, qui reciperet eum in domum ſuam ad pernoctandum* in *Caupona.*

Judith. c. 16. n. 11. Ex. *Sandalia Judith Holofernis oculos rapuerunt* in *Sandalium.*

Julian. Epiſt. 20. Ex. *Ducet autem publicus curſus uno vehiculo, & parhippo* in *Parhippus.*

Jun. Franciſc. in Tertull. de Pall. p. 84. N. quia ſcribit harmamaxam eſſe vehem geſtatorium, qui opera humana ſine jumentis tollitur in *Harmamaxa.*

Hadrian. Hiſt. Batav. c. 10. N. quia ſcribit annulos fuiſſe, quibus clavis erat adjuncta ad duplicem uſum, ſignandi & aperiendi in *Annulus col.* 6.

de Ann. & menſ. c. 4. N. quia magnos menſes apud Virg. Ecl. IV. 12. vult eſſe vel Julium & Auguſtum, vel Junium & Julium in *Magni menſes.*

Animadv. V. 14. N. quia putat cataſtam fuiſſe compedem ligneum in *Cataſta.*

de Coma c. 2. N. quia radere in duodecim tabulis exiſtimat idem eſſe quod forficula reſecare. N. quod putat mulieres in luctu ora laceraſſe, ut oſtenſo ſanguine inferis ſatisfacerent. } in *Genas.*

Nomencl. c. 11. N. quia vult tucetum fuiſſe micas carnium cum arvina, minutimque inſecta ilia, idem cum iſicio in *Tucetum.*

c. 44. N. quia duodecimam ponit partem pro toto ex duodecim partibus conſtante in *Uſura centeſima col.* 5.

c. 60. N. quia propala pro propola cenſet legendum in *Propola.*

c. 72. N. quia corytum exponit thecam, repoſitorium arcus in *Corytus.*

N. quia mantele & mappam perperam diſtinguit in *Mantile.*

N. quia ſolium exponit ſedem ad Regum tutelam, cujus uſus fuerit, antequam ſtipatoribus ſepire latus cœperant in *Solium regium col.* 2.

c. 76. N. quia contendit udonem fuiſſe pallium, aut veſtimentum adverſus imbres comparatum in *Udo.*

Jun. Franciſc. Franciſc. F. N. quia aſſerit æs Corinthium accepiſſe nomen, quod Corintho incenſa aurum, argentum & æs in unum confluxerint, peruſtis plurimis ſtatuis, & ſimulacris in *Æs Corinthium.*

Juſtinian. l. 1. C. de Aleator. Ex. *Si quis ſub ſpecie alearum victus ſit lupinis* in *Lupinus col.* 2.

l. victum C. de Aleator. Ex. *Duntaxat ludere liceat μονόϐολον* in *Monobolon.*

Novell. 24. Ex. *Viſum eſt nobis illis tradere ſymbola* in *Mandata Principis.*

105. Ex. *Et cum beſtiis pugnantes homines, & audaces* in *Pancarpus.*

Juſtin. II. 3. Ex. *Adverſus inopes occupare bellum* in *Occupare col.* 2.

XII. 13. 3. Ex. *Velut conventum terrarum orbis acturo* in *Conventus col.* 2.

XIII. 8. 5. *Ut continuatis manſionibus Eumeni ſuperveniant* in *Manſio.*

XX. 4. 14. Ex. *Cum ſodalicii juris ſacramento quodam nexi. . . .* in *Sacramentum ſodal.*

XXXVIII. 10. Ex. *Antiochus occupandum bellum ratus* in *Occupare col.* 2.

Juven. Sat. I. 18. Ex.

Ventiles æſtivum digitis ſudantibus aurum.

in *Annulus col.* 6.

65. Ex.

Hinc atque inde patens, ac nuda pæne cathedra.

in *Sella muliebris col.* 2.

76. Ex.

—— *& ſtantem extra pocula caprum.*

in *Pocula col.* 3.

89. Ex.

—— *neque enim loculis comitantibus itur*
Ad caſum tabulæ, poſita ſed luditur arca.

in *Loculi.*

94. Ex.

--- *quis fercula ſeptem*
Secreto cœnavit avus?

in *Ferculum.*

104. Ex.

Natus ad Euphratem, molles quod in aure feneſtræ
Arguerint.

in *Servus.*

124. Ex.

Oſtendens vacuam, & clauſam pro conjuge ſellam

in *Sella muliebris.*

129. Ex.
--- inter quos ausus habere
Nescio quis titulos Ægyptus, atque Alabarches.
in Alabarches.
II. 7. Ex.
Et jubet archetypos pluteum servare Cleanthas.
in Pluteus col. 2.
19. Ex.
--- sed pejores, qui talia verbis
Herculis invadunt.
in Mehercules.
40. Ex.
Tertius e cœlo cecidit Cato.
in Cato col. 2.
98. Ex.
Et per Junonem domini jurante ministro.
in Genius col. 2.
III. 38. Ex.
Conducunt foricas, & cur non omnia?
in Forica.
67. Ex.
Rusticus ille tuus sumit trechedipna, Quirine.
in Trechedipna.
115. Ex.
--- audi facinus majoris abollæ.
in Abolla col. 2.
131. Ex.
Divitis hic servi claudit latus ingenuorum.
in Locus sinister col. 2.
136. Ex.
Et dubitas alta Chionem deducere sella.
in Lectica col. 2. Sella meretricia, & Sellarius.
188. Ex.
--- præstare tributa clientes
Cogimur, & cultis augere peculia servis.
in Salutatores.
218. Ex.
Phæcasianorum vetera ornamenta deorum.
in Phæcasium.
236. Ex.
--- rhedarum transitus arcto
Vicorum inflexu, & stantis convicia mandræ.
in Mandra.
242. Ex.
Namque facit somnum clausa lectica fenestra.
in Lectica col. 4.
IV. 15. Ex.
--- mullum sex millibus emit
Æquantem sane paribus sestertia libris.
in Mullus col. 2.
21. Ex.
Quæ vehitur clauso latis specularibus antro.
in Lectica col. 4.
122. Ex.
Et pegma, & pueros inde ad velaria raptos.
in Velaria.
V. 138. Ex.
--- inæquales beryllo
Virro tenet phialas.
in Pocula col. 2.
VI. 39. Ex.
--- cariturus turture magno,
Mullorumque jubis.
in Mullus col. 2.
50. Ex.
Pauca adeo Cereris vittas contingere digna.
in Vitta.
67. Ex.
--- quoties aulæa recondita cessant.
in Aulæum.
91. Ex.
Cujus apud molles minima est jactura.
in Cathedra & Sella muliebris.
117. Ex.
Ausa Palatino tegetem præferre cubili.
in Myrmillo & Teges.
203. Ex.
Labente officio, crudis donanda. . . .
in Officium.
246. Ex.
Endromidas Tyrias, & femineum ceroma. . . .
in Endromis col. 2.
249. Ex.
— dignissima prorsus
Florali matrona tuba.
in Tuba col. 2.
263. Ex.
Poplitibus sedeat, quam denso fascia libro.
in Myrmillo.
264. Ex.
Et ride, positis scaphium cum sumitur armis.
in Scaphium.
338. Ex.
— penem
Tam grandem, quam sunt duo Cæsaris Anticatones.
in Volumina.
446. Ex.
Cædere Sylvano porcum, quadrante lavari.
in Quadrans.
590. Ex.
Consulit ante phalas, delphinorumque columnas.
in Columna in circo & in Phalæ.
605. Ex.
— stat fortuna improba noctu.
in Fortuna.
VII. 45. Ex.
Nemo dabit Regum, quanti subsellia constent. } in Subsellium.
86. Ex.
--- cum fregit subsellia versu. } in Subsellium.
88. Em. & Ex.
Ille & militiæ multis largitus honorem
Semestris, vatum digitos circumligat auro.
in Annulus & Tribunatus col. 6.
117. Ex.
--- quo tibi lapso
Figantur virides, scalarum gloria, palmæ.
in Scalæ.
132. Ex.
Perque forum juvenes longo premit assere Medos.
in Asser & Lectica col. 3.
134. Ex.
Spondet enim Tyrio stlataria purpura filo.
in Purpura stlataria.
233. Ex.
Dum petit aut thermas, aut Paulli balnea.
in Balneum Paulli.
VIII. 8. Ex.
Fumosos equitum cum dictatore magistros.
in Atrium col. 2.
32. Ex.
--- nanum cujusdam Atlanta vocamus.
in Atlantes.

INDEX AUCTORUM.

112. Ex.

Et cum Parrhasiis tabulis, signisque Myronis
Phidiacum vivebat ebur.

in *Affectus.*

145. Ex.

Gallica Santonico vestit te bardocucullo.

in *Bardocucullus.*

201. Ex.

—— *pugnantem falce supina.*

in *Threx.*

IX. 52. Ex.

—— *strata positus, longaque cathedra.*

in *Subsellium.*

54. Ex.

Munera femineis tractas secreta Kalendis.

in *Dona uxoria col. 2.*

141. Ex.

Pignoribus positis argenti vascula puri.

in *Pocula col. 3.*

143. Ex.

—— *qui me cervice locat...*

in *Subsellia equitum.*

167. Ex.

—— *propera stomachum laxare saginis.*

in *Sagina.*

X. 27. Ex.

—— *& lato Setinum ardebit in auro.*

in *Aurum col. 5.*

38. Ex.

—— *& pictæ Sarrana ferentem*
Ex humeris aulæa togæ.

in *Purpura Tyria* & *Toga palmata col. 2.*

81. Ex.

Panem & circenses. . . .

in *Panis civilis.*

116. Ex.

Quisquis adhuc uno partam colit asse Minervam.

in *Minerval.*

351. Ex.

—— *magnaque cupidine ducti*
Conjugium petimus, partumque uxoris: at illis
Notum, qui pueri, qualisque futura sit uxor.

367. Ex.

Nos facimus fortuna deam, cœloque locamus.

in *Fortuna.*

XI. 4. Ex.

Convictus, thermæ, stationes, omne theatrum
De Rutilo.

in *Stationes.*

14. Ex.

Interea gustus elementa per omnia quærunt.

in *Gustus.*

20. Ex.

--- *sic veniunt ad miscellanea ludi.*

in *Ludi miscelli.*

34. Ex.

--- *an Curtius, & Matho bucca.*

in *Bucca.*

50. Ex.

Cedere namque foro jam non est deterius.

in *Cedere foro.*

107. Ex.

Pendentesque deos perituro ostenderet hosti.

in *Scutum col. 3.*

155. Ex.

Quales esse decet, quos ardens purpura vestit.

in *Tunica col. 3.*

173. Ex.

Et Lacedæmonium pytismate lubricat orbem.

in *Speculum.*

XII. 100. Ex.

Legitime fixis operitur tota labellis.

in *Votum.*

XIII. 25. Ex.

--- *partos gladio, vel pyxide nummos.*

in *Pyxis.*

165. Ex.

--- *& madido torquentis cornua cirri.*

in *Nodus.*

XIV. 281. Ex.

--- *& tenso folle reverti. . . .*

in *Follis col. 2.*

301. Ex.

--- *mersa rate naufragus assem*
Dum rogat.

in *Tabella.*

XVI. 13. Ex.

Bardaicus judex datur hæc punire volenti
Calceus & grandes magna ad subsellia suræ.

in *Bardaicus.*

24. Ex.

Cum duo crura habeas, offendere tot caligatos

in *Caliga col. 2.*

51. Ex.

Solis prætereca testandi militibus jus
Vivo patre datur.

in *Manumittere.*

Kipping. Antiq. Roman. III. 3. §. 2. N. quia asserit gæsa & pila eadem arma fuisse in *Gæsum.*

Kirchmann. de Funer. Roman. II. 9. N. quia fingit Dion. LXII. p. 819. C. loqui de lectica tecta, seu operta, de qua non loquitur in *Lectica col. 2.*

N. quia hariolatur spondam Orcinianam apud Mart. X. 5. 9. simpliciter esse sandapilam, sive pheretrum in *Sponda.*

de Annul. c. 3. N. quia scribit annulos fuisse, quibus clavis erat adjuncta ad duplicem usum, signandi & aperiendi in *Annulus c. 6.*

c. 21. N. quia Suetonium laudat perperam, cum Florum debuisset laudare in *Annulus col. 7.*

Lactant. I. 20. N. quia scribit Floram populum Romanum scripsisse hæredem, & non addit, suamne de ista conjecturam adduxisset, an alios sit secutus auctores in *Flora.*

N. quia scribit Cloacinam fuisse dictam, quod ejus simulacrum in cloaca esset repertum in *Venus Cloacina.*

in Stat. VI. 797. N. quia casteriam dicit esse perticam in navi, quam tenet hortator remigum. . . . in *Casteria.*

VII. 269. N. quia sarissas lanceas interpretatur in *Sarissa col. 2.*

Laert. II. §. 90. Ex. Ædiles Atheniensium Crateti succensent, *quod sindone esset amictus* in *Sindon.*

Lambin. in Horat. Od. I. 8. 6. N. quia fingit lupata dicta a lupo instrumento ferreo, unco, & tortuoso, instar dentium lupinorum in *Lupata.*

Sat. I. 6. 8. N. quia vult libertos fuisse servos manumissos, libertinos libertorum filios in *Libertini.*

II. 4. 39. N. quia comminiscitur vete-

veteres utramque manum ad epularum, & poculorum uſum adhibuiſſe in *Accumbere col.* 2.

Epiſt. I. 7. 23. N. quia lupinos vult eſſe nummos ex lupino macerato factos in *Lupinus.*

in Cicer. In Piſon. c. 27. N. quia apud illum propala legendum contendit in *Propola.*

in Plaut. Caſin. I. 36. N. quia poſtilenam explicat lorum craſſum in *Poſtilena.*

Ciſtell. I. I. 17. N. quia amiculum apud illum parvum amictum interpretatur in *Amiculum.*

Epid. II. 4. 39. N. quia regillam cum trabea eandem facit in *Regilla.*

V. I. 34. N. quia lunulam apud illum gemmam rotundam inſtar lunæ exponit in *Lunula.*

Bacch. IV. 6. 22. N. quia tranſennam vult eſſe extenſum funem in *Tranſenna.*

Moſt. III. 2. 145. N. quia Plautum intelligit de Romano in *Puls Punica.*

Mil. II. I. 15. N. quia valga ſuavia accipit pro ſuaviationibus in *Suavia valga.*

Pſeud. I. 3. 98. N. quia tintinnabulum vult vehiculum fuiſſe in *Tintinnabulum.*

Lamprid. Commod. c. 5. Em. & Ex. *In arena rudibus inter cubicularios gladiatores pugnavit* in *Gladiatores cubicularii.*

c. 16. Ex. *Quum in gladiatoris occiſi vulnus manum miſiſſet, ad caput ſibi deterſit* in *Gladiator col.* 7.

Heliogab. c. 7. Em. & Ex. *Lapidem, qui divi dicuntur, ex proprio templo Dianæ auferre voluit* in *Lapis divus.*

c. 11. Em. *Gaudere cœpit, & dicere vere Liberam* in *Feſtum vindemiale.*

c. 22. Ex *Sortes convivales ſcriptas in cochlearibus habuit tales, ut alius exhiberet decem camelos. . . .* in *Sortes convivales.*

Ex. *Ne quis ſuminatam ſuem occideret* in *Samen.*

c. 23. Ex. *Fertur in euripis vino plenis navales circenſes exhibuiſſe* in *Euripus col.* 2.

c. 25. Ex. *Stravit ſibi triclinium in ſummo luſorio. Et dum pranderet, noxios & venationes ſibi exhibuit* in *Ludus.*

c. 32. Ex. *In myrrhinis & onychinis minxit* in *Vaſa myrrhina.*

Ex. *Ipſe pandurizavit* in *Pandurium.*

Alex. Sever. c. 13. Em. & Ex. *Quod tabula Trajani, quæ geniali lecto patris imminebat, dum mater eum in templo pareret, in lectum decidit* in *Lectus adverſus col.* 2.

c. 33. Ex. *Severi tunicas aſemas ad uſum revocavit ſuum* in *Aſema* & *Tunica col.* 5.

c. 39. N. quia ſcribit *Alexandrum horrea in omnibus regionibus publica feciſſe, ad quæ conferrent bona, qui privatas cuſtodias non haberent* in *Horrea.*

c. 40. Ex. *Ita ut Alexandrina purpura hodieque dicatur, quæ vulgo Probiana dicitur, quod Aurelius Probus id genus muricis reperiſſet* in *Purpura Probiana.*

Ex. *Boni lintæamiis appetitor fuit & quidem puri* in *Tunica linea.*

Ex. *Accepit prætextam cum ſacra faceret, ſed loco pontificis maximi, non Imperatoris* in *Prætexta col.* 5.

c. 42. N. & Ex. *Exemplo veterum præſides provinciarum acciperent mulas ſenas* in *Muli col.* 2.

c. 49. Ex. *Quum Chriſtiani quendam locum, qui publicus fuerat, occupaſſent; contra popinarii dicerent, ſibi eum deberi* in *Chriſtus col.* 2. & *Taberna meritoria.*

c. 51. Ex. *Ulpianum a militum ira objectu purpuræ ſummæ defendit* in *Purpura col.* 3.

c. 63. Em. *Dati ſunt & ſodales, qui Alexandrini appellati ſunt* in *Sodales Alexandrini.*

c. 67. Ex. *Tu eos, eunuchos, eo loci habes, ut nec chlamyde uti juſſeris* in *Chlamys col.* 4.

Lanſſel. Calumn. Caſaub. in Baron. Annal. Diſpunct. c. 15. N. quia putat crucem fuiſſe ſupplicium ex conſuetudine Judæorum in *Crux. col.* 2.

de Opt. parand. opum modo p. 73. N. quia ex Plin. XII. I. novum pro umbra vectigal conatur eruere in *Vectigal.*

Laurent. Polymath. IV. ſynopſ. 5. N. quia ſcribit aram de qua Paulus Actor. c. 17. n. 23. titulo miſericordiæ fuiſſe inſignitam in *Ara col.* 10.

de Rebuſpubl. c. 7. N. quia fingit cataſtam fuiſſe compedem ligneum in *Cataſta.*

de Oſcul. c. 3. N. quia dicit crines capere eſſe blandiri; aſſentari, blande & amatorie oſculandi cauſa capillos amatoris prendere in *Crines capere.*

de Re veſt. c. I. quia negat tunicas Ennii ætate fuiſſe uſitatas in *Tunica.*

Laurus in Splendore antiquit. Urb. N. quia domum Mæcenatis cum turri unam eandemque facit in *Turris Mæcenatiana.*

Antiq. Rom. part. II. tab. 12. N. quia facie converſa delineat illos, qui rogum incendebant in *Pyra col.* 3.

Lazius Comment. Reip. Roman. II. 3: VIII. 4. N. quia comminiſcitur clavos in veſtibus fuiſſe fibulas, aut globulos aureos, & purpureos, qui ad pectus aſſuebantur in *Clavi veſtium.*

II. 13. N. quia exiſtimat aurum coronarium fuiſſe, quod ob peculiaris ſplendoris fulgorem coronis faciendis aptiſſimum fuerit in *Aurum coronarium.*

N. quia docet Romanos ex piſcinis reditum habuiſſe in *Vectigal ex lacubus.*

IV. 9. N. quia contendit campidoctorem campiductorem eſſe dicendum in *Campidoctor.*

VI. 7. N. quia fingit remulcum fuiſſe haſtam uncatam ferro, quo navis grandior e minore ſcapha attahebatur in *Remulcus col.* 2.

Rer. Græcar. II. 3. N. quia aſſerit æs Corinthium accepiſſe nomen, quod Corintho incenſa, aurum, argentum, & æs in unum confluxerint, peruſtis plurimis ſtatuis, & ſimulacris in *Æs Corinthium.*

Leges decemvirales Ex. *Ne ſumptuoſa reſperſio fiat* in *Aſperſio.*

Ex. *Ne longæ coronæ adhibentor* in *Coronæ longæ.*

Ex. *De capite civis Romani per maximum comitiatum ne ferunto* in *Capite cenſi.*

Em. & Ex. *Ut cui auro dentes vincti eſſent aſtim. . . .* in *Aſu.*

Ex. *Pœna furti manifeſti, & non manifeſti* in *Furtum.*

Ex. *Cum nexum faciet, mancipiumque, uti lingua nuncupaſſit, ita jus eſto* in *Mancipatio.*

Lembius de Occult. nat. mir. III. 4. N. quia verſoriam apud Plaut. Merc. V. 2. 34. Trin. IV. 3. 19. arbitratur fuiſſe inſtrumentum nauticum pyxidiculæ magnetis haud abſimile in *Pyxis nautica.*

Leonic. de Var. hiſt. I. 24. N. quia negat veteres ex apio ſerta nexuiſſe in *Apium.*

Liber de Circo N. quia metam Murciam in circo ultimam facit in *Meta Murcia.*

Licet. de Recond. Antiq. lucern. IV. 37. N. quia fingit ignem perpetuum in templo Veſtæ in lampade aliqua fuiſſe ſuſpenſum: & præter hunc lucernæ flammulam ſemper ardentem abſque fomitis novi appoſitione Veſtales cuſtodiviſſe in *Ignis Veſtæ perpetuus col.* 2.

Lipen. de Stren. c. 2. ſec. æt. §. 11. N. quia Apollo

ſandaliarius illi videtur dictus, quod ſandaliis indutus eſſet in *Apollo ſandaliarius.*

Lipſ. de Milit. Roman. I. 5. N. quia fingit ab ipſis Reipublicæ temporibus duplex equitum genus fuiſſe, alios equo publico, alios ſine eo in *Equites col. 9.*

IV. 5. N. quia Claud: Nupt. Honor. & Mar. n. 187. perperam interpretatur in *Signum militare.*

N. quia νεὼν Dion. XL. p. 128. D. vult fuiſſe ſacellum, ſive ædiculam, in qua aquila fuerit repoſita in *Aquila ſignum militare col. 2.*

V. 3. N. quia quæſtorium vult ad prætorium & forum adſitum fuiſſe in *Quæſtorium.*

8. & 18. N. quia docet, delictum non fuiſſe capitale, ſi abſque metu, ob aliam cauſam ſtationem quis deſeruiſſet in *Stationes in militia.*

12. N. quia Polybium, & deinde Joſephum explicans de ſignis dandis ſibi ipſi contradicit in *Signum profectionis.*

16. N. quia Plauti pultiphagum Moſt. III. 2. 143. Pœn. prol. n. 53. intelligit de Romano in *Puls Punica.*

Tacit. Annal. I. n. 214. N. quia docet in ſcrobe ſtatutos, queis cervix præcidenda in *Scrobs col. 2.*

II. Exc. B. N. quia fingit annulos fuiſſe, quibus clavis erat adjuncta ad duplicem uſum, ſignandi & aperiendi in *Annulus col. 6.*

Exc. I. N. quia bombycina & ſerica facit diſtincta genera veſtium in *Bombycina.*

IV. n. 43. N. quia de funere triumphali nihil ſe legiſſe teſtatur, vel idem cum cenſorio facit in *Funus triumphale.*

n. 167. N. quia agnomen adeo male accipit, ut, quid eo ſibi velit, ne ipſe quidem noverit in *Agnomen.*

VI. II. 5. N. quia arbitratur funus publicum & indictivum idem fuiſſe in *Funus publicum.*

XI. 18. 5. Ex. *Stationes, vigiliæ, diurna, nocturnaque munia* in *Stationes col. 1. & 2.*

33. 3. N. quia Tacitum minus recte interpretatur in *Sella col. 3.*

XII. Exc. B. N. quia dicit procuratores Cæſaris differre a rationalibus, quia etiam Rempublicam, ſed rationales ſolam rem privatam tractabant in *Procurator Cæſares.*

XV. 14. 3. N. quia Æmiliana in campo ponit Martio in *Vicus Æmilianus.*

Hiſt. I. 27. 3. N. quia milliarium in foro Romano vult vocatum fuiſſe, quod ab eo numerus milliariorum, quibus itinera metiebantur, inceperit in *Milliarium col. 2.*

German. n. 90. N. quia Germanos fingit crinem non in rectum paſſos eſſe deſcendere, ſed reduxiſſe in poſteriorem verticem, & obliquaſſe in *Nodus.*

Poliorcet. III. I. N. quia quod ad compoſitum arietem attinet, non ſatis rem exprimit in *Aries col. 3.*

Ant. Lect. I. 10. Epiſt. Quæſt. V. 8. N. quia contendit, Aulum Gellium eſſe Agellium dicendum in *Aulus Gellius.*

III. p. 144. N. quia biclinium cum ſigmate confundit in *Sigma.*

Elect. I. 2. de Milit. Roman. V. 16. N. quia duos obolos Polybianos dicit fuiſſe tres aſſes: quia Polyb. VI. 37. & Plaut. Moſt. II. 10. putat de eodem ſtipendio locutos eſſe in *Stipendium col. 2.*

8. N. quia panis civilis populo dividendi originem repetit a Trajano in *Panis civilis.*

N. quia in Epiſtola Cœlii ad Cicer. Fam. VIII. 6. contendit legem vineariam eſſe ſcribendum in *Lex viaria col. 2.*

13. N. quia docet omnes tunicas fuiſſe albas: & Romæ communem veſtem ſervorum in *Tunica col. 2.*

19. N. quia putat, lecticas temporibus Gracchanis Romam perveniſſe: & aſſeres vinculis & funibus ad illam religari ſolitos in *Lectica col. 2. & 3.*

II. 2. N. quia aſſerit locum dextrum ſemper honeſtiorem eſſe habitum in *Locus ſiniſter.*

6. N. quia ſcribit oſcula jacere fuiſſe dictos adorantes, qui eminus ſtantes manum porrigebant, eamque ſtatim ad os ſuum retuliſſe & ſuaviatos eſſe in *Oſculum col. 2.*

8. N. quia equitibus Romanis, cum militarent, adimit jus aureorum annulorum in *Annulus col. 4.*

17. N. quia docet conſules illo magiſtratu more fuiſſe coactos ludos dare in *Ludus col. 3.*

de Magiſtrat. c. 12. N. quia negat magiſtratus curules a curru eſſe dictos in *Magiſtratus curules, & Sella curulis.*

de Magnit. Roman. III. 5. N. quia centum gradus ad Monetæ cum gradibus Jovis Capitolini videtur confudiſſe in *Gradus Capitolini.*

de Cruce II. 7. N. quia fingit cruciarium interdum in crucem jacentem fuiſſe datum in *Cruciarius col. 2.*

Not. de Cruce II. 8. N. quia docet opus fuiſſe ſcalis, quibus in crucem ſaliret cruciarius in *Staticulum.*

de Amphith. c. 14. N. quia popularia apud Ulpian. l. I. §. 12. ff. de Offic. præf. Urb. vult ſignificare populi conſeſſum theatralem in *Popularia.*

Saturn. I. 2. N. quia affirmat ſyntheſin fuiſſe tantum ditiorum, & lautiorum, non plebejorum in *Syntheſis.*

II. 12. & in Senec. Epiſt. 29. N. quia docet eſſedarios ſolitos etiam pedites pugnare, de curru ſubito delapſos in *Eſſedarius col. 2.*

in Senec. Epiſt. 56. N. quia pilas crepare explicat ſonitum edere, cum datatim luditur, & decidunt in *Pilicrepus.*

de Pronunt. Ling. Lat. c. 14. N. quia pro *T* apud Iſidor. I. 13. literam *V* reponendam contendit in *T.*

Livius I. 13. N. quia ſcribit Romulum raptarum Sabinarum nomina curiis impoſuiſſe in *Curiæ col. 2.*

N. quia fingit Lucerum nominis, & originis cauſam incertam eſſe in *Luceres.*

36 Ex. *Tarquinius equitem ſuis deeſſe viribus ratus, ad Ramnes, Titienſes, Luceres, quas centurias Romulus ſcripſerat, addere alias conſtituit* in *Equites col. 6. & 7.*

42. Ex. *Tullius poſt victos Etruſcos cenſum inſtituit* in *Luſtrum col. 4.*

43. Em. *Ut machinas in bello ferrent* in *Machina col. 2.*

48. Ex. *Frenos inhibere* in *Frena col. 2.*

II. 7. Ex. *Summiſſa ſibi eſſe imperii ſigna* in *Faſces col. 2.*

Em. *Delata confeſtim materia omnis infra Veliam, & ubi nunc vicus publicus eſt* in *Vicus publicus.*

23. Em. & Ex. *Nexi vincti ſolutique, ſe undique in publicum proripiunt* in *Nexus col. 2.*

45. Ex. *Nunc armatis ſibi quiſque lingua promptum hoſtem offerri* in *Scutum col. 3.*

III. 54. Ex. *Ut Q. Furius pontifex maximus tribunos plebis crearet* in *Comitia calata col. 2.*

55. Ex. *Qui tribunis plebis, ædilibus, & judicibus nocuiſſet.* } in *Conſul col. 2.*

N. *Quod his temporibus nondum conſulem judicem, ſed prætorem appellari mos fuerit.* } in *Conſul col. 2.*

72. Ex. *Ne peſſimum facinus pejore exemplo admitterent, in ſuam rem litem vertendo* in *Lis col. 2.*

IV. 54. Ex. *Salii, flamineſque nuſquam alio, quam ad ſacrificandum pro populo ſine imperiis ac poteſtatibus relinquantur* in *Pontifex maximus col. 4.*

VI. I. Ex. *Poſt diem tertium objectus hoſti exercitus Romanus eſſet* in *Roma col. 10.*

VII.

VII. 10. Ex. *Hispano cingitur gladio, ad propiorem habili pugnam* in *Gladius Hispanicus.*
19. Ex. *Sorte ipsa obruebantur inopes, nexumque inibant* in *Nexus col. 2.*
29. Ex. *Locus in arce destinatus: qui area ædium M. Manlii fuerat* in *Arx Romana.*
VIII. 8. Ex. *Clypeis antea Romani usi sunt* in *Clypeus.*
N. quia prodidit: *triarios sub vexillis consedisse* in *Subsidium.*
Em. *Prima acies hastati erant, manipuli quindecim.*
Em. *Hoc triginta manipulorum agmen antepilanos appellabant.*
Em. *Quia sub signis jam alii quindecim ordines locabantur.*
} in *Acies col. 2.*
Ex. *Postremo in plures ordines instruebantur* in *Ordo militiæ.*
9. Ex. *Triarii genu dextero innixi. . . . exspectabant* in *Triarii.*
14. Ex. *Rostra id templum appellatum* in *Rostra.*
22. Ex. *Æmilius, cujus tum fasces erant . . . . .* in *Fasces col. 2.*
28. Ex. *L. Papirius is fuit, cui cum se C. Publilius in nexum dedisset* in *Nexus col. 3.*
Em. *Ne quis noxam meruisset, in compedibus teneretur* in *Lex Papiria Pœtilia.*
IX. 40. Ex. *Militibus argentatis. . . .* in *Sella col. 2.*
46. Ex. *Omnem forensem turbam excretam in quatuor tribus conjecit* in *Plebs urbana col. 2.*
X. 23. Ex. *Virginiam matronæ, quod e patribus enupsisset, sacris arcuerant* in *Enubere.*
XXI. 62. Em. & Ex. *Sortes Caere extenuatas.*
XXII. 1. Em. & Ex. *Faleriis sua sponte attenuatæ.*
} in *Sortes col. 2.*
36. Ex. *In via fornicata, quæ ad campos erat* in *Via fornicata.*
XXIII. 11. Em. *Republica bene gesta, servataque lucris meritis donum mittere* in *Lucar.*
XXIV. 10. Em. & Ex. *Tacta de cœlo ædes in campo Vulcani* in *Templum Vulcani.*
49. N. *Quod mercenarium militem in castris neminem ante, quam tum Celtiberos, Romani habuerunt* in *Milites mercenarii.*
XXV. 5. Ex. *Comitia inde pontifici maximo creando sunt habita. . . .* in *Comitia calata col. 2.*
XXVI. 27. Ex. *Et conditum in penetrali fatale imperii pignus* in *Vestales col. 4.*
XXVIII. 29. Ex. *Citati milites nominatim in verba P. Scipionis jurant* in *Sacramentum militare.*
36. Ex. *Trahuntque scalas, orasque* in *Ora.*
XXVIII. 38. Ex. *Argenti in ærarium tulit quatuordecim millia pondo* in *Manubiæ triumphales.*
XXIX. 14. Em. *Pertulere deam pridie Idus Aprilis* in *Ludi Megalenses col. 2.*
XXX. 45. Ex. *Intulit in ærarium argenti pondo centum millia triginta tria* in *Manubiæ triumphales.*
XXXII. 30. Em. *Consul principio pugnæ vovit ædem Sospitæ Junoni* in *Templum Junonis Sospitæ.*
XXXIV. 16. Ex. *Quod alieno auspicio pugnasset* in *Triumphantes.*
53. N. *Ædes eo anno aliquot dedicatæ sunt: una Junonis Sospitæ in foro olitorio* in *Templum Junonis Sospitæ.*
XXXV. 10. Ex. *Ædiles alteram porticum ad portam fontinalem ad Martis aram, qua in campos iter esset, perduxerunt* in *Porta fontinalis col. 2.*
XXXVI. 45. Ex. *Ante ostium portus acie instructa steterunt.*
XXXVII. 11. Ex. *Si viam facere per fauces portus posset.*
} in *Ostia col. 4.*
23. Ex. *Servantes ordinem in frontem dirigere jubet.*
Ex. *In frontem directas habebant naves.*
Ex. *Cæteri, quia in frontem dirigere jussi erant, non sequebantur.*
} in *Frons navis.*
XXXVIII. 29. Ex. *Centum funditores ab Ægio & Patris & Dymis acciti* in *Fundæ Achaicæ.*
36. Ex. *Supplicatio in triduum pro collegio decemvirorum imperata fuit* in *Comitia calata col. 2.*
XXXIX. 19. Ex. *SCtum factum est, ut Feceniæ Hispalæ datio, deminutio, gentis enuptio, tutoris optio item esset, quasi ei vir testamento dedisset* in *Dare.*
XL. 43. N. & Em. *Eo anno rogatio primum lata est ab L. Julio* in *Lex Villia annalis.*
51. Ex. *Censores mutarunt suffragia: regionatimque generibus hominum, causisque, & quæstibus tribus descripserunt* in *Opifices.*
27. Em. *Extraordinaria porta jussit erumpere....* in *Porta castrorum.*
29. N. *In altera Numam Pompilium Pomponis filium sepultum esse. . . .* in *Sepulcrum Numæ.*
XLI. 2. Ex. *Prætorio dejecto. . . . ad quæstorium forum, quintanamque hostes pervenerunt* in *Prætorium col. 2.*
15. Em. *Bovis sescenaris jecur defluxisse* in *Bos sescenar col. 2.*
27. Ex. *Vias extra urbem glarea substruendas marginandasque locavisse* in *Margines.*
XLIV. 31. Ex. *In custodiam C. Cassio traditus, vix gladiatorio accepto decem talentis ab Rege Rex, ut in eam fortunam recideret* in *Gladiatorium.*
34. Ex. *Alii galeas buccilasque tergere* in *Buccula.*
Epit. XVI. Em. *D. Junius Brutus munus gladiatorium in defuncti patris memoriam edidit primus* in *Gladiator col. 2.*
XLVII. Em. *Sacrorumque magistratuum jus potentius fuit* in *Pontif. maximus col. 6.*
Lomej. de Biblioth. c. 6. N. quia fingit libros elephantinos a magnitudine dictos in *Libri elephantini.*
c. 14. N. quia docet Romæ collegium poetarum fuisse in *Collegium poetarum.*
Lucan. I. 382. Ex.
Castra super Thusci si ponere Tibridos undas
Hesperios audax veniam metator in agros.
in *Metatores.*
426. Ex.
Et docilis rector constrati Belga covini.
in *Covinus.*
550. Ex.
—— *& ostendens confectas flamma Latinas.*
in *Conficere.*
II. 18. Ex.
--- *latuit plebejo tectus amictu*
Omnis honos.
in *Honor.*
355. Ex.
Infulaque in geminos discurrit candida postes.
in *Fores col. 3.*
362. Em. & Ex.
Balteus haud fluxos gemmis adstrinxit amictus,
Colla monile decens; humerisque hærentia primis
Suppara nudatos cingunt angusta lacertos.
in *Supparum*
III. 455. Ex.
--- *stellatis axibus agger*
Erigitur.
in *Agger.*
525. Ex.
--- *paribusque lacertis*

Cæsaris hinc puppes, hinc Grajo remige classis.
in *Insurgere remis.*
IV. 617. Ex.
Conseruere manus, & multo brachia nexu... } in *Nexus col. 2.*
632. Ex.
Herculeosque novo laxavit corpore nodos. }
671. Ex.
Cardine ab occiduo vicinus Gadibus Atlas
Terminat. } in *Cardines mundi.*
V. 71. Ex.
Hesperio tantum, quantum semotus Eoo
Cardine. }
316. Ex.
--- fletu aggere fultus
Cespitis intrepido vultu.
in *Tribunal castrense.*
402. Ex.
Vidit flammifera confectas nocte Latinas.
in *Conficere.*
VI. 36. Ex.
Exstruitur, quod non aries impellere sævus....
in *Opera militum.*
672. Ex.
Viscera non lyncis, non diræ nodus hyenæ.
in *Nodus magicus.*
289. Ex.
Densius ut parva disponeret arma corona.
in *Gromatici.*
VII. 458. Em. & Ex.
Fulminibus manes, radiis ornabit, & hastis.
in *Hasta sacra.*
VIII. 202. Ex.
Dexteriore rota lævum cum circuit orbem.
in *Dextratio.*
861.
--- angustius arit
Victoris Libyco pulsatur ab æquore saxum.
in *Saxa.*
IX. 994. Ex.
--- in abstruso pignus memorabile templo.
in *Vestales col. 4.*
X. 129. Ex.
Pars auro plumata nitet...
in *Plumæ col. 2.*
in Pison. n. 30. Ex.
Hinc quoque servati contingit gloria civis,
Altaque victrices intexunt limina palmæ.
in *Corona quercica col. 2.*
n. 182. Ex.
--- pilam geminare volantem.
in *Expulsim.*
n. 171. Ex.
--- hic ad majora movetur,
Ut citus, & fracta prorumpat in agmina mandra.
in *Mandræ col. 2.*
Lucas Euang. c. 1. n. 11. Ex. *Apparuit illi Angelus Domini stans a dextris altaris incensi* in *Arca federis.*
c. 2. n. 1. Ex. *Exiit edictum a Cæsare Augusto, ut describeretur universus orbis* in *Census col. 3.*
n. 13. Ex. Πλῆθος στρατιᾶς οὐρανίου in *Militia pro exercitu.*
c. 3. n. 1. Ex. *Herodes tetrarcha Galilææ* in *Tetrarches.*
n. 4. Ex. *Vox clamantis in deserto: parate viam Jehovæ, complanate semitas ejus* in Λεωφόρος.
c. 10. n. 4. Ex. *Ne portaveritis calceamenta* in *Sandalium.*
c. 12. n. 59. Ex. *Non exibis illinc usque quo ultimum minutum reddideris* in *Lepta.*
c. 15. n. 2. Ex. *Quare cum peccatoribus & publicanis manducat magister vester* in *Teloneum.*
c. 16. n. 19. Ex. *Dives induebatur purpura & bysso* in *Byssus.*
c. 17. n. 35. Ex. *Duæ erunt simul molentes* in *Pistrinum.*
c. 18. n. 5. Ex. *Vindicabo illam, ne in novissimo veniens suggillet me* in *Suggillare.*
c. 22. n. 55. Ex. *Quum accendissent ignem in medio aulæ...* in *Atrium col. 2.*
c. 23. n. 11. Ex. *Herodes amictum veste splendida remisit ad Pilatum* in *Color albus.*
n. 29. Ex. *Exclamavit universa turba dicens: tolle hunc* in *Tolle.*
n. 34. Ex. *Partientes vero vestimenta ejus, jecerunt sortem* in *Vestis.*
c. 24. n. 13. Ex. *Duo ex illis ibant ipsa die in castellum, quod erat in spatio stadiorum sexaginta* in *Schœnos.*
Actor. c. 5. n. 37. Ex. *Post hunc exstitit Judas Galilæus in diebus professionis* in *Judæa.*
c. 10. n. 6. Ex. *Perfugerunt in civitates Lycaoniæ* in *Lycaonia.*
c. 17. n. 23. Ex. *Inveni aram, in qua scriptum erat: Ignoto deo* in *Ara.*
c. 19. n. 24. Ex. *Qui faciebat templa argentea Dianæ* in *Aquila signum legionis.*
n. 31. Ex. *Quidam ex Asiarchis* in *Asiarchæ.*
c. 20. n. 11. Ex. *Cæsarem appello* in *Appellari.*
c. 22. n. 25. Ex. *Paullus homo Romanus* in *Civis col. 3.*
c. 27. n. 17. Ex. *Scapha subducta* in *Scapha.*
n. 34. Ex. *Nullius enim vestrum capillus ex capite cadet* in *Barba* §. 11.
n. 40. Ex. *Suspenderunt artemonem ad ventum* in *Artemon.*
n. 70. Ex. *Neque autem sole, neque sideribus apparentibus per plures dies....* in *Sol col. 2.*
c. 28. n. 16. Ex. *Centurio tradidit vinctos præfecto exercituum* in *Prætorium.*
Lucill. Sat. 1. Em. & Ex.
Irritata canis quod homo quam plurima dicat.
in *R.*
III. Em. & Ex.
Porro homines nequam, malus ut quartarius cippos
Colligere omnes.
in *Quartarius.*
VIII. Ex.
Testam sumit homo Samiam.
in *Samiarii.*
XII. Ex.
Hunc juga mulorum protelo ducere centum
Non possunt.
in *Protelum.*
XXII. Em. & Ex.
Servus neque infidus domino, neque inutilis cuiquam
Lucilli columella hic situs est Metophanes.
in *Columellæ.*
XXX. Ex.
Lana, opus omne perit: squalor, tineæ omnia cadunt.
in *Cædere.*
Lucret. I. 231. Ex.
Unde mare ingenui fontes,...
in *Rivus.*
883. Ex.

Cum lapidi lapidem terimus manare cruorem.
in *Mola col. 2.*
II. 871. Ex.
--- *putrorem cum sibi nacta est Intempestivis ex imbribus humida tellus.* | in *Convivium tempestivum col. 2.*
927.
--- *vermesque effervere, terram Intempestivis cum putror cepit ob imbrem.*
V. 517. Ex.
Ut fluvios versare rotas, atque haustra videmus.
in *Haustra & Rota aquaria.*
1197. Ex.
Nec pietas ulla est velatum sæpe videri...
Nec procumbere humi prostratum.
in *Precantium.*
VI. 1099. Ex.
--- *ubi putrorem humida nacta est*
Intempestivis pluviis, & solibus icta.
in *Convivium tempestivum.*
Luisin. Parerg. I. 20. N. quia Tibull. I. 3. 89. minus recte explicat in *Maritus.*
Lyd. Agon. facr. p. 10. N. quia pancratiasten dicit fuisse, qui quinque certandi generibus... omnes vicit in *Pancratiastes.*
c. 21. N. quia confectorem vult fuisse, qui spectaculo meridiano operam locabat, & luxuriæ cædem parabat in *Confici.*
Serm. Conviv. I. 40. N. quia Tibull. I. 9. 5. minus recte interpretatur in *Nodus magicus col. 2.*
Lyran. in Act. Apostol. c. 19. n. 23. N. quia putat altare hoc intitulatum ignoto deo, & determinatum, quod non fierent oblationes, & sacrificia, nisi de gemitibus, lacrymis, & precibus miserorum, ibidem misericordiam petentium in *Ara ignoti dei.*
Macer de Verb. signif. §. 154. Ex. *Mille passus a continentibus ædificiis numerandi sunt* in *Milliarium col. 2.*
Macrob. Sat. I. 6. Ex. *Quo ordine secreta sacrorum in arca pilenti composita vidisset* in *Pilentum col. 2.*
Ex. *Nonnulli credunt ingenuis pueris attributum, ut cordis figuram in bulla ante pectus annecterent...* in *Bulla col. 2.*
16. Ex. *Ea re candidatis usus fuit in comitium nundinis venire, & in colle consistere* in *Mons citatorius.*
II. 3. Ex. *Laberius in fine ludorum aureo honoratus a Cæsare* in *Honor munus.*
Em. *Cæsar ita toga præcingebatur* in *Toga col. 5.*
12. Ex. *Altera die Cleopatra pollucibilem sane cœnam paravit* in *Polluctum.*
VII. 13. N. quia fingit in sinistræ manus digito, qui minimo est proximus, nervum quendam tenuissimum ad cor hominis pergere, & ideo digitum illum annuli honore decorandum in *Annulus col. 9.*
Maldonatus N. quia existimat architriclini officium describi Ecclesiastic. c. 32. n. 1. in *Architriclinus.*
Manil. IV. 227. Ex.
Sunt quibus & simulacra placent, & ludus in armis.
in *Simulacrum belli.*
V. 147. Ex.
--- *tortos in fluctum ponere crines,*
in *Gradus capillorum.*
151. Ex.
---. *sterilesque optare lacertos.*
in *Glabrator.*
336. Ex.
Defueritque bonis sector, prædamque lucretur Noxius, & patriam fraudarit debitor arci.
Cognitor est urbis.
in *Cognitor col. 2.*
Manut. de Civit. Roman. Thes. Antiq. Roman. Græv. Tom. I. p. 3. B. N. ubi contendit fuisse patricios non quidem plebejos, sed de plebe, qui nec senatores fuerint, nec equites in *Patricii.*
p. 4. F. N. ubi docet, nobiles omnes simul sive patricii, sive plebeji generis, modo senatorii essent ordinis, fuisse appellatos in *Senatus col. 9.*
p. 18. E. N. ubi in tribum rusticam conssert ingenuos, qui rura possidebant in *Tribus col. 5.*
p. 37. B. ubi fingit duos census: unum civium Romanorum, alterum municipum in *Census col. 2.*
de Legib. c. 6. N. ubi negat ætatem, qua quis quæsturam, tribunatum, & ædilitatem plebis peteret, Villii legibus annalibus non fuisse definitam in *Ætas quæstoria.*
c. 16. N. ubi dicit cremandi consuetudinem usque ad Antoninorum tempora durasse in *Cadaver c. 9.*
c. 27. N. ubi docet prætorem consilium judicum coegisse, & judicem quæstionis, sive quæsitorem fuisse vocatum in *Prætores.*
de Senat. c. 10. N. quia fingit senatum non sine populo victis bello gentibus vectigalia imposuisse in *Vectigal.*
Quæst. Epist. III. I. N. quia comminiscitur togam fuisse a summo ad imum, nulla scissura, nullis manicis in *Toga col. 3.*
N. quia putat prætextam fuisse senatorum propriam in *Prætexta col. 3.*
N. quia affirmat Ennii ætate, sive inter secundum & tertium bellum Punicum tunicas fuisse ignotas in *Tunica.*
in Cicer. Fam. VII. 10. N. quia docet caminum apud veteres non habuisse exitum, unde fumus evaporare posset in *Caminus col. 2.*
Marcell. l. 41. ff. de Rit. nupt. Em. *Stuprum ... etiam de his mulieribus...* in *Stuprum.*
Marcian. leg. 65. ff. de legat. III. Ex. *Quæ ... menses apud magistrum fuerant legato non cedere* in *Ornatrix.*
leg. 3. §. pen. ad l. Cornel. de sicar. Ex. *Hodie homicidæ humiliores bestiis subjiciuntur* in *Humiliores.*
Marcil. in Pers. Sat. I. procem. n. 2. & 29 N. quia templum Apollinis cum Athenæo confundit in *Ædes Apollinis.*
in Leg. XII. tab. c. 18. N. quia Plauti pultiphagum Most. III. 2. 143. Pæn. prol. II. 53. intelligit de Romano in *Puls Punica.*
Marcus c. I. n. 7. Ex. *Cujus non sum dignus, qui incurvatus solvam corrigiam solcarum* in *Solea col. 4.*
c. 2. n. 21. Ex *Nemo panniculum impexum assuit vestimento veteri* in *Acus sarcinatorum.*
c. 3. n. 7. & 18. *Jesus cum discipulis suis secessit ad mare, & advocavit Matthæum...* in *Telonium.*
c. 6. n. 9. Ex. *Ut calcearentur sandaliis* in *Sandalium.*
n. 27. Ex. *Illico misit Rex speculatorem* in *Speculator.*
c. 12. n. 42. Ex. *Quædam vidua pauper misit duo minuta areola* in Λέπτα.
c. 14. n. 66. Ex. *Et cum Petrus esset in atrio inferius* in *Atrium col. 2.*
c. 15. n. 16. Ex. *Milites abduxerunt eum intra aulam, id est, prætorium* in *Prætorium præsidum.*
n. 17. Ex. *Et induerunt eum purpura* in *Chlamys D. Jesu.*
n. 24. Ex. *Quum crucifixissent eum, partiti sunt vestimenta ejus* in *Vestis col. 4.*
Marisotus N. quia vult capedinem esse εὐρύχωρον, latifundium, amplum, & spatiosum locum in *Capedo.*
Marlian. Topogr. Urb. Rom. I. 3. N. quia portam Saturniam collocat in Velabro in *Porta Saturnia.*

******

INDEX AUCTORUM.

I. 8. N. quia Liv. xxxv. 10. intelligit de campis Vaticanis in *Porta flumentalis col.* 2.

II. 3. N. quia statuit clivum, per quem in Capitolium fuit ascensus, fuisse illum aditum, quo e campo Vaccino & arcu Severi ascenditur in Capitolium in *Clivus Capitolinus col.* 2.

12. N. quia existimat Lupercal situm fuisse prope templum Quirini, ubi nunc ædes D. Theodori in *Lupercal col.* 2.

17. N. quia negat Lupercal cum ficu Ruminali eodem loco fuisse positum in *Cermalum.*

III. 2. N. quia milliarium in capite fori Romani vult dictum esse, quod ab eo numerus milliariorum, quibus itinera metiebantur, inceperit in *Milliarium col.* 2.

4. N. quia templum Cæsaris dictatoris ponit post ædem Faustinæ in *Templum.*

5. N. quia docet Cloacinam fuisse dictam, quia ejus simulacrum in cloaca fuerat repertum in *Venus Cloacina.*

10. N. quia opinatur busta Gallica ad ima montis e regione hortorum Piorum, ubi ædicula S. Andreæ in Portugallo est, fuisse sita in *Busta Gallica.*

15. N. quia scribit Myjagron deum fuisse congregatorem muscarum in *Myiagros.*

IV. 3. N. quia dicit armilustrum & circum maximum eundem esse in *Armilustrum.*

N. quia dicit Aventinum a Remo Romuli fratre Remurium fuisse dictum in *Remurius.*

4. N. quia docet aram maximam, & aram Jovis inventoris utramque unam esse in *Ara Jovis.*

N. quia statuit templum Dianæ Aventinæ situm fuisse ubi nunc S. Sabinæ in *Templum Dianæ.*

8. N. quia tradit templum Dianæ in Cœliolo cessisse D. Johanni cognomento ante portam Latinam in *Templum Dianæ.*

9. N. quia curiam Hostiliam alteram collocat, ubi postea templum Pacis fuit: alteram, ubi nunc Paulli & Johannis est ædes in *Curia Hostilia.*

13. N. quia templum Quietis dicit fuisse in via Labicana, ubi nunc S. Petri & Marcellini est ædes in *Templum.*

19. N. quia hortos Mæcenatianos removet ad thermas Diocletianas in *Horti.*

V. 10. N. quia templum Fortunæ equestris collocat ad theatrum Pompeji in *Templum.*

21. N. quia statuit Mariam & Hermantiam, Honorio unam post alteram sociatas ex hac luce virgines migravisse in *Honorius.*

Martial. de Spectac. I. 7. Ex.

Omnis Cæsareo cedat labor amphitheatro.

in *Amphitheatrum Vespasiani col.* 1. & 2.

II. 3. Ex.

Invidiosa feri radiabant atria Regis.

in *Amphitheatrum Neronis.*

5. Ex.

Hic ubi conspicui venerabilis amphitheatri
Erigitur moles.

in *Amphitheatrum Vespasiani.*

XII. 1. Ex.

Inter Cæsareæ discrimina sæva Dianæ.

in *Amphitheatrum col.* 3.

XXIX. 5. Ex.

Lex erat, ad digitum posita concurrere palma.

in *Ad digitum pugnare.*

Epigramm. I. 2. 8. Ex.

Limina post Pacis, Palladiumque forum.

in *Forum Nervæ col.* 2.

13. 1. Ex.

Itur ad Herculei gelidas qua Tiburis arces.

in *Hercules Saxanus col.* 2.

13. 7. Ex.

Gestatus bijugis Regulus esset equis.

in *Sella col.* 3.

38. Ex.

Ventris onus misero, nec te pudet, excipis auro.

in *Scaphium.*

42. 3. Ex.

Hoc quod Transtiberinus ambulator,
Qui pallentia sulphurata fractis...

in *Judæi.*

50. 17. Em.

Avidam rigens Dircenna placabit sitim.

in *Vinum recentatum.*

54. 5. Ex.

Sic interposito vilis contaminat unco
Urbica Lingonicus Tyrianthica bardocucullus.

in *Bardocucullus col.* 1. & 2.

93. 7. Ex.

Cerea si pendet lumbis & trita lacerna;
Dimidiasque nates Gallica palla tegit.

in *Bardocucullus col.* 2.

97. 9. Ex.

— galbanos habet mores.

in *Galbani mores.*

109. 3. Ex.

At mea Vipsanas spectant cœnacula lauros.

in *Laurus Vipsana.*

118. 10. Ex.

Contra Cæsaris est forum taberna
Scriptis postibus hinc & inde totis....

in *Argiletum, & Nomina librorum.*

15. Ex.

De primo dabit, alterove nido.

in *Nomina librorum.*

II. 6. 15. Ex.

Et cum currere debeas Bovillas,
Interjungere quæris ad Camœnas.

in *Interjungere.*

29. 7. Ex.

Non extrema sedet lunata lingula planta.

in *Corrigia.*

40. 5. Em. & Ex.

Cæcuba siccentur, quæque annus coxit Opimi.

in *Saccare, & vinum.*

43. 9. Ex.

Tu Libycos Indis suspendis dentibus orbes.

in *Orbis pro mensa.*

66. 1. Ex.

Unus de toto peccaverat orbe comarum
Annulus.

in *Annulus.*

101. 4.

INDEX AUCTORUM.

102. 4. Ex.

Quarta tribus lustris addita messis erat.

in *Lustrum col. 2.*

III. 29. 2. Ex.

Saturne tibi Zoilus annulos priores.

in *Annulus.*

47. 15. Ex.

Urbem petebat Bassus: imo rus ibat.

in *Urbs.*

58. 2. Ex.

Non otiosis ordinata myrtetis,
Viduaque platano.

in *Platanon.*

82. 2. Ex.

Summœnianis cœnet inter uxores.

in *Meretrices col. 3.*

20. Ex.

Partitur apri glandulas palæstritæ.

in *Palæstra col. 2.*

91. 9. Ex.

Excidumque senem, sponda qui parte jacebat,
Namque puer pluteo vindice tutus erat.

in *Locus sinister col. 4.*

IV. 18. 1. Ex.

Qua vicina fluit Vipsania porta columnis,
Et madet assiduo lubricus imbre lapis.

in *Porticus Vipsania.*

19. 7. Ex.

Plurima seu laxi partiris pondera follis.

in *Follis.*

46. 14. Ex.

Et crasso figuli polita cœlo
Septenaria synthesis Sagunti.

in *Synthesis col. 2.*

53. 1. Ex.

Hunc quem sæpe vides inter penetralia nostræ
Pallados, & templi limina, Cosme, novi.

in *Odeum.*

64. 16. Ex.

Et, quod virgineo cruore gaudet,
Annæ pomiferum nemus Perennæ.

in *Anna Perenna.*

90. 5. Ex.

Hinc oleo corpusque frico, mollique palæstra.

in *Palæstra col. 2.*

V. 12. 1. Ex.

Quod nutantia fronte perticata
Gestas pondera Maschlion superbus.

in *Pertica.*

11. Ex.

Hermes belligera superbus hasta. . . .

in *Andabatæ.*

14. 8. Ex.

Et hinc miser dejectus in viam transit. . . .

in *Linea alba col. 3.*

35. 8. Ex.

Nunquam, Fabulle, nequior fuit clavis. . . .

in *Clavis col. 2.*

36. 3. Ex.

Impletura fuit sextæ modo frigora brumæ
Vixisset totidem ni minus illa dies.

in *Inscriptio col. 2.*

51. 12. Ex.

Vites, censeo, porticum Philippi.

in *Porticus Philippi.*

VII. 34. 3. Ex.

Sed meus, ut de me taceam, Lecania, servus
Judæum nulla sub cute pondus habet.

in *Fibula gymnastica col. 2.*

36. 1. Ex.

Nosti mortiferum prætoris, Castrice, signum,
Est operæ pretium discere theta novum.

in *Theta.*

65. 1. Ex.

Hæredem Fabius Labienum ex asse reliquit.

in *As col. 2.*

81. 5. Ex.

Dum ludit media populo spectante palæstra,
Delapsa est misero fibula, verpus erat.

in *Fibula gymnastica col. 2.*

85. 5. Ex.

Nec levis toga.

in *Toga rasa.*

92. 7. Ex.

Sed jam parce mihi, nec abutere Narnia Quincto,
Perpetuo liceat sic tibi ponte frui.

in *Pons Narniensis.*

VIII. Præfat. Ex. *Meminerit non nisi religiosa purificatione lustratus accedere ad templa debere* in *Domus Principum.*

3. 13. Ex.

An juvat ad tragicos soccum transferre cothurnos?

in *Soccus col. 2.*

8. 5. Ex.

Purpura te felix, te colit omnis honos.

in *Purpura.*

28. 14. Ex.

Cedet Erythræis eruta gemma vadis.

in *Margarita.*

44. 14. Ex.

Farctus papyro dum tibi torus crescit

in *Papyrus col. 4.*

67. 1. Ex.

Horas quinque puer nondum tibi nuntiat, & tu
Jam conviva mihi Cæciliane venis.
Cum modo distulerim raucæ vadimonia chartæ.

in *Hora causidicorum.*

IX. 28. 4. Ex.

Nullusque vivat in tuo pilus crure.

in *Glabrator.*

33. 1. Ex.

Hanc volo, quæ facilis, quæ palliolata vagatur.

in *Meretrices col. 2.*

95. 2. Ex.

Quadrantem duplica de seniore cado.

in *Quadrans mensura.*

5. Ex.

Sutilis aptetur rosa crinibus.

in *Corona sutilis.*

X. 3. 8. Ex.

Et concupiscat esse canus ascaules.

in *Utricularii.*

5. 9. Ex.

Orciniana qui feruntur in sponda.

in *Sponda Orciniana.*

13. 1. Ex.

Cum cathedralicios portet tibi rheda ministros.

in *Cathedralicii.*

19. 7. Ex.

Udi vertice lubricum theatri.

in *Theatrum prope Suburram.*

47. 4. Ex.

—— focus perennis.

in *Focus.*

48. 1. Ex.

Nuntiat octavam Phariæ sua turba juvencæ,
Ecce pilata redit jamque subuque cohors.

in *Sacerdos Isidis col.* 2.

49. 1. Ex.

Cum potes amethysto trientes.

in *Pocula col.* 3.

70. 13. Ex.

Balnea post decimam lasso, centumque petantur
Quadrantes.

in *Quadrans col.* 2.

74. 4. Ex.

Centum merebor plumbeos die toto.

in *Moneta col.* 2.

XI. 1. 9. Ex.

Vicini pete porticum Quirini
Turbam non habet otiosiorem.

in *Porticus Europæ* & *Quirin.*

5. 3. Ex.

Scriptus es æterno nunc primum Jupiter auro,
Et soror, & summi filia tota patris.

in *Statua Jovis Capitolini.*

24. 11. Ex.

Ad mens[illegible] venies, sed sic divisa recumbes,
Ut non tang[illegible]ur p[illegible] nostra tuis.

in *Synthesis.*

28. 4. Ex.

Nec dignum toto se botryone putat.

in *Uvæ.*

46. 1. Ex.

Intrasti qu[illegible]ties inscriptæ nomina cellæ.

in *Cella col.* 2.

53. 7. Ex.

Mox vetus, & tenui major cordyla lacerto.

in *Salsamenta col.* 2.

54. 1. Ex.

Cl[illegible] cæruleis cum sit Rufina Britannis.

in *Br[illegible]*

XII. 1. 4. Ex.

Hora nec æstiva, nec tibi tota perit.

in *Hora col.* 2.

24. 1. Ex.

O jucunda, covinne, solitudo.

in *Covinus.*

26. 11. Em.

Nec venit ablatis clamator verna lacernis.

in *Clamator.*

32. 11. Ex.

Ibat tripes grabatus, & bipes mensa.

in *Mensa col.* 2.

22. Ex.

Summœnianæ qua pilantur uxores.

in *Meretrices col.* 3.

38. 1. Ex.

—— qui femineis noctesque diesque cathedris....

in *Cathedra.*

39. 7. Ex.

Quod sciat infelix damnatæ spongia virgæ.

in *Spongia.*

45. 1. Ex.

Hœdina tibi pelle contegenti
Nudæ corpora, verticemque calvæ. . . .

in *Galericulum.*

57. 9. Em.

Illinc ballucis malleator Hispanæ.

in *Malleator.*

67. 7. Ex.

Argentum atque aurum non simplex Delphica portat.

in *Mensa col.* 4.

75. 3. Ex.

Hi magis audaces, an sunt qui talia mittunt
Munera?

in *Calices audaces.*

77. 1. Ex.

Amphora vigessis, modius datur ære quaterno.

in *Quadrussis.*

78. 9. Ex.

Sellas ante perit Patroclianas.

in *Sella familiarica.*

83. 1. Ex.

Brumæ diebus, feriisque Saturni
Mittebat Umber aliculam mihi pauper,
Nunc mittit alicam: factus est enim dives.

in *Alicula.*

XIII. 1. 6. Ex.

Senio nec nostrum cum cane quassat ebur.

in *Senio.*

2. 10. Ex.

Nec matutina si mihi fronte venis.

in *Hera col.* 3.

18. Ex.

Fila Tarentini graviter redolentia porri. . . .

in *Osculum civile col.* 2.

102. 1. Ex.

Exspirantis adhuc scombri de sanguine primo
Accipe fastosum, munera cara, garum.

in *Garum.*

XIV. Inscriptio Ex.

Apophoreta.

in *Hospes col.* 3.

5. Ex.

Languida ne tristes obscurent lumina ceræ,
Nigra tibi niveum litera pingat ebur.

in *Libri elephantini col.* 2.

16. Ex.

Quæris compositos manus improba mittere talos?
Si per me misit, nil nisi vota facit.

in *Turricula col.* 2.

29. 2. Em.

Namque notus populo vela negare solet.

in *Mantuelis.*

69. 2. Ex.

Si vis esse satur, nostrum potes esse Priapum.

in *Coliphium.*

86. 1. Ex.

Stragula succincti venator sume veredi:
Nam solet a nudo surgere ficus equo.

in *Stragula.*

99. 1. Ex.

Barbara de pictis veni bascauda Britannis.

in *Bascauda & Britanni.*

128. Ex.

Gallia Sardonico vestit te bardocucullo.

in *Bardocucullus.*

138. 1. Ex.

Nobilius villosa tegant tibi lintea citrum.

in *Mantele & Gausapa.*

2. Ex.

Orbibus in nostris circulus esse potest.

in *Circulus.*

151. 1. Ex.

Lodices mittet docta tibi terra Catulli.
in *Gausapa.*

168. Ex.

Garrulus in laxo cur annulus orbe vagatur?
in *Trochus col. 2.*

201. Ex.

Non amo, qui vicit, sed qui succumbere novit.
in *Lucta col. 2.*

215. Ex.

Dic mihi simpliciter comœdis & citharœdis
Fibula quid præstet? carius ut coeant.
in *Fibula Gymnastica col. 2.*

Martian. Capell. p. 39. Em. *Ritum statim genti, sypnumque monstravit* in *Inspicium.*

Ex. *Multiplici ambitum redimitum lumine sertum.* Ex. *Caput regali majestate sertatum.* } in *Serta col. 2.*

Matthæus c. 3. n. 3. Ex. *Vox clamantis in deserto: parate viam domini, & complanate semitas ejus* in Λεωφόρος.

n. 11. Ex. *Cujus non sum dignus qui soleas portem* in *Solea.*

c. 5. n. 34. Ex. *Ne jurate omnino, neque per cœlum, quia thronus Dei est: neque per terram, quia scabellum est pedum ejus* in *per Elementa jurare col. 2.*

c. 10. n. 10. Ex. *Neque binas tunicas comparate* in *Christus.*

n. 42. Ex. *Quicunque potum dederit uni ex minimis istis calicem aquæ frigidæ* in *Frigida.*

c. 14. n. 1. Ex. *Herodes tetrarcha Galilææ* in *Tetraches.*

c. 15. n. 5. Ex. Καὶ τῦ μὴ τιμήσῃ τὸν πατέρα αὐτῦ in *Honor col. 2.*

c. 19. n. 16. Ex. *Nemo panniculam impexum insuit vestimento veteri.* in *Acus sarcinatorum.*

c. 21. n. 12. Ex. *Ejecit omnes, qui vendebant, & qui emebant in templo* in *Æs circumforaneum.*

c. 22. n. 20. Ex. *Tunc dicit eis, cujus est imago ista, & inscriptio?* in *Moneta.*

n. 16. Ex. *Mittunt ei discipulos suos cum Herodianis* in *Servus col. 7.*

c. 27. n. 28. Ex. *Induerunt eum chlamyde coccinea* in *Chlamys D. Jesu.*

n. 35. Ex. *Postquam crucifixerunt eum, partiti sunt vestimenta, sortem jacientes* in *Vestis col. 4.*

Maurit. de Sortit. c. 10. §. 2. N. quia scribit Venerem fuisse talorum jactum, cum omnes quatuor erant diverso numero in *Venus.*

Mazzon. in Dantem 1. 41. N. quia Virg. Eclog. 1. 83. perperam interpretatur in *Caminus col. 3.*

Meibom. de Fabric. trirem. Thes. Ant. Rom. Græv. Tom. XII. p. 570. B. N. quia monocrota de monoxylis, seu lintribus interpretatur in *Monocrota.*

D. N. quia tres remorum versus, seu ordines ad latus fingit quinqueremem habuisse in *Quinqueremis.*

p. 579. E. N. quia putat thranitas fuisse dictos remiges, qui in summa navis parte remigabant in *Thranitæ.*

p. 580. B. N. quia comminiscitur assulam ligni transtro affixam, ne natibus ultra sedilis mensuram remex evagaretur in *Assula.*

p. 585. B. N. quia dicit remiges strictis vestibus, & ferme linteis fuisse indutos in *Remiges col. 2.*

Mercator N. quia Argentoratum vult esse urbem Nemetum in *Argentoratum.*

Mercer. in Alexand. IV. 2. N. quia Claud. Nupt. Honor. & Mar. n. 187. perperam interpretatur.

Mercur. Var. Lect. 1. 12. N. quia vult xystarcham secundum locum a gymnasiarcha inter gymnasiorum ministros tenuisse in *Xystarchus.*

n. 26. N. quia muriam duram dicit esse illam, quæ vi solis usque adeo crassescat, ut alterius liquidioris comparatione dura appareat in *Muria dura.*

Gymnast. 1. 9. N. quia putat xysta apud Græcos & Latinos idem discrimen obtinere in *Xystus.*

de Lud. Græcor. Thes. Antiq. Græc. Gronov. Tom. VII. p. 991. A. N. quia suspicatur trochum esse turbinem in *Trochus col. 2.*

Merul. Barthol. in Ovid. de Art. Am. III. 363. N. quia scribit scripta duodecim constitisse ex duodecim calculis in *Scripta duodecim.*

Trist. II. 486. N. quia Poetam perperam interpretatur in *Trochus col. 2.*

Paull. Cosmogr. II. 4. p. 769. N. quia suspicatur, vicum sigillarium minorem in septima regione fuisse, ubi res minutulæ venales exponebantur in *Vicus sigillarius.*

Metaphrast. Cæsar. de Bell. Gall. III. 14. N. quia rostra apud illum vertit ἀκρωτήρια in *Rostra col. 2.*

Meurs. Glossar. Græco-barb. N. quia apinarios vult esse aurigas, carrucarios, mulocisarios in *Apinarii col. 2.*

N. quia scribit χρυσόκλαβον esse vestem aureis clavis distinctam in Χρυσόκλαβον.

N. quia contendit monacum fuisse genus vehiculi, quod ab uno jumento ducatur & κοσμιατικὸν, quod pro jumenti tractura solvebatur viridario in *Monacus.*

N. quia fingit tabulas in vestibus clavos rotundos fuisse in *Tabulæ.*

Minuc. Fel. p. 260. Ex. *Quis tam stultus, qui hæc colat, nisi vos, qui & totos asinos in stabulis cum vestra Hippona consecratis* in *Judæi col. 2.*

p. 295. Ex. *Ritus fuit Mercurio Gallos humanas, vel inhumanas victimas cædere* in *Mercurius col. 2.*

Modestin. l. si diutino ff. de pœn. Ex. *Aliquatenus ejus pœna sublevanda erit* in *Reatus.*

Modius in Liv. II. 9. N. quia putat in imperio Trajani panem loco frumenti cœpisse dividi in *Panis civilis.*

Morell. in Stat. Sylv. 1. 3. 58. N. quia putat architectos nostros papiliones hodie vocare, quæ trichora dixerunt veteres in *Trichorum.*

Morestell. Pomp. Feral. v. 7. N. quia fingit Dion. LXII. p. 819. C. loqui de lectica tecta, seu operta, de qua non loquitur in *Lectica col. 2.*

X. 3. N. quia asserit cremandi consuetudinem usque ad Antoninorum tempora durasse in *Cadaver col. 9.*

Mosellan. in Gell. VII. 3. N. quia docet, propitiare esse novum verbum in *Propitiare.*

Moses Gen. c. 10. n. 2. Ex. *In platea sumus pernoctaturi* in *Caupona.*

c. 24. n. 22. Ex. *Vir ille imponebat duas armillas manibus ejus* in *Armillæ.*

c. 41. n. 42. Ex. *Jussit illum induere vestes byssinas* in *Byssus.*

Ex. *Apposuit torquem aureum collo ejus* in *Torques.*

Exod. c. 2. n. 3. Ex. *Fiscellam scirpeam oblivit bitumine & pice* in *Expositio.*

c. 30. n. 1. Ex. *Facies altare incensi* in *Altaria Judæorum.*

Deuteron. c. 34. n. 6. Ex. *Qui sepelivit eum in eadem valle* in *Sepultura col. 2.*

Muncker. in Fulgent. Exposit. sermon. Ant. §. 27. N. quia nasiternam scribit dici a nasis ternis, id est, ansis in *Nasiterna.*

Muret. in Cicer. Cat. 1. 1. N. quia docet, pontificem maximum esse privatum in *Pontifex Maximus col. 2.*

Nævius apud Non. xɪ. 58. Ex. *Sequere me, puriter volo facere* in *Ignis col.* 2.

Nann. Miſcell. ɪɪɪ. 29. N. dum ſcribit, macte vim, & naturam habere adverbii, ac interjectionis in *Macte*.

Nardin. Rom. Vet. ɪv. 6. N. quia negat Bacchum unquam fictum pictumve eſſe ſenem in *Bacchos col.* 2.

N. quia porticum Quirini collocat in valle Quirini in *Porticus Quirini*.

7. N. quia putat malum Punicum vicum fuiſſe dictum a pomo Punico ex ære, aut marmore efficto in *Malum Punicum*.

ɪv. 9. N. quia templum Solis in Quirinali collocat in *Templum Solis*.

v. 6. N. quia aſſerit milliarium in foro capitis Romani fuiſſe dictum, quod ab eo numerus milliariorum, quibus itinera metiebantur, inceperit in *Milliarium col.* 2.

vɪ. 6. N. quia montem citorium collocat in campi margine, & collis clivo, ad introitum ſeptorum in *Citorius col.* 2.

N. quia ſepta ſtatuit inter Citorium, ædemque S. Mariæ in Aquiro in *Septa col.* 2.

14: vɪɪ. 4. N. quia Ovid. Faſt. ɪɪ. 55. explicat de templo Junonis Soſpitæ, quod conditum fuerit in foro olitorio in *Templum Junonis Soſpitæ*.

Natal. Com. Mythol. ɪ. 17. N. quia aſſerit nefas fuiſſe Jovi taurum immolare in *Sacrificium Jovis*.

Nebriſſenſis N. quia cucumam putat Marcianum ad l. Corn. de Sicar. poſuiſſe pro genere verberis in *Cucuma*.

Nemeſian. Cyneg. n. 166.

. . . conſuetam retinere ſaginam.

in *Sagina*.

Nepos Them. c. 5. n. 1. Ex. *Xerxes a Themiſtocle gradu depulſus eſt* in *Gradus gladiatorum*.

Nerius Anal. ɪ. 5. N. quia popularia apud Ulpian. l. 1. §. 12. ff. de Offic. præf. urb. vult ſignificare quatuor factiones. . . . in *Popularia*.

Nicol. de Luctu Græcor. c. 20. n. 4. N. quia parentalia interpretatur juſta, & funerandi officium in *Parentalia*.

Nigron. de Calig. c. 2. N. quia periſcelides vult fuiſſe femoralia in *Periſcelides*.

Nonius c. 1. n. 141. N. quia interpolare dicit tractum ab arte fullonia in *Interpolare*.

c. 2. n. 818. N. quia ſarcinatorem cum ſutore confundit in *Sarcinator*.

c. 4. n. 324. Ex. *Nomen eſt proprium vocabulum ſingulorum* in *Nomen*.

n. 434. N. quia Lucillium Sat. vɪɪɪ. perperam interpretatur in *Samiarii*.

c. 5. n. 69. N. quia differentiam inter ſperatam & pactam peſſime interpretatur in *Puella col.* 4.

c. 14. n. 13. N. quia regillam fingit veſtem a regia dictam in *Regilla*.

c. 16. n. 3. N. quia color impluviatus dicitur illi *fumato ſtillicidio impletus, qui eſt Mutinenſis* in *Veſtis impluviata*.

c. 17. n. 11. N. quia ancile vult fuiſſe grande ſcutum in *Ancile*.

Nonnus de Re cibar. ɪ. 5. N. quia Plauti pultiphagum Moſt. ɪɪɪ. 2. 143. Pœn. prol. n. 53. intelligit de Romano in *Puls Punica*.

Notitiæ dignit. inſcriptio Ex. in *Notitia*.

N. quia in illa ludus matutinus pro magnus legitur in *Ludus magnus*.

N. quia vicum trium ararum nominat vicum vitrarium in *Vicus trium ararum*.

imperii occident. c. 39. N. quia in illa corrupto nomine Brambicarum dicuntur, qui Barbicarii in *Barbicarii*.

c. 80. N. quia in illa legitur Borgum centenarium, ubi forte Burgum centenarium legendum eſt in *Burgum*.

Olivar. in Valer. Max. ɪx. 6. 1. N. quia ex Liv. ɪ. 11. perperam colligit armillas fuiſſe inſtrumenta ſiniſtrarum in *Armillæ*.

Onomaſticon vetus N. quia ejus auctor perperam dicit pedule a Cornelio Frontone vocari ſcamnum muliebre in *Pedule*.

Em. *Pinnirapi ſectatores, gladiatores, quod pinnas rapiant* in *Pinnæ*.

Oppian. Cyneget. ɪv. 319. Ex.

Feris vinoſis excogitavit pantheris.

in *Panthera*.

Oroſ. vɪ. 16. Em. *Eo die, quo Pompejus pater ab Urbe bellum geſturus aufugerat* in *Pompejus*.

vɪɪ. 43. Ex. *Ut obliterato Romano nomine, Romanum omne ſolum, Gothorum imperium & faceret & vocaret; eſſetque Gothia, quod Romania fuiſſet* in *Romania*.

Ortel. Theſ. Geogr. N. quia in portu Bononienſi deſcribendo tabulæ itinerariæ auctori fidem habere noluit in *Portus Bononienſis*.

Deor. & dear. cap. ɪɪ. 50. N. quia aſſerit templum Pacis a D. Claudio inchoatum in *Templum Pacis*.

Ovid. Heroid. vɪɪ. 100. Ex.

Appoſitæ frondes velleraque alba tegunt.

in *Ara col.* 2.

Amor. ɪ. 5. 9. Ex.

Ecce Corinna venit tunica velata recincta.

in *Stola col.* 3.

6. 25. Ex.

Excute: ſic nunquam longa relevere catena,
Nec tibi perpetuo ſerva bibetur aqua.

in *Aquam liberam*.

7. 47. Ex.

Aut tunicam ſumma deducere turpiter ora
Ad mediam? mediæ zona tuliſſet opem.

in *Ora*.

ɪɪ. 9. 22. Ex.

Tutaque depoſito paſcitur enſe rudis.

in *Rudis col.* 2.

ɪɪɪ. 2. 12. Ex.

Nunc ſtringam metas interiore rota.

in *Dextratio* & *Locus ſiniſter*.

19. Ex.

Quid fruſtra refugis? cogit nos linea jungi.
Hæc in lege loci commoda circus habet.

in *Linea col.* 2.

25. Ex.

Sed nimium demiſſa jacent tua pallia terra. . . .

in *Solea col.* 2.

Arte Amand. ɪ. 69. Ex.

Aut ubi muneribus nati ſua munera mater
Addit.

in *Porticus Octaviæ col.* 2.

81. Ex.

Subdita qua Veneris facto de marmore templo
Appias expreſſis aera pulſat aquis.

in *Appiades col.* 2.

113. Ex.

In medio plauſu, plauſus tunc arte carebat.

in *Plauſus col.* 2.

141. Em. & Ex.

Et bene quod cogit, ſi nolit, linea jungi,
Quæ tibi tangenda eſt lege puella loci.

in *Linea alba col.* 3.

194. Ex.

Tale rudimentum tanto ſub nomine debes
Nunc juvenum princeps, deinde future ſenum.

in *Princeps juventutis*.

ɪɪ. 203. Em. & Ex.

Seu ludet, numerosque manu jactabit eburnos;
Tu male jactato, tu male jacta dato.
in *Jaci.*
206. Ex.
Damnosi facito stent tibi sæpe canes.
in *Canis talus.*
III. 240. Ex.
—— & rapta brachia figit acu.
in *Calamistrum.*
273. Em.
Conveniunt tenues scapulis ameletides altis.
in *Ometides.*
327. Em.
Disce etiam duplici genialia naulia palma
Vertere.
in *Nablion col. 2.*
355. Ex.
Et modo tres jactet numeros: modo cogitet, apte
Quam subeat partem callida, quamque vocet.
in *Subire.*
452. Ex.
Has, Venus, e templis multo radiantibus auro
Lenta vides lites, Appiadesque tuæ.
in *Appiades.*
Remed. Amor. n. 561. Ex.
Qui puteal Janumque timet, celeresque Kalendas.
in *Fœneratores* & *Kalendæ col. 3.*
n. 661. Ex.
Non illas lites Appias ipsa probat.
in *Appiades*
Consol. ad Liv. n. 28. Ex.
Et tumulus Drusum pro Jovis arce manet.
in *Arx Jovis.*
n. 388. Ex.
Danubiusque rapax, & Dacius orbe remoto
Apulus huic hosti perbreve Pontus iter.
in *Apulus.*
de Nuce n. 75. Ex.
Quatuor in nucibus, non amplius, alea tota est,
Cum sibi suppositis additur una tribus.
n. 77. Ex.
Per tabulæ clivum labi jubet alter & optat,
Tangat ut e multis qualibet una suam. } in *Nux.*
n. 79. Ex.
Est etiam, par sit numerus qui dicat, an impar:
Ut divinatas auferat augur opes.
in *Par impar ludere.*
n. 81. Ex.
Fit quoque de creta; qualem cœleste figuram
Sidus, & in Græcis litera quarta gerit.
n. 84. Em. & Ex.
—— qui constituit intus
Quot tetigit virgas, tot rapit ipsa nuces.
n. 85. Ex.
Vas quoque sæpe cavum, spatio distante, locatur,
In quod missa levi nux cadat una manu. } in *Nux.*
Metam. I. 124. Ex.
—— pressique jugo gemuere juvenci.
in *Stationes militum*
562. Ex.
Postibus Augustis eadem fidissima custos
Ante fores stabis; mediamque tuebere quercum.
in *Laurus col. 4.*
II. 727. Ex.
Non secus exarsit, quam cum Balearica plumbum
Funda jacit.
in *Funda col. 2.*
III. 617. Ex.
Hoc Lybis, hoc flavus proræ tutela Melanthus.
in *Proreta.*
VI. 19. Ex.
Sive rudem primos lanam glomerabat in orbes.
in *Ara col. 2.*
VI. 101. Ex.
Circuit extremas oleis pacalibus oras.
in *Oleum.*
576. Ex.
Mollia barbarica suspendit licia tela.
in *Tela.*
X. 95. Ex.
Et platanus genialis.
in *Genius col. 4.* & *Platanus.*
XIII. 41. Ex.
Nos inhonorati, & donis patruelibus orbi.
in *Honor.*
785. Ex.
Senserunt toti pastoria sibila montes.
in *Sibilum.*
Fast. I. 52. Ex.
Verbaque honoratus libera prætor habet.
in *Ludi honorarii col. 2.*
149. Ex.
Dic age, frigoribus quare novus incipit annus.
in *Annus novus.*
261. Ex.
Inde, velut nunc est, per quem descenditis, inquit,
Arduus in valles & fora clivus erat.
in *Clivus Capitolinus col. 2.*
637. Ex.
Candida te niveo posuit lux proxima templo,
Qua fert sublimes alta Moneta gradus.
Nunc bene prospicies Latiam Concordia turbam.
in *Rupes Tarpeja.*
II. 70. Ex.
Inque Jovis summi caditur arce bidens.
in *Arx Jovis.*
324. Ex.
Stringebant magni vincula parva pedis.
in *Solea col. 2.*
435. Ex.
Monte sub Esquilio multis inceduus annis
Junonis magnæ nomine lucus erat.
in *Lucus Junonis col. 2.*
III. 269. Ex.
Sæpe potens voti frontem redimita corollis
Femina lucentes portat ab Urbe faces.
in *Aricia.*
377. Ex.
Idque ancile vocat; quod ab omni parte recisum est,
Quaque, notes oculis, angulus omnis abest.
in *Ancile.*
390. Ex.
Nominaque extremo carmine nostra sonent.
in *Salii col. 3.*
849. Em. & Ex.
Summa dies de quinque tuba lustrare canoras
Admonet.
in *Tubilustrium.*

IV. 188.

iv. 188. Ex.
Præmia, de lacubus proxima musta tuis.
in *Vectigal ex lacubus.*
219. Ex.
At cur turrita caput est ornata corona?
An Phrygiis turres urbibus illa dedit?
Annuit.
in *Cybele turrita.*
777. Em.
His dea placanda est: hæc tu conversus ad ortus
Dic quater, & vivo perlue rore manus.
in *Quater.*
875. Ex.
Cur igitur festum Veneris Vinalia dicunt,
Quæritis? & quare sit Jovis ista dies.
in *Vinalia.*
939. Ex.
Est canis, Icarium dicunt, quo sidere moto
Tosta sitit tellus, præcipiturque seges.
in *Canarium.*
v. 595. Em.
Rite deo, templumque datum, nomenque Bis-Ultor.
in *Templum Martis Ultoris col.* 1. & 2.
vi. 365. Ex.
Vidimus Iliacæ transferri pignora Vestæ.
in *Vestales col.* 4.
425. Ex.
Consulitur Smintheus. . . .
in *Apollo Smintheus.*
Trist. i. 1. 117. Ex.
Sunt quoque mutatæ ter quinque volumina formæ.
in *Volumina.*
3. 11. Ex.
Non aliter stupui, quam qui Jovis ignibus ictus
Vivit.
in *Fulmen.*
50. Ex.
Ultima sed jussæ nox erat illa fugæ.
in *Relegatio col.* 2.
ii. 474. Ex.
— damnosos effugiasque canes.
in *Canis col.* 4.
iii. 1. 31. Ex.
Inde petens dextram, porta est, ait ista palati:
Hic Stator: hoc primum condita Roma loco est.
in *Roma col.* 6.
60. Ex.
Ducor ad intonsi candida templa dei.
in *Bibliotheca col.* 2.
61. Ex.
Signa peregrinis ubi sunt alterna columnis
Belides, & stricto barbarus ense pater.
in *Porticus Apollinis.*
69. Ex.
Altera templa peto vicino juncta theatro. . . .
in *Bibliotheca col.* 2. & *Bibliotheca Octavia.*
iv. 10. 46. Ex.
Jure sodalitii qui mihi junctus erat.
v. 3. 47. Ex.
Vos quoque consortes studii, pia turba, poetæ.
51. Ex.
Admonitusque mei, cum circumspexerit omnes,
Dicat, ubi est nostri pars modo Naso chori.
} in *Collegium poetarum.*
10. 35. Ex.
Curia restabat: clavi mensura coacta est.
in *Clavus angustus.*
de Ponto iv. 9. 107. Ex.
Stant pariter natusque pius, conjunxque sacerdos.
in *Sacerdos col.* 5.
15. 42. Ex.
Meque tuum libra norit & ære minus.
in *Per æs & libram.*
Ovidii interpres in Fast. vi. 191. N. qui viam tectam apud Poetam vult ab oppido tecto dictam in *Via tecta.*
Pacuv. Ilion. apud Festum in Repotia.
Depulsum mamma pædagogandum accipit
Apportalis liber.
in *Repotia.*
Periboea Ex.
Flexa, non falsa autumare dictio Delphis solet.
in *Oraculum Delphicum.*
Pallad. i. 13. Em. *Impensa pumicea induemus* in *Trulla.*
Palmer. Spicil. xi. Thes. Crit. Gruter. Tom. iv. p. 804. N. quia asserit æs Corinthium fuisse dictum, quod Corintho incensa aurum, argentum, & æs in unum confluxerint perustis plurimis statuis & simulacris in *Æs Corinthium.*
Pancirol. Descr. Urb. Rom. Thes. Antiq. Rom. Græv. Tom. iii. p. 342. F. N. quia putat Minervam Medicam dictam esse a Medica veste in *Minerva Medica.*
p. 345. B. N. quia docet malum Punicum fuisse vicum, dictum a pomo Punico, ex ære, aut marmore efficto in *Malum Punicum.*
p. 355. B. N. quia vult milliarium aureum in capite fori Romani dictum esse, quod ab eo numerus milliariorum, quibus itinera metiebantur, inceperit in *Milliarium.*
p. 391. A. N. quia dicit, milites cohortium urbanarum fuisse dictos prætorios, quoniam a prætore tutelari dicto regebantur in *Milites cohortium urbanarum.*
C. & Notit. dignit. imper. orient. c. 33. N. quia vult vexilla non alio adjecto nomine esse equitum in *Vexillum.*
Notit. imper. orient. c. 16. N. quia putat subadjuvam in Notitia primiscrinium vocari in *Subadjuva col.* 2.
c. 18. N. quia regerendarium tradit a Theodosio libellensem vocari in *Regerendarius col.* 2.
c. 26. occident. c. 24. N. quia non docet ubi fuerint gradus, ex quibus panem gradilem vult esse distributum in *Panis gradilis.*
c. 75. N. quia paragaudarum etymon ex Græco & Latino sermone petit in *Paragaudæ col.* 2.
imper. occident. c. 4. N. quia asserit Augustum ex equestri ordine elegisse præfectum annonæ in *Præfectus annonæ.*
de Magistrat. munic. c. 8. N. quia censores quinquennales cum summis duumviris minus caute confundit in *Quinquennalis.*
Thes. Var. Lect. jur. c. 71. N. quia scribit birrum significare pileum quadratum in *Birrus.*
Var. Lect. xxx. 31. N. quia putat decimas ex gregibus exactas fuisse in *Vectigal pecorum.*
de Veter. amiss. c. 7. N. quia negat nostra porcellanea esse veterum murrhina in *Murrhina.*
Panvin. Descript. Urb. Rom. Thes. Antiq. Rom. Græv. Tom. iii. p. 256. B. N. quia scribit Gell. x. 2. viam Laurentinam inter Ardeatinam & Ostiensem ponere in *Via Laurentina col.* 2.
p. 258. B. N. qui portam fontinalem vult fuisse Capenam in *Porta fontinalis col.* 2.

p. 265. B. N. quia portam fenestralem vult fuisse non Urbis, sed palatii in *Porta fenestralis.*

p. 274. E. N. quia fingit statuas duas marmoreas in Quirinali collocatas, a Phidia & Praxitele factas, Alexandrum Bucephali domitorem expressisse in *Mons Caballus.*

p. 275. F. N. quia Suburram veterem collocat inter Cœlium & Palatinum in *Suburra.*

p. 305. C. N. quia theatro Statilii locum facit in palatio in *Theatrum Statilii.*

p. 307. C. N. quia recenset templum Victoris in foro Boario in *Hercules Triumphalis.*

de Imper. Roman. c. 16. N. quia dicit manipularium fuisse ductorem manipuli, qui præerat manipulis in *Manipularius.*

N. quia vult tribunos militum præfuisse certæ legionis parti in *Tribuni militum col. 3.*

N. quia putat turmam trecentorum equitum legioni fuisse additam in *Turma.*

N. quia fingit præfectos dendrophororum dictum fuisse, qui cædendorum lignorum ad palos faciendos curam habuerit in *Præfectus dendrophororum.*

de Ludis Circens. I. 5. N. quia dicit armilustrum & circum eundem fuisse in *Armilustrum.*

N. quia margaritarios dictos esse dicit, qui margaritas agnoscebant; quas agitatores ad ornatum sui emere solebant in *Margaritarii.*

N. quia tentores fuisse dicit, qui in circo vestes certantium aurigarum tenebant in *Tentores.*

II. 2. N. quia fingit, statuas deorum, quæ thensis ferebantur, linteis circumquaque tensis velatas fuisse in *Thensæ col. 2.*

de Civit. Rom. c. 2. N. quia arbitratur decemviros sacrorum adhuc fuisse eo anno, quo Capitolium crematum est in *Quindecimviri.*

c. 8. N. quia non sunt faha, quæ de detestatione sacrorum affert in *Detestatio sacrorum.*

Fastor. I. p. 45. N. quia laudat Plutarchum in Pompejo, ubi quod dicit non reperitur scriptum in *Senator col. 4.*

v. p. 335. N. quia fingit ex Liv. Epit. 67. Cn. Domitium primum populi suffragio pontificem maximum creatum esse in *Pontifex maximus.*

de Magistr. municip. c. 1. N. quia docet honoratos simpliciter semper fuisse ipsos decuriones in *Honor.*

de Nomin. Roman. Thes. Antiq. Roman. Græv. Tom. II. p. 2035. A. N. quia negat pueros habuisse prænomina in *Prænomen col. 2.*

Papias N. quia voluit abollam fuisse genus togæ, & vestem senatoriam in *Abolla.*

N. quia spiræ etymon deducit a sparto in *Spira.*

N. quia tribunal vult fuisse sedem tribuni, & locum sublimiorem, in quo ille jus dixerit in *Tribunal.*

Papinian. l. 6. ff. de usuf. & fruct. Ex. *De fisco ideo numerari decies centena nomine dotis jussit* in *Dos col. 2.*

1. Paralipom. c. 19. n. 4. Ex. *Hanun Davidis legatos rasit, & tunicas eorum præcidit a natibus usque ad pedes* in *Barba n. 18.*

2. Paralip. c. 26. n. 15. Ex. *Fecit in Hierusalem diversi generis machinas, quas in turribus collocavit* in *Machina.*

Pareus Lexico Plautino N. quia calcem ciere apud Plaut. Pœn. IV. 2. 36. interpretatur pedem movere in *Calcem ciere.*

Parrhas. Epist. 22. N. quia scortum quasillo pressum apud Tibull. IV. 10. 3. vult significare scortillum egenum, & se meretricio quæstu male tolerans in *Quasillum.*

57. N. quia fingit Romæ collegium poetarum fuisse in *Collegium poetarum.*

Paschal. de Coron. x. 5. N. quia putat Rostra etiam cornua vocari in *Rostra col. 2.*

Passio Saturi Ex. *Cum ad ursum substrictus esset in ponte, ursus de cavea prodire noluit.*
Ex. *Cum apro subministraretur, venator potius, qui illum apro subligaverat.*
Ex. *Leopardo expertus, etiam super pulpitum ab urso erat vexatus.*
Ex. *Multo magis Saturus, qui, ut prior ascenderat, prior reddidit spiritum.*
} in *Pontes amphitheatri.*

Paterc. I. 14. 8. Ex. *Brundisium Torquato Sempronioque consulibus occupatum colonis* in *Brundisium.*

II. 48. 2. Ex. *Perfectis muneribus theatri, & aliorum operum, quæ ei circumdedit* in *Basilicâ Pompeji col. 2.*

Patin. in Suetonii Caligulam N. quia dicit, non satis constare, qualis avis sit phœnicopterus in *Phœnicopterus.*

Paullin. Epist. 12. Ex. *Hæc basilica aperitur tribus arcubus prælucente transenna* in *Transenna.*

Paullus Apost. 1. ad Corinth. c. 4. n. 9. Ex. Ὡς ἐπιθανατίους in *Parabolani.*

n. 13. Ex. Πάντων περίψημα in *Palimpsestus.*

c. 9. n. 24. Ex. *Omnes quidem currunt, unus vero bravium capit* in *Bravium.*

c. 11. n. 5. Ex. *Id unum ac idem esset, ac si rasa esset. Quod si turpe mulieri tonderi, aut radi, veletur* in *Coma.*

n. 14. Ex. *Viro ignominia est, si comam nutriat; mulieri vero gloria est* in *Barba §. 12.*

c. 13. n. 1. Ex. *Essem cymbalum tinniens* in *Cymbalum.*

Ephes. c. 6. n. 13. Ex. *Assumite universam illam armaturam Dei.*
n. 15. Ex. *Habete pedes calceatos præparatione Evangelii.*
n. 16. Ex. *Adhæc arripite scutum fidei.*
n. 17. Ex. *Imponite gladium salutis.*
} in *Cursores.*

Philipp. c. 1. n. 13. Ex. *Vincula mea in Christo manifestata sunt in toto prætorio* in *Prætorium.*

1 Timoth. c. 2. n. 5. Ex. *Non coronatur* ἐὰν μὴ νομίμως ἀθλήσῃ in *Athletæ col. 3.* & *Corona col. 2.*

c. 4. n. 7. Ex. *Certamen præclarum decertavi* in *Corona col. 2.*

c. 5. n. 17. Ex. Διπλῆς τιμῆς ἀξιούσθωσαν in *Honor.*

Hebr. c. 11. n. 35. Ex. *Alii distenti sunt* in *Tympanum.*

c. 12. n. 1. Ex. *Abjecto omni pondere propositum nobis stadium decurramus* in *Cursores.*

Paullus ICtus l. 9. §. 6. ff. ad leg. Jul. pecul. Ex. *Pecuniam eam quoque lex Julia residuorum post annum residuam esse jubet* in *Lex Julia de residuis.*

l. 38. §. 5. ff. de Pœnis Ex. *Quod si eo mulier, aut homo perierit* in *Mulier.*

l. 3. §. 1. ff. quod metus causa Ex. *ubi instrumenta status vocat tabellas, quas a dominis accipiebant servi* in *Libertas col. 2.*

l. cum & tunicam ff. de aur. & arg. leg. Ex. *Cum stragulam pelliceam nonnulli habeant* in *Stragula.*

Pausan. Arcad. p. 251. Em. *Crystallus & μοῤῥία, & quæ alia hominibus ex lapide sunt facta* in *Murra.*

****

p. 254.

p. 254. N. quia non meminit ilicis in in Vaticano Urbe vetuſtioris in *Ilex.*

Phocic. p. 354. N. quia narrat Galatarum ὕσγην, aliis Græcorum κόκκον vocatum eſſe in *Color hyſginus.*

Perott. Cornucop. p. 252. N. quia docet minium unguentis cœnæ triumphalis ad lavandas manus additum fuiſſe in *Minium col.* 2.

Perſ. Sat. I. 16. Ex.

Et natalitia tandem cum ſardonyche albus.

in *Annulus natalitius.*

17. Ex.

— *liquido cum plaſmate guttur*
Mobile collueris.

in *Plaſma col.* 2.

22. Ex.

Tun' vetule auriculis alienis colligis eſcas?
Auriculis, quibus & dicas cute perditus, ohe.

in *Ohe.*

35. Ex.

— *& tenero ſupplantat verba palato.*

in *Supplantare.*

42. Ex.

— *& cedro digna locutus.*

in *Cedrus.*

59. Ex.

Nec manus auriculas imitata eſt mobilis albas.

in *Aſinus col.* 3.

80. Ex.

— *unde hæc ſartago loquendi?*

in *Sartago.*

112. Ex.

— *hic, veto, quiſquam faxit oletum.*

in *Oletum.*

II. 15. Ex.

— *Tiberino in gurgite mergit*
Mane caput bis, terque, & noctem flumine purgat.

in *Abluebant ſe poſt Venerem.*

25. Ex.

Sulphure diſcutitur ſacro.

in *Fulmen.*

30. Ex.

— *uda labella*
Infami digito.... expiat.

in *Annulus col.* 9.

39. Ex.

Aſt ego nutrici non mando vota.

in *Nutrix col.* 3.

59. Ex.

Aurum, vaſa Numæ, Saturniaque impulit æra.

in *Ærarium.*

106. Ex.

Nec pluteum cædit, nec demorſos ſapit ungues.

in *Pluteus col.* 2. & *Unguis.*

III. 16. Ex.

Et ſimilis Regum pueris papare minutum
Poſcis.

in *Papare.*

18. Ex.

— *& iratus mammæ lallare recuſas.*

in *Lallare.*

26. Ex.

— *cultrixque foci ſecura patella.*

in *Lares.*

31. Ex.

Non pudet ad morem diſcincti vivere Nattæ.

in *Zona.*

49. Ex.

— *damnoſa canicula quantum*
Raderet, anguſtæ collo non fallier orcæ.

in *Orca*, & *Canis.*

51. Ex.

Neu, quis callidior buxum torquere flagello.

in *Turbo.*

55. Ex.

— *& grandi paſta polenta.*

in *Maza.*

IV. 13. Ex.

Et potis es nigrum vitio præfigere theta.

in *Theta.*

17. Ex.
Semper & aſſiduo curata cuticula ſole.
32. Ex.
Et ſi unctus eſſes, & figas in cute ſolem.
} in *Inſolatio.*

38. Ex.

Quinque palæſtritæ licet hæc plantaria vellant.

in *Palæſtritæ.*

48. Ex.

Si puteal multa cautus vibice flagellas.

in *Aræ col.* 3.

v. 30. Ex.

Cum primum pavido cuſtos mihi purpura ceſſit.

in *Tunica col.* 3. & *Toga libera.*

48. Ex.

Exhalet vapida læſum pice ſeſſilis obba.

in *Obba.*

73. Ex.

Libertate opus eſt: non hac, ut quiſque Velina
Publius emeruit. . . .

in *Frumentum col.* 2.

102. Ex.

— *navim ſi poſcat ſibi peronatus arator.*

in *Pero.*

Petron. c. 28. Ex. *Trimalcio unguento perfuſus tergebatur palliis ex molliſſima lana factis* in *Miniſtri.*

c. 30. Ex. *Et qui dies boni, quique incommodi eſſent, diſtinguente bulla notabantur* in *Bulla.*

Ex. *Veſtimenta mea cubitoria perdidit* in *Syntheſis.*

c. 34. Ex. *Inſecutus eſt lecticarius, argentumque cœpit ſcopis everrere* in *Lecticarius.*

c. 36. Ex. *Qui obſonium carpit, carpus vocatur. Itaque quotieſcunque dicit carpe, eodem verbo & vocat & imperat* in *Carpus.*

c. 37. Ex.

Nequitiæ nidum in cacabo fecit tuo.

in *Cacabus.*

c. 42. Ex. *Age vero phæcaſiati milites ambulant* in *Phæcaſium col.* 2.

c. 50. Ex. *Hæc me adventitia frequentia excipere ſolet* in *Poetæ col.* 2.

c. 55. Ex. *Anus ſoleis ligneis imparibus impoſita* in *Calceus col.* 2.

c. 62. Ex. *Patiemur ſtatuarum ritu pannos* in *Statua col.* 2.

c. 64. Em. *Quod Bajis ter ſtylo notaveram* in *Periſtylium.*

c. 79. n. 28. Ex.

--- *Ecce Afris eruta terris*
Citrea menſa.

in *Citrum* & *Menſa.*

c. 79. n. 30. Ex.

INDEX AUCTORUM.

Quæ turbant censum: hostile ac male nobile lignum.
in *Hostis col.* 2. & *Mensa.*
c. 83. n. 1. Ex.
Fortior ominibus movit Mavortia signa.
in *Omen col.* 2.
c. 89. Ex. *Recipies nervos tuos, si triduo sine fratre dormieris* in *Frater.*
Ex. *Mitti ad tibicines* in *Tibiæ funerales.*
c. 95. Ex.
At paries circa palea satiatus inani,
Fortuitoque luto, clavis numerabat agrestes.
in *Clavus annalis.*
Fragment. p. 1. Ex. *Venerat jam tertius dies, id est, exspectatio liberæ cœnæ* in *Cœna libera.*
p. 8. Ex. *Processit scissor, & ad symphoniam gesticulatus ita laceravit obsonium, ut putares essedarium hydraule cantante pugnare* in *Essedarii.*
Ex.
Tinctus colore noctis
Manu puer loquaci.
in *Manus col.* 3.
Em. & Ex. *Scissa sacrum novendiale servo suo misello faciebat. . . . & puto cum vigesimarius magnam mantissam habet* in *Vigesimarius.*
Phædr. I. 16. 1. Ex.
Fraudator nomen quum locat sponso improbo.
in *Nomen col.* 6.
26. 27. Ex.
—— *intrito cibo*
Plenam lagenam posuit.
in *Intritum.*
IV. 4. 21. Ex.
Seponit mœchæ vestem, mundum muliebrem,
Lavationem argenteam.
in *Lavatio.*
V. 7. 28. Ex.
--- *jactat basia*
Tibicen.
in *Osculum col.* 2.
9. 1. Ex.
Cursu volucri pendens in novacula.
in *Hercules Saxanus col.* 2.
Philand. in Vitruv. III. 1. N. quia negat Pantheon a Vitruvio hypæthrum dici in *Pantheon.*
VIII. 4. N. quia putat catastam fuisse compedem ligneum in *Catasta.*
6. N. quia asserit æs Corinthium fuisse dictum, quod Corintho incensa aurum, argentum, & æs in unum confluxerint, perustis plurimis statuis & simulacris in *Æs Corinthium.*
X. 8. N. quia vult ceruchum esse antennam in navi, quod cornua habeat in *Ceruchus.*
Philo de vit. Mosis III. N. quia tradit, Reges orientis cidari loco diadematis usos esse in *Cidaris col.* 2.
Phlegon. Trallian. de Mirab. c. 6. Em. Tito Statilio Tauro, cui Corvilii cognomentum fuit in *Taurus cognomen.*
Pier. Valer. Serm. 1. N. quia dendrophoros vult fuisse, qui ligni materiam, quæ per flumina in Adriaticum, & Venetias convectantur, traducendam redimunt in *Dendrophori.*
Pignor. de Serv. p. 281. N. quia dicit, Tacit. Annal. XV. 57. 2. meminisse sellæ arquatæ: cujus tamen apud illum nulla est mentio in *Sella arquata.*
Pincian. in Senec. Epist. 72. N. quia scribit cisium fuisse genus vehiculi gestatorii, quo homines vehuntur, & oppositi onerariis in *Cisium.*
Pinell. Additam. ad Argol. in Panvin. de Lud. circens. N. quia dicit chiramaxium fuisse sellam curulem in *Chiramaxium.*
Pius Annot. post. c. 163. N. quia vult nomen portitoris, qui mercede pacta quid transportat, Sidonii ætate esse natum in *Portitor.*
c. 190. N. quia statuit gladiatores ordinarios fuisse artifices viliores, & inexercitatos in *Gladiatores ordinarii.*
Plato Phæd. p. 64. N. quia narrat *cycnos; quando sentiunt se brevi morituros, dulcius canere, quam antea consueverint* in *Cycnus.*
Plaut. Amphit. Arg. 1. n. 3. Ex.
Alcmenam uxorem cepit usurariam.
in *Uxor usuraria.*
II. 2. 107. Ex.
Mulier, postquam experrecta es, prodigiali Jovi. . . .
in *Jupiter prodigialis.*
IV. 4. 52. Ex.
--- *gradus, sive grallatorius, sive Testudineus fuerit.*
in *Grallatores.*
Asin. prolog. n. 11. Ex.
--- *Marcus vertit barbare.*
in *Barbari.*
II. 2. 13. Ex.
Nunquam pol indipiscet quadrigis albis postea.
in *Quadrigæ albæ.*
4 33. Ex.
--- *adducit domum etiam ultro, & rescribit nummos.*
in *Nummus col.* 3.
III. 3. 67. Ex.
Hic pone, hic istam colloca crumenam in collo plane.
in *Crumena col.* 2.
126. Ex.
Quem te nominem deum? Fortunam atque obsequentem.
in *Fortuna obsequens.*
IV. 1. 44. Ex.
Nolo illam habere causam, & votitam dicere.
in *Votita.*
Aul. II. 4. 22. Ex.
De suo tigillo fumus si qua exit foras.
in *Caminus col.* 3.
III. 2. 34.
Nummo sum conductus; plus jam mercede opus est.
in *Cocus.*
5. 28. Em. & Ex.
Salutigerulos pueros. . . .
in *Calceus col.* 6.
IV. 2. 16. Ex.
Faxo ut bubulis coriis onustus sit.
in *Boja.*
20. Ex.
Ne inter tunicas habeas.
in *Tunica col.* 2.
10. 13. Ex.
Credo deos voluisse, ut apud te me in nervo enecem.
in *Nervus.*
Capt. IV. 2. 108. Ex.
Bojus est, Bojam terit.
in *Boja col.* 2.
Curc. II. 2. 77. Ex.
--- *tace parumper: jacit vulturios quatuor.*
in *Canis col.* 4. & *Vulturius.*
78. Ex. *Invoco almam meam nutricem* in *Turricula col.* 2.
79. Em. & Ex.

--- invoco almam meam nutricem Herculem
Facto basilicum.

in *Basilicus.*

III. 12. Ex.

Cupio aliquem emere puerum, qui usurarius...

in *Uxor usuraria.*

54. Ex.

Clypeatus elephantum ubi machæra disjicit.

in *Annulus col.* 7.

75. Ex.

--- quia subegit classem unomammiam.

in *Classis.*

IV. 1. 15. Ex.

In medio propter canalem, ibi ostentatores....

in *Canale.*

4. 24. Ex.

Non pluris facio, quam ancillam, quæ latrinam lavat.

in *Latrina.*

V. 3. 7. Ex.

Amici compulerunt, reddit argentum domo.

in *de Arca solvere.*

13. Ex.

Delicatum te hodie faciam cum catello ut accubes.

in *Canis col.* 4.

Casin. prol. n. 29. Ex.

Aures votivæ si sunt, animum advortite.

in *Auris.*

1. 36. Ex.

Ita te aggerunda curvum aqua faciam probe,
Ut postilena possit ex te fieri.

in *Postilena.*

II. 6. 37. Ex.

Ut quidem tu hodie canem & furcam feras.

in *Canis col.* 4.

Cistell. II. 1. 27. Ex.

Hic apud nos confregisti tesseram hospitalitatis.

in *Tesseræ.*

Epid. II. 2. 39. Ex.

Quid erat induta? an mendiculam?

in *Mendicula.*

V. 2. 19. Ex.

Vadimonium ultro hic mihi facit.

in *Vades.*

62. Ex.

Novo liberto opus est, quod papet.

in *Papare.*

Bacch. I. 1. 38. Ex.

--- pro lorica malacum pallium.

in *Synthesis.*

II. 3. 34. Ex.

Bene usque valuit? pancratice, atque athletice.

in *Pancratice.*

55. Ex.

Ubi portu exiimus, homines remulco sequi.

in *Remulcus.*

IV. 4. 69. Ex.

Ubi est biclinium vobis stratum?

102. Ex.

—— jam facile in biclinio
Cum amica uterque accubitum eatis.

} in *Biclinium.*

6. 22. Ex.

Nunc a transenna turdus lumbricum petit.

in *Transenna col.* 2.

7. 16. Ex.

O stulte, stulte, nescis nunc venire te.

in *Coemptionales col.* 2.

8. 46. Ex.

Confossiorem soricina nænia.

in *Veru.*

9. 52. Ex.

—— coemptionalem senem
Vendam ego, venalem quem habeo.

in *Coemptionales col.* 1.

Most. I. 1. 22. Ex.

Amicas emite, liberate, pascite
Parasitos, obsonate pollucibiliter.

in *Polluctum.*

26. Ex.

Este, effercite vos, saginam cædite.

in *Sagina.*

41. Ex.

Non omnes possunt olere unguenta exotica.

in *Rosaria.*

3. 78. Ex.

--- dies, noctesque estur,
Bibitur. . . . sagina plane est.

in *Sagina.*

II. 1. 57. Ex.

--- clavem mihi harunce adium Laconicam
Jam jube efferri intus.

in *Clavis Laconica.*

III. 2. 40. Ex.

Musice hercle agitis ætatem, ita ut vos decet,
Vino, & victu, piscatu probo, electili vitam colitis.

in *Cœna Musica.*

141. Ex.

Non hæc pultiphagus opifex opera fecit barbarus.

in *Puls Punica.*

Mil. Glor. II. 1. 16. Ex.

Majorem partem videas valgis suaviis.

in *Suavia valga.*

2. 9. Ex.

Atque adeo, ut ne legi fraudem faciam talariæ,
Accuratote, ut sine talis domi agitent convivium.

in *Lex talaria.*

4. 3. Ex.

--- mihi pol ego supersum.

in *Superesse.*

III. 1. 64. Ex.

Cedo mihi tres homines aurichalco contra. ...

in *Orichalcum col.* 2.

IV. 1. 39. Ex.

Hæc celox illius est, tabellaria.

in *Naves tabellariæ.*

Men. II. 3. 81. Ex.

Abduc istos in tabernam actutum diversoriam.

in *Taberna diversoriæ.*

Mercat. II. 3. 73. Ex.

Vellicent, vocent, molesti sint, occentent ostium.

in *Amantes col.* 3. & *Occentare.*

V. 2. 1. Ex.

Divûm atque hominum quæ spectatrix atque hera eadem es hominibus.

in *Fortuna.*

Pseudol. I. 5. 43. Ex.

Statum vide hominis, Callipho, quam basilicum.

in *Basilicum.*

IV. 2. 10. Ex.

Credo potesse te Massici montes quatuor

Fructus

Fructus ebibere in hora una: hiberna, addito.
in *Hora col.* 3.
v. 2. 2. Ex.
Cum corona ebrium Pseudolum tuum.
in *Manumissus col.* 2.
Pœnul. prol. 53. Ex.
Carchedonius vocatur hac comœdia,
Latine Plautus patruus pultiphagonides.
in *Puls.*
I. 2. 54. Ex.
Prosedas, pistorum amicas, reliquias alicarias.
in *Alicariæ, mola col.* 2. *proseda.*
135. Ex.
Quam magis aspecto, tam magis est nimbata.
in *Nimbus.*
III. 2. 20. Ex.
Agite, inspicite, aurum est: profecto comicum.
in *Lupinus.*
IV. 2. 8. Ex.
Quis hic homo chlamydatus est.
in *Chlamys col.* 2.
V. 2. 21. Ex.
Quid jam? quia incedunt cum annulatis auribus.
in *Annulus.*
48. Ex.
Tu qui zonam non habes.
in *Balteus col.* 2.
102. Ex.
Cur numero estis mortui?
in *Funus lacerum.*
Perf. I. 3. 12. Ex.
Collyræ facito ut madeant, & coliphia.
in *Coliphium* & *Collyræ.*
15. Ex.
Tum nisi cremore crasso est jus collyricum.
in *Collyræ.*
II. 2. 17. Ex.
Vola curriculo. P. *Istuc marinus passer per circum solet.*
in *Struthiocameli.*
21. Ex.
Ne isti faxim nusquam appareant
Qui hic albo pariete aliena oppugnant bona.
in *Album.*
V. 2. 25. Ex.
Basilice te intulisti & facete.
in *Basilicum.*
Rud. II. 2. 9. Ex.
—— *qui tres*
Duceret chlamydatos cum machæriis.
in *Chlamys col.* 2.
4. 18. Ex.
At ego basilicus sum, quem nisi oras. . . .
in *Basilicum.*
III. 4. 48. Ex.
Ni offerumentas habebis plures in tergo tuo.
in *Offerumentum.*
6. 51. Ex.
Nam in columbari collum haud multo post erit,
In nervo mille hodie nidamenta congeret.
in *Columbar, Nervus col.* 2. & *Thalamium.*
V. 3. 58. Ex.
Nihil hercle hic tibi est, ne tu speres, jurisjurandi volo
Gratiam facias.
in *Juramentum col.* 3.

Stich. I. 2. 3. Ex.
Quot Kalendis petere demensum cibum.
in *Demensum.*
III. 2. 33. Ex.
Scis tu med' esse imi subsellii virum.
in *Locus convivalis.*
Trin. I. 2. 157. Ex.
Posticulum hoc recepit, cum ædes vendidit.
in *Posticum,* & *Servus receptitius col.* 2.
II. 2. 74. Ex.
Deûm virtute habemus, & qui nosmet utamur.
in *Utensilia.*
III. 2. 96. Ex.
Aut aliquem apud regem in saginam herus se conjecerit.
in *Sagina.*
Trucul. I. 2. 155. Ex.
Quam urbani assidui cives, quos scurras vocant.
in *Scurræ.*
II. 2. 16. Em. & Ex.
Quia tibi insuaso fecisti, propudiosa, pallulam.
in *Color suasus.*
4. 69. Ex.
Quin diis sacrificare hodie pro puero volo;
Quinto die quod fieri oportet.
in *Dies lustrici.*
8. 5. Ex.
Quo pacto excludo quæ clepsis planius?
in *Sesopia.*
III. 1. 8. Ex.
Minas viginti mihi dat: accipio libens:
Condo in crumenam: ille abiit, ego perperas, minas
Oves in crumena hac in urbem detuli.
in *Ovis mina.*
Plin. VII. 54. N. *Ipsum,* cadaver, *cremare apud Romanos non fuit veteris instituti* in *Cadaver col.* 8. & 9.
56. Em. & Ex. *Cyvira Agrippæ filius invenit marculum* in *Marculus.*
VIII. 7. Ex. *Postea singuli Principibus Claudio & Neroni in consummatione gladiatorum* in *Gladiatores consummati.*
48. Em. *Colorum plura genera: Causeum fulvi* in *Color Bæticus.*
Em. & Ex. *Inde sorriculata defluxit* in *Vestis sorriculata.*
Ex. *Crebra papaverata antiquiorem habent originem jam sub Lucilio in Torquato notata* in *Vestis papaverata.*
Ex. *Undulata vestis prima e lautissimis fuit* in *Vestis undulata.*
Ex. *Patris mei memoria cœpere villosa etiam ventralia* in *Ventrale.*
Em. *Togas raras, Phrygianasque D. Augusti temporibus cœpisse* in *Toga Phrygiana.*
IX. 14. Ex. *Apicius in sociorum garo, nam ea quoque nomen invenit* in *Garum sociorum.*
Em. & Ex. *Asinius Celer Cajo Principe unum mercatus R.* VIII. *mullum* in *R.*
18. Ex. *Pisces squamis conspicui praeacutis, clavorum caligarium effigie* in *Caliga col.* 3.
35 Ex. *Gemmas non tantum crepidarum obstragulis; sed & totis socculis addunt* in *Soccus col.* 2.
38. Em. *Rubeus color nigrante deterior* in *Color rubens.*
39. Ex. *Cujus libra denariis centum venibat.*
Ex. *Qua in libras denariis mille non poterat emi.*
} in *Purpura.*
Ex. *Qua purpura quis non tricliniaria facit* in *Vestis cœnatoria.*

INDEX AUCTORUM.

x. 21. Ex. *Ut plane digna aliti tantum honoris tribuat Romana purpura* in *Purpura.*

xi. 37. Ex. *Hujus & sumen optimum. Antiqui abdomen vocabant* in *Callum* & *Sumen.*

Em. *Vulva ejecto partu melior* in *Vulva col.* 2.

xii. 1. Em. *Spado Thessalicus transtulit ingeniis* in *Genius col.* 4.

Ex. *In Græcostasi, quæ tunc supra comitium erat* in *Græcostasis.*

Ex. *Ad tributarium pertinens solum, ut gentes vectigal & pro umbra pendant* in *Vectigal.*

26. N. quia fingit *Syriam dare malobathrum* in *Malobathrum.*

xiii. 1. N. quia scribit *unguentariam Darii temporibus innotuisse* in *Unguentaria.*

3. N. quia facit *chlamydem auro textili sine alia materia* in *Chlamys col.* 2. & 3.

9. Ex. *Ex quo velares detornant annulos* in *Annulus.*

11. Em. & Ex. *Mox & privata confici cœpta in ceris* in *Libri in ceris.*

N. & Em. *Decem non amplius cubitorum longitudine in gracilitatem fastigiatum, thyrsi modo cacumen includens* in *Papyrus col.* 2. & 3.

Em. & Ex. *In palmarum foliis primo scriptitatum* in *Palma col.* 2.

12. Ex. *Ad hoc transmittentem literas lituræ metum attulisse adversis* in *Scribere.*

N. Em. & Ex. *Texuntur omnes tabulæ madentes Nili aqua. Turbidus liquor vim glutini præbet, cum primo supina tabula scheda adlinitur. . . . Transversa postea crates peragitur* in *Tabulæ chartarum col.* 1. 2. 3. & *Libri in ceris.*

Em. & Ex. *Charta hieratica ab adulatione Augusti nomen accepit, sicut secunda Liviæ a conjuge ejus* in *Charta hieratica.*

Em. & Ex. *Propior etiamnum cortici Tæniotica a vicino loco* in *Charta Tæniotica.*

13. Ex. *In ipsa illa Lycia Bellerophonti codicillos datos, non epistolas prodidit* in *Codicilli.*

xiv. 13. Ex. *Cato dicit se non aliud vinum bibisse, quam remiges* in *Potus nauticus.*

22. Ex. *Ut plus capiamus, sacco frangimus vires* in *Saccare.*

xv. 11. Ex. *Omnia virorum salutatoriis cubiculis inclusa* in *Salutatio.*

14. Ex. *In tecta jam sylvæ scandunt* in *Nemus.*

30. Ex. *Laurus grata fuit Apollini* in *Laurus col.* 2.

Ex. *Laurus manifesto abdicat ignes crepitu, & quadam detestatione* in *Laurus col.* 3.

xvi. 8. Ex. *Pensionem alteram tributi pauperibus Hispaniæ donat* in *Pensio.*

10. Ex. *Fagutali Jovi etiam nunc ubi lucus fageus fuit, porta Querquetulana colle in quem vimina petebantur* in *Porta Querquetulana.*

29. Ex. *Ferunt & avellanæ pilos* in *Julus.*

xviii. 3. Ex. *Minutius Augurinus farris pretium trinis nundinis ad assem redegit* in *Frumentatio* & *Tribuni plebis.*

7. Ex. *Ut in quocunque genere pani militari tertia portio ad grani pondus accedat* in *Frumentum col.* 2.

10. Ex. *Pretium huic annonæ media in modios farinæ quadraginta asses* in *Annona col.* 2.

11. N. quia apud Plaut. Aul. ii. 9. 14. mulierem panificam videtur intellexisse in *Artopta.*

19. Ex. *Arator, nisi incurvus, prævaricatur* in *Prævaricari.*

35. Ex. *Vasa, quibus esculentum additur, sudorem repositoriis relinquentia* in *Repositorium.*

xix. 4. Ex. *Cum credatur pensio ea pauperum* in *Pensio.*

xxi. 3. Em. & Ex. *Qui coronam parit, ipse pecuniave ejus virtutis ergo arguitur. . . . Quis ergo honos? ut ipsi mortuo, parentibusque ejus, sine fraude esset imposita* in *Coronæ funebres.*

14. Ex. *Candidissima fit etiam post insolationem recocta* in *Insolatio.*

xxviii. 2. N. quia scripsit: *Ungues resecari, atque a digito indice, multorum pecuniæ religiosum est* in *Nundinæ col.* 3.

4. Ex. *Fascinus. . . . currus triumphantium, sub his pendens, defendit medicus invidiæ, jubetque eosdem respicere* in *Triumphantes col.* 4. Ubi Turnebus laudat l. xxiv. & legit *recipere.* Sed errat.

xxix. 1. Em. *Iterumque in insula traduntur* in *Templum Æsculapii.*

4. Em. *Genito mane catulo res divina fit* in *Genita mana.*

6. Em. *Nubes* muscarum *immolato tauro deo, quem Myjodem vocant, extra territorium id abire* in *Myagros.*

xxxiii. 1. Ex. *Servitia jam ferrum auro cingunt, alii per sese mero auro decolorant* in *Annulus col.* 2. & 3.

Ex. *Cum corona ex auro Etrusca sustineretur a tergo, annulus tamen in digito ferreus erat* in *Annulus col.* 3. & *Triumphantes col.* 3.

Em. *Alios coriis boum, alios ferro captivisque rebus emptitasse tradit* in *Emptio col.* 2.

Ex. *Quod antea militares equi nomen dederant, hoc nunc pecuniæ judices tribuunt. Equitum nomen substitit in turmis equorum publicorum* in *Equites col.* 7.

Ex. *Gallos cum auro pugnare solitos Torquatus indicio est* in *Galli col.* 2.

Ex. *Servi sunt dominorum gentiles* in *Gentiles.*

3. Em. & Ex. *C. Cæsar ex ærario protulit laterum aureorum viginti sex millia, & in numerato pondo trecenta* in *Ærarium sanctius.*

Ex. *Statuas Ægyptiorum numinum in digitis viri portant* in *Signum* 1. *statua col.* 2.

Ex. *Primus æs signavit Servius Rex* in *Æs signatum.*

Ex. *Poppæa delicatioribus jumentis suis soleas ex auro induere solebat* in *Mulus col.* 2.

Ex. *Aurum etiamne pedibus induitur* in *Periscelides.*

9. Ex. *Cyprio æri si addatur plumbum, colos purpuræ fit in statuarum prætextis* in *Prætexta.*

11. Ex. *Mensas repositoriis imponimus* in *Repositorium col.* 2.

xxxiv. 2. N. quia scribit: *Æs Corinthium casus miscuit, Corintho, cum caperetur, incensa* in *Æs Corinthium.*

3. Ex. *Syracusana sunt in Pantheo capita columnarum* in *Pantheon col.* 2.

6. Ex. *Extant Catonis in censura vociferationes, mulieribus Romanis in provinciis poni. . . .* in *Statua col.* 5.

7. N. quia dicit *Charetem Lyndium fecisse Rhodi colossum solis* in *Colossus solis.*

8. Ex. *Ariston, qui & argentum cælare solitus est* in *Calatores.*

Em. *Juxta Rostra statua Herculis tunicati, torva facie, & sentiente* in *Statua col.* 2.

14. Ex. *Aliud brevitate sola placet, clavisque caligariis* in *Caliga col.* 3.

17. Ex. *Ad aurea quoque, non modo argentea staticula inanis luxuria pervenit* in *Staticula.*

xxxv. 17. Em. *Lex Metella exstat fullonibus dicta* in *Lex Metella.*

xxxvi. 5. N. quia scribit: *Pictura & statuaria cum Phidia cœpit* in *Marmor.*

Ex. *Sicut in Laocoonte, qui est in Titi domo. . . .* in *Statua Laocoontis.*

Em. *In templo Bruti Callaici apud circum ad portam Lavicanam eunti* in *Templum Bruti.*

6. N. quia scribit: *Lepidus fuit consul anno Urbis*

Urbis 666. in *Domus Lepidi.*
15. Ex. *Scaurus fecit in ædilitate sua opus maximum, æternitatis destinatione* in *Theatrum Scauri.*
17. Em. *In Asso Troadis sarcophagus scinditur.* Em. *Calceamenta illata omnia.* } in *Sarcophagus.*
22. Em. & Ex. *Claritas ibi diurna erat, haud alio, quam specularium, modo* in *Specularia.*
XXXVII. 2. Ex. *Pompejus in triumpho. . . . . attulit vasa ex auro, & gemmis novem abacorum* in *Abacus.*
13. Ex. *Ne equos quidem in trigariis præferri ullis vernaculis animadverto* in *Trigarium.*
Plin. Epist. II. 11. 3. Ex. *Deprecatus est, ne quid ultra repetundarum legem quæreretur. Aliis cognitionem senatus lege conclusam. . . .* in *Quærere.*
III. 5. 7. Ex. *Miraris, quod tot volumina absolverit* in *Volumina.*
15. Ex. *Ut ne cœli quidem asperitas ullum studii tempus eriperet: qua ex causa Romæ quoque sella veheretur* in *Sella muliebris col. 3.*
VI. 16. 5. Ex. *Avunculus meus est usus sole* in *Insolatio.*
33. 9. Ex. *Ut repente in privati judicii formam centumvirale vertatur* in *Judicium centumvirale.*
VII. 27. 13. Ex. *Puer in pædagogio mistus pluribus dormiebat* in *Pædagogium.*
X. 97. 7. Ex. *Se sacramento non in scelus aliquod obstringere, sed ne furta. : . .* in *Sacramentum sodal.*
Paneg. c. 54. n. 1. Em. *Cum laudes Imperatorum ludis & comessationibus celebrarentur* in *Committere.*
Plutarch. Romul. p. 22. F. Ex. *Romulus quadratam Romam condidit* in *Roma col. 4. & 5.*
p. 23. D. Em. & Ex. *Hinc Urbe sicut circulo centrum circumscripsere* in *Roma col. 4.*
Num. 64. C. N. quia flaminis creationem Romulo tribuit in *Flamen.*
Public. p. 102. B. Em. *Valerius habitabat domum Vitelliam* in *Templum Penatium.*
Camill. p. 141. D. Ex. *Et eos, quibus custodia arcis demandata erat, petit* in *Arx Romana.*
Timol. p. 248. Ex. *Timoleon agmen sustinuit, & coronam demonstravit militibus, ante victoriam ipsis delatam ultro in manus venire* in *Apium col. 2.*
Marcell. p. 300. B. Ex. *Cum auspicaretur consul, in domo extra Urbem, vel tabernaculo ad id conducto sedebat* in *Tabernaculum.*
p. 316. C. N. quia scribit: *In honorem, ac memoriam Marcelli mater Octavia bibliothecam dedicavit* in *Bibliotheca Octavia.*
Mar. p. 427. Em. *Tinnius Fanniam in matrimonio habuit* in *Quadrussis.*
Crass. p. 548. Ex. *Quingentos decimavit* in *Decimari.*
Sertor. p. 579. E. Ex. *Victoriæ fictæ epidromis descendebant* in *Transenna.*
Pompej. p. 640. D. Em. & Ex. *Post populo Romano eximium illud theatrum exstruxit, juxta appendicem ædificavit domum* in *Domus Pompeji.*
Cæsar. p. 736. D. N. quia Julio tribuit vestem triumphalem in *Vestis regia.*
Cicer. p. 868. D. Ex. *In templo Jovis Statoris, quod erectum est juxta principium sacræ viæ, quæ palatium respicit* in *Via sacra.*
Othon. p. 1069. D. Ex. *Manicis ornatus signiferos & præfectos alloquebatur* in *Manica.*
Apophth. Lacon. p. 241. Ex. *Fili, aut hunc, aut super hunc* in *Clypeus col. 3.*
Quæst. Rom. 36. Ex. *Cur spolia sinuntur tempore corrumpi, & non licet illa reparare* in *Spolia.*
59. N. quia vult *macellum dici locum, ubi carnes publice venduntur* in *Macellum.*
69. N. quia dicit furcam *lignum duplex, quod curribus subjici solet* in *Furca.*
73. N. quia fortunam brevem perperam interpretatur parvam in *Fortuna.*
96. N. quia dicit equum Octobrem Idibus Decembribus immolatum esse in *Equus October.*
99. Ex. *Vide annon bullam propter lunam gestent. Lunæ figura, cum dimidiato fulget orbe, non est globi similis* in *Bulla col. 2.*
Sympos. I. 3. Ex. *Ubi secunda mensa ad primam applicata. . . . .* in *Pluteus col. 2.*
III. 2. Ex. *Summum olei optimum* in *Oleum.*
Politian. Miscell. c. 21. N. quia minerval explicat mercedem magisterii a scholasticis dari solitam: & Juven. Sat. X. 116. discipulum protinus eloquentiam. . . . optantem in *Minerval.*
c. 30. N. ubi docet cucuma esse vocabulum rarum inventu in *Cucuma.*
Epist. X. N. quia erroribus scatet, & Politiano est indigna: & iis, quæ de amphora, cæterisque mensuris scripsit, non est credendum in *Amphora col. 2.*
in Herod. IV. 1. 7. N. ubi ἀπέθεντο τῷ νεῷ perperam vertit in *C[illegible]catum col. 2.*
Pollet. Hist. For. Roman. I. 7. N. quia fingit, subsellia in judiciis magistratuum a litigantibus esse conducta in *Subsellium.*
IV. 15. N. quia scribit, phrasin hanc *actus rerum* esse Suetonio peculiarem in *Res col. 2.*
Pollio Gallien. c. 3. Ex. *Constabat votivum illi fuisse. . . .* in *V[illegible].*
Pollux IV. 9. 3. Ex. [illegible]ορθότονον in *Lyra.*
VII. 13. Ex. *Sit & quædam plicata tunica* in *Rugæ.*
Polyæn. Stratag. V. 12. 1. Ex. *Obviam factus est mulus portans apium. Milites omen abhorruerunt. . . .* in *Apium col. 2.*
Polyb. Histor. VI. 17. Ex. *Magistratum urbanum non ante capere cuiquam licitum est, quam decem annos militando exegerit* in *Ætas quæstoria.*
18. Ex. Ubi docet rationem eligendi diversam fuisse utriusque militiæ: equites olim probari solitos, ejus tempore ex censu electos in *Equites col. 2.*
19. Ex. *Reliqui omnes adjurant singuli prodeuntes* in *Sacramentum militare col. 2.*
32. Ex. *Equites & centuriones cum prima luce veniunt ad tentoria tribunorum* in *Salutatio.*
35. Ex. *[illegible] stationem agere* in *Stationes militum.*
36. Ex. *Tribunus desertores in medium producit, eosque atroci oratione increpat: modo quinque sortitur, modo octo* in *Decimari.*
37. Em. *Imperator illi, qui hostem prostraverit. . . . pediti phialam* in *Phiala.*
38. Ex. *Nisi forte insuper oporteat hastatos evolvi* in *Evolutio.*
Polydor. Virg. de Invent. rerum II. 13. N. quia scribit: *Duo alia latera chius & senio nominabantur, & ille ternarium, hic quaternarium significabat* in *Chius.*
Pompon. Ictus de Orig. jur. §. 46. N. quia tradit, quod perspicue falsum, Ælium Tuberonem fuisse patricium in *Gens Ælia.*
§. 3. Em. & Ex. *Eodem tempore constituti sunt triumviri monetales, æris, argenti, auri flatores* in *Flatores.*
ff. de Instruct. vel instrum. leg. 15. Ex. *His verbis Servius respondit, focariam, & merces. . . . legatas videri* in *Focaria.*
ff de Donat. int. vir. & ux. leg. sed si vir §. 8. Ex. *Si vir uxori munus immodicum Kal. Mart. dedisset, donatio est* in *Dona uxoria.*
Pompon. Atellan. script. apud Non. I. 66. Ex.
Sarculum hinc illo profectus, illinc rediisti rutrum.
in *Rutrum.*

II. 284. Ex.

Et ubi insilui in cochleatum equuleum,
Ibi tollutim tortor.

in *Equuleus col.* 4.

Pontan. in Virg. Ecl. IX. 36. N. quia docet *cycnos brevi morituros suavius canere* in *Cycnus.*

Porphyrio in Horat. Epist. I. 18. 66. N. quia utroque pollice vult esse utraque manu συνεκδοχικῶς, &, *qui vehementius laudat, pollicem jungere cum proximo* in *Pollex.*

Porphyrius Epigrammat. Em. & Ex.

Purpureo fulgens habitu, radiantibus intus.

in *Libri.*

Probus de Not. Antiq. Em. & Ex. *Jovi Sabatio* in *Jupiter Sabazius.*

Propert. I. 16. 26. Ex.

Respondes tacitis mutua cardinibus.

in *Cardo col.* 2.

II. I. 86. Ex.

Esseda cælatis siste Britanna jugis.

in *Essedum.*

14. 25. Ex.

Nunc etiam infectos demens imitare Britannos.

in *Britanni.*

15. 18. Ex.

— *& Veneri ponere vota juvat.*

in *Venatio.*

19. 72. Ex.

Cui sæpe immundo sacra conteritur via socco.

in *Soccus col.* 3.

21. 59. Ex.

Munera Dianæ debita redde choro. } in *Votivæ.*

60. Ex.

Votivas noctes & mihi redde decem. } in *Votivæ.*

III. I. 47. Ex.

--- *nobis Baccho, & Apolline dextro.*

in *Hercules dexter col.* 2.

5. 41. Ex.

Ite, rates curvas, & leti texite causam.

in *Textrinum.*

11. 61. Ex.

--- *atque utinam patriæ sim vanus aruspex.*

in *Aruspex.*

16. 6. N.

Cymbala Thebano concrepuere deo.

in *Cymbalum col.* 2.

17. 14. Ex.

Quæ voluit liquido tota subire deo.

in *Neptunus col.* 2.

IV. 2. 2. Ex.

Accipe Vertumni signa paterna dei.

in *Templum.*

39. Ex.

Mundus demissis institor in tunicis.

in *Tunica col.* 2.

40. Ex.

Pastorem ad baculum possum curare.

in *Ad baculum.*

58. Ex.

--- *hac spatiis ultima creta meis.*

in *Ad calcem pervenire.*

6. 6. Ex.

Terque focum circa laneus orbis eat.

in *Orbis laneus.*

6. 50. Ex.

--- *pictos experiare metus.*

in Παράσημον *col.* 2.

72. Ex.

Terque lavet nostras spica Cilissa comas.

in *Crocus col.* 2.

7. 9. Ex.

Et solitum digito beryllon adederat ignis.

in *Annulus col.* 10.

12. Ex.

Pollicibus fragiles increpuere manus.

in *Manus col.* 2.

34. Ex.

--- *& fracto busta piare cado.*

in *Expiatio.*

61. Ex.

--- *quaque æra rotunda Cybelles.*

in *Cymbalum.*

9. 9. Ex.

Lygdamus ad cyathos.

in *Ad cyathos.*

12. Ex.

Et facilis spargi munda sine arte rosa.

in *Rosa col.* 2.

14. Ex.

Jactabat truncas ad cava buxa manus.

in *Ballistea.*

18. Ex.

Semper damnosi subsiluere canes.

in *Canis col.* 4.

11. 21. Ex.

Picta nec inducto fulgebat parma pyropo.

in *Æs pyropum* & *Scutum col.* 3.

42. Ex.

Nobilis e tectis fundere gæsa rotis.

in *Gæsum.*

Prudent. περὶ στεφ. II. 399. Ex.

Ultro e catasta judicem
Compellat affatu brevi.

in *Catasta col.* 2.

V. 251. Ex.

Lignoque plantas inserit
Divaricatis cruribus.

in *Compedes.*

Hamartig. n. 210. Ex.

Ense ferit dominum pugnæ, nodumque, moramque.

in *Nodus magicus col.* 2.

cont. Symmach. I. 204. Ex.

--- *unguentoque Lares humescere nigros.*

in *Lares.*

Psalm. II. n. 12. Ex. *Osculamini filium* in *Osculum civile.*

XLV. n. 2. Ex. *Lingua mea calamus scribæ* in *Calamus scriptorius col.* 2.

CXLI. n. 2. Ex. *Statuatur oratio mea sicut incensum in conspectu tuo* in *Thus.*

Ptolem. N. quia Argentoratum Vangionum vult esse oppidum in *Argentoratum.*

N. quia Mogontiacum collocat in Germania inferiore, infra Obringam amnem, qui nunc vulgo Are dicitur in *Mogontiacum.*

Pythag. Ex. *Quæ deciderint, ne tollas* in *Silicernium.*

Quintil. Præf. ad Tryphon. Ex. *Permittamus vela ventis, & oram solventibus bene precemur* in *Ora.*

Instit. Orat. II. 3. Ex. *Illa vero jam pæne apertis, ut ajunt, tibiis* in *Tibiæ apertæ.*

12. Ex. *Mire ad pullatum circulum facit* in *Pullati.*

IV. I. Em & Ex. *Quibusdam in judiciis,*

INDEX AUCTORUM.

diciis, maximeque capitalibus, ut apud centumviros. . . . in *Judicium centumvirale.*

viii. 6. Ex. *Clodia Metelli Celeris uxor, ſoror P. Clodii quadrantaria* in *Quadrans.*

xi. 2. Em. *Scævola in luſu duodecim ſcruporum eſſet victus* in *Scripta duodecim.*

3. Ex. *Ille qui ſub humero dextro ad ſiniſtrum oblique ducitur velut balteus, nec ſtrangulet, nec fluat* in *Balteus col.* 2. & *Sinus col.* 1. & 2.

Ex. *Tum ſinus rejiciendus humero, cujus extremam oram rejeciſſe non dedecet* in *Humerus.*

xii. 3. Ex. *Quorum alii ſe ad album, ac rubricas tranſtulerunt, & formularii, ac leguleji quidam eſſe maluerunt* in *Rubrica.*

Declamat. iii. Ex. *Romano militi pro vallo excubanti* in *Procubitores.*

xii. Ex. *Redite in domus veſtras, videbitis noxios focos.* . . . in *Focus col.* 2.

Rabir. de Haſt. & auct. orig. Theſ. Antiq. Rom. Græv. Tom. iii. p. (30.) D. N. quia ex Virg. Æneid. vi. 407; x. 80. inſignia familiarum conatur probare in *Arma.* . . .

Rader. in Mart. i. 42. 9. N. quia putat tomacula eſſe inſicia in *Tomacula.*

vii. 60. 8. N. quia exiſtimat ludum ſcacchiæ diverſum eſſe ab eo, quem hodie in Europa frequentiſſime uſurpamus... in *Scacchia col.* 2.

x. 5. 9. N. quia ſcribit ſpondam orcinianam ſimpliciter eſſe ſandapilam, ſive pheretrum in *Sponda.*

xiii. 1. 6. N. ubi ait: Senio in talis tum judicatur eſſe fortunatiſſimus, cum omnes tali diverſas habent figuras, ut nullus cum altero conveniat in *Senio.*

xiv. 1. 1. N. quia ſynthesin putat tantum fuiſſe ditiorum, & lautiorum, non plebejorum in *Syntheſis.*

Ræyard. Protribun. c. 19. N. dum ſtatuit decemviros ſtlitibus judicandis creatos fuiſſe circa annum ab U. C. 467. in *Decemviri.*

c. 20. N. quia aſſerit centumvirorum judicium ad publicorum ordinem inclinare in *Judicium centumvirale.*

ad Leg. xii. tab. c. 15. N. quia accipit legem, quaſi vetet non plures quam tres feminas riciniis indutas in funere fuiſſe in *Ricinium.*

Raynaud. de Pil. & cæt. cap. tegm. ſect. vi. N. quia dicit ſtolam a dextro latere in lævum humerum fuiſſe miſſam in *Stola col.* 2.

1 Reg. c. 7. n. 45. Ex. *Vaſa quæ fecit Chiram Regi Solomoni pro domo Jehovæ ex ære purgato* in *Æs Corinthium col.* 2.

c. 12. n. 11. Ex. *Pater meus cecidit vos flagellis, ego autem vos cædam ſcorpionibus* in *Scorpio.*

c. 18. n. 17. Ex. *Subſtiterunt ad aquæductum piſcinæ ſuperioris, qui eſt in aggere agri fullonis* in *Mola fullonia.*

c. 21. n. 8. Ex. *Jeſabel ſcribens literas nomine Achabi obſignavit ſigillo ejus* in *Annulus ſignatorius.*

2 Reg. c. 1. n. 2. Ex. *Quum cecidiſſet Ahazia per quandam tranſennam* in *Tranſenna.*

c. 2. n. 23. Ex. *Quum aſcendiſſet Bethelem: puerique illuſiſſent ei dicentes, aſcende calve, aſcende calve* in *Barba* §. 20.

c. 6. n. 25. Ex. *Qui eſt in cabo columbarum* in *Cabus col.* 2.

Remm. Fann. N. quia Dionyſ. Perieget. n. 1128. male vertit in *Rhombus.*

Rhenan. in Tacit. German. c. 5. n. 7. N. quia nummos ſerratos apud illum perperam explicat in *Nummus ſerratus.*

Rhodig. Antiq. Lect. vii. 6. N. quia pædagogium accipit pro loco in *Pædagogium col.* 2.

ix. 5. N. quia docet cycnum ante mortem dulcius canere in *Cycnus.*

x. 2. N. quia nummos ſerratos minus recte interpretatur in *Nummus ſerratus.*

18. N. quia putat ſpondam Orcinianam apud Mart. x. 5. 9. ſimpliciter eſſe ſandapilam, ſive pheretrum in *Sponda.*

xii. 18. N. quia putat *S* habere in foribus tricliniorum ſilentii notam: & veteres Latinos *S* & *T* ſimul agglutinantes effinxiſſe *ſt* ſyllabam in *S.*

N. ubi docet ſigma dici poſſe ab elementi titulo, qui foribus ſuperpoſitus erat ad ſilentium indicendum: & fuiſſe diætam, ſive cœnationem hemicycliam in *Sigma col.* 2.

xvi. 9. N. quia ſcribit thalamitas brevioribus uſos fuiſſe remis, & minus accepiſſe mercedis in *Thalamitæ col.* 2.

xxi. 22. N. quia vult libros elephantinos fuiſſe dictos ab operis magnitudine in *Libri elephantini.*

25. N. quia aſſerit æs Corinthium fuiſſe dictum, quod Corintho incenſa aurum, argentum, & æs in unum confluxerint, peruſtis plurimis ſtatuis & ſimulacris in *Æs Corinthium.*

31. N. quia putat cucumas eſſe habenalia ornamenta ex ære orbiculata in *Cucuma.*

xxiii. 11. N. quia neſcit, cur Latini ænigmata ſirpos vocent in *Sirpus.*

xxvii. 25. N. quia ſpondam opinatur dictam ſedem diſcumbentis in *Sponda.*

xxviii. 24. N. quia negat janitrices dici duorum fratrum uxores in *Janitrices.*

xxx. 19. N. quia vult pilicrepum vocatum, qui pilas in ignem balneorum conjiciebat in *Pilicrepus.*

Rittershuſ. in Leg. xii. tab. Claſſ. iii. p. 3. c. 11. N. quia Plauti pultiphagum Moſt. iii. 2. 143. Pœn. prol. n. 53. intelligit de Romano in *Puls Punica.*

de Roa Singul. ii. 11. N. quia Claud. Nupt. Honor. & Mar. n. 187. perperam interpretatur.

Roſin. Antiq. Rom. ii. 5. N. quia ſacellum Jovis Fagutalis collocat in decima Urbis regione in *Sacellum Jovis.*

18. N. quia aſſerit templum Pacis a D. Claudio inchoatum in *Templum Pacis.*

iii. 24. N. quia arbitratur decemviros ſacrorum adhuc fuiſſe eo anno, quo Capitolium crematum eſt in *Quindecimviri.*

iv. 8. & 15. N. quia docet Floralia primum menſe Aprili celebrata, poſtea in Majum translata eſſe in *Floralia col.* 2.

Ruben. de Re veſt. i. 1. N. quia Juven. Sat. viii. 208. non recte interpretatur in *Patagium col.* 1.

N. quia putat plagulas fuiſſe tunicæ duas partes, clavis latis, aut anguſtis inſignitas in *Plagula.*

2. N. quia comminiſcitur in veſtibus femineis clavos aureos, qui medias veſtes interſecabant, virgulas fuiſſe dictas in *Virgula.*

6. N. quia fingit pænulam fuiſſe veſtem adſtrictam, & partium corporis quas tegebat, figuram expreſſiſſe in *Pænula col.* 2.

8. N. quia putat πάραλυργὲς fuiſſe veſtimentum, quod utrimque habuit clavos purpureos in Παραλυργὲς.

13. N. quia arbitratur faſciam in conviviis miniſtrantium ſuſpenſam pallium fuiſſe appellatum in *Miniſtri.*

16. N. quia Plin. xxxiii. 3. *Aurum etiamnum pedibus induitur* non recte interpretatur in *Periſcelides.*

17. N. quia putat veſtem Auguſti forenſem fuiſſe cubicularem, & illam in cubiculo Auguſtum fuiſſe indutum in *Forenſia* & *Stola.*

******** N.

N. quia ſtolam, tunicam muliebrem confundit cum palla muliebri in *Palla.*

18. N. quia ſacerdotum caſulas depingit lato clavo diſtinctas in *Caſula.*

21. N. quia aſſerit veſtem regiam tantum purpuream fuiſſe in *Veſtis regia.*

22. N. quia vult ſenatores ſub Imperatoribus poſterioris ævi togas cinctu Gabino portaſſe in *Senator col.* 10.

23. N. quia tabulas longas vult plumas appellatas eſſe in *Plumæ col.* 2.

II. 1. N. quia vult caligas etiam crus texiſſe, & ad mediam tibiam aſcendiſſe in *Caliga col.* 2.

N. quia comminiſcitur cothurnis mulleos fuiſſe ſimiles in *Cothurnus.*

14. N. quia ex Varr. de Ling. Lat. v. 3. a ſe mutilato conatur probare prætextam pontificum dictam fuiſſe ſuffibulum in *Suffibulum.*

Rufin. Invect. in Hieron. Em. *Et propria rurſus nota ſuperſtitem ſignat* in *T.*

S. Rufus Em. *Cn. Mummius proconſul Galatas proſecutus eſt* in *Galatia.*

Em. *Spolium Samarium* in *Spoliarium.*

Em. *Vicus ſugillarius prior* in *Sigillaria.*

Rutgerſ. Var. Lect. IV. 7. N. quia affirmavit ſpolia etiam opima eſſe, quæ manipularis miles detraxerit duci hoſtium in *Spolia opima.*

V. 17. N. quia putat Θ ad defuncti nomen adſcriptum notaſſe defunctum, & T propria nota ſuperſtitem ſignare in *T.*

VI. 13. N. dum per trechedipna apud Juven. III. 67. intelligit veſtes peculiaribus familiarum coloribus diſtinctas in *Trechedipna.*

Ruth c. 2. n. 14. Ex. *Tempore cibi comede ex hoc cibo, & intinge bucceam in acetum iſtud* in *Poſca.*

Rycq. de Capitol. c. 18. N. quia hariolatur Trajanum e ſolido primum auro Jovem, Junonem & Minervam in Capitolio poſuiſſe in *Statua Jovis Capitolini col.* 2.

Sabellic. in Suet. Ner. c. 38. n. 5. N. quia vult turrim Mæcenatis verbo ſyncopato Meſam appellatam in *Turris Mæcenatiana.*

Annot. in Plin. c. 27. N. ubi docet milliarium aureum in capite fori Romani vocatum, quod ab eo numerus milliariorum, quibus itinera metiebantur, inceperit in *Milliarium col.* 2.

Salluſt. Bell. Jugurth. c. 29. Ex. *Per ſaturam ſententiis exquiſitis* in *Lex Satura.*

c. 45. Ex. *Cæteris arcte modum ſtatuiſſe* in *Calo col.* 2.

c. 65. Ex. *Honorem, quod eorum modo foret, quos populus Romanus Reges appellaviſſet* in *Biſellium col.* 2.

Salmaſ. Exerc. Plin. p. 195. a. D. N. quia non intellexit capitationis vim, & quid vox ea valeat in *Penſio.*

p. 630. b. C. N. quia putat temones juxta ſe collocatos fuiſſe, duo dextros, duo ſiniſtros in *Temo.*

p. 636. a. D. N. quia occupare de agitatoribus dictum vult eſſe alios prævertere in *Occupare col.* 2.

p. 640. b. A. N. quia dicit phalas fuiſſe turres rotundas, & ovali figura faſtigiatas in *Phalæ.*

p. 758. b. D. N. quia æs caldarium appellat illud, ex quo nunc fiunt caldaria in *Æs caldarium.*

p. 766. a. D. N. quia Tibull. I. 9. 5. male interpretatur in *Nodus magicus col.* 2.

de Milit. Rom. c. 10. & 11. N. quia docet multis, quænam acies quadrata fuerit, quæ nuſquam commemoratur in *Acies col.* 3.

de Cruc. p. 414. N. quia ſufflamen accipit de furca temonis in *Sufflamen.*

Not. ad dedic. ſtat. Regill. N. quia per patriciam lunulam intelligit uncinum in prima fronte calcei infixum in *Lunula.*

ad Tertull. de Pall. p. 110. N. quia vult omne apertum veſtimentum intelligi quadratum in *Veſtimenta quadrata.*

p. 312. N. quia Symmach. Epiſt. I. 1. *elaboratam ſolatii filio accipe cantilenam* perperam emendat in *Solox.*

in Capitol. Antonin. Philoſ. c. 13. N. quia ſoracum diverſum facit a ſarraco in *Soracum.*

Pertin. c. 8. N. quia non recte interpretatur Juven. XVI. 13. in *Bardaicus. col.* 2.

Maximin. c. 4. N. quia manipularium dicit fuiſſe ductorem manipuli in *Manipularius.*

in Lamprid. Commod. c. 5. N. quia locum illum perperam emendat & interpretatur in *Gladiatores cubicularii.*

Antonin. Diadum c. 2. N. quia ait: Pænulæ militares, & ſerviles, & plebejæ omnes fuerunt cinctæ in *Pænula col.* 2.

c. 33. N. quia vult tunicas aſemas apud Lampridium appellatas eſſe, quæ purpura caruerint; & clavum non habuerint in *Aſemæ* & *Tunica col.* 5.

in Spartian. Sever. c. 29. N. quia nummum centenionalem putat a centenario non fuiſſe diverſum: & fuiſſe aureum in *Centenionalis.*

Caracal. c. 9. N. quia pauſarios dicit fuiſſe, qui in portando Anubi pauſas expleverunt, & quidem corpus illorum ſacrum in *Pauſarius.*

in Trebell. Gallien. c. 16. N. quia fingit caligam etiam crus texiſſe, & ad mediam tibiam aſſcendiſſe in *Caliga col.* 3.

Trigint. Tyrann. c. 14. N. quia putat χρυσόκλαβον eſſe veſtem aureis clavis diſtinctam in Χρυσόκλαβον.

Claud. c. 14. N. quia Mart. XIV. 129. de tunicis ruſſis Canuſinis intelligit in *Tunica col.* 5.

in Vopiſc. Aurelian. c. 4. N. quia cunabula & incunabula confundit in *Cunabula.*

c. 46. N. ubi intritum perperam explicat in *Intritum.*

N. quia Balſamonem lorum cum Phrygio confundentem fruſtra conatur defendere in *Lorum col.* 2.

N. quia Nonium I. 326. non errantem erroris inſimulat in *Præclavium.*

Tacit. c. 9. N. quia putat auctores per voces plumbei nummi intelligere monetam pæne nullius valoris & pretii in *Moneta col.* 2.

Prob. c. 5. N. quia nimis libere pronuntiat in commentatores in Tacitum, illos ignoraſſe, quod genus militum fuerint vexillarii in *Vexillarii.*

Carin. c. 16. N. quia taxatores dicit fuiſſe, quorum alter alterum in ſcena maledictis tangeret in *Taxatores.*

c. 20. N. quia tabulas in veſtibus vult fuiſſe dictas clavos rotundos in *Tabulæ in veſtibus.*

N. quia veſtes ſcutulatas vult easdem eſſe quas virgatas: & ſcutellas omnes fuiſſe rotundas in *Veſtis ſcutulata.*

de Modo uſur. c. 6. N. ubi ſic diſputat de aſſibus libralibus, quaſi appendi eos nulla neceſſitas efflagitaverit in *Aſſes librales col.* 2.

N. quia docet centeſima cum dicitur, vocem uſuræ eſſe ſubaudiendam: etiam cum ſingulas numero multitudinis pronuntiant in *Uſuræ centeſimæ toto* §.

Salmuth in Pancirol. de Reb. deperd. & invent. p. 97. N. quia naſiternam vult dictam, quod tres naſos, hoc eſt, anſas haberet in *Naſiterna col.* 2.

p. 168. N. quia putat vocabulum ſolox a Tertull. de Pall. c. 4. ſubſtantive uſurpatum in *Solox*.

p. 343. N. quia lunulam in calceo patricio vult fuiſſe fibulam eburneam inſtar lunæ corniculantem in *Lunula*.

p. 396. N. quia vocabulum paragaudæ putat eſſe verbum e Græco & Latino compoſitum in *Paragauda*.

p. 398. N. quia negat in palmarum foliis ante chartam inventam veteres ſcripſiſſe in *Palma col. 2.*

Salvian. vi. p. 206. Ex. *Qui annis nomina tribuunt, & a quibus anni ipſi exordium ſumunt* in *Venatio amphitheatralis*.

1 Sam. c. 17. n. 5. Ex. *Goliathus lorica ſquamea erat indutus* in *Lorica col. 2.*

n. 40. Ex. *Funda autem ejus erat in manu ejus* in *Funda*.

c. 18. n. 5. Ex. *Et earum choreæ obviam Sauli Regi cum tympanis præ lætitia* in *Balliſtea*.

c. 26. n. 7. Ex. *Et invenerunt haſtam fixam in terram ad caput ejus* in *Haſta col. 2.*

2 Sam. c. 12. n. 31. Ex. *David populum, qui in Rabba erat, eductum ſubjecit ſerræ* in *Serra*.

c. 15. n. 30. Ex. *David aſcendebat per clivum montis olivarum, opertus capite* in *Judæi*.

Savar. in Sidon. Epiſt. i. 11. N. quia carpentum dicit fuiſſe tribunal in *Carpentum*.

ii. 2. N. quia pilicrepum vult vocatum, qui pilas in ignem balneorum conjiciebat in *Pilicrepus*.

Saubert. de Sacrific. c. 17. N. quia æs Corinthium dicit nomen accepiſſe, quod Corintho incenſa aurum, argentum, & æs in unum confluxerint, peruſtis ſtatuis & ſimulacris in *Æs Corinthium*.

Savil. in Tacit. Hiſt. i. 27. 3. N. quia milliarium in capite fori Romani vult dictum eſſe, quod ab eo numerus milliariorum, quibus itinera metiebantur, inceperit in *Milliarium col. 2.*

N. quia a pentecontoris μακρὰ diſtinguit in *Naves actuariæ*.

Savot. de Numm. Antiq. i. 4. N. quia putat imagines Imperatorum ſigna fuiſſe dicta in *Imagines*.

ii. 17. N. quia milliarium putat dictum eſſe, quod ab eo numerus milliariorum, quibus itinera metiebantur, inceperit in *Milliarium*.

Scalig. in Auſon. i. 1. N. quia cenſet Argentoratum Valentiniani Imperatoris tempore vicum fuiſſe in *Argentoratum*.

ii. 12. N. quia Samium pro acuto accipit in Auſon. Epiſt. iv. 48. in *Samiarii*.

14. N. quia putat paradam eſſe genus navigii Vibiſci voluptarii undique tecti in *Parada*.

23. N. quia vult luſtrum tantum quadriennii tempus notaviſſe in *Luſtrum col. 2.*

28. N. quia muriatica vocat quæ omnino uno nomine hodie dicuntur ſtochviſch in *Muriatica*.

N. quia fallitur in explicando Varr. de Ling. Lat. iv. 27. ubi ille: *Nanus cum Latino nomine Græca figura barbatos* in *Nanus*.

in Catal. p. 118. N. quia confundit πῖθος & κάδος in *Pythaules*.

de Emend. tempor. v. p. 183. N. quia Tullii luſtrum decimum comparat cum an. 188. in *Luſtrum col. 3.*

v. p. 482. N. quia aſſerit luſtrum tantum quadriennii tempus notaviſſe in *Luſtrum col. 2.*

in Euſeb p. 110. N. quia ὑποπόδιον καὶ τὸ ἐξέχον πῆγμα putat diverſa, quæ a Juſtino prorſus unum idemque habentur in *Staticulum*.

158. N. quia crotalum cum ſiſtro confundit in *Crotalum*.

in Guiland. Papyr. p. 38. & 39. N. quia nec Plin. xiii. 12. *Texuntur omnes tabulæ madentes....* nec chartæ contexendæ modum eſt aſſecutus in *Tabulæ chartarum col. 3.*

in Cop. p. 225. N. quia ſcabillorum crepitum pro teſtarum crepitu accipit in *Scabellum*.

p. 254. N. quia crotalum confundit cum ſiſtro in *Crotalum*.

in Manil. iv. 184. N. quia confectorem vult fuiſſe, qui ſpectaculo meridiano operam locabat, & luxuriæ cædem parabat in *Confici*.

v. 82. N. quia dextrationem in circenſibus curriculis autumat exteriorem flexum eſſe in *Dextratio*.

145. N. ubi docet exodia dicta eſſe dicteria, ſi erant in fine fabulæ: & Firmic. vi. 31. *qui fabularum exitus imitentur* minus recte explicat in *Exodia*.

336. N. quia Manilium male interpretatur in *Cognitor col. 2.*

Poet. i. 10. N. quia ethologum & ridiculum facit duo genera mimi in *Mimus*.

18. N. quia ſicinniſtas ad tumulos mortui modos feciſſe ſcribit in *Sicinniſtæ*.

in Prop. iv. 6. 6. N. quia ignorat ritum quem Poeta deſcribit in *Ara col. 2.* & *Orbis laneus*.

in Feſtum in Arcuma N. quia vult chiramaxium eſſe genus modici plauſtri, quo homo tantum geſtari poterat, & a ſervis, non a mannis trahebatur in *Chiramaxium*.

in Cupes N. quia putat forum cupedinis eſſe forum piſcarium in *Forum cupedinis*.

in Puri N. quia arbitratur partitionem eſſe modum, quo hæredi liberatio a ſacris quærebatur in *Partitio*.

in Ratitum N. quia ſcribit Ratitum quadrantem Tarquinium Superbum dictum putare.... in *Quadrans ratitus*.

in Varron. p. 58. N. quia rutrum vult eſſe Pherecydis χρώπιον in *Rutrum*.

p. 60. N. ubi ſirpeas dicit eſſe vehicula e viminibus contexta, vel vehem ex crate in *Sirpea*.

N. quia vult tintinnabulum fuiſſe vehiculum in *Tintinnabulum*.

p. 121. N. ubi aſſamenta fingit eſſe poemata, in unum ſolum vel hominem, vel deum condita in *Aſſamenta col. 2.*

p. 126. N. quia muriatica vocat quæ omnino uno nomine hodie dicuntur ſtechviſch in *Muriatica*.

p. 192. N. quia patagium contendit fuiſſe clavum aureum veſtibus circa manum immiſſum in *Patagium*.

Scheffer. de Milit. Nav. iii. 3. N. quia ſternutamenta a læva in navis conſcenſione docet ſiniſtra eſſe habita in *Omen col. 2.*

in Phædr. i. 26. 7. N. & defend. in intriti explicatione in *Intritum*.

Schill Nomencl. Philol. p. 171. N. quia aſſamenta fingit eſſe poemata, in unum ſolum vel hominem, vel deum condita in *Aſſamenta*.

Schmid. de Sibyll. D. 2. N. quia putat decemviros ſacrorum adhuc fuiſſe eo anno, quo Capitolium crematum eſt in *Quindecimviri*.

Scholiaſt. Juven. Sat. ii. 143. N. quia vult togam tantum ſenatorum fuiſſe geſtamen in *Toga col. 7.*

vi. 7. N. qui ſcripſit exodiarios in fine ludorum intraſſe in *Exodia*.

viii. 175. Em. *Sandapilarum lectorum, in quibus. . . .* in *Sandapila*.

INDEX AUCTORUM.

185. Ex. *Sub quo latent paradoxi* in *Siparium.*

Schott. Andr. Nod. Cicer. I. 3. N. ubi docet clavarium fuisse vectigal, quod calceis, & clavis caligarum solvebatur in *Clavarium.*

Observ. III. 5. N. quia putat muriam duram esse illam, quæ vi solis crassefacta, alterius rei liquidioris comparatione dura appareat in *Muria dura.*

in Excerpt. ex Senec. contr. p. 670. N. quia ex Tib. I. 3. 89. colligit, maritos peregre reversos præmisisse, qui nuntium reditus uxori adferret in *Maritus.*

Schott. Francisc. Itiner. Ital. p. 40. N. quia asserit templum Pacis a D. Claudio inchoatum in *Templum Pacis.*

p. 174. N. quia fingit statuas duas marmoreas in Quirinali collocatas a Phidia, & Praxitele factas esse, & Alexandrum expressisse in *Mons Caballus.*

Sciopp. de Styl. Histor. p. 46. N. quia negat quadrigam in singulari apud probatum scriptorem inveniri in *Quadriga.*

p. 60. N. quia affirmat ætatis æneæ scriptores amanuensem invenisse in *Amanuensis.*

Sciopp. Collect. I 18. N. quia docet libros elephantinos dictos esse ab operis magnitudine in *Libri elephantini.*

N. quia tribum Popilliam a Popillia femina dictam contendit in *Tribus Popilia.*

Senec. Luc. de Ira I. 16. Ex. *Vult nemora suspendere* in *Nemus.*

II. 25. Ex. *Quod rosæ foliis duplicatis incubuisset* in *Rosa.*

III. 8. Ex. *Optimum judicarit & secundus agere* in *Parasitus.*

19. Ex. *Torserat fidiculis, tabularius* in *Tabularium.*

ad Helv. c. 9. Ex. *Caligula centies sestertio cœnavit uno die* in *Caligula.*

de Tranquill. c. II. Ex. *Qua dignitas cujus non prætextam lora patricia comitentur* in *Corrigia.*

In sapientem non cadere injuriam Ex. *Gladiatorum alter premit vulnus, & stat in gradu: alter....* in *Pollex col. 2.*

de Brevit. vit. c. II. Ex. *Quos hasta prætoris infami lucro exercet* in *Hasta prætoria.*

c. 17. Ex. *Marium caliga dimisit? consulatus exercet* in *Caliga col. 2.*

de Benef. II. 23. Ex. *Quidam nolunt interponi pararios* in *Pararii* & *Equi pares.*

35. Ex. *Mihi sunt detractæ sordes* in *Reus col. 4.*

III. 8. Ex. *Hic pecuniam pro addicto dependet* in *Addicere.*

28. Ex. *Quo tandem ab istis gerulis raperis, cubile illud tuum circumferentibus* in *Lectica col. 3.*

IV. 12. Ex. *Quas illi detraxero sordes, sub accusatoribus sumpturus* in *Reus col. 4.*

32. Ex. *Ego quid cui debeam, scio: aliis post longam diem repono, aliis in antecessum* in *Dare.*

V. 16. Ex. *Marius ad consulatum a caliga perductus* in *Caliga col. 2.*

VI. 4. Ex. *Non tam duri quidam, & scelerati patres sunt, ut illos aversari, & ejurare jus fasque sit* in *Ejuratio.*

32. Ex. *Ex adultera in quæstuariam versa* in *Statua Marsyæ.*

34. Em. & Ex. *Habuerunt amicos primos, habuerunt & secundos, nunquam veros* in *Admissio.*

Ex. *Qui per fores maligne apertas non intrat, sed illabitur* in *Salutatores.*

VII. 9. Ex. *Eo pretiosius, quo illud in plures nodos* in *Mensa.*

Epist. 4. Ex. *Eodem die, ubi luserunt navigia, sorbentur* in *Naves lusoriæ.*

14. Ex. *Cogita uncum, & adactum per medium hominem, qui per os emergat, stipitem* in *Crux simplex col. 2.*

15. Ex. *Vel ille, ut ita dicam, saliaris, vel, ut contumeliosius dicam, fullonius saltus* in *Saltatio Saliorum.*

27. Ex. *Suasit illi Satellius Quadratus. . . . ut grammaticos haberet analectas* in *Analectæ grammatici.*

29. Ex. *Nescio quid de gradu faciat. Tanquam de essedario interrogaretur* in *Essedarii col. 2.*

30. Ex. *Non dubitare se, quin senilis anima in primis labris esset* in *Anima.*

36. Ex. *Nemo discit, ut, si necesse fuerit, æquo animo in rosa jaceat* in *Rosa.*

Ex. *Ut stans aliquando saucius pro vallo pervigilet* in *Procubitores.*

53. Ex. *Mitto me in mare, quomodo psychrolutam decet, gausapatus* in *Gausapa col. 2.*

67. Ex. *Equuleo longior factus* in *Equuleus col. 2. & 3.*

71. Ex. *Illud præclarum Reipublicæ prætextum* in *Prætextum.*

77. Ex. *Solis licet supparum intendere, quod in alto omnes habent naves* in *Supparum.*

83. Ex. *Quod raro cursoribus evenit, hieran fecimus* in *Hieran facere.*

Ex. *Ille tantus psychrolutes, qui Kalendis Januariis in Euripum saltabam* in *Psychrolutes.*

Ex. *Panis deinde siccus, & sine mensa prandium* in *Jentaculum.*

85. Em & Ex. *O hominem calamitosum! nescit vivere: non pacata aqua lavabatur* in *Saccus.*

Ex. *Quid illud sociorum garum* in *Garum.*

88. Ex. *Hic, qui inter illos apparatus delicatus cum maxime dubitat, utrum se ad gladium locet, an ad cultrum* in *Gladiator col. 4.*

Em. Def. & Ex. *O quam vellem Catoni nunc occurrere aliquem ex his trossulis divitibus* in *Trossuli.*

95. Ex. *Quos post transacta convivia aliæ cubiculi contumeliæ exspectant* in *Pædagogia.*

101. Ex.

Vita dum superest, bene est.
Hanc mihi, vel acuta
Si sedeam cruce, sustine.

in *Crux simplex.*

114. Ex. *Crepacem molam focum mater aut uxor investiunt* in *Genius col. 3.*

Nat. Quæst. IV. I. Em. *Thetisi Threcæ in compositi* in *Threx.*

Hercul. Fur. n. 167. Ex.

Durasque fores expers somni colit.

in *Salutatio.*

n. 1310. Ex.

—— hanc animam levem
In ore primo teneo.

in *Anima.*

Troad. IV. 1023. Em. & Ex.

Sortem occupavi, præmium eripiant mihi.

in *Occupare.*

Med. I. 59. Ex.

Primus sceptriferis colla Tonantibus. . . .

in *Taurus col. 2.*

Hercul. Oet. II. 663.

Nec Sidonia mollis aheno
Repetita bibit lana ruborem.

in *Purpura Tyria.*

Senec. Marc. Suasor. VII. Ex. *Cicero paullum remoto velo,* post-

postquam armatos vidit in *Lectica col.* 3.

Controv. I. 2. Ex. *Nuda in littore stetit ad fastidium emptoris, omnes partes corporis & inspecta & contrectata sunt* in *Meretrices col.* 2. & *Servus col.* 4.

II. I. Em. & Ex. *Varius ille secatur lapis, ut tenui fronte parietem tegat* in *Paries col.* 2.

X. I. *Laudis utriusque in foro inspici* in *Statua col.* 5.

Serv. in Virg. Eclog. IV. 12. N. quia vult *menses magnos esse Julium & Augustum* in *Mensis magnus.*

V. 30. N. quia poetam perperam interpretatur in *Tigris.*

Georg. I. 126. N. quia *fossam ducit ab oriente ad occidentem, quæ cardo nuncupabatur* in *Cardo col.* 2.

292. Em. *Faces incidere ad speciem* in *Pavimentum testaceum.*

II. 93. N. ubi scribit: *mustum decoquitur, & inde fit passum* in *Passum.*

444. N. quia *tympana* male interpretatur *tecta vehiculorum* in *Rota aquaria.*

III. 83. N. quia colores gilvum & melinum eosdem dicit esse in *Color gilvus.*

293. Ex. *Per quam nullus antea egit orbitam* in *Rota.*

Æneid. I. 220. Ex. *Mensas appellabant pro discis* in *Mensa col.* 6.

286. N. quia videtur velle ricinium commune pallium fuisse in *Ricinium.*

702. N. quia erroris insimulat qui *triclinium dicunt basilicam, vel cœnationem* in *Triclinium.*

II. 2. N. quia *altum thorum* interpretatur summum, & dicit illum fuisse pontificalem in *Locus in convivio dignissimus.*

Ex. *Torus ab herbis tortis dictus est* in *Torus.*

268. N. quia scribit *crepusculum matutino tempori jungi posse* in *Crepusculum.*

IV. 212. Ex. *Ita ut vacca esset interior* in *Locus sinister.*

684. N. ubi dicit *ab Anna hoc muliebriter dictum, quasi posset animam sororis excipere* in *Spiritus.*

V. 830. Ex. *Per sortem divisi. . . . quis pedem teneret* in *Pes col.* 5.

VI. 258. N. quia perperam laudat Callimachum auctorem hemistichii: ἑκὰς, ἑκὰς, ἔστε βέβηλοι in *Profani.*

VII. 169. N. ubi scribit: *Solium est velut armarium de uno ligno ad Regum tutelam factum* in *Solium regium.*

607. N. & Ex. *Sacrarium hoc Numa fecit circa imum Argiletum juxta theatrum Marcelli* in *Theatrum Jani.*

662. Ex. *Hercules habuit navem fortem, & ære munitam* in *Naves æratæ.*

730. N. quia dicit *aclides esse tela antiqua adeo, ut nec usquam commemorentur in bello* in *Aclides.*

VIII. 285. N. & Em. *Duo sunt genera Saliorum: Collini & Quirinales* in *Salii Collini.*

660. N. quia poetam læve interpretatur in *Vestis virgata.*

IX. 407. Em. *Alii tholum ædium sacrarum dicunt genus fabricæ Vestæ & Panthare* in *Tholus.*

446. Em. *Quæ lapidem ipsum Termini spectat* in *Templum Termini.*

XII. 200. N. quia putat *sancire proprie esse sanctum aliquid, id est, consecratum facere fuso sanguine hostiæ* in *Sancire.*

606. N. quia legem decemviralem ita concipit: *mulier faciem ne carpito* in *Genæ.*

Siccam. in Fast. Kalend. Roman. I. 9. N. quia Salios Albanos scribit a Tarquinio esse institutos in *Salii Albani.*

de Centumv. judic. I. 9. N. quia dubitat, num vigintiviratus capiendi annus fuerit vigesimus in *Vigintiviratus.*

N. quia docet vigintiviros perpetua lege ab anno U. C. 741. ex equitibus fuisse creatos in *Vigintiviratus.*

Sidon. Epist. I. 11. Ex. *Primus jacebat cornu sinistro consul Severinus* in *Cornua mensæ.*

II. 8. Ex.

Fulmentis Aquitanicis superba.

in *Fulmenta col.* 2.

VIII. 9. Ex.

Hic tonso occipiti senex Sicamber.

in *Captivi.*

11. Ex.

Et rugas tibi syrmatis profundi.

in *Syrma.*

12. Em. & Ex. *Hic superflexa crate paradarum sereni brumalis insida vitabis* in *Parada.*

Carm II. 325. Ex.

Perque humeros teretes, rutilantes perque lacertos
Pendula gemmiferæ mordebant suppara bullæ.

in *Supparum.*

XXIII. 331. Ex.

— ac per obseratas
Transfumant tabulas.

335. Ex.

— sed inquieto
Duratum pede stipitem flagellant.

in *Repagula.*

356. Ex.

Consumpto spatio patentiore
Campus clauserat arte factus. . . .

in *Meta col.* 2.

424. Ex.

Hic mox præcipit æquus Imperator
Palmis serica, torquibus coronas. . . .

in *Torques col.* 4.

Sigon. de jur. civ. Roman. I. 14. N. quia censum in villa publica, quæ in campo Martio, actum fuisse perperam ex Suet. Cæs. c. 41. n. 6. colligit in *Censendi institutum col.* 2.

15. N. quia ex Liv. IV. 54. pontificem maximum potestate & imperio vacuum fuisse frustra colligit in *Pontifex maximus col* 4.

19. N. quia asserit sacerdotum omnium proprium fuisse, ut essent perpetui in *Sacerdos col.* 3.

de ant. jur. provinc. II. I. N. quia docet magistratus provinciales suos habuisse legatos ad usum rei militaris, & exercitus quasi imperatores in *Magistratus provinciales col.* 2.

de Judic. III. 7. N. quia, licet ex Ausonio, prædem & vadem falso distinguit in *Præs.*

19. N. quia quid velit, non satis exprimit, dum docet clavos vestium fuisse flores vesti intextos in *Clavi vestium.*

Histor. Occid. I. N. quia amphitheatrum Veronense nimis novitium facit, & ad Maximiani ævum refert in *Amphitheatrum Veronense col.* 2.

in Liv. XXVII. 37. N. quia ex corruptis Livii libris invexit Clivum Publicum in *Clivus Publicius col.* 2.

de Republ. Hebræor. VI. 8. N. ubi scribit crucem apud Romanos fuisse supplicium ex consuetudine Hebræorum in *Crux col.* 2.

Sil. Ital. VII. 347. Ex.

— discurrit tessera castris.

in *Signum militare.*

Sirach. c. 49. n. 13. Ex. *Nam & ipse quasi signum in dextra manu* in *Annulus col.* 8.

Solin. c. 1. Ex. *Ne inerti justitio langueret opera virtutis* in *Justitium.*

Ex. *Roma incipit a sylva, quæ est in area Apollinis, & ad supercilium scalarum Caci.* | Ex. *Dicta est Roma quadrata, quod ad æquilibrium foret posita.* } in *Roma col.* 5.

Em. *Varro annotavit Tritanum gladiatorem natura* in *Samnites.*

c. 11. Em. *Cum porricias intulerint, sarmenta ignem sponte concipiunt* in *Porricia.*

c. 20. Ex. *Nihil jucundius aurum decet* in *Pocula col.* 3.

c. 23. Ex. *De saginæ qualitate reddunt habitus unionum* in *Sagina* & *Tragœdi.*

Souter. Palam. 1. 14. N. quia scribit Venerem fuisse dictum talorum jactum, cum quatuor diverso erant omnes numero in *Venus.*

Spartian. Adrian. c. 7. Ex. *Statim cursum fiscalem instituit, ne magistratus hoc onere gravarentur* in *Cursus publicus.*

c. 8. Ex. *Ergastula servorum & liberorum tulit* in *Ergastulum.*

c. 19. Ex. *Per Latina oppida Dictator, & Ædilis, & Duumvir fuit* in *Duumviri col.* 2.

Anton. Pio. c. 7. Ex. *Rationes provinciarum scivit* in *Tributum.*

Marco Anton. Phil. c. 23. Ex. *Vectigalia, vel tributa remisit* in *Tributum.*

Æl. Ver. c. 5. Em. *Eumque foliis rosæ, quibus demptum esset album, replebat.* | Ex. *Mensas de rosis fecit.* } in *Rosa col.* 1. & 2.

Sever. c. 1. Ex. *Severo civitas Leptis, pater Geta, majores equites Romani, ante civitatem omnibus datam* in *Constitutio col.* 2.

Spon. Misc. Erud. Antiq. sect. VI. p. 224. N. quia vult patagium fuisse clavum aureum, & summis manicis circa manum immissum in *Patagium.*

Stat. Papin. Sylv. I. 1. 29. Em. & Ex.

At laterum passus hinc Julia templa tuentur.

in *Basilica Julia.*

57. Ex.

—— *insessaque pondere tanto*
Subter anhelat humus, nec ferro, aut ære laborat,
Sed genio.

in *Genius col.* 3.

2. 257. Ex.

--- *tecum similes, junctæque Camœnæ,*
Stella mihi: multumque pares bacchamur ad aras,
Et sociam doctis haurimus ac amnibus undam.

in *Collegium poetarum.*

3. 58. Ex.

Aut quid partitis distantia tecta trichoris.

in *Trichorum.*

6. 18. Ex.

Et massis Amerina non perustis.

in *Massa.*

II. 1. 192. Ex.

--- *dum sæpe domi nova serta ligantem*
Te videt.

in *Serta.*

6. 88. Ex.

--- *Assyrio manantes gramine succos.*

in *Amomum.*

III. 3. 87. Ex.

--- *jam creditur uni*
Sanctarum digestus opum, partæque per omnes
Divitiæ populos, magnique impendia mundi.

in *Procurator ærarii.*

144. Ex.

Mutavitque genus, lævaque ignobile ferrum
Exuit, & celso natorum æquavit honore.

in *Annulus col.* 2.

IV. 2. 32. Ex.

Hic tum Romuleos proceres, trabeataque Cæsar
Agmina mille simul jussit discumbere mensis.

in *Equites col.* 13.

5. 13. Ex.

Nos parva tellus, pervigil & focus.

in *Focus col.* 2.

42. Ex.

Contextus arcto lumine purpuræ.

in *Clavus angustus.*

9. 27. Ex.

Nusquam turbine conditus ruenti
Prunorum globos, atque cottanorum.

in *Cottanum.*

V. 2. 17. Ex.

--- *non sanguine cretus*
Turmali, trabeaque Remi, nec paupere clavo....

in *Clavus angustus* & *Equites col.* 13.

29. Ex.

Mox Tyrios ex more sinus, tunicamque potentem
Agnovere humeri.

in *Clavus latus col.* 3.

166. Ex.

Nec saltem teneris ostrum puerile lacertis
Exuit.

in *Prætexta.*

3. 285. Ex.

Illustremque animam Lethæis spargite sertis.

in *Serta.*

Theb. I. 148. Ex.

--- *nec alterna ferri statione gementes*
Excubiæ.

in *Stationes militum.*

II. 389. Ex.

--- *ramus manifestat olivæ*
Legatum, causasque viæ.

478. Ex.

--- *ramumque precantis olivæ*
Abjicit. } in *Olea.*

692. Ex.

--- *ille hæc præviderat omnia doctus*
Aeris, & nulla deceptus ab alite Mæon.

in *Augurium col.* 2.

V. 4. 23. Ex.

Quinquaginta illi trabibus de more revinctis.

in *Naves actuariæ.*

VI. 216. Ex.

--- *lustrantque ex more sinistro*
Orbe rogum.

in *Decursio funebris.*

352. Ex.

--- *hunc saxeus umbo*
Arbiter Argolicis finem jacit inter utrumque.

in *Spina circi.*

789. Ex.

Præcipitatque retro juvenem, atque in terga supinat.

in *Athletæ col.* 3.

833. Ex.

--- *felicesque deo monstrante palæstras.*

in *Palæstra col.* 2.

XII. 492. Ex.

Vittatæ laurus, & supplicis arbor olivæ.

In *Supplices.*

Achill. I. 38. Ex.

--- *quid enim cunabula parvo*

Pelion, & torvi commisimus antra magistri.

in *Cunabula.*

Stephan. Byzant. in Macella N. & Em. quia illam dicit urbem Italiæ in *Macella.*

in Μυλαντία N. quia molarum inventionem Milanti cuidam assignat in *Mola col.* 2.

Henric. Græc. ling. thesaur. N. quia suspicatur τετράρχην dici, qui quatuor provincias administrat in *Tetrarches.*

Stewech. in Veget. I. 13. N. quia campiductorem dicit qui campidoctor est in *Campidoctor.*

IV. 46. N. quia chalatorios funes apud Vegetium pro opiferis accipit in *Chalatorii funes* & *Rudentes.*

Struv. Antiq. Rom. c. 12. p. 580. N. quia vult regiam pontificum fuisse priscam Numæ regiam in *Regia Pontificum.*

p. 603. N. quia statuit decemviros sacrorum adhuc fuisse eo anno, quo Capitolium crematum est in *Quindecimviri.*

Stuck. Antiq. Conviv. II. 7. N. quia putat architriclinum fuisse eundem qui modimperator in *Architriclinus.*

16. N. quia repositorium accipit pro tripode, quo sustineatur mensa in *Repositorium.*

25. N. quia pilicrepum vocat qui pilas, sive glomos pice illitos in ignem balneorum conjiciebat in *Pilicrepus.*

Stypmann. de Jure naval. III. 5. N. quia archigubernum dicit fuisse præfectum classis in *Archigubernus.*

Sueton. Jul. c. 2. n. 1. Ex. *Stipendia prima fecit M. Thermi prætoris contubernio* in *Contubernales.*

c. 11. n. 1. Ex. *Tropæa C. Marii de Jugurtha, de Cimbris* in *Tropæa marmorea.*

c. 26. n. 4. Ex. *Forum inchoavit de manubiis, cujus area super H. S. millies constitit* in *Forum Cæsaris.*

c. 42. n. 1. Ex. *Ne quis, nisi contubernalis peregre proficisceretur* in *Contubernales.*

c. 46. n. 3. Ex. *In expeditionibus tessellata, & sectilia pavimenta circumtulisse* in *Sectilia.*

c. 49. n. 1. Ex. *Pudicitiæ ejus famam nihil præter Nicomedis contubernium læsit* in *Contubernales.*

c. 76. n. 2. Ex. *Statuam inter Reges, simulacra juxta deos* in *Simulacrum.*

Em. *Pro tribunali thensam & ferculum in circensi pompa* in *Thensæ.*

c. 80. n. 8. Ex. *Cunctati, utrumne illum in campo per comitia tribus ad suffragia vocantem e ponte dejicerent* in *Rogatores.*

c. 82. n. 1. Em. & Ex. *Et subucula, & thorace laneo* in *Tunica linea.*

c. 83. n. 3. Ex. *C. Octavium heredem instituit ex dodrante* in *Dodrans.*

c. 84. n. 3. Ex. *Inter ludos cantata sunt quædam* in *Mimus col.* 2.

Aug. c. 2. n. 1. N. & Em. *Ea gens a Tarquinio Prisco Rege inter Romanas gentes allecta, in senatum....* in *Plebeji col.* 2.

c. 4. n. 3. N. quia abusione quadam vocis utitur, dum scribit: *Balbus multis in familia senatoriis imaginibus* in *Senatus col* 9.

c 8. n. 1. Ex. *Duodecimum annum agens aviam Juliam defunctam laudavit: quadriennio post virili toga sumpta* in *Toga virilis.*

c. 16. n. 4. Ex. *Die circensium proximo sollenni prompæ simulacrum dei detraxit* in *Simulacrum Neptuni.*

c. 22. n. 1. Ex. *Janum Quirinum.... terra marique pace parta ter clusit* in *Templum Jani col.* 2.

c. 25. n. 3. Notat tanquam rem insolentem, coronas murales ab Augusto caligatis fuisse tributas in *Caliga col.* 2.

c. 32. n. 3. Ex. *Veterum ærarii debitorum tabulas exussit* in *Reliqua.*

n. 6. Ex. *Triginta amplius dies actui rerum accommodavit* in *Res col.* 2.

Ex. *Qui honorariis ludis occupabantur....* in *Ludi honorarii.*

n. 8. Em. & Ex. *Judices a trigesimo ætatis anno allegit* in *Ætas judicum.*

c. 35. n. 4. Ex. *Ne plus quam bis in mense legitimus senatus ageretur* in *Senatus legitimus.*

c. 43. n. 2. Ex. *In quo nunc Cæsarum nemus est* in *Nemus col.* 2.

n. 4. Ex. *In circo aurigas, & confectores ferarum produxit* in *Confici.*

c. 41. n. 4. Concil. cum Dione in censu senatorio ab Augusto adaucto in *Census senatorius.*

c. 44. n 6. Ex. *Feminis nisi ex superiore loco spectare concessit* in *Femina col.* 5.

n 7. Ex. *Vestalibus locum in theatro contra prætoris tribunal dedit* in *Tribunal prætoris.*

n. 8. Ex. *Ut pontificalibus ludis pugilum par postulatum distulerit* in *Ludi pontificales,* & *Gladiatores postulatitii.*

c. 45. n. 4. *Quo non pro merito certantium quemque honoraverit* in *Honos.*

n. 5. Ex. *Pugiles cum Græcis committere solebat* in *Committere.*

c. 53. n. 4. Em. & Ex. *Sæpe adoperta sella per publicum incessit* in *Sella muliebris col.* 2.

c. 57. n. 4. Ex. *Dedicabat Apollinem Sandalarium* in *Apollo Sandaliarius.*

c. 70. n. 2. Ex. *Cæsarem plane esse Apollinem, sed tortorem* in *Apollo tortor.*

c. 72. n. 4. Ex. *Erat illi locus in edito singularis, quem Syracusas vocabat* in *Syracusæ.*

c. 74. n. 5. Ex. *Cœnam trinis ferculis, aut senis præbebat* in *Ferculum col.* 2.

c. 78. n. 1. Ex. *Ut vestitus, calceatusque erat, paullisper conquiescebat* in *Stola col.* 4.

c. 83. n. 1. Ex. *Exercitationes campestres omisit* in *Campidoctor col.* 2.

Ex. *Ut in extremis spatiis subsultim decurreret* in *Exsilitio.*

n. 2. Em. & Ex. *Animi laxandi causa ocellatis ludebat* in *Ocellata.*

c. 87. n. 2. Ex. *Ad Kalendas Græcas* in *Kalendæ.*

n. 7. Ex. *Notavi & in chirographo ejus illa præcipue* in *Chirographum.*

n. 4. Ex. *Velocius quam asparagi coquantur* in *Asparagus.*

c. 89. n. 8. Ex. *Ne paterentur nomen suum commissionibus obsolefieri* in *Committere.*

c. 94. n. 13. Ex. *Signum Reipublicæ, quod manu gestaret* in *Statua Jani Bifrontis.*

n. 15. Ex. *Ejus osculum delibatum digitis ad os suum retulit* in *Osculum parvum os.*

n. 17. Ex. *Sumenti virilem togam tunica laticlavia ad pedes decidit* in *Clavus latus col.* 3.

c. 101. n. 7. Ex. *Laudatus est pro æde D. Julii a Tiberio* in *Rostra.*

Tiber. c. 14. n. 7. Ex. *Thrasyllum contubernio admoverat* in *Contubernales.*

c. 31. n. 4. Ex. *Cum SCtum per discessionem fieret* in *Senatusconsultum col.* 3.

c. 35. n. 5. *Alium quæstura removit, quod uxorem pridie sortitione ductam postridie repudiasset* in *Jus nuptiarum.*

c. 37. n. 6. N. & Ex. *Tiberius abolevit & jus, moremque asylorum, quæ usquam erant* in *Asylum col.* 2.

c. 53.

c. 53. n. 6. Ex. *Imputavit, quod non laqueo strangulatam in Gemonias abjecerit* in *Gemonia.*

c. 56. n. 3. Ex. *Seleucum a contubernio removit* in *Contubernales.*

Cal. c. 5. n. 2. Ex. *Quo defunctus est die, lapidata sunt templa* in *Templum col. 4.*

c. 15. n. 3. Ex. *Matris, fratrisque cineres duobus ferculis Mausoleo intulit* in *Ferculum col. 2.*

c. 20. n. 1. Em. & Ex. *Edidit in Sicilia Syracusis astycos ludos* in *Ludi astyci.*

Em. & Ex. *Edidit in Gallia Lugduni ludos miscellos* in *Ludi miscelli.*

c. 26. n. 6. Ex. *Gratuita in circo loca occupantium. . . .* in *Locus theatralis col. 2.*

c. 30. n. 8. Ex. *Retiarii gregatim dimicantes* in *Gladiatores catervarii.*

c. 32. n. 7. Ex. *Mirmillonem rudibus secum batuentem confodit* in *Batualia.*

c. 43. n. 1. Em. & Ex. *Fecit ludos suo nomine quater* in *Ludus col. 3.*

c. 45. n. 3. Ex. *Obsides abductos e ludo literario in catenis reduxit* in *Ludus literarius.*

Ex. *In hoc mimo præter modum intemperans* in *Mimus col. 3.*

c. 52. n. 2. Ex. *Processit in publicum in speculatoria caliga* in *Caliga speculatoria.*

c. 54. n. 2. Ex. *Cantor atque saltator.* } in *Cantare.*

n. 4. Ex. *Canendi ac saltandi voluptate ita efferebatur.* } in *Cantare.*

n. 6. Em. & Ex. *Magno scabillorum crepitu prosiluit* in *Scabellum col. 2.*

Claud. c. 1. n. 7. Ex. *Circa quem Galliarum civitates publice supplicarent* in *Ara Drusi.*

c. 9. n. 4. Ex. *Cognitio falsi testamenti recepta est* in *Cognitio.*

n. 5. Ex. *Sestertium octogies pro introitu novi sacerdotii coactus impendere* in *Cœna adjicialis col. 2.*

c. 11. n. 8. Ex. *Ne Marcum Antonium inhonoratum transmisit* in *Honor col. 3.*

c. 12. n. 3. Ex. *Cognitionibus magistratuum frequenter interfuit* in *Cognitio.*

c. 18. n. 3. Em. & Ex. *Fragminibus panis ita instratus, ut ægre, nec nisi postico evadere valuerit* in *Posticum.*

c. 21. n. 6. Ex. *Constituit loca senatoribus promiscue spectare solitis* in *Senator col. 7.*

c. 23. n. 4. Ex. *Ut pupillis extra ordinem tutores a consularibus darentur* in *Tutela col. 2.*

c. 24. n. 3. N. *Ignarus aliquamdiu libertinos dictos, non ipsos qui manumitterentur, sed ingenuos ex his procreatos* in *Libertini col. 2.*

c. 25. n. 1. Ex. *Equestres militias ita ordinavit* in *Equites col. 10.*

n. 22. Ex. *Judæos impulsore Chresto tumultuantes Roma expulit* in *Judæi col. 2.*

c. 34. n. 6. Ex. *Meridianis adeo delectabatur* in *Meridiani.*

c. 46. n. 4. Ex. *In ultima cognitione pro tribunali pronuntiavit* in *Cognitio.*

Neron. c. 10. n. 8. Ex. *Ad campestres exercitationes admisit & plebem* in *Campidoctor col. 2.*

c. 11. n. 5. Ex. *Eques Romanus elephanto supersedens per catadromum decucurrit* in *Catadromus.*

c. 12. n. 3. Ex. *Exhibuit ad ferrum confectores ferarum* in *Confici.*

c. 15. n. 1. Ex. *In cognoscendo morem tenuit....* in *Cognitio.*

c. 17. n. 3. Ex. *Pro subselliis nullam mercedem darent, præbente ærario gratuita* in *Subsellia judicum & reorum.*

c. 21. n. 6. & 7. Ex. *Tragœdias cantavit personatus* in *Cantare.*

c. 22. n. 4. Ex. *Aliquo liberto mittente mappam* in *Mappa col. 3.*

c. 27. n. 5. Ex. *Indicebat familiaribus cœnas, quarum mitellita quadragies HS. constiterunt, alteri plus aliquanto rosaria* in *Mitellita* & *rosaria.*

c. 39. n. 1. Ex. *Triginta funerum millia in rationem Libitinæ venerunt* in *Libitina.*

n. 8. Ex. *Orcus vobis ducit pedes* in *Sponda Orciniana col. 2.*

c. 46. n 9. Ex. *Observatum fuerat, novissimam fabulam cantasse eum* in *Cantare.*

c. 51. n. 3. Ex. *Ut plerumque synthesinam indutus prodierit in publicum* in *Synthesis.*

Galba c. 7. n. 5. Ex. *Ut ad lacum, ubi adaquari solebat, duceretur* in *Lacus col. 2.*

c. 18. n. 7. Ex. *Castrensem sellam positam pro tribunali, & curulem perverse collocatam* in *Sella Imperatoria.*

Otho c. 3. n. 5. Ex. *Ne pœna acrior omnem mimum divulgaret* in *Mimus col. 3.*

c. 6. n. 4. Ex. *Quasi venalem domum inspecturus, proripuit se postica parte Palatii ad constitutum* in *Domus Tiberii Imperatoris col. 2.*

c. 7. n. 6. Ex. *Quid mihi est cum longis tibiis* in *Tibiæ sacrificæ.*

Vitell. c. 7. n. 6. Ex. *Tota via caligatorum quosque militum obvios exosculabatur* in *Caliga col. 2.*

c. 12. n. 2. Ex. *Asiaticum libertum in deliciis habuit* in *Deliciæ col. 2.*

c. 17. n. 2. Ex. *Per totum viæ sacræ spatium reducta coma, ceu noxii solent* in *Barba* §. 17.

Vespas. c. 2. n. 2. Ex. *Princeps locum incunabulorum assidue frequentavit* in *Cunabula.*

n. 4. Ex. *Manebant imagines ei positæ sub titulo καλῶς τελωνήσαντι* in *Telonarius.*

c. 4. n. 7. Ex. *Peregrinatione Achaica inter comites Neronis prohibitus contubernio* in *Contubernales.*

c. 9. n. 1. Ex. *Fecit templum pacis foro prôximum* in *Templum Pacis.*

c. 16. n. 6. Ex. *Quadringenties millies, ut Respublica stare posset* in *Reditus.*

c. 19. n. 6. Ex. *In funere ejus favor archimimus, personam ejus ferens, imitansque facta & dicta vivi* in *Mimus col. 3.*

Tit. c. 3. n. 3. Ex. *Imitari chirographa quæcunque vidisset* in *Chirographum.*

c. 9. n. 3. Ex. *Oblata ornamenta pugnantium inspicienda porrexit* in *Ornamenta gladiatorum.*

Domit. c. 1. n. 1. Ex. *Domitianus natus est ad Malum Punicum* in *Malum Punicum.*

c. 4. n. 3. Ex. *Ut populo potestatem faceret bina paria e suo ludo postulandi, quæ novissima aulico apparatu induceret* in *Gladiatores postulatitii.*

n. 8. Ex. *Quo facilius centum missus peragerentur* in *Missus.*

c. 8. n. 1. Ex. *Ambitiosa decreta decurionum rescindi debent* in *Ambire.*

c. 12. n. 9. Ex. *Generum fratris albatos & ipsum ministros habere* in *Ministri.*

Grammat. c. 1. n. 1. Ex. *Primus studium grammaticæ in Urbem intulit Crates Mallotes, missus ad senatum ab Attalo Rege inter secundum ac tertium bellum Punicum* in *Grammatica.*

Horat. vit. n. 2. Horatius *bello Philippensi scriptum comparavit* in *Decuriæ scribarum.*

Suidas in Brumalia N. quia omnia quæ de illis habet, ex putidis lacunis hausta sunt in *Brumalia.*

in Celox Ex. *Celox per translationem dicitur a celete equo, ubi vir unus insidet* in *Celox.*

in Atrebatici N. quia chlamydas illas putat esse dictas a colore atro, vel a trabea in *Color xerampelinus.*

in Δίδυμον & Ἴλλυσον N. quia ξύλον δίδυμον interpretatur furcam in *Crux compacta.*

in Γνώμη N. *Ultra tabernaculum prætorii locus ostensus*

sus fuit velut forum qui gnoma appellabatur in *Forum in castris.*

in Ἡρῷιον Em. & Ex. Ἡρῷιον, περιφανὲς ἅρμα σκεπαστόν in *Rheda col. 2.*

in Ὄρχησις παντόμιμος N. quia docet *Augustum invenisse saltationem pantomimorum* in *Pantomimus col. 2.*

in Περισκέλια N. quia illa exponit feminalia in *Periscelides.*

in Ποντίφιξ N. quia docet pontificem a Numa esse constitutum, ut precibus suis efficeret, ne Tiberis antiquissimum pontem rumperet in *Pontifex maximus.*

Sulpic. Sever. Dial. I. Ex. *Funibus implicatis protentos ordines miscuerunt* in *Rheda col. 2.*

Symmach. Epist. I. I. Em. *Quare elaboratam soloci filo accipe cantilenam* in *Solox.*

Tacit. Annal. I. 14. 2. Ex. *Aram adoptionis prohibuit* in *Ara adoptionis* & *Titulus.*

18. 2. Ex. *Exstruunt tribunal. Properantibus Blasus advenit, increpabatque . . . .* in *Tribunal suggestus col. 2.*

39. I. Ex. *Legati apud aram Ubiorum Germanicum adeunt.* / 57. 3. Ex. *Sacerdos apud aram Ubiorum creatus.* } in *Ara Ubiorum.*

70. 5. Ex. *Pernoctavere sine utensilibus* in *Utensilia.*

II. 8. 3. Em. & Ex. *Aram Druso sitam disjecerant* in *Ara Drusi.*

31. 3. Ex. *Ut interrogaret, an ipse imperii potens, an Silius privatus esset* in *Privati.*

37 6. N. quia scribit: *En stirps, & progenies tot consulum, tot dictatorum* in *Gens Hortensia.*

58. I. Ex. *Cupere renovari dextras* in *Dextra.*

59. 4. Ex. *Sine milite incedere, pedibus intectis* in *Solea col. 3.*

86. 3. Ex. *Quod mater ejus in eodem conjugio maneret* in *Vestales col. 2.*

III. 2. 2. Ex. *Pracedebant trabeati equites* in *Equites col. 13.*

9. 2. Ex. *Navem tumulo Cæsarum appulerat* in *Prata Quintia col. 2.*

10. 3. Ex. *Petitum a Principe est, ut cognitionem reciperet* in *Cognitio.*

19. 4. Ex. *Drusus Urbe egressus repetendis auspiciis* in *Imperator col. 2.*

IV. 8. 3. Ex. *Consules sede vulgari per speciem mœstitiæ sedentes honoris, locique admonuit* in *Luctus col. 3.* & *Subsellium.*

27. 2. Ex. *Erat iisdem regionibus Curtius Lupus quæstor* in *Callis.*

V. 9. 3. Ex. *Triumvirali supplicio affici virginem inauditum habebatur* in *Virgines.*

17. 2. Ex. *Navem tumulo Cæsarum appulerat* in *Prata Quintia col. 2.*

XI. 7. 4. Ex. *Cogitaret plebem, quæ toga enitesceret* in *Toga col. 7.*

31. 4. Ex. *Messallina, adulto autumno, simulacrum vindemiæ celebrat* in *Festum vindemiale.*

XII. 42. 3. Ex. *Qui mos sacerdotibus & sacris antiquitus concessus* in *Carpentum col. 2.*

61. 2. Ex. *Ut omni tributo vacui Coi sacram, & tantam dei ministram insulam colerent* in *Neocori col. 2.*

XIII. 2. 5. Ex. *Decreti a senatu duo lictores, flaminium Claudiale* in *Sacerdos col. 5.*

27. 2. Ex. *Late fusum in corpus, hinc ministeria magistratibus & sacerdotibus* in *Lictor.*

30. 2. Ex. *Quod præfectus remigum Italiam afflictavisset. . . .* in *Archigubernus.*

51. 3. Ex. *Manet abolitio quadragesimæ* in *Quadragesima.*

XIV. 31. 5. Em. *Templum Claudio constitutum, quasi ara æternæ dominationis, aspiciebatur* in *Templum Claudii.*

XV. 30. I. Ex. *Structam ante auguralem aram subdita face accendi* in *Ara auguralis.*

38. I. Ex. *Sequitur clades, forte an dolo Principis, incertum* in *Roma col. 8.*

40. 3. Em. *Prædiis Tigellini Æmilianis proruperat* in *Vicus Æmilianus.*

41. 3. Ex. *Fuere, qui annotarent, 14. Kalend. Sextil. principium incendii hujus ortum* in *Roma col. 8. & 9.*

55. 2. Ex. *Acciri reum jussit. Is raptus per milites* in *Prætoriani col. 3.*

72. I. Ex. *Nero addidit sine pretio frumentum, quo ante eo modo annonæ utebantur* in *Annona col. 2.*

XVI. 4. 4. Ex. *Personabat plausu composito.* / 5. 2. Ex. *Cum manibus nescius fatiscerent, turbarent gnaros.* } in *Plausus col. 2.*

II. 5. Ex. *Nero intercessit, mortem sine arbitrio permittens* in *Mors col. 3.*

Histor. I. 38. 3. Ex. *Nec una cohors togata defendit nunc Galbam, sed detinet* in *Cohors togata.*

52. 2. Ex. *Remissa ignominia, allevatæ notæ* in *Notæ censoriæ.*

54. 2. Ex. *Miserat civitas Lingonum dextras hospitii insigne* in *Dextra.*

77. 4. Em. *Otho pontificatus auguratusque honoratis jam senibus* in *Imperator col. 5.*

III. 71. 4. Ex. *Et qua Tarpeja rupes centum gradibus aditur* in *Gradus Capitolini.*

85. I. Ex. *Vitellius in domum uxoris sellula defertur* in *Sella col. 3.*

German. c. 30. n. 3. Em. *Nec nisi ratione disciplinæ concessum* in *Ratio.*

c. 38. n. 2. Ex. *Insigne gentis obliquare crinem, nodoque substringere* in *Nodus.*

de Orat. c. 7. n. 5. Ex. *Tunicatus hic populus transeuntes nomine vocat* in *Plebs urbana col. 3.*

Taffin. de Lud. secul. c. 15. §. 14. N. quia docet ferculum fuisse dictum pulpitum vehiculi, cui simulacra imponebantur in *Ferculum col. 3.*

Taubman. in Plaut. Bacch. IV. 6. 22. N. quia *transennam interpretatur funem* in *Transenna col. 3.*

in Virg. Ecl. IX. 36. N. quia dicit *cycnum fatali momento cantu præstare* in *Cycnus.*

Terent. Andr. I. I. 48. Ex.

Lana, ac tela victum quæritans.

in *Textura.*

2. 28. Ex.

Verberibus cæsum te in pistrinum Dave dedam usque ad necem.

in *Vispilliones* & *Pistrinum.*

III. 2. I. Ex.

Nunc primum fac, istæc ut lavet.

in *Abluebant se puerperæ.*

IV. 4. 30. Ex.

— vidi cantharum Suffarcinatum.

in *Cantharus col. 2.*

Eunuch. I. 2. 5. Ex.

Accede ad ignem hunc.

in *Ara Veneris.*

III. 4. 41. Ex.

— fucum factum mulieri.

in *Fucus.*

IV. 7. 11. Ex.

--- Hic ero post principia : inde omnibus signum dabo.

in *Principia col. 5.* & *Triarii.*

****

INDEX AUCTORUM.

v. 5. 17. Ex.

An in astu venit.

in Ἄστυ.

Heaut. I. 1. 92. Ex.

—— *inscripsi illico.*

Ædes mercede.

in *Inscribere mercede.*

III. 1. 92. Ex.

Vicini nostri hic ambigunt de finibus:
Me cepere arbitrum.

in *Arbiter col.* 2.

IV. 2. 5. Ex.

--- *si licet me latere tecto abscedere.*

in *Latus.*

11. Ex.

Retraham ad me illud fugitivum argentum.

in *Fugitivus col.* 2.

Adelph. IV. 7. 29. Ex.

Meretrix, & materfamilias erit una in domo.

in *Uxor injusta.*

Phorm. I. 4. 5. Ex.

Quæ si non astu providentur. . . .

in Ἄστυ.

II. 2. 5. Ex.

--- PH. *Si rogabit.* G. *In te spes.* P. *Eccere.*

in *Eccere.*

2. 28. Ex.

Cœna dubia apponetur.

in *Cœna dubia.*

V. 1. 15. Ex.

--- CH. *st.* SO. *quid has metuis fores?*

in *S.*

6. 10. Ex.

Curialis vernula est, qui me vocat.

in *Curialis.*

7. 28. Ex. *Argentum rursum jube rescribi, Phormio.* 30. Ex. *Quod perscripsi porro illis, quibus debui.* } in *Nummus col.* 3.

Tertull. de Pall. c. 1. Ex. *Concilium luminis* in *Vestis col.* 3.

c. 3. Ex. *Quanquam & pavo pluma vestis, & de cataclistis* in *Catacliston* & *Cataclita.*

c. 4. Ex. *Queis in publico domestice, ac secrete habebantur* in *Sella muliebris col.* 2.

Em. & Ex. *Quid tibi Libya cum rusticis munditiis* in *Xystici.*

Ex. *Sanguis in sagittis pumice speculi excludebatur* in *Spiculum.*

Ex. *Endromidis solocem aliqua multicia synthesi exstruxit* in *Endromis*, *Solox*, & *Multicium.*

Ex. *Impuro cruri purum aut mulleolum inducit calceum* in *Calceus col.* 3.

c. 5. Ex. *Umbonis figmentum custodibus forcipibus assignat* in *Forceps.*

Ex. *Immundissimam pedum tutelam, verum & falsam* in *Pero col.* 2.

Ex. *Quam non expediat in algore & ardore rigere nudipedem, quam in calceo uncipidem* in *Calceus col.* 3.

Em. & Ex. *Magnum incessus munimentum sutrinæ Venereæ prospexere, perones effeminatos* in *Pero col.* 2.

Ex. *M. Tullius quingentis millibus nummum orbem citri emit: bis tantum Asinius Gallus numerat* in *Mensa.*

Ex. *Quam non expediat rigere in calceo uncipedem* in *Calceus col.* 5.

Apolog. c. 10. Ex. *A Saturno primum imagine signatus nummus* in *Æs signatum.*

c. 12. Ex. *Cervices ponimus ante plumbum* in *Catomum.*

c. 15. Ex. *Vidimus castratum Atyn illum deum ex Pessinunte.... Mercurium mortuos cauterio examinantem.* Em. & Ex. *Vidimus & Jovis fratrem gladiatorum cadavera malleo deducentem.* } in *Persona col.* 2.

c. 16. Em. & Ex. *Omnes illi imaginum suggestus insignes* in *Suggestus.*

Ex. *Monilia crucium sunt* in *Monile.*

Em. & Ex. *Quando distinguitur a crucis stipite Ceres Farrea* in *Crux simplex.*

c. 23. Em. & Ex. *Unicuique provinciæ suus deus est, ut Norici Belenus* in *Apollo Belenus.*

c. 33. N. quia comminiscitur, servum curru cum Imperatore vectum illum mortalitatis admonuisse in *Triumphus col.* 3.

c. 42. Ex. *Sciant, pluris, & carioris merces suas Christianis sepeliendis profligari quam diis fumigandis* in *Christiani col.* 2. & *Odoramenta col.* 2.

c. 50. Ex. *Licet semaxios appelletis* in *Rota col.* 3.

ad Scapul. c. 3. Ex. *Sub Hilariano præside cum de areis sepulturarum acclamassent: areæ non sint* in *Areæ.*

de Spectac. tit. lib. Ex. quare nimirum de illis scripserit in *Spectaculum.*

c. 3. Ex. *Vias vocant cardines balteorum per ambitum, & discrimina popularium per proclivum* in *Viæ in spectaculis.*

c. 12. Ex. *De apparatibus interpretabimur in ipsorum honorum suggestu deputandis* in *Suggestus.*

Ex. *Martem & Dianam utriusque ludi præsides novimus* in *Mars.*

c. 25. Ex. *Defixus in spongias retiariorum* in *Retiarius* & *Spongia.*

de Habit. mulieb. c. 7. Ex. *In peronibus uniones emergere de luto cupiunt* in *Pero col.* 2.

de Cult. femin. c. 12. Ex. *Quas si quæ leges a matronalibus decoramentis coercebant* in *Vitta.*

de Coron. milit. c. 1. Ex. *Speculatoriam morosissimam pedibus absolvit* in *Caliga speculatoria* & *Exauctoratio.*

c. 12. Ex. *Ecce annua votorum nuncupatio quid videtur? prima in principiis, secunda in Capitoliis* in *Votum publicum.*

de Pudic. c. 8. Ex. *Quem in vestibus purpura oculandis sæpissime evenire est* in *Pluma.*

adv. Marcion. c. 1. Ex. *Cruces Caucasorum* in *Crux.*

c. 5. *Hinc jam ad certum dimicaturus* in *Gladiator col.* 6.

de veland. virgin. c. 12. Ex. *Calceum stipant multiformem* in *Sicyonia.*

Ex. *Habitu negant, quod suggestu profitentur* in *Suggestus col.* 2.

Theocrit. Eidyll. XIV. 70. Ex.

—— *gerere oportet aliquid eos, quibus est genu viride.*

in *Genua.*

Thucyd. I. p. 11. B. Ex. *Paucis utebantur remigibus, multis pentecontoris, & longis navibus instructi erant* in *Pentecontoros.*

Tibull. I. 1. 6. Ex.

Dum meus assiduo luceat igne focus.

in *Focus.*

19. Ex.

Et

Et quodcunque mihi pomum novus educat annus.
in *Annus novus.*
3.29. Ex.
Ut mea votivas persolvens Delia voces.
in *Votivæ tabellæ.*
31. Ex.
Bisque die resoluta comas tibi dicere laudes.
in *Sacerdos Isidis.*
89. Ex.
Tunc veniam subito, nec quispiam nuntiet ante.
in *Maritus.*
5.3. Em. & Ex.
Namque agor, ut per plana citus sola verbere turbo.
in *Turbo.*
6.30. Ex.
Vinclaque de niveo detrahet ipse pede.
in *Solea col.* 2.
7.46. Ex.
Effluit effuso cui toga laxa sinu.
in *Balteus togæ col.* 2.
9.5. Ex.
Ipsa Venus magico religatum brachia nodo
Perdocuit multis non sine verberibus.
in *Nodus magicus.*
III. 1.23. Ex.
Hac tibi vir quondam, nunc frater. . . .
in *Frater.*
IV. 1. 102. Ex.
Rectus ut æquatis decurrat frontibus ordo.
in *Acies col.* 3.
10.3. Ex.
Sit tibi cura togæ potior, pressumque quasillo
Scortum, quam Servi filia Sulpitia.
in *Quasillum.*

Themist. Orat. VI. p. 164. N. quia scribit cycnos ante mortem in Apollinis honorem canere in *Cycnus.*

Titius Loc. Controv. IX. 21. N. quia stipitem apud Tertull. Apolog. c. 50. putat dictum esse a vilitate, quod esset dimidii assis in *Mœchus semitarius.*

Torrent. ad Suet. Jul. c. 37. n. 1. N. quia apparatum triumphi accipit de ferculis in *Ferculum triumphale.*

c. 48. N. quia docet sagum a Gallis venisse ad Romanos in *Sagum Gallicum.*

c. 76. n. 2. N. quia ferculum ludorum dicit esse pulpitum vehiculi in *Ferculum ludorum.*

Aug. c. 32. n. 6. N. quia ludos honorarios vult dictos esse honoris, seu dicis causa, non quod vere ederentur in *Ludi honorarii.*

Calig. c. 18. n. 6. N. quia scribit Caligulam & Neronem circi aream minio & chrysocolla constravisse, quia uterque prasinæ factioni faverit in *Chrysocolla.*

Claud. c. 14. n. 6. N. quia privatos Judices interpretatur prætores, & centumviros in *Judex privatus.*

Neron. c. 28. n. 1. N. quia vult pædagogium vocari cubiculorum puerorum in *Pædagogium.*

Horat. Sat. II. 4. 22. N. quia poetam minus recte interpretatur in *Morum.*

Tortell. cap. de Horologio N. quia negat tintinnabula apud antiquos in usu fuisse in *Tintinnabulum.*

N. quia mulorum soleas nunquam vidit in *Solea col.* 5.

Trebell. Poll. Gallien. c. 8. Em. & Ex. *Pugiles facculis pugnantes* in *Rudis.*

c. 10. Ex. *Quod se fortibus factis dignum tantæ majestatis infulis declaravit* in *Majestas.*

c. 14. Ex. *Sagochlamydes* in *Tunica palliolata.*

Trigint. Tyran. c. 18. Ex. & Em. *Multi & sumpsisse illum purpuram, & Romano more imperasse* in *Purpura col.* 2.

c. 25. Ex. *Accipiens ab his coronam civicam picturatam de museo* in *Musiva.*

Claud. c. 17. Ex. *Chlamydes mantueles* in *Tunica palliolata.*

Tribonian. Instit. IV. 18. 2. N. ubi scribit *noxam esse ipsum corpus quod nocuit* in *Noxa.*

T. quib. mod. tutor. finit. N. quia scribit: *Pubertatem veteres non solum ex annis, sed etiam ex habitu corporis in masculis æstimari volebant* in *Puberes.*

Tristan. de Numm. Tom. III. p. 18. N. quia primatu urbium vult intelligi fori prærogativam, seu quod vicina oppida eo foro disceptare tenerentur in Πρώτη.

Turneb. Adv. I. 15. N. quia vult lupinos esse nummos ex lupino macerato factos in *Lupinus.*

24. N. quia Horat. Sat. II. 4. 22. male interpretatur in *Morum.*

II. 30. N. quia scaphium apud Juven. Sat. VI. 264. putat esse matulam, in qua mejunt feminæ in *Scaphium.*

III. 4. N. quia vocem myrmillo transfert in Græciam in *Myrmillo.*

V. 1. N. quia milliarium in foro Romano dicit dictum esse, quod ab eo numerus milliariorum, quibus itinera metiebantur, inceperit in *Milliarium col.* 2.

9. N. quia transennam interpretatur funem extentum in *Transenna.*

19. N. quia pascere linguam in sacrificiis vult esse idem quod tacere in *Pascere.*

VII. 2. N. quia comminiscitur tabulas in ratione conficiendæ chartæ fuisse asseres ligneos in *Tabula chartæ.*

N. quia apud Plin. XIII. 12. vocem *secunda* accipit in nominativo casu, cum sit obliquorum ultimus, & perperam chartam Livianam ab Augusta, & hanc ab hieratica separat in *Charta hieratica.*

6. N. quia suavia apud Plaut. Mil. Glor. II. 15. vult accipienda esse de obtortionibus oris ad derisionem in *Suavia.*

22. N. quia telam apud Virg. Georg. I. 285. putat esse instrumentum, in quo texebatur in *Tela.*

N. quia nasiternam dicit dictam, quod tres nasos, sive ansas habuerit in *Nasiterna col.* 2.

VIII. 1. N. quia pergulam apud Plaut. Pseud. I. 2. 79. scribit vocari cellam meretricum. } in *Pergula.*
N. quia pergulam apud Prop. IV. 5. 68. scribit fuisse locum publicum, in quo pauperes interdum habitabant. } in *Pergula.*

X. 10. N. quia putat incunabula fuisse fascias, quibus colligantur infantes in cunis positi in *Cunabula.*

XI. 6. N. quia panem gradilem dicit dictum in gradibus distribui solitum; sed ubi gradus illi, non addit in *Panis gradilis.*

9. N. quia prodidit lictorem proximum etiam primum esse dictum in *Lictor proximus.*

11. N. quia tentores putat esse ἀφέτας in *Tentores.*

23. N. quia negat ambubajas ex Syria fuisse oriundas in *Ambubajæ.*

XII. 9. N. quia linguarium interpretatur thecam, & repositorium, in quo linguam condimus, ne temere quid dicamus in *Linguarium.*

XIII. 8. N. quia versatur in ea opinione, Saliorum auctorem fuisse Salium Arcadem in *Salii.*

xiv. 5. N. quia ſemizonarios apud Plaut. Aulul. iii. 5. 42. non recte interpretatur in *Semizonarii.*

9. N. quia paſcere linguam illi dicuntur, qui tacent in ſacrificiis in *Paſcere linguam.*

xvi. 13. N. quia menſes magnos vult eſſe menſes magni anni in *Menſes magni.*

17. N. quia crines capere putat eſſe blando & amatorie oſculandi cauſa capillos amatoris prendere in *Crines.*

19. N. quia *quaſillo ſcortum preſſum* apud Tibull. iv. 10. 3. vult ſignificare ſcortillum egenum, & meretricio quæſtu male ſe tolerans in *Quaſillum.*

xvii. 7. N. quia arbitratur morbum comitialem vocari ſonticum in *Morbus ſonticus.*

xviii. 17. N. quia docet vocem blatta ſignificare concretum ſanguinem in *Blatta.*

19. N. & Vind. quia putat ſubarmale fuiſſe craſſum ſagulum, quod ſub armis induebatur in *Subarmale.*

33. N. quia tentores putat eſſe *ἀφέτας* in *Tentores.*

xix. 12. N. quia Plauti pultiphagum Moſt. iii. 2. 143. Pœn. prol. n. 53. interpretatur de Romano in *Puls Punica.*

13. N. quia docet crines capere eſſe blande, & amatorie oſculandi cauſa capillos amatoris prendere in *Crines.*

xx. 10. N. quia docet thermopolium vocatum tabernam, ubi confectæ, dulceſque potiones, quas calidas bibebant, venibant in *Thermopolium.*

xxii. 10. N. quia paradam Auſon. Epiſt. v. 29. mutat in pardam, & paradam interpretatur textum umbraculum, vel peripetaſma lapathio herba diſtinctum in *Parada.*

xxiv. 11. N. quia tranſennam interpretatur funem extentum in *Tranſenna.*

12. N. quia plumbatas opinatur fuiſſe glandes plumbeas, quas milites martiobarbuli gerebant in *Plumbatæ.*

25. N. quia chalatorios funes accipit pro opiferis in *Chalatorii funes* & *Rudentes.*

xxv. 17. N. quia gladiatores cubicularios mutat in rudiarios in *Gladiatores cubicularii.*

xxvii. 1. N. quia vectigal ædilitium vult fuiſſe pecuniæ genus, quod provinciales ludorum nomine ædilibus pendebant in ornatum fori, & apparatum munerum in *Vectigal ædilitium.*

3. N. quia vult Venerem fuiſſe, cum tali quatuor diverſo erant numero in *Venus.*

24. N. quia ſcutulam, a quo ſcutulatum rete, deducit a voce ſcutum in *Veſtis ſcutulata.*

xxviii. 5. N. quia docet baſternam manibus hominum eſſe portatam in *Baſterna.*

ad Theophraſt. de Odorib. N. quia murrobathrarios interpretatur fuiſſe, qui calceamenta muliebria, ut bene olerent, gratis odoribus ungebant in *Murrobathrarii.*

Turpil. Demetrio apud Non. i. 8. Em.

— ut ne habeas minoris noxiæ
Serum, ſi forte quaſi alias res vini cave.

in *Quaſillaria.*

Valer. Flacc. ii. 159. Ex.

— noſtroſque thoros virgata tenebit.

in *Veſtis virgata.*

iii. 425. Ex.

Tempora tum vittis, & ſupplice caſtus oliva.

in *Supplices.*

iv. 159. Ex.

Hoſtis an externis fato delapſus ab oris.

in *Hoſtis col. 2.*

Valer. Max. ii. 2. 9. Ex. *Equeſtris ordinis juventus omnibus annis bis ſpectaculo ſui Urbem ſub magnis auctoribus celebrabat. . . . & equitum probatione* in *Equites col. 12.*

5. 8. Ex. *Cum ludis Floralibus populus, ut mimæ nudarentur. . .* in *Circus Floræ.*

iii. 4. 2. Ex. *Numerum ſenatus amplificavit, equeſtrem ordinem uberiorem reliquit* in *Equeſter ordo.*

7. 11. Ex. *Is Julio Cæſari in collegium poetarum venienti nunquam aſſurrexit* in *Collegium poetarum.*

iv. 1. 10. Ex. *Traduc equum ſacerdos & lucrifac cenſoriam notam* in *Equeſter ordo col. 1.*

5. 6. Ex. *Siquidem utraque manu togam demiſit, ut inferiori parte corporis tecta collaberetur* in *Sinus col. 2.*

vi. 3. 1. Ex. *Quin & familiares eorum de robore præcipitati ſunt* in *Robur col. 1. & 2.*

3. Ex. *Qui ſiniſtræ manus digitos ſibi abſciderat* in *Militia col. 3.*

9. 8. Ex. *P. Rupilius operas publicanis dedit* in *Operæ.*

vii. 3. Ex. *Quæ magiſtratum abjecto honoris prætexto. . . per Urbem juſſit incedere* in *Prætextum.*

7. 6. Ex. *Ut reſtitui ſe in bona Næviani juberet* in *Surdinus.*

viii. 8. 2. Em. *Ita in ſcurrilibus luſibus hominem agebat* in *Talus col. 3.*

ix. 1. 4. Ex. *Magna ex parte aureos clavos habuit crepidis ſubjectos* in *Caliga col. 2.*

11. 1. Ex. *Excuſſis frenis conſtitiſſet* in *Frena col. 2.*

12. 7. Ex. *Ciceronem, qui id judicium cogebat* in *Judicium.*

x. p. 466. Em. *Hoſtus prænomen fuit in eo, qui peregre apud hoſpitem natus erat* in *Hoſtus.*

Valla N. quia putat udonem fuiſſe candididum linteamen in *Udo.*

Valtrin. de Re mil. Rom. iii. 9. N. quia Claud. Nupt. Honor. & Mar. n. 187. perperam interpretatur in *Signum militare col. 2.*

12. N. quia putat velitum parmas extremis temporibus ſuſtuliſſe C. Marium in *Parma col. 2.*

13. N. quia docet caligam etiam crus texiſſe, & ad mediam tibiam adſcendiſſe in *Caliga col. 3.*

N. quia docet ſagum ad talos fuiſſe demiſſum in *Sagum.*

v. 2. N. quia principia interpretatur locum medium in acie, ubi principes erant in *Principia col. 5.*

vi. 4. N. quia ex Liv. i. 11. perperam colligit armillas fuiſſe ornamenta ſiniſtrarum in *Armillæ.*

8. N. quia vult in ſcrobe collocatos fuiſſe, queis cervix præcidenda eſſet in *Scrobs col. 2.*

Valtur. de Re milit. x. 3. N. quia cenſet clypeum æreum fuiſſe ſariſſam in *Sariſſa.*

Varro de Ling. Lat. iv. 8. N. quia lucum Larum videtur ponere in Eſquiliis in *Lucus Larum.*

16. Em. *Haſtati, quod primi haſtis pugnabant* in *Haſtati.*

26. Ex. *Pateris etiam nunc in publico convivio potio circumfertur* in *Patera.*

28. Em. & Ex. *Ubi in ejuſmodi duo biſellium dictum* in *Biſellium.*

Ex. *Quod non plane erat ſolla, ſubſellium dictum* in *Subſellium.*

32. Ex. *Armiluſtrum ab ambitu luſtri locus: item circus maximus dictus* in *Armiluſtrum.*

16. Ex. *Principes, qui a principio gladiis pugnabant....* in *Principes.*

32. Em. & Ex. *Secundum Tiberim ad Junium forum piscarium vocant: ideo ait Plautus, apud piscarium* in *Forum Cupedinis*, & *Forum piscarium.*

v. 3. Ex. *Qua in Viam novam exitur, ut ajunt quidam, sepulcrum Accæ* in *Sepulcrum Accæ.*

Em. *Is cum eat, haud habeat suffibulum* in *Suffibulum.*

v. 4. Em. *Si quintanæ essent, quinquies dicto, Juno Covella* in *Jana col. 2.*

7. Em. & Ex. *Vas erat, qui pro altero vadimonium promittebat* in *Vadatio.*

vi. 2. Ex. *Templum locus augurii aut auspicii causa quibusdam verbis finitus* in *Augurium.*

N. quia cortumionem derivat a corde in *R. col. 2.*

5. Ex. *Nexum Manilius dicit esse, quod per æs & libram geratur, in quo sunt mancipia....* in *Nexus.*

Ex. *Omnes, qui bonam copiam ejurarent....* in *Ejuratio.*

vii. 47. Em. & Ex. *Ut altera plagula sit angustis clavis, altera latis* in *Clavi col. 3.* & *Clavus latus.*

apud Non. ii. 63. Em. *Assa nos multos foras betere jussit* in *Nutrix assa.*

785. Em. *Ut filii patribus luci claro sugillent oculos* in *Sigillum.*

iii. 60. Ex.

Inoffensum per æquor candidum ad calcem.

in *ad Calcem pervenire.*

vi. 43. Em. & Ex.

Intorti demittuntur, sed cincinnuli.

in *Cincinnus.*

xii. 55. Em. *Atque ex tabernis lanignis* in *Taberna nova.*

xiv. 13. Em.

Regillam tunicam diffingitur purpura.

in *Regilla.*

xvii. 13. Em. *Antiquæ mulieres majores natu bibebant loram* in *Lora.*

apud Plin. xiii. 11. N. quia tradit *chartam Alexandri Magni victoria repertam. Antea non fuisse chartarum usum* in *Charta.*

de Re rust. i. 37. Em. *Nunquam rure audisti, octavo lunam crescentem....* in *Jana.*

40. Ex. *In iis intus primigenia semina dedit natura* in *Fortuna primigenia.*

52. Ex. *Tribulum fit e tabula lapidibus, aut ferro asperata* in *Tribulum.*

54. Ex. *Uva miscella multo ante coquitur* in *Ludi miscelli col. 2.*

iii. 5. Em. & Ex. *Ita ut ad extremum, ubi orbile solet esse acutum, tabula cavata sit* in *Orbile.*

7. Ex. *Ex his duabus stirpibus columbarum fit miscellum tertium genus* in *Ludi miscelli.*

14. Ex. *Aqua inquam finienda, ne fugitivarius sit parandus* in *Fugitivarius.*

17. Ex. *Propter piscium multitudinem quadringenties sestertio villam venisse* in *Piscina.*

Ex. *Hirrius circum piscinas suas ex ædificiis duodena millia sestertia capiebat* in *Piscina col. 2.*

Veget. i. 16. N. quia sagittarum usum apud Romanos vult esse antiquum in *Sagittæ.*

ii. 5. Em. & Ex. *Puncturis in cute punctis milites scripti* in *Puncta.*

10. Em. *Ad quem castrorum positio, valli, & fossæ destinatio pertinebat* in *Præfectus castrorum.*

Em. *Ad ejus industriam pertinebant sagittarii* in *Præfectus castrorum col. 2.*

11. Ex. *Habet legio carpentarios* in *Carpentarius.*

19. Em. *Majore prope diligentia, quam res annonaria vel civilis politicis libris annotatur* in *Polyptichi.*

23. N. quia in quolibet manipulo duo signa ponit in *Signum Militare.*

Em. *Ad palum quoque vel sudes juniores exerceri percommodum est* in *Sudes.*

iii. 10. Ex. *Omnes barbari carris suis in orbem connexis....* in *Carrago.*

20. Ex. *Tunc in sinistram alam tuam a dextra adversarii longius separabis* in *Frons.*

iv. 7. Em. *Nisi ab exordio dimensione salubri per idoneos procuratores....* in *Opinatores.*

21. N. quia sambucam vult esse instrumentum bellicum terrestre in *Sambuca.*

22. N. quia *scorpiones* vult *nuncupatos, quod parvis, subtilibusque spiculis inferant mortem* in *Scorpio.*

32. Ex. *Singulæ Liburnæ singulos navarchos, id est, quasi navicularios habebant* in *Navarchus* & *Navicularis col. 2.*

de Re veter. ii. 60. Em. *Cordiscum impones* in *Scordisoarius.*

Victor in Reg. ii. Em. *Spolium Samarium* in *Spoliarium.*

viii. Ex. *Regia Numæ, atrium Vestæ* in *Regia Numæ col. 2.*

ix. Em. & Ex. *Septa trigaria* in *Trigarium.*

xiii. N. quia apud illum legitur Porticus Fabraria in *Porticus Fabaria.*

Virgil. Ecl. i. 82. Ex.

—— *& pressi copia lactis.*

in *Caseus.*

iii. 63. Ex.

Munera sunt lauri, & suave rubens hyacinthus.

in *Hyacinthus.*

65. Ex.

Et fugit ad salices & se cupit ante videri.

in *Ocellatim.*

77. Ex.

Cum faciam vitula pro frugibus.

in *Faciam.*

iv. 63. Ex.

Nec deus hunc mensa, dea nec dignata cubili est.

in *Genius col. 2.*

v. 30. Ex.

Daphnis & Armenias curru subjungere tigres
Instituit.

in *Tigris.*

viii. 107. Ex.

--- *Hylax in limine latrat.*

in *Canis.*

Georg. i. 24. Ex.

Tuque adeo, quem mox quæ sint habitura deorum
Concilia, incertum est.

in *Concilia.*

94. Ex.

Multum adeo rastris glebas qui frangit inertes,
Vimineasque trahit crates.

in *Occare.*

115. Ex.

--- *Incertis si mensibus amnis abundans*
Exit.

in *Castella col. 3.*

166. Ex.

--- *Et mystica vannus Jacchi.*

in *Bacchus col. 5.*

274. Ex.
— *Lapidemque revertens*
Incuſſam. . . . reportat.
in *Meta col.* 3.
292. Ex.
— *Ferroque faces inſpicat acuto.*
in *Pavimentum teſtaceum.*
309. Ex.
Stuppea torquentem Balearis verbera fundæ.
in *Funda col.* 2.
512. Ex.
Ut cum carceribus ſeſe effudere quadrigæ.
in *Oſtia col.* 2.
II. 418. Ex.
Sollicitanda tamen tellus, pulvisque movendus.
in *Pulveratio.*
506. Ex.
--- *Sarrano dormiat oſtro.*
in *Purpura Tyria.*
III. 172. Ex.
— *& junctos temo trahit æneus orbes.*
in *Orbile col* 2.
402. Ex.
Sub lucem exportant calathis.
in *Calathus.*
IV. 276. Ex.
Sæpe deûm nexis ornatæ torquibus aræ.
in *Aræ col* 2.
Æneid. I. 46. Ex.
Ipſa Jovis rapidum jaculata e nubibus ignem.
in *Fulmen.*
165. Ex.
Efficit objectu laterum.
in *Spina.*
701. Ex.
--- *aulæis jam ſe Regina ſuperbis*
Aurea compoſuit ſponda.
in *Sponda.*
729. Ex.
--- *vocemque per ampla volutant*
Atria: dependent lychni laquearibus aureis
Incenſi.
in *Lucernæ conviviales col.* 2.
II. 16. Ex.
--- *ſectaque intexunt abiete coſtas.*
in *Coſtæ.*
133. Ex.
Et ſalſæ fruges.
in *Mola ſalſa col.* 2.
248. Ex.
Quisquis es, amiſſos hinc jam obliviſcere Grajos.
in *Transfuga.*
255. Ex.
--- *tacitæ per amica ſilentia lunæ.*
in *Evocatio mortuorum col.* 2.
III. 176. Ex.
--- *tendoque ſupinas*
Ad cœlum cum voce manus, & munera libo
Intemerata focis.
in *Dii ſuperi.*
177. Ex.
--- *perfecto lætus honore.*
in *Honor col.* 3.
322. Ex.
--- *patriasque obtruncat ad aras.*
in *Ara Apollinis col.* 2.
405. Ex.
Purpureo velare comas adopertus amictu.
in Ἀἰγυα *col.* 2.
512. Ex.
Necdum orbem medium nox horis acta ſubibat.
in *Radius mathematicus.*
560. Ex.
--- *paribusque inſurgite remis.*
in *Inſurgere remis.*
IV. 63. Ex.
Inſtauratque diem donis.
in *Inſtaurare.*
244. Ex.
--- *& lumina morte reſignat.*
in *Oculus col.* 2.
V. 95. Ex.
Incertus geniumve loci, famulumne parentis
Eſſe putet.
in *Genius.*
110. Ex.
In medio ſacri tripodes.
in *Tripus.*
130. Ex.
--- *unde reverti*
Scirent, & longos ubi circumflectere curſus.
in *Meta col.* 3.
281. Ex.
--- *& plenis ſubit oſtia velis.*
in *Oſtia col.* 3.
287. Ex.
--- *mediaque in parte theatri*
Circus erat.
in *Theatrum.*
405. Ex.
Terga boum plumbo inſuto ferroque rigebant.
in *Ceſtus col.* 2.
758. Ex.
Indicitque forum, & patribus dat jura vocatis.
in *Conventus.*
VI. 407. Ex.
Nomen & arma ferunt.
in *Arma.*
432. Ex.
Quæſitor Minos urnam movet.
in *Quæſitor.*
616. Ex.
--- *radiisque rotarum*
Diſtricti pendent.
in *Rota.*
848. Ex.
Credo equidem vivos ducent de marmore vultus.
in *Affectus col.* 2.
874. Ex.
--- *cum tumulum præterlabere recentem.*
in *Sepulcrum Marcelli.*
VII. 109. Ex.
Inſtituuntque dapes, & adorea liba per herbas....
in *Menſa.*
764. Ex.
--- *pinguis ubi, & placabilis ara Dianæ.*
in *Ara Dianæ.*
VIII. 97. Ex.
Sol medium cœli conſcenderat igneus orbem.
in *Radius mathematicus.*

526. Ex.

Tyrrhenusque tuba mugire per æthera clangor.

in *Tuba.*

636 Ex.

Consessu caveæ magnis circensibus actis.

in *Ludi circenses col. 2.*

652. Ex.

In summo custos Tarpejæ Manlius arcis
Stabat pro templo.

in *Domus Manlii.*

659. Ex.

Aurea cæsaries illis, atque aurea vestis
Virgatis lucent sagulis.

in *Sagum Gallicum* & *Vestis virgata.*

660. Ex.

--- tum lactea colla
Auro innectuntur.

in *Torques.*

IX. 585. Ex.

--- pinguis ubi, & placabilis ara Palici.

in *Ara Palicorum.*

609. Ex.

--- versaque juvencum
Terga fatigamus hasta.

in *Hasta rustica.*

X. 80. Ex.

--- præfigere postibus arma.

in *Armæ.*

134. Ex.

Qualis gemma micat, fulvum quæ dividit aurum.

in *Torques.*

313. Ex.

--- huic gladio perque ærea scuta,
Per tunicam squallentem auro, latus haurit apertum.

in *Latus.*

496. Ex.

--- immanis pondera baltei.

in *Balteus col. 2.*

XI. 208. Ex.

Nec numero, nec honore creant.

in *Numero.*

XII. 95. Ex.

--- nunc o nunquam frustrata vocatus
Hasta meos.

in *Hasta col. 2.*

100. Ex.

Vibratos calido ferro crines.

in *Calamistrum.*

120. Ex.

--- alii fontemque, ignemque ferebant
Velati lino.

in *Feciales col. 2.*

121. Ex.

--- pilataque plenis
Agmina se fundunt portis.

in *Agmen pilatum.*

201. Ex.

Tango aras, mediosque ignes.

in *Aræ col. 4.*

Cop. n. 26. Ex. *Vestæ delicium est asinus.*

in *Asinus.*

Vitruv. I. 1. Ex. *Per arithmeticen sumptus ædificiorum consummantur, mensurarum rationes explicantur* in *Gladiatores consummati col. 2.*

III. 3. Ex. *Retractiones graduum .... faciendæ videntur* in *Gradus Capitolini.*

V. 10. Ex. *Alvei, sive baltei latitudo inter parietem & pluteum* in *Pluteus col. 2.*

VI. 11. Ex. *Cum subtiliter officinatoris probabitur exactio* in *Officinator.*

VII. 7. Ex. ... *Cæmenta marmorea, sive assulæ dicuntur, quæ marmorarii ex operibus dejiciunt* in *Cæmenta.*

VIII. Ex. *Cum auream coronam votivam diis immortalibus constituisset* in *Votivæ.*

X. 1. Em. *Machinas pluribus operibus ait effectus habere.* }
Em. *Organa unius opere prudenti tactu perficere.* } in *Scorpio.*

19. Em. *Sub ipso canali tuti* in *Terebra.*

Em. *Marinæ machinæ, quæ per navim aditus habere possunt* in *Sambuca.*

Vlit. in Grat. Cyneg. n. 26. N. quia transennam explicat funem in *Transenna.*

in Nemes. Cyneg. n. 91. N. quia fingit chlamydes militares syrma, vel caudam habuisse in *Chlamys col. 4.*

Ulpian. l. 1. §. 12. ff. de Offic. præf. urb. Ex. *Debet dispositos milites stationarios habere ad tuendam popularium quietem* in *Popularia.*

l. 5. ff. de Offic. præsid. Em. *Ne tenuis vitæ homines.... lumine unico injuria vexentur* in *Pauperes.*

l. 4. ff. de his qui not. infam. Ex. *Ut qui aquam equis spargunt non habeantur ignominiosi* in *Equi circenses.*

l. athletas ff. de his qui not. infam. Ex. *Neque iis qui aquam equis spargunt* in *Spartores.*

l. 1. Caupones ff. nautæ. Ex. *Cæterum si qui opera mediastini fungitur, non continuerit: utpote atriarii* in *Atriarius.*

l. 1. §. Et sunt ff. nautæ Ex. *Sunt quidam in navibus, qui custodiæ gratia navibus præponuntur, ut diætarii* in *Diætarii.*

l. si cui lana §. 13. de Legat. III. Em. *Itaque fucinum & janthinum continebitur* in *Purpura.*

l. 2. ff. de Offic. ejus cui mand. est jurisd. Ex. *Mandata jurisdictione a præside, consilium non potest exercere is, cui mandatur* in *Mandatarius.*

l. sed si conditioni §. solemus ff. de hæred. instit. Ex. *Vivo testatore factus peregrinus mox ad civitatem Romanam pervenit* in *Peregrini.*

l. 14. ff. de Appell. Em. *Si prolusorio judicio actum sit adversus testamentum* in *Judicium prolusorium.*

l. 4. ff. de decret. ab ord. fac. *Ambitiosa decreta decurionum rescindi debent* in *Ambire.*

l. 15. §. 21. de injur. Ex. *Si ad invidiam alicujus veste lugubri utitur, aut squalida* in *Vestis lugubris.*

l. de Censib. Em. *Inclyta quoque Cyrenensium colonia* in *Sarmizegethusa.*

l. 6. ff. de bon. damn. Em. *Aut nummos in ventralem* in *Ventrale.*

de Verb. signif. l. 15. Em. *Publica appellatio in pluribus causis ad populum Romanum pertinet* in *Publicani.*

Volaterr. Comm. Urban. VI. p. 192. C. N. quia putat armilustrum fuisse id spatii quod in Testaria nunc est in *Armilustrum.*

XXIX. p. 1090. F. N. quia pancratiasten definit fuisse illum, qui quinque certandi generibus vicerat in *Pancratiastes.*

XXXI. 10. N. quia vult equuleum fuisse id genus pœnæ, quam nostri hodie funem appellant in *Equuleus col. 2.*

Vopisc. Aurelian. c. 1. Ex. *Vehiculo suo me & judiciali carpento præfectus Urbis accepit* in *Carpentum judiciale.*

c. 7. Ex. *Ferramenta sint samiata* in *Samiarii.*

c. 12. Ex. *Dabis mantelia Cypria* in *Accubitalia.*

c. 13. Ex. *Subarmale profundum* in *Subarmale.*

c. 21. Em. *Pomœrio addidit Nero* in *Pomœrium col. 3.*

c. 38. Em. *Hi compressi sunt septem millibus lembariorum* in *Lembarii.*

c. 46. Ex. *Paragaudas vestes ipse primus*

mi-

militibus dedit, cum ante nonnisi rectas purpureas accepissent in *Paraganda.*

c. 48. Em. & Ex. *Facta erat ratio doga* in *Doga.*

Ex. *Ipsum primum donasse oraria populo Romano, quibus uteretur populus ad favorem* in *Orarium col. 2.*

Ex. *Donasse illum populo tunicas albas* in *Tunica col. 2.*

c. 49. Em. *Calceos albos viris omnibus tulit* in *Calceus col. 3.*

Firm. c. 3. Ex. Firmicus *vitreis quadraturis bitumine, aliisque medicamentis insertis domum induxisse perhibetur* in *Speculum col. 2.*

Bonof. c. 15. Ex. *Tunicas palliolatas hyacinthinas* in *Tunica palliolata.*

Voss. Joh. Gerh. in Lexic. Etymol. N. quia basternam putat esse tractam a burdonibus hoc est, mulis in *Basterna.*

N. quia dicit incunabula esse fascias, quibus colligantur infantes in cunis in *Cunabula.*

N. quia fingit chiramaxium fuisse genus modici plaustri, quo homo tantum gestari poterat, & a servis tractum in *Chiramaxium.*

N. quia vult lupinum fuisse nummum ex lupino macerato factum in *Lupinus col. 2.*

N. quia morbum comitialem interpretatur sonticum in *Morbus sonticus col. 2.*

N. quia comminiscitur patagium fuisse honestis matronis, quod clavus fuit viris in *Patagium col. 2.*

N. quia postilenam fingit vestem de cauda jumentorum dependentem in *Postilena.*

N. quia, licet ex Ausonio, prædem & vadem falso distinguit in *Præs.*

N. quia taxatores vult fuisse in scena dictos, quod alter alterum maledictis tangeret in *Taxatores.*

N. quia vult tribunal proprie fuisse sedem tribuni, sive locum sublimiorem, ex quo jus dixerit in *Tribunal.*

N. quia fingit, statuas deorum, quæ thensis ferebantur, linteis circumquaque tensis velatas fuisse in *Thensæ col. 2.*

de Idolol. II. 53. N. quia scribit taurobolium præcipue Dianæ factum fuisse in *Taurobolium.*

III. 70. N. quia docet ipsum Deum Adamo & Evæ calceos consuisse in *Calceus.*

de vit. serm. I. 8. N. quia definit nasiternam; ut tres nasos, hoc est, ansas habentem in *Nasiterna col. 2.*

III. 27. N. quia putat monocosmum fuisse vehiculum hominum delicatorum, & unum tantum hominem, vel alterum cepisse in *Monacus.*

Voss. Isaac. in Melam. I. 9. N. quia Lipsium, Scaligerum, Salmasium Festi senos crines dextre explicantes sinistre carpit in *Crines col. 2.*

Ursat. de Not. Roman. Thes. Antiq. Roman. Græv. Tom. XI. p. 907. N. quia putat tribum Popilliam nomen accepisse a Popillia femina in *Tribus Popillia.*

p. 950. D. 969. B. N. quia docet *S* & ST in foribus tricliniorum convivis silentium indixisse in *S.*

Ursin. in Suet. Aug. c. 57. n. 4. N. quia Apollo illi videtur dictus Sandaliarius, quod sandaliis indutus esset in *Apollo Sandaliarius.*

de Fam. Rom. in Cornelia N. quia docet triumviros A. A. Æ. F. Ciceronis tempore fuisse creatos in *Triumviri monetales col. 2.*

in Flavia N. quia comminiscitur Hemis esse cognomen C. Flavii in *Gens Flavia.*

in Manlia N. quia nummum serratum describit a serra, quæ illi impressa fuerit in *Nummus serratus.*

Append. ad Ciaccon. de Triclin. p. 254. N. quia fingit sigma literam similem fuisse arcui Scythico in *Sigma.*

p. 301. N. quia ait mantile idem esse quod mappam in *Mantele.*

p. 316. N. quia Plauti pultiphagum Most. III. 2. 143. Pœn. prol. n. 53. intelligit de Romano in *Puls Punica.*

Usserius N. quia affirmat plures quotannis fuisse Asiarchas in *Asiarchæ.*

Vulcat. Gallic. Avid. Cass. c. 4. Em. *Incensis aliis, alios fumi cruciatu necaret* in *Incendere.*

c. 9. Em. *Quod ærufcatores de eo nuntiarent* in *Statores col. 2.*

Weitz. in Prudent. Hamartig. n. 370. N. quia docet confectores ferarum fuisse qui spectaculo meridiano operam locaverunt in *Confici.*

Witell. in Merul. c. 28. N. quia lustrum dicit fuisse spatium temporis, quod quatuor annos complectens quintum iniit in *Lustrum col. 2.*

Xiphil. LXIII. p. 721. B. Ex. *Senatores in florea tunicula salutabat* in *Synthesis.*

LXIV. p. 731. A. Ex. *Cur me oportebat longioribus tibiis canere* in *Tibiæ sacrifica.*

LXXIX. p. 874. E. Ex. *Editorem Caracalla venerabatur inferiori flagello* in *Osculum col. 2.*

Xyland. in Plutarch. Quæst. Rom. 9. N. quia negat Tibull. I. 3. 89. quid facere ad probandam consuetudinem Romanorum, qua maritus peregre reversus solebat præmittere, qui nuntium reditus uxori adferret in *Maritus.*

Zacharias Papa in Epistolis Ex. *Domo excellentissimo Pipino, seu dilectissimis universis Episcopis* in *Tabulæ vestium.*

Zamosc. de Senat. Rom. I. 17. N. quia illi Bassus apud Gell. III. 18. non satisfacit in sellæ curulis etymo ponendo in *Magistratus curules.*

18. N. quia clavos vestium vult fuisse flores vesti intextos in *Clavi vestium.*

Zimmerman. Floril. p. 694. N. quia Indicem Florianum putat Grævii esse in *Sacrum sollenne col. 2.*

N. quia scribit silentiariorum munus humile fuisse in *Silentiarii.*

Zonaras N. quia lunulæ notam in calceis patriciis de litera *P* interpretatur in *Lunula.*

N. quia comminiscitur servum, qui a tergo supra triumphantis verticem coronam auream sustinebat, illum mortalitatis admonuisse in *Triumphantes.*

Ex. ubi de Duillio: *Ancoras & ferreas manus paravit* in *Harpago.*

INDEX AUCTORUM,
QUORUM
COMMENTARIIS
IN HOC
LEXICO
ADORNANDO USI SUMUS.



Bramus.
Abstemius.
Abulensis.
Accursius.
Acidalius.
Adamus.
Agricola.
Alardus.
Albertus.
Alciatus.
Aleander.
Alexander ab Alexandro.
Allatius.
Almeloveenius.
Alsarius.
Altingius.
Angelonius.
Anna Daceria.
Anonymus in Petronium.
Arcerius.
Argolus.
Aringius.
Auctor Miscellæ Defensionis pro Salmasio ad jus Atticum & Romanum.
Augustinus.
Autumnus.
Babelonius.
Bacchinus.
Baccius
Balduinus.
Baldus.
Baluzius.
Barbarus. (*Daniel*)
Barbarus. (*Hermolaus*)
Bargæus.
Barnes.
Baronius.
Barrientus.
Barthius.
Bartholinus. (*Casparus*)
Bartholinus. (*Thomas*)
Bartolinus. (*Pius*)
Bauldri.
Baysius.
Bebelius.
Becmanus.
Beda.
Begerus.
Behotius.
Bellonius.
Bellorius.
Bellus.
Bendinellus.
Bennius.
Bentlejus.
Benzonius.
Bergierius.
Bernartius.
Berneggerus.
Beroaldus.
Bersmannus.
Bisciola.
Blancardus.
Blondus.
Bochartus.
Bodæus.
Bodinus.
Boeclerus.
Boissardus.
Bonaventura.
Bongarsius.
Bourdelotius.
Borremansius.
Borrichius.
Bosius.
Bossius.
Boxhornius.
Brantius.
Brassicanus.
Braunius.
Brissonius.
Britannicus.
Brodæus.
Broidæus.
Brossæus.
Broukhusius.
Brunnerus.
Bruyerinus.
Buchnerus.
Budæus.
Bulengerus.
Bullialdus.
Burmannus.
Butius.
Bynæus.
Calcagninus.
Calderinus.

***** *****

Calvinus.
Calvisius.
Camerarius. (*Joachimus*)
Camerarius. (*Philippus*)
Campius.
Cantelius.
Canterus.
Caranza.
Caroli.
Casaubonus.
Casella.
Castalio.
Castellanus.
Castilionæus.
Cataneus.
Caussinus.
Cellarius.
Cenalis.
Cerda.
Chabotius.
Chamillard.
la Chausse.
Chifletius. (*Claudius*)
Chifletius. (*Henricus Thomas*)
Chifletius. (*Johannes Jacobus*)
Chimentellus.
Choullius.
Christmannus.
Ciacconius.
Clasenius.
Claude.
Cluverius.
Colerus.
Columna.
Colvius.
Columbus.
Commentator vetus in Persium.
Commentatores in Horum.
Conringius.
Corasius.
Corradus.
Covarruvias.
Cragius.
Crenius.
Cresollius.
Crinitus.
Crispinus.
Crophius.
à Cruce.

Cru-

INDEX AUCTORUM

Cruceus.
Cruſerius.
Cruquius.
Cujacius.
Cuperus.
Curtius. Q. Rufus.
Curtius. (*Cornelius*)
Cuſpinianus.
Cyllænius.
Dacierius.
van Dale.
Dalechampius.
Danhauwerus.
Danæus.
Danielis.
Dauſquejus.
Delrio.
Demontioſius.
Demſterus.
Dietericus.
Dilherus.
Dodwellus.
Doletus.
Domitius.
Donatus. (*Ælius*)
Donatus. (*Alexander*)
Donatus. (*Marcellus*)
Donius.
Dorleans.
Douza. (*Janus Pater*)
Douza. (*Janus Filius*)
Douza. (*Franciſcus*)
Douza (*Georgius*)
Dreſemius.
Druſus.
Duarenus.
Durantius.
Eggelingius.
Egnatius.
Elmenhorſtius.
Emmius.
Eraſmus.
Erhardus.
Ernſtius.
Euanthius.
Eyndius.
Faber. (*Nicolaus*)
Faber. (*Petrus*)
Faber. (*Tanaquillus*)
Fabrettus.
Fabricius. (*Georgius*)
Fabricius. (*Johannes Ludovicus*)
Faes.
Falconerius.
Farnabius.
Faſti Idatiani.
Faunus.
Fayus.
Fazoldus.
Feithius.
Ferrarius. (*Franciſcus Bernardinus*)
Ferrarius. (*Octavius*)
Ferrettus.
Figrelius.
Flavius.
Floridus.
Fontejus.
Fornerius.
Franckenſtein.
Freherus.
Freigius.
Freinshemius.
Du Freſne.
Fromondus.
Fruterius.
Fullerus.
Funccius.
Gabbema.
Galeotus Martius.
Gallæus.
Gallonius.
Gaſſendus.
Gatakerus.
Gauricus.
Gaza.
Gebhardus.
Gejerus.
Gentilis. (*Albericus*)
Gentilis. (*Scipio*)
Gerardus.
Gerbelius.
Geſnerus.
Gevartius.
Giphanius.
Glandorpius.
Glareanus.
Godelevæus.
Godwin.
Goeclenius.
Goeddæus.
Goeree.
Goeſius.
Goldaſtus.
Goltzius.
Gonſalius.
Goralius.
Gorlæus.
Gothofredus.
Grævius.
Grangæus.
Grapaldus.
Gretzerus.
Grimm.
Gronovius. (*Johannes Fredericus*)
Gronovius. (*Jacobus*)
Gronovius. (*Laurentius Theodorus*)
Grotius.
Gruchius.
Gruterus.
Gudius.
Guichardus.
Guilandinus.
Guilielmus.
Gutberleth.
Gutherius.
Gyllius.
Gyraldus.
Haguelonius.
Hanſenius.
Harduinus.
Hartungus.
Heinſius.
Hellerus.
Hendreich.
Henninius.
Heraldus.
Heringius.
Herwartus.
Heuterus.
Hildebrand.
Hoepingius.
Holſteenius.
Hoogſtratanus.
Hornius.
Hoſpinianus.
Hortenſius.
Hotomannus. (*Antonius*)
Hotomannus. (*Franciſcus*)
Huberus.
Huetius.
Hugo.
Hummelbergius.
Hyde.
Jacotius.
Imbertus.
Jonſtonus.
Joſephus.
Jovius.
Iſidorus.
Iſo.
Jungermannus.
Junius. (*Franciſcus P.*)
Junius. (*Franciſcus F.*)
Junius. (*Hadrianus*)
Juretus.
Kempius.
Keuchenius.
Kippingius.
Kircherus.
Kirchmannus.
Kobierzyckius.
Kornmannus.
Kuhnius.
Kuſterus.
Labbæus.
Lacarry.
de Laet.
Lætus.
Lalamantius.
Lambecius.
Lambinus.
Landinus.
Landus.
Langbænius.
Langius.
Langlæus.
Lanſſelius.
à Lapide.
Latinius.
Laurembergius.
Laurentius. (*Andreas*)
Laurentius. (*Joſephus*)

La-

INDEX AUCTORUM.

Lazius.
Leander.
Leeuwen.
Lehmann.
Lemnius.
Leopardus.
Licetus.
Ligorius.
Lindenbroghius.
Lipenius.
Lipſius.
Liſter.
Loccenius.
Loenſis.
Lomejerus.
Longolius.
Longius.
Loonius.
Lotichius.
Luiſinus.
Lydius.
Lyklama.
Lyranus.
Maaſvicius.
Maderus.
Magius.
Majoragius.
Malvaſia.
Manutius. (*Aldus*)
Manutius. (*Paullus*)
Marcilius.
Mareſius.
Mariſcottus
Marlianus.
Marsham.
Marſilius.
Marſus.
Maſſon.
Mauritius.
Mauſſacus.
Mazzonius.
Meibomius.
Meiſius.
Menagius.
Menetrejus.
Menochius.
Mercerus.
Mercurialis.
Merula. (*Gaudentius*)
Merula. (*Paullus*)
Meurſius. (*Johannes P.*)
Meurſius. (*Johannes F.*)
Meyen.
Meyerus.
Micyllus.
Minos.
Modius.
Moll.
Morellus.
Moreſtellus.
Mornacus.
Vander Muelen.
Munckerus. (*Philippus*)
Munckerus. (*Thomas*)
Muſonius.
Nannius.
Nardinus.
Natalis Comes.
Neapolis.
Nebriſſenſis.
Nerius.
Nicolai.
Nigronius.
Niphus.
Niquet.
Nonnus.
Noodt.
Noriſius.
Novarius.
Obbrechtus.
Obſopœus.
Oiſelius.
Olearius.
Olivarius.
Opelius.
Origanus.
Ortelius.
Oſiander.
Pætus.
Pagi.
Palæotus.
Palmerius.
Pamelius.
Pancirollus.
Panvinius.
Pareus.
Parrhaſius.
Parthenius.
Paſchalius.
Paſſeratius.
Patinus.
Patricius.
Pererius.
Perionius.
Perizonius.
Perellus.
Perottus.
Petavius.
Petitus.
Peucerus.
Pfeiffer.
Philander.
Philelfus.
Piccartus.
Pichena.
Pierius.
Pighius. (*Stephanus*)
Pighius. (*Stephanus Vinandus*)
Pignorius.
Pincier.
Pinedo.
Pinellus.
Pintianus.
Piſtoris.
Pithœus.
Pitiſcus.
Pius.
Politianus.
Polletus.
Polydorus Virgilius.
Pontanus. (*Jacobus*)
Pontanus. (*Johannes Iſaacus*)
Popma.
Porcius.
Portus.
Poſtellus.
Potterus.
Prevotius.
Prideaux.
Proſper.
Puffendorf.
Pulmannus.
Puteanus.
Quenſteed.
Rabirius.
Rachelius.
Raderus.
Rævardus.
Ramirezius.
Ramus.
Rave.
Raynaud.
Realinus.
Reineſius.
Reitzius.
Rhellicanus.
Rhenanus.
Rhodiginus.
Rhodius.
Rigaltius.
Riolanus.
Rittershuſius.
Rivetus.
Rivinus.
Roa.
Robortellus.
Roſinus.
Rubenius.
Rufus.
Rupertus.
Rutgerſius.
Ryckius.
Rycquius.
Sabellicus.
Sabinus Floridus.
Saccus.
de Sacro boſco.
Sagittarius.
Saldenus.
Salianus.
Salisbonienſis.
Salmaſius.
Salmuth.
Saracenus.
Sardus.
Savaro.
Savotus.
Saubertus.
Scacchus.
Scaliger. (*Julius Cæſar*)
Scaliger. (*Joſephus*)
Schedius.
Schefferus.
Schegkius.
Schelius.

Schill.
Schmidius.
Schoockius.
Schottus. (*Andræas*)
Schottus. (*Franciscus*)
Schubartus.
Scioppius.
Scoppa.
Scriverius.
Seberus.
la Seine.
Seldenus.
Senftleben.
Servius. (*Honoratus*)
Servius. (*Petrus*)
Siccama.
Sichtermannus.
Sigonius.
Simlerus.
Sirmondus.
Sitzmannus.
Snellius.
Somnerus.
Souterius.
Spanhemius. (*Ezechiel*)
Spanhemius. (*Fridericus*)
Sperlingius.
Sponius.
Stanlæus.
Statius.
Stephanus. (*Henricus*)
Stephanus. (*Joachimus*)
Stewechius.
Strada.
Strauchius.
Streinius
Struvius.
Stuckius.
Stumphius.
Surita.
Swartius.
Sweertius.
Sylvius.
Taffinus.
Taubmannus.
Tellietius.
Tholosanus.
Thulemarius.
Thylesius.
Thysius.
Tiraquellus.
Tirinus.
Titius.
Toinardus.
Tollius.
Tomasinus.
Tortellius.
Trellier.
Triglandius.
Tristanus.
Tschudus.
Turnebus.
Turrigius.
Vaillant.
Valesius. (*Hadrianus*)
Valesius. (*Henricus*)
Valla.
Vallinus.
Valtrinus.
Valturius.
Vechnerus.
Vega.
Vesserus.
Venerius.
Vertranius.
Victorius.
Vida.
Vignolius.
Villalpandus.
Vindingus.
Vinetus.
Viola.
Virdungus.
Vives.
Vlitius.
Voet. (*Paulus*)
Voetius. (*Gisbertus*)
Volaterranus.
Vorstius.
Vossius. (*Johannes Gerhardus*)
Vossius. (*Isaacus*)
Vossius. (*Dionysius*)
Ursatus.
Ursinus. (*Fulvius*)
Ursinus. (*Johannes Henricus*)
Usserius.
Vulcanius.
Waserus.
Weitzius.
Wendelinus.
Wesembecius.
Willichius.
Winderus.
Witellius.
Wolffius.
Wouwerius.
Xylander.
Zamoscius.
Zieglerus.
Zimmermannus.
Zurck.

Scaliger Sylv. Carmin. xxxix.

Si quem dira manet sententia judicis olim,
Damnatum ærumnis, suppliciisque caput:
Hunc neque fabrili laßent ergastula massa,
Nec rigidas vexent fossa metalla manus.
LEXICA contexat, nam cætera quid morer? omnes
Pœnarum facies hic labor unus habet.

A D

AD

DOCTISSIMUM VIRUM

SAMUELEM PITISCUM

ANTIQUITATES ROMANAS,

IN

FORMAM LEXICI

REDACTAS,

TYPIS EVULGANTEM.

Cum video Libros, quos post sua fata reliquit
  Ille unus docti, GRAEVIUS, orbis amor;
O Libri, dico, GRAEVÎ salvete BEATI,
  Versandi nostrâ nocte dieque manu.
Quis tot Scripta meos disponere curat ad usus,
  Ut discam ritus, Inclyta Roma, tuos?
Hoc studium, hic labor est, haec est tua cura, PITISCE:
  Hoc Tu tam nobis utile condis opus.
Statis, & aeternâ duo state Volumina laude,
  Vos eritis Docti tot Monumenta Viri;
Post tantos, Venerande Senex, requiesce labores,
  Dum GRAEVÎ, famae consulis ipse Tuae.

G. CLARAMONTIUS.

IN LEXICON
ANTIQUITATUM GRÆCO-ROMANARUM
SAMUELIS PITISCI,
GYMNASII ULTRAJECTINI RECTORIS MERITISSIMI.

*Rbis miratus tua commentaria nuper,*
Nunc ſtupet ad tantæ Lexicon artis opus.
Græcia cum Latio, laudatque Europa laborem,
Laudat & ingenium, docte PITISCE, *tuum.*
Græca doces, Romana doces. Antiqua leguntur,
Et tamen hæc nova ſunt, ordine nata novo.
Hic doctrina profunda patet, nitidus patet ordo:
Hic ſtylus eſt elegans, impiger hic labor eſt.
Sic in Doctorum cognoſcitur orbe PITISCUS,
Auctoremque refert littera quæque ſuum.
Annorum decies plus ſeptem cana ſenectus
(Quis credat?) tantæ molis opus peperit.
Si quid vaticinor; cunctis labor iſte placebit:
Appetet hunc quævis bibliotheca librum.
Principium finisque Deus tibi ſoſpitet ævum,
Donec det cœli gaudia plena tibi.

Applauſit Avunculo ſuo ex affinitate cognatus
JOANNES SLUITER.

IN

IN
LEXICON
ANTIQUITATUM ROMANARUM
VIRI DOCTISSIMI
SAMUELIS PITISCI.

SAlvete auguſtæ monumenta perennia Romæ:
Salvete æternâ ſcripta linenda cedro.
Tuque adeo, Muſis accepti, muneris auctor
Salve cum ſcriptis, docte PITISCE, tuis.
Quæ diffuſa prius, magno quærenda labore,
Condiderat cæco plurima charta ſinu;
Ingenii dos rara tui digeſſit in unum,
Sedulitas luci reſtituitque ſuæ.
Tu Latiæ Grajæque rei communia pandis:
Tu tantum Auſoniis more recepta viris.
Per te ſacra patent, genti celebrata togatæ,
Numinaque ad ritus ambitioſa ſuos.
Per te Majeſtas, Tyrio ſpectabilis oſtro,
Antiquum geſtit ſumere læta decus.
Illa quidem veteris Romæ modo fata revolvens,
Vix poterat lacrimis abſtinuiſſe piis.
Jamque adeo ſedes ſibi ſuſpirabat amatas,
Imperii ſedes, Martia Roma, tui:
Quum Pallas, Batavum terris magis omnibus orbem
Alma fovens, tales edidit ore ſonos.
Quid, fruſtra ah! rebus ſperas æterna caducis,
Vaſtaque manſurum per monumenta decus?
Illa jacent mœſtis paſſim quærenda ruinis,
Ipſaque conſumit rudera longa dies.
Unica quin potius duri ſolatia fati,
Surgat ut in Batavis, aſpice, Roma meis.
Quam GRAEVI pia cura mei, pia cura PITISCI
Ornatam doctâ condidit alma manu.
Dixerat. Hæc tantos ardet luſtrare labores,
Et quondam rerum principis Urbis opes.
Læta recognoſcit delubra auguſta Deorum,
Nobile, Mygdonio marmore dives, opus.

Nunc

Nunc ebore insignes atque auro divite valvas,
  Plurimaque historiæ prospicit acta sacræ.
Exactique operis moles mirata superbas,
  Quas stupet, artifices laudat ubique manus.
In medio modo signa Deûm, modo dona morantur,
  Utraque divitiis conspicienda suis.
Hic & odoratis lucentes ignibus aræ:
  Ductaque ad ornatos victima sacra focos:
Aurea marmoreis hic porticus alta columnis:
  Hic digna augusto vivida signa loco.
Hîc juvat aëriâ surgentes mole Colossos
  Suspicere; atque acie culmina summa sequi.
Quæque sibi meruit virtus animosa Quiritum,
  Martia dum fusis hostibus arma refert:
Exuviis adeo insignes hostilibus Arcus,
  Navalique gravis qui nitet ære labor:
At quo surripitis spectantem celsa Theatra?
  Quo spatium rapidis nobile, Circe, rotis?
Rostraque, quæ toties facundi fulmina Tullî
  Sensistis trepidis præsidio esse reis?
Quo passim Phrygiis sublimia tecta columnis,
  Fixaque ad illustres arma superba domos?
Atque ebore, atque auro nitidum fulgente lacunar,
  Et solà Tænario marmore conspicua?
Ut splendet pretiosa domo ridente supellex,
  Quam sibi divina vindicat arte manus:
Artifices tabulæ, vivum spirantia signa,
  Et celebri dignus Mentore vasa labor:
Et pictæ vestes, & murice tincta rubenti
  Lana, & Ephyréis æra superba notis!
In quamcunque operis partem sua lumina flectit
  Majestas, Latiæ spirat imago rei.
Hic late quondam dominos in honore secures:
  Hic sua conspicuum munera spectat ebur.
Quin nunc magnificos gaudet celebrare triumphos,
  Ipsaque in auratis aurea stare rotis.
Lætaque perlustrat pulchræ spectacula pompæ,
  Splendidaque in sacrâ fercula multa viâ.
Viderat: & per quem sibi reddita Diva placebat,
  Applausit Genio, docte Pitisce, tuo.

Petrus Savois, M. D.

LEX-





Sive *Alpha* prima eſt literarum. Cauſam attulit grammaticus Protogenes, cum Hermejas princeps geometra hanc illi propoſuiſſet quæſtionem, cur Alpha primum inter literas haberet locum; nimirum illam, quæ in ſcholis tradi ſolet: *vocales optimo jure mutis, & ſemivocalibus anteire. Vocalium alias longas, alias breves haberi, alias ancipites: de quibus ancipites haud dubie prærogativam habeant. Rurſum de ancipitibus ordine eam reliquis facile priorem, quæ utrique proponi, neutri poſtponi ſoleat. Tale autem eſſe alpha: id enim neque poſt jota, neque poſt ypſilon collocatum in unam cum iis coire vult ſyllabam, ſed veluti indignans reſilit, ſuumque quærit primordium.* Lamprias vero ajebat: *primam natura vocem articulatam facultate literæ A efferri; nam ſpiritum, qui in ore eſt, maxime labiorum motibus fingi, quibus ſurſum verſum diductis primo exeat ſonus iſte ſimplex admodum, & nullum exhibens negotium, neque linguæ operam flagitans, vel exſpectans, ſed ea ſuo ſe loco continente emiſſus: Itaque etiam infantes hanc primum edere vocem.* Plutarch. Sympoſ. IX. 2. *Pier. Hierogl.* III. 18. *Schill Nomencl. Philol. p.* 6.

A, ſive Alpha deſignat hominem primarium, ſive præcipuum, ſive ſit inter divites, ſive pauperes: ſeu doctos, ſive indoctos: idque propter ſimilitudinem ordinis, quem hæc litera habet præ cæteris. *Alpha* penulatorum primus eſt inter mendicos, ſive pauperes, & plebejos. Mart. II. 57. 4.

Non ipſe Codrus Alpha penulatorum.

ut Beta togatorum eſt divitum poſtremus Mart. V. 26.

Quod Alpha dixi, Codre, penulatorum
Te nuper, aliqua cum jocarer in charta:
Si forte bilem movit hic tibi verſus,
Dicas licebit Beta me togatorum.

Rader. in Martialem. Schill Nomencl. Philol. p. 3.

A litera, quæ ideo, ut teſtatur Cicer. pro Mil. c. 6. *ſalutaris* vocabatur, utebantur judices in judiciis, & ſententiis dicendis; dum reum peccato, de quo accuſabatur, ſi cauſa ipſius bona videbatur, hujus literæ indicio abſolvebant. Tabula enim literam *A abſolutionis* notam inſculptam habebat. Aſconius. V. illum infr. in *N. L.* eamque in ciſtam, ſive ciſtellam. V. illam infr. in *Sitella.* conjiciebant. *Alex. Gen.* III. 5. *& ad illum Tiraquellus. Eraſm. Adag. p.* 160. *A. Gruch. de Comit.* I. 4. *Pier. Hierogl.* XVII. 23. *Briſſon. de Form.* V. *p.* 480. *E. Manut. de Legib. Roman. c.* 22. *Bud. in Pandect. p.* 32. *H:* 33. *G. Donat. Dilucid. in Liv. c.* 43. *Poller. For. Rom.* IV. 15: *V.* 8. *Moreſt. de diver. dier. dial.* 12. *Hugo de prim. ſcrib. orig. c.* 22. *Sigon. de Judic.* II. 22. *Urſat. de Not. Roman. Theſ. Antiq. Roman. Græv. Tom.* XI. *p.* 523. *A. Sardus de Morib. ac rit. gent.* II. 22. *Roſin. Antiq. Roman.* IX. 24. *Schill Nomencl. Philol. p.* 1. *&* 1128.

A litera utebantur etiam cives in ſuffragiis, & comitiis legum, dum ſe rogationem repudiare ſignificabant.

Tabulas enim literam *A antiquationis* notam; q. d. *antiquo*, seu, *antiqua sequor, nova non placent*, insculptam habentes in cistam conjiciebant: & illa rogationem se non accipere, sed rejicere, respuere, & explodere significabant. *Antiquare* enim est *in morem pristinum reducere.* Et antiquabatur lex, quæ promulgata non accipiebatur. *Brisson. de Form.* II. *p.* 133. *Hotoman. Ant. Form. Thes. Antiq. Roman. Græv. Tom.* II. *p.* 1918. *D. Gruch. de Comit.* I. 4. *Hugo de prim. scrib. orig. c.* 24. *Manut. de Legib. Roman. c.* 35. *&* 37. *Sardus de Morib. ac ritib. gent.* II. 6. *Rosin. Antiq. Roman.* IV. 14: VIII. 2. *Ravard. ad Leg.* XII. *tab. c.* I. *Schill Nomencl. Philol. p.* 1. *&* 2.

A litera in militia usi sunt Romani, cum pueritiam vellent notare. Isidorus. V. illum infr. in *T.* & illic laudatos scriptores.

A litera est nota prænominis, & solo puncto postposito Aulum significat: ut A. Gellius, A. Cornelius Cossus. *Ursat. de Not. Roman. Thes. Ant. Roman. Græv. Tom.* XI. *p.* 524. *D.*

A litera etiam vel augur, vel augustalis explicari potest. Nummus Tiberii: C. VIBIO. MARSO. PR. COS. III. C. CASSIVS. FELIX, A. II. VIR. D. D. P. P. *Cajo Vibio Marso proconsule tertium, Cajus Cassius Felix, augur, vel Augustalis, duumvir, decuriones posuere.* Vaillant Numism. I. p. 89.

A Lare incipe, ἀφ' Ἑστίας ἄρχου, a domesticis & familiaribus incipe. Recte dicitur in magistratus, & alienæ vitæ censores: quorum officium est, ut in primis suam, suorumque vitam corrigant. Nam Ἑστίαν Græci vocant, quem nos Latini Larem, ac Vestam vocamus. Aristoph. Vesp. p. 490.

Non, verum ut aliquem exorsus, ἀφ' Ἑστίας, a Lare obteram.

Ductum a vetusto ritu sacrorum, in quibus primitiæ Laribus immolabantur. V. Scholiasten. *Erasm. Adag. p.* 9. *a. Morestell. de Fer. Roman. dialog.* II.

A summo ad imum bibere dicebantur, cum magna lætitia convivium agitabatur, & lege quadam convivali pocula *a summo ad infimum* ministrabantur, initio facto ab uno ex convivis, qui in *summo* accumberet, & in orbem circumlato poculo ad eum, qui in *imo* lecto discumberet. Plaut. Asin. V. I. 41.

Da puere ab summo, age tu interibi ab infimo da suavium.

Pers. V. I. 40.

Age, circumfer mulsum, bibere da usque plenis cantharis.

Hoc Græci dicunt ἐν κύκλῳ πίνειν. *Ursin. Append. ad Ciaccon. de Triclin. p.* 328. *Lips. Ant. Lect.* III. *p.* 151. *Turneb. Adv.* VI. 21: XIII. 6. *Buleng. de Conviv.* III. 16. *Saubert. de Sacrif. c.* 26.

A & AB præpositiones, munerum, & officiorum nominibus præfixæ significabant illos, qui dignitatibus, muneribus, & officiis illis fungebantur.

A *Balneis* erat præfectus balneorum, quorum apud Romanos magnus erat usus. Lapis Florentiæ:

FLAVIO. MARCIANO
VLPIO. IVLIANO
MAG. A. BALNEIS. AVG.
DECVRIONES. SCRIBAE. VNCTORES. AVG.
VLPIO. CRATERI. AVG. LIB. PROC. CASTR.
DECVRIONES. SCRIBAE. ET. VNCTORES. D. D.

Spon. Misc. Erud. Antiq. Sect. VI. *p.* 213.

A *Bibliotheca*, & a *Bibliothecis*, quæ etiam apud privatos instituebantur, erat præfectus, qui domini sui *bibliothecam* tractabat. Apud Imperatores erant non pauci, quibus hoc munus incumberet: cum hæc ordinandarum, & publicandarum *bibliothecarum* cura non omnino videretur Imperii majestatem dedecere. Lapis Romæ:

DIS MANIBVS
T. FLAVIVS A BIBLIOT.
GRAEC. PAL.

Alius: TI. CLAVDIVS. AVG. L.
HYMENAEVS. MEDICVS.
A. BIBLIOTHECIS.

Pignor. de Serv. p. 215. *Spon. Misc. Erud. Antiq. Sect.* VI. *p.* 206. *Donat. in Suet. Aug. c.* 67. Ἀναλόγως *Bibliothecarius* a *bibliotheca* formaretur, ut a capsa capsarius. Sed veteres hanc vocem nesciunt. *Voss. de Vit. serm.* I. 17.

A *Calida* erat ministrator, qui aquæ *calida* potionem domino parabat. Lapis Romæ:

Θ IVLIVS. ASTYOCHVS
Θ ET. C. IVLIVS. AGATHYRSVS
AVG. MINIST. APOLLINIS
IVLIA. ANDROCLEA. T. F.

IVLIVS CYPSVS
AVG. SERV. A. CAL.

Spon. Misc. Erud. Antiq. Sect. VI. *p.* 206.

A *Cancellis* erat minister, quem vocamus *Cancellarium*. Herric. de vit. S. Germani VI.

Volusianus erat, præcelso nomine quidam
Urbis patricius, toti dilectus & urbi,
Atque a cancellis prisco de more minister.

Chiflet. Anast. Childer. p. 135. Salmas. in Vopisc. Carin. c. 16.

A *Codicillis* dicebatur, qui domini *codicillos* servabat. Inscriptio Florentiæ:

AEGYPTO. SERVO
BARBARI. AVG. LIB
A. CODICILLIS
EVTYCHVS. PECV
LIARIS. SYMMACHVS
FRATRES. PIENTISSIMI

Spon. Misc. Erud. Antiq. Sect. VI. *p.* 207.

A *Cognitionibus*, quæ eædem ac *recognitiones* erant, dicebatur *recognitor*, Græcis ἀντιγραφεὺς, nostris *controlleur*. Inscriptio Romæ:

DIS. MANIBVS
T. FLAVI. AVG. LIB
ABASCANTI
A. COGNITIONIBVS
FLAVIA. HESPERIS
FECIT.

Spon. Misc. Erud. Antiq. Sect. VI. *p.* 207.

A *Commentariis* dicebatur, qui *commentariis*, seu variis rerum rationibus exscribendis præerat, quem Græci ὑπογραμματέα vocitant, nos scribam, aut librarium. Inscriptio Romæ:

D. M
M. VLPIO
ABASCANTO
CVSTOS. A. COMM
BENEFICIORVM
FLAVIA. PALLA
B. M. ET. CAECILIAN
FILIVS. EIVS. SIBI
LIBERTABVSQVE
EORVM.

Spon. Misc. Erud. Antiq. Sect. VI. *p.* 208. *Calcagn. Epist. Quæst.* IV. 10. Hoc nomine etiam dicebatur *commentariensis*, sive carcerum præses, quod custodias in *commentarium* referret, & velut diarium earum conficeret. Hieron. in II. Regum. *Josaphat erat a commentariis.* Donat. Dilucid. in Suet. Aug. c. 67. Spon. l. l.

A *Commentariis* equorum dicebatur, qui nomina equorum, aut aurigarum scribebat, qui in circo exirent, & currerent. Inscriptio:

FLAVIAE. ELPIDI
CONIVGI. SANCTISSIMAE
MOSDRVS. AVG. L.
A. COMMENTARIIS. EQVORVM.

Argol. in Panvin. de Lud. Circens. I. 15.

A *Com-*

A *Commentariis* fisci Asiatici dicebatur, qui tractabat *commentarios* hujus fisci, cui præter quæ cum aliis communia habebat circa bona vacantia, caduca, commissa, tacita, fideicommissa, thesauros in loco publico, vel religioso, vel Cæsaris possessione repertos, singulare fuit, quod publicanorum illationibus augesceret. Inscriptio Romæ:

D. M
PIERO
CAESARIS. VERN
A. COMMENTARIIS
FISCI. ASIATICI
VIX. ANN. XXIV.
MES. II. DIEBVS. XVIII
PARENTES. FILIO
DESIDERATISSIMO

Reines. Inscript. Clas. IX. *n.* 33.

A *Commentariis* xvvirorum S. F. De his meminit Epigramma:

DIS. MANIBVS
MYRRHINI. DOMITIANI
PVBLICI. A. COMMEN
TARIIS XVVIROR. S. F.
ARRVNTIA. DOLICHE
FECIT. CONIVGI. CARIS
SIMO, ET. LIBERIS. LIBER
TABVSQVE. SVIS. POSTERISQ.
EORVM.

Panvin. de Imp. Rom. c. 42.

A *Commentariis* vehiculorum erant certi viri, per singulas provincias constituti, qui rationem habuerunt collationum a provincialibus exigendarum ad cursus publici instructionem. Gruter. Inscrip. p. DXCII. 4.

M. VLPIVS. AVG. LIB. CRESCENS
AB. VEHICVLIS. ET. FLAVIA. AVG. LIB. SALVIA
ET. SIBI. LIBERTIS. LIBERTABVSQVE. SVIS. ET. POS
TERISQVE. OMNIBVS. EORVM. HVIC. MONIM. D. M. ABEST
ET. M. VLPIVS. AVG. LIB. SATVRNINVS. FILIVS
A COMMENTARIS. VEHICVLORVM. ET. COCCEIA
FORTVNATA. FECERVNT. FRATRI. PIENTISSIM

Hennin. ad Bergier. de viis milit. IV. 4. 6.

A *Copiis* militaribus vocabatur præfectus commeatuum, qui in veteri inscriptione sic dictus, quia *copiæ* etiam commeatus, & annonam militarem significant. v. infr. in *Copiæ*.

A *Corinthiis*, sive *Corinthiarius* erat is e servorum numero, qui asservabat vasa æneа, qualia erant *Corinthia*, quæ supellectili annumerantur. Inscriptio Romæ:

TI. TALVS. PARATVS. A. CORINTHIIS.
& CALLITYCHÆ. ZOILI. CORINTHIAR. AGRIPP.

Pignor. de Serv. p. 209.

A *Cubiculo*, & *præpositus cubiculo* domini *cubiculum* asservabat, & ad domini corpus tuendum præpositus, & destinatus erat. Habentur illi in saxis magistratuum domus Augustæ. Istorum a *cubiculo* notitia, conditiones, & privilegia habentur l. 2. C. de præpos. sacr. cubic. De illo etiam Suet. Domit. c. 16. n. 5. *Festinantem ad corporis curam Parthenius cubiculo præpositus convertit.* Pignor. de Serv. p. 478. Popm. de Oper. serv. p. 33. Donat. in Suet. Aug. c. 67. Ursat. de Not. Roman. Thes. Ant. Roman. Græv. Tom. XI. p. 532. E.

A *Cura* amicorum Principis erant liberti in aula Palatina, qui curam gerebant amicorum Principis. Eratque hæc caritatis, & benevolentiæ compellatio. Olim legebantur Romæ epigrammata sepulcralia.

TI. CLAVDIVS. AVG
LIB. FORTVNATVS. A
CVRA. AMICORVM.
& M. VLPIVS
AVG. L.
A. CVRA. AMICORVM

Pignor. de Serv. p. 439. *Salmas. in Spartian. Adrian. c.* 18. *Ursat. de Not. Roman. Thes. Ant. Roman. Græv. Tom.* XI. *p.* 532. *F.*

A *Custodia* armorum erat minister Palatinus apud Cæsares, qui arma *custodiebat*. Hujusmodi A. quidam VIBIVS. HERMES. IMP. NERONI. A. CVSTODIA ARMORVM in veteri monumento legitur. *Pignor. de Serv. p.* 242.

A *Diplomatibus* erant, quibus evectionum, literarum, codicillorum ad currendum equis publicis emissorum, vel emittendorum a Principe cura commissa: erantque in officio earum potestatum, quibus post Principem tractorias concedendi facultas: Romæ in villa Cæsarini:

T. AELIVS. AVG. LIB.
SATVRNINVS
A. DIPLOMATIBVS
SARDONYCHI
ALVMNO. FIDELISSIMO

Reines. Inscript. Class. VI. *n.* 13. *Spon. Misc. Erud. Antiq. Sect.* VI. *p.* 209.

A *Frumento* vocabatur dispensator, qui conservis demensum, sive usitata quædam per canonem certum stipendia, certosque frumenti modios in mensem præstabat. Inscriptio Romæ:

VOLVSIAE. ARBVSCVLAE
PALLANS. Q. N
A. FRVM.
CONTVBERNALI. CARISSI
MAE....
& : DIS MANIBVS
ASCLEPIADI
ATHICTVS. L. N
A. FRVMENTO
VICARIAE. CARISSIMAE....

Pignor. de Serv. p. 313. *Donat. in Suet. Aug. c.* 67. *Reines. Inscript. Class.* IX. *n.* 45. *Epist. ad Rupert.* 70. *p.* 660. *Ursat. de Not. Roman. Thes. Ant. Roman. Græv. Tom.* XI. *p.* 541. *A.*

A *Jano* dictus fuit minister janitori proximus. *Jano* enim, a quo januæ, aras Græci ante focos statuebant, teste Macrob. Sat. I. 9. Latini videntur intus, & non uno in loco domus coluisse, ut qui apud ipsos omnibus januis præesset. Ideoque homines in antiquis monumentis recensentur: A JANO PRIMO PALATINO. A JANO MEDIO. A JANO AB ATRIO. Scio futuros, qui hæc carpant, quod *Jani* ædificia grandia, & pervia essent, non signa, fornices, & arcus publici, non aræ privatorum. Hoc utut verum sit, concedent tamen illi mihi, prope atrium alicubi extitisse *Janos*, quod perinde est, ac si dicamus, intra domesticos parietes, cum præsertim non repugnet, sub *Jano* signum *Jani* collocatum fuisse, cum Augustus *Pompeji statuam marmoreo Jano supposuerit*. Suet. c. 31. n. 10. *Pignor. de Serv. p.* 456.

A *Jumentis* vocabatur, qui Cæsaris *jumenta* curabat. Inscriptio Romæ:

 D. M.

D. M.
T. SALLVSTIO
EVTYCHO
A. IVMENTIS. CAES. N
FLAVIA. HORAEA
CONIVGI. B. M.

Spon. Misc. Erud. Antiq. Sect. VI. *p.* 209.

A *Kalendario* servus erat, qui *Kalendario* præpositus domini pecuniam exigebat, & credebat. V. infr. in *Curator.*

A *Lagena*, sive *Laguna* appellabatur, qui domino vinum ministrabat. Inscriptio Romæ:

C. IVLIO. DARDANO. LIVIAE
AVG. SER. A. LAGVNA
C. IVLIVS. CYDNVS
T. D. D. Q.

Idem sæpe ac a potione: unde utrumque officium conjungitur in hac inscriptione:

M. VLPIO. AVG. LIB
PHAEDIMO. DIVI. TRAIANI. AVG
A. POTIONE. ITEM. A. LAGVNA

Spon. Misc. Erud. Antiq. Sect. VI. *p.* 209. *Pignor. de Serv. p.* 132. *Popm. de Oper. serv. p.* 56.

A *Libellis* appellabatur, qui *libellorum* Principi a supplicibus oblatorum curam gerebat. Suet. Ner. c. 49. n. 7. *Ferrum jugulo adegit, juvante Epaphrodito a libellis.* Lamprid. Alex. Sever. c. 31. *Postmeridianas horas subscriptioni, & lectioni epistolarum semper dedit operam, ita ut ab epistolis, & a libellis, & a memoria semper assisterent.* Inscriptio Romæ:

D. M.
M. AVRELIO. AVG. LIBERTO
A. LIBELLIS. ADIVTORI. FABIA
AEGENIA. CON. B. M. F.

Popm. de Oper. serv. p. 73. *Calderin. Observ.* III. I. *Vechner. Hellen.* II. 10. *Salmas. in Lampridium. Pitisc. in Suetonium.*

A *Libris pontificalibus* dicebatur, qui libros transcribebat, ubi opus esset, vel compingebat. Vetus lapis:

TI. CLAVDIVS
NATALIS
A. LIBRIS
PONTIFICAL

Alius:

LIVIVS. THEONA. AB
EPISTOLIS. GRAECIS. SCRIBA
A. LIB. PONTIFICALIBVS

Guther. de vet. jur. pontif. II. 13.

A *manu*, & *servus a manu* dicebatur scriba, qui domini dictata excipiebat, vel aliud quidpiam scribebat. Suet. Aug. c. 67. n. 6. *Thallo a manu, quod pro epistola prodita denarios quingentos accepisset, crura effregit.* Cicer. de Orat. III. 60. *Quem servum sibi ille habuit ad manum.* Suet. Jul. c. 74. n. 3. *Philemonem a manu servum, qui necem suam per venenum inimicis promiserat, non gravius quam simplici morte punivit.* Calderin. Observ. III. I. Pignor. de Serv. p. 218. Popma de Oper. serv. p. 73. Pius Annot. prior. c. I. Spon. Misc. Erud. Antiq. Sect. VI. p. 210. Donat. Dilucid. in Suet. Aug. c. 67. Pitisc. in Suet. Julium. Vocabatur etiam *Amanuensis*. V. illum infr. in *Amanuensis.*

A *Marmoribus*, sive *metallis* dicebatur magister cædendorum lapidum. Apud Faliscos hodieque est lapis Feroniæ a magistro, æditimo, curatore, seu tutelario ejus dedicatum annum quinque. Appellatur iste Claudi Cæs. Aug. Germanici servus Themidianus *a marmoribus*. Octav. Bolton. Epigraph. dissert. limin. p. 5. Qui fallitur. Prave enim constructo sermone magisterium, seu curam Feroniæ sive fani, sive luci, sive fontis, quam gesserat iste Cæsaris servus, ad *marmora* transtulit: quod perperam fieri vel formula *a marmoribus*, quæ cum magistro copulari nequit, & nusquam in toto sermonis ambitu copulatur, docuerit. Magister vero Feroniæ dicitur recte, qui sacris ejus ministrat, vel fano præest, vel simulacro advigilat, & providet. Dicebatur vero, qui rationibus *marmorum* præfectus eas in tabulas referebat. *Reines. Inscript. Class.* I. *n.* 31. V. etiam *Pignor. de Serv. p.* 465. *Burman. Dissert. de Vectig. c.* 8. Pyrrhus Ligorius Antiq. I. ubi de Augusti Mausoleo verba facit, epitaphii in marmore antiquo meminit hujuscemodi: *Dis manibus Martialis Augusti libertus a marmoribus.* Donat. Dilucid. in Suet. Aug. c. 67.

A *Memoria* dicebantur, qui responsa, dictatus, rescripta Principis ad libellos supplices excipiebant. Patet hoc ex l. 2. 6. de petit. bon. subl. *Memoriales, qui excipienda hujusmodi rescripta, vel implenda curaverunt. Memoriæ* enim sunt scripturæ. Inscriptio Neapoli in ædibus Bonaventuræ:

AVRELIO. SYMPHORO
AVG. LIB. OFFICIALI. VETERI
A. MEMORIA. ET. DIPLOMATIBVS
EXORNATO. ORNAMENTIS. DECVRIO-
NALIBVS
ORDO. SPLENDIDISSIMVS. CIVI
OB. MEMORIAM. ET. INSTANTIAM. ERGA.
PATRIAM. CIVESQ.

Lampridius. V. illum supr. in *A libellis*. Talis apud Imp. Anton. Bassianum libertorum acceptissimus Festus apud Herodian. IV. 14. τῆς δὲ βασιλείου μνήμης προεστὼς: ubi docte Politianus *a memoria* vertit. *Reines. Inscript. Class.* VI. *n.* 13. *Lips. Elect.* I. 12. *Salmas. in Lampridium.* Vocabatur etiam *ad memoriam*. Vopisc. Caro c. 8. *Junius Calpurnius, qui ad memoriam dictabat, talem ad præfectum Urbis super morte Cari epistolam dedit.* Ubi τὸ *dictabat* apparet a glossemate insertum: quoniam mos illius ætatis erat sic loquendi: *Calpurnius ad memoriam, Malchio ad vestem:* ut clarum ex lapidibus. Credo hos eosdem esse, qui postea *magistri memoriæ* dicti. *Lips.* l. l.

A *mundo muliebri* dicebatur, cui delicatulæ mulieres munditiei studiosæ hujus curam demandabant. Inscriptio apud Gruter. p. 580. Tabella marmorea ex museo Cardinalis Carpensis:

IVLIA. IVCVNDA
AVG. L. SARCINATR.
A. MVNDO. MVLIEB. BYRA.
CANACIANA

Bartholin. de Inaurib. c. 7.

A *Pedibus* dicebatur, quo ad iter dominus utebatur, illum, quo libebat, mittens, & qui dominum, quem comitabatur, sequebatur. Cicer. ad Attic. VIII. 5. *Pollucem servum a pedibus mecum Romam misi.* Calderin. Observ. III. I. Turneb. Adv. III. 23. Salmas. in Pollion. Claud. c. 14. Popm. de Oper. serv. p. 88. Discumbentibus retro stabat, domini jussa excepturus. Triclinia enim in medio cœnationum sternebantur, ut liber locus ministrantibus relinqueretur. Mart. III. 23.

Omnia cum retro pueris obsonia tradas,
Cur non mensa tibi ponitur a pedibus.

Dicebatur etiam *ad pedes* stare. Senec. de Benef. III. 27. *Servus, qui cœnanti ad pedes steterat, narrat quæ inter cœnam ebrius dixisset.* Suet. Calig. c. 26. n. 2. *Quosdam summis honoribus functos cœnanti ad pedes stare succinctos linteo passus est.* Ciaccon. de Triclin. p. 70. Ursin. Append. p. 224. Buleng. de Conviv. I. 34. Alex. Gen. V. 22. & ad illum Tiraquellus. Torrent. & Pitisc. in Suetonium. Illorum quoque officium fuit soleas accumbentium dominorum custodire. Mart. XII. 89. I.

Bis

Bis Cotta soleas perdidisse questus,
Dum negligentem ducit ad pedes vernam,
Qui solus inopi præstat, & facit turbam:
Excogitavit homo sagax, & astutus,
Ne facere posset tale sæpius damnum,
Excalceatus ire cœpit ad cœnam.

Pignor. de Serv. p. 139.

A *Pendice cedri* inter officia domus Augustæ erat. Quicquid arcularum, aut aliarum rerum e *cedro* compactum erat, hujus curam spectabat. *Salmas. Exerc. Plin. p.* 268. *a. D.* Olim Romæ in museo Carpensi legebatur.

SEX. POMPEIO. SALVIO. SEX. POMP. SER. A. PEN
DICE. CEDRI: ITEM. AB. HORT. CVLT. H. S. E.

Pendicis vox, quæ a nostris civitate donata, nescio an alibi apud Latinos auctores legatur. Hanc frequentem apud poetas nostros, inepti profecto sunt, qui ab *appendice* derivant. *Pignor. de Serv. p.* 495.

A *Potione* idem qui a *Lagena.* V. illum. Inscriptio Romæ:

DOMO. MORTVI
C. IVLIVS. ARBVSCVLVS
A. POTIONE AVG. N
IVLIA. CORINTHA
CONIVGI. SANCTISSIMO
T. F.

Alia:

TI. IVLIVS.
TI. AVG. SER
A. POTIONE
O. H. S. S.

Spon. Misc. Erud. Antiq. Sect. VI. *p.* 210.

A *pugione* appellabatur, cui Cæsares *pugionem* imperatoriæ potestatis, ac majestatis insigne committebant. Lamprid. Commod. c. 6. *Tunc primum tres præfecti prætorio fuere, inter quos libertinus, qui a pugione appellatus est.* Salmas. in Lampridium. Buleng. de Imp. Rom. II. 16. Donat. Dilucid. in Suet. Aug. c. 67.

A *Rationibus*, sive ratiocinator dicebatur, cui in familia *ratiocinium* obtigerat, Suet. Claud. c. 28. n. 5. *Ante omnes Pallantem a Rationibus.* Marmor Lanuvinum:

T. AVRELIO
AVG. LIB.
APHRODISIO
PROC. AVG
A. RATIONIBVS.

Præfectus fisci dicitur Zonar. Annal. II. p. 184. *Pignor. de Serv. p.* 336. *Ursat. de Not. Roman. Thes. Ant. Rom. Græv. Tom.* XI. *p.* 557. *A. Spon. Misc. Erud. Antiq. Sect.* VI. *p.* 210. *Donat. Dilucid. in Suet. Aug. c.* 67. *Pitisc. in Suetonium.*

A *Sandalio* dicebatur, quæ *Sandalium* dominæ curabat, ornabat, gerebat. Inscriptio Romæ apud Cæsios:

C. VERANIO. C. L
FAVSTO
VERANIA
LIVIAE. AVGVST
SERV. A SANDALI
FECIT

Reines. Inscript. Class. IX. *n.* 78.

A *Secretis*, vulgata consuetudine, dicebatur, qui Principis *secretis* præest, quique ab ore Principis imperia recipit diplomatum subscribendorum, dictorumque, quæ in consilio selecto decerni solent. *Donat. Dilucid. in Suet. Aug. c.* 67. *Guther. de Offic. Dom. Aug.* III. 9. *Grapald. de Part. dom.* II. 9. 15. Notarius secretorum vocatur Vopisc. Aurelian. c. 36. *Mnestheum, quem pro notario secretorum habuerat.* Salmas. in Vopiscum.

A *Studiis* dicebatur, qui Imperatoris, vel alterius domini *studiis* præerat, cujus opera, & adminiculatione in *studiis* literarum utebatur Imperator, vel alius quis dominus. Claudio fuit Polybius. Suet. Cl. c. 28. n. 4. *Super hos Polybium a studiis suspexit.* Et Lemnus nescio quis, in veteri inscriptione:

TI. CLAVDIVS
LEMNVS
DIVI. CLAVDII
AVGVSTI. LIB
A. STVDIIS

Spon. Misc. Erud. Antiq. Sect. VI. *p.* 211. *Pignor. de Serv. p.* 217. *Donat. Dilucid. in Suet. Aug. c.* 67. *Pitisc. in Suetonium.*

A *Supellectili* vocabatur, qui domini supellectilem cunctam, vel castrensem tantum curabat. Inscriptio Romæ:

NESTOR
C. CAESARIS. SER
GERMANICIANVS
A. SVPELLECTILI. VIXIT. A. XL.

Ibidem: EVMOLPVS. CAESARIS
A. SVPELLECTILE

Pignor. de Serv. p. 208. *Ursat. de Not. Roman. Thes. Ant. Roman. Græv. Tom.* XI. *p.* 560. *D.*

A *Veste* dicebatur, qui *vestes* curabat. Veteres tituli:

BYRAE. CANACIANAE. LIVIAE
AVG. SER. A. VESTE. MAGN....

Item: ARION. CAESARIS. N. A. VES
TE. MATVTINA

Vocabatur etiam ad *vestem.* Titulus:

T. STATILIVS
MALCHIO
AD. VESTEM.

Pignor. de Serv. p. 212. *Popm. de Oper. serv. p.* 56. *Donat. Dilucid. in Suet. Aug. c.* 67.

A *Voluptatibus* dicebatur arbiter *voluptatum* eo modo, quo a pedibus. Hic Imperatoris *voluptates* curabat. Huic in cibo, potu, Venere, si aliquid novæ *voluptatis* genus reperisset, præmia instituit Imperator. Hoc officium instituit Tiberius. Suet. c. 42. n. 7. *Novum denique officium instituit a voluptatibus, præposito equite Romano T. Cæsonio Prisco.* Talis Neroni fuit Petronius apud Tacit. Annal. XVI. 18. 3. *Dein revolutus ad vitia, seu vitiorum imitationem inter paucos familiarium Neroni assumptus est elegantiæ arbiter, dum nihil amœnum, & molle affluentia putat, nisi quod ei Petronius approbavisset. Unde invidia Tigellini, quasi adversus æmulum, & scientia voluptatum potiorem.* Buleng. de Venat. c. 11. Argol. in Panvin. de Lud. circens. II. 13. Donat. Dilucid. in Suet. Aug. c. 67.

AB

AB *actis* fori dicebatur, qui fori *acta* recolebat. *Ursat. de Not. Roman. Thes. Ant. Roman. Græv. Tom.* XI. *p.* 528. *A.* Qui judicis sententias in judicio notis excipiebat. Modestin. l. inter eos. §. 1. ff. ex quib. caus. major. *Eos, qui notis scribunt acta præsidum, Reipublicæ causa non abesse certum est.* Hominum *ab actis* officium quod fuerit, clare demonstrat, ubi Lamponem *ab actis* præsidis insequitur, Philo de Legat. ad Cajum p. 984. A. *Ab actis erat apud præsides causas promovens ex ordine. In harum commentariis quædam delebat, quædam prætermittebat data opera: nonnunquam inserebat, quæ in judicio dicta non erant. Rursus alia mutabat, trans-*

transferebatque pro libito e singulis syllabis, atque etiam apicibus quæstum faciens scriba sedentarius, qui sæpe conclamante populo Calamosphactes appellatus est, quod scribendo jugularet multos. Guther. de Offic. dom. Aug. II. 13.

AB *actis* senatus dicebatur, qui *acta* senatus curabat. Lapis vetus: C. PORCIO. C. F. QVIR. X. VIRO. STLITIB. IVDICAND. ADIECTO. INTER. QVAESTOR. AB. ACTIS. SEN. *Lips. in Tacit. Annal.* v. *Exc.* 1. *Ursat. de Not. Roman. Thes. Ant. Roman. Græv. Tom.* XI. *p.* 528. *B.*

AB *admissionibus* erat officium Palatinum. Aditus enim per *admissionales* erat ad Principem. V. infr. in *Admissionales.* Lips. in Plin. Paneg. c. 47. n. 3.

AB *ægris* cubiculariorum dicebatur, qui *ægros* ex cubiculariis curabat. *Salmas. in Capitolin. Gordian.* c. 25. Inscriptio inter viam Appiam, & Latinam:

M. ARELIO. AVG. L
STEPHANO
AB. AEGRIS
CVBICVLARIOR
VLPIA [illegible]ALIA
VXOR. B. M. FEC.

Reines. Inscript. Class. IX. *n.* 91.

AB *atrio* curando, vel *atrii* curandi, non alius quam *atriensis* videtur fuisse in antiquo elogio. Nisi dicamus fuisse recensitorem quempiam officiosorum hominum, quorum catervæ in atrio disponebantur. Et quidni nomenclatorem, qui domino salutantium nomen insusurret? *Pignor. de Serv. p.* 463.

AB *ephemeride* num vocabantur, qui diurna asservabant. Vetus marmor olim vulgatum hæc habuit: PROC. AB. EPHEMERIDE. Fuit autem is Theoprepon Alexandri Aug. libertus. Et quidem *quod Latini diurnum, Græcos ephemerida dicere* affirmat Isidor. I. 43. *Pignor. de Serv. p.* 316.

AB *epistolis* vocabatur, qui ab Imperatore, vel aliquo alio domino conceptas scribebat literas. Tacit. Annal. XVI. 8. 1. *Præficeretque rationibus, & libellis, & epistolis libertos.* De illo meminit vetus inscriptio, quæ exstat Florentiæ:

IVLIAE. METHAE
IANVARIVS
AB. EPISTOLIS
CONTVBERNALI
CARISSIMAE

Talis fuit Claudio Narcissus. Suet. c. 28. n. 5. *Ante omnes Narcissum ab epi[illegible]pexit.* Zonar. Annal. II. p. 187. *Antequam occideretur* Narcissus, *egregium facinus edidit. nam literas Claudii arcanas contra Agrippinam, & alios scriptas cremavit, quas ut qui illi esset ab epistolis, omnes habebat.* Qui Latinas scribebat, vocabatur ab *epistolis* Latinis. Lapis Romæ:

SEX. POMPEIVS. SEX. F. FELIX
SEX. POMPEI. AB. EPISTVLIS
LATINIS.

Qui Græcas, ab *epistolis* Græcis. Lapis Romæ:

L. MVNATI. L. VALERIVS
L. L. STACTVS
NICOMEDI. AB. EPIST. GRAEC.

Spon. Misc. Erud. Antiq. Sect. VI. *p.* 205. *Guther. de Offic. dom. Aug.* III. 5. *Popm. de Oper. serv. p.* 73. *Ursat. de Not. Roman. Thes. Ant. Roman. Græv. Tom.* XI. *p.* 528. *D. Salmas. in Lamprid. Alex. Sev. c.* 31. *Pius Annot. Prior. c.* 1. *Denat. Dilucid. in Suet. Aug. c.* 67. *Pitisc. in Suetonium.*

AB *hortulo* nihil aliud est quam hortulanus. Lapis Romæ:

POMPEIAE
PLACIDIAE
SEX. POMPEIVS
KARATVS
AB. HORTVL
SEXTIAN.

Alius: C. OCTAVIVS. C. L. PACCIVS
AVG. SER. AB. HORTVL.

Spon. Misc. Erud. Antiq. Sect. VI. *p.* 222. *Pignor. de Serv. p.* 496.

AB *janua* est janitor, qui aditum obsidebat, ut admitteret nimirum, vel dimitteret eos, qui dominum conveniebant. Nep. Hann. c. 23. n. 4. *Huc cum legati Romanorum venissent, ac multitudine domum ejus circumdedissent, puer ab janua prospiciens Hannibali dixit ... Pignor. de Serv. p.* 444.

AB *ornamentis* inter officia domus Augustæ dicebatur, cui *ornamentorum* cura erat demandata. Romæ in atrio domus Julii Porcarii, ad Minervam, ara est marmorea, in qua hæc inscriptio apud Gruter. p. 578.

D. M.
T. FL. AVG. LIB
PARTHENOPAEI
POPPEJANI. EVNVCHI
AB. ORNAMENTIS

Bartholin. de Inaurib. c. 7.

ABA.

ABACUS erat mensa, sive tabula absque fulcro coquinaria, quæ nunc parieti applicabatur, nunc soluta demittebatur, in qua pocula potoria, vasa omnis generis, & dapes, priusquam mensis inferrentur, reponebantur. Liv. XXXIX. 7. V. illum infr. in *Monopodium.* Cicer. Verr. IV. 16. *Ab hoc iste abaci vasa omnia, ut exposita fuerant, abstulit.* Plin. XXXVII. 2. *Pompejus in triumpho, quem egit de piratis, Asia, Ponto, regibusque & gentibus attulit lectos tricliniares, vasa ex auro, & gemmis novem abacorum.* Quibus verbis designat certum poculorum numerum in *abaco* reponi solitum. *Ciaccon. de Triclin. p.* 30. *Ursin. Append. p.* 298. *Baldus Lexic. Vitruv. Kobierzyck. de Luxu Roman.* II. 10. *Buleng. de Imperat. Rom.* II. 34. *Bud. in Pandect. p.* 138. *F. Schill Nomencl. Philol. p.* 6. *Volaterr. Comment. Urban.* XXXVII. *p.* 1033. *E. Auctor miscel. defens. pro Salmas. ad jus Attic. & Rom. c.* 23.

Abacus erat mensa calculatoria, sive tabella numeraria, veteribus Romanis usitata, in qua numeri, ut deleri possent, ducebantur. Hac usi mathematici ad lineas, figuras, numerosque præmonstrandos. Pers. Sat. I. 131.

Nec qui abaco numeros, & secto in pulvere metas
Scit risisse vafer.

Sepulcrum literati viri, Pisauri:

. . . .

SIVE. QVOD. EVCLIDES. ABACO. PRAESCRIPTA. TVLISSET
DELICIAS. HABVI. PARITER. LVSVSQVE PROCACES

Ferret. Mus. Lapid. 1. *Memor.* 33. *Velser. Rer. Vindel. p.* 221. *Pignor. de Serv. p.* 339. *Stuck. Ant. Conviv.* II. 26. *Bud. Pandect. p.* 128. *F. Volaterr. Comm. Urban.* XXXVII. *p.* 1033. *E. Schill Nomencl. Philol. p.* 6.

Abacus erat tabula lusoria, sive aleatoria, in qua tesseris, & calculis ludebatur. Macrob. Saturn. I. 5. *Sed vultisne diem sequentem, quem plerique omnes abaco, & latrunculis conterunt, nos istis sobriis fabulis exigamus?* Constabat ut plurimum e ligno. Apud Diomed. II. ænigma legitur: *Ut mare concretum in creta, ligneo in campo, ubi humana*

caro

caro ex offibus ludebat. Ligneus campus videri poteft *abacus* luforius. Vel ex ebore. Mart. XIII. 1. 5.

Non mea magnanimo depugnat teffera talo,
Senio nec noftrum cum, cane quaffat ebur.

Souter. de Aleat. I. 2. Senfleb. de Alea c. II. §. 5. Stuck. Ant. Conviv. II. 16. Calcagn. de Teffer. c. 3. Buleng. de Lud. vet. c. 58.

Abacus dicebatur tabula metallica, fi quadrata erat in nobilium, & illuftrium domuum incruftationibus, a fimilitudine *abacorum* ligneorum. Vitruv. VII. 3. *Itaque veteribus parietibus nonnulli cruftas excidentes pro abacis utuntur, ipfaque tectoria abacorum, & fpeculorum divifionibus circa fe prominentes habent expreffiones.* Ubi *divifiones abacorum* in tectorio *prominentes* vocat formas quadratas, *fpeculorum* rotundas. Seneca. V. illum infr. in *Speculum*. Turneb. Adv. XXVI. 3. Bergier. de viis milit. v. Sect. XI. §. 8.

Abacus erat tabula quadrata, refimatis tamen lateribus; qua fummum capitulum Corinthiæ columnæ integitur. Vitruv. IV. 1. *Abaci latitudo ita habeat rationem, ut quanta fuerit altitudo, bis tanta fit diagonios ab angulo ad angulum.* Leo Albertus appofite operculum, quo echinus, crateris inftar, operitur, appellat: Itali dadum, quadrumve dicunt, etfi plerique omnes Latino utantur vocabulo. *Baldus Lexic. Vitruv. Philand. in Vitruvium. Schill Nomencl. Philol. p. 7.*

Abacus vocatur etiam tabula Abecedaria, quæ Græcis dicitur ἄβαξ, & ἀβάκιον, unde pueri primum difcunt legere, continens feriem literarum. Juxta Græcarum literarum pofitum dicitur *alphabetum*, & *alphabetaria*. Schill Nomencl. Philol. p. 6. Baldus Lexic. Vitruv.

ABALIENATIO *eft ejus rei, quæ mancipi eft, aut traditio alteri nexu, aut in jure ceffio, inter quos ea jure civili fieri poffunt.* Cicer. Topic. c. 5. Quæ verba enarrans Boethius inquit: *Omnes res, quæ abalienari poffunt, id eft, quæ a noftro dominio ad alterius tranfire poffunt, mancipi dictæ funt. Et ea abalienatio per quandam nexus fiebat follennitatem.* v. infr. in *Mancipi*, & *Nexus*. Bud. in Pandect. p. 26. C. Faber Semeftr. II. 23. Calcagn. de Verb. fignif. p. 354. & Equit. p. 756. Thyf. in Gell. V. 19. Briffon. de Form. VI. p. 513. Auguftin. ad Leg. XII. tab. §. 25.

ABASCANTIANUM. V. illud infr. in *Balneum*.

ABD.

ABDICATIO, *quæ Græco more ad alienandos liberos ufurpabatur, &* ἀποκήρυξις *dicebatur, Romanis legibus non comprobatur.* Imperat. Dioclet. & Maxim. l. 6. C. de patr. poteft. Solebat hoc modo fieri. Cum filius patrem injuria affeciffet, aut minus audiens dicto fuiffet, eum pater ad judices vocabat: & probata caufa permittebatur *abdicatio*. Caufæ ipfæ minime femper eædem erant, fed incertæ, & fere patris arbitrio. Genere, & familia indignos *abdicari* lex concefferat: Lucian. in Abdicato p. 723. caufas fuiffe hujufmodi tradit: fi filius foris noctu cubuiffet, fi comeffaretur, fi lenones pulfaffet, fi libidinibus incumberet. Quintil. Declam. 283. addit: eum quoque, qui voluntati paternæ repugnaffet, *abdicari* potuiffe. Eum vero, qui *abdicatus* fuerat, pater educare non tenebatur: imo omnium egenum, veftibus fpoliatum dimittebat: defuncto patri in hæreditatem non fuccedebat. Idem oftendit, eos, qui a parentibus *abdicatos* recipiebant, læfæ reipublicæ reos fieri. Et apud Lucianum dubitatur, num pater filium, quem femel *abdicaverit*, receperitque deinde in poteftatem, poffit rurfus ex nova caufa *abdicare*. Alciat. Difpunct. II. 28. Thyf. in Gell. I. 12. In *abdicatione* parentes ejuraffe etiam liberos quafi follenni ritu comperio: nam velut facramento negantur effe extra domum, & familiam, ac fepofitos. Ad hoc me ducit Senec. de Confol. ad Marc. c. 19. Ut *quidam odia filiorum fimulent, & liberos ejurent, & orbitatem manu faciant.* De Benef. VI. 4. *Quid? non tam duri quidam, & tam fcelerati patres funt, ut illos averfari, & ejurare jufque fafque fit.* Apud quem *ejurare* eft non agnofcere, nec pro talibus habere. *Hanffen. de Jurejur. vet. c. 5. Lipf. in Senecam.*

ABE.

ABELLA, *municipium coloniæ, vel familiæ Imperatoris Vefpafiani juffu acceperunt. Poftea ager in jugeribus militi eft affignatus.* Frontin. de Colon. p. 103. *Panvin. de Imper. Rom. c. 11.*

ABELLINUM *muro ducta colonia lege Sempronia. Iter populo non debetur. Ager ejus veteranis eft affignatus.* Frontin. de Colon. p. 102. *Panvin. de Imper. Rom. c. 11.*

ABELLIO erat deus Gallorum, qui colebatur apud Convenas Novempopulaniæ. In his ejus hæc exftant monumenta:

DEO
ABELLIO
NI
MINICIA
IVSTA
V. S. L. M

Item: ABELLIONI. DEO. TAVRINVS.
BONE. CONI. SEVSIM

Item: ABELLIONI. CISONTEM. CISSON
BONNIS. FIL. V. S. L. M.

Scalig. Lect. Aufon. 1. 9. Berthald. de Ara c. 27. §. 5. Selden. de diis Syr. II. 1.

ABEONA fuit dea culta, quæ *abeundi* facultatem præftaret. Auguft. de Civit. Dei. IV. 21. *Quid neceffe erat, deæ Adeonæ adeuntes, Abeonæ abeuntes commendare?* VII. 3. *Hæc*, Juno, *opus facit cum duabus ignobiliffimis Abeona, & Adeona.* Actionibus enim, & actionum motibus deos fuos veteres affingebant. *Lipen. de Siren. c. 1. §. 6. Gyrald. Synt. deor. 1. p. 52. D. Stuck. de Sacrif. p. 46. Rofin. Ant. Roman. II. 19.*

ABESSE *Reipublicæ caufa videntur proconfules; legatique eorum, & qui provinciis præfunt, procuratorefve Principum, qui in provinciis tenentur, & tribuni militum, & præfecti, & comites legatorum, qui ad ærarium delati, aut in commentarium Principis delati funt.* Modeftin. l. abeffe 32. ff. ex quib. cauf. maj. *Pancirol. Notit. dignit. Imp. Præf. Thef. Ant. Rom. Græv. Tom.* VII. p. 1326. *D. Cujac. Obferv.* XII. 33. *Rævard. de Div. reg. jur.* CXL.

ABEUNTES magiftratu in concione jurabant, fe nihil contra leges feciffe, nihil quo cujufquam falus læderetur, neque præmium, aut honorem ex calamitate civium cepiffe. Argumento eft, quod Ciceroni pridie Kalend. Januar. quo die confulatu abiturus erat, concionis habendæ facultatem a Metello Nepote tribuno plebis denegatam: nec aliud conceffum quam ut legitimum jusjurandum præftaret, refert Dio XXXVII. p. 47. B. Et hoc ipfum de fe prædicat Cicer. in Pifon. c. 3. Famil. v. 2. his verbis: *Ego cum in concione, abiens magiftratu, dicere a tribuno plebis prohiberer quæ conftitueram: cumque is mihi tantummodo, ut jurarem, permitteret: fine ulla dubitatione juravi, Rempublicam, atque hanc urbem mea unius opera effe falvam.* Tacit. Hift. IV. 41. 1. *Senatus, inchoantibus primoribus, jusjurandum concepit, quo certatim omnes magiftratus cæteri, ut fententiam rogabantur, deos teftes advocabant: nihil ope fua factum, quo cujufquam falus læderetur, neque fe præmium, aut honorem ex calamitate civium cepiffe.* Briffon. de Form. VIII. p. 715. Turneb. Adv. XXI. 15. Lipf. in Plin. Paneg. c. 64. n. 1.

ABI.

ABIGEUS *eft qui pecora ex pafcuis, vel ex armentis, vel ftabulis fubtrahit, & quodammodo deprædatur: & abigendi ftudium, quafi artem exercet; equos de gregibus, vel bovem aberrantem, vel equos in folitudine relictos qui abduxerit, non abigeus, fed fur eft.* Ulpian. l. 1. §. 1. ff. de Abigeis. *Voff. Lexic. Etymol. in Ago. Schill Nomencl. Philol. p. 10.* Admiffum *abigeorum* ideo graviter puniri folet, quoniam plerumque ferro utantur. Macer l. 2. ff. de Abigeis: *Quia plerumque abigei & ferro utuntur, fi deprehendantur, ideo gra-*

graviter & puniri eorum admissum solet. Pœnas denarrat Ulpian. l. 1. §. 3. de Abigeis. *Quamquam autem metalli pœnam, item operis, vel etiam gladii præstituerit: attamen qui honestiore loco nati sunt, non debent ad hanc pœnam pertinere: sed aut relegandi sunt, aut movendi ordine. Sane, qui cum gladio abigunt, non inique bestiis objiciuntur.* Pancirol. Rer. deperd. & inv. p. 54. Fab. Semest. II. 11.

ABL.

ABLAQUEARE est circa caudicem fodere, & dolabra terram diligenter aperire, & purgatis omnibus velut lacus efficere. Ad hoc enim provocatur terra, ut soles, & imbres imbibat. Ad augmentum enim multum, & plurimum prodest, ut quanto citius crescere arborem desideres, eo frequentius, si per loci, regionisve naturam sit, *ablaquees.* Colum. II. 2. *Tum etiam arbores ablaqueare, nec minus vineas, easdemque putare.* De arbor. c. 5. *Ab idibus Octobris ablaqueare incipito, ante brumam ablaqueatam habeto.* Curtius de cult. hort. XII. 8. Ursin. ad Kalend. Rustic. Farnes. Thes. Ant. Rom. Græv. Tom. VIII. p. 26. Salmas. Exerc. Plin. p. 363. a. A. 366. A.

ABLECTI equitum extraordinariorum an recte dicantur, V. infr. in *Selecti.*

ABLEGMINA, quæ aliis *albegmina*, sunt partes, quæ diis porriciebantur, quæ propterea dicebantur prosiciæ, & prosecta, tanquam separata quædam a reliqua visceratione. Id enim est *ablegere*, imitatione Græcorum, qui dicunt ἀπολέγειν. Ergo *ablegmina*, ἀπολεγμοί. Festus: *Albegmina, partes extorum, quæ diis immolabant.* Glossæ: *Ablegmina, partes extorum, quæ prosegmina dicunt.* Sed Tertull. Apolog. c. 13. elegantissime *ablegmina* circumlocutus est his verbis: *Non dico, quales sitis in sacrificando, cum enecta, & tabidosa quæque mactatis, cum de opimis, & integris supervacua quæque tractatis capitula & ungulas, quæ domi quoque pueris, vel canibus destinassetis.* Scalig. in Festum. Voss. Lex. Etymol. in Albus. Lomej. de Lustrat. c. 23. Saubert. de Sacrif. c. 20. Buleng. de Sortib. I. 6. Kipping. Ant. Roman. I. 11. Schill Nomencl. Philol. p. 11.

ABLUEBANT statim utero egressos, tanquam a matre sanguinolentos. V. infr. in *Infantes.*

Abluebant se puerperæ a partu, ut quæ sordebant ex puerperio, & quidem continuo. Terent. Andr. III. 2. 1.

Nunc primum fac, istæc ut lavet.

Ad quem locum quidem Donatus: *Istæc, quæ ex puerperio sordebant. Quidam istæc, ipsam puerperam dicunt: sic enim & Menander,* λούσατε αὐτὴν τάχιστα, *sed imperitiæ accusantur, quod non continuo solent post puerperium lavare, sed diebus omissis.* Sed dum vult alios imperitos ostendere, imperitiam suam prodidit. Ut enim missa faciam, quod ejus confessione Menandri puerpera statim lavat, ut hoc ipsum liceat in Terentio Menandrum secuto opinari, quodque obstetricis curatio non est, ut quæ sordent ex puerperio, depurentur, apparet ex Plauto, non aliud ab Archilide Terentiana, quam puerperam lavari, jussum. Ita enim ille Truc. I. 2. 92.

DI. *Peperisse eam audivi.* AS. *ha! obsecro, tace Dinarche.* DI. *quid jam?*
AS. *Horresco misera, mentio quoties fit partionis;*
Ita pæne tibi fuit Phronesium, i intro jam amabo!
Vise illam, atque operire ibi: jam exibit: nam lavavit.

Parrhas. Epist. 58. Bartholin. de Puerper. p. 127.

Abluebant, quia nox ipsa polluere videbatur, summo mane qui surgebant, oculorum, oris, faciei sordes. Eurip. Orest. n. 219.

— — — — *absterge a misero*
Ore, & oculis meis spumam concretam.

Interdum aqua. Virg. Æneid. VIII. 67.

— — *nox Æneam, somnusque reliquit:*
Surgit, & ætherei spectans orientia solis
Lumina: rite cavis undam de flumine palmis
Sustulit: ac tales effudit ad æthera voces.

Prop. III. 8. 13.

Ac primum pura somnum tibi discute lympha.

Gebhard. in Propertium, & Ant. Lect. I. 5. Herald. Ant. Lect. II. 16. Cerda in Virgilium. Lomej. de Lustrat. c. 16. Kipping Ant. Rom. I. 5. Ad hanc rem etiam spongiis, quas puris lymphis intingebant, utebantur: quod ideo vocabant ἀποσπογγίσαι. *Gebhard. in Propertium.*

Abluebant se post venerem, tum viri, tum mulieres, sive ab impuro, sive a geniali lecto surgerent. Cicer. pro Cœl. c. 14. *Ideo aquam adduxi, ut ea tu inceste uterere.* Pers. Sat. II. 15.

— — — *Tiberino in gurgite mergis*
Mane caput bis, terque, & noctem flumine purgas.

Ubi nox nocturnum notat concubitum. Suet. Aug. c. 94. n. 4. *Draconem repente irrepsisse ad eam,* Atiam, *paulloque post egressum; illamque expergefactam quasi a concubitu mariti purificasse se.* Sic Venus, postquam cum Vulcano concubuit, lavit se. Athen. XV. 8. & Ceres a Neptuno compressa. Pausan. Arcad. p. 256. *Brisson de Formul. I. p. 6. Salmas. in Lamprid. Commod. c. 2. Canter. Nov. Lect. I. 10. Demster. Paral. Antiq. Rom. Rosin. I. 14. Lomej. de Lustrat. c. 16. Pitisc. in Suetonium.*

Abluebant se cibum sumpturi, famulo gutturnium aqua plenum dextra, pelvim, qua aqua excipiebatur, sinistra manu tenente, ex gutturnio aquam super convivarum manus effundente, illasque ita *abluente*, & mantili extergente. Homer. Odyss. A. 146.

Inque manus lympham præcones fundere primum:
At servæ panem vineis gessere canistris.

Virg. Æneid. I. 705.

Dant famuli manibus lymphas, Cereremque canistris
Expediunt, tonsisque ferunt mantilia villis.

Plaut. Stich. IV. 1. 28.

Quam mox cocta est cœna? impransus ego sum. EP. *abi intro ad me, & lava.*

n. 63. *Postea ibo lavatum in Pilum: ibi fovebo senectutem meam.*
Post ubi lavero, otiosus vos operiar accubans.

Stuck. Ant. Conviv. II. 33. Ciaccon. de Triclin. p. 38. Ursin. Append. p. 131. Feith Antiq. Homer. III. 9. Casal. de Proph. Rom. rit. c. 25. Baccius de Conviv. I. 13. Laurent. de Prand. c. 3. Medic. & baln. c. 2. Kipping. Ant. Roman. IV. 3.

Abluebant manus cibo sumpto pransores. Ex Veratio Pontificali hoc scribit Macrob. Sat. III. 6. *Pinariis, qui novissimi comeso prandio venissent, cum manus pransores lavarent, præcepisse Herculem .....* Imo interdum ad singula fercula. Ita in Carani Macedonis convivio jam medio leges apud Athen. IV. 1. *Et cum satis cibi sumpsissemus; manus lavimus.* Iterum post aliud ferculum: *& manus loti coronas sumpsimus.* Apud Lamprid. Heliogab. c. 30. *Exhibuit aliquando & tale convivium, ut haberet viginti duo fercula ingentium epularum, sed per singula lavarent.* c. 25. *Parasitis in secunda mensa sæpe ceream cœnam, sæpe eburneam, aliquando fictilem, nonnunquam vel marmoream, vel lapideam exhibuit ... quum tantum biberent per singula fercula, & manus, quasi comedissent, lavarent.* Lips. Saturn. II. 1. Rhodig. Ant. Lect. XXVIII. 1. Ciaccon. de Triclin. p. 92. Hartung. Locor. memor. decur. II. 8. §. 4. Casal. de proph. Roman. rit. c. 25. de Therm. Thes. Ant. Græc. Gronov. Tom. IX. p. 638. D. de Urb. ac Imper. Roman. splend. p. 2. c. 18.

Abluebant manus vivo flumine, sive naturali, & semper fluente, qui a pugna redeuntes, illas cæde, & sanguine contaminaverant. Virg. Æneid. II. 717.

Tu genitor, cape sacra manu, patriosque penates.
Me bello e tanto digressum, & cæde recenti
Attrectare nefas, donec me flumine vivo
Abluero. . . . . .

Senec. Herc. Fur. IV. 1. 918. — *nate manantes prius*
Manus cruenta cæde, & hostili expia.

v. 1223. *Quis Tanais, aut quis Nilus, aut quis Persica*
Violentus unda Tigris, aut Rhenus ferox,
Tagusve Ibera turbidus gaza fluens,
Abluere dextram poterit?

Brisson. de Form. I. p. 5. Turneb. Adv. XXII. 7. Stuck. de Sacrif. p. 130. Lomej. de Lustrat. c. 16.

Abluebant aqua calida corpus, ubi homo animam efflasset, ritu

ritu priscæ Græciæ cum Romanis communi. Ita Creon Jocasten arcessit, ut filium suum defunctum *abluat* apud Eurip. Phœn. v. 1328.

Ipse ad sororem eo Jocastam, ut abluat
Cadaver illa filii, atque collocet.

Virg. Æneid. vi. 218.

Pars calidos latices, & aena undantia flammis
Expediunt: corpusque lavant frigentis, & ungunt.

Ubi Servius ex Ennio:

Tarquinii corpus bona femina lavit & unxit.

Kirchman. de Funer. i. 7. Meurs. de Funer. c. 4. Ouzel, in Min. Felic. p. 108. b. Ferret. Mus. Lapid. iv. memor. 5. Clasen. Theol. Gentil. i. 10. 14. Schott. Nod. Cicer. iii. ii. Robort. Annot. ii. 5. Tiraquel. in Alex. Gen. vii. 7. Morest. Pomp. Feral. i. 10. Aring. Rom. Subter. i. 22. i. Quensted. de Sepult. vet. c. 5. Feith Antiq. Homer. i. 13. Kipping. Antiq. Roman. iv. 6. 2. Rationem afferunt Cels. præf. x. & Serv. ad Virg. l. l. hoc modo spiritus vitales, si essent sopiti, nec exstincti, reviviscere. Ita enim inquiunt: *quod videlicet plerumque putetur exclusus vitalis spiritus, qui calidæ aquæ ablutione, veluti sopitus excitatur.* Boxhorn. Quæst. Rom. 42. Casal. de Proph. Roman. ritib. c. 26. Aring. l. l. Modum, quo hoc peregerint, qui corpus exanime curarunt, V. infr. in *Supra genua tollere.*

Abluebant se ter aqua propter contractam a funere pollutionem, quotquot tantisper ad rogum exspectassent, dum collectis, conditisque reliquiis finis fieret, antequam ab hoc lugubri officio discederent. Virg. Æneid. vi. 228.

Ossaque lecta cado texit Chorineus aeno.
Idem ter socios pura circumtulit unda
Spargens rore levi, & ramo felicis olivæ.

Kirchman. de Funer. iii. 9.

Abluebant corpus sollenni antiqui moris lege vivo flumine, qui ad deos accedebant. Plaut. Aul. iii. 6. 43.

Ego, nisi quid me vis, eo lavatum, ut sacrificem.

Ritum hunc mordent & rident Arnob. vii. p. 122. *Mactatur hoc illis, quorum templa cum adire disponitis, ab omni vos labe puros, lautos, castissimosque præstatis.* & Lactant. v. 20. *At illi infelices, nec ex sceleribus suis intelligunt, quam malum sit quod colunt: quandoquidem flagitiis omnibus inquinati veniunt ad precandum, & se pie sacrificasse opinantur, si cutem laverint; tanquam libidines intra pectus inclusas ulli amnes abluant, aut ulla maria purificent.* Fruter. Verif. ii. 6. Brisson. de Form. i. p. 5. Siccam. in Fast. Kalend. c. 3. Feith Antiq. Homer. i. 6. Laurent. var. sacr. gentil. c. 10. Merul. de Sacrif. c. 2. §. 2. & 3. Herald. in Arnobium. Clasen. Theol. gentil. iii. 5. §. 2.

A B O.

ABOLERE nomina reorum est tabulam pendulam, ubi elenchus reorum erat, refigere. Suet. Aug. c. 32. n. 5. *Diuturnorum reorum nomina abolevit.* Nomina enim eorum, qui reis annumerabantur, referebantur in tabulam, quæ publice in ærario suspendebatur, donec *abolitio* fieret. Unde in illa pendere dicebantur. Cicer. pro Clu. c. 31. *Hærebant in tabulis reus & accusator.* Suet. Dom. c. 9. n. 6. *Reos, qui ante quinquennium proximum apud ærarium pependissent, universos discrimine liberavit.* Et hoc erat referre in reos. Cicer. Verr. v. 42. *Absentem in reos retulerit:* & recipere nomen rei. Cicer. Verr. ii. 38. *Si quis absentem Sthenelum rei capitalis reum facere vellet, sese ejus nomen recepturum.* Quæ tabula cum refigebatur, dicebatur reus reorum numero eripi. Cicer. Verr. iv. 19. *Condemnare Diodorum non audet, absentem de reis eximit.* Suet. Aug. c. 56. n. 13. *Unum omnino e reorum numero eripuit.* Pollet. For. Rom. iv. 7. Pitisc. in Suet. Aug. c. 32. n. 5.

ABOLLA non fuit genus togæ, ut voluit *Papias.* Opponitur enim togæ a Varrone apud Non. xiv. 9. *Abolla, vestis militaris. Varro Cosmotoryne. Toga detracta est, & abolla data est ad turbam* (*tubam* alii, V. infr. in *Imperator*) *mihi, fera militiæ munera belli ut præstarem.* Mart. viii. 48. i.

Nescit, cui dederit Tyriam, Crispinus, abollam,
Dum mutat cultus, induiturque togam.

Nec vestis senatoria, ut voluerunt *Papias, Alex. Gen.* v. 18. *& ad illum Tiraquellus, Rader. ad Mart.* iv. 40. *al.* 53. 5. *Sabellic. & Donat. ad Suet. Cal. c.* 35. *n.* 2. Sed pallium fuit suffultum, duplex, longum, & fusum, quo utebantur extra Urbem philosophi, & milites; sed horum erat priore brevius, & pretiosius, imo interdum purpureum. *Bayf. de Re vest. c.* 15. *Turneb. Adv.* xxvii. 15. *Calcagn. Epist.* iii. i. *Ferrar. de Re Vest.* i. 2. 12. *Palmer. Spicil.* x. *p.* 783. *Buleng. de Imp. Rom.* iv. 39. *Senfleb. de Alea c.* 9. §. 6. *Rosin. Ant. Rom.* v. 31. Salmas. de Mod. usur. c. 3. notat præsides in provinciis, imo & præfectos Urbis *abollam* gestasse, atque in eo habitu judicia exercuisse, atque hinc crimina extra ordinem animadverti solita dici Juven. Sat. iii. 115. *facinora majoris abollæ*, facinora scilicet extraordinaria, & de quibus debeat cognoscere judex paludatus, vel chlamydatus, quales erant præsides, vel præfecti. Huic opinioni nullo modo assentiri possum. Nam præsides in provinciis prætextam gestasse certum est. Ab Urbe quidem paludati proficiscebantur, sed in provinciis prætextati publicis muneribus fungebantur. Quis etiam Urbis præfectum in ipsa Urbe peregrino, ac militari cultu cognitiones exercuisse tradit? Juvenalis Pegaso præfecto *abollam* tribuit, sed non jura reddenti, sed iter in Albanum facturo, sed jurisconsulto, & propterea fortasse philosophico habitu gaudenti. *Ferrar. l. l.*

ABORIGINES duce Oenotrio Lycaonis Arcadiæ Regis filio, relicta Peloponneso Latium occuparunt, regionem, quæ tum cœli temperatione, tum ubertate agrorum, ac varietate fructuum cæteris omnibus antecellere videbatur. Ea namque fuit antiquissimorum temporum ratio, gentiumque omnium consensu recepta consuetudo, si vel multitudine vulgi premeretur civitas, vel agri propter sterilitatem inculti, propter pestilentiam vasti, & deserti essent, ut quicquid vere proximo ex hominibus, ex ovillo, suillo, caprino nasceretur grege, diis immortalibus sacrum voverent: id quod ver sacrum appellavit antiquitas. Emittebant e suis finibus fausta ominatione armis instructam juventutem, quæ sedes sibi quæreret, quas patriæ loco haberet, & in quibus fortunarum domicilium constitueret. V. infr. in *Ver sacrum.* Eadem ratione & Arcades, qui *Aborigines* inde dicti sunt, sedem omnium rerum, & fortunarum in Latio collocarunt sedecim ætatibus, quam ad Trojam bellatum est. *Aboriginum* nomen tum primum desiit, cum Æneas potitus Latio nomen illorum cum Latinorum nomine commutavit. *Strein. de Gent. & famil. Rom. Præf. p.* i. *Sigon. de Nomin. Roman. c.* 4. *Panvin. Descr. Urb. Rom. Thes. Ant. Rom. Græv. Tom.* iii. *p.* 208. *Ferrar. de Orig. Roman. Thes. Græv.* i. *p.* 6. *Kircher. Lat. vet. & nov.* i. 3. *Casella de prim. Ital. colon. Misc. Erud. Ital. Tom.* iii. *p.* 5. *Cluver. Ital. Ant.* i. i. 8. iii. 2. 8. iv. 16. 5.

ABORTIONIS poculum, quod datur, ut partus conceptus abigatur, soli mulieri propinatur: cujus uti proprium est concipere, ita & conceptum tueri, ut *abortus* evitetur. Ulpian. l. quæritur §. i. ff. de pœnis. *Maximum, & præcipuum munus feminarum est concipere, ac tueri conceptum.* Ut conceptio, ita & *abortio* in nullos viros, sed solas cadit feminas. Solis ergo his *abortionis* poculum datur. Pœnas denarrat poculi hujus dati Paull. l. 38. §. 5. *Qui abortionis poculum dant, etsi dolo non faciant, tamen, quia mali exempli res est, humiliores in metallum; honestiores in insulam amissa parte bonorum relegantur: quod si eo mulier, aut homo perierit, summo supplicio afficiuntur.* Salmuth ad Pancirol. de Reb. deperd. & inv. p. 450. Ouzel. in Gell. xii. i. Nec minus mulieres, quæ conceptum in utero infantem *abortivis* expellere tentabant, homicidii reæ tenebantur, quam si editum interfecissent. Ita August. Serm. de tempore iii. *Mulier quæcunque fecerit, per quod jam non possit concipere, quotiescunque parere poterat, tantorum homicidiorum se esse ream cognoscat.* Bartholin. de Puerper. pag. 79.

ABS.

ABSENS damnabatur nemo, ſed requirendus adnotabatur, ut copiam ſui præſtaret l. 1. & 2. ff. de requirend. vel abſent. damn. l. divus ff. de cuſtod. reor. Requirendos præſides provinciarum edictis adeſſe jubebant, & literas ad magiſtratus, ubi conſiſtebant, mittebant l. 1. ff. de requirend. vel abſent. damn. Adverſus contumaces pronuntiabant ſecundum morem privatorum judiciorum: & in illos pecuniariæ pœnæ, vel eæ, quæ exiſtimationem contingunt, ſtatuebantur, & usque ad relegationem procedebatur: verum metalli, vel capitis pœna illis non irrogabatur l. abſentem. ff. de pœnis. *Briſſon. de Form.* v. p. 470.

Abſens vir uxorem ducere, non tamen *abſens* femina nubere poterat, teſte Paull. Sent. II. 19. Unde fit, ut mendoſe ſit ſcriptum apud Ulpian. l. 6. ff. de rit. nupt. *Eum qui abſentem accepit uxorem.* Legendum enim eſt: *eum qui abſens accepit uxorem.* Cum *abſens* non ſit, ſed in domicilio mariti, quæ uxor eſt: *abſens* vir ſiquidem uxorem non tamen *abſentem* ducere: *mulier*, inquam, *abſenti per literas ejus, vel per nuntium non aliter nubere poterat, niſi in domum ejus deduceretur.* Ulpian. l. 5. tit. eod. Ejus deductionis teſtationem ſine ſcriptis haberi oportebat. Caj. l. 4. ff. de fid. inſtrum. *Faber Semeſtr.* II. 23.

Abſentes in petitione honorum lege Pompeja ſummovebantur. V. infr. in *Conſul.*

Abſentes ſive Reipublicæ, ſive ſui cauſa *abeſſent*, tamen cenſebantur, ſed melior erat præſentium, quam *abſentium* conditio; poterant enim ipſi rerum ſuarum rationem multo certius ad cenſores deferre: ut pro ſuo quisque cenſu deinde, tributi nomine, æra penderet. Utriusque generis exempli affero. Unum ex Cicer. ad Attic. I. 15. *Ne abſens cenſeare, curabo edicendum, & proponendum locis omnibus.* Aberat enim Atticus ſui negotii cauſa. Alterum ex Liv. XXIX. 37. *Cenſores per provincias dimiſerunt, ut civium Romanorum in exercitibus, quantus ubique eſſet, referretur numerus.* Manut. de Civit. Rom. Theſ. Ant. Rom. Græv. Tom. I. p. 32. E.

ABSINTHIUM vino dilutum dabatur aurigis, feriis Latinarum in Capitolio decertantibus. Rationem prodit Plin. XXVII. 7. *De uſu ejus convenit dicere herbæ facillimæ, atque inter paucas utiliſſimæ, præterea ſacris populi Romani celebratæ peculiariter. Siquidem Latinarum feriis quadrigæ certant in Capitolio, victorque abſinthium bibit: credo, ſanitatem præmio dari honorifice arbitratis majoribus.* Sed revera non hæc ratio: ob vertigines enim, quæ Capitolino agone, quoniam anguſtus erat, & flexiones ideo intercidebant crebriores, maxime oboriebantur. *Abſinthium* vero dilutum aurigis donabatur. Strabo de virtute *abſinthii* c. 7.

Si tibi præterea caput acri forte dolore
Pulſetur ſubito, vel ſi vertigo fatiget;
Hujus opem rimare coquens frondentis amaram
Abſinthii ſylvam.

Argol. in Panvin. de Lud. Circenſ. I. 25. Calcagn. Collect. Vetuſt. p. 386. F.

ACA.

ACANTHUS Lacedæmonius primus totum corpus nudavit, & nudus in Olympico ſtadio decurrit. *Buleng. de Circo Rom.* c. 38. V. infr. in *Athleta.*

Acanthus eſt purpura, quæ circumit extremam veſtis oram. Virg. Æneid. I. 653.

Et circumtextum croceo velamen acantho.

Heſychius: Ἄκανθος περίγραμμα ὑφασμένον. *Salmaſ. in Vopiſc. Aurelian. c.* 46.

ACATIUM vocatur ſcapha. Quam enim ſcapham vocat Suet. Jul. c. 64. n. 1. *Alexandriæ circa oppugnationem pontis eruptione hoſtium ſubita compulſus in ſcapham deſilit.* Plutarch. Cæſ. p. 731. D. vocat *acatium*, eandem denarrans hiſtoriam: *deſilit ex aggere in acatium.* Scheffer. de Milit. nav. II. 2. Rhodig. Ant. Lect. XVII. 6. Calcagn. de Re Naut. p. 307. Gyrald. de Navig. c. 17. Thyſ. in Gell. X. 25.

Acatium eſt *velum maximum*, *in media navi conſtitutum.* Iſidor. XIX. 3. *Scheffer. de Milit. Nav.* II. 5. *Calcagn. de Re Naut. p.* 310. *Gyrald. de Navig. c.* 14. *Philand. in Vitruv.* X. 8. *Salmuth in Pancirol. de Reb. deperd. & inv. p.* 30. *Roſin. Antiq. Rom.* X. 20.

ACC.

ACCA Laurentia uxor Fauſtuli regiorum armentorum paſtoris. Ad hanc Romulum, & Remum expoſitos paſtor detulit nutriendos. Plutarch. Rom. pag. 19. E. *Lupas Latini præter notam ſignificationem etiam vocabant eas, quæ corpus vulgabant: cujuſcemodi Fauſtuli uxorem puerorum nutritii fuiſſe Accam Laurentiam nomine.* Scalig. Conject. in Varr. p. 78. Roſin. Ant. Rom. II. 17. Gell. VI. 7. & in illum Thyſius. V. tamen, ſi lubet *Nardin. Rom. Vet.* VI. 8. *Marlian. Topogr. Urb. Rom.* III. 14. *Panvin. Deſcr. Urb. Rom. c.* 4. *Voſſ. de Idolol.* I. 12. *Perion. de Græcor. & Roman. magiſtrat.* III. *Theſ. Antiq. Græcar. Gronov. Tom.* VI. p. 2815. B.

Acca Tarrutia nupſit Tarrutio cuidam Tuſco, nobili, & diti viro, & ab altera cognomine Laurentiæ diſtinguitur, cui ſacerdotes noſtri in Velabro parentare quotannis ſolebant. Fuerunt enim cognomines duæ *Accæ*, quarum uni, ut ait Plutarchus, ſacrificabatur menſe Decembri: fuitque nutrix Romuli, & Laurentia cognominata. Alteri menſe Aprili res divina fiebat. A multis Flora exiſtimata: ab aliis Tarracina, ſive, ut eſt apud Gellium, Tarratia cognominata. Quanquam has inter ſe confundit Plutarchus. *Scalig. Conject. in Varr. p.* 78. *Thyſ. in Gell.* VI. 7. *Roſin. Ant. Rom.* II. 17. & 20.

ACCALIA fuerunt feriæ *Accæ* dicatæ, ſollenni ſacrificio celebratæ. Varr. de Ling. Lat. V. 3. *Accalia feriæ publicæ Laurentinæ, is dies, quem quidam in ſcribendo Laurentalia appellant.* V. infr. in *Larentalia.*

ACCENDONES ſunt laniſtæ, qui gladiatores *accendebant*, & excitabant ad pugnam. Tertull. de Pall. c. 6. *Verum & cerdones, & omnis gladiatorum ignominia togata producitur.* Ubi Rhenani editio prima habet *accedones*, & vetus liber plane *accendones. Magiſtri, & præpoſiti* gladiatorum dicuntur Tertull. ad Martyr. c. 1. *Nec tantus ego ſum, qui vos alloquar: ſed tamen & gladiatores perfectiſſimos non tantum magiſtri, & præpoſiti ſui, ſed etiam idiotæ, & ſupervacui quique adhortantur de longinquo, ut ſæpe de ipſo populo dictata ſuggeſta profuerint.* Magiſtri nimirum laniſtæ, qui gladiatores de propinquo adhortabantur, & *accendebant*, dictataque illis ſuggerebant: ideoque & cum *gladiatoribus productos* dicit auctor, ut pugnaturis adſiſterent, & ad fortiter faciendum incitarent. *Accendones* ſunt ἐρεθισταί. Virg. Æneid. VII. 550.

Accendamque animos inſani Martis amore.

VI. 165.

Ære ciere animos, Martemque accendere cantu.

Salmaſ. in Tertull. p. 473.

ACCENSUS erat miniſter magiſtratuum præter lictores, qui illorum dicto ad imperium, nutumque præſto erat; & ad concionem quirites advocabat. Cicer. de Legib. II. 24. *Utatur accenſo, atque lictoribus.* Suet. Jul. c. 20. n. 2. *Antiquum retulit morem, ut quo menſe faſces non haberet, accenſus ante eum iret, lictores pone ſequerentur.* De accenſo Cicer. Brat. I. 1. *Accenſus ſit eo numero, quo eum majores noſtri eſſe voluerunt: qui hoc non in beneficii loco, ſed in laboris, ac muneris non temere ſuis libertis deferebant, quibus illi quidem non multo ſecus, ac ſervis imperabant.* Panvin. de Civit. Roman. c. 66. Auguſt. ad Leg. XII. tab. §. 44. Sigon. de Ant. jur. Civ. Rom. II. 15. provinc. II. 2. judic. I. 7. Manut. de Civit. Rom. Theſ. Ant. Rom. Græv. Tom. I. p. 36. Urſat. de Not. Rom. Theſ. Græv. Tom. XI. p. 530. E. Alex. Gen. I. 27. & ad illum Tiraquellus. Calcagn. Epiſt. V. 13. Salmaſ. de Mil. Rom. c. 14. Pollet. For. Rom. V. 13. Kipping. Antiq. Roman. II. 4. §. 3. Pitiſc. in Suetonium. Antequam horologia Romæ eſſent, clamabat eſſe horam tertiam, meridiem, & nonam. Varr de Ling. Lat. V. 9.

Accen-

Accenſum ſolitum ciere Bœotia oſtendit hoc verſu.

Ubi primum accenſus clamarit meridiem.

Hoc idem Coſconius in actionibus ſcribit, prætorem accenſum ſolitum eſſe jubere, ubi ei videbatur horam eſſe tertiam, inclamare horam eſſe tertiam, itemque meridiem, & horam nonam. Plin. VII. 60. *Duodecim tabulis ortus tantum, & occaſus nominantur, poſt aliquot annos adjectus & meridies, accenſo conſulum id pronuntiante, cum a curia inter Roſtra, & Græcoſtaſin proſpexiſſet talem ſolem.* Thyſ. in Gell. III. 4. Popma de Oper. ſerv. p. 9. Buleng. de Imp. Rom. VI. 16. Pollet. l. l. Videtur quoque ſcriba fuiſſe. Cicer. Verr. III. 66. *Non reprehendo quod ſcripſit accenſus. Cur enim ſibi hoc ſcribæ ſoli aſſumant?* Vetus inſcriptio; SECURITATI COGNATIONIS SUÆ FORTUNATUS AUGUSTI LIBERTUS VERNA PATRONI AB EPISTOLIS ACCENSUS. PATRONO DIVO AUGUSTO VESPASIANO LICTOR CURIATUS . . . . . . Alius lapis: T. TITIENUS FELIX AUGUSTALIS SCRIBA LIBR. ÆDIL. CURUL. VIATOR ÆDILIS PLEBIS ACCENSUS. *Buleng. & Pollet. l. l.* Habuerunt *accenſum* non tantum conſules, & prætores, ſed etiam decuriones, & centuriones. Varr. de Vit. pop. Rom. III. apud Non. XII. 8. *Cum erant attributi decurionibus, & centurionibus, qui eorum habent numerum, accenſi vocantur.* Salmaſ. de Re milit. Rom. c. 14. Pollet. l. l.

ACCENSUS eſt etiam *nomen ordinis, & promotionis in militia, ut nunc dicitur princeps, vel commentarienſis, aut cornicularius.* Aſcon. in Cicer. p. 90. Fuerunt alii a rorariis, licet utrique leves eſſent, & ex eorum genere, quos Græci ψιλὰς appellant. V. infr. in *Rorarii.* Salmaſ. de Re milit. c. 14. Urſat. de Not. Rom. Theſ. Ant. Rom. Græv. Tom. XI. p. 530. D. Pollet. For. Rom. V. 13. Valtrin. de Re milit. Rom. III. 10. Stewech. in Veget. II. 19. Thyſ. Rom. Illuſtr. III. p. 66. Illorum munus, vel miniſterium in exercitu quod fuerit, V. infr. in *Rorarii.* Fundis, lapidibusque pugnantes extra legionem erant, utpote ex quinta claſſe electi. Non poſſum concoquere ita dictos, quia caſtra ſequerentur, ut in mortuorum locum ſuccederent, ad ſupplementa nempe legionum. Nam cum ex cenſu delectus ageretur, & *accenſi* ex claſſe quinta, & ultima pauperrimorum civium ſumerentur, ita potuiſſent in numero haſtatorum, vel principum, vel triariorum militare. In legione quippe Polybiana velites, qui ſolebant etiam deligi ex infimo cenſu, non ſequebantur militiam, nec in legione conſcribebantur, ut in demortuorum locum ſuccederent. Nec enim ſi qui defeciſſent ex haſtatis, vel principibus, vel triariis, ſuppleri conſueverant ex corpore velitum. *Salmaſ. ibid. c. 15.*

ACCEPTA reſcriptis, & conſtitutionibus Principum ſubſcribebatur a præfectis prætorio, ſeu Urbis; a comitibus, ac vicariis, qui Urbi, & provinciis præerant, ut non tantum erogatarum, ſed & *acceptarum* conſtitutionum dies innoteſceret, ut paſſim per totum Theodoſianum codicem; videlicet: *Data pridie Nonis Decembris Serdicæ. Accepta quinto Nonas Majas Cordubæ.* Conſulis tamen ſemper addito nomine, ſiquidem *accepta, & data non alias poſſunt apparere, niſi dies, & conſul fuerit editus.* Ita l. 1. §. editiones ff. de edendo. *Urſat. de not. Rom. Theſ. Ant. Rom. Græv. Tom.* XI. *p.* 530. *B.*

ACCEPTILATIO eſt non *accepti* relatio, ſive imaginaria, vel quaſi ſolutio, verbis, aut ſtipulatione facta, qua creditor debitori debitum *accepto* tulit. Ita concipiebatur: *accepta facis decem? facio.* l. ſane ff. de acceptilat. *quod Stichum promiſi, Stichum, & Pamphilum habeſne accepta?* l. ſi is qui Stichum ff. eod. tit. *Ex nummis decem, quos tibi promiſi, quinque habeſne accepta? quod ego tibi promiſi, id pro parte dimidia habeſne acceptum?* l. pars ſtipulationis. ff. eod. tit. *Briſſon. de Form.* VI. *p.* 580. *Sigon. de Judic.* I. 5. *Faber Semeſt.* II. 22. *Bud. in Pand. p.* 178. *H. Alciat. in Cod. p.* 224. *Cujac. Obſerv.* V. 36. *Blond. Triumph. Rom.* IV. *p.* 100. *H. Roſin. Ant. Rom.* IX. 5. *Schill Nomencl. Philol. p.* 9.

ACCEPTORIUS modiolus. V. illum infr. in *Modiolus.*

ACCEPTUM *referre*, quod & *accepto ferre* a ICtis dici ſolet, eſt ſcribere ſe *accepiſſe*, id eſt, in *acceptorum* paginam referre. Tracta eſt a ratiocinationibus metaphora. Duæ partes enim rationum ſunt: prior *accepti*, & poſterior *expenſi.* Cicer. Verr. II. 76. *Nunc ad ſociorum tabulas accepti, & expenſi revertemur.* Hinc pecuniam, quam *acceperant*, in caput hoc, aut illud, id eſt, huic, aut illi nomini, peculio, hæreditatibus . . . . referre dicebantur. Cicer. Phil. II. 16. *Ego enim amplius HS ducenties acceptum hæreditatibus retuli.* Suet. Tib. c. 15. n. 2. *Nam neque donavit, neque manumiſit: ne hæreditatem quidem, aut legata percepit ulla aliter, quam ut peculio referret accepta.* Bud. in Pand. p. 178. G. 203. K. Turneb. Adv. XXX. 27.

ACCERSITORES, ut ita dicam, dicebantur, qui adventum domini præmittebantur nuntiatum. Plin. Epiſt. I. 5. 9. *Evigilaveram: nuntius a Spurinna; venio ad te: imo ego ad te.* Juvenc. IV.

Talia dum loquitur, ſciſſos lacerata capillos,
Pro fratris morbo juſtis ſoror anxia curis,
Hortatur juvenem rapido percurrere greſſu,
Caſibus ut tantis Chriſtus ſervaret amicum.

Pignor. de Serv. p. 255.

ACCINCTUS pro milite accipiebatur, quia baltheo *cingebantur* milites. Auſon. in Grat. act. *Familiaris habitus decentior, aut militaris accinctior.* Demſter. Paral. ad Antiq. Roman. Roſin. p. 714. b. Ferrar. Anal. de Re Veſt. c. 8.

ACCINGERE ſe ſolebant homines induſtrii, & negotioſi. Veſtimenta enim laxa, & fuſa ad pedes, ne impedimento in opere eſſent, *præcingebant.* Servius laudatus infr. in *Diſcincti.* Petron. c. 19. *Præcincti certe altius eramus.* c. 87. *Niſi viderint ſtatores altius cinctos.* Horat. Sat. II. 8. 10.

His ubi ſublatis puer alte cinctus acernam
Gauſape purpureo menſam deterſit.

Rigalt. & Rittersh. in Phædr. II. 5. 11. Gonſal. in Petron. c. 87. Ferrar. Anal. de Re veſt. c. 44. Schill Nomencl. Philol. p. 12. Quod manavit a Græcis. Nam & ζώννυσθαι, id eſt, *cingi* valet armari apud Homer. Iliad. Λ. 15.

Porro Atrides clamavit, & armari juſſit, ζώννυσθαι.

Turneb. Adv. XXIX. 25. Accingebant ſe chirurgi, milites, popæ, iter facientes, venatores. V. ſingulos ſuis locis.

ACCIPERE eſt paſcere, & ſollenni convivio celebrare. Virg. Æneid. III. 353.

Illos porticibus Rex accipiebat in amplis,
Aulai in medio libabant pocula Bacchi
Impoſitis auro dapibus.

Guther. de vet. jur. pontif. IV. 19.

Accipere nomen dicebatur, qui comitia habebat, eorum, quorum ratio habebatur, quibusque petere licebat, & de quorum nomine tribus; vel centurias in ſuffragium mittebat. Liv. XXVII. 6. *Itaque ſi ſuum nomen dictator acciperet, ſe comitiis interceſſuros tribuni dixerunt: ſi aliorum, præterquam ipſius, ratio haberetur, comitiis ſe moram non facere.* Turneb. Adv. XXVII. 32. Bud. in Pand. p. 74. D.

Accipere omen, vel non *accipere*, eſt illud agnoſcere, vel non agnoſcere: auguria enim oblativa, ſive quæ homini non petenti facta in ejus erant poteſtate: & illa agnoſcere, vel non agnoſcere licebat. Liv. I. 7. *Dextra Hercules data, accipere ſe omen ait.* Cicer. de Divin. I. 46. *L. Paullus, conſul iterum, cum ei, bellum ut cum Rege Perſe gereret, obtigiſſet, ut eo ipſo die domum ad veſperum rediit, filiolam ſuam Tertiam, quæ tum erat admodum parvula, oſculans animadvertit triſticulam. Quid eſt, inquit, mea Tertia, quid triſtis es? mi pater, inquit, Perſa periit. Tum ille arctius puellam complexus, accipio, inquit, omen mea filia.* Turneb. Adv. V. 7. Briſſon. de Form. I. p. 91. Buleng. de Augur. c. 9.

Accipi preces rogabant precantes. Ovid. de Pont. II. 8. 43.

Tu quoque, conveniens ingenti nupta marito,
Accipe non dura ſupplicis aure preces.

Faſt. IV. 319.

Supplicis, alma, tua, genitrix fœcunda deorum,
Accipe ſub certa conditione preces.

Briſſon. de Formul. I. p. 33.

ACCIUS, ſive *Actius Navius* augur in foro juxta comitium cotem novacula diſſecuit. Illi in gradibus comitii, qui in forum porrigebantur, Tarquinius ſtatuam poſuit. Liv. I. 36. Cicer. de Divin. I. 17. Dionyſ. Ant. Rom. III. p. 204. *Tarquinius eludens artem, agedum, inquit, divine tu, inaugura, fierine poſſit, quod nunc ego mente concipio. Quum ille in augurio rem expertus, profecto futuram dixiſſet: atqui hæc animo agitavi, inquit, te novacula cotem diſciſſurum: cape hæc, & perage, quod aves tuæ fieri poſſe portendunt: tum illum haud cunctanter diſcidiſſe cotem ferunt. Statua Accii poſita capite velato, quo in loco res acta eſt, in comitio, in gradibus ipſis ad lævam curiæ fuit.* Nardin. Rom. Vet. V. 3. Flocc. de Poteſt. Roman. I. 4.

ACCLAMATIO nihil aliud erant quam voces, ſive plures, ſive pauciores, contentius, & in cantici modum emiſſæ: quæ ſi fauſtæ erant, laudationes habebant, & bona vota; exſecrationes, & convicia, ſi infauſtæ. *Ferrar. de Acclam. & plauſ.* I. 2. *Laurent. de Acclamat. c.* 2. *Acclamationes*, & plauſus veteres conſueverunt conjungere: & raro *acclamationes* ſine plauſu fiebant, vel ſine *acclamatione* plauſus. De Panareta pantomima Ariſtæn. Epiſt. I. 26. *Populus interea rectus, ac mirabundus adſtat, voces alternas melodice reſpondet, manuſque movet.* De Auguſto Dio LIV. p. 540. *E. Populum objurgavit, quod plauſu, & laudibus eum, Cajum, proſecutus eſſet.* Et non tantum Græci, verum etiam Latini ſcriptores. Senec. Epiſt. LIX. *Sicut plauſus, & acclamationis ſecundæ favor...* Quint. Inſtit. Orat. VIII. 3. *Ut populus Romanus admirationem ſuam non acclamatione tantum, ſed etiam plauſu confiteretur.* Ferrar. ibid. c. 5. Differebat tamen a plauſu I. quod plauſus daretur manibus, vocibus fieret *acclamatio*. II. Quod fieret quandoque abſentibus, plauſus non niſi præſentibus daretur. III. Quod quandoque ab ipſis feminis ſit facta: an plauſus etiam ab illis fuerit datus, nondum certum habetur. *Ferrar. ibid. c.* 8. 12. 13.

Acclamatum eſt conjugio copulandis, boni ominis cauſa, quo ſcilicet nuptiæ felicius, & magis proſpere evenirent. Et hæc fuerunt *læta omina*, quibus cives Neronis, ac Poppææ nuptias proſecutos canit Senec. Octav. IV. I. 704.

Et ipſe lateri junctus, atque hærens tuo,
Sublimis inter civium læta omina
Inceſſit.

Illas enim non niſi captatis prius auguriis, auſpicibuſque datis, faciebant. V. infr. in *Auſpices*. Ita concipiebantur, ut in ſponſalibus *Feliciter*. V. infr. in *Feliciter*: interdum, *quæ res recte vertat*, aut *dii bene vertant*. Plaut. Aul. II. 2. 41.

Quæ res recte vertat, mihique tibique, tuæque filiæ!
Filiam tuam mihi uxorem poſco: promitte hoc fore.

II. 3. 4.

Filiam deſpondi hodie: ego nuptum huic Megadoro dabo.
ST. *Dii bene vertant.*

In nuptiis *Hymenæum* V. infr. in *Hymenæus*, & *Thalaſſium* V. infr. in *Thalaſſius*, inclamarent, & *Verſus Feſcenninos* V. infr. in *Verſus*, jactarent. *Ferrar. de Acclam. & Plauſ.* VI. 12. *Stuck. de Ant. Conviv.* I. 26. *Laurent. de Acclamat.* c. 2.

Acclamatum eſt Imperatori; cum congiarium dabatur. *Acclamationis* formula erat, quam prodit Tertullianus infr. in *Vitam*, Et Tertulliani verborum veſtigiis inſiſtens Auguſto longos annos in hunc modum precatur Ovid. Faſt. I. 613.

Augeat imperium noſtri ducis, augeat annos.

Briſſon. de Form. I. p. 97. Taffin. de Lud. ſecul. c. 9. §. 8. Laurent. de Acclam. c. 2.

Acclamatum eſt a militibus, tunc potiſſimum. I. Cum quis in belli ducem eligebatur. *Acclamationis* formula erat: *dii te ſervent Imperator*. Vopiſc. in Probo c. 10. *Quaſi divino nutu undique ab omnibus acclamatum eſt: Probe Auguſte dii te ſervent. deinde concurſus, & ceſpititium tribunal, appellatuſque Imperator.* Lamprid. Anton. Diadum. c. 1. *Macrine Imperator, dii te ſervent. Antonine Diadumene dii te ſervent.* Ferrar. de Acclamat. VI. 2. Briſſon. de Form. IV. p. 349. Laurent. de Acclamat. c. 1. II. Cum prælium erat ineundum. *Acclamationis* formula erat *Victoria*. Cæſ. de Bell. Gall. V. 36. *Tum vero ſuo more victoriam conclamant, atque ululatum tollunt.* Ferrar. ibid. VI. 3. III. Cum rem bellicam bene geſſiſſet, & confeciſſet, hoſtibus magno prælio fuſis, & profligatis. Tunc enim univerſi exercitus *conclamatione* Imperator appellabatur. Dio XLIII. p. 235. B. *Imperatoris nomen non antiqua tantum pro conſuetudine, qua id cum alii, tum ipſe quoque ſæpius in bello reportaverat.* Et manifeſtius paullo poſt. *Qui vero in bello rem eo cognomento dignam geſſit, is antiqua conſuetudine Imperator denuo ſalutatur: unde fit, ut quis ſecundo, tertio, & toties omnino, quoties id mereatur, Imperator nuncupetur.* Ferrar. ibid. VI. 8. Briſſon. ibid. p. 350. Sigon. de Ant. jur. Prov. II. 7. IV. Cum hoſte devicto triumpharet, & per Urbem in Capitolium veheretur. *Acclamationis* formula erat, *Io triumphe, Io triumphe.* V. illam infr. in *Io*. Briſſon. ibid. p. 351. Ferrar. ibid. VI. 9.

Acclamatum eſt in ſcholis, & auditoriis, tum publicis, tum privatis, illis, qui ſive recitantes, ſive declamantes, ſive cauſas agentes ſcholaſtici ſæpe dicebantur. *Ferrar. de Acclamat. & plauſ.* III. I. Hi conſueverant ſtudioſe invitare, qui audirent, & *acclamarent*. Ad hanc invitandi conſuetudinem reſpexere ſcriptores, qui de illa ſermonem habentes, convocandi, advocandi, congregandi, rogandi, corrogandi, & admonendi voces uſurparunt. Hunc morem invitandi auditorii induxit Largius Licinius. Plin. Epiſt. II. 14. 9. *Primus hunc audiendi morem induxit Largius Licinius, hactenus tamen, ut auditores corrogaret.* Ferrar. ibid. III. 2. *Acclamationis* hujus formulæ erant: *Bene, & præclare: Belle, & feſtive: Non poteſt melius.* Cicer. de Orat. III. 26. *Bene, & præclare quamvis nobis ſæpe dicatur, belle, & feſtive nimium ſæpe nolo: quanquam illa ipſa exclamatio, non poteſt melius, ſit velim crebra.* Apud Arrian. in Epict. II. 23. ὑπερφυῶς, id eſt, *ſupra quam dici poſſit*, ſeu *nihil ſupra*. Apud Horat. Art. Poët. n. 428. *pulcre, bene, recte.* Apud Perſ. Sat. I. 49. *euge, & belle.* n. 84. *decenter.* Apud Mart. II. 27. 3.

Effecte, graviter, cito, nequiter, euge, beate.

Ubi *nequiter* eſt amatorie. Græci ἐρωτικῶς dicunt. Porro *ſophos* frequentiſſime *acclamabatur* apud Mart. I. 4. 7: 50. 37: 67. 4: 77. 9. *Ferrar. ibid.* III. 12. Sophos, id eſt, ſcitus, vel ſcite, potius circumflexa poſteriore ſyllaba σοφῶς, ut cum dicimus, ſcite aliquid dictum, id eſt, docte, & acute. *Bud. in Pand. p.* 42. *K. Ferrar. l. l.*

Acclamatum etiam fuit in ſenatu. Vulcat. Gallic. Avid. Caſſ. c. 13. *Hanc ejus clementiam ſenatus his acclamationibus proſecutus eſt. . . .* Mos hic e theatris in fora primum penetravit, deinde etiam in ſenatum. Non ſunt *acclamationes* ſenatus in acta publica cœptæ referri ante Trajani tempora. Ejus honori hoc primum fuit delatum. Non temere quid quiſque vellet *acclamabant*: ſed ut in choris erat aliquis, cujus vox cæteris præiret: hic formulam *acclamationis* concipiebat, reliqua turba nihil niſi acceptas ab eo voces reddebat. Ars etiam adhibita & in concipiendis *acclamationibus*, & in *acclamando*: modulatione enim quadam utebantur canentibus non diſſimiles. Nec ſemel, aut iterum, ſed ſæpius eadem verba reſonabant. *Caſaub. in Vulcatium. Buleng. de Imperat. Rom.* II. 31. *Taffin. de Lud. ſecul. c.* 9. §. 8. *Demſter. Paral. in Antiq. Roman. Roſin.* V. 5. Formulas prolixiores collegit *Briſſon. de Form.* II. *p.* 187. *& præter eum Ferrar. de Acclamat.* IV. 2—9.

Acclamatum eſt etiam in theatro, hoc eſt, in omni ludorum, ac ſpectaculorum loco illuſtribus vel dignitate, vel doctrina, vel nomine viris in theatrum introeuntibus. Senec. Epiſt. 29. *Ceterum, ſi te videro celebrem ſecundis vocibus vulgi, ſi, intrante te, clamor, plauſus, & pantomimica ornamenta obſtrepuerint; ſi tota te civitate feminæ, puerique laudaverint. . . .* Plutarch. in Sertor. p. 569. E. *Tribuit ei*, Sertorio, *& populus Romanus pro his rebus magnifice geſtis honorem, introeuntem ſiquidem populus excepit plauſu, & acclama-*

mationc : quod genus honoris viri etiam illuſtres , & ſeniores raro conſecuti ſunt. Quintil. de Orat. c. 13. n. 3. *Teſtis ipſe populus, qui auditis in theatro verſibus Virgilii ſurrexit univerſus, & forte præſentem , ſpectantemque Virgilium veneratus eſt, ſic quaſi Auguſtum.* Non paucæ fuerunt, eæque variæ theatralium hujuſmodi *acclamationum* formulæ, ſed illa communior, ac fere conſueta, unica voce, *feliciter* concepta. V. infr. in *Feliciter.* Etiam ſpectaculorum, ac ludorum actoribus. Suet. Ner. c. 20. n. 6. *Adoleſcentes equeſtris ordinis.... elegit, qui diviſi in factiones plauſuum genera condiſcerent, operamque navarent cantanti ſibi.* Illarum clauſula a grege interdum , ſæpius ab eo , qui poſtremus in ſcenam introducebatur , pronuntiari ſolita , interdum unica voce *plaudite*, interdum duabus , *valete & plaudite.* V. infr. in *Plaudite*, concipiebantur. *Ferrar. de Acclam.* 11. 2. & 3. *Buleng. de Circo c.* 49. *de Theatr.* I. 60. *Fab. Agon.* II. 11. & 30. *Laz. Comm. Reip. Rom.* IX. 2. *Laurent. de Acclamat. c.* 2.

Acclamatum eſt ſæpius contumelioſe, cum in ſenatu decerneretur ſtatuas eſſe dejiciendas. Suet. Domit. c. 23. n. 2. *Senatus adeo lætatus eſt, ut repleta certatim curia non temperaret, quin mortuum contumelioſiſſimo , atque acerbiſſimo acclamationum genere laceraret.* Formulas denarrat Lamprid. Comm. c. 18. *Acclamationes poſt mortem Commodi graves fuerunt. Ut autem ſciretur, quod judicium ſenatus de Commodo fuerit , ipſas acclamationes de Mario Maximo indidi , & ſententiam SCti: Hoſti patriæ honores detrahantur, parricidæ honores detrahantur : hoſtis ſtatuas undique , parricidæ ſtatuas undique , gladiatoris ſtatuas undique : gladiatoris , & parricidæ ſtatuæ detrahantur.....* Ferrar. de Acclamat & plauſ. IV. 6. Figrell. de Stat. Roman. c. 37.

ACCOLEJA gens. V. illam infr. in *Gens.*

ACCUBITA, quæ dicuntur Lamprid. Heliogab. c. 19. *Nec cubuit in accubitis facile , niſi iis , quæ pilum leporinum haberent , aut plumas perdicum.* Alex. Sev. c. 34. *Quod numerus accubitorum creſcebat.* Et *accubitationes* Spartian. Æl. Ver. c. 5. *Quod & accubitationes de roſis , & liliis fecerit.* Non fuerunt fulcimenta, aut adminicula dorſo reclinando, ſeu pulvilli, qui capitibus, & dorſo *accumbentium* ſubſternerentur: ſed ipſi tori, aut lecti, ubi convivæ diſcumbebant, interdum majoris operæ, delicati, pilo leporino farti, ut modo Lampridius. *Chimentel. de Honor. biſell. c.* 27. *Buleng. de Imperat. Rom.* 11. 34. *Salmaſ. in Tertull. Pall. p.* 174. *Laz. Comm. Reip. Rom.* III. 2. Fuerunt paullo infra menſam, ita ut aſſurgere cogerentur , cum cibos ſumere, aut repetere vellent. *Cum aſſurgerent ſæpe , ut ad leporem, qui menſæ erat appoſitus , manus pervenire poſſet.* Athen. XIII. Plaut. Most. III. 169.

— Procumbunt, dimidiati dum appetunt.

Apul. Met. 11. p. 54. *Ac ſic aggeratis in tumulum ſtragulis, & effultus in cubitum , ſuberectuſque in torum , porrigit dextram.* Buleng. de Conviv. I. 30. Apud veteres *accubitorum* uſus non erat, ſed in lectulis diſcumbentes manducabant. Suidas: *Stibades ſunt , in quibus milites humi cubant. Lectus erat ſimplex , & militaris cuba , ſegeſtre accubitum ex virgis.* Hieron. ad Ezech. XLVI. *accubita* dixit, quæ Aquila ϛιβάδας. *Buleng. ibid. c.* 33. *& de Imperat. Rom.* 11. 34. Succeſſerunt lectis tricliniaribus ſuperiorum temporum. Tribus enim lectis olim ad menſam accumbebant , & hoc triclinium dicebatur: poſtquam triclinia ab uſu receſſerunt, & forma eorum mutata , & pro tricliniis *accubita* , & ſtibadia dici cœpere , quorum figura ſemicircularis erat, atque inde ſigma V. infr. in *Sigma*, nomen invenit. *Salmaſ. in Lamprid. Heliog. c.* 19.

ACCUBITALIA erant toralia, quibus *accubita* inſternebantur, & inſtruebantur. Treb. Poll. in D. Claud. c. 14. *Accubitorum Cypriorum paria duo.* Caſaub. in Lamprid. Heliogab. c. 19. Salmaſ. in Tertull. de Pall. c. 3. Stuck. Ant. Conviv. II. 34. Chimentel. de Hon. ſubſel. c. 31. Crinit. de Hon. diſcipl. XXIII. 2. Videntur etiam mantelia venire eo nomine : quod valde ſuadet mihi ſimilis locus alius epiſtolæ ejuſdem Imperatoris , atque argumenti apud Vopiſc. in Aurelian. c. 12. ubi *mantelia Cypria* nominantur. *Caſaub. l. l.* Cave putes hoc cum hoc viro. *Mantelibus* enim menſæ ſternebantur, *accubitalibus* accubita. *Mantelium Cypriorum* mentio in vita Aureliani : non propterea tamen *mantelia*, & *accubitalia* idem erunt. Non ſolum mantelium, mapparumque, & *accubitalium* , ſed etiam periſtromatum , velorumque varii generis , & aulæorum artificio Cyprus olim inſula nobilitata eſt. Pollux X. 7. *Ante cubiculum, juxta januas, cortinæ habendæ ſunt : ſive ſimplex fuerit cortina alba, ex lino ; ſive multicolor , de qua dicit Ariſtophanes : cortina Cypria variegata.* Salmaſ. in Treb. Poll. Claud. c. 14. Erant non tantum de purpura , ſed & auro clavata. Et Babylonicorum περιςρωμάτων præcipue uſus in accubitis ſternendis. *Salmaſ. in Tertullianum l. l.*

ACCUBITOR *cubiculi erat caput puerorum , qui ſunt in cubiculo , & cubicularium ſub ſua diſpoſitione habebat , & procubitorem cubiculi.* Codinus. *Buleng. de Imp. Rom.* VIII. 23.

ACCUMBERE eſt deorum. Virg. Æneid. I. 83.

— Tu das epulis accumbere divûm.

diſcumbere hominum. Virg. Æneid. I. 703.

Jam pater Æneas, & jam Trojana juventus
Conveniunt, ſtratoque ſuper diſcumbitur oſtro.

n. 712.

— toris juſſi diſcumbere pictis.

recumbere ferarum eſt. Virg. Æneid. VIII. 296.

— — te janitor Orci
Oſſa ſuper recubans antro ſemeſa cruento.

Acro in Horat. Od. I. 27. 8. *Buleng. de Conviv. I.* 32. Hoc non eſt uſque adeo verum, ut non hæc nomina interdum confundantur , & promiſcua ſignificatione apud auctores probatos reperiantur poſita : quare & *accumbere* de hominibus. Cicer. Verr. V. 31. *Muliebria quotidie convivia eſſent, vir accumberet nemo.* Petron. c. 36. *Non erubui eum, qui ſupra me accumbebat , interrogare. Et recumbere* de iiſdem. Plin. Epiſt. IV. 22. 4. *Cœnabat Nerva cum paucis, Vejento proximus, atque etiam in ſinu recumbebat.* Mart. 11. 19. 3.

Debet Aricino conviva recumbere clivo.

Demſter. in Roſin. Paral. V. 28. Lambin. in Horat. Od. I. 27. 8. Stuck. Ant. Conviv. 11. 34. Priſcis temporibus, cum frugalitas , & modeſtia vigerent , ſedebant, non *accumbebant* viri pariter, & mulieres. Poſt cum opibus , ut fit, ſuccedente luxu , paullatimque ad mollitiem moribus inclinantibus, *accumbere* viri cœperunt. Virg. Æneid. VII. 176.

Perpetuis ſoliti patres conſidere menſis.

Ubi Servius : *Majores noſtri ſedentes epulabantur.* Quem morem habuerunt a Laconibus , & Cretenſibus , ut docet Varro lib. de vit. pop. Rom. in quibus dixit , quid a quaque traxerit gente. Iſidor. XX. 11. *Apud veteres non erat uſus accumbendi: unde & conſidere dicuntur. Accubitum* populus Romanus ſemel acceptum , indicem licet diſſolutæ lætitiæ , & jucunditatis cujuſdam viro gravi parum dignæ , in magnis copiis perpetuo retinuit. *Manut. Quæſt. Epiſt. I.* 4. *Lambin. l. l.* In cœnaculo menſa collocabatur, rotunda , humilis , inferiorum quidem hominum tripes, & ex ſimplici ligno. Horat. Sat. I. 3. 13.

— modo ſit mihi menſa tripes.

lautiorum citrea , aut acerna , aut lamina argentea intecta: quam pes eburnus fabre factus, puta in modum pardi, aut leonis ſuſtinebat. Juven. Sat. XI. 121.

— putere videntur
Unguenta, atque roſæ; latos niſi ſuſtinet orbes
Grande ebur, & magno ſublimis pardus hiatu.

Circum menſam tres , ut plurimum , lecti erant , ex quo triclinii nomen. V. infr. in *Triclinium.* Vel duo etiam, quod biclinium. V. infr. in *Biclinium.* Poſterior ætas hoc , aut aliquid ſimile ſigma vocavit. V. infr. in *Sigma.* Hi lecti inſternebantur aulæis, purpura, aut alia veſte ſtragula, pro copia , aut inopia convivatoris. Terni , aut plerumque quaterni unum lectum occupabant. Horat. Sat. I. 4. 86.

Sæpe tribus lectis videas cœnare quaternos.

Si plures, ſordidum, & minime lautum habebatur. Cicer. in Piſon. c. 27. *Nihil apud hunc lautum , nihil elegans.... Græci quini ſtipati in lectulis , ſæpe plures. Accumbebant* reclinata ſupera parte corporis in cubitum ſiniſtrum , infera in longum porrecta , ac jacente , capite leviter erecto , dorſo

pulvillis modice ſuffulto. Plautus. V. illum ſupr. in *Accubita.* Ut enim faſtidiens, &

Languidus, in cubitum jam ſe conviva reponit.

apud Horat. Sat. II. 4. 39. ita contra inhians, & imminens toto corpore in cibum procumbebat, & a decoro illo habitu recedebat. Qualem geſtum exprimere voluit Plautus. Primus *decumbebat* ad caput lecti, cujus pedes porrigebantur pone dorſum ſecundi: ſecundus vero occiput obvertebat ad umbilicum primi pulvillo interjecto, pedes jacebant ad tergum tertii: & ſic deinceps tertius, ſic quartus. Qui primus, & ad caput lecti *decumbebat*, ſummus dicebatur: qui ad pedes, imus: qui inter iſtos, medius. Hinc Plautus: *da puer a ſummo.* V. ſupr. *a ſummo.* Et Horat. Sat. II. 8. 40.

— ſecutis omnibus imis.

Lipſ. Ant. Lect. II. p. 144. Mercur. de Art. gymn. I. II. Stuck. Ant. Conviv. II. 34. Urſin. Append. ad Ciaccon. de Triclin. p. 252. Panciról. de Reb. deperd. & inv. p. 497. & ad illum Salmuth. Philand. in Vitruv. VI. 4. Thyſ. in Gell. II. 2. Caſal. de Proph. Roman. rit. c. 25. de Urb. ac Imper. Roman. ſplend. part. 2. c. 19. Potter. Archæol. Græc. IV. 19. Bayf. de Vaſcul. Theſ. Ant. Græc. Gronov. Tom. IX. p. 704. B. Bacc. de Conviv. antiq. II. 3. Tomaſ. de Teſſer. hoſpital. c. 18. Caſaub. Exercit. in Baron. Annal. XVI. 22. Buleng. de Imperat. Rom. II. 34. de Conviv. I. 32. Lambin. in Horat. Sat. II. 4. 39. Od. I. 27. 8. Roſin. Ant. Rom. V. 28. Kipping. Ant. Rom. IV. 3. 2. Schill Nomencl. Philol. p. 21. Utramque manum quidem ad epularum, & poculorum uſum adhibebant, ſed maxime dextram. *Lambin. l. l.* Qui in eo fallitur. Quo modo enim quis cubito innixus utramque manum expedire poteſt? *Ferrar. Elect.* II. 4. Non igitur ὀκλάξ, id eſt, genibus implexis, vel per crucem diſpoſitis humi aſſidebant, ut Turcæ & Scythæ facere narrantur. Hunc *accumbendi* morem Turcorum inſigniter diſſimilem, cum priſco Romanorum *accubitu*, a quo multum diſcrepat, non debuiſſent ſimilem facere Blond. Rom. triumph. II. p. 42. & Coraſ. Miſcell. jur. civ. VI. 10. 5. *Kipping. ibid.* §. 2. Non *accumbebant*, niſi ante mutaviſſent togas cum veſtibus, quas vocabant cœnatorias. V. illas infr. in *Veſtis*, & in *Syntheſis.* Soleas ponebant, ne lectum conſpurcarent. V. infr. in *Solea.* Manus lavabant. V. ſupr. in *Abluebant.* Se ungebant. V. infr. in *Unguentaria.* Coronas ſumebant. V. infr. in *Coronati.* Preces ſubjungebant, & menſas Deo commendabant. Quintil. Declam. 301. *Adiſti menſam, ad quam cum venire cœpimus, deos invocamus.* Livius mox laudandus. *Kipping. ibid.* §. 3. Deorum ſimulacra coram adducta apponebant. V. infr. in *Menſa.* Mulieres in ſedendi conſuetudine, pudoris gratia, diu permanſerunt: quia turpis viſus eſt in muliere *accubitus.* Contagione tamen morum depravatæ, una cum viris cœperunt *accumbere*, tantum in Capitolini Jovis epulo, antiquitatis gratia, ſederunt. Docent hoc poſtremum verba Val. Max. II. 1. 2. *Feminæ cum viris cubantibus cœnitabant: quæ conſuetudo ex hominum convictu ad divina penetravit: nam Jovis epulo ipſe in lectulum, Juno & Minerva in ſellas ad cœnam invitabantur. Quod genus ſeveritatis ætas noſtra diligentius in Capitolio, quam in ſuis domibus ſervat: videlicet, quia magis ad rem pertinet, dearum quam mulierum diſciplina contineri.* Urſin. Append. ad Triclin. Ciaccon. p. 245. Thyſ. Caſal. & Buleng. l. l. Demſter. Paral. ad Roſin. Ant. Rom. V. 28. *Accumbebant* vero infra eos, hoc eſt, in ſinu eorum, qui eas amarent, ſive ſocias ducerent. Juven. Sat. II. 119.

Signatæ tabulæ, dictum feliciter, ingens
Cœna: ſed in gremio jacuit nova nupta mariti.

Liv. XXXIX. 43. *Tum illam*, mulierem formoſam, *infra eum*, Quintium Flaminium conſulem, *cubantem negaſſe, unquam vidiſſe quenquam ſecuri ferientem, & pervelle id videre. Hic indulgentem amatorem unum ex illis miſeris attrahi juſſum ſecuri percuſſiſſe. Facinus, ſive eo modo, quo cenſor objecit, ſive, ut Valerius tradit, commiſſum eſt, ſævum, atque atrox: inter pocula, atque epulas, ubi libare diis dapes, ubi bene precari mos eſſet, ad ſpectaculum ſcorti procacis in ſinu conſulis recubantis, mactatam humanam victimam eſſe, & cruore menſam reſperſam.* Suet. Cal. c. 24. n. 1. *Cum omnibus ſororibus ſuis ſtupri conſuetudinem fecit, plenoque convivio ſingulas infra ſe viciſſim collocabat, uxore ſupra cubante.* Ciaccon. de Triclin. p. 50. Caſal. de Urb. ac Imper. Roman. ſplend. part. 2. c. 19. Lipſ. in Tacit. Annal. p. 113. Salmaſ. Exerc. Plin. p. 886. b. C. Pitiſc. in Suetonium. Kipping. ibid. §. 4.

ACCUSARE, & *accuſari* ut quicunque poſſent, leges non temere poteſtatem concedebant. Macer. l. 8. ff. de accuſation. *Qui accuſare poſſunt, intelligemus, ſi ſcierimus, qui non poſſunt. Itaque prohibentur accuſare alii propter ſexum, vel ætatem, ut mulier, ut pupillus; alii propter ſacramentum, ut qui ſtipendium merent; alii propter magiſtratum, poteſtatemve, in qua agentes ſine fraude in jus evocari non poſſunt; alii propter turpem quæſtum, ut qui duo judicia adverſus duos reos ſubſcripta habent, nummoſque ob accuſandum, vel non accuſandum acceperint; alii propter conditionem ſuam, ut libertini contra patronos.* Idem Pompon. l. 1. ff. eod. tit. ſed cum aliqua exceptione: *Non eſt permiſſum mulieri publico judicio quenquam reum facere, niſi ſcilicet parentum, liberorumque, & patroni, & patronæ, & eorum filii, filiæ, nepotis, neptis mortem exſequatur.* Idem de pupillis Papinian. l. 2. §. 1. ff. eod. tit. *Pupillis ex conſilio tutorum patris mortem: item pupillæ avi ſui mortem exſequi conceſſum eſt.* Ipſi prætores etiam pro poteſtate multos ab *accuſatione* videntur repuliſſe, ut quæſtores, ne prætorum ſuorum nomina deferrent, propter neceſſitudinem, quæ inter illos intercedebat. Cicer. Divin. c. 19. *L. Philoni in C. Servilium nominis deferendi poteſtas non eſt data, neque Scauro in Flaccum, neque Pompejo in Albutium; ne libido violandæ neceſſitudinis auctoritate judicum comprobaretur.* Eadem ratione non poterunt accuſari 1. magiſtratus. Servilius enim apud Liv. XLV. 37. reprehendit Galbam, quod, ſi nocere Paullo voluit, non poſtridie quam triumphavit, cum primum eum privatum viſurus eſſet, legibus interrogarit. II. Ii, qui Reipublicæ cauſa abſunt. V. infr. in *Lex Memmia.* Sigon. de Judic. II. 9. Roſin. Ant. Rom. IX. 19.

ACCUSATIO nihil aliud fuit quam oratio ad crimina inferenda, atque augenda artificioſe compoſita. Nam cum die cognitionis prætor conſilium advocaſſet, atque citatus accuſator, & reus adeſſet, tum accuſator dicendi poteſtate accepta actionem inſtituit. Primis diebus crimina ſingula expoſuit, atque ad extremum ea producendis teſtibus confirmavit. Et ita tota illa oratio interrupta fuit. Deinde productis teſtibus alteram alio die orationem habuit, quæ perpetua fuit. Priorem Cicero dixit in Verrem, ſed ad ſingula crimina teſtes produxit, atque interrogavit. Sic enim inquit Verr. Proœm. c. 18. *Faciam hoc non novum, ſed ab iis, qui principes civitatis ſunt, ante factum, ut teſtibus utar ſtatim. Illud a me novum, judices, cognoſcetis, quod ita teſtes conſtituam, ut crimen totum explicem: ubi id interrogando, argumentis, & oratione firmavero, tum teſtes ad crimen accommodem, ut nihil inter illam uſitatam accuſationem, atque hanc novam interſit, niſi quod in illa tunc, cum omnia dicta ſunt, teſtes dantur: hic in ſingulas res dabuntur, ut illis quoque eadem interrogandi facultas, argumentandi, dicendique ſit: ſi quis erit, qui perpetuam orationem, accuſationemque deſideret, altera actione audiet.* Poſteriorem, qua alia die accuſator eandem cauſam retractabat, ac perpetua oratione declamatorio more reum inſequebatur, criminaque teſtimoniis confirmata oratorie amplificabat, Cicero prætermiſit, quod Verres, & patronus ejus Hortenſius teſtium multitudine territi, defenſionem ſui reliquiſſent. V. Aſcon. in Cicer. p. 65. Hæc autem & longa, & perpetua oratio *accuſatio* dicta eſt: de qua Cicer. pro Cœl. c. 3. *Accuſatio crimen deſiderat, rem ut definiat, hominem ut notet, argumento probet, teſte confirmet.* Hanc non unus accuſator peregit, ſed partitis inter ſe muneribus multi. *Sigon. de Judic.* II. 17. *Roſin. Ant. Rom.* IX. 22. Triplex fuit, ſiquidem intermiſſis diebus ter eſt habita. Ea vero eodem artificio confecta eſt, quo ſuperiores: quippe accuſator crimen certum attulit, idque teſtibus, & argumentis probavit: unde Cicer. pro dom. c. 18. *Ubi crimen eſt? ubi accuſator? ubi teſtes?* Sigon. ibid. III. 9. Roſin. ibid. c. 29. Cum ter *accuſaverat*, in ſingulis *accuſationibus* perorandis mul-

multam, pœnamve arbitrio dicebat, eaque anquiſitio dicebatur. V. illam infr. in *Anquiſitio*. Sigon. ibid. III. 10. Hac tertia *accuſatione* perfecta rogatio ſcripta promulgabatur, quæ crimen, & pœnam, multamve comprehendebat. Rogatio per trinas nundinas promulgata manebat, ut populo nota fieret, antequam de ea judicaret. Hæc actio accuſatoris, multæ, pœnæve irrogatio; judicatio populi, multæ, pœnæve certatio dicta eſt. Cicer. de Legib. III. 3. *Cum magiſtratus judicaſſit, irrogaſſitve, per populum multæ pœnæ certatio eſto.* Suet Tib. c. 3. n. 4. *Salinator tribus Romanas in cenſura notavit, quod cum ſe poſt priorem conſulatum multa irrogata condemnaſſent, conſulem iterum fecerant.* Cum irrogatio per tres nundinas promulgata manſiſſet, tum tertiis ipſis nundinis *accuſator* rurſus in roſtra conſcendit, ac rurſus citato reo quartam *accuſationem* inſtituit: quam Cicer. pro dom. c. 17. quartam *accuſationem* trinum nundinum appellavit; eaque perfecta poteſtatem reo ad cauſam dicendam fecit: Unde Dionyſ. VII. p. 463. *Dies a tribuno plebis Marcio reo ad cauſam dicendam tertiæ nundinæ præfinitæ.* Sigon. ibid. III. 11. 12. Roſin. ibid. IX. 29. 30. ſæpe etiam evenit, ut duo, aut plures *accuſationem* ſibi depoſcerent: quod cum accidit, *judex eligere debebat eum, qui accuſaret: cauſa ſcilicet cognita, æſtimatis accuſatorum pœnis, vel de dignitate, vel ex eo, quod intereſt, vel ætate, vel moribus, vel alia juſta de cauſa,* ut oſtendit Ulpian. l. 16. ff. de accuſat. Hoc judicium divinationem dixerunt. V. infr. in *Divinatio*. Pollet. For. Rom. I. 12: IV. 2. Sigon. ibid. II. 9. Roſin. ibid. IX. 19.

ACCUSATOR eſt dictus, qui ex multis *accuſatoribus* primas egit: ſubſcriptor, qui ſecundas, & tertias. Hic vero *accuſatorem* adjuvare eſt ſolitus. V. infr. in *Subſcriptores*. Per præconem citabatur in diem actioni a prætore conſtitutam. Ad quam ſi non adfuiſſet, aut non reſpondiſſet, ex reis eximebatur is, cujus nomen delatum erat. Cicer. Verr. II. 40. *Citatus accuſator M. Pacilius, neſcio quo caſu, non reſpondit, non affuit. Si præſens Sthenius reus eſſet factus: ſi manifeſto in maleficio teneretur; tamen accuſator non adeſſet. Sthenium condemnari non oporteret. Etenim ſi poſſet reus abſente accuſatore damnari, non ego a Vibone Veliam parvulo navigio inter fugitivorum, ac prædonum, ac tua tela veniſſem: quo tempore omnis illa mea feſtinatio fuit cum periculo capitis, ob eam cauſam, ne tu ex reis eximerere, ſi ego non adfuiſſem ad diem.* Briſſon. de Form. V. p. 470. Sigon. de Judic. II. 11. Poſtulabat, ut quæſtio haberetur. Ulpian. l. ſi poſtulaverit. ff. ad l. Jul. de adulter: *Si poſtulaverit accuſator, ut quæſtio habeatur de ſervo adulterii accuſato.* Non debebat autem, qui quæſtionem habebat, ſpecialiter interrogare ita, v. g. *an Lucius Titius homicidium fecerit*, ſed generaliter, *quis id fecerit* l. 1. §. qui quæſtionem ff. de quæſtionibus. *Briſſon. ibid.* V. *p.* 478. Libellos dabat. Tacit. Annal. III. 44. 2. *Increpabant Tiberium, quod in tanto rerum motu libellis accuſatorum inſumeret operam.* Ulpian. l. 16. §. denuntiaſſe ff. ad l. Jul. de adulter. *Quid ergo ſi non quidem denuntiavit, verum libellos accuſatorios dedit.* Hi vel offerebantur, vel apud acta deponebantur, & omnia, & ſingula, quibus reus legem illam, quam nominaſſet, transgreſſus eſſet, complectebantur. Ulpian. l. 2. §. ult. ff. ad l. de adulter. *Et ſi pater prævenerit, & libellos inſcriptionum depoſuerit.* Impp. Valer. & Gallien. l. ſine metu *Cum nihil amplius quam libellos accuſatorios obtuliſti.* Briſſon. ibid. V. p. 468. Sigon. ibid. II. 10. Pollet. For. Rom. IV. 7. In crimen ſubſcribebat, & ad *accuſandum* ſe adſtringebat. Ulpian. l. 7. ff. de accuſat. *Si cui crimen objiciatur, præcedere debet in crimen ſubſcriptio.* Hinc & *ſollennibus inſcriptionibus adſtringere ſeſe* eum, qui ad *accuſandum* proſiliebat, jubet Imperator Gordian. l. 10. C. de accuſat. *Briſſon. ibid.* V. *p.* 469. *Pollet. ibid.* II. 4. A die autem delationis uſque in ſummum diem, quo cauſa dicenda erat, poterat reus ex lege apponere illi cuſtodem, qui obſervaret, quæ agerentur ab actore, & quomodo *accuſationem* inſtrueret, ne quid dolo, aut alia via ſcelerata moliretur, ut vix quicquam liceret meditari ad *accuſationem*, niſi præſente cuſtode. Auctor Plutarchus in Catone Uticenſi. *Pollet. ibid.* IV. 7. *Sigon. ibid.* II. 9. Præmia fuerunt: I. Ut ſi ipſi ambitus damnati eſſent, aliorumque eodem in genere culpam demonſtraſſent, in integrum reſtituerentur. Id apparet ex oratione pro Cluentio. *Manut. de Legib. c.* 28. II. Quod ſi *accuſator* magiſtratum deſignatum in judicium vocaſſet, ejuſque culpam judicibus probaſſet: reus magiſtratum amittebat, *accuſator* ejus locum aſſequebatur, ſi modo ei per ætatem, & per leges magiſtratum illum capere liceret. Suſpicari hoc licet e Syllæ, Autroniique exemplo: quibus de ambitu, cum deſignati conſules eſſent, damnatis, *accuſatores* eorum Torquatus & Cotta conſules facti ſunt. *Lipſ. in Tacit. Hiſtor.* IV. *n.* 67. *Manut. l. l.* III. Permutatio tribus: ſi modo ea tribus, in qua reus cenſeretur, nobilior eſſet, quam tribus *accuſatoris*. Cicer. pro L. Balbo c. 25. *Objectum eſt etiam, quod in tribum Cruſtuminam pervenerit: quod hic aſſecutus eſt legis de ambitu præmio.* Manut. l. l. V. plura infr. in *Actor*.

ACE.

ACERRA erat *ara, quæ ante mortuum poni ſolebat, in qua odores incendebantur.* Feſtus. Et lege, quæ de funeribus octava eſt duodecim tabularum, cavetur, *uti ne acerræ adhiberentur.* Meurſ. de Funer. c. 6. Guther. de jur. man. I. 16. Auguſt. ad Leg. XII. tab. §. 43. Stuck. de Sacrif. p. 81. Berthald. de Ara c. 1. §. 3. Ferret. Muſ. lapid. IV. memor. 9. Salmuth in Pancirol. de Reb. deperd. & inv. p. 734. Kirchman. de Funer. I. 7. Roſin. Ant. Rom. III. 32. Schill Nomencl. Philol. p. 23. Voſſ. Lexic. Etymol. Turneb. in Cicer. de Legib. II. p. 163. Hotman. Antiq. Roman. III. 1. p. 394. B.

Acerra erat arcula thuraria, in qua thus reponebatur. Ex illa antiqui thus diis inter ſacrificandum proferebant. Ovid. de Pont. IV. 8. 39.

Nec quæ de parva pauper diis libat acerra,
Thura minus grandi quam data lance valent.

Horat. Od. III. 8. 2.

Quid velint flores, & acerra thuris
Plena miraris.

Hæc *La Chauſſe Inſign. pontif. max. tab.* 8. *Cuper. Apoth. Homer. p.* 74. *Stuck. de Sacrif. p.* 81. *Berthald. de Ara c.* 1. §. 3. *Merul. de Sacrif. c.* 7. §. 1. *Moreſtel. Pomp. Feral. I.* 14. *Ferret. Muſ. Lapid.* IV. *memor.* 9. *Auguſt. in Leg.* XII. *tab.* §. 43. *Saubert. de Sacrif. c.* 17. *Roſin. Ant. Rom.* III. 32. *Schill Nomencl. Philol. p.* 23. *Caſal. de Urb. ac Imper. Roman. ſplend. part.* 3. *c.* 1.

ACETABULARII, quos Græci ψηφοπαίκτας vocant, dicebantur, qui celeritate, ac dexteritate manuum e pluribus *acetabulis*, quæ in menſa exponunt, efficiunt, ut quos calculos ſub uno *acetabulo* conditos putes, ſub altero reperias. Sext. Empir. adv. Mathem. II. p. 71. C. *Sicut acetabularii ſpectantium oculos agilitate manuum ſuffurantur, ac illudunt.....* Buleng. de Theatr. I. 40. Lipſ. & Muret. in Senec. Epiſt. 45. Lampe de Cymb. Vet. I. 16. Caſal. de Urb. ac Imper. Roman. ſplend. part. 2. c. 7. de Tragœd. & Comœd. c. 2.

ACETABULUM eſt vaſculum, ſeu pyxis *acetabulariorum*. Senec. Epiſt. 45. *Præſtigiatorum acetabula, & calculi, in quibus fallacia ipſa delectat.* Rhodig. Ant. Lect. XIII. 32. Lipſ. in Senec. Epiſt. 45. Buleng. de Theatr. I. 40. Lampe de Cymb. vet. I. 16.

Acetabulum eſt genus menſuræ, in quo eſt octava amphoræ diviſio, ipſumque octava ſextarii pars eſt, capiens ſeſquicyathum, pendetque aqua, vel vino plenum uncias duas ſemis. Quod conſtet ex ſeſquicyatho probat Fannius, ſic dicens:

At cotyle cyathos bis ternos una receptat.
Sed de abaco nobis id pondus ſæpe notatur.
Bis quinque hunc faciunt drachmæ: ſi appendere tentes
Oxybaphus fiet, ſi quinque addantur ad illas.

Oxybapho *acetabulum* ſimile eſt & loco, & portione. Plin. XXI. 34. *Cum acetabuli menſura dicitur, ſignificat heminæ quartam partem, id eſt, drachmas quindecim.* Quæ non de Romano, ſed de Græco ſunt intelligenda. Plin. l. l. *Et quoniam in menſuris quoque & ponderibus crebro Græcis nominibus utendum eſt....* Hujus quantitatis ſolent eſſe vaſcula,

qui-

quibus acetum & acria in menſa poni ſolent, ad ciborum faſtidia vitanda, & appetentiam excitandam. *Patus de Rom. & Græc. menſ.* III. *Theſ. Ant. Rom. Græv. Tom.* XI. *p.* 1641. *C. Alex. Gen.* II. 20. *Barth. Adv.* XXXVIII. 2. *Rhodig. Ant. Lect.* XIII. 32. *Philand. in Vitruv.* VI. 9.

ACETARIA dicuntur cibaria, quæ ex *aceto* ſumuntur ad excitandum appetitum, quales ſunt herbæ virentes, quas *aceto*, oleoque guttatim inſtillato concinnamus. Fiunt etiam ex radicibus herbarum. Etiam poſſent dici carnes minutim conciſæ, quæ ex *aceto* ſumuntur. Plin. XX. 2. *Stomachum in acetariis ſumpta corroborat.* Stuck. Ant. Conviv. II. 8. Rhodig. Antiq. Lect. XIII. 32. Bruyer. de Re cibar. VIII. 2.

ACH.

ACHAIA fuit ſitu regionis Macedoniæ conjunctiſſima. Complexa eſt Epirotas, & Græcos. Epirus quos habuerit populos. V. infr. in *Epirus*. Athamanes, qui inter illos, cum Regem haberent, in Theſſalorum nomen tranſierunt. Græcia deinde duplex ſecuta, una extra Iſthmum, *Achaja* nomine, in qua fuerunt Acarnanes, Ætoli, Dores, Locri, Phocenſes, Megarenſes, Attici, Bœoti, & Eubœenſes: alteram intra Iſthmum, Peloponneſum dictam, habitarunt Achæi, Elei, Meſſeni, Lacones, Argivi, Sicyonii, & in medio quodammodo omnium Arcades longe a mari. Liv. XXXVI. 15. *Thermopylarum jugum, ſicut Apennini dorſo Italia dividitur, ita mediam Græciam dirimit, ante ſaltum Thermopylarum ſeptemtrionem verſus Epirus, & Perræbia, & Magneſia, & Theſſalia eſt, Phthiotæ Achæi, & ſinus Maliacus: infra fauces ad meridiem vergunt Ætoliæ pars major, & Acarnania, & cum Locride Phocis, & Bœotia, adjunctaque inſula Eubœa, & excurrente in altum, velut promontorio, Attica terra ſita ab tergo, & Peloponneſus.* Sigon. de Ant. jur. prov. I. 9. Pancirol. Notit. dignit. imp. orient. c. 104.

ACHÆI cum ſoli in Græcia opibus, ac bellica laude florerent, merito Romanis ſuſpecti eſſe cœperunt, eorumque concilium illi, quoad potuerunt, labefactare conati ſunt. Quamobrem cum Lacedæmonii fines ſuos ab *Achæis* vaſtari Romæ queſti eſſent, reſponſum eſt Lacedæmoniis, ſe legatos ad rem cognoſcendam, controverſiasque dirimendas in Græciam miſſuros. Legati cum veniſſent, & Corinthum civitatum principes evocaſſent, pronuntiarunt, ſenatum cenſere, Lacedæmonios, Corinthios, Argos, Heracleam, quæ ad Oetam eſt, & Orchomenios Arcades ab *Achaico* concilio ſegregandos; quod neque cum *Achæis* cognatione conjuncti eſſent, & ſero ſe ad eorum concilium aggregaſſent. Qua ſententia cognita *Achæi* in omnes Lacedæmonios, qui tum forte Corinthi erant, impetum fecerunt, & captos in carcerem conjecerunt. Plerique legatos etiam Romanorum violatos eſſe ſcripſerunt. His Romæ cognitis, *Achæos* bello perſequendos decernunt, ad idque bellum L. Mummium conſulem mittunt. Sed *Achæi*, Critolao duce populos ad arma capienda hortante, & Bœotiis operam pollicentibus cum Romanis auſi concurrere, funditus ſunt everſi, Critolao a Metello ad Scarphiam fugato, atque occiſo, Arcadibus ad Chæroneam profligatis, & Thebis, Megarisque receptis, ac poſtremo Diæo duce a L. Mummio in fugam conjecto, ac Corintho, ac tota Græcia in poteſtatem adducta. Hac victoria Græcia cum Epiro eſt provincia facta, & *Achaja* a principatu, quem tunc *Achæi* inter Græcos obtinebant, nominata. *Sigon. de Ant. jur. prov.* I. 9. A Nerone immunis facta, poſtea a Veſpaſiano tributis eſt ſubjecta. Pauſan. Achaic. p. 222. *Multis poſt ætatibus, cum ad Neronem Romanorum imperium perveniſſet, is Græciæ ſuam reddidit libertatem, ſine Romani imperii detrimento. Pro ea enim Sardiniam prædivitem inſulam in provinciæ formam redegit. Sed hoc beneficium non fuit Græcis ad diuturnitatem ſtabile. Nam cum imperii gubernacula poſt Neronem Veſpaſianus teneret, is Græcos, quaſi patrio morbo ſeditione laborantes coercuit, & vectigali impoſito, Romanis magiſtratibus parere juſſit, quod diceret, libertate uti Græcos jam dedidiſſe.* Scalig. in Euſeb. p. 183. Pancirol. Notit. dignit. imper. orient. c. 104. Pitiſc. in Suet. Veſp. c. 8. n. 9.

ACHAICUS fuit dictus L. Mummius ob *Achajam* devictam. Qui enim regiones in poteſtatem populi Romani redegerunt, a devictis regionibus cognominati ſunt. *Sigon. de Nomin. Roman. c.* 5. *Urſat. de Not. Roman. Theſ. Ant. Roman. Græv. Tom.* XI. *p.* 614. *B.*

ACHILLES ob fortitudinem dictus eſt L. Sicinius Dentatus. Gell. II. 11. *L. Sicinium Dentatum, qui tribunus plebis fuit Sp. Tarpejo, A. Haterio coſſ. ſcriptum eſt in libris annalibus, plusquam credi debeat, ſtrenuum bellatorem fuiſſe: nomenque ei factum ob ingentem fortitudinem, appellatum eſſe Achillem Romanum* . . . Sigon. de Nomin. Roman. c. 5.

ACI.

ACIA erat in inſtrumento phrygionis. Titinnius:

Phrygio fui primo, beneque id opus ſcivi:
Reliqui acus, aciasque hero, atque heræ noſtræ.

Celſ. V. 26. *Utraque optima eſt ex acia molli, non nimis torta, quo mitius corpori inſideat.* Turneb. Adv. XVII. 21. Eſſe filum illud, quod ſive ſutura, ſive infibulatione cuticulæ, quæ coire debebat, indebatur, omnes conveniunt. Sed in materia fili iſtius diſſentiunt, dum alii ex lino, ſive ſerico, alii ex metallo fuiſſe opinantur. Sed falluntur. Neque enim in fibula filum ex lino eſſe poteſt, ſed tantum acus. Acum in fibula appello id quod mordebat, ut auctores loquuntur. Acus iſtius cuſpis per id, quod conjungendum erat, & retinendum, immittebatur, & ne reſiliret, extremæ fibulæ parti, quæ ea de cauſa paullum erat excavata, inferebatur. Sic ut nemo non videat linum in fibulis locum habere non potuiſſe. Qui enim filum tenuiſſimum certe flexile potuiſſet mordere? qui excavata iſta fibulæ parte contineri potuiſſet, ſic ut non flecteretur, aut elaberetur? Quicquid ſit, *acia* eſt acus fibulæ. Et hæc interpretatio convenit cum verbis Celſi. *Acia mollis* eſſe debet, hoc eſt, tenuis, quantum fieri poteſt. Molle enim hic idem eſt, quod nos Belgæ *fyn* appellamus. *Acia nimis torta*, id eſt ne noceat, penitius inſeri in cuticulam non debet. Nam hoc proprie hic eſt torquere. *Boxhorn. ad Plutarch. Quæſt. Rom.* 75. De *Acia* plura qui voluerit, conſulat Johannem Rhodium, qui tum materiam, tum formam cap. 13: 14. 15. fuſioribus fuſius deſcribit.

ACIARIUM, ῥαφιδοθήκη eſt, ubi *acus* reponuntur. *Turneb. Adv.* XXVII. 10.

ACIES in ferro proprie eſt, quod in primore cultri, aut gladii acumine conſiſtit, & primum ſcindit. Hoc στόμα Græci, unde & per tralationem πολέμου στόμα. Inde στομῶσαι verbum *acuere*, & στόμωμα in ferro id quod ſcindendo penetrat. Arrianus στόμωμα quaſi phalangis in primis ordinum ductoribus conſtituit, quos propterea validiſſimos, ac fortiſſimos eſſe vult, quia pars ea præcipue eſt, ut in ferro, quæ prima per τομὴν intrat. Eam proinde firmiſſimam, & maxime induratam eſſe oportuit. De primo ductorum ordine ille Tactic. p. 34. *Hic ordo primus continet totam phalangem, & idem valet in præliis, quod acies in ferro. Nam qualis eſt acies, id nempe quod ſcindit, talis & reliqua ferri pars, & idem efficit, ac præſtat. Quod enim ſcindit in ferro, id per aciem ſcindit. Pars ferri reliqua etiamſi mollior ſit, ipſo tamen pondere, & mole adjuvat niſum prementis in ſcindendo. Sic & phalangis aciem, hoc eſt, id quod ſcindit, & penetrat, ſtatuere debemus in primorum ductorum ejus ordine ferri molem, & pondus in ea quæ a tergo ſequitur cætera multitudine.* Sed de phalange Græcorum hæc dicit Arrianus, quæ ad levem armaturam, quæ ante *aciem* ordinatam collocari conſueverat, meliori jure poſſint transferri. Nam illa primæ *aciei* quaſi *acies* ſtatuenda eſt. *Acies* in ferro non ſolum prima ejus pars, ſed etiam tenuiſſima, & maxime gracilis. Eadem tamen maxime efficax. Dicit hoc Polyb. X. ubi ſcribit *levem armaturam efficaciſſimam in bello videri*, adeo ut victoria ſæpe per eam profligata, titulus tamen penes gravem armaturam reſideat. *Salmaſ. de Milit. Rom. c.* 18. Quomodo educto exercitu inſtructa fuerit, docet Liv. VIII. 8. *Ordo ſexagenos duos milites,*

lites, centurionem, & vexillarium unum habebat. Prima acies hastati erant, manipuli quindecim (quod inauditum. L. *decem.* V. Ovidium laudatum infr. in *Pilani*) *distantes inter se modicum spatium: manipulus leves vicenos milites, aliam turbam scutatorum habebat: leves autem, qui hastam tantum gæsaque gererent, vocabantur. Hæc prima frons in acie florem juvenum pubescentium ad militiam habebat. Robustior inde ætas totidem manipulorum, quibus principibus est nomen, hos sequebantur, scutati omnes, insignibus maxime armis. Hoc triginta* (L. *viginti.* Consentiunt veteres in omni legione, numeratis simul triariis, tantum fuisse triginta manipulos) *manipulorum agmen antepilanos appellabant, quia sub signis jam alii decem ordine locabantur* (ita leg. non *quindecim ordines*) *ex quibus ordo unusquisque tres partes habebat: earum unamquamque primam, pilum vocabant* (non *primum pilum.* Primam namque harum partium, quæ decem sunt primæ, pilum appellant.) *Tribus ex vexillis constabat, vexillum centum octoginta sex homines erant.* (rejicio vocem *vexillum.* Si enim in quoque *vexillo homines octoginta sex*, erunt in sola hac *acie* quinque millia quingenti octoginta. Add reliquas duas, quæ, & quanta legio illa. Quisque vero ordo sexaginta duo homines erant: tres sunt in manipulo: ergo in totum *homines centum octoginta sex*) *Primum vexillum triarios ducebat, veteranum militem spectatæ virtutis: secundum rorarios, minus roboris ætate, factisque: tertium accensos, minimæ fiduciæ manum: eo & in postremam aciem rejiciebantur. Ubi his ordinibus exercitus instructus esset, hastati omnium primi pugnam inibant: si hastati hostem profligare non possent, pede presso eos retrocedentes in intervallo ordinum* (quod quid fuerit. V. infr. in *Intervallum*) *principes recipiebant: tum principum pugna erat; hastati sequebantur: triarii sub vexillis considebant, sinistro crure porrecto, scuta innixa humeris, hastas subrecta cuspide in terra fixas, haud secus quam vallo septa inhorreret acies, tenentes. Si apud principes quoque haud satis prospere pugnatum esset, a prima acie ad triarios sensim referebantur: inde rem ad triarios redisse, quum laboratur, proverbio increbruit. Triarii consurgentes, ubi in intervalla ordinum suorum principes & hastatos recepissent, extemplo compressis ordinibus velut claudebant vias: unoque continente agmine, jam nulla spe post relicta, in hostem incidebant.* Lips. de Mil. Roman. II. 5. Gronov. in Livium. Ram. de Milit. Jul. Cæsar. Thes. Ant. Rom. Græv. Tom. x. p. 1567. C. Salmas. de Re Milit. Rom. c. 8. & 10. Alex. Gen. IV. 7. Stewech. in Veget. III. 14. Laz. Comm. Reip. Rom. IV. 2. Laurent. Polym. IV. 1. 8. Caroli Antiq. Roman. III. 8. Kipping. Antiq. Roman. III. 4. §. 4. Rosin. Ant. Rom. x. 14. Non semper instruebatur per hastatos, principes, & triarios, sed interdum per cohortes: & tria hæc militum genera in eadem *acie* collocabantur. Crebrius hoc genus agminis per cohortes in itinere, illud per manipulos in *acie*: utrumque tamen & in *acie*, & in itinere usu receptum. Illa *acies* fere triplex, hæc sæpius duplex. Falluntur, qui putant a Mario cœpisse, ut per cohortes ordinaretur: sæpius manipulatim, fateor: non tamen admodum illa ratione veteri Republica *acies* struebatur. Marius usum illius prioris *aciei* sustulit: sed hanc primus non induxit. *Schel in Polyb. Thes. Græv. ibid. p.* 1258. *E. Salmas. ibid. c.* 6. Proprie Romani militis tunc erat, cornua auxiliorum. Inter utrumque cornu directa patebat *acies* Romana, cui id nomen soli competebat, ademptum auxiliis, & sociis. Liv. XXXVII. 39. *Romana acies unius prope formæ fuit, & hominum, & armorum genere. Duæ legiones Romanæ, duæ socium, & Latini nominis erant, quina millia & quadragenos singulæ habebant. Romani mediam aciem, cornua Latini tenuerunt. Hastatorum prima signa, deinde principum erant, triarii postremos claudebant.* Salmas. ibid. c. 7. Lips. ibid. IV. 6. Ἀμφίστομος erat, quæ dimidiam virorum in ordinibus partem aversam a se mutuo habet, ita ut inter se oppositis sint dorsis. Hesychius: *Amphistomus phalanx est, quæ dimidiam militum partem habet oppositam.* Onosand. c. 21. *Et jubeat, ut si jam ante forte circumventi sint, dorsa præcedentium dorsis inclinantes obvertant, ac sic ancipitem pugnam ineant.* Arcer. in Ælian. Tactic. c. 38. Salmas. ibid. c. 11. Fuit fere duplex, aut triplex. Duplex, cum tota in cornua duo secta, dextrum ac lævum. Ea sæpissime obtinuit in exercitu consulari: cum duæ legiones, & singulis sua auxilia adjuncta. Hanc sectionem certum est veterem esse, & aliis quoque gentibus usurpatam. Ad Pana auctorem eam refert Polyæn. I. 2. *Dionysii, sive Bacchi dux fuit Pan. Is primum reperit ordinem, nominavit phalangem, cornu instituit dextrum & lævum. Ex quo cornutum etiam Pana vulgo desingunt.* Exempla sunt sexcenta. Triplex est, cum præter cornua alia etiam media exsurgit. Id quoque crebrum: non solum ubi plures legiones, sed & cum duæ: istis scilicet in medio positis, sociis ad utrumque cornu: Res per se clara, & obvia exempla. Sed & alia ratio duplicis, triplicisque *aciei*: cum præter simplicem illam divisionem a tergo etiam sectio fit, & discrimen. Ut si quatuor legiones habeam, duas in fronte cum sociis suis pono; totidem a tergo, velut in subsidiis, suppono. Idem in duabus quoque factum, & aut ala utraque sociorum (sive cornu mavis) præposita, subjunctis legionibus, aut contra. Rem vide pugna in Annibalem Marcelli apud Liv. XXVII. 12. *Pugnatum amplius duabus horis est: cedere inde ab Romanis dextera ala, & extraordinarii cœpere. Quod ubi Marcellus vidit, duodevicesimam legionem in primam aciem inducit. Dum alii trepidi cedunt, alii segniter subeunt, turbata tota acies est.* c. 2. *Diu pugna neutro inclinata stetit. Primæ legioni tertia, dexteræ alæ sinistra subiit.* Sed & de legionibus ipsis sic dispositis Liv. XXX. 18. *Prætoris legiones in prima acie fuerunt, Cornelius suas in præsidiis tenuit.* Has secundarias, aut tertiarias legiones, sive copias, subsidia, aut subsidiarias etiam vocabant. Liv. XXIX. 2. *Cedenti duodecimæ legioni, quæ in lævo cornu adversus Illergetes locata erat, tertiam decimam legionem ex subsidiis in primam aciem firmamentum ducit.* Sallust. Bell. Jugurth. p. 105. *Ibi commutatis ordinibus, in dextro latere, quod proximum hostibus erat, triplicibus subsidiis, aciem instruxit.* Hæ præcipuæ sunt, & receptæ Romanorum, instructiones: quas tamen leviter variabant promovendo, aut retrahendo. Plerumque enim æqualiter utroque cornu, & simul concurrebant: quod Cato apud Festum *Recto fronte* dixit: & Tibull. IV. 1. 103. *æquatis frontibus.* Et ea de re Veget. III. 20. *Una depugnatio est fronte longa, quadrato exercitu, sicut etiam nunc, & prope semper solet prælium fieri.* Altera depugnatio obliqua, cum cornu ante cornu promovetur. Græci Tactici: *Obliqua phalanx, quæ alterum cornu, utrumcumque prædictum fuerit, juxta hostes magis admovet, & eo prælium facit, alterum autem abjungit.* De hoc genere Veget. l. l. *Secunda depugnatio est obliqua, plurimum melior. Hujus talis est modus: cum instructæ acies ad congressum veniunt, tunc tu sinistram alam tuam* (cornu intelligit, & mox ita vocat) *a dextra adversarii longius separabis, ne vel missilia ad eam, vel sagittæ perveniant: dextram autem alam tuam sinistræ illius alæ junge, & ibi primum inchoa prælium.* Tertium genus est *acies* sinuata, cum in triplici *acie* tertiam & mediam amoves ab hoste, & cornua modo immittis. Senec. de Vit. beat. c. 4. *Quemadmodum idem exercitus modo latius panditur, modo in angustum coarctatur, & aut in cornua sinuata media parte curvatur, aut recta fronte explicatur.* Quartum genus huic adversum, cum scilicet ipsa media *acies* prominet, & incurrit prima in hostem. Græci ἐπικαμπὲς, *flexum* dicunt, sive etiam κυρτὸν *gibberum.* Ælianus. *Flexa instructio dicitur, cum media hostibus incidunt, cornua autem retro recta habet collocata.* Lips. de Milit. Roman. IV. Dial. 6. Thys. Rom. Illustr. IV. p. 96. Quadrata quænam fuerit, multis docet *Salmas. de Re Milit. Roman. c.* 10. *&* 11. Sed illam commemorari negat *Græv. Thes. Antiq. Roman. Tom.* 1. *Præfat.* * * * * 2 *vers.* Et Salmasium refutat *Schel. in Polyb. Thes. Græv. Tom.* x. *p.* 1251. *E.*

ACL.

ACLIDES *sunt tela quædam antiqua adeo, ut nec usquam commemorentur in bello.* Serv. in Æneid. VII. 730. Quem hoc scribere mirum est. In bello commemoratas, & usitatas fuisse satis liquet. Treb. Poll. Claud. c. 14. *Huic dabis aclides duas.* Val. Flacc. VI. 99.

Nec procul albentes gemina fert aclide parmas.

Salmas. in Pollionem. Voss. Lexic. Etymol. Fuerunt jacula ansata, vel amentata, ex tereti aut ligno, aut ferro. *Teretes* enim appellat Virg. Æneid. VII. 730.

—— teretes sunt aclides illis
Tela: sed hæc lento mos est aptare flagello.

Teres vero est jaculorum hastile; ἀγκύλαι autem Græcis jacula quædam sunt: & per diminutionem inde ἀγκυλίδες dici possunt: unde luxata, fractaque paullo voce *aclides* a Latinis appellatæ. *Turneb. Adv.* XXX. 21. *Voss. l. l. Cerda, & Pontan. in Virgilium. Laurent. Polym.* IV. *Synops.* II. §. 9. Vix aliud scio, quam exiguum, & teres quoddam missile fuisse, quod Virgilius *flagello* aptat, ut summis virgis arborum, flagellisque insertum fuerit, non duris, robustisque stipitibus. *Lips. Poliorc.* IV. *dial.* 4. Constat clavæ genus fuisse, quod loro, vel amento in hostes jaciebatur. Serv. l. l. *Sunt clavæ cubito semis facta, eminentibus hinc, & hinc acuminibus quibusdam: quæ ita in hostem jaciuntur religata loro, vel lino, ut peractis vulneribus possint redire.* Falsum est, quod quidam scripsit, veteres *aclidem* vocavisse, quod posteriores μαγκλάβιον. *Aclidum* enim in bello tantum usus, quæ loro religatæ magna vi jaciebantur, & redibant ad eum, qui jecerat, clavisque ferreis, aut acuminibus erant munitæ, ut sine pernicie non redirent, quemcunque tetigissent. Unde recte *jacula brevia* interpretatur Non. XVIII. 10. At manclavia non erant jacula, sed fustes, quibus cædebantur, qui fustuarium meruerant. *Salmas. l. l.*

ACO.

ACOLYTHI erant pedissequi, assectatores, & ministri, peculiariter sacerdotum. In Romana ecclesia dicuntur *ceroferarii, qui cereos deferunt, quando Evangelium legendum est, aut sacrificium offerendum.* Isidor. VII. 12. Lombard. Distinct. IV. 24. *Voss. Lexic. Etymol. Licet. de Lucern. sepulcr. Thes. Ant. Rom. Græv. Tom.* XIII. *p.* 999. *C. Schill Nomencl. Philol. p.* 32.

ACR.

ACROAMA est Græcum vocabulum. Plutarch. Galb. p. 1060. A *Erat ἀκρόαμα Canus celebre.* Illud Latinitate Romani donarunt. Macrob. Sat. II. 4. *Cum in alia acroamata fuisset nummis liberalis.* Cicer. pro Arch. c. 9. *Cum ex eo quæreretur, quod acroama, aut cujus vocem lubentissime audires.* Nepos mox laudandus. Significat tum festivas recitationes. Suidas: ἀκροαμάτων, τουτέστιν ἀκουσμάτων: tum illos, a quibus recitabantur. Hos conviviis adhibebant, *ut non minus animo, quam ventre convivæ delectarentur.* Nep. XXV. 14. 1. Plin. Epist. VI. 31. 13. *Adhibebamur quotidie cœnæ: erat modica, si principem cogites; interdum ἀκροάματα audiebamus.* Nep. l. l. *Nemo in convivio ejus aliud acroama audivit quam anagnosten: quod nos quidem jucundissimum arbitramur.* Suet. Aug. c. 74. n. 6. *Acroamata interponebat.* Salmas. in Lampr. Alex. Sev. c. 34. Ciaccon. de Triclin. p. 74. Buleng. de Conviv. III. 30. Stuck. Ant. Conviv. III. 22. Casal. de Proph. Rom. ritib. c. 25. de Conviv. vet. c. 1. de Urb. ac Imper. Roman. splend. part. 2. c. 19. Bacc. de Conviv. IV. 3. Buchner. in Plinium. Pignor. de Serv. p. 146. Laz. Comm. Reip. Rom. III. 3. Cren. ad Bud. de Inst. stud. c. 3. Schill Nomencl. p. 33. Donat. & Pitisc. in Suetonium. Recte, an secus faciant, qui *acroamata* in conviviis adhibent, disputat *Muret. Var. Lect.* VI. 15.

ACROBATICA est machina e tignis, & transversariis compacta, quibus in altum ascendunt, qui tutius spectare volunt. *Buleng. de Theat.* I. 22. *Gyrald. de Poet. Dial.* VI. *p.* 335. *B.*

ACROCHIRISMUS erat saltatio festiva, & colluctatio summis tantum manibus facta, in qua nulla reliqua pars corporis ab ipsis digitis tangebatur. *Bacc. de Therm. vet. c.* 7. *Laurent. Polym.* IV. 8.

ACROCHIRISTÆ dicebantur inter athletas, summis inter se manibus depugnantes, nullo complexu hærentes, ut palæstritæ. *Bud. in Pand. p.* 96. *B.*

ACROCOLIA sunt in antecœnio pedes mactatarum victimarum, aut partes extremæ, quibus vescuntur, ut aures, rostra, quæ Galenus vocat τὰ ἄκρα τῶν πεζῶν ζώων, quia carne carent, ἀκροκώλια, ὀπίσθια, vel ἐμπρόσθια. *Buleng. de Conviv.* II. 3.

ACROMALLOS est lana brevis, cui opponitur βαθύμαλλος, & δασύμαλλος, longa, & densa. *Ex lana aspera, & brevi Belgæ conficiebant saga, quas lænas Romani vocant.* Strab. IV. p. 135. *Ferrar. de Re Vest.* II. 3. 13.

ACROSTOLIA erant *ornamenta in prora navium.* Interpres Apollon. I. 1089. Clypei nonnunquam effigiem, nonnunquam animalium, aut cassidis referebant, sæpius in orbem, atque spiram flectebantur. *Scheffer. de Milit. Nav.* II. 6. *Calcagn. de Re naut. c.* 13.

ACROTERIA erant ornamenta fastigiorum in ædificiis, quæ in summis fastigiis collocata signa fictilia, & ærea sustinebant. Quod altiora ipsis fastigiis essent, ideo Græci ἀκρωτήρια dixerunt, Latini etiam fastigia, verum improprie, cum vulgo proprie fastigium vocarent culmen domus. Vocem, qua id aliter exprimerent, non habuerunt. De illis *acroteriis*, vel fastigiorum ornamentis Vitruv. III. 2. *Et ipsarum ædium species sunt baricæ, baricephalæ, humiles, latæ, ornantque signis fictilibus, aut æreis inauratis earum fastigia.* Salmas. in Spartian. Nig. c. 12. Bald. Lex. Vitruv. Rhodig. Ant. Lect XXI. 33. XXV. 9. Schill Nomencl. Philol. p. 33.

ACT.

ACTÆ sunt littora amœna. Cicer. Verr. V. 25. *Tametsi in acta cum mulierculis jacebat ebrius.* Virg. Æneid. V. 613.

At procul in sola secretæ Troades acta
Amissum Anchisen flebant.

Prudent. in Symmach. I. 135.

—— temulentus adulter
Invenit expositum secreti in littoris acta.

Muret. Var. Lect. I. 3. Barth. Adv. XLIV. II. Voss. Lex. Etymol. Laurent. Polym. II. 25. Almelov. Antiq. p. 32. In illis erant lupanaria, & stabant quoque nudæ meretrices. Senec. Contr. II. I. *Nuda in littore stetisti ad fastidium emptoris.* Almelov. & Laurent. l. l. Certe erant loca luxuriæ. Veteres enim si quando vellent genio indulgere, riparum virides vestitus, & littorum amœnitates sectabantur. Inde est, quod formarint verbum ἀκτάζειν, quod nova voce *actari* dixeris. Itaque quoties sese liberalius invitare vellent, proverbialiter dicebant: σήμερον ἀκτάσομεν, q. d. *hodie actabimur.* Plutarch. Sympos. IV. 4. *Quid autem, per deos, volunt, qui ad oblectationem se mutuo invitantes dicunt, hodie in acta convivabimur? nonne quod in littore convivium suavissimum esse sentiunt, uti revera est.* Casaub. Addend. Animadv. in Athen. p. 647. Voss. l. l. Laurent. de Adulter. c. 3.

ACTA populi ἁπλῶς, κατ' ἐξοχὴν dicta erant populi. Vocabantur *acta diurna.* Tacit. Annal. XIII. 31. 1. *Cum ex dignitate populi Romani repertum sit, res illustres annalibus, talia diurnis actis mandare.* Suetonius laudatus infra in *Acta senatus.* Et sine substantivo *diurna.* Suet. Claud. c. 41. n. 9. *Exstat talis scriptura in plerisque libris, ac diurnis.* quia in dies conficiebantur. Et *publica.* Tacit. Annal. XII. 24. 4. *Et quos tum Claudius terminos posuerit, facile cognitu, & publicis actis præscriptum.* Iis continebantur res, rationesque populi, judicia publica, supplicia, comitia, ædificia, nativitates, illustres mortes, matrimonia, divortia. De judiciis, suppliciisque admonuit Ammian. XXII. 3. *Et acta super eo gesta non sine magno legebantur horrore, cum id voluminis publici contineret exordium: consulatu Tauri, & Florentii, inducto sub præconibus Tauro.* Ubi & formam aliquam servabis conficiendorum *actorum.* De ædificiis Tacit. Annal. XIII. 31. 1. *Nerone* II. *L. Pisone consulibus pauca memoria digna evenere: nisi cui libeat, laudandis fundamentis, & trabibus, quis molem amphitheatri apud campum Martis Cæsar adstruxerat, volumina implere: cum ex dignitate populi Romani repertum sit, res illustres annalibus, talia diurnis Urbis actis mandare.* De nativitatibus Suetonius sæpe, qui plerum-

quæ argumenta ſibi ſumit de die cujuſque Principis natali ex *actis*, ut Tib. c. 5. n. 2. Calig. c. 8. n. 5. Origo ejus inſtituti a Ser. Tullio, qui ut numerum ſciret naſcentium, morientium, vivorum, adinvenit: ut propinqui nata prole certum aliquem nummum in ærarium Junonis Lucinæ inferrent. V. infr. in *Ærarium:* iidem aliquo mortuo in Veneris Libitinæ. V. infr. in *Libitina:* & ſumente quopiam virilem togam V. infr. in *Juventutis.* Lipſ. in Tacit. Annal. V. Excurſ. A. Pigh. Annal. II. p. 378. Pancirol. Not. dignit. imp. occid. c. 14. Apud *acta* ideo, quia qui apud Romanos pater factus eſſet, natum ſibi puerum cum nomine profiteri cogebatur, cujus nomen, ſive eſſet legitimus, ſive eſſet ſpurius, imo ad confuſionem vitandam, etiam cognomen, nec non dies nativitatis, & conſul tabulis publicis a præfecto ærarii inferebantur. Hujuſmodi profeſſiones a Marco Antonino Philoſopho primum inſtitutas ſcribit Capitol. c. 9. *Inter hæc liberales cauſas ita munivit, ut primus juberet apud præfectos ærarii Saturni unumquemque civium natos liberos profiteri intra triceſimum diem nomine* (forte, *a nomine*) *impoſito. Per provincias tabulariorum publicorum uſum inſtituit, apud quos idem de originibus fieret, quod Romæ apud præfectos ærarii.* Quanquam ante Marci ætatem clarorum virorum ortus in *acta* publica relatos ex Suet. Tib. c. 5. n. 2. & Calig. c. 8. n. 5. intelligimus. Sed ei hujuſmodi profeſſionum ſpeciem, ut modo dictum, præmonſtraverat. Ex Antonini vero conſtitutione apud præfectum ærarii fieri, *actiſque* adſcribi liberorum profeſſiones conſueviſſe indicat ipſe Capitol. Gordian. c. 4. *Jam illud ſatis conſtat, quod filium Gordianum nomine Antonini, & ſigno illuſtravit, cum apud præfectum ærarii more Romano profeſſus filium, publicis actis ejus nomen inſereret.* Briſſon. Antiq. Select. I. 5. Barthol. de Puerper. p. 156. Salmaſ. Exerc. Plin. p. 504. b. C. & in Capitolini Antoninum.

Acta Senatus vocabantur commentarii, ὑπομνήματα Græce, quibus breviter inſcribebatur, quicquid apud patres diceretur, & ageretur. Origo eorum, ut videtur, a Julio Cæſare, qui conſul. Suet. c. 20. n. 1. *Inito honore, primus omnium inſtituit, ut tam ſenatus, quam populi diurna acta conficerentur, & publicarentur.* Confectio manſit: publicatio abrogata ab Auguſto. Suet. c. 36. n. 1. *Auctor & aliarum rerum fuit: in queis ne acta ſenatus publicarentur.* Conficiebat quiſpiam è ſenatu: ſcilicet ne arcana patrum ſciret non e patribus. Tacit. Annal. V. 4. 1. *Fuit in ſenatu Junius Ruſticus, componendis patrum actis dilectus a Cæſare.* Et hunc ſenatorem fuiſſe oſtendit infr. c. 5. n. 1. *Quod fraude unius ſenatoris eluſa majeſtas imperatoria eſſet.* Et hoc munus Adriano tribuit Spartian. c. 3. *Poſt quæſturam*, ait, *acta ſenatus curavit.* Eumque vocabant *ab actis ſenatus.* V. illum ſupr. in *Ab.* Lipſ. in Tacitum & in illum librum Excurſ. A. Mercer. in Alex. Gen. IV. 20. Buleng. de Imp. Rom. VI. 57. Briſſon. de Form. II. p. 192.

ACTIACA victoria. V. illam infr. in *Victoria.*

Actiaci ludi. V. illos infr. in *Ludi.*

ACTIO in oratione ipſius oratoris viva vox eſt, in cauſa ſeria, apud conſilium dicentis. *Pollet. For. Rom.* I. 12. Ipſa in oratione quaſi repræſentatur, & eſt veluti idæa quædam, quæ oratione exprimitur: natura enim eſt prior, & dignitate, ut authenticum deſcripto, & exemplum vivum pictura. *Idem ibid.* II. 12. *Panciroll. Rer. deperd. & invent. p.* 263. *& ad illum Salmuth p.* 265.

Actio in jure nihil aliud eſt quam *jus perſequendi in judicio, quod ſibi debetur.* Juſtinian. Inſtitut. de action. in princ. id eſt, poteſtas impetrata a prætore repetendæ rei, quæ ſibi debetur, apud judices. Egregie illud quidem, ita tamen ſi intelligatur, non jus ſolum perſequendi, ſed etiam ipſam perſequutionem *actionem* appellari. *Sigon. de Judic.* I. 17. *Auguſt. de Legib. Theſ. Antiq. Roman. Græv. Tom.* II. *p.* 1309. *C.* Ab interpellatione differt in eo, quod eſt extra judicium petitio, quæ eſt extra ordinem, id eſt, præter legitimum, & ordinarium judiciorum morem. Tum enim ſubvenire prætor, vel præſes dicitur, ubi nulla *actio* prodita eſt l. 1. §. quæſitum ff. de Separation. *Guther. de jur. man.* III. 12. Hanc duobus modis prætor ſolebat dare. I. Cum *agendi* poteſtatem faceret, formulamque daret, & judicem. Quæ legis *actiones* vocabantur, & formam *agendi* continebant, l. 2. §. eodem ff. II. de orig. jur. cum ex edicto *actionem* induceret, quæ ante prodita non eſſet, quamque prætor pollicetur. Non idem ergo eſt, *actionem* dare, & agendi poteſtatem facere. Ut nec idem ſemper eſt, *actionem* dare, & judicium dare. Nam judicium dat prætor in arbitrariis *actionibus*, vel iis, quibus damnum datum factumve imprudentia, dolove præſtabatur. Tum enim judicium dabat, id eſt, judicandi poteſtatem judicibus datis faciebat ad certam uſque quantitatem, quam excedere ipſi non poſſent. Quod ex edicti verbis probatur, in eos, qui dejecerunt, vel effuderunt. Nam triplex in eo judicium notatur. I. In duplum. II. Quinquaginta aureorum. III. Quanti ob eam rem æquum judici videbitur, tanti judicium prætor pollicetur l. 1. ff. de his qui dejec. vel effud. id eſt, eam quantitatem ſtatuit, quæ ex eo, quod intererat, a judice poſtea æſtimabatur l. 3. §. qui de ſepulcr. ff. de ſepulcr. violat. Quod ſi intra certam quantitatem judicium datum non eſſet, ut in arbitrariis *actionibus*, tunc judicis arbitrio relinquebatur, quid de ea re æſtimaret. *Guther. ibid.* c. 17. Accipitur etiam pro accuſatione. Ita M. Tullii *actiones* in Verrem dictæ ſunt, & populares *actiones* dicuntur, quamvis criminis perſequutionem contineant, & *actio* majeſtatis pro accuſatione uſurpatur l. 1. in SCto. §. ſi propter ff. ad Turpill. *Guther. ibid. c.* 25. *Actionem* poſtulare nihil aliud eſt quam poſtulare jus perſequendi in judicio quod ſibi debetur, aut quod ſuum eſt. Id autem erat, judicium, aut judicem in eam rem, de qua lis erat, poſtulare, ut re cognita, & judicata jus uterque ſuum adipiſceretur. *Sigon. l. l.*

Actio arbitraria proprie dicta ex arbitrio judicis pendebat. In hac niſi arbitrio judicis is quo cum agebatur, actori ſatisfaciebat: ſive rem reſtituebat, ſive exhibebat, ſive ſolvebat, ſive noxali cauſa ſervum dedebat. *Sigon. de Judic.* I. 17. Illarum quædam fuerunt prætoriæ in rem, ut Publiciana, & Serviana; quædam in perſonam, quibus de eo agitur, quod aut metus cauſa, aut dolo malo factum eſt: item cum id, quod certo loco promiſſum eſt, petitur: item *actio* ad exhibendum. Hinc formulæ intentionum natæ: *Ajo, Mævium metu me coegiſſe, ut aureos centum darem, eumque quantum æquius melius videbitur, mihi dare oportere. Ajo Mævium mihi ſtipulanti ſpopondiſſe, ſe centum tritici modios Bononiæ daturum, eumque, quantum æquius melius videbitur, mihi dare oportere. Ajo, Mævium mihi veſtem exhibere debere, & quantum æquius melius videbitur, mihi dare oportere.* In omnibus autem arbitrariis formulis ſubauditur, *niſi ea res mihi reſtituatur.* Sigon. ibid. c. 21.

Actio bonæ fidei erat, in qua libera poteſtas permittebatur judici ex æquo & bono æſtimandi, quantum actori reſtitui oporteret: in qua & illud continebatur, ut ſi quid invicem præſtare actorem oporteret, eo compenſato, in reliquum is, quo cum agebatur, condemnaretur. *Sigon. de Judic.* I. 17. Illarum tres formulæ fuerunt: I. Quæ contractibus bonæ fidei accommodabatur cum his verbis: *Ex bona fide.* II. Quæ in fiduciis accommodabatur cum his: *Ut inter bonos bene agier oportet, & ſine fraudatione.* III. Rei uxoriæ propria cum his: *quantum æquius melius.* Cicer. de Offic. III. 15. *Dolus malus legibus erat vindicatus, ut tutela* XII. *tabulis, & circumſcriptio adoleſcentium lege Lætoria, & ſine lege, judiciis, in quibus additur. Ex fide bona agitur. Reliquorum autem judiciorum hæc verba maxime excellunt; in arbitrio rei uxoriæ: Melius æquius: in fiducia, ut inter bonos bene agier oportet.* Fuerunt autem hæ, empti, locati, pro ſocio; fiduciæ, rei uxoriæ, negotiorum geſtorum, mandati, tutelæ, depoſiti, commodati, pignoris, præſcriptis verbis; & miſtæ duæ, nempe familiæ erciſcundæ, & communi dividundo. Differunt ab arbitrariis, quod in iis reſtitutionis mentio fiat, in his non fiat. *Sigon. ibid. c.* 21. *Ravard. de Auctor. prudent. c.* 3.

Actio de calumnia. In hac formula intentionis fuit: *Ajo, Mævium calumniæ cauſa pecuniam accepiſſe, ut mihi ne-*

gotium faceſſeret, & eo nomine quadruplum mihi dare oportere. Sigon. de Judic. I. 21.

Actio de communi dividundo fuit, quæ inter eos reddebatur, qui rem, quam ex alia atque hæreditatis cauſa communem haberent, dividi, ſimulque, quod alterum alteri præſtari oporteret, dari fieri poſtulabant. *Sigon. de Judic.* I. 17. Hujus *actionis* intentio ejuſmodi fuit: *Ajo, te res communes dividere debere, & eo nomine centum te mihi dare oportere. Ajo, te res communes dividere debere, & quod alterum alteri ex æquo, & bono dare facere oportet, te mihi ex fide bona dare facere oportere.* Sigon. de Judic. I. 21.

Actio damni lege Aquilia & rem, & perſonam ſequebatur. Pœna adverſus confitentem in triplum erat; adverſus inficiantem in duplum. Itaque intentionis formula erat: *Ajo, Mævium Stichum ſervum meum interfeciſſe, factumque illud inficiatum eſſe, atque eo nomine duplum, quanti hoc anno ſervus plurimi fuit, mihi dare oportere.* Reus negabat ſe interfeciſſe, aut inficiatum eſſe. Sponſio naſcebatur: *ni interfecerit: ni inficiatus ſit.* Sigon. de Judic. l. 21. Urſat. de Not. Roman. Theſ. Antiq. Roman. Græv. Tom. XI. p. 531. A.

Actio de dote. Hujus actionis intentio fuit: *Ajo, me tibi nomine dotis centum dediſſe: teque mihi, quantum facere poteris, dare oportere.* Sigon. de Judic. I. 21. V. etiam infr. in *Actio uxoria.*

Actio exercitoria dabatur in exercitorem, qui ſervum navi præpoſuiſſet, de eo, quod cum eo ſervo illius rei cauſa geſtum fuiſſet. Exercitor autem erat, ad quem quotidianus navis quæſtus redibat. Servus, quem navi præficiebat, magiſter dicebatur. *Sigon. de Judic. l.* 17. In exercitoria ſic intentum eſt: *Ajo, me Sticho ſervo, quem Mævius dominus ei navi, quam exercet, magiſtrum præfecerat, centum aureos ejus rei cauſa, cui præfectus erat, credidiſſe, eumque ejus rei nomine centum mihi dare oportere.* Sigon. de Judic. I. c. 21.

Actio familiæ erciſcundæ eſt, quæ inter cohæredes hæreditatis dividundæ cauſa dabatur. Neque enim ſolum poſtulabatur, ut hæreditas divideretur, ſed etiam, ut quod eo nomine alterum alteri dare facere oporteret, præſtaretur. *Sigon. de Judic.* I. 17. Hujus *actionis* intentio ejusmodi fuit: *Ajo, te familiam dividere debere, & eo nomine centum te mihi dare oportere. Ajo, te familiam dividere debere, & quod eo nomine alterum alteri ex æquo, & bono dare facere oportet, te mihi ex fide bona dare facere oportere.* Sigon. de Judic. I. 21.

Actio fiduciæ. In illa ita intentum eſt: *Ajo, te mihi domum illam, quam tibi mancipavi, ut mihi remancipares, ut inter bonos bene agi oportet, ſine fraude remancipare oportere.* Sigon. de Judic. l. 21.

Actio finium regundorum eſt, quæ inter confines dabatur, & ut fines agrorum vicinorum dirigerentur, & ſi quid alter ex alterius agro percepiſſet, reſtitueretur. *Sigon. de Judic.* I. 17. Hujus *actionis* intentio fuit ejusmodi: *Ajo, fines agri noſtri dirigi oportere, & quod ex agro meo percepiſti, te mihi dare oportere.* Sigon. ibid. c. 21.

Actio funeraria, non pura, certa, ſtricta eſt *actio*, ſed arbitraria, cujus quantitas & augeri, & minui arbitrio judicis poteſt. Hæc enim ex arbitrio judicis pendet, ut funeris impenſam prius æſtimet, deinde condemnatio ſequatur. *Guther. de Jur. man.* III. 17.

Actio in furto, quæ rem tantum perſequitur, vindicatio, & furtiva condictio vocabatur. Per quas ubi res ablata recepta erat, remanebat tamen furti *actio*, quæ ad pœnæ perſequutionem pertinebat. Cajus ff. de furtiva condictione: *Cum furti actio ad pœnæ perſequutionem pertineat, condictio vero & vindicatio ad rei recuperationem; apparet, recepta re nihilominus ſalvam eſſe furti actionem, vindicationem vero, & condictionem tolli.* In hac intentio hæc erat: *Ajo, te centum mihi abſtuliſſe, & manifeſto deprehenſum eſſe, & manifeſti furti nomine quadringentos aureos mihi dare debere.* Sigon. de Judic. I. 21.

Actio inſtitoria dabatur in eum, qui ſervum inſtitorem tabernæ præfecerat, de eo, quod cum eo ſervo ejus rei cauſa geſtum eſſet. Erat autem inſtitor, qui alicui negotiationi præficiebatur. *Sigon. de Judic.* I. 17. In hac *actione* ita intentum eſt: *Ajo, me Sticho Mævii ſervo, quem Mævius ſuum inſtitorem fecerat, centum aureos credidiſſe, eumque ejus rei nomine centum aureos mihi dare debere.* Sigon. de Judic. I. 21.

Actiones interrogatoriæ ſæpius utrinque fiebant, nonnunquam etiam ex parte prætoris, ut litem tandem conſtitueret. Ubi enim æquitas monebat, æque ab eo oportere fieri interrogationem dubium non eſt. Hac formula ſæpius utebantur litigatores, *quando te in jure conſpicio, poſtulo ante facias auctorem.* Et deinceps aliæ interrogationes, ſi ſe auctorem faceret: veluti, *poſtulo quota ex parte auctor fias?* quanquam prior hæc interrogatio non inepte quis ad auctorem, quem guarandum vocamus, referat, qui nullo vadimonio obſtrictus in jure reperiebatur: quod utcunque illa verba denotant: *quando te in jure conſpicio.* Unde titulus Digeſtorum de *actionibus* interrogatoriis. *Pollet. For. Rom.* V. 4.

Actio juſſu quod data eſt in eum, cujus ſervus cum aliquo juſſu ipſius, ſervi enim interdum conſenſu dominorum negotiati ſunt, contraxit. Nam qui cum ſervo juſſu domini contrahebat, non ſervi, ſed ipſius domini fidem ſequi videbatur. *Sigon. de Judic.* I. 17. Intentio fuit talis: *Ajo me Sticho Mævii ſervo, ipſius Mævii juſſu, centum aureos credidiſſe, & centum eo nomine Mævium mihi dare oportere.* Sigon. de Judic. I. 21.

Actio legis erat illa, qua inter ſe homines diſceptabant. AC. L. *actio legis* nota erat frequentiſſima in antiquorum legibus, & *actionibus* exſcripta. Pompon. l. 2. ff. de Origin. jur. §. deinde. *Urſat. de not. Roman. Theſ. Antiq. Roman. Græv. Tom.* XI. *p.* 531. Hæ *actiones* legis propter XII. tabulas appellatæ ſunt, quia ex illis ſunt compoſitæ, ut homines illis inter ſe diſceptarent, & ne populus prout vellet, eas inſtitueret, certas ſollennesque eſſe voluerunt. Fuerunt apud collegium Pontificum, qui conſtituebant inter ſe quis eorum præeſſet ſingulis annis, eaque conſuetudine populus annis prope centum uſus eſt. Poſtea cum Appius Claudius propoſuiſſet & ad formam redegiſſet, Cn. Flavius ſcriba ejus libertini filius ſubreptum librum populo tradidit: & adeo gratum fuit id munus, ut Tribunus plebis fieret, & Senator, & Ædilis Curulis. *Auguſtin. in Leg. duod. tab.* §. 35. *Sigon. de Judic.* I. 9. *Pollet. For. Rom.* V. 4.

Actio de libertate eſt *actio* in rem. Illa fuit duplex. Aut enim e ſervitute in libertatem, aut e libertate in ſervitutem vindicabatur. De hac ita ſcribit Juſtinianus: *Præjudiciales actiones in rem eſſe videntur, quales ſunt per quas quæritur, an aliquis liber, an libertus ſit, vel de partu cognoſcendo: ex quibus fere una illa legitimam cauſam habet, per quam quæritur, an aliquis liber ſit: ceteræ ex ipſius prætoris jurisdictione ſubſtantiam capiunt.* Verba poſtulantis vindicias V. infr. in *Vindiciæ.* Sigon. de Judic. l. 21.

Actio mandati duplex, directa & contraria. Directa mandatori competit contra mandatarium, qui vel exceſſit, vel mandatum debito tempore non explevit. Contraria mandatarii eſt contra mandatorem, poſtulando impenſas factas occaſione mandati exſequendi, & utraque *actio* in perſonam eſt. Nota erat ACT. MT. *Urſat. de Not. Roman. Theſ. Antiq. Roman. Græv. Tom.* XI. *p.* 532. B.

Actio de eo, quod metus cauſa geſtum eſt, prætoria fuit, ita: *Ajo, Mævium terrore, ac minis veſtem a me extorſiſſe, atque eo nomine quadruplum, quanti ea res fuit, mihi dare oportere.* Hæc a ceteris diverſa eſt, quod ejus natura tacite continetur, ut, qui judicis juſſu ipſam rem actori reſtituit, abſolvatur: in ceteris non erat ita, ſed omni modo quiſque in quadruplum condemnabatur. *Sigon. de Judic.* I. 21. *Guther. de Jur. man.* III. 17.

Actio noxalis ex maleficiis ſervorum nata eſt, quia delicta eorum noxæ vocatæ ſunt. Ejus natura fuit, ut dominus ea damnatus vel litis æſtimationem perſolveret, vel, ſi vellet, ſervum ipſum noxæ dederet. Servo autem noxæ dedito, dominium ſtatim ab ipſo domino in actionem transferebatur. Quod ſi poſt admiſſam noxam dominus mutaretur, noxa in novum dominum dabatur; ſi ſervus

manu-

manumitteretur, in ipſum ſervum. Quod idem de noxis etiam filiorumfamilias eſt intelligendum. *Sigon. de Judic.* I. 17. Intentio fuit talis: *Ajo, Stichum Mævii ſervum noxam mihi nocuiſſe, & Mævium aut ſolvere, aut Stichum noxæ dedere mihi debere.* Quo in loco noxæ dedere eſt noxæ nomine dedere. *Sigon. de Judic.* I. 21. Noxali judicio addictus judex obſervare debebat, ut ſi condemnandus videretur dominus, ita condemnaret. P. MÆVIUM L. TITIO IN DECEM AUREIS CONDEMNO, AUT NOXÆ DEDERE, ut tradit Juſtin. Inſtit. de Offic. judicis. *Briſſon. de Formul.* v. *p.* 439.

Actio noxalis de pauperie fuit, id eſt, de damno dato a quadrupede. Hujus exitus erat, ut aut animal, quod nocuerat, & noxiam commiſerat, noxæ dederetur, id eſt, vivum traderetur pro noxa: aut litis noxiæ ſeu delicti & damni æſtimatio ſufferretur. Quod ſi poſt litem conteſtatam animal quod pauperiem fecerat, ab alio occiſum fuiſſet, quia domino legis Aquiliæ *actio* quæſita erat, ratio ejus rei in judicio habebatur: quia noxæ dedendæ facultatem dominus amiſerat. Cum liberi hominis corpus læſum erat, quantum ob eam rem æquum judici videbatur, *actio* dabatur. Judex enim computare debebat mercedes medicis præſtitas, cæteraque impendia, quæ in curatione facta erant: præterea operas, quibus caruerat, aut cariturus erat, quod inutilis eſſet factus. *Briſſon. de Form.* v. *p.* 440. *Sigon. de Judic.* I. 17. In pauperie talis fuit intentio: *Ajo, bovem Mævii me cornu petiſſe, & vulneraſſe, eumque Mævium mihi noxæ dedere oportere: Ajo, urſum Mævii mihi vulnus intuliſſe, & Mævium, quantum æquum eſſe videatur, mihi dare oportere: Ajo, urſum Mævii meam mihi veſtem diſcidiſſe, & duplum, quanti veſtis eſt, mihi dare debere.* Sigon. de Judic. I. 21.

Actio de peculio dabatur adverſus dominum ex ſervi contractu, quatenus in peculio erat. In peculio id eſſe dicebatur, quod deductis iis, quæ domino familiæve debebantur, ſupererat. Eadem vero patrum & filiorum familias ratio fuit, atque dominorum & ſervorum. *Sigon. de Judic.* I. 17. Intentio ſic concipiebatur: *Ajo, me Servilio filio tuo centum aureos mutuo dediſſe, teque quantum ex ejus peculio facere poteris, mihi dare oportere.* Sigon. ibid. c. 21.

Actio in perſonam, cum egerunt cum eis, qui ſibi obligati erant, vel ex contractu, vel ex maleficio, atque intenderunt, eos dare, facere ſibi oportere. Ut ſi Titius empta, aut locata domo dixiſſet: Marcum ſibi dare facere oportere quicquid empti, locative nomine dare facere oporteret, aut alios contractus, & maleficia nominaſſet. In perſonam autem eſt dicta, quia non certam rem repetiverunt, neque enim dixerunt, rem illam, aut illam ſibi dari oportere; ſed quicquid contractus alicujus nomine eum dare facere oporteret, parum, unde nam ille ſatisfaceret, laborantes. Quorum quidem verborum *dare* ad dominii tranſlationem contulerunt, *facere* vero ad ſimplex factum, ut navis ædificationem, ac traditionem: & utrumque quidem ad contractus; *dare* vero tantum ad maleficia accommodarunt. *Sigon. de Judic.* I. 17. *Briſſon. de Form.* v. *p.* 371.

Actio prætextata erat, in qua Imperatorum negotia agebantur, & Regum, magiſtratuumve acta comprehendebantur. *Laz. Comm. Reip. Roman.* VIII 2.

Actio Publiciana appellata, quia propoſita erat a prætore Publicio, cum alicui ex juſta cauſa res aliqua tradita eſſet, ſed nondum ejus dominus effectus, poſſeſſionem caſu amiſiſſet. Nullam ille habebat in rem directam *actionem*, qua vindicaret ſuam eſſe, cujus nondum dominium nactus erat. In illa dicebat is, qui poſſeſſionem amiſerat; *Eam rem ſe uſu cepiſſe, quam uſu non ceperat*, & ita ſuam eſſe petebat. *Briſſon. de Form.* v. *p.* 382. *Trellier de jurejur. c.* 6. *Cujac. Obſerv.* x. 6.

Actio rapinæ ſimul rem, & pœnam perſequebatur. Formula erat: *Ajo, Mævium vi veſtem mihi eripuiſſe, atque ejus nomine eum quadruplum mihi dare oportere.* Sigon. de Judic. I. 21.

Actio de rebus corpore vacantibus, ut in uſufructu & prædiorum ſervitute eodem modo intendebatur ac vindicabatur: *Ajo uſumfructum tui fundi, qui eſt in agro Sabino, eſſe meum. Ajo, jus eundi agendi per fundum tuum eſſe meum. Ajo, jus ex fundo tuo aquam ducendi eſſe meum.* Sigon. de Jud. I. 21.

Actio in rem, cum egerunt de eis, qui nullo ſibi jure obligati erant, ſed eis de aliqua re intulere litem. Ut in re corpus habente, ſi Titius ſervum, fundumque aliquem ſuum eſſe affirmaſſet. Marcus autem poſſeſſor dominum ejus ſe eſſe dixiſſet. Quod idem de rebus corpore carentibus intelligendum eſt, ut de uſufructu, & ſervitute prædiorum. *Sigon. de Judic.* I. 17. In hac plane prætor in hæc verba judicem dabat: SI PARET FUNDUM Q. D. A. P. TITII EX JURE QUIRITUM ESSE, NEQUE IS FUNDUS EI A MÆVIO RESTITUETUR, SEMPRONIUS JUDEX ESTO. Id ita eſſe, iniquitatem formularum Verrinarum reprehendens docet Cicer. Verr. II. 12. *Si vero*, ait, *illud quoque accedet, ut in ea verba prætor judicem det, ut vel L. Octavius Balbus judex, homo, & officii, & juris peritiſſimus, non poſſit aliter judicare: ſi judicium ſit ejuſmodi, L. Octavius judex eſto: ſi paret, fundum Capenatem, quo de agitur, ex jure Quiritum P. Servilii eſſe, neque is fundus Q. Catulo reſtituetur: non neceſſe erit L. Octavio judici cogere P. Servilium Q. Catulo fundum reſtituere, & condemnare eum quem non oporteat.* Briſſon. de Form. v. p. 373.

Actio de in rem verſo dabatur in dominum, ſine cujus voluntate ſervus contraxit. Ut quod in rem domini verſum eſt, ſolidum præſtet, reliquum ex peculii juribus diſſolvat. In rem domini verſum dicebatur, quodcumque domini facultates aliqua ex parte amplificarat, dummodo neceſſarius ſumptus illi fuiſſet. *Sigon. de Jud.* I. 17. Intentio fuit ejusmodi: *Ajo, me Sticho Mævii ſervo centum crediſſe, ut Mævii domum cadentem fulciret, & Mævium quatenus & in rem verſum eſt, & in peculio Stichi eſſe conſtabit, dare mihi oportere.* Sigon. de Judic. I. 21.

In *actione* ſervi corrupti tanti corruptor condemnabatur, quanti ſervus ob id quod corruptus fuerat, minoris eſſet l. ſi quis ſervum §. ult. ff. de ſervo corrupt. Paull. l. ut tantum §. æſtimatio. ff. eod. *Æſtimatio autem habetur in hac actione, quanto ſervus vilior factus ſit: quod officio judicis expedietur.* Si tamen tam inutilis eſſet ſervus, ut non expediret talem ſervum habere, electio domino dabatur, utrum ſervum detinere, & damnum quanti deterior factus eſſet, in duplum accipere: vel ſervo reſtituto, ſi copiam ejus haberet, pretium conſequi: aut ſi non haberet, pretium quidem ſimili modo accipere debebat, cedere autem ſolicitatori, periculo ejus, de dominio ſervi, actionibus §. interdum. l. ead. *Briſſon. de Form.* v. *p.* 441. In illa ita intendebatur: *Ajo, Mævium Sticho ſervo meo perſuaſiſſe dolo malo, quo eum deteriorem faceret, atque hoc nomine, quanti hæc res fuit, mihi dari oportere.* Sigon. de Judic. I. 21.

In *Actione* de ſervitute luminum, ſi altius ædes tollere incepiſſem, tu in jus me vocaſſes, & ita dixiſſes: *Nego tibi jus eſſe altius ædes tollendi verſus me*, & rationem negatæ ſervitutis prætori expoſuiſſes. Tum ego remiſſam ſervitutem eſſe oſtendiſſem, & a te provocatus ſponſionem feciſſem: *Ni meum jus ſit.* Sigon. de Judic. I. 21.

Actio quæ ex ſponſu dicebatur ex obligatione civili, quæ antiquiſſimo jure ex ſponſalibus naſcebatur, dabatur adverſus eum eamve per quem quamve factum eſſet quo minus nuptiæ ſequerentur. Poſt vero corruptis, ac perditis civitatis Romanæ moribus, cum flagitioſa & deteſtanda repudiorum libertas increbruiſſet, inſtitutum fuit, ne ulla ex ſponſalibus civilis obligatio naſceretur, ſed libera renuntiatio eſſet; neque ulla eo nomine *actio* daretur. l. I. C. h. t. l. 2. C. de repud. *Hotoman. de Sponſal.* c. 4.

In *Actione* ex teſtamento fructus in petitionem deducebantur, non quos hæres perceperat, ſed quos legatarius percepiſſet. Item uſuræ, quarum modum judex æſtimabat, ſtatuebatque, morem regionis ſequens l. cum ſervus. §. fructus. ff. de legat. I. Et cum homo ex teſtamento petitus erat, cauſam ejus temporis, quo lis conteſtabatur,

actori repræſentandam fuiſſe ait l. quæſitum §. ult. ff. eod. *Briſſon. de Form.* v. *p.* 448.

Actio tributoria dabatur in dominum, quo ſciente una cum ſervo in merce peculiari contractum erat, niſi res æquabiliter inter creditores partitus eſſet, nimirum ut alia tributio fiat. Merx peculiaris erat, in qua ſervus ſuo nomine domini conſenſu ita negotiabatur; ut ejus quæſtus ad ipſum pertineret. *Sigon. de Judic.* I. 17. *Ajo, Mævium peculiares Stichi ſui ſervi merces ex edicto non diſtribuiſſe, & quanto minus tributum ſit, quam debuerit, tantum mihi dare oportere.* Exempli gratia: duodecim ſunt in ſervi mercibus peculiaribus, ex quibus domino quinque debentur, Valerio quinque, totidemque Servilio. Si de peculio agatur, dominus integra quinque obtinebit: ſin autem tributoria, quatuor tantum. ibi enim melior eſt domini conditio, hic vero par eſt omnino. *Sigon. ibid. c.* 21.

Actio de ventre cognoſcendo fuit in rem. Juſtinianus. V. illum ſupr. in *Actio de libertate.* De ventre ita intentum eſt: *Ajo, mulierem hanc ex te prægnantem eſſe. Nego.* Sponſio: *Ni ſit.* Sigon. de Judic. l. 21.

Actio vindicationis quæ, & quotuplex fuerit. V. infr. in *Vindicatio.*

Actio uxoria differt ab *actione* de dote, quod illa ad dotem tantum pertinet, hæc etiam ad peculium, & patrimonium uxoris. In re uxoria ita intentum eſt: *Ajo, me tibi præter dotem peculium & patrimonium meum dediſſe, teque mihi, quantum æquius melius ſit, dare oportere.* Sigon. de Judic. l. 21.

In *Actiones* duas omnis ferme cognitio diviſa fuit; primam & ſecundam. Utraque accuſationem & defenſionem complexa eſt. Prima perfecta poſt tertium diem ſecunda inſtituta eſt, quæ comperendinatio eſt dicta, in iis cauſis in quibus erat permiſſa. *Sigon. de Judic.* II. 13. & 20. Quid comperendinatio. V. infr. *in Comperendinatio.*

Actio transferebatur, cum petitor agens plus in intentione ſua complectebatur, quam ad eum pertinebat. Quod ſi feciſſet, cauſa cadebat, id eſt, litem amittebat, nec facile in integrum reſtituebatur a prætore, niſi minor erat viginti quinque annis. Plus petebatur I. Re, veluti, ſi quis pro decem aureis, qui ei debebantur, viginti peteret. II. Tempore, veluti ſi quis ante diem, vel ante conditionem petiiſſet. III. Loco, veluti cum quis id, quod certo loco ſibi dari ſtipulatus eſt, alio loco petiiſſet, ſine commemoratione illius loci, in quo ſibi dari ſtipulatus eſſet. IV. Cauſa, ut ſi quis ita a te ſtipulatus eſſet: *Hominem Stichum, aut decem aureos dare ſpondes?* deinde alterutrum petiſſet, veluti hominem tantum, aut decem aureos tantum. Ideo plus petere intelligitur, quia in eo genere ſtipulationis promiſſoris eſt optio, utrum pecuniam, an hominem ſolvere malit. Qui pecuniam tantum, vel hominem tantum ſibi dari oportere intendit, eripit optionem adverſario, & eo modo ſuam conditionem meliorem facit, adverſarii deteriorem. Hac de re Cicer. de Invent. II. 19. *In noſtra conſuetudine multis de cauſis fit, ut rarius incidant tranſlationes. Nam & prætoriis exceptionibus multæ excluduntur actiones, & ita jus civile habemus conſtitutum, ut a cauſa cadat is, qui non, quemadmodum oportet, egerit. Quare in jure plerumque verſantur: ibi enim & exceptiones poſtulantur, & quodammodo agendi poteſtas datur, & omnis conceptio privatorum judiciorum conſtituitur.* Quæ verba ſic exponit Victorinus: *Apud prætorem cum litis ipſius forma componeretur, ibi partes aut excipiebant, aut ſimplicem actionem accipiebant. Unde in ipſo jure, hoc eſt, apud prætorem tractabatur exceptio atque tranſlatio.* Sigon. de Judic. l. 21. Pollet. For. Rom. v. 3.

ACTOR, ubi vocatus in jus venerat, impetrata loquendi poteſtate, actionem ei edebat, qua adverſus eum uti volebat. Qui enim petebat, non unam, ſed multas actiones habebat, id eſt, multis modis jus ſuum perſequi poterat. Docet hoc Cicer. pro Cæcin. c. 12. *Si quis domum rediens ab armatis hominibus, primo aditu, veſtibuloque ædium ſuarum prohibitus ſit, eum non ſolum injuriarum, ſed etiam de vi litem intendere poſſe.* Scribit Theoph. Inſtit. IV. *dominum occiſi ſervi privato judicio agere poſſe ex lege Aquilia, & damnum ſibi illatum perſequi; & publici criminis reum facere ex lege Cornelia de Sicariis.* Juſtinian. in iiſdem docet, *in furem triplicem actionem intendi potuiſſe, vindicationis, furtivæ condictionis, & pœnæ.* Poſſumus etiam addere, ſi quid per vim alteri ſit ablatum, in eum, qui abſtulerit, multas actiones futuras; rapinæ, damni, injuriæ. Cum igitur ita eſſet, ex multis aliquam eligebat. *Non enim, ut inquit ibidem Cicero, prætor, qui judicium dat, petitori præſtituit, qua actione illum uti velit, ſed actor ipſe deligit.* Quam vero elegerat, eam in jus vocato reo edebat, prout ille ſignificavit apud Plaut. Perſ. IV. 9. 8.

D. *Cur me in jus vocas?* S. *Illic dicam apud prætorem.*

Itemque inſtrumenta, & rationes, & omnino omnia, quæ ad judicium editurus eſſet. Hoc fuſius Ulpian. l. 1. ff. de edendo. V. etiam infr. in *Editio.* Sigon. de Judic. l. 19. Edita actione, qua uſurus erat, poſtulabat eam a prætore, id eſt, petebat, ut ſibi liceret in adverſarium intendere. Hoc voluit Ulpianus. V. illum infr. in *Poſtulare.* Actione adverſario edita, eaque a prætore poſt poſtulationem impetrata, tum certa verborum formula concepta reum vadabatur; id eſt, vades, ſive ſponſores petebat, fore, ut certo die ſe in jure ſiſteret. V. infr. in *Vadari.* Sigon. ibid. c. 20. Tertio inde die, qui cognitionibus erat dicatus, & comperendinus appellabatur, prætor actiones editas ac poſtulatas ex tabulis ordine recitari: atque *actores*, reoſque citari per accenſum jubebat, ut judicia actionibus eorum cognoſcendis daret. Quorum illud *dicere vadimonia*, hoc *addicere judicia* vocavit Macrobius laudandus infr. in *Dies comperendini.* Si litigatores ad vadimonium die conſtituto non occurriſſent, litem amittebant. Suet. Cal. c. 39. n. 1. *Comprehendit meritoria vehicula, adeo ut litigatorum plerique, quod occurrere abſentes ad vadimonium non poſſent, cauſa caderent.* Horat. Sat. I. 9. 35.

Ventum erat ad Veſtæ, quarta jam parte diei
Præterita, & caſu tunc reſpondere vadato
Debebat: quod ni feciſſet, perdere litem.

Præcipue vero reus, ſi vadimonium deſeruiſſet, quod promiſerat, perdebat litem, quia prætor, poſtulante actore, ex edicto bona ejus poſſideri jubebat, & ſi triginta dies poſſeſſa eſſent, neque ille ſe defendiſſet, jubebat vendi. In edicto enim ſic ſcripſerat: *In bona ejus, qui judicii cauſa fidejuſſores dederit, ſi neque poteſtatem ſui faciat, neque defendatur, iri jubebo.* Scribit etiam Cicer. pro Quint. c. 6. cum Quintius vadimonium miſſum feciſſet, prætorem ex edicto bona ejus poſſideri juſſiſſe. *Sigon. ibid. c.* 21. Si die dicta uterque ſe ſiſtebat coram prætore in jus, libellum proponebat, ut reus deliberare poſſet, utrum cedere, an contendere ultra deberet. Cicer. pro Q. Roſc. c. 18. *Cum de ſua parte Roſcius tranſegit cum Flavio, actionem tibi tuam reliquit, an non?* Broid. Coroll. ad Pollet. For. Roman. v. 4. Sigon. ibid. c. 20. Concepta actionis intentione actor judicium, ſive judicem in eam a prætore poſtulabat. Si judicem poſtulavit, aut eum, qui proprie judex appellatus eſt, aut arbitrum poſtulavit; ſi judicium, aut recuperatores, aut centumviros. V. illos ſuis locis. *Sigon. ibid. c.* 22. Tum judex utrumque jurare juſſit. Id jusjurandum calumniæ juramentum appellarunt. Nam *actor* quidem juravit, ſe non calumniæ cauſa litem intendere; reus vero, ſe non calumniæ cauſa inficiari. Hoc *jurare in litem* vocat Cicero. V. illum infr. in *Juramentum calumniæ.* Id interpretantur Jcti, *actorem* juraſſe, ſe litem ex bono, & æquo æſtimaturum; cujus rei rationem affert Marcell. ff. in litem jurando: *Quod cum dominus rem ſuam vendere cogatur, hæc tamen poteſtas ei relinquenda eſt, ut rem non pretio, id eſt, quanti eſt, ſed quanti intereſt, ea carere, arbitrio ſuo definiat.* Sigon. ibid. c. 28. Hanſen. de Jurejur. c. 12. Cum fiſco pœnæ emolumentum plerumque partiebatur: & pars dimidia præmium accuſatori dabatur, cujus opera maxime convictus eſſet, pars altera dimidia in ærarium redigebatur. Scribit hoc Cujac. l. ſi quis id. ff. de jurisdict. & ex Frontin. de Aquæ duct. nititur probare. Nam ſi adverſus ſitum de ſpatiis aquarum quid commiſiſſet, in dena millia damnas erat, ex quibus

pars

pars dimidia, præmium accusatori daretur. Quod in publicis judiciis obtinuisse facile credo, si ita lata lex fuisset l. leg. Cornel. ff. ad Syllanian. in aliis non puto. *Guther. de jur. man.* III. 7. Si libellum delatorium male concepisset, nihil agebat, nisi alio legitime facto reum repereret, ut in l. 3. ff. de accusationibus & inscriptionibus. *Pollet. For. Roman.* v. 3. Quot horas illi concesserit judicii præses. V. infr. in *Hora*.

Actor in comœdiis, & tragœdiis dicebatur, qui voce, & gestu fabulas agebat. Horat. de Art. poet. n. 193.

Actoris partes, chorus, officiumque virile.

Lapis Romæ ultra pontem Milvium:

LAUDATUS. POPULO. SOLITUS. MANDATA. REFERRE.
ADLECIUS. SCENÆ. PARASITUS. APOLLINIS. IDEM.
MULTARUM. IN. MIMIS. SALTANTIBUS. UTILIS. ACTOR.

Hi ob in scena recte gesta ab Imperatore, vel consulibus donabantur corona, torque, annulis, palmis, & aliis, hoc non solum in comœdiis, sed in ludis pariter tam Capitolinis, quam Apollinaribus, plaudente populo. Unde legitur vetus inscriptio:

L. SURREDI. L. F. CLU
FELICIS
PROCURATORIS. AB
SCÆN. THEAT. IMP
CÆSAR. DOMITIAN
PRINCIPI
CORONATO. CONTRA
OMNES. SCÆNICOS

Et Sidon. carm. XXIII. 424.

Hic mox præcipit æquus Imperator
Palmis serica, torquibus coronas
Conjungi, & meritum remunerari.

Ferret. Mus. Lapid. III. memor. 42. Erat vel primarum partium, qui sæpius ingrediebatur: vel secundarum, qui minus minusque procedebat. Ex quo Terent. Phorm. prol. n. 28.

Primas partes qui aget, is erit Phormio.

Cicer. de Divin. c. 15. *Ut in actoribus Græcis fieri videmus: sæpe illum, qui est secundarum, aut tertiarum partium, cum possit aliquanto clarius dicere, quam ipse primarum, multum submittere.* Asconius. V. illum infr. in *Actus*. Rhodig. Antiq. Lect. VIII. 8. Gronov. in Script. Eccles. c. 25. Turneb. Adv. XIX. 14. Buleng. de Theatr. I. 8. Weitz. in Terentium. Si parum probaretur, exsibilabatur, & explodebatur. V. infr. in *Histrio*.

Actor servus erat, cui rerum omnium summa commissa, & qui villicis rebus, & rationibus domesticis præpositus, honestissimo præ servis reliquis loco, & gradu fuit. Interdum absolute *actor*, *actor* bonorum, *actor* prædiorum fundorumque appellatur. De illo Colum. I. 7. *Ita fit, ut & actor, & familia peccent.* c. 8. *Idemque actori præcipiendum est, ne convictum cum domestico, multoque minus cum externo habeat.* Plin. Epist. III. 19. 2. *Utraque eadem opera, eodem viatico invisere, sub eodem procuratore, ac pene iisdem actoribus habere.* De servo *actore* Plaut. Asin. II. 4. 52.

Nam si sciat noster senex fidem non esse huic habitam,
Succenseat, quoi omnium rerum ipsus summam credidit.

Differt a procuratore, differt etiam a dispensatore. V. illos infr. suis locis. *Popm. de Oper. serv. p.* 17. *Ravard. Var.* v. 20. *Cellar. in Plinium.* Fuit idem qui servus major domus, a quo noster Majordome, qui res domini sui procurat. *Spon. Miscell. Erud. Antiq. Sect.* VI. *p.* 209. V. & infr. in *Columella*. Hujus occisi pretium centum solidis taxavit Rex Theodoricus apud Papinian. tit. 4. Et Paull. l. ult. ff. de offic. præsid. existimavit animadvertendum esse severissime in eum, qui *actorem* corrupisset, ut qui posset rationes domesticas intercidere, vel adulterare, vel etiam rationem sibi commissam turbare. Imo etsi *servus*, qui *actum* domini gessisse diceretur, in *commissum ceciderat, non vendebatur; sed pro eo viri boni arbitratu æstimabatur, ex rescripto D. D. Severi & Antonini* l. 16. ff. de publ. & rect. *Pignor. de Serv. p.* 304.

Actor summarum ab *actore* rerum sejungitur. *Actor* enim summarum pecuniam tantum tractat. *Actor* vero rerum πραγματεύτης nominatur l. Thais §. sorore ff. de fideicommiss. libertatib. is est, cui præcipua rerum domini cura incumbit, & cui libera rerum administratio, ut rebus omnibus præposito, incumbit. Suet. Domit. c. 11. n. 2. *Actorem summarum pridie quam cruci suffigeret, in cubiculum vocavit.* Hunc servum fuisse pœnæ genus arguit, ut & officium. Nam idem est qui dispensator, qui pecuniæ domini, tam exigendæ, quam erogandæ præest l. 5. §. actoris ff. de dol. mal. & metu except. *Guther. de Off. dom. Aug.* III. 18. *Reines. Epist. ad Rupert.* 35. *Bulenger. de Imperat.* III. 25. *Barth. Adv.* LIV. 2. *Laz. Comm. Reip. Rom.* II. 13. *Torrent. & Pitisc. in Suetonium.*

ACTUARIÆ naves. V. illas infr. in *Naves*.

ACTUARIUS erat notarius, qui *acta* notis excipiebat, & compendio quorundam punctorum, signorum, & minutarum figurarum verba, aut vim syllabarum comprehendebat. Suet. Jul. c. 55. n. 6. *Quam*, orationem, *non immerito Augustus existimat ab actuario exceptam.* Pancirol. Notit. dign. Imp. orient. c. 24. Hugo de prim. scrib. orig. c. 32. Pollet. For. Rom. v. 12. Lipf. Epist. ad Belg. I. 27. Pitisc. in Suetonium.

Actuarius etiam dicebatur, qui scribebat belli *acta*, itidem ut domi confici solita. Numerorum militarium ratiocinia tractabat, annonam a susceptoribus accipiebat, iisque authentica pittacia dabat, in quibus continebatur, quantum a susceptoribus accepisset, & militibus erogasset. Ammian. XX. 5. *Pro actuariis obsecravere Petulantes & Celtæ.* Aurel. Victor. de Cæsar. c. 33. n. 13. *Tantum actuariorum in exercitu factiones vigent, genus hominum præsertim hac tempestate nequam.* Vales. in Ammianum. Stewech. in Veget. II. 18. His commissum erat pacisci, & negotiari cum militibus, ipsisque ante tempus erogationis pecuniam, speciesve annonarias mutuo dare. Sed pro singulis solidis tremissem tantum, id est, tertiam solidi partem accipiebant: non in annos, sed pro omni tempore dilatæ solutionis. Neque poterant ulla machinatione, pro temporis prolixitate, unius tremissis quantitatem excedere. Quod si nunc quæstio hac de causa inter militem, & *actuarium* oriebatur, debebat pecuniam erogator apud principia deponere: & ibi lis decidebatur. Quæ omnia docet nos l. jubemus C. de erogat. milit. annon. lib. XII. Hos sunt, qui *actarios* vocari voluerunt: quibus adsentitur lapis vetus.

IMP. CÆSARI
M. AUREL. ANTO
NINO. PIO. FELICI. AUG
PARTHIC. MAX. BRIT. MAX
GERMAN. MAX. PONTIF. MAX
TRIB. POT. XVIIII. COS. IIII. IMP. III
P. P. PROC
EQUITES. IN. HIS. ACTARIUS
LEG. VII. GEM. ANT. P. FEL
DEVOTI. NUMINI MAJESTA
Q. EJUS.

Stewech. l. l. Demster. Paral. ad Rosin. Antiq. Roman. VIII. 48.

ACTUM *est in summa rerum desperatione dicebatur. Dictum secundum jus civile, in quo cavetur, ne quis rem actam apud judices repetat.* Donat. in Andr. III. 1. 7.

Quid ego audio? actum est, si quidem hæc vera prædicat.

Suet. Ner. c. 42. n. 3. *Actum de se pronuntiavit.* Palmer. Spicil. XIII. Hotoman. Antiq. Roman. II. 13. Pitisc. in Suetonium. Schill Nomencl. Philol. p. 38.

ACTUS est in Juris Romani libris via agraria, qua pedes, equesve potest commeare, jumentum, aut vehiculum ad fructus domum vehendos, aut stercorationem agris advehendam *agi*. *Agere* æque notat jumentum, aut vehiculum ducere. Ulpian. l. 1. ff. de serv. præd. rust. *Actus est jus agendi, vel jumentum, vel vehiculum.* Et Modestin. l. 12. ff. eod. comprehendit sub *actu & jumenta*

ta

ta trajicere, & vehiculum ducere. Bergier. de viis milit. III. Sect. 1. §. 2. Auguſt. de Legib. Theſ. Antiq. Roman. Græv. Tom. II. p. 1289. D. Cujac. Obſerv. XXII. 35. V. & infr. in *Iter.*

Actus eſt menſura longitudinis pedum CXX. absque latitudine. Frontin. Expoſ. Form. p. 30. *Actus habet in longitudinem pedes* CXX. Hygin. de Limit. conſtit. p. 178. *Actuarios palos ſuo quemque numero inſcriptos inter centenos vicenos pedes defigemus.* Goeſ. in Rem agrar. ind. Porcius de Re pecun. Theſ. Antiq. Græcar. Gronov. Tom. IX. p. 1490. B.

Actus major, qui & quadratus apud Latinos ſignificat ſpatium, pedes CXX latum, totidemque longum. Varii auctor. de menſur. p. 321. *Actus major, qui quadratus dicitur, habet pedes undique* CXX, *qui duplicatus jugerum facit.* Varr. de Re ruſt. I. 10. *Actus quadratus, qui & latus eſt pedes* CXX. *& longus totidem.* Alex. Gen. Dier. II. 20. Patric. Rei milit. p. 9. ſ. 1. Bergier. de viis milit. III. Sect. 1. §. 1. Pætus de menſ. I. Theſ. Antiq. Roman. Græv. Tom. XI. p. 1615. D.

Actus minimus habet in latitudine pedes quatuor, in longitudine pedes CXX. Colum. V. 1. *Actus minimus, ut ait Varro, latitudinis pedes quatuor, longitudinis habet pedes* CXX. Varii auctor. de menſur. p. 321. *Actus minimus habet in latitudine pedes quatuor, in longitudine pedes* CXX. Pætus de menſur. I. Theſ. Antiq. Roman. Græv. Tom. XI. p. 1615. D Bergier. de viis milit. III. Sect. 1. §. 1.

Actus eſt pars *actionis*, ſive *actæ* fabulæ, cum omnibus perſonis ſcena deſeritur. *Actus* in comœdiis, & tragœdiis reperti ſunt, ad hoc ne ſpectatores diutius detinerentur, & illorum mentes per certum ſpatium reficerentur geſticulationibus, ſaltationibus, & cantu. Quinque tantum in ſcena ſervabantur, & ſcenico ludioni quinquies prodeunti ultra prodire non licuit. Finito argumento, & ſcena perſonis vacua, chorus, & tibicen introducebatur. Aſcon. in Cicer. p. 34. *Comœdia quinque actus habet, hoc eſt, quinquies ducitur in ſcenam. Eſt ergo perſona primarum partium, quæ ſæpius actu regreditur; ſecundarum, & tertiarum, quæ minus minusque procedunt.* Horat. de Art. Poet. n. 189.

Neve minor quinto, non ſit productior actu
Fabula, quæ poſci vult, & ſpectata reponi.

Alex. Gen. Dier. VI. 19. Ferret. Muſ. Lapid. III. memor. 42. Gyrald. de Poet. dial. VI. Scalig. Poetic. I. 9. Voſſ. Inſtitut. Poet. II. 5. §. 4. & 5. Roſin. Antiq. Roman. V. 9. Schill Nomencl. Philol. p. 39.

Actus rerum ſunt dies ſeſſionum, ut loquuntur grammatici, cum litium, cauſarumque cognitiones expediuntur. Plin. Epiſt. IX. 25. 3. *Nunc me rerum actus modice, ſed tamen diſtringit.* Suet. Aug. c. 32. n. 6. *Triginta amplius dies . . . . . . actui rerum accommodavit.* Chimentel. de Hon. biſel. c. 32. Caſaub. in Theoph. Charact. p. 201. Cujac. Obſerv. II. 18. Pitiſc. in Suetonium.

ACU.

ACUS apud veteres, ſed raro, fuit fibula. Nec mirum. Nulla enim fibula eſt ſine *acu.* Veſtium fibulæ a parte ſui ita ſunt dictæ. Cum enim annulo conſtent, & *acu,* proprie non utrumque, ſed ſola *acus* fibula dicitur. Treb. Poll. Claud. c. 14. *Fibulam auream unam cum acu Cyprea.* Caſaub. in Trebellium. Salmaſ. in Vopiſc. Aurelian. c. 46. Braun. de Veſt. ſacerd. Hebr. I. 16. II.

Acus eſt aliquando craſſior illa, qua uti & hodie ſolemus in conſuendis ſarcinis. Belgice dicimus **een packnaalde.** *Braun. de Veſt. ſacerd. Hebr.* I. 16. II.

Acus eſt etiam qua ſarcinatores, & ſarcinatrices utantur in reſarciendis, & reficiendis veſtimentis tritis, cum ſcilicet partes diſruptas filo per *acum* jungunt, quod hodie **ſtoppen** vocant noſtræ mulierculæ: aut etiam cum fruſtum, ſive aſſumentum aliquod aſſuunt, quod **lappen** dicimus. Ad quod reſpexit Chriſtus Matth. c. 9. v. 16. Marc. c. 2. n. 21. *Nemo panniculum impexum inſuit veſtimento veteri, alioquin illud ipſius ſupplementum novum tollit aliquid ex vetere veſtimento, & fit pejor ſiſſura.* Tale fuit tribonium illud lacerum, ac detritum, de quo Lucianus. V. illum infr. in *Tribonium.* Braun. de Veſtit. ſacerd. Hebr. I. 16. II.

Acus opera veteres non raro utebantur in aſſuendis clavis, fimbriis, & in veſtibus ornandis opere Phrygionico, unde & earum artifices phrygiones ſunt dicti. Plinius. V. illum infr. in *Phrygio.* Uſus in Aſſyria, & præſertim Babylone. Plin. l. l. *Colores diverſos pictura intexere Babylon maxime celebravit.* Unde *Babylonis acus.* Lucan. X. 142.

Quod Niloτis acus compreſſum pectine Serum
Solvit, & extenſo laxavit ſtamina filo.

Hinc & *acu picta veſtis, acu textilis,* aut *acu ornata,* apud Iſidor. XIX. 22. *Braun. l. l. Demſter. Paralip. ad Roſin. Antiq. Roman.* V. 35. *Junius de Pictur.* II. 8.

Acus crinalis ab officio dicebatur. *Acu* hac annuli, vel cincinni comarum in capite jam ornato fixi continebantur, ne ſparſi diſſiparentur, ſed ordinem ſervarent. Iſidor. XIX. 31. *Acus ſunt, quibus in feminis ornandorum crinium compago retinetur, ne laxius fluant, & ſparſos diſſipent capillos.* Prudent. Pſychom. n. 448.

—— crinalis acus, redimicula, vittæ.

Mart. XIV. 24.

Tenuia ne madidis violent bombycina crines,
Figat acus ſparſas, ſuſtineatque comas.

II. 66. 1.

Unus de toto peccaverat orbe comarum
Annulus, inſerta non bene fixus acu.

A figura *curvum crinale* vocabatur. Ovid. Metam. V. 52.

—— ornabant aurata monilia collum,
Et madidos myrrha curvum crinale capillos.

Fiebat ex ebore, arundine, ære, argento, auro. *Bartholin. de Inaurib. p.* 35. *Pignor. de Serv. p.* 400. *Salmaſ. Exerc. Plin. p.* 534. *a. Demſter. Paralip. ad Roſin. Antiq. Roman.* V. 35. *Junius de Com.* c. 7. *Ravard. Conject.* II. 18.

Acus diſcriminalis dicta a crinibus diſcernendis, & dividendis. Hac mulieres crinem a fronte dividebant. Hoc diſcrimine a virginibus diſtinguebantur. Nam virgines cirratæ erant, mulieres autem crines a fronte diviſos gerebant. Tertull. de veland. virgin. c. 12. *Simulque ſe mulieres intellexerunt, vertunt capillum, & acu laſciviore comam ſibi inſerunt, id eſt, acum comæ inſerunt, crinibus a fronte diviſis, apertam profeſſæ mulieritatem.* Dicebatur etiam *diſcerniculum, diſcriminale, & acus comatoria.* Bartholin. de Inaurib. p. 39. Salmaſ. Exerc. Plin. p. 534. b. Demſter. Paralip. ad Roſin. Antiq. Roman. V. 35. Cujac. Obſerv. XI. 16.

Acus ſub unguibus infigebantur ad veritatem extorquendam a noxiis. Hæ vel ferreæ, vel calami præacuti. *Laurent. de Torment. c.* 7.

AD.

A. D. duæ dictiones literis ſingularibus ſic notatæ *ante diem* ſignificant. Corrupti ſunt plerique libri Ciceronis, & omnium veterum, in quibus pro ante diem tertium, & quartum, *ad* tertium, & quartum legitur. *Caſtal. ad leg.* 131. *de verb. ſignif. Miſcell. Erud. Ital. Tom.* I. *p.* 12. *Cujac. Obſerv.* I. 22. Veteres verba hæc *ante diem* his literis deſignaſſe apparet ex Varr. de Re ruſt. I. 28. *Quæ redacta ad dies civiles noſtros, qui nunc ſunt primi verni temporis, ex a. d.* VII. *Id. Febr. æſtivi ex a. d.* VII. *Id. Maji. autumnales ex a. d.* VII. *Id. Sext. hiberni ex a. d.* IV. *Id. Novemb.* & ex Valerio Probo, qui has notas A. D. P. ſic interpretatur, *ante diem pridie.* Cujac. l. l. Boſ. in Cicer. ad Attic. I. 1.

AD præpoſitio munus, & operam diſcernit, ut apud Græcos præpoſitio πρός. *Vechner. Hellenol.* II. 10. *p.* 353.

Ad baculum eſt paſtor. *Baculus* enim, qui pedum vocatur, paſtoris eſt argumentum. Prop. IV. 2. 39.

Paſtorem ad baculum poſſum curare.

id eſt, ſi mihi pedum detur, paſtor videri poſſim. *Turneb. Adv.* III. 23. XXIII. 6. *Popm. de Oper. ſerv. p.* 97. *Schott. Obſerv.* I. 9. *Vechner. Hellenol.* II. 10. *p.* 353.

Ad cantus Salii sunt ludii Martis. Virg. Æneid. VIII. 285.

Tunc Salii ad cantus incensa altaria circum
Populeis adsunt evincti tempora ramis.

Vechner. Hellenol. II. 10. p. 354.

Ad cyathos est pocillator, sive qui pincernæ munere fungitur, & ministrat convivis potum cyathis metiens. Prop. IV. 9. 9.

Lygdamus ad cyathos.

id est, pocillator erat. *Turneb. Adv.* III. 23: XXIII. 6. *Canter. Nov. Lect.* III. 30. *Ciaccon. de Triclin. p.* 70. *Popm. de Oper. serv. p.* 110. *Conject. in Varr. p.* 175. *Pignor. de Serv. p.* 131. *Vechner. Hellenol.* II. 10. *p.* 354. *Donat. Dilucid. in Suet. Aug. c.* 67. *n.* 6. *Cerda Æneid.* IX. 648. *Pitisc. in Suet. Jul. c.* 49. *n.* 5.

Ad frena leones sunt leones domiti, & *frenum* patientes. Virg. Æneid. X. 253.

— *bijugique ad frena leones.*

quibus Idæa mater vehitur. *Turneb. Adv.* III. 23: XXIX. 24.

Ad lecticam homo est lecticarius. Catull. X. 16.

Octo ad lecticam homines.

Turneb. Adv. XXIII. 6: XXIX. 24. Vechner. Hellenol. II. 10. p. 354. Cerda in Virg. Æneid. X. 253.

Ad limina custos est atriensis. Virg. Æneid. IX. 648.

Armiger ante fuit, fidusque ad limina custos.

Glossæ: *Ad limina*, θυρωρός. *Turneb. Adv.* XXIX. 24. *Popm. de Oper. serv. p.* 37. *Vechner. Hellenol.* II. 10. *p.* 354. *Cerda in Virgilium.*

Ad lites est qui aptus est ad causas & advocationes. Prop. IV. 2. 29.

Sobrius ad lites.

Turneb. Adv. III. 23: XXIII. 6. Canter. Nov. Lect. III. 30.

Ad lychnum servus erat adversitoribus non dissimilis, qui lumbos præcinctus, & *lychnum* ferens dominum domi præstolabatur a cœna revertentem. Illorum aliqui etiam dominorum comites erant. Juven. Sat. III. 282.

— *sed quamvis improbus annis,*
Atque mero fervens, cavet hunc, quem coccina læna
Vitari jubet, & comitum longissimus ordo:
Multum præterea flammarum, & ahenea lampas.

Val. Max. VI. 8. *M. Antonius incesti reus agebatur, cujus in judicio accusatores servum in quæstionem perseverantissime postulabant, quod ab eo, cum ad stuprum iret, laternam prælatam contenderent.* Et vero sine his dominus bene potus, qui domum se contulisset? Prop. II. 22. I.

Hesterna, mea lux, cum potus nocte vagarer,
Nec me servorum duceret ulla manus;
Obvia nescio quot pueri mihi turba minuta
Venerat.

Pignor. de Serv. p. 257.

Ad manum quos vocabant, videntur fuisse servi, qui præsto, paratique semper erant. Nam *ad manum* Hesychius interpretatur, quæ sunt prompta, & parata: & *servum ad manum*, ad multa utilem: μετὰ χεῖρα, ἕτοιμα, εὐχερῆ, ἢ ὁ νῦν πρὸς χεῖρα, καὶ εἰς πολλὰ χρήσιμος οἰκέτης. Cicer. de Orat. III. 60. *Gracchus Licinius servum sibi habuit ad manum.* Popm. de Oper. serv. p. 72. Turneb. Adv. V. II.

Ad pedes V. supr. in *A pedibus.*

Ad pocula V. supr. in *Ad cyathos.*

Ad venandum canes sunt canes venatici. Terent. Andr. I. I. 30.

Alere canes ad venandum.

Turneb. Adv. III. 23: XXIII. 6: XXIX. 24.

Ad Urbem Imperator Romanus, cui triumphaturo Urbem ingredi non licebat ante triumphum, tamdiu dicebatur esse; usque dum lege lata triumphans Urbem intraret: etiam magistratus, qui *cum potestate provinciali, aut nuper e provincia revertissent, aut nondum in provinciam profecti essent.* Ascon. in Cicer. p. 61. 115. Et p. 177. *Horum magna pars per tabulas laudaverunt, quia aberant; inter quos Pompejus quoque; nam, quod erat proconsule, extra Urbem morabatur.* Cicer. pro Sext. c. 18. *Cæsar erat ad portas, erat cum imperio.* Verr. II. 6. *Verres, qui simulatque ei forte provincia Sicilia obvenit: statim Romæ, & ad Urbem, antequam proficisceretur.* Sigon. de Antiq. jur. provinc. II. 4. & 10. Hotoman. Antiq. Roman. II. 14. & ad Ascon. in Cicer. p. 227. Mader. in Panvin. de Triumph. c. I.

ADA.

ADÆRARE annonas ad ærarium pertinere interpretatur Accursius, vel de ærario solvere: & ipse ejusque posteri, quasi hæresin inscitiæ e vestigio sequentes in vocum interpretatione, *aderatas* species intelligit ad ærarium delatas. Est vero *ære*, seu pecunia æstimare, quod in annonis inferebatur: quæ *aderatio* Græcis ἀπαργυρισμός. *Bud. in Pandect. p.* 244. A. *Guther. de Offic. dom. Aug.* II. 9. *Salmas. in Treb. Poll. Claud. c.* 14. *Scalig. de Emend. Tempor.* V. *p.* 448. *Buleng. de Vectig. c.* 30.

ADD.

ADDICERE in foro erat condemnare, non modo in criminibus, sed etiam in re pecuniaria. Schol. Juven. VIII. 253. *Vestis ex charta facta, pice illita, in qua pœnæ addicti ignibus ardere solebant.* Aur. Vict. de Vir. Illustr. c. 21. n. 3. *Cum filiamjam addictam videret.* Senec. de Benef. III. 8. *Hic pecuniam pro addicto dependet*, hoc est, pro eo, qui cum in ære alieno esset, nexus & vinctus tradebatur creditori, ad libitum ipsius asservandus. *Demster. Paralip. ad Rosin. Antiq. Roman.* X. 3. *Schott. in Aurelium.*

Addicere judicia est judicia actionibus cognoscendis dare. *Sigon. de Judic.* I. 21. V. supr. in *Actor.*

Addicere dicuntur præcones, qui auctionibus præsunt, quique rerum pretia eousque augent, donec nemine majus pretium offerente res emptori *addicatur.* Plus est quam vendere. Nam is, qui *addicit*, proprie rem venditam in manus velut tradit, & emptorem reapse dominum constituit. Petron. c. 15. *Vel minoris pallium addicere placuit.* Suet. Jul. c. 56. n. 3. *Serviliæ M. Bruti matri amplissima prædia ex auctionibus hastæ minimo addixit.* Salmas. de Mod. usur. c. 18. Gonsal. & Lotich. in Petronium. Pitisc. in Suetonium.

Addicere dicuntur prætores, sed quando, & quomodo V. infr. in *Do.*

ADDICTIO, quæ fuit judicium contra reum, hujus fuit generis. Post triginta dies, quam quis debere judicatus fuerat, iterum in jus rapiebatur, & ni judicatum faceret, id est, pecuniam debitam solveret, a prætore nexus *addicebatur*; nisi sponsorem dedisset: atque a creditore abductus privatum in carcerem condebatur, donec aut pecunia, aut opera satisfecisset. Cicer. pro Flacc. c. 21. *Iste, cum judicatum non faceret, addictus Hermippo, & ob hoc ductus est.* Gell. XX. I. *Post deinde, nisi dissolverant, ad prætorem vocabantur, & ab eo, quibus erant judicati, addicebantur: nervo quoque aut compedibus vinciebantur.* Sigon. de Judic. I. 31. Salmas. de mod. usur. c. 18. & 19. Oisel. in Gellium.

ADDICTUS hinc est ære alieno obrutus, & creditori; ut apud eum, in nervo pro debitis operam præstet, per prætorem adjudicatus. Liv. VI. 14. *Ne quem vestrum, inquit, Quirites, donec quicquam in re mea supererit, judicatum, addictumve duci patiar.* c. 34. *Itaque cum jam ex re nihil dari possit, fama & corpore judicati, atque addicti creditoribus satisfaciebant.* Alexand. Gen. dier. V. 4. Auct. miscel. defens. pro Salmas. ad jus Attic. & Roman. p. 311. Pitisc. in Suet. Tib. c. 69. n. I. Schill Nomencl. Philol. p. 39. Differt a servo, quia *servus cum manumittitur, fit libertinus, addictus recepta libertate fit ingenuus: Servus libertatem invito domino non consequitur, addictus solvendo citra voluntatem domini consequitur: ad servum nulla lex pertinet, addictus legem habet: propria liberi, quæ nemo habet nisi liber, prænomen, nomen; cognomen, tribum habet addictus.* Quintil. V. 10. quasi dicat, cum eadem servus non habeat. *Rittershus. in Leg. XII. tab. class.* III. *p.* 3. *c.* II. *Sigon. de Antiq. jur.*

civ. Roman. I. 6. *Salmaſ. de mod. uſur. c.* 19. V. & infr. in *Adjudicatio.*

ADDIXIT avis trita erant in auſpiciis verba, quibus lætum eventum prædixiſſe avem ſignificabant. Liv. XXVII. 16. *Fabio auſpicanti, priusquam egrederetur ab Tarento, aves ſemel atque iterum non addixerunt.* Feſtus in Prætor. *Itaque quo anno Romanos Imperatores ad exercitum mitti oporteret juſſu nominis Latini, complures noſtros in Capitolio a ſole oriente auſpiciis operam dare ſolitos. Ubi aves addixiſſent, militem illum, qui a communi Latio miſſus eſſet, illum, quem aves addixerant, prætorem ſalutare ſolitum.* Briſſon. de Form. I. p. 121. Buleng. de Augur. c. 9. Demſter. Paralip. ad Roſin. Antiq. Roman. III. 10.

ADE.

ADEONA dea culta fuit ab antiquis, quia *adeundi* facultatem præſtaret. *Gyrald. Synt. deor.* I. *p.* 52. *B. Stuck. de Sacrif. p.* 46. *Lipen. de Stren. c.* 1. §. 6. V. etiam ſupr. in *Abeona.*

ADI.

ADIABENA vocabatur Oſrhoëna, cujus nomen antiquitus non invenitur. Primum a Cn. Pompejo, poſtea a Trajano, Romano imperio eſt adjecta, verum amiſſa ſub Alexandro Severo, deinde ab Aureliano recuperata eſt. *Pancirol. Notit. dignit. Imp. Orient. c.* 115. Poſtea Meſopotamia dicta eſt. *Pancirol. ibid. c.* 150. Eſt Aſſyria priſcis temporibus vocitata, longaque adſuetudine ad hoc tranſlata vocabulum, ea re, quod inter Oënam & Tigridem ſita, navigeros fluvios, adiri vado nunquam potuit; tranſire enim διαβαίνειν dicunt Græci. Sed in illis terris amnes ſunt duo perpetui, quos & ſe tranſiviſſe dicit Ammian. XXII. 6. Diabas, & Adiabas, juncti navalibus pontibus. Et hinc *Adiabena* cognominata. *Urſat de Not. Roman. Theſ. Antiq. Roman. Græv. Tom.* XI. *p.* 534. *D.*

ADIABENICUS eſt dictus Imperator Severus, quia illos ſuperavit, & eorum regionem Romanam provinciam fecit. Caſſiod. in Chronic. ad an. 952. *Severus Parthos, & Adiabenos ſuperavit, Arabaſque interiores cecidit, ut regionem eorum Romanam provinciam faceret, ob quam Parthicus, Arabicus, Adiabenicus cognominatus eſt.* Urſat de Not. Roman. Theſ. Antiq. Roman. Græv. Tom. XI. p. 534.

ADIGERE ſacramento, vel ad jusjurandum dicebatur is, qui conceptis verbis alteri in jurejurando præit, & ad ſimiliter jurandum cogit. Suet. Galb. c. 16. n. 4. *Ergo primi obſequium rumpere auſi, Kalend. Januar. adigi ſacramento niſi in nomen ſenatus recuſarunt.* Salluſt. de Bell. Catil. c. 22. *Cum ad jusjurandum populares ſceleris ſui adigeret.* Tacit. Hiſt. IV. 31. 3. *Adigente Hordeonio Flacco, inſtantibus tribunis, dixit ſacramentum.* Schott. Obſerv. III. 10. Pitiſc. in Suetonium.

ADIRE hæreditatem eſt illam ſuſcipere ex teſtamento, vel ab inteſtato, & quaſi aditum in eam ferre, ut in l. filius §. penult. ff. de lib. & poſt: *Aditus eſt ad hæreditatem,* id eſt, *adiri* hæreditas poteſt. Dicimur illam etiam ſubire l. ſi nemo ff. de diverſ. reg. jur. l. 1. C. Th. unde liber, ut Græci προσιέναι, προσελθεῖν, ὑπεισελθεῖν τῇ κληρονομίᾳ. Et obire. Cicer. Agrar. I. 3. *Hæreditatum obeundarum cauſa.* Cujac. Obſerv. III: 6. VII. 18.

Adire nomen dicitur, qui teſtamento adoptatus nomen ſuſcipit, quod ferre juſſus eſt. Patercul. II. 60. 1. *Non placebat adiri nomen invidioſæ fortunæ.* Cujac. Obſerv. VII. 18.

ADITIALIS cœna. V. illam infr. in *Cœna.*

ADITUS in theatro dicebantur portæ quædam, ſive oſtia in ipſa gradatione, per quæ ab exterioribus porticibus venitur, & deſcenditur in ipſas ſedes. Vitruv. V. 3. *Aditus complures, & ſpatioſos oportet diſponere, nec conjunctos ſuperiores inferioribus, ſed ex omnibus locis perpetuos, & directos ſine inverſuris faciendos: uti cum populus dimittitur de ſpectaculis, ne comprimatur, ſed habeat ex omnibus locis exitus ſeparatos ſine impedimento.* Vocantur etiam vomitoria. V. infr. in *Vomitoria.* Lipſ. de Amphith. c. 13. Argol. in Panvin. de Lud. circenſ. II. 16. Buleng. de Theat. I. 17. Thyſ. de Amphith. p. 203.

Aditus in navibus appellatur ſpatium illud in ſummo navis, ubi in medio navis eſt latiſſima. Per hoc intervallum, quaſi per foros, navim intrabant. Ovid. Met. III. 722.

— *pars hic mihi maxima juris,*
Inque aditu obſiſto.

Priſcis *agea* vocabatur. V. infr. in *Agea.* Scheffer. de Milit. Nav. I. 6.

ADJUDICATIO poſt ſententiam dicebatur, & erat ſententiæ exſequutio. Ulpian. l. 131. ff. de verb. ſignif. *Multam is dicere poteſt, cui adjudicatio data eſt.* Et quæ proprie *adjudicatio* eſt in realibus, in capitalibus eſt legis actio. *Pollet. For. Rom.* III. 2. *Adjudicare* eſt judicio peracto rem controverſam actori addicere. Olim ex lege XII. tabularum, ſi debitor ſolvendo non erat, *adjudicabatur* corpus ejus creditoribus, quibus fas erat membra artuſque partiendi, quod deinde tacito conſenſu abrogatum eſt, cœptumque eſt pecunia tranſigi, & bona ipſa, non corpus *adjudicari:* quod Cæcilius Ictus eleganter diſputat apud Gell. XX. 1. *Alciat. de verb. ſignif. p.* 185. *Mag. Miſcell.* I. 8.

ADJUTOR actoris vocabatur, quo actor, qui ſervus, cui rerum ſumma erat commiſſa. V. illum ſupr. in *Actor*, quia ſolus omnia non poterat, utebatur. Scævol. l. 40. ff. de ſtat. lib. *Item quæro, an ea quæ exacta ſunt per adjutores ejus,* actoris, *neque calendario illata ſunt, aut fraudulenter acta ſunt, huic adſcribi poſſint, cum eſſet is præpoſitus?* Pignor. de Serv. p. 306. Pancirol. Notit. dign. imp. orient. c. 12. Buleng. de Imp. Rom. VI. 49.

Adjutor admiſſionum erat vicarius, qui magiſtro admiſſionum aſſignatus erat. *Adjutorem magiſtri* illum vocat Caſſiod. Var. VI. 6. *Adjutor etiam magiſtri noſtris præſentatur obtutibus.* Pignor. de Serv. p. 468.

Adjutor aruſpicum in pompa circenſi nono loco ſacerdotum miniſtris ſuccedebat. *Panvin. de Lud. circenſ.* II. 2.

Adjutor commentarienſis, qui delinquentes plerumque capiebat, & carceri damnabat, torquebat, & forte ſupplicio afficiebat. C. de cuſt. reor. l. ad comment. *Si commentarienſis neceſſitate aliqua procul ab officio egerit, adjutor ejus pari cura advigilabit.* Pancirol. Notit. dignit. imp. orient. c. 12. Buleng. de imp. Rom. VI. 49.

Adjutor magiſtri officiorum erat, qui ejus vice in gerendis negotiis fungebatur. Is a magiſtro Principi oblatus ejus verbo ſine ſcriptura creabatur. Præerat etiam judiciis, quæ coram magiſtro officiorum agitabantur. Et quandoque ſpectabilis, quandoque clariſſimus tanquam ſenator vocabatur. *Pancirol. Notit. dignit. imp. orient. c.* 72. *Urſat. de Not. Roman. Theſ. Antiq. Roman. Græv. Tom.* XI. *p.* 533. A.

Adjutor in officio magiſtratuum erat, qui illis operam in re gerenda commodabat, & aliquam laborum partem in ſe recipiebat, vel valetudine impeditis, vel multitudine negotiorum obrutis. *Buleng. de Imp. Rom.* VI. 49. *Guther. de Offic. dom. Aug.* II. 13. *Pignor. de Serv. p.* 301. *Urſat. de Not. Roman. Theſ. Antiq. Roman. Græv. Tom.* XI. *p.* 533. A.

Adjutor prætorianæ ſedis erat, primicerius vocatus, qui delinquentes ligandi, & carceribus mancipandi per biennium curam habebat. *Pancirol. Notit. dignit. Imp. occid. c.* 3.

Adjutor Principis non idem eſt cum agente vice Principis. *Adjutor* enim erat, qui vicaria ſorte fungebatur, quales in legionibus optiones, qui tribunis & ordinariis præpeditis, tanquam vicarii univerſa curabat. At qui vices agit, legati partes gerit. *Guther. de jur. man.* I. 8.

Adjutor provinciæ. Hos antiqui lapides per provincias miſſos denotant, in quibus eſt mentio *adjutorum* Provinciæ, Luſitaniæ, Vettoniæ, Piceni, & Cypri. *Urſat. de Not. Roman. Theſ. Antiq. Roman. Græv. Tom.* XI. *p.* 535. A. *Pignor. de Serv. p.* 301.

Adjutor tabularii rationum. Hi multi erant. *Adjutores* in monumentis frequentes leguntur, Auguſtorum; Auguſtarum; rationis patrimonii, ſeu a patrimonio; rationis hæredi-

reditatium; xx hæreditatium; fisci Alexandini; a muneribus; rationis fisci; marmorum Lunensium; rationis vestiariæ; censualis, corporis dendrophororum; scholæ medicorum; portuensium..... ne innumeros pœne huc arcessam, quos saxa exhibent. *Adjutores* dabantur, ut in negotiorum mole operas conferrent, & ut Cæsarum majestas hoc etiam nomine clarius elucesceret. *Ursat. de Not. Roman. Thes. Antiq. Roman. Græv. Tom.* xi. *p.* 535. A. *Buleng. de Imp. Rom.* vi. 49. *Salmas. in Lamprid. Alexandr. c.* 31.

Adjutor tutelæ dicitur, quem prætor solebat permittere tutoribus, ut constituerent, qui non possent administrationi tutelæ sufficere l. solet ff. de tutel. *Buleng. de Imp. Rom.* vi. 49. *Ursat. de Not. Roman. Thes. Antiq. Roman. Græv. Tom.* xi. *p.* 533. *B.*

Adjutoris nomen antiquitus commune fuit in quacunque re: ut *adjutor* emptionis apud Terent. Adelph. v. 9. 10.

Postremo hodie in psaltria emunda hic adjutor fuit,
Hic curavit.

Adjutor amorum apud Plaut. Asin. i. 1. 42.

Tune es adjutor nunc amanti filio.

Ursat. de Not. Roman. Thes. Antiq. Roman. Græv. Tom. xi. p. 533. C.

ADL.

ADLECTI dicebantur dii minorum gentium, qui in illorum numerum ex hominibus transscribebantur. *Rhodig. Antiq. Lect.* xxii. 2. *Bud. in Pandect. p.* 53. *E.*

Adlecti dicebantur milites, qui in aliquem militiæ ordinem adscribebantur. *Ursat. de Not. Roman. Thes. Antiq. Roman. Græv. Tom.* xi. *p.* 531. *B.*

Adlecti appellabantur Romani quondam, qui modo titulares, vel pincernæ regionum, vel dapiferi, & mareschalli, item Principum consiliarii vocantur. *Laz. Comm. Reip. Rom.* ix. i.

Adlecti scenici erant adjuncti in comœdorum numero, ad scenæ commodum. Fragm. inscript. Romæ ultra pontem Milvium:

LAUDATUS. POPULO. SOLITUS. MANDATA. REFERRE.
ADLECTUS. SCENÆ. PARASITUS. APOLLINIS.

Ferret. Mus. Lapid. iii. *Memor.* 42.

Adlecti dicebantur *senatores, qui propter inopiam ex equestri ordine in senatus numerum sunt assumpti.* Festus. Suet. Jul. c. 80. n. 3. *Peregrinis in senatum adlectis libellus propositus est, ne quis senatori novo curiam monstrare velit.* Zamosc. de Senat. Rom. i. 7. Bud. in Pandect. p. 53. D. Alex. Gen. dier. iv. 11. Demster. Paralip. in Rosin. Antiq. Roman. vii. 5. Peverot. de Magistrat. Roman. c. 4. Hodie *adlecti*, & adscriptitii vocari possunt Latine in collegiis magistratuum, qui vulgo creati, & extraordinarii vocitantur, ut nonnulli sunt hodie inter rationales, & præfectos ratiociniorum, quos clericos, magistrosque computorum appellamus. *Bud. & Peverot. l. l.*

ADLOCUTIO cohortium. Sic appello, cum Imperator adfatur publice suos milites, & retinet aut impellit. Retinet aliquando nimis aut propere gestientes, impellit tardantes aut timentes. Ad summam, format in quacunque re & docet. Utile vetus hoc institutum, cum Imperator consilio, & sæpe eloquio validus, & semper auctoritate, suos composita oratione excitaret, & vel timidis robur ac vires daret. Ab illo ardore ad pugnam recta ibant, cum præsentia Imperatoris adhuc in oculis & verba in auribus versarentur. Sæpe interequitans ordines ita adfatus est sub ipsam pugnam, sæpe in castris & ante egressum. Aliquando etiam extra suspicionem omnem pugnæ, si qua seditio, aut querela, aut alius animorum morbus, cui sermone mederetur. Cum in castris, aut etiam in ipso campo interdum, fiebat in tribunali (V. infr. in T.) Milites circa hoc non confuse, nec ut quisque accurrerat, sed per manipulos & turmas adstabant cum pilis & signis, sive armati: ut etiam cum fascibus lictores. *Lips. de Mil. Rom.* iv. *dial.* 9. *Stewech. in Veget.* iii. 9. *Landus Misc. Num. Rom. Misc. Erud. Ital. Tom.* i. *p.* 394. *Ramus de Milit. Cæs. Thes. Ant. Roman. Græv. Tom.* x. *p.* 1572. *C. Thys. Rom. Illustr.* iv. *p.* 98.

ADM.

ADMINISTRATORES dicebantur ipsius patrisfamilias ministri in mensa. Alfen. §. 103. de verb. signif. *Et sibi videri, eos demum usus sui causa patremfamiliæ habere, qui ad ejus corpus tuendum, adque ipsius cultum præpositi, destinatique essent: quo in genere administratores. . . . numerantur.* Alciat. de verb. signif. p. 288. A.

ADMISSIONALES erant ministri ad fores, qui remoto velo eos qui divites, & inprimis Principes salutatum veniebant, *admittere*, vel *dimittere* solebant. Lamprid. Alex. Sev. c. 4. *Salutaretur, quasi unus de senatoribus, admissionalibus remotis. Admissionum magister* dicebatur, qui præerat hujusmodi negotio, sive officio *admittendi* ad cubiculum, & introducendi ad Principem. Dignitas erat honorata. Ammian. xv. 5. *Submissis verbis perstringebatur Ursicini mentio, ut consiliis rei bellicæ præstantissimi, frustraque gravi injuria lacessiti: & per admissionum magistrum, qui mos est honoratior, accito eodem, ingresso consistorium offertur purpura. Admissionales* ipsi erant ex libertis. Suet. Vesp. c. 14. n. 2. *Quidam ex officio admissionis simul expellens, abire Morboniam jusserat.* Stuck. Antiq. Conviv. ii. 30. Lips. in Tacit. Annal. vi. n. 29. Sagittar. de Jan. c. 36. §. 4. Pignor. de Serv. p. 467. Popm. de Oper. Serv. p. 122. Pancirol. Notit. dign. Imp. Orient. c. 66. Buleng. de Imp. Rom. ii. 22. Guther. de Offic. dom. Aug. iii. 11. Laz. Comm. Reip. Rom. ii. 4. Vales. in Ammianum.

ADMISSIONIS primæ, secundæ, & tertiæ dicebantur amici, ex ordine, quo admittebantur. Fuerunt enim plures amicorum cohortes, & quasi gradus. Senec. de Benef. vi. 33. *Non sunt isti amici, qui agmine magno pulsant januam, qui in primas, & secundas admissiones digeruntur.* Lamprid. Alex. Sev. c. 20. *Moderationis tantæ fuit, ut amicos non solum primi, ac secundi loci, sed inferioris ægrotantes viseret.* Hoc habuit originem a Graccho & Livio tribunis. Senec. ibid. c. 34. *Apud nos primi omnium C. Gracchus, & mox Livius Drusus instituerunt segregare turbam suam, & alios in secretum recipere, alios cum pluribus, alios universos. Habuerunt itaque isti amicos primos, habuerunt & secundos, nunquam veros.* Ubi legerim *numquid*, interrogatione sententia erecta. *Lips. in Tacit. Annal.* vi. *n.* 29. *& in Senecam. Mod. Epist.* 49. *Sagittar. de Jan. c.* 36. *n.* 4. *Salmas. in Spartian. Adrian. c.* 18. *Treb. Poll. Tyran. c.* 12. *Pitisc. in Suet. Tib. c.* 46. *n.* 1.

ADMISSIVÆ aves. V. illas infr. in *Aves.*

ADMOVERI aris dicebantur hostiæ adductæ. Suet. Cal. c. 32. n. 8. *Admota altaribus victima....* Tacit. Annal. ii. 69. 2. *Admotas hostias, sacrificalem apparatum, per lictores perturbat.* Lucan. vii. 165.

Admotus superis discussa fugit ab ara
Taurus.

Lips. in Tacit. Annal. ii. n. 189. Brisson. de Form. i. p. 15. Ryck. in Tacit. p. 52. Pitisc. in Suetonium.

ADN.

ADNOTARE provinciæ rectores dicebantur, qui reum aliquem ad Principem remittebant, vel ad majorem aliquem judicem, ut de ejus pœna statueret. Plin. Epist. x. 97. *Fuerunt similis amentiæ, quos, quia cives Romani erant, adnotavi ad Urbem remittendos.* Guther. de Offic. dom. Aug. iii. 3.

Adnotare, sive pœnam, qua hunc, vel illum reum dignum judicabant, ejus nomini adscribere solebant ipsi Imperatores, dum nomina, & crimina eorum, seu elogia, quæ erant in tabellis serie, & ordine digesta, sibi oblata per commentarienses legebant. Ælian. Var. Hist. xiv. 43. *Deinde quidam assistens condemnatorum ipsi nomina recitabat, & crimina in eos collata referebat, ut ille, qui morte essent di-*

gni, adnotaret. Suet. Calig. c. 27. n. 2. *Ex noxiis laniandos adnotavit.* Cuper. Observ. I. 15. Pitisc. in Suetonium.

Adnotare solebant spuria, & aliena, quæ veru, & obelo *notabant.* Suet. Gramm. c. 24. n. 2. *Multa exemplaria contracta emendare, ac distinguere, & adnotare voluit.* Fiebat hæc *adnotatio* in iis, de quibus dubitabant, & amplius, vel non liquere pronuntiabant: adhæc, quæ carpebant, & laudabant. Plin. Epist. III. 5. *Super hanc, cœnam, liber legebatur, adnotabatur, & quidem cursim.* 13. *Sed quid ego hæc doctissimo viro? quin potius illud, adnota, quæ putaveris corrigenda.* Cuper. Observ. I. 15. Pitisc. in Suetonium.

ADNOTATIO est Principis rescriptum, sua manu subnotatum, quod magister memoriæ dictabat. Hoc proprie indulgentiam admissi criminis continebat, nobis *lettres de graces, ou remission.* Arcad. A. l. 9. C. de palat. sacr. legat. *Non aliter quilibet in officio sacrarum legationum, vel privatarum rerum cingulum militiæ sibi sumendum existimet, nisi nostræ mansuetudinis adnotationem meruerit.* Guther. de Offic. dom. Aug. III. 3. Buleng. de Imp. Rom. III. 12. Panciról. Notit. dign. imp. orient. c. 95.

ADO.

ADOLERE est proprie igne puro, thure, & precibus deos ad altaria placare: ut in Paphiæ Veneris templo traditur *sanguinem aræ effundere vetitum; sed igne puro altaria adolere* apud Tacit. Hist. II. 3. 5. *Guther. de vet. jur. pontif.* III. 6. *Laurent. Var. sacr. gentil. c. 7.* Imo est urere, cremare. Proprie est crescere. Quia vero male ominatis vocibus in sacris abstinebant, usurpari cœpit pro cremari, idque per μετωνυμίαν, quia nempe victimæ, & altare verbenis, vino, & extis crescerent, atque augerentur. Unde Plaut. Merc. IV. 1. 9.

—— aliquid cedo
Qui hanc vicini nostri augeam, Syra.
Da sane hanc virgam lauri.

Serv. in Virg. Æneid. I. 708. *Adolere proprie est augere. In sacris autem adolere per bonum omen dicitur; nam & in aris non adolentur aliqua, sed cremantur.* Voss. Instit. Orat. IV. 10. §. 9. Non. IV. 43. *Adolere est urere.* Ovidius Janum hæc sibi fari fingit Fast. I. 275.

Ara mihi posita est parvo conjuncta sacello:
Hæc adolet flammis cum strue farra suis.

Idem *adolere* pro eodem ac comburere exta victimarum in ara accepit Fast. III. 803.

Viscera qui tauri flammis adolenda dedisset,
Sors erat æternos vincere posse deos.

Valer. Flacc. III. cum dixisset n. 439.

Tum piceæ mactantur oves. ——

addit n. 443.

—— rapidis adolentur cætera flammis.

Arnob. VII. p. 231. *Neque prius iras atque animas ponimus nisi sibi adolere paratas conspexerint tænias, offasque penitas.* In sacris Romanis, ut ea a vulgi captu remotiora essent, Græca, & obscura vocabula ad illa significanda usurparunt, ut ostendit Arnob. VII. Ita pro augeo, quod Latinum erat, dixerunt *adoleo* ab ἀδολεσχῶ. *Noris. Cenot. Pisan. Dissert.* III. *p.* 393.

ADOLESCENTES Romani, qui foro se præparabant, domi meditabantur actiones, easque in foro exhibebant, & populo de se opinionem afferebant, se quondam fore maxime salutares Reipublicæ cives. Cicer. pro Cœl. c. 30. *Voluit vetere instituto eorum adolescentium exemplo, qui post in civitate summi viri, & clarissimi cives exstiterunt, industriam suam populo Romano ex aliqua illustri accusatione cognosci.* Apul. Apol. p. 511. *Neque gloriæ causa me accusat, ut M. Antonius Cn. Carbonem, C. Mutius A. Albutium, P. Sulpicius C. Norbanum, C. Furius M. Aquilium. Quippe homines eruditissimi, juvenes, laudis gratia primum hoc rudimentum forensis operæ subibant, ut aliquo insigni judicio civibus suis noscerentur.* Quo ætatis anno hæc instituerint, docet auctor dial. de corr. eloq. caus. c. 34. n. 8. *Nono decimo ætatis anno L. Crassus C. Carbonem, uno & vigesimo Cæsar Dolabellam, altero & vigesimo Asinius Pollio C. Catonem, non multo ætate antecedens Calvus Vatinium iis orationibus insequuti sunt, quas hodieque cum admiratione legimus.* Pollet. For. Rom. II. 6. Casaub. in Apul. Apol. p. 168. Pitisc. in Suet. Jul. c. 4. n. 5.

ADOPTARE aliquem alienæ familiæ, si ipse habuerit naturales liberos, Romano more novum non erat. Discimus hoc ex l. 17. §. 3. ff. de adopt. & illustri exemplo Claudii, qui Britannico ex se genito fratrem Neronem *adoptione* junxit. Tacitus, Suetonius, Dio. *Freinshem. ad Flor.* III. 21. 27. Quem miror ad probandum, hujusmodi *adoptiones* more Romano non fuisse insolitas, Claudii exemplum adferre. Rarissime enim, & forte nunquam in libera Republica alium quis *adoptavit*, qui ipse naturalem habuit filium. Nec juvat exemplum Claudii. Nam ille quidem propterea *non parum* fuit *reprehensus*, ut diserte Suet. c. 39. n. 5. *quod adulto jam filio privignum adoptaret.* Unde & Dio LX. p. 686. D. notat, eum persuasum ab Agrippina id fecisse, *quamvis liberos haberet.* Et sic Tiberius filium sibi adscivit Germanicum, quum ipsi itidem naturalis esset Drusus, neutiquam tamen sua sponte, sed *coactus.* Suet. c. 15. n. 2. ab Augusto, qui postquam illi a se *adoptato* tribunitiam potestatem dedisset, *verum, ne his elatus aliquando novis rebus studeret, Germanicum ei fratris filium adoptandum dedit, quamvis & ipse proprium filium haberet.* ut Dio ait LV. p. 557. A. Quomodo & Tacit. Annal. I. 3. 7. *Germanicum adsciri per adoptionem a Tiberio jussit, quanquam esset in domo Tiberii filius juvenis.* Nihil clarius, nihilque apertius ad hanc rem verbis Ciceronis, quibus ille Clodium *adoptatum* nullo jure ab eo, qui minor erat natu, & ipse liberos sustulerat, exagitat pro Dom. c. 13. *Liberorumne causa? scilicet adoptavit te. At procreare potest, habet uxorem, suscepit etiam liberos, exhæredabit igitur pater filium.* c. 14. *Causa quæri solet adoptandi a pontificibus, ut is adoptet, qui, quod natura jam assequi non potest, & legitimo, & pontificio jure quærat.* Licita tamen fuit, præsertim si quæ allegari probabilis causa posset, hujusmodi *adoptio* apud Romanos, quamvis Ulpianus lege modo laudata suo tempore *videndum* adhuc dicat, *an non debeat permitti ei, qui vel unum habebit, vel plures liberos, adoptare alium.* Perizon. Histor. Animadv. c. 3. Qui *adoptabantur*, variis appellationibus, novisque cognominibus augebantur. Mutandi nominis in *adoptionibus* usitatior ratio fuit, quam Dio XLVI. p. 321. E. LV. p. 567. A. tradit. Ait enim, qui *adoptarentur* ab aliquo, hos nomina illorum omnia, a quibus *adoptarentur*, ferre consuevisse, suum vero gentilitium nomen retinuisse illud quidem, sed aliquo tamen modo commutasse: ut qui C. Octavius dicebatur, postquam a C. Julio Cæsare est *adoptatus*, C. Julius Cæsar appellari cœptus est. Ita tamen, ut gentilitium Octavii nomen non desereret, sed id quodammodo commutaret, & Octavianum pro Octavio redditum cognomini Cæsari subjungeret sic, C. Julius Cæsar Octavianus. Idem in P. Cornelio Scipione Æmiliano, L. Manlio Acidino Fulviano, L. Calpurnio Pisone Cæsonino, Mam. Aimilio Lepido Liviano, Q. Fabio Maximo Serviliano, & Q. Licinio Crasso Muciano factum est, qui omnes ab eo, a quo *adoptati* erant, nomina assumpserunt, sua vero gentilitia paullulum immutata novo cognomini subjunxerunt. Eodem spectans dixit Cicer. Attic. III. 20. *M. Cicero S. D. P. Cæcilio Pomponiano Attico.* Eodem referuntur ea, quæ ab eo scripta sunt Attic. VII. 8. *Dolabellam video Liviæ testamento cum duobus cohæredibus esse in triente, sed juberi mutare nomen.* Hæc erat usitatior mutandi nominis ratio, ab *adoptivis* Romæ frequentata. Nam aliquot præterea erant his, qui *adoptabantur*, appellandi genera. Quorum unum erat, ut is, qui *adoptabatur*, omnia *adoptantis* nomina ferret, verum loco gentilitii sui nominis in *anus* mutati, eo relicto, vetus cognomen suum, vel plura si ea haberet, novo *adoptantis* nomini, si cognomen non haberet, vel cognomini subjungeret. C. enim Aurelius Orestes a Cn. Aufidio, item L. Calpurnius Piso a M. Pupio *adoptati*, nec ille Aurelianus, nec hic Calpurnianus appellati, sed ille Cn. Aufidius Orestes, hic M. Pupius Piso nominatus est. Eadem etiam ratione nec P. Cornelius Scipio, Dione auctore, a Q. Me-

tello

tello Pio; & L. Junius Brutus a Q. Servilio Cæpione, teſte Plutarcho, *adoptati*, aut Cornelianus, aut Junianus; ſed ille Q. Cæcilius Metellus Pius Scipio, hic Q. Servilius Cæpio Brutus eſt appellatus, ut teſtimonio ſunt Dio XL. Cicer. in Philippicis, & nummi argentei, in quibus eſt ita: Q. METELLUS. PIUS. SCIPIO. & Q. CÆPIO. BRUTUS. Idem exemplum eſt in D. Junio Bruto ab A. Poſtumio Albino *adoptato*, qui A. Poſtumius Albinus Brutus appellatus eſt, ut ex antiquo nummo argenteo intelligitur. Idem etiam de M. Terentio Varrone Lucullo, & A. Terentio Varrone Muræna dici poteſt. Nam quum ambo ex gente Licinia in Terentiam *adoptionibus* tranſiſſent, ita hac ſecunda appellandi ratione nominati ſunt. Tertia porro mutandi nominis ratio fuit iis, qui *adoptabantur*. Ea erat, quum *adoptatus* prænomen tantum, & nomen *adoptantis* uſurpabat, & gentilitium nomen in *anus* mutatum adjiciebat, ut T. Pomponius Atticus a Q. Cæcilio avunculo, auctore Cornelio Nepote, *adoptatus*, Q. Cæcilius Pomponianus Atticus a Cicerone vocatur. Quarta porro in *adoptionibus* mutandi nominis ratio fuit, quum is, qui *adoptatus* eſſet, integrum nomen *adoptantis* aſſumeret, ſuum vero cognomen vetus aliqua ratione mutatum novo cognomini adjiceret, ut M. Claudius Marcellus a P. Cornelio Lentulo *adoptatus*, P. Cornelius Lentulus Marcellinus, non Claudianus vocitatus eſt. Ultimus poſtremo in *adoptionibus* mutandi nominis uſus poſt Auguſti tantum tempora Romæ frequentari cœpit. Is erat, ut is, qui *adoptatus* eſſet, integrum nomen *adoptantis* ferret, ſuum vero vetus gentilitium nomini recens adepto gentilitio multa ratione variatum adjungeret. Exemplum a C. Plinio peti poteſt. C. enim Cæcilius Novocomenſis ab avunculo C. Plinio Secundo Veronenſi ſcriptore hiſtoriæ naturalis *adoptatus*, C. Plinius Secundus vocitatus eſt. Ita enim multi appellati reperiuntur in faſtis conſularibus, ut Ap. Annius Trebonius Gallus, M. Atilius Metilius Bradus, & M. Nummius Cejonius Albinus. Solebant enim his temporibus multi, qui *adoptabantur*, non ſolum vetus gentilitium nomen, ſed cognomen etiam adnectere novo *adoptantis* nomini. T. enim Aurelius Antoninus ab Hadriano adoptatus, Ælius T. Aurelius Hadrianus Antoninus vocatus eſt. Ejuſmodi appellandi rationem ex marmoreis inſcriptionibus obſervavi, quæ non niſi Republica exciſa Romæ frequentari conſuevit. *Panvin. de Nomin. Roman. Theſ. Antiq. Roman. Græv. Tom.* II. *p.* 2044. *A. Noriſ. Cenot. Piſan. Diſſert.* II. *p.* 85. *Turneb. in Cicer. de Leg.* II. *p.* 84. *Gyrald. Var. Crit. dialog.* IV. *Auguſt. de Famil. Roman. in Plautia*; *Laurent. de Rebuſpubl.* c. 2. Ætas *adoptantis* quanta debuerit eſſe V. infr. in *Ætas*.

ADOPTIO eſt actus legitimus, naturam imitans, quo liberos nobis quærimus. *Laurent. de Rebuſpub. c.* 2. Familiis conſervandis mos vetuſtiſſimus, & remedium optimum, cum e claræ indolis pueris unum, aut plures ſeligimus, in quos nomina noſtra, inſignia, fortunas transferimus: & ex aliis natos, ſcientes, volenteſque noſtros facimus, legibus factum approbantibus, ac ne poſtea irritum fiat, niſi ob cauſas jure expreſſas, prohibentibus. Certe nihil olim toti fere terrarum orbi, ac tandem quoque Romanis, *adoptione* fuit uſitatius, ut in divinis, ac humanis patet hiſtoriis. *Heuter. de Liber. homin. nativ. c.* 4. *n.* 6. Eſt eorum, qui in aliena ſunt poteſtate, & a patris naturalis in adoptivi familiam transferuntur. Et *adoptatus* tam *jure, legeque filius erat* ejus; qui ſe *adoptaverat*, *quam ſi ex eo patre, matreque familias ejus natus eſſet*, ut apparet ex formula arrogationis apud Gell. V. 19. Illam *hæreditas nominis, pecuniæ, ſacrorum ſequebatur*. Cicer. pro Dom. c. 13. Ubi exagitat Clodium a Fontejo *adoptatum*: in qua *adoptione* nihil legitimum factum dicit, cum is *neque Fontejus eſſet, quod eſſe debebat* poſt *adoptionem*, *neque patris* (intellige adoptivi, qui ſolus ſecundum leges *adoptati* hominis pater erat) *hæres: neque amiſſis ſacris paternis* (loquitur hic jam de naturali patre, quod notandum reor) *in adoptiva venerit*: quia nempe *ſtatim poſt adoptionem iterum emancipatus* fuerat, *ne filius eſſet ejus qui ſe adoptaverat*, ut ait c. 14. Perizon. Triad. Diſſert. I. p. 83. Fiebat duobus modis, aut apud pontifices lege curiata, quæ ad Principis auctoritatem translata lege regia: aut magiſtratus imperio. *Laurent. l. l. Ravard. de Auctor. prudent. c.* 6. Videtur & teſtamento fieri recte. Paterc. II. 59. I. *Cæſaris deinde teſtamentum apertum eſt, quo Octavium nepotem ſororis ſuæ Juliæ adoptabat.* Suet. Tib. c. 6. n. 4. *Teſtamento adoptatus, hæreditate adita, mox nomine abſtinuit.* Lut. op. VII. I. *Quaſi vindicaturus patris ſui mortem, a quo per teſtamentum fuerat adoptatus.* Qui *adoptatur* teſtamento, in bona, & nomen teſtatoris vocatur, id eſt, hæres ſcribitur, & nomen teſtatoris ferre jubetur. Sed is non *adoptatur* jure; quia legati verbo in ex lege XII. tab. quæ teſtamentorum jus, & libertatem conſtituit, *adoptiones* non ſignificantur. Sed quemadmodum curator teſtamento datur, id eſt, non jure, a prætore confirmatur: ita *adoptio* non jure facta, veluti teſtamento a populo, vel Principe confirmari poteſt l. adoptio. ff. de adopt. Et ita non ſatis fuit Octavium teſtamento Cæſaris *adoptari*, ſed confirmata eſt *adoptio* lege curiata. *Cujac. Obſerv.* VII. 7. *Laurent. l. l.* Curiata lege fieri ſolitam docet Gellius. V. illum infr. in *Lex curiata*. Licebat autem non patricio plebejum, ſed plebejo patricium *adoptare*. Atque hoc in genere tria lex jubebat obſervari. I. Ut is *adoptaret*, qui neque procreare jam liberos poſſet; &, cum potuiſſet, expertus fuiſſet. II. Ut tum generum, ac dignitatis, tum ſacrorum ratio haberetur, id eſt, ut ita fieret *adoptio*, ut ne quid aut de dignitate generum, aut de ſacrorum religione minueretur. III. Ne qua omnino calumnia, ne qua fraus, ne quis dolus adhiberetur. Quæ ſi ſervarentur omnia, tum *adoptio* recte fiebat. Nihil horum in *adoptione* Clodii ſervatum eſſe arguit Cicer. l. l. neque ſolum ob hanc cauſam ait eſſe infirmam, irritamque illam *adoptionem*; verum etiam, quod, cum curiata lex ferretur, tum ſervatum de cœlo ſit: quod cum fieret, neque legem ferri, neque omnino quidquam agi cum populo licebat. Primum enim *adoptandi* cauſas eſſe oportuit, de quibus pontifices judices erant: deinde, ſi cauſæ probarentur, curiata lex ferebatur: quam qui ferret, is omnia ſervare debebat, quæ in cæteris legibus, dum ferrentur, mos fuit. Quod utrumque ſignificat Cicer. ibid. c. 14. cum ait: *ut is, qui adoptet, qui, quod natura jam aſſequi non poteſt, legitimo, & pontificio jure quærat.* Itaque, quod eſt apud Tacit. Hiſt. I. 15. I. *Lege curiata apud pontifices adoptio fiebat*, id ita eſt intelligendum, ut niſi & lex ferretur, & *adoptandi* cauſas pontifices probaſſent, *adoptio* fieri non poſſet. Utrumque vero ſeparatim agebatur, cum de cauſis pontifices cognoſcerent, legem vero magiſtratus ferret. *Manut. de Legib. c.* 14. Apud prætorem factam ſcribit Ulpianus: *Adoptare*, inquit, *apud juridicum quis poteſt, quia data eſt ei lege actio.* Incidit autem in *adoptionem* vindicatio pariter, & mancipatio, Nempe qui *adoptabat* apud prætorem, eum, quem *adoptabat*, tenens ita dicebat: *Hunc hominem filium meum eſſe ajo: iſque mihi emptus eſt hoc ære.* Naturalis autem pater uſque ad tertiam mancipationem in jure cedebat: prætor vero addicebat. Hinc Gell. V. 19. *Adoptantur liberi, cum a parente, in cujus poteſtate ſunt, tertia mancipatione ceduntur, atque ab eo qui adoptat apud eum, apud quem legis actio eſt, vindicantur.* Suetonius. V. illum infr. in *per æs & libram.* Et Cicer. de Fin. I. 7. *Torquatus filium Silano in adoptionem emancipavit.* Appianus etiam notavit, teſtibus præſentibus *adoptiones* apud prætorem fieri ſolitas de Bell. Civ. III. p. 534. *Accitos ſub noctem amicos juſſit Cæſar univerſos mane ſibi præſto eſſe in foro cum comitatu idoneo: ubi Cajum fratrem Antonii, prætorem urbanum, accedens ait ſe adoptionem accipere: qui mos Romanus eſt, adoptioni auctoritatem prætoris interponere.* Sigon. de Judic. I. 12. Per illam affinitas contrahitur. V. infr. in *Nuptiæ*.

ADORARE eſt manum ad os admovere. Hoc obſervatum eſt in deorum ſalutatione. Verebantur enim plerumque deos ipſos ore profano ſuo tangere; ſed eminus ſtantes manum porrigebant, eamque ſtatim reverenter ad os ſuum referebant. Plin. XXVIII. 2. *In adorando dextram ad oſculum referimus.* Apul. Apol. p. 496. *Nulli deo adhuc ſupplicavit: nullum templum frequentavit: ſi fanum aliquod prætereat, nefas habet adorandi gratia manum labris admovere.* Lipſ. Elect. II. 6. Salmuth ad Pancirol. de Reb. deperd. & inv. p. 433.

Sciop. Veriſ. 1. 8. Saubert. de Sacriſ. c. 12. Laurent. de Oſcul. c. 4. Solebant etiam, cum aut fanum aliquod præterirent, aut lignum, lapidemve aliquem adſpicerent, in quo divinitatis aliquid eſſe opinarentur, manum ad os referre, & tenui murmure illos ligneos, aut lapideos deos, ut ſibi faverent, precari. *Muret. Var. Lect.* x. 1. *Kipping. Antiq. Roman.* 1. 9. §. 5. In portis quoque urbium aliqua deorum ſimulacra ſtatuere: quæ qui urbes inibant, aut inde exibant, ritu quodam religionis tacta dextra manu, ſalutare ſolebant; manumque ad oſcula referebant. *Turneb. Adv.* xviii. 6. *Salmuth l. l.* In horum ſententia acquieſco. In eo haud illis aſſentior, quod *adorationem* factam manu prius porrecta, deinde ad os relata, affirmant. Quorum opinio hoc uno maxime revincitur, quod nos hodie etiam hoc *adorandi*, ſeu adulandi genus in honore potentibus habendo uſurpantes, manum prius ad os admovemus, deinde protendimus in eos, quibus honorem deferimus. Imo planiſſime confirmant locutiones celebriores: a facie jactare manus, baſia, oſcula. V. infr. in *Manus.* Ferrar. de Acclam. ii. 26. Unde licet velint hi hoc dictum. Mente tamen potius, quam ore fit *adoratio.* Et *adorare* videtur idem ſonare quod *odorari:* ſiquidem maxima fere *adorationis* pars in *odorum* incenſionibus olim conſtituebatur. *Tomaſ. de Donar. c.* 5. *Stuck. de Sacrif. p.* 5. Priori etymologiæ aſſenſum non accommodat *Voſſ. Inſtit. Orat.* iv. 7.2. ſed meliorem non affert. Nec poſterior illa ſatis firma, atque valens eſſe videtur. *Saubert. l. l.* Multo minus ab *ador*, quod cenſet grammaticorum acumen, derivandum eſt. Lipſ. & Ferrar. l. l. *Adorantes* caput aperiebant. V. infr. in *Caput.* in orbem ſe circumvertebant. V. infr. in *Circumvertere.* procumbebant. V. infr. in *Procumbere*, & ſtabant. V. infr. in *Stantes.*

Adorare purpuram dicebantur, qui Principem ſalutantes, dextram manum quamprimum hac purpuream ipſius veſtem attigiſſent, ad os admovebant, & ſaviabantur. Ammian. xv. 5. *Suſceptus tamen idem dux leniter, adactusque inclinante negotio ipſo cervices, adorare ſollenniter anhelantem celſius purpuram.* xxi. 9. *Verum cum primitus viſus, adorandæ purpuræ datam ſibi copiam advertiſſet.* Hoc eſſe *adorare purpuram* declarant, quæ ſequuntur hoc capite: Cum enim ille, captivus Lucilianus, ſecurum hoc facto ſe putaret, ac Principi reconciliatum, ſubjecit iſte: *Hæc verba prudentia ſerva Conſtantio. Majeſtatis enim inſigne, non ut conſiliario tibi, ſed ut deſinas pavere, porrexi.* Appellat autem *majeſtatis inſigne porrigere* purpuram hanc dare oſculandam. Colligas idem ex xxi. 6. *Inter complures alios honore conſpicuos adoraturi Imperatorem peregre venientem ordinantur etiam ex tribunis inſignibus. Cum igitur a Meſopotamia reverſus Conſtantius hoc exciperetur officio, Amphilochius quidam ex tribuno Paphlago auſus paullo petulantius ſtare, ut ipſe quoque ad parile obſequium admittendus.* Nam ordine ſcilicet admiſſi fuerunt ad ſacræ purpuræ tactum. Idem de Thalaſſio inimico xxii. 9. *Quo adorare, adeſſeque officio inter honoratos prohibito.* Sic olim ſalutatione prohibebantur. Mos hic non admodum vetus; ſed a Conſtantio, ſi Ammiano fides, ortus. Eodem xv. 3. *Urſicino ingreſſo conſiſtorium offertur purpura: atque ita ante Principis pedes ſupplicem ſtatuerunt externorum Regum ritu, cum ſemper antea ad ſimilitudinem judicum ſalutatos Principes legerimus.* Sed & hæc *adoratio* hodie in uſu: tangendi inquam veſtem, & *ad os* admovendi. Quod certis autem, & honoratioribus tantum perſonis ſacræ purpuræ tactus permiſſus fuerit, quaſi beneficii loco, vel ratione tituli, præter Ammianum toties laudatum, declarat ſatis Caſſiodorus. Ita enim ille de primicerio Epiſt. xi. 20. *Quapropter ſpectabilitatis honore ſuffultus inter tribunos, & notarios venerandam purpuram adoraturus accede.* 31. *Inter domeſticos, & protectores ſacram purpuram adoraturus accede.* Ruben. Elect. ii. 30. Pancirol. Notit. dignit. imp. orient. c. 90. Salmuth in Pancirol. de Reb. deperd. & inv. p. 434. Buleng. de Imperat. Rom. 1. 11. Lindenbrog. & Valeſ. in Ammian. xv. 5.

ADOREA vocabatur veteribus omnis ex agro proventus. Plaut. Amph. 1. 1. 38.

Qui præda, atque agro, atque adorea affecit populares ſuos.

Varr. de Ling. Lat. iv. 4. *Plebei rura largiuntur adoream.* Ita lego pro *ad aream.* Id eſt, quæ uberes fructus fundunt & largo manat copia cornu. *Scalig. in Varronem. Voſſ. Lex. Etymol.*

Adorea vocabantur *ſacrificia, quia in ſacrificiis panis ex farre ad aras offerebatur.* Iſidor. xvii. 3. *Stuck. Antiq. Conviv.* ii. 18. *Gyrald. Synt. deor.* xvii. *p.* 515. *A. Saubert. de Sacrif. c.* 18.

Adorea dicebatur laus bellica, quia priſcis temporibus militaria dona, quæ militibus fortem operam navantibus in bello a ducibus, heminæ, vel quartarii farris fuerunt. Gloſſ. vet. *Adorea,* νίκη, ἡ ἀπὸ τοῦ πολέμου. Plin. xviii. 3. *Gloriam denique ipſam a farris honore adoream appellabant.* Apul. Metam. iii. p. 89. *Et ipſe poſſum mihi primam iſtam virtutis adoream ad exemplum duodeni laboris Herculei numerare.* Voſſ. Lex. Etymol. Alex. Gen. dier. iv. 8. Et *glorioſum putabant eum, qui farris copia abundaret.* Feſtus. *Stuck. Antiq. Conviv.* ii. 8. *Gyrald. Synt. deor.* xvii. *p.* 515. *A. Schill Nomencl. Philol. p.* 47.

ADP.

ADPROMISSOR eſt, qui adeſt promittenti alicui, idemque promittit, ut diſerte habetur l. 5. tit. 2. *Satisacceptio eſt ſtipulatio, quæ ita obligat promiſſorem, ut adpromiſſores quoque ab eo accipiantur, id eſt, qui idem promittant.* Feſtus *adpromiſſorem interpretatur, qui quod ſuo nomine promiſit, idem pro altero quoque promittit.* Imo eſt, qui pro altero promittit tantum. Sic alio loco inter ſtipulatorem, & adſtipulatorem ita diſtinguit, quod ille pro ſe ſtipuletur, hic pro altero. Hoc enim eſt alteri adſtipulari, ut alteri adpromittere. *Reus ſtipulandi*, inquit, *eſt idem qui ſtipulator dicitur, quippe ſuo nomine ab altero quid ſtipulatus eſt, non is qui alteri adſtipulatus eſt.* Ut ſubtiliter diſtinguendo alius eſt *adpromiſſor* a fidejuſſore, vel ſponſore, ita revera idem eſt, & æque potuit cum bona ratione id mutare in fidejuſſorem Tribonianus, ac vadem, prædem, ſponſoremque, quæ omnia nomina ex libris Ictorum expunxit. Nam jure, quod in fidejuſſoribus obſervari ſanxit Juſtinianus, idem prorſus *adpromiſſor* cum fidejuſſore. *Salmaſ. de mod. uſur. c.* 16.

ADR.

ADRIANEUM fuit ſepulcrum *Adriani.* Spartian. c. 19. *Fecit & ſui nominis pontem, & ſepulcrum juxta Tiberim.* V. infr. in *Moles Adriani.*

ADRIANOPOLIS fuit urbs Thraciæ. Uſcudama olim vocabatur. Ammian. xiv. 11. *Emenſis longis intervallis, & planis, cum Adrianopolim introiſſet urbem Hæmimontanam, Uſcudaman antea appellatam.* xxvii. 4. *Poſt hanc Hæmimontus Adrianopolim habet, quæ dicebatur Uſcudama.* Vel Oreſta. Lamprid. Heliogab. c. 7. *Poſteaquam ſe apud tria flumina circa Hebrum ex reſponſo purificavit, etiam Oreſtam condidit civitatem, quam ſæpe cruentari hominum ſanguine neceſſe eſt. Et Oreſtam quidem urbem Adrianus ſuo nomine vindicari juſſit.* Quam cum tota regione Lucullus ſubegit, eam a ſe poſtea *Adrianopolim* Adrianus appellavit. Deciorum Principum patria fuit, quibus exſtinctis a Scythis eſt capta. *Pancirol. Notit. dignit. imper. orient. c.* 70. *Lindenbr. in Ammianum. Caſaub. in Lampridium.*

ADRIANUS Italicenſibus parentibus natus, qui ex Adria Scipionum tempore in Hiſpaniam migrarunt. Ejus pater Adrianus Afer, conſobrinus Trajani Imperatoris, avus Marullinus primus in ejus familia ſenator, ut refert Spartian. c. 1. Ante imperium conſul ſuffectus ex Kal. Jul. 861. cum L. Publilio Celſo. Iterum, ac tertio conſul initio principatus, quem adoptione vera, vel ficta, moriente Trajano ſuſcepit, Tribuniciam poteſtatem ſemel ac vicies ſuſcepit, Imperator bis appellatus eſt; cæteroſque titulos vivus obtinuit, & poſt mortem *divus Adrianus* appellatus eſt. *Auguſt. de Famil. Roman. in Ælia.*

Mathe-

Matheſeos fuit peritus, & cuncta de ſe ſcivit, ſic ut omnium dierum, usque ad horam mortis, futuros actus ante perſcripſerit. Periti matheſeos primo anni die, tam ſibi, quam aliis, quos caros habebant, vitæ themata aſtrologica erexerunt, & catalogos operum contexuerunt. Spartian. c. 16. *Matheſin ſic ſcire ſibi viſus eſt, ut Vero* (ita legendum pro ſero) *Kalendis Januariis ſcripſerit, quid ei toto anno poſſet evenire: ita ut eo anno, quo periit, usque ad illam horam, qua eſt mortuus, ſcripſerit quid acturus eſſet.* Æl. Ver. c. 3. *Fuiſſe Adrianum peritum matheſeos Marius Maximus usque adeo demonſtrat, ut cum dicat cuncta de ſe ſciſſe, ſic ut omnium dierum, usque ad horam mortis, futuros actus ante perſcripſerit.* Lipen. de Stren. c. 2. §. 44. Primus poſt Auguſtum novam Reipublicæ formam fecit. Aur. Vict. Epit. c. 14. n. 11. *Officia publica, & palatina, nec non militiæ, in eam formam ſtatuit, quæ paucis per Conſtantinum immutatis hodie perſeverat.* Panvin. Imp. Rom. c. 23. Primus poſt Claudium Britanniam intravit, &, ut vero ſimile eſt, vias publicas munivit, æque ac murum exſtruxit. Hunc nominat diſerte, illas innuere videtur Spartian. c. 6. *In Britannia multa correxit, murumque per octoginta millia paſſuum primus duxit, qui Barbaros Romanosque divideret.* Bergier. de viis milit. I. Sect. xxx. §. 5. *Inter cibos unice amavit tetrapharmacum, quod erat de phaſiano, ſumine, perna, & cruſtulo.* Spartian. c. 21. *Buleng. de Conviv.* I. 9. *Cum multis, etiam privatis, publice frequenter ſe lavit.* Spartian. c. 17. *Baccius de Therm. c.* 12. *Lavacra pro ſexibus ſeparavit.* Spartian. c. 18. *Baccius ibid. c.* 14. *In circo multas feras, & ſæpe centum leones interfecit.* Spartian. c. 19. *Buleng. de Venat. circ. c.* 27. *Equos, & canes ſic amavit, ut eis ſepulcra conſtitueret.* Spartian. c. 20. *Buleng. de Circ. Rom. c.* 60. Mortuus eſt an. ab U. C. 890. apud Bajas VI. Idus Julii, ætat. an. 62. menſ. 5. d. 17. imperii 20. & menſ. 11. Spartian. c. 25. & 26. Xiphil. LXIX. p. 797. E. *Panvin. l. l.*

ADROGATIO dicebatur ea adoptio, quæ eorum, qui ſui juris erant, olim lege lata apud populum, poſtea apud Principem fiebat. *Auguſt. de Legib. Theſ. Ant. Roman. Græv. Tom.* II. *p.* 1286. *F. Mag. Miſcell.* IV. 6. *Thyſ. in Gell.* v. 19. *Cujac. Obſerv.* XII. 15. Propterea *quod & is, qui adoptabat, rogabatur, an vellet eum, quem adoptaturus eſſet, juſtum ſibi filium eſſe; & is, qui adoptabatur, rogabatur, an id fieri pateretur.* Cajus l. 2. ff. de adopt. *Guther. de Jur. pontif. vet.* II. 5. *Briſſon. de Form.* VIII. *p.* 723. *Laurent. de Rebuſpubl. c.* 2. *Auguſt. l. l.* In hoc negotio ultro citroque quaſi quidam dialogiſmus agebatur interrogatione prætoris, & reſponſione *adrogantis*, & *adrogandi*. *Adrogare* idem eſt quod interrogare. Plaut. Rud. V. 2. 45.

Accede dum huc: Venus hæc volo adroget te.

Pollet. For. Rom. III. 2. *Rogationis* verba hæc ſunt: *Velitis, jubeatis, uti L. Valerius L. Titio tam jure, legeque filius ſibi ſiet, quam ſi ex eo patre, matreque familias ejus natus eſſet: utique ei vitæ, necisque in eum poteſtas ſit, uti patri endo filio eſt. Hoc ita, ut dixi, ita vos Quirites rogo.* Gell. v. 12. *Sigon. de Ant. jur. civ. Roman.* I. 10. *Calcagn. Equitat. p.* 577. *Auguſt. l. l. & p.* 1159. *D. Adrogantur ii, qui cum ſui juris ſint, in alienam ſeſe poteſtatem tradunt, ejusque rei ipſi auctores fiunt. Hinc adrogari non poterat, niſi jam veſticeps. Neque pupillus, neque mulier, quæ in parentis poteſtate eſt, adrogari poterant, quoniam cum feminis nulla comitiorum communio eſt, & tutoribus in pupillos tantam eſſe auctoritatem, poteſtatemque fas non eſt, ut caput liberum fidei ſuæ commiſſum alienæ ditioni ſubjiciant.* Gell. v. 19. *Auguſt. & Sigon. l. l. Ætas* quoque ejus, *qui adrogare volebat, an liberis potius gignendis idonea ſit, bonaque ejus, qui adrogaretur, ne inſidioſe appetita eſſent, conſiderabatur.* Gell. l. l. *Sigon. l. l. Non temere, aut inexplorate committebatur adrogatio: nam comitia arbitris etiam pontificibus præbebantur, quæ curiata appellabantur.* Gell. I. I. *Auguſt. & Sigon. l. l. Adrogatio* per populum Diocletiani, aut alterius paullo ſuperioris Cæſaris ætate obſolevit. Huc facere videntur verba Imperatorum l. impuberem C. de adopt. *Adrogatio etiam ex indulgentia principali facta perinde valet apud prætorem, vel præſidem intimata, ac ſi per populum jure antiquo facta eſſet.* Mag. & Thyſ. l. l. Bona ejus, qui *adrogabatur*, omnia præterea, quæ capitis diminutione pereunt, *adrogatione adrogatori* pleno jure quærebantur. *Sigon. de Judic.* I. 4. *Adrogandi* licentiam etiam mulieri id deſideranti conceſſerunt Diocletianus & Maximianus l. 3. C. de adopt. *Quoniam in ſolatium amiſſorum tuorum filiorum cupis privignum tuum vicem legitimæ ſobolis obtinere, annuimus votis tuis, & eum, perinde atque ex te progenitum, ad vicem naturalis, legitimique filii habere permittimus.* Briſſon. de Form. III. p. 305. *Adrogari* antea *non poterat niſi jam veſticeps*, id eſt, pubes, ne in poteſtate tutorum eſſet liberum caput alienæ ditioni ſubjicere. Nunc ex conſtitutione Antonini Pii etiam inveſticeps, cauſa cognita, *adrogari* poteſt, quod etiamſi in Pandectis nominatim relatum non ſit, Ulpianus tamen ita ſcribit in fragmentis, & in Pandectis etiam ſæpe fit mentio quartæ Antonianæ pupillo *adrogato* debitæ. Quæri etiam dignum eſt, an pupillus a tutore ipſo *adrogari* poſſit. Hac in re pugnare videtur l. nec & permittitur. ff. de adopt. cum l. nonnunquam eod. tit. nam l. nec ei ait *adrogationem* non eſſe permittendam, ne ratio reddendæ tutelæ cohibeatur. l. nonnunquam, omni modo eſſe permittendam. *Imperator*, inquit, *Tuus Antoninus reſcripſit privignum ſuum tutori adoptare permittendum.* Idem igitur, qui *adrogationem* pupilli permiſit cauſa cognita, & eam tutori nominatim permiſit. Sed verius tutori vitrico pupilli *adrogationem* permitti, quod etiam Accurſio ſuboluit, quoniam eum eſt veriſimile affectione ſancta moveri ad privignum, eundemque pupillum ſuum *adrogandum*, idque confirmat l. ult. C. de confir. tut. Plin. Epiſt. x. 3. 4. *Voconii Romani eximia pietas hanc ipſam matris liberalitatem, & ſtatim patris hæreditatem, & adoptionem a vitrico meruit.* Cujac. Obſerv. II. 38.

ADS.

ADSEDISSE dicebantur ſenatores, cum finem feciſſent dicendi. Stantes enim dicebant. Salluſt. Catil. p. 48. *Poſtquam Cato adſedit; conſulares omnes, itemque ſenatus magna pars, ſententiam ejus laudant.* Et ut ſtantes cenſere, ſic adſentiri *ſedentes* Latini loquuntur. Cicer. Fam. v. 2. *Nulla a me unquam eſt ſententia dicta in fratrem tuum: quotieſcunque aliquid eſt actum, ſedens iis adſenſi, qui mihi teniſſime ſentire viſi ſunt.* Zamoſc. de Senat. Rom. II. II. Et *adſidere*, qui ægrotantibus, ac decumbentibus præſto ſunt. Horat. Sat. I. I. 80.

At ſi condoleat tentatum frigore corpus,
Aut alius caſus lecto te affixit, habes qui
Adſideat, fomenta paret, medicum roget, ut te
Suſcitet.

Plin. Epiſt. VII. 19. I. *Contraxit hanc*, valetudinem, *dum adſidet Juniæ, virgini Veſtali.* Buchner. in Plinium. Schill Nomencl. Philol. p. 177.

ADSENTIEBANTUR quando milites Imperatori ſuo pro concione adloquenti, manus extollebant, clamabant, ſcuta genibus illidebant. Ritus origo ab Ægyptiis. Clypeos haſtis percutere iræ ſignum uſitatum erat illis. Quis dubitet & hoc, & pleraque alia in diſciplina militari ab iis populis ad Romanos manaſſe. Lucan. I. 386.

— his cunctæ ſimul adſenſere cohortes,
Elataſque alte, quæcunque ad bella vocaret,
Promiſere manus: it tantus ad æthera clamor.

V. etiam infr. in *Clamor*. Ammian. XV. 8. *Nemo poſt hæc finita reticuit: ſed militares omnes horrendo fragore ſcuta genibus illidentes: quod eſt proſperitatis indicium plenum, immane, quo, quantoque gaudio, præter paucos, Auguſti probavere judicium.* Stewech. in Veget. III. 9. Lipſ. de Milit. Rom. IV. 9. in Tacit. Hiſt. IV. §. 7.

ADSERERE manu in libertatem eſt vindicare in libertatem, & affirmare aliquem ſervum creditum eſſe liberum. Varr. de Ling. Lat. v. 7. *Hinc adſerere manu, in libertatem cum prehendimus.* Feſtus: *Sertorem quidam dictum putant a prendendo, quia cum cuipiam adſerat manum, educendi ejus gratia, ex ſervitute in libertatem vocatur adſertor.*

Hinc

Hinc lex de *adſertionibus*, qua cavebatur, ne liberi pro ſervis haberentur, nec ſervi pro liberis. *Adſertionis* formula videtur fuiſſe hujusmodi : *hunc liberali cauſa manu adſero.* Ratio, quia quem quis liberali cauſa in libertatem vindicabat, eum manu *adſerebat*, id eſt, admovebat, ſeu prope ſe ſtatuebat. Terent. Adelph. II. I. 39.

—— neque vendundam cenſeo,
Quæ libera eſt : nam ego liberali illam adſero cauſa manu.

Ubi Donatus : *Sunt juris verba : a quibus etiam adſertores dicuntur vindices alienæ libertatis.* Plaut. Pœn. IV. 2. 83.

Omnia memoras : quo id facilius fiat, manu eas aſſerat
Suas populares liberali cauſa.

Adſerere proprie eſt ad, vel juxta *ſerere*, ſeu habere. Varr. de Re ruſt. I. 26. *Neque vites propter cupreſſus adſerunt.* Catull. Catull. LXI. 106.

Lenta qui velut adſitas
Vitis implicat arbores.

id eſt, juxta ſatas. *Donat. Dilucid. in Capitol. M. Antonin. Philoſ. p.* 887. *Sciop. Infam. Famian. p.* 178. *Styl. Hiſtor. p.* 161. *Briſſon. de Form.* II. *p.* 384. *Pitiſc. in Curt.* VII. I. 42. §. 122. Olim ſi quis ex ſervitute ſeſe eximere vellet, proclamata libertate, cogebatur ſibi *adſertorem* apponere, qui *adſereret* eum liberum. Mart. I. 53. 4.

Si de ſervitio gravi queruntur,
Adſertor venias, ſatiſque præſtes,
Et cum ſe dominum vocabit ille,
Dicas eſſe meos, manuque miſſos.

Pollet. For. Rom. III. 15.

ADSERTIO ſecunda vocabatur ſecundum judicium de libertate a centumviris factum. Quintil. V. 2. *Præjudicia etiam dicuntur, cum de eadem cauſa pronuntiatum eſt, ut in reis deportatis, & in adſertione ſecunda, & in partibus centumviralibus, quæ in duas haſtas diviſæ ſunt.* Siccam. de centumvir. judic. II. 3. Liberalis cauſa ſæpius repetebatur, totidemque *adſertiones* erant. Hinc prima, ſecunda, tertia. *Pollet. For. Rom.* III. 15.

ADSERTOR eſt vindex alienæ libertatis. Feſtus & Donatus. V. illos ſupr. in *Adſerere.* Καρπιστὴς dicitur Græcis ſæpius apud Arrianum. V. & infr. in *Cauſæ liberales.* Briſſon. de Form. II. p. 384. Lindenbr. in Terentium.

ADSESSORES dicebantur, quos magiſtratus, qui munia poteſtatis ſoli non obibant, ſecundarum partium, ad conſilia, atque judicia ſibi adjungebant, jureconſulti. Suet. Galb. c. 14. n. 3. *Cornelius Laco ex adſeſſore præfectus prætorii.* Lamprid. Alex. Sev. c. 31. *Neque unquam ſolum quemquam, niſi præfectum ſuum vidit, & quidem Ulpianum, ex adſeſſore ſemper ſuo.* Spartian. Peſcenn. Nigr. c. 7. *Præter militares adminiſtrationes intimavit etiam, ut adſeſſores, in quibus provinciis adſediſſent, in his adminiſtrarent.* Eorum officium erat, cauſas cognoſcere, expoſtulationes audire, libellos ſupplices legere, & his reſpondere, circa edicta, & epiſtolas ſcribendas, ac decreta interpretanda verſari. Paull. l. I. ff. de offic. adſeſſ. *Omne officium adſeſſoris, quo juris ſtudioſi partibus ſuis funguntur, in his fere cauſis conſiſtit, in cognitionibus, libellis, edictis, decretis, epiſtolis.* Criminales vero cauſas audiebant quidem, ſed non definiebant, verum præfectis decidendas remittebant; ſententias tamen a præfecto ferendas dictabant l. ſolent ff. de offic. proconſ. Denique a præfecto negotiis impedito quæcunque explicari nequibant, expediebant. His a præfectis, vel præſidibus ſalarium dabatur. *Pancirol. Notit. dignit. imp. orient. c.* 8. *Chimentel. de Honor. Biſell. c.* 17. *Buleng. de Imperat. Roman.* II. 21. *Pollet For. Rom.* V. 6. *Briſſon. Select. Antiq.* III. 10. *Guther. de Offic. dom. Aug.* II. 4. *Alciat. Diſpunct.* III. 12. *Lax. Comm. Reip. Rom.* II. 11. *Pitiſc. in Suetonii Galbam.* V. etiam infr. in *Conſilium.*

ADSIDELÆ *vocabantur menſæ, ad quas ſedentes flamines ſacra faciebant.* Feſtus. *Merul. de Sacerd. Roman. c.* 2. §. 9.

ADSIGNARE *libertum eſt teſtamento ſignificare, cujus ex liberis libertum eſſe velis, ſi plures & liberos, & libertos habueris.* l I. ff. de aſſign. libert. *Adſignari quis poterat quibuſcunque verbis, ac vel nutu, & tam teſtamento, quam codicillis, & vel pure, vel in diem, vel in ex die certa, vel ſub conditione.* l. I. §. 3. tit. eod. *Briſſon. de Form.* VII. *p.* 670. *Alciat. de verb. ſignif. p.* 168.

ADSTETRIX erat *femina, quæ lectulo puerperæ adſidebat, obſtetrices adhibebat languenti, portabat matulam, calefaciebat lintea, plicabat faſciolas.* Hieron. Epiſt. II. 9. *Cujac. l.* 236. *ff. de verb. ſignif. Pignor. de Serv. p.* 378.

ADSTIPULATOR, qui dicitur Ciceroni Epiſt. ad Octav. erat, qui *ſtipulanti* accedebat, idemque *ſtipulabatur*, ut pacta, & conventa eſſent firmiora, magisque cauta, & rata. Ac in foro Romano circum argentarias homines erant, qui *adſtipulandi* quæſtum exercebant, præſtoque erant *ſtipulantibus*, & paciſcentibus. *Turneb. Adv.* XVI. 8.

ADV.

ADVERSARIA ſunt tumultuariæ quædam tabulæ, aut libelli, ſive commentarioli, & chartæ : quæ idcirco ſummatim conſcribuntur, ne res memoriæ excidant; ſed ut ex his poſtea tabulæ juſtæ, ac æternæ fiant. Indeque dicta videntur, quod animum, & memoriam noſtram *advertant.* Solent enim mercatores rationes ſuas chartulis quibusdam ſummatim inſcribere, quas & inducunt, & circumſcribunt; deinde diligentius æſtimato calculo in libros rationum conferunt. Cicer. pro Roſc. c. 2. *Quid eſt, quod negligentius ſcribamus adverſaria? quid eſt quod diligentius conficiamus tabulas? qua de cauſa? quia hæc ſunt menſtrua, illæ ſunt æternæ : hæc delentur ſtatim, illæ ſervantur ſancte : hæc parvi temporis memoriam, illæ perpetuæ exiſtimationis fidem amplectuntur : hæc ſunt dejecta, illæ in ordinem confectæ. Itaque adverſaria in judicium protulit nemo : codicem protulit, tabulas recitavit.* Coraſ. Miſcell. jur. civ. I. 18. 3. Cujac. Obſerv. VIII. 15. Salmuth in Pancirol. de Reb. deperd. & inv. p. 5. Alciat. Diſpunct. II. 29. Turneb. Adv. II. II: XXIX. 36. Schill Nomencl. Philol. p. 50. Rationibus utramque chartæ paginam occupabant, *adverſam*, & *averſam.* Ab *adverſa* dicta potius *adverſaria.* Salmaſ. in Vopiſc. Firm. c. 3. Guiland. Papyr. membr. 18. n. 10. Coraſ. Miſcell. l. I. §. 4.

ADVERSITOR erat ſervus, cujus miniſterium erat ire ad herum foris cœnantem, & eum domum reducere, ac comitari. Hos etiam ditiores habebant, ut ab iis monerentur per vias de lapidibus, ad quos poſſent offendere. Plaut. Moſt. IV. I. 24.

Solus eo nunc adverſum hero ex plurimis ſervis.

Terent. Adelph. I. I. 2.

Neque ſervulorum quiſquam, qui advorſum ierant.

Ubi Donatus : *Proprie loquutus eſt : nam inde adverſitores dicuntur.* Popma de Oper. ſerv. p. 81. Pignor. de Serv. p. 255. Grapald. de Part. dom. III. 8.

ADULTERIUM inter, & ſtuprum quid interſit V. infr. in *Stuprum.* Poſt quinquennium rei, nec vir, nec mulier accuſari poterant. Quod tempus numeratur a die commiſſi criminis : at ſexaginta dies, qui marito ad accuſandum competunt, vel ſex menſes extraneo, ex die divortii numerantur, modo ne quinquennium exactum ſit. Ulpian. l. mariti. §. hoc quinquennium. ff. de adult. *Auguſt. de Legib. p.* 1210. Servus adulterii accuſatus, æſtimabatur, & ubi æſtimatus erat, is qui nomen ejus ſervi detulerat, tantam pecuniam, & alterum tantum ei ad quem ea res pertinet, dare jubebatur. Ulpian. III. de adult. *Auguſt. ibid. A. Qui domum ſuam, ut ſtuprum, adulteriumve cum aliena matrefamilias, vel cum maſculo fieret, ſciens præbuerit, vel quæſtum ex adulterio uxoris ſuæ fecerit, cujuscunque conditionis, quaſi adulter puniebatur.* Papinian. l. qui domum ſuam ff. de adult. *Auguſt. ibid. p.* 209. *C.* Puniebatur I. Caſtratione, ſive virilium exſectione. Horat. Sat. I. 2. 46.

—— quin etiam illud
Accidit, ut cuidam teſtes, caudamque ſalacem
Demeteret ferrum.

Mart. II. 60. I.

Uxo-

Uxorem armati futuis, puer Hyle, tribuni,
Supplicium facti nec puer Hyle times.
Væ tibi, dum ludis, caſtrabere; jam mihi dices:
Non licet hoc, quid? tu quod facis, Hyle, licet.

Progne apud Ovid. Met. VI, 611.

—— non eſt, lacrymis hic, inquit, agendum,
Sed ferro, ſeu ſi quid habes, quod vincere ferrum
Poſſit.

Romani hoc hauſerunt forte ab Ægyptiis, apud quos deprehenſus in *adulterio* mille plagis cæſus caſtrabatur. *Alex. Gen. dier* IV. 1. *Demſter. Paralip. ad Roſin. Antiq.* VIII. 24. II. Membrorum detruncatione, artuumque mutilatione, & præſertim aurium, nariumque, ut deformitas corporis ſceleris perpetrati atrocitatem denuntiaret, utque pœnæ ſuæ ſuperviventes, quam turpiter alienam pudicitiam expugnaſſent, ſemper vel vultu ipſo loquerentur. Sic plectitur Deiphobus Helenæ adulter apud Virg. Æneid. VI. 494.

Atque hic Priamiden laniatum corpore toto
Deiphobum vidit, lacerum crudeliter ora,
Ora, manuſque ambas, populataque tempora raptis
Auribus, & truncas inhoneſto vulnere nares.

Mart. III. 58. 1.

Quis tibi perſuaſit nares abſcindere mœcho?
Non hac peccatum parte marite tibi.
Stulte, quid egiſti? nihil hic tua perdidit uxor,
Cum ſit ſalva ſui mentula Deiphobi.

Turneb. Adv. XXVIII. 46. Barth. Adv. XXXVIII. 6. Demſter. l. l. Laurent. de Adult. ac meretr. c. 1. III. Morte. Patri enim dabatur jus occidendi *adulterum* cum filia, ſi in continenti occideret, in ipſa turpitudine, domi ſuæ vel generi deprehenſus. Quod ſic erat accipiendum, ne occiſo hodie *adultero*, poſt dies filiam occideret, vel contra. Debebat enim uno prope ictu, & uno impetu utrumque occidere, æquali ira adverſus utrumque ſumpta. Ulpian. l. quod ait: ff. de adult. *Cujac. Obſerv.* XXI. 18. *Auguſt. ibid. p.* 1208. *E.*

ADVOCATIO eſt concurſus civium, quos in commiſerationem ſui, aut clamore, aut calamitate ſua quis *advocavit* Liv. III. 47. *Virginius filiam ſuam obſoleta veſte, comitantibus aliquot matronis, cum ingenti advocatione in forum deducit.* Pollet. For. Rom. II. 1.

Advocatio eſt patrocinium, atque etiam accuſatoris opera, ſive accuſatio. Plin. Epiſt. II. 11. 19. *In fine ſententiæ adjecit, quod ego, & Tacitus injuncta advocatione diligenter, fortiterque functi eſſemus.* Pollet. For. Rom. II. 1.

Advocatio eſt ſpatium, & mora. Verbum ea notione frequens Principum ævo. A judiciis manavit. Nam qui parum inſtructi ad reſpondendum, *advocationem* a judice ſolent petere, id eſt, moram & tempus deliberandi, *advocandique* amicos, aut peritos. Senec. de conſol. ad Marc. c. 10. *Nimis magnam advocationem dedi.* de Ira I. 16. *Deinde advocationem etiam ſibi petit, ut excutiendæ ſpatium veritati habeat.* Cicer. Fam. VII. 11. *Omnibus, unde petitur, hoc conſilii dederim, ut binas advocationes poſtulent.* Lipſ. in Senecam.

ADVOCATUS dicebatur, qui in præſentem rem, de qua teſtificaturus erat, adducebatur. *Pollet. For. Rom.* IV. 13. aliquando eſt, quicunque reo adeſt præter oratorem; ſæpiſſime, & paſſim in jure Romano patronus. Proprio vero ſignificatu, intra quem conſiſtit, ex multis qui *advocantur*, & arceſſuntur ad cauſam, is ſolum *qui præſentiam ſuam amico accommodat, aut jus ſuggerit.* Aſcon. in Cicer. p. 20. *Buleng. de Imp. Rom.* VI. 61. *Guther. de Offic. dom. Aug.* III. 2. *Barth. Adv.* XXXI. 15. *Pollet. ibid.* II. 1. Dicebatur patronus, quoties reum in foro judiciali defenderet. *Turrig. ad Urſ. Togat. inſcript.* §. 27. Ubi in jus ventum erat, a prætore interdum petebatur, qui ſe petentibus daturum edicto pollicebatur. Senec. Contr. Procem. III. *Tanta illi perturbatio fuit, ut advocationem peteret.* Apocoloc. *Tandem procedit Petronius vetus convictor ejus, & poſtulat advocationem.* De *advocato* a prætore dato lepidum Siculi cujuſdam reſponſum refertur a Cicer. de Orat. II. 69. Nam cum ei Scipio prætor patronum cauſæ dediſſet hoſpitem ſuum, hominem nobilem; ſed admodum ſtultum. *Quæſo*, inquit ille, *prætor adverſario meo da iſtum patronum: deinde mihi neminem dederis.* Briſſon. de Form. V. p. 368. Cum enim accuſator dicebat, *advocati* temere, & paribus ſubſelliis conſidebant, ut neſciretur, quisnam ex illis dicturus eſſet pro reo. Nam ubi delator dixerat, tum demum patronus ad dicendum ſurgebat. Cicer. pro Sext. Roſc. c. 22. *Peroravit aliquando: aſſedit, ſurrexi ego.* c. 21. *Credo, cum vidiſſet, qui homines in hiſce ſubſelliis ſederent, quæſiſſe num ille, aut ille defenſurus eſſet; de me nihil ſuſpicatum quidem, quod antea nullam publicam cauſam dixerim.* Pollet. ibid. & II. 12. Et circa judicis ſubſellium perſtabat. Vetus namque mos, atque ex dignitate rei, ut qui loquuntur, aut ſententiam dicunt, erecti, ac ſtantes faciant. Plin. Epiſt. VI. 33. 3. *Ingens utrinque advocatio, & numeroſa ſubſellia: præterea denſa circumſtantium corona.* Chimentel. de Honor. biſell. c. 22. Briſſon. ibid. II. p. 182. Nunquam dicebat prætextatus in reorum periculis, ſed togatus, ita ut toga metonymice capiatur pro eloquentia. Auſon. Parent. III. 11.

Te ſibi Palladiæ antetulit toga docta Toloſæ,
Te Narbonenſis Gallia præpoſuit.
Ornaſti cujus Latio ſermone tribunal,
Et fora Hiberorum, quæque Novempopulis.

Symmach. Epiſt. V. 39. *Epictetus*, cauſidicus clariſſimus, *togæ forenſis honore privatus eſt.* Cicer. de Offic. I. 22.

Cedant arma togæ, concedat laurea linguæ.

Boſſ. de Toga Rom. c. 9. Ferrar. de Re veſt. I. I. 33. Pollet. ibid. c. 8. Togæ enim nomen in tantum ab uſu receſſerat, & in deſuetudinem abierat, ut penes ſolos judices, cum judicarent, & *advocatos*, cum cauſas perorarent, hæreret. Hi togati propterea proprie appellabantur: unde togati Auguſtorum, togati præfectorum de cauſidicis, qui apud Auguſtum, aut præfecturæ ſedem cauſas clatrabant, ſunt dicti. Aliquando tamen penulatos fuiſſe *advocatos*, cum cauſas agerent, legimus. *Salmaſ. in Tertull. Pall. p.* 79. V. infr. in *Patronus.* Mercedem *advocatis* an ſolverint litigatores. V. etiam infr. in *Patronus.* Corpus *advocatorum* eſt ſeminarium dignitatum, qui idcirco digni univerſis honoribus habentur, quod *advocati* eſſe meminerint. Novell. Theodoſ. & Valent. 34. Nec minus apud Romanos florente Republica *advocati* honoribus affecti ſunt. *Guther. l. l.*

Advocatum fiſci *Adrianus primus inſtituit.* Spartian. c. 20. *Panvin. de Civit. Rom. c.* 64. *Guther. de Offic. dom. Aug.* III. 1. *Sardus de Morib. gent.* II. 16. *Blond. Triumph. Rom.* IV. *p.* 87. *D.* In Principis conſiſtorio cauſas agebat, cum de fiſci commodis ageretur. *Guther. l. l.* Horum primus per biennium creatus ex publico ſalarium ſolidorum ferme 600 percepit, quod Kalendis Octobris ſolvebatur. *Buleng. de Imp. Rom.* VI. 61. *Alciat. in Codic. p.* 123.

ADYTUM eſt *locus templi, quem adire non licebat, intactus, ſacroſanctus, tectus, vel obſcurus, oracularis.* Pollux. I. I. 8. Et Cæſ. de Bell. civ. III. 105. *Pergami in occultis, & remotis templi, quo præter ſacerdotes adire fas non eſt, quæ Græci ἄδυτα appellant.* Hinc oracula reddebantur. Senec. Thyeſt. IV. 1. 679.

—— Hinc orantibus
Reſponſa dantur certa, cum ingenti ſono
Laxantur adyto fata.

Demſter. Paralip. ad Roſin. Antiq. Roman. II. 2.

Æ.

Æ. A. A. F. F. Quibus ſignificatur ære, argento, auro, flando, feriundo. V. infr. in *Triumviri monetales.*

ÆD.

ÆDEPOL *eſt jusjurandum per Pollucem, & viro, & feminæ commune. Licet antiquiſſimi viri, neque per Caſtorem, neque per Pollucem dejerare ſint ſoliti, & hoc jusjurandum tantum fuerit feminarum ex initiis Eleuſiniis acceptum: paullatim tamen inſcitia antiquitatis viri ædepol cœperunt dicere,*

Gell. xi. 6. *Hanſer. de jurejur. c. 4.* Scribi ſolet per diphthongum, quia jurari credebant per *ædem Pollucis.* Sed non ita eſt. Nam ſcribendum *edepol,* quod conflatum ex tribus vocibus, particula jurandi *me,* vel *e,* & *deus Pollux.* Voſſ. Lex. Etymol. Non hæc cauſa, cur ſcribendum *edepol;* ſed longe alia. Mos erat veteribus vocales longas duplicare, & vel *c,* vel *d* inſerere. Itaque pro *epol* ſcribebant *eepol,* & *edepol,* ſicut mecum, meecum, medecum. *Meurſ. Exerc. Crit.* i. *ad Capt. c.* 4. *p.* 80. *Par. Lex. Crit. p.* 49.

ÆDES privata ūt deſcripta ſit ad uſum & commoditatem familiæ, curandum eſt, neque in ea pars ulla ſit vacua & inutilis. *Kobierzyck. de Lux. Rom.* ii. 9. Potentiorum *ædes* tam laxæ, tam patentes, ut ſervorum cellæ fuerint laxiores, quam rus erat Cincinnati: imo laxitatem urbium magnarum vicerint. *Kobierzyck. ibid. c.* 8. V. infr. in *Domus.* Tam altæ, ut templorum altitudinem ſuperaverint, ſupra humanos viſus extulerint, & illis cœlum abſconderint. Inter illos Cetronius & Poſides: quorum ille ædem Herculis & Fortunæ: hic Capitolium tranſcendit. Juven. Sat. xiv. 86.

Ædificator erat Cetronius, & modo curvo
Littore Cajetæ, ſumma nunc Tiberis arce,
Nunc Præneſtinis in montibus, alta parabat
Culmina villarum, Græcis, longeque petitis
Marmoribus, vincens Fortunæ, atque Herculis ædem,
Ut ſpado vincebat Capitolia noſtra Poſides.

Claud. in Stilich. Conſul. ii. 130.

Proxime dis conſul, qui tantæ proſpicis Urbi,
Qua nihil in terris complectitur altius æther.

Senec. ad Helv. c. 9. *Quo majori mole faſtigia cœnationum ſubduxerint: hoc plus erit, quod illis cœlum abſcondat.* Ratio, cur tanta Romæ ædium fuerit altitudo, fuit hæc. *In ea majeſtate urbis, & civium frequentia infinita, innumerabiles habitationes opus fuit explicare. Ergo cum recipere non poſſet area plana tantam multitudinem ad habitandum in urbe, ad auxilium altitudinis ædificiorum res ipſa coegit devenire.* Vitruv. ii. Hinc varia Imperatorum edicta, quibus modum *ædium* præſcripſerunt. Auguſtus ad ſeptuaginta pedes altitudinem *ædium* deſtinavit, Nero poſt incendium ad eandem formam cohibuit, ultimo Trajanus ad ſexaginta pedes reduxit. *Kobierzyck. ibid. c.* 7. *Meurſ. de Lux. Rom. c.* 12. *Buleng. de Imp. Rom.* ii. 7. *Bergier. de viis milit.* v. *Sect.* 9. *Ræuard. Conj.* iii. 12. Obſervari etiam ſolet, ut adverſus eum, qui modum altitudinis uſitatum exceſſit ædificando, novi operis nuntiatio cuivis ex populo competeret. Auctor eſt etiam Ulpian. l. 1. §. 11. de oper. nov. nunt. ſi quid in loco ſacro, religioſo, vel publico, aut ſi quid contra leges, edictave Principum, quæ ad modum ædificiorum facta ſunt, fiat, nuntiari novum opus poſſe. Ejuſque nuntiationis auctoritas tanta fuit, ut id, quod ædificatum erat illicite protinus dirueretur. Siquidem *illicite ædificatum* ait Ulpian. l. 11. §. 12. de Legat. iii. illud eſſe, quod dirui conſtitutiones jubent. Quod ſi dirutum ædificium, neglecto altitudinis modo, rurſus ſtruere dominus illicite non vereretur, ita ſolet puniri, ut cum ſolo ſuperficies cederet fiſco. Idque illud eſſe mihi videtur, quod de reſtructa domo, hoc eſt, ſemel diruta, & illicite iterum ædificata ſcripſit Calliſtr. l. 1. de jur. fiſc. *Ræuard. l. l.* Faſtigium habebant marmoreum, aut ſtatuis impoſitis magnificum, aut floribus plaſtico opere effictis decorum. Juvenalis modo laudatus. *Kobierzyck. l. l.* Laquearia tota aut inaurata, aut ſolido auro tecta, verſatilia, & alia atque alia ſubinde convivas delectantia: parietes marmore in tenues cruſtas ſecto ſcite inductos. V. infr. in *Lacunar.* In ipſis faſtigiis pomaria, ac nemora arborum, tum vulgarium, quarum una pomus referebat domino duo millium nummum annua, ſive florenos centum: tum aliarum, quas ad delicias habebant, & oſtentationem, quarum ſolas decem æſtimaverunt tricies HS, ſive centies & quinquagies mille florenis. Fores æratas teſtudinum putaminibus variegatas. Limen, & pavimentum marmoreum; poſtes marmoreos, imo deauratos; columnas marmoreas capitibus auratis magno numero, interdum centenas, & magni pretii, interdum ſingulas quingentorum florenorum. V. ſingula ſuis locis. Illarum pretium fuit non credendum facile. P. Clodius, quem Milo occidit, habitavit domo empta centies, & quadragies octies, id eſt, undecies centum & quatuor millibus florenorum. Cn. Domitius ſexcenties ſeſtertio, id eſt, tricies centum millibus florenorum. *Meurſ. l. l.* Qui emebant, prius eas fabris adhibitis inſpiciebant, ut ſcirent, an in tecto, vel parietibus eſſet aliquid vitii. Cicer. Fam. ix. 15. *Domum Sullanam deſperabam jam; ſed tamen non abjeci. Tu velim cum fabris eam perſpicias. Si enim nihil eſt in parietibus, aut in tecto vitii, cætera mihi probabuntur.* Suet. Oth. c. 6. n. 4. *Deinde liberto adeſſe architectos nuntiante, quod ſignum convenerat, quaſi venalem domum inſpecturus abſceſſit.* Briſſon. de Form. vi. p. 499. Pitiſc. in Suetonium. Qui vendebat, ſibi, vel inquilino habitationem excipiebat. Paull. l. ſi ſterilis. §. ult. ff. de action. empt. *Qui domum vendebat, excepit ſibi habitationem donec viveret, aut in annos ſingulos decem.* Ulpian. l. Julianus. §. ſi venditor. ff. eod. *Si venditor habitationem exceperit, ut inquilino liceat habitare, & colono, ut perfrui liceat ad certum tempus.* Briſſon. l. l. Illarum locatio, vel conductio ſolo conſenſu contrahebatur: & ut illa ſimul atque de re & pretio conveniſſet: ita hæc, ſtatim atque de re, & mercede, ſeu penſione conveniſſet, perficiebatur. In locatione lege cavebatur, *ut quæ in habitationem introducta, importata, ibi nata, factave eſſent, ea pignori locatori pro mercede habitationis eſſent* l. 1. ff. de migrando. Nec pro penſionibus ſolum, ſed & ſi deteriorem habitationem culpa ſua inquilinus feciſſet l. 2. ff. in quib. cauſ. pign. *Briſſon. ibid. p.* 513. *Qui combuſſerit, vinctus verberatus igni necabatur, ſi modo ſciens prudenſque id commiſerat. Si vero caſu, id eſt, negligentia, aut noxiam ſarcire jubebatur, aut, ſi minus idoneus eſſet, levius caſtigabatur.* Cajus l. qui ædes. ff. de incend. & ruin. *Auguſt. de Legib. Theſ. Antiq. Roman. Græv. Tom.* ii. *p.* 1306. *B.*

Ædes ſacræ pleræque in Urbe Roma fuerunt templa, eademque ſancta: nec tamen omnes *ædes* ſacræ templa fuerunt. *Guther. de vet. jur. Pontif.* iii. 1. *Manut. de Senat. Roman. c.* 6. Sed illæ tantum, quæ ſunt augurio conſtitutæ. Templum enim poſt conſecrationem inaugurabatur, *ædes* vero non item. Gellius ex commentario Varronis, quem εἰσαγωγικὸν appellabat xiv. 7. *Propterea & in curia Hoſtilia, & in Pompeja, & poſt in Julia, quum profana ea loca fuiſſent, templa eſſe per augures conſtituta; ut in iis Scta more majorum juſta fieri poſſent: inter quæ id quoque ſcriptum reliquit: non omnes ædes ſacras templa eſſe, ac ne ædem quidem Veſtæ templum eſſe,* Bergier. de viis milit. V. Sect. 8. §. 2. ut templa erant quadratæ, paucis exceptis. Nam rotundæ tribus diis fiebant, Veſtæ, Dianæ, Herculi, vel Mercurio. Sed & Pantheon Jovi Ultori ab Agrippa forma convexa θυλοειδές. V. infr. in *Pantheon.* Et Marti Ultori ab Auguſto facta, poſt Philippenſe bellum rotunda fuit. V. infr. in *Templum.* Guther. l. l. Sacras *ædes* ad ſimilitudinem templi, dei ſimulacrum continentes in fanis ſuſpendebant. Quod eſt colligere ex Actor. c. 19. n. 4. Ubi *Demetrius quidam nomine, argentarius, faciens ædes argenteas Dianæ, præſtabat artificibus non modicum quæſtum.* Chryſoſt. Homil. 42. in hunc locum ſuſpicatur, fuiſſe has *ædiculas,* & coopercula, quæ ciboria vocabantur. Alii putarunt, fuiſſe thecas, in quibus ſigna Dianæ, aut characteres Epheſii. Sed templa fuiſſe aperte indicat contextus, qui habet ναὸς. *Ædiculæ* enim argenteæ, ad ſimilitudinem templi Dianæ, ſimulacra ejus continebant. *Tomaſ. de Donar. c.* 3. Et ad collum, aut in pileis, & veſtibus geſtabant, ut non præter rem ad hunc locum opinatus eſt C. a Lapide. *Tomaſ. l. l.* Prodigium erat, ſi *ædes* ſacra fulmine icta eſſet. Tacit. Annal. xiii. 24. 2. *Urbem Princeps luſtravit e reſponſo aruſpicum, quod Jovis, ac Minervæ ædes de cœlo tactæ erant.* Guther. de Jur. Man i. 4.

Ædes Aji Locutii fuit ſita in infima nova via, ſed antiquiore, quæ initium habuit a foro Romano, ſupra ædem Veſtæ. *Marlian. Topogr. Urb Rom.* ii. 13. *Panvin. Deſcript. Urb. Rom. Theſ. Antiq. Roman. Græv. Tom.* iii. *p.* 271.

A. Blond.

A. Blond. Triumph. Romæ. I. *p.* 19. *D.* V. & infr. in *Via nova.*

Ædes Apollinis. V. illam infr. in *Templum.*

Ædes Bellonæ circo Flaminio fuit proxima, ante quam areola fuit cum columna bellica, unde consul hastam jacere solebat, genti alicui, vel Regi bellum indicturus. V. infr. in *Consul.* Fuit illa areola retro, sive a tergo convexæ extremitatis. Ovid. Fast. VI. 205.

Prospicit a tergo summum brevis area circum,
Est ubi non parvæ parva columna notæ.
Hinc solet hasta manu belli prænuntia mitti
In Regem, & gentes, cum placet arma capi.

Situs ejus in circo fuit, ubi nunc monasterium est turris speculorum, aut certe in proximo. Hanc vovit Appius Claudius cognomento Crassus, qui fuit consul cum L. Volumnio anno ab U. C. 457. & postea Cæcus est dictus. Ovid. Fast. VI. 203.

Appius est auctor, Pyrrho qui pace negata
Multum animo vidit; lumine captus erat.

Liv. X. 19. *Appius dicitur..... ita precatus esse: Bellona, si nobis hodie victoriam duis, ast ego templum tibi voveo.* Nardin. Rom. Vet. V. 2. Donat. de Urb. I. II. Borrich. Ant. Urb. fac. c. II. §. 2. Pigh. Annal. Roman. I. p. 390. Buleng. de circo c. 5. Nicol. de Triumph. c. 9. §. 4. Ejus locus germanus si quæratur, fuit inter palatium Sabellorum theatro Marcelli superimpositum, & ædem S. Angeli in foro piscario; sed nihilominus extra Urbem. Extra illam fuit, ne inter cives esset belligera dissensio. Non vacat hic Blondum Instaur. Rom. III. & interpretes Ovid. Fast. VI. 205. refellere, qui ad circum maximum, nempe in media fere Urbe locant. *Donat. l. l. Argol. in Panvin. de Lud. circens.* I. 20. Ad hanc senatus dabatur, qui postulabat, ut triumphanti Urbem inire liceret, & legatis, quos in Urbem admittere nolebant. Donat. Nardin & Argol. l. l. V. & infr. in *Triumphus.*

Ædes Bonæ deæ condita fuit in summo Aventini colle, quæ pars Remuria dicta est, & captatis Remi auspiciis insignis, Tiberi imminet. Antiquarii illam, ubi templum S. Mariæ cognomento Aventinæ colitur, constituunt. Ovid. Fast. V. 148.

—— interea diva canenda Bona est:
Est moles nativa loco, res nomina fecit.
Appellant saxum: pars bona montis ea est.
Huic Remus institerat frustra, quo tempore fratri
Regna Palatinæ prima dedistis aves.
Templa patres illic oculos exosa viriles
Leniter acclivi constituere jugo.

Donat. de Urb. Rom. III. 13. Marlian. Topog. Urb. Rom. IV. 3. Alex. Gen. dier. VI. 8. Faun. Antiq. Rom. III. 1. Broukh. in Tibull. I. 7. 22. Fuit & altera cognomine subsaxanæ deæ in regione duodecima ad distinctionem prioris. Quum enim regio hæc Aventino subjecta fuerit, pars ejus quæ clivo proxima fuit, id est, dextra a circo ad portam tendentibus, recte sub saxo dici potuit. Quumque altera Bonæ deæ *ædes* in illo saxo fuerit, optime huic nomen subsaxanæ convenit. *Nardin. Rom. vet.* VII. 6. *Pancirol. Descript. Urb. Rom. Thes. Antiq. Roman. Græv. Tom.* III. *p.* 369. *D. Broukh. l. l.*

Ædes Boni Eventus. V. illam infr. in *Templum.*

Ædes Camœnarum fuit extra portam Capenam, propterea a nonnullis Camœnam dictam, in via Appia. Hanc Fulvius Nobilior exstruxit, & luco instruxit, cum antea lucum alterum perenni amœnum fonte Camœnis Numa dicaverat. *Ædis* hujus meminit Plin. XXXIV. 5. *Notatum ab auctoribus, & L. Actium poetam in Camœnarum æde maxima forma statuam sibi posuisse, cum brevis admodum fuisset.* Mart. II. 6. 15

Et cum currere debeas Bovillas,
Iter jungere quæris ad Camœnas.

Donat de Urb. Rom. III. 13. Panvin. Descript. Urb. Rom. Thes. Antiq. Roman. Græv. Tom. III. p. 252. Marlian. Topogr. Urb. Rom. I. 8. Aring. Rom. Subterr. III. 10. 12. Ferret. Mus. Lapid. III. memor. 8. Ego, Fulvium hic novum ædificasse Camœnarum delubrum in eadem regione, eademque via Appia, ubi vetus illud erat Numæ; vel etiam hoc instaurasse, atque jam collapsum restituisse, quibus probari certis possit argumentis non video. Puto unam tantum *ædem* fuisse Camœnarum sacro Egeriæ fonti vicinam. *Nardin. Rom. Vet.* III. 3.

Ædes Carmentæ fuit in parte infima montis Capitolini versus Tiberim, ubi prius fuerat habitaculum *Carmentæ* matris Euandri. *Oisel. in Gell. N. A.* XVIII. 7. *Panvin. Descr. Urb. Rom. Thes. Ant. Rom. Græv. Tom.* III. *p.* 273. *F.* Hanc ædificarunt matres, cum usu vehiculorum, quibus trahendis jumenta jungerentur, senatus ipsis interdixisset. Tunc inter se conspirarunt, neque uterum gerere se, neque parere velle, ac viros hac ratione ulcisci. Et hoc fecerunt, donec mutata sententia usus vehiculorum concessus fuit. Exinde cum parerent, fœcundæ & liberorum copia claræ *ædem* Carmentæ posuerunt. *Morestell. de Fer. Roman. Dial.* 5. *Hospin. de Orig. Fest. Ethn. p.* 96. b. *Faunus Antiq. Urb. Rom.* III. 6. *Blond. Triumph. Rom.* IX. *p.* 199. *A.*

Ædes Carnæ in monte Cœlio condita est a Bruto primo consule, quæ credebatur conservare humana viscera, & præesse cardinibus. Macrob. Saturn. I. 12. *Quod hoc mense, id est, Kalendis Januariis, pulso Tarquinio, sacrum Carnæ deæ in Cœlio monte voti reus fecit* Brutus. *Donat. de Urb. Rom.* III. 12. *Faun. Antiq. Urb. Rom.* III. 16. *Rhodig. Ant. Lect.* IX. 8. *Tiraquel. in Alex. Gen.* VI. II. *Nardin. Rom. Vet.* III. 7.

Ædes Castoris & Pollucis } V. illas infr. in *Templum.*
Ædes Cereris }

Ædes Concordiæ a Furio Camillo dictatore seditione populari vota est circa an. 387. ad ipsum Capitolii adscensum posita, respiciebat forum, & comitium. Plutarch. in Camill. p. 151. *E. Insequenti die, coacto populi concilio, sciscitur ut ædes Concordiæ, quam voverat Camillus, quæ foro, & concioni immineret, ob sedatum exstrueretur tumultum.* Ovid. Fast. I. 637.

Candida te niveo posuit lux proxima templo,
Qua fert sublimes alta Moneta gradus.
Furius, antiquam populi populator Etrusci
Voverat, & voti solverat ille fidem.
Causa, quod a patribus sumptis secesserat armis
Vulgus, & ipsa suas Roma timebat opes.

Illam Livia Augusta restituit, & Tiberius dedicavit. Ovid. n. 647.

Inde triumphatæ libasti munera gentis,
Templaque fecisti, quam colis ipse, deæ.
Hæc tua constituit genetrix, & rebus, & ara....

Suet. Tib. c. 20. n. 4. *Dedicavit & Concordiæ ædem.* Dio LVI. p. 586. B. *Anno sequenti Concordiæ ædes sacrata est a Tiberio, qui illi suum, & fratris Drusi jam vita functi nomen inscripsit M. Æmilio Lepido, Statilio Tauro coss.* Rycq. de Capit. c. 42. Ortel. Deor. & dear. cap. II. 51. Blond. Instaur. Rom. II. p. 66. Hospin. de Orig. Fest. p. 97. A. Donat. de Urb. Rom. II. 14. Nardin. Rom. vet. V. II. Pitisc. in Suetonium. Calcagn. de Concord. p. 414. Marlian. Topogr. Urb. Rom. II. 10. Inscripsit & fratris nomen Tiberius, mutuam, quæ inter illos erat, benevolentiam publice hac re declaraturus. *Perizon. Anim. Histor. c.* 3. In illa senatus haberi poterat. Sallust. Bel. Catil. c. 36. *Consul Lentulum, quod prætor erat, ipse manu tenens in senatum perducit, reliquos cum custodibus in ædem Concordiæ venire jubet: eo senatum convocat.* Et ideo curia vocabatur. Lamprid. Alex. Sev. c. 6. *Cum senatus frequens in curiam, hoc est, in ædem Concordiæ, templum inauguratum, convenisset.* Qui recte *templum inauguratum* vocat, quia senatus non poterat haberi nisi in loco per augures constituto, quod templum dicebatur. *Marlian. l. l. Buleng. de Imp. Rom.* III. 10. Hujus porticum, fastigio, ornamentisque nudatam adhuc spectari antiquarii existimant cum ista inscriptione:

SENATUS. POPULUSQ. ROMANUS. INCENDIO.
CONSUMPTAM. RESTITUIT.

Rycq. & Donat. l. l.

Ædes Concordiæ in arce Tarpeja est vota a L. Manlio

lio prætore. Liv. XXII. 33. *In religionem venit, ædem Concordiæ, quam per seditionem militarem biennio ante L. Manlius prætor in Gallia vovisset, locatam ad id tempus non esse. Itaque duumviri ad eam rem creati ab Æmilio prætore Urbis Cn. Pupius, & Kæso Quintius Flaminius ædem in arce locaverunt.* Ab Atiliis dedicata. Liv. XXIII. 21. *Et duumviri creati M. & C. Atilii ædem Concordiæ, quam L. Manlius prætor voverat, dedicaverunt.* Rycq. de Capitol. c. 42. Hospin. de Orig. Fest. p. 97. a. Ortel. Deor. & dear. cap. II. 51. Qua parte arcis fuerit, non constat. At non longe a muris dissitam videor mihi posse colligere ex Liv. XXVI. 23. *Eodem anno prodigia aliquot visa, nuntiataque sunt. In æde Concordiæ Victoria, quæ in culmine erat, decussaque ad victorias, quæ in arce fixæ erant, hæsit.* Erant autem hæ victoriæ statuæ alatæ cum tropæis in manu, quas cum in *arce fixas* Livius dicat, forte muris ejus affixas significare voluit, quibus illa altera fulmine tacta, cum delaberetur, adhæsit. *Nardin. Rom. Vet.* V. 16.

Ædes Concordiæ in *area Vulcani*. Hanc *summa invidia dedicavit*, C. Flavius, Cn. filius scriba; *coactusque consensu populi Cornelius Barbatus pontifex maximus verba præire, cum more majorum negaret, nisi consulem, aut Imperatorem posse templum dedicare.* Liv. IX. 46. *Hospin. de Orig. Fest. p.* 97. *a. Rycq. de Capitol. c.* 42. *Ortel. Deor. & dear. cap.* II. 51.

Ædes Cybelos. V. illam infr. in *Templum.*

Ædes Ditis patris posita est in circo maximo, quia poetæ fingunt, quadriga Plutonem vectum fuisse. *Pancirol. Descript. Urb. Rom. Thes. Antiq. Roman. Græv.* III. *p.* 367. *C.*

Ædes Fauni
Ædes Fidii Divi
Ædes Floræ
Ædes Fortunæ
} V. illas infr. in *Templum.*

Ædes Furinarum fuit in regione decima quarta trans Tiberim. De hac meminit vetus hic lapis:

I. O. M. N. AUG.
SACR
GENIO. FURINARUM
ET. CULTORIBUS. HUJUS
LOCI. TERENTIA. NICE
CUM. TERENTIO. DAMA
RIONE. FILIO. SACERDOTE
SIGNUM. ET. BASIM
DE. SUO. POSUIT.

Panvin. Descript. Urb. Rom. Thes. Ant. Rom. Græv. Tom. III. *p.* 311. *E. Nardin. Rom. Vet.* VII. 11.

Ædes Herculis
Ædes Honoris & Virtutis
Ædes Jovis
Ædes Isidis
} V. illas infr. in *Templum.*

Ædes Isidis Athenodoriæ. V. illam infr. in *Isis Athenodoria.*

Ædes Isidis & Serapidis in Capitolio fuit posita. Quos tamen, ait Tertull. Apolog. c. 6. *Capitolio prohibitos, id est, curia deorum pulsos Piso & Gabinius coss. eversis etiam eorum aris abdicaverunt. His vos restitutis summam majestatem contulistis.* Et fuisse restitutos in Capitolium (alibi enim in Urbe colebantur) ostendit Prudent. contr. Symmach. I. 630.

Isidis amissum semper plangentis Osirim
Mimica ridendaque suis sollennia calvis,
Et quascunque solent Capitolia claudere larvas.

Donat. de Urb. Rom. II. 10.

Ædes Junonis
Ædes Juturnæ
} V. illas infr. in *Templum.*

Ædes Juventutis fuit in circo maximo. *Dedicavit eam C. Licinius Lucullus duumvir. Voverat sexdecim annis ante M. Livius consul, quo die Hasdrubalem, exercitumque suum cecidit. Idem censor eam faciendam locavit M. Cornelio, Tib. Sempronio coss.* Liv. XXXVI. 36. Forte fuit in circi ambitu exteriore. *Blond. Instaur. Rom.* III. §. 27. *Panvin. de Lud. circens.* I. 8. *Nardin. Rom. Vet.* VII. 2. In hanc nummum conferre debebant, quoties quis togam virilem indueret. V. infr. in *Nummus.*

Ædes Larium fuit in summa sacra via; ubi Ancus Martius habitavit. Male a quibusdam collocari solet ad *ædem* S. Mariæ Liberatricis, quæ longe a summa sacra via remota est. Verum sive in monte Palatino, sive ad ima montis, exigui ea differentia momenti est. *Nardin. Rom. Vet.* I. 2: III. 12. V. infr. in *Sacellum.* Permarinûm etiam fuit in campo Martio, quam vovit L. Æmilius Regillus navali prælio adversus præfectos Antiochi: quadraginta post annos dedicata est. Liv. XL. 52. *Idem* M. Æmilius *dedicavit ædem Larium permarinûm in campo. Voverat eam annis undecim ante L. Æmilius Regillus navali prælio adversus præfectos Regis Antiochi.* Macrob. Saturn. I. 10. *Undecimo Kalendas feriæ sunt Laribus consecratæ, quibus ædem bello Antiochi Æmilius Regillus prætor in campo Martio curandam vovit.* Pigh. Annal. Rom. II. p. 338. Donat. de Urb. Rom. III. 22. Borrich. Ant. Urb. fac. c. II. §. 6. Rosin. Antiq. Rom. II. 14.

Ædes Libertatis
Ædes Lunæ
Ædes Martis
} V. illas infr. in *Templum.*

Ædes Matutæ in foro fuit boario a Servio Tullio facta. Ovid. Fast. VI. 479.

Hac tibi luce ferunt Matutæ sacra parenti
Sceptriferas Servî templa dedisse manus.

a Camillo refecta. Liv. V. 19. *Camillus dictator dictus vovit se ædem Matutæ matris refectam dedicaturum, jam ante ab Rege Servio Tullio dedicatam.* c. 23. *Dedicavit Matutæ matri.* Et cum arsisset, iterum instaurata a triumviris ea de causa creatis. Liv. XXV. 7. V. illum infr. in *Triumviri locorum reficiendorum.* Donat. de Urb. Rom. II. 25. Nardin. Rom. Vet. V. 10. Marlian. Topogr. Urb. Rom. III. 13: IV. 5.

Ædes Mentis fuit in Capitolio. Illam *Otacilius prætor vovit.* Liv. XXII. 10. T. Otacilius Crassus dedicavit. Liv. XXIII. 31. *Interea duumviri creati sunt Q. Fabius Maximus, & T. Otacilius Crassus ædibus dedicandis. Menti Otacilius, Fabius Veneri Erycinæ. Utraque in Capitolio est; canali uno discretæ.* Donat. de Urb. Rom. II. 10. Rycq. de Capit. c. 42. Marlian. Topogr. Urb. Rom. II. 6. Tomas. de Donar. c. 23. Nardin. Rom. Vet. V. 16. Faunus Antiq. Urb. Rom. II. 6. Pigh. Annal. Rom. II. p. 156.

Ædes Mentis alia a M. Marcello, qui Syracusas cepit, vota, & a Marco Æmilio Scauro alibi videtur fuisse dedicata. De illa Plutarch. de Fortun. pop. Rom. p. 318. D. *Ædem Mentis dedicavit Æmilius Scaurus, qui belli Cimbrici tempore vixit.* Et Cicer. de Nat. deor. II. 23. *Ut Fides, ut Mens: quas in Capitolio dedicatas videmus proxime a M. Æmilio Scauro.* Rycq. de Capitol. c. 42. Sed priorem non aliam a Scauro consecratam esse putat *Nardin. Rom. Vet.* V. 16.

Ædes Mephitis fuit prope vicum patricium in extremis Esquiliis, non longe a regia Servii Tullii, supra S. Laurentii *ædem* in fonte, aut saltem non procul inde. Festus in Septimontio: *Qui*, Servius Rex, *ejusdem rei causa eam partem Esquiliarum, quæ jacet ad vicum patricium versus, in qua regione est ædes Mephitis, tutatus est.* Donat. de Urb. Rom. III. 10. Nardin. Rom. vet. IV. 3. Borrich. Ant. Urb. fac. c. 7. §. 4.

Ædes Mercurii fuit in regione prima, quæ porta Capena dicta est, an ad aquam Mercurii, de qua infr. in *Aqua*, alibive incertum. Ovidii tempore ibi fuisse, cum nullam faciat ejus mentionem, satis alias prolixe ritum asperginis illius aquæ describens, vix credibile est. Saltem non longe a porta abfuisse constat. *Nardin. Rom. vet.* III. 2. *Buleng. de circo c.* 9. *Marlian. Topogr. Urb. Rom.* III. 20.

Ædes Minervæ
Ædes Neptuni
} V. illas infr. in *Templum.*

Ædes Nympharum. In illa censores acta sua tabulis publicis descripta servarunt. Cicer. pro Mil. c. 27. *Qui Nympharum ædem incendit, ut memoriam publicam recensionis tabulis publicis impressam exstingueret.* At, quid eæ Nymphis creditæ? nisi quod censura puræ mentis integritatem iis peculiarem exigat. *Tomas. de Donar. c.* 28.

Ædes Opis fuit in Capitolio. Hanc vovit Tatius

Rex,

Rex. Sp. Postumio Albino & Q. Marcio Philippo coss. de cœlo est tacta. Liv. xxxix. 22. *Addita est unum diem supplicatio, quod ædes Opis in Capitolio de cœlo tacta erat.* Marlian. Topogr. Urb. Rom. II. 6. In hac erat septies millies sestertium. Cicer. Phil. II. 37. *Ubi est septies millies sestertium, quod in tabulis, quæ sunt ad Opis, patebat.* Erant hi milliones septendecim, & quingenta scutatorum millia, quam pecuniam illic a Cæsare depositam dissipavit Antonius. Usitatum Romanis ibi pecunias quasi in tuto reponere. Templa enim ista vigiliis militum custodiebantur. Congruum porro erat Opis *ædi* custodiæ causa aurum civile committere, cum in *æde* Saturni ærarium esset Reipublicæ. *Donat. de Urb. Rom.* II. 10. *Faun. Antiq. Urb. Rom.* II. 6. Incertum esse, an in hac, an potius in illa, quæ in vico jugario fuit, Opis æde Cæsar hanc pecuniam deposuerit, putat *Nardin. Rom. Vet.* v. 16.

Ædes Orci. V. illam infr. in *Templum Heliogabali.*

Ædes Penatium / *Ædes* Pietatis } V. illas infr. in *Templum.*

Ædes Portumni fuisse dicitur prope pontem Æmilium, qui prius sublicius dictus. Quæ ubi fuerit, liquet, quia pilæ adhuc ejus pontis visuntur: qui totus tractus areis nunc occupatus est, quæ lignorum serviunt receptaculis. *Nardin. Rom. Vet.* VII. 3. *Donat. de Urb. Rom.* III. 22. *Borrich. Ant. Urb. fac. c.* 10. Sunt autem nonnulli, qui ædiculam rotundam S. Stephani, quæ in ripa Tiberis ad cloacæ maximæ exitum est, hanc esse *ædem* Portumni existiment; alii illud Herculis esse templum, alii Vestæ putant, viciniam pontis pro argumento allegantes. Nihilominus pilæ pontis Æmilii sat longe inde remotæ sunt: viciniorque illi est pons S. Mariæ, seu senatorius, qui nunc disjectus est. Qui tamen illam alteram fuisse Portumni *ædem* dixerit, a Victore memoratam, fortasse verum dixerit, oculorum usus testimonio. *Nardin. l. l.*

Ædes Rubiginis. V. illam infr. in *Lucus.*

Ædes Salutis. V. illam infr. in *Templum.*

Ædes Sangi fuit propinqua templo Quirini in monte Quirinali. Colligitur ex Liv. VIII. 20. *Quod æris ex eis redactum est, ex eo ænei orbes facti, positi in sacello Sangi versus ædem Quirini. In illa lana cum colo, & fuso Tanaquilis duravit, prodente se, auctor est Varro* apud Plin. VIII. 48. *Donat. de Urb. Rom.* III. 15. *Ferret. Mus. Lapid.* I. *memor.* 17.

Ædes Saturni / *Ædes* Serapidis / *Ædes* Solis } V. illas infr. in *Templum.*

Ædes Spei fuit in foro olitorio. Liv. XXI. 62. *Ædem Spei, quæ in foro olitorio est, fulmine ictam.* Hanc consecravit Collatinus. Cicer. de Legib. II. 11. *Recte etiam Spes a Collatino consecrata est.* Bello Punico Q. Fabio & T. Sempronio Graccho coss. fulmine icta incendio conflagravit. Triumviri restituerunt. Livius. V. illum infr. in *Triumviri locorum reficiendorum.* Dio L. refert iterum arsisse ante bellum Actiacum. Illam sub Tiberio *instauravit Germanicus.* Tacit. Annal. II. 49. 4. *Spei ædes a Germanico sacratur: hanc Atilius voverat eodem bello.* Nardin. Rom. Vet. VII. 4. Boissard. Topogr. Urb. Rom. I. p. 12. Faunus Antiq. Urb. Rom. III. 6. Lips. in Tacitum. Donat. de Urb. Rom. I. 9. Brouckh. in Tibull. I. I. 5.

Ædes Telluris / *Ædes* Tempestatis } V. illas infr. in *Templum.*

Ædes Vejovis vicina fuit asylo. V. infr. in *Asylum*: in depressiore area inter utrumque Capitolii verticem, in octava regione, quæ forum Romanum, ubi nunc curia, statua equestris Alexandri Severi, domus senatoria. Gell. v. 12. *Est etiam ædes Vejovis Romæ inter arcem, & Capitolium.* Borrich. Ant. Urb. fac. c. 10. Nardin. Rom. vet. v. 13. Marlian. Topogr. Urb. Rom. II. 2.

Ædes Veneris / *Ædes* Vertumni / *Ædes* Vestæ } V. illas infr. in *Templum.*

Ædes Victoriæ. V. illam infr. in *Templum.*

Ædes Augustales Decii qui in monte Viminali ponunt, nescio, an voluntate magis quam ratione id faciant. *Donat. de Urb. Rom.* III. 11.

Ædes Cæsarum *Palatium nominabatur, non quod ita aliquando decretum sit, sed quod in Palatino monte Cæsar habitabat, ibique prætorium ejus erat, ac nonnihil domus ejus ab eo monte, propterea quod ibi quondam Romulus habitarat, multum splendoris accepit: ideoque etiamsi alibi Imperator domicilium suum haberet, tamen id quoque Palatii nomen obtinuit.* Dio LIII. p. 507. B. Domus autem Romuli fuit ad pulcri littoris gradus, qui locus imminebat, devexusque erat in vallem, in qua conditus postea est circus maximus contra Aventinum. Cæsarum *ædes* modicæ primum sub Augusto, postea in eximiam amplitudinem a successoribus auctæ sunt. *Donat. de Urb. Rom.* III. 2.

Ædes civium nimia ædificiorum altitudine inobscurabantur, & vici publici tenebricosi, & offusi caligine solis apertam lucem accipere prohibebantur. Urbs enim septem colles, vallesque intermedias complectebatur, alia ædificia jacebant in subjectis vallibus, alia editissima his imminebant e montibus, semitis viisque duntaxat perangustis interpositis. *Donat. de Urb. Rom.* I. 25.

Ædes illorum, qui Romæ regnare voluissent, diruebantur, ut Sp. Melii, M. Manlii, Sp. Cassii. *Donat. de Urb. Rom.* II. 21. *Nardin. Rom. vet.* III. 14.

ÆDESSA urbs erat metropolis Osroënæ in Mesopotamia, in læva ad Euphratem, ubi Abgarus Rex imperavit, qui ad Dominum epistolam scripsisse dicitur, cumque Thadæus cum populo ad pietatem Christianam perduxit. In illa erat fabrica scutaria & armamentaria, in qua scuta fiebant, & arma fabricata reponebantur. Imperante Justino, a Scirto flumine, qui eam interfluebat, est submersa. Aqua ad alveum reversa, in fluvii ripa lapis est inventus, cui notis hieroglyphicis erat insculptum; *Fluvius male saltabit civibus.* Græci enim σκιρτᾷν saltare dicunt. *Panciroll. Not. Dign. Imp. Orient. c.* 68.

ÆDICULA erat ædes parva, ita ut quilibet vicus haberet suam *ædiculam*, quemadmodum hodie quælibet curia, vel parochia suum templum. *Pancirol. Descript. Urb. Rom. Thes. Antiq. Roman. Græv. Tom.* III. *pag.* 326. *E.*

Ædicula est etiam armarium, quod vulgo ciborium appellatur: receptaculum, & quoddam quasi loculamentum, quo simulacra deorum contineri solent. In hanc sententiam Plin. XXXVI. 5. *Ædicula ejus tota aperitur, ut conspici posset undique effigies deæ.* Apul. Met. III. p. 96. *In ipso fere meditullio Eponæ deæ simulacrum residens ædiculæ, quod accurate corollis roseis equidem recentibus fuerat ornatum.* Beroald. in Apulejum. Kipping. Antiq. Roman. I. 8. §. 9. Et *ædicula Juventutis* apud Plin. XXXV. 10. quia ejus ara ad murum fuit, forte loculus fuit, aut aliud quid ornatum columnis, epistyliis, coronis, & frontispicio. *Nardin. Rom. Vet.* v. 15. *Donat. de Urb. Rom.* II. 4. *Marlian. Topogr. Urb. Rom.* II. 4.

Ædicula Capraria fuit in regione sexta, quæ Via lata. *Panvin. Descript. Urb. Rom. Thes. Antiq. Roman. Græv. Tom.* III. *p.* 294. *D.* Forte ab effigie illic expressa, sculptave capræ Amaltheæ nomen habuit. *Nardin. Rom. Vet.* IV. 10.

Ædicula Dianæ / *Ædicula* Fidei } V. illas infr. in *Templum.*

Ædicula Isidis & Serapidis fuit in regione tertia, quæ Isis & Serapis est dicta. Hæc dicta est non ab illa *ædicula*, ut Rufus & Victor volunt; sed a templo aliquo Isidi & Serapidi dedicato. Exstruxerit hoc Augustus in magna illa proscriptione: & cum Augustus deinde Urbem in regiones divideret, huic ab illo templo, opere scilicet suo, Isidis & Serapidis nomen dederit. Videri possit in Emporio fuisse. Non tamen Fulvio ea propter adsentiri possum, fuisse illud in hortis S. Mariæ Novæ, ubi duo tribunalia sibi conjuncta visuntur. Nam meta sudans, unde quarta regio incipiebat, satis aperte, hanc tertiam eousque non pertigisse, indicat. *Nardin. Rom. Vet.* III. 9.

in *Ædicula* Lares apud viros magnos adſervabantur; ut nunc *ædicula* circumforanei ſanctorum quoque imagines ligneas ferunt, excitandæ pietatis gratia, atque ita deductos Lares e Troja crediderim. V. infr. in *Lares.*

Ædicula Marti vota eſt a T. Tatio ſub nomine Quirini, ut ſcribit Varr. de Ling. Lat. VI. & ejus galea in ſacrario Capitolino adſervari ſolebat. Martem bellorum præſidem una cum pacatis numinibus in Capitolio cultum fuiſſe aſſerere videtur e noſtris Auguſt. de Civit. Dei IV. 23. *Nullo modo omnino, ſi conſuleretur, faceret Jupiter, quod ei fecerunt tres dii, Mars, Terminus, & Juventas, qui majori, & Regi ſuo nullo modo cedere voluerunt.* Et: *Capitolium ita conſtructum eſt, ut etiam iſti tres eſſent, & hoc etiam vix homines doctiſſimi ſcirent.* Sed quia nullus antiquorum fidem huic rei adſtruit, trepide viro ſanctiſſimo adſentio. *Rycq. de Capitol. c.* 14.

Ædicula Mercurii in monte fuit Aventino, in regione quarta & quinta. *Ferret. Muſ. Lapid.* 1. *Memor.* 6.

Ædicula Minervæ prope templum Minervæ in Flaminio intra ambitum Romani collegii nuper detecta eſt, alte ſub terra defoſſa, & in ejus abſide ſtatua Minervæ e baſi delapſa, & capite, pedibusque diminuta. V. inf. in *Statua.* Donat. de Urb. Rom. III. 16.

Ædicula Muſarum fuit in regione quarta, quæ templum pacis. Merula conjicit eſſe illam, de qua Mart. XII. 3. 8.

Jure tuo veneranda novi pete limina templi,
Reddita Pierio ſunt ubi templa choro.

At hic de templo agitur, cum Rufus *ædiculæ* meminerit, cujuſmodi in vicis plures. Forſan Martialis Apollinis hic Palatini templum indicare videri poſſet, aut Herculis Muſarum, ad circum Flaminium, niſi de templo recens conſtructo loqueretur, aut ſaltem nuper, ætateque ſua inſtaurato. *Nardin. Rom. Vet.* III. 15.

Æidiculas Nympharum incuſtoditas olim ipſa loci religio tutas præſtabat, ut oſtendit l. 6. ff. ad leg. Jul. pecul. *Holſteen Comm. in Nymphæum Antiq. Roman. Græv. Tom.* IV. *p.* 1802. A.

Ædicula Streniæ in via fuit ſacra ad Carinas inter Cœlium, & Eſquilinum. *Lipen. de Stren. c.* 2. §. 8.

Ædicula Veneris placidæ fuit in regione quinta, quæ Eſquilina dicta. *Tomaſ. de Donar. c.* 16.

Ædicula Vertumni. V. illam infr. in *Templum.*

Ædicula Victoriæ Virginis in Palatino *prope ædem Victoriæ M. Porcius Cato dedicavit biennio poſtquam vovit.* Liv. XXXV. 9. Vovit vero bello Hiſpanico an. 550. *Donat. de Urb. Rom.* III. 3. *Moreſtel. de Feriis Roman. Dial.* XIV.

Ædiculæ tres intra templum Capitolinum non loculi ad imponendas ſtatuas habendæ ſunt, ſed tres cellæ communibus quidem junctæ parietibus, verum diverſæ inter ſe, & ab extimo templi muro diviſæ. Ut hodieque in templis vetuſtioribus ad cultum, ornatumque majoris *ædis* e marmore cameratum fornicem quatuor fere fultum columnis pro ſumma teſtudine, vel altiore tholo erectum intuemur. Nam Tarquinius Jovi, Junoni, Minervæ templa voverat, quæ deinde majoris *ædis* ambitu concluſa ſunt. Nec ſolum cellæ, aut *ædiculæ*, ſed templa, & delubra nominantur a ſcriptoribus. Liv. VII. 3. *Clavus fixus fuit dextro latere ædis Jovis Optimi Maximi ea parte, qua Minervæ templum eſt.* Donat. de Urb. Rom. II. 4.

ÆDICULUS deus domibus peculiariter præerat. *Tomaſ. de Donar. c.* 8. *Stuck. de Sacrif. p.* 48.

ÆDIFICANDI in certos ætatis quoſdam gradus, ut Urbis ædificia intueamur, creſcentem Romæ domorum amplitudinem diſtinguere eſt neceſſe. *Donat. de Urb. Rom.* I. 24.

Ædificandi prima ætas eſt a condita Urbe ad inſtauratam poſt Gallicum incendium per annos trecentos ſexaginta quinque. Hac exiguas rudesque domos habuit Roma, cum ſub Regibus & poſt exactos Reges regnabat nihilominus civium paupertas; atque ampliſſime laudari exiſtimabatur, qui dicebatur bonus agricola, bonusque colonus: & poterat agro colendo familiam & diuturnorum impendia bellorum, quæ ſine publico ſtipendio gerebantur, ſuſtinere. Itaque illi quæſiti ab aratro Conſules & Dictatores quas domos *ædificarint*, quærendum non eſt. *Donat. de Urb. Rom.* I. 24. *Bergier. de viis mil.* V. *ſect.* 2.

Ædificandi ſecunda ætas ab Urbe reſtituta uſque ad primum Auguſti conſulatum annos continet trecentos quadraginta ſex. Capta fuerat a Gallis & incenſa Urbs. Trucidati omnes; præter eos, qui extra profugerant, aut confugerant in Capitolium. Omnia everſa, & ſolo penitus æquata erant. Illa Roma ab egentibus, & publica privataque calamitate oppreſſis, feſtinanter ſine lege ductuque artificum plerisque *ædificantibus*, domos non ad ſplendorem & luxum, ſed ad neceſſitatem vitamque imbricibus ac tectis ab injuria temporum defendendam habuit. *Donat. de Urb. Rom.* I. 25. *Bergier. de viis mil.* V. *ſect.* 3.

Ædificandi tertia ætas uſque ad decimum imperantis Neronis annum, quo Urbem cremavit, annos habet centum quinque. Hac, Auguſto principe, pulcerrimorum ædificiorum acceſſione Roma eſt decorata. Auguſtus plurima opera publica exſtruxit. Et cæteros hortatus eſt, ut pro facultate quiſque monumentis vel novis, vel refectis Urbem adornarent. Palatium Tiberiana domo Tiberius auxit. Urbem ſua domo Cajus Cæſar cinxit. Cives domos laxas, altasque peregrino marmore & auro veſtiverunt. V. ſupr. *in Ædes privata.* Donat. de *Urb. Rom.* I. 26. *Bergier. de viis mil.* V. *ſect.* 4.

Ædificandi quarta ætas uſque ad Gothicam obſidionem, captamque Romam duce Alarico trecentos quadraginta ſeptem annos complectitur. Reſurrexit Urbs hac ætate e flammis, decimo Neronis anno, multo pulcrior. Domus enim non, ut poſt Gallica incendia, nulla diſtinctione, vel paſſim erectæ, dimenſis vicorum ordinibus, & latis viarum ſpatiis, cohibita ædificiorum altitudine, affabre factis areis, additisque porticibus, quæ frontem inſularum protegerent. Hæc eſt ætas, qua pulcritudinem Urbis vix cogitando aſſequi licet, nedum narrando exprimere. Tantus inerat ædificiis luxus & ſplendor. *Donat. de Urb. Rom.* I. 27. *Bergier. de viis mil.* V. *ſect.* 5.

Ædificandi quinta ætas ad Juſtiniani principatus annum primum, & vigeſimum producta annos comprehendit centum triginta ſeptem, qui eſt annus Urbis 1300, eoque a Totila Gothorum Rege magna ex parte Urbs everſa, & incenſa cives, aut expulſos, aut ad exteras regiones traductos amiſit. Hæc ſenium quoddam Urbis venerabile complectitur. Nam Alaricus Honorio Cæſare, Genſericus ab Eudoxia Auguſta ad ulciſcendam viri Valentiniani cædem ex Africa vocatus Romam invaſerunt & expugnarunt. Quidquid illi fecerint, omnia vel ſumptu civium, vel ſequentium Principum munificentia inſtaurata ſunt ac reſtituta. Theodorico Regi quantum Urbis conſervandæ inſtaurandæque ſtudium fuerit, V. *infr. in Roma.* Totilas etiam Gothorum Rex Urbem, quam captam pulſis aut abductis civibus exhauſerat, regias ejus moles magna ex parte demolitus, vacuam ac deformatam reliquit. Deinceps Romana ædificia, cum reficeret nemo, vetuſtas vero visque temporum concuteret, deficere neceſſe habebant. *Donat. de Urb. Rom.* I. 28.

Ædificandi ſexta ætas ad noſtra tempora decurrit. Hac illam in priorem cultum puduit reſurgere, cum in Italia omnia, ſeu civilium artium, ſeu literarum ſtudia intermortua jacuere. *Donat. de Urb. Rom.* I. 28.

ÆDIFICIA tam dextre accommodare ſolebant, ut in æſtate grato frigore intenſos Sirii calores mitigarent, & in hyeme ſævientis tunc boreæ furores retunderent. Colum. I. 6. *Urbana rurſus in hiberna, & æſtiva ſic digeratur, ut ſpectent hyemalis temporis cubicula brumalem orientem, cœnationes æquinoctialem occidentem. Rurſus æſtiva cubicula ſpectent meridiem æquinoctialem, ſed cœnationes ejuſdem temporis proſpectent hibernum orientem.* Plin. Epiſt. V. 6. 31. *Incipit porticus; ante medium diem hiberna: inclinato die æſtiva. Hac adeuntur diætæ duæ, quarum in altera cubicula*

quatuor

quatuor, altera tria; ut circuit ſol; aut ſole utuntur, aut umbra. Commutabant etiam pro anni temporibus. Qui mos Parthorum Perſarum Regibus familiaris, & ab illis ex Aſia Romam eſt tranſlatus. *Kobierzyck. de Luxu Roman.* II. 9. *Catan. in Plinium.* Continentia Romæ urbis Tibur, Ocriculum, Ariciam, atque alio excurrebant, ſed maxime Oſtiam, & mare verſus. *Lipſ. de Magn. Rom.* III. 3. Hæc quidem ad exaggerationem Romanæ magnitudinis, ſed contra Ictorum mentem, & abſque lege. Longe ſiquidem ab omni recta, & probabili interpretatione erit, quod præfecti Urbi juriſdictio intra centum milliaria, eademque a continentibus ædificiis, non a milliario Urbis numeranda dimidio fere extendatur, ſi ab Ocriculo, quod 39. mill. paſſ. ab Urbe diſtat, numerari incipiat. Rurſus, quod quem Aricina, vel Tiburtina tellus primum gremio ſuſcepit, is Romæ natus dicatur. Ac demum, quod qui uſque ad continentia Urbis eſt, quamvis tribus, ut Ocriculanum municipium diætis ab Urbe diſtet, ab Urbe non abeſſe cenſeatur. *Fabrett. de Aquæ duct. Diſſ.* III. *Theſ. Antiq. Roman. Græv. Tom.* IV. *p.* 1761. B. *Negotiandi cauſa demoliri, & marmora detrahere edicto Veſpaſiani, & Scto vetitum fuit.* Alexander Imperator l. 2. C. de ædif. privat. *Auguſt. de Sctis Theſ. Antiq. Roman. Græv. Tom.* II. *p.* 1341. B.

ÆDILATUS *dicitur ædilis dignitas, ſicut pontificatus.* Feſtus. *Hotom. de Magiſtrat. Roman.* I. *Theſ. Antiq. Roman. Græv. Tom.* II. *p.* 1865. A. Quæſturam ſequebatur interjecto ſpatio annorum trium. V. infr. in *Ætas.* Robortel. de Grad. hon. Theſ. Græv. Tom. III. (45) B. In quibusdam civitatibus, aliter ac Romæ, excelluit tanquam ſummum munus, prout populis magiſtratum ſuum, penes quem annua recurreret dignitas, & cura Reipublicæ, libuit, vel dictatorem, vel prætorem, vel duumviros, vel *ædilem*, vel alio nomine revereri. *Cujac. ad l.* 18. *C. de Decur. Gothofr. ad l.* 4. *ff. de damn. inf.* §. 4. *Alciat. ad l. decuriones ff. de verb. ſign. Chimentel. de Hon. biſell. c.* 4. *&* 6. Quandoque erat gradus ad curiam: adeo alicubi *ædiles* non modo ſummum locum non obtinebant, ſed infra decuriones habebantur, niſi teſtimonio decipior veteris J. C. municipalis apud Gruter. p. 408. §. 1. *Abſque cenſu per ædilitatis gradum in curiam admitterentur* . . . . . Chimentel. ibid. c. 6. Inter illos erat magiſtratus, qui privatis muneribus excuſabatur l. 6. ff. de excuſat. Unde & Romæ, & in municipiis excuſati erant a tutela. Revera Romæ fuit honor, cum primus gradus ad honores fuerit quæſtura. *Buleng. de Imp. Rom.* VII. 15.

ÆDILIS primum Romæ creatus eſt, ut plebiſcita in Cereris *ædem* deferri curaret. *Ædium* non tantum ſacrarum, ſed etiam privatarum curam gerebat. Pompon. l. itemque ff. de orig. jur. *Itemque ut eſſent, qui ædibus præeſſent, in quibus omnia Scta ſua plebs deferebat: duos ex plebe conſtituerunt: quos etiam ædiles appellaverunt.* Pancirol. de Magiſtr. munic. c. 19. Keuchen. ad Frontin. de Aquæ duct. II. Theſ. Antiq. Roman. Græv. Tom. IV. p. 1656. D. Hotoman. de Magiſtr. Roman. I. Theſ. Græv. Tom. II. p. 1865. B.

Ædilis alimentarius in Romanorum notis ÆDIL. ALIM. non eſt ubertatis, & incolumitatis curator, qui fruſtra alimentarius diceretur, cum proprium fuerit munus *ædilium* proſpicere, ut optima alimenta, & copioſa in Urbe ſuppeterent. Sed vel quod ei curæ eſſet curare alimenta iis, qui de publico alebantur: vel forte, quod niſi ipſo auctore alimenta legata non poterant recipi; quemadmodum non recipiebantur, niſi auctore prætore, ut l. 1. §. ad eos ff. ad l. Falcid. qui forſan hac de cauſa alimentarius vocabatur. *Urſat. de Not. Rom. Theſ. Antiq. Roman. Græv. Tom.* XI. *pag.* 537. E. *Turneb. Adv.* XI. 10.

Ædilis Cerealis a Cerere eſt dictus. Julius Cæſar Africa capta, *juſſit viginti myriades medimnorum Atticorum frumenti, id eſt,* CC. *millia ad alendum populum Romam advehi: & olei librarum myriades* CCC, *id eſt, tricies centena millia, duosque curatores, & totidem ædiles Cereales inſtituit, qui hoc frumentum Romam advehendi, & populo diſtribuendi curam haberent.* Dio XLIII. p. 239. C. *Pancirol. Notit. dignit. imp. occid. c.* 4. *Hotoman. de Magiſt. Rom.* I. *Theſ. Antiq. Roman. Græv. Tom.* II. *p.* 1865. B. *Stuck. Antiq. Conviv.* I. 35: II. 12. *Gruch. de Comit. Rom.* II. 2. *Pigh. Annal. Roman.* I. *p.* 271. *Flocc. de Poteſt. Roman.* II. 13. *Læt. de Magiſtr. Roman. c.* 20.

Ædilis curulis ex ſella eborea jus dicebat. *Pollet. For. Rom.* III. 6. Et illa honoris cauſa utebatur. *Ædiles* enim plebis tantum in ſubſelliis ſedebant, ut & tribuni, & quæſtores. Aſconius. V. illum infr. in *Subſellia.* Itaque hi erant digniores, & *ædilitatem majorem* hanc curulem appellavit Plutarch: in Mario p. 408. A. *Lipſ. de Magiſtrat. Roman. c.* 12. Et eſt a plebejo diſtinctus, quoniam, quod eſt apud Theophil. §. proponebant de jur. nat. gent. & civ. hic ſella curuli utebatur. *Chimentel. de Hon. biſell. c.* XI. *Hotoman. de Magiſtr. Rom. Theſ. Antiq. Roman. Græv. Tom.* II. *p.* 1865. B. *Lycklama de Magiſtr. c.* 5. *Pigh. Annal. Roman.* I. *p.* 269. Magiſtratus erat minor, & comitiis tributis creabatur, non centuriatis, ut a quibuſdam aſſeritur. Scribit Gell. XIII. 14. ex M. Meſſala majores magiſtratus fuiſſe conſules, prætores, & cenſores, reliquos omnes fuiſſe minores: eodemque loco ſcribit, majores centuriatis, minores tributis comitiis creari. Unde neceſſario efficitur *ædiles* curules tributis comitiis creari. Idem VI. 9. ex L. Piſonis annali III. citat hæc verba: *Cn. Flavius patre libertino natus ſcriptum faciebat. Iſque eo tempore ædili curuli apparebat, quo tempore ædiles ſubrogabantur. Eumque primæ tribus ædilem curulem renuntiaverunt. At ædilis, qui comitia habebat, negat accipere.* Hic duo ſunt, quibus adducor, ut credam comitiis tributis *ædiles* curules creari. I. cum ait *a primis tribubus ædilem renuntiatum.* II. cum ait *illa comitia ab ædile habita.* Neque enim comitia centuriata habere poterant *ædiles*: præſertim, cum nec vocationem, nec prehenſionem haberent, ut ex Varrone docet Gell. XIII. 12. & 13. *Gruch. de Comit.* II. 2. Creatus primus eſt an. 388. Kalendis Januariis inibat magiſtratum. Liv. VI. 42. *Factum Sctum, ut duo viros ædiles ex patribus dictator populum rogaret.* VII. 1. *Annus hic inſignis novis duobus magiſtratibus, prætura, & curuli ædilitate. Hos ſibi patricii quæſivere honores pro conceſſo plebi altero conſulatu.* Hotoman. de Magiſtr. ibid. p. 1863. B. Primi fuerunt Cn. Quintius Capitolinus & P. Cornelius Scipio. Liv. VII. 1. *Broid. Coroll. ad Pollet. For. Rom.* III. 6. *Pigh. l. l. Flocc. de Poteſt. Roman.* II. 13. Cum pro uno conſule plebejo tres patricios prætextatos eſſe, unum prætorem, & duos *ædiles* tribuni plebis in concione quererentur: concordiæ cauſa conceſſum eſt, ut *ædiles* curules alternis annis ex plebe fierent. Poſtea promiſcuum fuit libero in omnibus *ædilium* curulium comitiis populi ſuffragio. *Manut. de Legib. c.* 5. Honorabatur toga prætexta, ſella curuli, non minus quam prætor, vel conſul: item antiquiore loco ſententiæ in ſenatu poſtmodum, ac jure imaginum conſpicuus: adeo ut etiam conſularibus viris hic magiſtratus rubori non fuerit, ſed ultro ab his aliquando petitum legamus. Licinium Macrum, & Ælium Tuberonem auctores adfert Liv. X. 9. Q. Fabium Maximum Rullianum ſua ſponte poſt tertium conſulatum ambiviſſe *ædilitatem* curulem. *Pigh. ibid. p.* 270. Non ſecus ac prætor edicta proponebat, & publicabat, ſecundum quæ de rebus his vel illis jus dicturus eſſet: deinde in ſella curuli conſidens, ex edicto ſuo jus reddebat. Plaut. Capt. IV. 2. 43.

Euge! edictiones ædilitias hic quidem habet.

Lipſ. l. l. Pollet. For. Rom. III. 2. Falconer. Diſſ. de Pyram. Ceſt. Theſ. Græv. Tom. IV. p. 1481. C. Hotoman. ibid. C. Ludorum Romanorum curationem, quam primum Reges, poſt conſules habuerunt, *ædiles* autem plebis recuſabant, ſuſcepit. *Sigon. de Antiq. jur. civ. Roman.* II. 20. *Buleng. de Circo c.* 42. *Venat. circi c.* 13. *Hotoman. l. l.* V. infr. in *Ludus.* Illis cum cura annonæ a populo data eſt cura ædificiorum, qua publicorum, qua privatorum. Et cura ſtraturæ viarum non parvam officii æ-

dilitii faciebat paginam. Eorumque namque erat viaſ Urbis militares, earumque margines munire, levigare, & complanare; pontes locis idoneis oportunos facere, impedire, ne ſtillicidia vicinis nocerent ædibus; jubere, ut murus, pariesve vitio fatiſcens, & in ruinam pronus, atque viæ publicæ confinis, ſive ædium propriarum, ſive aliorum dirueretur; aut ſartus tectus reficeretur, ne ruina prætereuntibus nociva foret: atque hoc ut facerent, indicta multa cogere ædium dominos; impedire ne quis ejus injuſſu viam publicam aperiret, reficeret, aut aliquid inædificaret, aut ſtatueret, quod publice incommodum eſſet; vetare, ne ex tabernis, officinisve quicquam projiceretur, aut prominerет, quod viam coarctaret; ne jurgia, ac rixæ in via publica fierent, ne morticina, fimus, aliæve ſordes in publicum effunderentur l. 3. ff. de via publ. & itiner. publ. reficiend. *Bergier. de viis milit.* 1. *Sect.* III. §. 5. *Lipſ. l. l. Pancirol. de magiſtr. munic. c.* 19. *Lycklama de Magiſtrat. c.* 5. *Hotoman. ibid. p.* 1864. E. Quo anno *ædilitatem* quis petere poſſet. V. infr. in *Ætas ædilitia.*

Ædilis plebis erat minor magiſtratus, & comitiis tributis creabatur. Quod poteſt oſtendi ex Livio, apud quem II. 56. legimus P. Voleronem tribunum plebis Coſſ. P. Furio, L. Pinario legem promulgaſſe, *ut plebeji magiſtratus tributis comitiis fierent:* quam legem ſequenti anno refectus tribunus plebis idem Volero, cum collega Lectorio, qui ſe addidit auctorem legis, tandem pertulit. Paullo aliter Dionyſ. IX. p. 600. Scribit enim Voleronem primum promulgaſſe de tribunorum plebis comitiis, ut ex curiatis, quæ adhuc fuerant, tributa fierent. Quam legem eo anno perferre non potuit: ob idque ſequenti anno legem relatam, hoc addito, ut etiam *ædiles* eiſdem comitiis tributis fierent: adeoque omnia, quæ plebis ſuffragiis peragi oporteret: eamque legem perlatam eſſe, ac propterea ex eo tempore tribunorum & *ædilium* plebis comitia ad ſuam uſque ætatem tributa ut eſſent, obſervatum eſſe. *Gruch. de Comit.* II. 2. Creati ſunt duo primum an. 261. Adminiſtri erant tribunorum, nec propriam jurisdictionem habebant; ſed de rebus tantum ad ſe tribunorum arbitrio delatis cognoſcebant, & edictum nullum propoſuiſſe veriſimile eſt. Zonar. II. *Atque hoc quidem modo tribunorum poteſtas conſtituta eſt: quibus duo etiam ædiles adjuncti ſunt, quorum miniſterio, atque opera, in literis, ac tabulis publicis uterentur. Omnia enim plebiſcita, & leges, & Scta in literas relata ædiles accipiebant, ac ne quid illos eorum, quæ in Republica gerebantur, latere poſſet, aſſervabant.* Dionyſ. VI. p. 411. *Petunt a ſenatu permitti ſibi, ut quotannis duos e plebe viros deſignent, qui tribunis ſubminiſtrent quicquid opus ſit: & lites, quas tribuni eis commiſerint, judicent: ædiumque ſacrarum, locorum publicorum, atque annonæ curam habeant. Hoc quoque per ſenatum conceſſo, creaverunt quos tunc miniſtros, & collegas, & judices tribunorum appellabant: nunc vero ab officiorum uno vernacula lingua ædiles, id eſt, ſacrarum ædium curatores vocant, poteſtatem habentes alterius magiſtratus miniſtram.* Panvin. in Faſt. I. p. 76. Hotoman. de Magiſtrat. Roman. Theſ. Antiq. Roman. Græv. Tom. II. p. 1863. B. Auguſt. de Legib. Theſ. Græv. Tom. II. p. 1168. D. Pollet. For. Rom. III. 5. Lipſ. de Magiſtrat. Roman. c. 12. Lycklama de Magiſtr. c. 5. Pigh. Annal. Roman. I. p. 95: II. 116. Erat etiam rebus venalibus præpoſitus, & tam mobilibus, quam ſoli de vitio venditis jus dicebat l. 1. in prim. de ædilit. edict. Ob id *edictum ædilitium* nuncupatum proponebat, quo juſto pretio annonam vendi jubebat l. ideo. ff. de compenſ. Menſuras quoque, ut æquæ eſſent, proſpiciebat, & quas iniquas deprehendiſſet, frangebat Ulpian. l. item quæritur. ff. ſi quis menſuras locat: *Si quis*, inquit, *menſuras conduxerit, eaſque magiſtratus frangi juſſerit: ſi æquæ ſunt, ita demum eum teneri, ſi culpa ejus id fecit ædilis.* Juven. Sat. X. 101.

Et de menſura vis dicere, vaſa minora
Frangere pannoſus vacuis ædilis Ulubris.

Perſ. Sat. I. 128.

Seſe aliquem credens, Italo quod honore ſupinus
Fregerit heminas Areti ædilis iniquas.

Hotom. ibid. E. Grang. in Juvenalem. Lycklama de Magiſtrat. c. 5. Pancirol. de Magiſtrat. municip. c. 13. & 19. Putean. de Nundin. c. 29. Stuck. Ant. Conviv. II. 12. V. infr. in *Nundinæ.* Cibariis, cupediiſque præerat, quæ vendi in populum ſolebant. Mart. V. 84. 4.

Arcana modo raptus e popina,
Ædilem rogat udus aleator.

Huc reſpexit Senec. de vit. beat. c. 7. *Loca ædilem metuentia.* Putean. l. l. Lipſ. in Senecam. Cura annonæ, quam pulſis Regibus excepit ſenatus, *ædilibus* plebis mandata eſt; ſemel extra ordinem ad L. Minutium, deinde ad *ædiles* curules tranſlata, diuque geſta præclare, uſque ad legem Semproniam, qua lege Gracchus an *ædilium* curulium operam repudiaverit, & ad alios hanc curationem tranſtulerit, non habeo dicere. Apul. Met. I. p. 33. *Annonam curamus, & ædilem gerimus.* Plaut. Rud. II. 3. 42.

— *Neptunus ita ſolet: quamvis faſtidioſus*
Ædilis eſt: ſi quæ improbæ ſunt merces, jactat omnes.

Contaren. de Frument. Roman. largit. c. 8. Lipſ. l. l. Luxui obviam ire ſunt ſoliti, & quicquid bonos civitatis mores antiquos poterat corrumpere. Cupedias in tabernis vendere vetuerunt, & obſonia cariora. Dictis & factis contumelioſos puniverunt, fœneratorum avaritiam coercuerunt. Sumptibus in funera nimiis modum ſtatuerunt, & ne veſtes pretioſæ monumentis inferrentur, interdixerunt. *Falconer, Diſſ. de Pyram. Ceſt. Theſ. Antiq. Roman. Græv. Tom.* IV. *p.* 1481. E. *Pollet. l. l.* De ſtuprorum quoque licentia, quam mulieres profitebantur, decreverunt. Tacit. Annal. II. 85. 1. *Eodem anno gravibus ſenatus decretis libido feminarum coercita, cautumque, ne quæſtum corpore faceret, cui avus, aut pater, aut maritus eques Romanus fuiſſet. Nam Viſtilia prætoria familia genita licentiam ſtupri apud ædiles vulgaverat, more inter veteres recepto, qui ſatis pœnarum adverſus impudicas in ipſa profeſſione flagitii credebant.* Suet. Tib. c. 35. n. 3. *Feminæ famoſæ, ut, ad evitandas legum pœnas, jure, ac dignitate matronali exſolverentur, lenocinium profiteri cœperant.* Unde Juſtin. XXI. 5. 7. ſcribit Dionyſium *apud ædiles adverſus lenones jurgari* ſolitum. Illis cura erat noſſe publica ſcorta, habere ea in tabulis, ut ſic dicam, & albo: &, ſi quam vulgantem ſe extra eum numerum nacti, multabant pecunia. Liv. X. 31. *Eo anno Q. Fabius Gurges conſulis filius ædilis aliquot matronas ad populum ſtupri damnatas pecunia multavit.* Etiam exſilio. Liv. XXV. 2. *L. Villius Tappulus, & M. Fundanius Fundulus, ædiles plebis, aliquot matronas apud populum probri accuſarunt, quaſdam ex iis damnatas in exſilium egerunt.* Lipſ. in Tacit. n. 218. & Excurſ. O. & de Magiſtrat. Roman. I. 1. Hotoman. Pollet. Lycklama l. l. Bongarſ. in Juſtinum, Pitiſc. in Suetonium. Cuidam *ædili plebis mortuo C. Calpurnius, qui ante ædilis curulis fuerat, ſucceſſit, quod alias factum fuiſſe memoriæ nuſquam proditum eſt.* Dio LIII. p. 519. B. *Hotoman. ibid. p.* 1864. F.

Ædilis quinquennalis videtur in municipiis interdum fuiſſe, quibus luſtralis honos is eſſet. Nam ut colonis agros ſuos in luſtrum locabant: ſic & interdum in luſtrum continuabant magiſtratum. Id indicat inſcriptio: ÆDIL. Q. IIII. VIR. I. D. *Turneb. Adv.* XI. 10.

ÆDILITAS curulis patricius erat magiſtratus. Sed illam tamen obtinuit Cn. Flavius, libertino patre natus, humili fortuna. Populus captus fuerat beneficio, quia jus civile, repoſitum in penetralibus Pontificum, Flavius divulgaverat, faſtis in albo circa forum propoſitis, ut, quando lege agi poſſet, ſciretur. *Manut. de Civit. Rom. Theſ. Antiq. Roman. Græv. Tom.* I. *p.* 36. B. V. Gellium ſupr. in *Ædilis curulis.* Petendæ annus quis V. infr. in *Ætas.*

ÆDITUATIO erat ſacræ ædis cuſtodia. Monumentum apud Gruter. p. 447. n. 7.

PANCILIS. CUB. ÆDET. EX. DD
PRO. MAG. L. D. OSSA. HIC. SITA
SUNT. IN. SUA. ÆD. DEC
LETUS. EST.

In quo ego ſic lego. *Vrſat. de Not. Roman. Theſ. Antiq. Roman. Græv. Tom.* XI. *p.* 536. B.

ÆDITUUS eſt ſacrarum ædium cuſtos. Feſtus: *Æditnus erat ſacræ ædis tuitor, id eſt curam agens.* Varr. de Ling. Lat. VI. 2. *A quo* tueor, id eſt, curo, *etiam quidam dicunt illum, qui curat ædes ſacras, æditum. Æditnus*, an *æditumus* ſit dicendum, diſputat Gell. XII. 10. *Vrſat. de Not. Roman. Theſ. Antiq. Roman. Græv. Tom.* XI. *p.* 536. C. *Demſter. Paralip. ad Roſin. Antiq.* III. 31. *Guther. de Jur. man.* II. 31. *Argol. in Panvin. de Lud. circenſ.* II. 12.

Æditnus virtutis vocatur poeta, virtutis celebrator & cultor, qui eam ſuis carminibus decantat. Horat. Epiſt. II. 1. 229.

Sed tamen eſt operæ pretium cognoſcere, quales
Æditnos habeat belli ſpectata, domique
Virtus.

Aliquem deum alii fortaſſe eximie colunt, ſed potiſſimum ejus *æditnus*, & ſacerdos præter cæteros. Nec alioquin parva cultus pars in *æde tuenda* cenſenda eſt. *Turneb. Adv.* XXVI. 25. *Revard. Var.* I. 15.

ÆDUI fuerunt ex Celtico genere, Allobroges contigerunt, ſocii e Gallis ſecundi Romanorum. Senatus illos ſæpe fratres, & conſanguineos appellavit. Et ab Avernis, & Ruthenis Romani defenderunt. *Sigon. de Antiq. jur. provinc.* I. 6.

ÆG.

ÆGIS *eſt proprie munimentum pectoris æreum, habens in medio Gorgonis caput: quod munimentum, ſi in pectore numinis fuerit, ægis vocatur: ſi in pectore hominis, ut in antiquis Imperatorum ſtatuis videmus, lorica dicitur. Hoc autem caput ideo Minerva fingitur habere in pectore, quod illic eſt omnis prudentia, quæ confundit alios, & imperitos, ac ſaxeos comprobat.* Serv. Æneid. VIII. 435. *Et ut ſit terroris imago, ut vir ſapiens terrorem contra adverſarios geſtet in pectore.* Fulgent. Mythol. II. 2. *Ægides* ſimulacrorum Minervæ Græci a Libybus, qui circa Tritonidem paludem incolunt, ſunt mutuati. *Junius de Pictur.* II. 8. *Demſter. Paralip. ad Roſin. Antiq. Roman.* V. 35.

ÆGRI per ſomnium in morbis conſulta capiebant. Suet. Veſp. c. 7. n. 5. *Orantes opem valetudinis demonſtratam per quietem.* Dio LXVI. pag. 748. D. *Qui per quietem ipſum adire juſſi erant.* Tali modo, ut in Eumenidibus Varro apud Non. c. 7. §. 104. *medicina a Serapi utebantur.* Cicer. de Divin. II. 59. *Qui igitur convenit, ægros a conjectore ſomniorum potius, quam a medico petere medicinam? An Æſculapius, an Serapis nobis poteſt præſcribere per ſomnium curationem valetudinis; Neptunus gubernantibus non poteſt?* Artemid. V. 92. *Quidam ægrotans precatus eſt Serapidem, ut ſi convaliturus eſſet, dextram manum ipſi in ſomnis concuteret, ſin minus, ſiniſtram.* Laurent. Polym. Diſſert. I. 9. Pitiſc. in Suetonium. In templo Æſculapii ac Iſidis dormiebant, ut ab oraculo vel curarentur, vel acciperent monita de morborum curatione. Strab. XVII. p. 551. *Habet Serapidis templum religioſe cultum, ut etiam nobiliſſimi viri ei credant, & pro ſe, vel pro aliis inſomnia ibi captent.* Philoſtr. de vit. ſophiſt. p. 534. *Et profectus Pergamum, dum articulari morbo ægrotaret, & in ſacello requieviſſet: atque eo loci ipſi apparuiſſet Æſculapius, & admonuiſſet, ut frigido potu abſtineret.* V. infr. in *Incubare.* Laurent. & Pitiſc. l. l. Lecticula ad medicum portabantur. *Chimentel. de Hon. biſell. c.* 24. *In publicas porticus deferebantur, ut prætereuntium quivis, ſi quid vel ipſe eodem morbo conflictatus, vel ſimiliter laboranti opitulatus eſſet, id ægrotanti ſignificaret.* Plutarch. libr. an recte dictum ſit, latenter eſſe vivendum p. 1128. D. Inde Tiberius apud Suet. c. 11. n. 4. *juſſit omnes ægros in publicam porticum deferri, ac per valetudinum genera diſponi.* Babyloniorum hunc fuiſſe morem dicit Herod. I. p. 91. & addit *fas non fuiſſe cuiquam ægrotantes præterire ſilentio, nec antequam exploraverit quonam ille morbo laboret.* Tomaſ. de Donar. c. 35. Laurent. ibid. Diſſert. II. 21. Pitiſc. in Suetonium. Non ſecus ac naufragi ægritudinum imbribus varie jactati opem deorum implorabant, & vota nuncupabant, receptaque valetudine non modo grati animi indicio illa ſolvebant, verum qua etiam ratione id contigerat, tabulis ſignificabant appenſis in templorum parietibus. Tibull. I. 3. 13.

— nam poſſe mederi
Picta docet templis multa tabella tuis.

Tomaſ. l. l. Briſſon. de Form. I. p. 107. In illis tabellis, præter eam corporis partem, quæ fuiſſet affecta, expreſſum fuiſſe aliud nihil arbitror. Verbi gratia, oculum ponebant, aut crus, aut manum, qui ex oculo, aut crure, aut manu laboraſſent. Poeta vetus in Priap. carm. 38. n. 1.

Cur pictum memori ſit in tabella
Membrum quæritis, unde procreamur.

De morborum, ac remediorum commemoratione, ac deſcriptione res eſt perimbecilla. Juvat nos lapidum inſcriptorum fides: in quibus ſimplici gratiarum actione defunguntur votorum rei. Gruter. p. 82. 6.

ISI. SACR
L. MAGUS
PHILEAS. VI. VIR
AQUIL. OB
SALUT. GRATTIANI
FILII. ET. GRATTII.

Brouckh. in Tibullum. Mos ille a primis temporibus usque ad Antonini Imperatoris ætatem non modo in Græcia, verum etiam in Italia perduravit: uti præ cæteris ex tabella marmorea Romæ in Æſculapii templo in inſula Tiberina inventa, & uſque ad hanc diem apud Maphæos conſervata licet intelligere. Quæ Græcis literis notata in linguam Latinam converſa ſic habet:

Hiſce diebus Caro cuidam cæco oraculum edidit: veniret ad ſacrum altare, & genua flecteret, deinde a parte dextra veniret ad lævam, & poneret quinque digitos ſuper altare, & elevaret manum, & poneret ſuper proprios oculos: & recte vidit, populo præſente, & gratulante, quod grandia miracula fierent ſub Imperatore noſtro Antonino.

Lucio affecto lateris dolore, & deſperato ab omnibus hominibus oraculum reddidit deus, veniret, & ex ara tolleret cinerem, & una cum vino commiſceret, & poneret ſupra latus: & convaluit, & publice gratias egit deo: & populus congratulatus eſt illi.

Sanguinem removenti Juliano deſperato ab omnibus hominibus ex oraculo reſpondit deus, veniret, & ex ara caperet nucleos pini, & comederet una cum melle per tres dies: & convaluit, & vivens publice gratias egit præſente populo.

Valerio Apro, militi cæco oraculum reddidit deus, veniret & acciperet ſanguinem ex gallo albo, admiſcens mel, & collyrium conficeret, & tribus diebus uteretur ſupra oculos: & vidit, & venit, & gratias egit publice deo.

Mercur. Art. gymnaſt. I. 1. Boxhorn. Quæſt. Roman. c. 8. Tomaſ. ibid. c. 7. Etiam fidis veterum monumentis accepimus, in Æſculapii fano non tantum in divi ſoſpitatoris honorem, ſed in Aſclepiadarum quoque gratiam ſua nomina parietibus affixiſſe, inſculpſiſſe etiam columnis, juxtaque addidiſſe mali ſpeciem, qualis ridicula voti ſolutio apud auctorem Priapejorum: nec ſiluiſſe, quibus profecerant, auxilia: atque inde natum eſſe mirandum Hippocratis Coi opus, quod ei conſentiente tot ſeculorum decreto divini cognomen peperit. *Tomaſ. ibid. c.* 35. Pileo capitis firmandi gratia utebantur. Sic amantem de morbo, & pallore fingendo inſtruens, pileolum ei inter ſigna tribuit Ovid. de Art. Amandi I. 734.

Arguat & macies animum, nec turpe putaris
Pileolum nitidis impoſuiſſe comis.

Salmuth in Pancirol. de Reb. deperd. & inv. p. 359. Lipſ. de Amphith. c. 19.

ÆGYPTUS divinarum ceremoniarum & religionum omnium quaſi quoddam fuit ſeminarium. *Bargæus Comment. in Obeliſc. Theſ. Antiq. Roman. Græv. Tom.* IV. *pag.* 1917. A. Illam, cum ab U. C. 724. Alexandriam occupaſſet, in provinciæ formam Auguſtus redegit. Cum

enim populo esset frequentissima, & annonæ ac pecuniarum copia abundaret, incolæ vero morum levitate, ac rerum novarum studio suspecti haberentur, non Senatoribus, sed ex ordine equestri viris regendam tradere decrevit: imo vetuit, ne quis Senator in *Ægyptum* proficisceretur, nisi ipse nominatim id permisisset. Cornelius Gallus poeta insignis ac eques Romanus, quod ad Parætonium egregiam Augusto operam contra Antonii classem navasset, *Ægypto* præpositus fuit. *Noris. Cenot. Pisan. Diss.* II. *p.* 223. *Panvin. Imp. Roman. c.* 15. Messis *Ægyptiæ* pecuniariæ fructus annuus sub Ptolemæo Aulete Romano fisco addictus duodecim millium quingentorum talentorum manipulum implebat, valoris septem millionum, & quingentorum millium coronatorum. *Cenal. de Pond. & mens. Thes. Antiq. Roman. Græv. Tom.* XI. *pag.* 1590. D.

ÆL.

ÆLIA Capitolina Palæstinæ metropolis fuit, ita ab *Ælio* Hadriano, qui eam restituit, appellata, prius Hierusalem dicta. *Pancroll. Not. Dign. Imp. Orient. c.* 112. In fronte ejus portæ, qua Bethlehem egredimur, sus sculptus in marmore significabat Romanæ potestati subjacere Judæos. *Prosp. Aquitan. Chronic. Thes. Antiq. Rom. vi. Græv. Tom.* XI. *p.* 292. A.

Ælia gens. V. illam infr. in *Gens.*

Ælia Sentia lex. V. illam infr. in *Lex.*

Ælia porta. V. illam infr. in *Porta.*

ÆLIOPOLIS fuit dicta Pelusium Ægypti oppidum, dictum ab *Ælio* Principe, qui eam triplici muro circumdedit. *Pancirol. Notit. dignit. imp. orient. c.* 141.

ÆM.

ÆMATH *fuit urbs, quæ cecidit in sorte Ruben, sed & nunc Amathus villa dicitur trans Jordanem, in vicesimo primo milliario Pellæ ad meridiem: est & alia in vicinia Gadaræ, nomine Amatha, ubi calidæ aquæ erumpunt.* Hieronymus de locis Hebr. Ego intelligo *Æmath* urbem Cœles Syriæ appellari, quæ nunc Græco sermone Epiphania dicitur. *Pancirol. Notit. dignit. imp. orient. c.* 148.

ÆMILIA *Vestalis virgo ignis negligentius asservati rea cum ageretur, sacerdotibus cæterisque virginibus inspectantibus ad aram manus tetendit, & dixit: Vesta Romanæ urbis custos, si tua sacra sancte & pure per triginta ferme annos obii casto animo & illibato corpore, ades mihi nunc & fer opem, neve despicias tuam sacerdotem, miserrimo perituram exitio. Quod si incestum admisi, meo supplicio tollatur civitatis piaculum. His dictis, abscissam carbasinæ stolæ laciniam injecit foculo. Ad eas preces e frigido cinere flamma emicans corripuit carbasum, ita ut nec procuratione ulla, nec instaurato alias igne civitati opus fuerit.* Dionys. II. p. 128. *Laz. Comm. Reip. Rom.* III. II. *Brisson. de Form.* I. p. 85.

ÆMILIANUS cognomen fuit Liviorum. *Æmiliani* nomen docet Drusos ab *Æmiliis* ortos fuisse, & pro senatu Tribunos plebis ea de causa stetisse. *Augustin. de Fam. Rom. in Livia.* Vox *Æmiliani* in Romanorum nota. Q. FABI. Q. F. MAX. AIMILIAN. id est, Quintus Fabius Quinti filius Maximus Aimilianus, hunc Fabium non esse natum, sed per adoptionem e gente *Æmilia* in Fabiam translatum denotat; siquidem inter varias formulas, quibus antiqui adoptionem exprimebant, hæc usitatior fuit, ut scilicet gentilitium adoptati nomen in ejus cognomen, addita particula ANUS transmutaretur: ut clare in hoc *Æmilio* patet, qui in Fabiam gentem adoptatus post omnia nomina adoptantis, suum gentilitium *Aimilianum* pro secundo cognomine habuit: ita Octavius, cum in gentem Juliam adoptatus fuisset, C. Julius Cæsar Octavianus postea appellatus est. *Ursat. de Not. Rom. Thes. Antiq. Roman. Græv. Tom.* XI. *p.* 931. C. V. supr. in *Adoptare.* & infr. in *Augustus.* Robort. de Cognom. Thes. Græv. Tom. VII. pag. 1141.

ÆN.

ÆNDOR vicus est grandis juxta montem Tabor, ad meridiem quarto milliario. Josephus in Galaditide ponit. Filii Israel se ad prælium præparantes ibi castra posuerunt. Supra hujus munitionis pinnaculum stant duo viri, sese invicem complectentes. Hi sunt utriusque Romani imperii Principes inter se concordes. In Ursini codice capita tollunt extra tabulam, cui sunt infixi. *Pancirol. Not. Dign. imp. Orient. c.* 142.

ÆNEAS Veneris & Anchisæ filius, exciso a Græcis Ilio, post Herculis digressum, secunda ætate, anno circiter quinto & quinquagesimo Latini Fauni filii Aboriginum Regis regni trigesimo quinto cum Trojanis in Italiam venit. *Æneas*, cum statim vi & armis ab Aboriginibus arcerentur, propterea exercitum in aciem eduxit, sed antequam committeretur prælium, ad colloquium a Latino Rege est vocatus. Verbis & corporis præsentia tantam sui admirationem Regi Latino præbuit, ut in societatem imperii receptus, Laviniaque filia ei in matrimonium collocata, gener adscitus sit. Sed propter fraudatas Laviniæ nuptias postea utriusque bellum adversus Turnum Rutulorum Regem fuit: in quo Turnus & Latinus occubuerunt. Latino defuncto soceri regnum suscepit, Aboriginesque & Trojanos communi nomine Latinos nominavit. Quarto imperii sui anno, in bello adversus Mezentium Hetruscorum Regem e vita migravit. *Marlian. Topogr. Urb. Rom.* I. I. *Panvin. Descr. Urb. Rom. Thes. Ant. Roman. Græv. Tom.* III. *p.* 209. *E. Strein. de Gent. & famil. Roman. Thes. Græv. Tom.* VII. *p.* 1073. *Goltz. de Orig. Roman. p.* 261. *Kircher. Lat. Vet. & Nov.* I. 5: III. I. 4. *Rosin. Antiq. Roman.* I. I. Merum hoc est figmentum, ad imitationem Homerici Ulyssis compositum. Ad nulla enim deduxit loca Homerus Ulyssem, quin ad eadem paribus casibus, paribusque pæne eventibus appulsus narretur *Æneas*, nisi quod hic paullo alio itineris ordine, scilicet, quia non reducendus erat in Asiam ad Ilium, quemadmodum post longos errores ille Ithacam suam. *Cluver. Ital. Antiq.* III. 2. 5. Sed illum refutant *Nardin. Rom. Vet.* I. I. *Rycq. Dissert. de Ital. colon. c.* 10. *Kircher. ibid. c.* 6. Post mortem Pater indiges, & Pater deus indiges nominatus est. V. infr. in *Indigetes.* Salmas. Exerc. Plin. p. 51. 2. C. Bellor. Descript. Sepulcr. Nason. tab. 9. Borrich. Ant. Urb. fac. c. 8. Rosin. ibid. II. 5. Deos penates, & Palladium Troja in Italiam secum extulit. V. infr. in *Palladium.* Borrich. ibid. c. 10.

Æneas Sylvius in Latinorum regno successit Sylvio Ascanii fratri. *August. de Famil. Rom. in Sylvia.*

ÆNEATOR est dictus ab ipsius instrumenti, quo canebat, materia, id est, ab *ænea* buccina. Suet. Jul. c. 32. n. I. *Cum plurimi etiam ex stationibus milites concurrissent, interque eos & æneatores.* Festo *cornicines dicuntur, id est, cornu canentes.* Inde generaliter, qui classicum canunt, etiam tuba. Glossæ: *Æneator, σαλπιγκτής. Lips. de Milit. Rom.* IV. 10. *Stewech. in Veget.* III. 5. *Laz. Comm. Reip. Rom.* IV. II. *Thys. Rom. Illustr.* IV. *p.* 101. *Turneb. Adv.* XXVIII. 5. *Pitisc. in Suetonium.* Cuique manipulo, aut turmæ videntur sui fuisse. Inducit Sallust. de Bell. Jugurth. p. 145. *Cohortium, turmarum, legionum tubicines simul omnes canere jubet.* Laxe tubicines, & intelligit etiam ea voce qui cornu. Vides cohortibus, id est, manipulis, ni fallor, & turmis, & legionibus ipsis distincte assignari. Quomodo? ut singularum partium sui fuerint, & tot fortasse quot signa: tum etiam communes legionis. Illi tempore pugnæ, in sua quisque parte steterunt; isti juxta aquilas & Imperatorem. *Lips. & Thys. l. l.*

ÆNEOPOLIS arx est dicta ab *Ænea*, quam cum oppidulo Saturniam appellavit Janus, cum Saturnum hospitem in societatem regni assumpsisset. *Lipen. de Stren. c.* 4. §. 19.

ÆNIGMATA, aut gryphi in conviviis proponebantur. *Qui solverat, carnium tostarum portionem auferebat. Qui non solvisset, poculum aquæ salsæ bibere jubebatur.* Pollux

Pollux VI. 19. *Buleng. de Conviv.* III. 35. *Scalig. Auson. Lect.* II. 28. *Salmuth in Pancirol. de Reb. deperd. & inv. p.* 553.

ÆNOBARBUS. V. illum infr. in *Ahenobarbus.*

ÆO.

ÆOLIS est pars Asiæ, quam Attalus Rex Pergami cognomento Philometor a majoribus suis acceptam populo Romano testamento reliquit. Ptolemæus provexit usque ad Hermum. *Sigon. de Ant. jur. provinc.* I. 10.

ÆQ.

ÆQUATOR monetæ erat inter monetæ officinatores. Illi curæ erat metalla pro monetis cudendis ponderare. *Guther. de Offic. dom. Aug.* III. 19. *Ursat. de Not. Roman. Thes. Antiq. Roman. Græv. Tom.* XI. *p.* 539. *C.*

ÆQUI quamquam veteris Latii finibus septi, tamen in Latinis illis temporibus non sunt numerati. Rei facilis est, & expedita ratio: neque enim aut commune Latinorum concilium inierunt, aut ad Latinas ferias vocari se cum cæteris Latinis, paucis quibusdam exceptis, permiserunt. Algidum, Corbionem, Lavicos, Volas, & Vitelliam possederunt. *Sigon. de Ant. jur. Ital.* I. 3. Multa bella cum populo Romano post Reges exactos gesserunt: sed ann. 452. a. C. Junio Bubulco Bruto dictatore sunt victi, & subacti. *Panvin. de Imp. Rom. c.* 3. Hos, ut antiquis temporibus Latinorum, & concilio, & jure exclusos invenio, sic postea propter affinitatem in eadem jura esse adscitos opinor. Neque enim ut singulorum Italicorum, sic Volscorum, *Æquorumque* nomen postea est celebratum. Ex quo intelligi potest, omnes Volscos *Æquosque* aut funditus a Romanis esse deletos: aut si qui tot bellis, cladibusque superfuerunt, uno Latinorum, ut jure, sic nomine esse devinctos. Cicero quidem, cum Balbum de civitate defenderet, dixit c. 13. *Ex Latio Tusculanos, & Lanuvinos, ex cæteris generibus universas agentes in civitatem esse receptas, ut Volscorum, Sabinorum, & Hernicorum.* Sigon. ibid. c. 5.

ÆQUICOLÆ adjuncti erant *Æquis.* De illis Liv. I. 32. *Jus ab antiqua gente Æquicolis, quod nunc feciales habent, descripsit, quo res repetuntur.* Eosdem cum *Æquis*, atque eorum caput Volas fuisse memoriæ prodidit Diodor. XIII. p. 352. C. *Romani interim cum Æquis bellum gerentes, in agrum ipsorum magnis cum copiis expeditionem faciunt, & Volas, urbem ipsorum obsessam expugnant.* Plin. III. 12. inter *Æquicolas* refert Cliterninos & Carseolanos. *Sigon. de jure Ital.* I. 3.

Ad ÆQUILIBRIUM dicitur facta urbs Roma. Solin. c. 1. *Dicta est Roma quadrata, quod ad æquilibrium foret posita.* Quia ad æqualem regulam, & quasi ἰσονομικῶς in quadratam speciem est constructa. In cæteris ædificiis dicimus aliquid ad *æquilibrium* compositum, quod æqua ratione est absolutum, & undecunque perfectum apparet. Vox hæc ex tabulis decemviralibus est profecta, quo loco lex talionis continetur: quando & Sext. Cæcilius pœnam talionis ad *æquilibrium* exposuit, hoc est, πρὸς τὴν ἰσονομίαν habita injuriarum ratione: ut ipsam videlicet rationem, quasi ad amussim, & libellam æquiparent, atque expendant. *Crinit. de Honest. discipl.* IV. 9. V. infr. in *Roma.*

ÆQUIMELIUM est dicta *Sp. Melii* domus, quod turpiter regnum appetere conatus esset, postquam capitis arcessitus, pœnas dedit, patrimonio publicato. *Alex. Gen. dier.* III. 23. Non fuit vicus, ut quidam sensere, verum area ex complanata ejus domo. Liv. IX. 16. *Domum, ut monumento area esset oppressæ nefariæ spei, dirui jussit extemplo. Id Æquimelium appellatum.* Cicer. pro dom. c. 38. *Sp. Melii, regnum appetentis, domus est complanata: ecquid aliud? æquum accidisse Melio populus Romanus judicavit, nomine ipso Æquimelii, stultitia pœna compensata est.* In vico fuit jugario; fuit enim sub Capitolio versus portam Carmentalem. Liv. XXXVIII. 28. *Substructionem super Æquimelium in Capitolio locaverunt.* XXIV. 47. *Romæ fœdum incendium per duas noctes, ac diem unum tenuit; solo æquata omnia inter Salinas, ac portam Carmentalem, cum Æquimelio Jugarioque vico.* Rufus ad regionem quartam refert, sed perperam. *Nardin. Rom. vet.* III. 15: IV. 5. *Donat. de Urb. Rom.* II. 27. *Marlian. Topogr. Urb. Rom.* III. 15. *Borrich. Ant. Urb. fac. c.* 10. §. 3. *Blond. Instaur. Rom.* III. §. 68. Contigit id an. 317. M. Fulvio Nobiliore, & C. Manlio Vulso coss. sicque per annos 244. quo tempore censores T. Quinctius Flaminius, & M. Claudius Marcellus deformitatem eam in Capitolio aversantes, eo in loco denuo ædificandum decrevere: nihil enim aliud ea verba, *substructionem super Æquimelium locasse* significant; quam ædificium a fundamentis in area *Æquimelio* dicta locavisse. *Donat. Dilucid. in Livium.*

ÆQUINOCTIUM Cæsar annuum ad cursum solis digerens quadragesimo quinto anno ante Christianam redemptionem statuit 8. Kal. April. id est. die 25. Martii. Et nostra tempestate est circiter sextum Idus Martii, id est, decimo die Martii. Quare deprehenditur circiter quindecim dies hoc annorum spatio, temporum cardinibus retro agentibus anticipare. *Viola de Rom. temp. rat. Thes. Antiq. Roman. Græv. Tom.* VIII. *p.* 179. *C.*

ÆQUIPONDIA duo in nostro Collegii Romani promptuario ærea sunt, a pastinatoribus refossa: quibus prominentibus literis argenteis inscriptum est. TEMPL. OPIS AUG. II. TEMPL. OPIS AUG. V. Pensat alterum libras duas, quinque alterum: sed minus nostra sacomata, seu libramenta, fere uncia excedit, majus unciis duabus. *Donat. de Urb. Rom.* II. 10.

ÆQUITAS *est triplex: una est quæ ad superos deos, altera ad manes, tertia quæ ad homines pertinet. Prima pietas, secunda sanctitas, tertia justitia nominatur.* Cicer. Topic. c. 23. *Guther. de jur. man.* III. 1. *vet. jur. pontif.* III. 1. *Inter jus & æquitatem hoc interest: ut jus sit, quod omnia recta & inflexibilia exigit: æquitas, quæ de jure multum remittit.* Donat. in Terent. Adelph. I. 1. 27. Solutior *æquitas*, quæ multum ordinariam *æquitatem* auget, atque explicat. *Guther. de jur. man.* III. 18. Hujus in omnibus rebus potior, quam stricti juris habenda est ratio. Ut si jus generalibus verbis scriptum, in quibusdam causis *æquum* non sit ut servetur; utpote quod a justitia & *æquitate* diffideat: sequamur potius quod justum, & *æquum*, quam quod strictum est: quia strictum jus, quod nihil habet auctoris præter verba, efficit, ut sit maxime contra ejus sententiam, & voluntatem. At sententia non verbis est adstringenda: sed verba potius sententiæ, atque adeo *æquitati* servire debent, quam servari est ex mente legis. *Salmuth ad Pancirol. de Reb. deperd. & inv. p.* 365.

AER.

AER Mercurius est, qui alatus ideo fingebatur, ac tam ad superos, quam ad inferos volitare; fluidus enim *aer* est, perviusque volantibus, nec minus superiora pertingens quam inferiora. *Aleand. Tab. Hel. Explic. Thes. Ant. Roman. Græv. Tom.* V. *p.* 730. *D.* Sedes est Manium; & eorum, qui Indigetes Dii ex hominibus facti in Diis agunt. *Guther. de Jur. Man.* I. 15. Ad quamque alterationem facile mutatur. Ergo quocunque artificio concalefactus *aer* careat novi *aeris* spiraculo, fit stupha. Cujus summa artificii hæc est, quod *aer* in stupha quanto magis expers vaporis in sua puritate servatur, tanto salubrior. Hujusmodi non adeo calefacit, parcius exsiccat, ac temperate dissolvit, superfluitates in ambitu corporis leniter digerit. Pueris, mulieribus, senibus, imbecillis, resolutis, pinguibus, frigidis, humidisque naturis & passionibus admodum conferens. Cæterum graciles, cholericos, & facilis transportationis homines, strictum pectus habentes, & pulmonarios, & omnino inconsuetos non videtur *aer* stuphæ ita juvare. *Baccius de Therm. c.* 17.

ÆRA, sive, ut vitiose scribitur, *Era*, est numerus, computus, ψηφισμός. Quod nomen seculum inficetum & ineruditum ex neutro in femininum μετεπλάσατε; quem-

admodum in veteri lingua Latina Ostiam oppidum ab ostiis Tiberis. Faustus Rejensis Episcopus secundæ provinciæ Narbonensis familiaris Sidonii Apollinaris de Spiritu Sancto l. *Sacer numerus dicimus, quia trecenti in æra, sive supputatione signum crucis.* ✠ *Æram* dicit supputationem, sive computum. Rufus Festus in Breviar. rer. gest. P. R. *Parebo libens præceptis, quippe cui desit facultas latius eloquendi: ac morem secutus calculonum, qui ingentes summas æris brevioribus exprimunt, res gestas signabo, non eloquar. Æras* summas dicit. Quæ veteres *æra* vocabant in rationibus, ea vulgus hodiernum vocat *item*. Inde etiam sumebatur pro debito. Varro Mysteriis apud Non. I. 65. *Æs defrudasse coponem, obvum luto oblevisse: cum portitores æra induxere. Æra* vocat portorium, quod pro vini subvectione debebatur. Inde verbum *adærare*, de quo supra. Ex his constat, *æra*, & potius *æras* esse τὸν κόλλυβον καὶ τὸν κερματισμόν. Et est verbum mensariorum, campsorum, collybistarum. Denique nomine *æræ* intelligitur computus annorum ab octavo anno Juliano. *Scalig. de Emend. temp.* v. *p.* 447. *Casaub. in Vopisc. Aurelian. c.* 6. *Brod. Misc.* VI. 30.

Æra auxiliaria lunæ dicebant veteres, quia dissono *æris* crepitu credebant se lunæ laboranti opem ferre. Ovid. Met. IV. 333.

Cum frustra resonant æra auxiliaria lunæ.

Lunæ enim minus nocere credebant verba veneficorum, a quibus eam in defectu deripi credebant, si ab ea non exaudirentur, ita clamore, & crepitu *æris* obstrepebant. Ambrosius: *Quod cum requirerem, quid sibi clamor hic velit: dixerunt mihi, quod laboranti lunæ vestra vociferatio subveniret, & defectum ejus suis clamoribus adjuvaret.* Turneb. Adv. XXII. 24. Rhodig. Antiq. Lection. XIX. 10: XXIX. 6. Pincier. Medit. Var. IV. 13. Lips. in Tacit. I. n. 134. Lomejer. de Lustrat. c. 25. Lampe de Cymb. vet. III. 11. Quare hoc crediderint. V. infr. in *Æs*.

Æra militaria tributa erant, ob bellum instans indicta: quale est quod hodie in bello Turcico vocant *cruciatam*. Liv. v. 10. *Tributum ex affecta re familiari pendant: æraque militaria, velut fœnore accepta, multiplicia Reipublicæ reddant.* Laz. Comm. Reip. Rom. II. 13.

ÆRARIUM cœpit vocari locus publicus, quod illuc *æra* conferrent cives, cum aurum & argentum nondum signarentur. *Fabric. Descript. Urb. Rom. Thes. Antiq. Roman. Græv. Tom.* III. *p.* 423. *E. Sperling. de Numm. non cus. c.* 33. *Demster. Paral. ad Rosin. Antiq.* VII. 31. *Buleng. de Imp. Rom.* III. 23. *Calcagn. de Verb. signif. p.* 354. Fuit in foro in imo clivo Capitolino. Aurel. Vict. de Orig. gent. Rom. c. 3. §. 6. *Ædes quoque sub clivo Capitolino, in qua pecuniam conditam habebat: ærarium Saturni hodieque dicitur.* Lipen. de Stren. c. 3. §. 28. Donat. de Urb. Rom. II. 13. Marlian. Topogr. Urb. Rom. III. 2. & 3. In templo Saturni. Festus: *Ærarium populus Romanus in æde Saturni habuit.* Manut. de Legib. c. 28. Tomas. de Donar. c. 22. Pancirol. Notit. dignit. imp. Orient. Præfat. Thes. Græv. Tom. VII. p. 1326. E. Donat. de Urb. Rom. II. 14. Unde dictum *ærarium Saturni*. Et æs in illo conditum *æs Saturni*. Pers. Sat. II. 59.

Aurum, vasa Numæ, Saturniaque impulit æra.

Fabric. Descript. Urb. Rom. l. l. Ursat. de Not. Roman. Thes. Græv. Tom. XI. p. 540. A. Saubert. de Sacrif. c. 17. Plutarch. Quæst. Rom. c. 41. *Voluerunt in illo esse, vel, quia obtinuit opinio, regnante Saturno avaritiam apud homines, injustitiamque locum non habuisse, sed fidem, & justitiam: vel quia deus ille fructuum, atque agriculturæ præesse creditur. Ex ubertate autem frugum, & venditione pecuniæ nascitur copia: itaque Saturnum auctorem, custodemque ejus faciunt. Primus post exactos Reges Valerius Poplicola ædem Saturni ærarium fecit, cum sentiret locum istum munitum esse, & conspicuum, atque ab insidiis tutum.* Alex. Gen. dier. II. 2. Marlian. & Demster. l. l. Franckenstein de Ærar. pop. Rom c. 2. Ursat. ibid. p. 559. D. Laurent. Var. Sacr. gentil. c. 9. Camerar. de Re numm. Thes. Antiq. Græcar. Gronov. Tom. IX. p. 1413. D. Kipping. Antiq. Roman. II. 5. I. Manut. de Senat. Rom. c. 10. Laz. Comm. Reip. Rom. II. 14. Gyrald. Synt. deor. IV. p. 137. B. Bud. in Pandect. p. 81. C. Faunus Antiq. Urb. Rom. II. 11. Præter omnium antiquariorum sententiam erat, ubi nunc est ædicula S. Salvatoris in statera, & olim fuit S. Saturnini, ut ex hoc epigrammate ibidem an. 1555. effosso constat:

L. CALPURNIUS. PISO
M. SALVIUS
PR. ÆR.
AREAM. EX. S. C. A. PRIVATIS
PUBLICA. PECUNIA
REDEMPTAM. TERMINAVER

Panvin. Descript. Urb. Rom. Thes. Græv. Tom. III. *p.* 196. *D. Ursin. in Marlianum.* In eo servabantur promulgata. Cicer. de Legib. III. 4. *Promulgata, proposita in ærario cognita aguntor.* Etiam libri elephantini, in quibus quinque & triginta erant conscriptæ tribus, omnesque publicarum rationum libri. Suet. Aug. c. 23. n. 3. *Tabulas veterum ærarii debitorum, vel præcipuam materiam calumniandi exussit.* Ibidem etiam reponebantur signa militaria. Liv. IV. 22. *Signa ex ærario prompta feruntur ad dictatorem.* Hæc etiam *fuit veterum diligentia, ut, quod quisque de subjugata provincia per triumphum apportavisset, perscriptum in tabulis in ærario reponendis conservaretur.* Ascon. in Cicer. p. 85. *Blond. Triumph. Rom.* v. *p.* 110. *Marlian. ibid.* III. 3. *Buleng. Laurent. & Franckenstein l. l.* Leges in æs incisæ in illud deferebantur. Suet. Jul. c. 28. n. 2. *Acciderat, ut Pompejus legem de jure magistratuum ferens, eo capite, quo a petitione honorum absentes summovebat, ne Cæsarem quidem exciperet per oblivionem: ac mox lege jam in æs incisa, & in ærarium condita corrigeret errorem.* Franckenstein ibid. c. 4. Manut. de Legib. c. 38. Hotom. Ant. Rom. II. II. Sardus de Morib. gent. II. 6. Rationes ab Imperatoribus triumphantibus & provinciarum præsidibus referebantur. V. inf. in *Præsides*. Et post illas centuriones beneficiarii. V. infr. in *Beneficium*. Legatorum, qui Romam advenerant, nomina a quæstoribus. V. infr. in *Legati*. Senatusconsulta reponebantur. V. infr. in *Senatusconsultum*. Illi olim quæstores præpositi fuerunt. Quia vero anno 709. absente Julio Cæsare, quæstores creati nulli, ejus cura ædilibus duobus commissa est. Dio XXIII. p. 238. A. *Pecuniæ publicæ administratio ad ædiles translata est, postmodo ad quæstores non rediit.* Qui illi præfuerunt per annos fere decem & septem, donec Augustus prætorios substituit. Dio LIII. p. 497. A. *Quoniam ærarium publicum inops pecuniarum esset, quasdam mutuo sumptas in id contulit: & administrationi earum duos prætura functos in annos singulos electos præfici jussit.* Suet. Aug. c. 36. n. 1. *Ut cura ærarii a quæstoribus urbanis ad prætorios, prætoresve transiret.* Factum anno 726. Mansit id ad Claudium, qui illam quæstoribus reddidit. Suet. c. 24. n. 5. *Collegio quæstorum curam ærarii Saturni reddidit, quam medio tempore prætores, aut utique tunc prætura functi sustinuerant.* Hanc Nero postea a quæstoribus transtulit ad prætura perfunctos. Ex hujus sanctione illi per biennium videntur præfuisse. Tacit. Annal. XIII. 28. 6. *Claudius rursus quæstores imposuit... Sed deerat robur ætatis eum primum magistratum capessentibus. Igitur Nero prætura perfunctos, & experientia probatos delegit.* Vespasiani temporibus a prætoribus rursus gerebatur. Tacit. Hist. IV. 9. 1. *Prætores ærarii (nam tum a prætoribus tractabatur ærarium) publicam paupertatem questi.* Alex. Gen. dier. II. 2. Lips. in Tacit. Annal. III. Excurs. B. Faber Semestr. I. 22. Guther. de Offic. dom. Aug. III. 32. Gothofr. ad. l. 42. ff. de jur. fisc. Oisel. in Gell. XIII. 24. Laz. Comm. Reip. Rom. II. 14. Burman. de Vectig. Dissert. 8. Demster. Paralip. ad Rosin. Antiq. Roman. VII. 31. Buleng. l. l. Ex hoc pecunia deprompta tribunis ærarii adsignabatur, & pecunia attributa dicebatur. V. infr. in *Attributum*. Veteri Republica arctis rebus, & mox etiam locupletioribus, raro admodum inopia *ærarii* laboratum. Si quid deerat opum, subvenerunt amor erga Rempublicam, virtus, & abstinentia imperatorum. Vix enim bella propter inopiam *ærarii* omiserunt; aut ubi suscepissent, corrupta disciplina tractaverunt. Ex plerisque autem hic fuit fructus, ut opulentiores redirent, & Respublica, & milites. Quod enim bellum susceptum, unde non pecunia in ærarium inlata? *Schel. in Polyb. c.* 8. Opes ejus im-

immenſas denarrat *Buleng. de Vectig. c. 94. & de Imp. Rom.* III. 23. A Pompejo bello civili apertum, a Cæſare refractum, & pecunia deprompta. Lucan. III. 155.

— tunc conditus imo
Eruitur templo multis intactus ab annis
Romani cenſus populi, quem Punica bella
Quem dederat Perſes, quem victi præda Philippi:
Quod tibi Roma fuga Pyrrhus trepidante reliquit,
Quo te Fabricius Regi non vendidit auro,
Quicquid parcorum mores ſervaſtis avorum,
Quod dites Aſiæ populi miſere tributum,
Victorique dedit Minoia Creta Metello,
Quod Cato longinqua vexit ſuper æquora Cypro.
Tunc orientis opes, captorumque ultima Regum,
Quæ Pompejanis prælata eſt gaza triumphis,
Egeritur: triſti ſpoliantur templa rapina:
Pauperiorque fuit tunc primum Cæſare Roma.

Appian. de Bell. civ. II. p. 453. *Poſt hæc effregit ærarium, tribuno plebis obſtanti mortem minatus ni deſiſteret, pecuniaſque ad id tempus intactas abſtulit: quas ferunt per Gallicos tumultus depoſitas cum exſecratione publica in caput cujuscunque contrectare auſi, niſi cauſa belli Gallici.* Manut. in Cicer. ad Attic. VII. 15. Et imminuta ſenatus auctoritate, ſublato *ærarii* & fiſci diſcrimine omnia vectigalia in Principis uſus, & rationes ſunt relata. *Burmann. Diſſert. de Vectig. c. 7.*

Ærarum ſanctius fuit pars priori addita, cum Reſpublica creſcente amplius exigebatur ſpatium, quod & pecuniæ, monetæque publicæ, tabuliſque actuum publicorum, qui ibidem aſſervabantur, ſufficeret. Hoc *ſanctius ærarium* appellaverunt, quia in penitiori ædis ſacræ receſſu, tutiori nempe, & munitiori loco fuit. Cicer. ad Attic. VII. 21. *Attulit mandata ad conſules, ut Romam venirent, pecuniam de ſanctiore ærario auferrent.* Cæſ. de Bell. civ. I. 14. *Lentulus conſul cum ad aperiendum ærarium veniſſet, protinus aperto ſanctiore ærario, ex Urbe profugit.* Ruben. Elect. I. 14. Manut. ad Cicer. ad Attic. VII. 15. Laurent. ſacr. var. gentil. c. 9. In hoc aurum viceſimarium fuit repoſitum. Livius. V. illum infr. in *Aurum.* quod ad ultimos ſervabatur caſus, & quidem ad tumultum Gallicum. *Demſter. Paral. ad Roſin. Antiq.* VII. 31. *Franckenſtein de Ærar. pop. Rom. c. 4. Nardin. Rom. Vet.* V. 6. *Bulenger. de Imp. Rom.* III. 22. *Alex. Gen. dier.* II. 2. *Loon de Manumiſſ.* IV. 4. 1. *Laurent. l. l.* Hoc conſules initio bellorum civilium Urbe excedentes clauſerunt, & claves abſtulerunt. Cicer. ad Attic. VII. 12. *Neque enim rerum prolatio, nec ſenatus, magiſtratuumque diſceſſus, nec ærarium clauſum tardabit.* Et poſt illum Dio XLI. p. 161. C. *Milites ſera effracta (claves enim ſecum conſules abſtulerant, perinde acſi non earum loco ſecuri liceret uti) omnem pecuniam abſtulerunt.* Sed *Julius Cæſar pene vacuam metu ingreſſus illud, quia tardius aperiebant tribuni, juſſit effringi.* Flor. IV. 2. 21. Quantum inde pecuniarum ſuſtulerit, referunt hiſtorici. Freculph. Lexovienſ. Chronic. Tom. I. lib. VII. c. 8. *Cæſar Romam venit, negatamque ſibi ex ærario pecuniam fractis foribus invaſit, protulitque ex eo auri pondo quattuor millia centum triginta & ſex, argenti pondo prope nongenta millia.* Qui hæc deprompſit ex Oroſ. VI. 15. qui exiguo diſcrimine in numero variat: nam pro *centum triginta & ſex* habet ille *centum triginta & quinque.* Cui conſentit Abbas Urſpergenſ. Chronici ſui p. 42. Ado Viennenſ. Chron. ætat. 5. p. 97. in ſumma auri cum Oroſio concors eſt, at *argenti pondo octingenta* ſolummodo ponit. Aliter narrat Plin. XXXIII. 3. C. *Cæſar introitu primo Urbis in civili bello ſuo, ex ærario protulit laterum aureorum viginti ſex millia, & in numerato pondo trecenta, nec fuit aliis temporibus Reſpublica locupletior.* Demſter. l. l. Summa Plinii non ſufficit Lipſ. Admir. II. 8. qui teſtatur in veteribus legi: *laterum aureorum quindecim, argenteorum quinque & triginta millia, & in numerato HS quadringenties.* Meum non eſt iſti liti judicium interponere, ſatis eſt quod conſtat, grande fuiſſe quicquid fuerit, & certe Lucanus modo laudatus valde exaggerat. V. illum. *Franckenſtein l. l.*

Ærarium Ilithiæ, ſive Junoni Lucinæ dedit Servius Tullius ſextus Romanorum Rex, in quod parentes pro ſingulis natis nummum inferrent. Dionyſ. IV. p. 220. *Piſo tradit, Servium voluiſſe ſcire urbanæ multitudinis numerum naſcentium: & ſtatuiſſe quanti pretii nummum pro ſingulis inferre deberent cognati in ærarium pro naſcentibus.* Ferret. Muſ. Lapid. III. memor. II. Bartholin. de Puerper. p. 155. Franckenſtein de Ærar. pop. Rom. c. 3.

Ærarium Juventutis
Ærarium Libitinæ Veneris } V. infr. in *Nummus.*

Ærarium militare, dictum, quod ex illo pecunia militibus dividenda promeretur. Tacit. Annal. I. 78. 2. *Militare ærarium eo ſubſidio niti.* Diſcretum fuit a veteri Reipublicæ *ærario.* Auguſtus inſtituit, non ſufficientibus ſtipendio tot legionum conſuetis reditibus. Dio LV. p. 565. C. *Deinde M. Æmilio Lepido, L. Arruntio coſſ. quum nullus reditus, quem omnes probarent, excogitari poſſet, omneſque eum quæri indignarentur, Auguſtus pro ſe & Tiberio pecuniam in ærarium, quod militare nominavit, intulit.* Suet. c. 49. n. 6. *Utque perpetuo, ac ſine difficultate ſumptus ad tuendos eos, proſequendosque ſuppeteret, ærarium militare cum vectigalibus novis conſtituit,* vigeſimæ hæreditatum, vigeſimæ quintæ mancipiorum, centeſimæ rerum venalium. V. ſingula ſuis locis. *Lipſ. de Magnit. Rom.* II. 4. *Schel. ad Polyb. c. 8. Franckenſtein de Ærar. pop. Rom. c. 6. Donat. de Urb. Rom.* III. 14. *Buleng. de Imper. Rom.* III. 23. *Alex. Gen.* II. 2. *Burman. Diſſert. de Vectig. c.* II. *Robort. de Commod. milit. Theſ. Ant. Roman. Græv. Tom.* X. *p.* 1476. A. *Donat. & Ptiſc. in Suetonium. Caſal. de Urb. ac Imper. Roman. ſplend. part.* I. *c.* 3.

Ærarium privatum ea bona continebat, quæ Principis propria erant, antequam imperio potiretur. *Guther. de Offic. dom. Aug.* III. 18. *Demſter. Paral. ad Roſin. Antiq.* VII. 31.

Æraria minora fuerunt etiam in provinciis, quæ rationales ſummarum curabant. Symmach. Epiſt. V. 63. *Piget dicere, quibus ſtrophis ærarii Italici apparitio graſſetur.* Lapis vetus apud Gruter. p. 43. n. 12.

L. GEMINIUS. L. F
MESSIUS
VI. VIR
CURATOR. ÆRARI
MEDIOL
HERCULI
V. S. L. M

Guther. de Offic. Dom. Aug. III. 18.

ÆRARIUS eſt inventus ab Alexandro Severo; qui pecuniam ex ærario Principis acceptam, quam Principes olim aliquid donaturi quæſtoris candidati miniſterio, vel alterius aulici dividebant, elargiebatur. Lamprid. Alex. Sev. c. 43. *Ærarios inſtituit, qui de arca fiſci ederent munera.* Pancirol. Notit. dignit. imp. orient. c. 74. Argol. in Panvin. de Lud. circenſ. I. 14. Lipſ. Saturn. II. 9.

Ærarius in circo, ut in libris de gente P. R. M. Varro reliquit ſcriptum, dicebatur miſſus vigeſimus quintus, eo quod de collatione populi celebraretur, qui deſiit eſſe, poſtquam conferendæ pecuniæ eſt conſuetudo ſublata, unde poſtea permanſit, ut ultimus miſſus appellaretur *ærarius*, videlicet vigeſimus quartus. Dio LIX. p. 644. D. *Varia ſpectacula edita. Nam & omnis generis muſica introducta, & equi duobus diebus certaverunt, priore vicies, poſteriore natali Caji die pridie Kal. Septemb. vicies quater. Idque poſthac etiam Cajus, quoties voluit, fecit, quum antea tantum duodecies certaretur.* Panvin. de Lud. circenſ. I. 14. Laz. Comm. Reip. Rom. X. 5.

Ærarius erat plebejus, qui ex albo ſuæ centuriæ a cenſoribus eximebatur, & ad hoc eſſet civis tantum, ut pro capite ſuo tributi nomine *æra* penderet. V. Aſconium infr. in *Cærites.* Salmuth in Pancirol. de Reb. deperd. & inv. p. 519. Sigon. de Ant. jur. civ. Roman. I. 17. Crinit. de Honeſt. diſcipl. IV. 3. Inter *ærarios* nec equites Romani, ſed homines de plebe referebantur, ut Aſconius, aliique docent. *Manut. in Verr.* I. Falſiſſimum eſt in *ærarios* non

fuiſſe relatos, qui eſſent ſenatorii, aut equeſtris ordinis. Quid? Mamercus Æmilius non erat ſenator? M. Livius Salinator, a Nerone Claudio inter *ærarios* relatus, ſenator non erat? Et cum M. idem Livius, præter Mæciam tribum, populum Romanum omnem, quatuor & triginta tribus, *ærarios* reliquiſſet, in populo ſcilicet Romano, in quatuor & triginta tribubus, nullus fuit, nec eques, nec ſenator? Ille apud Gellium uberrimus, & habitiſſimus eques cum equo ſtrigoſo, & male habito, non erat eques Romanus? tamen *relatus in ærarios, ut mos eſt*, inquit ille IV. 20. Liv. XXIV. 18. *His ſuperioribusque illis equi adempti, qui publicum equum habebant, tribuque moti, ærarii omnes facti.* Gronov. de Pecun. Vet. IV. 1. Franckenſtein de Ærar. Rom. c. 3. Nec hoc negat, quem laudamus infr. in *Cæritum tabulæ*, Aſconius. Dicere enim *plebejum in Cæritum tabulas referri & ærarium fieri*, non eſt negare, ſenatorem aut equitem potuiſſe fieri *ærarium.* Hominum de plebe dicitur hæc nota, non quaſi iſti ab ea immunes, ſed quia plebeji priorum immunes, nec poterant aut ſenatu moveri, aut equum publicum perdere: ſed ſenatores moti ſenatu, equites equo publico adempto poterant & *ærarii* relinqui, vel quia jam plebs erant, jam carebant ordinibus ſuis, & in plebem redacti, eoque jam obnoxii erant iſti quoque plebejæ notæ. Nec injuſtum eſt, ut altiores ordines, quo magis eos decet ſine labe eſſe, in conſpicuo poſitos & dignatione præcellentes, eo graviori ſuccumbant infamiæ, eo pluribus notis, ſi quid peccaverint. Cicero pro Cluentio egregie: *Quis unquam hoc ſenator recuſavit, ut cum altiorem gradum dignitatis beneficio populi Romani eſſet conſecutus eo ſe putaret durioribus legum conditionibus uti non oportere?* Gronov. l. l. In illos relatus neque teſtamentum facere, neque hæreditatem capere, neque omnino earum rerum, de quibus jure civili ſtatutum eſt, ullam habere licet, libertatem tamen ipſam, quia in ſervitutem redactus non eſt, retinet. *Manut. de Legib. c.* 19. Suffragio quoque in comitiis carebat, quia nullum illi erat munus relictum, niſi *ut eſſet in albo centuriæ ſuæ tantummodo, ut tributi nomine æra penderet*, ut Aſconius jam laudatus. *Sigon. de Antiq. jur. civ. Roman.* I. 17. Si ſenator eſſet, ſenatu movebatur. *Manut. de Civit. Rom. Theſ. Antiq. Roman. Græv. Tom.* I. *p.* 2. B. Etiam ſtipendiis militaribus ſpoliabatur. *Sigon. ibid.* II. 16. Imo omnium in Republica munerum, atque honorum expers erat. Habebat igitur qui *ærarius* fiebat, id, quod erat odioſum, & grave, ut tributum æque ac alii cives penderet: quod autem jucundum, & honorificum, ut honores, quorum cives reliqui participes erant, capere poſſent, eo carebat. *Manut. de Comit. c.* 2. Gravius erat, quam tribu moveri. V. infr. in *Tribus.*

Ærarii fuſores fundebant *æs*, & conflabant *æreas* imagines. Sed in codice Theodoſiano tribus interpoſitis artificibus, *ærarii* a fuſoribus ſeparantur; illi enim ſunt, qui ex *ære* plura fabricant, ut lebetes, cacabos, ahena, & alia. Fuſores vero, qui fundunt. Paternus *ærarios* hos ſimpliciter nominat l. ult. ff. de jur. immun. *Pancirol. de Corpor. artific.* §. 17.

ÆRE collato Romani ſplendidiſſime funerabant viros ſummis honoribus defunctos, & optime de Republica meritos. Leges quidem non permittebant pauperum funera majoribus expenſis duci, quam facultates ipſorum ferrent. Hoc exemplo ſuo docere voluit M. Porcius Cato. *Hic enim filii in prætura mortui funus tenuiſſimo, ut valuit, nam pauper erat, ſumptu fecit.* Liv. Epit. XLVIII. Dignitatis tamen, & meritorum rationem habebant, nec facile committebant, ut talis propter inopiam vili ſepultura afficeretur. Ideoque aliquam multos ex collatitia ſtipe ſplendidiſſime funeratos legimus. Liv. II. 33. *Eodem anno Menenius Agrippa moritur. Huic ſumptus funeri defu[illegible] ex[illegible]t eum plebs ſextantibus collatis in capita.* Senec. ad Al[illegible] c. 10. *Menenius Agrippa, qui inter patrem, & plebem gratiæ ſequeſter fuit, ære collato funeratus eſt.* Pertinet huc vetus inſcriptio Neapolitana in domo quondam Petri Lupi:

M. VINICIO. P. F
POST. MORTEM
MUNICIPES. SUI
ÆRE. COLLATO
PIETATIS. CAUSA
POSUERUNT.

Kirchman. de Funer. I. 4. *Auctor miſcell. defenſ. pro Salmaſ. ad jus Attic. & Roman. p.* 19. Statuebant ſtatuas, ita ut quisque ad ſtatuam ponendam pecuniam conferret, ſingulas ſcilicet *æris* uncias. Suet. Aug. c. 59. n. 1. *Medico Antonio Muſæ ſtatuam, ære collato, ſtatuerunt.* Uncias ſingulas *æris* ſinguli conferebant. Plin. XXXIV. 5. *P. Minutio, præfecto annonæ, extra portam trigeminam unciaria ſtipe collata.* Græci vertunt ἀνδριάντας ἐκ συντελείας. Frequens eſt formula in antiquis inſcriptionibus: EX ÆRE CONLATO. & ÆRE CONLATO. Ex illo ſtatuas ſibi poni voluerunt Imperatores. Cauſa eſt, quam l. 3. C. de ſtat. & imag. indicat: *In noſtræ ſerenitatis imaginibus, ac ſtatuis erigendis privatæ collationis injuriam propulſari præcipimus, ne quid in eis ſuum collator cognoſcat.* Frigell. de ſtat. Roman. c. 22. Buleng. de Pictur. I. 23. Briſſon. de Formul. VII. p. 727.

Ære diruti milites dicebantur, quibus propter ignominiam ſtipendium, ſive merces menſtrualis, aut annua, quæ erat in nummis *æreis*, ſubtrahebatur. Varr. de vit. P. R. II. *Stipendium appellabatur, quod æs militi ſemeſtre, aut annuum dabatur: cui datum non ſit propter ignominiam, ære dirutus eſſet.* Feſtus: *Dirutum ære militem dicebant antiqui, cui ſtipendium ignominiæ cauſa non erat datum: quod æs diruebatur in fiſcum, non in militis ſacculum.* Sigon. de Ant. jur. civ. Roman. I. 15. Stewech. in Veget. II. 19. Bud. in Pandect. p. 93. H. Alex. Gen. dier. II. 13. & ad illum Tiraquellus, Lipſ. de Milit. Rom. V. dial. 18. Voſſ. Lex. Etymol. Crinit. de Honeſt. Diſcipl. XVIII. 6. Sichterman. Diſſert. de Pœn. militar. c. 15. Thyſ. Rom. Illuſtr. V. p. 152.

Æris cudendi officina in arce fuit in eo loco, in quo primum domus Regis Tatii, poſtea M. Manlii extiterat. *Fabric. Deſcript. Urb. Rom. c.* 9. Inaurandi, vel adulterandi modus, ut formam auri induat, hic eſt. Incendunt *æs* igni, ut ardeat: deinde exſtinguunt aceto, & alumine: poſtea inducunt bracteolas auri, & iſtas bracteolas *æs* ſic præparatum recipit in ſe, ut ſtrictiſſime hæreant: & ſi *æs* palleat ſub bracteolis, tunc illinitur liquor ovi, qui colorem *æris* demit. Plin. XXXIII. 3. & 6. *Salmuth in Pancirol. de Reb. deperd. & inv. p.* 44. Ejus tres tantum ſunt ſpecies, quæ bene inaurari poſſunt, nimirum *æs* Cyprium, orichalcum, & *æs*, ex quo ſtatuæ funduntur, quod compoſitum ex *ære* Cyprio, & orichalco. Quoniam autem *æs* Cyprium ſolum haud facile liquari poteſt, neceſſe eſt, ut ei admiſceatur orichalcum, quo fluidius fiat, cum omnium metallorum hæc ſit natura, ut facilius fundantur, & plus fluoris habeant, quando diverſæ illorum ſpecies invicem permiſcentur. Orichalcum, vel *æs* illud, quod uſibus domeſticis dudum inſerviit, plerumque inaurationi deſtinari ſolet, quæ tum demum bene procedit, quando *æs* iſtud nihil plumbi admixtum habet. *Æs*, cujus temperaturæ multum plumbi ineſt, quale eſt ollarium, inaurari nequit. *Savot. de Numm. antiq. c.* 9.

ÆRUSCATORES dicebantur, qui fallaciis pecunias colligebant, & illis cibum, & quæſtum captabant, utpote qui planorum inſtar hinc inde vagantes, & prædicendi artem jactantes, perinde circa hominum fortunas & eventa pronuntiarent, indeque lucrum captarent, ac jam facit circumforaneum, & vile genus hominum, quos vulgo Bohemos, & Ægyptios vocant. Feſtus: *Æruſcare, æra undique, id eſt, pecunias colligere.* Gell. XIV. 1. *Id præſtigiarum, atque offuciarum genus commentos eſſe homines æruſcatores, & cibum quæſtumque ex mendaciis captantes.* Et *æruſcare* dicitur, qui ſtipem undique colligit. Gell. IX. 2. *Muſonius æruſcanti cuipiam dari juſſit mille nummum.* Minimi pretii nummi *æra* vocabantur, ut

Græcis

Græcis χαλκοῖ. Et de mendicorum ſtipe ſæpe dicitur. Mart. xi. 28. 11.

Nec niſi prima velit de Thuſco ſerica vico,
Aut centum aureolos, ſic velut æra rogat.

Stipis æra dicit Ovid. de Pont. I. 1. 40. & *ſtipes æreas* Apul. Met. VIII. p. 262. Græcis χαλκολόγοι dicuntur. Gloſſ. Cyril. χαλκολόγος, *nummularius, æſculator.* Philox. *Æſculator*, χαλκολόγος. *Voſſ. Lex. Etymol. in Æs. Turneb. in Cicer. de Legib.* II. *p.* 107. *Pius Annot. poſt. c.* 59. *Rhodig. Ant. Lect.* XII. 10. *Laurent. de Agyrt. c.* 1. *Buleng. de Sort. c.* 5. *Donat. Dilucid. in Vulcat. Gallic. Avid. Caſſ. Theſ. Crit. Gruter. Tom.* IV. *p.* 1101.

ÆS.

ÆS eſt metallum durabile, & ſonorum. *Sweert. ad Mag. de Tintinn. c.* 12. In Creta primi invenerunt Telchines artibus excellentes. *Gyrald. Synt. deor.* I. *p.* 24. *C. Panciról. Notit. dignit. imp. orient. c.* 137. In Theſſalia Ionos rex Theſſaliæ. Caſſiod. Var. III. 31. *Junius Catal. Archit. p.* 101. Primus conflavit Lydus Scythes. Junius p. 73. In *ære* conſiſtebat vetuſtiſſimorum Romanorum pecunia propter eorum paupertatem, quia rarus illis argenti, rarior auri uſus fuit. Inde *æris* appellatio pro pecunia accipi conſuevit: & quamvis domitis nationibus in maximas divitias excreviſſent, ſervaverunt tamen antiquum nomen, & ſive pecunia aurea, ſive argentea, *æs* appellabatur. *Alciat. de Verb. Sign. p.* 235. b. *Franckenſtein de Ærar. pop. Rom. c.* 2. Auro mixtum olim deduci, hoc eſt, ſeparari non poterat. Hodie aurifices chriſulcæ aquæ vi ab auro, & quodvis metallum ab altero ſeparare poſſunt. *Alciat. Parerg.* VI. 11. *Salmuth in Panciról. de Reb. deperd. & inv. p.* 235. Illi vim medicatam ineſſe credebant veteres. Ideo luna eclipſin paſſa *æneis* quibuſdam revocabatur. V. ſupr. in *Æra auxiliaria.* Falcibus *æneis* legebantur herbæ a veneficis. Virg. Æneid. IV. 513.

Falcibus & meſſæ ad lucem quæruntur ahenis
Pubentes herbæ.

Ovid. Met. VII. 226.

—— & placita partim radice revellit,
Partim ſuccidit curvamine falcis ahenæ.

Rhodig. Ant. Lect. XIX. 10. Turneb. Adv. VI. 10. Cerda in Virgilium. Lampe de Cymbal. vet. III. 11. Spectra *æris* ſono fugabantur. Sophron. in Mimis: *Sacrificant Rheæ, & Hecatæ canes, quod canum immolatio, & æs conflictum ſolvat phaſmata.* Vaſis *æneis* utebantur magæ, & horum tinnitu manes fugabantur. Ovid. Faſt. V. 441.

Rurſus aquam tangit, Temeſæaque concrepat æra,
Et rogat ut tectis exeat umbra ſuis.

Lampe l. l.

Æs alienum dicitur omnis pecunia aliena, id eſt, quæ noſtra non eſt, ſed aliis debetur. Ulpian. de verb. ſignif. 1. 213. *Æs alienum eſt, quod nos aliis debemus.* Servius Sulpitius tulerat lege ſua, *ne quis ſenator ſupra duo millia drachmarum æris alieni contraheret.* V. infr. in *Lex Sulpitia.* Et C. Licinius, *ut deducto eo de capite, quod uſuris pernumeratum eſſet, id quod ſupereſſet, triennio æquis portionibus ſolveretur.* V. infr. in *Lex Licinia.* Calcagn. de verbor. ſignif. p. 361. Dicebatur *æs*, licet aurei nummi, aut argentei deberentur. Senec. de Benef. V. 14. *Æs alienum habere dicitur, & qui aureos debet, & qui corium forma publica percuſſum, quale apud Lacedæmonios fuit, quod uſum numeratæ pecuniæ præſtat.* Item adoptio, ut etiam teſtamentum per *æs* & libram factum dicebatur, etiamſi quis aureo, aut argenteo numiſmate uſus eſſet: prodigiſque ſollenni formula *ære* commercioque interdictum, etſi aurum quoque & argentum in peculio haberent. *Franckenſtein de Ærar. pop. Rom. c.* 2. *Lipſ. in Senecam.*

Æs caldarium appellabatur, quod tantum fundebatur, non autem incudi reſiſtere poterat. Plin. XXXIV. 8. *Æs caldarium funditur tantum, malleis fragile.* Savot. de Numm. antiq. II. 13. Illud eſt, ex quo nunc fiunt caldaria. *Salmaſ. Exerc. Plin. p.* 758. b. D. Si hæc eſſet ratio, Caldarianum potius, aut caldariarium dicendum eſſet. Præterea non ſolum ex ære fuſili, ſed etiam ex ductili caldaria fiunt. Imo etiam magis ex iſto. Caldarium Plinio vocatum Græci vocant χαλκὸν τροχίαν, *æs curſile*, Pollux VII. 24. 5. Τροχίαν μὲν χαλκὸν τὸν χυτὸν χρὴ καλεῖν, τυπίαν δὲ ὃν ἂν οἱ νῦν εἴποιεν ἔλαττον. In gloſſis dicitur ἑλκυςὸν, ut fuſile χωνευτόν. *Græv. Theſ. Antiq. Roman. Tom.* XII. *Præfat.* * * 2. *verſ.*

Æs candidum, cujus ſub vena argenti reperitur vena *æris* candidi. Experientia compertum habeo, talcam Venetianam facile redigi in pulverem candidiſſimum, ſi teratur in mortario æreo calido, & quidem piſtillo itidem calido; quod dum fit, tam ſuperficies mortarii quàm piſtilli, quandam inde albedinem contrahit. Hujus primus inventor nemini ſuam artem aperuit; ſed illa eodem cum auctore ſuo ſepulcro eſt condita. Et hæc eſt cauſa, quare *æs* antiquum illius temporis longe pretioſius & præſtantius ſit eo, quod poſtea confectum fuit. *Savot. de Numm. Ant.* I. 2. 6. 16.

Æs circumforaneum in foro fœnore ſumptum eſt, ſive nomina quibus obnoxii ſumus trapezitis ex pecunia mutua fœnori accepta. Cicer. ad Attic. II. 1. *Tuſculanum, & Pompejanum valde me delectant, niſi quod me, ipſum illum vindicem æris alieni, ære non Corinthio, ſed hoc circumforaneo obruerunt.* Erant enim menſæ fœneratorum circum forum, etiam in templorum porticibus. Morem hunc & Judæi ſervabant, qui in illo Salomonis delubro religioſiſſimo nundinabantur, fœnusque exercebant, converſa orationis domo in ſpeluncam latronum, ut ſcribitur Matth. c. 21. n. 12. *Pollet. For. Rom.* I. 3. *Sigon. de Ant. jur. civ. Rom.* II. 11. *Bud. in Pandect. p.* 140. G.

Æs confeſſum eſt illud, de quo confeſſio facta erat apud Gell. XV. 13: XX. 1. Hujus judicatis triginta dies dabantur conquirendæ pecuniæ cauſa, quibus niſi *æs* alienum diſſolviſſent, ad prætorem debitores vocabantur, qui creditoribus eos addicebat, tum nervo, atque compedibus vinciebantur: deinde eos paciſci fas erat; niſi pacti eſſent, in vinculis ſexaginta dies habebantur: in quibus diebus trinis nundinis continuis ad prætorem in comitium producebantur, quantæque pecuniæ judicati eſſent, prædicabatur, ut ſi quis eos eximere vellet, quod nobiliſſimi quique facere ſolebant, tantam pecuniam ſolveret. Hinc jocus ille apud Nævium, ut refert Cicer. de Orat. II. 63. *Videtur*, inquit, *eſſe miſericors ille, qui judicatum duci videt, percunctaturque ita, quanti addictus? Cumque illi reſponſum eſſet, mille nummum: ſi addidiſſet*, inquit, *tantummodo, ducas licet, eſſet aliud genus ridiculi præter exſpectationem; ſed quia addidit, nihil addo, ducas licet, addito ambiguo altero genere ridiculi, fuit, ut mihi quidem videtur, falſiſſimus.* Ambiguum erat, *nihil addo*, quoniam ad adjectionem referri poterat, qua quis in licitatione utitur; & ad ea, quæ agebat, hoc eſt, nihil verborum addo, nihilque amplius a me exſpectes, eum libere ducito. *Auguſt. de Legib.* XII. *tab.* §. 38. *Salmaſ. de Mod. uſur. c.* 18. *Schott. Obſerv.* II. 34. *Collect. vetuſt. p.* 377. *Oiſel. in Gellium.*

Æs Corinthium ex tribus metallis, auro, argento, & ære permixtum, & confuſum tertium fuit quoddam metalli genus. Nomen accepit, quod Corintho anno ab U. C. 608. a Mummio capta, & incenſa, aurum, argentum & *æs* in unum confluxerint, peruſtis plurimis ſtatuis, & ſimulacris. Flor. II. 16. 6. *Quantas opes & abſtulerit & cremaverit, hinc ſcias; quod quicquid Corinthii æris toto orbe laudatur incendio ſuperfuiſſe comperimus. Nam & æris notam pretioſiorem ipſa opulentiſſimæ urbis fecit injuria: quia incendio permiſtis plurimis ſtatuis, atque ſimulacris, æris, auri, argentique venæ in commune fluxere.* Plin. XXXIV. 2. *Ex illa autem antiqua gloria Corinthium maxime laudatur: hoc caſus miſcuit, Corintho, cum caperetur, incenſa. Corinthus capta eſt Olymp.* 158. *an.* 3. *noſtræ Urbis* 608. Philand. in Vitruv. VIII. 6. Palmer. Spicil. XI. Theſ. Crit. Gruter. Tom. IV. p. 804. Saubert. de Sacrif. c. 17. Figrell. de Stat. c. 16. Rhodig. Ant. Lect. XXI. 25. Junius de Pictur. III. 11. Savot. de Numm. antiq. II. 17. Laz. Græc. II. 3. Mirum eſt hanc fabellam habuiſſe tot aſ-

ſertores,

ſertores, cum invicto argumento refellat ille ipſe, qui primus evulgavit, Plinium dico, qui *uno ante Corinthum captam ſeculo deſiiſſe* obſervat *nobiles illos fictores, quorum omnia ſigna iſta Corinthia appellantur.* Quid quod hujus narrationis neque vola, neque veſtigium eſt in Strabone, qui de *Corintho* tam multa habet, nec in Ariſtidis Iſthmica, nec in Pauſaniæ Corinthiaca, nec in Dionis Chryſoſtomi oratione 37. quæ tota eſt in Corinthi laudem, nec in Græcorum ullo alio, quod quidem ſciam. Solum in Plutarch. de Pyth. Orac. p. 395. B. *Alii Corinthi domum unam arſiſſe dicunt, in qua cum auri, argentique nonnihil eſſet, æris autem magna vis, commiſta illa, & in eandem confuſa maſſam, & ex eo metallo, cujus major inerat pars, Corinthii æris nomen acceperint. Alii ærarium quendam fabrum Corinthi fuiſſe, qui cum incidiſſet in thecam auri plenam, eamque ſibi abſtuliſſet, ne id reſciretur metuens, diſſectum in minutas particulas aurum paullatim æri admiſcuerit, admirabilemque illam temperaturam effecerit, qua magnas ſibi opes poſtea comparaverit.* Sed neutri rem accidiſſe dicunt, cum exciſa eſt Corinthus. *Bochart. Hieroz.* VI. 16. *Muret. Var. Lect.* III. 5. *Freher. de Monet. Rom. vet.* I. I. Utramque narrationem rejicit Plutarchus ut fabuloſam, *æs aſſerens arte, non caſu ita miſceri.* Nec deſunt, qui aurichalcum, cujus mentio eſt apud Heſiodum, & alios poetas vetuſtiſſimos Corinthii æris ſpeciem fuiſſe putent. In quorum numero fortaſſe fuere Bibliorum interpretes Syrus & Arabs, quorum ille ex ære Corinthio, hic ex ære Græco fuiſſe refert omnia vaſa, quæ fecit Hiram Solomoni pro domo Dei I. Reg. c. 7. n. 45. Id ſaltem inde colligas, ex eorum ſententia Corinthium *æs* fuiſſe in uſu Solomonis ævo, quo tempore templum condidit, id eſt, annis plus nongentis ante Corinthi excidium: *Bochart. l. l.* Auro prælatum fuit. Stat. Sylv. II. 2. 68.

Æraque ab Iſthmiacis auro potiora favillis.

Videtur autem raritas præcipue in cauſa fuiſſe, cur *æris* hujus pretia in immenſum exarſerint: niſi malis ex eo auctum pretium, quod difficulter admodum *æruginem* traxerit. Cicer. Tuſc. Quæſt. IV. 32. *Inter acutos, & hebetes hoc intereſt, quod ingenioſi, ut æs Corinthium in æruginem, ſic illi in morbum & incidunt tardius, & recreantur ocyus.* Solebant autem illi, qui volebant videri aliquid hac in parte ſupra vulgus ſapere, ſinceritatem *æris* Corinthii naribus explorare. Quod in Mamurra ſalſe ridet Mart. IX. 60. II.

Conſuluit nares, an olerent æra Corinthum,
Culpavit ſtatuas & Polyclete tuas.

Junius l. l. Æruginem tardius contrahit, ſeu propter ſui bonitatem, ſeu propter quantamcumque auri portionem remixtam. *Freher. l. l.* Numiſmata, quæ hodie ex *ære* Corinthio conſtare vulgo dicuntur, non ſunt facta ex priſco illo *ære.* Quæ enim flavi ſunt coloris, ex nulla alia materia, quam *ære* inaurato conſtant. *Savot. l. l.*

Æs coronarium, quod noſtrates *clinquant* vocant, in tenues erat bracteas, ſive laminas deductum, & ad colorem auri proxime accedens, quod olim adhibebatur ad hiſtrionum coronas. Pars fuit *æris* tenuiſſimi Cyprii. Plin. XXXIII. 9. *Miſcetur argento tertia pars æris Cyprii, quod coronarium vocant, & ſulphuris vivi, quantum argenti.* XXXIV. 8. *In Cyprio coronarium, & regulare eſt, utrumque ductile. Coronarium tenuatur in laminas, taurorumque felle tinctum, ſpeciem auri in coronis hiſtrionum præbet.* Savot. de Numm. Antiq. II. 17. Paſchal. de Coron. IX. I. Salmuth in Pancirol. de Reb. deperd. & inv. p. 229. Panvin de Lud. circenſ. I. 17. & ad illum Argolus.

Æs Corybantium eſt dictum, quia Corybantes in ſacris Cybeles *æreis* crepitaculis utebantur. *Fabric. Deſcript. Urb. Rom. c.* 10.

Æs Curionium *dicebatur, quod dabatur curioni ad ſacerdotium curionatus.* Feſtus. Merces enim, ſive ſalarium, hoc eſt, reditus, ſive proventus, & vectigalia ſacerdotibus dabatur: & ob certa quædam munia, atque officia aliis nominibus appellabatur. *Stuck. de Sacrif. p.* 107.

Æs Cyprium *in Cypro inſula primum repertum, unde & vocatum: factum ex lapide eroſo, quem cadmiam vocant: & eſt ductile: huic ſi addatur plumbum, colore purpureo fit.* Iſidor. XVI. 19. *Argol. in Panvin. de Lud. circenſ.* I. 17. *Junius de Pictur.* III. 11. *Philand. in Vitruv.* III. 12.

Æs Dodonæum nomen accepit, quia in Apollinis ſacris lebetibus *æreis* utebantur. *Fabric. Deſcript. Urb. Rom. c.* 10. Dodona eſt urbs in Chaonia, Epiri regione, juxta quam inſigne nemus, ubi Jovis Dodonæi templum, fuiſſe narratur, in quo oraculum omnium, quæ apud Græcos ſunt, vetuſtiſſimum. Hinc *æs* Dodonæum, cymbalum, aut tintinnabulum diu noctuque continuo crepitans. Zenob. in παροιμιῶν ἐπιτομῇ tradit in Dodona duas fuiſſe ſublimes columnas, in altera poſitam pelvim *æream*, in altera pueri ſimulacrum flagellum *æreum* manu tollentis. Quoties autem ventus flaverit, fieri, ut ſcutica impulſa crebrius lebetem feriat, iſque percuſſus tinnitum reddat, ad multum etiam temporis reſonantem. *Swert. in Magium de Tintinnab. p.* 119. *Eraſm. Adag. p.* 276. *B.*

Æs factum, quod eſt in vaſis & ſignis. V. illud infr. in *Argentum factum.*

Æs flavum ſic dictum a colore, componebatur ex quadam mineræ ſpecie, quam Latini vocant cadmiam, & Galli calamine. *Savot. de Numm. antiq.* II. 13.

Æs grave dictum eſt a penſitatione, id eſt, quod pondus juſtum legitimumque haberet. Liv. IV. 60. *Et quia nondum argentum ſignatum erat, æs grave plauſtris quidam ad ærarium convehentes, ſpecioſam etiam collationem faciebant.* Romani enim olim appendere, ſeu ponderare pecuniam magis ſolebant, quam numerare. *Putean. Reliq. conviv. priſc. Theſ. Antiq. Roman. Græv. Tom.* XII. *p.* 257. *A.* Ex denis aſſibus conſtituit Feſtus: *Grave æs dictum a pondere, quia deni aſſes ſinguli pondo libras efficiebant denarium ab hoc ipſo numero dictum.* Sardus de Numm. Theſ. Græv. Tom. XI. p. 1718. E. Naſcentis Romæ tempore Saturnus & Janus æneam pecuniam ſignaverant, *æs* grave erat in uſu. *Freher. Not. in Anonym. de Re monet. Theſ. Græv. ibid. p.* 1418. Budæus, & Scaliger rude, atque informe intelligunt, quos rejicit Salmaſ. de Mod. uſur. c. 6. Ubi extra controverſiam eſſe ait, quamdiu aſſes fuere librarii, *grave æs* non alia notione acceptum fuiſſe, quam de *ære* ſignato; ubi vero imminutum aſſium pondus fuit, & illi lege Papiria ad ſemunciam redacti, *æris gravis* appellationem non niſi de infecto, & rudi uſurpatum. At ego maxime controverſum exiſtimo, quod illi extra controverſiam eſt. Nam dum as libram pondo fuit, quæ ratio potuerit excogitare, aut utilem, aut neceſſariam reddere *gravis æris* appellationem, nullus video: unius enim generis erat; quicquid erat: & quia grave erat omne, ideo nullum, quod grave diceretur. Nondum exſtiterat nomiſma, quod minori pondere accederet ad idem pretium; a quo ut appellando diſcerneretur, alterum grave nuncupandum erat. Tum demum opus erat hac diſtinctione nominis, poſtquam aliud *æs* pondere levius eadem æſtimatione cœpit uſitari. Adeo ut vocabulum pæne non fuerit, niſi ex quo res fuit, hoc eſt, eſſe deſiit. Quemadmodum Tarquinio & Catoni Priſcis nata ſunt cognomenta, quum ipſi pridem denati eſſent. Sic recte de Uſur. c. 19. ſtatuit nullum fuiſſe dictum grave argentum, quia argenteus nummus nunquam in gravi, & magno pondere percuſſus eſt, ut a minuto, ac levi propterea debuerit diſtingui. Ergo dum libralis as fuit, ignorabatur diſcrimen, & nomen *æris gravis*: at circumſcripto aſſe *grave æs*, & de ſignato, & de rudi, prout res tulit, pro pecunia accipi facile concedam. Nam illud prorſus inexſpectatum, quod poſtremum placuit τῷ πάνυ, omnibus auctorum locis, in quibus poſt imminutos aſſes ex pondere librali mentio fit ejus, *æs grave* de ſeſtertiis *æreis* accipiendum. Quod autem rei tam inopinatæ fundamentum? Nempe quæ in XII. tab. fuerunt, *ſi quis alteri injuriam faxit, viginti quinque pœnæ*, ii apud Paullum in Receptis ſententiis ſunt XXV. *ſeſtertii nummi.* Nihil hic video ſolidi ad conjecturam tam audacem ſuperſtruendam. Cur enim neceſſe eſt ſeſtertios illos, quorum meminit Paullus, ſi jam olim tempore libertatis ſubrogati aſſibus fuere,

fuere, credi fuisse æneos? cur non sint argentei, quales procul dubio fuerunt. Jam si *grave æs* sestertius, quia hic maximus in *ære* nummus, causa nulla est, cur non & *argentum grave* sit denarius, quippe qui argenteorum maximus. Cur denique non asses potius vel sextantarios, vel unciales, si qui superfuerunt, accipit, quos saltem fuisse constat? Quamquam huic quoque interpretationi fides precaria, & parum certorum argumentorum: non tamen fingeretur genus nummi, quod certum est illo tempore incognitum fuisse. Aut cogitemus factum Romæ, quod hodieque fit apud Sueones. Sunt nummi ærei: sunt etiam massæ grandes quadratæ, in quatuor oris, & medio alterius lateris signatæ. Ita credi possit usum nummorum non statim sustulisse usum massarum. *Æs grave* tum dixerint Romani & massas hujusmodi signatas, postquam nummi pondus imminutum est. Sed illarum massarum pretium crevit pro ratione nummi. Tanquam asse sextantario facto, massa XX librarum, quæ prius valuerat vicenos *æris*, tum CXX asses valuit: asse unciario, eadem massa CCXL asses valuit: asse semunciario, eadem massa pro CCCCLXXX assibus appensa est. Quibus igitur legimus donata decem millia *æris gravis* post levatum pondus nomismatum, eos intelligere possumus accepisse tantum assium in massis hujusmodi. *Gronov. de Pecun. vet.* III. 15. *Thys. in Gell.* X. 6.

Æs hæreditarium dicitur, quod ex lege XII. tabularum pro portionibus singulos hæredes creditoribus obligat, & ipso jure inter eos est divisum. *August. in Leg.* XII. *tab.* §. 22.

Æs hepatizon est dictum, quod ad colorem jecinoris, seu hepatis proxime accederet. Ego arbitror, non aliud metalli genus fuisse, quam quod nostrates vulgo bronze vocant, quoniam & hoc colorem hepatis refert. Cæsalpin. de Metallic. II. confundit cum *ære* Corinthio, dum id tertium *æris* Corinthii genus statuit: quamvis illud ab *ære* Corinthio distinxerit Plin. XXXIV. 2. *Præter hæc est illud suo colore pretiosum ad jocineris imaginem vergens, quod ideo hepatizon appellant, procul a Corinthio.* Savot. de Numm. antiq. II. 17.

Æs hordearium dictum, *quod pro hordeo equiti Romano dabatur.* Festus. Romæ hordeum equitibus publice dabatur, quo jumenta sua alerent, neque enim avena utebantur. Pro hordeo tamen interdum *æs* dabatur. *Putean. de Stipend. milit. c.* 8. *Dacer. ad Festum.*

Æs infectum, quod est in massis. V. illud infr. in *Argentum factum.*

Æs manuarium vocatur pecunia quasi ex pluribus manibus collecta. Gell. XVIII. 13. *Hoc ære collecto, quasi manuario, cœnula parabatur omnibus, qui eum lusum luseramus.* Manus in talorum ludo erat pecunia, quam conferebat quisquis post jactum infelicem. *Casaub. Suet. Aug. c.* 70. *Rhodig. Ant. Lect.* X. 2. *Oizel. in Gellium. Souter. de Aleat.* I. 28.

Æs ollarium, a Gallis potin vocatum, est species *æris*, quod inaurari nequit, ob plumbum, quod ei admixtum est. Metallum hoc compositum est ex *ære*, orichalco, plumbo, & pauco stanno. Vocaturque ollarium, quoniam plerumque ollæ *æreæ* ex eo confici solent; eademque ratio est, quare Plin. XXXIV. 9. illud appellet *temperaturam ollariam, vase hoc nomen dante.* Ex eodem hodie confici solent candelabra, aliaque vasa. Idem *æs*, quoniam malleum pati nequit, non male quis forsan dixerit esse caldarium. *Savot. de Numm. antiq.* II. 17.

Æs pyropum fulgore suo ignem referebat. Quomodo Eumolpus in Bacchicis Bacchum, seu Solem appellat πυρωπὸν apud Diodor. I. p. 7.

Sidereum Dionysum igni radiante coruscum.

Bochart. Hieroz. II. 6. 16. Pyropus non fuit ex lapidum pretiosorum genere, quos rubinos, sive carbunculos vocant, ut plerique nullo auctore hodie volunt. Sed erat, ut Plin. XXXIV. 8. *æs* quoddam Cyprium: *cujus in uncias seni addebantur scrupuli auri*, & quod *pratenui pyropi bractea ignescebat.* Et ita fiebat *æri* coronario addita quarta parte auri, quippe quod colorem fulgidum, & igni similem ei conciliabat. Isidor. XVI. 19. addit, *flammasque imitatur*, alludens ad hoc Ovid. Met. II. 1.

Regia Solis erat, sublimibus alta columnis,
Clara micante auro, flammasque imitante pyropo.

Accedit & Prop. IV. 11. 21.

Picta nec inducto fulgebat parma pyropo.

Bochart. l. l. Pancirol. de Reb. deperd. & inv. p. 228. & ad illum Salmuth. Propertius dum dicit *inducto*, carbunculum non fuisse; sed laminam non obscure indicat. Nam auri, vel *æris* bractea parmæ induci recte dicitur, ut parieti tectorium: carbunculus non item. Parmæ enim induci dicuntur, quæ illam obtegunt, quod de carbunculo quis putet? *Bochart. & Salmuth l. l. Savot. de Num. antiq.* II. 17. Ex Plinio colligo in laminas fuisse tenuatum, æque ac *æs* coronarium, sed præterea ab utraque parte largiter inauratum. Ut enim utramque latus tenuis laminæ æreæ sufficienter inauraretur, opus saltem erat quarta parte auri, ipsaque lamina ærea auro illinendo baseos tantum loco erat. Unde fiebat, ut aurum, dicto modo *æri* illitum, magis rutilo fulgeret colore, quam si solum esset. *Æs* vicissim, licet in tenuissimas laminas diductum, ab ærugine exedi, vel corrumpi non poterat, quoniam *æs*, paullo largius inauratum, nunquam æruginem contrahit: sed omnibus aëris injuriis melius fere & diutius, quam ipsum aurum, ob soliditatem suam resistit. *Savot. l. l.*

Æs regulare, quod & fundi, & cudi simul poterat. Plin. XXXIV. 8. *Regulare & in aliis fit metallis, itemque caldarium. Differentia, quod caldarium funditur tantum malleis fragile, quibus regulare obsequitur, ab aliis ductile appellatum, quale omne Cyprium est. Sed & in cæteris metallis cura distat a caldario. Omne enim purgatis diligentius igni vitiis, excoctisque regulare est.* Savot. de Numm. antiq. II. 13. Salmas. Exercit. Plin. p. 758. b. D. Græv. Præf. Thes. Antiq. Roman. Tom. XII. * * 4.

Æs resignatum dicitur militi, cum ob delictum aliquod, jussu tribuni militum, ne stipendium ei detur, in tabulas refertur. Resignare antiqui pro scribere interdum ponebant. Festus. Cui hoc propter ignominiam non dabatur, *ære dirutus* dicebatur. *Sichterman Dissert. de Pœn. militar. c.* 15. *Dacier. in Festum.*

Æs rude fuit informe. *Bud. de Asse.* I. *p.* 106. Grave quando fuerit dictum. V. supr. in *Æs grave.* Pecunia initio Urbis rudi *ære* constabat. Quamobrem libra opus erat, ut pretium solveretur. *Augustin. de Legibus Thes. Ant. Roman. Græv. Tom.* II. *p.* 1299. *D.* Qui enim de pondere constare potuisset, si non fuisset appensum. Prætulit notam quidem, quæ pondus designaret; sed publico cuneo minime percussam, sed a privatis tantum accipientibus aut reddentibus impressam, quorum fidem sequi non semper poterant, quin opus haberent etiam illud ad libram vocare. *Sperling. de Numm. non cus. c.* 31.

Æs signatum, quod est in nummis. V. illud infr. in *Argentum signatum.* Plin. XXXIII. 3. *Primus æs signavit Servius Rex. Antea rudi usos Romæ Remeus tradit. Signatum est nota pecudum, unde & pecunia appellata.* August. in Leg. XII. tab. §. 26. Calcagn. Equitat. p. 577. Laz. Comm. Reip. Rom. III. 3. Quod si ita est, quid de Saturno futurum est, quem primum nummi auctorem facit Tertull. Apolog. c. 10. *A Saturno primum tabulæ, & imagine signatus nummus, & inde ærario præsidet.* Dicendum forsan, de Romanis Plinium intelligendum, Saturnum aliis Italis morem signandi monetam tradidisse. *Franckenstein de Ærar. pop. Rom. c.* 2.

Æs uxorium dicebatur, quod pendebat; qui cœlebs ad senectutem pervenerat. Festus. *Uxorium pependisse dicitur, qui, quod uxorem non habuerit, æs populo dedit.* Thys. in Gell. I. 6. Ἀγαμίας δίκη Atheniensibus, Lacedæmone ὀψιγαμίας, καὶ κακογαμίας δίκη. *Æs* pœnæ nomine a cœlibibus primi exegerunt, ut puto, M. Furius Camillus, M. Postumius censores an. 350. *Scalig. & Dacer. in Festum.*

per *Æs*, sive assem & *libram* verba juris sunt, quibus omnis emptio confirmabatur, cum per libram expensa pecunia, per *æs* ipsum pretium demonstrabatur. Adoptio

ptio per mancipationem ac vindicationem imaginaria quædam erat venditio; *cum adhibitis non minus quinque teſtibus Romanis civibus puberibus, & præterea alio ejuſdem conditionis, qui quod libram æneam tenebat, libripens dicebatur, ad-[illegible] dicebat: hunc ego hominem ex jure Quiritium meum eſſe aio, iſque mihi emptus eſt hoc ære, æneaque libra. Dein ære libram percutiens, idem æs quaſi pretii loco naturali patri dabat; quod cum iterum ac tertio feciſſet, filius de poteſtate patris exibat, ac fiduciarii patris filius evadebat.* Boeth. in Topic. Cicer. Suet. Auguſt. c. 64. n. 3. *Cajum & Lucium adoptavit domi per aſſem & libram emptos a patre Agrippa.* Ovid. de Pont. IV. 15. 42.

Meque tuum libra norit & ære minus.

Tuus, inquit, ſum, imo mancipium tuum, niſi quod ſola libra & *æs* meæ mancipationi abſuerunt. *Gronov. Obſerv.* II. *Heinſ. in Ovidium. Noriſ. Cenotaph. Piſan. Diſſ.* II. *p.* 85. *Sigon. de jur. civ. Roman.* I. 10. *de judic.* I. 11. *Laz. Comm. Reip. Rom.* II. 1. *Salmaſ. de mod. uſur. c.* 6. *Lipſ. in Tacit. Annal.* I. *n.* 21. *Calcagn. Equitat. p.* 575. *Auguſt. de Legib. Theſ. Antiq. Roman. Græv. Tom.* II. *p.* 1300. *A. Briſſon. Antiq. Select.* I. 7. *de Form.* VI. *p.* 513. *Hotoman. Antiq. Roman.* III. 3. *Donat. & Pitiſc. in Suetonium.* Quicquid per *æs & libram* fiebat, nexus dicebatur. *Sigon. de jur. civ. Roman.* I. 11. V. infr. in *Nexus.* & teſtamenta *per æs & libram* fiebant, & ſolvebantur. V. infr. in *Teſtamentum.* Erat modus perimendorum ſacrorum, ut *per æs & libram* hæredes teſtamento legatariis ſolverent. Quod genus teſtamentorum fiebat comitiis curiatis pro collegio pontificum. Gellius. V. illum infr. in *Teſtamentum.* Guther. de vet. jur. pontif. II. 6. Quid audio: teſtamentum *per æs & libram* factum eſſe calatis comitiis? Atqui didiceram ex Juſtiniano tertium hoc, ſeparatum a comitiali, & procincto genus fuiſſe teſtamenti: & expreſſius a Theophilo, quum multi præcipiti morbo correpti morerentur inteſtati (bis enim tantummodo in anno ea comitia calabantur) neque bellum eſſet, inventum genus teſtandi per *æs & libram*, quod citra comitia, citra procinctum fieret. Neque abit ab illis Gellius, quem contrarium ſibi dat teſtem Gutherius. *Gronov. de Pecun. vet.* IV. 7.

ÆSAR Etruſca lingua Deus vocabatur. Hinc Augures, cum paullo ante quam Cæſar Auguſtus humanis concederet, fulmen ſtatuæ ejus inſcriptionem ita perſtrinxiſſet, ut primam nominis literam, quæ erat in dictione Cæſar, decuſſerit illiſam prorſus, hoc interpretati ſunt, eo portento ſignificari eum centum, non ultra, dies victurum. Quia vero *Æſar* pars reliqua manſiſſet, inter Deos eum eſſe referendum adjecerunt, quod *Æſar* Etruſca lingua Deus vocabatur. V. Suet. c. 97. n. 4. *Pier. Valer. de Fulmin. ſignif. Theſ. Antiq. Roman. Græv. Tom.* V. *p.* 614. *E. Bochart. Chan.* I. 33. *Turneb. Adv.* XXVIII. 20. *Schedius de diis German.* II. 6.

ÆSCHYLUS reduxit tragœdiam in adſpectum hominum, cultu decoro ac ſplendido, & numeris omnibus propemodum explevit. Nam & eam ſyrmate ornavit, & cothurnis ac pulpito excelſo, & heroum formis, nuntiis & internuntiis, & iis omnibus, quæ in ſcena, vel ſub ſcena vulgo adhibentur. Idem primus inſtituit, ut tragici fœcibus aut minio inunctas perſonas gererent, & cothurnis aut embatis uterentur. Idem contraxit choros nimium productos & hiſtrionum diverbia, refugiens monodias illas prolixas; & cædes ſub ſcena, non in omnium oculis patrari inſtituit. Cothurnos hiſtrionibus addidit, ut gradientes heroas repræſentarent. Veſtes quoque heroibus idoneas attribuit. Hiſtrionum numerum auxit; pro uno enim duobus uti cœpit, prologum, ſeu protagoniſten introduxit. *Buleng. de Theat.* I. 2. & 53. *Mariſchott. de Perſ. & Larv. c.* 2.

ÆSCULAPIUS fuit Meſſenius, ſed Epidauri, quæ eſt urbs notiſſima Peloponneſi in ſinu Saronico, habitavit: unde & Epidaurus eſt illi conſecrata. Lactant. I. 10. *Æſculapius non ſine flagitio Apollinis natus, quid fecit aliud divinis honoribus dignum; niſi quod ſanavit Hippolytum? Hunc, Tarquitius de Illuſtribus viris diſſerens, ait incertis parentibus natum, expoſitum, & a venatoribus inventum, canino lacte nutritum, Chironi traditum, didiciſſe medicinam: fuiſſe autem Meſſenium; ſed Epidauri moratum.* Invenit medicinam, forte clinicen. Mart. Capel. de Nupt. II. *Adſcribit Aſclepio Græcia medicinam.* Tertull. Apolog. c. 23. *Ipſe eſt Æſculapius, medicinarum demonſtrator.* Depingebatur ſenili facie, barba propexa, nodoſo in manu baculo. Signi meminit Suet. Aug. c. 59. n. 1. *Medico Antonio Muſæ ſtatuam juxta ſignum Æſculapii ſtatuerunt.* De barba Cicer. de Nat. deor. III. 35. & Val. Max. I. 2. §. 3. ext. *Dionyſius Epidauri Æſculapio barbam auream demi juſſit, neque enim convenire barbatum eſſe filium, cum in omnibus fanis pater imberbis eſſet.* Pallium, & crepidas Græco more, nempe Græcus deus, gerebat. Tertull. de Pall. c. 4. *Ipſum hoc pallium moroſius ordinatum, & crepidæ cretatæ Græcatim Æſculapio adulantur.* Baculum in manu habebat, & additos draconem & canes. Feſtus: *In inſula Æſculapio facta ædes fuit, quod ægroti a medicis aqua maxime ſuſtententur, ejuſdem eſſe tutelæ draconem, quod vigilantiſſimum ſit animal, quæ res ad tuendam valetudinem ægroti maxime apta eſt: canes addebantur ejus templo, quod is uberibus canis ſit nutritus, bacillum habet nodoſum, quod difficultatem ſignificat artis, laurea coronatur, quod ea arbor plurimorum ſit remediorum.* Apul. Met. I. p. 8. *Diceres dei medici baculo, quod ramulis ſemiamputatis nodoſum gerit, ſerpentem generoſum lubricis amplexibus inhærere.* Baculus iſte in læva manu, dextra barbæ admota, qui fere ſenum mos ſolet eſſe. Ovid. Met. XV. 654.

— Sed qualis in æde
Eſſe ſolet, baculumque tenens agreſte ſiniſtra,
Cæſariem longæ dextra deducere barbæ.

Gyrald. Synt. deor. VII. p. 252. & 254. Cuper. Harpocrat. p. 57. La Chauſſe de deor. ſimul. tab. 17. Ortel. Deor. & dear. cap. II. tab. 28. Demſter. Paral. ad Antiq. Roſin. II. 17. Tomaſ. de Donar. c. 24. Stuck. de Sacrif. p. 69. Marlian. Topogr. Urb. Rom. V. 16. Caſal. de Prof. Roman. ritib. c. 7.

ÆSTAS frons eſt totius anni, flagrantior ſcilicet & eminentior pars. *Aleand. Tab. Hel. Explic. Theſ. Ant. Roman. Græv. Tom.* V. *p.* 734. *D.* Deſignabatur per Apollinem, cujus præcipuum munus ſagittandi fuit peritia, quum ſcilicet vehementiori jactu ſolares radii terram percutiunt, ut proinde tunc jaculator merito ſol appareat: quique cæteris anni temporibus obtuſus quodammodo videbatur, acutus per æſtatem dici poſſit. Quomodo nominat Horat. Epiſt. I. 10. 15.

— ubi gratior aura
Leniat & rabiem canis, & momenta leonis,
Cum ſemel accepit ſolem furibundus acutum.

Aleand. ibid. p. 736. *B.* Ejus effigies olim erat hæc. Venuſta, & formoſa nympha mediæ cujuſdam majeſtatis, ſpiceam coronam, & fluentes per humeros crines habens, dextra cornu copiæ maturis ſegetibus redundans, ſiniſtra radicem triplici ſpecie fœcundam, ad pedes faſciculos ſegetum, & utraque manu ſpicas ferentem puerum, ſed ſedentem vidiſſes. *Berthald. de Ara c.* 3.

ÆSTIMATIO litis condemnatum reum ſequebatur. Præcipue erat in cauſa repetundarum & peculatus. Erat autem judicium, quo lis ei *æſtimabatur*, id eſt, furtorum omnium ratio inibatur; atque inde pecunia reddebatur, cui erepta dicebatur. Aſcon. in Cicer. p. 59. *Lis æſtimata eſt pecunia, de qua lis fuit, & propter quam condemnatus eſt, in ſummam redacta, quæ de ejus rebus exigeretur. Duæ enim res conſequebantur* lege Cornelia *damnationem, altera redditio pecuniæ iis, ad quos pertinebat: in quo vel ſimpli, vel dupli, vel quadrupli ratio ducebatur; altera exſilii.* p. 88. *Repetundarum cauſa ita ſe habet, ut ſi convictus reus ſit, atque damnatus, pecuniam reddat æſtimata lite, hoc eſt, in pretium redactis omnibus furtis.* Cicer. Procem. Verr. c. 13. *P. Septimio ſenatori damnato Q. Hortenſio prætore de pecuniis repetundis lis æſtimata eſt eo nomine, quod ille ob rem judicandam pecuniam accepiſſet.* Sigon. de Judic. II. 23. Bud. in Pandect. p. 33. H. Roſin. Antiq. Roman. IX. 24. Puto fuiſſe triplicem. I. Cum confeſſo ſine accuſatione, & judicio lis *æſtimabatur*, ut in orat. pro Rabir. Poſt. c. 4.

ubi

ubi A. Gabinius confessus est se accepisse pecuniam ob reducendum Ptolemæum in Ægyptum, & ei lis *æstimata* extra judicium. *Sunt*, inquit, *lites æstimatæ A. Gabinio: nec prædes dati, nec ex ejus bonis, quanta summa litium fuisset, a populo recipi. Lex æqua est.... Itaque in inferendis litibus adesse solebant, qui aliquid de se verebantur: &, cum erant appellati, si videbatur, statim contra dicere solebant: sin ejus temporis recentem invidiam pertimuerant, respondebant postea: quod cum fecissent, permulti sæpe vicerunt.* Gabinius ergo non responderat, & ideo lis ei *æstimata* sine prædibus, postea diluta tempore invidia causam dixit defendente Cicerone. Hujusmodi litis *æstimationem* non statim sequebatur prædium exactio, aut pignoriscapio, vel bonorum distractio. Itaque si rebus integris reus postea defenderetur, exstinguebatur prorsus facta *æstimatio*: & hoc est, quod dicit, *permulti sæpe vicerunt*. II. Quæ illatio litis dicebatur, cum injuria affecti vindictam non quærebant publice, sed litem sibi *æstimari* postulabant, id est, multam quandam adjudicari, qua ablatum concussione, latrocinio, furto recuperarent. Cicer. pro Clu. c. 41. *In litibus æstimandis fere judices, aut quod sibi eum, quem semel condemnaverunt, inimicum putant esse, si qua in eum lis capitis illata est, non admittunt: aut quod se perfunctos jam esse arbitrantur, cum de reo judicarunt, negligentius attendunt cætera.* Est enim inferre litem non crimen intendere, aut formulam, sed omisso capite rerum ablatarum per reos, *æstimationem* persequi: quod vulgo dicimus agere civiliter, ut nunc in cædibus cæsorum parentum litem inferunt, id est, agunt, ut lis *æstimata* redigatur ad recuperandum quanti sua interest. Procurator fisci crimen intentat, vindictam persequitur, solumque caput petit. Hic cui lis capitis *æstimata*, nondum est ex reis exemptus: sed & condemnari potest. Ita contra, qui absolutus est tantum pro capite, tamen litis *æstimationi* obnoxius est. Sunt enim litem inferre, & litem capitis *æstimare* eadem cum pœna legitima convertitur in multam, aut præ multa contemnitur. III. Quæ *appendicula est causæ principis*, ut dicit Cicer. pro Rabir. l. l. cum vindicta primum lege petitur, deinde vice corollarii interesse, & litium *æstimatio* exigitur, quod fit in quibusdam causis, ut repetundarum, & concussionis, maxime si conjunctæ sunt cum alio crimine. Plin. Epist. II. 2. 19. *Cornutus Tertullus consul designatus censuit septingenta millia, quæ acceperat Marius ærario inferenda; Mario Urbe, Italiaque interdicendum.* Ubi capitis pœna cum pecunia conjuncta est, sed conjuncta erat Marii causa, qui ob reos judicandos, interficiendosque pecuniam acceperat. De hoc Scto sic meminit Juven. Sat. I. 49.

Exsul ab octava Marius bibit, & fruitur diis
Iratis, at tu victrix provincia ploras.

Pollet. For. Rom. IV. 10.

ÆSTIMUM vocabant censum in provinciis, ubi tributa solvebantur. Cujusque enim nomina cum facultatibus, id est, prædiis, eorumque finibus, & qualitatibus, quæ intra decem annos arva, pratave fuissent, vineæ, oliveta, cum numero vitium, & olivarum describebantur l. forma ff. de censib. *Panciról. Notit. dignit. imp. occid. c. 9.*

ÆSTIVA vel in unius noctis transitum ponebantur. Solebant etiam veteres *æstivalia* appellare. V. illa infr. in *Castra*. Schel. in Hygin. Thes. Antiq. Roman. Græv. Tom. X. p. 1107. E.

ÆSTUARIA erant meatus ab hypocausto perpetui, unde calores occulti in cameras caldariorum ipsorum penetrabant. Quod tetigit Stat. Sylv. I. 5. 58.

—— ubi languidus ignis inerrat
Ædibus, & tenuem volvunt hypocausta vaporem.

Baccius de Therm. vet. c. 9.

ÆT.

ÆTAS adoptantis octodecim annis major debebat esse quam ejus, qui adoptabatur. Hoc scriptum est his verbis a Modest. l. 40. §. 1. ff. de adopt. *Non tantum cum quis adoptat, sed & cum arrogat, major esse debet eo, quem sibi per adoptionem, vel per arrogationem filium facit, sed utique plena pubertate, id est, octodecim annis, eum præcedere debet.* Manut. de Legib. c. 14.

de *Ætate* contrahentium nuptias, sive illorum, qui nuptias contrahere poterant, sic habendum est. Quantum *ætatis* tempus ad procreandos liberos idoneum fuit, tantum ad contrahendas nuptias legitimum fuisse. Itaque ut primum idoneum esse cœpit, idoneum esse cœpisse: simul atque desiit, simul etiam desiisse. Idoneum autem esse cœpit a pubertate. Cassiani hanc ex habitu corporis æstimabant, quod Justinianus interpretatur de pube a judicibus inspecta; sed in maribus duntaxat: cum in feminis anni duodecimi exitus spectaretur pr. Instit. quib. mod. tut. l. ult. C. quando tut. vel cur. V. infr. in *Pubertas*. Proculiani decimi quarti anni finem tantummodo requirebant. Javolenus utrumque, hoc est, & corporis habitum, & annorum numerum, ut testatur Ulpian. reg. tit. 11. Proculianorum sententia recepta est: quia, quod ἐπὶ τὸ πλεῖον accidit, spectabant. Tertull. de Veland. Virgin. c. 11. *Tempus etiam ethnici observant, ut ex lege naturæ jura sua ætatibus reddant: nam feminas quidem a duodecim annis, masculos vero a duobus amplius ad negotia mittunt, pubertatem in annis, non in sponsalibus, aut nuptiis decernentes.* Macrobius. V. illum infr. in *Pubertas*. Duodecimus itaque annus in femina, & quartus decimus in puero definit pubertatis *ætatem*. Si nuptiæ ante id tempus celebratæ essent, hoc est, si puella ante id tempus in viri domum sollenniter, adhibita pompa nuptiali, deducta fuisset; non ante justa legitimaque uxor habebatur, hoc est, non ante uxorium jus ei competebat, quam apud virum duodecimum annum implesset. l. minorem 4. ff. h. t. veluti ut dos ei deberetur l. dotis permissio 68. ff. de jur. dot. *Hotoman. de Rit. nupt. c. 2. Casal. de Proph. Roman. rit. c. 23. Rit. nupt. c. 2. Urb. ac Roman. imp. splend. p. 2. c. 16. & 17. Brisson. de jur. connub. p. 112.*

Ætas ædilitia, sive qua quis ædilitatem petere poterat, Villii legibus annalibus non fuit definita. Argumentum. Video Pompejum Magnum, cum ageret annum quintum & trigesimum, consulatum gessisse, legibus solutum. At eo anno magistratum nullum per leges capere licuisse Cicero demonstrat. Quo modo igitur & Cicero ipse, & Cæsar, & Cato quæsturam ante annum 35. ceperunt. Num obscurum est, leges loqui de curulibus tantum honoribus, ædilitate, prætura, consulatu: quæsturæ autem, ædilitatis plebis, tribunatus plebis rationem habuisse nullam? *Quid*, inquit Cicero pro Manil. c. 21. *tam singulare, quam ut ex Scto legibus solutus, consul ante fieret, quam ullum alium magistratum per leges capere licuisset?* dicit, *ullum alium magistratum*. Quod si de quæstura leges locutæ sunt, falsum est: cum quæsturam multi gesserint ante annum 35. quo anno creatum esse consulem Pompejum, tum ex Appiano constat, tum ex Paterculi historia, in qua scriptum est II. 32. 2. periisse Pompejum Cæsare & Servilio coss. anno ætatis suæ 58. a quo anno si retrorsum numeres, cadet primus ejus consulatus in annum ejus ætatis 36. nam, quod ait Plutarch. p. 661. C. anno 59. interiisse Pompejum, id quoque potest esse verum, hoc modo, ut primum ejus ætatis annum capiamus C. Atilio, Q. Servilio coss. quo anno Pompejum esse natum affirmat Paterc. II. 53. 4. tametsi, cum ait ipse Pompejum periisse anno 58. non incipit numerare ab eo anno, sed a proxime sequenti, quod scilicet non ita multo ante exitum consulatus Attilii & Servilii natus esset Pompejus, & exiguum illud spatium in annorum numero videretur omittendum. Constat igitur legem Villiam nihil de iis honoribus sanxisse, qui caperentur ante eum annum, quo Pompejus primum consul fuit: sive eum velis esse 36. ut Paterculus sensit, excluso anno, quo natus est: sive malis 37. ex Plutarchi sententia, qui videtur numerasse annum, quo Pompejus natus est, Serrano & Cæpione coss. nam ædilitatis annus erat 37. cujus rei argumentum est, quod eam petiit Scipio Æmilianus 36. &, solutus legibus, consul factus est. Annum porro fuisse ejus ætatis 36. Paterc. II. 4. 7. demonstrat his verbis: *Decessit M. Aquilio, C. Sempronio coss. anno fer-*

me 56. De quo si quis ambiget, recurrat ad priorem consulatum ejus, in quem creatus est anno 36. ita dubitare desinet. Ut omittam, quod, cum ædilitas præturam biennio antecedat, & prætura item biennio consulatum, consulatus autem geratur anno 43. V. infr. in *Ætas consularis.* necesse est, ut gerendæ ædilitati legitimus annus sit 37. *Manut. de Legib. Roman. c. 6. Gruch. de Comit.* I. 3. *Donat. Dilucid. in Suet. Cal.* I. I. *Broid. Coroll. ad Pollet. For. Roman.* v. 8. Imo fuit *ætas* ædilitia. De ædilitate clare Latinus Pacatus: *Annorum*, inquit, *ita cura fuit majorum, ut non solum in amplissimis magistratibus adipiscendis, sed in præturis quoque aut ædilitatibus capessendis ætas sit spectata petitorum: nec quisquam tantum valuerit nobilitate, vel gratia, qui annos comitiali lege,* dicta, quia modum, frenumque comitiis daret, *præscriptos festinatis honoribus occupavit.* Et quanquam firmi admodum, aut fixi nihil reperi: tamen attribuam fidenter ædilitati annum 27. aut 28. Certe quidem ante annum 30. includam, quia is præturæ fuit. V. infr. in *Ætas prætoria.* Atque hoc de utraque ædilitate sentio: etsi in curuli valde a nobis dissentiant viri docti. Quod miramur. Cur enim probabile, tantum otiosi intervalli fuisse inter quæsturam & ædilitatem. Ciceronis locus, qui eos in omni hac re extra viam ejicit, non me movet. Illum ego sane ad *ætatem* non retulerim, sed ad ordinem, & modum. Si enim de *ætate*, sequitur, ut ante annum 34. quo factus est Pompejus consul, ex Appiano, locus etiam non fuerit quæsturæ, aut tribunatui: quod vanum. Sed, intelligit, inquiunt, curulem magistratum. Quis dicit? nec adhæream ego tam infirmæ conjecturæ. Verius omnino est, mentem Ciceronis hanc esse: Pompejum factum consulem, cum nec illum, nec alium magistratum capere posset: vel quia nondum legitime professus; vel potius, quia eques adhuc Romanus, Liv. Epit. XCVII. & nondum quæstor. Lex autem Cornelia V. illam infr. in *Lex.* transire ad ullum magistratum vetuit, quæstura non gesta. Minus vero me turbat, quod exempla adferant eorum, qui gesserint ædilitatem post trigesimum annum. Ridiculum. Scimus enim nullam legem annalem vetuisse, ne quis post legitimum annum peteret, gereret: sed ne ante eum. Itaque consules etiam & prætores multi facti anno quinquagesimo, & post illum Ea verissima ratio. Denique pauci festinabant ad hos minores magistratus, quia celeritatis ejus modicus fructus: & grande nihilominus spatium intererat ad consulatum, id est, ad honorum metam. *Lips. de Magistrat. Roman. c. 5.*

Ætas consularis, sive qua quis consulatum posset gerere, erat tertius & quadragesimus. Cicero Phil. v. 17. *Quid Macedo Alexander? cum ab ineunte ætate res maximas gerere cœpisset, nonne tertio & trigesimo anno mortem obiit? quæ est ætas nostris legibus decem annis minor quam consularis.* Panvin. in Fastor. I p. 59. Lips. de Magistrat. Roman. c. 5. Hotoman. de Magistr. Roman. Thes. Antiq. Roman. Græv. Tom. II. p. 1868. C. August. de Legib. in Villia annali. Donat. Dilucid. in Suet. Cal. I. I. Prevot. de Magistr. Roman. c. 5. Id, quod sic accipiendum existimo, ut sit ille annus, quo primum per leges consulatum gerere liceret. Unde fit, ut consulatum petere liceret anno *ætatis* quadragesimo secundo, ut gereretur anno quadragesimo tertio. In quo etiam animadvertendum est, non oportuisse eos annos, quos hic designamus, peractos fuisse, sed incipiente anno quadragesimo secundo erat petitio legitima, ut satis esset intra annum sui consulatus, vel quinto, aut sexto mense incipere agere annum quadragesimum tertium. *Gruch. de Comit.* I. 3. *Manut. de Legib. c. 6. Broid. Corollar. ad Pollet. For. Roman.* v. 8. *Lips. l. l.* Verum de Republica meritos, eximiæque virtutis ergo legibus aliquando solutos quosdam fuisse videmus. Nam Corvinum trium & viginti annorum, item Scipionem Æmilianum sex & triginta, quum scilicet ædilitatem peteret, & Cn. Pompejum Magnum quinque & triginta annorum consules creatos fuisse constat. Alii per vim contra leges ante tempus consulatum invaserunt, ut C. Marius junior, & Cæsar Octavianus, qui ante vigesimum *ætatis* annum eum magistratum occuparunt. *Panvin. Gruch. & Lips. l. l.*

Ætatis judicum non eadem ab omnibus habita fuit ratio. Nam lege Servilia Glauciæ ne minor annis triginta, major sexaginta legeretur. Cum autem aliis legibus triginta quinque præscripti essent, Augustus ad triginta redegit. Siquidem ita scribit Suet. c. 32. n. 8. *Judices a trigesimo ætatis anno allegit: id est, quinquennio maturius quam solebat.* Sigon. de Judic. II. 6. Ant. jur. civ. Roman. II. 8. Ego apud Suetonium lego *vigesimo quinto*, & ex eo conjicio legem fuisse, ne quis intra trigesimum ætatis annum judicaret. *Manut. de Legib. c.* 15. Nusquam reperio, non allectos in decurias judicum minores annis triginta quinque. Contra annum vigesimum quintum legitimum ei muneri obeundo, ut plerisque aliis fuisse finitum persuadet mihi lex 8. ff. de muner. & honor: *Ad Rempublicam administrandam, ante vigesimum quintum annum, vel ad munera, quæ non patrimonii sunt, vel honores admitti minores non oportet.* Lege itaque *a vicesimo.* Casaub. in Suetonium. Cujac. Observ. XXI. 32. Græv. Thes. Antiq. Roman. Tom. I. Præfat. * * * * II. Præfat. * * * * * 4. vers.

Ætas militaris, sive qua militare solebant Romani, erat annus decimus septimus: quæ vero vacationem a militia dabat erat annus quadragesimus quintus finitus. Gell. X. 28. *C. Tubero Histor.* I. *scripsit Servium Tullium Regem populi Romani, cum illas quinque classes juniorum, census faciendi gratia, institueret, pueros esse existimasse, qui minores essent annis septemdecim: atque inde ab anno septimo decimo, quod idoneos jam esse Reipublicæ arbitraretur, milites scripsisse: eosque ad annum quadragesimum sextum juniores, supraque eum annum seniores appellasse.* Dionys. IV. p. 221. ubi censum secundæ classis a Servio Tullio institutum describit, ait: *ex his decem centurias elegit, eosque qui quadragesimum quintum annum jam excessissent, divisit ab eis, qui militari adhuc ætate erant.* Polyb. VI. 17. *Civibus plane est necessum stipendia facere intra annum ætatis quadragesimum sextum.* Patric. Rei milit. Rom. p. 1. s. 1. Lips. de Milit. Rom. I. 2. Valtrin. de Re milit. Rom. II. 4. Sigon. de Ant. jur. civ. Rom. I. 15. Manut. de Leg. Rom. c. 12. Alex. Gen. I. 20. Gruch. de Comit. Rom. I. 3. Ramus de Milit. Jul. Cæs. Thes. Ant. Roman. Græv. Tom. X. p. 1543. D. Robort. de Grad. honor. Thes. Græv. Tom. III. (143.) Lydius de Re milit. I. 4. Demster. Paralip. ad Antiq. Rosin. X. p. 712. a. Pigh. Annal. Roman. I. p. 48.

Ætas, qua quis muniis in Urbe admovebatur, annus erat vigesimus septimus. Debebant enim cives Romani, qui ad Magistratum aliquem urbanum adspirabant, decem annos continuos, nulla vacatione interposita, a primo militiæ anno, stipendia meruisse. Et illa *ætate* id jam longo rerum usu homines solent esse consecuti, ut alios apte regere possent. Polyb. VI. 17. *Urbanum magistratum non ante capere cuiquam licitum est, quam decem annos militando exegerit.* Patric. Rei milit. Roman. part. I. sect. 3. Gruch. de Comit. Roman. I. 3.

Ætas prætoria, sive qua quis præturam poterat petere, erat quadragesimus. Præcedebat enim biennio consulatum, & biennio sequebatur ædilitatem. Cicer. Fam. X. 25. *Si ædilis fuisses, post biennium tuus annus esset*, n. præturæ petendæ. *Manut. de Legib. c. 6. Donat. Dilucid. in Suet. Cal.* I. I. *Broid. Corollar. in Pollet. For. Roman.* v. 8. *Gruch. de Comit. Roman.* I. 3. Qui hunc annum illi tribuunt, haud alio argumento freti, quam illo de biennii intervallo. Itaque jure ambigo. Nam Dio diserte annum trigesimum præturæ dat LII. p. 477. B. *Quæstura functi & ædilitate, sive tribunatu, præturam accipiant tricenarii.* Sed excusabunt, quod id sub Principibus, quos legem annalem laxasse non nego. Sed quid tamen de M. Bruti facto dicent: quem prætorem reperio anno ætatis quinto & trigesimo? Nam vixit in universum annos septem & triginta, ut tradidit Paterc. II. 72. I. Atque biennio ante mortem eum præturam gessisse cum Cassio satis constat; &, nisi Bruti ingenium me fallit, juxta leges,

leges. Itaque ad hunc annum præturæ finiendum labor non invitus. *Lipſ. de Magiſtrat. Roman. c. 9.*

Ætas, qua quis Quæſturam, Tribunatum plebis & Ædilitatem plebis peteret, Villii legibus annalibus non fuit definita. Nam, ſi quæſturæ certum annum Villius ſua lege ſtatuiſſet, unde poſtea tam incerta ratio? Geſſerunt quæſturam duo Gracchi Tiberius & Cajus anno ætatis ſeptimo & vigeſimo, M. Cicero anno primo & trigeſimo, Cajus Cæſar anno tertio & trigeſimo, M. Cato Uticenſis anno nono & vigeſimo. Et liberum fuit cuique, quo anno Quæſturam vellet petere, modo peteretur poſt annum ſextum & vigeſimum. Non enim eſt ſimile veri, Ciceronem, cui tamen, cum homo novus eſſet, laborandum maxime fuit de dignitate, nec, quæ prima occaſio daretur, negligenda; aut Cæſarem, quo nemo magis honores appetivit, nemo poteſtatis & imperii fuit avidior, ab anno ſexto & vigeſimo, ſi is legitimus fuiſſet, in dictos annos diſtuliſſe. *Manut. de Leg. c.* 6. V. ſupr. in *Ætas ædilitia.* Qui errat, dum negat, legitimam ullam *ætatem* quæſturæ fuiſſe. Quæſturæ enim certum annum clariſſime attribuit Quintil. XII. 6. *Calvus, Cæſar, Pollio multo ante quæſtoriam ætatem graviſſima judicia ſuſceperunt.* Spartian. in Did. Julian. c. 1. *Quæſtor, ante annum quam legitima ætas ſinebat, deſignatus eſt.* Tacit. Annal. III. 29. 1. *Ut quinquennio maturius, quam per leges, quæſturam peteret.* Suet. Cal. c. 1. n. 1. *Quæſturam quinquennio, antequam per leges liceret, geſſit.* Lipſ. de Magiſtrat. Roman. c. 5. in Tacit. n. 65. & Excurſ. D. Donat. Dilucid. in Suetonium. Quæ autem illa? Erat annus ſeptimus & vigeſimus. Namque nullus poterat magiſtratum obtinere, qui decem ſaltem ſtipendia non feciſſet. Erat autem militaris *ætas* annus decimus ſeptimus. V. ſupr. in *Ætas militaris.* Quare quum quæſtura primus eſſet magiſtratus urbanus, qui peteretur, ſequitur quæſtoriam *ætatem* fuiſſe annum ſeptimum & vigeſimum. *Donat. l. l. Sigon. de Antiq. jur. civ. Roman.* II. 2. *Broid. Coroll. in Pollet. For. Roman.* V. 8. *Gruch. de Comit.* I. 3. Ego firmius, ut arbitror, volo fuiſſe annum vigeſimum quintum. Argumentor I. a ratione; quia tunc *compleri virilem vigorem conſtat*, ut ait Ulpian. l. 1. §. 2. ff. de minor: ideoque jure apti cenſentur ad res publicas, & privatas. II. Ab auctoritate, quod Dio LII. p. 477. C. ſenatoriam *ætatem* anno vigeſimo quinto definit. At quæſtura primus gradus in ſenatum. Quæ ſubtilius conſiderata adſtruit hoc ævum. III. ab exemplis: quoniam reperio Tiberium Gracchum intra triceſimum annum exſtinctum, & eundem tamen quæſtorem fuiſſe C. Mancino conſule circiter quadriennio ante mortem. Geſſerit ergo quæſturam neceſſum eſt anno 25. Lego & Tiberium Cæſarem quæſtorem deſignatum undevigeſimo ætatis anno. Paterc. II. 94. 3. At creatus eſt *quinquennio maturius quam per leges.* Tacit. Annal. III. & Dio LIII. Ergo fas petere quæſturam anno quarto & vigeſimo, & gerere quinto & vigeſimo. Sed nodus hic aliquis in Polyb. VI. 17. *negante magiſtratum urbanum non ante capere cuiquam licitum eſſe, quam decem annos militando exegerit.* Militare autem Romani decimo ſeptimo anno incipiebant. V. ſupr. in *Ætas militaris.* Non ergo prius pertingere poterant ad quæſturam. Dupliciter hoc ſolvo. Primo vix credibile eſſe, omnino ratam, ac firmam in Republica fuiſſe legem Polybianam illam, ſive morem. Quis enim præterea meminit? Et tamen ut fuerit, capiendum non de militia coacta, & ex delectu, ſed voluntaria. Nam quod Gracchus decimum ſeptimum annum militiæ definit, id ab ea mente eſt, ut nemo invitus legi in militem debuerit ante id tempus. Sed nihil tamen impedit, nobiles, & eos, qui alebantur in ſpem honorum, militiæ, & caſtris jam ante interfuiſſe: qui morem hunc habuerunt, ut ſtatim a toga pura, hoc eſt, virili, militiam auſpicarentur: idque in contubernio, & velut cuſtodia viri alicujus illuſtris. Paterc. II. 29. 5. de Pompejo, Val. Max. V. 4. 2. de Scipione Africano hoc tradunt. *Lipſ. l. l. Franckenſtein de Ærar. pop. Rom. c.* 15.

Ætas ſenatoria, ſive qua quis in ſenatum Romanum cooptari potuit. V. illam infr. in *Senator.*

Ætas vigintiviratus, ſive qua quis inter viginti viros cooptari poſſet, quænam fuerit, V. infr. in *Vigintiviratus.*

ÆTERNITAS ut Dea culta eſt ab antiquis, cujus imaginem tempus eſſe dixerunt Pythagorici, Plato & Hermes Triſmegiſtus. *Gyrald. Synt. Deor.* I. *p.* 59. D. In nummis habitu velatæ, & columnæ inſiſtentis mulieris exhibetur. *Spanhem. de Veſt. Theſ. Antiq. Roman. Græv. Tom.* V. *p.* 694. E.

Æternitatem ſibi, dum viverent, Chriſtianos Imperatores arrogaſſe, atque *æternitatem* ipſam ſuam adorari juſſiſſe ecquis non miretur? *Æternitas* enim conſecrationem denotat. Quid aliud hoc eſt, quam gigantum more naturæ ipſi repugnare? *Guther. de Jur. Man.* II. 5.

Æternitatis indicium fuit lunæ imago in calceis nobiliorum. In nummis aliquot Fauſtinæ, & Severi Alexandri videre eſt lunæ novæ ſimulacrum cum inſcriptione. *Æternitas. Perpetuitati Aug.* Lapides aliquot exſtant, in quibus luna *æternæ* elogio ornatur. *Æterna*, quia continuo renaſci nobis videtur. In familiis alus renaſcuntur, qui in his veluti exſtinguuntur. *Boxhorn. ad Plutarch. Quæſt. Rom.* 75.

ÆTOLI fuerunt in Græcia, quæ extra Iſthmum, Achajæ nomine, & inter Achajæ populos eminuerunt. Achæorum exemplum ſecuti commune gentis concilium habuerunt, & ex communi ſententia bella ſuſceperunt, bella poſuerunt, & fœdera cum vicinis inierunt & dimiſerunt. Bello Punico ſecundo, cum Philippus Demetrii filius, Annibali fœdere conjunctus Italiæ immineret, ab *Ætolis* primum ſocietas cum Romanis, & amicitia contracta eſt. Non multo poſt ſine Romanorum auctoritate adverſus fœdus pacem cum Philippo fecerunt. Sed ad illos bello hoc Punico perfunctos, cum arma Philippo intuliſſent, redierunt. Ægre paſſi, ſe nullis a Romanis eo bello præmiis decoratos, cum Antiocho Syriæ Rege in Græciam advocato, Amphilochorum regionem occupaverunt, atque Ambraciam Epirotarum oppidum ſibi adjunxerunt. A Fulvio tandem Nobiliore victi veniam impetraverunt. Pacis conditiones fuerunt teſte Liv. XXXVIII. 11. *Imperium, majeſtatemque P. R. gens Ætolorum ſine dolo malo conſervato. Ne quem exercitum, qui adverſus ſocios, amicoſque eorum ducetur, per fines ſuos tranſire ſinito, neve ulla ope juvato. Hoſtes eoſdem habeto, quos populus Romanus, armaque in eos ferto, bellumque pariter gerito. Obſides quadraginta arbitratu conſulis Romani dato. Cephalenia extra pacis leges eſto.* Et ille Romam reverſus nobiliſſimum de *Ætolis* triumphum egit an. 567. Liv. XXXIX. 5. *Senatus Fulvio, quantum vellet, impenderet, permiſit, dum ne ſummam octoginta millium excederet. Triumphavit a. d.* X. *Kalend. Januar. de Ætolis, & Cephalenia.* Sigon. de Ant. jur. prov. I. 9. Panvin. Imp. Rom. Theſ. Antiq. Roman. Græv. Tom. I. p. 397. E.

AFA.

AFANNÆ locus Siciliæ obſcurus, unde vulgo dicitur, *abi ab Afannis*, de rebus incertis, & extra locum poſitis. Fuit etiam locus Amartidis tribus Attica. *Buleng. de Theatr.* I. 42.

AFF.

AFFECTUS animi, & mores ex ſtatuarum vultibus relucebant. Sic ſuperbus terror, & minæ in tyrannorum ſtatuis exſtiterunt, unde non minus quam ex vero vultu timebantur. Plin. Paneg. c. 52. n. 3. *Juvabat illidere ſolo ſuperbiſſimos vultus.* n. 4. *Cernere truces, horrendaſque imagines abjectas, excoctaſque flammis, ut ex illo terrore, & minis in uſum hominum, ac voluptates ignibus mutarentur.* Plutarch. in Mario p. 406. E. *Vultum Marii in marmorea effigie Ravennæ in Gallia expreſſum vidimus, omnium auſteritati, & ſævitiæ, quæ de eo prædicantur, convenientem.* Et hinc vivere, & ſpirare dicebantur ſtatuæ. Juven. Sat. VIII. 112.

Et cum Parrhasii tabulis, signisque Myronis
Phidiacum vivebat ebur.

Virg. Æneid. VI. 847.

Excudent alii spirantia mollius æra,
Credo equidem vivos ducent de marmore vultus.

Figrell. de Stat. c. 14. *Affectibus* pariter, & effectibus suis divinam quandam δύναμιν tribuerunt veteres, & fecerunt deos, qui dii non erant, eumque, qui vere Deus est, neglexerunt. *Lipen. de Stren. c.* 1. §. 6.

AFFINITAS memoratur inter cætera, quæ matrimonium inter aliquos jungi prohibent. V. infr. in *Matrimonium.* In quæstionem venit, utrum ex quacunque vel illicita conjunctione, an vero ex legitimo tantum matrimonio hæc *affinitas* oriatur. Puta, fuit mihi quandoque cum aliqua muliere consuetudo, poteritne filius, aut frater meus illam amplius uxorem ducere? aut ego illius matrem, sororem, neptem? Res prima quidem facie eam partem videtur suadere, quæ favet matrimonio, ut id libere inter eos contrahi posse dicatur. I. quod scimus *affinitatem* dici conjunctionem personarum, quæ antea diversarum erant cognationum, per nuptias copulatam l. non facile. §. affines ff. de grad. affin. Ubi ergo nuptiæ non erunt, ibi nec *affinitas* ulla conjungi poterit d. l. non facile. §. sciendum. II. quod cum *affinitas* & civili, & pontificio jure, uti res honestissima, sit recepta, non videtur ex his complexibus, qui turpes, & illiciti sunt, posse existere, cum id, quod per se facinorosum, indignumque est, nihil decens, honestumque unquam parere valeat c. legi. 16. q. 1. c. cum Paullus 1. q. 1. III. quod illegitime nati nullo prorsus jure, nec civili, nec naturali, patri suo, unde *affinitas* oritur, juncti esse intelliguntur, quin ab eo, ejusque agnatis penitus alieni d. l. si spurius, unde cog. Auth. licet. in fin. C. de nat. li. Bal. l. cum legitime, de stat. hom. Quid ergo eos prohibebit nuptias inter se conficere, si nulla antea simul necessitudine inter se copulati? Vereor ego tamen, ne contraria sententia verior multo sit, quam aliis probare rationibus esset supervacaneum, cum expresse multis locis, & civili, & pontificio jure traditum sit, nihil interesse ad impediendum matrimonium, an ex justis nuptiis cognatio descendat, aut injustis l. & nihil. de rit. nupt. cum ex quocunque concubitu *affinitas* contrahi soleat c. discretionem. c. pen. de eo qui cogn. cons. cap. perpetuas de probat. ubi Dec. 2. notab. Id vero ita receptum dicitur, ut quamvis in cæteris rebus illegitime nati nullum jus conjunctionis a patre ducant, in hac una tamen causa, ubi de matrimonio agitur, voluerunt leges eorum, perinde ac legitimorum rationem habendam, eo quod in matrimoniis naturale jus, & pudor inprimis inspiciendus est. Contra pudorem autem est, eas personas, quæ a nobis sanguinis semina hauserunt, inter se ita copulari. In l. adoptivus §. serviles de rit. nupt. l. liberi cum glo. C. de nupt. Ang. cons. 401. n. 9. eo quidem fateor adhuc esse controversiam, quod volunt Doctores Gloss. §. affinitatis Instit. de nupt. quamvis cum legitimis eadem connubii jura serventur, lege tamen civili cum his *affinitatem* nullam unquam considerari, sed quiddam aliud potius esse, quod matrimonium impediat celebrari, eo quod *affinitas* hoc jure non nisi ex justis nuptiis oriatur d. §. sciendum. Jure vero pontificio secus esse, cum ex quocunque concubitu illa contrahatur d. c. discretionem. ver affinitas. & cap. penult. eo. tit. Et propterea non eodem modo *affinitatem* jure civili, ac canonico ajunt definiri. Jo. And. 35. q. 5. in arb. affin. Ego vero semper aliter putavi, videlicet jure civili, quoad impediendas nuptias, nobis cum vulgo quæsitis filiis jus necessitudinis intercedere, & idcirco fratrem legitime natum prohiberi vulgo quæsitam sororem suam uxorem ducere, quod inter eos cognatio spectetur l. & nihil. de rit. nupt. & eadem ratione patrem naturalem cum filia spuria non posse copulari l. adoptivus. §. serviles. eo. sicuti nec filii cum patrum suorum concubinis l. liberi C. de nupt. *Palæot. de Noth. & spur. c.* 7. §. 1.....4. Per adoptionem jure contrahitur. V. infr. in *Nuptiæ.*

AFFLARE est verbum fulminis: *& tria fuerunt fulminum genera, quod flat, quod incendit, quod findit.* Serv. Æneid. II. 648. *Guther. de vet. jur. pontif.* III. 2.

AFR.

AFRI ignem perpetuum coluerunt, & in ipso Ammonis templo arsit lucerna inexstincta. *Lips. de Vest. c.* 15. Equorum dorso nudo insidebant, nec equos ephippiis & sella onerabant. *Buleng. de Circ. c.* 2.

AFRICA tertia orbis terrarum pars, a freto Herculeo usque ad Ægyptum pertinebat. Ejus prima ab occidente regio fuit Mauritania, secunda Numidia, tertia Libya, ultima Ægypto finitima Cyrenaica. Mauritaniæ & Numidiæ finis amnis Mulucha, Numidiæ & Libyæ Tusca, Libyæ & Cyrenaicæ aræ Philemorum, Cyrenaicæ & Ægypti Catabathmus. *Sigon. de Ant. Jur. Prov.* II. 15. Universa in sex provincias dividitur. Proconsularis, in qua est Carthago, Numidia, Byzantium, Tripolitana consulares, ac duæ Mauritaniæ, Cæsariensis & Sitifensis præsidialis. *Panciroll. Not. Dign. Imp. Occid. c.* 46. *&* 64. *Bergier. de viis milit.* III. *sect.* 46. Præter Proconsulem quinque Rectores habuit, duos consulares & tres præsidiales. *Panciroll. Not. Dign. Imp. Occid. c.* 46. *Africæ* tributum & vectigal impositum est. Tributum quidem in capita, vectigal vero in agros, quod frumentarium per publicanorum societates in illa est tractatum. *Sigon. de Ant. Jur. Prov.* II. 15. *Africam* Græcis Homeri seculo ignotam fuisse affirmare non ausim; maxime cum sacra pagina doceat, Salomonem Regem sapientissimum misisse in Ophir, id est, *Africam.* Bodæus a Stapel in Theoph. Hist. Plant. V. 5. Sed Ophir, non *Africa*, sed India fuit. *Meibom. de Fabr. Trirem. Thes. Antiq. Roman. Græv. Tom.* XII. *p.* 643. F. Tentare magnæ sane molis & periculosæ plenum opus aleæ fuit hoc Romanorum opus, cujus meliorem & majorem partem habebant Carthaginenses, eo ævo si non superiores, certe pares populo Romano, pares terra marique viribus, agitabantque orbis imperium nec minoribus animis ac ambitione, nec minus, non sine ratione spe successus blandientis. M. Attilio Regulo duce primum in *Africam* navigavit bellum. Et hostici adventus terror tantus fuit Pœnis, ut apertis pæne portis Carthago caperetur. Initia belli fuerunt prospera & Romanis felicia. Prima belli præmium fuit civitas Clypea. Hæc enim & trecenta amplius castella vastata sunt. Exercitus Carthaginensium justo prælio est devictus. Et jam ipsam belli caput Carthaginem Regulus obsidione urgebat, & ipsis inhærebat portis, cum subito circumacta fortuna est. Conversis ad externa auxilia Pœnis, cum Xanthippum illis ducem Lacedæmon misisset, a viro militiæ peritissimo Romani vincuntur, & vivus in manus hostium venit Regulus. *Bergier. de viis milit.* X. *sect.* 46. Triplex bellum cum Carthaginensibus gestum. V. infr. in *Carthaginenses.* Frumentarium Reipublicæ Romanæ subsidium celebrant plerique omnes Græci & Latini rerum Romanarum scriptores. De modo aut numero frumenti quotannis ex Africa Romæ illati. V. *Lips. de Magn. Rom.* II. 10. *Contaren. de Frument. Roman. Largit. c.* 10.

AFRICANÆ simpliciter sunt pantheræ, dictæ, eo quod in *Africa* sunt frequentes. Plin. VIII. 17. *Nunc varias, & pardos, qui mares sunt, appellavit in eo omni genere creberrimo in Africa, Syriaque.* Cœl. ad Cicer. Fam. VIII. 6. *Fere literis omnibus tibi de pantheris scripsi. Turpe tibi erit, Patischum Curioni decem misisse, te non multis partibus plures: quas ipsas Curio mihi, & alias Africanas decem donavit.* Et inde in Italiam translatæ. *Vetus* quidem *fuit Sctum*, quo *Africanas in Italiam advehere non liceret.* Sed *contra hoc tulit ad populum Cn. Aufidius tribunus plebis, permisitque circensium gratia importare. Primus Scaurus ædilitate sua varias centum quinquaginta universas misit: dein Pompejus Magnus quadringentas decem: Divus Augustus quadringentas viginti.* Plin. VIII. 17. *Guther. de vet. jur. pontif.* III. 20. *Donat. Dilucid. in Liv.* XL. *p.* 91. Ad exhiben-

hibendum populo Romano venationis ſpectaculum : ut vel conficerentur ab hominibus in eam rem operam locantibus, aut gratis & virtutum ergo depugnantibus, vel inter ſeipſæ committerentur. Exhibuit illas Caligula. Suet. c. 18. n. 6. *Edidit & circenſes plurimos a mane uſque ad veſperam, interjecta Africanarum venatione.* Dio LIX. p. 658. B. *Spectaculum* Caligula *populo biduo gratuito exhibuit: poſteriore die quingentæ Africanæ feræ ſunt necatæ.* Claudius. Suet. c. 21. n. 7. *Ac ſuper quadrigarum certamina exhibuit Africanas.* Faber. Semeſt. II. 7. Pitiſc. in Suetonii Caligulam. Sed hoc nomine dictos eſſe leones volunt *Juret. in Symmach. Epiſt.* II. 46. *Bochart. Hieroz.* I. 31. *Buleng. de Venat. c.* 19.

AFRICANUS fuit dictus Q. Scipio a devicta *Africa*, a qua cognomen hoc tulit, quia qui regiones in poteſtatem populi Romani redegerunt, ab illis cognomen abſtulerunt. Liv. XXX. 45. *Africanum cognomen militaris prius favor, an popularis aura celebraverit, an ſicuti Felicis Syllæ, Magnique Pompeji patrum memoria, cœptum ab aſſentatione familiari ſit, parum compertum habeo. Primus certe hic Imperator* Scipio, *nomine victæ ab ſe gentis eſt nobilitatus: exemplo deinde hujus, nequaquam victoria pares, inſignes imaginum titulos, claraque cognomina familiæ fecere.* Sigon. de Nomin. Roman. c. 5. Fuit etiam cognomen Gordianorum, *non quod in Africa imperare cœpiſſet, ſed quod de Scipionum familia originem traheret.* Capit. Gordian. c. 9. *Urſat. de Not. Roman. Theſ. Antiq. Roman. Græv. Tom.* XI. *p.* 540. *F.*

AFRICIA erat certum libi ſacri genus. Arnob. IV. p. 230. *Quid africia?* Buleng. de Conviv. IV. 18. Stuck. de Sacrif. p. 75.

AGA.

'ΑΓΑΛΜΑΤΑ olim Homeri temporibus dicebantur quævis templorum ornamenta, quæ ſpectantium animos afficerent: unde & hoc nomen, quod vulgo remanſit, etiam habuere: poſterius vero generatim & ipſæ ſtatuæ, quod ex iis potiſſimum ejuſmodi ornamenta conſtarent. *Gauric. de Sculpt. p.* 83. *Figrell. de Stat. Roman. p.* 83. *Hennin. ad Bergier. de viis milit.* V. 15. 1.

AGAMEMNON Dianæ clavum dicavit, poſtquam ventos ipſius gratia compeſcuiſſet. *Tomaſ. de Donar. c.* 25. Temerario voto Iphigeniam ſibi natam Dianæ immolavit. *Tomaſ. ibid. c.* 41. Græcorum exercitus Imperator ad Trojam, dolo uxoris & Ægyſthi adulteri trucidatur. *Jun. Faſt. Theſ. Ant. Roman. Græv. Tom.* VIII. *p.* 230. *D.*

AGAPE dicebatur convivium, quod præter cœnam myſticam primis Chriſtianis fuit in uſu. Hoc a myſteriis toto genere fuit diverſum, poſtea templis ejectum, ac tandem penitus ſublatum. *Caſaub. ad Annal. Baron. Exerc.* 16. §. 31. Hæ ad amicitiam validæ erant. *Buleng. de Conv.* I. 6. *Laurent. de Conviv. vet. c.* 4. In illis calida utebantur. In triclinii lunari forma, quæ in monumento primo arcuato cœmeterii Sanctorum Marcellini & Petri inter duas lauros ad S. Helenam via Labicana convivæ ſedent, puer autem a poculis juxta tripodem in hemicycli medio ſtat in manu calicem habens, ſupra primarum ſedium convictores dextera parte ſcriptum eſt: *Irene da calida:* a læva: *Agape miſce mi S.* Butius de Potu Ant. c. 8.

AGASO, Græcis ἱπποκόμος, dicebatur ſervus, qui curabat equos. Feſtus: *Agaſones, equos agentes, id eſt, minantes.* Plin. XXXV. 2. *Pinxit & in una tabula agaſonem cum equo.* Pignor. de Serv. p. 536. Popma de Oper. Serv. p. 99.

AGE.

AGE *hoc* inclamabatur a præcone, dum magiſtratus res divinas facerent, vel auſpicia captarent. Hac voce admonebantur, ut erectis, & intentis animis in eam curam, cogitationemque incumberent, nec perfunctorie, aut oſcitanter, aliasve res agentes ſacris, auſpiciiſque operam darent. Plutarch. Num. p. 69. C. *Cum conſul auſpicatur, vel immolat, hoc age, proclamat. Qua voce eos, qui conſiſtunt, admonet, ut componant ſe ad id quod agitur.* Coriol. p. 225. E. *Cum magiſtratus, & ſacerdotes quid rei divinæ faciunt, antecedens præco magna voce clamat, hoc age. Qua voce jubent rebus divinis intentos eſſe.* Briſſon. de Form. I. p. 11. Muret. Var. Lect. XV. 17. Guther. de vet. jur. pontif. IV. 2. Urſat. de Not. Roman. Theſ. Antiq. Roman. Græv. Tom. XI. p. 737. D. Stuck. Antiq. Conviv. II. 34. Braun. de Veſt. ſacerd. Hebr. II. 4. §. 24. Caroli Antiq. Roman. I. 2. Kipping. Antiq. Roman. I. 9. §. 2. Erat potius forma ſollennis, qua popa victimam cæſurus jubebatur ferire. Is enim quærebat, *agon?* & illi reſpondebatur a ſacrificante, aut ſacerdote, *hoc age.* Ovid. Faſt. I. 321.

Qui calido ſtrictos tincturus ſanguine cultros
Semper agone rogat, nec niſi juſſus agit.

Senec. Contr. II. *Filius cervicem porrigat, carnifex manum tollat, deinde reſpiciat ad patrem, & dicat: agon? quod fieri ſolet victimis.* Varr. de Ling. Lat. V. 3. V. illum infr. in *Dies agonales.* Politian. Miſcell. c. 60. Meſul. de Sacrif. c. 3. Saubert. de Sacrif. c. 12. Pitiſc. in Suet. Cal. c. 8. n. 4. §. 16.

AGEA *in navi via dicta, quod in ea maxima quæque res agi ſolet.* Feſtus. Sed Iſidor. XIX. 2. *Locus in navi, per quem ad remiges hortator accedit.* De qua Ennius:

Multa foro ponit, & agea longa repletur.

Feſti explicatio mihi ſatis longe petita videtur. *Columm. in Ennium p.* 132. *Scalig. in Feſtum. Gyrald. de Navig. c.* II. *Scheffer. de Milit. nav.* I. 6. *Roſin. Ant. Rom.* X. 20. *Voſſ. Lex. Etymol.*

AGEMA eſt certum agmen delectorum hominum. Euſtath. in Homer. Odyſſ. p. 32. *Agema apud Macedones electum agmen equitum, & militum armatorum.* Suidas: *Agema, agmen Regem antecedens elephantorum, & equorum, & peditum.* Hanc turmam regiam appellat Arrian. III. p. 156. *Ubi regiam turmam equitum ex amicis ejus navibus imponit.* Eratque Macedonibus, quod Romanis legio. Liv. XLII. 51. *Delecta deinde & viribus, & robore ætatis ex omni cetratorum numero duo erant agemata: hanc ipſi legionem vocabant.* Interdum peditum. Arrian. V. 316. *Adeundi etiam montis Meri cum equitatu amicorum, & peditum agemate.* Suidas modo laudatus. Sæpiuſcule equitum. Curt. IV. 13. 26. *In dextro cornu locati ſunt equites, quos agema appellant.* In acie Antiochi fuerunt mille. Liv. XXXVII. 40. *Addita his ala mille ferme equitum, agema eam vocabant.* Trecenti vero in acie Peuceſtæ, & Antigenis. Diodor. XIX. 28. *Peuceſtæ, & Antigenis agema, habens trecentos equites una turma comprehenſos.* In acie Eumenis centum & quinquaginta. Diodor. XIX. 27. *Penes ſe turmam equitum centum quinquaginta habentem.* Leopard. Emend. I. 23. Croph. Ant. Maced. I. 23. Schel. in Hygin. Theſ. Ant. Roman. Græv. X. p. 1079. B. Donat. Diluc. in Liv. XLII. p. 99. Rhodig. Ant. Lect. XXI. 31. Hugo de Milit. Equeſt. III. 5. Blanckard. in Arrian. III. p. 183. Freinsh. Ind. Curt. Pitiſc. in Curtium.

AGENDI poteſtatem Imperatores ad deſideria reſcribentes faciebant verbis modo directis, in hunc modum: *judicio conſiſte* l. 1. C. de action. empt. *age* l. 3. C. de transact. *apud prætorem age* l. 3. C. ad l. Jul. de vi publ. *evoca ad prætorem* l. 3. C. de procurat. *apud ſuum, vel apud competentem judicem conveni* l. 1. C. de vend. rer. fiſc. *competenter conveni* l. 4. C. quan. ex fac. tutor. *apud prætorem provinciæ conveni* l. 27. C. de Pignor. *præſidali notione convenito* l. 20. C. de pignor. aliiſque. Modo obliquis ſic: *conſiſtere potes* l. 2. de eviction. *agere, petere, convenire potes.* l. 9. C. de arbitr. tut. *apud præſidem, vel rectorem provinciæ agere, vel perſequi poteris* l. 6. C. de jur. delib. *experiri potes* l. 1. C. de non num. pec. aliiſque. *Briſſon. de Form.* III. *p.* 297. Cenſores dabant, ſi quis aliquem ex iis, qui cenſebantur, accuſare vellet. Equites enim, dum transveherentur, ab accuſatore ſolebant detrahi. Sed hoc Auguſtus ipſe ſuſtulit. Suet. Aug. c. 38. n. 4. *Sed neque detrahi quemquam in transvehendo ab accuſatore*

tore

tore passus est, quod fieri solebat. Manut. de Civit. Rom. Thes. Antiq. Roman. Græv. Tom. I. p. 34. F.

AGENTES in rebus Imperatorum fuerunt exploratores. *Nardin. Rom. Vet.* VI. 10. Nostra lingua redderemus *Commis aux affaires des Postes*, aut etiam *Solliciteurs des affaires Imperiales*, vel *Messagers*, *Courriers ordinaires des Empereurs.* Illorum officium erat I. Literas & epistolares fasciculos Imperatorios quaquaversum cursu publico ferre, eumque sese perpetuum exercere & movere, ob negotiorum multitudinem, quibus Imperatores in administrando imperio adeo vasto erant occupatissimi, cum noctu, & interdiu literas undique acciperent, aut ad provinciales magistratus ipsi mitterent. Mamert. Paneg. Maximian. p. 285. Edit. Steph. *Longe illa majora ornamenta sunt, quæ tu impartito tibi imperio, meræ gratiæ retulisti, admittere in animum tantæ Reipublicæ curam, & totius orbis fata suscipere, & oblitum quodammodo sui gentibus vivere, & in tam arduo humanarum rerum stare fastigio, ex quo veluti terras omnes, & maria despicias, vicissimque oculis, ac mente collustres, ubi sit certa serenitas, ubi dubia tempestas, qui justitiam vestram judices æmulentur, qui virtutis vestræ gloriam duces servent: accipere innumerabiles undique nuntios, totidem mandata dimittere, de tot urbibus, & nationibus, & provinciis cogitare, noctes omnes diesque perpeti, sollicite pro omnium salute transigere.* II. Curare, ne quis sine evectione cursum usurparet publicum; ut easdem inspicerent evectiones, ne fictæ, aut falsæ, sed & intra terminos essent legitimos; ne numerus veredorum, vehiculorum, dierum in evectione adscriptus excederetur; ut retinerent illos, qui resisterent, aut adversus Principis statuta, evectionesque quicquam facerent, eosque puniendos, aut ad Imperatorem, aut PF. P. aut magistrum officiorum, aut ordinarios judices stationarios remitterent, arg. l. 8. & l. 59. C. Th. de curs. publ. Audi & super hac re de curios. ubi ajunt: l. 2. C. Th. *Agentes in rebus in curis agendis, & evectionibus publici cursus inspiciendis, nostrorum memores præceptorum, credimus in omnibus velle profutura Reipublicæ.* Deinde subjiciunt §. 1. *Hi vero pervigili diligentia providebunt, ne quis citra evectionis auctoritatem moveat cursum, vel amplius postulet, quam concessit evectio: ut habens unius copiam rhedæ, flagitet mulas duas; aut rhedam usurpet, cui birotum, vel veredum postulare, vel clabulare permissum est.* III. Animadvertere, num quæ conspiratio, conjuratio, motus, tumultus, seditio adversus Principem gliseeret, aut existeret in provinciis; quo in munere successerunt frumentariis. Hieron. in Abdiam c. 1. *Quos nunc agentes in rebus, & veredarios appellant, veteres frumentarios nominabant.* Eos ob calumnias, quibus innocentes provinciales, passim, præcipue remotiores, opprimebant, removit Diocletianus. Aurel. Vict. de Cæsar. c. 39. n. 44. *Neque minore studio pacis officia vincta legibus æquissimis, ac remoto pestilenti frumentariorum genere, quorum nunc agentes rerum simillimi sunt: qui cum ad explorandum annuntiandumque, qui forte in provinciis motus existerent, instituti viderentur; compositis nefarie criminationibus, injecto passim metu, præcipue remotissimo cuique, cuncta fœde diripiebant.* IV. Movere militem l. 7. C. Th. de curs. publ. quo nomine, ut d. l. ait, *paraveredum exigere* poterant. In hoc vero obsequio captivitatis, & vitæ pericula sæpius adibant, quo si rite, & diligenter essent perfuncti, ascendebant post jugis militiæ tempus, veluti adepti præmium laboris, ad gradum, & dignitatem *principum agentium in rebus*, ut docemur l. 6. C. de princip. agent. in reb. quæ ait: *Principes agentium in rebus, quos sæpe sæva pericula, vitæque interdum renuntiatio ad memoratum gradum adduxit, completo tempore militiæ, seu comitivæ, primi ordinis cingulo in diem vitæ potiri, manentibus videlicet dudum præstitis salvis privilegiis, decernimus.* Gaudebant itaque plurimis privilegiis, erant primi, & præcipui scholæ *agentium in rebus*, ad gubernacula horum officia directi; imo etiam ad præcipuas imperii dignitates admittebantur. *Bergier. de viis milit.* IV. *sect.* 18. *Pancirol. Notit. dignit. imp. orient. c.* 65. *Buleng. de Imp. Rom.* VI. 42. *Guther. de Offic. Dom. Aug.* III. 10. *Lips. Elect.* I. 8. *Laz. Comm. Reip. Rom.* II. 12. *Nardin. l. l.*

AGER. Ejus partitio est secuta divisionem hominum. In quo assentior Dionysio potius, quam Varroni; nam ille primum homines, deinde *agrum* partitur: & recte: *ager* enim propter homines, non hi propter illum divisi sunt. Varro autem videtur significare, *agri* partibus posteriorem fuisse civium divisionem. *Manut. de Civit. Roman. Thes. Antiq. Roman. Græv. Tom.* I. *p.* 2. *D.* Ejus dividendi ratio fuit bipartita. Nam aut sine ulla coloniæ mutatione plebem Romanam in *agris* constituerunt, aut eidem ita *agros* assignarunt, si ex Urbe in coloniam, cujus *agrum* divisuri essent, proficisceretur. Utrumque autem multiplicem fuisse invenio, nempe, aut de hostibus captum, neque dum in publicum redactum, aut publicum quidem, sed furtim a privatis potentibus usurpatum, aut denique publico ære dividendi gratia emptum. Leges agrariæ, quæ *agros* vel hostium, vel publicos, vel pecunia publica emptos dividebant, facile, ac sine motu civitatis sunt perlatæ. Quæ vero privatos divites possessione pellebat, ac plebem in *agris* nobilium collocabat, ea nunquam sine maxima turbatione Reipublicæ est promulgata, quæ quidem a Sp. Cassio consule primum proposita, deinde quotannis fere per tribunos plebis jactata, ac semper a nobilium factione variis artibus elusa, atque impedita, a L. Sextio, & C. Licinio tribunis plebis comitia magistratuum haberi prohibentibus ad extremum est perlata. *Sigon. de Antiq. jur. Ital.* II. 2. Illorum curatores, triumviri, vel quinqueviri, vel septemviri, vel decemviri, vel vigintiviri erant *agris* metiendis, dividendisque, creati modo per consulem. Liv. XXXII. 2. *Narniensium legatis querentibus ad numerum sibi colonos non esse, & immistos quosdam non sui generis pro colonis se gerere, earum rerum causa triumviros creare L. Cornelius consul jussus, creati sunt P. & Sext. Ælii (Paetis fuit ambobus cognomen) C. Cornelius Lentulus. Quod Narniensibus datum erat, ut colonorum numerus augeretur, id Cossani petentes non impetraverunt.* Modo per prætorem urbanum. V. infr. in *Ager Latinus.* Creabantur comitiis tributis omnibus tribubus advocatis. Quare Rullo vitio vertit Cicer. II. 7. quod decemviros suos per XII. tribus sorte electos crearet. *Toties*, inquit, *legibus agrariis curatores constituti sunt triumviri, quinqueviri, decemviri: quæro a populari tribuno plebis, ecquando nisi per* XXXV. *tribus creati sint?* Et hisce magistratum, id est, potestatem, ac jurisdictionem accipiebant; imperium vero, id est, belli gerendi facultatem curiatis. Quod imperio ornati fuerint, docet Liv. XXXIV. 52. cum ad deducendos in *agrum* Thurinum colonos triumviros, *quibus ad triennium imperium esset*, creatos prodit. Curiatis autem comitiis eos fuisse affectos, cum vetus mandandi imperii consuetudo, tum Rullus ipse sua lege ostendit, qui decemviros suos agrarios per XVII. tribus creatos *curiata lege* de imperio lata decoravit. *Cicer. ibid. c.* 10. Imperio opus fuit, quod sub vexillo colonos, tanquam exercitum deducerent. Multis quoque ornabantur ministris. Apparet hoc ex eadem Rulli lege, quippe cum dicat Cicero, Rullum tulisse, ut decemviri coloniarum deducendarum causa pullarios haberent eodem jure, quo habuerunt tresviri lege Sempronia. *Deinde ornat*, inquit c. 13. *apparitoribus, scribis, librariis, præconibus, architectis: præterea mulis, tabernaculis, canteriis, supellectili: janitores ex equestri loco ducentos in annos singulos stipatores corporis constituit; eosdem ministros, & satellites potestatis.* In *agros* lege definitos, atque in coloniam sub vexillo, quasi exercitus aliquis deduceretur, deducebantur coloni, qui vel sua sponte nomina dederant, vel sorte exierant. V. infr. in *Coloniæ.* Divisos aut universo populo viritim, aut plebi Romanæ, aut patribus liberorum, aut militibus, iisque peditibus, vel equitibus, vel civibus, vel Latini nominis sociis. Unde scitum illud est apud Hygin. de Limit. constit. p. 159. *Finitis ampliorum bellorum operibus, augendæ Reipublicæ causa, illustres Romanorum viri urbes constituerunt, quas aut victoribus populi Romani civibus, aut emeritis militibus assignaverunt.* Sigon. de Ant. jur. Ital. II. 2. Qui illos possidebant, cujuscunque essent ordinis, in rusticis tribubus adscriban-

bantur. Neque tamen negaverim fuiſſe, qui mercenariam in *agris* operam præberent: quos ipſos ruſticis tribubus aſſigno, quippe qui honeſtiſſimo vitæ genere, flagitioſi, ac perditi, languoris expertes, victum ſibi compararent. Qui ſi ab *agris*, rejecto labore, licentiæ, ac nequitiæ, mala ſpe ducti, in Urbem ſe recepiſſent, ubi, cum urbana plebe permiſti, nulla ſatis laudabili ratione vitam traducerent: hic, non dubito, quin non jam in ruſtica, ut cum ruri vivebant, ſed in urbana tribu, cum reliqua urbana plebe cenſerentur. Salluſt. de Bell. Catil. p. 38. cum ſingulas urbanæ plebis partes perſequitur, hos annumerat his verbis: *Præterea juventus, quæ in agris, manuum mercede, inopiam toleraverat, privatis, atque publicis largitionibus excita, urbanum otium ingrato labori prætulerat.* Manut. de Civit. Roman. Theſ. Antiq. Roman. Græv. Tom. I. p. 14. E. *Agros* privati luſtrabant magna religione. *Imperabant Solitaurilia circumagi cum Divis volentibus. Quodque bene eveniat*, ajebant, *mando tibi Mani, ut illa Solitaurilia, fundum, agrum, terramque meam, quota ex parte; ſive circumagi, ſive circumferenda cenſeas, uti cures luſtrare.* Dein *Janum Jovemque vino præfati ſic* dicebant: *Mars pater te precor, quæſoque, uti ſies volens propitius mihi, domo, familiæque noſtræ, quojus rei ergo agrum, terram, fundumque meum Solitaurilia circumagi juſſi: ut tu morbos viſos, inviſoſque, viduertatem, vaſtitudinemque, calamitates, intemperantiaſque prohibeſſis, defendas, averrunceſque, utique tu fruges, frumenta, vineta, virgultaque grandire, beneque evenire ſinas: paſtores, pecuaque ſalva ſervaſſis, duiſque bonam ſalutem valetudinemque mihi, domo, familiæque noſtræ. Harumce rerum ergo fundi, terræ, agrique mei luſtrandi, luſtrique faciendi ergo, ſicut dixi, macte hiſce Solitaurilibus lactentibus immolandis eſto.* Cato de Re ruſt. c. 142. In publicis publici Sacerdotes hoc non omiſerunt, qui ea loca augurarunt, hoc eſt, mentis præſagio pacem Deorum popoſcerunt. Præfati communes Deos Martem agreſtem precati ſunt, ut omnem a vineis publicis calamitatem averteret, vineta ſuccreſcerent, & ſuos fructus darent. *Guther. de Vet. Jur. Pont.* II. 4. *Tomaſ. de Donar. c. 26. Blond. Triumph. Rom.* VIII. *p.* 172. *G.* Venales per præconem olim venibant. Mart. I. 86. I.

Venderet excultos colles cum præco facetus,
Atque ſuburbani jugera culta ſoli.

Cicer. Attic. XII. *De hortis Scapulanis hoc videtur effici poſſe, aliud tua gratia, aliud noſtra, ut præconi ſubjiciantur.* Briſſon. de Form. VI. p. 509. In locatione caveri ſolitum, ne biennio continuo farreo ſpico, id eſt, ariſtato ſererentur. Feſtus: *Reſtibilis ager eſt, qui biennio continuo ſeritur farreo ſpico, id eſt, ariſtato. Quod ne fiat, ſolent, qui prædia locant, excipere.* Solebat etiam exprimi, *ut ſi qua lue tempeſtatis, vel alio cœli vitio damna accidiſſent, ad onus coloni pertinerent.* l. licet C. de locato & conducto. *Briſſon. ibid. p.* 514.

Ager Albionæ *in regione trans Tiberim dicebatur ab Albionarum luco, quo in loco bos alba immolabatur.* Feſtus. *Marlian. Topogr. Urb. Rom.* V. 19. *Nardin. Rom. vet.* VII. II. *Gyrald. Synt. deor.* I. *p.* 71. *E.*

Ager arcifinius, vel arcifinalis eſt dictus, quod a *finibus* arceamus hoſtem, vel vicinum: hoſtem bello, cultura vicinum. Sicul. Flacc. de condit. agror. p. 3. *Deinde, ut quiſque virtute colendi occupavit arcendo vicinum, arcifinalem dixit.* Frontin. de Agror. qualit. p. 38. *Nam ager arcifinius, ſicut ait Varro, ab arcendis hoſtibus eſt appellatus.* Iſid. XV. 13. *Arcifinius ager dicitur, quia certis linearum menſuris non continetur, ſed arcentur affines ejus objectu fluminum, montium, arborum.* Ita legitur hic locus apud noſtros p. 293. *Goeſ. Ind. in Rei agrar. ſcript. Grot. de Jur. bell. & pac.* II. 3. §. 16.

Ager aſſignatus, quem limitatum vocat Florent. l. in agr. limit. ff. de acquir. rer. domin. quia manufactos limites habet, qui per centurias, & jugera menſura eſt comprehenſus. *Grot. de Jur. bell. & pac.* II. 3. §. 16. Differt a diviſo. *Nam dividitur abſque aſſignatione quandoque, & quandoque aſſignatur ſine diviſione.* Sicul. Flacc. de condit. agror. p. 16. Prius fuit, cum major *agri* eſt numerus quam colonorum. Poſterius, cum aſſignatur per profeſſiones veterum poſſeſſorum. Cujus exemplum eſt apud Sicul. p. 21. *Illi fundum illum qui fuit illius.* Goeſ. Ind. in Rei agrar. ſcript.

Ager compaſcuus dicebatur, qui in commune utendus relinquebatur, quo omnes coloni æqualiter gaudebant. Sicul. Flacc. de condit. agr. p. 18. *Inſcribuntur compaſcua, quod eſt genus quaſi ſubceſivorum, ſive loca, quæ proximi quique vicini (id eſt, qui ea contingunt) paſcunt.* Frontin. de Limit. agror. p. 41. *Eſt & paſcuorum proprietas pertinens ad fundos, ſed in commune: propter quod ea compaſcua multis in locis in Italia communia appellantur, quibuſdam provinciis pro indiviſo.* Et Cicer. Top. c. 3. *Si compaſcuus ager eſt, jus eſt compaſcere.* Turneb. Adv. XXII. 5. Goeſ. in Rei agrar. ſcript. Ind. Burman. Diſſert. de Vectig. c. I.

Ager decumanus qui arabatur, non erat eorum proprius a quibus colebatur; ſed publicus populi Romani, decimarum conditione, ac penſitatione agricolis a cenſoribus erat attributus. Cicer. Verr. III. 6. *Omnis ager Siciliæ decumanus eſt.* Tacit. Germ. c. 29. n. 5. *Eos qui decumates agros exercent.* Buleng. de Vectig. c. 4. Lipſ. Tacit. Germ. n. 82. Turneb. Adv. I. 6.

Ager effatus erat, qui ſtatim poſt pomœrium ſitus, & intra quem auſpicia determinabantur. Serv. Æneid. VI. 197. *Effata ſunt augurum preces. Unde ager poſt pomœria, ubi captabantur auguria, dicebatur effatus.* Gell. XIII. 14. V. illum infr. in *Pomœrium.* Effari, & effata verba fuerunt auguralia. Varr. de Ling. Lat. V. 7. V. illum infr. in *Effari.* Oizel. in Gellium.

Ager Gabinus dictus ab oppido Gabiis. V. illum infr. in *Ager incertus.*

Ager hoſticus a reliquo diſcretus, dictus ab hoſtibus. V. illum infr. in *Ager incertus.*

Ager incertus *is dicebatur, qui de his quatuor qui ſit, ignoratur. Agrorum enim, ut dicebant augures, quinque erant genera. Romanus, Gabinus, Peregrinus, Hoſticus, Incertus.* Varr. de Ling. Lat. IV. 4. *Robortell. de Provinc. Roman. Theſ. Antiq. Roman. Græv. Tom.* III. *p.* (I) *A. Sigon. de jur. civ. Roman.* I. 2. *Manut. de Civit. Roman. Theſ. Græv. ibid.* I. *p.* 24. *B.*

Ager Latinus, quo Latini victi multati fuerant, Privernati addito agro, & Falernus, qui populi Campani fuerat, uſque ad Vulturnum flumen plebi Romanæ anno ab U. C. 413. diviſus eſt. bina in Latio jugera, ita ut dodrantem ex Privernati complerent, data: terna in Falerno, quadrantibus pro longitudine adjectis. Sabinus M. Curii victoria aliqua ex parte plebi anno ab U. C. 463. eſt diviſus. Gallicus & Picenus C. Flaminii tribuni plebis rogatione anno ab U. C. 525 eſt diviſus. Samnis & Apulus, cum de *agris* veterum militum relatum eſſet, anno ab U. C. 552 per decemviros a M. Junio Prætore urbano creatos populo eſt diviſus. Et poſtero anno decretum, ut quot quiſque P. Africani militum annos in Hiſpania, aut in Africa militaſſet, in ſingulos annos bina jugera acciperet. Liguſtinus & Gallicus, cum aliquantum, quod bello captum erat, vacaret, per decemviros ab Atilio prætore urbano creatos, anno ab U. C. 579 diviſus eſt. Diviſerunt dena jugera in ſingulos, ſociis nominis Latini terna. Vejentanus, qui paullo ante, Vejis captis, in poteſtatem venerat, anno ab U. C. 360. diviſus eſt. Diviſa ſunt ſeptena jugera plebi, nec patribus familiæ tantum, ſed ut omnium in domo liberorum capitum ratio haberetur. Stellatem, & Campanum diviſum V. infr. in *Lege Julia agraria.* In *agro* dividendo videntur Romani ordinem tribuum ſervaſſe, nimirum ut ab urbanis exorſi inde ruſticas perſequerentur. Quæ res locum Ciceroni dedit reprehendendi Rullum, qui ſe a Romilia tribu, id eſt, ruſticis initium facturum eſſe dixerat, Agrar. II. 29. *Quæſivi*, inquit, *in concione ex eo Kalend. Januar. quibus hominibus, & quemadmodum illum agrum eſſet diſtributurus: reſpondit a Romilia tribu ſe initium eſſe facturum. Primum, quæ eſt iſta ſuperbia, & contumelia, ut populi pars amputetur, ordo tribuum negligatur; ante ruſticis detur ager, qui habent, quam urbanis; quibus iſta*

agri ſpes, & jucunditas oſtenditur? Sigon. de Jur. ant. Ital. II. 2.

Ager Lucullanus qui idem eſt & Tuſculanus. Luculli nomen huic inditum eſt, poſtquam is villam pulcerrimam in eo exſtruxit, quam nunc Fraſcatum vocant. *Marlian. Topogr. Urb. Rom.* v. 5.

Ager occupatorius dicebatur, quem ſive vacantem, ſive poſſeſſum quis invaſerit, & apprehenderit. Aggen. in Frontin. de Agror. limit. p. 45. *Hic*, arcifinalis, *& occupatorius dicitur, quod in tempore occupatus eſt a victore populo, territis exinde fugatisque hoſtibus.* Cicer. de Offic. I. 7. *Sunt privata nulla natura, ſed aut veteri occupatione, ut qui quondam in vacua venerunt, aut victoria, ut qui bello potiti ſunt.* Siculus, & Aggenus arcifinales videntur dicere occupatorios. Sed differunt. Nihil enim prohibet, quo minus arcifinium, quem occupavi, in alium transſcribam, & ſic non amplius erit occupatorius, ut ſit, maneatque arcifinalis. Et dari etiam poſſunt occupatorii, a quibus nec hoſtem, nec vicinum arcere ſit neceſſe, & proinde non ſint arcifinii. *Goeſ. Ind. in Rei agrar. ſcriptor. Grot. de Jur. bell. & pac.* II. 3. §. 16.

Ager peregrinus *pacatus, qui extra Romanum & Gabinum, quod non uno modo in iis feruntur auſpicia. Dictus peregrinus a pergendo, id eſt, progrediendo. Eo enim ex agro Romano primum progrediebatur.* Varr. de Ling. Lat. IV. 4. *Robortell. de Provinc. Roman. Theſ. Antiq. Roman. Græv. Tom.* III. *p.* (1) A. *Sigon. de Ant. jur. civ. Roman.* I. 2. *Manut. de Civit. Roman. Theſ. Antiq. Roman. Græv. ibid.* I. p. 24. B.

Ager quæſtorius, *quem captum per quæſtores populus Romanus vendidit, incluſum laterculis quinquagenum jugerum, qui vocati ſunt plinthi.* Sicul. Flacc. de condit. agror. p. 2. Hygin. de Limit. conſtit. p. 203. *Goeſ. Ind. in Rei agrar. ſcript. Buleng. de Vectig. c.* 5.

Ager Romanus ille eſt, qui Servio regnante ad Romanam ditionem pertinuit, & quindecim ruſticis tribubus diſpertitus eſt. Hos anguſtos fuiſſe conſtat. Cum Romulus regnare cœpit, non ultra quintum & ſextum lapidem extendebatur; ab Etruſca parte nec integrum milliarium. Finis enim *agri* erat Tiberis, qui a Palatii radicibus, id eſt, a primæ urbis pomœrio paſſibus abeſt fortaſſe quadringentis. Neque quicquid poſtea de finitimis hoſtibus captum & occupatum eſt, *ager* Romanus eſt nominatum. Et Varro, cum de finibus, qui ætate ipſius obſervabantur, ſermonem habet, ponit quinque *agrorum* genera. V. ſupr. in *Ager incertus.* Si large accipias, omnino *ager* eſt Romanus tota Italia, quo modo non ab *agris* diſtinguitur, ſed a provinciis. Quod ſi velis eum ab aliis *agris* diſtinguere, alia ratio eſt. Tunc enim *agrum* Romanum a Sabino, Campano, Hirpino diſtinguimus: quodque ſingulis urbibus territorii adjacet, id earum urbium *agrum* vocamus; ut *agrum* Volaterranum, Piſtorienſem, Reatinum. Terminabatur itaque *ager* Romanus hinc *agro* Tiburtino, qui ad ſextum decimum ab urbe lapidem fuit: illinc Vejentano, qui non longius tredecim millibus paſſuum ab Urbe diſtabat. *Manut. de Civ. Rom. Theſ. Antiq. Roman. Græv.* I. 24. A.....F.

Ager ſcammatus. V. illum infr. in *Striga.*

Ager ſcripturarius *appellabatur publicus, in quo ut pecora paſcantur, certum æs tribuitur, quia publicanus ſcribendo conficit rationem cum paſtore.* Feſtus: *Buleng. de Vectig. c.* II. *Burman. Diſſert. de Vectig. c.* 4. *Sigon. de Ant. jur. civ. Roman.* II. 4. V. infr. in *Scriptura.*

Ager ſolutus, qui certis finibus, limitibusve non continetur. Sicul. Flacc. de condit. agror. p. 2. *Agri ſoluti non ſunt, quorum fines deprehendi poſſunt, & finiuntur.* Hæc ſunt loca, ait Aggen. in Frontin. p. 49. *quæ in ſoluto eſſe dicuntur.* Goeſ. Ind. in Rei agrar. ſcriptor.

Ager vectigalis privatus dicebatur, quia ejus dominium privatis concedebatur, impoſito vectigali. Populus enim Romanus *agrum* ex hoſtibus captum non ſemper in publicum Reipublicæ patrimonium redigebat; ſed ademptum victis militibus in emeritorum ſtipendiorum, & ſtrenue in bello navatæ operæ præmium dividebat, vel etiam plebem inopem, & ſeditioſam in eum deducebat. Hac ratione & milites alacriores, ſpe *agrorum* oſtentata faciebat: & urbem inutili, & ad res novas audendum avida multitudine exonerabat, deinde populos novo imperio nondum adſuetos injecto quaſi freno regebat, & in obſequio continebat. Hygin. de Limit. conſtit. p. 205. *Vectigales agri ſunt obligati, quidam Reipublicæ populi Romani, quidam coloniarum, aut municipiorum, aut civitatum qui & ipſi plerique ad populum Romanum pertinentes, ex hoſte capti, partitique, ac diviſi ſunt per centurias, ut aſſignarentur militibus, quorum virtute capti erant, amplius quam deſtinatio modi, quamve Romanorum militum exigebat numerus. Nam qui ſuperfuerant agri, vectigalibus ſubjecti ſunt.* Burman. Diſſert. de Vectig. c. I. Buleng. de Vectig. c. 4. Goeſ. Ind. in Rei agrar. ſcriptor. Blond. Triumph. Rom. v. p. 107. C.

Ager vectigalis publicus dicebatur, cujus proprietas ad Rempublicam pertinebat, & ex ejus locatione merces capiebatur. Cum enim populus aliquis omnia divina & humana in populi Romani ditionem dabat, vel cum armis ſubactus *agro* mulctabatur, omnis ille *ager* & tecta publica populi Romani fiebant. Sic *ager* Campanus, cum Campani bello a Samnitibus vexati, cum illis pares non eſſent, & omnia ſua Romanis dedidiſſent, factus eſt *caput patrimonii publici, pulcerrima populi Romani poſſeſſio, ſubſidium annonæ, horreum belli, ſub ſigno clauſtrisque Reipublicæ poſitum vectigal.* Cicer. Agrar. I. 7. Sic *ager* a Gallis captus in Piceno publicus fuit, & Romanus appellatus. Varr. de Re ruſt. I. 2. *Ager Gallicus Romanus vocatur, qui viritim cis Ariminum datus eſt ultra agrum Romanum.* Et ibidem montes fuiſſe, Romanos dictos, quia ad populum Romanum pertinebant, docet Sicul. Flacc. de condit. agror. p. 2. *Poſtquam majores regiones ex hoſte captæ vacare cœperunt, alios agros diviſerunt, aſſignarunt, alii ita remanſerunt*, ita enim legendum, *ut tamen populi Romani eſſent, ut eſt in Piceno, in regione Reatina, in quibus regionibus montes Romani, quorum vectigal ad ærarium pertinet.* Hic in extremis Reipublicæ temporibus vendebatur, & pecunia ex venditione ejus redacta publicæ anguſtiæ ſublevabantur, impoſito tamen vectigali, & ea lege, ut ſi ærarium poſtea ſolvendo eſſet, acciperent pecuniam, & agrum redderent Reipublicæ creditores. Liv. XXVIII. 46. *Quia pecunia ad bellum deerat, agri Campani regionem a foſſa Græca ad mare verſam vendere quæſtores juſſi.* XXXI. 13. *Ut agri publici, qui intra quinquageſimum lapidem eſſet, copia iis fieret. Conſules agrum æſtimaturos, & in jugera aſſes vectigales, teſtandi cauſa publicum agrum eſſe, impoſituros, ut ſi quis, quum ſolvere poſſet populus, pecuniam habere, quam agrum mallet, reſtitueret populo.* Burman. Diſſert. de Vectig. c. I. Buleng. de Vectig. c. 4.

Ager Veranus extra S. Laurentii portam fuit, in quo poſſeſſio fuit, ſeu villa S. Cyriacæ: in cujus cryptis, ſeu cavis arenariis innumeri una cum S. Laurentio conditi ſepultique Martyres fuerunt. *Nardin. Rom. Vet.* IV. 3.

Agere eſt cauſas dicere. *Actor* cauſidicus. Mart. II. 7. I.

Declamas belle, cauſas agis Attale belle.

Argol. in Panvin. de Lud. circenſ. II. 3.

Agere lege quid ſit. V. infr. in *Lex.*

Agere ad populum eſt concionem ad populum habere. Hoc omnibus æque diebus fieri licuit, etiam a privato, concionem ei magiſtratu dante. *Manut. de vet. dier. rat. Theſ. Antiq. Roman. Græv. Tom.* I. *p.* 947. F. *Schill Nomencl. Philol. pag.* 82. Qua hora licuerit. V. infr. in *Hora.*

Agere cum populo eſt populum ad conſilium, aut comitia vocare, *& rogare, ut ſuffragiis ſuis quid jubeat, aut velit.* Gell. XIII. 15. Hoc comitiali tantum die licebat. *Manut. de Legib. c.* 34. *vet. dier. rat. Theſ. Antiq. Roman. Græv. Tom.* I. *p.* 946. E. 947. F. *Auguſt. de Legib. c.* 6. *Schill Nomencl. Philol. p.* 82. Non licebat ſupplicationibus, & feriis, aut conceptivis, aut imperatis. Nec cum de cœlo ſervabatur, cum obnuntiabatur, cum Jupiter tonabat,

nabat, cum eo morbo, qui inſputatur; aliquis corruebat, cum Sctum vetabat. *Manut. de Comit. Roman. Theſ. Græv. ibid. Tom.* I. *p.* 502. B.

Agere eſt etiam vocula ſollennis, quando ad ſacrificium pergebant, quatenus ſignificat ante ſe pellere. Feſtus: *Agere ſignificat ante ſe pellere, id eſt, minare. Virgilius: Et potum paſtas age Tityre.* Unde agolum baculus paſtoralis. *Saubert. de Sacrif. c.* 19. *Stuck. de Sacrif. pag.* 114. *Voſſ. Lex. Etymol.*

AGG.

ΆΓΓΕΛΟΙ dicuntur nuntii, qui quaſcunque res nuntiant. Ἐξάγγελοι, qui voce ſupplent, quod in ſcena fieri non poteſt. In tragœdiis, quæ fas non erat intueri, narrabantur, non exhibebantur. Æſchylus primus reperit nuntios. Philoſtr. in Gorgia. *Buleng. de Theatr.* I. 7.

AGGER dicebatur pars viæ media inſtar pulvilli altiuſcula, & leniter acclivis intra utrumque limitem lateralem corrotundata, ne aquæ in via deſides hæreant, & vitium faciant, ſed mox hinc & inde defluant, ut via maneat ſicca, & luti expers. Hæc pars *coaggeratur* & præcipuis materiis, e quibus viæ publicæ componuntur, quæ *coaggeratio* verbo ſtruendi, vel ſubſtruendi plerumque ſignificatur. Iſidor. XV. 16. *Agger eſt media ſtratæ eminentia, coacervatis lapidibus ſtrata ab aggere, id eſt, coacervatione dicta, quam hiſtorici viam militarem dicunt: ut Virg. Æneid.* V. 273.

Qualis ſæpe viæ deprenſus in aggere ſerpens.

Bergier. de viis milit. II. ſect. 31. §. 2.

Agger dicebatur etiam militare ſepimentum, & erat ex terra, aliave materia mixta, mons, & elevatio, quem paullatim verſus urbem producebant, & attollebant. Cicer. Attic. V. 20. *Oppidum cinximus vallo, foſſa, & aggere.* Thucyd. II. p. 149. D. *Deinde aggerem ad urbem ſtruxerunt: inferebant in eum ligna, tum lapides, terram, & quicquid aliud injectum videbatur facere ad attollendum.* Virgulta etiam, & faſces maxime hic uſui: ſive ad implendum, & attollendum, ſive ad ligandum. Itaque & *aggeris* voce hæc ſæpe intelligebant. Cæſ. de Bell. Gall. VII. 85. *Agger ab univerſis in munitionem conjectus eſt.* de Bell. civil. II. I. *Vimina, materiamque comportari jubet, quibus comportatis rebus aggerem exſtruit.* Imo videbatur vix ſtrui ſine iſtis. Et, cum jam incenſus *agger*, & opera fuiſſent, idem civil. II. 15. *Quod unde agger omnino comportari poſſet, nihil erat reliquum, omnibus arboribus longe lateque in finibus Maſſilienſium exciſis.* Incenſus, inquam: ergo ligneus. Et arbores requirit ad reparandum. Itaque Pompejus filius in Hiſpania ad Urſaonem apud Hirt. de Bell. Hiſpan. c. 41. *Ut oppugnationem tutiorem*, id eſt, difficiliorem oppugnari, *efficeret, omnem materiem circum oppidum ſuccifam intro congeſſit.* Uſui arbores, non ob virgulta ſolum, & tenuia ramorum, ſed ob ipſos truncos: quia illa in molem mediam ſtipabant, hos & ad latera applicabant, firmando & coercendo. Lucan. III. 394.

— tunc omnia late
Procumbunt nemora, & ſpoliantur robore ſylvæ.
Ut, cum terra levis mediam virgultaque molem
Suſpendant, ſtructa laterum compage ligatam
Arctet humum, preſſus ne cedat turribus agger.

Struebant, inquam, latera, & cancellatim tignis directis transverſiſque varie ligabant. Unde *ſtellatos axes*, quod transverſi, & decuſſati, radiorum, aut ſtellarum aliquam faciem referrent, vocat Lucan. ibid. n. 455.

— ſtellatis axibus agger
Erigitur.

Et Lucani ſi forte imitatione Sil. Ital. XIII. 109.

Hic latera intextus ſtellatis axibus agger.

Vulgo erant alti, & id fere pro muris, in quos ſtruebantur: nam æquare, aut ſuperare debebant, & ſæpe muris plane admoti ſunt, ut e propinquo pugnarent. Senec. de Conſtant. c. 6. *Æquaturum editiſſimas arces aggerem creſcere.* Cæſ. de Bell. Gall. II. 32. *Armorum magna multitudine de muro in foſſam, quæ erat ante oppidum jacta, ſic ut prope ſummam muri aggeriſque altitudinem acervi armorum adæquarent.* Tacit. Annal. IV. 49. 2. *Struebatur agger, unde ſaxa, haſtæ, ignes propinquum in hoſtem jacerentur.* Liv. V. 7. *Quum agger promotus ad urbem, vineæque tantum non jam injunctæ mœnibus eſſent.* Admovebantur muris paullatim, & progrediendo. Nam latera vinciebant, claudebantque lignis: ſed antrorſus, & urbem verſus, pars ea manebat aperta. Aggerebant igitur paullatim, & promovebant, in foſſas ipſas, denique ad muros. Dum id fieret, nihilominus turres in *aggere* impoſitæ, quæ adminiſtrantes, aut operantes tuebantur. Sed cæ quoque cum *aggere* paullatim procedebant. Cæſ. de Bell. Gall. VII. 22. *Noſtrarum turrium altitudinem, quantum has quotidianus agger expreſſerat, commiſſis ſuarum turrium aliis adæquabant.* Scite tergum, aut cauda *aggeris* humilior fuit, & in clivum, frontem verſus, aſſidue ivit. Qua in re interdum factum, ut *agger*, ſi parum firmatus, aut denſatus, prolaberetur in foſſas. Liv. X. 5. *Forte quodam loco male denſatus agger pondere ſuperſtantium in foſſam procubuit.* Sed cavebant ſcilicet, & virgultis, aut lapidibus identidem adfirmabant. Illorum itaque uſus fuit, ut ex alto pugnarent, & turres ibi conſtituerent, & tormenta. Poſterior ætas *aggeſtum* dixit. *Lipſ. Poliorc.* II. 3. *de Milit. Rom. V.* 5. *Schel. ad Polyb. Theſ. Antiq. Roman. Græv. Tom.* X. *p.* 1123. A. *Laurent. Polym.* IV. *Synopſ.* 2. *Thyſ. Rom. Illuſtr.* V. *p.* 118. *de Oppugn. Urb.* II. *p.* 169. Evertebatur, aut conſumebatur dupliciter, cuniculo. V. infr. in *Cuniculus.* aut igne: cum ſcilicet faces, malleolos, aliaque ad inflammandum aut jacerent eminus, aut ipſi in *aggerem* inferrent. Cæſ. de Bell. Gall. VII. 24. *Alii faces, atque aridam materiam, de muro in aggerem eminus jaciebant.* Idemque de illatione ignis Civil. II. 17. *Maſſilienſes portis ſe foras erumpunt, ſecundo magnoque vento ignem operibus inferunt. Hanc ſic diſtulit ventus, uti uno tempore agger, plutei, teſtudo, turris, tormentaque flammam conciperent, & prius hæc omnia conſumerentur, quam quemadmodum accidiſſet, animadverti poſſet.* Eadem de re graphice ac diſerte Lucan. III. 501.

Telum flamma fuit, rapienſque incendia ventus
Per Romana ruit celeri munimina curſu.
Nec, quamvis viridi luctetur robore, lentas
Ignis agit vires: tæda ſed raptus ab omni
Conſequitur nigri ſpatioſa volumina fumi:
Nec ſolum ſylvas, ſed ſaxa ingentia ſolvit,
Et crudæ putri fluxerunt pulvere cautes,
Procubuit, majorque jacens apparuit agger.

Etiam alio *aggere* in ipſis muris oppoſito. Ammian. XIX. 6. *Duo aggeres celſi, Perſarum peditum manu erecti, & expugnatio civitatis ſtruebatur operibus lentis: contra quod noſtrorum quoque impenſiore cura moles excitabantur altiſſimæ, faſtigio adverſæ celſitudinis æquatæ, propugnatorum vel nimia pondera duraturæ.* Simile Gazenſes fecere apud Curt. IV. 6. 21. *Alexander aggerem, quo mœnium altitudinem æquaret, exſtruxit. Oppidani, ad priſtinum murorum faſtigium, novum exſtruxere munimentum.* Et corbibus terra, aut arena repletis, & in faſtigium exſtructis: quod haud longe abit a ſportis, aut gabionibus noſtris, imo iis dedit exemplum. Polyæn. III. 10. 15. *Timotheus oppugnabat Toronam. Toronenſes altas moles contra erexerant corbium, quos arena repleverant. Ille falces malis navium impoſuit, iiſque corbes diſſecuit, ut arena diffueret.* Lipſ. ibid. c. 6. Thyſ. ibid. p. 192.

Agger Tarquinii dicebatur, quo L. Tarquinius Superbus VII. Rex Latinorum cæterorumque hoſtium incurſiones, quibus Urbs ipſa vexari poterat, veritus Urbem ab oriente ingenti muniit. Adhuc viſitur parum ultra Diocletiani thermas, ab eo loco uſque ad arcum Gallieni fere porrectus. Plin. III. 5. *Clauditur Urbs ab oriente aggere Tarquinii Superbi, inter prima opere mirabili: namque eum muris æquavit, qua maxime patebat aditu plane, cætera munita erant præcelſis muris, aut abruptis montibus.* Panvin. Deſcript. Urb. Rom. Theſ. Antiq. Roman. Græv. Tom. III. p. 222. A. Marlian. Topogr. Urb.

Rom. IV. 19. Faunus Antiq. Urb. Rom. IV. 4. Describitur a Dionyſ. IV. p. 253. *Partem illam Urbis, quæ in Gabinos proſpiciebat, magna operariorum multitudine cinxit aggere, latam egerendo foſſam; ibique magis quam alibi murum erigendo, crebrisque turribus muniendo. Ab hac enim parte civitas admodum debilis, cum alibi undecunque valde tuta eſſet.* Et illa pars mœnium in planitie poſita ad portam uſque Collinam munita. Dionyſ. IX. p. 624. *Locum tamen habet magis expugnabilem a porta Eſquilina ad Collinam, ſed manuali opere munitus eſt. Cingit enim eum foſſa in minori latitudine pedum centum, & amplius, & profunditatis triginta: cui imminet murus alto, & lato intus ſuffultus aggere, nec arietibus quaſſari, nec cuniculis ſuffodi facilis. Ea munitio ſeptem fere ſtadiis longa, lata quinquaginta pedibus.* Strabo mox laudandus. Erat ergo longus paſſus octingentos ſeptuaginta quinque, tantumque porta Collina & Exquilina inter ſe diſtabant. Panvinius parum ultra thermas Diocletiani adhuc ſpectari docuit, additumque poſtea murorum circuitum latiorem. Sed contra Plinius modo laudatus. Igitur longe ultra thermas ad mœnia pertinebat, qua tenduntur a porta Numentana, nunc Pia, ad portam S. Laurentii, olim Exquilinam. *Donat. de Urb. Rom.* I. 7. Hanc munitionem a Tullio ante Tarquinium inchoatam indicat Liv. I. 44. ubi de Tullio, *auget Exquilias, ibique ipſe, ut loco dignitas fieret, habitat: aggere, & foſſis, & muro Urbem circumdat.* Apertius hoc & Strab. V. p. 162. affirmat, Servium nempe in parte infirmiore duorum a ſe adjectorum collium *aggerem* jeciſſe: *Quem defectum*, ait, *Servius arguit, qui complevit murum, adjectis Urbi Exquilino & Viminali collibus: quæ omnia cum capi poſſent facile extrinſecus, aggerem ſex circiter ſtadiorum in interiore foſſæ margine fecerunt, muroſque, & turres in eo conſtituerunt, a Collina porta uſque ad Exquilinam.* Ubi verba hæc *fecerunt*, & *conſtituerunt*, evidentius adhuc a duobus *aggerem* illum factum arguunt. Tum & porta *inter aggeres* appellata, plurium, quam unius, id opus fuiſſe indicat. Quare Tarquinius *aggerem* a Tullio inchoatum perfeciſſe exiſtimandus, *opere*, ut dixit Plinius, *inter prima mirabili*, adeoque Tulliano anguſtiore. *Nardin. Rom. Vet.* IV. 2. In hoc ſupplicium de miſellis ſumptum, qui ex illo dejiciebantur. Juven. Sat. VI. 288.

Plebejum in circo poſitum, & in aggere fatum.

Suet. Cal. c. 27. n. 3. *Alterum pueris tradidit verbenatum, infulatumque, qui votum repoſcentes per vicos agerent, quoad præcipitaretur ex aggere.* Rycq. de Capitol. c. 4. Caſaub. & Torrent. in Suetonium.

AGI.

AGITANDI uſus erat duplex: aut ſollennibus feſtis, quo ſinguli ſimul quatuor factionum agitatores currebant, aut aliis diebus non aliquam ob religionem, ſed ex provocatione. *Panvin. de Lud. circenſ.* I. 14.

AGITATOR eſt, qui currus, & equos regit, auriga. Cicer. Attic. XIII. 21. *Nec eſt melius, quam ut Lucullus ſuſtineat currum, ut bonus ſæpe agitator, equoſque. Agitare* eſt impellere. Plaut. Aſin. III. 3. 18.

Quadrupedem agitabo adverſus clivum.

Κατ' ἐξοχὴν ita appellabatur, qui curuli certamine in circenſium ludicro equos, & currus regebat. Ulpian. l. 4. ff. de procurat. & defenſ. *Generaliter ita omnes opinantur, & utile videtur, ut neque agitatores . . . . . . ignominioſi habeantur.* Pannis, & tunicis hi erant diſtincti: nam alii ruſſati, alii albati, alii praſini, alii veneti. V. infr. ſuis locis. *Buleng. de Circo c.* 44. *Pignor. de Serv. p.* 353. 538. *Ferret. Muſ. Lapid.* III. *memor.* 43. *Bud. in Pandect. p.* 97. D. *Alciat. in tres poſter. libr. Cod. p.* 107. D. *Priſc. in Suet. Cal. c.* 55. *n.* 7. Inſignia habuerunt, & velut quædam argumenta, quibus alii ab aliis internoſcerentur, & uterentur, velut ornamentis. Sidon. carm. XXIII. n. 31.

Veſtra inſignia continent miniſtri
Ora, & lora manus, jubasque tortas
Cogunt flexilibus latere nodis.

Illa puto gentis, vel familiæ fuiſſe, qualia quæ noſtratibus arma dicuntur, qui mos antiquiſſimus. Virg. Æneid. XII. 163.

— cui tempora circum
Aurati bis ſex radii fulgentia cingunt,
Solis avi ſpecimen.

Argumentum vocat Æneid. VII. 789.

At levem clypeum ſublatis cornibus Io
Auro inſignibat, jam ſetis obſita, jam bos,
Argumentum ingens.

Elogia illorum in veteribus inſcriptionibus in baſi ita concepta ſunt: vicit ſejuge, ſeptejuge, bigas, trigas, uno anno, alieno principio, duobus introjugis. . . . . . Illis victorum memoria conſecrabatur in baſi lapidum, & ſtatuarum, quæ in circo: non enim victoribus modo bravia, præmia, coronæ; ſed & ſtatuæ, & tituli, & elogia victoriæ indicia decernebantur. Sed ſtatuæ hæ non in foro, & porticibus publicis, locisque illuſtribus, at in aditu circi collocabantur. Hoc edictis Imperatorum eſt cautum Cod. XI. 40. 4. *Si quis in publicis porticibus, vel in his civitatum locis, in quibus noſtræ ſolent imagines conſecrari, pictura pantomimum veſte humili, & rugoſis ſinibus agitatorem offerat, revellatur: neque unquam poſthac liceat inhoneſtas in loco honeſto annotare perſonas. In aditu vero circi, vel in theatri proſceniis ut collocentur non vetamus.* Buleng. ibid. c. 53. 54.

AGITATORES miliarii, de quibus inſcriptio vetus:

TRES AGITATORES MILIARII FACTIONIS VENETÆ NOVIS COACTIONIBUS ET NUNQUAM ANTE TITULIS SCRIPTIS.

dicti ſunt a milio, ſeu miliario Conſtantinopolitano, quorum novæ coactiones dicuntur, quia Conſtantinopoli Romani evocati ſunt titulis nunquam ante ſcriptis, quod prius Romæ *agitatores* miliarii viſi aut ſcripti non eſſent. Milium, ſive miliarium etiam in foro fuit Conſtantinopolitano prope ὡρεῖον, quod horreum eſſe ajo in Baſil. carm. 7. eclog. 8. & 56. ſtatuis ornatum, ac ludis, & quadrigis accommodum, quemadmodum & Romæ ludos in foro ſæpe habitos animadvertimus. Aliud eſſe milium a circo e Suidæ diſcas verbis: *In milio erat ab antiquo currus quatuor equis igneis a duabus columnis volans, ubi Conſtantino acclamatum eſt victo Azotio: delatus currus in circum.* Buleng. de Circo. c. 52.

AGM.

AGMEN *proprie dicitur, cum exercitus iter facit, ab agendo, id eſt, eundo vocatus.* Iſidor. IX. 3. *Stewech. in Veget.* III. 21. Diſtat ab acie proprie loquendo, ut Græcis πόρεια & ἔκτασις. *Agmen* eſt πόρεια, acies ἔκτασις. Tamen pro qualibet multitudine ſæpe accipitur in ordine euntium. *Salmaſ. de Re mil. c.* 7. Interdum etiam pro acie, ut contra pro *agmine* acies, præſertim ſequioris ævi ſcriptoribus. *Schel. in Polyb. Theſ. Antiq. Roman. Græv. Tom.* X. *p.* 1252. D. Ut juſtam aciei formam acciperet, eodem ordine, quo immiſtis impedimentis paullo ante inceſſerat, evolutum, etiam inſtrui debet, in prima fronte haſtati, ſecundo loco principes, tertio triarii. Itaque cum a fronte occurrerent hoſtes, educti milites haud dubie ſe eo converterunt; atque ita in hoſtem proceſſerunt, ut paullo ante iter fecerant. Si a latere eſſet hoſtis, contra quem pugnam inſtruerent, neceſſe eſt primos exiiſſe, & paullo longius ab impedimentis retorſiſſe *agmen* verſus hoſtem haſtatos, deinde principes, poſtremo triarios. At ſi a tergo appareret hoſtis, vel inverſa acie pugnandum fuit, ita ut primi eſſent triarii, poſtremi haſtati, vel evolutione, aut circumductione acies commutanda. *Schel. ibid. p.* 1261. F. Duo *agminum* genera erant in veteri militia. I. ita ſe habet. In primo *agmine* ſunt extraordinarii, ut qui proxime portam prætoriam tendunt, quibus ſuccedit dextra ſociorum. Latini nominis

minis ala. Alam & extraordinarios ſequuntur impedimenta ſua. Deinde legio prima, ſuas a tergo ſarcinas habens; poſt quas ſecunda eadem ratione. ſequuntur enim hanc quoque jumenta ſua, ſed & alæ ſiniſtræ, quæ noviſſimo in *agmine* eſt. Atque hæc, cum in hoſtem itur, cum vero ab hoſte recedunt, extraordinarii, qui nunc primi *agminis* ſunt, noviſſimum claudunt. Liv. xxxv. 4. *Poſteaquam relatum eſt, quantæ copiæ, & in quo loco eſſent, totius agminis ſarcinas in medium conjici, & triarios vallum circumjicere juſſit: cætero exercitu inſtructo ad hoſtem acceſſit: hora ſecunda ferme concurſum eſt, ſiniſtra ſociorum ala, & extraordinarii prima in acie pugnabant. Conſul legiones continebat in ſubſidiis.* Ibi & dextram alam fuiſſe, deinde oſtendit. Extraordinarii, & alarum altera prima in acie; in ſubſidiis legiones, & altera ala. & omnino ad præſcriptum Polybii, qui hæc fuſius vi. 38. *Schel. in Polyb. Theſ. Antiq. Roman. Græv. Tom.* x. p. 1256. E. *Lipſ. de Milit. Roman.* v. 12. *Thyſ. Rom. Illuſtr.* v. *p.* 135. II. in metu hoſtili, & periculo, campiſque patentibus, & apertis. In triplicem aciem, vel triphalangiam diviſi, haſtati, principes, & triarii, paribus inter ſe intervallis diſtantes incedunt: ſed jumenta ante ſingulas acies collocantur, etiam ante primam: ut pluribus Polybius modo laudatus. *Schel. ibid. p.* 1261. C. In longum extenſo *agmine* utebantur in pacato, ubi nullus erat hoſtis. Longitudo autem in *agmine* iter faciente eſt extenſio *agminis* a fronte ad tergum, ſive per verſus: latitudo a dextra parte ad ſiniſtram per juga. Et hoc fere ſenſu *agmen* dicitur longum. Frontin. Stratag. i. 6. 4. *Iphicrates in Thraciam cum propter conditionem locorum longum agmen duceret, & nuntiatum ei eſſet, hoſtes ſummum id aggreſſuros.* Liv. xxxv. 27. *Obtinebant longo agmine propter anguſtias viæ prope quinque millia paſſuum.* Hoc vitioſum eſt, & inſidiis maxime patet. Facile enim eſt hoſti vel perrumpere *agmen*, vel modo in primum, modo in noviſſimum *agmen* incurrere. Pergit enim Livius: *Cogebatur agmen ab equitibus, & maxime a parte auxiliorum, quod exiſtimabat Philopœmen, tyrannum cum mercenariis militibus, quibus plurimum fideret, a tergo ſuos aggreſſurum.* Schel. ibid. p. 1254. D. *Agminis* in progreſſu notitia regionum, per quas *agmen* ducendum, inprimis eſt neceſſaria. Imperator igitur regionem, qua ſit iter facturus, accurata pictura deſcriptam habeat, nec intervalla locorum longitudine & latitudine tantum deſcripta tabulis & depicta, ſed viarum genera, compendia, diverticula, montes, flumina. Suet. Jul. c. 58. n. 2. *Exercitum neque per inſidioſa itinera duxit unquam, niſi perſpeculatus locorum ſitus, neque in Britanniam tranſvexit, niſi per ſe portus, & navigationem, & acceſſum ad inſulam exploraſſet.* Ramus de Milit. Cæſar. Theſ. Antiq. Roman. Græv. Tom. x. p. 1548. *Agminis* ducendi rationem tutam & compoſitam habuerunt Romani. Illorum in omni bello fuit diſciplina, nihil ut temere, nihil inconſulto, ſed omnia certa ratione, certoque gererent ordine, quo nihil nec inopinati timerent, prælioque etiam parati quodammodo eſſent, cum erant imparati: plane ut dici merito queat, non tantum inſtructum ad pugnam exercitum Romanum in acie ſtare; ſed caſtra nihil aliud eſſe quam conſidentem; nec *agmen* aliud, quam ambulantem aciem. *Schel. ibid. p.* 1250. D. Tempus, prout ratio rei gerendæ poſtulabat, varium, ac alias aliud: juſtum tamen, & quodam modo legitimum quarta vigilia fuit. Cæſ. de Bell. Civ. iii. 75. *Duas in caſtris legiones retinuit, reliquas de quarta vigilia compluribus portis eductas eodem tempore præmiſit.* 77. *Poſtero die Cæſar ſimiliter præmiſſis prima nocte impedimentis de quarta vigilia ipſe egreditur: idemque reliquis fecit diebus.* Spatium diurni itineris juſtum, viginti millia paſſuum. Veget. i. 10. *Militari ergo gradu viginti millia paſſuum horis quinque duntaxat æſtivis conficienda ſunt. Pleno autem gradu, qui citatior eſt, totidem horis viginti quatuor millia peragenda ſunt.* Ideo Auguſti, & Adriani conſtitutionibus decem millia paſſuum armati, inſtructique omnibus telis pedites militari gradu ire, ac redire jubebantur in caſtra, ita ut aliquam itineris partem curſu alacriore conficerent. Ipſe Adrianus traditur vicena millia pedibus armatus ambulaſſe. Cæſ. de Bell. Gall. v. 45. *Eo die millia paſſuum viginti progreditur.* Nec eſt, quod quiſquam hoc ſpatium minus juſto diei itinere eſſe putet, ideo quod quinque horis æſtivis conficiebatur ex diſciplina militari. Neque enim totos dies ſine gravi cauſa iter faciebant; ſed partem diei quieti, partem munitioni caſtrorum, partem pabulo lignoque conquirendo dabant. *Schel. ibid. p.* 1269. C. Tum univerſi, tum ſingularum partium ordo non ſolum in conflictu, ſed etiam in itinere, magnæ fuit curæ. Veget. i. 9. *Primis meditationum auſpiciis tyrones militarem edocendi ſunt gradum. Nihil enim magis in itinere, vel in acie edocendum eſt, quam ut omnes milites incedendi ordinem ſervent. Quod aliter non poteſt fieri, niſi aſſiduo exercitio ambulare celeriter, & æqualiter diſcant. Periculum enim ab hoſtibus ſemper graviſſimum ſuſtinet diviſus, & inordinatus exercitus. Legem ſeveri ordinis vocat* Stat. Theb. v. 7.

Diſpoſiti in turmas rurſus, legemque ſeveri
Ordinis, ut cuique ante locus, ductorque monetur
Inſtructæque vias.

Schel. ibid. p. 1268. D. Cum e caſtris eſſent diſceſſuri, buccinator ſignum dabat. Polyb. vi. 38. *Cum primum ſonuiſſet, detendebant omnes tentoria, ſed non ante quam viderent Imperatoris, & tribunorum eſſe detenſa. Cum ſignum ſecundum eſſet datum, inſtrumenta, & publici apparatus belli, nec non ſarcinæ privatorum carris, mulis, equis, aliiſque jumentis imponebantur. Cum tertium ſignum ſonuiſſet, primi procedebant, quos alii deinceps ordine ſequebantur.* Patric. Rei milit. Roman. xiii. ſect. 1. V. & infr. in *Signum profectionis.*

Agmen pilatum dicebatur, quod fronte anguſtiore oblongum, & inter ſe denſum erat. Dici videtur pilatum, idem quod denſum, nihilque præter pila & arma præferat; vel potius, quod in formam pili lateribus longius. Vegetius, quum inter genera depugnationum ſextam numerat, dicit exporrigi quaſi veru. iii. 20. *Reliquam partem exercitus tui longiſſime a dextra parte adverſariorum remove, & in directum porrige, quaſi veru. . . . Acies tua extenditur, & totam ſe porrigit ad ſimilitudinem I. literæ, longiſſimeque recedit ab hoſtibus, quo genere in itineribus ſæpe confligitur.* Opponitur hoc quadrato, item tenui, laxo, & ſoluto, quia fronte brevi, & denſum eſt. Incedere hoc ait ſine jumentis, nimirum, quia inter ſe denſum eſt, & fronte anguſtiore, quod neceſſe eſt in locis iniquis, quo fit, ut jumenta non ſatis tuto duci queant. *Schel. in Polyb. Theſ. Antiq. Roman. Græv. Tom.* x. *pag.* 1253. F. Virg. Æneid. xii. 121.

— *pilataque plenis*
Agmina ſe fundunt portis.

Serv. Dan. *Pilata, hoc eſt, pilis armata. Quidam hoc loco pilata agmina non a genere haſtarum poſitum aſſerunt: nam poſt paullo dictum inferunt, defigunt tellure haſtas. Sed pilata, denſa, ſpiſſa, ut implere portas potuerint, & poſtea ſe in loca apertiora diffundere. Alii, quod in longitudinem directum eſt, quale ſolet eſſe, cum portis procedit: vel certe pilata fixa, & ſtabilia, vel a pilo, quod figit, vel a pil[illegible] ſtructili, quæ fixa eſt, & manet: nam & Græci res denſas, & arctas* πιλωία *dicunt. Enn. Sat.* ii.

Contemplor inde loci liquidas pilataſque ætheris oras.

Cum firmas, & ſtabiles ſignificaret, & quaſi pilis fultas. Voſſ. Lex. Etymol. Columm. in Ennium.

Agmen quadratum aliud, aliud acies quadrata eſt. Cum acies in quadratum *agmen* conſiſtit, vel exercitus quadrato *agmine* in hoſtem ducitur, inſtructus fuit vulgari & legitimo modo. Ea fuit in veteri republica ratio inſtruendi, ut exercitus in triplicem aciem diſtribueretur: & eæ acies fronte longa erant, & eadem longitudine omnes. Nec multum introrſus latitudinis habebant, ſi cum frontis longitudine comparentur ne univerſæ quidem: ſed erat inter ſingulas ſpatii aliquid ad concurrendum, & interdum ſequebantur eodem ordine impedimenta. Hinc ἐμβαδὸν illud, quod occupat totus exercitus, ad quadratum accedit. Nec refert, an ad pedem quadratum. In acie

frons longior, contractior in itinere; quia tamen universa forma ad quadratum accedit, utrumque recte dicitur *agmen* quadratum. Accedit, quod latera sæpe eques tuebatur, quo cum prima acies in fronte esset, subsidia a tergo, non quidem efficiebatur, ut in omnes partes spectaret acies: triplex enim erat, & eodem tota spectabat: sed tamen ut ab omni parte miles esset, & totum *agmen* quadratum. Posteriori militia quamvis ratio dividendi copias, & instruendi, commutata sit, tamen eadem in universum ratio, & quoties *agmen* vicino hoste ducebatur, in latum exporrigebatur; aliæ copiæ frontem, aliæ tergum tuebantur, receptis in medium impedimentis: unde tota forma exivit quadrata. Hirt. de Bell. Gall. VIII. 8. *Agminis ordinem ita constituit, ut legio* VII. IIX. IX. *ante omnia iret impedimenta: deinde omnium impedimentorum agmen, quod tamen erat mediocre, ut in expeditionibus esse solet, cogeret* XI. *ne majoris multitudinis species accidere hostibus posset, quam ipsi depoposcissent. Hac ratione pene quadrato agmine instructo, in conspectum hostium, celerius opinione eorum, exercitum adducit.* Vides, quid sit quadratum *agmen*, cujus universa forma ad quadratum accedit: ac ideo videtur hic dixisse, *pene quadrato agmine*, quod cum una tantum a tergo legio esset, ibi minus æquaret dispositionem, & longitudinem frontis tres legiones habentis. Interdum etiam lateri militem adjecerunt. Tale *agmen* Germanici, incursionem, impetumque Germanorum metuentis. Tacit. Annal. I. 51. 3. *Incessitque itineri & prælio: pars equitum, & auxiliariæ cohortes ducebant; mox prima legio, & mediis impedimentis sinistrum latus undevicesimani, dextrum quintani clausere, vicesima legio terga firmavit, post ceteri sociorum.* Quod est quadratum *agmen* illius ævi, plenum, & justum, & ab omni parte milite firmatum. Ex quibus locis apparet, non id referre, an post singulos manipulos, an vero post singulas legiones, an denique in medio omnium sint impedimenta; nihilominus quadratum *agmen* est. *Schel. in Polyb. Thes. Antiq. Roman. Græv. Tom.* X. *p.* 1252. *D. Lips. de Milit. Roman.* V. 12.

AGN.

AGNATI *sunt, qui per virilis sexus personas cognatione juncti sunt, velut frater ex eodem patre natus, fratris filius, neposve ex eo, item patruus & patrui filius, qui frater patruelis dicitur, & nepos ex eo.* Cajus l. sunt autem. ff. de legit. tutor. *August. de Legib. Thes. Ant. Roman. Græv. Tom.* II. *p.* 1288. C. 1299. A. *Sigon. de Nomin. Roman. c.* 4. *Panvin. de Nomin. Roman. Thes. Græv. ibid. p.* 1999. *B. Rosin. Antiq.* VIII. 6.

Agnati & cognati differunt, I. quod in *agnatis* & cognati continentur, in cognatis non utique & *agnati*: verbi gratia, patris frater, id est, patruus, & *agnatus* est & cognatus: matris autem frater, id est, avunculus, cognatus est, *agnatus* non est. II. Ad hæreditatem *agnatus* proximus, si decimo etiam gradu sit, admittitur; quod non est in cognatis, quos Prætores vocant, qui septimo gradu circumscribuntur, vel potius sexto; namque ex septimo solus sobrino, sobrinave natus admittitur. Hæc tamen omnia Justiniani legibus sunt abrogata, & nulla est *agnatorum* & cognatorum differentia. *Augustin. de Legibus Thes. Ant. Roman. Græv. Tom.* II. *pag.* 1298. 1299. *A. Calcagn. de Verb. Signif. p.* 375. *Agnatos* & gentiles, ut gentem & familiam, amicus meus in libello de nominibus idem esse censet, cum ait: *Agnomen familiæ est appellatio, & gentis: unde agnati & gentiles dicebantur, qui ex eadem erant familia, ut ait Cicer. Topic. c.* 6. Mea autem sententia Ciceronis sententiam non videtur percepisse, qui gentiles eos definit, qui inter se eodem nomine sunt, id est, ex eadem gente. V. infr. in *Gentiles.* Familiæ vero, aut *agnatorum* non meminit. *Sigon. de Ant. jur. civ. Roman.* I. 7. *Emendat.* II. 20. *& de Nomin. c.* 4. *Bud. in Pandect. p.* 278. *G. Auctor misc. defens. pro Salmas. ad jus Attic. & Roman. p.* 124.

AGNATIONIS jus capitis diminutione tollitur, quod ex duodecim descendit. Illæ autem hæreditates, quæ novo jure competunt, ut ex Scto Tertylliano, & Orphitiano capitis diminutione non pereunt. Justin. Instit. III. 4. *Sciendum est, hujusmodi successione quæ ex Tertylliano, & Orphitiano Sctis deferuntur, capitis diminutione non perimit, propter illam regulam, qua novæ hæreditates legitima capitis diminutione non pereunt, sed illæ solæ, quæ ex lege duodecim tabularum deferuntur.* August. in Leg. XII. tabul. §. 25.

AGNOMEN quid sit, diu quæsitum, adhuc tamen obscurum, & plane ignotum omnibus, & grammaticis, & antiquariis. Putant plerique viri docti, sequuti veteres grammaticos, Diomed. I. p. 306. Priscian. II. p. 578. Alcuin. Grammat. p. 2088. Edit. Putsch. *agnomen* esse, quod quarto loco ponitur, & extrinsecus cognominibus adjici solet, ex aliqua ratione, vel virtute quæsitum: ut Africanus in P. Cornelio Scipione Africano, ut Creticus in Q. Cæcilio Metello Cretico, ut Felix in L. Cornelio Sylla Felici, ut cæteri in cæteris sexcentis. Sed nugæ sunt. Et locupletissimorum scriptorum testimonio ejusmodi opinio refellitur, apud quos omnia deinceps cognomina dicuntur, quæ post nomen gentilitium collocantur. Liv. XXXVII. 58. *L. Cornelius Scipio, qui cum Antiocho bellaverat, cognomine fratri coæquatus, Asiaticus appellatus est.* Ergo Asiaticus est cognomen, non *agnomen*, ut nec Africanus. Cicer. pro Mur. c. 14. *Quam laudem ille Africa oppressa cognomine ipso præ se ferebat, eandem hic sibi ex Asia cognomen assumpsit.* Val. Max III. 5. 1. *Cum ei*, superioris Africani filio, *voluntaria morte absumi satius fuerit, quam inter duo fulgentissima cognomina patris, & patrui, altero oppressa Africa jam parto, altero jam majore ex parte recuperata Asia surgere incipiente....* Sapientem, & Divitem, quæ tamen quarto loco erant in M. Porcio Catone, & L. Licinio Crasso, cognomina vocat Cicer. de Amic. c. 2. *Cato quasi cognomen habebat in senectute Sapientis.* de Offic. II. 16. *P. Crassus tum cognomine Dives, tum copiis.* ad Attic. II. 13. *Quanto in odio noster Magnus, cujus cognomen una cum cognomine Crassi Divitis consenescit.* L. Ælius Præconius Stilo dictus, Stilonem non *agnominis* loco, sed alterius cognominis habuit. Suet. de Illustr. gramm. c. 3. n. 1. *Lucius Ælius cognomine duplici fuit: nam & Præconius vocabatur, & Stilo.* Paterc. II. 15. 4. *Q. Metellus Numidici filius, qui meritum cognomen Pii consequutus est*, est enim appellatus Q. Cæcilius Metellus Pius. Macrob. Saturn. I. 6. *Valerius Maximus, postquam Messanam urbem Siciliæ nobilissimam cepit, Messala cognominatus est*, dictusque M. Valerius Maximus Messala. Imo vero non solum quæ ponuntur quarto loco, non *agnomina*, sed cognomina dicenda sunt: sed etiam quæ quinto, sexto, septimove. Liv. Epit. LV. *P. Cornelio Scipione Nasica, cui cognomen Serapio fuit, ab irridente Curiatio tribuno plebis impositum.....* Sed quid multis opus est? Sext. Rufus vel umbram delet *agnominis*: de Severo Imperatore ita loquitur: *Severus, natione Afer, acerrimus Imperator, Parthos strenuissime vicit, Adiabenicos delevit, Arabes obtrivit. Huic cognomina ex victoriis attributa fuerunt: nam Adiabenicus, Parthicus, & Arabicus cognominatus est.* P. Serv. Miscell. c. 8. Perizon. Animadv. Histor. c. 2. Sigon. de Nomin. Roman. c. 5. Emend. I. 14. Panvin. de Nomin. Roman. Thes. Ant. Rom. Græv. Tom. II. p. 1637. C. Lips. ad Tacit. Annal. IV. n. 167. adeo male accipit *agnomen*, ut, quid eo sibi velit, ne ipse quidem, ut puto, noverit: in eam enim significationem id sumit, quam nec ex antiquis ullus, nec recentior unquam somniavit. Sed hæc missa faciamus. Quid ergo, inquies, erit *agnomen*, si Africanus, Isauricus, Numidicus, Felix, cæteraque nomina quarto loco posita cognomina sunt? Res profecto implicita omnino & obscura. Etenim si quis idem esse *agnomen*, & cognomen cum Sigonio existimet, aperte redarguitur a Cicer. de Invent. Rhetor. II. 9. *Nomen cum dicimus, cognomen quoque & agnomen intelligatur oportet.* Si quis alios sequutus longe aliud esse opinetur, & quartum *nomen* esse profiteatur, is sane ab iis auctoribus, quos nominavi, aperte refellitur. Si quis demum Robortello addictus *agnomen* idem ac nomen gentilitium esse putet, primo quidem adspectu plane a vero aberrare videtur, cum agnati, quos *agnomen* videtur significare, sint, qui in eadem

gente

gente naſcuntur. Sed, ut inferius patebit, id omnino alienum eſt. Cæterum rem per ſe obſcuram, a nemine adhuc, quod ſciam, illuſtratam, ſic puto illuſtrari poſſe. *Agnomen* fere idem quod *cognomen* eſt: non quidem perpetuo, ſed in adoptione ſolum. Itaque *agnomen* dicitur *nomen* illud, quod adoptatus retinet in adoptione. Erat namque apud veteres in more poſitum, ut, qui in aliquam gentem adoptaretur, cæteris *nominibus* abjectis, unum gentis, aut familiæ nomen retineret, & *prænomen* adoptatoris, gentilitium *nomen*, & *cognomen* ſibi adſciſceret. In exemplum adduco P. Cornelium Scipionem, a Q. Cæcilio Metello adoptatum: is enim Publio *prænomine*, Cornelioque *nomine* depoſitis, dictus fuit Q. Cæcilius Metellus Scipio: & L. Calpurnius Piſo a M. Pupio adoptatus, M. Pupius Piſo dictus eſt: ſimiliter M. Junius Brutus a Q. Servilio Cæpione, Q. Servilius Cæpio Brutus nominatus. Scipio igitur, Piſo, & Brutus vere *agnomen eſt*, quia id vere agnatum eſt, cætera tria extrinſecus adjuncta ex adoptione. Huic meæ conjecturæ aperte favet Paull. l. 35. ad edictum ff. 1. tit. 7. Ubi, *qui in adoptionem*, inquit, *datur iis*, *quibus agnaſcitur*, *cognatus fit*. Adoptatus agnaſcitur adoptatori, ſuiſque per adoptionem, hoc eſt, ſeſe inſerit per adoptionem in omnes ejus familiæ, in quam adoptatur, eiſque cognatus evadit. Ergo etiam nomen quod retinet, agnaſcitur ſuum nominatum ſequens, ac proinde jure dicitur *agnomen*. P. Serv. l. l.

AGO.

AGON' verbum eſt cum interrogatione *agone*. Quid ſibi voluerit. V. ſupr. in *Age hoc*.

ἈΓΩΝ Græca dictio, qua utuntur Latini, & ſignificat *certamen*, *quod conſiſtit in incurſionibus*, *interjectionibus*, *congreſſibus*, *contentionibus*. Plutarchus. Gell. x. 18. *Id monumentum Artemiſia*, *quum diis manibus Mauſoli*, *ſacrum dicaret*; *ἀγῶνα*, *id eſt*, *certamen*, ut quædam addunt editiones, ſi non interpretis verba ſunt, *laudibus ejus dicundis facit*. Paſchal. de Coron. vi. 5. Schill Nomencl. Philol. p. 82. Pitiſc. in Suet. Ner. c. 21. n. 1.

Agon appellabatur locus juxta Tiberim, qui circus Flaminius dicitur, quod in eo curule certamen ſoleat exhiberi. *Volaterr. Comm. Urban.* vi. *p.* 187. *F. Schill. Nomencl. Philol. p.* 82.

Agon Actiacus fuit inſtitutus in honorem Apollinis Actiaci. Hunc Auguſtus auxit, & illuſtriorem fecit propter victoriam ex navali pugna, qua Antonium, & Cleopatram vicit. Illuſtravit, inquam, condita urbe Nicopoli, & decima de præda hoſtium Apollini conſecrata. *Scalig. de Emend. temp.* v. *p.* 456. V. infr. in *Ludi Actiaci*.

Agon Adrianalis Athenis eſt inſtitutus ab Adriano. Ille vocatus eſt Παναθήναια Ὀλύμπια Ἀδριάνεια. Olympia ex eo vocata, quia primus editus eſt Olympiade 228. Πανελλήνια a templo ipſo, & Παναθήναια eodem modo, quia Athenis. *Scalig. de Emend. tempor.* v. *p.* 480.

Agon Capitolinus a Græcis paſſim vocatur καπιτώλια, & Καπετώλια. Inſtitutus eſt a Domitiano, duodecimo ejus & Sergii Cornelii Dolabellæ conſulatu exemplo ludorum Olympicorum. In iis *agonibus* omne genus artifices certabant, citharœdi. Juven. Sat. vi. 387.

An Capitolinam ſperaret Pollio quercum.

poetæ. Mart. iii. 54. 1.

O cui Tarpejas licuit contingere quercus.

& hiſtriones: ut patet ex hac inſcriptione:

L. SURREDI L. F. CLV
FELICIS
PROCURATORI. AB
SCÆN. THEAT. IMP.
CÆSAR. DOMITIAN
PRINCIPI
CORONATO. CONTRA
OMNES. SCÆNICOS.

Illud *contra omnes ſcænicos* manifeſto ſignificat certamen & contentionem. In illis qui vicerant, corona, & ramo lemniſcatis, aut torque involutis donabantur. Qui ſecundi erat, eorum coronæ, & palmæ ſine lemniſcis erant. Id licet cognoſcere ex Auſon. Epiſt. xx. 5. V. illum infr. in *Lemniſcus*. Et ex Sidonio, quamquam non de agone Capitolino loquitur, carm. xxiii. 424.

Hic mox præcipit æquus Imperator
Palmis ſerica, torquibus coronas
Conjungi, & meritum remunerari.

Nam *coronis torques*, *& palmis ſerica*, hoc eſt, ſericatos lemniſcos conjungi vides. Nobiliſſimus erat, adeo ut Romæ non per luſtra, ut antea, magnum annum, ut vocabant, ſed per Capitolinos *agonas* ſupputarent. Quod a Domitiani inſtitutione uſque ad ſua tempora obtinuiſſe ſcribit Cenſor. de Die nat. c. 17. *Agon* ipſe manſit Romæ, ut in eo poetæ, rhetores, aliarumque profeſſionum homines coronarentur ab ipſo Imperatore. Neque puto aliunde poetarum laureatorum morem manaſſe. Nam & ipſi antiquitus ab ipſis Cæſaribus Germanis coronabantur: magnoque in pretio habiti ſemper apud Italos, & Germanos, qui id honoris virtute ingenii conſecuti eſſent. *Scalig. Lection. Auſon.* i. 10. *de Emend. temp.* v. *p.* 481. *Panvin. Faſt.* ii. *p.* 211. *Salmuth in Pancirol. de Reb. deperd. & inv. p.* 287. *Roſin. Antiq. Roman.* v. 18.

Agon Gymnicus. V. illum infr. in *Certamen*.

Agon Iſelaſticus Puteolanorum inſtitutus eſt ab Imperatore Antonino Pio, ut & nomen, & vetus inſcriptio Melphæ reperta docet.

IMP. CÆSARI
DIVI. HADRIANI. FIL.
DIVI. TRAJANI
PARTHICI. NEPOTI
DIVI. NERVÆ. PRONEP
T. ÆLIO. HADRIANO
ANTONINO. AUG. PIO
PONTIF. MAX. TRIB. POTEST.
IMP. II. COS. III. PP.
CONSTITUTORI SACRI
CERTAMINIS. SELASTICI
SOCII. LICTORES. POPULARES
DENUNTIATORES. PUTEOLANI

Selaſticum pro *Iſelaſticum* exaratum fuiſſe nemo mirabitur, cui poterunt produci ejuſmodi mille depravationes in vulgi ſermone fieri ſolitæ. Et alias in Bithynia a Trajano. Plin. Epiſt. x. 119. 2. *Iidem obſonia petunt pro eo agone*, *qui a te Iſelaſticus factus eſt*. Sacrum hoc certamen fuiſſe, & σίτησιν habuiſſe apparet ex nomine. Non enim Iſelaſticum vocaretur, niſi ejus victores vocati eſſent hieronicæ. Solis quippe hieronicis εἰσελαύνειν fas erat, & diruta parte mœnium pompa in urbem invehi. Ideoque etiam quinquennale fuiſſe neceſſe eſt. *Scalig. de Emend. tempor.* v. *p.* 477. *Argol. in Panvin. de Lud. circenſ.* ii. 1. *Faber Agon.* ii. 17. *Turneb. Adv.* i. 19: xxvi. 5. *Buleng. de Circo c.* 55. *Cellar. in Plinium.*

Agon muſicus erat, *quem Ptolemæus Muſis*, *& Apollini dicavit*, *quemadmodum athletarum*, *ſic communium ſcriptorum victoribus præmia*, *& honores conſtituit*. Vitruv. Procem. vii. Proprie *agones* muſici Pithiis, Nemeis, Iſthmiis celebrabantur, atque adeo Olympicis. Forte poſt Neronem, qui primus *agona* muſicum Olympiæ celebravit. Suet. c. 23. n. 1. *Olympiæ quoque præter conſuetudinem muſicum agona commiſit.* Dicebatur, cum aut poetæ inter ſe committerentur, aut fidicines, tibicines, citharœdi, quorum nullus uſus in Olympicis. Philoſtr. Apollon. v. 2. *Tragœdorum præterea*, *& citharœdorum propoſuit certamina apud illos*, *quibus neque theatrum eſt*, *neque ſcena eſt*, *ut hi agones edantur*, *ſed ſtadium ſpontaneum*, *& nativum*, *& nuda iſta.* Erant & muſici a Nerone, & Domitiano, cæteriſque Imperatoribus inſtituti Romæ, Neapoli, Albæ. *Buleng. de Theatr.* ii. 1. *Faber Agon.* i. 25. *& 29. Pitiſc. in Suetonium.*

Agon Neronianus fuit certamen quinquennale a Nerone inſtitutum, *cui nomen fecit Neronia*. Suet. c. 12. n. 8. In illo Euſebius ſcribit cithara viciſſe. E regione enim an. 4. Olymp.

Olymp. 209. ſcribit: *Nero Romæ cithara contendens ſuperat.* Et infra e regione an. 4. Olymp. 210. *Nero Romæ in* [illegible] *agone contendens omnes ſuperat.* Quatuor anni ſolidi integri ſunt: & propterea quinquennale appellatum. Tacit. Annal. XIV. 20. 1. ait *Nerone quartum, Cornelio Coſſo coſſ. quinquennale ludicrum Romæ inſtitutum eſſe.* Ergo cyclo lunæ quarto, anno Chriſti ſexageſimo, ac proinde quarto Olymp. 209. ut recte notavit Euſebius. *Scalig. de Emend. tempor.* V. *p.* 469. *in Euſeb. p.* 179. *Pagh. Annal. Roman. Tom.* III. *p.* 503. V. & infr. in *Certamen.*

Agon Olympicus. V. illum infr. in *Olympia.*

AGONALIA, antiquitus *Agonia* dicebantur, poſtea *Agonalia.* Ovid. Faſt. I. 331.

Et pecus antiquus dicebat Agonia ſermo.

Feſta erant, quotannis celebrari ſolita in honorem Jani. Ovid. Faſt. I. 317.

Quatuor adde dies ductis ex ordine Nonis;
Janus Agonali luce piandus erit.

Quarto enim die a Nonis Januarii, hoc eſt, nono ejuſdem menſis celebrabantur. Aut certe in honorem *Agonii* dei. V. illum infr. in *Agonius.* De illis Feſtus. V. illum infr. in *Agonius.* & in *Agonium.* Et Varr. de Ling. Lat. V. 3. V. illum infr. in *Dies.* V. & infr. in *Circus.* Moreſtell. De Fer. Rom. Dial. 4. Hoſpin. de Orig. Feſt. Ethnic. pag. 95. Donat. de Urb. Rom. III. 14. Nardin. Rom. Vet. VI. 5. Stuck. de Sacrif. pag. 114. Ter in anno habebantur, nempe quinto Idus Januarii, qui ejuſdem menſis dies nonus; duodecimo Kalendas Junii, qui Maji dies vigeſimus primus; tertio Idus Decembris, qui illius menſis dies undecimus; eratque quilibet *Agonalium* dies Nefaſtus primo, ſcilicet, quod mane Prætori tria illa verba ſollennia, Do, Dico, Addico fas non erat proferre. *Urſat. de Not. Rom. Theſ. Antiq. Roman. Græv. Tom.* XI. *p.* 541. E. F.

AGONALIS circus. V. illum infr. *in Circus.*

Agonalis dies. V. illum infr. *in Dies.*

Agonalis ludus. V. illum infr. *in Ludus.*

Agonalis mons. V. illum infr. *in Agonus.*

AGONENSIS porta. V. illam infr. *in Porta.*

Agonenſe ſacrificium. V. illud infr. *in Sacrificium.*

Agonenſes Salii. V. illos infr. *in Salii.*

AGONIA in Agonalibus vocabatur mactata hoſtia. Feſtus: *Agonias hoſtias putabant....* Gloſſarium: *Agonia*, ἱερεῖον. Gloſſ. Iſidor. *Agones, victimæ: agonia hoſtia.* Donat. de Urb. Rom. I. 19. Nardin. Rom. vet. III. 14. Panvin. de Lud. circenſ. I. 19. Stuck. de Sacrif. p. 12. Buleng. de Circo c. 5. Scalig. in Feſtum in Agonium. Voſſ. Lex. Etymol.

AGONIUM *dies appellabatur, quo Rex hoſtiam immolabat.* Feſtus: *Buleng. de Circo c.* 5. *Moreſtell. de Fer. Rom. Dial.* 4. *Stuck. de Sacrif. p.* 114.

Agonium locus *erat, in quo ludi initio facti ſunt, ob hoc dictum, quia fuerit ſine angulo.* Feſtus. *Scalig. & Auguſtin. in Feſtum in Agonium. Buleng. de Circo c.* 5.

AGONIUS Deus *erat, qui rebus agendis præſidebat.* Feſtus: *Moreſtell. de Fer. Rom. Dial.* 14. *Tomaſ. de Donar. c.* II. *Lipen. de Stren. c.* 6. *Donat. de Urb. Rom.* III. 14. *Gyrald. Synt. Deor.* I. *p.* 51. F. *Stuck. de Sacrif. p.* 46. *Scalig. in Feſtum in Agonium.* Quare hunc Deum finxerint. V. ſupr. in *Abeona.*

Agonus, Agonus, Agonalis, Egonus nomine vetuſtiori & priſco dictus fuit mons Quirinalis, quaſi *qui ſine angulis eſſet*, vel quia *agones* dicebantur montes. Feſtus: *Nardin. Rom. Vet.* I. 9: II. 2. *Donat. de Urb. Rom.* III. 15. *Volaterr. Comm. Urb.* VI. *p.* 187. F. *Fabric. Deſcr. Urb. Rom. c.* 3.

AGONISTARCHA fuit, ut puto, qui certaminum præfectus eſſet, quive & in amphitheatris, & in gymnaſiis, ubi athletæ in publicos ludos prodituri prius exercebantur, munus ſuum obibat. Ejus habetur mentio in hac vetuſta inſcriptione:

APOLLINI. INVICTO
SACRUM
M. AURELIUS. M. AUG.
LIB. APOLLONIUS
AGONISTARCHA. COM
MODIANUS

Mercur. de Art. gymnaſt. I. 12.

AGONOTHETA præerat certaminibus, & curabat ludos, & ipſis adeo præſidebat. Plutarch. Flamin. pag. 375. E. *Argis creatus agonothetes Nemæorum rem illorum ludorum optime gubernavit.* Purpura, dum illis præſidebat, veſtiebat, ut habet Lucianus in Anacharſide. Ejus arbitrio victoribus præmia dividebantur, atque in gymnaſiis & ludis non admittebantur certatores, niſi ab illo approbarentur. Caſſian. de Spirit. gaſtromarg. *In his ſiquidem juniores, qui has diſciplinas cupiunt profiteri, utrum mereantur, vel debeant ad eas admitti, tam ejus, qui iſtis certaminibus præſidi, quam totius populi judicio comprobatur.* Vocabatur etiam deſignator, brabeuta, curator muneris. *Argol. in Panvin. de Lud. circenſ.* II. 1. *Pancirol. de Magiſtr. municip. c.* 25. *Faber Agon.* I. 19. *Buleng. de Circo c.* 43. *Rhodig. Ant. Lect.* XIII. 17. Primum duo fuerunt conſtituti, & hoc ad multos duravit annos: quarta Olympiade ſeptem fuerunt additi: atque ex iis tres de curſu equorum, totidem de pentathlo, reliqui de certaminibus cæteris cognoverunt, ut tradit Pauſan. Eliac. I. *Argol. in Panvin. l. l. Buleng. ibid. c.* 40. Curru triumphantis more per circum vehebantur, eburneum ſceptrum, cui inſideret aquila, manu gerebant. Juvenal. Satyr. XI. 192.

—— ſimiliſque triumpho
Præda caballorum prætor ſedet.

Ipſos venerabantur aurigæ, & flagello ſubmiſſo, inclinatoque adorabant. Caracallam ipſum Principem flagello deorſum ſubmiſſo editores, aliorum aurigarum more, fuiſſe veneratum teſtis eſt in ipſo Dionis hiſtoria. *Argol. ibid. c.* 12. Pæerant ludis ſcenicis, ut athlothetæ gymnicis. *Sigon. de Republ. Athen.* IV. 7. *Bud. in Pandect. p.* 98. F. *Briſſon. Lexic. Schill Nomencl. Philol. p.* 83. Admodum inſcite faciunt, qui athlothetas ab *agonothetis* ſeparandos putant, cum ipſum agonum nomen ad gymnicos etiam ludos pertinere conſtet, ipſoſque adeo athlothetas atque *agonothetas* eoſdem eſſe manifeſtum facit. Pauſan. Eliac. p. 156. Quem enim ἀγωνοθέτην vocaverat, mox ἀθλοθέτην vocat. Et curſoribus in ſtadio qui præmia tribuerent eos non tantum athlothetas, verum etiam *agonothetas* nuncupat Themiſtius. *Fab. Agoniſt.* I. 18. *Buleng. de Theat.* II. 1. *Panciroll. de Magiſtr. Munic. c.* 25. *Van Dale Diſſert.* VII. *c.* 2.

AGORÆUS, quis in Aſia fuerit, V. infr. in *Defenſor civitatis.*

AGORANOMUS Græcis vocatur qui Romanis Ædilis. Hunc magiſtratum eſſe opinor, quem Apoſtolus in fine Epiſtolæ ad Romanos vocat OEconomum civitatis, & Hieronymus vertit *Arcarium.* D. Ambroſius, *Diſpenſator erat*, inquit, *quaſi curator, qui, dictante juſtitia, gubernabat civitatem, maxime in pretiis moderandis.* Panciroll. de Magiſtr. Munic. c. 19. Chimentell. Marm. Piſan. de Hon. Biſell. c. 5. Putean. de Nund. Roman. c. 29. Cujac. Obſerv. XXII. 31. V. infr. in *Nundinæ.*

AGR.

AGRARIUM navis erat imperatoria. In illud veteri lege nemo ingrediebatur cum Imperatore, niſi drangarius vigiliæ, drangarius rei navalis, logotheta curſus, hæteriarcha, myſticus, ſupplicum libellorum magiſter, domeſticus ſcholarum ſi in urbe eſſet, accubitor, veſtiarius, & e cubiculariis quos Imperator juſſiſſet. *Buleng. de Imp. Rom.* II. 17.

AGRICOLÆ erant homines, qui in *agris* publicis *agri* colendi cauſa collocati, & decumam frumenti populo Romano dabant. *Sigon. de Ant. jur. civ. Rom.* II. 4. Ipſis Kalendis Januariis auſpicandi cauſa omne genus operis ruſtici inſtaurabant. Iſta enim, ſive ſuperſtitione, ſive religione ferebantur veteres, ut nihil proſpere proceſſurum crederent per totum anni decurſum, cujus non

initia

initia fecissent sub initium anni: & vice versa, ea omnia bene cessura, quorum auspicia hoc auspicati die fecissent. Ovidius. V. illum infr. in *Kalendis Januariis.* Lipen. de Stren. c. 2. ætat. stren. 1. §. 42. Marti Sylvano pro boum valetudine vota faciebant. V. infr. in *Mars Sylvanus.* & pro illorum valetudine, & agrorum fertilitate porcum immolabant: quem morem tetigit Juven. Sat. VI. 447.

Cædere Sylvano porcum.

& ad vivum expressit Horat. Epist. II. 1. 139.

Agricolæ prisci, fortes, parvoque beati,
Condita post frumenta levantes tempore festo
Corpus, & ipsum animum spe finis dura ferentem
Cum sociis operum, & pueris, & conjuge fida,
Tellurem porco, Sylvanum lacte piabunt.

Tomas. de Donar. c. 26. Optabant, ut prasinus color in ludis vinceret. Hic si vicisset, statim spes hilaris annonæ surgebat. *Argol. in Panvin. de Lud. circens.* II. 16. Primi vultum tinctura fœdarunt, & personarum quandam speciem excogitaverunt. Hoc conjicitur ex iis, quæ annotat Serv. ad Virg. Georg. II. 386. *Quia necesse erat pro ratione sacrorum aliqua ludicra, & turpia fieri, quibus posset populo risus moveri: qui ea exercebant, propter verecundiæ remedium hoc adhibuerunt, ne agnoscerentur, ut personas factas de arborum corticibus sumerent.* Marischott. de Person. & Larv. c. 7. *Agricolarum* vita est succentiva: succinit enim pastorali, quod est inferior, ut tibia sinistra dextræ foraminibus. *Buleng. de Theat.* II. 26.

AGRICULTURÆ antiquissimi mortales potissimum fuerunt addicti, & proinde rudes ante, atque vagi, civilis societatis, mutuique præsidii causa in unum convenerunt. Et sic civitates natæ. *Boxhorn. Quæst. Roman.* 19. Eique Romani intenti, ut illustria inde cognomina ferrent: agrumque male colere, aut minus arare quam verrere, censoria nota putabatur. Cumque octo dies culturæ agrorum impenderent, nonum urbanis rebus, & nundinis destinarunt. *Alex. Gen. dier.* III. 11. Et in tanto fuit honore *agricultura*, ut illum amplissime laudatum existimarent veteres, quem bonum colonum appellassent: & ab agris ipsis, ab aratro ipso senatus Romanus Imperatores arcessierit. *Curt. de Cult. hortor.* VI. 8. *Blond. Triumph. Rom.* VIII. *p.* 168. *H. Demster. Paralip. ad Rosin. Antiq. Roman.* VII. 48.

AGRIPPA modo omnibus literis descriptus est, modo plerisque, ut in Capitolinis consulibus an. 250. AGRIPPA MENENIUS LANATUS. & 334. MENENIUS. AGRIP. F. *Sigon. de Nomin. Roman. c.* 3. Dicebatur, quod contra nascentium legem pedibus prius ex utero emersis natus esset, quasi ægre partus. Non. XIX. 2. & Festus. Quod omen infelicitatis fuit. *Ursat. de Not. Roman. Thes. Antiq. Roman. Græv. Tom.* XI. *pag.* 541. *C. Panvin. de Nomin. Roman. Thes. Antiq. Roman. Græv. Tom.* II. *p.* 2024. *A. Junius. Catalog. architect. p.* 8. *Sigon. ibid. c.* 2. Cum prius prænomen esset, quo priscis temporibus Rex Albanorum *Agrippa* Sylvius, deinde Menenii, & Furii usi sunt, sequentibus temporibus in cognomen transiit apud Romanos in Vipsaniorum, Asiniorum, & Hateriorum familiis. *Vaillant Numism.* I. *p.* 121. *Panvin. & Ursat. l. l.* Et gentili Vipsaniæ omisso illius locum in posterum implevit: unde & nepos ejus *Postumus Agrippa*, & neptis *Agrippina* pro gentili nomine in priscis monumentis designantur; quod partæ ab avo cognominis celebritati concessum. *Spanhem. de Præst. numism. Dissert.* VI. *p.* 523. Ædilis fuit Imperatore Cæsare Augusto II. & M. Lælio Volcatio consulibus. *Fabrett. de Aquæduct. Dissert.* II. *Thes. Antiq. Roman. Græv. Tom.* IV. *p.* 173. *B.* In ædilitatis munere, quod post consulatum gessit, gratuita præbuit balnea centum & septuaginta, thermas lithostrato, ac encausto pinxit, & pavimenta ex vitro posuit, aquarum curator perpetuus, aquis aliis corrivatis, atque emendatis, & aliis noviter adductis, septingentos lacus fecit. Præterea fontes centum & quinque, castella centum & triginta. Plin. XXXVI. 15. *Baccius de Therm. c.* 3. *Junius ibid. p.* 9.

AGRON Pleurati filius Rex fuit Illyriorum, qui Ionium mare atque Epirum, & Macedoniam attigerunt. Ejus filius infans Pineus post mortem relictus cum matre Teuta, quæ incurrit in bellum Romanum hac de causa. Illyrii mercatores Romanos navigantes adorti spoliaverant. Ea de re cum Romani C. & L. Coruncanios legatos ad Teutam misissent, factum est, ut cum alter eorum superbe se gerenti reginæ ferocius respondisset, jussu ejus, contra jus gentium sit occisus. Hanc ut persequerentur injuriam Romani, L. Albinum & Cn. Fulvium Centumalum Consules anno ab U. C. 534. adversus Illyrios cum exercitu & classe miserunt; quorum cum Fulvius Corcyram, quam Demetrius Pharo ab *Agrone* profectus occuparat, venisset, atque insulam cum ipso Demetrio in potestatem adduxisset; Albinus autem pedestres copias Brundusium perduxisset, ambo conjunctis copiis Corcyram, Apolloniam, Epidamnum & Issam liberas inter Illyrias civitates ad amicitiam traduxerunt. Regina cum paucis in Rhizonem confugit oppidum, ac legatis ad Romanos missis pacem impetravit. Hæc fusius Polyb. II. 2. . . . . 12. *Sigon. de Ant. jur. provinc.* I. 7.

AGY.

AGYEI appellabantur lapides quidam Apollini dicati, quos in vestibulis statuebant. Suidas: *Agyeus est cippus in acumen desinens, quem pro foribus collocant: hosce vero dicunt quidam Apollini sacros esse, nonnulli Baccho, ambobus alii.* Hic lapis simulacrum illud solis, sive Heliogabali apud Phœnices referre videtur, quod nihil aliud esse tradit Herodian. V. 3. 10. quam *ingens saxum ab imo rotundum, ac sensim fastigiatum, ad coni propemodum formam.* Quod vero sacrum etiam Baccho censebatur, inde palam fit, ipsum quoque Bacchum viarum præsidem existimatum. *Aleand. Tab. Heliac. Explic. Thes. Antiq. Roman. Græv. Tom.* V. *p.* 726. *A.* V. infr. in *Bacchus.*

AGYRTÆ dicti *sunt athletæ, quippe exprimere aliquid a spectatoribus cupientes in certaminibus, non lilia, aut flores, aut coronas herbaceas, discurrebant per caveam & consessum, & hoc pacto pecunias corradebant.* Tzetz. Histor. Chil. XIII. p. 475. *Buleng. de Venat. c.* 15. *Schill Nomencl. Philol. p.* 84.

'ΑΓΥΡΤΙΚΗ` σανὶς, & ἀγυρτικὸς πίναξ dicebatur jactu talorum, quo versus fatidicos in tabella cum descripsissent, divinationem peragebant. August. Confess. IV. 3. *Si enim de paganis poetæ cujuspiam longe aliud canentis, atque intendentis, cum sortem quis consuluit, mirabiliter consonus negotio sæpe versus exiret.* Buleng. de Sortib. c. 1.

AHA.

AHALA cognomen erat Serviliorum. *August. de Famil. Roman. in gens Servilia. Sigon. de Nomin. Roman. c.* 5.

AHE.

AHENOBARBI familiæ suæ principem ac cognominis auctorem, L. Domitium nuncupant: *cui rure revertenti juvenes gemini imperasse dicuntur, nuntiaret Senatui ac populo Romano victoriam, de qua incertum adhuc erat, atque in fidem majestatis adeo permulsisse malas, ut e nigro rutilum, ærique assimilem capillum redderent: quod insigne mansit in posteris ejus,* quamobrem etiam *Ahenobarbi* dicti sunt. Suet. Ner. c. 1. §. 2. Accidit hoc bello Latino, quod cum Tarquiniis Romani gesserunt. Maximis & amplissimis perfuncti sunt honoribus, & multis ætatibus cum laude in Republica floruerunt. *Strein. de Gent. & Fam. Rom. in Domitia gens. Augustin. de Fam. Rom. in Domitia gens. Ursat. de Not. Rom. Thes. Antiq. Rom. Græv. Tom.* XI. *p.* 617. *D. Patin. Famil. Roman. in Domitia.*

AHENUM, Græcis χαλκίειον, erat vas ad calidam decoquendam. Horat. Epist. II. 2. 168.

— *emptis*

Sub noctem gelidam lignis calefactat ahenum.

Paull. I. 18. §. 3. *Nec multum refert inter cacabos & ahenum, quod ſupra focum pendet. Hoc aqua ad potandum caleſit, in illis pulmentarium coquitur.* Butius de Pot. antiq. c. 12. Saubert. de Sacriſ. c. 17. Salmuth ad Pancirol. de Reb. deperd. & inv. p. 543.

AJA.

AJAX ſtramentitius erat fabulæ Varronis nomen. Erat adepta nomen ab *Ajace*, aut milite in ſtramentis jacente, morboque affecto & ægrotante. *Turneb. Adv.* XXVIII. 12. Eſt fœneus homo, pila ſtramentitia. Effigies ſtramentitias ad inſtar pilarum Maniarum, quæ diis Manibus ſacræ erant, faciebant, quibus objectis tauri irritarentur. *Buleng. de Venat. c.* 22.

AJU.

AJUS Locutius deus nomen habet a loquendo, quod loquutus fuerit, & præmonuerit Romanos de adventu Gallorum. De illo Cicer. de Divin. II. 32. *At paullo poſt audita vox eſt monentis, ut providerent, ne a Gallis Roma caperetur. Ex eo Ajo loquenti aram in nova via conſecratam. Quid ergo? Ajus iſte loquens, quando eum nemo notat, ajebat, & loquebatur, & ex eo nomen invenit: poſteaquam & ſedem, & aram, & nomen invenit, obmutuit.* Idem Varro apud Gell. XVI. 17. *Sicut Ajus deus appellatus, araque ei ſtatuta eſt, quæ eſt infima nova viæ, quod in eo loco divina vox edita erat.* Liv. V. 50. *Expiandæ vocis nocturnæ, quæ nuntia cladis ante bellum Gallicum, audita, neglectaque eſſet, mentio illata, juſſumque templum in nova via Ajo Locutio fieri.* Panciroll. Deſcript. Urb. Rom. Theſ. Antiq. Roman. Græv. Tom. III. p. 369. B. 373. F. Marlian. Topogr. Urb. Rom. V. 21. Stuck. de Sacrif. p. 45. Gyrald. Synt. deor. I. p. 58. D. Roſin. Antiq. Roman. II. 21. Oiſel. in Gellium.

ALA.

ALA erat equitum ordo, dicebatur quod equites *alarum* vice pedites tegerent, nam in equitum ordinibus circum legiones dextra ſiniſtraque, tanquam *alæ* in avium corporibus, locabantur. Gell. XVI. 4. *Alæ dictæ exercitus equitum ordines, quod circum legiones dextra ſiniſtraque, tanquam alæ in avium corporibus, locabantur.* Serv. in Æneid. IX. 604. *Ala Camillæ, id eſt, equitatus. Alæ autem dicuntur equites, quod alarum vice pedeſtrem exercitum tegunt.* Bergier. de viis milit. IV. Sect. VI. §. 6. Tiraquell. in Alex. Gen. II. 22. Panvin. Imper. Roman. c. 16. Donat. Dilucid. in Suet. Aug. c. 38. Laz. Comm. Reip. Rom. VI. 2. Stewech. in Veget. III. p. 357. Oiſel. in Gellium. Schel. in Hygin. Theſ. Antiq. Roman. Græv. Tom. X. p. 1075. F. Voſſ. Lex. Etymol. Tranſiit hoc vocabulum uſu ad eas copias, quæ in antiqua aciei ordinatione, quæ ſemper eadem erat, id locorum obtinebant: ſolitum enim veteribus Romanis a loco, quem in prælio tenebant, dare nomen copiis. Sic ſocii cornua, κέρατα, dicti, quod dextrum, lævumque cornu facerent: pilani, triarii, quia inſtruebantur in tertia acie: principes, qui primi gravis armaturæ (haſtati enim initio videntur leves fuiſſe) antiquitus acies. *Schel. l. l.* Continebant equites 586. ſecundum alios 732. Veget. II. 6. Itaque ſuis legionibus, cum opus erat, adjungebantur. Unde Itinerarium in Germania ſecunda *alas* legionum VI. VII. VIII. IX. & X. locatas fuiſſe ſcribit. *Pancirol. Notit. dignit. imper. orient. c.* 142. Vexillationes vocari affirmat Veget. II. I. *Equitum alæ dicuntur ab eo, quod ad ſimilitudinem alarum ab utraque parte protegant acies: quæ nunc vexillationes vocantur.* Pancirol. Deſcript. Urb. Rom. Theſ. Antiq. Roman. Græv. Tom. III. p. 391. B. Notit. dignit. Imp. orient. c. 33. Dividebatur in turmas. Hoc ſignificat Tacit. Hiſt. II. 14. 2. *Univerſam enim Trevirorum alam cum Julio Claſſico præfecto in coloniarum auxilium miſſam* fuiſſe ſcribit. Et n. 6. *Trevirorum*, inquit, *turmæ obtulere ſe hoſti incaute.* Hæc quandoque 350 equites continebat. Ammian. XVIII. 8. *Duarum*, inquit, *turmarum equites circiter ſeptingenti ad ſubſidium Meſopotamiæ recens ex Illyrico miſſi.* Pancirol. Notit. dignit. imp. orient. c. 33. Bergier. de viis milit. IV. Sect. 6. §. 6. Sæpe idem ſignificat quod cornu, & indifferenter pro eodem utrumque hoc vocabulum uſurpatur: ſed proprie aliud eſt quam cornu, & ſumitur de illis auxiliaribus, qui utrimque ad cornua apponebantur. Unde *alares cohortes* pro auxiliaribus: & *alares* abſolute auxiliares, & a legionariis eo nomine diſtincti apud Cæſ. de Bell. Gall. I. 51. *Poſtridie ejus diei Cæſar præſidio utriſque caſtris, quod ſatis eſſe viſum eſt, relicto, omnes alarios in conſpectu hoſtium pro caſtris minoribus conſtituit, quod minus multitudine militum legionariorum pro hoſtium numero valebat, ut ad ſpeciem auxiliariis uteretur.* Salmaſ. de Re milit. Roman. c. 8. Atque hæc proprie differentia inter *alas*, & *cornua*. Cornua ante ſociorum Latini nominis, poſtea & militum Romanorum: *alæ*, quæ cornibus adjungebantur, auxiliorum externorum. *Salmaſ. ibid. c.* 9. Veteri igitur Republica *alæ* ſocii Latini nominis tam pedites, quam equites: qua ſignificatione pedites, equitesque *alarii*, item cohortes *alariæ* diſtinguuntur a legionariis. Deinde ubi ſocii Latinitate donati, dedere æque ac Romani legiones, *alariorum* quidem peditum nomen ab illis ad auxiliares, & externos tranſiit: at equitum *alariorum* apud illos manſit, ſed cum externis, opinor, commune. Manſit certe: legionibus enim in Italia, aut provinciis ſcriptis *alæ* equitum adjungebantur Italici, provincialis, aut etiam externi ſanguinis, non vero Romani, aut equeſtris. *Schel. ibid. p.* 1076. A. *Lipſ. de Milit. Roman.* II. *Dial.* 7. *Salmaſ. l. l.* Caſtella plurima, quæ quid fuerint. V. infr. in *Caſtella*, præter proprium nomen, ad modum agnominis retinuerunt denominationem alicujus *alæ*, atque ejus legionis, ex qua equites illius *alæ* erant lecti, & miſſi in præſidium. Pro cauſa fuit, quia præſidiarii milites loci, aut caſtelli alicujus lecti erant ex equitatu legionario, non vero peditatu. Ita multi accipiunt verba Itinerarii, ubi vias publicas Germaniæ inferioris recenſet p. 56.

Durnomagum *Leg.* VII. *Ala.*
Buruncum *Leg.* V. *Ala.*
Noveſium *Leg.* V. *Ala.*
Geldubam *Leg.* IX. *Ala.*

& plura his ſimilia. *Bergier. l. l.*

Ala milliaria quinque hemiſtrigiis pedum ſexcentorum tendit, quæ faciunt in latitudinem pedes centum quinquaginta. Hyginus: *Accipere debet ala milliaria ſignis pedes centum quinquaginta, tabulino pedes ſexcentos.* Schel. in Hygin. Theſ. Antiq. Roman. Græv. Tom. X. pag. 1101. A. Milliariæ, & quingenariæ in militia Macedonum jam olim fuerunt, ſed illæ, ut ſcribit Curt. V. 2. §. 3. a Magno Alexandro inſtitutæ. Talis *ala*, quam agema vocabant. Apud Ælianum magiſterium equitum habet equites quingentos duodecim: ephipparchia, ſive duo magiſteria equites mille viginti quatuor. Ad horum exemplum, *alæ* milliariæ, & quingenariæ apud Romanos poſſunt videri inſtitutæ, cum illa ætate patrii moris negligentiores ad Græca deflexerint; niſi potius a priſco Romanorum inſtituto, quo ſocii duplicem numerum equitum dabant, ut adaucto equitatu *alæ* quingenariæ numerum quaſi, & imaginem quandam equitis legionarii, milliariæ ſocialis *alæ* habuerint. *Schel. ibid. pag.* 1079. *B.*

Ala ſingularium equitum, vel quia inter illos nullus gradus præterquam eorum præfecti reperiebantur, & erant ſinguli: vel quod eſſent ſingulares, & optimi. Hi in Urbis præſidio fuiſſe videntur. Tacit. Hiſt. IV. 70. 3. *Acceſſit ala ſingularium, excita olim a Vitellio, deinde in partes Veſpaſiani tranſgreſſa.* Pancirol. Deſcript. Urb. Rom. Theſ. Antiq. Roman. Græv. Tom. III. p. 392. B. Reineſ. Inſcript. Claſſ. I. n. 16. Scriver. Antiq. Batav. p. 209.

Alæ in navibus dicebantur partes ad proram prominentes. Pollux I. 9. 3. *Utræque proræ partes, genæ & alæ.* Voss. de Trirem. & Liburn. construct. Thes. Antiq. Roman. Græv. Tom. XI. p. 721. C.

Alæ in vestibus sunt illarum anguli, & ideo laciniæ pars, non tota lacinia. V. illas infr. in *Lacinia.* Tunicarum muliebrium an consutæ, an apertæ fuerint, V. infr. in *Stola.*

ALABANDENSES Romæ urbis templum fecerunt. Liv. XLIII. 6. *Alabandenses templum urbis Romæ se fecisse commemoraverunt, ludosque anniversarios ei divæ instituisse.* Roma ab antiquis tanquam dea summo cultu est culta, & templa habuit tam apud Romanos, quam apud exteros. *Alabanda* fuit oppidum Cariæ, quæ regio est minoris Asiæ. *De La Chausse Deor. simulacr. tab.* I.

ALABARCHES, de quo Juven. Sat. I. 129.

—— inter quos ausus habere
Nescio quis titulos Ægyptius, atque alabarches.

dicebatur, qui salinis publicis erat præpositus. Euseb. Hist. Eccles. II. 5. Alexandrum *alabarchen* commemorat, & Joseph. Antiq. Judaic. XX. 5. apud quem Ruffinus ἀλαβάρχην præfectum salis interpretatur. Quæ interpretatio si vera est, lubentius legam ἀλασάρχην, quasi τῶν ἁλῶν ἀρχήσαντα, vel ἁλοσάρχην, quam *alabarchen*, nisi forte *alaba* lingua Ægyptia salem significat. *Buleng. de Vectig. c.* 21. *Alciat. Prætermiss.* I. *p.* 118. Mihi est magister, sive præfectus scripturæ, sive vectigalis, quod percipitur e pastione pecorum in pascuis publicis. Dicitur ab ἀρχὸς & ἀλάβα, quod Hesychius interpretatur μέλαν, ᾧ γράφομεν, *atramentum, quo scribimus.* Cujac. Observ. VIII. 37. Panciroll. Notit. dignit. imp. orient. c. 121. Nec hoc mihi valde placet. Etenim deridiculi nescio quid, & jocularium, atque contemnendum sonare videtur nomen illud; alias splendidum, & viris amplissimæ dignitatis serio tributum: Quod minime quadrat. A Josepho Antiq. XVIII. 10; XXX. 3. perhonorifica fit mentio Alexandri cujusdam, qui κατ' ἐξοχὴν nominatus ὁ ἀλαβάρχης. Fuit ille frater Philonis Judæi, eloquentia, studiisque doctrinæ, & auctoritate longe principis viri. Ullamne ergo amplitudinis accessionem factam censeamus ornatissimo viro, ut ἀλαβάρχης, hoc est, *magister ille atramentarius* appellatus esse dicatur? Profecto manifestæ decessionis hæc est, non accessionis appellatio. Præterea, quod idem refertur, ἀλαβαρχήσας ἐν Ἀλεξανδρείᾳ, *alabarchæ magistratum*, non magisterium scilicet *gessisse Alexandriæ.* Ita namque, & quidem apposite vertit interpres, quomodo ad magistrum scripturæ pertineat, nondum video. Neque magistratus est qui in pecudes, sed in homines imperium habet. Alexandriæ quoque ejusmodi animalium, sive pecorum traductorum commercium non potuit institui, quia illi ab austro imminebat lacus geminus, Mareotis & Mœris, ab ortu septem Nili fluenta Ægyptum universam intersecabant: a septemtrione mare mediterraneum omni ex parte prætentum firmissimum obicem opponebat: ab occasu idem prohibebat solitudo ingens adjuncta ac prope continens. Est potius Ἀλαβάρχης, qui vice Principis fungitur. Vocabulum Syris sermone tritum est הלף: idemque Arabibus commune, & ab Hebræis ortum. Significat ἀντὶ, pro, loco, vice. Familiare etiam est Syris ארכון & in compositione ארכא similibus Græcis utrumque respondens nempe, ἄρχων, & in compositione ἄρης & ἄρχων. *Fuller. Misc. Sacr.* IV. 16. *Arabarches* legunt, & tamen de vera hujus loci intelligentia inter se contendunt *Gyrald. Dialogism.* XXXIX. *Alciat. Prætermiss.* I. *p.* 118. *Parrhas. Epist.* XXIII. *Flavius Conjectan. c.* 49. *Pius Annotat. post. c.* 93. Mihi, sive *Alabarches*, sive *Arabarches* legatur, est Alexandriæ magistratus, qui Judæis præerat Alexandrinis: fere enim urbis dimidium a Judæis jam inde a conditore Alexandro possidebatur. Itaque per contemptum quoque *Alabarches*, vel *Arabarches* dici videtur, e Judæorum despicientia, & despicatione, qui omnibus invisi, contemptique erant. *Turneb. Adv.* XXVII. 25. *Vales. in Eusebium.*

ALABARCHIÆ vectigal, de quo Imperatores Valens, Gratianus, & Theodosius l. 9. C. de vectig. & commiss. *Usurpationem totius licentiæ summovemus circa vectigal alabarchiæ per Ægyptum, atque Augustaneam constitutum.* Alciat. Prætermiss. I. p. 118. Committebatur comiti sacrarum largitionum, sub quo fuisse *alabarchem*, qui vectigal salis curabat, credibile est. *Burmann. Dissert. de Vectig. c.* 8.

ALABASTER, de quo hæc Plin. XXI. 4. *Germinat omnis rosa primo inclusa granoso cortice. Quo mox intumescente, & in virides alabastros fastigiato, paullatim rubescens dehiscit*, corymbus est roseus, non aliqua similitudine ad *alabastritem* lapidem; sed proportione quadam ad *alabastrina* vasa, & formam *alabastri* unguentarii. *Schack. Myrothec.* I. 47. *Bartholin. de Inaurib. c.* 2. Stat etiam pro hac *alabastri* forma Juvenalis taxans ornatum superbum, ac vanum mulierum lascivientium in usu unionum, ac margaritarum spectandæ magnitudinis. V. illum infr. in *Elenchi.* Schack. l. l.

ALABASTRITES novus lapis, qui longitudinem formarum cum temporis diuturnitate complevit, in subterraneo ductu aquæ Claudiæ ingenti massa formatus est, intermisso aquarum cursu sub altissimis montibus Æquicolarum, sed nihilominus bibulæ terræ, qua fornicis camera sustinetur, collecto superne humore in specus desudante, eoque arenæ admisto, locique opacati frigoribus concreto. *Donat. de Urb. Rom.* III. 18. Nascitur in *alabastro* Ægypti, & in Syriæ Damasco, candore interstincto variis coloribus. Plin. XXXVII. 10. *Ursin. Append. ad Triclin. Ciaccon. pag.* 269.

ALABASTRUM, in quo odorifera unguenta conservabantur, hodie non haberi, multi opinantur. Istud enim nostrum, ex quo multijuga vasa, pelluvia, & candelabra efformantur, verum *alabastrum* non est. *Pancirol. de Reb. deperd. & invent. p.* 68. Ejus formam turbinatam, & pyramidalem sine ansulis exstitisse, necesse est. Uniones enim grandiores *alabastrorum* figuram tenere dicuntur: illi vero sunt pyramidales, & turbinati. Plin. IX. 35. *Et procerioribus*, margaritis, *sua gratia est, elenchos appellant fastigiata longitudine, alabastrorum figura in pleniorem orbem desinentes.* Supera pars, qua vas tegebatur, in similitudinem rosei corymbi formata fuit, qui uniones in pyrum efformabat: ab imo inchoatum vas paullulum crescebat, ac surgebat in acumen, formam pyramidalem non quadratam, sed turbinatam retinendo: ut quoties quis ungi vellet, vase inverso, sublatoque instrumento metallico striato ad modum cochleæ, quod torcular fortasse dici posset Latine, & vernacule *la vite:* inde subtiliter stillans unguentum, quocunque vellet, per corporis membra deferebatur. Aliud vero extremum, quod pleniori peripheria circumambiebatur, supera *alabastri* pars censebatur, a qua unguentum immittebatur, quoties vas unguento vacuum implendum erat: quo impleto cooperculo diligentissime obsignabatur. Ni forte velimus operculo *alabastrum* caruisse, eodemque foramine immissum, stillatumque unguentum. *Schack. Myroth.* I. 47.

ἈΛΑΛΑΓΜΟ'Σ fuit dictus clamor bellicus. V. illum infr. in *Clamor.*

ALAPA servo manumittendo ducebatur. V. infr. in *Manumissio.*

ALARICUS Gothus anno a Christo nato 410 Romam ab se per dolum captam spoliavit. Omnium primus post Radagesum in Italiam irrupit, & cum acceptis ab Honorio Imperatore conditionibus in Galliam se conferret, jamque ad Cottias Alpes pervenisset, Stilichonis exercitum, qui illic, ut Gothos exciperet, in insidiis delitescebat, magna occidione delevit, iratusque Honorio ob violatam fidem iter convertit: & vastata magna & celeberrima Italiæ parte Romam etiam cepit & diripuit. Ingressus edicto cavit ne quis aut virginem, aut viduam, aut honestam alioqui mulierem violaret: neque quenquam attingeret, qui in sacram aliquam ædem confugisset: utque a cædibus, quantum fieri posset, omnes temperarent. *Bargæus de Ædif. Urb. Rom. Evers. Thes. Antiq. Roman. Græv. Tom.* IV. *p.* 1876. *A. B. C.*

ALARII pedites occurrunt non semel in Cæsare, equi

tes vix unquam: non ideo certe, quod *alarii* non eſſent, ſed ideo credo, quod nihil præter *alas* equitum, nec ullus equitatus legionarius in exercitu eſſet, a quibus hac appellatione diſcernerentur. Sub primis deinde Imperatoribus *alæ* iterum & *alarii* equites diſtinguebantur a prætorianis ſingularibus & cohortibus equeſtribus. *Alariorum* peditum aliqua tum, ſed rarior memoria, cohortes appellabantur. *Alarum* autem vocabulum, ut proprium & ſuum, eques ſibi tum vindicavit, non quidem legionarius aut Romanus, ſed tamen honeſtiſſimus provincialium, & qui in vicem legionarii addebatur fere legionibus. *Schel. in Hygin. Theſ. Antiq. Roman. Græv. Tom.* x. *p.* 1076. *E. Lipſ. de Milit. Rom.* II. 7. *Hugo de Milit. equeſt.* III. 4.

ALATRIUM antiquitus dicebatur, quod nunc vulgari vocabulo *Alatro.* Eſt ab Anagnia Hernicorum metropoli ſex circiter millia paſſuum in orientem æſtivum progredientibus. Municipium fuit. Coloniam quoque eo deduxit Auguſtus. Frontin. de Colon. Edit. Amſtelred. p. 102. *Alatrium muro ducta colonia, populus deduxit. Iter populo non debetur. Ager ejus per centurias, & ſtrigas eſt aſſignatus.* Municipium appellatur in antiqua inſcriptione:

C. JULIO. AUGUSTO. L. HELENO. EX DECRETO
DECUR. MUNICIPI. ALETRINATIS....

Panvin. Imp. Roman. Theſ. Antiq. Roman. Græv. Tom. I. *p.* 383. *D. Cluver. Ant. Ital.* III. 6. 4. *Albert. Leand. Deſcript. Ital. p.* 221.

ALAUDA fuit legio quinta, quam ex Tranſalpinis conſcriptam vocabulo hoc Gallico appellavit Cajus Julius Cæſar. Suet. c. 24. n. 2. *Legionem ex Tranſalpinis conſcriptam, vocabulo quoque Gallico (alauda enim appellabatur) univerſam civitate donavit.* Gallicum vocabulum eſſe docet Plin. XI. 37. *Paro ab illo*, capite criſtato, *galerita appellata quondam, poſtea Gallico vocabulo etiam legioni nomen dederat alaudæ.* Legionis hujus meminit Cicer. Phil. I. 8. *Addo etiam judices ex legione alaudarum.* Attic. XVI. 8. *Antonium cum legione alaudarum ad Urbem pergere.* Laz. Comm. Reip. Rom. V. 17. Merul. Coſmogr. II. 3. 13. Reineſ. Inſcript. Claſſ. VI. n. 35. Nomen hoc legio habet, vel quod galeis ei apici, qui in *alaudæ* capite, ſimillimis uteretur. *Torrent. ad Suet. Jul. c.* 24. *n.* 2. *Pancirol. Not. Dign. Imp. orient. c.* 35. vel quod ejus galeæ hujus aviculæ criſtis eſſent ornatæ. *Caſaub. ad Suet. l. l. Laz. Comm. Reip. Rom.* V. 5. Avium criſtis tum Græci, tum Romani galeas ſuas ornarunt, & hoſtibus majorem terrorem incuſſerunt. *Caſaub. l. l. Cluver. Germ. Ant.* I. 44.

ALB.

ALBA Auguſta eſt oppidum Galliæ Narbonenſis in finibus Vivarenſium, vulgo Aubenas. *Urſat. de Not. Roman. Theſ. Antiq. Roman. Græv. Tom.* XI. *p.* 769. *B.* 847. *B.*

Alba Græca eſt urbs munitiſſima Hungariæ in Raſcia provincia ad confluentes Savi in Danubium. Vulgo Belgradum dicunt. *Pancirol. Notit. dignit. imp. occid. c.* 79.

Alba Longa ab Aſcanio Æneæ & Creuſæ filio condita eſt, cum Lavinium, quod regni Latini tunc ſedes erat, novercæ Laviniæ reliquiſſet, trigeſimo ab ejus ædificatione anno jam exacto. *Panvin. Deſcr. Urb. Rom. Theſ. Ant. Roman. Græv. Tom.* III. *p.* 210. *A.* 213. *B. Marlian. Topogr. Urb. Rom.* I. I. *Goltz. de Orig. & ſtat. pop. Rom. p.* 269. Non eſt id oppidum, quod duodecim millia paſſuum a Roma in via Appia vulgo dicitur *Albano*, licet incolæ Albanenſes ſupra oppidi portam lapidem poſuerint, hujus rei teſtem, ſcropham videlicet triginta porcellis circumdatam, veluti primi ejus hoc loco ſitus & originis irrefragabile ſymbolum. Fuit enim ſita *Alba Longa* ſupra prædictum oppidum Albanum inter montem illum, vulgo *monte Albano*, vel *monte Cavo* dictum, & lacum, vulgo *Lago d'Albano*, vel *Lago di Caſtro Gandolfo* appellatum eo in loco, quo hodie *Patrum S. Franciſci de Obſervantia* monaſterium viſitur; quod villæ, quam vulgo *Palazzuolo* vocant, adjacet. *Kircher. Lat. vet. & nov.* II. I. 2. *Cluver. Ital. Ant.* III. 4. I. *Leand. Ital. p.* 206. Colonia eſt facta anno ab U. C. 450. L. Genucio. Ser. Cornelio Conſulibus. *Sigon. de Ant. Jur. Ital.* II. 5. *Panvin. Imp. Rom. Theſ. Ant. Rom. Græv. Tom.* I. *p.* 369. *C.* 378. *C.* Solo æquata eſt, & hodie quoque deſerta manet, cum per quingentos poſt ædificationem annos ſtetiſſet, ut Dionyſ. III. p. 172. *Sic Alba, quam olim Aſcanius ex Ænea Anchiſæ filio, & Creuſa Priami filia natus condiderat, cum per quingentos poſt ædificationem annos, tredecim demptis, ſtetiſſet, eoque temporis ſpatio populi frequentia, opibuſque, & cætera felicitate multum aucta eſſet, triginta oppidorum Latinorum mater, & gentis ejus toto illo tempore princeps, a noviſſima ſua colonia ſolo æquata, hodieque deſerta permanet.* vel quadringentos, ut Liv. I. 29. *Egreſſis urbem Albanis, Romanus paſſim publica, privataque omnia tecta adæquat ſolo, unaque hora quadringentorum annorum opus, quibus Alba ſteterat, excidio, ac ruinis dedit. Templis tamen deum (ita enim edictum ab rege fuerat) temperatum eſt.* Tullus Hoſtilius M. Horatium, qui unus e tergeminis ſupererat, cum equitatu, peditumque lectiſſimis *Albam* miſit, juſſum urbem funditus evertere. V. Dionyſium. *Kircher. & Cluver. l. l. Manut. de Civit. Rom. Theſ. Antiq. Roman. Græv. Tom.* I. *p.* 7. *E. Goltz. ibid. p.* 270.

ALBANÆ manſiones in Cœlio quæ fuerunt, non ſunt referendæ ad veteres illos *Albanos*, ſed ad alios milites, quibus Cæſarum principatu, cum in *Albano* caſtra, & familiæ eſſent, & neceſſe haberent ſæpe, accitu Imperatorum, aliiſque de cauſis Romam ventitare, manſiones quoque in eodem, domoſque paratas habere debuerunt. Illarum meminit Herodian. VII. 5. 21. *Viſum eſt militibus iis, quorum ad urbem Romam ſub monte Albano caſtra erant, atque in his liberi eorum, conjugeſque relictæ neci dedere Maximinum.* Capitol. Maximin. c. 23. *Timentes milites, quorum affectus in Albano monte erant. Affectus* ſunt fortunæ, conjuges, liberi. Exſtat adhuc, ut ajunt, apud recentem *Albam* forma veterum caſtrorum quadratis muris, quæ adhuc ſtativa militum exhibet. *Donat. de Urb. Rom.* III. 12.

ALBANI, quos Tullus Hoſtilius, *Alba* diruta, Romam transduxerat, Cœlium montem habitaverunt. *Manut. de Civit. Roman. Theſ. Antiq. Roman. Græv. Tom.* I. *p.* 8. *D. Panvin. Deſcript. Urb. Rom. Theſ. Antiq. Roman. Græv. ibid. Tom.* III. *p.* 220. *A. Donat. de Urb. Rom.* III. 12. In Ramnenſium tribum, vel regionem ſunt adſcripti. *Panvin. ibid. p.* 280. Familiæ *Albanorum*, eorum, qui patritiorum nobilitatem ſunt aſſequuti, ſeptem nominantur Julia, Servilia, Gegania, Metilia, Curiatia, Quinctilia, Clœlia. *Manut. ibid. p.* 6. *E. Donat. l. l.*

ALBANUM imperium obtinuerunt annos 38 Aſcanius Æneæ filius, 29 Sylvius ejus frater, poſt mortem Æneæ ex Lavinia natus, 31 Æneas Sylvius, 51 Latinus Sylvius, 39 Alba, 26 Capenus, 28 Capys, 13 Capetus, 8 Tiberinus, 40 Agrippa, 29 Romulus, 37 Aventinus, 23 Procas, 42 Amulius. *Marlian. Topogr. Urb. Rom.* I. I. *Panvin. Deſcript. Urb. Rom. Theſ. Antiq. Roman. Græv. Tom.* III. *p.* 213. *Roſin. Antiq. Roman.* I. I.

ALBANUS mons altero latere ſublimis lacui imminet, e mediis campis in altum cacumen erectus. *Cluver. Ital. Ant.* III. 43. Et non alius eſt, quam quem hodie monte Cavo vocant. *Kircher. Lat. vet. & nov.* II. I. 3. Etiam eſt dictus, qui dividit Pannoniam ab Illyrico. *Pancirol. Not. dignit. imp. occid. p.* 79.

ALBARII, etiam *albini* dicti, quos Græci κονιάτας appellant. In cod. Theodoſ. *albarii* dicuntur, & fortaſſe rectius. Sunt, qui incruſtant, & dealbant parietes. Tectores etiam dicuntur ab Ulpian. l. Si ſervus ſervum §. 27. item ff. ad leg. Aquil. Ita etiam vocat Tertull. de Idolol. c. 8. *Scit albarius tector & tecta ſarcire, & tectoria inducere, & ciſternam liare.* Suidas: κονιάται *muros dealbantes.* Pancirol. de corp. artif. §. 13. Jun. in Tertullianum. Differunt a dealbatoribus. V. infr. in *Dealbatores.* Voſſ. Lex. Etymol. in Albarii.

ALBARIUM opus dicebatur tectorium, aut incruſtatio,

ſtatio, ſi foret ex ſola calce, qua architecti Latini tantum ad *dealbationes* utebantur. *Bergier. de viis milit.* v. *Sect.* II. *Bud. in Pandect. p.* 138. *B. Philand. in Vitruv.* v. 10. *Guther. de Jur. man.* II. 28. In *albario* opere ſuperbia candoris delectat. Et experimentum, ut calx macerata, ſeu glutinum hæreat. *Albarium* opus *κονίαμα.* Unde ſepulcra *albario* opere *τάφοι κεκονιασμένοι* dicuntur Matth. c. 23. n. 27. quibus ſimiles Phariſæi incuſantur, qui, ut Plaut. Truc. II. 2. 15. *exornatis oſſibus*, & animis incedebant. *Salmaſ. Exerc. Plin. p.* 868. *a. A. Guther. l. l.*

ALBEGMINA. V. illa ſupr. in *Ablegmina.*

ALBESIA *dicebantur ſcuta, quibus Albenſes, qui ſunt Marſi generis, utebantur. Hæc eadem decumana vocabantur, quod eſſent ampliſſima, ut decumani fluctus.* Feſtus. *Demſter. ad Roſin. Ant. Rom.* x. 10.

ALBII, nomen gentis, ab *Albo* nomine dictæ. *Sigon. de Nom. Rom. c.* 4.

ALBINII, nomen gentis, ab *Albino* nomine dictæ. *Sigon. de Nom. Rom. c.* 4.

ALBINUS cognomen eſt Poſthumorum. In nummis argenteis Poſthumiæ gentis leguntur hæ notæ. L. POST. SP. F. L. N. ALBIN. *Lucius Poſthumius Spurii Filius Lucii Nepos Albinus.* A candore dictum, inclytum, & frequentiſſimum fuit. *Urſat. de Not. Rom. Theſ. Ant. Roman. Græv. Tom.* XI. *p.* 835. C. Multa cognomina ita commutata ſunt, ut per diminutionem in INUS a ſuo primitivo deflexa ſint. *Albus* enim, poſt *Albinus* evaſit. *Sigon. de Nom. Rom. c.* 5.

ALBIONA ager in regione decima quarta trans Tiberim. V. illum ſupr. in *Ager.*

ALBIUM Intemelium olim magna in Liguribus fuit urbs. Poſtea contracte dictum eſt *Albintemelium*, & porro factum eſt *Albintemilium.* Vulgo nunc *Vintimiglia* incolis appellatur. *Cluver. Ant. Ital.* I. 9. 7. Maritimæ enim Alpes ſive a Nicæa, ſive a Maſſilia uſque ad vada Sabatia pervaſerunt, eæque a Liguribus maxime Intemeliis & Ingaunis ſunt habitatæ. Et inde oppida eorum nomina invenerunt, *Albium Intemelium* & *Albium Ingaunum.* Sigon. de Ant Jur. Ital. III. 6. Gaudent. Merul. Ant. Gall. Ciſalp. II. 6.

ALBOGALERUS *fuit pileum capitis, quo Diales Flamines, id eſt, ſacerdotes Jovis utebantur: fiebat enim ex hoſtia alba Jovi cæſa, cui affigebatur apex virga oleagina.* Feſtus. *Sigon. de Nom. Rom. c.* 5. *Emend.* II. 34. *Ruben. Elect.* II. 25. *Scalig. Conj. in Varr. p.* 125. *Stuck. de Sacrif. p.* 103. *Vaillant. Num.* 14. 41. *Thyſ. in Gell. N. A.* x. 15. *Guther. de Vet. Jur. Pont.* I. 29. *Roſin. Ant. Rom.* III. 15.

ALBULA fuit antiquiſſimum nomen Tiberis. Virg. Æneid. VIII. 331.

A quo poſt Itali fluvium cognomine Tibrim
Diximus: amiſit verum vetus Albula nomen.

Cluver. Ital. Ant. II. 10. 1. Borrich. Ant. Urb. Fac. 17. Fabric. Deſcr. Urb. Rom. c. 15. Marlian. Topogr. Urb. v. 13. Cœruleus dictus Poetis, quia, cum æſtivis coloribus eſt ſolito remiſſior, aquæ ſunt perſpicuæ, & receptant in lucem ſuam imagines nemorum in ripa exiſtentium: & ideo cæruleæ videntur. Flavus etiam, quia, ubi imbribus excreſcit, aquæ creta turbidæ flavum præ ſe ferunt colorem. *Marlian. l. l.*

ALBUM parietem fuiſſe dealbatum cum Accurſio viſus eſt affirmaſſe Plaut. Perſ. II. 2. 21.

Næ iſti faxim nuſquam appareant
Qui hic albo pariete aliena oppugnant bona.

Niſi continens pro contento *κατὰ μετωνυμίαν* accepiſſe Plautum dixeris, quamvis ſcripſerit expreſſe Suidas: *Λεύκωμα, hoc eſt, album, parietem fuiſſe gypſo inunctum ad inſcriptionem civilium rerum aptum.* Id enim ad ea potius, quæ prout res incideret ad tempus, quam ad ea, quæ juriſdictionis perpetuæ cauſa in *albo* proponebantur, videtur referendum. *Ræward. Protribun. c.* 4. *Turneb. in Plin. præfat. p.* 17. Etiam de *albo* corrupto is tenetur, qui *album ſuſtulit* l. ſi quis id quod. §. 5. ff. de juriſdict. murum, aut parietem tolli non poſſe conſtat. *Coraſ. Miſc. jur. civ.* IV. 6. 1. Eſt itaque *τὸ λεύκωμα*, id eſt, tabulæ *albatæ*, in quibus nomina, aliudve quid inſcriptum. Sic legis *album* prætoris, *album* decurionum, *album* judicum, *album* Apoſtolorum in Tertull. adv. Marcion. v. 1. *Lipſ. in Tacit. Annal.* IV. *n.* 118. *Salmaſ. de mod. uſur. c.* 15. *Tiraquell. in Alex. Gen* II. 8.

Album decurionum erat, in quo decuriones nominatim ſcribebantur. Ulpian. l. 1. ff. de albo ſcrib. *Decuriones in albo ita ſcriptos eſſe oportet, ut lege municipali præcipitur, ſed ſi lex ceſſat, tunc dignitates erunt ſpectandæ, ut ſcribantur eo ordine, quo quiſque eorum maximo honore in municipio functus eſt.* Decuriones enim in pluribus Romanum Senatum imitantur, & illorum nomina, quemadmodum & Senatorum in tabula ſcribebantur, quæ *album* appellabatur. *Pancirol. de Magiſtr. Munic. c.* 1. & 3. *Coraſ. Miſc. Jur.* IV. 6. 1. *Turneb. in Plinii præfat. p.* 17.

Album Prætoris erat, in quo omnium actionum formulæ erant perſcriptæ, Quintil. XII. 3. *Quorum alii ad album, & rubricas contulerunt.* Habebat enim *album* propoſitum, in quo nomina eorum proponebantur, quos judices prætor ad cauſas diſceptandas ſelegerat. Suet. Claud. c. 16. n. 5. *Splendidum virum, Græciæque provinciæ principem, verum Latini ſermonis ignarum, judicum albo eraſit.* Senec. de Benef. III. 7. *Non poteſt ad hæc ſumi judex ex turba ſelectorum, quem cenſus in album, & equeſtris hæreditas miſit.* Plin. Præfat. *Quid te judicem facis? Cum hanc operam condicerem, non eras in hoc albo.* Cujac. Obſerv. XXI. 24. Siccama de centumv. judic. I. 4. Coraſ. Miſcell. jur. civ. IV. 6. 3.

Album judicum erat, in quo nomina eorum deſcripta erant, qui earum erant decuriarum, quæ unoquoque tempore judicabant. *Δικαστικὸν γραμματεῖον* dicitur, & *λεύκωμα* a Græcis. Suetonius, & Plinius laudati ſupr. in *Album prætoris.* Bud. in Pandect. p. 92. G. 263. F.

Album ſenatorum primus inſtituit Auguſtus an. 746. Dio: *Nomina omnium ſenatorum in albo deſcripta propoſuit, atque ex eo quotannis etiam nunc ita fit.* Cum recenſo ſenatu multas infrequentibus impoſuiſſet, & ſimul definiviſſet numerum, intra quem Sctum non fieret. Eas ad res viſum neceſſarium *album*, quod renovatum quotannis, & in curia propoſitum. *Lipſ. in Tacit. Annal.* IV. *n.* 118.

ALBUNEA nympha fuit, cui ſacer erat fons altiſſimus, & nemus pulcerrimum juxta Tibur. Colebatur Tiburi ut Dea, juxta ripas Anienis, in cujus gurgite ſimulacrum ejus inventum eſſe dicitur, tenens in manu librum, cujus ſacra Senatus in Capitolium tranſtulit. Appellata eſt a qualitate aquæ, quæ in fonte *Albuneæ* eſt. Leucotheam quidam a nominis ſignificatione crediderunt. Decima fuit in numero Sibyllarum. *Turneb. Adv.* XI. 26. *Gyrald. de Poet. Hiſt. Dial.* II. *Synt. Deor.* I. *p.* 71. *D. F.*

ALE.

ALEA dicitur omnis ludus magna ex parte in fortunæ varietate conſiſtens, & complectitur omnes luſus, tam ſimplices, quam miſtos, ut ſunt teſſerarum, talorum, vel taxillorum, cuborum, ſcruporum, aſtragalorum, chartarum, vel foliorum, latrunculorum, equorum ligneorum. Speciatim dicitur de teſſeris. *Sentfleb. de Alea c.* 2. §. 2. & 4. *Demſter. Paral. ad Roſin. Antiq. Roman* v. 1. *Inventa eſt a Græcis in otio Trojani belli a quodam milite, nomine Alea.* Iſidor. XVIII. 60. Sed nugatur de more, & antiquum obtinet Hiſpalenſis antiſtes, nam quis ejus facetias, & Iberas nœnias neſcit Siculis gerris inaniores? *Souter. Palam.* I. 18. *Buleng. de Lud. c.* 1. Nuſquam enim miles iſte vel pictus, vel ſcriptus eſt: & ingrata certe, ne dicam iniqua, eſſet ejuſdem ingenioſiſſimo homini ſacra vetuſtas, ſi tam temere memoriam ejus oblivioni dediſſet, cum alioquin plurima paſſim rerum Trojanarum ab auctoribus commemorentur ridicula, & anilia, quæ pueris ſæpe magis eſſent congrua, quam heroibus. Sed ut Hiſpanus iſte plerumque magno conatu magnas nugas agit, ita & hic illum res ſuas ſibi habere jubemus. *Sentfleb. de Alea c.* 2. *n.* 2. *Athalus Aſiaticus, ſi gentilium hiſtoriis creditur, hanc ludendi*

dendi lasciviam dicitur invenisse, ab exercitio numerorum paullulum deflexa materia. Sarisber. Policrat. I. 5. Jun. Catal. Archit. p. 33. Demster. Paralip. ad Rosin. Antiq. V. I. Dæmon Theuth invenit, ut scribit Plato in Phædro. *Demster. l. l.* Zabulus, qui primus *aleam* fertur invenisse, non modo se insigni statua consecravit, cujus in gremio tabula lusoria cernebatur: sed sibi quoque sacrificari ab aleatoribus voluit, antequam ludum aggrederentur. Cyprian. de Aleator. *Sic ergo se in imagine speciosa demonstrans, alio quodam loco condidit, & in sinus suos hanc aleæ tabulam gestans, ut quasi ipse lusor, & adinventor hujus malitiæ appareret.* Addit: *Aliud crimen adinvenit, quo se ab imitatoribus colendum, & sibi sacrificandum instituit, ita ut qui vellet studio ejus adhærere, non ante manum in tabulam ejus porrigeret, nisi auctori hujus prius sacrificasset.* Caussin. Parab. Hist. II. 87. Schill Nomencl. Philol. p. 86. Invenit potius Palamedes famis tempore. V. infr. in *Calculus.* Mercurius & Pan *aleæ* præsidere dicuntur: & Saturnum *aleæ* præsidem facit Lucian. Saturnal. p. 608. Saturnus enim sacerdoti respondet, *quæ suæ potestatis essent, non esse parva, aut omnino contemnenda: nisi putet rem esse parvi momenti alea ludentem vincere, ut cum alii jaciant tantum canes, ipse semper jaciat seniones.* Hoc imperium *aleæ* datum videtur Saturno, quia Romæ per Saturnalia *alea* ludebant. *Buleng. ibid. c.* 58. *Jun. Anim.* II. 4. *Demster. ibid.* II. 7. Romanis legibus fuit interdicta. Et ideo ædilibus negotium datum aleatores puniendi. Horat. Od. III. 24. 54.

—— Nescit equo rudis
Hærere ingenuus puer,
Venarique timet: ludere doctior
Seu Græco jubeas trocho,
Seu malis vetita legibus alea.

Mart. V. 86. I.

Jam tristis nucibus puer relictis
Clamoso revocatur a magistro,
Et blando male perditus fritillo
Ædilem rogat udus aleator.

Demster. l. l. Luserunt tamen illa pueri. Horatius, & Martialis laudati. *Buleng. ibid. Prolus.* & senes. Cicer. de Senect. c. 16. *Nobis senibus, & lusionibus multis talos relinquant, & tesseras.* Sueton. Aug. c. 71. n. 5. *Inter cœnam lusimus γεροντικῶς & heri & hodie.* Juven. Sat. 14. n. 4.

Si damnosa senem juvat alea.

Buleng. l. l. Pitisc. in Suetonium.

ALEATOR est, qui *aleam* ludit. Gloss. vet. *Aleator, κοτλιςής.* Firmicus: *Aleones, aleatores.* P. Mimus: *Aleator, quantus est in arte aleæ, tanto est nequior.* Buleng. de Lud. Prolus. p. 4. & 5. & c. 58.

ALEATORIUM erat locus, ubi *aleatores alea* ludebant, & pilæ ludo fessi vires integrabant. Erat prope sphæristerium. Sidon. Epist. II. 2. *Atque illic aleatorium lassis consumpto sphæristerio faciat.* Buleng. de Lud. Prolus. p. 4. & c. 58. Savar. in Sidonium.

ALEMANNICUM tributum imposuit Alexius Comnenus, cum Alemanni irent in expeditionem Hierosolymytanam. Nicet. Alex. I. *Exigebat Alemannicum tributum, quod tunc primum repertum erat.* Buleng. de Vectig. c. 84.

ALEXANDER Severus balnea regionibus addidit. V. infr. in *Balneum.* Thermas in campo Martio exstruxit. V. infr. in *Thermæ.* Aquam in Urbem perduxit. Lampridius. V. illum infr. in *Thermæ.* Hoc idem nummus ostendit ipsius cum thermis, ac fonte, per quem aquæductum significari mos fuit, in museo Rondanino optima sui forma, & conservatione conspicuus. Meminerunt quoque hujus aquæ Alexandrinæ Victor, & Notitia imperii. *Fabrett. de Aqued. Dissert.* I. *Thes. Antiq. Roman. Græv. Tom.* IV. *p.* 1686. *C.* Christo templum exstruere voluit, eumque inter deos recipere, & in larario inter alios collocavit. Lamprid. c. 29. *Matutinis horis in larario suo, in quo & divos principes, sed optimos electos, & animas sanctiores, in queis & Apollonium, & quantum scriptor suorum temporum dicit, Christum, Abraham, & Orpheum, & hujuscemodi deos habebat, ac majorum effigies, rem divinam faciebat.* c. 43. *Christo templum facere voluit, eumque inter deos recipere.* Tomas. de donar. c. 44. Circum statuit in nona Urbis regione. V. infr. in *Circus.*

ALEXANDRIA est inclyta civitas, Ægypti totius metropolis, ab *Alexandro* Macedonum Rege ejus conditore appellata. *Pancirol. Notit. dignit. imp. orient. c.* 122. *Meibom. de Fabric. trirem. Thes. Antiq. Roman. Græv. Tom.* XII. *p.* 627. *F.* Prius fuit No dicta. Hieron. de Loc. Hebraic. in Acta Apostol. Divitiis, aëris temperie, mercium negotiis, studiis, & pulcritudine cæteras antecellebat, ut refert Strab. XVII. p. 546. Præter amplas enim, & latas vias, quibus tota distinguebatur, duabus latissimis patebat, quæ plus jugere expandebantur, & sese medias ad rectos angulos secabant, præter fana pulcerrima præclaras regias, seu basilicas habebat: earum pars erat Museum. V. illud infr. in *Museum.* Pancirol. l. l. *Alexsandrea* pro *Alexandrea* antiqua fuit scribendi ratio. *Ursin. de Famil. Roman. in Gens Axsia.* Quando ab Augusto capta sit. V. infr. in *Rhœtia.*

ALEXANDRINA aqua. V. illam infr. in *Aqua.*

Alexandrina purpura. V. illam infr. in *Purpura.*

ALEXANDRINI sub Regibus vivere soliti Decurionibus carebant, nec Duumviros, qui ex Decurionibus creabantur, habebant; sed jus dicentem a Cæsare accipiebant, qui *Juridicus Alexandriæ* vocabatur, & erat pro aliarum civitatum Duumviris: nam sæpe comparabantur, & ideo utrisque, certis casibus, tutores dandi facultas pariter tribuitur. In hoc tamen differebant, quod de omnibus caussis civilibus etiam maximis Juridicus cognoscebat, Duumviri minimas tantum judicabant. *Panciroll. de Magistr. Municip. c.* 8. Magnas habuerunt naves, quibus triticum Puteolos portabatur: unde porro minoribus navigiis Romam. *Meibom. de Fabr. trirem. Thes. Antiq. Roman. Græv. Tom.* XII. *p.* 571. *B.* Pueri maximis in deliciis fuerunt apud potentiores. Mart. IV. 42. I.

Si quis forte mihi posset præstare roganti,
Audi quem puerum, Flacce, rogare velim.
Niliacis primum puer is nascatur in oris,
Nequitias tellus scit dare nulla magis.

Petron. Sat. c. 31. *Tandem ergo discubuimus, pueris Alexandrinis aquam in manus nivatam infundentibus.* Stat. Sylv. V. 5. 66.

Non ego mercatus Pharia de puppe loquaces
Delicias, doctumque sui convicia Nili
Infantem, linguaque simul, salibusque protervum.

Sales enim, & illorum amœna loquacitas amorem sui accendebat, & pretium augebat. Senec. de constant. c. II. *Pueros quidem in hoc mercantur procaces, & eorum impudentiam acuunt, & sub magistro habent, qui probra meditate effundant: nec has contumelias vocamus, sed argutias.* Talibus, & tam lascivæ proterviæ, viri principes otium suum oblectare soliti. Suet. Aug. c. 83. n. 2. *Ludebat cum pueris minutis, quos facie, & garrulitate amabiles undique conquirebat, præcipue Mauros & Syros.* In protervia illa, & lasciva dicacitate omnium ingenia antecesserunt. Nam & histriones, pantomimi, qui in theatris maxime aures, animosque vulgi delinitos tenuerunt, Ægypto patriam suam debent. *Kobierzyck. de Luxu Roman.* II. 4. *Demster. Paralip. ad Rosin. Antiq. Roman.* II. 19.

ALEXIA sive *Alesia, fuit oppidum Mandubiorum, in colle summo, admodum edito loco, cujus collis radices duo duabus ex partibus flumina subluebant. Ante oppidum planities circiter millibus passuum tribus in longitudinem patebat: reliquis ex omnibus partibus, colles mediocri interjecto spatio, pari altitudinis fastigio oppidum cingebant.* Cæs. de Bell. Gall. VII. 69. Romana ad *Alexiam* oppugnatio propugnatioque longe laboriosissima omnium præstantissimaque fuit. *Ramus de Milit. Jul. Cæs. Thes. Antiq. Roman. Græv. Tom.* X. 1600. *C.*

'ΑΛΕΞΊΚΑΚΟΣ æque ac Apollo dictus est Hercules. Epitheti ratio est, quod omnium rerum salus a Sole pendet. Hercules vero Sol est. *Aleand. Tab. Heliac. Expos. Thes. Ant. Roman. Græv. Tom.* V. *p.* 716. *C.* Medicina significatur per Herculem, cui 'Αλεξικάκος cognomentum adhæsit,

hæſit, quique mortem viciſſe traditur: ejus ſiquidem inſtitutum fuit orbem peragrare, ut ingruentes paſſim morbos depelleret, quos Poetæ tyrannorum monſtrorumque nominibus indigitarunt, utpote corporum carnifices & roratores. *Aleand. ibid. p. 729. D.* Gerit is quoque ſymbolum hyemis, & devicti leonis tropæum oſtentat. Videtur enim hyems autumnum extrudere morboſiſſimam anni partem, & fructus ipſi autumnales noxium humorem per hyemem abjiciunt. Æſtati quoque quam maxime adverſatur hyems, quæ quum terras obſidet, leonem videtur ſuperaſſe, hoc eſt, vim æſtatis acriorem ex leone ardentiſſimo ſydere manantem. *Aleand. ibid. p. 739. B.*

ALG.

ALGIDUS mons ille fuit, qui poſt Tuſculum ad lævum Latinæ viæ non uno vertice protenditur, Præneſte, & orientem æſtivum verſus, cui hodie S. Sylveſtri cœnobium, & Rocca Priora inſident: dividebat enim tam *Algidum* quam Tuſculum, quod in eodem dorſo erat, ab Albano monte vallis illa intermedia, in qua Caſtri Molariæ rudera viſuntur; nam Latina via ad latera Tuſculani, & *Algidi* montis, & vallis jam dictæ a læva imminens ducebatur. *Fabrett. de Aquæd. Diſſ.* III. *Theſ. Ant. Roman. Græv. Tom.* IV. *p.* 1772. *E. Kircher. Lat. Vet. & Nov.* I. 2. 4. *Cluver. Ital. Ant.* II. 16. 3. V. etiam infra in *Tuſculum.*

ALI.

ALIA omnia dicebat conſul, non qui non cenſetis, aut qui contrarium ſentitis, ominis vitandi cauſa, cum ſenatum convocaſſet, & qua de cauſa convocaſſet, retuliſſet. Rogabat enim exinde ſententias, & his dictis, eam quam ipſe magis e Republica ducebat, primam pronuntiabat: tum, ut ſenatus judicaret, his verbis utebatur: *qui hoc ſentitis, illuc tranſite, qui alia omnia, in hanc partem.* Et cum dicebat, *qui alia omnia*, ominis videlicet cauſa ita loquebatur, ne diceret, *qui contrarium ſentitis*, quod tamen ipſum ſignificabat: ſed *contrarium*, ut mali ominis verbum effugiebat. Et in *alia omnia ire, tranſire, diſcedere* uſitata eſt loquutio pro *contrarium ſentire.* Plin. Epiſt. VIII. 14. 19. *Quid? lex non aperte docet dirimi debere ſententias occidentis, & relegantis, quum ita diſceſſionem fieri jubet; qui hæc ſentitis, in hanc partem: qui alia omnia, in illam partem ite, qua ſentitis. Examina ſingula verba, & expende, qui hæc cenſetis, hoc eſt, qui relegandos putatis: in hanc partem, id eſt, in eam, in qua ſedet, qui cenſuit relegandos. Ex quo manifeſtum eſt, non poſſe in eadem parte remanere eos, qui interficiendos arbitrantur. Qui alia omnia; animadvertis, ut non contenta lex dicere alia, addiderit omnia. Non ergo dubium eſt, alia omnia ſentire eos, qui occidunt, quam qui relegant? In illam partem ite, qua ſentitis; nonne videtur ipſa lex eos, qui diſſentiunt, in contrariam partem vocare, cogere, impellere? non conſul etiam, ubi quiſque remanere, quo tranſgredi debeat, non tantum ſollennibus verbis, ſed manu, geſtuque demonſtrat.* Feſtus: *Qui hoc cenſetis, illuc tranſite, qui alia omnia, in hanc partem: his verbis præit, ominis videlicet cauſa, ne dicat, qui non cenſetis.* Cujus formulæ verba uſurpans de Servilio Cicer. Famil. X. 12. *Frequens ſenatus eum reliquit, & in alia omnia tranſiit.* Hæc apud Romanos conſuetudo etiam ſub Regibus fuit. Qui primus induxit, videtur a Spartanis tranſtuliſſe. Stenelaidas enim ephorus, cum adverſus Athenienſes, tanquam fœderis violatores, bellum ſatis acri oratione ſuaſiſſet, ita pronuntiavit. *Quicunque violatum ab Athenienſibus fœdus exiſtimant, ſurgant, & in illam partem eant, qui contra, in hanc.* Thucyd. I. *Manut. de Senat. Roman. c.* 10. *Zamoſc. de Senat. Roman.* II. 11. *Briſſon. de Form.* II. *p.* 183.

ALICA erat potus genus ex zea, vel ſpelta factum, quod cum vino ex malis, ſive pomis confecto bibebant pauperiores. Qua ratione fieri ſoleat, docent Plin. XVIII. 11. & Dioſcor. Geopon. III. 7. *Pancirol. de Reb. deperd. & inv. pag.* 502. *Buleng. de Conviv.* II. 52. *Ferrar. de Re veſt.* II. 3. 1. *Bruyer. de Re cibar.* V. 13. *Voſſ. Lex. Etymol.*

ALICARIÆ *dicebantur meretrices, quæ ante piſtrina alicariorum in Campania quæſtus gratia ſolitæ erant verſari.* Feſtus. Plaut. Pœn. I. 2. 54.

Proſedas, piſtorum amicas, reliquias alicarias.

Fuerunt fortaſſe quædam ex numero illarum, quæ in molis, & piſtrinis verſabantur. Illorum enim mancipes per ſingula latera tabernas faciebant, ut per eas plurimos deciperent. Unde & piſtorum amicæ vocabantur. *Almelov. Antiq. ſacro-prophan. p.* 36. *Voſſ: Lex. Etymol. Schill Nomencl. Philol. p.* 88. *Laurent. de Adult. & meretr. c.* 3.

ALICULA, ut quidam putant, ὑποκοριστικῶς ab *alica* eſt dicta a Mart. XII. 83. 1.

Brumæ diebus, feriiſque Saturni
Mittebat Umber aliculam mihi pauper,
Nunc mittit alicam: factus eſt enim dives.

Sed falluntur. Nam *alicula* hic eſt veſtimenti genus: quomodo & uſurpatur ab Ulpiano. V. illum infr. in *Veſtimenta puerilia.* Voſſ. Lex. Etymol. Hottomannus interpretatur tunicam manicatam, quæ pueris decora, grandioribus minus honeſta erat apud Romanos, auctore Gellio. V. illum infr. in *Tunica.* Sane Heſychius Ἄλλιξ χιτὼν χειριδωτὸς explicat *tunica manicata.* Quod verum eſſet, ſi ejuſmodi tunicas chirodotas, ſive manulcatas pueris decoras aliquis veterum notaſſet, aut rationem Hottomannus attuliſſet, cur hæ tunicæ decoræ pueris, grandiori ætate probroſæ eſſent. Cum apud Gellium Scipio Sulpitium Gallum amare perſtringat, quod in convivio adoleſcentulus cum amatore cum chirodota tunica inferior accubuerit. Ut nonniſi pueri meritorii ea tunica uterentur. Cujac. Obſerv. X. 18. Brevem togam interpretatur, quod dixit Martialis modo laudatus. Id autem ſic ab eo explicatum X. 14. 7.

Quando brevis gelidæ miſſa eſt toga tempore brumæ.

Sed tam *aliculæ*, quam togæ, & alia veſtimenta mittebantur Saturni diebus, quas togas patronorum avaritia, qui munuſculis clientes colebant, ut ſumptui parceret, breviores, & ſtrictiores faciebat. Dicta eſt, quod, ut idem vates non ſemel notavit, *alas nobis injecta contineat*, ut Vel. Long. Orthogr. Edit. Putſch. p. 2230. Et toga eſſe non potuit, quæ rotunda, & clauſa alas habere non potuit. Fuit igitur chlamys, & quidem puerilis, & inter veſtimenta puerilia a Juriſconſulto recenſita. Infantes enim olim, ac puſiones, aut nudi, aut chlamydula ſemitecti incedebant. V. infr. in *Chlamydula.* Ferrar. de Re veſt. II. 3. 1. Salmuth ad Pancirol. de Reb. deperd. & inv. p. 296. Martialis interpretibus non eſt intellectus. Ajunt ex Plinio *aliculam* majoris pretii fuiſſe quam *alicam.* Sed nihil horum apud Plinium, nam ait XVIII. 11. *Alicæ tria genera fuiſſe, minimum, ac ſecundarium; grandiſſimum aphærema appellari. Aliculam* pretioſiorem fuiſſe, nec apud Plinium, nec apud alios facile reperias. Jocus poetæ non ita frigidus eſt, ut iſti volunt, in ipſa voce. Nam *alica* potionem e zea ſignificat, *alicula* veſtem, ſive parvam chlamydem. Ergo Umber, cum eſſet pauper, mittebat *aliculam*, id eſt, veſtem Martiali: at dives factus mittit *alicam*, hoc eſt, potionem. Cum autem *alica* major eſſe videatur *alicula*, argute carpit avaritiam Umbri, qui factus dives pro veſte potionem miſerit. Miſſam autem *alicam* a pauperioribus docet idem XIII. 6.

Nos alicam, mulſum poterit tibi mittere dives.
Si tibi noluerit mittere dives, eme.

Ferrar. & Voſſ. l. l. Kipping. Antiq. Roman. IV. 5. 2.

ALIENARE dicitur, qui jus aliquod dominii transfert: ſed qui rem vendit, antequam tradat, nullum jus dominii transfert; traditionibus enim dominia transferuntur, merito non dicitur *alienaſſe:* cum ſola perſonali actione poſſit conveniri. Ulpian. l. 67. de Verb. ſignif. *Alienatum non proprie dicitur, quod adhuc in dominio venditoris manet: venditum tamen recte dicitur.* Alciat. de Verb. ſignif. p. 146. B. Gentil. de verb. ſignif. p. 77. Calcagn. de verb. ſignif. p. 355.

ALIENATIONIS verbo generali pignoris datio, & donatio

donatio continentur, actusque omnes, quibus dominium transfertur l. ſi ita quis. §. ea lege ff. de verb. oblig. Ceſſante *alienationis* prohibitione donatio recepta eſt, inter eas etiam perſonas, quarum donationes moribus non valent. Nam & maritus uxori, vel contra donare poteſt ſepulturæ cauſa, & ſi mortuum intulerit, religioſum faciet locum l. ſi ſponſus. §. conceſſa ff. de donat. inter vir. & uxor. *Guther. de jur. man.* III. 7. *Briſſon. de Adult. Theſ. Antiq. Græcar. Gronov. Tom.* VIII. *p.* 1396. *D.* Monumentorum *alienatio* interdum prohibebatur, ne exirent de familia, & in alterius rationem irent, ne quis monumentum venderet, ſed per ipſorum poſſeſſionem curreret, vel per abnepotes, vel per manumiſſos. Qui contra teſtatorum voluntatem monumentum *alienabant*, pœnas ſolvebant, certam ſummam inferendo arcæ pontificum, & ærario, hocce jure. *Si. quis. hoc. ſepulcrum. vel. monumentum. cum. ædificio. univerſo. poſt. obitum. meum. vendere. vel. donare. voluerit. vel. corpus. alienum. invehere. velit. dabit. pœnas. nomine. arcæ. pontificum. HS. C. ET. EI. CUI. donatum. vel. venditum. fuerit. eadem. pœna. tenebitur.* Vel, alia formula: *Si. quis. contra. hanc. fecerit. inferet. pœnæ. nomine. arcæ. pontificum. L. N. H. M. &. locis. S. S. C. M. A.* Et ſic propter *alienationem* monumentorum, contra teſtatoris voluntatem, pœnas ærario ſolvebant hoc modo: *Quiſquis. id. monumentum. vendere. aut. emere. jus. volet. inferatur. ærario. po. Ro.* HS. M. N. IN. F. P. X. IN. AGR. P. X. *Ferret. Muſ. Lapid.* IV. *Memor.* 49.

ALIMENTARIÆ leges. V. illas infr. in *Lex.*

ALIO *die* eſt verbum augurale. Cicer. Phil. II. 33. *Confecto negotio bonus augur, Lælium diceres, alio die, inquit.* de Legib. II. 12. *Quid gravius, quam rem ſuſceptam dirimi, ſi unus augur, alio die, dixerit.* Buleng. de Augur. & auſpic. c. 9.

ALIPILARIUS, ſive *alipilus*, qui Græcis δρωπακιστὴς, erat qui reſina, & dropace alas pilabat, & alarum pilos vellebat. Erat inter ſervilia munera. Senec. Epiſt. 56. *Præter iſtos, quorum, ſi nihil aliud, rectæ voces ſunt, alipilum cogita, tenuem & ſtridulam vocem, quo ſit notabilior, ſubinde exprimentem, nec unquam tacentem, niſi dum vellit alas.* Inſcriptio vetus: M. OCTAVIUS. PRIMIGENIUS. ALIPILUS. A. TRITONE. Antiquiores Romani alarum pilos vellebant; idque abſque ulla mollitiei nota. Poſteriores vero, qui magis molles, & effeminati, brachia, crura, aliaſque corporis partis volſellis, pice, & reſina depilare ſolebant. *Voſſ. Lex. Etymol. Salmaſ. in Tertull. pall. p.* 270. *Pignor. de Serv. p.* 88. *Stuck. Ant. Conviv.* II. 25. *Rhodig. Ant. Lect.* XXX. 19. *Turneb. Adv.* XXVII. 10. & 21. *Taubman. in Plaut. Perſ.* IV. 2. 50. *Grang. in Juven. Sat.* XI. 157. *Mercur. Art. Gymnaſt.* I. 12.

ALIPTA voce Græca Latio donata dicebatur, qui dominum lavantem ungebat. Senec. Epiſt. 56. *Cum in aliptem inertem, & hac plebeja unctione contentum incidi.* Pignor. de Serv. p. 81. Stuck. Ant. Conviv. II. 25. Urſin. Append. ad Ciaccon. de Triclin. p. 136. Rhodig. Ant. Lect. XXX. 19. Faber Agon. II. 5. Turneb. Adv. XVI. 15. Mercur. Art. Gymnaſt. I. 12. Lipſ. in Senecam, Schill Nomencl. Philol. p. 88. Non tantum id ſolum *aliptarum* munus fuit; ſed inſuper & virium, & coloris habebant rationem, quæ non unctione procurantur, ſed ratione exercendi, quam gymnaſtæ præſcribebant. Eaque eſt ratio, cur, ut palæſtra ſæpe ponitur pro gymnaſio, cujus alioqui pars erat: ſic quoque *aliptes* interdum accipiatur pro gymnaſta, quamquam, ſi vocem ſpectes, tantum partem muneris ſignet. Sic utitur Cicer. Famil. I. 9. *Sed vellem non ſolum ſalutis meæ, quemadmodum medici, ſed etiam, ut aliptæ, virium & coloris habere rationem voluiſſent.* Celſ. I. 1. *Sanus homo, qui & bene valet, & ſuæ ſpontis eſt, nullis ſe obligare legibus debet, ac neque medico, neque alipta egere.* Voſſ. Lexic. Etymol. Mercur. l. l.

ALITES erant aves, quæ *alis*, & volatu auſpicium faciebant. Feſtus, & Plinius. V. illos infr. in *Oſcines.* Briſſon. de Form. I. p. 122. In tutela erant deorum, & in lucis vagabantur, quæ diva familia continentur. *Guther. de Jur. man.* I. 3.

Alites Exquilinæ erant aves, quæ morabantur in Exquiliis, ad quas pauperum, & ſceleratorum corpora comburi, vel ambuſta ſolebant abjici. Imo illic locus erat ſupplicii. V. infr. in *Porta Exquilina.* Hæ inſepultorum corpora lacerabant. Horat. Epod. V. 100.

Poſt inſepulta membra different lupi,
Et Exquilinæ alites.

Turneb. Adv. XIV. 10. Torrent. in Horatium.

Alites majores erant rapaces, & cadavera appetentes. Quæ enim rapto, & viſcere vivunt, majoris ſunt formæ, quam aliæ aves, ut vultures, & aquilæ. Hinc ſcriptum eſt a Plaut. Rud. III. 4. 65.

Teque ambuſtulatum objiciam magnis avibus pabulum.

Turneb. Adv. XXVI. 2.

Alites occinentes dicebantur, quæ tempeſtatem præſentiunt, & prænuntiant. Catull. XXV. 5.

Cum diva mater alites oſtendit occinentes.

Turneb. Adv. XXV. 22. XXVII. 5.

ALITIA gens. V. illam infr. in *Gens.*

ALL.

ALLECTI dii, milites, ſcenici, ſenatores. V. illos ſupr. in *Adlecti.*

ALLEGATA, in reſcriptis principum, ſub legibus, & conſtitutionibus ſubſcribebatur, eratque ſubſcriptio non ita vulgaris, prout data, propoſita, accepta, ſubdita, ſuppoſita, ſubſcripta. Quæ omnia notis ſcribi antiquis conſuetum fuit, cum dabantur, proponebantur, accipiebantur, ſubſcribebantur Imperatorum conſtitutiones, & reſcripta, ut ſæpius in codice Theodoſiano videre eſt. *Urſat. de Not. Rom. Theſ. Antiq. Roman. Græv. Tom.* XI. *p.* 545. A.

ALLELENGYON fuit quoddam genus tributi, quo divites pro tenuibus ſpondebant, cum militarent. Zonar. Tom. III. p. 100. Στρατεύεσθαι τοὺς ἀπόρους ἐκ τῶν θεμάτων ἐθέσπισε, καὶ παρὰ τῶν ὁμοχώρων ὅπλα τε αὐτοῖς χορηγεῖσθαι, καὶ ἀναλώματα, καὶ τὰ τῶν ἀπόρων τέλη τοὺς εὐποροῦντας εἰσπράττεσθαι, ὃ ἀλληλέγγυον ὀνομάσθη. In conſtitut. Nicephori περὶ στρατείας τῶν ἀπόρων. l. I. jur. orient. & tit. περὶ ἀλληλεγγύου Baſil. Porphyrog. & in conſtit. Roman. tit. περὶ προσόδου τῆς μεγάλης ἐκκλησίας ad munera belli divites pro tenuibus 18 numiſmata dare tenentur. Nicephorus tenues e provinciis cogi ad militiam edixit, & vicinos, ac municipes eis arma, & ſumptus præbere, & divites ſolvere vectigalia pauperum, quod tributum dicitur *allelengyon*, quia alii pro aliis ſpondent, & ſolvunt. *Buleng. de Vectig. c.* 79.

ALLELUJA in Hiſpaniis, & Gallicis omnibus quadrageſimæ diebus, quia tempus non eſt gaudii, ſed mœroris, non decantabatur. Nec etiam Kalendis Januariis, quæ propter errorem gentilitatis agebantur. Prohibuit hoc ſynodus Toletana anno Domini 645. *Lipen. de Stren. c.* 2. *at.* 4. §. 48.

ALLIA gens.
ALLIARIA gens. } V. illas infr. in *Gens.*
ALLIENA gens.

ALLIFÆ præfectura fuit una illarum, in quas ibant, quos prætor urbanus quotannis mittebat legibus qui jus dicerent. *Sigon. de Ant. jur. Ital.* II. 13.

ALLIGATI erant ſervi viliſſimi, ſive quos in nervo, & compedibus veteres habuerunt. Colum. I. 9. *Vineta plurimum per alligatos excoluntur.* Tres quodammodo gradus ſervorum ſtatui poſſunt. Primi actus ſunt ſervi frugi, ut actores, diſpenſatores, ordinarii. Secundi, ſeu medii vulgares, ut mediaſtini. Tertii, quos diximus, viliſſimi. *Pith. Subciſ.* II. 9.

ALLIPHENA fuit oppidum in Samio, a Benevento viginti quinque millia paſſus diſtans, ob magnos calices conſpicuum. Horat. Sat. II. 8. 39.

Invertunt Alliphanis vinaria tota
Vibidius, Balatroque.

Urſat. de Not. Roman. Theſ. Antiq. Roman. Græv. Tom. xi. p. 565. F.

ALLIUM numinis inſtar celebrabant Ægyptii. Plin. xix. 6. *Allium, cæpaſque inter deos jurejurando habet Ægyptus.* Deteſtabantur Græci, adeo ut lege cautum fuerit, ne, qui *allio* veſceretur, matris deûm ſacrarium ingrederetur. Athen. x. p. 422. *Stilpo ſua confiſus temperantia, non ideo perterritus eſt, quod, cum allium comediſſet, in templo matris deum obdormierit. Arcebatur enim delubro, qui horum quidquam guſtaſſet. Et porro ſomnum capienti adſtans dea cum diceret: philoſophus es, o Stilpo, & ſacras tamen leges violas, viſum ſibi fuiſſe hæc reſpondere in ſomniis: præbe mihi quod edam, & allio non veſcar.* Et tanquam peſtem naſorum mirifice Horat. Epod. iii. 1.

Parentis olim ſi quis impia manu
Senile guttur fregerit:
Edit cicutis allium nocentius.
O dura meſſorum ilia.

Fuit tamen veteribus mos pro criminum expiatione *alliis* aliquot diebus veſci. Hunc morem tangit Perſ. Sat. v. 186.

Hinc grandes Galli, & cum ſiſtro luſca ſacerdos
Incuſſere deos inflantes corpora, ſi non
Prædictum ter mane caput guſtaveris alli.

Nonn. de Re cibar. i. 25. Et cibus ſervorum, & pauperum. Juven. Sat. iii. 293.

—— Quis te cum ſectile porrum
Sutor, & elixi vervecis labra comedit?

Et Perſ. Sat. iv. 29.

Ingemit, hoc bene ſit: tunicatum cum ſale mordens
Cæpe.

Long. de Annul. c. ii. Et inter militares cibos, militiæque hieroglyphicum. Hinc proverbium vulgare: *allia ne comedas*, quo ſignificabatur tranquillæ vitæ amatoribus a bellis, in quibus maximus *allii* uſus, abſtinendum eſſe. *Eraſm. Adag. p. 623. Laurent. Var. ſacr. gentil. c. 21. de Prand. c. 8. Long. l. l.* Credebatur bellatorum vires excitare. Ariſtoph. Equit. i. 3. 256.

Ut plenus alliis ſtrenue magis pugnes.

Unde, ut Scholia in Ariſtophanem, gallinacei *allio* prius dato ad pugnam præmuniuntur, & incitantur. *Stuck. Ant. Conv. i. 21. Long. l. l.* Et in navibus, remigibus potiſſimum. Plaut. Pœn. v. 5. 34.

—— tum autem plenior
Allii, ulpicique, quam Romani remiges.

Nec tantum Romanis; verum etiam Græcis. Ariſtoph. Arachn. i. 4. 30.

Væ mihi pereo, quem Odomantes ſpoliant alliis.

Ubi Schol. *Thraces præcipue delectantur alliis, utpote calidis, quum regionem inhabitent frigidam.* Et Suidas teſtatur Athenienſes navigaturos ingentem *allii* vim ſecum ſemper aſportaſſe, quæ moris erat in retia conjicere: unde proverbium: *allium in retibus.* Forſan utilitatis cauſa, quia teſte Plin. x. 6. *Magna vis allii, magnaque utilitas contra aquarum, & quorumlibet locorum mutationes.* An potius ad obfirmationem corporum, ac diſciplinam ſeveriorem. Schol. Ariſtophanis. *Scheffer. de Milit. nav.* iv. 1. *Taubman in Plautum. Nonn. & Stuck. l. l.* Etiam cibus fuit ruſticorum, & meſſorum. Hinc Galen. Meth. med. xii. 8. *allium ruſticorum theriacam* appellavit. Et Plin. xix. 6. ait: *Allium ad multa ruris præcipue medicamenta prodeſſe creditur.* Virg. Ecl. ii. 9.

Theſtylis & rapido feſſis meſſoribus æſtu
Allia, ſerpyllumque herbas contundit olentes.

Dabatur illis ad refovendum eorum ſtomachum, ac nativum calorem externo diſſolutum, atque debilitatum hoc fomento revocandum. *Petit. Miſc. Obſerv.* iii. 20. *Bruyer. de Re cibar.* ix. 12. *Stuck. & Long. l. l.* Et quia a reptilium morſibus tutus erit, ſi quis, dum venenis adverſari proditum eſt, *allium* præſumpſerit. Æmilius Macer;

Hæc ideo miſcere cibis meſſoribus eſt mos,
Ut, ſi forte ſopor feſſos depreſſerit artus,
Anguibus a nocuis tuti requieſcere poſſint.

Nonn. l. l.

ALLOBROGES habitarunt ab Iſara ad Rhodani partem eam, quæ ab ortu fertur in meridiem. Cum Teutomalium Salyum Regem receptum omni ope juviſſent, & una cum Arvernis agros Æduorum populati eſſent, Cn. Domitius Ahenobarbus adducto adverſus eos exercitu ad Rhodani & Sulgæ confluentem devicit, & ad Iſaram ſuperatos in deditionem accepit Q. Fabius Maximus. Sed conjuratione Catilinæ, cujus participes fuerant, ad arma excitos C. Pontinius Prætor aliquot oppidis expugnatis, atque hoſtibus acie fuſis perdomuit. Unde Cicer. Orat. de Prov. c. 13. *C. Pontinius fortiſſimus vir ortum repente bellum Allobrogum, atque ſcelerata conjuratione Catilinæ excitatum præliis fregit; eoſque domuit, qui laceſſiverunt, & ea victoria contentus, republica metu liberata quievit.* Sigon. de Ant. jur. prov. i. 6.

ALLOBROGICUM bellum uno nomine ab *Allobrogibus* vicinis populis qui ſe his armis immiſcuerunt, eſt appellatum, quod Romani intulerunt Galliæ, ut Maſſilienſes a Salybus & Vocontiis, Æduos ab Arvernis & Rutenis defenderent. Hoc anno 629 Urbis ad quinquennium per M. Fulvium Flaccum, C. Sextium Calvinum, Cn. Domitium Ahenobarbum, & Q. Fabium Maximum Conſules geſſerunt. *Sigon. de Ant. Jur. Prov.* i. 6.

ALLOBROGICI cognomen ſibi peperit Q. Fabius Maximus, qui *Allobrogibus* & Arvernis ad Iſaram ſuperatis gentem in deditionem accepit, & in provinciam retulit. *Sigon. de Ant. Jur. Prov.* i. 6. & *de Nom. Rom. c.* 5.

ALLOCUTIO. V. illam ſupr. in *Adlocutio.*

ALM.

ALMACHIUS, quem alii *Telemachum* vocant, monaſticam vitam excolens, ex oriente Romam ſe contulit, ut ludos gladiatorios abolendos curaret. Dum ſceleratum iſtud edebatur ſpectaculum, in ſtadium ipſe ingreditur, atque ad gladiatores deſcendens mutuam inter eos dimicationem ſiſtere nititur. Sed ſpectatores crudelis cædis accenſi iracundia & a dæmone, qui ex illa ſanguinis effuſione voluptatem capiebat, ad furorem impulſi pacis auctorem lapidibus obruerunt. Alii ab Alypio Urbis præfecto juſſum ſe ſanguinariis illis ſpectaculis oppoſuiſſe ſcribunt. *Lipen. de Stren. c. 2. tert. æt.* §. 12.

ALMO fluvius interſecat mediam vallem Egeriam, non procul a circo Caracallæ, extra portam Capenam, celebris quippe in ſcaturigine ſua prima aqua ejus ſancta olim habita eſt, quod ob inſitam virtutem, mineralem vocant, ſcabiem beſtiarum emendaret; progreſſu ſanctior, quippe ubi ad viam Appiam manando profluxerat, in undis ejus Galli Cybeles matris deûm ſacerdotes quotannis ſexto Kalend. Aprilis ejus ſimulacrum, carpentum, leones & cultros Phrygios reverenter abluerunt. Unde Lucan. i. 600.

Et lotam parvo revocant Almone Cybellen.

Ovid. Faſt. iv. 337.

Eſt locus, in Tiberin quo lubricus influit Almon,
Et nomen magno perdit in amne minor.
Illic purpurea canus cum veſte ſacerdos
Almonis dominam, ſacraque lavit aquis.

Borrich. Ant. Urb. Fac. c. 3. Panciroll. Deſcr. Urb. Rom. Theſ. Antiq. Roman. Græv. Tom. iii. pag. 325. F. Fabric. Deſcr. Urb. Rom. c. 15. Nardin. Rom. vet. iii. 3. Cluver. Ital. Antiq. ii. 10. 18. Non procul ab Urbe Tiberi miſcetur. *Pancirol. l. l.* Ipſe fluvius, quod Acis Cybelæ adamatus fertur, vulgo hodieque nuncupatur *Aquataccio.* Borrich. & Nardin. l. l. & *Acqua Daccia* vulgi n. imperitia; vulgari vero appellatione *Accia* & *Aequa d'Accia.* Cluver. l. l.

Almo mons eſt Pannoniæ, quem Probus Imperator allatis ex Italia vitibus conſevit. Aurel. Vict. Epit. c. 37. n. 3. *Panciroll. Not. Dign. Imp. Orient. c.* 155.

ALMUTIÆ a quibuſdam vocantur pelles, quas Sacerdotes Canonici ſiniſtro brachio ferunt. Fortaſſe quaſi *Armitiæ* ab armis, quod humeris injiceretur. *Ferrar. Anal. de Re Veſt. c.* 17.

ALN.

ALNUS erat ſupra theatrum in ſumma cavea, unde qui excuneati erant ſpectabant. Et ſpectaculum ab *alno* erat remotiſſimum a ſcena. Erat & Athenis *alnus* prope delubrum, ubi foros & tabulata ludis figebant, priuſquam theatra eſſent. *Buleng. de Theat.* I. 29.

ALO.

ALODIA appellantur vulgo prædia optimo jure, & optima conditione, quæ nihil penſitant, nec fidem, vel hominium, vel inveſtituram, vel εἰσδεκτικὰ debent. Inveni eo nomine ſignificari proprie ſuum cujusque patrimonium, quod genearchicum Juſtin. Nov. 21. & edicto 3. vocat; & ita feudor. II. 48. dum ait; *ſi datum ſit ad proprium, ſive ad libellum*, intelligit *alodium*: ut tit. 26. *alodium*, ſive libellarium. Et in formulis Marculphi *alode* ſæpe opponitur comparato. *Cujac. Obſerv.* VIII. 14. *Du Freſne Gloſſario.*

ʹΑΛΟΥΡΓΙΔΕΣ non omnes veſtes purpureæ dicuntur, ſed thalaſſinæ, ſive ἁλιπόρφυρα ἱμάτια. Ita in Artemid. II. 3. ἁλουργίδες a purpureis veſtibus diſtinguuntur. Dicebantur a colore. Hinc exiſtimo ἁλουργίδα proprie vocari a Græcis conchyliatam veſtem, *cui color auſterus eſt in glauco, & iraſcenti ſimilis mari*, ut ait Plin. IX. 36. Etymologicon: ʹΑλουργὶς, *quæ ex marino conchylio fit, & pa-ruunt.* Et non omnem purpuræ uſum Romano populo ademerunt Julius & Auguſtus, ſed tantum τὴν ἐσθῆτα τὴν ἁλουργῆ. Suet. c. 43. n. 5. *Conchyliatæ veſtis uſum niſi certis perſonis, & ætatibus, perque certos dies ademit.* Dio XLIX. p. 401. D. Auguſtus *veſtis conchyliatæ uſum*, τὴν ἐσθῆτα τὴν ἁλουργῆ, *nulli niſi ſenatoribus magiſtratum gerentibus conceſſit.* Sic etiam apud Perſas *regia veſtis, quæ candys dicitur, erat conchyliata, aliorum purpurea*, ut ait Pollux VII. 13. *Ruben. de Re veſt.* I. 8. Atqui, ut vox ipſa declarat, ἁλουργὶς veſtis thalaſſina, ſive marina eſt, ſicut omnis purpura: licet aliæ aliis pretioſiores a loco, & ab infectura, præter coccum purpuram terreſtrem. Pollux verti debuit: *Regia veſtis tota purpurea, cæterorum, alium colorem purpuræ immixtum habens.* Quemadmodum ſub Imperatoribus inferioris ævi vetitæ ſunt privatis veſtes holoveræ, ſive oloporphyræ, quæ, ut ait lex, *tinctæ conchylio, nullius alterius permixtione ſubtextæ erant, ſive ex omni parte cruore infectæ conchylii.* Talis Perſarum regia veſtis tota ex purpura, ex quo ſequitur, aliorum diſſimilem fuiſſe, & alium colorem purpuræ immixtum habuiſſe. Ut diſcrimen fuerit inter oloporphyrum, & purpureum, illud ſtricte, hoc laxe acceptum. Artemidoro ἁλουργίδες non a purpureis, ſed coccineis diſtinguuntur, quia illa marina purpura, hæc terreſtris. ʹΑλουργὸν igitur proprie purpureum, & ἁλουργὶς veſtis purpurea. Dicitur quaſi ἁλὸς ἔργον, ut Etymologicum magnum, *maris opus.* Purpura maris opus, quia ex conchis marinis, unde etiam murex & oſtrum, quæ ſpecies purpurarum, ex quo fit, ut conchylia etiam laxe ſumendo ſint purpura, quia illa etiam ex conchis, at ſtricte & proprie pro ſpecie purpuræ, quæ ex minoribus conchis, ſive conchyliis conficiebatur, eo ſcilicet modo, quem deſcripſit Plinius, ut Tyrium & Amethyſtinum ex tenui vena, quæ in purpurarum faucibus erat, exprimeretur, conchylia autem, ſive conchulæ ipſæ contunderentur, & ex his ſanies illa tingendis veſtibus eliceretur, addito etiam præfando humore, unde conchylis *ingratum virus*, ut idem ait, quæ etiam pretio, & colore, Tyrio & Amethyſtino inferiora; ʹΑλουργίδες igitur proprie loquendo ſunt veſtes purpureæ, quaſi *maris opus*, non conchyliatæ, licet & illæ marinæ. Conchyliis color eſt auſterus in glauco, & ſimilis mari iraſcenti, id eſt, cœruleus. Atqui purpuræ Tyriæ, quæ per excellentiam purpura, color ſanguinis concreti, nigricans aſpectu, idemque ſuſpectu refulgens. Non igitur veſtem conchyliatam Julius & Auguſtus ve-tuerunt, ſed ἁλουργῆ, id eſt, Tyriam, ſive purpuream: neque tamen eum colorem in clavis, & prætexta interdixerunt, ſed tantum in lacernis, & veſte muliebri. *Ferrar. Anal. de Re veſt.* c. 11.

ALP.

ALPES obtinent primum locum inter montes Italiæ. Galliæ, Germaniæ, an Italiæ quis adſcribat, parum refert. Sunt certe montes, qui Italiam hodie ab Gallia, & Germania, procurſu ſuo, tanquam nativo muro, ſeparant. Si quis rem bene expendat, ad mare Liguſticum ortæ per Allobrogas, Helvetios, Rhætos, Vindelicos, Noricos, Carnos, Illyrios perpetuari fere videntur in Serviam uſque, ubi in duo ſciſſæ brachia, uno per Thraciam percurrentes ad Pontum Euxinum, altero per Macedoniam ad Actium promontorium finiuntur. *P. Merul. Coſmogr.* II. 4. 5. *Gaudent. Merul. Antiq. Gall. Ciſalp.* II. 5. Illas peculiari libello deſcripſit *Joſias Simlerus.*

Alpes Atrectianæ quo loco dictæ fuerint, mihi nondum liquet. Earum mentio in antiqua inſcriptione, quæ ſic habet:

T. APPÆO. T. F. VEL
ALPINIO. SECUNDO
PROC. AUGUST. XX. HERED
PROC. ALP. ATRECTIANAR
PRÆF. VEHIC. SUB. PRÆF
CLASS. PRÆT. RAVENN. PR
ALÆ. I. AUG. THRAC. TRIB. COH
I. ÆLIÆ. BRITTON. PRÆF
COH. IIII. GALLOR. PATRON
COLON. FLAMINI. DIVOR
OMNIUM. AUGURI
II. VIR. QUINQ. BIS
OB. MERITA. EJUS.

Merul. Coſmogr. II. 4. 5.

Alpes Carnicæ extremæ ſunt, cæteris minus arduæ, quæque faciles ſuperari poſſunt. Nomen habent a Carnis, gente Inalpina, Venetis ab ſeptemtrionibus conterminis. Ex illis Saus amnis profluit. Finis fuiſſe putatur circa Nauporti Formionisque amnium fontes, quorum hic nunc vulgo Riſano in Adriaticum mare, ille Leubach in Saum influit. *Cluver. Ital. Antiq.* I. 32. 7. *P. Merul. Coſmogr.* II. 4. 5. *Gaudent. Merul. Antiq. Gall. Ciſalp.* II. 5.

Alpes Cottiæ, a Cottio Rege cognominatæ, a monte Veſulo, Padique fontibus incipiebant. Tractus illarum fuit inter auſtrum, & ſeptemtriones, a Veſulo monte ad montem uſque, cui vulgaris appellatio monte Ceniſſe: inter ortum, & occaſum a Seguſio oppido ad oppidum uſque Galliæ Eburodonum. Illas elegantiſſime deſcribit Ammian. XV. 10. *Unde hæc Galliæ plaga ad ſolis ortus attollitur, aggeribus cedit Alpium Cottiarum: quas Rex Cottius perdomitis Galliis, ſolus in anguſtiis latens. . . . . . In his Alpibus Cottiis, quarum initium a Seguſione eſt oppido, præcelſum erigitur jugum, nulli fere ſine diſcrimine penetrabile.* Cluver. Ital. Antiq. I. 32. 3. P. Merul. Coſmogr. II. 4. 5. Gaudent. Merul. Antiq. Gall. Ciſalp. II. 7. Leand. Albert. Deſcript. Ital. p. 707. Panciroi. Notit. dignit. imp. occid. c. 60. Eſt tractus ille terrarum, qui hodie Pedemontium dicitur, juris Sabaudici. *Bergier. de viis milit.* III. *ſect.* 31. *Sigon. de Ant. jur. Ital.* III. 6. *P. Merul. l. l.* Explodenda eſt opinio illorum, qui arbitrati ſunt eas eſſe, in quibus Genua Ligurum nunc metropolis continetur. *Gaudent. Merul. l. l.* Cottio defuncto ab Imperatore Nerone in provinciæ formam ſunt redactæ. Suet. c. 18. n. 2. *Ponti modo regnum concedente Polemone, item Alpium, defuncto Cottio in provinciæ formam redegit.* Euſeb. ad an. 2081. *Duæ tantum provinciæ ſub Nerone factæ, Pontus Polemoniacus, & Alpes Cottiæ Rege defuncto.* Pancirol. Notit. dignit. imp. orient. c. 99. Panvin. Imp. Rom. c. 17. Sigon. l. l. Pitiſc. in Suetonium.

Alpes Grajæ ſequuntur proxime poſt *Alpes* Cottias, ſitæ inter Centrones, hodie Tarantaſios, & Salaſſos, hodie Valle d'Aoſta. Plin. III. 17. *Dein Salaſſorum Auguſta Prætoria, juxta geminas Alpium fauces, Grajas atque Penninas.*

Penninas. Tacit. Hist. II. 66. 4. *Legionem Grajis Alpibus traductam eo flexu itineris ire jubet, quo Viennam vitarent.* Bergier. de viis milit. III. sect. 31. §. 7. Merul. Cosmogr. II. 4. 5. Cluver. Ital. Ant. I. 12. 10: 34. 4. Albert. Leand. Descript. Ital. p. 707. Creduntur cognominari, quod per eas magnus ille Hercules cum Græcorum lecta manu transierit. *Bergier. ibid.* §. 8. Tractus fuit a monte Cenisio ad minorem usque montem D. Bernardi, & paullo ultra. Hodie hic mons vocatur monte minori de S. Bernardo, Petit Bernard a cœnobio, quod D. Bernardo sacrum, quo loco Bergrintum locatur. *Tschud. de Gent. Alpin. c.* 34. *Merul. Cosmog.* II. 4. 5. *Cluver. Ital. Ant.* I. 34. 4. *Albert. Leand. l. l.* P. Jovius, sed perperam, has Penninas esse contendit. *Gaudent. Merul. Antiq. Gall. Cisalp.* II. 9.

Alpes Juliæ erant inter Frigidi amnis, qui nunc vulgo dicitur Wipach, & Nauporti fontes, haud dubie a Julio Cæsare, qui primus iter per eas munierit, sic dictæ. Illas describit Ammian. XXI. 10. *Pars, quæ Illyricum spectat mollius edita, velut incauta, subinde superatur. Latus vero e regione oppositum Thraciis, prona humilitate deruptum, hincque & inde fragosis tramitibus impeditum, difficile scanditur etiam nullo vetante. Sub hac altitudine aggerum utrobique spatiosa camporum planities jacet, superior ad usque Julias Alpes extenta, inferior ita resupina, & panda, ut nullis habitetur obstaculis adusque Fretum, & Propontidem.* Rufus in Breviario: *Sub Julio, & Octaviano per Alpes Julias iter factum est.* Cluver. Ital. Ant. I. 32. 8. Gaudent. Merul. Antiq. Gall. Cisalp. II. 14. Dicuntur hodie incolis, & accolis Julien, quin & Zelie, & Zulien lingua, & pronuntiatione Tusca Z pro J consonante. *P. Merul. Cosmogr.* II. 4.

Alpes Leopontiæ recto tramite orientem versus *Alpes Summas* sequuntur, quas definimus esse, ubi sunt Suitenses, quibus ex Belitionis castro in ripis Ticini, antequam Verbanum ingrediatur, Claronam recta tendimus. Bilitio hac tempestate Belinzona dicitur: quæ alias Insubrum parebat imperio; verum Sforciacorum ignavia ducum cum pluribus aliis castris in jus Helvetiorum rediit. *Gaudent. Merul. Antiq. Gall. Cisalp.* II. 12. Mihi sunt omnes *Alpes* ab Rheni fontibus ad Rhodani usque scaturiginem, ubi hodie Levantinæ Brenniæque vallis, quæ Palensa dicitur. Certe vestigium ibi adhuc manet antiqui nominis. Vallis enim, per quam Ticinus delabitur, Levantina ab Italis, quasi dicas Leopontina, nominatur. Mons altissimus, per quem ab Uraniis Helvetiis in Italiam trajicitur, Gothardi mons dicitur. *P. Merul. Cosmogr.* II. 4. 5.

Alpes maritimæ a situ, quia Ligustico imminent mari, & a Liguribus comatis, ut scribit Dion mox laudandus, nomen traxerunt. De illis Tacit. Hist. II. 12. I. *Blandiebatur coeptis fortuna, possessa per mare, & naves majore Italiæ parte, penitus usque ad initium maritimarum Alpium.* Et inscriptio, quæ ad Sah-Georgium, Delfinatus oppidum, visitur in via militari Mediolanum ducente, prope Druentiam amnem,

PIO. PRINCIPI
. . . . INVICTO
RESTITUTORI ORBIS
PROVIDENTISSIMO
RETRO. PRINCIPUM
. . . . B. OMNES
FORTISSIMO
NANIUS. RUF. KARUS. V. F. PROC. II.
PRÆFECTUS. ALPIUM. MARITIMAR.

Tractus intra Italiæ finem, Varum amnem, fuit a vadis Sabatiis, sive Genua, ubi Apennino jungebantur, ad Vesulum usque montem, qui Padum fundit. *Cluver. Ital. Ant.* I. 32. I. *P. Merul. Cosmogr.* II. 4. 5. *Gaudent. Merul. Antiq. Gall. Cisalp.* II. 6. M. Crasso, Cn. Cornelio consulibus, an. 739. Imperatoris Augusti auspiciis in servitutem sunt redactæ, cum eo usque liberæ fuissent. Dio LIV. p. 538. B. *Ligures capillati, qui Alpes maritimas liberi hactenus coluerunt, in servitutem redacti sunt.* Sed jus Latii a Nerone Imperatore an. 815. acceperunt. Hoc voluit, credo, Plinius, cum capillatorum Ligurum multa genera Latio donata scripsit III. 12. *Sigon. de Ant. Jur. Ital.* III. 6. Alciat. in Tacit. Annal. XV. 32. I. putat etiam Grajas dici. Sed Vide tu supr. in *Alpes Grajæ.* Gaudent. Merul. l. l. V. & supr. in *Album Intemelium.*

Alpes Penninæ sunt post Grajas. Italis vocantur Monte Jove, & Mont Jou Gallis, quia sunt *Alpium* omnium altissimi: & Monte majore de S. Bernardo, Grand Bernard. *Bergier de viis milit.* III. *sect.* 32. §. I. *Cluver. Ital. Antiq.* I. 32. 5. *Leand. Descript. Ital. p.* 706. *Merul. Cosmogr.* II. 4. 5. Hic Bernardus non fuit Abbas Clarævallensis, qui ante hæc sex fere secula in Galliis vixit; sed presbyter quidam hujus nominis ex Aosta valle, qui Pennini idolum in summa *Alpe* Pennina dejecit. Idem dicitur ibidem pro viatorum commodo condidisse monasterium, quod ab ipsius nomine, ut & mons ipse, temporum lapsu cognomen S. Bernardi accepit. *Bergier. l. l.* Fuit vertex, qui nunc est inter Augustam. Prætoriam & Martiniacum, vulgo Germanis *Martinach*, Gallis *Martignii.* Termini fuerunt, hinc Divi Bernardi majus jugum, illinc jugum Divi Gothardi, ad fontes Rhodani atque Rheni. *Cluver. l. l. Gaud. Merul. Gall. Cisalp.* II. 10.

Alpes Rhæticæ a Rhodani, Rhenique fontibus protendebantur ad Carnorum usque confinium. Illas describit Jovius Hist. XV. p. 669. *Secundum eas sunt Rhæticæ, quibus a Tridento per montis Cremeris clementia juga in Vindeliciam, & ad loca ad Oenum amnem, Hispurcho oppido proxima, penetratur.* Earum meminit Tacit. Germ. I. 3. *Rhenus Rhæticarum Alpium inaccesso, ac præcipiti vertice ortus...* Sunt, qui a Tridentinis distinguant; verum ego Jovio accederem, qui easdem putat, cum Plin. III. 19. & Strab. IV. p. 141. videantur Tridentinos accensere Rhætis. Appellatæ fuerunt Tridentinæ a capite totius Rhætiæ Tridento, Athesi amni apposito. Plin. III. 16. *Accedente Athesi ex Tridentinis Alpibus.* Flor. III. 3. II. *Quæ hyems altius Alpes levat, Tridentinis jugis in Italiam.* Statim a Verona incipiunt; at summus earum transitus hoc itinere est inter Sabionem, & Vipitenum, in monte vulgo incolis de Prenner dicto. *Bergier. de viis milit.* III. *Sect.* 32. *n.* 12. *Cluver. Ant. Ital.* I. 32. 6. *de trib. alv. Rhen. c.* 9. *P. Merul. Cosmogr.* II. 45. *Gaudent. Merul. Antiq. Gall. Cisalp.* II. 13. Quanta sit harum altitudo, mira ingenii ubertate his versibus expressit Claudian. de Bell. Getic. n. 340.

Sed latus, Hesperiæ quo Rhætia jungitur oræ,
Præruptis ferit astra jugis, panditque terendam
Vix æstate viam: multi ceu Gorgone visa
Obriguere gelu, multos hausere profundæ
Vasta mole nives, cumque ipsis sæpe juvencis
Naufraga candenti merguntur plaustra barathro.

Gaudent. Merul. l. l.

Alpes summæ videntur Penninas sequi. Illarum meminit Cæs. de Bell. Gall. III. I. *Serg. Galbam in Nantuates, Veragros, Sedunosque misit, qui a finibus Allobrogum, & lacu Lemano, & flumine Rhodano ad summas Alpes pertinent.* Sed ubi potius illas dixerimus, quam ubi in omnes mundi plagas flumina eximia fluunt, ac originem habent? Sunt autem hac *Alpium* parte septem hæc: Ticinus, qui ad meridiem, Tosia, ac Madia ad eundem, Rhodanus ad occasum, Arola, ac Ursa ad septemtionem, Rhenus ad ortum duobus fontibus. *Glarean. in Cæsarem.* Glareano suffragantur *Tschudus, Stumpfius, Leander.* Sunt mihi inter Sedunos, & Veragros, ubi & Octodurus est pagus, quem S. Mauritii vocant. *Alciat. in Tacit. Annal.* XV. 32. I. Idem adfirmant *Raymundus, Marlianus, Jovius, Cuspinianus*, aliique plures. Rhenanus illarum appellatione designari putat Penninas, hoc est, partem illarum hoc nomine designari. Simlerus arbitratur hoc nomen poni, non ut aliquæ *Alpes* isto quasi proprio titulo discernantur ab reliquis; sed esse nomen appellativum, ut Grammatici vocant, & idem esse atque τὰ ἄκρα τῶν Ἄλπεων, vel *Alpium culmina*, ut dicuntur ibid. n. 2. Ego Simlero subscribo: eaque notione accipiendum censeo Antonini *Al-*

pem summam in itinere, quod Roma per *Alpes maritimas* ducit Arelatum: ut etiam albi vocantur summus Penninus, & summus Pyrenæus. *P. Merul. Cosmog.* II. 4. 5. *Bergier. de Viis milit.* III. *Sect.* 32. §. 4. Si tamen pars certa *Alpium* sit definienda, aut definita hoc nomine, tum certe illa pars pertinebit ad tres istos populos, Nantuates, quorum regio vulgo hodie païs de Vau nobis dicitur, Veragros, qui Vallesiam inferiorem hodie, quæ aliis vulgo païs de Gavot, habent; & Sedunos, qui Vallesiam superiorem hodie incolunt, quorum caput est Sedunum, quæ urbs Sabaudis Syon, Germanis Sitten appellatur. Sed cum in Itinerario nullam viam, quæ per *Alpes has summas* transeat, reperiam, nolo in illis morari. *Bergier. l. l.*

Alpes Venetæ. Harum meminit Ammian. XXXI. 16. *Quas peragravere licenter adusque radices Alpium Juliarum, quas Venetas appellabat antiquitas.* Sed cum neminem præter hunc auctorem hujus rei habeamus testem, nihil certius, quam tum demum sic vocari cœpisse, quum omnes hæ regiones Italiæ ad Noricum, ac Pannoniam, & Illyricum usque, sub uno Venetiæ provinciæ titulo comprehenderentur. Et quia Pannoniæ essent conterminæ: & unicum ex ea regione in Italiam militaribus copiis transitum præberent. Tacit. Hist. II. 98. 3. *Deinde Pannonicæ Alpes præsidiis insessæ nuntios retinebant.* III. 1. 2. *Placeretne obstrui Pannoniæ Alpes.* Cluver. Ant. Ital. I. 32. 8.

ALPINÆ gentes minores quadraginta aut quinquaginta ad summum, quæ quasi ad portam Romæ habitabant, ausæ fuerunt lacessere toties populum terrarum victorem & potentissimum, postquam pacaverat nationes remotissimas Europæ, Asiæ, Africæ. *Bergier. de viis milit.* I. *sect.* 28. §. 3. Bellum crebræ eorum in provinciam Rom. excursiones excitarunt. Primus *Alpinis* Gallis arma intulit M. Claudius Marcellus anno ab. U. C. 587 & ab illo *Alpini* Galli sunt subacti. L. Crassus consul anno ab U. C. 658 in citeriore Gallia cum *Alpinis* populis decertavit. Q. Metellus Celer Prætor Galliæ citerioris anno ab U. C. 691 Murena & Silano consulibus cum illis bellum gessit. Idem post eum fecit D. Brutus cum provinciam Galliam obtineret, & ei ex provincia decedenti senatus triumphum decrevit. *Sigon. de Ant. Jur. Ital.* III. 6.

ALS.

ALSIUM oppidum est Etruscorum ad mare. *Sigon. de Ant. Ital.* II. 5. *Fabrett. de Aquæd. Diss.* III. *Thes. Ant. Roman. Græv. Tom.* IV. *p.* 1760. Colonia eo deducta est an. 507. Paterc. I. 14. 8. *Post annos* 22. *Alsium colonis occupatum est.* Liv. XXVII. 38. *Colonos etiam maritimos, qui sacrosanctam vacationem dicebantur habere, dare milites cogebant: quibus recusantibus, edixere in diem certum, ut quo quisque jure vacationem haberet, ad senatum deferret. Ea die hi populi ad senatum venerunt: Ostiensis, Alsiensis.* Panvin. Imp. Rom. c. 11.

ALT.

ALTA semita erat sexta regio Urbis. Alte dorsum montis Quirinalis adscendebat. *Pancirol. Descript. Urb. Rom. Thes. Antiq. Roman. Græv. Tom.* III. *p.* 343. *D.* A thermis Constantini usque per dorsum Quirinalis erat producta. *Marlian. Topogr. Urb. Rom.* IV. 23. *Faunus Antiq. Urb. Rom.* IV. 9. Continet templa Salutis, Floræ, Quirini, Capitolium vetus, statuam Mamurii, thermas Diocletianas, & Constantianas, decem tabernas, gallinas albas, aream Callidi, cohortes tres vigilum, hortos Sallustianos, gentem Flaviam. *Volaterr. Comm. Urban. p.* 185. *F.*

ALTARIA ab aris discrepare, nemo, si rem attente examinaverit, inficias ibit. Verum in quo potissimum differant, illud demum nonnisi difficulter statui, aut definiri potest. Serv. in Ecl. V. 65. inferorum deorum *aras*, superorum *altaria* esse putat: quanquam etiam *aras* ad superos quidem pertinere posse; *altaria* vero ad inferos deos nunquam existimet. *Ara* inquit, *superis, & inferis diis consecratæ sunt; altaria vero sunt superorum tantum deorum.* Prudentius, qui ea inprimis callebat, quæ ethnicorum erant, *aram* ab *altari* alio, ni fallor, sensu distinguendam esse innuit multis in locis, siquidem περὶ στεφ. X. 49. *altare aræ* impositum fuisse declarat, aramque ipsius *altaris* penitus disjectam, ac dirutam, velut eversum aliquod fundamentum ait, dum sic ille:

Altaris aram funditus pessumdare.

Et, cum de jejunio ageretur, Cathemer. VII. 203.

Altaris aram quod facit placabilem.

Ex quo quis non advertat per *altare* ipsum intelligi, ac denotari ædificium aliquod e terra exaltatum, & locis ad martyrum tumulos recipiendis destinatum. Idem ante præmiserat περὶ στεφ. III. 122.

Ossibus altar & impositum.

Optimæ tamen Latinitatis auctores ea videntur ἀδιαφόρως usurpasse. Ita *aram* & *altaria* conjunxit, & promiscue, ni fallor, usurpavit, ubi de Servilia nobilissima matrona, Tacit. Annal. XVI. 30. 3. *Accita est in senatum.* 31. 2. *Primum strata humi, longoque fletu, & silentio, post altaria, & aram complexa.* Plin. XV. 30. *Ut ne propitiandis quidem numinibus accendi ex his altaria, aræque debeant.* Plin. Paneg. c. 1. §. 5. *Electus est inter aras, & altaria, eodemque loci, quem deus ille tam manifestus, ac præsens, quam cœlum, ac sidera, insedit.* Ecce tibi *ara*, & *altaria* conjuncta, & promiscuo, ut credibile est, usu. *Berthald. de Ara c.* 2. §. 1--4. *Guther. de vet. jur. pont.* III. 6. *Rycq. de Capit. c.* 36. *Voss. Lex. Etymol. Ferret. Mus. Lapid.* III. *memor.* 14.

Altare Jovis Viminei fuit ad thermas Diocletiani, dicti a vimineto, quod ibi ejus *altare*. Festus. V. illum infr. in *Porta Viminalis.* Borrich. Ant. Urb. fac. c. 7. §. 6. Dacier. ad Festum in Viminalis.

Altaria Judæorum, in quibus vero Deo, ex legis præscripto, sacrificia offerebantur, erant duo: quorum alterum incensi, & describitur a Mose Exod. c. 30. n. 1—6. alterum holocaustorum, & describitur ab Ezech. c. 44. Utrumque certe ligneum, quod ad fabricam *altaris*, sed prius aureis laminis, quasi asseribus circumvestitum, alterum æreum, id est, laminis æreis intentum. Ejus fossa erat semicylindri excavati forma, neque enim angulos habebat in parte inferiori, sed semicirculo definiebatur, ne sanguis, opinor, victimarum hæreret in angulis. Hujus fossæ usum, & modum, quo susus in ea sanguis expurgabatur, disertis verbis exposuit Aristæas Histor. LXX. Interp. *Sunt*, inquit, *& apud ara basin frequentes aperturæ, omnibus quidem, nisi his qui ministrant, incognita, quarum influxu, & impetu omnis ex hostiarum multitudine cruor purgatur.* Crepidines erant duæ, quarum una inferior & novissima, superior altera. Quid crepido V. infr. in *Crepido.* Craticula in plano summo fuit in orbem ducta, ut per ejus foramina caderent cineres, & scintillæ. Quid craticula V. infr. in *Craticula.* Arula quid V. infr. in *Arula.* Berthald. de Ara c. 5. §. 2—8.

Altare Juventæ, & Termini, ut diis Capitolio, Tarquinii Prisci ævo, egredi renuentibus, cum cæteri abitum molirentur, in cella Minervæ stabat erectum. Dionys. III. p. 202. *Terminus, & Juventa nullis augurum precibus, & supplicationibus flecti potuerunt, ut sustinerent locis suis cedere: quo factum est, ut eorum aræ contineantur templi ambitu, atque altera nunc in vestibulo Minervæ sita est, altera in ipsa æde prope pulvinarium.* Borrich. Ant. Urb. fac. c. 10.

Altaria Principibus ut exstruerentur, quoties e longinquo Imperatori adventanti senatus populusque Romanus festa fronde coronatus obviam procederet, moris fuit. Appian. de Bell. civ. V. p. 715. *His transactis discesserunt Cæsar & Antonius ad Urbem terrestri itinere. Ad ejus pacis nuntium Urbs, & Italia festis conclamationibus perstrepunt. Quapropter transeuntibus illis sacra faciebant, ut servatoribus.* Suet. Cal. c. 13. n. 2. *Itaque ut a Miseno movit. .... inter altaria, & victimas, ardentesque tædas, densissimo, & lætissimo obviorum agmine incessit.* Philo Legat. ad Cajum p. 994. A. *Erat igitur videre nihil aliud per singulas urbes, quam altaria, victimas, sacrificia, candidatos, coronatos, hilares, blandosque vultus omnium.* Fluxit hic mos ab Ægyptiis, a quibus Vespasianus hoc modo exceptus est. Philostr.

lostr. de Vit. Apollon. v. 9. *Venienti Imperatori sacra ad portas obviam processere.* Et Græcis Justin. xxiv. 3. 4. *Pregressa virum, Arsinoe, diem festum urbi in adventum ejus indicit: domos, templa, cæteraque omnia exornari jubet: aras ubique & hostias disponi.* Hic honor primitus diis est exhibitus, cum transferrentur illorum imagines. Cicer. Verr. iv. 35. *Quid hoc tota Sicilia est clarius, quam omnes Segestanas matronas, & virgines convenisse, cum Diana exportaretur ex oppido? unxisse unguentis? complesse coronis, & floribus? thure, odoribusque incensis usque ad agri fines prosecutas esse?* Lips. in Tacit. Hist. ii. 77. Buleng. de Imperat. Roman. iii. 8. Berthald. de Ara c. 30. §. 2. Tomas. de Donar. c. 1. Casaub. & Pitisc. in Suet. Caligulam.

ALTERÆ aves. V. illas infra in *Aves*.

ALTINUM oppidum est in foro Julii hujus nominis. Erat & aliud in Valeria forte hoc, ubi Valentinianus, & Valens, defuncto Joviano degentes, plura jura mense Octobri condiderunt. *Pancirol. Notit. dignit. imp. occid. c.* 80.

ALTISPEX, sive *altispex* est augur, vel aruspex. Accius Astyanacte apud Non. iv. 330.

Altispicem regionem fac desistat, exercitum morari,
Ne me ab domuitione arceat obscœno nomine.

Buleng. de Sortib. c. 6.

ALV.

ALVEOLI in thermis inter parietem sudationis, & pluteum collocabantur, ex testa facti. Crebri erant, ut a multis partibus vapor se posset tollere. Longitudo illorum adæquabat altitudinem pavimenti; neque enim pertingebant solum testudines, nam recipere non potuissent vapores. Tubuli vocabantur. Procul. tit. de servit. præd. urban. *Quidam Iberus nomine, qui habebat post horrea mea insulam, balnearium fecit secundum parietem communem; non licet autem habere tubulos admotos ad parietem communem: sicut neque parietem quoque suum super parietem communem: de tubulis eo amplius hoc juris est, quia per eos flamma torretur paries.* Robortell. de Sudat. Thes. Antiq. Roman. Græv. Tom. xii. p. 387. F.

Alveoli erant inter vasa coquinaria. In illis carnes coquendas lavabant. *Buleng. de Conviv.* iv. 9.

ALVEUS erat sedes balnearis, lavandi gratia instituta. Festus in Solla: *Alvei quoque lavandi gratia instituti, in quos singuli descendunt.* L. pro *quo singuli descendunt*. Chimentel. de Honor. bisell. c. 25. Donat. Dilucid. in Liv. c. 28. Dolet. de Re nav. Thes. Antiq. Græcar. Gronov. Tom. xi. p. 657. C.

Alveus est parvulum navigium ex una arbore excavatum. Paterc. ii. 107. 1. *Unus e barbaris cavatum, ut illis mos est, ex materia conscendit alveum, solusque id navigii genus temperans ad medium processit fluminis.* Talis fuit, in quo Romulus & Remus expositi fuerunt. Ovid. Fast. ii. 407.

Sustinet impositos summa cavus alveus unda:
Heu quantum fati parva tabella tulit!
Alveus in limo sylvis appulsus opacis,
Paullatim fluvio deficiente sedet.

Liv. i. 4. *Tenet fama, cum fluitantem alveum, quo expositi erant pueri, tenuis in sicco aqua destituisset.* Scheffer. de Milit. Nav. i. 3. Beroald. in Servium §. 28. G[illegible] de Navig. c. 8. Donat. Dilucid. in Liv. c. 28. Dolet. de Re naval. Thes. Antiq. Græcar. Gronov. Tom. xi. p. 657. B. Passerat. in Prop. iii. 5. 16.

Alveus est tabula lusoria, quæ propter asserulas, quibus in extremitatibus laterum erat comprehensa, *alveo* fluminis similis est; asserulæ enim riparum instar sunt, fundus tabulæ instar *alvei* fluminis. Plin. xxxvii. 2. *Cn. Pompejum* Romam *transtulisse alveum lusorium cum tesseris e gemmis duabus, latum pedes tres, longum pedes quatuor.* Vitruv. Præfat. v. *Ubi sunt etiam tesseræ, quas in alveo ludentes jaciunt.* Sentfleb. de Alea c. 11. §. 4. Buleng. de Lud. vet. c. 58. Dolet. de Re nav. Thes. Antiq. Græcar. Gronov. Tom. xi p. 657. D. Calcagn. de Tesser. Lud. p. 296.

Donat. Dilucid. in Liv. c. 28. Grapald. de Part. dom. ii. 6. 19.

ALVUS si salierit, bona enuntiat, aliis filios utiles: si dextra pars *alvi*, morbum brevi tempore narrat. *Niphus de Augur.* i. 9. *Alvus*, aut urina, ubi ex aliqua causa, vel etiam in febribus retinetur, balneum utiliter adhiberi solet. *Baccius de Therm. vet. c.* 20.

Alvus bellicarum navium parva fuit, comparata cum *alvo* onerariarum. *Meibom. de Fabric. trirem. Thes. Antiq. Roman. Græv. Tom.* xii. *p.* 621. *F.*

ALY.

ALYTA erat genus officii apud Eleos, quale hac tempestate exercent ii, quos ceremoniarum præfectos appellamus. *Pinell. Addit. ad Panvin. de Lud. Circens.* ii. 1.

ALYTARCHA *erat sacerdos Antiochiæ in Syria. In ludis, qui in honorem deorum fiebant,* τοῖς ἀλύταις, *id est, mastigophoris, sive flagelliferis præerat* l. 1. C. de offic. comit. orient. Vetus Etymologicon. *Alytarcha, qui ludis Olympiacis præest. Elei flagelliferos vocant alytas, & eum, qui præest illis, alytarchen.* In Olympiaco certamine decori, modestiæ, & honestati præerat. *Pancirol. Not. dign. imp. orient. c.* 106. *Pinell. Addit. ad Panvin. de Lud. Circens.* ii. 1. *Cujac. Observ.* ii. 14: viii. 21. *Buleng. de Vectig. c.* 69. *Faber Agonist.* i. 18. *Van Dale Dissert.* vii. *p.* 522.

AMA.

AMALTHÆA, sive *Amalthæum* vocabatur in villa Pomponii amœnissimum gymnasium, ab *Amalthæa* capra. Cicer. ad Attic. i. 13. *Ego enim te arbitror, cæsis apud Amalthæam tuam victimis, statim esse ad S[illegible] profectum.* 16. *Epigrammatis tuis, [illegible], contenti erimus... Velim ad me scribas, cujusmodi sit* Ἀμαλθεῖον *tuum, quo ornatu, qua* τοποθεσίᾳ, *[illegible], quasque historias de* Ἀμαλθείᾳ *habes, ad me mittas.* Turneb. in Cicer. de Legib. ii. p. 84.

AMANTES sibi ludos faciebant in Sicilia, & bene ominabantur amori suo foliis complosis ex fragore, & sonitu. Theocrit. Eidyll. iii. 29.

Neque telefilon manu complosum fragorem reddidit,
Sed emarcuit ad tenerum cubitum,
Me experiente an tibi carus essem.

Crepitu lauri, cum adureretur, omina captarunt. Explorabant item amorem puellarum semina pomorum summis digitis expressa in altum vibrantes. Horat. Sat. ii. 3. 272.

Quid cum Picenis excerpens semina pomis,
Gaudes, si cameram percusti forte.

Pollux iv. 7. *Semen malorum summis digitis primis dextræ manus comprimentes, si in altum exsiliret, hoc significabat benevolentiam ab iis, quos amarent.* Buleng. de Prodig. iv. 14. A cœna, vel e convivio reduces vicos, & angiportus perstrepebant, donec ad exoptatum corculi sui limen pervenirent. Hic si Chrysis non statim adesset, & in ipso aditu domus occurreret, aut e fenestra prospectaret, prodeambulabant præ foribus, & screatu, vel sibilo signum suæ præsentiæ dabant. Tibull. i. 7. 35.

Et simulat transire domum, mox deinde recurrit,
Solus & ante ipsas excreat usque fores.

Apul. Met. ix. p. 271. *Jamque clausis, & obseratis foribus, uxoris laudata continentia, januam pulsat, sibilo etiam præsentiam denuntiante.* Quod si ad illud signum non advolaret, amatoriam cantilenam cantabant. Aristæn. Epist. ii. 19. *Juvenes comessatores ante ædes nocte intempesta canentes audivi.* Ovid. Fast. iv. 109.

Primus amans carmen vigilatum nocte negata
Dicitur ad clausas concinuisse fores.

Exemplum cantilenæ amatoriæ habemus venustissimum apud Plaut. Curc. i. 2. 57.—66. Nec alius generis videtur Horat. Od. iii. 10. Græci vocabant κλαυσίθυρον, quod τῶν θυρῶν κεκλεισμένων, hoc est, nocte concubia caneretur. Et nonnunquam in perenne amoris sui testimonium aut ipsis foribus incidebant, aut etiam tabellæ inci-

ſam in poſtibus amatæ ſuſpendebant. Hinc Elegia queritur apud Ovid. Amor. III. 1. 54.

Ah quoties foribus duris inciſa pependi,
Non verita a populo prætereunte legi.

Quibus ſi nihil proficerent, blandiebantur januæ, & tanquam quædam eſſet dea, ejus opem ſolicite implorabant. Hinc janua apud Prop. I. 16. 15.

Ille meos nunquam patitur requieſcere poſtes,
Arguta referens carmina blanditia.

Ovid. Art. am. II. 527.

Poſtibus & duræ precibus blandire puellæ.

Eamque interdum vino adſpergebant. Plaut. Curc. I. 1. 80.

Eaque extemplo ubi vino has conſperſi fores,
De odore adeſſe me ſcit, aperit illico.

n. 188.

—— agite, bibite feſtivæ fores,
Potate, ſite mihi volentes propitiæ.

Hinc lena apud Plaut. ibid. I. 2. 1.

Flos veteris vini meis naribus objectus eſt:
Ejus amore cupidam me hinc prolicit per tenebras.

Et unguento perfundebant. Veteres gloſſæ in Perſ. Sat. V. 165. *Udas fores dixit: quas amatores ſolent unguento perfundere, & ante januam illarum noctem vigiliis, & cantu tranſigere.* Lucret. IV. 1170.

At lacrymans excluſus amator limina ſæpe
Floribus, & ſertis operit, poſteſque ſuperbos
Ungit amaracino.

Oſculiſque honorabant. Lucret. ibid. n. 1172.

—— & foribus miſer oſcula figit.

Prop. I. 16. 43.

Ante tuos quoties verti me perfida poſtes,
Oſculaque impreſſis nixa dedi gradibus.

Sagittar. de jan. vet. c. 37. §. 2 —— 9. Miſerias ſuas ante illam tibiis deflebant. Prop. II. 6. 11.

Aut mea, quum tales caneret tibi Cynthia ſomnos
Tibia, funeſta triſtior illa tuba.

Horat. Od. III. 7. 29.

Prima nocte domum claude: neque in vias
Sub cantum querulæ deſpice tibiæ.

Barthol. de Tib. II. 12. Paſſerat. in Propertium. Illiſque, ut eo magis vigorem mitigarent rigidarum mentium, flumina lacrymarum miſcebant. Lucian. dial. meretr. *Ego quidem excludor, & ante fores ſto lacrymans.* Mart. X. 13. 7.

Ad nocturna jaces faſtoſæ limina mœchæ,
Et madet heu lacrymis janua ſurda tuis.

Patientiores *ponebant in limine duro molle latus*, ut canit Ovid. Met. XIV. 709. Ariſtæn. Epiſt. II. 20. *Quamdiu amatis, ad januas amatarum humi ſine ſtrato pernoctatis, ſuppliceſque vel uno dignari petitis, teſtaminique cum lacrymis deos.* Ovid. Amor. II. 19. 21.

Et ſine me ante tuos projectum in limine poſtes
Longa pruinoſa frigora nocte pati.

Horat. Od. III. 10. 19.

Non hoc ſemper erit liminis, aut aquæ
Cœleſtis patiens latus.

Sagittar. ibid. §. 10. 11. Foribus coronas dabant. Janua apud Prop. I. 16. 7.

Et mihi non deſunt turpes pendere corollæ
Semper, & excluſi ſigna jacere faces.

Tibull. I. 2. 13.

Te meminiſſe decet, quæ plurima voce peregi
Supplice, cum poſti florida ſerta darem.

Ovid. de Rem. amor. n. 31.

Effice nocturna frangatur janua rixa,
Et tegat ornatas multa corona fores.

Has ſuo capiti detrahebant, & foribus amicæ dedicabant. Ovid. Amor. I. 6. 67.

At tu non lætis detracta corona capillis
Dura ſuper tota limina nocte jaces.

de Art. amand. II. 527.

Poſtibus & duræ precibus blandire puellæ,
Et capiti demptas limine pone roſas.

Sagittar. ibid. §. 12. 13. Turneb. Adv. XII. 5. Laurent. de prand. vet. c. 20. faces, cum quibus circumerrare ſolebant, indignabundi ad amicæ limen abjiciebant. Porpertius ſupra laudatus. *Sagittar. ibid.* §. 15. *Lipſ. Var. Lect.* III. 12. Et iiſdem exuſtionem domus minabantur. Ovid. Amor. I. 6. 56.

—— excute poſte ſeram,
Aut ego jam ferroque ignique paratior ipſe,
Quam face ſuſtineo tecta ſuperba petant.

Plaut. Perſ. IV. 4. 20.

At enim illi noctu occentabunt oſtium, exurent fores.

Ab his facibus deſumebant carbones, quibus famoſum foribus inſcribebant carmen. Plaut. Merc. II. 3. 74.

Impleantur meæ fores elogiorum carbonibus.

Catull. XXXVII. 9.

—— namque totius vobis
Frontem tabernæ ſitionibus ſcribam.

Carbones enim implebant fores elogiis, cum face exſtincta inſcribebatur famoſum aliquod oſtio carmen. De famoſis his carminibus janua queritur apud Prop. I. 16. 9.

Nec poſſum infamis dominæ defendere noctes,
Nobilis obſcœnis tradita carminibus.

Gruter. Suſpic. II. 3. Roa Singul. VI. 17. Sciop. Veriſ. III 14. Sagittar. ibid. §. 17. Taubman. in Plautum. Ego Plautum refero ad laudes amicarum, quas januis inſcribebant proci: & addo Ariſtoph. in Veſp. p. 437. Edit. Biſet.

Si forte ſcripta vidit ad quaſdam fores
Hæc verba: Bellus Pyrilampis vicus eſt.

Hugo de prim. ſcrib. orig. c. 33. Neque ſatis erat hac injuria afficere januas, & januæ dominas, porro multa convicia dicebant poſtibus, eoſdemque diris omnibus devovebant. Tibull. I. 2. 7.

Janua difficilis dominæ, te verberet imber,
Te Jovis imperio fulmina miſſa petant.
Janua jam pateas uni mihi victa querelis,
Nec furtim verſo cardine aperta ſones.
Et mala ſi qua tibi dixit dementia noſtra,
Ignoſcas, capiti ſint precor illa meo.

Prop. I. 16. 17.

Janua vel domina penitus crudelior ipſa,
Quid mihi tam duris clauſa taces foribus.

n. 37.

Te non ulla meæ læſit petulantia linguæ,
Quæ ſolet irato dicere verba loco.

Et hoc eſt Plaut. Merc. II. 3. 73. *Occentare oſtium.* Quod quid ſit, V. infr. in *Occentare*. Alias vocaliter clamabant, ac de injuria ſibi facta clare conquerebantur. Prop. II. 15. 5.

Nulla neque ante tuas orietur rixa feneſtras,
Nec tibi clamatæ ſomnus amarus erit.

Tibul. I. 6. 31.

Heu canimus fruſtra, nec verbis victa patiſcit
Janua.

Interdum, ut variant *amantum* mores, blanditias conviciis miſcebant. Ovid. Remed. amor. n. 35.

Et modo blanditias, rigido modo jurgia poſti
Dicat, & excluſus flebile cantet amans.

Sagittar. ibid. §. 19. . . . . 22. Broukh. in Tibull. I. 2. 11. Denique ſi his nihil proficerent, nec amatam elicere poſſent, majorem adhibebant vim, & januam fortius pulſabant, calcibus inceſſebant, feneſtras lapidibus petebant, & cardines effringebant. Horat. Od. I. 25. 1.

Parcius junctas quatiunt feneſtras
Ictibus crebris juvenes protervi,
Nec tibi ſomnos adimunt: amatque
Janua limen.

Et janua iterum queritur apud Prop. I. 16. 5.

Nunc ego nocturnis potorum ſaucia rixis
Pulſata indignis ſæpe queror manibus.

Apul. Apolog. p. 847. Edit. Pariſ. *Diebus ac noctibus ludibrio juventutis janua calcibus propulſata, feneſtræ cantibus circumſtrepitæ.* Sagittar. ibid. §. 23. Broukh. in Tibull. I. 6. 32.

AMANUENSIS erat ſervus, qui excipiebat, cujus opera,

opera, & *manu* in ſcribendo, perinde ac ſcribarum, utebantur veteres. Suet. Ner. c. 44. n. 2. *Ne amanuenſibus quidem exceptis.* Tit. c. 3. n. 3. *Cum amanuenſibus ſuis per luſum, jocumque certantem...* Popma de Oper. Serv. p. 72. Pignor. de Serv. p. 218. Guther. de offic. dom. Aug. III. 7. Turneb. Adv. v. 11. Alexand. Gen. dier. III. 25. Ætatis æneæ ſcriptores *amanuenſem* inveniſſe dicit Sciopp. Judic. de Styl. Hiſtor. p. 60. Et novum, ſed fruſtra, Calcagn. Epiſt. IV. 10. *Pitiſc. in Suet. Jul. c. 74. n. 3. §. 4.*

AMATA *inter capiendum a pontifice maximo* virgo Veſtalis *appellabatur, quoniam, quæ prima capta eſt, hoc fuit nomine.* Gell. I. 12. Manut. de Legib. Roman. c. 2. V. infr. in *Veſtales.*

AMATHA fuit urbs in vicinia Gadaræ, ubi calidæ aquæ erumpunt. *Pancirol. Notit. dignit. imp. orient. c.* 148.

AMB.

AMBACTUS veteribus Latinis erat ſervus mercenarius, qui hac, & illac circumagitur, & circumducitur mercedis gratia. *Ambagere* vetus verbum pro circumagere, ut ambire, circumire. Feſtus, ſive potius Paullus: *Ambactus apud Ennium lingua Gallica actus dicitur.* Veteres gloſſæ: *Ambactus* : δοῦλος μισθωτὸς, ὡς Ἔννιος. Cui atteſtans Cæſ. de Bell. Gall. VI. 14. *Eorum*, inquit, *ut quiſque eſt genere, copiisque ampliſſimus, ita plurimos circum ſe ambactos, clientesque habet.* Turneb. Adv. XIV. 12. Salmaſ. in Vopiſc. Carin. c. 16. Pith. Subciſ. I. 8. Scalig. in Feſtum. Keuchen. in Frontin. de Aquæductib. II. Theſ. Antiq. Roman. Græv. Tom. IV. p. 1658. D. Vocabulum ipſum tam Germanis quam Gallis fuiſſe commune noſtra hæc teſtatur ætas. Nam etiam nunc in Flandria & Brabantia, item Hollandia & conterminis regionibus dicitur **een ambacht**: quod illi quidem opificium intelligunt, ut opificem **een ambachter**. Ab initio itaque non tam ſervum ſignificavit, quam miniſtrum, ſeu famulum, cujus opera nobilis homo, ſive eques Gallus Germanusque domi militiæquæ uſus. Hinc vocabulum Barbarolatinum *ambaſcia*, quod Germanis erat **ambacht/** ponitur pro opera, & **ambachten** pro operari. Unde *ambaſciatores* nulli alii erant, quam qui patria lingua dicebantur **ambachters/** id eſt, qui cum mandatis a principe ſeu civitate amittebantur, & qui tractandorum cum alio principe, ſeu civitate negotiorum munus atque officium ſuſtinebant: quos Romani ſua lingua dixerunt legatos. Denotabat etiam eum hominem, qui loco ſeu regioni regundæ præficiebatur. Unde etiam nunc in Flandria aliquot regionum præfecturæ dicuntur *Belle ambacht*, *Caſſel ambacht*. . . . . . Apud reliquos Germanos omnes vox ea, eodem ſignificatu, contracte nunc effertur **ambt/** quaſi *ambet*, ab illa **ambacht**. Ea latius etiam patens nihil aliud in univerſum ſignificat quam munus, ſive officium. *Cluver. Germ. Ant.* I. 8. Cæſar certe non pro ſervis conductitiis uſurpat, ſed pro viris dignitate præſtantibus, municipii alicujus, aut agri præfectis. Ideo *clientibus* præponit, tanquam digniores. Sane veteri lingua Belgica **ambacht** ſignificat juriſdictionem. Unde **ambachtsheeren** uſitate vocantur, penes quos territorii alicujus dominium, ac juriſdictio eſt. Quod autem vulgo Belgæ **ambacht** pro opificio uſurpant, id ex abuſu vocis provenit, ut pluribus oſtendit Goropius Becanus. *Voſſ. Lex. Etymol.*

AMBARVALIA, ſive *ambarvale* ſacrificium dicebatur, cum ruſtici pro frugibus rei divinæ cauſa hoſtiam circum *arva* ducebant. Serv. Ecl. III. 77. *Dicitur hoc ſacrificium ambarvale: quod arva ambiat victima. Sic & ipſe Georg.* I. 345.

Terque novas circum felix eat hoſtia fruges.

Macrob. Sat. III. 5. V. illum infr. in *Hoſtia ambarvalis.* Siccam. in Faſt. Kalend. c. 4. Guther. de Jur. Man. I. 3. Gyrald. Synt. deor. XVII. p. 488. G. Saubert. de Sacrif. c. 19. Erant vel privata, vel publica. Privata a patrefamilias peragebantur. De his Tibul. II. 1. 1.

Quiſquis adeſt, faveat: fruges luſtramus & agros,
Ritus ut a priſco traditus extat avo.

n. 17.

Dii patrii, purgamus agros, purgamus agreſtes,
Vos mala de noſtris pellite limitibus.

Legitima precationis verba habes apud Caton. de Re ruſt. c. 142. V. illum ſupr. in *Ager.* Publica a fratribus arvalibus menſe Majo. Legitima precationis verba his, an etiam privatis luſtrationibus uſitata erant: *avertas morbum, mortem, labem, nebulam, impetiginem, peſeſtatem*, id eſt, peſtilentiam. Feſtus in Peſeſtas. Cereri hoc ſacrum fiebat ſue, ove, & tauro: unde & ſuovetaurilia. V. illa infr. in *Solitaurilia*, vocabatur. *Lomej. de Luſtrat. c.* 29. Victimam ter circum arva ducebant, & omnes poſt clamantes ſequebantur: ex quibus unus querna corona ornatus cum ſollenni ſaltatione, compoſito carmine Cereri decantabat laudes: & poſtquam lacte, vino & favo libaſſent, antequam fruges meterent, porcam Cereri immolabant, quæ præcidanea dicta eſt. Ritum omnem deſcribit Virg. Georg. I. 343.

Cuncta tibi Cererem pubes agreſtis adoret:
Cui tu lacte favos, & miti dilue Baccho,
Terque novas circum felix eat hoſtia fruges,
Omnis quam chorus, & ſocii comitentur ovantes;
Et Cererem clamore vocent in tecta, nec ante
Falcem maturis quiſquam ſupponat ariſtis,
Quam Cereri, torta redimitus tempora quercu,
Det motus incompoſitos, & carmina dicat.

Alexand. Gen. dier. III. 12. Hoſpin. de Orig. Feſt. Ethnic. p. 98. Gyrald. Synt. deor. XVII. p. 489. A. Scalig. in Feſtum in Amtermini. Roſin. Antiq. Roman. IV. 17. Kipping. Antiq. Roman. I. 10. Schill Nom. Phil. p. 90. Non a ruſticis tantum fiebant, ſed & a Romanis fines agri Romani luſtrantibus, qui inter quintum & ſextum lapidem erant. Strab. V. p. 159. *Sane inter quintum & ſextum a Roma lapidem locus eſt Feſti: hunc tradunt eo tempore finem agri Romani fuiſſe, & hodieque ibi, aliisque in locis, qui limites ſunt, ſacerdotes ſacrificium peragunt, quod ambarvalia dicunt.* Turneb. Adv. XVIII. 17. Kipping. Antiq. Rom. I. 10. §. 5. Hoſpin. & Schill l. l.

AMBIANI populi ſunt in Belgis prope Morinos inter Tamudam & Phrudim flumina. Hodie ſunt Flandri & Picardi. *Panciroll. Not. Dign. Imp. Occid. c.* 88.

AMBIEGNA *bos apud augures erat, quam circum aliæ hoſtiæ conſtituuntur.* Varr. de Ling. Lat. VI. 3. *Buleng. de Sortib. c. 6. Guther. de Jur. man.* I. 4. *Briſſon. de Form.* I. *p.* 13. *Urſat. de Not. Roman. Theſ. Antiq. Roman. Græv. Tom.* XI. *p.* 550. *B. Lomej. de Luſtrat. c.* 23. *Schill Nomencl. Philol. pag.* 91. Bebius Macer *ambiegnas* oves in ſacris Junonis dicit eas, quæ geminos cum peperiſſent, cum duobus agnis altrinſecus alligatis mactarentur. *Buleng. l. l.*

AMBIRE erat circumire. Unde *ambitio*, & *ambitus* nata ſunt, quod petitores *circum forum irent*: Feſtus. Unde Val. Max. IV. 5. 4. *Conſulatum petens L. Craſſus, cum omnium candidatorum more circum forum ſupplex populo ire cogeretur, nunquam adduci potuit.* . . . . Neque Romæ ſolum, & in foro *ambibant*, ſed in conciliabulis Italiæ, in quibus cives multi negotiandi cauſa verſari ſolebant. Inde *ambire* erat petere, verum ſtudioſius, impenſiusque, quam mores, legesque civitatis ferebant. *Sigon. de Judic.* II. 30. Per tranſlationem ponitur pro blandiri. Quoniam vero Romani, dum honores, & magiſtratus quærerent, circumire ſingulos ſolebant, prenſare dexteras, & rogare, ut ſe ſuffragiis adjuvarent, factum eſt, ut capiatur pro honores quærere. *Schill Nomencl. Philol. p.* 91. *Bud. in Pandect. p.* 195. *A.* Nec tantum hi *ambibant*, verum etiam qui judicum implorabant miſericordiam. Unde tam hi, quam illi appellari ſolebant *ambitioſi.* Voſſ. Lexic. Etymol. in Ambitus. Hinc etiam *ambitioſa* dicebantur decreta, vel *ambitioſi* juſſus, tam qui gratis, quam qui accepta mercede contra jus & æquum in alicujus favorem a judicibus interponuntur. Ulpian. l. 4. ff. de decret. ab ord. faciend. *Ambitioſa decreta decurionum reſcindi debent.* Suet. Domit. c. 8. n. 1.

n. 1. *Plerumque & in foro pro tribunali extra ordinem ambitioſas centumvirorum ſententias reſcidit.* Siccam. de Centumv. judic. 1. 6.

AMBITUS eſt duplex: unus popularis, conceſſus, atque etiam laudatus, cum aliquis magiſtratum, aut curationem petendo ſuam operam offert Reipublicæ: judiciumque de ſe faciendum populo permittit abſque dolo malo. Hoc genus nullis legibus prohibetur, ſed approbatum ſemper, & a maximis, præſtantiſſimiſque viris exercitum eſt. Alter infamis eſt, & legum ſeveritate notatus, qui aliquando vi, aliquando dolo committitur: & unde cædes, largitiones, & variæ corruptelæ naſcuntur. Cicer. in Salluſt. *Cedo, ſi fuerim in honoribus petendis nimis ambitioſus, non hanc dico popularem ambitionem, cujus me principem profiteor; ſed illam pernicioſam contra leges, cujus primos ordines Salluſtius duxit.* Salmuth in Pancirol. de Reb. deperd. & inv. p. 738. Bud. in Pandect. p. 195. G. Prevot. de Magiſtr. Roman. c. 5. Schill Nomencl. Philol. p. 92. *Ejus omnis ratio poſita fuit in amicorum, & populi voluntate concilianda:* ut Cicer. in Orat. de conſulatu. *Sigon. de Judic.* II. 30. Leges de illo latæ ſunt Acilia Calpurnia, Aufidia, Bæbia Æmilia, Cornelia Fulvia, Fabia, Julia Auguſti, Julia Cæſaris, Licinia, Maria, Pœtelia, Pompeja, Tullia, Verus. V. ſingulas infr. in *Lex. Ceſſaverunt in Urbe, quia ad curam Principis magiſtratuum creatio pertinebat, non ad populi favorem. In municipiis, ſi quis contra illas magiſtratum petierit, per Sctum centum aureis cum infamia punitur.* Modeſtin. l. 1. ff. de Leg. Jul. ambit. *Auguſt. de Legib. in Julia ambitus.*

Ambitus eſt *circuitus ædificiorum patens in latitudinem pedes duos, & ſemeſſem, in longitudinem idem quod ædificium.* Feſtus. *Cujac. Obſerv.* XXIII. 4. *Marlian. Topogr. Urb. Rom.* IV. 23. *Auguſt. de Legib. in Petillia.*

Ambitus urbis Romæ ſub Imperatoribus, & cenſoribus Veſpaſianis an. 828. millium paſſuum XIII. & CC. id eſt, ultra tredecim milliaria fuit. Plin. III. 5. *Pancirol. Deſcript. Urb. Rom. Theſ. Antiq. Roman. Græv.* III. *p.* 377. *B. Panvin. Deſcript. Urb. Rom. Theſ. Græv. p.* 227. *A. Nardin. Rom. Vet.* I. 6. Apud Plinium. XXIII. M CC. legendum eſſe contendit *Lipſ. de Magnit. Roman.* III. 2. Qui nunc eſt, XIII. M. paſſuum non excedit. *Fabric. Deſcript. Urb. Romæ. c.* 2. *Blond. Rom. Inſtaur.* I. *p.* 223. *A.*

Ambitus regionis primæ continet pedes duodecim millia, ducentos & novem. Circuitum regionis explicat, qui capiebat plus minus duobus milliariis cum dimidio. Quinque enim pedes paſſum continent, & mille paſſus milliarium. *Panciroll. Deſcr. Urb. Rom. Theſ. Ant. Roman. Græv. Tom.* III. *p.* 328. *B.* Secundæ continet pedes duodecim millia & ducentos duobus milliariis cum dimidio. *Panciroll. ibid. p.* 331. *D.* Tertiæ continet pedes duodecim millia, trecentos quinquaginta plus minus duobus milliariis cum dimidio. *Panciroll. ibid. p.* 335. *E.* Quartæ continet pedes tredecim millia. Excedit duo milliaria cum dimidio. *Panciroll. ibid. p.* 341. *B.* Quintæ continet pedes quindecim millia & ſexcentos, plus tribus milliariis cum dimidio. *Panciroll. ibid. p.* 343. *C.* Sextæ continet pedes quindecim millia & ſeptingentos. Excedunt tria milliaria. *Panciroll. ibid. p.* 347. *E.* Septimæ continet pedes quindecim millia & ſeptingentos, ſunt plus tribus milliariis Italicis. *Panciroll. ibid. p.* 350. *F.* Octavæ continet pedes tredecim millia ſexcentos & ſeptem. *Panciroll. ibid. p.* 357. *B.* Nonæ continet pedes triginta duo millia & quingentos. Sunt ultra ſex milliaria. *Panciroll. ibid. p.* 362. *D.* Decimæ continet pedes viginti millia ſexcentos, ultra duo millia paſſuum. *Panciroll. ibid. p.* 366. *B.* Undecimæ continet pedes undecim millia quingentos, ultra duo milliaria. *Panciroll. ibid. p.* 368. *D.* Duodecimæ continet pedes duodecim millia ultra duo milliaria. *Panciroll. ibid. p.* 371. *A.* Tertiæ & decimæ continet pedes nongentos ducentos. Deſcriptio hæc non pervenit ad duo milliaria. *Panciroll. ibid. p.* 373. *C.* Quartæ & decimæ continet pedes triginta tria quadringentos octoginta duo, excedunt ſex milliaria. *Panciroll. ibid. p.* 377. *A.*

Ambitus monumenti ſunt pedes in fronte & in agro, qui longitudinem & latitudinem deſignant. *Guther. de Jur. Man.* III. 12. Totus locus qui ſepulturæ deſtinatus erat, religione non tenebatur. Ideo ne religio occuparet totum ſolum, in quo monumentum erat ædificatum, definiri plerumque ſolebat modus, ſpatiumque loci religioſi, ut ſciretur, quid puri loci relinqueretur. Ejus rei ergo ſcribebant: *In. fronte. pedes. tot. in agrum. pedes. tot.* V. infr. in *Fronte.* Kirchman. de Funer. III. 20.

Ambitus togæ eſt clauſæ togæ circumjectus, totum hominem involvens. *Ambire* enim eſt circumire, & circumquaque operire, quod de clauſis, quam apertis veſtimentis melius intelligitur. Tertull. de Pall. c. 5. *Ambitum ejus, ex quo ſinus naſcitur, jam deficientibus tabulis, retrahat a ſcapulis.* Ferrar. de Re veſt. Anal. c. 40.

AMBUBAJÆ fuerunt mulieres laſcivæ, & impudicæ, quæ Romam uſque permanarint, ibique cœtus habuerint. De illis Horat. Sat. I. 2. 1.

Ambubajarum collegia, pharmacopolæ.

Suet. Ner. c. 27. n. 3. *Cœnitabat nonnunquam... inter ſcortorum totius Urbis, ambubajarumque miniſteria.* Non aſſentior iis, qui e Syria uſque repetunt. *Turneb. Adv.* XI. 23. *Torrent. in Suetonium.* Erant omnino Syræ mulieres, quæ in circo, aliiſque locis ædilem metuentibus, & corporis ſui vulgo copiam faciebant, & organa quædam pulſare norant, quæ una ſecum e patria Romam attulerant. Reſpicit Turnebus Acronem, qui ita ſcribit ad Horatium: *Ambubajæ dicuntur mulieres tibicinæ, lingua Syrorum. Etenim Syris tibia, ſive ſymphonia, ambubaja dicitur.* Et quidem recte. Nam Syris אבוב eſt tibia, ſive fiſtula, ſed Arabes inſerunt *n* אנבוב, Latini *m* maluere. Fuerunt igitur mulieres, & proſtituendo, & tibiarum cantu ſeſe ſuſtentantes, cujuſmodi eſt illa copa Syriſca, de qua carmen eſt incerti ſcriptoris in Virgiliana appendice. Neque movere quem debet, ex Syria vocem hanc arceſſi. Nam veſtium, eduliorum, inſtrumentorumque muſicorum genera, una cum nominibus ſuis, in alias gentes invehi ſolere, planum fuit ex plurimis exemplis, cum antiquis, tum iis etiam, quæ hodieque advehuntur ex India, aliiſque regionibus longinquis. Syros vero tibicines, ac tympaniſtas Romæ fuiſſe docet Juven. Sat. III. 62.

Jam pridem Syrus in Tiberim deflexit Orontes,
Et linguam, & mores, & cum tibicine chordas
Obliquas, nec non gentilia tympana ſecum
Vexit, & ad circum juſſas proſtare puellas.

Scalig. Conject. in Varr. p. 54. in Copam p. 256. Voſſ. Lex. Etymol: de vit. ſerm. I. 5. Barthol. de Tib. I. 10: III. 1. Caſaub. in Suetonium.

AMBULATIO erat modus lenis exercitationis, quam ſenes, & viri graves, & imbecilles potiſſimum obibant. *Baccius de Therm. vet. c.* 7. *Argol. in Panvin. de Lud. circenſ.* II. 1. De *ambulationibus* multa *Mercur. Art. Gymnaſt.* V. 12.

Ambulatio cauſidica quæ, & quare fuit dicta. V. infr. in *Baſilica.*

AMBULATIONES, & porticus fuerunt in privatis ædificiis. Docet hoc Plaut. Moſt. III. 2. 68.

Senex ædificare vult hic in ſuis
Et balneas, & ambulacrum, & porticum.

Una ad evitandos imbres, aut quamvis aëris intemperiem graviorem, altera *ambulationibus* accommodata, *ambulatoria* dicta. Utraque delectationis, & quietis cauſa inventa eſt. *Guther. de Jur. man.* II. 30. Arbores amœna opacitate laſcivæ illas umbroſas reddebant. Horat. Epiſt. I. 10. 22.

Nempe inter varias nutritur ſylva columnas.

Plin. Epiſt. V. 6. 17. *Ambit hunc ambulatio preſſis, varieque tonſis viridibus incluſa.* Juven. Sat. IV. 5.

Quid refert igitur quantis jumenta fatiget
Porticibus, quanta nemorum vectetur in umbra.

Multæ ibi arbores topiario opere modicæ inflexæ, annexæque, cancellatim pangebantur. V. infr. in *Topiarii.* Fontes etiam in illis manabant. V. infr. in *Fons.* Kobierzyck. de Luxu Roman. II. 8.

Ambulatio Craſſipedis, quam aquæ autumnalis eluvio una cum plurimis hortis, & tabernis disjecerat, fuit in via Appia. Docet hoc Cicer. ad Frat. III. 7. *Romæ, & maxime Appia, ad Martis mira proluvies: Craſſipedis ambulatio ablata, horti, tabernæ plurimæ: magna vis aquæ uſque ad piſcinam publicam.* Unde colligi poſſit, æ viridibus, aut areis, aut ſimpliciter complanata, aggeſtave terra fuiſſe, quæ tam facile ab aqua ablata ſit; niſi Colum. I. 6. *ambulationes inter membra, ſeu partes villarum* numeret. Quod ſi vero ædificii pars fuit, certe haud adeo firmam, aut admodum magnam fuiſſe, ipſa Ciceronis verba arguere videntur, qui illam ad templum Martis ſitam fuiſſe indicat. Fit etiam mentio *hortorum Craſſipedis* apud Cicer. Fam. I. 9. V. infr. in *Horti.* In his hanc etiam fuiſſe *ambulationem* facile mihi perſuaderi patiar. *Nardin. Rom. Vet.* III. 2.

AMBULATUM, etſi non dimicatum, attamen velut dimicationis cauſa deducebantur milites. Veget. I. 27. *Auguſti atque Adriani conſtitutionibus cautum erat, ut ter in menſe tam equites quam pedites educerentur ambulatum. Hoc verbo genus hoc exercitationis appellabant. Decem millia paſſuum armati, inſtructique omnibus telis pedites, militari gradu ire, ac redire jubebantur in caſtra, ita ut aliquam itineris partem curſu alacriore conficerent.* Ramus de Milit. Jul. Cæſ. Theſ. Antiq. Roman. Græv. Tom. x. p. 1558. F. Lipſ. de Milit. Roman. v. dial. 14. Apud quem *decem millia paſſuum* vereor ut accipienda ſint *viginti*, nec invitis Vegetii verbis, ut ego diſtinxi. Sic enim ſonare ea volo, ut iverint decem millia, eademque redierint: fiunt viginti. Et hoc ipſe I. 9. *Militari gradu viginti millia paſſuum horis quinque duntaxat æſtivis conficienda ſunt. Pleno autem gradu, qui citatior eſt, totidem horis viginti quatuor.* Hæc notanda, ut ſcias, quid in Cæſare, aliiſque ſit: *Eo die juſtum iter confectum*, quod eſt, quantum militari gradu vulgo ſolet, aut certe circa: ſic tamen, ut horas ſemper aliquot ſumas ad quietem. In hoc exercitio duo ſpectabantur: *celeritas* in ordinato inceſſu, ſub ſignis, & ſub armis: *æqualitas*, ut ſuis, juſtiſque intervallis. Veget. l. l. *Nihil magis in itinere, vel in acie cuſtodiendum eſt, quam ut omnes milites incedendi ordinem ſervent. Quod aliter non poteſt fieri: niſi ut aſſiduo exercitio ambulare celeriter, & æqualiter diſcant.* Lipſ. l. l. Thyſ. Rom. Illuſtr. v. p. 140.

AMBURBIUM, ſive *amburbiale* erat ſacrificii genus, quo *urbs*, & pomœrium luſtrabantur. Hoc hoſtiarum quaqua verſum, ante mactationem, circumductione fiebat. Obſeq. de Prodig. c. 43. *Urbs luſtrata, capra cornibus ardentibus per urbem ducta.* Apul. Met. III. p. 71. *Tandem pererratis plateis omnibus, in modum eorum, qui luſtralibus piamentis minas portentorum hoſtiis circumforaneis expiant angulatim.* Luſtrationem hanc *amburbialem* ſignat Lucan. I. 593.

Mox jubet & totam pavidis a civibus Urbem
Ambiri, & feſto celebrari mœnia luſtro.
Longa per extremos pomœria cingere fines
Pontifices ſacri quibus eſt permiſſa poteſtas.

Turneb. Adv. XVIII. 17. Lomej. de Luſtrat. c. 30. Voſſ. Lex. Etymol. Roſin. Antiq. Roman. IV. 17. Schill Nomencl. Philol. p. 93. Id fuit moris fieri, cum prodigium aliquod Urbi minari videretur, & tædis, aut victimis expiari conveniret, nonnunquam & ſulphure, & aqua. *Gyrald. Synt. deor.* XVII. *p.* 488. *C.* Scaliger in Feſtum in Amternini vult eadem videri ſacrificium *amburbiale*, & *ambarvale.* Sed aperte diſtinguit Serv. Ecl. III. 77. *Dicitur hoc ſacrificium ambarvale, quod arva ambiat victima: ſicut amburbale, vel amburbium, quo urbem circuit, & ambit victima.* Diſtinguit etiam Vopiſc. Aurelian. c. 20. *Amburbium celebratum, ambarvalia promiſſa.* Salmaſ. in Vopiſcum.

AMBURVARE quid fuerit, V. infr. in *Amparuare.*

AMBUSTANEÆ aves. V. illas infr. in *Aves.*

AMBUSTUS cognomen fuit Fabiorum, ut puto, quod a fulmine *ambuſtus* fuerit. *Sigon. de Nom. Rom. c.* 5. Primus fuit Q. Fabius *Ambuſtus.* Conſul fuit cum C. Furio Pacilo anno U. C. 341. Interrex anno proximo fuit. Secundus N. *Ambuſtus.* Fuit Tribunus militum ſexto poſtea anno. Tertius K. *Ambuſtus* ſuperioris frater Tribunus militum fuit biennio poſt ſuperiorem. Iterumque poſt tres annos, & tertio anno 358. Tres poſtea fratres Q. K. M. Fabii M. F. cum legati ad Gallos Cluſium obſidentes de pace miſſi eſſent, Cluſinis opem tulerunt: Gallos irritarunt, ut arma contra Urbem Romam moverent prælio ad Alliam victores Urbem ingreſſi ſunt. Sequitur M. *Ambuſtus.* Tribunus militum fuit anno ab U. C. 372. Iterumque poſt annos undecim, ac Cenſor anno 390. Hic, ſive alius M. *Ambuſtus* fuit Pontifex Maximus anno 363. Ejuſdem fortaſſe filius fuit C. *Ambuſtus*, qui Conſul fuit anno 395. Nonus M. *Ambuſtus* ter conſul fuit. Eſt etiam alius M. *Ambuſtus* ſuperioris, ut creditur, Marci filius, qui Magiſter equitum fuit anno 431. Ante hunc Q. *Ambuſtus* Magiſter equitum fuit anno 409. Duodecimus eſt C. *Ambuſtus* Magiſter equitum anno 438. *Auguſtin. & Strein. de Fam. Rom. in Fabia.*

AMC.

AMCÆSA *dicuntur vaſa, quæ cælata appellamus, quod circum cædendo talia fiant.* Feſtus. *Buleng. de Conviv.* IV. 11. *Grapald. de Part. dom.* II. 3. 10.

AME.

AMENTUM erat lorum in media ſagitta revinctum, quod primoribus digitis alligabant, ut eo ad ſe haſtam retraherent ſimul ac eam amiſiſſent. Virg. Æneid. IV. 69.

— *qualis conjecta cerva ſagitta,*
Quam procul incautam nemora inter Creſſia fixit
Paſtor agens telis, liquitque volatile ferrum.

IX. 665.

Intendunt acres arcus, amentaque torquent.

Gloſſ. *Amentum*, ὅθεν κατέχεται ἡ λόγχη, *unde tenetur haſta.* Et *amentum*, ἅμμα ἀκοντίων, *vinculum jaculorum.* Accinunt verba Feſti: *Amenta, quibus, ut mitti poſſint, vinciuntur jacula.* Lipſ. Poliorc. IV. dial. 5. Laurent. Polym. IV. Synopſ. II. §. 9. Thyſ. de Oppugn. urb. IV. p. 187. Dacer. in Feſtum. Turneb. XXVIII. 5: XXX. 21. Cerda in Virgilium. Grapald. de Part. dom. II. 10. 11. Voſſ. Lexic. Etymol. Schill Nomenc. Philol. p. 94. *Amentorum* in jaculis apud priſcos uſus magnus erat, hodie cum ipſis haſtis jaculabilibus interiere. Juvabantur autem ictus *amenti* ope. Sil. Ital. IX. 510.

Et velut amenti contorta haſtilia turbo
Adjuvat.

Invenio autem viros magnanimos eo uti noluiſſe, virtutem ratos meliorem in lacertis eſſe. Sil. Ital. XIII. 158.

Indignatus opem amenti, ſocioque juvare
Expulſum nodo jaculum.

Barth. Adv. XXXV. 8. Dauſq. in Silium.

Amentum erat etiam corrigia, qua ſoleæ vinciebantur. Feſtus: *Amenta, ſoleárum lora.* Turneb. Adv. XXVIII. 5. Buleng. de Imperat. Roman. II. 7.

AMES eſt inter aucupum inſtrumenta. Horat. Epod. II. 31.

Aut amite levi rara tendis retia,
Turdis edacibus dolos.

Ubi vetus interpres: *Ames proprie eſt furcula, qua rete ſuſpenditur ad capiendas aves.* Gloſſ. Philox. *Amites*, σάλακες. *Amites*, ἰξευτικοὶ κάλαμοι. *Voſſ. Lex. Etymol.*

AMETHYSTINA dicuntur veſtimenta purpura infecta, eo temperamento, ut ejus lapilli colorem reddant, qui *amethyſtus* appellatur. Plin. IX. 38. *Ita permiſtis viribus, alterum altero excitatur, aut adſtringitur. Summa medicaminum in libras vellerum, buccini ducenta, pelagii* CXI. *Ita fit amethyſti color eximius ille.* Bayf. de Re veſt. c. 3. Braun. de Veſt. ſacerd. Hebr. I. 14. 2. Salmaſ. in Vopiſc. Aurelian. c. 46. Voſſ. Lexic. Etymol. Laurent. de Re veſt. c. 6. Tria ſunt genera præcipua, ac principalia purpurei

purpureo colore, Tyrius, *Amethystinus*, & conchylium. *Amethystinus* est in secundo gradu, ac genere, non adeo pleno colore candigens, ut purpura: nec tantæ nigritiæ, nec æque austerus, sed blandior adspectu, & magis violaceus, Plin. xxi. 8. *Hos animadverto tres esse principales. . . . . Alium in amethysto, qui in viola.* Salmas. in Tertull. de Pall. p. 185. Differt ab hyacinthino, quod ille emicans in *amethysto* fulgor violaceus, dilutus est in hyacintho, primo adspectu gratus, evanescit antequam satiet: adeoque non implet oculos, ut pœne non attingat, marcescens celerius sui nominis flore. *Bayf l. l.* Nero purpuram *amethystini* coloris interdixit. Suet. c. 32. n. 5. *Et cum interdixisset usum amethystini, & Tyrii coloris, summisissetque qui nundinarum die pauculas uncias venderet, præclusit cunctos negotiatores.* Ruben. de Re vest. i. 8.

AMI.

AMICABILIA scamna sunt subsellia advocatorum, qui speciali nota *amici* vocantur. Sidon. Epist. i. 3. *Scamnis amicabilibus deputantur.* Savar. in Sidonium. Suspecta nonnemini posset esse hæc *amicorum* appellatio, qua causidicos honestamus, cum alioquin sanguinem fortunarum bibant, & patrimonia miserorum emungant. Quare exponerem pro subselliis adsessorum, vel judicum, quos vocant pedaneos. Nec dissuadere videtur sensus, atque ordo epistolæ, si quis attente percurrat. Gaudentius enim ille, de quo ibi, paullo ante contemptus ab obtrectatoribus, quem nec consessu dignabantur, nunc in sede, atque honore suscipitur: atque ita vices ille rependit, dum *scamnis amicabilibus deputat* contemptores, in inferiorem scilicet locum ad obsequium, & ministerium hos detrudens, qui nuper dedignabantur se habere assessorem. Quod vero assessores, vel consiliarii *amicorum* nomen passim meruerint, tam notum est, quam quod notissimum. Quod profert l. divi fratres. ff. de jur. patron. non de causidicis ibi agitur, sed de ICtis, quos in consilium adhibitos Imperator honoris causa *amicos* appellare consuevit. V. infr. in *Amici*. Chimentel. de Honor. bisell c. 22.

AMICI Principis erant, quos in domestica, & interiore vita habebat, privata amicitia sibi junctos, inter quos & ICti, qui quasi assessores, & consiliarii de rebus gravioris negotii assumebantur. Spartian. Adrian. c. 18. *Quum judicaret, in consilio habuit non amicos suos, aut comites solum, sed ICtos, & præcipue Julium Celsum, Salvium Julianum, Neratium Priscum, aliosque.* Vetus saxum Mediolani:

C. SENTIO
SEVERO
QUADRATO
C. V. COS
AMICO. ET
COM. AUG. N.

Buleng. de Imperat. Roman. ii. 21. *Chimentel. de Honor. bisell. c.* 22. *Salmas. in Spartian. Adrian. c.* 18. *Treb. Poll. in* xxx. *Tyrann. c.* 12.

AMICI a senatu Romano appellabantur Reges, qui de Republica Romana optime meriti erant. V. infr. in *Rex* & *Socii*.

Amici in petendis honoribus erant colendi. Q. Cicer. de petit. consul. c. ii. *Petitio magistratuum divisa est in duarum rationum diligentiam, quarum altera in amicorum studiis, altera in populari voluntate ponenda est. Hoc nomen amicorum in petitione latius patet, quam in reliqua vita: quisquis est enim, qui ostendat in te aliquid voluntatis, qui colat, qui domum ventitet, is in amicorum numero est habendus: sed tamen qui sunt amici ex causa honestioris cognationis, aut affinitatis, aut sodalitatis, aut alicujus necessitudinis: his carum, & jucundum esse maxime oportet.* *Amicos* Cicero vocat propinquos, id est, cognatione, aut affinitate conjunctos: necessarios. V. illos infr. in *Necessarii*. Qui cæteri fuerint, liquet. Sodalitates autem fuerunt, de quibus loquitur Cato apud Cicer. de Senect. c. 13. *Primum habui semper sodales. Sodalitates autem me quæstore constitutæ sunt sacris Idæis magnæ matris acceptis. Epulabar igitur cum sodalibus modice.* Collegia etiam opificum, & artificum sodalitia dicta sunt. Quin etiam fuerunt collegia augurum, pontificum, & ejusmodi sacerdotum. Societates fuerunt cœtus publicanorum. Ordines, senatorius, equester, plebis. Horum omnium studia plurimum ad petitionem valuisse sæpissime Cicero docuit. Qui vero aliquid voluntatis ostenderunt, ii ferme aut salutatores, aut deductores, aut sectatores, aut suffragatores fuerunt. De quibus idem Quintus: *Assectationis tres partes sunt: una salutatorum, cum domum veniunt, altera deductorum, tertia sectatorum. In salutatoribus hoc efficiendum est, ut hoc ipsum minimum officium eorum tibi gratissimum esse videatur. Deductorum autem officium, quod majus est, quam salutatorum, hoc gratius tibi esse significato: & quoad ejus fieri possit, certis temporibus descendito: magnam affert opinionem, magnam dignitatem quotidiana in deducendo frequentia. Tertia est ex hoc genere assidua sectatorum copia, in ea, quos voluntarios habebis, curato, ut intelligant, te sibi in perpetuum summo beneficio obligari: qui autem tibi debent, ab iis plane hoc munus exige, qui per ætatem, ac negotium poterunt ipsi tecum ut assidui sint: qui si sectari non poterunt, necessarios suos in hoc munere constituant.* Sigon. de Judic. ii. 30. Greges olim Romani conducebant eo consilio, ut divitias & opulentiam jactarent. Mart. ii. 74. 1.

Cinctum togatis post, & ante Saufellum
Quem mane reduci Regulus solet turba,
Ad alta tonsum templa cum reum misit,
Materne, cernis? invidere nolito.
Comitatus iste sit, precor, tuus nunquam.
Hos illi amicos, & greges togatorum
Fusciculenus præstat, & Faventinus.

Imo *amicorum* kalendaria excogitaverunt, & in illa *amicorum* nomina retulerunt. Senec. de Benefic. vi. 33. *Quid? istos tu libros, quos vix nomenclatorum complectitur, aut memoria, aut manus, amicorum existimas esse? Consuetudo ista vetus est Regibus, Regesque simulantibus, populum amicorum describere.* Nescio quid simile stomachatur Umbricius, ex novitia tamen, & nuper recepta lectione apud Juven. Sat. iii. 83.

—— *omnia Romæ*
Cum pretio, quid das, ut Cossum aliquando salutes,
Ut te respiciat clauso Vejento labello?
Ille metit barbam, crinem hic deponit amati.
Plena domus libris venalibus.

Pignor. de Serv. p. 437. *Amicos* in varias classes, & ordines dividebant veteres, ita ut *amicorum* alii fuerint primi, alii secundi, alii tertii. Hinc alii primæ, alii secundæ, alii tertiæ admissionis. V. supr. in *Admissionis*. *Amicos* quoties nominabant, toties bibebant veteres. Horat. Od. iii. 19. 9.

Da lunæ propere novæ,
Da noctis mediæ, da puer auguris
Murenæ: tribus aut novem
Miscentur cyathis pocula commodis.

Ubi Acro: *Puerum pincernam alloquitur. Hoc modo veteres festivitatem conviviorum celebrare consueverant, ut singulos vini cyathos sub singulorum deorum, aut carissimorum hominum nomine in poculis apponi juberent.* Buleng. de Conviv. i. 40. Navigaturos etiam numinibus commendabant. Cujusmodi pro Virgilio Athenas solvente extat votivum carmen Horat. Od. i. 3. Ritum hunc confirmat vetus saxum inter monumenta Comensia:

NEPTUNO. ET
DIS. AQUATILIB
PRO. SALUT. ET
INCOLUMIT. SIM
QUART. SECUNDIN.

Tomas. de Donar. c. 25.

AMICIRE & induere apud veteres criticos ita differunt, ut hoc de veste interiore, illud de exteriore semper accipiatur. *Ferrar. Anal. de Re vest. c.* 26.

AMICI-

AMICITIAM Deam jure inter ſua numina colloca-verunt veteres. Apud Romanos pingebatur juvenis forma, detecto capite, quæ erat tunica rudi induta, in cujus fimbria ſcriptum erat, MORS & VITA: in fronte ÆSTAS & HYEMS: habebatque latus apertum uſque ad cor, & brachium inclinatum, digito cor oſtendens: ibi ſcriptum erat LONGE & PROPE. *Gyrald. Synt. Deor.* I. 53. *G.* Ad aram inibatur, & ad illam mutuam inter ſe *amicitiam* adjecto religionis vinculo firmiorem ſanciebant. *Berthald. de Ara c.* 13. §. 9. Illam manu ſignamus, manu porrecta confirmamus. *Boxhorn. Quæſt. Roman.* 24. Illam, ſi quæ graves inciderent ſimultates, ſollenni quadam ratione renuntiabant veteres. Suet. Cal. c. 3. n. 9. *Ac ne tum quidem ultra progreſſus, quam ut & amicitiam ei renuntiaret.* Tacit. Annal. II. 70. 3. *Componit epiſtolas, queis amicitiam ei renuntiabat.* Et inimicitias denuntiabant. Cicer. pro Flacc. c. 1. *Etenim cum a clariſſimis viris juſtiſſimas inimicitias ſæpe cum bene meritis civibus depoſitas eſſe vidiſſem, non ſum arbitratus, quemquam amicum Reipublicæ, poſtquam L. Flacci amor in patriam perſpectus eſt, novas huic inimicitias nulla accepta injuria denuntiaturum.* Ræerard. Var. v. 15. Lipſ. in Tacit. Annal. II. Excurſ. I. Quo modo renuntiaverint. V. infr. in *Domus.*

Amicitia prætextata dicebatur jam inde a puero cœpta. Mart. x. 20. 4.

Et prætextata cultus amicitia.

Bayf. de Re Veſt. c. 10. Pitiſc. in Suet. Jul. c. 1. n. 1. §. 11.

AMICTUS eſt circumjectus. *Ferrar. de Re Veſt.* II. 1. 9: 4. 2. *Anal. de Re Veſt. c.* 23. Et notat omne veſtimenti genus exterius, quod tunicæ impoſitum corpus circumiret atque involveret. *Ferrar. de Re Veſt.* II. 4. 2.

Amictus duplex intelligendus eſt de togæ craſſa ac denſa materia, quæ æque gravis eſſet, ac duæ togæ, aut duæ aliæ veſtes. Nam quod aliqui *duplicem amictum* interpretati ſunt, qui totum hominem utrimque operiret, cum ſimplex unam tantum corporis partem, id repugnat primo vocis *amictus* notationi. Deinde, ſi ad inſtar duarum togarum erat, toga etiam ſimplex totum corpus involvebat, & ipſa hac notatione *amictus duplex* dici poſſet. Veriſimilius eſt lænam *duplicem amictum* dictam quaſi duplicem pannum, ſive quod denſa, craſſaque eſſet ac villoſa, ſive fortaſſe quod ad arcendum frigus duplici panno conferta, quales hibernæ veſtes altero panno ſubſutæ, aut pellibus ſubfultæ. *Ferrar. de Re Veſt.* II. 1. 9: 1. 2. 13. V. infr. in *Chlæna.*

AMICULUM fuit veſtis ſuperior, ſive quæ ſuper induebatur, muliebre veſtimentum. Curt. v. 1. 38. *Feminarum convivia ineuntium in principio modeſtus eſt habitus: dein ſumma queque amicula exuunt.* Liv. XXVII. 4. *M. Atilius, & Manius Acilius legati Reginæ* Cleopatræ *dona tulere, pallam pictam cum amiculo purpureo.* XXXIV. 7. *Feminis duntaxat purpuræ uſum interdicemus, & quum tibi viro liceat purpura in veſte ſtragula uti, matremfamilias tuam purpureum amiculum habere non ſines?* Diverſum a palla. A qua diverſum fuiſſe, ex Livio didicimus, ſed quodnam diſcrimen adhuc quærimus; niſi quod palla brevius fuerit, ita ut ſi pars ejus lævo brachio, aut humero non ſuſtineretur, flueret, & traheretur. Nec tantum matronarum honeſtarum geſtamen; ſed etiam meretricum, verum in comœdia palliata. Plaut. Ciſt. I. 1. 17.

Amiculum hoc ſuſtolle ſaltem. Sil. *Sine trahi, dum*
egomet trahor.

Ubi Lambinus parvum amictum interpretatur. Sed ſi parvus, quomodo trahebatur, humumque verrebat, niſi ſuſtolleretur? Et Agoraſtocles ad meretricem ait apud eundem Pœn. I. 2. 136.

Age, ſuſtolle hoc amiculum.

Commune tamen cum viris. In quibus non diſſimile fuiſſe videtur chlamydi, ſive paludamento. Nam de Dario fugiente Curt. III. 11. 11. *Inſignibus quoque imperii, ne fugam proderent, indecore abjectis.* Subjicit. III. 12. 5. *Unus e captivis ſpadonibus amiculum, quod Darius, ne cultu proderetur, abjecerat, in manibus ejus, qui repertum ferebat, agnovit.* Et VI. 9. 25. *Philotam obſoleto amiculo velatum juſſit induci.* Nec aliter unquam veſtem ſuperiorem militarem Curtius appellat. Val. Max. v. 2. ext. 1. *Darius privatæ adhuc fortunæ, amiculo Syloſontis Samii delectatus, curioſiore contemplatione fecit, ut ultro ſibi, & quidem a cupido daretur.* Ferrar. de Re veſt. I. 3. 19. Anal. de Re veſt. c. 23.

Amiculum aureum *Jovi Olympio, cum in fanum ejus veniſſet, detraxit Dionyſius grandi pondere, quo Jovem ornarat ex manubiis Carthaginenſium tyrannus Gelo: atque in eo etiam cavillatus eſt, æſtate grave eſſe aureum amiculum, hyeme frigidum: eique laneum pallium injecit, cum id eſſe aptum ad omne anni tempus diceret.* Cicer. de Nat. deor. III. 34. *Tomaſ. de Donar. Vet. c.* 24.

AMITERNUM olim urbs fuit Veſtinorum in Aprutio, celebris & ampla, ut rudera teſtantur, nunc pagus, vulgo S. Vitiorino. *Urſat. de Not. Rom. Theſ. Antiq. Roman. Græv. Tom.* XI. *p.* 995. *B.*

AMITINUS, *amitina, amitæ filius, filia.* Paull. Sent. IV. 11. Itaque uſurpatur l 4. C. commun. de ſucc. Confertur cum conſobrino, ut, qui mihi, ex *amita* mea natus, *amitinus* eſt, eidem ego, ex avunculo ipſius natus, ſim conſobrinus. Juſtin. §. quarto gradu Inſtit. de gradib. *Amitæ tuæ filii conſobrinum te appellant, tu illos amitinos.* Hotoman. de Ritu nupt. c. 9. Cujac. Obſerv. XII. 7.

AMM.

AMMON fœcunditatis & generationis genius habebatur apud Ægyptios, qui ab eo vitam rerum omnium fœcundam, cœlorumque benignitatem concedi putabant: hinc illius nomen tanquam favorabile amuletum laminis inciſum, & pectori affixum gerebant, tantumque huic numini tribuebant, ut ſola illius invocatione magnis bonis ſe repleri crederent. Hæc ſuperſtitio viguit etiam apud Romanos, qui *Ammonem* naturæ conſervatorem exiſtimabant. *Kircher. Obel. Pamphil.* v. *pag.* 494. *De la Chauſſe de manib. æn. vota refer. Tab.* 13.

AMO.

AMOMUM, ἄμωμον, uva ex Indica labruſca, vel potius frutex, cujus lignum ita in ſe convolveretur, ut βότρον, ſive uvam referret. Plin. XII. 13. *Amomi uva in uſu eſt, Indica vite labruſca: ut alii exiſtimavere, frutice botruoſo, palmi altitudine.* De illo etiam Theophr. Hiſt. plant. IX. 7. Dioſcor. I. 14. Venit ab oriente. Aſſyrium vocant Virg. Ecl. IV. 25.

—— *Aſſyrium vulgo naſcetur amomum.*

Stat. Sylv. II. 6. 88.

—— *Aſſyrio manantes gramine ſuccos.*

Per Aſſyrium gramen intelligit *amomum.* Voſſ. Lex. Etymol. Salmaſ. Exerc. Plin. p. 284. Cerda in Virgilium. Addebant unguentis, quibus condirent corpora. Stat. Sylv. II. 4. 33.

---- *At non inglorius umbris*
Mittitur: Aſſyrio cineres adolentur amomo.

Perſ. Sat. III. 103. V. illum infr. in *Cadaver.* Eo alludit Juven. Sat. IV. 108.

Et matutino ſudans Criſpinus amomo,
Quantum vix redolent duo funera.

Kirchman. de Funer. III. 5. Voſſ. & Cerda l. l. Et ungerent vivorum comas. Mart. VIII. 77. 3.

Si ſapis, Aſſyrio ſemper tibi crinis amomo
Splendeat.

Ovid. Heroid. XXI. 166.

Spiſſaque de nitidis tergit amoma comis.

Stat. Sylv. I. 2. 111.

---- *nec pingui crinem deducere amomo*
Ceſſavit mea, nate, manus.

Jun. de Coma. c. 7. Domit. in Statium, Cerda in Virgilium. Hodie non habetur. *Pancirol. de Reb. deperd. & inv. p.* 47.

AMOR dementiæ morbus erat ſecundum veteres. *Tomaſ. de Donar. Vet. c.* 16. Ex neſcio cujus ſententia Fa-

vo..i fuit filius. *Aleand. Tab. Hel. Expoſ. Theſ. Antiq. Roman. Græv. Tom.* v. *p.* 741. *B.*

AMORGINA veſtimenta ad inſtar byſſi, ſive carbaſi tenuiſſima ſecundum nonnullos fuiſſent. Veteres tamen critici *Amorginum* coloris genus dixerunt, nempe purpureum. Ut non ſatis conſtet, utrum ea vox lini ſpeciem, an colorem, an utrumque ſignificet. *Ferrar. de Re Veſt.* II. 4. 3.

AMP.

'ΑΜΠΕΙΡΑ, ampira primum certandi periculum eſt in batuatione virorum imberbium & puerorum, qui bellicos motus & vehementes in pompa Circenſi agitabant. *Argol. in Panvin. de Lud. Circ.* II. 2..

'ΑΜΠΕΧΟ'ΝΑΣ ſive ſtolas cum Dalmaticis ſive colobiis videtur confundere Petavius, qui verba Epiphanii Hæreſ. I. 15. *'Αλλ' ἐπειδὴ ϛολὰς, εἴτ' ἂν ἀμπεχόνας οἱ τοιῦτοι ἀνεβάλλοντο, καὶ Δαλματικὰς, εἴτ' ἂν κολοβιώνας* vertit, *quippe cum ſtolis, ſive veſtimenti genere quodam uterentur iſti, quod Dalmaticas, aut colobia appellare poſſumus.* Sed ϛολαὶ, ſive ἀμπεχόναι fuerunt pallia, quæ ſupra colobiones ſive Dalmaticas accipiebantur. *Salmaſ. in Tertull. Pall. p.* 472. *Ferrar. Anal. de Re veſt. c.* 23. Stola tenue amiculum feminarum fuit ex byſſo, vel ſerico. Ita & ἀμπεχόνη. Et conſtat utroſque humeros hoc amiculo coopertos fuiſſe. *Ruben. de Re veſt.* I. 17. Imo plus quam certum eſt, ſtolam non fuiſſe amiculum, ſed tunicam muliebrem, præcipue Romanarum matronarum, adeo ut ſtola ſimpliciter pro veſte matronali accipiatur, & illa quidem ex lana, poſtea etiam ex ſerico, nunquam ex byſſo. Amiculum nonniſi de pallio, & genere veſtis, quod ſuperinduebatur, dicitur. *Am* eſt ἀμφὶ. Et ideo ἀμπεχόνιον, & περίβλημα dicitur, & ἱμάτιον, quod ſemper de pallio, nunquam de tunica uſurpatur. *Ferrar. ibid. c.* 23. *&* 26.

'ΑΜΦΗ'ΡΗΣ a Græcis appellantur navigia ita comparata, ut in iis nautæ ſinguli duos ſimul remos moveant, unum a dextra, alterum a ſiniſtra. Scholia Thucydidis: *Amphericum eſt navigiolum; quod impellitur ab utroque latere, remigibus quibuſque duos ſimul concitantibus remos.* Scheffer. de Milit. nav. II. 2.

AMPHICEPHALUS fuit lectus cubicularis, *qui utrimque habuit pulvillum reclinando capiti.* Etymologicum. *Buleng. de Conviv.* I. 29.

AMPHICUPELLUM, fuit poculum duos habens fundos. *Buleng. de Conviv.* IV. II. Undique retro erat inflexum, nam ἀμφὶ præpoſitio circulariter ſignificat. *Tiraquell. in Alexandr. Gen. dier.* III. 10.

AMPHIDROMIA celebrabantur quinto a nato infante die. In illis quæ obſtetricum munere fuerant perfunctæ manus expurgabant, & curſu ad focum natum puerum ferebant, propinquique & amici familiares polypodes & ſepias munerum loco dabant. Suidas. *Rhodig. Ant. Lect.* XXII. 12. *Turneb. Adv.* III. 6. *Stuck. Ant. Conviv.* I. 16. *Buleng. de Imperat. Roman.* III. 18. *Nonn. de Re cibar.* III. 7. *Barthol. de Puerp. p.* 137. *Lomej. de Luſtrat. c.* 27. Focus ille nil niſi aræ deorum hoſtiis calentes. *Barthol. ibid. p.* 138.

AMPHIMALLUM erat lana, ſive veſtimentum utrimque villoſum, atque ita arcendo frigori paratum. Μαλλὸς enim Græcis eſt lana. Pollux VII. 13. *Quemadmodum & ἀμφίμαλλον χιτῶνα villoſam, & tunicam villis hiſpidam, aut undique filis refertam nominamus.* Ferrar. de Re veſt. I. I. 18: 2. 13: II. I. 14. Calcagn. Quæſt. Epiſt. III. I. de Re naut. c. 15. Rhodig. Ant. Lect. XVI. II. Salmaſ. in Vopiſc. Aurelian. c. 45. Fuit tunica gauſapina, quæ & gauſapium dicebatur. *Lotich. in Petron. Not. pag.* 198. Nihil minus. Habebat enim utrimque villos. Gauſapa ab una parte villoſa erant. Diverſa a gauſapis fuiſſe docet Plin. VIII. 46. cum ait: *Gauſape patris ſui memoria cœpiſſe, amphimalla autem ætate ſua veniſſe in uſum.* Ferrar. de Re veſt. II. I. 6. & 14. Indumentum etiam erat Silenorum. *Rhodig. ibid.* XIX. 25.

AMPHIMASCHALOS erat tunica manicata liberorum, duas habens manicas, quas etiamnum μασχάλας appellant. Ejus meminit Ariſtoph. Equit. II. 4. 47.

Sed cum nudum videres hunc populum,
Ne quidem tunica manulea dignum cenſuiſti.

'Αμφιμασχάλε ἠξίωσας. *Ferrar. de Re veſt.* II. 4. 22. *Calcagn. Quæſt. Epiſt.* III. I. *de Re naut. c.* 15. *Rhodig. Ant. Lect.* XVI. 10. *Alexand. Gen. dier.* V. 18. & ad illum *Tiraquellus.*

AMPHIPPII dicuntur *qui duobus non ſtratis* equis *conjunctis vehuntur.* Suidas in verbo ἱππική. *Pinell. Addit. ad Panvin. de Lud. circenſ.* I. 4. An ἄμφιπποι junctis equis uterentur, dubito. Tranſibant quidem ex equo in equum. Sed illi equi poterant etiam eſſe non juncti. *Scalig. in Manil.* V. 85. Alter ab altero trahebatur, ita demum excitatis militibus, ut in alterum nullo negotio tranſilire poſſent. *Rhodig. Ant. Lect.* XXI. 30.

AMPHIPRORÆ erant naves, quæ *utrimque proras* habebant, ne in obvertendo illas diſpendium temporis facerent, id etiam rapiditate, ac fluminum pernicitate, tum etiam alvei anguſtia cogente. *Calcagn. de re naut. c.* 12.

AMPHITAPÆ erant *veſtes utrimque villoſæ,* quæ ſubſternebantur dormientibus. Heſychius. Non. XIV. 24. *Amphitapæ veſtes dicuntur, utrimque habentes villos.* Lucill. I.

Pſilæ, atque amphitapæ, villis ingentibus molles.

Varro Manio: Alterum bene acceptum dormire ſuper amphitapa bene molli. Ulpianus etiam ff. de aur. & arg. leg. *amphitapa inter veſtimenta virilia* recenſuit. *Rhodig. Ant. Lect.* XVI. II. *Bayſ. de Re veſt. c.* 14. *Ferrar. de Re veſt.* II. I. 14. *Calcagn. de Re naut. c.* 15. *Epiſt. Quæſt.* III. I. *Buleng. de Conviv.* I. 31. *Grapald. de Part. dom.* II. 6. 28. *Roſin. Ant. Rom.* V. 21.

AMPHITHEATRUM erat ædificium rotundum, e duobus theatris, quorum forma ſemicirculum reddebat, e regione commiſſis, & conjunctis confectum, circumquaque ſpectandi uſum præbens. Caſſiod. Var. V. 42. *Amphitheatrum, quaſi in unum juncta duo viſoria, recte conſtat eſſe nominatum.* Iſidor. XVIII. 52. *Amphitheatrum dictum, quod ex duobus theatris ſit factum. Nam amphitheatrum rotundum eſt.* Quod non plane verum. Clariſſime Ovid. Met. XI. 25.

—— ſtructoque utrimque theatro
Ut matutina cervus periturus arena.

Ovo comparat Caſſiodorus: *Ovi ſpeciem ejus arena concludens, ut concurrentibus aptum daretur ſpatium, & ſpectantes omnia facilius viderent: dum quadam prolixa rotunditas univerſa colligeret.* Lipſ. de Amphith. c. 8. Marlian. Topogr. Urb. Rom. IV. 9. Donat. de Urb. Rom. III. 7. Turneb. Adv. V. 6. Salmuth ad Pancirol. de Reb. deperd. & inv. pag. 84. Blond. Inſtaur. Rom. III. §. I. Schill Nomencl. Philol. p. 96. Gradus circum undique, & ſedilia continenter diſpoſita ambibant in orbem. Dio XLIII. p. 225. A. *Theatrum venatorium, quod & amphitheatrum dictum eſt, ex eo, quod ſedes undique in orbem habeat ſine ulla ſcena.* Lipſ. ibid. c. 2. Buleng. de Venat. c. 10. Guilland. Papyr. membr. 12. n. 78. Caſal. de Urb. ac Roman. Imper. ſplend. part. 2. c. 5. Thyſ. de Amphith. p. 195. & 198. Latinis cavea. V. illam infr. in *Cavea.* Et arena, quia is locus deſabulari ſolebat, & arena ſterni in uſum pugnæ. Nam ſi lapide aut ruderato, in tam crebra effuſione ſanguinis, lubrico ſtatim pavimento, quæ ratio ſtandi, aut certandi? Arenam igitur injecere, quæ bibula: & quam ipſam renovare, & velut inarare etiam ſoliti per intervalla ludorum. De leone ſubito efferato Mart. II. 75. 5.

Nam duo de tenera juvenilia corpora turba,
Sanguineam raſtris quæ renovabat humum,
Sævus & infelix furiali dente peremit.
Martia non vidit majus arena nefas.

Arenam, credo, vulgariam, niſi quod quidam raſuram lapidis albi deſtinarunt etiam huic rei, quæſita gratia candoris. Plin. XXXVI. 22. *Invenere & alium uſum ejus lapidis,*

in

in ramentis quoque circum maximum ſtruendi, ut ſit in commendatione & candor. Nec ſcio an ad hanc mentem, morem, & calamum, cum de gladiatorum ſpectaculo ſcribit, flexerit Ovid. Faſt. IV. 813.

Altera treſque ſuper raſa celebrantur arena.

Principes interdum inſtravere minium, aut chryſocollam. V. infr. in *Chryſocolla.* Hinc ea vox pro certamine *amphitheatrali*, & pro ipſo loco. Tacit. Annal. XV. 32. 3. *Spectacula gladiatorum idem annus habuit, pari magnificentia ac priora. Sed feminarum illuſtrium, ſenatorumque plures per arenam fœdati ſunt.* Suet. Cal. c. 30 n. 5. *Equeſtrem ordinem, ut ſcena, areneque devotum aſſidue proſcidit.* Horat. Epiſt. I. 6. 6.

Nec populum extrema toties exoret arena.

Lipſ. ibid. c. 3. Thyſ. ibid. p. 196. Blond. Inſtaur. Rom. III. §. 14. Caſal. l. l. Cavi hujus, ſive caveæ area pura fuit, ſine ſubſtructionibus aut ædificiis, libera tota ad curſum ferarum & ad pugnam. Sub illa fuerunt cloacæ ad exſugendum educendumque humorem illum ſtagnorum provide ſtructæ. An potius cameræ quædam & ſpecus ſubterranei ad cuſtodiam & receptum ferarum, ſive etiam ad uſum aquarum, quas in arenam occulte & ſubito inducebant atque educebant ad naumachias. Lipſ. ibid. c. 8. Caſal. l. l. Schill. Nomencl. Philol. p. 98. V. & infr. in *Cloaca.* Caveæ erant ferreæ, & feræ ex illis per portas, ſive oſtia cum impetu in arenam emittebantur, & poſt pugnam in illas immittebantur. Liv. XLI. 27. *Cenſores locarunt faciendos carceres in circo, & ova ad notas curriculis numerandas, & * dam, & metas trans * caveas ferreas pe * intromitterentur.* Ex illis enim emittebantur in arenam. Vopiſc. Prob. c. 19. *Neque enim erat beſtiarum impetus ille, qui eſſe caveis egredientibus ſolet.* Treb. Poll. Gallien. c. 12. *Cum quidam gemmas vitreas pro veris vendidiſſet uxori ejus, ſurripi quaſi ad leonem venditorem juſſit: deinde e cavea caponem emitti.* Immittebantur rurſus in illas poſt pugnam. Senec. de Ira II. 12. *Curriculi motus, rotarumque verſata facies leones redigit in caveam.* Lipſ. ibid. c. 9. Fuere, qui arboribus hoc planum conſererent, & arenam totam verterent in ſylvam, ſcilicet, ut vivam imaginem exhiberent veræ, germanæque venationis. Audax inventum, & quod non melius expreſſerim, quam ipſis Vopiſci in Probo verbis prolatis infr. in *Venatio amphitheatralis*, & *Sylva.* Nec tamen laus hujus inventi penes Probum, invenio Gordianum, etiam privatum jam ante factitaſſe idem. Capitolinus laudandus infr. in *Sylva.* Nec ſolum in ipſo ſolo, ſed in caveis ipſis, quarum loco invenerunt antra quædam coeuntia, & deeuntia arte quadam, & machinis, velut hiatu terræ, & aperta celeriter, & operta: iterumque arbutis & virgultis tanquam creſcentibus inducta, quæ velut e terra ſubito admitterent feras. Calpurn. Eclog. VII. 69.

Ah trepidi, quoties nos deſcendentis arenæ
Vidimus in partes, raptaque voragine terræ
Emerſiſſe feras; & eiſdem ſæpe latebris
Aurea cum croceo creverunt arbuta libro.

Navim quoque ædificarunt grandem in ipſa arena, quæ ſolutilis eſſet, & ſubito luxata emitteret omne genus ferarum pro arbitrio magiſtri temperantis. Dio id ſcribit ubertim LXI. p. 695. B. *Et quoniam eam cædem palam non audebant, nec venenis clam patrare facile id poſſent, navim quampiam in theatro conſpicientes, ita factam, ut ſponte ſolveretur, & belluis quibuſdam emiſſis, rurſus compingeretur, & rediret in priorem ſtatum, viſum iis huic ſimilem ædificare.* LXXVI. p. 860. B. *Receptaculum omnium ferarum in amphitheatro exſtructum erat inſtar navis, quæ capere poſſet, & emittere ad feras quadringentas. Ea autem deſubito occulte ſoluta, exſiliebant urſi, leæ, panthera, leones, ſtruthiones, onagri, biſſontes: ita ut ſeptingentas feras, aut pecudes ſimul & currere liceret cernere, & occidi.* Imo quodammodo mare ipſum in theatra induxerunt, & omne hoc rotundum, per occultos quoſdam ductus, & meatus ſubito aqua repleverunt; & pro terreſtribus feris, monſtra maris oſtenderunt, & claſſes, & navalem pugnam Carini Principis ludis id factum, & a ſe viſum memorat Calpurnius:

Nec ſolum nobis ſylveſtria cernere monſtra
Contigit, æquoreos ego cum certantibus urſis
Spectavi vitulos, & equorum nomine dignum,
Sed deforme pecus.

Lipſ. ibid. c. 10. Schill ibid. p. 99. Quando primum inſtitutum non magis clarum, quam quando venatio ipſa. Et ejus natalem quæſivi diu fruſtra. Nata tamen *amphitheatra*, niſi fallor, haud diu ante tempora Reipublicæ deſidentis, & quidem temporanea primum. *Lipſ. ibid. c. 5. Thyſ. & Caſal. l. l.* Exſtruebantur in campo Martio propter loci amplitudinem extra Urbem. Suet. Cal. c. 21. n. 2. *Inchoavit amphitheatrum juxta ſepta.* Spart. Adrian. c. 8. *Theatrum, quod ille,* Trajanus, *in campo Martio poſuerat, contra omnium vota deſtruxit. Theatrum* dixit pro *amphitheatro*, ut alii frequenter. *Donat. de Urb. Rom.* III. 7. Duo eodem tempore fuerunt in Urbe, Flavium, ſive Veſpaſiani, & Statilii Tauri. *Borrich. Ant. Urb. fac. c.* II. *Pancirol. Notit. dignit. imp. occid. Theſ. Antiq. Roman. Græv. Tom.* VII. *p.* 1784. *B. Deſcript. Urb. Rom. Theſ. Græv. Tom.* III. *p.* 322. *A.* 388. *D. Donat. ibid. c.* 8. Primitus fiebant e ligno. Plin. XXXVI. 15. *C. Curio theatra duo juxta fecit ampliſſima e ligno cardinum ſingulorum verſatili ſuſpenſa libramento, in quibus utriſque antemeridiano ludorum ſpectaculo edito inter ſe averſis, ne invicem obſtreperent ſcenæ: repente circumactis, ut contra ſtarent, poſtremo jam die diſcedentibus tabulis, & cornibus in ſe coeuntibus faciebant amphitheatrum.* Ligneum etiam exſtruxit Julius. Dio XLIII. p. 225. A. *Multa, & varia ſpectacula edidit, venatorio quodam theatro e lignis ſtructo: quod & amphitheatrum appellatum eſt.* E lapide primum exſtructum eſt an. 725. a Statilio Tauro. V. infr. in *Amphitheatrum Statilii.* Sacrabantur Dianæ, Marti, & Saturno ob artes. Videtur hoc velle Tertull. de Spectac. c. 12. *Pluribus, & aſperioribus numinibus amphitheatrum conſecratur: ac, ut de artibus concludam, Martem, & Dianam utriuſque ludi præſides novimus.* Magis diſtincte Dianæ Tauricæ ſacrat Caſſiod. l. I. *Spectaculum,* inquit, *tantum fabricis clarum, ſed actione teterrimum, in honorem Scythicæ Dianæ repertum, quæ ſanguinis effuſione gaudebat.* Nec ab alia cauſa Dianam pro ipſa venatione *amphitheatrali* poſuit Mart. de Spectac. XII. 1.

Inter Cæſareæ diſcrimina ſæva Dianæ.

Sed & Jovi ſacrabant, ſive Latiari, ſive Stygio. De illo Tertull. Apolog. c. 9. *Ecce in illa religioſiſſima Æneadarum urbe Jupiter quidam, quem ludis humano ſanguine proluunt. Sed beſtiariorum, inquitis. Opinor hoc minus, quam hominum.* Adverſ. Gnoſtic. c. 7. *Latio ad hodiernum Jovi media in urbe humanus ſanguis inguſtatur.* Stygium, ſive infernalem interpretari eum videtur Prudent. cont. Symm. I. 384.

Quid pulvis caveæ ſemper funebris? & illa
Amphitheatralis ſpectacula triſtia pompæ?
Hæ ſunt deliciæ Jovis infernalis, in iſtis
Arbiter obſcuri placidus requieſcit Averni.

Et aram Ditis in *Amphitheatro* poſitam agnoſcere, quæ ſanguine hoc perfuſa n. 397.

Funditus humanus Latiari in munere ſanguis;
Confeſſuſque ille ſpectantum ſolvit ad aram
Plutonis fera vota ſui: quid ſanctius ara,
Quæ bibit egeſtum per myſtica tela cruorem?

Saturnus etiam venit in partem hujus tutelæ. Lactant. VI. 20. *Venationes, quæ vocantur munera, Saturno attributæ ſunt.* Lipſ. ibid. c. 4. Thyſ. l. l. Venationum cauſa ædificabantur, unde & *theatrum venatorium* vocavit Dio ſupra laudatus. In medio enim ara fuit poſita, in qua deo ſacrificaretur, in cujus honorem fierent ludi. Joſeph. Ant. Jud. XIX. 1. *Progreſſus deinde Imperator,* Cajus, *rem divinam facit Auguſto Cæſari, ad cujus tum honorem ludi celebrabantur.* Clarius paullo poſt: *Tandem irrumpentibus militibus clamor toto theatro tollitur, & circumlata cæſorum cum Aſprenate capita, & in ara depoſita.* Ubi quamvis de *theatri* ara ſermo ſit, par tamen, imo potior *amphitheatri* ratio eſt, cum munus gladiatorium inſtar ſacrificii eſſet. Nec ſolum pugnæ, ſed etiam navalia prælia dabantur. V. illa

Infr. in *Naumachia.* Interdum etiam in illo supplicia sumebantur. Prudent. περὶ ϛεφ. VI. 61.

Intrant interea locum rotunda
Conclusum cavea, madens ferarum
Multo sanguine quem furor frequentat.
Cum spectacula perstrepunt cruenta,
Ac vilis gladiator ense duro
Percussus cadit, & fremit voluptas.
Hic flammante pyra niger minister
Ardens supplicium parare jussus,
Construxit facibus rogum supremis.

Buleng. de Venat. c. 10.

Amphitheatrum castrense fuit in Exquiliis regione Urbis quinta. *Lips. de Amphith. c. 5. Donat. de Urb. Rom.* III. 7. *Nardin. Rom. Vet.* IV. 7. *Boissard. Topogr. Rom.* I. *p.* 66. Ad sinistram S. crucis in Hierusalem. P. Victor. *Extat adhuc eo loco, stantibus pilis, & parietibus, lateritium.* Panvin. Descript. Urb. Rom. Thes. Antiq. Roman. Græv. Tom. III. p. 229. A. Borrich. Ant. Urb. fac. c. 7. Donat. l. l. Ejus structor mihi irrepertus, nisi si is Tiberius Imperator fuit, qui idem struxit & castra. *Lips. l. l.* Forte fuit, quod inchoatum a Caligula juxta septa scribit Suet. c. 21. n. 2. septa castra intelligens, unde castrense dici potuit. Potuit etiam esse id, quod hortante Augusto Statilius Taurus exstruxit. *Pancirol. Descript. Urb. Rom. Thes. Antiq. Roman. Græv. Tom.* III. *p.* 342. *D.* Ex latere quidem cocto, sed nitido opere Corinthio surgit, muro urbano hodie impactum. *Borrich. l. l.*

Amphitheatrum Claudius juxta septa ædificavit, quod a Tiberio imperfectum fuerat relictum. *Marlian. Topogr. Urb. Rom.* V. 5. Hoc Claudius non inchoavit, neque ædificavit, sed Cajus. Suet. c. 21. n. 2. *Opera sub Tiberio semiperfecta, templum Augusti, theatrumque Pompeji absolvit. Inchoavit autem aquæ ductum regione Tiburti, & amphitheatrum juxta septa.* Ex his Claudius alterum absolvit, nimirum aquæ ductum. Suet. c. 20. n. 2. alterum omissum, nempe *amphitheatrum* istud. *Ursin. in Marlianum.*

Amphitheatrum Flavius Vespasianus struxit in consulatu suo octavo, id est, vix biennio ante vitæ finem. Inducor a nummo, cujus inscriptio: IMP. CÆSAR. VESPASIAN. AUG. COS. VIII. P. P. & parte altera expressa hæc *amphitheatri* figura. Itaque cœpit opus ipse, non absolvit: struxit, non exstruxit. At Titus filius summam manum imposuit, idemque dedicavit. Suet. c. 7. n. 11. *Amphitheatro dedicato munus edidit apparatissimum.* Duorum ergo Principum opus, ideoque non male S. Rufus, qui ambigue inscripsit, *Flavii amphitheatrum:* etsi fama, & vulgus Tito magis adjudicarit, sive favore quodam in illum, sive potius ex Romano ritu, quo receptum opera censeri a dedicante. Non satis considerate Cassiodorus & Eutropius, qui id Titum fecisse autumant. Ille Var. V. 42. *Hoc Titi potentia principalis divitiarum profuso flumine cogitavit ædificium fieri.* Hic VII. 21. *Hic Romæ amphitheatrum ædificavit.* Magis Aurelius Victor, qui perfecisse dicit de Cæsar. c. 10. n. 5. *Amphitheatri perfecto opere veneno interiit.* Lips. de Amphith. c. 6. Faunus Antiq. Urb. Rom. III. 12. Marlian. Topogr. Urb. Rom. IV. 13. Donat. de Urb. Rom. III. 7. Pancirol. Descript. Urb. Rom. Thes. Antiq. Roman. Græv. Tom. III. p. 333. B. Thys. de Amphith. p. 197. Martialem autem molem hanc Domitiano tribuisse multi opinantur, quod ad eum scribens *Cæsareum amphitheatrum* appellarit de Spect. I. 7.

Omnis Cæsareo cedat labor amphitheatro.

Itaque per adulationem dictum putant: cum tamen dubium non sit, Domitianum nihil præterea huic operi præstitisse, nisi fortasse incrustatione exornarit, signave in arcubus superioribus addiderit, atque eam ob rem ex more suum titulum apposuerit, sine ulla pristini auctoris memoria. *Marlian. Faun. Borrich. l. l. Nardin. Rom. Vet.* III. 9. Intelligit Martialis Titianum: nec ad Domitianum illa, aut de Domitiano, ut alucinatur interpretum vulgus. Doctorum curia mecum scit, non ista solum, sed totum epigrammatum primum libellum in Titum convenire, & ejus ludos, quos in dedicatione hujus *amphitheatri* exhibuit per dies pæne centum auctore Xiphil. LXVI. p. 757. D. *Lips. ibid. c.* 7. Vulgo vocatur *Il Coliseo* corrupta voce pro Colossæum a colosso Neronis, qui ante illud fuit. *Nardin. Marlian. Pancirol. Faun. l. l.* Vel ab ædificii mole. *Fabric. Descript. Urb. Rom. c.* 12. Inter Cœlium & Exquilinum Urbe media. Suet. Vesp. c. 9. n. 1. *Amphitheatrum fecit Urbe media, ut destinasse compererat Augustum.* Borrich. Fabric. & Faun. l. l. Sed quomodo hoc, dubitatio quosdam solet incessere, quum adeo distet a porta Viminali, Exquilina, Nævia, minus a Capitolio, ubi illa tempestate pomœrium. Responsio facilis est. Locus enim ille in medio septem Urbis collium situs est, a quibus cingitur in modum coronæ; quamvis alius alio sit propinquior. Habet Capitolium & partem Quirinalis a septemtrionibus; Aventinum & Palatinum ab occasu; Cœlium & Esquilini partem a meridie; reliquum Exquiliarum cum Viminali & parte Quirinalis ab ortu. Deinde quamvis Urbs pomœrio secundum Capitolium & Tiberim terminaretur, tamen extra erat tam publicis, quam privatis ædificiis frequens, ut horum respectu vere in Urbis medio diceretur esse. *Donat. l. l.* Ea celsitate & amplitudine est factum, ut dixerit Ammian. XVI. *Amphitheatri molem solidatam lapidis Tiburtini compage, ad cujus summitatem ægre visio humana conscendit.* Marlian. Fabric. Donat. l. l. Lips. ibid. c. 7. Buleng. de Venat. c. 10. Thys. ibid. p. 198. Forma hæc est. Tota moles arcus immanibus pilis, triplicique ordine porticus in circulum erigit. Affixæ pilis columnæ plurium segmentorum scapo Doricæ imæ, Ionicæ mediæ, summæ Corinthiæ. Tum continuatus paries patentibus identidem fenestris, interque locatis opere composito quadratis columnis distinguitur. His epistylia, atque e zophoro prominentibus crassis mutulis, corona circumattollitur. Cujus quia supremi lapides æqualibus spatiis perforati sunt, trajectæ quondam, immissæque antennæ demittebantur ad inferiores mutulos sub foraminibus ad lineam e muro prostantes. Ita sane firmatis trabibus, iisdemque supra fabricæ coronam elatis, funes ad sustinenda vela, & inumbrandum circumsedentem populum alligabantur. Interior cavea ovata est; in quam declives fornices, & impositi olim sedentium gradus, areolis certa per intervalla intercurrentibus ex tertia altioreque porticu descendebant. Inferiores pilæ & arcus extima facie crebris foraminibus nunc deformati sunt. Id docti indoctique barbarorum feritati transscripserunt, qui capta in Urbe quod delere non potuerunt, vi ferroque mutilatum fœdarunt. Ego semper duxi, hoc peractum opera artificum & institorum. Illi enim cum ibi nundinas agere, venumque mercimonia exponere consuessent, adactis solo furculis, ex adverso perruptos *amphitheatri* lapides fodiebant, ut perticas immitterent sustinendis tabernaculis, merciumque tegminibus, & caducis. *Donat. & Fabric. l. l. Lips. ibid. c.* 7. Capax fuit, & supra fidem. P. Victor: *Amphitheatrum*, inquit, *quod capit loca* LXXXVII. ∞. Et de gradibus tantum intelligit, credo: in quorum pulvillis sedisse commode vult octoginta septem millia hominum. At in ambitu illo superiore, & circumjectis porticuum aulis, non minus item spectarunt, quam dena, aut vicena potius millia: sive stantes, sive in allatis cathedris sedentes. *Lips. & Marlian. l. l.* Jure ergo hanc molem admiratus Cassiodorus jam laudatus in hoc elogium erupit. *Hoc Titi potentia principalis, divitiarum profuso flumine, cogitavit ædificium fieri, unde caput urbium potuisset.* Et historica fide, non poetica, ante omnia orbis opera ponit Mart. de Spectac. I. 9.

Omnis Cæsareo cedat labor amphitheatro:
Unum præ cunctis fama loquatur opus.

Intelligit enim hoc Titianum. Et *venerabilem molem* appellat de Spectac. II. 5.

Hic ubi conspicui venerabilis amphitheatri
Erigitur moles, stagna Neronis erant.

Ubi simul locum præit, in quo hoc opus destitutum, qui patuit Neronianæ domui. *Lips. l. l.* Ad *amphitheatrum* erant officinæ, ubi machinæ variæ, & pegmata sponte crescentia conficiebantur, ubi etiam ex fœno fingeban-

tur

tur homines, quibus post objectatis ad spectaculum præbendum tauri irritarentur, ubi alii aliique pro *amphitheatri* usibus apparatus tentabantur. Pegmata illa prosequitur Seneca infr. in *Pegma*. Borrich. l. l. Adeundi loca varia. Primus introitus est in ipsam aream circularem, quam nunc nominant arenam. Proximus adscensus est ad sedilia. Sequitur alius ad aream aditus. Postremus descensus in loca subterranea, ad quæ obruta jam pervenire nequit. *Fabric. l. l.* Principes, cum casu aliquo læsum, aut igne tum, resecère. Inter eos M. Antoninus Pius, ut refert Capitol. c. 8. *Opera ejus Romæ hæc extant:.... instauratum amphitheatrum.* Heliogabalus. Lamprid. c. 17. *Amphitheatrum ab eo instauratum post exustionem.* Senatus ipse eam tuitionem suscepit sub Gordianis. Capitol. Maxim. & Balbin. c. 1. *Quid opus est de restitutione templorum, de thermis Titianis, de ædificatione amphitheatri agere?* Et ita multorum cura, & genio quodam perennitatis pervenire tanta machina potuit ad hoc ævi. *Lips. ibid. c. 6.*

Amphitheatrum Statilius Taurus homo novus in Urbe, sed industrius, ac fortis, quo maxime post Agrippam usus est in administratione Reipublicæ Augustus, Augusti suasu. Suet. Aug. c. 29. n. 13. *Et multa a multis exstructa sunt hortante Augusto: a Statilio Tauro amphitheatrum.* Dio mox laudandus. *Donat. de Urb. Rom.* III. 7. *Borrich. Ant. Urb. fac. c.* 11. §. 6. *Lips. de Amphith. c.* 5. *Marlian. Topogr. Urb. Rom.* IV. 10. *Pancirol. Descript. Urb. Rom. Thes. Antiq. Roman. Græv. Tom.* III. *p.* 359. *B. Faunus Antiq. Urb.* III. 15. Posuit in monte Cœlio, & in hoc monte hujus adhuc exstant reliquiæ. *Marlian. & Faunus l. l. Blondus Instaur. Rom.* I. §. 87. Non in illo monte, in quo quod adhuc exstat, Victor nuncupat *amphitheatrum castrense.* V. illud supra. Sed in campo Martio. Dio LI. p. 460. D. *Statilius Taurus in campo Martio theatrum quoddam venatorium lapideum, & struxit suis impensis, & dedicavit.* Victor etiam in descriptione summaria Urbis ponit illud in regione nona circi Flaminii, sub qua Martius campus. *Lips. de Amphith. c.* 5. *Buleng. de Venat. c.* 10. *Ursin. ad Marlianum. Borrich. Ant. Urb. fac. c.* 11. §. 6. *Nardin. Rom. Vet.* IV. 2. *Thys. de Amphith. p.* 197. In Dionis loco campum strictius accipiendum puto: ita ut opus hoc in ipsius ambitu, vel saltem proxima fuerit vicinia. Judicium hujus rei satis certum est, quod Augustus ante in eodem campo ad edendos ludos *amphitheatrum* ligneum fecerit, quum stabile, ac lapideum illic nullum esset. Sic & a Caligula ibidem spectacula edita refert Suet. c. 18. n. 1. *Munera gladiatoria partim in amphitheatro Tauri, partim in septis, aliquot edidit.* Quamquam vero Dio LIX. p. 647. D. diversa dicere videtur: *Exhibuit spectacula ista partim in septis effosso omni loco, & aqua repleto, ut unam navem introducere posset. Post alibi etiam maxima ædificia demolitus tabulata fixit contempto Tauri amphitheatro.* Tamen hæc ita accipi possunt, ut aliquando, non autem semper *Tauri* ab eo neglectum *amphitheatrum* sit, quemadmodum tamen unicum hoc tum Romæ id genus ædificium ludos illos intra ambitum suum spectari debere velut postulabat. Locum ejus, seu positum certum, nemo est qui expediat. Quod si mons Citorius, vel Jordanus tum temporis colles non fuerunt, alterum ex his illi adsignaverim: verosimile tamen est, quum nulla ejus existant residua veri indicia, in campo minore fuisse, vel saltem in proximo. *Nardin. ibid.* VI. 7.

Amphitheatrum in campo Martio exædificavit etiam Trajanus: quod demolitus est Adrianus. Spartian. c. 8. Adrianus *theatrum, quod ille in campo Martio posuerat, contra omnium vota destruxit.* Nec moveat quemquam, quod id *theatrum* a Spartiano appelletur. Nam *amphitheatrum* fuisse prodidit Pausan. Eliac. I. p. 159. ubi ait: θέατρον μέγα κυκλοτερὲς πανταχόθεν. Qua vero campi parte, & an intra ejus ambitum fuerit, æque, ut cætera, incertum est. *Nardin. Rom. Vet.* VI. 7. *Donat. de Urb. Rom.* III. 7. *Borrich. Ant. Urb. fac. c.* 11. §. 6.

Amphitheatrum in Gallia ad Ligerim est manu quidem & arte humana factum, sed ita ut videri possit a natura. Totum enim & excisum est & excavatum in monte, sine externa ulla materiatione calcis, lapidis, ligni. Mons in quo est, & e quo est, abest plus minus diei mediæ itinere a Ligeri fluvio, parte ea qua ab Andegavis in Pictones itur. In ejus summo, paullo tamen ad latus reperitur. Gradus subselliorum a summo margine statim incipiunt; minuunturque paullatim euntes in declive. *Lips. de Amphith. extr. Rom. c. 6.*

Amphitheatrum Nemausense quando, vel a quo structum nescimus. Hoc reperio nota dignum, olim à Gothis loco arcis habitum, & contra vim firmatum. Roderic. Toletan. in Reb. Hispan. III. 7. id notat, & appellat *præsidium arenarum.* Lips. de Amphith. extr. Rom. c. 5.

Amphitheatrum Placentinum *opus fuit pulcerrimum, situm extra muros, conflagravit, sive ab oppugnatoribus incensum, dum faces jaculantur: sive ab obsessis, dum regerunt. Municipale vulgus pronum ad suspiciones, fraude illata ignis alimenta credidit a quibusdam vicinis coloniis, invidia & æmulatione, quod nulla in Italia moles tam capax esset.* Tacit. Hist. II. 21. 2. Quod combustum illud ait, fortasse hæreas: & quid? fuitne igitur ligneum? De toto, non opinor; de parte, suspicor: ea scilicet, quæ subsellia, & gradus interne complexa. At exteriora omnia firma, & e lapide fuisse censeo: ni fuissent, cur ut de magna jactura aliqua historicus noster questus? *Lips. de Amphith. extr. Rom. c.* 4.

Amphitheatrum Polanum, sive quod est in urbe Pola Istriæ maritima, & quidem in media, ad montem. Non e lapide aut uno opere tota moles fuit, sed exterior tantum pars, quæ lapide quadro adsurgit cum columnis suis, opere item rustico facta. Interiora omnia membra, subsellia, aditus, gradus, podia e ligno fuerunt, & pro tempore construi potuerunt & destrui. *Lips. de Amphith. extr. Rom. c.* 4.

Amphitheatrum Veronense unicum duntaxat fere integrum in Italia conspicitur. Forma talis erat. Cingebatur quaqua versum lapideis gradibus, ita ut unus in alium atque item alium largius sese extendens, latior subinde adsurgeret; & populo considenti venationum contemplandarum copiam faceret. Sustentabatur altissimis porticibus, & inferius multis pervium erat portis, ut cuilibet absque alterius incommodo integra esset egrediundi facultas. Extra Taurinum in via quæ Pinarolum ducit ad Monturucum, quasi agger quidam in gyrum deductus conspicitur. Exstructum fuit a privato quodam, ut ex inscriptione colligitur. *Panciroll. Rer. Deperd. & Inv. p.* 79. E marmore est totum. Torellus Sarayna in descriptione Veronæ putat valde vetus esse, & structum ante tempora Augusti, aut certe illis ipsis. Argumenta huic rei adfert I. *Amphitheatrum* antiquius esse quam *theatrum*, quod ibidem conspicitur juxta Athesin flumen. At *theatrum* hoc est, inquit, exstructum ab Augusto, magis igitur *amphitheatrum.* II. Lapides in eo aliquot tauri effigiem habent insculptam; taurus autem symbolum Augusti; quoniam & in nummis expressus, & natus ipse ad capita bubula, uti Suetonius testatur. Et lapis alius Veronæ, qui præfert, OCTAVIÆ. C. F. ET. SORORI. CARISSIMÆ. Constat vero Octaviam sororem fuisse Augusti. III. Duodetriginta colonias per Italiam Augustus deduxit, easque variis operibus instruxit, narrante Suetonio: inter eas Veronam fuisse, nihil ambigendum. Sed illa levi, & ludente manu rejicimus. *Amphitheatrum* esse antiquius *theatro* non credo. Causa hæc, quia ubique fere locorum ludi scenici priores origine, & usu muneralibus istis: igitur & eorum sedes. Tauri in hoc opere insculpti ut ornamentum operis, non ut indicium auctoris. Quod si omnia ad Augustum trahes, ubi tauri: quis finis? Etiam Nemausense gloriabitur structore Augusto. Taurus est non tantum hujus Principis, sed & aliorum symbolum, quia coloniæ deductæ est nota, non peculiare aliquod signum. Augustus est natus ad capita bubula. Sed tu quoque inter ea, qui sic argumentaris. Octaviam illam fuisse sororem Augusti quis tibi fecit indicium? Ego illum lapidem fuisse sepulcralem verius auguror, & municipalis alicujus Octaviæ: non illius Principalis, quæ mortua, & sepulta Romæ. De colo-

coloniis, & per eas Auguſti operibus ſparſis: communiter non negamus. Ad Veronam ſi adſtringis, opus ſit alio tibicine. Nam Cyriacus Anconitanus in Itinerario [illegible] ſcribit, *Labyrinthum haberi illic conſtructum fuiſſe anno imperii Octaviani Auguſti trigeſimo nono*, eſt quidem [illegible] quis, ſed parum firmus. Famæ enim innititur: quæ in talibus plurimum invenitur fallax. Et cur credam Auguſti ævo ſtructum hoc opus? cum ne Romæ quidem tunc fuerit, & in ipſa Urbe matre. Nam manſura, & [illegible] tarde ibi cœpere, & ſub Auguſto? Valde autem [illegible]ſimile, exemplum illinc manaſſe ad urbes ſubditas, & minores: non autem contra. Sigon. Hiſt. Occid. I. nimis novitium facit, & refert ad Maximiani ævum: hoc ſolo argumento, quod is in vicinia pleraque condiderit ampla, & magnifica Mediolani, Aquilejæ, Brixiæ. Ego paullo antiquius quam pro illo Principe ſuſpicer. I. Quia tum Plinii ævo gladiatorum, & ferarum ſpectacula Veronæ ſatis crebra Epiſt. VI. 34. 1. II. Othonis, & Vitellii principatu Placentiæ, viciniſque oppidis inſignia *amphitheatra* fuiſſe ſcio, qui minus tunc Veronæ? *Lipſ. de Amphith. extr. Rom. c.* 2.

AMPHORA fuit vas anſatum, ſive utrinque, ſive ex omni parte habuerit anſam, qua circumferri poſſet. Anſata hæc forma colligitur ex Caton. de Re ruſt. c. 114. *Poſt dies quadraginta diffundito in amphoras, & addito in ſingulas amphoras ſæpe ſextarium unum. Amphoras nolito im[illegible]mium, anſarum infirmarum fini.* Qua voce plerumque ſcriptores ad vaſa non certæ, & determinatæ menſuræ, ut quadrantal eſt, ſed ad ipſum vaſis corpus demonſtrandum uſi ſunt, ut Cato c. 13. qui de *amphora naſiterna*, id eſt, ad aquam continendam inter vineæ inſtrumenta meminit. Quo ſenſu, id eſt, pro vaſe, non tamen determinatæ menſuræ, eam accepit Colum. XII. 28. his verbis: *Hoc facto poſt ſeptimum diem rurſus vinum purgatur, & in amphoras bene picatas, & bene olidas diffunditur.* c. 40. *Quod deinde fluxerit, aut doliis, aut amphoris condito: & cum deferbuerit, obturato, commodius autem ſervatur in amphoris.* Pætus de Roman. & Græcor. menſ. III. Theſ. Ant. Roman. Græv. Tom. XI. p. 1627. A. Dicitur & quadrantal ex pede in quadrum, deinde ex quadro in cubum capacitate reſolutam, metretes, & cadus. *Cenal. de Ponder. ac menſ. rat. Ant. Roman. Græv. ibid. p.* 1457. *C. Buleng. de Imp. Rom.* VI. 65. Vas fuit vinarium. Horat. Od. III. 17. 34.

Nec Læſtrigonia Bacchus in amphora
Langueſcit mihi.

Cicer. pro Font. c. 5. *Titurium Toloſæ quaternos denarios in ſingulas vini amphoras portorii nomine exegiſſe.* Et aliorum liquidorum. Cicer. Verr. II. 74. *Jam non quæro, unde* CCCC. *amphoras mellis habeas.* Colum. XII. 20. *Quadrantem medicaminis in binas amphoras miſcere ſolitus ſum, ita ut quatuor urnarum eſſet muſti modus.* Imo cujuſvis rei continendæ. Julian. l. 206. ff. de verb. ſignif. *Amphoræ, ſi vinum habeant, in vaſis vinariis: cum inanes ſint, tum extra numerum vinariorum ſunt: quia aliud in his abdi poteſt.* Donat. Dilucid. in Capitol. p. 908. Voſſ. Lexic. Etymol. Et in illo olivas ſervaverunt. Colum. XII. 47. *Amphoras uſque ad fauces replent olivis.* Quin & olearias fuiſſe *amphoras*, colligitur ex Caton. de Re ruſt. c. 10. ubi habes: *Amphoras olearias duas.* Pætus ibid. p. 1627. C. Etiam uvas paſſas. Colum. XII. 26. *Quidam uvam paſſam foliis ficulneis* [illegible] *aſſiccant: alii foliis vitigineis, nonnulli platani,* [illegible] *uvas contegunt, & ita in amphoras recondunt.* Fictiles fuiſſe licet colligere, tum ex eo quia picabantur, tum ex his, quæ dicit Plin. XXXV. 12. qui de fictilibus tractans ſic dicit. *Hodieque in templo oſtenduntur* [illegible] *ræ duæ, propter tenuitatem conſecratæ diſcipuli magiſtrique certamine, uter tenuiorem humum duceret.* Quod [illegible] ex his, quæ quotidie Romæ e terra eruuntur, aper[illegible] conſtat. Sic etiam quod longi colli eſſent, colligitur ex Caton. c. 89. *Salem candidum ſic facito. Amphoram defracto collo puram impleto aquæ puræ.* Ima parte fuiſſe acutas non modo in multis antiquis ſculpturis inſpicitur: ſed etiam oculata fide ex his, quæ infra terram reconditæ, & obrutæ reperiuntur, paſſim Romæ conſpicitur. *Pætus ibid. p.* 1628. *A.* Etiam ſparteas fuiſſe reor. Fictiles tractando ſæpe, ut in metiendo fit, franguntur. De ſparteis meminit Cato de Re ruſt. c. 11. *Amphoras ſparteas quatuor.* Turneb. Adv. VIII. 23. Pætus ibid. p. 1627. B. Feſtus: *Quadrantal antiqui vocabant amphoram, quod vas pedis quadrati octo, & quadraginta capiat ſextarios.* Julius African. in fragment. περὶ μέτρων: *Amphora vini, quam & metretam vocant, continet ſemiamphoras duas, quas cados communi nomine appellant: Romani vero urnas dicunt: ita ut amphora ſit ſextariorum octo & quadraginta.* Voluſ. Mæcian. de Ponder. *Quadrantale, quod nunc plerique amphoram vocant, habet urnas 2, modios 3, ſemodios 6, congios octo, ſextarios 48, heminas 96, quartarios 192, cyathos 570.* Hæc capienda de *amphora* Romana. Nam Attica trium urnarum fuit. Hinc Fannius:

Attica præterea diſcenda eſt amphora nobis,
Seu cadus: hanc facies noſtræ ſi adjeceris urnam.

Cave iis credas, quæ de *amphora*, cæteriſque menſuris ſcripſit Politian. Epiſt. X. Nam ea erroribus ſcatet, planeque Politiano eſt indigna. *Voſſ. l. l.* Et Politianum accuratius refutat *Bud. de Aſſe V. p.* 513. Picabatur, vel gypſo linebatur, ne virtus vini, aut raritate materiæ, aut poris vaſorum, occultis evaneſceret. Horat. Od. I. 20. 2.

—— Græca quod ego ipſe teſta
Conditum levi.

hoc eſt, pice, vel gypſo obſtruxi, & obduxi, vel incruſtavi. *Salmuth in Pancirol. de Reb. deperd. & inv. p.* 141. *Nicol. de Sigl. vet. c.* 45. §. 4. V. & infr. in *Pix*. Vino in illa condito notis, & titulis ſignabatur. Hoc indicat Juven. Sat. V. 34.

—— cujus patriam, titulumque ſenectus
Delevit multa veteris fuligine teſtæ.

Petron. c. 34. *Statim allatæ ſunt amphoræ vitreæ diligenter gypſatæ, quarum in cervicibus pittacia erant affixa, cum hoc titulo: Falernum Opimianum annorum centum. Dum titulos perlegimus.....* Briſſon. de Form. VIII. p. 739. Turneb. Adv. I. 1. Salmuth ibid. p. 142. Brod. Miſc. I. 3. Lambin. & Torrent. in Horat. Od. II. 3. 8. Cognat. Adag. p. 59. Unde proverbium: *de meliore nota*, quo aliquem commendamus: quia de meliore nota vinum eſt, quod præ cæteris commendatur, & probatur eſſe bonum. Hoc utuntur Catull. LXVIII. 27.

Quare, quod ſcribis Veronæ turpe Catullo
Eſſe, quod hic quiſquis de meliore nota....

Curio apud Cicer. Fam. VII. 29. *Sulpicii ſucceſſori nos de meliore nota commenda.* Cognat. Lambin. Salmuth & Turneb. l. l. Roa Singul. I. p. 54. Nicol. de Sigl. vet. c. 45. §. 5. Et hinc factum, ut nota interdum vinum ipſum ſignificet. Horat. Od. II. 3. 8.

Interiore nota Falerni.

Sat. I. 10. 24.

Ut Chio nota ſi commiſta Falerni eſt.

Torrent. in Horatium. *Amphoras* publice poſuerant in angiportis. Non videtur licuiſſe Romæ urinam publice facere niſi in illis. Licuit autem in illas gratis urinam conjicere uſque ad tempora Veſpaſiani, qui, cum eſſet avariſſimus, commentus eſt vectigal urinæ. V. illum infr. in *Vectigal.* Hâs ſordidis hominibus locavit, qui ſtipem ab hominibus, qui neceſſitate coacti in iis lotium reddebant, exigebant; nam quæ viri docti de fullonibus excogitarunt, fidem penes me non inveniunt. *Burmann. Diſſert. de Vectig. c.* 12.

Amphora Capitolina fuit dicta, quia mos fuit antiquorum, ut & hodie quoque Romæ eſt, menſuras, & pondera in Capitolio conſervari, & cuſtodiri, ut inde, quoties res exigeret, & de legitima menſura dubitaretur, veritas peti poſſet. Fannius in carmine de ponderibus & menſuris: & antiquæ menſuræ inſcriptio. V. & Fannium, & inſcriptionem infr. in *Quadrantal.* Ad has enim ceu ad lapidem Lydium exigebantur privatorum menſuræ. Quod cum difficile eſſet, multique ex libidine menſuras, & pondera ſibi componerent, univerſali lege cavit Imperator Valen-

Valentinianus, ut per ſingulas Romani imperii civitates pondera & menſuræ publicæ eſſent expoſitæ. Poſtea acceptas ab Imperatore menſuras & pondera ſervarunt vel papa, vel ſenatus. Exſtat enim Juſtiniani pragmatica ſanctio, cujus cap. 18. jubentur dari, vel ſuſcipi ſpecies, vel pecuniam *in illis menſuris*, inquit, *vel ponderibus, quæ beatiſſimo papæ, vel ampliſſimo ſenatui noſtra pietas in præſenti contradidit.* Caſaub. in Capitol. Maximin. c. 3. Pætus de Roman. & Græcor. menſ. III. Theſ. Antiq. Roman. Græv. Tom. XI. p. 1625. D. Calcagn. de Tal. & teſſer. c. 2.

Amphora geometrica debet habere numerum ex cubica multiplicatione collectum, ut ita dicamus: Duodecim unciæ libram conſtituunt: duodecies vero duodecim quadratum numerum reddunt, qui eſt centum quadraginta quatuor: verum duodecies duodecim duodecies, aut, mavis, duodecies centum quadraginta quatuor, conſtituunt mille ſeptingentas viginti octo uncias, quæ ad libras per partitionem duodenariam reductæ efficiunt centum quadraginta quatuor libras menſurales. Et hinc manifeſte ſequitur, tam Romanam quam Græcam *amphoras* magis uſuales eſſe, quam vere geometricas. Romana enim octoginta libras veterum teſtimonio, qui eam quæ in uſu erat apud Romanos *amphoram* tradiderunt, comprehendit. Attica vero centum & octo libras menſurales recipit. Neutra ad juſtam menſuram *amphoræ* geometricæ accedit. Longius tamen abeſt Romana quam Attica. Attica enim diſtat a juſta quantitate *amphoræ* libris menſuralibus ſex & triginta. Romana vero ſexaginta quatuor libris menſuralibus minor eſt *amphora* ad legem geometricam conſtituta. *Cenal. de Pond. & Menſ. Rat. Theſ. Ant. Roman. Græv. Tom.* XI. *p.* 1457. *E. F.*

Amphora naſiterna. V. illam infr. in *Naſiterna.*

Amphora Pariſina vere cubica vas eſt *amphoreum*, habens aream & latera ex omni parte pedalia ad pedis Pariſini rationem. Continebit uncias menſurales pollicares mille ſeptingentas viginti octo. Hunc numerum reddunt duodecim unciæ cubicæ multiplicatæ. V. ſupra in *Amphora geometrica.* Cenal. de Pond. & Menſ. Rat. Theſ. Ant. Roman. Græv. Tom. XI. p. 1467. C.

AMPHORALE fuit vas cryſtallinum a forma *amphoræ* dictum. Plin. XXXVII. 2. *Idem Xenocrates auctor eſt, vas amphorale viſum.* Pætus de Roman. & Græcor. menſ. III. Theſ. Antiq. Roman. Græv. Tom. XI. p. 1627. C.

AMPHORARIUM vinum dicebatur, quod in *amphoris* conditum eſſet. Procul. l. fin. ff. de tritic. legat. *Quod ſi ita eſſet legatum vinum amphorarium, Aminæum Græcum, & dulcia omnia, nihil inter dulcia, niſi quod potionis eſſet legatum, putat Labeo, ex collatione vini amphorarii.* Pætus de Roman. & Græcor. menſ. Theſ. III. Ant. Roman. Græv. Tom. XI. p. 1627. D.

AMPLIARI ante legem Serviliam, ſive rogationem, quam C. Servilius Glaucia, qui cum Saturnino tribuno plebis prætor eſt occiſus, de repetundis tulit, quidem licebat, comperendinari vero in judicio repetundarum non licebat. *Manut. de Leg. Rom. c.* 22. Reus *ampliari* dicebatur, quum cauſa judicio non ſatis erat probata. *Ampliare* in judiciis antiquis verbum forenſe erat, & ſignificabat interloqui, ſeu ſententiam differre. Romani aut ſtatim ſententiam dicebant, ſi abſolvendus eſſet reus: aut differebant, ſi neſcirent quid eſſet ſtatuendum, & pronuntiabant cauſam denuo eſſe dicendam. *Donat. Dilucid. in Liv.* XLIII. *p.* 105. *Schill Nomencl. Philol. p.* 101. Aſconius. V. illum infr. in *N. L.* Hoc verbum non exſtat in Pandectis, exſtant tamen reliquiæ formulæ in Aſconio laudato. Ulpian. l. Pomponius. §. 4. ff. de recept. qui arbitr. *Proinde, ſi forte urgeatur a prætore ad ſententiam, æquiſſimum erit, ſi juret, ſibi de cauſa nondum liquere, ſpatium ei ad pronuntiandum dari.* Donat. l. l.

AMPLIATIO, in quibus cauſis adhibebatur, neque enim omnes eam leges admiſerunt, erat, quoties judices ſignificant rem ſibi non liquere, & ſecundam actionem inſtituendam eſſe. *Nicol. de Sigl. vet. c.* 11. §. 3. *Sigon. de Judic.* II. 22. Hoc ſignificabant, ſi ex rei parte ſatis acta cauſa non videbatur, vel ad ſummam rei exiſtimationem pertinebat, ut moram ad condemnandum Judices acquirerent, & ſpatium reo ad ſe colligendum darent. *Briſſon. de Form.* V. *p.* 480. *Schill Nom. Phil. p.* 102. Ante legem Glauciæ fuerit dilatæ condemnationis indicium (V. infr. in *Amplius*) poſt legem vero Glauciæ obſcuritatis, nec ſatis exploratæ ſententiæ. *Manut. de Leg. Rom. c.* 22. *Ampliatio* diverſa fuit a *comperendinatione* I. Quod *comperendinatio* facta eſt, etiamſi judices primo cœtu non judicaſſent, *ampliatio* vero ex incerta judicum ſententia nata eſt. II. Origine, quia *ampliatio* vetuſtior eſt, & multis ante primam de repetundis legem annis. III. Quod *ampliatio* tantum a judicum arbitrio, ac voluntate pendet, *comperendinatio* eſt illa quidem in judicibus poſita, ſed petente vel accuſatore, vel defenſore. Nam niſi alteruter, aut uterque petiiſſet, nihil judices de comperendinando reo cogitaſſent. IV. Quod in *ampliatione* is ſolus iterum perorat, in cujus oratione obſcuritas eſt: in *comperendinatione* uterque iterum cauſam dicit. V. Quod in *ampliatione* primum accuſator, deinde defenſor auditur: in *comperendinatione* primum defenſor dixit, deinde accuſator. VI. Quod *ampliatio* quocunque die inſtitueretur, *comperendinatio* ex præſcripto legis tertio die. VII. Quod ex *ampliationis* cauſa ſæpiſſime dici potuit, ex *comperendinationis* cauſa bis tantum cauſa dicta eſt. VIII. In *comperendinatione* potuit eſſe *ampliatio*, in *ampliatione comperendinatio* nequaquam. *Sigon. de Judic.* II. 22. *Manut. l. l. Auguſtin. de Legibus in Servilia. Budæus in Pand. p.* 32. *H. Turneb. Adv.* I. 3. *Donat. Dilucid. in Livium* XLIII. *Schill Nom. Phil. p.* 102. *Roſin. Ant. Rom.* IX. 24. *Moreſtell. de diverſ. dier. Dial.* 12. *Pollet. For. Rom.* IV. 15. *& in illum Broidæus. Ampliationem* & comperendinationem, quæ utraque rei potius cauſa, quam accuſatoris videtur eſſe conſtituta, lege ſua omnino ſuſtulit M. Acilius Glabrio. Manut. l. l. V. infr. in *Lex Acilia.*

AMPLIATUS dicebatur, cujus damnatio, vel abſolutio differebatur, aut quia coram ſiſtendi eſſent teſtes, & cum illo committendi: aut quia nondum plene liquebat, aut de crimine, aut de modo pœnæ: aut quia argumenta nondum ſatis erant idonea ad abſolvendum, aut condemnandum. Liv. XLIII. 2. *Bis ampliatus, tertio abſolutus eſt reus.* Bud. in Pandect. p. 33. D. Donat. Dilucid. in Liv. XLIII. Schill Nomencl. Philol. p. 102.

AMPLIUS eſt pronuntiatum in judiciis primitus in manifeſta rei cauſa, & cum reus omnino condemnandus videretur, non ad cauſam melius cognoſcendam, ſed ad damnationem differendam, ut ad excuſandam dilationem ſpeciem aliquam dubitationis præ ſe ferrent. Poſtea cum obſcura cauſa eſſet, nec de abſolutione, aut condemnatione ſatis liqueret, & *amplius* requiri ad cauſam demonſtrandam videretur. Donat. Eun. II. 3. 39. *Liquet eſt verbum juris, quo utebantur judices, quum amplius pronuntiabant, obſcuritate commoti cauſæ magis, quam negotii ſimplicitate.* Aſconius. V. illum infr. in *N. L.* Sic Crito apud Terent. Phorm. II. 4. 17.

Ego amplius deliberandum cenſeo:
Res magna eſt.

Manut. de Legib. c. 22. Bud. in Pand. p. 32. E. Pollet. For. Rom. IV. 15. Sigon. de Judic. II. 22. Briſſon. de Form. V. p. 480. Schill Nom. Phil. p. 103.

Amplius hoc cenſeo ſolebat dicere, qui ſententiis dictis non omnino aſſentiebatur, ſed aliquid præterea addendum cenſebat. Senec. de vit. beat. c. 3. *Fortaſſe & poſt omnes citatus, nihil improbabo ex his quæ priores decreverint, & dicam, hoc amplius cenſeo.* Cicer. ad Brut. 5. *Cum de iis, qui hoſtes judicati ſunt, bello perſequendis ſententiæ dicerentur, dixit Servilius etiam de Ventidio, & ut Caſſius perſequeretur Dolabellam: cui cum eſſem aſſenſus, decrevi hoc amplius, ut tu, ſi arbitrare utile fore, eque Republica eſſe, perſequerere bello Dolabellam.* Briſſon. de Form. II. p. 182. Lipſ. in Senecam.

AMPLUSTRE. V. illud infr. in *Apluſtre.*

AMPSIVARII. Forte legendum *Angrivarii*, aut *Anſibarii.* Nerone imperante Friſiorum agros occuparunt. Ex his collecti erant milites. In alba parma purpureum orbem cippo item purpureo præfixum, & albo limbo cin-

ctum habebant. Alius purpureus limbus clypei marginem circumdabat. *Panciroll. Not. Dign. Imp. Occid.* c. 21.

AMPTRUARE, vel, ut alii, *amburvare* dicebatur Præsul Saliorum cum in saltatione motus edebat, cui mox alii, qui in choro erant, eodem gestu motus reddebant, quod *redamptruare* dicebant. *Scalig.* & *Dacer. in Festum in Redemtruare. Buleng. de Theatr.* I. 37. *Kippink. Ant. Rom.* I. 12. 7. *Rosin. Ant. Rom.* III. 20. *Schill Nom. Phil.* p. 103. V. infr. in *Redamptruare.*

AMPULLA erat vas olearium ventricosum, quo in balneis ad unctiones uti solebant veteres. Cicer. de Fin. IV. 12. *Si ad illam vitam, quæ cum virtute degatur, ampulla, aut strigilis accedat.* Apul. Flor. II. p. 778. V. illum infr. in *Strigilis.* Formam ibidem describit. p. 777. *Qui magno in cœtu prædicavit, fabricatam sibimet ampullam quoque oleariam, quam gestabat, lenticulari forma, tereti ambitu, pressula rotunditate.* Turneb. Adv. IV. I. Fabric. Descript. Urb. Rom. c. 18. Ursin. Append. ad Ciaccon. de Triclin. p. 149. Stuck. Antiq. Conviv. II. 25. Casal. de Proph. Roman. ritib. c. 24. de Therm. Thes. Antiq. Græcar. Gronov. Tom. IX. p. 640. E. de Urb. ac imper. Roman. splend. p. 2. c. 18. Beroal. Annot. c. 46. Schill Nomencl. Philol. p. 103.

Ampulla erat etiam vas potorium, quo in mensa utebantur. Plin. Epist. IV. 30. 6. *Quod in ampullis, cæterisque generis ejusdem videmus accidere, quibus non hians, nec statim patens, exitus.* Suet. Domit. c. 21. n. 2. *Ut non temere super cœnam modicam in ampulla potiunculam sumeret.* Mart. XIV. 110. cujus lemma est *ampulla potoria:*

Hac licet in gemma, quæ servat nomina Cosmi,
Luxuriose bibas, si foliata sitis.

Fiebat sæpius ex vitro. Mart. VI. 35. 3.

At tu multa diu dicis, vitreisque tepentem
Ampullis potas semisupinus aquam.

Et in itineribus femori alligato viatores Cynici, & mendici. Plaut. Pers. I. 3. 43.

Cynica esse e gente oportet parasitum probe:
Ampullam..... habeat.

Id autem e corio fieri solitum. Plaut. Rud. III. 4. 51.

Nisi erit tam sincerum, ut quivis dicat ampullarius,
Optimum esse opere faciundo corium, & sincerissimum.

Victor. Var. Lect. I. 24. Pitisc. in Suet. Domit. c. 21. n. 2. §. 7.

AMPYX dicitur aurata catena, setas vinciens equinas in frontis ambitu: unde & Martis equi χρυσάμπυκες dicuntur Homer. Iliad. E. 358. *Rhodig. Ant. Lect.* XXI. 22. *Pinell. Addit. ad Panvin. de Lud. circens.* I. 9. Et reticulum muliebre, ex auro, & lapillis splendens capiti circumjectum fœmineo. *Pinell. l. l.*

AMS.

AMSEGETES *dicebantur, quorum agri viam publicam proxime tangebant.* Festus. *Dacer. in Festum. Hennin. ad Bergier. de viis milit.* II. 8. §. 2. *Auctor Misc. defens. pro Salmas. ad jus Attic. & Roman.* p. 815.

AMU.

AMULA fuit vas vinarium. V. illud infr. in *Aquiminarium.*

AMULETA antiqui vocabant ea, quæ gestata quovis modo malam fortem amolirentur, benignam conciliarent, atque ad alterutrum gemmis fere utebantur. Plin. XXXVII. 9. *Totus oriens pro amuletis traditur gestare eam jaspidem, quæ ex iis smaragdo similis est.* Chiflet. Anast. Childer. Reg. c. 18. Ad invidiam repellendam de collo puerorum suspendebantur. Varro. V. illum infr. in *Fascinum.* Turneb. Adv. IX. 28. Etiam ex hyperico, & herba sacra contra veneficia conficiebantur. *Lipen. de Stren.* c. 3. §. 11. Pro *amuletis* habebantur effigies illæ, quæ mysticas rerum naturalium allegorias continebant. *Aleand. Tabul. Heliac. Explic. Thes. Antiq. Roman. Græv. Tom.* V. p. 727. A.

ANA.

'ΑΝΑΒΑ'ΛΛΕΣΘΑΙ est pallium componere. Dicitur proprie de pallio, quod injicitur, sive circumponitur, dum de inferiori corporis parte attollebatur, sive subducebatur, ac sinistro humero imponebatur, sive injiciebatur. Decorus enim, atque ingenuus pallii amictus erat, cum ejus pars dextra ad pedes cadens attollebatur, atque ita sinistro humero imponebatur, sive injiciebatur, ut latente brachio sola dextra extaret. *Ferrar. de Re vest.* II. 4. 7.

'ΑΝΑ'ΒΑΘΡΑ, *anabathra*, erant tanquam gradus theatri, qui struebantur ad pulpita adscendenda. Nobis Palchi, aut Scalinate. Solebant affigi parietibus, ac suspendi subditis fulcris, sensim acclinia, ne alter alterius luminibus in spectando officeret. Juven. Sat. VII. 46.

Et quæ conducto pendent anabathra tigillo.

Chimentell. de Honor. bisell. c. 21. Lips. Epist. ad Belg. II. 48. Grang. & Britann. in Juvenalem. V. & infr. in *Subsellia recitantium.*

Anabathra lapidea, nondum invento stapedarum usu, collocabantur per vias utrimque ad latera viarum, in modum graduum facta, ut illis conscensis facilius in equos, ac vehicula insilirent, & rursum æque facile ex iisdem descenderent. Primus auctor apud Romanos fuit C. Gracchus Tiberii frater. *Bergier. de viis milit.* IV. *Sect.* 39. §. 1. & ad illum *Henninius.* V. & infr. in *Equus.*

'ΑΝΑΒΟ'ΛΑΙΟΝ, & ἀναβολὴ Græcis dicebatur omne vestimenti genus exterius, quod tunicæ impositum corpus circumiret, atque involveret. *Ferrar. de Re vest.* II. 4. 27. *Ruben. de Re vest.* I. 17.

'ΑΝΑΒΟΛΕΙ͂Σ erant stratores, quorum ope in equos veteres tollebantur. Caruerunt illi stapedibus, vel instrumentis, quibus hodie in adscendendis equis utimur, & quibus equites aliquo modo insistunt. Inde vel saltu equos adscendebant, vel aliorum opera in eos levabantur, & subjiciebantur. *Cuper. in Lactant. de Mort. perseq.* c. 5. *Lips. de Milit. Roman.* III. *dial.* 7. V. & infr. in *Strator.*

'ΑΝΑΚΛΙΝΤΗ'ΡΙΑ erant in lectis tricliniaribus accubita quædam, in quibus reclinati convivæ discumbebant. Spart. Æl. Ver. c. 5. *Nam lectum eminentibus quatuor anaclinteriis fecerat, minuto reticulo inclusum undique, eumque foliis rosæ, quibus demptum esset album, replebat, jacensque cum concubinis, velamine de liliis facto, se tegebat, unctus odoribus Persicis. Jam illa frequentantur a nonnullis: quod & accubationes & ac mensas de rosis, ac liliis fecerit, & quidem purgatis.* Quæ spondæ lecti dicebantur. Virg. Æneid. I. 702.

Aurea composuit sponda, mediamque locavit.

Ursin. ad Ciaccon. de Triclin. Append. p. 221. Rhodig. Antiq. Lect. XXVII. 25. Buleng. de Imperat. Roman. II. 34. de Conviv. I. 29. Laz. Comm. Reip. III. 3. Baccius de Conviv. I. 9. Erant potius fulcimenta, aut adminicula dorso reclinando, sive illæ partes sellarum, quibus dorso incumbimus. Utitur Latina voce Isidor. XIX. 26. *Chimentell. de Honor. bisell.* c. 27.

ANADEMA erat fascia, sive insigne illud, quo apud Persas Regis caput cingebatur. Lucret. IV. 1122.

Et bene parta patrum fiunt anademata mitra.

Salmuth ad Pancirol de Reb. deperd. & inv. p. 453. Ruben. de Gemma Tiber. Thes. Antiq. Roman. Græv. Tom. XI. p. 1334. B. Schott. Observ. II. 58. Faber Semest. I. 15.

ANADIPNA erant *cibi vespertini bellissimi post pisces, & carnes appositi.* Eustath. in Homer. Iliad. Σ. p. 1196. *Buleng. de Conv.* II. 39.

ANAGNIA fuit caput Hernicorum. Vulgo nunc *Anagni* dicitur. Virg. Æneid. VII. 684.

Hernica saxa colunt: quos dives Anagnia pascit.

Macrob. Sat. V. 18. *Sunt in libro septimo illi versus, quibus Hernici populi, & eorum nobilissima, ut tunc erat, civitas Anagnia enumerantur.* Fuit Romanorum præfectura. *Sigon.* de

de Ant. jur. Ital. II. 13. *Manut. de Civit. Rom. Thes. Antiq. Roman. Græv. Tom.* I. *p.* 221. *B. Cluver. Ital. Ant.* III. 6. 2. Civitas *Anagninis* data est sine suffragii latione, concilia, connubiaque adempta Q. Marcio, P. Cornelio consulibus an. 447. *Sigon. ibid.* II. 9.

ANAGNOSTÆ erant servi, qui domino cœnante legebant librum. Nep. XXV. 13. 3. *Erant in ea* familia *anagnostæ optimi.* Et supr. in *Acroama.* Cicer. Attic. I. 12. V. illum infr. in *Pueri.* Calcagn. Epist. Quæst. v. 11. Pignor. de Serv. p. 218. Schott. Observ. v. 29. Gronov. Observ. I. 22. Alexand. Gen. dier. II. 30. & ad illum Tiraquellus. Meurs. Auctar. Philolog. c. 4.

ANALECTA erant reliquiæ ciborum, qui e mensa cadunt in pavimentum. Debebant enim colligi. Colligebantur vero scopis, dum per mediastinos triclinium mundabatur. Mart. VII. 19. 16.

Colligere longa turpe nec putat dextra
Analecta, quicquid & canes reliquerunt.

XIV. 82.

Sed pretium scopis nunc analecta dabunt.

Alexand. Gen. dier. IV. 21. Rhodig. Ant. Lect. XIII. 31. Ursin. Append. ad Ciaccon. de Triclin. p. 381. Opsop. ad Senec. Epist. 23. Voss. Lex. Etymol. Laurent. de Prand. c. 3.

ANALECTÆ dicebantur servi, qui reliquias cœnæ, aut ea, quæ ciciderant de mensa, colligere solebant. *Turneb. Adv.* XXIV. 33. *Popm. de Serv. p.* 109. *Schill Nomencl. Philol. p.* 105. *Rhodig. Ant. Lect.* VIII. 31. *Alciat. Parerg.* VIII. 25. *Laurent. de Prand. c.* 3.

Analectæ grammatici. De illis Seneca Epist. 27. *Suasit illi Satellius Quadratus, stultorum divitum arrosor, &, quod sequitur, arrisor, & quod duobus his adjunctum est, derisor, ut grammaticos haberet analectas.* Ego *grammaticos analectas* nuncupari contenderim, qui lectione multa exercitati, memoria sint firmissima, & indubitata, ut quicquid unquam legerint, vel audierint, fere habeant ad manum, & in numerato, quoniam ἀναλέγεσθαι significet Græce ἀναμφιβόλως ἔχειν, καὶ ἐννοεῖσθαι, id est, firmiter tenere, ac concipere. *Rhodig. Ant. Lect.* XIII. 31. Suadebat illi Satellius habere grammaticos ab hoc officio; qui reliqua ejus, Græco verbo, *analecta* in conviviis dicta, & quæ exciderent ei, & velut ab ore, & orbe deciderent, colligerent, & collecta redderent. *Lips. in Senecam.* Alii hos interpretantur, qui minutissima quæque colligunt ex auctoribus. Sed quid in his omnibus leporis, & argutiæ? Ego potius existimem, sanna quadam derisum a Satellio fuisse Sabinum. Hic opinionem eruditionis affectabat, sed nullius erat ingenii, & memoriæ. Subsidio sibi paraverat servos, qui Homerum, Hesiodum, Lyricos edidicerant, & quærenti versus ex tempore subministrabant, quos tam male reddebat, ut in medio versu excideret. Ut enim *analectæ*, quos modo diximus, servi dicebantur: sic cum ipse Sabinus inter cœnandum in versibus, quos subjectos referebat, subinde excideret, Quadratus festive dixit, ei *grammaticis analectis* opus esse, qui colligerent eum cadentem, & verba quoque ei excidentia inter cœnam redderent. *Turneb. Adv.* XXIV. 33.

ANALEMMA est ratio quædam descriptionis ex observatione umbrarum, & verticis elatione supra finitorem, & circulorum aliorum notatione ad horologia comparanda, & alia quædam in mundo accommodata. Vitruv. IX. 4. *Analemma est ratio conquisita a bruma, observatione inventa, e qua super rationes architectonicas, circinique descriptiones, est inventus effectus in mundo.* Turneb. Adv. I. 19. *Analemmata* longe ante horologia, & ab horologiis diversa. *Analemmatum* formæ umbræ æquinoctialis magnitudinibus designabantur, non brumalis, aut solstitialis, nec ad rationem brumæ, aut solstitii referebantur. Vitruv. l. l. *Itaque longe aliter distant descriptiones horologiorum locorum mutationibus. Umbrarum enim æquinoctialium magnitudinibus designabantur analemmatorum formæ, ex quibus perficiuntur ad rationem locorum, & umbræ gnomonum, horarum descriptiones.* Vides ex *analemmatum* formis perfici ad rationem locorum, & umbræ gnomonum horologiorum descriptiones. Ergo aliud horologium, aliud *analemma.* Ex *analemmatis* designatione sumebatur horologii describendi ratio. Hoc repetit Vitruv. ibid. c. 8. *Ita habebitur analemmatis deformatio. Cum hoc ita sit descriptum, & explicatum, sive per hibernas lineas, sive per æstivas, sive per æquinoctiales, aut etiam per menstruas in subjectionibus rationes horarum erunt ex analemmatis describendæ.* Veteres astronomi, qui æquinoctiorum, ac solstitiorum veram rationem ope gnomonicorum, & sciothericorum organorum indagarunt, horologiis, & horarum observatione ad eam rem usi non sunt, sed solis *analemmatis.* Horologia quippe in usu tunc non fuere, ut nondum reperta. In *analemmatis* sola umbrarum magnitudo, prout crescerent, decrescerentve spectabatur. Per umbræ quippe momenta sola crescentis, & decrescentis, non per horarum observationem, nec horologiorum rationem est inventus effectus in mundo, quem dicit Vitruvius. At in horologiorum descriptionibus neutiquam magnitudinis umbrarum habita est ratio, nec considerata earum augmenta, ac decrementa, sed horarum tantum numeratio, & umbræ per lineas decurrentis ad horas monstrandas indagatio. *Salmas. Exerc. Plin. pag.* 520. *a. E. Baldus Lexic. Vitruv. Philander in Vitruvium.*

ANALOGIUM inter ædificia sacra ponit Isidor. XV. 4. *Analogium dictum, quod sermo inde prædicetur.* Hic ipse ambo est, qui & lampium. Glossæ Isidor. *Lampium, pulpitum, analogium.* Sed potius est ille pluteus, cui libri imponuntur, nobis leggio. Aut si pro suggestu interpretari malimus, cum crediderim suggestum qui in choro, aut presbyterio assurgit, unde scripturarum lectio habetur prope altare, seu mensam majorem: indeque *analogium* ab eo legendi actu. *Chimentell. de Honor. bisell. c.* 20. *Du Fresne Glossar. Meurs. Glossar. Græco-barb.*

ANAPESMATA erant funes, quorum alius est in scena, ut fluvius adscendat, aut aliqua ejusmodi persona, alius ad gradus imos, unde furiæ adscendebant. Pollux IV. 19. 2. *Buleng. de Theat.* I. 21.

ANAS domesticus nihil est, fluviaticus laudatur. Mart. XIII. 52.

Tota quidem ponatur anas, sed pectore tantum,
Et cervice sapit, cætera redde coquo.

Domesticæ in urbibus versantur, & quia cœno, & culinarum purgamentis avidissime se replent, inutiliores cibo sunt. Fluviatiles, sive sylvestres libero aere, æquisque fluentibus, vel saltem minime cœnosis fruuntur, & saporis quandam jucunditatem præ se ferunt. Avicenna etiam alas, ventrem, & hepar commendat. *Castellan. de Esu carn.* IV. 24. *Nonn. de Re cibar.* II. 34. *Buleng. de Conviv.* II. 9. Petebantur e Bœotia. Aristoph. Acharn. IV. 1. 14.

Quid fers mercium? BOE. *Quicquid boni Bœoti simpliciter habent*
Anates, phalarides, regulos, monedulas.

Buleng. ibid. c. 16.

ʼΑΝΑ'ΘΗΜΑ, *donum deorum*, dixerunt delubrum, quod ex eo manavit, quod cum homines pericula sua diluerent, ponebant vel scutum, vel pilum, vel quid aliud, voto suscepto. Fronto de Differ. vocab. *Guther. de Vet. jur. pontif.* II. 3.

Ἀνάθημα dicebatur donarium numini dicatum, inque templo suspensum. Ἀναθεῖναι significat dedicare, consecrare. Pollux I. 1. 24. *Anathema facere, templo dedicare.* Ἀναθεῖναι εἰς τὸν νεών. Habet ἀνὰ hic eam vim, quam habet in ἀναβάλλειν. Ut hoc notat sursum jacere, ita ἀναθεῖναι est ponere in sublimi. Pollux I. 1. 25. *Anathemata plerumque sunt coronæ, phialæ, pocula, thuribula, aureæ argenteæque phialæ, cyathi, amphoræ.* Voss. Lex. Etymol. Tomas. de Donar. c. 1. Militaria subditorum in Principes bella suscipientes pietatem passim testantur. *Tomas. ibid. c.* 5.

ʼΑΝΑΞΥΡΙ'ΔΕΣ erant feminalia, seu brachæ. Suidas, & Hesychius. Erant Persarum, & Gallorum. *Bayf.*

de Re vest. c. 20. *Alexand. Gen. dier.* v. 18. *Calcagn. Epist. Quæst.* III. 1.

ANC.

ANCHARUM si dextra quatietur, injucunditatem: sin autem sinistra, bonum novum significat. *Niphus de Augur.* I. 9.

ANCHONIS est funis, quo antenna ex utroque cornu religatur ad malum. Isidor. XIX. 4. *Anquina*, ita nonnulli apud illum legunt, *qua ad malum antenna constringitur. De qua Cinna:*

Atque anquina regit stabilem fortissima cursum.

Scheffer. de Milit. nav. II. 5.

ANCII ab *Anco* dicti: unde Sp. *Ancius* legatus Fidenis interfectus: & Sp. *Ancius* Briso. *Sigon. de Nomin. Roman.* c. 4.

ANCILE, *scutum grande: unde etiam nunc arma, & ancile appellatur. Virg. Æneid.* VII. 188. *Lævaque ancile gerebat.* Non. XVII. 11. Nec scutum est grande; sed *breve, & rotundum*, ut scribit Isidor. XVIII. 12. nec pro armis ponitur in laudato Virgilii hemistichio, in quo significationem non percepit. Tempore Numæ e cœlo decidisse dicitur. Hinc glossæ Cyrilli: *Ancile*, διοπετὲς ὅπλον. Scholiastes Cruquii ad Horat. Od. III. 5. 10. *Ancilia erant scuta divinitus Romanis missa in virtutis insigne.* Festus, & Serv. Æneid. VIII. 664. *Mamurii Veturii nomen frequenter in cantibus Romani frequentabant hac de causa. Numa Pompilio regnante e cœlo fertur cecidisse ancile, id est, scutum breve.* De figura discrepantia est inter auctores. Dionys. II. p. 129. scribit figuram habuisse eandem cum Thracum peltis. *Sinistra peltam Thraciam tenent* Salii: *ea scuto virgato, angustiores habenti laterum cavitates, similis est. Laterum cavitates* illi adscribit Festus quoque in Mamurii Veturii: *Ancile*, inquit, *appellatum est, quia ex utroque latere erat recisum, ut summum, infimumque ejus latus medio pateret.* Ita vero Plutarch. Num. p. 69. A. *Has peltas ancilia appellant propter figuram. Neque enim hæc figura plane est circulus, aut circuli ambitum, veluti pelta, absolvit, sed incisionem habet lineæ cochleatim sinuatæ, cujus capita crebris, & tortuosis anfractibus in se conversa aduncam figuram efficiunt. Cavitates laterum*, quas Dionysius, & Plutarchus agnoscunt, excludit Ovid. Fast. III. 377.

Idque ancile vocat; quod ab omni parte recisum est,
Quaque notes oculis angulus omnis abest.

Secundum hanc descriptionem non fuit sinuosum, neque habuit *incisiones lineæ cochleatim sinuatæ*; sed absque omni angulo fuit ad modum figuræ plane circulari, quemadmodum apparent in nummis Domitiani, in nummo thesauri ducis Arschotani, & in nummo Licinii triumviri monetalis. *Gutberleth. de Saliis* c. 12. & 13. *Manut. Quæst. Epist.* III. 6. *Guther. de vet. jur. pont.* I. 11. *Schill Nom. Phil.* p. 106. *Choull de Relig. Roman.* p. 213. *Braun. de Vest. sacerd. Hebr.* II. 7. *Petit. de Amazon.* c. 25. *Camerar.* Συμμικτ. προβλημ. *dec.* IX. *probl.* 8. *Saubert. de Sacrif.* c. 6. Ovidius ita intelligi debet, ut non memoratam *laterum* compressionem, sive *incisionem* excludat, sed *angulos* tantum, quod pentameter versus indicat. Atque hoc modo Ovidium Plutarcho, & aliis conciliamus. *Petit. l. l.* Hoc nequaquam probo. Nam si Ovidius excludit *angulos*, sequitur illum quoque excludere *cavitates laterum*, quæ quatuor *angulos* efficiunt. *Gutberleth. ibid.* c. 13. In quo cum imperii fatum esset, ne forte subtrahi posset, undecim facta sunt, ejusdem generis, ne internosci cœleste posset. Serv. Æneid. VI. 188: VIII. 664. Festus: Dionys. II. p. 130. *Cum aruspices respondissent, illic fore orbis imperium, ubi illud fuisset: diligentia Numæ, ne quandoque ab hostibus posset auferri, multa similia facta sunt, & in templo Martis locata.* Plutarch. p. 68. D. *De hac mira tradunt prædicasse Regem, ex Egeria se, & Musis accepisse, esse ancile id ad salutem Urbis missum, & servandum cum undecim aliis, quæ pari figura, amplitudine, & forma facienda erant, ne quis fur commode propter similitudinem intervertere cœleste valeret.* Nobilis ea tempestate artifex Mamurius illa fabricavit, & mercedis loco non pecuniam, sed gloriam petiit. Ejus nomen exinde a Saliis in quorumlibet carminum fine recitabatur. Festus: *Probatum opus est maxime Mamurii Veturii* (V. illum infr. in *Mamurius*) *qui præmii loco petiit, ut suum nomen inter sacra Salii canerent.* Ovid. Fast. III. 389.

Tum sic Mamurius: merces mihi gloria detur,
Nominaque extremo carmine nostra sonent.
Inde sacerdotes operi promissa vetusto
Præmia persolvunt, Mamuriumque canunt.

Guthberleth. ibid. c. 14. & 20. *Ursin. ad Kalend. Rustic. Thes. Antiq. Roman. Græv. Tom.* VIII. *p.* 23. *A. Argol. ad Panvin. de Lud. circens.* I. 20. *Gyrald. Synt. deor.* XVII. *p.* 480. *C. Alexand. Gen. dier.* I. 27. *Junius Catal. architect. p.* 118. *Rosin. Antiq. Roman.* IV. 7. *Saubert. & Schill l. l.* Mamurii vicus cum statua plumbea fuit ad ædem S. Susannæ. Hostilius cum Salios & *ancilia* duplicaret, sacrarium statuisse prope Mamurium credendus est. Sic enim & venerationem suis quærebat *ancilibus*, quasi ab eodem artifice elaboratis; nec, quamvis extra Urbem poneret, Urbi, si aliquando auferrentur, periculum creabat, cum ibi non esset Numæ scutum cœleste: & Mamurius non incongrue, *ancilia* eorumque sacrarium spectabat e propinquo. *Donat. de Urb. Rom.* III. 15. Moveri dicebantur hæc *ancilia*, quando per Urbem a Saliis carmina canentibus, & sollenni saltatu tripudiantibus ferebantur. Suet. Oth. c. 8. n. 5. *Sed & motis, necdum conditis ancilibus.* Movebantur per triginta dies. Polyb. Excerpt. legat. c. 23. *Ut quocunque in loco fuerint deprehensi Salii tempore triginta dierum ejus sollennitatis, ex eo ne decedant.* Illorum primus cecidit in Kalendas Mart. Ovid. Fast. III. 399. clare prodit ante tertiam noctem hoc factum: quod Fasti, in quibus hæc ad Kalendas Martias adscripta sunt: *Festum Martis, & Junonis. ancilia feruntur.* In duobus Kalendariis, quorum alterum sub Constantino, alterum sub Constantio factum ad VII. Idus Martias: *Arma ancilia movent.* Cuper. Observ. IV. 2. Rycq. in Tacit. p. 344. Junius Fastor. lib. Thes. Antiq. Roman. Græv. Tom. VIII. p. 233. F. Lipen. de Stren. c. 2. æt. 4. §. 27. Hospin. de Fest. p. 124. Guthberleth. ibid. c. 15. Omnibus illis diebus, quibus movebantur, tanta religio homines, vel superstitio potius habebat, nihil ut publice geri, non arma capi, non castra moveri, non iter suscipi fas esset: & qui eam consuetudinem migrasset, sacer improbusque haberetur, tum etiam quod egisset, infelix, infaustumque capiti ejus crederetur. Ad hunc morem pertinet Tacit. Hist. I. 89. 4. *Fuere, qui proficiscenti Othoni moras, religionemque nondum conditorum ancilium adferrent.* Suet. Oth. c. 8. n. 5. *Expeditionem impigre, & præpropere suscepit, sed & motis, necdum conditis ancilibus, quod antiquitus infaustum haberetur.* Lips. Ant. Lect. V. 16. in Tacit. ibid. n. 71. Ursin. Cuper. Hospin. & Guthberleth. l. l. Solebant, qui bello gerendo præficiebantur, ut inquit Serv. Æneid. VIII. 3. ingredi Martis sacrarium, & *ancilia* movere, & dicere: *Mars vigila.* Promebantur indicto bello *ancilia*, ut moverentur: ac profectionem suscipere, ante quam condita essent, ominosum, & religiosum habebatur. *Turneb. Adv.* V. 1. Logi sunt: neque aliud in ea re fuisse, quam id quod posui, docet Liv. XXXII. 13. *Stativa deinde ad Hellespontum aliquamdiu habuerunt: quia dies forte, quibus ancilia moventur, religiosi ad iter inciderant.* Lips. l. l. Cuper. Observ. IV. 2. Si sua sponte moverentur, inter prodigia est adnotatum, & bellum futurum indicabant. Obseq. de Prodig. c. 104. *Ancilia cum crepitu sua sponte mota.* Liv. Epit. LXVIII. *Ancilia cum strepitu mota esse, antequam Cimbricum bellum consummaretur, referuntur.* Guthberleth. ibid. c. 16. Scheffer. in Obsequentem. Buleng. de Prodig. c. 63. Condi dicebantur, quando in templum Martis reponebantur. Tacitus & Suetonius modi laudati. Plura qui voluerit, evolvat præter laudatos auctores *Camerar.* Συμμικτ. προβλημ. *decur.* IX. *problem.* 8. & *Petit. de Amazon. p.* 171 — 180.

ANCIL-

ANCILLÆ in jus vocari non poterant; & si noxali judicio ageretur, illarum nomine judicium dominus accipiebat. V. infr. in *Servus*. Guther. de jur. man. III. 24. Libertatem interdum sibi emebant. *Loon de Manumiss.* III. 5. 8. V. illum infr. in *Servus*. In matronarum gynæceo erant, & illarum capillitium disponebant. Hinc ornatrices vocabantur. V. infr. in *Ornatrix*. Hinc laudem, & elogium ancillæ cuidam tribuit Ovid. Amor. II. 8. 1.

Ponendis in mille modis perfecta capillis,
Comere sed solas digna Cypassi deas.

Kobierzyck. de Luxu Roman. I. 6. *Ancillarum* vestes, quarum meminit Ulpian. ff. de injur. *Si quis virgines appellasset, si tamen ancillari veste vestitas, minus peccare videtur: multo minus, si meretricia veste feminæ, non matrisfamilias vestitæ essent*: quænam fuerint, non est proditum. Verum cum matronæ stola, & palla uterentur, facile est credere utramque *ancillis* interdictam, atque ita tunica breviori ad medium crus pertinente nulla instita adsuta usas esse, quales tunicæ meretricum fuerunt: hoc tamen a lupis distinctas, quod hæ togatæ, illæ tunicatæ tantum. An vero aliud fuerit discrimen, doctis quærendum relinquimus. Faber vestem *ancillarum* atram, & sordidam interpretatur; sed talis etiam viliorum feminarum ingenuarum esse potuit. *Ferrar. de Re vest.* I. 3. 33. Inter munia erant custodia lectorum cubicularium & eorundem ornatus. Virg: Æneid. III. 324.

Nec victoris heri tetigit captiva cubile.

Homer. Iliad. A. 29.

Hanc ego non solvam, antequam & ipsam senectus invadat,
Nostra in domo, Argis, procul a patria
Telam percurrentem, & meum lectum instruentem.

Catull. LXIV. 158.

Si tibi non cordi fuerant connubia nostra,
Sæva quod horrebas prisci præcepta parentis:
Attamen in vestras potuisti ducere sedes
Quæ tibi jucundo famularer serva labore;
Candida permulcens liquidis vestigia lymphis,
Purpureave tuum consternens veste cubile.

Pignor. de Serv. p. 364. Et cura matronarum in balneis. Ideo Romæ lapis exstabat inscriptus:

ATHENAIS AUGUSTÆ UNCT.

Pignor. ibid. p. 88. Festum V. infr. in *Festum*.

ANCLABRIA erant vasa ænea, quibus sacerdotes in re divina utebantur. Festus: V. illum infr. in *Anclabris*. Stuck. de Sacrif. pag. 98. 175. Ant. Conviv. II. 16. Rosin. Antiq. Roman. III. 32. Schill Nomencl. Philol. pag. 109. Blond. Triumph. Rom. I. p. 15. C.

ANCLABRIS erat mensa, ex qua in sacrificando diis *anclabatur*, hoc est, ministrabatur. Festus: *Anclabris mensa ministeriis divinis apta. Vasa quoque ærea, quibus sacerdotes utuntur, anclabria appellantur*. Guther. de vet. jur. pontif. III. 6. Turneb. Adv. III. 5. Stuck. Ant. Conviv. II. 16. de Sacrif. p. 98. 175. Rosin. Antiq. Roman. III. 32. Schill Nomencl. Philol. p. 109. Laurent. Var. sacr. gentil. c. 7. Blond. Triumph. Rom. I. p. 15. C.

ANCONA est urbs Picentium, ab Æsi flumine ad mare prima, dicta a figura situs, quia *inflexi cubiti imagine sita est in duorum promontoriorum ex diverso coeuntium angusto sinu*. Mela II. 4. Colonia fuit Romanorum. *Panvin. Imp. Rom. Thes. Antiq. Roman. Græv. Tom.* I. *p.* 385. *C. Cluver. Ital. Ant.* II. II. 5.

ANCONES sunt calices non rotundi, sed in cubitum flexi, & angulum habentes: unde & illis nomen tributum; nam pocula variis formabantur figuris. Paull. l. tabernæ ff. de instruct. vel instrum. leg. *Ut tabernæ non nisi loci instrumenta sint: ut dolia, vasa, ancones*. Turneb. Adv. XVIII. 24.

Ancones appellantur conflexus illi, qui rectos angulos habent. Vitruv. VIII. 6. *Ea*, regula, *habet ancones in capitibus extremis æquali modo perfectos, inque regulæ capitibus ad normam coagmentatos, & inter regulam, & ancones a cardinibus compacta transversaria*. Philand. in Vitruvium. Bud. in Pandect. p. 125. F.

Ancones sunt mensulæ, quæ capitibus suis in volutarum anfractus implicantur ad *S* majusculi, & oblongi formam, & propendent ab ima corona secundum antepagmenta ad libramentum imi supercilii. Vitruv. IV. 6. *Anconides, sive prothyrides vocentur, exsculptæ dextra, ac sinistra præpendeant ad imi supercilii libramentum*. Philand. in Vitruvium. Turneb. Adv. II. 23.

Ancones sunt etiam transversaria ligna sellarum, & asseruli introrsus procurrentes. Nobis braccivoli. Verbum ipsum consentit, quo cubiti denotantur, neque usus abludit, quia illis sese incumbentes nituntur levare. Est autem ἀγκὼν illa flexio, curvatura, & cubitus, quem facit tigillum vinctum lateribus plutei, vel lignis arrectariis, quæ reclinatorium sustinent. Aurelian. Tard. pass. II. 1. *Consilium dabimus, ut sella tonsoria sedeant ægrotantes, quæ sit obliquis anconibus fabricata, quibus incumbentes sese levare nitantur*. Chimentel. de Honor. bisell. c. 25. & 30.

ANCORA est illud instrumentum, quo navis, si in altum projiciatur, partim pondere, partim quia arenæ acuminibus suis figitur, sistitur. *Scheffer. de Milit. nav.* II. 5. *Lax. Comm. Reip. Roman.* VI. 7. Plin. VII. 56. *Tyrrheni* primum *invenerunt*. At Pausan. in Attic. p. 4. id Midæ tribuit, Gordii filio: *Ancora, quam Midas invenit, est etiam nunc in templo Jovis*. Sed nimirum nec materiæ ejusdem, neque formæ semper fuit apud veteres, ut proinde hic illam, iste aliam invenisse potuerit. *Scheffer. l. l. Junius Catal. architect. p.* 219. *Gyrald. de Navig. c.* 12. *Potter. Archæol. Græc.* III. 16. *Almelov. Onom. de Rer. invent. p.* 3. *Calcagn. de Re naut. c.* 14. Antiquissimæ e lapide fabrefactæ erant. Arrian. in Peripl. Pont. Eux. p. 5. *Ibidem ancora navis Argus ostenditur ferrea, at alterius lapideæ ancoræ fragmenta pervetusta ibi visuntur*. Et tales servant hodie in Calecuth. Ludov. Roman. Patric. X. 12. *Ancoras jaciunt marmoreas, longas octonos palmos, ac quaquaversum binos, eas gemino fune appensas æquori induunt*. Scheffer. l. l. Gyll. de Bosp. Thrac. III. 1. Postea fecerunt e ligno. Ex quo etiam hodie Japonenses facere dicuntur. Athen. V. p. 204. *Ancoras habebat ligneas quatuor, ferreas autem octo*. Sed hæ non videntur fuisse acuminatæ, verum in capitibus affusum habuisse plumbum, cujus pondere navis sistebatur. Disco hoc ex Diodor. V. Ibi enim Phœnices cum in Siciliam argentum emptum navigassent quæstus cupiditate, cum navibus onustis cernerent argentum adhuc superesse, amovisse ab *ancoris* plumbum, argentumque ejus loco substituisse dicuntur. Et hoc credo est, quod Donatus *pondera ancorarum* vocat, & *retinaculis* opponit Æneid. I. 172. *Illic naves nec retinaculis retinentur, nec ponderibus ancorarum*. Plin. XXXII. 1. *Cogit stare navigia, quod non vincula ulla, non ancoræ pondere irrevocabili jactæ*. Pertinent ad hoc *ancorarum* genus corbes illæ, quarum mentio fit ab Eunapio, cujus verba hæc habet Suidas in Ζεῦγμα: *Ubi ad locum ponte jungendum pervenit, stoream saxis plenam in flumen conjiciunt, funi alligatam instar ancoræ, quo devincta navis ad ancoram stat*. Quarum loco saccis quoque arena refertis utebantur. Sed harum usus non fuit; nisi vel in aliarum defectu, vel in locis arenosis, ubi aliæ obhærere nequibant. Hinc Iphicrates loco mox laudando, cum in locum importuosum cum classe venisset, nec inveniret, quo pacto naves sisteret, *præcepit trierarchis, ut quilibet saccos arena repletos demitteret in aquam*: atque ita naves velut *ancoris* stabilivit. Leo Tact. 20. §. 190. *Quando ad loca arenosa, & minime portuosa classem tuam navalis prælii tempore applicaturus es, saccos multos arena complebis, & funibus eos, quot satis esse videbuntur, ex unaquaque triremi propendere facias, quasi ferreæ ancoræ essent*. Κεφαλίδας hoc *ancorarum* genus vocat Polyæn. III. 9. 38. *Scheffer. & Potter. l. l.* Illas interpretamur ἐρείσματα, hoc est fulcra, quibus navis fulcitur, ac veluti fundatur. Hesychius: Κέφαλον, μέρ☉ ἐν τῷ πλοίῳ. Nam sacci isti arena repleti, in aquam demissi, navem a vi ventorum & fluctuum im-

petu, mole ſua, ac pondere defendebant; non ſecus ac pilæ illæ, quæ in χειροποιητοῖς portibus ſtrui ſolent. *Caſaub. in Polyænum.* Ultimo e ferro factæ, ſed cum dente non in utraque, ſed in una ſaltem parte. Et hinc nomen dentium apud poetas obtinent. Græci ἑτεροστόμους hoc genus appellarunt, ut diſcimus ex Polluc. I. 9. 4. Deinde Eupalamii ingenium acceſſit, & bidentem fecit. Plin. VII. 56. Quod tamen Anacharſi Scythæ tribuit Ephorus apud Strab. VII. p. 209. *Anacharſin hominem ſapientem vocans Ephorus, ait reperiſſe ancoram bidentem.* Et de tali intelligendus Suidas: quando ait: *Anacharſis Scytha Philoſophus ancoram invenit.* Scheffer. l. l.

Ancora ſacra erat *ancorarum*, quas plures habebant in unaquaque navi, quæ magnitudine, & robore erat præſtantiſſima. *Hac extra neceſſitatis caſum non utebantur.* Pollux I. 9. 4. *Scheffer. de Milit. nav.* II. 5. *Schill Nomencl. Philol. p.* 994.

Ancoræ vocabantur etiam harpagones, quia *ancorarum* formam referebant. Ita vocat Zonar. II. ubi de Duilio: *Inſtrumenta nautica, harpagonas, ἀγκύρας, & manus ferreas fecit.* Scheffer. de Milit. nav. II. 7.

ANCORALIA, ſive funes *ancorarii*, ſunt, quibus *ancora* religatur. Liv. XXII. 19. *Alii, ne quid teneat, ancoralia incidunt.* Peſmata ſunt Græcis. Veneti illorum loco catenas uſurpabant. Cæſ. de Bell. Gall. III. 13. *Ancoræ pro funibus, ferreis catenis revinctæ.* Scheffer. de Mil. Nav. II. 5.

ANCULÆ & *Anculi* deæ & dii ancillarum erant, ne in ſolo ſexu virili cogites inter ſervos exſtitiſſe pietatem. V. Feſtum: *Tomaſin. de Donar. c.* 38. *Lipen. de Stren. c.* I. §. 6. *Gyrald. Synt. Deor.* I. 26. *D. Stuck. Ant. Conv.* II. 16. *de Sacrif. p.* 98. 175.

ANCUS Martius a Sabinis fuit oriundus, & prænomen *Anci* Sabinum eſſe Varro ſcribit. Quidam Græcum eſſe putant, & *Ancum* eſſe appellatum, qui vitioſum habuerit cubitum & aduncum, ita ut regi non poſſet, qui ἀγκὼν Græce dicitur. *Auguſtin. de Famil. Roman. in Marcia. Sigon. de Nom. Roman. c.* 3. *& Panvin. Faſtor.* I. *p.* 50. Hunc Numa Martius præfectus Urbis, & pontifex maximus ſub Numa, & Tullo Hoſtilio ex uxore Pompilia Numæ Regis filia ſuſcepit. Plutarch. in Numa p. 74. A. *Martius fuit filius illius Martii, qui ad regnum ſuſcipiendum Numam impulit. Is enim ſimul cum eo commigravit Romam, & honoris cauſa allectus in ſenatum fuit. Poſt obitum Numæ Tulli Hoſtilii competitor regni, quum repulſam tuliſſet, conſcivit ſibi ipſe mortem. Cujus filius Martius, qui in matrimonio Pompiliam habebat, hæſit Romæ, & Ancum Martium, qui Tullo Hoſtilio in regno ſucceſſit, procreavit.* Eadem fere Liv. I. 32. Dionyſ. III. p. 176. *Panvin. de Civ. Rom. c.* 46. & *Faſtor. l. l. Auguſt. l. l.* Quartus fuit Rex Romanorum, vir fortis, bellator ſtrenuus, quippe qui ſeptem bella feliciter confecit: unum cum Latinis: alterum cum Fidenatibus: tertium & ſeptimum cum Sabinis: quartum & quintum cum Vejentibus: ſextum cum Volſcis. Quatuor Urbis collibus Aventinum adjunxit, muroque & foſſa munivit, veritus ne ab hoſtibus occuparetur, & eum multis civibus e captis Urbibus Romam traductis frequentavit. Portum Oſtiæ in faucibus Tiberis invehendis mercibus opportunum inprimis ac neceſſarium exſtruxit. *Manut. de Civ. Rom. Theſ. Antiq. Roman. Græv. Tom.* I. *p.* 7. *F. Panvin. Imp. Rom. c.* 2. *Glandorp. Reg. Roman. Fam. p.* 4. *Auguſtin. l. l.* Sacrorum ceremonias a Numa inſtitutas & paullatim abolitas renovavit. Salinarum vectigal inſtituit, carcerem medio foro ad terrorem creſcentis audaciæ primus ædificavit, jus feciale ab Æquicolis acceptum ordinavit. *Panvin. de Civit. Roman. c.* 46. Habitavit iu ſumma Sacra via, a parte Palatini, non autem ab altera verſus Eſquilias, ubi nempe nunc horti S. Mariæ Novæ ſunt, & ubi tum poſtea factum ſacellum, ſeu ædes Larium eſt. *Nardin. Rom. Vet.* III. 12. Regnavit annos quatuor & viginti. Duos filios, qui poſtea L. Tarquinium Priſcum Regem occiderunt, reliquit. *Auguſtin. l. l.*

AND.

ANDABATÆ, ſive ἀναβάται, ſed Latina conſuetudo vetus *D* interjecit. Hi galea frontem tecti, novo & inuſitato genere, clauſis & conniventibus oculis, aut in caligine & tenebris, ex equis pugnabant. Hieron. contra Jovinianum: *Melius tamen eſt quod dicitur, clauſis oculis andabatarum more pugnare, quam directa ſpicula clypeo non repellere veritatis.* De *andabata* etiam interpretor Mart. V. 25. 11.

Hermes belligera ſuperbus haſta,
Hermes æquoreo minax tridente,
Hermes caſſide languida tremendus.

Singulis enim verſibus intelligit *Samnitem, Retiarium, Andabatam.* Cicer. Fam. VII. 10. *Sed tu in re militari multo es cautior, qui neque in Oceano natare volueris, neque eſſedarios ſpectare: quem antea ne andabata quidem fraudare poteramus.* Lipſ. Sat. II. 12. Alex. Gen. dier. VI. 22. Rhodig. Ant. Lect. XI. 11. Schott. Nod. Cicer. IV. 19. Thyſ. de gladiat. p. 227. Laurent. Polym. IV. 9. Ex curru pugnabant. E quo poſt curricula circenſia ſero, noctiſque tenebris depugnabant, heroum antiquorum more. Duo homines ſedebant in curru (ut Græci ſcribunt) auriga, & παραβάτης, qui idem etiam ἀναβάτης, id eſt, adſcenſor dicebatur: &, ut plerumque fit, corrupta a Latinis, & degenerante voce *andabata.* Hæc ego eo adſcripſi, quod eruditiſſimos viros hac velut in ſalebra hærere videam: adeo ut non defuerit, qui conjiceret populos fuiſſe, qui clauſis oculis pugnare ſoliti ſint. Tam amentes habere hoſtes, ut cæci dimicare velint, nemo eſt, ut opinor, qui non optaturus ſit. *Turneb. Adv.* XIX. 8.

ANDROCLUS Dacus ſervus fuit viri Conſularis. *Ejus dominus cum provinciam Africam proconſulari imperio obtineret, ejus iniquis & quotidianis verberibus ad fugam eſt coactus. Conceſſit in camporum & arenarum ſolitudines. Sole medio rapido & flagrante ſpecum quandam nactus remotam latebroſamque in eam ſe penetravit & recondit. Non multo poſt ad eandem venit leo debili uno & cruento, pede, gemitus edens & murmura, dolorem, cruciatumque vulneris commiſerantia. Mitis & manſuetus ad illum acceſſit, & ſublatum pedem illi oſtendit, quaſi opis petendæ gratia. Stirpem ingentem veſtigio ejus hærentem revulſit, & conceptam ſaniem vulnere intimo expreſſit, ſiccavit, & deterſit cruorem. In eadem ſpecu eodemque victu triennium vixerunt Androclus & leo. Sed vitæ ferinæ cum pertæſum eſſet, ſpecum reliquit Androclus: & viam ferme tridui permenſus a militibus eſt apprehenſus & ad dominum ex Africa Romam reductus, qui illum rei capitalis damnandum, dandumque ad beſtias curavit. Introductus fuit inter complures cæteros ad pugnam. Hunc ille leo ubi vidit procul, repente quaſi admirans ſtetit, ac deinde ſenſim atque placide tanquam noſcitabundus ad illum acceſſit, caudam more atque ritu adulantium canum clementer & blande movit, hominiſque corpori ſeſe adjunxit, & crura ejus & manus lingua leniter demulſit. Ideo cunctis petentibus dimiſſus eſt Androclus pœna ſolutus, & leo illi populi ſuffragiis donatus.* Gell. V. 14. *Panvin. de Lud. Circ.* II. 3. *Salmuth ad Panciroll. de Reb. deperd. & Inv. p.* 703.

ANDRON *locus eſt domicilii anguſtior longitudine, in quo viri plurimi morabantur.* Feſtus: ſeparatim a feminis, Græcorum inſtituto, ne matresfamilias virorum moribus accumberent. *Buleng. de Conv.* I. 26. *Barth. Adv.* XL. 14. *Volaterr. Comm. Urban.* XXVII. *p.* 1032. *F. Philand. in Vitruv.* VI. 10. *Pitiſc. in Suet. Dom. c.* 16. *n.* 6. §. 15.

ANE.

ANEMOBATÆ dicebantur, qui per aerem volabant. Stat. Achill. II. 424.

Nunc caput aerii ſcandentem prendere montis
Quo fugitur per plana gradu.

Buleng. de Theatr. I. 36.

ἈΝΕΨΙΑΙ & ἀνεψιοὶ ſunt duorum fratrum, ſororumve

ve filiæ, & filii. Pollux III. 2. 4. *Rurſum & fratrum liberi ἀνεψιοὶ dicuntur, ſive ex fratribus eodem patre progenitis, ſive uterinis fuerint: aut ex fratre & ſorore, ſive ex duobus fratribus, ſeu ſororibus binis.* Briſſon. de Jur. cónnub. Theſ. Antiq. Roman. Græv. Tom. VIII. pag. 1096. D.

ANETHUM vim nutriendi habere ajunt, & nullus fere athletarum cibus ſine eo. Plin. Valer. IV. 27. Unde cum quid neceſſarium ob inſanitatem expoſcitur, proverbium *anethum requiri* dicimus. *Argol. in Panvin. de Lud. circenſ.* II. 1.

ANG.

ANGARI neque Græcum, neque Latinum verbum eſt. A Perſis traxit originem. Græci poſtea receperunt. Apud Perſas publici nuntii erant, & curſores. Heſychius, & Suidas: *Angari, tabularii, qui alii aliis ſuccedentes aliquo mittebantur.* Joſeph. Antiq. Judaic. XI. 6. *Miſit angaros dictos ad omnes gentes.* Solebant enim Reges Perſarum certis ſtationibus diſpoſitis habere tabellarios, & nuntios, quorum alter alteri traderet mandata, ut ita celerius perferrentur. *Guther. de Offic. dom. Aug.* III. 14. *Briſſon. de Regn. Perſ.* I. *p.* 147. *Rhodig. Ant. Lect.* XVIII. 8. *Pancirol. Notit. dignit. imp. orient. c.* 6. *Schill Nomencl. Philol. p.* 110. Vocabantur etiam *aſtandæ.*

ANGARIA erat tranſvehendarum rerum Principis, armorum, veſtium militarium, & ſimilium neceſſitas, ob quas provinciales boves, & plauſtra: nautæ naves præſtare tenebantur, nullusque ab hoc onere, nec Eccleſia excuſabatur l. nullam 10. C. de ſacroſ. Eccleſ. repet. l. 2 C. de navib. non excuſ. l. ult. C. de fabri. & l. maximarum. 12. C. de excuſ. mun. Imperabantur tot jumenta, & animalia ad trahenda plauſtra, quot & ad tranſvehendas ſpecies pro loco, ſitu atque itineris qualitate erant neceſſaria dicta l. 16. C. eod. In primis ergo rhedis publici uſus per vias militares transferebantur; ſed cum hæ non erant ſatis, extra curſus publici limites eundum erat, privatorum plauſtris, & jumentis vehebantur, quæ *angariæ* vocabantur. Hinc naves veteranorum *angariari* poſſe ſcribit Ulpian. l. penult. de veter. & in ſacris legitur *angariatum* eſſe Simonem Cyrenæum, ut Domini crucem tolleret. At Græci *angariam*, quæ per viam baſilicam, & curſum publicum ducitur, appellant. *Pancirol. Notit. imp. orient. c.* 6. *Hennin. ad Bergier. de Viis milit.* IV. 4. 3. & 4. *Buleng. de Imper. Rom.* VI. 28. *Guther. de Offic. dom. Aug.* III. 14. *Voſſ. Lex. Etymol.* Ubi illæ res erant tranſmittendæ, magiſter officiorum præfectum prætorio monebat, ut ſingulas civitates naves, equos, plauſtra, prout uſus exigebat, ex publico exhibere juberet. Et hoc genus oneris *angaria* vocabatur l. ult. C. de Fabricenſ. *Pancirol. de Magiſtr. municip. c.* 23.

ANGELUM cuſtodem nos Chriſtiani appellamus, quem Ethnici genium. Hunc eleganter deſcripſit Apul. de deo Socrat. p. 690. *Ex hac dæmonum copia Plato autumat ſingulis hominibus in vita agenda teſtes, & cuſtodes ſingulos additos, qui nemini conſpicui ſemper adſint, arbitri omnium non modo actorum, verum etiam agitatorum. At ubi vita edita remeandum eſt: eundem illum, qui nobis preditus fuit, raptare illico, & trahere veluti cuſtodiam ſuam ad judicium, atque illic in cauſa dicenda aſſiſtere: ſi qua commentiatur, redarguere: ſi qua vera dicat, aſſeverare: prorſus illius teſtimonio ferri ſententiam. Proinde ita animos veſtros ad quæcunque vel agenda, vel meditanda formate, ut ſciatis nihil omnino præ iſtis cuſtodibus, nec intra animum, nec foris eſſe ſecreti; quin omnia curioſe ille participet, omnia viſat, omnia intelligat, in ipſis penitiſſimis mentibus vice conſcientiæ diverſetur. Hic, quem dico, prorſus cuſtos, ſingularis præfectus, domeſticus ſpeculator, proprius curator, intimus cognitor, aſſiduus obſervator, individuus arbiter, inſeparabilis teſtis, malorum improbator, bonorum probator, ſi rite advertatur, ſedulo cognoſcatur, religioſe colatur, ita ut a Socrate juſtitia & innocentia cultus eſt: in rebus incertis proſpector, dubiis præmonitor, periculoſis tutator, egenis opitulator: qui tibi queat tum in ſomniis, tum ſignis, tum etiam fortaſſe coram, cum uſus poſtulat, mala averruncare, bona proſperare, humilia ſublimare, nutantia fulcire, obſcura clarare, ſecunda regere, adverſa corrigere.* Berthald. de Ara c. 17. §. 10. Stuck. de Sacrif. p. 235.

ANGERONA dea ſilentii præſul eadem habebatur apud Romanos qualis apud Ægyptios Harpocrates. Digito ſalutari ora comprimit. Forte ad indicandum nihil ſanctius eſſe ad ſalutem oris ſilentio. Macrob. Sat. III. 9. loquens de deo tutelari Romæ: *Alii Jovem crediderunt, alii Lunam; ſunt qui Angeronam, quæ digito ad os admoto ſilentium denuntiat. Ejus ſimulacrum ore obligato in ara Volupiæ collocatum fuit, quod qui ſuos dolores, & anxietates diſſimulant, patientiæ beneficio perveniant ad maximam voluptatem.* Ut Maſurius Sabinus apud Macrob. ibid. I. 10. *La Chauſſe de Deor. ſimul. tab.* 28. *Salmaſ. Exerc. Plin. p.* 6. *Cuper. Harpocr. p.* 25. *Putean. Reliq. conv. priſc. Theſ. Antiq. Roman. Græv. Tom.* XII. *p.* 256. *B. Lipen. de Stren. c.* 1. §. 6. *Hoſpin. de Orig. Feſt. p.* 231. *B. Gyrald. Synt. deor.* I. *p.* 57. *B. Alexand. Gen. dier.* IV. 26. *Stuck. de Sacrif. pag.* 46. *Volaterr. Comm. Urban.* XXX. *p.* 1229. *C. Roſin. Antiq. Roman.* II. 19.

ANGERONALIA dicebantur ab *Angerona*, cui, quia tutelare Urbis numen erat, rem divinam faciebant Romani a. d. XII. Kalend. Januar. qui Decembris vigeſimus primus. *Vaillant Numiſm.* II. *p.* 46. *Urſat. de Not. Roman. Theſ. Antiq. Roman. Græv. Tom.* XI. *p.* 675. *B. Gyrald. Synt. deor.* I. *p.* 57. *A. Hoſpin. de Orig. Feſt. pag.* 231. *B. La Chauſſe de deor. ſimul. tab.* 28.

ANGIPORTUS *eſt iter compendiarium in oppido.* Feſtus. *Urſat. de Not. Roman. Theſ. Antiq. Roman. Græv. Tom.* XI. *p.* 547. *A. Calcagn. de Verb. ſignif. p.* 373.

ANGITIÆ ſaltus ſacer fuit prope Fucinum lucum, qui nunc etiam Luci nomen ſervat. Virg. Æneid. VIII. 659.

Te nemus Angitiæ, vitrea te Fucinus unda,
Te liquidi flevere lacus.

Filia fuit Æetæ. Solin. c. 2. *Cælius Æetæ tres filias dicit, Angitiam, Medeam, & Circen. Angitiam vicina Fucino occupaſſe, ibique ſalubri ſcientia adverſus morbos reſiſtentem, cum dediſſet hominem vivere, deam habitam.* Sil. Ital. VIII. 498.

Æetæ prolem Angitiam mala gramina primam
Monſtraviſſe ferunt.

Argol. in Panvin. de Lud. circenſ. I. 14.

ex ANGUIBUS in bonam, & malam ſcævam auguria captabantur. In bonam apud Virg. Æneid. V. 84.

Dixerat hæc aliquis, cum lubricus anguis ab imis
Septem ingens gyros, ſeptena volumina traxit,
Amplexus placide tumulum, lapſusque per aras.

Cicer. de Divin. II. 28. *Quod etiam conjector quidam, & interpres portentorum non inſcite reſpondiſſe dicitur ei, qui cum retuliſſet quaſi oſtentum, quod anguis domi vectem circumjectus fuiſſet: tum eſſet, inquit, oſtentum, ſi anguem vectis circumplicaviſſet.* In malam apud Liv. I. 56. *Hæc agenti portentum terribile viſum, anguis ex columna lignea elapſus, quum terrorem, fugamque in regiam feciſſet, ipſius Regis non tam ſubito pavore perculit pectus, quam anxiis implevit curis.* Val. Max. I. 6. 7. *Qua territus, cum itinere converſo Genuam petiſſet, & ibi in ſcapham eſſet ingreſſus, anguis eximiæ magnitudinis viſus e conſpectu abiit. Ergo numerum prodigiorum numero calamitatum æquavit.* Buleng. de Prodig. c. 5. *Angues* gemini in caduceo Mercurii, virga media diviſi, hoſtes ſejunctos, pacemque factam deſignabant. Iu numiſmate Auguſtæo Aſia recepta idem ſymbolice, & hieroglyphice denotant. *Ruben. de Numm. Auguſt. Theſ. Antiq. Roman. Græv. Tom.* XI. *p.* 1367. *B.*

ANGUILLA, etſi mare ſubit, tamen fluviatilis eſt. *Buleng. de Conviv.* II. 30. quæ πλῶται, flutæ vocantur, quod in ſummo ſupernatantes ſole torrefactæ curvare ſe poſſe, & in mare mergere deſinunt, e Siculo freto arceſſebantur. *Buleng. ibid.* II. 5. Κωπαΐδες vocabantur. *Buleng. ibid.* II. 25. Betæ foliis involutas comedebant. *Buleng. ibid.* II. 30.

ANI.

ANICIA gens. V. illam infr. in *Gens.*

ANIENSIS tribus. V. illam in *Tribus.*

ANIMA moritur, cum inferiori corporis parti mancipatur. *Guther. de jur. man.* II. 38. Tres potestates simul ad egregium virum, & corona dignum concurrunt, & ideo collo, capiti, & fronti triplici serto coronæ olim apponebantur, ut triplicem statum *animæ* significatione ea honestarent. *Argol. in Panvin. de Lud. circens.* I. I. Corporeæ qualitatis apud antiquos participes impetu ad sanguinem, ex quo alebatur, naturali deferebantur: Εἴδωλον τῆς ψυχῆς vocabant, illudque sauciari post exitum a cadavere posse, ac lædi asserebant. Cum corpore crescere una putabantur. *Argol. ibid.* II. 2. Cum corporibus non exstinguebantur, sed cœlo donatæ vi quadam occulta adhuc curant res humanas. Unde ad eas tanquam præsentes, testesque provocare solebant. Tacit. Annal. I. 43. 3. ubi Germanicum loquentem inducit: *Tua dive Auguste cœlo recepta mens, tua pater Druse imago.* Boxhorn. Quæst. Roman. 6. Ex Philosophorum doctrina purgatio triplex fuit in gentilium sacris. Aut enim in terra purgabantur, qui nimiis corporis sordibus oppressi vixerant corporis blandimentis addicti. Hæ igni purgari credebantur, ignis enim terra est, ex quo omnia exuruntur, nam cœlestis perurit nihil. Aut in aqua purgatio fit, id est, transibant animæ in marina corpora, si paullo melius vitam egissent. Aut certe in aere, si satis bene vixissent. Unde etiam in sacris omnibus tres hæ purgationes receptæ sunt. Nam aut tæda purgantur, aut aqua abluuntur, aut aere ventilantur. Quas purgationum species perite describit Poeta Æneid. VI. 739.

Ergo exercentur pœnis, veterumque malorum
Supplicia expendunt. Aliæ panduntur inanes
Suspensæ ad ventos: aliis sub gurgite vasto
Infectum eluitur scelus, aut exuritur igni.

Hoc modo purgatæ, & præfinito tempore variis circumactæ suppliciis, clariores tandem emergebant, & in Elysio recipiebantur. Quod mire expressit Poeta Æneid. VI. 744

Quisque suos patimur manes; exinde per amplum
Mittimur Elysium, & pauci læta arva tenemus,
Donec longa dies perfecto temporis orbe,
Concretam exemit labem, purumque reliquit
Æthereum sensum, atque aurai simplicis ignem.

Guther de jur. man. II. 38. Voss. de Idolol. II. 14. Schill Nomencl Philol. p. 113. *Animam* putabant a corpore discessuram per os, tanquam januam exire. Atque ideo *animam in primo ore, vel labris* tenere dicebant de iis, qui in mortis erant confinio. Senec. Epist. 30. *Non dubitare autem se, quin senilis anima in primis labris esset, nec magna vi abstraheretur a corpore.* Et verba Antigonæ ad Herculem sunt apud Senec. in Herc. Fur. n. 1310.

— hanc animam levem
Fessamque senio, nec minus quassam malis
In ore primo teneo.

Kirchman. de Funer. I. 5. Moreft. Pomp. Feral. I. 3. Gataker. Adv. Misc. II. 6. Ubi ægrotus exhalare cœpisset, proximiores spiritum ejus ore excipiebant vultum vultui imponentes. V. infr. in *Spiritus.* *Animas* eorum, qui e vita excesserunt, ad inferos Mercurius deducebat. V. infr. in *Mercurius* πομπαῖος. La Chausse de man. æn. vot. ref. tab. 10. Bonorum non esse, quæ circa sepulcra versantur, sed malorum, quæ circa hæc oberrare coguntur pœnas dantes. *Guther. de Jur. Man.* II. 16. *Ferrar. de vet. Lucern. Sepulcr. Thes. Antiq. Roman. Græv. Tom.* XII. *p.* 1006. *D.* Purgatas a labe vitiorum in hoc mundo contracta, in fortunata loca migrare, ut ibi perpetua beatitudine fruerentur, credebant veteres. Et hinc sibi persuadebant, eos, qui in hac vita vinculo amoris & necessitudinis juncti fuissent, ibi sese mutuo agnoscere & amplexari. Virg. Æneid. VI. 684.

Isque ubi tendentem adversum per gramina vidit
Ænean, alacris palmas utrasque tetendit.

Anchises videns in campis Elysiis filium suum Ænean, protensa dextra gaudium suum testatus est. Et Æneas, ad patrem conversus, eum verbis amoris plenis rogat, ut in amplexus suos veniat. n. 697.

— da jungere dextram,
Da genitor, teque amplexu ne subtrahe nostro.

Bellor. Descr. Sepulcr. Nason. tab. 7. In naturam suam rediisse credebant post cremationem & sepulturam, quod inter manes Deos venerabantur, & pater filium, filius patrem divum putabat & vocabat. *Guther. de Jur. Man.* I. 27. Humano sanguine credebant delectari. Quare captivos, vel malo ingenio servos mercati, in exsequiis immolabant. Quod cum crudele ac nefarium videretur, placuit impietatem voluptate adumbrare, & gladiatorium ad busta dare. V. infr. in *Munus.* Guther. ibid. II. 8. In fabis esse quidam putaverunt. Plin. XVII. 12. *Guther. ibid. c.* 12 Imperatorum per aquilam in cœlum deferri crediderunt veteres magna pompa. Quæ in Antonino Pio primum introducta est, atque ab eo in immensum crevit. *Guther. ibid.* II. 5. Impiorum ad tartara detrudi, ubi in æternum crucientur, migrare in bestias secundum uniuscujusque mores, quibus in vita polluti fuerunt, crediderunt veteres. Socrates apud Platonem in Phædone: *Qui ventri dediti, per inertiam, atque lasciviam vitam egerunt, neque quicquam pensi, pudorisque habuerunt, decens est asinos, similiaque subire; qui vero injurias, tyrannides, rapinas præ cæteris secuti sunt, in luporum, accipitrum, milviorum genera par est pertransire; similiter & in cæteris. Abeunt enim in genera qualibet, quibus in vita mores similes contraxerunt.* Bellor. Descript. Sepulc. Nason. tab. 14. Poetarum in campis Elysiis, cum ex corpore migrassent, vitam agere beatissimam, omnique gaudiorum, & voluptatum genere affluentem, & tempus cantibus, choreis, plectro, & lyra suaviter consumere antiqui finxerunt. Scribit hoc de Orpheo, Musæo, aliisque poetis, quos Æneas, cum apud inferos esset, vidit tempus suum suaviter consumentes cantibus, choreis, plectro, & lyra. Virg. Æneid. VI. 644.

Pars pedibus plaudunt choreas, & carmina dicunt.
Nec non Threicius longa cum veste sacerdos
Obloquitur numeris septem discrimina vocum,
Jamque eadem digitis, jam pectine pulsat eburno.

Bellor. ibid. tab. 5. Eorum, qui vi spontanea, aut qui alieno scelere occubuerunt, in originem suam non recipi, ni vagantes legitimum fatorum tempus compleverint, physici tradiderunt. Serv. Æneid. IV. Quod notat Tertull. de Anim. c. 56. *Ajunt immatura morte præventas eousque vagari, donec reliquatio compleatur ætatis quacum pervixissent, si non intempestive obiissent. Proinde extorres inferûm habebantur, quas vi ereptas arbitrantur, crucis dico, & securis, & gladii, & feræ.* Inde Romanis mos fuit, cum defunctorum amicos tibiis ad exsequias convocarunt, proclamare illos, neque vi, neque cæde, vel veneno diem suum obiisse, quia *carnificis etiam loco habebatur, qui se vulnerasset, ut moreretur.* Festus. *Guther. de jur. man.* I. 9.

ANIMADVERSIO est multæ, pœnæve legitima persequutio, quæ prætoriæ curæ mandata est. Quomodo in multa, & pœna res fit acta. V. infr. in *Multa*, & *Pœna.* Sigon. de Judic. II. 24. Rosin. Antiq. Roman. IX. 24. Schill Nomencl. Philol. p. 116.

ANIMADVERSIONES in militem Romanum multæ fuerunt, atque earum quidem aliæ leniores, aliæ graviores. Lenes *animadversiones* fuerunt, quæ ignominiam tantum insserunt, ut ignominiose dimitti, stipendio legitimo spoliari, hastam dare, tendendi locum mutare, extra oppidum hibernare, cibum stantem capere, fossam fodere, discinctum destitui, hordeo pasci, sanguinem mitti. Graviores, quæ detrimentum intulerunt, ut virgis cædi, venire, fuste & securi percuti, decimari, in crucem tolli. *Sigon. de Ant. Jur. Civ. Rom.* I. 15. *Alex. Gen. Dier.* II. 13. *Rosin. Antiq. Roman.* X. 25. V. singulas infr. in *Milites.* Sequebantur reum condemnatum. *Sigon. de Judic.* II. 23. Ut in oppidis *animadversiones* extra

tra muros, ſic in caſtris extra vallum. Tacit. Annal. I. 29. 6. *Tradunt alii, corpora extra vallum abjecta oſtentui.* Senec. de Ira I. 16. *Damnatus extra vallum deductus.* Hirt. de Bell. Afric. c. 46. *Si extra vallum deducti ſunt, & cruciabiliter interfecti.* Lipſ. in Tacit. Annal. I. n. 141. V. tamen infr. in *Principia.*

ANIMADVERTEBANT mariti olim Romæ interdum in uxores, & *habebant in illas, ſicut in liberos, vitæ neciſque poteſtatem.* Cæſ. de Bell. Gallic. VI. 18. Liv. XXXIX. 18. *Plures necati, quam in vincula conjecti ſunt: magna vis in utraque cauſa virorum, mulierumque fuit. Mulieres damnatas a cognatis, aut in quorum manu eſſent, tradebant: ut ipſi in privato animadverterent in eas: ſi nemo eſſet idoneus ſupplicii exactor, in publico animadvertebatur.* Bud. in Pandect. p. 228. B. *Sortitione in quoſdam, ſi a multis eſſet flagitium rei militaris admiſſum: ut metus videlicet ad omnes, pœna ad paucos perveniret.* Cicer. pro Cluent. c. 46. Quibus verbis Cicero morem antiquum ſignificat, quo in decimum quemque militem ſortito *animadvertebatur* capitaliter: unde decimatas legiones legimus. *Bud. in Pandect. p. 93. G.*

ANIMADVERTERE lictorem jubebat conſul, ſi quid per incuriam oſcitantiamve prætermitteret, quod contra dignitatem eſſet. Indicio eſt, quod de Fabiis, patre, & filio narrat Liv. XXIV. 44. *Pater filio legatus ad Sueſſulam in caſtra venit: quum obviam filius progrederetur, lictoreſque verecundia majeſtatis ejus taciti anteirent: præter undecim faſces equo prævectus ſenex, ut conſul animadvertere proximum lictorem juſſit, & is, ut deſcenderet ex equo, inclamavit: tum demum deſiliens: experiri, inquit, volui fili, ſatin' ſcires conſulem te eſſe.* Briſſon. de Form. II. pag. 271. Caroli Antiq. Roman. II. II. Populum jubebat lictor conſule adveniente, id eſt, equo deſilire, caput adaperire, ſemita cedere. Suet. Jul. c. 80. n. 4. *Q. Maximo ſuffecto, trimeſtrique conſule theatrum introeunte, quum lictor animadverti ex more juſſiſſet.* Hoc quid fuerit, explicat Senec. Epiſt. 64. *Si conſulem videro, aut prætorem, omnia, quibus honor haberi ſolet, faciam, equo deſiliam, caput adaperiam, ſemita cedam.* Pitiſc. in Suetonium.

ANIMAL moritur, cum anima a corpore diſcedit. *Guther. de Jur. man.* II. 38. Quædam ſunt ζωοφάγα, carnivora: alia καρποφάγα, fructivora: nonnulla παμφάγα, omnivora. Hinc fit, ut alia ſint ἀγελαῖα, catervatim euntia, quædam σποραδικά, varie ſparſa. *Buleng. de Conviv.* I. 6. In poculis exſculpebantur. Juven. Sat. I. 76.

— & ſtantem extra pocula caprum.

Ovid. Met. V. 80.

Altius extantem ſignis cratera.

Mart. VIII. 51. 9.

Stat caper Æolio Thebani vellere Phryxi
Cultus.

Buleng. ibid. IV. II. Defunctis olim cariora ad rogum, quia putarunt animas defunctorum ſanguine delectari, mactabantur. Homer. Iliad Ψ. 166. de funere Patrocli:

Multas pingues oves, & errabundas camuras boves
Ante pyram excoriarunt, & diſpoſuerunt: exque omnibus
Adipem accipiens, obtexit cadaver magnanimus Achilles
Ad pedes a capite: circumque excoriata corpora accumulabat.
— quatuor autem procera cervice equos
Feſtinanter injecit pyræ, graviter ſuſpirans.
Novem huic regi menſarii canes erant:
Et quidem ex his injecit pyræ duos obtruncatos.

Virg. Æneid. XI. 97.

Multa boum circa mactantur corpora morti,
Setigeroſque ſues, raptaſque ex omnibus agris
In flammam jugulant pecudes.

Plin. Epiſt. IV. 2. 3. *Habebat puer mannulos multos, & vinctos, & ſolutos: habebat canes majores, minoreſque: habebat luſcinias, pſittacos, merulas: omnes Regulus circa rogum trucidavit.* Kirchman. de Funer. III. 4. Tomaſ. de Donar. c. 3. Moreſt. Pomp. Feral. VII. 4. Diverſa ſimulacra voti indicia; in rei gratæ memoriam relinquebant Romani. Ita æneam lupæ infantium nutricis ſtatuam inauratam in Capitolio viſam ſua ætate notavit Lactant. I. 20. qualis adhuc ibidem cernitur. Argenteum anſeris ſimulacrum obſervavit Virg. Æneid. VIII. 655.

Atque hic auratis volitans argenteus anſer.

Tomaſ. ibid. c. 4.

ANIMALES dii. V. illos infr. in *Dii.*

Animales hoſtiæ. V. illas infr. in *Hoſtiæ.*

ANIMANTIA quæ fere omnia Principes referunt, cum ſuis coloribus non repræſentantur, vel purpureo, vel aureo, luteove, vel candido depinguntur, priora regium Principis habitum indicant, ultimus animi candorem. Ubi alio colore exprimuntur, aliud inſinuant. *Pancirol. Notit. dignit. imp. orient. c.* 38. Hoſtibus erepta diis ſacrabantur. Vopiſc. Aurelian. c. 33. *Fuit alius currus quatuor cervis junctus, qui fuiſſe dicitur Regis Gothorum: quo, ut multi memoriæ tradiderunt, Capitolium Aurelianus invectus eſt: ut illic cæderet cervos, quos cum eodem curru captos voviſſe Jovi Optimo Maximo ferebatur.* Tomaſ. de Donar. c. 21. Quæ in bello ad victoriam juviſſent, præmiis digna videbantur, & variis, ac pretioſis monilibus ornabantur. Virg. Æneid. VII. 278.

Aurea pectoribus demiſſa monilia pendent.

Claudian. Epigram. 23. n. 9.

Luxuriant tumido gemmata monilia collo.

Scheffer. de Antiq. torquib. c. 13.

ANIMUS ebrio languet, quia cerebrum vaporibus vini offunditur, & ſpiritus quatiuntur. Lucret. III. 475.

Denique cur hominem quum vini vis penetravit
Acris, & in venas diſceſſit diditus ardor,
Conſequitur gravitas membrorum, præpediuntur
Crura vacillanti, tardeſcit lingua, madet mens;
Nant oculi, clamor, ſingultus, jurgia creſcunt.

Buleng. de Conviv. Proluſ. IV. Morientium divino aliquo inſtinctu, & inflatu incitatus credebatur, qui urgentibus fatis integrior haberet futurorum etiam quandam prædictionem, & præſenſionem. Ideo circumſtantes proximiores morientis lecto adſidebant, cum jam deficere videretur, & denaſci, ignemque amitteret, & frigeſceret, quo ultima illius verba attentiores exciperent. Unde illorum verba quam maxime annotarunt ſcriptores. Suet. Aug. c. 100. n. 2. *In oſculis Liviæ, & in hac voce defecit: Livia conjugii noſtri memor vive, ac vale.* Dio XLVII. p. 356. A. morientis Bruti verba refert:

O miſera virtus! cum nihil quam verba eſſes,
Ego te tanquam rem aliquam exercui, tu vero ſervis fortunæ.

Guther. de Jure man. I. II.

ANIO fluvius priſcis temporibus Pareuſus dicebatur. Hodie vulgari idiomate Teverone appellatur. Habet originem ſuam apud Symbrivios non procul a Sublaco oppido, incunabulis Ordinis S. Benedicti celebri, qui ex monte Trebio edito magno ſcaturiens rivorum undique confluentium affluxu, nec non variis amfractuum diverticulis, tandem per Catadupas Tyburtinas confragoſamque vallem præcipitatus in Tiberim magna aquarum mole ſe exonerat. *Kircher. Lat. Vet. & Nov.* III. 2. I: 4. I. *Cluver. Ital. Ant.* II. 10. 14. Sabinum agrum olim a Latio dividebat, ita ut quicquid ex dextra *Anienis* ripa, ad Sabinos, & quicquid a ſiniſtra, ad Latium pertinuerit. *Kircher. ibid.* III. 4. 6. *Manut. de Civ. Roman. Theſ. Antiq. Roman. Græv. Tom.* I. *p.* 12. *C.* Hodie ab ortu fluminis uſque ad Tiberim, cui ſe inſinuat, duodecim pontibus, partim ligneis, partim ſaxeis ſtratus conſpicitur: quorum prior in territorio Trebiano, duo alteri in Sublaquenſi, S. Antonii & S. Franciſci; quartus ligneus intra Orbam & Maranam, qui ſunt pagi ſub juriſdictione Sublacenſis Abbatiæ: quintus pariter ligneus intra Rubianum & Anticolim; ſextus extra vicum Varronis, vulgo Vicavaro; ſeptimus juxta cataractam Tybure; octavus infra villam Mecœnatis, & hodie Ponticello dicitur, qui olim ſaxeus erat, & pons Cælius dicebatur, is modo violentia fluminis diſſipatus ex ligno conſtructus cernitur

euntibus in Sabinam commodiſſimus ſane & peropportunus; nonus omnium celeberrimus, pons Lucanus, cui Tiberii Plautii nomen inſcriptum, incertum primi conſtructoris, an redintegratoris. Et hic forte ille Tiberius Plautius eſt, qui Claudii in expeditione Britannica comes fuit. Decimus, pons Mamæus, vulgo Mammoli, primo ab Antonino Pio Imperatore exſtructus, deinde a Mamæa matre Alexandri Severi Cæſaris, reſtauratus eſt. Undecimus, uno circiter milliari poſt S. Agnetis templum, via Nomentana: nec hodie multum diverſo nomine del la Mentana dicitur. Duodecimus, non procul a confluxu *Anienis* & Tyburis in via Salaria, in quo Manlius cum gigante Gallorum congreſſus victoriam obtinuiſſe fertur. Hic a Gothis deſtructus, a Narſete Juſtiniani Imperatoris Archiſtratego reſtitutus eſt; *Kircher. ibid.* III. 4. I. *Nardin. Rom. Vet.* VIII. 3. *Marlian. Urb. Rom. Topogr.* V. 26. Ex illo duo aquarum ductus Romam perducebantur. Eorum alter *Anio* vetus, alter *Anio* novus nuncupabatur. *Marlian. l. l. Donat. de Urb. Rom.* III. 18.

Anio vetus dictus eſt, cum duæ *Anienis* aquæ in Urbem fluere cœperant, ut facilius appellationibus dignoſcerentur. *Marlian. Topogr. Urb. Rom.* IV. II. Concipiebatur ſupra Tibur vigeſimo milliario. Ductus ejus habuit longitudinem paſſuum XLII. millium; rivo ſubterraneo paſſuum XLIII. millium, CCXCVII. ſubſtructione ſupra terram paſſuum DCCII. Diſtribui cœptus eſt vetus *Anio* vico Publicii ad portam Trigeminam, qui locus Salinæ appellabatur poſt annos XL. quam Appia perducta eſt anno ab U. C. CDXXCIX. Manius Curius Dentatus Cenſor anno ab U. C. CDXXCI. *Anienis* hujus aquam in Urbem perducendam ex manubiis de Pyrrho captis curavit. Poſt annum bonum ex SC. duumviri creati aquæ perducendæ, Curius idem & Fulvius Flaccus. Perduxit Flaccus, Curio mortuo, intra quintum diem, quam erat duumvir creatus. *Manut. Quæſ. Epiſt.* I. 2. *Marlian. ibid.* V. 26. *Donat. de Urb. Rom.* III. 18. *Faunus Antiq. Urb. Rom.* IV. 5. Quod turbulentus & minus ſalubris eſſet, in hortorum rigationem, atque in ipſius Urbis ſordidiora miniſteria deſtinatus eſt. *Manut.* & *Donat. l. l.*

Anio novus ad differentiam veteris fuit dictus & ipſe ex *Aniene* deductus fuit via Sublacenſi ad milliarium XLII. & intravit Urbem eodem quo, Claudia, ductu, ſed altiore multo canali. Ad portam majorem ſuum primum caſtellum habuit, unde per Urbem deinde dividebatur. Atque unus quidem ejus ramus ad ima perveniebat Aventini. Ductus effecit paſſus LVIII. mill. CCC. opere ſupra terram paſſus IXMCCCC. & ex eo ſubſtructionibus, aut opere arcuato ſuperiore parte pluribus locis paſſus XIIMDCCC. & propius Urbem a XII. milliario ſubſtructione rivorum paſſ. DCIX. opere arcuato paſſus VIMCCCCLXI. *Nardin. Rom. Vet.* VIII. 4. *Borrich. Urb. Rom.* IV. II: V. 26. *Baccius de Therm. vet. c.* 4. *Marlian. Topogr. Urb. Rom.* IV. II: V. 26. Fluebat ex flumine, qui cum terras cultas circum ſe haberet ſoli pinguis, & inde ripas ſolutiores, etiam ſine pluviarum injuria limoſus ac turbulentus: ideoque a faucibus ductus interpoſita erat piſcina limaria, ubi inter amnem & ſpecum conſiſteret & liquaretur aqua: ſic quoque quoties imbres ſupervenirent, turbida perveniebat in Urbem. *Marlian. l. l.*

ANN.

ANNA Perenna dea fuit Romanis culta. Quidam *Annam* ſororem Didonis fuiſſe putant. Hæc poſt Didonis obitum Carthagine, quam Jarbas Getulorum Princeps invaſerat, profuga venit in Latium, & cum nocte quadam ad Numicium amnem oberraret, merſa aquis ad deos, deasque emigravit, cognomen perennis ab amne adhæſit ei. Ovidius mox laudandus. Huc pertinent illa Mart. IV. 64. 16.

Et quod virgineo cruore gaudet
Annæ pomiferum nemus Perennæ.

Qui dicit nemus gaudere cruore virginis, id eſt, gloriari morte ejus. *Kipping. Antiq. Roman.* I. 4. §. 3. Sunt qui lunam putarint, quæ *Anna* vocaretur, quod annus ex menſibus fiat. Alii unam Atlantidum dixerunt, quæ Jovi ubera præbuerit. Alii Io. Quidam & Themin. Nonnulli hanc hiſtoriam recitant. Cum plebs in Aventinum ſeceſſiſſet, *Annam* quandam vetulam ferunt, quæ Bovillis oriunda erat, placentas quaſdam ruſticas plebi detuliſſe, cui commeatus defecerat: mox pace ſecuta, beneficii memores ſtatuerunt, ut perenne nomen ejus coleretur. De illa Ovid. Faſt. III. 653.

Ipſa loqui viſa, placidi ſum nympha Numici:
Amne perenne latens Anna Perenna vocor.

n. 657.

Sunt quibus hæc luna eſt, quia menſibus impleat annum:
Pars Themin, Inachiam pars putat eſſe bovem.
Invenies, qui te Nymphen Atlantida dicant;
Teque Jovi primos, Anna, dediſſe cibos.
Hæc quoque, quam referam, noſtras pervenit ad aures
Fama: nec a vera diſſidet illa fide.
Plebs vetus, & nullis etiamnum tuta tribunis,
Fugit; & in ſacri vertice montis abit.
Jam quoque, quem ſecum tulerant, defecerat illos
Victus, & humanis uſibus apta Ceres.
Orta ſuburbanis quædam fuit Anna Bovillis
Pauper, ſed mundæ ſedulitatis anus.
Illa, levi mitra canos redimita capillos,
Fingebat tremula ruſtica liba manu.
Atque ita per populum fumantia mane ſolebat
Dividere: hæc populo copia grata fuit.
Pace domi facta ſignum poſuere Perennæ,
Quod ſibi defectis illa tuliſſet opem.

Gyrald. Synt. deor. I. p. 59. C. Alexand. Gen. dier. III. 18. Hoſpin. de Orig. Feſt. p. 126. Voſſ. Lex. Etymol. Oiſel. in Gell. XVI. 22. Perion. de Græcor. & Roman. magiſtrat. Theſ. Antiq. Græcar. Gronov. Tom. VI. p. 2811. B. Roſin. Antiq. Roman. II. 17. *Annæ* Perennæ Idibus Martiis ſacrificabatur. V. infr. in *Idibus*. Dies geniales cum fiebant, largioribus poculis indulgebatur, & pro cyathorum numero annos mutuo precabantur. Ovid. ibid. n. 531.

Sole tamen, vinoque calent: annosque precantur,
Quot ſumant cyathos: ad numerumque bibunt.

Junius Faſtor. Theſ. Antiq. Roman. Græv. ibid. pag. 234. E. Kipping. l. l. *Annæ* lucum V. infr. in *Lucus*.

ANNALES non erant nuda magiſtratuum nomina; ſed libri, in quibus breviter, & ſine ullis ornamentis, temporum, hominum, locorum, rerumque geſtarum ſingulorum annorum, res, magiſtratusque, ordine in hiſtorias ſervato rediguntur tam noſtrorum, quam ſuperiorum temporum memoriæ publicæ retinendæ cauſa. Qui etiam hiſtoriæ dici poſſunt: quum latiſſime hoc nomen cuivis rerum narrationi adſcribi poſſit, ut docet Gell. V. 18. Hiſtoriæ tamen proprie non id ſunt quod *annales*, quum hiſtoria ſit dicta, quæ res geſtas explicat, uti geſtæ ſunt; *annales* vero, quum quid quoque anno, a quo magiſtratu, vel duce geſtum fuerit, ſignificatur. Quare veteres hiſtorici, quum res non ſatis explicarunt, *annales* conſcribere non ſine tranſlatione dicuntur a Cicer. de Orat. II. 12. *Erat*, inquit, *hiſtoria nihil aliud niſi annalium confectio.* Differentiam quoque inter hiſtoriam & *annales* optime explicat Sempronius Aſellio apud Gell. I. I. *Annales*, inquit, *libri tantummodo quod factum eſt, quoque anno id geſtum ſit, demonſtrant*: puta, *quo conſule initum, & quo modo confectum ſit bellum, & quis triumphans inierit: & quæ in eo bello geſta ſunt, iterant.* *Annalium* conſcriptionem apud Romanos præſertim antiquiſſimam eſſe, hiſtoriamque tempore longe præcedere exiſtimo, quod ab initio rerum Romanarum, antequam quiſquam hiſtoriam adhuc edidiſſet, invenio apud Cicer. de Orat. II. 12. *pontificum maximorum* uſque ad P. Mucium Scævolam, qui in C. Marii, & L. Cinnæ dominatione cæſus eſt, munus fuiſſe *res omnes ſingulorum annorum literis mandare, efferre in album, & proponere tabulam domi, poteſtas ut eſſet populo cognoſcendi.* Panvin. in Faſt. I. pag. 3. Ferrar. de Orig. Roman. Theſ. Antiq. Roman. Græv.

Tom. I. p. (20) A. a diurnis actis Tacitus, & ex illo Alexand. Gen. dier. IV. 20. distinguunt, quasi illi res majoris momenti, & scitu digniores contineant: acta diurna nihil memoria dignum, quod ad posteros transeat. V. Tacitum supr. in *Acta populi.* Guther. de Offic. dom. Aug. III. 35. *Annalium itaque cura, & rerum gestarum in tabulas referendi potestas erat pontifici concessa.* Atque hi *Annales maximi* appellabantur, scilicet pontificis, *non magnitudine, sed quod pontifex maximus consecrasset.* Festus: Cicero modo laudatus. Vocabantur etiam pontificum commentarii. Liv. IV. 3. *Obsecro vos; si non ad fastos, non ad commentarios pontificum admittimur.* Hosce pontifex in alba tabula descriptos populo legendi potestatem faciebat. Cicero modo laudatus. Post mortem P. Mucii Scævolæ, qui periit circa an. 530. cum *annales* non amplius a pontifice maximo proponerentur, & privati jam historias, & *annales* conficerent, fastos hosce *annales* marmoribus incidi suspicor cœpisse, qui, ut honoratiores essent, & omni populo in oculis versarentur, ad forum in comitio, frequentissimo totius Urbis loco, ubi magistratus, honores, & triumphi populi suffragiis decernebantur, dispositi, & post tot miserandas Urbis ruinas terra, ruderibusque obruti, tandem an. CIƆIƆXLV egesti fuere, editiori loco affixi, & minio, aliisque pigmentis ornati fuerunt. Mart. XI. 5. 5.

Et qui purpureis jam tertia nomina fastis
Jane refers Nervæ: vos precor ore pio.

XII. 26. 5.

Sed tu purpureis ut des nova nomina fastis.

Improprie tamen fasti sunt appellati. V. infr. in *Fasti.* Siccam. in Fast. Kalend. c. I. Guther. de Vet. jur. pontif. I. 22. Bosius de Pontif. max. c. 4. §. 8. Nardin. Rom. vet. I. I. Thysf. in Gell. IV. 5. Alex. Gen. dier. II. 8. Turneb. in Cicer. de Legib. I. p. 16. V. & infr. in *Pontifex Maximus.*

Annalis cognomen est, quod tulit Lucius Julius ob legem *annalem*, cujus auctor fuerat. Liv. XL. 43. *Eo anno rogatio primum lata est ab L. Julio tribuno plebis.* Brisson. de Form. VII. p. 733. August. de Legib. in Julia de fundo dotali. Apud Livium tamen alii a *L. Villio* legendum esse contendunt. V. illum infr. in *Lex Villia annalis.*

Annalis clavus. V. illum infr. in *Clavus.*

Annalis lex. V. illam infr. in *Lex.*

ANNIA aqua. V. illam infr. in *Aqua.*

Annia gens. V. illam infr. in *Gens.*

ANNIVERSARIÆ parentationes. V. illas infr. in *Parentalia.*

ANNOIA gens. V. illam infr. in *Gens.*

ANNONA est unius anni fœtus, quod de omnibus fructibus dicitur; sed proprie, & κατ' ἐξοχὴν de frugibus, ὁ σιτηρὸς ἐνιαυτὸς. Ut pomona est pomorum proventus. Solin. c. 22. *Sed Thule larga, & diutina pomona copiosa est.* Sic πολυγλαγέος ἐνιαυτοῦ apud Aratum, de larga lactis annona. Ἡ εὐθηνία cujuscunque rei. Εὐετηρίαν, & εὐετίαν Græci dicunt. Ex eorum vetusto proverbio hæc loquutio manavit, ἔτος φέρει, οὐχὶ ἄρουρα. *Haud seges est fœcunda, sed annus.* Cujus meminit Theophrastus. Inde εὐετία de anno bono, & fœcundo. Metrod. de Vaccæis: Ταύρη χθὼν βοέης οὔνομ' ἀπ' εὐετίας. Ita, ut hanc vocem restituimus Apul. Met. XI. p. 380. λαοῖς εὐετία est *bonus annus populis.* Salmas. Exerc. Plin. p. 177. a. B. Schill Nomencl. Philol. p. 118. Erat etiam impensa ad victum unius hominis, quam cohortalibus, qui aliunde lucrabantur, aureis quinque taxat Justinian. l. I. ad fin. C. de offic. P. P. Africæ. *Pancirol. de Magistrat. munic. c. 4.* Fori de iis rebus dicebatur quæ ad *annonam* pertinebant. Eratque censio, hoc est, æstimatio rerum. Nec enim liberum olim fuit negotiatoribus tanti res suas æstimare quanti vellent, sed quantum censores censuerant. Ita Suet. Tib. c. 34. n. 2. *Annonam macelli senatus arbitratu quotannis temperari* voluit. Donat. in Terent. Phorm. I. 2. 29. *Secundum illos negotiatores, qui ante locum commercii non proscribunt, quanti vendant quæ advehunt: sed secundum annonam fori, quam deprehenderint, consilium dividendis, aut non vendendis mercibus sumunt.* Fuit penes ædiles Liv. X. II. *Caritas annonæ solicitam civitatem habuit: ventumque ad inopiæ ultimum foret, ut scripsere, quibus ædilem fuisse eo anno Fabium Maximum placet, ni ejus viri cura, qualis in bellicis rebus multis tempestatibus fuerat, talis domi tum in annonæ dispensatione, præparando, ac contrahendo frumento fuisset.* Et censores. Festus. V. illum infr. in *Censor.* Plin. XIV. 14. *P. Licinius Crassus, & L. Julius Cæsar censores an. ab. U. C. 675. edixerunt, ne quis vinum Græcum, Ammineumque octonis æris singula quadrantalia venderet.* Ræward. Var. Lect. III. 17. Pitisc. in Suetonium. Salmuth ad Panciroll. de Reb. deperd. & inv. p. 517. V. Convehebatur in Urbem ex provinciis. V. infr. in *Provinciæ frumentariæ.* Media vocatur, cum frumento nec vilitas, nec caritas est, sed pretio venit mediocri, & tolerabili. Plin. XVIII. 10. *Pretium huic annonæ media in modios farinæ quadraginta asses.* Contaren. de Frument. Roman. largit. c. 3. Ejus necessitate ingruente calones, pueros, & reliquum genus fruges consumere natum a castris, ne ab his militum commeatus diminueretur, providi duces solent amandare. *Stewech. in Veget.* III. 3. In speciebus, vel in æstimatione præstabatur. Quæ in speciebus consistunt, in frumento, vino, oleo, pane, carne, sale præbebantur: & duobus quidem diebus buccellatus, tertio panis, alternis vinum & acetum, uno die laridum, biduo vervecina, sal, & oleum. l. I. C. de erogat. milit. annon. Hæc ex horreis publicis comitatensibus in speciebus dabantur. Limitaneis in auro, nempe pro octogenis libris laridi & olei, duodenis salis singuli aurei. l. 17. C. Theod. de cohortal. *Guther. de Offic. dom. Aug.* II. 9. *Pancirol. Notit. dignit. imp. orient. c.* 21. *Schel. in Polyb. Thes. Antiq. Roman. Græv. Tom. x. p.* 1219. *B. Buleng. de Imp. Rom.* VI. 15. *Laz. Comm. Reip. Rom.* II. 15. *Stewech. l. l.* Æstimatio dicta est adæratio. V. supr. in *Adærare.* In civitates, & castella munitissima sunt conferendæ; ubi, horrea, condita, frumento asservando, custodiendo. Veget. III. 3. *Antequam inchoetur bellum, de copiis, expensisque solers debet esse tractatus, ut pabula, frumentum, cæteræque annonariæ species, quas a provincialibus consuetudo deposcit, maturius exigantur, & in opportunis ad rem gerendam, ac munitissimis locis amplior semper modus, quam sufficit, aggregetur.* In iis verosimile est loca quoque subterranea illi rei fuisse. *Stewech. in Vegetium.* V. illa infr. in *Siri.* Pretium est certa summa pecuniæ, qua frumentum & privatum negotiatorum, & publicum, quod reliquum faciebant largitiones, venibat. Ea summa pro copia frumenti, quæ in Urbe erat, ut nunc quoque usu venit, & pro anni proventu, nunc major erat, nunc minor. *Modus annonæ* vocatur Tacit. Annal. XV. 72. I. *Nero addidit sine pretio frumentum, quo ante ex modo annonæ utebantur.* Contaren. l. l. In expeditionem pergentes suis cervicibus vehebant Romani milites. V. infr. in *Cibaria.* Quam velim hæc perpendere ductores, & præfectos nostrorum militum, dum patiuntur suos non solum sarcinas graviores, quam pro usu militaris hominis, verum mundum, nescio quem, etiam meretrices quoque locorum circumvehere. Cui rei simul ut portas egressi sunt, videas eos agricolis plaustra, currus, scaphas, aliaque imperare, non quasi in patria hæc, sed in media Turcia facerent. *Stewech. in Vegetium.* Etiam *annonas*, id est, alimenta, & pabula equorum singuli magistratus provinciarum accipiebant. Constant. A. Cyndino P. P. l. 2. C. de curs. publ. *Respublica*, inquit, *præsidibus annonas & alimenta eorum pecoribus subministrat.* Vetus hoc fuit institutum. Ex lege enim Julia provinciæ, proconsulibus, aut prætoribus fœnum, ligna, lectos, supellectilem, & tectum dabant. Cicer. ad Attic. V. 16. *Nos Asia accepit mirabiliter, adventus noster ne minimo quidem fuit sumptui: scito non modo nos fœnum, aut quod de lege Julia dari solet, non accipere, sed ne ligna quidem, nec præter quatuor lectos, & tectum quicquam.* Pancirol. ibid. c. 100.

ANNONARIÆ leges. V. illas infr. in *Lex.*

Annonariæ regiones. V. illas infr. in *Regio.*

ANNONARII erant propolæ, qui omnia præemebant, ut postea carius venderent. *Alciat. l. 207. ff. de verb. signif. Laz. Comm. Reip. Rom.* II. 15.

ANNOTATORES, ſive tabularii erant ſuſceptoribus, ne cum provincialibus colluderent, adjuncti, qui apochas, quas conlatores a ſuſceptoribus accipiebant, ſervabant, ut inde illatio tributorum, & vectigalium cognoſceretur l. 2. C. Theod. de annon. & trib. *Burman. Diſſert. de Vectig. c. 9.*

ANNOTINÆ naves. V. illas infr. in *Navis.*

ANNULARIÆ ſcalæ. V. illas infr. in *Scalæ.*

ANNULARIS digitus. V. illum infr. in *Digiti.*

ANNULATÆ claves. V. illas infr. in *Clavis.*

ANNULUS. Ejus vox habet duplicem ſignificationem; laxam, cum *annuli* appellatione ſignatius, quicquid fere orbiculari forma præditum eſt. Quo ſenſu *annulos velares*, quibus aulæa, & cortinæ contrahuntur, aut expanduntur, dixit Plin. XIII. 9. *Lignum intus grande, firmaeque duritiæ, ex quo velares detornant annulos.* Et compedes, quibus noxiorum, vel fugitivorum pedes vinciuntur, *annulos* vocavit, ubi Zoilum perſtringit, qui ex ſervo eques factus priores *annulos*, puta compedes Saturno dedicabat, Mart. III. 29. 1.

Hac cum gemina compede dedicat catenas,
Saturne tibi Zoilus annulos priores.

De intortis crinibus, qui alias cirri dicuntur, uſurpat idem II. 66. 1.

Unus de toto peccaverat orbe comarum
Annulus, incerta non bene fixus acu.

De inauribus Plaut. Pœn. V. 2. 20.

MILPH. *Ut opinor, digitos in manibus non habent.*
AGOR. *Quid jam?* MILPH. *Quia incedunt cum annulatis auribus.*

Adſtrictam, qua uſitatum, & vulgo notum digitorum geſtamen proprie denotatur. Græci δακτύλιον appellaverunt. Priſci ungulum interpretati ſunt, & condalum. V. infr. in *Condalus*, & *Ungulus.* Kirchman. de Annul. c. 1. Long. de Annul. c. 1. Kornman. de Triplic. Annul. I. 1. Calcagn. Equitat. p. 584. Origo incerta eſt. Poetæ mentiuntur Promethea, quod ferula ignem de cœlo furtim ſuſtuliſſet, a Jove ad Caucaſum religatum, & volucri objectum, ſed poſtea cum Jovem monuiſſet, ut a Thetide abſtineret, niſi vellet ab eo, quem ipſa paritura eſſet, regno expelli, ejus indulgentia ab Hercule liberatum, hac tamen lege, quoniam juraverat, ſe nunquam eum ſoluturum, ut ad pœnæ præteritæ indicium *annulum* ferreum digito geſtaret, cui ſaxi fragmentum eſſet incluſum: hoc exemplo deinde mortales in gratiam Promethei *annulos* primum digitis induiſſe. Sed hoc fabuloſum videtur Plin. XXXIII. 1. *Peſſimum vitæ ſcelus fecit, qui annulum primus induit digitis. Nec hoc quis fecerit, traditur. Nam de Prometheo omnia fabuloſa arbitror. Nec Iliacis temporibus ullos fuiſſe annulos video: nuſquam certe Homerus dicit. Non ſignat oriens, aut Ægyptus etiam nunc, literis contenta ſolis.* Qui de Ægyptiis cur hoc neget, non poſſum ſatis mirari. Apud Hebræos enim & Ægyptios ante Iliaca etiam tempora fuiſſe uſurpatos patet cum ex facto Judæ, qui Thamari nurui ſuæ, quam fornicariam eſſe putabat, mercedem concubitus hædum poſcenti, pignoris loco dedit *annulum.* Gen. c. 38. n. 18. tum etiam ex hiſtoria Joſephi, qui a Pharaone Ægypti Rege *annulo* ſignatorio donatus legitur Gen. c. 41. n. 42. & apud Joſeph. Antiq. II. 3. Ægyptiis itaque etiam tunc cognitus fuit illorum uſus. Qui ab illis, ut multa alia ad Græcos manavit, & inde rurſum forte ad veteres Italiæ populos. Nam Sabini etiam Romuli temporibus *annulos* geſtarunt. Dionyſ. II. p. 105. *Hanc*, Tarpejam, *cupido ſubiit annulorum.* Liv. I. 11. *Adduntur fabulæ, quod vulgo Sabini gemmatos magna ſpecie annulos habuerint.* A Sabinis igitur hunc morem Romani videntur accepiſſe; vel certe ab Etruſcis, a quibus inter alia magiſtratuum inſignia Tarquinius Priſcus deſumpſerit. Sed quicquid de eo ſit, tarde hanc conſuetudinem Romani ſunt amplexi, & ne Reges quidem omnes *annulis* ſunt delectati. Nam præter Numæ, & Servii Tullii ſtatuas, nulla alia ex illis, quæ Regibus in Capitolio poſitæ erant, *annulum* habuit. Plin. l. l. *Nullum habet Romuli in Capitolio ſtatua, nec præter Numæ, Serviique Tullii alia, ac ne L. quidem Bruti. Hoc in Tarquiniis maxime miror.* Kirchman. de Annul. c. 2. Long. de Annul. c. 2. Gorl. de Annul. orig. p. 1. & 2. Salmuth ad Panciroi. de Reb. deperd. & inv. p. 667. Rhodig. Ant. Lect. VI. 19. Ferrar. Elect. I. 21. Caſal. de Urb. ac Imp. Rom. ſplend. part. 2. c. 10. de Inſignib. c. 3. Laurent. de Natal. c. 1. Schedius de diis German. Syngram. II. 7. Fiebant vel e ſimplici metallo, ferro, argento, auro, vel e metallo mixto. Nam vel inaurabant ferrum, & argentum, vel aurum ferro cingebant. Erant quidam ὁι ἐντὸς σιδηροῖ, quidam ὁι ἐκτός De his Artemid. II. 5. *Annuli extra ferrei bonum quidem, ſed citra laborem ipſa bona ſignificant.* De illis Plin. XXXIII. 1. *Alii per ſeſe mero auro decolorant, cujus licentiæ origo nomine ipſo in Samothracia id inſtitutum declarat.* Utriuſque generis *annulos* geſtaſſe videtur Trimalcio apud Petron. c. 33. *Habebat in minimo digito ſiniſtræ manus annulum grandem, ſubauratum; extremo vero articulo digiti ſequentis minorem, ut mihi videbatur, totum aureum, ſed plane ferreis velut ſtellis ferruminatum.* Hi dicebantur Samothracii, ſive e ferro eſſent fabricati, & auro cincti, ſive e mero auro, & colore quodam fuſco decolorati. Erant etiam alii, quibus cum circulus totus eſſet aureus; ſigillum tamen gemmæ loco erat argenteum: & e contrario, quibus circulus erat argenteus, ſigillum aureum. Rurſum alii erant ſolidi, alii caſſi, & pervii. Artemid. II. 2. *Semper meliores ſunt annuli ex toto fabrefacti, nulla inanitate, & completi. Vacui enim, cavique, & qui divinum, ac ſacrum quippiam intra ſe habent, dolos, ac inſidias ſignificant, ob id, quod in ſe continent occultatum. Vacui vero, & cavi etiam majores exſpectationes, quam commoditates præſagiunt, propterea quod majorem molem, quam gravitatem habent.* Solidis non licebat uti Flaminibus Dialibus, ſed tantum caſſis, & perviis. V. infr. in *Flamen Dialis.* Rurſum alii erant ſine gemma, qui Græcis ἄπειροι, ἄλιθοι, ἄψηφοι dicuntur. Alii gemmam habebant, eamque vel figura aliqua inſignem, vel nulla. Plin. XXXIII. 1. *Multis his modis, ut cætera, luxuria variavit, gemmas addendo exquiſiti fulgoris, cenſuque opimo digitos onerando: mox & effigies varias cælando, ut alibi ars, alibi materia eſſet in pretio. Alias deinde gemmas violari nefas putavit, ac ne quis ſignandi cauſam in annulis eſſe intelligeret, ſolidas induit.* Imagines, quæ gemmis incidebantur, aliæ erant cavæ, quæ ſcalpro fiebant: aliæ extuberantes, prominenteſque cælo: unde & gemmæ, quæ ejuſmodi imaginem exhibebant, ectypæ dicebantur. Senec. de Benef. VI. 26. *Paullus prætorius in convivio quodam Tiberii Cæſaris habens imaginem ectypa, & protuberante gemma.* *Annulus*, qui gemmam habet, conſtat tribus partibus: orbiculo, qui eſt ipſa *annuli* περιφέρεια: pala, quæ & funda dicitur, eſt *annuli* pars, cui gemma inſeritur: gemma *annulo* incluſa, quæ Græcis dicitur ψῆφος. Apul. Flor. p. 777. *Etiam pedum tegumenta crepidas ſibi compegerat, & annulum in læva aureum faberrimo ſignaculo, quem oſtentabat. Ipſe ejus annuli & orbiculum circulaverat, & palam clauſerat, & gemmam inſculpſerat.* Nec vero ex metallo ſolum, ſed & e ſuccino, & ebore, integriſque gemmis *annuli* fiebant. Ex ſarda integra cum pala aurea, & circulo argenteo exhibet Gorl. Dactyl. n. 101. Succineorum, & eburneorum meminit Artemid. l. l. *Succinei, & eburnei, & quicunque alii fieri annuli ſolent, ſolis mulieribus conferunt.* Kirchman. ibid. c. 3. Calcagn. ibid. p. 581. Caſal. de Prophan. Roman. ritib. c. 18. de Inſign. l. l. Schull. Nomencl. Philol. p. 119. Ferreo utebantur ſervi, & ancillæ. Stat. Sylv. III. 3. 144.

Mutavitque genus, lævæque ignobile ferrum
Exuit, & celſo natorum æquavit honore.

Significat Statius, patrem Etruſci, qui ſervus, a Principe in equites relatum, donatumque aureo *annulo*, ſpreto ſervili ferro, eundem jure trium liberorum auctum: vel æquatum honore iis, qui nati ſunt ingenui. Plinius mox laudandus. Hinc etiam eſt, quod ſenex ille amator apud Plaut. Caſin. III. 5. 63. ancillæ Pardaliſcæ *annulum* aureum pollicetur, ſi, quod cupiebat, poſſet efficere:

— *audin'*,
Si effexis hoc, ſoleas tibi dabo, & annulum in digito

Au-

Aureum, & bona plurima.

Nam, ut Cato de Re rust. c. 59: *habere quidem aureos annulos in peculio suo illis licebat, non vero gestare.* Quamquam fuere, qui novitio quodam invento aurum ferro solebant superinducere, vel etiam merum, purumque aurum decolorare, & deformare in modum ferri: atque ita gestabant aurum, nec videbantur gestare, cum colore aliquo atro, quod hodieque usitatum, aut fusco id velarent. Ita servorum fraudem, & occultam in *annulis* superbiam perstringit Plin. l. l. *Nec non & servitia jam ferrum auro cingunt, alii per sese mero auro decolorant. Annulus* autem hic servis erat ad usum potius, quam ad ornatum, nempe ad signandum. Apul. Met. x. pag. 326. *Donec jussu magistratuum ministeria publica contrectatis nequissimi servi manibus annulum ferreum deprehensum cum signo sacculi conferunt.* Lips. Elect. II. 8. Kirchman. ibid. c. 15. Turneb. Adv. VI. 22. Schedius l. l. Taubman. in Plautum. Major pars judicum. Plin. l. l. *D. Augusto decurias ordinante major pars judicum in ferreo annulo fuit: iique non equites, sed judices vocabantur.* Memoria etiam avorum nonnulli inter senatores. Plin. l. l. *Ne tum quidem omnes senatores habuerunt, utpote cum memoria avorum multi prætura quoque functi in ferro consenuerint.* Ipsi etiam Imperatores, cum curru aureo gemmisque magnifice ornato de hostibus victis triumphantes in Capitolium veherentur. Plin. l. l. *Et cum corona ex auro Etrusco sustineretur a tergo, annulus tamen in digito ferreus erat: æqua fortuna, & triumphantis, & servi coronam sustinentis. Sic triumphavit de Jugurtha C. Marius, aureumque non ante tertium consulatum sumpsisse traditur.* Verum hoc præter communem morem fiebat, & ad retundendam triumphantis arrogantiam. *Kirchman. l. l. Nicol. de Triumph. c.* 19. §. 8. Suum tamen servi libertate donati, & sui juris facti Saturno suspendebant. Martialis supra laudatus. Etenim Saturnus, quum olim fuisset vinctus; quod certa lege naturæ connexa sint tempora, ut notat Macrob. Sat. I. 8. vinculis utique soluti ei merito compedes suspenderunt. *Tomas. de Donar. c.* 48. Aureorum, quibus quidem Romani usi sint, mentio exstat apud Liv. IX. 7. in actis an. 432. Caudina pace infami, ubi narrat ob deditionem tam fœde factam Romæ extemplo sine ulla publica auctoritate concessum in omnem formam luctus *esse tabernas circa forum clausas, justitiumque in foro sua sponte cœptum prius, quam indictum, latos clavos, annulos aureos positos.* Sed, a quibus fuerint positi, non addit. Sed *plerosque nobilium annulos aureos deposuisse* scribit IX. 46. hac causa motos, quod Cn. Flavius libertino patre genitus a turba forensi ædilis curulis esset factus. Plinius eandem narrans historiam id solis senatoribus: *Quo facto*, inquiens, *tanta senatus indignatione exarsit, ut annulos ab eo abjectos fuisse in antiquissimis reperiatur annalibus. Fallit plerosque, qui tum & equestrem ordinem id fecisse arbitrantur. Est enim adjectum hoc quoque: sed & phalera posita, propter quæ nomen equitum adjectum est. Annulos quoque depositos a nobilitate, in annales relatum est, non a senatu universo.* Facile hinc adducor in illam sententiam, ut existimem solos nobiles, & quidem eos tantum, qui in senatum allecti erant, aureis *annulis* usos esse. Atque hos *annulos* senatus tanquam dignitatis suæ insignia retinebat, cum post cladem Cannensem in summa ærarii inopia, ut ad æmulandum animos primum equestris ordinis, deinde reliquæ plebis excitaret, omne suum aurum, argentum, æs signatum in publicum conferret. De qua re Liv. XXVI. 36. *Itaque classes habere, atque ornare volumus populum Romanum? privatos sine recusatione remiges dare? nobismet ipsis primum imperemus: aurum, argentum, æs signatum omnes senatores crastina die in publicum conferamus: ita ut annulos sibi quisque, & conjugi, & liberis, & filio bullam relinquant.* Flor. II. 6. *Opes suas libens senatus in medium protulit, nec præter quod in bullis singulis, atque annulis erat quicquam sibi auri reliquere.* Quod autem paullo ante idem Plinius affirmat, hoc primum esse vestigium aureorum *annulorum*, in eo videtur memoria lapsus, si modo vera sunt, quæ de positis ob pacem Caudinam *annulis* Livius commemorat. Post illa vero etiam equites usurpare cœperunt. Nam secundo bello Punico, Annibalis frater Mago, nuntius victoriæ, quam Pœni ad Cannas obtinuerant, Carthaginem missus, cum res gestas in Italia exposuisset, *ad fidem tam lætarum rerum effundi in vestibulo curiæ jussit annulos aureos, qui tantus acervus fuit, ut metientibus dimidium super tres modios explesse sint quidam auctores. Fama tenet, quæ propior vero est, haud plus fuisse modio. Adjecit deinde verbis, quo majoris cladis indicium esset, neminem nisi equitem, atque ipsorum primores id gerere insigne.* Liv. XXIII. 12. Ex illo igitur tempore *annulus* aureus peculiare equitum erat ornamentum, quo a plebe distinguebantur. Plinius: *Annuli distinxere alterum ordinem a plebe, ut semel cœperunt esse celebres, sicut tunica ab annulis senatum tantum.* Falsum est, quod scribit Isidor. XIX. 31. & ex illo Laurent. l. l. *annulo aureo omnes liberos esse usos.* Nam inter omnes liberos soli equites, & senatores hoc jure aureorum *annulorum* gaudebant. Dio XLVIII. p. 385. A. *Apud antiquos Romanos non modo liberto, sed nec ingenuo quidem ulli aureo annulo licebat uti, nisi senator esset, aut eques.* Planum est hoc ipsum ex eo, quod narrat Plutarch. in Mario p. 431. B. *Cornuti servos, cum herum suum occultassent, plebeji hominis cadaver ad rogum extulisse, eique annulum aureum induisse*, ne Marii satellites, a quibus ille ad cædem conquirebatur, alium pro Cornuto exportari suspicarentur. Quomodo enim ista suspicio hac ratione tolli potuisset, si plebi æque ac equitibus jus aureorum *annulorum* fuisset? *Kirchman. & Lips. l. l.* Equites tamen Romani, cum militarent, non habuerunt jus aureorum *annulorum*. Suetonius enim scribit Galb. c. 10. n. 4. equestris ordinis juvenes præter communem morem, & ut insolens, *annulos* retinuisse. Ejus verba sunt: *Delegit equestris ordinis juvenes, qui manente aureorum annulorum usu, evocati appellarentur, excubiasque vice militum agerent.* Et Appian. in Lybic. p. 63. adimit aperte omnibus militibus, præter tribunis, *annulos* aureos in bello Punico tertio. Verba Appiani sunt: *Ex auro annulos fe[illegible] inter milites tribuni, reliquis inferioribus ferreos gestantibus.* Ut appareat, statim a bello Punico secundo severitatem hanc introductam esse. Nam tunc nondum: si vera sunt, quæ de trimodiis *annulorum* traduntur ab Annibale Carthaginem missis. *Lips. l. l.* Qui non est audiendus. Hæc enim verba τῶν ἐλαττόνων σιδηροφορούντων non nisi ad pedites, & gregarios milites producenda sunt, ut ipse Lipsius postea de Milit. Rom. II. dial. 9. recte monuit. Nam equites pari pæne loco, & dignitate cum tribunis: atque ideo etiam cum militarent, aureis *annulis* utebantur. Suetonius non tam de retentione *annulorum*, ut insolens, & præter communem morem notat, quam quod equestris ordinis juvenes vice militum excubias circa cubiculum Principis agerent: & quod illi ipsi appellarentur evocati, quos constat veteranos fuisse, gnaros, prudentesque militiæ, qui expletis stipendiis sponte in gratiam consulum, aut ducum militiam sumebant. Tandem Severus Imperator recens ad imperium evectus militibus indulsit *annulis aureis uti*, teste Herod. III. 8. 7. Imo Valerius Aurelianus Imperator diserte mandat vicario suo inter alia, ut miles *torquem brachialem, & annulum apponat*, id est, habeat, & gerat, teste Vopisco c. 7. *Kirchman. l. l.* V. quoque *Ruben. de Re vest.* I. 8. *Ferrar. Anal. de Re vest. c.* 11. *&* 21. *De La Chausse de Tesser. tab.* 7. *Sigon. de Ant. jur. civ. Roman.* II. 3. *August. de Legib. in Julia theatralis.* Interdum tamen factum, ut etiam e plebe aliqui eo a magistratibus donarentur. Testatur id Cicer. Verr. III. 80. *Sæpe nostri Imperatores, superatis hostibus, optime Republica gesta, scribas suos annulis aureis in concione donaverunt.....* Et clarum est ex inscriptione vetere, quæ decimo ab Ebora lapide:

D. M. S.
C. ANTONIO. C. F. FLA
VINO. VI. VIRO. JUN.
HAST. LEG. II. AUG. TORQ.
AUR. ET. AN. DUPL. OB. VIRT.
DONATO. JUN. VERECUN
DA. FLAM. PERP. MUN. EBOR.
MATER. P. C.

Hoc honore Sylla Roscium comœdum affecit apud Macrob. Sat. II. 10. Laberium Julius Cæsar apud Suet. Jul. c. 39. n. 3. Herennium Gallum Balbus apud Cicer. Fam. X. 31. Primus Augustus libertos Menam apud Dion. XLVIII. p. 385. A & Antonium Musam apud Dion. LIII. p. 517. C. Cum vero *annulorum* usus increbresceret, & cum vilibus etiam personis communicaretur, C. Asinio Pollione, C. Antistio Vetere coss. an. 775. Tiberii principatus anno nono constitutum est, ne *cui jus* annulorum aureorum *esset, nisi cui ingenuo ipsi, patri, avoque paterno sestertia* 400. *census fuisset, & lege Julia Theatrali in* XIV. *ordinibus sedendi.* Futili pæne de causa, *cum C. Sulpitius Galba, dum juvenilem famam apud Principem popinarum pœnis aucupatur, questus esset in senatu, vulgo institores ejus culpæ defendi annulis.* Plin. XXXIII. 2. Sed illa constitutio non diu duravit. Nam statim Claudius Pallantem, Galba Icelum, Vitellius Asiaticum, Vitellii frater Lucius Verginii Capitonis servum, Domitianus Etruscum libertos *annulis* aureis donaverunt. De Pallante Plin. Epist. VIII. 6. 4. *Omitto, quod Pallanti servo prætoria ornamenta [illegible] quippe offeruntur a servis: mitto, quod censent, non exhor[illegible], verum etiam compellendum ad usum [illegible].* De Icelo Suet. Galb. c. 14. n. 3. & Tacit. Hist. I. 13. 1. *Libertus Icelus, paullo ante annulis aureis, & Marciani cognomine ornatus, ac jam summi equestris gradus candidatus.* De Asiatico Tacit. Hist. II. 57. 3. Suet. Vitell. c. 12. n. 2. *Primo imperii die* Asiaticum libertum *aureis donavit annulis super cœnam.* De servo Verginii Capitonis Tacit. Hist. IV. 3. 4. *Solatio fuit servus Verginii Capitonis, quem proditorem Tarracinensium diximus, patibulo affixus, in iisdem annulis, quos acceptos a Vitellio gestabat.* De Hetrusco Stat. Sylv. III. 3. 144. supra laudatus. Imo *annulorum* usus circa illa tempora ita invaluit, & simulac quisque manumissus esset, statim etiam de jure *annulorum* impetrando cogitationem susciperet. Hinc servus ille in Arriani Epictet. III. 26. cum libertus factus esset, & tamen conditionem suam nihilo meliorem animadverteret; *tamen*, inquit, *si annulum accepero, tum prosperrime vivam, & felicissime.* Et inter vulgata manumissionis insignia *annulus* erat aureus. Tertull. de Resurr. c. 57. *Atque & vestis albæ nitore, & aurei annuli honore, ac patroni nomine, ac tribu, mensaque honoratur.* Non tamen patronus, qui servum quidem manumittere, jus *annulorum* aureorum eidem conferre poterat. A Principe id petere debebat libertus consentiente patrono. Qui invitis aut ignorantibus patronis acceperant, illis hoc jus ademit Commodus. Quia vero quotidiana fere hæc erat impetratio, id postea abrogavit Justinianus, omnibusque concessi, etiam libertinis, *annuli* aurei. Novell. 78. *Propterea sancimus, si quis manumittens servum, aut ancillam suam, cives denuntiaverit Romanos, neque enim aliter licet, sciat ex hac lege, quod qui libertatem acceperit, habebit subsequens mox, & aureorum annulorum jus, & non jam ex necessitate hoc a principibus postulabit.* Kirchman. & Salmuth l. l. Loon. de Manumiss. IV. 3. 4. Casal. de Prophan. Roman. rit. c. 18. Chimentell. de Honor. bisell. c. 34. Eo etiam usi sunt, qui legati ad exteras gentes ituri essent. Plinius: *Siquidem his tantum, qui legati ad exteras gentes ituri essent, dabantur: credo, quoniam ita exterorum honoratissimi intelligebantur. Hi quoque, qui ob legationem acceperant aureos, in publico tantum utebantur eis: intra domos vero ferreis.* Kirchman. ibid. c. 15. *Annuli argenteo utebantur libertini.* Isidor. XIX. 32. Hoc apud probatæ fidei scriptores me legere non memini. Si tamen conjecturis agendum, plebs videtur eo usa fuisse. Id ut credam movet me Plinius, qui feminas plebejas sibi compedes, ita *annulos* appellat, ex argento fecisse asserit XXXIII. 12. *Argentum succedit aliquando & auro, luxu feminarum plebis compedes sibi ex eo facientium, quas induere aureas mos tristior vetat.* Cum enim hic muliebrem sexum usurpasse argenteos audiamus, *quidni eosdem etiam a virili usurpatos censeamus.* Kirchman. de Annul. c. 15. Lips. Elect. II. 8. Aureos deponebant lugentes. Ad nuntium Caudinæ pacis positos esse jam narravit Livius. De funere Augusti Suet. c. 101. n. 4. *Alii exsequiarum die ponendos aureos annulos, ferreosque sumendos censuerunt.* Quo pertinet epigramma C. Cilnii Mecænatis in Horatium apud Isidor. XIX. 32.

Lugens te, mea vita, nec smaragdos,
Beryllos neque Flacce; nec nitentes
Semper-candida quæro margaritas:
Nec quos Thynica lima perpolivit
Anellos, nec Iaspios lapillos.

Kirchman. de Funer. II. 27. de Annul. c. 22. Kornman. de Tripl. annul. I. §. 14. & 28. Morestell. Pomp. Feral. II. 22. Rei, & supplices more lugentium, & ærumnosorum eosdem deponebant. Liv. XLIII. 16. *Extemplo principes civitatis in conspectu populi annulis aureis positis vestem mutarunt, ut supplices plebem circumirent.* Val. Max. VIII. I. 3. *Filius Gabinii Sisenna consternationis impulsu ad pedes se Memmii*, is accusator erat, *supplex prostravit: inde aliquod fomentum procellæ petens, unde totus impetus tempestatis eruperat. Quem truci vultu a se victor insolens repulsum, excusso e manu annulo humi jacere aliquandiu passus est.* Ituri quoque cubitum, aut loturi ponebant *annulos.* Quod non factum in Charino notat Mart. XI. 60. 1.

Senos Charinus omnibus digitis gerit
Nec nocte ponit annulos,
Nec cum lavatur: causa quæ sit quæritis?
Dactyliothecam non habet.

Terent. Heaut. IV. 1. 42.

Ea lavatum dum it, servandum mihi dedit annulum.

Kirchman. de Annul. l. l. Alii erant æstivi, alii hiberni. Æstivi leviores erant. Illos æstate sola gestabant. Hiberni majoris erant ponderis. Hos hyeme sola gestabant. Hoc tam delicatum *annulorum* discrimen Crispinus invenit, cui per æstatem molesta fuerunt pondera majoris gemmæ. Hoc notant glossæ veteres ad Juven. Sat. I. 28.

Ventilet æstivum digitis sudantibus aurum,
Nec sufferre queat majoris pondera gemmæ.

Verisimile autem est, quos æstate gestare solebant, heliotropios fuisse, & asteritas, & mithridacas, & irides, quarum vis, & delectatio quædam peculiaris est, cum soli opponuntur. Et hoc genus *annuli*, quia nonnisi media anni parte gestari solerent, semestres vocabantur. Juven. Sat. VII. 89.

Semestri vatum digitos circumligat auro.

Kirchman. ibid. c. 17. Turneb. Adv. XX. 2. Salmuth ibid. p. 673. Rhodig. Ant. Lect. VI. 12. Casal. l. l. Etiam erant, quibus clavis erat adjuncta, ad duplicem usum, signandi, & aperiendi. Illorum forma erat magnitudine minimissimi digiti. Ferrei tamen, ut appareat servorum fuisse, aut vulgarium militum. *Lips. in Tacit. Annal.* II. *Excurs. B. Junius Histor. Batav. c.* 10. *Kirchman. ibid. c.* 3. *Longus ibid. c.* 6. Duplicem hunc usum habuisse negabunt *Salmas. & Nicol. infr. in Clavis.* In *annulis* effigiem alicujus e majoribus, aut amicis, etiam Regum, & Principum imagines gestabant veteres. V. infr. in *Imago.* Eventus quospiam singulares, victoriæ scilicet effigiem, & tropæum veteres insculpebant. Hoc colligere est ex isto, qui in munitione oppidi cujusdam inventus, victoriæ effigiem, & tropæum habuit, quem a victore quodam in rei præclare gestæ memoriam ita insignitum verisimile est. Suet. Galb. c. 10. n. 6. *Per idem tempus in munitione oppidi, quod sedem bello delegerat, repertus est annulus opere antiquo, scalptura gemmæ victoriam cum tropæo exprimente.* Hoc vero omen fuit Galbæ tanquam victori futuro contra Neronem. In Pompeji *annulo tria tropæa erant insculpta*, ut narrat Dio XLII. p. 193. B. Nec mirum videri debet, si una gemma & *tropæum*, & *victoria* expressa continebantur, cum achaten gemmam habuerit Pyrrhus, *in qua novem Musæ, & Apollo citharam tenens spectarentur, non arte, sed sponte naturæ ita discurrentibus maculis, ut Musis quoque singulis sua redderentur insignia.* Plin. XXXVII. 1. Etiam scalpturas ob artem, quam factitarent, vel munus, quod gererent. Sic miles Terapontigonus *annulo* insculptum habebat militem clypeatum, qui elephantum machæra dissecaret apud Plaut. Curc. III. 50.

--- *Mul-*

—— *Multam me tibi*
Salutem juſſit Terapontigonus dicere,
Et has tabellas dare me juſſit. LY. *Mihine?* CU. *Ita.*
Cape ſignum, noſce, noſtin? LY. *Quidni noverim?*
Clypeatus elephantum ubi machæra diſſicit.

Kirchman. ibid. c. 13. Beroald. in Suetonium. *Annulo* claves, ſcrinia, arcas, januas, ſive oſtia, ædeſque ipſas, & omnem ſupellectilem, ſive domeſtica utenſilia, ne quid eorum negligentia, aut furto deperiret: imo promptuaria, ſive cellas, lagenas, & cibos omnes, ne a famulis abligurirentur, aut veneno interciperentur, obſignabant veteres. *Longus de Annul. c.* 11. *Lipſ. in Tacit. Annal.* 11. *n.* 8. *& Excurſ. B. Ferrar. Elect.* 1. 21. *Schedius de diis German.* 11. 7. V. & infr. in *Obſignare.* Primis quidem temporibus vitio dabatur viro plures *annulos*, quam unum digitis geſtare. Iſidor. xix. 32. *Apud veteres ultra unum annulum uti infame habitum viro. Gracchus in Menium. Conſiderate, Quirites, ſiniſtram ejus: en cujus auctoritatem ſequimini, qui propter mulierum cupiditatem, ut mulier, ornatus eſt. Craſſus, qui apud Parthos periit, in ſenectute duos habuit annulos, cauſam proferens, quod pecunia ei immenſa crevisſet.* Sed & Horatii ævo tres videntur vitio verſi: quo nomine perſtringit Priſcum Sat. 11. 7. 8.

—— *ſæpe notatus*
Cum tribus anellis, modo læva Priſcus inani.

Tandem vero luxus adeo increvit, ut etiam omnibus digitis geſtarint. Mart. v. 63. 5.

Per cujus digitos currit levis annulus omnes.

Imo vero uno digito plures. Mart. xi. 60. 1. V. ſupr. laudatum. Lucianus in dialogo, qui Gallus inſcribitur, diviti alicui ſedecim *annulos* tribuit Tom. 11. p. 169. Edit. Græv. *Ego interim illius indutus veſtitum, & annulos graves gerens circiter ſedecim digitis inſertos, epulum quoddam ſplendidum jubebam adornari.* Quid? quod etiam in ſingulis articulis, & quidem in uno plures geſtabant. Mart. v. 11. 1.

Sardonychas, ſmaragdos, adamantas, jaſpidas uno
Portat in articulo Stella, Severe, meus.

Fuit autem fere mollis, & delicati animi ſignum ſemper habitum, plures *annulos*, & eos quidem in extremis digitis geſtare. Id in Trimalcione notavit Petron. c. 32. cum ipſum ait habuiſſe *extremo articulo digiti ſequentis minorem annulum totum aureum.* Senec. Nat. Quæſt. vii. 31. *Exornamus annulis digitos, & in omni articulo gemma diſponitur: Quotidie comminiſcimur, per quæ virilitati fiat injuria, ut traducatur, quia non poteſt erui.* Ariſtophanes in Nubibus eos, qui digitos ad ungues uſque *annulis* onerant, & comam nutriunt, confragoſa voce appellat σφραγιδονυχαργοκομήτας. Et Suidas illos exponit *comis, & eximiis annulis ad ungues uſque manus ornatas habentes.* Kirchman. ibid. c. 17. Long. ibid. c. 5. Meurſ. de Luxu Roman. c. 5. Salmuth ibid. p. 673. Argol. in Panvin. de Lud. circenſ. 1. 14. Caſal. de Urb. ac imp. Rom. ſplend. part. 2. c. 10. Schedius l. l. *Annulis* venena qui includerent, fuerunt olim, ut quandocunque liberet mortem ſibi poſſent accelerare. Hoc genere mortis Demoſthenes, & Annibal Carthaginenſium dux. Ille apud Plinium. *Alii ſub gemmis venena claudunt, ſicut Demoſthenes oratorum ſummus Græciæ, annuloſque mortis gratia habent. Ut præveniret Archiam ab Antipatro immiſſum.* Suidas: *Archias hiſtrio adverſus ipſum ab Antipatro, qui Græcorum principatum Alexandro mortuo erat adeptus, miſſus per vim eum avellit a Neptuni templo, quod aſylum erat. Ille vero veneno, quod ſub annuli pala habebat, exſucto mortuus eſt.* Hic apud Aur. Vict. de Vir. illuſtr. c. 42. n. 6. *Unde Romana legatione per T. Flaminium repetitus, ne Romanis traderetur, hauſto, quod ſub annuli gemma habuerat, veneno, abſumptus eſt.* Kirchman. ibid. c. 21. *Annulos*, quia in proclivi erat crimen falſi per alterius *annulum* committere, ne venirent in poteſtatem eorum, qui illis abuterentur, cavebant veteres. Atque hæc mihi cauſa videtur fuiſſe, cur Sextus Pompejus, pugna navali fractus in miſerabili fuga *annulos* ſuos in mare abjecerit, ut non Suetonius, quem perperam laudat Kirchmannus; ſed Flor. iv. 8. 5. *Quippe modo trecentarum quinquaginta navium dominus, cum ſex ſeptemve fugiebat, exſtincto prætoriæ navis lumine, annulis in mare abjectis.* Itemque Petronius, *qui flagitia Principis ſub nominibus exoletorum, feminarumque, & novitate cujuſque ſtupri perſcripſit, atque obſignata miſit Neroni, fregitque annulum, ne mox uſui eſſet ad facienda pericula*, ut ait Tacit. Annal. xvi. 19. 4. *Kirchman. ibid. c.* 14. *Chiflet. Anaſt. Childer. c.* 8. *Annulum* amicæ detractum digito amatores ſolebant labris oſculando imprimere, deinde amicis ſpectandum porrigere. Ita interpretor Ennianum apud Iſidor. 1. 26. ſive Nævii eſt in Tarentilla, cui Feſtus id videtur tribuere:

Alium tenet, alii nutat, alibi manus
Eſt occupata: alii perpellit pedem:
Alii annulum dat ſpectandum a labris.

Plaut. Aſin. iv. 1. 33.

Spectandum ne cui annulum det, neque roget.

Tibull. 1. 7. 25.

Sæpe velut gemmas ejus, ſignumque probarem,
Per cauſam memini me tetigiſſe manum.

Schott. Obſerv. v. 3. Kirchman. ibid c. 18. Imo per laſciviam plane detrahebant improbi amatores. Terent. Hec. iv. 1. 59.

Ipſe eripuit vi, in digito quem habuit, virgini *abiens annulum.*

v. 3. 30.

Homo ſe fatetur, vi in via, neſcio quam compreſſiſſe,
Dicitque, ſe illi annulum, dum luctat, detraxiſſe.

Horat. Od. 1. 9. 2..

Pignuſque dereptum lacertis,
Aut digito male pertinaci.

Schott. Obſerv. Philol. v. 3. Kirchman. l. l. Broukh. in Tibullum. *Annulos* geſtandi modus non unus idemque fuit apud veteres. Dextra quidem geſtabatur, ut oſtendunt hoc Jerem c. 22. n. 24. *Etiamſi eſſet Conia filius Joacin Regis annulus ſignatorius in manu dextra mea, inde evellam eum.* Et Sirach. c. 49. n. 13. *Quomodo amplificemus Zorobabel? nam & ipſe quaſi ſignum in dextra manu.* Apud Romanos vero ante uſum gemmarum, ſi Attejo Capitoni apud Macrob. vii. 13. fides habenda eſt, cum ſculptura adhuc *annuli* materiæ imprimebatur, ſive ex ferro fieret, ſive ex auro, *geſtabatur, ut quiſque vellet, quacunque manu, quolibet digito.* Sed poſtquam gemmæ etiam addi cœperunt, ſiniſtra potiſſimum manus huic geſtamini deſtinata fuit: niſi quod interdum homines ſupra modum molles, & luxuriæ dediti, etiam dextram in ſubſidium vocabant, ſi forte ſiniſtra ferendo oneri non eſſet. Id quod ſubindicare videtur Lucian. in Navig. 11. p. 514. apud quem cum Timolaus multos ſibi *annulos* optaſſet, quorum beneficio & recte valeret, & robore alios ſuperaret, & alios in ſoporem collocare, aut aliud quippiam, quod conditionem humanam excedat, præſtare poſſet, quærit ex ipſo Lycinus. *At vero etiam hoc reſponde mihi, cur tandem non unus annulus omnia tibi iſta poteſt, ſed tam multis revinctus ſiniſtra gravata per ſingulos digitos? Imo vero excedit numerus, & neceſſe erit etiam dexteram ferendo oneri ſuccedere.* Quod autem læva manus *annulorum* ſedes fuerit, ſicut hodieque eſt, teſtantur Plinius: *Manus, & prorſus ſiniſtræ maximam auctoritatem conciliavere auro.* Horatius ſupra laudatus. Tertull. de Habit. mul. c. 9. *Graciles aurium cutes Kalendarum expendunt, & ſiniſtra per ſingulos digitos de ſaccis ſingulis ludit.* Siniſtræ manui potiſſimum *annulos* aptavit antiquitas. I. Quod ſit otioſior quam dextra, cujus officium fuiſſet non ſolum *annulorum* geſtatione impeditum; ſed & ipſi *annuli* crebro motu facile potuiſſent lædi. Diſerte Attejus Capito apud Macrob. l. l. *Poſtea uſus luxuriantis ætatis ſignaturas pretioſis gemmis cœpit inſculpere, & certatim hæc omnia imitatio laceſſivit, ut de augmento pretii, quo ſculpendos lapides paraſſent, gloriarentur. Hinc factum eſt, ut uſus annulorum exemptus dextræ, quæ multum negotiorum gerit, in lævam relegaretur, quæ otioſior eſt: nec crebro motu, & officio manus dextræ pretioſi lapides frangerentur.* II. Quod plerumque lateat, nec ſe tam crebro oculis hominum ingerat. Cum enim, qui primum *annulos* invenerunt, propter rei novitatem, & inſolentiam

in

in propatulo eos gestare erubescerent, sinistræ manui tanquam magis latenti induerunt, ne si aperte gestarent, in reprehensionem aliorum incurrerent. Plinius: *Qui primus instituit, cunctanter id fecit, lævique manibus, ac latentibus induit, cum, si honos securus fuisset, dextra fuerit ostentandus. Quod si impedimentum potuit in ea aliquod intelligi, etiam sartoris usus argumentum est, majus in læva fuisse, qua scutum capitur.* Si etiam in levi, inquit, artificio sartorum, impedimentum futurum fuit gestato dextra *annulo*, quanto majus est, cum sinistra eo onerata tractatio clypei impeditur? *Kirchman. ibid. c 4. Longus ibid. c. 5. Chiflet. ibid. c. 7. Gorl. ibid. p. 7. Salmuth ibid. p. 671. Gonsal. in Petron. p. 127. Thys. in Gell. x. 10. Ferrar. Calcagn. Casal. & Schill l. l. Sabellic. in Plinium.* Habuerunt illos in sinistræ manus digito, qui minimo est proximus. Plinius: *Singulis primo digitis geri mos fuerat, qui sunt minimis proximi. Sic in Numæ, & Servii Tullii statuis videmus.* Qui ob id δακτυλιώτης, vel *annularis* est dictus. V. infr. in *Digitus annularis.* Etiam Gell. x. 10. Salisber. Policrat. vi. 12. Macrob. & Isidor. l. l. dant rationem hanc, quæ nititur fundamentis anatomiæ. *Insectis apertisque humanis corporibus repertum est, nervum quendam tenuissimum ab illo digito ad cor hominis pergere & pervenire. Et propterea non inscitum visum est, eum potissimum digitum tali honore decorandum, qui continens & quasi connexus esse cum principatu cordis videretur.* Long. de Annul. c. 5. Salmuth ad Panciroll. Rer. Deperd. & Inv. p. 672. Casal. de Prof. Rom. Ritib. c. 18. Ratio posterior nulla est. Et Medici recentiores ex diligenti & accurata corporum humanorum dissectione observarunt, nullam in digito *annulari* majorem illustrioremve aliam, quæ ad cor perveniat, venam aut arteriam, quam in aliis reperiri, neque eum ullo peculiari privilegio, aut naturæ indulgentia gaudere. *Kirchman. Chiflet. l. l. Riolan. Anthropogr.* v. 28. Eundem honorem indici quoque tribuerunt. Plinius: *Postea pollici proximo induere, etiam deorum simulacris.* Et *annulus*, quo index ornabatur, a Græcis κορίανος peculiari nomine dicebatur. Pollux v. 16. Minimus quoque *annulo* ornari solebat. Plinius: *Dein juvit & minimo dare. Sunt qui tres uni minimo congerant: alii vero & huic unum tantum, quo signanda signent. Conditus ille, ut res rara, & injuria usus indigna, velut e sacrario promitur; & unum in minimo digito habuisse, pretiosioris in recondito supellectilis ostentatio est.* Clem. Alexandr. Pædag. iii. 11. *Annulum non in articulo ferre fas est viris: muliebre enim hoc; sed in minimum digitum, hoc est, in ultimum submittere.* Et sigillaritii, qui hodie reperiuntur, circumferentia adeo sunt arcta, & angusta, ut, nisi raro admodum alii, quam minimo digito aptari possint. Dicebatur proprie ἀκαρὲς. Pollux v. 16. propter nimirum parvitatem. Nam ἄκαρ Græcis idem est, quod μικρὸν, vel ὀλίγον. Hinc scriptores hominem lautissime divitem notaturi, tribuunt ipsi grandem in hoc digito *annulum.* Petron. c. 32. *Habebat etiam in minimo digito sinistræ manus annulum grandem subauratum.* Lucian. dial. meretr. p. 537. Edit. Græv. Tom. ii. *Habebat ipse Parmeno annulum in minimo digito maximum, multangulum.* Kirchman. Rhodig. Schedius, & Gorl. l. l. Kornman. ibid. i. §. 16. Dalech. in Plinium. Medium Plinius excipit, quanquam Gallis olim, Britannisque morem fuisse asserit, ut eo *annulos* gestarent: cujus tamen rei testimonium non memini me alibi legere. Romani vero ideo videntur vitasse, quod infamis vulgo, & impudicus censeatur. Mart. vi. 70. 5.

Ostendit digitum, sed impudicum.

Pers. Sat. ii. 30.

—— uda labella
Infami digito, & lustralibus ante salivis
Expiat.

Pollicem Plinius præteriit; sed tamen eo interdum gestatos etiam fuisse *annulos* non obscure indicat Capitolinus, qui c. 6. Maximinum Cæsarem asserit fuisse *pollice ita vasto, ut uxoris dextrocherio uteretur pro annulo.* Kirchman. Gorl. & Kornman. l. l. Morientibus detrahebantur. Plinius: *Gravatis somnio, aut morientibus religione quadam annuli detrahebantur.* Sic Tiberio deficienti *annulum extractum, quem mox resipiscens requisiverit*, auctor est Suet. c. 73. n. 4. Atque hæc est causa, cur *annuli* spontaneum de digito lapsum inter signa mortis Adriano Imperatori oblata retulerit Spartian. c. 26. *Signa mortis*, inquit, *hæc habuit: annulus, in quo imago ipsius sculpta, sponte de digito delapsus est.* Forte ideo detrahebantur, ne in pollinctorum manus pervenirent: nam post redditos iterum digito, & una cum cadavere combustos, non obscure indicat Prop. iv. 7. 9.

Et solitum digito beryllon adederat ignis.

Kirchman. ibid. c. 22. de Funer. i. 5. Meurs. de Funer. c. 2. Morestell. Pomp. Feral. i. 4. Chiflet. ibid. c. 8. Ferret. Mus. Lapid. iv. memor. 5. Kornman. ibid. i. 27. Donat. Dilucid. in Suetonium. *Annuli* traditio utrum olim fuerit hæredis instituendi tessera quædam, & symbolum, merito ambigitur. Perdiccam quidem ab Alexandro M. successorem in regno constitutum donatione *annuli* nonnulli putaverunt. Putat Aristonus apud Curt. x. 5. 16. *Tum Aristonus orsus est dicere: Alexandrum consultum, cui relinqueret regnum, voluisse optimum deligi: judicatum autem ab ipso optimum Perdiccam, cui annulum tradidisset.* Justin. xii. 15. 12. *Sexta die præclusa voce, exemptum digito annulum Perdiccæ tradidit, quæ res gliscentem amicorum dissensionem sedavit. Nam etsi non voce nuncupatus hæres, judicio tamen electus videbatur.* Nep. xviii. 2. 2. *Alexandro Babylone mortuo, cum regna singulis familiaribus dispartirentur, & summa rerum tradita esset tuenda eidem, cui Alexander moriens annulum suum dederat, Perdiccæ: ex quo omnes conjecerant, eum regnum ei commendasse, quoad liberi ejus in suam tutelam pervenissent.* Nec male ita collegerunt. Erat enim *annulus* signatorius, vel sigillum plerumque dominii, & potestatis symbolum. Ideo quibus Reipublicæ, vel regni administratio, eidem etiam *annuli*, vel signi cura solebat committi. Quomodo Helena Adiabenorum regina *proregem fecit grandiorem filium Monobazum imposito ei diademate, & dato patris annulo signatorio, simulque sampsera, ut ipsi vocant: jussitque eum administrare Rempublicam, donec veniret frater Izates, quem pater regni hæredem destinaverat.* Joseph. Ant. xx. 2. Atque hæc causa est, cur Q. Catulus, cum nocte quadam post dedicatum Capitolium somniasset, *Jovem Opt. Max. prætextatis compluribus circum aram ludentibus, unum secrevisse, atque in ejus sinum signum Reipublicæ, quod manu gestaret, reposuisse*, teste Suet. Aug. c. 94. n. 13. conjecturam ex eo fecerit, in Augusti potestatem fore aliquando Rempublicam. Sed non sola *annuli* traditio ad hæredis institutionem sufficiebat, nisi ea testamento probaretur, & confirmaretur. Testantur exempla eorum, qui *annulos* amicis tanquam hæredibus dederant, quos tamen nulla ex parte hæredes scripserant. Fecit id T. Barrulus. *Is Lentulo Spintheri, cujus amantissimum animum, liberalissimamque amicitiam senserat, decedens suos annulos perinde atque unico hæredi tradidit, quem nulla ex parte hæredem relinquebat.* Val. Max. vii. 8. 8. Fecit id M. Popillius, *qui Oppium Gallum ab ineunte ætate familiarissimum sibi moriens unum de multis, qui assidebant, ultimo complexu, & osculo dignum judicavit, superque annulos suos ei tradidit, videlicet, ne quid ex ea hæreditate, quam non erat aditurus, amitteret. Quos ocyus vir diligens, sed morientis amici plenum contumeliæ ludibrium, in locellum repositos, & a præsentibus obsignatos, diligentissime hæredibus illius, exhæres ipse reddidit.* Val. Max. ibid. §. 9. Sed audiamus, quid in hac controversia respondeat Papinianus. *Pater*, inquit ille, l. 77. cum pater. §. pater. ff. de legat: ii. *pluribus filiis hæredibus institutis, moriens claves, & annulum custodiæ causa, majori natu filiæ tradidit: & libertum eidem filiæ, qui præsens erat, res, quas sub custodia sua habuit, assignare jussit, commune filiorum negotium gestum intelligebatur, nec ob eam apud arbitrum divisionis, præcipuam causam filiæ fore.* Kirchman. de Annul. c. 22. de Funer. i. 5. Longus de Annul. c. 4. Kornman. de Annul. i. §. 22. 23. 24. Brisson. de Form. vii. p. 620. Casal. de Prophan. Roman. ritib. c. 26. de Urb. ac Imp. Roman. splend. part. 2. c. 21. Croph. Antiq. Maced. i. 24. At quan-

quantum hic censes insumptum, in tanto *annulorum* numero, & gemmarum? Nonne centena aliquot millia florenorum? Non potest aliter. *In sinistra per singulos digitos de saccis singulis lusisse* dixit Tertullianus supra laudatus. At quantum in saccis sive loculis habebant? Idem auctor paullo ante dicit: *Brevissimis loculis patrimonium profertur.* Ergo in singulis *annulis* expensa patrimonia, quod de inauribus Seneca infr. in *Inauris.* Et ecce tibi, Nonius senator, proscriptus ab Antonio, unum secum abstulit, cujus pretium æquabat viginti mille sestertia, id est, decies centena millia florenorum. Plin. XXXVII. 6. memorat. *Ab Antonio proscriptus Nonius senator fugiens, e fortunis suis omnibus annulum abstulit secum, quem certum est sestertiis viginti milibus æstimatum.* Meurs. de Luxu Roman. c. 5. Kobierzyck. de Luxu Roman. II. I.

Annulus natalitius inde dicebatur, vel qui solo natali die gestari solitus. Ita enim plerique capiunt Pers. I. 16.

Et natalitia tandem cum sardonyche alba.

vel qui natali die, cum munera missitabant amici, & clientes, dono missus. Plaut. Curc. V. 2. 56.

Hic est annulus, *quem ego tibi misi natali die.*

Magno in pretio habebatur, & cum cura servabatur. Plaut. ibid. n. 53.

Verum huac servavi semper mecum una annulum:
Cum hoc olim perii.

Kirchman. ibid. c. 17. Casaub. in Persium. Casal. de Prophan. Roman. ritib. c. 18. Taubman. in Plautum.

Annulus pronubus in sponsalibus adhiberi solebat. Nam mos fuit, ut sponsus sponsæ *annulum*, quasi pignoris loco donaret, qui pronubus dicebatur. Cujus moris etiam vestigium exstat in nostris libris. Paull. l. 36. ff. de donat. int. vir. & uxor. *Sponsus alienum annulum sponsæ muneri misit, & post nuptias pro eo suum dedit.* Juven. Sat. VI. 25.

Conventum tamen, & pactum, & sponsalia, nostra
Tempestate paras, jamque a tonsore magistro
Pecteris, & digito pignus fortasse dedisti.

Brisson. de rit. nupt. Thes. Ant. Roman. Græv. Tom. VIII. p. 1014. A. Calcagn. Equitat. p. 581. Kirchman. de Annul. c. 18. Ant. Hotoman. de vet. rit. nupt. c. 10. Franc. Hotoman. de Sponsal. c. 3. Salmas. de mod. usur. c. 14. Salmuth in Pancirol. de reb. deperd. & inv. p. 678. Rhodig. Ant. Lect. VI. 12. Ferreum fuisse, & quidem sine gemma scribit Plin. XXXIII. 1. *Quo argumento etiam nunc sponsæ annulus ferreus mittitur, isque sine gemma.* Ex auro fuisse Tertullianus, scriptor gravissimus, & antiquitatum Romanarum scientissimus, qui vix centum annis Plinio posterior. Ita ille Apolog. c. 6. *Circa feminas etiam illa majorum instituta ceciderunt, quæ modestiæ, quæ societati patrocinabantur; cum aurum nulla norat præter unico digito, quem sponsus oppignerasset pronubo annulo.* Item Isiodor. XIX. 32. *Feminæ non utebantur annulis, nisi quos virgini sponsus miserat: neque amplius quam binos aureos in digitis habere solebant.* Plinii ergo tempore fuit ferreus, post aureus donari cœptus est. *Francisc. Hotoman. l. l.* Sed Plinius non negat datum *annulum* aureum, hic enim pronubus; sed tantum affirmat ad sponsam domum ferreum fuisse missum: idque eo argumento, quod ii solum, qui ob legationem acceperant aureos *annulos*, in publico tantum uterentur eis, intra domos vero ferreis. Sic τὸ ἀ.κχριλὸν sponsæ commendabatur symbolo. Aureum ergo desponsans dabat legitime, sed postea mittebat ferreum sollenni ratione domum. Hæc nullo modo pugnantia. *Junius ad Tertullianum. Ant. Hotoman. l. l.* Non contemnenda hæc est conjectura. Non tamen dixerim, feminas ferreo hoc *annulo* domi, aureo in publico tantum fuisse usas. Nam & domi illas gestasse *annulos* aureos apparet ex Clemente Alexandrino, qui feminis Christianis hunc *annulum* diserte tribuit Pædag. III. 11. sed laudandus infr. in *Annulus signatorius.* Neque tamen ab amantibus dono datus semper erat conjugii symbolum: sed interdum tantum amoris aucupium. Talis fuit ille, quem Palæstrio militi detulit apud Plaut. Mil. IV. 1. 11.

— PAL. *Hunc arrhabonem amoris primum a me*
accipe.
PYRG. *Quid hic? unde est?* PAL. *A luculenta, atque festiva femina,*
Quæ te amat, tuamque expetiscit pulcram pulcritudinem:
Ejus nunc mihi annulum ad te ancilla porro ut deferrem dedit.

Nec alio fine Pamphilus *annulum* Philumenæ per vim detractum Bacchidi meretriculæ donavit apud Terent. Hec. V. 3. Quomodo & amicæ suæ *annulum* dono dedit Ovid. Amor. II. 15. *Kirchman. l. l.*

Annulus signatorius, sive sigillaricius inter hominum ornamenta minime recensetur. Paull. l. 74. ff. de verb. sign. *Signatorius annulus ornamenti appellatione non continetur.* Quem locum gloss. sic explicat: *In proscriptione bonorum alicujus, si de muliebribus ornamentis agatur, ne quis sibi signatorium annulum audeat vendicare.* Ratio: hos ornatus causa non fabricavit, sed necessitas, non minus quam claves, & seras. Huc spectat etiam, quod a Solone lege tab. 24. cautum legimus in hæc verba: *Si quis annulario annulum vendiderit, signum servari fas esto.* Cujus rei argumento est l. gemma ff. ad exit. *Longus de Annul. c. 3. Kornman. de Tripl. annul. p. 3. c. 1.* Usus fuit in signando: quam unicam fuisse *annuli* gestandi causam indicat Atejus Capito apud Macrob. Sat. VII. 13. *Veteres non ornatus, sed signandi causa annulum secum circumferebant.* Et ipsa vox signare inter alia, teste Festo, etiam *annulo signa imprimere* significat. Clem. Alex. Pædag. III. 11. *Tribuit etiam feminis annulum aureum, non hercle ad ornatum, sed ad signandum ea, quæ domi custodienda sunt propter curam domesticam, quæ illis incumbit. Si enim omnes a pædagogo recte instituti essemus, supervacua essent signacula omnibus ex æquo bonis, servis dominisque.* Kirchman. de Annul. c. 5. Ferrar. Elect. I. 21. Lips. ad Annal. Tacit. II. Excurs. B. Ejus cura ad matremfamilias spectabat. Xenophon in Oeconomicis docet hoc pluribus locis. Clemens modo laudatus. Et Vopisc. in Aurelian. c. 50. *Uxori, & filiæ annulum sigillaricium quasi privatus instituit.* Filiæ quidem grandiori, & jam in matrimonium collocatæ, ut ad Vopiscum monet Casaubonus. Sed & interdum majori natu liberorum a parentibus traditum, colligit D. not. ex l. 77. §. 21. ff. de legat. II. Quare nec poterat uxor, mortuo marito, ejus *annulo* signare, si se in aliam familiam transtulisset, imo prohibebatur, remanebatque *annulus* apud hæredes, ut l. si quæ sunt ff. famil. ercisc. *Longus l. l.* Romani Imperatores, & principes viri olim *annulos* signatorios digito gestare consuevere, quibus non modo scripturas magnifaciendas signabant, sed & pecuniarum, gemmarum, ac reliquarum rerum pretiosarum scrinia ea continentia signare solebant, nec alicui non nisi probatæ fidei, & spectatæ credere consueverant: & habebant *annulos* signatorios plures, nempe quosdam, quibus epistolas, & acta publica obsignarent, quorum illi, qui a secretis, vel a libellis, & epistolis apud ipsos erant, curam habebant: Alios vero quos digitis propriis gestabant assidue, quibus secretiores scripturas, gemmarum, pecuniæ, ac aliarum pretiosarum rerum arcas obsignabant: Signatorii hujus *annuli* mentio fit apud Ictum l. signatorius 74. ff. de verb. signif. & l. Argum. §. ornamenta ff. de aur. & argent. leg. & non semel in sacris paginis. *Kornmann. ibid.* §. 3. *Pancirol. Notit. dignit. imp. orient. c.* 84. Hujusmodi *annulo* non diligenter asservato, magna sæpe fraus est commissa. Hoc dolo Jesabel, postquam intellexit, Nabothum nolle suam vineam, cujus emendæ desiderio Rex tenebatur, vendere, literas nomine Achabi Regis ad seniores populi dedit, easque *annulo* regio obsignavit, quibus inscio marito innocentis Nabothi cædem mandavit 1 Reg. c. 21. n. 8. Eodem usus Annibal, cum *annulo* Marcelli consulis potitus esset. Nam Salapiam literas misit Marcelli nomine compositas, quibus significavit se nocte, quæ diem illum sequutura esset, eo perventurum, parati milites essent, qui in præsidio erant, si qua opera eorum opus esset. Et vero hoc stratagema ipsi forsan non

infeliciter ſucceſſiſſet, niſi Criſpinus alter conſul circa proximas civitates miſiſſet nuntios, occiſum eſſe collegam, *annuloque* ejus hoſtem potitum, ne quibus literis crederent *annulo* Marcelli obſignatis. Nam hic nuntius paullo ante Salapiam venerat, cum literæ ab Annibale allatæ ſunt, Marcelli nomen, & ſignum præferentes. Teſtantur Liv. XXVII. 28. & Frontin. Stratag. IV. 8. *Kirchman. ibid. c.* 14. *Kornman. ibid.* §. 5.

Annulus ſponſionis cauſa, arrhæque nomine etiam dabatur. Plin. XXXIII. I. *Celebratior annuli uſus cum fœnore cœpiſſe debet. Argumento eſt conſuetudo vulgi, ad ſponſiones etiam annulo exſiliente, tracta ab eo tempore, quo nondum erat arrha velocior: ut plane affirmare poſſimus nummos ante apud nos, mox cœpiſſe annulos.* Meminerunt hujus conſuetudinis & Icti, ut l. 17. ff. de præſcr. verb. *Si quis ſponſionis cauſa annulos acceperit, nec reddit victori, præſcriptis verbis actio in eum competit.* l. 5. §. penult. ff. de Inſtit. act. *Si inſtitor cum oleum vendidiſſet, annulum arrhæ nomine acceperit, neque eum reddat, dominum inſtitoria actione teneri.* Et ſponſiones *annuli* depoſitione confirmabantur apud ſequeſtrum. Sic Xanthi, & adoleſcentis de mari ebibendo certantium ſponſionem *annuli* depoſitione confirmatam, de qua poſtea apud συνθηκοφύλακα, pactionis præfectum, ſeu ſequeſtrum diſceptarint, legimus apud Maxim. Planud. in vit. Æſopi. Si qui etiam de ſymbolis eſſe volebant, *annulum* plerumque pro ſymbolo dabant ei, qui cœnam jubebatur parare. Terent. Eun. III. 4. I.

Heri aliquot adoleſcentuli coïmus in Pyræeo
In hunc diem ut de ſymbolis eſſemus: Chæream ei rei
Præfecimus: dati annuli.

Lucian. Dial. meret. p. 531. *Et ob hoc paullo ante cum non haberet, unde daret ſymbolum, annulum dediſti illi, me ignorante: ille vero eum vendens potando abſorbuit.* Pro teſſera, ſeu ſigno in repetendo depoſito uſurpabatur. Convincit hoc locus Plaut. Bacch. II. 3. 93.

— CH. *Annulum gnati tui*
Facito ut memineris ferre. NI. *Quid opus eſt annulo?*
CH. *Quia id ſignum eſt cum Theotimo, qui eum illi afferet,*
Et aurum ut reddatur.

Kirchman. de Annul. c. 18.

Annuli velares ſunt, a quibus vela cubilium pendent, ut & pandi, reducique poſſint, curraci materia, & perpolita. Plinius. V. illum ſupr. in *Annulus.* Turneb. Adv. XVII. 12. Kirchman. de Annul. c. I. Smet. Antiq. Noviomag. p. 22. Caſaub. in Athen. XII. 12.

Annulus, ſive gemma fuit inſigne tibicinum, antiquorum more. De ſymphoniacis Neronis Suet. c. 20. n. 6. *Inſignes pinguiſſima coma, & excellentiſſimo cultu pueri, nec ſine annulo lævis.* q. d. ad aliorum imitationem muſicorum, & citharœdorum *lævas annulis* habuiſſe exornatas. Putean. Reliq. Conviv. priſc. Theſ. Antiq. Roman. Græv. Tom. XII. p. 271. D. Bartholin. de Tibiis III. 3. Plin. XXXVII. I. *Nec deinde alia, quæ tradatur, magnopere gemmarum claritas exſtat apud auctores; præterquam Iſmeniam choraulem multis, fulgentibusque uti ſolitum.* Iſmeniam illum *annulo* uſum eſſe non raro legimus, cujus opera callide fucum fecit Perſarum oculis, ut Artaxerxem, ad quem legatus miſſus erat, ſpecie tenus, ſalva libertate, adoraret. Cum enim Regis adeundi, & colloquendi facultas aliter non daretur, quam ſi eum veneraretur, Iſmenias ſtatim atque in conſpectum Regis venit, *annulum* ſenſim digito detractum, clam, & nemine animadvertente ad pedes abjecit, quem mox ſuſtulit jacentem. Eoque corporis geſtu, cum quaſi venerabundus procubuiſſet, viſus eſt patrio Perſarum mori, inſtitutoque paruiſſe: cum tamen nihil ſe indignum, aut præter civium morem feciſſet. Ælian. Var. Hiſt. I. 21. *Barthol. l. l.*

ANNUS. Ejus nomine nemo non intelligit id tempus, quo ſol acceſſu & receſſu ſuo totam tempeſtatum, hoc eſt, hyemis, veris, æſtatis, autumni varietatem facit. *Gaſſend. Kalend. Roman. præfat. Theſ. Antiq. Roman. Græv. Tom.* VIII. *p.* 141. *C.* Quis modus, aut quæ ratio fuerit ante Urbem conditam, apud antiquiſſimos Italiæ populos, ſive ii Umbri, ut ſcribit Plin. III. 14. ſive Etruſci, Sabini, aut alii fuerint, divinare non eſt facile, cum ejus rei tractatio, neque literarum monumentis tradita uſquam exſtet, neque per manus nobis tradita ſit. Et crediderim ſane regnantibus etiam priſcis, Jano, Saturno, Pico, qui tres primi regnaſſe dicuntur in ea Italiæ parte, quæ Latium dicitur, *annum* potius nullam, quam aliquam rationem habuiſſe. Nam, qui quæſo aſtrologica ratione tempus in annos, menſes, dies, aut horas partiri noviſſe potuiſſent rudes illi, & inculti populi, qui ne domos quidem ædificare, terram colere, ſerere, aut metere noſſent: ſed qui ſemiferi glandibus vitam ſuſtentarunt, *atque in caſis, & tuguriis habitarunt, nec murus, nec porta quid eſſet, ſciverunt*, ut de illis Varr. de Re ruſt. III. I. *Lalamant. de Ann. Roman. Theſ. Antiq. Roman. Græv. ibid. p.* 261. *A.* Partes genericæ, inſignibus temperamentorum differentiis ſeparatæ, ſunt quatuor: ver, æſtas, autumnus, hyems. Quæ anni diſcrimina primus inſtituiſſe, & nominibus ſuis donaſſe Palamedes dicitur. Varro *anni tetrachordon* iſtas *anni* partes vocavit, ab inſtrumenti muſici quaternis fidibus tenſi metaphora. Varronis locus eſt apud Non. II. 22. *Retinet viatorem meridie prætereuntem fontem, quod autumnitas in anni tetrachordo menſem prætererat.* His *anni* temporibus, quod ſpatiis æqualibus ſint diſpoſita, divinitatis numen aſſignavit vetuſtas, Horasque dixit eorum præſides, a Solis nomine, quem Ὧρον Ægyptii nuncuparunt, uti voluit Macrob. Sat. I. 21. quam ob cauſam & Solis filias eas dixit Orpheus, miniſtras, & aſſeclas ejuſdem Ovidius: alio reſpectu cœli janitrices appellavit Homerus, & Olen Lycius Junonis alumnas: quod figmentum eo referendum judico, quod aer, qui Junonis nomine deſignatur, pro quatuor *anni* temporum, horarumve ratione temperatur, atque evariat. Iſtas quatuor *anni* partes fabuloſe ſub urnarum nomine hoc verborum apparatu Martianus Felix Afer Philol. II. videtur deſcripſiſſe. *Quatuor*, inquit, *ſunt urnæ apud Latoïum Phœbum poſitæ, ex variis metallis formatæ, e ferro, argento, plumbo fuſili, & vitro. Ferrea, vertex Mulciberi dicebatur: ex ea anhelabat flamma. Argentea, vernantis cœli temperie renidebat, ſerenaque præ ſe ferebat: hæc dicta Jovis riſus. Plumbea, plena undoſæ hyemis, ac rigoris, pruinarumque, dicta Saturni exitium. Vitrea, ad dexteram dei poſita, aeris totius ſeminibus erat referta, dicta Junonis ubera.* Quibus verbis ſub poeticæ fictionis involucro clare exprimit primo loco fervidam æſtatem, dein veris temperiem, mox hyemis aſperitatem, poſtremo pomiferi autumni ubertatem luſu nec inamœno deſcribit. *Junius de Ann. & menſ. c.* 3. Tabulæ Heliacæ ſymbolis deſignantur: id enim præcipuum Solis munus, ut ſigniferum percurrat circulum,

Temporibusque parem diverſis quatuor annum,

Ut canit Virg. Georg. I. 258. efficiat. Nam *veris clementem teporem, torridum cancri, ac leonis æſtum, mollitiem autumnalis auræ, vim frigoris inter utramque temperiem, omnia hæc ſoli curſus, & ratio diſpenſat.* Sunt verba Macrob. in Somn. Scip. I. 20. Quin ſingula hæc ipſe ſunt Sol. Videtur vetus poeta hoc fateri hoc verſiculo:

Sol, æſtas, autumnus, hyems, Sol ver quoque gratum.

Eam ob cauſam videtur dici quadrupes ab Orpheo hymn. 7. n. 5.

Temperamenta habens temporum, quaternis pedibus tripudians.

Nec aliunde ortum poetarum figmentum quadrigas Soli tribuentium atque idem Orpheus inducit, quum ait n. 19. τετραώρων, ut legendum pro τετρόορον, ut eſt in vulgatis codicibus, ἅρμα διώκων: *quatuor temporum currum agens.* Quoniam vero circus Soli conſecratus erat, quatuor colores, quibus agitatorum factiones induebantur, & currus ornabant, appoſite crediti ſunt quatuor anni tempeſtatum ſymbola fuiſſe. Aperte hoc docet Tertull. de Spectac. c. 9. *Albus*, inquit, *hyemi ob nives candidas, ruſſeus æſtati ob ſolis ruborem voti erant . . . . . praſinum vero terræ matri, vel verno, venetum cœlo, & mari, vel*

autumno. Aleand. Tab. Heliac. Explic. Thes. Antiq. Roman. Græv. Tom. v. pag. 731. E. In numismatibus quatuor puerulis indicantur. Primus canistrum habet impositum capiti floribus refertum, ver designans. Secundus altera manu spicas tenet, altera falcem falcandis frugibus idoneam, propria æstatis symbola. Tertius leporem dextra, læva fructus, venationis opportunitatem, fructuumque abundantiam autumnali tempore innuens. Quartus avem, forsan anatem, læva gerens, vestitus est, quo hyemalis tempestas frigidissima vulgo denotatur. *La Chausse de deor. simulacr. tab.* 41. Non defuere, qui in septenas partes *annum* dispertiti fuerint, relinquentes ver & autumnum indivulsos, & integros: hyemem distrahentes in tres partes, quarum prima sementi dabatur, altera ad solstitium consumebatur, tertia plantationes, & insitiones finiebat: rursus æstatem binis determinantes partibus, primam a Vergiliarum ortu in canis emersu desinentes, alteram vero a cane ad arcturi usque exortum producentes, ita ut veri itidem ut autumno bini tantum menses assignarentur, hyemi similiter, & æstati quaterni, quemadmodum in Epidemiis disserit Galenus. *Junius l. l.* Ægyptii per tres tantum qualitates *annum* metiebantur: ver quippe, æstatem, & hyemem, quæ singula tempora centum, & viginti diebus constare voluerunt, quibus insuper quinque dies addiderunt intercalares. *Morestell. Not. ad libr. de Tripl. ann. Roman.* 1. 2. Palma fuit *anni* insigne. Causa est, quod sola omnium arborum, per ortus lunæ, singulos ramos progenerat: sicque ita significatum mensis observabatur, ut per singulos palmæ surculos totidem adnumerarentur. Si itaque *annus* ab aliquo exprimi debeat, palma duodecim ramis prædita effingetur: etiamsi tamen non adfuerit hæc curiositas, omnino nihilominus *annum* significabit: quia, ut Babylonii tradunt, referente Plutarch. Sympos. vi. 4. trecentas & sexaginta utilitates mortalibus largitur. *Morestell. l. l. Junius ibid. c.* 1. Principium Romulus a Martio in honorem Martis, e quo prognatus credebatur, inchoavit: mox Numa sive præceptis Pythagoræ doctior, sive Egeriæ nymphæ monitis imbutus, ad cursum Solis *annum* accessione duorum mensium extendendo, è decemmestri duodecimmestrem fecit, certaque ratione *anni* exordium a Januario est auspicatus, ratione haud iniqua. Nam quum prisci binas statuebant portas commeatus Solis, Cancrum videlicet & Capricornum, apposite Januario eam incipientis *anni* prærogativam tribuit, quum Sol ab imo animalium zodiacum circulum pingentium positu redux, longioris lucis usum revehit, tenebras imminuit, ad borealem plagam enititur. Numam secutus Cæsar a Kalendis Januarii, quæ fuerunt luna prima post brumale solstitium, *annum* inchoandum statuit. *Junius de Ann. & mens. c.* 3. *Viola de Rom. temp. rat. Thes. Antiq. Roman. Græv. Tom.* VIII. *p.* 172. *D. Gassend. Kalend. Rom. Thes. Antiq. Roman. Græv. ibid. p.* 154. *D. Lipen. de Stren. c.* 4. §. 11. *Putean. de Bissext. c.* 10. Athenienses a solstitio æstivo anni principium statuerunt. Arabes & Damasceni a verno æquinoctio, ut ab autumnali Asiatici & Ægyptii inchoarunt, quibus September *anni* initialis erat mensis: quod initium etiam Judæi secuti ante exitum ab Ægypto, mutarunt postea jussu Dei. Sunt qui Arabas ab Almuharan, qui cum Septembri idem est, *annum* auspicari prodiderint. *Junius & Viola l. l. Aleand. Tab. Heliac. Explic. Thes. Antiq. Roman. Græv. Tom.* v. *p.* 734. *B.* Juliani initium more Romano pendet a media nocte antecedente Kalendas Januarias, non a meridie Kalendarum ejusdem. Rationem V. infr. *in Dies principium.* Lalamant. de ann. Roman. Thes. Antiq. Roman. Græv. Tom. VIII. p. 269. E. Ad *anni* rationem pertinent I. Intercalatio. V. illam infr. in *Intercalare.* II. Correctio. Hoc docent exempla Cæsaris, & Augusti, quorum ille, cum pontifex maximus esset, fastosque correxit, *annumque* ad solis cursum accommodavit: hic, postquam pontificatum maximum suscepit, *annum* a D. Julio ordinatum, sed postea negligentia confusum, rursus ad pristinam rationem redegit. . . . Emendatio alia est *αὐτοκρατορικὴ*, alia per modum consilii suppeditata, & veluti ministerialis. Hæc ad Pontifices pertinebat, quorum erat modum emendandi investigare: illa autem altera, quæ cum potestate quadam ac imperio aliam *anni* formam introducit, soli Magistratui, sive summæ potestati proprie competit. Eaque Cæsar usus est non ut Pontifex Maximus, sed ut Princeps. Idem de Augusto dicendum est. Recte igitur Protestantes superiori seculo vel ea de causa non receperunt Kalendarium a Gregorio XIII. ope Aloysii cujusdam Lilii correctum, quod sine consensu summarum potestatum obtruderetur. Recte quoque Wilhelmus Hassiæ Landgravius ad Principes id spectare Cæsaris exemplo probavit. *Bosius de Pont. Max. c.* 4. §. 7. Per consules suos *annos* numerabant Romani, an quia memorabilis ille magistratus, cui auspicium libertatis post Reges exactos debebatur? Numerant autem pleræque gentes a re maxime insigni ad memoriam ejus conservandam. An quia *anni* ab U. C. ignorabantur? Nec enim in iis accurate colligendis certi quid statuendum habebant. Quamobrem & variis olim sententiis certatum. Quod non mirandum in initiis, adeo vel fabulosis, vel obscuris. Fateor quosdam veterum *annos* ab U. C. supputare. Quod etiam videre est in antiqua lapidis inscriptione, quæ Romæ legitur:

PRÆSENTIÆ
MATRIS. DEUM
P. SEPTIMIUS. FELIX
OB. CORONAM
MILLESIMI
URBIS. ANNI.

Ubi per *coronam millesimi anni* non nisi periodum mille *annorum* auctor voluit designare. At vero hæc chronologiæ ratio valde incerta erat, & tantum conjecturis eruditorum, diversa fere sentientium, nitebatur. Acta autem, & edicta publica cum veris, constantibusque *annis* probari deberent, nominibus consulum, mutuo sese excipientium, tanquam *annorum* indiciis, in omnium temporum indubitatam memoriam notari, conformarique voluerunt. *Boxhorn. Quæst. Rom.* 18. . . . . Imperii numerabant Romani Principes a die quo tribunitiam potestatem assumere solebant, quia illam assumere solebant ad imperii fastigium evecti, ita ut quum dicitur tribunitiæ potestatis primum, secundum, & tertium, nihil aliud significetur quam eum Imperatorem imperii *annum* primum, secundum, & tertium agere. Domitianus igitur, ut in ejus vita Tranquillus tradit, statim post Titi fratris mortem, primo imperii die, qui fuit Idibus Septembris, tribunitiam etiam potestatem, quam patre, fratreque vivis obtinere non potuerat, suscepit. Isque dies fuit imperii natalis, quem magna ludorum celebritate veteres Principes Romani colere solebant. *Panvin. de Lud. secul. Thes. Antiq. Roman. Græv. Tom.* IX. *p.* 1084. *B.* Aperire, & pandere dicebantur novi consules. V. infr. in *Consules.* Gestu manus modo dextræ, modo sinistræ, & digitorum suppressione, aut circumfusione sæpe denumerarunt veteres. V. infr. in *Digiti.* Sibi ad vivendum constitutos, ut mirificam vim amoris sui in aliquem exprimerent, veteres dicebant se conferre, ac contribuere cum eo, quem diligerent, ita ut quod ipsis superesset vitæ, ejus pars aliqua ad illius vitam adderetur. V. infr. in *Vitam.*

Annus Albanus. Albani non solum mensium dies juxta species lunæ denominaverint; sed etiam, post admissam fixam *anni* rationem, juxta *φάσιν* nonas ordinaverint. Equidem illud omnes gentes a diluvii temporibus retinuisse existimaverim, ut primum apparente luna mensem inchoarent. Sed cum cœlo minus, quam in oriente, puro ac nubibus libero viveretur; contigit lunam quandoque multis post jugum diebus occultari, quandoque ipso Neomeniæ die, aut saltem sequenti apparere. Hinc inæqualis ac plane incerta mensium, *annique* ratio orta fuit, in qua nemo mortalium quantitatem *anni* mensisve præscire poterat. Nec in uno saltem die, aut bi-

duo error committebatur, ſed nonnunquam in ſex, nonnunquam & in decem. Hoc ergo cum civilibus negotiis magnum adferre detrimentum Albani animadverterent, juxta phaſes uno *anno* in luna obſervatas, omnes omnium *annorum* menſes ordinabant, eamque quantitatem, quæ intra binas viſiones deprehenſa fuit, poſtea ſemper illi menſi tribuerunt, cui primo *anno* convenerat. *Langius de vet. ann. Roman.* I. 15. Ita ergo Albanis Martius erat ſex & triginta dierum, Majus viginti duum, Sextilis duo de viginti, September ſedecim. *Scalig. de Emend. Temp.* I. *p.* 10. *C. Langius l. l.*

Annus Auguſtanus nuncupatus eſt ab Auguſto reformatus. *Anni* enim Juliani conſtitutione mortales invidia fortunæ non diu uti potuerunt, quoniam cum Cæſar tribus & viginti vulneribus confoſſus interiiſſet, ſacerdotum injuria, qui quarto quoque *anno* diem ex quatuor quadrantibus debebant intercalare, & eum incipiente quarto intercalabant, magnam peperit temporis confuſionem. Tamen eam, cum jam ſex & triginta *annis* duraviſſet, ſolerti cura deprehenſam Auguſtus diſcuſſit & explicavit, conſtituitque, ut juxta Cæſaris diſtinctionem, quinto quoque *anno* incipiente, dies ille intercalaretur. Et ad æternam firmamque rei memoriam, omnem explicatæ deſcriptionis ſeriem in ærea tabella incidendam, publicandamque curavit. *Viola de vet. & nov. temp. rat. Theſ. Antiq. Roman. Græv. Tom.* VIII. *p.* 179. *B. C. Siccam. in Faſt. Kalend. Roman. c.* I. *Scal. de Emend. Temp.* V. *p.* 328.

Annus captæ Urbis ſecundum calculum Petavii eſt decimus ſextus poſt pugnam ad Ægoſpotamon, decimus nonus ante pugnam Leutricam. Polybius tamen tradit, Atticum *annum* poſt cladem Allienſem, cum adhuc Galli Urbem obtinebant, qui Februario demum menſe expulſi fuere a Camillo decimum nonum fuiſſe poſt pugnam ad Ægoſpotamon, decimum ſextum ante pugnam Leuctricam. *Ruben. Epiſt. ad Wendelin. Theſ. Antiq. Roman. Græv. Tom.* XI. *p.* 1389. *C. D.*

Annorum Chriſti cum Julianis certam connexionem hoc modo percipiemus. Nativitas Salvatoris noſtri incurrit in *annum* quadrageſimum quintum Julianum; natus enim eſt *anno* ſecundo & quadrageſimo imperii Cæſaris Auguſti, qui fuerit *annus* vigeſimus octavus ab Antonii & Cleopatræ interitu, Ægyptoque ſubjugata. Probari hoc poteſt ex hiſtoria eccleſiaſtica Euſebii I. 5. *Erat tunc ſecundus & quadrageſimus annus imperii Auguſti: ab Ægypto ſubjugata, & morte Antonii ac Cleopatræ, in quam poſtremo deſiit Ptolemæorum in Ægypto potentia: erat annus octavus & vigeſimus, quando Salvator, & Dominus noſter Jeſus Chriſtus, facta tunc prima deſcriptione, Syriæ imperante Cyrenio, juxta editas de ipſo prophetias, in Bethlehem Judææ naſcebatur.* Hic vero diligenter conſiderandum eſt, unde petendum ſit initium imperii Auguſti Octaviani ſecundi Romanorum Imperatoris. Itaque ante omnia in memoriam nobis revocandum eſt, Julium Cæſarem interfectum eſſe ſub finem *anni* ab U. C. 709. vel, quod idem eſt, in principio *anni* ab U. C. ſeptingenteſimi decimi, cum Cæſar quintum gereret conſulatum, M. Antonio collega. Atque hic *annus* fuit ſecundus Julianus. In eo poſt cædem Cæſaris ſuffectus eſt in conſulatu P. Cornelius Dolabella, quem Cæſar ante deſignaverat in hunc *annum*, &, ſi vixiſſet diutius, ſibi fuiſſet ſubſtituturus. Eodem anno C. Octavius ſororis Cæſaris nepos, teſtamento Cæſaris hæres ex parte dimidia eſt inſtitutus, & in nomen adoptatus. *Anno* tertio Juliano, in quem incidit *annus* ab U. C. ſeptingenteſimus undecimus, conſulatum geſſerunt Panſa & Hirtius. In locum Panſæ ex vulnere in prælio civili Mutinenſi accepto mortui. a. d. 13. Kalendas Septembris hujus *anni* C. Octavius ſuffectus eſt ante decimum nonum ætatis *annum* expletum, qui in Hirtii in eodem prælio occiſi locum collegam ſibi Q. Pedium cooptavit. C. Octavius conſulatum adeptus cum patris interfectores ſolus ulciſci non poſſet, cum M. Antonio & M. Æmilio Lepido pace facta, utrumque ex Gallia in Italiam cum exercitibus arceſſivit. Qui in agro Bononienſi congreſſi ſe Triumviros Reipublicæ cum ſummo imperio a. d. V. Kal. Decembris in quinquennium renuntiarunt. Ab hoc ergo tempore, quo triumviratum iniit Octavianus, numerandi ſunt *anni* imperii Auguſti; ſed ut æqualis fiat comparatio, proximis Kalendis Januarii anno quarto Juliano labente, inchoandus eſt triumviratus, ut Romani ſoliti ſunt computare, & Euſebium id imitatum eſſe apparet. Itaque quartus annus Julianus habendus eſt pro primo anno imperii Auguſti, quo Chriſtum natum eſſe aſſerit Euſebius. *Chriſtman. de Kalend. Roman. Theſ. Antiq. Roman. Græv. Tom.* VIII. *p.* 296. *C.*

Annus biſſextilis. V. illum infr. in *Biſſextilis.*

Annus civilis eſt, quem civitates, ſeu reſpublicæ, nationesque pro ſuo quæque inſtituto definiunt. *Gaſſend. Kalend. Roman. Proœmio.* Ingens fuit apud varias gentes in *anni* obſervatione diſcrimen, & multiformis ratio. Chaldæi namque menſtruum habuerunt *annum* in antiquitatum ſuarum dimenſione: ſimiliter & Ægyptii menſtruo ſpatio priſcis temporibus *anni* metas cohibuiſſe leguntur; unde menſem *annum* nominarunt Ægyptii, quæ opinio nata videri poteſt ex Μηνὸς, id eſt, *Menis* nomine, qui primus apud illos regnum tenuit. Eorundem *annus* poſtea quadrimeſtris fuit, demum ad duodecim menſes dieſque quinos excurrit. Iberis itidem quadrimeſtris fuit ut plurimum. Arcades antiquitatis opinione ſtulte glorioſi, ut qui ortum ſuum Luna priorem aſſerebant, trimeſtrem fecere. teſte Plin. VII. 48. Acarnanes & Cares ſemeſtris ſpatii cancellis incluſerunt, ut æſtatis curriculo, itidem ut hyemis, *annus* finiretur. Perſæ certius trecentis ſexaginta quinque diebus *annum* abſolverunt. In Latio priſcis hominibus tredecim menſes diebus tricenis ſeptuaginta quatuor abſoluti *annum* circumſcribebant. Romulus decemmeſtri ſpatio menſus *annum* commemoratur: quem in imperio ſecutus Numa Pompilius, mutata ſententia & ad Ægyptios nutante, inſitione duorum menſium elongavit. Tandem Cæſar quarto quoque *anno* diem intercalarem interſerendum decrevit, & confirmavit Auguſtus. *Junius de Ann. & Menſ. c.* 2. V. ſupr. in *Annus Auguſtanus:* & infr. in *Annus Pompilianus,* & *Annus Romuleus.*

Annus climactericus. V. illum infr. in *Climacter.*

Annus confuſionis dictus eſt, quod in eo Cæſar exordium novæ ordinationis initurus, dies omnes, qui confuſionem adhuc poterant facere, conſumpſerit. Cum enim propter neglectam, aut per imprudentiam factam intercalationem menſes lunares a priſcis ſedibus multum receſſiſſent, & in anteriora fuiſſent nimis prolapſi, Cæſar coactus eſt præter ordinariam Merkedonii intercalationem, quæ tunc forte incidit, inſuper ſexaginta ſeptem dies *anno* lunari inſerere: hiſce diebus ſexaginta ſeptem intercalariis locum aſſignavit inter Novembrem & Decembrem, quo ſcilicet retraheretur Merkedonius cum Martio & reliquis menſibus ad ſedem antiquam: unde poſtea Kalendarii fixi ſolaris, & intercalationis Julianæ initium ſumeretur. Fuit hic *annus* confuſionis tertius conſulatus Cæſaris, M. Æmilio collega. Habuit iſte tres menſes intercalarios, qui effecerunt nonaginta dies, qui adjecti ad communem *annum* lunarem, conſtantem trecentis quinquaginta quinque diebus ſummam gignunt quadringentorum quadraginta quatuor dierum. *Chriſtmann. de Kalend. Roman. Theſ. Antiq. Roman. Græv. Tom.* VIII. *p.* 291. *E. Gaſſend. Kalend. Roman. c.* 3. *Lalamant. de Ann. Roman. Theſ. Græv. ibid. p.* 267. *F. Langius de vet. ann. Roman. Theſ. ibid. pag.* 412. *E. Putean. de Biſſext. c.* 10. *Scalig. de Emend. Temp.* II. 187. *B.* IV. 228. *C.* Omnino verum non eſt, duos illos menſes intercalarios, quos cum jam menſe Februario dies tres & viginti intercalaſſet, in menſem Novembrem & Decembrem interpoſuit, fuiſſe dierum ſexaginta ſeptem, quod ſcribit Cenſorinus. Quis enim fuiſſet hic menſis modus. Neque veriſimile eſt, intercalatos fuiſſe a Cæſare menſes alterius moduli, quam ejus qui obtinebat, aut ipſe in vulgus editurus erat: & certe intercalavit tantum, ut teſtatur Dio dies ſexaginta

ſeptem

ſeptem, qui diſtributi ſunt in tres menſes intercalarios Romanos, quorum unus e conſuetudine in eum annum inciderat: alii duo a Cæſare interpoſiti ſunt in Novembrem & Decembrem menſem, ut retro delictum corrigeret. Atque ita factus eſt hic *annus* menſium quindecim, ſive dierum quadringentorum viginti duorum: neque pluribus diebus opus fuit, ut omnis confuſio tolleretur, & ex Kalendis Januariis temporum ratio congrueret. *Petit. de Ann. & Period. vet. Roman. c.* 2.

Annus Ennianus. Ennius, ut biennium Romanum plene exprimeret, *annos* ſingulos definivit diebus trecentis ſexaginta ſex. Hic numerus bis acceptus reddit 732. totidem primum biennium, ac deinceps impari loco ſumptum; qui dies e 355. & 377. junctis conſtantur. Biennia etiam ſingula alterno incremento vel ad dies aſſurgunt ſeptingentos triginta duos, vel ad ſeptingentos triginta tres. Sena igitur biennia minora dies continent 4392. majora 4398. juncta 8790. qui ſunt anni ſolares viginti quatuor Enniani. *Putean. de Biſſext. c.* 3.

Annus Julianus. In Kalendario Juliano duplex eſt obſervandum principium: unum eſt totius *anni*, alterum intercalationis. Dum enim Julius Cæſar *annorum* ſuorum initium ſumpſit a Januario, ſecutus eſt ordinem menſium veterum, qui a Numa Pompilio fuerat introductus, & annis fere ſeptingentis uſurpatus. Quando vero poſt peractum quadriennium diem unum intercalari voluit, reſpexit principium menſium in Kalendario Romuli deſignatorum, ut a Martio quadriennii circuitum juſſerit numerari, nam ante Martium proprius erat intercalationis locus, quem etiam ſibi obſervandum Cæſar putavit. Cum igitur ante principium Martii, in *anno* confuſionis, inter Terminalia, & Regifugium intercalatum eſſet, voluit Cæſar, ut quarto anno Juliano currente, poſt vigeſimum & tertium diem Februarii, Terminalibus ſcilicet jam peractis, biſſextum intercalaretur, quia a veteri intercalatione ad id tempus elapſum erat integrum quadriennium. Verum ſacerdotes non recte mentem Cæſaris perceperunt, & anno quarto a veteri intercalatione non peracto, ſed incipiente, hoc eſt anno labente tertio Juliano, inter vigeſimum tertium, & vigeſimum quartum Februarii diem biſſextum intercalarunt, quod deinceps pluribus erroribus cauſam præbuit. *Annus* primus Julianus ſimplex fuit, ſine intercalari die, conſtans 365. diebus: ut merito explodendi ſint illi, qui hunc intercalarem ſtatuunt fuiſſe. Cum enim *annus* confuſionis non tantum merkedonium ordinarium, verum etiam duos extraordinarios admiſiſſet menſes intercalarios; voluit Cæſar, ut *annus* proximus ſolaris cum reliquis duobus ſequentibus ſimplex eſſet, quartus autem ordine acciperet novum biſſextum, quod ille veteri intercalationi ſubſtituerat. Ut autem ita fieret, res ipſa poſtulabat: nam Cæſar in *anno* confuſionis intercalationem ordinariam revocaverat ad locum illum, qui illi ratione converſionis cœleſtis competebat, ita ut principium Martii incideret in novilunium, & reliqui novem menſes lunares, priſco more, neomenias cœleſtes indicarent. Itaque voluit cyclum biſſextilem inire menſe Februario, ipſo anno confuſionis, inter Terminalia, & Regifugium, hoc eſt, inter 23. & 24. Februarii diem, ut Macrobius interpretatur, quo deinceps elapſis menſibus decem lunaribus, inchoaret annum ſuum ſolarem, a Januario in ipſam quoque neomeniam cœleſtem incidente. Cum ergo a veteri intercalatione quadriennium nondum eſſet elapſum, nequaquam anno primo Juliano fieri debuit intercalatio. Hic fuit quartus conſulatus Cæſaris, ut licet animadvertere ex Cenſor. de Die nat. c. 20. *Ex hoc anno ita a Julio Cæſare ordinato ceteri ad noſtram memoriam Juliani appellantur, eique conſurgunt ex* IV. *Cæſaris conſulatu.* Scribit autem idem Cenſorinus, in *annum* ducenteſimum octogeſimum tertium Julianum incidiſſe *annum* ab U. C. nongenteſimum nonageſimum primum, *annum* Olympiadicum milleſimum, & quartum decimum, & *annum* Nabonaſari nongenteſimum octogeſimum ſextum. Unde conſequitur in *annum* primum Julianum incidiſſe *annum* a Roma condita 709. Olympiadicum 732. Nabonaſari 704. ut *annus* primus Julianus a novo ſole, id eſt, bruma: *annus* a Roma condita 709. ab ortu proxime ſequenti Vergiliarum: *annus* Olympiadicus 732. ex diebus duntaxat æſtivis: *annus* autem Nabonaſari 704. circa æquinoctium autumnale in *anno* primo Juliano cœpiſſe intelligatur. Quamobrem datis *annis* Julianis facile eſt invenire *annos* ab U. C. & Olympiadicos: ſi enim ad datos *annos* Julianos labentes adjiciantur *anni* 708. ab U. C. elapſi: vel ſi adjiciantur *anni* 731. a prima Olympiade abſoluti, habetur quæſitum. Julianus ſecundus, qui fuit quintus conſulatus Cæſaris, M. Antonio collega, incidit in *annum* a Roma condita 710. Eodem interemptus eſt Julius Cæſar in ſenatu. V. infr. in *Cæſar Julius.* Julianus tertius incidit in *annum* a Roma condita 711. Hic ex ordinatione Divi Julii Cæſaris debuit eſſe ſimplex, ſed ſacerdotes biſſextum in eum intruſerunt, & deinceps uſque ad annum Julianum trigeſimum ſeptimum ſingulis trienniis elapſis intercalarunt. Hinc factum eſt, ut per triginta ſex priores *annos* Julianos duodecies ſit intercalatum, cum ex inſtituto Cæſaris novenæ tantum fuiſſent intercalationes celebrandæ. V. ſupr. in *Annus Auguſtianus.* Teſtatur hoc pluribus verbis Macrob. Sat. 1. 14. Julianus quinquageſimus ſecundus accepit biſſextum emendatum, ſecundum ordinationem Cæſaris, quam Auguſtus Octavianus cenſuit revocandam eſſe. Cum enim Divus Julius Cæſar inſtituiſſet, ut *anno* quarto, octavo, duodecimo, &c. labente Juliano intercalaretur, rectiſſime fecit Auguſtus, qui in *annum* quinquageſimum ſecundum Julianum labentem biſſextum immiſit, ſiquidem *anni* quique quaterni Juliani intercalares eſſe debuerunt. *Chriſtmann. de Kalend. Roman. Theſ. Antiq. Roman. Græv. Tom.* VIII. *p.* 294. *C.* . . . . . Julianus erit, quamdiu annus; tametſi Gregorii nomen, quia correctus admiſit: & Julius menſis erit, quamdiu erunt res humanæ. Facilius e vita tollere Cæſarem, quam a menſe nomen Cæſaris conjurati potuere. *Putean. de Biſſext. c.* 9. *Anni* ſui cardines Cæſar non initiis menſium more Macedonum, ſed octo antea diebus attribuerit, quæri poteſt. Scaliger reſpondet percrebruiſſe Romæ illam de æquinoctiis & ſolſtitiis in octavis partibus conſtituendis opinionem, quam cum vulgo extorquere non poſſet, maluiſſe potius Cæſarem inveteratæ eorum opinioni ex pacto aſſentiri. Et bene quidem illud, ſi conſtaret Cæſarem cardines in octavo ſemper ante Kalendas die conſtituiſſe. Quod vereor, ne ſatis firmum ſit. Altera ergo cauſa fuiſſe videtur. Et ego hanc eſſe arbitror. Cæſar, ſicut in aliis multis, ita etiam in anni ratione emendanda, majorum ac antiquorum inſtitutis tenaciſſime adhæſit. Patet illud ex tota *anni* Pompiliani emendatione, in qua nihil plane emendavit, niſi quod maximis erroribus ac infinitæ in civilibus negotiis perturbationi cauſam dare poſſet. Cum igitur ex antiquis commentariis ac Pontificum annalibus, aliiſque ejusmodi cognitum haberet, Numam Kalendas Aprilis in æquinoctio verno conſtituiſſe, cum Sol octavum Arietis gradum teneret, in qua plurimi ex vulgo æquinoctium iſtis quoque temporibus confici crediderunt. Nam cum Sol juxta medios motus, qui ſoli in civilibus negotiis locum habere cenſentur, quinto & vigeſimo Martii Arietem iſto ſeculo fuerit ingreſſus, octavo ergo die poſt, ſive Kalendis Aprilibus, in octava parte Arietis juxta medios motus hærere debebat. Ergo cum hunc terminum primo conſtituiſſet, juxta rationem Plinianam reliquos exinde deduxit. *Langius de Vet. Ann. Roman. Theſ. Antiq. Roman. Græv. Tom.* VIII. *pag.* 413. *F.* . . . . 415.

Annus Jubilei erat apud veteres, perinde ac apud nos qui quinto & vigeſimo quoque anno redeunte celebratur, in quo omnium delictorum veniam concedi liquet, quod & pontificum maximorum diplomata teſtantur. Nam quum primum a pontifice maximo Bonifacio inſtitutus fuit, ut centeſimo quoque *anno* exacto celebraretur, poſtea ad quinquaginta primum, deinde quinque & viginti *annorum* intervallum redactus eſt. Et quamvis is quinto & vigeſimo quoque obſervetur, nihilominus

nus etiam a pontificibus Romanis, more veterum, alii quoque Jubilei concedi solent, & quidem, ut opus est, amplissimi, majore nihilominus tempore stato redeunte. *Panvin. de Lud. secular. Thes. Antiq. Roman. Græv. Tom.* IX. *p.* 1073. *D.*

Annus legitimus, quem e cursu solis describunt, trecentis sexagenis quinis diebus constat, horis quinque, minutis (λεπτὰ nominant) quadraginta novem, & amplius secundis sex (utendum est necessario artis vocabulis, ubi alia non suppetunt) ita fit, ut in quadriennio duæ tertiæ partes horæ, & aliquanto plus subducatur. Qua quidem in re Galenum quoque hallucinatum insimulant, qui non minorem, sed portionem diei quadrante majorem singulis *annis* accedere auctor fuerit. *Junius de Ann. & mens. c.* 2. *Lalamant. de Ann. Roman. Thes. Antiq. Roman. Græv. Tom.* VIII. *p.* 268. *D.*

Annus lunaris. Huic cum Cæsar, opera mathematicorum institutus, didicisset deesse decem dies & quadrantem diei, quo minus periodo solari responderet, decem dies intrusit in menses lunares, ut Januario, Sextili & Decembri a fine adjiceret dies binos, quo tres menses isti, qui prius habebant viginti & novem dies, nanciscerentur dies unum & triginta: quatuor reliquos dies adjecit Aprili, Junio, Septembri & Novembri, ut haberent triginta dies, qui prius constabant viginti & novem diebus. Ita septem mensibus concessit dies unum & triginta: hisce autem quatuor, Aprili, Junio, Septembri & Novembri triginta dies. In Martio, Majo, Quintili, Octobri & Februario servavit pristinum statum, ut illi retinerent dies unum & triginta, solus Februarius constaret diebus octo & viginti. * Quasi inferis & diminutio, & par numerus conveniret. Quamobrem ex correctione Juliana orti sunt duodecim menses solares complectentes trecentos sexaginta quinque dies. Fuisse hanc mensium Julianorum ordinationem perspicue docent Censorin. de Die nat. c. 20. *Intercalari mense sublato ad annum civilem ad solis cursum formavit. Itaque diebus trecentis quinquaginta quinque addidit decem, quos per septem menses, qui dies undetricenos habebant, ita distribuit, ut Januario, & Sextili, & Decembri bini accederent, cæteris singuli: eosque dies extremis partibus mensium apposuit, ne scilicet religiones sui cujusque mensis a loco summoverentur.* Et Macrob. Sat. I. 14. cum ait: *Dies decem, quos ab eo additos diximus, hac ordinatione distribuit. In Januarium, & Sextilem, & Decembrem binos dies inseruit. In Aprilem, Junium, Septembrem, Novembrem singulos. Sed neque mensi Februario addidit diem, ne deo infero religio mutaretur: & Martio, Majo, Quintili; Octobri servavit pristinum statum, quod satis pleno erant numero, id est, dierum singulorum tricenorumque.* Christman. de Kalend. Roman. Thes. Antiq. Roman. Græv. Tom. VIII. p. 289. E.

Annus magnus, quem maximum Aristoteles vocat, juxta Serv. Æneid. I. 273. *duodecim millia quingentos quinquagenos quatuor annos continet.* Tacit. de Orat. c. 16. n. 11. auctoritate Ciceronis mox laudandi pro *quingentis octingentos* reponit in reliquo numero non discrepans. Solin. c. 33. alios *magnum annum quingentis & quadraginta*, alios *duodecim millibus, nongentis, quinquaginta quatuor annis* circumscribere ait: imo putasse quosdam, *quod cum phœnicis avis vita anni magni fieret conversio.* Platonici magnum statuunt, quando in uno, eodemque signo universitas planetarum in eandem partem, μοῖραν, concurrerit, ut in Aratum scribit Theon: ac tum demum mundi interitum instare, illisque de integro cursum revocantibus, alterius mundi initium fore, quod multis annorum myriadibus definiunt, ejusque *anni* hyemem κατακλυσμὸν, æstatem ἐκπύρωσιν nominabant. In eandem fere sententiam & Cicer. Somn. Scipion. c. 7. *Cum ad idem, unde semel profecta sunt, cuncta astra redierint, eandemque totius cœli descriptionem longis intervallis retulerint, tunc ille vere vertens annus appellari potest.* Quod verbis paullum immutatis in Hortensio sic extulit: *Is est magnus, & vere vertens annus, quo eadem positio cœli, siderumque, quæ cum maxime est, rursum existet, isque annus horum, quos nos vocamus, annorum* XII. *millia octingentos quinquaginta quatuor complectitur.* Macrob. Sat. II. 11. *quindecim annorum millia* vertentem *annum* efficere scribit, collecto, exactoque ad Ciceronis, ut innuit, computationem annorum numero. Joseph. Antiq. Judaic. I. 4. *sexcentis annis magnum annum* perfici scribit. Oenopides Chius astrologus *magnum annum* censuit esse *undesexaginta annorum*, etiam apud Olympios ænea statua ejus rei teste, ut legitur apud Ælian. Var. Hist. X. 7. Democritus Abderites *ex octoginta duobus vertentibus annis, ac mensibus intercalariis viginti & octo.* Hipparchus *e trecentis & quatuor* suum *magnum annum* constituebant. Physici *quindecim millibus annorum* peractis metiuntur, teste Macrobio. Heraclitus *decem & octo solarium annorum millibus & octingentis.* Quidam etiam infinitum illum statuunt, neque in se reverti unquam. *Junius de Ann. & mens. c.* 2. *Morestell. de Triplic. ann. Roman. not. ad libr.* I. *dial.* 3. *Viola de Vet. ac nov. Roman. temp. rat. Thes. Antiq. Roman. Græv. Tom.* VII. *p.* 173. *Scalig. de Emend. tempor.* II. *p.* 167. *Salmas. in Solinum.*

Annus Metonicus, sive Metonis Atheniensis, aut, ut alii, Laconis. Hunc Meton, Pausaniæ filius, constituit Athenis proposita tabula *decem & novem continente annos:* unde & ἐννεαδεκετηρὶς dictus, quo solis pariter & lunæ meatus uniri asserunt, astrorumque revolutiones, & recursus fieri. Censor. de Die nat. c. 18. *Annus Metonicus, quem Meton Atheniensis ex annis undeviginti constituit, eoque* ἐννεαδεκαετηρὶς *appellatur, & intercalatur septies, in eoque anno sunt dierum sex millia & nongenti quadraginta.* Ælian. Var. Hist. X. 7. *Meton Lacedæmonius astrologus columnas statuit, & in eis solstitia annotavit, atque magnum annum, ut ipse dicebat, adinvenit, eumque dicebat undeviginti esse annorum.* Jun. de Ann. & mens. c. 2: Scalig. de Emend. temp. II. p. 72. Certus & manifestus error est Æliani. Meto enim non Lacedæmonius, sed Atheniensis erat omnium consensu. Quin & hoc liquet ex Æliano ipso, qui XIII. 12. *Meto astronomus, quum Atheniensium copiæ jam navigationem in Siciliam facturæ essent....* L. Λευκονοϊεύς. Δῆμος enim erat Atheniensium, qui dicebatur Λευκόνοιον. Ad eum pertinebat Meto, ut discimus ex Schol. Aristoph. ad Aves p. 589. *Perizon. in Ælianum.*

Annus millesimus, sexcentesimus, trigesimus sextus referendus est ad *annum* hoc potissimum *anno*. Millenarius quidem plenus est, quia denarii cubus. Etenim e denario in se ducto centum fiunt; in centum mille, qui numerorum numerus est, & absolutam omnium rerum mensuram continet. Hinc milliaria singulis olim lapidibus notari soliti, ad viæ tædium sublevandum. Hinc quæcunque ad infinitum, sive immensum accedunt, mille appellantur. Jam vero millesimus sexcentesimus e quadragenario quadragonus est. Quadragies enim quadraginta mille sexcenta reddunt: quemadmodum & quater quadraginta. Scorsim ipse sexcentesimus, quia e senario aliquid etiam pretii & perfectionis habet: centies enim sex sumuntur, vel centum sexies sumitur, quoties rem quamcunque, cui addi nihil potest, amplificamus. *Annus* deinde trigesimus, ad meditullium ætatis proxime accedens, virum facit, robore & ingenio implet, nuptiis reddit tempestivum, curiæ & magistratui, militiæ & armis, victoriæ & triumphis. Ipse trigesimus sextus, quia e senario sexies sumpto, omnibus modis perfectus est, noviesque bissextilem circumducit. Est etiam ille numerus, qui mundum ipsum, ut Pythagorici putant, significat: imo hæc illi tetractys est, suo quodam mysterio inclyta, quam παγὰν ἀενάου φύσεως, *fontem æternæ naturæ*, appellare solitus sanctissimus Philosophiæ conditor, in jurisjurandi sollennem formulam usurpabat. Est præterea, quia e quaternario novenarioque in se ductis provenit, tetragonorum omnium primus, & sic peculiaris. Quater enim novem, vel novies quatuor triginta sex constituunt. Sed τετρακτὺν ad *annos* & bissextum referamus, quaternarium & novenarium inventuri. In *annis* enim triginta sex novem bissexta sunt: & bissexta singula quadriennio constant. Imo τετρακτὺς bissextum est, *annorum*, inquam, quaternarius: & bissextum unius incrementum diei est, qui quarto

quarto demum completus formatusque nascitur toties in lucem rediens, quoties quadriennium bissextili periodo impletur. *Putean. de Bissext. c.* 19.

Annus naturalis, qui & solaris, & solstitialis, & vertens dicitur, est, quo Sol ab uno cœli puncto digressus, ad illud, peracta circuitione, revertitur; complectiturque adeo dies trecentos sexaginta quinque & horas fere sex. *Gassend. Kalend. Roman. Proœm. Viola de vet. & nov. Rom. temp. rat. Thes. Ant. Roman. Græv. Tom.* VIII. *p.* 171. *B. Junius de Ann. & Mens. c.* 2. *Panvin. Fastor.* I. *p.* 24. *&* 31.

Annus novus non uno modo dici videtur. Est enim sæpenumero initium *anni*, ut novum ver, nova æstas, veris, & æstatis initium. Ovid. Fastor. I. 149.

Dic age, frigoribus quare novus incipit annus?

Interdum est pars illa *anni*, quæ novas fruges, novosque fructus parit. Tibull. I. I. 19.

Et quodcumque mihi pomum novus educat annus
Libatum agricolæ ponitur ante deo.

Sic *æstatem novi anni* videtur dixisse Gell. XVIII. I. quod æstas novas fruges afferat. Verba sunt: *Ambulabamus in littore, cum jam advesperasceret æstate novi anni.* Interdum primus *annus* imperii alicujus Imperatoris. Senec. de morte Claudii: *Quid actum sit in cœlo ante diem tertium Idus Octobris Asinio Marcello, Acilio Aviola consulibus anno novo, initio seculi felicissimi, volo memoriæ tradere.* Quo fortasse modo Gellianus explicari debeat locus. *Turneb. Adv.* XXIII. 8. *Oisel. in Gellium. Schill Nomencl. Philol. p.* I. 25.

Annus parvus dicitur habita Solaris *anni*, qui vulgo magnus habetur, ratione. Luna enim subter ultima a cœlo, & citima terris radiis Solis accensa octo circiter & viginti diebus ambitum suum absolvit. *Viola de vet. & nov. Rom. temp. rat. Thes. Ant. Roman. Græv. Tom.* VIII. *p.* 172. *A.*

Annus perpes est totus, sive perpetuus: quemadmodum dicimus *noctem perpetem* dormire. Ita in inscriptione veteri. V. illam infr. in *Nundinæ hebdomadicæ.* Putean. de Nundin. Roman. c. 26.

Annus Pompilianus vere fuit lunaris, constans trecentis, & quinquaginta quinque diebus. Cassiod. Chronic. p. m. 676. *Numa Pompilius regnavit annis* XLI. *qui duos menses anno addidit, Januarium & Februarium, cum ante hunc decem tantum menses apud Romanos fuissent.* Ab illo cœperunt kalendæ, nonæ, & idus mensium, quæ juxta motum lunæ, seu juxta novilunia, & plenilunia potissimum dirigebantur. Ut illi fallantur, qui contra historiarum fidem, & auctoritatem Censor. de Die nat. c. 20. Licinio Macro, & Fenestellæ adstipulantur, asserentes *annum vertentem Romæ statim ab initio fundationis duodecim mensium fuisse.* Scribit enim Censorinus, *magis Junio Gracchano, & Fulvio, & Varroni, & Suetonio, aliisque credendum, qui decem mensium putaverunt fuisse.* Nisi quoque res se ita habuisset, frustra adjecisset Numa Pompilius Januarium & Februarium. Quod autem dicunt mensem intercalarium 22. aut 23. dierum, inter Terminalia & Regifugium insertum, facere *annum* tredecim quasi mensibus constantem. Verum quidem est, sed non probat *annos* priores Romanorum ab U. C. numeratos fuisse duodecim mensium. Non enim statim a fundatione Urbis locum habuit mensis intercalaris: alias Numa Pompilius non fuisset coactus adjicere ad *annum* Romuli unum & quinquaginta dies. Duravit hoc Kalendarium Pompilianum usque ad D. Julium Cæsarem. Etsi enim constaret, duodecim horum mensium lunarium periodum non attingere *anni* solaris quantitatem, tamen intercalatione dierum aliquot subinde *annus* lunaris reducebatur ad *annum* vertentem solis. *Christman. de Kalend. Roman. Thes. Antiq. Roman. Græv. Tom.* VIII. *p.* 289. *B. Petav. de Vet. ann. Roman. c.* 73. *Panvin. Fastor.* I. *p.* 28. Hunc Cæsar rerum potitus, & dictator, pontifexque maximus cum foret, sic animum ad ordinandum Reipublicæ statum appulit, ut non postremam in corrigendo Kalendario assumpserit curam: idque Sosigenes cum adesset mathematicus ex Ægypto advectus, quem adhibere in consilium posset. Hoc auctore agnovit Cæsar non posse constantem correctionem institui, nisi *annus* ad motum solis potius, quam lunæ componeretur, ac expedire, ut ita fieret, cum præsertim *annus* lunaris reducendus semper ad solarem foret. Ratio autem constituendi *anni* a Sosigene proposita ea fuit, ut cum solis cursus peragatur diebus 365 & quadrante, *annus* omnino haberetur dierum 365. Ac ne ob neglectum quadrantis illius, ex quo intra quadriennium dies unus conficitur, ita sensim a constituto *anni* principio recederetur, ut feriæ messium hyeme, vindemiarum vere celebrandæ forent, sanciretur simul, ut quarto quoque *anno* dies unus intercalaretur; sicque quartus quilibet *annus* evaderet dierum 366. *Gassend. in Kalend. Roman. c.* 3. *Siccam. de vet. ann. Romul. & Num. Thes.* 10. *Viola de vet. & nov. Roman. tempor. rat. Thes. Antiq. Roman. Græv. Tom.* VIII. *p.* 178. *E.*

Annus Romanus est distinguendus in Romuleum, Pompilianum, & Julianum. *Putean. de Nundin. Roman. c.* 5. *Morestell. Philomus.* I. *dial.* 3. Fuit lunaris, quatenus illorum temporum ingenia modum lunæ medium deprehendere quiverunt. Quid? modus dierum illius *anni* Romani, cujus generis *annum* referre videtur, lunarem, an solarem? lunarem profecto, si quid in his rebus videmus. *Annus* lunaris verus est dierum 354. cum triente, & paullo plus quam duorum horæ trientium. Modus *anni* Romani est major vero *anno* lunari horis 15, 16. non admodum magna differentia, saltem, quæ possit diversum genus constituere *anni* Romani, & lunaris, inter illos veteres rupices, & asyli incolas. *Scalig. de Emendat. tempor.* II. *p.* 175. Desiit esse lunaris, ubi intercalaris merkedonius est admissus. *Petav. de vet. ann. Roman. c.* 73.

Annus Romuleus a Romulo fuit ordinatus. *Putean. de Nundin. Roman. c.* 5. *Morestel. Philom.* I. *dial.* 3. Quia collecti omnium mensium dies non excedebant numerum trecentorum, & quatuor, aberat longe ab *anno* lunari dierum trecentorum, quinquaginta, & quatuor, & a solari dierum trecentorum, sexaginta, & quinque. Idcirco, licet Romulus constituisset *annum* hyeme desinere, ac vere ineunte incipere; efficiebatur tamen brevi, *ut frigus mensibus æstivis, calor hyemalibus proveniret. Quod ubi contigisset: tantum dierum sine ullo mensis nomine patiebantur assumi; quantum ad id anni tempus adduceret, quo cœli habitus instanti mensi aptus inveniretur.* Macrob. Sat. I. 12. Et quo quidem tempore hæc assumptio fieret, a Macrobio non exprimitur; sed factum nihilominus verisimile est ad finem Decembris, quo ipsum statim Martii initium institutioni congrueret. *Gassend. Kalend. Roman. c.* I. Nos constanter asseveramus, *annum* illum mere fuisse lunarem, diebus trecentis quinquaginta quatuor constantem, eo quidem ordine, ut menses alternis vicibus, nunc dies novem & viginti, nunc triginta continerent. Nam cum luna, dum orbis cursum conficit, & Solem assequitur, consumat dies novem & viginti, horas duodecim, minuta quatuor & quadraginta, vix potuit alia quam alternativa illa mensium distributio institui, cum Romulus tam anxie lunares apparitiones observaret: quæ quidem distributio, & rudibus populis valde commoda, & cursui lunæ admodum conveniens. *Siccam. de vet. ann. Romuli & Numæ. Thes.* 4. Ab ipsis Urbis initiis duodecim menses habuit, hoc quidem ordine: Martios, Apereillis, Majos, Junios, Kuint' Olos, Sest' Olos, Sept' imber, Oct' imber, Nov' imber, Dec' imber, Januos, Februos. *Siccam. de vet. ann. Romuli & Numæ Thes.* 3. *Scalig. de Emend. Tempor.* II. *p.* 173. *Lindenbr. in Censorin. c.* 20. Et quotquot Licinium Macrum, & Fenestellam sequuntur. Quod tamen falsum. Habuit enim tantummodo decem. V. Censorinum supr. in *Annus Pompilianus.* Qui & hæc addit: *Horum quatuor majores pleni, cæteri sex cavi vocabantur.* Ex quibus verbis animadvertere licet, quatuor menses, scilicet Martium, Majum, Quintilem, & Octobrem *plenos* fuisse appellatos, quod haberent singuli triginta unum dies: sex vero reliquos, videlicet Aprilem, Junium, Sextilem, Septembrem, Novembrem & Decembrem nominatos fuisse *cavos*, quod constarent tantum

triginta

triginta diebus. Ex ordinatione itaque Romuli Martius erat primus menſis, Aprilis ſecundus, Majus tertius, Junius quartus: & reliqui a numero appellati, September, October, November, December. Ubi obſervandum eſt, Martium incidiſſe in principium veris, & duraſſe hanc rationem menſium annos 38. quot Romulus regnavit, ut teſtatur Aurelius Caſſiodorus. *Chriſtman. de Kalend. Roman. Theſ. Antiq. Roman. Græv. Tom.* VIII. *p.* 287. *D. Petav. de vet. ann. Roman. c.* 72. Poſſent etiam in hanc ſententiam citari Macrobius, & innumeri alii; ſed omnium nomine eſto Ovidius. Decem namque menſes Romulum in anno conſtituiſſe teſtatur Faſt. I. 27.

Tempora digereret cum conditor Urbis, in anno
Conſtituit menſes quinque bis eſſe ſuo.

III. 121.

Annus erat decimum cum luna repleverat orbem:
Hic noſtris magno tunc in honore fuit:
Seu quia tot digiti, per quos numerare ſolemus:
Seu quia bis quino femina menſe parit.

Gaſſend. Kalend. Roman. c. I. Hunc, quia incommodi quam plurimum habebat, Numa illi ſuccedens, Græcorum exemplo edoctus, reformavit, ad lunam compoſuit, in menſes duodecim diſtinxit. Imitatus nihilominus undiquaque non eſt. Nam, cum illi haberent *annum* dierum 354 fecit ipſe *annum* dierum 355 ſuperſtitione, ut ajunt, quadam, qua & plenum, & magis fauſtum numerum imparem reputavit. Et cum illi haberent menſes alternis 30 & 29 dierum, hac ratione lunæ curſum compenſantes (qui dierum 29 ac ſemiſſis proxime eſt) ipſe ſuos menſes alia ratione diſpoſuit. Nam primum quidem ad dies illos *anni* Romulei 304 aſſumpſit dies 51, quibus additis fierent 355. Deinde circa quatuor menſes, qui ſinguli dierum tricenum, numerive imparis erant, nihil movit, ſed illis ſuos reliquit dies. Cæteris, qui dierum triginta, ſingulos ademit, ut imparis quoque fierent numeri. Ac tum ſex diebus inde ablatis, & quinquaginta ac uno adjunctis, dies habuit ſeptem & quinquaginta, quos in duos menſes diſtribuit, unum dierum novem & viginti, alterum dierum octo & viginti, quos & præponendos Martio cenſuit, & a bruma, qua dies creſcere primum incipiunt, incipere voluit. Vocavit primum Januarium, poſteriorem Februarium. *Gaſſend. Kalend. Roman. c.* 2. *Petav. de vet. ann. Rom. c.* 73. *Chriſtm. Kalend. Rom. p.* I. *Lalamant. de Ann. Rom.* I. 15. *Moreſtell. ibid.* I. 4. Sed ne præſtantiſſimi ſcriptores, Macer, & Feneſtella, Grachanus, Fulvius, & Varro fruſtra inter ſe committantur, videndum eſt, numne ratio aliqua dari poſſit illos conciliandi. Notum eſt urbem Romam ex duobus populis unam factam fuiſſe, Romanis (qui partim ex Albanis, partim ex colluvie variorum hominum conſtabant, qui primum Urbem cum Romulo habitabant) & Sabinis qui cum T. Tatio in Urbem allecti ſunt. Et priores quidem Romuli, ac Albanorum inſtituta ſequebantur; poſteriores vero Sabinorum. Hinc duplex in una civitate *anni* ratio erat. Albani namque, quibus decem menſes inæquales in *anno* erant, hanc ſub Albano Rege Romulo ſequebantur. Contra Sabinis duodecim in *anno* menſes erant, minori, quam Albanorum, inæqualitati obnoxii. Hoc tamdiu obtinuiſſe videtur, quamdiu Tatius Sabinorum Rex pari cum Romulo imperio præeſſet. Poſtquam vero ille ſublatus erat, videtur Romulus omnes ad eandem *anni* formam reduxiſſe. Atque tum quidem Albanam, quam a majoribus acceperat, propoſuiſſe, nonnihil tamen emendatam. Nam cum obſervaret XXX fere, aut ad ſummum XXXI poſt φάσιν die rurſum lunam novam apparere: ſex menſes XXX dierum conſtituit, reliquos quatuor XXXI. Decem namque menſes Romulum in *anno* conſtituiſſe modo teſtatus eſt Ovidius. Neque quiſquam inter omnes antiquos ſcriptores ita ab his diſſentit, quin commode ſatis explicari poſſit. Neque enim Feneſtella, aut Licinius Macer aliud dicunt, quam *annum* principio XII. menſium fuiſſe: quod verum eſſe demonſtravimus, quamvis poſtea a Romulo aliter conſtitutum fuerit. *Lang. l. l.*

Annus ſecularis dicitur ille, qui inter centum *annos*, quibus conflatur ſeculum, eſt poſtremus, ita ut ultimi diei ſui curſu ſeculo finem imponat. Unde ſi de *anno* primo ſeculari ab urbe Roma condita agatur, eſt *annus* ab Urbe Roma fundata centeſimus; ſi vero de ſecundo ſeculari *anno*, eſt ducenteſimus, & ſic de aliis. Si autem agatur de *anno* primo ſeculari a ludis inſtitutis Romæ a Valerio Poplicola, eſt *annus* centeſimus a prima luſtrorum, vel ludorum inſtitutione, & ſic de aliis cum proportione dicendum eſt. *Taffin. de Ann. Secul. c.* I. §. 19. Illo nullum ludi aut ſpectaculi genus omittebatur. Auctorem habeo dicti mei Herod. III. 8. 17. *Vidimus & ſub illo quoſdam omnis generis ludos, cunctis editos theatris, ſimulque ſupplicationes, & pervigilia ad formam Cereris initiorum: ſeculares hi tunc appellabantur.* Taffin. ibid. c. 8. §. 11. Ejus celebritas ad hæc capita revocabatur. Quod illo a prima ludorum inſtitutione fierent peculiaria diis variis ſacrificia; deinde quod ludi omnis generis exhiberentur, qui propterea, quod poſt elapſum ſeculum repeterentur, ſeculares fuerunt appellati; denique quod piamina a Quindecemviris populo diſtribuerentur, celebrarentur pervigilationes, ſupplicationes, lectiſternia fierent, a Poëtis carmina ſecularia, atque in laudem deorum hymni decantarentur. *Taffin. de Ann. Secul. p.* I. *c.* 2. §. 2. Quam ſi rite obſervarent, ex libris Sibyllinis exſpectabant Romani, imperium Romanum incolume, ac florens ſemper futurum, atque habiturum mundum prope univerſum ſub ſua poteſtate. Nam poſtquam ſerio his verſibus præmoniti fuerant, ut eorum, quæ in oraculo continebantur, eſſent memores:

Memento, Romane, nec valde obliviſcaris ejus nempe circuli:
Memor ſis horum omnium.

Atque poſt eam monitionem de ritibus iſta celebritate præceptis iterum monentur, ut meminerint illorum, utique ut obſervare ſtudeant, tum hæc illis promittuntur.

Quæ tibi ſi ſtabili ſint omnia condita mente,
Cuncta tuo Italiæ tellus, cunctique Latini,
Subdent colla jugo, & victoris ſceptra timebunt.

Taffin. ibid. c. 4. §. I.

Annus ſolaris. Ejus, quod eſt certum temporis intervallum, quo ſol totum ſigniferum luſtrans, eodem unde diſceſſerat, reverſus eſt, conſtitutiones antiquiſſimo illi omnium parenti Noæ humanum genus acceptum referre debet. Siquidem cum poſt illum totius terrarum orbis cataclyſmum, qui fuit anno juxta Hebræos 1656. at, ut Hieronymus ait 2000, ut vero Euſebius 2242. ſed, ut Auguſtinus aſſerit 2262. etſi Alphonſus 3882. eos numerarit, cum Titea conjuge, ac reliqua domo e Gordiæo Armeniæ monte deſcendiſſet, numeroſaque filiorum ac nepotum ſobole auctus eſſet, & ita auctus, ut vel omnis Armenia eos amplius capere non poſſet, de novis quærendis ſedibus cogitavit. Verum filios nepoteſque jam Theologiam ſacroſque ritus edoctos, humanam quoque ſapientiam edocere conſtituit. Atque iccirco multa naturalium rerum arcana literis mandavit, quæ ſolis ſacerdotibus Scythæ Armeniique curanda committebant. Aſtrorum curſus, cœleſtium orbium converſiones, acceſſus, receſſuſque, ac mirabiles effectus patefecit. Annum ad curſum Solis in duodecim menſes diſtinctum, menſemque lunæ curriculo emenſum conſtituit. *Vida de Roman. Temp. Rat. Theſ. Ant. Roman. Græv. Tom.* VIII. *p.* 173. *B. C. D.* Quamvis non uterentur in tributione temporum civilium omnes illæ veteres nationes, tamen *annum* illum in arcanis obſervabant, & 365¼ diebus conſtare ſciebant. Teſtes Græci, qui modum intercalationis ad epocham ſolſtitii temperabant. Quomodo autem ſolſtitii diem tenere potuiſſent illo numero dierum non obſervato? Sane & anno Solis dies CCCLXV attribuebant, & quarto quoque anno exacto diem intercalabant poſt CCCLXV illos dies, eumque obſervabant Hierophantæ Athenis. Pontifices Romæ, eodem anno quo Merkedonius XXIII dierum intercalabatur, ante initium anni primi Olympiadis. *Scalig. de Vet. ann. Roman. Theſ. Ant. Roman. Græv. Tom.* VIII.

VIII. *p.* 314. *C. D.* Totum illud commentitium eſt, neque fando unquam auditum. Nam quod ad Græcos attinet, annum civilem habuerunt lunarem, qui, ut cum ſolari epactarum & embolimorum menſium beneficio conciliaretur, certis periodis includebatur. Ita factum, ut ſine præcipua al.qua diei unius inſitione utriuſque anni ratiocinia vertente periodo concordaverint. Hierophantarum arcana illa intercalatio ex officina Scaligeriana profecta eſt, de qua nemo præter illum mentionem facit. Simillimum eſt quod de Romanis Pontificibus affirmat, quos negamus omnino ante Julii Cæſaris editionem diem illum biſſextilem intercalaſſe, ut ad epocham ſolarium cardinum civilia intervalla temperarent. *Petav. de vet ann. Roman. Theſ. Ant. Roman. ibid. p.* 333. *B. C.*

Annus, quo Reges Roma ſunt exacti, & primi conſules magiſtratum inierunt, varie ab hiſtoricis Romanis proditur. Per *annos* fere ducentos quadraginta quatuor integros Reges regnaſſe ſcribit Dionyſ. IV. & V. p. 277. *Regium ergo imperium, cum annos ab V. C. ducentos quadraginta quatuor perduraſſet.* . . . . Liv. I. 60. *Regnatum Romæ ab V. C. ad liberatam annos ducentos quadraginta quatuor.* Quum autem Eutrop. I. 8. & S. Rufus eos *annos* tantum ducentos quadraginta tres regnaſſe ſcribunt, animadvertendum, ex ſingulorum Regum, quos enumerant, *annorum* ſumma, ipſos *annis* Regum interregni *annum* eximere, quem Dionyſius & Livius interponunt. Alii vero, ut eſt apud Euſebium in Chronicis ducentos quadraginta tres *annos* tantum cum interregno Reges regnaſſe ſcribunt, quorum ſententiam ſecuti videntur Oroſius, Jornandes & Bedas. Oroſius enim V. 4. anno ipſo 244. Brutum conſulem de filiis ſupplicium ſumpſiſſe ſcribit. Idem Bedas c. 66. & Jornandes confirmant. Hos autem 38. regni Tarquinii Priſci *annum* exemiſſe conſtat. Hujus opinionis auctor eſt Verrius Flaccus. Nam in tabulis Capitolinis ante *annum* Urbis 250 *annum* rejecit, quem quo Varronis *annorum* ſummæ convenirem, ego in Faſtis apposui, qui faſtorum Capitolinorum ſummæ *annum* adjecit. Hoc autem ita colligitur. *Annus*, quo P. Poſtumius, & Agrippa Menenius conſules de Sabinis triumpharunt, in Capitolinis fragmentis 250 appellatur. Quod ſi vere ſcriptum eſt; profecto ſi regredientes uſque ad *annum*, quo Reges pulſi ſunt, perveniemus, eum 243. non 244. eſſe reperiemus: quo fit, ut ab ea *annorum* ſumma, quam ego ex Varrone ſequutus ſum, *annum* adimi neceſſe ſit ante 250. Urbis conditæ *annum*, quis autem hic fuerit, non ita clarum eſt. Certe 38 Tarquinii *annus* a Solino quoque eſt præteritus. Solinus enim quum 38. Tarquinii Priſci, & duos noviſſimos Servii Tullii Regum *annos* exemiſſet, Reges tantum 241 *annos* regnaſſe, interregno tamen appoſito, ſcriptum reliquit c. I. Euſebius autem Romanos Reges addito interregno 240 *annos* tantum regnaſſe ſcribit: Numæ enim biennium, Anco *annum*, & Priſco alterum *annum* ademit. Euſebium ſecutus eſt Caſſiodorus. Tantæ varietatis cauſæ, præter eas, quas attuli, etiam eſſe poſſunt tum *anni* Romuli & Numæ, cum decem menſium eſſent, tum ſeptem Regum noviſſimi *anni*, qui forte non expleti, tanquam integri numerati ſunt, & cum primis ſequentium Regum confuſi. *Annum* igitur, quo Reges exacti ſunt, nobis ex Varrone, Dionyſio, Livio ſtatuamus fuiſſe 244. Urbis conditæ, in ejus ſcilicet *anni* fine: primoſque conſules in fine quidem *anni* 244 creatos, verum *anno* integro 245 magiſtratum geſſiſſe. *Panvin. in Faſt. p.* 55. *Taffin. Chronol. ludor. ſecul. c.* 3. *Salian. Annal. Tom.* V. *ad an. V. C.* 244.

ANQ.

ANQUIRERE capitis eſt criminaliter intendere, &c. ut vulgo loquimur, concluſiones capitales concipere. Liv. XXV. 3. *Bis eſt accuſatus, pecuniaque anquiſitum, tertio teſtibus datis, quum præterquam, quod omnibus probris onerabatur, jurati permulti dicerent, fugæ, pavoriſque initium a prætore ortum ab eo deſertos milites, quum haud vanum timorem ducis crederent, terga dediſſe; tanta ira accenſa eſt, ut capite anquirendum concio ſucclamaret. De eo quoque novum certamen ortum: nam cum tribunus bis pecunia anquiſiſſet, tertio capitis ſe anquirere diceret, tribuni plebis appellati, collegæ negarunt ſe in mora eſſe, quo minus quod ei more majorum permiſſum eſſet, ſeu legibus, ſeu moribus mallet, anquireret.* Bud. in Pandect. p. 234. C. Sigon. de Judic. III. 3.

Anquirere pecunia eſt pecunia condemnare. Livius. V. illum ſupr. in *Anquirere capitis.* Sigon. de Judic. III. 3.

ANQUISITIO dicebatur, cum accuſator ter in ſingulis accuſationibus perorandis multam, pœnamve pro arbitrio dicebat. Ejus formula erat hæc. *Quando igitur hæc aut illa, quæ dixi, feciſti, ob eas res ego multam tibi hanc dico, vel pecuniam hanc vel perduellionem tibi judico.* Sæpe autem evenit, ut cum in prioribus accuſationibus pecuniæ judicaſſent, in tertia capitis *anquirerent*, aut cum in primis capitis *anquiſiſſent*, in tertia pecuniæ judicarent. Livius. V. illum ſupr. in *Anquirere capitis.* Sigon. de Judic. III. 10.

ANS.

ANSA nominabatur ſumma pars gubernaculi. Vitruv. X. 8. *Navis onerariæ maximæ gubernator anſam gubernaculi tenens.* Scheffer. de Milit. nav. II. 5. Philand. in Vitruvium.

Anſa ſcuti Græcis ὄχανον dicitur. Euſtath. in Iliad. p. 115. Ὄχανον, τὸ τῆς ἀσπίδος κράτημα. Inventum hoc Caribus aſſignat Herodot. I. p. 78. C. *Anſas ſcutorum hi ſunt, qui primi fecerunt. Eouſque enim ſine anſis ferebant clypeos, vinculis e loro ſuſpendentes circa collum, & humeris ſiniſtris circumponentes.* E ferro facit Suidas: *Porpax, lorum, quo ſcutum tollitur, ut alii dicunt, ferrum parvum, quod ſcutum medium tranſit, & quo tenet ipſum miles.* Lipſ. Anal. ad Milit. Rom. p. 276.

ANSARIUM, ſive *anſurium*, fuerit vectigal ab iis vaſis obſoniorum, butyrique collectum, quæ *anſis* geſtabantur. Et *anſurii* fuerint publicani, qui vectigal a vaſis, *anſis* geſtari ſolitis, colligebant. *Laz. Comm. Reip. Rom.* II. 13. *Anſa* eſt vas, aut quidvis aliud, quod manu teneri ſolet, & quo metimur, quæ pondere, numero, & menſura conſtant. Poteſt etiam vectigal *anſarium* ad arma promercalia trahi, quæ quis promercii cauſa habuerit. Nam *anſata, jaculamenta cum anſis* dixit Ennius V. apud Non. XVIII. §. 30.

Anſatis mittunt e turribus haſtas.

Anſatum telum eſt Turneb. Adv. XVIII. 3. quod *anſam* habet, id eſt, amentum. *Guther. de Offic. Dom. Aug.* III. 17. *Buleng. de Vectig. c.* 89. Male *anſurium* videtur legiſſe Lazius. Et quod de promercalibus afferunt Gutherius & Bulengerus, prorſus a re alienum eſt, cum non niſi improprie *anſata tela* ab Ennio dicuntur, quia figura eorum *anſas* quaſi quaſdam repræſentabat. Sed melius conjici poſſet, *anſas* in telo eſſe duas illas furculas, quæ circa medium cuſpidis prominent, atque ita *anſata tela* efficiunt. Hæ a Grat. Cyneget. n. 108. appellantur *moræ*, quia exſtantes utrinque impediunt, & morantur telum, ne totum corpus, quod vulneravit, tranſeat. Verba ejus ſunt de venabuli ſtructione:

Ille etiam valido primus venabula dente
Induit, & proni moderatus vulneris iram
Omne moris excepit onus. Tum ſtricta verutis
Dentibus, & geminas ſubiere haſtilia furcas.

Non veroſimile ergo eſt, ab his telis, quæ non, niſi tropice, *anſata* dici poſſunt, vectigal exactum. Solæ res, & merces, quæ in foro vendebantur, vectigali obligatæ erant: ſi vero alibi venderentur, non inter promercales videntur fuiſſe numeratæ, donec tandem Caligula etiam hanc exceptionem ſubmoverit, & juſſerit *pro edulis, quæ tota Urbe venirent, vectigal exigi.* Suet. c. 40. n. 2. Fuerit ergo vectigal dictum a vaſis *anſatis*, quibus merces quædam, præcipue vinum, condiebantur. *Burman. Diſſert. de Vectig. c.* 5.

ANSERES præcipue jecoris bonitate Romani noverunt; fartilibus enim in magnam amplitudinem creſcit:

lacte quoque mulso augetur. Mart. XIII. 58.

Aspice, quam tumeat magno jecur ansere majus,
Miratus dices, hoc, rogo, crevit ubi.

Hujus ganeæ inventum etiam consularibus viris attribuitur. Palmas quidem pedum ex iis torrere; atque patinis cum gallinaceorum cristis reperit Messala oratoris filius. *Bruyer. de Re cibar.* III. 2: XV. 12. & 20. Lecticæ splendidæ inter pretiosa stragula residens *anser* sollenni die in pompa gestabatur in memoriam servati vigilantia *anserum* Capitolii, Gallis irrumpentibus. *Borrich. Ant. Urb. fac.* c. 15. Nam *anseres*, qui solertiorem custodiam præbent quam canes, gingritu suo excitarunt vigiles. Liv. V. 47. *Galli tanto silentio in summum evasere, ut non custodes solum fallerent, sed ne canes quidem, solicitum animal ad nocturnos strepitus excitarent. Anseres non fefellere. . . . . Namque clangore eorum, alarumque crepitu excitus M. Manlius . . .* Aur. Vict. de vir. illustr. c. 24. n. 4. *Quadam nocte clangore anseris excitatus* Manlius, *Gallos adscendentes dejecit.* Illorum curam censores habuerunt, qui nihil prius habuerunt locatione alimentorum pro sacris *anseribus*. Plin. X. 22. *Est & anseri vigil cura, Capitolio testata defenso, per id tempus canum silentio proditis rebus. Quamobrem cibaria anserum censores imprimis locant.* Plutarch. Quæst. Rom. 97. *Cur censores ubi magistratum occeperunt, nihil prius habent locatione alimentorum pro sacris anseribus, & simulacri exornatione? An quia volunt ab iis ordiri, quæ sumptuum, & occupationis minimum desiderant: aut pro veteri beneficio animalibus hæc refertur gratia, quod Gallos, Roma capta, jam muros Capitolii superantes, canibus dormientibus senserunt anseres, vigilesque suo clangore excitarunt.* Marlian. Topogr. Urb. Rom. II. 5. Brisson. de Form. VI. p. 522. Saubert. de Sacrif. c. 14. Calcagn. Collect. vetust. p. 30. Sagittar. de Jan. vet. c. 21. Unde & ne quis quid noctu auferret, templis interdum includebantur. Arnob. VI. p. 205. *Indigna res est, cum aliquam quæras prohibendis fraudibus [illegible], non ab [illegible], sed in anserum ponere, [illegible] gingritibus.* [illegible] de Stat. c. 6. Saubert. l. l. Junoni sacrati fuerunt. *Nardin. Rom. Vet.* V. 14. Et alebantur ad ædem Junonis, quæ in ipso Jovis templo fuit. *Donat. de Urb. Rom.* II. 3. Hoc templum Junonis quidem in arce fuisse concedo; sed hoc sacellum, sive cellam illam fuisse, quam in templo Jovis habuit, nego. Hoc enim omnino & veritati, & decoro repugnat. Certe, quum Capitolium omnium deorum domicilium sit appellatum, non video qua necessitate adducti Junoni aliud nullum fuisse templum, & nonnisi aliquod in aliena æde sacellum statuamus: tum vero tantillum loci sacri, quod majestati tanti numinis dicatum erat *anserum* spurcitie fuisse inquinatum, iisque pro stabulo fuisse, quis hoc queat credere? Aliti fuerint in Curia Calabra, quæ, quia in illa primis Romæ temporibus Senatus convenit, & de Pontificibus aliquis singulis mensium Kalendis nonas lunares publicabat, templum fuerit. Et quidem Lunæ Junonis, in quo minor Pontifex singulis Kalendis Junoni, hinc Kalendari dictæ, sacra faciebat. In hujus templi, seu Curiæ Calabræ parte aliqua, huic rei adaptata *anseres* (alitem non minus aquatilem, quam terrestrem, adeoque ob humiditatem lunari dominio subjectum) altos fuisse minus absurdum sit existimare, quam in primario quodam templi Jovis Capitolini sacello. *Nardin. l. l.* Argenteum simulacrum *anseris* in templi porticu fuit positum in memoriam facti hujus sempiternam, eo quod *anseris* strepitus sopitos vigiles excitasset, atque ita Capitolium servasset. *Rycq. de Capitol. c. 27. Nardin. Rom. Vet.* v. 16. *Tomas. de Donar. c. 4. Marlian. l. l.* Sed certatim scriptores, qui decantant honores *anserum*, nemo tamen illorum de argenteo Capitolino *ansere* quicquam narrat. Argentei simulacri mentionem quidem facit Virg. Æneid. VIII. 655.

Atque hic auratis volitans argenteus anser
Porticibus, Gallos in limine adesse canebat.

Et ad illum Servius: *Satis prudenter argenteum anserem dixit. Nam quasi epitheton est coloris, & significavit rem veram. Nam in Capitolio in honorem illius anseris, qui Gallorum nuntiaverat adventum, positus fuerat anser argenteus.* Ego argenteum apud Virgilium existimo poni pro candido, ut sensus sit, candidum *anserem* in auratis Capitolii porticibus collocatum Gallos prodidisse. *Sagittar. de Jan. vet. c.* 21. §. 10.

ANT.

ANTÆ sunt postes, sive pilæ lapideæ, quæ in lateribus sunt ostiorum. Vitruv. III. 1. *In antis erit ædes, cum habebit in fronte antas parietum, qui cellam circumcludunt, & inter antas in medio columnas duas, supraque fastigium.* Græcis *παραστάδες*. Glossæ: *Postes, παραστάδες.* Festus *antas* interpretatur *latera ostiorum*. Non. I. 124. sunt *quadræ columnæ*, hoc est, plinthi, seu plinthides quadratæ columnarum, quomodo *quadræ* voce usus Vitruv. III. 3. Videtur Nonius conciliari posse cum Festo, si dicamus, *antas* esse proprie quadras columnarum quæ ad latera ostiorum ponuntur. *Voss. Lex. Etymol. Salmas. Exerc. Plin. p.* 856. *E. Sagittar. de jan. vet. c.* 25. §. 4. *Baldus in Vitruvium. Grapald. de Part. dom.* I. 1. §. 4. Dicuntur etiam *antepagmenta*. Philand. in Vitruv. IV. 6. Imo multum differunt. *Antæ* lapideæ; *antepagmenta* lignea. V. & infr. in *Antepagmenta*. Salmas. & Voss. l. l.

ANTARII funes. V. illos infr. in *Funes*.

ANTEAMBULATRICES ex officio præibant. *Pignor. de Serv. p.* 425.

ANTEAMBULONES erant servi, qui honoris gratia in itinere solebant præcurrere dominos, & turbam summovere. Suet. Vesp. c. 2. n. 5. *Eum identidem per contumeliam anteambulonem fratris appellat.* Mart. II. 18. 5.

Sum comes ipse tuus, tumidique anteambulo Regis.

x. 74. 2.

—— quamdiu salutator
Anteambulones, & togatulos inter
Centum merebor plumbeos die toto.

Utebantur hac formula: *date locum domino meo.* Acro in Horat. Epist. 1. *Servi quoque officiosi in turba hunc, & illum in latus fodiendo dicere solebant: date locum domino meo.* Popma de Oper. serv. pag. 77. Pignor. de Serv. p. 245. Bud. in Pandect. p. 137. C. Salmas. in Trebell. Claud. c. 14. Calcagn. Epist. Quæst. III. 13. Marcil. & Pitisc. in Suetonium. Claude de Salutat. Vet. c. 7.

ANTECESSORES erant homines legum periti, & juris, etiamsi non essent professores. Dicuntur ab honore, quod aliis, qui jus non didicere, antecedant. *Turneb. Adv.* VIII. 19. *Cujac. Observ.* XII. 40. *Pollet. For. Rom.* I. 4. *Argol. ad Panvin. de Lud. Circens.* II. 2. *Alciat. Dispunct.* III. 12. *Broid. ad Pollet. Forum Romanum. Rosin. Antiq. Roman.* VIII. 4. Significatio hæc ex castris, & sagata militia ad togatam irrepsit. *Broid. l. l. Antecessoris* vocabulum antiquum est. Nam eo pro doctoribus etiam Tertullianum multis in locis usum invenio. Videturque nomen *antecessorum* relativum esse, respectu sectatorum. Ut enim sine magistro nullus appellari discipulus potest, nec contra sine discipulo magister: ita nec sine sectatoribus *antecessores*, nec sine *antecessoribus* ulli fuerunt sectatores. Sic etiam a discipulo sectatorem sejungit Suet. de Illustr. grammat. c. 24. n. 3. *Hic non tam discipulos, quam sectatores aliquot habuit. Nunquam enim ita docuit, ut magistri personam sustineret.* Ut igitur discipulos magistri, sic *antecessores*, ductores, sive professores habere sectatores solent. Gell. I. 9. *Hæc Taurus dicere solitus novitios philosophorum sectatores cum veteribus Pythagoricis pensitans.* Ræward. Conject. II. 10. Broid. l. l.

Antecessores in militia erant equites, sic dicti, quod agmen *antecederent*. Hirt. de Bell. Afric. c. 12. *Per speculatores, & antecessores nuntiatur ei.* Suet. Vit. c. 17. n. 1. *Irruperant jam agminis antecessores. Antecursores* etiam vocabantur. Cæs. de Bell. Gall. V. 45. *Hora circiter tertia ab antecursoribus de Crassi adventu certior est factus.* Civil. III. 37. *Ut primi antecursores Scipionis viderentur.* Salmas. de Re milit. c. 4. Turneb. Adv. XXIV. 16. Pitisc. in Sueton.

ANTE-COENAM olim vocabatur in *cœnarum* conviviis

viviis lautiſſimis quædam pars cœnæ. Ea erat tanquam primi *cœnæ* miſſus, primusque guſtus, & tanquam prima menſa. Macrob. Sat. III. 12. *Ante-cœnam, echinos, oſtreas crudas, quantum vellent.* Turneb. Adv. XVII. 10: XVIII. 4. Lipſ. Antiq. Lect. III. p. 147. Stuck. Antiq. Conviv. III. 1. Salmaſ. de Re Milit. Roman. c. 15. in Capitol. Gordian. jun. c. 21. Roſin. Antiq. Roman. v. 29.

ANTEDEXTRA una voce dicebantur & aves, & fulmina. *Bellus de Part. templ. augur. c. 7.* V. & infr. in *Antica*.

ANTEFIXA *dicuntur quæcunque ſub ſtillicidio ex opere figlino tectis affiguntur.* Feſtus. *Junius de Pictur.* II. 8. *Scalig. in Feſtum. Grapald. de Part. dom.* II. 12. §. 8.

ANTELUDIA vocabantur, quia ex præſultoris nomine videtur fuiſſe in pompa principem quendam, qui præ reliquis ſaltaret. Dies proluſionis erat, quo veluti oſtentabatur, quod diebus Circenſibus, & feſtis fieri magno apparatu debebat. Apul. Met. XI. p. 368. *Ecce pompæ magnæ paullatim procedunt in anteludia, votivis cujusque ſtudiis exornata pulcerrime.* Argol. in Panvin. de Lud. Circenſ. II. 2.

ANTEMNÆ urbs fuerat Græcorum Aboriginum, qui Siculos expulerant. Colonia hæc eodem anno quo Cænina bello primo Sabino finito a Romulo deducta fuit. Trecenti eo etiam cives coloni deducti anno ab U. C. quarto. Dionyſ. II. p. 103. *Erant Cæcina, & Antemnæ urbes a Græcis oriundæ, non ignobiles: eas enim Siculis ademptas tenebant Aborigines, Oenotrorum pars profectorum ex Arcadia: poſt hoc autem bellum coloniæ Romanæ factæ ſunt.* Panvin. Imp. Roman. c. II. Sigon. de Antiq. jur. Ital. II. 5.

ANTENNA eſt pertica tranſverſa, qua vela extenduntur. Hirt. de Bell. Alex. c. 45. *Quod ubi conſpexit, celeriter vela ſubduci, demittique antennas jubet.* Cæſ. de Bell. Gall. III. 14. *Funes, qui antennas ad malos diſtinebant.* Græcis dicitur κέρας, vel κεραία, vel ἰσοκεραία. Gloſſ. Philox. *Antenna*, κέρας πλοίου. Id ad verbum cornu eſt. Illam invenit Dædalus. Plin. VII. 56. *Antennam invenit Dædalus.* Jun. Catal. Archit. p. 63. Partes ejus ἄμβολα καὶ σύμβολα, hæ circa malum ſunt, poſt αἴκυλαι, brachia, ultimo ἀκροκέραια, cornua. Suſpendebatur ita, ut extra malum verſus proram promineret. Quo facilius *antenna* cum velis elevaretur, malus ligna quædam orbicularia, pomorum inſtar, circumdata habebat. *Scheffer. de Mil. Nav.* II. 5. *Gyrald. de Navig. c.* 12. *Barth. Adv.* XXXIII. 3. *Philand. in Vitruv.* X. 8. *Roſin. Antiq. Roman.* X. 20. *Kipping. Diſſ. de Exped. Marit.* §. 1. *Voſſ. Lex. Etymol.*

ANTEPAGMENTA ſunt lapides utrinque oſtii latus munientes, qui & *antæ* dicuntur. *Philand. in Vitruv.* IV. 6. Error hic eſt Philandri. *Antepagmenta* proprie illa ſunt forium ornamenta, quæ ex lignis certa quadam ſymmetria ſecundum architectonices præcepta ſuperponuntur foribus. Sunt enim, ut diximus, in *Antæ*, lignea. Vetus inſcriptio: FACITO ANTEPAGMENTA ABIEGNA LATA S ⚌ ⊢. *Antæ* lapideæ ligneis *antepagmentis* operiebantur ornamenti gratia. Liquido id probari poteſt ex Vitruv. IV. 6. Locus eſt prolixior. Ideo illum non adſcribo. *Sagittar. de Jan. c.* 25. §. 4. *Salmaſ. Exerc. Plin. p.* 856. *E.* Deinde *antepagmenta* quoque vocari poſſunt ornamenta alia, quæ apponi, vel affigi januis ſolebant: ut ſunt deorum, hominum, animantium, aliarumve rerum formæ, ſive in ipſis poſtibus, ſive circa eos in columnis. Atque hæc ornamenta antefixa appellari poſſent. *Sagittar. ibid.* §. 8.

ANTEPANNI erant faſciæ, vel lora, quibus *anterior* pars veſtis prætegebatur, quæ Græcis recentioribus ἀντίπανα. Ἀντίπανον eſt vox pura puta Latina. Ἀντίπανα enim *antepannos* dixerunt Græci: ut ἀντικένσωρα *antecessorem*: ἀντιμίνσιον *antemiſſum*. Horat. de Art. poet. n. 15.

Purpureus late, qui ſplendeat unus & alter,
Aſſuitur pannus.

Salmaſ. de Re milit. Roman. c. 5. in Vopiſc. Aurelian. c. 46.

ANTEPEDES. V. illos infr. in *Circumpedes*.

ANTEPILANI vocabantur in legione haſtati, & principes, quod eſſent ante triarios, qui *pilani* vocabantur. Liv. VIII. 8. *Hoc triginta manipulorum agmen antepilanos appellabant.* c. 9. *Nam & rorarii procurrebant inter antepilanos, addiderantque vires haſtatis, ac principibus.* Turneb. Adv. XI. 27. Stewech. in Veget. I. 20. Bud. in Pand. pag. 258. B. Lipſ. de Mil. Rom. IV. 1. Valeſ. in Ammian. XVI. 12. Schill Nomencl. Philol. p. 127. Vox hæc mutanda eſt in *anteſignani*. I. Quia conſiderata ejus etymologia, non aliud ſignificare poteſt, quam eos qui *ante pila* ſtabant. Id quod hic locum minime habere poteſt, quoniam ipſi haſtati & principes *pila* geſtabant, & triarii non *pila*, ſed haſtas gerebant, Livio paullo poſt dicente, *haſtas ſuberecta cuſpide.* Quare non poſſunt haſtati & principes proprie *antepilani* dici, quoniam revera nullos in acie præcedebant, qui *pilis* armati eſſent. At vero nomen *anteſignanorum* optime in eos convenit. V. *infr.* II. Quia verba hæc Livii, prout hodie leguntur, *antepilanos appellabant &c.* nullum habent ſenſum, neque illud, *quia jam ſub ſignis*, ullo modo cohæret cum verbis his, *antepilanos appellabant.* Sed ſi corrigamus, *antepilanos appellabant, quia jam ſub ſignis*; & ſenſus & connexionis ratio huic loco optime conſtat, & pulcre reſpondet ei quod ſequitur: cæſos *haſtatos & principes, ſtragem & ante ſigna, & poſt ſigna factam.* Ante ſigna nimirum cæſi erant haſtati & principes, poſt ſigna rorarii & accenſi. III. Quia vox *antepilani* reperitur apud nullum auctorem, nec uſquam apud ipſum Livium, ſi ab hoc loco diſceſſeris, in quo ter occurrit. Mentio vero *anteſignanorum* frequentiſſima eſt apud Livium, Cæſarem, Salluſtium, Hirtium, Vellejum, alios. *Patric. Res Milit. Roman.* IV. *ſect.* 5.

ANTERIDES ſunt columnæ, vel lapides eminentiores, qui interponuntur ad ſuſtinendam ſtructuram, pilæ lapideæ muris objectæ & obnixæ ad fulciendam fabricam. *Salmaſ. Plin. Exerc. p.* 856. *C. Bald. Lex. Vitruv. pag.* 9. *Voſſ. de Trirem. conſtruct. Theſ. Antiq. Roman. Græv. Tom.* XII. *p.* 723. *B. Voſſ. Lex. Etymol.* Vitruv. VI. 11. *In fronte anterides ſint.* Græcum eſt ἀντηρίδες. Heſychius. Nos controfortia, & arcus obtinentes dicimus. Itali ſperonos, ceu ſint calcaria, id eſt, obnitentes muris pilas vocant. Eadem dicuntur ἐρείσματα, qua dictione utitur Vitruv. X. 1. *Philand. in Vitruv.* VI. 11. V. & ſupr. in *Antæ*

ANTES ſunt illi lapides eminentiores, quibus fabrica ſuſtinetur. Serv. Georg. II. 417. *Antes ſunt lapides eminentiores, qui interponuntur ad maceriam ſuſtinendam; nam proprie antes ſunt eminentes lapides, vel columnæ ultimæ, quibus fabrica ſuſtinetur.* Guther. de Jur. man. III. 15. Qui nugatur, & cum illo Servius, & *anterides* pro *antibus* accepit. Sunt ordines cujuſcunque rei anteriores, & qui frontem ſpectant. Atque inde dicti. Inepta grammaticorum natio, quia *extremos antes* dixit Virg. Georg. II. 417.

Jam canit extremos effœtus vinitor antes.

Ipſi interpretantur *antes* extremos ordines vinearum. Si *antes* propria ſua notione extremitatem deſignaret, fruſtra ſummus poeta *extremos antes* dixiſſet, quod non ἐπιθετικῶς ab eo poſitum, ſed rei ſignandæ. Ut extremi ſunt *antes*, ita & primi ac medii. Laſſus & effœtus vinitor in *extremis antibus*, qui in primis adhuc vegetus & integer, utpote laborare tum incipiens, quum in extremis vineæ ordinibus labore jam fractus ſit. *Salmaſ. Plin. Exerc. pag.* 856. *A. B. Turneb. Adv.* XIX. 19. *Voſſ. Lex. Etymol.*

ANTESIGNA priſco vocabulo & recto prima *ſigna* ſunt, ut *poſtſigna* poſtrema. *Salmaſ. de Re Milit. Romanor. cap.* 5.

ANTESIGNANI erant haſtati & principes, ab eo dicti, quod *ante ſigna* prima collocarentur, & ante aquilam aliaque legionis *ſigna*, quæ aquilam circumſtabant, conſiſterent. *Salmaſ. de Re Milit. Roman. c.* 1. & 17. *Patric. de Re Milit. Roman.* IV. *Sect.* 5. Prima itaque acies poſita *ante ſigna*, iisque propugnandis: non enim nuda

ſtatim *ſigna* objecta hoſti, ſed munita, & vallum aliquod virorum objectum fuit. *Lipſ. de Milit. Rom.* IV. 3. Falſi ſunt, qui putant *anteſignanos*, qui in prima acie *ante ſigna* collocentur. Non enim pars militum *ante*, pars *poſt*, ſed omnes poſt ſua *ſigna*, tam in acie, quam in agmine conſtituebantur: in ipſa pugna ante ea procedebant. Præterea, ſi *anteſignani* qui *ante ſigna* (niſi a tergo omnium ſigna) non tota acies, ſed pars ejus; non prima magis, quam ſecunda & tertia acies in hoc nomen veniret. Eodem enim modo in ſuo corpore ponebant *ſigna*. Ad hoc nulli eſſent in agmine, ubi, etiam Lipſio aſſentiente, prima ferebantur *ſigna*: ſed *anteſignanorum* mentio fit, tam in agmine, quam in prælio. Dicuntur *anteſignani* itaque primi ſubſignanorum, ut antecurſores, primicurſores, tamen a curſoribus illi: anteambulones, primi ambulantium. *Schel. in Hygin. Theſ. Antiq. Roman. Græv. Tom.* X. *p.* 1055. *D. E. F.* Velites, qui *ante ſigna* pugnare ſolebant, inde etiam *anteſignani* vocati Cæſaris temporibus. Atque ſic etiam locutus eſt Livius, qui totam aciem in duas propterea partes diviſit; in *anteſignanos* & *poſtſignanos*. Ut illi aciem primam conſtituerint, iſti ſecundam. Ut prima acies e levi armatura velitum fuerit conſtructa, ſecunda imo & tertia & quarta e gravi armatura reliquorum peditum. *Salmaſ. de Re Milit. Roman. c.* 17. Livio & Cæſari *anteſignani* fuerunt prima ſigna, prima acies, primum agmen militum gravis armaturæ. Græcis πρόμαχοι & πρόμαχοι τῶν σημείων. Dividunt enim aciem εἰς δύο τάξεις, προμάχους καὶ βοηθούς: *anteſignanos* & *poſtſignanos*, aciem & ſubſidium. *Schel. l. l. Bircler. Diſſert. de Legion. Roman. c.* 6. Quæ enim Cæſ. de Bell. Civ. I. 43. & 44. tribuit *anteſignanis*, velitum non ſunt. Velites ſine ſignis, ſine ordinibus rari & diſperſi pugnam inibant: *anteſignani* ordines ſervabant, neque ab ſignis diſcedebant. Velites, ſi premerentur, non tantum non turpe ducebant recedere, ſed fere recedebant, & recedentes poſt ordines recipiebantur: *anteſignani* non ſine gravi cauſa locum, quem ceperant, deſerere oportere cenſebant. Perturbatis velitibus nihil novi accidebat: pellebantur enim fere, quoties cum gravi hoſte cominus congrederentur: *anteſignanis* pulſis legio tota locum deſeruit, & omnis pæne acies perturbata eſt. Velites non alii generi pugnæ aſſueti erant quam huic quod cum Afranianis cohortibus: at *anteſignani* ejus inſueti. Verba Cæſaris ſunt hæc: *Hæc ratio noſtros perturbabat, inſuetos hujus generis pugnæ. Circumiri enim ſeſe ab aperto latere, procurrentibus ſingulis, arbitrabantur: ipſi autem ſuos ordines ſervare, neque ab ſignis diſcedere, neque ſine gravi cauſa eum locum, quem ceperant, dimitti cenſuerant oportere. Itaque perturbatis anteſignanis, legio, quæ in eo cornu conſtiterat, locum non tenuit, atque in proximum collem ſeſe recepit.* Afranianas fortaſſe cohortes levis armaturæ fuiſſe ſuſpicetur. Sed neque iſtæ fuerunt. Nihil enim novum in eo genere pugnæ, ſi levium: at novum & inſolens, quod cohortes legionariæ iſto modo pugnarent. Præterea velites viles, & contempti: at *anteſignanos* Cæſar delectos, & fortiſſimos viros appellat: inter quos & centuriones, qui velitibus antiquitus omnino nulli de Bell. Civ. I. 57. *Delectos ex omnibus legionibus fortiſſimos viros, anteſignanos, centuriones, Cæſar ei claſſi attribuerat.* Quod ſi intelligas *anteſignanos* pro centurionibus claſſi datos, manet tamen hoc ipſum, quod diximus, viros egregios, & exercitos fuiſſe. Jam quod *anteſignani* expediti, quod inter equites præliantur, ne hoc quidem vincit, levis armaturæ eſſe. Proprium enim Cæſaris inſtitutum, qui ex *anteſignanis* quoſdam expeditos habuit, quos inter equites pugnam conſerere juſſit de Bel. Civ. III. 84. V. illum infr. in *Velites*. Quod ſi *anteſignani* velites, non utique narraret Cæſar tanquam inſtitutum ſuum, quod eos expeditos habere conſueverit: non, quoſdam ex *anteſignanis* expeditos ſe habuiſſe, cum omnes velites priſco inſtituto expediti: at non vice verſa omnes, qui expediti, velites: totæ enim legiones ſæpe expeditæ habebantur. Similiter, cum novum inſtitutum Cæſaris dicitur quod ex *anteſignanis* quidam inter equites præliarentur, ſequitur *anteſignanos* velites non fuiſſe, qui jam olim inter equites manus conſerere docti, ejus generis pugnæ ignari eſſe non poterant: ut hi *anteſignani*, qui hac in re tyrones erant, ac inter equites præliari jubebantur, quo ſicut levis armaturæ milites quotidiana conſuetudine uſum quoque ejus generis præliorum perciperent. Cæſarem levem armaturam interpoſuiſſe equitibus legitur de Bell. Gall. VII. 65. Fecit id ſane, ſed non erat illa levis legionum armatura, ſed externa. Verba ejus ſunt: *Cæſar trans Rhenum in Germaniam mittit ad eas civitates, quas ſuperioribus annis pacaverat, equitesque ab his arceſſit, & levis armaturæ pedites, qui inter eos præliari conſueverant.* Quod Germanorum inſtitutum, quia uſu cum primis ſalubre, adeo ut pauci equites intermixtis peditibus immanem vim equitum ſuſtinerent, adſumpſit Cæſar; & ne neceſſe haberet immiſcere externum ſemper peditem, ex *anteſignanis* legionum adoleſcentes perniciſſimos expeditos habuit, & huic generi pugnæ adſuefecit. Quapropter manifeſtum eſt, *anteſignanos* non eſſe velites, neque levem armaturam. *Schel. ibid. p.* 1054. *D.*

Anteſignani appellati ſunt etiam campidoctores, ſive campigeni, quod *ante ſigna* irent, ut militibus præſcriberent in proluſione armaturæ, quomodo in hoſtem incedendum eſſet, & ab hoſte recedendum. Hi certo numero fuere in legione, & qui eis præficiebatur, dictus eſt tribunus *anteſignanorum*, ut illo ævo tribunus, & comes pro qualibet præfectura uſurpabatur. Ammian. XXVIII. 1. *In cruento enim certamine cum Maximino, velut cum anteſignano ſuo, ſuperare eum in ſuccidendis nobilium familiarum nervis ſtudebat.* Salmaſ. de Re milit. Roman. c. 19.

ANTESINISTRA *indiviſe legendum apud Virg. Ecl.* IX. 15.

Anteſiniſtra cava monuiſſet ab ilice cornix.

Hoc pertinet ad auguralem diſciplinam. Augures enim deſignant ſpatia lituo, & eis dant nomina, ut prima pars dicatur antica, poſterior poſtica, ut eſt dextra & ſiniſtra. Anteſiniſtra hinc cornix eſt, quæ ab antica, hoc eſt, a meridie, ad ſiniſtrum, id eſt, orientem volarat. Servius. *Guther. de Jur. Pontif.* III. 3. *Buleng. de Augur.* II. 2. *Bellus de part. templ. augur. c.* 7. §. 8.

ANTESTARI erat *teſte* uti, cum judicii cauſa volebant manum injicere. Si enim vocati in jus protinus & illico non ſequerentur, ſed fruſtrarentur & morarentur, teſtimonium iis qui præſto aderant, denuntiabatur his verbis, *licet anteſtari*: quæ hoc ſignificabant, *licetne* vobis *teſtibus* ad hanc rem uti? Illi, ubi, *licet*, reſpondiſſent, annuiſſentve, aurem, in qua memoriæ ſedem veteres locabant, porrigebant; qua molliter tacta atque apprehenſa monebantur rei geſtæ memores eſſe. Quo facto, manu injecta adverſarius, niſi ſatiſdaret, in jus rapi, obtortoque collo ad prætoris tribunal rapi poterat. Quæ omnia venuſte explicat Horat. Sat. I. 9. Cum enim diceret ſe in garrulum quendam, moleſtumque hominem incidiſſe, qui cum vadato reſpondere deberet, maluiſſet litem perdere, quam Horatium relinquere: ſed tamen caſu obvius illi inquit n. 75. fit

Adverſarius: &, quo, tu turpiſſime? magna
Exclamat voce: & licet anteſtari? ego vero
Oppono auriculam, rapit in jus: clamor utrinque,
Undique concurſus: ſic me ſervavit Apollo.

Id ipſum eſt, quod Plin. XI. 45. ait, eſſe *in aure ima memoriæ locum, quem tangentes anteſtamur.* Hujus rei mentio fit apud Plaut. Perſ. IV. 9. 10. Nam cum vendita eſſet paraſiti filia lenoni pro ſerva, in jus eum vocabat, cumque ille diceret, cur non *anteſtaretur*, facete paraſitus:

— *tuane ego cauſa carnifex,*
Cuiquam mortali libero aures atteram?

Et Pœn. V. 4. 59.

H A. *Ite in jus, ne moramini.* AN. *Anteſtare me atque duce.*
AG. *Ego te anteſtabor: poſtea hanc amabo, atque amplexabo.*

Briſſon. de Form. V. p. 367. Auguſt. ad Leg. XII. tab. §. 52. Urſat. de Not. Roman. Theſ. Antiq. Roman. Græv.

Græv. Tom. XI. p. 949. F. Guther. de Jur. man. III. 24. Pollet. For. Rom. V. 1. Gyrald. Dial. 9. Bud. in Pandect. p. 214. Turneb. Adv. XIII. 26: XXIX. 14. Lipſ. Epiſt. Quæſt. IV. 26. Calcagn. de Verb. ſignif. p. 361. Brod. Miſc. V. 36. Rittersh. in Leg. XII. tab. Claſſ. III. p. 3. c. 1. Hotoman. Antiq. Rom. III. 3. p. 475. D. Auctor miſc. defenſ. pro Salmaſ. ad jus Attic. & Rom. p. 812. Barthol. de Inaur. c. 5. Sigon. de Judic. I. 18. Cujac. Obſerv. VI. 16. Rævard. ad Leg. XII. tab. c. 5. Torrent. in Horatium. Taubman. in Plauti Perſam. Oiſel. in Gell. XV. 13. Schill Nomencl. Philol. p. 129.

ANTESTIA gens. V. illam infr. in *Gens.*

ANTEVERTA & *Poſtverta divinitatis comites apud Romanos colebantur.* Macrob. Sat. I. 7. Has ideo coluerunt, quod ea omnia intelligi oportere exiſtimarent, quæ præterita, ac futura eſſent. Inde receptum proverbium, πρόσω καὶ ὀπίσω, a fronte, atque a tergo: pro eo quod eſt diligenter inſpicere, & præterita cum præſentibus, ac futuris conferre. *Moreſtel. de Impoſit. nom. ſing. menſ.* II. 2. *Gyrald. Synt. deor.* I. *p.* 50. *Roſin. Antiq. Roman.* II. 19.

ANTIA gens. V. illam infr. in *Gens.*

Antia lex. V. illam infr. in *Lex.*

ANTIAS cognomen Valerii, a loco, unde Romam commigraverat. Plin. Præfat. p. 8. *Lucubrationem, puto, qui Antias civis erat, & vocabatur Valerius primus aſſerit.* Sigon. de Nomin. Roman. c. 5.

ANTIATINÆ ſortes. V. illas infr. in *Sortes.*

ANTICA *dicuntur, quæ ante nos ſunt, & quæ poſt nos poſtica dicimus. Et dextram anticam, ſiniſtram poſticam. Sic ea cœli pars, quæ ſole illuſtratur ad meridiem, antica nominatur, quæ ad ſeptentrionem poſtica: rurſumque dividuntur in duas partes, orientem atque occidentem.* Feſtus. Meridionalis pars dextra ex ſecunda partitione *antica* fit ex tertia, & ſiniſtra ſeptentrionalis poſtica. Et poſtica illa, & *antica* illa dividuntur in orientem, & occidentem: quia cum templum totum partes illæ duæ deſcribant, anterior, atque poſterior, quando diducuntur in ſexdecim, media pars *anticæ* & poſticæ itidem conflantur in ortivas octo, & octo ſcilicet occiduas. Hinc factum, ut aves & fulmina dicantur anteſiniſtra, poneſiniſtra, antedextra, ponedextra una voce. *Bellus de Part. templi augur. c.* 7. §. 8. *Buleng. de Augur. c.* 2.

ANTIGRAPHARII, quaſi ephori, & inſpectores, ne fraus aliqua interveniret, ſuſceptoribus adhibebantur. Vulgo Controlleurs generaux. *Buleng. de Vectig. c.* 96. *Guther. de Offic. dom. Aug.* III. 9.

ANTILENA era veſtis, qua pectus equis tegebatur. Gloſſ. Philox: *Antilena,* ἱμὰς ἵππων. Et vigeſima nona voce poſt: *Antelena,* διερησὴρ: ὅ ἐστιν ἱμὰς ἵππων περὶ τὸ στῆθος. Ubi pro διερησὴρ bene Martinius reponit διερειστὴρ a διερείδω, *fulcio.* In Onomaſtico veteri quoque legas, *Antilena* προστηθίδιον, q. d. *antepectorale.* Voſſ. Lex. Etymol. in Poſtilena. Hugo de Mil. Equeſt. I. 4. Erat potius lorum coriaceum circa jumentorum pectus. Vocabulum ſaltem Latinum eſt novum. Mauritius uſurpavit in ſellariis Strateg. I. 2. ubi loquitur de equitibus illorum temporum, qui ſellas habuerunt in equis. Hinc valde veriſimile eſt, *antilenas* has inventas eſſe cum ipſis, & ad eaſdem proprie pertinuiſſe, neque ullo modo ſpectaſſe ad juga, vel ſignificaſſe illa lora, quibus ad vehicula trahenda utebantur. *Scheffer. de Re Vehic.* I. 11.

ANTINAULUM erat, quod a nautis exigebatur. Moſchopulus: *Qui vectigalia e mari, & antinaulo exigunt.* Buleng. de Vectig. c. 86.

ANTIOCHIA fuit urbs omnium clariſſima ad flumen Orontem, Syriæ Comagenæ metropolis. *Pancirol. Notit. dignit. imp. orient. c.* 67. *Urſat. de Not. Roman. Theſ. Antiq. Roman. Græv. Tom.* XI. *p.* 627. *A.*

ANTIOCHIANI balneum. V. illud infr. in *Balneum.*

ANTIOCHUS Rex Syriæ ſupra hominis conditionem ſe efferens deus vocari voluit. *Bargæus de Obeliſc. Theſ. Antiq. Roman. Græv. Tom.* IV. *p.* 1916. E. Cum de regione Ptolemæorum, quam ſubito invaſerat, territus ſenatus Romani imperio receſſiſſet, Judæam venit, ibique Jeſu, & Jaſoni fratri Oniæ pontificatum tradidit. Quo deinde expulſo Oniam cognomento Menelaum ſucceſſorem ei dedit. *Proſper Chronic. Theſ. Roman. Græv. ibid. Tom.* XI. *p.* 280. *D.* Bello victum decepit Q. Fabius Labeo. Naves enim dimidias pollicitus ei ſe relicturum ſecari juſſit, ut dimidiatæ relinquerentur. *Auguſt. de Famil. Roman. in Fabia.*

ANTIPATRI dicebatur collegium illorum, qui *Antipatri* memoriam celebrabant. *Buleng. de Conviv.* I. 15.

ANTIPOLIS urbs provinciæ Narbonenſis. *Buleng. de Conviv.* II. 25.

ANTIQUA dicebantur, quæ rudia magis, ac ſimplicia, ad uſum, ac neceſſitatem, non ad luxum, aut munditiem inutilem. Feſtus: *Sedilia antiqui generis appellantur.* Qua ſimilitudine egregie, atque ingenioſe Tacit. Annal. XVI. 15. 1. *Qui remotis e municipiis, ſeveraque adhuc, & antiqui moris retinente Italia.* . . . . Qui nondum ſcilicet viderant luxurioſi illius opes, ac infam illic voluptatum, ac theatrorum certamina, de quibus ibi Tacitus. Sic *mores,* ſic *viros antiquos* Ennius:

Moribus antiquis ſtat res Romana, viriſque.

Chimentel. de Honor. biſell. c. 10.

ANTIQUARIUM, Græce ἀρχεῖον dictum, erat locus, in quo vetuſtæ memoriæ res conſervabantur. *Pancirol. de Magiſtrat. municip. c.* 10.

ANTIQUARIUS dicebatur, qui *antiquario,* & ſcripturis præficiebatur. *Pancirol. de Magiſtrat. municip. c.* 20. V. infr. in *Archeota.*

Antiquarius etiam dicebatur, qui bibliothecæ codices ſcribebat. Hi & ἀρχαιογράφοι, & καλλιγράφοι dicebantur. *Lomej. de Biblioth. c.* 13. Ad bibliothecæ codices componendos, vel pro vetuſtate reparandos erant quatuor Græci, & tres Latini ſcribendi periti. *Guther. de Offic. dom. Aug.* III. 7. V. & infr. in *Archeota.*

ex ANTIQUITATE reſtant, præter infinita non ignobilia rudera, Pantheon, columnæ Trajani, & Antonini, obeliſci plures, ſepulcrum Ceſtii, amphitheatrum Titi, theatrum Marcelli, moles Adriani, arcus triumphales Titi, Alexandri Severi, Conſtantini. *Borrich. Ant. Urb. fac. Append.* Obſervatio *Antiquitatis* hæc omnia ita docet, ut ſignificet potius quam declaret. Pauca ſunt enim, quæ veteres illi, non eandem fortaſſe in Romanis inſtitutis, ac moribus, quam in cæteris rebus humanis, mutationem veriti, plane, enucleateque literis expreſſa reliquerint. Ita, niſi eundem librum ſæpe legas, niſi loca locis conferas, niſi mentis aciem intendas, operamque des ut unico nonnunquam verbo multa ſcitu digna elicias, ingeniumque & conjecturam ſecutus, ad ſummam rei difficilis & obſcuræ notitiam, quaſi per quoſdam ſcalarum gradus, adſcendas, inanem laborem in hoc genere, ſtudiumque ſuſcipias minime fructuoſum. *Manut. de Civ. Roman. Ant. Roman. Græv. Tom.* I. *p.* 31. *A. B. Antiquitatum* cupidi a majoribus & præſentibus hominibus ad Urbis ornamenta comparata habent domum Angeli Colocii in campo Martio: Cæſiorum ſub Janiculo: Porciorum in regione Pineæ: Vallarum ad circum Flaminium: in primis vero Triumvirum in Capitolio & hortos Palatinos in Vaticano. *Fabric. Deſcr. Urb. Rom. c.* 21.

ANTISIGMA vocabatur qui ex altera parte ponebatur ſemicirculus, ſive ſemirotundus ſuggeſtus, qui media interpoſita rotunda menſa integrum efficiebat circulum. *Urſin. Append. ad Ciaccon. de Triclin. p.* 256.

ANTISTES dicebatur primus ſacerdos, ſive is, qui ſacris præerat. *Guther. de vet. jur. pontif.* I. 7. *Ferret. Muſ. Lapid.* I. *Memor.* 4. In ludis ſecularibus duodecima pompæ loco ibat. *Panvin. de Lud. circenſ.* II. 2. Etiam Juriſconſultus. Ita Servius Sulpitius *juris antiſtes* Quintil. XI. 1. Ut ſacrorum *antiſtites,* & *antiſtitæ* dicebantur. Et Plin. VII. 30. *Platoni ſapientiæ antiſtiti Dionyſius tyrannus vittatam navem miſit obviam.* Bud. in Pandect. p. 6. G. Pollet. For. Rom. II. 1.

ANTISTITA erat mulier præfecta ſacris. *Tomaſ. de*

Donar. c. 16. *Salmaſ. in Tertull. de Pall. p.* 348. Mulierculis enim tanta apud veteres gratia obtigit, ut neutiquam ſacrariis excluderentur, aut aræ illis obſepirentur. Hujusmodi femellas Cicero *antiſtitas* vocavit. Gell. XIII. 20. *Sacerdotes quoque feminas M. Cicero antiſtitas dicit, non ſecundum grammaticam legem antiſtites. Nam cum inſolentias verborum a veteribus dictorum plerumque reſpueret, hujus tamen verbi in ea parte ſonitu delectatus. Sacerdotes,* inquit Verr. IV. 45. *Cereris, atque illius fani antiſtitæ.* Saubert. de Sacrif. c. 8.

ANTIUM urbs fuit Volſcorum, ex maritimis oppidis prima. Sunt qui *Antiam* Ulyſſis & Circes filium, ſunt qui Aſcanium Æneæ filium *Anti* conditorem pronuntiarunt. *Cluver. Ital. Ant.* III. 7. 2. Antiquiſſima Romanorum fuit colonia, utpote quæ anno ab U. C. 286. a. T. Quintio, A. Virginio, & P. Furio deducta fuerit. Omnium prima ex Latina in civium Romanôrum coloniam evaſit, anno nimirum ab U. C. 804. *Urſat. de Not. Roman. Theſ. Ant. Roman. Græv. Tom.* XI. *p.* 626. *E. Panvin. Imp. Roman. c.* 11. *Goltz. Ital. p.* 224. Ipſa urbs haud amplius exſtat; at nomen tamen ejus durat etiam nunc in promontorio, cui vulgaris appellatio *Capo d'Anzo:* ad cujus etiam latus occidentale ſpecula in littore poſita vulgo dicitur *Torre d'Anzo.* Hoc loco olim exſtitiſſe urbem, CIↃ. circiter paſſus a novo oppido Neptunio, quod in orientali promontorii latere ſitum, molis, qua portus ejus inclusus fuit, tum phari ingentes reliquiæ, quæ in mari conſpiciuntur, indicant. *Cluver. l. l.*

'ΑΝΤΙΦΕΡΝΗ quæ Græcis dicta eſt, a Latinis prius *antenuptialis donatio*, quod ante efficiebatur, & nunquam poſt nuptias, ſed poſtea, cum tales donationes etiam poſt nuptias fierent, *donatio propter nuptias* appellabatur. Doti ſolebat antiquitus pignus vel hypotheca ſubjungi, aut domus, aut fundus. Harpocration: *Solebant tunc cum nubenti feminæ dotem dediſſent ejus neceſſario, a viro viciſſim petere pignus dotis, aut domum, aut fundum.* Et quia ſucceſſu temporis pacta ſæpe interveniebant, ut mulier ex illo pignore a viro dato aliquid lucraretur, factum eſt, ut illud pignus nomen donationis adſumeret, quæ a viro dabatur ad proſpiciendum uxori de dote conſequenda, ſi forte matrimonium dirimeretur. *Hotoman. de Vet. rit. Nupt. c.* 6.

'ΑΝΤΙΧΡΗΣΙΣ eſt ſpecies pignoris ita dati, ut donec pecunia ſolvatur, pignore creditor utatur, fruatur in vicem uſurarum: v. g. ut domum pignori obligatam uſurarum vicem creditor inhabitet l. ſi ſervus C. quod cum eo: quæ conventio licita eſt, etiam ſi pluris domus locari ſoleat, quam efficiat legitimarum uſurarum ratio; vel ut fundi oppignerati fructus omnes vice uſurarum creditor percipiat, quæ conventia propter incertum eventum fructuum admiſſa eſt, etiamſi aliquo anno fructuum emolumentum legitimum uſurarum excederet: nam & propter incertum frumenti pretium fit nonnunquam, ut frumento credito ejuſdem materiæ acceſſiones ſupra legitimum modum admittantur, quemadmodum Græci recte colligunt ex l. oleo C. de uſur. *Cujac. Obſerv.* III. 35.

ANTLIA eſt genus hauſtoriæ machinæ, quæ pedum niſu, & agitatu aquas per modiolos, atque hauſtra attollebat. Mart. IX. 14. 3.

Sed de valle brevi, quas des ſitientibus hortis,
Curta laboratas antlia tollit aquas.

Voſſ. Lex. Etymol. in Exanclare. Lipſ. Elect. II. 15. Pith. Adv. II. 17. In navibus eſt concavum illud, quod eſt inter utramque carinam, ſive locus ille navigii, in quo aqua colligitur. Latinis ſentina. *Scheffer. de Mil. Nav.* I. 6. Sunt qui ſentinam navis ἄντλον nuncupent, & ἀντλίαν vas ipſum ad aquas e navibus exhauriendas. *Gyrald. de Navig. c.* 11. Veteres, quemadmodum ad triremis publicæ remum, ita & ad rotas aquarias & *antlias* publicas reos aliquando damnare ſolebant. Hujus ſupplicii meminit Artemid. I. 50. *Novi quendam, qui viſus eſt ſibi reliquo corpore omni immoto, pedibus tantum laborare: nec progredi hilum, moveri tamen. Evenit, ut in antliam damnaretur. Nam exhaurientibus hoc uſu venit, divaricare quidem, ut ingredientes ſolent, manere tamen in eodem loco. Item alius viſus videre a pedibus defluentem aquam: is quoque in antliam damnatus eſt facinorum cauſa.* Etiam Suet. Tib. c. 51. n. 6. *Uno ex his equeſtris ordinis viro, & in antliam condemnato.* Turneb. Adv. XIV. 17. Pith. Lipſ. & Voſſ. l. l. Rigalt. in Artemidorum. Caſaub. & Pitiſc. in Suetonium.

ANTONACUM, *Antonaco*, *Autunaco* eſt oppidum ad Rhenum, vulgo *Andernach* dictum, in Treviris ſitum. *Pancirol. Notit. dignit. imp. occid. c.* 88. *Cluver. German. Antiq.* II. 14.

ANTONIA gens. V. illam infr. in *Gens.*

ANTONINIANA aqua. V. illam infr. in *Aqua.*

ANTONINIANÆ talares caracallæ dictæ ſunt, ab *Antonino*, ſicut ille a veſte Caracalla dictus eſt, quia talares caracallas, cum antea non eſſent, fecit *Antoninus.* Ferrar. de Re veſt. II. I. 28. V. infr. in *Caracalla.*

ANTONINUS Caracalla. V. illum infr. in *Caracalla.*

Antoninus Geta prandia per ſingulas literas juſſit ſcientibus, ſive literas ſaltem leviter edoctis ſervis, velut in quo erat anſer, aprugna, anas: item pullus, perdix, pavus, porcellus, piſcis, perna, & quæ in eam literam genere edulium caderent. *Buleng. de Conv.* I. 9. Illatus eſt in majorum ſepulcrum, hoc eſt, Severi, quod eſt in Appia via euntibus ad portam dextram. *Moreſtell. Pomp. Feral.* III. 2.

Antoninus Pius die 25 Februar. an. 138. a nato D. Jeſu ab Adriano adoptatus, tribunitiam poteſtatem, ac imperium proconſulare cum titulo Imperatoris, ac Cæſaris ſimul accepit teſte Capitol. c. 4. cui dicitur *factus patri, & in imperio proconſulari, & in tribunitia poteſtate collega.* Id ipſum oſtendit inſcriptio apud Gruter. p. 256. n. 4. ubi *Antoninus*, vivente Adriano, appellatur Cæſar, tribunitiæ poteſtatis, ac conſul:

IMP. ÆLIO. CÆSARI
ANTONINO
IMP. TRAJANI. HADRIANI. AUG.
PONT. MAX. TRIB. POT. XXII.
IMP. II. COS. III. P. P. FILIO
DIVI. TRAJANI. PARTH. N.
DIVI. NERVÆ. PRONEPOTI
TRIB. POTEST. COS
VIATORES. QUI. CÆSARIB.
ET. COS. ET. PR. APPARENT. ET
H. V.

Proſtant nummi inſcripti. T. ÆLIUS. CÆSAR. ANTONINUS, & in poſtica: TRIB. POT. COS. PIETAS: in aliis CONCORDIA SC. in quibus non inſcribitur AUG. nec P. M. nec denique P. P. quia unus tantum tum ſuperſtes Adrianus eos titulos ferebat, quamvis *Antoninus* tribunitiæ poteſtatis particeps ibidem appelletur. *Noriſ. Epiſt. conſul. Theſ. Antiq. Roman. Græv. Tom.* XI. *p.* 447. *D.* Imperii initium fuit VI. Idus Julii, in quo mortuo Adriano omnes imperii titulos & inſignia, excepto patris patriæ cognomine, quod diſtulit, ſuſcepit. Capitolin. c. 6. *Patris patriæ nomen delatum a ſenatu, quod primo diſtulerat, cum ingenti gratiarum actione ſuſcepit.* Panvin. Faſt. II. p. 224. Pontificis maximi titulo non antequam defuncto patre eſt uſus. Id docent nummi, & inſcriptiones, in quibus jam Imperator Auguſtus, at ab ipſo anno tribunitiæ poteſtatis III. ad XIII. uſque, quo imperium accepit, aut pontifex ſimpliciter dicitur, aut una cum patre memoratur, non æque ut ille, P. M. vocatur. *Boſius de Pontif. Max. imp. Roman. c.* 2. §. 16. Apud Lerium in villa ſua duodecimo ab Urbe milliario mortuus eſt anno vitæ 72. aliis 77. *Proſper Chronic. Theſ. Antiq. Roman. Græv. Tom.* XI. *p.* 293. *C. Vignol. Diſſert. de Columnn. Anton. Pii. c.* 1. De annis imperii, & vitæ variantes ſunt auctorum ſententiæ. Capitol. c. 12. dicit *periiſſe anno ſeptuageſimo.* Qui numerus convenit cum Faſtis Siculis: nam a duodecimo conſulatu Domitiani, quo Pium natum dicit Capitol. c. 1. uſque ad conſules Braduam & Verum, quibus idem denatus dicitur, anni ſunt ſeptuaginta. *Salmaſ. in Capitolinum.* V. tamen, ſi placet, *Panvin. ibid. p.* 229.

229. Quare Pius fuerit dictus. V. infr. in *Pius*.

ANTONIOS ab *Antone* Herculis filio, aut ſocio originem duxiſſe auctores quidam referunt. Is erat illorum temporum error: ut ſuæ nobilitatis principes aut in deos, aut in heroas deorum nothos filios referrent. *Auguſtin. de Famil. Roman. in Antonia.*

Antonius Cajus, Triumviri frater, legatus Cæſaris in bello civili, contra Pompejanos rem gerens, in Illyrico cum quindecim cohortibus in poteſtatem hoſtium venit, fame expugnatus. Prætor M. fratre Conſule miſſus in Macedoniam, ut Senatus decretum, quo ipſi provincia conceſſa, & exercitus attributus erat, perferret, etſi ſumma celeritate contendebat, præventus tamen eſt a M. Bruto, qui Macedoniam adeptus, tradente Hortenſio, *Antonium* cum copiis, quas habebat, deditionem facere coegit. Primum quidem honorifice habitus, manentibus etiam magiſtratus inſignibus, poſteaquam exercitum ab illo ſollicitari cognitum eſt, cuſtodiri præcipitur. Ad poſtremum vulgata Triumvirorum proſcriptione ſupplicio punitur. *Glandorp. Onomaſt. Roman. p.* 80.

Antonius Lucius, Triumviri frater, Conſul fuit cum P. Servilio Vatia Iſaurico, anno ab U. C. 712. Kalend. Januar. triumphum egit ex Alpibus. Cenſor fuerat anno proximo cum P. Sulpicio Quirino. *Auguſtin. de Fam. Rom. in Antonia.* Acto triumpho, ſumpta defenſione colonorum, quorum agri militibus dividebantur, bellum excitavit, & pleriſque fruſtra tentatis Peruſiam ſe contulit. Ibi clauſum obſidione, & aliquoties eruptione facta repulſum, Cæſar ad deditionem venire fame coegit. Peruſia diruta, Lucius aliquanto poſt ob gratiam fratris dimiſſus eſt. De exitu ejus auctores nihil quicquam prodiderunt. *Glandorp. Onomaſt. Roman. p.* 81. 82. *Noriſ. Cenot. Piſan. Diſſert.* II. *p.* 134. 135.

Antonius Marcus *Antoniæ* familiæ florente republica princeps fuit. Prætor de piratis triumphavit anno ab U. C. 651. Conſul triennio poſt cum A. Poſtumio Albino, Cenſor biennio ſequenti cum L. Valerio Flacco, occiſus eſt a L. Cinna Conſule anno ab U. C. 666. *Auguſtin. de Famil. Rom. in Antonia.*

Antonius Marcus prioris nepos Quæſtor Caji Cæſaris in Gallia, poſtea Augur creatus eſt, ac paullo poſt Tribunus plebis C. Claudio Marcello, L. Lentulo Coſſ. anno ab U. C. 704. partes Cæſaris acriter defendens confugit ad ejus exercitum. Biennio poſt Cæſari Dictatori Magiſter Equitum fuit, & in quinto conſulatu, tertio deinde anno collega. Occiſo Cæſare Triumvir Reipublicæ conſtituendæ in quinquennium cum M. Æmilio Lepido & C. Julio Cæſare hærede Dictatoris factus eſt. Brutum & Caſſium interfectores Cæſaris perſecutus. Ovans Urbem eſt ingreſſus. Iterum renovatus eſt triumviratus in quinquennium, mox Conſul iterum factus cum L. Scribonio Libone anno ab U. C. 719. ipſis Kalendis Januariis abdicavit. Deſignatus tertio Conſul in annum 722. hoſtis a Cæſare judicatus non iniit, tandemque cum Cleopatra Ægypti Regina, ex qua liberos ſuſceperat, eodem anno apud Actium victus ſeipſum interemit annos cum natus eſſet 56. ſive 53. *Auguſtin. de Famil. Roman. in Antonia. Glandorp. Onomaſt. Roman. p.* 77—80. *Noriſ. Cent. Piſan. Diſſert.* I. *p.* 50. 51: II. *p.* 137. 138. 139. 158. In *Antonii* nummis ab una parte effictum caput *Antonii* in corona hederæ M. ANT. IMP. COS. DESIG. ITER. ET. TERT. ab alia caput muliebre ciſtæ impoſitum inter duos dracones cum inſcript. III. VIR. R. P. C. Si hoc caput muliebre galeatum eſt, eſt caput Minervæ, quæ cor Liberi patris a Titanibus occiſi ciſtæ incluſit. Si ſine galea, Cleopatræ aut Dianæ Britomartidos. In aliis ab una parte expreſſæ ſunt imagines *Antonii* & Cleopatræ cum inſcriptione M. ANT. IMP. COS. DESIG. ITER. ET TERT. Ab altera III VIR. R. P. C. & duo ſerpentes impliciti, ac ciſta myſtica, & figura muliebris ei inſiſtens; quæ urceum dextra, ſiniſtra haſtam puram tenet. Urceum manu tenet, ob Auguratum *Antonii*, aut Sacerdotium D. Julii. In Creta hi nummi in honorem *Antonii* ſignati ſunt, quia pater ejus Creticus cognominatus eſt, & *Antonius* etiam Cretam inſulam liberam eſſe voluit. *Ruben. Diſſert. de numm. Aſia recepta. Theſ. Antiq. Roman. Græv. Tom.* XI. *p.* 1375. D.E.F. *Antonii* expenſæ in cœnam ſolitæ conferri, ſola unionis a Cleopatra uxore conſumpti, æſtimatione ſuperatæ ſunt. Nam cum *Antonius*, quicquid mari, aut terra, aut etiam cœlo gigneretur, ad ſatiandum ingluviem ſuam natum exiſtimans, faucibus ac dentibus ſuis ſubderet, eaque re captus de Romano imperio facere vellet Ægyptium regnum, Cleopatra uxor, quæ vinci ab Romanis nec luxuria dignabatur, ſponſione provocavit inſumere poſſe in unam cœnam HS centies. *Buleng. de Conv.* I. 9. V. plura infr. in *Cleopatra*.

ANTRA olim erant domicilia paſtorum. In illis, veluti in legitimo domicilio cubabant, & in illis ſuum penum habebant. Virg. Ecl. I. 74.

Non ego vos poſthac viridi projectus in antro
Dumoſa de rupe procul pendere videbo.

n. 80.

Hic tamen hanc mecum poteris requieſcere noctem
Fronde ſuper viridi: ſunt nobis mitia poma,
Caſtaneæ molles, & preſſi copia lactis.

Nann. Miſcell. VI. 2. Nymphis ſacrari ſolebant, & illa, ut numina ſua templa, nymphæ incolebant. *Turneb. Adv.* XII. 12. *Barth. Adv.* VII. 10. Unde ἀντροχαρεῖς πήλυγξι κεχαρμέναι, hoc eſt, antricolæ, & ſpecuum cives indigitantur. Nec temere quævis *antra* colebant, ſed fontium, & aquarum ſcatebris irrigua. Hinc Orpheus:

Qui liquidas habitant ſub terræ anfractibus ædes.

Et Virg. Æneid. I. 170. Libycum illud *ſcopulis pendentibus antrum*, quod intus aquæ dulces ſcaturirent, *nympharum domum* appellat n. 172. eam enim ob cauſam Hydriades, & Ephydriades vocatæ. Pegæas quoque, & Najadas a ſcaturiginibus fontibusque quibus præſunt, nomen adeptas teſtatur Porphyrius, neque aliunde Crenææ appellatæ. Sed nec Oreadas, & Napæas hoc loco excluſerim,

Quæ petræ per celſa, abruptaque teſqua vagantur.

Ut cecinit Homer. hymn. XVIII. 4. Montium enim prærupta, & cavernoſa, quæ Græci ſunt νάπαι, Oreſtiades & Napææ frequentare credebantur. Ædiculas autem Nymphis ad aquarum capita, fonteſque poſitas, vel unum hoc nos docet epigramma Uticenſe apud Gruter. p. 93. n. 9.

Sextus Pompejus Primus cognomine Pardus,
Quojus & hoc abavis contigit eſſe ſolum,
Ædiculam hanc Nymphis poſuit: quia ſæpius uſus
Hoc ſum fonte ſenex tam bene quam juvenis.

Holſteen. in Nymph. Theſ. Antiq. Roman. Græv. Tom. IV. p. 1800. C. diis inferis etiam deſtinata erant. *Tomaſ. de Donar. c.* 5. *Gyrald. Synt. deor.* XVII. *p.* 475. *F.* Ab omni antiquitate gentiles *antris* religionem quandam, & venerationem adſcripſerunt; & vetuſtiſſimi, ante exſtructa templa, ea numinibus conſecrarunt. Origo refertur ad Zoroaſtrem, qui naturalem ſpeluncam, ac fontibus ſcatentem rerum omnium auctori, & parenti conſecraverit Mithræ. Ejuſque exemplum alii imitati, vel a natura, vel in manu factis *antris* ſacra peregerunt. *Cuper. Apoth. Homer. p.* 31.

Antrum Caci. V. illud infr. in *Spelunca*.

Antrum Cyclopis fuit in Urbis regione ſecunda, ſive monte Cœlio. *Marlian. Topogr. Urbis Rom.* IV. 12. *Barth. Adv.* VI. 12. Forſan vicus aliquis hujus regionis fuit, cui ab aliqua pictura, vel ſculptura nomen id obvenerit, publice ibidem expoſita, in qua Cyclops cum antro ſuo exhibitus. *Nardin. Rom. vet.* III. 7. Prope hunc locum forte fuit vicus Cyclopis, de quo in inſcriptione: *Curtilius. Hermeros. fecit. ſibi. &. Curtiliæ. Atthidi. conjugi. ſuæ. cariſſimæ. &. libertis. libertabusque. ſuis. poſteriſque. eorum. magiſter. vici. ab. Cyclopis. region. primus. faber. argentarius.* Panvin. Deſcript. Urb. Rom. Theſ. Antiq. Roman. Græv. Tom. III. p. 285. A. *Magiſter vici ab Cyclopis* non indicant vicum dictum eſſe Cyclopis: at hoc

inde

inde erui potest, ab *antro* Cyclopis vicum inchoatum, cujus Curtilius magister fuit; tum & *antrum* Cyclopis in confiniis regionis primæ fuisse, cujus ille vicus fuit, ideoque in parte illa secunda, quæ portæ Capenæ proxima fuit. *Nardin. l. l.*

Antrum Egeriæ, quod Numa solebat frequentare, quamvis verus ejus hoc tempore ignoretur situs, haud longe extra portam fuerit Capenam, quæ tunc admodum mediæ Urbi erat vicina. Crescente deinceps sub consulibus civitate, & promotis ad decimum lapidem mœnibus, & portis Urbis, simul quoque migravit fons, & *antrum* Egeriæ ad decimum quintum lapidem. Ariciam quippe omnia hæc fuere translata ad nemus Dianæ. Egerius, sive Manius, sive Bœbius primus e Romanis sacerdotibus tractum hunc consecravit. Festus in Manius. *Voss. de Magnit. Rom. Vet. c.* 4. Supra solidam rupem, fundumque saxosum amplissima crypta fontibus irrigua reperitur, quam ego Egeriæ olim *antrum* fuisse conjicio; & in hunc usque diem locus vulgo Gerulo vocatur, nomine ab Egeria non procul remoto. *Kircher. Lat. vet. & nov.* II. I. 7.

Antrum Fauni & Pici in monte Aventino fabulantur fuisse, fontemque ex quo biberunt. Hinc Ovid. Fast. III. 295.

Lucus Aventino suberat niger ilicis umbra,
Quo posses viso dicere, numen adest.
In medio gramen, muscoque adoperta virenti
Manabat saxo vena perennis aquæ.

Marlian. Topogr. Urb. Rom. IV. 5.

ANX.

ANXUR Volscorum lingua dictum est. Condita fuit urbs in scopuloso, ac præcipiti vertice montis, in quo nunc quoque ingentes conspiciuntur antiquæ fabricæ reliquiæ, figura quadrata. Pars tamen urbis jam olim sub monte in plano fuit sita, ubi hodierna visitur urbs. Vocabatur quoque *Tarracina*, *Terracina*, *Terracena*, antea Τραχίνη quoque ab ipsa re, id est, aspera ab asperitate scopuli, in qua condita. Coloniam eo deduxerunt Romani L. Æmilio Mamercino, & C. Plautio Deciano consulibus an. 425. ante natum D. Jesum 326. *Panvin. Imp. Rom. c.* II. *Cluver. Ital. ant.* III. 7. 12. *Leand. Descript. Ital. p.* 204.

APA.

APAMENA fuit urbs Bithyniæ. Plin. V. 32. *Intus in Bithynia colonia Apamena.* Ulpian. l. 1. ff. de censu. *Est & in Bithynia colonia Apamena.* Ubi deduxisse Severum videtur innuere Ictus coloniam jure Italico ipsi concesso. In notis Romanorum *col. Jul. conc. Apam.* id est, colonia Julia concordia Apamenorum. *Ursat. de Not. Roman. Thes. Antiq. Roman. Græv. Tom.* XI. *p.* 632. *B.*

APE.

APELLES *quatuor tantum antiquis coloribus, albo, siliceo, rubro, & nigro nobilissima quæque opera pinxit.* Plin. XXXV. 7. Postea inventa purpura, cinnabaro, aliisque coloribus, ars latius evagari cœpit. *Pancirol. Notit. dignit. imp. orient. c.* 38.

APER primæ mensæ fuit caput. *Buleng. de Conviv.* II. 3. Caro *aprugna* frequentissima mensis, ut parum lautus hospes haberetur, qui convivis suis illam non apposuisset. Deinde gliscente luxu, quasi conviviorum furor portionibus expleri non potuisset, integros *apros* inferre cœperunt. Id primum a Rullo factitatum protinus in mores ivit. Plin. VII. 51. *In tres partes diviso media ponebatur lumbus aprugnus appellata. Solidum aprum Romanorum primus in epulis apposuit P. Servilius Rullus, pater ejus Rulli, qui Ciceronis consulatu legem agrariam promulgavit.* Quam seculi sui labem satyrico sale perfricat Juven. Sat. I. 140.

—— quanta est gula, quæ sibi totos
Ponit apros, animal propter convivia natum.

In Tiberii Imperatoris parcimonia, & sordibus habet Suet. c. 34. n. 3. quod *dimidiatum aprum apponeret, affirmans omnia eadem habere quæ totum.* Imo plures apponebantur, *bini ternique*, ut addit Plinius. Verum M. Antonius triumvir teste Plutarch. p. 928. B. octo *apros* duodecim tantum convivis in cœnam unam paravit. Majus est, quod Athen. IV. pag. 130. recensens celebre convivium Carani Macedonis, ad quod viginti convivæ vocati fuerunt, dicat, unicuique convivæ integrum *aprum* appositum: *Apri Erimanthei cuique circumferebantur, in quadratis lancibus auro præcinctis, argenteis jaculis transfixi.* Castell. de Esu carn. III. 2. Nonn. de Re cibar. II. 8. Alex Gen. dier. V. 21. Lips. Poliorc. IV. 1. Buleng. de Conviv. II. 24. Pancirol. Notit. dignit. imper. occid. c. II. Kobierzyck. de Luxu Roman. II. 12. Bruyer. de Re cibar. XIII. 3. Milliarii dicebantur a ponderibus, quod *mille librarum* fuerint. Varr. de Re rust. III. 2. *Num pluris nunc tu e villa illic natos verres lanio vendis, quam hic apros milliarios emis?* Senec. Epist. 110. *Non magnam rem facis, quod vivere sine regio apparatu potes? quod non desideras milliarios apros?* Alex. Gen. dier. III. 22. Rhodig. Ant. Lect. XXVIII. 39. Muret. in Senecam. Non juste tot semper fuerint librarum. Sed sic dicti, quod grandes, & saginati. Non enim semper feri & sylvestres, nec ullæ sylvæ totius Europæ fuerint ad quotidianos hos *apros.* Commenti sunt huic rei *apros* quosdam rure, & in villis habere, quos fœtura propagabant, & saginabant deinde ad culinam. Tales dicuntur *altiles* Juven. V. 114.

Altilis, & flavi dignus ferro Meleagri
Fumat aper.

Pasti Mart. IX. 90. 4.

E cavea fugiat ne male pastus aper.

In palæstra cibum capiebant, & glans e loco superiore illic offundebatur. Varro: *Vidistis ad buccinam inflatam certo tempore apros, & capreas convenire ad pabulum: cum e loco superiore in palæstram apris effunderetur glans.* Inde aper palæstrita Mart. III. 82. 20.

—— & concubinis
Partitur apri glandulas palæstritæ.

In longis, firmisque verubus assabantur. Martialis XIV. 221.

Parva tibi curva craticula sudet ofella,
Spumeus in longa cuspide fumet aper.

In grandibus quadratis lancibus apponebantur. Athenæus supra laudatus. Et pomis, glandibus, aut strue tali fructuum cingebantur. Quid ut indicarent captos in sylvis esse? an stragem hanc talem dedisse? Verba quidem Senec. de Provid. c. 4. *Ingenti pomorum strue cingeret prima formæ feras, captas multa strage.* Nonn. de Re cibar. II. 8. Lips. Poliorc. IV. dial. 1. Effigies *apri inter militaria signa locum obtinebat, quia, confecto bello, inter quos pax fieret, porca cæsa fœdus firmari solebat: a quo qui resiliret, non aliter ac porca lapidibus crudeliter obruta necaretur.* Festus in Porcus. *Salmuth in Pancirol. de Reb. deperd. & inv. pag.* 590. *Lips. de Milit. Rom.* IV. 5. *Stewech. in Veget.* II. 6. *Lyd. de Re milit. Roman.* III. 7.

APERTIONES templorum. V. illas in *Templum.*

APEX est fastigium, & summum aliquod alicui rei additum. Ex *apex* vocabatur pileus sacerdotum sutilis, in coni formam fastigiatus, sive ad modum galeri militaris factus, qui in summo fastigio virgulam fixam habebat, circa quam filum lanæ albæ religatum erat: a qua pileus ipse *apex.* Val. Max. I. 1. 4. *At Sulpitio inter sacrificandum apex prolapsus eidem sacerdotium abstulit.* Lucan. I. 604.

Et tollens apicem generoso vertice flamen.

Apice non nisi flaminibus uti permissum erat, ut nunc mitra episcopis. Serv. Æneid. X. 270. *Dicitur apex virga, quæ in summo pileûm flaminum lana circumducta, & filo conligata erat: unde etiam flamines vocabantur. Hoc autem nomen a veteribus tractum est: apere enim veteres ritu flaminum alligare dicebant; unde apicem dictum volunt.* Quod primum

primum *constat apud Albam Ascanium constituisse.* Serv. Æneid. II. 683. *Panvin. de Civit. Roman. c.* 22. *Scalig. Conject. Varr. p.* 37. *&* 125. *Ruben. Elect.* II. 25. *Saubert. de Sacrif. c.* 10. *Salmuth in Panciról. de Reb. deperd. & inv. p.* 354. *Thys. in Gell.* x. 15. *Cuper. Homer. Apoth. pag.* 139. *Turneb. Adv.* XXIX. 31. *in Cicer. de Leg.* I. *pag.* 14. *Laurent. Sacr. gentil. c.* 2. *Guthberl. de Saliis c.* 11. *Kipping. Antiq. Rom.* I. 12. §. 6. Alias pileum Epiroticum, sive Albanum vocari ferunt. Græci πίλημα πυργωτὸν & κυρβασίαν appellant. Alii flamines *apicem* duntaxat sacra obeuntes gestabant, flamen Dialis eum semper gerebat, sub dio existens; nam sub tecto liberum erat pileum deponere. Imo necessarium erat flamini morituro illum deponere, ne insigne sacerdotii esset inter feralia. *Soler. de Pil. sect.* II. Hunc amentis, qui offendices dicebantur, sub mentum reductis religabant, cum ne excideret capite; nudo enim capite illos esse erat nefas, tum ut pone pendere pro libito posset ac regeri. *Soler. & Turneb. l. l.* In illo erat virga. V. illam infr. in *Virga.*

Apex in galea dicebatur τὸ παράσημον, & eminentia, quam Græci conum vocant, in qua eminent cristæ. Virg. Æneid. XII. 492.

—— apicem tamen incita summum
Hasta tulit.

Ad quem locum Servius: *Galea, id est, eminentia, quam Græci conum vocant, in qua eminent cristæ.* Salmas. Exerc. Plin. p. 385. F.

APEXABO est intestinum sanguine junctum. Arnob. VII. p. 229. *Quid sibi hæc volunt, apexabo . . . . . quæ sunt nomina, & farciminum genera, hirquino alia sanguine, comminutis alia inculcata pulmonibus.* Putean. Reliq. conviv. prisc. Thes. Antiq. Roman. Græv. Tom. XII. pag. 256. D. Voss. Lex. Etymol. Nonn. de Re cibar. II. 14.

APH.

APHRACTA respectu armaturæ appellabantur naves quædam intectæ, & apertæ, quæ ad longas pertinebant, quia erant sine catastromatis: & in prora tantum, puppique habebant quasdam tabulas, in quibus stabant pugnaturi. Cicer. Attic. VI. 8. *Nos Rhodiorum aphractis, ceterisque longis navibus tranquillitates aucupaturi eramus.* Scheffer. de Milit. nav. II. 2. Calcagn. de Re naut. c. 14. Gyrald. de Navig. cap. 18. Tiraquell. in Alex. Gen. dies IV. 2.

APHRONITRUM erat *nitri* spuma tenuior. Illo in balneis antiqui cutem detergebant. Mart. XIV. 58.

Rusticus es, nescis quid Græco nomine dicar:
Spuma vocor nitri, dicor & aphronitrum.

Bacc. de Therm. vet. c. 16. Voss. Lex. Etymol.

API.

APICÆ erant vestes sine villis. *Calcagn. Quæst. Epist.* III. 1.

APICULUM erat *filum, quo flamines velatum apicem gerunt.* Festus. Forte caligarunt exscriptorum oculi. Servius enim ait *Apiculum esse, quo flamines velatum caput gerunt.* Dicit caput eo velari, non ipsum apicem. Et referri possit ad ea quæ idem alibi. *Flamines in capite pileum habebant, quod cum per æstus ferre non possent, filo tantum capita religare cœperunt; nam nudis penitus capitibus incedere nefas erat.* Dionysius etiam huc respexisse videtur, cum scripsit lib. II. p. 124. flamines gestasse πιλωτὰ καὶ στέμματα, *pileos & filamenta.* Ruben. Elect. II. 25.

APINARII, vel apenarii erant gladiatores, qui in arena ferro ad vulnera, & necem usque pugnabant. Explicationis ratio est, quod Græce ἀπηνὴς, sævus, crudelis, immanis, dicatur, quales fuisse gladiatores non dubitandum. Unde Cyclopum actionibus monstrandis maxime convenientes, quos Phurnutus tradit Neptuni filios vocatos, quod violenti, & audacioris animi essent. Verum ego hanc vocem non modo ad animi immanitatem, sed & corporis referendam censeo, siquidem *apenarios* fuisse corpore vasto, & ingenti puto, nam immane & magnum significat vox Græca. Ita ut *apenarii* non modo essent gladiaturam exercere soliti, & ideo inhumani, sed & corpore suetam & communem hominis staturam valde excedentes. *Donat. Dilucid. in Treb. Pollion. p.* 996. Sunt aurigæ & carrucarii, qui mulocisiarii dicuntur in Glossario Græcolatino. Nam ἀπήνη currus est asinis, aut mulis instructus. *Meurs. Glossar. Græcobarb.* Ἀπήνην, genus esse vehiculi, aut rhedæ sciebam: sed Ἀπηνάριον Græcis rhedarium dici, & Latinis *apenarium:* ita me Deus amet nesciebam: & adeo mea mihi blanditur ignorantia & inscitia, ut adhuc nescire velim. Non daret hoc alius certo scio. Sed tamen hoc Meursio demus, ἀπηναρίους esse mulocisiarios, quis & illud poterit concedere, Trebell. Pollion. Gallien. c. 8. ubi scribit, *Cyclopea etiam luserunt omnes apenarii*, de carrucariis & aurigis esse accipiendum? *Apinarii* itaque sunt scurræ, vel ludii, qui moribus & gestibus fabulas & historias desaltabant in scena, & varia miraque in illo genere ostendebant, ut hi *apinarii*, qui Cyclopea luserunt, & totam illam Cyclopis fabulam expresserunt, ab *apinis* dicti. *Apinæ* sunt ineptiæ & garrulitates, & id genus alia facetiæ leporesque, dicta ridicula & nugatoria. Græci ἀφάνας dicunt, ut Φ in p Latinum mutetur. *Apenarii* scriptum in omnibus libris pro *apinarii.* Sic *apenas* pro *apinis* scribebant, ut patenas pro patinis, & Catena non raro in veteribus libris pro Catina urbe legitur. Sic legulam pro ligulam sæpe libri exhibent. *Salmas. in Trebell. Pollion. l. l. Buleng. de Theatr.* I. 42. Sane simpliciora hæc, &, ut puto, veriora. Quid enim gladiatoribus, aut carrucariis cum Cyclopum ludo. At ut Cyclopem saltarent mimi ac sanniones plane conveniens erat. *Voss. Lex. Etymol.*

APICII tres fuerunt artis coquinariæ studiosi. Primus is qui vixit anno ab U. C. 649. centum annis ante Tiberium cum Rutilio Rufo. Alter sub Tiberio vixit, Senec. ad Helv. c. 10. *Apicius nostra memoria vixit. In ea urbe, ex qua aliquando philosophi, velut corruptores juventutis, abire jussi sunt, scientiam popinæ professus, disciplina sua seculum infecit: cujus exitum nosse operæ pretium est. Cum sestertium millies*, nostro more, & sermone duos milliones & semis, *in culinam congessisset, cum tot congiaria principum, & ingens Capitolii vectigal singulis comessationibus exsorpsisset; ære alieno oppressus, rationes suas tunc primum coactus inspexit, superfuturum sibi sestertium centies computavit: & velut in ultima fame victurus, si in sestertio centies vixisset, veneno vitam finivit.* Idem Dio LVII. p. 616. B. Athen. I. p. 6. A. *Tiberii seculo vixit Apicius vir ditissimus, luxu solutus, a quo complura placentarum genera Apicia nominant.* De hoc etiam Mart. III. 22.

Dederas, Apici, bis tricenties ventri,
Sed adhuc supererat centies tibi laxum.
Hoc tu gravatus, ne famem, & sitim ferres,
Summa venenum potione duxisti.

Tertius sub Trajano. Athen. I. p. 6. D. *Trajano Imperatori, cum apud Parthos esset, procul a mari dierum permultorum itinere, Apicius recentia misit ostrea, sua diligentia, sapientiaque servata.* Quartum addo, quem post ætatem Commodi vixisse oportet, cum encyclorum Commodianorum in libris suis de arte coquinaria meminerit. *Buleng. de Conviv.* IV. 9. *Rhodig. Antiq. Lect.* IX. 11. *Lips. in Senecam. Rader. in Martialem. Casaub. in Athenæum. Bruyer. de Re cibar.* III. 2.

APIS. Illam in augurio etiam receperunt veteres. Cum enim Platoni in cunis dormienti parvulo *apes* in labellis consedissent, responsum est illum suavitate orationis fore præclarum. *Niphus de Augur.* I. 10. *Apum* qua puritatem, qua industriam ita deorum sacris convenire existimavit antiquitas, ut non unam duntaxat flaminicam Cereris, sed & alias quarumcunque deorum dearumque sacerdotes Melissas appellarint. Cum vero Nympharum sacra non aliter constare sciret veteris picturæ Nymphæum repræsentantis pictor, ædis vestibulo *apiculam* appinxit, veluti Nympharum flaminicam, sive æedituam, ad templi

ſores obſervantem. *Holſteen. Comm. in Nymphæum Theſ. Antiq. Roman. Græv. Tom.* IV. *p.* 1101. *A. B.*

Apis Rex fuit Argivorum navibus tranſvectus in Ægyptum, Memphim in Ægypto condidit. *Euſeb. de Præp. Euang.* X. 12. *Auguſtin. de Civ. Dei* XVI. 5. *Tomaſ. de* [illegible] XII. 35. *Bargæus de Obeliſc. Theſ. Antiq. Roman. Græv. Tom.* IV. *p.* 1910. *A.* Qui facta fame Ægyptiis [illegible] præbuit. Eo defuncto templum conſtituerunt, in quo bos nutriebatur, & numinis vice colebatur. Inſigne ei in dextro latere candicans macula, cornibus lunæ creſcere incipientis. Nodus ſub lingua, quem cantharum appellant. Non eſt fas eum certos vitæ annos excedere, merſumque in ſacerdotum fonte enecant, quæſituri luctu alium vitulum priori perſimilem, quem ſubſtituant: & donec invenerint, mœrent, deraſis etiam capitibus: nec tamen unquam diu quæritur: inventus deducitur Memphim a ſacerdotibus. Reſponſa privatis dat, e manu conſulentium cibum capiendo. Plin. VIII. 46. Diodor. Bibl. I. pag. 154. A. Euſeb. Præp. Euang. II. 1. *Gyrald. Synt. Deor.* VI. *pag.* 199. *Panciroll. De*[illegible] *Urb. Rom. Theſ. Antiq. Roman. Græv. Tom.* III. *pag.* 311. *F.* 312. *A.* [illegible] Græca lingua Ἔπαφον fuiſſe vocatum ſcribit Herodot. II. [illegible]: III. 195. *Bargæus de Obeliſc. ibid. pag.* 1919. *F.* Hunc vero ſermonem, ut [illegible] tradit Ælian. de Anim. XI. 10. *Voſſ. de Idolol.* I. 29. *Gyrald. Synt. Deor.* VI. *p.* 200. Symbolum fuiſſe Joſephi Pa[illegible]æ pluribus, quam quæ hæc charta capiat, contendit *Voſſ. l. l.*

APIUM *in defunctorum epulis feralibus dicatum* exiſtimatur, quod ad cibos alios admittendos omnino nefas. Plin. XX. 11. ea forte de cauſa, quod eos, qui ederent, ſterileſcere mares, feminaſque faciat. Viſus quoque claritati ſit inimicum. Plinio illuſtrando facit illud Arnob. V. p. 169. *Oblivioni etiam Corybantia ſacra donentur, in quibus ſanctum illud myſterium traditur: frater trucidatus a fratribus, interempti ex ſanguine apium natum, prohibitum menſis olus illud apponi, ne a manibus mortui inexpiabilis contraheretur offenſio.* Guther. de Jur. man. II. 12. Kirchman. de Funer. IV. 7. Tomaſ. de Donar. c. 37. Moreſtel. Pomp. Funeb. IX. 2. Alex. Gen. V. 26. Stuck. Ant. Conviv. I. 26. Ex *apio* coronæ in conviviis olim fuerunt uſitatæ. Horat. Od. I. 36. 15.

Non deſint epulis roſæ,
Neu vivax apium.

Et Pompejum Varum, cujus inſperato reditu exſultabat, adventitia cœna excepturus cum eſſet, ex *apio* coronas fieri juſſit Od. II. 7. 24.

—— *quis udo*
Deproperare apio coronas
Curatve myrto?

Et tamen Nicolaus Leonicus de var. hiſt. I. 24. dicit veteres ex omnibus fere herbis, floribuſque ſerta nectere conſueviſſe, præterquam ex *apio.* Hoc autem ideo, quia Duris Samius in iis, quos de certaminibus ſcribit, commentariis, quoniam lugubre eſt *apium*, & luctibus magis, quam hilaritati conveniat. Abſit nihilominus a nobis hæc audacia, ut elegantiſſimum, & eruditiſſimum poetam in eo peccaſſe dicamus. Habet enim hyperaſpiſtem in his rebus ſane valentem, ac ſtrenuum, Anacreontem, cujus hæc ſunt:

Ἐπὶ δ' ὀφρύσι σελίνων στεφανίσκους
Θέμενοι θάλειαν ἑορτὴν ἀγάγωμεν Διονύσῳ.

Muret. Var. Lect. XVI. 18. *Stuck. Ant. Conv.* III. 16. *Paſchal. de Coron.* VI. 26. *Laurent. de Agyrt. c.* I. Viridi in agonibus Nemæis fiebant victoribus. Plin. XIX. 8. *Hoc* [illegible], apio, *in Achaja, coronare victores ſacri certaminis Nemeæ.* Cauſas, ſi non poſſum veras, veriſimiles dicam. Invenio Nemæas equas Junonis, a quibus ibi paſcentibus loco nomen inditum, *apio*, cujus ibi copia erat, fuiſſe paſtas. Invenio quoque Danaum, qui Nemæam poſſedit, cum filias elocaret, certamen decurrentem oſtendiſſe procis metas, in quibus provenerat *apium*, quod excerpſit is, qui curſu cæteris anteverterat. Ergo *apium*, quod quidem ſymbolum fuit illius victoriæ, manaſſe ad poſteros. *Paſchal. l. l. Faber Agon.* II. 23. *Pius Annot. prior. c.* 11. *Victor. Var. Lect.* VII. 16. *Stuck. Ant. Conv.* III. 16. *Argol. in Panvin. de Lud. circenſ.* I. 3. *Laurent. l. l. Dalechamp. in Plinium. Potter. Archæol. Græc.* II. 24. Arido in Iſthmiis victores donabantur. Callimach. apud Plutarch. Sympoſ. V. 3.

Et ipſum, apium, *Aletidæ, multo hoc antiquiorem*
Apud Neptunum deum celebrantes ludum,
Ponent victoriæ ſymbolum Iſthmiacæ,
Æmulatione Nemeaeorum: pinum autem rejicient,
Quæ antea athletas coronavit in Ephyra.

Et Timoleon boni de victoria ominis loco ſe accipere militibus in hoſtem duci accipientibus prædicavit: quod in jumenta *apio*, ex quo Iſthmiacæ coronæ victoribus donari ſolitæ conficerentur, onuſta incidiſſent. Diodor. XVI. pag. 551. C. Plutarch. Timol. pag. 248. E. *Faber, Laurent. Dalechamp. l. l. Paſchal. ibid. c.* 27. *Potter. ibid. c.* 25. Sepulcra mortuorum coronabantur. Eſt enim *ex apio corona lugubris, & apium luctibus convenit.* Suidas. Et a militibus Timoleontis contra Carthaginenſes pugnaturi, quod illis obviam facti fuiſſent muli *apium* ferentes, pro infelici augurio habitum eſt, quia *apii* coronis ſepulcra ornare receptum ſit. Unde & proverbium eſt natum *apio egere*, qui periculoſe ægrotat. Plutarch. Timol. p. 248. D. Polyæn. Stratag. V. 12. 1. *Pius Annot. poſt. c.* 115. *Kirchman. de Funer.* IV. 3. *Guther. de Jur. man.* II. 12. Multa his reponit Mag. Miſc. II. 17. Illum evolve, & an jure his illa reponat, diſcute benevole lector.

APL.

APLUSTRE erat tabula affixa ad ſummitatem puppis ornamenti gratia, interdum in modum ſcuti, vel clypei, ut in antiquis monumentis videre eſt. Rutil. Itiner. I. 513.

Inconcuſſa vehit tranquillus apluſtria flatus.

Σανίδιον vocat vetus interpres Apollonii. *Tabulatum* interpres Juvenalis: *Apluſtre, tabulatum ad decorandum ſuperficiem navis appoſitum* ad Sat. X. 136.

Et curtum temone jugum, victæque triremis
Apluſtre.

Ex tabulis erat confectum, itaque ex iis pugnabatur. Lucan. III. 671.

Invenit arma furor, remum contorſit in hoſtem
Alter: at hic totum validus apluſtre lacertis
Avulſaſque rotant excuſſo remige ſedes.

Scheffer. de Milit. nav. II. 6. Salmaſ. Exerc. Plin. pag. 404. a. A. Quanquam non puppis tantum, ſed & proræ ornamentum hoc nomine apud Latinos veniat. Nam & Feſtus in commune ait: *Apluſtria navium ſunt ornamenta, quæ, quia erant amplius, quam eſſent neceſſaria uſu, etiam ampluſtria dicebantur.* Et quod Interpres Juven. X. 136. etiam roſtra navium ſic appellari dicit, id ad proram pertinet. Douſa ornamentum hoc in ſummitate mali collocat apud Ennium, pro ſuorum magis quam veterum temporum conſuetudine. *Scheffer. l. l.* Legi ego quoque nuper in commentariis neſcio cujus, *apluſtra* ſummas velorum partes vocari: quod cum auctoritate antiquorum non fulciatur, etiam mihi non perſuadetur. *Gyrald. de Nav. c.* 16. In *apluſtri* baculus erectus fuit, in cujus medio faſciæ ſuſpenſæ erant, tæniaque verſicoloria, quæ per aera ludebant. Pollux I. 9. 3. *Inter aphlaſta, vel* apluſtria *rectum infixum eſt lignum, quod ſtelida vocant, e cujus medio cingulum dependens faſcia appellatur.* Erat præcipuus tæniorum hujuſmodi uſus, ut ex ſitu eorum cognoſceretur ventus. Hinc apud Cicer. ad Attic. V. 12. ἀκρωτηρίων ἤρια, ut recte explicat Simon Boſius. Nam ἀκρωτήρια nihil aliud, niſi hæc ipſa inter *apluſtria* erecta cingula, ſeu vexilla. *Scheffer & Salmaſ. l. l. Calcagn. de Re naut. c.* 14.

APO-

APO.

APOBATÆ cursores quinam fuerint. V. infr. in *Parabatæ.*

APOCHA schedula est, qua creditor fatetur, sibi de pecunia satisfactum. Vulgo quitantiam vocant. Græcis ἀποχὴ dicitur. *Inter acceptilationem & apocham hoc interest, quod acceptilatione omni modo liberatio contingit, licet pecunia soluta non sit: apocha non alias quam si pecunia soluta sit.* Ulpian. I. IX. Dig. de Acceptil. *Voss. Lex. Etym. Alciat. Præterm.* I. *p.* 18. *Rhodig. Ant. Lect.* XII. 21. *Schill Nom. Phil. p.* 131.

APOCRISIARII erant responsales Magistrorum præsentalium, qui illorum nomine militum Palatinorum caussas judicabant. Ἀποκρίσεις, sive responsa dicuntur mandata Principum & Præfectorum. *Panciroll. Not. Dign. Imp. Orient. c.* 127. *Buleng. de Imp. Roman.* IV. 21.

APODYTERIUM erat principium & finis in balneo. Principium quidem, nam ibi primum se exuebant, ac vestes deponebant deputatis ibi capsariis, vel propriis pueris, qui eas servarent. Idem finis erat, eodem nimirum revertebantur, ubi antea vestimenta consignassent. *Baccius de Therm. Vet. c.* 10. A Græcis ἀποδυτήριον dicitur: a Latinis *Spoliatorium* & *Spoliarium:* a nonnullis etiam *Tepidarium* (V. infr. *in Tepidarium*) atque *Aerium.* Stuck. Ant. Conv. II. 25. Argol. in Panvin. de Lud. Circ. II. I. Frictione post peractos labores exerceri, seu recreari ibidem veteres consueverant; unde inter loca exercitationis athleticæ recensetur a Polluc. III. 30: IX. 5. *Spanhem. in Julian. Imper. Orat.* I. *p.* 17. *b.*

ἈΠΌΛΕΚΤΟΣ interdum idem qui ἐκλεκτὸς, tamen non raro qui accuratiori cura, & secundo quodam delectu ex electorum corpore selectus est. Sic *apolecti* apud Ætolos sanctius concilium, quod ex delectis constabat viris, ut interpretatur Liv. XXV. 4. *Concilium quidem universæ gentis Ætoli post dimissos Romanos non habuerunt, per apolectos autem (ita vocant sanctius concilium, quod ex delectis constat viris) id agitabant, quomodo res in Græcia novarentur.* Schel. in Polyb. Thes. Antiq. Roman. Græv. Tom. X. p. 1160. A.

ἈΠΌΛΙΔΕΣ erant, qui in opus publicum perpetuo dati, aut in insulam deportati, Romanam civitatem amiserant. Marcian. l. 17. ff. de Poenis. *Item quidam ἀπόλιδες sunt, hoc est, sine civitate: ut sunt in opus publicum perpetuo dati, & in insulam deportati, ut ea quidem, quæ juris civilis sunt, non habeant, quæ vero juris gentium sunt, habeant.* Ac inde extorres seu sine civitate habebantur. *Spanhem. ad Constitut. Antonin. Imper. Exerc.* I. *Thes. Antiq. Roman. Græv. Tom.* XI. *p.* 14. *D.*

APOLLINARES ludi. V. illos infr. in *Ludi.*

Apolinaris circus. V. illum infr. in *Circus.*

APOLLO apparens educto telo ex pharetra iratus, ac noxius credebatur, & morbos, maxime pestilentiam immittere. Unde Horat. Od. I. 21. 4. illum rogat, *ut pestem a populo, & principe Cæsare in Persas, & Britannos* ageret, & carm. sec. n. 33. Ut *condito mitis, placidusque telo* supplices pueros audiret. *Taffin. de Lud. secul. c.* 4. §. 5. Palla indutus a poetis inducitur, quia cithara canit, & palla ad citharœdos, saltatores, & tragœdos translata est. Ovid. Amor. I. 8. 59.

Ipse deus vatum palla spectabilis aurea
Tractat inauratæ consona fila lyræ.

Tibull. III. 4. 35.

Ima videbatur talis illudere palla:
Namque hæc in nitido corpore vestis erat.
Artis opus raræ fulgens testudine & auro
Pendebat læva garrula parte lyra.

Ferrar. de Re vest. I. 3. 18. Spanhem. in Callim. hymn. in Apoll. n. 32. Cerda in Virg. Æneid. VI. 645. *Apollini* viri eruditi sua vota præcipue fundebant. Quod de medicis comprobat vetus inscriptio Aventicæ in Helvetiis:

APOLLINI. SACRUM
Q. POSTHUM. HIGINUS. ET
POSTHUM. HERMES. LIB
MEDICIS. ET. PROFESSORIB
D. S. D.

Is enim, referente Macrob. Sat. I. 17. medicinæ fuit inventor. *Tomas. de Donar. c.* 23. V. infr. in *Apollo medicus.*

Apollo Actius, Actiacus, & Actæus vocatus est inprimis ab Actio promontorio, ob victoriam Augusti ad illud contra M. Antonium, & Cleopatram Reginam. Virg. Æneid. VIII. 704.

Actius hæc cernens arcum tendebat Apollo.

Prop. IV. 6. 67.

Actius hinc traxit Phœbus monumenta, quod ejus
Una decem vicit missa sagitta rates.

Qua elegia totam historiam complexus est, quæ apud scriptores celebratissima. Legimus, cum *Apollini* Actio celebritas ageretur, id miraculi contingere solitum, ut cum Leucadii bovem immolassent, muscæ eo sanguine distentæ omnes evanuerint. Tum sine muscis deinde festum peragebatur. *Gyrald. Synt. deor.* VII. *p.* 239. *B.*

Apollo adolescens, quia *Apollo* idem qui sol. Illum ideo adolescentulum fingi solitum dixerunt, quod sol quotidie oriatur, & nova luce nascatur: sive ad innuendam solis formositatem; ut enim nihil apparet sole pulcrius in hac rerum universitate, ita nulla hominum ætas adolescentiam pulcritudine antecellit: aut certe, quia solis vis, calorque, unde vitam cuncta hauriunt, idem semper est, neque unquam senescit.

Sol semper juvenis, rapidum qui dividis axem.

ait vetus poeta, *quia occidendo, & renascendo semper est junior: sive quod nunquam in sua virtute deficiat, ut luna, quæ crescit, & minuitur,* inquit Fulgent. Mythol. I. 17. *Aleand. Tab. Heliac. explic. Thes. Antiq. Roman. Græv. Tom.* V. *p.* 710. *E.*

Apollo æstas, quia æstivum designat tempus, dum vehementiore jactu solares radii terram percutiunt: & qui cæteris anni temporibus obtusus quodammodo videbatur, acutus per æstatem dici possit, quemadmodum illum nominat Horat. Epist. I. 10. 17.

—— *ubi gratior aura*
Leniat, & rabiem canis, & momenta leonis,
Quum semel accepit solem furibundus acutum.

Et Hesiodo dicitur μένος ὀξὺς ἠελίοιο, *robur acuti solis.* Aleand. Tab. Heliac. explic. Thes. Antiq. Roman. Græv. Tom. V. p. 736. B.

Apollo Agyïeus, qui & Agyïates vocatus est, a viis urbis nomen habebat: quippe ἀγυιὰ, a qua voce ἀγυιεὺς deflectitur, viam & vicum significat. Macrob. Sat. I. 9. *Idem Apollo apud illos & Ἀγυιεὺς nuncupatur, quasi viis præpositus urbanis: illi enim vias, quæ intra pomœria sunt, ἀγυιὰς appellant.* Phurnut. c. 32. *Agyeus merito nominatur, utpote cujus statuæ in viis collocantur: has enim exoriens irradiat, & lumine implet.* Propterea statuarum *Apollinis* Agyiei non semel meminit Pausanias. *Holsteen. Comm. in Nymph. Thes. Antiq. Roman. Græv. Tom.* IV. *p.* 1802. *B. Gyrald. Synt. deor.* VII. *p.* 240. *D. Turneb. Adv.* VII: 15. *Rhodig. Antiq. Lect.* X. 18. *Aleand. Tab. Heliac. explic. Thes. Antiq. Roman. Græv. Tom.* V. *p.* 725. *F.*

Apollo Ἀκειροκόμης, qui Ἀκερσεκόμης dicitur Homer. Hymn. I. 134. quia illi coma non est tonsa, sive rasa. Unde *deus intonsus* Prop. III. II. 54.

Dum petit intonsi Pythia regna dei.

& *Cynthius intonsus* Horat. Od. III. 21. 2.

Intonsum pueri dicite Cynthium.

Ex quo indicatur, quod minime sit lugubris. *Gyrald. Synt. deor.* VII. *p.* 244. *C. Grang. in Juven. Sat.* VIII. 128.

Apollo Ἀλεξίκακος dicebatur, quia malorum depulsor habebatur, & eo cognomine indigitatus colebatur. Hinc illud Horat. Epist. I. 9. 78.

—— *Sic me servavit Apollo.*

Nam qui mala depellit, servat. *Turneb. Adv.* VI. 24. *Rhodig. Antiq. Lect.* XIX. I.

Apollo Aperta *vocabatur, quia patente cortina responsa ab*

eo dentur. Festus. *Gyrald. Synt. deor.* VII. *p.* 250. *G.* Imo Aperta lingua Tarentina, quæ magna ex parte Æolensis fuit, ἀπερῶτα, id est, ἠπειρώτης, quod transmarinus sit deus & peregrinus; nam regiis temporibus *Apollo* ignotus Romanis. Cujus rei fidem facit *Apollinis* nomen Græcum. Si enim antiquitus Romanis notus fuisset, peregrino eum nomine non designassent. Ἠπειρώτης, ει mutato in ε, & η in α, ut Æoles solent, ἀπερώτας, ἀπερώτα, & syncope, quæ etiam illorum est propria, ἀπέρτα, *aperta.* Sic autem dictus, quod ex Græcia venerit, quæ Græcis ἤπειρος. *Scalig. in Festum.* A Latinis, quod minime sit apertus, putat *Turneb. Adv.* V. 19.

Apollo arcitenens Ovid. Met. I. 441. quia arcu insignis, jaculandi peritia & radiantibus sagittis decantatissimus. Hunc Græci dicunt τοξοφόρον. *Gyrald. Synt. Deor.* VII. *p.* 247. *E.*

Apollo argyrotoxus ab argenteo & splendido arcu, quo Pythonem serpentem confecit: vel a sagittis, quippe τόξος utrumque significat: vel sic dictus, quod sol cum sit, *per summum orbis ambitum discurrens, velut arcus quidam, qui Græce τόξος dicitur, figuratur alba & argenti specie.* Macrob. Sat. I. 17. *Gyrald. Synt. Deor.* VII. *p.* 247. *C. D.*

Apollo auricomus Latinis vocatur, & χρυσοκόμης Græcis, a fulgore radiorum, quos vocant comas aureas Solis. Macrob. Saturn. I. 17. *Gyrald. Synt. deor.* VII. *p.* 247. *E.*

Apollo Belenus fuit patrius deus Aquiliensibus Italiæ, quem magna religione coluerunt, & qui ab aruspicibus consultus oracula reddidit. Docent hoc Capitolinus & Herodianus. V. illos infr. in *Belenus.* Et inscriptiones Aquilejæ repertæ. Uti illa in ara oblonga:

APOLLINI. BELENO. AUG. IN. HONOREM. C. PET.

Et alia:

APOLLINI. BELENO. C. AQUILIENS. FELIX.

Fuit etiam Noricorum deus apud Tertullianum Apolog. c. 23. ut ex veteri manuscripto emendavit Petrus Pithœus. Tertulliani verba sunt: *Unicuique etiam provinciæ, & civitati suus deus est, ut Syriæ Astartes, ut Arabiæ Disares, ut Norici Belenus:* nisi forte quis suspicetur *Armorici* reponendum esse. Inde a Phœbo Beleni æditμο nomen apud Auson. Profess. Burdig. 10. 20.

Nec reticebo senem
Nomine Phœbitium:
Qui Beleni ædituus
Nil opis inde tulit.
Sed tamen, ut placitum,
Stirpe satus Druidum,
Gentis Aremoricæ
Burdigalæ cathedram
Nati opera obtinuit.

4. 7.

Tu Bagocassis stirpe Druidarum satus,
Si fama non fallit fidem,
Beleni sacratum ducis e templo genus.
Et inde vobis nomina:
Tibi Pateræ (sic ministros nuncupant
Apollinaris mystici)
Fratri, patrique nomen a Phœbo datum:
Natoque de Delphis tuo.

Herba etiam Apollinaris in appendice Canteriani Dioscoridis c. χνα Βελινύμτια appellatur: reliquias *Beleni* habet vocabulum. *Voss. de Idolol.* I. 35. II. 17. *Pith. Lect. Subcis.* I. 3. *Salmas. in Vopisc. Aurelian. c.* 39. *Capitol. Maximin. c.* 22. *M. Donat. Dilucid. p.* 914. *Buleng. de Sortib. c.* 6. *Selden. de Diis Syr.* II. 1. *Scalig. Lect. Auson.* I. 9. *Berthald. de Ara c.* 27. §. 3. *Ursat. de Not. Roman. Thes. Antiq. Roman. Græv. Tom.* XI. *p.* 567. *D. Gyrald. Synt. deor.* VII. *p.* 236. *D. Schedius de Diis Germ.* I. 7. Venetiis in ara marmorea Beleni *Apollinis* ex voto quondam posita, & ex Aquilejæ urbis ab Atila Hunno dirutæ ruinis extracta, demumque translata Venetias in palatium Aquilejensis patriarchæ Grimani hæc verba extant:

BELENO.
MANSUETIUS
VERUS.
LAUR. LAV.
ET. VIBIANA
JANTULLA.
V. S.

Quæ sic leguntur: Beleno. Mansuetius. Verus. Laurens. Lavinas. & Vibiana, Jantulla. votum. solvere. *Pigh. Annal. Rom.* I. *p.* 315. *Schedius l. l.*

Apollo Cœlispex a Latinis nuncupatur, vel quod cœlum, vel quod Cœlium montem adspiceret. A. P. Victore in Urbis descriptione ad ædem Portuni constituitur in undecima regione. *Panciroll. Descr. Urb. Rom. Thes. Ant. Roman. Græv. Tom.* III. *p.* 367. *E. Gyrald. Synt. Deor.* VII. *p.* 224. *E.* Quod si verum, exstitisse verisimile est in capite regionis, extra semicircularem circi extremitatem, unde mons Cœlius adspici potest. Sed hæc inter incerta referenda. *Nardin. Rom. Vet.* VII. 3.

Apollo Comæus colebatur in urbe Seleucia: *Hac expugnata avulsum sedibus simulacrum, & Romam perlatum in æde Apollinis Palatini collocatum est. Post direptum hoc figmentum incensa civitate, milites fanum scrutantes invenerunt foramen angustum: quo reserato ut pretiosum aliquod invenirent, ex adyto quodam concluso a Chaldæorum arcanis labes primordialis exsiluit, quæ insanabilium vi concepta morborum, Veri Marcique Antonini temporibus, ab ipsis Persarum finibus adusque Rhenum & Gallias cuncta contagiis polluebat & mortibus.* Ammian. Marcell. XXIII. 6. *Gyrald. Synt. deor.* VII. *p.* 245. *A.*

Apollo Conservator. In nummis Imperatorum id sæpe legitur. Sed præcipue in illis C. Vibii Treboniani Galli alludens forte ad ea quæ scripserat in ejus vita Pomponius Lætus. *Pestilitas primo consumptis fere meridianis per orientem divagata est: inde cæteras orbis partes invasit, ubique maximam partem incolentium exhausit; pleraque loca inhabitata reliquit ea labes, quæ vix intra decem annos finem invenit.* Cum ergo *Apollo* forte fortuna Imperatorem ipsum conservasse creditum fuerit, ideo nummum cum tali inscriptione illi percussum voluit. *Ursat. de Not. Roman. Thes: Ant. Roman. Græv. Tom.* XI. *p.* 553. *A.*

Apollo Cumanus, *qui, cum adversus Achæos Regemque Aristonicum a Romanis bellaretur, quatriduo flevisse nuntiatus est. Quo prodigio haruspices territi, cum id simulacrum in mare putavissent esse projiciendum, Cumani senes intercesserunt, atque retulerunt tale prodigium & Antiochi & Persidis bello in eodem apparuisse figmento. Et quia Romanis feliciter provenisset, ex Senatusconsulto eidem Apollini sua dona esse missa testati sunt. Tunc vero peritiores acciti haruspices responderunt, simulacri Apollinis fletum ideo prosperum esse Romanis, quoniam Cumana colonia Græca esset, suisque terris, unde accitus esset, id est, ipsi Græciæ & luctum & cladem Apollinem significasse plorantem. Deinde mox Regem Aristonicum victum & captum esse nuntiatum est, quem vinci utique Apollo nolebat & dolebat: & hoc sui lapidis etiam lacrymis indicabat.* Augustin. de Civ. Dei III. 11. *Gyrald. Synt. deor.* VII. *p.* 245. *C.*

Apollo Cynthius a Cyntho monte Deli vocatus est. Festus. *Gyrald. Synt. deor.* VII. *p.* 231. *C.*

Apollo Delius cognominatus est, *quod sol luce sua cuncta τὰ δῆλα, id est, clara, & manifesta faciat: vel a Delo insula notissima, in qua & natus, & cultus, & oracula certissima reddebat. Delus autem insula inter Cyclades celeberrima est.* Macrob. Sat. I. 17. Tibull. III. 6. 18.

Fulserit hic niveis Delius alitibus.

Horatius. V. illum infr. in *Apollo Patareus.* Gyrald. Synt. deor. VII. p. 222. A. Demster. Paralip. ad Rosin. Antiq. Roman. II. 7.

Apollo Delphicus dictus est. Ovid: Met. II. 543.

— *placuit tibi Delphice certe.*

a Delphorum oraculo notissimo. Hoc capræ invenerunt oberrantes circa *terræ hiatum, ubi nunc adytum est templi. Ibi frequenter accidit, ut quæcunque propius ad voraginem accedens despiceret: mirum in modum exsultaret, & vocem a*

prius

prius usitata dissonam emitteret. Id pastor gregis ut insolens admiratus, quid rei foret, exploraturus accessit & ipse & despectans eodem modo quo capræ affectus abiit, & futuros eventus cecinit. Pluribusque accedentibus & divino furore correptus locus ille ceu fatidicus pro miraculo habitus, & terra oraculum esse creditum fuit. Sortibus edendis postea virginem præfecerunt. Cum vero Echecrates Thessalus ad oraculum profectus, ex fatidicæ virginis intuitu, propter eximiam ejus venustatem, amore exarsisset, & raptæ stuprum obtulisset, lege sancitum est, ne virguncula, sed femina quinquagenaria major, virgineo tamen ornatu, ad moris antiqui in vaticinando memoriam, dei responsis præsideret. Diodor. xvi. p. 523. D. Schol. Aristoph. Plut. i. 1. 9. *Gyrald. Synt. deor.* vii. *p.* 225. *F. Buleng. de Orac. & vat. c.* 6.

Apollo Didymæus quoque est dictus ex multa veneratione cultus. Hoc nomine dictus est, *quod geminam speciem sui numinis præferre putaretur, illuminando formandoque lunam, nam* δίδυμοι *gemini dicuntur: etenim ex uno fonte lucis, gemino sidere, spatia diei & noctis illustrantur: unde & Romani Solem sub nomine & specie Jani, Didymæi Apollinis appellatione venerabantur.* Macrob. Saturn. i. 17. *Gyrald. Synt. deor.* vii. *p.* 231. *D. Potter. Archæol. Græc.* ii. 9. *Pitisc. in Curt.* vii. 5. 28. §. 48.

Apollo Ἑκατηβελέτης, Ἑκατηβόλος, Ἑκαβόλος cognominatus est, quibus nominibus & Græci & Latini usi sunt, a longe jaciendo vel radios, vel sagittas deduci videntur. Sagittarum nomine non nisi radiorum jactus ostenditur: qui tunc longissimi intelliguntur, quo tempore altissimus Sol diebus longissimis solstitio æstivo conficit annuum cursum. Macrob. Saturn. i. 17. Suet. Ner. c. 39. n. 5.

Noster erit Pæan, ille Ἑκατηβελέτης.

Gyrald. Synt. deor. vii. p. 236. E. Stuck. de Sacrif. p. 42. Aleand. Tab. Heliac. Explic. Thes. Antiq. Roman. Græv. Tom. v. p. 729. B. Vaillant Numism. ii. p. 106. Tomas. de Donar. c. 23. Pitisc. in Suetonium.

Apollo Latous, Latoïus & Latonius, a matre Latona vocatus est. Horat. Od. i. 31. 21.

Frui paratis, & valido mihi
Latoe dones.

Ovid. Met. xi. 196.

Laodomedonteis Latoïus adstitit arvis.

Catull. 34. 5.

O Latonia maximi
Magna progenies Jovis.

Gyrald. Synt. deor. vii. p. 224. E.

Apollo Libystinus, vel Libyssinus apud Pachynum Siciliæ promontorium summa religione cultus est: *nam cum Libyes essent Siciliam invasuri, ad id promontorium appulerunt: Apollo, qui ibi colebatur, immissa hostibus peste, cunctis pæne subita morte interceptis, Libystinus cognominatus est. Romanorum quoque continetur annalibus similis ejusdem dei præsentiæ majestas: nam cum ludi primo Romæ Apollini celebrarentur ex vaticinio Martii vatis, carmineque Sibyllino, repentino hostis adventu plebs ad arma excitata hosti occurrit, eoque tempore nubes sagittarum in adversos visa ferri, quæ hostes fugavit, & victores Romanos ad spectacula dei sospitalis reduxit.* Macrob. Sat. i. 17. *Gyrald. Synt. deor.* vii. *p.* 221. *E.*

Apollo Λυκηγενέτης dicitur Homer. Iliad. iv. 119. non quod in Lycia generatus sit, sed quod matutinæ lucis & splendoris auctor sit: vel quod λυκάβαντα *progeneret, hoc est, annum, quem conficit Sol suo per duodecim signa zodiaci cursu. Hunc hoc nomine Græci vocant, quod erga lupum Sol amorem habere dicatur: eoque animali Apollinem delectari ferunt, quod ipse in lucem editus feratur ex Latona in lupæ speciem imaginemque conversa: ob eam rem lupi simulacrum in Delphico templo ex ære positum fuit.* Ælian. de Anim. x. 26. Alii quod, cum donaria ex templo direpta fuissent, ea demum a sacrilegis defossa lupus indicavit: qui intra templum ingressus fuit. *Buleng. de Prodig.* iv. 35. *Gyrald Synt. deor.* vii. *p.* 224. *A.*

Apollo Medicus dictus est a temperie, quam solis calor progignit, quum salus animantibus exoritur. Præcipue ex sole præterea cordis vigor pendet, & calor naturalis: unde & servatur sanitas, & morbi fugantur. Herbæ quinetiam, quibus medicorum filii ad sanitatem tuendam, & reparandam conficiunt pharmaca, solis vi proveniunt. Sed & non hoc tantum, verum etiam omnes, quæ animantibus victum suppeditant. *Aleand. Tab. Heliac. explic. Thes. Antiq. Roman. Græv. Tom.* v. *p.* 711. *F. Rosin. Antiq. Roman.* ii. 7.

Apollo Moneta in nummo Commodi legitur. In illo *Apollo* nudus conspicitur, dextram capiti admovens, sinistram columnæ applicans; quæ figura cum observetur in eodem nummo, in quo legitur APOLL. PALAT. hoc est, *Apollini Palatino:* forte fortuna *Apollo* Moneta & Palatinus idem. *Ursat. de Not. Ant. Thes. Ant. Roman. Græv. Tom.* xi. *p.* 553. *C.*

Apollo musicus inducebatur, & citharœdus, quia sol omnia temperat. Et ideo ejus simulacrum, ut Suidas prodit, citharam manibus tenet, quia sol est universi harmonia. Musicum fingi *Apollinem*, ait Phurnutus, quod sol debita mensura feriat, regatque omnes mundi partes, efficiatque, ut mutuo concentu concinnus ubique sit mundus nulla dissonantia apparente. *Aleand. Tab. Heliac. explic. Thes. Antiq. Roman. Græv. Tom.* v. *p.* 711. *E.*

Apollo Nomius, ut Phurnut. de Nat. deor. c. 32. & Macrob. Saturn. i. 17. ajunt, cognominatus est, non ex officio pastorali, ut habet fabula, per quam fingitur Admeti Regis pecora pavisse: sed quia sol pascit omnia, quæ terra progenerat: unde non unius generis, sed omnium pecorum pastor canitur, non modo boum, sed & equorum: & pleraque ejus cognomina fuerunt per diversas civitates, & gentes, ad pastoris officia pertinentia: quapropter universi pecoris antistes, & vere pastor ab antiquis putabatur. *Aleand. Tab. Heliac. explic. Thes. Antiq. Roman. Græv. Tom.* v. *p.* 712. *A. Gyrald. Synt. deor.* vii. *p.* 227. *F.* Poetæ tamen magis, & poetarum interpretes ei adhæsere opinioni, ut Nomius appellaretur, quod Admeti Regis, divinitate privatus, armenta paverit: unde *pastor ab Amphryso* Virg. Georg. iii. 2. παρὰ τὸ νέμω nuncupatus. *Gyrald. ibid. G.*

Apollo Pæan *vocatus est, quod sagittarum ictu eum nocere putabant. Est enim* παίειν *ferire.* Paullus apud Festum. *Stuck. de Sacrif. p.* 41. *Sol* enim *jactu radiorum nonnunquam pestiferum virus mortalibus immittit. Et tunc* ἰὲ παιὰν *per ε literam dicebant cum adspiratione prioris literæ. Significabant hoc dici in aliquem adversa precatione,* βάλλε παιὰν, *id est, immitte feriendo. Hac voce usam ferunt Latonam, cum Apollinem hortaretur impetum Pythonis incessere sagittis. Quia vero sol calore temperato etiam juvat mortalium vitam, obtinuit, ut cum sanitatem dari sibi precarentur,* ἰὴ παιὰν *per η literam enuntiarent, id est, medere Pæan.* Macrob. Sat. i. 17. *Gyrald. Synt. deor.* vii. *p.* 220. *G. Taffin. de Lud. secul. c.* 4. §. 5.

Apollo Palatinus a Romanis appellatus, qui in palatio ab Augusto dicatus fuit, cum porticu, & bibliotheca, post Actiacam pugnam, devictis prælio navali M. Antonio & Cleopatra: qua de re Prop. iv. 6. 11.

Musa, Palatini referamus Apollinis ædem.

Horat. Epist. i. 3. 17.

Scripta Palatinus quæcunque recepit Apollo.

Forte idem qui *Apollo* Moneta. *Gyrald. Synt. deor.* vii. *p.* 238. *G. Ursat. de Not. Roman. Thes. Antiq. Roman. Græv. Tom.* xi. *p.* 553. *C. Demster. Paralip. ad Rosin. Antiq. Roman.* ii. 7.

Apollo Pataræus, quem trisyllabum profert Horat. Od. iii. 4. 64.

Qui rore puro Castaliæ lavit
Crines solutos, qui Lyciæ tenet
Dumeta, natalemque sylvam
Delius, & Patareus Apollo.

dictus est a Patara Lyciæ urbe. Hanc nobilem fecit delubrum *Apollinis*, quondam opibus, & oraculi fide Delphico simile. *Sex mensibus hyemalibus apud Pataram responsa dedit Apollo, & sex æstivis apud Delum.* Serv. Æneid. iv. 143. *Gyrald. Synt. deor.* vii. *p.* 240. *G.*

Apollo Phœbus appellatur ἀπὸ τῦ φοιτᾶν βιᾷ, quod ſcilicet *vi feratur*. Plerique a ſpecie & nitore dictum putant. Alii quod a ſordibus corpora purget: φοιβέω enim eſt purgo, unde φοιβὸν τὸ καθαρὸν. Alii quaſi φώβιον dictum arbitrantur a φῶς & βί@, id eſt, a luce & vita. Sunt qui a Phœbe matre Latonæ derivant. Sed hoc in Allegoriis Homeri redarguit Heraclides Ponticus. *Gyrald. Synt. deor.* VII. *p.* 222. *F.*

Apollo Propugnator. In nummis Valeriani Imperatoris patris. *Urſat. de Not. Roman. Theſ. Ant. Roman. Græv. Tom.* XI. *p.* 553. *C.*

Apollo Pythius nuncupatus. Prop. II. 23. 16.

Pythius in longa carmina veſte ſonat.

dictus eſt a Pythone ſerpente. *Hic terræ fuit filius, & ante Apollinem ex oraculo in monte Parnaſſo reſponſa dare ſolitus erat. Illi ex Latone partu interitus erat fato futurus. Qui ubi ſenſit Latonam ex Jove gravidam eſſe, cœpit illam perſequi, ut eam interficeret. Apollo poſt diem quartum quam natus eſſet, Parnaſſum venit, & Pythonem ſagittis interfecit.* Πύθω nihil aliud eſt, niſi putredo: ſiquidem ex imbribus, qui plurimi defluunt hyberno tempore, collectæ aquæ, ſtagnanteſque modico ſuperveniente calore corrumpuntur: eas poſtmodum vehementes æſtivi Solis radii exſiccant, hinc putredo tollitur; & data anſa Poetis, Pythonem *Apollinaribus* ſagittis de medio ſublatum canendi. Hygin. Fab. 140. Macrob. Saturn. I. 17. *Aleand. Tab. Heliac. Explic. Theſ. Ant. Roman. Græv. Tom.* V. *p.* 736. *C. Gyrald. Synt. deor.* VII. *p.* 228. *A. Nonn. in Goltz. Græc. p.* 158. *Potter. Archæol. Græc.* II. 9. Mulieres Romanæ illi mundum ſuum dederunt primitiarum loco, ex quo aureus crater confectus Delphos venit. Plutarch. de vit. ær. alien. *Tomaſ. de Donar. c.* 4.

Apollo Sandaliarius in regione quarta a P. Victore ponitur. Poteſt videri dictus, quod ſandaliis indutus eſſet. *Urſin. ad Suet. Aug. c.* 57. *n.* 4. *Lipen. de Stren. c.* 2. *Sec. Æt.* §. 11. Potius a vico Sandaliario, in quo hæc Apollinis effigies dedicata fuerat, ſic nimirum inſignito, quod in eo ſandaliarii, ſive calceorum opifices habitarent. Neque novum aut ſingulare putandum eſt, ſi ſutores, aut ſandaliarii dicantur eandem urbis regionem, imo eundem vicum incoluiſſe, cum & figuli uno in loco conjunctim habitaverint, & porta Capena vicus fuerit vitriariorum. *Balduin. de Calc. c.* 7. *Nardin. Rom. Vet.* III. 13. *Sabell. & Torrent. in Suetonium Roſin. Antiq. Roman.* II. 7. *& ad illum Demſterus.* Eſt vero ab hoc vico dictus *Apollo* hic ad differentiam alterius *Apollinis* Palatini nuncupati. *Panciroll. De cr. Urb. Rom. Theſ. Ant. Roman. Græv. Tom.* III. *p.* 337. *A.*

Apollo Smintheus vocatur etiam ab Ovid. Faſt. VI. 425.

Conſulitur Smintheus, lucoque operatus opaco
Hos non mentito reddidit ore ſonos.

Cauſa hæc fuit cognominis. Crinis *Apollinis* fuit ſacerdos. Is cum ſacra Dei neglexiſſet, a terreſtribus muribus agrorum fructibus eſt privatus: cujus detrimento damnoque commotus *Apollo*, bubulco cuidam Hordæ nuncupato juſſit ut Crinin ſacerdotem moneret, illum debere conſueta ſacra peragere. Quod ſacerdos cum feciſſet, *Apollo* mures ſagittis confecit. Hinc *Apollo* Smintheus cognominatus eſt. Sminthas enim Cretenſes mures vocant. Paullo aliter hæc narrat Ælian. de Anim. XII. 5. *Gyrald. Synt. Deor.* VII. *p.* 234. *B. Vaillant. Numiſm. Æreor. Imper.* II. 43. *Lindenbr. in Ammian.* XXII. 8. Hunc in quadam Conſtantinopoleos parte ſtatuit Conſtantinus. *Panvin. de Lud. circenſ.* I. 27.

Apollo Sortilegus dicebatur, quod ſortibus æquatis oracula interdum vaticinaretur. *Turneb. Adv.* V. 23.

Apollo Themenites, ſive Temenites dicitur Suet. Tib. c. 74. n. 1. *Supremo natali ſuo Apollinem Temenitem, & amplitudinis, & artis eximiæ, advectum Syracuſis, ut in bibliotheca novi templi poneretur, viderat.* . . . . Hunc in quarta Syracuſarum urbe, id eſt, quarta urbis parte fuiſſe dicit Cicer. Verr. IV. 53. Dictus fuerit a loco Siciliæ ſub Epipolis juxta Syracuſas, qui Stephano Τέμεν@ dicitur. *Turneb. Adv.* VIII. 12. *Gyrald. Synt. deor.* VII. *p.* 245. *D. Pitiſc in Suetonium.*

Apollo Thymbræus dicitur Virg. Æneid. III. 85.

Da propriam Thymbrae domum.

& Stat. Theb. I. 699.

Seu Trojam Thymbræus habes.

ab agro Trojæ vicino, pleno thymbræ herbæ, in quo ejus nemus eſt, & templum, ubi a Paride Achilles occiſus eſt, unde fingitur manu Apollinis vulneratus. Dicitur Thymbræus, ut Delius. Nam numina a locis frequenter nomen accipiunt. Servius ad Virgilium. Lactant. in Statium. *Gyrald. Synt. deor.* VII. *p.* 246. *A.*

Apollo tortor etiam nominatur. Suet. Aug. c. 70. n. 2. *Cæſarem plane eſſe Apollinem, ſed tortorem.* Et in Urbe cultum Domitius teſtatur. *Gyrald. Synt. deor.* VII. *p.* 235. *G. Roſin. Antiq. Roman.* II. 7. Dictus fuerit a vico, in quo tortorum flagella venalia pendebant. V. ſupr. in *Apollo ſandaliarius.* Sabell. Torrent. & Pitiſc. in Suetonium.

APOPHORETA Græco nomine proprie dicebantur munera, quæ in conviviis dabantur auferenda. Suet. Cal. c. 55. n. 7. *Agitatori Eutycho comeſſatione quadam in apophoretis vicies H. S. contulit.* Ambroſ. Exhort. ad Virgin. *Qui ad convivium magnum invitantur, apophoreta ſecum referre conſueverunt. Ego ad Bononienſe invitatus convivium, ubi ſancti martyris celebrata tranſlatio eſt, apophoreta vobis plena ſanctitatis, & gratiæ reſervavi.* Hæc ipſa donata lego Saturnalibus. Suet. Veſp. 19. n. 4. *Dabat ſicut Saturnalibus viris apophoreta, ita & per Kalendas Martii feminis.* Illa explicat Mart. XIV. *Lipſ. Sat.* I. 16. *Turneb. Adv.* IX. 23. *Ciaccon. de Triclin. p.* 91. *Stuck. Antiq. Conviv.* III. 24. *Lipen. de Stren.* I. 15. *Baccius de Conviv. Antiq.* IV. 5. *Tomaſ. de Donar. c.* 17. *Voſſ. Lex. Etymol. Salmuth in Pancirol. de Reb. deperd. & inv. p.* 747. *Juret. in Symmach. Epiſt.* III. 80. *Caſal. de Urb. ac imper. ſplend. part.* 2. *c.* 19. *de Conviv. vet. c.* 1. *Laurent. de Prand. c.* 2. *Pitiſc. in Suetonii Caligulam.* Etiam munuſcula, quæ munerum editores, ludis confectis, amicis, & fautoribus mittebant. Symmach. Epiſt. II. 80. *Filius noſter Symmachus, peracto munere candidato, offert tibi dono quæſtoria, & cæteras neceſſitates noſtras pari honore participat. Quæſo igitur, ut ejus nomine apophoreta ſuſcipere dignemini, qui apparatus ei plura, & præclara tribuiſtis.* Lipen. ibid. c. 16. Lipſ. l. l. In muliebri genere ex more ſeculi ſui dicit Iſidor. XX. 4. ut bibliam poſteriores dixerunt pro bibliis. Eſt illi vaſt eſcarium, quo poma, vel tale quid, erat enim planum, ferebantur. *Voſſ. Lex. Etymol. Lipſ. l. l.*

APOSTOLE fuit tributum, quod ad Imperatorem mittebatur a Judæis. Julian. Epiſt. ad Judæos: *Melius vobis fieri cupiens fratrem Julium patriarcham venerabilem monui, ut miſſio tributi, quæ dicitur apoſtole, vobis remitteretur.* Sub Imperatoribus Judæi ſuos habuerunt patriarchas, qui exigerent *apoſtolen.* Exactor tributi dicebatur *apoſtolus* l. 14. & 18. C. Th. de Judæis. *Buleng. de Vectig. c.* 54.

APOSTOLI ſunt literæ dimiſſoriæ, per quas cauſa ad eum, qui appellatus eſt, dimittitur. Cum enim a ſententia judicis appellatur, debet is, qui appellat, inſtanter ab eo petere hujuſmodi literas, quibus ſecundus judex de cauſa inſtrui poſſet, teneturque is, a quo petiti ſunt, eos *apoſtolos* dare. Modeſtin. l. 106. ff. de verb. ſignif. *Dimiſſoriæ literæ dicuntur, quæ vulgo dicuntur apoſtoli: dimiſſoriæ autem dictæ ſunt, quod per eas cauſa ad eum, qui appellatus eſt, dimittitur.* Alciat. de verb. ſignif. p. 168. Voſſ. Lex. Etymol. Briſſon. de Form. V. p. 465. Cujac. Obſerv. XXIV. 29.

APOSTROPHIA Venus. V. illam infr. in *Venus.*

APOTHECA, ἀποθήκη. Vox generalis eſt, & vinorum, olei, aliorumque eſt receptaculum. *Voſſ. Lex. Etymol. Turrig. Not. ad Urſi tog. Inſcript. Theſ. Antiq. Roman. Græv. Tom.* XII. *p.* 401. *D.* Vinorum *apothecam* V. infr. in *Cella vinaria.*

APOTHEOSIS, ſive conſecratio longo tempore uni duntaxat Romulo decreta, in vulgarem poſtea, & communem Principibus gliſcente adulatione evaſit. Argute, &

& eleganter Plin. Paneg. c. xi. n. 1. *Dicavit cœlo Tiberius Augustum, sed ut majestatis numen induceret, Claudium Nero, sed ut irrideret: Vespasianum Titus, Domitianus Titum: sed ille, ut dei filius, hic, ut frater videretur: tu sideribus patrem intulisti, non ad metum civium, non ad contumeliam numinum, non in honorem tuum, sed quia deum credis. Minus est hoc, quam fit ab his, qui & sese deos putant: sed,* o adulatorem! *licet illum aris, pulvinaribus, flamine colas, non alio magis tamen deum & facis, & probas, quam quod ipse talis es.* Berthald. de Ara c. 25. §. 4. Donat. de Urb. Rom. III. 4. V. infr. in *Consecrari. Apotheosin*, sive consecrationem Titi Imperatoris, & ejus pompam insculptus exhibet lapis. Per totum epistylium orientalis frontis, paucis quidem figuris, victimarios, flamines, arasque designat; lectum item cum imagine Imperatoris accumbentis. Tabulæ sub fornice utrimque hæ sunt. Titus in triumphali quadriga: a tergo Victoria Idumæam palmam altera gerit manu: alteraque super ejus caput lauream sustinet. Roma ipsa, hasta galeaque insignis, equorum regit habenas. Incedunt Magistratus laureati, ramos ferentes, lictoresque duodecim. Titus cum patre triumphavit. Sed solus hic adspicitur in curru, quod arcus erectus fuit post ejus mortem a S. P. Q. R. In opposita tabula cernitur triumphi pompa, atque inter laureatos arcum ingredientes duo præcipue fercula cum mensa aurea & septilustre candelabro. *Donat. de Urb. Rom.* III. 4. Mulierum V. infr. in *Consecratio.*

'ΑΠΟΞΥΟΜΕ'ΝΗ fuit signum ante thermas Agrippæ. Hoc cum Tiberius in cubiculum suum transtulisset, magnis populi in theatro clamoribus est reponere coactus. Plin. XXXIV. 8. *Plurima ex omnibus signa fecit* Lysippus *fœcundissimæ artis, inter quæ distringentem se, quem Marcus Agrippa ante thermas suas dicavit, mire gratum Tiberio principi: qui non quivit temperare sibi in eo, quamquam imperiosus sui inter initia principatus, transtulitque in cubiculum, alio ibi signo substituto: cum quidem tanta populi Romani contumacia fuit, ut magnis theatri clamoribus reponi Apoxyomenem flagitaverit, princepsque adamatum reposuerit.* Fabric. Descript. Urb. Rom. c. 19.

APP.

APPARERE *est præsto esse ad obsequium.* Serv. Æneid. XII. 851. *Buleng. de Imper. Roman.* VI. 17.

APPARITORES erant magistratuum nuntii, sive ministri, *apparituram* magistratibus facientes: οἱ παριστάμενοι τοῖς ἐπ' ἀξιώσεως, hoc est, qui præsto sunt magistratibus ad imperia accipienda, & exsequenda. Servius: *Apparent, præsto sunt ad obsequium. Unde etiam apparitores constat esse nominatos* ad Æneid. XII. 850.

Hæ Jovis ad solium, sævique in limine Regis
Apparent, acuuntque metum mortalibus ægris.

Uno nomine vocabantur scribæ, accensi, interpretes, præcones, viatores, lictores, servi publici, carnifices. *Bud. in Pandect. p.* 244. *H. Salmuth in Panciról. de Reb. deperd. & inv. p.* 711. *Sigon. de Ant. jur. civ. Rom.* II. 15. *Panvin. de Civit. Roman. c.* 66. *Faber Semestr.* II. 24. *Buleng. de Imper. Roman.* VI. 17. *Laz. Comm. Reip. Rom.* II. 4. *M. Donat. Dilucid. in Ammian. p.* 807. *Kipping. Ant. Rom.* II. 4. 2. Erant ex libertis & libertinis magistratuum, quibus *apparebant.* Pollet. For. Rom. V. 12. Sigon. l. l. Clarissimorum magistratuum *apparitores*, ut ab aliis dignoscerentur, discoloribus penulis, seu palliis tegebantur, qualibus hodie nuntii Taurinenses utuntur: subtus vero pro cingulo, loro, aut fascia lanea a dextro humero in sinistrum latus descendente cingebantur. Gratian. l. 1. C. Th. de habit: quo intr. urb. uti oport. *Officiales*, inquit, *per quos statuta complentur, ac necessaria peraguntur, uti quidem penulis jubemus, verum interiorem vestem ad modum cinguli observare, ita tamen ut discoloribus quoque pectora contegentes conditionis suæ necessitatem ex hujusmodi agnitione testentur.* Gell. XII. 3. *Licio transverso, quod limum appellatur, qui magistratibus præministrabant, cincti erant.* Principis literis probatoriis vocatio comprobari oportebat l. ult. ad fin. c. de diversf. offic. *Pancirol. Notit. dignit. imp. orient. c.* 159. *Buleng. l. l.*

Apparitores cohortales dicebantur qui cohorti obnoxii, τῇ τάξει ἐναπογράφοι. *Buleng. de Imp. Rom.* VI. 19. Unde & conditionales censebantur, id est, conditioni suæ obnoxii l. 8. l. 17. C. de advoc. diversf. judic. l. 1. & 2. C. ubi quis decur. vel cohort. condit. conven. ut semel facti *apparitores* ab officio, nisi primipili munere completo, liberari non possent. Et ideo a Paullo Icto perpetui appellantur l. præsidis. 34. si cert. potat. *Præsidis provinciæ*, inquit, *officiales, quia perpetui sunt, mutuam pecuniam dare, & fœnebrem exercere possunt.* Quare Notitia subjicit: *his non licere ad aliam militiam, seu officium transire, sine* [illegible]*, seu indulgentia clementiæ principalis.* Idem affirm. Valentin. l. 7. penult. & ult. C. de cohortal. *Ordinariorum*, inquit, *judicum apparitores, qui vel speculatorum,* [illegible] *attigerint gradum, nullo annorum numero,* [illegible] *contemplatione laxentur, priusquam primipili* [illegible] *ratione compleverint.* Ipsorum quoque liberi [illegible] nam secuti, eodem modo cohortales esse cogebantur. l. 12. de cohort. l. 1. & sequent. C. de filiis offic. In matriculis, seu albo officialium describi satis erat l. 10. C. de cohort. l. 16. de testam. milit. *Pancirol. Notit. dignit. imp. orient. c.* 9. & 159.

Apparitores lictores pontificum sunt in antiquis inscriptionibus. Fragmentum marmoris in via Appia:

APPARITORI
PONTIFICUM
PARMULARIO.

Iidem pontificum calatores dicti, ἐκβιβασαὶ ἱερέων, qui & comitia calabant, & a pontificibus sacra facturis præmittebantur, ut sicubi viderent artifices adsidentes, opus suum prohiberent, ne deorum ceremonias attaminarent. *Guth. de Vet. jur. pontif.* II. 13.

Apparitores prætoriani die natalis domini quotannis mutabantur; ad gradum enim vel cornicularii, vel commentariensis, prout erat opus, promovebantur. Cassiod. XI. 17. Horum munus erat jussa præfecti implere, litigantes in judicium introducere, acta scribere, recitare, & partibus edere, sententias scribere, atque exsequi, & alia judiciorum necessaria peragere. l. 1. & 2. C. de prin. agen. in reb. l. per Illyricum 9. C. de cohortal. l. ult. C. de jur. dom. imper. Justinian. ad Menuam P. P. l. ult. C. ut intr. cert. temp. loquens de jud. offic. *Si litis*, inquit, *introductionem, vel examinationem distulerint, pœna vicenarum librarum auri feriantur.* Iidem infirmis mulieribus, & egregiis viris domi juramentum deferebant. Justinian. Novell. 124. §. 1. & §. sin autem authent. ut litigant. jurent. *Si aliqui litigantium nequeunt ad judices venire, jubemus dirigi ex officiis ministrantibus aliquos, ut eis præsentibus sacramenta præbeantur.* Cum in aliquem locum ob publicas, vel privatas necessitates mittebantur, lumine, & brevi, id est, necessaria supellectili instruebantur. Ulpian. l. illicitas. §. ne tenuis de offic. præsid. *Ne tenuis*, inquit, *vitæ homines sub prætextu adventus officiorum lumine unico, vel brevi supellectile ad aliorum usum translatis injuriis vexentur, præses provinciæ providebit.* In via præfectum antecedebant, quemadmodum lictores consulem, & hodie multis in locis *apparitores* magistratus præcedunt. Lamprid. Alex. Sev. c. 52. *Apparitores denique nullos esse passus est: tribunis, aut ducibus nisi milites anteire voluit: jussitque ut ante tribunum quatuor milites ambularent: ante ducem sex: ante legatum decem.* Cursus quoque publici curam habebant, tributa, & res fiscales exigebant l. 2. C. de cohort. dicta l. officiales 4. C. de episc. & cler. latrones sibi a stationariis indicatos capiebant: tantum enim indicandi, non etiam reos custodiæ tradendi facultatem habebant, in fuga tamen deprehensos in carcerem detrudebant. Paull. l. limenarchæ 4. C. de serv. fugit: *Limenarchæ*, inquit, *& stationarii fugitivos deprehensos recte in custodia retineant.* Hos postea *apparitores* suscipiebant, aut ipsi inventos capiebant, & carceri mancipabant. Martyrol. 27 May: *Dorostorus in Mysia veteranus, & emerita militiæ comprehensus ab officialibus Maximo præsidi offertur, cum tormentis sontes urgendi erant,*

appa-

apparitores cruciabant. Denique quicquid illicitum publice fieri videbant, prohibere tenebantur, veluti ne hæretici ad cœtum piorum, litaniasve convenirent l. 3. C. de hæretic. ne quis alteri etiam impio injuriam inferret l. 6. C. de pagan. ne idolis sacrificaretur, & alia hujusmodi interdicta vetabant l. 7. C. eod. tit. *Pancirol. Notit. dignit. imp. orient. c. 9. Buleng. de Imp. Roman.* VI. 18.

APPARITORIUM dicebatur, ubi *apparitores* commorabantur, in Glossario veteri apud Papiam magistrum. *Barth. Adv.* II. 22.

APPELLANDI tempus ex jure antiquo quodnam aliud fuerit constitutum legere non memini, nisi si intra biduum in propria causa, in aliena autem intra triduum *appellaretur*, sententia transiret in rem judicatam: ut videre est ex l. 1. §. biduum quando appell. ff. l. eos. §. sin autem de appellat. C. Novissime intra decem dies continuos *appellatio* interponi debuit Authentic. hodie C. de appellat. *Pollet. For. Rom.* V. 16. *Brisson. de Form.* V. *p.* 465. *Appellationis* interponendæ formula erat *provoco*, vel *appello.* Macer l. 2. ff. de appellation. *Sed si quis apud acta appellaverit, satis erit, si dicat appello.* Apud Senec. Contr. III. servus, qui domino ægrotanti venenum petenti denegabat, qua de causa iratus dominus testamento caverat ut crucifigeretur, ad tribunos plebis, & ipsam legem Corneliam de veneficiis provocans: *Lex*, ait, *Cornelia, te appello.* Plin. Epist. II. 7. *Itaque Pomponius Secundus hic scriptor tragœdiarum, si quid forte familiarior amicus tollendum, ipse retinendum arbitraretur, dicere solebat, ad populum provoco.* Si quis ipso die inter acta voce *appellaret*, hoc ei sufficiebat. Si autem hoc non fecerat, ad libellos *appellatorios* recurrendum erat, ad quos dandos biduum aut triduum computabatur l. a sententia §. ult. ff. de appellat: itemque l. litigator: C. de appellat. *Brisson. l. l.*

APPELLARI magistratus ipsi ab omnibus datis judicibus, etiamsi ex auctoritate Principis, licet nominatim declarantis, dati fuerint, potuerunt l. 3. ff. quis, & a quo appell. Verum a centumviris ad alios magistratus non erat provocatio, quia magnificum, & populare quodammodo erat consilium. Nec dissentit Suet. Vesp. c. 10. n. 2. *Sorte elegit, per quos rapta bello restituerentur, quique judicia centumviralia, quibus peragendis vix suffectura ætas litigatorum videbatur, extra ordinem judicarent, redigerentque ad brevissimum numerum.* Vespasianus enim illos judices sorte non elegit, ut illi centumvirales causas extra ordinem judicarent, quod ordinarius cognitionum dies dudum a centumviris nullus esset habitus, ut interpretatur Rævardus, verum magis quod infinitæ causæ ad judicium centumvirale penderent, quæ cum solorum centumvirorum essent, atque illi multitudine eorum obruerentur, sorte quosdam electos, qui eas dijudicarent, arbitrorque soli Principi jus fuisse centumvirorum sententias rescindere ex Suet. Dom. c. 8. n. 1. *Plerumque & in foro pro tribunali extra ordinem ambitiosas centumvirorum sententias rescidit.* Siccam. de Centumv. judic. 1. 6. A Principe fas non erat, sed fas erat retractationem supplici libello petere. Rationem adfert Ulpian. l. 1. a quib. appell. non lic. *quia ipse Princeps est, qui provocatur.* Pollet. For. Rom. V. 16. Guther. de Offic. dom. Aug. I. 29. A dictatore non licebat, quia creabatur sine provocatione regia potestate. Liv. III. 20. *Ut qui se moverit ad sollicitandum statum civitatis, sentiat sine provocatione dictaturam esse.* Dicebatur solum in periculosis Reipublicæ tempestatibus, & suarum partium esse putabat, videre ne Reipublicæ salus in discrimen veniret, & ut imperium populi Romani, majestasque sarta tecta essent. Hanc potestatem VI. 39. *dictatorium fulmen* vocat, & ejus edicta pro numine esse observanda. Memini tamen me legere apud eundem VIII. 33. M. Fulvium patrem Q. Fabii magistri equitum a Papirio damnati, quod injussu ejusdem pugnasset, a dictatore ad populum appellasse. *Pollet. l. l.* A judicibus ad populum stante Republica licebat. Suet. Cæs. c. 12. n. 1. *Sorte judex in reum dictus, tam cupide condemnavit, ut ad populum provocanti nihil æque ac judicis acerbitas profuerit.* A Cæsaribus occupata ad ipsum Principem. Suet. Aug. c. 33. n. 4. *Appellationes quotannis urbanorum quidem litigatorum pratori delegabat urbano: at provincialium consularibus viris, quos singulos cujusque provinciæ negotiis præposuisset.* Ejus exemplum nobile habemus in sacris. Actor. c. 20. n. 10. 11. *Dixit Paullus: ad tribunal Cæsaris sto, ubi oportet me judicari. . . . . Cæsarem appello.* Caligula tamen *magistratibus liberam jurisdictionem, & sine sui appellatione concessit.* Suet. c. 16. n. 4. Sub Nerone cautum est, *ut omnes appellationes a judicibus ad senatum fierent.* Suet. c. 17. n. 3. Pollet. ibid. c. 16. 17. Buleng. de Imp. Roman. V. 32. Guther. de Offic. dom. Aug. I. 23. & 29. Torrent. ad Suet. Aug. c. 33. n. 4. Lips. in Tacit. Annal. XIV. Excurs. C.

APPELLATIO justa, vel injusta an sibi videretur, pronuntiabat qui ex *appellatione* cognoscebat. Imperatores Diocletianus & Maximinianus l. eos C. de appellat. *Quapropter remittendi litigatores, remotam occasionem, atque exclusam penitus intelligant: cum semper omni causa interpositam provocationem, vel injustam tantum liceat pronuntiare, vel justam.* Brisson. de Form. V. p. 465. *Appellationes* ad sacras cognoscere dicebantur cognitores sacri dicti, judices nempe a Principe delegati ex Theodosii, & Valentin. constitutione, qui primi illos introduxerunt. Vetus inscriptio apud Gruter. p. 1101. n. 8.

L. VALERIO. POPLICIO
COS. ORD. ITEM. COGNOSCENTI
AD. SACRAS. APPELLATIONES.

In antiquis marmoribus occurrit sacri auditorii cognitor, & sacrarum cognitionum judices. V. infr. in *Judex.* Guther. de Offic. dom. Aug. I. 15. Causas is qui *appellaverat*, reddebat apud eum, ad quem *appellabat* l. ab exsecutore ff. de appellat. Per procuratorem causæ in rebus pecuniariis reddi poterant l. 1. ff. an per alium causæ appellat: Quod si procurator absentis *appellasset*, deinde rationes reddidisset, nihilominus ipse respondere poterat. Audiri etiam debebat in causis *appellationis* reddendis is cujus absentis procurator *appellaverat*, l. ult. ff. eod. tit. Nec vero solebat improbari *appellatio* eorum, qui vel unam causam *appellandi* probabilem habuissent. l. appellati §. ult. ff. de appellat. Quin & si certam *appellandi* causam dixerat, non eo minus aliam causam provocationis reddere poterat, & persequi provocationem suam quibuscunque modis dict. l. scio in fine. *Brisson. l. l.*

APPIA aqua. V. illam infr. in *Aqua.*

Appia via. V. illam infr. in *Via.*

APPIÆ rivus. V. illum infr. in *Rivus.*

APPIADES dicuntur deæ Ovid. Art. Amand. III: 452.

Has, Venus, e templis multo radiantibus auro
Lenta vides lites, Appiadesque tuæ.

Quidam deas intelligunt, quæ habebant templa apud aquam Appiam prope forum Cæsaris, & Venerem inprimis, Pallada, Pacem, Concordiam, & Vestam, quas illic templis constructis ab aqua Appia illuc deducta sic appellari censent. Ego puto omnino Viriplacam deam designari. Sed quare *Appiades*, adhuc me latet. *Gyrald. Synt. Deor.* I. *p.* 21. *E.* Mihi non videtur satis esse causæ in aquæductu, ut tot vicinorum templorum numina inde nomen mutuentur. Sed nec Venus in *Appiadibus* numeranda videtur, cum ab iis diserte separetur. Nec vero tantum in plurali *Appiades* vocantur, sed & in singulari, quanquam de pluribus semper loqui videtur: ut Rem. Amor. n. 660.

Turpe, vir, & mulier, juncti modo, protinus hostes:
Non illas lites Appias ipsa probat.

Ego putem, cum eo in loco salitet aqua *Appia*, ac sub Veneris templo ejus lacus ac saliens esset: vel nympharum, vel musarum potius, quæ in aquæductibus solent ore & mammis aquam evomere, vel aliarum certe dearum, quarum nomina nescimus, signis aquæductum illic ornatum fuisse. Cum autem Venus præsit fœderibus amorum, *Appiades* autem illæ deæ sub templo Veneris positæ essent, eas quoque velut Veneris contubernales & ejusdem templi consortes, amorum fœderibus ceu feciales

les voluiſſe Ovidium, nec talia jurgia liteſque probare dixiſſe. Id ita ſe habere apparet ex Art. Amand. I. 82.

Subdita quæ Veneris facto de marmore templo
Appias expreſſis aera pulſat aquis.

Hic locus fidem facit, ſub templo Veneris fuiſſe aquæ *Appiæ* ſalientem: illudque *Appii* monumentum, ut credibile eſt, dearum ſignis, &, ut reor, nympharum ornatum erat, quæ *Appiades* deæ ſunt. *Turneb. Adv.* v. 17.

APPIANUM vinum. V. illud infr. in *Vinum.*

APPIOLAS oppidum Latinorum propinquum incendit L. Tarquinius Priſcus, ut Reipublicæ fines propagaret. Dionyſ. III. p. 186. *Inito imperio bellum primum cum Appiolis geſſit, non obſcura Latinæ gentis civitate. Nam Appiolani, & cæteri Latini omnes Anci obitu ſolutas eſſe fœderis conditiones arbitrati, latrociniis, & excurſionibus Romanum agrum infeſtabant. Hanc injuriam ulciſci volens Tarquinius magno exercitu educto, optimam agri eorum partem devaſtavit. Duplici prælio cum eis congreſſus, utroque victor, tandem obſedit oppidum, & copias per vices ad muros oppugandos admovit. Oppidani mature expugnati ſunt. Oppidum vi captum direptum prius, mox concrematum eſt.* Sigon. de Ant. jur. civ. Roman. I. 2.

APPIUS prænomen ex Sabinis ortum traxit. Forte ex prænomine Sabino Actio, ut refert Valerius X. Idque Romæ Claudiorum fuit. *Urſat. de Not. Roman. Theſ. Antiq. Roman. Græv. Tom.* XI. *p.* 551. *E. Sigon. de Nom. Roman. c.* 3. *Panvin. de Nom. Roman. Theſ. Antiq. Roman. Græv. Tom.* II. *p.* 2024. *C.* Primus ita appellatus eſt Actius Clauſus ille, qui poſtea *Appius* Claudius Sabinus dictus eſt, princeps gentis Claudiæ patriciæ. Liv. II. 16. *Namque Atta Clauſus, cui poſtea Appio Claudio fuit Romæ nomen, cum pacis ipſe auctor a turbatoribus belli premeretur, nec par factioni eſſet, ab Regillo magna clientium manu Romam transfugit.* *Appii* prænomen proprium Reipublicæ temporibus Claudiis patriciis tantum fuit. Etenim non omnia omnibus familiis prænomina communia fuerunt, ſed alia aliis peculiaria. Poſt Auguſti vero tempora in Faſtis Conſularibus quendam ex gente Junia hoc prænomine uſum inveni. *Panvin. l. l.* Pro nomine gentilitio, tum virorum, tum feminarum habitum eſt Hoc ſaxa demonſtrant apud Gruter. p. 753. n. 4.

P. APPIUS. P. F. EUTYCHES

p. 1090. n. 21.

C. APPIO. C. FILIO. VOL
FLAVO

p. 1091. n. 22.

L. APPIA. A. F-
TERTULLA
D. D. D

Urſat. l. l. Sigon. de Nomin. Roman. c. 4. Claudius Cæcus primus literam *R* protuliſſe dicitur. *Strein. de Gent. Rom. in Valeſia.* Cenſor *ſenatum primus libertinorum filiis lectis inquinavit: & poſteaquam eam lectionem nemo ratam habuit, nec in curia adeptus erat, quas petierat, opes urbanas, humilibus per omnes tribus diviſis, forum & campum corrupit.* Liv. IX. 46. *Manut. de Civ. Rom. Theſ. Antiq. Roman. Græv. Tom.* I. *p.* 24. *D:* 36. *B.*

APR.

APRILIS fuit ſecundus menſis anni ex conſtitutione Romuli. Hunc Veneri Æneæ matri conſecravit Romulus. Ovid. Faſt. I. 39.

Martis erat primus menſis, Venerisque ſecundus,
Hæc generis princeps, ipſius ille pater.

Habuit primum ex conſtitutione Romuli triginta dies: mox Numa eum ad novem & viginti redegit; deinde Cæſar ad triginta rurſus reſtituit. Habet nonas V. & Idus XIII. *Viola de vet. & nov. Roman. temp. rat. Theſ. Antiq. Roman. Græv. Tom.* VIII. *p.* 191. *B. Panvin. in Faſt.* I. *p.* 26. Sunt qui putant Romulum certi numinis providentia ita primo ordinaſſe menſes; ut cum præcedens Marti eſſet dicatus, deo plerumque hominum necatori, ſecundus dicaretur Veneri, quæ vim ejus quaſi beneficio leniret. *Moreſtell. de Menſib. dial.* v. Veteres Latini tutelæ Veneris hunc attribuere. Unde de Idibus Aprilis Horatius loquens ait Od. IV. II. 15.

Qui dies menſem Veneris marinæ
Findit Aprilem.

Græci, teſte Suida, tutelam ejus ad Apollinem referunt. *Junius de Ann. & menſ. c.* 4. *Aleand. Tab. Heliac. explic. Theſ. Antiq. Roman. Græv. Tom.* v. *p.* 741. *B. Panvin. de Lud. circenſ.* II. 2. *Laurent. Var. ſacr. gentil. c.* 19.

APRONIA gens. V. illam infr. in *Gens.*

APU.

APULEJA gens. V. illam infr. in *Gens.*

APULESIUM colonia. Hujus coloniæ tantum vetus lapis meminit.

P. ÆLIO. P. F. PAPIR. MARCELLO
PATRONO. ET. DECURIONI
COLONIÆ. APULESIUM.

Panvin. Imp. Roman. c. II.

APULIA ad Garganum eſt montem, ut Calabria ad Tarentum; ſed nunc tota a Lao flumine Tarentum uſque eſt Calabria, cujus illa civitas erat metropolis; ubi purpura veſtes Principis tingebantur. His regionibus unus datus erat Corrector. Ejus inſignia in calce operis a Notitia oſtenduntur. Sunt in ſummo auratæ columnæ, duo averſi, ſed ita connexi Principes, ut in unum deſinant. Ingenioſum inventum ad miram duorum Imperatorum concordiam oſtendendam. Nigra tenuisque linea utriusque caput & corpus dividit, ut ferme ex inviſibili hac diviſione ipſorum unitas minime tolli poſſe videatur. Prope eſt abacus albo tapeto inſtratus, qui librum rubro core tectum ſuſtinet. Infra imago eſt oppidi cum hac inſcriptione, PROVINCIA APULIA ET CALABRIA. In manuſcriptis vultus tantum duorum Principum apparent. Liber auro tectus cœruleo ſurrectoque tapeto nititur, in cujus dorſo hæ notæ leguntur, FL. VAL. CORR. JUS. DD. quas ita interpretor. *Felix liber vendicandus a laterculo Correctori juſſu dominorum.* Pancirol. Not. Dign. Imp. Occid. c. 53.

APULUS, quæ dicitur Ovid. Conſol. ad Liviam n. 388.

Danubiusque rapax, & Dacius orbe remoto
Apulus huic hoſti perbreve Pontus iter.

Transſylvaniæ inſignis olim civitas fuit, Albæ proxima. Hæc Ovidio exſulante cum nondum a Romanis fuerat ſubjugata, multis tamen bellis laceſſita, hoſtis appellatur, unde ad pontum perbreve ſit iter. Dacius additur, ut diſtinguatur ab *Apulia* Italiæ. *Zamoſc. Daciæ Antiq. Anal. c.* 8. Panvinius tamen de Imp. Rom. Stephan. Lex. Hiſt. Geogr. Poet. & Ferrar. Lex. Geogr. atque iſtos ante Ptolemæus *Apulum* ipſum nunc Albam Juliam dicunt, quæ ſicuti tunc Daciæ, nunc Transſylvaniæ metropolis. Urbem hanc coloniam a Romanis deductam facile eſt credere, cum Trajanus ipſe Daciam totam, victo Decebalo Rege, Romano adjecit imperio. *Urſat. de Notis Roman. Theſ. Antiq. Roman. Græv. Tom.* XI. *pag.* 554. *F.*

APY.

APYRENON malum eſt Punicum, *cui lignoſus nucleus abeſt. Sed candidior ei natura, & blandiores ſunt acini, minusque amaris diſtincti membranis.* Plin. XIII. 19. Senec. Epiſt. 85. *Sic, inquit, ſapiens imperturbatus dicitur, quomodo apyrina dicuntur, non quibus nulla ineſt duritia granorum, ſed quibus minor.* Ejus mentio fit apud Mart. XIII. 42.

Non tibi de Libycis tuberes, & apyrina ramis,
De Nomentanis ſed damus arboribus.

c. 43.

Lecta ſuburbanis mittantur apyrina ramis,
Et vernæ tuberes: quid tibi cum Libycis?

Voſſ. Lexic. Etymol. Rader. in Martialem. Lipſ. in Senecam.

AQU.

AQUA, Thaleti rerum parens, duplex e terra ſcaturit, calida inquam & frigida. In Scamandri ad Ilium fluento duos fontes, quorum alter aqua tepida fluit, al-

ter similis grandini, vel nivi frigidæ statuit Homer. Iliad. XXII. In Atlantica insula tam frigidos quam calidos fontes statuit Plato in Critia. Campania veteribus felix appellata est, quod calidos frigidosque fontes habeat ad valetudinem magnopere oportunos. Palæstina non frigidis tantum lymphis abundat, verum & calidas scaturigines habet, quas Ana primus in solitudine adinvenit Gen. c. 36. n. 24. Quanquam Ibycus tradit ab Hercule repertas, sibi a Vulcano indicatas, ut cum laboribus esset confectus illis recrearetur. Pisander vero Herculi a Minerva demonstratas. In Hungaria supra Budam frigidæ fons calidæ ita contiguus est, ut qui haustum veniunt duabus urnis, eodem in vestigio altera calidam, altera frigidam haurire possint. In sylva Dei Hammon adest aqua Solis nuncupata, quæ matutino tempore est tepida, in meridie frigidissima, vespertino vero tempore maxime calida. Curt. IV. 7. 22. Apud Garamantas quidam fons exstat tam frigidus diebus, ut non bibatur, tam fervidus noctibus, ut non tangatur. August. de Civ. Dei XXI. 5. *Butius de Pot. Ant. c.* 2. *Aquam* bibebant milites Romani. Spartian. de Pescenn. c. 7. *Cum apud Ægyptum ab eo limitanei milites vinum peterent, respondit: Nilum habetis, & vinum quæritis?* Plutarch. de Caton. Censor. p. 336. F. *Aquam bibit in militia, nisi si in acri siti & calore acetum posceret.* Cato igitur *aqua* mera vulgo usus; interdum aceto, non solo, sed cum *aqua* scilicet mixto, quod poscam vocabant. V. illam in *Posca.* Lips. de Milit. Roman. V. dial. 16. Thys. Rom. Illustr. V. p. 146.

Aqua calda, sive calida, quam ignibus temperatam vocat Hor. Od. III. 19. 6. in usu fuit frequenti ad convivia. Testes mihi Juven. Sat. V. 60.

Quando vocatus adest calidæ gelidæque minister?

Mart. VIII. 67. 6.

Caldam poscis aquam, sed nondum frigida venit:
Alget adhuc nudo clausa culina foco.

XIV. 105.

Frigida non desit, non deerit calda petenti.

Senec. de Ira. I. 12.

Idem faciunt, si calida non bene præbeatur.

Varr. L. L. IV. *Calix a caldo, quod in eo calida puls apponebatur, & calidam eo bibebant.* Paull. I. 18. de instr. & inst. leg. *Nec multum refert inter cacabos & aenum, quod supra focum pendet. His aqua ad potandum calefit, in illis pulmentarium coquitur.* Etiam apud Græcos idem mos, & præceptum est apud Athen. II. p. 45. D. *Aquam præbibere calidam maxime hyeme, ac vere, æstate frigidam.* Et ex Eupolide probat calidæ potum apud veteres in usu fuisse III. p. 123. A.

Ahenum calefacere nobis aliquem, & aquam
Jube decoquere, visceribus ut auxiliemur.

Imo in deliciis fuit. Inde, cum hilarior invitatio describitur, aut solutior luxus, apud Plautum mentio thermopolii, de quo infr. in *T.* Nec ab alia causa agnominatio illa Tiberii Imp. *Biberius Caldius Mero.* Caldius videlicet a frequenti *calidæ* potu. *Lips. Elect.* I. 4. *Ursin. Append. ad Ciaccon. de Tricl. p.* 334. 335. *P. Serv. Misc. c.* 9. *Nonn. de Re Cib.* IV. 6. *Freinsh. Diss. de calid. pot. c.* I. §. I. *&* 2. *Bruyer. de Re cibar.* XVI. 15. *Potter. Archæol. Græc.* IV. 18. *Salmuth ad Panciroll. de Reb. Deperd. & Inv. p.* 541–544. *Butius de Pot. Ant. c.* 4. *&* 5. *Stuck. Ant. Conv.* III. 6. Vas ad parandam *aquam* calidam, dicebatur miliarium. Describitur Senec. Nat. Quæst. III. 24. *Facere solemus dracones, & miliaria, & complures formas, in quibus ære tenui fistulas struimus, per declive circumdatas: ut sæpe eundem ignem ambiens aqua per tantum fluat spatii, quantum efficiendo calori sat est. Frigida itaque intrat, effluit calida.* Ursin. & Stuck. l. l. Freinshem. ibid. §. 5. Absurdum est Tiberium a calidæ potu dictum Caldium, sic enim injuria Mero appellaretur: qui vel abstemius esset, si calida tantum *aqua* uteretur: vel si calidum vino infunderet, non esset meri avidus. *Castal. Decad. contr. Critic. c.* 9. Non repugnant Castalio, mihi crede. Potuit enim eadem cupiditate & merum & aliquando calidam sequi. An non meri cupidus vere dici potest, qui paullulum utatur calidi, vini plurimum. *Calido inebriatos* dicit Plaut. Curc. II. 3. 15. Ergo vino calido. Quod si *calidum* vinum bibimos erat, quis dubitat Tiberium Claudium Neronem, quippe calidæ ac meracæ potionis amantissimum, Biberium Caldium Meronem haud injuria dictitatum. Veteres intemperanter ac libidinose gulæ palatoque indulgentes, ut vinum suaviori gustu sentirent, intimas dulcesque ejus qualitates elicerent, & quasi sugerent, igne calefactum adamabant. Caloris enim natura est arctata & densa corpora laxare, excitare sopita, & quasi obtusa acuere. Et vinum calefactum intimas suas qualitates uberius promet. Et hoc animadvertendum est, dicterium istud inversione nominis compositum fuisse, quod lusuum genus ita liberum est, ut non sæpius imponat sententiam, quam accipiat. *Serv. l. l. Freinsh. ibid.* §. 5. Erat potius hæc confecta, dulcis, passa, murrhina, defrutum, quam *aqua* calida. *Turneb. Adv.* XX. 10. *Mercur. Var. Lect.* I. 8. Verum hi hoc sine auctore veteri ponunt. *Taubman. in Plaut. Trin.* IV. 3. 6. *P. Serv. l. l.* Contendit Mercurialis *calidam* esse eam, quæ insitis duntaxat a natura qualitatibus contenta, nulla plane arte caluerit: sive, ut verius & apertius loquar, quæ nive refrigerata non fuerit: idque ex Philemone, asserente vili admodum, chalco scilicet eam vendi consuevisse. Jam si Mercurialis ex eo, quod tam vili venderetur, probat, nulla eam arte calefactam esse, sane multo probabilius ei suadere possum, non fuisse confectam, nec dulcem. nam hæc tabernariorum industria, ac labori, pretioque dulciariorum longe pluris venierit, necesse est. *P. Serv. l. l. Ferrar. Elect.* I. 12. *Potter. Archæol. Græc.* IV. 18. *Caldæ* hujus, sive calidæ *aquæ*, quam Græci pariter θερμὸν, & θερμὸν ὕδωρ appellant, ex frequenti balneorum consuetudine ad potum usum emanasse fieri potuit, cum ibi præsto ad bibendum haberetur; non extra enim tantum adhibita recreat, & lassos reficit; verum & interius adsumpta a defatigatione prodest, & partes internas lenit. *Butius de Pot. Ant. c.* 4. Plures enim ejus usus, quam ut huc transferre liceat, exhibent *Stuck. & Nonn. l. l. Baccius de Therm. c.* 24. Ad sanitatem enim primo instituta fuit, & præbita hominibus ægris & infirmis, senibus delicatioribus, iisque qui iter magnis in frigoribus faciebant, deinde etiam a pluribus in communem usum deducta, potissimum ab orientalibus populis, ac frigidi temperamenti hominibus, quorum stomachus calido fotu egebat, iisque etiam qui imbecillioribus cibariis utebantur, ac jejunio carnem castigabant. *Butius de Pot. Ant. c.* 7. *&* 8. Calida *aqua* corpus, ubi homo animam efflasset, abluerunt veteres. V. supr. in *Abluebant.* Romæ a Claudio sublata est. Dio LX. p. 669. B. *Cauponum tabernas, in quas coeuntes potabant, demolitus est, edixitque ne quis carnem elixam, aut aquam calidam venderet, in quosdamque contra delinquentes animadvertit.* Idem LIX. p. 648. E. præterea refert, Cajum Caligulam ob mortem Drusillæ sororis interdixisse, ne quis intra dies funeris ipsius aliqua in re lætitiam præ se ferret. Unde quidam *ob aquam calidam venditam impietatis reus factus ab eo trucidatus fuit.* Baccius ibid. c. 13. Stuck. l. l.

Aqua frigida, ὕδωρ ψυχρὸν à Græcis dicta, ut quæ ad potandum maxime est apta, fuit olim in antiquis illis Græcorum atque Romanorum mensis atque cœnis usitata. Est autem vel suapte natura frigida, & quidem alia alia frigidior, vel arte adhibita. Nive quidem & glacie potionem refrigerarunt veteres. Mart. XIV. 117.

Non potare nivem, sed, aquam potare rigentem
De nive commenta est ingeniosa sitis.

Plin. XIX. 4. *Hi nives, illi glaciem potant, pœnasque montium in voluptatem gulæ vertunt. Servatur algor æstibus, excogitaturque ut alienis mensibus nix algeat.* XXXI. 3. *Neronis Principis inventum est* ad potum magis frigidum reddendum, *decoquere aquam, vitroque demissam in nives refrigerare. Ita voluptas frigoris contingit sine vitio nivis.* Ursin. Append. ad Ciaccon. de Tricl. p. 333. P. Serv. Misc. c. 9. Stuck. Ant. Conv. III. 6. Butius de Pot. Ant. c. 18. Oisel. in Gell. XIX. 5. *Aquæ* frigidæ potus, si is frequens sit atque copiosus, sanis obest. Gell. XIX. 5. *Is nos aquam multam ex*

diluta

diluta nive bibentes coercebat, severiusque increpabat. Adhibebat nobis auctoritates nobilium medicorum; & cum primis Aristotelis Philosophi, rei omnis humanæ peritissimi: qui aquam nivalem frugibus sane & arboribus fœcundam diceret, sed hominibus potu nimio insalubrem esse; tabemque & morbos sensim atque in diem longam visceribus inseminare. Calorem enim innatum exstinguit, pectus offendit, ciborum appetentiam dejicit, & nervosis omnibus adversatur partibus. Quo vero *aquæ* sunt frigidiores, eo deteriores sunt, sunt enim difficilioris digestionis, nimirum ob frigiditatis excessum. *Stuck.* & *Oisel. l. l.* Frigidarum præterea *aquarum* usus duplex fuit antiquis. Unus erat quidem simplex natatio in lacubus, fluviis, mari ac fontibus. Melius est natare in mari, quam in fluviis & in id genus crudis aquis, tum quia marina *aqua* facilius sustinet hominum corpora crassitie; tum etiam quia minus penetrare potest, quam dulces, & minus lædit. Institutum hoc antiquissimum tres habuit rationes: nempe ad exercitationes corporum pro sanitate tuenda; ad disciplinam juventutis in re militari; & ad morborum plurium curationes. Alter in ipsis balneis, successiva lavatione *aquarum*, temperatarum scilicet aut calidarum, & mox frigidarum. In balneis quidem antiquior fuit temperatarum & calidarum lavatio; nam etiamsi ante thermas frigidis sponte manantibus, fluviisque uterentur in lavationibus, introducto tamen thermarum ritu per initia calidis solum ac tepidis aliquo tempore lavari solitum fuisse videtur. Postea vero cum geminus is usus & in sanis, & in ægris cum magno hominum applausu invaluisset; tota ad postremum lavationum utilitas ipsi frigidæ lavationi relata est. Videntibus plane a balneo per frigidam & adstringi corpora, & uniri calidum innatum, & vires firmari; unde per calidam in thermis præparabantur homines ad frigidæ usum. *Baccius de therm. c.* 25.

Aqua tepida media est inter calidam & frigidam. Tepor enim nihil est aliud, quam conditio quædam media, quam sortitur id, quod ab extremorum alterutro calido frigidoque æqualiter recedit. Hoc innuit ipsa tepidi natura, præ se fert nomen, & Galenus de ratione victus in acutis apertissime declarat. Nam explanans illud Hippocratis ἀκροχλίαρον, inquit: *id calidi frigidique perfectum est medium.* Ergo & id, quod æstu fervet, si temperanter frigescat; & quod maxime alget, si moderatum concipiat calorem, tepescere dicitur. Docet hoc argumentum ex antiquitate depromptum. Thermarum tres præcipue partes fuisse constat, Calidarium, Frigidarium, Tepidarium. Et hujus quidem duplicem usum: alterum ad eorum voluptatem, qui aeris, aut aquæ tepore: alterum ad hoc, ut qui e calido ad frigidum balneum, vel e frigido in calidum migrabant, in medio tepidario tantisper morarentur, ut facilius alterum extremorum ferre possent. Nam repente, & absque medio ab extremo transire ad extremum quam molestum sit, quam acerbum, ii probe norunt, qui manus contrectata nive algentes ad ignem admovent. Qui vero e frigidario in tepidarium migrabant, calore afficiebantur: qui vero e calidario rigore & frigore. Ergo tepescere est calefieri, est frigescere. Uterque igitur & Castalio, & Lipsius recte videntur sentire, dum tepescere alter calefieri esse opinatur, alter frigefieri. Uterque hallucinatur, cum alter alterum neget. *P. Serv. Misc. c.* 9.

Aqua recens de fonte hausta ob insitam frigiditatem longe suavior est ea, quæ egelida facta in vase quievit. *Butius de Pot. Ant. c.* 11. Prius calefacta magis refrigeratur, & inalgescit, ut ea quæ Imperatoribus paratur igni admota dum ferveat. At non intensius tantum, sed etiam citius. Et multi cum *aquam* refrigerari cito voluerint, ad solem ponunt primo. Præsente calore frigus fortius agit, ut frigore calor; ignis enim *aqua* respersus vehementius incalescit. Sol majorem in mari æstum, quam in terra gignit, quod *aqua* magis quam terra illi adversatur. Cruda inflat, & terrestres quasdam partes retinet, unde bibentibus laboriosa efficitur. Athen. III. 21. *Butius ibid. c.* 16. Et aut sterilitatem, aut partum fœmineum facit. Aristot. de Gener. Anim. c. 4. *Butius ibid. c.* 21. Optima vinum minimum ferre potest, id est, minimo infuso vino recipit saporem. Quia optima aqua ἀποιότατός ἐςι. *Buleng. de Conv.* III. 11. Neque pota, neque extrinsecus occurrens natura apta est solidas partes humectare: non enim nutrit intus absumpta, sed alimenta ad solida usque convehit, & remittitur. Nec eo magis foris adhibita, si insensibiles permeet vias, suam qualitatem in intimas partes propagare valet. Certe minus humectat quam mulsum & vinum. *Baccius de Therm. c.* 22. Serius Romam perducta est propter duas potissimas causas. Tum quia primi illi patres non tam frugi tandem futurum hunc ritum existimaverunt, quam luxus & mollitiei fore lenocinium. Deinde ob aquarum incommoditatem, quarum in colles, ubi tunc habitabant, difficilis erat, & non sine maxima impensa perductio. Verum hoc lautitiæ desiderio universim ingruente, auctaque spatio temporis spectatæ Urbis in finitimas terras auctoritate; de *aquis* tandem e vicinis montibus, fluviisque in Urbem perducendis, decreto publico S. P. Q. R. statutum est: quæ & potuum simul, & lavationum ritui suppeterent. Quod factum est primum M. Valerio Maximo & P. Decio Mure Consulibus circa annum ab U. C. 444. A quibus temporibus Tiberinarum *aquarum* usus ad eam usque ætatem tam potu quam lavacro frequentissimus, exolescere paullatim incepit. *Baccius de Therm. c.* 2. *Marlian. Topogr. Urb. Rom.* IV. 10. Non erat permissum *aquam* nisi ex castello adducere, ne aut rivi, aut fistulæ publicæ lacerarentur. Publicis idcirco thermis propria castella videntur fuisse constituta. In privatis autem prima Censorum, aut Ædilium erat auctoritas, quorum arbitratu per modulos, vel unciæ nomine, certo soluto annuo vectigali concedebatur. Legeque cautum, ne quis privatus aliam duceret, quam quæ ex lacu redundaret, quam caducam vocabant: & hanc ipsam non in alium usum quam balnearum, aut fullonicarum dari esse solitam. Omnem aquam in publicos usus erogari debere. *Baccius ibid. c.* 4. *Pancirol. Notit. dignit. imper. occident. c.* 12. *Marlian. l. l.* Tribus modis in Urbem ducebatur, fistulis plumbeis, aut tubulis fictilibus, vel structilibus canalibus, quæ formæ appellabantur. V. illas infr. in *F.* Panciroll. Not. Dign. Imp. Occid. c. 5. Interdum per plurium prædia ducebatur. Ex unius enim agro aliquando oriebatur, & ex fonte, qui in ejus agro erat, ducebatur. Per alterius vero fundum ducebatur. Ducebatur vero fistulis, usque adeo, ut etiamsi de ea re in servitute constituta nihil nominatim comprehensum esset, pro cauto tamen haberetur, fierique liceret. Per lapidem vero stratum non aliter duci poterat, quam si hoc in servitute constituenda cautum fuisset. Ei quoque cui iter aquæ per alienum fundum cessum esset, licuit fistulam suam, vel fictilem, vel cujuslibet generis in rivo ponere, quæ aquam latius exprimeret. *Aqua*, quæ per fundum alienum jure servitutis ducebatur, iter determinari in servitute imponenda solebat. Quod si non destinata esset pars per quam duceretur, totus fundus serviebat, sed quæ loca ejus fundi, tunc cum ea fieret cessio, ædificiis, arboribus, vineis vacua erant, ea sola eo nomine serviebant. Sed etsi ductus legatus esset simpliciter per fundum, hæredi facultas fuit per quam partem fundi vellet constituere servitutem, dummodo nulla legatarii captio esset. *Brisson. de Form.* VI. *p.* 552. Ducendarum *aquarum* duo erant genera. Erat enim quotidiana, erat & æstiva. Quotidiana ab æstiva usu differebat, non jure. Quotidiana enim erat, quæ duci assidue solebat, & quotidie duci poterat, sive æstivo tempore, sive hyberno, etiamsi aliquanto temporis momento ducta non esset. Æstiva vero ea erat, qua æstate sola uti expediret, & qua quis æstate sola utebatur, sive perpetuo duci, sive nonnisi æstate duci ea posset. Enimvero poterat eodem tempore alius quotidianam, alius æstivam *aquam* ducere: ita ut æstate divideretur inter eos *aqua*, hyeme solus duceret is qui quotidianæ jus habebat. Interdum nocturnæ duntaxat *aquæ* servitus cedebatur, interdum vero diurnæ solius. Et is quidem qui diurnarum, aut nocturnarum horarum

rarum *aquæ* ductum haberet, non poterat alia hora ducere quam qua jus habebat ducendi. *Briſſon. ibid. p.* 551. *Aquæ* jus neque ad hæredem, neque ad emptorem tranſibat, neque ullum novum dominum prædiorum ſequebatur. Balneis tamen, quæ publice lavarent, ſemel data *aqua* perpetuo manebat. Vacantes in commentarios redigebantur, qui reſpiciebantur, ut petitoribus ex vacuis dari poſſent. Qui igitur aliquam *aquam* impetraſſet, oportebat a Principe epiſtolam ad curatorem afferre, curatoremque ipſum præſtare maturitatem; & ad procuratorem ejuſdem officii libertum Cæſaris protinus ſcribere, ne quandoque negligentiam aut fraudem ſuam ignorantiæ colore defenderet; procuratoremque calicem ejus moduli, qui fuerat impetratus, adhibitis libratoribus ſignare, ad lineamque aliorum collocare. *Marlian. Topogr. Urb. Rom.* IV. 10. *Auguſtin. de Senatuſconſ. Theſ. Ant. Roman. Græv. Tom.* II. *p.* 342. *C.* *Aquam* aquæductibus publicis Romæ conſtitutis, vetitum fuit privatis aliquam inde *aquæ* partem decerpere, ſed teſtante Frontin. II. *apud antiquos omnis aqua in publicos uſus erogabatur, nec privatis quicquam aquæ, niſi quæ ex lacu abundavit, ducere licuit, & hæc ipſa non in alium uſum, quam in balnearum, aut fullonicarum dabatur, eratque vectigalis ſtatuta merces, quæ in publicum penderetur.* Deinde ſenſim jus *aquam* ex publicis canalibus deducendi a cenſoribus, vel quoties ei in Republica non eſſent, ab ædilibus, privatis conceſſum, qui inde ductis rivis, & canalibus agros ſuos irrigabant, dato certo vectigali. Poſtea ſoli Cæſares ſibi jus *aquam* publicam concedendi ſervarunt, nec voluerunt, ut *quiſquam ſine literis duceret.* V. l. 2. C. Theod. de aquæductibus. *Burmann. Diſſert.* XII. *de Vectig. p.* 238. *Alexand. de Nigris apud Malvaſ. Marm. Felſin. Sect.* III. *c.* 1. Menſuris dividebatur. *Aquarum* autem moduli, aut ad digitorum, aut ad unciarum menſuram inſtituti erant. Digitus erat ſextadecima pars pedis, uncia duodecima. Digitorum alius quadratus vocabatur, alius rotundus. Poſtea modulus nec ab uncia, nec ab alterutro digitorum originem accipiens, in uſum Urbis, excluſis prioribus, venit quinario nomine appellatus. *Briſſon. de Form.* VI. *p.* 552. Erat inter liquores iſtos, quos mortuis ſolebant inferre. Vocabatur Latinis Arferia, vel Arferial. *Aquam* hanc, ſi vir aut femina apud Græcos e vita exceſſiſſet, portabatur a mulieribus, quæ peculiari nomine Ἐγχυτρίστριαι dicebantur. Si vero juvenis quiſpiam aut virgo, tunc iſtoc officio fungebatur puer genere proximus. *Kirchman. de Fun. Rom.* IV. 2.

Aqua Albudina legitur in Victore recentiori. Sed occurrit nobis perquam frigidum & inane additamentum, ut ita *aquarum* numerum ſuppleret, quas alibi invenire non poterat. *Nardin. Rom. Vet.* VIII. 4. *Donat. de Urb. Rom.* III. 18.

Aqua Alexandrina ab Alexandro dicta eſt. *Panciroll. Not. Dign. Imp. occid. c.* 12. Illam ab *aquarum* numero excludimus. *Fabrett. de Aquar. Duct. Diſſ.* I. *Theſ. Antiq. Roman. Græv. Tom.* IV. *p.* 1786. *B.* Alexandrinas *aquas* ſuo tempore appellatas fuiſſe, quæ ante Neronianæ fuerint dictæ, ſcribit Eutrop. VII. 15. Legitur Alexander Severus apud Lamprid. c. 25. *thermas ſui nominis feciſſe, juxta eas, quæ Neronianæ fuerant, aqua inducta, nunc Alexandrina quæ dicitur.* Sed hiſce Lampridius oſtendit aperte, Alexandrinas a Neronianis & loco, & nomine differre. In domibus autem adjacentibus thermis Neronis, verſus ſeptemtrionem, vidi antiqua pavimenta, & fiſtulas plumbeas, puteumque qui nulla ratione exſiccari poterat, ut ductum eſſe exiſtimem illius aquæ, quam *Alexandrinam* appellat Lampridius. *Marlian. Topogr. Urb. Rom.* V. 12. Innuit Lampridius *aquam* e veteri ab Alexandro Imperatore in thermas ſuas eſſe tranſlatam. *Nardin. Rom. Vet.* VIII. 4.

Aqua Algentiana ſub Tuſculanis collibus ad nonum circiter ab Urbe lapidem primum emergit, & rurſus per aliam vallem, ſub turri *di meza via di Fraſcati* plures arcus tranſmittit, Romamque indubie petit; licet illius ne minimum ultra veſtigium invenire potuerim. *Fabrett. de Aquæduct. Diſſ.* III. *Theſ. Antiq. Roman. Græv. Tom.* IV. *p.* 1760. *E.* 1772. *D.* Quæ qualis fuerit, nulla poſſum ratione aſſequi. Videtur tamen ex monte Algido (V. illum ſupr.) Romam deduci potuiſſe. Certe in edita Algidi parte naſcitur illa *aqua*, quam Cardinalis Aldrobandinus in Tuſculanum ſuum deduxit, quibus hortis ab eleganti proſpectu *Belvedere* nomen. Non igitur a veri quadam ſpecie alienum, fontem hunc e loco tam vicino ab Imperatorum aliquo ubertate & altitudine *aquæ* ejus permoto in Urbem inductum fuiſſe. *Nardin. Rom. Vet.* VIII. 4.

Aqua Alſia an unquam fuerit, V. infr. in *Aqua Setina.*

Aqua Alſietina ex lacu Alſietino, via Claudia, deducta eſt ab Auguſto. Ideo & Auguſta eſt dicta. Parum eſt ſalubris. Forte Auguſtus, cum opus naumachiæ aggrederetur, ne quid ſalubrioribus *aquis* detraheret, hanc proprio opere perduxit: & quod naumachiæ cœperat ſupereſſe hortis ſubjacentibus, & privatorum uſibus ad irrigandum conceſſit. *Marlian. Topogr. Urb. Rom.* V. 19. *Donat. de Urb. Rom.* III. 18. *Volaterr. Comm. Urb.* VI. *p.* 189. *A. Fabrett. de Aquæduct. Diſſ.* III. *Theſ. Antiq. Roman. Græv. Tom.* IV. *p.* 1771. *D. Manut. Quæſ. Epiſt.* I. 2. *Panciroll. Deſcr. Urb. Theſ. Antiq. Roman. Græv. Tom.* III. *p.* 384. *B. Caſal. de Urb. ac Imper. Roman. ſplend. part.* I. *c.* 13. Hujus ductus reliquiæ in naumachia Auguſti ſub Hortulorum colle cernuntur, ſed *aqua* mox conditur, & in regione Tranſtiberina prope S. Mariæ templum, publico fonte emiſſa, uſibus dictis ſervit. Hadrianus primus illam reſtituit. *Fabric. Deſc. Urb. Rom. c.* 17.

Aqua Annia mihi eſt ignota. *Donat. de Urb. Rom.* III. 18. Dicta eſt, quia ab Aniene (V. ſupr.) in Tiberim defluente derivatur. *Panciroll. Deſcr. Urb. Theſ. Antiq. Roman. Græv. Tom.* III. *p.* 382. *B. C.*

Aqua Antoniana ab Antonino Caracalla deducta ad thermas, quas omnium pulcerrimas exſtruxit, & Antonianas nuncupavit. *Panciroll. Deſcr. Urb. Rom. Theſ. Ant. Roman. Græv. Tom.* III. *p.* 385. *B. Not. Dign. Imp. Occid. c.* 12. *Nardin. Rom.* VIII. 4.

Aqua Appia ab Appio Claudio Cenſore, poſtea Cæco, in Urbem eſt invecta M. Valerio Maximo & P. Decio Mure Conſulibus anno vigeſimo poſt Samniticum bellum cœptum. Frontinus. V. illum infr. in *Via Appia.* Collegam habuit C. Plautium Venocem cognominatum ob *aquarum* venas, quas ſcrutabatur, qui cenſura ſe abdicavit, ab Appio deceptus, qui ſe idem facturum ſimulaverat, ſed in magiſtratu permanſit, donec *aquæ* ductum perficeret. Concipiebatur in agro Lucullano via Præneſtina inter milliarium ſextum & octavum, diverticulo ſiniſtrorſus paſſuum ſeptingentorum octoginta. Excurrebat in longum ultra duo & viginti millia paſſuum. Junctus ramo Auguſtæ erat altitudinis pedum quinque, latitudinis unius & dodrantis. *Panciroll. Deſcr. Urb Rom. Theſ. Antiq. Roman. Græv. Tom.* III. *p.* 384. *A. Donat. de Urb. Rom.* III. 18. *Marlian. Topogr. Urb. Rom.* V. 26. *Manut. Quæſ. Epiſt.* I. 2. *Caſal. de Urb. ac Imper. Roman. ſplend. part.* I. *c.* 13. Per portam Capenam, nunc S. Sebaſtiani, in octo Urbis regiones uſque ad Campum Martium ex viginti caſtellis diſtribuebatur. *Baccius de Therm. vet. c.* 4. *Donat. l. l.* Poſt Alſietinam maxime humilis, & ſubterraneo labens rivo, quod humiliore directura antiquiores perducerent, nondum explorata arte librandi, vel quia ſponte *aquas* celarent, ne hoſtis interciperet. *Donat. l. l.* Hunc *aquæ* ductum vetuſtate collapſum M. Titius Prætor anno ab U. C. 608 reſtituit. In circum ad naumachiam hæc *aqua* duci conſueverat. *Panciroll. l. l.* Multa de hac *aqua* Fabrett. de Aquæd. Diſſ. I. Theſ. Antiq. Roman. Græv. Tom. IV. p. 1695.

Aqua Auguſta vocata etiam fuit alia, quam bonam & ſalubrem in Marciam, ut hanc adjuvaret æſtate ſicciore deficientem, corrivavit Auguſtus, opere ſubterraneo uſque ad Marciæ rivum. Ejus ductus, donec Marciæ accedat, efficit paſſus octingentos. Hic Auguſtæ ramus, ſufficiente ſibi tandem Marcia, in *aquæ* Claudiæ truncum derivatus eſt. *Nardin. Rom. Vet.* VIII. 4. *Borrich. Ant. Urb. Fac.* V. 17. *Panciroll. Deſcr. Urb. Rom. Theſ. Antiq.*

Roman.

Roman. Græv. Tom. III. *p.* 383. *F. Donat. de Urb. Rom.* III. 18.

Aqua Aurelia ad quem Cæsarem referenda? Nam plures Aurelii. Quorum unus ductus Marciæ instauravit (V. in *aqua Marcia*) Ab hoc Cæsare Aureliam fortasse adjecto ad Marciam nomine habemus. *Donat. de Urb. Rom.* III. 18. Dicta est a L. Aurelio Cotta, qui fuit Consul annis septem ante tertium bellum Punicum, ut auctor est Plin. XXXIII. 3. *Panciroll. Descr. Urb. Rom. Thes. Antiq. Roman. Græv. Tom.* III. *p.* 384. *D.*

Aqua caduca quænam fuerit dicta. V. supr. in *Aqua serius Romam perducta est.*

Aqua Capitolina non ad alia sacri montis loca, sed ipsum templum Jovis fuit derivata, videlicet ad officia sacrorum, & sacrificantium lustrationem. *Rycq. de Capit. c.* 37.

Aqua Cimina procul dubio e monte Cimino venit. Lacus enim Cimini *aqua* minus salubris, atque etiam nimis quum remota erat; nec tam longinqui ductus impensas merebatur. Ad ima vero Cimini montis scaturigines uberes sane, ac luculentæ fuere, præsertim in agro Sorano, & Vignanello. *Nardin. Rom. vet.* VIII. 4. *Pancirol. Descr. Urb. Rom. Thes. Antiq. Roman. Græv. Tom.* III. *p.* 384. *D. Bacc. de Therm. c.* 4. Panvinius hanc & Sabatinam unam fuisse existimat eandemque, verum quo inductus argumento, non videre me lubens agnosco, quum Sabatinæ aquæductus totus repertus sit, & monte Cimino longe remotus, neque adeo in ipsa recta ab Cimino Romam via. Quia nec ullum ejus trans lacum Braccianum vestigium apparet. *Nardin. Rom. Vet.* VIII. 4. *Donat. de Rom. Vet.* III. 18.

Aqua Claudia concipiebatur via Sublacensi ad milliarium octavum & trigesimum, diverticulo sinistrorsus intra passus trecentos, ex fontibus duobus amplissimis & speciosis Cærulo, qui a similitudine appellatus, & Curtio. Hisce Frontinus ad milliarium octavum, Plinius a lapide quadragesimo Claudiam concipi dicunt. Sed alter intelligit distantiam ab eo fonte, qui ab Urbe magis distabat, alter ab eo loco, ubi ambo jungebantur. *Fabrett. de Aqued. Diss.* II. *Thes. Antiq. Roman. Græv. Tom.* IV. *p.* 1718. *A. Marlian. Topogr. Urb. Rom.* IV. 11. *Borrich. Ant. Urb. fac. c.* 17. §. 3. C. Cæsar, qui Tiberio successit, cum parum, & publicis usibus, & privatis voluptatibus septem ductus *aquarum* sufficere viderentur, altero imperii sui anno, M. Aquilio Juliano, P. Nonio Asprenate Consulibus, anno ab U. C. 790. duos ductus inchoavit: quod opus Claudius consummavit, dedicavitque Sulla & Titiano Consulibus, anno ab U. C. 800. a. d. 6. Kalend. Aug. Alteri nomen Claudiæ datum. Hæc bonitate proxima Marciæ. *Frontin. de Aqued.* I. *Thes. Antiq. Roman. Græv. Tom.* IV. *p.* 1640. *D. Baccius de Therm. c.* 4. *Donat. de Urb. Rom.* III. 18. *Panciroll. Descr. Urb. Rom. Thes. Antiq. Roman. Græv. Tom.* III. *p.* 382. *E. Boissard. Topogr. Urb. Rom. Tom.* I. *p.* 37. Post Anienen secundum tenebat altitudinis locum, & post hortos Pallantianos (hi erant ad S. Eusebium in colle Esquilino) finitis arcubus, cum Aniene novo fistulis per Urbem distribuebatur. Sed ante partem sui ad portam nunc majorem transferebat in Cœlium: Nero enim exstructis arcubus deduci voluit in Palatium. Arcuum Neronianorum magna pars adhuc visitur, longo tractu intersecantium Cœlium montem. Incipientes enim ab ea, quam dixi, porta, secundum hortos Cardinalis Friderici Cornelii per dorsum Cœlii procurrunt ad basilicam Lateranensem: inde ad ædem S. Stephani cognomento rotundam, ubi dicitur olim fuisse templum Claudii. *Donat. l. l. Fabrett. de Aqued. Diss.* I. *Thes. Antiq. Roman. Græv. ibid. p.* 1690. *E.* Hanc propter salubritatem Vitellius in deliciis habuit, & Alexander Severus jejunus bibit ad unum prope sextarium. Ruinas ejus in Aventino prope S. Priscam, & prope portam Næviam in muro vidimus, canales scilicet saxeos tres, alterum alteri impositum, tantæ amplitudinis, ut unus a me perreptari posset. In Cœlio monte intra monasterium S. Johannis & Paulli fons restare dicitur, qui perenni aqua abundat, neque procul inde castellum *aquæ* est quadratum, & magna parte integrum. *Fabric. Descr. Urb. Rom. c.* 17. In hujus ductu novæ lapidum fodinæ fuerunt repertæ. Intermissæ enim aquarum cursu sub altissimis montibus Æquicolarum; sed nihilominus bibulæ terræ, quæ fornicis camera sustinetur, collecto superne humore in specus desudante, eoque arenæ admisto, locique opacati frigoribus concreto, novus lapis alabastrites ingenti massa formatus est, qui longitudinem formarum cum temporis diuturnitate compleverit. Institutis lapidicinis egeri jam, vectusque in Urbem, ac perpolitus collucere in aris cœpit. *Donat. de Urb. Rom.* III. 11.

Aqua Crabra præter caput Juliæ transfluebat, ut ait Frontinus, hoc est, ad dextram viæ Latinæ. Hanc, ut idem subdit, Agrippa emisit, id est, a ductu Juliæ exclusit, quia ejus usum improbaverat, sive quia Tusculanis possessoribus relinquendam credebat. Postea non quidem in Juliam est recepta, sed particulari rivo, quem & hodie occupat, Romam est perducta. Vestigia antiquitatis hujus ductus manent, tam in vetusto opere cataractæ, sive emissarii ad nonum ab Urbe lapidem viæ Latinæ, sub magnis quibusdam ruderibus, *li Centroni* nuncupatis; (ubi recepta in subterraneo specu ex *aquæ* quantitate, quam rivus, quem diximus, manufactus Romam desert, reliqua per agrum Romanum in Anienem fluvium transmittitur) quam etiam in hac eadem specus apertura priscam magnificentiam redolente; ubi per quatuor fere stadia terram subit, ut superato medio jugo facile ad Urbem, declivi semper exinde itinere, devehi valeat. Augetur hodie ex aquis Julia atque Tepula, quæ perruptis ductibus in eandem vallem Albanam influunt. Damnata postea fuit vocata. Hoc nomen effingendi occasionem videtur dedisse Frontinus, dum emissam, improbatam, atque exclusam memorat. Unde tam Victor, quam Notitia Crabræ nomen omittunt, quia, Damnatam, uti reipsa non diversam retinuerunt. *Fabrett. de Aqued. Diss.* III. *Thes. Antiq. Roman. Græv. Tom.* IV. *p.* 1757. *Donat. de Urb. Rom.* III. 18. In Urbe quoque Almonis nomine indigitatur. *Kirch. Lat. Nov. & Ant.* 1. 1. 2. *p.* 62. Hoc minime esse admittendum palam fit ex supra descripta origine & decursu *aquæ* Crabræ. Almo enim inter Ostiensem portam & templum D. Paulli Tiberi miscetur, & ejus fontes a remotis Crabræ longo terrarum divortio dividuntur. *Fabret. l. l.*

Aqua Felix in altitudinem Romanorum collium, in colle primum Quirinali, tum tota Urbe publicis privatisque fontibus emergens ad Urbem a Sixto V. Pontifice est perducta. *Donat. de Urb. Rom.* IV. 12. A Prænestinis usque collibus, longo excursu ab Urbe XX. mill. pass. Quam cum alii aliquam ex antiquis putent *aquis*, vel Claudiam, quicum certo spatio conducatur, vel novam perductionem, vel certe Appiam esse, quod ex eodem fere conceptaculo excipiantur: nos tamen re diligenter perspecta, Appiam quidem hanc a prima origine confirmamus; novam tamen esse perductionem, unde recte novo nomine, ac auctorem Felicem nuncupandam non dubitamus asserere, duplici ratione. Tum ob altitudinem: ubi enim Appia primum excepta erat humili situ, & secus viam Prænestinam excurreret, hæc perducta altius, ut nostra diligentia, ac relatis accepimus ab ejus operis præfectis, qui hanc perductionem, ac versuras ad regulam & libellam dimensi sunt, superat admodum antiquos Appiæ ductus. Tum quia manifeste hæc relicto a capite antiquo Appiæ ductu, ceu depressa nimis, ac semilaceræ structuræ, nunc novo ad sinistram ductu sub Columna Illustrium Columnarum oppido perducta, præalta multis palmis structura, partim rivo subterraneo, partim arcuata substructione, ac redivivis nonnullis Appiæ & Claudiæ fragmentis subvecta, per portam S. Laurentii, in altas Esquilias subit, ac in Quirinalem usque collem largis fontibus influit. Quare altitudine, præter unum Anienem, superat cæteros ductus antiquos: bonitate vero *aquæ* valde salubri, tanta ubertate ac commodita-

te jam in omnes Urbis regiones distribuendæ, ut opus egregium in perpetuam omni seculo laudem ipsi summo auctori commemorandum sit. *Baccius de Therm. c.* 5.

Aqua Herculanea, sive Herculea dicta est, non a Commodo, qui se Herculem fingebat & vocabat, non a Maximiano, qui & ipse eo modo se appellabat. Nam Plinius hujus *aquæ* meminit, qui ante hos longe fuit. Ipse Virginem *aquam* vult denominari, qui Herculaneum rivum refugiat. Quare ab aliquo signo Herculis, vel templo, unde oritur, dicta verisimilius creditur. *Panciroll. Descr. Urb. Rom. Thes. Antiq. Roman. Græv. Tom.* III. *p.* 383. *E.* Laudatissima est. Inferitur Anieni novo, ex qua mixtura gratiam amittit, & proinde separatim ire jussa ab Imperatore Nerva. *Borrich. Ant. Urb. Fac. c.* 17.

Aqua Janiculensis. Hanc Alexander in Urbem non invexit. Est enim eadem quæ Trajana. *Fabrett. de Aquæd. Diss.* I. *Thes. Antiq. Roman. Græv. Tom.* IV. *p.* 1704. *B.*

Aqua Julia a Julio quodam (Julium Cæsarem fuisse putat *Panciroll. Descr. Urb. Rom. Thes. Antiq. Roman. Græv. Tom.* III. *p.* 383. *F.*) inventa, & ab inventore nomen sortita est. Hanc M. Agrippa ex variis venis in agro Tusculano collegit & deduxit via Latina tredecim annis ante Virginem anno ab U. C. 721. ad milliarium ab Urbe duodecimum. *Fabric. Descr. Urb. Rom. c.* 17. *Donat. de Urb. Rom.* III. 18. *Borrich. Ant. Urb. Fac. c.* 17. §. 3. *Manut. Quæst. Epist.* I. 2. Ductu quindecim millium passuum prope portam Næviam parte sui effundebatur, altera pars effundebatur in Viminalem. *Donat. l. l.* Hanc Augustus in supplementum *aquæ* Marciæ, quoties siccitates egerent auxilio, opere subterraneo perduxit usque ad Marciæ rivum. Hujus ductus, donec Marciæ accederet, efficiebat passus octingentos. *Marlian. Topogr. Urb. Rom.* IV. 16. *Fabrett. de Aquæd. Diss.* II. *Thes. Antiq. Roman. Græv. Tom.* IV. *p.* 1737. *E.* Aurelianus illam restituit. Ductus in Esquilino rudera apparent, inter portam & Marii tropæa. *Fabric. l. l. Marlian. Topogr. ibid. c.* 17.

Aqua Juturnæ in foro fuit. Hanc valetudinis causa multi bibebant, & præ cæteris adhibebant ad sacrificia, ut olim Trœzenii Hippocrenem fontem, Athenienses Callirrhoen. *Fabric. Descr. Urb. Rom. c.* 15.

Aqua Labicana ex agro, in quo oritur, est vocata. Hanc Alexander in Urbem invexit. *Fabrett. de Aquæd. Diss.* I. *Thes. Antiq. Roman. Græv. Tom.* IV. *p.* 1704. *B.*

Aqua Martia non est dicenda, ut vulgo scriptores omnes, & inemendatissimus cæteroqui Frontini codex perpetuo retinent, sed Marcia. Exemplo hæc est inscriptio:

D. M
TIMBRÆO. AUG. L
CASTELLARIO
AQUÆ. MARCIÆ
CLAUDIA. DYNAME
MARITO. OPTUMO.

Fabrett. de Aquæd. Diss. II. *Thes. Ant. Roman. Græv. Tom.* IV. *p.* 1478. *A.* Cum Appiæ & Anienis ductus essent quassati, privatorum etiam fraudibus interciperentur, datum est a Senatu Marco Titio Prætori negotium eorum ductuum (V. in *Appia*) reficiendorum & vindicandorum: & quoniam incrementum Urbis exigere videbatur ampliorem *aquæ* modum, eidem mandatum, ut curaret, quatenus alias *aquas* posset, in Urbem perducere, & ampliores ductus faceret, reipublicæ causa a tertio milliario opera fabrorum duxit, cui ab auctore Marciæ nomen fuit. Perducta est anno ab U. C. 613. *Manut. Quæst. Epist.* I. 2. Ita quidem Front. n. 9. In contraria vero distrahit auctoritas Plin. XXXI. 3. *Primus eam in Urbem ducere auspicatus est Ancus Marcius, unus ex Regibus; postea Q. Marcius Rex in prætura.* Accedit, non leve testimonium Plutarchi in Coriolano, sub ipso libri initio. Μάρκιοι δ' ἦσαν, καὶ Πόπλιος, καὶ Κόϊντος, οἱ πλεῖστον ὕδωρ καὶ κάλλιστον ἐν Ῥώμῃ καταγαγόντες, hoc est, *P. quoque & Q. Marcii fuerunt, qui maximum atque pulcerrimum aquæductum Romæ fecerant.* In hac dubitatione potior mihi nihilominus Plinii & Plutarchi fides. *Fabret. l. l.* Qui mihi hoc non persuadent, cum Anco Marcio Rege longe a ditione Romanorum tam ipsa, quam regio, in qua oriebatur, Romanis esset ignota. *Donat. de Urb. Rom.* III. 18. Concipiebatur via Valeria ad milliarium tertium & trigesimum. Ductus ejus habebat longitudinem a capite ad Urbem passuum sexaginta millium septingentorum & semis, primum rivo subterraneo, deinde opere supra terram, tum opere arcuato, mox substructione, postremo rursus opere arcuato. Plin. XXXI. 3. a Frontino, qui hæc habet, dissentit. Ita ille de hac aqua. *Clarissima aquarum omnium in toto orbe, frigoris salubritatisque palma præconio Urbis, Marcia est, inter reliqua Deûm munere Urbi tributa. Vocabatur hæc quondam Aufeja, fons autem ipse Piconia. Oritur in montibus ultimis Pelignorum: transit Marsos & Fucinum lacum, Romam non dubie petens. Mox specu mersa, in Tiburtina se aperit, novem milibus passuum fornicibus structis perducta.* Manut. l. l. Marlian. Topogr. Urb. Rom. IV. 16. Fabric. Descr. Urb. Rom. c. 9. Casal. de Urb. ac Imper. Rom. splend. part. I. c. 13. Faunus Antiq. Urb. Rom. IV. 5. Pigh. Annal. Rom. III. p. 50. In Capitolium est deducta innumerabili sumptu, non sine aliqua tamen Decemvirorum obnunciatione, qui, dum aliis ex causis libros Sibyllinos inspicerent, invenisse dicebantur: non esse *aquam* Marciam, sed Anienem in Capitolium perducendam; deque ea re in Senatu fuisse actum Appio Claudio & Q. Cæcilio Consulibus, atque iterum tertio post anno C. Lælio, Q. Servilio Consulibus. Sed utroque tempore vicit gratia Q. Marcii Regis, atque ita est in Capitolium perducta. *Rycq. de Capitol. c.* 37. *Manut. l. l.* Et quidem ad Jovis templi usum, cum se in sacrificiis abluerent, & aliorum habitantium commodum. Ejus fistulas in seditione Saturnini, quod se in Capitolium cum ejusdem factionis civibus recepisset, Marius consul præcidit, sitique adversarios perdomuit. *Donat. de Urb. Rom.* II. 10. Tota etiam propter salubritatem potui serviebat. Etiam deducta est in colles Cœlium & Aventinum. Sed posteaquam Nero Imperator Claudiam opere arcuato assumpsit, exceptam usque ad templum divi Claudii perduxit, ut inde distribueretur; Marcia & Julia, quæ ipsa quoque in eos colles perducta fuerat, non ampliatæ, sed amissæ sunt. *Manut. l. l. Donat. ibid.* III. 18. Quare Trajanus ampliore opere his collibus Marciam reddidit, & suas in thermas induxit. Ideo & Trajana appellata est. Ejus ductus cum Augustus, sive Agrippa ejus nomine, & Titus refecissent, M. Antoninus iterum restituit, & novum illi fontem Antoninianum nomine adjecit. *Donat. l. l. Baccius de Therm. c.* 4. Ruinæ ductus intra & extra portam Esquilinam ingentes adhuc hodie cernuntur. *Fabric. l. l.*

Aqua Mariana dicitur a Mariano oppido fluvius, qui hodie per portam Gabiusam ingreditur, & fertur per vallem inter Cœlium & Cœliolum: inde per viam Appiam in radicibus Aventini, sub eo clivo, quo ad S. Sabinam adscensus est, influit in Tiberim. *Fabric. Descr. Urb. Rom. c.* 15.

Aqua Mercurii dicta fuit via Appia extra Capenam. Ad quam cum populus convenisset, unusquisque lauri ramo alterius caput ea aspergebat *aqua*, Mercurium invocans. Hac lustratione delicta, præsertim perjuria, dilui credebant. *Marlian. Topogr. Urb. Rom.* V. 27. *Panciroll. Descr. Urb. Rom. Thes. Antiq. Roman. Græv. Tom.* III. *p.* 254. *C. Fabric. Descr. Urb. Rom. c.* 15. *Fabret. de Aquæd. Diss.* III. *Thes. Antiq. Roman. Græv. Tom.* IV. *p.* 777. *C. Choull de Vet. Rom. Relig. p.* 236. *Bellor. Fragm. Vest. vet. Rom. Tab.* 9. Illa etiam mercatores a. d. Idus Majas, postquam Deo illi in templo sacra fecissent, urnas implebant, eaque domum in tabernas asportata, intincta lauru se, mercesque suas adspergebant. *Nardin. Rom. Vet.* III. 2. *Borrich. Ant. Urb. Fac. c.* 3. §. 1.

Aqua Paulla e variis scaturiginibus a Paullo V. Pontifice collecta, quinto & trigesimo ab Urbe milliario, opere subterraneo & arcuato in Janiculum deducta est, & dejicit se in jacentia Transtiberinæ regionis, inde Tiberim super pontem deducta, in usum reliquæ civitatis est

divisa.

divisa. Eadem gemino ab Urbe lapide, facto divortio, sinistrorsum Vaticanum petens, hortis Pontificiis, in plurimos, pulcerrimosque fontes emergit: tum in subjectam ædibus aream, totamque Leoninam Urbem copiose per lacus, & salientes effunditur. *Donat. de Urb. Rom.* IV. 12. Ejus fons cuniculis furtim egressus, subterraneos meatus sponte sibi fecerat: diuque inter angusta terrestrium venarum pertinaci fluctu eluctatus, inferiorem collis partem, objectamque munitionem impulit, magnoque fragore ac terrore Transtiberinæ viciniæ disjecit: imminente utique cœnobii ruina, nisi Urbani VIII. beneficentia subvenisset. Ille aquam redditam suis finibus coerceri, ducique murum longo tractu directum jussit, oneri ferendo parem: stetitque immobilis mons; ut constaret, quo auctore loci religionem stabiliret securitas. *Donat. ibid. c.* 9. Satis turbida est illa *aqua*, sed in scaturiginibus limpida & pura: unde vitium illud terræ, quam *aquæ* ductus subtransit, assignatur. Quin & Dominicus Castellus architectus, cujus per Carolum Maderrium deductionis hujus cura commissa & mandata fuerat, aliquando in familiari mihi colloquio indicavit, deprehendisse sese, veteres istius *aquæ* ductus interiores margines crasso validoque latere undique obsepsisse, munisseque, ne per rimas humor aliquis circumjectæ telluris penetrare, atque ita *aquam* inficere posset. *Nardin. Rom. Vet.* VIII. 4.

Aqua Petronia, quam magistratus auspicato transibant, cum in campo agere quid vellent. *Fabric. Descr. Urb. Rom. c.* 15.

Aqua Sabatina, *quæ in lacu Sabate excipiebatur.* Festus. *Donat. de Urb. Rom.* III. 18. *Marlian. Topogr. Urb. Rom.* V. 22. *Fabric. Descr. Urb. Rom. c.* 17. *Nardin. Rom. Vet.* VIII. 4. *Fabrett. de Aquæd. Thes. Antiq. Roman. Græv. Tom.* IV. *p.* 744. *E.* Nunc dicitur Anguillariæ lacus: ex quo *aqua* Romam perducebatur: cujus ductus vestigia quædam exstare dicuntur extra portam Pancratianam. Ejus fons in area D. Petri adhuc cernitur. *Marlian. l. l.* Reducta est, ut Marlianus & Baccius de Therm. c. 4. & Faunus Antiq. Urb. Rom. v. 12. ab Hadriano I. vel, ut Fabricius, Innocentio VIII. Hujus primum deductorem non ponunt, qui de Urbe scripserunt. Ejus duo nunc sunt fontes in Vaticano: alius intra palatium Pontificis cum cochlea, ex qua superne ab omni parte despicere in fontem licet: alter in ipso campo. Prudentius poeta baptisterium describit in Vaticano, cui hanc serviisse *aquam* verisimile est. Recentiores modo Aurelianam a via: modo Septimianam a porta nominant. *Fabric. l. l.*

Aqua Salonia. Hanc novam *aquæ* Virginis ductui a se restituto adjunxit Pius IV. Pontifex Romanus. *Donat. de Urb. Rom.* IV. 11.

Aqua Septimiana fuit forsan ramus *aquæ* ductuum veterum, quibus Imperatores hanc vel illam *aquam* in aliam Urbis partem abduxerunt in novos usus. De Septimiana & Severiana illud constat, a Septimio Severo illis nomen venisse: cæterum duas hunc Imperatorem aquas in Urbem deduxisse, & neutrius aliquam ab Historicis factam mentionem non nimis credibile videtur. Multas sane ille thermas, balnea, & ædificia in Transtiberina construxit, ut & ad portam Capenam: in quæ plures veterum *aquarum* rami deduci potuere, qui nova nomina ista produxisse existimandi sunt. *Nardin. Rom. Vet.* VIII. 4. *Pancirol. Notit. dignit. imp. occid. c.* 12. Sed nos minutam hujusmodi enumerationem secundarum caducarumque (ut ita dicam) *aquarum* a Victore excludimus. Thermas Severianas a Septimio Severo nuncupatas in prima regione Portæ, quæ longe extra Urbem, comprehenso Almone fluviolo, & vico Camœnarum exporrigebatur, Victor & Notitia concorditer describunt. Unde conjectare licet, *aquam* Algentianam, quæ ab Appiæ dorso versus hanc regionem ferebatur, Septimianam, quam quærimus, forsan dictam: quod eo probabilius se habet, quo illum tantum suum ductum sine nomine & sine auctore comperimus. *Fabrett. de Aquæd. Diss.* III. *Thes. Antiq. Roman. Græv. Tom.* IV. *p.* 1760. *E.* 1775. *A. B.*

Aqua Setina a Setino Campaniæ agro deducta, vel a Setina via *Panciroll. Descr. Urbis Rom. Thes. Antiq. Roman. Græv. Tom.* III. *p.* 384. *C.* In Notitia Imperii legitur Alsia & Setina; utraque mihi ignota, &, ut dicam, quod sentio, non credita, quoniam Setia & Alsium multo, quam ipsa Roma, depressiore loco olim sita fuerint. Quin & in ea sum opinione, errorem nobis librariorum has aquas suppeditavisse, pro Alsietina, de qua supra, Alsia, Setina scribentium. *Nardin. Rom. Vet.* VIII. 4. Cujus conjectura bona est. *Fabrett. de Aquæd. Thes. Ant. Roman. Græv. Tom.* IV. *p.* 1776. *E.*

Aqua Sixtina. Turpiter fallitur recens Geographus, qui in sua charta topographica anno 1674. in lucem edita, hanc a lacu, quem Regillum Holsteenius rectissime meo judicio vocat (hodie di monte Falcone) derivat. Erroris causam putei supra rivum subterraneum, qui prope hunc lacum visuntur, fortasse præbuerunt; dum scriptor, parum sane accuratus, nec eorum usque ad caput *aquæ*, sive ad primum castellum continuationem, imo nec castellum ipsum, integro milliario hinc dissitum, animadvertit. Lacus vero stagnantem *aquam* & potui omnino ineptam continet, nec insuper unius diei erogationi sufficeret: æstivo autem tempore putridam prorsus & venenatam emitteret, ob maximam lini & cannabis copiam, quam vicinorum oppidorum accolæ huc ad macerandum comportant. Sunt qui ad sinistram viæ Prænestinæ hanc *aquam* oriri dixerunt: & ita palmaribus literis & plusquam palmari mendo in fonte primario apud Thermas Diocletianas habetur. Sed isti lapsi sunt, quia hodie, interrupta & impervia ipsa via, Præneste nonnisi per Labicanam aditur, cui propterea Prænestinæ viæ passim nomen tribuunt. *Fabrett. de Aquæduct. Diss.* I. *Thes. Antiq. Roman. Græv. Tom.* IV. *p.* 1709. *F.*

Aqua Tepula forte a loco, unde extrahebatur, dicta est. *Panciroll. Descr. Urb. Rom. Thes. Antiq. Roman. Tom.* III. *p.* 385. *A. Ex agro Lucullano, quem quidam Tusculanum crediderunt, in Cœlium collem, Aventinum & Capitolium a Censoribus Cn. Servilio Cæpione & C. Cassio Longino est perducta anno ab U. C.* 627. *Plautio Hypsæone & Fulvio Flacco Consulibus. Hujus aquæ fontes nulli fuerunt: venis quibusdam constabat, quæ interceptæ sunt in Juliam. Caput ejus observabatur a piscina Juliæ. Concipiebatur via Latina ad milliarium undecimum. Inde rivo suo perducta in Urbem, Juliæ post mixta ab Agrippa.* Frontinus. *Manut. Quæst. Epist.* I. 2. *Panciroll. l. l. Donat. de Urb. Rom.* III. 18. *Baccius de Therm. c.* 4. *Nardin. Rom. Vet.* VIII. 4. *Borrich. Ant. Urb. fac. c.* 17. §. 3. *Faunus Antiq. Urb. Rom.* IV. 5.

Aqua Tiberina in Urbe venditur, & in fictilibus urceis, aut vasis lapideis continetur, fitque in eis limpidissima, potu amabilis, & absque corruptione longo tempore pura. *Fabric. Descr. Urb. Rom. c.* 15.

Aqua Trajana in numismatis Trajani repræsentatur. Visitur hominis imago super gramine humi fusa, supra quam duæ columnæ pontem sustinent, unde guttæ aquæ in terram cadunt. Inscriptum est. S. P. Q. R. OPTIMI. PRINCIPIS. AQUA. TRAIANA. SC. Aliud ejus numisma in medio apsidem instar hemicycli continet: humi procumbit mulier cum virga. Inscriptum est S. AQVAE. TRAIANAE. C. Ferunt hanc esse *aquam* Claudiam, quam in Aventinum derivavit, & a se Trajanam appellavit. Alii volunt *aquam* significari ab ipso inventam & in Urbem deductam. *Panciroll. Descr. Urb. Rom. Thes. Antiq. Roman. Græv. Tom.* III. *p.* 382. *A.* Ex his numismatibus liquet novam esse, & Frontino posteriorem. *Aquæ* Marciæ fuit ramus, quem Trajanus in usum thermarum suarum ad Aventinum deduxit, & *aquæ* Trajanæ nomen inde acquisitum fuit. Hæc ad campum Vaticanum, qui nunc Burgum appellatur, devenit. Atque ego quidem in ea sum opinione fontium illius unum fuisse, qui nunc in confiniis inter Cumpagnanum & Formellum exsurgens utriusque limites distinguit, & venerabilem Ecclesiam S. Mariæ Sorbicæ subterlabens Valcæ deinde fluvio conjungitur. *Nardin. Rom. Vet.* VIII. 4.

Aqua Virgo dicta fuit, vel, ut vult Cassiod. Var. VII. 6.

VII. 6. quod dum sub delectatione purissima currit, nullis sordibus polluatur: nam cum aliæ pluviarum nimietate terrena commixtione violentur, hæc aerem perpetuo serenum purissime labens unda mentitur. Vel, ut vult Plin. XXXI. 3. quia juxta est Herculaneus rivus, quem refugiens virginis nomen obtinuerit. Vel potius, ut vult Frontinus, quia quærentibus *aquam* militibus puella virguncula quasdam venas monstravit, quas sequuti ingentem *aquam* invenerunt. Ædicula fonti apposita hanc virginem pictam ostendit. *Panciroll. Desc. Urb. Rom. Thes. Ant. Roman. Græv. Tom.* III. *p.* 384. *E. Manut. Quæs. Epist.* I. 2. *Donat. de Urb. Rom.* III. 18. *Borrich. Ant. Urb. Fac. c.* 17. §. 3. *Chiflet. Font. Aq. Virg. Thes. Antiq. Roman. Græv.* IV. *p.* 1788. *A. Nardin. Rom. Vet.* VIII. 4. *Casal. de Urb. ac Imper. Roman. splend. part.* I. *c.* 13. Nomen hoc videntur postea adscivisse Dianæ, ac Triviæ nuncupasse, quasi Dianæ fons diceretur, & *aqua* Dianæ sacra, quæ veteribus virgo habita est, & in triviis celebrari solita, nec non triplici fonte, quibus hæc *aqua* concipitur. Vel Virginis nomen indicasse Juturnam, ac templum Juturnæ sacrum: quam nympham sic dictam quod juvaret, in votis fuisse habitam asserunt infirmis, qui ex ea *aqua* biberent, sacramque idcirco hanc ædem & fuisse constitutam; sed postea religione introducta, in superstitionem præteriti seculi abolendam, fontem ipsum simul ac puteum, qui exstat, D. Mariæ Virgini consecratum. Utramlibet quis ejus hominis interpretationem accipiat: verum tamen eo fit magis verisimilis nostra sententia, hunc fontem fuisse Virginem a Dia & Trivia nuncupatum, quod nomen ipsum ædis Sancta Maria in via, vulgari, ut videtur, voce mutila dicitur pro Sancta Maria in Trivia, ubi multa cum devotione B. Mariæ Virginis etiamnum ea *aqua* ab infirmis bibitur. *Baccius de Therm. c.* 4. Sed Frontino magis assentiendum monet Pætus de restitutione *aquæ* Virginis, ac recte quidem: nam & gemma hæc fidem adstruit facti a Virgine indicii, ædicula & statua eidem erectis. *Chiflet. ibid. D.* Ubi plura. Hanc Agrippa quarto post tertium consulatum anno, ab U. C. 735. in Urbem induxit C. Sentio & Sp. Lucretio Consulibus, ab octavi lapidis diverticulo II. mill. pass. via Prænestina, ut Plin. XXXI. 3. vel Collatina, ut Frontinus. Quia vero maxima scaturigo *aquæ* Virginis, quæ in prædio S. Mariæ majoris, Salona appellato, exoritur locis palustribus, sicut & Frontinus habet, vixdum duobus millibus passuum a via vetere Prænestina abest, Plinius vera dixisse probatur. Neque tamen ideo Frontini corruptus esse contextus dici potest. Siquidem via Collatina Tiburtinæ proxima, prædio Salonæ vicinior est quam Prænestina. Quin & Frontinus apertissime Prænestinam Collatinæ vicinam fuisse dicit. A Salona igitur *aqua* Virgo per aliud prædium, cui Buccæ Leonis nomen, transit, & ad pontem Nomentanum sinistrum petens, non, ut alii existimant, versus portam Pincianam, sed declivitatem secuta montis versus Papæ Julii vineam prope murum distortum Urbem intrat, juxtaque Pincii radices usque ad Ecclesiam pergit SS. Trinitatis in montibus. Hic in duos ramos dispescitur aquæductus omnino veteris, quorum alter in viam, quæ inde de Condotti, seu Ductuum nomen accepit, & naumachiam Domitiani tendit, alter ad fontem Trevium. *Nardin. Rom. Vet.* VIII. 4. Inde per forum Sciarræ (piazza di Sciarra) thermasque Agrippæ, per frontem templi D. Ignatii, inter Minervam tandem & seminarium Romanum in castellum colligebantur *aquaticum*, atque ex eo per brachia ductusque varios in diversos usus hinc inde manabant. *Borrich. Ant. urb. Fac. c.* 9. §. 1. *Falconer. Epist. ad Datum Thes. Antiq. Roman. Græv. Tom.* IV. *p.* 1489. *C.* Fons eodem fere, ubi nunc est, loco fuit, juxta Septa, sive eorum porticus, non longe a colle Hortorum, qui in Hortis Lucullianis, finitur in campo Martio secundum frontem Septorum. *Donat. de Urb. Rom.* III. 18. *Manut. Quæs. Epist.* I. 2. Ejus arcus disturbavit C. Cæsar, quia nimirum amphiteatrum juxta Septa inchoaverat, Claudius restituit. Inscriptio antiqua. V. illam infr. in *Curorus.* Deinde aliquot seculis interceptam & dilapsam Nicolaus V. tum Sixtus IV. deinde Pius IV. acquisitis etiam novis fontibus restituerunt. Mutato nomine nunc Trevia appellatur. *Donat. l. l.* & IV. 9. *Fabric. Descr. Urb. Rom. c.* 17.

Aqua & igni cui interdicebatur, is, nulla licet facta exsilii mentione, earum rerum, quæ maxime sunt ad vitam sustentandam necessariæ, usu privatus, cum uno aeris alimento contentus esse non posset, abire cogebatur. Ex quo exsulare cives Romani dicebantur. Ac ne cives quidem omnium improbissimi atque audacissimi, cum in suos inimicos, acerrimo incitati odio, non leges, sed privilegia ferrent, exsilium nominabant. *Manut. de Legib. Roman. c.* 19. *Boxhorn. ad Plutarch. Quæst. Roman.* I. *Nonn. de Re Cib.* IV. 1. *Hotman. Antiq. Roman.* V. *p.* 769. *B.* Sed exsilium intelligebant, quod *aquæ* & ignis interdictionem necessario sequebatur, quia elementorum usu cum privarentur, necesse habebant, si vivere vellent, solum vertere. *Sigon. de Judic.* II. 3. *Pollet. For. Roman.* V. 19. *Bud. in Pand. p.* 205. *E. Caroli Antiq. Roman.* II. 8. *Oisell. in Gell.* XVII. 2. Et quia flagitia non sunt paria, hoc pœnæ genus neque temporis spatio, neque loci fuit æquale. Damnatis de ambitu *aqua* & igni interdicebatur per decem tantum annos, de corrupto judicio in universum vitæ tempus. Quibusdam etiam tantum intra Urbem, hoc est, intra pomærii fines, aliis longius, *aqua* & igni interdicebatur. Leniter quoque crediderim actum cum reis & misericorditer, & neminem, aut certe paucos admodum extra Italiæ terminos, *aquæ* & ignis interdictione fuisse summotos. *Manut. l. l.* Cogebantur itaque se in aliam civitatem conferre, in quam recepti Romanam civitatem amittebant; quia nemo duarum civitatum civis esse poterat, ut testantur Cicero pro Balbo & Cornelius Nepos in vita Attici. *Oisel in Gell. l. l.* Et togam deponere cogebantur. Plin. Epist. IV. 11. *Carent togæ jure, quibus aqua & igni interdictum est.* Boss. de Tog. Roman. c. 5. Nominatim etiam in interdictione comprehendebatur, ne liceret eos tecto excipere; & lege Julia de vi publica & privata tenebantur, qui eos recepissent, celassent, tenuissent, teste Paullo Sentent. V. tit. 26. *Oisel. & Manut. l. l.* *Aqua* adspergebantur, qui a funere rediissent. V. supr. in *Abluebant.* *Aqua* lustralis sic fiebat. Erat ad fores templi aquiminale quoddam magnum, quales fere tinctorum cortinæ, (labrum Asconius nominat) in quod mergebant titionem ardentem ab ara sumptum, quando victima adoletur, eaque omnes, qui templum ingrediebantur, sese adspergebant ipsi, aut a sacrificulis adspergebantur. Eurip. Herc. Fur. n. 928.

Cum autem torrem manu dextera laturus esset
Filius Alcmenæ, ut intingeret in aquam lustralem.

Athen. IX. p. 409. B. Χέρνιψ *est aqua, in qua titionem ex ara sumptum tingebant, & quam ad perficiendum sacrium adhibebant.* Casaub. in Theoph. Charact. c. 16. Laurent. Polym. II. 18. Schill Nomencl. Philol. p. 138. Illa veteres ad expianda leviora crimina spargebantur, sicuti etiamnum mos est apud Christianos, qui ad purgandas leviores animæ sordes *aqua* benedicta frequenter in sacris utuntur. *La Chausse Insign. Pont. Max. Tab.* 4. Si fontes nulli juxta templa essent, non quavis *aqua* utebantur. Romani *aquam* de fonte Juturnæ, qui circa Numicum labitur, adhibebant. Apud Athenienses sumebatur ex Callirrhoe fonte, magnæ religionis in maximis sacris, & sponsalitiis ceremoniis, in quibus aliam adhiberi nefas habebatur. *Aquas* has lustricas nullis incantamentis inficiebant, sed iis purissimis utebantur, quales viva fontis scaturigo suppeditabat. *Aqua* tamen marina Ethnici sacerdotes interdum in lustrationibus utebantur, teste Proclo de Sacrif. & mag. quod vi purgandi esset prædita, quod salis esset particeps, qui aliquam in se continet ignis particulam. *Hospinian. de Orig. Templ.* II. *p.* 277. Vasa quæ ante templa posita *aquas* lustrales continebant, erant varii generis & formæ. Apud Romanos quia *aquam* lustralem super terram posuisse nefas erat, ideo vas lato ore, & fundo angusto, in quo hauriretur, ne stare posset, adhibebant, futile dictum. *Hospinian. l. l. Choull de Vet. Rom. Rel. p.* 237. *Saubert.*

Fert. de Sacrif. c. 11. Apud Græcos vas magnum *aqua* luſtrali, quæ eſſet e domo non funeſta allata, ſtatuebant ad fores privatarum ædium, tantiſper dum illæ funeſtæ eſſent, & dum πρόθεσις fieret ejus qui obierat. Hac ſe adſpergebant & luſtrabant & introeuntes & exeuntes. Erat figlinum. Proprie nuncupabatur ἀρδάνιον. Pollux. VIII. Suidas. ὄστρακον. Ariſtophanes. γάστρα. Heſychius. *Kirchm. de Fun. Roman.* I. 14. *Hoſpinian. l. l.* Cibos quoque expiabant *aqua* luſtrali in epulis triumphalibus nonnulli ſacerdotes profani. Hunc morem inducere conatus eſt Julianus Auguſtus. *Buleng. de Imper. Roman.* II. 34. *Potter. Archæol. Græc.* II. 4.

AQUÆ fortis ope aurum ab argento ſeparandi modus veteribus non fuit cognitus; quoniam, ut obſervavit Pancirollus in tractatu de Novis Inventis, noſtris temporibus demum ars illa inventa eſt. Budæus etiam de Aſſe III. p. 262. teſtatur, artem ſeparandi aurum ab argento ope *aquæ* fortis, quam *aquam* chryſulcam vocat, ſuo circiter tempore Pariſiis natam, eamque ab aliquo le Cointe dicto in eam Urbem primum invectam fuiſſe, qua non ſolum ipſe, ſed etiam poſtea filius ejus, ingentes ſibi adquiſiverit divitias. Idem de induſtria, teſte Budæo, hanc artem occultabat, ut ea ſoli ſibi quæſtui eſſet. Dicebat quoque, eam ſine periculo exerceri non poſſe, propter fumos, qui valetudini valde eſſent infeſti: eamque ob cauſam ſervum ipſam operationem peragere, ſe vero procul ſtantem ipſi tantum, quæ facienda eſſent, præcipere. Quæ ideo ab eo fingebantur, ut operam ſuam carius venderet. Experientia, qua hodie iſta ars magis innotuit, ſatis docuit, metum periculo ipſo, quod cum hac arte conjunctum eſt, multo fuiſſe majorem. *Savot. de Numm. Ant. c.* 7.

Aquæ ductus cum reficerentur, licebat ex SCO redemptoribus ex agris privatorum omnia, quibus ad eam rem opus erat, tollere, perque illorum agros ſine injuria eorum ducere. Quidam duplices fuerunt. Quod apparet ex reliquiis exſtantibus ſupra portam Eſquilinam & Næviam. Quod ſapienter factum eſſe arbitramur, ne ſingulorum fundamenta jacere coacti, immenſam pecuniam prodigerent. *Marlian. Topogr. Urb. Rom.* IV. 10. Per illos ne Gothi tranſirent, Beliſarius ædificio complexus munivit, ac ſepſit. Et Theodoricus horum Rex, qui Romam duodequadraginta annos ſubactam tenuit, quoſdam reficiendos curavit. *Donat. de Urb. Rom.* III. 18. *Marlian. l. l.* *Aquæ* ductum arcuatum veterem ruinis obrutum & ſepultum ſub Collegii noſtri Romani ſolo nuper invenerunt, cum frontis templi Ignatiani fundamenta egererentur in finibus campi olim Flaminii & Martii, ſed multo cultiorem pulcrioremque, quam cæteri ex coctili latere conſpiciuntur. Exteriori enim facie tabulis marmoreis veſtiebantur pilæ, antis ad latera Corinthiarum columnarum exſtantibus: ſed paullum reductis, itemque cruſtatis marmore paraſtatis. Exinde epiſtylia, zophori, & coronæ marmoreæ, ſtructumque ſupra parietem marmora contegebant, & columnis e marmore ſtriatis ſtatuæ, ut reor, fuerant impoſitæ. Interiori parte, eaſdem pilas Tiburtini lapidis ſtructura ſolidabat, proſtantibus antis opere Dorico, & epiſtylium coronamque ſuſtinentibus. Supra, opus lateritium, qua condebatur *aquæ ductus* altus circiter ſex, tres palmos latus. Arcus inter pilas marmorato obducti, & certis ſubinde ſpatiis quædam ampliora, minoribus interſtincta intercolumnia. *Donat. l. l.* *Aquæ* ductuum admirabilitatem augebat numerus, quod plurimi: longitudo, quod quidam ſexaginta amplius paſſuum millia producerentur: laxitas, cum flumina reciperent & redderent: ſubſtructio ſub terra, magnis effoſſis montibus: ſupra terram in imis vallibus arcuationes immanibus pilis fultæ elatæque, ut alicubi altiſſime novem & centum pedes, nempe noſtrates palmos centum quinque & quadraginta & trientem ſublevarentur. Operum magnitudinem ſequebatur conſervandi difficultas. Nam, aut vetuſtate, ut ait Frontin. II. corrumpuntur, aut impotentia poſſeſſorum, aut vi tempeſtatum, aut culpa malefacti operis. Minus injuriæ ſubjacent ſubterranea, nec gelicidiis, nec caloribus expoſita. Pilæ quoque ipſæ topho exſtructæ ſub tam magno onere labuntur. Quæ hodie ſuperſunt, coctili latere extrinſecus munitas cernimus. Tutela antiquitus penes Cenſores & Ædiles erat. Primus M. Agrippa poſt Ædilitatem, quam geſſit conſularis, operum ſuorum & munerum veluti perpetuus curator fuit. Inde inſtituti curatores *aquarum*: & illis duæ ad inſtaurandum datæ familiæ, altera publica, quam Agrippa: altera Cæſaris, quam Claudius conſtituerat. Hæc erat hominum quadringentorum ſexaginta, illa ducentorum quadraginta. His ex fiſco atque ærario commoda dabantur diviſis in villicos, caſtellarios, curatores, ſilicarios, tectores, alioſque opifices, & miſſis, quo vocabat, neceſſitas. *Donat. de Urb. Rom.* III. 18. *Marlian. Topogr. Urb. Rom.* IV. 10. *Lipſ. de Magnit. Roman.* III. 11. *Fabric. Deſcr. Urbis Rom. c.* 17. *Burmann. de Vectig. c.* 12. Idoneum ſtructuræ tempus eſt a Kalendis Aprilibus in Kalendas Novembres, ita ut optimum ſit intermittere eam partem æſtatis, quæ nimiis caloribus incandeſcit: quia temperamento cœli opus eſt, ut ex humore commode ſtructura combibat, & in unitate corroboretur. Non minus autem ſol acrior quam gelatio præcipit materiam: neque ullum opus diligentiorem poſcit curam, quam quod *aquæ* obſtaturum eſt. *Frontin. de Aquæd.* II. *Theſ. Antiq. Roman. Græv. Tom.* IV. *p.* 1665. *A. B.*

Aquæ ſalubres reperiuntur prope oppidum Emaus, poſtmodum Nicopolim a Romanis vocatum, ob victoriam contra Judæos obtentam. In illis non homines modo, ſed & alia pariter animalia diverſis detenta languoribus emundantur. Hoc ex eo contigiſſe tradit Sozom. V. 21. quia Chriſtus ad fontem cum diſcipulis pedes lavavit; unde *aqua* facta eſt diverſarum paſſionum medicamen. Naturali vero *aquæ* virtuti, non miraculo hoc tribuit Joſeph. Bell. Jud. IV. 2. *Pancíroll. Notit. Dign. Imp. Orient. c.* 112.

AQUAM & ignem uterque contrahentium ut tangeret, moris erat. An, quod horum, quatenus in elementis ac principiis numerantur, alterum mas eſt, alterum femina: & ignis motionis principia ſuggerit, *aqua* ſubjecti & materiæ facultatem obtinet. An quia ignis luſtrat, *aqua* purgat: debet autem, quæ nubit, puritatem ac caſtimoniam conſervare? An quod ſicut ignis abſque humore nutriendi vi deſtituitur, eſtque aridus, *aqua* autem abſque calore ſterilis eſt & otioſa: ita mas quoque ac femina ſeorſim nihil valeant; ſed conjunctione eorum vitæ conſuetudo perfecta a nuptiis reddatur? An id ſignificare volunt, alterum ab altero deſeri non debere, ſed eos in ſocietate qualiſcunque fortunæ perſiſtere, etiam ita rebus ferentibus, ut præter *aquam* & ignem nihil boni una frui detur? Plutarch. Quæſt. Roman. I. *Pancíroll. de Reb. Deperd. & Inv. p.* 676 *ad illum Salmuth p.* 680. *Alex. Gen. Dier.* II. 5. *ad illum Mercerus. Bud. in Pand. p.* 205. *D.* 238. *G. Caſal. de Prof. Roman. Rit. c.* 22. *Rit. nupt. c.* 1. *Cruce c.* 5. *Buleng. de Imperat. Roman.* III. 17. *Turneb. Adv.* XXIX. 27. *Laurent. de Sponſ. c.* 1.

Aquam manibus, *aquam* pedibus, nullo adjecto verbo, tantum dicere ſolebant veteres, cum *aquam* pedibus poſcerent & manibus, qua initio cœnæ vel prandii manus lavabant, vel pedes abluebant. Hoc genus loquendi quodammodo vetuſtatis aucupio & lenocinio illicit & capit eos, qui orationis nitidæ & elegantis ſtudioſi ſunt. *Turneb. Adv.* I. 14. *Salmuth ad Pancíroll. de Reb. Deperd. & Inv. p.* 347.

Aquam liberam guſtare dicebantur vel inter epulas, vel etiam antequam accumberet dominus, manumiſſi ſervi. Petron. Fragm. Tragur. *Me ſalvo cito aquam liberam guſtabunt ſervi homines.* Ut *aquam* ſervam bibere dicebantur, quamdiu in ſervitute manebant. Ovid. Amor. I. 6. 25.

Excute: ſic unquam longa relevere catena,
Nec tibi perpetuo ſerva bibetur aqua.

Loon de manum. Serv. II. 42.

AQUARUM fontes & capita priſcis erant ſacra: in iiſque natare nefas. Imo in quibuſdam *aquis* navigare etiam vetitum. *Lipſ. in Tacit. Annal.* XIV. *n.* 73. V. infr. in *Fons.*

AQUAGIUM eſt naturalis alveus, vel canalis fontis:

ſive

ſive naturalis derivatio *aquæ*, quæ ex flumine vel rivo aliquo publico ad irrigandos agros privatorum deducitur, non per lapidem ſtratum, ſed per fiſtulas. Græcis dicitur ὑδραγωγεῖον & ὑδρωδαγία. *Demſter. Paral. ad Roſin. Ant. Rom.* I. 14. *Burman. de Vectig. c.* 12. Non autem ita ſollicite hæc diſtinctio *aquagii* & aquæductus obſervata fuit, quin ſæpe confunderentur, & vectigal, ſub cujus penſitatione annua privatis jus concedebatur ducendæ *aquæ*, ſive aquæductuum fuit dictum τέλος ὑδραγωγίας. *Burman. l. l.*

AQUARIA provincia erat cura Quæſtoris, præfecti mercibus, quæ vel mari, vel omnino *aquis* ſubvehuntur, ne quid exportetur. Ea provincia ob negotiationem aut mercaturam erat quæſtuoſiſſima, & negotii, & occupationis, & moleſtiæ pleniſſima, non ſane ſplendida. Cum obveniebat cuipiam, populus qui aderat, ſucclamabat ob negotia, furta, rapinas & capturas. *Turneb. Adv.* XXI. 11. *Rhodig. Ant. Lect.* XVIII. 11. Concedebatur ingenuis. *Demſter. Paral. ad Roſin. Ant. Rom.* I. 14.

AQUARIOLUS *dicebatur mulierum impudicarum ſordidus aſſecla.* Feſtus. Sic propie dicebantur, qui *aquam* meretricibus miniſtrabant, qua ſe poſt Venerem abluerent. Gloſſarium: *aquarioli*, βαλλάδες; nam βαλλὰς a βάλλων ὕδωρ, ab aqua jaciunda & effundenda. Græci etiam περιχύτας aut παραχύτας vocant. Veteres gloſſæ ὑδροφόρον, & βαλανέα, & πορνοδιάκονον interpretantur. *Salmaſ. in Vopiſc. Carin. c.* 21. *Tertullian. de Pall. p.* 347. *Demſter. Paral. ad Roſin. Ant. Rom.* I. 14. *Rhodig. Ant. Lect.* XII. 16. *Lomej. de Lybat. c.* 16. *Kipping. Ant.* I. I. 17. *Keuchen. ad Frontin. de Aqued. Diſſ.* II. *Theſ. Ant. Roman. Græv. Tom.* IV. *p.* 1663. *E. Voſſ. Lex. Etymol. Laurent. de Adulter. c.* 7.

AQUARIUS aquarum erat cuſtos, ut dicitur Tacit. Ann. XV. 43. Græcis ὑδροφύλαξ. Erant ex familia ſervorum, qui curatoribus *aquarum* ab Imperatore (V. ſupr. in *Aquæductus*) dabantur. Ita inſcriptio:

NYMPH. SANC. SAC. EPICTETUS
AQUARIUS. AUG. N.

His non ſoli ſignificabantur caſtellarii, quod docet Lipſ. in Tacit. l. l. ſed illi omnes, quos ex Frontino adduximus ſupr. in *Aquæductus.* Pignor. de Serv. p. 65. 66. Pomp. de Oper. Serv. p. 106. Voſſ. Lex. Etym. Burmann. de Vect. Diſſ. 12. Hi in ſingulis manibus impreſſo nomine Imperatoris ſignabantur. *Gothofred. ad ll.* 4. & 3. *C.* I. & *T. de Fabric. Hennin. ad Bergier. de viis publ. & milit.* IV. *Sect.* XXI. §. 4. *Aquarii*, prætor illos publicos, etiam privati fuerunt, qui ſalientes curarent, pro familiarum qua uſu, qua voluptate. *Aquæ* ſane in domos privatas immittebantur, in ſummis ædium culminibus navigabilium piſcinarum freta habebantur, horti adhæc, cubicula, cœnacula, balnea, & corruptelæ denique omnes perpetuis ſalientibus inſtructæ erant. *Aquariorum* artes recenſet Manil. IV. 259--267. *Pignor. de Serv. p.* 499. *Popm. de Oper. Serv. p.* 105. *Turneb. Adv.* XIV. 13.

Aquarius, ſignum cœleſte, nomen accepiſſe dicitur, quod ejus exortu plurimi imbres fiant. Quidam voluit eum eſſe Ganymedem Troili & Callirrhoes filium, qui, cum in Ida monte verſaretur, ob eximiam pulcritudinem a Jove adamatus, & per aquilam raptus, inter aſtra eſt collocatus. Dehinc *aquarius* dictus eſt, quod undas funderet. *Bellor. Deſcr. Sepulcr. Naſon. tab.* 25. Huic crura tribuuntur ab iis, qui ſaltus cujuſque particulæ corporis reduxerunt ad duodecim pro numero partium ac membrorum noſtri corporis, quæ ſubjiciuntur ſignis. *Niphus de Augur.* I. *c.* 22.

AQUATORES lixarum & calonum manus erat, qui *aquæ* facultatem militibus faciebant, quam a fluminibus, riviſque, & fontibus proximis in caſtra portabant. *Laz. Comm. Reip. Roman.* IV. 6.

AQUILA avium princeps eſt & Rex, imo in ſacris ſcripturis ſymbolum Regis, ut cum per *aquilas* duas Nabuchodonoſor Chaldæorum Rex potentiſſimus & Pharao Ægyptius intelliguntur apud Ezech. c. 17. *Voſſ. de Idolol.* III. 76. Jovi eſt attributa. Cum enim Jupiter ex inſula Naxo contra Titanas proficiſceretur; & ſacrificium faceret in littore, *aquila* ad eum advolavit, & auſpicium fecit. Et victor Jupiter bono omine *aquilam* acceptam tutelæ ſuæ ſubjugavit. Quin & ſacra hiſtoria gentium illi quoque in capite conſediſſe refert, & regnum portendiſſe, ut refert ex Aglaoſthene Lactant. Firm. I. 11. Servius vero Æneid. IX. 564. ait, quod dimicanti Jovi fulmina contra gigantes miniſtraverit. *La Chauſſe de Æn. Ant. Lucern. tab.* 4. *Gyrald. Synt. Deor.* II. *p.* 77. *C.* Et Jovis armigeram finxerunt poetæ, & pedibus fulmen triſulcum pedibus geſtare. Etenim ſola avium fulmine non læditur, ſi fides Plin. II. 55; X. 3. *La Chauſſe & Voſſ. l. l.* Etiam Mithræ ob maximam pernicitatem conſecrata fuit, & propter altiſſimam volatus velocitatem altitudinem Solis oſtendens in ſummo tabulæ Mithram, quem Perſæ exiſtimabant Solem, exhibente poſita eſt. *La Chauſſe de Deor. ſimulacr. tab.* 16. Omen fuit dominationis, & pluribus principibus imperium portendit. *La Chauſſe de Æn. ant. lucern. tab.* 4. *Buleng. de Augur.* II. 4. In auguriis illi quoque attributus eſt principatus. Ac jam Homerica ætate, ſi a dextris alis expanſis perſtrepuiſſet; boni ominis putatum. *Voſſ. l. l.* Etiam aliis alitibus prælata eſt in Imperatoribus conſecrandis. Nam, ut eſt apud Herodian. IV. 3. §. 20. ſimulac rogo ſubjicerent ignem, *aquila* ſoluta e rogo petebat æthera, quæ in cœlum animam Imperatoris deferre credebatur. Atque idem Dion. LVI. p. 598. B. traditum, ubi de funere agit Auguſti. Ac propterea in nummis veteribus cernas parte una effigiem Imperatoris; altera *aquilam*, cui inſideat Imperator: & inſcriptio eſt ejuſmodi: CONSECRATIO. S. C. Unde liquet, cur ſomniorum interpretes putarint, Regibus hoc, & viris principibus mortem portendere, ſi ſomniarint, ſe *aquila* vehi: ut videre eſt apud Artemid. II. 20. *Voſſ. l. l. Donat. de Urb. Rom.* III. 4. *Guther. de Jur. Man.* II. 6. *Panciroll. de Reb. Deperd. & Inv. p.* 718. *& ad illum Salmuth p.* 736. Illis Thraces ad aucupium uſos eſſe ponit Ariſtot. Hiſt. Anim. X. Cum prædæ aliquid cepiſſent, ad aucupum pedes dejiciebant, ut partem inde aliquam ferrent. *Buleng de Venat. Circ. c.* 4. Senio confecta pennis valde gravatur. Illas aqua aſperſa rejicit, tum calore intra ſe collecto, primum oculi ſanantur, mox in juventutem redit. *Panciroll. Notit. Dign. Imp. Orient. c.* 141. Sed parum eſt veriſimile, alitem, imo animal ullum, rejuveneſcere. Credo autem, quod opinio hæc inde fluxerit, quod *aquila*, ut ait Euthymius Zigabenus, ſæpius, ſuis pennis excuſſis, recipiat novas. *Voſſ. l. l.* Implumis hieroglyphicum fuit Nili. In Æliopoli Ægypti urbe pro inſigni ſtat longo ſtipite præfixum caput albæ *aquilæ*, cum pectore implumi ſine alis: per eam forte Nilus ſignificatur, qui etiam vocatur *aquila*, ut tradit Pier. Hierogl. XIX. 19. In manuſcriptis *aquila* eſt cœrulei coloris, qui aquæ convenit, ſine alis eſt & implumis, ne imperii *aquila* crederetur, vel ad denotandam Ægypti antiquitatem. Ægyptii vero ſe omnium populorum vetuſtiores aſſerebant. *Panciroll. l. l.*

Aquila, id eſt, alitis ejus effigies, ſive corpus, ex argento vel auro, ſummæ perticæ inſiſtens, alis expanſis, & pede altero fulmen aureum tenens, in militia Romana ſignum fuit totius legionis. *Lipſ. de Milit. Roman.* IV. 3. & 5. *in Tacit. Annal.* II. *Excurſ. C. La Chauſſe de Sign. Milit. Theſ. Antiq. Rom. Græv. Tom.* X. *p.* 1528. *A. Ferrar. Elect.* I. 4. *Salmuth in Panciroll. de Reb. Deperd. & Inv. p.* 585. *Lyd. de Re Milit.* III. 7. *Valtrin. de Re Milit.* III. 9. *Caſal. de Urb. ac Imper. Roman. ſplend. part.* 2. *c.* 9. Sub illa ſola omnes legiones educebantur, & ſub ea ſola pugnabatur. Unde in nummo Auguſti: *Aquila legionaria* apud Occon. Numiſm. Imper. p. 58. Plin. X. 4. *Paucis ante annis ſola in aciem portari cœpta erat: reliqua in caſtris relinquebantur.* Vel quia illa avium regina, & illi gentium domini. Joſeph. de Bell. Jud. III. 5. vel quod ejus ductu Jupiter Titanas profligaſſet. Lactant. I. 11. vel quod contra Saturnum victoriam Jovi nuntiaſſet. Fulgent. Mythol. II. 25. Serv. Æneid. IX. 161. *Demſter. Paral. ad Roſin. Antiq. Roman.* X. 29. Et una quidem. Imo nec ſociorum. Et quia hæc præcipui imperii ſignum, ſubjungi ſub eam ſocios voluerunt & auxilia, non ſeorſum habere. *Lipſ. de Milit. Roman.*

IV.

IV. *Dial.* 5. *Thyſ. Rom. Illuſtr.* IV. *p.* 90. Corpus ejus non fuit adeo magnum. Clade enim Variana *ſignifer aquilam intra balthei ſui latebras gerens in palude cruenta delituit*, ut legere eſt apud Flor. IV. 12. 38. ne ſcilicet potirentur ea hoſtes. Dio XL. p. 128. D. illam in ſacello vel ædicula locat. Sed loquitur de *aquila*, in hibernis cum eſſet, in ſacello repoſita, atque inde mota cum educenda. *Lipſ. de Roman. Milit.* IV. *Dial.* 5. *in Tacit. Annal. l. l.* Hoc non procedit. Dio νεὼν vocat parvam templi effigiem ligneam, quæ ſupra *aquilam* impoſita erat. Ἐστὶ νεὼς μικρὸς, καὶ ἐν αὐτῷ ἀετὸς χρυσοῦς ἐνίδρυται. Polybius, ναΐδια appellat loculos, vel armaria, in quibus imagines reponebant priſci. Sic etiam ναοὶ ἀργυροῖ dicuntur in Actis Apoſt. c. 19. n. 24. parvulæ effigies argenteæ ad inſtar templi factæ, quæ templum Dianæ repræſentabant. Hujuſmodi inſtar ædiculæ plane expreſſum conſpicitur in columna Trajani. Quadratum illud, quod *aquilæ* alis in illa imponitur, effigiem ſacelli quadrati non male refert, vel etiam aræ. Hic licet etiam argutari, *aquilam* fulguris eſſe miniſtram. Nam Jovi eam fulmen ferre fabulantur veteres. Hæc inter ſigna militaria recepta, & ſacrata. Quemadmodum autem fulguri, quod in terras ceciderat, eo loco quo condebatur, ſolebat veluti ſacellum imponi, vel ara in ſummo foraminata, ita etiam *aquilæ*, fulminis miniſtræ, & ſignorum ſacratiſſimæ, hujuſmodi imponebatur ædicula, ad teſtandam ejus divinitatem quandam, & religionem ſanciendam. Quod in aliis ſignis non fiebat, quamvis & ipſa ſacrata haberentur. *Salmaſ. Plin. Exercit. p.* 802. *b. D. Kipping. Antiq. Roman.* III. 1. §. 6. Iſtiuſmodi *aquilæ* cum ſacellis in nummis, ni fallor, viſuntur. Unus apud me Imperatoris Conſtantini cum hac inſcriptione CONSTANTI. . . . . In ejus altera parte ea ſigna hac forma, quæ mihi illa ſacella *aquilarum* videntur. *Stewech. in Veget.* II. 6. Auguſtus, *aquilifero legionis ſuæ graviter ſaucio, aquilam humeris ſubiit, diuque portavit*, ut de illo Sueton. c. 10. n. 10. Sed hoc ſane mirum: nam & ſigna militaria ſcimus fuiſſe tanti ponderis, ut iis portandis vix valentiſſimi humeri ſufficerent: & Octavius nec ætate ea tum fuit, nec lacertis illis, ut ſine maximo conatu par oneri eſſe poſſet. Herod. IV. 7. ut arduum, & rarum notat, quod Caracalla bajulandis interdum ſignis ſuffecerit, dum per omnia militibus ſuis vult facere ſe æqualem. Verba ejus: *Aliquando etiam ſigna militaria, quæ & prælonga ſunt, & multis donariis ornata, ut illa vix validiſſimi geſtent milites; ipſe humeris impoſita ferebat.* Caſaub. in Suetonium. Qui non animadvertit, fuiſſe diſcrimen inter *aquilam*, & ſigna cohortium. *Aquila*, ut diximus, argentea, & modica, haſtæque oblongæ impoſita, ut conſpici ab univerſa legione poſſet. Atqui ſigna cohortium, præcipue Herodiani ætate, habebant imagines Imperatorum ex auro, aut argento, & alia præterea ornamenta, & ideo gravia, & difficilia portatu. Fuiſſe additas ſignis Cæſarum imagines docuit Lipſ. ad Tacit. Annal. XV. 29. 4. ſcilicet pectore tenus, & clypei inſtar in orbem ductas. Unde eleganter Tertull. Apolog. c. 16. in ſignis *imaginum ſuggeſtus*, cum altera alteri impoſita eſſet, *monilia crucium* dixit, ſicut *ſuppara*, ſive vela, *earundem ſtolas*. Suet. Cal. c. 14. n. 5. *Artabanus transgreſſus Euphratem; aquilas, & ſigna Romana, Cæſarumque imagines adoravit.* Tacit. l. l. *Agmina legionum ſtetere fulgentibus aquilis, ſigniſque, & ſimulacris deûm in modum templi.* Hæret Lipſius, cur *ſimulacris deûm* dixerit, cum *ſimulacra deorum* appoſita non conſtet. Sed fortaſſe in aliquibus ſignis imagines Julii Cæſaris, aut aliorum, qui inter divos relati: aut, quo inclinat Lipſius, ad ornatum in eodem loco, etiam ſtatuas deorum adhibitas, & diſpoſitas fuiſſe. *Ferrar. Elect.* I. 4. Hæc cum non ſatis caperet, ad paradoxa referre voluit. Junius Anim. III. 2. *Kipping. Antiq. Roman.* III. 1. §. 6. Colebatur, inungebatur, floribus ornabatur. V. infr. in *Signum.* Hujus origo varie petitur. A Jove alii, qui hanc inſigne militiæ habuerit; quidam a Trojanis; ego fortaſſe nihil errem, ſi aut ipſos a ſe Romanos repeiſſe dixerim, aut vicinorum exemplo. Sane rapacium aliquot animalium effigies aſſumi, & præferri bello convenit, & Romani antea prætulerunt lupum, minotaurum, equum & aprum. *Marius illa in totum abdicavit in ſecundo ſuo conſulatu, & Romanis legionibus aquilam proprie dicavit.* Plin. X. 4. Salluſt. Bell. Catil. pag. 54. *Ipſe cum libertis, & colonis propter aquilam adſtitit; quam bello Cimbrico C. Marius in exercitu habuiſſe dicebatur.* Exemplum eſſe credo a Perſis, quibus in militia præcipuum & regale ſignum fuit. *Lipſ. de Milit. & in Tacit. l. l. La Chauſſe Stewech. Kipping. l. l. Thyſ. ibid. p.* 91. *Minos in Alciati Emblem. p.* 37. Haſta cuſpidem habebat inferius, qua apta erat terræ infigi in caſtris, aut pugna ipſa, cum ea in loco ſtaret: & inter prodigia erat, cum in hoſtem eundum eſſet, non potuiſſe evelli. *Lipſ. de Milit. l. l. Salmuth in Pancirol. p.* 586. *Ferret. Muſ. Lap.* V. *Mem.* 7. *Lyd. & Thyſ. l. l.* Olim quidem ipſa haſta ita ſolo infixa: at poſtea (ad cuſtodiam, an ad delicias) non ipſa haſta, ne macularetur, aut abſumeretur; ſed loculi, aut thecæ ferreæ in terram defixæ, & in eas immiſſa ima haſtæ cuſpis. Iſti loculi ferrei quadrati, in acutum definentes, introrſum vacui efformabantur. *Thyſ. l. l.* Illi *primipili centurio præerat.* Veget. II. 8. *Stewech. ad Veget. p.* 153. *Panciroll. Notit. Dign. Imp. Orient. c.* 20. Mariana militiæ mutatione *aquila* a triariis ad aciem primam tranſlata eſt. Triarii antiquitus illam ſuſcipiebant, ætate maturi, & dignitate præcipui milites, & qui gravioribus armis muniti erant. Ergo quod triariorum prius fuit, hoc poſtea primæ cohortis eſſe cœpit, hac etiam ſimul introducta diverſitate, ut qui in poſtremis ordinibus antea pugnare ſoliti erant, mutata re militari in prima acie dimicarent. *Salmaſ. de Re Milit. c.* 6. *Schel. in Hygin. Theſ. Antiq. Roman. Græv. Tom.* X. *p.* 1043. *F.* Et alia ſigna circumſtabant illam, quæ proprie ſignorum nomen habebant, ſtabantque uno ordine & loco juncta. *Patric. de Re Milit. Roman.* IV. *ſect.* 5: VI. 5. Prope illam Duces aliquando locum ſolebant ſibi capere cum aliis legionis principiis, exceptis ſi forte primorum ordinum centurionibus, qui cum eſſet confligendum in acie, pugnabant ante ſuos quique ordines, in agmine vero cum principiis cæteris juxta ſigna aſſiſtebant. Scribit Salluſtius in Catilinario: Catilinam propter *aquilam* pugnaſſe cum libertis ſuis ac clientibus. *Salmaſ. l. l.* Dirum omen fuit, ſi reliquis caſtris aere liquido, & puro, *aquilæ* ſolæ nebulis obducerentur. *Buleng. de Prodig. c.* 1.

AQUILEGES dicti ſunt artifices inveniendorum fontium, aquarumque colligendarum ad aquæductus, qui illorum modos docili libratione oſtendunt, ac derivandæ aquæ & dividendæ rationem tenent. Plin. Epiſt. X. 46. 3. *Inprimis neceſſarium eſt mitti a te aquilegem.* Nat. Hiſt. XXVI. 6. *Sylveſtris ubi naſcitur, ſubeſſe aquas credunt: & hoc ſignum habent aquileges.* Sunt iidem fere cum iis, qui aquæ libratores vocantur in tractatu de excuſat. artif. C. X. Gloſſar. Aquilices, οἱ τὰ ὑδραγώγια ἐργαζόμενοι, οἱ ἀνοχετάριοι, ποταμῖται, ὑδροσκόποι. *Bud. in Pand. p* 272. *A. Panciroll. de Corpor. Artif. Theſ. Antiq. Roman. Græv. Tom.* III. §. 21. *Chimentell. de Hon. biſell. c.* 39. *Harduin. in Plinium. Junius in Tertul. adverſus Marcion.* III. 5. *Scalig. & Dacer. in Feſtum in Aquælicium.*

AQUILEJA Italiæ urbs quondam maxima fuit. Illam condiderunt Paphlagones. *Panciroll. Notit. Dign. Imp. Orient. c.* 129. Prima fuit poſt Romam in Italia. Maximinus Cæſar ibi eſt occiſus. Eam Attila anno ſalutis 453 evertit. *Idem ibid. Occid. c.* 35. *Italorum emporium opulentum, ac copioſum, ad mare poſitum: unde Mœſi, & Pannonii, & Itali, qui mediterranea tenent, merces advexerint*, dicitur Juliano Orat. II. p. 71. D. & Herodian. VIII. 2. Dum conderetur, *aquilæ* volantis dextra ex parte augurium. Julian. ibid. p. 72. A. *Urbi ipſi dum conderetur, aquila dextra ex parte cœlitus advolans, de ſuo nomen impoſuit.* Eorum, qui in occidentis partibus agebant, Imperatorum ſedes ſubinde exſtitit; ut id ex Eccleſiaſticis, aut ſecularibus illius ævi monumentis liquet, & e legibus a Conſtantio, & ſucceſſoribus in illa urbe latis. De illa ſub Juſtiniano adhuc dicitur in præf. novell. 29. *Aquileja omnium ſub occidentem urbium maxima, & quæ multoties cum ipſis etiam*

regis, Roma nempe, & Constantinopoli, *certamen susceperit*. Spanhem. ad Juliani Imperat. Orat. I. p. 254. a. Cluver. Ital. Antiq. I. 20. 6. Alb. Leand. Descript. Ital. p. 759. Nunc ruderum & veprium deplorandus acervus. Anno ab U. C. 570. colonia Latina deducta fuit in agro Gallorum Transalpinorum, triumviris P. Cornelio Scipione Nasica, C. Flaminio, & L. Manlio Acidino. *Ursat. de Not. Roman. Thes. Antiq. Roman. Græv. Tom.* XI. *p.* 555. *C. D.*

AQUILIA gens. V. illam infr. in *Gens*.

Aquilia lex. V. illam infr. in *Lex*.

AQUILIANA stipulatio erat, per quam in stipulationem omnium rerum obligationes deducuntur, & ea per acceptilationem tollitur; ita dicta, quia a Gallo *Aquilio* composita fuit: ut habetur Institut. III. Tit. quib. mod. toll. obl. II. 9. *Ursat. de Not. Roman. Thes. Antiq. Roman. Græv. Tom.* XI. *p.* 555. *C.*

AQUILICIUM, sive *aqualicium* erat sacrificium, quod pro impetrandis imbribus fiebat, quo aqua pluvialis remediis quibusdam eliciebatur. Festus: *Aqualicium dicitur, cum aqua pluvialis remediis quibusdam elicitur: ut quondam, si creditur, manali lapide in urbem ducto.* Tertull. Apolog. c. 40. *Cum ab imbribus æstiva hyberna suspendunt, & annus in cura est, aquilicia Jovi immolatis.* Bud. in Pandect. p. 277. B. Gyrald. Synt. deor. II. p. 87. B. Voss. Lex. Etymol. in Aqua. Hospin. de Orig. templ. II. p. 306. Lomej. de Lustrat. c. 10. Scalig. & Dacer. in Festum.

AQUILIFER aquilam portabat, Romani imperii signum. Distinctus erat a signifero legionis, qui portabat propriæ legionis signa, & imagines Principis. Suet. Jul. c. 62. n. 1. *Ut aquilifero moranti se cuspide sit minatus.* Ursat. de Not. Roman. Thes. Antiq. Roman. Græv. Tom. XI. p. 960. F. Sigon. de Ant. jur. provinc. II. 2. Valtrin. de Re milit. Roman. III. 9. Lyd. de Re milit. III. 7.

AQUILIA familia. V. illam infr. in *Familia*.

AQUILLIUS. Ita scribendum est, non *Aquilius*. Docent hoc fasti Capitolini & nummi. Prænomen est ab *aquilo* colore, id est, nigro dictum. *Festus*. Nomen malim dicere quam prænomen. Nam prænomen *Aquillius* nusquam exstat, quod sciam. *Augustin. in Festum.*

AQUIMANALE ornamentum est argenteum abaci cum pelvi, ad manus ante mensas abluendas pernecessarium. Communi vocabulo guttum, aut nasiternam dicimus. Fiebat ex argento. l. 3. ff. de supellect. legat. *Nam & pelves argenteas, & aquimanalia argentea.* Quin imo e crystallo. Lucan. X. 159.

—— manibusque ministrat
Niliacas crystallus aquas.

Kobierz. de Lux. Roman. II. 10. Turneb. Adv. XXII. 9. Barth. Adv. XLVII. 7. Cujac. Obs. X. 13. Auctor. misc. defens. pro Salmas. ad jus Attic. & Rom. p. 470.

AQUIMINARIUM, sive amula erat vas lustrale Latinorum, deportandæ aquæ religionis expiationisque ergo deputatum. Pompon. l. 21. §. 2. ff. de aur. & argent. legat. *Sed de aquiminario Cassius ait, consultum se respondisse. . . .* Cujac. Observ. X. 17. Rycq. de Capitol. c. 37. Cenal. de Ponder. ac mensur. rat. Thes. Antiq. Roman. Græv. Tom. XI. p. 1475. A. Rosin. Antiq. Rom. III. 32. Laurent. Var. sacr. c. 16. Kipping. Antiq. Roman. I. 11. §. 17.

AQUINUM nobilissima urbs Volscorum olim, nunc vero tenuis a monte Casino versus lævam tendentibus occurrit, Melpha fluvio irrigua, ortu Thomæ Aquinatis celeberrima. Colonia etiam quondam & a Romanis est deducta. *Kircher. Lat. Vet. & Nov.* III. 4. 1. *Cluver. Ital. Ant.* III. 8. 22. *Sigon. de Ant. Jur. Ital.* III. 4. A triumviris Reipublicæ constituendæ Lepido, Antonio & Cæsare. Municipium vocatur a Cicerone in oratione pro Planc. c. 8. Nam ante coloniam a triumviris deductam, municipium lege (ut opinor) Julia factum fuerat. *Panvin. Imp. Roman. c.* 21.

AQUITANIA olim, auctore Plin. IV. 17. Aremorica nuncupabatur, ab occidente cingitur oceano; a septentrione & oriente Ligeri fluvio, ubi a Lugdunensibus separatur; a meridie Pyrenæo & Gallia Narbonensi. Dividitur in primam & secundam. Prima vocatur, quæ inter Garumnam & Pyrenæos montes clauditur. Octo civitates apud Itinerarium habet: metropolim Bituricum, alias Beturcium, Arvernorum, Retenorum, Abigensium, Cadurcorum, Lemovicum, Gabalum, Vellavorum. Secunda inter Ligerim & Garumnam est, nunc Guasconia dicta, in qua est Burdegala. Continet sex civitates: Burdegalensium, Agenensium, Etolisnensium, Santonum, Pictavorum, Petrocoriorum. *Pancıroll. Notit. Imp. Occid. c.* 67. *&* 84.

ARA.

ARA locus est purus est sacer e terra elevatus, cædendis ac immolandis victimis destinatus, habendisque precationibus præparatus. Erant quippe *aræ* sacris deorum religionibus ac cultibus erectæ ac consecratæ, victimarum cruore tantum tingebantur: quæ quidem victimæ sacro & sollenni ritu mactatæ, postea igne absumebantur. *Berthald. de Ara c.* 1. §. 2. Differt ab altari. V. supr. in *Altare*. Quis primus struxerit, haud ita facile dispectu est. Certe a Græcis ad Latinos manasse illum morem plurimorum est opinio. Ita Rhodig. Ant. Lect. XVIII. 37. Traditum est, Ægyptios primos deorum excitasse *aras*, conflasse simulacra. Tradidit hoc Herod. II. p. 102. A. *Ægyptios primos diis, & aras, & simulacra statuisse.* Polyd. I. 5. *Berthald. ibid. c.* 7. §. 1. *Saubert. de Sacrif. c.* 15. Sed sacra historia profanis illis reclamat. Primam enim exstruxisse Noachum docet Moses Gen. c. 8. n. 20. *Saubert. l. l. Hospin. de Templ.* II. *pag.* 84. *Polyd. Virgil. de Invent. rer.* V. 6. *Sched. de Diis German. Syngram.* II. 25. Ex varia constabant materia. Auro. Suidas: *Ozias est ingressus in delubrum, Deo in aureo altari sacrificium facturus.* Vel auro inducta, atque incrustata. Exod. c. 30. n. 3. *Et obduces illud auro puro, tectum ejus, & latera structura ejus circumquaque & cornua ejus: facies[que] & limbum aureum circumquaque.* Ære 2 Chron. c. 4. n. 1. *Fecit præterea altare æreum.* Marmore, vel marmore inducta. Utrumque in Jovis Ultoris æde Romæ videre est: ubi teste Fabric. Descr. Urb. Rom. c. 9. *aræ* duæ marmoreæ, sex marmoratæ. Ovid. Met. IX. 160.

Vinaque marmoreas patera fundebat in aras.

Lignis, ut lignis Sittim, id est, lectissima quadam cedri specie. Exod. c. 30. n. 1. *Facies altare thymiaterium suffitus, e lignis cedrorum lectissimarum facito illud.* Terra. Exod. c. 20. n. 24. *Altare terreum facies mihi.* Cespite. V. illam infr. in *Cespes*. Cinere. V. infr. in *Ara Apollinis Spodii*. Lapidibus. Exod. c. 20. n. 25. *Quod si altare ex lapidibus facies mihi, ne exstruito ex eis cæsis.* Ara Hippodamiæ lapidea fuit, unde Olympici ludi spectari poterant. Pausanias: *E regione illius sessionis ara eminet e candido lapide.* Memorabile illud basilicæ Lateranensis illud, quod adhuc visitur, altare ligneum, in quo Apostolorum princeps, & qui eum consecuti sunt ad S. Sylvestrum pontifices summi sacra fecerunt, sævientibus in veræ religionis cultores perfidis, ac barbaris hominibus. *Berthald. ibid. c.* 3. *Saubert. l. l.* Cornibus animalium forte mactatorum. V. infr. in *Ara cornea*. Forma aliarum erat rotunda, aliarum quadrata, aliarum etiam pluribus angulis distincta. Erantque communiter in tantum exaltatæ, ut fere umbilicum hominis tangerent, licet alias elevatiores, quasdam & depressiores non negemus. *Saubert. & Berthald. l. l. Potter. Archæol. Græc.* II. 2. Fuerunt etiam portatiles, quas & solubiles appellabant, quæ nimirum facile, prout casus, aut locus exigeret, exstruerentur, solverentur, removerentur. Tales describuntur a Pausan. VI. *Multas circa illas porticus aras Jovi erigunt, & in aprica fori parte multæ aræ sunt: removentur autem non magno negotio; sunt enim tumultuario opere confectæ.* Berthald. ibid. n. 5. Asylum erat Græcis, & Latinis: nec ulla fere gens tam barbara, tamque incultis prædita moribus, quæ non in ea re deis, ac religioni decesserit, & tutum semper, ac

ubique terrarum concesserit ad *aras* perfugium. Cicer. de Nat. deor. III. 10. *Quod vos cum facere non potestis, tanquam in aram, confugistis ad deum.* pro Q. Rosc. c. 11. *Eroter, ficus in aram, confugit in hujus domum.* Berthald. ibid. c. 14. §. 1. Tomas. de Donar. c. 3. Osiand. de Asyl. gentil. §. 26. Passim quidem omnibus, uti sese res dabat. Sed tamen potissimum servis, quoties crudelem in modum ab heris tractarentur. Duo quidem servorum fuerunt perfugia, *ara* scilicet & deprecator. Quo videtur respexisse Terent. Heaut. v. 2. 22.

— nemo accusat, Syre, te; nec tu aram tibi,
Nec precatorem pararis.

Sed *ara* sine precatore satis erat ad tuitionem, precator vix sufficiebat. Semper *ara* visa est potior, ac tutior, cum homines deorum religione maxime tenerentur, & moverentur. *Berthald. ibid.* §. 2. *Feith Antiq. Homer.* III. 14. Et supplicibus, qui ad illas confugerunt injuriam deprecaturi, si quid deos, hominesve offendissent, iisque tuti ab omni vi insederunt, & quidem silentes. Inde factum, ut ab ἕζω, sedeo deducta sit a priscis aliquot grammaticis vox ἑστία, & ἐφέστιοι supplices passim apud Græcos tragicos dicantur, ὡς ἑστίᾳ, super *aram* considere. Ovidius exsilio multatus ab Augusto non aliter lenitum ira infensum ejus animum ait, quam si ad ejus *aram* confugiat. Ita enim se quasi dubitantem de Augusti clementia eo ipse excitat his versibus Trist. v. [illegible]37.

Quid dubitas, & tuta times? accede, ro[illegible],
Cæsare nil ingens mitius orbis habet.
Me miserum, quid agam? si proxima quæque relinquunt:
Subtrahis & fracto tu quoque colla jugo.
Quo ferar? unde petam lapsis solatia rebus?
Ancora jam nostram non tenet ulla ratem.
Viderit, ipse sacram quamvis invisus ad aram
Confugiam, nullas summovet ara manus.

Idem habet Tibullus, cum iratam sibi Venerem placaturum se vinctum adjacentem ad ipsius aram dicit IV. 12. 21.

Jam faciam quodcunque voles, tuus usque manebo,
Nec fugiam notæ servitium dominæ,
Sed Veneris sanctæ considam vinctus ad aram:
Hæc notat injustos, supplicibusque favet.

Spanhem. de Vesta Thes. Antiq. Roman. Græv. Tom. v. p. 675. D. Berthald. ibid. §. 3. Demster. Paralip. ad Rosin. Antiq. Roman. I. 13. Unde qui ad *aras* deorum, aut religiosa loca confugiebant, in jus vocari, trahi, aut rapi non poterant. Hoc dixerit Ulpian. l. 2. ff de in jus vocando, si legeris apud illum: *In jus vocari non oportet eos, qui propter loci religionem inde semoveri non possunt.* Hoc dicit Plaut. Rud. III. 4. 18.

LA. *Mihi non liceat meas ancillas Veneris de ara abducere?*
DÆ. *Non licet: ita est lex apud nos.*

Eoque spectat, quod scribit Plaut. Most. v. 1. 43.

— imo primum volo
Quæstioni accipere servos. TR. *Faciundum ædepol censeo! ego*
Interim hanc aram occupabo. TH. *Quid ita?* TR. *Nullam rem sapis.*
Ne enim illi huc confugere possint, quæstioni quos dabit.

Cicer. pro dom. c. 41. *Hic aræ sunt, hic foci, hic dii penates, hic sacræ religionis ceremoniæ continentur, hoc perfugium est ita sanctum omnibus, ut inde abripi neminem fas sit.* Rævard. Var. I. 6. Guther. de Jur. man. III. 24. Kipping. Antiq. Roman. I. 9. §. 12. Fuit dextra Baccho in tragœdia, Apollini in comœdia: sinistra ei, cui fiebant ludi. In iis verbenæ imponebantur Apollini, Baccho hederæ. *Scalig. Poet.* I. 21. *Lipen. de Stren.* c. 3. §. 5. *Buleng. de Theatr.* I. 21. *Berthald. ibid.* c. 18. §. 7. *Voss. de Institut. poet.* II. 10. §. 9. Non minori cultu, quam templum vovebatur. *Tomas. l. l.* Excitabatur ad sepulcra. Virg. Æneid. III. 64.

— stant manibus aræ
Cæruleis mœstæ vittis, atraque cupresso.

n. 303.

Libabat cineri Andromache, manesque vocabat
Hectoreum ad tumulum, viridi quem cespite inanem,
Et geminas, causam lacrymis, sacraverat aras.

VI. 177.

Haud mora, festinant flentes, aramque sepulcri
Congerere arboribus, cœloque educere tentant.

Gyrald. de var. sepel. rit. c. 2. & Facs ad illum. Nicol. de Sepulcr. II. 15. 6. Kirchman. de Funer. IV. 2. Laurent. Var. sacr. gentil. c. 5. Meurs. de Funer. c. 31. Kipping. Antiq. Roman VI. 6. 16. Demster. Paralip. ad Rosin. Antiq. Roman. II. 2. *Aris* advolvebantur, aut saltem eas tangebant, qui precabantur. V. infr. in *Precantium mos*: illasque tenebant, qui jurabant. V. infr. in *Juramentum*. Deorum *aras* morituri amplectebantur. V. infr. in *Morientes*.

Ara Accæ Laurentiæ prope forum boarium in Velabro posita fuit. Cicer. ad Brutum 15. *In eo sum majorum exemplum secutus, qui hunc honorem mulieri Laurentiæ tribuerunt: vos cujus pontifices ad aram in Velabro sacrificium facere soletis.* Marlian. Topogr. Urb. Rom. III. 14. Borrich. Ant. Urb. fac. c. 10. §. 6.

Ara adoptionis apud Tacit. Ann. I. 14. 2. Mos Romanus notus, quo receptum ut propagandæ memoriæ causa, *ara* aut templum statueretur virtuti, reique, quam cuperent laudatam. Agitur de Livia. Hæc testamento adoptata in familiam Juliam, nomenque Augustæ: & novo exemplo, conjux facta filia mariti. Ideo dum Liviæ adulantur, decreta *ara* adoptioni. *Lips. in Tacit.* n. 94. *Berthald. de Ara* c. 22. §. 7. Hanc tolli imperavit Tiberius materni honoris invidus. Nempe *moderandos feminarum honores dictitans, eademque se temperantia usurum in his, quæ sibi tribuerentur; cæterum anxius invidia, & muliebre fastigium in deminutionem sui accipiens, ne lictorem quidem ei decerni passus est: aramque adoptionis, & alia hujuscemodi prohibuit.* Tacitus. De *ara* adoptionis, quæ nimirum ob adoptionis causam erigebatur, intelligendus forsan Plin. Paneg. c. 1. n. 5. *Non occulta potestate fatorum, sed ab Jove ipso coram, ac palam repertus, electus es: quippe inter aras & altaria, eodemque loci, quem deus ille tam manifestus, ac præsens, quam cœlum, ac sidera insedit.* c. 8. n. 1. *Non tua in cubiculo, sed in templo, nec ante genialem torum, sed ante pulvinar Jovis optimi maximi adoptio peracta est.* Berthald. l. l.

Ara Ajo Locutio in vico qui via nova appellatus est in octava Urbis regione surgebat, ut nocturna voce adventum Gallorum indicanti. Gell. XVI. 17. Cicer. de Divin. II. 32. V. illos supr. in *Ajus*. Marlian. Topogr. Urb. Rom. II. 13. Nardin. Rom. Vet. v. 5. Borrich. Ant. Urb. Fac. c. 10. §. 2. Alex. Gen. dier. II. 18. Berthald. de Ara c. 21. n. 3.

Ara amicitiæ. Hanc patres ob amicitiam Tiberii Imperatoris cum Sejano ponendam censuerunt. Tacit. Annal. IV. 74. 2. *Ita quamquam diversis super rebus consulerentur, aram clementiæ, aram amicitiæ, & effigies circum Cæsaris ac Sejani censuere.* Berthald. de Ara c. 22. §. 5. Barth. in Claud. bell. Gildon. n. 404.

Ara Anchuri. *Hic cum cogitasset pretiosius anima humana nihil esse in vita, amplexu dato genitori Midæ & uxori Timotheæ, eques in hiatum sese dejecit. Cum autem in se coivisset terra, auream Midas eo in loco posuit aram, eamque manu tangens Jovi Idæo consecravit. Hæc circa id tempus, quo hiare terra solebat olim, lapidea fit. Stato illo tempore elapso aurea visitur.* Plutarch. Parall. c. 10. *Berthald. de Ara* c. 28. §. 10. *Tomas. de Donar.* c. 20.

Ara Apollini consecrata est ab Atheniensibus peste laborantibus. *Apollinis enim oracula sciscitati, quo pacto a pestilentia possent liberari, hujusmodi responsum acceperunt Athenienses: ita demum sospitem futuram civitatem, si illius aram, cujus figura cubica erat, duplicarent.* Bessarion in Apol. Platon. I. 8. *Tomasin. de Donar.* c. 3.

Ara Apollinis Γενέτορος, sive Genitivi in Delo fuit, in qua nullum animal sacrificabatur, & sacerdos templum ingressus, nullo acto sacrificio, statim inchoabat preces, atque ut γενέτορα expressius ostenderet, eum paterno nomine

mine appellat; imo etiam & ipsius *aras patrias* vocat Virg. Æned. III. 84.

Templa dei saxo venerabar structa vetusto:
Da propriam Thymbrææ domum, da mœnia fessis
Et genus, & mansuram urbem: serva altera Trojæ
Pergama, reliquias Danaum, atque immitis Achillei.
Quem sequimur? quove ire jubes? ubi ponere sedes?
Da pater augurium, atque animis illabere nostris.

Apud quem præter nudas preces nihil invenies. Et incruentam *aram* fuisse satis demonstratur n. 332.

Excipit incautum, patriasque obtruncat ad aras.

id est, Apollineas, non a Patris urbe Achajæ, ut male Servius, sed ab ipsius Apollinis cognomine, qui Πατρῷος a Græcis dicitur. Macrob. Sat. III. 6. *Constat, sicut Clo[illegible] Verus ordinatorum* II. *docet, esse Deli aram, apud quam [illegible] cæditur, sed tantum sollenni deum prece venerantur.* [illegible] *hæc sunt: Deli ara est Apollinis* Γενέτορος, *in [illegible] animal sacrificatur: quam Pythagoram velut in[illegible]e produnt.* Berthald. de Ara c. 20. n. 8. & 10. Gyrald. Synt. Deor. VII. 244. A. B. Demster. Pa[illegible] Rosin. Antiq. Roman. II. 7. Buleng. de Orac. c. 89.

Ara Apollini Λοξίᾳ *ante ædium fores olim statuta fuit,* [illegible] *coronata, cui prætereuntes adstabant. Aram* [illegible] ἀγυιὰν λοξίαν, *id est, viam obliquam vocabant, hoc* [illegible] *ibuentes.* Helladius apud Photium in Bi[illegible] *de fanus vet. c.* 34.

[illegible] Apol[illegible] podii Thebis fuit ex victimarum cine[illegible], non quod tota ex cineribus constiterit: sed quia iis saltem aqua dilutis, & velut in calcem aut cæmentum redactis *aræ* universa superficies illita fuerit. Pausan. Bœot. IX. p. 290. *Supra lapidem Sophronistera est Apollinis ara cognomento Spodii e victimarum cineribus congesta.* Alexand. Gen. Dier. VI. 2. Berthald. de Ara. c. 4. §. 2. Rhodig. Ant. Lect. XXII. 2. Saubert. de Sacrif. c. 15.

Ara Apostolorum tumulo Romæ superstructa est ab Urbano Pontifice, qui illam Equite Johanne Laurentio Bernino architecto insigni operis & materiæ nobilitate perfecit. Tota moles fusili ex ære constat, auro subinde interlita, ut misceat perennitati splendorem. Tortiles in ea columnæ quatuor ternis portionibus compactiles: infima parte in spicam striatæ, tortuosis & e folioso caudice erumpentibus canalibus: exinde arbusculis laureis scapum amplexis identidem convestitæ, quarum ramulis ænei quamquam pueri colludunt, & auro guttatæ interquiescunt apes: perinde ac duritiem æris ore molliant, quæ hac ferrea bellorum ætate mollitudinem pacis aluerunt. Nituntur columnæ spinis æreis: hæ stylobatis e Pario marmore, quibus prosilientes anguli retractum, ac velut alveolatum ophitem marginant, virgatumque versicoloribus maculis, modo sparsis & errantibus, modo se colligentibus ac convolutis. At exterioribus quadratis ex eodem marmore insertum stemma Barberinum est, super sculptis Pontificis diadematis & clavibus. Capitula columnarum Ionico & Corinthio genere composita in olivæ folia se induunt, dispari altitudine e fundo subnascentia, resupinato per ambitum verticis Libro: e quibus erumpentes cauliculi circumflectuntur extremos in flosculos. Super hos echinum est spectare sculptum ovis & spiculis: altioremque abacum medio comantem flore (etsi alicubi pro flore Sol est) introrsus sinuatum, & supra volutas angulosum. Hæ porro inter echinum & abacum emergentes, in angulis foliorum tenus latiore circulo se demittunt: tum arctiores in orbes circinatæ in medium tandem florem, floreum quasi oculum desinunt. Capitulis incumbit epistylium, ternisque fasciis intermiscet astragalos baccis & verticillis intersectos. Hoc sequitur zophyrus radioso notatus sole: quem corona superfulget superne projecta, deorsum autem oviculis, denticulisque cœlata. Super coronam, quæ quadripartita, nec ultra quam pro columnarum crassitudine producitur, statuta quatuor cœlitum juvenili specie simulacra sunt: quos cœlestis quidem sensus ad custodiam religionum accendit: manibusque laureas retinent frondes prolixa implicatione contextuque tanquam in encarpiis ad volutas, retroque pertinentes proximam trabem, & quodammodo colligantes. Trabes æneæ quatuor totidem modis angulis insertæ, ab iis obversæ invicem tolluntur, anfractuque flexuosæ: tum paulatim coeuntes, supertensis palmis inauratis, nec modice resupinis, nectuntur in medium supercilium, e quo omnium globus superstante cruce inauratus effulget. Sub trabibus expansa ex ære umbella, & ære imminens, continuatoque margine, summo coronæ cymatio conjuncta, toto inter columnas cœlo subtenditur, aut ipsa cœlum est, quod divinæ columbæ aurato radiorum circulo subvolantis exornat candor, & fulgor illustrat. Extremis umbellæ oris velut assuuntur æneæ, in flexuram concisæ, auroque fimbriatæ laciniæ, flocco inaurato dependulo: quas ad coronæ altitudinem intercolumnium implentes superorum aligeræ facies, & Barberinæ apes alterno auro distinguunt. At medium umbellæ marginem tenuerunt minores duo Cœlites: quorum alter insidet, alter supervolat, uterque puerili forma & habitu. Et anteriori quidem fronte hic Pontificia corona, ille cœli terrarumque clavibus oneratur. Iisdem insignibus gaudent in aversa extremitate posteriores. Qui latera tuentur, hinc atque hinc minantes impietati Paullino gladio coruscant. *Donat. de Urb. Rom.* IV. 10.

Ara Apotheoseos. Hæc cum igne & hoc titulo CONSECRATIO apponebatur in omnibus fere numismatis eorum Imperatorum, quos in deorum album populus Romanus referebat, ut concessæ divinitatis species aliqua præter notam apotheosin appareret. In nonnullis duæ hinc inde aquilæ ad basin cum ea inscriptione, FELIX MEMORIA. Dio LXXIV. pag. 841. D. *Postremo ferebatur ara inaurata, ornataque ebore, & lapillis Indicis.* Loquitur de ceremoniis in consecratione Pertinacis factis. *Berthald. ibid. c.* 22. §. 9.

Ara Arelatensis, si Gervasio aut Gaguino fides & clarissimæ Galliarum urbi nomen dedit. Juvat conjecturam & *aræ* latæ proximitas. Urbem vulgo Arles appellamus. V. illam in *Arelate.* Quod tamen etymum ridiculum magis quam verum nonnulli putant. Ut igitur *ara* Arelatensis quænam fuerit, & quem ad finem erecta olim explicemus, Gaguini verba placet hic proponere. Ita ille in Carolo Quinto: *Arelatem regni Burgundionum primariam civitatem & caput fuisse, imperioque paruisse certum est. Nam in eo loco prope civitatem, quæ Rocheta dicebatur, duæ columnæ exstructæ erant: & super eas ara imposita, ubi quotannis ad Kalendas Majas frequens undique populus humanas hostias pro sua sospitate mactare consueverat; itaque tres juvenes publica pecunia emptos anno toto saginabant, quos constituto die ad ipsam aram immolabant, victimarum sanguine circumstantem populum aspergentes. Quem ritum D. Trophimus ex* LXXII. *discipulis Christi, illuc ex Judæa missus sustulit docens, non cruore hominum mortalium, sed Christi sanguine debere adspergi.* Adeundus Guilielmus Paradinus de Antiquo statu Burgundiæ, qui *aram* illam grandem & execrandam fuisse, ac Cæsari Augusto dicatam videtur affirmare. Earum autem columnarum, quibus fultam & sustentatam fuisse ex Gaguino meminit Sidonius Apollinaris Epist. I. II. Denique eas columnas in urbis summitate in collegio fuisse, & a vulgo olim Herculis columnas appellari solitas scribit Merula Cosmogr. part. II. lib. IV. *Berthald. de Ara c.* 20. §. 6.

Ara auguralis. Hujus mentionem facit Tacit. Annal. XV. 30. I. *Structam ante auguralem aram subdita face accendi.* Sed hæc quænam? An ea ad quam augures præmissis rite sacris & precationibus vaticinari consueverant? Certe *aras* in captandis auguriis structas probi auctores passim testantur. Seneca. Oed. II. 299.

Tir. *Adpellite aris candidum tergo bovem,*
Curvoque nunquam collo depressum juga.
Man. *Opima sanctas victima ante aras stetit.*
Tir. *In vota superos voce solenni voca*
Arasque dono thuris Eoi exstrue.

Lucan. I. 608.

—— sacris tunc admovet aris

Electa

Electa cervice marem.

Berthald. de Ara c. 30. §. 8. Ego lego apud Tacitum: *structam ante augurale aram.* Non enim vult structum aliquid accensumve ante *aram* fuisse; sed in ipsa quam collocat ante augurale (V. hoc infr.) Sed quis iste ritus? nisi fallor, ille ipse qui in privatorum etiam conviviis, carpendi aliquid e dapibus, & libandi in honorem Deorum. Hoc tamen discrimine, quod vulgo in focum libamenta ea illata, sedem scilicet Larium; hic in *aram* paullo augustius, & pro splendore Imperatoris. Homer. Iliad. IX. 219.

—— diis jussit sacrificare
Patroclum socium: hic libamina jecit in ignem.

Plutarch. de Fortun. Roman. p. 323. B. facit Ocrisiam *primitias, & libamenta capientem e mensa regia, &, ut solet, in ignem conjicientem.* Sil. Ital. VII. 183.

Distinxit dulces epulas, nulloque cruore
Polluta castus mensa, Cerealia dona
Attulit, ac primum Vestæ detersit honorem
Undique, & in mediam jecit libamina flammam.

Et inde dii patellarii. V. illos infr. in *Dii, & patella.* Lips. in Tacit. p. 43. de Milit. Roman. v. 2. Berthald. l. l. van Dale de Divinat. idolol. c. 1.

Ara Augusti, cujus animi virtus tanta fuit, atque morum sanctimonia, si Ethnicis fides, ut divinos honores etiam vivus meruerit. Horat. Epist. II. 1. 15.

Præsenti tibi maturos largimur honores,
Jurandasque tuum per nomen ponimus aras.

Quod ipsum fatetur, quanquam adulatorie, Virgilius sub ficta Tityri pastoris persona deum Augustum appellans, & *aram* nominans Ecl. I. 7.

Namque erit ille mihi semper deus: illius aram
Sæpe tener nostris ab ovilibus imbuet agnus.

Berthald. de Ara c. 25. n. 1.

Ara Carmentæ fuit sub *Capitolio ad portam Carmentalem.* Dionys. I. p. 25. *Nardin. Rom. Vet.* VII. 8.

Ara castrensis, quæ, quamvis non ita passim familiaris sit, & frequens eorum, qui militiæ nomen dederunt, pietas, sacrorumque cultus, tamen olim ferox armis miles ut religione mitesceret, in ipsis castris erecta erat. Tacitus, ubi de Planco Germanici legato, quem orta militum seditione pœne cæsum fuisse testatur, castrenses *aras* disertis verbis nominat Annal. I. 39. 5. *Ac ni aquilifer Calphurnius vim extremam arcuisset, rarum etiam inter hostes, legatus populi Romani Romanis in castris, sanguine suo altaria deûm commaculavisset.* Has ego existimo fuisse non modo aquilarum, & castrensium deorum, sed etiam Principum, & Imperatorum. *Berthald. de Ara c.* 30. §. 1. *Lips. de Milit. Rom.* v. *dial.* 4.

Ara Cespititia. V. illam infr. in *Cespes.*

Ara Cœlesti, quæ dea eadem quæ Astarte, a Pœnis olim fuit erecta. Etiam in littore Britanniæ occidentali (Lancastrensem agrum vocant) eidem fuit posita, ibidemque ab incolis magna veneratione culta. Et vetus Romæ exstat monumentum ita conceptum:

INVICTÆ
COELESTI
AUR. ONESI
MUS. D. D

Selden. de Diis Syr. II. 2. *Berthald. de Ara c.* 30. §. 12.

Ara Cœlestis est illa ipsa, in qua dii bellum in gigantes suscepturi primum conjurarunt. Hanc Cyclopes fabricaverunt. Habuit juxta ignem operculum, ne gigantes vim fulminis deprehenderent. Posuerunt illam dii ex ejus facti memoria in cœlo quasi in templo, & Jupiter stellis exornavit. Hygin. Astron. I. Manil. I. 411.

Ipsius hic mundi templum est, victrixque solutis
Ara nitens sacris, vastos cum terra gigantes
In cœlum furibunda tulit, tum dii quoque magnos
Quæsivere deos . . . . .

v. 421.

—— Tunc Jupiter aræ
Sidera constituit, quæ nunc quoque maxima fulgent.

Jupiter ipse apud eam *aram* sacrificavit, & sacrificuli partes explevit ante pugnam; ut sic peractis rite sacris ac conceptis quodammodo votis in gigantes, sævissimos hostes, dii fidentius prosilirent: clarissimo nempe mortalibus exemplo, nihil rite suscipi quod sacrificia non præcederent; cum id agere diis ipsis immortalibus visum fuisset operæ pretium. Manil. v. 338.

Ara ferens thuris stellis imitantibus ignem,
In qua devoti quondam cecidere gigantes.
Nec prius armavit violento fulmine dextram
Jupiter, ante deos quam constitit ipse sacerdos.

Berthald. de Ara c. 12. §. 1. 2. 3. Credebatur olim esse signum, seu sidus amicum tempestatibus, quippe eo viso nautæ de cessatura undarum ira, nec falso augurantur. De hac *ara* multa Aratus. Ad hoc sidus ne accederet Phaethon filius monuit Phœbus pater apud Ovid. Met. II. 139. *Berthald. de Ara c.* 11. §. 5. Græce dicitur θυτήριον, & βωμὸς; in asterismis θυμιατήριον, aliquando & λιβανωτὶς & φάρος, Latinis altare, Ausonio thuribulum, cujus basis dicebatur ἐπίχυρον; superficies, ubi prunæ locabantur, καυτὴρ; id, quod supra καυτῆρα, βωμίσκος. Oritur in octava parte Scorpii, sub qua nasci perhibentur neocori, sacerdotes, prophetæ, sanctissimique antistites . . . . Ptolemæus. Manilius modo laudatus, & ad illum Scaliger. *Saubert. de Sacrif. c.* 15.

Ara Cœli viget etiam nunc in publico orbis terrarum theatro, ipsaque adeo religionis arce, hoc est, Romæ. Antonin. Histor. I. tit. 4. c. 6. §. 10. *Eo die quo Christus natus est, cum Sibylla Octaviano Cæsari oracula promeret: die media circulus aureus circa solem apparuit. In medio virgo puerum gestans in gremio visebatur: atque ea sic locuta perhibetur: HIC PUER MAIOR TE EST, IDEO IPSUM ADORA:* auditaque insuper ea vox est. *HÆC EST ARA COELI.* Unde & illa ecclesia, ubi tunc erat Octavii palatium, nunc conventus est ordinis Minorum, quem sanctam Mariam de *Ara Cœli* nominant. Ibidem olim Jovis Feretrii templum fuisse tradunt Romanarum antiquitatum studiosi. *Berthald. de Ara c.* 12. §. 7. *Nardin. Rom. Vet.* I. 7: II. 2.

Ara Consi posita fuit in regione Urbis undecima, sive Circo Maximo, sed defossa, ejusque ædicula subterranea. Tertull. de Spect. c. 5. *Ara Conso illi in circo defossa est ad primas metas sub terra.* quod consilia oporteret esse secreta. Hæc ludis Circensibus aperiebatur. Plutarch. Romul. p. 25. D. *Hæc ara in circo maxima est, alias operta, ludis circensibus aperitur. Alii dictitant, quia plane arcanum debeat esse, & tectum consilium, recte deo aram, quæ sub terra esset, sacratam fuisse.* Donat. de Urb. Rom. III. 14. Nardin. Rom. Vet. I. 2: VII. 2. Saubert. de Sacrif. c. 15. Alex. Gen. v. 26. Gyrald. Synt. Deor. v. p. 161. G. Panvin. de Lud. Circ. I. 17.

Aræ conviviorum passim erigebantur, & ad illas positis mensis genialiter epulabantur. Virg. Georg. IV. 378.

Pars epulis onerant mensas, & plena reponunt
Pocula: Panchæis adolescunt ignibus aræ.

Æneid. VIII. 106.

—— tepidusque cruor fumabat ad aras.
Terrentur visu subito, cunctique relictis
Consurgunt mensis.

Berthald. de Ara c. 19. n. 1.

Ara Cornea, inter septem orbis miracula celebrata, & omnium decantata est vocibus. Mart. de Spect. I. 4.

Dissimuletque deum cornibus ara frequens.

Ovid. Heroid. XXI. 99.

Miror & innumeris structam de cornibus aram.

Domitius ad Martialem in Libya apud Hammonis templum hanc fuisse contendit. Sed hoc non procedit. Nam cum laudato Martialis epigrammate magnificentissima orbis terrarum ædificia memorentur, quæque ob eximiam elegantemque structuram inter miracula recenseantur, ut ex eorum comparatione Domitiani Imperatoris amphitheatrum crescat majus & excellentius; ridiculum sane esset, & tam erudito poeta indignum de templo Hammonis loqui, quod pauperrimum fuisse constat vel uno teste Lucan. IX. 511—521. Hanc *aram* tam celebrem non o-

misisset

misisset Lucanus, sed eleganti descriptione nobis expressisset, qui de ea ne verbum quidem. Eustathius ad Iliad. Θ. eam posuit Ephesi. Plutarch. de Solert. Anim. p. 983. D. & in Theseo. Alex. Gen. VI. 2. in Delo exstitisse produnt. Prior quidem se vidisse, & ob admirabilem & singularem tantæ rei structuram miratum fuisse testatur. *Nullo glutine, neque aliis vinculis cohæsit, sed e solis dextris cornibus animalium compacta est & coagmentata.* Apollo adhuc puellulus ex cornibus Cynthiarum caprearum, quas Diana soror inter venandum occiderat, eam composuit. Callim. Hymn. Apoll. 58--64. *Berthald. de Ara c.* 6. §. 1. 2. 3. *Politian. Miscell. c.* 52. *Spanhem. in Callimachum. Rader. in Martialem. Demster. Paralip. ad Rosin. Antiq. Roman.* II. 7.

Ara Dearum matrum. Hocce ævo antiquitatis studiosissimo plurimæ dearum matribus, quot enim habitæ deæ, tot matres insculptæ *aræ* in Europa repertæ sunt. Maximam autem & pulcerrimam dearum matrum *aram* meminit a se visam in Brigantibus G. Cambdenus, etiam ad majorum animalium sacrificia peragenda aptam, & a M. Ingenuo Asiatico sacratam. Hanc in Lancastria esse, alteramque docet in agro Dunelmensi, tertia in Cumbria his verbis exarata est:

DEABUS. MATRIBUS
TRAMAI. VEX. CERMA
PV. R. D. PRO. SALUTE
R. FV. S. L. M.

Selden. de Diis Syr. II. 2. *Berthald. de Ara c.* 30. §. 13.

Ara Deo uni non una; sed variæ, & ad minimum tres in templo exstructæ: semperque impari numero superis, inferis pari. Prima quidem *ara* in medio templi, simulacro inferior. Secunda pro foribus, ubi victimæ immolabantur. Tertia, quæ forte anclabris. V. illam supr. *Guther. de Jur. Pontif.* III. 6.

Ara Dianæ placabilis est Dianæ Tauricæ. Ita dicitur Virg. Æneid. VII. 764.

—— pinguis ubi, & placabilis ara Dianæ.

Qui illam vocat placabilem non amplius humano sanguine gaudentem, aut eo amplius loco sacrificia & humanas hostias non poscentem. Ab ea conducta Æsculapii opera Hippolytus dilectissimus juvenis vitæ fuit restitutus. Hanc Mæotidem vocat Satyricus XV. 115. quia nimirum juxta Mæotides sita est. Atque ego talem fuisse existimo olim Dianæ Ephesiæ apud veteres Massilienses, ad quam Græcanicis moribus immolare consueverat Græcula civitas, ut testantur Valerius Maximus, Strabo, Justinus, Polybius & alii. Serv. Æneid. III. 57. *Sacra, id est, execrabilis. Tractus sermo ex more Gallorum. Nam Massilienses quoties pestilentia laborabant, unus se ex pauperibus offerebat alendus anno integro publicis & purioribus cibis. Hic postea verbenis ornatus & vestibus sacris, circumducebatur per totam civitatem cum execrationibus, ut in ipsum reciderent mala civitatis, & sic projiciebatur. Hoc autem in Petronio lectum est* n. c. 102. Lucan. III. 399--405. *Berthald. de Ara c.* 20. *n.* 4. & 5.

Ara Dionysii post orchestram est in theatro, quæ dicitur a sacrificando thymele. Θύειν enim est sacrificare. *Buleng. de Theatr.* I. 21.

Ara Diti & Proserpinæ structa est a Romanis bello Albano. *Hoc cum inter Romanos & Albanos erat, & cum utrimque jam in armis essent, quidam prodigiosa facie conspectus est, amictus pelle nigra, & clamans: Ditem patrem & Proserpinam eis imperasse, rem sacram sub terra prius facerent, quam ventum ad manus esset: atque his dictis evanuit. Romani spectro territi, & aram sub terra struxerunt, & facta re sacra, defossam ad altitudinem viginti pedum aram occultarunt: ut Romanis exceptis aliis omnibus ignota foret. Hac reperta Valesius peracto sacrificio, nocturnisque pervigilationibus appellatus est Manius Valerius Terentinus. Sequentibus inde temporibus anno post exactos Reges primo, cum pestis Urbem occupasset, P. Valerius Poplicola, mactato in hac ara Diti patri & Proserpinæ bove nigro, nigraque bucula, peste liberavit urbem.* Zosim. Histor. II. 3. Valer. Max. II. 4. §. 4. Festus in Seculares. *Taffin. de Lud. Secul. c.* 3. *Borrich. Antiq. Urb. Fac. c.* II. §. 6. *Nardin. Rom. Vet.* VI. 7. *Panvin. de Lud. Secul. Thes. Antiq. Roman. Græv. Tom.* IX. *p.* 1092. *Marlian. Topogr. Urb. Rom.* V. 12. *Berthald. de Ara c.* 8. §. 1.

Ara Divarum Corniscarum fuit in regione Urbis decima quarta, Transtiberina dicta, *nota cornicibus, quæ in Junonis tutela.* Festus. *Borrich. Antiq. Urb. Fac. c.* 16. §. 1.

Ara Druso Tiberii fratri ad Rhenum posita fuit, ad quam *Galliarum civitates publice supplicarent.* Ex hac enim voce Suet. Claud. c. 1. n. 7. apparet, tumulo huic honorario *aram* adjunctam fuisse. Referam verba Tacit. Annal. II. 8. 3. *Veterem aram Druso sitam* (rectius *positam*) *disjecerant.* Lips. in Tacit. n. 28. Berthald. de Ara c. 26. n. 6. Noris. Cenot. Pisan. Dissert. III. 4.

Ara Euandri fuit in *Aventino non longe a porta Trigemina.* Dion. Halicarn. I. p. 25. *Nardin. Rom. Vet.* VII. 8.

Ara Eumenidum etiam fuit. Auctor est in Achaicis VII. Pausanias his versibus p. 232.

Ara tibi Eumenidum, fumans & curia Martis
Sunt cordi.

Berthald. de Ara c. 8. §. 5.

Ara Expiationis non ideo erigebatur ut in ea sacra facerent; sed in hunc duntaxat finem, ut vel scelus aliquod expiarent, vel promissam deorum iram immani aliquo sacrificio averterent. *Berthald. de Ara c.* 19. §. 8.

Ara Febri, uni inter alios affectus, apud Romanos fabricata fuit, quod nullus hoc ipso morbo vitæ infensior aut frequentior. *Tomas. de Donar. c.* 34. Et quidem in Palatino monte, Cicer. de Nat. deor. II. 11. *Ara vetus stat in Palatio Febris.* Nardin. Rom. Vet. VI. 14. Marlian. Topogr. Urb. Rom. II. 21.

Ara Fortunæ malæ fuit in Esquiliis, sive regione Urbis quinta. Cicer. de Nat. deor. II. 11. *Ara vetus stat in Esquiliis Malæ Fortunæ.* Nardin. Rom. Vet. IV. 3.

Ara Fortunæ muliebris eodem loco facta est, quo Vetusia mater, & Volumnia uxor Coriolani, & aliæ matronæ precibus ab illo impetraverant, ut desisteret ab incepto, quo, quia repulsam in petitione Consulatus tulisset, & de tribunorum plebis potestate abroganda in Senatu consilium dedisset, & ne præsens damnaretur, solum vertisset, in patriam magnum Volscorum exercitum duxerat. *Augustin. de Fam. Roman. in Marcia.*

Ara Fortunæ *reduci ob Augusti reditum Romæ consecrata est.* Dio LIV. p. 527. D. *Ob reditum ejus. . . . . Fortunæ reduci aram consecrari passus est.* Inscriptio:

FORT. RED.
CÆS. AUG.
S. P. Q. R.
ARA.
ARA. FORTUNÆ.
REDUCI. AUGUSTO.
CONSECRATA.

Berthald. de Ara c. 22. *n.* 2.

Ara Fraudi non levi probitatis injuria erecta est Romæ in luco obscuro & abdito, ubi fures prædam dividebant. *Tomas. de Donar. c.* 42.

Ara Herculi Victori decreta est in crepidine montis Aventini supra Navalia, quia illic Caco fauces eliserat. *Borrich. Ant. Urb. Fac. c.* 15. §. 1.

Ara Herculis & Musarum communis a Romanis erecta est, quia, ut Plutarch. in Problematibus Romanis vult, Hercules Euandrum literas docuit: vel, quia, ut narrat Eumenius Rhetor in oratione pro reparandis scholis, Musæ defensione Herculis sunt juvandæ, & virtus Herculis Musarum voce ornanda. *Panciroll. Descr. Urb. Rom. Thes. Antiq. Roman. Græv. Tom.* III. *p.* 323. *D. Donat. de Urb. Rom.* III. 14. V. infr. in *Templum Herculis & Musarum.*

Ara Honori Romæ dedicata est eo loco, quo extra portam Collinam lamina fuit inventa, in qua scriptum, DOMINA HONORIS. Cicer. L. L. II. 23. *Guther. de Jur. Man.* II. 33.

Ara ignoto Deo ab Atheniensibus posita fuit. Hujus etiam

etiam meminit Paullus Actor. c. 17. n. 23. *Viri Athenienses per omnia vos superstitiosiores video. Pertransiens enim, & videns simulacra vestra, inveni & aram, in qua scriptum erat IGNOTO DEO. Quod ergo ignorantes colitis, hoc ego annuntio vobis.* Aliqui dixerunt, quod hoc altare fuit consecratum, & institutum a posteris Herculis, qui post mortem ejus ejecti e regno suo, & potestate recurrerunt ad auxilium Atheniensium, per quod restituti fuerunt ad statum pristinum, propter quod dicunt Misericordiam in Athenis sibi posuisse sedem, cui consecraverunt *aram*, seu quod Misericordia non erat aliqua persona, quæ fuisset nota hominibus, sicut Jupiter, & Mercurius fuerant, quos gentiles ad deos translatos esse dicebant. Altare intitulatum fuit ignoto deo, & determinatum, quod non fierent oblationes, & sacrificia, nisi de gemitibus, lacrymis, & precibus miserorum, ibidem misericordiam postulantium. *Lyran. in Acta. Laurent. Polym.* IV. *Synops.* V. Repugnat inscriptio, non meminit Apostolus ullius *aræ* Misericordiæ; sed cujus inscriptio fuerit Ἀγνώςῳ Θεῷ. Si itaque hanc inscriptionem habuit, non fuit illa titulo Misericordiæ insignita, non de qua Stat. Theb. XII. 481.

Urbe fuit media nulli concessa potentum
Ara deûm, mitis posuit clementia sedem.

Quid, quod adhuc disputari possit, num posteri Herculis hanc *aram* Misericordiæ erexerint tanquam deo cuidam benigno: num vero suffecerit illis ut monumentum Misericordiæ illis ab Atheniensibus exhibitæ construxisse, & privilegio quodam ornasse? *Aram* quoque illam Misericordiæ asylum fuisse constat. Constat hoc ex Statio, qui ita de illa n. 483.

Et miseri fecere sacram: sine supplice nunquam
Illa novo: nullis damnavit vota repulsa:
Auditi quicunque rogant, noctesque, diesque
Ire datum, & solis numen placare querelis.

At quod *ara* hæc fuerit asylum, nullo indicio constat. Denique longe alia recensetur occasio *aræ* hujus exstruendę. Baronius, Lorinus, & Sanctius opinantur Athenienses ex Trismegisto, & oraculis Sibyllinis hausisse, esse Deum aliquem invisibilem, ac incomprehensibilem, & propterea *aram* eidem erexisse, vel a philosophis Pythagoricis, aut Platonicis, qui unum deum colebant, persuasos fuisse, ut *aram* quoque illi inter tot deastros, quos colebant, construerent. *Osiand. de Asyl. gentil.* §. 27. Ferunt nonnulli, Athenienses quondam a Persarum Rege bello pressos gravissimo, ad Lacedęmonios misisse, qui finitimę civitati & tum amicę suppetias in communem Gręcię hostem implorarent. Eo profectis legatis dum adhuc in itinere essent prope Parthenium montem spectrum obtulit sese, & illos graviter corripuit, quod cum cęteros deos divinis afficerent honoribus, se, quem Pana vulgo appellabant, negligerent; laturum alioqui opem si sacra sibi perinde ac diis aliis facerent. Victores de Persis Athenienses templum ei deo qui legatis occurrerat, exstruxerunt: ac veriti, ne aliquis insuper deorum forte sine *aris* ac templis Athenis foret, & propterea numinis neglecti indignatione, gravis aliqua clades civitati iterum oriretur, in Panos templo *aram* cum hac inscriptione IGNOTO DEO erexerunt. Chrysost. in Epist. ad Titum Hom. 3. Oecumen. in Actor. l. l. Beda & Dionys. Carthus. in eundem locum putant erectam *Ignoto Deo* ab Atheniensibus *aram* hoc modo. Audiverant Athenienses vel fama vulgante Deum tantę venerationis, ut ne nominare quidem fas esset, Judęos colere; ejus autem nomen incognitum. Ac ne qua religio urbi deesset inprimis superstitiosę ac numen, *aram* Judęorum Deo erexerunt, cujus cum nescirent nomen, hanc *aræ* inscriptionem imposuerunt IGNOTO DEO. Hieronym. in Epist. ad Titum I. & ex illo Erasmus in Morię encomio notant, integrum titulum sic habuisse: DIIS ASIÆ, EUROPÆ ET AFRICÆ, DIIS IGNOTIS ET PEREGRINIS; sed Apostolum duo tantum extrema verba decerpsisse, nempe hęc IGNOTO DEO, atque hęc quoque nonnihil immutasse, cum non pluribus indigeret Diis ignotis, sed uno tantum, ut doceret illum suum esse Deum, quem Athenienses in *aræ* titulo prænotassent. Tanta Atheniensium erga ignotum illum Deum fuit reverentia, ut si quid rite affirmare vellent, per Deum ignotum id agerent. Imo alius alium invitavit, ut ignotum inventum adorarent, manusque ad cœlum tollentes gratias agerent ut qui digni facti essent hujusmodi potestati atque veritati subjecti esse. *Berthald. de Ara c.* 10. §. 3. 4. 5. *Hospinian. de Orig. templ.* II. *pag.* 90. *Meurs. Pyræi c.* 10. *Osiand. l. l.* Vero Deo Athenienses hanc *aram* posuisse, & qua occasione hoc factum sit ab ipsis, exponit Dissertatione integra *Johannes Jacobus Hellerus de Deo ignoto Atheniensium*; quam, ut chartæ rationem habeamus, indicasse sufficit.

Ara Jovi conservatori erecta fuit. Familiare antiquis, si alicujus numinis ope periculum evaserant, acceptum a deo beneficium etiam erecta *ara* agnoscere. Huic *aram* ex Scti decreto Athenas ab exsilio, quo inimicorum invidia illum affecerat, reversus ædificavit Demosthenes. Plutarch. in Demosth. p. 859. A. *Morem habebant, ut Jovis servatoris sacrificio ei, qui aram instrueret, & adornaret, argentum penderent. Hoc munus Demostheni locaverunt quinquaginta talentis, quanti lis fuerat æstimata.* Domitianus, ut est apud Tacit. Hist. III. 74. 2. servatus quasi miraculo a Vitellianorum irruptione, *aram* in periculi, quod evaserat, argumentum exstruxit in Capitolio. Sic Tacitus: *Ac potiente rerum patre disjecto ædituí contubernio modicum sacellum Jovi conservatori, aramque posuit, casusque in marmore expressit.* Berthald. de Ara c. 19. §. 6. Rycq. de Capitol. c. 36.

Ara Jovi Elicio a Numa Rege in Aventino sacrata est, ut quæ suscipienda essent ab eo exsculperet, aut, ut etymo inhæreamus, eliceret. Liv. I. 20. *Ad ea elicienda ex mentibus divinis Jovi Elicio aram in Aventino dicavit.* Borrich. Ant. Urb. Fac. c. 15. §. 3. Nardin. Rom. Vet. II. 3. Marlian. Topogr. Urb. Rom. IV. 5. Donat. de Urb. Rom. III. 13. Victor. Var. Lect. VI. 7. Faunus Antiq. Urb. Rom. III. 2. Rosin. Antiq. Roman. II. 5.

Ara Jovis hospitalis fuit, ad quam hospites pro felici adventu incensis odoribus sacra faciebant. Hanc elegantissime describit, eandemque hospitum sanguine tinctam proponit Ovid. Met. X. 224.

Ante fores horum stabat Jovis hospitis ara,
Lugubris sceleris: quam si quis sanguine tinctam
Advena vidisset; mactatos crederet illic
Lactentes vitulos, Amathusiacasque bidentes:
Hospes erat cæsus.

Berthald de Ara c. 19. n. 5.

Ara Jovi fulguratori etiam fuit: Pausan. Eliac. I. p. 162. *Ceraunio Jovi alteram aram post Oenomaum positam conjicio, cum ejus domus de cœlo tacta conflagrasset.* Plutarch. Parall. n. 39. *Romæ, cum celebrarentur Liberalia, Aruntius, qui ab ortu suo fuerat abstemius, vim Liberi patris despicatui habuit. A quo in ebrietatem conjectus, filiæ suæ Medullinæ virginitatem per vim eripuit. Ea ex annulo violatorem agnoscens . . . . . patrem inebriavit, ac coronavit, adductumque ad aram fulminis interfecit eum.* Berthald. de Ara c. 19. n. 7.

Ara Jovi Idæo consecrata. V. illam supr. in *Ara Anchuri.*

Ara Jovis Inventoris, quam ei Hercules dedicavit, ad portam Trigeminam fuit, & speluncam Caci. Dedicavit illam, *cum aqua fluminis cædem expiasset, & ob inventas boves ei juvencum sacrificavit.* Dionys. Halicarn. I. p. 31. Qui hanc ab *ara* maxima, quam ipse sibi posuit, diversam esse docet, & constituit ad Forum Boarium. Quare Marlianus, qui Topogr. Urb. Rom. IV. 4. utramque unam putat, & ne *ara* maxima a porta Trigemina disjungatur, portam eam ad Scholam Græcam fuisse statuit, nimisquam longe a vero aberrare dicendus est. *Nardin. Rom. Vet.* VII. 3. *Borrich. Ant. Urb. Fac. c.* 13. §. 3. *Rosin. Antiq. Roman.* II. 5.

Ara Jovis Latiaris, sive Stygii, ut vult Lips. de Amphith. c. 4. in medio amphitheatro fuit posita, in qua deo sacrificabatur in cujus honorem fierent ludi. *Donat.*

de Vrb. Rom. III. 7. V. ſupr. in *Amphitheatrum.*

Ara Jovis Piſtoris fuit in Capitolio. De hac Ovid. Faſt. VI. 349.

Nomine, quam pretio celebratior, arce Tonantis,
Dicam Piſtoris quid velit ara Jovis.

Cauſa ponendi Romanorum fuit ſtratagema, qui, Gallis panis penuriam objectantibus, panes ex arce in hoſtium caſtra miſerunt, ut ſibi rei frumentariæ adeſſe copiam oſtenderent. Liv. V. 48. *Rycq. de Capitol. c.* 36. *Lipen. de Stren. c.* 1. §. 8. *Marlian. Topogr. Vrb. Rom.* II. 6. *Nardin. Rom. Vet.* V. 16. *Faunus Antiq. Vrb. Rom.* II. 6. *Buleng. de Orac. c.* 115. Utrum vero in arce ſtricte ſumpta, an in alia Capitolini montis parte fuerit, non ſatis conſtat, nec permagni id ſcire intereſt. *Nardin. l. l.*

Ara Jovis Soteris fuit in Capitolio. In illa Gallica obſidione ſoluta, coria ſoleasque veteres Romani concremaverunt, quibus durante illa madefactis, & poſtea frictis, veſci fuerant coacti. *Rycq. de Capitol. c.* 36.

Ara Jovis Spodii quare & unde dicta fuerit, V. ſupr. in *Ara Apollinis Spodii.*

Ara Jovis Viminei in ſylva fuit in colle Viminali, qui regionis fuit quintæ, ſive Eſquilinæ viminea, non procul a porta Viminali: Feſtus. V. illum in *Porta.* Sic ut vel retro thermas Diocletianas fuerit, vel poſt villam Perettam, vel ſaltem eo ſpatio, quod inter illas intermedium eſt. *Nardin. Rom. Vet.* IV. 4. *Roſin. Antiq. Roman.* II. 5.

Ara Julio Cæſari tanquam divo eſt poſita a plebe. Dio XLIV. p. 267. C. *Aram plebs eo in loco, quo rogus fuerat, exſtruxit, ſacrificareque apud eam, & immolare Cæſari, tanquam deo, inſtituit.* Appian. de Bell. civil. II. pag. 521. *Quo in loco primum ara fuit, nunc eſt templum ipſius Cæſaris, ubi divinis honoribus colitur.* Ponendæ auctor fuit Amatius. Appian. ibid. III. p. 525. *Is*, Amatius, *quoniam hac ſimulatione effecerat, ut videretur non alienus a cognatione Cæſaris, præ cæteris ægre ferens obitum ejus, aram, ubi crematus eſt, poſuit.* Columnam vocant Latini. V. illos infr. in *Columna.* Berthald. de Ara c. 25. n. 1. Et Græci falſi ſunt. Nulla enim *ara* Cæſari exſtructa. *Guther. de Jur. man.* II. 19. Qui illos perperam reprehendit. Nam plebs a Suet. Cæſ. 85. n. 3. ibidem ſacrificaſſe dicitur; *aram* itaque ibidem fuiſſe neceſſe eſt. M. Brutus etiam ac Caſſius Cæſaris interfectores *aræ* meminerunt apud Cicer. Fam. XI. 2. *Putasne nos tutos fore in tanta frequentia veteranorum, quos etiam de reponenda ara cogitare audimus.* Si veterani *aram* defuncto dicatam reponere velle dicebantur, profecto antea poſita ibidem fuerat. Conciliandis his auctoribus nihil impedit, quo minus & *aram*, & columnam ſimul poſitam fuiſſe ſtatuamus. *Noriſ. Cenot. Piſan. Diſſert.* III. 4. *Licet. de Lucern.* VI. 6. *Berthald. l. l.* V. etiam infr. in *Columna.*

Ara Junonis Jugæ *in vico fuit Jugario, qui nomen inde obtinuit, quod ibi ara fuerit hæc Junonis Jugæ, quam matrimonia jungere putabant.* Feſtus. *Marlian. Topogr. Vrb. Rom.* II. 13. *Nardin. Rom. Vet.* V. 5.

Ara Junonis Sororiæ. *Hanc Horatius in expiationem cædis ſororis ſuæ conſecravit.* Feſtus. *Roſin. Antiq. Roman.* II. 16.

Ara Juventæ & Termino erecta fuit in cella Minervæ, ut diis Capitolio, Tarquinii Priſci ævo, egredi renuentibus, cum cæteri abitum molirentur. *Borrich. Ant. Vrb. Fac. c.* 10. §. 7. *Gyrald. Synt. deor.* XI. *p.* 335. *D.* Juventæ *aram* in ipſa cella, Termini vero extra ad limen fuiſſe putant *Nardin. Rom. Vet.* V. 15. *Donat. de Vrb. Rom.* II. 4.

Ara Larium ad metas fuit Circi. *Buleng. de Circ. c.* 9.

Ara Livernæ, a qua porta Lavernalis dicta. Ejus meminit Varro de Ling. Lat. IV. Quod ſi conjectura Panvinii Theſ. Antiq. Roman. Græv. Tom. III. pag. 265. ſtandum, portas ordine recenſentis, & Lavernalem ultimam numerantis, in illa Urbis parte, quæ hac regione, n. duodecima, Tiberi vicinior fuit, exſtitiſſe cenſenda eſt, id eſt, in monte Aventino. *Nardin. Rom. Vet.* VII. 6. *Borrich. Ant. Vrb. Fac. c.* 14. §. 3. V. infr. in *Porta Lavernalis.*

Ara Lugdunenſis. Hæc *Cæſari* Auguſto *ad confluentem Araris & Rhodani eſt dedicata.* Liv. Epit. 137. *Eo ipſo die, quo Claudius natus eſt, Julio Antonio, Fabio Africano conſulibus Kalendis Auguſtis.* Suet. c. 2. n. 1. in templo communi ſententia Cæſari decreto. Strab. IV. p. 133. *Et templum ab omnibus communi ſententia Gallis decretum Cæſari Auguſto, ad hanc urbem,* Lugdunum, *ad concurſum fluviorum eſt poſitum: aram habet hoc memorabilem, cum inſcriptione gentium ſexaginta numero, & imagine ſingularum.* Ad illam vivente adhuc Auguſto ludos celebratos fuiſſe dicit Dio LIV. p. 544. A. *Et certamen Græcæ, Latinæque facundiæ* inſtituiſſe Cajum Suet. c. 20. n. 2. Ad hoc eloquentiæ certamen reſpicit Juven. Sat. I. 43.

Palleat, ut nudis preſſit qui calcibus anguem,
Aut Lugdunenſem rhetor dicturus ad aram.

Aræ ſacerdotem edit inſcriptio antiqua, quæ in ipſa urbe ad murum templi vetuſtiſſimi D. Petri hoc modo:

JOVI. OPT. MAX
Q. ADCINNIUS. URBICI
FIL. MARTINUS. SEQ.
SACERDOS. ROMÆ. ET. AUG
AD. ARAM. AD. CONFLUENTES
ARARIS. ET. RHODANI
FLAMEN. II. VIR. IN. CIVIT
SEQUANORUM.

Merul. Coſmogr. II. 3. 24. *Cluver. Germ. ant.* II. 17. *Ruben. Vrb. Neocor. p.* 236. *Berthald. de Ara c.* 26. §. 2. *Pitiſc. in Suetonii Claudium.*

Ara Mariæ Virginis contra ſacellum, quod in Baſilica [illegible]ilina Dei naſcentis incunabulis Sixtus V. erexit, a Paullo V. Pontifice eſt poſita, & admirationis modum excedit. Ea gemmis, ære, auroque conficitur. Quatuor columnis ſtriatis ex jaſpide ſuſtinetur: lapidis purpuram maculis albis intercurrentibus: tereti ſtiria ex ære inaurato ſegmentatos canales diſtinguente. Ex eodem lapide ſtylobatæ purpurant: plinthi, thorique cum cymatiis ex ære inaurati ſunt: uti ſpira, & capitula columnarum. Ex eodem epiſtylium & corona. Zophorum decorat jaſpis virgatus, ac ſpiris, ut in alabaſtrite, convolutis maculoſus. Interciſi faſtigii coronam cœlitum ex ære expreſſa juvenili forma ſimulacra inſident. Ipſum porro medium ornant virginales nives olim in Eſquilinum collem delapſæ: ac ſplendido toreumate pontificem templi limites deſignantem ſpectantibus ſimiles auratæ circumfunduntur imagines. At infra epiſtylium oram intercolumnii quaquaverſum claudit quadrangula & turgens in aſtragalos, æquata in tænias jaſpis, circuitque immiſſæ inſtar tabulæ expanſam ſapphyrum, colore cœleſtis haud abſimili, & ſtellarum imitantem, auro internitentibus venis. Sapphyrino illo tanquam cœlo ſuperi auro ſplendidi circumvolitant; quadratum in medio loculum pretioſis lapillis gemmisque coagmentatum ſuſtinentes. *Donat. de Vrb. Rom.* IV. 12.

Ara Martis a Romulo poſita fuit. Ab hac Campo Martio nomen, ſive per illam Marti Campus conſecratus fuit. Situs ejus accuratus ignoratur: quantum tamen electiore judicio aſſequi licet, conſpectiſſima ejus parte, & fortean in medio Campo fuit: ubi cenſores poſt peracta comitia ſellas curules ponere, & populi applauſum recipere ſolebant. Liv. XL. 45. *Comitiis confectis, ut traditum antiquitus eſt, cenſores in campo ad aram Martis ſellis curulibus conſederunt; quo repente principes ſenatorum cum agmine venerunt civitatis.* Nardin. I. 9. VI. 7. Borrich. Ant. Urb. Fac. c. 11. §. 6. Donat. de Urb. Rom. I. 21.

Ara Maxima prope Circum ſita fuit, attamen non juxta S. Mariæ in Coſmedino, ut nonnulli voluerunt. Situs ejus indicium faciunt Ovidius & Tacitus. Ille in foro boario illam collocat Faſt. I. 581.

Conſtituitque tibi, quæ maxima dicitur ara,
Hic ubi pars Vrbis de bove nomen habet.

Hic Annal. XII. 24. 2. ſulco includit a Romulo ducto ad ima Palatini. *Igitur a foro boario, ubi æreum tauri ſimulacrum*

lacrum adſpicimus ; quia id genus animalium aratro ſubditur , ſulcus deſignandi oppidi cœptus , ut magnam Herculis aram complecteretur. Sic ut, quum ſulcus ille ab uno latere radicum Palatini per medium circum ductus , *aramque* illam complexus ſit, hæc autem in foro boario fuerit, neceſſario ſtatuendum ſit , eandem intra Circum & Palatinum fuiſſe montem, inter S. Anaſtaſiæ & tumulos, qui in Palatino conſpiciuntur: non autem , ut alii, ad Scholam Græcam : nam ſi eouſque Romulus ſulcum duxiſſet, primos Romæ ſuæ quadratæ muros ad uſque clivos protuliſſet Aventini, incluſaque illi non *ara* tantum maxima, & valle Murcia, ſeu Marcia, ſed & toto Velabro , tum temporis aqua obruto, civitatem condidiſſet ex parte lintribus navigabilem. Fulvius ſpecum fuiſſe exiſtimat ſubterraneum , unde ſua memoria ſtatua Herculis ex ære aurata effoſſa ſit, quæ hodie aſſervatur in conclavi Conſervatorum. Marlianus inter rudera veteris alicujus templi repertam dicit , quod Pomponius Lætus Pontificatu Sixti IV. dirutum refert ad S. Mariæ ædem in Coſmedino. Hoc pro certo mihi videtur aſſeri poſſe , ſtatuam hanc ad *aram* maximam non pertinuiſſe ; ſiquidem illic Hercules velato capite fuit. Macrob. Saturn. III. 6. *Cuſtoditur in eodem loco, ut omnes aperto capite ſacra faciant. Hoc fit , ne quis in æde dei habitum ejus imitetur : nam ibi operto ipſe capite eſt.* Contra ea ſtatua Herculis, quæ in Capitolio nunc viſitur , caput apertum habet. Hanc Hercules ipſe ſibi poſuiſſe dicitur poſt interemptum Cacum, & recuperatos boves. Hanc fabulam habent Virg. Æneid. VIII. 259. . . . . . Ovid. Faſt. I. 540. . . . . . *Maxima* fuit dicta, quia ut Servius ad Virgilium ait : *revera magna fuit & ingens , ſicut videmus hodieque.* Veneratione etiam ſuper omnes alias celebris fuit, uti Dionyſ. Halicarn. I. p. 33. teſtatur. *Nam & jusjurandum apud eam ſollenne in pactis conventis dari ſolebat : & decimæ bonorum ibidem Herculi dicatæ.* Nardin. Rom. Vet. VII. 3. Borrich. Ant. Urb. Fac. c. 13. §. 3. Donat. de Urb. Rom. II. 25. Hercules ipſe ad eam boum decimas obtulit , & dixit illos vitam beatiſſimam victuros , qui ſibi bonorum decimas dicaviſſent. Quod fecit Sulla ; Lucullus & M. Craſſus. Ab hac *ara* ſequeſtrari mulieres voluit , nihilque attingere , neque deguſtare , quod ſuper eam immolatum eſſet. Gell. XI. 6. Hujus rei ratio hæc eſt. Quia Herculi, cum boves Geryonis per Italiæ agros duceret , ſitienti reſpondit mulier , aquam ſe non poſſe præſtare, quod feminarum deæ celebraretur dies , nec ex eo apparatu viris guſtare fas eſſet. Propter quod Hercules facturus ſacrificium deteſtatus eſt præſentiam feminarum. *Marlian. Topogr. Urb. Rom.* III. 15. *Faunus Antiq. Urb. Rom.* III. 7. Hæc omnia fuſius perſequitur prolixo capite Berthald. de Ara c. 11.

Ara Mercurii fuit prope aquam Mercurii , cui ab *ara* illa nomen. V. illam *ſupr.* Nardin. Rom. Vet. III. 2. Bellor. Fragm. Veſt. vet. Rom. tab. 9.

Ara Minucii, quem deum putabant , fuit Romæ ad portam Minuciam appellatam , eo quod huic *aræ* ſit proxima. Feſtus. *Panvin. Deſcr. Urb. Rom. Theſ. Antiq. Roman. Græv. Tom.* III. *p.* 264. *C.*

Ara Murciæ vetus in Aventini radicibus non procul a foro boario fuit. *Marlian. Topogr. Urb. Rom.* IV. 5. *Faunus Antiq. Urb. Rom.* III. 4.

Ara Narbonenſis. Hæc Auguſto Imperatori a populo Narbonenſi poſita eſt anno fere U. C. 763. Chriſti II. hoc modo:

T. STATILIO. TAURO
L. CASSIO. LONGINO
COSS. X. KAL. OCTOB
NUMINI. AUG. VOTUM
SUSCEPTUM. A. PLEBE
NARBONENSIUM
IN. PERPETUUM.

QUOD. BONUM. FAUSTUM. FELIXQUE. SIT IMP. CÆSARI. DIVI. F. AUGUSTO. P.P. PONT. MAX. TRIBUN. POT. XXXIV. CONJUGI. LIBERIS, GENTIQUE. EJUS. SENAT. POP. QUE ROM. ET. COLONIS. INCOLISQUE. C. I. P. N. M. QUI. SE. NUMINI. EJUS. IN. PERPETUUM. COLENDO. OBLIGAVERUNT. PLEBS NARBONENSIUM. ARAM. NARBONE. IN POSO. POSUIT. . . . *Berthald. de Ara c.* 26. §. 5.

Ara Neptuni fuit in Circo Flaminio , quæ multo ſudore manavit. Liv. XXVIII. 11. *Ara Neptuni multo ſudore manaſſe in circo Flaminio dicebatur.* Plin. XXXVI. 5. *In maxima dignatione Cn. Domitii delubro in circo Flaminio Neptunus ipſe.* Marlian. Topogr. Urb. Rom, V. 9. Donat. de Urb. Rom. III. 14. Panvin. de Lud. Circ. I. 18. Buleng. de Circ. c. 5. Berthald. de Ara c. 18. n. 1. Quia in ejus tutela equi , qui in hoc circo exercebantur. *Borrich. Ant. Urb. Fac. c.* 11. §. 2.

Ara Nymphis Romæ ſacrata fuit. Liquet hoc ex veteri epigrammate illic invento :

UNDIS. CYANEIS. DONUM. PLACAVILE FECIT
CONTUCIUS. BLANDAS. PER. AQUAS. ARAM. VENERANDAM.

Ubi placavile pro placabile permutatione B & V antiquis recepta. *Tomaſ. de Donar. c.* 28.

Ara oblivioni , licet in oblivione nulla ſit divinitas, fuit etiam erecta. Plutarch. Symp. IX. 6. *Hic a Minerva, Apolline, Junone, & Libero patre ſæpenumero victus, tamen ubique æquo animo tulit ſuum infortunium : habuit hic commune cum Minerva templum, in quo etiam ara oblivioni dedicata eſt.* Berthald. de Ara c. 21. §. 6. Tomaſ. de Donar. c. 3.

Ara Opis & Cereris in vico fuit Jugario. *Nardin. Rom. Vet.* V. 5. *Roſin. Antiq. Roman.* IV. 12.

Ara Paci etiam fuit erecta. Quod mirum eſſe non debet , cum *ara* ſit pacis ſymbolum. *Ara* primum Lacedæmoniis poſt diutinam contentionem victis ab Athenienſibus duce Timotheo paci publice eſt erecta. Plutarchus tamen in Cimone tradit *aras* pacis eſſe poſitas poſt victoriam illam Cimonis ad Eurymedontem partam contra Perſas, quam pax illa περιβοητὸς , omni ſermone celebrata conſecuta eſt. *Aram* paci Auguſtus Imperator primus de Romanis Imperatoribus pacato terrarum orbe erexiſſe fertur: Hujus meminit Ovid. Faſt. I. 709.

Ipſum nos carmen deduxit pacis ad aram,
Hæc erit a menſis fine ſecunda dies.

Hujus ſtructura conjicitur ex Tiberii Imperatoris nummis in honorem D. Auguſti cuſis, hac inſcriptione:

PACE AUGUSTI PERPETUA.

Et Neronis nummo cum hac epigraphe:

ARA. PACIS. S. C.

Item in alio numiſmate ejuſdem Neronis :

NERO. CLAUDIUS. CÆSAR. AUG.
P. M. TR. P. IMP.
P. P. ARA. PACIS.

Sub Claudio etiam poſt victoriam Britannicam erecta fuit *ara* paci anno Chriſti 47.

TIB. CLAUD. CÆS. AUG. P. M. TR.
P. VI. IMP. VI.
PACI. AUGUSTÆ.

Berthald. de Ara c. 16. §. 7.

Ara Palatina ſine dubio ante Palatium fuit , vel in veſtibulo: ſupra quam Imperatores ſacris operati ſunt. *Nardin. Rom. Vet.* VI. 14.

Ara Palicorum ſtructa eſt a Siculis , *cum illorum inſulam ſterilis annus arefeciſſet , & illi in templo ſacrificaſſent , divino Palicorum reſponſo admoniti , & ubertas rediiſſet. Ad illam Siculi beneficii hujus memores omne genus frugum congeſſerunt.* Macrob. Sat. V. 19. Xenagoras in tertia hiſtoria : *Siculi ob ſterilitatem terræ ſacrificaverunt cuidam heroi, impellente ipſos Palicorum oraculo , & poſt reditum ubertatis multis donis aram Palicorum impleverunt.* De illa Virg. Æneid. IX. 585.

—— *pinguis ubi & placabilis ara Palici.*

Quæ *placabilis* dicitur , quia , ut ad Virgilium Servius; Palici *primo humanis hoſtiis placabantur*; immites mehercule, qui nonniſi hominum cruore placarentur, *poſtea quibuſdam*

sacris mitigati sint, & eorum immutata sacrificia. Berthald. de Ara c. 29. n. 2. Buleng. de Orac. c. 14.

Ara Pietatis. Ferunt enim Tiberium Augusto templum incepisse, quod C. Caligula perfecit, in cujus medio [illegible], in qua bos quiescens, & juxta sacerdos stans medius inter duos victimarios. In cujus rei fidem facta numismata, quorum altera parte effigies Principis cum hac inscriptione: PIETAS, altera templi & *aræ* figura exprimebatur. *Berthald. de Ara c. 22. §. 10 n. 10.*

Ara Primogeniti Dei fuit in Capitolio, ab Augusto posita, cum ipse Pythium Apollinem consuluisset, quis post se esset regnaturus, & hoc responsum abstulisset:

Puer Hebræus jubet me, diis beatis imperans,
Hanc ædem relinquere, & ad orcum rursus ire.

Suidas in voce Ἄυγυςος: reversus ab oraculo enim in Capitolio erexit *aram* Romanis literis insculptam: HÆC EST ARA PRIMOGENITI DEI. non sine præsagio atque omine illam Urbem arcemque futuram, in qua aliquando sacrosancti ejus Numinis, depulsa veteri veræ religionis [illegible] sedes olim stabiliretur. *Rycq. de Capit. c. 36. Guther. de Vet. Jur. Pontif. III. 6. Berthald. de Ara c. 29. §. 1. 2.*

Ara Principibus ponebatur etiam vivis, tanquam diis immortalibus, fœdissima adulatione. *Ararum* Julio positarum meminit Suet. Jul. c. 76. n. 2. *Ampliora etiam humano fastigio decerni sibi passus est, sedem auream in curia.... templa, aras.* Quarum una forte fuerit Capitolina. Sic in eodem scriptore Claud. c. 2. n. 1. legimus Claudium Cæsarem natum Kalendis Augusti Lugduni, eo ipso die quo primum *ara* ibi Augusto dedicata est. *Rycq. de Capitol. c. 36.* Principibus ex longinquo adventantibus, *aris* positis & victimis cæsis, senatus populusque Romanus fronde coronatus obviam procedebat. De *aris* positis & victimis Caligulæ Philo ad Cajum p. 994. A. *Erat igitur videre ubique per singulas urbes, quam altaria, victimas, [illegible].* Suet. Cal. c. 13. n. 2. *Inter altaria, & victimas, ardentesque tædas incessit.* Fluxit hic mos ab Ægyptiis. Heliodor. Apollon. v. 9. *Venienti Imperatori sacra a [illegible] procedere, [illegible], quibus Ægyptus regitur.* & Græcis Justin. XXIV. 3. 4. *Præmissa virum [illegible] celebratum ejus indicit domos, templa, cæteraque omnia exornari jubet: aras ubique hostiasque disponi.* Lips. in Tacit. Hist. p. 18. Berthald. de Ara c. 30. §. 2. Buleng. de Imperat. Roman. III. 8. Casaub. & Pitisc. ad Suetonii Caligulam.

Ara Providentiæ Augusti est vulgatissima iis, qui nummos parant, illisque delectantur. *Guther. de Jur. Man. II. 5.* In nummo quodam Tiberii *ara* sculpta est cum hac inscriptione PROVIDENTIÆ AUGUSTI. Adulatio illas posuit. Et illis per Augusti divinitatem necessaria sibi populus postulabat. *Brisson. de Form. I. p. 116. Berthald. de Ara c. 22. n. 8. Choul. Relig. vet. Roman. p. 58.*

Ara Pudicitiæ plebejæ dedicata est a Virginia Auli filia. Liv. X. 23. *Facto egregio magnifica verba adauxit; in vico longo, ubi habitabat, ex parte ædium, quod satis esset loci modico sacello, exclusit: aramque ibi posuit: & convocatis plebejis matronis, conquesta injuriam patriciarum: hanc ego aram, inquit, Pudicitiæ plebejæ dedico. . . .* Berthald. de Ara c. 21. n. 5.

Ara puerperii causa olim ponebatur. Suet. Cal. c. 8. n. 3. *Addit etiam pro argumento aras ibi ostendi inscriptas, ob Agrippinæ puerperium.* Tacit. Annal. XV. 23. 1. *Locus puerperio colonia Antium fuit, ubi ipse generatus erat. . . . Additæ supplicationes, templumque Fœcunditati decretum.* Berthald. de Ara c. 22. n. 6. Barthol. de Puerper. p. 139. Brisson. de Form. I. p. 116.

Ara rei, & virtuti, quam cuperent laudatam, ponebatur. Cum Tiberius publico judicio ultus esset Germanici mortem, *Cæcina Severus aram ultioni statuendam censuit* apud Tacit. Annal. III. 18. 3. *Aram adoptionis, & amicitiæ.* V. supr. *Lips. in Tacit. Annal. I. n. 94.*

Ara Saturno dicata fuit in imo clivo Capitolino, qua e foro in Capitolium adscendebatur, ab Epeis Herculis comitibus: forte ante bellum Trojanum, quia apud eam supplicant apertis capitibus. Festus. Dionys. Halicarn. I. p. 27. *Aram Saturno Epeos cum Hercule statuisse, quæ etiamnum durat ad radices collis, juxta viam, qua e foro in Capitolium adscenditur.* VI. 341. *Aram, quæ antea ibi fuerat, ab Hercule erectam perhibent.* Rycq. de Capitol. c. 2.

Ara Septimiana fuit in Transtiberina regione ad portam Septimianam. V. illam infr. in *Porta Septimiana.* Donat. de Urb. Rom. I. 21.

Ara sepulcralis more antiquo viris immortalitate dignis post hujus vitæ excessum statuebatur. Leonidæ & sociis, quia adversus innumerabiles Xerxis copias Thermopylarum aditum tuiti erant, *aram* pro sepulcro publicis votis, ac sumptibus erectam fuisse docet Diodor. XI. p. 248. C. hoc modo. *Eorum, qui in Thermopylis cecidere, sors gloriosa, mors præclara, sepulcrum ara, monumenta majorum, exitium commendatio.* His *aris* recte factorum memoriam servari, & posteritati consecrari putarunt. Tacit. Annal. III. 63. 5. *Jussique ipsis in templis facere aras, sacrandam ad memoriam, neu specie religionis in ambitionem delaberentur.* Sepulcrales sunt dictæ, quod sepulcrorum loco essent, vel ad sepulcrum erigerentur. De his Ovid. Met. VIII. 477.

—— nam postquam pestifer ignis
Convaluit, rogus iste cremet mea viscera dixit.
Utque manu dira lignum fatale tenebat,
Ante sepulcrales infelix adstitit aras.

Hoc sensu Servius grammaticus *aram* sic definit: *Ara*, inquit, *sepulcri est rogus, qui in modum aræ assurgebat lignorum congestione.* Hanc definitionem expressit Virg. Æneid. VI. 176.

—— tum jussa Sibyllæ,
Haud mora, festinant flentes: aramque sepulcri
Congerere arboribus, cœloque educere certant.

Hanc vulgo pyram etiam dictam reperio. Virg. ibid. n. 215.

Principio pinguem tædis, & robore secto
Ingentem struxere pyram, cui frondibus atris
Intexunt latera.

Sed si nihil aliud fuerit, quam illa ramorum in similitudinem *aræ* congestio, certe imposito igne absumebatur flammis illa *ara*: atqui certum est, etiam consumpto rogo, *aras* sepulcrales semper restare. Quare adducor, ut credam, duas in ejusmodi funeribus fuisse *aras* sepulcrales: unam ex ramis illis feralibus, quam ignis absumebat cum affixis, & pendentibus insignibus. Virg. ibid. n. 218.

— decorantque super fulgentibus armis.

Alteram lapideam, in qua nimirum sacra fierent diis forsan manibus. Mart. I. 94. 3.

Ara duplex primi testatur munera pili:
Plus tamen est, titulo quod breviore legis.

Nam in cippo epitaphium literis mandabatur. In *ara* stemmata & honorum gradus explicabantur vexillulis, idque genus insignibus occurrentes. Non itaque solum secundum sepulcra ipsa, sed in ipsis quoque sepulcris *aræ* antiquitus fuerunt structæ. *Aras* eo, quo dictum est, sensu videtur distinguere Virg. Æneid. III. 62.

Ergo instauramus Polydoro funus, & ingens
Aggeritur tumulo tellus: stant manibus aræ
Cæruleis mœstæ vittis, atraque cupresso.

Et, cum de lignorum congestione agitur, n. 24.

Accessi, viridemque ab humo convellere sylvam
Conatus, ramis tegerem ut frondentibus aras.

Aram sepulcralem Pompeji Magni manibus optat Lucan. VIII. 736.

Da vilem Magno plebeji funeris aras,
Quæ lacerum corpus siccos effundat in ignes.

Berthald. de Ara c. 24. n. 1. Guther. de Jur. man. II. 19. Meurs. de Funer. c. 31. Tomas. de Tesser. hospit. c. 3. Gyrald. de Var. sepult. rit. c. 3. & Faes ad illum. Nicol. de Sepulcr. II. 15. 6. Kirchman. de Funer. IV. 2. Laurent. Var. sacr. gentil. c. 5. Demster. Paralip. ad Rosin. Antiq. Roman. II. 2. Kipping. Antiq. Roman. VI. 6. 16. Exstruebatur non cuivis, sed solum viris principibus, aut iis, qui divi crederentur, ut parentibus, liberis, conjugibus,

gibus, quos qui superstites essent, ut divos coluerunt. Virg. Æneid. v. 47.

Ex quo relliquias, divinique ossa parentis
Condidimus terra, mœstasque sacravimus aras.

Mœstæ aræ, inquit Servius, *ad Anchisen pertinent, quem ex hujusmodi consecratione numen effectum Æneas volebat.* Una *ara* uni constituebatur. Lapis ad Urbem in hortis Medicæis apud Gruter. p. 726. n. 1.

DIS. MAN
CLAUDIÆ. LEPIDILLA
EX. PROVINCIA
BELGICA. AMBIANÆ
FECERUNT. LIBERI
EJUS. LEPIDUS. ET
TREBELLIUS. MATRI
OPTIMÆ
HIC. MATRIS. CINERES
SOLA. SACRAVIMUS. ARA.

Guther. & Berthald. l. l.

Ara Solis in aperto fuit Constantinopoli, ut quoque Romæ in circulo Solis effigies. *Argol. in Panvin. de Lud. Circ.* I. 27.

Ara Termino fuit posita. V. illam supr. in *Ara Juventæ.*

Ara Tranquillitati fuit erecta sub Constantino Magno anno ab U. C. 1057. anno Christi 305 hoc modo:

CONSTAN. AUGUST
BEATA. TRANQUILLITAS.
VOTIS. XX P. T. R.

Berthald. de Ara c. 22. n. 11.

Ara Tutelinæ fuit in regione Urbis decima tertia. *Nardin. Rom. Vet.* VII. 6.

Ara Ubiorum. Hujus mentio potissimum est apud Tacit. Annal. I. 39. 1. *Interea legati ab senatu regressi jam apud aram Ubiorum Germanicum adeunt.* I. 57. 3. *Sacerdos apud aram Ubiorum creatus, ruperat vittas, profugus ad rebelles.* Existimo illam inibi loci fuisse, ubi nunc est oppidum Bonna. Nam Tacitus *aram* apud castra primæ legionis posuit. Ait enim *legatos ab senatu regressos apud aram Ubiorum Germanicum adiisse:* duas ibi legiones, primam, atque vigesimam hyemasse: ac Plancum legationis principem a tumultu, & furore militum periclitantem, in castris primæ legionis subsidium quæsisse, illic signa, & aquilam amplexum, religione sese tutatum. Ac castra primæ legionis prope Bonnam sita fuisse, ex eodem Tacito patet, cum *Bonnam hyberna primæ legionis* nominat Hist. IV. 25. 1. Hujus distantiæ inter *aram* Ubiorum, & Vetera Bonnæ ab eisdem interstitium plane respondet: loquens enim de quinta, & undevigesima legionibus, ait, eas apud sexagesimum lapidem, in loco, cui Vetera nomen esset, hybernasse, quæ ratio nostræ ratiocinationi plane, & omnino congruens est: tanto enim intervallo oppidum Xanctensium (Votera hæc fuerunt) Bonna distat. Fuit, cum existimarem, hanc Ubiorum *aram* sitam fuisse in arce Godesberg, quæ est Archiepiscopi Coloniensis ad quintum fere lapidem, supra Bonnam, quod illic fanum Æsculapii fuisse ex inscriptione antiqui lapidis constaret, & verisimile videretur, *aram* in editiore loco positam. Hocque adeo mihi persuaserat illustris. Novæ aquilæ comes Hermannus, antiquitatis, & historiarum olim peritissimus. Sed erravimus: nam & nimis longe a primæ legionis castris abest, nec alia sunt vestigia, quam lapidis istius Æsculapiani, verisimilius adeo est, Romanos longo post tempore, cum Bonnam incolerent, sanitatis deo illic sacellum constituisse, in quo quidem ipso etiam suum quidem, sed acceptum a Græcis morem observarunt. *Campius Epistol. ad Modium, quæ a Modio refertur Novant. Lect. Epist.* 3. *Cluver. Germ. Ant.* II. 17. Vidi hoc velle Campium. Ego vereor ut propius fuerit ab oppido Ubiorum. Quidquid hodie sit, puto originem ei loco a veneratione Augusti, cui novo cœliti *ara* illic, recepta adulatione, exstructa, uti *ara* Lugduni: & ad eam sacerdotes ex primoribus gentis: inter quos hic Segimundus. *Lips. in Tacit. n.* 163. *Jun. Batav. c.* 21. Adeoque ubi hæc *ara* fuerit, haud ita facile judicatu est. *Berthald. de Ara c.* 26. §. 1.

Ara Veneris vulgariæ. Hanc meretrices ait Menander alicubi juxta domum suam, vel in atrio solitas antiquitus habere, & ad illam Veneri quotidie sacrificasse. Hoc fiebat non Græco tantum, sed & Romano more: quippe apud utrosque passim in primis ingressibus, spatiisque domorum statuebant *aras*. De hac utique *ara* intelligendus est Terent. Eun. I. 2. 5.

Accede ad ignem hunc.

hoc est, ad aram. Et clarius Plaut. Curc. I. 1. 71.

Nunc ara Veneris hæc est ante horum, lenonum, *fores.*

Berthald. de Ara c. 21. n. 4.

Ara Vestæ fuit olim a Numa Pompilio erecta prope asylum, ubi sacra deæ fiebant. Fuit id rotundum ædificium Corinthiacis undique sustentatum columnis, quod est e regione S. Mariæ Ægyptiacæ, nunc S. Stephano dicatum: ejus forma est orbicularis, sicut Panthei: lucemque admittit superiore apertura, quæ in media fornice relicta est. *Boissard. Topogr. Urb. Rom. Tom.* I. *p.* 13. *Berthald. de Ara c.* 23. *n.* 1.

Ara Victoriæ fuit in curia Julia, quam in honorem D. Julii factam Augustus post triumphos suos dedicavit, *in eaque imaginem Victoriæ posuit, atque Ægypti spoliis decoravit, Tarento olim advectam Romam.* Dio LI. p. 459. D. *Torrent. ad Suet. Aug. c.* 100. *Berthald. de Ara c.* 16. §. 8. Non fuit in media curiæ longitudine, verum in ejus media latitudine, qua parte introitus erat. Nam sine dubio illic fuit, ubi & statua Victoriæ. Herod. VII. 11. 4. *Duo tresve ad summum curiosiores audiendi, curiam ingressi, sic ut ultra aram quoque Victoriæ penetrarent.* Nardin. Rom. Vet. V. 2. Hanc postea invalescente Christianorum religione sublatam gravissime conqueritur Symmach. Epist. X. 61. & Symmacho elegantissima epistola respondet Ambrosius. *Torrent. Berthald. Nardin. l. l. Lipen. de Stren. c.* 2. *Tert. Stren. Æt.* §. 7. 9. *Berthald. ibid.* §. 9. Ad hanc perfuncti gravissimis bellis Romanorum duces sacrificabant, huic acceptas ex hostibus victorias referebant. *Berthald. ibid.* §. 11.

Ara fuit carminis nescio quod genus, quo vel tanquam tumulo demortui hominis memoria signatur; vel tanquam *ara* virtutes consecrantur. Debet autem ita componi & construi, ut imparibus lineis aut versibus *aræ* quodammodo fabricam & figuram exprimat, exhibeatque legentibus. *Berthald. de Ara c.* 29. §. 7.

Ara, Virgini parituræ cui erat inscriptio, a Druidibus forte posita, olim Carnutibus fuit reperta inter effodiendum. Alii imaginem beatissimæ Virginis læva puerum gestantis cum eo titulo VIRGINI PARITURÆ fuisse ajunt. Quidam ipsum, quod tota Gallia augustissimum antiquissimumque est templum in honorem Virginis dicatum parituræ, ante Christum natum, cœptum eo titulo. De his adeundus Rouillardus Antiquitatum Carnutensium scriptor celebris. *Berthald. de Ara c.* 29. §. 5.

Ara Virtutum Dominæ multorum frequentia & votis celebris est, tribus circiter milliaribus a Lutetia Parisiorum distans. Hanc eleganti versu Johannes Bonefonius filius apud Barrosequanos olim judex regius exornavit. *Berthald. de Ara c.* 29. §. 6.

ARÆ reseratis templi foribus occurrebant. *Spectabant ad orientem, & semper inferiores fuerunt.* Vitruv. IV. 8. *Harum altitudines sic sunt explicatæ, ut Jovi omnibusque cœlestibus excelsissimæ: Vestæ, Terræ, Marique humiles in mediis ædibus constituerentur.* Quot uni Deo fuerint exstructæ. V. supr. in *Ara Deo uni.* Guther. de Jur. Pont. III. 6. Ut hæ superis, ita antra Diis inferis erant destinata. *Tomas. de Donar. c.* 5. Coronabantur frondibus, Prop. III. 8. 20.

Inde coronatas ubi thure piaveris aras.

Ovid. Trist. V. 5. 9.

Araque gramineo viridi de cespite fiat:
Et velet tepidos nexa corona focos.

Paschal. de Coron. IV. 18. Saubert. de Sacrif. c. 15. Stuck. de Sacrif. p. 64. Jovis quidem esculo, aut quercu, Apollinis

linis lauro, Minervæ olea, Veneris myrto, Herculis populo, Bacchi hedera, pampino & ficu, Panos pinu, Plutonis & Sylvani cupreſſo. Alex. Gen. IV. 17. Dicebantur hæ verbenæ. Terent. Andr. IV. 3. 11.

Ex ara hinc ſume verbenas tibi.

Horat. Od. I. 19. 13.

Hic vivum mihi ceſpitem, hic
Verbenas pueri ponite.

Quid illæ V. infr. *in Verbena.* Virgilius *ararum* hæc redimicula *torques* vocat Georg. IV. 276. quippe verbenis, tanquam apte pendentibus torquibus *aræ* ornari ſolitæ. Et non tantum illis, verum etiam floribus. Statius Theb. VIII. 298.

—— geminas ergo ilicet aras
Arboribus vivis & multo ceſpite texi
Imperat: innumeroſque deæ ſua munera flores
Addit.

Ovid. Triſt. III. 13. 15.

Fumida cingatur florentibus ara coronis.

Berthald. de Ara c. 3. §. 4--7. Cuper. Apoth. Homer. p. 72. Saubert. de Sacrif. c. 15. Imo vittis laneis, ſive corona ex lana facta. Prop. IV. 6. 6.

Terque focum circa laneus orbis eat.

Hunc ritum Scaliger ad Propertium ſibi incognitum faſſus eſt, & credit, quod de laneo orbe a Poeta dictum, id Græcis eſſe κανῦν κύκλῳ βωμῦ εἱλίσσειν, *caniſtrum, in quo mola ſalſa, circum aram in orbem circumferre.* Sed fruſtra. Propertio enim eſt *laneus orbis*, qui *lanea vitta* Ovid. Faſt. III. 30. V. infr. in *Precantium mos.* Hæc vero eſt vitta in orbem circumacta. Et dicuntur Virg. Æn. IV. 449. nivea vellera, & Ovid. Heroid. VII. 100. vellera alba, & Juven. X. 40. magnæ coronæ orbis. Hoc quia inſertis floribus lana circumvolvebatur, lanam glomerare in orbes dixit Ovid. Met. VI. 19. *Guther. de Jur. Pontif.* IV. 2. *Hortibon. Lect. Theocr. c. 2. Græv. Lect. Heſiod. c. 25. Manut. de Vet. Dierum ratione. Saubert. l. l.* Privatæ fuerunt, quas quiſque in ſuo ſtatuebat, quales in antiquis inſcriptionibus produntur multæ, quæ aut funebres, aut honorariæ. Quarum nullæ religionem ipſi loco afferebant, niſi eſſent conſecratæ. *Guther. de Vet. Jur. Pontif.* III. 6. Ponebantur etiam ob puerperia. Suet. Calig. c. 8. n. 3. *Plinius Secundus in Treviris genitum ſcribit, vico Ambiatino, ſupra Confluentes: addit etiam pro argumento aras ibi oſtendi inſcriptas:*

OB AGRIPPINÆ
PUERPERIUM.

Bartholin. de Puerper. Vet. p. 133. Tomaſ. de Donar. c. 14. ſupra tumulos & in ſepulcris erigebantur. Suet. Ner. c. 50. n. 3. *In eo monumento ſolium Porphyretici marmoris ſuperſtante Lunenſi ara. . . .* Sil. Ital. XVI. 309.

—— odoriferis adſpergens floribus aras,
Tum manes vocat excitos.

Hæ etiam exſtruebantur, ubi quis Diis manibus demortui ſacra facere vellet, quamvis eo in loco defuncti oſſa condita non eſſent. Tacit. Annal. III. 2. 3. dum cineres Germanici per Italiæ oppida Romam deferrentur, *etiam quorum diverſa oppida, tamen obvii, & victimas, atque aras diis manibus ſtatuentes, lacrymis, & conclamationibus dolorem teſtabantur.* Et de Germanico contra Germanos legiones ducente Annal. II. 7. 3. *Veterem aram Druſo ſitam disjecerunt, reſtituit aram.* Druſi autem cadaver Romam allatum fuerat. De eodem defuncto Druſo ait Suet. Claud. c. 1. n. 7. *Cæterum exercitus honorarium ei tumulum excitavit, circa quem deinceps ſtato die quotannis miles decurreret, Galliarumque civitates publice ſupplicarent. Ara,* cujus meminit Tacitus, erat in Germania: at Galli etiam ſua in provincia ad *aram* Druſi ſacra annua faciebant. Noriſ. Cenot. Piſan. Diſſ. III. p. 385. Guther. de Jur. Man. II. 19. Kirchm. de Fun. Roman. IV. 2. Mag. Miſcell. III. 1. Kipping. Antiq. Roman. IV. 6. 16. Ante tabernaculum Imperatoris & ad principia exſtruebantur. Sacra enim in nulla re, nedum in militari a ſummo imperio disjungi patiebantur, nec magis Imperatori arma & tela & conſultorum copiam, quam ſacra & religionum inſtrumenta conſultiſſimi, & quantum licebat ſapientiſſimi mortales ſemper ad manum eſſe volebant. Conſidebat inter medias *aras* & altaria non aliter quam in templo, ſapientiſſimo conſilio, quo neque ipſe publicæ quicquam rei gereret, niſi conſulto placatoque prius deorum numine, & deorum cultus & religionum ſanctitates ab omni parte conſpicuæ ſua quadam reverentia, ſua majeſtate eum circumdarent, & parentibus facerent auguſtiorem. Accedit quod non alius in caſtris locus *aris* aptior, tum propter ſpatium amplum & multitudinis capax, tum propter ſitum legibus ſacrificantium convenientem. *Aræ* enim deorum ita conſtituebantur, ut ipſæ & ſacrificantes immolanteſque ad ipſas orientem, aut, ſi natura loci intervallaret, flumen vel viam adſitam reſpicerent. Recte itaque exſtruebantur ad viam principalem, quæ erat præcipua caſtrorum, reſpicientes ad hanc & portam prætoriam, quæ vel hoſtem vel orientem ſpectare ſolebat. *Schel. in Hygin. Theſ. Antiq. Roman. Grav. Tom.* X. *p.* 1064. *E. F. Lipſ. de Mil. Rom.* V. *Dial.* 4. *Berthald. de Ara c.* 30. §. 1. *Tomaſ. de Donar. c.* 21. Jano duodecim pro totidem menſibus fuerunt dicatæ. Varro Rerum Humanarum IV. Sic enim ejus ſimulacrum effingebatur, ut dextera manus trecentorum, ſiniſtra autem quinque & ſexaginta numerum haberet, ad anni dimenſionem oſtendendam. *Marlian. Topogr.* III. 14. *Nardin. Rom. Vet.* VII. 11. *Borrich. Ant. Urb. Fac. c.* 16. §. 2. Tres ad ſuperiorem partem obeliſci Conſtantinopoli erant Saturni, Jovis, Martis: ad inferiorem vero Veneris, Mercurii & Lunæ. *Argol. in Panvin. de Lud. Circ.* I. 27. Tres in Circo adſcribebantur diis Samothracibus. *Barg. de Ædif. Urb. Everſ. Theſ. Antiq. Roman. Græv. Tom.* IV. *p.* 1889. *D. Panvin. de Lud. Circ.* I. 17. auream poſuit Midas. V. illam ſupr. in *Ara Anchuri.* Navigaturi in littore erigebant, Neptuno ac Apollini taurum mactabant, atque ut eſt apud Poetam,

Nigram Hyemi pecudem, zephyris felicibus albam;

exta demum in fluctus projiciebant, nec ſolvebant ante numen exoratum. *Tomaſ. de Donar. c.* 35. Tangebant, qui jurabant. V. infr. in *Juramentum.* Tangere dicebatur, qui ex animi ſui ſententia jurat: flagellare qui pejerat. Is enim qui ad *aram* pejerebat, illi Divo, ad cujus *aram* jurabat, injuriam facere exiſtimabatur, ut non tangere, ſed flagellare potius multa vibice, ut Perſius loquitur Sat. IV. 48. ſuo perjurio videretur. *Hanſen. l. l. Ararum* conſecratione locus ſacer fiebat. *Guther. de Jur. Man.* II. 18. Nihil apud Romanos tam ſollenne fuit quam dedicationis dies: imo dedicationes Kalendis Januariis factæ majoris dignitatis fuerunt. *Lipen. Stren. c. 2. Prim. Stren. Æt.* §. 20. Et hæc ex lege Papyria comitiis curiatis permittebatur. Quod quidem poſterioribus temporibus exoluit, quibus *aræ* adſtante ſacerdote dedicabantur. Lapis Romæ:

ARA. POSITA. ADSTANTE. SACEDOTE. SEX
CREUSINA. SECUNDO. UT. VOLUERANT. MA
XIMUS. ET. MAXIMINUS. FILII. IMP. COMM
ODO. AUG. PIO. PELICE. IIII. ET. VICTO
RINO. II. COS.

Guther. de Vet. Jur. Pontif. III. 6. Dedicabantur certis ceremoniis, quæ ex libris ritualibus perdiſcebantur, qualis ſacrandæ *aræ* formula Salonæ in Dalmatia reperta eſt hæc: *L. Helio Cæſare Imp. P. Cælio & Albino Vibullio Pio Conſulibus* VII *Idus Octobreis Cn. Domitius Valens II vir ID. præeunte C. Julio Severo Pontif. legem dixit in ea verba: Jupiter optime maxime quandoque tibi hodie hanc aram dabo dedicaboque olis legibus. Olliſque regionibus dabo dedicaboque quæ hic hodie palam dixero, uti infimum ſolum hujus aræ es. Si quis hic hoſtia ſacrum faxit quod magmentum nec protollat, idcirco tamen probe factum eſto ceter Leges huic aræ eadem ſunto quæ aræ Dianæ ſunt in Aventino monte dicatæ hiſce legibus hiſce regionibus. Sicuti dixi hanc tibi aram Jupiter optime maxime dico dedicoque uti ſis volens propitius mihi collegiſque meis decurionibus, colonis incolis coloniæ Martiæ Juliæ Salonæ conjugibus liberiſque noſtris.* Saubert. de Sacrif. c. 15. Ornamenta præter coronas laneas. V. illas ſupra in *Ornamenta.* erant

genii,

genii, gryphi, pegaſi, corvi, catelli, quæ paſſim in Inſcriptionibus notantur. *Guther. de Vet. Jur. Pont.* III. 10. Profanatio non fiebat major niſi adſperſione urinæ, quod canis immundus & amica luto ſus Nero non omiſit, de quo Fulgos. I. Numerus in ſacrificiis certus non erat, ſed pro circumſtantiarum varietate modo minuebatur, modo augebatur, ita ut ad centenarium interdum excurreret. Capitolin. Maxim. & Balb. c. 11. Virg. Æn. I. 420: IV. 200. *Saubert. l. l. Aras* manibus tenebant, qui ſacrificabant, præeunte ubique verba Pontifice. *Aras* enim tenere neceſſe erat ſacrificantibus: quod ſi non fieret, ſacrificium diis gratum non putabatur. *Guther. de vet. jur. Pontif.* IV. 2. Pellex *aram* tangere vetabatur lege Numæ: ſi tetigiſſet, ſolutis crinibus agnum cædere jubebatur, tum ſacerdos verſus ad orientem meditato & ſollenni precationis carmine, verbis priſcis ex annalium vetuſtate erutis, numina & deos precatus vota effundebat, & illam precationem plerumque ter repetebat. *Gyrald. Synt. Deor.* XVII. *p.* 524. *B.* Et qui jurabant. Virg. Æn. XII. 201.

Tango aras, medioſque ignes, & numina teſtor.

Hoc a doctiſſimo Poeta ex antiquitate repetitum eſt. Nam cum ad *aram* bellum in Titanas ſuſcepturi Dii juraſſent: obtinuit ut poſtea religio jurisjurandi ejus tactu & ignis teſtatione ſanciretur. Verba ſunt Theonis in Aratum de *ara* illa loquentis; Καὶ τοῖς ὀμνύειν δίδοται βουλομένοις, ὡς δικαιοτάτην πίστιν τηρῶσι, καὶ τῇ χειρὶ ἐφάπτονται δεικνῦντες εὐγνωμοσύνης μαρτύριον τὸ πῦρ. *Turneb. Adv.* XIX. 19. *Cerd. & Pontan. in Virg. Æneid.* XII. 201. *Hanſen. de jurej. Vet. c.* 2. Illas violare, & contemptu religionis graſſari in ſanguinem miſerorum, inhumanum ſemper eſt viſum & barbarum. Nec impune fuit Philippo Regi Macedonum, Athenienſium, adverſus quos pugnabat, *aras* evertere. Inde illi cum Romanis graviſſimum bellum fuit, ut eſt apud Flor. II. 7. 4. *Poſtea crevit, implorantibus Athenis auxilium contra Regis injurias, quum ille ultra jus victoriæ in templa, aras, & ſepulcra ipſa ſæviret.* Et jure a Poeta Pygmalion impius, & immanitate barbarus appellatur, qui ante *aras* ipſas Sichæum fratrem interemerat. Æneid. I. 351—354.

Pygmalion, ſcelere ante alios immanior omnes,
Quos inter medius venit furor, ille Sichæum
Impius ante aras, atque auri cæcus amore
Clam ferro incautum ſuperat.

Berthald. de *Ara* c. 14. §. 8. In luctu graviori illas ſubvertere & templa lapidare ſolebant præ nimia impatientia, vindictæ loco. Suet. Cal. c. 5. n. 2. *Quo defunctus eſt die lapidata ſunt templa, ſubverſæ deûm aræ.* Quo referendus locus Senec. de Vit. beat. c. 36. *Nullam mihi injuriam facitis, ſicut nec diis quidem hi, qui aras evertunt.* Epictet. in Arrian. II. 22. *Tum certe quidem cum obſtare nobis videntur dii, ipſis quoque maledicimus, eorumque ſtatuas evertimus, & ſacella incendimus, quemadmodum Alexander Æſculapii fana cremari juſſit, amaſio ſuo mortuo.* Moreſtell. Pomp. Funeb. II. 36. 2. Guther. de jur. man. II. 15. Kirchm. de Fun. Rom. II. 12. Ad *aras* amicus vetus eſt verbum, quo uſus eſt Pericles, cum rogaret eum amicus, ut in cauſſa ſua quadam gratia dejeraret. Reſpondit illi: δεῖ μὴ συμπράττειν τοῖς φίλοις, ἀλλὰ μέχρι βωμῶν. Gell. I. 3. Vel, ut Plutarch. libello περὶ δυσωπίας, μέχρι τοῦ βωμοῦ φίλος εἰμί. Quod admonet nos, nonnunquam, quo conſulamus amicorum commodis, eorumque voluntati morem geramus, fas videri paullulum a recto deflectere: verum eatenus, ne propter hominem amicum numinis reverentiam violemus. *Eraſm. Adag. p.* 44. *a. Hanſen. de jurejur. Vet. c.* 2. *Aris* tituli inſcribebantur, qui cauſam continebant, ob quam poſitæ eſſent. Hinc in oblonga *ara*, cui adjecta eſt hinc inde aquila ad baſin, hic titulus legitur, MEMORIA FELIX. In quadrata præter hinc inde majuſculæ literæ, SC. quibus ſignificabatur ex Senatusconſulto decretam illam *aram* Principi fuiſſe, in imo inſuper loco ſcriptum erat, PROVIDENTIA. In rotunda præter ignem in ſumma parte accenſum legebatur is titulus, CONSECRATIO. *Berthald. de Ara c.* 3. §. 3. §. 22. *n.* 1. *Briſſon. de Form.* I. p. 116. *Lipſ. in Tacit. Annal.* I. *n.* 94. Dii præſentes erant. Docet hoc inprimis Plinius Paneg. c. I. n. 5. ad Trajanum Imperatorem, ubi de ejuſdem adoptione, quæ ad *aras* & inter ſacrificia a Nerva facta, Jovis ipſius præſentia ac voluntate firmata cenſebatur. *Quippe*, inquit, *inter aras & altaria eodemque loci, quem Deus tam manifeſtus ac præſens, quam cœlum ac ſidera inſedit, electus repertuſque es.* Tibullus cum Meſſallæ ſuo blanditur, Jovem non modo ſupplicationibus aurem præbuiſſe, ſed ipſis etiam *aris* præſentem fuiſſe IV. 130—134.

Jupiter ipſe levi vectus per inania curru
Adfuit, & cælo vicinum liquit Olympum,
Intentaque tuis precibus ſe præbuit aure,
Cunctaque veraci capite annuit, abditus aris
Lætior eluxit ſtructos ſuper ignis acervos.

Berthald. de Ara c. 9. §. 4. Etiam ſupplicantes advolvebantur. Prop. III. 15. 1.

Nunc, o Bacche, tuis humiles advolvimur aris.

Senec. Oedip. I. 71.

Affuſus aris ſupplices tendo manus,
Matura poſcens fata.

Briſſon. de Form. I. p. 40. Lumina ad pium religionis cultum amplificandum, lætitiæque ac ſollennitatis cauſa admovebantur. Hinc clerici ceroferarii, qui & acolythi dicebantur. V. illos *ſupr.* Ferrar. de Vet. Lucern. Sepulcr. Theſ. Antiq. Roman. Græv. Tom. XII. p. 999. C. Pro *aris* & focis certare locutio eſt proverbialis, cujus meminit Cicer. de Nat. Deor. III. 40. cum totis viribus certamus, tanquam nihil nobis prius aut carius eſſe debeat ſacrorum defenſione. Hoſtes enim urbibus captis, ſi delere eas vellent, in focos maxime ædium ſævire, eoſque effodere; ac *aras* quæ in iis ſacræ Diis Penatibus, evertere ſolebant: videlicet ut ne loca illa Dii rurſus occuparent, & tutelam priſtinam reciperent. Euripides Hecuba:

Ἐπεὶ δὲ Τροία θ᾽ Ἕκτορός τ᾽ ἀπώλετο
Ψυχή, πατρῴα θ᾽ Ἑστία κατεσκάφη.

Stuck. de Sacrif. p. 98. *Meurſ. Philol. Auctar. c.* 8. *Almelov. Conject. p.* 157.

ARABES in fœderibus lapidem adhibebant. Teſtis eſt Herodot. III. *Hanſen. de Jurejur. Vet. c.* 21. Torques geſtabant. *Scheffer. de Antiq. Torq. c.* 12. Avium ſignificationibus plurimum obtemperabant. *Buleng. de Augur.* c. 7. Nivali aqua vinum miſcebant, & ſeſe in luſtrationibus abluebant. *Butius de Pot. Antiq. c.* 20. Regum & ſummorum ducum elata cadavera in loca tetra & inculta ſtercore obruebant, ac cœno & fimo aggeſto terræ imponebant. *Moreſtell. Pomp. Feral.* X. 5. Illorum regionem ſubegit Pertinax. *Panciroll. Notit. Dign. Imp. Orient. c.* 99.

Arabes Scenitæ a tabernaculis cognominati, quæ ciliciis metantur, ubi libuit. Plin. VI. 28. Ad Peluſium & ultra deinde habitaverunt. Plin. VI. 12. *Bellus de Part. Templ. Augur. c.* 5. Scena eſt oppidum Arabiæ Ptolemæo, inter Peluſium & Memphim, auctore Itinerario, a quo vocata eſt Scenitis regio. Scenæ Latine ſunt tentoria. Hieronymus in locis Hebraicis. *Panciroll. Notit. Dign. Imp. Orient. c.* 141.

ARABIA a ſeptentrione Euphratem habet, ab oriente montes Babyloniæ, a meridie *Arabiam* Felicem, ab occidente Judæam. Triplex eſt, *Arabia* Felix, quam nunquam ingreſſi ſunt Romani: alia eſt *Arabia* Deſerta, quæ nec ad nos pertinet: tertia Petræa dicta, cujus metropolis erat Boſtra, vulgo Buſſereth dicta, ubi legionem fuiſſe Ptolemæus ſcribit, quæ erat tertia Cyrenaica. Alii volunt Petram provinciæ caput fuiſſe, unde Petrenſis *Arabia*, vel Petræa vocatur, ſed id antea fuerat. Boſtram enim Juſtinian. Nov. 102. poſtea ejus metropolin fuiſſe innuit. *Panciroll. Notit. Dign. Imp. Orient. c.* 117. Soli *Arabes* Felices intra circulum, ſive tropicum æſtivum cenſentur, nec tamen omnes. Omnium enim maxime ſeptentrionalis civitas, Onne, a Ptolemæo collocatur in gradu latitudinis borealis 28. 40. minutis. Ultima vero ad meridiem pars *Arabiæ* Felicis ſtatuitur ab eodem promontorium Ammonium ad gradum latitudinis ſeptentrionalis undecimum & 10 m. Funditur igitur *Arabia* Felix inter

gradus

gradus ſeptemdecim fere; quorum tamen quinque pæne integri, extra eundem cæteri duntaxat. Locus vero ſitus ſub tropico, ſive in gradu 23. & 30 min. vocatur Ptolemæo, ſacra ſolis extrema, in ſinu Perſico, a qua civitate ſi parallelus duceretur ad *Arabicum* ſinum paullo ſupra vicum, qui Copar etiam Geographo dictus eſt in 23 & 15 min. ſtatuitur æſtivi circuli partem deſcripſeris ſive tropici borealis noſtri. *Bellus de Part. Templ. Augur. c.* 3. Hanc primus Romanorum Ælius Gallus ab Auguſto miſſus armis ſubegit: rebellantem Trajanus in provinciæ formam redegit. *Panciroll. l. l. Panvin. Imp. Roman. c.* 19. Provinciæ a Trajano factæ mentio eſt in ejuſdem vetuſto nummo ſic: ARABIA ADQUISITA. Notæ iſtæ averſam nummi partem occupant, in quo ſpectatur puer ducens fune camelum, cui adſtat figura ſtolata, dextra lauream tenens, ſiniſtra ſcipionem militarem. Camelus *Arabiam* ipſam denotat, utpote provinciam animalium illorum feraciſſimam; figura quæ adſtat Imperatorem, ſiniſtra ſcipionem, hoc eſt, Imperatorum baculum, dextra lauream, victoriæ ſcilicet ſignum ferens. *Urſat. de Not. Roman. Theſ. Antiq. Roman. Græv. Tom.*XI. *p.* 556. *F. Panvin. l. l.* Eam provinciam poſtea novis gentibus victis, & imperio Romano adjunctis novam provinciam fecit Severus Imperator, bello Parthico confecto, quo Parthos, & Adiabenos, *Arabeſque* interiores gravibus præliis & cladibus afflixit. *Panvin.* & *Panciroll. l. l.*

ARABICUS dictus eſt Imperator Severus, quia illos ſuperavit, & eorum regionem Romanam provinciam fecit. Hoc cognomen non ſibi aſſumpſit Trajanus, licet *Arabiam* & ipſe in provinciæ formam redegiſſet, ut auctor eſt Eutrop. VIII. ni forte dicendum, eum interiores *Arabas* non obtinuiſſe, quibus poſtea a Severo devictis *Arabici* ob id cognomen accepit. Ita enim de Severo Ruffus in Breviario Imperii Romani: *Septimius Severus acerrimus Imperator Arabas interiores obtinuit, & Arabiam provinciam fecit.* Urſat. de Not. Rom. Theſ. Antiq. Roman. Græv. Tom. XI. p. 556. D. E.

ARANEÆ ſignis inſidentes triſte augurium fecerunt. Exempla collegit *Buleng. de Prodig.* c. 33.

ARARIS Sone vulgo dicitur. Is ſupra Allobroges ad occidentem fluens Rhodano, ubi eſt Lugdunum, conjungitur. Cæſ. de Bell. Gall. I. 12. *Flumen eſt Arar, quod per fines Æduorum & Sequanorum in Rhodanum influit incredibili lenitate, ita ut oculis, in utramque partem fluat, judicari non poſſit.* Panciroll. Not. Dign. Imp. Occid. c. 88. Faber Semeſtr. I. 20.

ARATIUNCULÆ dimenſio eſt tantum terræ intervallum, quantum ſatum ſementis implere & occupare poſſit. Duas enim *aratiunculas* ſpatium terræ duorum ſatorum ſementis Hebræi vocant. Elias I. Reg. c. 17. n. 32. fecit aquæductum quaſi per duas *aratiunculas* in circuitu altaris. Quid *aratiuncula* iſta ſignificet, tam a paucis invenitur, quam a multis quæritur. Eam autem dimenſionem tametſi non exacte, non longe tamen a ſcopo recedentes, attingemus: ſi primum id quod experimento deprehenditur, in confeſſo habebimus, quod jugero Romano ſerendo medimni menſura ſufficiat. Medimnum ad præſens voco menſuram ſex modiorum, ſeu boſſellorum capacem: cujus capacitatis eſt medimnus Paraſinus, non autem Atticus. Id quod dicimus, experimento deprehendi poteſt. Nam arpennum Pariſinum ſeſquimedimno novem modiorum, ſeu boſſellorum de integro ſeritur. Eſt autem arpennum ad jugerum Romanum ferme ſeſquialterum. Illud præterea in confeſſo habeatur, ſatum partem tertiam ephi continere, quartarios quatuor cum ſemiſextariolo, & ſcriptulis duobus. Boſſellum vero ſex quartarios comprehendit, qua ratione boſſellus eſt ad ſatum ferme ſeſquialter. Quum igitur ſex boſſelli triginta ſex ſextarios capiant (nam ſexies ſex ſunt triginta ſex) & hujus numeri octava pars ex quatuor quartariis & ſemiſſe conſtat, ſiquidem octies quatuor ſunt triginta duo, & octo ſemiſſes quatuor pariunt quartarios, qui prioribus conjuncti triginta ſex quartarios complent: hinc aperte ſequitur, ſatum ferme eſſe octavam partem ejus medimni. Ferme dixi; nam octava ejus pars ſuperat ſatum heminis ferme tribus, ſeu ſemiſextariolis: quo excremento neglecto faciamus ſatum eſſe hujus medimni octavam partem. Jam illud etiam conſtat apertiſſime, quod ſi jugero ſerendo ſufficit medimnus, octavam quoque partem medimni ſatum implere poterit. Octava etiam jugeri pars porca eſt. Eſt porca ea terræ dimenſio, cui ſerendæ ſatum ſufficere poſſit. Sunt igitur hæ duæ *aratiunculæ*, ſeu areæ duorum ſatorum capaces, duæ porcæ, quæ quartam jugeri, ſepties mille ducentos pedes quadratos continent, quod ex porcæ geminatæ calculo deprehendere promptum eſt. Et hinc etiam nobis alia via apparet ad id quod aſſerimus probandum. Nam Lyranus libro differentiarum, ex Hebræorum ſententia, ait ſpatium illud terræ ab Elia circumſcriptum fuiſſe æquale atrio tabernaculi. Hujus areæ circuitus Exod. c. 27. deſcribitur, centum cubitorum longitudinis, latitudinis vero quinquaginta: quod ſi longitudinem latitudine auxeris, protinus emergent cubitorum quinque millia. Cum autem cubitus ſit ad pedaneam menſuram ſeſquialter, nihil aliud quam pedanea ſeptem millia quingenta ex cubitis poteris elicere. At ex præcedente calculo docuimus *aratiunculas* duas, ſeu terram duobus ſatis ſeminabilem, conſtare pedibus quadratis ſepties mille ducentis. *Cenal. de Pond. ac Menſ. rat. Theſ. Antiq. Roman. Græv. Tom.* XI. *p.* 1488. *A---F.*

ARATORES erant, qui agrorum culturam a publicanis, quibus vectigalia ſua per cenſores elocabant Romani, redimebant. Publicani enim illos aut per familias ſuas exercebant, aut aliis porro civibus concedebant. Hi dicebantur *aratores*, quod arandorum agrorum curam haberent. Cic. Verr. III. 51. *Sed etiam ut permulti locupletes homines, magni, & navi aratores agros lætos, & fertiles deſererent, totaſque arationes derelinquerent. Id adeo ſciri facillime poteſt ex literis publicis civitatum, propterea quod lege Hieronica numerus aratorum quotannis apud magiſtratus publice ſubſcribitur.* Suet. Aug. c. 42. n. 5. *Atque ita poſt hanc rem temperavit, ut non minorem aratorum, ac negotiantum, quam populi rationem deduceret.* Sigon. de Antiq. Jur. Civ. Roman. II. 4. Turneb. Adv. I. 6. Pitiſc. in Suetonium.

ARAURACA urbs eſt Armeniæ minoris. In illa excubabat cohors miliaria Boſphorana. *Panciroll. Notit. Dign. Imp. Orient. c.* 151.

ARAUSIO, Ptolemæo teſte, Galliæ Narbonenſis eſt urbs, quam Plin. III. 4. coloniam ſecundanorum nominat, hoc eſt, ſecundæ legionis militum, nunc vulgo Oranges, etiam nunc antiquitatum ruderibus non paucis celebris, ſub Naſſoviorum Principum dominio. *Urſat. de Not. Roman. Theſ. Antiq. Roman. Græv. Tom.* XI. *p.* 610. *D. Guther. de Jur. Man.* III. 26.

ARB.

ARBITER differt a judice, quia judex cognovit cauſas omnes juris & facti, ſed quæ eſſent & leviores, & ad dijudicandum faciliores. *Arbiter* quæ bonæ fidei, & *arbitrariæ* appellatæ. Unde Feſtus: *Arbiter eſt, qui totius rei arbitrium habet & poteſtatem.* Sigon. de Judic. I. 21. Guther. Dom. Aug. II. 21. Appellabantur *arbitri*, qui familiæ erciſcundæ, communi dividundo, finium regendorum, aquæ pluviæ arcendæ, pro ſocio, tutelæ, rei uxoriæ & aliis bonæ fidei judiciis addicebantur. Quinetiam ubi idonee caveri oportebat, ſi de fidejuſſorum viribus dubitaretur, ad eos probandos prætor *arbitros* dabat. Sed & ſi rationes reddendæ eſſent, vel quarta legis Falcidiæ beneficio detrahenda rationibus excutiendis diſpungendiſque. Item ad bonorum quantitatem, æſtimationemque ineundam *arbitri* dabantur. *Briſſon. de Form.* V. *p.* 416. Familiæ erciſcundæ *arbitrum* vel unus ex cohæredibus, præſentibus cæteris & invitis poſcere poterat. l. arbitrum. ff. fam. erciſc. Hic inter cohæredes ſumptus adjudicationes & condemnationes invicem faciebat, & pro his rebus, quas cuique adjudicabat, alterum alteri condemnare poterat, ut penſatione

tione ultro citroque condemnationis facta, eum solum, cujus summa excederet, ejus duntaxat summæ, quæ ita excederet, damnare. l. Mævius. §. arbiter. & l. cum putarem ff. tit. eod. *Brisson. ibid. p.* 434. Communi dividundo *arbiter* poterat posci a quolibet sociorum. l. si quis cum §. Pomponius ff. de comm. divid. Hoc in judicio non tantum divisio rerum communium veniebat, sed & si quid in his damni datum, factumve erat, sive quid eo nomine, aut aberat alicui sociorum, aut ad eum pervenerat ex re communi. l. in communi ff. de comm. divid. Ubi de fundo uno communi dividundo agebatur, siquidem commode regionibus fundus ille divisionem recepisset, judex communi dividundo adductus partes ejus singulis adjudicare debebat. Sed ubi commode regionibus dividi inter socios aliquis ager non poterat, vel ex pluribus singuli, æstimatione facta, unicuique sociorum adjudicabatur, compensatione pretii invicem facta; eoque cui res majoris pretii obvenerat, cæteris condemnato: ad licitationem non unquam etiam extraneo emptore admisso: maxime si se non sufficere ad justa pretia alter ex sociis sua pecunia vincere vilius licitantem profiteretur. l. ad officium, C. de comm. divid. Talis etiam adjudicatio fieri poterat, ut alteri fundum, alteri usumfructum adjudicaret. Cætera eadem quæ in familiæ erciscundæ judicio servabantur. l. si quis putans. §. officio ff. de comm. divid. *Brisson. ibid. p.* 436. Inter vicinos de finibus ambigentes & jurgantes *arbitri* quinam sunt sumpti docet Terent. Heaut. III. I. 92.

— Simus & Crito

Vicini nostri hic ambigunt de finibus:

Me cepere arbitrum.

Officium erat, fines regere, & terminos ponere. l. inter ff. de recept. qui arbitr. Et quidem ex duodecim tabulis finibus regundis *arbitri* tres addicebantur, e lege Mamilia, singuli. *Arbitri* porro sententiam fere hujusmodi dicebant: *requiri placere terminos quos veteres possessores pegerunt.* Ita interlocuti, postea in re præsenti de controversiis inter partes cognoscebant, & coram inter eos controversiam componebant, & terminos ponebant, finesque pangebant. Cicer. de Leg. I. 21. *Ex hac autem non rerum, sed verborum discordia, controversia nata est de finibus: in qua quoniam usucapionem XII. tabulæ inter quinque pedes esse voluerunt, depasci veterem possessionem Academiæ ab hoc acuto homine non sinemus: nec Mamilia lege singulis sed ex iis tres arbitri fines regemus.* Brisson. ibid. pag. 428. *Arbitri* primum pronuntiabant *arbitrium*: deinde, nisi reus *arbitrio* paruisset, sententiam proferebant, eumque condemnabant. *Arbitrium* pronuntiabant ita: *Arbitror, te hoc modo satisfacere actori debere.* Sententiam pronuntiabant hoc modo, ut scribit Pomponius ff. de Arbitris: *Quantum ei debes, redde. Divisioni vestræ stari placet, pro ea parte, quam solvisti creditoribus, accipe.* Paullus ff. de dolo malo: *Arbitrio judicis in hac quoque actione restitutio comprehenditur, &c, nisi fiat restitutio, sequitur condemnatio, quanti ea res est.* Quod si reus *arbitrio* judicis non parebat, tum *arbiter* actori jusjurandum in litem deferebat, id est, jubebat illum jurare, quanti litem æstimaret, ut reum non modo damnaret, quanti ea res erat, sed etiam quanti actor æstimaret. Ulpianus ff. de rei vendicatione: *Qui restituere jussus judici non paret; contendens non posse restituere, siquidem habeat rem, manu militari officio judicis ab eo possessio transfertur, siquidem dolo fecit, quo minus possit, is quantum adversarius in litem sine ulla taxatione in infinitum juraverit, damnandus est. Si vero non potest restituere, nec dolo fecit, quo minus possit, non pluris, quam quanti res est, id est, quam adversarii interfuit, condemnandus est.* In *arbitrii* judex liberior erat, quam in iis, quæ stricti juris sunt: quod in iis neque pluris, neque minoris damnare poterat, quam quantum petebatur: in his quantum actori restitui oporteret, æstimabat: in iis exquirebatur tantum, quod lingua nuncupatum esset: in his non tam quod in contrahendo dictum erat, quam quod bonæ fidei ratio exigebat: in iis compensationis rationem habere non licebat: ut si quis peteret decem, & deberet quinque, judex in illis debitorem damnabat decem: in his quinque. *Arbitros* tamen prætoris & ipsos imperio fuisse subjectos docet Ulpianus ff. de receptis arbitris scribens. In causis levioribus singulos judices sententiam de tabula pronuntiasse notavit Asconius. *Sigon. de Judic.* I. 29. *Arbitrum* adigere & sumere etiam dicebantur. V. infr. in *Judex postulabatur.*

Arbiter bibendi erat is, quem veteres in conviviis ex omni convivarum numero eligebant; qui convivio præesset, & leges convivis præscriberet. Hic vocabatur Juvenali magister, Varroni modimperator, Plauto dictator, Horatio Strategus & pater cœnæ, Gellio convivii dominus, Sidonio rex convivii, Græcis συμποσιαρχὸς, βασιλεὺς, στρατηγὸς. Sorte hic a convivis, antequam accumberent, vel cœnare inciperent, eligebatur. In sortem erant tali. Horat. Od. I. 4. 18.

Nec regna vini sortiere talis.

Plaut. Asin. V. 2. 54.

Jace, pater, talos, ut porro nos jaciamus.

Quia vero varii talorum jactus erant, is qui primus e convivis Venerem (V. infr. in *Venus*) jecerat, bibendi *arbiter* erat. Horat. Od. II. 7. 25.

— quem Venus arbitrum

Dicet bibendi?

Hæc *Lips. Ant. Lect.* III. *p.* 149. *Stuck. Ant. Conv.* II. 7. *Sensleb. de Alea c.* 5. §. 10. *Saubert. de Sacrif. c.* 26. *Buleng. de Conv.* I. 40. *Putean. Reliq. Conv. Prisc. Thes. Antiq. Roman. Græv. Tom.* XII. *p.* 248. *A. Calcagn. de Lud. talor. c.* 2. *Cisel. de Prof. Rom. Rit. c.* 25. *de Urb. ac Imper. Roman. splend. part.* 2. *c.* 19. *Maurit. de Sortit. c.* 35. §. 2. *Kipping. Antiq. Roman.* IV. 3. 7. *Grapald. de Part. dom.* II. 3. *Rhodig. Ant. Lect.* VII. 26: XXVII. 25: XXVIII. 6. *Ursin. Append. ad Ciaccon. de Triclin. pag.* 338. *Ferrar. Elect.* I. 16. V. infr. in *Sortes convivales.*

ARBITRARI vocabulo parum arroganti & obstinato se dicebant, dum in testimoniis dicendis quandam acatalepsiam & Academicam aporiam observabant, & qui testificabantur non se scire & pro certo compertum habere pronuntiabant, sed Socratico more perceptionem certam assertionemque securam suspendebant. Cicer. pro Font. c. 9. *Qui primum illud verbum consideratissimum nostræ consuetudinis*, arbitror, *quo nos etiam nunc utimur, cum ea dicimus jurati, quæ comperta habemus, quæ ipsi vidimus, ex toto testimonio suo sustulit, atque omnia se scire dixit.* Pollet. For. Rom. IV. 13.

ARBITRATOR Jupiter. V. illum infr. in *Jupiter.*

Arbitratores sunt, qui tanquam boni viri *arbitrari*, & constituere aliquid debent, juris dispositioni minime obnoxii, nec comminatione pœnæ formidabiles, quorum sententia magis transactioni quam judicio conformis est; videntur enim partes transigere *arbitratu* illius, cum priores *arbitri arbitria* sua instar judiciorum dirigant, & non multum ab ordinariis differant, & illorum sententiæ metu pœnæ pareatur. *Alciat. de Verb. Signif. p.* 147. Concilio enim advocato, si quid cum alio controverterent, ut domi componeretur, antequam in judicium iretur, a forensibus molestiis alieni factitare solebant. Cicer. pro Quint. c. 5. *Appellat ultro Nævium, ut quoniam suspicaretur aliqua de re fore controversiam, videret, ut quam primum, & quam minima cum molestia tota res transigeretur. Dat iste amicum M Trebellium, nos communem necessarium, propinquum nostrum, Sext. Alphenum. Res convenire nullo modo poterat: propterea quod hic mediocrem jacturam facere cupiebat: iste mediocri præda contentus non erat. Itaque ex eo tempore res esse in vadimonium cœpit.* Pollet. For. Rom. III. 12.

ARBITRATUS Pontificum in mera voluntate fuit positus, ut Vestales capere, Sacerdotes certa die inaugurare. At, cum ad *arbitratum* Pontificum aliquid a Senatu conferebatur, quasi viris bonis committebatur. Ut cum ver sacrum de integro faciendum *arbitratu* Pontificum Patres censuerunt. *Guther. de Jur. Pontif.* I. 24.

ARBITRIUM *aliud est, aliud est judicium. Judicium est pecuniæ certæ, arbitrium incertæ. Ad judicium hoc modo*

modo venimus, ut totam litem aut obtineamus, aut amittamus: ad arbitrium hoc modo adimus, ut neque nihil, neque tantum, quantum postulavimus, consequamur. Ejus rei ipsa verba formulæ testimonio sunt. Quid est in judicio? directum, asperum, simplex, si paret sestertium ↀↀↀ *dari oportere. Hic nisi planum facit, ad libellam sestertium* ↀↀↀ *sibi deberi, causam perdit. Quid est in arbitrio? mite, moderatum. Quantum æquius, & melius, id dari.* Cicer. Quint. Rosc. c. 4. *Sigon. de Judic.* I. 21. *Rævard. de auctor. prudent. c.* 3.

ARBOR in Palatino fuit monte, nata ex hasta Romuli, quæ captato augurio ex Aventino in Palatinum ab eo missa terræ fixa dicitur, ac frondes emisisse, crevisseque in *arborem*. Marlian. Topogr. Urb. Rom. II. 21.

Arbor sancta fuit in regione secunda Urbis, quæ Cœlimontium dicta fuit. Forte fuit alicui numini pro templo dicata, quod apud ethnicos fieri consueverat, ut auctor est Plin. XII. I. Si regio Urbis conveniret, arbitrarer intelligi corneam hastam, quam Plutarchus scribit Romulum exercendi causa jaculatum esse, & terræ affixam in *arborem* excrevisse, quæ sacra est appellata, & muro circumdata, pro templo habita exaruit læsis radicibus, dum C. Julius Cæsar ibi gradus struit. Nomen tamen sanctæ *arboris* mansit, & alias illi substitutas fuisse est verisimile. *Panciroll. Descr. Urb. Thes. Antiq. Roman. Græv. Tom.* III. *p.* 329. *E. Nardin. Rom. Vet.* III. 7.

Arbor oppidum Pannoniorum. In hoc manebat tribunus cohortis Herculeæ. Una ex Pannonum legione erat hæc cohors, a Maximiano Herculea vocata. *Arborem Felicem* Ammianus & Itinerarium vocant Helvetiæ oppidum ad Bricantium. *Arborem* Illyrici oppidum esse Stephanus scribit. *Panciroll. Notit. Dign. Imp. Occident. c.* 82.

Arbor in navi etiam malus vocatur. Isid. XIX. 2. *Modius est, cui arbor insistit.* Scheffer. de Milit. Nav. II. 5.

ARBORES furtim si essent cæsæ, ex lege Aquilia, & ex duodecim tabulis dandam actionem Labeo ait apud Paulum l. 1. ff. arb. furt. cæs. tit. 7. Ea autem lex erat, ut qui injuria cecidisset alienas arbores, lueret in singulas arbores asses quinque & viginti, quod Plinius Secundus naturalis historiæ XVII. I. scripsit. Asses autem tum librles erant, hoc est libram æris pendebant. Ad eam legem Cajus scripsit, cum lib. I. ad legem duodecim tabularum ait. *Sciendum autem est, eos qui arbores & maxime vites ceciderint, etiam tanquam latrones puniri.* Augustin. ad Leg. XII. Tabul. §. 30. Ursin. Not. ad Leg. & SCT. Thes. Antiq. Roman. Græv. Tom. II. p. 1355. E. Cujac. Observ. IX. 12: XXI. 21. Rittersh. ad Leg. XII. tab. class. III. p. 2. c. 37. Hotman. Antiq. Roman. III. 3. p. 470. *Arbores* infelices sunt, quæ inferorum deorum avertentiumque in tutela sunt, alaternus sanguine infelix, id est sanguinea & cruenta materia, filix, ficus atra, quæque baccam nigram, nigrosque fructus ferunt, acrifolium, pyrus sylvatica, ruscus, rubus, sentesque, quibus portenta prodigiaque mala comburi jubebantur. Macrob. Saturn. II. 16. *Turneb. Adv.* XVIII. 4. *Thys. in Gell.* X. 14. *Brod. Miscell.* IV. 6. *Arbores* sanctæ, unde & illis sacrivarum nomen datum, habebantur, tum ob stupendam proceritatem, tum ob umbrarum sacrum horrorem. Hinc tæniis & velamentis ornabantur. Arnob. I. p. 22. *Picturatas veternosis in arboribus tænias si quando conspexerant.* Stat. Theb. II. 738.

— ac arbore casta
Nectere purpureas niveo discrimine vittas.

Hinc *arbor vittata* Prudentio mox laudando, & *vittis redimita* Theodosio, Arcadio & Honorio lib. 12. Codic. Theodos. de paganis sacrificiis & templis. *Tomas. de Donar. c.* 26. *Elmenhorst. in Arnob. p.* 36. *Lipen. de Stren. c.* 2. *at. quart.* §. 20. *Almelov. Antiq. Prof. e Sacris ad Genes. c.* 13. *n.* 18. *Ruben. Elect.* II. 34. Vota ad eas nuncupare, & tabellas appendere solebant. Ovid. Met. VIII. 743.

Stabat in his ingens annoso robore quercus;
Una nemus: vittæ mediam, memoresque tabellæ,
Sertaque cingebant, voti argumenta potentis.

Religiosi viatores ad eas gradum tanquam alicujus dei, vel aram, vel simulacrum sistebant. Apul. Flor. I. p. 758. *Neque enim justius religiosam moram viatori objecerit aut ara floribus redimita, aut spelunca frondibus inumbrata, aut quercus cornibus onerata. . . . .* Hostium spolia hic deponebant. Livius. V. illum infr. in *Quercus.* Lucan. I. 136.

Qualis frugifero quercus sublimis in agro,
Exuvias veteris populi, sacrataque gestans
Dona ducum.

Ruben. l. l. Hinc aræ humanis victimis olim frequentatæ in sylvis exstruebantur. Tacit. Ann. XIV. 30. 4. *Excisi luci, sævis superstitionibus sacri. Nam cruore captivo adolere aras fas habebant.* Lucan. III. 404.

— structæ sacris feralibus aræ;
Omnis & humanis lustrata cruoribus ara.

De Romanis ipsis Plin. XII. I. *Arbores fuere numinum templa, priscoque ritu simplicia rura etiam nunc Deo præcellentem arborem dicant.* Adde Senec. Epist. 41. *Berthald. de Ara c.* 30. §. 9. & 10. *Saubert. de Sacrif. c.* 5. Et illis lucernæ appendebantur. Prudent. contr. Symmach. II. 1099.

Et quæ fumificas arbor vittata lucernas
Sustinuit, cadit ultrici succisa bipenni.

Mart. X. 6. 3.

Quando erit ille dies, quo campus, & arbor, & omnis
Lucebit Latia culta fenestra nuru?

Lips. Elect. I. 3. Thomas. de Donar. c. 26. Chamillard. in Prudentium. Herald. & Rader. in Martialem. *Arbores* vectigales, quarum fructus vectigali subjacebant. Quinta enim deducebatur ex φυτενομένοις, & ex pomo, vino, nuce, ficu & reliquis *arborum* fructibus colligebatur. Sylvæ glandiferæ ab Hygino de Limit. Constit. inter agros, qui vectigal præstant, enumerantur. Et in l. 17. ff. de V. S. inter publica vectigalia recensetur vectigal picariarum. Quod quid fuerit V. infr. *in Vectigal.* Lips. de Magnit. Roman. II. I. Burman. de Vectig. c. 2. p. 21. Buleng. de Vectig. Pop. Rom. c. 13. *Arbores* vulgares & obviæ in nullo, longe petitæ in summo pretio erant, illasque habebant ad delectationem & ostentationem. Cn. Domitius solas decem tales L. Crasso æstimavit *tricies sestertio*, sive centies & quinquagies mille florenis. Val. Max. IX. I. 4. Hic tam pretiosæ *arbores erant loti patula ramorum opacitate lascivæ.* Plin. XVII. I. Inter pretiosas *arbores* fuit quoque platanus. V. illam infr. in *Platanus.* Meurs. de Lux. Roman. c. 12. Kobierzyck. de Lux. Roman. II. 8. *Arbores* prope aquæductus dextra lævaque per quindecim pedes esse non licebat l. 1. Cod. de aquæ ductu, quod Augusto imperante, anno ab U. C. 470. Senatusconsulto a Frontino recitato est prohibitum. *Panciroll. Notit. Dign. Imp. Occid. c.* 6. *Augustin. de SCtis. Thes. Antiq. Roman. Græv. Tom.* II. *p.* 1343. *B.* Olivam aut ficum novem pedes a vicino fundo esse plantandam, alias arbores quinque pedes e Solonis legibus docet Cajus Jurisconsultus L. Sciendum ff. de judicio fin. regund. *Brod. Misc.* X. 8. *Arbores* & nemora domestica veteres alebant. Mart. XII. 50. I. V. illum infr. in *Domus.* Suet. Aug. c. 72. n. 6. *Et neptis quidem suæ Juliæ profuse ab ea exstructa* prætoria *etiam diruit ad solum, sua quamvis modica, non tam statuarum, tabularumque pictarum ornatu, quam xystis, & nemoribus excoluit.* Nep. Attic. c. 13. n. 2. V. illum infr. in *Domus Attici.* In fastigiis, & culminibus domorum suspendebant. Horat. Od. III. 10. 5.

Audis, quo strepitu janua, quo nemus
Inter pulcra situm tecta remugiat
Ventis.

Senec. Contr. 5. *Alunt in summis culminibus nemora.* Epist. 122. *Non vivunt contra naturam, qui pomaria in summis turribus serunt? quorum sylvæ in tectis domorum ac fastigiis nutant, inde ortis radicibus, quo improbe cacumina egissent.* Senec. Thyest. III. 464.

— nulla culminibus meis
Imposita nutat sylva.

Kobierzyck. de Lux. Roman. II. 8. Lips. de Magnit. Roman. III. 14. in Tacit. Germ. n. 36. Thys. de Magnit. Roman. III. p. 309. Delrio. in Senecam.

ARC.

ARCA aquaria fit hoc modo. Figuntur excavata & ſulcata a ſummo ad imum tigna, pari inter ſe ſpatio. Ubi obfirmata ſunt, tam longæ, quam magnum eſt intervallum, & aliquanto plus, ſed pro ratione cavi craſſæ comparatæ tabulæ induntur in ſummis canalibus, adiguntúrque, ut ad infimas uſque partes deſcendant: induntur aliæ ſuper alias, uti bene cohæreant, dum ad eam altitudinem ſeptum erectum ſit, quæ erit neceſſaria. Poſt hauſtoriis machinis incluſo ſepto aqua exinanitur. Ejus mentio fit apud Vitruv. VI. 3. *Diſpluviata autem ſunt, in quibus deliquiæ arcam ſuſtinentes ſtillicidia rejiciunt.* V. 12. *Arcæ ſtipitibus robuſtis, & catenis incluſæ in aquam dimittendæ, deſtinandæque firmiter.* Bald. Lex. Vitruv. Id genus ſepti aquarii vulgus vocat cataractas. *Philand. in Vitruv.* V. 11.

Arca cuſtodiæ genus eſt, in quam conjiciebantur ſervi, de quibus erat quæſtio habenda, ſed & alii malefici interdum. Cic. pro Milon. c. 22. *Subito accepti in quæſtionem, tamen ſeparantur a cæteris, & in arcas conjiciuntur, ne quis cum his colloqui poſſet.* *Arcæ* illæ olim robuſteæ erant: unde & robur priſci appellabant. Feſtus: *Robur dicitur in carcere locus is, quo præcipitatur maleficorum genus, quod antea robuſteis arcis includebatur.* Turneb. Adv. XXIII. 21.

Arca diſpenſatori credita fuit, ut ex ea erogaret. Juven. I. 89.

—— neque enim loculis comitantibus itur
Ad caſum tabulæ, poſita ſed luditur arca.
Prælia quanta illic diſpenſatore videbis
Armigero!

Imo *arcæ* & diſpenſatoris adeo indiſcreta ratio fuit, ut Quintil. Declam. 145. conjunctim retulerit, dicens: *ad ſummum de Republica noſtra honorem, non animus, non virtus, non manus mittit, ſed arca & diſpenſator.* Ideoque *diſpenſator arcarius*; & vice verſa *arcarius diſpenſator* appellatus eſt. *Pignor. de Serv. p.* 325. 326.

Arca fœderis remanſit Romæ, & in S. Johannis Lateranenſis æde aſſervatur, neglecta forſan a barbaris ſpolia templi Hieroſolymitani diruti in templo Pacis a Veſpaſiano repoſita, ſub Genſerico Vandalorum Rege in Africam aſportantibus, quod cum e ligno facta eſſet, nihil haberet prædæ opportunum, exceptis, quæ illam contegebant, ut in SS. eſt laminis, quarum ego minutiſſimas adhuc reliquias ſub capitibus quibuſdam bullarum ſupereſſe animadverti. Multi tamen ſunt, qui exiſtiment hanc veram *arcam* non eſſe Hieroſolymitanam. I. Quod Joſeph. de bell. Judaic. VII. 37. illam inter cætera a Veſpaſiano & Tito in triumphi ornamentum ablata ſpolia non numeret, neque etiam in Titi arcu ſculpta exſtet. II. Quod *arca* a Moſe facta Maccab. II. 2. ab Hieremia cum tabernaculo & altari incenſi in montem Nebo aſportata legatur, ſpecuque abdita, addito vaticinio, reſtituram illic ignotam occultamque, donec congreget Deus congregationem populi, & propitius fiat, &c. id eſt, ut complures exponunt commentatores, uſque ad judicium univerſale. Nihilominus, cum *arcam* illam conſidero exactiſſime formæ in Exodi libro deſcriptæ convenientem, non poſſum mihi imaginari eam Romæ in alios uſus factam fuiſſe: nec auſim hoc figmentum pronuntiare temere excogitatum. Utrum antiqua illa Moſaica etiam nunc in monte Nebo exiſtat, aliis excutiendum relinquo. Sed faciamus illic eſſe: hoc ſane certum eſt, primum templum a Salomone ad illius *arcæ* fœderis tutelam conſtructum fuiſſe, ut ante fuerat tabernaculum juſſu divino factum in deſerto. Hinc Propheta 2 Sam. c. 7. n. 2. *Videsne quod ego habitem in domo cedrina, & arca Dei ſit poſita in medio pellium?* Ea propter præſtantiſſima templi pars, Sanctum ſanctorum appellata, cuſtodiæ ejus dicata fuit, cum cætera in anteriori parte, in ſolum quaſi ejus miniſterium poſita eſſent. Qua igitur de cauſa Zorobabel e Perſis redux abſque *arca*, & duabus legis divinæ tabulis, quæ in *arca* aſſervari ſolebant, templum reſtituerit, aut quid in ejus ſacrario ſub pretioſo velo purpureo collocarit, quod tot aliarum rerum adjumento & inſtrumento coleretur, omnino non video. Jam vero in ſecundo illo templo altare incenſi fuiſſe liquet e Lucæ c. I. n. II. Ubi de Zacharia ait: *Apparuit illi Angelus Domini ſtans a dextris altaris incenſi.* Adhæc, ſi duæ Legis tabulæ a Veſpaſiano in triumphum ductæ fuerint, & poſt in Palatio aſſervatæ, exſtitiſſe illas fatendum eſt: at ubi tabulæ fuerint, ibidemne *arcam* fuiſſe negabimus, in qua illæ recondi ſolebant? an vero Hieremiam *arcam* in montem Nebo detuliſſe, legem autem non aſportaſſe dicemus? Sequitur igitur neceſſario, ut Zorobabel in novo templo novum altare conſtruxerit incenſi, orbatusque tam pretioſis divinæ manus chirographis, ut ſaltem ſententia eorundem in templo coleretur, in qua ſpiritus & anima omnis conſiſtit ſcripturæ, legem novis duabus tabulis lapideis inſculpi curarit, quæ poſtea a Romanis in triumphum ducta ſit. Sed an huic nulla ciſta, aut armarium, ſeu repoſitorium parari debuit, in quo cuſtodiretur? En igitur *arcam* redintegratam a Zorobabele ad imaginem prioris: quod cur negetur, neſcio. Quin & annulos mihi quatuor obſervaſſe viſus ſum, per quos ligna immitterentur, angulis proximos, non ex auro, ut in Exodo legitur, ſed ex ære: tum vero nonnihil reſidui lamellarum abradens deprehendi non ex auro illas, ſed ex argento deaurato fuiſſe: quod minorum ſumptuum atque magnificentiæ argumentum eſt, quibus Zorobabel res omnes reſtituit. Quod autem Joſephus nullam *arcæ* in triumphi deſcriptione faciat mentionem, non obſtat. Tria namque ſola refert maximi a Romanis facta, ordineque ultimo in triumpho portata: nimirum candelabrum aureum, menſam auream, & legem: cætera vero abſque ullo ordine confertim antea portata: inter quæ & *arcam* fuiſſe veroſimile eſt, quæ utpote ex ligno facta tanti a Romanis, quanti priora illa, habita non fuit. Quod ſi autem in arcu Titi *arca* non videatur, anguſtiæ id ſpatii dandum eſt, quod ſpoliorum multitudini non ſufficiebat. Et ſane multum eſt, de quatuor illis tria ultima ibidem ſculpta conſpici. *Nardin. Rom. Vet.* III. 12. Ego tamen urgeo, *arcam* hanc Lateranenſem, utpote annulis nonniſi orichalceis leviter inauratis diſtinctam, veram *arcam* fœderis non poſſe exiſtimari. Nec juverit exceptiuncula, non eſſe quidem illam antiquiſſimam, ſed ſecundam aliquam a Zorobabele fabrefactam. Nam, ut quis largiatur, *arcam* etiam a Zorobabele factam fuiſſe, cum templum inſtauraret, non tamen effecerit, ut credamus Zorobabelem argento & orichalco *arcam* vinxiſſe, cum in promptu id temporis fuiſſe conditoribus, exceptis vaſis aureis & argenteis, ad centum auri, & ultra ſexcenta argenti talenta prodat Eſdras c. 8. n. 26. præter ſumptus ex ærario regio conferendos. Neque vero auſus fuiſſet Zorobabel ignobiliora ſubſtituere, anellos etiam aureos in *arca* requirente ipſo Deo Exod. c. 25. n. 12. *Borrich. Ant. Urb. Fac. c.* 6. §. 2.

Arca finalis terminus erat in modum *arcæ* conſtructus. Frontinus: *Aſculanus ager terminis in modum arcellæ eſt demetitus.* Caſſiod. Var. III. 52. *armaturas* vocat hujuſmodi *arcarum* ſtructuras, quæ terminorum vicem erant. Et in veteri gloſſario *arcæ*, ἄκρα κτημάτων, id eſt, fines poſſeſſionum exponuntur. Hæ *arcæ* finales tantum fuerunt, non etiam ſepulcrales. Aliquando tamen & monumentales erant, & finium vicem præbebant, ut & ipſa monumenta finalia pro terminis plerumque obſervari ſolita. Erat ergo *arca* hoc ſenſu proprie monumentum ex lapide in modum *arcæ* ſtructum. Senec. Epiſt. 13. *In ipſa Scipionis Africani villa jacens hæc tibi ſcribo adoratis manibus ejus & arca, quam ſepulcrum tanti viri ſuſpicor.* Perperam viri doctiſſimi hanc *arcam* confundunt cum *arca* funebri lignea; qua pauperum cadavera ad pyram portabantur, & *arcam* ideo volunt de Scipionis ſepulcro dixiſſe Senecam, quia funeratus & conditus pauperrime Scipio, & mortuus ignobilius quam vixerat. Nugæ. *Arca* ibi monumentum eſt, quales in finibus agrorum extructas, ut dimus, pro terminis obſervabant. Ideo Seneca ſuſpicari

tantum ſe dicit *arcam* illam in villa Scipionis ſepulcrum ejus eſſe. *Salmaſ. Exerc. Plinian. p.* 848. *b. F. G.* 849. *a. A. B. C.*

Arca fiſcalis, ſive fiſci dicta fuit populi ærarium. Vopiſc. Aurelian c. 20. *Eſt præterea veſtræ auctoritatis arca publica.* Vocatur quoque *arca* populi in quodam ſaxo. *Hoc monumentum ſi quis donare, aut vendere voluerit, inferat arcæ populi Rom. H. S. L. M. N.* hoc eſt ærario populi Romani. Non erat tum temporis in poteſtate ſenatus ærarium illud vetus: ſed ejus ſaltem umbram poſt everſam Rempublicam ſervarunt. Et ærario ipſo ablato Romæ, ut cæteris oppidis *arca* aliqua aſſignata eſt. *Salmaſ. in Lamprid. Alex. Sever. c.* 43. *Caſaub. in Vopiſcum. Burmann. de Vectig. c.* 7.

Arca ſepulcralis erat receptaculum, quo corpus integrum condebatur. Petron. c. 73. *Jubet ex arca mariti ſui corpus tolli.* Hanc a ſepulcro diſtinguit Cajus ff. de relig. & ſumpt. fun. leg. 7. *Adverſus eum, qui in alterius arcam lapideam, in qua adhuc mortuus non erat conditus, mortuum intulit, utilem actionem in factum proconſul dat: quia non proprie in ſepulcrum intuliſſe dici poteſt.* Transferri poterat de loco in locum. Marcian. ff. de relig. & ſumpt. fun. leg. 89. *Videtur terra conditum, etſi in arcula hoc animo conditum ſit, ut alibi transferatur. Sed arculam ipſam, ſi res exigat, in locum commodiorem licere transferre non eſt denegandum.* Salmaſ. Exerc. Plinian. pag. 849. a. F. G. Kirchm. de Fun. Roman. III. 15. Cujac. Obſerv. XI. 21. Rævard. Var. II. 4. Nicol. de Sepulcr. Hebræor. c. 3. §. 3. Faes ad Gyrald. de var. ſepel. rit. c. 2. Guther. de Jur. Man. II. 20. *Arca* prętcrea loco arę erat, quum non minus *arcæ*, ſeu loculi defunctorum, quam ipſę arę ex voto conſtruerentur. *Tomaſ. de Donar. c.* 3. *Arcæ* quoque dicebantur ſepulcra non ſolum medii ordinis hominum, ſed & Principum. Erant maſſę quadratę, in ſuprema parte apertæ & excavatæ in modum *arcæ*, unde & nomen habent. Harum duæ reperiuntur ſpecies: aut enim lateritiæ ſunt, aut marmoreæ. Magis communes ſunt lateritiæ, vel ex fragmentis lapidum, ſeu cæmentis. Marmoreæ fiebant ex magnis maſſis quadratis marmoreis, & quidem integris, quæ cœlo & ſcalpro excavabantur in locum, qui apte & commode contineret unius hominis aut plurium reliquias, una cum pretioſis veſtibus & monilibus, ac reliquo aureo gemmeove ornatu, quibus ibi ſepultus, cum viveret, ſolebat delectari. Hiſce *arcis* condebantur olim oſſa aut reliquiæ hominum honeſtioris ordinis. Caſſiodor. Var. III. 19. *Artis tuæ peritia delectati, quam in excavandis atque ornandis marmoribus diligenter exerces, præſenti auctoritate concedimus, ut te rationabiliter ordinante diſpenſentur arcæ, quæ in Ravennati urbe ad recondenda funera diſtrahuntur, quarum beneficio cadavera in ſupernis humata ſunt lugentium non parva conſolatio.* Bergier. de viis milit. II. ſect. 37. §. 1. 2. 3. 6. Meurſ. de Funer. c. 41.

Arca vinaria vocabatur cella, ex qua Imperatores vina deprompta venalia publice populo propoſuerunt. Hujus cura ſpectabat ad Præfectum Urbi. Symmach. Epiſt. X. 47. *Contemplanti mihi reſcriptum numinis veſtri, quo arcæ vinariæ debita a Præfecto ejus temporis, quo contracta dicitur, erui cenſuiſtis.* . . . . Hic pretia vini vel intendebat, vel moderabatur, prout ipſi viſum erat, vel ab Imperatore, cujus vicem gerebat, præſcribebantur. Hinc pro Imperatorum, vel etiam Præfectorum Urbi ingenio, liberalitate, vel avaritia, diverſum ſubinde pretium definiebatur. *Burmann. de Vectig. c.* 3.

de *Arca* ſolvere, hoc eſt, domo, cui contrarium eſt de ſcriptura menſæ. Donat. Phorm. V. 7. 29. *Unde hodie additur in chirographis, domo ex arca ſua, vel ex menſa ſcripturæ.* Et Adelph. II. 4. 13. *Tunc enim in foro, & de menſæ ſcriptura magis, quam ex arca, domoque, vel ciſta pecunia numerabatur.* Salmaſ. in Lamprid. Alex. Sever. c. 43. Quia enim apud menſam veteres magnam pecuniæ partem deponebant; idcirco eveniebat ſæpe numero, ut a debitoribus interdum quidem de domo. Unde Plaut. Curc. V. 3. 7.

Amici compulerunt, reddit argentum domo.

Interdum vero de menſa creditoribus ſatisfieret. Si domi fieret numeratio pecuniæ, ſyngraphæ adſcribebatur: *de domo*, ſive *ex ciſta*, vel *ex arca*. Sin vero in foro ab argentariis (V. infr. in *Scribere nummos*) in tabulis addebatur, *ex menſæ ſcriptura*. Rævard. Var. I. 15. Weitz. in Terent. Phorm. V. 7. 29. Lindenbr. in Adelph. II. 4. 13.

ARCÆ duæ lapideæ octonos ferme pedes longæ, quaternos latæ, operculis plumbo devinctis, inventæ ſunt in agro L. Petillii ſcribæ ſub Janiculo, dum cultores agri altius moliuntur terram. Literis Latinis Græciſque utraque *arca* inſcripta erat; in altera Numam Pompilium, Pomponis filium, Regem Romanorum ſepultum eſſe: in altera libros Pompilii ineſſe. Eas *arcas* cum ex amicorum ſententia dominus aperuiſſet; quæ titulum ſepulti Regis habuerat, inanis inventa, ſine ullo veſtigio corporis humani, aut ullius rei, per tabem tot annorum omnibus conſumptis. In altera duo faſces candelis involuti ſeptenos habuere libros, non integros modo, ſed recentiſſima ſpecie. Liv. XL. 29. *Donat. de Urb. Rom.* III. 21.

ARCAS, ærarium, fiſcum, horumque quatuorviros & curatores, & non ſolum pecunias habuerunt Pontifices. *Arcam* a fiſco ſeparare mihi religio eſt. Fiſcum enim Pontificum eam proprie pecuniam fuiſſe comperio, quæ pœne nomine *arcæ* Pontificum inferebatur. Vetus lapis:

AVIDIA. MAXIMA
DOMUM. ÆTERN. V. S. P.
SI. QUIS. ALIUD. CORPUS
SUPERPOS. DET. FISCO. P.
CCC. M. N.

De hac *arca* inſcriptio. HOC. MONUMENTUM. NE. DE. NOMINE. NOSTRO. EXIAT. QUI. EXTERNUM. INDUCERE. VOLUERIT. POENÆ. NOMINE. INFERAT. ARCÆ. PONTIFICUM. HS. L. M. N. *Guther. de Jur. Pontif.* II. 12. *Buleng. de Imp. Rom.* VI. 54.

ARCADES *ante lunam nati dicebantur.* Plutarch. Quæſt. Roman. 75. Haud dubie hac loquendi ratione nihil aliud denotatur, quam adeo antiquam & obſoletam eſſe *Arcadum* originem, ut nemo in eam poſſit penetrare. Quicquid ante lunam eſſe dicitur, chaos eſt, & denſiſſimis tenebris involutum. *Boxhorn. in Plutarchi l. l. Salmuth in Panciroll. de Reb. Deperd. & Inv. p.* 343. *Oenotro & Peucetio fratribus, Lycaonis Arcadum Regis filiis, ex genere Phoronei, ducibus in Italiam commigrarunt, cum agri paterni portio illis non ſufficeret. Lycaoni enim duo & viginti erant filii, & in totidem partes paternum imperium dividere oportebat.* Dionyſ. Halicarn. I. p. 9. *Panvin. Deſcr. Urb. Rom. Theſ. Antiq. Roman. Græv. Tom.* III. *p.* 207. *C. Marlian. Topogr. Urb. Rom.* I. 1. *Ferrar. de Orig. Roman. Theſ. Antiq. Roman. Græv. Tom.* I. (4. *D.*) Non alios, quam glandes, cibos habebant. Ælian. Var. Hiſt. III. 39. *Arcades glandes comedebant.* Unde & in notam antiquitatis ſuæ βαλανηφάγοι, *glandivori*, ſunt appellati. Pollux I. 12. 9. Artemid. II. 25. Et oraculum vetuſtiſſimum apud Herodot. I. p. 28.

Me petis Arcadiam? multum petis, haud tibi tradam,
Multi apud Arcadiam veſcentes glandivori ſunt.

Demſter. Paral. ad Roſin. Antiq. Roman. II. 11. Buleng. de Conv. II. 1. Salmuth ad Panciroll. de Reb. Invent. & Deperd. p. 612. Ut feros civium ſuorum animos mitigarent, ludos repererunt. Polyb. IV. 20. *Buleng. de Theatr.* II. 1. Puellas ad necem flagellabant, & Jovi puerum ſacrificabant. *Tomaſ. de Donar. c.* 40.

ARCADIA ab Imperatore *Arcadio* nominata, pars eſt Ægypti, quæ antea Heptanomus a ſeptem nomis, id eſt, præfecturis vocabatur, ſeu Heptapolis a ſeptem primis urbibus, quarum quatuor Thebaidis, tres *Arcadiæ* fuerunt, ut ait Stephanus, & Raphael Volaterranus Geogr. XII. & Euſtathius, Heraclea, Memphis, & Oxyrinthus. Ea regio extra Deltam, Libyam verſus, Nilo adhæret. Ptolemæus in Marmarico collocat. Huic præerat ſuus Præſes, ut & Thebaidi. *Panciroll. Notit. Dign. Imp. Orient. c.* 121.

Arcadia eſt civitas Ægypti, una ex tribus, quæ ſunt in

in Amorgo insulâ, quæ olim erant Melania, Minoe, Arsenice. Hanc oportet fuisse Nili insulam, non eam, quæ est una hujus nominis ex Sporadibus. *Panciroll. Notit. Dign. Imp. Orient. c.* 141.

ARCADIUS Theodosii Imperatoris filius Merobaude II & Saturnino Consulibus Augustus appellatur. *Prosper Chron. Thes. Antiq. Roman. Græv. Tom.* XI. *p.* 311. *F. p.* 265. *E.*

ARCANUM vox erat auguralis. Festus enim: *Arcanus sermo, a genere sacrificii quod in arce fit ab Auguribus adeo remotum a notitia vulgari, ut ne Literis quidem vulgetur, sed per memoriam successorum celebretur.* Bellus de Part. Templ. Augur. c. 1. §. 9. A Gallis Urbe capta, ut notat Ærodius in Pandectis, postquam placuit eam reparari, Tribuni militum, consulari potestate, cum primum magistratum iniissent, nulla de re prius quam de religionibus Senatum consuluerunt. Placuit fœdera ac leges (erant hæ duodecim tabulæ, & quædam regiæ leges) requiri, quæ comparebant. Legati Erythras missi, P. Gabinius, M. Octacilius, L. Valerius, qui descriptos a privatis Sibyllæ versus Romam deportarent, mille detulerunt. Ergo alia quidem edita in vulgus, sed quæ ad sacra pertinebant, & decreta Senatus; a Pontificibus maxime, ut religione obstrictos haberent multitudinis animos suppressa sunt. Ita post Livium Lactantius scribit. Quid si hoc fuerit *arcanum* imperii Romani? Præ se ferebant, quasi secreta quædam sacra, secretos quosdam de voluntate Deorum libros haberent, cum nulli tales exstarent. Ideo autem hoc factum, ut, ferente ita rerum necessitate, populo ex iis persuaderent, placere Diis ut hoc vel illud ageretur; aut intermitteretur. Voluntas patrum populo exhibita, tanquam illa Deorum foret. Et secutus est populus arbitrium patrum, cum Deorum se sequi existimaret. Ut prætextus divinitatis obsequium extorserit, quod alias non potuisset obtineri. Hæc sunt Rerumpublicarum, præsertim Romanæ *arcana*, quæ artes potius, & umbras rerum, & simulacra Tacitus nominavit. In quibus aliud est, aliud videtur; imo hoc ipsum non est, quod plerique credunt. Et fingitur, quod non est, ut fit, quod esse debebat. Quippe ita cum populo est comparatum, ut speciosis nominibus inescatus falso credat, quod non crederet, si verum audiret. *Boxhorn. Quæst. Roman.* 43.

ARCARIUS erat publicæ *arcæ* custos: non autem, ut interpretatur Capacius, archon, cum sit scriptum per K. Inscriptio Neapoli:

D. M.
MARCIÆ MELISSÆ CONJUGI
INCOMPARABILI FELIX ARK.
REIP. NEAPOLITANORUM
L. D. EX. PERM. MAGIST.
ET. MARCIUS FELIX MATRI B. M.

Spon. Misc. Erud. Sect. 6. *p.* 211. Illi *arcæ*, in qua domini pecunia condita, procuratio committebatur. Scævola leg. 41. §. 17. ff. de fideicom. libert. *Stichus arcarius probante domino nomina fecit, & rationes a domino scriptas exhibet.* Rhodig. Ant. Lect. XXV. 20. Broff. in Cassiod. I. 10. Popm. de Oper. Serv. p. 54. Pignor. de Serv. p. 308. Hi libertini erant in familia Palatina; sed servi in privata. *Ursat. de Not. Roman. Thes. Antiq. Roman. Græv. Tom.* XI. p. 558. *A.* 'Οικονόμος τῆς πόλεως vocatur Paullo Rom. c. 16. n. 23. Illum Hieronymus, seu vetus interpres *arcarium* vertit, ac forte suppar est Præfecto ærarii. *Chimentell. de Honor. Bisell. c.* 7. *Ursat. l. l. Panciroll. de Magistr. Municip. c.* 10. *Buleng. de Imp. Rom.* VI. 54.

Arcarius Pontificalis erat, qui Pontificum *arcæ*, hoc est, pecuniæ privatæ & fortuitæ præfectus erat. Nam *arcam* pro censu privato dicebant. Symmach. Epist. I. 62. *Rufus Pontificalis arcarius prosequitur apud te mandata collegii.* Glossæ veteres: *Arcarius Pontificum*, ὑποδέκτης τοῦ χρυσοῦ. *Guther. de Jur. Pontif.* II. 12. *Juret. in Symmachum, Broff. in Cassiodor.* I. 10. *Laurent. Var. sacr. gentil. c.* 1.

Arcarius Præfectorum Prætorio erat præpositus his, quæ in *arcam* Præfectorum Prætorio inferebantur. Cassiodor. Var. I. 10. *Conquesti sunt ab illo arcario Præfectorum pro emolumentis sollennibus, nec integri ponderis solidos percipere.* Titulus est Theodosiani Codicis de *susceptoribus, præpositis & arcariis.* Ubi *arcarii* sunt, qui suscipiebant *arca* præfectoriæ inferenda. *Salmas. in Lamprid. Alex. Sever. c.* 43. *Guther. de Jur. Pontif.* II. 12. *Broff. in Cassiodorum, Juretus in Symmachum.*

Arcarius etiam ab *arca* nominabatur servus, qui non solum vestimenta ad balnea portabat, verum etiam reliqua omnia genera vestimentorum adservabat. Scævol. l. 41. §. 17. ff. de fideicom. libertat. servum videtur dicere, cui *arca*, in qua domini pecunia condita, procuratio est commissa, idem qui dispensator. *Stichus*, inquit, *arcarius probante domino, nomina fecit, & rationes a domino scriptas exhibet.* Popm. de Oper. Serv. p. 53.

Arcarius erat quoque *arcarum* faber. *Rhodig. Ant. Lect.* XXV. 20. Et Vulcanius in Glossario vetere, ubi legitur: *Arcarius* βηχάνημα, emendat μηχανοποιός. Sed *arcarius* in hac significatione nunquam a Latinis auctoribus usurpatur. *Guther. de Jur. Pontif.* II. 12. Invenitur tamen *Arcularius* ejus *diminutivum.* V. *infr.*

ARCERA *vocabatur plostrum tectum undique & munitum, quasi arca quædam magna vestimentis instrata, qua nimis ægri, aut senes portari cubantes solebant.* Gell. XX. 1. Varro Γεροντοδιδασκάλῳ, ut illum emendat Gothofredus, apud Non. I. 270. *Vehebatur cum actore vehiculo senex aut annosus, aut arceram, si non vellet, non sterneret.* Calcagn. Collect. Vetust. p. 377. Sigon. de Judic. I. 18. Augustin. ad leg. XII. tab. §. 36. Ligor. de Vehic. Antiq. c. 14. Blondus Rom. triumph. IX. 199. D. Rittersh. in Leg. XII. tab. class. III. p. 3. c. 3. Cur non cogeretur vocans in jus vocato sternere *arceram*, si nollet, ratio est: quia satis erat invalido vectabulum, quamvis non stratum: neque audiendus erat reus nimis delicatus. *Rittersh. l. l. Hotman. Antiq. Roman.* III. 3. *p.* 477. *G. Arcera* per se & proprie non fuit plostrum. Plostrum enim proprie non erat tectum, sed apertum, ut quod omnia palam haberet, quæ in eo vehebantur. Dicitur tamen plostrum, quia plostro fuit imposita. Et quidem munitum, nimirum tabulis, ut Varro docet de Ling. Lat. IV. §. 31. A quo etiam vehiculum vocatur, non quod per se vehiculum fuerit, sed quod vehi impositum vehiculo dederit nomen, tanquam pars, per quam ab aliis, sirpea & similibus distingueretur. *Scheffer. de Re Vehicul.* II. 20.

ARCERII milites. V. illos infr. in *Ferentarii.*

'ΑΡΧΕΙΟΝ Græce, ut ait Suidas, est antiquarium, in quo vetustæ memoriæ res conservabantur. Aliqui *chartophylacium*, seu *grammatophylacium*, vel *archium* vocant *l. moris* 9. *de pœnis* §. 1. *novell.* 14. *seu authent. de his qui ingred. ad appell.* Panciroll. de Magistr. Municip. c. 20. Bud. in Pand. p. 245. C. Hodie *Archivum* vocatur. V. infr. in *Atrium Libertatis.*

'Αρχεῖον dicebatur etiam ædes, ubi magistratus judicabat, prætorium, basilicam, & forum judiciale. Suidas. *Bud. in Pand. p.* 245. *C. Panciroll. de Magistr. Municip. c.* 20. *Hartung. Memorab. Decur.* 2. *c.* 7. §. 18.

ARCHELAUS in Viennam urbem Galliæ relegatur anno regni sui nono. *Prosper. Chron. Thes. Antiq. Roman. Græv. Tom.* XI. *p.* 284. *A.*

ARCHEOTA, ἀρχειώτης. Arcadius Charisius l. ult. §. hi quoque de mun. & honor. *Hi quoque qui custodes ædium, vel archeotæ. . . .* Latini *antiquarium* appellant. Leo A. l. hac parte. 10. C. de prox. sacr. scrin. *Antiquarios*, inquit, *qui habentur in scrinio memoriæ, nunquam minus esse, quam quatuor, volumus.* Hi codices civitatis conservabant, & vetustate corruptos describebant. Valentinianus l. 2. C. Theod. de stud. liber. urb. Rom. *Antiquarios*, ait, *ad bibliothecæ codices componendos, & pro vetustate reparandos quatuor Græcos & tres Latinos scribendi peritos legi jubemus.* His successere, qui *magistri archivi*, alibi *cancellarii civitatum* appellantur. *Panciroll. de Magistr. Municip. c.* 20. *Bud. in Pand. p.* 262. *A.*

ARCHIATER dicitur princeps medicorum. Hunc, ut in antiquo titulo est, vocabant *superpositum medicorum.*

Pignor. de Serv. p. 77. Brod. Miſc. VI. 30. Schill Nom. Phil. p. 146.

ARCHIBUCOLI fuerunt antiſtites Dei Liberi, *Guther. de Vet. Jur. Pontif.* I. 7.

ἈΡΧΙΕΡΕΥ͂Σ quilibet erat Pontifex. Pontifices enim omnes, ſacerdotes populi Romani, antiſtites deorum immortalium, interpretes erant religionum. Inter quos qui maximus, ἀρχιερεὺς μέγας dicebatur, ut Græcis Julii Cæſaris, Lepidi & Auguſti numiſmatis comprobamus. Dio maximum Pontificem vocat ἀρχιερέα, cæteros ἱερέας, quo magis miror hominem Græcum in rebus Romanis exercitatum verum Pontificis Maximi nomen non obſervaſſe. *Guther. de Jur. Pontif.* I. 8.

ARCAIGALLI dicebantur antiſtites & præcipui Gallorum (V. illos infr. in *Galli.*) Plin. XXXV. 10. *Pinxit & Archigallum: quam picturam amavit Tiberius princeps.* Inſcriptio apud Gruter. p. 308. n. 7. C. CAMERIUS. CRESCENS. ARCHIGALLUS. MATRIS. DEUM. MAGNÆ. IDÆÆ. ET. ATTIS. POPULI. ROMANI. VIVUS. SIBI. FECIT. *Voſſ. de Idolol.* II. 53. *Gyrald. Synt. Deor.* IV. *p.* 141. *E. Argol. in Panvin. de Lud. Circ.* II. 2. *Urſat. de Not. Roman. Theſ. Antiq. Roman. Græv. Tom.* XI. *p.* 731. *D. Saubert. de Sacrif. c.* 6. *Demſter Paral. ad Roſin. Ant. Rom.* II. 4. *Roſin. Ant. Rom.* III. 27. *Lampe de Cymbal. Vet.* II. 16.

ARCHIGUBERNUS non erat præfectus claſſis, ut ἀρχικυβερνήτην parum circumſpecte vocant Stypmann. de Jur. Nav. III. 5. Gyraldum ſecutus licet ejus nomen prætereat. Et Auctor Miſc. defenſ. pro Salmaſ. ad jus Attic. & Rom p. 382. Dicitur non propter muneris amplitudinem, ut ἀρχιπέλαγος, ἀρχιεπίσκοπος, ſed quia præerat navi Imperatoriæ, ut ἀρχίατρος, qui Regis, Principisve valetudinem gubernat. Jabolen in l. 46. ff. ad SCtum Trebellianum. *Sejus Saturninus, archigubernus ex claſſe Britannica teſtamento fiduciarium reliquit heredem.* Navium, nautarum, maritimarumque rerum curum habuit. Imperabat cunctis gubernatoribus, & Diodoro Siculo XX. vocatur ἀρχικυβερνήτης τοῦ σύμπαντος στόλου, *archigubernator totius claſſis.* Dirigebat enim navium & totius claſſis curſum, naturam regionum, commoditates portuum longo uſu exploratas indicabat, totiuſque elementi tenebat rationem. Alexandri ἀρχικυβερνήτης fuit Oneſicritus, ut teſtantur Arrian. in Indic. I. 5. & Plutarch. de Fortuna Alexandri Orat. I. Cui etiam *imperavit, ut validiſſimas navium deduceret in Oceanum, & progreſſus quoad tuto poſſet, naturam maris noſceret.* Curt. IX. 10. 3. Erat ſub imperio præfecti claſſis. Arrian. Exped. Alex. VI. p. 380. *Nearchum univerſæ claſſi præfecit. Oneſicritum navis ſuæ gubernatorem conſtituit.* Neſcio an fuerit is ipſe, qui a Tacito *præfectus remigum* vocatur Annal. XIII. 30. I. Certe parum ab ipſo differre potuit. Nam & ipſe cunctis nautis ac remigibus imperavit. Apud Liv. XXIV. 41. opinor, eſt *præfectus ſocium* vel *ſociorum*, navalium videlicet, qui & ipſi remiges fuerunt. *Scheffer. de Mil. Nav.* IV. 5. *Panciroll. de Corpor. Artif. Theſ. Antiq. Roman. Græv. Tom.* III. *p.* 21. *D.*

ARCHIMAGIRUS erat princeps coquorum, qui in magiros habebat imperium. Vulgo vocamus *maitres queves.* Juven. Sat. IX. 109.

Librarius, archimagiri.

Inſcriptio antiqua:

HIC. OSSA. SITA. SUNT
FAUSTI. ERONIS
VICARII. SUPRA
COCOS.

Non enim unico tantum coquo contenti erant. *Pignor. de Serv. p.* 94. *Gangr. in Juvenalem.*

ARCHIMIMUS princeps erat mimorum, ſive hiſtrionum, ut archigallus princeps gallorum Cybeleïorum. Suet. Veſp. c. 19. n. 6. *Favor archimimus perſonam ejus,* Veſpaſiani, *ferens, & imitans facta ac dicta vivi.* Hic omnia dicta & facta ejus geſtu corporis & oratione exprimebat. Videntur aliquando non defunctorum modo, ſed & viventium geſtaſſe imagines, ut funus eſſet ſplendidius, eaſque habuiſſe non in perticis longioribus ſolidas, ſed ſuper vivos homines, intus latitantes. Et ita tulit Veſpaſiani imaginem hic *archimimus.* Debebat nempe ſimilem ſe exhibere vivo, ſicut hodieque fieri videmus in funeribus magnatum & nobilium. Anteferunt loco imaginum vexilla cum inſignibus avorum atque proavorum. Sequitur cataphractarius, equo inſidens, pulcerrime ornatus, qui vivam mortui debet referre effigiem. Conſuetudo iſta tota ex Romanis, Græciſque funeribus ad noſtra tranſlata aſt. Soſia apud Plaut. Amph. I. I. 302.

Nam hic quidem omnem imaginem meam, quæ antea fuerat, poſſidet,
Vivo fit, quod nunquam quiſquam mortuo faciet mihi.

Liban. Orat. 9. p. 256. B. *Ecquiſnam lanceam illam fabricatus eſt tantum roboris habituram? ecquis demum induxit Regi tam audacem equitem? quis direxit in latera iſtam cuſpidem?* Scheffer. de Re Vehic. II. 3. Gronov. de Pecun. Vet. IV. 6. Mariſcott. de Perſon. & Larv. c. 6. Buleng. de Theatr. I. 48. Guther. de Jur. Man. I. 23. Ferret. Muſ. Lap. I. Memor. 26. Caſal. de Profan. Roman. Rit. c. 26. de Urb. ac Imper. Roman. ſplend. part. 2. c. 21. Laz. Comm. Reip. Roman. III. 18. Claſen. Theol. Gentil. I. 10. 25.

ARCHITECTURA, operis enim pulcritudo eſt in hiſce quatuor, ſcilicet in *architectura*, pictura, ſculptura, & fuſura, quæ ſunt artes, non viliores & ſordidæ, ſed liberales, quæque ſingulæ naturam aliqua ex parte imitantur. *Architectura* inquam perficit ipſum ſtructuræ corpus; tres reliquæ accedunt ut ornamenta corpori, cum ſine his ædificia ſubſiſtere poſſent, tanquam integra. *Architecti* nobiliſſimi corporis humani in operibus ſuis proportionem ſecuti ſunt. Præ cæteris inter ſe partes humani corporis cum partibus ædificii exacte comparavit Hermogenes. Recte Vitruv. III. I. *Non poteſt ædes ulla ſine ſymmetria atque proportione rationem habere compoſitionis, niſi ut ad hominis bene figurati membrorum habuerit exactam rationem.* Sequentes itaque humanorum membrorum commenſum & commodulationem, ut Vitruvii vocibus utar, modo robuſtum & ſuis membris apte compoſitum ruſticum; modo muliebrem mediæ ætatis gracilitatem; modo virgineam teneritatem & venuſtatem imitati ſunt *architecti* in ſuis operibus. At ſymmetriæ & proportionis, quæ præcipuis Urbis Romæ ædificiis amœniſſimam conciliabant faciem & proſpectum, erant diverſæ, ſecundum diverſas *architecturæ* rationes & ordines, ad quorum modulos ædificia erant exſtructa. Horum erant numero quinque, & nomina ſua habebant a ſpeciebus columnarum, quæ in ſingulis ſtructuris uſu ad opus veniebant. Sunt enim Tuſcanicæ, Doricæ, Ionicæ, Corinthiæ, & Compoſitæ. V. illas infr. in *Columna.* Bergier. de viis milit. V. ſect. 10. §. 3. 4. 5. *Architecturæ* dignitas non adeo multa apud Romanos veteres, fere uſque ad Auguſtum, exſtitit. *Baccius de Therm. Vet. c.* 2.

ARCHITECTUS etiam inter copias fuit ruſticas, qui villam, cujus ædificia perpetuo ſtare non poterant, ſartam tectam præſtabat. Inſcriptio in veteri marmore. SEX. POMPEJUS. AGASIUS. ARCHITECTUS. A. VILLA. SEXTIANA. Craſſus fabros & *architectos* ad quingentos domi habuit, quorum operas mercede locabat civibus Romanis ædificare volentibus. Plutarchus in Craſſo. *Pignor. de Serv. p.* 565. Ædificiorum hi membra diſponunt, & eorum formam deſcribunt. Conſtantinus ad Leontium PP. in l. 3. C. Theodoſ. de Excuſ. artif. *Architectos,* inquit, *qui diviſiones partium omnium, inciſioneſque ſervant, menſuriſque & inſtitutis operam fabricationi ſtringunt, immunitatibus gaudeant, & ſuſcipiant docendos, qui docere ſufficiunt.* Hi prius liberalibus artibus imbuebantur, quam hanc artem diſcerent. Conſtantinus ad Felicem Proconſulem Africæ in l. I. C. Theodoſ. eod. & in l. ult. C. eod. *Sublimitas tua in provinciis Africanis ad hoc ſtudium eos impellat, qui ad annos ferme duodeviginti nati liberales artes deguſtaverint.* Vitruvius de *architectura* ſcripſit ad Auguſtum libros decem, in quorum initio ſic ſcribit: *Architectura eſt ſcientia pluribus diſciplinis, & variis eruditionibus ornata, cujus judicio probantur omnia, quæ a cæteris artibus perficiuntur opera.* Et ſubdit, *architectum* literatum eſſe oportere, peritum graphidos, eruditum geometriæ, optices,

ces, arithmeticæ, philoſophiæ & muſicæ, hiſtorias plures & reſponſa Juriſconſultorum noſſe, & aſtrologiam cœlique rationes cognitas habere. *Pancıroll. de Corpor. Artif. Theſ. Antiq. Roman. Græv. Tom.* III. *p.* 17. *A. B. C.* Adhibebantur muniendis viis publicis. Quemadmodum enim per pontes conjungebantur, per portus terminabantur viæ, nec non ad commoditatem manſionum & mutationum plurima ædificia ad vias publicas adſtruebantur, ut taceam columnas milliares, & cætera opera minora; hinc neceſſario ſequitur, maximam partem operarum, lapidicidarum, materiariorum, architectorum, mechanicorum & mancipum ex univerſo orbe terrarum in hoc opere induſtriam ſuam exercuiſſe; qui in numerum unum ſi omnes colligerentur, longiſſime ſuperarent omnes templi Salomonei, & pyramidum Ægyptiarum operas. *Bergier. de viis milit.* I. *Sect.* 10. §. 10. Primi nominis *architectos* Adrianus perdidiſſe dicitur niſi hac una de cauſa, quod in his ſtudiis, in quibus ipſe primum ſe eſſe volebat, non poterat pati quemquam præſtare. *Alſar. de Invid. & Faſcın. vet. Theſ. Antıq. Roman. Græv. Tom.* XII. *p.* 895. *F.*

ARCHITRICLINUS eſt magiſter potandi, aut rex convivii. Et hujuſmodi munus aliquod in illis nuptiis, quibus Chriſtus interfuit, *archıtriclinus* obiit, cum illi aquam vinum factam Dominus afferri jubeat. Joh. c. 2. n. 1. *Ciaccon. de Triclın. p.* 105. *Barth. Adv.* VII. 3. *Stuck. Ant. Conv.* II. 7. Sed alius fuit *archıtriclınus*, aliis modimperator, ſeu rex convivii. *Buleng. de Conv.* I. 19. V. illum in *Arbiter bibendi.* Maldonatus exiſtimat *architriclini* officium deſcribi Eccleſiaſtic. c. 32. n. 1. Sed ille neſcivit privatum miniſterium diſtinguere a dignitate & honore publico. Ait auctor Eccleſiaſtici, ἡγούμενόν σε κατέστησαν, *ducem*, vel *magiſtratum conſtituerunt te*, nempe cives tui, non autem convivæ *architriclinum.* Ejus ignorantiam confutant proxima verba, μὴ ἐπαίρου, *ne efferaris*, noli ſuperbire: ſcilicet *architriclini* ea dignitas eſt, ut metuendum ſit, ne animos e miniſterio ſumat adverſus illum, cui operam ſuam addixit. Neque vero convivæ *architriclinos* creant, ſed ſolus paterfamilias. Cur igitur numero multitudinis dixiſſet κατέστησαν; potius enim dicendum erat κατέστης, *creatus es*, vel ſimile. Sequitur: γίνου αὐτοῖς ὡς εἷς ἐξ αὐτῶν, *gere te erga illos quaſi eſſes unus ex illis*, nempe a quibus dignitatem accepiſti. Etiamne hoc *architriclino* convenit? φρόντισον αὐτῶν καὶ οὕτω κάθισον, hoc eſt, priuſquam ſedeas, aut tibi quietem indulgeas, cura negotia illorum, qui te promoverunt; civium inquam, a quibus dignitate es auctus. Non etiam aſſentior Gaudentio Brixiano, qui *architriclinum* confundit cum præfecto morum, qui in nonnullis civitatibus publice apponi ſolitus convivis in ſollennioribus epulis. Hunc fuiſſe morem Judæorum, quod ait Gaudentius, ſando ſe accepiſſe, nuſquam legere memini. *Caſaubon. Exercit. ad Annal. Baron. Exerc.* XIII. §. 19. A Græcis προγεύστης dicitur, ut ſcribit Athen. IV. in quo docet Eleatros vocatos fuiſſe προγεύστας, id eſt, prægustatores. *Urſin. ad Ciaccon. de Triclin. Append. p.* 344. *Caſaub. l. l.* Eſt potius ſummus triclinii miniſter, ut Juvenco Johannis interpreti dicitur, quod, ut inquit Athen. IV. eſſet ἐπιστάτης τῆς ὅλης διακονίας, ſervorum nimirum tricliniarium. *Pignor. de Serv. p.* 114. Unde *ſervus tricliniarcha* vocatur in veteri epigrammate: M. VIPIO. AUGUSTI. PHÆDIMO. DIVI. TRAJANI. AUGUSTI. TRICLINIARCHA. Et *ſervus tricliniarius* in hac inſcriptione: SEX. POMPEJO. VOLESSIGO. SEX. POMPEI. SERV. TRICLINIAR. *Urſin.* & *Pignor. l. l.*

ἌΡΧΟΝΤΕΣ magiſtratus erant Athenis. Paullus l. Pars literarum 48. ff. de Judiciis. Mortuo Codro novem ſunt creati. Auguſtin. de Civ. Dei XVIII. 20. *Tunc Athenienſes habere deinde Reges poſt Codri interitum deſtiterunt, & magiſtratus habere cœperunt adminiſtrandæ Reipublicæ.* Vellej. Paterc. I. 2. Codri *filius primus Archon Athenis fuit: ab hoc poſteri apud Atticos dicti Medontidæ. Sed ii, inſequenteſque Archontes, uſque ad Charopem, dum viverent, eum honorem uſurparunt.* Idem ibid. c. 8. *Archontes perpetui Athenis eſſe deſierunt, cum fuiſſet ultimus Alcmæon; cœperuntque in denos annos creari: quæ conſuetudo in annos ſeptuaginta manſit; ac deinde annuis commiſſa eſt magiſtratibus reſpublica. Ex iis, qui denis annis præfuerunt, primus fuit Charops, ultimus Eryx; ex annuis primus Creon.* Panciroll. de Magiſtrat. Municip. c. 8. Ludov. Vives in Auguſtinum.

ARCIVÆ aves. V. illas infr. in *Aves.*

ARCTUM Gallipolis vulgo vocatur anguſtum fretum citra Propontidem. *Panciroll. Notit. Dign. Imp. Orient. c.* 103.

ARCUATA veſtis fluminibus tribuitur. V. illam infr. in *Veſtis.*

ARCUATUM opus eſt, quod *arcus* & fornaces habet, non ſolidam conſtructionem. Frontin. de Aquæd. I. *Turneb. Adv.* V. 5.

ARCULÆ aves. V. illas infr. in *Aves.*

ARCULARIUS eſt, qui *arculas* & ſcriniola conficit & vendit. Plaut. Aul. III. 5. 45. V. illum infr. in *Limbolarii.* Ferrar. de Re Veſt. I. 3. 21.

ARCULUM *appellabant circulum, quem capiti imponebant, ad ſuſtinenda commodius vaſa, quæ ad ſacra publica capite portabantur.* Feſtus. *Barth. Adv.* XL. 40. *Stuck. de Sacrif. p.* 104. *Erat virga ex malo Punico incurva, quæ fiebat quaſi corona, & ima ſummaque inter ſe alligabatur vinculo laneo, albo. Hanc in ſacrificiis certis Regina* (loquitur de Didone) *in capite habebat: Flaminica Dialis in omni ſacrificatione uti debebat.* Serv. Æn. IV. 137. Gell. X. 15. ex quacunque *arbore felici* ſumptum dicit. *Thyſ. in. Gellium. Scalig. in Feſtum in Inarculum. Voſſ. Lex. Etymol.*

ARCULUS *Deus, erat, qui curam gerebat arcarum.* Feſtus. *Gyrald. Synt. Deor.* I. *p.* 52. *E. Stuck. de Sacrif. p.* 48.

ARCUS olim honoris virtutiſque cauſa erecti ſunt iis, qui, externis gentibus domitis, ſingulares victorias patriæ pepererant. Ii primum rudes & ſimplices fuerunt, cum præmia virtutis eſſent, non ambitionis lenocinia: ſeculo inſolentiore monumenta victoriarum & triumphorum in iis inciſa. Erant aut lateritii, ut Romuli: aut ex rudi lapide quadrato, ut Camilli: aut ex marmore, ut Cæſaris in foro: Druſi cum tropæis in via Appia: Trajani in ejuſdem foro: Gordiani in Viminali: Gratiani, item Theodoſii, non longe a via triumphali. Forma primum erat ſemicircularis, unde & nomen fornicis accepit: *fornix* enim *Fabıanus* a Cicer. pro Planc. c. 7. dicitur: qui a Victore *arcus Fabianus* nominatur. Poſtea quadrata, ita ut in medio ampla eſſet porta fornicata, & ex ejus utroque latere aliæ portæ minores additæ. Intra mediæ portæ fornicem Victoriæ alatæ pependerunt, quæ demiſſæ victori tranſeunti coronam imponerent. In ſuperiore *arcus* parte ſpatia ſunt, in quibus aliquot homines, vel qui tubis canerent, vel qui inſignia tropæa oſtentarent, ſtetiſſe exiſtimantur. Hæc magnificentia Auguſti temporibus, vel paullo ante cœpit. Nam de Cæſaris *arcu* Servius, de Druſi Suetonius, de Germanici & Neronis Tacitus. Novitium hoc inventum ait Plinius, non quod *arcus* ante Cæſarum tempora non fuerint, ſed quod tali ornatu non fuerint. *Fabric. Deſcr. Urb. Rom. c.* 14. *Panciroll. de Reb. Deperd. & Inv. p.* 171. *Figrell. de Stat. c.* 26. *Nicol. de Sigl. vet. c.* 30. §. 7. In *arcubus* ſimulacra belli, oppidorum, fluviorum, navium illorum, quos devicerant, incidebant. *Marlian. Topogr. Urb. Rom.* IV. 6. Statuæ in *arcubus* interdum poſitæ, Aſcon. in Cicer. p. 49. *Fornix Fabianus arcus eſt juxta regiam, in Sacra via, a Fabio cenſore conſtructus, qui a devictis Allobrogibus Allobrox cognominatus eſt, ibique ſtatua ejus propterea poſita eſt.* Tacit. Annal. II. 64. 2. *Patres decrevere, ut Germanicus atque Druſus orantes Urbem introirent, ſtructi & arcus circum latera templi Martis Ultoris cum effigie Cæſarum.* Figrell. l. l. Fuerunt olim marmorei ſex & triginta. Victor. *Nardin. Rom. Vet.* VIII. 1. *Panciroll. de quatuord. Urb. Region. Theſ. Antiq. Roman. Græv. Tom.* III. *p.* 322. *A. Notit. Dign. Imp. Occid. Theſ. Antiq. Roman. Græv. Tom.* VII. *p.* 1784. *C.* Hi omnes in regionibus illis non viſuntur. Tres in prima regione ſtatuuntur, Veri Parthici, Trajani, & Druſi. Victor addit *arcum* bifrontem, qui ſunt quatuor, in quarta regio-

ne

ne addit & *arcum* Titi: in septima, qui adhuc exstat, est *arcus* novus. Victor addit Veri & Marci Augustorum: & in octava *arcum* Fabianum. Constantini *arcus* est in undecima in capite viæ Appiæ. *Arcus* Domitiani in via Flaminia, & Severi in foro Boario adhuc visuntur. Hi sunt duodecim. Reliquorum non exstat memoria. *Panciroll. Descr. Urb. Rom. Thes. Antiq. Roman. Græv. Tom.* III. *p.* 389. *B.* In antiquis Inscriptionibus invenio Diis dicatos:

IMP. T. VESPASIANUS
CÆSAR. AUG. VII. COS
MARTI. APOLLINI
MINERVÆ
ARCUM. VICAN
VINDONISSENSIS. CURIÆ.

Guther. de Jur. Pontif. III. 10. Florente Republica *arcus* nunquam mortuis a S. P. Q. R. decreti sunt, sed Imperatoribus, qui victores reversi id partæ gloriæ monumentum referebant, quo seros posteros ad bellicam virtutem excitarent. Ubi re Romana ad unum Augustum delata, miræ adulandi artes eruperunt, mortuo in Germania Druso Nerone ejusdem Augusti privigno, *arcus* eidem via Appia a Senatu decretus fuit. Suet. Claud. c. 1. n. 8. Hunc primum defuncto Duci erectum *arcum* accepimus. Altera [illegible] Caji cenotaphium prodit, eidem Cæsari post mortem a Pisanis celeberrimæ coloniæ loco decre[illegible], cujus nulla uspiam alia memoria supcrest. Post Augusti mortem id honoris tertius Romanorum Ducum post obitum obtinuit Germanicus Cæsar. Tacit. Annal. II. 83. 2. Imo ipsi Liviæ uxori Augusti, ubi ultima senect[illegible] finem vivendi fecit, *arcum quoque nulli unquam mulieri [illegible], decreverunt* [illegible] Dione lib. LVIII. p. 621. D. cujus tamen honoris [illegible] cum [illegible] Tiberium Liviæ [illegible] *a* [illegible] matri suis se impensis [illegible] *tamen neque publicis pecuniis fieri passus est, neque suis ipse fecit.* Dionis ibidem verba sunt. *Arcus* isti a Græcis scriptoribus tropæophori appellati sunt. Dio lib. LIII. scribit. *Arcus tropæum ferens in Alpibus ei positus est*; quod spolia ex hostibus reportata in eodem sculpta visebantur. *Noris. Cenot. Pisan. Dissert.* III. *c.* 8. *Bergier. de viis milit.* II. *Sect.* 40. §. 4.

Arcus Augusto duo triumphales dedicati sunt, & his justæ magnitudinis statuæ ejusdem superimpositæ sunt, ob restitutam viam Flaminiam Roma Ariminum usque, in utroque termino & fine, tam in ponte Tiberino Romæ quam Arimini. Dio LIII. p. 511. D. *Bergier. de viis milit.* I. *Sect.* 25. §. 3. Nonnulla præcipua ostendit hic fornix, quamvis semesis jam membris, & terra obrutus, per quæ ab aliis optime distinguatur, ut sunt tympanum, & fastigium paullo ultra portæ latitudinem, eundemque conditorem refert, qui haud absimilia ornamenta huic suo apud Ariminum *arcui* affixit, cum eadem fastigii angustia quam posterior ætas, sive Vitruvius superveniens emendavit. *Fabret. de Aquæd. Diss.* I. *Thes. Antiq. Roman. Græv. Tom.* IV. *p.* 1701. *A.* Dedicatus est & alter in summo Alpium cacumine, quod est inter majorem & minorem montem, qui hodie a S.^{ti} Bernardo cognominatur, *quod ejus ductu, & auspiciis gentes Alpinæ omnes, quæ a mari supero ad inferum pertinebant, sub imperium populi Romani sunt redactæ.* Plin. III. 20. *Bergier. ibid. Sect.* 28. §. 6.

Arcus Boarius erat in Velabro, inter Palatinum montem, scholam Græcam, & Janum quadrifrontem. In eo *arcu* cernuntur taurorum immolationes, & victimarii sacrificuli cum instrumentis, malleo, cultro, securi, aheno, pateris, flagello, candelabro, linteis, & quibusdam aliis ad sacrificia pertinentibus. *Fabric. Descr. Urb. Romæ c.* 7. Totus est marmoreus, erectus olim in honorem Septimii Severi, & M. Aurelii Imperatorum ab argentariis, & negotiatoribus. Inscriptio: IMP. CÆS. L. SEPTIMIO. SEVERO. PIO. PERTINACI. AUG. ARAB. ADIABEN. PARTH. MAX. FORTISSIMO. FELICISSIMO. PONTIF. MAX. TRIB. POTEST. XII. IMP. XI. COS. III. PATRI. PATRIÆ. ET. IMP. M. AURELIO. ANTONINO. PIO. FELICI. AUG. TRIB. POTEST. VII. COS. III. P. P. PROCOS. FORTISSIMO. FELICISSIMOQUE. PRINCIPI. ET. JULIÆ. AUG. N. ET. CASTRORUM. ET. SENATUS. ET. PATRIÆ. ET. IMP. CÆS. M. AURELII. ANTONINI. PII. FELICIS. AUG. PARTHICI. MAXIMI. BRITANNICI. MAXIMI. ARGENTARII. ET. NEGOTIATORES. BOARII. HUJUS. LOCI. QUI. DEVOTI. NUMINI. EORUM. INVEHENT. *Boissard. Topogr. Urb. Rom.* I. *p.* 14. *Modius de Triumph.* I. 28.

Arcus Camilli est a Via lata eunti versus S. Mariam in Minerva, ex lapide quadrato, rudi, & nullorum ornamentorum, inclusus parti ædificiorum. *Fabric. Descr. Urb. Rom. c.* 14. *Marlian. Topogr. Urb. Rom.* V. 2. Avorum nostrorum memoria fuit ille antiquus, simplex, & absque ullis omnino ornamentorum indiciis. Illi vulgo di Camigliano nomen, quem Latine Camillianum dixeris. Camilli ea propter fuit creditus, errore nimis crasso; cum propter vetustatem nimiam, tum quod illis temporibus *arcuum* ponendorum honor adhuc ignotus erat. E Fulvii verbis memoria ejus Campiglianus dictus videtur. Ita enim ille de æde B. Virginis in Via lata: *Hinc jactu lapidis exstat adhuc arcus Campigliani satis rudis, ubi nulla ornamentorum signa, quem nonnulli Camillianum appellant.* In quo mihi vestigia vocis campi Agrippæ agnoscere videor. Fuitque forsan *arcus*, si non porticus Polæ, saltem septorum Agrippinorum, aut alterius in eo campo ædificii. *Nardin. Rom. Vet.* IV. 10. *Faunus Antiq. Urb. Romæ.* IV. 17.

Arcus Claudii Imperatoris triumphalis. Anno 1641. cum ab Illustrissimo atque Excellentissimo Carboniani Principe, ex præclarissima Columnensium familia, instaurarentur ædes in platea, quæ vulgo Sciarræ nuncupatur, in Flaminia, inter jaciendum forte fundamenta, quædam in ruderibus lateritia lapideaque vestigia eruta sunt: unde Leonardo Augustino Eminentissimi ac Reverendissimi Principis Francisci Barberini Cardinalis Antiquario, aliquas inibi præclaras subesse antiquitatis reliquias non temere arbitrante, ad tres & viginti palmos, in eadem Flaminia, terra circum egesta, antiquum pavimentum taxillatum detectum est, effossumque ingens marmoris frustum, cum triumphalibus titulis Imperatoris Claudii. Effossæ insuper ex Africano marmore striatæ, sed dirutæ columnæ, simulque captivi truncus, quæ omnia *arcum* Imperatoris Claudii fuisse abunde testantur. Aureus quoque nummus ipsius Claudii est adinventus, qui exhibet ab uno latere Imperatoris caput cum literis: TI. CLAUD. CÆSAR. AUG. P. M. TRI. P. VIII. IMP. XVI. ab altero vero *arcum* ipsum cum equestri Claudii statua inter tropæa, & literis de Britannis. *Donat. de Urb. Rom.* III. 16.

Arcus Compitalitius spectatus ad portam Septimianam, cui nomen Septimianus, mercatoribus deserviens. *Borrich. Ant. Urb. Fac. c.* 16. §. 1.

Arcus Constantini triumphalibus ornamentis excultus, cum tropæis & victoriis alatis stat in Palatini radicibus ad caput viæ Appiæ, multi ornatus & artificii. Inchoatum a Trajano Imperatore Constantinus superato ad Milvium pontem Maxentio tyranno, cui etiam jacenti, admisso equo insultans minitatur, sibi constituit. *Marlian. Topogr. Urb. Rom.* IV. 6. *Fabric. Descr. Urb. Rom. c.* 14. *Boissard. Topogr. Urb. Rom. Tom.* I. *p.* 37. *Faunus Antiq. Rom.* III. 11. *Mod. de Triumph. vet.* I. 28. Est omnium, qui supersunt, integerrimus, ad angulum Palatini montis prope theatrum positus. In triplicem fornicem versus quatuor habet marmoreas striatasque columnas superiores trabes sustinentes. *Panciroll. Descr. Urbis Romæ Thes. Antiq. Roman. Græv. Tom.* III. *p.* 368. *B.* Octo perbellis statuis, quæ in ejus fastigio conspiciuntur, capita amputata sunt, tollente ea clanculum secundum Jovium, & portante Florentiam Laurentio Mediceo. Varia in eo sculpturæ dignitas ac facies est; prout diversa quoque temporis ratio fuit. Pars enim elegantissima Trajani ævum spirat; altera rudis & inelegans Constantini. Illam ex *arcu* Trajani, qui in

Foro ejus fuit; ablatum ferunt. In altero majoris ejus fornicis latere legitur: LIBERATORI URBIS: in altero: FUNDATORI QUIETIS. Fronti utrique inscriptum:

IMP. CÆS. FL. CONSTANTINO. MAXIMO.
P. F. AUGUSTO. S. P. Q. R
QUOD. INSTINCTU. DIVINITATIS. MENTIS
MAGNITUDINE. CUM. EXERCITU. SUO
TAM. DE. TYRANNO. QUAM. DE. OMNI. EJUS
FACTIONE. UNO. TEMPORE. JUSTIS
REMPUBLICAM. ULTUS. EST. ARMIS
ARCUM. TRIUMPHIS. INSIGNEM. DICAVIT

Ex inscriptione hac aliquis colligat, *arcum* ei statim a Maxentio devicto positum, quum victor Urbem ingrederetur Constantinus: sed cognomen Maximi, quod ei, auctore Panvinio in Fastis, non ante datum, quam extremis imperii vitæque annis, satis evincit, serius *arcum* hunc vel erectum, vel absolutum fuisse. Quod ipsum & illa VOTIS X. VOTIS XX. indicant: sic ut vel minimum decennium ejus imperii abierit, priusquam hæc *arcui* addita est inscriptio. *Nardin. Rom. Vet.* VI. 15. *Blond. Instaur. Rom.* III. §. 60. *Faunus l. l.* Sub *arcu* medio ex utroque latere cernitur effigies Constantini expressa marmore inter signa & militares cuneos, qua insidentis equo, & accedentium hostium catervas incurrentis, qua stantis, imperantisque victis gentibus, lauream supra verticem sustinente Victoria. Sed illa Trajani est, non Constantini. Atque hæ duæ cum superioribus tabulis, numismatis, ac simulacris captivorum Dacorum ex Trajani *arcu* fuere detractæ, vel ab ejus ædificiis in foro. *Arcus* enim structura est congestitia, ex aliorum ruinis. Tanta fuit temporum infelicitas, tamque citus ac dirus bonarum artium ictus, ut Roma sculpturæ modo officina, modo penuria artificum, ad unius triumphum exornandum, præclarissima Trajani monumenta demoliri, atque ad interitum perducere sit coacta. *Donat. de Urb. Rom.* III. 6.

Arcus ingens & magnificentissimus Domitiano ob commoda viæ Domitianæ ab illo apertæ ad Appiæ & Domitianæ viæ coitionem a S. P. Q. R. dedicatus est. Hanc iridis *arcui* cœlesti comparat Stat. Sylv. IV. 3. 97. . . . *Bergier. de viis milit.* II. 27. §. 10: 40. §. 5. Superest & alter hodieque in via Flaminia ad S. Laurentii in Lucina, qui Portugalli dicitur a Cardinali quondam Portugallo, seu Lusitano ibidem commorante. Fulvius ait eundem ætate suo *arcum* Trofolium appellatum, a tropæis, ut existimat, quibus exornatus est: vel a voce Tripoli, ut aliis placuisse refert, ob trium urbium expugnationem. Antiquarii illum Domitiano adscripsere, idque duabus de causis. I. Quia plura illic in proximo ejusdem Imperatoris fuerunt opera. II. Quod in exstantibus in eo figuris ad sinistram Domitianus visitur statura procera expressus, qualis a Suetonio describitur, supervolante in aere muliebri specie: quod ad somnium ejus referunt, de quo Suet. c. 15. n. 6. Sed ea sententia ab doctis hujus memoriæ hominibus rejicitur. Nam sunt, qui effigiem hanc esse negent Domitiani, quod capilli passi sint, & collum crassum, longumque: contra ea Domitianum capillos breviores, & contortiores habuisse constat. Quare a nonnullis Claudio assignatur; tum & *arcum* Domitiani in nummis quatuor fornicibus instructum conspici: hunc autem unicum tantum exhibere. At hoc argumentum nullius efficaciæ est: quum plures Domitiano dedicati *arcus* fuerint, quorum aliquis unius tantum fornicis fuerit. Validiora sunt duo Donati de Urb. Rom. III. 16. quibus illam refellit, argumenta. I. Dirutos fuisse omnes Domitiani *arcus*. Ita enim Suet. c. 23. n. 2. & Xiphil. in Nerva. II. Domitiani somnium, quod ei paullo ante cædem ejus visum est, *arcui* triumphali non potuisse insculpi. Quapropter eum fuisse existimat Drusi, fratris Imperatoris Tiberii, adductus in eam sententiam libro quodam MS Johannis Marcanovæ, qui in bibliotheca Collegii Romani asservatur, rudi stylo plurimas inscriptiones continens, & non pauca priscæ vetustatis monumenta: cui &, quod accidisse Druso convenit. Ita enim ea de re Suet. Claud. c. 1. n. 4. *Hostem frequenter cæsum, ac penitus in intimas solitudines actum, non prius destitit insequi, quam species barbaræ mulieris humana amplior victorem tendere ultra Latino sermone prohibuisset.* Hanc mulierem Donatus potius, quam Minervam, *arcui* insculptam putat. At si Drusus eam vidit Germanos persequens, cur illic inermis ac sedens apparet? sed nec illa barbaro cultu est, nec specie humana ampliore. Ego vero observavi I. vultum esse hominis sedentis, tametsi jam non integrum, non rasum, sed barbatum, quod post Adrianum in sequentibus longa serie videas observatum Imperatoribus. II. Mulierem illam in aere ab alato juvene humeris ferri, manu faculam tenente: sub quo ædificium quadratum est ardens. Hæc mihi figura nec Domitiano, nec Druso convenire videtur: nec ob elegantiam artis infra Severi tempora deputanda; sed medio inter Adrianum & Severum tempori assignanda; adeoque Marco Antonino adscribenda, si quis in re dubia non inverisimili conjecturæ locus est. Hic enim uxorem Faustinam in Asia fato functam in deorum numerum retulit, templum illic ei construxit, & e vico, in quo decessit, coloniam fecit: & hujus forte imaginem mulier illa nobis exhibet, e rogo in cœlum subrectæ: quemadmodum ab altero lapide dextero concio ad populum & templum effecta sunt. Adde, quod Capitolinus habet, Marcum ex Asia redeuntem triumphasse de Marcomannis, aliisque Germaniæ populis, ante profectionem in Asiam ab ipso devictis: quo tempore *arcum* illi triumphalem, separatim ab illo, qui ipsi cum Vero ob victoriam Parthicam communis fuit, erectum probabile videtur, præsertim eo loco, ubi & plura Antoninis erecta fuisse monumenta constat. *Nardin. Rom. Vet.* VI. 9. Quin & addi fortasse hisce alius etiam possit in extrema via, quæ lata dicitur, ad portam Domitiano erectus, haud procul a macello Corvorum: prope quem *arcum* egregium & magnificentissimum Fortunæ Reducis templum conditum fuisse indicat Mart. VIII. 64. 1. Ubi quum Domitianum illic in triumphantis modum e Germania revertentem magno omnium applausu exceptum dixisset, *arcum* hunc ibidem structum subjungit n. 8. *Arcum* alicubi extra Urbem fuisse asserit Donatus, ut mihi quidem videtur, ad portam viæ Latæ: cum quod illa via *arcubus* abundarit; tum quod Martialis eadem via exspectatum Domitiani victoris felicem adventum dicat X. 6. Sed hæc divinantis sunt, non affirmantis: quare, si cui alia porta triumphanti Imperatori commodior aptiorve excogitari potest, ad eam sibi & *arcum* & templum hoc posita fingat, & imaginetur. *Nardin. ibid.* IV. 10.

Arcus Drusi, quem Rufus & Victor in prima collocant regione, quæ porta Capena dicitur, cujus fuerit, difficile est invenire. Crediderim esse Drusum Tiberii Principis progenitorem, qui, ut ait Suet. Tib. c. 3. n. 5. *hostium duce Drauso cominus trucidato, sibi posterisque suis cognomen invenit. Traditur etiam proprætore & provincia Gallia retulisse aurum Senonibus olim in obsidione Capitolii datum, nec, ut fama est, extortum a Camillo.* Ei *arcum* a Tiberio factum puto: cum tempore Reipublicæ eos exstructos non inveniam. *Panciroll. Descr. Urb. Rom. Thes. Antiq. Roman. Græv. Tom.* III. *p.* 326. *B.* Erit potius Drusi Tiberii Imperatoris fratris. *Borrich. Ant. Rom. Fac. c.* 3. §. 5. *Donat. de Urb. Rom.* III. 16. Quem illi erexit & ornavit, non Tiberius Claudius Cæsar, ut asserit Angelonius ad nummum IX. p. 46. sed ipse Augustus. Dio enim lib. LV. p. 549. B. de re non decreta, sed tempore Augusti perfecta loquitur. *Et ipse quidem* (Drusus) *in Martium campum deductus fuit . . . . . & honores tam statuæ, quam arcus prope ipsum Rhenum accepit.* Nec credibile est, Augustum, qui *honora & magnifica in Drusum fecit* apud Tacit. Annal. III. 5. 1. &, ut cum Suetonio loquar Claud. c. 1. n. 11. *tantopere & vivum dilexit, ut cohæredem semper filii instituerit, & defunctum pro concione laudaverit: nec contentus elogium tumulo ejus, versibus a se compositis insculpsisse, etiam vitæ memoriam prosa oratione*

composuit, honorem *arcus* statim post ejus obitum decretum, per tres & viginti annos, quibus privigno supervixit, neglexisse, & tamdiu effectu vacuum reliquisse: urgente præsertim Livia uxore, quæ in acerbissimo maximoque filii luctu, supremum hunc filio honorem, sibique solatium differri minime passa fuerit. *Fabrett. de Aqued. Diss.* I. *Thes. Antiq. Roman. Græv. Tom.* IV. *p.* 1703. *D. E.*

Arcus Fabianus in via fuit Sacra, prope templum Faustinæ, quæ hodie ædes est S. Laurentii in Miranda. Trebellius de Salonino agens: *Denique fuit statua hactenus in pede montis Romulei, hoc est, ante Sacram viam, intra templum Faustinæ advecta ad arcum Fabianum.* Cic. pro Planc. c. 7. duas sacræ viæ extremitates describens: *Si quando,* ait, *ut fit, jactor in turba, non illum accuso, qui est in summa Sacra via, cum ego ad fornicem Fabianum impellor; sed eum, qui in me incurrit atque incidit.* A Seneca velut ad vivum depingitur, tanquam unus de exitibus fori, quum in libello, in sapientem non cadere injuriam de Catone agens ait c. 1. *a Rostris,* quæ in medio Foro fuerunt, *usque ad arcum Fabianum per seditiosæ factionis manus traditus* . . . . . Nardin. Rom. Vet. III. 12: V. 2. Fabric. Descr. Urb. Rom. c. 14. Marlian. Topogr. Urb. Rom. III. 5. Boissard. de Ant. Urb. Rom. stat. p. 9. Faunus Antiq. Urb. Rom. II. 15. Mod. de Triumph. I. 34.

Arcus Gallieni occurrit recta a clivo Suburrano eunti, e Tiburtino lapide, nullis ornamentis insignis, conjunctus templo S. Viti. Inscriptio est hæc:

GALLIENO. CLEMENTISSIMO. PRINCIPI
CUJUS. INVICTA. VIRTUS
SOLA. PIETATE. SUPERATA. EST
ET. SALONINÆ. SANCTISSIMÆ. AUG
M. AURELIUS. VICTOR
DEDICATISSIMUS
NUMINI. MAJESTATIQUE. EORUM.

Donat. de Urb. Rom. III. 10. *Fabric. Descr. Urb. Rom. c.* 14. *Marlian. Topogr. Urb. Rom.* IV. 15. *Faunus Antiq. Urb. Rom.* IV. 2. *Mod. de Triumph.* I. 32. Quidam triumphalem *arcum* esse voluerunt: sed cum triumphi nulla appareant indicia, neque constet de triumpho, fiatque in eo titulo de Salonina mentio, arbitramur in gratiam ipsorum ob aliquod beneficium ab ipso Aurelio positum, & super eodem statuam Gallieni & ipsius Saloninæ locatam fuisse. *Marlian. l. l.*

Arcus Germanici, sive Tiberii, ita enim Nardinus, *propter ædem Saturni ob recepta signa cum Varo amissa positus fuit.* Tacit. Annal. II. 41. 1. *Castal. de Columm. Triumph. Thes. Antiq. Roman. Græv. Tom.* IV. *p.* 1946. *E.* In introitu clivi Capitolini in forum factum nullus dubito, cum verosimile non sit, *arcum* alicubi positum extra viæ publicæ transitum. Ita & ille Severi *arcus* in altero alterius clivi introitu constructus visitur: sic ut cum hic, tum ille, quisque alterum de duobus extremis fori lateribus, quam decentissima architectura, & eximio ornamento fori occupaverit. *Nardin. Rom. Vet.* V. 6.

Arcus Gordiani Junioris Augusti fuit in regione septima, sive Via lata. *Panvin. Descr. Urb. Rom. Thes. Antiq. Roman. Græv. Tom.* III. *p.* 295. *A.*

Arcus Horatii Coclitis. Sunt qui putant ad radices Aventini stetisse, prope eum locum, ubi pons sublicius fuerat, ibique saxa quædam eruta fuisse dicunt, hoc titulo inscripta:

P. LENTULUS. CN. F. T. QUINTIUS. CRISPINUS
VALERIANUS. EX. S. C. FACIUNDUM
CURAVERE. IIDEMQUE. COMPROBAVERE.

Ego vero nihil de eo certi habeo, quod affirmare possim, tamen memoria rei ab Horatio in eo ponte gestæ horum sententiam approbare videtur. *Marlian. Topogr. Urb. Rom.* III. 16. *Faunus Antiq. Urb. Rom.* III. 4.

Arcus Jani. V. illum infr. in *Sacriportus.*

Arcus Marci & Faustinæ exstructus fuit a Commodo ipsorum filio ad Antonini forum; ubi ille & columnam patris rebus gestis in bello Marcomannico dicaverat insignem. *Donat. de Urb. Rom.* III. 16.

Arcus Marci & Veri fuit in regione septima, sive Via lata. *Panvin. Descr. Urb. Rom. Thes. Antiq. Roman. Græv. Tom.* III. *p.* 295. *A.*

Arcus Neronis senatusconsulto decretus est. Tacit. Annal. XIII. 41. 6. *Ob hæc consalutatus Imperator Nero, & senatusconsulto supplicationes habitæ: statuæque & arcus, & continui consulatus Principi.* Castal. de Columm. Triumph. Thes. Antiq. Roman. Græv. Tom. IV. p. 1946. F. In medio Capitolio *arcus* & tropæa illi erecta fuerunt, circumstructis ad commodum & dignitatem porticibus in area inter duos vertices. Tacit. Annal. XV. 18. 1. *At Romæ tropæa de Parthis, arcusque medio Capitolini montis sistebantur, decreta ab senatu integro adhuc bello.* Donat. de Urb. Rom. II. 10. *Arcum* Neronis hic quidem Donatus collocat ex Taciti verbis. Sed illa, quamquam satis commode de ea Capitolii parte intelligi possunt, quæ substructionibus subjacebat, & præcipue de area inferiore, in qua templum erat Jovis Tonantis, non tamen areæ magis Intermontii convenire negarim. *Nardin. Rom. Vet.* V. 13.

Arcus Novus fuit in regione septima, sive Via lata. *Panvin. Descr. Urb. Rom. Thes. Antiq. Roman. Græv. Tom.* III. *p.* 295. *A.* Forte Constantini *arcum* intelligit, post quem non multo post hanc descriptionem Urbis factam puto. *Panciroll. Descr. Urb. Rom. Thes. Antiq. Roman. Græv. ibid. p.* 348. *A.* Sed tu lector V. supr. in *Arcus Constantini.*

Arcus Octavio patri in decima regione, quæ Palatium dicebatur, est dicatus in ædicula columnis adornata ab Augusto filio. Plin. XXXVI. 4. *Ex honore apparet in magna auctoritate habitum Lysiæ opus, quod in palatio divus Augustus honori Octavii patris sui dicavit, in ædicula columnis adornata: id est, quadriga, currusque & Apollo, ac Diana ex uno lapide.* Donat. de Urb. Rom. III. 2. Panvin. Descr. Urb. Rom. Thes. Antiq. Roman. Græv. Tom. III. p. 305. C.

Arcus primæ portæ quid fuerit, docet nos Claudian. Paneg. in Sext. Cons. Honorii n. 520. ubi adventum Imperatoris in Urbem via Flaminia, Narnia & Tiberi transitis, describens ait:

Inde salutato libatis Tibride lymphis
Excipiunt arcus, operosaque semina vastis
Molibus, & quicquid tantæ præmittitur urbi.

Quorum *arcuum* species multo melius ex illo opere apparet, quod eo loco superest, ubi hodie diversorium conspicitur, cui nomen Borghetto. Agnoscitur enim *arcus* quadrifrons fuisse, ad exemplum Jani; exstatque illic adhuc pars aliqua residua marmoreæ crepidinis: *arcus* autem a latere exstructi magnitudine formaque illi plane similes videntur, qui ad Primam Portam. Mea fert opinio, utrumque in honorem Augusti erectum, qui singulari cura tutelam viæ Flaminiæ sibi ipse delegit: cæterarum vero diversis e senatu demandavit, ut e Suet. c. 30. n. 3. & Dion. LIII. liquet. Hujus mihi sententiæ auctor est nummi antiqui inscriptio, in cujus aversa parte duo *arcus* quadrati visuntur, cum hac inscriptione: QUOD VIÆ MUNITÆ SUNT. Quin & alterius effigies eadem inscriptione in alio occurrit nummo, qui fortean in ponte Tiberis haud longe ab illo diversorio erectus fuit. *Arcus* in illo super pontem cernitur: quanquam Dio statuarum tantum altaribus impositarum meminit. Hosce aut consimiles crediderim istiusmodi *arcus* fuisse quadrifrontes in compitis factos, ubi vero nunc Prima Porta est, trivium, aut quadrivium fuisse certum est, quandoquidem ibidem ad dextram viæ Flaminiæ Tiberim versus via Tiberina incipiebat, qua etiamnum Fianum itur, aliaque loca in Tiberi jacentia. *Nardin. Rom. Vet.* I. 8.

Arcus Romuli vestigia inter S. Mariam de gratia, & S. Mariam de inferno. Bini fuerunt, quos, etsi lateritii erant, tamen in marmoreos Romani non mutarunt, ne conditoris sui memoria, & priscæ frugalitatis monumentum interiret. Ætate nostra collapsi sunt. *Blondus Rom. Instaur.*

Inſtaur. I. §. 18. *Fabric. Deſcr. Urb. Rom. c.* 14. *Marlian. Topogr. Urb. Rom.* II. 14.

Arcus Scipionis Africani exſtitit cum duobus labris marmoreis in clivi Capitolini introitu. *Nardin. Rom. Vet.* V. 13.

Arcus Septimii Severi ad clivi Capitolini radices & foro proximus, ſed ima ſui parte terra ſigillis expreſſa veteris arietis mœnia pulſantis effigies cernitur. Una inſcriptione repetita ex utraque parte notatur, literarum ære ſublato:

IMP. CÆS. LUCIO. SEPTIMIO. M. FIL.
SEVERO. PIO. PERTINACI. AUG.
PATRI. PATRIÆ. PARTHICO.
ARABICO. ET.
PARTHICO. ADIABENICO. PONTIF. MAXIMO. TRIBUNIC. POTEST. XI. IMP.
XI. COS. III. PROCOS. ET.
IMP. CÆS. M. AURELIO. L. FIL. ANTONINO. AUG. PIO. FELICI. TRIBUNIC. POTEST. VI. COS. PROCOS. P. P.
OPTIMIS. FORTISSIMISQUE.
PRINCIPIBUS.
OB REMPUBLICAM. RESTITUTAM. IMPERIUMQUE. POPULI. ROMANI.
PROPAGATUM.
INSIGNIBUS. VIRTUTIBUS. EORUM.
DOMI. FORISQUE. S. P. Q. R.

Donat. de Urb. Rom. II. 20. *Nardin. Rom. Vet.* V. 6. *Marlian. Topogr. Urb. Rom.* III. 14. *Blond. Inſtaur. Rom.* III. §. 59. *Rycq. de Capitol. c.* 33. *Mod. de Triumph.* I. 30. *Nicol. de Sigl. Vet. c.* 30. §. 7. Semiſepultus ſpectatoribus occurrit: unde veteris ſoli humilitas conjici poteſt. Memini eum totum detectum vidiſſe initio Pontificatus Gregorii XV, quum terra omnis repurgata ablataque fuit, ut murus circum eum duceretur, ponsque ſub majore fieret fornice, ut ita totus conſpici poſſet, non ſecus ac columnæ Trajanæ factum fuit. Verum quum poſtea metueretur, ne locus ille omnium immunditiarum foret receptaculum, mutatum conſilium eſt, egeſtaque jam terra rurſus injecta, aggeſtaque. Sunt in eo arcu inſignes hinc & illinc bellicarum pugnarum exſtantes effigies. *Nardin. l. l.*

Arcus Septimii Severi in Velabro. V. illum ſupr. in *Arcus boarius.*

Arcus Tiberii Cæſaris. De illo Suet. Claud. c. II. n. 9. *Tiberii marmoreum arcum juxta Pompeji theatrum, decretum quidem olim a ſenatu, verum omiſſum peregit.* Hunc in circo Flaminio, ſive in Urbis regione nona collocant. *Panvin. Deſcript. Urb. Rom. Theſ. Antiq. Roman. Græv. Tom.* III. *p.* 303. *D. Merul. Coſmogr.* II. 4.

Arcus Titi marmoreus exſtat hodieque inter forum Romanum & amphitheatrum, adjunctus templo S. Mariæ Novæ. In eo ab una parte ſculptus de Judæis triumphus. Imperator in curru ſedens ab alata Victoria coronatur. Currui præfertur arca federis (V. ſupr. in *arca federis*) præcedentibus duodecim faſcibus conſularibus. Ab altera parte candelabrum aureum cum ſeptem lucernis, tabulæ Moſaicæ, menſa aurea, & varia templi Hieroſolymitani vaſa. In medio *arcus* fornice Titus ſedens aquilam alis expanſis utraque manu ſub genibus tenet. In frontibus Judæi vinctis poſt tergum manibus captivi aguntur. Joſeph. Bell. Jud. VII. 37. *Fabric. Deſcr. Urb. Rom. c.* 14. *Boiſſard. Topogr. Urb. Rom. Tom.* I. *p.* 29. *Mod. de Triumph.* I. 28. Eſt omnium, qui cum titulo exſtant, antiquiſſimus, & quod plerique putant ſic triumphalis, ut triumphantibus Veſpaſiano ac Tito fuerit erectus. Sed hanc opinionem *arcus* infringit inſcriptio. Sic enim habet:

SENATUS.
POPULUSQUE. ROMANUS.
DIVO. TITO. DIVI. VESPASIANI. F.
VESPASIANO. AUGUSTO.

Alterum in altera fronte titulum vetuſtas ſubmovit. *Donat. de Urb. Rom.* III. 4. *Faunus Antiq. Urb. Rom.* II. 19. Exiſtimemus, vel *arcum* hunc vivente Tito inchoatum; verum ob breve illius imperii tempus, nondum abſolutum fuiſſe: vel, ut Angelonius in Hiſtoria Auguſta de hac ipſo agens Tito cenſet, Divi titulum, ſeu cognomen vivis quoque nonnunquam Imperatoribus tribui ſolitum. *Nardin. l. l.* Sed ego magnopere de cognomine Divi vivis Imperatoribus tributo dubito, firmatus illo Tacit. Annal. XV. 74. 4. *Reperio*, inquit ille, *in Commentariis Senatus, Cerialem Anicium Conſulem deſignatum pro ſententia dixiſſe: ut templum Divo Neroni quam maturrime publica pecunia poneretur. Quod quidem ille decernebat, tanquam mortale faſtigium egreſſo, & venerationem hominum merito, quod ad omnia olim ſui exitus verteretur; nam Deum honor Principi non ante habetur, quam agere inter homines deſierit.* Sed una certus ſum, e vivis ſublato Tito *arcum* hunc ædificatum, quod apotheoſis ejus manifeſte in ipſo *arcus* tholo ſe prodat, ubi Titus aquilæ dorſo incumbens in cœlum a cineribus evolare parat; quod mirum nec Angelono, nec Nardino obſervatum. *Borrich. Ant. Urb. Fac. c.* 6. §. 6. Præterea obſervo in hac inſcriptione, *arcum* Tito fuiſſe erectum. Confecto quidem bello Judaico, cum ambo, & primus quidem, teſte Joſepho, Veſpaſianus curru vectus fuerit in triumpho; mirum eſt, *arcum* Tito filio, non autem patri Veſpaſiano Auguſto dicatum. Niſi forte dicant, Veſpaſiano alterum dicatum fuiſſe, cum ejus neque in terræ ſolo, neque in annalium monumentis ullum exſtet veſtigium. Aut aſſerant, *arcum* hunc utrique in uno triumpho fuiſſe communem, & Veſpaſiani titulum in adverſa & exeſa parte conſumptum deſiderari. Sed mirum item eſt, anteriorem potioremque partem, quam primo triumphantes inibant, titulo filii, poſteriorem vero patris nomine fuiſſe inſcriptam. Difficilius etiam ſolvitur, quod in eo triumpho Titus fuerit Auguſtus. Non enim Auguſti nomen ab Octavio Auguſto deductum aſſumebant, niſi Imperatores, quorum eſſet abſoluta poteſtas in univerſam rempublicam. Qui vero ſucceſſores, ſive cognatione ſanguinis, ſive adoptione futuri erant, Cæſares ſunt dicti. V. infr. in *Auguſtus* & *Cæſar.* Donat. l. l.

Arcus Trajani in honorem additus eſt foro Trajani. Dio in ejus vita: *Triumphalis*, inquit, *tunc arcus, præter alia tunc multa, quæ in honorem ejus & decreta & facta fuerant, in illius foro ſubſtructus eſt.* Donat. de Urb. Rom. II. 24. Mod. de Triumph. I. 34. Quia ex Dacis luculentam victoriam reportaverat, & Daciam provinciam imperii Romani fecerat, Armeniis Parthisque bellum intulerat, ac imperium ad Tigrim uſque protulerat. Hiſtoriam Dio & Eutropius recitant: quæ omnia in hoc *arcu* marmoreo ſunt expreſſa. *Panciroll. Deſcr. Urb. Rom. Theſ. Antiq. Roman. Græv. Tom.* III. *p.* 326. *B. Rycq. de Capitol. c.* 33.

Arcus Trajani alter fuit in regione portæ Capenæ, isque eſſe creditur, cujus veſtigia exſtant in porta ipſa Capena, in proximo aquæductu, argumento, quod Trajanus viam Appiam, quæ ab eo loco initium habet, magnifice reſtituit, ac ſtravit. *Mod. de Triumph.* I. 34.

Arcus triumphales his ſolebant erigi, qui provincias, & urbes, aut exteras nationes expugnaſſent, ac bello ſuperaſſent. Illorum uſum Plinius ſuo tempore ait cœpiſſe. Neque antiquiorem, quam Titi *arcum* Romæ videre eſt. Nam antea ſtatuæ triumphales, vel triumphalia ornamenta ponebantur. *Mod. de Triumph.* I. 27. *Demſter. Paralip. ad Roſin. Antiq. Roman.* I. 13. Tam intra Urbem, quam extra eam erigebantur in viis publicis, quamvis eorum prima inventio & origo fuerit intra Urbem, & hinc extra eam fuerint progreſſi. Conjici hoc poteſt ex forma: ſunt enim inſtar portarum Urbis, ſine valvis, ſemper apertarum: vel, ut ait Albert. de Re ædif. *Eſt arcus triumphalis veluti perpetuo patens porta.* Vero valde eſt ſimile, harum ſtructurarum originem deberi Regibus, aut Imperatoribus Romanis, qui Urbem amplificarunt, ejusque pomœrium protulerunt. V. infr. in *Pomœrium.* Jam vero pomœrium proferentes non deturbabant aut de-

moliebantur portas priores, quæ potius majori ſecuritati relinquebantur, ut hoſtilem ingruentem furorem ceu objecto vallo ſiſterent, cumque portæ eſſent locis celebrioribus, quod viæ urbanæ proxime portas ſoleant plerumque latiores & pulcriores eſſe, hinc ſpolia bellica ab hoſte capta, inſignia victoriæ, & uno verbo tropæa ſuper iſtis portis fuere collocata & ſuſpenſa. Paullatim deinde eadem tropæa cœperunt ex lapide aut marmore ſculpi, addique his ſtatuæ, item bigæ, aut quadrigæ triumphales, victoriæ alatæ; acceſſerunt denique inſcriptiones, velut interpretes, in honorem & memoriam illorum quibus erant dedicati. Fiebant in viis publicis duobus modis: alii enim triumpho uni ſingillatim dicati poſt peractos triumphi ſollennes ritus, iterum deſtruebantur & removebantur. Hi ex ligno fiebant, & partim quoque ſpectatoribus triumphi recipiendis & locandis accommodabantur. Opera hæc vocantur *arcus* ſubitanei, quod poſt peractam feſtivitatem, cui deſtinabantur, ſubito iterum loco ſuo eos amolirentur. At alii fiebant, ut permanerent, & poſterorum perpetuæ memoriæ conſecrarent virtutes, & res fortiter, ac præclare geſtas ab illis, quorum honori erant dedicati. Hi poſteriores fiebant e marmore, aliove lapide, ornati columnis, & reliquo elegantioris ac perfectioris architecturæ apparatu. Pompon. Læt. in Diocletiano. *Inferebantur fere omnes triumphi via Appia* . . . . . : *in qua lignei primum continuique arcus, poſt marmorei, columnis ſuffulti, unde multitudo ſatis commode triumphum ſpectare poſſet.* Bergier. de viis milit. II. Sect. 40. §. 2. 4. Inter *arcus* triumphales & cætera ædificia, quæ vias ornabant publicas, hæc intercedebat differentia, quod hæc ſecundum & propter vias in longitudinem & latera cingerent utriusque; illi ex tranſverſo in ipſa via exſtruebantur, cujus plus quam totam occupabant latitudinem, ob fornices duos minores, qui medium altiorem a dextra & ſiniſtra cingentes, velut alæ additæ, hinc & inde in agrum producebantur. Eo enim loci, ubi *arcum* triumphalem moliebantur, via publica utrinque erat dilatata ad cubitos plus minus quinquaginta, atque ſic pro decoro, convenienti longitudine aliquouſque fuit producta. Totum ſtructuræ architectonicæ opus, ſive ipſe *arcus* triumphalis occupabat cubitos quinque & viginti medios; reliqui quinque & viginti diſtributi erant ad latera, ſic ut hinc dextrum haberet duodecim & dimidium cubitos; totidemque ſiniſtrum inde, quæ latera viatoribus patebant, ne populi frequentia & concurſu ordo pompæ triumphalis turbaretur. Poſtea illi quinque & viginti medii in octo partes æquales dividebantur, quarum duæ dabantur januæ, ut ſic dicam, ſive aperturæ medii & majoris fornicis, quæ ſemper armata erat, deinde quatuor paraſtatis, ſive columnis dabantur ſingulis ſingulæ octavæ partes; ſic & utriuſque fornicis minoris dextri & ſiniſtri aperturæ ſingulæ unam octavam habebant partem. Hoc modo aſſimilabatur ponti ex quatuor craſſis pilis compoſito, & tribus aperturis ſive januis arcuatis; quarum media in media viæ latitudine erat, & tranſitum dabat pompæ triumphali, ſive militibus & ducibus, qui victorem triumphantem præcedebant & ſequebantur, quique cum eo in expeditione fuerant & prælio. Laterales fornices patebant dignioris ordinis viris, matronis, virginibus, qui ſpectatum veniebant triumphi pompam & celebritatem; maxime illis, qui amicitia, conſanguinitate, aut affinitate triumphatori propinqui erant, eumque ad templum uſque Jovis Opt. Max. Capitolini acturum diis gratias deducebant. *Bergier. ibid.* §. 10. & 11. Hos S. P. Q. R. publice vel SC. decernebat in honorem Imperatorum, qui fecerant, aut refecerant vias publicas, & pontes portusque viarum neceſſarias partes & appendices. Docent hoc *arcus* erecti Auguſto, Veſpaſiano, Trajano ſuis locis. *Bergier. ibid.* I. *Sect.* 25. §. 3. 4. 5.

Arcus Veri Parthici in foro Trajani fuit. L. Verus frater M. Antonini contra Parthos miſſus Antiochiæ luxuriæ ſe dedit, & exercitum ampliſſimum Avidio Caſſio commiſit, qui de hoſtibus victoriam retulit, unde Verus Parthicus eſt cognominatus, qui ipſe videri voluit viciſſe, & cum Marco fratre triumphavit: hoc bellum Romæ in *arcu* erecto eſt expreſſum. Hiſtoriam Dio, Capitolinus, & Eutropius recitant. *Panciroll. Deſcr. Urb. Rom. Theſ. Antiq. Roman. Græv. Tom.* III. *p.* 326. *A.*

ARD.

ARDEA Rutulorum oppidum Plin. III. 5. & Melæ II. 3. in ora maritima commemoratur: haud ſatis proprie, quum nomen id vicus etiam nunc retineat in mediterraneo circiter quinque millia paſſuum a mari recedens: unde merito inter mediterranea Latii a Ptolemæo recenſetur & Strab. V. p. 158. quo teſte ſtadia ſunt ab *Ardea* Romam uſque centum & ſexaginta, hoc eſt, millia paſſuum & viginti. *Cluver. Ital. Ant.* III. 5. I. Urbs eſt antiquiſſima. Strab. l. l. Ῥύτυλοι οἱ τὴν ἀρχαίαν Ἀρδέαν ἔχοντες. *Rutuli qui vetuſtam habuerunt Ardeam.* Ejus antiquitas ſatis inde perſpicitur, quod originem ejus fabulis illis antiquiſſimis de Danae & Circe involverunt ſcriptores Græcorum vetuſtiſſimi. Serv. Æneid. VII. 412. *Danae Acriſii Regis Argivorum filia, poſtquam a Jove vitiata fuit, pater eam intra arcam incluſam præcipitavit in mare, quæ delata ad Italiam, inventa eſt a piſcatore cum Perſeo, quem illic enixa fuerat, & oblata Regi* Pilumno, *qui eam ſibi fecit uxorem, cum qua etiam Ardeam condidit.* Kircher. Lat. Vet. & Nov. II. 2. 8. Cluver. l. l. M. Fabio Vibulano, Poſtumo Æbutio Cornicine Conſulibus anno ab U. C. 312. SC. factum eſt, ut quoniam civitas *Ardeatium* inteſtino tumultu redacta ad paucos eſſet, coloni eo præſidii cauſa adverſus Volſcos ſcriberentur. Hoc palam relatum in tabulas, ut plebem tribunosque falleret, judicii reſcindendi conſilium initum. Conſenſerant autem, ut multo majore parte Rutulorum colonorum, quam Romanorum ſcripta, nec ager ullus divideretur, niſi is, qui interceptus infami judicio erat, nec ulli prius Romano ibi, quam omnibus Rutulis diviſus eſſet, gleba ulla agri aſſignaretur. Sic ager ad *Ardeates* rediit. Triumviri ad coloniam *Ardeam* deducendam creati Agrippa Menenius, T. Clœlius Siculus, M. Æbutius Elua. Liv. IV. II. *Sigon. de Antiq. Jure Ital.* II. 5. *Panvin. de Imp. Roman. c.* II. *Cluver. l. l.*

ARDEATINA via. V. illam infr. in *Via.*

ARE.

AREA, *ubi frumenta ſecta teruntur & areſcunt: propter harum ſimilitudinem loca in urbe pura areæ.* Varr. L. L. IV. 4. Hinc Juriſconſultus l. 24. ff. de Verb. Signif. ait: *Locus ſine ædificio in urbe area.* Nardin. Rom. Vet. III. 4. Lipen. de Stren. c. 4. §. 36. Panvin. Deſcr. Urb. Rom. Theſ. Antiq. Roman. Græv. Tom. III. p. 324. C. Florid. Sabin. Lect. Subc. I. 9. Johannes Savaro in notis ad Sidonium Apollinarem hoc diſcrimen inter *aream* & veſtibulum eſſe dicit, quód *area* ſpatium ſit ante ædes deorum, veſtibulum ante domos privatorum. Quod ſi verum foret, non legeretur in Rufo & Victore, *area Galli, area Carſuræ, area Calidii*, &c. quas in prima regione fuiſſe dicunt. Legitur & *area fori* apud Gell. XIII. 24. *area Palatina* apud Gell. II. 10: XX. I. *area Capitolina* apud Suet. Cal. 22. 12: 34. 2. Differentia melius dignoſci peterit ex inſcriptione, quam Laz. Comm. Reip. Rom. III. 2. publici juris fecit:

AB. COLONIA. DEDUCTA. ANNO. XC.
NEUFIDO. N. F. M. POLLIO.
DUUMVIR. P. RUTILIO. CN. MANLIO.
COS. OPERUM. LEX. II. LEX.
PARIETI. FACIUNDO. IN. AREA. QUÆ.
EST. ANTE. ÆDEM.
SERAPIS. TRANS. VIAM. QUI. REDEMERIT. PRÆDES. DATO.
PRÆDIAQUE. SUBSIGNATO. DUUMVIRUM. ARBITRATU. &c.

Area igitur ultra viam extendebatur, & plures in illam viam deſinebant, ſicut & nunc ſolet in fora publica. Con-

tra vestibulum illud tantum spatium erat; quod inter viam & ipsam domum intercedebat, ab eadem tribus inclusum, terminatumque lateribus; forte aliquando ab omnibus. Quoniam vero templa nulla, aut rarissima ita erant ædificata, ut tribus illud, quod ante ipsa erat, spatium lateribus ambirent, ideo *area* ante templa fuisse, non autem vestibula dicuntur. Discrimen inter *aream* & forum hoc fuit. Forum spatium fuit, seu locus negotiis destinatus, sive judicialibus, sive mercatoriis, aliisve, ut a Festo exponitur in Forum. *Area* locus vacuus fuit nullis dicatus negotiis, aut judiciis, aut exercitiis aliis, sed locus, ut Varro vocavit, purus: cujusmodi hodieque plura visuntur inutilia, nullique alii rei, nisi ornamento inservientia templorum, palatiorumve. *Nardin. Rom. Vet.* III. 4. Discretæ etiam fuerunt *areæ* ab ædibus sacris. De quarum oportuno loco Vitruv. I. 7. *Jovi*, inquit, *Junoni & Minervæ in excelsissimo loco, unde mœnium maxima pars conspiciatur, areæ distribuantur: Mercurio in foro, aut etiam uti Isidi & Serapidi in emporio: Apollini Patrique Libero secundum theatrum: Marti extra Urbem, sed ad Campum: cæterisque diis ad sacrificiorum rationes sunt distribuendæ. Areæ* ergo templorum partes non fuerunt, sed appendices & attributa, quæ proprie dotes templorum dici possunt. In his venales hostiæ proponebantur, cæteraque quæ ad sacrificia pertinebant. M. Tullius clare de Divin. II. 17. *An cum in Æquimelium*, inquit, *misimus, qui afferret agnum, quem immolemus, is mihi agnus affertur, qui habet exta rebus accommodata, & ad eum agnum non casu, sed duce deo servus educitur.* Æquimelium domum Sp. Melii in *aream* complanatam est vulgatius, quam moneri quemquam oporteat: cujus substructionem, sive structuram & fabricam, quæ fuit super illud, ut tecto solum tegeretur ad arcendas emptoribus venditoribusque cœli injurias, quibus antea exponebantur, T. Quintius Flaminius & M. Claudius censores locaverunt. *Guther. de Jur. Pontif.* III. 6. Nero ad lineam rectam vicum unum duosve erat dimensus, vacuas reliquit certas *areas*, ut in illis ordinaret & disponeret præcipua Urbis ædificia & opera. Fiebat id non promiscue, aut passim nulla distinctione, sed quodque opus secundum suam speciem, certo ordine, qui operis decorem tueretur, cuique ædificio singillatim sua commoda præberet, & Urbi hinc toti decorem, commoda, pulcritudinem conciliaret, destinatis locis disponebatur. Primum itaque in aditu & introitu *arearum*, qua vias spectabant militares, ædificia publica, tum sacra, tum profana, ita erant exstructa & disposita, ut eorum frontes obversæ essent viis modo dictis, & hasce splendore suo, nec non magnifico illo & eminenti architecturæ suæ apparatu, hujusque ornamentis illustrarent. Sic assurgebant sacra diis immortalibus ædificia, templa, ædes, ædiculæ, fana, delubra, sacraria, sacella: sic eminebant destinata negotiis publicis ædificia, curiæ, senacula, basilicæ, fora, campi militares: sic splendebant dedicata commodis & sanitati civium ædificia, æquæductus, thermæ, balnea: sic lucebant ædificia voluptati & ludis dicata, horti & his junctæ turres, & ædificia pulcerrima alia, & ingentes porticus, item ludi, stadia, odea, nymphæa: sic tandem extollebantur spectaculorum loca, campi, circi, theatra, amphitheatra, naumachiæ. Atque hæc erant ædificia, quæ *arearum* aditum occupabant, & suis frontibus vias militares adornabant. Paullo ulterius in illis *areis* plerumque erat puteus, communis toti viciniæ, qui quasi secundum *arearum* locum ornabat. Tertium locum qui medius erat, occupabant Imperatorum domus, sive palatia, & senatorum primique ordinis virorum, domus, quas posteriores κατ' ἐξοχὴν simpliciter solebant appellare domus. (V. infra in *domus*.) Post Augustorum palatia, & senatorum virorumque illustrium domus sequebantur pistrina (V. illa infr. in *Pistrinum*.) Postremum istis *areis* locum, aut oppositam ab altera parte faciem, seu, si vis, oppositam alterius lateris frontem, aditumve occupabant horrea publica. (V. illa infr. in *Horrea*.) Ædiculæ non erant in hisce *areis*, sed finiebant & claudebant vicos. *Bergier. de Viis milit.* V. *Sect.* 7. §. 2—5.

Area Apollinis fuit in prima regione Urbis, quæ porta Capena. Victor. Fuit etiam in undecima regione, quæ Circus Maximus. *Panvin. Descr. Urb. Rom. Thes. Antiq. Roman. Græv. Tom.* III. *p.* 307. *B.* In ejus *area* Palatina quatuor fuerunt boves, hoc est, Prœtides æneæ a Myrone factæ. Fuit etiam locus Roma quadrata dictus, ubi reponebantur ea, quæ solebant boni ominis gratia in urbe condenda adhiberi: quod saxo munitus esset in speciem quadratam. Auctor Sext. Pompejus. *Marlian. Topogr. Urb. Rom.* III. 19.

Area Callidii fuit in sexta regione Urbis, quæ Alta Semita. Victor & Rufus. *Panvin. Descript. Urb. Rom. Thes. Antiq. Roman. Græv. Tom.* III. *p.* 293. *A.*

Area in campo Martio tyronibus exercendis fuit. Spatium enim illud, quod inter Tibridem fluvium & septa interjacebat, tyrocinio militum devotum erat. Horat. Od. I. 9. 18.

> *Nunc & campus, & area,*
> *Lenesque sub noctem susurri*
> *Composita repetantur hora.*

Claudian. de Sext. Honor. Consul. n. 621.

> *Hic & belligeros exercuit area lusus,*
> *Armatos hic sæpe choros.*

Claudianus antea egerat de circensibus, hoc loco de campestribus agit, sive militaribus exercitiis, quæ in campo Martio, aut verius ejus *area*. Demster. Paral. ad Rosin. Antiq. Roman. I. 13.

Area Candidi. Forte Julius Vespronius Candidus intelligitur, qui iterum sub Trajano, & tertium sub Hadriano Consul fuit: quem Plin. Epist. V. 20. 5. scribit dicere solitum, aliud esse eloquentiam, aliud loquentiam. Ad eum magistratu fungentem Pius scripsit in l. 7. §. 1. de Accusat. Alii Candido Carus, Carinus & Numerianus Imperatores l. 4. C. de Delator. ac Diocletianus & Maximianus l. eos 5. C. de testibus scribunt, quem tum magistratu aliquo functum fuisse puto. Flavii quoque Candidi meminit Paullus in l. si ita stipulatus 126. §. Chrysogonus de Verbor. Oblig. Item legitur Candidus magister militum Zenonis Imperatoris, cognatus Asparis. Sed de quo hic intelligatur, non facile est discernere. Ante ejus ædes *area* hic pro insigni ponitur. Victor & Rufus habent *aream Callidii*, a quo etiam vicus Callidius est denominatus: sed ejus nullibi mentionem fieri invenio. *Panciroll. Descr. Urb. Rom. Thes. Antiq. Roman. Græv. Tom.* III. *p.* 347. *B.*

Area Carsuræ in Urbis prima fuit regione, quæ porta Capena. Victor. Cujus hæc sit, dubitatur. *Panciroll. Descr. Urb. Rom. Thes. Antiq. Roman. Græv. Tom.* III. *pag.* 325. *B.*

Area Galli, quæ Victori dicitur in Urbis regione prima, sive porta Capena, Rufo vocatur Galliæ, ex cujus manubiis est facta. Forte est illa, quæ constitit supra sestertium millies, cum C. Julius Cæsar forum de manubiis inchoasset. Suet. Jul. c. 26. n. 4. Ea summa efficit, ut vulgo vocant, millionem auri. *Panciroll. Descr. Urb. Rom. Thes. Antiq. Roman. Græv. Tom.* III. *p.* 324. *C.*

Area Mercurii cum ara in via fuit Appia extra Capenam. V. illam supr. in *Ara Mercurii*. Non solum ante Deorum templa *areæ* a Diis nomina sumebant, sed aliquæ erant in Urbe cum aris Diis sacræ, ut hæc Mercurii, & in hac tabula expressas habemus *areas* Pollucis & Apollinis cum aris: hæc vero gradibus sublimis conspicitur. *Area* cum ara in Quirinali ab Imperatore Domitiano dedicata fuit, cippis, seu cancellis ferreis inclusa, cujus inscriptio Tiburtini lapidis e fundamentis Ecclesiæ Sancti Andreæ Soc. Jesu Pontificatu Urbani VIII. eruta fuit. *Bellor. in Fragm. Vest. Vet. Rom. tab.* 16.

Area ante Palatium fuit theatri capax, & porticus in illa exstructa. Joseph. Ant. Jud. XVIII. 1. *Exstructa*, inquit, *ante regiam scena, conveniunt eo spectatum Romanorum nobiles. Deinde vero consedit* Cajus *inter amicos in theatro, quod compactile instaurabatur hoc modo per singulos annos. Duas habet januas, alteram versus subdivalem aream; alteram*

alteram verſus porticum, per quam actores ingrediebantur & egrediebantur. Donat. de Urb. Rom. III. 2.

Area Panaria in XIII. fuit regione, qui Aventinus. Victor legit Pinariam. Erant Pinarii & Potitii duæ familiæ, quas ſacra ſua peragere Hercules docuit, ut Dionyſius, Livius, & Feſtus tradunt. Potuit hæc eſſe *area* ante ædes Pinariorum. Si legimus Panariam, a pane ibi vendito nomen habebit. *Panciroll. Deſcr. Urb. Rom. Theſ. Antiq. Roman. Græv. Tom.* III. *p.* 324. *E.*

Area Pantheo Tiburtino lapide ſtrata ab Eugenio Quarto Pontifice ſubjecta eſt. *Blondus Romæ Inſtaur.* III. §. 66.

Area Publica in regione Urbis fuit decima tertia, qui Aventinus. Victor. *Panvin. Deſcr. Urb. Rom. Theſ. Antiq. Roman. Græv. Tom.* III. *p.* 309. *E.*

Area Radicaria in regione fuit duodecima, quæ Piſcina publica vocabatur. Victor. Invenit nomen, quia in illa radices vendebantur. Radicem autem Dioſcorides vocat raphamim. *Panciroll. Deſcr. Urb. Rom. Theſ. Antiq. Roman. Græv. Tom.* III. *p.* 369. *A. Nardin. Rom. Vet.* VII. 6. *Bellor. in Fragm. Veſt. Vet. Rom. tab.* II.

Area Sancta in regione fuit undecima Urbis, qui Circus Maximus. Rufus. *Panvin. Deſcript. Urb. Rom. Theſ. Antiq. Roman. Græv. Tom.* III. *p.* 307. *B.*

Area Septimiana fuit in regione Urbis quarta & decima, ſive trans Tiberim. Victor. Campus fuit a Septimio Severo Imperatore exornatus. *Panciroll. Deſcr. Urb. Rom. Theſ. Antiq. Roman. Græv. Tom.* III. *p.* 375. *E.*

Area Vaticana in regione fuit Urbis quarta & decima, ſive trans Tiberim. Victor. *Panvin. Deſcript. Urb. Rom. Theſ. Antiq. Roman. Græv. Tom.* III. *p.* 312. *A.*

Area Victoriæ in quarta regione fuit Urbis, quæ Templum Pacis. Rufus. *Panvin. Deſcript. Urb. Rom. Theſ. Antiq. Roman. Græv. Tom.* IV. *p.* 289. *C.*

Area Vulcani fuit in quarta Urbis regione, quæ Templum Pacis. Apud Rufum legitur Vulcanale. Apud Victorem legitur, Ara Vulcani cum Vulcanali. Alias *area* Vulcani cum Vulcanali. Ubi lotos a Romulo ſata, in qua *area* ſanguine per biduum pluit. Significat hanc *aream*, ſeu campum Vulcanali, ſeu templo Vulcani conjunctum fuiſſe. In hac *area* C. Flavium Appii Cæci ſcribam poſt publicatos faſtos ædem Concordiæ feciſſe auctor eſt Livius IX. 46. *Panciroll. Deſcr. Urb. Rom. Theſ. Antiq. Roman. Græv. Tom.* III. *p.* 336. *D. E.*

Area etiam fundus eſt tabulæ, id eſt, campus, in quo pictæ erant lineæ. *Senſleb. de Alea c.* II. §. 25.

Area vel pedatura in caſtris in latitudinem centum viginti, in longitudinem centum octoginta pedes habebat. *Centum viginti*, inquit Hyginus, per centum octoginta, quia *area* lineis rectis, ſed tranſverſis finitur, & ut magnitudinem ejus inveniamus, latitudinem per longitudinem metimur. Frontinus: *Pes conſtratus ſic obſervatur: longitudinem per latitudinem metiemur.* Nam in angulis rectis quadratis æquilateris, vel altera parte longioribus, numerus latitudinis per longitudinem multiplicatus efficit totius *areæ* pedaturam. Conſtat hæc *area* ſex hemiſtrigiis: hemiſtrigium centuriam accipit. Non enim quinque centurias, ſed ſex, antiquo Romanorum inſtituto, cohors Hyginiana habet. Probant id omnes hæ, quæ cohorti adſignantur, pedaturæ: tum quod ampliores, quam quinque centuriæ recte tendant ex præſcripto Hygini, qui vult centuriam eodem quamque hemiſtrigio accipi. Quinque centuriæ iſto modo quinque hemiſtrigia poſtulant: at hæ pedaturæ, alia ſex, alia tribus, alia duobus hemiſtrigiis conſtant. Nulla itaque harum ejuſmodi cohorti apta eſt. *Schel. in Hygin. Theſ. Antiq. Roman. Græv. Tom.* X. *p.* 1040. *B.*

Areæ non ſint frequens erat adverſus Chriſtianos vulgi acclamatio, qua ſcilicet optabant ac precabantur acclamantes, ut *areis* ſepulturarum carerent Chriſtiani, eorumque corpora turpiter jacerent inhumata. *Sub Hilariano præſide*, inquit Tertullianus in libro ad Scapulam, *cum de areis noſtrarum ſepulturarum acclamaſſent, areæ non ſint; areæ ipſorum non fuerunt; meſſes enim ſuas non egerunt.* Erat libellus hic velut deprecatorius, quo Scapulam Carthaginis præſidem admonebat Tertullianus, ut deſiſteret tandem ultima Chriſtianis minari, ne iram Dei mereretur; quandoquidem Chriſtianorum perſecutoribus ultio divina ſæpe præſto fuit. Atque adducto quidem loco ludens in ambigua *areæ* voce (quæ ſcilicet ſepulturæ communis erat & meſſi) indicat eo maxime anno meſſium *areis* caruiſſe gentiles, hoc eſt, meſſes nullas feciſſe, quo cœperunt licentius inſepultam Chriſtianis ſepulturam precari, acclamando *areæ non ſint.* Ferrar. de Vet. Acclam. & Plauſ. VII. 18.

ARELATE Plin. III. 4. Strab. Geogr. IV. p. 125. *Arelatum* Antonino in Itinerario & Ptolemæo, urbs etiam nunc & florentiſſima Narbonenſis Galliæ, ad Rhodanum, vulgo *Arles.* Ipſam *Gallulam Romam* dixit Auſon. Clar. Urb. VII. 1.

> *Pande, duplex Arelate, tuos blanda hoſpita portus,*
> *Gallula Roma Arelas.*

Urſat. de Not. Roman. Theſ. Antiq. Roman. Græv. Tom. XI. p. 608. A. Non immerito ſic illam vocat Poeta, quod eſſet & celeberrimum & opportuniſſimum emporium. Quibus commoditatibus invitatus Fl. Conſtantinus tyrannus, qui tempore Honorii junioris imperator in Britanniis declaratus fuit, *Arelate* fixit ſedem imperii ſui, ſanxitque Conſtantinam urbem vocari. *Scalig. Lect. Auſon.* I. 24. *Urſat. l. l.* In notis Roman. legitur: C. I. P. A. id eſt, Colonia Julia Paterna Arelate. Cæſaris enim ævo urbem iſtam coloniam deductam eſſe, ſcilicet ante Chriſtum non plus quadraginta tribus annis obſervavit *Vinetus in Auſonii Urbes*, deductore Tiberii Imperatoris patre. Suet. Tib. c. 4. n. 2. *Pater Tiberii Quæſtor C. Cæſaris . . . . . . ad deducendas in Galliam colonias, in queis Narbo & Arelate erant, miſſus eſt* a C. Cæſare, qui his coloniis auctor fuit. Stephanus Lex. Geogr. Hiſt. Poet. aſſerit ſe inſcriptionem obſervaſſe in Goltzii Theſauro Antiquitatum, qua *Arelate* coloniam Juliam Piam vocatam ſcribit; verum cum tantum hæ quatuor literæ C. I. P. A. apud Goltzium in inſcriptione occurrant, utique illum minus recte legiſſe *Coloniam Juliam Piam Arelate*, cum *Colonia Julia Paterna Arelate* ſit quatuor illarum literarum genuina lectio, eo quod eam deduxit Julius pater, non Julius filius, qui Auguſtus. *Urſat. l. l.* Hic cudebatur moneta, argentum armis inducebatur, & Procurator gynæciorum degebat. Aliquot etiam jura ibi condita reperiuntur. l. 5. & 6. C. Theod. de Appellat. *Panciroll. Notit. Dign. Imp. Occid. c.* 36.

ARELIUS pictor fuit nobilis, qui paullo ante Auguſti principatum Romæ floruit. Plin. XXXV. 8. hunc acriter caſtigat, quod artem corruperit, dearum habitu feminas exprimendo, quarum ſubinde amore flagraverat. *Falconer. Diſſert. de Pyram. C. Ceſtii. Theſ. Antiq. Roman. Græv. Tom.* IV. *p.* 1468. *C.*

ARENA, licet ſicciſſima, tamen ponderoſiſſima terræ pars eſt. Hinc Regum ſapientiſſimus Prov. c. 27. n. 3. *Grave eſt ſaxum, & oneroſa arena.* Hinc &, cum terra eluitur, fundum petit *arena.* Grues quoque & coturnices impetuoſo vento ſeſe *arena* ſaburrant, ne vehementi a vento volantes auferantur, uti ſolemus ſaburrare naves, ut pondere hoc minus ſint obnoxiæ ſubverſioni. *Arena* his de cauſis videtur ipſi quoque terræ ſubſterni pro baſi, fundamento & ſolidatione; uti etiam firmat & ſolidat, cum calci permiſcetur, ne diffluat, aut humiditate diluatur. Videtur itaque regius vates in hymno ſuo 94. aliis 95. 5. ad rei veritatem de Deo ceciniſſe, quod *manus ejus aridam fundaverint*, cum in ſiccitate & pondere *arenæ* præcipue ſita ſit terræ firmitas atque ſoliditas. *Arena* & ſabulum differunt, & Vitruv. II. 6. diſtinguit *loca ſabuloſa & arenoſa.* Nonnulli volunt ſabulum eſſe ſpeciem *arenæ* craſſioris, quam eſt vulgaris, quæ & vulgo *arena groſſior* vocatur Grapaldo de Part. Æd. I. I. §. I. Verum ſi utriuſque naturam accuratius excutiamus, illud reperiemus, quod hoc propius accedat ad terram, illa ad lapidem. Sabulum enim ex minutis illis *arenulis* conſtat, ſeu candicanti-

bus,

bus, ſeu flaventibus, quibus uti ſolemus ad exſiccandum a ſcriptura atramentum, quæ nihil ſunt aliud, quam terra cocta & paullatim vi caloris ſolaris exſiccata: unde & major ejus copia reperitur in regionibus calidioribus, quam frigidis aut temperatioribus. Sic in Africa reperias loca deſerta vaſta & ingentia, ob ſabulum, quod illa occupat; quodque a ventis huc illuc inſtar fluctuum marinorum agitatur. Sabulum itaque propter ſuam ſiccitatem terræ pars maxime ſterilis eſt, cum ſiccitas maxime ſit contraria humiditati, quam generationis omnis originem & fontem affirmant Philoſophi. Sabuli itaque ſterilitas loca, quæ occupat, reddit deſerta; hinc cum fere littora obtineat marina, proverbio dicimus *littus arare* cum Ovid. Heroid. v. n. 6. & Auſon. Epiſt. IV. 4. pro vanam operam perdere; nulla enim cultura ſabulum reddere poterit fertile. Præterea ſiccitas iſta & orbicularis rotunditas particularum ſabuloſarum in culpa eſt, cur ab ædificiis rejiciatur, cum propter ſiccitatem extremam nulla humiditate poſſit cogi, nec propter rotunditatem uſquam adhæreſcere, aut confirmari: adeoque tantum abeſt, ut ad viarum publicarum opera adhiberetur, ut etiam debuerit ibi via declinare, ubi occurrebat nimium ſabulum, ipſumque amoveri, ut locus fieret materiæ firmiori & ſolidiori. *Arena* e contrario, cui humidum ineſt primigenium, quæ extrema habet anguloſa & inæqualia, corpus cui commiſcetur, confirmat & ſtabile reddit. Imo ſui ipſius ingenio adeo firmiter ſubſiſtit, ut, cum primum vias publicas munirent Romani, aliquas ex mera *arena* facerent, uti paullo poſt addiderunt glaream. *Arena* etiam non adeo ad terram accedit, uti ſabulum, ſed revera lapidis eſt rudimentum, a quo ſoliditatem ſuam habet; atque, ſi proprie loqui velimus, videtur *arena* eſſe in minores particulas & minuta corpuſcula confractus & concuſſus lapis. Id quod & Ariſtotelis confirmat auctoritas Problem. Sect. 23. §. 33. Non in mari, aut fluviis ſolum reperitur *arena*, ſed & in terra, quæ *loca arenoſa* vocavit ſupra Vitruvius: unde tria *arenæ* genera idem facit II. 4. foſſitiam, fluviaticam, marinam. Ad ſtructuras optima eſt foſſitia, quæ eſt quatuor ſpecierum, nigra, cana, rubra, carbunculus. Hic ultimus terræ quæ in montibus reperitur, eſt ſpecies, temporis tractu per calorem ſolis, ignemque elementarem, ut vocant, ſive ab imo vehementia vaporis aduſtæ, excoctæ, & deſiccatæ, *mollior quam tophus, ſolidior quam terra*, ut loquitur Vitruv. II. 6. *Arenam* vero eſſe aptiſſimam ad confirmanda & conſolidanda corpora, quibus permiſcetur, præcipue ad viarum pavimentorumque opera, conſtat, præter ipſa experimenta quotidiana, etiam ex Ariſtotele Problem. Sect. 23. §. 29. *Bergier. de viis milit. Sect.* IV. §. 6. . . . 10.

Arena vocatur etiam amphitheatrum. Rationes V. ſupra in *Amphitheatrum.*

Arena vocatur quoque xyſtum a tenuiſſimo illo aridoque fluminum pulvere, in quo ſub dio athletæ exercebantur. Nam in iſtiuſmodi æſtivis gymnaſiis *arenam* ſpargebant, quo commodius & minore in caſu periculo athletæ decertarent. In gymnico inſtrumento pulveris ſportulam enumerat Pollux. Athletæ enim ante certamen in coniſterio pulvere poſt unctionem adſperſi erant, ut prehenſiones eſſent firmiores & non lubricæ. Nam pulverem luctatoribus ex Ægypto deferri ſolitum auctor eſt Suet. Ner. c. 45. n. 1. Plin. XXXV. 13. *Non multum a pulvere Puteolano diſtat e Nilo arena tenuiſſima ſui parte, non ad ſuſtinenda maria, fluctuſque frangendos, ſed ad debellanda corpora palæſtræ ſtudiis.* *Arena* hic accipiebatur pro ſtadio vel curriculo, ſive agone, in quo curſores currerent; item pro palæſtra, in qua reliqua athletarum genera decertabant. Plin. VIII. 7. *Cæſar arenæ circi*, id eſt, ſtadio, ſive curriculo, *& areæ circenſi Euripum addidit.* Panvin. de Lud. Circ. II. 1. Argol. ad illum. Pitiſc. in Sueton. l. l. *Arena* circi Flaminii lateribus minutiſſimis transverſe ſtratis opus teſſellatum ſuprapoſitum habebat. *Panvin. ibid.* I. 18.

Arena, aut ſcobs ne orcheſtris ſuperjiceretur, cavebant, quod ea ſuperjecta vox devoraretur, & in rudi parietum circumjectu doliis etiam inanibus. Currit autem vox concavo, vel recto parietum ſpatio, auctore Plin. XI. 51. *Buleng. de Theatr.* I. 17.

Arenam fuere qui arboribus conſererent, & totam in ſylvam verterent, ſcilicet ut vivam imaginem exhiberent veræ germanæque venationis. Vopiſc. in Probo c. 19. *Venationem in circo ampliſſimam dedit, ita ut populus cuncta diriperet. Genus ſpectaculi fuit tale. Arbores validæ per milites radicitus vulſæ connexis longe lateque trabibus affixæ ſunt, terra deinde ſuperjecta, totuſque circus ad ſylvæ conſitus ſpeciem, gratia novi viroris effronduit.* Capitol. in Gordian. c. 3. *Feras Libycas una die centum exhibuit, urſos una die mille. Exſtat ſylva ejus memorabilis.* Lipſ. de Amphith. c. 10. Caſaub. ad Capitolinum.

ARENARII, qui in *arena*, id eſt, amphitheatro contra beſtias pugnabant. Symmach. Epiſt. V. 57. *Dies muneris noſtri tempori admovetur: cui largitas candidati ſola non ſufficit, ſi lautioribus arenariis deferatur.* Lipſ. de Amphith. c. 3. Buleng. de Venat. c. 30. Fab. Semeſt. II. 11. Popm. de Oper. Serv. p. 150. Brod. Miſc. IV. 16. Thyſ. de Amphith. p. 196. Hi infames erant. Ulpian. de iis qui not. infam. l. 2. §. Ait Prætor. *Qui in ſcenam prodierit, infamis eſt.* Buleng. de Venat. c. 38. de Circ. c. 50. Erant in extremæ notæ ſervis. Itaque niſi a venditore id palam pronuntiatum eſſet, ſervi redhibendi gratia ex edicto ædilium judicium dabatur: qui poſtea manumiſſi civitatem Romanam ſperare non poterant, ſed dedititiorum numero habebantur. Ulpian. ff. de Ædil. edicto l. 1. §. item ſi quod. *Item ſi quod*, inquit, *mancipium capitalem fraudem admiſerit: mortis conſciſcendæ ſibi cauſa quid fecerit: inque arenam depugnandi cauſa ad beſtias intromiſſus fuerit: ea omnia in venditionibus pronuntianto, ex his enim cauſis judicium dabimus.* Popm. l. l.

ARENATUM eſt calx cum *arena* mixta. *Philand. in Vitruv.* I. 6: VII. 2. *Bergier. de viis milit.* V. 11. *Guther. de Jur. Man.* II. 28. Vitruv. VII. 3. *Ita quo fundatior erit ex arenato directura, eo firmior erit ad vetuſtatem ſoliditas tectorii.* Juſtin. I. 2. 7. *Hæc Babyloniam condidit, murumque urbi cocto latere circumdedit, arenati.* Ita puto ſcribendum pro *arenæ.* Hæc enim in parietibus, aut muris ſtruendis nunquam locum habuit abſque calce. *Vice bitumine interſtrato.* Et legendum apud Vitruv. I. 5. *Non enim uti Babylone abundantes liquido bitumine, eo pro calce, & arena, & cocto latere factum habent murum.* Salmaſ. Exerc. Plin. p. 867. D. Philand. l. l. Bald. Lexic. Vitruv. Bongarſ. in Juſtinum.

AREOLUM, ſive chalcus conſtat ex ſeptem minutis, leptis appellatis, quæ non dividuntur, ex quibus, ſi ſupputatio fiat, apparebit in ſcripilo eſſe lepta quatuor & octoginta, & granum conſtare ex leptis tribus & ſemis. Et hæc omnia apud Græcos tam in ponderibus quam in numiſmatibus fuiſſe leguntur. *Pætus de Roman. & Græc. Pond.* v. *Theſ. Antiq. Roman. Græv. Tom.* XI. *p.* 1671. *A.*

ARELALOGI fuerunt miſeri quidam philoſophi, mera hominum mendicabula, ſectæ fere Cynicæ, vel Stoïcæ, qui cum ſcholam & ſectatores non haberent, convivia beatorum frequentabant, & Romulidas ſaturos variis de virtute & vitio diſputationibus oblectabant. Ita multos vixiſſe philoſophos ex Laertii & Luciani ſcriptis aliorumque apparet. Suet. Aug. c. 74. §. 6. *Interponebat frequentiſſime aretalogos.* Senec. Epiſt. 29. *circulatores philoſophos* nominat. Vox eſt Romæ nata: & niſi fallor, Criſpino illi primum attributa hæc appellatio, de quo Horat. Sat. I. 3. 37. poſtea in uſu remanſit & res & nomen. Sed apud Romanos tantum quod ſciam: etſi vocis origo Græca eſt & forma. Sic apud Ariſtot. Nicom. IV. ἀνθρωπολόγος, qui multus eſt in hominum laudibus: & chreſtologus apud Spartian. Pertin. c. 13. Heſychius: ἠθολόγος, θεατριστής. Videtur deſignare Philoſophos qui de virtute ad ravim uſque declamare ſoliti in theatris, quorum meminit Philo περὶ ἀποικίας. *Caſaub. & Donat. ad Suet. l. l. Salmaſ. in Tertullian. de Pall. p.* 334. *Scalig. Lect. Auſon.* II. 5. *Buleng. de Theatr.* I. 49.

ARF.

ARFERIA, vel *Arferial* erat aqua, cujus in parentalibus facris ufus erat. Feftus: *Arferia aqua, quæ inferis libabatur.* Gloffæ: *Adferial*, ὕδωρ τὸ ἐπὶ τοῖς νεκροῖς σπενδόμενον. *Kirchmann. de Fun. Rom.* IV. 2. *Stuck. de Sacrif. p.* 117.

ARG.

ARGEI loca erant in Urbe a Numa confecrata, ubi facra fiebant. Liv. I. 21. *Multa alia facrificia locaque facris faciendis, quæ Argeos pontifices vocant*, Numa *dedicavit.* Turneb. Adv. XX. 35. Multa fuerunt *Argeorum* facraria. Varr. de Ling. Lat. IV. 8. *Reliqua Urbis loca olim difcreta, ut Argeorum facraria in feptem & viginti partes Urbis funt difpofita.* Nann. Mifcell. V. 10. Thyf. in Gell. X. 15.

Argei ex ponte fublicio a. d. decimum quintum, five Idus Majas fingulis annis a Virginibus Veftalibus jaciebantur in Tiberim. Varr. de Ling. Lat. VI. 3. *Argei fiunt e fcirpeis virgultis: fimulacra funt hominum triginta, & quotannis a ponte fublicio a facerdotibus publice jaci folent in Tiberim.* Ovid. Faft. V. 621.

Tum quoque prifcorum virgo fimulacra virorum
Mittere roboreo fcirpea ponte folet.

Ex inftituto fcilicet Herculis, qui hoc pro hominibus vivis antehac in flumen dejici folitis adinvenit. Dionyf. Halic. Ant. Roman. I. p. 30. Plures rationes prodidit Plutarch. Quæft. Rom. §. 32. Feftus in Sexagenarios. *Nardin. Rom. Vet.* VIII. 3. *Siccam. in Faft. Kalend. Roman. c.* 11. *Scalig. in Feftum. Figrell. de Stat. Roman.* I. 1. *Alex. Gen.* III. 18: V. 12. *Beroal. Annot. c.* 65. *Faunus Antiq. Urb. Rom.* V. 2. *Blond. Triumph. Rom.* I. *p.* 10. *A.* 18. *F. Gell. Noct. Attic.* X. 15.

Argei loca *etiam Romæ appellabantur, quod in his fepulti effent quidam Argivorum illuftres viri.* Feftus. *Kirchmann. de Fun. Roman.* II. 26. *Thyf. in Gell.* X. 15.

ARGENTARIÆ tabernæ. V. illas infr. in *Taberna.*

ARGENTARII funt vafcularii, qui vafa argentea in comitatu, id eft, aula Principis fabricabant. Hi enim in jure ita appellantur. Jabolenus in l. penult. de aur. & arg. legat. *Vafcularius*, inquit, *aut faber argentarius uxori legavit.* Scævol. in l. ult. de obligat. & action. *Procurator Seji mifit fubfcriptionem ad argentarium vafcularium.* Quemadmodum enim in fcrinio aureæ maffæ erant aurifices, fic in hoc *argentarii* vafa argentea fabricantes reperiebantur. *Panciroll. Notit. Dign. Imp. Orient. c.* 85. *de Corp. Artif. Thef. Antiq. Roman. Tom.* III. *p.* 18. *C. Buleng. de Imp. Rom.* VI. 67. *Spon. Mifc. Erud. Antiq. Sect.* VI. *p.* 219.

Argentarii erant, qui argentariam faciebant. Sic pro Cæcina Cicer. c. 4. de quodam dixit: *Romæ argentariam non ignobilem fecit.* Erant autem dites & copiofi homines, qui quæftum faciebant aut permutandis pecuniis aut fœnerandis. *Argentariam* artem parum honeftam apud Romanos cives habitam effe, inde exiftimari poteft, quod, ut ait Suet. Aug. c. 2. n. 9. a Marco Antonio Cæfari Octaviano avus *argentarius* in maledictis objectus eft, & quod eundem c. 4. n. 5. Caffius Parmenfis nummularii nepotem ad contumeliam appellavit. Cujus rei caufam ego eam fuiffe crediderim, quod *argentariam* iidem, iidem fœnerationem exercerent, quorum quæftus in odia hominum incurriffe tradit Cicer. de Offic. I. 42. *Primum improbantur illi quæftus, qui in odia hominum incurrunt, ut portitorum, ut fœneratorum.* Scite. Tenebat enim memoria majores fuos Romanos adeo fœnerationes improbaffe, ut ufurarum licentiam multis legibus fi non omnino frangerent, at certe valde reprimerent. Has breviter commemorat Tacit. Annal. VI. 16. §. 2. & 3. *Sigon. de Ant. Jur. Civ. Roman.* II. 11. Dicebantur etiam *argentariæ menfæ exercitores l.* 4. *ff. de edendo.* Illorum officium erat dati acceptique rationes tam ad fe quam ad alios pertinentes conficere. Scribebant enim negotiationes ultro citroque dandi, accipiendi, credendi, folvendique pecuniam fœnoris caufa. Libris illorum, five codicibus plurimum habebatur fidei: ad quos probationis ergo decurrebatur. l. 6. 8. & 9. §. nihil intereft d. t. *Salmuth ad Pancir. de Reb. Deperd. & Inv. p.* 100. Pecuniam ab *argentarus* ipfis, quibus illa de menfæ fcriptura numerabatur, ut fupr. in *de arca folvere* poffet videri voluiffe Donatus, non accipiebant. Obftat enim vocabulum adnumerandi, quo Comicus utitur ejufdem fabulæ III. 3. 15. de Mitione fene. Videntur tamen adhibiti fuiffe, ut in folutionibus contrahentium intereffent, & acta ab utraque parte in fuas rationes referrent. Eofque id munus de publico habuiffe pro teftimonio eft titulus de Edendo. *Argentarius rationes edere jubetur, nec intereft, an cum ipfo argentario controverfia fit, an cum alio* (ex quibus verbis evidens eft, *argentarium* alienas quoque rationes conficere) Additum deinde eft. *Ideo argentarios tantum, neque ullos alios abfimiles eis rationes edere cogit, quia officium illorum atque minifterium publicam habet caufam, & hæc principalis eorum opera eft, ut actus fui rationes diligenter conficiant.* Cicer. pro L. Flacco c. 19. *Cum civitate res mihi eft acerrima, & conficientiffima literarum, in qua nullus moveri poteft nummus fine quinque prætoribus, tribus quæftoribus, quatuor menfariis.* Nann. Mifcell. II. 10.

ARGENTEA pocula. V. illa infr. in *Pocula.*

ARGENTEUS color. V. illum infr. in *Color.*

ARGENTIFODINÆ etiam primum in metallis locum tenent. Illarum etiam libera republica, ut cætera, vectigalia a cenforibus locabantur. V. infr. in *Aurifodinæ.* Burmann. Differt. de Vectig. c. 6.

ARGENTINA. V. illam infr. in *Argentoratum.*

ARGENTINUS filius erat Æfculani (V. illum fupr.) apud veteres, quia prius ærea pecunia in ufu effe cœpit, poft argentea. Habebant illum deum, ut fcilicet haberent ipfi argenteam pecuniam. Auguftin. de Civ. Dei IV. 21. Qui ridet illos, quod *Argentinus* non genuit Aurinum, quia & aurea moneta fubfecuta eft. *Gyrald. Synt. Deor.* I. *p.* 38. *F.*

ARGENTORATUM civitas eft in Germania prima, inquit Itinerarium, fecundum Rhenum. Oppidum non eft Vangionum, ut ingenti errore habetur apud Ptolemæum: neque Nemetum, ut fit a Mercatore, dum meliorem quam quidem Ptolemæus locorum ordinem conftituere voluit; fed princeps Elfatiæ, magnificum fimul, & gratiffimum Mufarum domicilium, nunc vulgari vocabulo Strasburg. Libellus provinciarum civitatumque Galliæ. *Civ. Argentoratenfium, Stratisburg.* Kalendarium vetus, quod in hac urbe, in bibliotheca majoris templi adfervatur, eodem nomine haud femel appellat *Stratisburgum.* Primum fuit vicus, fed in oppidum excrevit. Primus auctorum, quorum monumenta ad noftrum pervenerunt feculum, hujus urbis meminit Ptolemæus: unde antiquitas ejus perfpici poteft. Ptolemæus quippe non vicos in Gallia, fed præcipuas tantum recenfuit urbes. Ad eam vero dignitatem haud facile efcendere potuit, nifi longa ante Ptolemæum celebritate. Itaque etiam non dubito, quin hoc unum fuerit, ex quinquaginta amplius caftellis illis, quæ Drufus apud Rheni ripam erexit. Antoninus certe, & auctor tabulæ, magni nominis fuo ævo fuiffe urbem eo ipfo fatis teftaptur, quod itinera huc, ceu ad locum celebrem, variis ex locis direxerunt; hic vero etiam primariæ urbis figura depictam refert. Vicum Valentiniani Imperatoris tempore fuiffe cenfet Scalig. Aufon. Lect. I. 1. Sed fallitur quam vehementiffime. *Cluver. Germ. Antiq.* II. 11. Nunc *Argentina* dicta. Marcellinus, Aurelius Victor cum Paullo Diacono *Argentariam* vocant. Habet Germania prima Maguntiam metropolin, & *Argentoratum*, quibus præter Ducem provinciæ datus eft huic Comes, illi Dux, ut plures irruentibus in agrum Romanum hoftibus cum fuis copiis occurrerent. Huic igitur urbi, & ejus tractui proprius Comes cum manu militum præerat, *Argentoratenfis* nuncupatus. Nulli fub eo numeri recenfentur: fed legionem octavam Sebaftam, id eft, Auguftam Ptolemæus hic collocat, quæ minimum continet mille pedites. Ejus infignia funt liber eodem modo dorfo infcriptus, & codicilli, ut in aliis co-

mitibus est dictum. Munitionem magnifice exstructam habet, supra scriptum est, ARGENTORATENSIS, & infra. SUB DISPOSITIONE VIRI SPECTABILIS COMITIS ARGENTORATENSIS TRACTUS ARGENTORATENSIS: in quo erant Vangiones & Treviri secundum Rhenum siti. In indice hic Comes quartum locum tenet, hic postremum. *Panciroll. Notit. Dign. Imp. Occid. c.* 74. Erat illic fabrica *Argentoratensis* omnium armorum. Armorum nomine non tantum cassides cataphractasque, contineri puto, sed & enses, hastasque & scuta l. armorum de Verb. Sign. quia dicit omnium. *Panciroll. ibid. c.* 32.

ARGENTEOLI Caroli, Ludovici, Hlotharii, Arnulfi nummi, quos habeo, quid fuerint, aut valuerint, liquido statuere non possum. Ex quo enim ad Francos summa rerum pervenit, deletis non tantum Gothis & Longobardis, sed etiam Græcis Latio omnique Hesperia exclusis, nihil ex omni illorum republica minus notum est, quam rei nummariæ ratio: propterea quod ex illorum nummis tam parum, imo nihil fere hoc ævo supersit. *Freher. de Re Monet. German. Imp.* II. 2.

ARGENTEI triginta, quibus Christus Dominus æstimatus est a Judæis illos offerentibus proditori Judæ, nostro numismate reddunt unam & viginti libras Turonenses. *Cenal de Pond. ac Mensur. rat. Tom.* XI. *Thes. Antiq. Roman. Græv. p.* 1526. *E.* Viginti, quibus venditus est Joseph Ismaelitis, ad nostrum calculum sunt librarum Turonensium quatuordecim. Christum autem Dominum pluris æstimari conveniebat, nec typum per omnia respondere figurato necesse est: non tamen inficior Ismaelitas denuo vendidisse Joseph Potiphari eunucho Pharaonis, qui an aliquid supra prius pretium acceperint, nec ne, prorsus ignoratur. Quis enim divinare possit, quæ nec Scriptura tradidit, nec apud unum ex probatis auctoribus leguntur. *Cenal. ibid. p.* 1527. *A.*

ARGENTUM Indus Rex primus invenit. Cassiodor. Var. IV. 34. & Athenas primus attulit Erichthonius. Hygin. Fab. 274. Ea de causa invenisse dicitur Plin. VII. 56. *Meurs. de Atheniens.* II. 1. *p.* 81. De *argenti* generibus Isidor. XVI. 17. *Tria sunt genera argenti, & auri, & æris: signatum, factum, infectum. Signatum est, quod in nummis est. Factum est, quod est in vasis & signis. Infectum est, quod in massis est, quod & grave dicitur.* I. *massa.* Utrum electro, an electrum argento cedat, id ex adspectu vasorum facilius intelligi posse, Paullus ex Proculi & Neratii sententia respondit. Quod si in obscuro sit, inspiciendum esse, in utro numero ea vasa is, qui testamentum facit, habuerit. l. pediculis. 32. §. Neratius. 5. ff. de Aur. & argent. legat. *Salmuth ad Panciroll. de Reb. Deperd. & Inv. p.* 233. Quomodo aurum ab illo separetur. V. infr. in *Aurum.* In fila deducere, & filis argenteis vestimenta contexere ætate Aureliani nondum erat inventum. Voluit enim *argentum in suo usu manere.* Vopisc. in ejus vita c. 46. Sub ultimis Imperatoribus apud Græcos multum in usu fuit. Vestimenta illa syrmatina dicebantur a syrmate, hoc est, filo argenteo. Quoties legis apud Codinum συρματεῖνον, *argenteis* textum filis, & *argentatum* accipe. *Salmas. in Vopisc. h. l.* Tricliniis primus addidit Carbilius. V. infr. in *Lecti tricliniares.* Olim frugalitas castrensis non admittebat. Polyæn. VIII. 16. 2. Scipio ad Numantiam edixit, *argenteum vas majus duabus cotylis neminem habere, itemque neminem lavare*, sive balneis uti. Spartian. Pescenn. c. 10. *Cum milites quosdam in cauco argenteo expeditionis tempore bibere vidisset, jussit omne argentum submoveri de usu expeditionali, addito eo, ut ligneis vasis uterentur.* Plin. XXXIII. 3. *Spartacus interdixit castris suis, ne quis aurum haberet, aut argentum.* Livius laudandus infr. in *Argentum escarium.* Sed pocula in illis vulgo lignea. Herod. IV. 7. 9. *Mensam vilem apponebat, atque etiam interdum ligneis vasis ad potum cibumque utebatur.* Spartianus jam laudatus. *Lips. de Milit. Roman.* V. *dial.* 16. *Thys. Rom. Illustr.* V. *p.* 146.

Argentum Ægyptium magno in pretio ad vasa cœlanda habebatur. Hoc Comitem commerciorum, qui per Ægyptum fuit, mercatum fuisse, & ad comitatum misisse credendum est. *Panciroll. Notit. Dign. Imp. Orient. c.* 75.

Argentum balneare dicebatur, quo diebus festis in balneo utebantur. Scævol. leg. 40. ff. de arg. legat. *Pignor. de Serv. p.* 129.

Argentum cineraceum dicitur, quod in magna quantitate purgatum, & a plumbo separatum est, veluti cum trecenta vel quadringenta semipondo, quæ vulgo marcæ dicuntur, simul liquantur in capaci, sive majori catino, facto ex cineribus bene præparatis & lotis; quæ ratio est, quare *argentum* hoc modo purgatum dicatur *argentum* cineraceum. Quoniam autem *argentum* hoc in tanta quantitate purgatum & excoctum est, fieri non potest, quin plerumque sex saltem grana plumbi, vel impurioris materiæ in tota massa remaneant. Fallitur itaque Giraltus, qui in Disquisitionibus suis de monetis putat *argentum* cineraceum esse omnium purissimum. Verum quidem est, sex granis plerumque abesse a puritate duodecim denariorum: inde tamen non sequitur, *argentum* non posse ad majorem puritatem excoqui, quoniam quod dicitur cupellatum & granulatum ad ulteriorem puritatis gradum posse perduci constat. *Savot. de Numm. Ant.* II. 10.

Argentum concavum est cœlatum, cœlo scilicet sculptum, & in figuras exornatum, quod Græcis etiam κοῖλον dicitur, ut de Rufino consule legitur apud Plutarch. in Sylla p. 451. C. *Inventus est Rufinus argenti cavi possidere supra decem libras contra leges, propterea senatu fuit motus.* Hoc loquens de eadem re factum dixit Gell. IV. 8. *Manut. de Civit. Roman. Thes. Antiq. Roman. Græv. Tom.* I. *p.* 35. *C. D. Sperling. Dissert. de Numm. non cus. c.* 33.

Argentum cupellatum est illud, quod a plumbo separatum est in minori catino cinereo, nullaque alia differentia inter hunc & præcedentem purgandi modum intercedit, nisi quod, ut jam dictum, catinus cinereus in posteriore hac purgatione multo sit minor, & *argenti* quantitas itidem longe minor (quippe quæ plerumque tantum decima sexta pars unciæ esse solet) in eo excoquatur. Catinus hic minor vocatur coupelle, & *argentum* in minori catino excoctum dicitur cupellatum; idque ad ultimum & supremum puritatis gradum, quem quidem arte assequi possumus, perductum est, vincitque puritatem *argenti* cineracei, sex circiter granis. Cæterum excoctores, cum *argentum* cineraceum ad eundem puritatis gradum perducere volunt, illud in fornace ventosa denuo liquefaciunt; quo facto, quicquid plumbi & fordium *argento* illi admixtum est, superficiem petit, eique instar lithargyrii innatat. Excoctores igitur sordes has, quamprimum ad superficiem ascenderunt, ab *argento* secernunt, injicientes catino pulverem carbonum, cum quo sordes istæ in grumulos concrescentes facile secernuntur ab excoctoribus, qui pulverem carbonum catino injicere non desinunt, donec nullæ amplius sordes in superficie *argenti* liquefacti conspiciantur. Excoctores hunc *argenti* purgandi modum vocant *ventilare argentum.* Savot. de Numm. Ant. II. 10.

Argentum escarium sunt vasa, quibus in epulis utebantur. Donatus enarrans illa Virg. Æn. I. 644.

Ingens argentum mensis, cœlataque in auro
Fortia facta patrum.

inquit, *idcirco adjecit* mensis, *ut ostenderet escarium argentum, ne putaretur in iis speciebus esse, quæ longe essent ab usu mensarum.* Pignor. de Serv. p. 128. Ulpian. l. 19. §. 12. ff. de Aur. & arg. legat. *Si cui escarium argentum legatum sit, id solum debebitur, quod ad epulandum in ministerio habuit, id est, ad esum & potum.* Quod *argentum factum ad vescendum* dicitur Liv. XXII. 52. *Si quid argenti, quod plurimum in phaleris equorum erat: nam ad vescendum facto perexiguo, utique militantes, utebantur.* Cujac Observ. II. 6. Auctor Misc. defens. pro Salmas. ad jus Rom. & Attic. p. 471. 482.

Argentum factum vasa sunt argentea, patinæ, crateres, phialæ, calices. . . . Quod enim *argentum* factum dixerat Gell. IV. 8. *Hunc Rufinum postea ob luxuriæ notam, quod decem pondo libras argenti facti haberet*, de eadem re loquens *vasa argentea* vocat Valer. Max. II. 9. 4. *Ab eo*, Fabricio Lu-

Lucino censore, *Cornelium Rufinum duobus consulatibus & dictatura speciosissime functum, quod decem pondo vasa argentea comparasset, perinde ac malo exemplo luxuriosum, in ordine Senatorio retentum non esse.* Isidorus. V. illum supr. in *Argentum.* Manut. de Civ. Roman. Thes. Antiq. Roman. Græv. Tom. I. p. 35. C. D. Gronov. de Pecun. Vet. I. 7. Cujac. Observ. X. 18. Sperling. de Numm. non cus. c. 33. Guther. de Offic. Dom. Aug. III. 19. Rhodig. Ant. Lect. X. 2. Laz. Comm. Reip. Rom. III. 3. Auctor Misc. defens. pro Salmas. ad jus Attic. & Rom. pag. 443. 458.

Argentum granulatum vocatur *argentum* liquefactum, quod in aquam conjicitur, propter formam quam assumit. Purgatum enim & mundatum, dum adhuc fervet, infunditur in vas, aqua communi plenum: in quod postquam decidit, configuratur in formam globulorum, vel exiguorum tuberculorum, quæ artifices granula vocant, eaque colorem & candidissimum & pulcerrimum, postquam per aquam transierunt, nanciscuntur, suntque ad usus artificum multo aptiora, quam si in massam coaluissent. Eandem ob causam vocatur *pustulatum* infr. *Savott. de Numm. Ant.* II. 10. & II.

Argentum infectum est quod adhuc est in massa. Liv. XXXIV. 52. *Infecti argenti fuit decem & octo millia pondo.* Isidorus. V. illum supr. in *Argentum.* Gronov. de Pec. Vet. I. 7. Cujac. Observ. X. 18. Sperling. de Numm. non cus. c. 33. Laz. Comm. Reip. Roman. III. 3. In ærario etiam habuerunt Romani. V. infr. in *Lateres.*

Argentum potorium an duntaxat sit id, in quo bibi possit: an etiam id, quod ad præparationem bibendi comparatum est, velut colum nivarium, & urceoli: dubitari potest; sed propius est, ut hæc quoque insint. *Pompon.* I. 21. *ff. de arg. leg.* Ministerium etiam fuit *argenti* potorii. Romæ legerunt viri docti.

OSSA
VIBLÆ. SUCCESSÆ. LIVIÆ. AUG. SERV.
AB. ARGENTO. POTORIO.

Pignor. de Serv. p. 129.

Argentum purum dixerunt Latini *argentum* non cœlatum. Juven. IX. 141.

— *argenti vascula puri.*

Plin. Epist. III. 1. *Apponitur cœna non minus nitida quam frugi, in argento puro, & antiquo.* Paullus puro cœlatum opponit leg. 6. ff. de Aur. & arg. legat. *Quamvis & in vasis occurrat difficultas: utrum lancem duntaxat dici oporteat, an etiam quadrata, vel rotunda: vel pura an cœlata sint.* Kobierzyck. de Lux. Roman. II. 10.

Argentum pustulatum vocant Latini etiam granulatum, quoniam in aqua, quod ad formam & figuram attinet, tuberculis & *pustulis* simile evadit. Hoc epitheto *argentum* purissimum insigniunt. Suet. Ner. c. 44. n. 4. *Exegit ingenti fastidio & acerbitate argentum pustulatum.* Mart. VII. 70. 7.

— *nulla venit a me*
Argenti tibi libra pustulati.

Savot. de Numm. Ant. II. 11. Turneb. Adv. XXIV. 2. Cujac. Observ. VII. 39. & Cod. XI. 11. 3. Bud. in Pand. p. 174. Voss. Lex. in Pus. Salmas. in Vopisc. Tacit. c. 9. Laz. Comm. Reip. Rom. III. 3. Torrent. & Pitisc. in Suetonium.

Argentum scenicum erat, quo dominus non temere utebatur, sed commodare ad ludos, & ad cæteras apparationes solebat, ut interpretatur Alfenus leg. 28. ff. de Aur. & Arg. legat. Scenici mentio extabat olim Romæ in hortis Carpensibus:

T. ÆLIUS. AUGUSTORUM. LIB. AMEMPTUS. AB. ARGENTO. SCENICO.

Pignor. de Serv. p. 129.

Argentum signatum est quod est in nummis. Isidorus. V. illum supr. in *Argentum.* Laz. Comm. Reip. Roman. III. 3. Cujac. Observ. X. 18. Guther. de Offic. Dom. Aug. III. 19. Cœpit signari anno ab U. C. 584. Q. Fabio Maximo Pictore & L. Quintio Gulone Consulibus quinque annis ante bellum Punicum. Plin. XXXIII. 3. cum scilicet magnam istam pecuniarum vim; quam Tullius Samnis ex latrociniis apud Caricinos deposuerat, cepissent. Qua in re uti cum Plinio Johannes Zonaras Annal. Tom. II. p. 48. & Abbas Urspergensis Chronic. p. 22. & nuper Stephanus Pighius Annal. Roman. VI. p. 451. conveniunt, ita in calculo chronologico error deprehenditur minimum centum annorum. Hinc Budæus de Asse V. p. 150. ex Eutropio, Eusebio, Floro & Livio annum ab U. C. 473 aut 484 reponendum esse conjicit, cum ante annum quadringentesimum quinquagesimum secundum Florum, & ante annum quadringentesimum & octogesimum secundum Eutropium jam tum nummi argentei extiterint. Idem numerorum mendum Haloander jam tum observavit in suo Consulum catalogo, qui istos in annum ab U. C. 484. conjecit. *Lipen. de Stren. c.* 3. §. 30. *Gronov. de Pecun. Vet.* III. 9. *Ciaccon. Columm. Rostr. Thes. Antiq. Roman. Græv. Tom.* IV. *p.* 1827. *G. Sperling. de Numm. non cus. c.* 33. *Casal. de Urb. de Imper. Roman. splend. part.* 2. *c.* 15. *Hotman. Antiq. Roman.* IV. 2. 1. *Franckenstein de Ærar. Pop. Rom. c.* 2.

Argentum viatorium. Hujus meminit Scævola Leg. 40. ff. de Aur. & argent. legat. *Medico suo contubernali, & communium expeditionum socio inter cætera ita legaverat, Argentum viatorium meum dari volo. Quæsitum est: cum paterfamilias in diversis temporibus reipublicæ causa fuerat, quod viatorium argentum hoc legato comprehensum esse videtur, respondit, quod habuisset argentum viatorium eo tempore, cum testamento ita legatum est.* Pignor. de Serv. p. 129.

ARGILETUM fuit tractus in foro olitorio. Ejus ima pars desinebat ad theatrum Marcelli, ubi nunc forum vulgo Montanarium; summa circa finem Velabri & Vici Tusci. Serv. Æneid. VII. 607. *Sacrarium hoc Numa Pompilius fecit circa imum Argiletum juxta theatrum Marcelli.* Sed aliter Mart. I. 118. 9.

Argi nempe soles subire letum,
Contra Cæsaris est forum taberna.

II. 17. 1.

Tonstrix Suburræ faucibus sedet primis,
Cruenta pendent qua flagella tortorum,
Argique letum multus obsidet sutor.

Hæc sine dubio pugnant. Nam forum Cæsaris erat post templum Pacis, ubi & principium Suburræ, longe a theatro Marcelli. Aut ergo fuit duplex *Argiletum*, alterum ad radices Capitolii, alterum ad initium Suburræ: aut Servius, vel Martialis erravit. Potius inferri potest, duo fuisse; nisi doctiores meliora proferant. *Donat. de Urb. Rom.* II. 27. Ego illud Martialem affirmare nego: verum in altero epigrammate duas tabernas Luperco indicare diversas, in quibus libri sui venderentur, in Argileto nempe & in foro Cæsaris. In altero tonstricem cum tonstrice alia comparat, quæ in capite Suburræ habitabat: item cum multis sutoribus, qui in *Argileto*, ita ut locorum illorum non faciat indicetque conjunctionem. Incipiebat in foro olitorio, in vico Tusco desinebat. De principio ejus res certa est ex Servio modo ad Æneid. VII. 607. laudato. Liv. I. 19. *Janum ad infimum Argiletum indicem pacis bellique fecit.* Verum de altero ejus capite, cui *summo Argileto* nomen, certum indicium mihi nullum occurrit, licet illud Antiquarii ad vicum Tuscum statuant: at nihil probant. Marlianus & Demsterus Fabium Pictorem adducunt, scriptorem supposititium: cujus figmenti certum argumentum est, quod Vicum Tuscum & *Argiletum* cum Cœliolo & valle confundat, quæ inter Circum Maximum & Aventinum interjacet. Non nego tamen, si *Argiletum* in foro olitorio inceperit juxta theatrum Marcelli, id est, inter Sabellorum palatium & Tiberim, non potuisse illud secundum Tiberim eousque extendi, ubi vicus Tuscus transit e foro ad Velabrum, attingebat forte ad pontem nunc temporis disjectum S. Mariæ. Verum quum simul sub eodem theatro incipiens semet ulterius secundum flumen extendere non potuerit, ubi hodie statio Judæorum est, ita tamen ut muros veteres intrarit, non video. Sed hæc sufficiant. Interim utramque ripam *Argileto* non male assignari posse arbitror; non tamen ita

pro

pro certo id afferimus, ut alii faciunt, qui illud illam viam esse angustam pronuntiant, quæ humilibus tota fere occupata domibus a quatuor capitum ponte ad S. M. Ægyptiacæ ducit, in qua & porta exstitit Flumentana. *Nardin. Rom. vet.* VII. 4.

ARGITES, Græcula vitis generis albi, fertilis, vastam materiam, & breve & latum folium mittens, cujus fructum nisi primo tempore colligas, aut ad terram decidet, aut humore putrescet. Isidor. XVII. 5. *Buleng. de Conviv.* III. 5.

ARGONAUTÆ dicti sunt ab *Argo* navi, cujus faber *Argus* vocabatur. Quinquaginta fuerunt heroes, qui in Colchidem ad rapiendum aureum vellus iverant. *Pancroll. Descr. Urb. Rom. Thes. Antiq. Roman. Græv. Tom.* III. *p.* 361. Fuerunt ante bellum Trojanum centum annis. Eusebius. *Bargæus Comm. in Obeliscum Thes. Antiq. Roman. Græv. Tom.* IV. *p.* 1925. *E. Prosper Chron. Thes. l. l.* XI. *p.* 276. *A.*

ARGULUS. V. illum infr. in *Trochilus.*

ARGUS multis fingitur insignitus oculis fuisse. Hunc Mercurius dicitur interfecisse. Quo nocturnum cœlum Macrob. Saturn. I. 19. teste significatur, cujus stellæ quasi innumeri oculi ab exoriente sole enecari videntur, dum eorum adspectus hominum oculis eripitur. *Aleand. Tab. Heliac. Explic. Thes. Antiq. Roman. Græv. Tom.* V. *p.* 718. *B.*

ARGYROASPIDES. V. illos infr. in *Chrysoaspides.*

ARI.

ARICIA oppidum vulgo nunc *La Riccia* corrupta appellatione dictum, quum antea vocaretur præposito linguæ vulgaris articulo *la L'Aricia.* Una fuit ex antiquissimis Latii urbibus. Memoria ejus exstat in initio rerum Tarquinii Superbi apud Livium I. 50. *Turnus Herdonius ab Aricia ferociter in absentem Tarquinium erat invectus.* Cluver. Ital. Ant. III. 4. 13. Conditorem ejus Archilochum vetustissimorum Siculorum Ducem Solinus refert, & ab eodem *Erminam* vocitatam. Describitur Cicer. Phil. III. 6. *Municipium vetustate antiquissimum, jure fœderatum, propinquitate pœne finitimum, splendore honestissimum.* Fuisse olim non eodem loco, ubi modo exsistit, sed paullo remotiorem ad viam Appiam innumera ibi passim obvia monumenta ostendunt. A Siculis, antequam ab Aboriginibus & Pelasgis pellerentur, quingentis fere annis ante bellum Trojanum est condita. *Kircher. Lat. Vet. & Nov.* II. 1. 6. An inter continentia Romæ ædificia numeranda sit V. infr. in *Roma.* Sunt qui conjecturam secuti putent ante bellum Italicum Ariciam, Antium, Lavinium colonos fuisse deductos, quia illarum post Marsico bello & civili Syllano mentio usurpatur hoc modo Liv. Epit. 80. *Marius Antium, & Ariciam & Lanuvium colonias devastavit.* Verum non duodecim esse deductas, cum alia indicant, tum vero id, quod est apud Appianum de M. Druso filio M. Drusi, qui ex SC. legem de duodecim coloniarum deductione & tribus millibus in singulas adscribendis pertulit, legem eum de coloniis in Italiam deducendis tulisse, quæ jampridem decretæ, nondum tamen deductæ fuerant, quæ lex SC. postea est sublata. *Sigon. de Ant. Jur. Ital.* II. 5. Puellæ ab *Aricia* accensis faculis ad Artemisium, hoc est, ad nemus deæ pompam celebrantes procedebant. Ovid. Fast. III. 269.

Sæpe potens votis frontem redimita corollis
Fœmina lucentes portat ab Urbe faces.

Qui κατ' ἐξοχὴν *Ariciam* appellavit Urbem ad honorem regnantis Augusti. Ea quidem pompa virginum & puellarum, sed per licentiam cæteræ etiam farinæ mulieres recipiebat. Sane Cynthia Propertii II. 23. 39. intra scorti famam murmur turbæ sibi provocabat

Cum videt accensis devotam currere tædis
In nemus, & Triviæ lumina ferre deæ.

Quæ faculæ inter spicatos fasciculos mediæ lucebant. Grat. Cyneg. II. 484.

Spicatásque faces sacrum, ad nemora alta, Dianæ
Sistimus.

Moremque ex fasce illo deductum arbitrarer, in quo simulacrum Dianæ involutum Orestes in Aricinum nemus invexit, ut Hyginus meminit in Hippolyto. *Argol. Epist. ad Tomasinum apud illum de Donar. c.* 2.

ARICINI in tribu erant Papinia. *Hennin. Not. ad Bergier. de viis milit.* I. 8. 11.

ARIETEM Mercurio tribuebant veteres. Itaque in antiqua gemmæ sculptura Mercurius *arieti* insidet, & in alia apud Pompejum Pasqualinum pabulum ex frondibus *arieti* præbet: & ita de *ariete* loquitur Artemid. II. 12. *Velox est animal, eique Mercurii species creditur inesse.* Tutelam *arietis* ideo Mercurio tributam existimat Pausan. II. quod is præ cæteris greges tueri, atque augere crederetur: verum quum subjungit, quædam sibi cognita in Magnæ matris initiis de Mercurio & *ariete*, quæ proferre non audeat, suspicionem injicit, naturalem subesse rationem: occulta enim mysteria in illis, Isiacisque sacris rerum ut plurimum naturalium interpretationem sumebant. Ex hoc itaque vernum tempus denotatum existimari potest: *aries* enim cœleste signum ver figurat, ut Manilius loquitur. Ac quia verno tondentur oves, creditus est Mercurius ejus rei, simulque lanificii auctor fuisse. Tertullianus de Pallio: *Mercurium autumant forte palpati arietis mollitie delectatum diglubasse.* (L. *deglabrasse*, verbo, ni animi fallor, Afri illius scriptoris genuino: id valet glabrum reddere, aut calvum facere, sive id novacula fiat, seu vulsura: vellebantur enim antiquitus oves ante inventam tonsuram, ut Varro auctor est de Ling. Lat. IV. & de Re rust. II. cap. ult. nec non Plin. VIII. 47. & antiquus Persii interpres ad Sat. II.) *oveculam, dumque pertentat quod facilitas materiæ suadebat, tractu prosequente filum eliquasse.* Aleand. Tab. Heliac. Explic. Thes. Antiq. Roman. Græv. Tom. V. 743. F. *Arietem* subjiciebant qui hominem interfecerant sui expiandi gratia. Festus. *Subjicere arietem in libro* XV. *Juris Pontificii Antistius esse ait dare arietem, qui pro se agatur, cædatur.* Et *Subjici aries dicitur qui agitur ut cædatur: quod fit, ut ait Cincius in libro de officio Jurisconsulti exemplo Atheniensium, apud quos expiandi gratia aries inigitur ab eo qui scelus admisit pœnæ pendendæ loco.* Notum enim est apud Athenienses & alios Græcos, non solum, qui ἀκούσιον φόνον, sed & qui ἐκ προνοίας fecissent, pecudibus immolandis expiari solitos, ut de Oreste & aliis proditur. Hoc etiam Numa in leges suas retulerat, inter quas hæc fuit: *Sei. quis. hominem. leiberum. dolo. sciens. morti. duit. paricelda. esto. sei. im. imprudens. se. dolo. malo. occisit. pro. capite. occeisei. &. nateis. ejus. in. concione. arietem. subicito.* Ursin. ad Leg. & SC. Thes. Antiq. Roman. Græv. Tom. II. p. 1348. B. Scalig. in Festum. *Arietes* immolabant veteres. Varro apud Gell. III. 11. hoc habet Homeri epitaphium;

Capella Homeri candida hæc tumulum indicat:
Quod ariete mortuo faciunt sacra.

Inprimis Jovi erat sacratus. Cui omnibus nundinis a Flaminis uxore mactabatur. *Saubert. de Sacrif. c.* 23. *Borrich. Ant. Urb. Fac. c.* 6. *Arieti* caput tribuerunt Ægyptii astronomi, qui saltus cujusque particulæ corporis reduxerunt ad duodecim pro numero partium ac membrorum nostri corporis, quæ subjiciuntur signis. Si igitur salit caput, vel aliqua capitis pars, totum hoc ad caput pertinere dixerunt, *arietique* esse tribuendum. Unde si luna tenente *Arietem* caput, vel aliqua capitis particula salierit, litem atque calumniam fore significandum est. *Niphus de Augur.* I. 21. *Arietibus* impositi Regum filii olim equitare solebant. Hesychius in Ἐπιβήτορι. Οἱ τῶν βασιλέων υἱοὶ πρῶτον ἐπὶ τῶν κριῶν ἱππεύειν ἐμάνθανον. *Buleng. de Circ. c.* 21.

Arietis, machinæ bellicæ, origo vetus, sed parum certa, cum pars ad Græcos & Epeum referant, inter quos Plin. VII. 56. *Equum, qui nunc Aries dicitur in muralibus machinis Epeum invenisse ad Trojam:* pars ad Tyrios, sive Carthaginienses, inter quos Vitruv. X. 19.

Primum ad oppugnationes Aries ſic inventus eſſe memoratur. Carthaginienſes ad Gades oppugnandas caſtra poſuerunt. Cum autem caſtellum ante cepiſſent, id demoliri ſunt conati. Poſtquam non habuerunt ad demolitionem ferramenta, ſumpſerunt tignum, idque manibus ſuſtinentes, capiteque ejus ſummum murum continenter pulſantes, ſummos lapidum ordines dejiciebant, & ita gradatim ex ordine totam munitionem diſſipaverunt. Ego Vitruvio magis, quam Plinio accedam. Si enim Græcorum res, & jam inde a Trojano bello: cur Homerus non meminit, ille fons & theſaurus rerum artiumque? cur multis ſeculis nemo poſtea? nec probabile eſt, rem tam præſentanei uſus, ſemel repertam, ſubito deperiiſſe. Dixit deterior ætas *Carcamuſas*. In obſidione Pariſienſi Abbo.

Arrietes, carcamuſas vulgo reſonatos.

Eadem, aut ſequens etiam *Cancrum*, neſcio an a ſimilitudine aliqua fabricæ, aut quia identidem retro iret. Triplicem reperio. Eſt *rudis*, & a prima inventione, quem manibus lacertiſque validi homines ſuſtinent & agunt. Talis in columna Trajani ſic pictus exſtat, & Daci eo utuntur. Poſſit huc duci iſtud Lucan. I. 383.

Tu quoſcunque voles in planum ducere muros,
His Aries actus diſperget ſaxa lacertis.

Lacertorum enim fit mentio: etſi ii quoque in compoſito *ariete* adhibiti. *Compoſitus* mihi eſt, qui trabem quoque alteram jungit & ſtatuit, a qua pendulus vi majore, conatu leviore, libratur. Hunc quoque Tertullianus Pœnis ſuis primitus repertum aſſerit de Pallio c. I. *Arietem nemini adhuc libratum illa dicitur Carthago, ſtudiis aſperrima belli, prima omnium armaſſe in oſcillum penduli impetus, commenta vim tormenti de bile pecoris capite vindicantis.* Cum enim oſcillationem ei tribuit, manifeſte compoſitum hunc demonſtrat. Vitruvius idem cum eo, qui vult ſtatim a rudi illa inventione, *fabrum quendam Tyrium, nomine Pephaſmenon, hac ratione inductum, malo ſtatuto alterum ex eo uti trutinam ſuſpendiſſe, & reducendo & impellendo vehementibus plagis Gaditanorum murum dejeciſſe.* Hic in plurimo uſu, & inter Romanorum opera ex profeſſo Joſephus deſcripſit Excid. III. 9. *Eſt*, inquit, *Aries trabs prægrandis, quæ malum navis adſimilat. Is ſolidatur in capite gravi ferro, in arietis formam, unde & nomen adſumpſit. Dependet medius, funibus ſuſpenſus ex alia trabe, velut trutina, quæ trabs tignis utrinque firmis munita eſt & fulta. Repulſus porro magna virorum manu retrorſum, iiſdemque antrorſum ſtatim & cum impetu reflectentibus, quatit muros prominulo ferro. Neque eſt ulla turris tam valida, aut mœnia tam lata, quæ, ut primas maxime plagas tulerint, ſuſtinere & ſubſiſtere adſiduas eas poſſint.* Hunc cratibus tegebant & coriis, contra jactus aut ignes. Joſephus. *Produxere arietem vineis tectum, & ſuperne corio munitum, ad ſuam & machinæ tutelam.* Etſi pro his tegumentis receptum etiam, ut ſolida *Teſtudine* totus *Aries* tegeretur, atque ea forma noſtra tertia eſt, *Teſtudo arietaria*, vel *Teſtudo aries* dictus. Hunc quoque Carthago reperit. Et ita Vitruv. l. l. *Cetras Charcedonius de materia primum baſim ſubjectis rotis fecit, ſupraque compegit arrectariis & jugis varas: & in his ſuſpendit arietem, coriiſque bubulis texit, uti tutiores eſſent qui in ea machinatione ad pulſandum murum eſſent collocati. Id autem, quod tardos conatus habuerat, teſtudinem arietariam appellare cœpit.* Totam ipſe eam deformat, & minute, ac menſurate, ut architecti videatur. De eadem Veget. IV. 14. *De materia, ac tabulatis teſtudo contexitur, quæ ne exuratur incendio, coriis, vel ciliciis, centonibuſque veſtitur. Hæc intrinſecus accipit trabem, quæ aut adunco præfigitur ferro, & falx vocatur; aut certe ipſius caput veſtitur ferro, & appellatur aries. Teſtudo autem a ſimilitudine veræ teſtudinis nomen ſumpſit: quia ſicut illa modo reducit, modo profert caput; ita machinamentum interdum reducit trabem, interdum exerit, ut fortius cædat.* Lipſ. Poliorc. III. I. Salmaſ. in Tertullian. de Pall. p. 129. Turneb. Adv. VII. 20. Philand. in Vitruvium. Laz. Comm. Reip. Roman. IV. 6. Jun. Catalog. Archit. Mechan. pag. 47. Volaterr. Comm. Urban. XXX. p. 1125. B. Choul Caſtram. Roman. p. 69. Potter. Archæol. III. 10. Laurent. Polym. IV. Synopſ. II. §. 9. Thyſ. de oppugn. urb. III. p. 173. Lipſii diſtributio ſane haud improbanda, tamen quod ad *Compoſitum* attinet, non ſatis rem exprimit; nam præter *rudem*, & prætor dependentem, exque alia trabe, velut jugo aut trutina, ut habent Joſephi verba, funibus ſuſpenſum, etiam *aries* prope *compoſitus* fuit ex pluribus trabibus inter ſe connexis, & laminis ac vinculis ferreis arctiſſime circumligatus & compaginatus. Hinc intelliguntur Lucani & Marcellini loca, quæ de *ariete* hunc in modum compoſito habentur, hactenus aliorſum, & ad priorem compoſitionem, minus, ut exiſtimo, recte traducta. Lucani verba ita ſe habent:

— nunc conjunctas adſtringere nodis
Inſtabat ferroque trabes, quo frangeret altos
Portarum poſtes, quateretque morantia clauſtra.

Ammian. hæc ſunt XX. II. ubi ait: *Arietem vetuſtum diſſolutum fuiſſe, ut facilius veheretur, iterumque inſtructum.* Ubi in verbis Lucani conjunctas trabes, quæ nobis & ferro adſtringendæ, de *ariete* ejuſmodi, qui ex duobus aut tribus malis compoſitus conſtabat, omnino acceperim. Nam & Ammianus, cum inquit, *Arietem, ut facilius veheretur, diſſolutum iterumque inſtructum*, quis non de trabe ſimiliter ſolutili, aut potius de trabibus eum, ut indicavimus, in modum compoſitis atque aptatis id quoque ipſum intellexerit? *Pontan. ad Gell.* I. 13. *Schill Nomencl. Phil. p.* 151—155. Hic, quia violentiſſimum machinarum, & maxime terribilis: eoque in eum adinventa. I. Centones, & culcitræ paleis plenæ. Veget. IV. 23. *Aliquanti centones, & culcitras fuſtibus calcant.* Turneb. Adv. XXIV. 25. bene emendavit *funibus chalant*. Talia enim mollia contra vim, & duritiem *arietis* opponi moris fuit, & funibus ſuſpendi. *Et illis opponunt locis, qua cædit aries, ut impetus machinæ materia molliore fractus non deſtruat murum.* Joſeph. de Bell. Judaic. III. 9. *Saccos paleis plenos juſſit eo funibus demittere in eam partem, qua viderent ſemper impetum arietis fieri: ut hoc modo & aberrare faceret ictum, aut ſi excepiſſet, vanus redderetur mollitie, & laxitate. Quæ quidem res valde Romanos exercuit: nam quocunque hi convertiſſent machinam, illo traducentes ſaccos ſubjiciebant roſtro ejus, ut nihil murus reſiſtendo, & renitendo incommodi caperet: donec & ipſi, contra machinantes longis contis falces affigentes, ſaccos abſciderunt.* Appian. Mithridat. p. 221. *Arietes lapidibus decutiebant, aut laqueis deflectebant, aut ſportis, ſacciſque lanarum plenis vim refringebant.* II. Laquei, quibus excipiebant frontem prominentem *arietis*, & ſurſum trahebant in obliquum. Veget. l. l. *Alii laqueis captos arietes per multitudinem hominum de muro in obliquum trahunt, & cum ipſis teſtudinibus evertunt.* Appianus modo laudatus. III. Ferrum in modum forficis dentatum. Veget. l. l. *Plures in modum forficis dentatum funibus illigant ferrum, quem lupum vocant, apprehenſumque arietem aut avertunt, aut ita ſuſpendunt, ut impetum non habeat feriendi.* Quod ille *plurim*[illegible] factitatum clare dicit, nos vix legimus, & quærimus proprie hic exempla. Communiter de *lupo* non deſunt: ut apud Livium laudatum infr. in *Lupus*. *Corvum* dicit Diodor. XVII. 44. *Corvis, & ferreis manibus abripiebant eos, qui jam in loricis & propugnaculis mœnium conſtitiſſent.* IV. Baſes, & columnæ marmoreæ. Veget. l. l. *Interdum baſes, columnæ marmoreæ, vibrato impetu jaciuntur e muris, arieteſque confringunt.* Ponderibus, inquam, grandibus ſuperne incuſſis, aut injectis, *arietem* deprimebant, aut frangebant. Liv. XXXVIII. 5. laudatus infr. in *Tolleno*. Quod tollenonibus hic facit Livius, aperit Thucyd. II. p. 151. A. *Arietum alios laqueis avertebant, tum & hoc modo. Magnas trabes adaptantes longis catenis, a capitibus utrimque ſuſpenderant ad duas antemnas, ſuper muros inclinatas, & extenſas. Has trabes ſurſum trahebant, attollebantque obliquas, & quoties invaſura machina*, aries, *erat, ictumque datura, trabem dimittebant laxatis catenis, manuque remiſſa: atque is impetus decutiebat caput arietis.* Quod autem iſte *trabes* dicit, id Livius *ſtipites robuſtos*, qui tamen & de *plumbo* addit: uti & XLII. 63. *Arietem admotum libramento plumbi gravatum ad terram urgebant*, quod eſt, jactu, & libratione

bratione in eum plumbi superne. Id vero ipsum plumbum in trabium formam factum, & in massam longiusculam productum, ut certius feriret, indicat Polyæn. VI. 3. *Athenocles oppugnatus, adversus arietes ac terebras, trabes plumbeas fecit, easque transversas in propugnaculis opposuit, quibus, cum hostiles machinæ irruissent, eæ confringebantur.* V. *Murus alius, destructis domibus, intrinsecus additus.* Veget. l. l. Hoc remedium hodie quoque receptum contra demolitoria tormenta. Arrian. de Expedit. Alexandri I. 62. Halicarnassei oppugnati ab Alexandro *occuparunt, pro muro exteriore dejecto, introrsus latericium struere lunata forma.* Appian. de Bell. Mithridat. p. 195. Cum Sulla Athenas quateret, & muri cecidissent, *Archelaus introrsum ædificavit lunatos alios: quos cum Sulla statim deruere tentaret, ut qui novelli, & molles essent; contra cecidit, & supra, & a lateribus telis undique petitus, ut inter lunatos flexus, ab oppugnatione Pyræei omnino destitit.* Lips. ibid. v. dial. 8. Thys. ibid. v. pag. 193. Laurent. ibid. §. 10.

ARIMASPI uno oculo in media fronte insignes cum gryphibus bellum assidue ob metalla gerunt: gryphes aurum e terræ visceribus eruunt, *Arimaspi* autem rapiunt. Plin. VII. 2. Quæ omnia fabulosa esse reor cum Herodot. III. p. 234. B. *Ceterum ad septentrionem Europæ quam plurimam vim auri esse constat: sed quomodo fiat, ne hoc quidem pro comperto dicere queo. Dicuntur autem id a gryphibus auferre Arimaspi viri unoculi, quod nec ipsum credideri; ut viri nascantur unoculi, ceteram naturam habentes aliis hominibus parem.* La Chausse de Æn. antiq. Lucern. tab. 6. Turneb. Adv. XXIII. 16.

ARIMINUM oppidum olim principium fuit Galliæ Cisalpinæ, ad fluvium Rubiconem: ubi Cæsar Dictator belli civilis primum suscitavit incendium adlocutione ad milites, in foro *Ariminensi*, quod columna marmorea ibi adhuc visenda attestatur. *Areimanion* mavult vocari hoc oppidum H. Stephanus, tanquam habitatum viris bellicosis Gallis, ut amore Martis furentibus, sive ut ipse exprimit, enragez aprés la guerre. *Borrich. Ant. Urb. Fac.* c. 17. §. 5. Occurrebat primum e Gallia in Italiam venientibus: satis diserte ostendit, cum Ariminenses secum ita conquerentes facit Lucan. I. 248. . . 257.

O male vicinis hæc mœnia condita Gallis!
O tristi damnata loco! pax alta per omnes
Et tranquilla quies populos: nos præda furentum
Primaque castra sumus. melius fortuna dedisset
Orbe sub Eoo sedem, gelidaque sub Arcto
Errantesque domos, Latii quam claustra tueri.
Nos primi Senonum motus, Cimbrumque ruentem
Vidimus, & Martem Libyes, cursumque furoris
Teutonici. quoties Romam fortuna lacessit,
Hac iter est bellis.

Quæ causa fuit, ut primis temporibus, quemadmodum Pisas pro Liguria, sic *Ariminum* pro Gallia communi sermone usurparint. Liv. XXVIII. 38. *Tum prætoriæ provinciæ in sortem conjectæ: urbana Cn. Servilio obtigit; Ariminum, ita Galliam appellabant, Sp. Lucretio.* Sigon. de jur. Ital. I. 26. Hodie vulgo vocatur *Rimino* & *Rimini*; item *Rimano* & *Rimani*. Originem urbis Strab. V. p. 157. adscribit Umbris, qui eam habitarunt ante quam Senones Galli in hunc agrum irruerunt: namque Romani coloniam eo deduxerunt duobus & viginti annis postquam Gallos inde ejecerant. Breviator Livii XV. *Coloniæ deductæ Ariminum in Piceno.* Paterc. I. 47. 7. *Sempronio Sopho & Appio Cæci filio Consulibus Ariminum coloni missi.* Annus hic fuit ab U. C. 485. ante natum Christum 268. At M. Curio Dentato & P. Cornelio Rufino Consulibus, id est, anno ab U. C. 463. hac ora ejecti sunt Senones. *Cluver. Ital. Antiq.* II. 5. I. *Onuphr. Imper. Roman.* c. II.

ARIOLUS non tantum est, qui per furorem futura præfatur, sed extorum inspector. Festus. *Cujus ad exta inspicienda conducuntur arioli.* Apul. Apol. p. 472. *An licet ariolis jecinora rimari.* Denique in vetere Lexico scribitur. *Ariolus*, προφήτης, θυοσκόπ☉, βωμοσκόπ☉, φοιβητής. *Turneb. Adv.* XIX. 20: XXIX. 13. V. infr. in *Præstigiatores.*

ARION fuit ille equus, quem e terra primum excitavit Neptunus. Serv. Virg. Georg. I. 12. *Neptunum primum equum excitasse commenti sunt mythologi.* V. infra in *Equus.*

ARIPENNIS, sive *arvipendis* erat, qui σχοινίῳ, id est, funiculo arva metiebatur. Profecto quæstionis esse posset, an vetustiores Romani pertica, sive decempeda communiter usi fuerint in mensurandis agris. Mirum est, nec Varronem, nec Columellam, nec Plinium perticæ, aut decempedæ ad eam rem meminisse. Funiculo magis utebantur. Reperitur in glossis: *Arvipendium*, σχοῖν☉ γεομετρικός. Gallos ita vocare semijugerum tradit Columella. Bæticis hoc vocabulum tribuit incertus auctor de mensuris agrorum, qui actum quadratum ita Bæticos appellare notat, ab arando scilicet. Sive Bætica hæc vox sit, sive Gallica, ex Romano utique solo translata & corrupta, ut multæ jam olim apud Hispanos & Gallos. *Aripennis* igitur pro *Arvipendis*. Ab illo *arvipendium* verbum *arvipendiare*. Inde nostrum *arpenter*: *arvipendiator*, *arpenteur*. Sic vocamus vulgo, quem veteres dicebant agrorum mensorem, vel unica voce agrimensorem & mensorem. Nec objici potest verbum *pendere* de ponderibus tantum accipi. Sane & libram dixerunt certum agri modum. Hyginus: *In Narbonensi quoque provincia varia sunt vocabula: alii appellant libram, alii parallelen, in Hispania centurias. Ita sicut in consuetudine regionis alicujus inveniemus, ita renuntiandum: jugera tot, versus tot, sive libræ tot, sive quodcunque aliud vocabulum.* Salmas. Exerc. Plinian. p. 481. a. F.

ἌΡΙΣΤΟΝ vocabatur *jentaculum*, *quod primo, & quidem mane sumebatur, cum adhuc pæne tenebræ essent.* Didymus Homer. Odyss. II. Τρισὶ τροφαῖς οἱ παλαιοὶ ἐχρῶντο, καὶ τὴν μὲν πρώτην ἐκάλων ἄριστον, ἣν ἐλάμβανον πρωΐας, σχεδὸν ὅτι σκοτίας οὔσης. *Buleng. de Conviv.* I. 3. Idem quod ἀκράτισμα. Plutarch. Symp. VII. 6. Athen. I. 4. Theocritus vocat ἀκράτιστον eum qui non jentarat. *Buleng. ibid. c.* 4. Ἄριστον ἄπυρον V. infr. in *Frigida*.

ARISTOTELES Philosophus natus est eo ipso anno, quo M. Manlius Capitolinus necatus est anno ab U. C. 369. qui post recuperatam Urbem erat septimus, ut testatur Gell. XVII. 21. *Augustin. de Famil. Roman. in Papiria.* Cum in morbum quendam incidisset, qui a frigidæ sane potione juvari poterat, quia tamen talem potum nunquam ingessisset, medicis eum bibere consulentibus repugnavit, manifesto se scire affirmans, se frigida gustata, spasmo correptum iri. Nam & hoc ipsum asserebat se vidisse in alio, qui sibi, & corporis habitu, & temperamento erat similis, calidæque potioni erat assuetus. *Buttus de Potu Antiq. c.* 22. Liber ejus de admirabilibus auditionibus videtur esse insititius. *Panciroll. Notit. Dign. Imp. Occid. c.* 50.

ARM.

ARMA ante usum ferri erant pugni, calces, dentes. . . . . . Lucret. V. 1283.

Arma antiqua, manus, ungues, dentesque fuerunt,
Et lapides, & item sylvarum fragmina, rami,
Et flammæ atque ignes.

Salmuth ad Panciroll. de Reb. deperd. & Inv. p. 53. In bellis sunt necessaria, in pace decora, ac denique imbecilles, fragilesque mortales cunctis belluis efficiunt fortiores. Et quidem *arma bene construere, est salutem hominum velle custodire: quia primæ facie ipsis terretur inimicus, & incipit animo cedere, si se cognoscit similia non habere.* Cassiod. Var. VII. 18. Alias *ita fit, ut non de pugna, sed de fuga cogitent, qui in acie nudi exponuntur ad vulnera.* Veget. de Re Milit. I. 20. Atqui *nec nudi decernere, nec inermes inimicis nos debemus exponere.* Can. oportet. 3. 4. 2. cap. I. de Restitut. spoliator. n. 6. *Salmuth ibid. p.* 622. Privatim non habebant nec ut domi suæ quilibet pro arbitrio haberet; id e re & utilitate civium esse putabant Et revera

unde tot civium cædes? unde tot oppidorum, urbium, Rerumpublicarum eversiones, nisi ex promiscua *armorum* libertate atque licentia? Saluberrima itaque sanctio illa putanda est, qua omnibus *armorum* usu, inscio principe, interdictum legimus. l. unic. C. Ut armor. usus insc. princ. interd. sit. lib. xi. *Salmuth ibid. p.* 618. *Marlian. Topogr. Urb. Rom.* iv. 3. *Ræward. Conject.* i. 9. Sed habebatur Romæ publica quædam aula, multijugo *armorum* genere instructa, ut cum necessitas ita exigeret, aut tumultui esset occurrendum, populus armari inde posset, teste Cicerone in Orat. pro Rabirio. Cujus rei causa Venetiis quoque amplissimum armamentarium exstat, quod vernacula lingua *Arsenale* nuncupatur. *Panciroll. de Reb. Deperd. & Inv. p.* 617. Ubi hoc armamentarium Romæ situm fuerit V. infr. in *Armamentarium*. Ex eo petita fuisse colligitur etiam ex Tacit. Hist. i. 80. 6. in seditione Prætorianorum Romæ excitata initio imperii Othonis. *Nam aperto armamentario rapta arma, nudati gladii, insidentes equis Urbem ac Palatium illi petierunt.* Ursat. de Not. Roman. Thes. Antiq. Roman. Græv. Tom. xi. p. 559. A. Cessantia, sive vacantia thecis, sive integumentis includebantur. Homer. Odyss. A. 125.

Sic loquutus præibat, & sequebatur Pallas Minerva:
Hi autem cum jam intra erant domum altam,
Hastam quidem ferens posuit ad columnam longam
Intra thecam hastarum, ubi aliæ
Hastæ Ulyssis in mari ærumnosi stabant multæ.

Cæs. de Bell. civ. ii. 14. *Meridiano tempore cum alius discessisset, alius ex diuturno labore in ipsis operibus quieti se dedisset, arma vero omnia reposita, contectaque essent.* Gronov. Diatr. in Stat. Sylv. c. 41. Mag. Miscell. iii. 2. V. & infr. in *Corytus*. Erant etiam fabricæ provinciatim institutæ: & quotiescunque novis opus erat in expeditionibus, ex illis petebantur, & ad castra vel loca deputata angariis transvehebantur. Quod me docuit constitutio Imp. Leonis & Anthemii C. de fabricensibus. Nunc ab hominibus privatis non alia arma aut fabricari, aut vendi poterant præter cultellos breves, quos nemo in usum belli assumeret. Arcus vero, sagittas, spathas, semispathas, loricas, contos, lanceas, scuta, galeas, & cætera id generis arma bellica, non alibi, quam in publicis fabricis, & a fabris publicis, id est, qui annona publica sustentabantur, fieri permisit Imperator Justinianus: cujus hac de re Novella 85. de Armis. *Stewech. in Veget.* ii. 11. *Panciroll. Notit. Dign. Imp. Orient. c.* 67. *Salmuth ad Panciroll. de Reb. Deperd. & Inv. p.* 620. Inferioribus temporibus invaluerat consuetudo *arma* inaurandi. *Balthei argenti inaurati*, & *cassidis inauratæ* meminit Trebell. Poll. in Divo Claudio c. 14: in epistola Valeriani ad Zosimionem Procuratorem Syriæ, qua præscribit certum salarium Claudio, nondum Imperatori, sed tribuno Martiæ quintæ legionis dandum. Quin etiam video *arma* militaria margaritis gemmisque distincta; quasi vero unionum fulgor, magis ad perterrendos hostes, quam ad irritandos, non mediocri exstiterit adjumento. Capitol. Maximin. c. 3. *Fecit & spathas argenteas, fecit etiam aureas, & omnino quicquid ejus pulcritudinem posset juvare. Fecit & galeas gemmatas, fecit & bucculas.* Claudian. in primum Stilichonis Consulatum n. 88.

Quin & Sidonias chlamydes, & cingula baccis
Aspera, gemmatasque togas, viridesque smaragdis
Loricas, galeasque renidentes hyacinthis,
Gestatosque putri capulis radicantibus enses.

Kobierzyck. de Lux. Roman. ii. 1. *Arma* portare debebant milites. Cicer. Tusc. Quæst. ii. 16. *Ferre, si quid ad usum velint: ferre vallum. nam scutum, gladium, galeam in onere nostri milites non plus numerant, quam humeros, lacertos, manus. Arma enim membra militis esse dicunt. quæ quidem ita geruntur apte, ut, si usus foret, abjectis oneribus, expeditis armis, ut membris, pugnare possint.* Pendebat galea a dextro humero ad pectus, scutum in sinistra, in eadem pertica cum sarcinis, ut videre est in columna Trajani. Polybius tamen ait libr. xvii. *Scutum ab humeris loro revinctum pependisse, manibus tulisse pila & vallos.* Quod galea non in capite, id quoque ad diuturnitatem, ut incederent eo nudo. *Lips. de Mil. Roman.* v. 11. *Thys. Rom. Illustr.* v. *p.* 133. Posterioribus temporibus, si metus ab hoste non esset, in vehiculis deportabant. Mauric. Stratag. xii. 19. *Si appropinquent hostes, graviter armati debent incedere, gestantes arma sua, nec ea relinquere in vehiculis, quo sint parati ad prælium.* Ea de causa *armis onerata vehicula* legimus apud Tacit. Hist. i. 80. 3. Unde *arma ferri in sarcinis*, militibus ad iter potius, quam ad prælium paratis dicuntur apud Curt. v. 11. 1. *Scheffer. de Re Vehic.* i. 18: ii. 19. Scutum, pila, galeam in contubernio, vel proxime tentoria deponebant, saguloque tecti per castra ibant. Hinc in repentinis tumultibus milites sine scutis & justis *armis* deprehensos legimus. Tacit. Hist. v. 22. 5. *Romani vulneribus exciti quærunt arma, ruunt per vias, pauci ornati militariter.* Liv. xxv. *Ne scuta quidem secum extulerant.* Deposita in contubernio *arma*, ex antiqua disciplina ne capere quidem injussu Ducum fas erat. Inde Vejentium & Hetruscorum illud apud Livium, M. Fabio & Cn. Manlio Consulibus militem intra castra continentibus: *Impune se insultaturos, non credi militi arma.* Et mox dato juratis pugnæ signo Livius: *Arma capiunt, eunt in pugnam irarum speique pleni, nunc jubent Hetruscos probra jacere, nunc armatis sibi quisque lingua promptum hostem offerri.* Schel. in Hygin. Thes. Antiq. Roman. Græv. Tom. x. p. 1030. C. *Arma* si miles alienaverat, grave inprimis crimen erat; ea quippe culpa desertioni exæquabatur. Paullus ICtus libro singulari de pœnis: *Si tibiale, vel humerale alienavit, castigari verberibus debet: si vero loricam, scutum, gladium, galeam, desertori similis est.* Modestin. iv. de pœnis. *Miles qui in bello arma amisit, vel alienavit, capite punitur, humane militiam mutat.* Quam ignominiosum fuerit *arma* abjicere, & ex acie fugere, testatur Aristot. Rhet. ii. & de Morib. v. *Stewech. in Veget.* ii. 14. *Torrent. in Horat. Od.* ii. 7. 10. *Salmuth ad Panciroll. de Reb. Deperd. & Inv. p.* 599. *Qui armorum aliquid abjecerit in ipso discrimine per metum, fustuario punitur.* Polyb. vi. 35. Miles enim vitam amittit, si sua *arma*: cum duplici restrictione, si in acie, si per metum. Huc spectat factum Scævæ Cassii, qui fortissimus C. Cæsaris miles, qui contra Britannos in scopulo solus relictus, diu universis resistens; ad extremum impar, galea discussa jam ictibus, & scuto crebris foraminibus absumpto, profundo se credidit, & enatavit: *visoque Imperatore, armis non amissis, sed bene impensis, cum laudem mereretur, veniam petiit, magnus prælio, sed major disciplinæ militaris memoria.* Val. Max. iii. 2. §. 19. *Lips. de Milit. Roman.* v. 18. Quod posterius, *si per metum*, nego, cum ignaviæ, & probro militari, ut in *stationis desertore* iterum dicemus, sit adscribendum; generaliter enim Modestinus & Paullus modo laudati: qui nullam de acie, discrimine, aut *metu* faciunt mentionem. Unde recte colligas, etiamsi Polybius hoc crimen capitale dicat, si in discrimine per *metum* arma abjecissent, non tamen hinc esse inferendum, si alias alienassent, capitalem non fuisse pœnam. Rebus enim quoque strenue gestis, ob *arma* tamen simpliciter amissa supplicium meruisse clare ostendit Scævæ Cassii exemplum jam allatum. Quod cum a Lipsio quoque fuerit adductum, miror a tanto viro non fuisse animadversum, ad *metum* hanc pœnam non posse restringi: qui, enim, quæso, *metu* arma abjecisse dici potest, qui solus in scopulo Britannico relictus, diu ingentem multitudinem sustinuit, ad extremum impar, acceptis vulneribus, scutum amisit. Ergo, cum veniam petiit Cassius, legem, qua generaliter omnes, qui quacunque causa, rebus quoque strenue patratis puniebantur, in oculis habuit. Ut & cæteri omnes, quorum egregia facinora extant in historia Romana, quique ad mortem potius pugnare, quam *arma* amittere voluerunt. *Sichterman. de Pœn. milit. c.* 4: *Maret. Var. Lect.* ix. 2. Quænam Romulus militibus suis dederit, conjici potius, quam certo sciri potest, quoniam nec Plutarchus, nec Livius, nec Dionysius, nec alius quisquam auctor de illa armatura quicquam memoriæ prodidit; quamvis

quamvis apud Livium jam ante tempora Servii Tullii legatur de haſtis equitum, gladiis Horatiorum e ſcutis in hiſtoria Tarpejæ. Dionyſius in hiſtoria Tullii Hoſtilii mentionem quidem facit militum leviter armatorum, ſed de armis illorum nihil tradit. Idem vero Curiatiorum & Horatiorum pugnam deſcribens, eos non ſolum ſcuto & gladio, ſed etiam omni alia armatura ita inſtructos fuiſſe memorat, ut nulla pars corporis, qua quidem vulnerata mors haud dubie metuenda fuiſſet, intecta eſſet. Ex quo colligo, eos & galeam, & loricam, & tegumenta brachiorum, femorumque & ocreas habuiſſe. Cæterum hæc minus convenire videntur cum iis quæ Dionyſius & Livius de Servio Tullio memoriæ prodiderunt. Is enim, ut uterque teſtatur, cenſu inſtituto, primam claſſem *armis* ſupra dictis inſtruxit, ſecundam vero & tertiam, paucioribus & levioribus. Unde ſuſpicandi locus eſt, Romanos ante ætatem Servii Tullii ejuſmodi *armis* uſos non fuiſſe. In deſcribendis deinde *armis* quartæ claſſis iidem auctores inter ſe diſcrepant; quoniam Livius ei dat haſtam, & verutum; Dionyſius vero haſtam, ſcutum & gladium. Porro quintæ claſſi Dionyſius tribuit jaculum & fundam; Livius fundas, lapideſque miſſiles abſque haſta. Camillus poſtea, teſte Plutarcho, galeas ex ferro fecit, cum antea eſſent æreæ. Idem ſcuta lamina quadam ærea munivit adverſus ictus, qui a ponderoſis Gallorum gladiis ingerebantur. Leves quænam *arma* geſſerint. V. infr. in *Velites*. Patric. Rei Milit. Roman. v. Sect. 1. *Armorum* exercitium, quod fuit pars tertia exercitii militum Romanorum, diligenter ab eis eſt habitum. Joſeph. de Bell. Jud. III. 3. *Non initium illis armorum ipſum bellum eſt, nec ſolum, cum uſus, aut neceſſitas eſt, manus movent, in pace feriati: ſed tanquam congeniti armis, nunquam pauſam exercitii faciunt, nec exſpectantes occaſiones.* Senec. Epiſt. 18. *Miles in media pace ſine ullo hoſte decurrit, vallum jacit, & ſupervacuo labore laſſatur, ut ſufficere neceſſario poſſit.* Toto die exercebantur, omni ætate exercebantur. Tyrones bis die, veterani ſemel. Veget. II. 23. *Juniores, & novi milites mane, & poſt meridiem ad omne genus exercebantur armorum: veteres autem, & eruditi ſemel indies exercebantur.* Ipſi duces faciebant, ut ſcientiam oſtentarent, & in exemplum. Talis Scipio, qui poſt Africanus, deſcribitur a Sil. Ital. VII. 552. . . . 559. Pompejus a Salluſtio apud Veget. I. 9. Ipſi Imperatores poſtea fecerunt, & de Trajano Plin. Paneg. c. 13. n. 1. Exercebantur maxime in ſtativis, aut hibernis, cum quies ſcilicet a vero certamine, & ab hoſte. V. infr. in *Campiductor*. Lipſ. de Milit. Rom. v. 13. Thyſ. Rom. Illuſtr. v. p. 139. Exercitia autem illis varia. Ambulatio, Decurſio, Saltus, Natatio, Palaria, Armatura, Salitio. V. ſingula ſuis locis. Hoſtium, ſi vincerentur, numini alicui promittebant, imo facibus ſubditis cremabant. Liv. VIII. 30. *Magiſter equitum, ut ex tanta cæde multis potitus ſpoliis, congeſta in ingentem acervum hoſtilia arma ſubdito igne concremavit: ſeu votum id deorum cuipiam fuit.* . . . . XXXVIII. 23. *Conſul armis hoſtium in uno concrematis cumulo.* . . . . XLI. 4. *Poſtero die arma lecta conjici in acervum juſſit conſul, ſacrumque id Vulcano cremavit.* XLV. 33. *Omnis generis arma cumulata in ingentem acervum, precatus Martem, Minervam, Luamque matrem, & cæteros deos, quibus ſpolia hoſtium dicare jus faſque eſt, ipſe Imperator face ſubdita ſuccendit, deinde circumſtantes tribuni militum pro ſe quiſque ignes conjecerunt.* Bernegg. in Flor. II. 4. 5: IV. 12. 9. Toll. in Appian. Punic. p. 41. Et quidem more belli. Florus mox laudandus: & patrio. Appian. de Bell. Punic. p. 13. *Scuta, machinas, Marti, Minervæque ſacratas, accinctus cremavit, more patrio.* Hoc vero non ſemper fuiſſe in uſu liquet ex Flor. IV. 12. 9. *Arma victorum non ex more belli cremata, ſed capta ſunt, & in profluentes data: ut cæteris, qui reſiſtebant, victoria ſic nuntiaretur.* Toll. l. l. *Arma*, & varia ornamenta, quibus defunctus in vita uſus fuerat, una cum ipſis funeribus in pyram conjiciebantur. Virg. Æneid. XI. 193.

Hinc alii ſpolia, occiſis direpta Latinis
Conjiciunt igni, galeas, enſeſque decoros,
Frenaque, ferventeſque rotas: pars munera nota,
Ipſorum clypeos, & non felicia tela.

Ubi Servius: *In antiquis diſciplinis relatum eſt, quæ quiſque ornamenta conſecutus eſſet, ut ea mortuum eum condecorarent.* Virg. Æneid. VI. 217.

— *Decorantque ſuper fulgentibus armis.*

Ubi Donatus: *Fortium virorum cum ipſis funeribus arma apud veteres conſumebantur: nec ſolum hæc, ſed & cætera quæ habuiſſent cariſſima.* Hinc Elpenor Ulyſſem rogat, ut ſe cum *armis* comburat apud Homer. Odyſſ. Λ. n. 74.

Sed me combure cum armis, quæcunque mihi reſtant.

Kirchman. de Fun. Roman. III. 5. Chiflet. Childer. Anaſt. c. 14. Rutgerſ. Var. Lect. VI. 19. Meurſ. de Fun. c. 16. Falconer. Diſſ. de pyram. C. Ceſtii. Theſ. Antiq. Roman. Græv. Tom. IV. p. 481. F. Tomaſ. de donar. c. 3. Moreſt. Pomp. Feral. VII. 3. Nicol. de Luct. Græc. c. 14. Vel ſepulcris inſerebantur. Thucyd. v. p. 350. D. *Univerſi ſocii Braſidam cum armis comitati publice ſepeliverunt.* Curt. X. 1. 31. *Cyri ſepulcrum auro argentoque repletum eſſe crediderat; ſed præter clypeum ejus putrem, & arcus duos Scythicos, & acinacem nihil reperit.* Chiflet. Childer. Anaſt. c. 14. Etiam ſepulcris affigebantur. Homerus hoc annotavit Odyſſ. Λ. n. 78.

Hæc mihi perfice, figeque ſuper ſepulcrum meum,
Quo etiam vivus remigabam cum eſſem cum meis ſociis.

Senec. Contr. IV. Quintil. Declam. 369. *Bellum cum eſſet in civitate, vir fortis in acie amiſſis armis de ſepulcro viri fortis arma ſuſtulit. Fortiter pugnavit & repoſuit.* Kirchman. de Fun. Rom. III. 18. Chiflet. l. l. Guther. de Jur. Man. II. 27. Bellor. Deſcr. Sepulcr. Naſon. tab. 6. *Arma* hujuſmodi aut generis nobilitatem, aut profeſſionem deſignabant, quæ in artificum tumulis notata ſunt. Nam & *arma* inſtrumenta ſignificant. Virg. Georg. I. 160.

— *Quæ ſint duris agreſtibus arma.*

Sed inter ſepulcrorum ornamenta vela numeramus, quæ purpurea in Diocletiani monumento narrantur, quæ mulier perfida cum virum ſuum majeſtatis arceſſeret inſontem, a ſepulcro Imperatoris furatum criminata eſt. Ammian. Marcell. XVI. *Guther. l. l.* In funere & luctu milites invertebant. Virg. Æneid. XI. 93.

— *Et verſis Arcades armis.*

Ubi Servius: *Lugentium more mucronem haſtæ, non cuſpidem contra terram tenentes, ſcuta etiam invertentes,* addo non *propter numina illic depicta, ne eorum ſimulacra cadaveris polluerentur adſpectu,* ut nonnullis fruſtra placet, *nam lugentium mos eſt prioris habitus immutatio.* Manent in militia noſtra hujus ritus veſtigia. *Fab. Semeſt.* II. 10. *Lipſ. in Tacit. Annal.* III. §. 1. *Stewech. in Veget.* III. 9. *Arma*, relicto jam *armorum* ſtrepitu qui ſe quieti dederant, diis vovebant milites. Ovid. Triſt. IV. 8. 21.

Miles, ut emeritis non eſt ſatis utilis armis,
Ponit ad antiquos quæ tulit arma Lares.

Lucan. I. 239.

Rupta quies populi ſtratiſque excita juventus
Diripiunt ſacris affixa Penatibus arma,
Quæ pax longa dabat. . . . .

Quæ *armorum* ſuſpenſio in templis etiam in noſtram ætatem tranſiit. Impenſæ etiam ac laboris compendio *armorum* ſimulacra diis appendebant. Hujus generis eſt thorax æneus veteris formæ, ſatiſque elegans, digiti longitudinem vix ſuperans in V. Clar. Johannis Galvani Muſeo. *Tomaſin. de Donar.* c. 22. *Arma*, qui ex bello re bene geſta redierant, Jovi Reduci dedicabant. Laodomia Proteſilao apud Ovid. Heroid. XIII. 49.

Dii, precor, a nobis omen removete ſiniſtrum:
Et ſua det reduci vir meus arma Jovi.

n. 144.

Et dicet, referas iſta face arma Jovi.

Tomaſ. de Donar. c. 21. *Arma* Marti dicabantur, cujus munera, ut eleganter Oppian. de Piſcib. II.

Gladii, æneæque circa membra tunicæ,
Et galeæ & haſtæ, & quibus gaudet Bellona.

aliquando Vulcano, Marti & Palladi, præſente Duce incendebantur. Liv. XXIII. 46. *Spolia hoſtium Marcellus, Vulcano votum, cremavit.* Tomaſ. de Donar. c. 21. *Arma* victorum Ducum & Regum poſt elephantos, ſi in bello capti eſſent, in triumpho tranſvehebantur. Plutarch. in Æmilio. Nec ſatis habuerunt Romani, ea publice ſemel ſic ſpectanda exhibuiſſe, ſed nummis eadem impreſſa ad ſeram uſque proſperitatem anniſi ſunt propagare; additis titulis, JUDÆA CAPTA, ASIA RECEPTA, vel ſimilibus, qui cum *armis* rem geſtam commemorando renovarent. *Panvin. de Triumpho* & ad illum *Maderus Theſ. Antiq. Roman. Græv. Tom.* IX. *p.* 1364. *E.* *Armorum* fabricæ, id eſt officinæ in tractu Orientis erant tres in Ponto, una in Aſia, duæ in Thraciis, quatuor in Illyrico. *Panciroll. Notit. Dign. Imp. Orient. c.* 62. Quæ in publicis fabricis fiebant, alia manebant talia, qualia erant fabricata, ſine ullis ornamentis; alia vero deferebantur ad officinas artificum, quos Imperatores vocarunt Barbaricarios. V. illos infr. in *Barbaricarii.* Bergier. de viis Milit. IV. Sect. 22. *Armorum* concuſſio tertium eſt genus aſſenſus militaris, ſic ut haſtis ferirent ſcuta. Ammian. XX. 5. *Hac fiducia miles, haſtis feriendo clypeos, ſonitu adſurgens ingenti, uno propemodum ore dictis favebat & cœptis.* Lipſ. de Mil. Roman. IV. 9. Unde hic ritus V. ſupr. in *Adſentiebantur.* Hac etiam ſe poſt claſſicum in hoſtem incendebant. Polyb. I. 34. *Romani ex more iis conſueto armis concrepuerunt.* XV. 12. *Romani, juxta morem patrium clamore ſublato, & gladiis ad ſcuta concrepantes invaſerunt oppoſitos.* Lipſ. ibid. c. 11. *Armorum* ſtrepitus auditus ominoſus erat. Dio XLVII. *Tubarum ſonitus & armorum auditi.* Tibull. II. 5. 73.

Atque tubas, atque arma ferunt ſtrepitantia cœlo
Audita. . . . .

Buleng. de Prodig. c. 54. *Armorum* cuſtodes in exercitu Romano fuiſſe, teſtis mihi præmiſſa l. qui commeatus, & l. ult. ff. de jure immunitatis. Teſtis quoque eſt inſcriptio, quæ Comi ad S. Fidelem martyrem in Rhœtia.

V. F.
C. VIRIUS. SABINUS. VETERAN.
ARMORUM. CUSTOS. LEG.
XIII. GEM. MART. VICT.
D. M.

Stewech. in Veget. II. 14. *Laz. Comm. Reip. Rom.* IV. 6. *Armorum* magiſter, qui & rector & tribunus vocabatur, ex armamentario quæ neceſſaria erant ad uſum belli promebat, & bello exſtincto iterum recondebat: præterea quibus opus erat, . in fabricis & a fabricenſibus parari curabat. Meminit Marcellin. XV. 4. *Tres ſimul exſiluere tribuni, Arinthæus agens vicem armaturarum rectoris.* XXIX. 6. *Maximinus increpabat Æquitium per Illyricum eo tempore magiſtrum armorum.* Laz. Comm. Reip. Roman. IV. 6. *Armorum* numerus ſciri non poteſt. Appian. Lybic. Hiſt. Prœm. I. ſcribit tempore Hadriani, ſub quo vixit, Romanum imperium curruum ad prælia inſtructorum duo millia habuiſſe, & *armorum* in ſupplementum trecenta millia. *Panciroll. Notit. Dign. Imp. Orient. c.* 71.

Arma luſoria gladiatorum erant haſtæ, & rudes. De *haſtis* Cicer. de Orat. II. 78. *Neque attendit eos ipſos,* gladiatores, *unde hoc ſimile ducit, illas primas haſtas jactare leniter, ut & venuſtati vel maxime ſerviant, & reliquis viribus ſuis conſulant.* De *rudibus* Eumenius Rhetor in ea quæ de inſtaurandis Mænianis. *Ibi prælufio, hic pugna committitur: hic plerumque velut rudibus & haſtis,* (non *ſudibus & ſaxis.* Unde enim ibi ſaxa: Et ita Ovid. Art. Amand. III. 515.

Sic ubi prælufit, rudibus puer ille relictis
Spicula de pharetra promit acuta ſua.)

illic ſemper telis ſplendentibus dimicatur. Appellabant hæc *arma luſoria.* Senec. Epiſt. 117. *Remove iſta luſoria arma, decretoriis opus eſt. Exercitoria jacula.* Tertull. de Pœnit. c. 12. *Quis ſcintillas tales non magni alicujus & inæſtimabilis foci miſſilia quædam & exercitoria jacula conſentiét?* Addidi *Arma.* Nam parmas aut clypeos in altum jaciebant, recipiebantque cum venuſtate. Mart. IX. 39. I.

Summa licet velox Agathine pericula ludas,
Non tamen efficies, ut tibi parma cadat.

Id vocabant proprie ventilare. Senec. Epiſt. 117. *Quam ſtultum eſt, cum ſignum pugnæ acceperis, ventilare?* Lipſ. Saturn. II. 19.

Arma nautica ſunt inſtrumenta navalia. Cæſar. Bell. Gall. III. 14. *Naves eorum omni genere armorum ornatiſſimæ,* quales eodem libro *armatas* vocat. Eſt & *armorum cuſtos,* inde dictus, qui in navalibus curam gerit inſtrumentorum navalium. Inſcriptio vetus Ravennæ, ubi quondam navalia fuerunt

C. JUL. PRISCI.
VIX. ANN. VI. M. X. D. VIII.
JULIUS. GERMANUS.
ARMORUM. CUSTOS.

Scheffer. de Mil. Nav. Addend. p. 333.

Arma pugnatoria erant vera & acuta. Suet. Cal. c. 54. n. 3. *Batuebat pugnatoriis armis.* Significat eum omiſſa rudi, uſum gladio vero. Senec. pater Præf. II. *Deerat illis oratorium robur, & ille pugnatorius mucro.* Dixerunt illa *Decretoria,* ut verbis Senecæ in *Arma luſoria* jam dictis. Credo ideo, quia hæc velut decreto Prætoris, ſive Editoris dabantur, poſtquam inſpecta acriter & probata. *Lipſ. Saturn.* II. 19.

Armæ familiarum nuncupantur teſſeræ gentilitiæ, expreſſæ idoneo lumine, ad familiarum diſcrimen pariter, & ornamentum. Idoneum lumen comprehendebant, ſeu pictæ coloribus, & metallis, ſeu ſculptæ in marmore, ligno, ære. Dicitur ornamentum, quoniam inſinuat in primo auctore bellicam, & heroicam virtutem: ut exſtimulentur poſteri ad glorioſam avorum imitationem. *Armæ* nuncupabantur, quia in militum *armis* plerumque exprimebantur, & circumferebantur. Principis beneficio ad memoriam conſignandæ, & munerandæ virtutis militaris conferebantur, ut per gentis capita ad poſteros hæreditario jure transſcriberentur: ſive integra, & nova teſſera, ſive inſerta veteri familiæ ſcuto; ut a Cæſare nobilibus familiis aquila conferebatur, quæ imperio ancillatur. Vetuſtas hujuſmodi teſſerarum gentilitiarum, ſeu ſymbolorum ex heroicis temporibus peti debere ſatis probabile. Habuerunt enim Ægyptii pro teſſera ternas boas reptiles, Arcades lunam, Argivi ſui nominis elementum primum A, Athenienſes noctuam aut bovem, Babylonii columbam, in quam crediderant defeciſſe Semiramidem Reginam, Chaldæi tria vexilla, Græci duo diademata, Hebræi T. literam ſalutis, Libyæ populi lepores ternos, Macedones clavam Alcidis inter duo cornua. *Caſal. de Urb. ac Imper. Roman. ſplend. part.* 2. *c.* 9. *Tiraquell. de Nobilit. c.* 6. Probo illa inſignia ex Virg. Æneid. VI. 407.

Nomen & arma locum ſervant.

X. 80.

Pacem orare manu, præfigere poſtibus arma.

Rabir. de Haſt. & auct. orig. Theſ. Antiq. Roman. Tom. III. p. (30) D. Miror Rabirium ex his Virgilii locis hoc velle oſtendere. Nam priori loco loquitur de cenotaphio conſtituto manibus Deiphobi in littore Rhæteo, quod ait etiamnum exſtare, idque ex nomine illi inſcripto patere, ſimulque id declarare *arma* in illo fixa eſſe viri fortis tumulum, licet non ipſa Deiphobi *arma* fuerint, ſed ad illorum inſtar efficta, ut totus tumulus erat ſimulatus. Senec. Controv. IV. 4. *Bellum cum eſſet in civitate, vir fortis in acie amiſſis armis de ſepulcro viri fortis arma ſuſtulit.* In poſteriori hoc nihil aliud eſt, quam pacem verbis, & vultu ſimulare, *armis* vero in navibus fixis oſtendere, te bellum moliri, & inferre quibus ſpem pacis feciſti velatis manibus. Inſignia gentilitia, quæ nunc *arma* dicunt, ignota fuerunt veteribus, & cœperunt demum ſeculo XII. aut XIII. epochæ Chriſtianæ uſurpari, quorum origo eſt a Chriſtianis, qui in bello ſacro Palæſtinam petierunt, & ſuis clypeis, ut poſſent ab aliis dignoſci, certa inſignia inſculpſerunt, aut inſcripſerunt, quæ poſteri retinuerunt, & quia clypeis, qui in primis *arma* dicebantur, hinc *arma ancilia* inſcribebantur,

bantur, dici cœperunt *arma*. Græv. Thes. Antiq. Roman. Tom. III. Præfat. * * vers. . . .

ARMAMAXI in pompa post thensas & simulacra deorum & hominum undecim procedebant. Erant curruum Scythicorum genera, ex duobus veluti curribus compositi, & diversis rebus exornati, ut coronis aureis, thoracibus, clypeis, exuviis, & similibus. *Arma* enim currus, & *ἅμαξα* plaustrum significat. *Panvin. de Lud. Circ.* II. 2. Plaustri igitur formam participabant. Homer. Iliad. Σ. 487.

Ursamque, quam & plaustrum cognomine vocant.

Capitolinus in Maximino patre. *Amaxas manibus attraheret, rhedam onustam solus moveret.* Argol. ad Panvinium l. l.

ARMAMENTA numero plurali dicebantur omnia *arma* & instrumenta, quæ erant in classe, ut remi, rudentes. . . . Suet. Aug. c. 17. n. 6. *Ejus, in qua vehebatur, fusis armamentis.* Flor. IV. 2. 76. *Quum eodem tempore fluctus, procellæ, viri, naves armamenta confligerent.* Hinc *exarmata navis* apud Senec. Controv. Præf. III. in qua nulla sunt *armamenta*: navis sine velis, remis, ancoris. *Græv. ad Florum. Laz. Comm. Reip. Roman.* VI. 5.

ARMAMENTARIUM ab *armis* nomen accepit, eratque omnis generis *armorum*, tormentorumque & machinarum bellicarum repositorium. Unde Juvenal. XIII. 83.

Quicquid habent telorum armamentaria cœli.

Laz. Comm. Reip. Roman. IV. 6. Panciroll. Descr. Urb. Rom. Thes. Antiq. Roman. Græv. Tom. III. p. 330. E. Stewech. in Veget. II. 14. Jun. Batav. c. 10. Rævard. Conject. I. 9. Romæ erat in regione secunda, quæ Cœlimontium. *Marlian. Topogr. Urb. Rom.* IV. 2. *Panciroll. Descr. Urb. Thes. Antiq. Roman. Græv. Tom.* III. *pag.* 286. *C. Donat. de Urb. Rom.* III. 12. Erat etiam prope ædem Telluris. Cicer. Arusp. Resp. c. 14. *Putant nonnulli ad me pertinere, armamentarium Telluris aperire.* Marlian. ibid. III. 10. Arma Romæ in illo pompæ magis quam belli causa asservabantur. Herodian. VII. 11. 13. *Jussis effringi publicis armamentariis, in quibus pompæ magis instrumenta quam belli asservabantur, unde sibi quisque munimentum corporis accommodaret.* Panciroll. & Donat. l. l. Præcipua & præ aliis melius instructa erant in limitibus imperii, ut ad subitos incursus hostiles prompte miles armari posset tutandis finibus. Tale fuit celeberrimum illud Severi Imperatoris in ripa medii alvei Rheni ad littus Oceani in Batavia. *Bergier. de viis Milit.* IV. 21. §. 8. Hujus memoriam tuetur lapis e ruinis extractus anno Salutis 1520. & in ædes principis familiæ Wassenariorum translatus, cujus hæc est inscriptio:

IMP. CÆS. L. SEPTIMIUS. SEVERUS
AUG. ET. M. AURELIUS. ANTONI-
NUS. CÆS. COH. XV. VOL. ARMA-
MENTARIUM. VETUSTATE. CON-
LAPSUM. RESTITUERUNT. SUB.
VAL. PUDENTE. LEG. AU. PR. PR.
CURANTE. CÆCIL. BATONE. PRÆF.

Formam latius describit & exhibet *Junius l. l.* & in illum *Cluver. Germ. Ant.* II. 36. Nec tantum in provinciis, sed & in exercitu, & castris fuisse arbitror; in quibus *arma* custodes illi *armorum* asservarent: id innuere videbatur JCtus cum diceret, *qui militi arma commisisset non suo tempore.* leg. qui commeatus. ff. de re militari. *Arma*, quæ isthic deponerentur & custodirentur, verosimile est graviora, majora fuisse: ut lanceas, hastas, clypeos, scuta, parmas, loricas. . . . Leviora autem, ut gladios, pugiones, ne quidem fodientes milites deposuere. Veget. III. 8. *Cincti gladio fossam aperiant.* Eum, qui sine gladio extra vallum processerat, morte punitum observabam apud Tacitum. V. infr. in *Pœnæ militares.* Stewech. l. l. Navale erat, in quo naves & instrumentum omne nauticum, si regio illa maritima & portuosa. Nam subito ista ægre parantur: & semel parata non solum in bellum valent, sed ne sit bellum. Nemo enim provocare audet, aut facere injuriam ei regno aut populo, quem intelligit expeditum atque promptum ad vindictam. Tale est Venetorum illud, de quo supr. in *Arma.* Præterquam enim quod obarmando terrestri exercitui quovis armorum & machinarum genere satis est; videas ibi triremium, & aliarum navium quarumlibet tantum apparatum classicum, ut instructissimum totius orbis navale æstimandum sit. *Salmuth ad Panciroll. de Reb. Deperd. & Inv. p.* 625.

ARMARIUM *locus est, ubi quarumcunque artium instrumenta ponuntur.* Isidor. XV. 5. Petron. c. 30. *Præterea grande armarium in angulo vidi.* Illo includebantur imagines. Quod cur fieret, non obscurum esse potest. Nam & veneratio quædam his rebus intercessit, & ita cauto opus erat, ob lubricam mollemque ceram, quæ lædi & corrumpi vel levissimo attritu potuit. Nec aliter fieri conveniebat ob sordes pulveris tenaci materiæ infestas. Illud diebus festis & temporibus lætis aperiebatur. Vopisc. in Floriano. c. 6. *Senatores omnes ea lætitia sunt elati, ut imagines frequentes aperirent.* Nuptiis præsertim. Ita colligo ex Senec. Contr. III. 21. Ubi simul innuit ad tristia solere claudi. *Certum habeo*, inquit, *si habuisset tyrannus filiam, non scripsisset edictum. Indicit festum diem, aperire jubet majorum imagines, cum maxime tegendæ sunt.* Aperiebant & qui grave aliquod crimen publice diluissent, in testimonium innocentiæ. Cicer. pro Sylla: *Nam ipse quidem*, inquit, *si erit vestro judicio liberatus, quæ habet ornamenta, quæ solatia reliquæ vitæ, quibus lætari & perfrui possit? Domus, credo, erit exornata, aperientur majorum imagines.* Frigell. de Stat. Roman. c. 11. Sagittar. de jan. vet. c. 27. §. 6. Cibaria & vestimenta asservabantur. Plaut. Capt. IV. 4. 10.

Cellas refregit omnes intus, reclusitque armarium.

Turneb. Adv. VII. 23. Popm. ad Caton. p. 162. Lotich. in Petronium. Nummi recondebantur. Cicer. pro Cœl. c. 21. *Tunc aurum ex armario tuo promere ausa es?* Plaut. Epid. II. 2. 2.

Quin ex occluso atque obsignato armario
Decutio argenti tantum, quantum mihi lubet.

Popm. l. l. Libri concludebantur. Plin. Epist. II. 17. 8. *Parieti ejus in bibliotheca speciem armarium insertum est.* Vitruv. Præf. VII. *Fretus memoria e certis armariis infinita volumina eduxit.* Savaro in Sidon. Apollin. Epist. II. 9. *Armaria* in bibliothecis fuisse res, & hodierna usio demonstrat. Sed addo numeris suis distincta. Vopisc. Tacit. c. 8. *Habet bibliotheca Ulpia in armario sexto librum elephantinum.* Hæc & alia in bibliothecis collocat Sidon. Epist. II. 9. *Huc libri affatim in promptu. Videre te crederes aut grammaticales pluteos, aut Athenæi cuneos, aut armaria exstructa bibliopolarum.* Lips. de Biblioth. c. 9. Thys. Antiq. Roman. p. 380. *Armaria* inter utriusque imperii dignitates inserta in Thebaidis præsidis atrio depicta fuerunt. Duplex *armarium* duplicis provinciarum imperii Orientis & Occidentis typum refert, ad quorum concordiam significandam, utrorumque codicum tegumenta, coloribus & notis sibi respondentia cernuntur. In his colores quatuor exprimuntur, viridis, luteus seu aureus, purpureus, & ferrugineus, hujus loco manuscripti codices album ponunt: librorum tegumenta pro magistratuum dignitatibus varia reperiuntur: qui Illustribus tradebantur, in umbilico vultum Principis aureum, aut ejus loco notas quasdam habebant, quibus alii carebant: codices manuscripti albos sive argenteos, & aureis fasciis in capitibus, & medio cinctos, tam in oriente quam in occidente Illustrium libros repræsentant. Vicarii duo & ipse Primicerius Notariorum, omnesque rei militaris comites, ducesque notas suis libris inscriptas habebant. *Armaria* in summo fastigiata binos utrinque habent genios, purpureis stolis amictos, qui muliebre caput circulo inclusum flexis genibus sustinent, supra orientale scriptum est DIVINA PROVIDENTIA, super occidentale DIVINA ELECTIO. Plura *Panciroll. Notit. Dign. Imp. Orient. c.* 160. *Pier. Hierogl.* XXXII. 10.

ARMATA saltatio. V. illam infr. in *Saltatio.*

ARMATURA erat exercitii genus, quod diligentis-

ſime obſervabatur a Romanis, & tradebatur a campiductoribus. Veget. I. 13. *Præterea illo exercitii genere, quod armaturam vocant, & a campidoctoribus traditur, imbuendus eſt tyro.* *Armaturæ* geſtum III. 4. numeros, geſtumque appellat I. 4. Geſtus vero illi, & arma ei rei adhibita peti commode poſſunt ex ipſo Veget. II. 23: III. 4: I. 11. *Stewech. in Veget.* I. 13. Erat levium, ut palaria gravium. Adde ſequentia capita: diſces, non aliud quam haſtilium, jaculorum, pilorum, ſagittarum miſſionem ſub hoc nomen veniſſe. Cauſa, quod ipſi leves milites compendio tunc dicti *armaturæ*. Veget. II. 15. V. illum infr. in *Exculcatores.* De hac Senec. Epiſt. 88. *Juventutem majores noſtri rectam exercuerunt, haſtilia jacere, ſudem torquere, equum agitare, arma tractare?* Lipſ. de Milit. Roman. V. dial. 14. Thyſ. Rom. Illuſtr. v. p. 141.

Armatura gravis erat, quæ graviſſimis *armis* muniebatur. Veget. II. 15. *Hæc erat gravis armatura, qui habebant caſſides, cataphractas, ocreas, ſcuta, gladios majores, quos ſpathas vocant, & alios minores, quos ſemiſpathas vocant, plumbatas quinas poſitas in ſcutis, quas primo impetu jaciunt. Item bina miſſilia, unum majus, ferro triangulo, unciarum novem, haſtile pedum quinque ſemis, quod pilum vocabant, nunc ſpiculum dicitur: aliud minus: ferro triangulo unciarum quinque, haſtile trium pedum ſemis, quod tunc verriculum, nunc verutum dicitur.* Panciroll. Notit. Dign. Imp. Orient. c. 64. Ram. de Milit. Cæſar. Theſ. Antiq. Roman. Græv. Tom. x. p. 1545. B.

Armatura levis fuit vetus, fuit nova. Vetus conſtitit rorariis & accenſis. V. illos infr. in *Rorarii:* & ſupr. in *Accenſi.* Nova velitibus. V. illos infr. in *Velites.* Lipſ. de Milit.Roman. III. dial. I: IV. dial. 2. Illorum arma fuerunt haſtilia, jacula, pila, ſagittæ. Veget. I. 14. & 15. *Lipſ. ibid.* v. 14. *Thyſ. Rom. Illuſtr.* III. *p.* 66. *Armaturæ* erant iſtius temporis leves milites & juniores, qui ſub campi doctore meditabantur, & *armaturam* docebantur. Veget. II. 15. *Poſt hos erant ferentarii & leves armaturæ, quos nunc exculcatores & armaturas dicimus.* Diſtinguuntur ab illo ibidem a funditoribus, balliſtariis & ſagittariis. Non poſſunt itaque eſſe niſi jaculatores. In Notitia Imperii mentio fit harum *armaturarum, juniorum & ſeniorum.* Et credendum eſt Vegetio eo tempore levem *armaturam*, & fortaſſean quidem legionum, ita fuiſſe appellatam. Nec obſtat quod c. 7. *armaturas* inter principia legionum recenſet. Non enim inde ſequitur, quod voluit vir doctiſſimus notis in Ammianum Marcellinum diſtingui debere *armaturas*, quarum apud eundem Ammian. XIV. 11. ubi *armaturarum tribunus* dicitur, & in Notitia Imperii fit mentio, ab ilis *armaturis*, quas inter principia legionum, ſive principales milites numerat Vegetius. Illi *l. l.* armaturæ ſunt, ut diximus, leves milites. At c. 7. non alias agnoſcit *armaturas*, quam quæ inter principia legionis numerantur. Non enim abſolute meminit *armaturarum*, quaſi principalium militum, ſed vocat *armaturas duplares* eos ex levi *armatura* milites, qui duplas conſequebantur annonas. Sic torquati ſeſquiplares & duplares ab eadem ratione dicti ſunt, qui locum quoque habuere inter principia legionis. Imo vel ex his colligi poteſt, *armaturas* illas fuiſſe illius temporis levem legionis *armaturam*, quandoquidem qui duplam & ſeſquiplam conſequebantur annonam, dicti ſunt ſeſquiplares & duplares. *Salmaſ. de Re Milit. Roman. c.* 19. *Lipſ. de Milit. Roman.* v. 14. *Stewech. in Veget.* I. 13.

ARMENIA olim duplex fuit, major & minor. Major prima dicta eſt in leg. ult. C. de Offic. magiſtr. milit. nunc Turcomannia vocatur, ac verſus ſeptentrionem Cyro fluvio a Colchide, Albania & Iberia dividitur: ad ortum habet mare Hircanum: a meridie Taurum, quo a Meſopotamia ſecernitur: ad occaſum ab *Armenia* minore Euphrate flumine ſeparatur. Minor vero ſecunda nuncupata in d. leg. ultim. a meridie uſque ad Taurum montem Ciliciæ extenditur: ad occaſum & ſeptentrionem Cordiſco monte clauditur. *Panciroll. Notit. Dign. Imp. Orient. c.* 132. Per confinia *Armeniarum* primum ſub L. Lucullo Romana trans Taurum ſigna tranſmiſſa ſunt. Idem Tigranem *Armeniorum* Regem cum ſeptem millibus clypeatorum, & centum viginti millibus ſagittariorum, ipſe cum decem & octo millibus Romanorum vicit. Tigranocertam maximam *Armeniæ* civitatem expugnavit, Madenam optimam *Armeniorum* regionem obtinuit. Cn. Pompejus ejus ſucceſſor Mithridatem in *Armenia* minore nocte aggreſſus prælio ſuperavit, cæſis duobus & quadraginta millibus hoſtium, caſtra ejus invaſit. Tigranem *Armeniorum* Regem auxiliatorem Mithridatis perſecutus eſt, ille ſe oblato diademate apud Artaxata dedit. Receptæ ſunt ab eo Meſopotamia, Syriæ, & aliquanta pars Phœnices, atque intra *Armeniam* regnare eſt permiſſus. Poſt Tigranem diu ſub Regibus *Armenia* fuit, ex quibus Tigranis ſucceſſor Artavaſdes ab Antonio occiſus eſt. Poſt quem Artaxias, Tigranes alius, Artavaſdes alius, Ariobarzanes, Vono Parthus, & Zeno Ponticus ab Auguſto & Tiberio Cæſaribus Reges *Armeniis* ſunt impoſiti, *Armeniaque* diu ſub amicis Regibus in Romanorum fide permanſit. *Panvin. Imp. Roman. c.* 19. Hinc in nummo argenteo gentis Petroniæ plebejæ cuſo in honorem Auguſti, ob victoriam de *Armeniis* a Cajo obtentam fuit ARMENIA CAPTA. De illa victoria Suetonius c. 21. Ob id in uno iſtius gentis nummo conſpicitur *Armenus* quidam flexis genibus, in altero Parthus in genua procumbens ſigna offerens. *Urſat. de Not. Roman. Theſ. Antiq. Roman. Græv. Tom.* XI. *p.* 558. *E.* Nero, quem turpiſſimum Imperatorem paſſa eſt Romana Reſpublica, amiſit *Armenias* duas, Rege iis Tiridate a Parthis impoſito. Ac ſub Regibus iterum *Armenia* uſque ad Trajani tempora fuit. Qui Dacia victa, expeditionem in *Armenos* Parthos & orientem paravit, belli prætextum faciens, quod *Armeniorum* Rex diadema & cætera regni inſignia atque jura non a ſe, ſed a Parthorum Rege, velut illi obnoxius ſumpſiſſet. Qui ſimul ac *Armeniæ* fines ingreſſus eſt, *Armeniæ* Regem & ſatrapas obvios habuit, cum muneribus equum ducentes, ita edoctum, ut Trajanum anterioribus pedibus in modum ſupplicantis flexis adoraret. Tum cauſa cognita Parthemaſiri *Armeniæ* Regi ſublato diademate regnum ademit. Quam impoſito conſulari legato Romanam provinciam fecit. *Panvin. l. l. Robortell. de Provinc. Roman. Theſ. Antiq. Roman. Græv. Tom.* III. *p.* (9) *D.*

ARMENIACUS cognominatus fuit M. Antoninus Philoſophus, ut ex Julio Capitolino in ejus vita c. 9. cognoſcitur, ob res ſuo nomine in *Armenia* proſpere geſtas per Statium Priſcum Artaxatis captis. Quod cognomen licet ob verecundiam Marcus primo recuſaſſet, poſtea tamen recepit. *Urſat. de Not. Roman. Theſ. Antiq. Roman. Græv. Tom.* XI. *p.* 558. *B.*

ARMENII de rebus maximis judicaturi per deam Agnaitidem, cujus templum illis erat, jurabant. Strab. XII. pag. 385. Alex. Gen. v. 10. *Hanſen. de Jurej. Vet. c.* 28.

ARMENTORUM cuſtodes, ut pecus ſuum ab alieno internoſcerent, ſigna quædam ei imprimere conſueverunt: quæ quoniam ferro candente urebantur, a Græcis ἐγκαύματα dicta ſunt. Iſidor. XX. 16. *Character & ferrum coloratum*, malim ego caloratum, *quo notæ pecudibus inuruntur.* Meminit hujus conſuetudinis Calpurn. Ecl. v. 82.

— vivi quoque pondera melle
Argenti coquito, lentumque bitumen aheno
Impreſſurus ovi tua nomina.

Sed omnium optime Virg. Georg. III. 58.

Continuoque notas, & nomina gentis inurunt.

Long. de Annul. p. 131.

ARMIDUCTOR in Gloſſario veteri eſt ὁπλοδιδάσκαλος. *Stewech. in Veget.* I. 13.

ARMIGERI dicebantur ſervi, qui dominorum *arma* & ſcutum gerebant, eos ſequentes. Plaut. Caſ. III. 3. 39.

Quam illi ſervo nequam des armigero.

Scutigerulum eundem ſervum appellat n. 44. *Popm. de Oper. Serv. p.* 84. *Pignor. de Serv. p.* 239. *Buleng. de Imp. Roman.* III. 39.

Armigeri equites. V. illos infr. in *Equites*.

ARMILAUSA erat ſagum militare, quod thoraci ſuperinduebatur. Curtas militum tunicas ad genua uſque pertingentes, ἀρμελαύσια appellat Mauricius in Strategicis. De forma Iſidor. XIX: 22. *Armilauſa vulgo vocata, quod ante & retro diviſa, atque aperta eſt; in armos tantum clauſa, quaſi armiclauſa.* De colore Scholiaſt. Juven. Sat. V. 143. *Armilauſam praſinam*, dum *viridem thoraca* poetæ explicat, quamvis & alterius fuerit coloris. Et veſtis brevis monachorum. Paullin. Epiſt. 13. *Minime monachali caliga & veſte, cum præterea facie non minus quam armilauſa ruberet.* Iſidorus in gloſſis: *Armilauſa, ſcapulare monachorum.* Ruben. Elect. II. 12. Turneb. Adv. XXI. 26. Salmaſ. in Trebell. Poll. Claud. c. 14. Du Cange Gloſſario. Meurſ. Gloſſar. Græco-barb. Græv. in Iſidorum.

ARMILLÆ erant ornamenta in circuli modum efformata, proprium brachiorum decus. *Barthol. de Armill.* §. 1. *La Chauſſe de Bullis tab.* 7. *Ruben. Elect.* I. 38. Illarum materia plerumque erat aurum. Plaut. Men. III. 3. 3.

—— ut addas auri tu pondo unciam,
Jubeaſque novum ſpinther reconcinnarier.

V. *Spinther* infra in *Spinther*. Liv. I. 11. *Sabini aureas armillas magni ponderis brachio lævo habuerunt.* Non ſemper ſolidum, ſed textile ſubinde & per fila intortum. Quo reſpexit Plin. IX. 15. *Alterno textu fulgentibus, toto capite, crinibus, ſpiris, auribus, collo, manibus, digitiſque.* Unde Spondanus ἕλικας γναμπτὰς apud Homer. Iliad. Ε. n. 401. *armillas tortiles* reddidit. Non inepte Heſychii ductu, cui ἕλικες ſunt, *vel inaures, vel armillæ, vel annuli.* Vel argentum. Liv. X. 44. *Equites omnes ob inſignem multis locis operam corniculis armilliſque argenteis donat.* Vel ebur. Scylax in Periplo: *Mulieres eorum utuntur ornatu, armillis elephantinis.* Et circuli eborei in *armillis* meminit Petron. c. 32. Vel caryota. Mart. XIII. 27.

Aurea porrigitur Jani caryota Kalendis,
Sed tamen hoc munus pauperis eſſe ſolet.

Aurum illi inducebatur, & ſputum illinebatur, non, ut nonnulli arbitrantur, ob gluten, ſed ad faſcinum, cui ſputum dicatum. Mart. VIII. 33. 11.

Hoc linitur ſputo Jani caryota Kalendis,
Quam fert cum parvo ſordidus aſſe cliens.

Barthol. ibid. §. 3. Ruben. l. l. Forma erat circularis. Iſidor. XIX. 31. *Ab intellectu circuli armilla non diſcrepat: quia ipſa quoque hoc ubi ponitur, ambiendo conſtringit, ſed quando armilla latius extenditur, circulus rotundus fit.* Barthol. ibid. §. 4. Exornabant utrumque brachium. Utrique enim manui in ſacris applicantur plurium numero Gen. c. 24. n. 22. 30. Ezech. c. 16. n. 11. c. 23. n. 42. Sæpius dextrum, exoriente præſertim geſtandi ritu. Hinc *Dextrale* pro *brachiali* Latinis. Iſidor. Gloſſ. *Dextralia, brachialia.* *Dextrocherium* eodem ſenſu a Græcis tranſiit ad Latium. Plus tamen in dextris erat decoris, ſi ſolæ geſtabantur. Ezech. c. 21. n. 24. *Tanquam armilla impoſita brachio dextro.* Quia dextra virilis fortitudinis erat nota. Siniſtras amabant Sabini ſupra apud Livium. Ex quo tamen Valtrinus, La Chauſſe, & Olivarius in Val. Max. IX. 6. 1. perperam colligunt fuiſſe ornamenta ſiniſtrarum. *Barthol. ibid.* §. 2. Solis civibus & non externis virtutis cauſa donabantur. Plin. XXXIII. 2. *Armillas civibus dedere, quas non habent externi.* Iſidor. XIX. 31. *Armillæ proprie virorum ſunt, collatæ victoriæ cauſa militibus ob armorum virtutem.* Valtrin. & La Chauſſe l. l. Urſat. de Not. Roman. Theſ. Antiq. Roman. Græv. Tom. XI. p. 558. F. Alex. Gen. dier. IV. 11. Stewech. in Veget. II. 3. Lipſ. Milit. Roman. V. 17. Hugo de Milit. Equeſt. V. 1. Nicol. de Triumph. c. 10. §. 4. Ita tamen ut eas geſtaverint mulieres. Feſtus: *Armillæ genus, quod mulieres geſtare ſolebant in brachio ſiniſtro.* Capitolin. de Maximino c. 6. *Erat pollice ita vaſto, ut uxoris dextrocherio uteretur pro annulo.* La Chauſſe & Barthol. Urſat. l. l. In æternam gratæ copulæ memoriam in ſepulcrum inferebantur. Scævol. leg. 40. ff. de Aur. & arg. legat. *Funerari me arbitrio viri mei volo, & inferri mihi quæcunque ſepulturæ meæ cauſa feram ex ornamentis, lineas duas ex margaritis & viriolas ex ſmaragdis.* Barthol. ibid. §. 6. Moreſtell. Pomp. Feral. VII. 1. Nicol. de Sepulcr. II. 13. 11. vel teſtamento legabantur. Inter muliebria legata illas recenſet Ulpian. leg. 35. §. 10. ff. de Aur. & arg. legat. *Ornamenta muliebria ſunt, quibus mulier ornatur: veluti inaures, armillæ, viriolæ.* Barthol. l. l. Erant inter dona militaria. V. infr. in *Phiala* & in *Cornicula*.

Armillæ erant etiam olim annuli cavi, in quibus vertebant vertibula. Belgis **Pannen** monente Junio Nomencl. c. 72. & Popm. de Inſtrum. Fund. c. 22. Quod a Vitruv. X. 6. mutuati ſunt. *Barthol. de Armill.* §. 1. V. Vitruvium infr. in *Cnodaces*.

Armillæ pro cæſtibus pugilum. Crepitaſſe enim *armillæ* manu concuſſæ leguntur in Epigrammate veteri, in quo χρυσεοκρόταλον dicitur σπατάλιον, ex auro nempe crepitans brachiale:

Τὴν χρυσεοκροτάλῳ σειομένην σπατάλην.

Sive quod appendiculas aureas habuerint illæ, quæ noſtris æneæ, ſive quod fluitantes in brachiis crepitaverint. *Barthol. de Armill.* §. 7.

Armillæ, ſive annuli pro perforandis labiis. Suidas: *Armilla vero perforabis librum ipſius.* De annulo quo nares animantium perforantur, interpretatur H. Stephanus. Ego de fibula malim. Quo Æliani locus reſpicit a Suida adductus: *Quod igitur tanquam armilla Ægyptiorum Regi appenſa erat ex lege.* Barthol. de Armill. §. 2.

Armilla quoque dicebatur millus, ſive collare, aut cingulum ex corio factum, quo muniebantur canum colla. Prop. IV. VI. 24.

Atque armillatos colla Moloſſa canes.

Rhodig. Ant. Lect. XVII. 26. Barthol. de Armill. §. 2.

Armillæ ad pedes, ſeu exornandos; ſeu onerandos adhibitæ. Quas vincula in calceis mulierum appellat Ovid. Faſt. II. 323.

Fregerat armillas non illa ad brachia factas,
Scindebant magni vincula parva pedes.

Barthol. de Armill. §. 2.

Armillæ ad maxillas durius videntur flecti quam ad pedes. Quod tamen auſus eſt Job. c. 40. n. 21. *Nunquid pones circulum in naribus ejus, aut armilla perforabis maxillam ejus?* Barthol. de Armill. §. 2.

ARMILLUM eſt vas vinarium in ſacris. Varr. de vita P. R. I. *Item armillum, quod eſt urceoli genus vinarii.* Iſidor. in Gloſſ. *Armillum, crater, vas vinarium.* Barthol. de Armill. §. 1. Buleng. de Conv. IV. 16. Stuck. de Sacrif. p. 78.

ARMILUSTRIUM feſtum *erat apud Romanos, quo rem divinam armati faciebant, ac dum ſacrificarent, tubis canebant.* Paullus Diaconus in Epitome Feſti. *Argol. in Panvin. de Lud. Circ.* I. 5. *Marlian. Topogr. Urb. Rom.* IV. 3. *Ferret. Muſ. Lapid.* V. *Mem.* 23. *Stuck. de Sacrif. p.* 171. *Hoſpin. de Feſt. Ethn. p.* 221. *Lomej. de Luſtrat. c.* 31. In Kalendario vetere Maffejano a. d. 19. Octobris legitur. ARM. N. P. *Armiluſtrium nefaſtus primo.* Nardin. Rom. Vet. VII. 8. Urſat. de Not. Roman. Theſ. Antiq. Roman. Græv. Tom. XI. p. 558. D. Vetus Lexicon. *Armiluſtrium*, ὁπλοκαθάρσιον, ὁπλοκάθαρμος. *Turneb. Adv.* XXI. 17. Ex Diacono Donatus & Gyrald. Synt. Deor. XVII. p. 497. A. colligunt, Salios in orbem ſe vertentes ſaltaſſe, de more ancilia circumferentes, galeis, gladiiſque armatos. Sed in eo errare mihi videntur. Saliorum enim feſtum non in 19. Octobris, ſed in 2. Martii incidit, ut ex Kalendario eodem liquet, item ex Ovid. Faſt. III. Plutarcho in Numa, & Dionyſio lib. II. Nec in eo tubæ adhibitæ, ſed tibiæ; ad cantum tibicinum Salii ſe moverunt, ut ex eodem diſcere eſt Dionyſio. Ergo *Armiluſtrium* diverſum a Saliorum fuit feſto, a militibus armatis ac ſaltantibus celebrari ſolitum, quod forte ad ſepulcrum Titi Tatii, quem ad *Armiluſtrum* Romulus tumulavit apud Plutarch. in Romul. p. 32. C. Velut annuum parentale inſtitutum fuit: *Et civitas expenſis publicis anno quolibet illi parentat*, ait Dionyſ. II. *Nardin. l. l. Gutberl. de Saliis c.* 18. Ego exiſtimo centuriatis comitiis exercitum armatum luſtrari ſolitum. Quod puto eſſe ex inſtituto vetuſtiſſimo Athenienſium, apud quos οἱ περιστίαρχοι comitium luſtrabant, & ubicunque populus conveniret, id facere ſolebant. unde id καθάρσιον vocabant.

bant. Sed Longobardus ille, hic rei vetustissimæ cognationem barbara mutilatione sua totam nobis intercepit. Neque credibile est tubis in eo sacro canere solitos, sed classico. Aliter enim classes, aut exercitus convocari non poterant, quod vocare inlicium dicebatur. *Scalig. ad Festum. Argol. & Hospin. l. l. Masson. Horat. vit. p.* 102.

ARMILUSTRUM locus erat in quo stato die supra dicto annuum hoc festum celebrabatur. Putaverim id spatii quod in Testatia nunc est, nam in regione Aventini ponitur: nec sane aptior locus recensendis *armis* ac militibus ostenditur. *Volaterr. Comment. Urban.* VI. *p.* 192. *G.* Sed hoc nimis longe ab Aventino remotum est, tametsi huic ipsi accensitum regioni: deinde milites non alio in loco, quam in campo Martio exercitabantur. *Nardin. Rom. Vet.* VII. 8. Varro L. L. IV. 32. dicens: *Armilustrum ab ambitu lustri locus: item circus Maximus dictus,* significare videtur, *Armilustrum* & Circum eundem esse. *Marlian. Topogr. Urb. Rom.* IV. 3. *Panvini. de Lud. circens.* I. 5. Longe alia mens Varronis est. Plures enim adferens nominis origines, adfert inter cætera: *Armilustrum ab ambitu lustri locus:* tum his subnectit: *item circus Maximus dictus, quod circum spectaculis ibi ædificatis ludi fiant:* unde nihil huic cum illo, nisi simile nominis etymon, commune esse liquet. Tatium supra e Plutarcho ad *Armilustrum* sepultum habuimus: ergo *Armilustrum* in Aventino fuit, quia & Loretum illic fuit, in quo Tatius sepultus. Idem & veteris inscriptionis fragmentum indicat, quod Faunus sua ætate ad S. Alexii in vineis repertum ait: SACRUM. MAG. VICI. ARMILUSTRI. Ergo in summo Aventino primo Lauretum fuisse, dein duos ejusdem vicos, sepulcrum Tatii, & *Armilustrum* cum vico suo, si non certum, saltem probabile est. *Nardin. l. l. Græv. Thes. Antiq. Roman. Tom.* VIII. *Præfat.* * 4.

ARMITES & armati, οἱ ὁπλῖται. Optimæ Glossæ: *Armites*, ὁπλῖται οἱ ἐν ἐσχάτῃ τάξει. Triarios sic videntur olim appellasse, quia ex omnibus legionariis maxime gravia *arma* habuere. Eædem Glossæ: *Armites*, ἔνοπλος παράταξις. Acies nempe *armatorum*. Sic *arquites*, vel *arcites* antiquitus vocabantur, qui arcu præliabantur, ut notat Festus. An non sic *equites* dicti sunt οἱ ἱππόται, ut qui arcus habent, οἱ τοξόται *arcites*, & qui *arma armites*, οἱ ὁπλῖται? *Salmas. de Re Milit. Roman. c.* 16.

ARMORICUS tractus in Galliis, nunc Normandia, ac Britannia dicitur. Cæsar Baronius in codice Vaticanæ Bibliothecæ de rebus Britannis se legisse scribit, Maximum tyrannum, cum Gallias invasisset, ac vicinos Britanniæ *Armoricos* expulisset, vacuam provinciam inter Britannos milites novos colonos factos divisisse. Unde illa provincia minor Britannnia est dicta est a Baronio in Martyrologio XXI Octobris. Ea est inter Sequanam & Ligerim. Sed tempore Notitiæ jam Maximo exstincto, hæc regio Britannia minor erat appellanda. Forte cum latius extenderetur, antiquo nomine *Armorici* est nuncupata. *Pantiroll. Notit. Dign. Imp. Occid. c.* 84.

ARMUS coctus seu assatus apud veteres in pretio erat. *Buleng. de Conviv.* II. 6.

ARN.

ARNIENSIS tribus. V. illam infr. in *Tribus*.

ARNULPHUS Germanorum Rex trecentis ac sexaginta annis post calamitates quas Urbs ab Alarico, a Genserico, a Ricimere, a Totila passa erat, illam obsedit & cepit; sed quod ad publicorum ædificiorum & substructionum ruinas attinet, nullo incommodo affecit. Satis enim superque ille habuit, a Fortunato Pontifice Maximo Augustum appellari atque inungi, & populum Romanum jurejurando sibi devincire. Quod cum fecisset, Roma incolumi relicta discessit. *Bargæus de Ædif. Urb. Evers. Thes. Antiq. Roman. Græv. Tom.* IV. *p.* 1875. *F.*

ARO.

AROMATITES *fiebat e myrrhis, e nardo Celtica, calamo, aspalatho, offis in mustum aut dulce vinum defectis* apud Plin. XIV. 16. *Buleng. de Conviv.* III. 3.

ARP.

ARPINATIBUS civitas, sed sine suffragio est impertita L. Gemucio, Ser. Cornelio consulibus. Suffragium illis postea eodem plebiscito, quo Fundanis & Formianis, est concessum, ipsique in tribum Corneliam sunt translati, & in ea a Censoribus censi. *Sigon. de Ant. Jur. Ital.* II. 9. *Manut. de Civ. Roman. Thes. Antiq. Roman. Græv. Tom.* I. *p.* 21. *C.*

ARR.

ARRABONA Pannoniæ urbs. Hujus loci meminit Itinerarium. *Narabo* est apud Ptolemæum. *Panciroll. Notit. Dign. Imp. Occid. c.* 81.

ἈΡΡΆΦΟΣ tunica. V. illam infr. in *Tunica*.

ARRETIUM urbs est Etruriæ, & quidem ex duodecim principibus urbibus. Liv. IX. 37. *Arretium, Perusia & Cortona ferme capita Etruriæ populorum ea tempestate erant.* Vulgo incolis *Arezzo* dicitur. Ante Trojana bella cum reliquis principibus Etruriæ urbibus condita fuit: sive a primis hujus regionis cultoribus Umbris, sive postea a Pelasgis. *Cluver. Ital. Ant.* II. 3. 72. Eo colonos deduxit Sylla. De *Arretio* facilis est conjectura ex eo quod Cicero in defensione Murenæ c. 24. posuit: *Catilinam circumfluentem colonorum Arretinorum exercitu alacrem incedere.* Sigon. de Ant. Jure Ital. III. 4.

ARRHÆ sponsalibus peractis solebant intervenire, quæ a sponso sponsæ dabantur in testimonium, & quasi pignus, de futuris inter eos nuptiis, factæ sponsionis: eæque aut sponsæ dabantur, aut apud proxenetas deponebantur, quo fiebat, ut hoc modo *proxeneticæ*, illo *sponsalitiæ* nuncuparentur. C. de Sponsal. & arrhis sponsal. *Arrhæ* nomine sæpius non nummi, sed pronubus annulus dabatur. V. supr. in *Annulus*. Solere & alia multa *arrhæ* nomine dari, indicat Capitolin. in Maximin. jun. c. 1. *Desponsata illi erat Junia Fadilla, proneptis Antonini. Manserunt apud eam arrhæ regiæ, quæ tales fuerant: monolium de albis novem, reticulum de prasinis undecim, dextrocherium cum costula* (forte *copula*) *de hyacinthis quatuor, præter vestes auratas & omnes regias, cæteraque insignia sponsaliorum.* Claves etiam tradi sollenne fuisse V. infr. in *Claves*. Hinc sponsa *subarrhari*. V. hoc infr. in *Subarrhari*. dicebatur. *Hotman. de vet. rit. nupt. c.* 10. *de Sponsal. c.* 3. *Gasal. de Urb. ac Imper. Roman. splend. part.* 2. *c.* 16. Nullius rei quam hujusmodi *arrharum* apud Græcos & Latinos crebrior mentio. Dabatur fere eorum aliquid, quæ ad mundum, aut potius ad ornatum feminarum pertinent: propterea Hesychius κάθορμα, ἔνορμα & περιθέματα, quæ sunt diversa monilium nomina, appellat ἀῤῥαβωνικά, quod *arrharum* loco præsertim sponsalitiarum dari solerent. Idem alibi: μνῆστρον, ὁ τοῦ γάμου ἀῤῥαβών. *Casaub. & Salmas. ad Capitolinum.* Differt juxta Hieron. in Epist. ad Ephes. I. 14. & Isidor. Orig. V. 25. a pignore. *Interest in loquendi usu inter pignus & arrham. Nam pignus est quod datur propter rem creditam, quæ dum redditur, statim pignus aufertur. Arrha vero est primum quod pro re bonæ fidei contractu empta ex parte datur, & postea completur. Est enim arrha complenda, non auferenda: unde qui habet arrham, non reddit, sicut pignus, sed desiderat plenitudinem.* Voss. Lex. Etymol. Oisel. in Gell. XVII. 2. *Arrhæ* quare a sponso darentur sponsæ, undeque ea res habeat originem, pauci noverunt. Consuetudo fuit apud veteres, ut sponsus & sponsa inituri fœdus matrimonii, se invicem coemerent: facta igitur pretii conventione, & sponsa emebat sponsum dotis pretio. Id quod Plautus expressit, dicens Asin. I. 1. 74.

Imperium accepi, dote libertatem vendidi.

E contrario sponsus emebat sponsam. Unde est illud Virg. Georg. I. 31.

Teque sibi generum Thetys emat omnibus undis.

Sed

Sed quia utrumque pretium futurum erat in potestate viri, accipit ille dotem, quia emptus est a sponsa: illa vero tantum accipit *arrhas*, quod est quasi emptionis signum. *Calvin. Lex. Jurid.*

ARRIUS, gentilitium hoc nomen quandoque pro cognomine usurpatum observo in lapidibus: ut

L. CORNELIUS. ARRIUS.
Q. TAMUDIUS. Q. F. ARRIUS.

Ursat. de Not. Roman. Thes. Antiq. Roman. Grev. Tom. XI. *p.* 559. *C.*

Arrius presbyter ab Alexandro Episcopo de Alexandrina Ecclesia ejectus, multos suæ impietati sociat, prædicans Patrem & Filium & Spiritum Sanctum non esse unius ejusdemque naturæ, aut, ut expressius dicitur, essentiæ, utpote creaturam; Spiritum vero Sanctum creaturam creaturæ, id est, ab ipso Filio creatum. Ad quam perfidiam coarguendam Synodus trecentorum decem & octo Episcoporum in Nicæam urbem Bithyniæ congregata omnes hæreticorum machinas homousii oppositione dejecit. *Prosp. Chron. Thes. Antiq. Roman. Græv. Tom.* XI. *p.* 303. *A.* Sed hæc impietas Constantini Imperatoris fulta præsidio, exsiliis, carceribus & variis afflictionum modis primum Athanasium, deinde omnes non suæ partis Episcopos persecuta est. *Prosp. ibid. p.* 304. *D.* Cum vero totum pœne orientem atque occidentem Arriani commaculaverant, edicto gloriosi Principis Ecclesiis spoliantur, quæ Catholicis deputatæ sunt. *Prosp. ibid. p.* 324. *E.*

ARRUGIA est scalptura, ubi aurum scalpitur, non effoditur. Plin. XXXIII. 4. *Aurum arrugia quasi tum non coquitur, sed statim suum est.* Pancirol. Notit. Dign. Imp. Orient. c. 75.

ARRUNS Dionysio auctore prænomen Tuscum fuit, Romæ in gente Tarquinia celebratum, quo & Superbi Tarquiniorum filii usi sunt. Hoc nomine affectus fuit vates quidam Tuscus divinandi scientia insignis, de quo Lucan. I. 586.

Arruns incoluit deserta mœnia Lunæ.

Panvin. de Nom. Roman. Thes. Antiq. Roman. Græv. Tom. II. p. 2024. E. Sigon. de Nom. Roman. c. 5.

ARRUNTIA gens. V. illam infr. in *Gens.*

ARS.

ARSACES primus imperavit Parthis ab imperio Macedonum recedentibus, unde *Arsacidæ* dicti. *Prosp. Chron. Thes. Antiq. Roman. Græv. Tom.* XI. *p.* 280. *A.* Solis se & Lunæ fratres appellabant. *Bargæus de Obelisc. Thes. Antiq. Roman. Græv. Tom.* IV. *p.* 1916. *E.*

ARSE VERSE scribebant veteres in ædium foribus ad avertendum incendium. Festus. *Averse verse, averte ignem significat. Tuscorum enim lingua arse, averte: verse ignem constat appellari: unde Afranius ait: Inscribat aliquis Arse verse in ostio.* In hoc versiculo ostenditur superstitio veterum, qui ad deprecandum incendium inscribebant in ostio nescio quid, quod ad eam rem faceret. Plin. XXVIII. 2. *Etiam parietes incendiorum deprecationibus conscribuntur.* Scalig. in Festum. Almelov. Conject. p. 151.

ARSINOE oppidum a Ptolemæo in Cyrenaica ponitur. Dicebatur etiam Teuclucra, vulgo Trochera. *Panciroll. Notit. Dign. Imp. Occid. c.* 78.

ART.

ARTABA barbara & peregrina est mensura. De ejus mole fixam & solidam sententiam habebimus ex Septuaginta Interpretum testimonio, qui super Esajam, ubi legimus: *Triginta modii sementis facient modios tres*, ita reposuerunt. *Qui seminat artabas sex, recipiet mensuras tres*, & pro tribus modiis tres mensuras, & pro triginta modiis sex *artabas* reddiderunt. Quo fit, ut decem modii duas *artabas* reddant, & quinque modios quæque *artaba* contineat. Quod si verum est, ex modii capacitate constat *artabam* unam quartarios Parisinos quindecim, sextarium bilibrem, uncias sex & scriptulum cum tertia scriptuli recipere. Quod facile cognoscitur, si ad demensum unum adjeceris modium: est enim *artaba* ad ipsum sesquiquarta. Quod ergo scriptum est Daniel. c. 14. n. 2. *Erat idolum apud Babylonios nomine Bel, & impendebantur in eo per dies singulos similæ artabæ duodecim.* Duodecim *artabæ*, si rationem quis inire velit, centum nonaginta quatuor quartarios complent, uncias quinque, drachmas vero duas. *Cenal. de Pond. ac Mens. rat. Thes. Antiq. Roman. Græv. Tom.* XI. *p.* 1469. *F.*

ARTAXERXES Mithridatem apud Persas torque honoravit, quod stratum equi, quo Cyrus ab ipso interfectus usus fuerat, ad ipsum attulisset. *Scheffer. de Torquib. c.* 9. Terræ pro uxore votum fecit. Plutarchus. Facti caussam & rationem indicat Macrob. Sat. I. 10. nimirum *ab hominibus hos Deos*, scilicet Saturnum & Opem, *quasi vitæ cultioris auctores haberi.* Cur vero Terra Opis dicta subdit idem: *quod ejus ope humanæ vitæ alimenta quærantur. Hinc*, pergit idem, *Deæ Opi sedentes vota concipiunt, terramque de industria tangunt, demonstrantes ipsam matrem esse mortalibus appetendam.* Conjuges autem pro se invicem vota faciebant. *Tomas. de Donar. c.* 15.

ARTEM ludicram facere dicuntur, qui operas suas in scenam saltandi gesticulandique causa locant, vel etiam extra scenam gesticulantur. leg. mater §. ult. ff. ad leg. Jul. de adulter. Athletæ plane, thymelici, xystiti, agitatores, & qui aquam equis refocillandorum eorum causa spargebant, cæterique omnes qui sacris & in Deorum honorem institutis certaminibus deserviebant; item designatores, quos βραβευτὰς vocabant, *artem* ludicram facere non existimabantur, quemadmodum Ulpianus ad edictum Prætoris de his qui notantur infamia leg. Athletas explicat. Eodem jure etiam Attellanarum actores observavi: *quod genus ludorum, ab Oscis acceptum, juventutem tenuisse, nec ab histrionibus pollui passam*, eoque institutum, ut earum actores, velut *artis* ludicræ expertes, notæque vacui, *neque tribu moverentur, nec a stipendiis militaribus repellerentur* Liv. VII. 2. cum Val. Max. II. I. scribit: *Brisson. de Jur. Connub. Thes. Antiq. Roman. Græv.* VII. *p.* 1060. *F.*

Artes liberales sunt omnes artes honestiores, & quæ literarum opera comparantur, quod eorum doctrina ad liberos spectaret homines. *Pier. Hierogl.* XXXVIII. I. *Salmuth ad Panciroll. de Reb. Deperd. & Inv. p.* 277. Plin. Præf. XIV. *Pessum iere vitæ pretia: omnesque a maximo bono liberales dictæ artes in contrarium cecidere, ac servitute sola profici cœptum.* Cicero appellat *ingenuas*, Aristoteles ἐλευθέριας ἐπιθυμίας, Galenus ἐλευθέρια μαθήματα. Dicuntur etiam ἐλευθέριοι λόγοι & προπαιδεύματα, quasi institutiones præviæ ad primam philosophiam & theologiam. *Bud. Pand. p.* 277. *C.*

Artes quæstuarias ut exercerent, Romuli tempore plebejis est mandatum. *Manut. de Civ. Rom. Thes. Antiq. Roman. Græv. Tom.* I. *p.* 3. *A.*

Artes sellularias, sordidas, & humiles cives Romanos exercuisse, & quidem ex Romuli instituto, negat Dionys. II. p. 98: IX. p. 583. Sed ego artifices & opifices e numero civium Romanorum fuisse censeo, & Romuli institutum instituto aut Numæ, ut Plutarch. Num. p. 71. D. aut Servii, ut Flor. I. 6. 3. abrogatum fuisse assero. Non enim servos aut peregrinos illi in collegia digessisse dicuntur, sed cives Romanos. probro tamen primis temporibus ejusmodi *artium* usum fuisse, atque inde factum, ut a veris civibus, & germanis secernerentur, non negaverim. Quoniam ejusmodi operibus occupati homines neque ad militiam propter ignaviam vocabantur, nec fere tributi onere ullo propter tenues ipsorum opes premebantur, propterea ne in censorum quidem civium numerum a censoribus referebantur. Siquidem census ad juniorum copiam, qui ad bellum conscriberentur, & pecuniarum magnitudinem, quibus bellorum facultates sustentarentur, dispiciendam est celebratus. At vero peregrinorum atque servorum prope alterum Romæ populum esse obversatum, qui hic quæstibus operam dederit, agriculturam vero & rem militarem civibus liberis solis reliquerit, vix mihi consentaneum videtur; præsertim cum peregrini civitate, servi

libertate & civitate facile donari poſſent: quam, quid erat, cur tantopere expeterent, ſi lucrum ex *arte* antiqua amiſſuri eſſent? opifices autem & ſellularios a militia eſſe repulſos non lege, ſed conſuetudine, quod parum bello idoneum genus illud hominum putaretur, videtur mihi colligi poſſe ex Liv. VIII. 20. *Quin opificum quoque vulgus, & ſellularii minime idoneum militiæ genus, exciti dicuntur, Vejoſque ingens exercitus contractus, ut inde Gallis obviam iretur.* & Sall. Bell. Jug. c. 73. *Plebs ſic accenſa eſt, ut opifices omnes agreſteſque, quorum res fideſque in manibus ſitæ ſunt, relictis operibus frequentarent Marium.* Etenim quæro, an Conſules opificum turbam centuriaſſent, ſi ſervi ac peregrini fuiſſent, quorum illi nunquam, hi non in legione, ſed auxiliis meruerunt? at raro hoc uſurpatum eſt; fateor. Neque enim ejuſmodi hominum genus conſcribi, qui non idonei militaribus operibus viderentur, ſolebat; niſi aut aſperis in rebus, aut ab ambitioſo Conſule, ut a Mario, qui etiam capite cenſorum infimam plebem centuriaſſe fertur. Eoſdem tributo conferendo vacaſſe, non quod civitatis, ſed quod facultatis eſſent expertes, aperte demonſtrat Plutarchus, qui ſcribit: Poplicolam pauperes cives tributi conferendi onere exſolutos alacrius ſua opificia tractare juſſiſſe. Cur igitur a Cenſoribus, teſte Dionyſio, ſint præteriti, dubii jam nihil relinquitur. Quod ſi quis non optimo eos jure civitatis uſos eſſe in prima illa ſive Regum, ſive patriciorum republica affirmarit, non repugnabo. Quid enim id mirum, in ea republica, quæ non eſſet legibus temperata, ſed humilibus neglectis, tota in principum & divitum eſſet poteſtate ſita? At poſtquam plebi uni univerſa eſt communicata reſpublica, tum & hanc plebis partem meliora jura, quam ante, ſibi paraſſe negari non poteſt. Poſtremis enim temporibus hæc pars civitatis ad tribus & ad ſuffragia, quo jure nihil eſt præſtantius, & ad honores, quo jure nihil eſt melius, eſt admiſſa. V. infr. in *Opifices.* Et exinde cives Romanos etiam ſordidis in *artibus* occupatos fuiſſe probatur. *Sigon. de Ant. Jur. Civ. Roman.* II. 12. Ab *arte* aliqua qui diſcedebant, *artis* inſtrumenta diis ſuſpendebant, & ſacrabant: gladiatores, milites, poetæ, paſtores, meretrices, aliique. V. ſingulos ſuis locis. *Cerda in Virg. Ecl.* VII. 24. *Turneb. Adv.* VI. 9. *Brouckhuſ. in Tibull.* II. 5. 29. *Schill Nomencl. Philol. pag.* 160.

Artes, ſervi venales quas ſcirent, inſcribebantur eorum titulis. Plin. Epiſt. V. 19. *Libertus meus Zoſimus eſt homo probus, officioſus, literatus, & ars quidem ejus, & quaſi inſcriptio, comœdus.* unicuique ex collo aptatis. Prop. IV. 5. 51.

Aut quorum titulus per barbara colla pependit. . . .

Vel in venalitio pingebantur. Petron. c. 29. *Venalitium erat titulis pictum.* Pitiſc. in Suet. Gramm. IV. 5. §. 10.

Artes ſuas homines privati Kalendis Januariis religionis, ominiſque cauſa auſpicabantur. Ovid. Faſt. I. 167.

Tempora commiſi naſcentia rebus agendis,
Totus ab auſpicio ne foret annus iners:
Quiſque ſuas artes ob idem delibat agendo,
Nec plus quam ſolitum teſtificatur opus.

Senec. Epiſt. 84. *Ille tantus pſychrolutes, qui Kalendis Januariis in Euripum ſaltabam: qui anno novo, quemadmodum legere, ſcribere, dicere aliquid, ſic auſpicabar in Virginem deſilire.* Lipſ. Tacit. Ann. IV. n. 96.

Artes ſceleratæ tributo depenſo Romæ olim tolerabantur. Tertullian. de Fug. c. 13. *Neſcio dolendum an erubeſcendum ſit, cum in matricibus beneficiariorum & curioſorum inter tabernarios, & laniſtas, & fures balnearum, & aleones, & lenones Chriſtiani quoque vectigales continentur.* Suet. Ner. c. 40. n. 6. *Ut tenerentur publico, & qui meretricium, & qui lenocinium feciſſent.* Pitiſc. in Suetonium.

ARTEMON eſt trochlea collocata in radice machinæ cujuſdam πολυσπάςȣ. Græci ἐπάγοντα appellant. *Bald. Lex. Vitruv. Alciat. de Verb. Sign. p. 262. Calcagn. de Re Naut. c. 14. Voſſ. Lex. Erym. Gentil. de Verb. Sign. pag.* 412.

Artemon eſt antenna navis. *Eraſm. in Actor. c. 28. n. 40.* Ubi mentio eſt *artemonis.* Gubernaculum eſt navis, ſeu clavus. *Accurſ. leg. 242. de Verb. ſignif.* Falſum utrumque. Nec minus mirum, hominem quendam Juris peritum hallucinatum, cum verba Labeonis leg. 242. de Verb. Signif. *Artemon magis additamentum, quam pars navis,* inter navigia exponeret, vulgus nauticum ſecutum eſſe, ut putarit velum majus eo nomine appellari. Qua enim de cauſa malus niſi ut vela ſuſtentet? vela igitur non additamentum, ſed *artemon* additamentum. Eſt igitur *artemon* minus illud velum, quod velis majoribus appendi ſolet. *Gyrald. de Navig. Oper. Tom. I. p. 636. D. E. Scheffer. de Re Nav.* II. 5. *Brod. Miſc.* X. 19. *Alciatus de Verb. Signif. p. 262. Gentil. de Verb. Signif. p. 410. Philand. in Vitruv.* X. 5. *Kipping. Diſſert. de Expedit. marit.* §. 1.

ARTIFICES ſunt, qui manuum operam adhibent, & rem a ſe in aliam formam elaboratam vendunt, quales ſunt cerdones, fabri, pelliones, ſutores, textores, ſarcinatores, fullones, bractearii. Mercis ad hos appellatio non pertinet. *Alciat. de Verb. Signif. p. 146. B. p. 231. a.* Romani nulla ab initio uſi ſunt *artificum* opera; ſed ubi primum ludos facere cœperunt, tunc adſciti *artifices* ab Hetruſcis civitatibus. *Buleng. de Theatr.* I. 45. Habebant proprium templum, in quod conveniebant, propriumque patronum cooptabant, qui eorum cauſas tueretur, & quæ ad ſuos ſpectabant, procuraret. *Panciroll. de Corp. Artif. Theſ. Antiq. Roman. Grav. Tom.* III. *p* 20. *D.* Perſonalium onerum immunitate gaudebant, & hos numero duos & triginta Taruntenus Paternus recenſet in leg. ult. C. de Jur. Imm. Conſtantinus vero ad Maximum quinque, & triginta nominat in leg. 2. C. Theodoſ. de excuſ. artif. *Panciroll. ibid.* 17. *A.* Illorum genera & collegia V. infr. in *Opifices.* Diverſa illorum collegia ſuos habuerunt Deos tutelares, quibus ſuum cultum præſtabant. Et inter illos fuerunt, qui ſui muneris memores exacto opere inſtrumenta, quibus uſi fuiſſent feliciter, Deo cuipiam privatim dicabant. *Tomaſ. de Donar. c.* 34.

ARTISSELLIUM ſervus *de ſuo paraviſſe & duas trullas* legitur in Traguriano Petronii fragmento nuper edito. Loquitur de ſervo frugi, qui genium ſuum defraudans, de quotidiano demenſo miſer comparſerat, paupertinam ſibi parans ſupellectilem, *artiſſellium & duas trullas.* Inaudita vox *artiſſelli.* Quod ſi *artiſellium* reſcribamus, pronum mox erit pro *arta ſella*, & anguſta, atque humili, qualis ſervum non dedecebat, interpretari. Niſi aliud ulcus hic ſubeſt, & ἀπὸ τȣ̃ ἄρτȣ, a pane deducta ſit vox; cum enim jungat mox duas trullas, vaſa ſcilicet vinaria, id primum curæ debuit eſſe ſervo non improvido ſervandi panis, vinique inſtrumenta parare. *Artiſſelium* autem idem ſit ac panarium, vel arca, aut repoſitorium panis: quaſi ἀπὸ τȣ̃ ἄρτȣ καὶ συλᾷν, *artiſylium, artiſelium*, quod illic colligatur panis veluti furtivus, ac detractus. *Chimentell. de Honor. Biſell. c.* 24.

ARTOLAGANUS erat *panis appellatus a deliciis.* Plin. XVIII. 11. Ab ἄρτος panis, & λάγανον, quod Heſychio genus eſt placentæ ex ſimila in oleo coctæ in patella. Pro minus delicato accipere videtur Cicer. Fam. IX. 20. *Dediſcendæ ſunt tibi ſportellæ & artolagani tui.* Tiraquell. in Alex. V. 21. Voſſ. Lex. Etymol. Laz. Comment. Reip. Rom. II. 15.

ARTOPTÆ meminit Plaut. Aul. II. 9. 4.

Ego hinc artoptam ex proximo utendam peto.

& Plinius Plautum laudans XVIII. 11. *Artoptam Plautus appellat in fabula, quam Aululariam ſcripſit: magna ob id concertatione eruditorum, an is verſus ſit Poetæ illius.* Qui, ut quidam cenſent, mulierem in Plauto videtur intellexiſſe panificam. Perperam. Fuit vas quoddam, quo panis torrebatur. Pollux. X. 25. *Nihil intererit etiam vas, in quo panes coquunt, ſic nominare, quod nunc artoptam vocitant.* Turneb. Adv. XIV. 5. Voſſ. Lex. Etymol. Schill Nomencl. Philol. p. 162.

ARV.

ARVALES fratres. V. illos infr. in *Fratres.*

ARVERNI inter Aquitaniæ populos recenſentur, a Cæſare & aliis inter Garumnam & Pyrenæos montes. Ptolemæus legit *Avernos.* Stephanus *Arvernos.* Vulgo *Auvergne.* Pancıroll. Notiť. Dign. Imp. Occid. c. 88. Hos, cum agros Æduorum populati eſſent, Cn. Domitius Ahenobarbus Conſul adducto adverſus eos exercitu ad Rhodani & Sulgæ confluentem devicit, *Arvernorum* Regem Betuitum acie juxta Rhodanum profligavit. Neque ille bello finem impoſuit, ſed, qui ei ſucceſſit, Q. Fabius, qui Allobrogibus & *Arvernis* ad Iſaram ſuperatis, & gente in deditionem accepta, ſibi cognomen Allobrogici peperit, atque omnes in provinciam retulit, præter *Arvernos* atque Rutenos, quibus populus Romanus ignovit. *Sigon. de Ant. Jur. Provinc.* I. 6.

ARUGA hoſtia, quæ erat ovis mas, quam *arigam*, vel *aringuam* verius dixeris. Quia Græci ἄρινα, πρόβατον ἄῤῥεν ovem marem vocant. *Buleng. de Sortib. c.* 5. *Rutgerſ. Var. Lect.* III. 9.

ARVINA Corneliorum a corporis habitu eſt dictus. *Sigon. de Nom. Roman. c.* 5. V. infr. in *Coſſi.*

ARULA in altari Hieroſolomytano non fuit una eademque quæ craticula in eodem, quaſi *arula* dicatur ſuperior craticulæ pars: nec fuit circulus, qui eſt os craticulæ, ſive conchæ illius perforatæ. Putant enim nonnulli, ſed fruſtra, omne quod quippiam circuit in gyrum vocari *arulam.* Fuit vero arcula ſuffumigatoria, prout Joſeph. Ant. Judaic. III. 7. videtur deſignare, quæ plena prunis ardentibus, ad ſuperpoſita devoranda idoneis, in altaris concavum medium craticulæ ſubjiceretur, & denique aureis annulis connecteretur. Similes nimirum huic illæ ſunt, quarum paſſim uſus eſt in ſacris & privatis ædibus, ad expellendum frigus hyemali tempore. Hæc mea conjectura confirmari facile poteſt ex Jerem. c. 36. n. 22. 23. *Berthald. de Ara c.* 5.

ARUNDO adhibebatur in agrorum aliarumque rerum metationibus; unde Apoc. c. 21. n. 15. qui civitatem Dei metiebatur, menſuram *arundineam* habuiſſe dicitur: & apud Ezech. 40. n. 3. *calamus* menſuræ nominatur, quo utebantur ad dimenſionem ædificiorum: cujus *calami* fit mentio apud auctores de Limitibus agrorum, ac decem pedum fuiſſe dicitur: quare hodieque inſtrumentum, quo metiri aliquid ſolemus, nomen *cannæ* vulgo retinet. *Aleand. Tab. Heliac. Explic. Theſ. Antiq. Roman. Græv. Tom.* V. *p.* 720. *B.* Virga caducei, ſi audiamus auctorem hymni in Mercurium, qui Homerus dicitur eſſe, ex quodam trifolio videtur fuiſſe, ſiquidem τριπέτηλον nominant; verum in tabula noſtra arundinem eſſe cernimus; idque non ex nihilo factum exiſtimare licet: quid autem ſi dicamus ſagittas indicari? ex *arundine* enim fiebant, unde paſſim apud Poetas *arundo* pro ſagitta ponitur: & ſane in hac tabula ſuperior caducei pars ſimilitudinem ferri habere videtur, quale ſagittis infigi ſolet: ſagittis vero Solis radii ſignificantur; ſed & virga Latinis radius dicitur, Græca (ni fallor) origine ῥάβδος. Fiſtula etiam *arundinea* indicari poteſt; nam & hanc Mercurio tributam præter Apollodorum referunt Iſidor. Orig. III. & Albricus de Deorum imaginibus. Quia vero e ſeptem cannis compacta erat, ſeptem planetarum orbes præmonſtrabat, earumque harmonicas converſiones. Scripturam quoque denotare *arundo* poteſt, quippe calamo ſive *arundine* ſcribi ſolitum apud Veteres. Perſ. Sat. III. 10.

Inque manus chartæ, nodoſ[a]que venit arundo.

Auſon. Epiſt. VII. 50.

Nec jam fiſſipedis per calami vias
Graſſetur Gnidiæ ſulcus arundinis.

At Mercurium literarum fuiſſe inventorem docent Philo Biblius apud Euſeb. de Præpar. I. 6. Diodor. I. p. 10. A. Quintil. 12. 19. Plutarch. Symp. IX. 3. Tertull. de Cor. Mil. c. 8. & Caſſiod. Var. VIII. 12. *Aleand. ibid. p.* 718. *F.* Viti quoque ſuſtentaculum adhibetur, quo fortaſſe in tabula noſtra ſpectat Mercurii virga ſub *arundinis* ſchemate: innituntur enim vites *arundinibus*, quemadmodum pueruli nutritiis, qui propterea bajuli dicebantur, ut hodie nutrices Italico idiomate Balie, quia infantes geſtare ſoliti: ad quorum ſimilitudinem de pedamentis vitium ita locutus eſt in Hiſtoria Anglia Malmesburienſis IV. *Hic prætexitur ager vineis, quæ vel per terram repunt, vel per bajulos palos in celſum ſurgunt.* Aleand. ibid. p. 743. E. *Arundine* ſervi amoliebantur aut amovebant indignos vel importunos. Petron. c. 94. *Et arundinem ab oſtio rapuit, iterumque nil reſpondentem mulcavit.* Prop. IV. 7. 21.

Nec crepuit fiſſa me propter arundine cuſtos.

Lipſ. in Senec. de Conſt. c. 14. n. 126. in . . . equitare quorum ludus ſit. V. infr. in *Equitare.*

Arundo creſcens V. illam infr. in *Calamus.*

ARUSINIA gens. V. illam infr. in *Gens.*

ARUSPEX differt ab augure, quod hic aves, ille aram, victimas & exta diligentius inſpiceret. Tota illa diſciplina in ſacrificiis obſervabatur. Græci *aruſpices* θύτας καὶ ἡπατοσκόπυς vocant. Dionyſ. II. p. 93. vult *aruſpicem* dici quaſi ἱεροσκόπον. Gloſſæ. *Ariolus*, ἱεροσκόπος, θυοσκόπος, σπλαγχνοσκόπος. Accipitur quoque pro extiſpice. Sil. Ital. V. 162.

— *dum nos augur, & extis*
Quæſitæ fibræ, vanuſque moratur aruſpex.

pro vate & divinaculo. Prop. III. 11. 61.

Proloquar, atque utinam patriæ ſim vanus aruſpex.

Buleng. de Sort. c. 5. Turneb. Adv. XIX. 20. Herodianus eodem loco habet quo magos IV. 12. 6. *Oracula omnia conſulebat, & magos undique, aſtronomos, aruſpices advocabat.* Buleng. ibid. c. 6. Velabantur cinctu Gabino, manicis brevibus, barba raſa, dextra lituum tenebant. *Buleng. ibid. c.* 7. Et erant Romæ tanti, ut ex Urbe duodecim principum filii ſinguli ſingulis Hetruriæ populis percipiendæ ſacrorum diſciplinæ gratia traderentur. Val. Max. I. I. I. Cic. Divin. I. 41. Quorum prior decem, poſterior de principum filiis ſex tantum in diſciplinam traditos fuiſſe ſcribit. Sed non eſt dubium, quin & Valerii, & Ciceronis locus corruptus ſit: cum enim conſtet apud omnes, duodecim fuiſſe Etruriæ populos, & ſingulis ſingulos principum filios in diſciplinam traditos uterque velit; inde conſequens eſt, non ſex, ut Cicero, nec decem ut Valerius: ſed duodecim, ut neuter, principum filios legendum eſſe. *Cantel. in Valerium, Lipſ. Elect.* II. 11. Prodigia, fulmina, quicquid vel in extis, vel in ara, vel in cœlo, vel uſpiam locorum monſtri exiſteret, interpretabantur. Curt. VII. 7. 8. *Mos erat aruſpicibus exta ſine Rege inſpicere, & quæ portenderent referre.* Firmic. Aſtron. II. *Aruſpices quotieſcunque privatis interrogato de ſtatu Imperatoris fuerint*, & reſpondere voluerint, exta ſemper, ac venarum *ordines involuta confuſione conturbent.* Buleng. ibid. c. 5. Urſat. de Not. Roman. Theſ. Antiq. Roman. Græv. Tom. XI. p. 562. C. Faciebant etiam οἰκοσκοπικὴν, & quæ domi acciderent, interpretabantur. Roſcium enim dormientem, ait Cicer. de Divin. I. 36. *circumplicatum ſerpentis amplexu, aruſpices* reſponderunt, *nihil illo puero clarius, nihil nobilius fore.* Buleng. ibid. c. 5. Obſervabant & flammam, quæ ex crematis proſectis edebatur; item fel, quomodo ejacularetur bilem; veſicam ore lana colligato igni imponebant, & quo illa pacto diſrumperetur, & quam in partem lotium effunderet, adnotabant, ut docet Didymus. Exta manu capiebant, & cultro ferreo rimabantur præcordia. Conſulebantur non tantum ſuper extis, ſed ſuper oſtentis, prodigiis: ſi lapidibus pluerat, ſi fax cœlo viſa, ſi natus androgynus, ſi puer factus ex virgine. Cic. Catil. III. *Ob prodigia cum aruſpices tota ex Hetruria conveniſſent.* Plin. VII. 3. *Puerum factum ex virgine deportari in inſulam juſſu aruſpicum.* Obſeq. de Prodigiis: *Novemdiale ſacrum fuit, quod lapidibus pluerat. urbs aruſpicum juſſu luſtrata.* Buleng. ibid. c. 6. In circo conſulebantur. Juven. Sat. VI. 583.

— *ſortes ducet, frontemque manumque*
Præbebit vati crebrum poppyſma roganti.

Vetus Scholiaſtes ſcribit *aruſpices* de circo ex oris preſſi ſono, quod poppyſma dicitur, futura collegiſſe. *Buleng. de Sortib. c.* 1. Illorum libros rituales ſcripſit Tages, & An-

Antiſtius Labeo illos quindecim voluminibus expoſuit. Fulgent. Placiad. Expoſ. Serm. Ant. in manales lapides. Ex illis prodigia interpretabantur, cum apud Græcos, tum apud Romanos, quorum in exercitu greges ovium fuere, ut ante pugnam exta conſulerent. Pauſan. Bœot. p. 291. Τοῖς βασιλεῦσι αὐτῶν ἐς τὰς ἐξόδες πρόβατα εἵπετο. Dionyſ. III. p. 149. Ὁρῶν ὅτε τὰ σφάγια, ὁπότε θύοιτο περὶ μάχης, καλὰ γινόμενα. Ideo Aurelianus vetat milites *Aruſpicibus*, qui erant in exercitu, quidquam dare, ne forte ad gratiam militum loquerentur, aut mentirentur, apud Vopiſcum in Epiſtola Aureliani. *Buleng. de Sortib. c. 6.* Illorum collegium eo crevit, ut in ordinem tranſiret. Inſcriptio eſt vetus Romæ effoſſa 1605.

L. FONTEJUS. FLAVIANUS
HARUSPEX. AUGG. CC
PONTIFEX. DICTATOR
ALBANUS. MAG. PUBLICUS
HARUSPICUM. ORDINI
HARUSPICUM. LX. D. D

In hac inſcriptione notandus eſt *aruſpicum* magiſter publicus. *Guther. de Jur. Pontif.* I. 3. Quod ad ſummum fuerit, V. infr. in *Collegia.*

Aruſpex Pontificis vocabatur, qui adhibebatur Pontifici ſacrificanti. Inſcriptio Romæ.

CN. IULI. CN. FILI
DOMATI. PRISCI
EX. EQUO. PUBLIC.
ADJUTORIS
HARUSPICUM
IMPERATORIS
PONTIFICIS
ALBANI

Guther. de Jur. Pontif. I. 3: II. 14.

Aruſpicæ etiam erant feminæ. Plaut. Mil. Glor. III. I. 99.

Præcantatrici, collectrici, ariolæ, atque aruſpicæ.

Buleng. de Sortib. c. 7.

ARUSPICINAM in Hetruria reperit Tages, Genii filius, nepos Jovis. Feſtus. Qui puerili ſpecie viſus, ſed ſenilis fuit prudentiæ. Hic cum in agro Tarquinienſi, cum terra araretur, & ſulcus altius eſſet impreſſus, exſtitit repente, & eum affatus eſt qui arabat. Ejus adſpectu cum obſtupuiſſet bubulcus, & clamorem majorem cum admiratione ediſſet, concurſus eſt factus, & tota brevi tempore in eum locum Hetruria convenit. Ille plura locutus eſt multis audientibus, qui omnia ejus verba exceperunt, & literis mandaverunt: omnis autem oratio fuit ea, qua *aruſpicinæ* diſciplina continebatur. Cicer. de Divin. II. 23. Ovid. Metam. XV. 553.

Haud aliter ſtupuit, quam cum Tyrrhenus arator
Fatalem glebam motis adſpexit in arvis
Sponte ſua primum, nulloque agitante moveri,
Sumere mox hominis, terræque amittere formam
Oraque venturis aperire recentia fatis,
Indigenæ dixere Tagem, qui primus Hetruſcam
Edocuit gentem caſus aperire futuros.

Buleng. de Sortib. c. 5. 6. 7. Lomej. de Biblioth. c. 6. A Chaldæis ortum traxiſſe ego puto. Armenios, & Comagenos Chaldæorum vicinos certe iſta ſuperſtitione infames fuiſſe oſtendit Juven. Sat. VI. 548.

Spondet amatorem tenerum, vel divitis orbi
Teſtamentum ingens, calidæ pulmone columbæ
Tractato, Armenius, vel Comagenus aruſpex
Pectora pullorum rimabitur, exta catelli,
Interdum & pueri.

Ex quibus Comageni propius adjacebant Phœniciæ ac Judææ; nec procul a Chaldæa aberant. In ipſa Chaldæa hæc in abuſu fuiſſe indicant certe verba Ezech. c. 21. n. 21. *Nam ſtetit Rex Babyloniæ in bivio, in capite duarum viarum, conſuluit teraphim, inſpexit jecur.* Van Dale de Divinat. idolol. c. 2. Illam neglexit Hannibal. *Rex enim Pruſias, cum Hannibali apud eum exſulanti pugnare placeret, negabat ſe audere, quod exta prohiberent. An tu, inquit, caruncula vitulinæ mavis, quam Imperatori veteri credere.* Cicer. Divin. II. 24. Neglexit eandem Cæſar infelici exitu, neglexit Caracallus, & non meliore. Dirarum obteſtationem Craſſus. Cicer. Divin. I. 16. Ejus judicia fuerunt vana & ridicula, in quibus nihil erat, cui ratio initeretur. Judicabant de omnibus, quæ vel victimis acciderent, vel in extis apparerent, vel ad altaria contingerent. *Buleng. ibid. c. 6. 7.* Illa omnia V. ſuis locis. De illis itaque recte Colum. I. 12. *Aruſpices vana ſuperſtitione rudes animos ad impenſas compellunt.* Et Hippocrates libro de iis quæ ad virgines ſpectant: *Redeunte ad mentem homine, mulieres cum alia multa, tum vero etiam veſtes muliebres pretioſiſſimas Dianæ conſecrant, a Vatibus*, id eſt, *Aruſpicibus, deceptæ.* Tomaſ. de Donar. c. 35.

ARX.

ARX eſt *editus in civitate, & munitior ad civium ſalutem locus. Virg. Æneid.* II. 322.

Quo res ſumma loco Pantheu? quam prendimus arcem?

Ergo prima ſpes in muris eſt; ſecunda in arce, ſi muros hoſtis irruperit. Auſon. in Monoſyll. n. 39.

Urbibus in cunctis munitior urbibus eſt arx.

Aſcon. in Divinat. p. 22. *Arces* ſanctimoniam quandam habere merito ſunt creditæ, quod in iis omnium civium ſalus eſſet repoſita, diique urbium cuſtodes ibi potiſſimum colerentur. Cicero ipſe *arcem* cum ara & portu conjungit in Verrinis, ut tutelam ejus ſimul & religionem ſignificet. Idemque pro Cornelio Balbo c. 17. cum de Gaditanis loquitur, *veterem ſpeciem fœderis Marciani omni ſanctiorem arce* dixit. Virg. Æneid. II. 245.

Et monſtrum infelix ſacrata pandimus arce.

quia in illa ſacratiſſimum urbis pignus Palladium continebatur. *Rycq. de Capit. c. 6.*

Arx Jovis vocatur Capitolium. Ovid. Faſt. II. 70.

Inque Jovis ſummi cæditur arce bidens.

Conſol. ad Liviam n. 28.

Et tumulus Druſum pro Jovis arce manet.

Quia in illo colebatur. *Rycq. de Capit. c. 6.*

Arx S. Angeli fuit dictum Adriani Mauſoleum, ad ulteriorem ripam Tiberis excitatum. Id Pario e marmore exſtructum, & in imo quaternis pari dimenſione lateribus, poſtea circumeunte fabrica, rotundam & ſpatioſam eminebat in turrim: equeſtribus ex eodem lapide ſtatuis, aut e curru exſtantibus in ſummo collocatis. Moli ad tuendam Urbem munitiones additæ ſunt. Procopius: *Sepulcrum id extra portam Aureliam, & ad lapidis jactum a mœnibus procul exſtructum brachiis duobus a mœnibus ipſis ad ſepulcrum id uſque porrectis & inædificatis complexi ſunt: ut e muro non ſit perinde pars quædam effectum. apparet namque altiſſimæ turri perſimile, & ea regione imminet portæ.* S. Angeli nomen huic inditum eſt, addita etiam in ſummo vertice, & dicata Archangelo Michaeli ſacra æde, cum graſſante Romæ peſtilentia, Gregorius Magnus Pontifex, qui ad S. Petri ſollennem ſupplicationem habebat, Angelum in edita mole enſem vagina includere, & una vim morbi condere ſuſpexit. *Donat. de Urb. Rom.* IV. 7. *Marlian. Topogr. Urb. Rom.* V. 22. *Nardin. Rom. Vet.* VII. 13. *Caſal. de Urb. ac Imper. Roman. ſplend. part.* I. *c.* 23. Feſtus. Ut & ampla, ſolida, & ex lateritio compacta opere tam firmo, ut machinis omnibus bellicis poſſet reſiſtere, viſa eſt *arci* ſtruendæ accommodatiſſima. Occupata eſt primo a quodam Creſcentio Romano factioſo, & ſeditioſo homine, a quo *arx* Creſcentii dicta eſt. Poſtea locum hunc pontifices occuparunt, & vocarunt caſtellum S. Angeli. Ideo noſtro tempore ingens ſtatua Angeli marmorea in ſummitate molis repoſita eſt, ut nomen *arci* confirmaretur. Hoc caſtellum munitiſſimis propugnaculis auxit, & ornavit Alexander VII. Borgia. Ab hac *arce* deambulacra ſecreta fornicato opere protenduntur uſque ad palatium pontificum, quod in colle Vaticano ſtructum eſt, vocantque curritorium: per quod pontifices urgente neceſſitate, dum obſiderentur, occulte ſe poſſent ſubducere, & tuta fuga ex palatio in hanc *arcem* ſe recipere. *Boiſſard. Topogr. Urb. Rom. Tom.* I. *p.* 2.

Arx.

Arx in auguriis capiendis locus fuit, ubi augures publice augurabantur. Liv. I. 24. *Fecialis ex arce*, id eſt, loco ab auguribus conſecrato, *herbam puram attulit*. I. 18. *Numa deductus in arcem*, id eſt, in auguraculum, *in lapide ad meridiem verſus conſedit*. Buleng. de Augur. II. 12.

Arx Romana in Capitolio exſtructa eſt, non in Palatino. Virgilius *arcem* pro Pallantea accepit, dum cecinit Æneid. VIII. 313.

Tum Rex Euandrus Romanæ conditor arcis.

In hac poſtea Auguſtorum palatium fuit. *Hoc vero revera non fuit arx, ſed tenuit rerum omnium principatum*, ut ait Servius. *Donat. de Urbe Rom.* I. 2. Mons Capitolinus bivertex eſt & biceps; extrema enim edita ſunt, & duplici jugo ſublimia, area in medio depreſſior, ubi equus M. Aurelii Antonini. *Arcis* nomen aliquando uni de duobus collis faſtigiis datum, quandoque vero utrique conjunctim tributum, id eſt, toti, qua muris portisque communitus erat, monti Capitolino: non ſecus ac alter ejus montis vertex proprie Capitolium dictus fuit ab *arce* diſtinctus: & rurſus totus aliquando collis, ad imas uſque radices, Capitolii nomen obtinuit. *Arcis* nomine quicpuid ſubſtructionibus ſuffultum, & muris firmatum fuit, indigitatum eſt. Liv. V. 41. *Romæ interim ſatis jam omnibus ut in tali re: ad tuendam arcem compoſitis.* III. 15. *Confeſtim in arce fœda cædes eorum, qui conjurare, & ſimul arma capere noluerant.* Alterum de duobus culminibus *Arcem* dictam, alterum Capitolium probatur, dum Capitolium ab *Arce* diſtinguitur. Dionyſ. X. p. 640. *Appius Herdonius Capitolium occupavit, & mox inde in contiguam Capitolio arcem involavit.* Liv. III. 15. *Exſules & ſervi, duce Appio Herdonio Sabino, nocte Capitolium atque arcem occupavere.* Totum collem Capitolii nomine ſignificatum conſtat. Liv. III. 15. *Servos ad libertatem Appius Herdonius ex Capitolio vocabat.* c. 18. *Herdonius interfectus. Ita Capitolium recuperatum.* Fulvius, quem plurimi ſequuntur, *Arci* partem Tiberi propiorem, cui nunc *Monti Caprino* nomen, adſignant: illum vero alterum verticem, in quo nunc eſt aræ Cœli Eccleſia, Capitolio. Auctor ei hujus opinionis eſt Ovid. Faſt. VI. 183. V. illum infr. in *Domus Manlii*. & Liv. VII. 28. qui ambo domum Manlii in *arce* collocant. Fuit autem illa eodem Livio teſte, ut & Plutarcho in Camillo p. 142. E. ad ſaxum Tarpejum, cui & Carmentæ nomen fuit, quo & Galli adſcendere conati ſunt. Contra ea Marlianus contrarium tuetur, & Capitolium in parte Tiberi viciniore ſtatuit, *arcem* vero in colle aræ Cœli. Cæterum verſus ſaxum Tarpejum *arcem* ſitam fuiſſe Plutarchus in Camillo abunde oſtendit, quum de monte illo, aliquave ejus parte loquitur, ſemper vocem uſurpat Capitolii: atque ita adrepentem per ſaxum Tarpejum Pontium Cominium deſcribens p. 141. D. quod theatro Marcelli objectum fuit, addit: *& eos, quibus cuſtodia Arcis demandata erat, magno labore per locum vacuum petit.* Ubi non de tota *arce* loquitur, verum de ea tantum parte, quæ peculiariter *arx* appellata fuit. Tum vero & Livius, ubi de domo Manlii loquitur lib. VII. 29. *Locus*, inquit, *in arce deſtinatus: qui area ædium M. Manlii fuerat.* Quæ verba aliter accipi nequeunt, quam ſtricta ſui ſignificatione; idque eo magis, quia Livius illic de æde Monetæ agit, in ipſa area domus Manlii ædificata; quam tamen Ovidius *arce in ſumma* fuiſſe dicit, nempe prope rupem Tarpejam. Tandem munitiſſima hæc pars Capitolini montis fuit, ob confragoſam & horrendam rupem Tarpejam, quæ tota in fundum præceps a porta Carmentali aſſurgebat: unde huic potius quam illi alteri parti *arcis* nomen conveniebat. *Nardin. Rom. Vet.* V. 14. *Donat. de Urb. Rom.* II. 14. *Rycq. de Capitol. c.* 5. Ante Tatium intra civitatis ambitum non fuit; verum propugnaculum fuit potius & munimentum Urbis. Nam Dionyſ. II. p. 104. ait, Romulum Sabinorum metu Palatini montis muros turribus muniiſſe, Aventinum vero & Capitolinum cum vicinis collibus foſſa & vallo valido cinxiſſe, cuſtodiisque eos firmis ad armentorum civiumque tutelam ſepſiſſe. *Nardin. ibid.* I. 2. Manlio Capitolino perduellionis damnato ſancitum eſt, *ne quis patricius in arce, aut Capitolio habitaret.* Liv. VI. 20. Perinde ac vetaret lex, ut patricii non modo non habitarent in *arce*, ubi Manlius habitaverat, ſed neque in Capitolio, altera videlicet collis parte. *Donat. de Urb. Rom.* II. 3.

AS.

AS, vel AHS, vel AH inter ſe conjungebantur & contexebantur, antiquiſſima cum Gothorum, tum multarum aliarum gentium conſuetudine. Illud *As*, vel *Ahs* ſummi apud Gothos numinis vocabulum eſt; quod *Aſum*, *Aaſum*, *Ahaſum* appellaverunt. *Scheffer. de Antiq. Torquib. c.* 12.

As Latinis dicit unum, unitatem, μονάδα. *Adjecto aſſe* apud Vitruvium pro adjecta unitate, & apud Hyginum *accepto aſſe* pro accepta unitate, *aſſem relinquo* pro unitatem relinquo, in Gromatico: *Omnis trigonus ductus octies accepto aſſe facit quadratum: cujus latus demitto, aſſem relinquo, ſumo partem dimidiam, facit trigonum.* Gloſſæ, *As*, ἅπαξ. *Aſſarium*, μονομάχιον. Hanc vocem a Siculis, vel Tarentinis Romani veteres ſumpſere. Εἷς, quod eſt unus, Siculi dicebant ἅις, ut ἀι pro ἰι: ἄιθε pro ἴιθε, & ſimilia. Tarentini pro ἅις rurſum dicebant ἄς, ut ἄσνιγμα pro ἄινιγμα. *Salmaſ. in Vopiſc. Procul. c.* 13. *de Mod. Uſur. c.* 6. *Gronov. de Pecun. Vet.* III. 11. *Pætus de Ponder. Roman. & Græc. v. Theſ. Antiq. Roman. Græv. Tom.* XI. *p.* 1659. *D. E. Sperling. de Numm. non cuſ. c.* 33. *Buleng. de Lud. vet. c.* 58. Hac ſignificatione libra habet non tantum plures uncias, ſed etiam plures *aſſes*, id eſt, unitates. Nam unaquæque pars, ut uncia dicitur, ita etiam aſſis nomine poteſt dici, quia *as* μονάς. Dicit etiam τὸ ὅλον. Diverſa ergo notione, & pro toto, & pro unitate totius parte accipitur. Ea ſignificationis diverſitas ex eo fluxit, quod cum primitiva ſua proprietate ea vox ἄς ex Græco εἷς per dialectum facta, unum deſignet, nonnulli ex Doris vel Siciliæ populis, pro una libra, quæ duodecim uncias haberet; alii pro uno æreo, ſive una uncia, quæ duodecima pars libræ, poſuerunt. Romani itaque eos ſecuti ſunt, quibus ἄς idem quod una libra eſſet. Inde his idem *as* quod libra duodecim unciis conſtans. Hinc *ex aſſe hæres*, cui univerſa hæreditas relicta; *ex aſſe poſſidet*, qui non partem, ſed totam habet: *ex aſſe* debet, qui debet totum. *Salmaſ. de mod. uſur. l. l.* Aliter tamen dicitur *hæres ex aſſe*, aliter *ad aſſem ſolvere*, vel *perdere*: ibi *as* tota eſt hæreditas, hic minimus nummus: eſt enim ita ſolvere, vel perdere, ut ne quidem, qui ſolvi debeat, vel perdi poſſit, *as* unicus ſuperſit. *Gronov. de Pec. Vet.* IV. 12.

As non modo habetur, ſed & nominatur in menſuris intervallorum. Colum. V. 3. *His utrique ſummus ſemper ſingulos aſſes adjicio*, id eſt, ſingulos pedes. Mox: *His ſummis ſingulos aſſes adjicies.* Gronov. de Pecun. vet. III. 11.

As in pondere appellabatur etiam libra. Plin. XXXIII. 3. *Populus Romanus ne argento quidem ſignato ante Pyrrhum Regem devictum eſt uſus. Libralis, unde etiam nunc libella dicitur, & dupondius appendebatur aſſis.* Pætus de Ponder. Roman. & Græc. v. Theſ. Antiq. Roman. Græv. Tom. XI. p. 1660. A. Auguſtin. de Legibus in Papyria. Cujac. Obſerv. VII. 33.

Aſſis ſignificatio tam late patet, quam varie accidit ſolidum aliquod in partes aliquot dividi: ſecernitur ut plurimum in duodecimo. Sic fit, ut *aſſem* menſuræ concavæ ſextarium appellemus, cujus uncia eſt cyathus. Oblongæ vero menſuræ *as* pedanea menſura: uncia vero ſeu pars duodecima eſt pollex. Sic & ſolem, dum eclipſatur, in duodecim uncias partiuntur mathematici, ſeu puncta quæ veteres digitos eclipticos vocant. Uſuram etiam centeſimam JCti *aſſem* fecerunt, quam in duodecim uncias partiuntur. Vocant & JCti ſolidam hæreditatem *aſſem*, dicentes *aliquem hæredem ex aſſe factum*, ad quem hæreditas tota perveniſſet: alium *ex triente*, ſeu unciis

quatuor, *ex quadrante*, seu unciis tribus, *ex semisse*, seu unciis sex. Hinc Mart. VII. 65. 1.

Hæredem Fabius Labienum ex asse reliquit.

Cenal. de Pond. ac Mens. Rat. Thes. Antiq. Roman. Græv. Tom. XI. p. 1517. F. Cujac. Observ. VII. 33.

As nummarius etiam stips dicebatur. Nam quod Suet. Aug. c. 53. n. 5. vocat *stipem elephanto porrigere*, id Quintil. VI. 3. & Macrob. Sat. II. 4. *assem dare* dixerunt. Item cum Augustus *ex nocturno visu stipem quotannis emendicabat a populo, dicitur cavam manum asses porrigentibus præbuisse.* Suet. Aug. c. 91. n. 5. *Lipen. de Stren. c.* 3. §. 25. *Scheffer. in Jul. Obseq. c.* 106. Illum veteres Romani temporibus Tullii Hostilii sexti Romanorum Regis æreum percusserunt, & signarunt nota pecudum, unde & pecunia appellata. Plin. XXXIII. 3. Percussum libram, & pondo, & æreum nummum appellaverunt. Deinde post annos quadringentos viginti, sub primum bellum Punicum, cogente inopia, hujus *assis* pondus diminutum est ad dextantarium pondus, seu uncias decem sextante ablato de libra, & indidem facta est quinta pars lucri, non quinque partes. Nota assis fuit ex altera parte Janus geminus, in altera rostrum navis. Postea præter sextantem uncia adempta est, sicque erat dodrans seu novem unciarum, tandemque lege Papyriana ablata fuit sescuncia, seu uncia & semis. Plin. XXXIII. 11. Ad hunc modum *as* de duodenario redactus est ad septuncem & semunciam, inque eo pondere & valore usque ad tempora Christi perdurasse existimatur. Hæc idcirco dicta sunt, ut æstimationem *assis* & quadrantis Euangelici certissima ratione assequamur; quam rem nondum mihi videntur assecuti, qui totum suum calculum ab *asse* gravioris æris pendere fecerunt, cum potius ad *assem* septuncem, & semuncialem respiciendum fuerit. Nam eo *asse* utebantur Augusti Cæsaris temporibus, ut vere tradidit Nebrissensis. Est igitur *as* duplex, major & minor. Major quidem libræ, seu pondo unius, duodecim uncias capit, valetque denariolos quatuor cum denarioli obolique semissibus, & quarta parte unius pitæ. Est & alius minor, septunx & semuncialis, quem & Papyrianum dicimus: de quo ita sentit recte Plin. XXXIII. 3. *Sic factum est ut denarius sedecim assibus permutaretur, quinarius octonis, sestertius quaternis.* Cenalis de Pond. ac Mens. Ration. Thes. Antiq. Roman. Græv. Tom. XI. p. 1518. B--E. Sperling. de Numm. non cus. c. 25. & 33. Gronov. de Pec. Vet. III. 9. Salmas. de Mod. usur. c. 6. Bud. de Asse III. p. 145. Hotman. Antiq. Roman. IV. 1. 8. & 9.

As partes habuit etiam minutiores. Nam ab *asse* fiunt tressis, quadressis, nonussis, & decussis, pro tribus, quatuor, novem, & decem *assibus*: & rursus pro binis decussibus vicessis & tricessis: pro tribus, id est, tricenis *assibus*: & centussis pro denis decussibus: quo majus æris apud antiquos vocabulum nullum fuit. *Bud. de Asse* I. *p.* 12. *Lipen. de Stren.* III. §. 26. *Gronov. de Centes. Usur. p.* 495.

Asses lignei, scortei, & testacei tempore Numæ Pompilii Romæ in usu. Euseb. Chron. ad ann. 1306. *Numa Pompilius Capitolium a fundamentis ædificavit, & congiarium dedit asses ligneos & scorteos.* Tertium genus addidit Græca lectio omissum ab Hieronymo: Ἀσσάρια ξύλινα, καὶ σκύτινα, καὶ ὀστράκινα. *Asses ligneos, & scorteos, & testaceos.* Scalig. in Euseb. p. 72. Junius de Pictur. II. 8.

Asses librales Siculis quoque & Tarentinis ante Romanos videntur in usu fuisse, sed non sub nomine *assis*, verum ὀβολοῦ & λίτρας, quæ nomina, Parthenii dicti, qui, ut Justin. III. 4. 7. monuit, Lacedæmone profecti Phalanto duce Tarentum incolendum sumpserunt, Tarentum secum intulerunt, Græciæ magnæ, & deinde Siculis vicinis etiam tradiderunt. Lacedæmone igitur oboli nomen & libræ simul transiit cum ipsis Tarentum, & a Tarento in Siciliam, quod Hesychium fecit scribere: Λίτρα, ὀβολοί, οἱ τὸ νόμισμα παρὰ Σικελοῖς· οἱ δὲ ἐπὶ σταθμῷ. οἱ δὲ Ῥωμαῖοι διὰ τοῦ β. λίβρα. Proprie tamen libra Siculus nummus fuit, non Tarentinus, ut alio loco Hesychius etiam dicit: Λιτροσκόπους, ἀργυραμοιβούς, ἀπὸ τοῦ Σικελικοῦ νομίσματος, ὃ καλεῖται λίτρα. Nec Tarentinos ἄς suos nummos vocasse percipi potest, sed æs omne dixerunt ἄς: soli Romani libram & libralem nummum *assem* vocarunt. Et hanc Lacedæmoniorum Partheniorum coloniam Tarentum deductam, cum Tullius Hostilius Romæ Rex esset, meretur observari, centum & septem annis post Romam conditam, ut unde librares nummos Servius Tullius, qui Romæ post Tullum Hostilium annis novem & sexaginta regnare cœpit, signare didicisse dicendus sit, constet: sed de *assis* vocabulo indito his Romanis nummis a Servio, non itidem constat. Neque enim Tarentinos statim æreis nummis usos credimus; sed patriis, hoc est, ferreis: eosque etiam ὀβολοὺς vocasse more patrio, non ἄς: quod de omni ære dicitur, non de ferro. *Sperling. de Numm. non cus. c.* 33. Salmas. de Mod. Usur. c. 6. disputat de *assibus* libralibus, quod appendi eos nulla necessitas flagitaverit. Ego magis credo Plin. XXXIII. 3. *Libralis, unde etiam nunc libella dicitur, & dipondius appendebatur assis.* Nec juvat ratio, quod non solum publica moneta sunt percussi, sed & notam ponderis præferunt incusam. Idem enim in nummis aureis & argenteis obtinet publica imagine cusis, & notam ponderis quandoque adjectam habentibus, quos tamen concedit appensos etiam fuisse, ita ut illa negligentia ponderandi nonnisi in minutis nummis æreis processerit, in libralibus arbitrii fuerit accipientium, num non appensos tradi vellent. *Sperling. ibid. c.* 31.

Asses sextantarii in usu esse cœperunt ex eo tempore, quod propter bellum Punicum secundum, quod cum Hannibale gestum est, decreverunt patres, ut ex assibus, qui tum erant librarii, fierent sextantarii, per quos cum solvi cœptum esset, & populus ære alieno liberaretur: & privati, quibus debitum publice solvi oportebat, non magno detrimento afficerentur. Septuennio quoque usus est, ut priore numero, sed id non permansit in usu, nec amplius processit in majorem. Festus: Qui aliud dicit, quam Plinius. Ille bello Punico secundo, hic XXXIII. 3. V. illum infr. in *Nummus.* bello primo sextantarios *asses* factos scribit. Ille septennio durasse, & non amplius processisse in majorem numerum: hic durasse ad Dictaturam Q. Fabii, quæ a fine belli Punici primi fuit quinque & viginti annis posterior: & unciales, atque semunciales *asses* postea factos esse. Mihi quod Plinius scribit, verisimilius videtur, & in verbis Festi videntur quædam mendosa. *Augustin. in Festum, de Leg. in Papyria. Noodt de Fœnor. & usur.* II. 2. *Hotman. Antiq. Roman.* IV. 1. 10. *Gronov. de Pecun. vet.* III. 9.

Asses usuræ Romanis sunt dictæ, quæ eædem cum Græcorum centesimis, quæque duodecim dant in centum annua, quia *assis* duodecim est unciarum. Hæc eadem est usura Græcis, ἐπὶ δραχμῇ appellata. Ut illam summam & maximam usuram ab *asse*, ita ab *assis* partibus ceteras inferiores habuere denominatas: quemadmodum & Græci partes drachmæ iisdem minoribus centesima usuris significandis adhibuissent, si ullas novissent tales. *Salmas. de Mod. usur. c.* 6. & 7. Quum collatæ centesimis contractiores usuræ sic se habeant, ut suæ partes ad *assem*, atque inde nomen sortiantur, ita ut centesimas quoque dictas fuisse *asses usuras* valde probabile sit, hujus duplicis appellationem invertit vir omni doctrina spectatissimus, & ex fonte rivulum, ex rivo fontem facit. *Asses usuras* vult esse proprie Romanæ figuræ & primæ nuncupationis, quæ deinde Græcæ consuetudinis vocabulo dictæ sunt centesimæ. At contra est: quam centesimas dixissent usuras menstruas, quod quoquo mense pars centesima sortis commodi nomine daretur, & vidissent eas generare duodecim ejusmodi partes in anno; propter numerum duodenum easdem *asses*, & minores *assium* partibus nominaverunt, & utrumque vocabulum more Romanum. Vult Græcos ad usurarum genera significanda usurpasse nummi argentei vocabulum, qui illis usu frequentissimus, τόκος ἐπὶ δραχμῇ, ἐπὶ δυσὶ δραχμαῖς formando: Romanis quia prior signatus nummus æreus, *assem* in id assumptum, usu his celeberrimum. Quam spe-

ſpecioſum, tam fucatum vanumque hoc quoque. Quod autem uſuræ centeſima minores explicitæ ſunt vocabulis partium *aſſis*, in eo conſiderarunt *aſſem*, non tanquam nummum, ſed tanquam commune inſtrumentum omnis integri, quod duodecim conſtat, vel commode ſecatur partibus, dividendi. *Multa* enim *antiqui duodenario numero finiebant, ut duodecim decuriis actum*, ait Varro de Ling. Lat. IV. *Gronov. de Pec. Vet.* III. 13. Nomen *aſſes uſuræ* acceperunt ex eo, quod *as* & libra eadem res erat, quum hæc vocabula ſunt inventa, & eodem pondere fuerunt uſque ad bellum Punicum ſecundum, quum ob ærarii inopiam & ultimas Reipublicæ neceſſitates Q. Fabio Maximo Dictatore *as* ex librali factus eſt ſextantarius. Quemadmodum autem centeſimis minores uſuræ dictæ ſunt deunces, dextantes, dodrantes, beſſes, centunces, ſemiſſes, quincunces, trientes, quadrantes, ſextantes, unciæ, ſemunciæ, quia centeſima & libra eadem res erat, nec pecuniam aliam quam libras æris habebant, & ſi centeſimam dividere vellent, non poterant aliis vocabulis uti, quam partium libræ: ita & uſuras centeſimas dixerunt *aſſes uſuras*, quia qui centeſimas uſuras promiſerat, menſtruos dabat *aſſes* in centenos *aſſes*, vel menſtruas libras in centenas libras. Una erat differentia inter *aſſem* & libram ex inſtituto Servii Tullii, quod *as* ſignatus habebatur cum partibus ſuis, ne moleſtia appendendi moram commerciis faceret; libra dicebatur etiam de non ſignato ære: in cætera pondus idem, eadem materia, eadem partitio *aſſis* & libræ fuit: ſed invaluit, ut potius dicerent *aſſes uſuras*, quam uſuras libras, quia in ſignato & pecunia hujus nuncupationis uſus erat. Qui die cæca vendebat, aut mutuum rogabatur, nihil ambigui relinquebat ſecum contrahenti, ſive dixiſſet: *Faciam nomina, vel expendam tibi quod deſideras, ea lege, ut quod ſerius triginta diebus debitum expunges, des mihi inſuper uſuras menſtruas centeſimas:* ſive *quotquot triginta diebus, uſuras libras ſingulas in centenas ſingulas libras:* ſive *uſuras aſſes in centenos.* Eadem eſt in his omnibus ἐπεξήγησις. *Uſuras centeſimas*, uſuras, quæ ſint centeſimæ partes ſortis menſtruæ: *uſuras libras*, uſuras, quæ erunt libræ æris: *uſuras aſſes*, uſuras, quæ ſint *aſſes* in centones menſtrui. *Gronov. de Centeſ.* §. 66. *Noodt de Fœnor. & uſur.* II. 2.

Aſſes tres nubentes veteri lege Romana ad maritum venientes ſolebant ferre, atque unum, quem in manu tenebant, tanquam emendi cauſa, marito dare: alium, quem in pede habebant, in foco Larium familiarium ponere: tertium in ſacciperione, quem in compito vicinali paullo poſt reſignabant. Varro de vit. pop. Rom. I. apud Non. XII. 50. *Alex. ab Alex. Dier. Gen.* II. 5. *Tiraquell.* ad illum & in *Connub.* II. *Tomaſ. de Donar.* c. 13. *Briſſon. de Rit. nupt.* p. 81. *Caſal. de prof. Rom. rit.* c. 22.

ASA.

'ΑΣΑ'ΝΙΔΟΝ tabulatum erat navium, quod non tota occupabat tranſtra, ſed media pars patebat, quam propterea hoc nomine vocatam fuiſſe teſtatur Pollux I. 9. §. 3. Idem quoque docet Demetrius Cubicularius. Τὸ δὲ μέσον τῆς πρύμνης καὶ νέως μέχρι τῆς πρώρας ἀσάνιδον. *Voſſ. de Trirem. Conſtruct. Theſ. Antiq. Roman. Græv. Tom.* XII. *p.* 722. *B.*

ASAROTON dicebatur pavimenti genus, picturæ arte elaboratum. Dicebatur hoc pavimenti genus, quia videbatur non verſum. Plin. XXXVI. 25. *Pavimenta originem apud Græcos habent elaborata arte, picturæ ratione, donec lithoſtrata expulere eam. Celeberrimus fuit in hoc genere Soſus (Zenodorum* ſubſtituit *Grapald. de Part. Dom.* II. I. §. 3.) *qui Pergami ſtatuit, quem vocant aſaroton œcon, quoniam purgamenta cœnæ in pavimento, quæque everri ſolent, velut relicta fecerat parvis e teſticulis tinctiſque in varios colores.* Stat. Sylv. I. 3. 55.

—— varias ubi picta per artes
Gaudet humus, ſuperatque novis aſarota figuris.

Voſſ. Lex. Etymol. Bergier. de viis milit. II. Sect. XXI. §. II. Philand. in Vitruv. VI. 5. Barth. in Statium. Gyrald. Oper. Tom. II. p. 643. Rhodig. Ant. Lect. XXI. 32. Alex. Gen. IV. 21. Volaterr. Comm. Urban. XXVII. p. 1035. C. Crinit. de Honeſt. Diſcipl. XXII. I.

ASB.

ASBESTINUM linum a Græcis vocatur ex argumento naturæ, quod ignibus non abſumeretur. Latini vivum appellant. Et ex eo ardentes in focis conviviorum vidimus mappas, ſordibus exuſtis ſplendeſcentes igni magis quam poſſent aquis. Regum inde funebres tunicæ corporis favillam ab reliquo ſeparant cinere. Naſcitur in deſertis aduſtiſque ſole Indiæ, ubi non cadunt imbres, inter diras ſerpentes: aſſueſcitque vivere ardendo, rarum inventu, difficile textu propter brevitatem. Rufus de cætero colos, ſplendeſcit igni. Cum inventum eſt, æquat pretia excellentium margaritarum. Plin. XIX. I. *Asbeſtum* licet inextinctum ſignificet, & *asbeſtinum* inexſtinguibile, impropria tamen locutio eſt. Alioqui linum hoc ſemel concepto igne perpetuo arſiſſet, cum ignis exſtingui non poſſet. Sed *asbeſtum* eſt, quod igne confici ac deſtrui non poteſt, & tranſlate mori ac exſtingui, ut ea vox ad linum, & non ad ignem referatur. Aliud eſt enim ignem, aliud linum igni exſtingui, id eſt, conſumi non poſſe. Ardebat hoc linum, quamdiu igni pabulum ſuppetebat, oleum, jus, pingue, atque hujuſmodi alimentum, quod *ſordium* nomine complexus eſt Plinius, ignisque tamdiu durabat, quamdiu conficiebantur *ſordes*, illudque oleoſum ac jurulentum flamma depaſcebat, atque ita exuſtis maculis, intacto linteo, candidiores, ſive ſplendidiores mappæ nitebant, quam ſi lymphis elotæ fuiſſent. Ex lino communi ſi lintea fuiſſent, ea cum ſordibus ignis abſumpſiſſet: novo hoc invento, cum ſordes lambens flamma emaculaſſet, vivente lino, ignis moriebatur. Ex quo apparet etiam illas *Regum tunicas funebres*, de quibus Plinius (non enim Romani, ut nonnulli putant, cum cadavera cremarentur, ad ſeparandos corporis cineres a favilla rogi, hujuſmodi lintea *asbeſtina* adhibuerunt) in rogo arſiſſe, quamdiu ſtillantis corporis tabes, ac ſanies igni alimoniam ſuppeditabat, indomita lini natura, ea deficiente & ignem defeciſſe. Qui ſi exſtingui non potuiſſet, ut vox ipſa notare videtur, quomodo mappæ illæ texi, atque impune tractari potuiſſent, & ad uſum revocari? Et ignis tunicis illis conceptus ſi inexſtinguibilis fuiſſet, tunicæ æternum arſiſſent, neque ultra rogi incendio opus. Satis enim fuiſſet intra linteum perpetuo ardens corpora conjeciſſe. *Aſſueſcit* tamen *vivere ardendo* apud Plinium. Sed ſi hoc voluiſſet magnus ille ſcriptor, quomodo legi, atque evelli, quomodo in fila educi, texi, & reliquis uſibus aptari potuiſſet. Acumen ejus ergo in eo eſt, quod cum in Indiæ deſertis ſole aduſtis naſcatur, ubi nunquam cadunt imbres, linum illud olim inter flammas victurum, aſſueſcere in illis ſolitudinum incendiis *vivere ardendo*, hoc eſt, ignem pati, & ardore, quo ibi cuncta conflagrant, non confici, ſive non mori. *Ferrar. de vet. Lucern. Sepulcr. Theſ. Antiq. Roman. Græv. Tom.* XII. *p.* 1017. *A—F. Turneb. Ant.* XXIII. I. *Panciroll. de Reb. Deperd. & Inv.* & ad illum *Salmuth p.* 13. *Licet. de Lucern. ant. recond.* II. 40. *Bayſ. de Re veſt.* c. 4. *Urſin. de Triclin. p.* 304. *Guilland. Papyr. memb.* IX. *n.* 23. *Caſal. de Urb. ac Imper. Roman. ſplend. part.* 2. *c.* 21. *de Proph. Roman. rit. c.* 26. *Gyrald. de Var. ſepel. rit. c.* 20. *& Faes in illum.* V. infr. in *Ellychnium.*

ASC.

ASCAULES, utricularius. Gloſſæ optimæ: Ἀσκαύλης, *utricularius.* Mart. X. 3. 8.

Et concupiſcat eſſe Canus aſcaules.

Turneb. Adv. XI. 25. Salmaſ. in Vopiſc. Carin. c. 19. Raderus in Martialem.

ASCETÆ, quique vitam auſteriorem profitebantur, pallium geſtabant veſtem Græcanicam, & Philoſophorum

 propriam,

propriam, unde tot conviciis profcissi sunt. *Ferrar. de Re Vest.* I. I. 38.

ASCETRIÆ mulieres etiam gestarunt tribonium, ut Cratetis uxor Hipparchia. Apparet hoc ex sequenti canone: *Si qua mulier propter ἄσκησιν habitum mutat, & pro solito muliebri amictu virilem sumit, anathema sit.* Nam per virilem habitum intelligi pallium contra sententiam Balsamonis recte docti viri statuerunt. *Ferrar. de Re Vest.* II. 4. 18.

ASCIA, σκέπαρνον. Glossæ veteres, dolabra est fabrorum lignariorum, qua asperitas perpolitur. Legibus XII. tab. cautum erat, *Rogum ascia ne polito*, quod ad lignorum dolatorum ornamenta pertinebat. Et in veteribus Inscriptionibus passim legitur: SUB. ASCIA. DEDICARE. Hæc verba multis scriptoribus crucem fixerunt. Alii *sub ascia dedicata* credunt ea sepulcra esse, (Laz. Comm. Reip. Roman. III. 18.) quæ sub contignationibus lignorum tecto munita sunt, ut ab aeris injuria vindicentur. Quod quidem tectorium ornamentum dici non potest, sed protectorium. Guichardus *sub ascia dedicare* suspicatur esse, rogum *ascia* polire, quod Legibus duodecim vetitum est. Sed rogum polire lex dicit, non dedicare, quod est religione aliqua devincire. Dedicare sepulcra, consecrare recte dicimus, quod convenire rogo non potest. Hæc ut facilius ex M. Tullii opere tectorio explicemus, advertendum est sepulcrorum perfectorum ornamenta potissimum contineri tectorio, seu albario opere, quibus *ascia* adhibebatur. In albario opere maceratio calcis necessaria est, id est, *si calx in fornace cocta fuerit parum, in maceratione diuturna, liquore coacta deferveat.* Vitruv. VII. 2. *Tum ascia sumitur, & quemadmodum materia dolatur, sic calx in lacu macerata asciatur. Quod si ad asciam offenderint calculi, temperata non est. Ut ergo opus albarium probetur, macerata calx ascia dolatur, & si quod asciæ adhæret, fuerit molle atque viscosum, constat albariis operibus convenire.* Ex his intelligitur, *sub ascia dedicare* idem esse ac opere tectorio marmorato, vel albario sepulcra exornare. V. illa supr. in *Albarium.* Guther. de Jur. Man. II. 28. Ferret. Mus. Lap. II. Mem. 48. Rævard. ad leg. XII. tab. c. 15. Hotman. Antiq. Roman. III. I. p. 391. E.

ASCLEPIADES vomitiones, quia supra modum crebræ esse cœperant, damnavit. Plin. XXVI. 3. *Butius de Pot. Ant. c.* 13. Hominum mentes frigidam aquam ægris tempestive dando primus in se traxit. Plin. XXVI. 3. *Butius ibid. c.* 19. Æthiopide herba amnes & stagna siccari conjectu, tactu clausa omnia aperiri asseruit. *Lipen. de Stren. c.* 3. §. 8.

ASCOLIASMUS apud Polluc. IX. 7. fuit ludus, quum uno pede sublato, altero solo saltarent. Qui plures saltus ac longiores fecisset, is vincebat. Interdum is qui uno pede saltabat, alios utroque fugientes insequebatur, donec aliquem ex iis assecutus esset. Interdum insiliebant in utrem unctum vento plenum per Dionysia, idque uno pede, ut cum cecidissent, risui essent, ait Eustath. ad Odyss. X. p. 380. *Buleng. de Lud. vet. c.* 23. *de Theatr.* I. 27. *Alex. Gen.* II. 25. *Meurs. de Lud. Græc. Thes. Antiq. Græcar. Gronov.* VII. *p.* 949. D. Tzetzes in Hesiodum: *Utres inflatos ventoque plenos humi deponentes altero pede insiliebant, atque super iis ferebantur. Tum sæpius labentes in terram decidebant. Faciebant autem id in honorem Dionysii, quoniam utris pellis est hirci, qui pampinos vitium comedens illis obest plurimum.* Agebantur hæc apud Latinos etiam, & plurimum conferre credebantur ad vinearum fertilitatem. Ritum præclare gessit Virg. Georg. II. 375.—393. *Hospinian. de Fest. Ethn. p.* 121. *Brod. Misc.* IV. 7.

ἌΣΚΩΜΑ est pellis, quæ ad scalmum ipsum est affixa. Pollux I. 9. 5. Ἄσκωμα, τὸ πρὸς αὐτῷ τῷ σκάλμῳ δέρμα. Fuerunt ergo *ascomata* munimenta quædam in foraminibus iis, per quæ remi exeruntur, ne frequenti circumactione remorum cito attererentur. *Scheffer. Mil. Nav.* II. 5. *Calcagn. de Re Naut. c.* 12. *Gyrald. de Navig. c.* 16.

ASCOPERA, ἀσκοπήρα, saccus est coriaceus, seu pelliceus. Suet. Ner. c. 45. n. 5. *Alterius collo ascopera deligata.* Voce *ascoperæ* usus est etiam vetus interpres Judith. c. 13. n. 11. *Imposuit itaque abræ suæ ascoperam vini.* Erat cullei symbolum apud Suetonium, quia Nero matricida. Marsupium exponit Suidas: Ἀσκοπήρα, τὸ μαρσύπιον, ἤτοι σακκοπάθνιον. Prior tamen interpretatio magis convenit loco Suetonii. *Politian. Miscell. c.* 20. *Voss. Lex. Etymol. Figrell. de Stat. Roman. c.* 36. V. tamen, si lubet, *Turneb. Adv.* XXIV. 6: XXX. II. *Marcil. in Leg.* XII. *tab. c.* 81.

ASCULUM cognomine Picenum, ad discrimen *Asculi* Apuli. Vulgo nunc incolis vocatur *Ascoli*, insignis hodieque urbs. Plin. XIII. 13. *In quinta regione Piceni Cupra oppidum, castellum Firmanorum, & supra id colonia, Asculum Piceni nobilissima.* Vetus epigramma:

DECURIONES. ET. PLEBS
COLONIÆ. ASCULANORUM

Panvin. Imp. Roman. Thes. Antiq. Roman. Græv. Tom. I. *p.* 385. *C. Cluver. Ital. Ant.* II. II. 29. *Leand. Descript. Ital. p.* 403.

ASE.

ASELLI κύλλοι appellantur a labiorum enormitate. *Argol. in Panvin. de Lud. Circ.* I. 17. Pessinuntii apud Varron. in Sat. de cibis laudantur. *Buleng. de Conviv.* II. 25.

ASELLUS vas erat recipiendo mulso paratum. Petron. c. 31. *In promulsidari asellus erat Corinthius. Tegebant asellum duæ lances.* Athen. IV. Ὄνοι γέμοντες οἴνου. *Aselli vino pleni.* Salmas. in Tertull. de Pall. p. 438. Saubert. de Sacrif. c. 23.

ASEMÆ appellatæ sunt tunicæ, quæ purpura carebant, & clavum nullum habebant. Pollux. IV. 18. Ἐστὶ δὲ χιτὼν λευκὸς, ἄσημος. *Est autem tunica alba, sine clavo.* Salmas. in Lampr. Alex. c. 33. Ubi *tunicæ asemæ* dicuntur, non quidem quod omnino clavis carerent, sed quod exigua admodum purpuræ signa haberent. Additur enim statim, *ex purpura non magna.* Et Spartian. Sever. c. 19. *Hic tamen exiguis vestibus usus est, ut vix tunica ejus aliquid purpuræ haberet: & cum hirta chlamyde humeros velaret.* Ferrar. de Re Vest. I. 3. 15.

ASI.

ASIA civitas Lydiæ universæ *Asiæ* nomen dedit. *Panciroll. Notit. Dign. Imp. Orient. c.* 102.

Asia tribus modis accepta est; uno, tertia orbis terrarum pars, quæ Europæ, Africæque respondet; altero, regio quæ ab Issico sinu usque in Pontum porrigitur, quæ *Asia* minor, & magna Chersonesus a Strabone & Appiano appellatur; tertio, quam Rex Pergami Attalus cognomento Philometor a majoribus suis acceptam populo Romano testamento reliquit, quæ Mysiam, Phrygiam, Æolidem, Ioniam, Cariam, Doridem, Lydiam, Lycaoniam & Pisidiam comprehendit, quæ regiones quidem in magna Chersoneso, sed cis Taurum, omnes fuerunt. Varro de Ling. Lat. duobus modis eam tradit: uno eam, quæ respondet Europæ, in qua Syriam provinciam populi Romani collocat; altero magnam Chersonesum, in qua duas provincias ponit, cis Taurum Ioniam, ultra Taurum Ciliciam. Sed Ioniam ponit pro ea *Asia*, quam nos diximus Attali. *Sigon. de Ant. Jure Prov.* I. 10. Est universi pars, quam cæteris longe amœnissimam atque opulentissimam judicarunt Justinus, Livius, Cicero. Et sub cujus cœlo nati & educati animo quidem sunt ingenioso & artificioso, sed molles, ignavi, & effœminati, non ad imperandum, sed ad serviendum parendumque idonei. Herodotus ad finem lib. IX. *Natura comparatum est, ut e mollibus regionibus molles viri exsistant, neve ex eadem terra admirandæ fruges, & egregii bello viri gignantur.* Hinc ad enervandas vires fortissimorum exercituum permultum contulit, & ex *Asia* luxus Romam est advectus. Liv. XXXIX. 6. *Luxuriæ peregrinæ origo est ab exercitu Asiatico invecta in Urbem. ii primum lectos æratos, vestem stragulam pretiosam, plagulas, & alia textilia, & quæ tum magnificæ supellectilis habebantur, monopodia & abacos Romam advexerunt, tum psaltriæ, sambucistriæque, & convivalia ludionum oblectamenta addita epulis: epulæ quoque ipsæ, & cu-*

na & sumptu majore apparari cœpta: tum coquus, vilissimum antiquis mancipium, & æstimatione & usu, in pretio esse; & quod ministerium fuerat, ars haberi cœpta. Unde Cn. Manlius cum Gallo-Græcis signa collaturus, exercitui suo apprime commendatum esse voluit apud Liv. XXXVIII. 17. *Vobis*, inquiebat ille, *mehercule Martiis viris cavenda ac fugienda quam primum amœnitas Asiæ est: tantum hæ peregrinæ voluptates ad exstinguendum vigorem animorum possunt, tantum contagio disciplinæ morisque accolarum valet.* Kobierzyck. de Lux. Roman. I. 4. L. Quinctio & Cn. Domitio Consulibus anno ab U. C. 562. Antiochus Magnus Syriæ Rex bellum Romanis intulit. Primus adversus eum missus est M. Acilius Glabrio Consul. Duravit hoc bellum annos tres. Primo Glabrio Antiochum bello victum apud Thermopylas Græcia expulit, atque Ætolos devicit. Altero L. Scipio Africani frater Regem apud Sipylum montem ad Magnesiam acie vicit, sic bellum confecit. Triumphavit L. Scipio ex *Asia* & Rege Antiocho, anno ab U. C. 565. Post Eumenem eam beneficio S. P. Q. R. possedit Attalus ejus filius. Is anno ab U. C. 621. sine liberis moriens populum Romanum reliquit hæredem. Verum Aristonicus Eumenis filius non justo matrimonio ex pellice natus post mortem Attali velut paternum regnum invasit Asiam, Crassum Mucianum Consulem adversus se missum cepit & occidit. Liv. Epit. 59. Crasso in *Asiam* Consul Perperna successit. Qui Aristonico acie victo captoque bellum confecit. Perpernæ M. Aquillius Consul successor fuit. Qui Asiatici belli reliquias finivit. In ea majorum more constituenda, & in provinciæ formam redigenda, cum M. Aquillio Consule decem legati missi sunt. Triumphavit ex *Asia* M. Aquillius anno ab U. C. 628. *Panvin. Imp. Roman. Thes. Antiq. Roman. Græv. Tom.* I. *p.* 396. *C. Manut. de Leg. Roman. c.* 10. *Sigon. l. l.* Subacta prius Consules, mox Proconsules accepit. Augustus quoque cum provincias ordinaret, duas solas Consulares administrandas fecit, Libyam & *Asiam*, nec eam totam, sed illam tantum partem, quæ cis Halym Tauro includitur. Nam etsi *Asia* minor tota dicitur, quæ inter Pontum Euxinum & Carpathium mare continetur, in ea tamen regione, ubi est Lydia, proprie & stricte *Asia* vocatur, Ponto & Bithynia ad septentrionem, Galatia, Lycaonia & Pisidia ad auroram exclusis. Æneas Sylvius de *Asia* minore c. 60. eam quinque provincias continuisse scribit, Phrygiam majorem, Mysiam, Troadem cum Æolide, Ioniam & Cariam, quæ omnia usque ad mare Icarium & Myrtoum, insulasque Ægæi maris, *Asiæ* adjacentes Proconsul habuisse videtur. Cæteras *Asiæ* partes Prætores, aut Præsides regebant. Verum post Constantinum vicariis late imperantibus Proconsul eam tantum partem cum insulis retinuit, quæ inter Cariam & Lydiam nominatim *Asia* dicitur, prope Sardos & Caistrum, ubi est Ephesus. *Panvin. Notit. Dign. Imp. Orient. c.* 102. Vectigalia ejus fuerunt multa & magna. De iis C. Sempronius Gracchus, qui anno ab U. C. 630. tribunatum gessit, tulit: ut ea a Censoribus Romæ publicanis locarentur. Versabatur in decumis, portoriis, & scripturis. Cicer. pro Manil. c. 6. *Asia tam fertilis est, ut ubertate agrorum, & varietate fructuum & magnitudine pastionis, & multitudine rerum earum, quæ exportantur, facile omnibus antecellat.* Narrat Plutarchus, *Asiam* a Sylla viginti millibus talentum esse multatam. *Sigon. l. l. Asia* ἤπειρος, *continens Asia*, veterum Græcorum more, de illo *Asiæ* tractu, qui parebat Romano Consuli, dicitur: qui cæteroquin uno *Asiæ* nomine a Græcis Romanisque Romanarum rerum scriptoribus, ubi hæc in provinciæ formam est redacta, vulgo solet designari. Antiquam vero hanc ἤπειρος Ἀσίας de eadem *Asia*, quæ a Cicerone ex Phrygia, Mysia, Caria, Lydia constare dicitur, appellationem exstitisse, docebit Æschylus Prom. v. 734. *Spanhem. ad Constit. Anton. Exerc.* II. *Thes. Antiq. Græv. Tom.* XI. *p.* III. *C. D.* In *Asia* varia fuerunt συνέδρια, sive concilia, Ionum nempe, Doriensium, Carum, Lyciorum, atque aliorum. In illis communia totius συστήματος negotia tractabantur, & communium templorum, sacrorumque ratio constituebatur. Sed celeberrimum erat τὸ κοινὸν τῆς Ἀσίας συνέδριον, quod ad *Asiam* minorem pertinebat, quo non solum conveniebant urbes illius provinciæ, sed etiam legati ex plerisque aliis *Asiæ* urbibus, quæ τῷ κοινῷ τῆς Ἀσίας associatæ erant, & fraternitatis quodam vinculo junctæ, templorum ac sacrorum communium participes erant, eadem ratione, qua ait Strab. XIV. p. 453. τὸ Καρὸς Διὸς ἱερὸν κοινὸν ἁπάντων Καρῶν fuisse, οὗ μέτεστι, inquit, καὶ Λυδοῖς καὶ Μυσοῖς ὡς ἀδελφοῖς. Hoc singulis, ut puto, quinquenniis congregabatur, non uno quidem in loco semper, sed alternatim in celeberrimis τοῦ συστήματος urbibus; etenim nunc quidem τὸ κοινὸν τῆς Ἀσίας invenio fuisse Pergami, alias Ephesi, sæpe Smyrnæ. *Ruben. Diatr. de Urb. Neocor. Thes. Antiq. Roman. Græv. Tom.* XI. *p.* 1358. *F. Asiæ* conventus fuerunt multi. Cicero pro Flacco c. 28. meminit ita Apameæ, Laodiceæ, Adramytti, Pergami, ut earum civitatum, in quibus prætor jus dicere consuesset. Unde alio loco inquit: *Negotiari libet. cur non Pergami, Smyrnæ, Trallibus, ubi & multi cives Romani sunt, & jus a nostro magistratu dicitur?* Omnes autem *Asiæ* diœceses, quæ suo tempore erant, diligentissime omnium unus collegit Plin. v. 10. Cibyraticam celeberrima urbe Laodicea, Synnadensem, Apamensem, Alabandensem, Sardianam, Smyrnæam, Ephesinam, Adramyttenam, & Pergamenam cum omnibus, qui eo convenirent, populis insignioribus. *Sigon. de Jur. Prov.* I. 10.

ASIARCHÆ fuerunt principes in provincia quidam homines. Strab. XIV. p. 446. *Et semper aliqui eorum sunt principe in provincia loco, quos Asiarchas appellant.* Erant *principes omnium sacerdotum.* Dio Chrysost. Orat. 35. *Ruben. Diatr. de Urb. Neocor. Thes. Antiq. Roman. Græv. Tom.* XI. *p.* 1395. *E. Spanhem. de præst. num. Dissert.* VIII. *pag.* 692. *Bellor. in Numism. Urb. apib. insign. tab.* I. *Van Dale Dissert.* III. *Vales. in Euseb. Hist. Eccles.* IV. 15. *Salmas. Exerc. Plin. p.* 566. *a. E.* Præsides erant ludorum publicorum, certaminum, sacrorumque, & spectaculorum, quæ per Asiam in honorem deorum, & augustorum hominum edebantur. *Morell. Specim. rei numm. antiq. tab.* I. *p.* 28. *Van Dale l. l.* Edebant illa suis sumptibus, non secus ac Romæ ædiles & prætores, in aliis urbibus duumviri, decuriones, atque quinquennales in auspiciis dignitatis suæ facere solebant. De his *Asiarcharum* editionibus Euseb. l. l. *Rogabant Philippum Asiarcham, ut leonem adversus Polycarpum emitteret. At ille negavit id sibi licere, quippe qui amphitheatrale spectaculum jam edidisset.* Ruben. Morell. & Van Dale l. l. Panciroll. Notit. dignit. Imp. Orient. c. 106. Ad illos etiam communium τοῦ συστήματος τῆς Ἀσίας templorum, & sacrorum cura pertinuit. Aristid. Orat. sacr. IV. *Asiarchiam* appellat ἱερωσύνην τὴν κοινὴν τῆς Ἀσίας. Nulla autem alia templa, aut sacrificia communia fuisse τῷ κοινῷ Græcorum in Asia habitantium, quam ædes, & ceremonias Cæsarum Romanorum invenio. *Ruben. ibid. p.* 1360. Valde onerosum erat hoc sacerdotium: atque idcirco nonnisi opulentiores ad id gerendum eligebantur. Philostr. in Scopeliano Sophista: *Hujus sacerdotii honos non mediocris, nec mediocri pecunia constat.* Hinc est, quod Strabo observat *Asiarchas* fere ex Trallianis desumptos fuisse, propterea quod ejus urbis cives totius Asiæ opulentissimi essent. *Vales. & Morell. l. l.* Eligebantur hoc modo. Singulæ urbes Asiæ initio cujusque anni, id est, sub æquinoctium autumnale, concionem habebant, in qua unum ex suis civibus *Asiarcham* nominabant: legatos deinde mittebant ad commune gentis concilium, qui nomen ejus, qui domi electus fuerat, renuntiarent. Tum σύνεδροι ex omnibus iis, quos singulæ civitates *Asiarchas* nominaverant, decem circiter eligebant. Docet id Aristides, ubi se tertium, aut quartum *Asiarcham* a synedris, id est, a communis Asiæ concilio designatum esse dicit. *Vales. l. l.* Sed difficultas est, utrum hi omnes, qui in publico Asiæ concilio designati fuerant, simul sacerdotium gesserint; an vero unus duntaxat fuerit *Asiarcha*. Plures fuisse quotannis affirmat Jacobus Usserius, eo quod Actor. c. 19. n. 31. plures memorantur *Asiarchæ* suasisse Paullo, ne in theatrum Ephesiorum prodiret. Sed ille

locus nihil probat. *Aſiarchæ* enim illic vocantur; qui *Aſiarchiæ* ſacerdotium geſſerant; eo plane modo, quo pontifices Judæorum in Euangelio dicuntur, quotquot pontificatum antea adminiſtraverant. Ego libentius crediderim, unum duntaxat quotannis fuiſſe. Licet enim plures a ſynedris deſignari ſolerent, id forte fiebat, ut ex eorum numero unum aliquem proconſul Romanus eligeret; quemadmodum de Irenarchis fieri ſolitum eſſe tradit Ariſtides. Potuit etiam id conſulto fieri a ſynedris, ut ſi forte is, qui primus *Aſiarcha* ab ipſis fuerat deſignatus, fato concederet priuſquam ſacerdotii ſui munus expleſſet, alter eſſet qui ejus locum expleret. Unum porro fuiſſe quotannis *Aſiarcham* apparet ex fine epiſtolæ apud Euſebium, ubi Polycarpus dicitur paſſus eſſe ſub Philippo *Aſiarcha:* proconſule autem Aſiæ Statio Quadrato. Nam ſi plures erant *Aſiarchæ*, non unus tantummodo nominari debuit. *Valeſ. Salmaſ. Spanhem. Van Dale l. l.* Coronam auream in capite, togam auro & purpura intextam gerebant. Docet hoc Dio Chryſoſtomus. Tertull. de Idolol. c. 18. *Eodem more apud Ægyptios & Babylonios inſignia erant dignitatis, quo more nunc prætextæ, vel trabeæ, vel palmatæ, & coronæ aureæ ſacerdotum provincialium.* Ruben. ibid. p. 1359. Illorum munus perduravit etiam ſub principibus Chriſtianis abolito jam cultu numinum, & templorum communium, ita ut officium ſacerdotum provincialium ſola ſpectaculorum editione cenſeretur. *Ruben. ibid. pag.* 1360.

ASIARCHIA vocatur ſacerdotium Aſiæ a Papiniano leg. 8. de vacat. mun. & ſacerdotium provinciæ ab Hermogeniano leg. 17. de muner & honor. *Panciroll. Notit. Dign. Imp. Orient. c.* 106. Præbebat immunitatem a tutela, dum ei muneri quis præerat. *Guther. de Vet. Jur. Pontif.* I. 28.

ASIATICUS cognominatus eſt L. Scipio a ſubacta Aſia. *Panciroll. Notit. Dign. Imp. Orient. c.* 102. *Sigon. de Nom. Rom. Theſ. Antiq. Roman. Græv. Tom.* II. *p.* 1976. *D. Panvin. Imp. Roman. c.* 14.

ASINÆ cognomentum Corneliis datum; quoniam princeps Corneliæ gentis empto fundo, ſeu filia data marito, cum ſponſores ab eo ſollenniter poſcerentur, *aſinam* cum pecuniæ onere produxit in forum, quaſi pro ſponſoribus præſens pignus. Macrob. Sat. I. 6. *Turrig. Inſcr. Urſ. Tog. Theſ. Antiq. Roman. Græv. Tom.* XII. *p.* 395. *A. Sigon. de Nom. Roman. Theſ. Antiq. Roman. Græv. Tom.* II. *p.* 1978. *B. Alex. Gen. Dier.* I. 9.

ASINARIA porta V. illam infr. in *Porta.*

ASINARIUS eſt ſervus qui *aſinos* agebat, vel curabat. Cato R. R. c. II. Varro R. R. III. 18. Serv. Georg. I. 273. *Agitator verberator dictus eſt ab agendo, ac per hoc aſinarius dicitur.* Pignor. de Serv. p. 357.

ASINIA gens. V. illam infr. in *Gens.*

ASINIUS dictus eſt ab *aſinis.* A quadrupedibus enim multæ gentes nuncupabantur. *Sigon. de Nom. Roman. c.* 4. Celer muli unius obſonium ſex millibus HS detulit. *Buleng. de Conviv.* I. 9.

ASINUS Mario & Auguſto auſpicatus, aliis ominoſus fuit. Ammian. XXVII. 3. *Nova portenti ſpecies per annonariam apparuit Thuſciam: idque quorſum evaderet prodigialium rerum periti penitus ignorarunt. In oppido enim Piſtorienſi aſinus tribunali adſcenſo audiebatur deſtinatius rudens* (non *rugiens*) . . . *poſtea quod portendebatur evenit. Terentius humili genere in urbe natus & piſtor Corrector provinciæ eſt factus.* Buleng. de Prod. c. 44.

Aſinus quod frequens eſſet in Cybeles ſacris, & Deam ipſam dicatur bajulare apud Apul. VIII. ſpectat ad Veſtæ pro Deûm matre cultum. Hinc a Virgilio in Copa n. 26. dicitur: *Veſtæ delicium eſt aſinus.* Quanquam hoc commodius referri poteſt alio, nempe quod obſervatam, *aſini* clamore, Veſtæ pudicitiam, cui vim inferre parabat Lampſacenus Deus, inde Veſtalibus Romanorum ſacris *aſini* in honorem Deæ panibus coronari a piſtoribus ſolerent. Ovid. Faſt. VI. 331. In veteri Kalendario, in antiquis membranis Ovidii Faſtis præfixo, legi ad VI. Idus Junias. *Feſtum eſt Veſtæ. Aſinus coronatur.* Spanhem. de Veſt. & Pryt. Theſ. Antiq. Roman. Græv. Tom. V. p. 692. C. D. In Conſualibus *aſinus* & equus coronabantur, forte, quod per eos virgines Sabinæ Romam ſunt deportatæ. Num vero conſiliorum Deo aliquid eſt commune cum equo & *aſino?* Ut nimirum per *aſinum* prudens quædam mora in ſumendis conſiliis, per equum excitata quædam celeritas in iis exſequendis denotetur. Quippe ſatis cito conſuluit, qui conſuluit bene; & fruſtra bene conſuluit, qui quod bene conſultum eſt, magno animo effectum non reddit. *Aſinus* vulgo eſt quidem ſymbolum ſtoliditatis. Sed nihil vetat, quominus etiam aliquid recti & boni per eum indicetur? Unde apud Hebræos, præſertim Cabaliſtas, notante Pierio Hierogl. XII. 22. *aſinus* eſt ſapientiæ ſymbolum. *Boxhorn. Quæſt. Roman.* 40. Etiam qui ferebat panem ad rem ſacram. De ſacris deæ Veſtæ Ovid. Faſt. VI. 311.

Ecce coronatis panis dependet aſellis.

& reliqua ſacra bajulabat. Hoc manifeſtum eſt, quod nato Libero ſacer chorus Baccharum arcam arcanam, eamque coronatam *aſini* tergo impoſuit. Oppian. de Venat. IV. 253.

Arcam porro arcanam ſacer chorus ſublatam
Et coronatam tergis impoſuerunt aſini.

Paſchal. de Coron. IV. 18. Denotat quoque imperitos & rudes, qui virtutes, ſcientias, & optimas diſciplinas deſpectui habentes ſoli auro inhiant, & inſatiabili opum, divitiarumque cupiditate flagrant, & hac ratione animas ſuas in beſtias transformant. *Beller. Deſcr. Sepulcr. Naſon. tab.* 14. Marti *aſinos* immolabant ob turbulentum & acutum rugitum. Phurnut. de Nat. Deor. c. 20. *Rhodig. Ant. Lect.* VIII. 18. *Saubert. de Sacrif. c.* 23. Verum Carmani, quod equis carerent, & eorum inopia *aſinis* in bello uterentur, *aſinum* Marti ſacrificarunt. Strab. XV. *Saubert. l. l. Tomaſ. de Donar. c.* 40. Priapo etiam immolabatur Romæ, ad portam Flaminiam ſtemma cernitur hominis mentulati infra a dextris *aſini* caput, cui imminet dolabra ſacrificalis; in ſiniſtris item *aſini* caput cum cultro oblongiori. Ovid. Faſt. I. 391.

Cæditur & rigido cuſtodi ruris aſellus.

Quia nempe Sileni, quo vehebatur, *aſellus*, Lotidem nympham dormientem, cui jam jam vitium illaturus erat Priapus, acri ruditu excitavit, adeoque impediit, quo minus ille laſciviam atque voluptatem ſuam in virgine expleret.

Morte dedit pœnas auctor clamoris; & hæc eſt
Helleſpontiaco victima grata Deo.

Saubert. l. l. Ferret. Muſ. Lap. I. Memor. 12.

Aſini caput aureum in templo Hieroſolymitano poſitum coluiſſe Judæos per ſummam impudentiam ethnici ſcripſerunt. Tacit. Hiſt. V. 3. 3. *Nihil æque* Judæos *quam inopia aquæ fatigabat. Jamque haud procul exitio totis campis procubuerant: cum grex aſinorum agreſtium e paſtu in rupem nemore opacam conceſſit. Secutus Moſes, conjectura herbidi ſoli, largas aquarum venas aperit.* V. 4. 2. *Effigiem animalis, quo monſtrante errorem ſitimque depulerant, penetrali ſacravere.* Primus fabulæ architectus fuit Apion Grammaticus Ægyptius, qui ſub Tiberio, Cajo, & Claudio vixit. Joſeph. cont. Apion. II. p. 1067. Hæc calumnia etiam in Chriſtianos eſt devoluta. Tertullian. Apologet. c. 16. *Nam & quidam ſomniaſtis caput aſininum eſſe Deum noſtrum.* Cæcilius ethnicus in Octavio Minucii p. 83. *Audio eos turpiſſimæ pecudis caput aſini conſecratum inepta qua perſuaſione venerari.* Quin etiam Tertullianus picturæ meminit a quodam propoſitæ cum ejuſmodi inſcriptione. *Deus Chriſtianorum Onorychites.* Bochart. Hieroz. I. 2. 18. Selden. de Diis Syr. II. 17. Byn. de Calc. Hebr. II. 9. 9. Saubert. de Sacrif. c. 23. Argol. in Panvin. de Lud. Circ. I. 10. Wouwerius, Elmenhorſtius, Heraldus, Oizelius in Minucium Felicem. *Aſini* cranium ſuſpendi in hortis præcipiunt Boccatius Mileſiarum ſuarum, Palladius. At Columella lib. X. inquit n. 342.

Hinc caput Arcadici nudum cute fertur aſelli
Tyrrhenus fixiſſe Tages in limite ruris.

Argol. in Panvin. de Lud. Circ. II. 2. *Aſini* auriculas movere

vere

vere erat ſannæ genus. Quod hoc modo exprimebant veteres. Apponebatur temporibus pollex, cæteri autem digiti ad auris *aſininæ* ſimilitudinem formabantur, ac ſubinde movebantur. Qua quidem irriſione ſtupidum & *aſinum* oſtendebant eum, qui irridebatur. Perſ. I. 59.

Nec manus auriculas imitata eſt mobilis albas.

Auriculas albas, inquit Cornutus, *id eſt, aſininas. Nam ſic ſtulti ridentur, appoſito temporibus pollice, imitantes aures aſini, aliis digitis, quaſi ſannam facientes.* Ferrar. de Acclam. II. 21. Caſaub. in Perſium.

Aſinus eſt jactus teſſerarius, infelix propterea quod viliſſimus ſit, & unitatem tantummodo deſignet. Et nobis quoque hodie is jactus *aſinus* dicitur, **een Eſel**. Græcis dicitur ὄνος. Pollux IX. 7. *Notandum, quod teſſera illud ipſum eſt quod jacitur: & inſculptum ei concavitatis ſignum, figura ſcilicet, vel linea, jactus numerum ſignificans. Et maxime unitas, quam aſinum nominant, teſſera dici obtinuit.* Meurſ. de Lud. Græc. in Κυβεία. Souter. Palam. I. 28. Salmaſ. in Vopiſc. Procul. c. 13. Senfleb. de Alea c. 9. §. 8.

Aſinus piſcis in ventre cor habet, & vocatur ectrapelogaſter. *Buleng. de Theatr.* I. 43.

ASIO eſt genus noctuæ, quod Cornutos juniores praſini coloris in orbiculo luteo habuiſſe ſcribit Pier. Hierogl. XXV. 48. quem cœruleus ambitus late complectebatur, a quo mox arctior, & ipſe luteus, & alius circa marginem extremus ruber cingebatur. *Panciroll. Notit. Dign. Imp. Occid. c.* 21.

ASP.

ASPARAGOS vocarunt omnes cauliculos, qui ex herbis vere pleno efflorefcunt. *Aſparagum* e braſſica vocant ὅρμενον, quod erumpat & germinet. *Buleng. de Conviv.* II. 3. In totum eſt ſpina, nullum folium habet. Trium librarum *aſparagum* Ravenna aliquando produxit. Plin. XIX. 8. Mart. XIII. 21.

Mollis in æquorea quæ crevit ſpina Ravenna,
Non erat incultis gratior aſparagis.

Buleng. ibid. c. 58. Hummelb. in Apic. de Art. Coq. III. 3. Priuſquam dureſcunt, ejus ſumma leviter coquuntur: imo in coquendo niſi modus adhibeatur, tabeſcunt, nec ſolum palato ingrati, ſed etiam evanidi fiunt; quare celeriter coquendi ſunt. Unde Auguſtus ad exprimendam feſtinatæ rei velocitatem dixit: *velocius quam aſparagi coquantur* apud Suet. 87. 4. *Eraſm. Adag. p.* 237. *Pier. Hierogl.* LVIII. 34. *Nonn. de Re Cibar.* I. 16. *Bruyer. de Re Cibar.* VIII. 82.

ASPENDIUS citharista proverbium eſt vulgatum Cicer. Verr. I. 20. quo furem ſignificat. *Atque etiam illum Aſpendium citharistam, de quo ſæpe audiſtis id, quod eſt Græcis hominibus in proverbio, quem omnia intus canere dicebant, ſuſtulit, & in intimis ſuis ædibus poſuit.* Ad quem Scholiaſtes: *Simulacrum dicit hujus citharistæ abſtuliſſe Verrem. Fuiſſe autem fertur tantæ ſubtilitatis, ut non exſerta manu nervos citharæ impellere, ſed perquam occultis moribus, ac propterea proverbialiter dictus eſt in ſe canere ſolitus, ſimulque orator χαριέντως.* Et Aſconius: *Cum canunt citharistæ, utriuſque manus funguntur officio, dextra plectro utitur: & hoc eſt foris canere. Difficile autem, quod Aſpendius citharista faciebat, ut non uteretur cantu utraque manu, ſed omnia, id eſt, univerſam cantionem, intus & ſiniſtra tantum manu complecteretur. Unde omnes quotquot fures erant, a Græcis* Aſpendii citharistæ *in proverbio dicebantur, quod, ut ille carminis, ita iſti furtorum occultatores erant. Valet hoc proverbium & in eos, qui multum ſuis inteſtinis commodis conſulunt præter honeſtatem.* Eraſm. Adag. p. 602. a. Buleng. de Theatr. II. 39. Panciroll. Notit. Dign. Imp. Orient. c. 124. Ferrar. Elect. I. 24.

ASPENDUS eſt metropolis Pamphyliæ. Cicer. Verr. I. 20. *Aſpendum vetus oppidum & nobile in Pamphylia.* Ab *Aſpendo* conditam ſcribit Stephanus. Olim eſt Clara dicta. *Panciroll. Notit. Dign. Imp. Orient. c.* 124.

ASPER cognominatus eſt non Cajus, ut Sigonius, ſed Lucius Trebonius, *ab inſectandis patribus.* Liv. III. 65. *Sigon. de Nom. Roman. Theſ. Antiq. Roman. Tom.* II. *p.* 1975. *A. Glandorp. Onomaſt. Roman. p.* 848.

ASPERATURA eſt quod nummorum permutatoribus, qui majoris pretii nummis acceptis minuſculam monetam reddunt, quique veteres nummos mutant cum recentibus & *aſperis*, datur pro præmio mutationis. *Guther. de Offic. Dom. Aug.* III. 19. *Cujac. Obſerv.* X. 19.

ASPERGILE, vel *aſpergillum*, vel *aſperſorium* erat inſtrumentum, quo aquam luſtralem aſpergebant Sacerdotes. Conficiebatur ex equinæ caudæ pilis. Antiquitus vice *aſperſoris* utebantur veteres ramo lauri vel oleæ, ut de Ænea in funere Miſeni ſcribit Virg. Æneid. V. 229.

Idem ter ſocios pura circumtulit unda
Spargens rore levi, & ramo felicis olivæ,
Luſtravitque viros.

La Chauſſe Inſign. Pontif. Max. tab. 5. Sigon. de Nom. Roman. Theſ. Antiq. Roman. Græv. Tom. II. p. 1979. D. Emend. II. 34. Kipping. Antiq. Roman. IV. 6. 10. Laurent. Var. ſacr. gentil. c. 14. Turneb. Adv. XIII. 21. Stuck. de Sacrif. p. 117. Caſal. de Prof. Roman. Ritib. c. 15. de Urb. ac Imper. Roman. ſplend. part. 3. c. 1. Nonn. in Goltz. Jul. Cæſar: Nomiſm. p. 45. Formam ex numiſmatibus & marmoribus exhibet *du Choul. Vet. Roman. Relig. p.* 236.

ASPERSIO ſumptuoſa, & longæ coronæ Legibus XII. ſublatæ ſunt. *Aſperſionem* ſumptuoſam ad florum & coronarum & vini atque lactis reſperſionem pertinere Antonius Auguſtinus putat ad Leg. XII. Urſinus ad Poſtumiam legem, quæ vino rogum ſpargi vetabat. Sed *aſperſio* hic cum longis coronis inhibetur, quæ nihil ad rogum. Hæc enim ad unguenta rejicienda eſt, quibus longæ coronæ non *aſpergebantur* ſolum, ſed mergebantur. Unguenta cum coronis ſemper adfuerunt. Cicer. Tuſc. V. 21. *Aderant unguenta, coronæ, odores incendebantur.* Horat. Od. III. 14. 17.

I pete unguentum puer, & coronas.

Plaut. Pſeud. V. 1. 21.

Unguenta, atque odores, lemniſcos, coronas dari dapſiles.

Ex quibus quid ſit ſumptuoſa *aſperſio*, quod longæ coronæ clarum fiet, cum a Plauto δαψιλεῖς, quod eſt abundantes & copioſæ, dicantur. *Guther. de Jur. Man.* I. 21. *Rittersh. in Leg.* XII. *tab. Claſſ.* I. *c.* 9. Inferis aquæ *aſperſione* antiqui ſacra facturi ſe purgabant. Cicer. de Leg. II. 10. *Inceſtum aſperſione aquæ tollitur.* Superis vero ablutione corporis. V. ſupr. in *Abluebant*. Turneb. in Ciceronem.

ASPHODELUS herba ruſtica eſt vilis, quæ cibus fuit manium & defunctorum, quippe omnium deliciarum, omniſque luxus expertium. Lucian. de Luct. p. 301. *Jam eos qui tranſmiſſa palude ſunt ingreſſi pratum amplum excipit aſphodelo conſitum.* Bellor. Deſcr. Sepulcr. Naſon. tab. 7.

ASPIRATIONE veteres *nuſquam niſi in vocali utebantur, & ſic loquebantur, ut pulcros, Cetegos, triumpos, Cartaginem dicerent.* Cicer. Orat. c. 48. *Ciaccon. Colum. Roſtr. Theſ. Antiq. Roman. Græv. Tom.* IV. *p.* 1828. *D. Dauſq. Orthogr.* I. *p.* 26.

ASPIS dicitur ſurdus. Avitus de Orig. Mund. II.

Interdum perit incantans, ſi callida ſurdus
Adjuratoris contempſit murmura ſerpens.

quia apud quoſdam quaſi incantamenta negligit. *Argol. in Panvin. de Lud. Circ.* I. 14.

ASS.

ASSA caro. V. illam infr. in *Caro.*

Aſſa cella. V. illam infr. in *Cella.*

Aſſa nutrix. V. illam infr. in *Nutrix.*

Aſſa tibia. V. illam infr. in *Tibia.*

Aſſa vox. V. illam infr. in *Vox.*

ASSAMENTA dicebantur poemata, quæ in unum ſolum hominem condebant, & qui inde *aſſare* dicebantur: ut eſt maxima pars Sylvarum Statii, & olim Saliorum fuit. Erant enim *aſſamenta* Janualia, Junonia, Miner-

via,

via, priva poemata, & carmina, in ſingulos eos deos conſcripta. *Scalig. Conject. in Varron. p.* 121. *Barthol. de Tib. Vet.* II. 19. *Schill Nomencl. Philol. p.* 171. Hæc *aſſamenta* dici poſſe, nullo argumento probari poteſt. Non ex Feſto, qui non aliud docet, quam hymnos in ſingulos deos, a nomine dei vocatos, Janualios, Junonios, Minervios: ſed eos, qui in homines univerſos componebantur: neque item ex veteribus gloſſis, quando *axamenta* interpretantur στίχους ἐπὶ θυσιῶν Ἡρακλέους. Unde non aliud exterebrare eſt, quam *axamenta* dici verſus, qui canebantur a Saliis in ſacrificiis quæ Herculi fiebant. *Voſſ. Lex.* Etymol. in *Aſſum*, & *Axis.*

ἈΣΣΆΡΙΟΝ οὐγκίας τὸ τέταρτον. Euſeb. περὶ Σταθμῶν. Appendix Nicandri: Ὁ στατὴρ ἀσσάρια δύο: ἡ οὐγκία στατῆρας δύο. Nam uncia octo drachmæ, ſtater tetradrachmus: iſque habet duo didrachma, ſive quadrantes unciæ. Hinc & ἀσσάριον argenti, didrachmum, ſive quadrans unciæ argenti. Lexicon vetus: Ἀσσάριον τοῦ χαλκοῦ, φόλλεως τὸ τέταρτον: ἀσσάριον ἀργύρου, σταθμὸς γραμμάτων ἕξ. Suidas: Ἀσσάριον τοῦ χαλκοῦ, φόλλεως τὸ τέταρτον: ἀσσάριον ἀργύρου λεπτῶν ἑπτά. E quadrantariis degeneravit as in octavam unciæ æris, quod pondus in argento habuit denarius. Inde δηνάριον, ἀσσάριον, δραχμὴ, λεπτὸν idem interdum. Hero: Τάλαντον τοῦτο ρκε λιτρῶν ὑπάρχει: κατὰ δὲ λεπτότητας ἐν τῷ νομίσματι εἰς λεπτὸν καπείσας, εἰς ς διαιρεῖται, ἃ καλεῖται ἀσσάρια. Heſychius: Ἀσσάριον καὶ λεπτὸν ἕν ἐστιν, ἤγουν ἑξακισχιλιοστὸν ταλάντου. Ubi λεπτὰ & ἀσσάρια ipſæ ſunt argenteæ drachmæ: quod nimirum as ad drachmam, hoc eſt, octavam unciæ æris, dimidiatum ſicilicum aliquando pervenerat. *Gronov. de Pec. Vet. Mantiſſ. c.* 3. *Sperling. Diſſert. de Numm. non cuſ. c.* 18.

ASSECLÆ omnibus juſſis dominorum aderant, & præſto erant, ut Non. Marcell. I. 280. ait, qui ſequebantur potentiores. Cic. Divin. II. 37. *Is quum ei Troginorum tetrarchiam eripuiſſet, & aſſeclæ ſuo Pergameno neſcio cui dediſſet.* A comite *aſſecla* diſtinguitur, quod comes is dicitur, qui una iter facit; *aſſecla*, qui ſequitur potentiorem. Ita ut comes comiti ſecuritatem; aſſecla vero officii jus præſtet ſuperiori. *Popm. de Oper. ſerv. p.* 82. 83.

ASSER Vegetio eſt trabs ſubtilis ac longa, ad ſimilitudinem antennæ, pendet in malo, utroque capite ferrato. Hunc ſive a dextra, ſive a ſiniſtra parte adverſariorum ſe junxerint naves, pro vice arietis vi impellunt, qui bellatores hoſtium, ſive nautas ſine dubio proſternit ac perimit, ipſamque navem ſæpius perforat. Haud abſimiles ſunt κεραῖαι, quarum mentio eſt apud Athenæum in deſcriptione navis Hieronis. Uſus, ut cum iis lapides dejiciantur in naves hoſtiles. Diodor. XII. Οἱ δὲ ἐπὶ τῶν μεγάλων πλοίων ἐφεστῶτες ἐπέρριψαν ταῖς τῶν πολεμίων ναυσὶ τοὺς ἀπὸ τῶν κεραιῶν λίθους. *Scheffer. Mil. Nav.* II. 7. *Aſſeres* etiam ſunt ligna, quibus lecticarii lecticam bajulant. Juven. Sat. III. 245.

— ferit hic cubito, ferit aſſere duro
Alter.

Unde *aſſer* etiam pro ipſa lectica. Juven. Sat. VII. 132.

Perque forum juvenes longo premit aſſere Medos.

Suſpicor fuiſſe exemptiles, & facile in lecticam reponi potuiſſe, aut tolli. Videtur docere Suet. Cal. 58. 8. *Ad primum tumultum lecticarii cum aſſeribus in auxilium accurrerunt.* Eo magis, quod vinculorum fiat mentio, quibus lectica colligata. Gracchus: *Ubi audivit, lecticam deponi juſſit: ſtuppis, quibus lectica deligata erat, verberari juſſit.* Lipſ. Elect. I. 19.

ASSERERE. V. ſupr. in *Adſerere.*

ASSIDUI dicebantur locupletes ab *aſſe*, ſive *ære dando*, id eſt, tributo in ærarium conferendo. Cicer. Topic. c. 2. *Cum lex Ælia Sentia aſſiduo vindicem aſſiduum eſſe jubeat, locupletem jubet locupleti. Locuples enim eſt aſſiduus, ut ait Ælius, appellatus ab ære dando.* Gell. XVI. 10. *Aſſiduus in XII. tabulis pro locuplete, & facile facienti dictus, aut ab aſſibus, id eſt, ære dando, quum id tempora Reipublicæ poſtularent: aut ad muneris pro familiari copia faciendi aſſiduitate.* Chariſ. Inſtit. Gramm. I. p. 58. *Adſiduus quidam per d ſcribunt, quaſi ſit a ſedendo figuratum, ſed errant. Nam cum a Servio Tullio populus in quinque claſſes eſſet diviſus, ut tributum, prout quiſque poſſideret, inferret: ditiores, qui aſſes dabant, aſſidui dicti ſunt: & quoniam ſoli in negotiis publicis frequentes aderant, eos qui frequentes aſſunt, aſſiduos ab aſſibus dixerunt.* Rittersh. in Leg. XII. tab. Claſſ. III. p. 3. c. 5. Alex. Gen. dier. VI. 10. & in illum Tiraquellus & Colerus. Auguſt. in Leg. XII. tab. §. 3. Ræward. ad leg. XII. tab. cap. 9. Schill Nomencl. Philol. p. 173. Sigon. de Judic. I. 20. Ouzel. in Gellium. Hotman. Antiq. Roman. III. 3. p. 476. D. Male, licet & Cicero, & Gellius conſentiant. *Aſſiduus* enim eſt, qui ſemper præſto eſt. Cato de Re ruſt. c. 145. *Aſſiduos homines quinquaginta præbeto.* Hinc *aſſiduitas* eſt eorum, qui ſemper nobis adſunt. Plancus apud Cicer. Fam. X. 25. *Malo præſens obſervantia, indulgentia, aſſiduitate memorem me tibi probare.* Cicer. pro Mur. c. 9. *Aſſiduitatis, & operarum harum quotidianarum putat eſſe conſulatum*, hoc eſt, conſulatum putat debere conferri in illos, qui quotidie in foro verſantur, & Reipublicæ, & civibus operam in Urbe navant. Hinc *aſſidui cives* dicti ſunt honeſtiores, & opulentiores, qui quotidie verſabantur in foro, & aliis civibus officia præſtabant, & operam in rebus civilibus. Opponuntur proletariis, & capite cenſis, qui opera mercenaria victum quærentes raro in foro conſpiciebantur, cum iis nullus eſſet locus in comitiis & concionibus. Et fere idem eſt *civis aſſiduus*, ac civis claſſicus, qui erat ex quatuor claſſibus civium, qui jus habebat ſuffragiorum in comitiis, cum illo carerent proletarii, & capite cenſi. *Grav. Theſ. Antiq. Roman. Tom.* II. *p.* * * * * * 2.

ASSIDUITAS in petendis magiſtratibus petitori eſt neceſſaria. Q. Cicer. de Petit. conſul. c. II. *Aſſiduitatis nullum eſt præceptum: verbumque ipſum docet, quæ res ſit. Prodeſt quidem vehementer nuſquam deeſſe: ſed tamen hic fructus eſt aſſiduitatis, non ſolum eſſe Romæ, atque in foro, ſed aſſidue petere, ſæpe eoſdem appellare: non committere ut quiſquam poſſet dicere, quod ejus ſit, conſequi poſſis, ſi abs te non ſit rogatum, & valde, ac diligenter rogatum.* Pertinet itaque ad illam ambire, prenſare, ac cogere. *Sigon. de Judic.* II. 30.

ASSIPONDUM *dicebatur unum pondus, ideo, quod as erat libræ pondus.* Varr. de Ling. Lat. IV. 36. *Priſcian. de Numm. & Pond. Theſ. Antiq. Roman. Grav. Tom.* XI. *pag.* 1685. *B. Salmaſ. de Mod. uſur. c.* 6.

ASSIRATUM erat cruenta potio, qua fœdera firmabantur. Feſtus: *Aſſiratum apud antiquos dicebatur genus quoddam potionis ex vino & ſanguine temperatum, quod Latini priſci ſanguinem* aſſir *vocarent.* Gloſſarium: *Aſſer*, αἷμα. Mela II. I. *Ne fœdera quidem incruenta ſunt: ſauciant ſe qui paciſcuntur, exemptumque ſanguinem, ubi permiſcuere, deguſtant.* Lipſ. in Tacit. Annal. XII. n. 114. Stuck. de Sacrif. p. 77. Lydius de Re Milit. VI. I.

ASSO oppidum Baſtarnorum in Tarraconenſi Hiſpania, quæ & Oſca dicitur, ut Ferrarius obſervat in Lexico Geographico: vel Oſſea, ut Carolo Stephano in ſuo videtur. *Urſat. de Not. Roman. Theſ. Antiq. Roman. Græv. Tom.* XI. *p.* 944. *D.*

ASSULAM ligni, digitos duos altam, ſedili, tranſtroque, in latitudinis verſus nates extremitate adfixam puto, ne natibus ultra ſedilis legitimam menſuram remex evagaretur, & inferiori remigi, poſt ipſum ſedenti locum anguſtiorem faceret. *Meibom. de Fabr. Trir. Theſ. Antiq. Roman. Græv. Tom.* XII. *p.* 580. *B.* Illa *aſſula* plane commentitia eſt & nulla. Quod vel ex eo liquet quia remiges, quoties adducebant remum, recidebant impetu in ſua ſedilia. Si *aſſula* illa fuiſſet, quantum eis attuliſſe damni putamus, cum id ſpatium in tanto motu tam ſollicite obſervare nequiverint. Sed nec quiſquam eſt inter veteres, eos etiam, qui cum cura partes navium, minimas quoque memorarunt, qui illius faciat mentionem verbulo. *Opel. de Fabric. Trirem. Meibom. Theſ. ibid. pag.* 699. *D. E.*

ASSURGERE nobilioribus & potentioribus ſolebant

in-

inferiores tum apud Græcos. Pauſan. Arcad. pag. 278. *Nam in Themiſtoclis honorem theatrum in Olympicis aſſurrexit.* Homer. Hymn. in Apoll. n. 3.

Et utique aſſurgunt prope advenienti
Omnes a ſedibus.

quam apud Romanos. Cicer. de Sen. c. 18. *Hæc ipſa ſunt honorabilia, quæ videntur levia, atque communia, ſalutari, appeti, decedi, aſſurgi.* Suet. Claud. c. 6. n. 3. *Quin & ſpectaculis advenienti* Claudio *aſſurgere ſolebant* equites. Ea de cauſa *ſubſellia tribunitia prætervehenti ſibi, unum e collegio Pontium Aquilam non aſſurrexiſſe indignatus eſt* Julius Cæſar apud Suet. Jul. c. 78. n. 4. Inde *aſſurgere* alicui eſt illi honorem tribuere. Serv. Virg. Georg. II. 98. *Aſſurgit, cedit, tractum eſt a ſedentibus, qui in honorem alicujus aſſurgere conſueverunt.* Pitiſc. in Suetonii Julium. Poetis & ſophiſtis poſt recitationes in theatro peractas, de egregiis ingenii & induſtriæ ſpeciminibus illis gratulaturi ſolebant ſpectatores. Auct. lib. de cauſ. corr. eloq. c. 13. n. 3. *Populus auditis in theatro verſibus Virgilii ſurrexit univerſus, & forte præſentem ſpectantemque Virgilium ſic veneratus eſt quaſi Auguſtum.* Mart. x. 10. 5.

Sæpius aſſurgam recitanti carmina? tu ſtas,
Et pariter geminas tendis in ora manus.

Unde amico recitanti auditores quoſdam non *aſſurrexiſſe* indignatur Plin. Epiſt. VI. 17. *Recitabatur liber abſolutiſſimus: hunc duo aut tres, ut ſibi & paucis videntur, diſerti, ſurdis mutisque ſimiles audiebant. Non labra diduxerunt, non moverunt manum, non denique aſſurrexerunt ſaltem laſſitudine ſedendi.* Ferrar. de Acclam. & Plauſ. vet. I. 14. Kemp. de Oſcul. Diſſ. XII. 3. Lipſ. Elect. II. 10. Pitiſc. in Suet. Aug. c. 56. n. 8.

ASSYRIA inter Tigridem & Euphratem, a quibus amnibus irriguis inſtar Ægypti fœcundatur, ſita eſt. Hanc provinciam fecit Trajanus. *Panvin. Imp. Rom. c.* 19.

ASSYRII variis artibus potum parare inſtituerunt. *Butius de Pot. Antiq. c.* 1. Piſcibus abſtinuerunt, & pro aqua piſces, pro aere columbam coluerunt. *Buleng. de Conviv.* II. 30. Per Semiramin juraverunt. Vetus Gloſſarium MSC verbis Semiramis ὅρκος. Hinc Semiramis Atoſſabe dicitur, quaſi Atoſſa Sabe, id eſt, Semiramis juramenti, ſive columba juramenti. *Hanſen. de Jurej. Vet. c.* 28. Ignem coluerunt, ut alicubi ſcribit Plutarchus. *Spanhem. de Veſt. & Prytan. Theſ. Antiq. Roman. Tom.* v. 688. *F.* Propter planitiem regionum ſtellarum trajectiones & motus obſervaverunt. *Buleng. de Sortib.* c. 6. Funera comitantur capillum ſummittentes, barba detonſa. *Moreſtell. Pomp. Feral.* II. 33. Reges, quia torques Regum & Principum, utpote indicium certæ alicujus dignitatis, geſtamen ab initio fuerunt, torques geſtarunt. Joſeph. Antiq. Jud. x. 12. *Dabo ei poteſtatem gerendi torquem aureum & purpuram, qualibus Chaldæorum Reges utuntur.* In Daniele ipſo Vulgatus c. 5. n. 7. *Purpura veſtietur, & torquem aureum habebit in collo.* Quibus in verbis apparet ex collatione Joſephi articulum appoſitum ſignificare torquem certum, nempe eum, qui dono dari a Rege conſuevit. At is ſimilis regio, ut Joſephus oſtendit. Habuerunt ergo ſuos certosque torques Aſſyriorum Reges. *Scheffer. de Antiq. Torq. c.* 8. Defecerunt imperio in Medos tranſlato, cum Azariæ, qui & Ozias, regni ſextus agebatur annus. *Proſper. Chron. Theſ. Antiq. Roman. Græv. Tom.* XI. *p.* 277. *C.* Monumenta quamplurima in paludibus poſita habuerunt. *Moreſtell. Pomp. Feral.* x. 9. Opum, ſi in unum colligas ſummas talentorum argenti, & numerationes auri, habebis totam noſtro numiſmate æſtimationem, quæ eſt quadraginta ſeptem millia millionum una cum ſeptingentis quinquaginta millionibus librarum turonicarum, coronatorum vero unum & triginta millia millionum. *Cenal. de Pond. & Menſ. Rat. Theſ. Antiq. Roman. Græv. Tom.* XI. *p.* 1594. *A.*

AST.

ASTA oppidum Hiſpaniæ, quod nunc Haudix dicitur. *Panciroll. Notit. Dignit. Imp. Occid. c.* 88. *Aſta* colonia duplex, Hiſpanica una, quam in Turdetanis ſitam Plin. III. 1. Regiam dicit. Italica altera in Liguria, quam Ptolem. Geogr. III. 1. *Aſtam* coloniam denominat, nunc *Aſti.* De quarum tamen deductione nulla exſtat mentio: imo Paull. Merul. Coſmogr. II. 4. 19. Italicam *Aſtam* inter eas colonias recenſet, quæ incerto plane tempore fuerunt deductæ; prout etiam ſcribit Panvinius de *Aſta* Hiſpanica in deſcriptione Imperii Romani, ubi de coloniis extra Italiam. *Urſat. de Not. Roman. Theſ. Antiq. Roman. Græv. Tom.* XI. *p.* 627. *D.*

ASTACUS urbs fuit Bithyniæ, quæ poſtea Nicomedia dicta eſt a Nicomede Bithyniæ Rege, qui eam inſtauravit. Pollio in Gallien. c. 4. Pauſan. Eliac. I. pag. 139. *Panciroll. Notit. Dign. Imp. Orient. c.* 68. V. tamen *Salmaſ. ad Pollionem & Pinedo ad Stephanum.*

ASTANDÆ tabellarii per certa intervalla diſpoſiti, quorum alius alium excipit. Etiam angari vocantur. Suidas. Euſtath. in Odyſſ. XIX. pag. 680. Heſych. in Ἄγγαροι. *Briſſon. de Regn. Perſ.* I. *p.* 48. *Stanl. in Æſchyl. Perſ. n.* 347. Illos inſtituit Cyrus apud Xenoph. Pæd. VIII. p. 232. D. *Ordinavit & quolibet loco quendam, qui tum ad recipiendum literas allatas, tum ad tradendum eas alius idoneus eſſet; quique defatigatos homines & equos exciperet, & recentes ſubmitteret.* Stanl. l. l. Nec vile, aut ignobile munus hoc fuiſſe videtur. Darium enim quem Alexander regno exſuit, hoc munere functum apud Ochum & Arſem Reges Plutarchus teſtatur de Fort. Alex. I. 1. *Tuum opus eſt Darius, quem ex ſervo & aſtanda Regis dominum Perſarum feciſti.* Briſſon. l. l. Deſidero viri doctiſſimi judicium, qui ex Plutarchi verbis, *aſtandis* nobile munus facit. Fuit enim vile & ignobile officium. Unde emphaſis accedit Plutarchi verbis. Alexander enim Fortunam alloquitur, & Darium refert inter illos:

Quales ex humili magna ad faſtigia rerum
Extollit, quoties voluit Fortuna jocari.

Juven. Sat. III. 39. Forſan conjicere licebit fuiſſe pedites curſores, cum angari fuerint curſores equites. *Hennin. ad Bergier. de viis Milit.* IV. 4. §. 2.

ASTERITIS ignei coloris gemma ab aſtro nomen ſumpſit. Diog. Perieg. n. 328.

—— aſterius pulcer lapis, ceu quædam ſtella
Splendens, & lychnis flammæ ignis omnino ſimilis.

Aſteritem etiam, vel *aſterium* veluti incluſam ſtellulam gerere affirmat Iſidorus: at Plinius lucem illam appellat pupillæ ſimilem: idem & lychnitem ex ardentibus gemmis eſſe tradit, & ab accenſis lucernis dictam. *Aleand. Tab. Heliac. Explic. Theſ. Antiq. Roman. Græv. Tom.* v. *pag.* 733. *A.*

ASTIOCHUS, *vas rotundum, in quod infundentes picem, & ſulphur, & ſtupam, emittebant. & quo deferebatur, adurebat obvia.* Heſychius. *Lipſ. Poliorc.* v. 2.

ASTRA inter Deorum inſignia numerat Lucan. VII. 458.

Fulminibus manes, radiis ornabit, & aſtris.

Docemur hoc etiam a Suet. Jul. c. 88. n. 1. *In Deorum numerum relatus eſt, non ore modo decernentium, ſed & perſuaſione vulgi. Siquidem ludis, quos primo conſecratos ei hæres Auguſtus edebat, ſtella crinita per ſeptem dies continuos effulſit, exoriens circa undecimam horam. Creditumque eſt animam eſſe Cæſaris in cœlum recepti, & hac de cauſa ſimulacro ejus in vertice additur ſtella.* Figrell. de Stat. Roman. c. 32.

ʼΑΣΤΡΑΒΗ, *Aſtrabe, aſinus, aut mulus. Forte & omne jumentum, quo utuntur homines, dicitur aſtrabe. Aſtrabe dicitur & lignum in equo, quod ſeſſores tenent, & dorſuarium jumentum.* Suidas. *Buleng. de Equis c.* 13. *Aſtrabas* etiam dixerunt tabellas vel ſcalas ferreas ſcandendis equis. Iſidori gloſſæ: *Aſtraba tabella, in qua pedes requieſcunt.* Sine dubio illas ſcalas intellexit. Gloſſæ Græco-Latinæ: *Aſtraba, ζαvìς, ὑποπόδιον.* Suidas paullo aliter. *Lignum, quod eſt in ephippiis, quod ſeſſores tenent.* Ita legendum in Suida. Intelligit, opinor, arcionem ſellæ, ut vulgo vocamus. Hinc ἐκ τῆς ἀστράβης ἀποσφαι-

ῥίζειν apud Nicetam, *ex equo deturbare.* Salmaſ. in Sparnan. Ant. Caracall. c. 7. Du Freſne Gloſſario.

ʼΑΣΤΡΑΓΑΛΟΜΑΝΤΕΙΣ apud Artemid. II. qui de talorum jactu futura vaticinabantur, ut in Herculis Burnici ſpecu apud Pauſaniam in Arcadicis. *Buleng. de Sort.* c. 1. *Jun. Anim.* II. 7. *Rhodig. Ant. Lect.* XX. 27. *Senſleb. de Alea c.* 4. §. 7.

ASTRAGALUS vox Græca, ſed Latinis uſitata, denotat os quoddam tali ovilli, & ei ſimilis eſt duplicati moduli forma, qui & ideo *aſtragulus* dicitur, quando duo tori conjunguntur, ut ſæpe fieri ſolet in baſibus Ionicis, Corinthiis & compoſitis. *Bergier. de Viis Milit.* v. *Sect.* 10. §. 7.

ASTROLOGIÆ in ſtudiis tempus omne, omnem operam conſumpſerunt: inter quos exſtiterunt nonnulli, qui quid cuique eventurum eſſet, ex natali die profiterentur ſe poſſe prædicere. Sed iſtos contra alii minime approbarunt. *Ferrar. de Orig. Roman. Theſ. Antiq. Roman. Græv. Tom.* I. (1) *D.* ʼΑϛρολογίαν ναυτικὴν, ut eam appellat, & a μαθηματικὴ diſtinguit Ariſtot. Anal. I. 10. ſive ſyderum notitiam gubernator debuit habere duplicem ob cauſam: primum, ut ad ipſorum ſigna curſum navis dirigeret, deinde ut ex eis futuras prænoſceret tempeſtates. *Scheffer. Mil. Nav.* IV. 6.

ʼΑΣΤΥ & Græcis & Latinis urbem ſignificat, ſed Athenas propter excellentiam, ut apud Latinos urbs Romana appellatur. Cicer. L. L. II. 4. *Ut veſtri Attici prius quam Theſeus eos demigrare ex agris, & in aſtu, quod appellatur, omnes ſe conferre juſſit.* Terent. Eun. V. 5. 17.

An in aſtu venit? aliud ex alio malum.

Hinc natum eſt, ut propter urbanorum civium dolos *aſtus* dolum ſignificaret, unde *aſtutus & aſtutia.* Terent. Phorm. I. 4. 5.

Quæ ſi non aſtu providentur, me aut herum peſſum dabunt.

Et ita legendum puto in duodecim tabulis, dum ſcribunt: *Qua in lege cum eſſet, neve aurum addito, quam humane excipit altera lex, ut cui auro dentes vincti eſſent aſtim, cum illo ſepelire, urereve, ſe fraude eſto. & ſimul illud videtote aliud habitum eſſe ſepelire, aliud urere. Aſtim* quid ſit plane ignoro, ſed ſuſpicor, intra Urbem ſignificare. Et arbitror Decemviros ſignificaſſe, licere aurum inferri, ſi intra urbem dentes auro juncti eſſent, ne quiſquam putaret ſatis eſſe, ſi ſepeliendo jungeret extra urbem, ubi ſepulcra eſſe jubebantur. *Auguſtin. ad Leges* XII. *tab.* 43.

ʼΑΣΤΥΝΟΜΟΙ erant Ædiles, quorum munus erat, ut & Romæ, providere, ne quis in peregrino cultu incederet, ut erat Cratetis tempore pallium lineum. Ab his Crates *reprehenſus, quod ſindonem præter morem geſtaret, perfacete reſpondit; ſe iis oſtenſurum Theophraſtum ſindone involutum, utque fidem faceret, induxit in tonſtrinam, ubi de more linteo amiculo,* ne pili veſtibus adhæreſcerent, *amictum oſtendit.* Laertius. *Ferrar. de Re veſt.* II. 4. 20. De illis librum ſingularem Papinianus ſcripſit. Erant etiam curatores viarum, & ædificiorum publicorum, privatorumque, qui & curatores Reipublicæ, & patres civitatum, aut patres ſimpliciter ſæpe dicuntur in jure, magiſtratus minores, qui tamen adſeſſores habebant, & multæ dictionem, ut idem Papinianus ait. Denique *aſtynomis* curæ erat, ut mundæ eſſent viæ publicæ, utque repurgarentur ſumptibus eorum, qui proximas ædes poſſidebant pro regione ſingularum ædium, ita ut ſi jure conductionis eas ædes tenerent, eum ſumptum locatoribus imputarent impenſionem: ut curſus aquæ cœleſtis non læderet ædificia, ut conſtruentur ponticuli, ubi res exigeret, qua populo iter ſit, & ne parietes ædificiorum procumberent, vitiumque, aut ventrem facerent in viam publicam, ut fulcirentur ſufflaminibus, & tibicinibus, & ne quid omnino in via publica, quo populo iter deterius eſſet: ut darent operam e via publica κόπρον ἐκβάλλεσθαι, morticina, & exuvias cæſorum animalium tolli, unde & Suidas iiſdem fuiſſe ſcribit curam περὶ τῶν κοπρολόγων. Et Plutarch. Præcept. polit. p. 811. B. *Cum ante is magiſtratus non fuiſſet niſi ſtercorum ex angiportis ejiciundorum, ac aquarum derivandarum procuratio quædam,* cum de telearchis agit, quorum apud Thebanos idem erat munus, quod ἀϛυνόμων apud alios. *Cujac. Obſerv.* XXII. 31. *Buleng. de Theat.* I. 43. *Alex. Gen.* III. 17. *Menagi in Laertium. Mauſſac. in Harpocrationem. Valeſ. in Mauſſac. Diſſert. critic. in Harpocrat. p.* 100. *b.*

ASTYCI ludi. V. illos infr. in *Ludi.*

ASTYGIS urbs Turdetanorum in Hiſpania, nunc *Eycia*, civitas clara. Urbem hanc *Auguſtam firmam* dictam ex Plin. III. 1. in hæc verba colligitur. *Singulis fluvius in Bœtica, quo dictum eſt, ordine irrumpens, Aſtygitanorum coloniam alluit, cognomine Auguſtam Firmam.* Urſat. de Not. Roman. Theſ. Antiq. Roman. Græv. Tom. XI. p. 560. C.

ASTURES aves. V. illas infr. in *Aves.*

ASTYTIS dicitur lactuca ob vim ψυχικὴν refrigerantem. *Buleng. de Conviv.* II. 44.

ASY.

ASYLUM locus erat religione ſacer, ad quem rei confugientes ab hoſtihus inſequentibus vi legis defendebantur. *Borrich. Ant. Urb. fac. c.* 10. §. 8. *Laurent. Polym.* IV. *Synopſ.* 5. Inventum eſt Græcorum. Tacit. Annal. III. 60. 2. *Crebreſcebat Græcas per urbes licentia atque impunitas aſyla ſtatuendi.* Donat. de Urb. Rom. II. 10. Primum omnium Cadmum, dum Thebas conderet, *aſylum* aperuiſſe ferunt, ad quod fugientes ſine diſcrimine ſervi aut liberi ab omni pœna erant immunes. Pauſan. VII. Nonnulli a prognatis Herculis *aſylum* Athenis primo inſtitutum ferunt templum miſericordiæ, unde nullus poſſet abduci, quum timerent inſidias eorum, quos avus afflixerat. Statius Theb. XII. 497.

Fama eſt defenſos acie, poſt buſta paterni
Numinis, Herculeos ſedem fundaſſe nepotes.

Poſt quod in Rhœteo littore fuit *aſylum* Ajacis, & in Sigeo Achillis, ut eſt apud Strab. III. Serv. Æneid. VIII. 342. *Alex. Gen. Dier.* III. 20. *Berthald. de Ara c.* 14. §. 1. *Salmuth in Panciroll. de Reb. Deperd. & Inv. p.* 220. *Rycq. de Capitol. c.* 40. *Hoſpinian. de Templ.* I. 15. *Potter. Archæol. Græc.* II. 2. *Marlian. Topogr. Urb. Rom.* II. 2. *Faunus Antiq. Rom. Urb.* II. 5. Etiam ſylvæ interdum fuerunt *aſylum.* Fidem facit hoc Maronis Æneid. VIII. 342.

Hinc lucum ingentem, quem Romulus acer aſylum
Rettulit.

Sed fere templa potius, quam nemora *aſylum* erant. Liv. XXXV. 51. *Ea religione & eo jure ſancto, quo ſunt templa, quæ aſyla Græci appellant.* Et *aſylum* templum Miſericordiæ fuit teſte Servio l. l. Sed non quodvis, verum cui conſecrationis lege eſſet conceſſum, ut inde nemo rapi poſſet ad ſupplicium, ut Serv. Æneid. II. 761. Ac ideo ἄσυλον, quaſi ἄσυρον, dictum ab α ϛερητικῷ & σύρειν, quod eſt trahere. Alterum quoque etymon addit, ut ſit ab a privativo & σύλη, quod eſt ſpolium, quia eo qui confugiſſent, hos ſpoliare non liceret. *Voſſ. Lex. Etymol. Stuck. de Sacrif. p.* 88. *Gyrald. Synt. Deor.* XVII. *pag.* 474. *C. Barth. Adv.* IV. 12. In *aſylis* tribus hominum generibus erat perfugium: ſervis, obæratis, maleficis. De ſervis, & maleficis Plutarch. de Superſtit. p. 166. E. *Aræ ſunt, ad quas confugere tuto ſervus poſſit: multa ſunt quæ a latronibus non violantur templa, & qui hoſtem fugit, ſimulacrum, aut fanum tenens animum recipit.* De obæratis Plutarch. de vitand. uſur. p. 828. C. *Diana, quæ Epheſi colitur, debitores, qui ad ipſius templum confugiunt, tutos a creditoribus, & intactos præſtat.* De illis omnibus Tacit. Annal. III. 60. 2. *Complebantur templa peſſimis ſervitiorum: eodem ſubſidio obærati adverſum creditores, ſuſpectique capitalium criminum receptabantur.* Lipſ. in Tacit. n. 135. Berthald. de Ara c. 14. §. 1. 2. & 7. Oſiand. de Aſyl. Vet. §. 21. Laurent. Var. ſacr. gentil. c. 21. Imo & ingenuis. Liv. I. 8. *Aſylum aperit Romulus: eo ex finitimis populis turba omnis ſine diſcrimine, liber an ſervus eſſet, perfugit.* Atque ne Romani majorum ſtemmata nimia fi-

ducta ostentarent, Juvenalis captata hic sagaciter occasione ita se ingerit VIII. 272.

Et tamen ut longe repetas, longeque revolvas
Nomen, ab infami gentem deducis asylo.

Borrich. l. l. Ad imitationem Atheniensium Romulus aperuit ad multiplicandam Romanam gentem: ut quisquis advena illo confugisset reciperetur in civitatem, inter Capitolium & arcem, loco qui inter duos lucos dicitur. Liv. I. 8. *Locum, qui nunc septus densis sentibus, inter duos lucos, asylum aperit.* Dionys. II. p. 88. *Locum enim inter Capitolium & arcem situm, quod nunc lingua Latina vocatur Intermontium duorum quercetorum ab utroque clivo densis septum arboribus, quibus jungebantur colles.* Manut. de Civit. Roman. Thes. Antiq. Roman. Græv. Tom. I. pag. 3. A. Donat. de Urb. Rom. II. 10. Nardin. Rom. Vet. V. 13. Rycq. de Capit. c. 40. Hospinian. de Fest. Ethnic. p. 100. de Templ. I. 15. Pigh. Annal. I. p. 14. Laurent. l. l. Coras. Miscell. jur. civ. V. 23. 2. Quomodo Blond. Instaur. Rom. II. §. 58. ad radices Tarpejæ rupis *asylum* hoc statuat, non video, & Marlian. Topogr. Urb. Rom. III. 13. e Capitolio eundem in locum transferat, ubi repositum putet a Tacito: cum Tacitus Capitolini Jovis templo proximum fecerit. Fuit enim semper in Capitolii illo edito Intermontio, sive depressiori illa area inter utrumque Capitolii verticem, ubi nunc curia, statua equestris Alexandri Severi, domus senatoria. *Donat.* & *Rycq. l. l. Borrich. Ant. Urb. Fac. c.* 10. §. 8. In Capitolio fuisse conditum non negaverim: sed hoc minime concesserim, intra muros illud factum civitatis: quin potius verosimilius est, extra Urbem positum, ubi alienigenarum concursus neque quieti publicæ obstaret, neque securitati. *Nardin. ibid.* I. 2. Cui Deo dicatum fuerit, incertum esse scribit Dionysius. Sed hoc fortasse ad initia retulit, cum a Romulo statutum est. Historici enim ætate constabat Jovi dedicatum esse, qui VeJovis dictus fuit, adsitis luci quercubus item Jovi dicatis. *Donat. l. l. Hospinian. de Templ.* I. 15. Sed hujus ante lucos, non autem in medio lucorum, templum fuisse docet Ovid. Fast. III. 429.

Una nota est Marti: Nonis sacrata quod illis
Templa putant lucos Vejovis ante duos.

Victor prope *asylum*, at non in *asylo* illud constituit. Serv. Æneid. VIII. 342. *omne asylum templum Misericordiæ esse* dicit: & ejusmodi fuisse primum illud Atheniensium, quorum Romulus imitatus est exemplum approbante, ut Plutarchus refert, Oraculo Delphico. Varro Cereri videtur adscribere apud Non. Marc. I. 209. *Varro existimat pandere ea de causa dici, quod qui ope indigerent, & ad asylum Cereris confugissent, panis daretur.* Nardin. ibid. V. 13. Illorum jus diutissime duravit. Suetonius quidem Tib. c. 37. n. 6. dicit *Tiberium abolevisse & jus, moremque asylorum, quæ usquam erant.* Illud tamen videtur restringendum ad *asyla* provinciarum juxta Tacitum supra laudatum, qui quæstionem agitatam in senatu refert de externis *asylis.* Nec plane apud eum constat, quid a Patribus decretum sit. Quare si Tiberius *asyla* abrogavit, ea, de quibus agebatur, abstulit. Nihil de Romano decrevit, de quo nihil quæsitum erat. *Coras. Donat. & Borrich. l. l. Stephan. de Jurisdict. veter. Græc. c.* 15. Imo ne provinciarum *asyla* sustulit Tiberius. Et hoc incaute a Suetonio adsertum liquet fide veterum nummorum, in quibus non obscura ejusdem juris mentio cum sub eodem Cæsare, tum temporibus Claudii, Vespasiani, Domitiani, Trajani, M. Aurelii, Macrini, Elagabali, Decii. Leguntur enim ἱερᾶς καὶ ἀσύλου; seu *sacræ & inviolabilis* attributa in variis nummis Seleuciæ, Damasci, Heracleæ, Laodiceæ, Gabalorum, Samosatorum, aliarumque Græciæ Asiæque civitatum. *Spanhem. de Præst. & usu numm. Dissert.* IX. *p.* 778. 779. Et illis saltem modus est præscriptus. Tacit. Annal. III. 63. 5. *Facta senatusconsulta, quis multo cum honore, modus tamen præscribebatur.* Pitisc. in Suetonium. De *asylorum* origine, antiquitate, causis plura quam ut his addi possint, collegit *Osiand. ibid.* §. 1. . . . . 20.

ATE.

ATELLA medio itinere inter Capuam atque Neapolim fuit perantiquum oppidum. Aliquando fuit municipium Romanorum. Cicer. Fam. XIII. 7. *Locutus sum tecum de agro vectigali municipii Atellani.* Postea etiam colonia eo deducta est ab Augusto. Frontinus: *Atella muro ducta colonia, deducta ab Augusto.* Cluver. Ital. Ant. IV. 5. 20. Panvin. Imp. Roman. c. 11. Sigon. de Ant. Jur. Ital. III. 4. Leand. Descr. Ital. pag. 251. Goltz. Ital. p. 238.

ATELLANÆ erant fabulæ jocis & salibus compositæ, quæ vetustam in se elegantiam & delectationem Italica severitate temperatam lascivia ac petulantia vacuam habebant. Estque ab *Atella* id earum nomen, Oscorum civitate, in qua primum actitatæ sunt, ductum. Diomed. III. p. 487. *Tertia species est fabularum Latinarum, quæ a civitate Oscorum Atella, in qua primum cœptæ, Atellanæ dictæ sunt, argumentis dictisque jocularibus similes satyricis fabulis Græcis.* Buleng. de Theatr. I. 9. Brisson. de Jur. Connub. Thes. Antiq. Roman. Græv. Tom. VIII. p. 1061. B. Ferret. Mus. Lap. III. Memor. 42. Turneb. Adv. III. 17. Gyrald. de Poet. Dialog. VI. p. 329. C. Scalig. Poet. I. 7. Mod. de Lud. vet. II. 29. Differebant a Græca Satyrica, quod in Satyrica fere Satyrorum personæ inducebantur, aut, si quæ sunt ridiculæ similes Satyris, Autolicus, Burris. In *Atellana* Oscæ personæ, ut Maccus. Diomed. III. p. 488. *Salmas. Exerc. Plin. p.* 77. *b. A. Casaub. de Roman. Satyr.* II. 4. *Buleng. ibid. c.* 6. *&* 9. *Gyrald. ibid. D.* A mimo fabula. Cicer. Fam. IX. 16. *Non, ut olim solebat, Atellanum, sed, ut nunc fit, mimum introduxisti.* Et quidem multis modis: quod parum modeste dicax; quippe quæ dicta sit, ut ait Donatus in Terentii vita, *ab imitatione diuturna vilium rerum, & levium personarum.* Itaque Macrob. Sat. III. 7. *mimis lasciviam* tribuit: quod Romana lingua, non Osca, ut *Atellana:* quod ab uno tantum agebatur: quod exodiis carebat; neque enim in quinque actus, ut *Atellana*, & reliquæ fabulæ, quibus actibus inserebantur ad animos recreandos exodia, dividebatur, sed perpetuam actionem habebat: postremo, ut arbitror, quod neque adhibito tibicine, neque cantu, neque cum corporis motu, ut reliquæ fabulæ, agebatur. Hinc Laberii, hinc Publii mimi: e quibus argutissimos & pulcerrimos versus recitant Macrobius, Nonius, & alii: apud Græcos autem Sophron, & Xenarchus mimos conscripsere: & ab iis, nisi me opinio fallit, imitatione aliqua, ut a Græcis Latinis comœdiæ, item fluxit Latinus mimus. *Atellanæ* vero fabulæ jocis quidem & ipsæ, sed aliquanto modestioribus, compositæ erant, &, ut ait Donatus, *in se non habebant, nisi vetustam elegantiam:* id est, ut ego interpretor, minus dicaces erant quam mimi. Propterea Val. Max. III. 4. 4. *genus hoc delectationis Italica severitate temperatum, ideoque nota vacuum, & ab Oscis accitum* esse dicit. Qui hæc sumpsit a Livio laudando infr. in *Exodia.* Quod igitur elegantiam in *Atellanis* Donatus esse dixit: non ad sermonis genus, quod rude, & impolitum fuisse duco, qualis erat Oscorum lingua, a quibus *Atellanæ* acceptæ, sed ad sententiarum munditiam refero, jucundam auribus nobilium virorum, sicut mimorum lasciva dicacitate inferiorum ordinum homines delectabantur magis. Præterea sermone Osco, non Romano *Atellana* componebatur: a pluribus, non ab uno tantum agebatur: habebat exodia, ut ostendit Livius laudatus infr. in *Exodia:* ex quo patet, in actus distributam fuisse: postremo cum tibicine, cantu, motu corporis agebatur, quod ex eodem Livio licet intelligere. Præter hæc, quæ mimum ab *Atellana* distinguebant, addam id quod mihi nunc in mentem venit, cives Romanos ingenuos *Atellanas* tantum agere solitos fuisse, quia genus illud nota vacuum fuit: reliquas fabulas, & in iis mimum a servis, aut a libertis, aut a peregrinis actas esse: quis enim civis Romanus, præsertim ingenuus, ludicram artem exercere vellet, cum sciret se tribu motum iri, nec stipendia posse

facere? At D. Laberius, non modo civis ingenuus, ſed etiam eques Romanus, mimum ſuum egit. Excuſatur neceſſitate. Cæſar enim juſſit, qui cogere poterat, in quo ſibi factam eſſe injuriam, queritur ipſe verſibus egregiis apud Macrob. Sat. III. 7. *Manut. in Cicer. p.* 1009. Hoc genus ludorum tenuit juventus: nec ab hiſtrionibus pollui paſſa eſt. Eo inſtitutum manſit, ut actores *Atellanarum* nec tribu moverentur, & ſtipendia, tanquam expertes artis ludicræ facerent. Liv. VII. 2. Non libera tantum Republica, ſed vel Imperatorum temporibus in uſu fuerunt. Suet. Tib. c. 45. n. 2. *Unde nota in Atellanico exodio, proximis ludis aſſenſu maximo excepta, percrebruit.* Galb. c. 13. n. 1. *Atellanis notiſſimum canticum exorſis.* Actores probatiſſimi fuerunt Nonius & Pomponius: & poſt illos diu jacentem artem *Atellanicam* ſuſcitavit Mummius. Macrob. Saturn. VII. 9. *Briſſon. ibid. A. D. Scalig. Poet.* I. 7. *Laurent. de Agyrt. c.* 1.

ATELLANI proprie vocantur perſonati, quia jus eſt iis non cogi in ſcena ponere perſonam, quod cæteris hiſtrionibus pati neceſſe eſt, quoties exſibilarentur, neque placerent. Feſtus in Perſonata. *Scalig. & Dacer. in Feſtum. Buleng: de Theatr.* I. 53. *Argol. in Panvin. de Lud. Circ.* II. 2.

ATERIA lex. V. illam infr. in *Lex*.

ATESTE Venetorum fuit oppidum antiquum. Fuit ab Apono vico in meridiem verſus euntibus a duodecim millibus paſſuum. Fuit procul dubio una ex Tranſpadanis coloniis a Cn. Pompejo cum Verona & reliquis deducta. De ea ſic Plin. III. 19. *In mediterraneo regionis decimæ coloniæ. . . . . Venetorum Ateſte.* Panvin. Imp. Rom. c. II. Cluver. Ital. Ant. I. 18. 19.

ATH.

ATHENÆ a Smyrnæo Rhetore Gratul. in Smyrn. p. 477. Smyrnæ metropolis nuncupatæ. Smyrnæi enim juxta Ionas reliquos Athenienſium coloni a veteribus habiti. Retenta autem vulgo a coloniis metropoleon ſuarum numina & ſacra, ac in originis memoriam nummis earundem ſolita ſignari. *Spanhem. de Veſt. & Prytan. Theſ. Antiq. Roman. Græv. Tom.* V. *p.* 693. *C.* Pythio Oraculo juxta Ælian. IV. 6. dictæ ſunt κοινὴ Ἑςία τ῀ Ἑλλήνων, aut etiam Πρυτανεῖον juxta Athen. V. p. 187. *communis Veſta*, ſeu *commune Lararium & Prytaneum Græcorum.* Quam in rem a Syneſ. Epiſt. 135. dictum. *Athenæ autem quondam civitas fuit ſapientum domicilium.* Spanhem. ibid. pag. 674. B. Mœnia *Athenarum* & mœniorum ambitum V. infr. in *Roma*.

ATHENÆUM ſchola erat artium liberalium ab Adriano erecta. Aurel. Vict. de Cæſ. c. 14. n. 2. *Ceremonias, leges, gymnaſia, doctoreſque curare occœpit: adeo quidem, ut etiam ludum ingenuarum artium, quod Athenæum vocant, conſtitueret.* Erat in Capitolio, ut conſtat ex Cod. Juſtin. lib. II. tit. 18. de ſtud. liberal. Urb. Rom. ubi de plurium ſtudiorum in Urbe magiſtris loquens, hujus ludi Capitolini tanquam cæteris omnibus multo nobilioris mentionem facit: *Sin autem*, inquit, *ex eorum numero fuerint, qui videntur intra Capitolii auditorium conſtituti.* Et, *Nihil penitus ex illis privilegiis conſequantur, quæ his, qui in Capitolio tantummodo docere præcepti ſunt.* Docebant ibi ſub Theodoſio II. Oratores tres, Grammatici decem, Sophiſtæ quinque, Philoſophus unus, Juriſconſulti duo. Ex qua docendi diſcendique exercitatione appellationem loci dimanaſſe ſcribit Dion LXXIII. p. 838. E. Ἀθήναιον καλούμενον ἀπὸ τῆς ἐν αὐτῷ πεπαιδευμένων ἀσκήσεως. Quod mirum videtur Caſaubono ad Capitol. Pertin. c. 11. judicanti id melius referri oportere εἰς τὴν Ἀθηνῆν. Sed profecto illa exercitatio Minervalis eſt, quod Dion non addidit, quia ſatis ſuperque notum erat. *Donat. de Urb. Rom.* II. 9. *Ferrar. de Acclam.* III. 1. *Salmaſ. in Pollion. Trigint. Tyrann. c.* 10. *Gyrald. Synt. Deor.* XI. *p.* 338. *G. Nardin. Rom. Vet.* V. 13. In eodem Poetæ & Oratores ſua ſcripta recitare ſolebant, audientibus interdum Auguſtis. Lamprid. in Alex. c. 35. *Ad Athenæum audiendorum & Latinorum & Græcorum Rhetorum vel Poetarum cauſa frequenter proceſſit.* Capitol. in Pertin. c. 11. *Proceſſionem, quam ad Athenæum paraverat, ut audiret Poetam* . . . . . Donat. l. l. Voſſ. de Imitat. c. 7. §. 10. Hoc non adeo certum eſt, quoniam in Apollinis Palatini bibliotheca recitationes fieri ſolebant. In Trajani bibliotheca itidem recitatum eſt. Ætate Veſpaſiani, atque item Trajani recitaturos *domum eſſe mutuatos, & auditorium exſtruxiſſe, & ſubſellia conduxiſſe* teſtatur auctor Dial. de Orat. c. 9. §. 6. Unde patet vel liberam cuique fuiſſe recitationem, ubicunque vellet, vel recitandi locum ſubinde fuiſſe immutatum. Nero etiam recitationes poſtea ſuſtulit, quum auream domum conſtrueret, quo ſtrepitus & applauſus acclamantium longius a palatio & auribus Imperatoris removerentur: poſtea certus locus nullus fuit, ita ut recitaturi atria & auditoria conducere coacti fuerint, donec ab Adriano ædificaretur *Athenæum.* Tandem quum & hoc Profeſſoribus artium liberalium & ſcientiarum compleretur, in bibliotheca Ulpia libris jam vacua, recitationes publicas fuiſſe redintegratas perquam credibile eſt: cujus in ea recitationis unicus tantum ſequioribus ſeculis teſtis eſt Fortunatus. *Nardin. l. l.* Non tamen in arce fuit *Athenæum*: non enim tot ædificia capere potuit, ſed in alio vertice Capitolii ſtatuendum erit. *Donat. l. l.* In quo ſcilicet nunc templum & cœnobium eſt *Aræ Cœli.* Sed hic ſane de re omnino incerta & dubia agitur: & tamen eodem mihi agendum modo video. Videtur itaque inconveniens, ludum tam celebrem, tantique uſus, in celſiſſimo & remotiſſimo, atque in privatis ædificiis minimum frequentato monte collocatum; præſertim quum Intermontium propius eſſet, & commodius, & humilius, forique proſpectui magis expoſitum: ita ut hic potius fuiſſe *Athenæum* videatur, eo magis, quia & Tabularium vetus illic fuit: juxta quod & bibliothecam exſtructam veriſimile eſt, non ſecus ac in Aventino in atrio Libertatis & bibliotheca & tabularium conjuncta fuere: atque item bibliothecæ *Athenæum* ab Adriano additum, quum, ut inquit Donatus, rationi plane conſentaneum ſit, ludo literario adjungi bibliothecam. Atque ita omnis ille locus, qui hodie a Palatio Senatoris & carceribus occupatus eſt, tabularium olim continuit cum bibliotheca & *Athenæo*. Nardin. l. l.

ATHENIENSES inprimis fuerunt ſuperſtitioſi, de quibus Xenoph. Hiſt. Græc. I. p. 438. E. *Alcibiades navi deſcendit in Piræum die qua civitas Plynteria feſta agebat, velato Minervæ ſimulacro, quod augurabantur infelix eſſe, tum ipſi, tum urbi.* Buleng. de Ominib. c. 1. Jurandi cauſa ad aras accedebant. Cic. pro Balb. c. 5. *Hanſen. de Jurej. vet. c.* 2. Cum diis libaſſent, & pæana ceciniſſent, cœlum ſuſpicientes vota nuncupabant. *Tomaſ. de Donar. c.* 5. Peregrinam virginem, ſi eam uxorem duxiſſent, vi legis vendere debebant. Ducit Neæram Stephanus, concubinæ loco eſſe affirmat, non uxoris. Juraſſe autem uxorem futuram ſe virginem eſſe hac formula: *Sancte juro, quod pura ſum a cæteris immundis & a viri congreſſu.* Hanſen. de Jurej. vet. c. 28. Sic Regibus adulabantur, ut ſinguli diis in conviviis libantes in Regis honorem duos cyathos effunderent. *Caſaub. in Athen.* X. 6. *Tomaſ. de Donar. c.* 13. Ludum crudelem & ſanguinariam voluptatem, & religionem impiam, humanam (ut ita dixerim) feritatem, primum perduxerunt ad civitatis ſuæ culturam. Caſſiod. Var. V. 42. Et ætate Solonis & Anacharſis beſtiarios Athenis datos narrat in Toxari Lucianus. *Buleng. de Venat. Circ. c.* 6. A ſolſtitio æſtivo anni principium ſtatuebant. Simplicius in V. Phyſicorum. *Aleand. Tab. Heliac. Explic. Theſ. Antiq. Roman. Græv. Tom.* V. *p.* 734. *B.* Omne tempus medium a Sole occaſo ad Solem iterum occidentem unum diem dicebant. Gell. Noct. Attic. III. II. *Putean. Reliq. Conv. Priſc. Theſ. Antiq. Roman. Græv.* XII. *p.* 250. *A.* In bello lineas tunicas, ſive thoraces (V. infr. in *Thorax.*) geſtarunt, iiſque pro armatura uſi ſunt. Militari enim cultu, ut cæteri Græci, perpetuo incedebant. non multo ante tempora Thucydidis, qui hoc narrat operis ſui initio,

tia, ad pacis habitum transierunt, & cum reliqua armatura lineas quoque tunicas deposuerunt. *Ferrar. de Re Vest.* II. 4. II. In obsidione pro cibo calceamentis & lecythis sunt usi. Plutarch. in Sylla. *Argol. in Panvin. de Lud. Circ.* II. I. In communi vestitu linea tunica talari non sun usi, licet hoc scribat Pollux VII. 16. Omnia enim virilia vestimenta fuerunt lanea: & tunicæ talares nonnisi mulierum fuerunt. Declarat hoc aperte Pausanias lib. I. qui narrat Theseum cunctis incognitum Athenas venisse indutum χιτῶνα ποδήρη, *tunicam talarem*, non pallam, ut vult interpres, *& plexa eleganter coma, ac per contumeliam interrogatum, quid ita nubilis virgo sola oberraret?* Eadem prorsus ratione, qua apud Plautum in comœdia palliata dicitur *genus mulierosum, cum dimissitiis tunicis.* Ferrar. de Re Vest. II. 4. 12. Nec pallia purpurea, tunicasque variegatas gestare sunt soliti, licet hoc prodat Ælian. IV. 22. Ἁλουργῆ μὲν ἠμπείχοντο ἱμάτια, ποικίλους δὲ ἐνέδυνον χιτῶνας. Nam cum purpura in magno pretio esset, idque regium insigne, quis credat privatos homines vulgo purpuratos incessisse? Præterea tunicæ nonnisi muliebres fuere. Certe tantum abfuit purpurea vestimenta Athenis in usu fuisse, ut Alcibiadem reprehensum tradat Plutarchus, *quod deliciis diffluens, purpureis, ac pretiosis vestibus interdum uteretur.* Imo nimii ac peregrini luxus notarentur, quicumque improbum colorem vestimentis adhibuissent. Lucian. Nigrino narrat graves fuisse civium oculis, qui luxum cultu notabilem importassent. Subjicit, cum quidam divitiis affluens Athenas venisset turba servorum stipatus, auroque & varia veste excultus, quoties cives purpuram, cultusque mollitiem, ac varios vestis colores inspicerent, hæc in eum scommata jacere solitos. *Jam ver adest. Unde nobis hic pavo?* Et: *Fortassis matris ipsius est.* Ferrar. ibid. II. 4. 13. Perizon. ad Ælianum. Ficubus victitarunt. *Buleng. de Conviv. Prolus.* II. Corpora non cremabant, sed terræ condebant & sepeliebant cum funebri veste. Illis sane maxima sepeliendorum cadaverum cura, præcipue bello interemptorum, ita ut qui illos inhumatos relinquerent, quovis supplicio dignos putarent. Idcirco summos Duces, quia cæsos navali pugna in mare dejecerant, gravibus pœnis & capitali supplicio affecerunt. Cum peremptorum corpora assequi non poterant, illorum ossa & disjecta membra passim strata exquirebant, ut humo tegerent, adeo ut Nicias cum exercitu iter faciens, ne duorum militum inhumata cadavera relinquerent, totum subsistere agmen, donec humarentur, jusserit. *Morestell. Pomp. Feral.* X. 5. *Kirchman. de Fun. Roman.* I. I. Vita functos ante Solis exortum ex lege Solonis efferebant. *Morest. ibid.* II. II. Alieno facinore interfectos efferentes hastam cognati adhibebant, aut in tumulo defigebant, eoque modo ultionem interfectoribus denuntiabant. Unde horum funeri qui interessent, testabantur *se non fecisse.* Quintil. Declam. XI. *Miser ego! nec ad funera accessi, nec licuit super ipsa corpora proclamare*, NON FECI. *Gother. de Jur. Man.* I. 9. Quod minus diu quam Lacedæmonii floruerint, legum vitio factum non est; sed quod *Athenæ* citius quam Sparta de recta majorum consuetudine deflexit, & legum imperium majestatemque neglexit. *Manut. de Legib. Roman. c.* I. ab *Atheniensibus* ad jus suum constituendum multa transtulerunt Romani: nam fere quæcunque in duodecim tabulis decemviri scripserunt, de Solonis legibus translata sunt. *Manut. de Legib. Roman. c.* 2. *Atheniensium* singulæ tribus sorte & per vices, quod vel Harpocration docet, πρυτανεύουσαι, quomodo & apud Demosthenem φυλῆς πρυτανευούσης non semel fit mentio: imo apud Polluc. VIII. 15. Ἡ πρυτανεύουσα φυλὴ ἀτελής, ubi hanc *tribum immunem a tributis* docet. *Spanhem. de Vest. & Prytan. Thes. Antiq. Roman. Græv. Tom.* V. *p.* 701. C.

ATHLETÆ nomine gladiatores, cursores, pugiles, palæstritæ, qui iidem & luctatores erant, & reliqui omnes, qui corporibus suis quavis ratione decertabant, comprehendebantur apud Græcos; apud Romanos *athletæ* proprie vocabantur tantum pugiles & luctatores: cætera enim *athletarum*, sive gymnicorum genera propria nomina habebant, uti cursores, saltatores, gladiatores & alii ejusmodi. *Panvin. de Lud. Circens.* II. I. *Fab. Agon.* III. I. Non admittebantur nisi antea probati. Habebatur ratio tam natalium quam morum bonorum, atque vitæ honestæ nulla infamiæ macula & labe aspersæ. Cicer. de Offic. I. 40. *Bene Pericles cum haberet collegam in prætura Sophoclem poetam, hique de communi officio convenissent, & casu formosus puer præteriret, dixissetque, Sophocles, o puerum pulcrum Pericle! At enim prætorem Sophocle, decet non solum manus, sed etiam oculos abstinentes habere. Atque hoc idem Sophocles si in athletarum probatione dixisset, justa reprehensione caruisset.* Fab. ibid. c. 13. & 17. Nec prius descendebant in certamina, donec ipsos assumens præco sub omnium oculis circumduceret clamans & dicens: num quis hunc accusat? num fur est & servus? num pravorum est morum? num esset quispiam, qui in illum vellet dicere? quo magis tanquam sceleratus aut servilis conditionis a certamine arceretur. Chrysost. Hom. 61. ad populum Antiochenum. Sciendum ante circumductionem illam & præconis denuntiationem, atque adeo ante probationem & examen illud, ipsos Eleos judices Hellanodicas hac de re *athletas* admonuisse, cum in Olympiam procederent, ut si quis eorum sibi conscius foret præclare actæ, sine ulla infamia, & desidia vitæ, impensi in rem *athleticam* laboris, hic ad certandum audenter accederet: sin contra quispiam indignum aliquid se atque Olympiorum accessu forsitan egisset, is abiret alio quo vellet. Philostrat. de vit. Apollonii V. extremo. *Fab. ibid. c.* 12. *Lydius Agonist. sacr. c.* 36. Erant voracissimi, quia vires in cibis, cum digeruntur, maxime consistunt. Voracitatem illorum declarat distichon Timocreontis Rhodii:

Multa bibens, & multa vorans, mala multa locutus
Athleta hic jaceo Timocreon Rhodius.

Argol. l. l. Caseis, caricisque sive nucibus aridis alebantur. Exinde Pythagoras nescio quis veterem ἄσκησιν διὰ ξηρῶν ἰσχάδων sustulit, & illos ad carnium usum transtulit. Vescebantur vero carne ut plurimum bubula & suilla: unde illud Diogenis Cynici, qui interrogatus, cujus rei gratia *athletæ* nihil sentiunt? *quia*, inquit, *suillis ac bubulis carnibus exstructi sunt.* Laert. de vit. Philos. VI. 49. Propterea partes illas animalium ad victum assumebant, quæ minimum succi & pinguedinis habent, quæque maxime aridæ sunt & siccæ. Nam pedes bubulos & suilla acrocolia edebant, κωλήπια Græci vocant, Latini colepium, vel colephium, de cibo athletarum. Juven. II. 53.

Comedunt colephia paucæ.

id est, paucæ pugilatum & *athleticam* exercent. Ut duritie, ac alimentorum crassitie uberius nutrirentur, & diutius saturi permanerent. Carnes illas edebant sine ullis condimentis: nec enim scitamenta, nec placentas, nec alias hujusmodi cupedias attingere illis licitum. Hinc illorum victus *arida saginatio* Tertull. de Pall. c. 4. & ξηρὰ τροφὴ Luciano dicitur. *Salmas. in Tertull. de Pall. p.* 262. 263. *Mercur. de Art. Gymn.* I. 15. *Fab. ibid. c.* 2. *Spanhem. in Julians Imperat. Orat.* I. *p.* 103. . . . . *Argol. Panvin. de Lud. Circ.* II. I. Perpetuo seipsos coïtu interdicebant, cum cæteris forsan ob nimiam alimenti copiam magis necesse haberent. De his namque Galen. de Loc. affect. VI. 5. loquebatur, quando multos calidæ & humidæ naturæ ὑπὸ ἀσκήσεως, id est, *ob exercitationem* a Veneris usu abstinentes torpidos atque pigros effectos se vidisse scripsit. Petrus Chrysol. Serm. 119. *In agone isto terreno, ut qui vincere volunt, abstinent se a cibis quibusdam, a potu nimio, abstinent ab omni immunditia, sub tanta castitate, ut etiam propria conjugia non requirant: nec aliter se vincere posse sperent, nisi corpus suum castum pudicumque servaverint.* . . . Allusit Horat. de Art. poet. n. 412.

Qui cupit optatam cursu contingere metam,
Multa tulit, fecitque puer, sudavit & alsit,
Abstinuit Venere & Baccho.

Mercur. l. l. Stewech. in Veget. I. 3. Lydius Agonist. sacr. c. 3. Sorte ad pugnandum ducebantur. Nam calculis in urnam conjectis, binæ compares literæ inscribebantur: quique eductis sortibus pares sortiti erant, invicem com-

committebantur. *Salmuth ad Panciroll. de Reb. Deperd. & Inv. pag.* 351. *Fab. Agon.* I. 24. *Rhodig. Ant. Lect.* XXII. 18. *Alex. Gen.* V. 8. Antiquitus in Circo decertabant. Dionyſ. VII. p. 475. *Priuſquam ludorum inirentur certamina, pompam a Capitolio per forum deducebant in Circum maximum.* Quum vero ludorum vis creviſſet, e Circo *athletarum* certamen ſublatum eſt, & ad ſtadium & gymnaſia primum pro his conſtituta, deinde ad amphitheatra tranſlatum. Suet. Ner. c. 40. n. 7. *Statim in gymnaſium progreſſus certantes athletas effuſiſſimo ſtudio ſpectavit.* Panvin. de Lud. Circ. II. I. Antequam in arenam deſcenderent, de inſtante certamine certiores fiebant per tubæ clangorem, quo monebantur, ut ſeſe ad congreſſum adornarent, aut jam adornati, præparatique, ut erant, prodirent. Cyrill. Alexandr. de Feſt. Paſchal. homil. IV. *Audio eos, qui palæſtricis certaminibus præſident, ... ubi rei ipſius initium facturi ſunt, tuba quidem denuntiare certamen: ac ſub ipſum omnes, quicunque futuro certamini habiles inventi ſunt, advocantes. . . . . .* Lydius ibid. c. 23. Subligari campeſtri amictis duntaxat verendis, cætera nudi decertabant. Dionyſ. l. l. *Poſt quos athletæ graviorum leviorumque certaminum, nudi cætera, pudenda tantum tecti ſubligaribus campeſtribus, qui mos Romæ manſit ad mea uſque tempora, ſicut olim fuit in Græcia, in qua nunc antiquatus eſt, orto a Lacedæmoniis initio. Primus nudavit corpus, & nudus in Olympiaco ſtadio decurrit Acanthus Lacedæmonius Olympiade quinta decima.* Fab. ibid. II. 3. Lydius ibid. c. 13. & 19. Buleng. de Circ. c. 38. Panvin. l. l. Ad eludendos ictus, ac petitiones adverſarii, caput huc illucque celeriter inflectebant. Hoc Græcis eſt λογίζειν, hoc eſt, ϛρέφειν, κάμπτειν, κινεῖν, movere, flectere, laxare, & quodammodo luxare. Præclare iſtud ipſum, & graphice deſcribit Stat. Theb. VI. 769.

— ſed providus aſtu
Et patria vigil arte Lacon, hos rejicit ictus;
Hos cavet: interdum nutu, capitisque citati
Integer obſequio: manibus nunc obvia tela
Diſcutiens, inſtat greſſu, vultuque recedit.

Et ſic in collum dicebantur reſupinari. Stat. ibid. n. 789.

Præcipitatque retro juvenem, atque in terga ſupinat:

hoc eſt ſupinare ſe cogit. Mox n. 792.

— motu Spartanus acuto
Mille cavat lapſas circum cava tempora mortes.

Hoc Græcis eſt τραχηλίζεσθαι. Themiſt. Orat. IV. p. 114. *Quem multi in gymnaſiis viderunt cervicem facile luxantem,* τραχηλιζόμενον. Τραχηλισμὸν belle circumſcripſit Statius his vocibus: *nutu, & citati capitis obſequio, motu acuto, reſupinatione in terga.* Sic & Virg. Æneid. V. 428.

Abduxere retro longe capita ardua ab ictu.

Petav. in Themiſtium. Præmia magna illis fuerunt poſita. Vitruv. Præf. 9. *Nobilibus athletis, qui Olympia, Pythia, Iſthmia, Nemea viciſſent, Græcorum majores ita magnos honores conſtituerunt, uti non modo in conventu ſtantes cum palma & corona ferant laudes, ſed etiam cum revertuntur in ſuas civitates cum victoria, triumphantes quadrigis in mœnia, & in patrias invehantur, eque re publica perpetua vita conſtitutis vectigalibus fruantur.* De illorum præmiis Clem. Pædag. II. 8. *In certaminibus autem primo donum fuit athletarum* (ſed quid ἀθλητῶν δόσις? Lego τῶν ἄθλων δόσις) *ſecundo plauſus & excitatio, tertio foliorum conjectio, ultimo corona.* Caſaub. in Suet. Ner. c. 25. n. 5. Lydius ibid. c. 34. Si quid deliquiſſent, puniebantur a pædotriba. Diſertus in hanc rem locus eſt Baſilii M. de Legendis Græcis c. 16. *Poſtquam multum ſudaverint gymnaſticis exercitiis, multas plagas a pædotriba acceperint.* Perizon. Addend. ad Ælian. p. 982. b. His ſtatuas addimus. Nep. XII. 1. 3. *Chabrias illo ſtatu ſtatuam ſibi fieri voluit, quæ publice ei ab Athenienſibus in foro conſtituta eſt. Ex quo factum eſt, ut poſtea athletæ cæterique artifices his ſtatibus in ſtatuis ponendis uterentur, cum victoriam eſſent adepti.* Fab. ibid. II. 20. Figrell. de Stat. Roman. c. 19. Alex. Gen. Dier. IV. 12. Hiſce victori deſtinatis non fruebantur, niſi merito, & non corruptis æmulis viciſſe judicarentur, atque omnes agoniſticas leges obſervaſſent. Paull. 2. Tim. c. 2. n. 5. *Quod ſi certet etiam aliquis, non coronatur, niſi legitime certaverit:* ἐὰν μὴ νομίμως ἀθλήσῃ, id eſt, νόμῳ ἀθλητικῷ. Hunc νόμον explicant Chryſoſtomus. *Non*, inquit, *ſufficit ad legitimam decertationem, ſi agoniſta in agonem deſcenderit, non ſi unctus fuerit, neque etiam ſi commiſſus fuerit, manumve conſeruerit. Oportet inſuper, ut qui coronam conſequi vellet, omnem agoniſticæ profeſſionis obſervaſſet legem, tam circa ciborum, quibus vel abſtinendum, vel veſcendum athletis ſunt, quam circa continentiæ, ac honeſtatis rationem, omnemque adeo legitimum colluctationis ordinem.* Et Baſilius Prooem. in præcept. quaſd. quarum titulus: Ὅροι κατὰ πλάτος. *Ad coronam promerendam non victoria modo, ſed legitimus etiam in certando conflictus requiratur, ut eſt apud Apoſtolum; quod quidem nihil eſt aliud, quam ut eorum, quæ obſervanda deſcripta ſunt, nihil omnino quicquam prætermittatur, ac ſingula ita fiant, ut a præſcripto nihil diſcedatur.* Καλῶς ἀγωνίζεσθαι, & τελέως ἀριστεῦσαι hoc dicitur apud Ælian. Var. hiſt. VI. 6. *Qui ſtrenue pugnaſſent, & occubuiſſent, oliva, & aliis ramis redimiti, laudibus ferebantur: qui vero perfectam, & abſolutam virtutem præſtitiſſent, ii etiam, injecta illis chlamyde purpurea, glorioſe ſepeliebantur.* Lydius ibid. c. 2. Primus Romam traduxit Sylla. Appian. Bell. Civ. I. p. 412. *Peracta Olympiade CLXXV. apud Græcos: quo tempore nullum in Olympia certamen præter curſum in ſtadio ſupererat. Nam athletas cæteraque ludicra univerſa in Urbem Sylla Mithridatici belli atque civilis occaſione tranſtulerat, cauſam prætexens, quod populum poſt tot labores recreare cuperet.* Alex. Gen. Dier. V. 8. & ad illum Tiraquellus.

ATHLOTHETA. V. illum ſupr. in *Agonotheta.*

ATI.

ATIA gens. V. illam infr. in *Gens.*

ATILIA gens. V. illam infr. in *Gens.*

Atilia lex. V. illam infr. in *Lex.*

ATINA eſt Volſcorum urbs antiqua ſupra Caſinum & Aquinum verſus ſeptemtriones circa Melſis fluvii fontes. Hodie nomen id retinet, niſi quod interdum dicatur *Atino.* Romanorum fuit præfectura. Cicer. pro Planc. c. 8. *Atina præfectura plena virorum fortiſſimorum, ſic ut nulla tota Italia dici frequentior poſſit.* Sigon. de Ant. Jur. Ital. II. 12. Cluver. Ital. Ant. III. 8. 26. Poſtea eſt colonia facta. Frontinus de Coloniis: *Atina muro ducta colonia: deduxit Nero Claudius. Ager ejus pro parte in laciniis & ſtrigis eſt aſſignatus.* Guther. de Jur. Man. III. 26.

ATINIA lex. V. illam infr. in *Lex.*

ATINIUM plebiſcitum. V. illud infr. in *Plebiſcitum.*

ATL.

ATLANTES per jocum vocabant homines pumilos. Juven. Sat. VIII. 32.

— nanum cujuſdam Atalanta vocamus.

κατ᾽ ἀντίφρασιν. Ut, cum indignus ſit, majoris alicujus eum nomine nuncupemus: ut ſi nanum gigantem vocemus. Scholiaſtes. *Kobierzyck. de Luxu Roman.* II. 4. Suſtinebant in navibus mutulos uſque ad ſcalmos porrectos, quemadmodum in navi Hieronis affirmat Athenæus, addens eos fuiſſe ſex cubitorum, a ſummis videlicet ſcalmis uſque ad mare totum remigii ſpatium occupantes. Erant ſtatuæ vel virorum vel mulierum, columnarum loco ſuſtinentium mutulos & coronas. Idem notat ἄτλας & τλάμων, pro quo Latini dixerunt telamonem. V. infr. in *T.* Accipiuntur hæc vocabula pro quibusvis ἀχθοφόροις, & qualibet re onus aliquod ſuſtinente, ſive ſit homo, ſive animal, ſeu quodcunque aliud. *Voſſ. de Trirem. & Liburn. Conſt. Theſ. Antiq. Roman. Græv.* XII. *p.* 722. *E. Bald. Lex. Vitruv. in Telamones.*

ATLANTICA eſt inſula delicioſiſſima, & rerum abundantiſſima, & in ea fontes ſunt aquæ tam calidæ quam frigi-

frigidæ. Plato in Critia. *Bætius de Pot. Ant. c. 2.* Eſt nunc Oceano occupata extra columnas. Hanc Plato refert habuiſſe etiam balneas, quæ omni cultu ornatæ eſſent, & partim quidem ſub divo paterent, partim ſub tecto calentia haberent lavacra hiberno tempore, atque ſeorſum alia Regibus propria extitiſſe, alia privata viris, alia mulieribus dicata, alia item equis cæteriſque jumentis. *Baccius de Therm. vet. c. 1.*

ATLAS mons eſt Mauritaniæ, ad occidentalem plagam ſitus, avus Mercurii. V. plura infr. in *Mercurius.* Aleand. Tab. Hel. Explic. Theſ. Antiq. Roman. Græv. Tom. v. p. 740. B.

ATO.

'ΑΤΟΝΙ'Α in veteribus gloſſis eſt nænia, quod voce languida in næniis præfica uteretur. *Guther. de Jur. Man.* I. 23.

ATR.

ATRIARIUS, qui dicitur Ulpian. leg. 1. §. caupones ff. Nautæ, Caupones. *Cæterum ſi qui opera mediaſtini fungitur, non continuerit: utpote atriarii, & focarii, & his ſimiles.* Ferre non poſſum, quod *atriarii* focariis adjunguntur, & in mediaſtinorum numero ponuntur: ac ſi locus eſt integer, ut *atriariorum* locum oſtiarii ſubire non debeant: certe quidem alios eſſe ab atrienſibus *atriarios* exiſtimaverim minoris maculæ, hos minus honeſtos, veluti quoſdam illorum vicarios, qui forſitan *atrium* verrerent, atque ad *atrium* perpetuo tanquam ad oſtium, ejus obſervandi gratia ſtarent: cum atrienſes *atrio* præfecti, ne quid ex imaginibus, ſtemmatibus, tabliniſque ac cæteris in *atrio* reponi ſolitis deperiret, curam gererent. V. infr. in *Atrienſis.* Faber Sem. II. 12. Popm. de Oper. Serv. p. 38. Pignor. de Serv. p. 457.

ATRICII dicti ſunt ab atro, quemadmodum Romani a voce aliqua dicti ſunt. *Sigon. de Nom. Roman. c. 4.*

ATRIENSIS majoris fuit dignitatis. Liquet hoc ex Cicer. Parad. v. ubi ait: *Atque ut in magna familia ſervorum alii ſunt lautiores, ut ſibi videntur, ſervi atrienſes.* Plaut. Aſin. II. 2. 84.

Extemplo facio facetum me, atque magnificum virum,
Dico me eſſe atrienſem.

Apud quem etiam Saurea ſervus *atrienſis* alium ſervum ſatis ferociter, & velut pro imperio tractat II. 4. 15—21. Obſervabat *atrium*, & cuſtodiebat illud, ne quid ex imaginibus, ſtemmatibus, ac cæteris, quæ in *atrio* reponi ſolebant, deperiret; & ſupellectilem ædium, aut villæ exponebat, ſimulque *atrium* omni ex parte mundum, & nitidum ut eſſet, procurabat. Colum. XII. 3. *Tum inſiſtere atrienſibus, ut ſupellectilem exponant, & ferramenta deterſa nitidentur, atque rubigine liberentur.* Cicer. l. l. *Si L. Mummius aliquem iſtorum videret matellionem Corinthium cupidiſſime tractantem. . . . . utrum illum civem excellentem, an atrienſem ſervum diligentem putaret?* Nardin. Rom. Vet. VI. 13. Popm. de Oper. Serv. p. 36. Faber Semeſtr. II. 12. Brod. Miſc. X. 17. Cujac. Obſerv. X. 34. Bartol. Auctar. c. 45. Alciat. de Verb. Signif. 288. a. Pignor. de Serv. p. 457. Velſer. de zeta & zetar. p. 580. Demſter. Paral. ad Roſin. Antiq. Roman. I. 13. Kipping. Antiq. Roman. IV. I. I. Urſin. append. ad Ciaccon. de Triclin. p. 348.

ATRIUM differt ab area, quod hæc porticibus caret: *atrium* vero eſt porticus circumdans aream templi ante portas, quale eſt Romæ ante templum Petri. Græci aulam appellant. Virg. Æneid. III. 353.

Illic porticibus Rex accipiebat in amplis,
Aulaï in medio libabant pocula Bacchi.

Panciroll. Deſcr. Urb. Rom. Theſ. Antiq. Roman. Græv. Tom. III. p. 352. A. Diverſum erat quoque ab impluvio. Docet hoc, ubi varias partes domus nominat, & explicat, Varro de Ling. Lat. IV. 33. *Si relictum erat in medio, ut lucem caperet, deorſum, quo compluebat, compluvium dictum. . . . Atrium appellatum. . . .* Sed melius adhuc, ubi villam ſuam Laurentianam deſcribit, idem exponit Plin. Epiſt. II. 17. 4. *Cujus in prima parte atrium frugi* (non habebat veſtibulum, quia ruri erat) *nec tamen ſordidum; deinde porticus in O literæ ſimilitudinem circumactæ: quibus parvula, ſed feſtiva area includitur. . . .* En hic tibi impluvium ultra *atrium.* Et a veſtibulo. Docet hoc Gell. XVI. 5. *Animadverti enim quoſdam haud quaquam indoctos viros opinari, veſtibulum eſſe partem domus priorem, quam vulgus atrium vocat. Cæcilius Gallus in libro de ſignificatione verborum, quæ ad jus civile pertinent, ſecundo, veſtibulum eſſe dicit non in ipſis ædibus, neque partem ædium, ſed locum ante januam domus vacuam. . . . .* Eſt itaque anterior pars ædium, quo area cingebatur? Feſtus: *Atrium eſt genus ædificii continens mediam aream.* Et primum eſſe ædificium, quod anteriori janua introeuntibus occurrit, oſtendit Vitruv. VI. 8. cum dicit: *In urbe atria proxima januis ſolent eſſe.* Et primum locum ædium vocat Nep. præfat. n. 6. *Cujus materfamilias non primum locum tenet ædium, atque in celebritate verſatur?* Nardin. Rom. Vet. III. 13. Perizon. in Ælian. III. 4. Grapald. de Part. dom. I. 6. Alex. Genial. dier. III. 6. Rycq. de Capitol. c. 37. Stuck. Antiq. Conviv. II. 14. Philand. in Vitruv. VI. 4. Bald. Lex. Vitruv. Guther. de Vet. jur. pontif. III. 6. Laurent. Var. ſacr. gentil. c. 5. Græcis Grammaticis vocatur μεσαύλιον & περιςῷον. *Turneb. Adv.* XVIII. 28. *Rycq. l. l.* An vero *atrium* lacunatum eſſet, vel ſub divo, implicita quæſtio eſt. Vitruv. VI. 4. lacunaria non obſcure in *atriis* collocat. Ovid. Met. VIII. 561.

Pumice multicavo, nec levibus atria tophis
Structa ſubit. molli tellus erat humida muſco.
Summa lacunabant alterno murice conchæ.

XIV. 260.

Excipiunt famulæ, perque atria marmore tecta
Ad dominum ducunt.

At lacunaria & tablina non proprie in *atrio*, ſed circa *atrium* viſebantur; in porticibus nimirum, quæ impluvium cingebant. *Atrium* enim ὕπαιθρον erat. *Pignor. de Serv. p.* 460. Dixerit licet Auſon. Eidyll. X. 49.

Tendens marmoreum laqueata per atria campum.

Non enim animadvertunt qui *atria* fuiſſe tecta volunt, eam vocem, ut apud Græcos μέγαρον & αὐλὴ pro palatiis procerum poni: at in iis, quæ proprie *atria* dicebantur, non aliud tectum erat præter alas ædificii, quæ velut porticus circa medium ſubdival efficiebant. Ideo docte auctor gloſſarum: *atrium* περιςῷον, μέσαυλον. *Caſaub. in Suet. Aug. c. 29. n.* 13. Nihilominus videtur laquearibus contectum fuiſſe. In illo enim ſervare olim imagines majorum cereas capſulis conditas Romani ſolebant. V. infr. in *Imagines majorum.* Sed his conſervandis areæ intectæ, ſive impluvia, imo nec tectæ porticus conveniſſent. Vocantur etiam fumoſæ imagines a Juven. Sat. VIII. 8.

Fumoſos equitum cum dictatore magiſtros.

Quod verbum indicio nobis eſt, ignem ſæpe in *atriis* factum: unde tecta ea fuiſſe liquet. Id ipſum multo adhuc manifeſtius liquet ex Euangeliis Marci, Lucæ & Johannis in eo concordibus, ubi Petrus in *atrio* principis ſacerdotum ſedebat cum miniſtris ad ignem & calefaciebat ſe. *Nardin. l. l.* Altis ſuſtinebatur columnis. Claudian. in Rufin. II. 135.

— *Quid purpureis ſuffulta columnis*
Atria.

Altitudo columnarum patet ex Plinio, qui ſcribit XXXVI. 2. *in atrio Scauri collocatas maximas, atque adeo duodequadragenum pedum Lucullei marmoris.* Corippus mox laudandus: Kobierzyck. de Lux. Roman. II. 7. Velis fuit tectum. Coripp. III.

Clara ſuperpoſitis ornabant atria velis.

Neque a quoquam melius quam a Corippo deſcribitur eodem libro, ubi Avarum legatos a Juſtino admiſſos refert, dum ſcribit:

Atria præclaris extant altiſſima tectis,
Sole metallorum ſplendentia, mira paratu,
Et facie plus mira loci, cultuque ſuperba,
Nobilitat medios ſedes Auguſta penates. . . ;

Mira

Mira pavimentis, stratisque tapetibus ampla
Planities, longoque sedilia compta tenore. . . .

Laxum, & spatiosum fuit. Indicat Seneca Epist. LV. ubi duas in villa Vatiæ speluncas describit: *Speluncæ sunt duæ magni operis: laxo atrio pares, manufactæ: quarum altera solem non recipit, altera usque in occidentem tenet.* Et ex his patet clarissime, *atrium* omni modo intectam domus partem fuisse. *Nardin. l. l.* In *atrio*, ut diximus, servare imagines cereas capsulis conditas solebant. Causam, cur ibi ponerentur, exponit eleganter Val. Max. V. 8. ubi, cum T. Manlium Torquatum dixisset filium suum ob male administratam provinciam condemnasse: *Videbat*, inquit, *se in eo atrio consedisse, in quo illius imperiosi Torquati severitate conspicua imago erat: prudentissimoque viro succurrebat, effigies majorum cum titulis suis idcirco in prima ædium parte poni solere, ut eorum virtutes posteri non solum legerent, sed etiam imitarentur.* Senec. Epist. 44. *Non facit nobilem plenum fumosis imaginibus. Nemo in gloriam nostram vixit, nec quod ante nos fuit, nostrum est. Animus facit nobilem.* Juven. Sat. VIII. 19.

Tota licet veteres exornent undique ceræ
Atria: nobilitas sola est atque unica virtus.

Lipſ. Elect. I. 29. & in Senecam. Menag. in Diog. Laert. III. §. 89. Grang. in Juvenalem. Figrell. de Stat. Roman. c. II. Etiam hostium spoliis ac exuviis honestari, decorarique voluerunt. Sed ubi degener posteritas Græcorum opera conspexit, & admirata est, non tam de hostibus parta tropæa animo curæque habuit, quam transmarinas illas tabulas, & signa summo cum studio ad decorandas ædes conquisivit. Plinius modo laudatus. Stat. Sylv. II. 2. 63.

Quid referam veteres ceræque ærisque figuras?
Si quid Apellei gaudent animasse colores. . . .

Hæc opera præstantissimorum artificum, ac celebres statuæ in columnarum interstitio, nonnullæ affixæ basibus structilibus, aliæ vero imagines aut erga parietem affixæ, aut opere tectorio insertæ. Colligo ex lege 245 de Verb. Signif. ubi sic habetur: *Statuæ affixæ basibus structilibus, aut tabulæ religatæ catenis, non sunt ædium.* Kobierzyck. l. l. Demster. Paralip. ad Rosin. Antiq. Roman. I. 13. Mulieres in illo, sive ad testificandam diligentiam suam, sive ad exemplum, lanam exercebant, telam texebant, vestem conficiebant. Arnobius II. p. 91. *Matresfamiliæ vestræ in atriis operantur domorum, industrias testificantes suas.* Ascon. in Cicer. p. 195. *Deinde omni vi janua expugnata, & imagines majorum dejecerunt.* . . . . . *interque telas, quæ ex vetere more in atrio texebantur, diruerunt.* Nardin. l. l. Putean. Reliq. Conv. Prisc. Thes. Antiq. Roman. Græv. Tom. XII. p. 267. A. Figrell. de Stat. Roman. c. II. In eodem frugaliter cœnare solebant. Serv. Æneid. I. 730. *Nam, ut ait Cato, & in atrio & duobus ferculis epulabantur.* In *atrio* palatii senatus sæpe habitus. V. infr. in *Atrium palatii.* Catilinæ domus fuit. Et illic Verrius Flaccus pueros docuit grammaticam. Suet. de Illustr. grammat. c. 17. n. 3. *Transiit in palatium cum tota schola: docuitque in atrio Catilinæ domus, quæ pars palatii tunc erat.* Nardin. l. l.

Atrium Libertatis in monte fuit Aventino. Fuit vel eodem tempore, quo ædes Libertatis. V. illam supra in *Ædes.* vel paullo post factum. De eo Liv. XXV. 7. *Custodiebantur in atrio Libertatis minore cura.* Dies illi sollennis dicatus Iduum Aprilis. Ovid. Fast. IV. 623.

Hac quoque ni fallor, populo dignissima nostro
Atria Libertas cœpit habere sua.

Non diu post instauratum & amplificatum est a Sexto Ælio Pæto & C. Cornelio Cethego Consulibus. Liv. XXXIV. 43. *Atrium Libertatis & villa publica ab eisdem refecta amplificataque.* Censoribus frequens ibi conventus, & tabularium in eo, in quo tabulæ publicæ asservabantur, inprimis quæ ad Censores spectabant. Liv. XLIII. 16. *Censores extemplo in atrium Libertatis adscenderunt: & ibi signatis tabellis publicis, clausoque tabellario.* . . . . Ibidem non diu post jussu Censorum sortes inter quatuor tribus urbanas jactæ, in quam earum libertini adsciscerentur. Liv. XLV. 15. *Postremo eo deventum est, ut ex quatuor urbanis tribubus unam palam in atrio Libertatis sortirentur.* Hic affixa quoque erat lex de Vestalibus incestis. Festus in Probrum. *Lex fixa in atrio Libertatis cum multis aliis legibus incendio consumpta est.* Restituit illud Asinius Pollio sine dubio multo splendidius & amplius. Suet. Aug. c. 29. n. 13. *Multaque a multis exstructa sunt.* . . . *ab Asinio Pollione atrium Libertatis.* Milites ibi egerunt excubias. Tacit. Hist. I. 31. 2. *Ut Germanicos milites e Libertatis atrio arcesserent.* Nardin. Rom. Vet. VII. 9. Donat. de Urb. Rom. III. 13. Borrich. Ant. Urb. Fac. c. 15. §. 3. Bellor. Vestig. Vet. Rom. Tab. 6. Demster. Paral. ad Rosin. Antiq. Roman. I. 13. Landus Explic. in Misc. Num. Rom. Misc. Erud. Ital. Tom. I. p. 393. Casaub. in Suetonium. Ejus forma erat similis *atriis* ædium privatarum, quæ habent tablina & pinacothecas adjunctas: in medio erat area sub dio columnis cincta: ideo is locus etiam peristylium appellatus, & quoque impluvium dicebatur. *Casaub. l. l.*

Atrium Matutæ etiam in monte fuit Aventino, sive regione Urbis decima tertia. *Panvin. Descr. Urb. Rom. Thes. Antiq. Roman. Græv. Tom.* III. *p.* 309. *E.*

Atrium Minervæ fuit in Foro Romano, sive in octava Urbis regione. Victor. Intelligit forte Minervam a Q. Catulo infra Capitolium dicatam, de qua Plin. XXXIV. 8. *Euphranoris*, inquit, *est Minerva Romæ, quæ dicitur Catuleana, infra Capitolium a Q. Luctatio Catulo dicata.* Panciroll. Descr. Urb. Rom. Thes. Antiq. Roman. Græv. Tom. III. p. 352. B. Demster. Paralip. ad Rosin. Antiq. Roman. I. 13.

Atrium Neronis vastissimum, & frons ipsa domus ubi fuerit, non ita certo designare possum; tamen, ut arbitror, scire cupientibus fiet satis. Redeundum ergo est ad amphitheatrum, ubi stagnum erat. Prope, *atrium* cum porticibus, cœnationibus, & aulis visebatur. Sed statim ambigitur, an *atrium* vergeret ad arcum Titi, ibique cum Palatio conjungeretur domus, an vero ultra Constantini arcum vallem inter Cœlium & Palatinum occuparet. Blondus & Marlianus hic putant fuisse. A quibus ut dissentiam, aliæ me rationes graviores monent. Nam de *atrio*, seu vestibulo Suet. Ner. c. 31. n. 5. *Vestibulum ejus fuit, in quo colossus* CXX. *pedum staret ipsius effigie.* At Mart. de Spect. 2. 1.

Hic ubi sydereus propius videt astra colossus,
Et crescunt media pegmata celsa via;
Invidiosa feri radiabant atria Regis.

Martialis proprie *atrium* intelligit, seu vestibulum domus, non totam domum poetice. Vestibulum autem interdum accipi pro *atrio* docet Gellius. At Suetonius id intelligit vestibuli nomine, quod vere germaneque significat. Gellium V. infr. in *Vestibulum.* Sed vestibulum, dicet aliquis, erat tecto coopertum. Quare colossum capere non poterat, qui ob excelsam sublimitatem locum sub dio apertum exigebat, nempe *atrium*, seu cavædium, e quo sese supra tecta extolleret. Verum Palatium Cæsarum domo fuit continuatum, ut docet Tacit. Annal. XV. 39. 1. Cum ergo domus Neronis & Augusta conjungerentur, verisimile est admirandis columnationibus aliqua saltem parte fuisse conjunctas, ut spatium inter utramque instar *atrii* relinqueretur, in quo staret colossus. Ab eo aditum in domum, ideoque vestibulum, idem tamen dici *atrium* a Martiale. Erat itaque Neronis domus a Palatio Exquilias usque protensa & Suburram, ibi desinebat, qua nunc mollis clivus exsurgit versus frontem ædis S. Petri ad vincula. Hæc *atrii* latitudo. Nam latitudo spatium a templo Pacis usque ad amphitheatrum, eoque amplius patens complectebatur. In *atrio* hoc fuerunt porticus triplices & milliariæ. V. illas infra. *Donat. de Urb. Rom.* III. 5.

Atrium Palatii *augurato fuit conditum, in quo apud majores consulebatur Senatus, & arietes immolabantur.* Serv. Æneid. XI. 235. *Marlian. Topogr. Urb. Rom.* II. 15. Quod Severus transferre voluit contra Cœlium montem, & templum, nunc S. Gregorii. Spartianus in Severo:

Nisi

Nisi absente eo per præfectum Urbis medium simulacrum ejus esset locatum, aditum Palatinis ædibus, id est, regium atrium ab ea parte facere voluisset. Non fecit, structo in subjecta valle Septizonio. *Donat. de Urb. Rom.* III. 2.

Atrium Pompeji in Circo fuit Flaminio, sive Urbis regione nona. *Panvin. Descr. Urb. Rom. Thes. Antiq. Roman. Græv. Tom.* III. *p.* 301. *B.* Debemus credere illud fuisse, ubi nunc corrupte Satrum vulgo appellant: & porticus etiam nunc semi integra cernitur, ubi altissimæ extant marmoreæ ad duodecim columnæ, a Capitolii, sive potius rupis Tarpejæ, radicibus haud remotæ. *Blond. Instaur. Rom.* II. §. 112. De *atrio* Pompeji indicium aliud nullum, quam Satrii nomen proferunt, quo tractum Clavariorum inter palatium Ursinorum, & ecclesiam S. Andreæ Vallensis ad nostram usque memoriam appellatum dicunt. Verum in eo nomine ne scintillam quidem lucis, qua *atrii* situs illustretur, invenio: quum id nomen aliunde, & forsan ab ipso theatri vocabulo ortum sit. *Nardin. Rom. Vet.* VI. 3.

Atrium publicum in Capitolio. Hoc de *cælo tactum* scribit Liv. XXIV. 10. *Marlian. Topogr. Urb. Rom.* II. 6. *Alex. Gen. dier.* III. 6. & ad illum *Tiraquellus. Rycq. de Capitol. c.* 37.

ATT.

ATTÆ *appellantur, qui propter vitium crurum, aut pedum plantis insistunt: & attingunt magis terram quam ambulant. Quod cognomen Quintio poetæ adhæsit.* Festus: *Sigon. de Nom. Roman. c.* 5. *Turneb. Adv.* XIV. 17. *Gyrald. de Poetis Dial.* VIII. *p.* 427. *A.* Hujus præter Plinium, Diomedem, Nonium, aliosque plurimos meminit, & de fabulis ejus loquens, *perambulandi* voce utitur Horat. Epist. II. I. 79.

> *Recte, necne, crocum floresque perambulet Attæ*
> *Fabula.*

Fuit scriptor togatarum, ut in Chronico suo Olymp. 175. scribit Eusebius. *Torrent. in Horatium. Voss. Lex. Etymol. Scalig. in Festum.*

ATTAGEN avis est perdice paullo major, cujus dorsum versicoloribus notis distinctum colore fictilium magis subrubescente. Phrygia præstantissima est. Varro in Satyra περὶ ἐδεσμάτων. *Pavus e Samo, Phrygia attagena.* Horat. Epod. II. 54.

> *Non attagen Ionicus*
> *Jucundior.*

Plin. X. 48. *Attagen maxime Ionius celebratur, vocalis, captus obmutescens, quondam existimatus inter raras aves.* Aristot. Hist. anim. IX. 49. *Attagen avis est in pulvere volutabilis. Aves enim omnes, quæ non sunt altivolæ, sed terrestres, sunt in pulvere volutabiles.* Mart. XIII. 61.

> *Inter sapores fertur alitum primus*
> *Ionicarum gustus attagenarum.*

Capitur a venatoribus, ob corporis gravitatem, & brevitatem alarum. In Polonia frequens est. *Buleng. de Conviv.* II. 6. *Nonn. de Re cibar.* II. 28. *Bruyer. de Re cibar.* XV. 38. *Menag. in Diog. Laert.* IX. §. 114. Cum pestis grassaretur in Ægypto τρανώτατα, disertissime dixit, τοῖς κακεργοῖς τὰ κακὰ, *ter maleficis mala.* Buleng. de Augur. *c.* 6.

ATTALICÆ vestes. V. illas infr. in *Vestes.*

ATTERANEA fulmina. V. illa infr. in *Fulmina.*

ATTICUS cognomen est Titi Pomponii, quod *Attice* optime loqueretur. Cicer. de Fin. V. 2. *Pomponius noster ita se Athenis collocavit, ut sit pæne unus ex Atticis, ut id etiam cognomine videatur habiturus.* Nep. Attic. 4. I. *Sic Græce loquebatur, ut Athenis natus videretur.* Sigon. de Nom. Roman. c. 5. Censor fuit librorum Ciceronis. *Gutther. de Jur. Man.* I. 24.

ATTILA Hunnorum Rex Bledam fratrem & consortem in regno suum perimit, ejusque populos sibi parere compellit Theodosio XVIII. & Albino Consilibus. *Prosper Chronic. Thes. Antiq. Roman. Græv. Tom.* XI. *p.* 320. *A.* In Belgica prima pridie Paschatis Metis, & in Belgica secunda Atrebatum succendit. Germaniæ quoque secundæ oppida Tungros, Coloniamque metropolim, & alia delevit. *Panciroll. Notit. Dign. Imp. Occid. c.* 85. Redintegratis viribus, quas in Gallia amiserat, Herculano & Sporatio Consulibus, Italiam ingredi per Pannonias intendit, nihil duce nostro Aetio secundum belli prio[illegible] opera prospiciente; ita ut ne clusuris quid[illegible] Alpium, quibus hostes prohiberi poterant, uteretur [illegible] spei suis superesse existimans, si ab omni Ital[illegible] Imperatore discederet. Sed cum hoc plenum de[illegible] & periculi videretur, continuit verecundia metum, & tot nobilium provinciarum latissima eversione credita est [illegible]vitia & cupiditas hostilis expleta: nihilque inter o[illegible] consilia Principis ac Senatus, populique Romani salubrius visum est, quam ut per legatos pax truculentissimi Regis expeteretur. Suscepit hoc negotium cum viro Consulari Arieno, & viro Præfectorio Trigetio, Papa Leo, auxilio Dei fretus, quem sciret nunquam piorum laboribus defuisse. Nec aliud secutum est quam præ[illegible] fides. Nam tota legatione dignanter accepta, [illegible] sacerdotis præsentia Rex gavisus est, ut & bell[illegible] præceperit, & ultra Danubium promissa pace [illegible]. Opilione V. C. Consule *Attila* in sedibus suis mo[illegible], magna primum inter filios ipsius certamina de obtinend[illegible] regno exorta sunt. *Prosper ibid. p.* 321. *B. C. D.*

ATTIS vir fuit & femina. Ipse de [illegible] apud C[illegible] 63. 73.

> *Quod genus figuræ est, quod ego non [illegible]*
> *Ego mulier, ego adolescens, ego [illegible], [illegible] puer.*

Arnob. V. p. 159. ubi de *Atti* [illegible] virginem & puerum eximiam fuisse d[illegible] *dis* autem nomine solem vene[illegible] sunt Phryges, [illegible] Macrob. Saturn. I. 21. *Boxhorn. Quæst. Rom.* 13. [illegible] mensium dominus habitus fuit. Unde *Attis*, per quem solem designabant, Μηνοτύραννος vocabatur. [illegible] si diceres μηνῶν τύραννος, Rex mensium [illegible]tor. Inscriptiones nuper in Urbe [illegible] vulgatæ,

M. D. M. I.
ET. ATTIDI. SANCTO.
MENOTYRANNO.
Et MATRI. DEUM. MAGNÆ
IDÆÆ. SUMMÆ. PA
RENTI. HERMÆ. ET. ATTIDI
MENOTYRANNO. INVICTO

Salmas. in Lamprid. Heliogab. c. 7. *Boxhorn. in Plutarchi Quæst. Rom.* 76. In tabula nostra repræ[illegible], Phrygio, dextra gerens fistulam, mul[illegible] calamis, syringa dictam, læva pedum, baculum videlicet curvum, quo pastores solebant pecorum pedes [illegible]. Fuisse pastorem ex Pessinunte Phrygiæ emporio, [illegible] templum erat miræ ve[illegible] Deum matri [illegible] scribit Tertull. Apolog. c. 15. [illegible] *tum Attin illlum Deum ex Pessinunte.* [illegible] ritus, quibus Cybele colebatur, mort[illegible], cumque promissam huic Deæ castitatem c[illegible] cum Sangaritide stupro non servasset, irata Dea de nympha pœnas exegit, *Attis* vero furore correptus lapideo cultro seipsum castravit. Juven. Sat. VI. 514.

> *Mollia qui rupta secuit genitalia testa.*

Lactant. I. 17. Ovid. Fast. IV. 223 — 242. Designare flores cadentes, antequam ad fructum [illegible], tradit Euseb. de Præp. Euang. III. 3. [illegible] & incisa fuisse dici, quoniam flores defluxi semina non producunt. At Augustin. de Civ. Dei VII. 25. non *Attin*, sed ejus virilia flores indicare docet. *Propter vernalem [illegible] terræ, quæ cæteris temporibus est pulchrior, Porphyrius [illegible] nobilis Attin flores [illegible]: [illegible] flos decidit ante [illegible]. Non ergo ipsum [illegible], sed quasi hominem, qui vocatus est Attis, sed [illegible] flori comparaverunt: ipsa quippe illo [illegible] vero non deciderunt, neque decerpta, sed [illegible] nec illo flore amisso quisquam postea fructus, sed postea sterilitas consecuta est.* Pingitur cum sinu vestis aperto, ad naturam ejus geminam, de qua supra, denotandam. *La Chausse de Deor.*

Simulacr. Tab. 40. *Aleand. Tab. Heliac. Explic. Thes. Antiq. Roman. Græv. Tom.* v. *p.* 751. *E.* De *Attide* bene multa *Gyrald. Synt. Deor.* IV. *p.* 139. 140. *Hospinian. de Fest. p.* 144. 252. *Ferret. Mus. Lap.* 1. *Memor.* 9. & 40.

ATTIUS *Navius, summus augurio, centuriarum numerum augeri prohibuit. Rex Tarquinius Priscus illum in experimentum rogavit, fierine posset quod ipse mente conceperat. Ille rem augurio expertus, posse respondit. Atqui hoc, inquit, cogitabam, an cotem illam secare novacula possem. Augur, potes ergo, inquit, & secuit.* Flor. I. 5. 3. *Buleng. de Augur. c.* 11.

ATTONITI dicebantur, qui fulmine afflati erant. Petron. c. 61. *Intremui post hoc fulmen attonitus.* Sallust. Histor. I. apud Non. Marc. IV. 110. *Sic quasi fulmine attonitus, neque animo, aut lingua, neque auribus competere.* Buleng. de Terr. Mot. & Fulm. c. 3.

ATTRIBUTUM dicebatur pecunia a tribunis quæstori assignata. Varr. de Ling. Lat. IV. 36. A tributo pecunia *ea quæ assignata erat, attributum dictum: ab eo quoque quibus attributa erat pecunia, ut militi reddant, Tribuni ærarii dicti: id quod attributum erat, æs militare.* Sane postquam de publico dari stipendium cœpit, non poterat ea pecunia confici, nisi, ut est apud Liv. IV. *tributo populo indicto:* imo hæc ipsa pecunia, ut est apud eundem v. 12. *tributo conferebatur.* Putean. de Stipend. Milit. c. 15. Bud. in Pandect. p. 82. H. Guther. de Offic. Dom. Aug. II. 12: III. 17. Sigon. de Ant. jur. prov. II. 18. Stewech. in Veget. III. 3.

AVA.

AVARICUM oppidum in finibus Biturigum *quod erat maximum & munitissimum, & in agri fertilissima regione,* ut dicitur Cæsari Bell. Gall. VII. 13. *prope ex omnibus partibus flumine & palude circumdatum, uno & perangusto aditu.* Cæs. ibid. c. 15. Hæc palus magna fuit, ut quæ perpetua inter Cæsaris & Vercengetorigis castra intercederet. Ad hujus urbis oppugnationem Cæsar decem legiones habuit præter auxilia sociorum: ordo & cohortatio non defuerat. Hostis loco superior erat. Itaque locus oppugnantibus labore illo castrensi æquandus fuit. Castris igitur ad illum urbis positum positis, Cæsar aggerem apparare, vineas agere, turres duas constituere cœpit: circumvallare autem loci natura prohibebat. Interea summa rei frumentariæ difficultate, quod Galli circumquaque omnia incenderant & magnis copiis Romanos frumentatione prohibebant, affectus est Cæsaris exercitus: famem tamen quam rei infectæ ignominiam ferre maluit. Labor in fabricandis machinis ante fuit, hic etiam fames tolerabatur: tertia difficultas ab oppidanis oriebatur. Itaque cum muro turres appropinquant, singulari Romanorum virtuti consilia cujusque modi Gallorum occurrunt. V. plura apud Cæsarem ipsum. *Ramus de Milit. Cæsar. Thes. Antiq. Roman. Græv. Tom.* x. *pag.* 1588. *& sequent.*

AVARITIA latentium indagatrix lucrorum, manifestæ prædæ avidissima vorago est, quæ eo intolerabilior & gravior, quo arctius Magistratuum animos complexa est. *Caput enim est,* inquit Tull. Off. II. 21. *in omni procuratione negotii & muneris publici, ut avaritiæ pellatur minima suspicio.* Magistratuum Romanorum publica *avaritia* insignite fuit magna. Hinc vidimus vexatas sæpius & perturbatas provincias, expilatos amicos & socios, vectigalibusque & tributis exhaustos. Ipse Tullius Magistratuum insanum quæstus studium gravissime accusat l. l. *Nondum centum & decem anni sunt, cum de pecuniis repetundis a Pisone lata est lex, nulla antea cum fuisset, ac vero postea tot leges, & proximæ quæque duriores, tot rei damnati, tantum Italicum bellum propter judiciorum metum excitatum, tanta sublatis legibus ac judiciis expilatio direptioque sociorum, ut imbecillitate aliorum, non nostra virtute valeamus.* Quid hisce dici cogitarique potest disertius? Hactenus de publica *avaritia,* de privata paucis dicam. Per fas & nefas opes & divitias conquirere, hoc vero jam omnium pæne specimen erat. Juven. Sat. I. 75.

Criminibus debeant hortos, prætoria, mensas,
Argentum vetus, & stantem extra pocula caprum.

Suggerit & quasdam artes pecuniosas Mart. v. 58. 8.

Artes discere vult pecuniosas,
Fac discat citharœdus, aut choraules.

Jam citharœdi filios magnarum familiarum docebant fidibus, quod & Juven. Sat. VII. 175. innuit, dicitque illorum longe uberius esse lucrum, quam sophistarum & causidicorum. Idem notat quorundam animos *avaritia* & cupiditate insatiabili sic depressos exstitisse, ut ad infima quæque servitia, & operas non difficulter prolaberentur, Sat. III. 31. . . . . . Aliena etiam dominia & hæreditates captare, is certissimus conquirendarum divitiarum modus & Romanis usitatissimus. Lepide Horat. Sat. II. 5. 23—26. Qui & modum aucupandæ senilis gratiæ præscribit ibid. n. 10—14. Unde oblique Romanorum *avaritiam* notat Epist. I. I. 52—56. Hoc vero plerumque solet accidere, cum in Republica paupertas probro haberi incipit, divitiis vero omnes honores & dignitates conferri consueverunt. Sallust. Bell. Catil. c. 12. *Postquam divitiæ honori esse cœperunt, & eas gloria, imperium, potentia sequebatur: hebescere virtus, paupertas probro haberi, innocentia pro malevolentia duci cœpit. Igitur ex divitiis juventutem luxuria, atque avaritia, cum superbia invasere. rapere, consumere, sua parvi pendere, aliena cupere; pudorem, pudicitiam; divina atque humana promiscua, nihil pensi, neque moderati habere.* Kobierzyck. de Lux. Roman. I. 3.

AUA.

AUASIS urbs est Ægypti, quam etiam *Oasim* vocant, pantherinæ pelli similem. Interpuncta enim est habitationibus, quæ circumdantur terra deserta & aquæ inopi. Hujusmodi habitationes Ægypti *Auases* vocant. Stephanus. Strabo XVII. p. 544. *Panciroll. Notit. Dign. Imp. Orient. c.* 141. *Pinedo in Stephanum* Duæ urbes *Oases* vocantur, quarum altera magna *Oasis* dicitur, non longe ab Abydo, in quam deportabantur delinquentes leg. relegatorum 7. §. & quoddam ff. de interd. & releg. leg. fina. C. de Pœnis. l. 1. C. T. de Nil. agger. non rump. Huc in exsilium a Constantino missus est Athanasius, & a Theodosio Nestorius, & ab Arcadio Timasius Magister militum. Zosim. v. 9. *Timasius relegatus in Oasim cum publico satellitio deducebatur. Is erat locus insigniter sterilis, e quo nemo posset evadere, qui eo deportaretur. Nam terra in medio arenosa vasta prorsus & inhabitata, notitiam tendentibus in Oasim omnem adimit: partim quod venti arena vestigia compleant & aboleant: partim quod nec arbor ulla, nec domicilium sit, quæ indicium aliquot iter facientibus ad conjecturam relinquere possint.* Alia *Oasis* minor a Ptolemæo vocatur, sita non longe a Mareotide palude, Marmaricam versus. *Panciroll. l. l.*

AUC.

AUCTIO erat ea venditionis species, qua pluris licitanti res aliqua addicebatur, præcone pretium proclamante. *Constituere auctionem* Cicer. pro Cæc. c. 4. dixit decernere *auctione* & hasta posita res distrahi ac vendi. Ejus index tabula proferri, & editiori loco affigi solebat. Cicer. Phil. II. 29. *Cum repente a te præclara illa tabula prolata, qui risus hominum de te erat? tantam esse tabulam, tam multas, tam varias esse possessiones, ex quibus, præter partem Miseni, nihil erat, quod is, qui auctionaretur, posset suum dicere: auctionis vero miserabilis adspectus, vestis Pompeji non multa, eaque maculosa, ejusdem quædam argentea vasa collisa, sordidata mancipia.* V. plura infr. in *Tabulæ auctionariæ.* Rabir. de Hastar. & Auction. Orig. Thes. Antiq. Roman. Græv. Tom. III. p. (31) E. Illa *auctionis* futuræ dies, leges, conditiones proscribi solebant. Significabatur scripto dies, qua liceri, & ad pretium adjicere cuilibet liceret, ut ei qui licitatione vicisset, res addiceretur. Cicer. Fratr. II. 6. *Tabulam proscripsit, se familiam*

[au]ctiam Catonianam venditeram. Formulam, qua *auctionem* præco prædicabat, expreſſit Plaut. Men. v. 9. 94.

Vis conclamari auctionem fore? quo die? MEN.
SUR. *Die ſeptimi.*
MEN. *Auctio fiet Menæchmi mane ſane ſeptimi.*
Venibunt ſervi, ſupellex, fundi, ædes, omnia
Venibunt, quiqui licebunt, præſenti pecunia.

Briſſon. de Form. vi. p. 510. Hora etiam *auctionis* conſtituenda. Cicer. pro Sext. c. 6. *Tum Nævius ipſe pueros circum amicos dimittit, ipſe ſuos neceſſarios ab atriis Liciniis, & a faucibus macelli corrogat, ut ad tabulam Sextiam ſibi adſint hora ſecunda poſtridie.* Rabir. ibid. p. 34. B. Bonorum *auctiones* & ſubhaſtationes in Foro Olitorio, uti & in Capitolio fieri ſolitæ. Tertullian. Apolog. c. 13. *Sic Capitolium, ſic Forum Olitorium petitur, ſub eadem voce præconis, ſub eadem haſta, ſub eadem annotatione Quæſtoris divinitas addicta conducitur.* Nardin. Rom. Vet. vii. 4. In atriis, quibus ut Liciniis, quæ in foro erant, a præconibus fieri, eoque convenire præcones ſolebant. Cicero modo laudatus. Et Juvenalis, cum poetas inopia ultima oppreſſos, coactos eſſe diceret præconium facere, canit Sat. vii. 6.

— *cum deſertis Aganippes*
Fontibus, eſuriens migraret in atria Clio.

Turneb. Adv. xxv. 3. Non tamen in tenebris ac ſolitudine, ſed in conſpectu populi facienda erat. Cicer. contr. Rull. i. 3. *Cenſoribus vectigalia locare niſi in conſpectu populi Romani non licet: his vendere, vel in ultimis terris licebit? at hoc nequiſſimi homines conſumptis patrimoniis faciunt, ut in atriis auctionariis potius, quam in triviis aut in compitis auctionentur, hic permittit ſua lege decemviris, ut in quibus commodum ſit tenebris, ut in qua velint ſolitudine bona populi Romani poſſint divendere.* Rabir. l. l. Fiebant coram argentariis, qui in tabulas pretia & adjectiones referebant. Cicer. pro Cæc. c. 6. *Æbutio negotium datur. adeſt ad tabulam, licetur Æbutius. deterrentur emptores multi, partim gratia Cæcinæ, partim pretio. fundus addicitur Æbutio. pecuniam argentario promittit Æbutius.* Quintil. xi. 2. *Et forſitan in hoc ſunt adjuti, qui auctione dimiſſa, quod nunquam vendidiſſent, teſtibus argentariorum tabulis reddiderunt.* Sigon. de Ant. Jur. Civ. Roman. ii. 11. Briſſon. de Form. v. p. 511. Jus *auctionis* earum rerum fuit, quæ publice per præconem ſub haſta præſente, & addicente magiſtratu venderentur. In *auctionibus* enim ei, qui plurimum *auget*, res addicitur. & quoniam ex *auctione* illa dominium ſibi juſtum in eam rem comparant, hinc etiam auctoritas jus *auctione* quæſitum dicitur, & auctor quis appellatur, V. infr. in *Auctor*. Sigon. ibid. i. 11. Singulis *auctionum* diebus apparitor debiti quantitatem, ob quam pignora capta ſunt, palam ſignificat & denuntiat: omnes commonet, ut ea licitentur: pretium ab unoquoque oblatum deſcribit: poſtremo ubi jam nullum pluris liceri cernit, promulgat eam primam *auctionem* eſſe: ſecundam in octavum abhinc diem, vel moribus laxiorem rejicit; niſi id divini cultus feriæ prohibeant: atque tunc proximo profeſto die ſequens *auctio* celebratur: quam diſciplinam in cæteris *auctionibus* præco conſectatur. Quod ſi *auctio* una aut altera minus ſollennis fuerit, neque ex more facta, non univerſæ infringuntur, ſed peccans *auctio* iteranda decernitur. Juſti autem illi *auctionum* dies, quibus debitor nummos conficere, & pignus liberare poteſt, contrahi non poſſunt. An autem poſſint prorogari, controverſum vidimus in nobili haſtarum controverſia, qua unam *auctionum* in quartum aut quintum menſem creditor protulerat, quas debitor ob id oppugnabat: quod tutelæ, ubi *auctiones* celebratæ erant, in decimum quintum diem pro more fierent: creditor vero id ſine debitoris fraude factum, ejusque maxima utilitate defendebat: quo cum non ſummo jure uti volebat, ſed debitori gratificari, cum pignoris fructus interea æs alienum imminuerent, ac debitor nummos conficere poſſet, ſeque ac pignus liberare. *Proferre auctionem* dicit Cicer. Attic. xiii. 12. prorogare diem conſtitutæ *auctionis*. Quod intellige, modo *auctionis* inſtitor ejus prorogationem debitori ſuo tempore denuntiaverit: cujus areſti nolui obliviſci, ne quis ad vivum reſecaret Franciſci Regis conſtitutionem, qua præconia, proſcriptiones atque *auctiones* ad formulam & conſuetudinem judiciorum exacta & approbata eſſe oportet, in quibus locis ipſa pignora ſita ſunt: idque rite ac moribus factum eſſe, renuntiari debet, antequam addictio licitantibus fiat: alioquin nec rite, nec ordine proſcripta pignora eſſe cenſentur. Quæ comprobatio de pragmaticorum ſententia fit faſto altercatorioque die, mediis cauſarum actionibus, poſtquam *auctiones* illic perlectæ fuerint. *Rabir. ibid.* (34) *E.* *Vendere auctionem* apud Cicer. pro Quint. c. 5. eſt *auctionari*, res in *auctione* vendere. Dictum arbitror ea forma, qua a Cæſare de bell. Gall. ii. 33. dictum eſt *vendere ſectionem.* Turneb. Adv. xviii. 21. *Auctionum* centeſimam V. infr. in *Centeſima.*

AUCTOR eſt venditor, ſive appellatur is, a quo quis auctoritatem, id eſt, jus dominii in quampiam rem accepit. Cicer. Verr. v. *Tum illi intellexerunt, ſe id, quod a malo auctore emiſſent, diutius obtinere non poſſe*, id eſt, qui vendendi nullam auctoritatem habebat. *Sigon. de Ant. Jur. Civ. Roman.* i. 11. Ad diſtinctionem vocabatur *auctor* primus. *Salmaſ. de Mod. uſur. c.* 16. *Urſat. de Not. Roman. Theſ. Antiq. Roman. Græv. Tom.* xi. *p.* 561. *F. Bud. in Pandect. p.* 192.

Auctor eſt etiam fidejuſſor, & ad diſtinctionem *auctor* ſecundus vocatur. Percipitur hoc clare ex Leg. 4. de Eviction. & dupl. ſtipul. *Illud quæritur, an is qui mancipium vendidit, debeat fidejuſſorem ob evictionem dare, quem vulgo auctorem ſecundum vocant.* Urſat. de Not. Roman. Theſ. Antiq. Roman. Græv. Tom. xi. p. 561. F. Græcis vocatur βεβαιωτὴς in contrahenda emptione, quem Latini ſecundum *auctorem* vocant. Nam cum venditor ſit primus *auctor*, fidejuſſor ejus merito eſt ſecundus. Ita certe & fidejuſſor in mutuo ſecundus eſt *auctor* credendi, quia primus ipſe debitor. Βεβαιωτὴς porro vendendi, pro fidejuſſore venditoris eſt habendus, ſi res evicta fuerit. Veteres gloſſæ: *Secundus auctor*, βεβαιωτὴς. Julianus anteceſſor in Conſtitutione iii. *Confirmatorem venditionis* vocat, qui in Novella Juſtiniani Græca βεβαιωτὴς appellatur. *Salmaſ. de Mod. uſur. c.* 16.

Auctores legum centuriatarum, ante ſuffragium initum, Publilia lege Patres fiebant. Hanc legem Philo Dictator tulit ut diminueret, non ut augeret ſupremi ordinis poteſtatem. Liv. viii. 12. *Philonis Dictatura popularis, & orationibus in Patres criminoſis fuit, & quod tres leges ſecundiſſimas plebi, adverſas nobilitati tulit; unam, ut plebiſcita omnes Quirites tenerent: alteram, ut legum, quæ comitiis centuriatis ferrentur, ante initum ſuffragium Patres auctores fierent.* . . . . . Quo loco indicare videtur Livius, tum primum antiquum jus ſenatus confirmandarum, vel repudiandarum legum ſolutum. Quamquam ſi verba Dionyſii lib. ix. p. 598. attendas, hunc morem ante Philonis Dictaturam commutatum ſtatues. *Nihil*, inquit, *centuriatis comitiis ferebatur, niſi prius ſenatus auctor eſſet; tributis vero inſtitutis, inter alia extorſerunt tribuni plebis, ut deinceps cum populo ſine Senatus auctoritate*, quod ille προβούλευμα vocat, *agere poſſent.* Jam vero, cum Dionyſium teſtem locupletem habeamus, conſtat in legibus tributis Senatus cognitionem, & *auctoritatem* haud fuiſſe neceſſariam. Habuit quidem civitas Romana quoſdam tribunos viros moderatos, qui ex SC. tulerint, neque poteſtate tuendæ libertatis cauſa data ad licentiam peſtilentem abuſi ſint. Liv. iv. 49. *Tentatum eſt ab L. Sextio tribuno plebis, ut rogationem ferret, qua Volas quoque, ſicut Lavicos coloni mitterentur; per interceſſionem collegarum, qui nullum plebiſcitum, niſi ex ſenatus auctoritate paſſuros ſe perferri oſtenderunt, diſcuſſum eſt.* In curiatis autem legibus ſenatus auctoritas requirebatur. Liv. vi. 41. *Nec centuriatis, nec curiatis comitiis Patres auctores fiant.* Zamoſc. de Senat. ii. 21.

AUCTORAMENTUM eſt in artibus mercenariis & opificiis obligatio quædam interpoſita mercede contracta. Cicer. de Offic. i. 42. *Merces ipſa in mercenariis auctoramentum eſt ſervitutis.* Hinc merces, ſive præmium pro-

poſitum trucidanti proſcriptum *auctoramentum* vocatur Vell. Paterc. II. 28. 3. *In ea jugulati civis Romani publice conſtitueretur auctoramentum.* Et pretium, quod accipiebant, qui volentes laniſtæ corpora ſua addicebant. Suet. Tib. c. 7. n. 2. *Rudiariis quoque quibuſdam revocatis auctoramento centum millium.* Voſſ. Lex. Etymol. in Auctor. Turneb. Adv. II. 20. Thulemar. in Freher. Cecropiſtrom. Theſ. Antiq. Roman. Græv. Tom. IX. p. 1155. Bud. in Pandect. p. 93. C. Demſter. Paralip. ad Roſin. Antiq. Roman. V. 24. Salmaſ. de Mod. uſur. c. 19. Pitiſc. in Suet. Aug. 24. 4. §. 15.

AUCTORARE eſt vendere & addicere. Inde eſt, quod nemo olim potuit libertatem amittere, niſi ipſe *auctor* eſſet factus. Hinc qui *auctores* ipſi fiunt, ut emantur, quo libertatem amittere poſſint, *auctorare* ſe dicuntur. De quo videndus Cicero in ea pro domo ſua ad pontifices. *Salmaſ. de Mod. Uſur. c.* 19.

Auctorare eſt aliquem ſibi obligare, adeo ut quis non amplius ſit ſui arbitrii, ſed res alio agat *auctore*. Liv. XXXVII. 10. *Eo vero pignore velut auctoratum ſibi proditorem ratus eſt.* Voſſ. Lex. Etymol. in Auctor.

Auctorare eſt etiam *auctoritatem* alicui accommodare, &, quod dicunt Belgæ, **iemant volmachtig maaken.** Pompon. l. 4. ff. de auctor. & conſenſ. tut. *Etſi pluribus datis tutoribus, unius auctoritas ſufficiat: tamen ſi tutor auctoretur, cui adminiſtratio tutelæ conceſſa non eſt, id ratum a prætore haberi non debet.* Voſſ. Lex. Etymol. in Auctor.

AUCTORATI dicebantur qui ſe ludo ad gladium venum dabant, hoc eſt, ut eſſent gladiatores. Gloſſæ Philoxeni: *Auctoratus*, αὐθαίρετος εἰς δῦλον ἑαυτὸν βάλλων, καὶ μονομάχος. Videtur hoc nomine omnes qui ſeſe in ſervitutem alicui addicerent appellatos intellexiſſe, non ſolos gladiatores. De his qui ad ludum ſe venderent, Prop. IV. 8. 25.

Hic dabit immundæ venalia fata ſaginæ.

Manil. IV. 225.

Nunc caput in mortem vendunt, & funus arenæ.

Quidam ſe recta ludo vendebant, aut alicui laniſtæ, in cujus familiam cooptabantur, ac ſervi ejus hoc pacto fiebant. Nonnulli muneris gladiatorii alicui editori operas tantum ſuas locabant, ut in eo munere producerentur, & pugnarent. Sic ad beſtias multi ſe locarunt olim, ut cum his depugnarent. Ulpianus libris de Officio proconſulis, in Collatione legum Moſaicarum: *Quive depugnandi cauſa auctoratus erit, quive beſtias depugnare locaverit.* Per *depugnandi cauſa auctoratum* intelligit, qui ad gladium ſe vendidit, id eſt, *auctoravit.* Alii creditori ſe vendebant, qui, cum armorum ſcientiam noſſent, operas in ludo præſtarent gladiatorias, ab ipſo creditore ac domino locabantur. Ut enim dominus ſervi ære empti diurnas operas qualeſcunque, & quibus aptus eſſet, poterat locare, ita & creditor addicti. De tali gladiatore mentio eſt in Quintil. Declam. 302. cui titulus: *Auctoratus ad ſepeliendum patrem.* Is creditori ad pecuniam patri ſepeliendo habendam ſe vendiderat, & qui ejus operas munerario alicui locaverat. Die muneris productus ſpectante populo pugnaverat, & rudem acceperat. Poſtea nactus patrimonium ſtatutum per leges Equitibus, in Equeſtribus ſedere prohibetur. Non negat ſe fuiſſe gladiatorem, ſed ſub honeſta cauſa, qua ſe *auctoraverat* creditori ob ſepeliendum patrem. *Quæro*, inquit, *an ſi creditor poſt datam pecuniam operas remiſiſſet, diceres eum gladiatorem fuiſſe?* Operas nempe gladiatorias. Inde *auctoramentum* merces, aut pretium *auctorati*, quod ille in rem ſuam & peculium poterat convertere, vel domino invito, poterat libertatem conſequi, ſoluta pecunia pretii, quo ſe vendiderat. *Salmaſ. de Mod. Uſur. c.* 19. *Lipſ. Saturn.* II. 5. *Fab. Semeſtr.* II. 11. *Turneb. Adv.* II. 20. *Briſſon. de Form.* VIII. *p.* 734. *Voſſ. Lex. Etymol. in Auctor. Demſter. Paralip. ad Roſin. Antiq. Roman.* V. 24.

AUCTORITAS eſt jus auctione quæſitum. V. ſupr. in *Auctor.* Sigon. de Ant. Jur. Civ. Roman. I. 11. Bud. in Pandect. p. 192.

Auctoritas æterna adverſus hoſtem in duodecim tabulis ſcriptum fuiſſe de Offic. I. 12. ſcribit Cicero. His verbis ſignificabatur, rem ejus, qui peregrinus eſſet, hoc eſt, hoſpes & alienæ civitatis, uſucapi non poſſe; aut, ut quibuſdam placet, adverſus peregrinum ſemper vindicationi locum eſſe. Sed mihi illud magis probatur. Verba Ciceronis ſunt hæc. *Hoſtis apud majores noſtros is dicebatur, quem nunc peregrinum dicimus. Indicant duodecim tabulæ:* aut ſtatus dies cum hoſte. *Itemque*, adverſus hoſtem æterna auctoritas. *Auguſtin. ad* XII *tabb.* §. 16. *Urſin. ad Leg. & SC. Theſ. Antiq. Roman. Græv. Tom.* II. *p.* 1355. *A. B.*

Auctoritas Senatus appellabatur, ut ſcribit Dio LV. p. 550. quod Senatus decreverat minus frequens, quam ut legitimus Senatorum numerus adfuiſſe diceretur; item ſi non loco, aut die legitimo Senatus haberetur; ſed & ſi interceſſum eſſet, aut ſi quid aliud accidiſſet, quo minus juſtum S. C. fieret; & qualecunque eſſet quod decerneretur, ſi id literis mandari placeret, Senatus *auctoritas* dicebatur. *Auguſtin. de Senatuſconſ. ad SC. ſine nomine. Theſ. Antiq. Roman. Græv. Tom.* II. *p.* 1343. *C. Guther. de Offic. Dom. Aug.* III. 3.

Auctoritas matris, poteſtas ſive majeſtas patris dicitur. Pater jubere poteſt, mater non poteſt, quia non habet in poteſtate; ſive patris juſſus eſt jure civili, matris non eſt juſſus; ſed *auctoritas* tamen aliqua. Unde illud Cod. III. 20. *Filia matre volente nupſit, colens concordiam, juſtas offenſionis poſt ejuſdem matris pœnitentiam cauſas non præſtat, nec ex momentariis voluntatibus matris nupta atque vidua jure eſſe compellitur.* Itaque matris poteſtas aliqua naturalis tantum: patris & naturalis & civilis. Hinc patris & matris poteſtas inæqualis dicitur. Ulpian. Dig. XXVII. 10. 4. *Furioſæ matris curatio ad filium pertinet: pietas enim parentibus, etſi inæqualis eſt eorum poteſtas, æqua debebitur.* Marcil. ad Suet. Veſp. c. 2. n. 5.

AUCUPES ſervi, qui aves capiunt. Ulpian. Leg. 12. §. 13. ff. de Inſtrum. Leg. *Et ſi ab aucupio reditus ſint: aucupes, & plagæ, & hujus rei inſtrumentum agri inſtrumento continebitur.* Plaut. Aſin. I. 3. 64.

Auceps quando concinnavit aream, effundit cibum.

Popm. de Oper. Serv. p. 101. *Aucupis* teſſera eſt arundo apud Prop. IV. 2. 33.

Caſſibus impoſitis venor, ſed arundine ſumpta
Faunus plumoſo ſum Deus aucupio.

Pignor. de Serv. pag. 561. Avium plumis, ut illas alliciant, teguntur. *Buleng. de Venat. Circ. c.* 16. Illorum totas cohortes ab exteris, quia aviaria, quæ habuerunt, majora non ſufficiebant, petebant Romani. Latin. Pacat. Paneg. *Ut taceam, infami ſæpe delectu ſcriptos in provinciis aucupes, ductasque ſub ſignis venatorum cohortes militaſſe conviviis.* Meurſ. de Lux. Roman. c. 5. Kobierzyck. de Lux. Roman. II. 12.

AUCUPIUM Plato in Protagora ὀρνεοτευτικὴν, Athen. I. ὀρνεοθηρευτικὴν vocat. Ad *aucupia* veteres uſi ſunt laqueis, viſco, calamis, avibus illicibus, & prædatricibus. Includebant retibus paſcentes aves. Manil. V. 368.

Paſcentemve ſuper ſurgentia tendere lina.

Avibus prædatricibus, & in illis aquilis & falconibus ad *aucupium* uſos eſſe, licet Budæus & Brodeus negent. V. ſupr. in *Aquila*, & infr. in *Falco.* Buleng. de Venat. Circ. c. 4.

AUD.

AUDITIO ſacra inferiorum judicum eſt, cum illi appellationem non ſuſcipiunt, vel apoſtolorum copiam denegant, id eſt, literas dimiſſorias, per quas cauſa ad eum, qui appellatus eſt, dimittitur. Atque hæc *auditio* fit vel in auditorio Principis, vel Præfecti prætorio, aut Præfecti urbani, ubi provocatio tractatur. Quod ita accipiendum eſt, non ut judex inferior præſens audiri debeat, ſed qui opinionem manifeſtet per relationem, quare appellationem non receperit, & cauſam addat, cur ab eo non fuerit recepta. *Guther. de Offic. Dom. Aug.* I. 26.

AUDITOR ſacræ cognitionis idem ac cognitor eſſe videtur. Eſt tamen alius a cognitore. Nam cognitionis

auditor, seu *auditorii* cognitor proprie domus divinæ negotia tractabat, cum in causis fiscalibus provocatio interponeretur. Sunt enim in causis hujusmodi, quæ curam fiscalis commodi respiciunt, qui vice Principis cognitionibus præsiderent. *Guther. de Offic. Dom. Aug.* I. 26.

AUDITORIUM dicitur, ubi audiuntur Oratorum & Poetarum recitationes. Hoc fuit in Palatio. Plin. Epist. I. 13. *Memoria parentum Claudium Cæsarem ferunt, quum in Palatio spatiaretur, audissetque clamorem, causam requisivisse; quumque dictum esset, recitare Nonianum, subitum recitanti inopinatumque venisse.* Pollet. de For. Roman. II. 12. Interdum ut auditores & frequentiores adesse, & acclamare commodius possent, ipsi Scholastici *auditorium* exstruebant. Auctor Dial. de Orat. c. 9. §. 6. *Domum mutuatur, & auditorium exstruit, & subsellia conducit, & libellos dispergit.* Ferrar. de Acclam. III. 9.

Auditorium etiam locus erat juri dicundo comparatus. Paull. ff. de Re judicat. leg. contra pupillum. *Qui ad majus auditorium vocatus est, si litem inchoatam deserit, contumax non videtur.* Marcian. Leg. I. ff. ne de statu defunctorum post quinquennium quæratur: *Ego quoque in auditorio publico idem secutus sum.* Pollet. de For. Roman. I. 4.

Auditorium Principis erat, in quo causas judicabat. Erat diversum a tribunali. Solebat Princeps proprie in *auditorio* judicare, ut pro tribunali cognoscere, & in utroque decernere. Hanc differentiam Ulpianus docet, qui M. Antoninum ex Scævolæ sententia de fideicommissi specie in *auditorio* judicasse refert leg. 22. Mulier ff. ad Trebellianum. Et Tryphoninus Alexandri consiliarius in re dotali in *auditorio* sententiam se dixisse testatur leg. 81. §. si fundus ff. de jure dotali. In *auditorio* etiam relationes judicum, suggestiones & consultationes introducto negotio expendebantur, ut pleræque causæ, quæ ordinarii juris essent, in illo finiebantur; in iis enim neque partium neque Advocatorum præsentia necessaria fuit, ut neque in iis quæ in *auditorio* Princeps de plano interloquebatur. *Guther. de Offic. Dom. Aug.* I. 20. *Chimentell. de Hon. Bisell. c.* 15.

AUDUM promontorium, & *Audus* fluvius, nunc *Balassa* dictus, sunt in Mauritania Cæsariensi. Inde *Audiense* castellum, & *Audiensis* limes nomen habuere. Marcellin. XXIX. 5. *Duces suos incolumes reducit ad Audiense castellum.* Idem ibidem *Audiense municipium* appellat. *Panciroll. Notit. Dign. Imp. Occid. c.* 67.

AVE.

AVE matutinum patronis & magnis amicis portabant clientes. Hoc manifeste colligitur ex his Dion. LXIX. p. 796. A. verbis de Hadriano Imperatore. *Hadrianus*, inquit, *judices salutavit, non dicens Ave, qua matutina erat salutatio; sed vespertino usus verbo, salvete, inquit.* Stuck. Ant. Conviv. II. 31. Ferrar. de Re Vest. I. I. 33. Brisson. de Form. VIII. p. 747. Laurent. de Prand. & cœn. vet. c. 22. Claud. de Salutat. c. 7.

AVENTICUM totius Helvetiorum gentis caput memorat Tacit. Histor. I. 68. 6. *Cum direptis omnibus Aventicum gentis caput justo agmine peteretur.* Viri docti haud indocte interpretantur hoc oppidum nunc, vulgari incolarum vocabulo *Wuflisburg* dictum. Nam & veteris lapidis inscriptio, & duo Romanorum itineraria id testantur, & hodieque Galli id appellant *Avanches.* Inscriptio talis ibi legitur in lapide muri templo inserto: COLONIA. PIA. FLAVIA. CONSTANS. EMERITA. AVENTICUM. HELVETIORUM. FOEDERATA. *Cluver. Germ. Antiq.* II. 4. Marcus Velserus de Rebus Augustanis istius coloniæ nunc tantummodo nomen & rudera superesse scribit, siquidem Cluverii observatione parvus nunc est vicus, *Avanche* dictus. *Ursat. de Not. Roman. Thes. Antiq. Roman. Græv. Tom.* XI. *p.* 631. *A.*

AVENTINENSES dicti sunt Genuccii, quod *Aventinum* montem incolerenr. A locis enim, in quibus habitabant, Romani dicebantur. *Sigon. de Nom. Roman. c.* 5.

AVENTINUS dicta est Urbis regio decima tertia. Complexu suo ambit non modo *Aventinum* montem, sed a sinistra terminatur pæne ad radices Palatini, ad Circum maximum, piscinam publicam, murosque Romanos: a dextra incipit ad scholam Græcam, quam vocant, pergit ad templum Malthensium, vicinumque Tiberim, includit montem Testaceum, sepulcrum C. Cestii, portam S. Paulli, & tandem ad portam S. Sebastiani, hoc est, Capenam desinit. *Borrich. Ant. Urb. Fac. c.* 15. §. I.

Aventinus mons peramplus, inter Palatinum, Cœlium & Tiberim patet longior tamen, quam latior. Ejus hi sunt fines. A Tiberi, quo interjecta angusta via ferme alluitur, secundum Velabrum, Circi olim maximi sedem, & Appiam viam, ad portam usque Capenam excurrit. Ab ea conversus, semperque pomœrio terminatus, secundum Urbis mœnia pertinet ad portam Hostiensem, nunc S. Paulli. Inde inter septemtrionem & occasum e lata planitie exsurgit, ubi Testaceus mons. Tum redit ad Tiberim. Eundem angusta valle diversum via intersecat, quæ a porta Hostiensi recta tendit ad Amphitheatrum. Inde biceps *Aventinus*, duosque vertices vetustis sanctorum templis nobiles late extollit. Vinetis & hortis hoc ævo consitus: olim nemorosus, plurimisque lucis inumbratus. Ovid. Fast. I. 551.

Cacus Aventinæ timor atque infamia sylvæ.

Dionys. III. p. 182. *Sylvis obsitus varii generis, præcipue lauro, unde Lauretum pars ejus dicitur.* V. infr. in *Lauretum.* Nomen sortitum ferunt ab avibus, quod eo se ab Tiberi ferrent aves: alii ab Rege Aventino Albano, quod ibi sit sepultus; alii ab adventu hominum, quod commune Latinorum ibi Dianæ templum sit constitutum; ego maxime puto ab advectu, quod olim paludibus mons erat ab reliquis disclusus: & homines per paludes, quibus circumdabatur, naviculis adveherentur. Varro de Ling. Lat. IV. 7. Qui tamen in gente populi Romani apud Serv. Æneid. VII. 657. dicit Sabinos a Romulo susceptos illum accepisse, & ab Avente fluvio provinciæ suæ appellasse *Aventinum.* Alex. Gen. Dier. VI. 11. Donat. de Urbe Rom. III. 13. Nardin. Rom. vet. II. 2. Marlian. Topogr. Urb. Rom. IV. 3. Panvin. Descr. Urb. Rom. Thes. Ant. Roman. Græv. Tom. III. p. 277. D. Panciroll. Descr. Urb. Rom. Thes. Antiq. Roman. Græv. Tom. IV. p. 371. B. Fabric. Descr. Urb. Rom. c. 3. Borrich. Ant. Urb. Fac. c. 15. n. I. Antea vocabatur *Murcus* a Murciæ Deæ sacello, quod sub illo erat. Festus. *Donatus, & Marlianus l. l. Lipen. de Stren. c.* I. §. 5. *Saubert. de Sacrif. c.* 14. *Panvin. de Lud. Circ.* I. 5. *Buleng. de Circ. c.* 2. Alii *Murcium* vocari tradunt, quod e lapidibus velut muro constructus sit. Alii a murteto dictum malunt. Varro de Ling. Lat. IV. 32. *Intimus Circus ad Murciam vocatus, ab urceis, quod is locus esset inter figulos. Alii dicunt a murteto declinatum, quod ibidem fuerit, cujus vestigium manet.* Panvin. & Buleng. l. l. Dicitur etiam collis Dianæ, quia in illo templum Dianæ, Mart. XII. 18. 3.

Aut collem dominæ teris Dianæ.

VII. 72. I.

Domus est tibi colle Dianæ.

Fabricius, Donatus, Saubertus, Panvinius l. l. *Remuria* locus etiam dictus est in summo monte, ubi Remus de Urbe condenda fuerat auspicatus. Festus. *Marlianus & Donatus l. l.* Infelix ideo diu & inauspicatus fuit habitus, quod in eo Remus auspicaverit, aves irritas habuerit, superatusque auspicio a Romulo sit. Idcirco, inquit Messala apud Gell. XIII. 14. *omnes, qui pomœrium protulerunt, montem istum excluserunt, quasi avibus obscœnis ominosum.* Borrich. Ant. Urb. Fac. c. 15. §. I. Imo, ut Fabius Pictor inquit, *Aventinum* Romulus neminem passus est habitare, nam fratri Remo illum sacrum esse voluit usque Helernam. *Donat. de Urb. Rom.* I. 5. *Marlian. & Panvin. l. l.* Ancus Martius, cum propter locorum situs Urbem ab ea parte non satis munitam animadvertisset, præaltum collem muris & ædificiis quidem occupavit: sed illum extra Urbem, non producto pomœrio, reliquit. Sen. de Brev. vit. c. 14. *Hoc scire magis prodest, quam Aventinum mon-*

tem extra pomœrium esse. Donat. l. l. Et Gellius l. l. se in Elidis Grammatici veteris commentario scribit offendisse: *Aventinum extra pomœrium exclusum, post auctore D. Claudio receptum, & intra pomœrii fines observatum.* Sigon. de Ant. Jur. Civ. Roman. I. 2. Omnibus his licet consentientibus tamen Ancum *Aventinum* Urbi Romæ inclusisse patet ex Dionys. III. p. 182. *Ancus primum Urbem non exiguo additamento auxit, Aventinum inclusit eisdem mœnibus.* XI p. 724. *Et in Aventinum perrexerunt. Is enim unus est e collibus civitate comprehensis.* Et ne tantus scriptor mendacii insimuletur, habet Livium testem gravissimum I. 33. Ubi de Anco agit: *Secutus morem Regum priorum, qui rem Romanam auxerant, hostibus in civitatem accipiendis, multitudinem omnem Romam traduxit, & cum circa Palatium sedem veteres Romani, Sabini Capitolium atque arcem, Cœlium montem Albani implessent, Aventinum novæ multitudini datum. Additi eodem haud multo post, Tellenis Ficanaque captis, novi cives.* Hic mons *Aventinus*, non secus atque Capitolinus & Cœlius Urbi additus memoratur. Sed clarius etiam paullo post: *Tum quoque multis millibus Latinorum in civitatem acceptis; quibus ut jungeretur Palatio Aventinum, ad Murciæ datæ sedes.* Ut & antea I. 3. ubi non minus liquide de Rege Aventino ait: *Is sepultus in eo colle, qui nunc est pars Romanæ urbis, cognomen colli fecit.* Nec diversus ab eo Eutrop. I. 5. *Aventinum*, inquit, *montem civitati adjecit, & Janiculum.* At clarissime Virg. Æneid. VI. 783.

Septemque una sibi muro circumdabit arces.

Strab. V. p. 162. *Ancus Martius Cœlium montem & Aventinum, campumque his interjectum, divulsa hæc & a se invicem, & ab antea exstructis, necessitate compulsus adjecit: nam colles ita natura munitos extra pomœrium relinquere non videbatur commodum, quos hostis facile occupare, ac pro arce iis uti posset.* Nardin. Rom. Vet. I. 5. Fuit & alter ad Verestium fluvium, in quo conditum oppidum Præneste. *Panvin. Descr. Urb. Rom. Thes. Antiq. Roman. Græv. Tom. III. p. 278. B. Fabric. Descr. Urb. Rom. c. 3.*

Aventinus Sylvius, Albanorum Rex ad radices *Aventini* montis sepultus est. Sub monte illo potius quam in illo conditus est Rex Albanus more veteri, quo, Servio attestante in Æneid. XI. 849. honoratiores sub montibus condebantur, ut super cadavera aut pyramides fierent, aut ingentes locarentur columnæ. Quo pertinet illud Maronis l. l.

— *fuit ingens monte sub alto*
Regis Dercenni terreno ex aggere bustum.

Borrich. Ant. Urb. Fac. c. 15. §. 3.

AVERNUS lacus. V. illum infr. in *Lacus.*

AVERRUNCUS habebatur in istis diis, quos placabant veteres, uti mala a se, vel a frugibus natis amoverentur. Gell. N. A. V. 12. Varr. de Ling. Lat. VI. 5. *A vertendo averruncare; ut deus, qui meis rebus praeest, Averruncus. Itaque ab eo precari solent, ut pericula avertat.* Borrich. Ant. Urb. Fac. c. 10. §. 8. Lipen. de Stren. c. 1. §. 6. Gyrald. Synt. Deor. I. p. 55. G. Brisson. de Form. I. p. 57. Bellor. Symbol. deæ Syr. simul. Thes. Antiq. Græcar. Gronov. Tom. VII. p. 428. E. Stuck. Ant. Conv. I. 33. de Sacrif. p. 35. Schott. Nod. Cicer. IV. 12. Beroal. in Serv. §. 60. Calcagn. Equitat. p. 571. Thys. in Gellium.

AVERSIONE, vel per *aversionem* emere, conducere, locare Ictis locutio est a solis, usurpari solita, cæteris omnibus Latinæ linguæ auctoribus inusitata. *Connan. Comment. jur. civ.* VII. 10. 6. Puto id fieri, quod negligenter, neque satis considerate quis facit, quasi oculos *avertens* ab eo, quod agit. *Govean. Lect. Var. jur.* II. 14. Cui non assentimur. Quis enim credat *aversione* opus locare, vinum *aversione* vendere, insulam *aversione* locare, idem esse quod negligenter locare, vendere? Id vero *aversione* dicitur venire, quod pretio in semel insimulque nuncupato, non in res singulas constituto, venit. Florentin. I. 36. ff. Locat. cond. *Opus, quod aversione locatum est, donec approbetur, conductoris periculum est.* Ulpian. l. 1. §. Exercitorem: *Sive a domino navem per aversionem conduxit, vel ad tempus, vel in perpetuum.* l. 4. *Si aversione vinum venit.* Græci interpretantur ἐν ὁμάδι, in universo. Ratio nominis, quod quasi *aversi* ita vendant, locentve. *Revard. Var.* II. 7. *Cujac. Observ.* VIII. 15.

AVERTA est lorum latius, quod per tergum equi jugalis excurrit sub alis ejus succinctum. *Bud. in Pandect. p. 231. K.* Equi ornamentum laterale, pectori substrictum. *Meurs. Glossar. Græco-Barbar. in* Ἀβερτής. Viri docti male putarunt, non satis assecuti sensum vocis ὑπομασχαλίς, qua Jurisconsulti Græci illam interpretantur, *avertam* equi ornamentum laterale, vel antilenam, aut pectorale, vel capitis ornamentum esse. Suidas in Ἀβέρτης (σφάλμα est Cl. Henninii μνημονικόν. Legitur in voce Ἀορτήν) recte interpretatur σκεῦος, id est, *sarcinam:* & Synes. Epist. 133. τὸ κατόπιν φορτίον. Suidas Μακεδονικὸν σκεῦος fuisse dicit. Male. Est vocabulum Latinum. Dicitur quod in *averso* supra clunes equi feratur. Recte vetus Scholiastes Horatii ad Sat. I. 6. 106. *Averta, pera, seu mantica, ad vestes viatorias, aliave necessaria condenda.* Distinguitur ab instructo equi, ut sella & frenis. Cod. Theod. leg. 47. §. 2. ff. de Curs. publ. *Quoniam veredorum quoque cura pari ratione tractanda est, sexaginta libras cum frenis, triginta quinque vero averta non transeat: ea conditione, ut si quis præscripta moderaminis Imperatorii libramenta transcenderit, ejus sella in frusta cædatur, aversa vero fisci viribus deputetur.* Bergier. de Viis. Milit. IV. Sect. 15. §. 7. ad illum Henninius, Panciroll. Notit. Dign. Imp. Orient. c. 6.

AVERTARIUS equus. V. illum infr. in *Equus.*

AUF.

AUFIDENA oppidum est Samnitium, ad Sagrum amnem situm. Vulgari nunc vocabulo *Alfidena* dicitur. Vetustissima est memoria apud Liv. X. 12. in consulatu L. Cornelii Scipionis & Cn. Fulvii Centumali anno post Romam conditam 455. ante natum D. Jesum 298. quo tempore *Aufidena* ab Romanis vi capta. *Cluver. Ital. Ant.* IV. 7. 3. *Leand. Descr. Ital. p. 391.* Frontin. lib. de Coloniis. *Aufidena muro ducta colonia. Iter populo debetur P. X. Milites eam lege Julia sine coloniis deduxerunt.* Panvin. Imp. Roman. c. 11.

AUFIDIA gens. V. illam infr. in *Gens.*

Aufidia lex. V. illam infr. in *Lex.*

AUFIDIUS Lurco primus pavones saginare instituit circa novissimum piraticum bellum, & ex eo quæstu reditus sestertium sexaginta M. habuit. Plin. X. 20. Primus sagina corpora vitiavit, & coactis alimentis in adulterinum provexit saporem. Tertull. de Pall. c. 5. *Buleng. de Conviv.* I. 9. *Glandorp. Onomast. Roman. p. 138.*

AUG.

AUGERI hostias dicebant veteres, cum prima hostia, non litante altera, dein tertia, pluresve adhibebantur, & ita numerus hostiarum *augebatur*, donec litatum foret. Suet. Aug. c. 96. n. 4. *Circa Perusiam, sacrificio non litante, cum augeri hostias imperasset.* Hinc legimus Paullum Æmylium olim sacrificantem non litasse usque ad vigesimam hostiam: in vigesima primum apparuisse signa victoriam promittentia. *Beroald. in Suetonium. Guther. de vet. Jur. Pontif.* IV. 21. *Saubert. de Sacrif. c. 19. Gronov. Marmor. bas. Coloss. Tiber. erect. c. 7.*

AUGILÆ populi sunt Africæ post Garamantas. Mela I. 4. Feminis eorum sollenne est, nocte qua nubunt, omnium stupro patere, qui cum munere advenerint: & tunc cum plurimis concubuisse, maximum decus: in reliquum pudicitia insignis est. Mela I. 8. Herodot. IV. p. 118. *Tomas. de Donar. c. 16.*

AUGUR Q. Scævola Pontifex Maximus, alter Q. Scævola ab ipso sacerdotio, quo fungebantur, vocati sunt. *Sigon. de Nom. Roman. c. 5.*

AUGURACULUM erat arx, ubi *augures* publice auspicabantur. Festus. *Auguraculum appellabant antiqui, quam*

quam nos arcem dicimus (V. ſupr. in *Arx*) *quod ibi augures publice auſpicarentur.* Et illud in Urbe, & patriis ſedibus, in quibus ſolum augurium agere licebat. Serv. Æneid. III. Et pomœrii ambitu auguria, quæ inde Varr. de Ling. Lat. IV. *Urbana auſpicia* vocat, finiebantur. *Guther. de Vet. Jur. Pontif.* II. 3. *Buleng. de Augur. c.* 12. *Briſſon. de Form.* I. *p.* 124. *Turneb. Adv.* XXV. 35. *Laurent. var. ſacr. gentil. c.* 11.

AUGURALE in caſtris Romanis erat ad dextram prætorii, ubi duces auſpicarentur, & ex pullis auguria captarent. Græcis hoc eſt οἰωνιστήριον. Hyginus manuſcriptus hoc modo a *Rutgerſ. Var. Lect.* III. 20. emendatus: *Auguratorium parte dextera prætorii ad viam principalem agnovimus, ut dux in eo augurium recte capere poſſit. Parte læva tribunal ſtatuitur, ut augurio accepto id ſuperaſcendat, & exercitum felici auſpicio alloquatur.* Tacit. Annal. II. 13. 1. *Nocte cœpta, egreſſus augurali, per occulta & vigilibus ignara, comite uno, contectus humeros ferina pelle, adit caſtrorum vias.* Lipſ. in Tacitum n. 36. de Milit. Roman. II. 12: v. 2. Nardin. Rom. Vet. VI. 13. Laurent. Polym. IV. Synopſ. 3. Van Dale de Divinat. idolol. c. 1. Bulenger. de Augur. c. 12. Tacitus oſtendit, ita tabernaculo Imperatoris adjunctum & continuatum fuiſſe, ut ignaris vigilibus e prætorio ingredi potuerit: niſi verius eſt a parte hac ſanctiore & auſpiciis, quæ unius Imperatoris erant, totum prætorium *augurale* appellatum, ac ita hic a Tacito appellari. Verba quidem id facile perſuadeant. Cum enim dicit egreſſum *augurali* Germanicum per occulta & vigilibus ignara, non per *augurale*, innuit jam ante fuiſſe & tenſionem habuiſſe in loco, qui *augurale* dicebatur. Et ſolitum veteribus auguſtis ejuſmodi locis, quo major ineſſet religio, a parte ſanctiore nomina indere. Sic Capitolium quondam *auguraculum* dictum fuiſſe, modo in *Auguraculum* Feſtus docuit. *Schel. in Hygin. Theſ. Antiq. Roman. Græv. Tom.* X. *p.* 1065. *A.*

AUGURALES libros jam olim fuiſſe indicat Plutarchus in Marcello: στρατευματικοῖς ὑπομνήμασιν ἐντυχών (lego ἱερατικοῖς) cum Tiberius Gracchus incidiſſet in libros rituales. Val. Max. I. 1. *Gracchus ſignificabat ſe cum libros ad ſacra populi pertinentes legeret.* Feſtus: *Quinque genera ſignorum obſervant augures publici, ex cœlo, ex avibus, ex quadrupedibus, ex tripudiis, ex diris, ut eſt in Auguralibus.* Priſcianus lib. VI. & VIII. C. Julium Cæſarem *auguralium* libros ſcripſiſſe ait. Macrob. Saturn. I. auſpiciorum decimum ſextum librum laudat. Dionyſius Halicarnaſſeus Pontificalium libros. *Buleng. de Augur. c.* 11.

AUGURALIA objecta in duodecim continentur capitibus, pro numero ſignorum, quæ in Zodiaco deſcribuntur. I. Eſt de ingreſſu beſtiarum in domum, ſive beſtiæ urbanæ ſint, ſive ſylveſtres, quum enim & præter conſuetudinem, & præter intentionem beſtia domum alicujus ingreditur, in augurificum objectum Philoſophi retulerunt. II. Eſt beluarum, quæ in itinere ex inſperato nobis occurrunt. III. Eſt veſtimentorum combuſtio, cum ex inſperato ex igne quaſi ad ea advolante fit, ad hoc caput & fulminatio, & incenſio domus, vel alterius rei reducitur. IV. Eſt mus corrodens aliquid, quod nobis jucundum eſt, ut librum, veſtem, aurum, & præſertim id, in quo ſpectamus, & reducitur ad hoc caput, lupus vorans nobis aut bovem, aut equum: canis etiam vorans nobis aliquid, quod in aura erat: & vulpes gallinam aut anſerem furans, & cætera id genus. V. Eſt domeſticus ſonitus; creditur enim in domo ob ſonos & ſtrepitus, qui in ea audiuntur, lemures eſſe, qui hos fecerint. VI. Eſt avis, quæ in via & itinere cadens, quaſi impedita videtur: ſæpe enim Principe, aut Rege ambulante obſervatum eſt, milvium in equitantium medio cecidiſſe, qui impeditus facile captus eſt. Nonnunquam in domum aves venerunt, quæ ex inſperato advolarunt, fueruntque tandem manu captæ, & propterea ad hoc caput omne volatile reducitur, quod ex inſperato manu capimus: reducimus inſuper ad hoc bubonem cantantem, cornicem glocitantem, omneque volatile, quod ex inſperato vociferatur. VII. Eſt catus, qui præter conſuetudinem foramen ingreditur cameræ, quem malum putant eſſe dæmonem, vel phantaſma, reduciturque in hoc caput omne quadrupes, quod ſubiens ſpeciem rei timoroſæ foramen intrat. VIII. Eſt candela, fax, aut id genus, cum mox ſine apparenti cauſa exſtinguitur, quod a lemure fieri creditur. IX. Eſt Vulcanus, ut cum ignis murmurat; cum enim ignis murmurat, gentiles Vulcanum loqui credebant. X. Eſt crepitus fortis ignis, cum præter intentionem occurrit, & quidem in magna vaſtitate: ad hoc caput reducitur ignis, cum projicit ſcintillas. XI. Eſt ignis, cum ſaltat præter rationem: creditur enim a Laribus moveri. XII. Eſt ſubitaria triſtitia, & mœror, qui præter rationem accidit: ad hoc reducitur phantaſma nobis apparens, quo apparente triſtari ſolemus: itemque & id omne, quod ex inſperato evenit, quo dolemus. *Niphus de Augur.* I. 16.

AUGURANDI ars antiquiſſima eſt, quæ a Chaldæis ad Græcos, a Græcisque ad Etruſcos, & ab Etruſcis ad Latinos devenit. Nam veteres Chaldæos optimos *augures* fuiſſe memoriæ proditum eſt. Amphiaraus quoque, Mopſus, & Calchas peritiſſimi apud Græcos *augures* memorantur. In Thuſcis vero hanc artem multum floruiſſe conſtat. Aſcanium etiam apud Latinos *auguraſſe* legimus, quum aciem contra Mezentium educeret. Et ubi micare ſiniſtris fulgur aſpexit, pugnavit & vicit. Dionyſius vero antiquam *augurandi* peritiam apud Aborigines etiam fuiſſe tradit. Romulus ipſe ſummus *augur* fuit, & idcirco inſtituit magiſtratus cum *auguriis* creari. *Panvin. de Civit. Roman. c.* 17. *Caſal. de Urb. ac Imper. Roman. ſplend. part.* 3. *c.* 2. *Claſen. Theol. gentil.* III. 1. 11. *Læt. de Sacerdot. c.* 5. Modus hic fuit, ut narratur a Liv. I. 18. *Accitus Numa, ſicut Romulus augurato in Urbe condenda regnum adeptus eſt, de ſe quoque Deos conſuli juſſit. Inde ab augure deductus in arcem in lapide ad meridiem verſus conſedit. Augur ad lævam ejus capite velato ſedem cepit, dextra baculum ſine nodo ad uncum tenens, quem lituum appellaverunt. Inde ubi, proſpectu in Urbem agrumque capto, Deos precatus, regiones ab oriente ad occidentem determinavit, dexteras ad meridiem partes, lævasque ad ſeptentrionem eſſe juſſit. Signum contra quo longiſſime conſpectu oculi ferebant, animo finivit: tum lituo in lævam manum tranſlato, dextra in capite Numæ impoſita, precatus eſt ita: Jupiter pater, ſi fas eſt hunc Numam Pompilium, cujus ego caput teneo, Regem Romæ eſſe, uti tua ſigna nobis certa ac clara ſint, inter eos fines quos feci. Tum peregit verbis auſpicia, quæ mitti vellet. Quibus miſſis declaratus Rex Numa de templo deſcendit.* Panvin. de Civit. Roman. c. 19. Bellus de Part. templ. augur. c. 7. Non idem tamen Græcis & Romanis. *Augures* enim Græci cum ſe ad ſeptemtrionem obverterent, ortum ad dextram habuere, Romani, cum meridiem in auſpicando intuerentur, ortum ad lævam. Itaque ſiniſtræ partes eædem ſunt Romanis, quæ Græcis dexteræ ad ortum; contra dexteræ Romanis ad occaſum, lævæ Græcis infelices. Itaque Romani cum ſiniſtra bene nominata, dextera triſtia vocant, more ſuo loquuntur: cum ſiniſtra mœſta, dextera læta, more Græcorum. Varr. Epiſt. Quæſt. VI. *A Deorum ſede cum in meridiem ſpectes, ad ſiniſtram ſunt partes mundi exorientes, ad dexteram occidentes, factum arbitror, ut ſiniſtra meliora auſpicia, quam dextera eſſe exiſtimentur.* Romanis igitur ſiniſtra, quia pertinent ad ortum, ſalutaria, quia ortus lucis index & auctor; dextra, quia ſpectant occaſum, triſtia. Plaut. Pſeud. II. 4. 72.

Ave ſiniſtra, auſpicio liquido, atque ex ſententia.

Buleng. de Augur. c. 2. Bellus de Part. templ. augur. c. 6. Niphus de Augur. I. 12. Caſal. de ſplend. Urb. ac Imper. Roman. part. 3. c. 2.

AUGURES ſunt, qui vel ex garritu oſcinum, vel ex volatu præpetum, vel ex pullorum paſtu, & tripudio futura conjectabant. Sive credas avibus a natura id fuiſſe inditum, ut futura præcognoſcant: quomodo *augur* Amphiaraus apud Stat. Theb. III. 482.

— mirum unde, ſed olim
Hic honor alitibus: ſuperæ ſeu conditor aulæ

Sic

Sic dedit: effuſum chaos in nova ſemina texens;
Seu quia mutatæ, noſtraque ab origine verſis
Corporibus ſubiere notos, ſeu purior axis
Amotumque nefas, & rarum inſiſtere terris
Vera docent.

Sive putentur aves, licet futuri neſciæ, tamen ſic a deo dirigi, ut per illas admoneamur. Quo faciunt verba Ovid. Faſt. VI. 763.

Sint tibi Flaminius, Thraſimenaque littora teſtes;
Per volucres æquum multa monere deum.

Claſen. Theol. gentil. III. 1. 9. Trium *augurum* collegium inſtituit Romulus, ſingulos ex ſingulis tribubus, quæ tres erant, Ramnenſium, Tatienſium, Lucerum. Dionyſ. II. *Ad hæc etiam vates ſtatuit ex ſingulis tribubus ſingulos ſacris intereſſe, quos augures vocavit. Quos per curias creari inſtituit.* Panvin. de Civit. Rom. c. 17. Buleng. de Augur. c. 11. Rogationem poſtea promulgarunt Q. & Cn. Ogulnii, ut cum quatuor *augures*, quatuor pontifices eſſent ea tempeſtate, placeretque augeri ſacerdotum numerum, quatuor pontifices, quinque *augures*, de plebe omnes allegerentur. Quemadmodum ad quatuor *augurum* numerum, niſi morte duorum id redigi collegium potuerit, non invenio: quum inter *augures* conſtet imparem numerum debere eſſe, ut tres antiquæ tribus, Ramnes, Titienſes, Luceres, ſuum quæque *augurem* habeant: aut ſi pluribus ſit opus, pari inter ſe numero ſacerdotes multiplicent: ſicuti multiplicati ſunt, quum ad quatuor quinque adjecti novem numerum, ut terni in ſingulas eſſent, expleverunt. Liv. X. 6. *Auguſtin. de Legibus in lege Ogulnia. Panvin. & Buleng. l. l.* Sulla quindecim *augures* eſſe voluit. Liv. Epit. 89. *Buleng. l. l. Laurent. Var. ſacr. gentil. c. 1. Argol. in Panvin. de Lud. Circ.* II. 2. *Panvin. l. l. La Chauſſe de Inſign. Pontif. tab. 2.* Qui inter illos major erat, & reliquos ætate antecellebat, magiſter collegii eſt dictus. *Buleng. & Argol. l. l.* Creabantur ab *augurum* collegio, quod jus a collegio ad populum tranſtulit tribunus plebis Cn. Domitius Ahenobarbus anno ab U. C. 651. Mario tertium & L. Aurelio Oreſte Conſulibus, ut Aſconius ad Divinationem Ciceronis in Verrem. Deinde Cicerone Conſule T. Attius Labienus tribunus plebis jus ſubrogandorum *augurum* ad populum retulit. M. Antonius poſt mortem Julii Cæſaris iterum collegio reſtituit. Sed Panſa & Hirtio conſulibus denuo ad populum tranſlatum eſt narrante Dione. Auguſtus collegio reſtituit. Demum Imperatores ſibi jus illud vindicarunt, ad ætatem uſque Theodoſii majoris. Qua religione Chriſti ſanctiſſima omnia jam obtinente, vetereque dæmonum cultu abrogato, uno edicto ſacerdotiorum omnium reditus fiſco publico applicati ſunt. Quare poſtea plane *augures*, & alii ſacerdotes fieri deſierunt. Ita Zoſimus. Cæterum quum cæteris fere omnibus ſacerdotibus, ſimul ac in judicium ducti & damnati eſſent, alium ſubſtitui mos fuiſſet, *augures* hac lege immunes erant; dum enim viverent, licet maximorum criminum convicti eſſent, ſacerdotio tamen potiebantur, neque unquam privari poterant, quod *auguris* vocabulum non honoris, nec magiſtratus, ſed ſcientiæ atque artis cujuſdam eſſet. *Buleng. Laurent. & Panvin. l. l.* Uſi ſunt prætexta. Cicero pro Sextio Lentuli Spintheris filium *augurem* creatum indicans: *Cui ſuperior*, inquit, *annus idem & virilem patris & prætextam populi judicio dedit.* Ferrar. de Re Veſt. I. 2. 2. Analect. c. 45. Ego trabea amictos fuiſſe puto. Serv. Æneid. VII. 612. ex Suetonio. *Trabea eſt toga augurum ex purpura & cocco.* hoc eſt, quæ primo cocco tingebatur, deinde & purpura. Hinc dibaphum pro *auguratu* poſuit Cicer. Fam. II. 16. *Togam prætextam Oppio tibi puto te audiſſe; nam Curtius noſter dibaphum cogitat.* Att. II. 9. *Vatinii ſtrumam ſacerdotii διϐάφῳ veſtiant.* Neque enim de dibapha Tyria Ciceronem loqui credo, quæ ipſius conſulatu primum Romanis viſa fuit. *Ruben. de Re Veſt.* II. 14. *Buleng. de Augur. l. l.* Servii fides mihi ſuſpecta eſt; cum locus Suetonii hodie non exſtet. Nec Rubenio credimus eam trabeam primum cocco, deinde purpura tinctam fuiſſe. Veroſimilius enim eſt, eas faſcias, ſive inſtitas, partim ex cocco, id eſt, purpura terreſtri, partim fuiſſe ex purpura marina, ſive pelagia. Quis enim credat, Urbis primordio, in illa paupertate, nondum dibaphæ, ſive purpuræ bis tinctæ uſu inducto, trabeas duplici infectura tinctas fuiſſe. Nec opus fuerat tam invidioſa declamatione, ſi jam inde ab Urbe condita *augures* trabea uſi fuiſſent, qua, poſtquam diverſos purpuræ colores in temperatura miſtos fuiſſe docuiſſet, luxum recenter invectum facunde caſtigat Plin. IX. 41. Cicero loquitur loco priori de *auguratu* Curtii, poſteriori de *auguratu* Q. Metelli Celeris, paullo ante mortui, cui ſubrogari Vatinius cupiebat. Nec tamen illi trabea eſt dibaphum cocco & purpura tincta. Nam auguralem veſtem prætextam diſerte vocat, non trabeam. Sed fuerit trabea, cum illa, ut credit Rubenius, cocco prius, deinde purpura tincta, erat bis tincta atque dibapha. Sed dibapha primum conſulatu Ciceronis viſa. Non igitur trabea *augurum* ad Urbis initio bis tincta, ſcilicet cocco & purpura. Hæc ſunt inter ſe valde pugnantia. *Ferrar. Anal. de Re Veſt. c. 45.* Coronati incedebant. Oſtendit hoc Plutarch. Cæſ. p. 730. B. Patavii Cornelius *augur* cum viciſſe Pharſalico prælio Cæſarem renuntiaſſet, detracta capiti corona juravit, non prius coronam in caput repoſiturum, quam arti fides conſtitiſſet. *Buleng. l. l.* Ubi quis *augur* cooptatus eſſet, jurejurando adigebatur, *augurum* res nemini ſe dicturum, privatum poſtea factum, eo ſacramento liberum eſſe nolebant. Plutarchus id aſſerit: *Hanſen. de Jurej. Vet. c. 30. Panvin. & Buleng. l. l.* Agrorum terminos in auſpiciis maxime ſpectabant. *Manut. de Civit. Roman. Theſ. Antiq. Roman. Græv. Tom. 1. p. 24. C.* Maxima *auguribus* ex Romuli præſcripto veneratio habita ſemper fuit, ſed ſub L. Tarquinio Priſco Rege poſt Attii Navii miraculum, iis certe, & ſacerdotio *augurum* tantus honos acceſſit, ut nihil belli, domique poſtea, niſi auſpicato gereretur, concilia populi, exercitus vocati, ſumma rerum, ubi aves non admiſiſſent, dirimerentur. *Panvin. l. l. Flocc. de Poteſt. Roman.* I. 4. Si ulcus haberet, non licebat aves obſervare, quia animo ab omnibus moleſtiis, ac quaſi ulceribus, & morſibus vacuo, ſinceroque & otioſo res ſacræ debent tractari: & quia avem ulceroſam uſurpat nemo rei ſacræ faciendæ gratia, aut augurii capiendi, *augures* multo magis curare debent, ut puri & ſinceri ac integri ad divina indicia obſervanda ſe conferant. Plutarch. Quæſt. Rom. 72. Eorum partes fuerunt, ut aves inſpicerent, de cœlo ſervarent, nuntiarent, de prodigiis, ſomniis, oraculis, portentis reſponſa darent, procurationes portentorum edicerent. *Buleng. & Laurent. l. l.* Quinque ſignorum genera obſervarunt. V. ſupr. in *Augurales libros.* In illis tripudium. Et hoc ad pullorum paſtum pertinebat. Solebant enim Romani pullos cavea incluſos ferre in bellis, ex quibus obſervabant rerum eventa. Si paſcebantur avide, bonum omen erat: ſi tam avide, ut aliqua offæ particula ore excidens terram paviret, optimum, & hoc in libris auguralibus ſcribebatur tripudium ſoliſtimum: ſi vero pulli non paſcebantur, triſte, & infauſtum habebatur, pejus, ſi e cavea fugiſſent. Scribit Val. Max. I. 4. 3. P. Claudium bello Punico primo prælium navale committere volentem, auſpiciiſque more majorum petitis, cum pullarius non exire cavea pullos nuntiaſſet, abjici eos in mare juſſiſſe, dicentem, quia eſſe nolunt, bibant. Sed ille populi judicio concidit. Unde ſuperatum dicit Suet. Tib. c. 2. n. 7. non ab hoſtibus, ut addit Flor. II. 2. 29. ſed a Diis ipſis, quorum auſpicia contempſerat, ibi ſtatim claſſe demerſa, ubi præcipitari pullos juſſerat, quod pugnare ab his vetaretur. Cum enim aliæ naves inter brevia ſiderent, aliæ terræ alliderentur, ipſe quidem a læva fugam capeſſit, & circum littus ſe evolvit, triginta navibus, quas habebat proximas, comitatus; ſed cæteras ad tres & nonaginta cum omnibus, quæ erant intus, ceperunt Pœni. Polyb. I. 51. *La Chauſſe de Inſign. Pontif. Max. tab. 25. Panvin. de Civit. Roman. c. 44. Grucch. de Comit. Roman.* I. 4. *Pitiſc. in Suet. §. 28. & 31.* Illarum etiam vocem & volatum obſervabant. Sareſber. Policrat. I. 12. *Augurium, quod eſt in avium obſervatione, Phryges inveniſſe traduntur, quod in voce traditur aut volatu.*

Eſt

Est autem secundum traditionem eorum volatus tam alarum quam pedum: vola siquidem est interior palmæ vel pedis. Serv. Æneid. I. 397. *In auguriis considerandæ sunt non solum aves; sed etiam volatus, ut in præpetibus; & cantus, ut in oscinibus.* Sollicite vero observabant, prono, obliquo, supinove motu corporis avis ferretur, quo flecteret, contorqueret, porrigeret, contraheret membra, an hac, vel illa parte se occultaret: a dextra sinistrave volarent, aut canerent oscines. Ammian. XXI. I. *Auguria & auspicia non volucrum arbitrio futura nescientum colliguntur; sed volatus avium dirigit Deus, ut rostrum sonans, aut prætervolans; pinna turbido meatu, vel leni futura præmonstret.* Cicer. Divin. I. 53. *Certe divina mens in avibus efficit, ut tum huc, tum illuc volent alites, tum in hac, tum in illa parte se occultent, tum a læva, tum a dextera parte canant oscines.* Buleng. ibid. c. 4. Gruch. de Comit. I. 4. In senatum, nisi quem habuissent magistratum, aut a Censoribus lecti essent, non veniebant. Cicer. ad Attic. IV. *Kal. Octobr. habetur senatus frequens: adhibentur omnes pontifices, qui erant senatores.* Zamosc. de Senat. Roman. II. 2. *Augurum* & magistratuum auspicia diversa fuerunt. *Augures* auspicabantur, ut ex quibusdam signis vel probarent aliquid, vel improbarent. Magistratus in comitiis auspicabantur, ut vetarent, ut Cicer. de Divin. I. 2. Leg. II. *Augures* nuntiationem solam habebant sine spectione. Magistratus utramque. V. infr. in *Servare de cœlo*. *Augures* necessario adhibebantur. Magistratus, nisi cum vellent, non auspicabantur. *Augures* nuntiabant vel institutis comitiis, vel jam habitis, vel futuris. Magistratus futuris tantum. *Augures* nuntiabant, cum auspicati essent. Magistratus & post auspicium & ante. *Augures* tres in ferenda lege curiata auspicabantur. Magistratus unus tantum in comitiis. Magistratus autem vel unus, qui de cœlo servaret, comitia impedire poterat. Imo & si auguralis scientiæ rudis esset magistratus, solo auspicio vetare potuit. Cicer. pro Dom. c. 15. *Negant augures fas esse agi cum populo, cum de cœlo servatur.* Ipsa igitur actio, non ea, quæ agentes vidissent, impediendi vim habebat. Cicer. Phil. II. 33. *Confecto negotio bonus augur alio die inquit, o impudentiam singularem! Quid videras, quid senseras, quid audieras? Nec enim te de cœlo servasse dixisti, neque hodie dicis.* Buleng. ibid. c. 9. Ante augurandum precabantur in hæc verba. *Jovis pater, si mihi es auctor, urbi populoque Romano Quiritium, hæc sane, sarteque esse, ut tu nunc mihi bene sponsis, beneque volueris.* Preces eorum dicebantur *effata*. V. infr. in *Effata*. Buleng. ibid. c. II. Cum auspicari vellent, in loco puro sub mediam noctem, cœlo non turbido, nec procelloso; sed silenti, placido, sereno & sudo aëre, patentique ac libero, in hemicyclo se collocabant, & templum, (V. infr. in *Templum*) ac circulum sibi definiebant lituo, (V. infr. in *Lituus*) tum fines, ac regiones, qua involarent aves a dextera, & læva in aëre describebant. V. infr. in *Extemplo*. Buleng. ibid. c. 12. Etiam, si quid adversi observassent, dicebantur obnuntiare. V. infr. in *Obnuntiatio*. Verum licet illos Romani tanti æstimarent, ut Consuli etiam exercitui imperanti *augur* adesset qui præibat, quid eum oporteret dicere. Varr. de Ling. Lat. V. nihilominus irrisos ipsos, ipsorumque auguria ab antiquis comperio ex Attii Fragmentis Astyanactis:

Nihil credo auguribus, qui aures verbis devitant
Alienas, suas ut auro locupletent domos

Ursat. de Not. Roman. Thes. Antiq. Roman. Tom. XI. p. 563. B. A Cicerone ipso, etsi *augurum* collegio adscripto Divin. II. Cyprian. de Idol. vanit. *Non de auspiciis aut auguriis Romana regna creverunt. Pullos edaces Paullus habuit, & apud Cannas cæsus est.* La Chausse de Insign. Pont. Max. tab. 25.

AUGURINI patricii consulatus quinque, decemviratum legibus scribendis, & pontificatum maximum obtinuerunt. Primus M. Minucius *Augurinus* consul fuit cum A. Sempronio Atratino anno ab U. C. 256. post Reges exactos anno 13. Iterum cum eodem collega post superiorem sexto. P. *Augurinus* consul fuit anno proximo, hoc est, anno ab U. C. 261. cum T. Geganio Macerino. L. *Augurinus* cæteris & virtute, & præmiis præcellens consul fuit anno ab U. C. 295 cum C. Nautio Rutulo. Decemvir legibus scribendis fuit anno ab U. C. 303 & proximo, quo abdicare cum reliquis est coactus propter Appii Claudii collegæ libidinem, atque potentiam. Idem tamen, sive alius ejusdem nominis præfectus annonæ fuit anno ab U. C. 313 & proximo Q. *Augurinus* consul fuit cum C. Horatio Pulvillo anno ab U. C. 296 SP. *Augurinus* fuit pontifex maximus anno ab U. C. 335. Ti. *Augurinus* consul, L. Postumii Megelli in consulatu collega anno ab U. C. 448. mortuus est. *Augustin. & Strein. de Famil. Roman. in Minucia.*

AUGURIUM est divinatio quædam, quæ ex avibus colligitur. Divinatio autem, ut Aristoteles inquit de Somniis, bifariam dicitur: aut naturalis, aut artificiaria. Naturalis quidem divinatio est ipsa avis, quæ volatu, aut voce, aut gustatu ex insperato nobis suapte natura aliquid boni, aut mali futuri prædicit, & de hac naturali divinatione Virg. Ecl. I. 18.

Ante sinistra cava prædixit ab ilice cornix.

Artificiaria vero est interpretatio augurii, qui naturalem divinationem in suam significationem interpretatur: unde Cicero de Legibus sacerdotum genera duo esse dicit, unum, quod præsit ceremoniis & sacris: alterum, quod interpretatur fatidicorum & vatum effata incognitaque. *Niphus de Augur.* I. I. Serv. Æneid. III. 89. *Augurium est exquisita Deorum voluntas per consultationem avium aut signorum, quod tunc peti debet, cum id quod animo agitamus per augurium a Diis volumus impetratum, ut in hoc loco Æneas. Et est species ista augurii, quæ legum dictio appellatur. Legum autem dictio est, cum conditio ipsius augurii certa nuncupatione verborum dicitur, quali conditione augurium peracturus sit, quod hic facit exsequens formas petitionis his versibus.* Οἰωνιστικὴν juniores appellasse scribit Aristides Orat. I. pro Rhetor. *Augurii* vox non tantum de avibus accipitur, verum & de aliis animantibus. Plin. XXXII. 2. *In Lyciæ Myris pisces fistula evocati veniunt ad augurium. Diripere eos carnes objectas lætum est consultantibus: caudis abigere dirum.* Plutarch. de Solert. anim. p. 976. C. *Ut jam neque pretiosæ illius divinationis exsors sit aquatile animalium genus, neque suo honore careat: quando etiam apud Suram (pagus est Lyciæ inter Phellos & Myra) audio homines piscibus assidere, ex iisque, arte quadam, tanquam ex avibus, præsagia futurorum capere.* Buleng. de Augur. c. 10. Ab auspicio varium est. Quandoque tamen idem significat. Varro de Ling. Lat. VI. 2. *In terris dictum templum locus augurii aut auspicii causa quibusdam verbis finitus.* *Augurii* dixit aut *auspicii*, quia *auspices* & *augures* dicti qui præerant terrestri templo describendo, ὡς ἀυσπικας πρότερον, ἀυγῦρας δὲ νῦν καλοῦσιν. Plutarch. ἐν Ῥωμαϊκοῖς. Plautus utrumque conjungit Asin. II. I. 15.

Certe Hercle ego quantum ex augurio auspicii intelligo.

Bellus de Part. templi augur. c. I. Ursat. de Not. Roman. Thes. Antiq. Roman. Græv. Tom. XI. p. 563. A. In urbe aliter, aliter in agris templa ab auguribus concipiebantur. Varro l. l. *Concipitur verbis non iisdem usquequaque.* In Urbe enim auguria captabantur: in agris auspicia. Ideoque Varro: *Templum*, inquit, *est locus augurii vel auspicii.* In arce, hoc est, in urbe, auguria: in agris, id est, in tescis auspicia captabantur. V. supr. in *Auguraculum*. Guther. de Jur. Pontif. II. 3. Ego ex observatione antiquitatis collegi, non modo in Urbe, sed etiam in agris *augures* templa finire potuisse ad auspicandum. Erant enim templa *auguribus* regiones, aut agri certo carmine ab *augure* lituo finiti & notati consecratique, unde in omnes cœli partes ad *augurium* captandum liber erat aspectus: adeoque liberum quoquo versus aspectum esse oportebat. *Grucch. de Comit. Roman.* I. 4. Qui *auguria* captabant, non continuo, si ostentum dextrum fuisset, aut semel aves addixissent, acquiescebant, nisi accideret secundum aliquod, quo primum firmaretur. Virg. Æneid. II. 691.

Da deinde auxilium pater, atque hæc omina firma.

Buleng. ibid. c. 9. Nec surgebant e templo, nisi prius *augurium* posteriori confirmatum esset. Servius ad Eclogam IX. *Minora auguria majoribus cedunt, nec ullarum sunt vi-*

rium, nisi majora sint. Buleng. ibid. c. 12. Mediam noctem captandis *auguriis* commodissimam putaverunt. Nimirum quia aves tunc minus, quam de die in motu suo naturali atque volatu solent turbari. De die enim strepitus laborantium, clamoresque multi excitantur, quibus proculsæ aves violento potius, ut ita dicam, quam suo motu feruntur. Hic autem in *auguriis* requirebatur. Ad naturalem enim & proprium avium instinctum attendebatur. Quamobrem & laternæ *augurum* patebant, neque operculo unquam tegebantur, ut ex flammæ agitatione tanto facilius atque accuratius observarent, num tranquillum cœlum, an vero ventorum flatibus moveretur. Ubi enim ventus spirat, non tam instinctum suum aves, quam venti impulsum sequuntur. Unde periti aëris & ventorum *augures* appellantur. Stat. Theb. II. 692.

— Ille hæc præviderat omnia, doctus
Aeris, & nulla deceptus ab alite Mæon.

Doctus enim aëris est, qui novit qua cœli tempestate *auguria* debeant captari. *Xyland. in Plutarch. Quæst. Roman.* 71. Ipsi, magistratum inituri qui erant, & *augurium* capere dicebantur, post medium noctis, quæ comitia præcedebat, sub dio extra Urbem cubantes, deinde solida sella sedentes, in loco ei rei destinato exspectabant, dum ipsis Deus aliquis bonum mitteret signum. Dionys. II. p. 81. *Magistratum inituri diluculo surgentes extra Urbem pernoctant, & preces quasdam sub dio fundunt. Ibi aliqui ex auguribus, qui ære publico ad hujusmodi negotia adhibentur, fulguris signum a sinistris datum pronuntiant, etiamsi nullum sit datum. At illi vocis omine contenti ad sumendum magistratum abeunt.* Pitisc. ad Suet. Aug. c. 95. n. 2. Car, *auguria* ex avibus invenit, adjecit ex cæteris animantibus Orpheus. Aruspicium Delphus, ignispicia Amphiaraus, auspicia avium Tiresias. Plin. VII. 56. Nonnulli ab Apolline volunt *auguralem* repertam, quare & *Apollo augur* ab Horat. Od. I. 2. 32. vocatur, & ad ædem Portumni Apollo (V. supr. in *Apollo*) positus in undecima regione Urbis. Arabes etiam & Phryges *auguria* repererunt. Georgius Monachus in Chronico & Scholiastes Nazianzeni Steliteut. in Julianum, qui addit Telegonum primum reperisse *auguralem* e volatu avis in antica & postica. *Buleng. ibid. c. 7. de Sort.* I. 5. Tages in Etruria V. illum infr. in *Tages*. Illorum vera causa est dæmon. Nam, ut Augustin. lib. II. quem de doctrina Christiana scripsit, omnes artifices hujus vel nugatoriæ, vel noxiæ superstitionis ex quadam pestifera societate hominum & dæmonum, quasi pacta infidelis & dolosæ amicitiæ constituta penitus sunt repudianda & fugienda Christiano. Dæmones enim talibus rebus efficaciam aliquando præstant, ut vanitatibus animos hominum implicent. *Niphus de Augur.* II. 8.

Augurium cœleste Paullus esse ait, *cum fulminat, aut tonat.* Græci διοσημίας vocant. Augures ideo de cœlo servabant. *Buleng. de Augur. c. 15. Crinit. de Honest. Discipl.* XXV. 2.

Augurium coactum dicitur, quod augurarentur e pullis in cavea ante fame enecatis, & quod ex offa cadere aliquid oporteret, ut tripudium solistimum faceret. Cicer. de Divin. II. 35. *Ergo hoc auspicium divini quidquam habere potest, quod tam sit coactum & expressum. . . . Tum igitur esset auspicium, si modo ei esset liberum se ostendisse; tum avis illa videri posset interpres & satelles Jovis. nunc vero inclusa in cavea & fame enecta, si in offam pultis invadit, & si aliquid ex ore cecidit, hoc tu auspicium, aut hoc modo Romulum auspicari solitum putas?* Turneb. Adv. V. 20. Sigon. de Ant. Jur. Prov. II. 6.

Augurium impetrativum petebatur a diis, nec in impetrantis erat potestate, ea vel accipere, vel non accipere: agnoscere, vel non agnoscere. Serv. Æneid. VI. 190. *Augurium impetrativum est, quod optatum venit.* Turneb. Adv. V. 7. Buleng. de Augur. c. 9. Laurent. Var. sacr. gentil. c. 11.

Augurium nauticum erat, quo nautæ cygnos observabant. Ex qua disciplina Virg. Æneid. I. 397.

Aspice bissenos lætantes agmine cygnos.

& quæ sequuntur. Versus ex ipsa ornithogonia hi sunt.

Cygnus in auguriis nautis gratissimus ales,
Hunc optant semper, quia nunquam mergitur undis.

Gyrald. de Navig. c. 9.

Augurium oblativum ultro non petentibus fiebat, & offerebatur, & erat in potestate ejus cui offerebatur: nam non agnoscere vel agnoscere licebat. Serv. Æneid. VI. 190. *Augurium oblativum est, quod non poscitur.* Turneb. Adv. V. 7. Buleng. de Augur. c. 9. Laurent. Var. sacr. gentil. c. 11.

Augurium Salutis *divinationis quoddam genus est, quo probatur, concedatne illis Deus, ut populo salutem postulent, quasi nefas esset eam priusquam concedatur petere. Ad id dies destinatur quotannis, ad quam nullus exercitus ad bellum sit profectus, nullus hostis in aciem prodierit, nullum prælium commissum sit. Ideoque si internecina mala sunt, augurio salutis abstinent, & vix dies ulla toto anno reperitur, quæ ab his omnibus pura sit.* Dio XXXVII. p. 40. E. *Politian. Misc. c. 13. Calcagn. Equitat. p. 568. Lips. in Tacit. Ann.* XII. *n. 53. Nonn. in Cæsar. August. nomism. p. 83. Turneb. in Cicer. de Leg.* II. *p. 102. Siccam. in Fast. Kalend. c. 4.* Restituit hoc Augustus se V. & Sexto Apulejo consulibus. Dio LI. p. 457. D. *Cæsare V. Sex. Apulejo coss. augurium salutis hactenus intermissum est factum.* Sueton. c. 31. n. 4. *Nonnulla etiam ex antiquis ceremoniis paullatim abolita restituit: ut salutis augurium.* Laurent. Var. sacr. gentil. c. 12. Intermissum per annos 44. a Ciceronis, & Antonii consulatu ad Quintum consulem Augustum & Sextum Apulejum. *Buleng. de Augur. c. 17. Casaub. in Suetonium.* Annis quinque & viginti intermissum, & placuisse continuari sub Claudio auctor est Tacit. Annal. XII. 23. 2. *Salutis augurium quinque & viginti annis omissum repeti, ac deinde continuari placitum.* Calcagn. Equitat. p. 568. Torrent. in Suetonium. Sed numerus in Tacito satin' verus? delibero. Nam suprema mentio capti *Augurii* hujus est apud Dionem an. 725. cum & Janus item ab Augusto clusus: atque ab eo die ad hunc 802. Urbis annum, non 25. ut a Tacito scriptum, sed 77. intersunt anni. Ut ergo verus, justusque hic numerus sit, a Tiberio repetitum id *augurium* necesse est Cornelio Cethego, Visellio Varrone consulibus. an. 777. *Lips. in Tacitum.*

AUGUSTA dicta est Imperatoris uxor. Alex. Gen. Dier. I. 2. *Livia postquam nupsit Octavio, Augustæ nomen tulit, & Agrippina, postquam Claudio conjugata fuit. Senatus quoque frequenti curia uxori sororique Trajani cognomen Augustarum dedit: & Vitellius matri, & Faustinæ uxori Antoninus: sic Juliani uxor & filia Augustæ appellatæ sunt.* Tiraquell. & Gothofr. ad Alexandrum. Robort. de Cognom. Thes. Antiq. Roman. Græv. Tom. VII. p. 1141. Pagi Critic. Historico-Chronol. in Annal. Baron. ad an. D. Jesu 126. n. 2. *Augusta* quamvis legibus soluta non erat, sed ut reliquum hominum genus iis obstringebatur, cessantibus quippe in *Augusta* rationibus, quæ tantam dederunt Principi auctoritatem, condendæ præsertim legis, quæ in solo Principe locum habet; aliis tamen omnibus denegata est. Mulieribus maxime quæ legibus condendis ne quidem interesse possunt, Princeps tamen eadem illi privilegia tribuebat quæ & ipse habebat leg. princeps ff. de Legibus. Leg. fiscus §. fin. de jure fisci. Unde quemadmodum Princeps ab omnium vectigalium præstatione immunis est Leg. Licitatio. §. fin. ff. de publico: & donatio ab ea procedens, vel in eam collata insinuatione non eget leg. Sancimus cum Auth. seq. C. de Donat. & facta inter *Augustum* & *Augustam* donatio constante matrimonio rata est leg. Donatio, qu. Divus. C. de donat. int. vir. & uxor. *Salmuth ad Panciroll. de Reb. Deperd. & Inv. p.* 401. Illarum statuæ in maritorum templis collocabantur. Dio Cass. LX. p. 667. D. *Claudius aviam Liviam, præter hunc honorem, etiam immortalitati asseruit, dedicavitque ejus effigiem in templo Augusti.* Figrell. de Stat. Roman. c. 33. Consecrationem V. infr. in *Consecratio*.

Augusta colonia Prætoria Salassorum dicta est *Augusta*, quod *Augusti* jussu, & auspiciis urbs illa est condita loco, quo Terentius Varro belli contra Salassos gesti dux castra habuit. Prætoria est cognominata, quia prætorianorum colo-

colonia eo deducta est ante D. Jesum natum 25 Augusto IX & M. Silano consulibus. Nomen antiquum hodie retinet: vulgo Italis *Augosta*, *Aosta*, Germanis Augst dicta. *Cluver. Ital. Ant.* I. 13. 4. *Lacarry Epist. ad Spon. Thes. Antiq. Græc. Gronov.* 2. De hac Ptolem. III. 1. *Salassorum, qui sub Insubribus sunt, civitates, Augusta prætoria colonia.* Panvin. Imp. Roman. c. 11.

Augusta Taurinorum cœpit vocari urbs Taurasia caput gentis & præcipua urbs eorum ab *Augusto* Cæsare, quando ipse auctore Strabone egregia contra Salassos victoria potitus eorum prope nomen delevit, & eo coloniam deduxit. Plin. III. 17. *In Transpadana regione* XI *colonia ab Alpium radicibus Augusta Taurinorum antiqua Ligurum stirpe, inde navigabili Pado, dein Salassorum Augusta prætoria, juxta geminas Alpium fauces Grajas atque Pœninas.* Panvin. Imp. Roman. c. 11. Cluver. Ital. Ant. I. 11. Leand. Ital. p. 708.

Augusta Verona colonia vocatur in antiqua inscriptione: COLONIA. AUGUSTA. VERONA. NOVA. GALLIENIANA. VALERIANO. II. ET. LUCILLO. COS. MURI. VERONENSIUM. FABRICATI. . . . . Veronam inter colonias Transpadanas a Pompejo deductas fuisse opinor, de quibus Pedianus in Cicer p. 156. *Neque illud dici potest sic eam coloniam esse deductam, quemadmodum post plures ætates Cn. Pompejus Strabo, pater Cn. Pompeji magni Transpadanas colonias deduxerat. Pompejus enim non novis colonis eas constituit, sed veteribus incolis manentibus jus dedit Latii, ut possent habere jus, quod cateræ Latinæ coloniæ, id est, ut petendi magistratus gratia civitatem Romanam adipiscerentur.* Nam Veneti, quamquam eos nunquam legamus a Romanis victos, vel subactos, vel triumphatos, ex quo enim in amicitiam & fœdus Romanum, bello Gallico Cisalpino, auctore Strabone, venerunt, diu in populi Romani amicitia libere egerunt, postea tamen in consuetudinem parendi, Romanis clementer provocantibus, & ipsi venerunt, omnibus præsertim circum finitimis nationibus & gentibus, ut Insubribus, Cœnomanis, Carriis, Japudibus, Istris & Bojis multis bellis prœlio superatis, ac in ditionem populi Romani redactis. De his coloniis Transpadanis meminit Tranq. Cæs. c. 8. n. 1. Veronam vero unam ex his coloniis Transpadanis, a Pompejo Strabone deductis, fuisse refert incertus auctor in Panegyrico ad Constantinum Imperatorem: *Pugnacissimo præfecto, ut quam coloniam Cn. Pompejus aliquando deduxerat, Pompejanus everteret, o miserabilem Veronensium calamitatem.* . . . Tacit. Hist. III. 8. 1 *Quæsitum inde quæ sedes bello eligeretur, Verona potior visa patentibus circum campis ad pugnam equestrem, qua prævalebant, simul coloniam copiis validam auferre Vitellio in rem famamque videbatur.* Panvin. Imp. Roman. c. 11.

Augusta Vindelicorum vocatur prope Lycum amnem in Vindelicia posita. *Panciroll. Notit. Dign. Imp. Occid. c.* 35. & 60. Ptolemæo Αὐγοῦστα Οὐινδελικῶν vocatur. Et Tacit. Germ. c. 41. n. 1. *splendidissima Rhætiæ provinciæ colonia.* Esse eam, quæ nunc inter splendidissimas, magnificentissimasque Germaniæ urbes vulgo vocatur Augsburg, ipsum nomen diserte indicat. Cæterum in capita gentium devictarum deduxerunt Romani colonias. Sic *Augusta*, Taurinorum, Rauracorum, Treverorum, Suessonum, Veromanduorum, & aliæ coloniæ, suæ quæque gentis, etiam ante coloniam deductam fuerunt capita. *Cluver. Vindel. c.* 4.

AUGUSTALE ætas Augustæa videtur etiam prætorium dixisse. Ita in Fabio lego, sed solo Inst. Orat. VIII. 2. *Carmen funebre proprie nænia; & tabernaculum Ducis Augustale.* Potest ab *Augustis* ita dictum esse, qui in eo tendebant: sed exemplum tamen ejus verbi, aut usurpationem, mirum nusquam reperiri. Alex. Gen. Dier. I. 12. *Etiam ut in prætorio Imperatoris tabernaculum, quod Augustale dicitur, tendant.* Lips. de Milit. V. 12. Mercer. in Alexandrum. Schel. in Hygin. Thes. Antiq. Roman. Græv. Tom. X. p. 1065. C. Buleng. de Augur. c. 12.

Augustale etiam locus est, *in quo præfecti regionum & cultores Augusti saltabant Idibus Octobris, tanquam in foro, in quo obsonia venduntur, in honorem Tiberii.* Suidas in Αὐγουστος. *Lips. in Tacit. Annal.* I. *n.* 100.

AUGUSTALES Romanis pæne apparitores erant, ut hodie sunt apud Turcarum tyrannum, qui appellantur Zauzii, qui nomine Principis vocatos arcessunt vel ad necem, vel ad honorum gradus. *Laz. Comm. Reip. Roman.* II. 4. Erant sacerdotes, quos numero quinque & viginti, ex primoribus Urbis sorte ductos, Tiberius Juliæ genti sacravit. *Alex. Gen. Dier.* I. 26. ut post mortem Augusti tanquam numinis sacra curarent. Tacit. Annal. I. 54. 1. *Idem annus novas ceremonias accepit, addito sodalium Augustalium sacerdotio, ut quondam T. Tatius retinendis Sabinorum sacris sodales Titios instituerat. Sorte ducti e primoribus civitatis unus & viginti. Tiberius, Drususque & Claudius & Germanicus adjiciuntur.* Sed inter sacerdotes reponi vetant lapides, in quibus sodalium nomen nunquam additum, & unus a flamine Augusti aperte distinguit, FLAMINI. DIVI. AUG. VI. AUGUSTALI. Nec enim unus aliquis ejusdem numinis flamen & sodalis. *Velser. Rer. Vindel.* V. *p.* 274. Idem tamen dicitur *flamen Augustalis, sodalis Augustalis* in inscriptione a Seviris Augustalibus Neroni Germanici filio dicata apud Gruter. p. 237. n. 1.

NERONI. CÆSARI
GERMANICI. F
TI. AUGUSTI. N. DIVI. AUG.
PRON. FLAMINI. AUGUSTALI
SODALI. AUGUSTALI

Ejusdem etiam pater Germanicus p. 236. n. 4. inscribitur FLAM. AUG. quem tamen *sodalem Augustalem* nominant Suet. Claud. c. 6. §. 4. *Senatus quoque ut ad numerum sodalium Augustalium sorte ductorum extra ordinem adjiceretur, censuit*; & Tacitus modo laudatus. Nec vetant lapides, cum in iis sæpe *Augustalibus* addatur vox sodalium. Pag. 381. n. 1. inscribitur elogium C. Cæsonio Macro SODALI. AUGUSTALI. p. 453. epigramma dicatur Tiberio Plautio Silvano SODAL. AUG. p. 465. n. 5. Cajo Sallio Aristæneto septemviro epulonum SODALI AUGUSTALI. Sacerdotum *Augustalium* mentio non semel fit in iisdem in scriptis antiquitus saxis p. 372. n. 7.

L. AURELIO. L. L
VICTORI
DOMO. EQUO. AUG. ET
SENIÆ. SACER. PRIM
CORP. AUGUSTALIUM. . . .

p. 1100. n. 7. Sextus Apusius Bæbius VI. vir *Augustalis* appellatur TABULARIS SACR. AUGUSTALIUM. *Noris Cenot. Pisan. Dissert.* I. *c.* 6. *Reines. Epist. ad Rupert.* 31.

Augustales in suis civitatibus, coloniis aut municipiis erant honestus ordo, sed infra decurionum amplitudinem, & supra plebis aut populi tenuitatem: veluti παράλληλον Equitibus Romæ. Veteres lapides, ut 475. n. 3. *Ordo decurionum, Augustalium, & plebs universa* 1089. n. 6. *Ordo Decurionum & Augustalium.* . . . . Quorum trium ordinum respectu in Pisano decreto de obitu C. Cæsaris. *Per consensum omnium ordinum.* . . . . Velser. Rer. Vindel. V. p. 275. Reines. Epist. 31. ad Rupertum. Chimentell. de Honor. Bisell. c. 40. Erant magistratus municipales. *Reines. l. l.* Hoc a vero abit. Nam *Augustales* non erant magistratus, sed sacerdotes, ut ex Tacito & vetustis elogiis supra probatum est. Juri dicundo præfuisse dicit quidem inscriptio Alcantarensis p. 421. n. 7. In illa C. Julius Capito dicitur AUG. I. D. CUR. ANNONÆ. *Augustalis juri dicundo, curator annonæ.* Et altera prolixior p. 215. n. 2. . . . *quod eis, me vivo, tradidi, candelabra & lucernas bilychnes arbitrio Augustalium, quo facilius strati jus publicum obire possint.* Jurisdictio vero ad magistratus pertinet. Sed hæc tantum jurisdictionem in sacris probant, non vero in civilibus; unde nec *Augustales* magistratus dici possunt. Collegium Pontificum Romæ in sacris jurisdictione utebatur. In coloniis, aliisque urbibus, in quibus erant *Augustales*, penes ipsos erat judicare de iis sacris, quæ ad ipsorum collegium attinebant; non vero ipsorum erat civilibus causis præesse. Itaque jus sacrum obibant, ac proinde non erant magistratus. Alcantarensis saxi notas perperam exscriptas probant

 innu-

innumeræ aliæ inſcriptiones, in quibus nuſquam *Auguſtales* juri dicundo præfuiſſe dicuntur, ſed tantum Duumviri, Quatuorviri, aliique civiles magiſtratus. Arbitror tamen ſubintelligi PR. *præfectus* ante illas notas. I. D. *Noriſ. Cenot. Piſan.* 1. 6. A Decurionibus fiebant, aut legebantur, Alc. in x. C. VI. VIR. AUGUSTALIS. QUI. INTER. PRIMOS. AUGUSTALES. A. DECURIONIBUS AUGUSTALIS. FACTUS EST. *Velſer. & Remeſ. l. l.* & ex illis Duumviri legi ſolebant. *Remeſ. l. l.* Non placet é numero *Auguſtalium* Duumviros eſſe lectos. Erant namque infra Decurionum ordinem, ut certiſſimum eſt, & idem tradit Reineſius. At Duumviri nequibant fieri, niſi qui jam inter Decuriones conſcripti eſſent. Diſerte Paullus Leg. honorem 7. §. is qui D. de Decurionibus. *Is qui non ſit Decurio, duumviratu, vel aliis honoribus fungi non poteſt.* *Auguſtales* ut plurimum non erant Decuriones. Id evincunt inſcripti lapides, in quibus legitur *Auguſtalis & Decurio* p. 344. 1. 447. 3. 479. 8. 1100. 7. Cur vero *decurio* adderetur, ſi omnes *Auguſtales* fuiſſent Decuriones? p. 372. 7. inſcriptio legitur, in qua L. Aurelius Lucii libertus Victor dicitur SACER. PRIM. CORP. AUGUSTALIUM. ORNAT. ORNAM. DECURIONALIB. Quemadmodum Romanis ducibus, re feliciter geſta, ornamenta Conſularia ab Imperatoribus dabantur; ita in coloniis civibus plebejis optime de patria meritis ornamenta decurionum conferebantur; nempe ut dicitur pag. 495. 1. in lapide Sinueſſano, ut *commodis publicis ac ſi decurio frueretur.* Qui ornamenta conſularia obtinebat, non dicebatur Conſul; nec is etiam in coloniis nuncupabatur decurio, qui ornamenta decurionalia ferebat. *Noriſ.* & *Chimentell. l. l.* Non dubitandum eſt, arbitratu & mandato magiſtratuum majorum, ſeu præſidum ab Auguſtis impoſitorum provinciis nominatos, ſelectos, aut ſaltem confirmatos fuiſſe: & hinc appellationem *Auguſtalium* tanquam Auguſtorum juſſione in colonia Auguſta, vel municipio, defluxiſſe. *Remeſ. l. l.* Non inerudita origine nominis. Confirmari poteſt exemplo Præfecti *Auguſtalis*, quem Ægypto impoſitum, ut ei regno præeſſet, a ſe nominavit Octavius Auguſtus, qui primum conſtituit. Haud ſecus milites *Auguſtales*, de quibus Veget. II. 7. Sic ludi *Auguſtales*, vel in honorem, vel inſtituto Auguſti ita appellati. Sed non improbabile illud mihi ſuccurrebat; imitamento atque exemplo Auguſti ſodalium Romæ, hos etiam in coloniis & municipiis potuiſſe nuncupari. De iis, qui in Urbe Tacitus *ſupr.* laudatus. In provinciis publicæ ac ſollenni ſacrorum curæ præfuerunt. Eo referrem etiam procurationem, & apparatum ludorum, qui ferme in honorem numinum edebantur. Addo tutelam & cuſtodiam loci, aut rei dicatæ, aut religioſæ. Quod ſi tum nomen congruit *Auguſtalium* tam Romæ, quam in aliis civitatibus; tum munus non diſpar rebus ſacris vacandi, abſonum minime videatur, ſi municipalis hic honor imitatione Romani ſacerdotii ſit appellatus. *Chimentell. l. l. Urſat. de Not. Roman. Theſ. Antiq. Roman. Græv. Tom.* XI. *p.* 848. *E.* Sex fuerunt numero. Et hoc tam multa marmora loquuntur. *Velſer. ibid. pag.* 275. *Auguſtalium* numerum in Urbe prodidit ſupra Tacitus: & illorum numerus ſtatim Romæ tantus excrevit, Auguſti ſacris plurimis ſeſe certatim initiantibus, ut eodem auctore, *per omnes domos in modum collegiorum haberentur.* Coloniæ partim adulandi calliditate, partim ambitionis ſenſu, collegia, ſeu corpora *Auguſtalium* ſacerdotum, imperantis Urbis exemplo, inſtituerunt, in quibus ſex primum nominati, Seviri *Auguſtales* dicebantur. Et illi magiſtri *Auguſtales* quoque nuncupati ſunt. Cum eorum numerus in coloniis ac municipiis excreviſſet, in plura collegia partiti ſunt, nempe juvenum ac ſeniorum, quibus diſtincti Sexviri præerant. Hæc ex vetuſtis elogiis lapidum nobis conſtant, cum hac de re ſcriptores ne verbum quidem fecerint. Seviri dicebantur in illis ſex primi inter corpora artificum deſignati. Uti in ordine equeſtri plures erant turmæ, in quarum ſingulis ſequiori ætate VI. viri principe loco numerabantur, quod patet ex Capitol. M. Aurel. c. 6. ac vetuſtis inſcriptionibus: ita in collegiis ſeu corporibus artificum Seviri primo loco cenſebantur, a corporatis creati, qui eiſdem corporibus præſidebant. *Noriſ. Chimentell. & Remeſ. l. l.* Pecuniam ejus cauſa quandoque ſolverunt. Smet. Inſcript. p. 74. n. 4. HIC. PRO. SEVIRATU. IN. REM. P. DEDIT. HS. ∞ ∞. Et illa interdum eſt remiſſa. Smetius: HUIC. ORDO. DECURIONUM. OB. MERITA. EJUS. HONOREM. AUGUSTALITATIS. GRATUITUM. DECREVIT. Item IIIII VIRO. AUGUSTALI. GRATUITO. D. D. Non fuerunt perpetui, ſed honorem aliqui repetiverunt. Smet. ibid. p. 49. n. 7. FAUSTUS. TITIUS. LIBERALIS. VI. VIR. AUG. ITER. Velſer. l. l.

AUGUSTALIA primum facta fuerunt anno ab U. C. 735. C. Sentio Saturnino, Lucio Lucretio Vipſanio, Conſulibus, cum ex Græcienſi & Sicula peregrinatione redux Auguſtus paſſus eſt inter alios honores fortunæ reduci aram ſacrari, & diem qua redierat, in faſtis ſcribi, & *Auguſtalia* dici. Dio LIV. p. 527. D. Kalendarium vetus. IV. *Eid. Octobr. AUGUST. id eſt, Auguſtalia.* Ludi eo die ex decreto Senatus inſtituti, octennio poſterius. Dio ibid. p. 545. D. *Auguſtalia, quæ & nunc celebrantur, tunc primum ex SCto acta ſunt.* Lipſ. in Tacit. Annal. I. n. 100. Siccam. in Faſt. Kalend. Roman. c. 16. Hoſpinian. de Feſt. Ethnic. c. 27. Noriſ. Cenot. Piſan. Diſſert. II. c. 8.

AUGUSTANI in rubra parma album globum tenent. Marginem quatuor, unus albus, duo lutei, rubeusque circuli cingunt. Conjunctum, unumque in quatuor orbis partibus imperium ſignificant. Manuſcripti tribus tantum circulis marginem claudunt. Erant ſub Comite Africæ *Auguſtani* tertio ad priorem differentiam dicti: vel potius, quod tres eſſent eorum ſcholæ, quemadmodum equites ſecundi ſcutarii juniores inter vexillationes XXXII. Comitatenſes apud Comitem Africæ ſecundæ ſcholæ appellantur. Hæc una eſt ex XXI. Comitatenſibus legionibus per Thracias in Oriente, qui vocantur *Auguſtenſes.* Nero ad quinque millia Equitum conſcripſit, quos *Auguſtanos* vocavit. Tacit. Annal. XIV. 15. 5. *Tunc primum conſcripti ſunt equites Romani cognomento Auguſtanorum.* Suet. Ner. c. 25. n. 3. *Sequentium currum ovantium ritu plauſoribus, Auguſtianos, militeſque ſe triumphi ejus clamantibus.* Dio LXI. pag. 699. B. Αὐγουστείους vocat. *Panciroll. Notit. Dign. Imp. Occid. c.* 22.

AUGUSTANICA regio extra Dellam, inter Nilum & Arabiam Petream jacet. Ab Ægypto dividit, & Auguſtaneam vocat Gratian. leg. 9. Cod. de Vectigalibus & Commiſſis. *Uſurpationem totius licentiæ ſummovemus circa vectigal Arabarchiæ per Ægyptum atque Auguſtaneam conſtitutam.* Alii *Auguſtamnicam*, id eſt, fluvialem provinciam interpretantur. Ammian. XXII. 16. *Panciroll. Notit. Imp. Orient. c.* 121. *&* 141.

AUGUSTEIS ab *Auguſto* cognominatis erat cattus praſini coloris in alba parma, quem ruber circulus ambiebat, late marginem circumplexus. Geſtus felis eſt, ut currentis, reflexo in dorſum capite. Pier. Hierogl. XIII. 43. Viridis color vigentem dexteritatem Principis ad invadendos hoſtes denotat, quod felis proprium eſt: ſuum magiſtrum peditum ſequuntur. His oriens caret. Legionem Auguſtam cognominatam hoc nomine appellari Agrippa vetuit, quod male contra Hiſpanos pugnaſſet, ut lib. LIV. auctor eſt Dio. Hæc vero fuerunt auxilia *Auguſtea* dicta. *Panciroll. Notit. Dign. Imp. Occid. c.* 21.

AUGUSTEUM legitur in marmore Piſano initio decreti de inferiis Lucii: *Piſis. in. foro. in. Auguſteo. ſcribendo. adfuere.* Poteſt *Auguſteum* exponi forum. Αὐγουστεῖον Suidæ in Αὔγουστος, & ab Auguſto ſic forum vocatum tradit. Medii ævi ſcriptores γουστεῖον: quod forum cupedinarium explicant. Sunt enim guſta cupediæ. Sed abludit hæc interpretatio a Piſana inſcriptione. Forum enim jam dixerant. Cur Auguſteum repeterent? niſi diſcriminis gratia, ut ab alio aliquo foro ſecernerent. Sed τὸ *in* ſupervacaneum. II. *Auguſteum* eſt Prætorium, vel Auguſtale, & domus publica, in quam de more conveniunt

niunt Decuriones ad consulta facienda. Sed hoc *Augusteum* vix digna vox eo seculo *Augusteo*. III. Templum, & puto verius, a cultu Augusti sic dictum, ut Serapeum, Heracleum, & multa id genus. Quin Σεβάστιον, sive *Augusteum* reperio ita appellatum templum Alexandriæ in honorem ejusdem Principis apud Philon. lib. Legat. ad Cajum accurate descriptum p. 1013. & 1034. Nec repugnat Dionis auctoritas, qui LI. p. 458. B. scribit a vivente Augusto nemini permissum condere templum suo nomini dicatum in Italia. Nam *suo communi & Romæ nomine recepit in provinciis*. Suet. Aug. c. 52. n. 1. & indulsit Tarraconensibus. Tacit. Annal. I. 78. 1. & Pergamenis. Tacit. Annal. IV. 55. 6. ut in illorum regionibus templa sibi ponerent. *Chimentell. de Honor. Bisell. c. 7.* Qui duo diversa loca putavit, quæ apud Romanam gentem unus idemque locus prisca religione erant. Nam ædes publica, in quam Romæ senatus, & in coloniis, seu municipiis decuriones ad consultandum conveniebant, erat templum alicui deo dicatum; nefas enim erat in loca non sacra, sed profana senatum convenire. Gell. XIV. 7. *Varro docuit, confirmavitque nisi in loco per augures constituto, quod templum appellaretur, senatusconsultum factum esset, justum id non fuisse; propterea & in curia Hostilia, & in Pompeja, & post in Julia, cum profana ea loca fuissent, templa esse per augures constituta, ut in eis senatusconsulta more majorum justa fieri possent.* Uti vero Romæ senatores in templa coire solebant, ita pariter in coloniis decuriones in sacras ædes decreta facturi conveniebant; nempe in loca per augures constituta, ut decreta justa fieri possent. Auson. Paneg. ad Gratianum; *Non Forum, non basilica olim negotiis plena, nunc votis, votisque pro tua salute susceptis.* Forum quodlibet ex area & basilica constituebatur. Pisis in foro ædes sacra Augusto dicata *Augusteum* dicebatur, in quam decuriones Juliæ Pisanæ obsequentis consultaturi coibant. Gruter. Inscript. p. 355. n. 1. K. JUN. IN. CURIA. BASILICAE. AUG. ANNIAN. SCRIBUND. ADFUER. Qui locus Neapoli *Curia Basilicæ Augustæ* Pisis *Augusteum* dicebatur. Chimentellus veretur *Augusteum* pro domo publica accipere, in quam de more convenirent decuriones ad consulta facienda, quia vix digna vox eo seculo *Augusteo*. At exstat vetus inscriptio p. 227. n. 3.

P. VEIDIUS. P. F. POLLIO
CAESAREUM. IMP. CAESARI
AUGUSTO
ET. COLONIAI. BENEVENTANAI.

Noris. Cenot. Pisan. c. 4.

AUGUSTOBRIGA Sebastiano Munstero auctore ad secundam partem Geogr. Ptolem. est *Augusti* oppidum. *Briga enim*, ait ille, *Hispanorum lingua oppidum dicitur, ut Thracibus bria, Germanis burg.* Est duplex in Hispaniis, in Tarraconensi una, in Lusitanica Hispania altera. Primam celebrem nunc etiam pagum esse monet Ferrarius Lexico Geographico, cui nunc vulgare est nomen *Aldea el muro*. Secundam pagum *Villar de Pedroso* dictum observat. Stephano tamen Lexico Hist. Geogr. Poetico videtur secundam varia sortitam fuisse nomina; alias enim *Medina Cœli*, alias *Burgos*, alias *Villar de Pedroso* eam denominatam observat. *Ursat. de Not. Roman. Thes. Antiq. Roman. Græv. Tom. XI. p. 528. C.*

AUGUSTODUNUM est oppidum Heduorum celeberrimum, olim *Hedua* dictum, in Cemenis situm montibus in provincia Lugdunensi. Nunc *Autun* dictum. Ammian. XVI. 2. magni ambitus civitatem olim fuisse scribit. Loquens de Constantio Imperatore. *Comperit*, inquit, *Augustoduni civitatis antiquæ muros spatiosi quidem ambitus, sed carie vetustatis invalidos.* Panciroll. Notit. Dign. Imp. Occid. c. 32. & 37.

AUGUSTUS natus est IX Kalend. Octobr. C. Antonio & M. Tullio Cicerone Consulibus, anno ab U. C. 691. Suet. Aug. c. 5. §. 1. Vell. Paterc. II. 36. 1. *Consulatui Ciceronis non mediocre adjecit decus natus eo anno D. Augustus.* In marmore Narbonensi apud Gruterum p. 229. exstat inscriptio, in qua indicitur annuum sacrificium faciendum in honorem Imperatoris Cæsaris *Augusti*.

VIII. K. OCTOBR. QUA. DIE. EUM. SECULI.
FELICITAS
ORBI. TERRARUM. RECTOREM. DEDIT

Noris. Cenot. Pisan. Dissert. II. 13. *Panvin. Fast.* I. *p.* 161. Quærunt viri docti, an IX Kalend. Octobris intelligendus sit ex ratione Kalendarii veteris Romani anni Juliani: deinde si IX Kalend. Octobris Pompiliani natus sit *Augustus*, in quem diem Kalendarii Juliani natalis ejus incidat. Dubium enim est, an IX. Kalend. Octobris anni veteris Romani ante emendationem Julianam intelligendus sit dies ille secundum annos Julianos. Si Kalendarium vetus secutum esse Suetonium dicimus, quæritur, in quem diem anni Juliani, ut appellamus, cadat dies IX Kalend. Octobris veteris; sin vero natum *Augustum* dicimus a. d. IX Kalend. Octobris anni Juliani, superest ille inexplicabilis nodus, quomodo Capricornus possit dici ejus horoscopus, cum sit Libra; vel, ut alii volunt, Virgo; & tamen *Augustum* tantam sideris sui fiduciam habuisse Suet. c. 94. n. 24. testetur, ut nummos percusserit, quales imagine Capricorni signati plurimi etiamnum exstant. *Ruben. Dissert. de Natali die Cæsaris Augusti Thes. Antiq. Roman. Græv. Tom.* XI. *p.* 1378. *B. C.* Hunc nodum inexplicabilem variis modis, prout cuique suum pulcrum est, rejectis a se dissentientium sententiis, explicant, vel potius secant *Scalig. de Emend. Temp.* V. *p.* 441. . . . *in Manil. p.* 147. 148. *Epist.* 40. *Petav. de Emend. Temp.* X. 64: XI. 6. *Petit. Observ.* I. 5. *Carrio Emend.* II. 2. *Tristan. Comment. Histor.* I. *Spanhem. de Præst. & Usu numism. Dissert.* III. *Huet. in Manil.* II. *p.* 509. *Buleng. de Imper. c.* 3. *Vendelin. de Augusti die natali. Ruben. l. l. & de Gemma. August. Thes. Antiq. Roman. Græv. ibid. p.* 1343. . . . *Calvis. Chronol. p.* 398. *a.* Horum velitationes quia sunt fusiores, & multas implerent paginas; nobis vero non licet esse tam prolixis, L. B. ad illorum commentarios ablego. Ejus proavus bello Punico II. stipendia in Sicilia Tribunus militum fecit Æmilio Papo Imperatore. Avus Velitris locuples consenuit. Pater Tribunus militum bis fuit, Quæstor, Ædilis plebis cum C. Toranio, Judex etiam quæstionum, & Prætor, & Proconsule Imperator appellatus est ex provincia Macedonia Bessis & Thracibus magno prælio fusis. Suet. c. 2. 3. 4. Dum puer erat, hæsit illi cognomen *Turini*, fortasse, quia pater Octavius fudit fugitivos, qui agrum Turinum occupaverant. Suet. c. 7. n. 1. Quamvis M. Antonius proavum ei restionem ex agro Turino libertinum exprobraverit, & ea de causa identidem eum Turinum appellaverit. Suet. c. 2. n. 9: c. 7. n. 3. Apud Dion. XLV. p. 269. D. *Cæpias* non sine [illegible] ejus cognomen est. *Augustin. de Famil. Roman. in Octavia. Perizon. Anim. Histor. c.* 10. quorum posterior apud Dionem legendum esse putat; Γάϊος ὁ Ὀκταουΐου καὶ Ἀτίας υἱός. Illum C. Julius Cæsar Dictator filium testamento adoptavit, & ea de causa C. Julius Cæsar Octavianus dictus est. *August. de Legibus in Julia de Adulteriis.* Paullo inflexo atque aucto prioris familiæ nomine. Is enim fuit mos apud Romanos, ut qui adoptaretur, nomen ejus, qui adoptasset, acciperet, non nihil immutato vetere suo nomine. Sic qui antea vocabatur T. Pomponius Atticus, factus est per adoptionem Q. Cæcilius Metellus Pomponianus. *Castal. Obelisc. August. Inscr. Expl. Thes. Antiq. Roman. Græv. Tom.* IV. *p.* 1861. *F.* V. supr. in *Æmilianus*. Cognomen *Augusti* tributum est illi a Senatu, *Augustus* septimum, & M. Agrippa tertium Consules cum essent anno ab U. C. 726. La de re Suetonius sic scribit c. 7. n. 4. *C. Cæsaris & deinde Augusti cognomen assumpsit, alterum testamento majoris avunculi, alterum Munatii Planci sententia, cum quibusdam censentibus Romulum appellari oportere, quasi & ipsum conditorem Urbis, prævaluisset, ut Augustus potius vocaretur, non tantum novo, sed etiam ampliore cognomine, quod loca quæque religiosa, & in quibus augurato quid consecratur, augusta dicantur ab auctu, vel ab avium gestu, gustuve, sicut etiam Ennius docet, scribens:*

Augusto augurio postquam inclyta condita Roma est.

Hoc cognomen Idibus Januariis accepisse post orbem ter-

rarum in populi Romani potestatem redactum scribit elegantissime Ovid. Fast. I. 587.

Idibus in magni castus Jovis æde sacerdos
Semimaris flammis viscera libat ovis:
Redditaque est omnis populo provincia nostro;
Et tuus Augusto nomine dictus avus.

609.

Sancta vocant augusta patres: augusta vocantur
Templa, sacerdotum rite dicata manu.
Hujus & augurium dependet origine verbi,
Et quodcunque sua Jupiter auget ope.
Augeat imperium nostri Ducis, augeat annos.

Octavianus propterea appellatus est *Augustus*, non quod, quemadmodum majores a devictis provinciis, vel rebus gestis cognomina invenerunt; sed universo terrarum orbe recepto & pacato venerabili ac divino cognomine sit *auctus*. Itaque irridendi sunt, qui *Augustum* ex eo, quod imperium *auxerit*, dictum volunt. Græci, ut vocabuli vim tenerent, sic verterunt σεβαστὸς, venerabilis, &, ut ita dixerim, adorabilis. Ausonius in Gratiarum actione: *Unus omnium Gratianus potestate Imperator, virtute victor, Augustus sanctitate, Pontifex religione, indulgentia pater.* Castal. ibid. p. 1862. D. Noris. Cenot. Pisan. Differt. II. 8. Calvis. Chronol. p. 415. Panvin. Fast. II. p. 176. *Augustus* quando togam virilem induerit V. infr. in *Toga.* Laticlaviam tunicam sumpserit V. infr. in *Clavus latus* Consulatum primum iniit minor viginti annis, cum per leges non liceret. Etenim cum bellum apud Mutinam proprætor administraret, M. Antonio fugato, ac utroque Consule Hirtio & Pansa acceptis inter dimicandum vulneribus exstincto, quadringentis militibus Romam legatis, illum petere ausus fuerat. Cum vero Patres ambitiosa juvenis postulata rejecissent, quod Consulatus nunquam ab U. C. adolescenti dari consueverat, sed annum tertium supra quadragesimum agenti tantum deferretur, *Augustus* victrices copias Romam rapiens, Consulatum invitis extorsit. Liv. Epit. 119. ait *creatum fuisse, cum annos novendecim haberet.* Suet. Aug. c. 26. n. 2. *vigesimo ætatis anno eum invasisse.* Vell. Paterc. II. 65. 2. *Consulatum iniisse pridie quam viginti annos impleret, x Kalend. Octobris.* Ufferius notat ad annum 3961. mensem integrum cum diebus quinque complendo vigesimo anno defuisse. Natus est *Augustus* anno ab U. C. 691. die 23. Septembris. Consulatum obtinuit die 19 Sextilis anno ab U.C. 711. De mense non sinit dubitare SC. recitatum Macrob. Saturn. I. 12. *Cum Imperator Cæsar Augustus mense Sextili p[illegible] Consulatum iniit.* Diem prodit Dio LVI. p. 590. D. scri[illegible] 14 *Kalend. Septembris, qua die quondam primum Consulatum inierat.* Noris. Cenot. Pisan. Differt II. 2. Castal. Obelisc. August. Inscr. Expl. Thes. Ant. Roman. Græv. Tom. IV. p. 1864. E. Sigon. ad Livium. Suffectus est in locum Pansæ, & in Hirtii locum collegam sibi Q. Pedium cooptavit. Ut patris interfectores ulcisceretur, Q. Pedium legem ferre jussit de quæstione habenda in eos, quorum opera ille occisus erat, postulatique ea lege M. Brutus, C. Cassius, & D. Brutus, qui absentes damnati sunt. Quos cum solus armis ulcisci non posset, cum M. Antonio & M. Æmilio Lepido pace facta, utrumque ex Gallia in Italiam cum exercitibus arcessivit. Qui in agro Bononiensi congressi se Triumviros Reipublicæ constituendæ cum summo imperio v. Kalend. Decembris in quinquennium renuntiarunt. Ab hoc tempore numerandi sunt anni imperii *Augusti*: sed ut æqualis fiat comparatio, proximis Kalendis Januarii anno quarto Juliano labente, inchoandus est triumviratus, ut Romani soliti sunt computare. Itaque annus quartus Julianus habendus est pro primo anno imperii *Augusti*, cum fuerit primus annus triumviratus. *Christmann. de Kalend. Roman. Thes. Antiq. Roman. Græv. Tom.* VIII. *p.* 297. *B.* Tribunus plebis perpetuus ut esset, inter novos honorum titulos, senatus decrevit anno ab U. C. 731 ipso XI & Calpurnio Pisone consulibus. Dio LIII. p. 518. E. Id summi fastigii vocabulum Augustus reperit, ne Regis, aut Dictatoris nomen assumeret, ac tamen appellatione aliqua cætera imperia præmineret. Tacit. Annal. III. 56. I. Potestatem hanc tribunitiam per septem & triginta annos continuasse scribit Tacit. Annal. I. 9. 2. Suscepit illam a. d. v. Kalend. Julii anni modo laudati. Inter eum annum & mortem ejus quinque & triginta paria Consulum ordinariorum interjacent. Quorum annis si cum eo, quo hunc honorem adeptus est, ultimum vitæ ejus addas, exibunt anni septem & triginta. Sed ex illis postremum non toto bimestri, antequam obiret, inchoaverat. *Bosius de Pontif. Max.* II. 2. *Noris. ibid. c.* 15. Pontifex Maximus creatus est anno ab U. C. 741 Tiberio Claudio Nerone & Quintilio Varo Consulibus pridie Nonas Martias. Dio LIV. p. 540. F. Ovid. Fast. III. 419.

Cæsaris innumeris, quem maluit ille mereri,
Accessit titulis Pontificalis honos.

Licet enim victo Lepido, ac Triumviri potestate exuto, potuisset cum vi Senatusconsulti, quod in honorem Julii Senatus fecerat, tum quod Lepidus vitio creatus esset, Pontificatum Maximum invadere, nihilominus sive religione motus, quoniam id sacerdotium, ut ait Appian. Bell. Civil. v. p. 746. ἵνα ἔχειν νενόμισαι μέχρι θανάτε; sive gnarus, vix unquam sine invidia & odio populi aliquid adversus religiones & ceremonias admitti; seu denique quod clementiæ famam aucuparetur, vivo Lepido hanc dignitatem auferre non sustinuit. Suet. Aug. c. 31. n. 1. solo Pontificis titulo contentus. Et defuncto eo Pontifex Maximus factus est annos quinquaginta post quam Julius eundem honorem adeptus erat. *Bosius ibid.* I. I. §. 6. *Castal. ibid. p.* 1863. *B. Panvin. Fast.* I. *p.* 181. Parentem patriæ dicendum esse contestatus est Cicer. Phil. XIII. II. *Si enim ille,* Cæsar Dictator, *parens patriæ est, ut tu appellas; ego quid sentiam, videro: cur non hic,* Octavianus, *parens verior, a quo certe vitam e tuis facinorosissimis manibus ereptam habemus?* Ita *parens patriæ* audivit a Cicerone uno & quadragesimo anno antequam id cognominis a S.P.Q.R. obtineret. Scribit Suet. c. 58. n. 2. *plebem Romanam missa Antium legatione, eum titulum illi obtulisse: & cum recipere recusasset, ineunti Romæ spectacula iterum detulisse, ac mox Senatum in curia per Valerium Messallam, id cunctis mandantibus,* & quidem Nonis Februariis. Ovid. Fast. II. 121.

Dum canimus sacras alterno pectine Nonas,
Maximus his fastis accumulatur honor.

127.

Sancte pater patriæ, tibi plebs, tibi curia nomen
Hoc dedit: hoc dedimus nos tibi nomen eques.

Annum, quo hoc cognomen illi delatum fuerit, haud facile est definire. Goltzius in suis ad Fastos animadversionibus & Claudius Chiflet. de Ant. numm. c. 4. ponunt annum ab U. C. 724 quo ipse quintum gessit Consulatum, ex nummis ab illo Consulatu cusis, in quibus inter cæteros titulos *Patris patriæ* appellatio adscripta legatur. Salianus annum ab U. C. 742 quo putat Herodem primum Romam navigavisse, ut Imperatorem cum S. P. Q. R. *Patrem patriæ* salutaret. Verum illi dicit Ovidius n. 129.

Res tamen ante dedit. sero quoque vera tulisti
Nomina. jam pridem tu pater orbis eras.

Et Hadrianus teste Spartiano c. 6. delatum sibi initio imperii titulum *Patris patriæ* recusavit, quod *hoc nomen Augustus sero meruisset.* Non tamen referendum est hoc, ut retulerunt Panvin. in Fast. II. p. 186. Rupert. Epist. ad Reines. 28. & Casaub. ad Suetonium, ad annum ab U. C. 758. Sed potius ad annum ab U. C. 752 quo decimum tertium gessit consulatum. Indicat hoc Fragmentum Kalendarii apud Gruter. p. 136. n. 2.

. NON. N. CONCORDIÆ
IN. ARCE. FEBRIÆ. EX
SC. QUOD. EO. DIE
IMPERATOR. CÆSAR
AUGUSTUS. PONTIFEX
MAXIMUS. TRIB. POTEST
XXI. COS. XIII. A. SENATU
POPULOQUE. ROMANO. PATER
PATRIÆ. APPELLATUS

Augu-

Augustus tribunitiam potestatem, ut supra dictum, accepit anno ab U. C. 731. v. Kalend. Julias; cum vero quotannis eandem iteraverit, anno ab U. C. 752 Nonis Februariis erat tribunitiæ potestatis xxi, ac Consulatus xiii, quo quidem *Pater patriæ* dictus est. *Noris. Cenot. Pisan.* ii. 8. *Perizon. Anim. Histor. c.* 7. Senatus etiam decrevit, ut pro salute ejus in conviviis vulgo libaretur. *Putean. Reliq. Conv. Prisc. Thes. Antiq. Rom. Græv. Tom.* xii. *p.* 255. *B.* Imperio, & summa rerum ad *Augustum* devoluta, summa quoque votorum & strenarum Januariarum ad eundem devenit. Sub illo illustres istæ strenæ exordium sumpserunt, quibus Senatores & Equites Romani capiti Reipublicæ stipem Januariam sollenni muneri obtulerunt. Suet. c. 57. n. 4. *Omnes ordines in lacum Curtii quotannis ex voto pro salute ejus stipem jaciebant: itemque strenam Kalendis Januariis in Capitolio.* Lipen. de Stren. c. 2. secund. art. §. 1. Vivum veræ laudis testimonio immortalem reddiderunt, & equestri statua honorarunt, qui honor non alii per ccc annos, quam L. Sullæ, & Cn. Pompejo, & C. Cæsari contigerat. Vell. Paterc. ii. 61. 3. *Guther. de Jur. Man.* ii. 35. Et templis in provinciis. V. illa supr. in *Augusteum*. Anno ab U. C. 727 se vii & M. Agrippa iii Consulibus, quum ex S. P. Q. R. voluntate imperium singulare, quod minus ante legitimum videbatur, sibi uni stabilisset, ut ipse popularis videretur, tyrannidisque suspicionem a se amoveret, & tamen firmiorem potestatem sibi posterisque suis præstaret, in illo totius orbis imperio adumbratam quandam popularis potestatis formam instituit, & sibi uni totius imperii curam non deposuit; sed provinciarum populi Romani administrationem una cum senatu & populo communicavit. Quæ enim pacatæ erant & imbelles, atque a terminis Romani imperii longe aberant, militumque præsidiis non indigebant, tradidit populo, qui in eas Proconsules atque Prætores mitteret. Eas vero, quæ militaribus copiis instructæ erant, ut exercitus omnes in potestate sua haberet, sibi retinuit administrandas, tanquam eas quoque pacaturus, pacatasque populo redditurus. Nam cum nomen Imperatoris, hoc est, Ducis militaris, sibi sumpsisset, bella per eum administrari oportebat. In eas itaque legatos suos, procuratores & præsides mittebat. Strab. xvii. p. 578. Dio liii. p. 502. D. Theophil. Instit. ii. *Panvin. Imp. Roman. c.* 19. *Augustin. de Legibus in Julia ambitus. Panciroll. Notit. Dign. Imp. Orient. c.* 140. Quænam vero populi & senatus, & quænam Imperatoris V. infr. in *Provincia*. Hæc tamen Augusti simulatio paullatim evanuit. Namque initio in provincias illas populi de Cæsaris voluntate magistratus eligebantur, deinde ne populus quidem consulebatur, sed omnia ad principis nutum fiebant. *Augustin. l. l.* Potestatem hanc Reipublicæ constituendæ, & harum provinciarum ordinandarum in decennium tantum assumpsit: hoc enim temporis spatio se Rempublicam constituturum affirmavit, addens si citius rem composuisset, citius etiam imperium redditurum. Decennio transacto, quum adhuc res compositæ non essent, tum in quinquennium, ac deinde in alterum quinquennium, post in decennium, post etiam in tertium decennium & petiit & impetravit. Ita ut successione quinquenniorum & decenniorum perpetuo imperium administraverit. Virtutis & moderationis fama tanta fuit, ut Indos etiam ac Scythas auditu modo cognitos pellexerit ad amicitiam suam, populique Romani ultro per legatos petendam. Parthi quoque & Armeniam vindicanti facile cesserunt, & signa militaria, quæ M. Crasso & M. Antonio ademerant reposcenti reddiderunt, obtulerunt, denique pluribus quondam de regno concertantibus nonnisi ab ipso electum comprobaverunt. Hispanias aliasque gentes in Romanorum ditionem redegit, Ægyptum stipendiariam fecit. Pylæmene Rege Paphlagoniam, item Amynta Rege mortuis Galatiam, & Lycaoniam, Pamphiliamque ditionis regiæ ad id tempus, item Pisidas quoque ac Lycios liberas gentes in provinciæ formam redegit. Dio liii. p. 514. D. Cyrenen quæ antea libera fuerat, cum Creta provincia conjunxit. *Panvin. l. l. Streinius in gens Julia.* Janum Quirinum, terra marique pace parta, clusit non tertio, ut ad Suetonium docent Sabellicus & Glareanus, ut a Numa primo, iterum a T. Manlio clausum, *Augustus* tertio clauserit, id est, bis ante *Augustum*, ab *Augusto* semel sit Janus clausus; sed ter. V. infr. in *Templum*. Emendavit annum Pontificum negligentia conturbatum. V. supr. in *Annus Augustanus*. Instituit censum in provinciis. V. infr. in *Census*. Circum maximum restauravit. V. infr. in *Circus*. Oblectabatur omni genere spectaculorum. V. infr. in *Spectaculum*. Adoptavit Cajum & Lucium ex filia Julia nepotes domi per assem & libram emptos a patre Agrippa. Suet. Aug. c. 64. n. 3. quo imperantis familiæ principatum uno & altero successore firmaret, cum a pluribus sibi structas insidias evasisset. Dio liv. p. 533. C. *Hunc, Lucium, & fratrem ejus Cajum Augustus quo tutior esset ab insidiis, non exspectato, dum virilem ætatem attingeret, statim adoptavit.* Noris. Cenot. Pisan. Dissert. ii. c. 1. Prosper Chronic. Thes. Antiq. Roman. Græv. Tom. xi. p. 263. C. Tiberium & Agrippam. *Prosper ibid. E.* Ipso regnante triumphi fuerunt frequentissimi. V. infr. in *Triumphus*. Leges condidit. V. illas infr. in *Lex*. Obiit die 19. Augusti anno ab U. C. 767. *Noris. Cenot. Pisan. Dissert.* iv. *c.* 10. *Defecit in osculis Liviæ, & in hac voce: Livia nostri conjugii memor vive & vale.* Suet. Aug. c. 100. n. 2. *Guther. de Jur. Man.* i. 11. Sepultus in Mausoleo. V. illud infr. in *Mausoleum*. Bifariam laudatus est, pro æde D. Julii a Tiberio, & pro Rostris sub veteribus a Druso Tiberii filio. Suet. Aug. c. 101. n. 7. *Guther. ibid. c.* 24. In cœlum adscendentem a se conspectum jurejurando affirmavit Numerius Atticus. Suet. Aug. c. 101. n. 8. Dio lvi. p. 600. A. *Ruben. Dissert. de Gemm. Tiberian. Thes. Antiq. Roman. Græv. Tom.* xi. *p.* 1335. *A. Panvin. Fast.* i. *p.* 88.

Augusti cognomen & majestas penes unum Imperatorem remanebat posterioribus temporibus, quibus Cæsar dicebatur is, qui consors quidem imperii ab Imperatoribus assumebatur. Erat tamen spes, ut in demortui Imperatoris locum Cæsar succederet. Vivo certe Imperatore & volente, nulli unquam Cæsarum tributum fuisse ideo plenum jus, præterquam Vero & Valenti, Gratianoque testatur Ammian. xxvii. 6. *In hoc negotio Valentinianus morem institutum antiquitus supergressus, non Cæsares, sed Augustos germanum nuncupavit & filium, benevole satis. Nec enim quisquam antehac adscivit sibi pari potestate collegam, præter principem Marcum, qui Verum adoptivum fratrem absque diminutione aliqua auctoritatis Imperatoriæ socium fecit.* Castal. Obelisc. August. Inscr. expl. Thes. Antiq. Roman. Græv. Tom. iv. p. 1862. D. Donat. de Urb. Rom. iii. 4.

Augustus fuit vocatus Sextilis mensis, non quod Augustus eo mense natus, siquidem natus fuit Septembri. V. supr. in *Augustus*, sed ob alias causas non plebiscito modo expressas; sed etiam Senatusconsulto, quod Censorinus refert ad annum Augustanum, victoriæ Actiacæ xx. hoc est xxvii. Julianum, cujus verba apud Macrob. Saturn. i. 12. *Cum Imperator Cæsar Augustus mense Sextili & primum Consulatum inierit; & triumphos tres in Urbem intulerit; & ex Janiculo legiones deductæ, secutæque sint ejus auspicia ac fidem; & Ægyptus hoc mense in potestatem populi Romani redacta sit, finisque hoc mense bellis civilibus impositus sit; atque ob has causas hic mensis huic imperio felicissimus sit ac fuerit; placere Senatui, ut hic mensis Augustus appelletur.* Idem Dio lv. p. 552. C. *Gassend. Kalend. Roman. c.* 3. *Viola de Vet. & Nov. Roman. Temp. Rat. Thes. Antiq. Roman. Græv. Tom.* viii. *p.* 194. *D. Junius de Ann. & Mens. c.* 4. *Lalamant. de Ann. Roman. Thes. Antiq. Roman. Græv. ibid. p.* 278. *E. Mancker. de Intercal.* i. 9. §. 2. *Struv. Antiq. Roman. c.* 8. *p.* 348. *Castellan. de Græcor. mensib. Thes. Antiq. Græc. Gronov. Tom.* ix. *p.* 2003. *G. Panvin. Fast.* i. *p.* 27. Habebat hic mensis ex ordinatione Romuli triginta dies. Numa eum ad viginti novem restrinxit. At Cæsar ad unum & triginta protendit. Nonæ quinto mensis die, Idus vero decimo tertio observantur, *Viola l. l.*

AVI.

AVIARIA cohibebant turdos, pavones, columbas, turtures, luſcinias, merulas, anſeres, anates, phaſianos. In illis haſce alebant maximo numero. Inde eſt gallina altilis apud Mart. XIII. 62. Altile apud Apit. VI. 3. *Pignor. de Serv. p.* 558. Habebant majora quam olim villas. Varr. R. R. III. 3. *Nunc aviaria ſunt, nomine mutato, quod vocantur ornithones, quæ palatum ſuave domini paravit, ut tecta majora habeant, quam tum habebant, totas villas, in quibus ſtabulentur turdi ac pavones.* Meurſ. de Lux. Roman. c. 15.

AVIARIUS erat avium curator & cuſtos. Inſerviebat etiam privatorum luxui. In marmore legitur *Aviarius altiliarius.*

D. M.
OLO. PLUTIO. SUCCESSO
PRISCUS
L. VARI. AMBIBOLI
AVIARIUS. ALTILIARIUS.

Et hic erat, qui *fartor* appellabatur. V. illum infr. in *Fartor.* Pignor. de Serv. p. 558. Reineſ. Inſcript. Claſſ. IX. n. 12.

AVIOLA *Conſularis in rogo revixit, & quoniam ſubveniri non potuerat prævalente flamma, vivus crematus eſt.* Plin. VII. 52. *Moreſt. Pomp. Feral.* I. 11.

AVIS *admiſſiva ab auguribus dicebatur, quæ conſulentem jubebat*, & hortabatur ad agendum, quod animo propoſuerat. Feſtus. Plaut. Aſin. II. I. 10.

Unde ſumam? quem intervortam? quo hanc celocem conferam?

Impetritum, inauguratum 'ſt: quovis admittunt aves.

Liv. IV. 18. *Ut ab auguribus, ſimul aves rite admiſiſſent, ex compoſito tolleretur ſignum.* Lipſ. Antiq. Lect. I. 7. Taubman. in Plautum. Broukhuſ. in Prop. III. 20. 7. Turneb. Adv. XXIX. 31. Muret. in Tibull. I. 4. 19. Briſſon. de Form. I. p. 123. Buleng. de Augur. c. 3. Admittere enim proprie eſt ſinere fieri. Terent. Eun. IV. 6. 23.

Sed tu quod cavere poſſis, ſtultum admittere eſt.

Ubi Donatus: *Admittere, fieri ſinere. Et melius dixit quam pati. Hoc generale eſt. Nam nunc admittere, pati fieri ſignificat.* Dacer. in Feſtum.

Avis alba erat læta & felix. *Buleng. de Augur. c.* 3.

Avis altera in auguriis appellabatur, quæ utique proſpera non eſt. Sic alter nonnunquam pro adverſo dicitur & malo. Feſtus in *Alter.* Felici priori auſpicio vitium faciebat. Augures vero in templo ſedentes ad augurium captandum abſtinebant vocibus male ominatis, ideoque potius alteram *avem*, quam adverſam dicebant. *Scalig. ad Feſtum. Buleng. de Augur. c.* 3. *Thyſ. in Gell. N. A.* I. 12.

Avis ambuſtanea in auguriis erat inauſpicata & infelix. *Buleng. de Augur. c.* 3. *Scalig. in Feſtum in* v. *Buſtum. Thyſ. in Gell. Noct. Attic.* I. 12. Dicitur etiam *incendiaria.* V. illam.

Avis arciva dicebatur, quæ in auſpiciis vetabat aliquid fieri. Feſtus. Eſt ab arcendo. Veteres gloſſæ: *Arcivus*, εἰϱκτικὸς, id eſt, *impeditivus, ineber.* Græci arcivas aves ἀποθυμίες vocant. *Scalig. in Feſtum. Briſſon. de Form.* I. *p.* 123. *Buleng. de Augur. c.* 3.

Avis aſtur, unde nata vox Gallica *Autour*, erat ex numero *avium* prædatricium, quibus veteres ad venandum utebantur. *Buleng. de Venat. circi c.* 4.

Avis candida in auguriis erat auſpicata, bona, & felix. *Buleng. de Augur. c.* 3.

Avis carnivora inter prodigia obſervabatur. Flor. IV. 7. 7. *Sed nec tum imminentia cladis deſtinatæ ſigna latuere. Nam & aſſuetæ cadaverum pabulo volucres caſtra quaſi jam ſua circumvolabant.* Buleng de Prodig. c. 61.

Avis clivia dicebatur a clivo. Clivus vero locus arduus. Et clivia auſpicia dicebant, quæ aliquid fieri prohibebant. Omnia enim difficilia clivia vocabant. Feſtus. Plin. X. 14. *Cliviam avem ab antiquis nominatam animadverto ignorari. Quidam clamatoriam dicunt, Labeo prohibitoriam.* Auguſtin ad Feſtum. Briſſon. de Form. p. 123. Buleng. de Augur. c. 3. Thyſ. in Gell. N. A. I. 12. Laurent. Var. ſacr. gentil.. c. 1.

Avis illex, παλευτρία. Παλεύειν, illicere. Illis veteres ad aucupia utebantur. *Buleng. de Venat. Circ. c.* 4.

Avis incendiaria vocatur Obſeq. de Prodig. c. III. *Avis incendiaria viſa & occiſa.* c. 100. *Avis incendiaria in Urbe viſa.* Omen erat incendii. Servius in Fragmentis. *Sane bubo ſi cujus ædes inſederit, & vocem miſerit, mortem ſignificare dicitur. Si autem de buſto ſudem ad tectum detulerit, incendium ædibus portendere.* Plin. X. 13. *Propter illam ſæpe numero luſtratam Urbem invenimus in Annalibus, ſicut L. Caſſio, C. Mario Conſulibus. Quæ ſit avis ea, nec reperitur, nec traditur. Quidam ita interpretantur, incendiariam eſſe, quæcunque apparuerit carbonem ferens ex aris, vel altaribus. Alii ſpinturnicem eam vocant.* Briſſon. de Form. I. p. 123. Thyſ. in Gell. N. A. I. 12. Pitiſc. in Suet. Claud. c. 22. n. 2. §. 5. Spinturnicem eandem eſſe cum incendiaria non dubito. Græco enim nomine dicta eſt παϱὰ τὸν σπινθῆϱα, quod carbonem ex rogo, aut ex altari in ædes inferret. σπινθὴϱ eſt ſtrictura ignis. *Scalig. in Feſtum voc. Buſtum. Thyſ. l. l. Buleng. de Augur. c.* 3. *Demſter. Paralip. ad Roſin. Antiq. Roman.* V. 39.

Avis inebra, quæ in auguriis aliquid fieri prohibebat. Et prorſus omnia inebra appellantur, quæ tardant, vel morantur agentem. Feſtus. Gloſſarium. *Enibra*, ἐνάντια. *Enibrum*, πϱάγματ© ἐπιϐλαϐὲς. *Eniber picus*, ὄϱνις πονηϱά. *Inebra*, ὄϱνεον μαντευτικόν. Servius in Fragmentis: *Certa genera avium ab auguribus appellantur, quæ pennis, vel volatu omina poſſunt facere: quæ ſi fuerint proſperæ, præpetes, ſi adverſæ, inebræ dicuntur.* Scalig. in Feſtum voc. Inebræ & Enubro. Thyſ. in Gell. N. A. I. 12. Buleng. de Augur. c. 3.

Avis infera eſt adverſa, inauſpicata, infelix. Servius. Sed *præpetes aut ſuperiora tenent, & præpetes vocantur: aut inferiora, & dicuntur inferæ.* Buleng. de Augur. c. 3. Briſſon. de Form. I. p. 123.

Avis inhiba, quæ prohibet. Iſidor. XII. 7. *Alites ſi adverſæ ſunt, inhibæ dicuntur, quod inhibeant, id eſt, vetent.* Buleng. de Augur. c. 3.

Avis Numidica cum Meleagridibus licet nonnulli confundant, & ajant eſſe, quas nunc Indicas gallinas vocitamus, certe ab illis eſt diſtinguenda. Suadet hoc Colum. VIII. 2. *Africana eſt, quam plerique Numidicam dicunt, Meleagridi eſt ſimilis, niſi quod rutilam galeam, & criſtam capite gerat, quæ utraque ſunt in Meleagride cœrulea.* Ejus pennæ ſunt nigræ; ſed albis guttis conſperſæ. Mart. III. 44. 15.

Et picta perdix, Numidicæque guttatæ.

Caſtellan. de Eſu Carn. IV. 6. Kobierzyck. de Lux. Roman. II. 11. Pitiſc. in Suet. Cal. c. 22. n. 9. §. 35.

Avis remora in auſpiciis dicitur, quæ acturum remorari compellit. Feſtus. *Buleng. de Augur. c.* 3. *Briſſon. de Form.* I. *p.* 123. *Laurent. var. ſacr. gentil. c.* 1.

Avis ſecunda in auſpiciis dicitur, quæ auſpicata & felix. Liv. VI. *Deos eſſe qui ſecundis avibus in prœlium miſerunt.* Ennius:

Hinc Remus auſpicio ſe devovet, atque ſecundam
Solus avem ſervat.

Buleng. de Augur. c. 3.

Avis ſiniſtra erat in auſpiciis proſpera. Serv. Æneid. II. 693. *Siniſtrum proſperum, quia cœleſte eſt. Siniſtrum autem a ſinendo dicitur, quantum ad augurium pertinet, quod nos agere aliquid ſinat.* Feſtus: *Siniſtræ aves, ſiniſtrumque & ſiniſtimum auſpicium, id eſt, quod ſinat fieri. Varro Epiſt. Quæſt.* V. *A Deorum ſede cum in meridiem ſpectes, ad ſiniſtram ſunt partes mundi exorientes, ad dextram occidentes; factum arbitror, ut ſiniſtra meliora auſpicia, quam dextra eſſe exiſtimentur.* Briſſon. de Form. I. pag. 113. Plutarch. Quæſt. Rom. 77. & ad illum Boxhornius. Buleng. de Augur. c. 2. Turneb. in Cicer. de Leg. III. p. 184. V. ſupr. in *Augurandi modus.*

Avis ſupervaganea ab auguribus dicebatur *avis*, quæ ex ſummo cacumine vocem emiſiſſet, dicta ita, quia ſuper omnia vagatur, aut canit. Feſtus. Virg. Æneid. v. 254.

—— quem præpes ab Ida
Sublimem rapuit pedibus Jovis armiger uncis.

Buleng. de Augur. c. 4. Struv. Antiq. Roman. c. 6. p. 262.

Avis Titia dicta eſt avis, *quam in auguriis certis ſolebant ſodales Titii obſervare.* Varr. de Ling, Latin. IV. 15. *Briſſon. de Form.* I. *p.* 123.

Avis Volſgra, quæ ſe unguibus & roſtris vellebat, & ſe vellendo auſpicium faciebat. Stat. Theb. III. 513.

—— ſimul ora recurvo
Ungue ſecant rabidæ, planctumque imitantibus alis
Exagitant zephyros, & plumea pectora cædunt.

Homer. Odyſſ. B. 153.

Lamantes vero unguibus maxillas.

Buleng. de Augur. c. 3.

Avium tria erant genera; alites, quæ volatu: oſcines, quæ cantu: pulli, qui tripudio ſigna dabant rerum futurarum. Cicer. Fam. VI. 6. *Non igitur ex alitis volatu, nec ex cantu ſiniſtro oſcinis, nec ex tripudiis ſoliſtimis tibi auguror.* Manut. de Leg. Roman. c. 36. Linguam vocant, quia aves inter ſe loqui, & ſermonem earum ab auguribus quibuſdam intelligi putant. Martianus Capella. *Et volucrum diverſos meatus, & oſcinum linguas, & præpetis omina pennæ.* Philoſtr. I. 14. *Eo ſapientiæ proceſſerat, ut Arabum more voces animantium intelligeret.* Eſt enim hoc commune Arabibus, ut *aves* intelligant divinantes, quæ oracula monere ſolent. *Conjiciunt autem brutorum voces, cum draconum cor, aut hepar comederint.* Plin. X. 49. *Qui credit iſta, & Melampodi profecto aures lambendo, dediſſe intellectum ſermonis dracones non abnuet: vel quæ Democritus tradit nominando aves, quarum confuſo ſanguine ſerpens gignatur, quem quiſquis ederit intellecturus ſit avium colloquia.* Buleng. de Augur. c. 4. Cerebella fibris ademptis per collum tranſmiſſa in pretio fuerunt. Suet. Vitell. c. 13. n. 5. *In hac phaſianorum & pavonum cerebella.* Lamprid. Heliog. c. 20. *Exhibuit & Palatinis ingentes dapes refertas cerebellis phœnicopterum & turdorum.* Buleng. de Conviv. II. 24. Pitiſc. in Suetonium.

Aves, eas præſertim, quas defunctis cariſſimas fuiſſe conſtabat, in rogum mittere ſolebant. Plin. Epiſt. IV. 2. *Habebat puer luſcinias, pſittacos, merulas, omnes Regulus juxta rogum trucidavit, nec dolor erat ille, ſed oſtentatio doloris.* Moreſtell. Pomp. Feral. VII. 4. Sicubi nidularentur, vulgo dirum fuit. Liv. XXXIV. 10. *Lanuvii in æde intus Soſpitæ Junonis corvos nidum feciſſe.* XXVII. 4. *Aves in luco Dianæ nidos in arboribus reliquerunt.* Buleng. de Prodig. c. 64. Anteſiniſtræ, poneſiniſtræ, antedextræ, ponedextræ una voce quæ dicantur V. ſupr. in *Anteſiniſtra.* Ad ſpectaculum minio colorabantur. Varr. de Re ruſt. III. 9. *Sed Africanæ adſpectu, ac facie incontaminata in ornatibus publicis ſolent poni cum pſittacis, & merulis, item aliis id genus rebus inuſitatis.* Fortaſſe hoc factum in ſtruthionibus etiam, niſi colorem nativum minii hiſce avibus appinxeris. *Argol. in Panvin. de Lud. Circ.* II. 3. *Aves* nocturnas & infauſtas, veſpertiliones, & ferales bubones foribus domus expiandæ veteres affigebant, & nos hodie affigimus. Apul. Metam. III. p. 193. *Quid? quod iſtas nocturnas aves, cum penetraverint larem quempiam, ſollicite prehenſas foribus videmus affigi, ut quod infauſtis volatibus familiæ minantur exitium, ſuis luant cruciatibus.* Schott. Obſerv. I. 12.

AUL.

AULA, ut ſcribit Athen. V. p. 189. eſt *locus ſubdialis ac perflatilis.* Homerus voce ἀυλῆς ſic ſemper eſt uſus. Sunt tamen loca, ubi interpretentur atrium, hoc eſt, prægrande illud triclinium, quod vulgo ſalam dicimus. Ait quoque Athenæus, Homeri poſteros vocem hanc uſurpare pro regia, ſive domo Principis, quomodo Menandrum & Diphilum uſos comprobat. Rationem appellationis addit; nempe, vel quod ante hujuſmodi domos ſint loca iſta ſubdialia, quæ ἀυλὰς proprie dici dicebamus: vel quod ſatellites in regiis *aulis* ſoleant παραυλίζεσθαι, hoc eſt, excubare. *Voſſ. Lex. Etymol. Buleng. de Imperat. Roman.* II. 17.

Aula Adonidis. V. illam infr. in *Horti.*

Aula Auguſtana, ſedes imperii Romani, fuit in monte Palatino. Ab Auguſto enim deinceps omnes Romani Imperatores in Palatio habitaverunt. *Aulam* Palatinam, in qua Imperatores poſtea habitarunt, primus in domo Hortenſiana inſtituit Cæſar Auguſtus. Suet. c. 72. n. 2. *Habitavit poſtea in Palatio, ſed nihilominus ædibus modicis Hortenſianis, & neque laxitate, neque cultu conſpicuis, ut in quibus porticus breves eſſent Albanarum columnarum, & ſine marmore ullo aut inſigni pavimento conclavia, ac per annos amplius quadraginta eodem cubiculo hyeme & æſtate manſit.* Eam incendio abſumptam reſtituit Auguſtus c. 57. n. 5. *Panvin. Imp. Roman. Theſ. Antiq. Roman. Græv. Tom.* III. *p.* 272. *E.*

Aulæ fuerunt in templis, ut in tribunalibus ſepta, quæ turbas prohiberent. *Guther. de Jur. Pontif.* III. 9.

AULÆUM eſt *genus veſtis peregrinum.* Non. XIV. 4. Rectius eſt genus veli peregrini, & quidem pretioſiſſimi. Attalicum *aulæum* vocat Val. Max. IX. I. *Quid enim ſibi voluit princeps ſuorum temporum Metellus Pius, tunc cum in Hiſpania adventus ſuos ab hoſpitibus aris, & thure excipi patiebatur, cum Attalicis aulæis contectos parietes læto animo intuebatur?* Ræward. Var. V. II. Illo parietes *aulæum* veſtiuntur in lautioris convivii apparatu. Stat. Theb. I. 518.

Emunire toros, altoſque inferre tapetas.

Et quod lecticis cubitoriis inſternitur. Virg. Æneid. I. 701.

—— Aulæis quum jam ſe Regina ſuperbis
Aurea compoſuit ſponda.

Ubi Servius. *Aulæis, velis pictis, quæ ideo aulæa dicta ſunt, quod primum in aula Attali Regis Aſiæ inventa ſunt. Ideo autem etiam in domibus pendebantur aulæa, ut imitatio tentoriorum fieret: ſub quibus bellantes ſemper habitavere majores. Unde & in thalamis hoc fieri hodie conſpicimus. Varro tamen dicit vela ſolere ſuſpendi ad excipiendum pulverem, quia uſus cameræ ignorabatur.* Unde Horat. Sat. II. I. 54.

Interea ſuſpenſa graves aulæa ruinas
In patinas fecere, trahentia pulveris atri
Quantum non aquilo Campanis excitat agris.

Mercur. Art. Gymn. I. II. Salmaſ. in Vopiſc. Firm. c. 3. Gyrald. de Poet. Dialog. VI. pag. 337. C. Pitiſc. in Curt. VIII. 5. 21. In feminino uſi ſunt Apulejus ex emendatione Beroaldi Metam. V. p. 167. *Subde aliquo claudentis aulææ tegmine lucernam.* Curt. VIII. 5. 21. *Rex poſt aulæam, quæ lectos obduxerat, ſtabat.* In Græcis enim eſt ἀυλαία. Servius l. l. *Sciendum Græca nomina in η exeuntia, cum derivationem faciunt, η in æ diphthongum convertere, ut ἄυλη, aulæa.* Suidas. Ἀυλαία τὸ τῆς σκηνῆς περιπέτασμα. Pollux IV. 19. Ἔξεσι καὶ τὸ περιπέτασμα ἀυλαίαν καλεῖν. *Pitiſc. l. l.* Erat etiam velum mimicum, ſive tragicum, quod in ludis ſcenicis ſolebat tendi. Cicer. pro Cœl. c. 27. *Deinde ſcabella concrepant, aulæum tollitur.* Apul. Metam. I. pag. 16. *Aulæum tragicum dimovero.* Vela enim theatro obducebantur, & reducebantur pro commodo actuum, ne ſpectatoribus omnia paterent. Donatus de Comœdia & tragœdia: *Aulæa in ſcena intexta ſternuntur, quod pictus ornatus erat ex Attalica regia Romam uſque perlatus, pro quibus ætas poſterior ſiparia accepit.* Juven. Sat. VI. 67.

—— Quoties aulæa recondita ceſſant.

hoc eſt, quoties non luditur. Singula e ſcenæ umbraculis in proſcenium ordine prodibant, nec fuit integrum in ſcenam irrumpere trans *aulæa*, ut retegerentur qui laterent. Syneſ. II. de Pronoea: *Spectator qui ſuo loco exſpectat ea quæ oſtenduntur, ſingulatim ordine prodeuntia ex umbraculis, modeſtus eſt. Quod ſi per vim irrumpat in ſcenam, & quod dicitur, in id quod latet oculos emiſſitios inferat, poſtulans confertim apparatum omnem per proſcenium intueri, in hunc Hellanodicæ maſtigophoros armant.* Buleng. de Theatr.

I. 28. Turneb. Adv. v. 4. Meurf. Attic. Lect. I. 18.

AULICOCIA, five aulicoqua dicebantur exta, quæ in ollis coqui folebant. Feftus. *Aulas antiqui dicebant, quas nos dicimus ollas: quia nullam literam geminabant. Itaque aulicoqua exta, quæ in aulis coquebantur, dicebant; id eft elixa.* Turneb. Adv. XXII. 2. Stuck. de Sacrif. p. 195. Saubert. de Sacrif. c. 20. Grapald. de Part. Dom. IV. 12.

AULIS infula eft in Ægæo mari, in qua conjurarunt Græci, fe non ante reverfuros ad patriam, quam Troja caperetur. Serv. in Æneid. IV. 425.

> *Non ego cum Danais Trojanam exſcindere gentem*
> *Aulide juravi.*

Mela II. 3. *Aulis, Agamemnonia Grajorumque claffis in Trojam conjurantium ftatio.* Freher. Cecropiftrom. Thef. Ant. Roman. Græv. Tom. IX. p. 1160. E.

AULIUS ab *Aulo* certe defcendiffe videtur. *Sigon. de Nom. Roman. c. 4.* Gens *Auliorum* & fuit Romæ ab ipfo prænomine deducta, &, ut fcribit Panvinius, anno ab U. C. 432 exftitit Conful cum C. Sulpino Longo Q. *Aulius* Q. F. Cerretanus. *Ferret. Muf. Lap. II. Memor. 32.*

AULUS paffim in monumentis. Unicum A ante gentilium nomen tam viri quam mulieris exiftens prænomen denotat utriufque fexus. *Urfat. de Not. Roman. Thef. Ant. Roman. Græv. Tom.* XI. *p.* 524. *F. Sigon. de Nom. Roman. c.* 3. Quandoque tamen vulgatiffimum hoc prænomen pro nomine gentilitio invenitur in monumentis. Gruter. Infcript. p. 114. n. 1.

PRO. SA. . . . .
ANTONINI. AV. PII. F.
P. AULUS. P. F. PALATINA
POSTUMIUS. ACILIANUS
PRÆF. COH. I. DELMATAR

Urfat. ibid. p. 525. *A.*

Aulus Gellius in rerum antiquarum veritate perfcrutanda, omnium prope fcriptorum confenfu, fuit diligentiffimus. *Alfar. de Invid. & Faft. Vet. Thef. Antiq. Roman. Græv. Tom.* XII. *p.* 893. *D.* Hunc Gellium, an Agellium dicemus? Agellium conftanter libri fcripti, etiam illud optimæ notæ fragmentum Gifelini appellant: *Agellii Noctium Atticarum liber* x. *explicit.* Prifcianus etiam nomina propria deducit, a fervo Servilius, ab agello *Agellius.* Lipf. Epift. Quæft. v. 8. Antiq. Lect. I. 10. De libris manufcriptis, quos *Agellium* habere affirmat Lipfius, mirari fatis non poffum. Ubique locorum invehitur in ignaros librarios, eorum accufat negligentiam, carpit ofcitantiam, qui verba commutent, pervertant fententias, addant, demant, fufque deque plurima non raro agant: & tamen hic non animadvertit exiguum eorum erratum, qui nomina disjuncta uno calami ductu copulant: aut qui puncto medio duo nomina non fejungunt. Nam ex *A. Gellius* dempto puncto fit *Agellius*, & puncto adfcripto migrat in *A. Gellium.* Neque vero *g* litera, minufculo charactere fcripta, faceffit negotium. Nam in uno eodemque libro Vaticano, qui folus habet *Agellius*, modo *Agellius* fcriptus eft per *g* minufculam, modo per majufculam, ita *A Gellii* liber quartus. Unde conftat plane ofcitantes fuiffe librarios, nec de majufculis, ut minufculis literis, multo minus de punctis laboraffe: nemo enim non videt, *A gellii* interpretandum effe *Auli Gellii*, & puncto intermedio fejungendum, affentientibus omnibus aliis Vaticanis libris, quorum plerique habent *Auli Gellii Noctes Atticæ*, prænomine fcilicet omnibus literis fcripto: alii *A Gellii*, prænomine ex antiquo more exarato per unicam literam A. puncto terminatam. *Ab agello*, auctore Prifciano, *fiant Agellii* fexcenti: non recufo: fed nihil ad rem hoc pertinet; nihil ad *A. Gellium* Noctium Atticarum fcriptorem. Nam Prifcianus folam docet *agellii* ab *agello* derivationem, non vero probat, *Agelliam* effe Romanam familiam; multo minus auctorem noftrum *Agellium* dicendum effe. Ego antiquum *Auli Gellii* nomen retinendum effe nullus dubito. Id ut credam, faciunt fex Vaticani codices impreffi libri omnes, & Romanus ufus. Etenim, ut hinc exordiar, *Agelliam* familiam vix, imo ne vix quidem apud Romanos reperies, *Gelliam* vero apud Ciceronem, Livium, Dionyfium, Valerium, Plutarchum, Afconium, Faftos Capitolinos. Accedit, quod fi *Agellii* nomine gentilicio appellandus eft (nam quæ in IUS definunt, gentilicia funt) prænomen ei neceffario imponendum. Neque enim fieri poteft, ut quifpiam prænomine, hoc eft, proprio nomine careat. At *Agellii* prænomen apud neminem videre eft veterum, aut recentiorum auctorum: ergo neceffario fequitur, ut *Aulus* fit prænomen, *Gellius* nomen gentilicium. *Petrus Servius Juven. Feriar. c. 2. Lambec. apud Thyf. in A. Gellii Præfationem, Prouft in operis Propylæo de A. Gellii nomine, Malvaf. Marm. Felfin. Sect.* VIII. *c.* 8. In utramque partem de hac quæftione difputat *Barth. Adv.* XXXV. 7. Sed de illa contendere nolunt *Nardin. Rom. Vet.* I. 4. & *Alfar. l. l.*

AUM.

AUMICIAM vulgo vocant amictum pelliceum, quo tempore æftivo utuntur facerdotes, qui Canonici dicuntur, quum in ædis choro fedentario divinos Davidis verfus alternis ultro citroque vicibus decantant. *Bayf. de Re Veft. c.* 16. Vocabatur etiam *Almucia* & *Almucium.* Primitus capita operuit, ita ut a capite pellis pars retro penderet, quæ collum tegeret; pars vero ea, quæ caput operiebat, formæ fuit quadratæ, & quatuor veluti cornua effinxit: quod licet infpicere in antiquis picturis Canonicorum, in Regefto cameræ Comput. Parif. Atque hinc jam licet haurire, unde ejufmodi pileorum, vulgo *Bonnets quarrez* appellamus, ufus fluxerit, qui non alii funt quam *aumiciarum* pars, quæ caput tegebat, refecta cauda, quod quidam pauci, opinor, hactenus adverterunt: iique tum obtinuerunt, cum *almuciæ* vel in brachiis, vel fupra humeros geftari cœpere. *Du Frefne Gloffar. Tom.* I. *p.* 142. Fuit etiam monachorum laicorum, tum virorum, tum mulierum. *Idem ibid. p.* 141.

AVO.

AVONIA gens. V. illam infr. in *Gens.*

AUR.

AURARIA eft auri fodina. Tacit. Ann. VI. 19. I. *Aurarias ejus, quamquam publicarentur, fibimet Tiberius fepofuit.* Ægyptiorum fuit inventum. Diodor. I. *Quorum Reges omnes criminis damnatos, item ex hoftibus captos, five quis Regem offendiffet, ipfum & totam cognationem interdum, auro effodiendo deputabant: fimul & facinorum pœnam fumentes, fimul & quæftum uberem ex eorum labore capientes.* De illis Caffiod. Var. IX. 3. *Cameris ingeniofa præfumptione revolutis, talpinum animal imitantes, itinera fodiunt, quæ nullis antea patuerunt. Intrant caligines profundas, vivunt fine fuperis, exulant a fole: & dum fub terris compendia quærunt, nonnunquam lucis gaudia derelinquunt.* Hi tali numero apud Romanos, ut Polybius ad Carthaginem Novam fodinis in Hifpania *non minus quadraginta millia hominum* afferat in fragmentis *affidue in opere verfari.* Plin. XXXIII. 4. notat *cenforiam legem Ictimulorum aurifodinæ fuiffe in agro Vercellenfi, qua cavebatur, ne plus quinque millia hominum in opere publicani haberent*, ne in una conductione totum aurum exhaurirent. *Lipf. de Magnit. Roman.* II. 5. Unde patet libera Republica a Cenforibus fuiffe locata. Plerumque, quia ex illis maximæ opes extrahebantur, in Principum patrimonium tranfierunt. Strab. III. p. 102. *Sunt autem & nunc argentariæ, non quidem publicæ, neque illis, neque aliis in locis, fed in privatorum poffeffiones demigrarunt. Aurariæ vero fifci habentur ut plurimum.* Lipf. l. l. Burman. de Vectig. Differt. 6. Habuerunt pulcerrimas & fœcundiffimas varie, ut in Hifpaniis, Galliis, Norico, Salaffis, Illyrico, Pannonia, Thracia, Macedonia, Proconnefo. Habuit & Italia, putavitque Plinius aliam nullam fœcundiorem metallorum quoque tellurem effe: fed interdi-

cto Patrum cautum, ut ei, velut parenti, parceretur. *Lipf. l. l.*

Auraria, χρυσαργύριον, tributi genus, quod Conſtantinus inſtituit, ſi Zoſimo II. 38. 6. credimus: quæ *auraria collatio* dicta eſt lib. 13. Cod. Theod. Tit. de Luſtral. Collat. *Guther. de Offic. Dom. Aug.* III. 18. *Urſat. de Not. Roman. Theſ. Antiq. Roman. Græv. Tom.* XI. *p.* 815. *B.* V. infr. *Aurum Negotiatorum.* Aurifodinæ enim etiam privati fuerunt juris. Diſcimus hoc ex Ammian. XXXI. 6. *Quibus*, inquit, *acceſſere ſequendarum auri venarum periti non pauci, vectigalium perferre poſſe non ſufficientes ſarcinas graves.* Ex hoc loco maximum vectigal, inde Imperatori præſtari ſolitum, colligitur, quantum vero fuerit, definiri anceps eſt, nec videtur æquale ex omnibus metallis exactum, ſed pro venarum fœcunditate, vel ſterilitate definitum. *Burmann. de Vectig. Diſſert.* 6.

AURATA piſcis, χρυσόφρυς, in capite *auri* colorem refert. Oppianus:

Ἀγλαΐη χρυσόφρυς ἐπώνυμος.

Ovid. Halieut. n. 109.

—— *& auri*
Chryſophrys inviolata decus.

Mart. XIII. 90. 1.

Non omnus laudem pretiumque aurata meretur;
Sed cui ſolus erit concha Lucrina cibus.

Buleng. de Conviv. II. 37.

AUREA *eſt frenum, quod ad aures equorum religatur.* Feſtus. *Scheffer. de Re Vehic.* I. 13. *Buleng. de Circo c.* 16.

Aurea domus Neronis. V. illam infr. in *Domus.*

Aurea mala. V. illa infr. in *Heſperidum.*

Aurea pocula. V. illa infr. in *Pocula.*

AUREÆ pateræ. V. illas infr. in *Patera.*

Aureæ ſtatuæ. V. illas infr. in *Statua.*

AURELIA aqua. V. illam ſupr. in *Aqua.*

Aurelia gens. V. illam infr. in *Gens.*

Aurelia porta. V. illam infr. in *Porta.*

Aurelia via. V. illam infr. in *Via.*

AURELIANUS Imperator habitavit in hortis Salluſtianis. Vopiſc. c. 49. *Diſplicebat ei, quum eſſet Romæ, habitare in Palatio, ac magis placebat in hortis Salluſtii, vel in Domitiæ vivere.* Argol. in Panvin. de Lud. Circ. I. 20. *Adhibito ſenatus conſilio muros urbis Romæ dilatavit.* Teſtem habemus Vopiſcum. Ut nimirum Urbis ſecuritati proſpiceret, *cum videretur poſſe fieri, ut tale aliquid iterum, quale ſub Gallieno evenerat, proveniret.* Nardin. Rom. Vet. I. 4. Ac I. quidem ædificia tam magnifica & ſplendida, quæ in Campo Martio erant, mœnibus Urbis incluſit, allecto ſcilicet Colle Hortulorum, qui magnam ejus partem amplexus, flexu ſuo verſus Tiberim, ubi nunc porta populi eſt, introitum Urbis coartabat: & fortean multo etiam magis quam nunc, ſi porta populi tempore Beliſarii, ut Procopius refert, in anguſtiis ſita fuit. Atque ita ſylvam etiam, quam Auguſtus pone Mauſoleum ſuum ſeverat, totam mœnibus incluſit, qui ultimus finis fuit ſumptuoſarum illarum in Campo Martio ſubſtructionum. II. Inter portas Salariam & S. Laurentii ambitum aggeris a Servio Tullio facti uſque in ſitum, qui nunc eſt, protulit. III. Inter portam majorem & Monaſterium S. Crucis in Hieroſolymis alicujus forte grandioris ædificii imminens vicinia cauſa fuit, ut mœnia ſecundum æquæductum aliquantulum in illum angulum extenderentur. IV. Inter portas Marranam, Latinam, & S. Sebaſtiani, ut ex parte ingens ille ſinus evitaretur, quem mœnia iſthic introrſum inter Cœlium & Aventinum reducta faciebant: utque omnia, quæ illic intermedia erant, ædificia in tuto collocarentur, ipſa muniendi ratio poſcere videbatur, ut *Aurelianus* colliculo, qui intermedius eſt, uteretur, & linea recta murum novum duceret, vetere illo multo breviorem. V. A porta S. Paulli ad flumen, relicto Aventino, muro per planitiem via recta ducto, multo minore mœnium tractu illud collis Teſtacei ſpatium, porticuſque, & cætera ædificia, ob appellentium ibidem in ripa navium commoda exſtructa, magno cum compendio incluſa fuere, & munita. VI. Neceſſitas in Tranſtiberina regione exigebat, quo mœnia iſta cum illis, quæ in altera ripa erant, conjungerentur, atque ita quatuor fluvio immiſſi pontes intra ipſorum ambitum includerentur, ut tam ab hac, quam ab illa parte, ad portam Septimianam, & ad Portuenſem, ab Urbano VIII. poſtea deſtructam, in adverſa ſibi ripa objectas, producerentur. *Nardin. ibid. c.* 8. Ejus murus eidem pænæ glebæ, cui hodiernus, incumbebat: niſi quod & caſtrum Prætorium, & amphitheatri caſtrenſis extimam partem, hodie excluſa includeret, & Burgum Vaticanum excluderet hodie incluſum. *Borrich. Ant. Urb. Fac. c.* 1. §. 5. *Nardin. l. l.* Vetuit ideo milites, qui erant in exercitu, aruſpicibus quicquam dare, ne forte ad gratiam militum loquerentur, aut mentirentur, apud Vopiſcum in Epiſtola Aureliani: *A medicis milites gratis curentur, aruſpicibus nihil dent.* Buleng. de Sort. c. 6. Templum Soli poſuit. V. infr. in *Templum.* Et Circum. V. infr. in *Circus.*

AURELII, quamquam plebeji, a Sabinis Romam venerant, de quibus Feſtus: *Aureliam familiam ex Sabinis oriundam, a Sole dictam putant, quod ei publice a populo Romano datus ſit locus, in quo ſacra faceret Soli.* Hæc gens cognomina Cottæ, Oreſtis, & Scauri tulit, quæ conſularis, cenſoria, & triumphalis fuit. *Panvin. de Nom. Roman. Theſ. Antiq. Roman. Græv. Tom.* II. *p.* 2005. *Sigon. de Nom. Roman. c.* 4. Licet nomen gentilitium Romæ fuerit, prænominis tamen loco aliquando ſtetit in monumentis tam viri, ut eſt apud Gruter. Inſcript. p. 312. n. 2.

TERENTIÆ
FLAVOLÆ. V. V
MAXIMÆ
AUR. JULIUS. BAL
BILUS. SAC. SOL
OB. PLURA. EJUS
IN. SE. MERITA

quam mulieris, ut p. 374. n. 4.

C. BASILIDES. EQ. R
ET. AUR. VIBIA
VIBIANÆ. MATRONÆ

nec non & loco cognominis; ut p. 26. n. 10.

CERERI. SACRUM
L. AP. . . . . . BAL. ET
P. STATIUS. P. F. PAL. AURELIUS. II. VIR

Urſat. de Not. Roman. Theſ. Antiq. Roman. Græv. Tom. XI. *p.* 225. *B.*

M. AURELIUS quartam adverſus Chriſtianos exercuit perſecutionem. Quamobrem in imperium Romanum iram Dei provocavit, quo factum eſt, ut continuo immiſſa peſtis adeo per Italiam & provincias ſævierit, ut urbes civibus orbæ, & agri colonis exhauſti ſolitudinis vaſtiſſimæ ſimiles redderentur. Exercitus quoque ea lues delevit & abſumpſit. Hac neceſſitate impulſus *Aurelius* ingruente bello Marcomannico novos delectus habuit, ſine ullo ſtatus, nationis, cultus, aut profeſſionis diſcrimine, ut ſcribit Capitolinus. Hæc ſane potiſſima fuit cauſa, qnamobrem & Chriſtiani in exercitu Imperatoris *M. Aurelii* fuerint, & eorum perſecutio refrixerit. *Caſtal. de Columm. Triumph. Theſ. Antiquit. Roman. Græv. Tom.* IV. *p.* 1947. *D. Proſper Chron. Theſ. Antiq. Roman. Græv. Tom.* XI. *p.* 294. *D. Alciat. Diſp.* III. 8. In hoc bello cum Romani in tantas difficultates incurriſſent, ut morbo, vulneribus, ardore ſolis ac ſiti vexarentur, nec ob eas res pugnare poſſent, aut alio ſecedere, ſed in acie ſtantes atque in locis conſtitutis arderent, nubes derepente ita coactæ ſunt, ut maximus imber aquæ ceciderit non ſine Dei beneficio, quo ſitim ſedaverunt Romani: & fulmina crebra cœlitus prolapſa ſint, quibus hoſtes ſunt fugati. Dion quidem dicit apud Xiphil. LXXI. p. 805. Arnuphim magum Ægyptium cum Marco fuiſſe, & Mercurium illum qui eſt in aere, aliosque dæmonas artibus magicis invocaviſſe, & per eos pluviam extorſiſſe. Sed a Xiphilino reprehenditur, qui dicit Dionem hoc mentitum eſſe. Cum Arnuphis non fuerit magus. Nec uſquam memoriæ proditum eſt, Marcum magorum ſocietate aut præſtigiis fuiſſe delectatum. Quod igitur ad hanc rem attinet, tale eſt. Cum Marcus unam

legionem haberet ex militibus Melitenis, qui omnes Christum colunt, ad eum Præfectus prætorianorum venit, nescientem in illo prælio, quid consilii caperet, & timentem toti exercitui; eique fertur dixisse, nihil esse quod ii qui Christiani nominentur, precibus impetrare non possint, esseque legionem unam in exercitu hominum hujus generis. Hac re cognita Marcus ab iis petiit, ut Deo suo supplicarent. Quod cum fecissent, Deus eos subito exaudivit, percussit hostes fulmine, & Romanos pluvia recreavit. His rebus Marcus vehementer obstupefactus edicto Christianos honore affecit, & legionem ipsam Fulminatricem appellavit. *Castal. ibid. p.* 1951. *A. Panvin. Fast.* II. *p.* 232.

AUREUM bucinum. V. illud infr. in *Bucinum.*

Aureum vellus. V. illud infr. in *Vellus.*

AUREUS genus fuit monetæ, valuit quinque & viginti drachmis, sive denariis. Dio LV. p. 556. D. *Aureum voco id numisma, quod viginti quinque denarios valet, nomine vulgo recepto, quod ei datur etiam a nonnullis Græcis.* Lipen. de Stren. c. 3. §. 39. Turneb. Adv. V. I. Cujac. Observ. XIX. 31. Gronov. de Pecun. Vet. III. 15. Thys. in Gell. N. A. I. 19. Argol. in Panvin. de Lud. Circ. I. 16. Hotman. Antiq. Roman. III. 3. I. . . . . 8. *Aureos* victoribus aurigis dare moris fuit Romæ. Suet. Claud. c. 21. n. 10. *Nec ullo spectaculi genere communior aut remissior erat, adeo ut victoribus oblatos aureos prolata sinistra pariter cum vulgo, voce digitisque numeraret.* Juven. Sat. VII. n. 243.

Accipe, victori populus quod postulat, aurum.

Ubi Scholiastes: *Ut in theatro solent petere quinque aureos. Nam non licebat amplius dare.* Buleng. de Circo c. 55.

Aureus color. V. illum infr. in *Color.*

Aureus numerus. V. illum infr. in *Numerus.*

AURICHALCUM. V. illud infr. in *Orichalcum.*

AURIFEX est, qui annulos & vasa aurea facit. In leg. scribit. 34. ff. de auro & argento. *In aurifice falsum est, si aurum dederit, ita ut ex auro aliquid sibi faceret: nam tunc, licet apud aurificem sit aurum, dominium tamen non mutabit.* Plaut. Aul. III. 5. 34.

Stat fullo, phrygio, aurifex.

Panciroll. de Corpor. Artif. Thes. Antiq. Roman. Græv. Tom. III. p. 19. C. Artem ipsam tradit hæc Inscriptio:

NOVERAT HIC DOCTA FABRICARE MONILIA DEXTRA
ET MOLLE IN VARIAS AURUM DISPONERE GEMMAS.

Spon. Misc. Erud. Antiq. Sect. VI. *p.* 219.

AURIGA est oppidum Hispaniæ Bæticæ. Vulgo *Airona.* Ursat. de Not. Roman. Thes. Antiq. Roman. Græv. Tom. XI. p. 566. E.

AURIGÆ appellabantur ii, qui curribus, seu equis insidentes, eosdem circa metas agitabant. Boni enim *aurigæ* fuit non effuso impetu temere per circum ferri, sed vim equorum dispensare, & in fructum, seu commodum impendere: ubi flagello, & incitatione opus erat, incitare; ubi moderandum, moderatione uti, ad metam flectere, nec offendere, naufragium ab adversariis, aut a se cavere. Cum enim in omnibus certaminibus arti locus esset, maxime tamen in circo. Virg. Æneid. III. 108.

Jamque humiles, jamque elati sublime videntur
Aera per medium ferri, atque assurgere in auras,
Nec mora, nec requies.

Stat. Theb. VI. 416.

— nunc avidi prono juga pectore tangunt,
Nunc pugnante genu pressis duplicantur habenis.

Qui sine flagello agerent equos, eorum illustrior victoria fuit. Vetus lapis: *Diocles cum sine flagello vicisset inter milliarios agitatores primum locum obtinuit.* Servi, sive libertini, sive advenæ fuerunt. Dio LXIX. p. 795. B. *Quum in quodam spectaculo aurigam quendam liberum fieri cum clamore populus rogaret, Adrianus per tabellam respondit, docens: iniquum esse alienum servum liberum facere.* Ingenuo civi Romano *aurigam* esse probro erat. Quod tamen depravata Republica adolescentes nobiles aliquando factitarunt. Ascon. in Orat. Cicer. p. 148. *In victoria quadrigarium, quod, cum Sulla post victoriam Circenses faceret, ita ut honesti homines quadrigas agitarent, fuit inter eos C. Antonius.* p. 152. *Diximus Sullæ ludis, quos his propter victoriam fecerit, quadrigas C. Antonium, & alios quosdam nobiles agitasse. Præterea Antonius redemptas habebat ab ærario vectigales quadrigas, quam redemptionem senatori habere licet per legem. Fuit autem notissimus in circo quadrigarum agitator Boculus.* Senatores etiam quandoque quadrigas agitaverunt. Suet. Cal. c. 18. n. 6. *Edidit & Circenses plurimos, nec ullis nisi ex senatorio ordine aurigantibus.* Panvin. de Lud. circens. I. 11. Buleng. de Circo c. 50. Illorum habitus fuit peculiaris. Suet. Calig. c. 19. n. 5. *Postridie quadrigario habitu, curriculoque bijugi per hunc pontem ultro citro commeavit.* Lamprid. Commod. c. 2. *Aurigæ habitu currus rexit.* Pertinebat huc χιτὼν ἡνιοχικὸς, ut dicitur Callixeno apud Athen. V. p. 200. F. *In hæc omnia conscenderant adolescentuli cum aurigarum habitu:* χιτῶνας ἔχοντα ἡνιοχικὰς. Στολὴ, ut dicitur Dion. LXIII. p. 718. C. *Currus prasina stola indutus agitavit.* Ubi repetitio articuli, legitur enim τήν τε στολὴν τὴν πράσινον, ostendit loqui eum de peculiari stola, ea scilicet, quali sollenniter agitatores erant ornati. *Tunicam* Latine appellavit Plin. Epist. IX. 6. 2. *Tanta gratia, tanta auctoritas, in una vilissima tunica.* Loquitur de tunica aurigantium. Tunicæ addebatur cassis in capite. Stat. Theb. VI. 330.

Ipse habitu niveus: nivei dant colla jugales.
Concolor est albis, & cassis, & infula cristis.

Κράνος dicitur Dion. l. l. *Et galea aurigarum ornatus.* LXXIX. p. 913. C. *Quum ludis circensibus decidisset ex curru, atque in eo cursu galeam abjecisset.* Callixenus apud Athenæum l. l. πέτασον appellat. Cassidi infulam addit Statius. Quæ forte fuerit circulus, medium ambiens corpus agitatoris, sic dictus, quod contortus esset ex filis, ambiretque corpus, sicut sacerdotum infula cingebat caput. Illo habenas, quas libera non tenebat manu, post tergum consertas habebat, partim, ut eo facilius equos coerceret, partim, ut in curru stans non nihil contra lapsum juvaretur. Quo respicit Stat. III. 504.

— ruit ilicet exsul
Aonius, nexusque diu per terga volutus
Exuit, abripitur longe moderamine liber
Currus.

Ubi Lutatius: *Se habenarum nexu, quo involutus per terga fuerat, liberavit, ne cum loris implicitus traheretur.* Scheffer. de Re vehic. II. 11. Argol. in Panvin. de Lud. circens. I. 10. & 14. Pinell. Additam. I. 10. In Olympia decem tantum decurrebant, qui numerus legitimus. Illi non judicio, sed sorte eligebantur. Quod improbat Apollonius apud Philostratum lib. V. cap. ult. *Buleng. ibid. c.* 13. In curru circensi insistebant, non sedebant; neque ullum in eo est sellæ spatium. *Argol. ad Panvin. de Lud. Circens.* I. 15. Aliquando tamen in temone sedebant. Claudianus:

Jungit amor, lætamque vehens per nubila matrem
Gemmato temone sedet.

Buleng. ibid. c. 59. Vestiebant se in circi cellis ad hoc destinatis. Docet me Velius Longus de Orthographia. *Inversis armis gladiatores pugnasse non est dicendum; sed versis, hoc est transmutatis: sed nec inversis pannis agitasse aurigas; sed versis.* Ergo dum in circo erant transmutabant vestes, & fiebant, transfugæ, ut loquar cum Mart. XIV. 131. 2. Cellulis necessario ad hoc dispositis, ne coram populo nudarentur: certum est *aurigam* unum pluries sub diversa factione eadem die cucurrisse. *Argol. ibid. c.* 12. Ars & industria summa *aurigis* requirebatur, in equis, in curribus ad metas flectendis, ne posterior dexteritate flectendi quadrigas priorem anteverteret, quod sæpe accidit; quod si nimis currus agitando *auriga* metis adhæsisset, summum vitæ periculum incurrebat, ne rotis metam offenderet, & illiderentur; confractoque curru *auriga* concideret; quod multis accidisse constat. Sin vero nimio spatio metam evitavisset, qui tum sequebatur *auriga*, inter metam & priorem breviori spatio delatus, ex secundo

pri-

primus efficiebatur; quod *eripere* vocabant. Arnob. VII. p. 246. *Sed equos tamen gaudere tranſire, tranſiri pronos & cernuos ruere cum curribus reſupinos, verti, trahi aliis curribus, & claudicare perfractis, & ineptias nugis, & crudelitatibus mixtas ſummis in voluptatibus habuiſſe.* Panvin. l. l. Hipponam, ſive, ut vult Turneb. Adv. XXIV. 4. contendens, nec Hippo, nec Hipponum legi poſſe, Eponam equorum providam colebant, cujus ſimulacrum locabatur in ſtabulis. Juven. Sat. VIII. 152.

— jurat
Eponam, & facies olida ad præſepia pictas.

Hunc ſuperſtitionis ritum fanaticis iſtis exprobrat Tertull. Apologet. c. 16. *Vos tamen non negabitis & jumenta omnia, & cunctos canterios cum ſua Epona coli a vobis.* Hanc coronis roſeis ornabant. Apul. Met. III. p. 96. *Reſpicio pilæ mediæ, quæ ſtabuli trabes ſuſtinebat, in ipſo fore meditullio, Eponæ Deæ ſimulacrum præſidens ædiculæ, quod accurate corollis roſeis recentibus fuerat ornatum.* Neptuno etiam equorum ornamenta, cæteraque quæ actoribus in ludis uſui, dicabant. Variorum Epigrammatum VI. 2. 1. Ubi Neptunus auctore Lactant. VI. 20. circi præſes erat, ut Deus Equeſtris, Ἵππιος Græcis nominatus ab equis, teſte Porphyr. de Abſtin. III. Atque eo in loco Mercurii ſtatua ad carceres fuit poſita. ut idem innuit ibidem Epigram. 2. *Tomaſ. de Donar. c.* 32. Proxime primam metam *auriga* victor curru in ſpinam diſſiliens, gradibus aliquot loco præmiis dicato conſcenſo, bravium accipiebat. *Panvin. l. l.* Accipiebat hoc ex manibus brabeutarum & dominorum in circo. Oſtendit hoc Chryſoſtomus: Ἄρον εἰς ὕψος ὁσίους χεῖρας πρὸς τὸν βασιλέα λαβὼν βραβεῖον τῆς φοινίκων. Sollennitatem in diſpenſatione præmiorum ſic ponit Senec. Epiſt. 78. *Nos quoque evincamus omnia, quorum præmium non corona, nec pallium eſt, nec tubicen prædicationi nominis noſtri ſilentium faciens, ſed virtus & firmitas animi.* Præco enim numerabat victorias, puta ſi quot minora præmia meruiſſet *auriga* anticipando, ſeu detrudendo ſocios, mox ipſum præmium majus, & victorem prædicabat. Pindar. Olymp. XIII. 141.

— Sexagies enim
Utrinque dulcilin-
guis vox præconis boni iis audita eſt.

Pyth. I. 60.

— Pythiadis ſiquidem
In curſu præco proclamavit eam, nun-
tians ſpectatoribus de Hierone
Splendido victore.

Scribebantur etiam, ac in marmoribus nomina victorum adnotabantur apud aliquos. Scholiaſt. Pindar. Olymp. VIII. Κατὰ τὰ μέγαρα ἔθος ἐςὶ τῶν νικηφόρων τὰ ὀνόματα λίθοις ἐγκολάπτεσθαι. *Argol. ad Panvinium.* Præmia illorum fuerunt varia. I. Palmæ. Marmor vetus:

M. AURELIUS. POLINICES. NAT. VERNA. QUI. VIXIT
ANNOS. XXIX. MENSES. IX. DIEBUS. V. QUI. VICIT
PALMAS. DCCXXXVII. SIC. IN. RUSSEO. DCCXXV
IN. PRASINO. IV. IN. VENETO. XII. IN. ALBO. XVII
DECEMIUGE. VIII. SEIUGE. III.

Ferret. Muſ. Lapid. III. *Memor.* 43. Quæ tamen non fuerunt victoriæ præmia, ſed ſigna. Ideo victor renuntiatus, non illico corona, ſed arrha quadam coronæ donabantur. Ariſtid. de Rhet. Orat. I. Ῥάβδον γὰρ σύμβολον τῆς νίκης ἐδίδουν τοῖς νικῶσι. *Paſchal. de Coron.* VI. 22. II. Coronæ. Plin. Epiſt. X. 119. *Athletæ ea, quæ pro Iſelaſticis certaminibus conſtituiſti, deberi ſibi putant ſtatim ex eo die, quo ſunt coronati.* Vitruv. Præfat. IX. *Nobilibus athletis, qui Olympia, Pythia, Iſthmia, Nemea viciſſent, Græcorum majores ita magnos honores conſtituerunt, uti non modo in conventu ſtantes cum palma & corona ferant laudes; ſed etiam cum revertuntur in ſuas civitates cum victoria, triumphantes quadrigis in mœnia & in patrias invehantur, e reque publica, perpetua vita, conſtitutis vectigalibus fruantur.* Argol. ad Panvinium, Buleng. de Circ. c. 55. Paſchal. de Coron. VI. 23. . . . . III. Statuæ. Plin. XXXIV. 4. *Olympiæ omnium qui viciſſent ſtatuas dicari mos erat. Eorum vero, qui ter ibi ſuperaviſſent, ex membris ipſorum ſimilitudine expreſſa, quas iconicas vocant.* Argol. ad Panvinium. Figrell. de Stat. Roman. c. 13. Buleng. de Circo. c. 54. & 55. Sed hæ non in foro & porticibus publicis, & locis illuſtribus, ſed in aditu circi collocabantur. quod edictis Imperatorum cautum. Lib. Cod. XI. tit. 40. leg. 4. *Si quis in publicis porticibus, vel in his civitatum locis: in quibus noſtræ imagines ſolent conſecrari, pictura pantomimum veſte humili, & rugoſis ſinibus agitatorem offerat, revellatur: neque unquam poſthac liceat inhoneſtas in loco honeſto adnotare perſonas. In aditu vero Circi, vel in theatri proſceniis ut collocentur non vetamus.* Buleng. ibid. c. 50. & 54. His verbis inhoneſtæ perſonæ vocantur. Et videntur olim infames fuiſſe. Theophilus ἡνίοχον & κυνηγέτην famoſos facit in ſuis Inſtitutionibus. Xiphilinus in Nerone. *In circum inierunt ut viliſſimi quique & equos agitaverunt Equites & Senatores.* Tertullian. de Spect. c. 22. *Quadrigarios, ſcenicos, xyſticos, harenarios damnant ignominia, & capitis minutione, arcentes curia, roſtris, ſenatu, equite, cæteriſque honoribus omnibus ſimul ac ornamentis.* Fab. III. 6. *Qui artem ludicram exercet, in quatuordecim primis ordinibus ne ſedeat.* Ulpianus tamen negat eſſe inter famoſos leg. 4. ff. de his qui notantur infamia: *Generaliter ita omnes opinantur, & utile videtur: ut neque thymelici, neque xyſtici, neque agitatores ignominioſi habeantur.* Buleng. ibid. c. 50. Argol. in Panvin. l. l. Illorum factiones quatuor coloribus diſtinguebantur. V. infr. in *Factio.* Et quatuor habebant ſtabula. V. infr. in *Stabulum.*

AURIS memoriæ conſecrata fuit. Serv. Ecl. VI. 3. Memoria enim uxor Jovis, Muſarum mater. Arnob. III. p. 121. culta eſt Carthagine, ut tradit Idatius Epiſcopus in Chronico, cui teſte Plin. XI. 45. *in aure ima locus eſt.* Tomaſ. de Donar. c. 23. Gyrald. Synt. Deor. I. p. 16. Stuck. Ant. Conv. II. 32. de Sacrif. p. 43. Calcagn. de Verb. Signif. p. 361. Jun. Anim. IV. 12. Almelov. Amœn. p. 25. Minervæ meo judicio merito vota fuit tanquam Deæ ſapientiæ, *cum doctrina & ſapientia percipi auribus ſolis poſſit, oculis ſolis non poſſit.* Lactant. de Falſ. Sap. III. 9. Unde & huic *aures* argenteas ſacratas fuiſſe patet ex antiquo ſaxo Placentiæ apud Gruter. Inſcr. pag. 167.

MINERVÆ. AUG
L. CALLIDIUS. PRIMUS
BRIXELLANUS. EX. ARG
LIB. II. ITEM. L. CALLIDIUS
PRIMUS. AURES. ARGENTEAS
V. S. L. M.

Tomaſ. l. l. Vel Jovem lapidem juraram per *aures argenteas* Minervæ dedicatas inaures intelligi debere. Crediderim vel errore ſculptorum *aures* pro inaures poſitas; vel etiam *aures argenteas* dictas eſſe pro *auribus* argenteis inauribus ornatis, utpote quæ ex argenti libris duabus conflatæ dicuntur. *Bartholin. de Inaur. Vet. c.* 10. Etiam ipſam *aurem* pro Dea pagani reputabant, ut docet Inſcriptio Patavii quæ inventa apud Rhamnuſios in baſi. Gruter. Inſcr. p. 89. n. 6.

AURIBUS
D. D. D
PETRUSIA
PROBA
MAGISTRA.

Et erat poſt *aurem* æque dextram locus Nemeſios, quo referebant tacto ore proximum a minimo digitum, veniam ſermonis a Diis ibi recondentes. Ejusque partis contrectatio benevolentiam, qua parentes liberi proſequebantur, auditus ſenſu animis inſeri monebat, ſicut Clem. Alex. Strom. V. Quamobrem olim mos erat, ut pueri patres oſcularentur arreptis utrinque *auribus*, quod oſculi genus Pollux X. 24. vocat χύτραν. *Bartholin. ibid. c.* 5. Illarum ſumma pars προλόβιον vocabatur, & in flagitio deprehenſis ignominiæ cauſa præcidebatur. *Rhodig. Ant. Lect.*

III. 29. *Barthol. l. l.* Ima pars λοβὸς dicebatur, & pro appendendis inauribus, quæ ideo a Græcis ἐλλόβια ἀπὸ τοῦ λοβοῦ sunt dictæ, perforabatur. Graciles has *aurium* cutes perforatas inde patet, quod in *auricula* aurum gestare dixerit Apul. de Doctr. Plat. p. 570. *Auricula* vero vel Talmudicis dicitur tenerum *auris*, vel quasi cauda *auris*. Kiddufchin fol. 21. *Quando perforant* aurem servi, *non perforant nisi in* אלא, *auricula*. R. Salom. exponit אליה *caudam auris*. Inde etiam *auriculæ ornatrix*. Barthol. l. l. Si dextra *auris* salierit, aut resonuerit, in aliqua re gaudium significat, servo autem bonam locutionem, virgini acquisitionem, viduæ bonum: sin autem sinistra, sublime aliquid fieri significat, servo vero rerum magnarum aggressum, virgini vituperationem, viduæ diminutionem: at si interior pars dextræ *auris* salierit, malum signum esse affirmant, sinistræ autem, audiet aliquid, non tamen ex illo lætabitur, verum servo bonum enuntiat. *Niphus de Augur.* I. 9. Tinnitum *aurium* solebant veteres observare. Aristæn. Epist. II. *Non tibi tinniebant aures, cum tui lacrymans meminissem?* Catull. LI. 2.

— sonitu suopte
Tintinant aures.

Plin. XXVIII. 1. *Aurium tinnitu absentium sermones præsentiuntur.* Si *auris* sinistra tintinat, inimicum: si dextra, amicum putant nostri meminisse. Virg. Catal. tit. 6. c. 7. n. 1.

Garrula quid totis resonans mihi noctibus auris,
Nescio quem dicis nunc meminisse mei?

Buleng. de Omin. c. 2. Delrio Disquis. Mag. III. 4. 4. *Aures* in pugillatu interdum amittebant certatores. Lucill. Anthol. II. 1. 1.

Hic in Olympiaca quondam generosus arena
Mentum habuit, aures, ora, supercilium.
Sed pugil adscriptus mox perdidit omnia.

Tertull. de Spect. c. 10. *Tales enim cicatrices cæstuum, & aurium fungos a Deo cum suo plasmate accepit. Aurium* fungi contusionum tumores sunt in *auribus*, ἥλους Græci vocant, quod clavorum capita imitentur. Gestabant galeas quasdam gladiatores, atque eisdem pugiles fuisse usos crediderim, ad tuendum præcipue *aures* & nasum. Galenus eas ponit, ubi de ligaminibus facit. Ἀμφιωτίδας vocabant. *Argol. in Panvin. de Lud. Circ.* II. 1.

Auris picta apud Horum Apollinem Hierogl. II. 22. futurum opus significat: Ἀκοὴ ζωγραφουμένη μέλλον ἔργον σημαίνει. Opus sponsorum quid aliud est, quam sobolis procreatio, quæ hanc obscœnæ superstitionis ceremoniam proxime subsequebatur. Hinc in Tabula apud Raphaelem Fabrettum scapus mutini *auritus* repræsentatur. *La Chausse de Mutin. Simul. Tab.* 3.

Auris votiva apud Plaut. Cas. Prol. n. 29. est quæ ex voto histrionum affecta est, ut apud Sidonium: *Perspicue me officii votivi compotem fecit.* hoc est, officio, quod votis expetebam. *Rob. Titius* I. 14. Votitus est, qui voto, quo minus quid faciat, impeditur. Plaut. Asin. IV. 1. 44.

Nolo habere illam causam, & votitam dicere.

Lepide igitur histrio: si inquit, voto tenemini, quo minus *auribus* mea dicta usurpetis, at vos animo ea usurpate. Lusit nimirum in eo, quod immobiles homini natura *aures* dedit, ut eæ adverti non possint: at animum advertere vulgatissimum loquendi genus. Hoc igitur agere eos jubet. *Guilelm. Verisf.* I. 14. Mihi *aures* votivæ sunt, quæ cupiunt aliquid audire. *Tomas. de Donar. c.* 1. Lambinus tamen ad Plautum, Yvo Villiom. contra Titium I. 15. Guil. Canter. Nov. Lect. II. 20. *aures vacivas* legunt.

AURUM ut fuit primo tempore rarum Romæ, ita post omnium copiosissimum ibi fuit. Varias ejus, sive denominationes observabimus. *Lipen. de Stren. c.* 3. §. 42. *Aurum*, omni enim *auro* inest argentum vario pondere, alibi dena, alibi nona, alibi octava parte, ubicunque quinta argenti est portio, electrum vocatur. Plin. XXXIV. 4. *Gronov. de Pecun. Vet.* IV. 14. *Buleng. de Conviv.* IV. 14. separatur ab argento. I. Aqua forti. Hæc vim suam non exserit, nisi in massa longe major sit portio argenti quam *auri*. Requiritur ergo, ut massa saltem duos trientes argenti, & unum trientem *auri* contineat; & deinde, ut aqua fortis sit acidissima: nisi enim talis sit, argentum vim ejus eludet. Proportio hæc observatur, cum vires aquæ fortis explorare volumus; in quo quidem examine phænomenon admiratione dignum contingit. Omne enim argentum, quod in massa cum *auro* permixtum est, ita ab aqua forti eraditur, & ab *auro* secernitur, ut tamen forma vel figura massæ non mutetur, sed ea æque ac antea integra omnibus videatur. Hæc proportio adeo exacte observari non solet, nisi cum examen aliquod curiosum instituendum est. Alias enim ad separationem hanc faciendam tres portiones argenti misceri solent cum una portione *auri*, ita ut *aurum* quartam partem totius massæ constituat. Massa vero, quæ ex metallis, tali proportione mixtis, constat, non retinet pristinam formam in secretione. *Aurum* enim in forma pulveris in fundo vasis subsidit; argentum vero dissolvitur, & poros aquæ fortis subit. Hic vero modus veteribus non fuit cognitus. V. supr. in *Aqua fortis*. II. Ope cementi regii, quod compositum est ex pulvere lateritio, aliisque materiis, quæ ea præditæ sunt proprietate, ut in argentum & æs vim suam exerant, illæso & intacto *auro*, a quo omne argentum & æs, quod cum eo permixtum erat, secernunt, ita tamen, ut prior forma & figura totius massæ non mutetur. Post secretionem istam reperitur *aurum* optimum, purissimum, & coloris maxime intensi, & massa tantum de pondere suo amisisse deprehenditur, quantum argenti & æris antea continuerat. In hac operatione, quamvis portio argenti & æris, cum *auro* permixti, longe minor sit portione *auri*, nihil tamen obstat, quo minus cementum vel in minimam portionem argenti & æris cum *auro* permixti, agat. Contrarium obtinere in aqua forti supra dictum est. III. Ope antimonii, quod cum *auro* in catino liquatur, nunc plus, nunc minus, prout *aurum* majorem minoremve argenti vel æris portionem continet. Antimonium cum *auro* non puro coctum & liquatum, argenti & æris particulas imbibit, quibus fœtum discedit ab *auro*, quod mox instar reguli in fundo catini subsidit. *Savot. de Numm. Ant.* II. 7. & 8. Budelius putat *aurum* & argentum ab omni prorsus impuritate posse purgari, si ingens *auri* & argenti portio simul excoquatur: & dicit hoc niti experientia & auctoritate optimorum artificum. Sed ex iisdem experimentis constat, cum *auri* portio, licet minima a recrementis purgetur, difficillimum esse, *aurum* cum argento ita commiscere, ut utrumque metallum ad minutissimas usque particulas, eodem modo, quo aqua cum vino, invicem commisceatur. *Aurum* enim, tanquam gravius, ad fundum descendit: argentum vero, utpote levius, sursum pellitur; nisi continuo agitentur & commoveantur: tunc enim quodammodo secum permiscentur. Hinc fit, ut aqua fortis vim suam ubique exerere, & omne argentum ad minutissimas usque reliquias ab *auro* secernere nequeat. Præterea, quis dubitet, *aurum* & argentum ita sibi invicem naturaliter immisceri, ut non aliquid *auri* in argento, quod ab aqua forti dissolutum est: & vicissim aliquid argenti in *auro*, quod ad fundum descendit, remaneat? Idem dictum velim de reliquis secretionibus, quoniam eadem est ratio. *Savot. ibid. c.* 11. Puritatem & bonitatem *auri* & argenti monetarii in certos gradus distinguunt, & *auri* quidem in viginti quatuor: argenti vero in duodecim gradus. Gradus puritatis in *auro* vocantur charactæ; in argento vero denarii. *Aurum* igitur, cujus puritas est 24 graduum, quod vulgo 24. charactarum vocatur, ad extremam excoctum est puritatem, omnique alio metallo, siquidem possibile est eo usque arte nostra progredi, destituitur. Quilibet porro gradus in 32 gradus secundos, quin imo a nonnullis in 64 subdividitur. Si igitur, e. g. dicatur, massam *auri* habere 12 charactas, sciendum est, eam esse compositam ex æquis portionibus *auri* & argenti, vel æris, pro ratione mixtionis; quoniam 12 sunt dimidia pars ad 24. Sin

massa

maſſa fuerit octodecim charactarum; tum tres quartæ partes duntaxat *aurum* componunt, quoniam 18 obtinent rationem dodrantis ad 24. Maſſa *auri* octodecim charactarum, & unius octavæ partis charactæ, continet tres quartas *auri* partes, & præterea octavam partem vigeſimæ quartæ partis totius maſſæ, ſeu clarius, octavam partem charactæ. Notandum hic eſt, fractiones, ſive ſubdiviſiones charactæ, quibus uſque ad 32 adſcenditur, exprimi per 2. 4. 8. 16. duplicatis ſemper fractionibus præcedentibus, nec ulla ratione habita minutiarum inter eas interjectarum, veluti 3. 5. 7. & ſequentium. *Savot. ibid. c. 6.* *Aurum* etiam cum *auro*, nec argentum cum argento, nec æs cum ære coaleſcit, niſi intercedente diverſi generis materia. Sic ad ferruminandum *aurum* adhibentur, e. g. granum *auri*, 22 caractarum, tria grana argenti, & totidem æris; ad ferruminandum argentum, duæ partes argenti, & una æris invicem confuſæ, quod ferrumen etiam inſervire poſſet jungendo æri: quamvis propter caritatem, aliud vilioris pretii, ex una quarta parte æris, & tribus ſtanni compoſitum, adhiberi ſoleat, idque ferrumen vocatur *ramail.* Savot. ibid. c. 3. Olim ad æs habuit proportionem eandem, quam habet 1. ad 1728, ita ut una libra *auri* æſtimaretur millenis ſeptingentis & vicenis octonis libris æris, quoniam ſiliqua *auri* valebat libram æris, & libra continebat 1728 ſiliquas. *Savot. de Numm. Ant.* III. 16. Ejus proportio ad argentum non ſolum apud Romanos, ſed etiam Græcos olim duodecupla fuit, ut multi auctores recentiores ex Platone in Hipparcho probant, quamvis eadem apud Græcos aliquando major fuerit, nimirum tredecupla, ut iidem ex Herodoto in Thalia oſtendunt. Ibi enim hiſtoricus mentionem faciens tributi, quod Darius populis ſubjectis impoſuerat, dicit, Darium talentum *auri* æſtimaſſe tredecim talentis argenti. *Savot. ibid. c.* 11. Etiam tam apud Romanos, quam Græcos, aliquando fuit decupla, ut de Romanis probari poteſt ex fœdere cum Ætolis inito, quippe quo ſecundum Polyb. Excerp. Legat. XXVIII. & T. Liv. XXXVIII. 11. convenerat ut pro talento *auri* decem argenti pendere ipſis liceret. *Savot. l. l. Sardus de Numm. Theſ. Antiq. Roman. Græv. Tom.* XI. *p.* 1720. *F.* De Græcis idem probant duo loca Pollucis; prior ex IV. 24. ubi ſtater aureus dicitur habere pondus duarum drachmarum; alter ex IX. 6. ubi Pollux expreſſe refert, valorem *auri* ad pretium argenti fuiſſe decuplum. Hæc proportio etiam confirmatur auctoritate Zonaræ, qui affirmat ſtaterem aureum, teſte Dione, valuiſſe vicenis drachmis argenti. Aliquando etiam infra decuplam fuiſſe videtur. Suetonius enim in vita Julii Cæſaris c. 54. n. 3. nos docet, Cæſarem in Gallia fana templaque Deûm donis referta expilaſſe, urbesque diruiſſe, ſæpius ob prædam, quam ob delictum, indeque factum, ut *auro* maxime abundaret, & ſingulas *auri* libras ternis millibus nummum venderet, unde proportio *auri* ad argentum paullo minor octupla elicitur. Hoc nobis ita videtur, quoniam ſuſpicari licet, *aurum*, quod Cæſar ex Gallia Romam advexit, non fuiſſe omnino purum, quod colligitur ex conſtitutione novella Majorani, in qua *aurum* Gallicum minoris æſtimatur, quam *aurum* puriſſimum. *Savot. l. l. Gronov. de Pecun. Vet.* II. 8. *Cenal. de Pond. ac Menſ. rat. Theſ. Antiq. Roman. Græv. Tom.* XI. *p.* 1504. *B.* Exſtitit etiam tempus, quo proportio *auri* ad argentum eadem fuit, quæ eſt unius ad quindecim, ita ut libra *auri* quindecies valore excederet libram argenti ejuſdem ponderis. Plin. XXXIII. 3. *Aureus nummus poſt annum* LXII. *percuſſus eſt quam argenteus: ita ut ſcrupulum valeret ſeſtertiis vicenis, quod efficit in libras ratione ſeſtertiorum, qui tunc erant, ſeſtertios* IↃCCCC. *Poſt hæc placuit* LXM. *ſignari ex auri libris: paullatimque Principes imminuere pondus, minutiſſimus vero ad* XLVM. Plinius duo ſeſtertiorum genera diſtinguit, & primo loquitur de ſeſtertiis ſui temporis, quorum viginti valebant ſcrupulum *auri*: deinde de ſeſtertiis, qui ante ipſius ætatem in uſu fuerant; quod colligitur ex verbis illis, *ſeſtertiorum qui tunc erant*, quorum nongenti libram *auri* valore æquabant. Unde ſequitur, ſeſtertios Plinio antiquiores multo ponderoſiores fuiſſe, quam eos, qui tempore Plinii in uſu erant. Secundum enim proportionem illam, qua viginti ſeſtertii in ſcrupulum *auri* computantur; in totam libram *auri* computandi ſunt 5760 ſeſtertii. Quod ad pondus illorum ſeſtertiorum attinet, quorum nongenti libram *auri* valore æquant, quinque unciam, & ſexaginta libram efficiunt. *Aurum* igitur hac proportione argentum quindecies valore excedebat. Quoniam enim viginti ſeſtertii quindecim tantum ſcrupulos valebant, ſi ſexaginta in quindecim ducantur, emerget inde ſumma 900. Talis igitur ſeſtertius pondere reſpondebat miliareſio poſteriorum temporum, quorum quinque itidem unciam, & ſexaginta libram efficiebant. *Savot. ibid. c. 7. & 17. Gronov. de Pecun. vet.* III. 4. Proportionem inter *aurum*, argentum, æs, conſuetudine jam latenter mutatam Conſtantinus decreto mutavit. Solidum itaque pro aureo fecit, quaternorum ſcriptulorum, ſeu quatuor & viginti ſiliquarum, quales 72 libræ, ſex unciæ *auri* attribuebantur; pretio nummi prioris ex proportione, quæ olim inter *aurum* & argentum fuerat, quaſi tredecim denariorum & duorum obolorum. Sed hos denarios etiam abolevit Conſtantinus, & pro illis introduxit milliarenſes, graviores denario, 28 ſiliquarum & quatuor quintarum ſiliquæ; quum denarius 18 tantum ſiliquarum fuiſſet. Hi ſexaginta libram argenti faciebant, quinque unciam; duodecim ſolido taxati. Leg. 1. Cod. Theod. de expenſis ludorum: *Cum publica celebrantur officia, ſit ſportulis nummus argenteus, alia materia diptychis; nec majorem argenteum nummum fas ſit expendere, quam qui formari ſolet, cum argenti libra una in argenteas ſexaginta dividitur: minorem dare volentibus non ſolum liberum; ſed etiam honeſtum eſſe permuttimus.* Sic *aurum* ex proportione ad argentum decupla, quæ ſub Conſulibus & prioribus Principibus obtinuerat, crevit eo, ut una pars *auri* quatuordecim & amplius commutaretur paribus partibus argenti; libra argenti, continens milliarenſes ſexaginta, æſtimaretur quinis ſolidis; & ita quatuordecim argenti libræ reſponderent ſeptuaginta ſolidis, hoc eſt, minus duobus ſolidis quam libræ, quum prius decem argenti libræ unam *auri*, & quatuor aurei tanto graviores libram argenti æquaſſent. Leg. un. utroque Codice de arg. pret. q. theſ. inf. *Jubemus ut pro argenti ſumma quam quis theſauris fuerit illaturus, inferendi auri accipiat facultatem, ita ut pro ſingulis libris argenti quinos ſolidos inferat.* Gronov. ibid. IV. 13. Tempore Imperatorum Mauritii & Tiberii, ſolidus aureus, qui, ut illorum Imperatorum numiſmata aurea probant, quatuor ſcrupulos antiquos continebat, valuit viginti quatuor drachmis argenti. Cenalis ſcribit, proportionem *auri* ad argentum ſuo tempore eandem fuiſſe, quæ eſt unius ad quatuordecim. Egnatius in Suetonium obſervat, eam, tempore illo, quo iſta ſcriberet, fere fuiſſe quindecuplam. Agricola de pretio metall. & monet. 1. refert, homines ſuæ ætatis natu grandiores potuiſſe temporum meminiſſe, quibus portio *auri* in Germania empta fuerit tredecim portionibus argenti puri, & paullo poſt duobus trientibus partis decimæ tertiæ. Poſtea pretium *auri* decreviſſe, ita ut una ejus portio æſtimaretur tantum undecim portionibus argenti, & paullo plus. Hodie ſecundum edictum Regis proportio hæc eſt tredecupla, & paullo amplius; quoniam ſemipondo, vulgo marc, *auri* puri publice æſtimatur ſeptuaginta octo libris, ſex aſſibus, & ſex denariis; ſemipondo vero argenti æque puri ac purum, una & viginti libris & tribus aſſibus. Apud aurifabros ſemipondo *auri* venditur ducentis nonaginta duabus libris; ſemipondo argenti puri vero tribus & viginti libris, & decem aſſibus: adeo ut inter aurifices proportio *auri* ad argentum hodie tantum ſit ut 1. ad $12\frac{3}{8}$ & paullo amplius; quæ proportio minor eſt ea, quæ edicto Regis publice conſtituta eſt. Cauſa hujus rei eſt, quod aurifabri minus frequenter *auro* quam argento in fabricandis vaſis uti ſoleant; unde illis minori pretio *aurum* quam argentum vendi ſolet. Præcipua cauſa, quare pretium argenti in proportione ad *aurum* augeri ſoleat, eſt plerum-

plerumque luxus. Quiſque enim, ne infimæ quidem conditionis hominibus exceptis, domum ſuam vaſis argenteis ſplendere vult: quam ob cauſam ſæpe argentum ſignatum conflatur, præcipue ſi ex iſta fuſione lucrum aliquod percipiatur; vel etiam ob defectum materiæ, ſive argenti infecti. *Savot. ibid. c.* 19. Præterea Molinæus in tractatu ſuo de mutatione monetarum teſtatur, ſe in Actis curiæ monetalis Pariſienſis reperiſſe, *auri* pretium ad argentum olim fuiſſe ſedecuplum. *Savot. ibid. c.* 7. Ignibus tactum jucundiſſimam fragrantiam emittit. Juven. x. 27.

—— Et lato Setinum ardebit in auro.

Non ob ſplendorem tantum; verum ob geminatam odoris ſuavitatem, quæ cum in vino, tum in *auro* e caldæ fervore ſentitur. *Butius de Potu Antiq. c.* 24. Spargere ſive in majori, ſive in minori charactere aut pondere nemini licebat; quippe quæ dignitas ſoli Principis majeſtati erat reſervata, ut cum ſolius imperii ſit *aurum* contemnere, ejus etiam ſolius ſit *aurum* ſpargere, ut eſt in Novella cv. 1. & 2. *Lipen. de Stren. c.* 2. *prim. æt.* §. 39. *Buleng. de Imperat. Roman.* II. 11. Veſtibus intexere in Aſia invenit Attalus Rex: unde nomen Attalicis. Plin. VIII. 48. *Junius Catal. Mechan. p.* 34. An geſtaverint quæ corpus vulgabant, quibus interdictus ſtolæ uſus erat, quæri poteſt. Apulejus de Byrrhena negat Metam. II. p. 37. *Aurum in gemmis, & in tunicis, ibi inflexum, hic intextum matronam profecto confitebatur.* Illis tamen aſſignat, ubi ait matronas ſiderali ſcientiæ impenſe addictas, augures, aruſpices, magnique nominis Chaldæos conſulere ſolitas: at tenuiores in Circo a plebejis, ſortilegis, ac divinatoribus reſponſa futurorum petere conſueviſſe, Juvenal. Satyr. VI. 588.

Plebejum in circo poſitum eſt, & in aggere fatum.
Quæ nudis longum oſtendit cervicibus aurum,
Conſulit ante phalas, delphinorumque columnas.

Ovid. Rem. Amor. n. 341.

Proderit & ſubito, cum ſe non finxerit ulli,
Ad dominam celeres mane tuliſſe gradus.
Auferimur cultu: gemmis auroque teguntur. . . .

Art. Amand. II. 299.

Aurata eſt; ipſo tibi ſit pretioſior auro.

Plaut. Epid. II. 2. 38.

Sed veſtita, aurata, ornata ut lepide.

Ferrar. de Re Veſt. I. 3. 23. In nuptiis pro ſportulis videtur oblatum. Ammian. XIV. 6. *Quidam vigore artuum imminuto, rogati ad nuptias, ubi aurum dextris manibus cavatis offertur, impigre vel uſque Spoletum pergunt.* Buleng. de Imperat. Roman. III. 15. Lindenbr. in Ammianum. Quis primus ſignaverit, ignoratur. *Calcagn. Equitat. p.* 577. *Aurum* in luctu mulieres non ſolebant geſtare, more tam in Græcia quam Romæ uſitato. Terent. Heaut. II. 3. 45.

Mediocriter veſtitam veſte lugubri,
Ejus anuis cauſa, opinor, quæ erat mortua,
Sine auro tum ornatam, ita uti quæ ornantur ſibi.

Liv. XXXIV. 7. *Quid aliud in luctu, quam purpuram atque aurum deponunt.* Dionyſ. IX. de Menenio Agrippa. Αἱ ϑ̓ γυναῖκες αἱ Ῥωμαίων ἐνιαύσιον ἐπένθησαν χρόνον πορφύραν καὶ χρυσὸν ἀποθέμεναι. *Kirchman de Fun. Roman.* II. 17. *Moreſtel. Pomp. Feral.* II. 22. In monumentis nonnunquam deponebant, & cum ipſis mortuis veteres ſolebant ſepelire. Terent. Eun. Prol. n. 13.

Aut unde theſaurus *in patrium monumentum pervenerit.*

Hinc jocatur Plaut. Pſeud. I. 4. 19.

Ex hoc ſepulcro vetere viginti minas
Effodiam ego hodie, quas dem herili filio.

Et fabula Phædri I. 27. 1.

Humana effodiens oſſa theſaurum canis
Invenit.

Kirchman. ibid. III. 14. Guther. de Jur. Man. II. 32. Aring. Rom. Subterr. I. 27. 3: II. 9. 11. Chiflet. Theſ. Sepulcr. c. 3. *Auri* pondo DCCXXVI millia, argenti XCII millia, & extra numerum CCCLV millia populus Romanus ſeptem annos ante primum bellum Punicum in ærario habuit. Quid jam dicendum erit, cum profligato bello Punico ſecundo, & exciſa imperii æmula Carthagine, victor populus arma in Aſiam, Regeſque opulentiſſimos tranſtulit: unde tot magnanimi duces Urbem ſpoliis, ditiſſimaque Orientis præda repleverunt. Ejus rationes cenſendis opibus, cum publicis, tum privatis toto libro ſecundo de magnitudine Romana ſubduxit Juſtus Lipſius. *Kobierzyck. de Lux. Roman.* I. 2. *Auri* Comes. V. illum infr. in *Comes.* *Auro* præpoſiti erant liberti, & alii, qui ſub Comite *auri* aureæ & argenteæ ſupellectilis uſibus Principis paratæ curam habuerunt. Quales ſunt præpoſiti *auri* eſcarii, de quibus lapis vetus. Gruter. p. 582. n. 9.

M. ULPIO. ERIDANO. AUG. L
AB. AURO. ESCARIO. PRÆPO
SITO

Item alius. ibid. n. 5.

PHILETÆRO. AUG. LIB
AB. AURO. GEMMATO

Aurum eſcarium & potorium non ſolum intelligendum eſt; ſed & *aurum* quodlibet & argentum factum, ut vaſcula, tabulæ, pelves, ſcutellæ, promulſidaria, repoſitoria, cacabi, aquiminaria, vaſa cætera ad coquendum, paropſides, & iis ſimilia, quæ ab Ulpiano enumerantur leg. cum aurum ff. de aur. & arg. leg. *Guther. de Offic. Dom. Aug.* III. 16. *Pignor. de Serv. p.* 127. *Auro* & argento, relicta cera, Principes & ſummi viri, ut ſe cæteris præſtare indicarent, ad divitiarum oſtentationem, ſigna ſua conſueverunt imprimere, ut ex variis diplomatibus Regum ac Principum Lotharingiæ videre eſt. *Long. de Annul. c.* 9. Ante Carolum Magnum neminem Principum Romanorum literas *auro* obſignaſſe puto. *Polyd. Vergil. de Invent. Rer.* VIII. 2.

Aurum comparatitium dicitur Cod. de Milit. Veſte leg. 2. *Ita ut per Orientem provinciæ in titulo auri comparatitii, quod per jugationem redditur, compenſationis gratia perfruantur: exceptis Oſroena & Iſauria; nam eas demum conſtat aurum comparatitium minime debere.* V. *aurum negotiatorium.* Guther. de Offic. Dom. Aug. III. 23.

Aurum coronarium plerique exiſtimant fuiſſe, quod ob peculiaris ſplendoris fulgorem coronis faciendis aptiſſimum fuerit. *Lazius Comm. Reip. Roman.* II. 13. Potius fuit, quod ſpecie triumphorum vel oblatum fuit, vel exactum. Origo ejus, ut ſocii & amici victori Imperatori coronas aureas offerrent, quaſi gratulantes, & meritum ei caput cingentes. Itaque primo coronæ ipſæ datæ, aut miſſæ: poſtea invaluit, ut pro iis pecunia offerretur. Hæc accepta a ſociis, aut ſubditis: & ſicut manubias ab hoſtibus legebant, ſic ſpolia iſta occulta ab amicis. Mos plane vetus, & a Græcis ad Romanos imitatione tranſlatus. Apud Athen. XII. p. 539. A. Chares in rebus Alexandri Magni ait, *poſt victum Darium miſſas coronas partim a Legatis gentium, aliiſque, æſtimatas decem millibus ac quingentis talentis.* Apud Romanos crebrum, ut in Livio XXXVIII. 37. cum Cn. Manlius Gallo-Græcos viciſſet, eoque terrore Aſiam liberaſſet, *miſſæ undique legationes non gratulatum modo venerunt, ſed coronas etiam aureas pro ſuis quæque facultatibus attulerunt.* Itaque idem Manlius apud Liv. XXXIX. 6. *in triumpho tulit coronas aureas ducentas, duodecim pondo,* id eſt, ut ſingulæ fuerint librales. In triumpho, inquam: & ita obtinuerat, ut eæ coronæ ante ipſum victorem latæ populo oſtenderentur. De eo Feſtus; *Triumphales coronæ ſunt; quæ Imperatori victori aureæ præferuntur.* Nec coronæ ſolum ipſæ; ſed *aurum* ac pecunia ad coronas: atque id proprie *aurum coronarium,* de quo & titulus eſt in codice Juſtinianæo. Serv. Virg. Æneid. VIII. 721. *Aurum coronarium dicit, quod hodie a victis gentibus datur. Imponebant autem hoc Imperatores propter conceſſam vitam.* Non recte omnino: nec ab ipſis jam victis ob vitam datam; ſed a ſociis amiciſque, ut dixi: datum tamen in pecunia, titulo coronario. Ut apud Polybium in fragmentis *Geræi coronarunt Antiochum Regem quingentis argenti talentis.* Ut apud Livium populus quidam Aſiæ *Manlio ingredienti fines, ut cohiberet a populatione militem, in coronam auream quindecim talenta offerunt.* Hæc res ita poſtmodum crevit, ut non

jam muneris amplius, ſed tributi ſpeciem haberet, nec in triumphis ſolum, ſed in lætitia qualibet & primordiis imperii daretur. Capitolin. in Antonino Pio c. 4. *Aurum coronarium, quod adoptionis ſuæ cauſa oblatum fuerat, Italicis totum, medium provincialibus reddidit.* Lipſ. de Magnit. Roman. II. 9. Figrell. de Stat. Roman. c. 22. Paſchal. de Coron. VIII. 6. Bergier. de Viis Milit. I. Sect. 21. §. 5. Buleng. de Triumph. c. 29. de Vectig. c. 27. Laz. l. l. Demſter. Paral. Roſin. Ant. X. 29. Caroli Antiq. Roman. II. 3. Caſaub. in Spart. Adrian. c. 6. Caſal. de Urb. ac Imper. Roman. ſplend. p. I. c. 3. Franckenſtein de Ærar. pop. Rom. c. II. Coronarum harum magnitudo erat tanta, ut triumphantium capiti minime aptæ eſſent, maximo majores. Sed nec ad hunc uſum, verum ad pompam & ſpeciem triumphi erant, quærendaque fuiſſent coloſſorum capita, quibus imponerentur, ob nimiam earum in rotunditate diffuſionem. Tertullian. de Corona mil. c. 13. *Sunt & provinciales aureæ, imaginum jam, non virorum, capita majora quærentes.* Numerus erat ultra modum ingens. Paullus Æmilius triumpho Macedonico prætulit CCCC. quas Græciæ civitates illi victoriam gratulantes, & quaſi meritum caput cingentes ſtudioſe miſerant. Cn. Manlius, cum Gallo-Græcos viciſſet, in triumpho tulit CC. coronas aureas, ut ſupra dictum. Julio Cæſari & Auguſto a pluribus provinciis, Regibus, civitatibus datæ ſunt ∞ IↃCC XXII. quarum ſingulæ fuerunt ſaltem decem librarum. *Bergier. ibid.* §. 6. *Lipſ. l. l.* Poſt prælationem in templis, & Capitolio maxime, dicabantur. Plin. XXXIII. 1. *Non ignoro duo millia pondo auri periiſſe, Pompeji tertio conſulatu, e Capitolini Jovis ſolio, a Camillo ibi condita.* Liv. XXVIII. 39. *Jovi Opt. Max. non grates tantum ob hæc agere juſſi ſumus, ſed donum hoc etiam coronam auream in Capitolium victoriæ ergo ferre.* Etiam in aliis templis. Auguſtus de ſe in lapide Ancyrano: *In Capitolio, & in æde D. Julii, & in æde Apollinis, & in æde Veſtæ, & in templo Martis Ultoris conſecravi, quæ mihi conſtiterunt circiter millenis auri coronarii pondo triginta quinque millibus.* Lipſ. & Buleng. l. l. Libra *auri* centum ducatis æſtimata, ad decadem aucta profert mille ducatos: ad centuriam vero decem millia ducatorum. Quæ ſi aſſurgat in chiliadem, decem myriades perficiet, centumve chiliades. Sic fit, ut *auri* coronarii, a Julio Cæſare toto orbe expilati & exacti ſumma aſſurgat ad numerum duorum millionum quingentorum quadraginta millium una cum mille & quadringentis ducatis. *Cenal. de Pond. ac Menſ. rat. Theſ. Antiquit. Romanar. Græv. Tom.* XI. *pag.* 1597. *F.*

Aurum gemmatum dicitur de calicibus gemmas inſertas habentibus. Gemmæ aureis poculis includi ſolebant. Hinc *ſervus ab auro gemmato* in veteri inſcriptione. Mart. XIV. 109.

Gemmatum Scythicis ut luceat ignibus aurum.

Plin. XXXVII. 2. *Quinimo etiam jus videmur perdidiſſe corripiendi gemmata potoria.* Et: *Eouſque procedente luxu, ut multi gemmas digitis detractas poculis inſererent.* Salmaſ. in Vopiſc. Saturn. c. 8. Rader. in Martialem.

Aurum glebale dicebatur, quod prædiis imponebatur, ſive, quod pro poſſeſſionibus pendebatur. Hoc inſtituit Conſtantinus Magnus, qui & hoc tributi genus follem appellavit. Zoſim. Hiſt. II. 38. *Habebat deſcripta virorum clariſſimorum patrimonia: quibus & tributum impoſuit, quod ipſe follem nuncupavit.* V. infr. in *Follis.* Poſſeſſio ipſa, quam penſitationis onus ſequebatur, *gleba* vocabatur. Cod. Theod. lib. VI. tit. 2. l. 10. *Glebam poſſeſſionum, non perſonarum eſſe perſpicimus: ac propterea neceſſe eſt, ut illis immineat exactio, qui ex eadem re reditus conſequuntur.* Quare tametſi poſſeſſiones alienarentur, ad quoſcunque tranſlatæ eſſent, nihilominus fiſco erant obnoxiæ. Syneſ. Epiſt. 38. *Qui clariſſimis ortus majoribus, poſtquam in paternam glebam ſenatui obnoxiam ſucceſſit, ac deinde dux factus eſt, in eundem, in quem novi ſenatores, collationis modum includitur, ut duplici præſtatione fungatur; altera poſſeſſionis nomine, altera propter eum, quem geſſit magiſtratum.* Petav. in Julian. Imperat. Epiſt. XI. Epiphan. de Menſur. & Ponder. p. 432. Sublatum eſt hoc onus poſtea, ut conſtat ex Cod. XII. 2. §. 1. *Glebam vel follem, ſive ſeptem ſolidorum functionem, ſive quamlibet hujuſmodi collationem tam circa perſonas, quam circa res ac prædia funditus jubemus aboleri.* Donat. Dilucid. in Suet. Ner. c. 44. Petav. in Epiphan. de Menſur. & ponder. p. 433.

Aurum luſtrale ſingulo luſtro, id eſt, quarto quoque anno pendebatur. Luſtrum enim tempus quinquennale ita reductum eſt Cod. de Luſtral. Collat. Leg. 2. 4. 7. 8. Hoc & onus collationis dicitur, auri & argenti præſtatio, indeque χρυσάργυρον, oblatio, oblationis obſequium, auri penſitatio, luſtralis auri depenſio, auraria functio, aurariæ functionis devotio, luſtralis penſio, auraria præſtatio Cod. de Annon. & Tribut. Leg. 19. Inſcriptio vetus apud Gruter. Inſcript. p. 347. n. 4.

P. ÆLIO. T. F. QUÆST. R. AURI
LUSTRALIS. COACTORI.

Hoc a Conſtantino introductum eſſe; cum Alexandri principatu ſolveretur, ſcribit Zoſim. II. 38. *Aurum luſtrale*, inquit, id eſt, *auri argentique collationem impoſuit omnibus ubique terrarum negotiationes exercentibus, & Dardanariis oppidorum.* . . . . . . Sed quomodo hoc ab illo introductum? cum Alexander annos octoginta Conſtantinum præceſſerit? Vocatur etiam comparatitium & negotiatorium. *Guther. de Offic. Dom. Aug.* III. 23. *Buleng. de Vectig. c.* 45. *Donat. Dilucid. in Suet. Ner. c.* 44.

Aurum negotiatorium dicitur Lamprid. Alex. Sev. c. 32. *Aurum negotiatorium Romæ remiſit.* Videtur eſſe qui aurarius canon, & auraria penſitatio in Conſtitutionibus Imperatorum dicitur. Sed onera negotiatoribus impoſita non unius generis fuerunt. nam præter aurariam functionem fuere & aliæ exactiones ſub diverſis titulis diverſis temporibus inventæ. *Salmaſ. in Lampridium. Franckenſtein de Ærar. pop. Rom. c.* 11.

Aurum oblatitium, quod non canonis, vel indictionis cauſa, ſed oblationis genere quodam a Senatoribus pendebatur. Diſcimus hoc ex Symmachi & Syneſii Epiſtolis. *Donat. Dilucid. in Suet. Ner. c.* 44. V. infr. in *Oblatio.*

Aurum obryzum; obrizum, an obruſſum ſcribi debeat, dubitant non pauci, eo quod varient veteres codices Plinii & alii. Sed iis ſubſcribo, qui obruſſum ſcribunt. Nam ὄβρυζον quoque vocat Etymologici auctor, & Thucydidæ Scholiaſtes in lib. 1. Ut Ἀττικίζω, Atticiſſo, τὸ πορφυρίζον, purpuriſſum, ſic ὄβρυζιν, obruſſum. *Voſſ. Lex. Etymol.* Eſtque quod ab omnibus fecibus eſt purgatum, colorem habet pulcerrimum, maxime vividum, & rubentem, inſtar ignis. Plin. XXXIII. 3. *Aurique experimento ignis eſt, ut ſimili colore rubeat, quo ignis, atque ipſum obruſſum vocant.* Savot. de Numm. Ant. c. 9. Donat. Dilucid. in Suet. Ner. c. 44. Obryza, ſive obruſſa eſt norma, ad quam exigitur *aurum.* Eſt a Græco ὄβρυζα, ut a μάζα, maſſa. Nomen obruſſæ, ſive ὀβρύζης, ex eo, quod foret regula. utrum *aurum* eſſet obryzum, ſeu obruſſum, hoc eſt, coctione crebra ſatis purgatum, ita ut nihil alterius metalli habeat admixtum. Gloſſæ: Obruſſa, τὸ δοκιμάζον τὸ χρυσίον, ὅταν παρατρίβεται: imo ὅταν καίεται. Cicer. Brut. c. 74. *Quo magis expurgandus eſt ſermo, & adhibenda, tanquam obruſſa, ratio.* Senec. Epiſt. 13. *Hæc ejus obruſſa eſt.* Voſſ. l. l. Salmaſ. Exerc. Plinian. p. 760. b. D. Turneb. Adv. XIV. 22. De hoc nondum tranſegerunt *Politianus ad Beroaldum. Alciat. Parerg.* v. 9. *Bud. Pand. p.* 174. l. *Donat. Dilucid. l. l. Becman. de Origin. L. L. Lipen. de Stren. c.* 3. §. 64. . . . . . 70.

Aurum ſacratum deſcribit Liv. VII. 15. C. Sulpicius Dictator *auri ex Gallicis ſpoliis ſatis magnum pondus ſaxo quadrato ſeptum in Capitolio ſacravit.* Duæ erant *auri* ſacrandi cauſæ; voti & triumphi. Suggerit illas Tacit. Annal. XV. 45. 2. *Inque eam prædam etiam Dii ceſſere, ſpoliatis in Urbe templis, egeſtoque auro, quod triumphis, quod votis, omnis populi Romani ætas proſpere aut in metu ſacraverat.* Certe in metu aliquo populo nihil uſitatius aut crebrius quam dona hujuſcemodi Jovi & cæteris Diis polliceri. Inde toties apud Livium. *Conſules paludati votis nun-*

ſupatis in provincias profecti. Et aperte apud eundem XXXI. *Ludos Jovi donumque vovere Conſulem, cui provincia Macedonia eveniſſet*, Senatus *juſſit.* Et facit vulgatum illud Petron. c. 48. *Ipſe Senatus recti bonique præceptor* CIↃ *pondo auri Capitolio promittere ſolet.* Alterum & potius illud *aurum* fuit, quod re bene geſta duces triumphantes offerebant in templo dedicandum. V. ſupr. in *Aurum coronarium.* Rycq. de Capit. c. 21. Tomaſ. de Donar. c. 4.

Aurum viceſimarium erat vectigal, quod plerumque in *auro*, antiquis ſaltem temporibus, ſolvi ſolebat. Servabatur in ſanctiore Saturni ærario. Liv. XXVII. 10. *Aurum viceſimarium, quod in ſanctiore ærario ad ultimos caſus ſervabatur, promi placuit.* Burmann. Diſſert. de Vectig. c. 10. Colligebatur ex vigeſima manumiſſorum, decreta a Cn. Manlio conſule, dum Sutrium obſidebat. Livius. V. illum infr. in *Vigeſima.* Valtrin. de Re Milit. Roman. VII. 19. Lipſ. in Tacit. Annal. XII. n. 98. Loenſ. Miſcell. IX. 8. Buleng. de Vectig. c. 39. Burmann. l. l. Qui quamvis hoc inde redactum putent, ego malim ex vigeſima tributorum omnium, & vectigalium, imo etiam ex captivo auro, argentoque ditatum. *Franckenſtein de Ærar. pop. Rom. c. 4. Blond. Triumph. Rom.* (non libr. III. ut perperam, vitio memoriæ, & non inſpecto, cum hæc ſcriberet, Blondo Burmannus, ſed) v. *p.* III. *A.* Qui hoc dicunt nullo antiqui ſcriptoris teſtimonio. Quare hoc auctoribus relinquimus. *Burman. l. l.* Qui hoc *aurum* colligebant, *vigeſimarii* appellabantur. V. infr. in *Vigeſimarius.*

AURUNCI vetuſtiſſimi Latii populi fuerunt. Plin. III. 5. Primi poſt Reges exactos bello domiti in ditionem populi Romani venerunt anno ab U. C. 252. a. Sp. Caſſio & Opitre Virginio Conſulibus, Livio II. 17. auctore, Pometia eorum urbe capta, & funditus exciſa, debellati. *Panvin. Imp. Roman. c.* 3.

AUS.

AUSPICES qui prius dicti, poſtea ſunt augures nominati. Plutarch. Quæſt. Roman. 72. Per initia tantum e volatu, non item e garritu avium auſpicabantur. *Buleng. de Augur. & auſpic. c.* 9. ſolebant nuptiis intereſſe. Juven. Sat. X. 336.

Veniet cum ſignatoribus auſpex.

Cicer. de Divin. I. 16. & ex illo Val. Max. II. 1. 1. *Apud antiquos non ſolum publice, ſed etiam privatim nihil gerebatur, niſi auſpicio prius ſumpto: quo ex more nuptiis etiamnum auſpices interponuntur. Qui quamvis auſpicia petere deſierint, ipſo tamen nomine veteris conſuetudinis veſtigia uſurpant.* Suet. Claud. c. 26. n. 8. *Quam cum comperiſſet C. Silio etiam nupſiſſe, dote inter auſpices conſignata.* Sigon. de Ant. Jur. Civ. Roman. I. 9. Long. de Annul. c. 10. Voſſ. Lex. Etymol. Buleng. de Augur. c. 13. Caſal. de rit. nupt. c. 1. Demſter. Paral. Ant. Roſin. V. 37. Palæot. de Noth. & ſpur. c. 3. n. 5. Pitiſc. in Suetonium.

AUSPICANDI ratio non una fuit Græcis & Romanis. Augures enim Græci, cum ſe ad ſeptemtrionem obverterent, ortum ad dextram habuere, Romani cum meridiem in *auſpicando* intuerentur, ortum ad lævam. Itaque ſiniſtræ partes eædem ſunt Romanis, quæ Græcis dexteræ ad ortum, contra dexteræ Romanis ad occaſum, lævæ Græcis infelices. Itaque Romani cum ſiniſtra bene nominata, dextera triſtia vocant, more ſuo loquuntur, cum ſiniſtra mœſta, dextera læta, Græcorum more. Auctor vetus: *Iis qui ab ortu ad occaſum ſpectant dextera mundi partes ſeptentrionales, lævæ ad notum, antica ſunt ad occaſum, ad quem fertur mundus. poſtica ſunt orientalia, a quibus fit cœli motus.* Varr. Epiſt. Quæſt. VI. *A deorum ſede cum in meridiem ſpectes ad ſiniſtram ſunt partes mundi exorientes, ad dexteram occidentes, factum arbitror, ut ſiniſtra meliora auſpicia, quam dextera eſſe exiſtimentur.* Dionyſ. II. p. 80. *Iis qui orientem ſpectant, partes ad urſam, & boream ſunt ſiniſtræ, ad meridiem dextræ, priores poſterioribus honoratiores: polus enim ad boream attollitur, circa quem cœli fit converſio, & ex quinque circulis qui cingunt ſphæram arcticus ſemper nobis eſt aſpectabilis.* Romanis igitur ſiniſtra, quia pertinent ad ortum, ſalutaria, quia ortus lucis index, & auctor; dextra, quia ſpectant occaſum, triſtia. Plaut. Pſeud. II. 4. 72.

Ave ſiniſtra, auſpicio liquido, atque ex ſententia.

Buleng. de Augur. & auſpic. c. 2. Columnn. in Ennium p. 26.

AUSPICATO niſi, tantus honor augurum collegio ſub L. Tarquinio Priſco Rege, poſt Attii Navii miraculum, acceſſit, nihil domi foriſque gerebatur. *Panvin. de Civit. Roman. c.* 17. *Manut. de Legib. c.* 8. Ita creabantur magiſtratus. Dionyſ. Halic. II. 81. *Romulus acceptis a Deo certis ſignis, advocata concione, & indicatis auſpiciis, Rex omnium conſenſu declaratur: & morem inſtituit in poſterum, ne quis regnum aſſumeret, magiſtratumve iniret, niſi & Deus idem probaret: eſtque hæc auſpicii lex apud Romanos longo tempore obſervata, non ſolum ſub Regibus, verum etiam ſublata monarchia, in Conſulum, Imperatorum, cæterorumque magiſtratuum legitimorum comitiis.* Buleng. de Augur. c. 13. Manut. l. l. & Panvin. ibid. c. 1. II. Bella gerebantur. Cic. de Divin. II. 36. *Bellicam rem adminiſtrari majores noſtri niſi auſpicato noluerunt. quam multi anni ſunt, cum bella a Proconſulibus & proprætoribus adminiſtrantur, qui auſpicia non habent. Itaque nec amnes tranſeunt auſpicato, nec tripudio auſpicantur.* Frontin. Strat. IV. *Ad auſpicia repetenda Meſſanam tranſiens Aurelius Cotta.* Buleng. l. l. Imperatores enim, priuſquam concilia advocarent, in concionem adſcenderent, in hoſtem ducerent, rem divinam faciebant & aves conſulebant. *Schel. in Hygin. Theſ. Antiq. Roman. Græv. Tom.* X. *p.* 1065. *D.* III. Comitia centuriata habebantur. Neque enim ulla haberi jure poterant, niſi captatis ante auſpiciis. Captare autem auſpicia erat ex avibus, cæteriſque ſignis auguralis diſciplinæ propriis, Jovis voluntatem interpretari. Duobus fere generibus conſulendi Deos, priuſquam aliquid inciperent, utebantur. Unum erat per exta hoſtiarum, quas immolare ſolebant: ad quam divinandi rationem adhiberi ſolebant aruſpices. Cicero multis verbis de Divin. II. Alterum erat ex avibus & cæteris ſignis, unde Jovis ſententiam divinare ſolebant: ad quam rationem divinandi augures adhibebantur. Cicero enim de Legib. II. 8. appellat augures Jovis Optimi Maximi interpretes: & III. 19. Jovis conſiliarios & adminiſtros: quod cum Jupiter *auſpicia* mittere & ſigna crederetur, ipſi ſua quadam diſciplina, quæ auguralibus libris continebatur, de illis judicabant, fauſtane an infauſta eſſent: quodque ipſorum collegium decreviſſet, id ratum ut omnino haberetur, cautum erat. *Gruch. de Comit. Roman.* I. 4. *Panvin. de Civ. Roman. c.* 53. *Buleng. l. l.*

AUSPICIUM differt ab augurio, quandoquidem I. Augurium proprie fit avium garritu, ac voce duntaxat; *auſpicium* autem ab avium volatu. II. Augurium eſt rerum omnium conjectura; *auſpicium* eſt avium inſpectio. *Niphus de Augur.* I. 1. *Columnn. in Ennium p.* 19. *a.* Proprie ſignificat ex avibus ſumptas divinationes; ſed uſu effectum eſt, ut multo latius pateat verbum *auſpiciorum*, & complectatur etiam ſigna alia ad augurum diſciplinam pertinentia. Quatuor fere generibus contineri omnia ſigna auguralis diſciplinæ reperio. I. Ex avibus, & illarum volatu, occentu, tripudio. II. E cœlo. III. Ex terrenis animantibus. IV. Ex diris. *Grucch. de Comit.* I. 4. V. Singula ſuis locis. Phryges inveniſſe *auſpiciorum* diſciplinam ſcribit Gregorii Nazianzeni Scholiaſtes, & Megales Phryx Hetruſcos. Solin. c. 1. *Buleng. de Sort. c.* 5. *&* 6. Plebeji non habebant *auſpicia.* Docet hoc Appius apud Liv. VI. 41. *Penes quos ſunt auſpicia more majorum? nempe penes Patres. Nam plebejus quidem magiſtratus nullus auſpicato creatur: nobis adeo propria ſunt auſpicia: ut non ſolum, quos populus creat, patricios magiſtratus, non aliter quam auſpicato creet; ſed nos quoque ipſi ſine ſuffragio populi auſpicato Interregem prodamus, & privatim auſpicia habeamus, quæ iſti ne in magiſtratibus quidem habent.* Propria igitur ſunt patriciorum, quia & privatim & in magiſtratibus *auſpicia* habent: plebeji vero nec privatim, nec in magiſtratibus. Quod in magiſtratibus *auſpicia* non haberent plebeji, ex eo concludit, quod nullus magiſtratus plebejus auſpicato

creatur:

creatur: contra vero patricios habere *auspicia* in magistratibus probat, quod omnes patricii magistratus auspicato creantur: hæc vero conclusio, ut id, quod vult, efficiat, necesse est, generale illud pronuntiatum verum fuisse, nulla in iis magistratibus fuisse *auspicia*, qui auspicato non crearentur: ideo quicunque magistratus auspicato non creabantur, eorum nulla fuisse *auspicia*. Grucch. de Comit. I. 4. ad poster. Sigon. Disput. Refut. c. 48. Buleng. de Aug. & ausp. c. 18. *Auspicia* non nisi loco publico capi poterant. Ideo Dio XLI. p. 173. D. scribit, cum Antiochiæ Consules & ducenti Senatores agerent, eos locum ad *auspicia* capienda publicum fecisse, χωρίον ἐς τὰ οἰωνίσματα δημοσιώσαντες. *Buleng. ibid. c.* 12. Ferebantur ista sive superstitione, sive religione, ut nihil prospere processurum crederent per totum anni decursum, cujus non *auspicia* fecissent sub initium anni: & vice versa, ea omnia bene cessura, quorum sive operum, sive rerum *auspicia* hoc auspicali die fecissent. Ovid. Fast. I. 167.

Tempora commisi nascentia rebus agendis,
Totus ab auspicio ne foret annus iners.
Quisque suas artes ob idem delibat agendo,
Nec plus quam solitum testificatur opus.

Hinc Colum. XI. 2. testatur, *Agricolas etiam ipsis Kalendis Januariis auspicandi causa omne genus operis rustici instaurare.* Id sicut in privatis passim obtinuit, ita in publicis usque ad Trajani tempora duravit. Panegyr. Maximian. c. 6. *Illum primum consulatus tui auspicalem diem tacitus nullo modo præterire possum, quo tu solus omnium consecutus es, ut quod tempus antea incipiendis tantummodo rebus aptum esse videbatur, tunc primum potuerit sufficere peragendis, unoque Sol curriculo & officia te Consulis inchoantem videret, & Imperatoris implentem.* Lipen. de Stren. c. 2. æt. prim. §. 42. Post Sextilem mensem, qui nunc est Augustus, auspiciis uti prohibuit Q. Metellus, cum esset summus Pontifex factus. *Plutarch. Quæst. Roman.* 37. *Auspicium* facere dicuntur aves apud Festum, quæ movent nos ut aliquid agamus, aut non agamus, ut vetustas credidit. Eo alludit Horat. Epist. I. 1. 85.

—— cui si vitiosa libido
Fecerit auspicium. ——

hoc est, si libido ei suaserit, tanquam avis cantu aut volatu *auspicium* fecerit ratum, & impulerit divitem, ut ædificet. . . . . *Turneb. Adv.* XXVI. 26. Turbare autem, aut vitiare, est, cum de cœlo servaveris, obnuntiatione efficere, ne possit *auspicato* peragere quod statuerat magistratus cui obnuntiatur. *Grucch. de Comit. Roman.* I. 4. Sorex etiam suo occentu *auspicia* dirimebat. Plin. VIII. 57. *Soricum occentu dirimi auspicia, annales refertos habemus.* Alex. Gen. Dier. V. 19. & ad illum Tiraquellus, & Brisson. de Form. I. p. 125. *Auspiciorum* repetendorum causa duces Romani sæpius e provincia & exercitu Romam advolarunt. Liv. VIII. 38. *Papirius Dictator a pullario monitus, quum ad auspicium repetendum Romam proficisceretur.* Turneb. Adv. VI. 21. In *auspiciis* dicitur esse augur, qui adest magistratui auspicanti. Cicer. de Divin. II. 34. *Q. Fabi te mihi in auspicio esse volo.* Et Messala augur apud Gell. N. A. XIII. 15. *Nos his temporibus Prætores, Prætore creante, veterum auctoritatem sumus secuti; neque iis comitiis in auspicio fuimus.* Grucch. l. l. *Auspicia* ita contempsit P. Claudius Pulcer, ut pullos in mare projecerit, quando pultem esse nollent. Suet. Tib. c. 2. n. 7. *Augustin. de Famil. Roman. in Claudia.* bello Punico primo: & secundo Flaminius, quum tripudio auspicaretur pullarius, diemque committendi prælii propterea differret, ex eo quæsivit, si ne postea quidem pulli pascerentur, quid faciendum esset, quum ille quiescendum censeret. *Præclara vero*, inquit Flaminius, *auspicia, si esurientibus pullis res geri potuit, saturis nihil geretur. Itaque signa convellit, & se sequi jussit.* Cicer. de Divin. I. 35. *Panvin. de Civit. Roman. c.* 44. Id in *auspiciis* silentium dicebatur, quod omni vitio careret. Solebant in *auspiciis* adhiberi non passim omnes, sed hi tantum qui essent periti. Peritos enim oportebat esse eos, qui quid silentium foret intelligerent. Rogabat hinc augur an adhuc silentium esset, respondebat statim pullarius, silentium sibi esse videri. Festus inter sinistrum *auspicium* & silentium hoc interesse scribit: quod sinistrum in auspicando lætum & prosperum *auspicium* significet: at silentium, ubi duntaxat vacat vitio. Igitur silentio surgere cum dicitur, significat non interpellari, quo minus rem gerat, sinistrum vero hortari quoque *auspicium* ad agendum quod animo quis proposuerit. *Panvin. l. l. Brisson. de Formul.* I. *p.* 125.

Auspicium ex acuminibus. De illo Cicer. de Divin. II. 36. *Ex acuminibus quidem, quod totum auspicium militare est, jam M. Marcellus totum omisit.* de Nat. Deor. II. 3. *Maximæ Reipublicæ partes nullis auspiciis administrantur, nulla perennia servantur, nulla ex acuminibus.* Cujusmodi hoc fuerit, incompertum. *Sigon. de Ant. Jur. Prov.* II. 6. *Crinit. de Honest. Discipl.* XXV. 2. Quicquid sane hoc scrupi est, diu a doctis viris perquisitum novi, necdum a quoquam expeditum. Sunt qui ad geomantiam putent referendum, quæ acuminibus ita exercetur, ut punctorum puritas, impuritas, obliquitas, quadratio, decussatio, & id cætera genus curiose, ne dicam, superstitiose, spectentur. *Calcagn. Epist. Quæst.* I. 51. Sunt qui *ex agminibus* emendent: quibus non assentior. *Turneb. Adv.* XXIII. 12. Erat, cum acumina pilorum, hastarum; telorum solito splendidius emicarent: si acumen retusum non esset, si non sordidum, non hebes, si horrorem quendam præ se ferret. Ex his spem prælii & eventum *auspicari* solebant. Arnob. II. p. 91. *Martium discrimen obeuntes spem prælii sumitis & ex acuminibus auspicatis.* Dionys. Halicarn. V. p. 312. *Tela sunt hæc Romanorum, quæ primo congressu ejaculantur: oblonga hastilia, crassamento quod manum compleat, tripedaneis veruculis ferreis utrinque in rectum præfixa, mediocribus jaculis cum ferro suo paria: ex his inquam pilis circa summa verucula emicabant flammæ, totisque castris fulgorem, non aliter ac faculæ, ad multam noctem reddebant. Ex hoc ostento colligebant citam sibi & splendidam a Deo portendi victoriam: quando quidem igni cedunt omnia, & nihil est, quod non ignis vi absumatur.* Buleng. de Sort. c. 6. Calcagn. & Turneb. l. l. Valtrin. de Re Roman. milit. I. 6. Delrio Disquis. magic. IV. 2. 7. 2.

Auspicium caducum *dicebant, cum aliquid in templo excidit, veluti virga e manu.* Festus. *Alex. Gen. Dier.* V. 14. *Stuck. de Sacrif. p.* 192. *Niphus de Augur.* I. 10. Latius patuisse dubium non est, cum in casu omni inopinato acciperetur, si pileus, si corona, si tunica decideret, si equus ephippia dejiceret, aut prolaberetur, denique si quæ prolapsio esset, si qui casus, *auspicium* caducum esse dicebatur. Plutarch. in Brut. p. 1002. A. *Inauspicatum fuit quod lictor coronam Cassio inversam attulit. In pompa aurea Cassii victoria quæ ferebatur cecidit, cum is qui ferebat prolapsus esset.* Buleng. de Augur. c. 14. Salmas. in Spart. Adrian. c. 26. Blond. Triumph. Rom. I. p. 26. E.

Auspicium clive *dicebant, quod aliquid fieri prohibebat: omnia enim difficilia clivia vocabant.* Festus. *Alex. Gen. Dier.* V. 14. *Brisson. de Formul.* I. *p.* 123. *Crinit. de Honest. Discipl.* XXV. 2. *Blond. Triumph. Rom.* I. *p.* 26. *E.*

Auspicium coactum. V. illud supr. in *Augurium.*

Auspicium juge dicebant, si jumenta juncta occurrerent. Cic. de Divin. II. 36. *Nos augures præcipimus, ne juge auspicium obveniat, ut jubeant jumenta disjungere.* Serv. Æneid. III. 537. *Multi de libris augurum tractum tradunt. Observatur enim ne prodituro magistratui*, nisi Servio excidisse suspicatur Dacer. in Festum, *disjunctis bubus plaustrum obviam veniat.* Festus: *Juge auspicium est, cum junctum jumentum stercus facit.* Buleng. de Aug. c. 16. Scalig. in Festum. Laz. Comm. Reip. Roman. III. 12.

Auspicium liquidum, cum sereno puroque cœlo certum, nec dubium nobis ostenditur. Plaut. Epid. II. 2. 1.

—— Liquido exeo foras
Auspicio, avi sinistra.

Pseud. II. 4. 72.

Avi sinistra, auspicio liquido, atque ex sententia.

Turneb. Adv. XVI. 10.

Auspicium majus erat aliud, & aliud minus. Majora qui-

quidem magiſtratuum majorum, minora minorum fuerunt. Romanis magiſtratibus majoribus & minoribus auſpicandi fuit poteſtas; ſed tamen non æque firma & rata omnibus *auſpicia* fuerunt: ſed penes majores magiſtratus fuerunt magis rata & firma *auſpicia*, penes minores minus rata: ita ut quæ *auſpiciis* majorum magiſtratuum fierent, ut erant ea, quæ maximi in Republica momenti erant, magis j[illegible] ac legitima cenſerentur, quam quæ minorum *auſpiciis* [illegible]entur. *Grucch. de Comit. Roman.* I. 4. *Auguſtin. de Legibus in Clodia.*

Auſpicium nauticum. Antiqui enim, priuſquam navigarent, conſuluerunt aves. Horat. Epod. x. 1.

> *Mala ſoluta navis exit alite.*

Epod. xvi. 24.

> *Ratem occupare quid moramur alite.*

Ariſtoph. in Avib. p. 569.

> *Prædicet aliquis ſemper avium, inquirenti circa navigationem,*
> *Nunc non naviga, hyems erit: nunc naviga, lucrum erit.*

Auſpicia hæc qui neglexerint Claudius Pulcer, & Flaminius, V. ſupr. in *Auſpicium*. Scheffer. de Milit. Nav. III. 3.

Auſpicium pedeſtre *dicebant, quod daretur a vulpe, lupo, ſerpente, equo, cæteriſque animalibus quadrupedibus*, Feſtus. *Niphus de Augur.* I. 10. *Buleng. de Augur.* c. 17. *Crinit. de Honeſt. Diſcipl.* xxv. 2. *Blond. Triumph. Rom.* I. *pag.* 26. *F.*

Auſpicium perenne etiam fuit, de quo Feſtus: *Perenne auſpicatur, qui amnem aut aquam, quæ ex ſacro oritur, auſpicato tranſit.* Cicero ſupr. in *Auſpicium ex acuminibus.* Sic magiſtratus in campum euntes, ut aliquid agerent, Petroniam in Tiberim profluentem auſpicato tranſibant; quod genus *auſpicii* vocabant perenne. Idem militiæ in aliis amnibus, quos tranſibant, faciebant, eaque *auſpicia* ſimilia erant ſacris, quæ Græci διαβατήρια vocabant. *Turneb. Adv.* xxiii. 12. *Nardin. Rom. Vet.* vi. 7. Erat etiam *auſpicium* perenne populi, cum Idibus Martiis amnem *auſpicato* tranſirent ad Annam Perennam. Cicer. de Divin. II. 36. *Itaque nec amnes tranſeunt auſpicato, nec tripudio auſpicantur.* Buleng. de Sort. c. 6.

Auſpicium peſtiferum *dicebant, cum cor in extis, aut caput in jecinore non fuiſſet.* Feſtus. *Niphus de Augur.* I. 10. *Buleng. de Sort.* c. 6. *Crinit. de Honeſt. Diſcipl.* xxv. 2. *Blond. Triumph. Rom.* I. *p* 26. *F.*

Auſpicium piaculare appellabant, *quod ſacrificantibus triſtia portendebat; cum aut hoſtia ab ara profugiſſet, aut percuſſa mugitum dediſſet, aut in aliam partem corporis, quam oporteret, decidiſſet.* Feſtus. *Turneb. Adv.* vi. 21. *Niphus de Augur.* I. 10. *Buleng. de Sort.* c. 6. *Augur.* c. 17. *Crinit. de Honeſt. Diſcipl.* xxv. 2. *Stuck. de Sacrif.* p. 148. *Blond. Triumph. Rom.* I. *p.* 26. *F.* Piaculare plane eſt illud Virg. Æneid. II. 223.

> —— *qualis fugit cum ſaucius aram*
> *Taurus, & incertam excuſſit cervice ſecurim.*

Scalig. ad Feſtum.

Auſpicium prætermine dictum fuit, cum Romani de fine Romano in agrum peregrinum tranſibant. Victorin. Afer in Orthographia: *Prætermine dicitur auſpicium, quod fit, cum de fine Romano in agrum peregrinum transgrediuntur.* Buleng. de Augur. c. 17.

Auſpicium regni ſumebatur in hippodromo. Paullus Diacon. II. *Hic auguſtalem coronam cum accepturus eſſet, cunctique juxta conventionem ad ſpectaculum circi populus exſpectaret.* Argol. ad Panvin. de Lud. Circ. I. 27.

Auſpicium ſiniſtrum Romanis erat melius; utpote quod ſineret rem fieri: ſic enim interpretabantur. Ea Græce σκαιὰ dicuntur. Sic Feſtus ait ſcævam & in bona, & in mala re vocari. Et Varr. de Ling. Lat. vi. pueris refert turpiculam rem ſuſpendi in collo, ne quid obſit bonæ ſcævæ cauſa, unde Scævola appellatus eſt, ſcævumque eſſe bonum omen dicit, quod ſiniſtra bona *auſpicia* exiſtimarentur. *Auguſtin. de Famil. Roman. in Junia.* V. ſupr. in *Auſpicandi ratio.*

Auſpicium viale τὸ ἐνόδιον vocat Gregorii Nazianzeni Scholiaſtes. Theophraſt. Charact. de Superſtitione: *Si muſtela viam tranſcurrit, non ante progredi, quam alius prior tranſierit, aut ipſe tres lapides trans viam miſerit.* Apul. Met. IX. p. 302. *Viſæ muſtelæ mortuum ſerpentem forinſecus mordicus attrahentes.* Buleng. de Prodig. c. 38.

Auſpicium urbanum in Urbe capiebatur a magiſtratibus urbanis. Cicer. de Legib. III. 12. *Magiſtratus omnes & judicium, & auſpicium habento.* Quod dictum neque de omnibus magiſtratibus, neque de omnibus *auſpiciis* puto, verum de magiſtratibus urbanis, & de obſervatione de cœlo duntaxat. *Sigon. de Ant. Jur. Civ. Roman.* I. 20. *Guther. de Jur. Pont.* II. 3.

Auſpicia in exercitu unius tantum fuerunt Imperatoris, cui ea provincia eveniſſet: cæteri *auſpiciis* ejus pugnare, ipſe bellum, ut ductu, ſic *auſpiciis* ſuis gerere dicebatur. Unde dixit Scipio ad ſeditioſum exercitum: *Quin mihi ne hodie quidem ſcire videmini, quo amentiæ progreſſi ſitis; quid facinoris in me, patriamque veſtram, quid in Deos ſacramenti teſtes, quid adverſus auſpicia, ſub quibus militatis, quid adverſus morem militiæ, diſciplinamque majorum, quid adverſus ſummi imperii majeſtatem auſi ſitis.* Itaque nec Imperatoris nomen, nec ſupplicatio, nec triumphus dabatur aut legato, aut ulli alii exercitus præfecto, ne ſi eorum quidem opera, atque virtute Imperator abſens, aut ægrotus Imperator victoriam adeptus eſſet; quod non eorum *auſpiciis* res eſſet geſta, ſed ipſius Imperatoris. *Sigon. de Ant. Jur. Prov.* II. 6. *Buleng. de Augur.* c. [illegible]. Legatis enim fortunam, ac Deos ſuos commodabat Imperator. Horat. Od. IV. 14. 33.

> *Te copias, te conſilium, & tuos*
> *Præbente divos.*

Ovid. Triſt. II. 173.

> *Per quem bella geris, cujus nunc corpore pugnas,*
> *Auſpicium cui das grande, Deoſque tuos.*

Unde Suetonius de Auguſto c. 21. n. 1. *Domuit partim ductu, partim auſpiciis ſuis.* Lipſ. de Mil. Roman. II. 12. Briſſon. de Form. IV. p. 353. Demſter. Paral. ad Roſin. Ant. II. 16. Pichen. in Tacit. II. 41. Voce hac denotatur vis ipſius ſummæ poteſtatis, & eminens quædam rerum gerendarum auctoritas ac efficacia, divinitus imperantibus conceſſa. *Boſius Differt. de compar. eloq. civil.* §. 17.

AUSTRIA nunc dicitur; quæ olim Pannonia ſuperior, ſeu prima. *Panciroll. Notit. Dign. Imp. Occid.* c. 81. V. illam infr. in *Pannonia.*

AUT.

AUTEPSA, ſive *authepſa* vox Græca eſt, αὐθέψης. Cicer. pro Sext. Roſc. c. 46. *In quibus eſt authepſa illa, quam tanto pretio nuper mercatus eſt, ut, qui prætereuntes pretium enumerari audiebant, fundum venire arbitrarentur. Primus authepſas argenteas habuit* Heliogabalus. Lamprid. c. 19. Inſtrumentum eſt coquinarium, & denotat ſartaginem, aut aliud genus coquinarii vaſis, & ad focum apti. *Salmaſius in Lampridium.* Per ſe coquit carnes ſubjecto igne, αὐθέψης eſt ſartago. *Buleng. de Conviv.* IV. 9. Sive vas eſt aquarium, quod interjecta lamina fabricatis arte fornacibus compendium portat, portati ſimul ignis contrarii elementi defenſa vicinitas. Schol. in Ciceronem. *Junius Catal. Archit.* p. 55.

AUTOMATION dictum, quod in illo *automata* fierent. Petron. Fragm. *In automatium me conjeci.* Argol. in Panvin. de Lud. Circ. II. 2.

Automation appellabatur, quod ita mechanici fabricabantur, ut ſua ſponte efficere quidquam, velut ignara cauſa videretur. Qualia nunc aut horologia ſunt, aut verſatiles quæpiam machinæ, in quibus imagunculas, occulta vi curſitantes, ludibundaſque miramur. Quales etiam vel fontes, vel ignes ipſi, quodam artificioſo temperamento, ſpecieque nova, certis intervallis, aquas, flammaſve jaculantes. Αὐτόματον enim vel ut ultroneum & ſpontale poſſumus Latine interpretari. Sic Homerus αὐτόματος, ſponte ſua, non cujuſpiam vocatu, quaſi a ſemet

met impulſum, ad dapes Menelaum dicit veniſſe Iliad. II. 408. Ubi Didymus: αὐτόματος, ἄνευ τοῦ κληθῆναι. *Politian. Miſcell. c. 97. Rhodig. Ant. Lect.* VII. 16. *Buleng. de Circo c.* 35. *Figrell. de Stat. Roman. c.* 3. *Argol. in Panvin. de Lud. Circ.* II. 2.

'ΑΥΤΟΝΟΜΊΑΣ una voce frequenter quod dicunt Polybius, Thucydides, Diodorus, Dionyſius, Dio, Appianus, aliique, vel αὐτονομεῖν; id ſubinde ab iis, ac in antiquis etiam fœderum formulis, dictum legitur, νόμοις τοῖς ἰδίοις χρῆσθαι, aut πατρίοις, vel ἀρχαίοις ἔθεσι καὶ νόμοις, vel πατρίῳ τρόπῳ ἄρχεσθαι, aut κατὰ τὰ πάτρια, κατὰ τὰ ἴδια νόμιμα, τοῖς ἰδίοις θεσμοῖς, κατὰ τοὺς τῆς πόλεως νόμους, κατὰ νόμους πολιτεύειν, ἐν αὐτονομίᾳ πολιτεύεσθαι, τοῖς οἰκείοις νόμοις πείθεσθαι, οἰκείοις νόμοις χρῆσθαι, κατὰ νόμους τοὺς οἴκοθεν, ἔθων τῶν οἴκοθεν. *Spanhem. ad Conſtitut. Antonin. Imper. Exerc.* II. *Theſ. Antiq. Roman. Græv. Tom.* XI. *p.* 103. *E.* Urbium illarum, quæ cæteroquin erant in Romanorum fide, *autonomia*, vel præcipua pars libertatis erat in eo ſita, ut eædem ſuis legibus agerent, & proprios crearent magiſtratus, a quibus jus iis, non vero a Romanis præſidibus, vel judicibus, diceretur: & prout utrumque conjungit alicubi Polybius, avito regimine & legibus patriis utentes. Unde etiam de Maſſilienſium αὐτονομίᾳ iis a Cæſare, etſi illi in adverſis partibus fuerant, conſervata, agens Strabo, eam explicat de immunitate a jurisdictione Romani præſidis IV. p. 187. *Autonomiam*, ſeu libertatem priſtinam *conſervarunt, ut neque ipſi, neque eorum ſubditi miſſis in provinciam rectoribus parere cogerentur.* Spanhem. ibid. p. 108. C. Auguſti in concedendo, aut relinquendo variis gentibus vel civitatibus hoc αὐτονομίας jure, benignitatis aut facilitatis illuſtria nobis exempla ſuppeditat Dio. Ita in rebus ab hoc Principe in Gallia, Germania & Hiſpania compoſitis, τήν τε ἐλευθερίαν καὶ τὴν πολιτείαν, libertatem, quæ vulgo cum *autonomia* erat conjuncta, & civitatem aliis dediſſe, aliis vero ademiſſe tradit Dio: hoc eſt, prius quod attinet, conſtituiſſe Auguſtum in iis gentibus civitates, alias quidem liberas; alias vero totidem municipia, ſeu oppida civium Romanorum. Ad quæ proinde Auguſti tempora referri poſſunt plerique illi vel liberi apud Gallos populi, Nervii, Sueſſiones, Ulmanetes, Leuci, Treveri, Secuſiani; aut in ulteriori Hiſpania, ſex ſeptemve donata libertate oppida. *Spanhem. ibid. p.* 116. *E.* Ab hac, tanquam a memorabili maxime urbium inſtauratione vel beneficio, novæ prioribus abolitis, petitæ ſunt æræ. Quod de Antiochiæ χρηματισμῷ ſpeciatim tangit Euagrius II. 12. de terræ motu, qui huic urbi ſub Trajano contigit agens: *Nam illa quidem accidit anno centeſimo & quinquageſimo nono, ex quo urbs fuerat ſuas leges adepta.* Cui accedit etiam, quod Auctor Chronici Alexandrini, dum a tempore, quo eadem urbs libera fuit a Cæſare declarata, annos Antiochenſium tradit numerari. Idem evincunt etiamnum ſuperſtites illius urbis nummi: ſicut alii Seleuciæ, Gadarorum, Gazæ, Philadelphiæ, totidem Syriæ & Palæſtinæ urbium cum adſcriptis id genus epochis, a data iis a Pompejo αὐτονομίᾳ. *Spanhem. ibid. p.* 110. *B. De Præſtant. Numiſm. Diſſert.* VII. *p.* 720. *Noriſ. de Epoch. Syro-Maced. Diſſert.* III. 4: v. 3. *Scalig. Canon. Iſagogic. p.* 301.

Autonomia Achæorum. Achajam enim univerſam, quam ſolis Patrenſibus conceſſerat Auguſtus, libertate donavit Nero. Docent hoc Suet. Ner. c. 24. n. 6. Dio LXIII. p. 720. Plin. IV. 6. Pauſan. VII. Philoſtr. Apollon. v. 14. Eo reſpexit Andromachus medicus in verſibus de Theriaca ad Neronem, quos attulit Galen. de Antid. I. 6.

Cæſar, ſecuræ dator libertatis.

Verum haud diuturna exſtitit eadem Achæorum libertas: dum poſt tranſlatum a domus Juliæ, vel natura, vel adoptione Cæſaribus, ad alias gentes imperium, mox a Veſpaſiano jus illud eſt eiſdem Achæis ademptum. Tradunt hoc Suet. Veſp. c. 8. n. 9. Euſeb. Chron. ad Olymp. 223. 2. Oroſ. VII. 9. Philoſtr. Apollon. v. 14. Cauſam vel πρόφασιν addit Philoſtr. VII. p. 429. *Veſpaſianus Græcos, qui in domeſticam ſeditionem inciderant, tributa rurſus perſolvere, & Romano præſidi parere juſſit, quum diceret, libertate uti Græcos jam dedidiciſſe.* Spanhem. ad Conſtitut. Antonin. Imper. Exercit. II. §. 15. 16. *Achajæ* libertatem, aut immunitatem a tributis a Domitiano reſtitutam colligit Vaillant de Colon. Imper. Tom. I. p. 199. quod nulli hactenus occurrant cuſi ſub Veſpaſiano ac Tito Corinthiorum nummi, qui ſub Domitiano haud pauci adhuc proſtant. Hæc conjectura inde ſtatui poteſt invalida, quod præter auctorum veterum, & eorum quidem infra Domitiani ævum, ut Pauſaniæ & Philoſtrati, qui libertatis Græciæ a Veſpaſiano ademptæ meminerunt; de eadem autem a Domitiano reſtituta omnino tacent, ſilentium, præter id, inquam, non eadem foret horum Corinthiorum, uti nec Patrenſium, quæ reliquarum *Achajæ* urbium, ratio. Erat enim utraque illa civitas Romana colonia: quæ proinde conſuetis coloniarum juribus ac immunitatibus gauderent, quacunque tandem agerent aliæ ejuſdem provinciæ civitates conditione. Quanquam mox ſub Trajano liberas adhuc fuiſſe plures *Achajæ* urbes, idque jus iis ab antiquo, ac proinde etſi mutata ſubinde fuerit illius provinciæ, ſeu reliquorum in eadem civitatum adminiſtratio, adſertum, docet Plin. Epiſt. VIII. 24. qua Maximum miſſum ad ordinandas liberas Græciæ ſeu *Achajæ* civitates alloquitur, & eaſdem illi commendat. Itaque non univerſæ Græciæ, vel *Achajæ*, ſeu ſingulis ejus civitatibus adempta eſt a Veſpaſiano libertas; ſed illa eo, qui in aliis etiam provinciis Romanis obtinuit more, iis Græcanicis itidem civitatibus, quæ ea jam ab antiquo fruebantur, tum relicta. Etiam in eaſdem liberas urbes ordinandas, & tanquam Romani in eadem provincia Rectoris jurisdictioni exemptas, extra ordinem ſubinde a Romanis miſſi ſunt, qui illas, idque citra imminutæ libertatis jura conſtituerent & regerent. *Spanhem. ibid.* §. 16.

Autonomia Æthiopum. Æthiopes Thebis Ægyptiis contermini quales nempe ſupra Ægyptum ab Herodoto VII. c. 70. ac a Dione LIV. p. 524. ſimiliter dicti: & cujus Æthiopiæ proprie olim appellatæ, ac Ægypto vere conterminæ, regio erat decantata Meroe, Theodoriti, ſeu Theodoſii junioris ævo in fide vel in ditione Romanorum fuerunt, nec dum tamen legibus Romanorum obſtricti. Theodorit. Therap. Serm. 9. p. 610. Tom. IV. *Neque enim Æthiopes, Ægyptiis Thebis contermini. . . . qui Romanorum dominatum colunt, ſecundum Romanorum leges conventiones mutuas inter ſe paciſcuntur.* Spanhem. ad Conſtitut. Antonin. Imper. Exerc. II. §. 18.

Autonomia Amiſenorum. Amiſum, celebrem ac Græcanicam Ponti urbem liberam, & Trajani beneficio ſuis utentem legibus tradit Plin. Epiſt. X. 93. *Amiſenorum civitas libera & fœderata, beneficio indulgentiæ tuæ legibus ſuis utitur:* Cui reſpondet Trajanus Epiſt. 94. *Amiſenos, ſi legibus iſtorum, quibus de officio fœderis utuntur. . . .* Hæc libertas, ſive αὐτονομία non primum a Trajano Amiſenis fuit conceſſa; ſed illam ſub Romanis, a Lucullo primum devicto Mithridate; dein a Julio Cæſare poſt eam a Pharnace captam ac direptam, poſtremo a Stratonis tyrannide liberata, poſt Actiacam victoriam ab Auguſto, ut e Strab. XII. p. 547. Dion XLII. p. 206. & Appian. Mithrid. p. 228. diſcimus, conſecuta; ac inde libera etiam a majore Plin. VI. 2. proinde ante Trajanum eſt appellata. Mitto nummos illius urbis cum adſcripto *Amiſi Liberæ* elogio; ac additis inſuper epochæ annis, a tempore partæ illius libertatis, ſeu ſtatim ab expulſo Stratone tyranno, atque ita ab anno ab Urbe condita 711. aut juxta alios 723. ſeu ab anno qui excepit victoriam Actiacam 724. ſumatur ejus initium. Illud itaque jus a Trajano confirmatum eſt ei, ac proinde illius beneficio ac indulgentia eo perfruebantur Amiſeni. *Spanhem. ad Conſtitut. Antonin. Imper. Exercit.* II. §. 16.

Autonomiam Antiochenſes pretio a Pompejo redemerunt. Obſervat Porphyrius in Excerptis apud Scaligerum Euſebianis p. 62. *Pompejus accepta ab Antiochenſibus pecunia, urbem eorum ſuis legibus reliquit,* αὐτόνομον τὴν πόλιν εἴασε. Eſt tamen non a Pompejo quidem; ſed paucis poſt annis a Julio Cæſare Dictatore, quod & a Chronici Alexandrini, ſeu Paſchalis auctore traditur p. 187. edit. du Cange,

libera proclamata, & inter alia præcipua ἀυτόνομος appellata. Malal. Chronol. IX. p. 278. *In Antiochia metropoli, ſacra, inviolabili, ἀυτονόμῳ, ſuis legibus, principe orientiſque præſide, Julius Cajus Cæſar.* . . . . Quomodo eadem *autonomia* non ſolum publicis fœderum tabulis; ſed nummis, aliiſque duraturis ad poſteros monumentis frequenter conſignata. Quod nobis ob oculos ponunt nummi a me adducti Diſſert. de Præſt. Numiſm. p. 789. *Antiochenſium metropolis & ſuis legibus.* Spanhem. ad Conſtitut. Antonin. Imper. Exercit. II. §. 14.

Autonomia Arabum. Arabes a Trajano obtemperare Romanis legibus compulſi ſunt. Oſtendunt hoc ejuſdem Trajani nummi a præſtantibus antiquariis deſcripti, in quibus, aut *Arabia Auguſt. provincia*, vel *adquiſita.* Eſt tamen hæc provincia mox a Trajani ſucceſſore Adriano, ceu qui illius invideret gloriæ, ut ea de re Euſeb. ad Olymp 224. I. Rufus in Breviario. Eutrop. VIII. 6. ſive, juxta Spartian. Adrian. c. 5. quod eam teneri non poſſe exiſtimaret, mox omiſſa, ac proinde ſuis denuo legibus, ſeu Regibus verius fuit reddita. *Spanhem. ad Conſtitut. Antonin. Imper. Exercit.* II. §. 16.

Autonomia Arethuſatorum. Arethuſam urbem Judæis ademptam, ac in libertatem adſertam Syriæ attribuit Pompejus. Dum in Galliis nuper agerem, illatus in cimeliarchium regium nummus, in quo hinc caput velatum & turritum apparebat; illinc Jupiter ſedens, & dextra Victoriæ ſignum tenens, cum inſcriptione ΑΡΕΘΟΥΣΑΤΩΝ ΤΗΣ ΙΕΡΑΣ ΑΥΤΟΝΟΜΟΥ. *Arethuſatorum, ſacræ, ſuis legibus:* & cum fugientibus aliquot literis, quibus illius æra erat forte adſcripta. *Spanhem. ad Conſtitut. Antonin. Imper. Exercit.* II. §. 14.

Autonomia Armeniorum. Armenii etiam a Trajano obtemperare Romanis legibus compulſi ſunt. Oſtendunt hoc Trajani nummi, in quibus *Armenia in poteſtatem P. R. redacta.* Eſt tamen hæc provincia ab Adriano ob rationes in *Autonomia Arabum* allatas omiſſa, & ſuis legibus reddita. *Spanhem. ad Conſtitut. Antonin. Imper. Exerc.* II. §. 16.

Autonomia Aſiaticorum. De Aſiaticis Græcis, ſeu tribus illis diœceſibus, quæ proconſulari ejus in Cilicia imperio, ſeu, ut ipſe ait Epiſt. XIII. 76. provinciæ ejus Ciliciensi fuerant attributæ, dicit Cicer. ad Attic. Epiſt. VI. I. *Multa ſum ſecutus Scævolæ. in iis illud, in quo ſibi libertatem cenſent Græci datam, ut Græci diſceptent inter ſe ſuis legibus.* Et mox: *Græci vero exſultant, quod peregrinis judicibus*, hoc eſt, Græcis, ut vere ibi viri docti, *utantur.* Quanquam non plena Græcis illis Aſiaticis *autonomia* fuerit relicta, niſi ubi eſſet inter Aſiaticos illos unius urbis cives diſſenſio. Non fuiſſe vere, ſeu omnino ἀυτονομουμένους, ut Græci ſcriptores loquuntur, aperte ſatis innuunt Ciceronis de Græcis illis Aſiaticis, & apud quos forum ſe egiſſe teſtatur ad Attic. Epiſt. V. 21: VI. 2. quæ modo jam adductis addit, verba Epiſt. ad Attic. VI. I. *Nugatoribus quidem, inquies, quid refert: tamen ſe ἀυτονομίαν adeptos putant.* Idem tamen de civitatibus eiſdem in genere ait ad Attic. Epiſt. VI. 2. *Omnes ſuis legibus & judiciis uſæ, ἀυτονομίαν adeptæ revixerunt.* datis nempe Græcis judicibus, apud quos earum urbium cives inter ſe diſceptarent. Ut non inde tamen vere, quod dixi, ἀυτόνομοι, aut etiam ἀυτόδικοι fuerint: quoniam ii proprie a Græcis dicebantur, quibus plenum eſſet, non precarium, aut reſtrictum legum ſuarum arbitrium, quique non acceptis aliunde, ſeu a Prætore Romano, judicibus, ſed ipſi ſuos crearent judices, vel magiſtratus, a quibus jus ſibi diceretur. Pace vero cum Philippo penultimo Macedonum Rege & Romanis facta liberi immunes, ac ſuis legibus Græci ab iiſdem Romanis ſunt relicti, ſeu ex Senatusconſulto Roma allato, Græcos tam Aſiaticos quam Europæos liberos eſſe pronuntiatum, καὶ νόμοις χρῆσθαι τοῖς ἰδίοις. *Spanhem. ad Conſtitut. Antonin. Imper. Exer.* II. 13. In Aſia vero Proconſulari ſub Adriano liberas adhuc & ἀυτονόμους civitates exſtitiſſe, abunde docet Philoſtrati locus II. p. 547. de Herode Attico: *Liberis enim Aſiæ civitatibus Herodes præfuit.* Haud aliter ac ſub Trajano miſſus Maximus ad ordinandum ſtatum liberarum Achajæ civitatum. *Spanhem. ibid.* §. 16.

Autonomia Athenienſium. Athenas in liberarum in Græcia urbium numerum refert Plinius, ubi Maximum ad Achajam ordinandam miſſum ſcribit, & illum, quam humaniter ejus civitates tractandæ ſint, docet VIII. 24. *Nihil ex cujuſquam dignitate, nihil ex libertate, nihil etiam ex jactatione decerpſeris. Habe ante oculos, hanc eſſe terram, quæ nobis miſerit jura, quæ leges non victa acceperit, ſed petentibus dederit; Athenas eſſe, quas adeas; Lacedæmonem eſſe, quam regas: quibus reliquam umbram, & reſiduum libertatis nomen eripere, durum, ferum, barbarum eſt.* Etiam a Dione Pruſæenſi, qui vixit Plinii ætate, & Trajani itidem familiaris fuit, Orat. XXXI. p. 343. Athenienſium & Lacedæmoniorum, qui libertate, ſeu ea, quam ait Plinius, libertatis umbra adhuc gauderent, fit mentio. *Illis enim ſolam ſupereſſe libertatem, exceptis Athenienſibus, & hos tamen nihil magni poſſidere.* Spanhem. ad Conſtitut. Antonin. Imper. Exerc. II. §. 16. Conſtantini tamen ævo, ac dein infra eam ætatem, non ſuis amplius, ſed Romanis legibus ſunt uſi. Quando autem eo jure exciderint, haud certo licet hodie ſtatuere. Severus quidem ob injurias quaſdam, quas privatus ab illis pertulerat, minuit eorum privilegia. Spartian. Sev. c. 3. neque tamen inde omnis illa ſuarum legum libertas in continuo eſt adempta. Gallienus, qui haud paucis annis poſt Caracallam imperio præfuit, Athenis Archon exſtitit. Trebell. in Gallien. c. 11. necdum proinde imminuta, uti poſtea contigit, illius ſummi apud Athenienſes magiſtratus auctoritate; & præterea civis adſcribi, & Areopagitarum ingeri numero, ac contempta prope Republica, Roma nempe, concupiiſſe dicitur. Quomodo etiam Feſtus Græciæ Proconſul, & ſimul Areopagita Athenienſis dicitur in Græca Inſcriptione, Ruſo a Senatu Areopagitico, & Trecentorum Senatu, ac ſimul a populo, ut in eadem legitur, dicata. Unde ſervatam adhuc ea ætate Athenienſibus veterem Reipublicæ formam, ſeu, ut Græci loquuntur, πολιτείαν, & quæ eam ferme conſueverat comitari, ἀυτονομίαν, ſeu ſuarum legum arbitrium, haud abs re licet arbitrari. Quibus tamen turbidis Gallieni temporibus vaſtata a Gothis Græcia; & expugnata etiam ab iis, ſeu a Scythis, Athenarum urbe; ſive id aliquot poſt annis ſub Claudio demum contigerit, immutatus paullatim videtur ſub iis, ac ſecutis mox Principibus priſtinus Græciæ, ac in ea Athenienſium ſtatus; ſublataque illa, qua prius iidem fruebantur, ſuarum legum libertas. *Spanhem. ibid.* §. 17.

Autonomia Carthaginenſium. Illis plena & mera ἀυτονομία in belli Punici ſecundi exitu a Romanis eſt relicta, ut liberi legibus ſuis viverent. Liv. XXX. 37. Polyb. XV. p. 705. & quidem vere liberi, ſicut antea fuerant, niſi quod bellum injuſſu populi Romani ſuſcipere, aut elephantos in poſterum domare vetarentur. *Spanhem. ad Conſtitut. Antonin. Imper. Exercit.* II. §. 13.

Autonomia Cilicum. Ciliciæ provinciæ civitatibus Tarſum evocatis quod oppidum fere totius Ciliciæ nobiliſſimum fortiſſimumque eſt res omnes provinciæ & finitimarum civitatum conſtituit Cæſar. Hirt. Bell. Alex. c. 66. Illis temporibus Tarſus libera jam exſtitit, uti eadem a Plin. V. 27. ac in nummis ejus antiquis dicitur, ac ἀυτόνομος. Et Cæſari impenſe fuit addicta, adeo ut Tarſenſes ejus nomine Ἰουλιόπολιν urbem ſuam nuncupaverint. Dio XLVII. p. 342. *Spanhem. ad Conſtitut. Antonin. Imper. Exercit.* II. §. 14. Eadem poſtea a Caſſio, quod ab Antonii & Auguſti partibus ſtetiſſet, direpta; & inde recuperata ab eodem Antonio, juxta Appian. Bell. Civ. V. p. 575. *libera* denuo ac *immunis* reddita; ab Auguſto dein iiſdem adhuc & majoribus beneficiis cumulata eſt. Dio Pruſ. Tarſenſ. II. *Secundum Cæſarem ſuper omnes optime habuiſtis erga vos affectum. Quapropter omnia, quæ quis amicis revera & ſociis, & qui tam propenſam exhibuere voluntatem, præſtare poſſe & ille vobis præſtitit; agrum*, urbi vicinum, *leges & proprios magiſtratus*, quibus, non vero Romanis Præſidibus parerent, *poteſtatemque fluminis &*

maris

maris vicini, id est, dominium in Cydnum fluvium, qui Tarsum secabat, & in maris partem urbi proximam. Hac ratione Tarsensibus cum a portus vectigali, quod exigebant publicani; tum ab adluvionibus, unde accrescebat tributorum præstatio, immunitas concedebatur: imo iis earum rerum exactio & possessio asserebatur: tum piscandi in iisdem fluminis vel maris partibus, ac præterea vicinorum illis pascuorum usus propria itidem reddebantur. *Spanhem. ibid.* §. 15. Libera etiam, sic enim etiam vocatur Plin. v. 27. fuit civitas Mopsus, seu, ut a Græcis vocatur, Mopsvestia. Arguit hoc vetus illius urbis inscriptio ab Onuphr. in Fastis. Gruter. Thes. Inscript. p. 225. n. 4. jam adducta: quæ inde Antonino Pio dicata traditur, quod is vetera illius civitatis jura, nempe sacræ, liberæ, inviolabilis, & suarum legum eidem rata & firma esse voluerit. *Spanhem. ibid.* §. 14.

Autonomia Cretensium. In Creta, quam ante eandem a Metello subactam, perpetuam retinuisse libertatem dixerat Dio XXXVI. p. 8. Cydoniatis & Lappæis ab Augusto restitutam, apud eundem legimus LI. p. 443. Nempe ut haud frustra omnino, non quidem ἐλευθέρας, vel αὐτονόμυς, sed quod subinde iis conjungi in antiquis id genus locorum nummis solet, ἀζύλυς, sacri vel inviolati soli eidem Lappæ tribuat insignis ille, quem olim Romæ in cimeliis Reginæ Christianæ observavi, nummus, ΑΣΥΛ. ΛΑΠΠΑΙΩΝ. *Spanhem. ad Constitut. Antonin. Imper. Exercit.* II. §. 15.

Autonomia Cyzicenorum. Illos Augustus, quod in quadam seditione nonnullos Romanos flagris cæsos necassent, in servitutem redegit. Dio LIV. p. 525. E. Sed illis libertatem restituit. Dio LIV. p. 537. D. *Spanhem. ad Constitut. Antonin. Imper. Exercit.* II. §. 15.

Autonomia Eleutherocilicum. Hi ad αὐτονόμυς in Asia sub Romanorum imperio libera adhuc urbe populos referri debent, a Cicerone, qui illi provinciæ præfuit, memorati. Epist. ad Attic. v. 20. Fam. XV. 4. Nomen hoc iis ad sua usque tempora a Myrina Amazone, a qua liberi iidem sunt relicti, hæsisse tradit Diodor. III. pag. 188. Eos ita dictos ab ea Ciliciæ parte, quam qui incolerent, sua ætate Ἐλευθερῖται sunt appellati, notat Stephanus Byzantius. *Spanhem. ad Constitut. Antonin. Imper. Exercit.* II. §. 14. *Differt. de Præst. Numm.* IX. *p.* 784.

Autonomia Eleuthero-Laconum. Hi quandam reipublicæ constitutionem adepti sunt, quo tempore Sparta tyrannis serviente vicini, cum alii, tum Heilotes Romanis se applicuerant. Strab. VIII. p. 366. Hos, non de Spartæ incolis, sed de nonnullis, quæ sub Spartanorum ditione erant, oppidis, & quæ eorundem Laconum legibus exemerit Augustus, dictos refert Pausan. III. p. 203. In antiqua Inscriptione legitur, ΤΟ ΚΟΙΝΟΝ ΤΩΝ ΕΛΕΥΘΕΡΟΛΑΚΩΝΩΝ. De ipsis vero Laconibus, ut vere, & ab antiquo αὐτονόμοις dicit Cicer. pro Flacc. c. 62. *Lacedæmonii soli toto terrarum orbe septingentos annos amplius unis moribus, & nunquam mutatis legibus vivunt.* Spanhem. ad Constitut. Antonin. Imper. Exercit. II. §. 14.

Autonomia Galatarum. His αὐτονομία a Romanis est concessa, modo ne armati extra fines prodirent. Auctor est Polyb. Exc. Legat. c. II. p. 931. *Spanhem. ad Constitut. Antonin. Imper. Exercit.* II. §. 13.

Autonomia Græcanicarum in Asia urbium. Hæ ab omni ævo incredibili contentione incubuerunt, ut αὐτονομίαν, seu illud suis legibus vivendi arbitrium, ab iis etiam Regibus, vel populis, quorum colere majestatem cogebantur, impetrarent. Hinc apud Æschyl. Pers. n. 586. dicitur:

> *Equidem per Asiam terram*
> *Non amplius legibus Persarum vivent:*
> *Non amplius tributa pendent*
> *Dominicis exactionibus.*

Περσονομεῖν, *Persarum legibus uti*, opponitur τῷ αὐτονομεῖν, *suis uti legibus*. Et Tragici versibus αὐτόνομοι deinceps ac ἀτελεῖς, seu αὐτοτελεῖς *suis legibus* & *immunes* futuri Asiatici duabus vocibus dicuntur. Certe, Ioniam mox, devictis a Græcis Xerxe ejusque ducibus, a Persis defecisse docet Herod. IX. 5. Unde etiam iisdem ferme, seu proximis Artaxerxis Mnemonis, qui hujus Xerxis filius, temporibus Hippocr. de Aere. loc. & aq. c. 9. notat Asiaticas gentes, quod magna earum pars, nempe illius, quæ majoris Asiæ nomen obtinuit, non utuntur suis legibus: sed regiæ dominationi subjacent, esse imbelle. quicunque vero in Asia, qualis est maritima, Græci & Barbari, dominationi regiæ non subjacent, sed vivunt suis legibus, gentes esse bellicosissimas. Ab eodem certe Artaxerxe pacem cum Atheniensibus, eorumque sociis ea conditione factam tradit Diod. XII. p. 293. B. *ut omnes Græcanicæ per Asiam urbes suis legibus agerent.* Quæ jura etiam suarum legum iisdem Græcis, cum Asiaticis, tum Europæis, a Romanis, confectis cum Philippo, ac Antiocho bellis, itidem sunt adserta: imo quod inter causas illati huic Antiocho a Romanis belli a Polyb. XVII. p. 769. Liv. XXXIII. 15. Appian. Syriac. p. III. traditur. Hinc de Phocæensibus Asiaticis a Liv. XXXVIII. 38. post Polyb. Excerpt. XXXVI. pag. 844. dicitur: *Et ager, quem antea habuerant, relictus: &, ut legibus antiquis uterentur; permissum:* a Senatu vero petunt, ac impetrant Rhodiorum legati apud Polyb. Excerpt. XXVIII. p. 832. ut Græci in Asia liberentur, & *αὐτονομίαν omnibus mortalibus jucundissimam consequuntur.* Civitatibus vero, quæ non solum ad Mithridatem defecerant, sed a quibus ejus jussu tot civium Romanorum millia crudeliter fuerant uno puncto temporis interempta, præter quinquennalis tributi, cujus Appianus meminit Mithrid. p. 213. seu viginti millium, teste Plutarch. Sull. p. 367. talentorum multam, libertatem, ac αὐτονομίαν merito a Romanis tum ademptam licet colligere ex iis, quæ de afflictis haud uno calamitatis genere iisdem civitatibus, aliis vero, quæ in fide populi Romani manserant, recreatis a Plutarcho Syll. pag. 367. & 368. & a Memnone apud Photium Cod. 224. c. 37. dicuntur. Quod e Cicerone præterea liceret colligere. Is enim *liberæ* in eadem Asia *urbis*, *Apollonidos* nempe, ac ad aliarum proinde eo in tractu, de quibus ibi agebatur, discrimen nominatim meminit pro Flacc. c. 70. & cujus incolas c. 71. vocat *amantissimos populi Romani fidelissimosque socios*, qui scilicet cum reliquis Asiaticis urbibus ad Mithridatem non defecerant. Addit vero: *Verum esto: negotiari libet: cur non Pergami, Smyrnæ, Trallibus? ubi & multi cives Romani sunt, & jus a nostro Magistratu dicitur.* Pergamenorum certe, & Trallianorum, inter alias illius Asiæ urbes, uti & Ephesiorum, Adramyttenorum, Caunicorum, quæ fide omnique hospitii ac humanitatis jure violatis, nefandis illis Romanorum civium cædibus se polluerunt, facta expressa in narratione hujus rei mentio apud Appian. Mithrid. p. 185. & 212. ac bello Mithridatico male acceptam fuisse a Romanis urbem Adramyttium tradit Strab. XIII. p. 614. Mytilenæorum vero insignem in Romanos perfidiam, qui vinctos Romanorum Prætores, aliosque Mithridati tradiderunt, tangunt Vellej. II. 18. & Diodor. in Excerpt. Valesian. p. 401. Missos quidem, finito illo bello, Romam ab hisce Asiaticis urbibus legatos, qui pro iisdem veniam a Senatu impetrarent, ex eodem Geographo docemur, qui de Xenocle, insigni oratore Adramytteno, ait: *Isque pro Asia ad Senatum oravit, quo tempore ea Mithridatis partibus favisse fuit insimulata.* Libertatem, seu αὐτονομίαν tum recuperasse easdem Asiæ urbes liceret ex eodem Cicerone statuere, dum de illa Proconsulari Asia ad Fratr. Epist. I. 1. tum ejusdem provinciæ rectorem ait, constare eam provinciam *primum e genere sociorum, deinde ex eo genere civium Romanorum, qui aut publicani aut negotiatores forent.* Quo referri etiam possunt, quæ de singulari Luculli primum, Syllæ successoris; ac dein Pompeji, cui cessit confecti belli Mithridatici gloria, in erigendis, recreandis, constituendisve iisdem illis afflictis & oppressis Asiæ urbibus studio, & quidem datis aut redditis legibus, quibus eæ deinceps uterentur, a Plutarch. Lucull. p. 506. & a Dion. XXXVII. p. 36. traditur. Ita

My-

Mytilenæis, olim quidem, ut ii de se apud Thucyd. III. p. 477. prædicant, *αὐτονόμοις*, post insignem eorum Mithridatico bello perfidiam, libertatem in unius liberti Theophanis gratiam a Pompejo denuo restitutam, tradunt Vellej. II. 8. & Plutarch. Pomp. p. 649. Ne jam eas tangam in eadem Asia urbes, quibus quod ad Mithridatem non defecerant, pristina jura libertatis vel *αὐτονομίας* non fuisse adempta, satis constat. *Spanhem. ad Constitut. Antonin. Imper. Exerc.* II. §. 13.

Autonomia Halicarnassensium. Halicarnassus Cariæ civitas sub Geta, ac ideo necdum lata forte Antonini fratris Constitutione, in nummo Gazæ Medicææ ΑΥΤΟΝΟΜΟΣ est inscripta, nempe ΑΛΙΚΑΡΝΑCCΕΩΝ ΑΥΤΟΝΟΜΩΝ, *Halicarnassensium suis legibus* utentium. *Spanhem. ad Constitut. Antonin. Imper. Exercit.* II. §. 17.

Autonomia Illyriorum. Hos liberos, seu *αὐτονόμους* itidem a Romanis esse relictos tradunt Liv. XLV. 20. Diod. Excerpt. p. 317. & Johannes Antiochenus Excerpt. Constantin. p. 790. *Spanhem. ad Constitut. Antonin. Imper. Exercit.* II. §. 13.

Autonomia Ismaelitarum. Theophanes Chronog. pag. 55. & Sozom. VI. 38. *Hæc gens ab Ismaele Abrahami filio originem ducens, vocabulum quoque accepit: eosque antiqui ab auctore generis Ismaelitas nominarunt.* Vocabantur etiam Saraceni. Unde Hierosolomytana paraphrasis Gen. XXXVII. 25. pro Ismaelitis habet Saracenos. Quam plurimæ Theodorito Therap. Serm. X. p. 610. Tom. IV. Ismaelitarum, seu Saracenorum gentes a Romanarum legum, etsi Romanis obtemperarent, jugo fuerunt liberæ. Etsi de iisdem Ammian. XIV. 4. *Saraceni nec amici nobis unquam, nec hostes optandi*, plures tamen ex iis populis Romanorum fœderibus, & quidem inæqualibus fuerunt illigati, & Romanum imperium colere tenebantur. Procopii Justiniani ævo Bell. Pers. II. 17. dicuntur *Saraceni Romanis fœderati.* Theophyl. Simocatta VIII. 1. *In Arabia multæ variæque gentes sunt, quæ vulgo Saraceni appellantur. Ex his autem gentibus nonnullæ erant Romanorum sociæ.* Spanhem. ad Constitut. Antonin. Imper. Exercit. II. §. 18. Vales. in Ammianum.

Autonomia Judæorum. Judæi continuo veniunt annumerandi inter gentes liberas & *αὐτονόμους*, quas reliquisse ab Appian. Mithrid. p. 251. dicitur Pompejus. Etsi captis a Pompejo Hierosolymis, stipendiariam eandem urbem tradat Joseph. Antiq. XIV. 8. ac tum primum, ut addit, *libertatem amisimus, & subjecti Romanorum imperio sumus:* aut, quod, eodem teste, mox etiam a Gabinio in quinque continuo juridicos conventus, seu diœceses, in quibus jus a Romanis diceretur, fuerit Judæa divisa ibid. c. 10. Hierosolymis nempe, Gadaris, Amathunte, Jerichunte, Sepphorio. Suas tamen sacrorum leges ac instituta patria iisdem a Pompejo, ac dein a Gabinio relicta, abunde vel e constanti ac perpetuo eorundem in iis servandis, & quibus gravius erat iisdem legibus quam vita carere, studio; & ex Hyrcano ab iisdem Pompejo & Gabinio Pontifice constituto licet colligere. A Cæsare quoque dein in eorundem gratiam decreta refert Joseph. Antiq. Judaic. XVI. 19. Liberas vero in eadem provincia urbes, Gazam, Joppen, Dora, Stratonis turrim, quæ postea ab Herode magnifice condita Cæsareæ nomen meruit: & præter Gadara, in liberti sui Demetrii Gadarensis gratiam restituta, a Pompejo relictas auctor ibidem Joseph. c. 10. & 13. *Spanhem. ad Constitut. Antonin. Imper. Exerc.* II. §. 14. Nec id præteriri debet, quod de splendida eorum ad Augustum legatione, de jure suarum legum in ea gente missa tradit Joseph. Antiq. XVII. 12. Bell. Jud. II. 1. & 4; utque sub Romano Præside potius, quam sub Rege Archelao, illius *αὐτονομίας* jure fruerentur. Et hoc beneficium, cum Judæis Romæ degentibus, tum in Judæa, & in iis, ubi agebant, urbibus, & provinciis, ab eodem Augusto constanter adsertum. Philo Leg. ad Cajum p. 1014. Quomodo id jus patriarum legum & gentis rituum eidem quoque a Tiberio conservatum tradit idem auctor; & quidem quasi agnoscente Tiberio Judæorum *leges veluti conferentes ad tranquillitatem publicam.* Spanhem. ibid. §. 15.

Autonomia Lazorum, seu Ladorum. Lazis Colchidis cis Phasin populis Reges pridem a Romanis datos, ex Arriano in Periplo maris rubri, & Capitolin. in Anton. Pio c. 9. discimus: quorum ille Malassum iis ab Adriano Regem impositum; hic vero Pacorum ab Antonino Pio tradiderunt. Procop. Bell. Pers. II. 15. refert: Lazos Romanis quidem fuisse subjectos, a tributis tamen exstitisse immunes: neque eosdem aliud illis præstitisse obsequium, quam quod eorum Rege mortuo, principatus insignia designato successori mitteret Romanorum Imperator: ipsi vero, ne Hunni per Lazicam in Romanorum provincias irrumperent, fines suos diligenter custodire tenerentur. *Spanhem. ad Constitut. Antonin. Imperat. Exerc.* II. §. 18.

Autonomia Lyciorum. Lyciæ, quæ Pamphyliæ est contermina, Augusti temporibus eam, qua pridem sub Romanis, quamque ei bello Mithridatico Sylla restituit, libertatem seu *αὐτονομίαν* adhuc assertam, docent Strabonis de iisdem verba XIV. p. 665. *Iis ob rectam legum administrationem contigit, ut sub Romanis liberi perpetuo agerent, ac patriis institutis & terris fruerentur.* Eosdem immunes a tributis a M. Antonio, dum necdum ipse & Augustus dissiderent, relictos tradit Appian. Bell. Civ. V. p. 675. Libertas hæc & *αὐτονομία*, quod intestinis & exitialibus dissensionibus, ac ad cædem usque Romanorum conflictarentur, illis est a Claudio adempta. Dio LX. p. 676. iique in provinciæ formam sunt redacti; adeo ut vel ab ipso Claudio, vel a Nerone in libertatem denuo sint asserti, & quam iis postea ademerit Vespasianus. *Spanhem. ad Constitut. Anton. Imper. Exercit.* II. §. 15. & 16.

Autonomia Macedonum. Devicto ultimo Macedonum Rege Perseo de Macedonibus est decretum, ut narrat Liv. XLV. 29. *Omnium primum liberos esse jubere Macedonas, habentes urbes easdem agrosque, utentes legibus suis, annuos creantes magistratus.* Adeo ut cum *αὐτόνομοι*, quomodo eosdem de decem legatorum sententia declaratos tradit etiam Plutarch. Æmil. p. 270. tum simul *αὐτόδικοι* constituerentur: quibus nempe cum legum, tum creandi magistratus, qui jus iis dicerent, libertas relinqueretur. Etsi mox imminuta videatur, & precaria tanta hæc illorum *αὐτονομία*, dum de Paullo victore ait Liv. c. 32. *Leges Macedoniæ dedit cum tanta cura, ut non hostibus victis, sed sociis bene meritis dare videretur*, & Justin. XXIII. 32. *Leges, quibus adhuc utuntur, a Paullo accepit.* Quum tamen id tantum de Paullo tradat Plutarch. l. l. ab eo in discessu admonitos, ut memores agerent datæ sibi a Romanis libertatis, *eam legum recta administratione & concordia tuentes.* Quam tamen libertatem, non ad integram Macedoniam, sed ad partem ejus tantum, quæque *libera* inde sit appellata, postea restrictam, e Cæsaris de Bell. Civ. III. 34. ea de re verbis constare debet: *Cujus provinciæ ab ea parte, quæ libera appellabatur:* & quo spectant veteres nummi, ΜΑΚΕΔΟΝΩΝ ΠΡΩΤΗΣ. *Spanhem. ad Constitut. Antonin. Imper. Exercit.* II. §. 13.

Autonomia Massiliensium. Massiliæ in provincia Galliæ Narbonensis, *αὐτονομία* & libertas, qua ab antiquo sub Romanis fruebatur: ac unde *fortissimorum fidelissimorumque sociorum civitas* a Cicer. pro Font. c. 3. dicitur; a Cæsare, eadem expugnata est relicta, ut docent Strab. IV. p. 181. ac Dio XLI. 165. & innuere voluit Cæsar de Bell. Civ. I. 10. iis verbis, quibus se Massilienses *magis pro nomine & vetustate, quam pro meritis in se civitatis* conservasse testatur. *Spanhem. ad Constitut. Antonin. Imper. Exercit.* II. §. 14.

Autonomia Phœniciæ. Hanc sub Syrorum Regibus consecuti fuerant, & postea sub Romanis Phœnices non sine aliquo sumptu, Tyrios etiam juxta Sidonios, in libertate, seu *αὐτονομίᾳ* M. Antonius conservavit. Joseph. Ant. XV. 4. Hujus *autonomiæ* fidem facit antiquus lapis, in quo exstat Græca Tyriorum, qui Puteolis habitabant, ad eorum metropolim Tyrum epistola, scripta anno æræ Christianæ 174. In illa legitur: *Urbis Tyriorum sacræ, & in-*

& inviolabilis, & suis legibus metropoleos Phœniciæ. In antiquis nummis ab hac *autonomia* æram etiam deducunt Tyrii. Ejus generis insignis Regiæ Gallorum gazæ nummus inscriptus : ΔΩΡ. ΙΕΡ. ΑCΥΛ. ΑΥΤΟ. ΝΑΥΑΡ. *Doræ sacræ, inviolabilis, suis legibus Nauarchidos :* quæ una e quinque illis maritimis Phœniciæ vel Palæstinæ urbibus, quas Pompejus liberas constituit. *Spanhem. ad Constitut. Antonin. Imper. Exercit.* II. 13.

Autonomia Phrygiæ. Phrygiam bello Mithridatico ἀυτόνομον a Romanis decretam Mithrid. p. 208. testatur Appianus. *Spanhem. ad Constitut. Antonin. Imper. Exercit.* II. §. 13.

Autonomia Samiorum. Samiis in Ionia in mercedem actæ apud eos hyemis, dum Asiam ordinaret, libertas ab Augusto est data. Euseb. ad Olymp. 190. 3. Dio LIV. pag. 525. *Spanhem. ad Constitut. Antonin. Imperat. Exercit.* II. §. 14.

Autonomia Sardiniæ. In oraculo de hac colonia hoc continebatur: quicumque sua in eam nomina tradidissent, his libertatem per omne ævum sartam tectamque fore. Inconcussam igitur jurisdictionem, ἀυτονομίαν, ad hoc usque tempus veritas oraculi illis conservavit. Diodor. v. pag. 206. *Spanhem. ad Constitut. Antonin. Imperat. Exercit.* II. §. 14.

Autonomia Seleuciæ. Seleucia Syriæ, quod a Tigranis partibus non stetisset, a Pompejo libertate est donata. Strab. XVI. p. 751. Eutrop. VI. 14. *Spanhem. ad Constitut. Antonin. Imperat. Exerc.* II. §. 14. Ad Calycadnum fluvium sitæ *liberæ* nomen adhuc asseritur in nummo sub Philippo patre cuso. CΕΛΕΥΚΕΩΝ ΤΩΝ ΠΡΟC ΚΑΛΥΚΑΔΝΩ ΕΛΕΥΘΕΡΑC. Dicitur a Philostr. vit. Soph. II. p. 568. urbs Ciliciæ haud ignobilis : & in illa templum ac oraculum Apollinis Sarpedonii exstitit. Zosim. I. 7. Dicta est in nummis *Seleucia supra amnem Calycadnum* ad indicandum, solito tot aliis urbibus in earundem nummis more, loci ad fluvios, ad mare, ad montes situm ; & nominatim ad discrimen alterius in Syria Seleuciæ Pieriæ, seu CΕΛΕΥΚΙΑC ΠΙΕΡΙΗΣ in ejus nummis inscriptæ. *Spanhem. ibid.* §. 17.

Autonomia Thessalorum. Thessalos liberos a suis legibus, a Romanis, devicto Philippo declaratos e Polyb. Excerpt. IX. p. 797. ac Liv. XXXIII. 32. seu e sollenni illius decreti, quo adserti in libertatem Græci formula itidem constat: & antiquitus pro liberis habitos, ex Eurip. Alcest. n. 677. liquet.

An nescis me Thessalum, & Thessalo
Patre natum, vere liberum?

Quanquam de iisdem, ante debellatum a Romanis Philippum, dicat Polybius, quod *viderentur quidem suis legibus vivere*, re ipsa tamen iisdem, quibus Macedones, sub eo Rege essent obnoxii. Post donatos a Romanis libertate, apud Romanorum legatos questus est Philippus Liv. XXXIX. 26. *insolenter & immodice abuti Thessalos indulgentia populi Romani, veluti ex diutina siti avidos, meram haurientes libertatem.* Iisdem vero, imminuta dein eorum libertate, illam denuo a Cæsare datam, vel restitutam, quod ii ab ejus partibus contra Pompejum stetissent, refert Appian. Bell. Civ. II. p. 482. *Spanhem. ad Constitut. Antonin. Imper. Exercit.* II. §. 13.

Autonomia Tzanorum. Tzanoi etiam Tzannoi, Sanni & Suani dicebantur, Colchidis erant finitimi, & Romanorum, etsi tum tributa persolvere negligerent, tributarii. De his Agathias : *Hi autem Tzani quum ab antiquo in fide Romanorum essent, eorumque jussis obtemperarent.* Ex his alii, ut addit, in fide manserunt, alii vero prædonum more vicina Romanorum loca, ipsamque Armeniam infestarunt. Unde misso Romanorum duce, eoque Tzano Theodoro, iis debellatis tributum tum primum a Justiniano impositum refert, atque ita ad suam usque ætatem eosdem tributarios esse. *Spanhem. ad Constitut. Antonin. Imper. Exercit.* II. §. 18.

'ΑΥΤΟΧΕΙΡΕΣ, hoc est, qui sibi ipsis manus violentas intulerunt. Hos Græci nefas esse duxerunt cremare. Auctor Philostr. Heroic. *Sepelierunt Ajacem corpus ejus in terram ponentes, cum Calchas censuisset, fas non esse, eos igne comburi, qui se ipsi interfecissent.* Hinc Rex Thebanorum Mœonem, qui seipsum e vita sustulerat, apud Stat. Theb. III. 97.

—— Vetat igne rapi, pacemque sepulcri
Impius ignaris ne quicquam manibus arcet.

Kirchman. de Funer. Roman. I. 3. Ignominia certe affectos scribit Aristot. Ethic. v. extremo: *Qui per iram seipsum jugulat, lubens contra rectam legem id agit, quod lex non permittit. Unde etiam ipsum mulctat, eique ignominia quædam irrogatur, qui seipsum necavit, quasi civitatem injuria affecerit.* Romani vero ἀυτόχειρας, & potissimum eos, qui collum laqueo obstrinxissent, primis Reipublicæ temporibus sepultura omnino prohibuerunt. Serv. Æneid. XII. 603. *Cautum fuit in Pontificalibus libris, ut qui laqueo vitam finisset, insepultus abjiceretur : unde bene ait, informis leti, quasi mortis infamissimæ.* Origo ritus a Tarquinio Prisco, qui ἀυτοφονευτὰς non solum insepultos abjici : sed & corpora eorum cruci affigi jussit. Plin. XXXVI. 15. *Cum id opus*, de cloacis struendis loquitur, *Tarquinius Priscus* (Superbo adscribit Serv. l. l.) *plebis manibus faceret, essetque labor, incertum longior an periculosior, passim conscita nece, Quiritibus tædium fugientibus, novum & inexcogitatum antea posteaque remedium invenit ille Rex, ut omnium ita defunctorum figeret crucibus corpora, spectanda civibus, simul & feris volucribusque devoranda.* Vere autem Plinius id neque antea neque postea usurpatum scribit. Nam eos qui suspendio se necassent, funeratos fuisse testatur exemplum D. Silani, qui cum a patre M. Manlio Torquato abdicatus esset, tam tristi patris sententia perculsus lucem ulterius intueri non sustinuit, & suspendio se proxima nocte consumpsit, funus tamen ipsi ductum esse scribit Val. Max. v. 8. Mitigata enim est pœna, & restricta ad eos, qui facinoris alicujus sibi conscii e medio se sustulissent. Nam alias qui mortis arcessitæ justam causam habuisset, ille gloriose & honeste obiisse putabatur. Erat autem justa causa arcessendæ mortis tædium vitæ, quod tam ex secunda quam adversa fortuna oriri potest. Utriusque meminit Strabo, cum enumerasset dona a Poro Indorum Rege per legatos Augusto Cæsari missa, dum subjungit XV. p. 495. *Aderat ille, qui se Athenis concremavit. quod alii in rebus adversis facere cocuntur, ut præsentia mala effugiant, alii in rebus secundis, quemadmodum hic. Nam cum omnia ex sententia adhuc successissent, abeundum sibi e vita censuisse, ne quid adversi accideret immoranti. Adeoque ridentem eum & nudum & unctum in rogum isse.* Hi non solum honore sepulturæ afficiebantur & lugebantur ; sed & testamenta eorum valebant, donationes conjugi factæ morte confirmabantur : & si intestati decederent, bona eorum ordinario successori relinquebantur, nec a fisco inquietabantur. Qui vero sceleris conscientia obstricti, ut supplicium de se sumendum intervertèrent, ipsi de se statuerunt, & quasi ἀυτοκατάκριτοι sententiam tulerunt, his sepulturæ honorem plerumque denegatum puto. Id non obscure indicat Quintil. Decl. IV. *Qui causas voluntariæ mortis in Senatu non reddiderit, insepultus abjiciatur.* Kirchman. de Funer. Roman. Append. c. 9. Quensted de Sepult. c. 3. Gyrald. de Sepel. rit. c. II. & Faes ad illum. Nicol. de Sepulcr. III. 6. Grot. de Jur. Bell. & Pac. II. 19. §. 5. De ἀυτοχειρίᾳ scripsit etiam *Samuel Rachelius.* V. etiam infr. in *Homicida sui* & *Mors.*

AUTUMNI effigies in Poliphili arâ quadrata erat adolescens nudus, ridenti similis, foliis e vite coronatus, sinistra manu palmitem affixis stipatim uvis onustum, altera vero cornu uvis ac foliis plenum gestantem exigebat, ad cujus pedes hircum videre erat, cum hoc infra titulo :

MUSTULENTO AUTUMNO S.

Berthald. de Ara c. 3. §. 2. *Autumnus* est morbosissima anni pars, de qua Hippocr. Aphor. III. 9. & 22. quod propter cœli varietatem evenire tradit Cels. I. 3. Unde

letifer autumnus vocatur Juven. IV. 56. & Horat. Sat. II. 6. 19.

Autumnusque gravis Libitinæ quæstus acerbæ.

Aleand. Tab. Heliac. Explic. Thes. Antiq. Roman. Græv. Tom. V. p. 739. B. Gangr. in Juvenalem.

Autumnitas Baccho adscribebatur. Argumenta indagare non erit operosum. Non enim sejungi queunt. Lucret. V. 742.

Inde autumnus adit: graditur simul Euius Euan.

Virg. Georg. II. 5. Bacchum alloquens:

— tibi pampineo gravidus autumno
Floret ager: spumat plenis vindemia labris.

Bacchus enim vitis est dominus. Et Pindar. Nem. V. 10. *autumnitatem* vocavit *teneram matrem floridæ vitis.* Quanquam cæteris quoque fructiferis plantis Bacchus præficiebatur: & ipsi tanquam arborum tutori Græci sacrificabant, ut testatur Plutarch. Symp. Quæst. V. 3. Quamobrem Artemid. Ὀνειρόκρ. II. 42. *Bacchus agricolis conducit arboreum fructum colentibus, præsertim vites:* & a Phurnuto c. 30. appellatur *cicurum arborum tutor & dator Deus.* Quare ei tanquam *autumni* domino fructus omnes acceptos ferebant. Athen. III. Quapropter apud Athenienses, ut tradit Demarchus in Certam. Dionys. per diem festum Bacchi gestabant virgines aureos canistros, in quibus erant fructuum omnium primitiæ impositæ. Sunt qui credant Dionysii nomen ἀπὸ τοῦ διανύειν deduci apud Artemidorum: an quia fructus hausto calore æstatis *autumno* postea perficiuntur? Nam Bacchum existimabant vim ipsam genitalem fructuum & plantarum. Porphyr. apud Euseb. de Præp. Euang. III. *Fructuum, & in summa plantarum omnium virtus Bacchus vocatur.* Hinc Dionysius de Situ orbis solutum in Arabia ex obsuto Jovis femore Bacchum scribit: quod ea regio plantarum ferax sit, e quibus aromata, pretiosique liquores sumuntur. Quod vero fabulantur Poetæ, ex ardente matris alvo extractum Bacchum, id *autumni* ortum respicit, qui quum æstatem subsequatur, ex ejus prodire utero quodammodo videtur. Præcipue consideratur in *autumno* inconstantia, & varietas, cum propter tempestatem ipsam, modo calidam, quandoque frigidam, aliquando temperatam: tum ob pomorum varietatem: atque ideo Bacchum ipsum multiplici forma, & varia specie effingebant, ut Plutarchus prodit de EI apud Delphos. Et in Epigrammatibus μυριόμορφον appellant: quo spectant vestes vario florum genere contextæ, quas Bacchum induere solitum testatur Diodorus. Id Phurnutus insinuat his verbis: *vestis floriditas autumni varietatem exhibet.* Aleand. Tab. Heliac. Explic. Thes. Antiq. Roman. Græv. Tom. V. pag. 737. C.

AUX.

AUXILIA inter & legiones olim hoc interfuisse scribit Veget. II. 2. quod legiones ex Romanis ipsis scriberentur, *auxilia* vero a sociis & fœderatis gentibus mittebantur, & legionibus tanquam leves armaturæ adjungebantur. Sed rebus in Principem translatis, etiam extraneis ex gentibus legiones fieri cœperunt, aliquando adjutrices nuncupatæ tanquam ex *auxiliis* completæ. *Quid autem*, inquit Veget. l. l. *inter legiones & auxilia videatur interesse expediam. Auxiliares conducuntur ad prælium ex diversis locis, ex diversis moribus venientes: nec disciplina inter se, nec notitia, nec affectione consentiunt.* Suidas v. ψιλὸς vult, *auxilia* esse expeditos milites, qui nudi & inermes in prima acie collocabantur, primique cædebantur. Erat enim gregaria & ignobilis manus. Legiones vero ex decem cohortibus constabant, quæ in centurias divisæ, singulæ sua cum suis centurionibus habebant vexilla. cohortes enim singulæ dracones, vel aliud animal cum suis Tribunis præferebant. Universa vero legio aquilam, quæ a præfecto, vel comite regebatur. At *auxiliorum* una erat multitudo, quæ soli Tribuno parebat, puta mille, vel plures. Alias inter hos differentias tradit Plin. XXXIII. 2. *Sunt adhuc aliquæ in auro non omittendæ differentiæ. Auxiliares quippe & externos torquibus aureis donavere, at cives nonnisi argenteis; præterquam quod armillas civibus dedere, quas non habent externi. Iidem quod magis miremur, coronas ex auro dedere civibus.* Cicero, cum Ciliciæ præesset, de *auxiliis* scribit ad Attic. VI. 5. *Exercitum infirmum habebam, auxilia sane bona, sed ea Galatarum, Pisidarum, Lyciorum. Hæc enim sunt nostra robora.* Probus Imperator *sexdecim millia tyronum Germanorum per diversas provincias sparsit, ita ut numeris, vel limitaneis sexagenos, aut quinquagenos interfereret*, quæ *auxilia Barbara* esse appellata Vopiscus refert c. 14. *Auxilia* videntur a Justinian. Leg. ult. Cod. loc. & in Nov. II. 116. nominari optiones, a quo jubentur fœderati in privatorum prædiis degentes, ad suas redire optiones, id est, ordines, seu *auxilia.* Quot milites singula continerent *auxilia*, non constat. Vopiscus quandoque quinquagenis, aut sexagenis, quos Probus numeris limitaneis inserebat, *auxilia* constitisse scribit. *Panciroll. Notit. Dign. Imp. Orient. c. 40. Guther. de Jur. Man. I. 7. Rosin. Antiq. Roman. X. 4.* Discrimen inter socios & *auxilia* apud eos qui signate & caute sunt locuti: quod socii semper Italici, quasi confœderati & consortes armorum, appellati, quorum nulla pars in provincias redigebatur; sed liberi manebant, suis legibus & magistratibus, paucis præfecturis exceptis; *auxiliares* externi. Varr. de Ling. Lat. IV. 16. *Auxilium ab aucto, cum accesserant qui adjumento essent alienigenæ.* Disertim addit *alienigenæ.* Festus: *Auxiliares dicuntur in bello socii Romanorum, exterarum nationum.* Etiam ipse ad *exteros* refert. Et socii quidem semper gratis militarunt, frumento excepto. *Auxiliares* aliter, & quanquam sæpe a Regibus missi suo sumptu, tamen & pecunia etiam scripti. Quod quando primum factum. V. infr. in *Miles mercenarius.* Noto etiam socios proprie dictos, post Italiam civitate donatam, defecisse: & eorum vicem *auxilia* fuisse, quæ variis gentibus solebant imperare. Socii etiam jurabant in Ducem, *auxilia* non jurabant. Et hac mente scriptum a Dione lib. L. p. 422. D. accipio in bello Actiaco: *Tanto studio & promptitudine utrique*, Octavianus & Antonius *agebant, ut etiam auxiliares suas copias sacramento adegerint.* Narrat ut novum, nec ante receptum. Imperabant autem sociis tot aut tot milites. Liv. XXXVI. 3. *Quos L. Quinctius milites conscripsisset, & quos socios nominisque Latino imperasset.* In ea tamen re non graves erant aut injurii. Cum enim multæ essent Italorum gentes, non credo omni anno per omnes itum: maxime si paucæ legiones scribendæ: sed in orbem ivisse, & vicissitudine quadam ex his illisque cepisse. Vires etiam propemodum sciebant, & pro iis indicebant. Sciebant numerum e tabulis Censoriis, quas probabile est Romæ quoque fuisse. Imo tandem ipsi Romani Censores censum illic egerunt. Livius de Livio & Claudio Nerone Censoribus XXIX. 37. *Duodecim deinde coloniarum, quod nunquam antea factum erat, deferentibus Censoribus ipsarum coloniarum censum receperunt, ut quantum numero militum, quantum pecunia valerent, in publicis tabulis monumenta extarent.* Lips. de Mil. Roman. I. 7. Laurent. Polym. IV. Synops. I. §. 4. Thys. Rom. Illustr. I. p. 50. Principum temporibus maxime, cœperunt & e provinciis *auxilia* scribi. Augusti id inventum: & præter conspicuam utilitatem in militia causam occultam etiam hanc habuit, subditos sic exarmandi, & quasi obsidibus traditis in fide continendi. Nam quotannis dilectus istos habebant, & optimum ac robustissimum quemque abducebant. Ita enerves provinciæ, & illi qui dilecti in longinquas & dissitas oras consulto trahebantur. Non enim facile res novas audere aut movere inter ignotos & peregrinos poterant. Civilis, qui Batavos ad rebellionem traxit, hoc quoque telo eos incitat: *Instare dilectum* (verba Tacit. Hist. IV. 14. 6.) *quo liberi a parentibus, fratres a fratribus, velut supremum dividantur.* Idem Galgacus dux Britannorum in eodem Tacit. Agric. 31. 1. *Liberos cuique ac propinquos suos natura carissimos esse voluit: hi per dilectus alibi servituri auferuntur,*

fervitur. Lipf. de Magn. Roman. I. 7. *Auxilia* fub Imperatoribus non folebant tantum vicem legionum supplere, fed etiam ipfas interdum legiones. Tacit. Hift. III. 50. 3. *Ad has copias, e classicis Ravennatibus legionariam militiam pofcentibus optimus quifque adsciti, claffem Dalmatæ supplevere.* II. 94. I. *Sibi quifque militiam fumpfere, quamvis indignus, fi ita maluerat, urbanæ militiæ adfcribebatur: rurfus bonis remanere inter legionarios vel alares volentibus permiffum.* Schel. in Hygin. Thef. Antiq. Roman. Græv. Tom. x. p. 1039. D. Procedente tempore, ubi *auxilia* etiam externa adhibere inftituerunt, quæ ut plurimum in levi armatura confiftebant, cum iis abundarent, aliis atque aliis locis in acie ea conftituerunt, modo ante figna, modo in cornibus, interdum in media acie, & in poftrema, ut expediret, aut neceffitas & ratio atque ordo prælii id requirere videretur. Inter equites ut plurimum interjiciebantur, cujus ordinationis exempla apud Cæfar. Bell. Gall. II. 24. I. *Eodem tempore equites noftri pedefesque levis armaturæ, qui cum his una fuerant.* Bell. Afric. c. 14. *Pedites Numidæ levis armaturæ cum equitibus procurrunt.* Optimi enim auctores levis armaturæ nomen ufurpant de *auxiliariorum* jaculatoribus, funditoribus & fagittariis. Arrianus utriufque rei militaris Græcæ & Romanæ peritus ita de eorum in acie collocatione edifferit. *Quod ad levem armaturam attinet, variis in locis ordinanda eft in acie. Namque alibi atque alibi locata juvat, prout eft regionis fitus, in qua exercitus ad pugnam inftructus ftat, aut prout funt hoftium copiæ, contra quos aciem directam tenemus. Aliquando enim erunt ftatuendi levis armaturæ milites ante ipfam phalangem, interdum in dextra phalangis parte, interdum in finiftra conftitui debebunt. Multum etiam profunt, fi a tergo gravis armaturæ collocati fuerint. Jam vero & in ordines difpofitis gravium armorum peditibus moris etiam eft alternis intermifcere ordines levis armaturæ militum.* Salmaf. de Milit. Roman. c. 19. Stewech. ad Veget. II. 2. Corrupta jam difciplina militari poft civitatem omnibus provinciis orbis Romani, five ab Antonino Pio, five ab Antonino Caracalla datam inter *auxilia* qui vellent nomen potius dabant quam in militia legionaria. Quam caufam unam, aut præcipuam, quæ legiones fecerit exhauriri, ponit Veget. II. I. *Eft & alia caufa, cur attenuatæ funt legiones. Magnus in illis labor eft militandi, graviora arma, fera munera, feverior difciplina. Quod vitantes plerique in auxiliis feftinant militiæ facramenta perdifcere, ubi & minor fudor, & maturiora funt præmia.* Salmaf. l. l. Inter incommoda *auxiliares* copias fequentia variarum nationum, quod alia his, alia illis inftituta fint, nec omnes unius præcepti fignificatione convertantur, recenfet Veget. II. 2. *Auxiliares conducuntur ad prælium ex diverfis locis, ex diverfis numeris venientes, nec difciplina inter fe, nec natione, nec affectione confentiunt. Alia inftituta, alius eft inter eos ufus armorum. Neceffe eft autem tardius ad victoriam pervenire, qui difcrepant, antequam dimicent. Denique cum in expeditionibus plurimum profit, omnes milites unius præcepti fignificatione converti, non poffunt æqualiter juffa complere, qui ante pariter non fuerunt.* Schel. ibid. p. 1106. C.

AUXIMUM primum ab Æfi amne atque Ancona occurrit in Piceno apud Mifionem amnem, vulgo nunc *Ofimo* dictum. Situm, magnitudinem & dignitatem Urbis tradit Procop. Gothic. Rer. II. *Urbi caput fuiffe gentis. Abeft ab littore finus Ionii ftadia quatuor & octoginta, fita eft in edito colle, aditum habet in nullo planum: eoque hoftibus prorfus eft inacceffa.* Quando caput facta fit Piceni, ignoratur. Coloni funt eo miffi *ab hinc ferme annos centum quinque & octoginta*, inquit Paterc. I. 15. 3. *ante triennium, quam Caffius Cenfor, a Lupercali in Palatium verfus, theatrum facere inftituit.* Hoc accidiffe vult Cluver. Ant. Ital. II. II. §. 21. Serv. Sulpicio Galba & L. Aurelio Cotta Confulibus, id eft, anno ab U. C. 609. Panvin. vero Imp. Roman. c. II. anno ab U. C. 597. Sex Julio Cæfare, L. Aurelio Orefte Confulibus.

AXA.

AXAMENTA *dicebantur carmina Saliaria, quæ a Saliis facerdotibus componebantur in univerfos homines.* Feftus. Refcribendum puto *canebantur.* Nam falfum eft ea carmina a Saliis fuiffe compofita, quæ ipfis etiam obfcura ipfo Fabio tefte I. 6. *Saliorum carmina vix facerdotibus fuis fatis intelligenda.* Dacer. ad Feftum. Vetus Lexicon interpretatur verfus in honorem Herculis, qui in ejus facris canebantur. *Axamenta*, στίχοι ἐπὶ θυσιῶν Ἡρακλέως. *Turneb. Adv.* XXII. 25. Ubi notandum, facrificia, quæ Salii faciebant, non Marti, fed Herculi fieri: cum tamen Salii fint Martis facerdotes. Quare fcriptor Gloffarii, five Lexici fecutus eft auctores eos, quos & Virgilius, dum attribuit Salios Herculi, non Marti. *Scaliger ad Feftum.* In axibus, feu tabulis illa defcribebant, item ut leges fuas Græci ἐν τοῖς ἄξωσι. Quia enim legitime concepta erant, propterea non minus edifcebantur a Saliis, quam a leguleis actiones, & formulæ juris. *Scal. l. l. Voff. Lex. Etymol. Buleng. de Theat.* II. 4. *Gutberl. de Saliis c.* 19. Illorum primus auctor fuit Numa Pompilius, qui cum Saliorum collegium inftituiffet, carmina illa compofuit. Teftatur hoc Cicer. de Orat. III. 51. *Summa vis carminibus eft aptior, & cantibus, non neglecta, ut mihi videtur, a Numa, Rege doctiffimo, majoribufque noftris, ut epularium follemnium fides, ac tibiæ, Saliorumque verfus indicant.* Hinc Varr. de Ling. Lat. VI. regnum Numæ vocat *fontem in carminibus Saliorum*, & ait, *carmina illa habere feptingentos annos*, id eft, ante feptingentos annos a fuo tempore numerandos ortum habuiffe; rotundum vero numerum pofuit, cum fuo tempore feptingenti anni nondum lapfi fuerint a Numæ imperio. Tantæ obfcuritatis erant, & tam obfoleta ab ætate Numæ vocabula continebant, ut Salii ipfi vix ea intelligerent, quamobrem Quintil. I. II. *Saliorum carmina vix facerdotibus fuis fatis intellecta mutari vetat religio, & confecratis utendum eft.* Hinc non fine ratione fciolum quendam perftringit, qui putabat fe folum intelligere Saliorum carmina Horat. Epift. I. 2. 85.

Jam Saliare Numæ carmen qui laudat, & illud
Quod mecum ignorat, folus vult fcire videri.

Archaifmi affectatorem quendam deridens ait Symmach. Epift. III. 44. *Si tibi vetuftatis tantus eft amor, pari ftudio in verba prifca redeamus, quibus Salii canunt.* In hoc loco *verba prifca* funt verba fubobfcura Marti confecrata, quæ Sidon. Epift. VIII. 16. appellat *verba Saliaria: Unde nobis illud loquendi tetricum genus, ac perantiquum? unde illa verba Saliaria, vel Sibyllina, vel Sabinis abufque Curibus accita? quæ magiftris plerumque reticentibus promptius fecialis aliquis, aut flamen, aut veternofus legalium quæftionum ænigmatifta patefecerit?* Gutberl. l. l.

AXI.

AXIA gens. V. illam infr. in *Gens.*

AXILLA cognomen eft Serviliorum. *Sigon. de Nomin. Rom. c.* 5. *Auguftin. de Famil. Roman. in Servilia.* Dicitur ab ala. *Vaillant. Numifm. ær. Imper.* I. *p.* 89.

AXIUPOLIS eft urbs in Troglodytis fecundum Danubium, citra *Axium* Macedoniæ fluvium, in finum Thermaicum erumpentem, inquit Ptolemæus, unde *Axiupolis*, id eft, *Axii civitas. Axium* olim Bardarium dictum vult Zonaras in Bafilio Porphyrogeneta. *Panciroll. Notit. Dign. Imp. Orient. c.* 142.

AXO.

ἌΞΟΝΕΣ appellabantur Athenis ligna quadrata in foro erecta, quæ leges Solonis continebant, quia circum *axem* vertebantur, atque inde nomen illis ἀξόνων inditum. Etymologicum magnum. Pollux quidem VIII. 10. fcribit ἄξονας fuiffe χαλκοῦς, *æreos.* Plutarch. in Solon. p. 92. tamen, & Suidas, & Gellius II. 12. vocant ἄξονας ξυλίνους, *ligneos.* Salmaf. de Mod. Ufur. c. 3. Voff. Lex. Etymol.

 Bochart.

Bochart. Chan. I. 20. Brod. Misc. IV. 12. Maussac. in Harpocrationem.

AXU.

AXUNGIA curruum *axes* unguntur, ut facilius circa eos volvantur, brevique tempore majus conficiant spatium. Plin. XXVIII. 9. *Antiqui maxime axibus vehiculorum perungendis ad faciliorem circumactum rotarum utebantur, unde nomen.* Mart. II. 78.

Cosconi, qui longa putes epigrammata nostra,
Utilis ungendis axibus esse potes.

Glossæ Philoxeni, *Axungia*, λίπος ἐν ᾧ τοὺς ἄξονας χρίουσιν. *Voss. Lex. Etymol. Argol. in Panvin. de Lud. Circ.* I. 15.

B.

B in *locum aliarum literarum dedimus aliquando*, inquit *Quintil. Inst. Orat.* I. 4. Hinc

B & C permutantur. Ita baucum, quem vocarunt recentiores, qui vetustioribus erat cyathus, etiam caucum vocabant, & baucam caucam. Sic & in aliis multis vocibus harum duarum in vicem literarum permutationem animadverti. βορβορύγην & κορκορύγην Græci rem eandem appellant. Ita Latinis buso & cuso indifferenter dicitur. Optimæ Glossæ: buso & cuso, ὀξυγὴ εἶδος ἀκρίδος. *Salmas. in Trebell. Claud. c.* 14.

B & D permutantur. Quintil. Instit. Orat. I. 4. *Nec non eadem fecit ex duello bellum, unde Duellios quidam Bellios dicere ausi.* Cicer. de Orat. c. 45. *Ut duellum bellum, & duis bis, sic Duellium eum, qui Pœnos classe devicit, Bellium nominaverunt.* Ciaccon. Column. Rostrat. Thes. Antiq. Román. Græv. Tom. IV. p. 1814. A.

B pro F in inscriptionibus, in quibus literarum commutatio sæpe difficultatem facit, quam qui non animadvertit, magnum sibi aliisque negotium molitur, a veteribus usurpatum est. Illis Bruges pro Phryges. Quod in hac Inscriptione, in qua Obrendarium scriptum pro ofrendario concisa syllaba, evenisse credo apud Gruter. p. 886, n. 16.

D. M.
L. POMPONIUS. CLADUS
ET. CLAUDIA. PARHESIA
FECERUNT
SIBI. ET. SUIS. POSTERISQUE
EORUM. ET
M. QUINTINO. CLAUDIANO
OLLARUM. N. XII. AB. IMO
IN. SUMMO. CUM
OBRENDARIO.

Guther. de Jur. Man. II. 24.

B in Γ & contra mutant Æoles. γλέφαρον pro βλέφαρον, γάλανος pro βάλανος, unde Latinum glans, πρεσγὺς pro πρεσβὺς, Ἄρβος pro Ἄργος. *Salmas. Exercit. Plinian. p.* 46. *b. B:* 216. *b. D:* 223. *b. F:* 315. *b. B.*

B & M in scribendo permutare invicem frequens est Latinis librariis. Sic mascauda, bascauda. *Salmas. Exercit. Plinian. p.* 284. *a. C.* Etiam Græcis passim permutabantur: μύρμηξ, βύρμηξ: βάσκα, μάσκα. Pro cubabum Latini veteres dixerunt cumamum. *Salmas. ibid. p.* 923. *a. F.* Προβοσκίδα Græci vocant: nos etiam promuscidem, κοβίνδιν illi, nos cymindim pronuntiamus. *Rhodig. Ant. Lect.* III. 30.

B & P literæ sæpe mutantur invicem. Sic Briantes apud Solin. c. 10. qui dicuntur, in veteribus editionibus Briantes dicuntur. *Salmas. Exerc. Plinian. p.* 112. *b. C:* 196. *a. G.* Et antiqua consuetudine πύῤῥον burrhum, πύξον buxum dicebant. *Festus in Balæna.* Monente quoque Stephano Byzantino Βρεττανίδες insulæ dictæ quoque Πρεττανίδες, & regio Lampsacena Ἀπαρνὶς prius, postea abusive Ἀβαρνὶς nuncupata. *Spanhem. de Præst. Numism. Diss.* II. *p.* 77. Ego Barrum existimo illud fuisse oppidum Taxandriæ in Campinia Brabantica, quod vulgo Per, ex quo factum est Latine Barum. Aventinus Germanus in Nomenclatura perspicue. *Habet etiam B non parvam affinitatem cum P; ubi in nostra lingua est sonus P, Latini fere B accipiunt.* Spelmannus in Glossario: *Quod priscis Anglo-Saxonibus, ut passim occurrit, Per recentioribus est Bar.* Et Scauro teste pro Poplicola prisci dixere Boblicola. *Chiflet. Anast. Childer. Reg. c.* 4. Cicer. de Orat. c. 48. *Burrum semper Ennius, nunquam Pyrrhum ut patefecerunt Bruges, non Phryges.* Sic lego, non Purrum & fruges, testimonio Quintil. Inst. Orat. I. 4. *B quoque, in locum aliarum dedimus, unde Burrus & Bruges.* Victor. Var. Lect. XIV. 3.

B etiam cognata videtur literæ Φ; nam Philippum aliqui Βέλιππον appellant: sicut Phrygas Brygas. *Rhodig. Ant. Lect.* XXIX. 19. Athen. XIV. affirmat eandem nucem tribus modis in prima litera variari. Fratres namque, qui scripserant de rebus rusticis secutos Syros, ubi nascebantur, tradit pistacia appellare: Nicandrum in Georgicis suis aspirata eadem litera phistacia: Posidonium autem bistacia. *Victor. Var. Lect.* XIV. 3.

B & V ferme pro iisdem ponuntur invicem sæpe in veteribus monumentis. Bivius pro Vibius, Abita pro Avita, Abienus pro Avienus, Vivianus pro Vibianus, Bictorinus pro Victorinus, Elbia pro Helvia, Bedua pro Vidua, Urvasius pro Urbasius, Vibius pro Vivius, Vrittiæ pro Brittiæ. *Reines. Inscript. Class.* I. *n.* 10. *Politian. Miscell. c.* 14. *Fruter. Veris.* I. 17. *Victor. Var. Lect.* XXVII. 2. *Spanhem. Dissert. de Præst. Numism.* II. *p.* 77. *Schott. Obser.* III. 32. *Salmas. in Lamprid. Anton. Heliog. c.* 21. *Tomas. de Donar. c.* 21. *Voss. de Idol.* III. 70. *Muncker. ad Albric. c.* 6. *Guther. de Offic. Dom. Aug.* III. 12. *Pier. Antiq. Bellun. Serm.* II. *Ursat. de Not. Roman. Thes. Antiq. Roman. Græv. Tom.* XI. *p.* 567. *F. Falconer. ad Inscript. athlet. Thesaur. Antiquit. Græcar. Gronov. Tom.* VIII. *pag.* 2340. *B.*

B. F. Quædam literæ in libris juris verborum suorum notæ sunt quo scriptio celebris brevior fiat. Scribebant enim verbi gratia per *B.* & *F. bonum factum.* Isidor. I. 22. Et hoc edictis boni ominis causa addebant. Plaut. Pœn. Prol. n. 16.

Bonum factum est, edicta ut servetis mea.

Tertullian. de Pudic. c. I. *O edictum, cui adscribi non potuit, bonum factum.* Joseph. Ant. Jud. XIV. 17. exprimit his verbis: Καλῶς ἔχει. *Brisson. de Form.* III. *p.* 274. *Turneb. Adv.* III. 22. *Loens. Miscell.* IV. 23. *Putean. de Rel. Conviv. Prisc. Thes. Antiq. Roman. Græv. Tom.* XII. *p.* 249. *Schott. Obs.* III. 40. *Ursat. de Not. Roman. Thes. Græv. Tom.* XI. *p.* 592. *D.*

BAB.

BABYLONEM urbem maximam condidisse Semiramim uxorem Nini Assyriorum Regis, marito mortuo, cum in ejus locum successisset, & rei militaris scientia longe excellens gentes multas devicisset, tanquam verissimum in quinto tradit Annii, sive novus Berosus. Sed negat apud Josephum contr. Apion. p. 1045. Berosus vetus, de quo hæc Josephus: *Hæc iste Berosus de prædicto Rege, & multa præterea de rebus Chaldæis narravit, ubi de scriptoribus Græcis conqueritur, ut frustra opinantibus ab Assyria Semiramide Babylonem conditam, & opera mirabilia, quæ in ea sunt, ab illa exstructa fuisse falso scribentibus.* Hæc ex Josepho. nam in hoc Beroso alios item consentire video. *Babylonem* enim Medi filium fuisse ferunt virum summa sapientia: qui *Babylonis* urbem annis mille octingentis, ut ait interpres Dionysii Eustathius: aut duobus millibus, ut est in libro Stephani de urbibus, condiderit; antequam Semiramis rerum potiretur. *Ferrar. de Orig. Roman. Thes. Antiq. Roman. Græv. Tom.* I. *p.* 21. *D. Allat. in Philon. Byzant. de sept. mirac. mund. Thes. Ant. Græc. Gronov. Tom.* VIII. *p.* 2674. *E.* In vanum laborant, qui antiquæ *Babylonis*

lonis scrutantur reliquias, vix enim aliter fieri potest, ut non urbs hæc ducentis, aut pluribus infra telluris superficiem depressa sit pedibus, utpote in molli & riguo exstructa solo. Quotidiana quinetiam docent experimenta, quælibet communia quoque ædificia, in quibuslibet fere locis, habita tamen ratione soli & ponderis prementis, seculi spatio minimum uno, aliquando etiam duobus, aut tribus pedibus, præsertim in molli solo subsidere, & quidem quanto altiora, solidiorisque fuerint operis, tanto profundius deprimi. *Voss. de Magn. Rom. Vet. c.* 4. Quot partibus minor fuerit Roma. V. infr. in *Roma*. Recensetur inter septem mundi miracula. *Philo Byzant. de sept. mirac. mund. Thes. Antiq. Græc. Gronov. Tom.* VIII. *pag.* 2674.

Babylon nova, *Cairo* & *Alcairo*, *Mitzraim* Hebræis, *Mitzir* Arabibus, urbs archiepiscopalis Ægypti maxima, apud Deltam Nili, e regione Memphis, ab Alexandria 130. mill. pass. versus Syenen in austrum 470. ab Hierosolymis 360. a Babylone veteri 900. *Ferrar. Lex. Geograph.* Oppidum hoc Cambyses, cum Ægyptum invaderet, condidit. Alii *Babylim* vocant, ubi legio degebat. Josephus *Latuspolim* antea dictum affirmat Ant. Jud. II. 13. *Pancirell. Notit. Dign. Imp. Orient. c.* 141.

BABYLONIA regio est *Babylonis*, in qua vicus fuit, ad habitandum nationis & gentis ejusdem philosophis assignatus; qui Chaldæi V. illos infr. in *Chaldæi*. sunt nuncupati. *Ferrar. de Orig. Roman. Thes. Antiq. Roman. Græv. Tom.* I. *p.* 10. *D.*

BABYLONICA dicebantur solaria, quibus sedilia sternebantur. Festus in Solla. Fuit enim præcipuus usus *Babylonicorum* περιστρωμάτων insternendis accubitis, quæ auro & purpura picta fuisse, & aliis coloribus intexta nemo nescit. Plin. VIII. 48. *Colores diversos picturæ intexere Babylon maxime celebravit, & nomen imposuit. Metellus Scipio tricliniaria Babylonica sestertium octingentis millibus venisse jam tunc, posuit in Capitonis criminibus, quæ Neroni Principi quadragies sestertio nuper stetere.* Inde *Babylonicum aureum plumatum* Publio Syro dicitur. Glossæ: *Babylonicum*, ψιλὴ πολύμιτος. Duobus præcipue coloribus superbit pavo, aureo & purpureo. Tertullian. de Pall. c. 3. ubi pavonem laudat: *imo omni conchylio pressior, qua colla florent: & omni patagio inauratior, qua terga fulgent.* Hi etiam duo præcipui colores *Babylonicis* & accubitalibus intexti, aurum & purpura. Imo purpurea aliquando tota, aureis clavis distincta. Hinc recte ac merito Tertullianus plumam pavonis, quæ illi pro veste est, vestem de cataclitis esse dixit, hoc est, tricliniarem & accubitalem vestem, propter aurum scilicet, & purpuram, quibus pavo æque ornatus ac pictus est, ut vestes, quibus accubita, vel cataclita insternuntur. *Salmas. in Tertull. de Pall. p.* 175. *Trebell. Poll. Trigint. tyrann. c.* 14. *Vopisc. Carin. c.* 20. *Chimentell. de Hon. Bisell. c.* 31. *Braun. de Vestit. Sacerd. Hebræor.* I. 17. §. 15. *Calcagn. Epist. Quæst.* III. I. *Sched. de Diis German. Syngram.* II. 8.

BABYLONII diem numerabant a Solis ortu in alterum ortum. *Putean. Rel. Conv. Prisc. Thes. Antiq. Roman. Græv. Tom.* XII. *p.* 250. *A. Hospin. de Orig. Fest. p.* 5. *b.* vates fuerunt, qui Cyrum monuerunt fore ut *Babylonem* vi caperet, cum mulus peperisset. Mulus Zopyri peperit, & *Babylonem* cepit. Herodot. III. p. 250. Procop. de bell. Pers. I. *Buleng. de Sort. c.* 2. Apud illos *insignia dignitatis erant purpura & aurum, cervicis ornamentum eodem modo, quo nunc prætexta, vel trabea, vel palmatæ & coronæ aureæ.* Scheffer. de Torq. Ant. c. 8. Festos dies quinque agebant, Saturnaliorum quadam ex parte similes, quæ Romanis celebrabantur. Athen. XIV. p. 639. *Berosus in primo de Babyloniacis, mensis Loi die sexto decimo, Babylone dies festos quinque, Saceas dictos, agi tradit: in quibus moris fuit, ut servi dominis imperarent, & in domum totam imperium teneret eorum unus, veste indutus regalis consimili, quem etiam Zoganem appellabant. Diei hujus festi etiam Ctesias in secundo de rebus Persicis meminit.* Ferrar. de Orig. Roman. Thes. Antiq. Roman. Græv. Tom. I. p. 20. F.

BAC.

BACA est margarita, vel unio. Hanc ad similitudinem *baccarum*, quæ proprie sunt lauri, oleæ, myrti, & id genus arborum fructus, vocabant. Quæ appellatio pro unionibus elucescit ex hoc Virg. Æneid. I. 659.

Colloque monile bacatum.

Et ita optima quævis exemplaria apud Horat. Epod. VIII. 13.

Nec sit marita, quæ rotundioribus
Onusta bacis ambulet.

Commendantur *bacæ*, seu margaritæ a rotunditate, quare modo Flaccus: *rotundioribus onusta bacis.* Et Plin. IX. 35. *Margaritarum dos omnis in candore, magnitudine, orbe, lævore, pondere consistit.* Bartholin. de Inaur. Veter. c. 3. Du Cange Glossar. Est etiam vasis genus: a quo *bacar*, ἀγγεῖον εἶδος in glossis, & *bacavium*. Salmas. in Treb. Poll. in Claud. c. 14.

BACARIO erat genus vasis aquarii, longiore manubrio, trullam quidam appellant. Festus. Eo aquam in balneis hauriebant mediastini, quam super lavantes jactarent, & funderent, ad eos perfundendos & eluendos. *Salmas. in Vopisc. Carin. c.* 21. *Scalig. in Festum, Voss. Lex. Etymol.*

Bacario dicebatur a *bacarione* vase aquariolus, qui hujusmodi munus obibat in domo lenonia, & lavantibus meretriculis ministrabat in aqua aggerunda & effundenda. Glossæ: *bacario*, πορνοδιάκονος. *Salmas. in Vopisc. Carin. c.* 21. *Voss. Lex. Etymol. Scalig. in Festum.*

BACAUDÆ, sive, ut alii, *Bagaudæ* erant factiosorum & rebellium hominum cohors, qui solitudines & castra inhabitabant loci situ munita, atque inde in obvios latrociniis & cædibus grassabantur. Horum nomen primum in Gallia auditum Diocletiano & Maximiano imperantibus. Oros. VII. 25. Eutrop. IX. 20. Ex quibus Hieron. Chron. Euseb. *Diocletianus consortem regni Herculium Maximianum assumit, qui rusticorum multitudine oppressa, quæ factioni suæ Bascaudarum nomen indiderat, pacem Gallis reddit.* Aurel. Vict. Cæs. 39. 17. *Per Galliam excita manu agrestium, ac latronum, quos Bagaudas incolæ vocant.* Duraverunt longe post Diocletiani ævum. Salvianus enim, qui sub Honorio & Theodosio vixit, cum horum defectionis causam indicasset, sic de illis de Gubern. Dei V. p. 91. *De Bascaudis nunc mihi sermo est: qui per malos judices & cruentos spoliati, afflicti, necati, postquam jus Romanæ libertatis amiserant, etiam honorem Romani nominis perdiderunt. Et imputatur his infelicitas sua, imputamus his nomen calamitatis suæ, imputamus nomen quod ipsi fecimus. Et vocamus rebelles, vocamus perditos, quos esse compulimus criminosos. Quibus enim aliis rebus Bacaudæ facti sunt nisi iniquitatibus nostris, nisi improbitatibus judicum, nisi eorum proscriptionibus & rapinis, qui exactionis publicæ nomen in quæstus proprii emolumenta verterunt, & indictiones tributarias prædas suas esse fecerunt?* Du Cange Glossario. Prosper Chron. Thes. Antiq. Roman. Græv. Tom. XI. pag. 300. E. Noris. Cenot. Pisan. Dissert. IV. pag. 436. Bochart. Chan. I. 42.

BACCALAUREI dicuntur inter studiosos sapientiæ depositi tyrocinii insignibus donati; sive a lauri *baccis*, ut significetur spem fieri, quod a *baccis* ad *laurum*, seu plenam lauream denique pertingant, sive a *bacillis*, quorum olim collatione creabantur. *Raynaud. de Pileo sect.* 10. An a *buccis*, an ab etymo, quod propius sit a Baccho, quod videlicet, cum plurimarum rerum scientia præcellat, indulgere ei & buccis & Baccho impune liceat. *Alciat. Epist. contr. vit. monast. apud Matth. Epist. Lugd. Bat. edit. p.* 64. De *Baccalaureis* tum militaribus, tum Academicis etiam *Du Cange in Glossario.*

BACCARIS herba est odorifera, & constrictivam, ut ita dicam, habet virtutem. Docent hoc Dioscor. III. 46. & Athen. Deipn. III. Corona hac herba contexta est inventa, ut, tanquam optimum amuletum, spirituum dilata-

latationem prohiberet, quæ poſſet naſci a nimia laude. Laus enim propria, ut de antipathia & ſympathia dum ſcribit Hieronymus Fracaſtorius, lætitiam parit. Lætitia autem dilatationem tum cordis, tum & ſpirituum facit, tum & totius faciei, & præcipue oculorum. Et inde aditus aperitur veneno: quod a faſcinatore ejaculatur. Quare forte natum eſt illud, quod præfamur, cum aliquos laudare volumus, bene prius ominantes, verba noſtra ne tibi noceant. Quin & aliqui ſunt, qui, dum laudantur, faciem avertant non tantum, ut indicent moleſtam ſibi eſſe laudationem; ſed ut a faſcino caveant. *Alſar. de Invid. & Faſcin. Theſ. Antiq. Roman. Græv. Tom.* XII. *p.* 898. *D.* In ſuavem etiam ſoporem vertit bibentem: lenis quippe ejus defluxus eſt, ac blandus: & inæqualitates corporis ebriorum & aſperitates tranquille diffundit, unde fit, ut crapuloſa hebetentur & perficiantur. Veteres enim flores capiti circumponendos præceperunt, quorum defluxus mirabiliter illud adverſus graſſantis latenter ebrietatis impetum obſepiret & communiret: calidi ſiquidem poros, ſeu meatus potentiores reddunt; frigidi vero ſua poteſtate ita contemperant, ut ſcandentes repercutiant vapores. *Rhodig. Ant. Lect.* XXVII. 26.

BACCHÆ dicebantur coronæ ſacrificantium, quibus caput vinciebatur ad illius Dei imitationem, quæ non minus quam thyrſus, ſive hedera *Baccho* ipſi ſuſpendebantur teſte Nicand. Epigr. V. *Tomaſ. de Donar. c.* 27.

Bacchæ dicebantur mulieres, quas in expeditione Indica ſocias *Baccho* credidit fabuloſa vetuſtas, a quibus ſacrificia ipſi cum tripudiis inſtituebantur: &, ut fertilitatis opinio feſtivitati accederet, ex altiſſimis arboribus imagines quædam modo fictiles, modo ligneæ, *Baccho* ſimiles ſuſpendebantur, quæ dicebantur oſcilla. V. illa infr. in *Oſcilla.* ut longiſſime poſſent conſpicere. *Tomaſ. de Donar. c.* 27. Hygin. Fabul. VII. *Ex ejus corpore fons eſt natus, qui Dircæus eſt appellatus, beneficio Liberi, quod ejus Baccha fuerat.* Barthius Adv. V. 2.

BACCHANAL locus erat, in quo Bacchæ bacchantes Bacchi myſteria celebrabant. Gloſſæ Iſidori: *Bacchanal, ſacrarium Liberi Patris.* Plaut. Aul. III. 1. 3.

Neque ego unquam, niſi hodie, ad Bacchas veni in bacchanal coquinatum.

ubi homines furiunt tanquam in *bacchanali.* Grævius ad Iſidorum. Voſſ. Lex. Etym. In Onomaſtico: *Bacchanale*, Διονύσιον. Utrum locus ſit, an aliud quid, ego dubito. Certe non ſine cauſa Scaliger apud Iſidorum legere voluit: *Bacchanal. Sacra ritu Liberi Patris.* An malis: *Sacra rituum*, videndum arbitror. *Barth. Adv.* XIV. 8.

BACCHANALIA dicuntur a Baccho Jovis ex Semele filio, in cujus honorem celebrabantur. Ab Athenienſibus originem ducunt, qui primi Novembri menſe *Bacchanalia* & ludos gymnicos ac liberales celebrarunt, tanta licentia, ut nympharum & heroum habitu bacchantes prodirent in forum, & ad ſonum tibiæ cum laſciva geſticulatione compoſitis modis pſallerent, vinumque cum bellariis, libaque ex melle, magna bibendi licentia circumferrent: quos plerumque populus coronatus ſpectavit. Per anum deliram & temulentam indicebantur, & eo inſolentiæ proceſſerunt, ut mulieres virique hedera (rationem V. infr. in *Hedera*) ornati, crine fluxo, lymphatis animis debacchatæ, cum thyrſis V. infr. in *Thyrſus.* velut inſanientes & furore afflatæ obvios ferirent. *Alex. Gen. Dier.* VI. 19. *Kipping. Antiq. Roman.* I. 10. 11. *Blond. Rom. triumph.* II. *p.* 37. *A. Roſin. Antiq. Roman.* IV. 17. Horum originem Serv. Ecl. IX. 29. *aperte ad Julium pertinere Cæſarem* dicit: & addit *conſtare illum primum ſacra Liberi patris tranſtuliſſe Romam.* Sed recte in allegoricis ſuis ad eoſdem verſus interpretationibus Ludovicus Vives: *Hoc non eſt veriſimile. Nam ante Cæſarem Bacchi ſacra Romæ erant: quæ Græcus quidam homo ignobilis, ſed ejuſmodi ſacrorum antiſtes, primo in Hetruriam attulit, ibique ritus eorum docuit. Ex Hetruria ea mali labes mox Romam penetravit.* Hoſpin. de Orig. Feſt. Ethn. p. 115. 128. Stuck. Ant. Conv. I. 33. Laz. Comment. Reip. Roman. X. 9. Nicol. de Rit. Bacchan. c. 10. Caſtellan. de Feſt. Græc. Theſ. Antiq. Græc. Gronov. Tom. VIII. p. 637. C. Serpentem πλοκάμοις circumdabant bacchantes, ut Euripides canit: aliæ apud Athen. V. ſeſe ſerpentibus, aliæ vite, hedera & ſmilace coronaverunt: apud Horat. Od. II. 19. 19. Bacchus

Nodo coercet viperino
Biſtonidum ſine fraude crines.

Cuper. Harpocr. p. 60. Paſchal. de Coron. I. 17. Serpentes etiam ciſtis includebant, & in vanno myſtica concluſos habebant Cretenſes, qui hoc modo ſe Bacchicorum Orgiorum inventores eſſe voluerunt ſignificare. V. infr. in *Orgia.* In illis phallum de collo ſuſpenſum geſtabatur, cujus pompam Melampus in Græciam introduxit, teſte Herodot. II. p. 122. *La Chauſſe de Mutini Simul. tab.* I. *Caſal. de Proph. Roman. Ritib. c.* 9. Sericum & purpuream veſtem induebant bacchantes. Tertullian. de Pall. c. 4. *Sericatus & crepidam æratus inceſſit: digne quidem, ut bacchantibus indumentis aliquid ſubtinniret, cymbalo inceſſit.* Clemens Alex. Pædag. II. 10. *Quod ſi oporteat etiam alium aliquem colorem quærere, naturalis veritatis per ſe tinctura ſufficit. Veſtes autem, quæ ſunt floribus ſimiles, Bacchicis nugis, & initiorum myſteriis relinquendæ ſunt.* Bacchus ipſe apud veteres ſemper in purpureo ſericeoque amictu muliebrem in modum producitur. Lucianus de Baccho: Ἐν πορφυρίδι καὶ χρυσῇ ἐμβάδι. Κροκωτὸν ipſi quaſi peculiarem attribuebant, quæ tenuis erat ex ſerico veſtis. Unde ille verſus apud Comicum:

Ὁρῶν λεοντὴν ἐπὶ κροκωτῷ κειμένην.

Ubi vetus Scholiaſtes κροκωτὸν interpretatur ἀπὸ πήνης ἔνδυμα, *ſericum indumentum:* quæ mulierum proprie veſtis. Poeta

—— *tenui ſuccincta crocota.*

Inde & crocotum hiſtrionibus, quaſi proprium veſtitum, aſſignat Apul. Apol. p. 422. *Quid enim ſi choragium thymelicum poſſiderem, num ex eo argumentarere etiam uti me conſueſſe tragœdi ſyrmate, hiſtrionis crocota.* Salmaſ. ad Tertullian. p. 328. Præter cæterum habitum comas redimiebant ſertis & corollis bacchantes. Uxor Proteſilai coronata erat, ubi bacchabatur, aut Bacchi ſacris operam dabat, inquit Philoſtratus in Imaginibus. Quia corona hederacea erat inſigne Bacchi, eadem teſtis erat Bacchici furoris, & habebat ſpiritum, quo furor excitabatur & commovebatur. *Paſchal. de Coron.* I. 17: IV. 15. Sacra hæc a Senatu Romano abolita ſunt anno ab U. C. 568. Livius XXXIX. 14. *Quæſtionem deinde de Bacchanalibus, ſacriſque nocturnis extra ordinem conſulibus mandant. . . . . ſacerdotes eorum ſacrorum, ſeu viri, ſeu feminæ eſſent, non Romæ modo, ſed per omnia fora & conciliabula conquiri, ut in conſulum poteſtate eſſent: edici præterea in urbe Roma, & per totam Italiam edicta mitti: ne quis qui Bacchis initiatus eſſet, coiſſe, aut conveniſſe cauſa ſacrorum velit, neu quid talis rei divinæ feciſſe: ante omnia, ut quæſtio de his habeatur, qui coiſſent, conjuraſſentve, quo ſtuprum flagitiumve inferretur.* Hoſpinian. Blond. & Kipping. l. l. Nicol. ibid. c. 18.

BACCHOS Philoſtratus in Apollonii vita & Diodorus Siculus tradunt tres diverſo tempore fuiſſe, *Thebanum, Indicum, Aſſyrium.* Cicer. de Nat. Deor. III. 23. quinque connumerat. Communis tamen Poetarum opinio *Bacchum* Jovis & Semeles filium facit: hinc *Bacchus* ipſe in Dionyſium hymno I.

Ipſe ego ſum Dionyſus Eribromus, edidit ipſa
Me mater Semele, ſummo commixta Tonanti.

Cadmus enim Agenoris filius, ex Phœnicia ad quærendam Europam, quæ fuerat ab Jove rapta, a Rege eſt miſſus: & cum non inveniret, tandem in Bœotiam devenit, & ibi Thebas condidit: cumque Harmoniam Veneris filiam duxiſſet uxorem, Semelem & ſorores ejus genuit. Jove autem Semeles amore capto, & ea multis artibus potito, Junonis fraude, Semele Jovem tandem exorat, ut ad ſe, uti ſolitus eſſet ad Junonem, accederet. Illa non tulit fulgura & tonitrua, ſed exanimata conflagravit: edito abortu infante, Jupiter femori ſuo puerum aſſuit, per-

fecto partus tempore fœtum edidit, in Dracano nubiloso, ut canit Theocr. Eidyll. XXVII. 52.

— quem Dracano in nebuloso,
Jupiter exsolvens ingens femur edidit altus.

Diod. IV. p. 147. B. Euseb. Præpar. Euang. II. 2. alii. *Gyrald. Histor. Deor. Synt.* VIII. *p.* 268. Hunc bis natum a mythicis confingi tradunt, quia significet futurum sacerdotem, statim initiatum renasci oportere: vel sacerdotis perfecti mentem Deo penitus ebriam videri jam renatam. Hoc ne quis miretur, scimus ab Musæo tradi, mirum justitiæ præmium perpetuam videri ebrietatem. Quod ipsum antea per Dionysii sacra Orpheus significaverat. *Rhodig. Ant. Lect.* VII. 13. Gloss. Philoxeni: *Bimater*, Διόνυσος. Dicunt veteres illum bis natum, quia vitis & ante Deucalioneum fuerit diluvium; & postea, cum diluvio periisse existimaretur, iterum effloruerit: quam rationem affert Diodor. III. p. 137. C. Nos nostrum Liberum, Noachum, dicimus bis natum, quia fuerit, tum ante diluvium universi orbis; tum, pereunte orbe reliquo, cum sua fuerit familia servatus. *Voss. de Idolol.* I. 25. Repræsentatur apud Bellorium in orbe æreo facie juvenili & muliebri, prout etiam ab Albric. de Deor. imag. c. 19. depingitur, teneroque ac delicato vultu, crinibus more puellarum collectis & pendentibus. Vitium frondibus & uvis coronatus juxta descriptionem Ovid. Met. III. 666.

Ipse racemiferis frontem circumdatur uvis.

Harum enim ferebatur inventor; cui tamen opinioni refragatur Tertullian. Apolog. c. 11. *Bacchum* non inventorem vitis, seu vini usus, sed tantum demonstratorem fuisse scribens. Caput mitra vincitur solito ejus ornamento. Prop. IV. 2. 31.

Cinge caput mitra, speciem furabor Iacchi.

Quare vinculo caput alligare solitus fuerit, Diodorus declarat apud Euseb. de Præpar. Euang. II. 2. *Mitra quidem revinctum illum caput habuisse ferunt, adversus acutos capitis dolores, quos ex immoderato vini haustu pateretur.* Flores quidam rosis similes mitræ annexi sunt adversus ebrietatem, ut docet Athenæus, valentissimis. Huic imagini ab una parte subjicitur patera, seu *Bacchi* poculum, ab altera phallum, cujus pompam Melampus in Græciam primus introduxit. V. supr. in *Bacchanalia*. Plutarchus libro de Cupid. sacram *Bacchi* pompam describens, amphoram vini cum palmite, hinc hircum, quem trahebat aliquis, post cistam nucum & phallum recenset. *La Chausse de Deor. Simulacr. tab.* 11. Præterea barbata specie, senili quoque, quod tamen Nardinus negat Rom. Vet. IV. 6. uti Græci eum quem Bassarea, item quem Brisea appellant, & ut in Campania Neapolitani celebrant, Hebona cognominantes. Macrob. Sat. I. 18. & Pausan. V. p. 167. celebratur Bacchus barbatus in antro jacens, & auream tenens pateram. Unde barbatum exhibent in nummis suis illustres Antiquarii Begerus in Thesauro Palatino, Spanhemius ad Julianum, in Thasiorum nummis Goltzius, in gemma antiqua Antonius Piso. Et beneficio viri maximi P. Danielis Huetii eruditus orbis agnoscit Ausonii myobarbum Liberi Patris, quod fuit simulacrum *Bacchi* prolixa barba & acuta insigne. Ulpianus ad Demosthenem ita effictum fuisse *Bacchum* scribit, quia omnis ætas, puerilis, juvenilis, senilis illi choreas agit. Tzetzes ad Lycophronis Cassandram a vino causam petit: ὅτι ὁ οἶνος ἐντείνει τὰ μόρια, ὅθεν τὸν Διόνυσον καὶ νέον καὶ γέροντα γράφουσι, πρὸς τὴν πόσιν τοῦ οἴνου τὴν μετρίαν καὶ ἄμετρον. *Cuper. Harpocr. p.* 78. Cornua taurina cur illi sint attributa, varia adferunt veteres, aut ad natales demonstrandos, quod cornigeri Ammonis esset filius juxta Diodor. III. p. 141. A. aut quod bobus sub jugum ductis primus sementem fecerit eodem auctore; aut a vini ferocia, quod nimio vino homines truces fiant cum Festo & veteri interprete ad Horat. Od. II. 19. 29. aut quod cornibus usi sunt antiqui ad pocula: unde *Bacchum* cornigerum depictum, & Ταῦρον Poetis dictum adserit Athen. I. p. 38. E. cui plane consona legas apud Eustath. Iliad. N. p. 917. Cornu certe antiquitus poculi loco fuisse adhibitum docet Didym. Iliad. Θ. n. 189. Πρὸ τοῦ γὰρ εὑρεθῆναι τὴν τῶν ποτηρίων χρῆσιν, κέρασιν ἔπινον: Auctor quoque Etymologici magni, qui Photius Patriarcha existimatur: Κεράσαι, τὸ πάλαι γὰρ κέρατι ἔπινον, ὅθεν καὶ ἡμεῖς τὸ αὐτὸ ποιοῦμεν. *Spanhem. de Præst. Numism. Dissert.* V. *p.* 357. *Gyrald. Synt. Deor.* VIII. *p.* 280. *B. Voss. de Idolol.* III. 71. *Jun. de Pict.* III. 1. *&* 8. *Meurs. ad Lycophr. Cassand. p.* 157. *Nicol. de Ritu Bacchan. c.* 2. *Minos in Alciat. Emblem. p.* 162. *Salmuth ad Panciroll. de Reb. deperd. & inv. p.* 372. *Hennin. ad Bergier. de viis milit.* IV. 43. §. 14. Mitra *Bacchi* erat cornuta, ut meminit Lucianus in Baccho: indeque *Bacchus* Κεράσφορος, sive Corniger est appellatus. *Raynaud. de Pileo sect.* 13. Quod plures ex Philosophis Solem rati sunt aut ignem esse, aut ex igne conflatam massam, ut videre est apud Plutarch. de Placit. Philos. II. 6. & 20. fabula exorta est, *Bacchum* ex utero matris perustæ, tanquam ex igne prodiisse. Eleganter vetus Poeta:

Sic Apollo, deinde Liber sic videtur ignifer:
Ambo sunt flammis creati, prosatique ex ignibus.
Ambo de comis calorem, & ambo radios conferunt.
Noctis hic rumpit tenebras, hic tenebras pectoris.

Atque ad indicandam radiorum projectionem aureis cornibus Liberi frontem insigniebant, ex quo cum Græce χρυσοκέρων cognominarunt. Horat. Od. II. 19. 29.

Te vidit insons Cerberus aureo
Cornu decorum.

Aleand. Tab. Heliac. Explic. Thes. Ant. Roman. Græv. Tom. V. p. 714. B. Et vir & femina dicebatur. Aristides certe utroque sexu præditum affirmat Orat. in *Bacchum*: Ταῦτ᾽ ἄρα καὶ ἄῤῥην τε καὶ θῆλυς ὁ θεὸς, ὥς φασίν. *Aleand. ibid. p.* 741. *D.* Diversitas illa sexus ejusdem numinis non tantum ex diversarum gentium aliis atque aliis institutis, sed vero maxime ex interpretatione nata est. Interpretatio illa, quæ propria Pontificum erat, ad naturam rerum fere spectabat. Nam ex ea omnis veterum Theologia est conflata. Sic in eodem numine aliquando quod viri, aliquando quod feminæ proprium esset, invenere. Luna quatenus lucem a sole mutuatur, conjunx ejus: quatenus ipsa vim suam in inferiora hæc exserit atque expandit, mas esse videtur. Utriusque sexus cœlites omnes esse creditum a sapientioribus. Serv. Æneid. II. 633. *Loquitur secundum eos qui dicunt utriusque sexus participationem habere numina.* Quod non sic accipiendum, quasi revera simul & mares & feminas fuisse existimaverint. Nihil minus. Numen & mas est & femina, hoc est, omnia est, & complectitur. Ita Isis Myrionuma vocata, id est, infinitorum nominum in antiquo lapide apud Isaram fluvium in Boaria:

ISIDI
MYRIONUMÆ
SACRUM

Omnium nominum, quia omnia est & moderatur. Quemadmodum de vero Deo sacræ literæ loquuntur esse *eum omnia in omnibus, Alpha & Omega.* Si numen utriusque sexus esse statuerunt sapientiores, indicabant non tam sexu illud distingui, quam utrumque & omnia continere. *Boxhorn. Quæst. Roman.* 13. *Bochart. Phal.* IV. 2. Poetæ, aliique fabulatores ajunt Mercurium *Bacchi* fuisse nutricium: unde & cujusdam Mercurii statuæ Liberum Patrem in infantia nutrientis meminit Plin. XXXIV. 8. Eo adumbrarunt favonium in plantas nutricium exercere, quod idem ait XVIII. 34. Est enim Bacchus plantarum antistes, vitis præsertim. V. supr. in *Autumnitas*, cui sustentaculum adhibetur arundo. V. supr. in *Arundo*. Creditus est quoque Mercurius virgæ suæ ope vitæ, necisque auctor, dum quosdam ad vitam evocat, quosdam damnat neci; nam favonius, ut Theophrastus de Ventis, fructus alios corrumpit, alios fovet: perdit enim, quum calidus atque æstuosus æstivo tempore a mari spirat: servat, quum frigidam flat auram. *Aleand. ibid. p.* 743. *D.* Merito aquam denotabit. Veteres enim mythologi existimarunt eum *naturæ omnis humidæ dominum & auctorem*, ut ait Plutarch.

de Iſide & Oſiride. Ideoque appellatus ὕης, ut præter eundem aſſerit quoque Suidas. *Aleand. ibid. p.* 731. *A.* 756. *B.* Quum infans eſſet, in hœdum converſus dicitur. *Bacchum*, inquit Apollod. III. *Jupiter in hœdum transformavit, ut eum Junonis iræ ſubduceret.* Aleand. ibid. p. 746. B. Non eſt alius ab Apolline, & poetarum præſes, & ideo Muſas ei comites addunt. Diodor. III. *Ajunt quoque Muſas cum eo peregre iviſſe.* Si Apollo vates, ſimiliter & Bacchus, ut docet Macrob. I. 18. ſi medicus ille, hic etiam medicinæ peritus. Plutarch. Sympoſ. III. Illum Græci ἀκερσεκόμην, hunc εὐχαίτην dixerunt. Tibull. I. 4. 33.

Solis perpetua eſt Phœbo, Bacchoque juventa,
Nam decet intonſus crinis utrumque Deum.

Parnaſſus in utriuſque erat tutela. Lucan. V. 73.

Mons Bromio Phœboque ſacer, cui numine mixto
Delphica Thebanæ referunt Trieterica Bacchæ.

Etiam ſub *Baccho* Sol intelligitur, ut pluribus docet Macrob. Saturn. I. 18. Et bacchantes in Orgiis canentes inducit Ovid. Met. IV. 18.

Tu puer æternus, tu formoſiſſimus alto
Conſpiceris cœlo.

Eumolpus eum nominat apud Diodor. I. p. 7. C.

Sidereum Dionyſum igni radiante coruſcum.

Solem eſſe ignem & *Bacchum* ex utero matris peruſtæ prodiiſſe V. paullo ſuperius. Quod Liberum tradunt totum obiiſſe orbem apud Diodor. III. p. 147. D. quid aliud quam ſolarem excurſionem commonſtrare voluerunt? Tigres, lynces, pantheræ velociſſima animalia eidem ſacra Solis pernicitatem denotare queunt: quanquam ſunt qui credant, ideo adſcriptas *Baccho* hujuſmodi animantes, quod calidiſſimæ ſint: ut de panthera præcipue teſtatur Philoſtr. Imag. I. Maculoſæ earum pelles ſtellatum cœlum ſignificant, quod de hinnulea pelle, qua *Bacchus* amiciebatur, prodit Diodor. I. p. 7. C. *Nonnulli ideo nebride Bacchum amictum eſſe dicunt, ut aſtrorum varietas ſignificetur.* Deſcenſus *Bacchi* ad inferos Solis occaſum commonſtrat, quo recidit *in infera noctis*, ut Ennius loquitur. *Bacchi* jusjurandum ſub tecto non fiebat. Plutarch. Quæſt. Rom. 28. & Solis effigies, ut affirmat Tertullian. de Spectac. c. 8. non ſub tecto templi, ſed in aperto collocari ſolita, quum Sol ſe omnibus ſemper videndum præbeat. Indiam a Libero patre ſubactam perhibent; quia Soli ea regio maxime ſubjecta, & vi radiorum quaſi perdomita. *Aleand. ibid. p.* 713. *E. Voſſ. de Idolol.* II. 14. Viarum præſes exiſtimabatur: quum enim terrarum orbem obiiſſe dicatur, quid mirum, ſi vias optime callere putaretur? Apud eos ſane, qui vetera monumenta colligunt, non paucas videre eſt terminales ſtatuas, hoc eſt, quadratos Hermas cum *Bacchi* capite, ſive etiam Priapi, qui Bacchi filius, nec non Panos, Sileni, Satyrorum, qui ejuſdem comites ferebantur, hinc Sylvanus *tutor finium* dicitur Horat. Epod. II. 22. *Aleand. ibid. p.* 726. *B.* Et montium Deus: quare colebatur potiſſimum autumni tempore. Unde Poeta

Tertia ſuccedit Bacchi variabilis ætas,
Sentit adeſſe novos ruſtica turba Deos.

Tomaſ. de Donar. c. 27. Primus apud Græcos inveniſſe vinum putabatur. Ex ſacris vero paginis Gen. c. 9. n. 20. a Noe poſt diluvium jam ſecunda mundi ætate incipiente liquet inchoaſſe. Quod ſuaviſſimum poculum, & medicaminum medicamen eximium cum in illis principiis haud decenter adhiberetur, evenit, ut & ipſum medela, ac normæ præſcriptione egeret, tum ob ebrietatis periculum, tum quod diverſis hominum temperamentis non æque congruebat. Arrepta itaque fuga *Bacchum* in undis latitaſſe fabulati ſunt, Lyæum laticem lympha attemperare oportere innuentes. *Butius de Potu Antiq. c.* 1. Præerat etiam epulis & comeſſationibus: unde imagines in hoc vaſe delineatæ videntur alludere ad cœnam Auguſti ſecretiorem, quæ vulgo δωδεκάθεος vocabatur, in qua convivas Deorum & Dearum habitu, ipſumque pro Apolline ornatum diſcubuiſſe narrat Suet. c. 70. n. 1. *La Chauſſe de Bullis Theſ. Antiq. Roman. Græv. Tom.* XII. *p.* 955. *de Deor. Simulacr. tab.* XXXVIII. Auctor fuit luſus ſcenæ, ut & muſicæ theatralis, dramaticæque poeſeos. *La Chauſſe de Bullis Theſ. Antiq. Roman. Græv. Tom.* XII. *p.* 955. Depreſſos ad ſordida hominum animos primus e mortalibus ad Deorum cultum erexit. Ovid. Faſt. III. 727.

Ante tuos ortus aræ ſine honore jacebant,
Liber, & in gelidis herba reperta focis.

Tomaſ. de Donar. c. 27. Inventor eſt triumphi. V. infr. in *Triumphus*. *Baccho* canis datus eſt ſocius, qui non e vulgo fuit; fuit enim donum Panos, hoc eſt, domini totius naturæ, quique ratione fuit præditus. Audiamus ſermonem *Bacchi* ad canem. Nonnus Dionyſ. XVI. 187.

—— Gratiam tibi, laborum ergo,
Referam mutuam, poſt Sirium, ſtellam Mæræ,
Ætheris civem ego te, & ſtellis multis relucentem efficiam
Prope canem priorem, uvam ut & tu maturam reddas,
Racemi in ubertatem jaculans a te ſplendorem.

Ubi ſtellam Μαίρας appellat caniculam. Heſychius: Μαίρα, κύων τὸ ἄστρον. Origo fabulæ. Vini ratione, quia Iſraelitas perduxit in terram vino affluentem, nomen *Bacchi* etiam Moſi dari poteſt. Socium vero Moſes habuit fidelem Calebum. Caleb vero ſignat canem. Unde Nabal 1. Sam. c. 25. n. 3. dicitur כָּלִבִּי *calbi*. Quod Græci interpretes reddiderunt ἄνθρωπος κυνικὸς, *homo caninus*: hoc eſt avarus, ut Belgis talis **hondſch** dicitur. *Voſſ. de Idolol.* I. 30. Et vannus appoſita. Hæc myſtice denotabat, ut vanno repurgatur triticum ab aceribus ac retrimentis: ita animam mundari ab omni crimine anteacto. Illis hanc vim tribuerunt gentiles Iſraelitarum ſimiæ, quia a ſolo Iſraelis Deo, qui Iah dictus, omnium peccatorum eſt remiſſio. Ad hunc ritum reſpexit Maro, cum ait Georg. I. 166.

Et myſtica vannus Iacchi.

Ubi Servius: *Myſtica Iacchi ideo ait, quod Liberi patris ſacra ad purgationem animæ pertinebant: & ſic homines ejus myſteriis purgabantur, ſicut vannis frumenta purgantur. Nonnulli Liberum patrem λικνίτην, vel λικνίτην appellant. Vannus autem apud eos λικνὸς, vel potius λίκνον nuncupatur, ubi de more poſitus eſſe dicitur, poſtquam eſt utero matris editus.* Voſſ. ibid. II. 14. Dabatur thyrſus, quod ebriorum pedes ſuum officium difficiliter peragant, ut ſcribit Phurnutus, ſive, ut alii putant, quod raro compotationes ſine lite & rixa finiantur. *Gyrald. Synt. Deor.* VIII. *p.* 269. *D. La Chauſſe de Deor. Simulacr. tab.* IV. *Tomaſ. de Donar. c.* 27. Virgula & oblivio conſecrabantur, quod meminiſſe eorum non oporteat, quæ in vino peccata ſint, ſed puerili verbere admonere. Plutarch. Symp. I. 1. Hinc Martialis lepide admodum I. 28.

Μισῶ μνήμονα συμπότην Πρόκιλλε.

Elegans in hanc rem Lindavi monumentum eſt, quanquam ſuſpectæ vetuſtatis.

DIIS. MAXIMIS
BACCHO. ET. SOMNO
HUMANÆ. VITÆ
SUAVISSIMIS
CONSERVATORIB
SACRUM.

Tomaſ. de Donar. c. 27. *Buleng. de Conviv.* III. 1. Caper immolabatur, ut de vitium pernicie vindicta ſumeretur. Bruta enim Diis ingrata peculiariter in ſacrificium ipſis venerunt. Unde Poeta elegantiſſime:

Vite caper morſa Bacchi mactatus ad aras
Dicitur ultoris.

Cauſam reddidit Varr. R. R. I. 2. quod pecudes quædam culturæ ſunt inimicæ. Mart. XIII. 39.

Laſcivum pecus, & viridi non utile Baccho
Dat pœnas; nocuit nam tener ille Deo.

III.

III. 24. 1.

Vite nocens roſea ſtabat moriturus ad aras
Hircus, Bacche, tuis victima grata ſacris.

Tomaſ. de Donar. c. 4. Argol. in Panvin. de Lud. Circenſ. I. 2. Extremum poculum in cœna ſemper delibabant, quia vinum oſtendiſſet ſummum naturæ lætitiæque præſidium: Inprimis falces, cophinos, & torcularia, & cætera vindemiæ inſtrumenta partim aurea, partim argentea in ejus templo ſuſpendebant. Philoſtr. Apollon. II. 4. Columna erecta erat hedera cincta. Echinum vinitor vinis nocivum vivum ſuſpendit, lepori pariter uvis infeſto cerebrum eliſit, quem *Baccho* victimam & munus obtulit, ſues ante privatas fores jugulare Ægyptii ſolebant. Herod. in Euterpe. Sobria ſacrificabant, eaque Græci Νηφάλια appellabant. Illis vinum bibere nefas erat: & nihil aliud erant quam ex aqua libatio. Porphyr. de Abſtin. II. p. 156. Votum factum refert vetus lapis:

LIBERO. PATRI
SANCTO. SACR
SEX. CÆLIUS
PRIMITIVUS. ET
PUBLICIA. ANTULLA
VOTO. SUSCEPTO
D. D.

Ara eſt erecta. Saxum Caſtuli in Hiſpania:

SACRUM
LIBERO. PATRI
C. CRESCENTIUS
EX. VOTO
ARAM. D. F. D. D.

Triennalia ſacra facta. Quod tacite innuit Oppian. de Venat. I. 24.

Nolo trietericum te nunc montanum Bacchum canere.

Tomaſ. ibid. c. 27.

Bacchus Ἀκρατοφόρος dictus & celebratus in primis Phigaliæ. Varr. R. R. I. 8. *Ea minus*, inquit, *ſumptuoſa vinea, quæ ſine jugo miniſtrat ἀκρατοφόρον οἶνον.* id eſt, *vinum purum.* Gyrald. Synt. Deor. VIII. p. 282. F.

Bacchus Adoneus dicitur Auſon. Epigr. XXIX. 6.

Arabica gens Adoneum.

Sane Adoneus ſcribi videtur ab Orig. contr. Celſ. IV. & cum Jove nominatur, nec quidem ſemel. *Gyrald. Synt. Deor.* VIII. *p.* 290. *B.*

Bacchus Ἀμφιετὴς eſt cognominatus ab Orpheo in ejus hymno. Exiſtimaverim anni tempora ſignificare, quæ circum annum evolvantur. Nam, ut etiam ſcribit Macrob. Sat. I. 18. Liberi patris ſimulacra partim puerili ætate, partim juvenili fingebantur: præterea & barbata ſpecie, & ſenili quoque, quæ ætatum diverſitates anno & Soli conveniunt, ita ut parvulus videatur hyemali brumalique ſolſtitio, qualem Ægyptii proferebant ex adyto die certa, quod tunc breviſſimo die velut parvus & infans videretur. Exinde autem procedentibus augmentis æquinoctio vernali, ſimulatque adipiſcitur vires, figura juvenis ornabatur: poſtea ejus ætatis ſtatuebatur pleniſſima effigie barbæ: ſolſtitio æſtivo, quo tempore annus & ſol ſummum ſui conſequitur augmentum: tum demum per diminutiones, veluti ſeneſcenti quarta forma Deo figurabatur. *Gyrald. Synt. Deor.* VIII. *p.* 288. *B.*

Bacchus Ἄνθιος, hoc eſt, floridus cultus fuit Athenis. Patrenſes quoque Anthei ſimulacrum habuerunt, ut Pauſan. Achaic. p. 227. docet. Catull. LXIV. 251.

At parte ex alia florens volitabat Iacchus.

Unde & illi anthinæ veſtes, ut Phurnutus & Diodorus notant, adſcribuntur. *Gyrald. Synt. Deor.* VIII. *pag.* 287. *F.*

Bacchus Bacchepæan fuit dictus, de quo Macrobius ſupra in *Bacchus.* Citatur hac in re illud Euripidis, *δέσποτα φιλόδαφνε Βακχεπαῖαν. Gyrald. Synt. Deor.* VIII. *p.* 274. *D.*

Bacchus Barbatus dictus eſt Indus, ex Ammone & Amalthea genitus. Indorum more barbam nutrivit. *Gyrald. Synt. Deor.* VIII. *p.* 268. *B.*

Bacchus Baſſareus cognominatus eſt. Orpheus exorditur hymnum ad illum:

Ἔλθε μάκαρ Διώνυσε πυρίσπορε, ταυρομέτωπος
Βάσσαρε.

Horat. Od. I. 18. 11.

Non ego te candide Baſſareu
Invitum quatiam.

Quo loco Acron & Porphyrion conſentiunt, quod baſſaris ſit veſtis genus, uſque, ut addit Acron, ad pedes demiſſa, dicta a Baſſaro loco Lydiæ, ubi ſit. Quibuſdam videtur *Bacchum* dictum eſſe ab illo genere veſtis ad talos demiſſæ, qua utitur. Quidam a vulpibus, quarum pellibus *Bacchæ* ſuccingebantur, ut & lyncum pantherarumque pellibus. Vulpes inde Thraces baſſares dicunt. Phurnut. de Nat. deor. c. 30. tamen ἀπὸ τοῦ βάζειν, id eſt, a dicendo vel clamando derivat, & ſimplici ſcribit. *Gyrald. Synt. deor.* VIII. *p.* 285. *A. Torrent. in Horatium. Vetus Comment. in Perſ.* I. 101. *Voſſ. de Idolol.* III. 70.

Bacchus Biformis, hoc eſt, Δίμορφος, eſt vocatus, ut docet Dionyſ. III. pag. 149. B. quoniam duo fuerunt: prior barba promiſſa, qui antiquo more barbam nutrivit: poſterior ſpecioſus juvenis & delicatus. Quidam duplicem illi formam tributam volunt, quoniam vinum & hilares homines reddat & iracundos: hinc illum in hymno 29. n. 3. δίμορφον nomine ſalutat Orpheus. *Gyrald. Synt. Deor.* VIII. *p.* 283. *A.*

Bacchus Bimater dictus. Ovid. Metam. IV. 12.

— ſatumque iterum, ſolumque bimatrem.

A Græcis etiam διμάτωρ. Et in primis in hymnis ab Orpheo. V. infr. in *Dithyrambus.* Gyrald. Synt. deor. VIII. p. 273. F.

Bacchus Briſeus dictus eſt. Macrob. Sat. I. 18. *Quem Briſea appellant.* Perſ. I. 76.

Eſt nunc Briſæi quem venoſus liber Acti.

Ubi Cornutus: *Briſeus Liber pater cognominatus, ſive a mellis uſu, eo quod ipſe inveniſſe dicitur mel, & ex favis exprimere: Bris enim jucundum dicimus: vel certe ab uva, quod uvam invenerit, & expreſſerit pedibus: briſare enim dicimus exprimere: vel certe Briſeum dictum ex nomine nymphæ, quæ eam nutriſſe dicitur.* Paullo poſt: *In Græcia duæ fuerunt Liberi patris ſtatuæ: una barbata, quæ dicebatur Briſei: altera levis, id eſt, ſine pilis, quæ dicebatur Lenæi.* Gyrald. Synt. Deor. VIII. p. 288. B. Bochart. Chan. I. 18.

Bacchus Bromius eſt cognominatus. Et hoc Orpheus uſus eſt in hymno 29. n. 1. Ennius Athām.

Iis erat in ore Bromius, his Bacchus pater.

Et præter illos Ovid. Met. IV. 11. V. illum infr. in *Bacchus Lyæus.* Diodor. III. pag. 213. B. a ſonitu tonitrus ac fulminis in ortu *Bacchi* vocatum ſignificat. Βρομέω quippe reſono, & βρόμος ſonitus, & ignis crepitus. Euſeb. de Præp. Euang. II. ἀπὸ τοῦ βρόμου, qui, cum ab ortu ederetur, inſonuit. Magis mirum illud eſt, quod Proclus, aliique in Heſiodi Commentariis ſcribunt, ubi de Lenæone menſe agitur: Βρῦμος Dionyſius eſt, unde Brumalia, quæ celebritas. V. hanc infr. in *Brumalia.* Gyrald. Synt. deor. VIII. pag. 285. F. Minos in Alciat. Emblem. p. 169. Column. in Ennium.

Bacchus Conſitor uvæ dictus eſt. Ovid. Metamorph. IV. 14.

Et cum Lenæo genialis conſitor uvæ.

Gyrald. Synt. deor. VIII. p. 287. G.

Bacchus Corymbifer dictus eſt. Ovid. Faſt. I. 393.

Feſta corymbiferi celebrabat Græcia Bacchi.

quia hedera coronabatur. Et hæc ideo illi ſacra erat, quia contra ebrietatem facere putatur; vel quia Ciſſus puer fuiſſe in ejus comitatu dicitur, qui cum ſaltaret cum Satyro, humi letaliter afflictus, ab eo Deo eſt in he-

hederam transformatus, quæ & *κισσὸς* Græce vocatur. Ovid. Faſt, III. 767. *Baccho* hederam ideo attributam äit, quod

Nyſiades Nymphæ, puerum quærente noverca,
Hanc frondem cunis appoſuere novis.

Gyrald. Synt. deor. VIII. p. 276. F.

Bacchus Dionyſius appellatus eſt, quaſi dicas Jovis filium. Nempe Διόνυσος ſit ex Διὸς & υἱὸς, σ prius poſt υ trajecto : ι item trajecto ante υ, ſed deinde in ν converſo. Eo compellor, quod Liber ſimiliter, quaſi Jovis liber, ſive filius vocetur, ut Proſerpina dicitur Κόρη ſive Libera, hoc eſt, filia. Antiqui enim non minus ſingulo numero liberum & liberam dixere, quam nunc liberos in plurativo uſurpamus. Vel, ut Hercules, quia verus pater neſciatur, Jovis dicitur filius: atque idem tamen a vitrico, qui educavit, Amphytrioniades nominatur; ſimiliter & Liber, cujus pater itidem ignoratur, Jovis prædicatur filius: pro parente autem ſortitus Nyſum, qui ejus fuit nutritius. Hygin. Fab. 131. Sunt vero nutritii quaſi alteri patres; ſicut & nutrix vocatur mater quæ mammam dat. Plaut. Prol. Men. n. 19. Dicamus itaque nomen hoc conflatum ex utroque horum, ut Διόνυσος dicatur quaſi Jovi-Nyſus: quia quodammodo & Jovis & Nyſi filius foret. *Voſſ. de Idolol.* I. 19. Diodorus tamen appellatum dicit a patre Jove & Nyſa urbe Arabiæ, in quam poſt fulminatam Semelen, Jupiter infantem abſconditum in femur cum continuiſſet, partus tempore nymphis Niſæis educandum dimiſit. Arrianus, Curtius & Philoſtratus a Nyſa Indiæ tradunt: quibus ſubſcribit Mela III. 7. *Urbium quas incolunt, Nyſa eſt clariſſima & maxima, montium Meros Jovi ſacer: famam hinc præcipuam habent, quod in illa genitum, in hujus ſpecu Liberum arbitrantur eſſe nutritum: unde Græcis auctoribus, ut femori Jovis inſutum dicerent, aut materia ingeſſit, aut error.* Gyrald. Synt. Deor. VIII. p. 271. B. Apud quem, ſi evolveris, & multa alia invenies. Etiam quædam apud *Bochart. Chan.* I. 18.

Bacchus Dithyrambus eſt cognominatus, quod bis natus eſſe crederetur ex matre ſcilicet Semele, & mox ex Jovis femore: quaſi, ut ajunt, duabus januis egreſſum: vel, quod in ſpecu ſit nutritus, quod δίθυρον eſſet: vel, ut eſt apud Diodorum, Originem & Euſebium, quod ex Jove & Cerere natus, diſcerptus a Titanibus, & decoctus, a matre ſecundo compoſitus & refectus revixiſſe dicitur, ἀπὸ τοῦ δὶς εἰς θύραν ἀναβαίνειν, *a bis in januam ingrediendo.* Sunt, qui tradant, ideo appellatum, quod ebrii ac temulenti minime arcana conſervent, quodque ſecreta & credita ex pectoris penetrali primum, & deinde ex oris ſermone depromant; quoniam, ut ait Phurnutus, vinum τὸ σόμα δίθυρον facit. Phyſici ad vitium naturam referunt, quæ ex Jove & Cerere, id eſt, cœleſti imbre & ex terra racemos profert, ex quibus vinum exprimatur. *Gyrald. de Poet. Dial.* I. *pag.* 39. *F. Synt. Deor.* VIII. *pag.* 273. *A. Rhodig. Ant. Lect.* VII. 5. *Buleng. de Conviv.* III. 1.

Bacchus Edonus eſt dictus. Ovid. Rem. Amor. n. 595.

Ibat, ut Edono referens Trieterica Baccho.

ab Edonis Thraciæ populis, qui ab Edono fratre Mygdonis dicti ſunt teſte Stephano. *Gyrald. Synt. Deor.* VIII. p. 287. A.

Bacchus Eleleus eſt cognominatus. Ovid. Met. IV. 15.

Nyctelinſque, Eleleuſque parens, & Euan.

Ex אל אלוה, *El Eloah*, vel אל אלהי, *El Eloe* ſanctiſſimo Dei nomine per inſignem blaſphemiam tranſlatum in impuriſſimum idolum. *Bochart. Chan.* I. 18. Sed ἐλελεῦ adverbium eſt, exclamatio bellica, ut notat Heſychius, vel, ut alii putant, quædam ante pæana exclamatio, Græce προσαναφώνησις παιανισμοῦ. Uſus eſt Æſchylus in Prometheo in vinculis, etiam in miſeratione. Putat Ovidii interpres eſſe adverbium hortantis, quo procedentes ad Orgia celebranda, & ad conferendam pugnam uterentur. *Gyrald. Synt. Deor.* VIII. *p.* 286. *A.*

Bacchus Euan eſt dictus. Ovidius ſupr. in *Bacchus Eleleus.* Nomen hoc factum eſt a voce bacchantium, unde etiam *Bacchæ* ipſæ Euantes dictæ ſunt. Virg. Æneid. VI. 517.

Illa chorum ſimulans, euantes orgia circum
Ducebat Phrygias.

Ubi Servius: *Euantes, bacchantes, a Libero, qui Euan dicitur.* Gyrald. Synt. deor. VIII. p. 284. F.

Bacchus Euius eſt nuncupatus. Orpheus in hymno ad Dionyſium cum ſuffimento ſtyracis n. 4. Εὔιον, ἁγνόν. Perſ. Sat. I. 102.

Euion ingeminat: reparabilis adſonat Echo.

Ubi vetus grammaticus: *Euius Liber pater dictus eſt, eo quod in bello giganteo cum non apparuiſſet, eum pater credidit diſcerptum a gigantibus: & dixit, heu, quæ vox gementis eſt: deinde adjecit,* υἱὸς, id eſt, *filius.* Acron in Horatium ait, *Bacchum* mutatum in leonem, gigantem interfeciſſe, & tunc Jovem, *o bone fili* dixiſſe, id eſt, εὖ υἱέ. *Gyrald. Synt. deor.* VIII. *p.* 284. *A. Columm. in Ennium p.* 265.

Bacchus Hebo eſt cognominatus. Macrob. ſupr. in *Bacchus.* Legimus in elogiis Antiquitatum veterem Epigraphen huic Deo ab Junio Aquila poſitam, quæ talis eſt: ἩΒΩΝΙ ΕΠΙΦΑΝΕΣΤΑΤΩ ΘΕΩ ΙΟΥΝΙΟΣ ΑΚΥΛΑΣ ΝΕΩΤΕΡΟΣ ΣΤΡΑΤΕΥΣΑΜΕΝΟΣ ΕΠΙΤΡΟΠΕΥΣΑΣ ΔΗΜΑΡΧΗΣΑΣ. Videtur vocari Hebo ἀπὸ τῆς ἥβης, id eſt, a lanugine, & tenera mollique ætate. *Gyrald. Synt. deor.* VIII. *p.* 282. *C.*

Bacchus Jacchus myſticus eſt nominatus, & cognominatus. Hac voce frequentiſſime & Græci & Latini ſunt uſi. V. ſupr. in *Bacchos.* Claud. Rapt. I. 16.

—— lætuſque ſimul procedit Jacchus.

Herodot. VIII. p. 549. C. *Ingentem vidiſſe pulverem ab Eleuſina, & cum pulvere audiviſſe vocem, quæ videretur Jacchus myſticus.* Arrian. Exped. Alex. II. p. 126. *Et Jacchum myſticum huic Dionyſio, non Thebano cantari.* Catull. LXIV. 251. V. illum ſupr. in Bacchus Ἄνθιος. Gyrald. Synt. deor. VIII. p. 278. F.

Bacchus Ignigena dicitur. Ovid. Met. IV. 12. ſecundum fabulam quidem a fulminata Semele: aliqui a vini natura ignea, unde & a Græcis πυριγενὴς vocatur. Strab. XIII. p. 432. *Vitiferam probe hanc regionem eſſe, intelligi poteſt ex agro Catanenſi: qui cinere oppletus, nunc vini boni large ſuppeditat copiam. Et quidam facete jocantes, convenienter ajunt Bacchum Ignigenam dici, argumento ex his locis ducto.* Gyrald. Synt. Deor. VIII. p. 286. C.

Bacchus Lenæus cognominatus, quod leniat mentem, ut putavit Donatus, quem ideo Servius damnat, *quia verbum Græcum non poteſt Latinam etymologiam recipere.* Euſebius, Diodorus, aliique ἀπὸ τοῦ ληνοῦ, id eſt, torculari deductum affirmant. Virg. Georg. II. 4.

Huc ades o Lenæe pater.

Gyrald. Synt. Deor. VIII. p. 275. A.

Bacchus Liber pater dictus eſt. Tibull. III. 6. 1.

Candide Liber ades.

Vel a linguæ licentia; nam vini potu magis liberi mortales fiunt. vel quod animum curis liberet & pellat triſtitiam. Ovid. Art. I. 238.

Cura fugit multo, diluiturque mero.

Senec. de Tranq. Anim. c. 15. *Liber non ob licentiam linguæ dictus eſt inventor vini: ſed quia liberat ſervitio curarum animum, & aſſerit, vegetatque, & audaciorem in omnes conatus facit.* Plutarch. Quæſt. Roman. 102. *Cur Bacchum Liberum vocant? An quod bibentibus libertatis cauſa ſit? fiunt enim plerique potu licentiores. An quod libationem invenit? An vero, ſicut Alexander ait, quod pro Bœotia libertate pugnavit, & ipſe etiam* Ἐλευθέριος, *id eſt Liber & Liberator cognominatus eſt?* V. etiam Auguſt. de Civ. Dei VI. 9. *Gyrald. Synt. Deor.* VIII. *p.* 271. *F. La Chauſſe de Deor. Simulacr. Tab.* XI. *Lipſ. in Senecam.*

Bacchus Lyæus appellatus eſt. Ovid. Met. IV. 11.

—— Bacchumque vocant, Bromiumque, Lyæumque.

vel

vel quod curis hominum mentes solvat. Horat. Epod. IX. 37.

Curam, metumque Cæsaris rerum juvat
Dulci Lyæo solvere.

Od. III. 21. 14.

— tu sapientum
Curas, & arcanum jocoso
Consilium retegis Lyæo.

V. supr. in *Bacchus Liber*. Vel, quod non solum membra solvat; sed quod etiam ex intemperanti potu sæpe rixæ, atque discordiæ oriantur, hominumque communitas solvatur. *Gyrald. Synt. Deor.* VIII. *p.* 274. *F. Columm. in Ennium p.* 264. *La Chausse de deor. simul.* VIII. *p.* 274. *F.*

Bacchus Mæonius vocatus. Virg. Georg. IV. 380.

— Cape Mæonii carchesia Bacchi.

a regione, ubi coleretur, & vites fœcundissimæ essent. Mæonia vero Lydia. *Gyrald. Synt. Deor.* VIII. *p.* 274. *C.*

Bacchus Maroneus cognominatus. Tibull. IV. 1. 57.

Victa Maroneo fœdatus tempora Baccho.

Videtur & Gratinus, ut est apud Polluc. VI. 3. Μάρωνα pro *Baccho* & vino sumpsisse, illo senariolo:

Nec curavi tantum Marona, nec bibi.

Gyrald. Synt. Deor. VIII. p. 278. F.

Bacchus Nyctelius est dictus. Ovidius supr. in *Bacchus Eleleus*. Dictus est a verbo νυκτελέω, quod significat *in nocte perficio*: quoniam *Bacchi* sacra nocte peragebantur, de quibus Virg. Æneid. IV. 302.

— Ubi audito stimulant Trieterica Baccho
Orgia, nocturnusque vocat clamore Cithæron.

Gyrald. Synt. Deor. VIII. p. 287. E. Vel, quia aperit arcana. *Buleng. de Conviv.* III. 1. *Nicol. de rit. Bacchan. c.* 3. §. 4.

Bacchus Oreos, & Oreades nymphæ appellantur, *quod in montibus frequenter apparerent.* Festus. A monte vero nomen utrumque deducitur. Hinc Phurnutus ait c. 30. quosdam dicere, in monte Nysio Jovem primum vitem produxisse, unde nomen Dionysius. *Gyrald. Synt. Deor. pag.* 287. G.

Bacchus Psilas, id est, alatus cognominatus est. Pausan. Lacon. p. 102. *Venerantur, qui hic habitant, Bacchum, quem Psilam cognomento dicunt. Psila enim Dorienses alas vocant, quippe vinum incitat homines, sublevatque, non minus quam aves alæ.* Buleng. de Conviv. III. 1. Meurs. Lacon. IV. 2. Gyrald. Synt. Deor. VIII. p. 287. E. Pier. Hierogl. LIII. 21. Junius Emblem. 34. Caput ejus coronabatur laurea pinnata, surgentibus ab ea alis utrimque per tempora. Hesychius testatur, Græcos φιλὰς tales coronas alatas appellasse. Verum subest alia quoque causa, cur ita formetur. Eubulum *Bacchum*, aut Dionysium, ceu boni consilii præstitem inter alios esse, Macrob. Sat. I. 18. multis argumentis conatur probare, mentemque Jovis, vel mundi signare; Dionysium inde, quasi Διὸς νοῦν appellari: ab eo in hominum mentes intelligendi principium manare; meritoque propter hoc ipsum boni consilii antistitem haberi. Itaque cum mentis humanæ concepta consilia nascantur, & rerum agendarum opera dirigantur: non raro contingit, ut fervidæ mentis alata virtute concepta consilia in præliorum congressibus felici successu victoriam atque triumphum celerem adferant, cum occasiones opportunas captant & apprehendunt. *Pigh. Annal. Rom.* II. *p.* 69.

Bacchus Sabadius, vel Sabazius est cognominatus. Macrob. Saturn. I. 18. *In Thracia eundem haberi Solem atque Liberum accepimus; quem illi Sabadium nuncupantes, magnifica religione celebrant: eique Deo in colle Zilmisso ædes dicata est specie rotunda, cujus medium interpatet tectum.* Diodor. IV. p. 148. C. *Dionysius, quem ferunt ex Jove & Proserpina natum, & a nonnullis dictum Sabazium: cujus genus, sacra, honores, propter pudorem nocturna occultaque agunt.* Invenimus vocitatum a tripudiis & saltationibus, quæ a bacchantibus & furentibus fieri in ejus sacris consueverunt; nam εὐάζειν etiam barbari ζαβάζειν dicunt. Scholiast. Aristoph. in Aves p. 583. Suidas in Σαβάζιος & in Σαβοῖ. *Sabazius idem est qui Bacchus. Appellationem hanc adeptus est a clamore, quem edebant illi, qui orgia Bacchi celebrabant. Barbari enim τὸ εὐάζειν vocant ζαβάζειν: eosque Græcorum quidam sequentes εὐασμὸν appellant σαβασμόν. Inde Bacchus dictus est Sabazius. Sabos etiam vocabant loca Baccho consecrata: itemque Bacchos; sive sacerdotes Bacchi.* Harpocration: *Nonnulli Σαβοὺς dici volunt, qui Sabazio, id est, Dionyso initiati. Nam Sabazium cum Dionyso eundem esse præter alios testis est Amphiteus secundo de Heraclea.* Gyrald. Synt. Deor. VIII. p. 276. G. Rhodig. Ant. Lect. VII. 15. Ruben. de Numm. Asia recepta. Thes. Antiq. Roman. Græv. Tom. XI. pag. 1373. E. Nicol. de Ritu Bacchan. c. 3. §. 11. Jun. Anim. IV. 1. Camerar. Ταον. IV. 6. Pignor. Magn. deum matr. init. Thes. Antiq. Græcar. Gronov. Tom. VII. p. 510. B. Turneb. in Cicer. joc. II. p. 129. Lampe de Cymbal. III. 10.

Bacchus Triumphus est appellatus. Varro de Ling. Lat. V. 7. *Triumphare appellatum, quod cum Imperatore milites redeuntes clamitant per Urbem in Capitolium eunti, Io triumphe, Io triumphe. Idque a Θριάμβῳ Græco Liberi Patris cognomento potest dictum esse.* Gyrald. Synt. Deor. VIII. pag. 274. A. Pigh. Annal. Roman. II. p. 69.

Bacchus Thyoneus est dictus. Horat. Od. I. 17. 22.

— nec Semelejus
Cum Marte confundet Thyoneus
Prælia.

Stat. Theb. V. 265.

Tunc primum sese trepidis sub nocte Thyoneus
Detexit.

Sunt, qui hoc cognomen a Thyone ejus matre, quæ Semele dicta fuit, ut docent Diodor. III. 137. C. Phurnut. c. 16. Hesychius, Lactant. in Statium, & Horatius jam laudatus, deducant. Sed inepte bis a matre & Semelejus, & Thyoneus ab Horatio appellaretur idem deus. Alii a θύω τὸ ἱερουργῶ, vel a θύω τὸ ὁρμῶ: θύειν enim apud Græcos & sacrificare, & proruere atque impetu ferri significat. De *Baccho* prius propter orgia, & mystica sacra: posterius propter *Bacchas* & Mænades. *Torrent. in Horatium. Gyrald. Synt. deor.* VIII. *p.* 272. *F. Vinet. in Auson. p.* 311. Redivivus *Bacchus*, matrique fulminatæ superstes Thyoneus vocatus est: vel potius illum a laniatione gigantum reducem, sospitemque, vitæque redditum hoc nomine vocarunt. Auson. Præfat. Eidyll. XIII. *Ne in sacris, aut fabulis, aut Thyonianum mireris, aut Virbium, illum de Dionysio, hunc de Hippolyto reformatum.* Turneb. Adv. XII. 8. XV. 22.

Bacchus Vitisator est dictus, quia vitem severit. Actius in Bacchis:

O Dionyse pater optime vitisator
Semele genitus Euthyia.

Virgilius, ut nonnulli putant, Æneid. VII. 179.

Vitisator, curvam servans sub imagine falcem.

Ennius Atham.

Illis Lyæus vitis inventor sacrè.

Græcis dictus est οἰνουργίας εὑρετής. Gyrald. Synt. Deor. VIII. p. 288. A. Columna in Ennium.

BACCIA, vel *Baggia* gens. V. illam infr. in *Gens.*

BACTRIASMUS saltatio erat lasciva lumbis fluctuantibus. *Buleng. de Theatr.* I. 51. *Alex. Gen. Dier.* II. 25. *Scalig. de Art. Poet.* I. 18. *Rhodig. Ant. Lect.* V. 4.

BACULOS incurvos, aut virgas in manu habuerunt scenici. Plutarch. lib. περὶ τῆς τῶν Παιδ. ἀγωγ. *Curvi baculi scenicorum dirigi non possunt.* Hesychius notat comicorum baculum dictum ἄρσικον. Ἄρσικος, inquit, ἡ διδομένη ῥάβδος κωμικοῖς. Sueton. Ner. c. 24. n. 1. *Atque etiam in tragico actu cum elapsum baculum cito resumpsisset, pavidus, & metuens ne ob delictum certamine summoveretur.*

Ubi de sceptro exaudiendus est. Philost. Apollon. v. 2. de Nerone Oedipodem agente loquens στολῆς καὶ σκήπτρε meminit. *Buleng. de Theatr.* I. 55. *Fab. Agon.* I. 23. *Lips. Elect.* I. 28. *Ferrar. Elect.* II. 5.

BAD.

BADACUM Ferrario & Stephano in Lexicis Geographicis Norici urbs dicitur, quod Ptolem. Geogr. Part. II. *Bedacum* est. Hanc modo Saltzburgum dictam vult Stephanus, quod rejicit Ferrarius scribens, Augustam *Badacum* oppidum esse ad Lavantum fluvium Idano urbi propinquum. Hinc notæ. AUG. BAD. in saxo

L. LUCCEIO. L. F
CAMIL. APRILI
AUG. BAD.

id est, Augur *Badaci*, Augustalis *Badaci*. Augures namque & Augustales colonias habuisse notum est omnibus. *Ursat. de Not. Roman. Thes. Antiq. Roman. Grev. Tom.* XI. *pag.* 563. *C.*

BAE.

BÆBIA ÆMILIA lex. V. illam infr. in *Lex.*

BAJ.

BAJULUS erat, qui portandis mercibus & aliis rebus vitam sustinebat. Glossæ: Βαςακτὴς, *bajulator*. Symmach. Epist. x. 27. *Frugis & olei bajulos* . . . . *enumerare fastidium est.* Græce βαςάζων dicebatur. Gell. N. A. V. 3. *Adolescentem, ajunt, victus quærendi gratia, in mercedem missum, vecturasque onerum corpore suo factitavisse: quod genus Græci βαςάζοντας vocant; Latine bajulos appellamus.* Erat genus hominum vilissimum. Hinc in contemptum ille apud Petron. Fragm. Tragur. *Collo suo circumferebat onera venalia.* Servis *bajulis* veteres videntur usi. Plaut. Asin. III. 3. 70.

Ego bajulabo, tu, ut decet dominum, ante me ito inanis.

Merc. III. I. 10.

Edepol, mi senex, non didici bajulare.

Quo loco docemur, etiam servas *bajulas* habuisse. *Stewech. in Veget.* I. 19. *Burman. Dissert. de Vectig. c.* 12.

Bajulus dicebatur etiam servus, qui ad docendos pueros olim adhibebatur. Scholiastes Sophoclis in Ajace loco vario: Παιδαγωγὸς καὶ παιδοτρίβης, ὁ λεγόμενος βάϊλος. *Vulcan. ad Apulejum de Mundo.* Hoc mihi suspectum est. *Bajuli* cum ibi geruli sunt nutritores & nutritii, hoc nomine appellati, quod *bajulent* gestentque ulnis pueros. Et hinc in aula Constantinopolitana fuit olim magnus *Bajulus*. Italice hi sunt *balio* & *balia*, quæ apud Vicetinos *bela* est, a verbo Latino antiquo *beolare*, quod est βαςάζειν. Glossæ Philoxeni: Βαςάζει, *beolat*. Pignor. de Serv. p. 380. Du Cange in Glossario. Scalig. in Euseb. p. 39. Aleand. Tab. Heliac. Explic. Thes. Antiq. Roman. Græv. Tom. V. p. 743. E.

Bajulus dicebatur etiam vespillo, qui mortuos effert. Sidon. Epist. III. 12. *Ut locum auderent tanquam vacantem bajuli rastris funebribus impiare.* Fulgent. Expos. Serm. ant. n. 2. *Vespillones dicti sunt bajuli.* Glossæ Isidori. *Vespillones, fossarii, qui mortuos sepeliunt, bajuli.* Muncker. in Fulgentium. Hinc *bajulorum præcentor* apud Ammian. XIV. 7. tibicen qui vespillonibus præcinebat. *Du Cange in Glossario. Savaro in Sidonium. Vales. in Ammianum.*

BAL.

BALÆNÆ, cui Andromeda fuisset objecta, ossa suo tempore in Joppe Syriæ urbe ostendi solita scribit Mela I. II. *Est Joppe ante diluvium condita. Quinetiam rei celebratæ carminibus ac fabulis, servatæque a Perseo Andromedæ, clarum vestigium, belluæ marinæ ossa inania ostentant.* Argol. in Panvin. de Lud. Circ. II. 3. Quæ hinc *apportata Romæ ostendit inter reliqua miracula in ædilitate sua M. Scaurus, longitudine pedum quadraginta, altitudine costarum Indicos elephantos excedente, spina crassitudine sesquipedali.* Plin. IX. 5. *Panvin. de Lud. Circ.* II. 3.

BALATIONES homines nefarii induti pellibus vitulorum aut cervorum ante fores templorum faciebant, & piorum mentes conturbabant. Concilium Braccarense: *Si quis balationes ante Ecclesiam fecerit, tribus annis pœniteat.* Lipen. Stren. Hist. c. 2. æt. quart. §. 19.

BALBINA familia. V. illam infr. in *Familia.*

ΒΑΛΒΙΣ erat linea in longum cavata, cui cursores insistebant, ut ex æquo limite progrederentur. Si qui ultra lineam vellent evagari, & limitem præcipere, voce hac præconis revocari solebant: βαλβῖδ' ἀπόδος, θὲς πόδα παρὰ, *lineam redde, ad lineam pedem pone.* Inde illæ apud Tertullianum crebræ locutiones, *linea insistere, ad lineam dimicare, intra lineas gradum colligere*, & similes. Et apud Quintilianum cum ille nescio quis orator nimis se agitaret, ac in dicendo procurreret, alter ille poscebat lineas, hoc est, quod voce præconis clamabatur procurrentibus ultra lineam, βαλβῖδ' ἀπόδος. *Salmas. Exerc. Plinian. p.* 647. *b. F.* Harpocration sub exitu viaque equorum hanc ponit. Sic enim ait: *Balbis dicitur linea, quæ est sub repagulis, quod cursores super eam gradiantur in stadium procurrentes.* Cursu enim patente super eam egressi ferebantur, cum ad terram in apertione carcerum demissa esset. Aristophanis Interpres Equit. IV. I. 9. βαλβῖδα cum repagulis confundit: vult enim non funiculum, sed lignum transversum esse. *Balbis*, inquit, *seu valva est lignum, quod ex transverso in principio curriculi positum est, quo sublato, ubi signum datum est, mittunt in cursum cursores.* V. plura in *Linea.* Buleng. de Circo c. II. Pinell. Addit. ad Panvin. de Lud. Circ. II. I. Βαλβῖδα Græci vocant tam finem quam initium cursus, quia ad carceres, unde exierant, revertebantur, & cursum ibidem terminabant, & coronabantur. Pollux III. 30. Ἵνα δὲ παύονται, τέλος καὶ τέρμα, καὶ βατὴρ, ἔνιοι δὲ βαλβίς. *Salmas. ibid. p.* 642. *b. B.*

BALBUS erat cognomen usitatissimum Romæ, a linguæ vitio emanatum, hoc est, *a balando potius quam loquendo* ait Isidor. x. Commune exstitit Acciis, Corneliis, Luciliis & Octaviis. *Ursat. de Not. Roman. Thes. Antiq. Roman. Græv. Tom.* XI. *p.* 567. *B. Sigon. de Nomin. Roman. c.* 5. *Patin. Fam. Rom. in Atia.* Gaditanus primus exterorum Romæ triumphavit. *Nardin. Rom. Vet.* VI. 7.

BALEARES insulæ victæ sunt Q. Cæcilio, & T. Quinctio Consulibus. Cum enim res cum Allobrogibus gerebantur, bellum *Balearicum* exortum est. Flor. III. 8. 2. *Baleares per idem tempus piratica rabie corruperant maria. Ascendere inconditas rates, & prænavigantes subinde inopinato impetu terruere. Sed quum venientem ab alto Romanam classem prospexissent, prædam putantes, ausi etiam occurrere, & primo impetu, ingenti lapidum saxorumque nimbo classem operuerunt. sed non diu, nam postquam cominus ventum est, expertique rostra & pila venientia, pecudum in morem clamore sublato, petierunt fuga littora: dilapsique in proximos tumulos quærendi fuerunt ut vincerentur.* Strab. III. p. 115. *Quum ex Balearibus pauci quidam improbi cum maris prædonibus conspirassent, universos criminatus Metellus cognomento Balearicus invasit. De his victis & subactis triumphavit.* Panvin. Imp. Rom. c. 14. Sigon. de Ant. Jur. Prov. I. 5. Pigh. Annal. III. p. 73. Primi tunicis laticlaviis sunt usi. V. infr. in *Clavus.* & fundis præliabantur. V. infr. in *Funda.*

BALLEMATIA qualis fuerit virga. V. infr. in *Virga.*

BALLISTA videtur stirpe Græcanica. Sed quanquam a Græcis vox; ipsi vix ea usi, & quidvis potius in eorum scriptis, quam *ballistam* in hac re lego. Semper jaciebat lapidem: nec aliter ante Cæsarem legas: imo & post Cæsarem Tacitus, Seneca, alii, prisco illo more usi. Cicer. Tuscul. II. 24. *Ut ballistæ lapidum, & reliqua tormenta eo graviores emissiones habent, quo sunt contenta atque adducta vehementius.* Posteriores variant, & post Cæsarem ambifariam

ſariam vox ſumpta, & ſæpe pro catapulta. Jaciebant vulgo & minoribus lapides fere centenum pondo. Lucill. apud Non. XVIII. 22.

Quid fit? balliſtas jactas centenarias.

Siſenna ibidem.

Balliſtas quatuor talentarias.

Qui Græce maluit dicere, quia talentum etiam paullo amplius, nempe cxx. in pondere habet. Majoribus amplius jaciebant, & vel talenta tria, ſive pondo CCCLX. Vitruv. X. 22. *Ita eam ciliciis & coriis crudis confirmatam, ut poſſet pati plagam lapidis balliſta immiſſi pondo* CCCLX. Vis magna fuit. Illam expreſſit Lucan. III. 469.

At ſaxum quoties ingenti ponderis ictu
Excutitur, qualis rupes, quam vertice montis
Abſcidit impulſu ventorum adjuta vetuſtas,
Frangit cuncta ruens: nec tantum corpora preſſa
Exanimat: totos cum ſanguine diſſipat artus.

Nec tantum omnia contundebat; ſed diffringebat & disjiciebat. Hegeſipp. III. 12. *Tanta erat tormenti vis, ut percuſſus unus ex ſociis Joſephi, qui propter adſtaret, comminuto capite rueret, & occipitium ejus uſque ad tertium ſtadium excuteretur. Mulier quoque alvo gravis, percuſſa uterum, ſupra dimidium ſtadii de intima ſede genitalis ſecreti excuteret infantem.* Lipſ. Poliorc. III. 3. Thyſ. de Oppugn. urb. III. p. 176. *Balliſtæ* formam deſcribit Ammian. XXIII. 4. *Ferrum inter axiculos duos firmum compaginatur & vaſtum, in modum regulæ majoris extentum: cujus ex volumine tereti, quod in medio ars polita componit, quadratus eminet ſtylus extentius, recto canalis anguſti meatu cavatus, & hac multiplici chorda nervorum tortilium illigatus: eique cochleæ duæ ligneæ conjunguntur aptiſſime, quarum prope unam adſiſtit artifex contemplabilis, & ſubtiliter apponit in temonis cavamine ſagittam ligneam, ſpiculo majore conglutinatam: hocque facto hinc inde validi juvenes verſant agiliter rotabilem flexum. Cum ad extremitatem nervorum acumen venerit ſummum, percita interno pulſu a balliſta ex oculis avolat, interdum nimio ardore ſcintillans: & evenit ſæpius, ut ante quam telum cernatur, dolor letale vulnus agnoſcat.* Veget. IV. 22. *Balliſta funibus, nervis tenditur, quæ quanto prolixiora brachiola habuerit, hoc eſt, quanto major fuerit, tanto ſpicula longius emittit: quæ ſi juxta artem mechanicam temperetur, & ab exercitatis hominibus, qui menſuram ejus ante collegerint, dirigatur, penetrat quodcunque percuſſerit.* Panciroll. Notit. Dign. Imp. Orient. c 49. Laz. Comm. Reip. Roman. IV. 6. Stewech. in Vegetium. Thyſ. in Gell. VI. 3. Laurent. Polym. IV. Synopſ. II. §. 9. Roſin. Ant. Roman. X. 17. Valtur. de Re milit. V. 6. Kipping. Ant. Roman. III. 4. 10. *Balliſtam* Phœnices invenerunt. Plin. VII. 56. in uſu habuerunt Phocæenſes. Sil. Ital. I. 334.

—— adductus ſtridula nervis
Phocais effundit vaſtos balliſta molares:
Atque eadem ingentis mutato pondere teli
Ferratam excutiens ornum media agmina rumpit.

Junius Archit. Mechan. p. 163. Valtur. l. l. Ejus inventionem Moſis ætate poſteriorem dixeris. Nam Deut. c. 20. n. 20. deſignari ſunt qui tenent. Certe Eupolemus Moſem inventorem ſtatuit apud Euſebium. Machinas grandiores uſurpatas in urbium ac munimentorum expugnatione extra aleam dubitationis eſt ponendum. Cum enim urbes munitas, & altis ad cœlum uſque muris cinctas legis Deut. c. I. n. 28. qua ratione illi ſubrui, & propugnatores inde propelli potuerint non liquet, niſi *balliſtis* ſimilibuſque machinis, quas Iſraelitæ adverſus hoſtes Cananæos adhibuerunt. *Lydius de Re Milit.* III. 10. Illi unicum fere obſtaculum, & oppoſitio, coria, cilicia, vela. V. infr. in *Coria.*

BALLISTARII inter fabricenſes a Tarrunteno Paterno Militar. II. recenſentur Digeſt. L. 6. 6. Florentini Pandectæ legunt *Valiſtarios:* in quibus *V* pro *B* & contra *B* pro *V* frequenter inveniuntur. *Balliſtariorum* ordo per diverſas conſtitutus civitates, ſola publica arma, in armamentis publicis cujuſque civitatis recondita corrigit & renovat. *Guther. de Offic. Dom. Aug.* III. 12. *Reineſ. Inſcr. Claſſ.* X. n. 6. *Panciroll. de Corpor. Artif. Theſ. Antiq. Roman. Græv. Tom.* III. *p.* 21. *C.*

Balliſtarii milites fuerunt levis armaturæ. Veget. II. 2. *Item levem armaturam; id eſt, ferentarios, ſagittarios, funditores, balliſtarios.* Vulgo vocamus *arcuballiſtarios.* Veget. II. 15. tragularios videtur appellare, *qui ad manuballiſtas, vel arcuballiſtas dirigebant ſagittas.* Circa ſeculum Conſtantini, aut paullo ante, videntur in militiam recepti. Græci χειροβαλλίστρας vocant. In Burgundiæ noſtro agro Alexienſi prope Arnetum repertæ ſunt haud ita pridem duæ iconculæ, ſive ſigilla argentea, unum militis quaſi legionarii, pari certe habitu, veterani, barbati, & vultu retorrido, hujuſmodi *arcuballiſtam* ad pedem tendere conantis: alterum juvenis imberbis, in linea militari monolore, & arcum tendentis. In urna vitrea ſub terra inventa ſunt. *Salmaſ. de re milit. c.* 19. *Laz. Comment. Reip. Roman.* IV. 6.

BALLISTEA. Vox eſt origine Græca, formatio tamen Græcis inſolens & barbara. Βαλλίζειν in octavo Athenæi uſurpatur ceu vox Romæ uſitata pro ſaltare & tripudiare. Βαλλισμὸς, ſaltationis genus. Quæ vox hodie frequens in Italia & Gallia: & βαλλιςία, vel βαλλίςτα, carmina ludicra inter *balliſſandum* cantari ſolita. In Photii Nomocanone titulo 13 caput exſtat περὶ τοῦ μὴ βαλλίζειν ἢ ὀρχεῖσθαι ἐν γάμοις. Habes exemplum *balliſteorum* etiam in ſacris literis 1 Sam. c. 18. n. 5. & 6. Vopiſc. Aurelian. c. 6. *Adeo etiam ut balliſtea pueri & ſaltatiunculas in Aurelianum tales componerent, quibus diebus feſtis militariter ſaltitarent.* . . . Caſaub. ad Vopiſcum, Buleng. de Theatr. I. 51. Lampe de Cymbal. II. 6. Eſt igitur *balliſteum* quod vulgo vocamus *ballet.* Βαλλίζειν idem eſt quod βάλλειν. Βαλλίζειν igitur proprie eſt jacere vel jactare. Hinc βαλλίζειν χεῖρας & βάλλειν χεῖρας, *manus jactare*, quod ſaltantes faciunt ſcilicet. Manus enim jactare eſt ſaltare. Prop. IV. 9. 14.

Jactabat truncas ad cava buxa manus.

id eſt, ſaltabat ad tibiæ cantum. Inde Latina vox *ballare* ἀπὸ τοῦ βάλλειν, quod idem eſt. Βαλλίζειν Suidas interpretatur τὰ κύμβαλα κρούειν καὶ πρὸς ἐκείνων ἦχον ὀρχεῖσθαι. Iſidor. Orig. III. 21. dicit *cymbala dicta quod cum ballematiis ſimul percutiuntur. Ita Græcos dicere cymbala ballematica.* Sed fallitur. *Ballematia* ſunt ſaltationes, & *ballematica cymbala*, non quia percutiantur ſic dicta, ſed quia ad eorum ſonitum ſaltetur. Gloſſæ Iſidori: *Vallematia, inhoneſtæ cantationes, & carmina, jocaque turpia.* Concil. Tolet. III. 23. *Quod ballematia, & turpia cantica prohibenda ſunt a ſanctorum ſollemnis.* Salmaſ. in Vopiſcum. Lampe de Cymbal. I. I.

BALLUCA vocabulum in Hiſpania uſitatum, ex Græco detortum. Eſt enim ex Græco βάλλεξ. Tales voces cum e Latio, in alia loca migraſſent, penes eos populos remanſerunt, vix Latinis agnoſcendæ. *Salmaſ. Exerc. Plin. p.* 239. *b. G.* Dicebatur arena auroſa, quæ minima ramenta complectebatur, & in qua aurum plerumque inveſtigabatur. *Panciroll. de Magiſtrat. Municip. c.* 16. *Burmann. de Vectig. Diſſert. c.* 6. Græcis dicitur χρύσαμμος. Pollux VII. 23. τὴν χρυσίδα ψάμμον vocat. Theophraſtus ἄμμον χρυσίον. Gloſſæ: *Balluca*, ἀχώνευτος γῆ καὶ χρυσώδης. *Balluca, arena aurea eſt non conflata terra & aurea.* Et γήδιον χρυσοῦ ἀκαθάριστον. *Glebula auri non purgata.* Argol. in Panvin. Pinell. in eund. de Lud. Circ. I. 5. Buleng. de Imp. Rom. III. 26. Plin. XXXIII. 4. *Inveniuntur ita maſſæ: nec non in puteis, etiam denas excedentes libras, palacras Hiſpani, alii palacranas. Iidem quod minutum eſt, balucem vocant.* Panciroll. Notit. Dign. Imp. Orient. c. 75. Sperling. de Numm. non cuſ. c. 36.

BALNEUM, antiquis frequentior vox erat *Balinea*, quam *Balneæ.* Borrich. Ant. Fac. Urb. c. 14. §. I. Varr. de Ling. Lat. VIII. 41. *Reprehendunt analogias, quod dicantur multitudinis nomine publicæ balineæ, non balinea: contra, quod privati dicant unum balineum, quod plura, balneas dicant.* Et poſt: *Balneas, quod pluris eſſent, quibus uterentur, multitudinis potius, quam ſingulari vocabulo: balneum*

vero, ubi domi ſuæ quiſque lavaretur, veteres appellaſſe. Itaque Cicer. de Orat. II. 55. *balnea* M. Bruti privata dixit non *balneas.* Urſin. Append. ad Ciaccon. de Triclin. p. 128. Diſtinctum eſt a thermis, cum *balnea* etiam domi haberentur, & arte aquam componebant, cum thermæ eſſent, quæ aut ſponte natura calentes, aut fornace calefactæ, inſudandi, lavandique gratia inſtitutæ. *Ferret. Muſ. Lapid.* II. *Memor.* 15. Quædam laborum remedia *balnea* eſſe Suidas ſcribit: quamvis non neget, eadem eſſe certiſſimam ad delicias viam, & frequenter his utentes effeminare. Urbem, ait, ingreſſus cum eſſet, quæ lavacra haberet, partim manu & arte facta, partim e terræ gremiis ſcaturientia, & cum voluptate ad utilitatem & delicias hominum ebullientia prono, quod ajunt, flumine delatus, voluptatis ſervus evaſit. Tertullianus caloris & ſanguinis ſervandi cauſa lavacra inſtituta aſſerit. Sic in Apologetico c. 42. *Non lavor diluculo Saturnalibus, ne & noctem & diem perdam. Attamen lavor honeſta hora & ſalubri, quæ mihi & calorem & ſanguinem ſervet.* Plures illorum cauſas Clemens Alexandrinus recenſet: corporis munditiem, tepefactionem, ſanitatem & voluptatem. *Salmuth in Panciroll. de Reb. Deperd. & Inv. p.* 165. *Borrich. Ant. Urb. Fac. c.* 14. §. 1. *Caſal. de Urb. ac Imper. Roman. ſplend. part.* 2. *c.* 18. *de Therm. Theſ. Ant. Græc. Gronov. Tom.* IX. *p.* 638. *B.* Valde neceſſarius olim erat *balneorum* mos, quia cum antiquitus caligarum uſus intra civitates non eſſet, & ob id nudis pedibus incedentes ex pulvere, aut luto ſordes contraherent, quotidie *balnea* frequentabant. *Panciroll. de Magiſtr. Munic. c.* 14. Lini uſus apud Romanos etiam erat rarior, & ſudorem ſordeſque corporis ſæpius abluere neceſſe habebant. *Fabric. Deſcr. Urb. Rom. c.* 18. Et ideo eorum penuria ubi eſſet, a teſtatoribus populo exhibenda legabantur, ut Tiburtibus relicta fuiſſe Scævola ſcribit in leg. patronus 35. ultim. de Leg. 3. *Codicillis*, inquit, ita legavit: *Tiburtibus municipibus meis, amantiſſimiſque. Sciatis balneum Julianum junctum domui meæ, ita ut publico ſumptu hæredum meorum & diligentia decem menſibus totius anni præbeatur gratis. Quæſitum eſt, an ſumptus refectionibus neceſſarios hæredes præſtare debeant. Reſpondi, videri teſtatorem ſuper calefactionis & præbitionis onus, de his quoque ſenſiſſe, quæ ad quotidianam tutelam pertineant, quibus balneæ aut inſtruantur, aut denique inter ſolitas ceſſationum vices parari purgarique, ut habiles ad lavandum fierent, ſint ſolita.* Panciroll. l. l. Si quibus locis deeſſent, aut corruptæ eſſent, eas antiquitus ædiles, ſuis temporibus vel addiderunt, vel reſtituerunt Severus & Gordianus Imperatores in primis populares, & lavationum ſtudioſi. Triſtibus tamen Reipublicæ temporibus clauſæ tenebantur. *Fabric. l. l.* A beatulis ſtatuis exornabantur. Senec. Epiſt. 86. *Quid cum ad balnea libertinorum pervenero? quantum ſtatuarum, quantum columnarum eſt, nihil ſuſtinentium, ſed in ornamentum poſitarum & impenſæ cauſa.* Junius de Pictur. II. 8. Figrell. de Stat. Roman. c. 6. Hiſtoriæ parietibus pingebantur. Senec. Epiſt. 86. *Pauper ſibi videtur ac ſordidus, niſi parietes magnis & pretioſis orbibus refulſerunt; niſi Alexandrina marmora Numidicis cruſtis diſtincta ſunt; niſi illis undique operoſa & in picturæ modum variata circumlitio prætexitur.* Symmach. Epiſt. VI. 50. *In minoribus balneis piſcinalem picturis potius, quam muſivo excoli non probavi.* Savoro in Sidon. Epiſt. II. 2. Thulemar. in Freher. Cecropiſtr. Theſ. Antiq. Roman. Græv. Tom. IX. p. 1153. Lipſ. de Magnit. Roman. III. 8. Fuerunt plurimæ in Urbe, tum publicæ in ſingulis regionibus, tum privatæ in locis diverſis. Hinc Cicero Terentiam monet, ut curet labrum in *balneo* ne deſit: certioremque Q. Fratrem facit de *balineis*, quas in Arpinati exſtrui curabat. *Fabric. l. l. Marlian. Topog. Urb. Rom.* IV. 7. Agrippa centum & ſeptuaginta gratuita *balnea* præbuit, quæ poſtea in infinitum ſunt aucta: ut nihil mirum ſupra octingenta a P. Victore eſſe computata. *Fabric. l. l. Panciroll. Notit. Dign. Imper. occid. Theſ. Antiq. Roman. Græv. Tom.* VII. *p.* 1784. *Deſcr. Urb. Rom.* §. 25. *Philand. in Vitruv.* V. 10. Virorum disjuncta fuerunt a mulierum *balneis.* Varro de Ling. Lat. VIII. 42. *Ibi conſedit, ubi bina eſſent coniuncta ædificia lavandi cauſa: unum, ubi viri, alterum ubi mulieres lavarentur.* Vitruv. V. 10. *Ubi caldaria muliebria viriliaque conjuncta, & in iiſdem regionibus ſint collocata.* Mixta tamen fuerunt, in quibus viri & mulieres lavabantur, præter ea, quibus viri tantum utebantur. Gracchus in Oratione de legibus promulgatis apud Gell. X. 3. *Nuper Teanum Sidicinum Conſul venit: uxorem dixit in balneis virilibus lavari velle. Quæſtori Sidicino a Mallio datum eſt negotium, uti balneis exigerentur, qui lavabantur.* Primus Hadrianus *lavacra pro ſexibus ſeparavit.* Spartian. Hadrian. c. 19. Sed lex Hadriani non diu obtinuit. Ideo *lavacra mixta ſummovit* M. Antoninus. Capitolin. M. Anton. c. 23. Servata hæc ad Heliogabalum uſque, qui id fieri permiſerat. Ideo *balnea mixta Romæ prohibuit* Alexander Severus. Lamprid. Alex. c. 24. qui addit: *quod quidem jam ante prohibitum, Heliogabalus fieri permiſerat.* Urſin. Append. ad Ciaccon. de Tricl. p. 254. Caſaub. ad Spartianum. Philand. ad Vitruvium. Marlian. & Caſal. l. l. Salmuth ibid. p. 168. Demſter. Paralip. ad Roſin. Antiq. Roman. I. 14. Petav. in Epiphan. Hæreſ. XXX. p. 56. Mulieres in ſuis ſoliis etiam argenteis aliquando ſunt uſæ. Plin. XXXIII. 12. *Videret hæc Fabricius, & ſtratas argento mulierum balineas.* c. 11. *Argento feminæ laventur, & niſi argentea ſolia faſtidiant.* Urſin. ibid. p. 156. Donat. de Urb. Rom. I. 27. Tempus quo paterent, indicat Lamprid. ibid. cum ait: *Addidit & oleum luminibus thermarum, cum ante & ad nonam paterent, & ante ſolis occaſum clauderentur.* De lavandi tempore generatim Vitruv. V. 10. *Tempus lavandi a meridiano ad veſperam eſt conſtitutum.* Cum enim ſemel duntaxat in die ſaturarentur majores, nullum tempus hoc ipſo opportunius habebatur, quod paullo ante cœnam erat. Illud Plinius indicat de Spurini loquens Epiſt. III. 1. *Ubi hora balnei nuntiata eſt, eſt autem hyeme nona, æſtate octava. . . . . Lotus accubat.* De octava Mart. X. 48. 1.

Nuntiat octavam Phariæ ſua turba juvencæ,
Temperat hæc thermas.

De nona Tertull. adv. Pſychic. c. 16. *Balnea & tabernacula in nonam uſque cluduntur.* Oizel. in Gell. N. A. XVIII. 13. Mercur. Gymn. I. 10. Salmaſ. Spartian. Hadrian. c. 22. Exercit. Plinian. p. 457. a. A. Fabric. & Caſal. l. l. Conſtat veteres illis ſæpius eſſe uſos. Unde ſepties die Commodum laviſſe, & in *balneis* comediſſe ſcribit Lampridius. *Panciroll. Deſcr. Urb. Rom. Theſ. Antiq. Roman. Græv. Tom.* III. *p.* 327. *E.* Exiguo lavabant pretio, nempe quadrante. Juven. VI. 447.

—— quadrante lavari
Non habeat matrona, tibi quæ juncta recumbit.

Horat. Sat. I. 3. 137.

—— dum te quadrante lavatum
Rex ibis.

Fabric. l. l. Brod. Miſc. III. 20. Popm. de Serv. p. 144. Ræward. Conject. II. 3. Urſin. Append. ad Ciaccon. de Tricl. p. 159. Lavationem gratuitam hoſpitibus & adventoribus inſtituebant. Sic Romæ L. Octavius.

L. OCTAVIO. L. F. CAM
RUFO. TRIB. MIL. LEG. IIII
SCYTHICÆ. PRÆF. FABR
BIS. DUOMVIRO. QUINQ. EX
S. C. ET. D. D. AUGURI. EX. D. D.
CREATO
QUI. LAVATIONEM. GRATUITAM
MUNICIPIBUS. INCOLIS
HOSPITIBUS. ET. ADVENTORIBUS . . .

Elegantius ex lapide apud Zagarollum.

C. AURUNCEIUS . . .
COTTA
COLONIS. INCOLIS. HOSPIT . . .
ADVENTORIBUS. SERVISQ
EORUM
LAVATIONEM. EX. SUA. PECUNIA
GRATUITAM. IN. PERPETUUM
DEDIT.

To-

Tomas. de Tesser. Hospit. c. 13. Tam religiosi in excipiendis hospitibus fuerunt, ut etiam Regum filiabus honestum fuerit hospites in *balneis* lavare. *Nann. Misc.* IV. 2. *Tomas. ibid. c.* 20. Etiam puerperis a partu *balnea* parabantur. V. supr. in *Abluebantur*. Militibus erant *balnea* & lavacra interdicta. Polyænus de Scipione corruptam disciplinam in exercitu suo corrigente. XVI. 2. Ἀργυρῶν δὲ ἔκπωμα μὴ ἔχειν, καὶ λέεσθαι μηδένα. Dio de Antonino Caracalla, qui gregarii militis more, modoque vitam agebat: Καὶ γὰρ συνεβάδιζε τοῖς στρατιώταις καὶ συνέτρεχε, μὴ λουτρῷ χρώμενος. *Salmas. in Lampr. Alex. Sever. c.* 53. Cellæ erant tres: calidaria, tepidaria, frigidaria. V. singulas suis locis. Pensilia primus omnium Sergius Orata facere instituit. Valerius Maximus IX. 1. & Macrobius III. 15. *Marlian. Topogr. Urb. Rom.* IV. 7. *Fabric. l. l. Blond. Instaur. Rom.* II. §. 1. In *balneis* poetæ sua recitabant carmina. V. infr. in *Recitare*. Tempore *balnei* meditari nonnunquam solebant veteres. Suet. Aug. c. 85. n. 5. *Exstat alter æque modicus epigrammatum, quæ fere tempore balnei meditabatur.* Plinius senior apud juniorem Epist. III. 5. *Hac inter medios labores, urbisque fremitum: secessu solum balinei tempus studiis eximebatur. Cum dico balinei, de interioribus loquor. Nam dum distringitur, tergiturque, audiebat aliquid, aut dictabat.* Junior Epist. IV. 14. *Accipies cum hac epistola hendecasyllabos nostros: quibus nos in vehiculo, in balineo, inter cœnam oblectamus otium temporis.* Beroal. & Pitisc. in Suetonium.

Balneum Abascantianum apud Rufum & Victorem in prima Urbis regione, sive Capena fuit. Apud alios mentio ejus expressa nulla exstat. Abascantianum tamen cognomen more prisco a familia derivatum est Abascantia, significatque aliquem illius familiæ ab alio adoptatum, vel alia de causa isto cognomine designatum. In Notitia vero *balneum* Abascantii positum est. Abascantii liberti Augusti, æditui que templi Neptuni in Circo Flaminio vetus meminit inscriptio: ABASCANTO AUG. LIB. ÆDITUO ÆDIS NEPTUNI QUÆ EST IN CIRCO FLAMINIO FLAVIUS ASCANTUS ET PALLANS. CÆS. N. SER. ADJUTOR A RATIONIBUS PATRI PIISSIMO FEC. Interim Statius Sylv. V. 1. 222. Abascantium quendam laudat, qui summa erga defunctam uxorem Priscillam pietate nobile ei monumentum via Appia ad flumen Almonem fecit. Quum vero persæpe sepulcra in hortis, aliisque possessionibus propriis facta fuerint, haud adeo absurdum erit conjicere, eundem, aut alium aliquem ejus successorem, fortean illum, ad quem Verus & Antoninus rescriptum misere L. Liberius C. ser. pign. dato manum, sive Abascantianum illum, ab alio adoptatum, *balneum* aliquod publicum, vel insigne privatum ibidem exstruxisse. *Nardin. Rom. Vet.* III. 3. *Panciroll. Descr. Urb. Rom. Thes. Antiq. Roman. Græv. Tom.* III. *p.* 325. *C.*

Balneum Agrippæ. V. illud infr. in *Thermæ*.

Balneum Agrippinæ Victor vocat lavacrum Agrippinæ, ne quisquam putet fortasse fontem esse. Statuit illud in Viminali, sive regione Urbis quinta. Fuisse hæc *balnea* Agrippinæ matris Neronis sub templo Martyris Laurentii in Panisperna, qua collis declivis est in vallem Quirinalem, cum defossi lapides, tum antiquariorum probat auctoritas. *Donat. de Urb. Rom.* III. II. *Fabric. Descr. Urb. Rom. c.* 8. *Faunus Antiq. Urb. Rom.* IV. 6. Declivitas illa S. Vitalis ædem respicit. Fuisse privatum matris Neronis existimatur; ideoque & domus ejus, aut prioris saltem ejus mariti Domitii ibidem exstitisse conjicitur. *Nardin. Rom. Vet.* IV. 4.

Balneum Alexander *omnibus regionibus addidit, quæ forte non habebant. Nam hodieque multa dicuntur Alexandri.* Lamprid. Alex. Sever. c. 39. *Panciroll. Descr. Urb. Rom. Thes. Antiq. Roman. Græv. Tom.* III. *p.* 327. *E.*

Balneum Ampelidis in regione decima quarta Transtiberina Victor collocat. Quæ Ampelis fuerit, difficile est invenire. Si legeretur Ampelii, is sub Valentiano Urbi præfuit leg. 2. de Offic. præf. urb. & potuisset hujus *balnei* fuisse auctor. *Panciroll. Descr. Urb. Rom. Thes. Antiq. Roman. Græv. Tom.* III. *p.* 324. *F. Bellor. in Fragm. Vest. vet. Rom. Tab.* IX.

Balneum Antiochiani Rufus & Victor in prima Urbis regione ponunt. Quod de eo dicam, nihil habeo; nisi quod Antiochianus aliquis a Lampridio in Heliogabalo dicatur præfectus prætorio fuisse illius Imperatoris: & a Guidone Pancirolo alius quidam adnotetur, ad quem rescriptum extat Diocletiani l. secundus creditor C. de pignore. *Nardin. Rom. Vet.* III. 3.

Balneum Bolani & Mamertini in prima fuit Urbis regione. Vectius Bolanus legionis tribunus fuit. Hunc Nero cum Verulano Severo subsidium Tigrani misit. Tacit. Annal. XV. 3. 1. Postea missus est in Britanniam in locum Trebellii Maximi, qui inde ob iracundiam militum profugerat. Tacit. Hist. II. 65. 5. Agric. 8. 1. Hujus forte fuit hoc *balneum*. Mamertinus vero sub Trajano Urbi præfuit, ac jussu Principis D. Clementem in Tauricam Chersonesum deportavit, ut apud Metaphrastem & Suriam 23 Novembris legitur. Sed antea Nerone imperante apud Martyrologium 14 Martii habetur D. Paullum & alios martyres in custodia Mamertini detentos fuisse. Longitudo temporis non repugnat, quin hic Mamertinus carcerem Mamertinum extruere, & hoc etiam *balneum* condere potuerit. Alius fuit Mamertinus Comes largitionum a Juliano apostata creatus. Ammian. XXII. 8. Mox anno 364 Consul cum Nevitta est factus. Ammian. XXI. 10. Demum Italiæ, Africæ, & Illyrico P. P. Valentiniano imperante præfuit. Ammian. XXVI. 5. Quis horum hoc *balneum* fabricaverit, non constat; ego tamen priorem ejus auctorem malo credere. Quod hi forte conjunctim hoc *balneum* ædificaverint, utrique adscribitur. *Panciroll. Descr. Urb. Rom. Thes. Antiq. Roman. Græv. Tom.* III. *p.* 324. *F.*

Balneum Cæsaris Dictatoris. Ejus forma in nostro vestigio describitur ovali circuitione, quatuor hemicyclis, seu hemisphæriis prominentibus. *Bellor. ad Vestig. Vet. Rom. tab.* VII.

Balneum Cn. Domitii Calvini. Hoc ubi fuerit. V. infr. in *Sacellum*.

Balneum Claudii Hetrusci. Fuit hic homo libertinus, Claudii Imperatoris dispensator. Locus ignoratur. Profusissimus sumptus cognoscitur ex Stat. Sylv. I. 5. 34. . . . . . & Mart. VI. 42. 8. qui illud & a marmorum pretio, varietateque, & ab ædificii magnificentia, & a luminis immissione, & ab argenteis fistulis laudant. *Fabric. Descr. Urb. Rom. c.* 18.

Balneum Daphnidis apud Victorem & Rufum in regione Urbis quarta, quæ Templum Pacis, fuit. Ejus nulla alia exstat notitia. Nisi illud a Daphnidis alicujus statua, vel imagine nomen accepit, potuit aut dominum aliquem Daphnin habuisse, aut auctorem. Mart. III. 5. cujusdam amici sui facit mentionem, quem aliquam possidere partem dicit domus Daphnidis n. 6.

Quem tenuit Daphnis, nunc tenet ille Larem.

Daphnin quendam servum grammaticum ingentissimo pretio emptum refert Plin. VII. 39. Hic fortasse postea manumissus dominus istius *balnei* fuit. Sed de tribus his, cujus illud fuerit, aut an unus homo tribus hisce auctoribus memoratus, incertæ res conjecturæ est, & in his antiquitatis tenebris perobscuræ. *Nardin. Rom. Vet* III. 15. *Panvin. Descr. Urb. Rom. p.* 289. *E.* Forte a proximo laureto, vel fructibus lauri, qui daphnides dicuntur, nomen accepit. *Panciroll. Descr. Urb. Rom. Thes. Antiq. Roman. Græv. Tom.* III. *pag.* 340. *F.*

Balneum Narcissi, liberti Claudii Imperatoris non procul fuit basilica Marciani. *Borrich. Ant. Urb. Fac. c.* II. §. 6. V. illud in *Basilica*.

Balneum Neronis intra ipsius domum fuit, *marinis & albulis fluens aquis.* Suet. Ner. c. 31. n. 9. *Fabric. Descr. Urb. Rom. c.* 18.

Balneum Novati in Viminali fuit. V. illud infr. in *Thermæ*.

Balneum Olympiadis. V. illud in *Thermæ*.

Balneum Palatinum, a loco sic dictum: nam in dor-

so

ſo Palatini fuit. Ejus veſtigia cum parietinis ex fornicibus collapſis in hunc uſque diem videntur. Pavimentum ex duriſſimis lapillis quadratis, nigri coloris, teſſellarum more compoſitis. *Fabric. Deſcr. Urb. Rom. c.* 18. *Boiſſard. Topogr. Urb. Rom. Tom.* I. *p.* 30. De illis Joſeph. Ant. Jud. xix. 1. *Mox ubi regiam ingreſſi ſunt, deflexit ad infrequentem quandam cryptam deducentem ad balineas.* Has ego ad uſum Palatii privatum exſtructas puto. *Nardin. Rom. Vet.* VI. 13. *Donat. de Urb. Roma.* III. 2.

Balneum Paulli. Hujus memoria prima ante alia omnia ſemet offert in adſcenſu a columna Trajana in Quirinalem in ipſo ejus angulo. Extrema collis pars verſus turrim Comitum, quæ Torre de Conti appellatur, nomen montis *Bagnanapoli*, obtinuit, ſive, ut vulgo corrupte dicitur, *Magnapoli*: in quo plerique omnes antiquarii veſtigia nominis *balneorum* Paulli agnoſcunt: quæ a Ruſo & Victore inter cætera regionis Altæ ſemitæ notabilia referuntur. Juven. VII. 233.

Dum petit aut thermas, aut Paulli balnea.

Creduntur ea fuiſſe, ubi poſtea, a nobili Comitum familia Romana palatium eorum exſtructum fuit; ſic ut mos nobilium Romanorum tulit, ut antiquis ædificiis, vel collapſis, vel deſtructis palatia ſua inædificarent. Sub Monaſterio, nunc Catharinæ Senenſis, quod eſt in horum *balneorum* una parte, in ædibus Rubertorum ſupereſt adhuc porticus ſubterranea cum columnis e cocto latere, incurva in theatri ſpeciem, quæ pars *balneorum* fuiſſe exiſtimatur, renitente Donat. de Urb. Rom. III. 15. cui hemicyclus ille aliud hoc fuiſſe ædificium indicat. Quare cum hic in obſcuro verſemur, clariori lumine deſtituti, aut *balnea* Paulli, quæ non nimium ampla fuiſſe veriſimile eſt, huc uſque non perveniſſe cenſemus, aut reſiduum hoc *balneorum* fuiſſe appendicem, in alios uſus, quam lavandi, deſtinatum: quemadmodum multa alia, multo etiam hocce ſpatioſiora, thermis addi ſolebant. Quis porro iſte Paullus fuerit, æque incertum eſt. *Nardin. Rom. Vet.* IV. 6. *Borrich. Antiq. Urb. Fac. c.* 8. §. 1. *Marlian. Topogr. Urb. Rom.* IV. 2. *Fabric. Deſcr. Urb. Rom. c.* 18. *Faunus Antiq. Urb. Rom.* IV. 8.

Balneum Polycleti prope ludum fuit Æmilii Lepidi gladiatoris, de quo Helenius & Porphyrio. *Fabric. Deſcr. Urb. Rom. c.* 18.

Balneum Suræ. Aurel. Vict. Epit. c. 13. n. 6. *Trajanus ob honorem Suræ, cujus ſtudio imperium arripuerat, lavacrum condidit.* In Aventino fuiſſe conjicimus ex P. Victore, qui privata *balnea* Trajani in Aventino collocat, ubi domus quoque fuit L. Licinii Suræ, ter Conſulis, ſemel ſub Nerva, bis ſub Trajano. Hic, teſte Dione, ſuis ſumptibus Gymnaſium populo Romano ædificavit. In veſtigio noſtro apparent periſtylia quadrata, & oblonga, & ambulationes, aliaque ad *balneum* accommodata. *Bellor. in Fragm. Veſt. Vet. Rom. Tab.* IV.

Balneum Torquati. V. illud infr. in *Hortus*.

Balneum Veſpaſiani. Titus Veſpaſianus amphitheatrum, & prope *balneum* celeriter exſtruxit. Suet. Tit. c. 7. n. 9. *Amphitheatro dedicato thermiſque juxta celeriter exſtructis.* Dion in Tito: *Amphitheatrum venationum cauſa, & balnea ſuo nomine dedicavit.* Panciroll. Deſcr. Urb. Rom. Theſ. Antiq. Roman. Græv. Tom. III. p. 324. A. Donat. de Urb. Rom. III. 10. Nardin. Rom. Vet. III. 10. Baccius de Therm. c. 3. Turrig. ad Urſat. Tog. Inſcr. §. 9.

Balnea, ſive *balneola* appellantur & hodie nonnulla caſtra & villæ, in quibus publice populus lavari conſueverat. *Panciroll. de Magiſtr. Municip. c.* 14.

BALNEARIS ſella. V. illam infr. in *Sella*.

Balnearis veſtis. V. illam infr. in *Veſtis*.

BALNEARIUS fur vocabatur, qui veſtimenta eorum, qui lavatum ierant, ſurripiebat. A loco, ubi potiſſimum ſtudium illud pravum exercebat, appellabatur. *Victor. Var. Lect.* VII. 17. Lavaturi, aut ſudaturi veſtimenta deponebant in apodyterio, quem locum Celſus ponit in cella tepidaria, quod in eo primum corpora nudarent, qui lavatum veniſſent. *Urſin. Append. ad Ciaccon. de Triclin. p.* 158. Erat hic inter capſarios ſive ſervos, qui mercede ſervanda in balineis veſtimenta ſuſcipiebant. Et vocatur fur balnearum Tertull. de Perſecut. c. 13. *Inter fures balnearum. . . . Chriſtiani quoque vectigales continentur.* Fur balnearius Tertull. de Idolol. c. 5. *Credo & fures balnearios ſuis manibus vivere.* Catull. XXXIII. 1.

O furum optime balneariorum.

lavantium prædo Tertull. Apolog. c. 44. Eorum furtum par ſacrilegio; erant enim ſacra calida balnea. Ariſtot. Probl. XXIV. 19. Majore quoque pœna ſolebant affici, quam qui e privata domo aliquid tollerent. Hi namque re ſurrepta æſtimata dupli condemnabantur; illi vero morte plectebantur. Difficile erat horum inſidiis reſiſtere. Plaud. Rud. II. 4. 51.

— qui it lavatum
In balineas, ibi cum ſedulo ſua veſtimenta ſervat,
Tamen ſurripiuntur.

Victor. l. l. Urſin. Append. ad Ciaccon. de Tricl. p. 157. Demſter. Paral. ad Roſin. Ant. Rom. I 14. Freher. Parerg. II. 12. Matth. de Crimin. ad Digeſt. l. XLVII. tit. II. c. 1. Rhodius ad Scribon. Larg. c. 60. Lotich. in Petron. p. 222. Mancipia ad cuſtodienda veſtimenta lavantium balneatores conducta habebant. Ulpian. Leg. 4. §. 2. ff. de his qui not. infam. *Sive balneator fuerit, velut in quibuſdam provinciis fit, in balneis ad cuſtodienda veſtimenta conducta habent mancipia.* Popm. de Serv. p. 144.

BALNEATOR erat ſervus, qui *balneis* præerat, illarum curam habebat, earumque uſibus deſerviebat. Mœcian. leg. 17. infin. ff. de Inſtrum. *Inſtrumento balneatorio legato, etiam balneatorem contineri, quoniam ſine hoc balneæ uſum ſuum præbere non poſſunt.* Popm. de Serv. p. 143. Ejus miniſterium pulcre tetigit Zeno Epiſcopus & martyr Invitat. ad font. 11. *Properate, properate bene loturi fratres. Aqua viva, Spiritu Sancto, & igne dulciſſimo temperata, blando murmure jam vos invitat. Jam balneator præcinctus exſpectat, quod unctui, quod terſui opus eſt præbiturus.* Pignor. de Serv. p. 80. Mentio eſt in antiqua Inſcriptione: ANTEROS. BALNEATOR. De illo etiam *Urſin. append. ad Ciaccon. de Tricl. p.* 159. *Stuck. Ant. Conv.* II. 25. *Salmaſ. in Lamprid. Commod. c.* 1. *Caſal. de Urb. ac Imper. Roman. ſplend. part.* 2. *c.* 18. *de Therm. Antiq. Græc. Gronov. Tom.* IX. *p.* 641. *D.*

BALTEARIUS vocabatur, qui in armamentario Auguſtorum *balteorum* curam habebat, ſive iis conſervandis, ſive ſubminiſtrandis, ſive reſarciendis, vel ornandis incumberet. Erant enim baltei aurei, argentei, gemmati. Plin. XXXIII. 12. *Et quid hæc attinet colligere, cum capuli militum etiam ebore faſtidito cælentur argento, vaginæ batillis, baltei laminis crepent?* Unde Spartianus Adriani modeſtiam notat c. 10. *qui ſine auro balteum ſumeret*, cum tamen *balteos* auro gemmiſque ornatos geſtare ſolerent duces Romani. Romæ extra portam Pincianam:

M. CRITONIUS. M. F.
ADOLLONIUS
MILES. EX. ARMAMEN
TARIO AUGUSTORUM
BALTEARIUS.

Spon. Miſcell. Erud. Antiq. Sect. VII. *art.* 4. *Reineſ. Inſcript. Claſſ.* VIII. *n.* 69.

BALTEUS, ſive *balteum* erat lorum latius ab humero ſiniſtro per lumbos, tergum & pectus demiſſum. Virg. Æneid. XII. 941.

— humero cum apparuit alto
Balteus, & notis fulſerunt cingula bullis.

VIII. 459.

Tum lateri atque humeris Tegeæum ſubligat enſem.

Homer. Iliad. II. 135.

Circum humeros fuit clavis gladium argentatis.

Lipſ. Anal. Milit. Rom. p. 281. Lyd. de Re Milit. III.

6. Fiebat plerumque e corio. Varr. Ling. Lat. IV. 24. *Balteum dictum cingulum quod e corio habebant bullatum.* Prop. IV. 11. 22.

Præbebant cæsi baltea lenta boves.

Braun. de Vest. Sacerd. Hebr. II. 3. 3. Valtrin. de Re Milit. Rom. III. 12. Interdum ex argento & quidem inaurato. Trebell. in D. Claud. c. 14. *Balteum argenteum inauratum unum.* Etiam ex auro. Athen. V. *Sequebantur quingentæ virgines, purpureis tunicis ornatæ, & auro cinctæ.* Tandem ex lino. Hunc videtur intelligere Pollux VII. 16. per τελαμῶνα σινδονίτην. Est enim Hesychio & Suidæ τελαμὼν fascia, sive *balteus*. Lips. & Braun. l. l. Ex illo militis gladius pendebat. Isidor. XIX. 33. *Balteus dicitur non solum quo cingimur, sed etiam a quo arma dependent.* Hoc etiam videre est in nummis & marmoribus antiquis, & in auctoribus, qui veterem militiam descripserunt. Hinc gladii vocantur Virg. Æneid. X. 496.

Immanis pondera baltei.

Eadem de causa apud Græcos ζώννυσθαι sumitur pro ὁπλίζεσθαι notante Eustathio. Pausan. Boeot. *Induere arma veteres vocaverunt ζώσασθαι*: quemadmodum apud Latinos cincti & præcincti sunt milites armati est strenui, ut & discincti imbelles. *Braun. ibid.* §. 11. *Valtrin. l. l.* In *balteo* etiam milites condebant suum stipendium, aut si quam ex alia causa pecuniam haberent. Vopisc. Aurel. c. 7. *Stipendium in balteo, non in popina habeat.* Gell. XV. 12. *Zonas, quas plenas argenti extuli.* In eum finem non raro erant cavi militum *baltei*. Athen. X. Ζώννυνται ταῖς κοιλίαις ζώναις πλατείαις. Hinc *zonam non habere* apud Plaut. Pœn. V. 2. 48. est non habere pecuniam, & *zonam perdere* apud Horat. Epist. II. 2. 40. pecuniam amittere. *Braun. ibid.* §. 7. *Salmas. in Aurelianum.* Iis etiam milites dignoscebantur, sub qua legione militarent, & legionum numerus cernebatur. Isidor. XIX. 33. *Balteus cingulum militare est dictus, propter quod ex eo signa dependent, ad demonstrandum legionis militaris summam, id est, sex millium sexcentorum, ex quo numero & ipsi consistunt.* Braun. ibid. §. 11. Valtrin. l. l.

Balteus in amphitheatro dicebatur gradus latior & altior, qui reliquos minores velut præcingeret & complecteretur. Calpurn. Ecl. VII. 47.

Balteus en gemmis, en illita porticus auro.

Tertull. de Spectac. c. 3. *Vias vocant cardines balteorum per ambitum.* Videntur sive ad vomitoria & ipsos aditus; sive in discriminibus Orchestræ, Equestrium, Popularium, gradus quosdam latiores & altiores struxisse. Torellus observat in illo Veronensi gradum esse circa medium, qui duos pedes & uncias sex altus: cum reliqui tantum pedem & uncias duas. Vitruvius, sed ut re tunc clara, describit nobis parum clare, nominat aliquoties præcinctiones, ut V. 3. *Præcinctiones ad altitudines theatrorum pro rata parte faciendæ videntur: neque altiores quam quanta præcinctionis itineris sit latitudo.* id est, cingulum non altius sit quam latum. Diazomata Græcanica voce commode appellat Vitruv. V. 7. *Lips. de Amphith. c. 13. Voss. Lex. Etym. Bald. Lex. Vitruv. Salmas. Exercit. Plinian. p. 645. b. A.*

Balteus in toga est collectio rugarum circa pectus, sub dextero brachio incipiens, in medio latioribus, & exstantibus rugis, ut speciem simul tabularum sibi invicem superstructarum simul umbonis referrent in latum infra desinens in sinum, in longum porrecta usque sub sinistrum brachium, ibique velut nodo contracta, sic tamen ut nullum post tergum emineat. Ab illa autem umbilici specie & tubere, quod in medio apparebat, & totus *balteus* dicebatur umbo, quod patet ex collatis verbis Fabii & Curii. Fabius enim XI. 3. *Ille qui sub humero dextro ad sinistrum oblique ducitur velut balteus, nec strangulet, nec fluat.* Curius autem III. p. 78. *Quid in umbone? nec fluxe, nec adstricte.* Quis ausit negare de eadem re eos loqui. Neque sane quicquam aliud Tertulliano est umbo, quam Quintiliano *ille velut balteus.* Duabus occasionibus *balteum* dilabi ac resolvi patiebantur. I. Si quando accumbendum esset togatis, idque *togam submissam* videtur dixisse Spart. Adrian. c. 22. Certe ut sub brachium missam intelligamus proprietas vocis vetat: nemo enim submittere simpliciter pro sub brachium mittere dixit, sed submittere & demittere, ut submittere vultum, submittere crinem. Toga igitur submissa esse videtur *balteo* ejus circa pectus resoluto, ac diffluentibus rugis plicisque. Sic commodius liberiusque in cubitum se reponebant, & mole illa tabulati soluta, utique ad cœnandum expeditiores, & de amictu minus solliciti erant. II. Mollities. Unde Tibull. I. 7. 46.

Effluit effuso cui toga laxa sinu.

hoc est, non stricta ad pectus sinu per superioris *baltei* contractas rugas coercito. *Gronov. Epist. ad Rhodium apud Ferrar. de Re Vest.* I. 39. Esto, *balteus* Quintiliani fuerit, quod Tertulliano umbo dicitur. Si umbonem in togis communibus intelligamus sinum rugis, ac plicis fortuitis protuberantem, convenimus. Nam quemadmodum *balteus* militaris cingebat pectus, sic sinus ille brachio subjectus ad instar cinguli hominem circumdabat, non quidem recte, ut *balteus*, sed obliquo ductu, quia ad sinistrum altior, demissior in dextro erat. Imo Quintilianus duplicem sinum superiorem videtur statuere: alterum, qui cadebat in pectus, pars scilicet togæ, quæ subjecta humero dextro e *balteo* evolvebatur, & reflectebatur, ac descendebat ad inferiora, qui decentissimus tamen, si superior ima togæ ora fuisset: alterum *balteum* ipsum, rugas scilicet constrictas, & coactas, quæ desub sinistro brachio ad sinistrum humerum recurrebant; non tamen ut duplex sinus fuerit, sed duas partes habuerit. Sin vero nodum illum, & artificem contabulationem, quam confinxit Africanus ille, in communi toga nec fuit, nec erit unquam. Alioquin Quintilianus non prætermisisset, & veterum aliquis nominasset saltem. Nam Rhetor fortasse magis proprie umbonem dixisset quam *balteum.* Solus Persius poetice umbonem dixit tumentes sinus rugas. Non ergo a sinu distinctum fuisse in vulgari toga contendo, nec aliud fuisse, quam rugas & plicas utriusque sinus, tam illas quæ de faucibus ad sinistrum brachium cadebant, quam quæ de inferiori toga eodem brachio subducta cogebantur. De toga submissa non est dubitandum, quin pars sinistro brachio subducta in convivio dejecta sit, & sic sinistrum brachium quoque exertum: nullo periculo ne toga discumbentis ad pedes laberetur; quia, si submittere est demittere, toga demittebatur: nam quis credat togatos uno tantum brachio in convivio usos sinistro togæ congerie onerato: quomodo autem *balteus* delabi in convivio posset, & resolvi non video, cum semper pars ejus sponte ad pectus, vel infra caderet, prout laxior, vel strictior, nisi *nodum illum artificem* Tertulliani comminiscamur. Qua ratione illæ *baltei* rugæ in incessu & actione continebantur ne fluerent, in convivio solvebantur? *Ferrar. de Re Vest.* I. 39.

BAP.

BAPHIA erant officinæ publicæ infectorum, qui vestibus purpura & cocco tingendis operam dabant. Cod. XI. 7. 2. *Baphii & gynæcii per quos & privata nostra substantia tenuatur, & species gynæcii confectæ corrumpuntur: in baphiis etiam admixta temerario nævum inducit inquinatæ alluvionis.* Lamprid. Alex. Sev. c. 40. *Idcirco quod Aurelius Probus baphiis præpositus id genus muricis reperisset.* Horum procuratores sub Comite largitionum erant in Notitia Imperii. Quorum præcipuum officium erat curare, ut recte sericum aut lana tingeretur, mox scite in fila redacta texeretur. Cod. XI. 7. 10. Neque enim ex folliculis aqua calida immersis serici fila eo tempore in rhombum evolvebantur; sed depecti folliculi in metaxam redigebantur, mox nebantur: & ideo metaxam a nemate sericeo distinguit Martian. Leg. ult. §. species de public. Id & Poeta significat Georg. II. 121.

Velleraque ut foliis depectant tenuia Seres.

Panciroll. Notit. Dign. Imp. Orient. c. 75. Buleng. de Imp. Roman. VI. 68. Bergier. de viis Milit. IV. Sect. 23. §. 6. Guther. de Offic. Dom. Aug. III. 21.

BAPHIARII sunt tinctores. Qui & ipsi conditionales erant, non poterant ab ea arte, aut eorum liberi discedere. Cod. XI. 7. §. 11. *Murileguli, qui derelicto atque despecto propriæ conditionis officio, vetitis se infulis dignitatum & cingulis penitus denegatis muniisse dicuntur, ad propriæ artis & originis vincula revocentur.* Panciroll. Notit. Dign. Imp. Orient. c. 75.

BAPTISMA, quia primum erat Christiani dogmatis mysterium, religioni ducebant, illud vel nomine tenus prodere. Augustin. de Bapt. c. 1. *Prima illis invidia est, quod ventilatur in publico res secreta.* Petilianus enim Donatista Augustinum arguebat, qui de *Baptismate* libros scripsisset, atque ita secretum Christianæ religionis mysterium enuntiasset. In veteri Ecclesia in sollenni tantum festo Paschatis ac Pentecostes ab Episcopo conferri poterat, *excepto duntaxat gravissimi languoris incursu*, ut loquitur Gelasius Papa Epist. 9. c. 10. *Norij. Dissert. ad Fast. Consul. Thes. Antiq. Roman. Græv. Tom.* XI. *p.* 378. *D. E.*

BAPTISTERIUM erat piscina, sine piscibus, ad natandum parata, quasi lavacrum. Sidon. Epist. II. 1. *Piscina forinsecus, seu, si Græcari mavis, baptisterium.* Utitur hac voce Plin. Epist. II. 17. II. *Inde balinei cella frigidaria spatiosa & effusa, cujus in contrariis parietibus duo baptisteria, velut ejecta, sinuantur, abunde capacia, si innare in proximo cogites.* V. 6. 25. *Inde apodyterium balnei laxum & hilare excipit cella frigidaria; in qua baptisterium amplum atque opacum.* Mercurial. de Art. Gymn. I. 10: III. 14. Panciroll. Descr. Urb. Rom. Thes. Ant. Roman. Græv. Tom. III. p. 368. F. Savaro in Sidonium. Plinius sic vocat pelvim, sive concham ligneam ad staturam hominis oblongam in cubiculo collocatam. Vulgus parum deflexa voce vocat capisterium. Medici non incongrue tinam. Quo plane vasis genere utebantur etiam veteres in privatis balneis, quod labrum appellabant. Et sive ænea fuerint materia, sive lapidea, sive lignea, portatilia aliqua fuisse constat: quod declarat per epistolam Cicero ad Terentiam uxorem Fam. XIV. 20. cui ex itinere ita mandat: *Labrum, si non est in balneo, fac ut sit.* Baccius de Therm. Vet. c. 19.

Baptisterium Constantiæ, Constantini sororis æstimatur initio fuisse Anastasio, & postea ejusdem sepulcrum, ut ex Marcellino colligi videtur, sacrarium rotundum & antiquum, extra portam hodie Piam via Nomentana, vulgo templum Bacchi creditum. Insculptæ sarcophago figuræ, Cupido alatus uvas corbe ferens, item tres alati Cupidines nudis pedibus cumulum uvarum calcantes, cum suppositis vini receptaculis, aries, pavones alis plaudentes, vir barbatus cum feminis aliquot vindemiam repræsentant: & talia quoque fuisse olim Christianorum sepulcris insculpta diserte monstrat Bosius in Roma Subterranea. Uvis pressis, velut sacro hieroglyphico, docebant, se in morte quidem ad instar uvarum calcari, atteri, abjici, sed ex attritis tamen, consumptisque suis corporibus immortalem prodire animam, sicut ex attritis, pressuque exhaustis uvis vina generosissima solent prolectari. *Borrich. Antiq. Urb. Fac. c. 7. §. 8.*

Baptisterium, cui S. Johannis in fonte nomen, in secunda Urbis regione, quæ Cœlimontana appellatur, in quo, licet Arriani falso alia prodiderint, Constantinus Imperator aqua salutari a S. Silvestro tinctus est, atrium fuisse Imperatoris creditur: sed nec atrium, nec balneum istius palatii privatum fuit, quamquam forma ædificii ab hoc non abhorret. Siquidem Anastasius in S. Silvestro expressissimis verbis *baptisterium* illud a Constantino exstructum dicit, cujus formam, quam & hodieque habet, fuse describit, columnarumque ex porphyrite mentionem facit, quæ ibidem & nunc visuntur. Quare & *baptisterium*, & ecclesiam extra palatium ædificata, quod inter *baptisterium* illud, & mœnia Urbis fuit, tam certum mihi videtur, quam quod certissimum. *Nardin. Rom. Vet.* III. 7. Constantini baptismo serviisse parum secure credunt, siquidem vera sunt illa Photii: *Eusebius Pamphilus in vita Constantini Magni docet ipsum non Romæ, sed Nicomedia baptismo tinctum esse, & distulisse hactenus, quod in votis haberet, in Jordane baptismum admittere.* Borrich. Antiq. Urb. Fac. c. 4. §. 2.

BAPTIZARE in nomen formula baptismi est, quæ non multum abit a formula Romanorum militari, *jurare in nomen.* Phrasis hæc Hebraica fere imperium ejus involvit, in cujus nomen transitur. Esai. c. 4. n. 1. Mulieres petunt, *ut invocetur nomen viri super eas.* hoc est, ut sub imperio viri sint, & ab eo trahant nomen. Significat autem non tam jussu Dei Patris, & Filii, & Spiritus Sancti *baptizare*, quam Deo consecrare ac devovere. Ac præcedunt Baptismum in Ecclesia interrogationes, quibus, velut sacramento rogantur, & sacramento dicunt, & in verba ejus jurant, in cujus nomen deinde baptizantur. Act. c. 8. n. 37. Habet & hoc Baptismus cum militari sacramento commune, quod in eo, sicut in delectu militiæ, nomen datur. Propter quam similitudinem & affinitatem sacramenti vocabulum a Latinis Patribus, & ab Ecclesia est receptum. Tertull. ad Martyr. c. 3. *Vocati sumus ad militiam Dei vivi, jam tunc, cum in sacramenti verba respondimus.* Hieronymus ad Heliodorum. *Recordare tyrocinii tui diem, a quo, Christo consepultus, in sacramenti verba jurasti.* Baptismus enim, ut primum, quo Christo initiamur, sacramentum, & sacramento militari inprimis simile κατ' ἐξοχὴν vocant sacramentum. Arriano etiam in Epict. I. 14. placuit hæc similitudo. Jubet enim *nos in Dei verba jurare, quemadmodum milites jurant in verba Cæsaris.* Tertull. de Coron. Milit. c. 11. utrumque respiciens: *Credisne humanum sacramentum divino superinduci licere, & in alium Dominum respondere post Christum.* Schel. in Polyb. Thes. Antiq. Romanar. Græv. Tom. X. pag. 1169. E.

BAR.

BARATHRUM dixerunt Romæ noxiorum custodiam. *Alex. Gen.* III. 5. Fuit locus in carcere, qui in media primum Urbe foro imminens est ædificatus, quo ad ultimum supplicium sontes damnati detrudebantur. Nominabatur Tullianum. V. hoc infr. in *Tullianum.* Fab. Semestr. II. 7. Festus: *Barathrum Græci appellant locum præcipitem, unde emergi non possit.* In barathrum Jugurtham captivum post triumphum Marii esse detrusum, ibique fame interemptum scribit Plutarch. in Mario. p. 412. C. Et ita quoque carcerem vocabant Athenienses. Diomedes Grammaticus Edit. Putsch. p. 314. *Barathrum, locus apud inferos, proprie autem apud Athenienses, in quem noxii præcipitabantur.* Et videre licet ex Plutarcho in Aristide p. 320. A. quod cum Themistocle auctore commodum & necessarium quidquam deliberatum esset, & Aristides frustra contradixisset, non sibi temperavit, quin, cum ex concione discederet, clara voce testatus sit, nisi Themistoclem & seipsum in *barathrum* conjicerent, rem Atheniensium salvam esse non posse. *Tiraquellus & Colerus in Alexandrum.*

BARBA insigne erat Philosophorum. Horat. Sat. II. 3. 34.

— tempore quo me
Solatus jussit sapientem pascere barbam.

Gell. N. A. IX. 2. *Video barbam & pallium; philosophum nondum video.* Lucian. Icaro Menipp. p. 208. Edit. Amstel. Tom. II. *Cum illud virtutis nomen venerandum induerint, tum adductis in altum superciliis, & promissa barba, fucato habitu obambulant.* Inde apud Græcos proverbium: ἐκ πώγωνος σοφοί. *Thys. in Gell.* IX. 2. *Oizel in Gell.* XIII. 9.

Barba signum erat auctoritatis. Inclytus Socrates κατ' ἐξοχὴν *barbatus magister* vocatur Pers. Sat. IV. 1.

— barbatum hæc crede magistrum
Dicere.

& Plato *barbatus* Prudent. Apoth. II. 200.

Consule barbati deliramenta Platonis.

Hinc

Hinc Catull. xxxvii. 18.

Egnati, opaca quem facit bonum barba.

Saubert. de Sacrif. c. 7. Euphrati philosopho ingens & cana *barba* plurimum venerationis addidit. Plin. Epist. i. 10. 5. *Quantum mihi cernere datur, multa in Euphrate sic eminent & elucent, ut mediocriter quoque doctos advertant & afficiant, proceritas corporis, decora facies, demissus capillus, ingens & cana barba. Quæ licet fortuita & inania putentur, illi tamen plurimum venerationis acquirunt.* Neque silentio prætereundum est, quod Romani coluerint *barbatam* Venerem. V. illam infr in *Venus*. Accedit huc, quod pilosus ille oris decor, efferis Gallis, qui duce Brenno Romam occuparant, non admirationem modo, sed & metum incusserit non mediocrem, quando irrumpentibus in atria Quiritium, reverendos prolixa & incana *barbâ* senes in curulibus sedentes sellis, ceu numina suspexerunt. *Junius de Coma c. 2.*

Barbam, sive lanuginem post capillitium jam detonsum alebant, nec cum capite simul genas mox radebant; sed genis lanuginis florem, ut cum Pindaro loquar serpere patiebantur juvenes Romani: ut non vestium tantum, sed etiam habitu corporis ætas distingueretur, alerentque impuberes comam, puberes, illa dempta, *barbam*: idque interdum ad quadragesimum usque annum; interdum citra. Gell. N. A. iii. 4. *Sed, quum in eo tempore Scipionem minorem quadraginta annorum fuisse constaret, quod de barba rasa ita scriptum esset mirabamur. Comperimus autem cæteros quoque in iisdem temporibus nobiles viros barbam in ejusmodi ætate rasitavisse: idcirco plerasque imagines veterum non admodum senum, sed in medio ætatis ita factas videmus.* Putean. Reliq. Conviv. Prisc. Thes. Antiq. Rom. Græv. Tom. xii. p. 267. E. Ponebant eam serius, citius, plerumque sub annum xxi. Macrobius certe in Somn. Scip. i. 6. ter septenarium numerum requiri ad radendam *barbam* affirmavit. Atque ita Neronem posuisse colliges ex Fastis, annisque. Caligula tamen xx anno posuit. Suet. c. 10. n. 4. At Cæsar Octavianus anno demum xxv. uti clarum ex Dion. xlviii. p. 377. C. Natus enim M. Tullio C. Antonio Coss. posuit L. Marcio C. Sabino. Apud Græcos *barba* in pretio mansit ad tempora Alexandri, ut ex Chrysippo adserit Athen. xiii. p. 565. A. *Lips. in Tacit. Annal. xiv. Excurs. B. Bernart. in Stat. Theb. vi. 195.* Qui hæc parum accurate. *Barba* enim tam a Nerone & Caligula, quam etiam ab aliis, de more anno xxii inchoato rasa. Macrobius vicesimum secundum ætatis annum non numerat, quia completus esse non debebat. Nero anno Christi lix. post mensem Majum *barbam* posuit, ideoque anno xxii. Natus enim erat anno Christi xxxvii. mense Decembri. Caligula eodem ætatis anno rasus. Suetonius enim jam laudatus ait. *Vicesimo ætatis anno accitus Capreas a Tiberio, uno atque eodem die togam sumpsit, barbamque posuit.* Tum c. 12. n. 1. *Non ita multo post Juniam Claudillam Marci Silani nobilissimi viri filiam duxit uxorem.* Quod anno Christi xxxiii. factum tradit Tacit. Annal. vi. 20. 1. *C. Cæsar discedenti Capreas avo comes Claudiam Marci Silani filiam conjugio accepit.* Nuptiæ tamen anno sequenti celebratæ. Dio lviii. p. 637. B. de rebus anni Christi xxxiv. actis sermonem habens inquit. *Tiberius Antii nuptias Caji Caligulæ celebravit.* Natus hic erat die ultima mensis Augusti anni Christi xii. annoque ejusdem eræ xxxii. annum ætatis vigesimum complevit, accitusque a Tiberio fuit: in sequenti vero anno, quo xxii. ætatis annum ingressus est; uno eodemque die togam sumpsit, barbamque posuit; ac non multo post uxorem accepit, nuptiasque Antii Tiberius celebravit, dum adhuc xxii. ætatis annus in cursu erat. *Pagi Dissert. Hypat. c. 11. n. 57. Critic. Histor. Chronol. in Annal Baron. ad annum Christi lvi. n. 2. Masson Ovid. vit. p. 72.* Hinc est, quod Cicero ad Attic. i. 16. Catilinæ socios vocat *comessatores barbatulos*, id est, ipso adolescentiæ flore primo pubescentes. Et pro Cæl. c. 14. *Aliquis mihi ab inferis excitandus est ex barbatis illis, non hac barbula, qua ista delectatur, sed illa horrida, quam in statuis antiquis & imaginibus videmus.* Ut juvenis seniori, sic puer juveni, cui prima genas lanugo inumbrabat, debebat assurgere: & eadem ratione pueri pubescentium lanuginem prosequebantur, qua juvenes senectæ canos reverebantur. Juven. Sat. xiii. 55.

Credebant hoc grande nefas, & morte piandum,
Si juvenis vetulo non assurrexerat, & si
Barbato cuicunque puer. . . . .
Tam venerabile erat præcedere quatuor annis,
Primaque par adeo sacræ lanugo senectæ.

Juvenes itaque, cum *barbula* excrevisset, eam tondebant, non radebant. Quod *barbam metere* dicit Juvenalis mox laudandus. Mart. xi. 40. 3. ut se ex ephebis excessisse ostenderet, ait

Jam mihi nigrescunt tonsa sudaria barba.

id est, sum factus juvenis, & eorum more *barbulam* tondeo. Et Sergiolum non fuisse juvenem arguit Juven. vi. 105. quia *radere guttur cœperat*. Ferrar. Elect. ii. 12. Romanos per 454. annos intonsos fuisse ex Varrone tradit Plin. vii. 59. *In Italiam ex Sicilia venere post Romam conditam anno 454. adducente P. Ticinio Mena, ut auctor est Varro Res Rust. ii. 11. ante intonsi fuere.* Et addit: *Primus omnium radi quotidie instituit Africanus sequens*, id est, minor. *Divus Augustus cultris semper usus est*, id est, novacula. Id statuæ & numismata Imperatorum usque ad Adrianum manifeste evincunt. *Alex. Gen. Dier. v. 18. ad illum Tiraquellus, Junius de Coma c. 2. Thys. ad Gell. N. A. iii. 4. Ferrar. l. l. Lips. in Tacit. Ann. xiv. Excurs. B.* Quia vero die, qua radebant *barbam* primum, exuebant juventutem, & transibant in viros, ille dies Romanis festus, & plenus gaudii erat. De Augusto Dio xlviii. pag. 377. D. *Cæsar, tum primum barbam radens, & ipse diem eum plane festum habuit, & aliis publicam festivitatem indixit: atque ex eo etiam ipse genas leves habuit, ad exemplum reliquorum.* Neque tantum ipsis, sed & Græcis: unde & κείρεσθαι, quod tondere est Romanis, est a verbo καρῆναι, ut ita dicam, quod permutatione unius elementi χαρῆναι est, & gaudii ac exceptionis significationem habet. Artemid. i. 23. Quare illius gaudii, & lætitiæ perficiendæ gratia, tanquam in die natali, munera missitari solebant. Ammian. xvii. 9. *Cæsar, cum peteret ex usu gregario cuidam ut barbas detonderet, dedisset aliquid vile, contumeliosis calumniis appetitus est a Gaudentio.* Juven. Sat. iii. 186.

Ille metit barbam, crinem hic deponit amati.
Plena domus libis genialibus.

Grang. in Juvenalem. Lips. & Ferrar. l. l. Junius de Com. c. 4. Argol. in Panvin. de Lud. Circ. ii. 1. Sardus de Morib. Gent. i. 12. Oisel. in Minut. Fel. Edit. Lugd. p. 181. b. *Barbam* primus Adrianus aluit. Dio lxviii. p. 777. E. *Trajanus Suræ medicum ad se vocavit, ac per eum oculorum supercilia: deinde tonsorem, ac per eum barbam rasit: nam hæc vetus consuetudo civium Romanorum, ac principum quoque fuit. Adrianus primus barbam nutrivit.* Ideoque omnes Imperatores ad Adrianum usque rasi, reliqui vero *barbati* conspiciuntur. *Panciroll. de Reb. Deperd. & Inv. p. 322. Donat. de Urb. Rom. iii. 16. Casaub. in Capitol. Verum c. 8. Junius de Com. c. 2. Lips. Pagi & Ferrar. l. l.* In luctu constituti *barbam* & capillum Romani nutriebant. Artemid. i. 20. *Neglectus capillus in calamitatibus augetur.* c. 23. *Et sane nullus in usu quopiam mali, aut calamitate aliqua constitutus tondetur.* Cicer. Verr. ii. 22. *Sordidati maxime barba & capillo Romæ biennium prope fuerunt.* Cato Uticensis apud Plutarch. p. 785. A. Varo apud Frontin. Strat. iv. 5. 6. Julius Cæsar c. 67. n. 4. Augustus c. 23. n. 4. Caligula c. 24. n. 6. apud Suetonium. *Kirchman. de Fun. Roman. ii. 13. Panciroll. l. l. Morestell. Pomp. Fer. ix. 7. Lips. Tacit. Hist. iv. n. 97. Cujac. Observ. vi. 5. Gorall. in Albinov. de Mort. Drusi. n. 86. Ferrar. l. l.* ut vulnera, quæ in facie naturalia erant, tegeret. Spartian. c. 26. *Donat. Dilucid. in Suet. Ner. c. 12. Salmas. in Spartianum.* Ejus primitias alicui Deo consecrabant. Alex. Gen. Dier. v. 18. *Romani adolescentes magnæ indolis primæ lanuginis barbam Diis consecrare usurparunt.* Mart. iii. 4. 1.

Lux tibi post Idus numeratur tertia Majas.
Marcelline, tuis bis celebrande sacris.
Imputat æthereus ortus hæc prima parentis,
Libat florentes has tibi prima genas.

Hinc *jurata barba* Stat. Sylv. II. I. 53. est ex hoc Græcorum & Romanorum more consecrandi *barbam* Diis, nihil aliud quam devota & consecrata alicui Deo. *Gevart. ad Statium.* Interdum Laribus. Petron. c. 29. *Præterea grande armarium vidi in angulo, in cujus ædicula Lares argentei positi, Venerisque signum marmoreum, & pyxis aurea non pusilla, in qua barbam ejus conditam dicebant.* Oisel. in Minuc. l. l. Mercer. in Alexandrum. Jovi Capitolino. Sueton. Ner. c. 12. n. 11. Xiphil. LXI. p. 698. C. *Inter buthysiæ apparatum barbam primam posuit, & conditam in auream pyxidem, & pretiosissimis margaritis adornatam Jovi Capitolino consecravit.* Tomas. de Donar. c. 5. Oisel. in Minuc. & Lips. l. l. Barth. in Stat. Theb. VIII. 492. Apollini. Stat. Theb. VIII. 492.

Ille genas Phœbo, crinem hic pascebat Jaccho.

Græcos hoc festum agnovisse testis & Julius Pollux: *Cum ephebi primam barbam, & comam tonderent, cujus primitias Apollini & fluminibus consecrabant.* Tomas. & Barth. l. l. Vellebant, quibus illudebant, & pro ludibrio habebant. Pers. Sat. I. 133.

Si Cynico barbam petulans nonaria vellat.

Stoici & Cynici, quia indolentiam, & vacuitatem affectuum profitebantur, cum in publico conspiciebantur, quo specimen darent suæ virtutis, ab obviis varie irritabantur. Alius eos sanna excipiebat, alius convicium dicebat, alius vestem trahebat, aut *barbam* vellebat. Sic olim Socrates per Athenas ingrediens solitus παρατίλλεσθαι, ut ait Laert. n. 21. Inde proverbium: τὸν πώγωνα τίλλειν τινὶ, vel, ut Julian. Misopog. p. 87. *contumeliose contrectare barbæ pilos.* Ita satyrice, quasi scilicet se ita illudendum præbuerit Dionysio tyranno, dicitur Jupiter apud Pers. Sat. II. 28.

Idcirco stolidam præbet tibi vellere barbam
Jupiter?

Horat. Sat. I. 3. 133.

— vellunt tibi barbam
Lascivi pueri.

Casaub. in Persium. Spanhem. in Callim. Hymn. in Dianam n. 28. Erasm. Adag. p. 141. Unguento illinebant. Pollux X. 26. *Ocyus tu alabastria aperias, & tudicula barbam meam mungito.* Juven. II. 41.

— Hirsuto spirent opobalsama collo
Quæ tibi?

Propert. I. 2. 3.

Aut quid Orontea crines perfundere myrrha.

Buleng. de Conviv. III. 28. Supplicantes & vota concipientes tangebant, ut observat Homerus. Turcæ vero adventantibus hodieque tangere in veneratione habent. *Tomas. de Donar. c. 5.*

De *barba* dialogum scripsit Antonius Hotomannus, & edidit Christophorus Plantinus Antverpiæ an. 1586. Hic liber est rarissimus. Et propter tum elegantiam, tum raritatem, integrum, & verbo verbum hoc loco exhibemus.

ΠΩΓΩΝΙΑΣ,

SIVE

DE BARBA,

EX DIVERSIS VETERUM

auctorum observationibus,

DIALOGUS.



Fuit mihi, quadam die, cum viris literatissimis, non minus utilis quam jucunda sane deambulatio, cum & cælo sereno frueremur, & inter arbores mirifico cultoris artificio gratissimas, prope rivulum præterfluentis aquæ, qui leniter medium dissecabat agellum, animi magna remissione spatiaremur. Nam post multos ac varios, ultro citroque, sermones inter nos habitos, cum unus ex nostris, nimirum Pogonias, *barbam* suam, quæ illi tenus medio pendebat pectore, erecta ad cælum facie, hilariter utraque manu componeret, Misopogon (placet enim his nominibus eos nuncupare) ridens, ejus in explicandis pilis curam, ut nimiam, irridere visus est. quod Pogonias cum animadvertisset, subiratus ex Luciani *Δημών. p.* 862. hæc verba, quæ tunc illi in promptu erant, protulit. γελοῖόν μοι εἶναι ἔδοξεν, εἰ σὺ ἀπὸ τοῦ πώγωνος ἀξιοῖς κρίνεσθαι τοὺς φιλοσοφοῦντας, αὐτὸς πώγωνα οὐκ ἔχων. De philosophia, inquit Misopogon, nil moror, sed quæso, num hujusmodi pilorum, ne dicam setarum, prolixitas, hoc præsertim æstivo tempore, tibi molesta est. hibernis nempe frigoribus, neque nives, quæ hac in parte residebant, eo te inducere potuerunt, ut hanc, quam tanti æstimas, comminuere juberes *barbam*. num itaque hi nunc qui nos urunt calores, plus etiam angunt? abjice, te per nostram amicitiam oro, istas naturæ incommoditates. efficit enim mutuus amor noster, ut, quemadmodum est ingenii humani, etiam molestiæ tuæ particeps fiam. POGON. Desine Misopogon in posterum nos jocis insectari: quamvis enim illa te vulgi opinio teneat, neque tuo tamen, neque eorum arbitrio, quibus nudi & effeminati vultus placent, mentum depilabo. etsi tuus erga nos tantus est amor, aut potius tantum est abs re tua ocii tibi, nostra etiam ut cures; hoc unum responsum habeto, minus nobis hanc *barbam* quantumvis promissam, incommodam fore, quam si vultus deformitatem, aut si mavis naturæ defectum, pati cogeremur. MISOP. Sed quæ potest esse hac in re deformitas? POGON. Num quæso deformitatem appellas quæ formam corporis aut tollit, aut corrumpit, &, ut ait Arrianus in Epicteto *lib.* 1. *cap.* 6. *sexus discretos confundit?* Quæ venustior forma esse potest quam ea, quæ a natura nobiscum ingeneratur, crescit, & quæ in se habet notam quandam roboris ac virium? *Vix enim fiet, si medicis fides est adhibenda, ut is fortis corpore non sit qui pilosus est: cum hujusmodi, ut ita dicam, corporis partes ex calido & humido proveniant. neque parum confert hujusmodi habitus ad hominis observandos mores & dignoscendum quicquid interius in animo reconditum habet.* Galen. lib. II. de usu part. Et sane motum in ipsis capillis videmus, arrigereque conspiciuntur, si quid homini acciderit quo perturbetur. Virgilius lib. Æneid. 3. n. 48. *Steteruntque comæ.* Sophocl. Οἰδ. Κολ. n. 1619.

Ὥστε πάντας ὀρθίας
Στῆσαι φόβῳ δείσαντας ἐξαίφνης τρίχας.

& mox:

Ἐς δ᾽ ἄκραν δέρμ᾽ ὑπῆλθε κρότος φόβων.

id est, in summos crines capitis subiit metus. φόβην enim pro crine accipi ait Pollux 2. 3. 1. παρὰ τὸ φοβεροὺς εἶναι τοὺς κομῶντας. MISOP. Relinque vero has Physicorum rationes; nam utrum ego excrementa appel-

pellem, aut vero corporis partes aut membra nomines, nihil interest. Fateor enim hoc verum esse quod ait
1 Lactantius cap. 7. de Opif. Dei. *Barbæ ratio incredibile est quantum conferat ad dignoscendam corporis maturitatem, & ad differentiam sexus, vel ad decorem virilitatis ac roboris, ut videatur omnino non constatura fuisse totius corporis ratio, si quicquam aliter esset effectum.* POGON. Quanta itaque in nuditate illa futura deformitas fuisset, si hæc deessent, quæ tantum valent ad pulchritudinem? nam qui proxime ad eam ætatem accedunt, qua se suaque tueri possunt, ea ratione puberes appellantur, qui non solum ex annis, sed etiam habitu corporis sanio-
2 res mente existimantur. Itaque lib. 3. pædag. cap. 3. ait Clemens Alexandrinus *hos pilos Deum opt. max. tanti fecisse, ut eos simul cum prudentia jusserit hominibus adesse.* Quare Græci dicunt γενειάω, id est, *barbam emitto, pubesco*; & mentum Græce dicitur ἀνθερεὼν, ἀπὸ τοῦ ἐκεῖ πρότερον ἐξανθεῖν τὸ γένειον, canitiemque maturæ indicem ferunt sapientiæ, multique ingenii: quandoquidem, ut notant Dialectici, hoc est proprium hominis in senectute canum fieri. quinetiam *Numa canus fuit a prima ætate.* ut annotavit Servius in hos versus Virgilii lib. 6. Æneid. n. 809.

—— nosco crines incanaque menta
Regis Romani, primam qui legibus urbem
Fundavit.

Idemque multis contingere juvenibus indicat Pindarus Ολ. δ. n. 39.

φύονται δὲ καὶ νέοις
ἐν ἀνδράσι πολιαὶ
θαμὰ καὶ παρὰ τὸν ἁλικίας
ἐοικότα χρόνον.

Et licet aliquando inter Jurisconsultos exploso Cassianorum judicio Proculeiani (*Ulp. Tit. 11. l. f. Cod. Quand. tutel. off. l. 4. Cod. qui test. fac. po. cap. 3. de desp impub.*) obtinuerint, *ut puberes non habitu corporis, sed annis judicarentur, maxime quum quartumdecimum annum expleverint, licet nondum vigoris emersissent vestigia*, tamen constat eorum judicio, quorum nunc vivimus, scitis ac decretis, Cassianorum prævalere sententiam, & *eos demum impuberes appellari, quibus*, ut ait Nonius Marcellus, *propter teneram ætatem nulla pars corporis pilat*: quia vero *barba* maxillarum vestimentum a natura producitur, Latini vestem *barbam* appellavere. Virgilius *lib. 8. Æneidos n. 659.*

Aurea cæsaries ollis atque aurea vestis:

Ideoque Nonius & Servius *impuberes investes* notant appellatos fuisse. MISOP. Vera sunt ista quæ dicis; sed quid ad nostram ratiocinationem pertineant, non plane video. Pubes enim proprie lanugo est, quæ ut plurimum maribus decimoquarto anno, feminis autem duodecimo, circa pudenda oriri incipit, quod quia maturitatis est signum, factum est ut mas pubes vocetur, quumprimum ad generandum aptus est, & femina similiter ad concipiendum. Itaque non sine ratione, cum circa feminas præsertim impudica videretur illa inspectio habitudinis corporis, ab Imperatoribus constitutum est ætatis tantum haberi rationem. *l. 3. de minorib. l. 3. Codic. Si minor se major.* Neque enim ex solo aspectu probatur ætas, ut Cassianis placebat: *Ulp. Tit. 11. l. f. Codic. Quando tut. vel cur.* sed nec Prisci obtinuit sententia: *qui cum puberem esse censebat, in quem utrumque concurrebat, habitus corporis & numerus annorum*: nempe inhonestum fuisset, si inspectione lanuginis circa pudenda, puella matura aut immatura judicanda esset. Quemadmodum de Taxillorum consuetudine vetera quædam referuntur a *Strab. lib. 15. p. 491.* & ridiculose apud eos usitata, *quum qui filias præ inopia locare non poterant, in ipso ætatis flore in publicum eas producebant cum tuba & classicis, & multitudine convocata, accedenti primum humero tenus detegebant, postea anteriora.* POGON. Hoc Plato *lib. 11. de Leg.* prius censuerat: *convenientiam enim ætatis ad nuptias, nuditate non solum marium, sed etiam feminarum conspici debere existimavit.* τὴν δὲ τοῦ τῶν γάμων χρόνου συμμετρίαν τε καὶ ἀμετρίαν ὁ δικαστὴς σκοπῶν κρινέτω: γυμνοὺς μὲν τοὺς ἄῤῥενας, γυμνὰς δὲ ὀμφαλοῦ μέχρι θεώμενος τὰς θηλείας. idque & a Græcis & a Romanis mangonibus solitum fieri, quum puellas quasdam prostituendas vendebant, satis notum est. ἰδοὺ τὸ χοῖρον Ἑλλάνων νόμῳ ait quidam in Aristophane *Acharn. act. 3. sc. 3. n. 24.* nam porca δέλφαξ dicebatur, inquit Athenæus lib. 9. inde Hesychius δελφάκιον *pudendum muliebre esse* ait, *quod quum nondum pene adolevit, sed est adhuc tenerum ac delicatum.* at vero ὡραῖον γάμου, χοῖρον appellant, significantes puellas dignas esse nuptiarum, nondum δελφύας μήδε συμπεπηγότας τοῖς σώμασι, ut Eustathius explicat *od. ξ. p. 532.* Et refert Suetonius *c. 69. n. 2.* Augustum, *ad conditionem honestarum feminarum quærendam, amicos habuisse, qui matresfamilias & adultas ætate virgines denudarent, atque perspicerent tanquam Thoranio mangone vendente*: ad eamque Prisci sententiam accedit Servius: dum ait Virgilium *Æneid. 7. n. 53.* hoc versu,

Jam matura viro, jam plenis nubilis annis,

non eandem rem iterasse, sed secundum jus locutum fuisse, in quo & annorum ratione & ex habitu corporis ætas probatur. MISOP. Hoc nemo nescit, & vulgare est: nam & Varro libro secundo de re rustica notat *ideo in nuptiis solenne fuisse porcas immolare.* Et in Judiciis, *si de ætate controversia esset, nudari puerum apud Centumviros jussisse* refert Quintilianus in Instit. quod notat declam. 279. his verbis: *Postea nudari filium atque in conspectu judicum constitui voluit*: sed tandem de pudendis istis non est nostri instituti quæstio. Si vero pubertatem ad mentum referas, fiet ut *pubes ante octavum decimum annum nemo possit dici l. arrogato de adopt.* nam tunc primum *barba* incipit naturaliter nasci, quum plena pubertas est, id est, quum octodecim annos puer attigit: quo pertinent illi versus Ovidii Fast. 3. n. 59.

Martia ter senos proles adoleverat annos,
Et suberat flavæ jam nova barba comæ.

Philostratus libro secundo Apollonii Faractem Regem Indiæ sic loquutum fingit: χρὴ τὸν νέον ἐπειδὰν ὀκτωκαίδεκα ἔτη γεγονὼς τύχῃ, τουτὶ δ᾽ οἶμαι καὶ παρ᾽ ὑμῶν ἐφήβου μέτρον, &c. nam & *ad eam usque ætatem dudum pueris alimenta data fuisse, quemadmodum puellis usque ad quartum decimum annum*, Ulpianus testis est. Mela ait, D. de alim. legar. & non defuerunt *qui tutelam in annum octavum decimum geri* jusserunt, l. pater Severianam D. de condit. & demonstr. Paul. lib. 3. sent. tit. de Testam. *Spadones*, inquit, *eo tempore testamentum facere possunt, quo plerique pubescunt*, id est anno decimo octavo, nam & apud Thucydidem Scholiastes ad hæc verba Periclis μέχρι ἥβης sic scribit, μέχρι ὀκτωκαίδεκα ἔτη. & adhuc inter libros Feudorum legitur Constitutio Friderici Imper. lib. 2. tit. 53. ubi pacem inter subditos observandam censet a decimo octavo usque ad septuagesimum. & hanc ætatem Longobardis legitimam fuisse ex eorum libris satis constat lib. 2. leg. Longob. tit. de prohib. alien. min. sed hæc hactenus. Jam enim fassus sum *barbam* non parum conferre ad decorem & sexus differentiam; at non video quid opus sit ita promittere, ac in modum hircorum producere: nam si Grammatico Acroni *in Horat. de Arte Poet. n. 298.* credendum est, *barbam* in singulari numero, in plurali vero hircinas appellamus. barbigeras etiam pecudes appellavit capellas Lucretius lib. 5. & 6. nam & *barbas* de quadrupedibus dici Servius notavit ad locum Virgilii *lib. 3. Georg. n. 311.*

Nec minus interea barbas, incanaque menta
Cinyphii tondent hirci.

Num vero ad ornatum magis faceret eam ita radere, ut neque prolixitas molesta sit, neque etiam ejus resecatio ullo modo vultus dignitatem offendat; quemadmodum

modum qui ungues suos amputant, decentius facere mihi videntur, quam ungulani isti scabrosi & sordidi? POGON. Sane ego te suspicor ex illorum Antiochenorum genere esse, in quos Julianus eximius Imperator librum composuit qui tuo nomine inscribitur. Vidistin? MISOP. Quid ni? scripsit nimirum Apologiam in illos qui hircum eum vocabant, quod *barbam* incomptam gereret, testibus Zonara, Socrate, Sozomeno, & cæteris illius temporis scriptoribus. Erant enim Antiocheni omnes, ut suspicor, sine *barba.* Martialis *lib.* 11. 85. 17.

Unus de cunctis animalibus hircus habet cor;
Barbatus vivit, ne ferat Antiochum.

Sed extra omnem animi motionem, quid est, quod hic Imperator contra illos Antiochenos ad sui cultus defensionem adfert? taces; nil quicquam enim; at volo eos jure Misopogonas vocari: hoc enim nomine mihi futuri sunt multo chariores: quid tandem apud te tacitus meditaris? POGON. At errabam: parce vero, neque enim jam risum continere possum: tu fortasse ex illis antiquis barbaris Britannis descendisti, quos ait Cæsar *lib.* 5. *de Bell. Gall. c.* 14. solitos fuisse, *ut aspectu horridiores essent in pugna, capillos ac barbam radere præter caput, & labrum superius.* Hac enim forma te intueor inferiorem *barbam* amputasse, superiores vero pilos summo cultu educasse, quos Græco vocabulo vulgus hodie mustaces appellat, contra illud Lacedæmoniorum & nostrorum Subchartusianorum institutum κείρεσθαι τὴν μύστακα. *Plutarch. de sera. num. vind. p.* 550. *B.* MISOP. Et tu fortasse Longobardus es. referunt enim historiæ (*V. Paul. Diac.*) *hircinarum* (ut cum Acrone loquar) *adeo curiosos fuisse Longobardas, ut resolverent quoque uxorum suarum cæsariem, & fluxam comam adaptarent earum genis, quo traditis armis ludificarent hostem:* quem morem fortasse ab Atheniensibus acceperant. Apud eos enim, ait Suidas *in verbo* λόχμη. *mulieres pilos suos ita adaptabant ut viri esse viderentur.* POGON. Quid? num potius in me imaginem aliquam antiquæ illius Romanæ gravitatis agnoscis? ferunt enim (*V. Liv. lib.* 5. 51.) Roma capta, Gallos victores, *plebis ædificiis obseratis, patentibus atriis principum, majorem cunctationem tenuisse aperta quam clausa invadendi: adeo haud secus quam venerabundi intuebantur patres in ædium vestibulis sedentes præter ornatum habitumque humano augustiorem, majestate etiam quam vultus gravitasque oris præ se ferebat simillimos diis. ad quos velut simulachra versi, quum starent, M. Papirius unus ex his dicitur Gallo barbam suam, ut tum omnibus promissa erat, permulcenti, scipione eburneo in caput incusso, iram movisse; atque ab eo initium cædis ortum, cæteros in sedibus suis trucidatos.* Et antiquos omnes *barbam*
3 nutrisse hinc conjectura est, quod antiquiorem Bacchum καταπώγωνα appellatum fuisse scribit Diodorus Siculus *Lib.* 4. *p.* 138. 4. διὰ τὸ τοὺς ἀρχαίους πάντας πωγωνοτροφεῖν. ideo vocabantur intonsi. Ovidius *Lib.* 2. *Fast.* 29.

Hoc apud intonsos nomen habebat avos.

Juvenalis *Satyr.* 16. 31.

Et credam dignum barba, dignumque capillis
Majorum.

MISOP. O magnam dementiam Papirii, cæterorumque! Num rectius fecissent, si deposita istiusmodi vultus atrocitate fortiter dimicando cecidissent? Sed nescis quid mihi jam venerit in mentem? simillimi sunt nostri τερατουργοὶ οὐρανογνώμονες, qui eadem vultus impudentia & Cælum, & Solem, & Lunam, cæterasque Dei obscuras fabricationes intuentes, suis ratiocinationibus futura prædicant, Philosophique dici volunt, & se solos sapientes esse autumant: indulgentes insano, & inepto labori ultra humilitatis suæ terminos evagantur, & oculorum lippitudine involuti, & cælum ipsum, & ipsa sidera audaci cupiditate transcendunt, in eaque *barbam* demiserunt, superciliumque sustulerunt. *Philosophiam fastu & habitu metiuntur*, inquit Symmachus *Lib.* 1. *epist.* 23. At si quid Reipub. conservandæ caussa aut in propagandis finibus, hostibus expellendis; conservanda urbe, judiciis legibusque munienda, elaborandum sit, prorsus ignari sunt, & ociosi figuris suis incumbunt. Quid dicam de sophistis illis gymnasiasticis, qui dum in interpunctionibus literarum & verborum angulis versantur, in eo tamen *barbam* suam demittunt, ac velut de Imperio, aut magna aliqua re deliberaturi, tristiores efferunt vultus; incessu gravi, ac voce demissa, sententias suas quasi oracula pædagogico ingenio proferunt, & se omnium artium magistros profitentes; de omnibus rebus inepte differunt; sibique invicem contrarii, vanis & infinitis declamationibus digladiantes, juveniles animos totos occupant, scholasque suas sectis innumeris commaculant. *O pueriles ineptias*, inquit Seneca *Epist.* 49. *in hoc supercilia subduximus, in hoc barbam demisimus, hoc est, quod tristes docemus & palldi!* POGON. Movisti risum: tot sunt enim hodie, qui Catonis, aut aliorum Sapientum imaginem referunt, cum longe differant animo, ut mihi jam repetendum videatur illud edictum *barbatorium* de amputanda privatorum hominum *barba*, quod ego, si Jurisconsultus essem, lubens interpretarer in istiusmodi sophistas, qui plus habent setarum in mento quam sensus in mente. Sed jam illud Horatianum *Epist.* 1. 19. 12. rediit in mentem:

Quid? si quis vultu torvo, ferus & pede nudo
Exiguæque togæ simulet textore Catonem,
Virtutemne repræsentet, moresque Catonis?

Quos enim ait Catones videri velle, sane hi ne mores quidem, sed quæ sunt externa imitanda sibi proponunt: at si convertas in eos oculos, nihil præter fastum, fucumque invenies. In eos vulgo dicitur, *Bar-* 4
ba non facit Philosophum: cujus proverbii si auctorem requiras, non denegabit tibi hac in re ut & in cæteris locupletissimus Erasmus *In Chiliadibus.* Verum eos, qui Philosophi sunt, animique magnitudinem oris vultusque constantia prædicant, *barba* illa promissa mirum in modum, Misopogone decet. Placetque mihi maxime illud Nicandri Lacedæmonii apud *Plutarch. in Apophth. Lacon.* 54. qui quodam percunctante, *cur comam barbamque nutriant Spartiatæ: Quia*, inquit, *omnium pulcherrimus ac minime sumptuosus viro suus cuique ornatus est:* talesque vult esse Christianos Clemens Alexandrinus *lib.* 3. *Pædag. cap.* 3. & 11. dum ait *nefas esse barbam capillumque vellere, quæ est pulchritudo congenita & ingenita.* MISOP. De coma nihil dissentio Pogonotrophe, lubensque omitto Synesii encomium calvitii contra Dionem, incertique auctoris hac de re acrostichia carmina. Retulit enim Suidas *in verbo* κομήτης, verumque puto eum dixisse, *Philosophos comam aluisse, sive ex tolerantia, sive ex tenacitate.* sic enim Sidonius Apollinaris *lib.* 4. *epist.* 11. de quodam Claudiano scribit. *Et licet crinem barbamque non pasceret, a collegio tamen complatonicorum solo habitu & fide desociabatur.* tum etiam Faustum laudat *lib.* 9. *epist.* 9. quod *non cæsariem pascere, neque pallio, aut clava velut sophisticis insignibus gloriari soleret.* POGON. Imo vero Stoicis prolixa erat *barba*, capilli autem rasi, &, ut ait Juvenalis Sat. 2. 15. erat *illis supercilio brevior coma.* Martialis lib. 11. 85. 7.

Tondeat hic inopes Cynicos & Stoica menta,
Collaque pulverea nudet equina juba.

Itaque, ut refert Lucianus in Ermotimo, erat illis ἐν χρῷ ἡ κουρὰ καὶ ὁ πώγων βαθύς. & inde lux adferenda verbis Arriani lib. 1. cap. 2. ἄγε δὴ Ἐπίκτητε διαξύρησαι. ἂν ὦ φιλόσοφος, λέγω οὐ διαξυρῶμαι. Nam hoc ei philosopho Stoico vitio imponebatur, quod capillos radi nollet barbamque demittere. *Ad Herodem Atticum*, inquit Gellius IX. 2. *consularem virum ingenioque amœno & Græca facundia celebrem adiit, nobis præsentibus, palliatus quispiam & crinitus, barbaque prope ad pubem usque porrecta, ac petiit as sibi dari εἰς ἄρτους.*

Tum

Tum Herodes interrogat quis homo esset. Atque ille vultu, sonituque vocis objurgatorio Philosophum se esse dicit, & mirari quoque addit, cur quærendum putasset quod videret. Cedrinus scribit in urbe Constantinopolitana, in thermis Zeuxippi, Homeri statuam fuisse, *cujus barba demissa erat, capillus similis ex utraque parte calvariæ rarus.* MISOP. Quod vides sæpissime *barbam* in Philosophis derideri, hoc de Stoicis intelligendum est, quibus nomen Philosophi invidebant cæteri. *Barbam* vero prolixam veteres præter hos aluisse non legi; quinimo Suidas testis est, Platonem quendam Comicum irridere solitum fuisse, *barbam Epicratis oratoris, quasi rem novam, & insolitam: neque enim barbam quis longam & prolixam habere potest, qui non aut sordidus sit, aut nimium curiosus.* At *barbam* quis non reprehendat incultam? *Virgil. lib.* 6. 299.

Terribili squalore Charon, cui plurima mento
Canities inculta jacet.

hæc horridiorem reddit vultum, minimeque humanum, nisi quotidiano labore impensaque, Philosopho indigna, ita culta & elaborata sit, ut potius fucus videatur, quam naturalis decor. Philippus Macedo dicebat apud *Suidam in verbo* λεόντιος. *Qui in pilis infidus est, eum ne putes in rebus gerendis esse fide dignum.* Ego de Philosophis præsertim loquor, a quibus fucus omnino abesse debet. Sane decet habitum corporis munditiis cultum, sed virilem esse, in quo personæ decor, & multus animi candor appareat. Apulejus *Apol.* 1. *p.* 407. quum aliquando, quod nimis curiosus esset, argueretur, sordidum maluit se putari: *capillus ipse*, inquit, *quem isti aperto mendacio ad lenocinium decoris promissum dixere, vides quam non sit amœnus & delicatus, horrore implexus, atque impeditus, stupeo tormento assimilis, & inæqualiter hirtus, & globosus, & congestus: prorsus inenodabilis diutina incuria non modo comendi, sed saltem expediendi & discriminandi.* Meliusque Martialis in Pannicum lib. 2. 36. 1.

Flectere te nolim, sed nec turbare capillos.
Splendida sit nolo, sordida nolo cutis.
Nec tibi mitrarum, nec sit tibi barba reorum:
Nolo virum nimium, Pannice, nolo parum.

5 Sed si vacat, & nisi tibi molestum est, etiam capillos, & *barbam* veteres amputasse audiamus, καὶ τοί, inquit Plutarchus de defectu oraculorum p. 410. D. καὶ ἡμῖν οὐ μικρὸν ἀποδείκνυται πρᾶγμα λεαίνεσθαι ξυρῷ τὰ σώματα τοὺς ἥρωας, ἐντυχόντες Ὁμήρῳ ξυρὸν ὀνομάσαντι. idque potest colligi ex eo quod ait Diodorus Siculus *lib.* 1. *p.* 11. *B.* legem Ægyptiorum (qui omnium antiquissimi erant) *fuisse, ne quis peregre profectus, prius quam reversus esset, crines deponeret; ad exemplum Osiridis qui voverat Deo non prius comam tonsurum quam in Ægyptum reverteretur.* Et refert Diogenes Laertius in Pittaco n. 76. *Tyrrhæum ejus filium cum sederet in tonstrina Cumis, injecta securi ab ærario fuisse necatum.* Memoratur de Dionysio Syracusanorum tyranno, qui quum *ob injustam dominationem ita timeret, ut ne tonsori quidem collum committere auderet, tamen tondere filias suas docuit; & quum ab ipsis adultis ferrum removisset, tamen instituit, ut candentibus juglandium putaminibus capillum sibi ac barbam adurerent.* Vide *Cicer. Tusc. Quæst.* 5. 20. *Alex.* ab *Alex. lib.* 5. *Gen. cap.* 18. *Cal. Rhod. lib.* 7. *cap.* 23. *lib.* 18. *cap.* 10. 11. 12. 13. Idem fecisse fertur Alexandrum Phæreum. Arabes, Abantes, & Misii, ne in conflictu belli hostibus prædæ forent, anteriorem capillum rasitabant. quo pertinet illud Homeri Iliad. 2. 542.

Τῷ δ' ἄμ' Ἄβαντες ἕποντο θοοὶ ὄπιθεν κομόωντες.

feruntque Curetas & Ætolos pariter quum a fronte essent capillati, & crinibus ab hostibus raperentur, frontem abrasisse, & ab occipite cæsariem nutrisse. quod *ab Athen. lib.* 13. *p.* 565. *A.* de Alexandro Macedone proditum est, *qui barbam militibus radi jussit, ne hosti prædæ ansam præberent.* De Romanis quidem scriptum legitur ante annum CCCCLIII. ab urbe condita, tonsores in Italiam non venisse, Romanosque intonsos usque ad hæc tempora fuisse. Sed postea ut cultiora fuerunt ingenia, *adducente P. Ticinio Mena ex Sicilia tonsores, primus omnium radi quotidie instituit Africanus sequens: divus Augustus cultris semper usus est.* Vide *Plin. lib.* 7. *cap.* 59. *Varr. in fine lib.* 2. *de re Rustica.* quod servis vilioribus erat inhibitum, qui intonsa coma capilloque hirto fuere: fuitque animadversum ante Adrianum Cæsarem Imperatores *barbam* semper rasitasse: ipse enim ex Cæsaribus primus promissa *barba* incessit & capillo. Romanosque omnes tonderi vulgo consuevisse testimonio erit locus Varronis in γεροντοδιδασκάλῳ a Nonio *in verbo nundinæ c.* 3. §. 140. citatus: *Quotiens Priscus homo, ac rusticus Romanus inter nundinum barbam radebat.* Virg. Ecl. 1. 29.

Candidior postquam tondenti barba cadebat.

Cedrinus refert *Mauricium Imperatorem more Romano barbam totondisse:* & Ammianus *lib.* 22. *cap.* 4. cujusdam Juliani Imperatoris tonsoris meminit, *qui tantum ex arte compendii habuit, ut vicenas diurnas annonas possideret, totidemque pabula jumentorum, quæ vulgo dictitabant capita, & annuum stipendium grave absque fructuosis petitionibus multis.* Suetonius testis est * Galbam *vulso corpore quum esset, galericum capiti adaptasse & annexisse, ac faciem quotidie rasitasse, ac pane madido linere consuesse, idque constituisse a prima lanugine, ne unquam barbatus esset.* refertque Xiphilinus *lib.* 68. *p.* 777. *E.* Ex Dione *tonsorem Trajani mentum rasisse, quod hic vetus civium Romanorum ac principum erat mos. Adrianus vero primus barbam nutrivit.* & Romanæ quidem puellæ na- 6
turæ viro compositum capillum Palladi offerebant: Trœzeræ puellæ Hippolyto crinem consecrabant; sic enim Diana eum Veneris dolo peremptum alloquitur in Euripide n. 14. 23.

Σοὶ δ' ὦ ταλαίπωρ' ἀντὶ τῶν δὲ τῶν κακῶν,
Τιμὰς μεγίστας ἐν πόλει τροιζηνίᾳ
Δώσω, κόραι γὰρ ἄζυγες γάμων πάρος,
Κόμας κεροῦνταί σοι δι' αἰῶνος μακροῦ,
Πένθη μέγιστα δακρύων καρπουμέναι.

In Sicyonia vero ὑγιείας, id est, Sanitatis simulachrum fuit, cui virgines crines resecare & dicare solebant. Athenienses quum ex ephebis excessissent, primitias crinium deferebant; & quum anteriorem comam circa tempora, aut posteriorem crinem Apollini & fluminibus tonderent, ævo succedente, Theseus anteriorem capillum Delphis dedicavit, unde Theseis tonsura prodita est; cujus exemplo juvenes, quum ex ephebis excessissent, anteriorem comam Phœbo, & Æsculapio, aut Libero obtulere. idque ab omnibus Græcis vulgo factitatum fuisse probat Petrus Victorius *lib.* 6. *Variar. cap.* 22. & apertissime ex Homero Ιλ. ψ. *n.* 142. conjicitur, ubi ait Achillem dedicasse crinem σπερχειῷ ποταμῷ. quem locum recte interpretatur commentarius his verbis, ἔθος ἦν τοῖς ἀρχαίοις μετὰ τὸ παρακμάσαι τῆς νεότητος τὰς κόμας ἀποκείρειν τοῖς ποταμοῖς. τούτους γὰρ ἐνόμιζον τῶν ἀνατροφῶν αἰτίους εἶναι. & Od. γ. n. 446. refert Nestorem Palladi sic sacrificasse:

Εὔχετ' ἀπαρχόμενος κεφαλῆς τρίχας ἐν πυρὶ βάλλων.

Romanos adolescentes magnæ indolis primam lanuginem Diis consecrasse, satis notum est: De qua re sic scribit Dion. *lib.* 48. *p.* 377. *D.* de Octaviano: ἀμέλει τὸν πώγωνα ὁ Καῖσαρ τότε πρῶτον ξυράμενος, αὐτός τε μεγάλως ἑώρτασε, καὶ τοῖς ἄλλοις ἅπασι δημοτελῆ ἑορτὴν παρέσχε. καὶ ὁ μὲν καὶ ἔπειτα ἐπελειοῦτο τὸ γένειον, ὥσπερ οἱ ἄλλοι. notaturque in Tiberio, † eum præter morem *barbam posuisse sine ullo honore.* Juvenalia etiam festa in hono-

* *Auctoris σφάλμα μνημονευτικόν. Hoc enim non de Galba, sed de Othone refert Sueton. c.* 12. *n.* 3.

† *Et hoc memoriæ vitio, Suetonio non inspecto. Notat enim hoc Suetonius in Caligula, & dicit de Caligula c.* 10. *n.* 4.

honorem barbæ Neronis instituta fuere, cum tamen comam aleret. Moris enim erat Romæ juvenibus, quum primum *barbam* deponerent, numini dicare, exhilarareque diem sacris, & conviviis. qua de causa videtur Juvenalis ad hoc allusisse Sat. 3.186.

Ille metit barbam, crinem hic deponit amati.

& ut & ex Tranquillo c. 12. n. 11. discimus, Nero *barbam primam conditam in aurea pyxide, & pretiosissimis margaritis adornatam Jovi Capitolino consecravit.* Talis consecrationis meminerunt Martialis *lib.* 9. & Statius *lib.* 3. *Silvar.* 4. 1. comam Earini Germanici liberti celebrantes, quum eam cum gemmata pyxide & speculo ad Pergameum Æsculapium dedicandam mitteret. Cælius Rhodiginus *lib.* 3. *cap.* 14. refert sub Sixto Pont. maxim. qui quartus ejus erat nominis, compertum Romæ in via Appia e regione conditorii Ciceronis, muliebre cadaver, quod ex inscriptione conjectatum est Tulliolæ fuisse, id erat aromatibus ita conditum, ut temporis injuriam non sentiret. In eo visebantur capilli aureo impliciti reticulo, summa omnium admiratione. Et fuisse Romæ capillatæ Deæ aram testatur Plinius, * *ubi Vestales capillos suos deferebant, & in arbore capillari*, quemadmodum putat Festus, *suspendebant*, vel (ut Petrus Crinitus de literis humanioribus bene meritus *lib.* 20. *de honest. dis. cap.* 6. mavult) eos capillos subter felicem arborem terra obtegebant: quemadmodum de unguibus Dialis cautum fuisse narrat
7 Gellius *lib.* 10. *cap.* 15. Consuetum etiam fuit apud
quosdam, dum infantibus nomen imponerent, tondere. eaque de caussa usurpata est illa formula loquendi, qua etiam usus est Gregorius Nazianzenus in Apologetico πρὶν ἀποθέσθαι σχεδὸν τὴν πρώτην τρίχα, pro eo quod Latini dicunt, vixdum ex ephebis excesserat, adhuc admodum infans, cujus consuetudinis meminit Cromerus libro secundo Historiæ Polonicæ. *Piastus*, inquit, *filio primam comam gentili ritu tonsurus, & nomen impositurus amicos ad convivium, & cærimoniam invitaverat.* & mox in Ziemovisto: *Septimum annum puer attigerat, quo prima coma pueris gentili ritu attonderi, & nomen imponi solebat.* Hinc fortassis hodie in sacro Con-
8 firmationis sacramento mos tondendi capillos. Deni-
que initiationis cujuscunque mysterium hoc erat tonderi, veluti adoptionis: cujus rei non modo veteres attestor Græcos & Romanos, sed & Gallos & Longobardos, & alios recentiores, apud quos moris fuit capillum *barbam*que ponere in sanctioris cujusdam deditionis argumentum. sic enim scribit Aimoinus *lib.* 1. *cap.* 20. Alaricus juxta morem antiquorum *barbam* Clodovei tangens, adoptivus factus est ei pater. deinde *lib.* 4. *cap.* 32. Gregorius Romanorum Patricius promisit Tasoni, quod *barbam* ejus præscindens (juxta morem antiquorum) eum sibi adoptaret in filium. Hunc morem apud Longobardos fuisse testatur Paulus Diaconus *lib.* 4. *cap.* 14. apud quos amicitiæ firmissimum erat argumentum, si quis *barbam* apud aliquem totondisset. refertque idem auctor *lib.* 6. *cap.* 15. Luitprandum regem Longobardorum Pipinum filium Martelli humanissime excepisse capillo ejus succiso. idem narrant Aimoinus & Otto Frising. *lib.* 4. *cap.* 57. sic etiam de eodem scribit Abbas Urspergensis. *lib.* 5. *cap.* 6. Carolus Pipinum filium suum ad Luitprandum regem Longobardorum pro tondenda cæsarie misit. Idem Bonfinius in historia Ungarica *lib.* 8. *dec.* 1. & Paulus Æmilius libro secundo historiæ Francorum, ubi & hæc subjicit: Nobiles Longobardorum Spoletini Ducatus incolæ, qui auxilio adversus Francos Desiderio regi Longobardorum ire recusarunt, Romam profecti, in fidem Pontificis venientes, capillum *barbam*que ponebant; quod apud eos sanctioris deditionis erat argu-
mentum. Sed & id in omnibus pene initiationibus ob- 9
servabatur, ut in nuptiarum celebratione. Ausonius *Eidil.* 13. *n.* 64.

Et quatuor juvenes, totidem innuptæque puellæ
Omnibus in morem tonsa coma, &c.

Martialis *lib.* 11. 79. *n.* 4.

Tondebit pueros jam nova nupta tuos.

Juvenalis *Satyr.* 6. *n.* 26.

Jamque a tonsore magistro
Pecteris.

qua de causa Lucanus, quum contemptum illorum rituum in Catone describeret, sic ait *lib.* 2. *n.* 375.

Intonsos rigidam in frontem descendere canos
Passus erat, mœstamque genis increscere barbam.

Sed & quicumque moribundus erat, cultro Ditis ad 10
sedes Tartari descensurus tonsione initiari dicebatur. hoc notat Euripides in Alcestide n. 76.

Ἱερὸς γὰρ οὗτος τῶν κατὰ χθονὸς θεῶν,
Ὅτου τόδ᾽ ἔγχος κρατὸς ἁγνίσει τρίχα.

ubi Interpres ait ὡς ἔθος ὄντος τὸν θάνατον τοῦ μέλλοντος ἀποθνήσκειν τὴν κόμην τέμνειν. ex his Macrobius *Sat. lib.* 5. *c.* 19. hos versus Virgilii *lib.* 3. *Æneid. n.* 699. interpretatus est;

Nondum ille flavum Proserpina vertice crinem
Abstulerat, Stygioque caput damnaverat Orco:
Ergo Iris croceis per cælum roscida pennis
Devolat, & supra caput astitit: hunc ego Diti
Sacrum jussa fero, teque isto corpore solvo:
Sic ait, & dextra crinem secat.

Quid vero, num in servorum manumissionibus hoc e- 11
rat usitatissimum? nec ad id probandum diutius insisterem, nisi vulgo viderem inepte plerosque servos omnes fuisse antiquitus tonsos asserere; ideoque proverbium apud Græcos fuisse, cujus meminit Suidas, δοῦλος ὤν, κόμην ἔχεις, id est, *cum servus sis, comam habes.* Tantum enim abest servos Romæ tonsos fuisse, ut illis ne quidem tonderi jus esset. horum enim dicebatur Græce ἀνδραποδώδης θρὶξ, ut ait idem Suidas, id est, *servilis & abjectissimus pilus* sine tonsura & pectine, quem tum demum adornare incipiebant, quum manumissione in libertatem revocabantur. Liberorum enim tantum hominum erat esse comatos, id est, crines adornare, longeque differebat κόμη a verbo θρὶξ. ut quando Clemens Romanus libro primo Constitutionum Apostolicarum *Can.* 3. ait, οὕτω τὴν τρίχα σου τῆς κόμης μὴ παρατρέφων, quantum nimirum differt capillus a coma, vel cæsarie. Cæsaries enim dicta est a cædendo, ut ait Servius Grammaticus *Æneid.* 1. *n.* 594. id est ferro sæpius adornando, quia coma sæpius ferro colitur: & *Æneid.* 10. admonet antiquo more viros, sicut mulieres, composuisse capillos, quod verum esse, inquit, & statuæ antiquorum docent, & personæ quas in tragœdiis videmus similes in utroque sexu. quantumque ad ornatum pertinet, Græci βόστρυχον & πλόκαμον hujusmodi cæsariem appellabant, qualem Euphorbum gestasse cecinit Homerus, auro videlicet religatam, quum in bellum proficisceretur: qui etiam Achivos eadem ratione sæpius appellat καρηκομόωντας. & instrumento quodam, quod κρώβυλον vocabant, capillos implicare solitum erat, ut est apud Thucydidem, cujus Interpres sic scribit lib. 1. ἐκαλεῖτο τὸ

* *Sed hanc apud Plinium non inveni. Liber sextus, quem laudat auctor, non continet capita quadraginta quinque, sed triginta quatuor: Libro tamen* 16. 44. *in quo agit de arborum ætate, hæc, quæ adfert auctor, dicit de loto arbore:* Antiquior illa, quæ capillata dicitur, quoniam Vestalium virginum capillus ad eam defertur. *Unde hanc aram habeat noster, non habeo dicere. In indice editionis Basiliensis, quæ prodiit in officina Frobeniana an.* 1530. *hæc leguntur verba:* Capillatæ deæ ara quare dicatur. *Sed ex indicibus tantum virum sua hausisse quis dixerit? maxime cum auctor indicis lectorem ableget ad locum Plinii a nobis adductum, quo non de ara, sed de* loto capillata *illum loquentem audivimus.*

τὸ τῶν μὲν ἀνδρῶν κρώβυλος, τὸ δὲ γυναικῶν κόρυμβος, τὸ δὲ παίδων σκορπίος. Refert Synesius epiſtola 104. Græcum vetus fuiſſe proverbium, quod veretur proferre in libro quem de calvitii laude conſcripſit, οὐδεὶς κομήτης ὅς τις οὐ ψηνίζεται. id eſt, *nemo comatus eſt, qui non præcidatur*; vel (ut alii ex ſententia volunt) *pædicet*. hoc enim verbum obſcœne accommodat in quendam Joannem, qui quum ingenuus videri vellet, cæſariem & comam impenſe, ſummoque ſtudio quotidie ad libidinem pectebat. Tales etiam erant hi, qui, teſte Suida, σαλπιγγολογχυπηνάδαι dicebantur, id eſt, *tubis, haſtis, barbaque formidabiles*, parum vero fortes. Age vero audiamus Senecam *lib. de brevit. vitæ cap.* 12. *Quid*, inquit, *illos ociſos vocas quibus apud tonſorem multæ horæ tranſmittuntur, dum decerpitur ſi quid proxima nocte ſuccrevit, dum de ſingulis capillis in conſilium itur, dum aut disjecta coma reſtituitur, aut deficiens hinc atque illinc in frontem compellitur; quomodo iraſcuntur ſi tonſor paulo negligentior fuit, tanquam virum tonderet? quomodo excandeſcunt ſi quid ex juba ſua deciſum eſt, ſi quid extra ordinem jacuit, niſi omnia in annulos ſuos reciderunt? quis eſt iſtorum qui non malit Rempublicam ſuam turbari quam comam? qui non ſolicitior ſit de capitis ſui decore, quam de ſalute? qui non comptior eſſe malit, quam honeſtior? hos tu ocioſos vocas inter pectinem ſpeculumque occupatos?* Refertque Columella in præfatione libri de Re Ruſtica, *capitum capillorumque concinnatores non ſolum eſſe audiviſſe, ſed & ipſum vidiſſe.* Hic erat mi Pogonias ingenuorum cultus. Servorum autem abjectiſſimus capillus erat. Hincque mos fuit Romanis, quum ſervum manumitterent, hunc vilem capillum abjicere, tuncque primum radere: quod in Pruſia Bithyniæ rege obſervatum eſt apud *Polyb. Excerpt. Legat. c.* 17. *Liv. lib.* 45. *c.* 44. *Appian. de bello Mithrid. p.* 172. qui bello Mithridatico, Perſeo Macedonum rege capto, *ſe libertum populi Romani profeſſus eſt, capite raſo & pileato.* Ad hunc morem ſic alluſit Juven. Satyr. 5. n. 171.

Si potes, & debes, pulſandum vertice raſo
Præbebis quandoque caput.

& Plautus Amph. 1. 1. 306.

Ut ego hodie raſo capite calvus accipiam pileum.

Putoque hac ratione, latronem illum inſignem Italum, qui vocabatur Bulas, id notare voluiſſe apud *Xiphil. lib.* 76. *p.* 865. *D.* quum centurionem quendam cepiſſet, ac libertum ad Severum Imperatorem raſo capite remitteret cum his verbis: *Nuncia dominis tuis, ut ipſi ſervos ſuos alant ne latrocinentur.* cauſam hujus ritus conjectatus eſt Nonius Marcellus, *quod tempeſtatem ſervitutis tunc ſervi effugere videbantur, quaſi naufragio liberati.* Nam & Petronius Arbiter *c.* 104. ait *non licuiſſe cuiquam mortalium in nave, neque ungues, neque capillos deponere, niſi quum pelago ventus iraſcitur.* Artemidorus rationem reddens quare raſuræ ſomnium, nautis naufragium deſignet, & ægrotis extremum vitæ diſcrimen. Quod, inquit *lib.* 1. *cap.* 23. naufragi & a diuturno morbo ſe colligentes radi conſueverant. ναυαγήσαντες μὲν γὰρ ἢ ἐκ μεγάλης σωθέντες νόσου ξυρῶνται οἱ ἄνθρωποι. Lucianus etiam in fine Ermotimi, δοκῶ δέ μοι, inquit, οὐκ ἀλόγως ἂν καὶ ξυρήσασθαι τὴν κεφαλὴν, ὥσπερ οἱ ἐκ τῶν ναυαγίων ἀποσωθέντες ἐλεύθεροι. ἅτε καὶ σωτήρια τήμερον ἄξειν. tum etiam in illo Dialogo qui περὶ τῶν ἐπὶ μισθῷ συνόντων inſcribitur, depingit eos qui ex naufragio liberati narrant, quæ ipſis acciderint, τοῖς ἱεροῖς ἐξυρημένοι τὰς κεφαλάς. & non eſt incredibile ad hoc proverbium alluſiſſe D. Paulum, quum tuto navigaturos ſocios ſperare jubet. οὐδενὸς γὰρ ὑμῶν θρὶξ ἐκ κεφαλῆς πεσεῖται. *Actor. Apoſt. cap.* 27. *n.* 34. Sidonius certe Apollinaris illius memor ritus ſic ſcribit lib. 9. epiſtol. 9. *Philoſophia quæ violenter e numero ſacrilegarum artium exempta, raſo capillo ſuperfluæ religionis, ac ſupercilio ſcientiæ ſecularis, amputatiſque pervenuſtarum veſtium rugis, myſtico amplexu jam defæcata tecum conjunxit.* & hæc hactenus. Unde vero apud no- 12
ſtros mos venerit, quo clerici tondeantur, male plerique putant, eam eſſe rationem quod ſervi inſtar divino officio mancipentur: ea enim eſt cauſa quod cæſaries, quæ a veteribus ſummo in honore erat, & cultus capillorum reprehenderetur in illis. Ait enim Hieronymus, *raſio capitis eſt temporalium omnium depoſitio.* Theodorus Balſamon παπάλητραν hanc tonſuram appellat canone vigeſimo primo Synodi in Trullo habitæ. Clemens Romanus libro primo conſtitutionum Apoſtolicarum, canone tertio ſic ſcripſit. πιστῷ γὰρ σοὶ ὄντι καὶ ἀνθρώπῳ τοῦ Θεοῦ οὐκ ἔξεστί σοι τρέφειν τὰς τρίχας τῆς κεφαλῆς, καὶ ποιεῖν εἰς ἕν, ὅ ἐστι σπατάλιον, ἢ ἀπόλυμα, ἢ μεμερισμένην τηρεῖν, οὐδὲ μὲν ὀγκοποιεῖν ἢ διαξαίνοντά τε καὶ πλάσσοντα οὔλην διατιθεῖν ἢ ξανθοποιεῖν αὐτήν. ἐπείπερ καὶ ὁ νόμος ἀπαγορεύει φάσκων· ἐν τῷ δευτερονομίῳ, οὐ ποιήσετε ὑμῖν σεισόην: hoc Anacleti Pontificis maximi inſtitutum fuiſſe recenſet Platina. Videturque id a Divo Paulo 1. *Cor.* 11. *n.* 14. 15. præceptum, quum ait, *viro ignominiam eſſe ſi comam nutriat, mulieri vero gloriam eſſe: quoniam capilli pro velamine ei dati ſunt.* Carthaginienſis etiam quartæ ſynodi profertur canon 44. *Clerici neque comam nutriant, neque barbam.* Et hoc ab Alexandro tertio repetitum fuiſſe dicunt Canoniſtæ cap. Clericus, de honeſtate clericorum. tenentque *mulieri comam Deum dediſſe in memoriam ſubjectionis.* Tum vero quæ de mulieribus commemoras, ſatis notum eſt ſemper ornatui comam fuiſſe, & in nuptiarum celebratione *ſponſas ſparſis capillis ſeniſque crinibus incedere* Feſtus teſtatur; maritumque talem comam haſtæ cuſpide diſtinxiſſe. Et Ulpianus Juriſconſultus *l. item legato D. de legat.* 3. refert *puellas ſibi comatas mulieres exornaſſe.* Clericis ergo & omnibus Chriſtianis tonſura capitis index eſt ſpreti ſplendoris & apparatus. vid. *Act. Apoſt. cap.* 21. *n.* 24. Sicque faſtum & delicias Clodovei regis Franciæ in coma inſectatus eſt Rhemigius Epiſcopus, libertati Francorum minime detrectans. Qui vero tonſuram illam pœnæ genus fuiſſe exiſtimant, eo quod extent Imperatorum Conſtitutiones, quibus *crinium tonſione expiari debebant crimina:* hi mea ſententia maxime falluntur. Neque enim animadvertunt, ſolitum olim fuiſſe in monaſteria tamquam in inſulas maleficos & ſycophantas relegare. POGON. Siſte paululum Miſopogone; nam ad ea quæ de *barbis* clericorum dixiſti, Joannes Pierius Valerianus fuſiſſime reſpondit ſub Clemente ſeptimo ampliſſima oratione, quam pro ſacerdotum *barbis* habuit, ubi quam male Canon Carthaginienſis Concilii & Alexandri tertii decretum legantur, liquido demonſtrat. Quod & comprobat Franciſcus Turrianus in ſuis Annotationibus, in prædictos Clementis Romani canones, ubi aſſerit Chriſtianos comam quidem raſiſſe, *barbam* vero nutriſſe. Et quæ ex tam multis auctoribus recitas; ſunt hæc quidem pulchra, ſed cum bona venia dixerim nullius exempli. Poſſem enim plures alios recenſere populos, qui *barbam* & comam tanti fecerunt, ut ſi eos in medium ſuffragiorum cauſſa eductos producerem, vererer ne pœna legis Corneliæ de ambitu tenerer. Sane enim antiqui Galli comati dicebantur, quod, ut ait Diodorus Siculus *lib.* 5. *p.* 212. *A. Flavam comam quam ſæpiſſime calcis ablutione lavarent, barbam vero nobiliores circa malas quidem radebant, ad eam, quæ a mento dependet, prolixas alebant. Diod. lib.* 3. *Indi capillum pectebant ſæpius quam tondebant, barba ſemper intonſa.* Denique & plures alii, quos recenſere nihil proderit. Nam ex diverſis moribus nulla certa regula aut ratio colligi poteſt. Quid dicam de Polonorum tonſura, quibus Cazimiro Rege ſuo ex Monaſterio revocato indictum eſt, *ut omnes rotunda capillorum tonſura eſſent infra auriculas?* Sed & refert Suidas *in verbo ἀπονοία.* Venetis accidiſſe ſub Juſtiniano, *ut novam capillorum ornandorum rationem inierint*, nullam ob cauſſam, niſi quod ocioſi ſemper aliquid novi moliebantur. *Radebant enim capillos ſecus*

quam cæteri mortales; nam muſtacem & barbam nuſquam attingebant, ſed quam promiſſam ſemper alere more Perſico ſtudebant, capillos vero anteriores ad uſque tempora detondebant, poſteriores quam longiſſimos dependere nulla ratione ſinebant. Qui fit ut tam varius fuerit pilorum cultus? varia ſcilicet & inconſtans hominum opinio, varii mores gentium, varia denique valetudo efficit, ut quæ incommoditatis alicujus depellendi cauſa reperta ſunt primo, poſt haberi cœpta ſint ad ornatum etiam corporis & dignitatem. Nimirum fuere, qui cum pili iis rufi eſſent, hircumque fortaſſis redolerent, fœtorem illum dum tonſione & raſura evitare ſtudebant, ne novo cultu aliquid ſuſpicandum relinquerent, alios ad idem agendum incitarunt. Præſertim id locum habet apud aulicos, qui velut ſimiæ, cum ſine ratione principum quæ ſunt externa ubique æmulantur, videri volunt iis ſimillimi: dumque nihil agunt, fortaſſe in limine, aut atriis domus regiæ ocioſi, neſcio quam ſportulam expectantes, & ex plebis ſanguine, ut ita dicam, ac viſceribus opulentiam parantes, totam ætatem conterunt, induſtriamque omnem ſuam collocant in vanis hujuſmodi rebus. Velut antiqui illi, quos hiſtoriæ apud *Diod. lib. 3. p. 102.* memorant, *Æthiopes, qui adeo ſuum Regem æmulabantur, ut ſi quando aliqua corporis parte debilitaretur, aulici omnes ſua ſponte dolerent, turpe exiſtimantes Rege claudo, aut monoculo, omnes claudos aut monoculos non eſſe.* Sic etiam ferunt *Platonis familiares contractos humeros expreſſiſſe, & Ariſtotelis amicos balbutiem illius imitari ſolitos: rurſus Alexandri Regis aulicos familiares cervicem inflexam & in dicendo vocis aſperitatem reddidiſſe.* vide *Plutarch. de diſcr. veræ am. ab adult. p. 53. C.* MISOP. Ad eos propius accedunt aulici noſtri forenſes, non dico eos, quos Pragmaticos vulgus nuncupat, & Demoſthenes σπερμολόγους καὶ περιτρίμματα τῆς ἀγορᾶς. Hi enim adeo avidi ſunt inter diſcordantes amicos, aut propinquos, vel affines ſimultatum & tantis occupationibus diſtenti, ut vel ocium quidem ne habeant excogitandi ea quæ ad decus & honeſtatem apprime homini neceſſaria ſunt, ſed de his loquor, qui ocium deſidiamque amplexantes vix e matris utero egreſſi, primis labris Juriſprudentiam nedum attigerint, Juriſconſulti tamen videri volunt, & poſtquam paucos dies in foro deambulando contriverunt, nihil aliud agentes, quam ut cum Demoſthene dicam περιιόντες αὐτῶν πυνθάνεσθαι κατὰ τὴν ἀγορὰν, λέγετε τὶ καινὸν, tum demum magiſtratibus toto pectore inhiant, & ita ſuperciliose honores ambiunt, quos poſtquam legitimo ſcilicet commercio conſequuti fuerunt, quaſi jam nihil aliud ſperantes, in perpoliendis ſuis pilis toti incumbunt, omnia denique agunt ad faſtum, pompam & delicias. POGON. Sed has nugas relinquamus, & quod rationi conſentaneum eſt, conſideremus. Comam enim *humaniores viros reddere, & hilariores* dicebat Lycurgus, ut ait Plutarchus in *Lycurgo p. 53. D.* & in *Lyſandro p. 434. A.* præſertim eos, quos natura produxit mites, benignos & dulces. Heliodorus ſic dicebat *lib. 2. Æthiop. p. 93.* κόμη, τοὺς μὲν ἐρωτικοὺς ἱλαρωτέρους, τοὺς δὲ λῃστρικοὺς φοβερωτέρους ἀποδείκνυσι. Itaque ait ibi Cnemonem comæ abraſiſſe ὅσον εἰκὸς ἦν ἔλαττον κομᾶν τοῦ λῃστρικοῦ τὸ ἁβρότερον. Et conſtat apud antiquos uſitatum fuiſſe deprecationis loco *barbam* tangere. Homerus ἰλ. κ. *n.* 454.

> Ἦ, καὶ ὁ μέν μιν ἔμελλε. γενείου χειρὶ παχείῃ
> Ἁψάμενος λίσσεσθαι.

Et per *barbam* deprecari moris fuiſſe, Euripidis verſus oſtendunt *in Hecub. n.* 286.

> Ἀλλ' ὦ φίλον γένειον, αἰδέσθητί με.

deinde n. 752.

> Ἀγάμεμνον ἱκετεύω σε τῶνδε γουνάτων
> Καὶ σοῦ γενείου, δεξιᾶς τ' εὐδαίμονος.

& hoc vult Plinius dicens *lib. 11. cap. 45. Antiquis Græciæ in ſupplicando mentum attingere morem fuiſſe.* Sic adhuc Euripides in Oreſte *n.* 290.

> Πολλὰς γενείου τοῦ δ' ἂν ἐκτείνας λιτάς.

id eſt, *Multis per mentum hoc rogaturum precibus.* & in Medea *n.* 65.

> Μὴ πρὸς γενείου κρύπτε σύνδουλον σέθεν.

& ait Servius *lib. 6. Æneid. n.* 300. veteres *non ſolum comas ornaſſe, ſed etiam barbam*; ejuſque rei ex ſtatuis ſumit argumentum. Quin radere indicium erat ne- 13
glectæ venuſtatis. Suetonius de Octavio *c. 79. n. 1.* ſic loquitur: *Et in capite comendo tam incurioſus ut raptim compluribus ſimul tonſoribus operam daret, ac modo tonderet, modo barbam raderet.* Conſtatque raſuram triſtitiæ mœroriſque indicem fuiſſe. Quod & in muliere notaſſe viſus eſt Accius in Amphyt. hoc verſu quem citat Nonius *c. 2. n.* 850.

> *Sed quænam hæc eſt mulier, funeſta veſte, tonſura lugubri?*

Plutarchus id in libro de ſuperſtitione aperte docet. Imo etiam *ſupercilium in mœrore radere moris fuiſſe*, refert Artemidorus *lib. 1. cap. 27.* Et Argivos victos a Lacedæmoniis amiſſis Tyriis deplorandæ calamitatis cauſa capillos *barbam*que reſecaſſe; contra vero victores Lacedæmonios in argumentum publicæ lætitiæ *barbam* & comam relaxaſſe ſcribunt Herodotus *lib. 1. p. 38. B.* & Plutarchus in Lyſandro *p. 433. E.* Sicque ad hanc rem ait Seneca *lib. 1. de benef. cap. 6. Si regem in luce media errantem ad rerum naturam admiſiſſet, uſque eo ignarum, ut quo die ſolis defectio fuit, regiam clauderet, & filium, quod in luctu ac rebus adverſis moris fuit, tonderet.* Athenienſes ἀπατουρίαν celebrantes, ut parentes defunctos lugerent, *capite raſo in medium procedebant*, inquit Xenophon *lib. 1. de geſtis Græc. p. 449. A.* μέλανα ἱμάτια ἔχοντας καὶ ἐν χρῷ κεκαρμένους. Urbe Sybari a Crotoniatis direpta, univerſi Mileſii capita deraſerunt, & ingentem luctum ediderunt. Herodotus *lib. 4.* teſtis eſt in *Delo, pueros puellaſque innuptas cæſis crinibus parentaſſe*: & *lib. 9. p. 593. D.* refert *Perſas audita Maſiſtii cæde ſe ipſos & equos & jumenta totondiſſe*; & in proverbio fuit iis qui ſummo dolore afficiebantur, ad vivum uſque tonſos eſſe, quaſi hos malum non leviter attigiſſet. Sic enim chorus Sophoclis in Ajace miſerrimam Tecmeſſam alloquitur: ξυρεῖ γὰρ ἐν χρῷ τοῦτο. id eſt, *hoc mali nuncium te ad vivum pertingit.* Job *c. 1. n. 20.* in ſuis lamentationibus dicitur *totondiſſe caput ſuum ac ſcidiſſe pallium.* Julius Firmicus libro de errore prophanarum religionum *p. 4.* ita de Ægyptiis ſcribit: *In adyto habent Oſiridis ſepultum idolum, hoc annuis luctibus plangunt, radunt capita, ut miſerandum caſum Regis ſui turpitudine dehoneſtati defleant capitis.* Eademque referuntur a Plutarcho lib. de Iſid. & Oſirid. Diodorus Siculus *lib. 1.* eadem de iiſdem notans; ἀλλὰ μὴν, inquit, καθ' οἰκίαν εὑρεθῇ κύων τετελευτηκὼς, ξυρῶνται πάντες οἱ κατ' οἶκον ὄντες ὅλον τὸ σῶμα, καὶ ποιοῦνται πένθος. Quibus locis difficilis erit intellectu Herodotus dicens *lib. 2. p. 115. E* τοῖσι ἄλλοισι ἀνθρώποισι νόμος ἅμα κήδεϊ κεκάρθαι τὰς κεφαλὰς, τοὺς μάλιστα ἱκνέεσθαι. Αἰγύπτιοι δὲ ὑπὸ τοὺς θανάτους ἀνιεῖσι τὰς τρίχας αὔξεσθαι, τάς τε ἐν τῇ κεφαλῇ καὶ τῷ γενείῳ, τέως ἐξυρημένοι. Id eſt, *apud cæteros homines more receptum eſt, ut in luctu ſtatim capita radantur, & eorum potiſſimum ad quos jure luctus perveniebat. Ægyptii vero in morte ſuorum ſinunt capitis barbæque pilos creſcere, qui antea tonſi fuerant.* Sed hujus diverſitatis conciliandæ hanc eſſe rationem puto; quod, ut ait D. Gregorius 1. Pont. max. *mos veterum fuit, ut quiſquis ſpeciem corporis ſui capillos nutriendo ſervaret, eos tempore afflictionis abſcinderet; & rurſum qui tranquillitatis tempore capillos abſcinderet, eos in oſtenſione afflictionis nutriret.* lib. 2. Moral. cap. 17. Et, ut ante dictum eſt, magna eſſet inter raſuram & tonſuram differentia, propria nimirum ſignificatione: nam promiſcue & indifferenter ſæpiſſime uſurpata hæc vocabula fuiſſe non eſt ignotum. Itaque cum ab omnibus eſſet *barba* & coma frequenti tonſione culta, accedente luctu, aut radebatur, aut vero neglecta, ſineba- 14
tur

tur augeri, & increſcere. nam capillos quidem vagari ſinere, hominis eſt aut ſordidi aut crudelis; omnino vero amputare, furentis aut fatui. Itaque Artemidorus in ſomniis cum raſuram indicium eſſe dixit mœroris, tonderi vero voluptatis eſſe affirmavit *lib.* 1. *cap.* 23. κείρεσθαι δὲ ὑπὸ κουρέως ἀγαθὸν πᾶσιν ἐπίσης δηλοῖ, ἔστιν γὰρ ὡς εἰπεῖν ἀπὸ τοῦ χαρῆναι κατὰ παραλλαγὴν στοιχείου ἐκδέξασθαι. Satiſque conſtat moris fuiſſe Romæ quum triſte aliquid accidiſſet, capillum ſummittere, ſordidoque capillo & demiſſo prodire: *Sordidati*, inquit Cicero Ver. 2. 25. *maxima barba & capillo Romæ biennium prope fuerunt.* Quod a Caligula factum fuiſſe refert Suetonius *c.* 24. *n.* 6. qui *morte Druſillæ audita, adeo mœroris impatiens fuit, ut repente ab urbe noctuque profugerit, rurſuſque redierit barba capilloque promiſſo.* Et hoc indicat Plinius Epiſt. 7. 27. 14. ubi ait *moris fuiſſe reis capillos ſummittere.* Livius lib. 2. 23. *Ad hoc promiſſa barba & capillo efferaverant ſpeciem oris.* & lib. 44. 19. *Alexandrini legati ſordidati barba & promiſſo capillo cum ramis oleæ ingreſſi curiam, procubuerunt.* Julius Cæſar, teſte Suetonio *c.* 67. *n.* 3. *audita clade Titurriana barbam capillumque ſummiſit, nec ante dempſit quam vindicaſſet.* De Antonio victo refert hæc Plutarchus: καὶ κόμη μὲν ἀτημελὴς καὶ βαθὺς πώγων μετὰ τὴν ἧτταν ἐνθὺς ἦν αὐτῷ καθειμένος. Herodianus *lib.* 5. 2. 6. ait Macrinum *Antiochiæ barbam nutriſſe mœſtitiæ cauſſa.* Et Gellius *lib.* 3. *cap.* 4. refert Claudium Aſellium tribunum plebis *cum eſſet reus, in contemptum populi barbam non deſiiſſe radere.* Nec ſolum id ab his, qui contumeliam patiebantur, fiebat, ſed a populo, aut etiam a cognatis. Sic enim ſcribit Livius *lib.* 6. 16. *Conjecto in carcerem Manlio, ſatis conſtat magnam partem plebis veſtem mutaſſe, multoſque mortales capillum ac barbam promiſiſſe.* Sed & Seneca *Contr.* 30. teſtatur Romanos *in honorem alicujus quem lugebant, veſtem ſordidam ſumpſiſſe, & barbam capilloſque demiſiſſe.*

15 Et quia hoc plerumque ad calumniam & injuriam, quaſi accuſationis loco fiebat, ut ſcribit Juriſconſultus Ulpianus *l.* 15. *de injur.* quia forte, ut apparet ex eodem Senecæ loco, ambulabat eadem via quis cum eo, quem alicujus criminis conſcium arguebat, ejuſque veſtigia calcabat: ideo Venulejus *l.* 39. *eo. Tit.* refert vetitum fuiſſe *ne quis veſtem ſordidam rei nomine in publico haberet, capillum ſummitteret, barbamve demitteret, niſi ita conjunctus eſſet affinitate, ut invitus in reum teſtimonium dicere cogi non potuiſſet.* Ad hoc pertinet illud Senecæ *Troad. act.* 1. *n.* 83.

Solvite crinem, per colla fluant
Mœſta capilli.

Quibus ex locis apparet, antiquitus capillos longos quidem gerere moris fuiſſe, ſed ita contextos & compoſitos, ut ornatui eſſent, mœſtitiæ vero cauſſa demitti. Cujus rei neminem ſcio, quem ad teſtimonium certius citare poſſim quam Joſephum *lib.* 14. *antiq. cap.* 17. apud quem Sameus Herodem accuſatum objurgat, quod præter morem reorum non demiſſo capillo κόμην ἐπιθρέψας prodierit, ſed τὴν κεφαλὴν κεκοσμημένος τῇ συνθέσει τῆς κόμης. Sic etiam Cicero pro Roſcio Amer *c.* 46. *Ipſe vero ait quemadmodum compoſi-*
16 *to & delibuto capillo paſſim per forum volitet.* Alii vero, quemadmodum diximus, non demittebant crines, ſed eos omnino radebant. Exempla multa hac de re Plutarchus in Pelopida poſuit *p.* 296. *E* Thebani enim Pelopida mortuo *omnes ut indicarent luctum, raſerunt non ſolum ſe, ſed & equos.* Alexander Magnus audita Phocyonis * nece, *raſit non ſolum crines equorum & mularum, verumetiam radi juſſit civitatis murorum apices, ut viderentur una lugere*; hoc eſt enim indicium mœroris & luctus. Hoc Admetum Regem Phæreorum in morte Alceſtis uxoris fieri juſſiſſe ita refert Euripides n. 428.

Τέθριππά τε ζεύγνυσθε, καὶ μονάμπυκας
Πώλους, σιδήρῳ τέμνετ' αὐχένων φόβην.

* *Hephæſtionis Plutarchus.*

Suetonius narrat in Caligula *c.* 5. *n.* 4. *Regulos quoſdam*, audita Germanici morte, *barbam poſuiſſe, & uxorum capita raſiſſe, ad indicium maximi luctus.* Atque in antiquorum funeribus id ſolemne fuiſſe patet. Herodianus *lib.* 4. 8. 12. ait Antoninum Imperatorem, *libertum quendam ſepelientem, ut Achillem imitaretur, omni genere animalium circa corpus mactato, etiam capillum conſecrare voluiſſe: cumque eſſet raro capillo, & crinem quæreret, ut imponeret ignibus, & ridiculus propterea eſſet, quos habebat tamen totondiſſe.* Cujus ſolemnitatis ratio refertur ab Homero Ιλ. ψ, *n.* 46. quum ait Achillem flendo Patroclum, ut juſta ei perſolveret, crines raſiſſe.

Κείρασθαί τε κόμην, ἐπεὶ οὔ μ' ἔτι δεύτερον ὧδε
Ἵξετ' ἄχος κραδίην ὄφρα ζωοῖσι μετείω.

Id eſt, *Ne unquam poſtea plorem quoad vixero.* Deinde narrat *n.* 141. omnes Achivos Patroclum ſuis capillis cooperuiſſe, Achillem vero flavam comam abſcidiſſe:

Στὰς ἀπάνευθε πυρῆς ξανθὴν ἀπεκείρατο χαίτην.

ab Euſtathio Ιλ. β. *p.* 124. appellatur πενθήριος πλοκαμός. Sic Sophocles in Ajace, quum Teucer eum ſepulturæ mandat, jubet filio ejuſque matri una ſecum capillos offerre. *n.* 1199.

Κόμας ἐμὰς καὶ τῆσδε καὶ σαυτοῦ τρίτου
Ἱκτήριον θησαυρόν.

& in Electra Oreſtes in Agamemnonis ſepulchro ſic ait *n.* 50.

Ἡμεῖς δὲ πατρὸς τύμβον. ὡς ἐφίετο,
Λοιβαῖσι πρῶτον καὶ καρατόμοις χλιδαῖς στέψαντες.

& Electra ſic loquitur *n.* 450.

— σὺ δὲ
Τέμουσα κρατὸς βοστρύχων ἄκρας φόβας,
Κ' ἀμοῦ ταλαίνης, σμικρὰ μὲν τάδ' ἀλλ' ὅμως
Ἄχω, δὸς αὐτῷ τήνδ' ἀλιπαρῆ τρίχα.

tum in Oreſte Euripides n. 66.

Κόμης ἀπάρχας καὶ χοὰς φέρουσ' ἐμάς.

Alexander Magnus Hephæſtione mortuo dicitur apud *Arrian. p.* 472. κείρεσθαι ἐπὶ τῷ νεκρῷ τὴν κόμην. Plato in Phæd. *p.* 67. *A.* Σωκράτης καταψήσας οὖν μου τὴν κεφαλὴν καὶ ξυμπιέσας τὰς ἐπὶ τῷ αὐχένι τρίχας (εἰώθει γὰρ ὁπότε τύχοι παίζειν μου εἰς τὰς τρίχας) αὔριον δὴ ἔφη ἴσως ὦ Φαίδων, τὰς καλὰς ταύτας κόμας ἀποκερῇ. erat enim moriturus Socrates: Itaque, inquit Phædon, *contrectans poſteriores capitis mei capillos, quibuſcum ſæpiſſime ludere ſolebat, Cras, dixit, o Phædon forſitan hanc pulchram reſecabis comam.* Et ſane etiam ſetis juvencorum ſacrificari in ſepulturis legimus apud Virgilium *lib.* 6. *Æneid. n.* 243.

Quatuor hic primum nigrantes terga juvencos
Conſtituit, frontique immergit vina ſacerdos:
Et ſummas carpens media inter cornua ſetas
Ignibus imponit ſacris libamina prima.

Pulchre itaque Maximus Tyrius *Orat.* 8. comam eſſe dicit τὸ τελευταῖον δῶρον ἤδη καταθαπτομένῳ. Sed & noviſſime ex Froiſſardo didicimus Gaſtone de Foix mortuo patrem ſuum mœſtitiæ capillos omnino amputaſſe. Porro & in reatu conſuetum fuiſſe miſerationis ergo 17
crines radere, ſatis conſtat ex Sidonio Apollinari *lib.* 1. *epiſt.* 7. quum ita ſcribit: Pauci medii dies, & in tractatorium frequens Senatus procedit noſter ad curiam, paulo ante detonſus pumicatuſque, quum accuſatores ſemipullati atque concreti, nuncios a Decemviris operirentur, & ab induſtria ſqualidi præripuiſſent miſero debitam miſerationem ſub invidia ſordidatorum. Id vero apertius patet ex Suetonio de Vitellii ſupplicio hæc dicente *c.* 17. *n.* 2. *Per totum vitæ Sacræ ſpatium reducta coma ceu noxii ſolent.* Apud Hebræos inſtitutum legitur *Num.* 6. *n.* 11. ut *Nazareni*, hi videlicet qui ut liberius vacarent legi, ſe a commercio profanorum abdicabant, *non tonderentur*: & in omni tempore ſeparationis ſuæ cautum erat, *ne novacula tranſiret ſuper caput Nazareni,*

nisi si quando casu fortuito mortuus fuisset quispiam coram eo. Sacerdotibus Deus optim. maxim. vetuerat *Lev.* 19. *n.* 27. *ne in rotundum attonderent comam, nec raderent barbam.* Atque ut Regis Hebræorum Davidis legatos irrideret Hanon, ferunt historiæ *Paral.* 1. *c.* 19. *n.* 4. *eos rasisse, tum etiam præcidisse tunicas eorum a natibus usque ad pedes*; qui quum abiissent & hoc Davidi mandassent, jussi sunt ab eo, *manere in Hiericho, donec cresceret barba*, ne contumeliosi essent. Ideo etiam ait Aimoinus monachus *lib.* 4. *histor. Franc. cap.* 2. Sadregesilum ducem Aquitanorum a Dagoberto Rege Francorum, fuisse flagellis cæsum, & *barbæ* rasione deturbatum. *Apud Indos qui maximum aliquod delictum perpetraverat, a Rege tonderi jubebatur*; ἐσχάτης ὄσης ταύτης ἀτιμίας, inquit Stobæus *Serm.* 42. ex Nicolai scriptis.
19 Et apud Francos promissa *barba* intonsusque capillus regiæ nobilitatis olim insigne erat. unde Clodionem Regem comatum cognominatum fuisse tradunt. Et Clodoveus, ut in principio dicebas, cæsariem prolixam gerebat, ut & omnes quotquot fuere antiqui Reges Franciæ, ut testatur Eguinardus Caroli Magni alumnus. Sic enim ait: *Et opes & potentia Regni penes Palatii præfectos qui Majores domus dicebantur, & ad quos summa imperii pertinebat, erant: neque Regi aliud relinquebatur, quam ut regio tantum nomine contentus, crine profuso, barba summissa, solio resideret, ac speciem dominantis effingeret.* Agathias itaque ait *lib.* 1. *Goth.* Clodamirum filium Clodovei regis Franciæ ipsumque Aureliæ Regem, in bello contra Burgundiones occisum fuisse, ab illisque agnitum, *quod in eo comam profusiorem, quæ illi ad tergum protendebatur, animadvertissent. Neque enim*, inquit, *fas erat Francorum Imperatoribus comam tondere, sed a pueris intonsi manent, atque adeo ut a tergo his defluant crines, nam a fronte discriminati utrimque feruntur. Nec sane Turcarum more Barbarorumque impexi & squalidi sordidioresque capilli his sunt vel alias calamistrati & indecenter perplexi, sed varia his superinfundunt unguenta, & diligenter pectendo expoliunt: idque perinde præcipuum & regum decus constitutum est, solis ut regibus permittatur; nam subditi circumtonsi sunt omnes, nec prolixior his coma conceditur.* Hactenus ille. Itaque refert Gregorius Turonensis Hist. II. 41. Clodoveum Chararicum Regem vinctum totondisse; quoniam vero minitabatur sibi cæsariem ad crescendum laxare, ipsum interfecisse. Digna vero Chrotildis Reginæ historia, quæ ab eodem auctore recensetur. *Filiis Clodomeri, Childebertus patruus deliberabat utrum incisa cæsarie ut reliqua plebs vivere permitteret, an interficeret, ad Chrotildem matrem, quæ hos parvulos nepotes unico affectu diligebat, misit Arcadium cum forcipe, ac evaginato gladio optionem ei dans utrum incisis crinibus eos vivere juberet, an jugulari.* Quæ respondisse fertur, *satius sibi esse mortuos quam tonsos videre.* Refert etiam de Gundebaldo, qui filius Clotarii Regis putatus diligenti cura enutritus fuerat, *ut regum istorum mos est, crinium flagellis per terga demissis.* De eodem Aimoinus monachus sic scripsit *lib.* 3. *cap.* 6. *Gundebaldus in Galliis natus, moreque regum a matre enutritus (uti consuetudo antiquis Franciæ fuit Regibus) capitis comam gerebat profusam.* Porro morem hunc usque ad Petri Lombardi Parisiorum Antistitis tempora *Beatus Renanus lib.* 2. *rer. Germ.* ait durasse, quem is velut indecentem & ineptum tollendum persuaserit. atque hæc illis Francis antiquissimæ observationis esse, testimonio est Claudiani versus ad Stiliconem *n.* 202.

— ingentia quondam
Nomina crinigero flaventes vertice Reges.

Qua de causa ait Gregorius Turonensis Francos Rheno transacto Thuringiam transmeasse, ibique juxta pagos
20 vel civitates reges crinitos super se creavisse. Sed eo redeamus, unde digressi sumus. Num rasura illa, si ad naturam referenda sit ratio, intemperiem notat? hoc enim fieri solitum est ab iis qui aut sordidi natura sunt, aut calorem ægre molesteque ferunt. Quemadmodum de Julio Cæsare refert Suetonius *c.* 45. *n.* 3. *Circa corporis curam*, inquit, *morosior, ut non solum tonderetur diligenter ac raderetur, sed velleretur etiam, ut quidam exprobrarunt.* Ægyptiorum sacerdotibus pro more fuisse prodidit Herodotus *in Euterp. p.* 116. *nedum mentum sed & totum corpus eradere, nequid eis inter Deorum cultum, aut pedionis aut alterius sordis crearetur.* Refert *in verbo* ἀφροδίτη Suidas *id mulieribus Romanis aliquando accidisse, quum scilicet prurigine adeo laborarent, necesse habuisse caput totumque corpus vellere; quapropter simulachrum Veneris confinxisse pectinem ferentes, & barbatæ ut ea sibi capillos restauraret.* Sed & hæc rasura summæ impudicitiæ mollitieique imputata est P. Sulpitio Gallo homini a P. Scipione Africano, qui teste Gellio *lib.* 7. *cap.* 12. his usus est verbis: *Nam qui quotidie unguentatus adversum speculum ornetur, cujus supercilia radantur, qui barba vulsa feminibusque subvulsis ambulet*, &c. *eumne quisquam dubitet quin idem fecerit quod cinædi solent.* Hoc vero impudicitiæ signum interpretatus est Cicero *pro Rosc. Comœd. c.* 7. in Cajum Fannium, his verbis: *Oro atque obsecro vos qui nostis, vitam utriusque conferte; qui non nostis, faciem utriusque considerate, nonne ipsum caput, & supercilia illa penitus abrasa olere malitiam, & clamitare calliditatem videntur? nonne ab imis unguibus, usque ad verticem summum, (si quam conjecturam adfert hominibus tacita corporis figura,) ex fraude, fallaciis, mendaciis constare totus videtur? qui idcirco capite, & superciliis semper est rasis, ne ullum pilum viri boni habere dicatur.* Calvities etiam, ad quam propius hæc rasura accedit, opprobrio maximo erat. Eliseus *Reg.* 2. *cap.* 2. *n.* 23. quum *ascendisset Bethelem: puerique illusissent ei dicentes, Ascende calve, ascende calve, maledixit eis: egressique sunt duo ursi de saltu, & laceraverunt ex eis quadraginta duos pueros.* Itaque etiam Homerus de Thersite viro omnium turpissimo ait Iliad. 2. 219.

Φοξὸς ἔην κεφαλὴν, ψεδνὴ δ' ἐπενήνοθε λάχνη.

Id est,

Parvum caput illi erat, cui adhuc rarus percurrebat capillus.

Julius Cæsar, inquit Suetonius *c.* 45. *n.* 2. *calvitii deformitatem iniquissime ferebat, & obtrectatorum sæpe jocis obnoxiam expertus est, ideoque deficientem capillum revocare a vertice assueverat.* Tiberium *quia calvus erat, derisit* apud *Dion. lib.* 58. *p.* 633. *A.* Sejanus, qui *Floralibus omnia calvorum ministerio peragebat, lumen quoque discedentibus a theatro per puerorum rasis capitibus quinque millia præbuerat.* Sed & Galba * cum *vulso corpore esset, galericulum capiti propter raritatem capillorum adaptavit, & annexit, ut nemo dignosceret.* Domitianum etiam *calvitio ita offensum fuisse, ut in contumeliam suam traheret si cui joco vel jurgio objectaretur, & libellum De cura capillorum edidisse* Suetonius testis est *c.* 18. *n.* 3. Sane vero, ut tandem me colligam, hæc vulsura capitisque rasio miræ est deformitatis; ab hisque nimirum inventa, qui ne hic defectus sibi esset opprobrio, ut cæteris pares essent, tonsuram ad rasionem usque introduxerunt: quum tamen penitus hoc fatuitatem redoleat, abrasuraque ejusmodi nescio quid sapientiæ homini detrahere videtur. Quod observari plerique testantur in iis qui secretioris Philosophiæ sunt professores. Sed & illius magni Samsonis vires tum demum defecerunt, quum a Dalila rasus est *Jud. c.* 16. *n.* 9. Feruntque hujusmodi Philosophos omnino intonsos esse. quam ad rem allusit hoc versu Plautus in Rudente 2. 346.

Capillum promittam, optimum est, occipiamque hariolari.

Apollonius Tyanæus etiam præstigiator magnus comatus fuit teste Philostrato. Quid vero commemorem de Numa Pompilio, quem *Plutarch. in Numa p.* 70. *D.* & *Ovid. lib.* 3. *Fastor. n.* 338. dicunt a Jove impetrasse, ut hominis capilli ad fascinationem prodessent? Lubens omitto Æsculapii mentionem apud *Arnob. lib.* 6. *contra gentes,*

* *Othonem dicit Suet. c.* 12. *n.* 2.

res. pag. 206. qui prolixa *barba* semper a pictoribus & poëtis fingitur. MISOP. Jam a principio memini me dixisse non ita crines *barbam*que amputari debere, ut quis calvus omnino esse videatur. Sed id honestum decusque putavi, si quis non ita promittat *barbam*, verum eo pacto comminuat, ut nihil tamen desit decoris virilis & honestatis. atque ideo nisi tibi aliud videtur, satis hac de re lusimus, tu tuo more vivito & nos ama.

Postea satis corporis & animi exercitatione recreati, quum jam receptui propinqua nox caneret, rediimus, & omnes qui una eramus, plausimus eorum ingenio, & industriæ.

BARBARI primis Græcis dicebantur reliquæ nationes; unde Plaut. Asin. Prol. n. 11.

Marcus vertit Barbare.

id est, Latine. Romani postea, præter seipsos & Græcos, cæteros omnes appellavere *Barbaros.* Item gens quælibet eam *barbaram* vocat, cujus linguam non novit. Ovid. Trist. v. 10. 37.

Barbarus hic ego sum; quia non intelligor ulli:
Et rident stolidi verba Latina Getæ.

Chiflet. Anast. Childer. c. 5. Olim proprie Phryges sunt appellati. Euripides sæpe in Oreste, & Interpres Sophoclis in Ajace Mastigophoro. *Argol. in Panvin. de Lud. Circ.* I. 13: II. 19. *Cerd. in Virg. Æneid.* XI. 777. Ægyptiorum consuetudinem secuti quibusdam animantium imaginibus animi sensa expresserunt, ut Idanthurus Scytharum Rex, qui ad Darium trajecto Istro bellum minantem eas literas misit, in quibus murem, ranam, avem, jaculum, aratrum pinxerat: neque ullum verbum præterea addidit, e quorum animantium figuris alii Scythas imperium Dario tradituros interpretabantur, quod ex mure domos, ex rana aquas, ex ave aerem, ex jaculo arma, ex aratro regionem significari dicerent: alii non posse Scytharum tela a Persis evitari, nisi illi e Scythia tanquam aves evolarent, aut terram, aut aquam, tanquam mures & ranæ subirent. *Bargæus de Obelisc Thes. Antiq. Roman. Græv. Tom.* IV. *p.* 1913. *D.* Per viscera hominum augurabantur. Porphyr. II. de *Barbaris* dicit: δι' ἀνθρώπων σπλαγχνεύεσθαι. *Stuck. de Sacrif. p.* 193. Antoniana constitutione, sublato omni gentis, seu Romani ac peregrini in orbe Romano discrimine, quacunque tandem patria, modo intra Romani imperii fines eadem foret, orti, omnium aliorum honorum ac dignitatum, palatinarum, ut eadem sunt illo ævo appellatæ, civilium, aut militarium promiscue facti sunt participes. Adeo quidem, ut paullatim *Barbari* quoque, seu nati extra eosdem Romani orbis fines ad Romanorum magistratus ac dignitates, una cum data iis civitate sint evecti. Id utique ante exitum adhuc sequentis post latam Antonianam constitutionem seculi, sub Theodosio seniore contigisse docet, ac simul haud obscure redarguit Synesius in Oratione de Regno ad Arcadium ejus filium p. 25. Ita sub Arcadio & Valentiniano Consulibus duo *Barbari* Consules: Fravitta, unus e *Barbaris* Arcadii ducibus, Consul ab eodem, ut tradit Zosim. v. 20. & ex Idatii & Cassiodori Fastis præterea liquet, designatus; sub Honorio autem, & geminato quidem Consulatu, præclaris de eodem insuper Claudiani panegyricis nobilitatus Stilicho. Hujus instituti illustre in primis documentum præbet immutata, quæ olim ante civitatem toti Italiæ, aliisque dein provinciis, aut civitatibus extra Italiam, ac tandem omnibus in orbe Romano, obtinuit militiæ ratio. Quomodo nempe factum est, ut quæ antea legiones e Romanis tantum, seu urbani iidem, seu Latium, seu Italiam habitarent, civibus constabant, e provincialibus postea, ut plurimum deligerentur: quæ auxilia vero e sociis olim, seu provincialibus deligebantur, ea e nationibus *Barbaris*, quæ vel pretio, vel sponte, in eam se militiam dabant, conscriberentur. Unde paullatim, & confuso omni priscæ Romanorum militiæ instituto factum, ut *Barbari*, qui necdum Romanorum jugum subierant, nec inter subjectos populos, vel provinciales relati, legionibus subinde sint immixti, aut legiones etiam de eorum militibus dictæ: cives autem Romani, seu legionarii, quod docet Veget. II. 3. addita etiam ejus rei causa, in auxiliis, quæ alioquin e *Barbarorum* populis iis temporibus conscribebantur, subinde militarent. *Spanhem. ad Constitut. Antonin. Imper. Exercit.* II. *Thes. Antiq. Roman. Græv. Tom.* XI. *p.* 157. 158. 159. 160. Nomina *Barbarorum* Regum non iisdem literis exarabantur ab auctoribus, neque pronuntiabantur eodem vocis sono. Herodotus, & qui eum sunt consecuti Latini scriptores Sesostrim vocant, quem Diodorus Siculus Sesoosim nominat. Et sane verisimile est, Rhamisem, de quo Plin. XXXVI. 8. eundem fuisse cum Rhamese, de quo Eusebius testatur in Ægypto regnavisse sexaginta sex annos, nimirum ab anno 3880. ad annum 3946. & cum Rhameste, cujus in Augusti obelisco, qui in circo fuerat positus, fit mentio: quando in eadem ferme tempora incurrunt, & idem nomen est, si ex Rhameste unicam literam dempseris, aut si Rhamesi eandem addideris. *Bargæus de Obelisc. Thes. Antiq. Roman. Græv. Tom.* IV. *p.* 1915. *B.*

BARBARICA opera sunt dicta, quæ a *Barbaris* emanarunt. *Panciroll. Notit. Dign. Imp. Occid. c.* 39. *Bergier. de Viis Milit.* IV. *Sect.* 22. §. 3. Forte per contractionem quasi *Barbaricaria.* Strabo enim XIV. p. 455. scutorum ansas, insignia & cristas vocat *Carica.* Cares vero Homer. Ἰλιάδ. B. 867. vocat βαρβαροφώνας & Hesychius ἔθνος βαρβαρικόν. Et βαρέας inter telorum militarium genera numerat Herodian. VII. 9. 12. *Guther. de Offic. Dom. Aug.* III. 22.

BARBARICARII, qui perperam in Notitia Imperii corrupto nomine *Brambaricarii* dicuntur, potuerunt vocari ab armis, quæ modo, quem mox dicam, ornata gestabant hi milites, vel forte quod ex *Barbarico* loco Romanis minime subjecto essent collecti. Erant, qui armorum fabricis deputati sunt, a quibus cassides bucculæque auro & argento tegebantur. Valentinianus, Valens & Gratianus leg. 1. Cod. de Fabricensibus: *Cum senæ per tricenos dies ex ære, tam apud Antiochiam, quam apud Constantinopolim a singulis Barbaricariis cassides, sed & bucculæ tegerentur: octo vero apud Antiochiam cassides, totidemque bucculas per dies triginta, & tegerent auro, & deaurarent.* Panciroll. Notit. dignit. imp. Occid. c. 39. & 72. Bergier. de viis Milit. IV. Sect. 22. §. 1. & 5. Guther. de Offic. Dom. Aug. III. 22. Buleng. de Imp. Roman. VI. 67.

Barbaricarii etiam dicuntur, qui ex auro coloratis filis exprimunt formas hominum, animalium & aliarum specierum, imitantes subtilitate veritatem. Ita hos appellat Constantin. Cod. X. de excus. artif. leg. 1. Donat. ad Virg. Æneid. XI. 777. *Panciroll. Notit. Dign. Imp. Occid. c.* 39. *&* 72. *Bergier de viis Milit.* IV. *Sect.* 22. §. 2. *Guther. de Offic. Dom. Aug.* III. 22. *Buleng. de Imp. Roman.* VI. 67.

BARBARICORUM agentes tres. Eorum officium erat scribere numerum armorum, quot hastæ, scuta, cassides, & id genus alia, singulis diebus ad usum militum fabricarentur, quot armariis inferrentur, impensas in eis factas, & ferri fabricis illati quantitatem, & similia. *Panciroll. Notit. Dign. Imp. Orient. c.* 72.

BARBARICUM est *Barbarorum* locus, vel regio ex Græcorum imitatione. Βαρβαρικὸν enim, ut Ammonius ait, locum vel regionem *Barbarorum* significat; aut fortasse dicitur *Barbaricum*, quemadmodum & hosticum apud Liv. VI. 31. *Romano contra in hostico commorandi causa erat, ut hostem ad certamen eliceret.* Valentinianus & Gratianus in l. 1. Cod. quæ res exportari non debent. *Ad Barbaricum transferendi vini, olei, & liquaminis nullam habeat quisquam facultatem.* Mag. Misc. III. 12. Panciroll. Notit. Dign. Imp. Occid. c. 79.

BARBATUS cognomen est Horatiorum & Scipionum. *Sigon. de Nomin. Roman. c.* 5. Ejus ratio reddi certa nulla potest. *Augustin. de Fam. Roman. in Horatia.* Nescio, quomodo Johannes Glandorpius in cognominum Indice *Barbati* cognomen reperiri scribat in Capitolinis & Messalis, cum hæc uti & *Barbatus* cognomina essent. *Ursat.*

de Not. Roman. Thes. Antiq. Roman. Græv. Tom. XI. *pag.* 569. *C.*

BARBITOS tribus tendebatur nervis. Hoc est usa multum Sappho, & Alcæus: quapropter *Lesbium* appellat Horat. Od. I. 32. 5. Genus erat citharæ gravius aliquanto sonantis: quocirca Pollux IV. 9. 1. etiam βαρύμιτον dictum prodit. *Scal. Poet.* I. 48. *Turneb. Adv.* IX. 13. *Buleng. de Theatr.* II. 45. *Rhodig. Ant. Lect.* IX. 4. *Volaterr. Comment. Urban.* XXXV. *p.* 1289. *A.*

BARBULÆ cognomen a *barba*, cujus auctorem alicui faciunt primum *barbæ* cultorem, aliqui primum magnæ *barbæ* nutritorem. *Ursat. de Not. Roman. Thes. Antiq. Roman. Græv. Tom.* XI. *p.* 569. *C.* Fuit Æmiliorum. *Sigon. de Nomin. Roman. c.* 5. Quatuor fuerunt *Barbulæ*, qui totidem Consulatus, Dictaturam unam, triumphos duos consecuti sunt. Primus fuit M. Aimilius Q. F. L. N. Dictator fuit comitiorum habendorum causa anno ab U. C. 432. Hunc quidam M. F. appellant, sed ego titulum sequor, & denarium, in quo M. Aimilius Q. F. *Barbula* Consul fuisse dicitur. annum tamen Consulatus nondum reperi. Hujus frater Q. Aimilius a Verrio appellatur Q. F. L. N. Consul fuit quadriennio post cum C. Junio Bubulco Bruto. Eundem collegam habuit tertium Consulem in secundo consulatu anno ab U. C. 442. Amboque eodem mense triumpharunt, Brutus Nonis Sextilibus de Samnitibus, *Barbula* Idibus de Etruscis. Secutus est L. *Barbula* Q. F. Q. N. Consul anno primo belli Tarentini, cujus collega fuit Q. Marcius Philippus. Ambo triumpharunt: Philippus eodem anno de Etruscis, *Barbula* proximo anno Proconsule de Tarentinis, Samnitibus & Sallentinis a. d. VI. Idus Quintiles anno ab U. C. 473. Quartus fuit M. Aimilius, quem Verrius L. F. Q. N. notat Consulem cum M. Junio Pera anno ab U. C. 523. Hic fortasse est in denario Q. F. dictus, convenit enim prænomen. Nec displiceret, ut hunc Q. F. L. N. appellaremus: ut tempora Consulatuum quadrarent aptius. *Augustin. de Famil. Roman. in Æmilia.*

BARCA Latinorum puto esse tractum a Græcorum βαρῖα, quod & ipsum onerariam navem significat. Isidor. XIX. 1. *Barca est, quæ cuncta navis commercia ad littus portat. Hæc merces in pelago propter nimias undas suo suscipit gremio. Ubi autem appropinquaverit portus, reddit vicem barca navi, quam accepit in pelago.* Retinent hoc nomen in suis onerariis navibus, qui ad lacum habitant Lemannum. *Scheffer. de Milit. Nav.* IV. 1. *Panciroll. Notit. Dign. Imp. Occid. c.* 88. *Buleng. de Imp. Roman.* VI. 6. *Barth. Adv.* XXXIII. 14. Lamus navibus non esse similes Ethicus Hister auctor est. Harum Herodotus meminit in Terpsichore. Hodie quoque hoc fere nomine nuncupantur vulgo Græcis æque ac Italis. *Gyrald. de Navig. c.* 18.

BARCINO, vel *Barcinone* Anton. Itiner. & *Barcinon* Ptolem. II. 6. Hispaniæ Tarraconensis urbs, quæ hodie etiam nunc magna celebritate floret: quinimo Catalauniæ regni caput habetur, vulgo *Barcelona*. Carthaginensium prius fuisse coloniam credit August. Hispan. Antiq. dial. IX. Coloniam Faventiam cognominatam scribit Plin. III. 3. sed deductam incerto tempore a Romanis prodit loco citato. Certum hoc tamen est, *Barcinonenses* immunes fuisse, ut habetur in leg. 8. ff. de Censibus. *Ursat. de Notis. Roman. Thes. Antiq. Roman. Græv. Tom.* XI. *pag.* 630. *C.*

BARDAICUS mihi magis placet, quam *Bardiacus*, quo inclinant viri docti: & eam scripturam magis veram esse opinor, quam libri retinent, & confirmat ratio. nam *Bardaicus* a Bardæus, ut archaicus ab ἀρχαῖος, Achaicus ab Achæus. *Bardæi* populi sunt Illyrici, a quibus isti *Bardaici* cuculli. Male igitur dubitarunt viri docti utrum a Bardis Galliæ, an ab istis *Bardæis* cuculli *Bardaici* dicti sint. nam a Bardus *Bardaicus* non potest dici. *Bardaici* quoque cuculli militare gestamen. Calceos etiam *Bardaicos* militum reperio appellatos. Juven. XVI. 13.

Bardaicus judex datur hæc punire volenti
Calceus & grandes magna ad subsellia suræ.

Nec aliter enim procedit σύνταξις quam hoc modo: *hæc punire volenti datur judex, calceus Bardaicus & grandes suræ.* Per quæ militarem judicem intelligit, centurionem, aut tribunum, cui grandes suræ, & calceus *bardaicus*. Incertum utrum de calceo intelligat, an de cucullo Martialis, cum inter res male olentes *Bardaicum* militis ponit IV. 4. 5.

Lassi Bardaicus quod evocati.

Salmas. in Capitol. Pertin. c. 8. Per *Bardiacum* intelliges potius cucullum crassioris lanæ, quo maxime Galli utuntur. Nam *Bardi* natio est Galliæ, quæ maxime, ut docet Strab. III. laudationibus, rebusque Poeticis studet. De quibus Lucan. I. 449.

Plurima securi fudistis carmina Bardi.

Absolute ponitur *Bardiacus*, ut hoc loco, sicut etiam apud Martialem. Sensus est. Ut attendas militantium commoda, si volueris accusare militem, a quo fueris verberatus, miles de milite erit judex: q. d. militi favebit, & tibi adversabitur: ut per *bardocucullum*, caligas & grandes suras describat ipsum centurionem, qui gestare solet in castris cucullum *bardiacum*, & calceum clavatum, & qui magnus procerusque est. *Britannicus ad Juvenalem.* Cujus interpretatio de cucullo præ Salmasii de calceo verior est, idque ex sententia Poetæ. Datur judex *Bardaicus* grandisque calceus, id est, caliga, vel campagus, & grandes suræ, per quæ omnia describitur Tribunus, vel Centurio. Simplicior itaque sententia est: *Bardaicus judex*, id est, bardocucullo vestitus, sive ille ex crassiore lana, sive ex caprarum pilis, & cilicio confectus. Qualem propterea Centurionem fortasse *hirsutum capellam* audacter appellat idem V. 155. non tam quod capillis ac barba promissa, sed quod sago hirsuto atque villoso indueretur. Gemina Claudiani sententia in Rufin. II. 85.

Mœrent captivæ pellito judice leges.

Ferrar. de Re Vest. II. 1. 21. Videsis etiam *Donat. Dilucid. in Capitolinum p.* 898. *Rader. in Mart.* I. 54. 4.

BARDI veteres Galliæ vates fortia virorum illustrium facta heroicis composita versibus cum dulcibus lyræ modulis cantitarunt. Ammian. XV. 9. *Buleng. de Theatr.* II. 39. *Vales. ad Ammianum.*

BARDOCUCULLUM vir eruditissimus ad Mart. XIV. 117. & Meurs. Glossar. Græco-barb. interpretantur pallium viaticum, attexto cucullo, quo peregre uterentur. Esse enim a Gallica voce *bardus*, notante viam. Hesychius: Βαρδοὶ, αἱ ὁδοὶ, παρὰ Γαλάταις. Et sane Germanis & Belgis **fard** / seu **vaert** est iter, profectio, a **faren** / seu **vaeren** / quod est proficisci, in itinere esse. *Voss. Lex. Etymol. Raynaud. de Pil. Sect.* 15. Hesychius est inemendatus. Nam sana lectio: Βαρδοὶ ἀοιδοὶ παρὰ Γαλάταις, hoc est, *Bardi vates apud Gallos.* Lucanus de illis supr. in *Bardaicus*. Raynaud. & Voss. l. l. *Santonicum* vocat Mart. XIV. 128.

Gallica Santonico vestit te bardocucullo,
Cercopithecorum penula nuper erat.

Et *cucullum Santonicum* M. Juven. VIII. 145.

Tempora Santonico velas adoperta cucullo.

Santones vero in Galliis. Et a Lingonibus, qui itidem in Galliis, *Lingonicus* dicitur a Mart. I. 54. 4.

Sic interpositus villo contaminat uncto
Urbica Lingonicus Tyrianthina bardocucullus.

Fuit cucullus crassus, sive humile & crassum vestis genus, accommodatum vilibus personis & servis privatorum vilioribus, rupicibus illis ac petronibus, qui fere sunt crassi ingenio & *bardi*. Unde a Martiale modo opponebatur urbicis, id est, Romanis purpuris, perelegantibus ac pretiosis. Et vilissimum tegumenti genus fuisse apparet. Martialis enim per ludibrium modo simiorum penulam esse dixit. *Raynaud. l. l. & Ferrar. de Re Vest.* II. 1. 21. Non sicut cucullus tegebat caput duntaxat, sed penulæ attexebatur, ulterius tegenti corpus: juxta illud de hoc ipso indumento apud eundem I. 93. 7.

Cerea

Cerea si pendet lumbis & trita lacerna;
Dimidiasque nates Gallica palla tegit.

Quæ est bardocuculli Gallicani periphrasis. *Raynaud. l. l.* Erat acutus & fastigiatus in metam: quales erant *cuculli* vetustissimorum monachorum; hodieque sunt Carthusianorum & Capucinorum. Sed quia erant longiores, non recti stabant, sed inflectebantur, ut quoque vulgo videre est in pileolis nautarum, aliorumque hominum vilium. Ab eo igitur, quod incurvarentur, flexum illum *uncum* (ita enim MSS. optimi) videtur appellare Martialis, & apud illum legendum:

Sic interposito vilis contaminat unco.

Revera enim uncantur, quum ita flectuntur. Sic igitur, inquit, homo tectus *Bardocucullo* purpuratis immixtus deridetur, quando scilicet uncus ille flexus risum spectantibus movet. *Scriver. in Mart.* I. 54. 4. *Salmas. Exercit. Plinian. p.* 392. *b. C.*

BARILIS, quem Catellianus Cotta in Memorabilibus in verbo Vinitor, Romanorum, id est, nostri temporis mensuram esse asseruit, constat ex congiis quatuor, congitellis vero octo, petittis autem duobus & triginta. Vino puro, aut aqua pura plenus, pendet nostri temporis libras centum septuaginta, & libræ bessem, antiquarum vero libras centum septuaginta octo, uncias undecim, drachmas quinque, scripula duo, grana octo. *Pætus de Græc. & Roman. Mens.* IV. *Thes. Antiq. Roman. Græv. Tom.* XI. *p.* 1651. *D.* 1653. *D.*

BARIS navigii genus est. Testes sunt Hesychius & Suidas. Ionum id vocabulum esse Corinthus auctor est. Videntur & illi a Barbaris accepisse: ac propterea, puto, Euripides βαρβάρους βάριδας dixit. Et a quibus potius, quam Ægyptiis? Nam Herodotus in Euterpe, cum locutus esset de genere navigii Ægyptiaci, atque id nominasset βάριν, subjicit: *hoc enim his navigiis est nomen.* Propertius quoque, qui unus Latinorum usus videtur, sic de Ægypti regina scribit III. 9. 44.

Baridis & contis rostra Liburna sequi.

Voss. Lex. Etymol. Gyrald. de Navig. c. 18. de Var. sepel. rit. c. 17. & Faes in illum. Calcagn. Equitat. p. 562. de Re Naut. c. 12.

BARRIRE elephanti dicuntur. Festus. Glossæ Philox. Barrit, τρίζει, ἐλέφας βοᾷ. Glossæ Cyrill. Ἐλέφας κράζει, *barrit, rugit.* Spartian. Get. c. 5: *Elephanti barriunt.* Imo & ipsi elephanti *barri* dicuntur. Cassiodor. Orthog. c. 5. & glossæ veteres, in quibus est, *Barrus*, ἐλέφας. Usus hoc pacto Horat. Epod. XII. 1.

Quid tibi vis mulier nigris dignissima barris?

Voss. Lex. Etymol. Buleng. de Venat. c. 20. Bochart. Hieroz. I. 7. 39.

BARRITUS clamor erat militaris. Tacit. Germ. c. 3. n. 1. *Sunt hæc illis quoque carmina, quorum relatu, quem barritum vocant, accendunt animos, futuræque pugnæ fortunam ipso cantu augurantur.* Veget. III. 18. *Clamor, quem barritum vocant, non prius debet exaudiri, quam acies utraque se junxerit.* Existimare aliquis posset vocem esse ab elephantis translatam. Sed secus est. Est enim vox ea a barbaris. Ammian. XXVI. 7. *Pro terrifico fremitu, quem barbari dicunt barritum.* Nec desunt quibus videatur esse a Germanica voce **bare** / quæ fluctum notat. Atque hoc conantur firmare verbis Ammian. XVI. 12 *Cornuti enim & braccati . . . barritum ciere vel maximum: qui clamor ipso fervore certaminum a tenui susurro exoriens, paullatimque adolescens, ritu extollitur fluctuum cautibus illisorum.* Sed puto, non tam esse a fluctibus translationem, quam vocem petitam a communi notione Germanici verbi **baeren**/ quod signat, clamare, tumultuari. *Voss. Lex. Etymol.* Germanorum igitur *barritus*, quem & Romani inferiores assumpserunt. An quia syllaba illa repetita prior, ut hodie Germanis quibusdam, **har**/ **har**? an a clamore ductum, quoniam **baeren** vel **beren** hodieque sublate & ferociter clamare nobis signat. An denique ab ursis formatum? qui **beren** item nobis: & haud absurde ab iis petitum, quod quasi vocem illam imitantur. Non uno loco Romanis tribuit Ammianus: ut in oratione Constantii Imperatoris ad milites. XXI. 13. *Ita pavore torpescent, ut nec oculorum vestrorum vibratæ lucis ardorem, nec barritus sonum perferant primum.* XXXI. *Et Romani quidem voce undique Martia concinentes, a minore solita ad majorem protolli, quam gentilitate appellant barritum, vires validas erigebant.* Lips. Milit. Roman. IV. 11. in Tacit. Germ. n. 12. Spanhem. in Juliani Imperat. Orat. I. p. 234. Donat. Dilucid. in Tacit. p. 268. Cluver. German. Antiq. I. 51. Buleng. de Omin. c. 1. Valtrin. de Re milit. Rom. V. 3. Thys. Rom. Illustr. IV. p. 103. Schedius de diis Germ. II. 4. 1.

BAS.

BASCAUDA invenitur apud Juven. Sat. XII. 46.

Adde & bascaudas; & mille escaria.

Domitius Calderinus ait, se in codice antiquo *bascanda* per *n* reperisse. In optimo MS. meo plane est *bascauda* per *u*. Quid sit, ostendit vetus Juvenalis Scholiastes. *Bascaudæ*, inquit, *vasa, ubi calices lavabantur, & cacabus.* Britannicam esse vocem ostendit Mart. XIV. 99.

Barbara de pictis veni bascauda Britannis:
Sed me jam mavult dicere Roma suam.

Sane Anglis *basket* sonat spartam, vel canistrum. Inde, credo, *bascauda.* Voss. Lex. Etymol. Buleng. de Conviv. IV. 10.

BASIA jactare mos fuit adorantium. V. illum infr. in *Osculum labratum.*

BASILICA primis Romanorum seculis fuit magnificentior in Urbe domus columnis & simulacris variis superba, figuræ oblongæ, spectans orientem, exercendis judiciis, & negotiatorum conventibus destinata, non admodum hodiernis byrsis dissimilis. *Borrich. Ant. Urb. Fac. c.* 10. §. 4. Templo similis, ambulationibus amplissimis instructa. Cincta enim porticibus concameratis ex coaxatis contignationibus immissis in parastatas columnis aut pilis adjunctis, supra quam contignationem altera est, & superior porticus, cujus tectum testudinatum aliis postibus, parastatis & arrectariis sustinebatur. Medium spatium & quasi superior porticus pluteus vocabatur, qui in utrumque latus per intercolumnia peristyliorum liberum habebat prospectum. Parastatæ vero dupli erant ad latitudinem porticus, sicut & columnæ perpetuo scaporum ductu ad Basilicæ latitudinem. Sic fere describit eam fori basilicam, cujus architectus fuerat, Vitruv. V. 1. *Pollet. For. Rom.* I. 2. *Regia* est dicta Stat. Sylv. I. 1. 30.

Illic belligeri sublimis regia Paulli.

Voss. Lex. Etymol. Siccam. de Centumvir. Judic. II. 2. *Broid. ad Pollet. For. Rom.* I. 2. *Faunus Antiq. Urb. Rom.* II. 16. In *Basilicis* centumviri conveniebant, tum quod ad forum essent positæ, ubi semper maximus concursus populi Romani & negotiantium fuit, tum etiam quod extrinsecus, licet essent spatiosissimæ, patulæ porticus erant exstructæ, cum transversa ambulatione; quam *causidicam* vocabant, quod causarum actores & advocati cum suis clientibus ibi commode & frequenter ambularent & versarentur. Quomodo in illis & in ipsis tribunalibus considerent, quomodo advocati causas agerent, & populus eos audiret, spectaretque, describit Plin. Epist. VI. 33. 3. *Sedebant judices centum & octoginta, tot enim quatuor consiliis conscribuntur, ingens utrinque advocatio, & numerosa subsellia, præterea densa circumstantium corona latissimum judicium multiplici circulo ambibat. Ad hoc stipatum tribunal, atque etiam ex superiore basilicæ parte, qua feminæ, qua viri, & audiendi, quod erat difficile, &, quod facile, visendi studio imminebant.* Nec soli centumviri in iis conveniebant, sed aliæ diversæ causarum cognitiones peragebantur, imo & tribuni plebis ibi jus dicebant. Plutarch. in Caton. min. p. 761. D. *Erat basilica Porcia, quam magnus Cato in censura condiderat; ejus basilica tribuni plebis, quoniam in illa jus di-*

cere

cere conſueverant, columnam, quæ ſellas eorum impedire videbatur, decreverant tollere. Siccam l. l. Negotiatores quoque in illis proſtabant. Paull. leg. 32. §. 4. de aur. leg. *An argentum, quod in baſilica fuit muliebre, legato cedat, Scævola reſpondit, ſi teſtatrix habuit proprium argentum ad uſum ſuum paratum, non videri id legatum, quod negotiandi cauſa venale proponi ſoleret.* Vitruv. v. 1. *Baſilicarum loca adjuncta foris quam calidiſſimis partibus oportet conſtitui, ut per hyemem ſine moleſtia tempeſtatum ſe conferre in eas negotiatores poſſent.* Livius in *Baſilica Sempronia.* Siccam. l. l. Marlian. Topogr. Urb. Rom. III. 6. Donat. de Urb. Rom. II. 26. Parrhaſ. Epiſt. 57. In ſingulis foris erecta erat *Baſilica,* ut litigantes contra aeris injurias, ut dictum, muniti ſub tecto agerent. Hinc cum fora ſæpe minuta, & *Baſilica* grandis & illuſtris eſſet, factum, ut *Baſilica* fori nomen velut abſorberet: adeoque ubi *Baſilicæ* Trajani, Nervæ, Auguſti, Cæſariſque nomina audieris, fora eorundem par eſt intelligas. Forum tamen Romanum in *Baſilicæ* nomen tranſiiſſe nondum compertum, haud dubie propter amplitudinem. *Borrich. Ant. Urb. Fac. c. 6. §. 7. Nardin. Rom. Vet.* III. 14. Erant Romæ una & viginti, quamvis P. Victor novendecim duntaxat recenſeat: ſiquidem duæ jam tum interciderant. *Panciroll. de Reb. deperd. & invent. p. 91.* Sed antiquata jam cæterarum appellatione, ſolum quatuor primaria Urbis templa *Baſilicæ* dicuntur, Lateranenſe, S. Petri, S. Paulli, S. Mariæ majoris, quia non diſſimilia *Baſilicarum* veterum ſunt: imo prorſus eo modo ac partibus exſtructa, quibus *Baſilicæ* exſtruebantur. Illa vero tantum propter eorum dignitatem & majeſtatem, qua nomen, quod initio commune cum cæteris ædificiis ſacris habuerunt, jam ſola retinent, quæ reliquis religione ac ſanctitate præcellunt. *Donat. ibid.* IV. 2.

Baſilica Agnetis a Conſtantino anno imperii 19. urbis 1076. cum baptiſmo anteactæ vitæ crimina eluiſſet, condita eſt extra Viminalem. *Donat. de Urb. Rom.* IV. 2.

Baſilica Alexandrina ab Alexandro Severo *inſtituta eſt inter campum Martium & ſepta Agrippiana, in latum pedum centum, in longum pedum mille, ita ut tota columnis penderet: quam efficere non potuit morte præventus.* Lamprid. Alex. Sever. c. 26. *Donat. de Urb. Rom.* III. 13.

Baſilica Antoniniana in regione nona, quæ Circus Flaminius dicitur, a Victore ponitur. *Baſilica Antoniniana, ubi eſt provinciarum memoria.* Id eſt, quod ſub Imperio eſſent provinciæ, & qui ad eas regendas miſſi eſſent, ut continet Notitia magiſtratuum Imperii Romani. Fuit Antonini Pii. *Panciroll. Deſcr. Urb. Rom. Theſ. Antiq. Roman. Græv. Tom.* III. *p. 360. F.* Plerique arbitrantur, ædificium, quod nunc *Porticus Argonautarum* vocatur, fuiſſe porticum, vel ædem, vel *Baſilicam* Antonini. I. quod marmor illic inventum ſit in proximo, quod templi Antonini facit mentionem. II. Quod vicinam habeat columnam Antoninianam. Verum debile eſt utrumque argumentum. Nam & lapides facile tranſportantur: & vicinitas illa nihil juvat. Quin potius nimis columna illa ab hoc templo remota fuiſſet. Exiguum enim ſpatium, quod inter columnam & viam Flaminiam interjacet, & inter eandem columnam & montem Citorium intercedit, ſatis quantum omne illud in circuitu ſpatium fuerit, oſtendit: quod terminum, ſeu limitem areæ columnæ aut omnino non exceſſit, aut tam parum, ut area inde Petræa ſatis longe remota fuerit. Tum & abſurdiſſimum ſit, aſſerere velle, forum Antonini ab una parte ſemet a columna Antoniniana uſque ad prædictas columnas extendiſſe, ab altera vero ab eadem columna uſque ad Veroſpios: deinde adeo anguſtum fuiſſe, ut, quantum inter columnam & viam Flaminam intercedit ſpatii, dimidium occuparit ejus latitudinis. Præterea poſitus iſtius ædificii hujuſmodi eſt, ut non columnam reſpectet, ſed viam Flaminiam, cui tam vicinum eſt, ut ſi forum Antonini non amplius habuerit latitudinis, deformiter anguſtum, & in immodicam longitudinem porrectum eſſe debuerit. Tandem ſoli altitudo, quæ inter aream columnæ & eandem porticum conſpicitur, ubi mente parum valentium valetudinarium eſt, veteris alicujus dirutæ, & intermediæ ſtructuræ indicium præbet manifeſtum. Ubi & templum Antonini fuiſſe rectius affirmari queat, cujus in Inſcriptione fit mentio, & de quo Victor in hac regione: *Templum Antonini cum columna cochlide.* Nardin. Rom. Vet. VI. 9.

Baſilica Argentaria fuit ædificium teſtudinatum columnis ſuffultum, tabernis circum diſpoſitis, in quibus argentum, ornamentaque aurea & argentea vendebantur, & ob id argentaria vocabatur. Hanc intelligit Paullus ſupr. in *Baſilica* laudatus. *Panciroll. Deſcr. Urb. Rom. Theſ. Antiq. Roman. Græv. Tom.* III. *p. 354. A. Nardin. Rom. Vet.* V. 9.

Baſilica Baſtellaria. Victor Vaſcellaria, alias Vaſtellaria. *Panciroll. Deſcrip. Urb. Rom. Theſ. Antiq. Roman. Græv. Tom.* III. *p. 381. D.*

Baſilica Caji & Lucii, quam cum porticu ſub nomine illorum Auguſtus exſtruxit, fuit inter ædem nunc Bibianæ & Urbis mœnia: cujus exſtat adhuc concameratus fornix pæne integer, quo, Pantheonis excepto, nullus major in Urbe cernitur. *Marlian. Topogr. Urb. Rom.* IV. 14. *Boiſſard. Topogr. Urb. Rom. Tom.* I. *p. 44. Donat. de Urb. Rom.* III. 23. *Faunus Antiq. Urb. Rom.* IV. 3. *Blond. Inſtaur. Rom.* II. §. 24. Ego non puto fuiſſe *baſilicam,* quoniam in ædificiis nihil habet commune cum *baſilica,* quam nobis graphice depingit Vitruvius. Eam omnino exiſtimo eſſe, quam hactenus ſeu Pudicitiæ, ſeu Fortunæ virilis ædem falſo crediderunt indoctiſſimi rerum antiquarum enarratores. Cujus rei maximum eſt argumentum nuper effoſſæ inſcriptiones C. & L. his verbis:

C. CÆSARI. AUGUSTI. F
PONTIFICI. COS. DESIGNATO
PRINCIPI. JUVENTUTIS

alterum:

L. CÆSARI. AUGUSTI. F
AUGURI. COS. DESIGNATO
PRINCIPI. JUVENTUTIS

Hæc in lapide Tiburtino viſuntur effoſſo menſe Julio anno 1551. *Urſin. ad Marlianum.* Inventæ ſunt prope ædiculam Mariæ Ægyptiacæ, quam Caji & Lucii *baſilicam* eſſe credit Pyrrhus. *Panvin. Deſcr. Urb. Rom. Theſ. Antiq. Roman. Græv. Tom.* III. *p. 307. D.*

Baſilica Conſtantiniana in regione fuit quarta, quæ Templum Pacis dicitur. Victor & Rufus. A Conſtantino eſt ædificata. Eadem *baſilica* Salvatoris eſt dicta, ubi in argenteo faſtigio in ſella quinque pedum ſedebat, penſans libras 120. Erant ibi & duodecim Apoſtoli quinorum pedum, penſantes libras 90. cum coronis ex argento puriſſimo penſantibus libras 140. & Angeli quatuor ex argento quinorum pedum, penſantes ſinguli libras 115. *Panciroll. Deſcr. Urb. Rom. Theſ. Antiq. Roman. Græv. Tom.* III. *p. 339. D. Donat. de Urb. Rom.* III. 6.

Baſilica Crucis a Conſtantino Magno condita eſt extremis Eſquiliis. *Donat. de Urb. Rom.* IV. 2.

Baſilica Floſcellaria. Victor Fillicelli, alias Floſcelli. *Panciroll. Deſcr. Urb. Rom. Tom.* III. *Theſ. Antiq. Roman. Græv. p. 381. E.*

Baſilica Fulviæ fuit, quam *Paullus Conſul magnificentiſſime mille & quingentis talentis exſtruxit juxta forum.* Plutarch. Cæſar. p. 722. B. *Pollet. For. Roman.* I. 2.

Baſilica Johannis Baptiſtæ in Palatio Lateranenſi a Conſtantino Magno condita eſt *Baſilica* Salvatoris. *Donat. de Urb. Rom.* IV. 2. *Boiſſard. Topogr. Urb. Rom. Tom.* I. *p. 35.* V. illam infr. in *Baſilica Salvatoris.*

Baſilica Julia in Foro fuit a latere equi Domitiani, qui in medio Foro poſitus Palatium proſpiciebat. Stat. Sylv. I. 1. 29.

At laterum paſſus hinc Julia templa tuentur.

Ubi Lipſ. de Magn. Roman. III. 7. ex ſcripto ſuo codice, omnino verius, legit *Julia tecta,* ne videatur Statius redire ad templum Cæſaris. Sed perinde eſt, ſi legas *templa.* Templum enim fuit antiquis, quodcunque augurato conditum. Neque dixeris *baſilicarum* conditores, cum

eas

eas judiciis actiſque ponerent, auguria neglexiſſe. *Donat. de Urb. Rom.* II. 17. Ego Lipſium ſequi malim, cum nunquam legerim, *Baſilicas* inauguratas fuiſſe, ac templa exiſtimatas: imo nec probabile id mihi videtur, quoniam primis Romæ temporibus non in templis jus dicebatur, verum ſub dio in Foro: eaque propter, ſi *Baſilicæ* commoditatis cauſa ædificatæ ſunt, nullam rationem video, quare inauguratæ fuiſſe dicantur. *Tecta* itaque ſi legatur, ambiguitas templi ejuſdem Cæſaris tolletur, quod itidem in Foro fuit, ſed a *Baſilica* diſtinctum diverſumque. *Nardin. Rom. Vet.* v. 5. Tertio imperii Cæſaris anno Romæ dedicatam ſcribit Euſeb. Chron. ad a. 1971. A patre ſuo cœptam & profligatam, a ſe perfectam in ſuo indice ſcribit Auguſtus. Sed Dio LI. meminit curiæ Juliæ conditæ & dedicatæ ab Auguſto, quam poſtea συνέδριον nuncupat: quod conſeſſum non modo ſenatorum, ſed etiam judicum ſignificat, & videtur accommodari poſſe ad *baſilicam* judiciorum ſedem. Sed quoniam erant hæ duæ *baſilicæ* Paulli & Juliæ a lateribus ſtatuæ equeſtris Domitiani, utra lævum ſervabat, Juliane, an altera? Plutarchus in Galba narrat p. 1065. A. cum ille veniſſet in Forum, *conſpecti ſunt primo equites, mox pedites a baſilica advolare.* Hi miſſi fuerunt e caſtris ab Othone, nempe ab extremo Viminali, ut Galbam occiderent. Venerunt ergo ſiniſtra parte, Forum indidem ingreſſi. Quod ſi verum eſt, Paulli *Baſilica* erat prope templum Fauſtinæ: *Baſilica* vero Julii dextrorſum non longe a templo Julii Cæſaris, quod ſub Palatio collocabimus. Suetonius etiam ſcribit Calig. c. 37. n. 2. Caligulam *nummos non mediocris ſummæ e faſtigio Baſilicæ Juliæ per aliquot dies ſparſiſſe in plebem.* Credibile igitur eſt, *Baſilicam* colli Palatino propinquam fuiſſe, ut Cajus e Palatio, ſive e ponte, quo Palatium & Capitolium junxit, ejus faſtigium adire percommode, ſeſeque in ædes illas ſuperiores recipere poſſet. *Donat.* & *Nardin. l. l.* Ejus architectus fuit, & illam deſcribit Vitruv. v. 1. In illa etiam centumvirales cauſæ agebantur. Plin. Epiſt. v. 21. *Deſcenderam in Baſilicam Juliam auditurus, quibus proxima comperendinatione reſpondere deberem. Sedebant Judices, Centumviri venerant, obſervabantur Advocati.* Quintil. Inſtit. XII. 5. *Cum in Baſilica Julia diceret Trachalus primo tribunali.* In quatuor tribunalia diviſam fuiſſe ſupra indicavit Plinius. *Nardin. l. l.*

Baſilica Laurentii a Conſtantino Magno condita eſt extra portam Eſquilinam. *Donat. de Urb. Rom.* IV. 2. V. infr. in *Campus Veranus.*

Baſilica Martianæ in regione Urbis nona, quæ Circus Flaminius vocatur, eſt condita a Martiana, quæ ſoror fuit Trajani Imperatoris. Sequens inſcriptio arcus Anconitani indicat Martianam Trajani ſororem fuiſſe: PLOTINÆ. AUG. CONJUGI. AUG. DIVÆ. MARTIANÆ. AUG. SOROR. AUG. *Panciroll. Deſcr. Urb. Rom. Theſ. Antiq. Roman. Græv. Tom.* III. *p.* 360. *D.* 381. *D.*

Baſilica Mattidiæ in regione Urbis nona fuit condita a Mattidia, quæ ſoror fuit Trajani imperatoris. Mattidiæ meminit Spartian. Adrian. c. 5. loquens de Adriano: *Digreſſus eſt*, inquit, *ad inſpiciendas reliquias Trajani, quas Attianus, Plotina, & Mattidia deferebant.* Aliqui volunt Mattidiam Martianæ filiam fuiſſe, cujus in numiſmatis nomen apparet. *Panciroll. Deſcr. Urb. Rom. Theſ. Antiq. Roman. Græv. Tom.* III. *p.* 360. *D.* Hanc Mattidiæ nomine, poſtquam ab Adriano inter Divas eſt adſcripta, retur *Donat. de Urb. Rom.* III. 18.

Baſilica Neptuni a templo, vel ſigno nomen habuit, forte in Circo Flaminio, ubi Neptuni templum cum ejus ſigno inſigni fuit, celebrato a Plin. XXXVI. 5. *Sed in maxima dignatione Gn. Domitii delubro in Circo Flaminio Neptunus ipſe.* Templi hujus æditus fuit Abaſcantus Auguſti libertus. V. ſupr. in *Balneum Abaſcantianum.* Sed ego puto hic intelligi porticum Argonautarum, quæ erat in ſeptima regione. Dio LIII. p. 515. A. affirmat Neptuni appellatam ob victoriam navalem in mari obtentam ipſi dedicatam. Porticus vero & *baſilica* ſæpe pro iiſdem ponuntur, cum hæc eſſet tectum, columnis inſtar porticus ſuffultum. *Panciroll. Deſcr. Urb. Rom. Theſ. Antiq. Roman. Græv. Tom.* III. *p.* 381. *C.* V. infr. in *Porticus Argonautarum.*

Baſilica Opimia in Foro fuit. In illa lites non graviores Centumvirorum aut Recuperatorum cognitione decidebantur. *Pollet. For. Roman.* I. 3. *Marlian. Topogr. Urb. Rom.* II. 16. *Borrich. Ant. Urb. Fac. c.* 10. §. 2.

Baſilica Paulli ad S. Adriani collocatus a Plutarcho in Galba p. 1065. A. ubi ait, Prætorianos milites ab Othone ad interficiendum Galbam miſſos, e caſtris, id eſt, e Viminali monte in Forum venientes, per *Paulli Baſilicam* irruiſſe. Melius autem e citato equo Domitiani in *Baſilica Julia* id ipſum perſpicitur. Nam quum *Baſilica* Julia in oppoſito latere fuerit, neceſſario ſequitur, in hoc Fori latere Paulli *Baſilicam* fuiſſe. Plin. XXXVI. 15. & Appian. Bell. Civ. II. p. 443. inter maxime admiranda urbis Romæ ædificia referunt. Plutarch. in Cæſ. p. 722. B. & Appian. l. l. a L. Aemilio Paullo Conſule mille quingentis talentis a Cæſare e Galliis ipſi miſſis, ut eum in partes ſuas transduceret, *Baſilicam* illam factam auctores ſunt. *Nardin. Rom. Vet.* v. 8. *Faunus Antiq. Urb. Rom.* II. 14. Conſul fuit Paullus cum C. Claudio Marcello anno ab U. C. 704. Cicero, de *Baſilica* hac, cum exſtrueretur, ita ſcribit ad Attic. IV. 16. *Paullus in medio Foro Baſilicam jam pene texuit iiſdem antiquis columnis. Illam autem, quam locavit, facit magnificentiſſimam. Quid quæris? nihil gratius illo monumento, nihil glorioſius.* Ubi duarum *Baſilicarum* mentio fit, unius quam Paullus inſtauravit: alterius, quam ipſe exſtruxit. Prior illa, vel Porcia, vel Opimia fortaſſe fuit. Alterius *Baſilicæ* Æmiliæ meminit Plin. XXXV. 3. *Poſt eum M. Æmilius collega in Conſulatu Q. Luctatii non in Baſilica modo Æmilia, verum & domi ſuæ poſuit ſuorum imagines in clypeis.* Donat. de Urb. Rom. II. 17. Verum Opimia in Comitio fuit, Porcia ad curiam ſub Palatino: & illam Paulli Æmilii medio illo latere fuiſſe, in quo ædes S. Adriani eſt, perſpicue modo oſtendi: alterius autem in hac regione nec vola, nec veſtigium apparet. Ego in hanc propendeo ſententiam, Æmilium antiquis collapſæ Regiæ columnis feciſſe novam *Baſilicam*, & reſtituiſſe Regiam in via Sacra, nova & auguſtiore forma. Et hæc opinio a Ciceronis verbis minime diſcrepat. Sed in re tam incerta, ubi ſoli conjecturæ locus eſt, certi nil affirmare auſim. *Nardin. ibid.* III. 12. Incendio abſumpta, ab Æmilio nomine tenus, verum reapſe ab Auguſto & amicis Paulli refecta eſt, teſte Dion. LIV. ac tandem ab alio quodam Lepido, non admodum pecunioſo, reſtituta, & ornata principatu Tiberii, ut eſt apud Tacit. Ann. III. 72. 1. *Nardin. ibid.* v. 8. De hac etiam *Marlian. Topogr.* III. 4. *Panciroll. Deſcr. Urb. Rom. Theſ. Antiq. Roman. Græv. Tom.* III. *p.* 340. *B.* 381. *B.* V. & infr. in *Monumenta Æmilia.*

Baſilicas Petri & Paulli ædificavit Conſtantinus Magnus, utraſque extra Urbem, in Vaticano, & via Oſtienſi. *Donat. de Urb. Rom.* IV. 2. Una illa Petri Vaticana *Baſilica*, illud Pontificiæ munificentiæ atque incomparabilis ſtructuræ miraculum, nonne hujus ante Auguſtum, & ſequentium ætatum quælibet templa, theatra, amphitheatra, circos, balnea, mauſolea, magiſterio artificum, molitorum ſumptibus, ædificationis perennitate, immenſitate molis, admirabilium varietate rerum, luculentorum undique claritate marmorum, conjectis unum in locum veterum æque ac recentium præclaris æquare videtur aut vincere? *Donat. ibid.* I. 29.

De *Baſilica* Pompeji indicium nullum aliud exſtat, quam quod *Regiæ* ejus meminit Suet. Aug. c. 31. n. 10. Verum cum Suetonius *Theatri Regiam* eam vocet, Theatri quoque fuiſſe partem indicat, nec ædificium aliquod ab eo diſtinctum atque ſeparatum. Forſan & de eodem Vitruv. v. 7. *Ipſæ ſcenæ habent ſuas rationes explicatas, ita ut mediæ valvæ ornatus habeant aulæ regiæ dextra, ac ſiniſtra hoſpitalia.* Sic & *Regiæ theatri Marcelli* meminit Aſcon. in Cicer. p. 17. Certe, ſi proxime curiam *Baſilica* fuiſſet, in qua jus diceretur, Brutus in conjuratione contra Cæſarem, interim dum in curia Senatus conveniebat, in illa *Baſilica*,

& non in porticu jus dixisset, sicut ab eo factum Appian. Bell. Civ. II. memorat. Vellejus quidem dicit II. 48. 2. *theatrum aliis ædificiis* Pompejum circumdedisse. Hoc vix videtur de duobus tantum posse accipi, porticu nempe & curia; sed forsan & aliud ei templum addidit, quale illud Fortunæ Equestris, vel lucum, seu nemus platanorum, sive quid aliud, quod in tantis vetustatis tenebris oculos nostros ac diligentiam fugit. *Nardin. Rom. Vet.* VI. 5.

Basilica Porcia curiæ erat proxima & conjuncta. Docet hoc Ascon. Argum. in Cicer. Milon. p. 183. *Quo igne & ipsa quoque curia flagravit, & item Porcia Basilica, quæ erat ei juncta, ambusta est.* Exinde ei alius locus esse non potuit, quam ad curiæ sinistram, quum dextrum ei latus comitium clauderet. Fuit igitur in Foro prope ædem S. Mariæ Liberatricis, & forte eo loco, ubi hodieque veteris ædificii pars residua visitur, unde nunc novorum murorum adstructione granarium factum. Plutarch. Cat. Maj. p. 347. B. sub curia illam collocat, forte quia illa humilior in planitie, aut quasi in planitie Fori fuit. In hac tribuni plebis jus dixerunt. V. supr. in *Basilica.* Fuit hæc prima in Urbe, quantum indagando assequimur. Nam anno ab U. C. 533. Marcello & Levino Consulibus *Basilicam* nullam Romæ fuisse testatur Liv. XXVI. Porcia vero facta anno ab U. C. 566. L. Porcio & P. Claudio Consulibus. Liv. XXXIX. 44. *Cato atria duo Mænium & Titium in latomiis, & quatuor tabernas in publicum emit, basilicamque ibi fecit, quæ Porcia appellata est.* Ubi, cum locus prior atriorum istorum lapidibus cædundis inservisse dicatur, suspicio mihi sub manum nascitur, excisis in eo Palatini latere petris ac lapidibus situm loci multo factum humiliorem solo curiæ & comitii, exæquatumque solo Fori, ut ita *Basilica* sub Curia fieri potuerit, id est, eo humilior ac depressior. Asconius Mœnius non atrium modo, sed & totam domum Catoni vendidit. V. infr. in *columna Mænia*; Nardin. Rom. Vet. v. 4. Donat. de Urb. Rom. II. 26. Marlian. Topogr. Urb. Rom. III. 6. Faunus Antiq. Urb. Rom. II. 16.

Basilica Salvatoris a Constantino Magno in parte Palatii Lateranensis condita est. Nicephor. VII. 34. *Et ipse manibus suis ligone accepto, in Palatio suo, quod Lateranense dicitur, primus terram fodere, & Ecclesiæ formam in nomen Domini nostri Jesu Christi describere cœpit.* Donat. de Urb. Rom. IV. 2. V. supr. in *Basilica Constantiniana.*

Basilica Sempronia cum signo Vertumni fuit in angulo, ni fallor, dextro, ubi in occidentali Fori latere vicus Thuscus & Velabrum, si tamen vicus Thuscus & Thurarius idem fuit, majus mutua semet intersectione dividebant. Non enim aliam fuisse verisimile est, de qua Ascon. in Cicer. p. 107. *Signum Vertumni in ultimo vico Thurario est, sub Basilicæ angulo flectentibus se ad postremam dexteram partem.* Liv. XLIV. 16. *T. Sempronius ex ea pecunia, quæ ipsi attributa erat, ædes P. Africani pone Veteres ad Vertumni signum, lanienasque & tabernas conjunctas in publicum emit, basilicamque faciendam curavit, quæ postea Sempronia appellata est.* Faunus Antiq. Urb. Rom. III. 7. Nardin. Rom. Vet. v. 5. Donat. de Urb. Rom. II. 27. Marlian. Topogr. Urb. Rom. III. 13. *Basilica* autem hæc perquam commode in loco frequentissimo, & tabernis laneis præsertim affluenti posita fuit, ut in ea lites inter mercatores ortæ disceptarentur ac terminarentur; fortean & ea de causa, ut in eam mercatores de negotiis suis acturi convenirent. Ergo, quum pompæ a signo Vertumni, quod in angulo fuit, ad Circum maximum ducerentur, ut & hoc signum, & *Basilica* hæc, in angulo fuerint viæ decussatæ, necesse est, ad quem e foro per vicum Thuscum ibatur, & inde per Velabrum ad Circum Maximum. *Nardin. l. l.*

Basilica Sessoriana. V. illam infr. in *Ecclesia Crucis.*

Basilica Sicinii in regione quinta, quæ Esquilina vocatur, ponitur a *Panvinio Thes. Antiq. Roman. Græv. Tom. III. p. 291. A.* Apud ædem D. Mariæ majoris fuit, ut nonnulli affirmant. *Marlian. Topogr. Urb. Rom.* IV. 19. Vetustiores illi nomen Sissimini tribuunt. Ammian. XXVII. 3. Sicinini nomine illam appellat. *Constat in Basilica Sicinini, ubi ritus Christiani est conventiculum, uno die centum triginta septem reperta cadavera peremptorum.* In quem usum facta sit, non videre me fateor, cum tam longe ab ipsis Urbis penetralibus remota fuerit: nisi forte præsidibus, seu curatoribus macelli assignata sit, ut illic lites inter macellarios & emptores ortas audirent & componerent. Nonnulli Ecclesiam Viti fuisse putant, seu potius in vicinia, unde anno 1477. a Sixto IV. translata sit. Sed hæc illorum sententia teste caret. *Nardin. Rom. Vet.* IV. 3. *Borrich. Antiq. Urb. fac. c. 7. §. 6.*

Basilica Trajani in foro fuit Trajani posita. Ejus meminit Lampridius in Commodo: *Cum togam sumpsit, adhuc in prætexta puerili congiarium dedit, atque in Basilica Trajani præsedit.* Ejus fit mentio, quod sub Fori nomine plerumque intellecta fuerit. Atque ita non improprie dixit Claudianus in Honorii Consulatu VI. 645.

— desuetaque cingit
Regius auratis fora fascibus Ulpia lictor.

Basilica enim a lictoribus cingitur, non autem Forum, in quo consistebant. *Nardin. Rom. Vet.* v. 9.

Basilica Virginis Transtiberanæ integro plusquam seculo ante Constantinum Principe Severo dicitur ædificata a Calisto I. unde fons olei effluxerat. Quamquam illa tempora feracia suppliciorum magis, quam ædificiorum, & Christianæ pietatis quam pecuniæ eam loco amplitudinem dare non potuerunt, qua postea templum stetit. Nec tamen censendum est, tunc omnia penitus abdita & subterranea fuisse. Quod interdum remittentibus tyrannorum furoribus, quies aliqua, & respirandi locus daretur piis hominibus ac rebus sacris. Et eam quidem *Basilicam* in domo aliqua erectam more *Basilicarum* & Christianorum conventibus celebrem, atque aperta fruentem luce crediderim potius, quam omnino reconditam ac latentem. *Donat. de Urb. Rom.* IV. 1.

BASILICUM *regale.* Festus. Quicquid namque splendidi ac magnifici antiqui observabant, *basilicum* dicebant. Sic qui sumptuosis indutus erat vestibus, *basilice exornatus* dicitur apud Plaut. Pœn. III. 1. 74. magnus & insignis vir, *basilicus* apud eundem Rud. II. 4. 18. Sic status hominis optimus, *basilicus* apud eundem Pseud. I. 5. 43. & qui in scena optime se habuit mimus, *basilice se gessisse* dicitur apud eundem Perf. v. 2. 25. *Ursat. de Not. Roman. Thes. Antiquit. Romanar. Græv. Tom.* XI. *pag.* 569. *D.*

BASILICUS fuit jactus tantum convivalis, quod in conviviis solus ferme fuerit adhibitus. Veteres enim in conviviis ex omni convivarum numero certam eligebant personam, quæ convivio præesset, legesque illis præscriberet. V. supr. in *Arbiter bibendi.* Senstleb. de Alea c. 5. §. 10. De illo Plaut. Curc. II. 3. 79.

Talos arripio, invoco almam meam nutricem. Herculem
Jacto basilicum.

Hercules basilicus erat quædam talorum species, in quibus effigies quædam sculptæ, vel pictæ erant, ut vulturis, Herculis, & aliarum rerum. *Herculus basilici*, id est, regii, faustus & felix. Ergo, qui eum jecit, vicit. *Herculem* autem *basilicum* accipio, non qui ut in laboribus exantlandis leonis exuviis esset vestitus: sed qui omnibus perfunctus ærumnis cultu regio esset ornatus. *Turneb. Adv.* XI. 7. Logi. Nam quis Herculem unquam ut Regem pinxit? & non potius cum clava, & pelle leonina? Arbitror vitiatum ab interpunctione locum esse, & sic distinguendum:

— almam meam nutricem Herculem:
Jacto basilicum.

Cum enim in more esset, ut qui talis luderent, deum aliquem propitium invocarent, ut exempli causa milites Martem, amatores Venerem, aut pro Venere amicam: Plautus, egregie in parasito τὸ πρέπον servans, facit ab eo Herculem invocari, ab hac causa: veteribus cum decumas Herculi pollucerent, epulum publice præbere sollenne fuit. Ad id epulum inprimis parasitos advocari tan-

tanquam peculiares ejus dei servos leges Græciæ sanxerunt. Athen. VI. p. 234. D. *Herodicus Crateteus de parasitis hac memoria tradidit; nomen id nunc sordidum, & infame, apud antiquos inveniri sanctum, & perinde ac si dixissent* συνθοίνον, *id est, coepulonem. Itaque in Cynosargis Herculeo templo columnam extare, in qua exsculptum & decretum Alcibiadis, in quo de hac nuncupatione ita promulgatum est: quotmensibus cum parasitis sacerdos sacris operator.* Etiam Romanos *Herculi decimas sacrasse, & populo epulum præbuisse* scribit Plutarch. in Crasso p. 543. C. Itaque cum plerumque usu veniret, ut parasiti in templo Herculis ex ejus decimis pulcre acciperentur: quis non fateatur ab homine porco, & uni ventri dedito recte, & facete Herculem invocatum, cum cognomento nutricis, quod ab eo sæpe nutriretur? *Lips. Antiq. Lect.* I. 21. III. *p.* 150. *Ferrar. Elect.* I. 6. *Maurit. de Sortit. c.* 10. §. 2. *Senftleb. l. l. Taubman. in Plautum.* Est vero idem qui Venerius. Cum enim Græci magistrum vulgo βασιλέα dicerent: quid causæ est, quin jactum illum proprium Regi creando *basilicum* recte vocaverit. *Lips. ibid. p.* 150. *Ferrar. & Taubman. l. l.*

BASILII *monumentum erat via Appia prope Urbem, qui locus latrociniis fuit perquam infamis.* Ascon. in Cicer. pag. 201. Cicer. ad Attic. VII. 9. *Quas L. Quintius familiaris meus quum ferret, ad bustum Basilii vulneratus & despoliatus est.* Nardin. Rom. Vet. III. 3. Aring. Rom. Subterr. III. 10. §. 19.

BASIS statuæ erat cippus suppedaneus, quadratus, sive rotundus, in quo statua ponebatur & attollebatur; non enim in imo solo, nudave humo destitui solebant. Plutarch. libello cum Principibus viris Philosopho esse disputandum. *Non statuarii morem servat Philosophiæ oratio, ut simulacra faciat in sua herentia basi.* Istæ *bases* erant aut solidæ, quibus suæ adhærebant statuæ, aut structiles, de quibus Pompon. leg. 245. ff. de Verb. Sign. ubi, *Statuæ,* ait, *affixæ basibus structilibus.* His, ut ad ventorum impulsus, aliosque incumbentium fortuito ponderum pressus expositæ non everterentur & corruerent, hac ratione firmabantur. Justa fiebat inter statuam & *basin* proportio, ne præ nimia gravitate aut mole in exiguo fundamento nutaret superstructum opus. Deinde clavis immissis astringebantur, & plumbum affundebatur. *Figrell. de Stat. Roman. c.* 26. Erat etiam propria & quasi patria inscriptionum sedes. Plin. XXXIV. 4. *Cœpit prorogari memoria hominum; & honores legendi ævo basibus inscribi, ne in sepulcris tantum legerentur.* Quas ideo etiam curatius paullo strui, & a terra sublevari altius conveniebat, ne inscriptionem aggesta humus sordidaret, aut oblitteraret. Quod statuæ Christi, quam ipsi Paneade hemorrhousa mulier collocavit, accidisse auctor est Philostorg. Hist. Eccl. VII. 3. Interdum non *basibus* incidebantur tituli, sed infra appendebantur, sive affigebantur tabulæ inscriptionem ostendentes, præcipue cum altius positæ essent statuæ. Chrysost. in Psalm. XIII. *Statuæ superiore loco stantes infra miniatas quasdam tabellas habent, quibus indicatur quisnam Rex sit, quoque patre natus, & quod bellum confecerit.* Et hæc fortasse est illa *longa atque insignis honorum Pagina* apud Juven. X. 57. quam Scholiastes ante statuas affirmat stetisse, continentem gradus honorum. *Figrell. ibid. c.* 27. In criminis memoriam *basis*, aut alia nota, nonnunquam a dejectione relinquebatur. Cic. Verr. II. 66. *Taurominitani ablata Verris statua, basin tamen in foro manere voluerunt: quod gravius in istum fore putabant si scirent homines statuam ejus a Taurominitanis esse dejectam, quam si nullam unquam positam arbitrarentur. Tyndaritani dejecerunt in foro, & eadem de causa equum inanem reliquerunt.* Figrell. ibid. c. 37.

BASSARIDES dicebantur Bacchæ. V. supr. in *Bacchus Bassareus.* Ut in Græcia nebride, sive pelle cervina: sic in Thracum orgiis induebantur pellibus vulpinis, quibus amictæ saltitabant. Senec. Oed. II. 432.

Te Bassaridum comitata cohors
Nunc Edoni pede pulsavit sola Pangæi.

Voss. de Idolol. III. 70. Buleng. de Theatr. I. 51. Peculiari significatu vocantur Macetæ. Athen. V. p. 198. *Post has Macetæ, quas Bassaras vocant.* Ratio. Macedones cistam Bacchi mysticam aliquando nummis suis impresserunt, quia & ipsi orgia apud se inventa gloriabantur. *Ruben. de numm. Asia recepta. Thes. Antiq. Græv. Tom.* XI. *p.* 1373. *D. Casaub. in Athen.* V. 7.

BASSARIS erat vestis ex humeris talorum tenus propendens. V. supr. in *Bacchus Bassareus.*

BASTAGÆ sunt onera. Hesychius. Βαςαγὴ, βάρος. Hinc *bastaga* est onus transferendi res publicas aut Principis leg. 3. Cod. de cohortalibus; a quo nemo tempore expeditionis, nec domus imperialis, nec ecclesia excusari poterat leg. 2. Cod. de quib. mun. vel præstat. nem. sc lic. excus. Pro modo jugerum, quæ habebat quisque onerabatur leg. 1. Cod. l. l. *Bastagarum* præpositi quinque sub Comite Largitionum fuerunt. Tertiocerius totius officii *bastagas* tractabat, id est, eas ad futura itinera indicebat, res transvehendas & transvectas, earumque species, quantitatem & qualitatem, ut frumenti Constantinopolim devehendi, & publicas species transvehendas in actis scribebat. *Panciroll. Notit. Dign. Imp. Orient. c.* 75. *&* 78. *Guther. de Offic. Dom. Aug.* III. 22. *Buleng. de Imp. Rom.* VI. 31.

BASTAGIARII erant, qui equis aut mulis res publicas ad præscripta cujusque provinciæ loca deducebant. Leg. 4. l. æternam Cod. de murileg. Nec id munus nisi elapso tempore sibi definito deserere poterant. d. l. æternam. *Panciroll. Notit. Dign. Imp. Orient. c.* 75. *Guther. de Off. Dom. Aug.* III. 22. *Buleng. de Imp. Rom.* VI. 31.

BASTERNA erat *vehiculum itineris, quasi via sterna,* quod ineptum. *Mollibus stramentis composita, a duobus animalibus deportatur.* Isidor. XX. 12. Erat vehiculum muliebre. Scholiast. Juven. IV. 21. *Est basterna vehiculum, unde speculabantur matronæ.* A lectica differebat, quod illa ferretur a servis, hæc traheretur a burdonibus, hoc est, mulis. Epigramma vetus de *basterna.*

Aurea matronas claudit basterna pudicas,
Quæ radians latum gestat utrumque latus:
Hanc geminus portat duplici sub robore burdo,
Provehit & modico pendula septa gradu.
Provisum est caute, ne per loca publica pergens
Fucetur visis casta marita locis.

Voss. Lex. Etymol. Chiflet. Anast. Childer. p. 151. Falsum est tractam esse a burdonibus. Portatam dixerunt Isidorus & vetus Epigramma. Ipse Vossius agnoscit non dici a Basternis gente Sarmatarum, quia fortasse huic populo in usu fuerit, quod voluit M. Donat. Dilucid. p. 803. Sed a βαςάζω, id est; bajulo, porto, pro quo posteriores Græci dixerint βαςάνειν & βαςεῖν. Et recte ad Lamprid. Heliog. c. 21. Salmasius: *Quicquid ferendo est, βαςὸν est dictum: unde verbum βαςάζειν. A basto igitur basterna, hoc est,* φορεῖον. Falsum quoque est, quod tamen docet Turneb. Adv. XXVIII. 5. manibus hominum esse portatam. In Isidori glossis quidem legitur: *Basterna tecta manualis.* Sed Isidorum corrigit Salmasius: *Isidorus in glossis basternam exponit tectam manualem, quæ a mannis portabatur.* Lectica ergo manualis, non fuit alia, quam quæ gestata fuerit a burdonibus, sive mannis, qui erant hinni, sive parvi equuli, muli tamen, quia geniti ex asina & equo, qui, quia minores, mollius incedebant, & minore ambulabant gradu. Gradum notat Epigramma n. 4. Portabatur a duobus. Isidorus & Epigramma n. 3. Et *basterna* erat in medio suspensa duobus tignis, quæ ad latera burdonum utrinque erant firmata, eo plane modo, sicut receptum est in lecticis nostris, quas Germani Senften, Galli litiere nuncupant. Unde *pendulam* dixit Epigramma n. 4. Nunquam erat aperta, sed semper clausa. Epigramma n. 1. & 4. Et ita continebat matronas, ut nemo ipsas, ipsæ neminem in eis quirent videre. Epigramma n. 5. & 6. Res est recentioris inventionis. Palladius primus videtur esse, qui de illa hæc habet VII. 2. *A tergo vero ejusdem vehiculi duo brevissimi temones figurantur, velut amites basternarum.* Scheff. de Re Vehic. II. 6.

BAT.

BATAVI ſeniores ex *Batavia*, quam nunc Hollandiam vocant, acciti: equites *Batavos* præſtantiſſimos inde ſumpſiſſe Auguſtum Dion ſcribit laudatus in *Batavi juniores.* Sed hæ, de quibus Notitia, fuerunt octo cohortes, aut auxilia legionis quartæ decimæ, quæ diſcordia ducum a legione digreſſa, contra Vitellianos infeliciter pugnarunt. Poſtea miſſi in Britanniam in itinere Auguſtæ Taurinorum ob odium antiquum, rixati ſunt. Legio in Britanniam eſt miſſa, *Batavos* agmini ſuo Vitellius junxit, mox in Germaniam ire juſſit. Tacit. Ann. xvi. Velitaria auxilia Herulos & *Batavos* vocat Ammian. xx. 1. *Panciroll. Notit. Dign. Imp. Orient. c.* 40.

Batavi juniores. Hi in Occidente ſunt ex novem Palatinis vexillationibus. Hi primum ſub C. Julio Cæſare militarunt, poſtea ab Auguſto vocati ſub duobus vexillis manſerunt. Dion. lv. p. 565. *Delecti ſunt*, inquit, *equites externi nominati Batavi, a Batavia, quæ eſt inſula in Rheno flumine. Hi ſunt equites præſtantiſſimi, quorum certum numerum dicere non poſſum: quia nondum certam formam habent; ſed Auguſtus cœpit eos cenſere, & ipſorum rationem habere ab eo tempore, quo cum patre militarunt, illosque contra Antonium pugnaturus vocavit & retinuit. Nunc ſunt proprius globus, ſeu ordo, virgamque ut centuriones geſtant.* Panciroll. Notit. Dign. Imp. Orient. c. 43. Credo intelligi tunc quoque ſuperiores illos *Batavos* maxime, qui Geldriæ nunc accenſentur: nam inferi, & ad mare, nec ipſi, nec regio eorum equis ſatis facti, aut apti. Illi igitur boni equites: ſed fuere & pedites, etſi Dio ſilet. Tacitus, aliique dicent, qui tamen hos modo *Batavos*, modo Germanos appellant: ſed dixeris Dionis ævo pedites non fuiſſe. Cauſa, quia Galba *Germanorum cohortem, inſtitutam jam olim a Cæſaribus, ad cuſtodiam corporis, & multis experimentis fideliſſimam, diſſolvit, ac ſine ullis commodis remiſit in patriam*, quod ſcribit Suet. c. 12. n. 4. Dicit *cohortem*: ergo pedites fuere: & addit ab ipſo ſolutam militia, ac dimiſſam, nec poſtea fortaſſe reſtitutam. Non reperio quidem ultra nominari: & in Notitia imperii duntaxat *Batavi equites, ſeniores, junioresque.* Quanta fuerit hæc manus, ſe ignorare fatetur Dio. Puto tamen haud minus duabus alis plenioribus fuiſſe, & ut minimum mille equites: pedites etiam olim ad mille. *Lipſ. de Magnit. Roman.* I. 4. *Thyſ. de Magnit. Roman.* I. *p.* 242.

BATHRACISMUS pars eſt citharæ, quæ ranæ cantum imitatur. *Buleng. de Theatr.* II. 38.

ΒΑΘΥ'ΜΑΛΛΟΣ eſt lana denſa & craſſa. *Ferrar. de Re Veſt.* II. 3. 13.

BATHYLLUS fuit Alexandrinus, libertus Mæcenatis, ut notat Scholiaſtes Perſ. v. 113.

Tres tantum ad numeros ſatyri moveare Bathylli.

Bathyllo duce ſaltatio pantomimica eſt inducta, cum nondum antea fuiſſet. Zoſim. I. 6. Emicuit ea ars ſub Auguſto. Unde Suidas: *Saltationem pantomimicam Auguſtus invenit, cum eam artem Pylades & Bathyllus primi factitaſſent.* *Bathylli* erat comica, aut ſatyrica, luſus Panis, aut Satyrici comeſſantis repræſentans. Plutarch. Symp. VII. 8, *Buleng. de Theatr.* I. 51. *Scalig. Poet.* I. 18. *Voſſ. Inſtit. Poet.* II. 37. §. 3. *Meibom. Mæcen. c.* 21. §. 9. Saltatio *Bathyllica* ſaltabatur a viris atque mulieribus ſimul mixtis in honorem Apollinis & Dianæ, quod ſaltu delectari crederentur. *Taffin. de Lud. Secul. c.* 17. §. 5.

BATIACE poculum fuit Perſicum. A Diphilo βατιάκη, & a Philemone βατιάκιον inter pocula memoratur apud Athen. XI. p. 484 E. Philoſophus in Mirabilibus. *Ajunt æs eſſe in Indis tam lucidum & purum & rubiginis expers, ut colore ab auro non dignoſcatur. Sed & inter Darii pocula aliquot eſſe Batiacas, de quibus aliter quam ex olfactu dijudicari non poſſit, utrum cereæ vel aureæ ſint.* Bochart. Hieroz. VI. 16. Buleng. de Conviv. IV. 17.

BATILLUS, *batillum, vatillum*, nam ob affinitatem literæ B & V. factum, ut utrumque reperiamus in codicibus antiquis, eſt inſtrumentum domeſticum ferreum, ad ſimilitudinem palæ, quo cineres, & prunas tollimus, aut immunditiam efferimus. Gloſſæ Philox. *vatillum*, πυράμη. Horat. Sat. I. 5. 36.

— latum clavum, prunæque batillum.

Plin. XXXIII. 8. *Batillis ferreis candentibus ramento impoſito.* Apic. de Art. coquin. VIII. 9. *Armillam illius candenti batillo uris.* Voſſ. Lex. Etymol. Popm. de Inſtrum. fundi c. 19.

Batillus eſt etiam in armis ruſticis, ſed ligneus, non ferreus, ut alter ille. Varr. de Re ruſt. III. 6. *Utrumque locum purum eſſe volunt hæ volucres. Itaque paſtorem earum cum batillo circumire oportet, ac ſtercus tollere.* Voſſ. Lex. Etymol. Popm. de Inſtrum. fundi c. 19.

Batillus vocatur quoque foculus geſtatilis, in quo odores accendebantur, aut qualis hyeme menſis imponitur. Vetus interpres Horat. Sat. I. 5. 36. *Vatillum eſt vas parvum, in quo pro felici hoſpitum adventu incenſis odoribus Jovi hoſpitali ſacra fiebant.* Et paullo poſt: *Eſt & vatillum, in quo ponuntur prunæ in hyeme ſuper menſam, ne cœna frigeat.* Puto autem eo veteres uſos in hoſpitum adventu, non tam ſacrificii cauſa, quam ut hoſpites grato odore ſuffunderent. Sane ſuffitus gratia, & olim viris principibus, (ut hodieque nationibus quibuſdam mos eſt) præferri ſolet: unde legas apud Abdiam Hiſtor. Apoſtol. IX. *Erant autem virgines cum lyris cantantes, alii cum tibiis, alii cum batillis & thuribulis.* Voſſ. Lex. Etymol.

BATIOLA nomen vaſis eſt, ex quo bibitur. Plaut. Stich. V. 4. 12. *Batiolis bibunt.* Vetus Lexicon Græco-Latinum: Batiola: ποτήριον. Aureum fuit. Plautus Colace apud Non. XV. 19. *Batiolam auream octo pondo habuit.* Buleng. de Conviv. IV. 16.

BATUALIA ſunt, cum milites, vel gladiatores ad palum exercentur. Gloſſæ priſcæ: *Batualia*, γυμνασίαι τῶν μονομάχων. *Batalia* recentiores dixere. Hinc nos *bataliam* pro pugna vel dimicatione. Adamantius Martyr. *Batualia, quæ vulgo batalia dicuntur, exercitationes militum, vel gladiatorum ſignificant.* Salmaſ. in Spartian. Adrian. c. 26. Victor. Var. Lect. XI. 8. Rhodig. Ant. Lect. XI. II. Lipſ. Saturn. I. 15. *Batuere* eſt tundere; & *batuitio*, quæ tudiculis & virgis fiebat. Donat. in Terent. Eunuch. II. 3. 89. *In quo cuditur, id eſt, batuitur faba quum ſiliquis exuitur tunſa fuſtibus: ut in areis more ruſticorum fit.* Argol. in Panvin. de Lud. Circ. II. 1. Hinc eſt ferulis velitare, aut verberare. Suet. Cal. c. 32. n. 7. *Mirmillonem rudibus ſecum batuentem confodit.* c. 54. n. 2. *Batuebat pugnatoriis armis.* Scalig. Conj. Varr. p. 64.

BAV.

BAVAROS & Avares eoſdem agnoſcit Paullus Æmilius II. *Avares*, inquit, *qui iidem Bavari ſunt, Unnorum populi, omiſſo vetere gentis univerſæ nomine, ab Avare Rege ipſi nuncupari maluere.* Rectius ab Avaribus Galliæ populis eo tranſgreſſis nomen inveniſſet Æmilius. *Bellus de Partib. Templ. Augur. c.* 5. §. 5. Ex turturibus auſpicabantur, ut eſt in Annalibus Bojorum V. *Buleng. de Augur.* c. 7.

BAVARIA quæ hodie dicitur, olim Noricum vocabatur. V. infr. in *Noricum.*

BAUCALIUM erat vas anguſto collo & prælongo ad ſugendum. *Buleng. de Conviv.* IV. 17. Erat vitreum vinarium. Vocabatur βαυκάλιον & καυκάλιον: ut in aliis vocibus harum duarum invicem literarum permutationem animadverti. A *bauca, baucar* vel *baucal* & *baucale.* Salmaſ. in Trebell. Claud. c. 14. Nunc *bocale* vocant. *Volaterr. Comm. Urban.* XXXII. *p.* 1191. *E. Pætus de Liquid. & arid. menſ.* XV. *Theſ. Antiq. Roman. Græv. Tom.* XI. *pag.* 1651. *C.*

BAULI non fuit præfectura. In præfecturis jus dixerunt Romani, ut in iis urbibus leges Romanæ ſervarentur; hæc vero legibus Romanis non eſt uſa. Et ſi

fuiſſet.

fuisset, minime Romanis exsulibus ibi licuisset commorari. Habemus in epistola M. Cœlii exemplum Q. Pompeji & T. Munatii Planci *Baulis* & Ravennæ exsulantium, cum uterque de vi, quod erat capitale crimen, condemnatus esset. *Manut. de Civit. Roman. Thes. Antiq. Roman. Græv. Tom.* I. *p.* 21. *C.*

BAX.

BAXEÆ fuerunt calceamenta. De illis Plaut. Men. II. 3. 40.

Quis est iste peniculus, qui extergentur baxeæ?

Apul. Met. II. p. 63. *Juvenem pedes palmeis baxeis indutum producit in medium.* XI. p. 368. *Nec deerat, qui pallio, baculoque, & baxeis, & hircino barbitio philosophum fingeret.* Beroal. in Apul. p. 301. a. Ideo cum socco conjungit Tertull. de Idolol. c. 8. ubi ait: *Soccus, & baxea quotidie deaurantur.* Voss. Lex. Etymol. Muliebre, & deauratum. Isidor. XIX. 34. *Salmas. in Tertull. de Pall. p.* 325. Imo virorum, & philosophorum. Tertull. de Pall. c. 4. *Si Philosophus in purpura, cur non & in baxea Tyria calceare?* Si, inquit, Aristippus vestem purpuream sumpsit, cur non & calceamentum, sive *baxeam* philosophicam purpura infecit, ut esset ei æqualis habitus? Apulejus modo laudatus. *Beroal. ibid. p.* 473. *b. Voss. l. l. Ferrar. de Re Vest.* II. 4. 10. *Turneb. Adv.* VII. 20. *Balduin. de Calc. c.* 14. *Stuck. Ant. Conviv.* II. 27. Vocabulo *baxearum* crepidæ significantur. Ibidem enim Tertullianus: Empedocles Philosophus *sericatus & crepidam æratus incessit.* Laert. Vit. Philos. VIII. 69. *Ex crepidulis æreis altera, vi flammarum ad exteriora rejecta, hunc indicavit in ignes Ætnæi montis insiluisse.* Tertulliano quidem dicitur *tuncta, & baxeas albas* Alexandrum Severum *habuisse, & non coccineas* in ejus vita scribit Lamprid. c. 40. Et nihilominus crepidis similes fuisse dicimus, licet illis nulla sint pedum integumenta, quæ colore tingantur. Quamvis enim nullus in eo calceatu color fuerit, cum superne apertus esset, & solea pedi corrigiis adstringenda tantum constaret. Verum paullatim *baxeæ* & crepidæ, ut in dies variæ fiunt rebus inventis accessiones, integumenta receperunt; quæ, si talum excipias, totos pedes operuerunt. Atque ita vel purpureo, vel albo colore insignes esse potuerunt, prout vel sectæ, vel ostentationis studium ostentabant. *Balduin. l. l. Jun. in Tertullianum. Taubman. in Plautum.*

BEC.

BECA tegmen erat capitis. V. illam infr. in *Orarium.*

BEL.

BELENUS erat idem qui Apollo. Capitolin. Maximin. c. 22. *Deum Belenum per aruspices spopondisse, Maximinum esse vincendum. Unde etiam postea Maximini milites jactasse dicuntur, Apollinem contra se pugnasse.* Herodian. VIII. 3. 19. *Belin* (perperam. *Belinus* & *Belenus* dicitur in Inscriptionibus) *vocant indigenæ, magnaque eum religione colunt, Apollinem interpretantes.* Cultus fuit ab Aquilejensibus. V. supr. in *Apollo*, & infr. in *Velianus.*

BELGICA inter Mosam & Sequanam est, & ipsa Consularis, quæ in flumine Erhudo dividitur, & *Belgica* prima dicitur; nunc vero Brabantia. Civitates quatuor continet, inquit Itinerarium: Metropolim Treverorum civitatem, Mediomatricorum, id est, Metis, Leucorum, id est, Tullo, & Veredonensium. *Belgica* secunda, sive inferior, ubi nunc est Flandriæ pars ad Oceanum pertinens, & transitus ad Britanniam & Remos. Duodecim civitates continet, secundum Itinerarium: Metropolim civitatem Remorum, Suessionum, Catalaunorum, Veromanduorum, Atrebatum, Cameracensium, Turnacensium, Silvanectum, Bellovacorum, Ambianensium, Morinorum, id est, Ponticum Bonnoniensium. Hic Dux cum tribus præsidiis castrametabatur. *Panciroll. Notit. Dign. Imp. Occid. c.* 67. *&* 85.

BELGRADUM urbs est Hungariæ Alba Græca. V. illam supr. in *Alba.*

BELISARIUS via Latina Neapoli cum copiis adveniens deflexit versus Urbem in viam Asinariam, ut in tecta illa & profunda semita oppido improvisus superveniret. *Borrich. Ant. Urb. Fac. c.* 3. §. 5. Procop. de bell. Goth. I. *Belisarius acie instructa circa Prænestinam portam ad eam muri partem mox ducit, quam Romani vivarium dicunt. Unde & expugnari mœnia perquam facile poterant.* Panvin. de Lud. Circ. II, 6. Sunt, qui putant a *Belisario* condita esse mœnia inter portas Flumentanam & Collatinam, in quibus Urbs nunc est. Nos vero in ea sententia non sumus: sed ab eo fuisse instaurata, quæ multo ante tempore posita erant: mœnibusque a Collina porta ampliatis, Collatinam eisdem additam, vel certe ex antiquo pomœrio cum Flumentana, eo, ubi nunc est, translatam, Pincianamque, sicut nunc, cœpisse appellari, a proximo Pincii senatoris Palatio. Aliter enim quomodo Procopius, qui tempore ejusdem *Belisarii* bello Gothico interfuit, Pincianam nominavisset, ni prius mœnia fuissent aucta: portaque ab eodem palatio prope exstante nomen obtinuisset: aut quomodo Sextus Pompejus, qui ante *Belisarium* vixit, etymologiam tradere potuisset ejus portæ, quæ secundum istorum opinionem nondum erat. *Marlian. Topogr.* I. 8. Consideretur etiam non procul a porta Populi flexus ille, ubi desinente muro vetere e lateribus, alter incipit multo antiquior ex opere reticulato, casumque minitans, unde vulgo murus tortus, sive incurvus appellatur. Hunc non inepte Donatus a Procopio innui suspicatur lib. I. ubi ait: inter portam Flaminiam & aliam minorem, ad manum dextram portæ Pincianæ, partem muri non solum versus terram diruptam, verum etiam, qua media sui parte sursum tendit, ita suspensam, ut, cum ruinam minetur, non tamen decidat, parte ejus foras eminente, parte vero introrsum reducta: quam cum *Belisarius* restituere, atque instaurare vellet, Romanos intercessisse, compertum sibi affirmantes, S. Petrum eam mœnium partem sibi curæ fore pollicitum. Atque ita deterritum *Belisarium* murum, ut nunc est, reliquisse. Hæ vero muri istius plicæ, atque prominentiæ, quæ visentium omnium excitant stuporem atque admirationem, quum hac sibi parte Gothi in Urbem aditum quæsisse non leguntur, eædem esse videntur, quæ & nunc ibi conspiciuntur. Unde, quum ea pars muri jam tempore *Belisarii* vetusta dicta fuerit, Aureliani illam firmissimi, ut Eutropius & S. Aurelius ajunt, muniminis fuisse partem, sat liquido apparet. Marlianus existimat, reliquias illas esse Palatii Senatoris, verum non alio argumento, quam quod illud in colle isto fuerit: cujus tamen contrarium facile perspicitur. Nam murus ille ætate *Belisarii* ita concussus erat, ut hodie: contra ea Pincii Palatium tam integrum, ut *Belisarius* illud sibi domicilium delegerit, teste Anastasio in vita Silverii: unde, si qua conjecturæ fides, ibi fuisse crediderim, ubi nunc est cœnobium S. Trinitatis in montibus, vel Horti Medicæi, cujus situs præaltus, & late conspicuus, & a muro torto remotior, colli Hortulorum nomen dare novum potuit: sicut ejus vicinia portæ proximæ appellationem Pincianæ contulit. *Nardin. Rom. Vet.* I. 8. Ejus vitis ante Libycam expeditionem vim racemorum immensam produxit, vinum e prælo ter exundavit, & toties lacum effecit, ait Procopius. *Buleng. de Conviv.* III. 1.

BELLARIA aliquando late accipiuntur pro omni ciborum, atque etiam vini dulcis genere; quæ mensis secundis inferuntur; aliquando angustius pro omnibus delicatis crustulis, placentis, libis, laganis, melle atque saccharo conditis, quorum in mensa secunda est usus, secundum quam significationem a fructibus distinguuntur. Serv. Æneid. II. 220. *Majores duas habebant mensas, alteram carnis, alteram pomorum.* II. 727. *Licet sub extranea persona, tamen Romanorum exsequitur morem, apud quos duæ mensæ erant, una epularum, altera pomorum.* Stuck. Ant. Conviv. III. 2. Gell. XIII. 11. *Bellaria, inquit, ea maxime sunt mellita, quæ mellita non sunt: πέμμασιν enim cum πέψει*

ſocietas infida. Quod Varro dixit bellaria: ſignificat id vocabulum omne menſæ ſecundæ genus; nam quæ πέμματα Græci, aut τραγήματα dixerunt, ea veteres noſtri bellaria appellaverunt. Etiam *bellaria* ſignificat Arnob. VII. p. 231. *Pulmentorum varietatibus afficiuntur dii cœlites, ut fieri mos eſt poſt cœnarum ditium, & locupletium ſaginas, fruſtilla hæc parvula pro ſuavibus mateolis ſumunt, non quibus famem ſedent, ſed ut palati admoneant etiam, ſeque ipſos plenæ appetitu voracitatis inſtigent.* Minos in Alciat. Emblem. p. 212. Saresb. Polycrat. VII. 7. Bruyer. de Re Cibar. VI. 10. Oiſel. in Gellium. Inter *bellaria* lauri folia comedebant, ne vinum redolerent. Athen. IV. Mart. V. 4.

Fœtere multo Myrtale ſolet mero,
Sed fallat ut nos, folia devorat lauri.

Forte quia, ut eſt Geopon. XI. *laurus facit ſanitatem.* Buleng. de Conviv. II. 39. Phænicides vocat προπύλαια, quia in propylæis templorum venibant. *Buleng. ibid. c.* 54. Athenis per ludos in theatris edebant. *Buleng. de Circo c.* 56.

BELLIA familia. V. illam infr. in *Familia.*

BELLICREPA ſaltatio. V. illam infr. in *Saltatio.*

BELLINUS Britannorum Rex pace belloque vir inclytus, & in omni fortuna Brenno fratri, qui Romam cepit, nequaquam impar, vita privatus, ac rogo impoſitus, Britannorum Regum primus crematus eſt. *Moreſtell. Pomp. Feral.* X 4.

BELLONA ab antiquis Duellona, ut bellum dicebatur duellum. Grammatici vel ſororem Martis eam faciunt. Lactant. ad Stat. Theb. V. 155. vel aurigam. Virg. Æneid. VIII. 703. Stat. Theb. VII. 71. vel denique uxorem, quæ Neriene vocabitur apud Gell. Noct. Attic. XIII. 21. quod nomen indubie a violentia & fortitudine, cujus plurimus in bellis uſus, deſumitur. Plaut. Truc. II. 6. 34.

Mars peregre adveniens ſalutat Nerienem
Uxorem ſuam.

Demſter. Paral. ad Roſin. Antiq. Roman. IV. 10. Gyrald. Synt. Deor. IV. 10. Depingebatur coma ſparſa, armata face. Sil. Ital. V. 221.

Ipſa facem quatiens, ac flavam ſanguine multo
Sparſa comam, medias acies Bellona pererrat.

Aut falcem manu prætendebat. Claud. Eutrop. II. 244.

—— *Quid dudum inflare moraris*
Tartaream Bellona tubam? quid ſtringere falcem?

Altera manu clypeum gerebat. Claud. Honor. Conſ. IV. 12.

Jam trabeam Bellona gerit, parmamque removit,
Et galeam.

Demſter. l. l. *Bellonam* dicitur Appius Claudius Cæcus in medio pugnæ diſcrimine inter prima ſigna manibus in cœlum ſublatis ita precatus eſſe: *Bellona, ſi hodie nobis victoriam dederis, hic ego tibi templum voveo.* Liv. X. 19. *Tomaſ. de Donar. c.* 21.

BELLONARII erant *Bellonæ* ſacerdotes. Hi ſeipſos cultris feriebant, & proprio ſanguine numen placabant, furenteſque vaticinabantur. Tertullian. Apolog. c. 9. *Hodie iſthic Bellonæ ſacratus ſanguis de femore proſciſſo in palmulam exceptus, ſuis datus ſignatus.* Lactant. I. 21. *Eandem Bellonam vocant, in cujus ſacris ipſi ſacerdotes non alieno, ſed ſuo cruore ſacrificant: ſecti namque humeris, & utraque manu gladios exſerentes, currunt, efferantur, inſaniunt.* Gyrald. Synt. Deor. X. p. 321. A. Demſter. Paral. Roſin. Antiq. Roman. IV. 10. Elmenhorſt. Herald. & Ouzel. ad Minuc. Felic. p. 298. Van Dale Diſſert. I. c. II. Salmaſ. in Tertullianum.

BELLUAS exquiſitæ novitatis, aut ex remotis orbis partibus advectas in templis dicandi conſuetudinem noſtrorum temporum antiquiſſimam eſſe oſtendit in Adriano Xiphil. LXIX. p. 795. A. *Eodem tempore Adrianus templum Jovis Olympii, in quo ipſius quoque ſtatua poſita fuit, Athenis ædificavit: juſſitque in eo draconem allatum ex India collocari.* Tomaſ. de Donar. c. 4.

BELLUM decernebatur comitiis curiatis non modo Romulo regnante; verum etiam perpetua Regum quatuor ſucceſſione uſque ad Servium Regem, qui centuriatis comitiis inſtitutis, curiata non quidem plane ſuſtulit, ſed ita debilitavit, nihil ut illis majorum rerum mandaretur, ſpeciem quidem aliquam comitiorum retinerent, tota vero, ſi quid conſulendum gravius, centuriatorum poteſtas eſſet. *Manut. de Civ. Rom. Theſ. Antiq. Roman. Græv. Tom.* I. *p.* I. *F.* Inde jubebatur comitiis tantum centuriatis. *Sigon. de Ant. Jur. Civ. Roman.* I, 21. V. infr. in *Comitia centuriata.* Sua ſponte gerere, exercitum educere injuſſu populi aut Senatus leges vetabant. *Auguſt. de Legibus in Cornelia Majeſtatis.* Non niſi auſpicato gerebatur. V. ſupr. in *Auſpicato.* Quod ſi cui indicendum foret, mos Romanus erat prius res repeti, mox *bellum* denuntiari: quippe cum nullum putarent juſtum *bellum*, niſi quod rebus repetitis geratur, aut antea denuntiatum foret, & ſollenni more indictum. Fecialibus enim prohibentibus, aut non probantibus, neque Conſuli, neque Senatui, aut populo arma in hoſtes ſumere licebat. Quum res repeterentur, populi juſſu ad fines illorum quatuor feciales, verbena coronati res repetitum ibant, ac Deos fœderum ultores teſtes faciebant. Ex quibus verbenarius gramen cum terra evulſum ferebat ex arce, legatuſque filo lanæ capite velato res ſibi dari clara voce poſcebat, quæ clarigatio dicta eſt (V. illam infr. in *Clarigatio*) his verbis: Jovem ego teſtem facio, ſi ego impie injuſteque illas res dedier populo Romano mihique expoſco, tum patriæ compotem nunquam ſinas eſſe. Quæ ſi præſtituta die non darentur, poſt dies tres & triginta (tot enim ſollennes fuere) pater patratus qui fecialium princeps erat, pariter coronatus *bellum* indicebat. Non enim cuicunque ex fecialibus, ſed ſoli patri patrato indicendi *belli* facultas erat, quem fecialis verbena caput & frontem cingens, indicendi *belli*, aut percutiendi fœderis principem faciebat. Ibat enim pater patratus ad hoſtium fines, & verba ſollennia præfatus, *bellum* a populo Romano contra præſcriptos hoſtes, ob legitimas, quas cenſuerat cauſas, clara voce indicebat: poſt quæ mos erat, ut de ſenatus conſilio, & populi juſſu, fecialis haſtam ferratam, aut ſanguineam præuſtam, ad fines illorum jaceret: & non minus tribus puberibus præſentibus *bellum* indiceret, & ita denuntiari & indici juſtum piumque *bellum* putavere. *Alex. Gen. Dier.* V. 3. *Gyrald. Synt. Deor.* XVII. *p.* 508. *F. Briſſon. de Form.* IV. *p.* 542. Simulacrum *belli* quænam exercitatio militaris fuerit dicta. V. infr. in *Simulacrum.*

BELLUTUS eſt *belluæ* ſimilis. Feſtus. Quod cognomen tulit L. Sicinnius primus tribunus plebis. *Sigon. de Nom. Roman. c.* 5.

BEN.

BENE erat formula propinandi in menſa & inter epulas in aliorum valetudinem & proſperitatem. Plaut. Perſ. V. 120.

Bene mihi, bene vobis, bene amicæ meæ.

Toxilus cum hæc prior dixiſſet, Lemniſelene illi reſpondens dixit n. 22.

Tua factum opera: bene omnibus nobis.

Stich. V. 4. 27.

Bene vos, bene nos, bene te, bene me, bene noſtram etiam Stephanium.

Briſſon. Form. I. p. 82. Saubert. de Sacrif. c. 26. More Græco velut per infinitivum illam efferebant, ſubaudito verbo precor *bene* nos vivere & valere. *Turneb. Adv.* XVI. II. *Lipſ. Lect. Ant.* III. *p.* 154.

BENEFICIARIUS dicebatur, qui ad altiorem gradum promovebatur beneficio vel tribunorum. Veget. II. 7. *Beneficiarii ab eo appellati, quod promoventur beneficio tribunorum.* Vel aliorum magiſtratuum. Liv. IX. 30. *Ut tribuni militum ſeni deni in quatuor legiones a populo crearentur, quæ antea perquam paucis ſuffragiis populi relictis locis, Dictatorum & Conſulum ferme fuerant beneficia.* In Inſcriptionibus

bus ſæpius, *Beneficiarius* Conſulis, Proconſulis, Prætoris. *Buleng. de Imp. Rom.* vi. 80. *Vectig. c.* 95. *Urſat. de Not. Roman. Theſ. Antiq. Roman. Græv. Tom.* xi. *p.* 570. *D. Guther. de Offic. Dom. Aug.* i. 37. *Lipſ. in Tacit. Hiſtor.* iv. *n.* 78. *de Milit. Anal. p.* 263. *Fab. Semeſt.* i. 17. *Salmaſ. ad Solin. p.* 386. *b. F. Reineſ. Inſcr. Claſſ.* viii. §. 35. *Alex. Gen.* vi. 22. *Græv. Theſ. Antiq. Rom. Tom.* i. *Præfat.* * * * * *verſ.*

Beneficiarius dicebatur, qui gratioſam in militia miſſionem erat conſecutus. Feſtus: *Beneficiarii dicebantur milites, qui vacant munere ducis beneficio.* Cæſ. Bel. Civ. iii. 88. *Evocatorum circiter duo millia, quæ ex beneficiariis ſuperiorum exercituum ad eum confluxerant.* Valtrin. de Re Milit. vi. 5. Urſat. de Not. Rom. Theſ. Antiq. Roman. Græv. Tom. xi. p. 693. E. Reineſ. Inſcr. Claſſ. viii. §. 35. Bud. in Pandect. p. 277. G. Salmaſ. in Spart. Adrian. c. 10. Alex. Gen. vi. 22. Laurent. Polym. iv. Synopſ. i. §. 3.

Beneficiarius etiam vocabatur, qui ſcrinium *beneficiorum* tractabat, & eorum inſtrumenta conficiebat. Paullo latius accipit Conſtantinus ad Taurum P. P. ſcribens: in leg. beneficiarii, vel officiales 4. C. de Epiſcop. & Cleric. *Beneficiarii*, inquit, *vel officiales rationales, ſi interverſa ratione fiſcali ad Eccleſias paraverint tranſeundum, curialium retrahantur exemplo.* Panciroll. Notit. Dignit. Imp. Orient. c. 89. Reineſ. Inſcr. Claſſ. viii. §. 35. Buleng. de Vectig. c. 95.

Beneficiarius vocabatur quoque, qui tributa, aut cenſus fiſco debitos exigebat. Tertullian. de Fug. & Perſec. c. 13. *Neſcio dolendum an erubeſcendum ſit, cum in matricibus beneficiariorum, & curioſorum, inter tabernarios & lanios, & fures balnearum, & aleones, & lenones Chriſtiani quoque vectigales continentur.* Intelligit Chriſtianos penſitaſſe pecuniam *beneficiariis*, ne accuſarentur quod eſſent Chriſtiani, quemadmodum penſitabant flagitioſæ & viles perſonæ, ob artem quam exercebant. *Panciroll. Notit. Dignit. Imp. Orient. c.* 89.

BENEFICIUM fuit numen divinum, a Democrito inſtitutum. Plin. ii. 7. *Bud. in Pandect. p.* 46. *A. Gyrald. Synt. Deor. p.* 53. *C.*

Beneficium in re militari erat provectio ad altiorem gradum. Val. Max. iv. 7. 5. *Admodum humili loco natus ad equeſtrem ordinem, & ſplendidæ militiæ ſtipendia P. Cælii beneficio pervenerat.* Suet. Tib. c. 12. n. 4. *Venit etiam in ſuſpicionem per quoſdam beneficii ſui centuriones.* Hæc *beneficia* ſtante Republica a rectoribus provinciarum conceſſa non aliter rata erant, quam ſi iidem rectores Romam reverſi triginta diebus poſt rationes relatas illa ad ærarium retuliſſent. Cicer. pro Arch. c. 5. *Adiit hereditates civium Romanorum, & in beneficiis ad ærarium relatus eſt.* Buleng. de Imp. Rom. vi. 80. Vectig. c. 95. Sigon. de Ant. jur. provinc. ii. 11. Lipſ. in Tacit. Hiſt. iv. n. 78.

Beneficium nuncupabatur etiam res mobilis aut immobilis ex ſubſtantia Principis alicui donata. Talia multa ſe eccleſiis, xenonibus, ptochetrophiis, epiſcopis, monachis & aliis innumeralibus perſonis donaſſe Juſtinianus A. ad Florum Comitem rerum privatarum ſcribit leg. ult. §. quia igitur multa C. de quadrien. præſcr. Sic *beneficium* poſtea appellatum eſt feudum alicui a principe conceſſum. *Panciroll. Notit. Dignit. Imp. Orient. c.* 89.

Beneficium etiam vocabatur privilegium, veluti aquæ ducendæ, alicujus immunitatis, vel alterius rei. Leg. 4. ff. de conſtit. princ. *Panciroll. Notit. Dignit. Imp. Orient. c.* 89.

In *Beneficiis* ad ærarium ab Imperatore referebatur, qui fuiſſet ex cohorte prætoria. Quæ quia nemini niſi civi Romano permiſſa fuit, hoc pro certo civitatis argumento attulit Cicer. pro Arch. c. 5. *Iis temporibus quæ tu criminaris, ne ipſius quidem judicio in civium Romanorum jure eſſe verſatum, in beneficiis ad ærarium delatus eſt a L. Lucullo prætore & Conſule.* Sigon. de Ant. Jur. Civ. Roman. i. 15. Quo quum deferebantur, *beneficiarii* milites fieri poterant. *Panvin. de Imper. Roman. c.* 5. Comites magiſtratuum ex cohorte prætoria deferebantur, non ut *beneficiarii* milites crearentur, ſed honoris & commendationis cauſa, ut is honor eis aliquando prodeſſet, aut in honoribus conſequendis, aut periculis declinandis. *Græv. Theſ. Antiq. Roman. Tom.* i. *Præfat.* * * * * *verſ.*

Beneficiorum liber erat pars rationarii imperii, quod Auguſtus inſtituerat. In eo deſcriptum erat accuratiſſima diligentia, qui agri quibus colonis eſſent diviſi, & quæ ſubceſiva agrorum ſupereſſent, quæ dividi aliis poſſent. Hygenus de limitibus conſtituendis: *Libros æris & typum totius perticæ lineis deſcriptum, ſecundum ſuas terminationes adſcriptis affinibus tabulario Cæſaris inferemus: & ſi quæ beneficio conceſſa aut aſſignata coloniæ fuerint, ſive in proximo, ſive inter alias civitates, in libro beneficiorum adſcribemus.* Sed de agris ſolum Hygenus. Alexander vero, ut indicat Lamprid. c. 46. non agros tantum, verum & alia quæ largiri principes ſolent, habuit deſcripta. *Cogitabat enim ſecum & deſcriptum habebat, cui quid præſtitiſſet.* Fuit etiam Reipublicæ temporibus liber *beneficiorum*, in quem rectores provinciarum ſimul ac Romam redierant, tribunos militum, centuriones, & contubernales ſuos, & quoſcunque in provinciis promoviſſent, deferebant: quod, ut ſupra dictum, dici ſolitum, ad ærarium in *beneficiis* deferre. *Salmaſ. in Lamprid. Alex. c.* 46. *Buleng. de Vectig. c.* 95. *Guther. de Off. Dom. Aug. c.* 37.

BENEVENTUM opus eſt Diomedis. Cum ab illo conderetur, *Maloenton* dicebatur. Stephanus: Βενεβεντὸς, χωρίον Διομήδους ἐν Ἰταλίᾳ. Οἱ δὲ, ὅτι κτῆμα Διομήδους, ἢ καὶ Μαλόεντος ἐλέγετο. Inſerto digamma Æolico, & mutato *o* in *e*. Cum colonia eo deduceretur, appellari cœptum eſt *Beneventum.* Feſtus. Plin. iii. 11. *Cætera intus in ſecunda regione Hirpinorum colonia; una Beneventum, auſpicatius mutato nomine, quæ quondam appellata Maleventum.* Salmaſ. Exercit. Plin. p. 46. b. D. Buleng. de Omin. c. 1. Ciaccon. Column. Roſtr. Theſ. Antiq. Roman. Græv. Tom. iv. p. 1815. E. Colonia eſt deducta Sempronio Sopho & Appio Cæci filio Conſulibus. Paterc. i. 14. 7. Liv. Epit. 15. Annus fuit ab U. C. 485. ante natum D. Jeſum 268. *Cluver. Ital. Ant.* iv. 7. 10.

BENIGNITAS in petitione honorum in conciliando populo poſita fuit I. in congiariis dandis. Livius teſtis eſt, ubi loquitur de comitiis cenſoris M. Acilii Glabrionis: *In hunc maxime, quod multa congiaria habuerat, quibus magnam partem hominum obligarat, favor ſe populi inclinarat.* II. In conviviis præbendis, de quibus Quinctus de Pet. conſ. c. 11. *Benignitas late patet, & eſt in re familiari, quæ quanquam ad multitudinem pervenire non poteſt, tamen ab amicis laudatur, & multitudini grata eſt; eſt in conviviis, quæ facito & abs te, & ab amicis tuis concelebrentur, & paſſim, & tributim.* III. In gladiatoribus exhibendis, de quibus exſtat teſtimonium oratione pro Muræna, in qua orator gladiatores datos populo, a Muræna, a Sulpicio neglectos plurimum Murænæ ad Conſulatum profuiſſe, Sulpicio obfuiſſe contendit. Quin etiam in iis muneribus dandis multos conſumpſiſſe patrimonia conſtat, ut de Milone & Q. Gallo ſcribit Aſconius. IV. In locis parandis. Fuere enim multi, qui locis tribulibus ſuis, cum gladiatores darentur, in foro commodandis eorum gratiam quæſiverunt. V. In pecuniis dividendis. Poſtremis enim temporibus obtinuit conſuetudo, ut præſenti pecunia populi ſuffragia emerentur, ad eamque rem miniſtri adhiberentur, nempe interpretes, ſequeſtres, diviſores. V. ſingulos ſuis locis. *Sigon. de Judic.* ii. 30.

BENNA eſt vehiculum vimineum quadratum, duabus rotis volubile. Feſtus: *Benna lingua Gallica genus vehiculi appellatur: unde vocantur combennones in eadem benna ſedentes.* Illo vocabulo uſus eſt Cato de Re ruſtic. c. 23. *Bennæ emantur.* Gloſſ. vet. *Bennarius*, σκηνάρχης. Lex. Lat.-Græc. *Combennit*, συνβαστάζει. *Blond. Triumph. Rom.* ix. *p.* 199. *D. Voſſ. Lex. Etymol. de Vit. ſerm.* i. 2. *Meurſ. in Catonem. Scalig. & Dacer. in Feſtum.*

BENTIVOLUS Johannes ſuperiori ætate Bononiæ primas obtinuit, tanta in ea civitate auctoritate, ut Æmiliæ pæne totius imperium ad ſe contraxerit. Hujus palatium, quod & maximum & opulentiſſimum excitaverat, in

in uno ex angulis ita eſt ictum fulmine, ut eo diſcuſſo pars ædium corruerit. Ipſe paucis poſt diebus cum uxore, liberis & univerſa familia vertit ſolum. *Pier. Valer. de Fulmin. Signif. Theſ. Antiq. Roman. Græv. Tom.* v. *pag.* 596. *B.*

BER.

BERENICE, ſoror Agrippæ Regis, ut Deo vota ſolveret pro ſalute, Hieroſolymas venit, & hoſtiis cæſis, capilliſque deraſis nudipes ante tribunal ſtetit. His enim, qui morbo, vel aliis neceſſitatibus implicabantur, mos erat orare per triginta dies, antequam immolent hoſtias: abſtinere quoque vino, & capillos radere. Joſeph. de Bell. Jud. II. 15. Egeſipp. de Excid. Hieroſol. II. 8. *Tomaſ. de Donar. c.* 5. *Sagittar. de Nudiped. Vet.* II. §. 5. *Balduin. de Calc. c.* 23. *Byn. de Calc. Hebr.* 11. 4. 6. *Alexand. Gen.* III. 22.

Berenice Ptolemæi uxor ab Ægyptiis eſt conſecrata. V. illam infr. in *Ptolemæus.*

BEROSUS fuit Babylonius, quomodo ex Tatiani oratione ad Græcos poteſt perſpici. Is Chaldæi honorem, ac dignitatem geſſiſſe, ex Joſephi auctoritate putatur ab eo, qui ſummatim illius vitam attigit, Annio Viterbienſi. In quo partim recte, partim dicit perperam; nam, cum Joſeph. Ant. Jud. I. eum vocat Chaldæum præciſe, at contr. Apion. I. p. 1043. G. plene. *Beroſus*, inquit, *Chaldæus genere*, Chaldæi vocabulum non honorem, ſed gentem oſtendere videtur. Quod verum eſſe ſatis patet ex iis, quæ dicuntur infr. in *Chaldæi.* Ferrar. de Orig. Rom. Theſ. Antiq. Roman. Græv. Tom. I. p. (10.) B. *Beroſum* Athenis docuiſſe narrat, ſed falſo Annius Viterbienſis. Athenienſes quidem, quod legitur apud Plin. VII. 37. illi ob divinas prædictiones publice in gymnaſio ſtatuam inaurata lingua ſtatuerunt; non itaque ob eam cauſam, quod in Athenarum urbe docuerit, ſed quia prædixerit, & divinaverit forte aliquid, quod & evenerit, & proſpere quidem evenerit. Docuit vero in inſula & civitate Coo. Evincit hoc auctoritas Vitruv. IX. 7. *Primus Beroſus in inſula & civitate Coo conſedit, ibique aperuit diſciplinam.* Ferrar. ibid. p. II. B. Natus eſt tempeſtate, qua in Perſas Magnus Alexander imperium tenuit. Ad Antiochum uſque, qui in Syria poſt Alexandrum regnavit tertius; proceſſit ætate: ad quem res geſtas Aſſyriæ Regum, in tria volumina diſtributas miſit muneri. Tatian. Aſſyr. Orat. contr. Græc. p. 171. *Ferrar. ibid. p.* 16. *F. Salmaſ. Exerc. Plinian. p.* 456.

BERYTUS eſt urbs Phœniciæ clara, & emporium celebre. Reponitur inter eas colonias, quæ juris Italici erant una cum ſolo leg. I. & 8. ff. de Cenſ. Eam deduxiſſe Agrippam innuere videtur Strab. XVI. p. 520. cum dicit: *Poſt hanc eſt Adonis fluvius, & mons Climax, & Byblus: poſtea Lycus fluvius, & Berytus, a Tryphone diruta, nunc vero a Romanis inſtaurata, duabus legionibus ibi ab Agrippa collocatis.* Quod ſi ab eo factum, id eveniſſe oportet, cum Ægyptum in provinciam redegit. *Urſat. de Not. Romanor. Theſ. Antiq. Roman. Græv. Tom.* XI. *p.* 627. *F.* Fuit una coloniarum tranſmarinarum, in quas Julius Cæſar colonos miſit. Nummus enim cum epigraphe COL. JUL. BER. legitur ſcalptus. *Patin. in Suet. Jul. c.* 42. Auguſti potius eſt colonia. Ulpian. de Cenſ. *Auguſti beneficiis gratioſa, & ut Divus Adrianus in quadam oratione ait, Auguſtana colonia, quæ jus Italicum habet.* Euſeb. Chron. anno tertio Olymp. 191. ab U. C. 740. ait: *Coloniæ Berytum & Patras deductæ.* In Ancyrano lapide dicuntur militares coloniæ ab Auguſto conditæ M. Craſſo & Cn. Cornelio Lentulo Conſulibus, qui anno ab U. C. 740. magiſtratum geſſerunt. Denique in cimeliis Mediceis ſervantur duo rara numiſmata Elagabali & Gordiani Imperatorum cum epigraphe in poſtica: COL. JUL. AUG. FEL. BER. *Colonia Julia Auguſta Felix Berytus.* Noriſ. Cenotaph. Piſan. Diſſert. I. p. 22. 23. Plinius tamen & nummi pro Julio certant: ille v. 20. ait, *Berytus Colonia, quæ felix Julia appellatur*; hi cum hac epigraphe, & ejus effigie ſine Auguſtæ nomine percuſſi Julium vindicant. Lis igitur ita eſt componenda. *Berytus* a Julio deducta, cognominata eſt Julia. Auguſtus deinde partem veteranorum ex legionibus quinta Macedonica & octava Auguſta in eam tranſmiſit, unde urbi Auguſtæ nomen additum ob colonorum ſupplementum. *Vaillant. Numm. æreor.* I. *p.* I.

BES.

BES ex aſſe profluxit, primitus fuit dueſſis, quaſi duæ aſſis, puta tertiæ partes, ut duellum, bellum: duonum, bonum: & Græcis δίμοιρον. Ita δύο μοῖραι pro duabus tertiis, ſive *beſſe* apud Homer. Ἰλιάδ. K. 253. *Gronov. de Pecun. Vet.* IV. 17. *Salmaſ. de Mod. uſur. c.* 6. *Bud. de Aſſe. p.* 16. *&* 560. *Scalig. de Numm. Theſ. Antiq. Græc. Gronov. Tom.* IX. *p.* 1503. *B.* qui ad Feſtum a ſeipſo diſſentit, ſed tamen excuſatur a *Gronov. l. l.* In hæreditate octodecim millium nummum *bes* erit duodecim millia. *Gronov. ibid.* III. 11.

Bes ſicilicus dicebantur undecim digiti, perinde ut in rationibus undecim aſſes. *Bes* enim octo pollices, id eſt, undecim digiti minus triente digiti, qui ſicilicus, ſeu quarta pars unciæ, nempe pollicis. *Gronov. de Pecun. Vet.* III. 11.

BESSALES appellabantur lateres, qui octo pollices, ſive longitudinis, ſive latitudinis, ſive altitudinis habebant. Vitruv. v. 10. *Ex altera parte beſſalibus laterculis pilæ ſtruantur.* Quod cum in uſu frequentaretur, factum eſt generis vocabulum, ut *beſſales* & *beſſalia* pro lateribus dicerentur. Βήσαλον poſterior Græcia dixit laterem, βήσαλα laterculos. Tzetzes Chil. IX. 275.

Coctum autem laterem ſcito, quem beſalon vocamus.

Gronov. de Pecun. Vet. III. 11. Salmaſ. Exerc. Plinian. p. 869. C. Bochart. Hieroz. IV. 26. Meurſ. Gloſſar. Græco-Barb. Pætus de Græc. & Roman. Menſur. Theſ. Antiq. Roman. Græv. Tom. XI. p. 1612. B.

BESTIA erat cognomen Calpurniorum. *Beſtiam* Calpurnium conſularem unum reperio, cujus collega in conſulatu fuit P. Scipio Naſica belli Jugurthini anno I. qui fuit Urbis 642. is L. Calpurnius *Beſtia* dictus. Eodem nomine alter inter ſodales L. Catilinæ a Salluſtio nominatur: & poſtea tribunus plebis dicitur eodem anno. Hunc crediderim a Cicerone defenſum fuiſſe in ea oratione, quæ inſcribitur pro *Beſtia*, quæ non extat. *Auguſt. de Famil. in Calpurnia.*

BESTIÆ intractabiles conſuetudine & cibo facile manſueſcunt. Ælian. de Anim. IV. 44. *Feles, & ichneumones, & crocodili, & vulturum natis capiuntur blanditiis eſcarum, & inde cicurata ſunt manſuetiſſima.* Buleng. de Venat. c. 21. *Beſtiarum* capita, exuvias, pelles, militaris virtutis in pace & otio inſignia foribus veteres affigebant, & glorioſe oſtentabant. Manil. IV. 180.

Hoc habet, hoc ſtudium poſtes ornare ſuperbis
Pellibus, & captas domibus præfigere prædas.

Symmach. Epiſt. v. 66. *Uti honori numinum datur cornua ſacrare cervorum, & aprinos dentes liminibus affigere: ita amicorum cultui dedicantur libamenta ſylvarum.* Schott. Obſerv. I. 12. *Beſtias* ad id ſpectaculi genus obeundum paullo ante edoctas, & inſtitutas navibus in theatrum invehebant. Xiphil. in Tito: *Amphitheatro derepente impleto, in ipſum equos, tauroſque, aliaque manſueta animalia immiſit, quæ in aqua, quemadmodum in terra agere aſſuefacta erant.* Poſtea ex improviſo dejiciebant in aquas. Oſtendere videtur ante dictus auctor vita Neronis: quem ait animadvertiſſe *in theatro navim per ſe diſſolvi, emiſſiſque ex ſe belluis quibuſdam, rurſum integram & firmam conſtitiſſe.* Scheff. de Milit. Nav. III. 2. Non domeſticas modo, ſed etiam feras, quibus aliqua in re uſi erant, velut de ſe bene meritas libertate remunerari conſueverant veteres, & in agros ſylvaſque dimittere; ita ut incuſtoditæ vagarentur, & tanquam ſacræ a nemine violarentur. Ammian. XXIX. 3. *Innocentiam, poſt multas, quas ejus laniatu cadaverum vide-*

rat ſepulturas, ut bene meritam in ſylvas abire dimiſit. Eum morem ſecutus Statius fingit Liberum Patrem duas tigres manſuefactas & domitas, quas in bello Indico ad currum junctas habuerat, cum victor Thebas rediiſſet ex India, ceu optime meritas, aut, ſi mavis, emeritas conſecraſſe, & in agrum Thebanum dimiſiſſe: quæ & e manu paſcerentur, & nunc per campos errarent, nunc etiam urbem Thebas intrarent innoxiæ. Statii verſus ſunt hic Theb. VII. 564.

Errabant geminæ Dircæa ad flumina tigres,
Mite jugum, belli quondam vaſtator Eoi
Currus: Erythræis quas nuper victor ab oris
Liber in Aonios meritas dimiſerat agros.

Julius Cæſar *greges equorum*, quibus in bello Gallico uſus erat, *in trajiciendo flumine Rubicone conſecravit, ac vagos, & ſine cuſtode dimiſit.* Suet. c. 81. n. 4. *Valeſ. in Ammianum.* Ad . . . . dari depugnandi cauſa non erat pœna capitis, & ad illas dari non numerabatur in ſummo ſupplicio. Ulpianus: *Qui nummos aureos raſerint, tinxerint, finxerint, ſi quidem ſint liberi, ad beſtias dentur: ſi ſervi, ſummo ſupplicio afficiantur.* Qui ad *beſtias* dabatur, ſi feram confeciſſet, & certamine pœnam luiſſet, crimine ſolutus erat. *Buleng. de Venat. c. 33. Bud. in Pandect. p. 240. I. Fab. Semeſtr. II 11. Laurent. de Rebuſpubl. c. 7. Beſtiis* objici erat pœna capitis. Marcian. leg. Perſpiciendum in fine ff. de Pœnis. Ei qui feris objiciebatur nulla erat miſſio leg. 38. ff. de Pœnis. Auctores ſeditionis & tumultus populo concitato *beſtiis* objiciebantur. Objecta eſt feris mulier, de qua Apul. Metam. x. p. 353. *Sic ipſe mecum reputans, quod quæcunque ad exitium mulieris beſtia fuiſſet immiſſa, non adeo vel prudentia ſolers, vel artificio docta, vel abſtinentia frugi poſſet provenire, ut adjacentem lateri meo laceraret mulierem.* Buleng. de Venat. c. 33. Bud. in Pandect. p. 240. I. Fab. Semeſt. I. 18. Caſal. de Urb. ac Imper. Roman. ſplend. part. 2. c. 5. Hotman. Antiq. Roman. v. p. 759. B. Hoc ſupplicium, quo *beſtiis* conſumendi objiciebantur, ad ſtipitem ſurrecti, non exiſtimo in uſu fuiſſe apud Romanos vigente Republica, niſi quod Baldus quæſtor cum eſſet Gadibus, *beſtiis* cives Romanos, in his circulatorem quendam auctionum notiſſimum hominem Hiſpali objeciſſe, ab Aſinio Pollione apud Cicer. Fam. x. 32. dicitur. Exterarum gentium transfugas in edendis populo ſpectaculis everſo Punico imperio feris *beſtiis* objecit Africanus poſterior. Et L. Paullus Perſe Rege ſuperato ejuſdem generis & culpæ homines elephantis proterendos ſubſtravit. Atque hoc exemplo Maricus quidam e plebe Bojorum, Vitellii Principis temporibus, cum aſſertor Galliarum & deus (hoc nomen id ſibi indiderat) concitis octo millibus hominum, proximos Heduorum pagos traheret: & graviſſima civitas electa juventute, adjectis a Vitellio cohortibus, fanaticam multitudinem disjeciſſet: captus in eo prælio Maricus feris eſt objectus: & quia non laniabatur, ſtolidum vulgus inviolabilem credebat, donec ſpectante Vitellio interfectus eſt. Memorat hoc Tacit. Hiſt. II. 61. I. Sed neque tenuiores cives Romanos, neque Latinos etiam libertinos, imo ne ſervos quidem, quæ hominum extrema conditio eſt, florente Republica tali ſupplicio damnatos, aut affectos crediderim. Quod ab Afris primum opinione quidem mea, ut ſacroſanctam de Daniele divino vate, ut Græcam de Lyſimacho Alexandri ſatellite hiſtoriam ſilentio prætereram, uſurpari cœpit. Amilcar dux Carthaginenſium captivos ad ſe adductos *beſtiis* ſubjicere ſolebat, ut Polybius auctor eſt I. *Beſtias* ex Africa Romam, ut conficerentur ab hominibus deductas eſſe, dictum ſupr. in *Africanæ*. Fab. Semeſt. II. 7. Buleng. ibid. c. 6. Hoc ſupplicium deinde Chriſtianis irrogatum fuit. Hinc Tertull. Apolog. c. 40. *Si Tiberis adſcendit in mœnia, ſi Nilus non adſcendit in arva, ſi cœlum ſtetit, ſi terra movit, ſi fames, ſi lues, ſtatim Chriſtianos ad leonem.* Exhort. ad Caſtitatem c. 12. *Ne modo non ſint, qui exclament: Chriſtiani ad beſtias.* Arnob. I. p. 14. *Ad extremum nos feris & belluarum laniatibus objectatis.* Elmenhorſt. in Arnobium. Kipping. Antiq. Roman. II. 7. 10. Objectabantur *beſtiis*, quum venationes darentur, & ante extremum agonem. V. Arnobium jam laudatum. Hinc Prudent. Periſteph. I. 55.

Seu fortis præbenda cervix ad bipennem publicam,
Verberum poſt vim crepantum, poſt catáſtas igneas,
Sive pardis offerendum pectus, aut leonibus.

Alias non licebat. Hinc quum Polycarpum ad leonem poſtularent, reſpondit proconſul fieri hoc non poſſe, quia venationes peractæ erant. Euſeb. Eccleſ. hiſtor. IV. 15. *Hæc dicentes inclamabant, rogabantque Philippum Aſiarcham, ut leonem adverſus Polycarpum emitteret. At ille negavit, id ſibi licere, quippe qui amphitheatrale ſpectaculum jam edidiſſet.* Heraldus in Arnobium.

BESTIARIUS vocabatur, qui cum *beſtiis* pugnabat, ſive judicis ſententia *beſtiis* objiceretur, ſive ad id conductus, aut alioqui confiſus viribus, & virtutis oſtentandæ cauſa ultro in arenam deſcenderet. Cicero in Vatin. c. 17. *Quod in concione dixiſti, Milonem gladiatoribus & beſtiariis obſediſſe Rempublicam.* Suet. Claud. c. 34. n. 6. *Beſtiariis delectabatur* Claudius. *Panvin. de Lud. Circ.* II. 4. *Buleng. de Venat. c. 30. & 34. Pignor. de Serv. p. 35. Fab. Semeſtr. I. 6. Laurent. de Rebuſpubl. c. 7. Kipping. Antiq. Roman.* II. 6. §. 10. Vocabant hos Græci θηριομάχους, ἐπιθανατίους, παραβόλους: Latini *beſtiarum* venatores, confectores ferarum, contifices arenarios. *Argol. in Panvin.* & *Buleng. l. l.* Addicti, & qui ſe pecuniæ aviditate vendebant, infames erant. Quid enim turpius eſſe poteſt, quam ſe ad mortem vendere? Manil. IV. 225.

Nunc caput in mortem vendunt, & funus arenæ.

Firmic. VIII. 13. *Qui ſe ob alienæ gratiæ voluntatem nundinati, ſanguinis jactura ad mortis ſpectaculum vendunt.* Argol. l. l. Ludicri hujus inventi ortum ab Athenienſibus arceſſit Caſſiod. Epiſt. v. 42. *Hunc ludum*, inquit, *crudelem Athenienſes primum ad civitatis ſuæ produxere culturam, juſtitia permittente divina.* Nec abhorret Lucianus, qui narrat in Toxari ætate Solonis & Anacharſis *beſtiarios* Athenis datos. Sic enim ille: *Aſſumens me, ut ad gratum & inſperatum ſpectaculum Græcanicum, inducit in theatrum. Et ubi conſedimus, vidimus primum omnium feras ſagittis confici, & a canibus lacerari, aut immitti in homines vinctos, noxios, ut interpretabamur.* Buleng. ibid. c. 6. Dabantur I. ut manibus litarent. Hanc cauſam attingit Tertullianus libro de Spectaculis. V. illum infr. in *Munus.* II. Ut animos civium ad cædem aſſuefacerent, & exemplo ſervorum ad laudis & victoriæ cupiditatem accenderent. Plin. Paneg. Trajan. c. 33. n. 1. *Viſum eſt ſpectaculum inde non enerve, nec fluxum, cum in ſervorum noxiorumque corporibus amor laudis & cupido victoriæ cerneretur.* III. Ad voluptatem Imperatorum aut populi. Sub Imperatoribus enim, cum jam cives, qui Romæ agerent, onere militiæ exempti ac liberi eſſent, ſpectacula ad voluptatem exhibebantur. Lamprid. Heliogab. c. 25. *Stravit ſibi triclinium in ſummo luſorio. Et dum pranderet, noxios & venationes ibi exhibuit.* De voluptate populi teſtatur Capitol. Anton. Philoſ. c. 23. *Abſens populi Romani voluptates curari vehementer præcepit per ditiſſimos editores.* Buleng. ibid. c. 11. Caſal. de Urbis, ac Imper. Roman. Splend. part. 2. c. 5. Illorum fuerunt ſcholæ, ubi alerentur etiam ad pœnam, ubi cum *beſtiis* pugnare docerentur. Tertull. Apolog. c. 35. *Teſtis & Tiberis, & ſchola beſtiarum*, ſive *beſtiariorum.* Caſal. l. l. Junius in Tertullianum. Malefici, & captivi adeo exhorruerunt id genus ſupplicii, ut multi ſibi necem conſciverint, ne *beſtiis* objicerentur. Senec. Epiſt. 70. V. illum infr. in *Spongia.* Caſal. l. l.

BET.

BETILIENA familia. V. illam infr. in *Familia.*

BIB.

BIBENDI magiſter. V. illum ſupr. in *Arbiter.*
Bibendi mos in Græcia, pro civitatum varietate, erat

 varius.

varius. Chius & Theſſalus incipiunt a magnis poculis ad dexteram. Atticus a parvis ad dexteram: ut in veneratione dextrovorſum circumaguntur, ſic in convivio patera in dextrum circumfertur. Auſonius:

Ut ſolitum, quoties dextræ invitatio menſæ
Solicitat comem leni ſermone Lyæum.

Theſſalus magna pocula propinat ab initio cui vult. Lacedæmone quiſque quod ſibi oppoſitum eſt, bibit. Initio ergo minutis poculis more Attico bibebant, ubi incaluiſſent, majoribus, quia, ut notat Alexander Aphrodiſæus, ſenſim fuerunt ſtomachi, venarumque anguſtiæ laxandæ, non per initia obruendæ. Virgil. Æneid. I. 727.

Poſtquam prima quies epulis, menſæque remotæ,
Crateras magnos ſtatuunt.

Cicer. Verr. I. 26. *Mature veniunt, diſcumbitur, fit ſermo inter eos, & invitatio, ut Græco more biberetur, hortatur hoſpes, poſcunt majoribus poculis.* Buleng. de Conviv. III. 22. Turneb. Adv. VI. 11. Saubert. de Sacrif. c. 26. Victor. Var. Lect. XXII. I. Alex. Gen Dier. V. 21.

BIBERE jejuni ſolebant homines intemperantiores. Ævo Novatiani adhuc duravit. Ita enim ille in epiſtola de cibis Judaicis: *Nec deſunt, qui cum ſibi Chriſtiani vocem induerint, exempla præbeant intemperantiæ, & magiſteria. Quorum uſque eo vitia venerunt, ut & jejuni matutino tempore bibant: non putantes Chriſtianum eſſe potare poſt cibum, niſi in vacuas & inanes adhuc venas infuſa ſtatim per*, lege *poſt ſomnum vina deſcenderint. Videas ergo tales novo genere adhuc jejunos, & jam ebrios, non ad popinam currentes, ſed popinam ſecum circumferentes: quorum ſi quiſquis ſalutat, non oſculum dat, ſed propinat.* Inter cauſas morborum hoc habet Plutarch. Quæſt. Conviv. VIII. 9. *Nec minimum*, inquit, *momentum habent ea quæ propomata*, potus qui præbibuntur, *vocantur. Veteres enim ante cibum ne aquam quidem ſumebant: nunc jejuni prius onerant ſe vino, tum cibum guſtant corpore madido, & perfuſo.* Et damnat Senec. Epiſt. 122. *Non videtur tibi contra naturam vivere, qui jejuni bibunt, qui vinum recipiunt inanibus venis, & ad cibum ebrii tranſeunt?* Lipſ. in Senecam. Caſaub. in Athen. II. 17. *Bibere* in amicorum, cum præſentium, tum abſentium gratiam veteres ſolebant, ad illorum memoriam inter bibendum recolendum & renovandum. Theocr. Eid. XI.

---- Ἀτὰρ τόσον αἰὲν ἔρωτος
Ἀκράτῳ ἐπιχεῖτο.

id eſt, *ſemper amoris vinum fundebat*, ſive bibebat. *Amoris vinum eſt*, inquit, *quod quis bibit amicum ſuum, aut amicam ſuam repetens.* Horat. Od. I. 27. 9.

Vultis ſeveri me quoque ſumere
Partem Falerni? dicat Opuntiæ
Frater Megillæ, quo beatus
Vulnere, qua pereat ſagitta.

Tib. II. I. 31.

Sed bene Meſſalam ſua quiſque ad pocula dicat,
Nomen & abſentis ſingula verba ſonent.

Stuck. Ant. Conv. III. 13. Urſin. Append. ad Ciaccon. de Triclin. p. 328. Kipping. Antiq. Roman. IV. 3. 7. *Bibere* tot cyathos, quot eſſent in amici, vel amicæ nomine literæ, cui *biberent*, ſolebant veteres. Mart. I. 72. I.

Nævia ſex cyathis, ſeptem Juſtina bibatur,
Quinque Lycæa, Lyde quatuor, Ida tribus.
Omnis ab infuſo numeretur amica Falerno.

IX. 95 3.

Nunc mihi dic, quis erit, cui te, Calatiſſe, Deorum
Sex jubeo cyathos fundere? Cæſar erit.
Sutilis aptetur decies roſa crinibus, ut ſit
Qui poſuit ſacræ nobile gentis opus.
Nunc bis quina mihi da ſuavia, fiat ut illud
Victor ab Odryſio quod Deus orbe tulit.

In hoc carmine cyathorum, roſarum, baſiorum numerus reſpondet his tribus nominibus; *Cæſar Domitianus Dalmaticus.* Item quot manu digitos haberent. Plaut. Stich. V. 4. 24.

Vide, quot cyathos bibimus. ST. tot, quot digiti ſunt tibi in manu.
Cantio eſt Græca; ἢ πέντε πῖν᾽, ἢ τρὶς πῖν᾽, ἢ μὴ τέτταρα.

Stuck. Ant. Conviv. III. 13. *Urſin. Append. ad Ciaccon. de Triclin. p.* 324. *Pontan. in Macrob. Somn. Scip.* I. 6. *Lipſ. Ant. Lect.* III. *p.* 154. *Bruyer. de Re cibar.* III. 8. *Laurent. de Prand. & cœn. c.* 19. *Kipping. Antiq. Roman.* IV. 3. 7. *Scriver. in Martialem.* *Bibere* tot cyathos, quot alicui annos precabantur, ſolebant veteres. Ovid. Faſt. III. 531.

Sole tamen, vinoque calent, annoſque precantur,
Quot ſumunt cyathos, ad numerumque bibunt.
Invenies illic qui Neſtoris ebibat annos,
Quæ ſit per calices facta Sibylla tuos.

Urſin. de Triclin. p. 325. *Bibere* ſolebant veteres in Deorum honorem certum numerum cyathorum in ſuis invitationibus, ſive propinationibus. Et Græci quidem veteres in cœnis tres crateras in Deorum gratiam ſunt ſoliti ſtatuere: primum Mercurio, alterum Gratiis, tertium Jovi Servatori. Ad numerum præterea Muſarum novem cyathos propinare ſolebant, vel in Gratiarum honorem duntaxat tres. Horat. Od. III. 19. 14.

Qui Muſas amat impares,
Ternos ter cyathos attonitus petet
Vates: tres prohibet ſupra
Rixarum metuens tangere Gratia.

Unde in proverbium conſuetudo abiit: *aut ter bibendum, aut novies.* Quod Auſonius expreſſit verbis Eidyll. XI. I.

Ter bibe, vel toties ternos, ſic myſtica lex eſt,
Vel tria potandi, vel ter tria multiplicandi.

Stuck. Ant. Conviv. III. 13. Urſin Append. ad Ciaccon. de Triclin. p. 324. Buleng. de Conviv. III. 14. Caroli Antiq. Roman. IV. 7. *Bibere* pro ſalute Imperatoris ſolebant veteres. Indicat hoc Dio Caſſius, qui Auguſto inter alios hunc quoque honorem decretum ait, ut pro ſalute ejus in conviviis *biberent*. Ambroſius de Helia & jejunio: *Quid autem obteſtationes potantium loquar? Quid memorem ſacramenta, quæ violare nefas arbitrantur? Bibamus, inquiunt, pro ſalute Imperatorum, & qui non biberit, ſit reus in devotione.* Urſin. Append. ad Ciaccon. de Triclin. p. 326. Stuck. Ant. Conviv. III. 13. Laurent. de Prand. & Cœn. vet. c. 20. *Bibere* a ſummo. V. ſupr. in *A. Bibituri* Deum quempiam, aut hominem ominis cauſa præfabantur, eumque gignendi cauſa proferebant veteres. Sic apud Lucianum in Lapithis Alcidamus Cynicus ſponſæ Herculis nomine propinat Edit. Amſtel. II. p. 641. *Præbibo tibi, inquit, Cleanthi nomine ducis Herculis. Quod cum riſiſſent omnes: ridetis, inquit, o ſceleſti, quod ſponſæ, Herculis Dei noſtri nomine præbibi.* Horat. Od. III. 19. 9.

Da Lunæ propere novæ,
Da noctis mediæ, da puer auguris.
Murenæ tribus aut novem
Miſcentur cyathis pocula commodis.

Stuck. Ant. Conviv. III. 13. Kipping. Antiq. Roman. IV. 3. 7.

• BIBLIOTHECA ſignificat librorum magnum per ſe numerum, & ipſum locum, in quo libri collocantur. Feſtus. *Bibliotheca & apud Græcos & apud Latinos tam librorum magnus per ſe numerus, quam locus ipſe, in quo libri collocati ſunt, appellantur.* Ulpian. L. Quæſitum §. Inſtructo 34. ff. de Inſtructo & inſtrumento legato: *Inſtructo fundo & bibliothecam & libros qui illic erant, ut quoties veniſſet, uteretur, contineri conſtat.* Labeo ff. de Contrah. Empt. §. 50. *Si mihi bibliothecam ita vendideris, ſi decuriones Campani locum mihi vendidiſſent, in quo eam ponerem.* Unde legata *bibliotheca* & armaria & libri debentur. *Lomejer: de Biblioth. c.* I. *Guilland. Papyr: membr.* VI. *n.* 29. *Lipſ. de Biblioth. c.* I. Illarum res vetus, & niſi fallor, cum ipſis literis adinventa. Nam ſimul & ſcire, & ſapere natum

eſt,

eft, mox etiam fcribere: & iftud effe cum fructu non potuit, nifi, ut libri affervarentur, & difponerentur, & ad præfentium, & pofteriorum ufum. *Lipf. l. l.* Ad Orientem fpectare debet. Ufus enim matutinum poftulat lumen, & in hujufmodi *bibliothecis* libri non putrefcunt. Nam & in his quæ ad meridiem & occidentem fpectant, a tineis & humore vitiantur, quod venti humidi advenientes procreant eas & alunt, infundentefque humidos fpiritus pallore volumina corrumpunt. Vitruv. vi. 7. Extruebantur olim in villis & fundis rufticis, ut nullum a ftudiis tempus vacaret, & ruris amœnitas ftudiorum labores tanto jucundiores faceret. Ulpian. L. Quæf. l. l. *Libri quinque & bibliotheca quæ in eodem fundo funt legato continentur.* Mart. vii. 16. 1.

Ruris bibliotheca delicati
Vicinam videt unde lector urbem.

Horat. Sat. ii. 3. 11.

Si vacuum tepido cepiffet villula tecto,
Quorfum pertinuit ftipare Platona Menandro?
Eupolin, Archilochum comites educere tantos?

Etiam *inter balnearia & thermas bibliotheca, tanquam neceffarium domus ornamentum, expoliebatur.* Senec. de Tranq. c. 9. Auguftinus in villam cum fociis fe profectum effe, atque ibi in literis tranfegiffe teftatur Confeff. ix. 4. *Lomejer. ibid. c. 13. Laurent. de Medic. & baln. c. 3.* Vel a Deo, vel a loco infcribebatur. Lapis Romæ.

TI. CLAUDIUS. ALCIBIADES
MAG. A. BIBLIOTHECA. LATINA
APOLLINIS

Alia infcriptio:

C. JULIUS. FÆLIX
A. BIBLIOTHECA
GRÆCA. PALAT.

Afinii Pollionis hoc Romæ inventum, qui primus *bibliothecam* dicando, ingenia hominum rempublicam fecit. Plin. xxxv. 2: vii. 70 *Guther. de Jur. Pontif.* iii. 12. Principatu Augufti in Urbe tres publico infervierunt ufui. I. Apollinis Palatini. II. Octaviæ ad theatrum Marcelli. III. Afinii Pollionis in Aventino, in atrio Libertatis. Tradit illas Ovidius, qui eleganti profopopœia librum fuum in Urbe receptum fibi aliquam quærentem inducit Trift. iii. 1. Meminit enim primæ n. 60.

Ducor ad intonfi candida templa Dei.

Secundæ & tertiæ n. 69.

Altera templa peto vicino juncta theatro:
Hæc quoque erant pedibus non adeunda meis.
Nec me, quæ doctis patuerunt prima libellis,
Atria Libertas tangere paffa fua eft.

Nardin. Rom. Vet. v. 13. Poft illum Romæ fuerunt undetriginta, ex iis præcipuæ duæ, Palatina & Ulpia. Victor. *Panciroll. Defcr. Urb. Thef. Antiq. Roman. Tom.* iii. *p.* 320. *D. Nardin. ibid.* viii. 1. Quemadmodum porticus frequentabant fapientum congreffus, ita etiam *Bibliothecas* procul abeffe noluerunt veteres, ut ex præclaris ingeniorum monumentis dependens mortalium gloria in Deorum tutela effet. Sueton. Aug. c. 29. n. 8. *Templum Apollinis in ea parte Palatinæ domus excitavit . . . . Addita porticus cum Bibliotheca Latina Græcaque.* In templo Trajani *Bibliotheca* fuit. Gell. N. A. xi. 17. V. illum infr. in *Bibliotheca Ulpia.* Fuit & Capitolina templo Jovis contigua. Fuit & in templo Herculis Tiburti. Gell. xix. 5. V. illum infr. in *Bibliotheca Tiburtina.* Fuit & alia in templo Pacis. Gell. xvi. 8. V. illum infr. in *Bibliotheca Pacis.* Tomaf. de Donar. c. 3. Lipf. ibid. c. 8. Lomej. ibid. c. 14. Habuerunt etiam in balneis. Senec. de Tranq. vii. c. 9. *Jam inter balnearia & thermas bibliotheca quoque, ut neceffarium domus ornamentum expolitur.* Vopifc. Probo. V. illum infr. in *Bibliotheca Ulpia.* Cur autem ibi? credo, quia corpori curando otiofe tunc vacabant; & igitur occafio erat legendi aliquid hominibus alias occupatis, vel audiendi. Imo in villis, & fundis rufticis: ab eadem hac otii, & vacationis ibi caufa. Ad quem morem Paulli ICti refponfum dirigitur l. quæfitum 12. §. inftructo ff. de inftruct. vel inftrum. legat: *Libri quoque & bibliothecæ, quæ in eodem fundo funt, legato continentur.* De fua *bibliotheca* Plinius laudatus *fupr.* in *Armarium.* Julii Martialis villaticam *bibliothecam* commendat Mart. vii. 16. 1.

Ruris bibliotheca delicati,
Vicinam videt unde lector urbem. . . .

Lipf. & Lomej. l. l. Ornabantur ebore, & vitro. Boeth. de Confolat. prof. 5. *Nec bibliothecæ potius comptos ebore, ac vitro parietes, quam tuæ mentis fedem requiro.* Sic vitri olim in quadras, orbes, ova, aut rhombos diftincta parietes ornabant, non aliter quam marmoreæ cruftæ. Et hoc oftendit quoque Vopifcus laudatus infr. in *Speculum.* Sæpius cameris & lacunaribus. Plin. xxxvi. 25. *Pulsa ex humo pavimenta in cameras tranfiere e vitro.* Senec. Epift. 86. *Nifi vitro abfconditur camera.* Stat. Sylv. i. 5. 42.

Effulgent cameræ vario faftigia vitro.

Lipf. ibid. c. 9. & in Senecam. Vallin. in Boethium. Morell. in Statium. Armariis, forulis, cuneis, pluteis, imaginibus. V. fingula fuis locis. *Lipf. l. l.* Libri in *Bibliothecis* fupra arbores plumbeas reponebantur, ut etiam Marlianus notat in Topographia, ubi de Palatino monte agit, & Argolus fatetur fe vidiffe arborem plumbeam lauri fpecie cum foliis expanfis, quibus nondum aurum decefferat, in vinea Ronciana in Palatino monte fita, erutam ea parte, quæ vergit ad Aventinum, de qua cum quid effet a doctis deliberaretur, ex arboribus ille unam effe cenfuit, quibus libri *Bibliothecæ* imponebantur. *Tomaf. de Donar. c. 3.* Quatuor Græci, & tres Latini *Bibliothecis* præficiebantur, qui libros componerent, & vetuftate læfos defcriberent, iifque ex publico falarium dabatur. l. 2. Cod. Theod. de ftud. lib. urb. Rom. & Conftant. *Panciroll. Defcr. Urb. Rom. Thef. Antiq. Roman. Græv. Tom.* iii. *p.* 378. *A.* In illis imagines vivorum & defunctorum ponebantur. V. infr. in *Imago.*

Bibliotheca Alexandrina Ptolemæi nomine *bibliothecarum* quandoque venit, nec immerito: alia etiam eft in Bruchio urbis. Epiphan. de Menf. & pond. c. 9. *Ptolemæus cognomento Philadelphus Alexandriæ Rex egregiam Alexandriæ bibliothecam inftituit, in ea urbis regione, quam Bruchium vocant; quæ deferta hoc tempore vifitur.* c. 11. *Poftea alia rurfus in Serapio bibliotheca conftituta eft, longe illa minor, quæ hujus filia dicebatur, in quam Aquilæ, Symmachi, Theodotionis, & aliorum editiones congeftæ funt poft annos 250.* Tertull. Apolog. c. 18. *Hodie apud Serapium Ptolemæi bibliothecæ cum ipfis Hebraicis literis exhibentur.* Valef. in Ammian. xxii. 16. Thyf. in Gell. vi. 17. Borrich. Ant. Urb. fac. c. 19. §. 5. in ea repofita fuerunt *feptingenta voluminum millia, quæ omnia bello priore Alexandrino, dum diriperetur civitas fub dictatore Cæfare, conflagraverunt.* Gell. vi. 17. Ammian. xxii. 16. *Sed quadringenta millia librorum Alexandriæ arfiffe* fcribit Livius apud Senec. de Tranquill. c. 9. *Valef. & Thyf. l. l. Guilland. Papyr. memb.* 11. *n.* 66. vi. *n.* 33. *Lipf. de Biblioth. c.* 2. *Lomejer. de Biblioth. c.* 5. Hic finis nobilis *bibliothecæ* Olymp. 183. cum vix 224. annos fuiffet. Revixit, fed non eadem, verum confimilis, & eodem loci. Auctor reparandi Cleopatra, illa amoribus Antonii famofa: quæ ab eo in aufpicium, & velut fundamentum operis impetravit *bibliothecam* Attalicam, five Pergamenam. Plutarch. in Anton. p. 943. A. *Antonius fafcinatus amoribus Cleopatræ eft et gratificatus bibliothecam Pergami, in qua erant ducenta millia fingularium librorum,* id eft, voluminum. Hinc iterum adornata, & aucta eft, & Chriftianorum etiam temporibus in vita & fama fuit. Tertullianus modo laudatus. *Lipf. & Lomejer. l. l.* Credo fteti ffe, quamdiu ipfum Serapium, immenfæ molis, & ftupendi artificii templum, quod Chriftiani denique Theodofii majoris imperio, a fundo funt demoliti Sozom. Hift. Ecclef. vii. 15. *Lipf. l. l.*

Bibliotheca Apollinis Latina & Græca templo Apollinis in

in monte Palatino ab Augusto est addita. Suetonius. V. illum supr. in *Bibliotheca*. Latina Inscriptio Romæ in ædibus Maffejanis ad Agrippinas thermas in tabella marmorea adhuc exstat:

SULPICIÆ
THALLUSÆ
ANTIOCHUS. TI. CLAUDII
CÆSARIS. A. BYBLIOTHECA
LATINA. APOLLINIS
CONJUGI. SUÆ
BENE. MERITÆ

Inde Horat. Epist. I. 3. 17.

Scripta Palatinus quæcunque reponit Apollo.

Græcæ etiam *Bibliothecæ* Inscriptio a Grutero refertur:

C. JULIUS. C. L. PHRONIMUS
A. BYBLIOTHECA. GRÆCA

Tomas. de Donar. c. 3. *Donat. de Urb. Rom.* II. 9. *Faunus Antiq. Urb. Rom.* II. 22. Addidit illam Augustus an. U. C. 726. Nam Dio LIII. p. 496. C. *Praterea Apollinis in palatio templum, ac bibliothecas perfecit, ac didicavit.* Habuit suum præpositum, sive custodem. Ovid. Trist. III. I. 67.

Quærentem frustra, custos, & sedibus illis
Præpositus, sancto jussit abire loco.

Hunc C. Julium Hyginum facit Suet. de Illustr. Grammat. c. 20. n. 2. Hujus meminit Plinius laudatus infr. in *Statua*. Videtur mansisse ad Gregorii ævum, id est, ad sextum post D. Jesum natum seculum. Ita enim Sarisber. Policrat. II. 26. *Doctor sanctissimus Gregorius non modo mathesin jussit ab aula; sed, ut traditur a majoribus, incendio dedit probatæ lectionis*

Scripta, Palasinus quæcunque tenebat Apollo.

Lips. de Biblioth. c. 7.

Bibliotheca Apollinis Teji. Hanc Sylla ab Asia rediens in Italiam cum venisset Athenas, assumpsit, & Romam deportavit. Plutarchus in vita Syllæ. Nec tamen dicitur quidquam publicasse. Imo nec quicquam publicare potuit, si cum veritate Plinius asseruit, primam Romæ *Bibliothecam* ab Asinio Pollione dedicatam. *Donat. de Urbe Rom.* II. 9.

Bibliotheca Asinii Pollionis prima Romæ est dedicata. Plin. VII. 30. *In Bibliotheca, quæ prima in orbe ab Asinio Pollione ex manubiis publicata Romæ est, unius M. Varronis viventis posita est imago.* Alexandriæ & Pergami Reges jam diu ante *Bibliothecas* magno certamine instituerunt; sed non fuerunt, ut Asinii, publicæ. Sed quod si Lucullus Romæ ante hunc Pollionem *Bibliothecam* suam publicaverit? Equidem Plutarch. Lucull. p. 519. D. agnoscit *Bibliothecam* Luculli patuisse omnibus, receptosque in adjectas ambulationes Græcos omnes velut ad Musarum hospitium divertentes. In hac re ne pugnent inter se tanti auctores, dicerem, Luculli *Bibliothecam* omnibus quidem patuisse; sed id factum, magis ex quadam humanitate hominis, quam publica testificatione, monimento & titulo, quo constaret, *Bibliothecam* omnium voluntati & commodis parere. Pollio autem qui publicavit, hoc sollenni notaque omnibus dedicatione, præfixoque titulo testari debuit, ut omnes scirent, communi utilitati fuisse comparatam, & publicatam, & libenter audacterque quasi ad rem suam accederent. Fuit in Aventino monte. Mart. XII. 3. 5.

Nec tamen hospes eris, nec jam potes advena dici,
Cujus habet fratres tot domus alta Remi.

Remi enim sedes prisca Aventinus, ubi tot fratres librorum Martialis, hoc est, tot similia scripta aliorum doctorum. *Donat. de Urb. Rom.* II. 9. *Borrich. Ant. Urb. Fac. c.* 15. §. 3. *Lomejer. de Biblioth. c.* 6. *Guilland. Papyr. membr.* VI. *n.* 30. *Lips. de Biblioth. c.* 5.

Bibliotheca in Capitolina arce, ejusque templi ædificiis posita fuit. Oros. VII. 16. *Fulmine Capitolium ictum: ex quo facta inflammatio Bibliothecam illam majorum cura studioque compositam, ædesque alias juxta sitas rapaci turbine concremavit.* Donat. de Urb. Rom. II. 9. Quis ejus auctor? adserere haud liceat, divinare libeat, Domitianum fuisse. Nam ille servatus olim in Capitolio, templum ibi Princeps struxit, quid si & hanc *Bibliothecam?* Etsi nemo tradit, qui nunc exstat. De eo tantum universe hoc Suet. Domit. c. 20. n. 1. *Bibliothecas incendio absumptas impensissime reparari curavit, exemplaribus undique petitis: missisque Alexandriam, qui describerent emendarentque.* Lips. de Biblioth. c. 7. Sed ibi de reparatis scriptor ille tantum, de noviter constructis ne γρῦ quidem. Sed quidni alios potius Principes suspicemur. Syllam Dictatorem Capitolii restauratorem, Julium Cæsarem, D. Augustum? quorum in libris conquirendis cura atque diligentia a Suetonio, aliisque impense laudata. Certe de primo illorum nostra omnino suspectio est, qui post expilatas Athenas Atticas, magnamque librorum vim inde asportatam, nullibi videtur commodius aut honorificentius, quam in Capitolio deponere potuisse. *Rycq. de Capitol. c.* 35. Mihi facilius est, qui auctor non fuerit, quam qui fuerit designare. Cæsar cum *Bibliothecas* Græcas & Latinas publicare destinasset, morte præventus non potuit. Suet. c. 44. n. 4. Augustus templo Apollinis Palatini *Bibliothecam* adjecit, nihil molitus est in Capitolio. Sylla ab Asia redux non dicitur quidquam publicasse. Imo nec publicare potuit. V. supr. in *Bibliotheca Apollinis Teji.* Donat. l. l. Nardin. Rom. vet. v. 13. Ego non improbabile existimarem, eam ab Adriano Cæsare vel fundatam, vel magna ex parte auctam & exornatam fuisse. Hic enim gymnasium bonarum artium instituit in Capitolio, cui *Bibliotheca* adjuncta fuerit. V. supr. in *Athenæum.* Donat. l. l. Incensa est sub Commodo, ut nos jam docuit Eutropius. Posteriorum Principum solicitudine restituta, a Christianorum capite summo Gregorio, quod nefanda, opinor, & superstitiosa volumina multa contineret; funditus eversa & combusta legitur. Sarisber. Policrat. VIII. 19. *Fertur beatus Gregorius Bibliothecam combussisse gentilem, quo divinæ paginæ gratior esset locus, & major auctoritas, & diligentia studiosior.* Rycq. l. l. In hac ludis Capitolinis recitabant. V. infr. in *Ludus Capitolinus.*

Bibliotheca Luculli. De hac Plutarch. Lucull. p. 519. D. *At commendanda ejus*, Luculli, *fuit, & perhibenda in librorum supellectilem impensa; multos enim & eleganter descriptos cumulavit. Erat etiam eorum usus quam comparatio liberalior, quod Bibliothecæ omnibus paterent, atque in adjectas ambulationes scholasque reciperentur omnes Græci velut ad Musarum hospitium divertentes.* Donat. de Urb. Rom. II. 9. Panciroll. Descr. Urb. Rom. Thes. Antiq. Roman. Græv. Tom. III, p. 377. E.

Bibliotheca Octavia in Octaviæ porticibus fuit. Hanc in Marcelli honorem, & memoriam dedicavit Octavia Marcelli mater. Plutarch. Marcell. p. 316. C. *In honorem, ac memoriam* defuncti Marcelli *mater Octavia bibliothecam dedicavit, Cæsar Augustus theatrum, Marcelli nomine inscriptum.* Borrich. Antiq. Urb. fac. c. II. §. I. Donat. de Urb. Rom. III. 17. Plutarchum opinor falli: quia Marcelli morte totis decem annis citerior est notatio Dion. XLIX. p. 417. D. *Augustus bibliothecas a sororis nomine Octavias dictas exstruxit.* Octaviam itaque sororis suæ memoriæ, & nomini dedicavit Augustus. Fuit in Octaviæ porticibus. Suet. de Illustr. Grammat. c. 21. n. 2. *Cito manumissus, Augusto etiam insinuatus est, quod eleganter curam ordinandarum bibliothecarum in Octaviæ porticu suscepit.* In porticus nimirum parte superiore, uti arbitror, tuto, & decore cum inferior ambulationi modo esset. De hoc Ovidius laudatus supr. in *Bibliotheca.* Nam & ab hac spretum se libellus queritur, & locum, ubi fuerit, designat, vicinum nempe theatro Marcelli. *Templa* autem dicit, quia in hac porticu Junonis ædes fuit, & nobiles in ea statuæ. *Lips. de Biblioth. c.* 6. *Thys. Antiq. Roman. p.* 378.

Bibliotheca Pacis a Vespasiano est structa, & adjuncta templo Pacis. Gell. XVI. 8. *Commentarium L. Ælii studiose quæsivimus, eumque in Pacis bibliotheca repertum legimus.*

Meminit

Meminit & Galen. de Compof. medicam. II. 27. *Lipf. de Biblioth. c. 7. Thyf. Antiq. Roman. p.* 378. *Oifel. in Gellium.*

Bibliotheca Tiberianæ domus commemoratur a Vopifc. Prob. c. 2. *Ufus fum præcipue libris ex domo Tiberiana.* Gell. XIII. 19. *Cum in domus Tiberianæ Bibliotheca federemus ego & Apollinaris Sulpicius.* Hanc ego non a Tiberio inftitutam, fed a fucceflorum aliquo exiftimo, ut in Palatii parte remotiore, poft alias ab alio latere ædificiorum acceffiones. Privata fuit Imperatorum. *Nardin. Rom. Vet.* VI. 13. *Lipf. de Biblioth. c. 7. Thyf. Antiq. Roman. p.* 378. *Oifel. in Gellium.*

Bibliotheca Tiburtina juxta Urbem fuit Tiburi. Gell. IX. 14. *Meminimus & in Tiburti Bibliotheca invenire nos in eodem Claudii libro fcriptum.* XIX. 5. *Promit e Bibliotheca Tiburti, quæ tunc in Herculis templo inftructa fatis commode erat.* Fortaffis Hadrianus Imperator illam Tibure inftruxit, quem eo loco, & feceffu impenfe delectatum conftat, variaque & ampla inædificaffe. *Lipf. de Biblioth. c.* 8. *Thyf. in Gellium.*

Bibliotheca Vaticana illuftriffima, olim a Nicolao V. circa annum D. Chrifti 1450. eft collecta, & novis acceffionibus Palatinæ atque Urbinatis *Bibliothecarum* hodie locupletior. *Borrich. Ant. Urb. Fac. c.* 16. §. 3. Toto terrarum orbe eft celeberrima, advectis ex omni Europa voluminibus: certi proventus, unde emerentur libri: cuftodes & librarii Græci, Latini, Hebraici alerentur, affignati. Opus a pluribus tentatum fecit Sixtus IV. exactoque poft feculo, quafi ex integro redorditus iterum perfecit Sixtus V. Nam qua ædium Pontificiarum longiffimum atrium collis Vaticani modice declivis duo veluti cornua committit, novum ipfe ædificium, quo atrium divideret, deduxit. Hic præter *Bibliothecæ* immenfum conclave, cujus fornicem lateritiæ pilæ e medio furgentes fuftinent, alia fubeunt minora libris item referta. Tum librariis & cuftodibus, ipfique *Bibliothecæ* præfecto Cardinali idoneos cubiculorum ordines paravit. Habet ædificii exterior pars imagines fuper albarium nigro illitum ftylo ferreo exaratas: interiorem coloribus pictura conveftit. Ibi armaria fecundum parietes libros difpertitos pluteis recondunt. Quanquam hi pilis etiam appofiti fcamnorum inftar intercurrunt molli acclivitate lectioni & fcriptioni percommoda, librisque fuper jacentibus. Codices membranis manufcripti, antiquiffimi, innumerabiles: adduntur & typis excufi. Adjecit Paulus V. tabularium, quo Pontificia diplomata continentur. Urbanus VIII. Palatini ad Rhenum ditione pulfi celebrem *Bibliothecam* ufque ab Heidelberga Germaniæ Urbe tranflatam magno fumptu, ornatuque compofuit. *Donat. de Urb. Rom.* IV. 9.

Bibliotheca Ulpia ab Ulpio Trajano eft dicta. Hæc in ejus erat templo, in qua edicta Prætorum, libri lintei atque elephantini, Principum gefta ac Senatusconfulta continebantur. Gell. N. A. XI. 17. *Edicta veterum Prætorum, fedentibus forte nobis in Bibliotheca templi Trajani, & aliud quid quærentibus, cum in manus incidiffent, legere atque cognofcere libitum eft.* Panciroll. Defcr. Urb. Rom. Thef. Antiq. Roman. Græv. Tom. III. p. 377. C. Nardin. Rom. Vet. V. 9. Duæ illic fuerunt *Bibliothecæ*, forfan cœnaculis diftinctæ, aut porticu difcretæ. Unde Dio LXVIII. p. 778. B. *Bibliothecas Trajanus exftruxit.* Et Sidon. Epift. IX. 16. ubi ftatuam æream promeritus;

Cum meis poni ftatuam perennem
Nerva Trajanus titulis videret
Inter auctores utriusque fixam
Bibliothecæ.

Donat. de Urb. Rom. II. 24. Borrich. Antiq. Urb. Fac. c. 10. §. 5. Nardin. l. l. Faunus Antiq. Urb. Rom. II. 22. Hanc ad ornamentum fuarum thermarum Diocletianus videtur tranftuliffe. Indicat Vopifc. Prob. c. 2. *Ufus fum præcipue libris ex Bibliotheca Ulpia, ætate mea in thermis Diocletianis.* Panciroll. Donat. Borrich. & Nardin. l. l. Faunus Antiq. Urb. Rom. IV. 6. Lipf. de Biblioth. c. 7. Thyf. Roman. Antiq. p. 378.

BIBULUS cognomen eft, commune Calpurniis & Publiciis fuit. *Urfat. de Not. Roman. Thef. Antiq. Roman. Græv. Tom.* XI. *p.* 800. *E.* Unum *Bibulum* Confularem video, qui cum C. Cæfare Conful fuit, M. Calpurnium anno ab U. C. 694. quem Cæfar domo fua exire non finebat, fed edictis fortitudinem animi contra infolentiam armatorum oftendebat. *Auguftin. de Famil. Roman. in Calpurnia.*

BIC.

BICLINIUM componitur ex noftro & peregrino. Quintil. Inftit. Orat. I. 5. *Calderin. Obferv.* III. 12. *Rhodig. Ant. Rom.* XII. 6. Dicitur, quod duo circum menfam effent lecti. *Lipf. Ant. Lect.* III. *p.* 144. Legitur apud Plaut. Bacch. IV. 4. 69.

Ubi eft biclinium vobis ftratum?

n. 102.

— Jam facile in biclinio
Cum amica fua uterque accubitum eatis.

Apud quem videri poffit, non pro cœnaculo, in quo duo effent lecti ftrati, fed pro lecto pofitum effe, in quo bini difcumberent: quod magis placet: nam in veteribus marmoribus Romæ multi hujufmodi lecti reperiuntur, in quibus duo tantum difcumbant, menfa appofita tripode. *Urfin. Append. ad Ciaccon. de Triclin. p.* 208. *Stuck. Ant. Conviv.* II. 14.

BID.

BIDENTAL erat locus facro percuffus fulmine, qui bidente ab arufpicibus confecratur, quem calcare nefas. Vetus Perfii Scholiaft. Sat. II. 27. Lucan. I. 606.

— Difperfos fulminis ignes
Colligit, & tacito terra cum murmure condit,
Datque locis nomen.

Saubert. de Sacrif. c. 14. Buleng. de Fulm. c. II. Stuck. de Sacrif. p. 86. Gloffæ. *Bidental*, τόπος κεραυνόπληξ, *locus fulmine ictus.* Feftus fic. *Bidental dicebant quoddam templum, quod in eo bidentibus facrificaretur.* Ubi per templum intelligit locum religionis caufa, muro, palis, fune, aut re fimili claufum & feptum. Id enim templum notare ex Servio difcimus. *Bidental* ergo proprie fignificat locum fulmine ictum, & bidentibus ovibus expiatum confecratumque: quem idcirco ingredi & calcare nefas erat. Nimirum arufpex pura indutus vefte *bidente* locum expiabat, expiatum confecrabat, confecratum fepiebat, quia calcari nefas erat. Hinc Artemid. II. 8. *Fulmen ignobiles locos nobiles facit, propter aras quæ in iis ftatuuntur, propterque facrificia, quæ in iis fiunt: loca enim fumptuofa, deferta, & inacceffa efficit; nemo enim in iis converfari amplius vult.* Voff. Lex. Etymol. Salmaf. Exercit. Plinian. pag. 799. b. G. Gyrald. Synt. Deor. XVII. pag. 475. A.

BIDENTALE fulgur, κεραυνοβόλιον. Gloffæ. *Buleng. de Fulm. c.* II.

BIDENTALES facerdotes fulmina procurabant. Hi in decuriam redacti erant. Infcriptio inventa in infula Tiberina, ubi templum olim Æfculapii.

SEMONI
SANCTO
DEO. FIDIO
SACRUM
SEX. POMPEJUS. SP. F
COL. MUSSIANUS
QUINQUENNALIS
DECUR
BIDENTALIS
DONUM. DEDIT

Apud Fulvium Urfinum Romæ exftabat:

SANCTO. SANCO
SEMONI. DEO. FIDIO
SACRUM. PECUNIA
SACERDOTUM. BIDENTALIUM
RECIPERATIS
VECTIGALIBUS.

Procuratio enim fulminum plerumque ad Pontifices ex SCto rejecta eſt, ad quorum collegium relatum eſt de expiandis, quæ Locris in templo Proſerpinæ tacta elataque inde eſſent. Liv. XXIX. Inſcriptio.

JOVI
FULMIN. FULG. TONANTI
RUSTIUS. L. F. ÆPIO. PONT
EX. SC. DEDICAVIT.

Gather. de Jur. Man. I. 5. *Ferret. Muſ. Lapid.* I. *Memor.* 17. *Lomejer. de Luſtrat.* c. 13.

BIG.

BIGARUM inventionem Phrygibus tribuit Plin. VII. 56. *Bigas primum junxit Phrygum natio.* Cyriſteni Sicyonio Iſidor. XVII. 35. *Jugo primus Cyriſtenes Sicyonius equos jugavit: eosque ſingulos ex utraque parte ſimplici vinculo applicavit, quos Græci ſcirophoros, Latini funales vocant, a genere vinculi, quo prius alligabantur. Dexterioris vero bigæ victor Marti immolare ſolebat.* Panvin. de Lud. Circenſ. I. 9. Buleng. de Equis c. 3. Hugo de Milit. Equeſt. I. 6. *Bigas* olim numinibus fuiſſe puto dicatas. Dein hominibus præcipue victoribus apud Græcos per ſollennia illa ludorum certamina. Serius ad Romanos res venit: apud quos verus primo de hoſtibus triumphus; ludicra deinde victoria de adverſariis id genus publici decoris invexit. Sed medio ævo ſub Imperatoribus *Bigam* viris egregie meritis poſtulatam video quaſi dimidiati triumphi ſimulacrum, uno minus equorum jugo. Reperio autem iis potiſſimum poſtulatas ac decretas *bigas*, qui animoſe largiendo ac profundendo populum demeruiſſent. Fere enim id comparatum eſt, ut prona multitudo eum diligat, atque in humeros tollat, a quo magis ſe lactatam, ac paſtam tum commodis, tum voluptatibus ſentiat. In Gruterian. 440. 1. *Ob inſignem ejus editionem muneris biduo populo poſtulanti bigam placuit equeſtri ſtatua decreto ordinis eum ornari.* Chimentell. de Hon. Biſell c. 41. [illegible]ll. de Stat. Roman. c. 18. Poſitæ ſunt loco totius civitatis maxime conſpicuo: ſæpe in ipſo circo & arena, tanquam ἀναθήματα, illic in ſua ſede fuerunt erectæ. Gruter. 484. 7. *Hinc cum & populus in ſpectaculis aſſidue bigas ſtatui poſtulaſſet.* Ubi τὸ *in ſpectaculis* capio non tam pro celebratione ipſa, & actu ſpectandi, in quo populus poſtulaſſet *bigam*, ſed & locum ubi ea ſtatueretur, videor poſſe interpretari. Sic Suet. Cal. c. 35. n. 2. *Ingreſſum ſpectacula....* Ner. c. 32. n. 6. *Matronam animadverſam e ſpectaculis....* Ubi ſpectaculum eſt locus ipſe, ſive θέατρον, aut θεώριον. *Chiment. l. l.*

BIGARIUS, ductor bigæ, quæ duorum equorum currus. Cippus marmoreus Aurigæ pueri Romæ in templo Gregorii in Cœlio monte.

FLORUS. EGO. HIC. JACEO
BIGARIUS. INFANS. QUI. CITO
DUM. CUPIO. CURRUS. CITO
DECIDI. AD. UMBRAS
JANUARIUS. ALUMNO. DULCISS.

Ferret. Muſ. Lapid. IV. *Memor.* 23.

BIGATI erant nummi, quibus *bigarum* forma erat impreſſa, ſive incuſa. V. illos infr. in *Nummus.*

BIGLIATICUM erat æs, quod excubitores, ſeu *biglæ* accipiebant. *Bigla*, vigilia. *Buleng. de Vectig.* c. 86.

BIL.

BILANX in ponderanda aqua cubi adhibenda potius eſt, quam unilanx, quoniam hæc non tam exacte ponderum differentias nobis indicat, quam illa, cujus cauſa eſt, quod notæ ponderum, quibus librile, ſive ſcapus unilancis diſtinctus eſt, tam exiguo inter ſe diſtent intervallo, ut illarum ope omnes ponderum differentiæ & diviſiones, ad granum uſque, diſcerni vix queant. Præterea notandum eſt, duo brachia ſcapi, ſive jugi, utrinque directa, paris & craſſitiei & longitudinis eſſe debere: ſecus enim ſi fit, *bilanx* fallet. Quamvis enim *bilance* illa ad æquilibrium redacta, examen in neutram partem propendeat, ita ut pondera, lancibus utrinque impoſita, prorſus æqualia eſſe videantur; nihilominus pondus ejus lateris, cujus brachium levius eſt, ſemper erit gravius altero. Neceſſe etiam eſt, ut funiculi, ex quibus lances ſuſpenſæ ſunt, paris ſint longitudinis: alias enim, ſi *bilancem* a terra, vel menſa ſurſum tollas, pondus ejus lateris, cujus funiculi longiores ſunt, gravius deprehendetur, etiamſi revera levius ſit altero, præſertim ſi ſitus clavi, qui medium jugi obtinere debet, paullo ſit inferior. V. clavum infr. in *Clavus.* Savot. de Numm. Ant. III. 31. Porro notandum eſt, *bilances* iſtas, quarum axis, ſive *clavus* ſupra lineam horizontalem ſitus eſt, a noſtratibus *a fleau allant & venant*, id eſt, ultro citroque nutantes vocari, quoniam ſcilicet ita comparatæ ſunt, ut, etiamſi pondus unum aliquanto ſit gravius altero, jugum tamen non deprimatur, penitus verſus eam partem, cujus pondus eſt gravius, ſed dubiis & incertis inclinationibus huc illuc nutet, nunc ſupra lineam horizontalem adſcendens, nunc infra eandem deſcendens. *Savot. ibid.* c. 31.

BILBILIS urbs olim Hiſpaniæ Tarraconenſis, nunc deleta, & ſolus vicus, cui nomen *Baubola*, ſeu *Bambola.* Romanorum fuit municipium. Hinc nota. MU. AUG. BILB. *Municipium Auguſta Bilbilis.* Urſat. de Not. Roman. Theſ. Antiquit. Romanar. Græv. Tom. XI. pag. 870. B.

BILEM in προτελείοις & ſacris nuptialibus non reliquis immiſcebant, ſed juxta altare projiciebant, abeſſe in matrimonio oportere iracundiam innuentes. *Saubert. de Sacrif.* c. 20.

BILIBRIS duarum eſt *librarum.* Mart. XI. 50. 9.

Nunc ut emam grandemve lupum, mullumve bilibrem.

III. 45. 5.

Nolo mihi ponas rhombum, mullumve bilibrem.

Pætus de Roman. & Græcor. Ponder. V. Theſ. Antiq. Roman. Græv. XI. p. 1162. D. *Bilibres* centum aureos pendentes nummos Heliogabalus percuſſit, quos Alexander conflavit. Lamprid. Alexand. c. 39. *Formas binarias, ternarias, quaternarias, & denarias etiam, atque amplius uſque ad bilibres & centenarias, quas Heliogabalus invenerat, reſolvi præcepit, neque in uſu cujuſquam verſari.* Panciroll. Notit. Dignit. Imp. Orient. c. 75.

BILIUS roſtratas poſuit victis Pœnis navali certamine, e quibus unam e Roſtris, alteram ante Circum videmus a parte januarum. Virg. Georg. III. 29.

— Et navali ſurgentes ære columnas.

Servius. *Bilius* is eſt, qui primus navali pugna Pœnos ſuperavit, deque iis triumphum egit, quique poſtea Duilius appellatus eſt. *Caſtal. de Colum. Triumph. Theſ. Antiq. Roman. Græv. Tom.* IV. *p.* 1942. *F.*

BIP.

BIPEDANEUM appellaverunt veteres, quod duorum pedum menſura eſſet. Column. IV. 5. *Si ante annum fiat, quam vinea conſeratur, ſcrobs in longitudinem altitudinemque defoſſus, tripedaneus abunde eſt, latitudine tamen bipedanea.* Pætus de Roman. & Græcor. menſur. V. Theſ. Antiq. Roman. Græv. Tom. XI. p. 1613. D.

BIPENNIS eſt nomen adjectivum, & ſubauditur ſecuris, quod addit Varro Parmen. apud Non. II. 82. *Ferens ferream humero bipennem ſecurim.* Duplici eſt acie, lata & acuminata, quarum altera cæſim, altera punctim ferie-

feriebant. Quintil. Inſt. Orat. I. 4. *Bipennis eſt ſecuris utrinque habens aciem a pinna, quod eſt acutum: ne illorum ſequamur errorem, qui, quia a pennis duabus hoc eſſe nomen exiſtimant, pinnas avium dici volunt.* Recte tamen Iſidor. XIX. 19. *Bipennis dicitur ex utraque parte habens aciem, quaſi duas pennas. Pennum autem antiqui acutum dicebant; unde & avium pennæ quia acutæ. Et ecce nomen, quod re ſervavit antiquitatem, quia veteres dicebant pennas, non pinnas.* Gloſſar. Philox: *Bipennis*, δίστομος ἀξίνη. Meum MSc. antiquiſſimum: *Bipennis, ſecuris Amazonica. Pennum dicebant antiqui bis acutum.* Chiflet. Anaſt. Childer. Reg. c. 14. Voſſ. Lex. Etymol. Uſus fuit in ſacris. Valer. Flacc. I. 191.

——Non illo certior alter
Pinguia letifera perſtringens colla bipenni.

Et in bellis. Virg. Æneid. V. 306.

Cnoſia bina dabo, levato lucida ferro
Spicula, cælatamque argento ferre bipennem.

Chiflet. ibidem. Inter donaria ſacratas video apud Pauſan. Phocic. p. 329. in dedicatione Tenedicarum *bipennium*. Tomaſ. de Donar. c. 4. In militia navali uſus eſt illarum ſingularis: iis namque funes gubernaculorum incidunt. Vegetius: *Bipennis eſt ſecuris habens ex utraque parte latiſſimum & acutiſſimum ferrum. Per has in medio ardore pugnandi peritiſſimi nautæ, vel milites, cum minoribus ſcaphulis ſecreto incidunt funes, quibus adverſariorum ligata ſunt gubernacula.* Scheffer. Mil. Nav. II. 7.

BIR.

BIREMIS navigium eſt, binos habens remigum ordines, quorum aut uterque ad latus ſedet, aut unus ad latus, alter in tranſtris, ſed utrolibet modo, in diverſa altitudine hi duo ordines ſedent. *Meibom. de Fabr. Trirem. Theſ. Antiq. Roman. Græv. Tom.* XII. *p.* 577. *A.* Priſcis enim temporibus naves pro numero ordinum vocabantur. Et quæ duplices habebant ordines, Latinis erant *biremes*. Græcis δίκροτα. Apud Ciceronem tamen & Hirtium videas retenta voce Græca dicrota vocari. Ita enim ille ad Attic. XVI. 4. *Ipſe Domitius bona plane habet dicrota.* Hic de Bello Alex. c. 47. *Capit ex eo prælio penterem unam, triremes duas, dicrotas octo.* Scheffer. de Mil. Nav. II. 2. Cum una tantum ſerie diſpoſitos remos veteres haberent, Erythræi alteram adjecerunt. Plin. VII. 56. *Biremem Erythræi fecerunt.* Scheffer. ibid. I. 3. Calcagn. de Re Naut. c. 2. Formas varias exhibet *Bayſ. de Re Naval. Theſ. Antiq. Græcar. Gronov. Tom.* XI. *p.* 571. *C.*

BIROTA, ſive *birotum* eſt genus vehiculi a duabus *rotis* denominatum. Ferebat pondo ducenta, & tribus trahebatur mulis. Hoc Conſtantinus conſtituit l. 8. C. T. de Curſ. Publ. *Rhedæ*, inquit, *mille pondo tantummodo ſuperponi jubemus, birotæ ducenta, veredo triginta, non enim ampliora onera perpeti videntur. Octo mulæ jungantur ad rhedam videlicet æſtivo tempore, hyemali decem, birotis trinas ſufficere judicavimus.* Panciroll. Notit. Dignit. Imp. Orient. c. 6. Guther. de Offic. Dom. Aug. III. 15.

BIRRETUS infimæ Latinitatis ſcriptoribus, pro capitis velamento & pileolo uſurpabatur. *Salmaſ. in Tertull. de Pall. p.* 308. Erat tegminis genus nigrum, & acutum, ad inſtar pyramidis. Conſtat, quod anno 1170. & ante ejus uſus fuerit. Nicetas enim in vita Alexii Comneni circa finem ſcribit: quod cum Imperator creatus eſſet Andronicus Comnenus pileolo, quem habuerat pullum & acutum ad formam pyramidis, detracto: ejus in locum purpurea ſive rubra capiti ipſius mitra fuerit impoſita: poſtea vero imperio deturbatus priſtinum illud tegmen receperit. Idem refert, Balduinum & Richardum exercitus Latini duces captos, & ad Iſaacum Angelum Conſtantinopolitanum Imperatorem ductos, detractis *birretis*, quæ pilei dicebantur, honorem Imperatori habuiſſe. *Panciroll. de Reb. Deperd. & Inv. p.* 321. Erat lineum, tenue, ſtrictum forma ipſius capitis. Erat Pontificum. Bulla Bonifacii VIII. P. R. *Illud*, beneficium Eccleſiaſticum, *eidem Thomæ contulimus, ac non de ipſo per noſtrum birretum præſentialiter inveſtimus.* Erat etiam Doctorum. Nicolaus de Clemengis de ſtudio Theologico: *Non cappa quippe Doctorem facit, non birreti magiſtralis impoſitio.* Du Freſne Gloſſario. Bertachinus ait eſſe ſignum victoriæ & gratiæ, nec non ſacerdotii & ſuperioritatis, & has omnes ob cauſas merito concedi Doctoribus cum inaugurentur, addito in vertice hapſo, ſeu flocco, pro Doctorum varietate, coloris diverſi. *Raynaud. de Pileo & cæt. capit. tegm. Sect.* 10.

BIRRUS Græcis βῆρος. Canon XII. Synodi Gangrenſis: Καταψηφοίσιτο τῶν μετ' εὐλαβείας τὰς βήρους φορόντων, καὶ τῇ ἄλλῃ κοινῇ καὶ ἐν συνηθείᾳ οὔσῃ ἐσθῆτι κεχρημένων, ἀνάθεμα ἔστω. *Birrum* craſſum veſtimentum credideram Adverſ. I. 13. eſſe *berum*: nunc in alia ſum ſententia. *Turneb. Adverſ.* XVIII. 26. In laneis numeratus veſtibus, ut Atrebatenſes, qui *beri* non ſunt dicendi, quod in Gallia ſericum non texeretur. Sic *birri* Canuſini dicendi ſunt, non *beri*, e lana Canuſina, quæ rutuli erat coloris: ac *birri* Canuſini & Atrebatenſes lautiores & elegantiores erant. *Idem ibid.* XXII. 36. *Pith. Lect. Subc.* I. 16. Non eſt quod Turnebum ſententiæ prioris pœniteat. Nam Zonaras & Balſamo perperam Synodi verba expoſuerunt σηρικὰς ἐσθῆτας, id eſt, ſericeas veſtes. Et rectius vetus verſio βήρους reddidit *birros*: *Si quis amictu pallii utitur, & eos, qui cum reverentia birris utuntur, decipit, anathema ſit.* *Birros* quoſdam ſericeos fuiſſe non negem; ſed omnem *birrum* ſericeum, aut omnem veſtem ſericam *birrum* eſſe dictum, hoc eſt quod nego atque pernego. Nec Synodi verba oſtendunt *birros* veſtes pretioſas fuiſſe. *Birrus* enim, ſive βῆρος communis veſtis erat, Epiſcoporum ſacerdotumque Chriſtianorum tunc temporis geſtamen, qui, cum tribonium geſtarent, reprehendebant eos, qui in communi veſte erant, id eſt, *birro*: hos canon anathemate ferit. Monachis quidem erat interdictus; Iſidorus in Regula: *Linteo non oportet monachum uti: orarium, planetas, birros non eſt fas induere.* Sed non propterea erant pretioſi. Nam cum habitu ſecernerentur monachi a cæteris hominibus, etiam iis veſtes vulgares ſunt interdictæ. Communia etiam erant veſtimenta, quæ recenſet Iſidorus, non tamen pretioſa. Vere & *birri* fuerunt, quorum materia & color in pretio. Ita Caſſian. I. 7. *Birrorum pretia ſimul ambitionemque declinant.* Novit hanc differentiam Auguſtin. Serm. LI. de diverſis: *Nemo clericorum det birrum, vel tunicam lineam, ſeu aliquid niſi in commune. Offeratur mihi birrum pretioſum, forte decet Epiſcopum.* Ubi vulgare permiſſum, ſed in commune pretioſum repudiatum. Nec propterea quod veſtis Epiſcoporum ferme dicatur, ideo pretioſior; nam tunc Epiſcopi in communi veſtitu, in quo etiam diu ſacra peregerunt. Vulgaris ergo ferme veſtis fuit, & ideo ſervis etiam conceſſa. Lex I. Cod. Theodoſ. de habitu, quo uti oportet intra Urbem: *Servos ſane, quorum tamen dominos ſolicitudine militiæ conſtat non teneri, aut birris uti permittimus, aut cucullis.* Salmaſ. in Tertull. de Pall. pag. 88. Lamprid. Commod. c. 16. Ferrar. de Re veſt. II. I. 26. Ex eo tamen non recte conjicias fuiſſe veſtem ſervilem: ex quo enim Romæ togarum uſus deſuetus, ac pæne deſitus fuit, & *birri*, ſive lacernæ in uſum paſſim venere, nulla de habitu inter ſervos & liberos diſcretio amplius agnoſci quita eſt. Hoc ſua ætate diſcrimen jam ſublatum fuiſſe queritur Appian. Bell. Civ. I. quod toga ſola faciebat. Sic *birrus* illo tempore Romana veſtis, ac deinceps poſtea ſub Imperatoribus in frequentiore uſu Romanis fuit tam in Urbe quam in provinciis. Suidas: Ἐφεστρίς, ἱμάτιον Ῥωμαϊκόν. λέγεται δὲ καὶ μανδύη καὶ βίῤῥον. Romanæ omnes provinciæ hunc eundem habitum noverant. Palladius in Lauſiaca de Serapione totum Athenienſium populum dividit in τριβωνοφόρους & βιῤῥοφόρους, qui ad quiritationem Serapionis concurrerunt. Τριβωνοφόροι ſunt Philoſophi, ita proprie vocati apud Græcos a pallio quod geſtabant. At βιῤῥοφόροι reliquus populus Athenienſium, tam plebs, quam magiſtratus. Diſtinguebatur a pallio, ſive tribone; quod geſtamen erat omnium

aſ.eta-

aſcetarum, hoc eſt, tam gentilium quam Chriſtianorum Philoſophorum. Cæterum pro conditione & dignitate geſtantium cum de colore tum de materia pretioſiores erant, aut minus pretioſi *birri.* Pretioſioribus vulgo utebantur Epiſcopi, minus pretioſis presbyteri, poſtquam pallii reliquerunt, & philoſophari deſierunt. In actis paſſionis Cypriani: *In agrum Sexti perductus eſt, & ibi lacerno birro ſe expoliavit.* Lacernum *birrum* eſt lacerna rubra: Lacerna autem & *birrus* idem. *Salmaſ. in Tertull. de Pall. p.* 81. Et ſolo nomine diverſa ſunt. Hoc eſt diſcere ex Artemidoro II. 13. his verbis: Χλαμὺς δὲ ἣν ἔνιοι μανδύην, οἱ δὲ ἐφεστρίδα, καὶ οἱ δὲ βηρίον καλοῦσιν. Diſtinguitur autem a penula ibidem Artemidoro: τὸ δὲ αὐτὸ μαντεύεται καὶ ὁ λεγόμενος φαινόλης. *Birrus* coloris ut plurimum *byrrei*, hoc eſt, ruſſei, unde illi nomen. Nam *burrum* & *byrrum* Latini dixerunt quod Græci πυῤῥόν. Sed & cujuſlibet coloris lacernas *byrros* etiam καταχρηστικῶς appellabant. Penulæ vero pullæ vel fuſcæ, & Romæ præſertim. Nam nigras penulas amictui habebat Romana plebs. V. infr. in *Penula.* Salmaſ. ibid. p. 10. Vopiſc. Carin. c. 20. Ferrar. de Re Veſt. l. l.

Birrus etiam fuit dictus pileus, ſive cucullus. Vetus Interpres Juven. VIII. 145. *Santonicum cucullum* interpretatur *birrum Gallicum, quia apud Santonas oppidum Galliæ conficitur.* Et Fulgent. lib. III. adverſus Monimum: *Itaque cum Arrianus quidam aliquando in Africa cum Catholico de his verbis Johannis diſputaret accepto de capite Catholici pileo, & manu tenens interrogabat. Hic birrus, ſic enim appellabat, eſtne in me, an apud te?* Ferrar. de Re Veſt. II. I. 21. Abſurde omnino Scholiaſtes Juvenalis exiſtimavit a Poeta ſignificari, *quem Græci κόκκον, Latini byrrhum appellant.* Nam coccus granum eſt valde rubens; unde veſtes coccineæ, vel neutro genere coccina apud Mart. II. 43. Quid igitur & cocco & *birro?* cum coccus grani vel coloris nomen ſit, *birrus* vero indumenti, quod poterat non eſſe pretioſum, quale ſemper eſt coccineum. Extra rem quoque eſt, quod Pancirol. Theſ. var. lect. jur. I. 71. ſcribit *birrum* ſignificare pileum quadratum, quod probat ex actis Cypriani qui capite minuendus *birrum* depoſuit. Sed quid hoc ad pileum quadratum, vel etiam ad pileum? *Raynaud. de Pil. & cæt. cap. tegm. Sect.* XIII.

BIS.

BISELLIARIUS. Hunc exhibent duo lapides apud Gruterum. Primus eſt Atellanus p. MXCIX. n. 2.

CN. PLÆTORIO VI VIRO
AUGUSTALI
BISELLIARIO
HONORATO ORNAMENTIS
DECURIONAL.
POPULUS ABELLINUS
ÆRE COLLATO QUOD
AUXERIT EX SUO AD
ANNONARIAM PECUNIAM
HSXN ET VELA IN THEATRO
CUM OMNI ORNATU
SUMPTU SUO DEDERIT
L. D. D. D.

Secundus comminutus & truncus Romæ in pavimento Baſilicæ Lateranenſis. p. MCIII. n. 6.

. . . . . ET PORTENS. Q. Q. IMMQUE
BISELLIARI. . . . .

Scaligerianus index in Gruterum *Biſelliarios* reponit inter artifices; nempe, intellexit, qui *Biſellia* fabricarent, aut compingerent. Sed viro magno haud notus erat *Honor Biſellii*, quem Piſana inſcriptio e latebris educit; Sueſſana, quam adferemus infr. in *Biſellium*, indicare poterat attendenti. Fuerint ergo *Biſelliarii*, qui *Biſellia*, id eſt, ſedes duorum capaces finxerint. Artis *Biſellariæ* meminerunt lapides, etſi unus *biſellii* meminerit Varr. infr. in *Biſellium*. & hoc eſt argumento, non infrequentem fuiſſe uſum *biſellii*; ſive inter domeſtica ac privata inſtrumenta, ſive ad inſigne & ornamentum honorum. Sed ſpondere audeo vel quovis periculo, *Biſelliarium* non tam artificem eſſe potuiſſe, quam qui honore *biſellii* vel perfungatur, vel functus fuerit. Inquit lapis Atellanus: Cn. Plætorio VI. viro Auguſtali. En honor Sexviratus, ſive Auguſtalitatis, hoc eſt, ſacerdotii municipalis. Dein *Biſelliario* ἀταξία videtur, & ineptitudo poſt honorem ſacrum, quem Plætorius gerebat, ſellulariæ ac vilis artis opificem demonſtrare. Creſcit abſurditas, dum ſequitur, *Honorato ornamentis Decurionalibus.* Egregie mehercle teſſellati operis ratio; hinc Auguſtalitatis flaminium; illinc Decurionalium ornamentorum dignitas; medio autem loco ſedium ars effectrix, & quæſtus dolabræ. Ergo ſicut Prætorius, Triumphalis, Cenſorius, Conſularis, Duumviralis. . . . . imo vero quomodo ab ipſis ornamentis petita appellatione, Laticlavius & vir Laticlavius: & honor, aut magiſtratus curulis, ita *Biſelliarius* mea opinione, qui honorem *Biſellii* tenuit, aut tenet: ac forte utroque modo dixerunt *Biſelliarem* & *Biſelliarium*, ſicuti Conſularem & Conſularium. Quoad alterum Lateranenſe marmor promptius eſt mutire in tam mutilo teſte, ac pæne elingui, ubi vix tria verba ſuperſunt. Illic autem potuit tam de artifice quam de honore haberi mentio. Sed eæ tamen literæ veteri ductu *q. immque* pro *quinque Biſelliari* toties honorem *Biſellii* initum demonſtrare poſſunt; aut *quinque* . . . hoc eſt, *quinquennalitium Biſelliarem.* Simpliciter autem *Quinquennalitius* quidam veluti Cenſor municipalis habebatur, etſi alii de Duumviris Quinquennalitiis exponant, qui per quinquennium duumviralem poteſtatem obtineant ex uſu municipii. Qundoque cum honoribus conjuncta quidem fuit artis profeſſio in lapidum memoriis, ut apud Gruter. p. MLXVII. n. 8. ubi pariter de Auguſtali, qui veſtiarius tenuiarius fuerat. Atque in Traguriano Petronii fragmento. *Habinna ſevir eſt* Auguſtalis, *idemque lapidarius.* Sed non par tamen verborum ſeries, aut aliorum complexio honorum, ſicuti in Atellano lapide. In quo tandem neque ἀπίθανον mihi, neque aliis videbitur, ſi *Biſelliarium* conjunctim capiamus cum τῷ *Auguſtali*; quaſi ille Plætorius fuerit Sexvir Auguſtalis e numero *Biſelliariorum*, nempe ex altiori ordine aut gradu; vel cui ſaltem tributum ſit una jus & honor *biſellii*, dum Auguſtalitate fungeretur. *Chiment. de Honor. Biſell. c.* 35.

BISELLIUM. Hujus in tota veterum ſcribentium cohorte unicus Varro meminit de Ling. Lat. IV. 28. *Ab ſedendo appellantur ſedes, ſedile, ſedum, ſellæ, ſeliquaſtra. Deinde ab his ſubſellium, ut ſubſipere, quod non plane ſapit: ſic quod non plane erat ſella ſubſellium dictum, ubi in ejuſmodi duo biſellium dictum.* Poſtrema verba ſic explano: *Ubi in ejuſmodi* ſella *duo* ſupple ſedent, quieſcunt, capiuntur; vel ſedere, capi & quieſcere poſſunt, *Biſellium dictum.* Verborum ſarcinatores hinc *biſellium* exponunt ſellam, quæ capit duos. Sed non inconcinniter etiam dixerimus: *Ubi duo*, ſellæ quaſi junctæ, & compactæ fuerint, *Biſellium dictum:* ac leviſſima detractione τοῦ *In* Varronem ita monentem inducere. *Ubi ejuſmodi duo*, ſellæ, *Biſellium dictum:* aut ſi magis placet; *Ubi in ejuſmodi*, ſubſellio, *duo* capiuntur, & conſident, *Biſellium dictum.* Proxime enim de ſubſellio Varro loquebatur; ergo ad ſubſellium referenda videntur, quæ conſequuntur. Græcis δίφρος quandoque pro ſede, quæ capit duos, παρὰ τὸ δύο φέρειν. Etymologiſta Menandrum advocans. Ἐκάθηντο ἐπὶ δίφρῳ μητήρ τε καὶ παρθένος. *Et ſederunt in Biſellio mater & virgo.* Sed δίεδρος vel δίεδρον magis exquiſite Latinis ſonat *Biſellium.* Euſtath. Homer. Iliad. Λ. n. 833. Heſychius & Suidas, ad quem Æmilius Portus: *δίεδρος idem ac δίφρος, Biſellium; ſella duos recipiens.* Ut itaque biclinium, quod duos habet lectos ſeu κλίνας, ita *biſellium* potius a duabus ſellis, quam a duobus, qui illic ſedeant. Ex hac *biſellii* laxitate, qua vel duos capit, vel duas complectitur ſellas, dignitatem arguere quadantenus quis poſſet. Omnino pro ſella ſplendida atque honeſta acceperunt Græci: quos inter Heſychius, qui argumentum honoris in *biſellio* ſpectavit, ac notus tum debuit illius eſſe uſus, diſerte enim inquit. Δίεδρος, διαφανὴς ἢ λαμπρὰ καθέδρα.

dea. Bisellium, conspicua aut splendida sedes. Nempe omni ævo blandita sibi in tantum est ambitio, ut etiam in hisce rebus, quæ exterius refulgent, pro earum materiæ amplitudine, ne dicam luxu, de utentium præstantia judicaverint homines. Ac in sellæ, qua de agimus, exemplo illustrem ac præpotentem ut notaret feminam Senec. de Const. Sap. c. 14. *Quid refert quantum habeat, quot lecticarios, quam oneratas aures, quam laxam sellam?* Chimentell. de Honor. Bisell. c. 9. Sed *Honor Bisellii* nunquam antehac a me auditus, aut lectus: Inscriptio, quæ Suessæ visebatur in Campania inter duas portas, & quam e Smetii, & Antonii Augustini schedis produxit Gruterus, illum indicare videtur. ea est p. CCCCLXXV. n. 3.

C. TITIO
CHRESIMO AUGUSTO LI
HUIC ORDO DECURIONUM
QUOD PRO SALUTE, ET INDUL-
GENTIA IMPERAT. ANTONINI PII
FELICIS AUG. ET EX VOLUNTATE
POPULI MUNUS FAMILIÆ GLA-
DIATORIÆ EX PECUNIA SUA DIEM
PRIVATUM SECUNDUM DIGNITA-
TEM COLONIÆ EDIDERIT. HONO-
REM BIS ILLI. Leg. BISELLI.

Memineram me apud Veteres adnotasse honoris causa publice sellas alicui decretas fuisse in ludis, aut theatris, in foro, curia . . . . . Indicium id virtutis ac meriti in Rempublicam. Tacitus de Germanico Annal. II. 83. 1. *Honores, ut quis amore in Germanicum, aut ingenio validus, reperti decretique. . . . . ut sedes curules Sacerdotum Augustalium locis, superque eas coronæ quernæ statuerentur?* En honores, en sedes, neque uno tantum, sed plurativo numero. Festus. *Sellæ curulis in circo locus datus est Valerio Dictatori, posterisque ejus honoris causa.* Hic pariter *honoris causa*, qui honor posteris omnibus Valerii Dictatoris servatus. Sallustius *honorem* simpliciter vocat, ubi de sellæ collocatione, quam petebat Gaudas Masinissæ nepos, loquitur Bell. Jug. c. 65. *Bisellii* nomine in marmore Pisano significari placuit, quod Chresimus *bis sella* usus fuerit, sive semel atque iterum in colonia Pisana magistratum gesserit. Quo modo Plinius de Corvino loquens, quem toties majoribus magistratibus usum fuisse narrat, sedendi numero honorem descripsit VII. 48. *Idem sella curuli semel & vicies sedit, quoties nemo.* Liv. XXIX. 37. *Notati septem, nemo tamen qui sella curuli sedisset.* Haud aliter tres sellas Pertinaci positas dicit Herodianus, quod ita factum opinor, ut gestus *bis* consulatus, ac tandem Imperatoria dignitas innueretur. Quod *bis* sella usus fuerit Chresimus, iterum scilicet magistratum obtinuerit, grati subinde, ac memoris animi testimonio dedit Reipublicæ Pisanæ LMHS, ut in fine lapidis narratur. Neque enim tam facile iterabatur ille honos, nec solebant Decuriones suo decreto, ac voluntate bis in eundem conferre, quin egregiam simul de quoquam cive opinionem proderent. *Honor Bisellii* etiam forte idem ac Duumviratus, qui summus erat in coloniis & municipiis, simulacrum Consularis in Urbe potestatis. Hunc quia honorem Chresimus obtinuerat, ideo civitati Pisanæ nummorum quinquaginta millia dono dedit; vel quia humilioris ille fortunæ, aut sanguinis. Sic alibi, *Ob honorem duumviratus.* LXII. 6. Sed cur *Bisellii* nomine hic magistratus expressus? Nempe a numero duorum, qui summum locum in municipio, aut colonia tenebant: quibus duplex sella, aut duorum capax statuta, ut insigne magistratus ac potestatis: quam placuit justa appellatione *Bisellium* dicere. *Bisellii* etiam vocabulo duplex potest innui Magistratus, quem Chresimus gesserit, non eodem iterato, ut modo subsensimus, sed diversus; nec refert sive junctim, sive unum post alium habuerit. Indissimilis locutio p. CCLXXXVIII. n. 3. ubi Decurionatus & Flaminium cum eadem formula. *Ob honorem Dec. & Flam.* Chimentell. de Honor. Bisell. c. 36.

BISETA porca. V. illam infr. in *Porca.*

BISMUTHUS, ut quidem Aubertus contra Quercetanum contendit, est regulus Antimonii. Id si verum est, illi qui *bismuthum* præparant, multo melius regulum Antimonii elicere norunt, quam Alchymistæ. *Bismuthus* enim longe pulcrior est & candidior, quam regulus Alchymistarum. Germani id, quod nos *etain de glace* dicimus, *bismuthum* appellant, & Latini recentiores plumbum cinereum. Veteribus incognitum fuit, quoniam duarum tantum specierum plumbi mentionem faciunt, nigri nimirum & candidi. Metallorum excoctores aliquot centum libris stanni solent addere duas, vel summum, tres libras æris & *bismuthi*, ad majorem duritiem, & clariorem sonum ei conciliandum. *Savot. de Numm. Ant.* II. 4.

BISOMUM, vel *disomum* sepulcrum erat duorum corporum. Sepulcra enim Christianorum primitivæ Ecclesiæ, ut depositorum corporum numerum indicarent, Bisomi, aut Disomi, Trisomi & Quadrisomi verbis erant insculpta. *Ursat. de Not. Roman. Thes. Antiq. Roman. Græv. Tom.* XI. *p.* 574. *F.* Antiquis enim etsi plura simul eodem tumulo corpora inferendi mos esset, ita tamen ponere, ut unum alteri substerneretur, haud fas erat; uno autem eodemque sepulcro duo, aut tria, vel certe quatuor cadavera apponi, quæ sibi invicem ordine succederent, & responderent, loco tamen discreta essent, apud sacra frequenter cœmeteria videre contigit. In celeberrimo Callisti cœmeterio hujusmodi epitaphium legendum exhibetur:

BONIFACIUS QUI VIXIT ANNIS
XXII. ET II . . . . EST POSITUS IN BISOMUM
IN PACE SIBI ET PATRI . . . . SUO

Aring. Rom. Subterr. I. 26. §. 21. *Du Fresne Glossario. Reines. Inscript. Sect.* 20. §. 40. 116. 344. 369.

BISONTES *in saltu Hercynio & in omni septentrionali plaga sunt frequentissimi, qui bovis feri similes, setosi colla, jubas horridi, ultra tauros pernicitate, capti assuescere manu nesciunt.* Solin. c. 20. *Argol. & Pinell. ad Panvin. de Lud. Circ.* II. 3. *Barthol. de Unicorn. c.* 16. *Bochart. Hieroz.* III. 20. *Cluver. Germ. Ant.* I. 8: III. 47.

BISSEXTILIS annus, quem passim omnes appellant, intercalaris Plinio dicitur. Hunc ne quidem scire totum potuit, qui instituit: vel ideo, quia instituit, unus instar omnium, Cajus Julius Cæsar, naturæ quodammodo modum *capace omnium quæ cœlo continentur sublimitate*, ut cum Plin. VII. 25. dicam, excedens. Homo tamen fuit, errare potuit: magis etiam, cum Fastos, quam cum Rempublicam ordinaret. Etenim anni vitia Romani nova intercalandi ratione correcturus, commisit ipse, vel certe neglexit, quod a posteris tandem esset corrigendum. Excessus fuit temporis, sed exiguus, undecim quotannis in Solis periodo definienda quasi scrupulorum; notari cœptus, postquam cumulatus error, relictis a tergo solstitiis æquinoctiisque, ad plures etiam dies computationem protrusit. Sed tanti erat, errasse Cæsarem; ut emendata nihilominus apud rerum dominos, & sic apud reliquos mortales, ratione temporum, dies intercalaris, sive *bissextus*, & ex eo annus *bissextilis* nasceretur, nomine, numero, ritu, & occulta naturæ vi tantum non religiosus. *Putean. de Bissexto c.* 1. Anno *bissextili*, Cycli nono, literis DC. natus est Christus, Homo & Deus, ut Deum his eisdem notis agnoscas, qui homo est factus; & Christum esse Deum, qui hominum causa mortuus, ut non nisi per ludibria, tormenta, cruciatus ad se rediret, ab hominibus non discederet. Annum igitur *Bissextilem*, Dei appello: fuitque primus Christi, primus a *Bissextili*: quo deinceps calculo quartum Christi, octavum, duodecimum, decimum sextum, vigesimum, omnesque porro quartos, *Bissextiles* computamus. Sciendum quoque est, in unoquoque seculo, quinam anni sint simplices, quinam *Bissextiles*, & quoti a *Bissextili*. Anni decimi, ut singuli habendi: alii pares, alii impares. Pares sunto, 20. 40. 60. 80. 100. quemadmodum, 2. 4. 6. 8. 10. Impares. 10. 30. 50. 70. 90. quemadmodum 1. 3. 5. [illegible] 9. Decimi igitur pares *Bissextiles* sunt: quarti item & octavi, qui decimos pares sequuntur: omnes enim quarti sunt. Decimi

impares *Biſſextiles* non ſunt, ſed ſecundi inde, & ſexti: nam & hi quarti. Annorum numerus in partes ſi duas æquales & pares dividi poteſt, *Biſſextilis* eſt; ſi non poteſt, ſimplex. Ut annus 96. quia in bis 48. abit æquales & pares; *Biſſextilis* eſt. Sic 92. in 46: 88. in 44: 84. in 42: 76. in 38: 72. in 36. Quæ & reliquorum ratio eſt. *Putean. ibid. c.* 15. In *Biſſextili* quædam mira ſunt, quædam ominoſa. Mirum eſt, poſt quadriennia ſingula reddi ſibi naturam rerum, & quodammodo Intercalarem eſſe. De ventis atque tempeſtatibus Plin. II. 47. *Omnium redire eaſdem vices, & quadriennio exacto, non ventorum modo, verum & reliquarum tempeſtatum magna ex parte. Et eſſe principium luſtri ejus ſemper Intercalari anno, Caniculæ ortu.* Columella de vitis fœcunditate quaternis vindemiis exploranda III. 6. *Ubi plurimis velut emeritis annorum ſtipendiis fides ſurculo conſtitit, nihil dubitandum eſt de fœcunditate: nec tamen ultra quadriennium talis extenditur inquiſitio. Id enim tempus fere virentium generoſitatem declarat, quo Sol in eandem partem ſigniferi, per eoſdem numeros redit, per quos curſus ſui principium cœperat: quem circuitum meatus dierum integrorum mille quadringentorum ſexaginta unius ἀποκατάστασιν vocant ſtudioſi rerum cœleſtium.* Ominoſum fuiſſe *Biſſexti* diem in Antiquitate notatum eſt. Macrob. Sat. I. 14. *Fuit tempus, cum propter ſuperſtitionem Intercalatio omnis omiſſa eſt.* Ammian. XXVI. I. *Nec prodire in medium voluit, Biſ-* [illegible] *Februarii menſis, tunc illuceſcentis: quod aliquo-* [illegible] *R mane fuiſſe cognorat infeſtum.* Putean. ibid. c. 18. Mantuan. in Faſtis:

> *Nec mirum eſt, quod fama refert, hunc ſcilicet annum*
> *Omnis eſſe mali, ſolitumque offendere fruges:*
> *Atque hominum varios infortunare labores.*
> *Tum male depangi vites, male ſemina ſulcis*
> *Rura putant credi, pecoris male pignora naſci:*
> *Semina pomorum pedibus converſa ſupinis*
> *Et capite in terram memorant adoleſcere miſſo.*
> *Sepius audivi, cum quis dare rebus agendis*
> *Principium vellet, dici, meliora require*
> *Tempora, hyperbolico fruſtra conaberis anno.*

Hoſpinian. de Orig. Feſt. p. 60. Infeſtum ſane nuper Maximilianus I. Imperator expertus eſt. Tumultu Belgico, cum de tutela filii, provinciarum hæredis Philippi ageretur, & refractarios experiretur Ordinum animos, expeditum Brugas verſus militum agmen duxit, anno 1484. in quo oppido rebus ſuis addictos cives nonnullos habebat, opem invadenti ex compacto ſuppeditaturos. Dies conſtitutus erat, pervigilium Matthiæ, quod eo anno, quia *Biſſextilis* in 24 Februarii incidebat (incidiſſe in 25 Februarii oſtendit ex Breviario Colonienſi *Muncker. de Intercal.* IV. *c.* 12. §. 3.) Maximilianus *Biſſexti* immemor, pridie ac præmature advolans, ſigna explicat, vim parat, opem conjuratorum exſpectat. Sed rebus eo adhuc die in urbe imparatis, conſilia, quia perfici non potuere, majori etiam damno detecta ſunt. Ad carcerem rapti, quos ſuſpicio; ad ſupplicium, quos arma accuſabant. Pars laqueo, pars gladio puniti, *Biſſexti* culpa perierunt. Sed hic tamen error magis, quam dies accuſandus eſt; caſus, quam annus. Quicquid reprehendi poteſt, Imperator ſuſtinet: tempora ignoravit. Felicem potius, imo bis felicem hunc diem dicam, quia *Biſſextum*; hunc annum, quia *Biſſextilem*. Quid enim? Sextus eſt, & ipſo numero ſuo æſtimandus, quia perfectus. *Putean. l. l.* Hanc etiam rem ut ſuperſtitioſam noſtri nunc Pontifices, ut ridiculam & inanem Phyſici damnare conſueverunt. *Gyrald. de Ann. & Menſ. p.* 57. Eſt enim ſtulta hæc opinio: quia annus *biſſextus* non pendet a cauſa aliqua naturali, ſed ab arbitrio Cæſaris: unde *biſſextum* Julianum dici ſolet. Quod autem nonnulli dicunt, Saturnum tum temporis ad ſignum contrariæ naturæ pervenire, erroneum eſt. *Alſted. Uranogr.* III. 13. Et Carolo Quinto auſpicatiſſimus dies natalis & triumphalis illuxit. *Junius de Ann. & Menſ. c.* 5. *Biſſextilium* literæ hebdomadicæ quomodo inveſtigentur V. infr. in *Litera.*

BISSEXTUM, Græce Theodoro Gazæ dicitur *δίσεκτον*, Hottomannus appellat nomen fictum, eſt ſatis Latinum, ſeculo aureo, & quidem ipſo Julio Cæſare parente, ſive auctore natum. Macrob. I. 13. *Statuit unum diem intercalarem ante quinque ultimos Februarii menſis dies: idque biſſextum cenſuit nominandum.* Cenſor. de Die Nat. c. 20. *Quod nunc biſſextum vocatur.* Componitur ex *bis* & *ſextus*, propterea quod tum *bis* dicatur *ſexto* Kal. Mart. Et quia hinc dicitur, verius & rectius ſcribitur per duplex quam per ſimplex *ſ*. Si de uno die loquamur, is proprie dicetur *biſſextus*; quoties de toto biduo loquimur, id rectius, meo quidem judicio, vocabitur *biſſextum* Latine, ut Græce *δίσεκτον*, in genere neutro. *Munker. de Intercal.* IV. 10. De *Biſſexti* natura & ortu Ammian. XXVI. I. *Anni intervallum trecentis & ſexaginta quinque diebus & noctibus concluditur, & horis ſex, aduſque meridiem plenum: annique ſequentis erit poſt horam ſextam initium porrectum ad veſperam. Tertius a prima vigilia ſumens exordium, ad horam noctis extenditur ſextam. Quartus a medio noctis ad uſque claram trahitur lucem. Ne igitur hæc computatio variantibus annorum principiis, & quodam poſt horam ſextam diei, alio poſt ſextam excurſo nocturnam, ſcientiam omnem ſqualida diverſitate confundat, & autumnalis menſis inveniatur quandoque vernalis, placuit ſenas illas horas, quæ quadriennio colliguntur viginti & quatuor, in unius diei noctiſque adjectæ tranſire menſuram.* Sub Numa, & poſt eum, uſque ad correctionem Cæſaris, apud Romanos nequaquam in uſu fuit *biſſextum*. Non enim dicebant ibi bis VI. *Kal. Mart.* quamvis vigerent tum etiam Kalendæ Intercalares priores & poſteriores, ſed diſcrimine longe maximo, & probe obſervando. Ante Cæſarem intercalabatur totus menſis; & Kalendæ intercalares priores erant primus dies Merkedonii: & poſteriores erant primus dies Martii ſecundum Scaligerum. Poſt Cæſarem autem unus tantum intercalabatur dies, cum ſequenti die efficiens *Biſſextum*; cujus prior dies a Scaligero vocatur VI. *Kal. Mart. priores*; poſterior autem VI. *Kal. Mart. poſteriores.* Muncker. ibid. IV. 11. Petav. de veter. ann. Roman. Theſ. Antiq. Roman. Græv. Tom. VIII. p. 333. C. Ammianus ſecundum Pontificum errorem cum primo, quibus annorum rationem intercalandi licentia, & ante, & poſt Julium Cæſarem turbaverunt, confundens, anni auctorem, non Julium, ſed Auguſtum facit: *Octavianus Auguſtus, Græcos ſecutus, hanc inconſtantiam, correcta turbatione, compoſuit, ſpatiis duodecim menſium & ſex horarum magna deliberatione collectis; per quæ duodecim ſiderum domicilia Sol diſcurrens, motibus ſempiternis, anni totius intervalla concludit. Quam rationem Biſſexti probatam, etiam victura cum ſeculis Roma adjumento numinis divini fundavit.* Hoc ſane Julii opus fuit; Auguſtus ſuffulcit. Ille inſtituit *Biſſextum*; hic emendavit. Quomodo? ſuſpenſum eſt, ut producto ſine Intercalatione duodecim annorum ſpatio, tres omnino dies præcipiti calculo exuberantes tollerentur. Primum igitur poſt hanc emendationem *Biſſextum*, ut numeros ſequar emendatiores, anno fuit Juliano LIII. ineunte, ab U. C. IƆCC LX. etiam ineunte, Camillo & Quintiliano conſulibus, Chriſti cenſuali VIII. literis A. G. *Biſſextum* hoc ab Auguſto primum, ſecundum fuerit Epochæ Chriſtianæ. Annus enim Julianus quinquageſimus tertius, cum ex nova emendatione *Biſſextilis* eſſet, non potuit niſi in octavum Chriſti incidere; imo non potuit niſi in *Biſſextilem*. Putean. de Biſſexto c. 11. Cum vero uterque *Biſſextus* ſit, alter novus, alter vetus, dubites, novus veteri, an vetus novo cedat, aut accedat; imo uter novus: & quænam Kalendæ, priores, an poſteriores ſint intercalares. Sunt, qui priorem, ſunt qui etiam poſteriorem diem omnino eſſe intercalarem contendant. Poſteriorem *Biſſexti* diem, factum nimirum ex quatuor quadrantibus quarto quolibet anno, poſitum eſſe poſt VI. *Kal. Mart.* ſeu *ante quatuor ultimos dies Februarii*, ſeu *poſt* 24. *Februarii* ſtatuunt Digeſta lib. IV. tit. 4. de minoribus 25. annis: *Proinde ſi Biſſexto natus eſt, ſive priori, ſive poſteriori die, Celſus ſcripſit, nihil referre. Nam id biduum pro uno die habetur, & poſterior dies Kalendarum intercalatur.* Verba Celſi ſunt Digeſt. lib. L. tit. 16. de verb. Signif. lege 98. *Cum Biſſextum Kalendis eſt, nihil refert,*

fert, utrum priori an poſteriori die quis natus ſit : & deinceps ſextus Kalendas ejus diei natalis eſt. Nam id biduum pro uno die habetur. Sed poſterior dies intercalatur, non prior. Ideo quo anno intercalatum non eſt, ſexto Kalendas natus, cum Biſſextus Kalendis, priorem diem natalem habet. Et ex illis fortaſſe Andreas Alciatus ad legem 98. de verborum ſignificatione. Aldus Manutius Quæſ. per Epiſt. I. 3. Gyrald. de Ann. & Menſ. p. 57. Lalamantius de Ann. Rom. rat. p. 195. Gerardus Johannes Voſſius in Lexico ſuo Etymologico in voc. ſextus, *biſſextus* & calare. Priorem *Biſſexti* diem eſſe intercalarem, & inde quarto quolibet anno diem, ex quatuor quadrantibus compoſitum interſeri *ante* VI. *Kal. Mart.* ſeu *poſt* 23 *diem Februarii*, ſeu *ante* 24 *diem Februarii* ſtatuunt Macrob. Saturn. I. 14. *Et, ne quadrans deeſſet, ſtatuit, ut quarto quoque anno ſacerdotes, qui curabant menſibus ac diebus, unum intercalarent diem; eo ſcilicet menſe ac loco, quo etiam apud veteres intercalabatur, id eſt, ante quinque ultimos Februarii menſis dies; idque biſſextum cenſuit nominandum.* Nota hic : ſi poſterior *biſſextus* eſſet intercalaris, tum dici hic deberet, *ante quatuor ultimos Februarii dies.* Cenſor. de die Nat. c. 20. *Præterea pro quadrante diei, qui annum verum ſuppleturus videbatur, inſtituit, ut peracto quadriennii circuitu, dies unus, ubi menſis quondam ſolebat, poſt Terminalia intercalaretur: quod nunc Biſſextum vocatur.* Breviarium Colonienſe, in quo in fine Februarii hæc verba : *Anno biſſextili additur unus dies, & fit dierum 29. & feſtum S. Matthiæ celebratur die 25. & tunc bis dicitur* VI. *Kalendas, hoc eſt, 24 & 25 die.* Quod ſi poſterior eſſet intercalaris, feſtum Matthiæ maneret in 24. Et qui hos ſequuntur, Scalig. de Emend. Temp. p. 177. & 230. David Origanus Ephem. p. 16. Sebaſtianus Corradus in Cicer. Epiſt. VI. 14. Et hanc ſententiam nos mordicus tenemus I. quia Cæſar diem intercalarem eodem loco intercalari juſſit, quo antea menſis fuerat intercalatus, hoc eſt, non niſi poſt 23 diem Februarii, ſive ante VI. *Kal. Martias.* II. Quia abſque hoc peribit, quicquid infr. in *E* de quinque Epagomenis, ſive iſtis, non quatuor, ſed quinque reliquis Februarii diebus diſſerturi ſumus. *Muncker. ibid. c.* 12. Quamvis poſteriorem jura ſtatuant intercalari, eſt tamen hoc a temporis ratione alienum. Utrum dicam? Diem legi obnoxium eſſe? an legem diei? Breviter. Intercalaris Terminalia inter & Regifugium medius eſt, ergo prior. Item ſeptimus Kalendarum Martii Terminalia habet, ſextus Regifugium; ſed qui intercalatur ante ſextum eſt, & tamen ſextus, ergo prior. An etiam clarius? Regifugium ſextus Kalendas eſt, ut Juriſconſulti formula utar; ante Regifugium dies intercalatur: ergo ante ſextum Kalendas. Res manifeſta eſt. Sed Celſus, & ejus auctoritatem ſecutus Ulpianus, in gratiam pupilli, ſive illius, qui natu viginti quinque annis minor eſt, *Biſſextum* invertit, prioris loco diem poſteriorem intercalando. *Putean. ibid. c.* 12.

BISTAPIA. V. illam infr. in *Stapedes.*

BISULCUS raro in menſam veniebat apud veteres. *Buleng. de Conviv.* II. 21.

BIT.

BITHYNI ad Propontidem, & Pontum cognomento Euxinum incoluerunt. *Sigon. de Ant. Jur. Prov.* I. 13.

BITHYNIA ab oriente Sangari fluvio, a Galatia dividitur ab occaſu, & ſeptentrione Ponto, a meridie Epicteto & Aſia minore a Proconſule recta. Hæc prius Bebrycia, deinde Mygdonia, poſtremo a Rege ejus nominis *Bithynia* eſt vocata. Hieron. de loc. Hebraic. in Acta Apoſtol. & Solinus. Herodotus & Strabo a Thracibus *Bithyniis* dictam volunt. *Panciroll. Notit. Dignit. Imp. Orient. c.* 128. In *Bithynia* multis ante Alexandrum Magnum ſeculis regnari cœptum fuerat, ſi Memnoni & Appiano auctoritatem tribuimus. Nam Dildaſus & Botivas ætatem Alexandri præceſſerunt. Bas Botiræ filius Alexandri fuit æqualis; quippe qui Calanto Alexandri duci reſtiterit, & Macedonas a *Bithynia*, teſte Memnone, propulſarit. Ban inde Zipœtes eſt conſecutus, qui cum Lyſimacho & Antiocho Seleuci filio decertavit; Zipœtem Nicomedes, qui regnum *Bithyniæ* ſtabilivit, & urbem Nicomediam condidit. Nicomedem excepit Zielas, & Zielam Pruſias, qui Pruſiadem ædificavit, & cum Attalo Pergameno Rege armis contendit, cumque ſe Perſico bello Macedonico medium geſſiſſet, Romam pileatus, populi Romani ſe libertum appellans, venit: primusque, quantum apparet, cum populo Romano ſocietatem inivit. Pruſiæ inde nepos Nicomedes, cognomento Philopater, Rex a Senatu appellatus, & a Mithridate Eupatore Ponti Rege per fratrem ipſius minorem Socratem, cognomento Chreſtum, regno pulſus, a Romanis per legatos Aquillium & Mancinum reductus, rurſus præſentibus legatis exactus, poſtea a L. Sylla Proconſule reſtitutus, ut refert Appianus. Quibus beneficiis provocatus Nicomedes filius, moriens *Bithyniæ* regnum teſtamento populo Romano reliquit, L. Lucullo M. Cotta Conſulibus anno U. C. 679. ut ſcribit Eutropius. Quod regnum Romani in provinciæ formam, teſte Livio, redegerunt, atque per Aulum Pompejum *Bithynicum* Romam ſupellectilem omnem regiam, ut inquit Feſtus, devexerunt. *Sigon. de Ant. jur. Prov.* I. 13. *Panvin. Imp. Roman. c.* 14. Ea ſimul cum Ponto, in quo Mithridates regnavit, una provincia fuit, *Bithyniæque* nomine appellata. *Manut. de Leg. Roman. c.* 10. Vectigalia illi eſſe impoſita, ut reliquis provinciis indicant ſocietates publicanorum, quæ ibi fuerunt. De illis admonet nos Cicero ſcribens ad Craſſipedem quæſtorem: *Volo te ſcire, inquit, me in primis a[illegible] eſſe huic Bithynicæ ſocietati, te rogo, ut ejus rem & ut[illegible]em, cujus rei quantam poteſtatem quæſtor habeat, non ſum ignarus, per te defenſam & auctam iri.* Sigon. l. l.

BITHYNIARCHIA ſacerdotium erat provinciæ, & præfectura videri poteſt. Præbebat a tutela immunitatem, dum ei muneri quis præerat. *Guther. de vet. jur. Pontif.* I. 28. V. ſupr. in *Aſiarchia.*

BITURGIUM Viviſcorum. *Biturges* Viviſci Ptolem. Geogr. II. Iidem qui *Biturges* Joſci apud Strab. II. Suntque Galliæ Aquitanicæ populi, quorum metropolis urbs etiam nunc clara, vulgo *Bordeaux.* Urſat. de Not. Roman. Theſ. Antiq. Roman. Græv. Tom. XI. p. 575. A. Panciroll. Notit. Dignit. Imp. Orient. c. 35. Inſcriptio Burdigalenſis.

AUGUSTO. SACRUM
ET. GENIO. CIVITATIS
BIT. VIV.

Scalig. Lect. Auſon. I. 5.

BLA.

BLÆSUS a vitio linguæ cognominatur; *quia verbum frangit* Iſidoro teſte Orig. X. Cognomen iſtud in uſu apud Romanos fuit multis gentibus. Glandorpius in cognominum Indice idipſum Juniis, Pediis, Semproniis, Corneliis, Helviis familiare demonſtrat. *Urſat. de Not. Roman. Theſ. Antiq. Roman. Græv. Tom.* XI. *p.* 575. *F.* Sunt qui *R* literam pronuntiare non poſſunt: quo vitio laboravit Demoſthenes. Unde eſt in I. de Orator. c. 61. Demoſthenes ita balbus fuit, ut ejus artis, cui ſtudebat, primam literam dicere non poſſet. Et in Priap. c. 6. n. I.

Cum loquor, una mihi peccatur litera ſemper:
Nam PRÆ PÆ dico, blæſaque lingua mihi eſt.

Sigon. de Nom. Roman. c. 5. Urſat. ibid. p. 896. F.

BLANDITIA in petendis magiſtratibus petitori eſt neceſſaria. *Blanditiam*, quam in petitione deſiderat Quinctus de Petit. conſul. c. II. idem ipſe declarat, cum ita præcipit fratri: *Deinde quod natura non habes, induc in animum, ita ſimulandum eſſe, ut natura facere videare. Opus eſt magnopere blanditia, quæ etiamſi vitioſa eſt, & turpis in cætera vita, tamen in petitione eſt neceſſaria. Tunc enim cum deteriorem aliquem aſſentando facit, improba eſt; cum amicio-*

rem, non tam vituperanda. Petitori vero necessaria est, cujus & frons, & vultus, & sermo ad eorum, quoscunque convenerit, sensum & voluntatem commutandus est. *Blande* autem appellare est non proprio nomine, sed honestiore salutare, ut patrem, aut fratrem, aut patronum. Horat. Epist. I. 6. 54.

— frater, pater adde,
Ut cuique est ætas, ita quemque facetus adopta.

Hinc Ausonius ad Gratianum de consulatu ab eo accepto: *Consul ego, Imperator Auguste, munere tuo non prensavi manus, non cum salutantium confusus occursu aut sua amicis nomina reddidi, aut aliena imposui, tribus non circumivi, centurias non adulavi.* Sigon. de Judic. II. 30.

BLASIO. In nummis argenteis gentis Corneliæ, & quidem patriciæ, in qua *Blasiones* clari. In notis P. BLAS. *Publius Blasio.* Ursat. de Not. Roman. Thes. Antiq. Roman. Græv. Tom. XI. p. 896. E. Corneliorum & Helviorum fuit eadem forte ratione qua Blæsus. *Sigon. de Nom. Roman. c. 5.*

BLATTAM recentiores dixerunt, quam vetustiores purpuram. Cassiod. Epist. I. 2. *Cum blatta, quam nostro cubiculo dare singulis annis consuevisti, venire festina.* Lamprid. Heliog. c. 32. *Paraverat funes blatta, & serico, & cocco intortos.* Eutrop. VII. 14. *Inusitatæ luxuriæ exemplum, ut qui exemplo Caligulæ retibus aureis piscaretur, quæ blatteis funibus extraheret.* Et *blatteam tunicam*, id est, purpureo colore tinctam dicit Vopisc. Aurelian. c. 46. *Casal. de Urb. ac Imper. Romani splend. part. 2. c. 8.* *Blattæ, vel blatteæ proprie bullæ luti ex itineribus*, ut ex Festo scribit Paullus. Sic etiam vocarunt bullas sanguinis concreti. Glossæ: *blattea*, θρόμβος αἵματος. Hinc *blatteum*, hoc est sanguineum pro purpureo: nam sanguineum colorem & purpureum eundem esse voluerunt. Serv. Æneid. III. *Sed quoniam sumptuosum erat, & crudele, victimas vel homines interficere, sanguinei coloris cœpta est vestis mortuis injici, ut & ipse testatur Æneid.* VI. 221.

Purpureasque super vestes, velamina nota
Conjiciunt.

Ubi manifesto sanguineum & purpureum eundem facit. Plin. IX. 38. *Laus ei summa, color sanguinis concreti, nigricans adspectu, idemque suspectu refulgens: unde & Homero purpureus dicitur sanguis.* Hoc genus purpuræ *blattam* vocarunt: quæ vox, ut dixi, concretum sanguinem significat, a similitudine luteæ *blattæ*. Male doctissimi viri *Turneb. Adv.* XVIII. 17. *Ferrar. de Re Vest.* I. 2. 7. qui a *blattis* vermiculis *blatteum* appellari volunt. *Salmas. in Vopisc. Aurelian. c. 46. Panciroll. de Corpor. Artif. Thes. Antiq. Roman. Græv. Tom.* III. *p.* 19. *A. Voss. Lex. Etymol. Bochart. Hieroz.* IV. 25. *Guther. de Offic. Dom. Aug.* III. 21. *Demster. Paral. ad Rosin. Antiq. Roman.* V. 31. V. & infr. in *Purpura.*

BLATTIARIUS, qui sericum purpura tingit. Leg. I. Cod. Theod. de Excusat. artif. *Panciroll. de Corpor. Artif. Thes. Antiq. Roman. Græv. Tom.* III. *pag.* 19. *A. Demster. Paral. ad Rosin. Antiq. Roman.* V. 31. *Casal. de Urb. ac Imper. Roman. splend. part.* 2. *c.* 8.

BLAUTÆ fuerunt calcei maxime domestici, seu genus sandalii, ut ait Pollux VII. 22. Clem. Alexandr. Pædag. III. 11. Christianis præcipit, qui non possunt nudis pedibus incedere, ut gestent *blautas*, quas Attici κονίποδας dixerint, quia essent humiles, nec longe removeant pedes a pulvere. Hinc apud Aristoph. Equit. II. 4. 54. tribuitur hominibus in convivio accumbentibus, qui sæpe alienis utantur *blautiis*, quando inde surgunt subito ad exonerandum ventrem. Et non male junguntur scimpodio, & rarius ab Socrate dicuntur usurpatæ. Sed tamen & publici usus fuisse, & majoris operæ, liquet ex eo, quod apud Ælian. Var. hist. IX. 11. Parrhasio delicati cultus pictori adscribantur una cum scipione, & quidem ita, ut aureis fibulis ligulas *blautarum* constrinxerit. Neque aliter tanquam Cynici cujusdam ornamenta, scipio & *blautæ* memorantur juncta, ac dedicantur Veneri in veteri epigrammate apud Suidam in βλαύτη: *Hic scipio, & hi calcei*, ταῦτα τὰ βλαυτία, *veneranda Venus,*

Spolia Posocharis Cynici, tibi, dicata sunt.

Utrobique enim scipio additus, declarat *blautas* etiam publici esse usus. *Perizon. in Ælian.* IV. 11. *Balduin. de Calc. antiq. c.* 20.

BLE.

BLETISA oppidum fuit Hispaniæ Tarraconensis, cui nunc Ledesmæ nomen. Et *Bletisamenses* hinc dicti. In notis: INTER. BLETISAM. MIROBR. ET. SALM. *Inter Bletisamenses, Mirobrigenses, & Salmaticenses.* Saxum Ledesmæ in Hispaniis ad Alphonsi Castri montem, olim *Bletisæ* dictæ, ut Gruterus tradit p. XCIX. n. 2.

IMP. CÆSAR. AUG. PONTIF
MAXIM. TRIBUNIC. POT. XXVIII
COS. XII. PATER. PATR.
TERMINUS. AUGUSTAL. INTER
BLETISAM. ET. MIROBR. ET. SALM

Haud procul Salmatica, urbe nunc etiam præclara, distat. *Ursat. de Not. Roman. Thes. Antiq. Roman. Græv. Tom.* XI. *p.* 781. *E.*

BOC.

BOCALE erat vas vinarium. V. supr. in *Baucalium.*

BOD.

BODOBRICA oppidum est Germaniæ ad Rhenum. *Baudobrico* legit Itinerarium. *Panciroll. Notit. Imp. Occid. c.* 88. In Notitia vocatur *Bodobriga*: unde apud Antonium lego *Baudobrica*, & in tabula *Bautobrica*. Omnium recta est ratio, variantibus linguæ Celticæ dialectis: quæ facile *au* in *o*, *t* in *d*, *g* in *c*, & vice versa commutant. Antiquis Germanis credo fuisse *Bodebrige*, & *Boteprige*. Unde postea *Bobbrig*, & *Bopprig*: & mox *Bobbert*, & *Boppert*, quod tandem *Boppart*. Hoc etiam unum fuisse e quinquaginta amplius Drusi castellis, Notitia Imperii monet, castra hic militum posteriori etiam seculo collocans. *Cluver. German. Ant.* II. 14.

BOE.

BOEBIA familia. V. illam infr. in *Familia.*

BOETICA Hispaniæ provincia Ibero ad meridiem cingitur, a septentrione Assa fluvio a Lusitania superatur. Illi *Bætus* fluvius interfluens nomen dedit. Nunc a cocco, quod ibi plurimum nascitur, *Granata* nominatur. Primum Proconsularis provincia fuit, postea Consularis est facta. *Panciroll. Notit. Dign. Imp. Occid. c.* 66.

BOETHIUS Anicius Manlius Severinus Consul fuit cum socero Q. Aurelio Anicio Symmacho anno ab U.C. 774. *Augustin. de Famil. Roman. in Aurelia.*

BOJ.

BOJA est annulus, sive circulus, quo colla vel pedes delinquentium nodantur. *Scheffer. de Torquib. c.* 4. Festus: *Bojæ, id est, genus vinculorum, tam ligneæ, quam ferreæ dicuntur.* Collare itaque proprie. Veteres glossæ: *Boja*, κλοιός. & *inbojo*, κλοιὸν περιτίθημι. Sæpius in veteribus historiis martyrum manuscriptis legitur, ut: *Tolle bojam de collo meo.* Scalig. in Festum. Est *boja*, ut taurea, lorum proprie e bubulo corio confectum, nonnullis ligneum etiam, ac ferreum vinculum, & torques damnatorum. Plaut. Amph. IV. 2. 16.

Faxo ut bubulis coriis onustus sis.

Asin. I. I. 22.

Ubi vivos homines mortui incursant boves.

Brod. Miscell. II. 10. Qui non mediocriter errat. Taurea

rea enim eſt ſcutica. Heſychius: Μάραγνα, μάστιξ, ῥάβδος, ταυρεία. & μάραγνα, τῇ ταυρείᾳ. Artemidorus de carnibus bubulis, quod non bonum ſit videri in ſomnis eis veſci, præſertim ſervis: δούλοις δὲ βασάνους σημαίνει διὰ τὸν ἱμάντα καὶ τὴν ταυρείαν. Alluſit Plaut. Capt. IV. 2. 108. *Bojus eſt, Bojus bojam terit.* Nam *Bojam* accipiendam pro collari, cum tamen qui hoc dicit, vellet accipi, tanquam ſi dixiſſet ipſum Gallum cum Galla cubare. Notum enim *Bojos* eſſe Gallos. *Scalig. l. l. Voſſ. Lex. Etymol.* Prudent. Pſychom. Præf. n. 33.

Attrita bojis colla liber erigit.

Gloſſarium vetus collectitium minutum. *Boja torques damnatorum.* Iſo Magiſter, ſive alius quicunque commentator Prudentii *Bagas* legit. *Baga ferrum dicitur, quo captiva ſæpe* (Lego *ſine ſpe*, libertatis puta, ætatem ſervitura, & velut ſerva pœnæ tradita) *mancipia ſtrictis collis & manibus aguntur.* Verum *Bojas* ſcribendum ex Feſto notum eſt, qui tam ferrea quam lignea ea vincula fuiſſe commemorat: unde non accedimus G. Fabricio de foliis, aut ſurculis palmarum texta fuiſſe conjectanti. *Barth. Adv.* XLVII. 17. Significat etiam manicas, ſive manuum vincula. Κλοιὸς enim, de quo Gloſſæ ſupra, tum collare, tum manicam notat. Oſtendit hoc hic locus Heſychii: Κλοιὸς, περιτραχήλιος δεσμὸς, κολλάριον, ἤτοι μανιάκης. *Voſſ. l. l.*

BOJI ab ortu ſolis Senonibus, teſte Polybio, ab occaſu Liguribus Ciſpadanis ad Trebiam amnem adhæſerunt, a meridie quidem Apennino, a ſeptentrione Pado concluſi. Quod cum ita ſit, profecto apparet, oppida eorum fuiſſe ultra Rubiconem ad mare Ravennam, intus Cæſenam, Faventiam, Claternam, Bononiam, Mutinam, Macros campos, Nuceriam, Tanetum, Parmam, Brixillum, Fidentiam & Placentiam. Variis bellis a Romanis victi & domiti poſt Romana pace contenti in perpetuum quieverunt. Strabo auctor eſt, *Bojos* ex finibus ſuis in loca Danubio vicina tranſlatos radicitus eſſe ſublatos. Eoſdem etiam funditus interiiſſe, ex Catone refert Plinius, cum eorum centum duodecim tribus fuiſſent. Et poſt hæc tempora nulla in Italia *Bojorum* memoria celebratur. *Sigon. de Ant. Jur. Ital.* I. 24.

BOJODURUM Ptolomæo, *Bolodero* in Itinerario eſt urbs Vindeliciæ ad oſtium Oeni fluvii, ubi Danubio miſcetur. *Panciroll. Notit. Dignit. Imp. Occid. c.* 81. Ptolemæus jam pridem mihi impoſuit, ut id intellexerim oppidum nunc *Paſſau.* Verum diſpexi, tandem Paſſavium Notitiæ dici *Batava caſtra*; *Bojodurum* vero cenſeri in Norico. Fuiſſe ad Æni confluentem, quo ſitu nunc *Inſtat*, colligo primo ex Ptolemæi poſitione; tum ex Tabula, in qua Caſtellum, quod Batavorum militum fuit, & *Bojodurum* ſine ullo intervallo, aut intervalli numero conjunguntur in læva Æni ripa. A *Bojorum* tranſitu nomen ei inventum fuiſſe certum eſt, nam qui Βοιόδουρον Ptolemæi interpretantur *Bœodurum*, hiſtoriæ pariter & geographiæ veteris ignaros ſeſe oſtendunt. Nec magis periti illi, qui dubitant an Tabulæ *Bolodurum*, & Antonini *Boledurum*, ſit Notitiæ Imperii *Bojodurum.* A quo trajectu hoc nominis locus hic traxerit, fuſius inter ſe diſputant *Velſer. Rerum Boicar.* II. *p.* 37. *& Cluver. Vindel. p.* 24.

BOL.

BOLETAR fuit vas, in quo *boleti* condebantur, vel apponebantur comedenda. Vaſa enim aliqua a re illa, cujus in uſum parata erant, nomen deſumpſerunt. Unde Inſcriptio carm. XIV. 101. apud Martialem eſt *Boletaria.* Et vetus Epigramma:

Comptas nolo dapes, vacuum mihi pone boletar.

Scholiaſtes etiam Juvenalis ad Sat. XI. 137. *Coquina, qua boletaria ponuntur.* Poſtea cibis omne genus ſuſtinendis ſerviit, & pro quolibet eſcario vaſe uſurpari cœptum eſt. De *Boletari* Mart. XIV. 101.

Cum mihi boleti dederint tam nobile nomen,
Prototomis, pudet heu, ſervio cauliculis.

Salmaſ. in Trebell. Pollion. Claud. c. 17. Turneb. Adv. XV. 20. Donat. Dilucid. p. 1016. Barth. Adv. XXXVIII. 2. Voſſ. Lex. Etymol.

BOLETUS inter fungos primum locum obtinet. Plin. XXII. 22. mox laudandus. Imo *gulæ irritamentum* Plin. XVI. 8. Deliciæ erant magnatum. Juven. Sat. V. 145.

Vilibus ancipites fungi ponentur amicis,
Boletus domino, ſed qualem Claudius edit.

Et quidem pretioſiores. Mart. XIII. 47.

Argentum, atque aurum facile eſt, lænamque, togamque,
Mittere, boletos mittere difficile eſt.

Tiberius *Aſellio Sabino HS ducenta donavit pro dialogo, in quo boleti, & ficedulæ, & oſtreæ, & turdi certamen induxerat.* Suet. c. 42. n. 6. *Bruyer. de Re cibar.* IX. 21. *Nonn. de Re cibar.* I. 27. *Beroald. & Pitiſc. in Suetonium.* Mox exitio fuit Claudii infamis. Suet. Claud. c. 44. n. 4. *Veneno occiſum convenit. Quidam tradunt in arce epulanti cum ſacerdotibus, per Halotum prægustatorem ſpadonem: alii domeſtico convivio, per ipſam Agrippinam, quæ boletum medicatum aviдiſſimo ciborum talium obtulerat.* Per ſe non occidit. Sed hic Claudii medicatus fuit. Dixit hoc Suetonius. Dicit hoc Plin. XXII. 22. *Inter ea quæ temere manduntur, boletos merito poſuerim, optimi quidem hos cibi, ſed immenſo exemplo in crimen adductos, veneno Tiberio Claudio principi per hanc occaſionem a conjuge Agrippina dato.* Facillime venenum excipit. Plinius: *Si caligaris clavus, ferrive aliqua rubigo, aut panni marcor affuerit naſcenti, omnem illico ſuccum alienum, ſaporemque in venenum concoquit: deprehendiſſeque niſi agreſtes poſſunt, atque qui colligunt. Ducunt ipſi alia vitia, nunc quidem ſi ſerpentis caverna juxta fuerit, ſi pateſcentes primo adhalaverit, capaci venenorum cognatione ad virus accipiendum.* Bruyer. & Nonn. l. l. Pitiſc. in Suetonium. Hinc Seneca inter indigetes referendi rationem, ut monet Dio LX. p 689. A. vocat ἀποκολοκύντωσιν, eo quod Claudius medicato *boleto*, quaſi pharmaco purgatorio, quod olim frequens e colocynthide concinnabatur, quam agreſtem cucurbitam vocare licet, periit. Claudii *boletum* alludunt Juvenalis modo laudatus, & Mart. I. 21. 3.

Quid dignum tanto tibi ventre, gulaque precabor,
Boletum, qualem Claudius edit, edas.

Neronis etiam illud non indignum memoria eſt, qui fungos deorum cibum eſſe dicebat: quoniam Claudius boleti eſu deus eſſet factus. Dio l. l. *Jun. Animadv.* I. 17. *Dalechamp. in Plinium. Pitiſc. l. l.*

BOLIS eſt inſtrumentum, cujus ope maris altitudinem & conditionem terræ ſubjacentis ſolent explorare. Gloſſæ: *Bolis eſt vaſculum æneum, vel plumbeum cum catena: quod nautæ implent adipe, & ſubmittunt in mare, ad explorandum, an loca petroſa, ubi navis poſſit ſtare, an arenoſa, quæ navim perdat.* Etiam Catapirater dicitur. *Scheffer. de Mil. Nav.* II. 5. V. infr. in *Catapirater.*

BOLUS, βόλος, quando primam corripit, jactum aleatoris vel piſcatoris denotat. Plaut. Rud. II. 3. 30.

— O Neptune lepide, ſalve,
Nec te aleator ullus eſt ſapientior profecto,
Nimis lepide jeciſti bolum: perjurum perdidiſti.

Curc. V. 2. 13.

— Quid ais bone vir, audeo
Si vis tribus bolis vel in chlamydem.

id eſt, tribus jactibus audeo tecum deponere chlamydem; vel ludere tecum de chlamyde. *Bolus* autem in ludo talario integrum jactum omnium talorum, aut teſſerarum ſignificat conjunctim: eoſque in ludo præſertim teſſerario, vel dabant, vel revocabant, prout bene vel male ceciderant teſſeræ: ſi enim male, tunc *bolus* iſte arte corrigendus erat. *Senftleb. de Alea c.* 10. §. 5. *Salmaſ. in Vopiſc. Procul. c.* 13.

BOM.

BOMBARDA eſt tormentum æneum, ſaxa rotunda

immenſi ponderis, vi pulveris factitii, & ignis emittens cum ſonitu. Ipſe pro *bombarda* uſus ſum baliſta hoc carmine:

Fuderat aut vaſtos fumans baliſta molares.

Grapald. de Æd. part. c. 10. §. 20. Tenui admodum ſpiraculo ignis injicitur, qui raptim cognatam materiam populatus, vacuum ſcilicet averſante natura, incredibili impetu pilas proturbat, ac longe jaculatur fulmineo ac prorſus metuendo impulſu: cui non turres, non mœnia, non obices ulli queant obſiſtere: ſexcentos homines & amplius, ſi ad lineam ſteterint, facile omnes uno excurſu exanimat. Debemus hoc malum Germaniæ, caſu fere rerum omnium magiſtro auctore. Nam quum ex iis, qui ſe Democrititios chymiſtas profitentur, quidam in diſquiſitione philoſophici lapidis commiſtionem nitri, ſulphuris, & triti carbonis atque id genus aliorum fomitum feciſſet: quanta eorum vis foret, ex attactu ignis intellexit: quum nullis vinculis, nullis cancellis incendiariæ materiæ impetus ſuffrenari potuiſſet. *Calcagn. de Re Naut.* c. 17. Inventa eſt a Berthaldo Nigro (Schwarts) monacho homine Germano circa annum 1370. ante id tempus a nullo cognita. *Brod. Miſc.* II. 26. *Hoſpinian. de Orig. Templ.* III. 7. Sed de tempore, quo inventum eſt hoc tormentum, dignus eſt qui legatur *Mag. Miſcell.* I. I.

BOMBUS ſonitus eſt apum murmurantium. Varr. de Re Ruſt. III 16. *Ex apibus conjecturam faciunt, ſi intus faciunt bombum.* Scholiaſt. Apollon. II. 13. Βόμβος ἐςὶν ὁ τ̃ μελισσῶν ἦχος. Et culicum, qui otioſo *bombo* ſtridunt circum hominis caput. Ariſtoph. Plut. II. 5. 57.

Αἱ βομβῶσαι περὶ τὴν κεφαλὴν ἀνιῶσιν.

Inde raucus tubarum ſonus *bombus* dicitur. Catull. LXIV. 263.

Multis rauciſonos efflabant cornua bombos.

Et fauſtæ ſecundæque acclamationis genus, quo ſonitum, ad apum ſimilitudinem, leviorem, nec ſatis diſtinctum, manus apte ſeſe in plaudendo collidentes reddebant, *bombus* dicitur. Suet. Ner. c. 20. n. 6. *Qui plauſuum genera condiſcerent, bombos vocabant.* Græcis. βόμβος. Philoſtr. de Vit. Soph. p. 570. B. Ὡς καὶ βόμβον διελθεῖν αὐτῶν. Themiſt. Orat. IV. initio. Ἐπιδεῶς ἔχοντα ἔτι κρότε τε καὶ ἐκβομβήσεων. Ipſe Nero in Bacchis ſuis, ex quibus tranſtulit Perſ. I. 99.

Torva Mimalloneis implerunt cornua bombis.

Caſaub. in Suetonium & Perſium. Ferrar. de Acclam. I. II. Buleng. de Theatr. I. 60. de Imper. II. 31. Barth. in Rutil. n. 203.

BOMBYCES *telas aranearum more texunt*, inquit, Plin. XI. 21. *ad veſtem luxumque feminarum, quæ bombycina appellantur.* Pollux VII. 17. *Bombyces ſunt vermes, a quibus, ut araneis, fila penſantur. Bombycum telas*, pergit Plinius, *prima retorquere, rurſuſque retexere invenit Pamphile, Plateæ filia, non defraudanda gloria, excogitatæ induſtriæ, ut denudet feminam veſtis bombycina.* Mart. VIII. 68.

Femineum lucet ſic per bombycina corpus.

D[illegible]ibit illos Plin. XI. 23. Et addit: *Nec puduit has veſtes u[illegible] etiam viros levitatem propter æſtivam. In tantum a lo[illegible] [illegible]renda diſceſſere mores, ut oneri ſint etiam veſtes. Aſſy[illegible] tamen bombyce adhuc feminis cedimus.* Bayſ. de Re Veſt. c. 6. S[illegible]maſ. ad Tertull. de Pall. p. 234.

BOMBYCINA, ne erres, byſſina & ſerica diſtincta olim fuerunt genera veſtium. Byſſina e lino. *Bombycina* e verme. Serica ex arborum lana confecta. *Bombycina* eadem eſt cum Cea, ſive Coa (nihil enim intereſt) manetque hodie, reliquarum nihil ſupereſt, niſi nomen. Et imperitia eſt Iſidor. XIX. qui *Bombycinam* ſericum facit. *Lipſ. in Tacit. Annal.* II. *Exc.* I. Paull. Sent. III. 6. *Veſte legata ea cedunt, quæ ex lana & lino texta ſunt, item ſerica & bombycina.* Barth. Adv. XXXVI. 13. Fallitur, qui diſtincta genera facit veſtium olim, *Bombycina* & *Serica*: nam & ſericum non minus eſt opus vermium, ſive βομβύκων, quam id quod *Bombycinum* vocant. Et quamvis de ſerico loquantur auctores, tanquam de fœtu, aut etiam lana arborum, prout ea *vellera Serum* vocat Virg. Georg. II. 121. id non obſtat, quo minus ſint texturæ quædam vermium: a vermibus enim in illis regionibus netur. Siquidem arbores adſcendunt, & penſa ſua abſolvunt abſque cultura; ſola enim natura miniſtra earundem arborum foliis nutriuntur, donec ſe contra frigus munire & veſtes conficere conentur, atque ſic molliſſima juxta & gratiſſima lana ſe involvant. Nec eſt, quod quis miretur, veteres, Plinium, Marcellinum & alios dixiſſe, frondium canitiem aqua debuiſſe perfundi, ut vellera depecti poſſent. Nam id ſane cum fœtu *bombycum* etiam convenit. Norunt enim artifices, qui hodie ſerico texendo dant operam, non niſi aqua ſuffuſos nidos & glomeres poſſe redordiri. Non eſt igitur imperitia Iſidori, quod *Bombycinum* Sericum fecerit. *Braun. de Veſtit. Sacerd. Hebr.* I. 6. 5. *Salmaſ. ad Tertull. de Pall. p.* 226. . . . *in Vopiſc. Aurelian. c.* 45. *Ferrar. de Veſt.* I. 19. V. & infr. in *Sericum.*

BOMBYLEUMATA Heſychio dicuntur τὰ μαγειρικὰ ἀρτύματα, *curioſius præparata*, τὰ μαγειρικὰ ἀρτύματα περιττῶς κατεσκευασμένα. Βομβυλεύειν σὺν τῷ ὄνθῳ ἀρτύειν, *condire ontho.* Hoc condimenti genus eſſe vult Heſychius. *Buleng. de Conviv.* II. 48.

BOMBYLIUS, βομβυλιὸς Thericleum Rhodiacum, ex quo minutatim ſtillant, ἐκ βομβυλιῦ κατὰ μικρὸν ςάζοντες. Poculum eſt anguſtum, βομβῶν ἐν τῇ πόσει, *ſtrepitum edit cum bibitur. Buleng. de Conviv.* IV. 17.

ΒΩΜΟΛΟΧΟΙ proprie Græcis dicebantur, qui ſub aras in ſacrificiis ſedere conſueverunt. Ita nominabantur ab ara, quæ βωμὸς vocatur, & λοχᾷν, quod inſidiari ſignificat, quoniam ad aras inſidiarentur, utpote qui cum aſſentatione efflagitarent. Quamobrem & qui in ſacrificiis ſuſcipiuntur tibicines, & vaticinium profitentes, *Bomolochi* vocabantur. Ex hujuſce autem rei tranſlatione *Bomolochi* etiam ii dicti ſunt, qui apti ac faciles, atque iidem humiles omnia lucri gratia perferrent jocando & cavillando. *Franciſc. Philelf. apud Goldaſt. Epiſt. Philol.* 9. *Saubert. de Sacrif. c.* 20. *Gyrald. Synt. Deor.* XVII. *p.* 475. *G. Rhodig. Ant. Lect.* X. 6. *Buleng. de Theatr.* I. 43.

BON.

BONA Dea. Hujus meminit vetus Inſcriptio, quæ Romæ in ædibus Gentilis Delphinii exſtat:

ANNIA. P. L. FLORA. EX
TESTAMENTO. BONAI. DEAI
SACRUM
SALVIA. SOROR
Ɔ LIBERTA
SUA PECUNIA
FAC. CURARUNT.

Majam quoque & Faunam, Opem & Fatuam, Fauni filiam pudiciſſimam, appellatam tradit Macrob. Sat. I. 12. Lactant. Inſtit. I. 22. Faunam itidem & Fatuam, ſed ſororem & uxorem Fauni dictam tradit, fuſtibus ab eo occiſam, quod ebriam deprehendiſſet: unde & in ſacris ei amphora vini tecta offerri ſolita. Hanc Varro ſcripſit tantæ pudicitiæ fuiſſe, ut nemo illam, dum vixit, præter virum ſuum, mas viderit, nec nomen ejus audierit, propter quod illi in operto mulieres ſacrificabant, & *Bonam* Deam nominabant. In templum ejus intrare, aut ſacris ejus intervenire, ut e ſexcentis conſtat auctorum locis, viro non licebat. Illud tamen Ciceronis ætate polluit P. Clodius. Frequens mentio apud Ciceronem & Aſconium. Ille cum C. Cæſaris Pontificis Maximi uxorem Muciam adamaret, muliebri habitu in operto *Bonæ* Deæ inventus eſt ab Aurelia C. Cæſaris matre. Unde Cicero in P. Clodium acerrime invectus eſt, quod auſus fuiſſet ea ſacra, quæ in operto pro ſalute populi Romani in Pontificis Maximi ædibus fiebant, ſua præſentia polluere. *Panvin. de Civit. Roman. c.* 37. *Nardin. Rom. Vet.* VII. 8. *Gyrald. Synt. Deor.* IV. *p.* 143. *Voſſ. de Idolol.* I. 12. *Hoſpin. de Orig. Feſt. Ethnic. c.* 16. *Panciroll. Deſcr. Urb. Rom. Theſ. Antiq. Roman. Græv. Tom.* III. *p.* 369. *D. Nicol. de Rit. Bacchan.*

c. 5. Imo & picturæ maſculæ in ejus templo velabantur. Juven. Sat. VI. 340.

— ubi velari pictura jubetur,
Quæcunque alterius ſexus imitata figuram.

Senec. Epiſt. 97. *Summotis extra conſpectum viris, ut picturæ quoque maſculorum animalium contegantur.* Ouzel. in Minuc. Fel. p. 225. Ejus ſacra frequenter curabant prætores. Dio XXXVII. p. 50. A. *Interim P. Clodius Cæſaris conjugem, idque domi ejus, pollutis etiam ſacris, quæ Veſtales apud conſules, & prætores, pura omnibus maribus ſecluſis, antiquitus celebrare ſolebant, vitiavit.* Cæſarem eo tempore, quo hæc hiſtoria accidit, fuiſſe prætorem docet Plutarchus, qui narrata hac hiſtoria, ſtatim ſubjungit p. 712. D. *Cæſar ex prætura ſtatim provinciam ſortitus Hiſpaniam.* Et hoc ſuo tempore in uſu fuiſſe oſtendit Mart. X. 41. 4.

— Prætor erat.
Conſtatura fuit Megalenſis purpura centum
Millibus, ut nimium munera parca daret,
Et populare ſacrum bis millia dena tuliſſet.

Lycklama de Magiſtrat. c. 7. Lipſ. de Magiſtrat. c. 11. Auctor eſt Cornelius Labeo porca ei rem divinam fieri, quia ſegetem, quam Ceres mortalibus tribuit, porca depaſta eſt. Macrob. Sat. I. 12. Juven. Sat. II. 86.

Atque Bonam teneræ placant abdomine porcæ,
Et magno cratere Deam.

In illo cratere, ſive amphora, quæ mellaria dicta, vinum, quod ſacrificantes cum ebiberent, lac ſolebant appellare. Macrobius. *Vinum in templum ejus non ſuo nomine referebatur; ſed vas, in quo vinum inditum, mellarium nominabatur, & vinum lac nuncupabatur.* Inter ſacrificandum a myrto abſtinebatur. Plutarch. Quæſt. Roman. 20. Id præcipue notari meretur, quod ſerpentes, in hoc *Bonæ* Deæ templo, nec terrentes, nec timentes ſæpe obſervarentur, quod Macrobio notatum; haud dubie placitum antiquo ſerpenti tragœdiam illam ſuam, qua Evam blandiloquus circumſcripſit, ex intervallo hic recognoſcere. *Borrich. Ant. Urb. Fac. c. 14. §. 3. Hoſpinian. l. l.* Sacrificium, Damium dictum. V. infr. in *Damium.* Ex vulgata ſuperſtitione veteribus perſuaſum erat, viros quoſcunque etiam imprudentes, qui *Bonæ deæ* ſacra vidiſſent, extemplo luminibus oculorum orbari. De P. Clodio in domo Cæſaris deprehenſo Cicer. de Aruſp. reſp. c. 18. *Iſte idcirco Bonam dicit, quod in tanto ſibi ſcelere ignoverit. Non ignovit, mihi crede, non: niſi forte tibi ignotum putas, quod te judices dimiſerunt excuſſum & exhauſtum: ſuo judicio abſolutum, omnium condemnatum: aut quod oculos, ut opinio illius religionis eſt, non perdidiſti. Quis enim ante te ſacra illa vir ſciens viderat, ut quiſquam pœnam, quæ ſequeretur illud ſcelus, ſcire poſſet?* Ex eadem Tibull. I. 7. 23.

At mihi ſi credas, illam ſequar unus ad aras,
Tunc mihi non oculis ſit timuiſſe meis.

Brouckh. in Tibullum.

BONA, quæ rei uxoriæ nomine continebantur, mulier ſeparata a marito habebat: & pleraque, non omnia, ſed ea tantum, quæ doti dicta erant, ad maritum tranſibant; cætera erant παράφερνα, quorum ne quidem adminiſtrationem habebat maritus: leg. hac lege C. de pact. conv. & quæ debebantur mulieri, maritus exigere non poterat, leg. cum maritum II. C. de ſolut. Earum etiam rerum, quæ dotis nomine præſtabantur, maritus plenum dominium non habebat; ſed ea in bonis ejus tantum eſſe dicebantur: leg. quamvis C. de jur. dot. in dominio vero mulieris: leg. in reb. eod. tit. & etiam ſuos homines familiamque domeſticam habebat mulier: leg. ſed ſi vir 31. §. ult. ff. de don. int. vir. & uxor. Denique quare mulier dicebat *bona* ſua in dotem viro, ſi ad eum ſolo matrimonii jure tranſiret? Solet ſic diſtingui. Aut coemptione, aut farre dicta eſt mulier: & tunc, teſte Cicerone in Topicis, omnia quæ mulieris fuerant, viri fiebant dotis nomine. Alludit ad hoc jus Lucianus in dialogo, qui Ῥητόρων διδάσκαλος inſcribitur, his verbis: *Tu vero amator accedis, deſiderans ſcilicet quam celerrime in ſummum evadere, ut cum adſcendens, eam uxorem ducas, illaque omnia habeas, divitias, gloriam, laudes. Lege enim cuncta fiunt mariti.* Macar. Hom. 22. *Sicut mulier deſponſa viro omnia ſua viro & dotem omnem adfert, & amore magno incenſa omnia illi in manus tradit, & hoc dicit: nihil quod meum ſit habeo. Meæ facultates tuæ ſunt, dos tua eſt, mea anima, & meum corpus tuum eſt.* Cicer. Offic. I. 17. *Prima ſocietas in ipſo conjugio eſt: proxima in liberis: deinde una domus, communia omnia.* Aut uſu tantum ducta: & tunc eorum tantum fiebat dominus bonitarius, quæ doti dicta erant, cæterorum minime. Nec rerum quidem uxoris uſum habebat, niſi promiſcuus eſſet uſus, velut habitationis cauſa: leg. ſi mulieri. D. quemadmodum uſusfruct. amitt. ne ei carendum matrimonio aliter foret: leg. 4. D. de uſu & habit. leg. ſed neque D. eod. tit. ut & cæterarum rerum, quarum uſus promiſcuus eſſe debet: leg. cæterarum. D. eod. tit. Colum. XII. Nihil conſpiciebatur in domo dividuum, nihil quod maritus aut femina proprium eſſe diceret; ſed in commune conſecrabatur ab utroque, ut cum forenſibus negotiis matronalis ſedulitas induſtriæ rationem parem faceret. At ſi non eſſet promiſcuus uſus, nulla fiebat communicatio marito. leg. Lucius Titius §. filiam. D. Senat. Trebell. Materfamilias itaque ſola, non etiam uxor ſimplex, erat humani juris particeps. *Bonorum* mariti domina etiam fiebat mulier. Ait enim Macrob. Sat. I. 15. poſtera die nuptiarum mulierem dominium rerum mariti incipere adipiſci. Et exiſtimavit Plutarchus de Præcept. Conjug. ideo donationes inter virum & uxores prohibitas fuiſſe a Romanis, quod omnia communia judicarent: & ob eam cauſam annuli & claves domus ab initio tradebantur. Sed in eo hæc erat differentia, quod maritus, tanquam pater, adminiſtrationem habebat: mulier vero, quæ loco filiæ erat, non niſi κατὰ ἐλπίδα dominium adipiſcebatur, ut poſt mortem viri in ejus familia jus *bonorum* haberet, & in ſui hæredis locum veniret. Gell. N. A. XVIII. 6 Quod Paullus leg. 1. D. rer. amot. ſic notat: quia ſocietas vitæ quodammodo dominam eam faceret. Ideo furtum tantum facere, ſicuti filia patri faciat. quia, inquit Cajus Inſtit. III. marito filiæ, filio vero ſororis loco erat. & eſt illis in conſanguineorum numero. adgnaſcitur enim hæres ſuus, in manum conveniendo, ut ait Ulpian. tit. 22. & 23. reg. ita ut in illis evidentius appareat continuatio dominii leg. in ſuis D. de lib. & poſt. Refert hoc Halicarn. II. p. 95. *Frugi mulier, & in omnibus morigera viro, domina eſt eodem modo domus, quo vir, & marito moriente ejus hæres, tanquam filia patris. Si ſine liberis, & nullo teſtamento facto moriatur, omnium, quæ reliquit, domina. Si vero liberos edidit, æqualem liberis partem accipit.* Sic e contrario, ſi prior decederet mulier, habebat maritus, tanquam pater, jus ſucceſſionis: quemadmodum innuit Cicero pro Flacco, argumento ſumpto a contrario ſenſu; cum ait, jure Flaccum hæreditatem Valeriæ petere, quamvis in manum Sextilii conveniſſet; quia ea conventio, & dotis dictio ſine ejus, qui tutor erat, auctoritate facta erat. Succeſſu tamen temporis patres ſibi caverunt, ac filias ſpondendo contraxerunt fiduciam §. ult. Inſt. de leg. adgn. ſucceſſ. ut, ſi ſine liberis eæ morerentur, ad eos rediret hæreditas leg. 3 C. Theod. de leg. hæred. Aliter enim maritus erat hæres, ut notat Serv. Æneid. VII. 424. *De jure, inquit, traxit, ut non generum, ſed hæredem diceret. nam per coemptionem facto matrimonio ſibi invicem ſuccedebant.* Hotmann. de vet. rit. nupt. c. 26. Rittersh. in Leg. XII. tab. Claſſ. III. p. 1. c. 6.

Bona caduca dicuntur, quæ poſt mortem teſtatoris eo, cui relinquenda erant, mortuo, aut conditione deficiente ante apertas tabulas ad fiſcum lege Papia deferebantur, ſolis parentibus & liberis teſtatoris uſque ad tertium gradum, ſi ſcripti fuerant hæredes, lege exceptis leg. 1. C. de caduc. toll. *Buleng. de Vectig. c. 74. Auguſtin. de Legibus in Papia Poppæa. Guther. de Offic. Dom. Aug. I. 22: III. 25.* Ex bellis civilibus erant orta, & ideo a Juſtiniano ſublata leg. 1. C. de caduc. toll. *Et nomen, & materiam cadu-*

caducorum ex bellis ortam & auctam civilibus, quæ in ſe populus Romanus movebat, neceſſarium duximus in pacificis noſtri imperii temporibus ab orbe Romano recludere: ut quod belli calamitas introduxit, hoc pacis lenitas ſopiret. Guther. de Offic. Dom. Aug. III. 25. Buleng. & Auguſtin. l. l.

Bona παράφερνα quæ fuerint. V. infr. in Παράφερνα.

*Bona*prædia uno nomine dicuntur res prædium, id eſt, fidejuſſorum. Aſcon. in Cicer. p. 105. ſive ea in mobilibus rebus conſiſtunt, ſive immobilibus. Nam ſi prædes, qui ſe obligaverant pro publicanis, aut redemptoribus publicorum operum non ſolverent, aut ſolvendo non eſſent, *bona* eorum, qua mobilia, qua immobilia, vendebantur. Aſcon. ibid. p. 104. *Bonaprædia dicuntur bona ſatisdationibus obnoxia, ſive ſint in mancipiis, ſive in pecunia numerata: prædia vero domus, agri. Hæc omnia venduntur, ſi rationi publicæ locator ſartorum tectorum non reſpondet. Ad hoc autem hæc omnia ſunt obnoxia, ut pro ſua voluntate agat redemptor operis, quicquid ſuo periculo facit.* Salmaſ. de Mod. Uſur. c. 16. Briſſon. de Form. VI. p. 523. Bud. in Pandect. p. 30. F. Pollet. For. Roman. V. 1. Burman. Diſſ. de Vectig. c. 9.

Bona proſcriptorum, ſive illorum, quos pro criminibus oppido gravibus ſupplicio afficiebant, propter criminis deteſtandum facinus Romani conſueverunt publicare, & illa deſtinare publicis uſibus, ita ut domini ſupplicium bonorum publicatio ſequeretur. *Alexand. Gen. Dier.* III. 23. Illa in Foro olitorio & in Capitolio haſtæ ſubjiciebantur. Tertullian. Apolog. c. 13. *Publicos æque publico jure fœdatis, quos in haſtario vectigales habetis: ſi Capitolium, ſi Forum olitorium petitur, ſub eadem voce præconis, ſub eadem annotatione Quæſtoris, divinitas addicta conducitur.* Borrich. Ant. Urb. Rom. Fac. c. 13. §. 4.

Bona publica ſunt minus proprie *bona* civitatis cujuslibet, non quæ in uſu publico habentur, ut campus Martius, viæ publicæ, theatra, amphitheatra, ſtadia, loca ſacra, vel religioſa, ſed *bona* publica civitatum, quæ poſſideri, & diſtrahi poſſunt, *bona* debent accipi, quæ ſunt in pecunia, & proprio patrimonio populi, ut prædia, lacus, ſtagna, mancipia civitatum & eorum peculia l. 15. & 17. ff. de verb. ſignif. Theodor. Hermenop. *In publicis non continentur ſacra, neque monumenta, neque publicis uſibus aſſignata, quæ neque dominum habent, neque a populo, aut privatis, ut dominis, teneri poſſunt, quia per abuſum publica dicuntur. Hodie neque urbes habent res proprias, neque populus Romanus, ſed omnia ſunt Imperatoris.* Quia Imperator omnia populi jura ſibi arrogavit, ut quæcunque populi Romani olim fuerunt, jam ſint Imperatoris l. 14. ff. de acquir. rer. dom. publica populi Romani ſunt, quæ in patrimonio habentur populi Romani. Quæ in fiſci patrimonio ſunt, publici appellatione non veniunt l. 6. ff. de contrah. empt. ut publica, quæ non in pecunia populi, ſed in publico uſu habentur, ut eſt campus Martius. *Buleng. de Vectig. c.* 13.

Boni dicebantur, qui curabant funus. Ennius:

Tarquinii corpus bona femina lavit & unxit.

Prop. IV. 12. 96.

. . . . *ucturis tot mea fata bonis.*

Quod qui ſententiæ non convenire putabant, repoſuerunt *malis*. Palmer. Spicil. XIII.

In *Bonis* res eſſe dicitur, quæ poſſidetur. Ulpian. LIX. ad Edictum. *In bonis noſtris computari ſciendum eſt, non ſolum quæ dominii noſtri ſunt, ſed & ſi bona fide a nobis poſſideantur, vel ſuperficiaria ſint.* Juſtinian. Inſtit. IV. 2. §. 3. *Sane in hac actione non utique exſpectatur, rem in bonis actoris eſſe. Nam ſive in bonis ſit, ſive non: ſi tamen ex bonis ſit, locum hæc actio habebit.* Auguſtin. de Legibus in Junia Norbana. Illis ut interdiceretur, a Prætore petebant agnati & propinqui eorum, qui neque finem, neque modum expenſarum faciebant, quos prodigos & everſores appellabant. Valer. Max. VIII. 6. *C. Licinius cognomine Hoplomachus a Prætore poſtulavit, ut patri ſuo bonis, tanquam ea diſſipanti, interdiceretur.* III. 5. *Et L. Pompejus Prætor urbanus paternis bonis interdixit: neque in tanta civitate qui illud decretum reprehenderet, inventus eſt.* Interdicebatur in hunc modum. *Quando tu tua bona paterna avitaque nequitia tua diſperdis, liberoſque tuos ad egeſtatem perducis, ob eam rem, tibi ea re, commercioque interdico.* Auctor Paullus Sentent. III. 3. Hoc & Horatius indicat Sat. II. 3.

— *Interdicto huic omne adimat jus*
Prætor, & ad ſanos abeat tutela propinquos.

Briſſon. de Formul. V. p. 411. Illorum ceſſione miſerabili debitores condemnati corporis detentionem & nexum vitare ſolum poterant; ut apparet ex leg. 1. C. qui bonis ced. poſſ. *Qui bonis ceſſerint, niſi ſolidum creditor receperit, non ſunt liberati. In eodem tantummodo hoc beneficium eis prodeſt, ne judicati detrahantur in carcerem.* Pollet. For. Roman. V. 18. Cives Romani debitores lege XII. Tabularum addici creditoribus, ac ab iis vinciri poterant, imo eorum corpora ſecari, ac in partes dividi, ab ea immanitate lege Pœtilia ſunt liberati, & poſtea lege Julia *bonorum ceſſio* iiſdem debitoribus eſt conceſſa. Facultas illa veteris Quiritium juris fuit propria, & non idem jus apud Romanorum ſocios, aut in provinciis, quæ civilibus Quiritium legibus non tenebantur, obtinuit: nec provinciales, & quidem quingentis ferme annis, poſt latam legem Poetiliam, ad tempus datæ eis a Caracalla civitatis, ei Decemviralis legis, qua necti antea & venundari poterant a creditoribus debitores, ni forte quid tale patria quorundam locorum inſtituta ferrent, ſævitiæ vel immanitati fuerunt obnoxia: nec eodem jure, quo cives Romani, in exigendis vel ſolvendis debitis agebant Provinciales; ſed pro varia locorum conditione, receptiſque ibidem juribus, & juxta Provincialia Præſidum edicta, ea debitorum inter privatos exactio vel ſolutio peragebatur. Hoc vero legis Juliæ beneficium de *bonis* cedendis ad provincias Principum ante ſe conſtitutionibus eſt porrectum poſtea, ut dicit Diocletianus leg. 4. Cod. Qui bon. ced. poſſ. *Spanhem. Exerc.* II. *ad Conſtit. Antonin. Imper. Theſ. Antiq. Roman. Græv. Tom.* XI. *p.* 168. *Salmaſ. de mod. Uſur. c.* 19. Illorum emptor olim dicebatur, qui cum damnati debitoris bona auctione vendebantur, ſolus ea omnia per auctionem coemebat, & ſector dicebatur, ſicut res ipſa ſectio. Ita Cæſar dicit ſe oppida vendidiſſe ſub ſectione, ut ſi facultates ferrent, in ſolidum omnibus creditoribus ſatisfaceret; reliqui vero ſi quid eſſet, ſibi haberet, qui ſi diffideret debitoris bona non ſufficere, tunc antequam emeret, cum creditoribus decidebat, tum ad emptionem accedebat; quem vulgo *Capo di Creditori* nos vocamus. *Urſat. de Not. Roman. Theſ. Antiq. Roman. Græv. Tom.* XI. *p.* 579. *B. Sigon. de Judic.* I. 18. Illorum publica emptio auctione conſtituta fiebat, cum debitoris alicujus latitantis *bonorum* poſſeſſio creditoribus a Prætore conceſſa eſſet, eaque *bona* triginta dies ab iis poſſeſſa fuiſſent. *Sigon. de Judic.* I. 4. Cum enim is, unde petebatur, latitaret ita, ut nullam ſecum agendi poteſtatem faceret, dum de domo extrahi non poſſet, actor Prætoris auxilium implorabat, atque reum evocari jubebat edicto. Edictum ad ipſius latitantis ædes ponebatur cum ſollenni vicinorum teſtatione. Si autem evocationi primæ non pareret, neque defenderetur, Prætor ſecundam decernens in *bona* petitorem mittebat, & niſi evocatione tertia ad ſui defenſionem veniſſet, altero decreto *bona* ejus poſſideri, proſcribi, ac diſtrahi jubebat. Itaque in edicto prætorio erat: *Qui fraudationis cauſa latitaverit, ſi boni viri arbitratu non defendetur, ejus bona poſſideri, vendique jubeo.* Venditio tamen non ſtatim fiebat, ſed poſtquam *bona*, ut dictum, per triginta dies poſſeſſa eſſent: tum vero iterum qui ſe creditores eſſe dicebant, ſi plures eſſent, prætorem adibant, petebantque, ut ſibi liceret unum ex corpore ſuo conſtituere, qui debitoris *bona* auctioni ſubjiceret. Is conſtitutus dicebatur magiſter. Et poſt id temporis proſcriptio fiebat in celeberrimis totius urbis locis, ita: Ille debitor noſter in ejuſmodi cauſa eſt, ut *bona* ejus divendi debeant. nos creditores patrimonium ejus diſtrahimus. quicunque emere volet, adeſto. Inde poſt aliquot dies, tertium jam Prætorem adibant, poſtulantes ut ſibi

liceret legem *bonorum* vendendorum facere, atque inde ita proscribebant. Hæc quicunque emerit, creditoribus in dimidiam partem eorum, quæ ipsis debentur, respondere debet, sic ut cui aurei centum debentur, accipiat quinquaginta. Et certo tempore elapso emptori patrimonium addicebatur. Et vocabatur is, qui emerat, *bonorum* emptor, actionesque omnes a debitore in *bonorum* emptorem transferebantur, & conveniebatur non aliter, ac *bonorum* possessor, siquidem uterque successor prætorius erat. Hæc latissime Theophil. Instit. III. brevius Cicero in Quintiana. *Sigon. ibid. c.* 18. Possessio erat jus persequendi, retinendive patrimonii, sive rei, quæ cujusque, cum moritur, fuit, solius Prætoris beneficio instituta, nam quia hæredes Prætor facere non poterat, *bonorum* possessionem pro suo jure cuique attribuebat. Hoc Prætor aut emendandi, aut impugnandi, aut confirmandi juris civilis gratia dedit. Ut enim lex XII. Tabularum ex testamento, vel ab intestato ad hæreditatem vocavit, sic Prætor *bonorum* possessiones invenit, per quas jus civile correxit, non solum in iis, qui intestati mortui essent, sed etiam qui testamentum fecissent. Nam si quis moriens alienum postumum hæredem scripsisset, is si natus fuisset, a jure civili rejiciebatur, at a Prætore *bonorum* possessione secundum tabulas decorabatur. Si libertus patronum præteriisset, lex nullum dabat patrono aditum ad bona liberti; at Prætor dabat *bonorum* possessionem contra tabulas. Item si quis ex testamento hæres institutus esset, non solum a jure civili habebat hæreditatem; sed etiam a Prætore *bonorum* possessionem secundum tabulas. Neque vero solum has duas *bonorum* possessiones Prætor dedit ex testamento; sed etiam octo alias ab intestato partim jus civile confirmans, partim emendans, partim reprehendens. Sunt autem hæ: I. Suis hæredibus, id est, liberis, tum emancipatis, tum suis ab intestato. II. Legitimis hæredibus, nempe agnatis ab intestato ex lege XII. tabularum. III. Decem personis, quæ manumissori extraneo præferrentur, nimirum filio, filiæ, fratri, sorori, nepoti, nepti, patri, matri, avo, aviæ. IV. Cognatis proximis. V. Iis, qui ex familia, nempe liberti liberis tam naturalibus, quam adoptivis, itemque uxori, quæ ipsius in manum convenerat. VI. Liberto, patrono, patroni liberis, parentibusque eorum. VII. Viro intestata uxore, & vicissim uxori viro intestato, quoties deficiebat omnis parentum, liberorumve, seu propinquorum legitima, vel naturalis successio. VIII. Patroni cognatis intestato liberto. Atque hæc quidem Prætor omnino fecit, prout se facturum in edicto proposuit. Hinc Val. Max. VII. 7. §. 5. *Piso Prætor urbanus Terentio patri exhæredato bonorum defuncti filii possessionem dedit, hæredesque lege agere passus non est.* Sigon. de Judic. I. 4. Brisson. de Formul. V. p. 407. Ursat. de Not. Roman. Thes. Antiq. Roman. Græv. Tom. XI. p. 580. C. Pollet. For. Rom. V. 2. Cujac. Observ. IV. 15. Caroli Antiq. Roman. II. 6. Mittere in possessionem fuisse a danda *bonorum* possessione diversum, & tamen partem jurisdictionis fuisse declarat Ulpianus, cum inquit: *jus decernens & bonorum possessionem dedisse, & in possessionem misisse.* Sigon. ibid. c. 16.

Bonum factum ominis *boni* causa in edictis addebatur. V. supr. in *B. F.*

Bonus Eventus Deorum aliquis Consentium fuit Varronis fide de Re Rust. I. I. non urbanorum, sed ex illis duodecim, qui potissimum agricolarum duces, sine cujus ope frustratio erat, non cultura, eorum labos; ideo, quia sub hujus numinis tutela omnia sibi propitia eventura credebant agricolæ, propterea cum abundantiæ notis in manibus fingebatur. Plin. XXXIV. 8. *Euphrator, mirus artifex, simulacrum boni Eventus finxit Romæ, dextra pateram, sinistra spicam & papaver tenens.* Ursat. de Not. Roman. Thes. Antiq. Roman. Græv. Tom. XI. p. 579. D. Gyrald. Synt. Deor. I. p. 53. A. Ortel. Deor. c. II. 40. Boissard. Topogr. Urb. Rom. Tom. I. p. 39. Cato de Re Rustica: *Uti tu fruges, frumenta, vineta, virgultaque grandire, beneque evenire sinas.* Festus: *Panibus redimibant caput equi immolati Idibus Octobris, quia sacrificium fiebat ob frugum eventum.* Vales. in Ammian. XXIX. 6.

BONONIA in via Æmilia post Mutinam prima sequitur, vulgo nunc incolis *Bologna* dicta. *Cluver. Ital. Ant.* I. 28. 13. *Albert. Leand p.* 501. Fuit colonia Romanorum. Mela II. 4. *Urbium, quæ procul a mari habitantur, opulentissimæ sunt, ad sinistram Patavium Antenoris, Mutina, & Bononia Romanorum coloniæ.* Deducta est, ut referunt Livius & Paterculus, M. Fulvio Nobiliore, & Cn. Manlio Vulsone Consulibus, sive anno ab U. C. 563. Ille XXXVII. 57. *Eodem anno ante diem* III. *Kalendas Januarias Bononiam Latinam coloniam ex Senatusconsulto L. Valerius Flaccus, M. Atilius Serranus, L. Valerius Tappus triumviri deduxerunt. Tria millia hominum sunt deducta, equitibus septuagena jugera, ceteris colonis quinquagena sunt data. Ager captus de Gallis Bojis fuerat: Galli Tuscos expulerant.* Hic I. 15. 2. *Caio Manlio Volsone, M. Fulvio Nobiliore Consulibus Bononia deducta colonia.* Panvin. Imp. Roman. c. 11. Municipii postea habuisse jus auctor est Festus. *Panvin. & Cluver. l. l. Malvas. Marm. Felsin. Sect.* 3. *c.* 1: 5. *c.* 8. A Bojis qui eam Hetruscis ademerant, *Bojonia*, & per paragrammatismum *Bononia* est dicta. *Volaterr. Comm. Urban.* IV. *p.* 136. *G. Malvas. Marm. Felsin. Sect.* I. *c.* 5. *& Marsus ad Sil. Ital.* VIII. 600. Quum Tusci illam tenerent, Felsina est dicta septem annis ante quam Romani coloniam deduxerunt, id est, L. Furio Purpureone & M. Claudio Marcello consulibus apud Liv. XXXIII. 23. Deinde a *Bono* Tusciæ principe *Bononia.* Cato de Originibus. *Princeps metropolis Felsina primum a Rege Tusco conditore, inde a successore Bono Tuscaniensi Bononia dicta.* A Cruce Annot. c. 20. Pius Annot. Post. c. 27. Cluver. & Leand. l. l.

Bononia Ptolemæo etiam urbs est sita inter Dravum & Savum fluvios in Pannonia superiore. Notitia Orientis illam in Dacia, Marcellinus ad ripam Danubii locat XXXI. 11. *Gratianus permeato Danubio delatus Bononiam, Sirmium introiit, & quatriduum moratus, per idem flumen ad Martis castra descendit.* Panciroll. Notit. Dign. Imp. Orient. c. 155.

BONOSUS Imperator bibit quantum hominum nemo. De hoc Aurelianus sæpe dicebat, *non ut vivat natus est, sed ut bibat.* Habuit rem mirabilem, ut quantum bibisset, tantum mingeret: neque unquam aut ejus pectus, aut venter, aut vesica gravaretur. Longo & gravi certamine a Probo superatus, laqueo vitam finivit. Tunc quidem jocus exstitit. *Amphoram pendere, non hominem.* Vopisc. Bonos. c. 14. & 15. *Tiraquell. in Alex.* V. 21. *Buleng. de Conviv.* III. 1. *Donat. Dilucid. p.* 950.

BORYSTHENES equus fuit Hadriani; quem valde amavit, & quo ad venandum diu multumque est usus. Mortuo sepulcrum struxit, columnam posuit, & ejus memoriam carmine epitaphio est profecutus. Dio LXIX. p. 792. D. *Rhodig. Ant. Lect.* XXI 31. *Barth. Adv.* XXIII. 8. *Casaub. in Spart. Adrian. c.* 20. Epigramma Adriani in *Borysthenem* hodieque exstat tale:

Borysthenes Alanus
Cæsareus veredus,
Per æquor & paludes
Et tumulos Etruscos
Volare qui solebat
Pannonios in apros,
Nec ullus insequentem
Dente aper albicanti
Ausus fuit nocere,
Vel extimam saliva
Sparsit ab ore caudam,
Ut solet evenire:
Sed integer juventa,
Inviolatus artus,
Die sua peremptus
Hoc situs est in agro.

Borrich. Ant. Urb. Fac. c. 16. §. 3. Salmas. in Spartian. Adrian. c. 20. Casaub. l. l.

BOS.

BOS auratis cornibus vovebatur. Tertull. de Coron. Mil. c. 12. *Ecce annua votorum nuncupatio quid videtur? Accipe post loca & verba: hunc tibi Jupiter bovem cornibus auro decoratis vovemus esse futurum.* Lipen. Stren. Hist. c. 5. §. 8. Dignissima inter bruta diis victima habebatur; unde eum Plin. VIII. 45. vocat *optimam victimam, laudatissimamque Deorum placationem.* Sed tales intelligendi sunt, qui mediam, aut viridem, non exoletam agunt ætatem, quales dictante Tzetz. in Hesiod. Oper. II. 55. nemo adprobat: id est, qui florent adhuc libere, non qui per aliquot annos subjugati imbelles sunt facti, cum & alias *boum* appellatione magis armenta quam jumenta significentur, ex lege 89. in pr. ff. de verb. Sign. Domitianus vero plane vetuit immolare *boves*. Suet. c. 9. n. 1. Et Cereri plane nullus sacrificabatur. Ovid. Fast. IV. 413.

A bove succincti cultros removete ministri!
Bos aret: ignavam sacrificate suem.
Apta jugo cervix non est ferienda securi:
Vivat; & in dura sæpe laboret humo.

Saubert. de Sacrif. c. 22. Quinto potissimum anno sacrificabatur, ut justum animal perfecto sacrificio traderetur. Sic *bovem* quinquennem mactat Agamemnon Iliad. II. & VII. & Odyss. XIV. πενταέτηρος taurus sacrificatur. *Argol. in Panvin. de Lud. Circ.* I. 13. *Boves*, qui cæderentur a triumphantibus, petebantur ex Umbria, juxta cujus amnem Clitumnum qui pascentes reddebantur albi. Virg. Georg. II. 146.

Hinc albi, Clitumne, greges, & maxima taurus
Victima, sæpe tuo perfusi flumine sacro,
Romanos ad templa Deûm duxere triumphos.

Ad hunc triumphantium ritum respexit etiam Claud. de VI. Consul. Honor. n. 506.

Quin & Clitumni sacras victoribus undas,
Candida quæ Latiis præbent armenta triumphis,
Visere cura fuit.

Voss. de Idolol. II. 79. Ad vehicula etiam jungebantur. Augustin. de Civ. Dei XXII. 8. *Puerum quondam parvulum, cum in area luderet, exorbitantes boves qui vehiculum trahebant, rota obtriverunt.* Eginhart. in vit. Caroli Magni: *Quocunque eundum erat, carpento ibat, quod bubus junctis, & bubulco rustico more agente trahebatur: sic ad palatium, sic ad populi sui conventum, qui annuatim ob regni utilitatem celebrabatur, ire, sic domum redire solebat.* Salmas. in Lamprid. Heliogab. c. 4. Cujac. & Gothofr. ad leg. I. C. de Curs. Publ. Guther. de Offic. Dom. Aug. III. 14. Horum nemo inspexit Eginhartum, qui hoc ait de postremis ex gente Merovingica Francorum Regibus, quos semel quotannis curru sublimes rure extractos in urbem *boves* vehebant, & ceu monstrum quoddam belluamve inusitatam populo ostentabant. De Carolo M. longe meliora, ut excellenti equite & venatore tradidit gener ejus. *Hennin. ad Bergier. de viis Milit.* IV. 10. §. 9. Et cursui publico per vias militares inserviebant. Constantinus Imp. l. 1. t. 5. lib. VIII. Cod. Theod. *Si quis iter faciens bovem non cursui destinatum sed aratris deditum, duxerit abstrahendum.* Constantius ejusdem tituli l. 11. *Pro singulis angariis bina tantum boum paria consequantur.* Animal quidem est tardum. Sed puto non tam homines, quam species fiscales, pecuniam, annonam, mercimonia, aliaque necessaria opera eorum deduci consuevisse. *Scheffer. de Re Vehic.* I. 8. *Bergier. de viis Milit.* IV. 10. §. 9. Nec tamen tam lenti ubique *boves*. Olearius Itiner. IV. 29. *Vehiculum* reguli Indorum *trahebant boves Indici coloris albi pulcerrime nitentes, collis brevibus, in cervice prope humeros gibbosis, quorum cornua rubro colore picta erant. Circa collum multa habebant tintinnabula. Temo supra boves eminebat. In fronte vehiculi sedebat auriga, boves regens fune per nares ipsorum trajecto. Et currebant ipsi tanta celeritate arteque, quanta possit equus optime edoctus.* Scheffer. l. l. Joh. Alb. de Mandesloh Itiner. I. 31. testatur dari hodie *boves* apud Indos, quibus spatio quatuor horarum sex milliaria Germanica possint confici. *Hennin. l. l.* Jungebantur & aptabantur ad clabulas, quæ vehiculi species erat: unde ab hac vectura cursus publicus subinde appellatur vehicularis & clabularis leg. 62. C. de Curs. Publ. clavularis apud Ammian. XX. 3. *Bergier. l. l.* Julianus Imperator a vectura publica amovit, solum equis ad currendum usus. Socrat. Hist. Eccles. III. 1. *Panciroll. Notit. Dign. Imp. Orient. c. 6. Salmas. & Bergier. l. l.* *Bovem* Marti immolabant Lacedæmonii, cum callide consilio hostem vicissent: gallum, si aperte: duces assuefacientes, ut non pugnaces modo, sed callidi etiam fierent. Plutarch. Instit. Lacon. *Tomas. de Donar. c.* 40. Aratorem edere nefas. Varro de Re Rust. II. 5. *Hic socius hominum in rustico opere, & Cereris minister. Ab hoc antiqui manus ita abstineri voluerunt, ut capite sanxerint, si quis occidisset.* Plin. VIII. 45. *Socium laboris, agrique culturæ, habemus hoc animal, tantæ apud priores curæ, ut sit inter exempla damnatus a populo Romano, die dicta, qui concubino procaci rure omasum se edisse negante, occiderat bovem: actusque in exsilium, tanquam colono suo interempto.* Ferreo demum seculo edi cœperunt *boves* aratores. Sic de ejus ætatis hominibus in Phænomenis scribit Arat. n. 132.

Οἱ πρῶτοι κακοέργον ἐχαλκεύσαντο μάχαιραν
Εἰνοδίην, πρῶτοι δὲ βοῶν ἐπάσαντ' ἀροτήρων.

Quæ sic vertit Cicero:

Ausaque funestum prima est fabricarier ensem,
Et gustare manu victum, domitumque juvencum.

Cæsar Germanicus hunc in modum:

Ferrique invento mens est læta metallo,
Polluit & taurus mensas assuetus aratro.

Germanicus apertius sane quam Tullius. Ille enim βοῦν ἀροτῆρα reddit *taurum aratro assuetum*, hic *victum, domitumque juvencum*, quod esset χερσὶ δαμέντα. *Voss. de Idolol.* III. 66. *Rhodig. Ant. Lect.* XII. 1. *Barth. Adv.* I. 15. *Buleng. de Conviv.* II. 24. *Bovis* cornua Bacchi statuæ Græci affigebant. Porphyr. de Abstin. III. Ad quem morem respexit fortasse Poeta Sulmonensis, dum sic de Baccho venuste Art. Amat. I. 239.

— *Tunc pauper cornua sumit.*

Tomas. de Donar. c. 27. In templo Apollinis, tanquam patris nascentium, quum ex mente Aristotelis sol & homo generent hominem, ponebantur. Capitolin. in Clodio Albino c. 5. *Multa imperii signa, cum esset natus, facta dicuntur: nam & bos albus purpureis ad plenum colorem cornibus natus est: quæ tamen cornua in templo Apollinis Cumani ab eodem posita jam tribuno diu fuisse dicuntur.* Tomas. ibid. c. 9. *Bovis* cornibus ante inventionem poculorum in conviviis utebantur veteres. Itaque κεραννύειν dixerunt ἀπὸ τῶν κεράτων: unde κατὰ συγκοπὴν ut κρᾶμα & κρᾶσις, sic κρατὴρ quasi κερατὴρ: nempe ab antiquo more miscendi vina in cornibus. Athen. XI. p. 476. A. Postquam vero e cornibus *bubulis* desiere bibere, formam tamen reservarunt: ut Pindarus in Centauris apud Athenæum ait l. l. ἐξ ἀργυρέων κεράτων πίνοντες. Qualia hodieque in nonnullis conviviis usurpant. Et hæc puto, intellexit Ambrosius de Elia & & jejunio c. 17. *Per cornu etiam fluentia in fauces hominum vina decurrunt.* Barbaræ vero gentes, præcipue ad septentrionem, diutissime retinuerunt hunc morem. Plin. XI. 37. *Urorum cornibus barbari septentrionales potant: urnasque binas capitis unius cornua implent.* Voss. de Idolol. III. 71. de La Chausse de Bullis tab. V. de Deor. Simulacr. tab. 38. Gyrald. Synt. Deor. VIII. p. 280. D. Gatak. Miscell. Postum. c. 5. Rhodig. Ant. Lect. XXVII. 27: XXX. 1. Almelov. Antiq. p. 102. *Bovis* caput in fundamentis jaciendis, cum de urbe condenda cogitarent, cum reperissent, augurium pacifici animalis aversati sunt Carthaginenses, cum vero equi caput, quia bellicosum animal, & equum *bove* homini utiliorem esse existimarent, auspicatum esse censuerunt. *Buleng. de Equis. c.* 3. *Boum* aures fibula, vel circulo signabant veteres. Colum. VI. 1.

Ænea

Ænea fibula pars auriculæ latissima circumscribitur, ita ut manante sanguine tanquam O literæ ductus appareat orbiculus. Veget. Veterin. III. 2. *Ad acum vel acutum cuprinum pars auriculæ, quæ lata est, quasi circulo signatur.* Bartholin. de Inaur. vet. c. 9. In *Bubus* etiam prodigia fiebant. Liv. XXI. 62. *Bos in foro boario in tertiam contignationem sua sponte escendit.* XXIII. 31. *Bos ad Sinuessam equuleum peperit.* Plin. IX. 43. *Est frequens in prodigiis priscorum bovem locutum, quo nuntiato Senatum sub dio haberi solitum.* Suet. Vesp. c. 5. n. 6. Xiphil. LXVI. p. 744. *Cœnante eo, bos arator decusso jugo triclinium irrupit; ac fugatis ministris, quasi repente defessus, procidit ad ipsos accumbentis pedes, cervicemque summisit.* Buleng. de Prodig. c. 9.

Bos æreus Romæ stetit in foro boario, ubi Romulus sulcum Urbis condendæ designare cœpit. Plin. XXXIV. 2. *Proxima laus æri Æginetico fuit. Insula ipsa nec æs gignens, sed officinarum temperatura nobilitata. Bos æreus inde captus in Foro boario est Romæ.* Marlian. Topogr. Urb. Rom. III. 14.

Bos forda. V. illam infr. in *Fordicidia.*

Bos Luca est elephas. Hos cum in Lucaniam primum egit Pyrrhus, Romani pro *bubus* habuerunt, & *boves* Lucas vocitarunt. Poetis hoc non est infrequens. Ennius apud Varron. de Ling. Lat. VI. 3.

Atque locusta bovem Lucam pariet prius.

Lucret. V. 1301.

Inde boves Lucas turrito corpore tetros.

Quare nomine hoc dictus, aperit Plin. VIII. 6. *Elephantos Italia primum vidit Pyrrhi Regis bello, & boves Lucas appellavit, in Lucanis visos, anno ab U. C. 472.* Accuratius Varro secutus vetustiores l. l. *Luca bos, elephas, cur ita sit dicta, duobus modis inveni scriptum. Nam & in C. Ælii commentario erat, à Libycis Lucas: & in Verginii commentario ab Lucaneis Lucas; ab eo quod nostri cum maximam quadrupedem, quam ipsi haberent, vocarent bovem: & in Lucaneis Pyrrhi bello primum vidissent apud hosteis elephantos, id est, quadrupedes cornutas (nam quos multi dentes dicunt, sunt cornua) Lucam bovem appellasse.* Ciaccon. Column. Rostr. Thes. Antiq. Roman. Græv. Tom. IV. p. 1819. D. Panvin. de Lud. Circ. II. 3. Bochart. Hieroz. I. 2. 23. Cuper. Observ. I. 18. Turneb. Adv. XXX. 9. Barthol. de Unicorn. c. 20. Schott. Nod. Cicer. I. 18. Scalig. Conj. in Varr. p. 190. Rhodig. Ant. Lect. XIII. 18. Pigh. Annal. Rom. I. p. 429. Column. in Ennium p. 305. Baron. ad a. Christi 58. scribit *bovem* Lucam vocatum ab Italis, allusione facta ad figuram *bovis* Euangelistæ Lucæ tributam. Primum Itali *bovem* non appellaverunt Lucam, sed elephantem vocitarunt *bovem* Lucam. Deinde Euangelistæ Lucæ ætate *bos* Luca pro elephanto non amplius dicebatur ab Italis: sed quo tempore viderunt elephantem, cum non scirent, quod genus esset animantis. Quia in Lucania primo visus est, *bovem* Lucam indigetarunt. Ergo longe ante natum Christum nata *bovis* Lucæ appellatio, desiitque ante eadem tempora. *Bos* Lucans primo dictus est, id est, *bos* Lucanus, deinde Lucas & Luca. Ut prægnans & prægnas. *Salmas. Exerc. Plin. p. 218. b. A.* & *Bartholin. l. l.*

Bos Sescenar est inter majores hostias, qui cum a Cn. Cornelio Consule immolatus esset, illius jecur in olla defluxit, ubi exta coquebantur. Sescenar *bos* iste cornu ferit, nec ipse cavere possum, quin prehensis cornibus traham. Est vox sacrorum, In illis enim scena, seu sacena genus est cultri, sed utrum securis an dolabra sit, ambiguum dicit. Nam Cincius in libro qui ei est de verbis priscis, dolabram ait esse Pontificiam. Livius in Lydio: *Corruit quasi ictus scena.* Sed dolabra securis fuit qua boves cædebantur, ut ex antiquis sacrorum figuris constat: hostiæ aliæ aut malleo, aut cultro. Quod igitur Festus scribit scenam dictam esse a sacena, forte a sescena scriptum. Veteres enim in geminatis primam syllabam servare solent ex usu Grammaticorum, unde conjicio sescenarem *bovem* dictum sescena a victimariis percussum. Qui auderet legere *bovis* sagenaris, non reprehenderem, ut esset opimi *bovis* & publice saginati. Nam Varro de Re Rust. I. I. dixit *sagenantur*, pro *saginantur*; & in sacris vocabula in ar multa desinebant, ut Lar, pulvinar, far, bustar, ubi corpora cremabantur. Superstitiosus sum si vera prædico *Guther. de Jure Pontif.* IV. 18. Sed quis in animum inducere possit victimam nomen traxisse a cultro, quo jugulabatur, aut excoriabatur, aut a dolabra, qua cædebatur? Nugæ. *Bovis sescenaris* meminit Liv. XLI. 15. sed locus mihi videtur contaminatus a librariis; & scribendum duabus literis immutatis, *bovis sexcenarii*, hoc est, sexcentarum librarum, qui grandior erat, præcipue in Italia. Hinc portentum tanto habebatur tristius, quod tanti ponderis *bovis* jecur defluxisset. Pro *sexcenarius* librarii vitiose *sescenaris*, ut X pro S in inscriptionibus & codicibus antiquis sæpissime ponitur. *Græv. Thes. Antiq. Roman. Tom. V. Proleg. * * 4. vers.*

Bos in lingua proverbium est adversus eum, qui pecunia corruptus dicenda reticeret. Quod hinc est natum, quia apud Græcos nummus *bovis* nota signatur, qui didrachmus erat. *Cenal. de Pond. & Mensur. Rat. Thes. Antiq. Roman. Græv. Tom. XI. p. 1525. A. Gyrald. Ænigm. 26. Sperling. de Numm. non. cus. c. 1. Pollet. For. Roman.* IV. 3. *Rhodig. Ant. Lect. X. 2. Bud. de Asse p. 621. Erasm. Adag. p. 520. Lotich. Not. in Petron. p. 96.*

BOSSELLUS & *brochus* sunt mensuræ Parisinæ, una liquidorum capax, altera vero aridorum, vulgato usu quartarios sex, pintas duodecim, chopinas viginti quatuor tenent. Sunt ergo hæ mensuræ ad amphoram subtriplæ, nam ter sex sunt decem & octo. ad urnam vero sesquialtero minores. & ad sextarium Parisinum, sesquialteram proportionem habent: ut sex ad quatuor. hæc mensura cum sit triens amphoræ, modius minor appellari potest. *Cenal. de Pond. ac Mens. rat. Thes. Antiq. Romanar. Græv. Tom. XI. p. 1468. B.*

BOSTRA *locus est Arabiæ*, inquit Stephanus, *unde Bostreni.* Ammian. XIV. 8. loquens de Arabia: *Hæc*, ait, *civitates habet inter oppida quædam ingentes, Bostram. . . . murorum firmitate cautissimas. Bostram* ab Augusto conditam in Græco codice auctoris incerti inveni: cum Augustus, inquit, urbes condidisset, unam in Ponto, aliam in Arabia, & tertiam in Syria collapsam nomine Salaminam restituisset: primam Ancyram, id est, Ancoram appellavit, quod medio sita loco inter duo maria esset, Ponticum & Asiaticum, alteram *Bostram*, quam structuræ præfecerat. Tertiam in Diospolim mutavit. *Bostra* Philippi Imperatoris patria vulgo *Bussoreth* dicitur, quam a se Philippum nominavit, ut Zonaras ait. Coloniam & Alexander deduxisse videtur ex nummo Juliæ Mammeæ: ubi est hæc Inscriptio:

COL. BOSTRA
N. T. R. ALEXANDRIANÆ

Panciroll. Notit. Dign. Imp. Orient. c. 116. & 146. Ursat. de Not. Roman. Thes. Antiq. Romanar. Græv. Tom. XI. p. 629. F.

BOT.

BOTA' Græcis dicuntur, quæ Latinis herbatica animalia dicuntur. Xiphil. in Tito p. 757. A. Ἄλλά τε ἐς ἐννεακισχίλια καὶ βοτὰ καὶ θηρία ἐπεσφάγη. qualia sunt cervi, damæ, simiæ, lepores. Vopisc. in Prob. c. 19. *Immissi deinde per omnes aditus struthiones mille, mille cervi, mille apri, mille damæ, ibices, oves feræ, & cætera herbatica animalia.* Buleng. de Venat. c. 28. Casaub. & Salmas. in Vopiscum.

BOTELLUS, sive *botulus genus fuit farciminis.* Festus. Ex sanguine paratos fuisse auctor est Tertullian. Apolog. c. 9. *Denique inter tentamenta Christianorum botulos etiam cruore distentos admovetis.* Antiquioribus tamen aliter. Apic. de Re Coquin. II. 3. *Botellum sic facies. Ex ovi vitellis coctis, nucleis pineis concisis, cepam addes, porrum concisum, jus crudum misces, piper minutum, & sic intestinum farcies, adjicies liquamen & vinum, & sic coques.* Ab his vide-

videtur Gallicum nomen *Bodin* fluxisse. Et quemadmodum nostra tempestate, brumali tempore potissimum, ex sanguine porcino, cum arvina, variisque aromatibus permixtis confecta, amicis mittuntur: ita etiam apud veteres Saturnalibus solebant missitari. Martial. XIV. 72.

Qui venit botulus medio tibi tempore brumæ,
Saturni septem venerat ante dies.

Cum pultibus inferebatur mensæ. Martial. V. 80. 9.

Et pultem niveam premens botellus.

Nonn. de Re Cib. II. 14. Buleng. de Conviv. II. 63. Rhodig. Ant. Lect. XXX. 19. Voss. Lex. Etymol.

BOTTE de Thermæ erant locus in Thermis Diocletianis, & quidem aquarum castella. Nam non modo thermæ publicis usibus deputatæ castella habebant, in quæ juxta moduli erogationem suas accipiebant quinarias, quas balneis, prout usus exigeret, subministrarent; sed etiam privatis, ut Frontinus commemorat, castella itidem erant, in quæ ex publico castello aquam, quam accepissent, derivarent, iisdemque in usus sibi necessarios distribuerent *Marlian. Topogr. Urb. Rom.* IV. 14.

BOTULARIUS vocabatur, qui *botulos*, aut *botellos* farciebat, & vendebat. Senec. Epist. 56. *Jam libarii varias exclamationes, & botularium*. . . . . , Lips. in Senecam.

BOV.

BOVIANUM est urbs perantiqua Samnitium a Trevento versus meridiem ad radices Apennini montis fontisque Tiverni amnis. Vulgo nunc *Bojano* dicitur. Dignitate episcopali claret. Anno ab U. C. 439. ante natum D. Jesum 314. M. Pœtelio Libone & C. Sulpitio Longo Consulibus *caput Pentrorum Samnitium longe ditissimum atque opulentissimum armis virisque* est captum, *& prædæ plus pene quam ex omni Samnio egestum*. Liv. IX. 31. Aliquando colonia Romanorum huc deducta est. Plin. III. 12. *In regione* IV. *Italiæ Samnitium, quos Sabellos dixere, & Græci Saumnitas, colonia Bovianum vetus & alterum cognomine Undecumanorum*. Cluver. Ital. Ant. IV. 7. §. 5. Leand. Descript. Ital. p. 417. A Cæsare, ut puto, jam Dictatore; nullus enim in coloniis digerendis temporis ordo accuratus servari poterit. De illa sic scribit Frontinus: *Bovianum oppidum lege Julia milites deduxerunt sine colonis; iter populo amplius non debetur quam P. X. Ager ejus per centurias & scamna est assignatus*. Panvin. Imp. Roman. c. 11.

BOVILLÆ fuit oppidum perantiquum in via Appia, propius Albano oppido. Duodecim hodie exigua sunt millia passuum ab urbe Roma ad oppidum Albanum. Hoc intervallum si in duodecim æquas partes dividas, medio fere situ hodie inter nonum ac decimum lapidem, ingentium saxorum ad utrumque viæ latus dispersi sunt acervi, haud equidem dubium est, quin hoc loco olim steterit *Bovillarum* oppidum. Hierosolomytani itinerarii locus *Ad nonum* scilicet *lapidem*, an eundem *Bovillarum* situm significaverit, quasi jam tum oppido disjecto, haud facile dictu est. Antiquitas oppidi exstat apud Flor. I. 11. ubi de proximis post exactos Reges agit bellis, quæ Romani contra Latinorum gentem gesserunt. Oppidum jam Ciceronis tempore cultoribus fere desertum fuisse testatur ipse pro Planc. c. 9. *Nisi forte te Lavicana; aut Bovillana, aut Gabina vicinitas adjuvabat: quibus e viciniis vix jam, qui carnem Latinis petant, inveniuntur*. Cluver. Ital. Ant. III. 4. §. 12. Kircher. Lat. II. 1. c. 5. Merul. Cosmog. II. 4. c. 22. Voss. de Magn. Rom. c. 5. Vulgo *Babaco*. Coloniam fuisse intelligere est ex Frontino de Coloniis sic scribente: *Bovillæ oppidum lege Syllana est circumductum. Iter populo non debetur. Agrum ejus ex occupatione milites veterani tenuerunt in sortem*. Quod tamen oppidum municipium nominat Cicer. Philip. II. *Ursat. de Not. Roman. Thes. Ant. Roman. Græv. Tom.* XI. *p.* 668. *B. Sigon. de Ant. Jur. Ital.* III. 4.

ΒΟΥΛΕΥΤΑΙ judices Areopagitæ dicuntur Lucian. de Gymnas. p. 281. *Donat. de Urb. Rom.* II. 17. Decuriones etiam municipales, qui patriæ suæ, velut Romæ Senatores, negotia publica tractabant, hoc nomine Græcis nominabantur, velut consilium rebus publicis præstantes. *Panciroll. de Magistr. Municip. c.* 1. Quodam enim discrimine, & majoris dignitatis reverentia, municipalem Senatorem βουλευτὴν, Romanum συγκλητικὸν appellasse videntur Græci scriptores. *Chimentell. de Honor. Bisell. c.* 37.

ΒΟΥΛΕΥΤΗΡΙΟΝ proprie curia est. Hoc etiam συνέδριον vocat Dio LI. p. 459. D. ubi meminit curiæ Juliæ conditæ & dedicatæ ab Augusto. Significat non modo consessum Senatorum; sed etiam judicum, & videtur accommodari posse ad basilicam judiciorum sedem. *Donat. de Urb. Rom.* II. 17.

ΒΟΥΛΗ est municipalis curia, & a principis urbis consensu distinguitur. *Chimentell. de Honor. Bisell. c.* 37. & 38.

BRA.

BRABANTIA nunc dicta, Belgica est prima. V. illam infr. in *Belgica*.

BRABEUTÆ, βραβευταὶ, de quibus Suet. Ner. c. 13. n. 4. *Quam brabeutarum more in stadio humi assidens*. Erant viliores sacrorum certaminum ministri. *Guther. de Vet. jur. pontif.* I. 6. Imo erant judices, qui iis præerant, & præmia victoribus dabant. Pollux VI. 30. 2. *Gymnicis adstant præmiorum distributores*, βραβευταὶ, *quos* βραβέας *vocat Plato. Designatores autem præsides quoque nominaverunt. Unde præmia distribuere præesse vocavit Sophocles*. Dionysius disceptans ex professo de athletis gymnicisque agonibus illis tribuendorum præmiorum, imo de victoria ipsorum antagonistarum judicandi facultatem assignat ἐν προτρεπτ. ἀθλ. p. 41. Apud quem animadverte, ἐφίστηκεν, sicuti etiam notandum τὸ ἐφεστάναι apud Pollucem, tanquam epistatas, hoc est, præfectos esse hos sentiat, qui agonothetas, & athlothetas antea ἐπόπτας, προστάτας, ἐπισκόπους appellarat. Eustath. Odyss. Θ. p. 1594. videtur eosdem cum agonothetis & athlothetis facere. *Faber Agonist.* I. 23. *Græv. Thes. Antiq. Roman. Tom.* V. *Proleg.* * * 2. *vers. Pitisc. in Suetonium*.

BRACARAUGUSTA, quæ & *Augusta Bracarum*, urbs Hispaniæ Tarraconensis, & conventus olim Portugaliæ; nunc vulgo *Braga*. Ursat. de Not. Roman. Thes. Antiq. Roman. Græv. Tom. XI. p. 581. C.

BRACCA nostra non fuit Græcis, nec Latinis in usu. Probamus I. quod nulla apud Græcum, aut Latinum vetustiorem exstet earum mentio, ac ne appellatio quidem nisi barbara. Tacit. Hist. II. 20. 2. *Ornatum ipsius municipia, & coloniæ in superbiam trahebant; quod versicolore sagulo, braccas, tegmen barbarum, indutus togatus adloqueretur*. Nempe Persarum, de quibus Herod. I. p. 31. E. ubi Sandanis dehortans Crœsum, ne Persis bellum inferret, inter cætera ait: *Adversus tales viros expeditionem paras; Rex, qui coriacea subligacula, braccas e pellibus gerunt, qui e corio reliquam vestem ferunt*. Medorum, de quibus Pers. Sat. III. 51.

—— braccatis illita Medis
Porticus.

Gallorum. Suet. Jul. c. 80. n. 11.

Gallos in triumphum Cæsar duxit: iidem in curia
Galli braccas deposuerunt: clavum sumpserunt.

II. Quod in cultu Græcorum, & Romanorum breviore veste amicti eas partes ostenderent, quæ honeste nominari non possunt, Theophrast. in descriptione hominis inepti: *reducta ad genua veste ita sedebat, ut nudæ corporis partes apparerent*. Similis indecentia eorum, qui vestem consulto adducebant, ut apud eundem in descriptione hominis impudentis, quem ait, *solitum veste adducta pudenda ostendere*. De Tusco haruspice facete Mart. III. 24. 7.

Ipse super virides aras lactentia pronus
Dum resecat cultro colla, premitque manu:
Ingens iratis apparuit hernia sacris.

Si braccas habuiſſet, utique vaſa ſalva domum reportaſſet. Trebell. Poll. xxx. Tyrann. c. 23. *Hujus inſigne eſt, quod convivio diſcumbere milites, ne inferiora denudarentur, cum ſagis juſſit.* Hinc eſt, quod metu talis ἀσχημοσύνης Cæſar cum in ipſo caſu, cum occideretur, *ſinum veſtis ad ima crura deduxit* apud Suet. Jul. c. 82. n. 3. quo opus non fuiſſet, ſi illa *braccis* obvelata fuiſſent. Imo *braccarum* uſum ita averſati ſunt Græci & Romani, ut non ſine indignatione Ponti accolas quoſdam *braccas* geſtaſſe, cum eſſent Græcia oriundi, referat Ovid. Triſt. v. 10. 31.

Quos ut non timeas poſſis odiſſe videndo
Pellibus & longa corpora tecta coma.
Hos quoque qui genti Graja creduntur ab urbe
Pro patrio cultu Perſica bracca tegit.

Sunt vero alii, qui ſubligacula apud veteres noſtris *braccis* putent reſpondere: cum certum ſit, & ſubligacula, & campeſtria non aliud fuiſſe, quam pannum, quo verenda velabant ephebi exercentes, luperci currentes, ſcenici, athletæ, popæ, coci, & alia ſervitia vilia inter miniſtrandum. Sed omnium craſſiſſime errant, qui caligas veterum Romanorum volunt eſſe hodie noſtra femoralia. Nemo enim ignorat, caligam Romanorum fuiſſe calceamentum militare. V. infr. in *Caliga.* Caſaub. in Suet. Aug. c. 82. n. 1. Ferrar. Elect. II. 2. Huic ſententiæ refragari videntur I. Si Romani nudis cruribus, & femoribus incedebant, quomodo frigus hyeme tolerabant. II. Si *braccis* carebant, in quem locum pecuniam, & alia uſui neceſſaria recondebant? Quod ad primum attinet, femora tunicis duabus, & quandoque pluribus, ut de Auguſto teſtatur Suetonius, operiebantur, quæ tunicæ ferme uſque ad medium crus pertinebant; Calcei autem, qui inſtar cothurnorum alterum dimidium tegebant. Præterea Romæ hyemes mitiſſimæ, & ideo etiam brachia a cubito ad manum nuda erant. Ad ſecundum, nummos ferebant in ſinu. Amorem nudum eſſe, & ut ſit apertus, nullas veſtes habere ait Ovid. Amor. I. 10. 17.

Quid puerum Veneris pretio proſtare jubetis?
Quo pretium condat, non habet ille ſinum.

Et Plutarchus tradit, antiquiſſimos Romanorum ſine tunica in comitiis prenſare ſolitos, ne nummos ad emenda ſuffragia ſinu geſtarent. Alii in zona, ex qua crumenas, & ſacculos ſuſpenſos habebant, & illa aureos geſtare ſolebant. V. infr. in *Zona.* Ferrar. l. l. III. Femoralia, quæ nihil aliud fuerunt quam *braccæ*, Latinis ſcriptoribus cognita fuerunt. Oſtendit de Auguſto frigoris impatiente Suet. c. 82. n. 1. *Inſuper feminalibus, & tibialibus muniebatur.* Sed illa nihil aliud erant, quam faſciæ, quibus antiqui pedes, tibias, crura, & femora involvebant. V. illas infr. in *Faſciæ crurales.* Caſaub. & Ferrar. l. l. De *braccis* etiam ſcribunt *Cluver. German. Antiq.* I. 16. *Braun. de Veſt. Sacerd. Hebr.* II. I. 8. *Salmaſ. in Lamprid. Alex. Sever.* c. 40. *Merul. Coſmogr.* II. 3. 15. *Bayf. de Re veſt.* c. 20. *Tiraquell. in Alexand.* V. 18. *Manut. Quæſ. Epiſt.* II. 2. *Nigron. de Calig.* c. 1. §. 4. *Voſſ. de Vit. ſerm.* I. 2. *Lex. Etymol.* Poſtquam Romani uſum *braccarum*, partim a Gallis, partim a Germanis, & Gothis, aliiſque populis ſeptentrioni ſubjectis acceperunt, nova notione femoralia, & tibialia, non pro faſciis, ſed pro *braccis* dicta ſunt. Ita ut utraque in uſu eſſent. Ita de Alexando Severo Lamprid. c. 40. *Faſciis ſemper uſus eſt. Braccas albas habuit.* Ferrar. l. l.

BRACCARII ſunt, qui *braccas* faciunt, quibus Arcadio imperante intra Urbem uti non licebat leg. 2. Cod. de habitu, quo uti oport. intr. urb. *Panciroll. de Corp. Artif.* §. 20.

BRACCATA Gallia. V. illam infr. in *Gallia.*

BRACHIALE Vopiſco in Aurelian. c. 7. *brachile* in lege Salica tit. 29. §. 37. & *brachionarium* in Gloſſario eſt *circulus ex auro, quo brachia artantur*, ut ait Tertullianus de Habitu mulierum. Erat largioris ſegmenti inſtar, auro gemmiſque diſtinctum. Recte in Gloſſario per Gallicum *Bracelet* Lindenbrogius exponit. Eo diſcrimine ſeparabatur a dextrali, quod totum *brachii* progreſſum complectebatur cum armis, dextrale tantum carpum, *Bartholin. de Armill.* §. 1. *Salmaſ. in Tertullian. de Pall. p.* 117. *Du Freſne Gloſſario.*

BRACHIUM dextrum, qua parte ad pectus toga patebat, exerebatur. Et veteres quidem teſte Quintil. Inſtit. Orat. II. 3. non exerebant, atque ideo tunc aut nulli, aut perbreves ſinus fuere: poſt ea tempora non *brachium* modo, ſed totus humerus exerebatur. Nec aliud intellexit Plutarch. p. 824. F. cum ait, C. Gracchum primum Romanorum per pulpitum ambulaſſe, & togam ab humero detraxiſſe. Ὥς τε καὶ δημηγορεῖν τὸν μὲν ἐν μιᾷ χώρᾳ βεβηκότα κοσμίως, τὸν δὲ Ῥωμαίων πρῶτον ἐπὶ τοῦ βήματος περιπάτῳ τε χρήσασθαι, καὶ περισπάσαι τὴν τήβεννον ἐξ ὤμου. Fuit tamen tempus, cum more veterum *brachium* toga contineretur. Cicero pro Cœlio c. 5. *Nobis quidem annus erat unus ad cohibendum brachium toga conſtitutus, & ut exercitatione, ludoque campeſtri tunica uteremur, eademque erat, ſi ſtatim mereri ſtipendia cœperamus, caſtrenſis ratio & militaris.* Poſtremus Ciceronis enarrator inde peti diſcrimen inter togam & pallium putat, quod in toga dextra libera & expedita eſſet, pallium autem utramque manum involveret, ita tamen ut dextra, cum opus eſſet, poſſet expediri, idque adductis Tertulliani verbis ſtabilire nititur. Sed etiam toga utrumque *brachium* ita cohibebat, ut tamen dextra exeri poſſet, & pallium, præcipue Cynicum, humerum cum *brachio* excludebat ut toga; commune vero ita apertum erat, ut fibula cervicibus adſtrictum liberum dextræ aditum daret. Solum igitur eo loco Tertullianus togæ operoſam molitionem cum pallii ſimplicitate confert, in quo nullæ, ut in toga, rugæ, nullus umbo forcipibus cogatur, nulla contabulatio, quodque uno circumjectu veſtiat, ſitque nihil eo expeditius. In eo etiam falſus eſt, quod tradit, tam togatos, quam palliatos ſiniſtrum veſte continuiſſe, idque his Quintiliani verbis confirmat; *Quorum brachium ſicut Græcorum veſte continebatur.* Fortaſſe eum Manutii auctoritas decepit, qui etiam videtur exiſtimaſſe, Quintilianum de ſiniſtra locutum eſſe. Nam cum dixiſſet *brachium* non per manicas togæ, quæ nullæ erant, emiſſum; ſed rejecta in humerum toga ima expediri ſolitum ſubjicit, *per annum ſumpta virili toga modeſtiæ cauſa in humerum non rejici conſueviſſe*; atqui nonniſi ſiniſtra imam togam in humerum rejectam conſtat. Cæterum verba Quintiliani, *quorum brachium ſicut Græcorum veſte continebatur*, de manu dextra intelligenda eſſe declarant quæ præcedunt: *Itaque etiam geſtu neceſſe eſt uſos eſſe in principiis eos alio*, niſi velimus dicere ſiniſtra in geſtu veteres initio uſos. Quibus etiam intelligimus non totum cum manu *brachium* compreſſum, ſed ſaltem manum emiſſam, alioqui non alius, ſed nullus geſtus fuiſſet. Tertio labitur, quod cum negare non poſſit, dextram toga cohibitam, ait *nihil aliud hoc fuiſſe, quam ſinu dextram involvere.* Sed quis veterum hoc dixit? Artemidori verba hoc non habent: χρὴ γὰρ τὸν ἔφηβον ἐν τῇ χλαμύδῃ, καὶ τὴν δεξιὰν ἐνειλημμένην ἔχειν. Nihil hic de manu ſinu involuta, nihil de toga; de chlamyde loquitur, qua dextram contineri vult, quam etiam toga anno virilitatis cohibitam ſcimus: ſed hoc fuiſſe ſinu dextram involvere negamus. Neque id fieri potuiſſe videbit quicunque, qui quæ de ſinu togæ diſputabimus perceperit. Aliter in pallio & chlamyde, quæ veſtimenta aperta fuerunt. Datum igitur ſpatium unius docet Cicero ad continendum *brachium* toga, hoc eſt, ne anno virilis togæ juventus in viros tranſcripta more cæterorum *brachium* dextra exereret; ſicque togæ ora ſuperior utrique humero inſiſteret, nec dextro *brachio* ſubjecta ad lævum humerum ad inſtar balthei recurreret. Senec. Contr. v. 6. de eo qui raptus fuerat in veſte muliebri: *Apud patres noſtros qui forenſia ſtipendia auſpicabantur nefas putabatur brachium extra togam exſerere.* Senecæ ergo tempore is mos *brachii* cohibendi exolevit: imo ætate ipſius Ciceronis, ait enim, *Nobis quidem olim annus erat unus ad cohibendum brachium toga conſtitutus.* Diſcimus etiam ex Seneca, non totum *brachium* cum manu cohibitum, ſed ſaltem dextram extra togam miſſam ad geſticulationem, nam ſine geſtu eos oraſſe non

est credibile. Quare & Manutium falli necesse est, qui de sinistro *brachio* intelligit, cum ait, *per annum sumpta virili toga, modestiæ causa toga in humerum non rejiciebatur:* quod adductis verbis Ciceronis probare contendit. *Ferrar. de Re Vest.* I. I. 7: II. 4. 5. & 8. Tendebant illa victi, simul ad precandum, simul in signum, quo se victos faterentur; atque hoc ipso facto transibant in jus, & arbitrium victoris, cujus fidem atque clementiam suppliciter implorabant. Virg. Æneid. XII. 930.

Ille humilis, supplexque oculos, dextramque precantem
Protendens. . . . . .
Et me, seu corpus spoliatum lumine mavis,
Redde meis, vicisti, & victum tendere palmas
Ausonii videre.

Ovid. V. 214.

—— atque ita supplex,
Confessasque manus, obliquaque brachia tendens,
Vincis, ait, Perseu.

Brouckh. in Tibull. III. 4. 64.

Brachium vallum etiam appellabatur. Hirt. de bell. Hispan. c. 6. *Cæsar munitionibus Ateguam oppugnare, & brachia circumducere cœpit.* Liv. XXXVIII. 5. *Nicodamus superato brachio in urbem penetrat.* Lucan. III. 386.

—— densas tollentia pinnas
Cespitibus, crudaque extruxit brachia terra.

Aperte vallum ita nominat, & cespitibus struit, & pinnas etiam addit. Causa nominis, quod ejusmodi valla in *brachium* & cubitum fere curvantur: unde & a Græcis ἀγκῶνες dicuntur. *Lips. Poliorc.* II. 2. *Thys. de Oppugn. urb.* I. *p.* 164.

BRACTEA est tenuis auri argentique lamina. Veteres glossæ. Symmach. Epist. I. 26. *Hic me velut aerius bracteæ fucus non longius quam dum videtur oblectat.* Juret. in Symmachum. Inde *bracteare* pro ornamento operire. *imbrattare* inde etiam vulgus dicit Italum pro fœdo cooperimento velare. *Argol. in Panvin. de Lud. Circ.* I. 17. Erant adeo tenues illæ *bracteæ*, quibus opera varia inducebantur, ut & nebulas eas appellarit Mart. VIII. 33. 3.

Hac fuerat nuper nebula tibi pegma perunctum,
Pallida quam rubri diluit unda croci.
An magis astuti derasa est ungue ministri
Bractea, de fulcro, quod reor, esse tuo.

Illæ inducebantur statuis, quæ inde *imbracteatæ* dicebantur. Ammian. XIV. 6. *Ex his*, inquit, *quidam æternitati per statuas se commendari posse existimant, eas ardenter affectant, atque auro curant imbracteari, quod Acilio Glabrione delatum est primo.* Figrell. de Stat. Roman. c. 16.

BRACTEARII, πεταλουργοὶ, auri laminas ad inaurandum attenuabant. Hieronymus ad Fabiolam: *Auri laminæ, id est, bracteæ mira tenuitate tunduntur.* Panciroll. de Corpor. Artif. §. 35. Horum fit mentio leg. I. Cod. de Excus. Artif. *Bracteatores* vocat Firmic. Mathes. I. *Juret. in Symmach. Epist.* I. 26. *Rhodig. Ant. Lect.* XIX. 16. *Bud. in Pandect. p.* 177. *G. Lindenbr. in Ammian.* XIV. 6.

BRACTEATA coma. V. illam infr. in *Coma*.

BRASSICA fuit antecœnii & primæ mensæ. *Buleng. de Conviv.* II. 3. Crudam ante cœnam ex aceto edebant, qui in convivio multum bibere, & libenter cœnare volebant. Cato de Re Rust. c. 156. *Buleng. ibid.* III. 14. Illam idem Cato discussorii nomine miris experimentis celebrat: nec perperam, si præter viri indubitatam fidem, cum maxime eo tempore homines paratu hisce facilibus valde uterentur, *brassicæ* ipsius naturam computemus, exsiccativam, mediocriter calidam, & de natura nitri abstersoriam, Galeno etiam auctore. Quare ad omnia tumida concoquenda, eademque aut dissipanda undecumque, aut rumpenda, frigiditates alicubi fixas, horrores, duritiasque abolendas, *brassicæ* aut succo, aut fomentis adhibitis medebantur. Nec non cancris sanandis, ulceribusque ubicunque curandis, fistulisque suppurandis, luxatis firmandis supra omne medicamentum. Hodie manuum fissuras ex Gallico relictas fomentis ex *brassica* cum porcina axungia egregie persanant. Porro qui scrophulas exterunt gerenti *brassica* ex unguine aliquo applicant. Et in balneis lotium ejus, qui *brassicam* esitaverit, maxime abstersivum laudat Cato, & corroborans. Si pueros pusillos; inquit, eo lotio laveris, nunquam debiles fient, oculi eo illitu illustrantur, dolores capitis, cervicisque similiter levantur. Et si mulier eo lotio locos fovebit, nunquam virosa fiet. *Baccius de Therm. vet. c.* 30.

BRAVIUM βραβεῖον Græci missum hac significatione accepere. Cedrenus μισθὸς ἆθλος. Hesychius: βραβεῖον ἐπινίκιον νικητήρων ἔπαθλον. Præmium hieronicarum, hoc est, ut apud Apost. I. ad Corinth. c. 9. n. 24. *Omnes quidem currunt, unus vero brabium, sive bravium capit.* Hoc victores acceperunt ex manibus brabeutarum. V. supr. in *Auriga*. Ad obeliscum lunæ in spina depositum erat, unde petebat victor. Qui curricula septem prior confecisset, desiliebat in spinam, & *bravium* accipiebat a munerario. Prop. II. 19. 65.

Aut prius infecto deposcit præmia cursu,
Septima quam metam triverit ante rota.

Kipping. Antiq. Roman. II. 6. §. 3. Argol. in Panvin. de Lud. Circ. I. 14. Bud. in Pandect. p. 98.

BRE.

BREGETIUM ex observatione Ptolemæi Geogr. II. fuit urbs superioris Pannoniæ, in qua legionem decimam quartam stationem habuisse scribit, quæ hodie *Bonezhida* vulgo appellatur sententia Gruteri p. 262. n. 8. ad hoc saxum:

IMP. CÆSAR
L. SEPTIMIO
SEVERO. PIO
PERTINACI
AUG. ARABICO
MAXIMO
BREG. PUBLIC
D. D.

Ursat. de Not. Roman. Thes. Antiq. Roman. Græv. Tom. XI. *p.* 581. *D.*

BREUCI fuerunt populi inferioris Pannoniæ, juxta Saum flumen habitantes. Ptolem. Geogr. II. Plin. IV. 35. *Ursat. de Not. Roman. Thes. Antiq. Roman. Græv. Tom.* XI. *p.* 622. *F.*

BREVIARIUM est enumeratio compendiaria, commentariolus rerum summam continens. Plin. XVIII. 26. *Omnis culturæ quoddam breviarium est laborum coloni brevis quædam & compendiaria enumeratio.* *Breve* dicitur Veget. II. 19. *Nomina eorum, qui vices suas fecerunt, brevibus inseruntur.* Olim *Summarium* vocabatur. Senec. Epist. 39. *Vide ne plus profectura sit oratio ordinaria, quam hæc quæ nunc vulgo breviarium dicitur, olim cum Latine loqueremur, summarium vocabatur.* Pitisc. in Suet. Aug. c. 102. n. 7. §. 40.

Breviarium imperii erat libellus, qui imperii rationes complectebatur, & *rationarium* imperii vocatur. Suet. Aug. c. 28. n. 1. quod *quantum militum sub signis ubique esset, quantum pecuniæ in ærario & fiscis & vectigalium residuis breviter continebat.* Aug. c. 102. n. 7. Discrepabat a notitia imperii. V. illam infr. in *Notitia*, licet illam Alciat. Parerg. V. 13. appellet *Breviarium* Theodosii. *Guther. de Offic. Dom. Aug.* I. 2. Hujus instituti auctor primus fuit Augustus, qui non est dedignatus reddere populo rationes, uti cunctis liquidum esset, non privatis suis ipsius commodis, sed bono publico tantum pecuniæ publicæ fuisse impensum. Intermissum a Tiberio per Caligulam fuit restitutum. Suet. Cal. c. 16. n. 3. *Rationes imperii ab Augusto proponi solitas, sed a Tiberio intermissas, publicavit.* Quod tamen & ipsum primo a Tiberio fuisse factum videtur colligi ex Tacit. Ann. I. 11. Ubi ait, *prolatum a Tiberio libellum, quo opes publicæ continebantur, quantum civium sociorumque*

rumque in armis; quot classes, regna, provinciæ, tributa aut vectigalia, & largitiones ac necessitates. Bergier. de viis milit. I. 14. 2. Et recte. Nam rationes publicarum pecuniarum a secessione Tiberii tantum vulgatæ non fuerant, & non intermissæ toto ejus principatu. Dio LIX. p. 646. E. *Pitisc. in Suetonii Caligulam.* Tale volumen aut libellum statum generalem vocamus. *Bud. in Pandect. p. 82. D. & Guther. l. l.*

Breviarium rationum privatarum etiam fuit. Illo sensu *breviarias rationes* dicit Scæv. Dig. XXXIII. 8. 26. *Cum rationibus breviariis in ære alieno, & sortem, & usuras inter ceteros creditores complexus sit.* Guther. de Offic. Dom. Aug. I. 2.

BRI.

BRIA fuit vas vinarium. Arnob. VII. p. 235. *Date, quæso, immortalibus diis bibant, scyphos, brias depromite.* Gloss. Philox; *Bria*, Εἶδος ἀγγείου. Inde emendandus Charis. Instit. Gramm. I. p. 63. *Hebria est vas vinarium, unde ebrius & ebria dicitur.* Quasi qui multas *brias* exhauserit. *Leopard. Emend.* VI. 17. *Voss. Lex. Etymol. Broukh. in Tibull.* I. 7. 28. *Elmenhorst & Herald. in Arnobium.*

BRIGANTES populi olim fuerunt in tertia Britanniæ parte, quæ versus Hiberniam vocatur Vicalia, ubi est Helenum promontorium, ab Helena Constantini matre nuncupatum. *Panciroll. Notit. Dign. Imp. Occid. c.* 68. *Cluver. Germ. Ant.* I. 7.

BRIGANTIA est lacus, quem inter lacum Acronium & Basileam Strabo & Ptolemæus locant. *Brigantiam* vocat Ammian. XV. 4. *Rhenus*, inquit, *lacum invadit rotundum & vastum, quem Brigantiam accola Rheni appellat, perque quadringenta & sexaginta stadia longum, parique pæne spatio late diffusum, horrore sylvarum squalentium inaccessum barbaris, & natura locorum, & cœli inclementia refragante.* Panciroll. Notit. Dign. Imp. Occid. c. 82.

BRIGIO est urbs in Pannonia superiori, in qua Valentinianus Imperator mortuus est. Paullus Diaconus: *Valentinianus*, inquit, *anno imperii sui undecimo, dum apud Brigi nem oppidum Quadorum legationi respondet, anno ejus quinquagesimo quinto, subita effusione sanguinis, quæ Græce ἀπόπληξις vocatur, voce amissa, sensu integer exspiravit. Bergentionem* Aurelius Victor, *Bregetionem* Ammianus, *Bregetium* Ptolemæus vocant. *Panciroll. Notit. Dign. Imp. Occid. c.* 80.

BRISIGAVI sunt Germaniæ populi, inter Helvetios, & Suevos, quorum metropolis est Friburgum, ubi celebris Academia. *Panciroll. Notit. Dign. Imp. Occid. c.* 21.

BRITANNI vates vaticinati sunt Arturum aliquando fortissimum, bellicæ rei laude clarissimum fore. Cornelius Nepos in Darete.

Arturum exspectant, exspectabuntque futurum.

Buleng. de Sort. c. 2. Habuerunt aruspices. Tacit. Ann. XIV. 30. 4. *Hominum fibris consulere Deos fas habebant.* Buleng. ibid. c. 5. Latinas voces detruncabant. *Bellus de Part. templ. Augur. c.* 1. Omnes se glasto inficiebant, quod cœruleum efficit colorem, atque hoc horribiliore erant in pugna aspectu. Cæs. de Bell. Gall. V. 14. Hinc *infestos* vocat Prop. II. 14. 25. *cœruleos* Mart. XI. 54. 1. *pictos* Mart. XIV. 99. 1. Nisi epitheton hoc referre malimus ad id, quod de iisdem tradit Solin. c. 35. *Britannis per artifices plagarum figuras jam inde a pueris, variæ animalium effigies incorporantur, inscriptisque visceribus, hominis incremento pigmenti notæ crescunt.* Hoc Herodian. III. ad Severi usque tempora confirmat fuisse servatum; ex quo fortasse fuit, quod gens ex illis *Pictorum* nomine, non patrio & veteri, sed e re nata a Romanis sit appellata, quod conjiciendum reliquit Claud. Honor. Consul. III. 54.

Ille leves Mauros, nec falso nomine Pictos
Edomuit.

de Bell. Goth. II. 416.

Venit & extremis legio prætenta Britannis
Quæ Scoto dat frena truci, ferroque notatas
Perlegit exsangues, Picto moriente, figuras.

Stigmata Britonum nominat Tertullian. de Veland. Virg. c. 10. & Isidor. IX. 2. *Mariscott. de Pers. & Larv. c.* 5. Ex essedis pugnabant. Cæs. Bell. Gall. IV. 33. *Genus hoc est ex essedis pugnæ: primo per omnes partes perequitant, & tela conjiciunt: atque ipso terrore equorum & strepitu rotarum ordines plerumque perturbant: & quum se inter equitum turmas insinuavere, ex essedis desiliunt, & pedibus præliantur. Aurigæ interim paullum ex prælio excedunt, atque ita se collocant, ut si illi a multitudine hostium premantur, expeditum ad suos receptum habeant. Ita mobilitatem equitum, stabilitatem peditum in præliis præstant: ac tantum usu quotidiano & exercitatione efficiunt, ut in declivi ac præcipiti loco incitatos equos sustinere, & brevi moderari ac flectere, & per temonem procurrere, & in jugo insistere, & inde se in currus citissime recipere consueverint.* Argol. in Panvin. de Lud. Circ. I. 27. Illorum feminæ, ferociam virorum imitatæ, habitu terribili sumpto, aliquando in aciem prodibant. Tacit. Annal. XIV. 30. 1. *Stabat pro littore* (de Mona insula loquitur, quo se perfugæ receperant, incolisque sociaverant) *diversa acies, densa armis, virisque intercursantibus feminis, in modum furiarum, veste ferali, crinibus dejectis, faces præferebant.* Cujus aspectus novitate milites adeo perculsos affirmat, ut, quasi hærentibus membris, immobile corpus vulneribus præberent. *Mariscott. l. l.*

BRITANNIA insula a Notitia repræsentatur oblonga, & forma velut triangulari, lateribus inæqualibus, ac tribus evecta promontoriis, Cantio, Heleno & Orcha, & ob id in tria regna secundum tres angulos olim fuit divisa. Primus eam C. Julius Cæsar ingressus, posteris ostendisse potius, quam tradidisse dicitur. Claudius Cæsar proximam continenti partem imperio subjecit. Adrianus illius insulæ partem, quæ nunc Scotia dicitur, muro exclusit. Spartian. c. 11. *Murum*, inquit, *per octoginta millia passuum primus duxit, qui Romanos Barbarosque divideret.* Neque enim Caledonia, seu Scotia Romanis parebat. Hunc murum vetustate collapsum Severus restituit. Spartian. c. 18. *Britanniam*, inquit, *muro per transversam insulam ducto, utrimque ad finem Oceani munivit: unde etiam Britannici nomen accepit.* Hoc fuit vallum ex cespitibus exstructum, non muris. Beda Eccles. Hist. gent. Angl. I. *Severus*, ait, *genere Afer, Tripolitanus receptam partem insulæ, a ceteris indomitis gentibus, non muro, ut quidam existimant, sed vallo distinguendam putavit. Murus enim de lapidibus; vallum vero, quo ad repellendam vim hostium castra muniuntur, fit de cespitibus, quibus circumcisis, e terra velut murus exstruitur altus super terram, ita ut ante sit fossa, de qua levati sunt cespites, supra quam sudes de lignis fortissimis præfiguntur. Itaque Severus magnam fossam firmissimumque vallum, crebris insuper turribus communitum a mari ad mare duxit.* Constantinus Magnus quinque ejus provincias fecisse dicitur: Eam, quæ postea Maxima Cæsariensis est dicta, Valentiam, *Britanniam* primam, *Britanniam* secundam, quæ antea fuerant, & Flaviam Cæsariensem, a se, qui Flavius Constantinus vocabatur, appellatam. Prima dicitur, vel quod prius subjecta, aut prima venientibus ex Galliis occurrat. Sextus Rufus: *In Britannia*, inquit, *est Maxima Cæsariensis, Britannia prima, Britannia secunda.* Ea olim Caledonia, nunc Scotia dicitur, & a reliqua *Britannia*, seu Anglia, arduis montibus, & duobus euripis maris est divisa. Alii, ut Volaterranus ex Ptolemæo & Sexto Rufo *Britanniam* minorem appellant, quam Sextus Rufus *Britanniam* secundam vocat. Sed verius est *Britanniam* minorem Hiberniam esse, & ut Ptolemæus l. l. nominat. Præter *Britanniam* primam & secundam, tertia pars versus Hiberniam Vicalia vocatur. V. supr. in *Brigantes.* Sabrina fluvio a reliquis Anglis ab ortu dividitur, & quasi peninsula Oceano circumdatur. Hanc esse arbitror, quam Notitia Valentiam appellat. Theodosius dum *Britannias* corrigeret in honorem Valentis Principis ita hanc provinciam nominasse videtur. Ammian. XXVIII. 3. *Recuperatam*, inquit, *provinciam, quæ in ditionem concesserat hostium*, Theodosius *ita*

redu-

reddiderat statui pristino, ut rectorem haberet legitimum, & Valentia deinde vocaretur arbitrio Principis. Quarta pars Cornubia dicitur, & est velut Chersonesus, brachium in mare extendens, cornuque formam habet, quæ in undas procedit latius excurrit. Hanc esse arbitror, quæ Flavia Cæsariensis a Notitia nuncupatur. Quinta circa Humbrum fluvium Gallias spectat, ubi est Condivum, quam Maximam Cæsariensem vocari puto. *Panciroll. Notit. Dign. Imp. Occid. c. 68.*

Britannia in Galliis dicitur nunc tractus Armoricus, V. illum supr. in *Armoricus.*

BRITANNICUS Claudii filius modico funere est elatus. Et hoc Neronis in eum contumeliam arguit. Modicus enim sumptus factus fit in contumeliam hominis locupletis. *Guiber. de Jur. Man.* III. 19.

Britannicus cognominatus est Commodus Imperator. Lamprid. c. 8. *Appellatus est Commodus etiam Britannicus ab adulatoribus, quum Britanni etiam Imperatorem contra eum deligere voluerint.* Etiam Severus Imperator. Herodian. III. 14. 8. *Severus moras de industria nectens, ne vacuo sibi Romam redeundum foret, cupidus victoriæ, cognominisque Britannici, legatos quidem re infecta domum dimisit, ipse, quæ bello usui forent, magna solertia comparabat.* Huic adstipulatur Spartianus. V. illum in *Britannia.* Ursat. de Not. Roman. Thes. Ant. Roman. Græv. Tom. XI. p. 581. F.

BRIXIA vulgo nunc *Brescia* & *Bressa* dicta, caput fuit Cænomanorum. Liv. XXXII. 30. Condita est a Gallis Cænomanis. Liv. V. 35. *Alia subinde manus Cenomanorum Elitovio duce vestigia priorum secuta, eodem saltu, favente Belloveso, quum transcendisset Alpes, ubi nunc Brixia ac Verona urbes sunt (locos tenuere Libui) considunt.* Cluver. Ital. Ant. I. 26. 3. Alb. Leand. Descript. Ital. p. 613. Huc post colonia est deducta a Romanis. Plin. III. 19. *In mediterraneo regionis decimæ coloniæ Cremona, Brixia Cenomanorum agro.* At municipium quoque fuisse alii testantur lapides. *Cluver. l. l.* Deducta est a Cn. Pompejo Strabone, atque postea cum reliquis coloniis Transpadanis a C. Cæsare Dictatore civitate donata. *Panvin. Imp. Roman.* c. 11. Post illam impetratam in tribu Fabia suffragium tulit. *Sigon. de Ant. Jur. Ital.* III. 3. Imperii Veneti olim erat columen, ac inexpugnabile, ut tunc erat hominum credulitas, propugnaculum. In illa manifestissima ex fulmine prodigia sunt facta prænuntia calamitatis subsecutæ postmodum in Venetos. Ejus civitatis turris munitissima; in qua sulphura, tormenta ænea, arma, opera, & munimenta bellica omnia servabantur, tacto repente pariete medio, sulphureque, quod ibi magno numero plurimum erat, ictu fulminis inflammato, avulsa statim a medio, & in altum sublata, mox repente disjecta, revoluta, & collapsa fragmentis in multa spatia dissipatis, cum magna vicinarum ædium strage concidit, & paullo post Venetorum fœdissima clades subsecuta est, exercitu copiosissimo, instructissimoque ad Adduam partim cæso, partim fuso & fugato. Eodem ferme tempore fulmen per mediam civitatem pervagatum, Prætoriano palatio plerisque locis tacto, ære tinnulo, quod in turri signa dabat, dissipato, januis privatarum ædium aliquot effractis, vectibus, pessulis, cardinibus, & quicquid ferramenti pro seris obditum erat, loco emotis disjectisque, nonnullis etiam liquefactis mortalium omnium mentes consternavit, fuitque urbs ipsa, per septennium inde, quo bellum illud perniciosissimum in Venetos, Regum, Principumque Christianorum pœne omnium conspiratione gestum est, omnium direptioni, omnium injuriis ita exposita, ut portæ nunquam ulli hostium fuerint occlusæ. *Pier. Valerian. de Fulmin. Signif. Thes. Antiq. Roman. Græv. Tom. V. p.* 596. C.

BRIXILLUM Plin. III. 15. *Brixellum* Tacit. Hist. II. 33. 3. & Suet. Oth. c. 9. n. 2. ab altera viæ Æmiliæ parte ad Padum conspicitur. Vulgo hodie dicitur *Bressello.* Cluver. Ital. Ant. I. 28. 10. Alb. Leand. p. 562. Colonia fuit, ut unus testatur Plinius. *In octava regione coloniæ, Brixellum.* . . . Quando deducta fuerit, nusquam legitur. Nobilitata postmodum fuit interitu Othonis Imperatoris, qui exitum pugnæ Bedriacensis hic exspectans, quum cladem suorum accepisset, pugioni incubuit, ut auctores sunt Suetonius, Tacitus & Plutarchus. *Cluver. l. l. Panvin. Imp. Roman. c. 11.*

BRO.

BROCHUS est mensura Parisina. V. illam supr. in *Bossellus.* infr. in *Oenophorum.*

BRU.

BRUCTERI sunt Germaniæ populi. Tacit. Ann. XIII. 56. *Illi,* inquit, *Bructeros, Tencteros, ulteriores etiam nationes socias bello vocabant.* Hist. IV. 21. *Junguntur Bructeri, Tencterique, & excita nuntiis Germania, ad prædam famamque.* Ad Rhenum a parte septentrionali Germaniæ habitare scribit Ptolemæus. Eos esse Æneas Sylvius in Europæ historia putat, qui *Pruteni* appellantur. *Panciroll. Notit. Dign. Imp. Occid. c. 21.* Regiones *Bructerorum* finibus continentur istæ: Comitatus Zutphaniensis & Benthemius, Salandia & Tuentia, Drentiæque pars, qua oppidum Coverden, item Cliviæ exigua portio, qua oppidum Sevenar: dein Vestophaliæ pars, qua oppida, Borchsteenfoorde, Nieuborch, Ahuus, Frede, Statloo, Coosfeld, Munster, Lunighusen, Werne, Ham, Alem, Beckom, Reide, Rydeburg, Delbrugge. *Cluver. Germ. Ant.* III. 13.

BRUMA. De illa Isidor. V. 35. *Bruma dicitur a cibo, quod major tunc sit vescendi cupiditas. Edacitas Græce bruma appellatur. Unde & imbrumati dicuntur, quibus fastidium est ciborum.* Neminem fugit, animantes omnes hyeme voraciores esse, quum eo tempore innatus calor, qui per æstatem laxato corpore dispersus erat, ac imbecillior factus, a circumfuso frigore intus cohibitus, & quasi constipatus vires sumat ad cibum facile conficiendum. *Aleand. Tab. Heliac. Explic. Thes. Ant. Roman. Græv. Tom.* V. *p.* 738. E. *Voss. Lex. Etymol.* Latinis scriptoribus quæ *Bruma* dicitur, Græcis τροπαὶ χειμεριναὶ dicuntur. *Ursin. ad Farnes. Kalend. Rustic. Thes. Ant. Roman. Græv. Tom.* VIII. *p.* 27. A. Unde ejus dies, ut Ovid. Fast. V. 163.

— *novi prima est, veterisque novissima solis.*

Nobis igitur ac Romanis initium est hyemis, uti Græcis media hyems. Nam Græcis solstitium & *bruma* non inchoant æstivum & hibernum tempus, sed dividunt in partes æquales. Quod indicat Galen. in principium Epidemicorum Hippocratis p. 164. Edit. Ald. Οἱ δ᾽ αὐτοὶ καὶ τὸν χειμῶνα τριχῆ τέμνουσι, μέσον μὲν αὐτοῦ ποιοῦντες τὸν περὶ τὰς τροπὰς χρόνον. *Voss. l. l.*

BRUMALIA instituit Romulus, postquam ipse & frater Remus ex scorto nati projecti fuerunt, & a muliere quadam nutriti. Probro enim ducebatur aliena quadra vivere, & idcirco unusquisque suum & cibum & potum in symposia afferebat. Hujusmodi infamiæ diluendæ, & majore simul sibi cives liberalitate obligandi causa *Brumalia* instituit, quibus a Rege Senatus & milites hyemis tempore, quo vacabant a militia, alerentur. Prandium illud vocavit βρυμαλιὸμ, ὅ ἐστι Ῥωμαϊστὶ ἐκ τῶν ἀλλοτρίων τραφῆναι, *quod Romana lingua significat ex alieno vivere.* Suidas. *Rhodig. Lect. Antiq.* XXVII. 24. Omnia quæ Suidas habet de *Brumalibus*, ex putidis lacunis hausta sunt: & nihil est illis ineptius, nec falsius, sive historiam, sive etymologiam spectes. *Kuster. in Suidam. Needham in Geoponic.* I. 5. Et Suidas lapsus est Romanæ linguæ ignorantia. Nam *Brumalia* dicta sunt a *Bruma*, id est, hyeme; in qua convivia illa agitabantur, ut *Brumalia* idem sint quod Hyemalia. *Stuck. Ant. Conviv.* I. 34. *Hospinian. de Orig. Fest. Ethnic. p.* 225. Apud ethnicos veteres omni lasciviæ, & hilaritatis publicæ genere celebrabantur, & a Christianis perdiu non absimili voluptate transigebantur. Tertull. de Idolol. c. 14. *Nobis, quibus sabbata extranea sunt: . . . Saturnalia, & Januariæ, & Brumæ, & matronalis, frequentantur.* Synod. Trull. c. 62. *Kalendas, quæ*

sic

sic appellantur, & quæ vocantur Brumalia, tum celebritatem illam, qua Kalendis Martus agitari solet, funditus ex fidelium usu, & instituto abrogari volumus. Petav. ad Juliani Imperat. Misopog. p. 106. Erant Bacchi festa, quæ & Dionysia, ac bis quotannis celebrabantur, dicta a *Brumo*, quo nomine Bacchum appellarunt. Proclus in Hesiodum. *Rhodig. Ant. Lect.* xxviii. 35. *Lipen. de Stren. cap.* 2. *et. quart.* §. 28. Sed Orpheus aliique Bacchum Βρόμιον, non Βρῦμον appellarunt. V. supr. in *Bacchus Bromius. Bruma* autem Græce Βρῦμος nusquam significat Bacchum. *Hospinian. ibid. p.* 224. *Gyrald. Synt. Deor.* viii. *p.* 285. *F.* Incidebant in quartum & vigesimum Novembris. Auctor Γεωπονικ. i. i. *Brumæ festum ad octavum Kalendas Decembris est.* c. 5. *Qualis erit dies ejus festi, quod Romani Brumalia appellant, hoc est, quarta & vigesima mensis Novembris, qui Græcis aliquibus Dios vocatur.* Rutgers. Var. Lect. iv. 8.

BRUNDISIUM, sive *Brundusium* oppidum Salentinorum, vulgo incolis vocatur *Brindisi*, Græcis Βρεντέσιον, Βρεντήσιον, & Βρενδέσιον. Quidam Poetæ, ut Festus prodidit, brevitatis causa *Brendam* dixerunt. Apud quem *Brendum* vel *Brentium* rescribendum vult Dacerius, quod dictum sit, quia portum habet in multos sinus reductum, ut cornua cervina referre videatur. Cervum vero Messapii Βρένδον & Βρέντιον vocant. Hesychius: Βρένδον, ἔλαφον. Strab. vi. p. 195. Eustath. in Homer. p. 1409. Ex Strabone colligitur, totius Messapiæ peninsulæ caput fuisse, ac regiam sedem quo tempore Phalanthus cum suis Lacedæmoniis partem *Brundisini* agri, & in ea Tarentum occuparunt. Lucan. V. 406. innuit a Cretensibus, qui a classe Minois, ut auctor est Herodot. vii. in Siciliam profecta eò fuerint evagati, Uriamque condiderint, vel conditum, vel habitatum. *Cluver, Ital. Ant.* iv. 13. 16. *Alb. Leand. Descr. Ital. p.* 358. *Columm. in Ennium p.* 120. Colonia Romanorum est facta A. Manlio Torquato Attico & C. Sempronio Blæso Consulibus. Paterc. i. 14. 8. *Brundisium Torquato Semproniоque Consulibus occupatum colonis*, hoc est, anno a Roma condita 509. ante natum D. Jesum 244. & quidem Nonis Sextilis. Cicer. ad Attic. iv. i. *Brundisium veni Nonis Sextil. qui natalis erat Brundisinæ coloniæ.* Cluver. l. l. Panvin. Imp. Roman. c. 11. Sigon. de Ant. Ital. ii. 5. Goltz. Ital. p. 301.

BRUTA interdum sunt locuta. Suidas in Ἀρνιόν σοι λελάληκεν. *In Ægypto, ut ajunt, agnus humana voce locutus est. Inventus autem est habens regium draconem alatum supra suum caput, qui quatuor cubitorum longitudinem habebat, & cuidam futura prædixit.* Asina Balaami locuta Num. c. 22. n. 28. Equus Achillis apud Homer. Iliad. xix. Canis Petrum salutasse legitur. *Buleng. de Prodig. c.* 22. Diis ingrata peculiariter ipsis in sacrificium venerunt. Ita caper Baccho. V. supr. in *Bacchus*, & Minervæ porcus immolabatur. V. infr. in *Porcus*. Causam V. supr. in *Bacchus*. Inaurium notam *brutis* addebant veteres, ut in iis quæ Diis consecrata erant, hoc gnorismate præcaveretur, ne quis rei sacræ violatæ reus foret, quamvis inscius: in prophanis autem, ut hoc signo recognosci & jure repeti posset, quæ præ nimia feritate aufugissent, ut demonstrat Grot. de Jur. Bell. & Pac. ii. 8. c. 3. *Barthol. de Inaur. Vet. c.* 9. Signa *brutorum* varias quoque ob causas ac multiplices fiebant, aut ob rarum aliquem casum, & insignem eventum, sive verum, sive Poetarum fabulis celebratum, qui *bruti* opera, sive interventu contigerit. Tale quid fuit illud lupæ Romæ positum Romulo & Remo uber præbentis. Dionys. i. p. 66. *Sacellum est juxta illum, ubi est statua hujus casus.* Notissima historia est. *Index, lupa videlicet duobus infantibus mammam præbens opus antiquum ex ære factum.* V. etiam Liv. x. 23. Spectatur ea hodieque in porticu quadam Capitolii Romæ. Tales fuerunt & illæ leonis ac canum effigies, quas Craterus Delphis dedicavit, cum Alexander in venatione magnum aprum dejecisset. Plutarch. Alex. c. 73. *Venationis ejus simulacrum Craterus Delphis dedicavit, æneas leonis, canum, ipsiusque Regis cum leone congressi, & sui ad opem ferendam currentis effigies, partim Lysippi, partim Leocharidis opera ponens.* Ex quibus notandum, statuas ejusmodi sæpe fuisse non singulas, & solas, sed multiformes quæ hominum simul & *brutorum*, aliarumque rerum inanimatarum effigies continerent, ut integras historias fabulasve absolverent. Cujus generis multas recenser Plin. xxxiv. 8. xxxvi. 5. Aut fiebant in honorem hominum, sive eorum, qui quid laude dignum fecissent, quod ibidem ejus animalis ope quæsitum, vel procuratum intelligi posset. Sic, ut narrat Liv. iv. 16. L. *Minucius bove aurato, extra portam trigeminam, est donatus, ne plebe quidem invita, quia frumentum Melianum assibus in modios æstimatum plebi devisit.* Sive cum aliter quorumvis studia & ἐπιτηδεύματα, vitam quoque, mores, professionem, aliaque negotia denotari placuit. Sic in sepulcris multorum statuta legimus *brutorum* signa. In sepulcro Diogenis *canis marmoreus* visebatur. Cynicus enim ille erat. Laert. vi. In Isocratis *siren* ob suavitatem sermonis. Plutarch. vit. 10. Rhetor. Item *aries*, quemadmodum & Homeri monumento *capella* signum additum. Gell. N. A. iii. 2. Rationem ejus consilii reddunt Luisin. Parerg. ii. 17. & Mag. Misc. iii. 1. Deorum quoque curas & studia sic notata legimus. Ita circa Dianam effingi solebant canes. Apul. Metam. ii. p. 29. *Lapis Parius in Dianam factus tenet libratam totius loci medietatem. Canes utrinque secus Deæ latera muniunt, qui canes & ipsi lapis erant.* Fuit enim illa venationis Dea habita. Fiebant interdum & in honorem ipsius animalis, si quando impense desideratum, dilectumque ab aliquo fuisset. Multi enim *brutis* eam ob causam signa, cippos & columnas erexerunt. Capitol. Comm. Ver. c. 6. *Volucri equo Prasino aureum simulacrum fecerat.* Alias fiebant non raro, ut essent symbola rerum quarumvis aliarum, quæ per istiusmodi animalia, sive ob physicam, sive ob moralem aliquam, aut etiam mysticam rationem, quocunque alio modo significari possent. Hujus generis sunt leonum effigies ab Ægyptiis sculptæ, ut essent symbolum exundationis Nili, qui mox a solstitio æstivo, sole leonem ingrediente, crescere incipit, & augescens denique totam Ægyptum inundat, omniumque aliarum terrarum, benefica quadam natura vi, reddit fertilissimam, postquam recessit. Ex hoc etiam initio hausere Græci & Romani morem fontes & aquæ ductus leonum exornare signis. Quia ergo, inquam, Ægyptii leonis hoc beneficium credebant, illud animal venerabantur ut cætera, & signis colebant, quæ potissimum ad templorum fores statuebant. Plutarch. de Isid. & Osirid. p. 364. F. *Leonem venerantur, ac rictibus leoninis templorum fores exornant, quia Nilus exundat.* Figrel. de Stat. Roman. c. 4.

BRUTTIANI Magistratibus peregre proficiscentibus, atque in provinciis agentibus quondam apparebant, quod *cum Hannibal Pœnus cum exercitu in Italia esset, & aliquot pugnas populus Romanus adversas pugnavisset: primi totius Italiæ Bruttii ad Hannibalem desciverunt. Id Romani ægre passi, postquam Hannibal Italia decessit, superatique Pœni sunt, Bruttios ignominiæ causa non milites scribebant, nec pro sociis habebant, sed magistratibus in provincias euntibus parere & præministrare, servorum vicem, jusserunt. Hi sequebantur Magistratus tanquam in scenicis fabulis lorarii; & quos erant jussi vinciebant aut verberabant.* Gell. N. A. x. 3. Alex. Gen. Dier. vi. 22. Festus. *Sigon. de Ant. Jur. Civ. Roman.* ii. 15. *Pollet. For. Roman.* v. 13. *Rhodig. Ant. Lect.* xxv. 19. *Crinit. Hon. Disc.* ii. 7. *Popm. de Oper. Serv. p.* 10. *Oizel. in Gell. N. A.* x. 3. *Borrich. Ant. Urb. Fac. c.* 11. §. 4.

BRUTTII sequuntur Lucanos usque ad Leucopetram promontorium, a *Bruttia* regione, inquit Jornandes in Gothicis, inquit etiam Justin. xxiii. i. olim nominati, nunc Calabri dicuntur. Antiquitus hæc regio Oenotria nuncupata fuit, ubi Græci resederant, quæ peninsulam efficiens Tarentum usque ejus metropolim circumvolvitur. Inde ad Tarentum erat Calabria, mox usque ad Garganum montem Apulia, sed nunc tota a Lao flumine Tarentum usque est Calabria. *Pancroll. Notit. Dign. Imp. Occid. c.* 53. *Sigon. de Ant. Jur. Ital.* i. 12. *Cluver. Ital. Ant.* iv. 15. i. *Leandi Alb. Descr. Ital. p.* 304. Totum cornu, quod Siculum fretum prospiciens, sinu duplici in angustas fauces coarctatur, & priscis seculis, & no-

noſtra ætate, Calabris, hoc eſt, *Bruttiis* contribuitur. Porro, cornu hoc terra eſt illa, quæ Italiæ nomen, in orbe terrarum univerſo clariſſimum, prima omnium invenit. Inde nomen idem in proximum *Bruttiorum* agrum ſecundo migravit: cujus erant fines Metapontum, urbs ſita in littore ſinus Tarentini; & ex adverſo, qua ſpectat mare Siculum Laus amnis, qui non longe a Buxento decurrit. Nec dubium eſt, quin Italiæ nomen a *Bruttiis* ad proximos Lucanos tranſierit, & ab iis ad Picentinos, tum ad Campanos, inde item ad Latinos: ubi tanquam domi ſuæ, aliis ſedibus relictis, remanſerit. *Ferrar. de Orig. Roman. Theſ. Ant. Roman Græv. Tom.* I. *p.* 3. *D.* 127. *C.* Bellum cum Tarentinis Pyrrhi Epirotarum Regis, & *Bruttiorum*, ac Lucanorum, & Samnitium ſocietate opes ſuas firmantibus initum eſt anno ab U. C. 472. & in decimum uſque annum protractum. Sp. Carvilio, L. Papirio Conſulibus, Tarento a Romanis capto, Tarentinis pax & libertas eſt conceſſa. Triumpharunt de Tarentinis & *Bruttiis* C. Fabricius anno ab U. C. 475. C. Junius anno ab U.C. 476. C. Fabius Gurges anno ab U. C. 477. triennio poſt C. Claudius, de utriſque Sp. Carvilius & L. Papirius anno ab U. C. 481. *Sigon. l. l. Panvin. Imp. Roman. c.* 3. Romanis boves pendebant. V. Caſſiodorum infr. in *Lucani.*

BRUTUS ſtultum ſignificat, ut ait Dionyſius. Itaque L. Junius, qui Reges ejecit *ex induſtria factus ad imitationem ſtultitiæ, Bruti quoque haud abnuit cognomen.* Liv. I. 56. Dionyſ. IV. p. 263. Ovid. Faſt. II. 719.

Brutus erat ſtulti ſapiens imitator, ut eſſet
Tutus ab inſidiis, dire Superbe, tuis.

Sigon. de Nomin. Roman. c. 5. Urſat. de Not. Roman. Theſ. Ant. Roman. Græv. Tom. XI. p. 568. A. *Pater ejus fuit M. Junius, ab uno Æreæ ſociorum oriundus, inter nobiliſſimos Romanorum ob virtutem habitus: mater vero Tarquinia, Tarquinii Priſci filia.* Dionyſ. IV. p. 264. qui cauſam ſtultitiæ fictæ etiam pluribus denarrat. Regibus Tarquiniis exactis, cum Collatino Conſul creatus, ut primum Magiſtratum iniit, plures ad populum utiliſſimas leges tulit, quo Reipublicæ ſtatum confirmaret, regiam vero tyrannidem omnino convelleret ac labefactaret, inter quas concione vocata, jurejurando univerſum populum Romanum adegit, neminem Romæ ſe regnare paſſuros. Non longe poſt filios ſuos Titum Tiberiumque, M. quoque & M' Vitellios uxoris ſuæ fratres, & ſororis Collatini collegæ duos alios filios L. & M. Aquillios, compluresque alios adoleſcentes nobiles, qui de recipiendo in Urbem rege Tarquinio, cæſis Conſulibus, conjuraverant, virgis cæſos ſecuri coram omnibus percuſſit. Tarquinium Collatinum, collegam ſuum, magiſtratum abdicare coactum, Urbe ejecit, quod ſontium pœnam impedire voluiſſet, eique P. Valerium Voluſi F. Voluſum, qui poſtea Poplicola appellatus eſt, ſuffecit, cujus præcipue opera in expellendis Regibus uſus fuerat. Bona deinde Regum diripi juſſit, agrum eorum Marti conſecravit. Patriciorum ac ſenatorum ordines, cædibus Regis diminutos, ſupplevit, ex equeſtri ordine ad ccc numerum ſenatum reſtituit. Quum adverſus Reges, qui contractis Vejentium, & Tarquinienſium copiis bellum Urbi intulerant, exercitum eduxiſſet, in acie cum Arunte Superbi filio commortuus eſt: quem matronæ annum luxerunt. *Panvin. de Civ. Roman. c.* 67. *Faſt.* I. *p.* 63. *Auguſtin. de Famil. Roman. in Junia.* Collegæ funus quanto tum potuit apparatu fecit P. Valerius Conſul. Liv. II. 7. *Guther. de Jur. Man.* I. 24. In veteribus nummis pileum, libertatis ſymbolum manu præfert. *Raynaud. de Pil. & cæt. cap. tegm. Sect.* 10.

BRUTUS Decimus Galliæ Ciſalpinæ a Senatu præfectus, ſupra H. S. quadringenties in ſtipendia militum de ſuo erogavit: quod ipſe in quadam ad Ciceronem epiſtola queritur. Provinciam habebat non lege Curiata, quæ Præfectis provinciarum ad alendos milites ſtipendia de publico dabat; ſed ſenatusconſulto, quo imperium quidem, ſed ſine ſtipendio dabatur. Nam cum Senatus Cæſaris interfectoribus faveret, populus ab Antonio concitatus infenſus eſſet, *Brutus* iram populi timens, deſperata lege curiata, cum eo tantum imperio, quod a Senatu acceperat, in provinciam propere abiit. Lege autem eandem provinciam non multo poſt Antonio Cæſaris mortem perſequenti populus tradidit: ut eodem tempore eandem provinciam & Decimus & Antonius, alter Senatusconſulto, alter lege haberet. *Manut. de Senat. Roman. c.* 16.

BRUTUS Decius Junius circa annum ab U. C. 616. Conſulatum geſſit, & in Hiſpaniam venit, illuſtremque victoriam de Callaicis Bracaris reportavit, unde & Callaicus eſt cognominatus. Quare in Tabulis Capitolinis hæc verba leguntur:

D. JUNIUS. M. F. M. N. BRUTUS. CALLAICUS.
ANNO DCX. VII. PRO. COS. DE. LUSITANEIS.
ET CALLAICEIS. EX. HISPANIA. ULTERIORE.

Hic *Decembri menſe mortuis, ut ſcriptum a Siſenna eſt, parentare ſolebat, cum Februario, qui tunc extremus anni menſis erat, mortuis parentari voluerint. Cujus ego rei cauſam cum mecum quærerem. Brutum reperiebam idcirco a more majorum diſceſſiſſe. Nam Siſennam video cauſam, cur is vetus inſtitutum non ſervarit, ignorare: Brutum autem majorum inſtitutum temere neglexiſſe, mihi non ſit veriſimile, doctum hominem ſane, cujus fuit Accius perfamiliaris, ſed menſem, credo, extremum anni, ut veteres Februarium, ſic hic Decembrem ſequebatur.* Cicer. de Legib. II. 21. Mens Ciceronis eſt. Sub diei, menſis, & anni finem juſta mortuis perſolvuntur. Februarius autem menſis reapſe poſtremus omnium viſus eſt cæteris Romanis, quia poſt cæteros adjectus fuit, cum antea Martius omnium eſſet primus. December vero poſtremus menſium erat, ſi uſum ſpectares. Proinde ipſe *Brutus* ſacra fecit defunctis. Adeo ut Februarius numero ultimus cæteris Romanis, & December poſtremus uſu & conſuetudine *Bruto* habitus fuerit. *Boxhorn. in Plutarch. Quæſt. Roman.* 34. *Bland. Triumph. Rom.* II. *p.* 44. *F.*

Bruti Marci morientis verba indomita ultimi temporis recordatione, & proximi injuria, ſtudioſos virtutis tangent. Dio XLVII. p. 356. A. Ipſe ad mortem confugit, alta voce recitato Herculis iſto dicto:

O miſera virtus! cum nihil quam verba eſſes, ego te
Tanquam rem aliquam exercui, tu vero ſervis fortunæ.

Guther. de Jur. Man. I. 11.

BUB.

BUBALI etiam inter prodigia venerunt. Nicetas de octava Synodo: *Ea Synodus cum ſperaretur, bubali aliunde incitati per mediam penetrarunt urbem, & confeſtim huc illuc diſſipabantur tumultuantes: unus ex iis recta currens in Eccleſiam in templo ad ipſum uſque umbonem, & ſuggeſtum proceſſit.* Buleng. de Prodig. c. 47.

BUBO maxime abominatus eſt, avis triſtis & dira, voce funeſta & gemitu, qui formidoloſa, diraſque neceſſitates, & magnas moles inſtare portendit: ipſum tamen cantu & ſtridore querulo, dirum facere auſpicium putant. *Alex. Gen. Dier.* V. 13. Potiſſimum in rebus publicis, nam deſerta incolit, nec tantum deſolata, ſed dira etiam & inacceſſa. *Capitolii cellam bubo intravit Sp. Papellio Iſtro, L. Pedanio Conſulibus, propter quod Urbs Non. Mart. luſtrata eſt.* Plin. X. 12. *Niphus de Augur.* I. 10. Saliſber. I. 12. *Bubo feralis & maxime abominatus publicis præcipue auſpiciis deſerta incolit.* Virg. Æneid. IV, 462.

Solaque culminibus ferali carmine bubo
Sæpe queri.

Ammian. XXX. c. 15. *Apud Sabariam bubo culminibus regii lavacri conſidens, occentanſque funebria, nulla jacientium ſagittas & lapides contemptibili dextera cadere potuit.* Buleng. de Augur. & Auſpic. c. 6. Tacens non ſemper malus eſt: quippe bubo-

bubonis aſpectus Agrippæ captivo Judæorum regnum portendiſſe fertur. *Alex. l. l.* Serv. Æneid. IV. 462. *Nam non eſt mali omnis ſemper bubo, ſed quum canit.* Tiraquellus in Alexandrum. *Bubones*, quorum vox audita eſſet, propoſito præmio perquiſiti, capti, combuſtique, cineribus in Tiberim diſperſis. *Pier. Valer. de Fulmin. Signific. Theſ. Antiq. Roman. Græv. Tom. v. p.* 608. *B.* Domus expiandæ foribus affigebantur. V. infr. in *Domus*.

BUBONA Dea nuncupata a *bobus*; ut ſcilicet *boves* fortunaret. Auguſtin. de Civ. Dei VI. 9. *Stuck. de Sacrif. p.* 35. *Gyrald. Synt. Deor.* I. *p.* 55. *G.* Quorum Deorum nomina non inveniebant, earum rerum nominibus Deos appellabant, quas ab eis ſentiebant dari, aliqua inde vocabula inflectentes: veluti a bello Bellonam nuncupaverunt, non bellum: item a cunis Cuninam, non cunam: a ſegetibus Segetiam, non ſegetem: a bobus *Bubonam*, non bovem. *Rhodig. Antiq. Lect.* XXI. 34.

BUBULCUS eſt qui curat *boves*. Paull. leg. 18. §. 6. ff. de Inſtruct. vel Inſtrum. Leg. *De bubulco quoque ita reſpondit, ſive de eo qui bobus araret, ſive de eo, qui boves ejus fundi aratores paſceret.* . . . . Ejus munera apud Cat. c. 5. Colum. II. 2. & 3. extſtant. Imago vero apud Ovid. Metam. XIV. 647.

Sæpe manu ſtimulos rigida portabat, ut illum
Juraſſes feſſos modo disjunxiſſe juvencos.

Pignor. de Serv. p. 535.

Bubulcus erat cognomen Juniorum. Cognominis rationem dat Plin. XVIII. 3. *Juniorum familia a bubulco nomen invenit, qui bubus optime utebatur.* Ita Plinium emendavit Pintianus. *Gothofr. in Alex. Gen. Dier.* I. 9. *Sigon. de Nomin. Roman. c.* 5. *Briſſon. de Form.* VII. *p.* 734. *Bubulci* Bruti duo Conſulares fuerunt, quorum alter ter Conſul, bis triumphalis, Dictator, Cenſor ſemel, ac bis Magiſter equitum: alter iterum Conſul triumphavit, ambo *C. Junii* dicti Cajo patre, Cajoque avo prognati Verrio Flacco auctore ſunt. Prior Conſul fuit anno ab U. C. 436. cum Q. Aimilio Barbula, iterum quarto demum anno cum L. Papirio Curſore quintum Conſule. Anno proximo Magiſter equitum fuit C. Sulpitio Longo Dictatore rei gerundæ cauſa. Tertium Conſul cum collega ſuo Q. Barbula iterum eodem anno deſignatus eſt, & de Samnitibus Nonis Sextilibus in Conſulatu triumphum egit. Biennio poſt iterum Magiſter equitum L. Papirio Curſore iterum Dictatore rei gerundæ cauſa. Cenſor cum M. Valerio Maximo anno 447. luſtrum fecit XXVII. Dictator de Æquis a. d. III. Kal. Sextil. anno ab U. C. 451. iterum triumphum egit. Hujus filius, ut creditur, Conſul fuit anno ab U. C. 462. cum L. Poſtumio Megello tertium, qui Interrex erat. Iterum Conſul de Lucanis & Brutiis Non. Januar. anno ab U. C. 476. triumphum egit. *Auguſtin. de Famil. Roman. in Juniis.*

BUC.

BUCCA eſt jactanticulus, qui tantum *buccas* inflat, & nihil dicit. Vet. Schol. ad Juven. Sat. XI. 34.

Orator vehemens, an Curtius, & Matho bucca.

Sunt potius ſcurræ & paraſiti, quos Græci βυκκίωνας ab eadem voce vocant. Latini *buccones* & *buccellarios*. Optimæ Gloſſæ: *buccones*, παράσιτοι, βυκκίωνες. *Salmaſ. in Vopiſc. Tacit. c.* 11. *Lamprid. Alex. Sever. c.* 61. *Buleng. de Conviv.* III. 31.

BUCCELLARIUS, βυκκελλάριος, Latina lingua vocatur is, qui rei panariæ cuſtodiam gerit, ut milites expediti & ab omni onere liberi ad bellum eſſent. *Buccellus* enim ſignificat cibarium, circularem formam præ ſe ferens, cellarius autem cuſtos panis. Conſtant. de Them. VI. *Buccellarii* ipſi erant milites, a quibus præfectura, ſive provincia *Buccellariorum*. Et θέμα βυκκελλαρίων vocatum eſt ſextum a militibus *Buccellariis*, qui olim in ea regione tuenda excubabant in præſidiis locati, ut θέμα Θρακησίων a Thracibus, vel Thracenſibus auxiliariis, qui eam provinciam prætenturis ſuis & præfecturis tuebantur. Inter vexillationes comitatenſes, quæ ſub diſpoſitione Magiſtri militum orientis militabant, *Buccellarios* juniores nominat vetus Notitia Imperii. Hi equites erant. Ab his βυκκελλαρίων θέμα appellatum, quod Maryandenos & Galatiæ partem occupabat. Nihil verius. In magnis ignorantiæ tenebris verſabatur illud ſeculum. Res non magis veteres quam verba callebant, in utroque pariter imperiti. *Salmaſ. Exerc. Plinian. p.* 568. *a. B. Panciroll. Notit. Dign. Imp. Orient. c.* 48. *Buleng. de Imp. Rom.* V. 66. In veteribus Chronicis legimus *ab Aetii buccellario Valentinianum interfectum fuiſſe.* Vox *buccellarii* me diu anxium & ſolicitum habuit. Incidi tandem in Macrocola Mauritii, qui de militia Romana ſcripſit: Ibi *buccellarios* equites eſſe ſcribit armatos zabis & manicis ferreis, contatos & ſagittatos. In magno honore hos equites fuiſſe ex eo apparet, quod in agmine ante Imperatorem exercitus equitabant, & poſt ſequebantur. *Turneb. Adverſ.* XXIV. 16. *Donat. Dilucid. p.* 1092. Aetiani hujus *buccellarii* interpretationem ab equitibus *buccellariis* perperam petit Turnebus. Recentiores ſcriptores *buccellarios* vocitarunt, quos Lamprid. Heliogab. c. 33. & Alex. Sev. c. 61. ſcurras, hoc eſt, corporis cuſtodes & ſtipatores milites prætorianos, & contubernales, ut vocat Alexander *l. l.* Marcellinus enim in Chronico ſatellitem appellat, qui *buccellarius* illi alteri nuncupatur: *Valentinianus Princeps dolo maximi Patritii, cujus etiam fraude Aetius perierat, in campo Martio per Oſtilam & Tranſtilam Aetii ſatellites, jam percuſſo Heraclio ſpadone, truncatus eſt.* Idacius in Chronico familiares vocat: *A duobus barbaris Aetii familiaribus Valentinianus Imperator occiditur.* Familiaris autem id etiam ſignificabat. *Buccellarius* & ſcurra res eadem. Veteres Gloſſæ: *Aſſecla, buccellarius, ſcurra. Buccellarii* igitur & ſcurræ ſunt ſatellites, vel armigeri alicujus principis, vel magnatis, & familiares ipſius, vel domeſtici, vel contubernales: tot enim modis appellantur. Ab ea re ſunt ſic dicti, quod non magis ab latere dominorum ſuorum diſcederent, quam paraſiti illi veri, & aſſeclæ ab eorum quorum menſas ſectabantur. *Salmaſ. in Lamprid. Alex. Sev. c.* 61. *Voſſ. Lex. Etym. Meurſ. Gloſſar.*

BUCCELLATUM erat frumentum excoctum ad uſus diuturnitatem. Ita interpretatur Ammian. XVII. 8. *Viginti dierum frumentum, ex eo quod erat in ſedibus conſumendum, ad uſus diuturnitatem excoctum, buccellatum, ut vulgo appellant, humeris impoſuit libentium militum.* Rhodig. Ant. Lect. IX. 16. Laurent. Var. ſacr. gentil. c. 22. Sed quæſo, quis in annona militari excocti frumenti uſus? & quæ ad diuturnitatem proficere poteſt excoctio? niſi & eundem in panem redactum dixerimus. Ad hæc, cur Peſcenninus piſtores ſequi expeditionem prohibuiſſet, niſi id genus frumenti in panem redactum fuiſſet. *Donat. Dilucid. p.* 1091. panis erat militaris parvus, eo nomine appellatus, quod *buccella* parva ſit. *Turneb. Adv.* XXVI. 15. *Salmuth in Panciroll. de Reb. Deperd. & Invent. p.* 577. Illo milites paſci in caſtris ſolebant, ut ſcribit Ammian. *l. l.* Ab Hippocrate vocatur δίεφθος, & διπυρίτης, & Suida δίπυρος, a nonnullis ξηρὸς ἄρτος. Romanis priſcis, auctore Suida, παξαμάδιον & παξάμας fuit appellatus, qua voce utitur Leo de Re militari, & deducitur ab inventore Paxamo coco. Hieronymus adverſus Jovinianum. *Elaboratas carnes ad jura Apitii & Paxami.* A Gallis, Italis & Hiſpanis panis bis coctus, ſive bis aſſus, alias panis nauticus, propterea quod nautæ eo utantur. Rubidus panis appellatur a Plaut. Caſ. II. 5. 2. *Salmaſ. in Vopiſc. Tacit. c.* 11. *Stuck. Ant. Conviv.* I. 21. *Buleng. de Conviv.* IV. 18. *Nonn. de Re cib.* I. 6. *Brod. Miſc.* IV. 11. *Donat. Dilucid. p.* 1092. *Calcagn. de Re naut. c.* 15. *Lipſ. de Milit. Roman.* V. 11. *Thyſ. Rom. Illuſtr.* V. *p.* 133. Βυκελλάτον ſequioris ævi Græcis Gloſſario vetere. Βυκελλάτυ ἄρτυ ἐλαφρῦ, ὅς λέγεται καλλίκιον. Dabatur in expeditionibus militi ut minus obnoxium corruptioni, & ad portandum levius hoc panis genus; nam eo uſque coqui moris erat, ut a pondere primo quartam partem deficeret, ut ſcribit Procopius. *Expeditionalem annonam* vocat Conſtantinus Imperator, eamque viginti dierum milites accipere vult: *Expeditionalem*

annonam ex horreis milites viginti dierum debent accipere, ut eam transvehant propriis in expeditione necessitatibus profuturam. Quanquam & panis & *buccellatum* tum diversis diebus & præter hæc multa alia annonæ nomine præbita, ut vinum, oleum, laridum, vervecina caro, & aliæ cellarienses species, ut videre est in Codice Theodosiano tit. de Erogatione militaris annonæ. Ubi Constantinus Imperator constituit, quid quoque die in militem erogandum, ne ejusdem annonæ satietas caperet. *Expeditionis*, inquit, *tempore buccellatum & panem, vinum quoque & acetum, sed & laridum, carnem vervecinam etiam milites ita solent percipere, biduo buccellatum, tertio die panem, uno die vinum, alio die acetum, uno die laridum, biduo carnem vervecinam.* Schel. in Polyb. Thes. Antiq. Roman. Græv. Tom. x. p. 1219. A. Panciroll. Notit. Dign. Imp. Orient. c. 41. Vales. in Ammianum.

BUCCINA erat cornu bubulum initio, & instrumentum, quod bubus canebat, aut quod boves canit & vocat. Prop. IV. 11. 79.

Nunc intra muros pastoris buccina lenti
Cantat.

Colum. VI. 23. *Ad sonum buccinæ pecus septa repetere consuevit.* Et tunc nihil discriminis erat inter *buccinam* & cornu: postea fuit, & cornua ista ex ære facta grandiora, & magis reflexa in lapidibus apparent. In re Romana ex ære fiebat, similitudine tamen retenta & sono. *Lips. Milit. Rom.* IV. 10. *Thys. Rom. Illustr.* IV. *p.* 100. Ejus forma habetur apud Ovid. Met. I. 335.

— cava buccina sumitur illi
Tortilis, in latum quæ turbine crescit ab imo.

Concham enim illam contemplantibus figura apparet turbinatiore. *Salmuth in Panciroll. de Reb. Deperd. & Inv. p.* 603. *Laurent. Polym.* IV. *Synops.* I. §. 8. Dabat bello signum: Curt. III. 3. 8. *Die jam illustri, signum e tabernaculo Regis buccina dabatur.* Virg. Æneid. XI. 475.

— bello dat signum rauca cruentum
Buccina.

Barthol. de Tib. Vet. III. 7. Ad vigilias mutandas etiam signum dabat. Prop. IV. 4. 62.

Et jam quarta canit venturam buccina lucem.

Liv. VII. 35. *Ubi secundæ vigiliæ buccina datum signum esset.* Sil. Ital. VII. 154.

— mediam somni quum buccina noctem
Divideret, jamque excubias sortitus iniquas
Tertius abrupta vigil iret ad arma quiete.

Ubi attende item de sorte ad vigilias, & mediam noctem, id est, tertiam iniquissimam habitam, quia turbaret totam quietem. Nam reliquis bonam partem primæ aut sequentis noctis licebat dormire. Hauris etiam dormisse vigiles, cum eorum sors & vices non essent. *Lips. de Milit. Roman.* V. 9. *Mag. de Tintinn. c.* 10. *Barthol. de Tib. vet.* III. 7. Hinc boni scriptores ipsas vigilias *buccinas* appellant, ut ad *primam, secundam, tertiam, quartam buccinam*, id est, vigiliam. Ac minime probabile est, post illam qua vigilia prima denuntiabatur, iterum *buccinam* cecinisse ante secundam vigiliam: vitabant enim tunc, quicquid errori etiam minimo locum posset dare. Nemo discurrere per castra, nemo egredi temere tabernaculo: cætera tunc noctis erant, ut ait Poeta, placida quiete composita, quo vigilibus defectum luminis supplevit aurium judicium. Leo sua ætate consueta *buccina* dimittit prætorium, militemque a laboribus cessare jubet & cœnare. More Lacedæmoniorum per præconem denuntiabatur cœnæ tempus. Sed ad Romanos: sive semel; sive bis cecinerint, neque prandii, neque cœnæ tempus liberum fuit, & dato signo omnes cœnarunt. Rursus finita cœna aliud signum dabatur, sed sola *buccina*. Diserte Tacit. Ann. XV. 30. 1. *Initia vigiliarum per centurionem nuntiari, convivium buccina dimitti.* Schel. in Polyb. Thes. Antiq. Roman. Græv. Tom. x. p. 1183. E. Buleng. de Imper. Roman. II. 33. Lips. ad Tacit. Ann. XV. n. 42. Lyd. de Re milit. V. 3. Adhibita quoque est ad cives convocandos. De Romuli temporibus Prop. IV. 1. 13.

Buccina cogebat priscos ad verba Quirites.

Barthol. l. l.

BUCCINATOR Latinis, βυκανιστὴς Græcis est, qui buccina canit. Cæs. Bell. Civ. II. 35. *Qua re animadversa Varus, & terrore exercitus cognito, & buccinatore in castris, & paucis ad speciem tabernaculis relictis, de tertia vigilia silentio exercitum in oppidum reducit.* Bartholin. de Tib. vet. III. 7. Laz. Comm. Reip. Rom. IV. 11. Meurs. Glossar.

Buccinator nominum sequebatur præconem. Romæ legebatur via Salaria:

L. VOLUSIO. URBANO. NOMENCLATORI
PRÆTORIO. PAPIAS. SERVOS
PUBLICUS. BUCCINATOR. NOMINUM

Pignorius de Serv. p. 285.

BUCCINOBANTES sunt Alemanni juxta Moguntiacum. Ammian. XXIX. 4. *In Macriani locum Buccinobantibus, quæ contra Moguntiacum gens est Alamanna, Regem Fraomarium ordinavit.* Panciroll. Not. Dign. Imp. Orient. c. 46. Cluver. German. Ant. III. 7.

BUCCINUM purpuræ appellatione continebatur. Ulpian. leg. Si cui lana. ff. de Legat. III. *Purpuræ appellatione omnis generis purpuram contineri puto, sed coccum non continebitur, buccinum continebitur.* Bays. de Re Vest. c. 3. Plin. IX. 36. *Buccinum minor est concha, ad similitudinem ejus buccini, quo sonus editur: unde & causa nomini, rotunditate oris margini incisa.* Erat præstantissimum, sed *solum damnabatur, quod fucum remitteret*, auctore Plin. IX. 38. id est, tincturam. Unde Quintil. Inst. Orat. XII. 10. *Si judicium his corruptis* (fucatis) *adhibeas, ut buccini purpuram* (cum fuco conferas) *jam illud quod fefellerat, exuat mentitum colorem, & quadam vix enarrabili fœditate pallescat.* Ferrar. de Re Vest. II. 1. 24.

BUCCULA est pars galeæ, quæ circa malas utrinque dependet, per quam mittitur spiritus, *buccam* tegebat. *Turneb. Adv.* IX. 16. *Godelev. in Liv.* XLIV. 34. *Lyd. de Re Milit.* III. 5. *Thys. Rom. Illustr.* III. *p.* 78. Sed hi procul a vero aberrant, nihil enim est aliud quam umbo clypei, seu scuti pars eminentior, & media. Glossæ Isidori: *Angia, ferrum bucculæ scuti.* Eædem: *Ancile, scuti buccula.* Gloss. Lat.-Gr. *Buccula, παράγναθος. ὀμφαλός.* Gloss. Græc.-Lat. Ὀμφαλὸς ἀσπίδος, *umma*, seu *umbo*. Ugutio: *Buccula, umbo scuti.* Porro, ut Latinis scriptoribus umbo pro ipso clypeo usurpatur, ut apud Statium.

Jam clypeus clypeo, umbone repellitur umbo.

Ita & *buccula* apud Liv. XLIV. 34. *Galeas bucculasque tergere.* Sed præ cæteris id firmat, ubi tropæi apparatum describit, Juven. Sat. X. 133.

Bellorum exuviæ, truncis affixa tropæis
Lorica, & fracta de casside buccula pendens.

Nam inter spolia, quæ tropæis solent affigi bello erepta, ut est apud Scholiasten, clypeus recenseri debuit, uti passim vetera monumenta & nummismata satis evincunt, in quibus tropæa efficta conspiciuntur, ubi & scuta ac clypei a cassidibus dependent, vel certe iis subesse solent. Non igitur mirum *bucculas* a cassidibus non semel distingui, ut diversas, in leg. 1. Cod. Theod. de Fabricens. *Octo apud Antiochiam cassides, totidemque bucculas.* Frustra enim *totidem* adjiceretur, si *buccula* pars fuit cassidis. Capitolin. Maxim. Jun. c. 3. *Fecit & galeas gemmatas, fecit & bucculas*, id est, clypeos. Proinde *bucculartum* structores apud Paternum leg. ult. ff. de Jur. Imm. sunt clypeorum confectores. Sed & *bucculam* pro ipso umbone clypei usurpavere scriptores inferioris ævi, atque in iis Aimon. de miracul. Benedicti IV. 11. *Bucculam clypei, quo suus tegebatur adversarius, fortiter perculit. quæ claviculis, quibus affixa tenebatur, avulsis longius resiliit, moxque manus adversarii nuda apparuit: quippe foramen in clypeo fuerat, quod buccula protegebat. . . . . .* Quin etiam nostri eam scuti partem *boucle* vocabant. Etiam ab hac clypei parte toti clypeo *bouclier* apud nos appellatio indita. *Buccula* vero umbo clypei appellatur, quia in umbone effingebatur

gebatur ut plurimum vultus aut facies viri vel animantis, cujus *buccula* seu os medium obtinebat, uti passim vetera monumenta repræsentant. *Du Fresne Glossario. Meurs. Glossar.*

BUCEPHALUS fuit equus Alexandri Magni. *Emptum Cares scripsit talentis tredecim, & Regi Philippo donatum.* Plin. VIII. 42. *Sedecim talentis ferunt ex Philonici Pharsalii grege emptum.* Gell. V. 2. & Plin. l. l. *Neminem hic alium, quam Alexandrum, regio instratus ornatu, recepit in sedem, alios passim rejiciens.* Ejus simulacrum Lysippus ære dedit. Stat. Sylv. I. I. 84.

> *Cedat equus, Latiæ qui contra templa Diones*
> *Cæsarei stat sede fori, quem tradere es ausus*
> *Pellæo Lysippe duci;*

Buleng. de Equis c. 9. Pinell. Additam. ad Panvin. de Lud. Circ. I. 12. Nonnulli tradunt, equam, non equum fuisse. Ejus rei testimonium præbet I. Festi Codex casca manu exaratus. *Bucephalus Alexandri Magni equus, dicta ita est.* . . . II. Lapis ingens hodieque juxta urbem Philippos in Macedonia conspiciendus, quem præsepe equæ Alexandri appellant, per equam *Bucephalum* intelligentes, ut auctor est Bellorius Observ. I. 56. *Barth. Adv.* XXXVII. 21. Gellii talenta tredecim septem millibus & octingentis coronatis nostro calculo æstimanda. Plinius sedecim talenta refert tribus talentis superadditis, quorum novem millia sexcenta effluent coronata. *Cenal. de Pond. & Mens. rat. Thes. Antiq. Roman. Græv. Tom.* XI. *p.* 1590. *C.*

BUCINUM aureum in regione quarta, quæ Templum Pacis. Rufus habet *Bucena.* Victor *Bucena aurea.* Quid *buccinum* V. supra. Sed de quo intelligatur, ambigitur. Ingentis magnitudinis vel concham, vel tubam fuisse oportet, in loco, a quo facile posset dimoveri. *Pancirolì. Descr. urbis Romæ Thes. Antiq. Roman. Græv. Tom.* III. *p.* 336. *F.*

BUF.

BUFO est rana terrestris, nimiæ magnitudinis. Hunc undecunque & quomodocunque obvium in auguriis felicissimum habuerunt. *Niphus de Augur.* I. 10.

BUL.

BULE est senatus municipalis. V. supr. in βυλή.

BULEPHORUS vocabatur summæ rei rationalis. Ita illum vocat Constantinus Imperator leg. 7. Cod. ubi caus. fisc. *Panciroll. Notit. Dign. Imp. Orient. c.* 75. V. illum infr. in *Rationalis.*

BULGA erat sacculus coriaceus. Nonius: *Bulga est folliculus omnis, quem & crumenam veteres appellabant, & est sacculus ad brachium pendens.* Lucill. VI.

> *Bulgam & quicquid habet nummorum, secum habet ipse.*
> *Cum bulga cœnat, dormit, lavit. Omnis in una*
> *Spes homini bulga, hac devincta est cætera vita.*

Vocem Gallicam esse ait Festus: *Bulgas Galli sacculos scorteos appellant.* Galli hodie dicunt *bouge,* & diminutivo usitatiori *bougette.* Argol. de Lud. Circ. II. 2. Voss. Lex. Etymol.

BULLÆ *ornamenta regalium puerorum vel equorum.* Papias. *Spon. Misc. Erud. Ant. Sect.* 9. *p.* 299. *Aurea ingenuis infantibus in collo solebat suspendi, libertinis scortea.* Ascon. in Cicer. p. 107. Inde vetus Scholiastes Juven. V. 165. *Antiquitus nobilium pueri bullas aureas habebant: pauperum de loris, signum libertatis.* Et Prop. IV. I, 132.

> *Mox ubi bulla rudi demissa est aurea collo.*

Intus fuit cava, atque adeo & claudi & aperiri potuit. Cavitatem vocabulum ostendit. *Bulla* enim omnis intus cava; & si cava non fuisset, pilam rectius, aut pomum appellassent. Quanquam & idcirco appellare maluerint *bullam,* quod licet rotunda esset, non tamen esset per omnia similior *bullis,* quam pilis. Isidor. XIX. 31. *Dictæ bullæ, quod sint similes rotunditate bullis, quæ in aqua vento inflantur.* Vult rotundas quidem esse *bullas,* sed rotunditate illa, quæ est in *bullis* aquarum. Hæ autem dimidia tantum parte sua tales, reliqua plana incumbit aquis. Plutarch. Quæst. Rom. 99. *Vide annon bullam quoque propter lunam gestent. Lunæ enim figura, cum dimidiato fulget orbe, non est globi similis, sed lentis aut disci formam præ se fert.* Luna, ait, ex altera parte, qua lumine destituitur, plana est: ex altera, qua opposita est soli, protuberat, atque ita lentis sive disci præfert figuram, non rotundi undiquaque globi, id enim tum demum fit, cum lucet pleno lumine. Talis ergo & *bullarum* puerilium figura fuit. Existimarunt aliqui, non rotundam, sed oblongam habuisse figuram. Sed non ea mens Plutarchi, uti vel ex disci similitudine apparet, qui non oblonga, verum circulari forma, plana ab una parte, ab altera rotunda fuit. V. infr. in *Discus.* Unum obstat, quod Macrobius in *bullis* cordis memorat figuram, ejus vero non rotunda species. Verum, si quid video, longe aliud is innuit. Verba ejus sunt Saturn. I. 6. *Nonnulli credunt ingenuis pueris attributum, ut cordis figuram in bulla ante pectus annecterent, quam inspicientes, ita demum se homines cogitarent, si corde præstarent.* Non dicit Macrobius, *bullam* habuisse formam cordis; sed in *bulla* eam formam ante pectus fuisse annexum. Quod de sculpta, vel quocunque modo expressa in *bulla* cordis effigie intelligendum arbitror. Certe nisi locum sic interpretemur, aut falsa erunt, quæ Macrobio traduntur, aut reliquorum omnium testimonia, ipsius quoque nominis similitudo ratioque collabentur. *Scheffer. de Torquib. c.* 3. Figuram certe rotundam observamus in marmoribus, non autem cordiformem, quicquid indicare videatur Macrobius. Videmus in illis puerum quatuor annorum jam *bullam,* sed rotundam, gestantem in pectore: reliqui provectioris sunt ætatis, quippe volumen, in quo legere queant, manu tenent. *Spon. l. l.* Ornamenti hujus usus fuit antiquissimus, & apud Ægyptios quoque notus. Apud illos quippe judices e lapidibus pretiosis gestabant *bullam* istiusmodi in torque, quam vocabant *veritatem.* Diodor. Sicul. I. p. 48. B. Ex sapphiro gemma ipsa fuit imago, ut testatur Ælian. Var. Hist. XIV. 34. & ejus ornamenta, quod videtur innuere Diodorus, ex gemmis aliis. *Scheffer. l. l.* Fuit gestamen triumphantium, quam in triumpho præ se gerebant, inclusis intra eam remediis, quæ crederent adversus invidiam valentissima. Macrob. l. l. *Pier. Hierog.* XLI. 5. *Ruben. de Gemm. August. Thes. Antiq. Roman. Græv. Tom.* XI. *p.* 1344. *B. Aring. Rom. Subterr.* VI. 50. 21. *Scheffer. l. l.* Qualia illa fuerint, constare puto nemini. Conjectio tamen de re magica: usitata enim talia veteribus fuerunt. *Scheffer. l. l.* Fuit quoque in toga prætexta ornamentum pueritiæ, atque insigne fortunæ. Cicer. Verr. I. 58. Ostendunt hoc etiam versus Persii Sat. V. 31.

> *Cum primum pavido custos mihi purpura cessit,*
> *Bullaque succinctis Laribus donata pependit.*

Originem prodiderunt Plin. XXIII. I. & Macrobius. *Tarquinius Priscus de Sabinis egit triumphum, & illo bello filium suum annos quatuordecim natum, quod hostem manu percusserat, & pro concione laudavit, & bulla aurea donavit. Vetustatis tamen peritissimi referunt in raptu Sabinarum unam mulierem nomine Hersiliam, dum adhæret filiæ, simul raptam: quam cum Romulus Hosto cuidam ex agro Latino, qui in asylum ejus confugerat, virtute conspicuo uxorem dedisset; natum ex ea puerum antequam alia ulla Sabinarum partum ederet; eumque, quod primus esset in hostico procreatus, Hostum Hostilium a matre vocitatum, & eundem a Romulo bulla aurea honoratum.* Pigh. Annal. I. p. 44. Voss. Lex. Etymol. Pier. ibid. c. 2. Spon. l. l. Primis temporibus proprie fuit patriciorum. Macrobius: *Putant Priscum instituisse, ut patricii bulla aurea cum toga, cui prætexta prætexitur, uterentur, duntaxat illi, quorum patres curulem gesserunt magistratum.* Deinde cum prætextatis omnibus communicatus est hic honos. Festus: *Bulla aurea insigne erat puerorum prætextatorum.* Scheffer. l. l. Accipiebant illam die natali. Plaut. Rud. IV. 4. 127.

> *Et bulla aurea est, pater quam dedit mihi natali die.*

Gestabant illam usque ad annum decimum quintum, id est,

eſt, completo anno decimo quarto Laribus eam ſuſpendebant. Perſius ſupra. *Gyrald. Synt. Deor.* xv. *p.* 441. *A. Kipping. Antiq. Roman.* I. 4. §. 3. *Tomaſ. de Donar. c.* 11. *La Chauſſe de bullis tab.* 6. *Spon. l. l.* Inde *bullatos* Lares, de quibus Petron. c. 38. *Inter hæc*, inquit, *tres pueri candidas ... tunicas intraverunt, quorum duo Lares bullatos ſuper menſam poſuerunt.* La Chauſſe de Deor. Simulacr. tab. 27. Aliis quoque Diis ſuſpenſas fuiſſe non obſcurum eſt. Auream nempe ex catena aurea collo Veneris marmoreæ prope Nemauſum inventæ alligatam vidit Nicolaus Fabricius Dominus de Peyreſc. Junoni item cum ſcypho & tripode dicatam conſtat ex Inſcriptione Gruteri ad hortos Bellajanos Romæ:

JUNONI. PLACIDÆ
CONSERVATRICI. AUGUSTÆ
CLAUDIA. SABBATIS
BULLAM. D. D
ADDIT. ET. SCYPHUM. ET
TRIPODEM. FORTUNÆ. AUG

Tomaſ. de Donar. c. 11. De *bullis*, ſed illum nunquam vidimus, etiam ſcripſit *Henricus Guntherius Thulemarius Conſiliarius Cæſareus.*

Bulla erat tabella penſilis, quæ dies faſtos a nefaſtis diſcriminabat, atque interdiſtinguebat. Petron. c. 30. *Et qui dies boni, quique incommodi eſſent, diſtinguente bulla notabantur.* Hodie Kalendaria, ſeu faſtos ſimiliter habemus in ædibus penſiles, in quibus dies ſacri a profanis rubrica interdiſtinguuntur. *Lotich. in Petron. p.* 221.

Bullæ appellantur a ſequioribus ævi ſcriptoribus, tam Græcis, quam Latinis, ſigilla, quæ literis Principum appendebantur. Unde & ipſas principales literas, Pontificumque decreta interdum *bullas* dici legimus: quod *bulla*, id eſt, majus ſigillum, vel cera impreſſum, vel capſulæ cuidam ex auro, vel argento, aut plumbo incluſum literis illis appenderetur, non aliter ſane, quam olim *bullæ* pueris prætextatis. Hinc *bullare* nihil aliud eſt quam ſigillare. Nec aliunde Doctores *bullati*, quam quod ejuſmodi literis ſuæ docturæ ſigillatis abſque legitimo examine & promotione nitantur. Erant quadruplices: aurea, argentea, cerea, plumbea, quibus omnibus Imperator utebatur. *Kirchman. de Annul. c.* 8. *Buleng. de Imperat. Roman.* II. 10. *Du Freſne Gloſſ. ...o. Hanſen. de Jurejur. c.* 7. *Nicol. de Sigl. vet. c.* 49. §. 2. *Meurſ. Gloſſar. in* Κηροβύλλον.

Bullæ ſunt etiam inter varia dignitatis inſignia, tum ornamenta, quibus conſpicuas fuiſſe ſtatuas legimus. Hinc ſtatuæ *bullatæ*. Valer. Max. III. 1. de Æmilio Lepido. *M. Lepidus*, inquit, *puer etiam tum progreſſus in aciem, hoſtem interemit, civem ſervavit. Cujus tam memorabilis operis index eſt in Capitolio ſtatua bullata, & incincta prætexta, S. C. poſita.* Figrell. de Stat. Roman. c. 20.

Bullæ erant etiam capita clavorum umbellata, quibus ditiorum fores exornabantur, quæ cum ex pulvere contraxerint ſordes, ſedulo abſterſa, ſplendidaque fuiſſe reddita, elucet ex Plaut. Aſin. II. 4. 20.

Juſtin' in ſplendorem dari bullas has foribus noſtris?

Valvas templorum nonnunquam aureis *bullis* fuiſſe diſtinctas apparet ex Cicer. Verr. IV. 56. *Bullas omnes aureas ex his valvis quæ erant & multæ, & graves, non dubitavit auferre.* Huc illud Petron. c. 30. *Et qui dies boni, quique incommodi eſſent, diſtinguente bulla notabantur.* Sic enim ad ea commentantur: *Bullatos clavos intelligit, quibus portæ configuntur, unde bullæ oſtiorum apud Plautum. Clavis autem in oſtio fixis annos & dies notari ſolitos teſtis obſervatio antiquitatis de Dictatoribus clavo pangendo creandis.* At hæ Petronii *bullæ* non in ipſo oſtio, ſed tabulis erant infixæ. V. ſupr. in *Bulla tabula penſilis.* Sic quoque annales iſtos clavos, quibus annos numerare ſunt ſoliti, non puto oſtiis infixos, ſed itidem tabulis. Aut ſi unquam ſunt præfixi januis ab infima plebe, de illa parte, quæ introrſum ſpectabat, id accipiendum. *Sagittar. de Jan. vet. c.* 25. §. 9 *Guther. de Offic. Dom. Aug.* III. 17. *Voſſ. Lex. Etymol. Taubman. in Plautum.*

Bullæ ſunt quoque ornamenta balteorum, & cingulorum. Virg. Æneid. XII. 942.

— *& notis fulſerunt cingula bullis*
Pallantis pueri.

Auſon. Eidyll. VI. 49.

— *& auratis fulgentia cingula bullis.*

Varr. de Ling. Lat. IV. 24. *Balteum, cingulum e corio bullatum. Bullas* has nodos vocant Val. Flacc. Argon. V. 579. ex emendatione N. Heinſii.

Quis procul ille, humerum nodis cui balteus aſper
Subligat?

Et Claudian. in Conſul. Probin. & Olybr. n. 89.

Mordet gemma ſinum: nodus, qui ſublevat enſem
Album puniceo pectus diſcriminat auro.

Heinſ. in Flaccum. Cerda in Virgilium.

BUR.

BURA, ſive *buris*, eſt illud curvamen aratri, quod vomerem excipit. Non. II. 92. *Bura dicitur pars aratri poſterior decurvata*, Virg Georg. I. 199.

Continuo in ſylvis magna vi flexa domatur
In burim, & curvi formam accipit ulmus aratri.

Varr. de Re ruſt. I. 19. *Sæpe fracta bura relinquunt vomeres in arvo.* Voſſ. Lexic. Etymol.

BURDO eſt aſinus, ſeu, ut alii cenſent, mulus ex equo & aſina natus. Gloſſæ Græco-Lat. Ἡμίονος, ἐξ ἵππου θηλείας καὶ ὄνου, *mulus, burdo.* Gloſſæ Biblicæ MSS. *Burdo, brevis equus, aſina & emiſſario conceptus.* Vetus Epigramma:

Burdonem ſonipes generat commixtus aſellæ.

Utitur hac voce Ulpian. de Legat. III. leg. Item Legato. *In legato jumenta, vel lectica, vel ſella, vel burdones.* Cujac. Obſerv. XI. 16. Du Freſne Gloſſario. Buleng. de Equis c. 13. Baſternæ portandæ *burdones* aſſignat Epigramma vetus ſupr. in *Baſterna.* Carrucam etiam dormitoriam, qua matronæ utebantur, trahebant. Leg. 13. ff. de aur. & arg. leg. *An carruca dormitoria, cum mulis, cum ſemper uxor uſa ſit, ei debeatur.* Pignor. de Serv. p. 432.

BURGUM centenarium forte legendum pro, quod eſt in Notitia Imperii, *Borgum centenarium.* Eſt enim *burgum* vicus aut caſtrum leg. 2. §. 1. Cod. de Offic. P. P. Afric. Centenarius autem forte vocatus eſt a centum militibus ibi morantibus. Nam centenarii vocabantur centum militibus Præfecti, ait Veget. II. 13. & Modeſtin. de vocab. milit. *Panciroll. Notit. Dign. Imp. Occid. c.* 80.

BURGUS hodie nomen eſt parti Vaticani propinquæ templo S. Petri, quam Leo IV. Pontifex circumductis mœnibus munivit, & quæ a conditore accepto nomine Leonina civitas eſt dicta. Huic, ut ajunt, ingentem turrim, quæ a tergo baſilicæ inſidet collem, Leo addidit. *Donat. de Urb. Rom.* I. 14. Pontificum Romanorum perpetua ſede, & toto orbe auguſtiſſima atque celebratiſſima principis Apoſtolorum Petri baſilica clarus. Ejus urbis portæ ſunt ſeptem. *Panvin. Deſcr. Urb. Rom. Theſ. Antiq. Roman. Græv. Tom.* III. *p.* 230. *A.*

BURRA fuit prænomen in frequenti uſu antiquarum mulierum, a colore dicta, nempe rufo. Valer. Max. Epitom. de Nom. rat. *Burrum enim dicebant antiqui, quod nunc dicimus rufum.* Ita Feſtus. *Urſat. de Not. Rom. Theſ. Antiq. Roman. Græv. Tom.* XI. *p.* 568. *A.*

BURRANICA dicebatur in Paganalibus potio, a colore *burro*, quem mulſum lacte dilutum facit. Feſtus: *Burranica potio appellatur lacte commixtum ſapa, a rufo colore, quem burrum vocant.* Ovid. Faſt. IV. 778

Dum licet, appoſita velut in cratere camella
Lac nitidum potes, purpureamque ſapam.

Scalig. Conj. in Varr. p. 79. Hoſpinian. de Orig. Feſt. Ethnic. p. 99. Voſſ. Lex. Etymol.

BURRUS nomen fuit virorum. Colligo ex filio illius Parthenii apud Mart. IV. 45. 1.

Hæc tibi pro nato plena dat lætus acerra,
Phœbe, Palatinus munera Parthenius.
Ut qui prima novo signat quinquennia lustro,
Impleat innumeros Burrus Olympiadas.

Ursat. de Not. Rom. Thes. Antiq. Roman. Græv. Tom. xi. p. 568. B.

BUS.

BUSTA Gallica fuerunt in quarta regione Urbis, quæ Via sacra, alias Templum Pacis. *Panvin. Descr. Urb. Rom. Thes. Antiq. Roman. Græv. Tom.* III. *p.* 289. *A. Guther. de Jur. Man.* I. 6. Nonnulli ad ima montis e regione hortorum Piorum, ubi ædicula S. Andreæ in Portugallo est, sita fuisse opinati sunt. (In illis est *Marlian. Topogr. Urb. Rom.* III. 10. *est etiam Faunus Antiq. Urb. Rom.* II. 25.) Verum nulla subnixi auctoritate, vel indicio, nisi alicujus & exiguæ nominis convenientiæ. Alias situs haud multum diversus esse potuit, ut liquet ex Liv. XXII. 14. *Media urbe, qua nunc Busta Gallica sunt, & postera die citra Gabios cecidit Gallorum legiones.* Verba hæc namque pugnam illam non longe a Capitolio ad Amphitheatrum Flavii quod in tertia regione, quæ Isis & Moneta dicta, ponit S. Rufus, accidisse indicant. Nihil tamen certi affirmo, quod argumentum hoc invalidum, & non magni ponderis videatur. Quare quisque suo per me licet judicio fruatur. *Nardin. Rom. Vet.* III. 9. Locus dictus fuit, quod Galli post oppressam Urbem, tandem a Camillo cæsi, ibi rogo generali conflagrarint. Varro de Ling. Lat. IV. 32. *Is locus ad Busta Gallica: quod Roma recuperata, Gallorum ossa, qui possederant Urbem, ibi coacervata ac consepta.* Marlian. l. l. Borrich. Ant Urb. Fac. c. 5. §. 2. Ferret. Mus. Lapid. IV. Mem. 24.

BUSTIRAPUS dicebatur, qui e *bustis & flamma cibum petebat*, ut Terent. Eun. III. 2. 38. & Lucill. Satyr. XXVII. apud Non. II. 593.

Mordicus petere aurum ex flamma expediat, e cœno cibum.

Quod ortum habet ex more illo, stulta superstitione, quod in rogum panem prisci imponerent, aliaque ad vitam necessaria, tanquam ipsis vesci possent mortui. Illis autem rebus ex igne rapiendis insidebant sordidi quidam & abjectæ admodum conditionis homines: quod indicavit etiam Catull. LIX. 1.

Uxorne Meni, sæpe quam in sepulcretis
Vidistis ipso rapere de rogo cœnam,
Cum devolutum ex igne prosequens panem
A semiraso tunderetur ustore.

Vel potius inde ductum est, quod cum id non sine maximo periculo fieri possit, qui aliunde haberet, unde aleretur, nunquam rationem illam tentaret: quare significat postremam quandam egestatem, atque aviditatem ejus, qui hoc faciat. Voce hac utitur Plaut. Pseud. I. 3. 127. *Victor. Var. Lect.* XXI 9. *Guther. de Jur. Man.* I. 25. *Kirchmann. de Fun. Roman.* IV. 5. *Lindenb. in Terentium, Muret. in Catullum.*

BUSTUARIÆ moechæ vocantur a Mart. III. 93. 15.

Admittat inter bustuarias mœchas.

Non erant mulieres ad funus deplorandum conductæ, ut nonnulli explicant; sed vulgaria & diobolaria scortilla inter *busta* atque monumenta pæne in propatulo prostantia, de quibus Mart. I. 58. 8.

Abscondunt spurcas & monumenta lupas.

Turneb. Adv. XIII. 19. Kirchmann. de Fun. Roman. III. 22. Voss. Lex. Etymol. Laurent. de Adult. c. 3.

BUSTUARII dicti sunt gladiatores a *busto*, qui post lustrationem ante rogum dimicabant. V. infr. in *Gladiatores.*

BUSTUM *proprie dicitur locus, in quo mortuus est combustus & sepultus.* Festus. Servius tradit eadem ex emendatione Kirchmanni Æneid. XI. 201. *Bustum dicitur id, in quo mortuus combustus est, ossaque ejus ibi juxta sunt sepulta.* Kirchmann. de Fun. Rom. III. 1. Morestell. Pomp. Feral. VI. 1. Bergier. de viis milit. II. 38. Guther. de Jur. Man. I. 25. Voss. Lex. Etymol. Ursat. de Not. Roman. Thes. Antiq. Roman. Græv. Tom. XI. p. 568. C. Plurimum nobiles Romani eodem loco & cremabantur & sepeliebantur. Tacit. Annal. II. 73. 5. *Corpus antequam cremaretur, nudatum in foro Antiochensium; qui locus sepulturæ destinabatur.* Cicer. de Legib. II. 26. *Pœna est, si quis bustum, nam id puto appellari τύμβον, aut monumentum violarit.* Philip. I. 2. *Quum iidem in foro bustum facerent, qui illum insepultum sepulturam effecerant.* Donat. Dilucid. p. 729. Eorum, qui in publica detestatione erant, lapidibus petere solebant veteres. Auson. Eidyll. XV. 34.

— crimen ob istud
Timon Cecropiis olim lapidatus Athenis.

Eurip. Electr.

— Insultat sepulcro
Saxisque pulsat lapideum monumentum patris.

Prop. IV. 5. 75.

Scabris hoc bustum cædito saxis.

Scalig. ad Propertium. Turneb. Adv. XXIII. 6. Guther. de Jur. Man. II. 15.

Bustum fuit in campo Martio, quæ structura fuit, in qua primum Augusti, deinde & aliorum Principum cadavera cremata fuere. Suet. Aug. c. 101. n. 7. *Senatorum humeris delatus in campum, crematusque.* Ejus ambitus in medio campo erat ex albo saxo, teste Strab. V. p. 163. in orbem cinctus ferrea sepe, intus alnis consitus. Herodian. IV. 2. 10. *Lectum extra urbem preferunt in Martium campum: ubi qua latissime campus patet, suggestus quidam specie quadrangula, lateribus æquis assurgit, nulla præterquam lignorum ingentium materia compactus in tabernaculi formam.* Ubi figura campi semicirculari & triangulari mixta erat, angustior versus Pantheon, longior versus flumen, inter utrumque montem Citorium & Jordanum, loco, cui hodie Scrofæ nomen: cujus forsan diametrum versus semicirculum occupavit, ita ut Ecclesia S. Augustini, quæ in planitie illa editiore loco consurgit, ruderibus videri possit ipsius *busti* imposita. *Nardin. Rom. Vet.* VI. 7. *Borrich. Ant. Urb. Fac. c.* II. §. 6.

Bustum aræ erat aræ focus, ubi ignis accendebatur. Hieronymus: *Non est tantum in eo servitus idoli, si quis duobus digitulis thura comprehensa in bustum aræ jaciat.* Turneb. Adv. XIX. 21.

BUT.

BUTEO dictus est Fabius, quia insidens in navi *buteo* avis bono auspicio duci ei fuit. Plin. X. 8. *Turrig. ad Inscript. Urs. Tog. Thes. Antiq. Roman. Græv. Tom.* XII. *p.* 395. *B. Sigon. de Nom. Roman. c.* 5. *Beroal. Append. Annot. c.* 16. *Alex. Gen. Dier.* I. 9. *Rhodig. Ant. Lect.* XXIV. 4. *Pius Annot. Post. c.* 16. Ejus familia duos habuit consulares, quorum alter multis aliis honorum titulis ornatus fuit: nam Dictator, Censor, & Magister equitum, & bis Princeps Senatus fuit Numerius Fabius M. F. M. N. *Buteo.* Is Consul fuit anno ab U. C. 506. cum L. Cæcilio Metello. II. Censor cum C. Aurelio Cotta post sex annos. Lustrum fecerunt nonum & trigesimum. Magister equitum anno ab U. C. 529. L. Metello collega Dictatore comitiorum causa. Dictator sine Magistro equitum senatus legendi causa fuit post pugnam Cannensem, quod nunquam amplius accidit, anno ab U. C. 537. Princeps senatus lustro 42. & 43. lectus est. Alter *Buteo* superioris frater biennio post fratris consulatum cum C. Atilio Bulbo Consul fuit. *Augustin. & Strein. de Famil. Roman. in Fabia.*

Buteo avis est de genere accipitrum. Plin. X. 8. *Triorchem a numero testium, cui principatum in auguriis Phœmonoe dedit: buteonem hunc appellant Romani, familia etiam ex eo cognominata, cum prospero auspicio in ducis navi sedisset.* Pius Annot. Post. c. 16. Buleng. de Aug. c. 6. Alis &

volatu auspicium faciebat. Festus. *Buleng. l. l. Brisson. de Formul.* I. *p.* 122.

BUTHYSIA, βουθυσία, Hanc vocem & Latini usurpant. Suet. Ner. c. 12. n. 11. *Inter buthysiæ apparatum barbam posuit.* Est & verbum βουθυτεῖν, id est, bovem immolare, vel majore uti sacrificio; quo verbo usus est Aristoph. Pluto IV. I. 19. *Gyrald. Synt. Deor.* XVII. *p.* 484. *B.* magnum & sollenne sacrificium. Athen. IV. p. 149. C. *Cum heroibus sacrificant, boves multos immolant, βουθυσία μεγάλη γίνεται, ac cum servis epulantur. Argol. in Panvin. de Lud. Circ.* II. I. Scholiastes Aristoph. l. l. Βουθυτεῖ καταχρηστικῶς εἴρηται ἡ βουθυσία, δηλοῦσα τόν τε ὄγκον τοῦ μεγέθους, καὶ τὸ ἐντελὲς τῆς θυσίας, ἣν ἑκατόμβην καλοῦσιν. ἐντελὴς δὲ θυσία, καὶ ἐξ ὑὸς, ταύρου, τράγου καὶ κριοῦ. *Bovicidium* dixit Solin. c. 1. *Conseptum etiam, intra quod ritus sacrorum, factis bovicidiis, docuit Potitios.* Pitisc. in Suetonium.

BUX.

BUXENTUM est oppidum Lucaniæ post Palinurum promontorium & flumen Melfen. Plin. III. 5. *Proximum autem huic flumen Melphes, oppidum Buxentum, Græce Pyxus.* Cluver. Ital. Ant. IV. 14. 16. Colonia est facta Romanorum P. Cornelio Scipione Africano iterum & T. Sempronio Longo Consulibus anno ab U. C. 558. ante natum D. Jesum 205. Liv. XXXII. 29. *C. Acilius Tribunus plebis tulit, ut quinque coloniæ in oram maritimam deducerentur: duæ ad ostia fluminum Vulturni Liternique: una Puteolos: una ad castrum Salerni. His Buxentum adjectum.* Paterc. I. 15. 3. *Eodem temporum tractu, quanquam apud quosdam ambigitur, Puteolos, Salernumque & Buxentum missi coloni.* De eadem Liv. XXXIX. 23. Sp. Postumio Albino, Q. Marcio Philippo Consulibus *desertas colonias, Sipontum supero & Buxentum infero mari invenerunt, triumviri ad colonos eo scribendos ex Senatusconsulto, ab Tito Mænio Prætore urbano creati sunt L. Scribonius Libo, M. Tuccius, Cn. Bæbius Pamphilus.* Sigon. de Ant. Jur. Ital. II. 5. Panvin. Imp. Roman. c. 11. Cluver. l. l.

BUXUM vocabatur quoque fritillus, sive vasculum illud ligneum, per quod tali agitabantur. Auson Prof. Burdig. I. 25.

Vidimus & quondam tabulæ, certamine longo,
Omnes qui fuerant, enumerasse bolos.
Alternis vicibus quos præcipitante rotatu
Fundunt excussi per cava buxa gradus.

Erat enim *buxum* cavum, desuper patentius, quod per gradus in angustum os descendens tesseras injectas rotare sæpius, & invertere cogebatur, priusquam fundo emitteret, ne locus fallendi daretur lusoribus. *Barth. Adv.* XXXV. 10. *Senftleb. de Alea vet. c.* 11. §. 22.

BUXUS in Cybeles erat tutela, quod ex ista arbore fistulæ fierent. Stat. Theb. VIII. 222.

— gemina æra sonant, Idæaque terga,
Et moderata sonum vario spiramine buxum.

Virg. Cir. n. 166.

Sæpe velut gelidis Ciconum Bistonis in oris,
Ictaque barbarica Cybeles antistita buxa,
Infelix virgo tota bacchatur in Urbe.

Ejus etiam in Bacchi sacris usus erat, forte quod immortalitas Deorum majestati conveniret, & hæc arbor cariem nunquam patiatur. Stat. Theb. IX. 479.

— cum Bacchica mugit
Buxus, & insanæ maculant trieterida matres.

Demster. Paral. ad Rosin. Ant. Rom. II. 4.

BUZ.

BUZYGIA familia. V. illam infr. in *Familia.*

BYS.

BYSSINA verba dicuntur, quæ sublimitatem habent ac magnificentiam, nitorem quoque & auctoritatem: quando hæc pars est, quæ popularem exprimere fragorem potest, ac afficere, ut dicentes laus prosequatur insolita. Plutarch. Apophth. 9. *Parysatis Cyri & Artaxerxis mater jubebat eum, qui Regem liberius esset allocuturus, byssinis uti verbis.* Rhodig. Ant. Lect. XXIII. 7. Brassican. Adag. p. 134. A. Saubert. de Sacrif. c. 9. Sunt mollissima & lenissima, quidquid aliter viri docti interpretentur, quemadmodum *byssinæ* vestes sunt mollissimæ & tenuissimæ. *Ferrar. de Re Vest.* II. 4. 12. *Braun. de Vest. Sacerd. Hebr.* I. 6. 7.

BYSSUS est *lini quædam species apud Indos.* Pollux VII. 17. Gignitur e terra, circa Elidem præcipue, Achajæ urbem. Plin. XIX. 1. *Proximus principatus est byssino, mulierum maxime deliciis circa Elim in Achaja genito: quaternis denariis scripula ejus permutata quondam, ut auri, reperio.* Isidor. XIX. 22. *Byssina candida confecta ex quodam genere lini grossioris. Sunt & qui genus quoddam lini byssum esse existiment.* c. 27. *Byssum genus est quoddam lini nimium candidi & mollissimi.* Panciroll. de Reb. Deperd. & Inv. p. 24. & ad illum Salmuth. Lips. Tacit. Annal. II. Excurs. I. Antonius Thylesius *byssum* ait coloris fuisse pæne aurei. Sed errat. Non est enim coloris, sed, ut ex his, qui pure locuti sunt, constat, lini præstantissimi genus. Illi etiam adversatur illud Eucherii Instruct. I. *Byssus castitatis, vel continentiæ candor.* Aretas in Apocalypsin interpretatur corticem arboris Indicæ in linum redactam. Sic enim scribit c. 57. τοιοῦτον γὰρ ἡ βύσσος, φλοιὸς δένδρου Ἰνδικοῦ εἰς λίνον κατειργασμένη. Sed fallitur. Nascitur enim e terra, similisque fuisse videtur lino isti, quod vulgo Cameracense vocamus. Quanquam Indiæ solum meminerint Pollux & Isidorus, tamen in Ægypto quam maxime crevisse cognoscimus ex Ezech. c. 27. n. 7. & Hieronymi in illum commentariis. Idem Epist. ad Fabiolam *bysso* non modo decorem tribuit, sed etiam quod difficulter rumpatur. Paullin. ad Cytheriam:

Nam fila byssi fortiora, & sparteis
Feruntur esse funibus.

Differt a serico. Vel fidem fecerit hic locus Tertull. de cultu femin. c. 13. *Vestite vos serico probitatis, byssino sanctitatis, purpura pudicitiæ.* Nec quomodo differant, obscurum esse potest, cum e terra nascatur: sericum vero producatur a vermiculis. V. infr. in *Sericum.* Voss. Lex. Etymol. Pinnæ muscosum & lanosum capillitium, quod Græce ἔριον, Latini vellus & lanam appellant, doctissimis hominibus *byssum* placuit appellari, atque etiam nunc *byssum marinum* vocare non desinunt, haud scio qua ratione ducti. Nam verba Aristotelis de pinna non eo ducunt: Αἱ δὲ πίνναι φύονται ἐκ τοῦ βυσσοῦ ἐν τοῖς ἀμμώδεσι καὶ βορβορώδεσι. Nam βυσσὸς ibi est βυθός. atque ita posuit Athen. III. p. 89. ἐκ τοῦ βυθοῦ. Non solum igitur improprie, sed inepte prorsus *byssus* vocatur, quod lana est. Atqui *byssus* linum: ne linum quidem est, sed certa lini species hoc nomine censebatur. *Byssus* de colore purpureo etiam exponitur a quibusdam. Hesychius: βύσσινον, πορφυροῦν. a flore *byssi* vel lini, qui purpurei coloris est; sed lanam nemo unquam *byssum* appellavit, aut appellatum legit. *Salmas. ad Tertull. de Pall. p.* 219. Vestes mollissimæ ac tenuissimæ ex illa lini specie pretiosissima conficiebantur. Et hæ, quoniam pretiosissimæ, & ut dixit Plin. XIX. I. *mulierum deliciæ* erant, ideo ferme purpura tegebantur. Quæ res veteres Grammaticos in errorem impulit, ut *byssinum* colorem purpureum interpretarentur. *Byssi* frequens mentio in sacris literis, præcipue in apparatu vestis sacrificalis, velisque & aulæis tabernaculi. *Byssina* Josephi stola Gen. c. 41. n. 42. Dives etiam epulo purpura & *bysso* indutus dicitur Luc. c. 16. n. 1. quod a purpura distinctam vestem *byssinam* fuisse satis declarat. *Ferrar. de Re Vest.* II. 4. 12.

BYZ.

BYZANTINI erant cœnarum artifices & asseclæ. Ea de re Sidon. Epist. IV. 6. *Et cum apud crudos ceparumque*

crapulis

crapulis esculentos hic agat vulgus, illic ea comitate retractabitur, ac si inter Apicios epulones & Byzantinos chironomontas hucusque ructaverit. Buleng. de Conviv. IV. 3. Proclives & propensi sunt ad vinum, relictis suis ædibus & domibus peregrinis eas mercede locant, & transmigrant in cauponas. Neque solum hoc, sed etiam uxores illis relinquunt. Ælian. Var. Hist. III. 14. *Buleng. ibid.* III. 1.

BYZANTIUM quinam & ubi condiderint, docent Tacit. Ann. XII. 63. Strab. VII. p. 231. Chalcocond. de Reb. Turc. I. 3. Xiphil. LXXIV. p. 844. E. *Arctissimo inter Europam Asiamque divortio Byzantium in extrema Europa posuere Græci, quibus Pythium Apollinem consulentibus, ubi conderent urbem, redditum oraculum est, quærerent sedem cæcorum terris adversam. Ea ambage Chalcedonii monstrabantur, quod priores illuc advecti, prævisa,* sive ut Lipsius, *parum visa locorum utilitate pejora legissent. Quippe Byzantium fertili solo, fœcundoque mari: quia vis piscium in Metapontum erumpens, & obliquis subter undas saxis exterrita omisso alterius littoris flexu, hos ad portus defertur.* Vocata fuit postea *Constantinopolis* & *nova Roma.* Stephanus. Hodie a Turcis vocatur corrupto nomine *Stambol* & *Stampol*, ut docet Pinedo ad Stephanum. *Pitisc. ad Suet. Vesp. c. 8. n. 9.* §. 19. & pluribus *Nonn. in Goltz. Græc. p.* 150. *Gyll. Topogr. Constant.* I. 1. Imperio Romano adjecit Vespasianus Imperator. Suet. Vesp. c. 8. n. 9. *Byzantium in provinciæ formam redegit.* Et regionibus a Vespasiano in provincias redactis annumeratur ab Euseb. a. 2089. Eutrop. VII. 17. & Oros. VII. 9. *Panciroll. Notit. Dign. Imp. Orient. c. 99. Pitisc. l. l.* Herodian. III. 6. 18. scribit *Byzantium*, quia Nigro faverat, a Severo dirutum; & theatro thermisque & omni cultu atque honore detracto in vici formam redactum. *Panvin. Fast.* II. *p.* 284. *Panciroll. l. l.* V. hæc latius describentem Xiphilinum LXXIV. p. 846. Postea imperii sede eo translata, in antiquum splendorem restituta, & nova Roma a Constantino est appellata l. 5. C. de oper. publ. l. general. in fine C. de episc. & cleric. omnibusque veteris Romæ privilegiis est potita l. 6. C. de sacros. eccles. l. 2. C. de privil. urb. Constantin. *Panciroll. ibid. c.* 25. V. infr. in *Constantinopolis.*

C.

C omnino eadem litera est, quæ *K.* Unde Suidas *C* vocat κάππα Ῥωμαϊκόν. Sic enim voce χλάμυς scribit: Καὶ ἐν τοῖς τῶν βουλευτῶν ὑποδήμασιν ἀποσημαίνεσθαι τὸ Ῥωμαϊκὸν κάππα. Ait Kappa Romanum in Senatorum calceis apponi solere. Ubi plane intelligit lunulam, cujus figura est non *K*, sed *C.* Voss. Gramm. I. 17. V. infr. in *K.*

C litera, quam ideo odio habebant, ut testatur Cicer. pro Sext. Rosc. c. 20. dum inquit: *Sed si ego hoc bene novi, literam illam, cui vos usque eo inimici estis, ut eas etiam omnes oderitis, ita vehementer ad caput affigent, ut postea neminem alium, nisi fortunas vestras, accusare possitis.* Et ad ipsum Scholiastes: *Quotiescunque aliquem damnabant judices, literam* K, (illa vero est eadem quæ *C.* V. supr.) *faciebant. Hoc ergo dicit Cicero, si aliquem sine suspicione accusaveritis, vobis crura frangantur, etiam K sic odistis, ut etiam per ipsam fugiatis Kalendas, propterea quod Kalendæ per K. scribuntur:* Et quam eadem de causa, ut idem testatur pro Mil. c. 6. *tristem* vocabant: utebantur judices in judiciis, & sententiis dicendis, dum reum, de peccato, de quo accusabatur, si causa ipsis mala videbatur, condemnabant. Tabulas enim literam *C.* condemnationis notam insculptam habentes, in cistam, conjiciebant, sive sitellam, de qua infr. in *Situla.* Brisson. de Formul. v. p. 480. Pollet. For. Roman. IV. 15. v. 8. Hugo de prim. scrib. orig. c. 22. Manut. de Leg. Roman. c. 2. Alex. Gen. Dier. III. 5. & ad illum Tiraquellus. Pier. Hierogl. XVII. 23. Sigon. de Jud. II. 22. Bud. in Pand. p. 32. H. 33. G. Donat. Dilucid. in Liv. c. 43. Sardus de Mor. ac rit. gent. II. 22. Ursat. de Not. Roman. Thes. Ant. Roman. Græv. Tom. XI. p. 586. D. Morestell. de diverf. dier. dial. 12. Schil. Nom. Philol. p. 117. Prevot. de Magistrat. Roman. c. 7. Crinit. de Honest. Discipl. VI. 8. Nicol. de Sigl. vet. c. 11. §. 2. Blond. Triumph. Rom. IV. p. 105. D.

C litera dies comitiales notabat apud antiquos, ut est videre in fastis antiquorum. *Gyrald. de Ann. & Mens. Tom.* II. *p.* 805. *E. Edit. Lugdun.*

C litera, quæ tertia est in alphabeto, numerus centenarius, ut nunc, sic olim notabatur. Diomed. II. 5. *C. nota est numeri, cum centum significat.* Bud. de Asse III. p. 246.

C. Litera in veteribus monumentis Cajum denotabat, ea inversa hac figura Ɔ Cajam denotabat. *Alex. Gen. Dier.* v. 4. *Sigon. de Nom. Roman. c.* 3. *Ursat. de Not. Roman. Thes. Antiq. Roman. Græv. Tom.* XI. *p.* 587. *D.* V. & infr. in *K.* Quia tam Cajas vocitatas esse, quam Cajos ex nuptialibus sacris apparet. *Tiraquell. ad Alexandrum.* V. infr. in *Nuptiæ.*

Ɔ inversum fuit nota sicilici apud antiquos, prout sicilicus est quarta pars unciæ. Volus. Mæcian. in distribut. assis: *Dividitur uncia in quatuor sicilicos, id est, quatuor quartas: nota sicilici* Ɔ. Vel prout sicilicus est quadragesima octava pars jugeri, quæ constabat pedibus sexcentis, ut observat Colum. v. 1. *Ursat. de Not. Roman Thes. Ant. Roman.* XI. *p.* 587. *E.*

C in P. mutandi mos fuit perpetuus librariorum. Ita *patasphærum* pro *catasphærum*, puto fuisse scriptum in verbis ICti l. 16. ff. de public. & vectig. ubi hodie legitur *folium pentasphærum.* Sic *pithepus*, & *cercopithepus* in antiquo libro notarum Tironis, ac Senecæ scriptum est. *Salmas. Exerc. Plin. p.* 755. *b. C. p.* 913. *a. G.*

CC. cum linea supraducta millia notat. Plin. VI. 22. *Appositum oppido Palesimundo, omnium ibi clarissimo ac regia CC plebis.* Dicit in eo oppido ducenta millia plebis Urbanæ fuisse. *Salmas. Exerc. Plin. p.* 786. *b. D.*

C pro E sæpius mutationibus invicem alternat: Apud Capitolin. Pertin. c. 9. in scriptis codicibus in versu Lucilliano allato constanter scribitur *crarius mergus*, aut *grarius.* Non dubitamus ita vitio esse scriptum pro *erarius.* Ita superius in Cassio *Clementis* habuerunt libri pro *elementis.* Salmas. in Capitol. Pertin. c. 9.

C pro G. antiqui frequenter ponebant. In nummis *Oculnius* pro *Ogulnius* scriptum est. Confirmat hoc antiquissima C Duilii rostratæ columnæ inscriptio: in qua *leciones, macistratos, Cartaciniensis, pucnando, cessit* est pro legiones, magistratus, Cartaginiensis, pugnando, gessit. *Ursin. de Famil. Roman. in Ogulnia gens.* Diomed. II. p. 413. G. *Nova est consonans, in cujus locum C. solebat apponi, hodieque cum Gajum notamus Cæsarem, scribimus C. Cæsarem.* Quintil. Inst. Orat. I. 7. ait *quædam aliter scribi, aliter nuntiari. Nam Gajus*, inquit, *C. litera notatur.* Terentianus Maurus:

Vel priores G Latini nondum ab apice finxerant.
Cajus prænomen proinde C. notatur, G. sonat.

Noris. Cenot. Pisan. Dissert. IV. c. 5. Spanhem. De usu Numism. Dissert. II. p. 55. Ursin. Fam. Rom. in Ogulnia. Pigh. Annal. Rom. II. p. 22. Antiquissimi enim ignorabant figuram τῦ G. Ejus vero vim & sonum per literam *C* efferebant, quæ potestate, ordine & forma quoque Græco Γ respondebat, unde & *gammæ vice prius functam* ait Ausonius in Eidylliis de literis. II. 21. Voluit idem Festus. *Prodigia*, inquit, *quod prædicunt futura, permutatione G. literæ, nam quæ nunc C. appellatur, ab antiquis G. vocabatur.* Sensus est: Prodigia a prædicendo, vel prodicendo denominata esse, facta permutatione G literæ in locum *C* qua usi sint antiqui, qui non habentes figuram literæ *G*, ejus *G* tamen sono extulerint & vocaverint eam literam, quæ nunc vulgo *C* appellatur & pronuntiatur ut Græcum *K*, seu, ut idem ait in Voc. Orcus, *per C literæ formam nihilominus G. usurparint*, id est pronuntiarint. Ipsam *G* literam Romani *sero acceperunt a Sp. Car-*

vilio demum inventam; quum jam C literæ sonus a τῷ γάμμα ad τὸ κάππα desciscere cœpisset. Plutarch. Quæst. Rom. 54. Intelligenda hæc de figura literæ G, nam formam ejus, seu τῦ γάμμα antiquitus sub figura literæ C habuerunt. *Perizon. Animadv. Histor. c. 7.*

C & Q literarum affinitas est nota etiam iis, quibus hoc tantum, alteram alteri juvandæ repertam, & sæpe mutuas operas præbere: *cocus, coquus: cotidie, quotidie: cas, quas: coque, quoque* in pervulgato Ciceronis joco: *com. quom,* & nota ad id Grammaticorum nemini ignota: *cointus, quintus* in marmoribus: *cuando, quando* in libello Velit. *coipe, quippe* in Pandectis Florentinis. *Palmer. Spicil.* VIII. *Turneb. Adv.* XXX. 28. *Reines. Inscr. Class.* V. *n.* 14. *Voss. de Art. Gramm.* I. 18. *Guther. de Jur. man.* II. 13.

C & S literæ affines sæpe mutatæ observantur in saxis. Hinc *Catullii* pro Satullii: *Cotera* pro Sótera: *Aste* pro Acte. *Reines. Inscr. Class.* VI. *n.* 112. I. *n.* 47. 75. 81. *Salmas. Exerc. Plin. p.* 382. *a. c.* 923. 6. *E.*

C & T sæpe in veteribus libris permutantur. Capitolin. in Maximin. c. 11. *Ticum* appellat, ubi non dubitamus, quin sit reponendum *Titum.* Et apud Trebell. Poll. trigint. tyran. c. 32. libri præferunt *acrocolicam statuam,* quæ *acrocolita statua* est. *Salmas. in Capitol. Maximin. & Trebell. Poll. trig. tyr. l. l. Tertull. de Pall. p.* 166. *Exerc. Plinian. p.* 756. *b. E.* 757. *b. C. Boxhorn. in Plutarch. Quæst. Roman.* 22. *Reines. Inscr. Class.* I. *n.* 10. *Braun. de Vestit. Sacerd. Hebraic.* I. 15. *Bochart. Hieroz.* II. 53. *Malvas. Marm. Fel. n. Secl.* VIII. *c.* II.

CAB.

CABIRI ex *Cabera* Protei filia Vulcano geniti dicuntur. Hesychius: Κάβειροι· λέγονται εἶναι Ἡφαίστου παῖδες. Hi ignis usum, ferrique fabricam homines docuisse traduntur. Diodor. V. p. 230. Ideo *Cabirus* in summo malleum gerit. *Cabiri* vero, quia insignium generi humano commodorum auctores habebantur, immortalibus ac divinis honoribus remunerati sunt, ideo variis in locis colebantur. Illos Phœnices maxime coluisse auctor est Sanchoniathon apud Euseb. Præp. I. *Vaillant. Numism.* II. *p.* 155. Fuerunt etiam Dii Samothracum. Numero fuerunt quatuor. Scholiastes Apollon. Rhodii: *Quatuor sunt, Axiorus, Axiocersa, Axiocersus. Axierus quidem est Ceres; Axiocersa Persephone; Axiocersus Dis pater. Additus quartus Casmilus, id est, administer, qui est Mercurius.* Illorum mysteria valde fuerunt recondita. Hoc vero ut maxima admiratione dignissimum notant auctores, quod qui illis initiati forent, eos adversus maris tempestates, aliaque pericula tutos esse censerent. Cujus hæresis nota erat fascia purpurea, qua ventrem religabant. Inscriptio Venetiis in æde Episcopi Torcellani.

ΓΑΙΟΣ. ΓΑΙΟΥ
ΑΧΑΡΝΕΥΣ. ΙΕ
ΡΕΥΣ. ΓΕΝΟΜΕ
ΝΟΣ. ΘΕΩΝ ΜΕ
ΓΑΛΩΝ. ΔΙΟΣ
ΚΟΡΩΝ ΚΑΒΕΙΡΩΝ.

id est, *Cajus Caji Acharnensis sacerdos factus Deorum magnorum, Dioscurorum Cabeirorum.* Ubi *Cabiros* Castorem & Pollucem esse significatur. *Argol. & Pinell. in Panvin. de Lud. Circ.* II. 2. *Gyrald. Synt. Deor.* I. *p.* 22. *Rhodig. Ant. Lect.* XVI. 20. *Voss. de Idolol.* II. 53. *Aleand. Tab. Hel. Explic. Thes. Ant. Roman. Græv. Tom.* V. *p.* 760. *A.* 761. *A. Lomej. de Lustrat. c.* 4. *Hospin. de Orig. Fest. Ethnic p.* 247. *Hartung. Dec.* II. 6. §. 6. *Calcagn. Descript. Silent. p.* 494. *Lampe de Cymbal. Vet.* II. 15. *Kipping. Antiq. Roman.* I. 3. §. 8.

CABUS, κάβος, est mensura frumentaria. Pollux VI. 8. *Cabus frumenti mensura est.* Hesychius. *Cabus frumenti mensura, & cadus vini.* Bochart. Hieroz. II. I. 7. Rhodig. Ant. Lect. XVI. 20. Sexta pars est sati, quatuor logim comprehendens, nam quater sex sunt viginti quatuor Log autem est pars sati vigesima quarta. Est ergo *cabus* decima pars ephi. Nam quater octodecim sunt duo & septuaginta. Continet autem trientem mensuræ hin, qui æquat quinque semisextariolos, sex uncias, drachmas tres. Hinc manifeste sequitur, quod quarta pars *cabi*, de qua 2 Reg. c. 6. n. 25. vere sextarius Atticus censeri debeat. Sic ergo loquitur: *Facta est magna fames in Samaria, & tamdiu obsessa est, donec venundaretur caput asini octo argenteis, & quarta cabi stercoris columbarum quinque argenteis.* Quum itaque argenteus quatuordecim solidorum constituatur, dicendum *cabi* quadrantem, seu sextarium venisse septuaginta solidis, *cabum* vero integrum libris Turonensibus quatuordecim nostro ære fuisse existimatum. *Cenal. de Pond. & Mens. rat. Thes. Ant. Roman. Græv. Tom.* XI. *p.* 1466. *F.*

CAC.

CACA Dea culta fuit Romæ, quæ *Caci* soror fuit, quæ de furto boum Herculi fecit indicium. Lactant. I. 20. *Colitur & Caca, quæ Herculi fecit indicium; divinitatem consecuta, quia prodidit fratrem.* Serv. Æneid. VIII. 190. *Hunc soror sua ejusdem nominis prodidit. Unde etiam sacellum meruit, in quo ei pervigili igne sicut Vestæ sacrificabatur.* Gyrald. Synt. Deor. I. p. 40. C. Lipen. Stren. Hist. c. I. §. 9. Stuck. de Sacrif. p. 35.

CACABARE, κακκαβίζειν, est vox perdicum, quæ κακκάβαι dicuntur teste Hesychio. Athen. IX. p. 390. A. quoque auctor est, τὰς πέρδικας a quibusdam dici κακκάβας, ab Alcmano κακκαβίδας. Auctor Philom. n. 19.

Cacabat hinc perdix, hinc gratitat improbus anser.

Ratio, cur voci ejus a *cacando* nomen fecerint antiqui, ea est, quod vox hujus avis *cacantium*, & crepitum ventris emittentium referat sonum. *Voss. Lex. Etymol. Buleng. de Venat. c.* 20. *Rhodig. Ant. Lect.* XXIX. 26. *Salmas. Exerc. Plinian. p.* 106. *a. D.*

CACABUS, κακκάβη Aristoph. ἐν Σκηναῖς & Antiphan. in Φιλοθηβαίῳ apud Athen. IV. 169. C. in Græcis & Latinis commune est nomen. Hoc Romani a Græcis acceperunt, licet dubitet Isidor. XX. Vas erat æneum, aut testaceum ad coquendum. Papias Magister Glossario: *Cacabus & cacuma a sono fervoris dicuntur a Græcis. Habent & Latini, incertum a quibus mutuati.* Varr. de Ling. Lat. IV. 27. *Vas, ubi cibum coquebant, cacabum appellarunt.* Paull. leg. 18. Dig. de Instr. & Instrum. legat. *Cacabos & patinas in instrumento fundi esse dicimus: quia sine his pulmentarium coqui non potest. Nec multum refert inter cacabos & ænum, quod supra focum pendet, hic aqua ad potandum calesit: in illis pulmentarium coquitur.* Petron. c. 37.

Nequitiæ nidum in cacabo fecit tuo.

Qui poetice dicit in cacabo nidulatus ciconias, quæ tanta copia mensis inferebantur. *Barth. Adv.* LIV. 22. *Voss. Lex. Etym.* Vasa coquinaria ex argento Calvi oratoris tempore cœperunt fieri. Plin. XXXIII. 11. Inter ista & *cacabi.* Ulpianus leg. 19. de aur. arg. . . . tractans de legato argento escario: *Si cacabos, inquit, argenteos habebat, vel miliarium argenteum, vel sartaginem, vel aliud vas ad coquendum, dubitari poterit an escario contineatur,* Antoninus Heliogabalus primus *cacabos* argenteos habuit. Lamprid. c. 19. Erat & vas pistorum: nam inde dicti panes *cacabacei*, qui saporem malum ex aqua in *cacabo* calefacta retinerent. Zeno Veronensis in sexto sermone ad neophytos post baptismum. *Non illos panes aura corrupit, non fumus amaras infecit, non frigus elisit quod plus est, sine fermento levati sunt: certe cacabacei non sunt.* Casaub. in Lampridium. Buleng. de Conviv. IV. 9. & 18. Salmuth. in Panciroll. de Reb. Deperd. & Inv. p. 543. In *cacabis* cineres mortuorum apud Romanos condebantur. *Salmas. Exercit. Plinian. p.* 848. *a. A.*

CACULA *servus militis. Plaut. Trin.* III. 2. 95. *Video caculam militarem. Fustibus clavisque ligneis ad tutelam dominorum armari soliti sunt.* Festus. Glossarium: *Cacula, δοῦλος στρατιώτου. Scalig. ad Festum.* Festus confundit *caculam* cum calone. Dicti potius *caculæ* militares ii, qui militibus serviebant, neque dato nomine merebant, quia κακοὶ, id est, imbelles. Hesychius: Κάκυλοι, κακοὶ,

σκλη-

σκληροὶ, κύαμοι. Scalig. Exerc. 300. 3. *de Cauſ. Ling. Lat. c.* 22. *Voſſ. Lex. Etymol.*

CACUS, Vulcani filius, inſignis fuit latro. Boves Herculis apud Euandrum hoſpitantis cauda averſas in antrum traxit, quarum mugitu audito Hercules furtum cognovit, & in antrum deſcendens, *Cacum* occidit. Dionyſ. Halicarn. I. p. 31. . . . Liv. I. 7. Virg. Æneid. VIII. 193. *Panciroll. Deſcr. Urb. Rom. Theſ. Antiq. Roman. Græv. Tom.* III. p. 356. *C. Moreſtell. de Menſib. Dial.* VII. Ejus ſpeluncam V. infr. in *Spelunca.* Scalas V. infr. in *Scalæ.*

CAD.

CADAVER dicitur proprie defuncti corpus, Græci νεκρὸν vocaverunt. *Gyrald. de Sepel. rit. c.* 8. *Cadendi* verbum priſca ratione obire, interire ſignificat. Et illa uſus eſt de ſorore Pſyches Apul. Met. V. p. 166. *Nec ſecius & ipſa fallacie germanitatis inducta, & in ſororis ſceleratas nuptias æmula, feſtinavit ad ſcopulum, inque conſimile mortis exitium cecidit.* Et ita plurimis locis veterum ſcriptorum ſupereſt. Tam autem olim frequenti uſu fuit, ut inde potiſſimum corpus morte obita *cadaver* ſit appellatum. *Barth. Adv.* VII. 19. Unde & corruere & collabi pro mori uſurpata invenientur. Q. Serenus:

Sylla quoque infelix tali languore pereſus
Corruit. . . .

Barth. Adv. LIV. 26. Corpus enim, ubi ſemel ſine anima eſt, fit *cadaver.* Scalig. Poet. III. 9. Ubi homo animam efflaſſet, apud Græcos pariter & Romanos mortui oculos claudebant. V. infr. in *Oculus.* Membra, ſi forte ultimis convulſionibus contorta fuiſſent, extendebantur. Apud Euripidem in Hippolyto, deſcripta morte Phædræ, ſic colloquuntur nuntius & chorus n. 780.

NUN. *Rectam collocate, extendentes miſerum cadaver.*
Acerbum eſt hoc miniſterium dominis meis.
CHO. *Periit infelix mulier ut audio,*
Jam enim ut cadaver eam extendunt.

Quin & moribundus Hippolytus Theſeum ſic alloquitur n. 1445.

Accipe pater, & rectum collocato corpus.

Albinov. de Mort. Druſi n. 138.

Effingoque manus, oraque ad ora fero.

Goral. in Albinovanum. *Calida* aqua lavabant. V. ſupr. in *Abluebant.* Sive eſſet terræ mandandum, ſive igni comburendum, ante exſequias & collocationem ungebant. Plin. Epiſt. V. 16. *Audivi, Fundanum ipſum præcipientem, quod in veſtes, margaritas, gemmas fuerat erogaturus, hoc in lucra & unguenta & odores impenderetur.* Hiſt. Nat. XIII. I. *Poſtea voluptas ejus,* unguenti, *a noſtris quoque inter laudatiſſima, atque etiam honeſtiſſima vitæ bona admiſſa eſt: honosque is & ad defunctos pertinere cœpit.* Apul. Apol. p. 460. *Etſi thus, & caſiam, & myrrham, cæterosque id genus odores funeri tantum emptos arbitreris.* Cauſa unctionis erat, ut fœtor a mortuo arceretur. Lucian. de Luct. p. 302. *Optimis unguentis uncto corpore, quod fœtore vincitur,* Kirchman. de Fun. I. 7. Guther. de Jur. man. I. 14. Moreſtell. Pomp. fer. I. 12. Aring. Rom. Subterr. I. 23. Ferret. Muſ. Lapid. I. Memor. 34. Mag. Miſc. III. 10. Muret. Var. Lect. III. 19. Ouzel. in Minuc. Felic. p. 108. Caſal. de Ritib. prophan. Roman. c. 26. Ferrar. Elect. II. 22. Quenſted. de Sepult. vet. c. 5. Kipping. Antiq. Roman. IV. 6. 2. Hic mos eſt antiquiſſimus, & videtur ab Ægyptiis originem traxiſſe. Ex horum ritu legitur Gen. c. 50. n. 2. Joſephum pollinctoribus ſuis præcepiſſe, ut patrem Jacobum vita functum aromatibus condirent. Et ipſe Joſephus ſimili ritu ab Ægyptiis conditus legitur Gen. c. 50. n. 26. Quomodo Ægyptii *cadavera* condierint, multis referunt Herodot. II. p. 135. & Diodor. I. 5. Sed horum loca hic tranſcribere longum foret. *Kirchman. ibid. c.* 8. *Ouzel. ibid. p.* 107. *Caſal. de Urb. ac imp. Rom. ſplend. part.* 2. *c.* 21. *& de Prophan. Ritib. Roman. c.* 26. *Ferrar. Quenſted. & Kipping. l. l.* Ungebant vero illud feminæ. Docent hoc antiquiſſimus Ennius in Annalibus:

Tarquinii corpus bona femina lavit, & unxit.

& Horat. Epod. XVII. 11.

Unxere matres Iliæ addictum feris
Alitibus, atque canibus homicidam Hectorem.

Column. in Ennium. Muret. Var. Lect. III. 19. Veſtibus induebant. Ennius Creſiph. apud Macrob. VI. 2.

— *neque cruenta*
Conveſtire mihi corpora licuit.

Græculi quidem, exiſtimantes mortuos in inferis rigere abſque veſtibus, & frigore confici. Lucian. l. l. *Splendide veſtientes, ne algeant per viam, neque nudi conſpiciantur a Cerbero.* Romani, ut ex ſequentibus patebit, aliovorſum reſpicientes. Horum communis per totam adeo Italiam amictus erat toga. Juven. Sat. III. 171.

Pars magna Italiæ, ſi verum admittimus, in qua
Nemo togam ſumit niſi mortuus.

Mart. IX. 58.

Et pallens toga mortui tribulis.

Apul. Flor. p. 765. *Nam illic quoque viderat togam parari & voto, & funeri.* Fuit illa varia pro conditione eorum, quibus funus fiebat. In vulgo civium, & tacito funere vulgaris, quæ alba. Artemid. II. 3. *Propterea quod mortui in albis efferantur.* Etiam Græci. Homer. Iliad. Σ. 353.

Texerunt autem deſuper veſte alba.

Pauperes tamen, & tenuioris fortunæ homines non videntur elati in albis. Artemid. l. l. *Novi ego multos, & pauperes, & ſervos, vinctos ægrotantes, qui etiam cum viderentur nigra ſibi habere veſtimenta, mortui ſunt. Veroſimile enim erat, hos non in albis propter inopiam efferendos eſſe.* Sed hi vilibus pannis involvebantur. Euſeb. in Chron. *Caſſius Severus ſumma inopia moritur, vix panno verenda contectus.* Alias in honeſtiſſima veſte efferebantur. Val. Max. IV. 5. *Fratrem germanum prope caſtra tranſtulit, & pretioſa veſte opertum rogo impoſuit.* Suet. Ner. c. 50 n. 1. *Funeratus eſt ſtragulis albis auro intextis, quibus uſus fuerat Kalendis Januarii.* In magiſtratibus toga prætexta, in cenſoribus purpurea tota, in triumphalibus auro texta. Polyb. VI. 51. *Hæc ſimulacra togas aſſumunt; ſi vir conſularis, aut prætorius quis fuerit, prætextas: ſi cenſorius, purpureas: ſi triumphalis, aut ſimili quo alio honore functus, auro radiantes.* Liv. XXXIV. 7. V. illum infr. in *Purpura.* Lipſ. Elect. I. 6. Kirchman. ibid. c. 10. Aring. ibid. c. 25. Moreſtell. ibid. c. 16. Meurſ. de Funer. c. 1. Ræward. Conject. I. 14. Feith Antiq. Homer. I. 13. Claſen. Theol. gentil. I. 10. 19. Nicol. de Sepulcr. II. 13. 6. Colv. & Florid. in Apulejum. Ea fere, quam ſibi in vita parari curaverant, ut in illa mortui efferrentur. Virg. Æneid. IX. 488.

Veſte tegens, tibi quam noctes feſtina, dieſque,
Urgebam, & tela curas ſolabar aniles.

Hujuſmodi Penelope Laerti texit apud Homer. Odyſſ. II. 97.

Laerti interea funebrem ſedula veſtem
Dum texo, & cœptas percurro pectine telas
Ne dttem ſine veſte ſitum tunc heroa querantur. . . .

Luiſin. Parerg. III. 36. Kirchman. l. l. Kipping. Antiq. Roman. II. 6. 3. Cerda in Virgilium. Coronam imponebant. Euripidis Schol. Phœniſſ. n. 1626. Ἐτίθεσαν στέφειν τοὺς νεκρούς. Plin. XXI. 3. *Quis ergo honos* coronæ? *ut ipſi mortuo parentibuſque ejus dum intus poſitus eſſet, foriſque ferretur, ſine fraude eſſet impoſita.* Cicer. de Leg. II. 24. *Illa jam ſignificatio eſt laudis, ornamenta ad mortuos pertinere, quod coronam virtute partam, & ei qui peperiſſet, & ejus parenti ſine fraude eſſe lex impoſitam jubet.* Tetigit hoc inſtitutum Ariſtophanes Ἐκκλησιαζούσαις. Induxit enim virum uxorem increpantem, quod eum noctu in lectulo dormientem reliquiſſet tanquam cadaver p. 739. n. 18. Addidit enim nihil deſiderari potuiſſe, ut plenam ſpeciem ejus

rei redderet, nisi *quod coronam capiti ipsius non imposuerat, neque lecytham prope collocarat.* Victor. Var. Lect. II. 7. Kirchmann. ibid. c. II. Schott. Nod. Ciceron. III. II. Morestel. ibid. c. 17. Paschal. de Coron. IV. 5. Elmenhorst. & Ouzel. ad Minuc. Octav. p. 109. 110. Laurent. de Fun. c. I. Meurs. l. l. Et quidem honoratioribus Smyrnæi auream. Cicer. pro Flacc. c. 31. *Possem recitare psephismata Smyrnæorum, quæ fecerunt in Castricium mortuum. . . . ut imponeretur aurea corona mortuo.* Vocabantur hæ coronæ ἔρωτες. Auctor Etymologici: Ἔρως; *corona ex omnis generis floribus, quæ mortuis imponenda videbatur.* Ratio rei apud Clement. Pædag. II. 8. *Tranquillæ securitatis symbolum est corona: ideo etiam mortuos coronant.* Sed Suidas in v. μελιτοῦττα auctor est, datam fuisse, tanquam qui vitæ agonem absolvissent: *Placenta dabatur tanquam pro Cerbero, & obolus merces portitori, & corona tanquam iis, qui vitæ certamen decertassent.* Vel etiam ut hac florum sparsione, siquidem ex floribus contextæ essent coronæ, testarentur, sibique ante oculos sisterent brevitatem hujus tam fluxi ævi, in quo ea, *quæ spectatissime florent, celerrime marcescunt*, ut utar verbis Plin. XXI. I. Poeta quoque aliam rationem reddit apud Stobæum in comparatione vitæ & mortis, de qua cap. 120. quæ satis ritum hunc coronationis interpretatur. Ait enim, quasi ad convivia sic dimitti. *Rittersh. in Leg.* XII. *tab. Class.* I. *c.* 10. *Meurs. Morestell. Kirchmann. l. l.* Nummum in ore ponebant, quem pro vectura acciperet Charon. Suidas modo laudatus. Lucian. l. l. *Simul familiaris quisquam mortuus fuerit, in primis obolum ei in os imponunt, quem pro vectura sit accepturus portitor.* Juven. Sat. III. 265.

Jam sedet in ripa, terrumque novitius horret
Porthmea, nec sperat cœnosi gurgitis alnum
Infelix, nec habet quem porrigat ore trientem.

Ubi Schol. *Athenienses mortuis solent in ore immittere, ut apud inferos non tanquam apud inopes errent: unde naulum Charon accipere solebat.* Virg. Æneid. VI. 325.

Hæc omnis, quam cernis, inops inhumataque turba est.

V. plura infr. in *Charon.* Polentam mulso conditam, qua Cerberum placari credebant, addebant. Suidas modo laudatus. Apulej. Metam. VI. p. 189. *Vacua non debebis per tenebras illas incedere, sed offas polentæ mulso concretas ambabus gestare manibus, ac in ipso ore duas ferre stipes.* Geminata hæc omnia, quia Psychæ eundum & redeundum erat. *Meurs. ibid. c.* 5. *Kipping. Antiq. Roman.* IV. 6. 5. E cubiculo efferebant, & in ædibus collocabant. Glossæ: *Collocatio*, εἶδος νεκροῦ. Græci πρόθεσιν vocant. Plato in Phædone: *Ne in ipso funere dixeris collocari Socratem.* Et quidem in vestibulo ad ipsum limen, hoc est, ἐν προνωπίῳ: unde & προνωπεῖς οἱ θανόντες dicuntur Eurip. Alcest. n. 141. Suet. Aug. c. 101. n. 2. *Corpus equester ordo suscepit, atque in vestibulo domus collocavit.* Isidorus in Glossis: *Limina portarum, loca mortuorum.* Senec. Epist. 12. *Quis est iste decrepitus, & merito ad ostium admotus? foras enim spectat.* Collocabant illud propinqui. Hinc Tiberium perstringit Dio LVIII. p. 621. C. quod Liviam mortuam ipse non collocaverat. Et Lysias de cæde Eratosthenis ut insolens notat, quod triginta tyranni conduxerunt lectulum, in eoque illum composuerunt. Addebant e senioribus familiæ custodem. Virgil. Æneid. XI. 29.

—— recipitque ad limina gressum
Corpus ubi exanimi positum Pallantis Acetes
Servabat senior.

Apul. Metam. II. 55. *Si qui mortuum servare vellet, de pretio liceretur.* Id fortean factum, ne injuria defuncto cadaveri fieret ab inimico aut creditore, aut violatore sepulcri, aut etiam sagis mulieribus. De creditoribus statim dicetur. In Principum funeribus pueri lectum circumsistebant, qui mortuo ventulum facientes muscas abigebant. Leg. 5. Cod. de Latin. Libert. *Sed & qui in lectulo stantes cadaver ventilare videntur.* Xiphil. LXXIV. p. 481. B. *In eo lecto posita erat statua Pertinacis, qua puer, ita ut si dormiret Pertinax, pennis pavonis muscas abigebat.* Kirchman. & Guther. l. l. Collocabant humi, & in panno lacero. Artemid. I. 14. *Mortui laceris involvuntur pannis & humi ponuntur.* Val. Max. I. 8. *Acilius Aviola a medicis & a domesticis mortuus creditus, cum aliquandiu humi jacuisset, elatus.* Postea in lectis, & istis sublimioribus. Pers. Sat. III. 103.

—— tandemque beatulus alto
Compositus lecto, crassisque lutatus amomis,
In portam rigidos calces extendit.

Lucian. ibid. p. 303. *Hic vero decorus ac formosus & magnifice coronatus sublimis jacet & excelsus.* Et capite quidem ornate suffulto. Virg. Æneid. XI. 39.

Ipse caput nivei fultum Pallantis, & ora
Ut vidit.

Ita ut foras spectaret, & facie pedibusque esset ad januam versis. Plin. VII. 8. *Ritu naturæ capite hominem gigni mos est, pedibus efferri.* Persius modo laudatus. In funere Patrocli Homer. Iliad. Τ. 211.

Jacet ad vestibulum conversus.

Quo loco Scholiastes: *Ita collocantur cadavera, quia mortui in ædes nunquam revertuntur.* Causam ritus indicat Pollux VIII. I. *Et vero collocationes idcirco fiebant, ut cerneretur mortuus, ecqua ei vis allata.* Lips. Elect. I. 6. Meurs. de Fun. c. 6. Kirchman. de Fun. I. 12. Morestell. Pomp. Fer. I. 19. & 21. Casaub. in Pers. p. 303. 306. Guther. de Jur. Man. I. 19. Laurent. de Fun. c. I. Ferret. Mus. Lapid. I. Memor. 26. Feith Antiq. Homer. I. 13. Collocato oculos rursus aperiebant. V. infr. in *Oculus.* Si adhuc vegetum, & coloratum, in toro, sive lecto ostendebatur: sin autem, ut in peregre functis, aut diu functis, aut non esset, aut decore proponi non posset, tum effigies cerea ejus loco in lecto ostendebatur. Tacit. Annal. III. 5. 7. *Præpositam toro effigiem.* Dio de Augusto, qui Nolæ obierat, LVI. p. 591. D. *Lectus ex auro & ebore, purpureis, auratisque stragulis: in cujus ima parte cadaver arcæ inclusum latebat: effigies autem ejus cerea triumphali habitu supra apparebat.* Xiphil. de Pertinace LXXIV. p. 841. A. *Eo allatus fuerat lectus . . . . . in eo posita erat imago Pertinacis cerea ornatu triumphali.* Lips. in Tacitum. Proprio nomine mortuum aliquoties inclamabant. Illo tacente dicebant, conclamatum est. Clamor excitabatur, ut vel exeuntem animam retardarent. Prop. IV. 7. 25.

At mihi non oculos quisquam inclamavit euntes,
Unum impetrassem te revocante diem.

Ovid. Trist, III. 3.

Nec mandata dabo: nec cum clamore supremo
Labentes oculos claudet amica manus.

Vel in corpore adhuc delitescentem expergefacerent. Serv. Æneid. VI. 218. *Plinius in naturali historia dicit hanc esse causam, ut mortui per intervalla conclamentur, quod solet plerumque vitalis spiritus exclusus putari, & homines fallere. Denique refert quendam suppositum pyræ adhibitis ignibus enectum esse, nec potuisse liberari. Unde & servabantur cadavera octo diebus, & post ultimam conclamationem comburebantur.* Plus vice simplici conclamatum fuit. Quoties vero id factum sit, non habeo certo affirmare. *Kirchman. ibid. c.* 13. *Morestell. ibid. c.* 9. *Ferret. l. l. Aring. Rom. Subterr.* I. 22. §. 2. *Reines. Inscript. Class.* VIII. *n.* 20. *Casal. de Prof. Roman. Rit. c.* 26. *de Urb. ac Imper. Roman. splend. part.* 2. *c.* 21. *Herald. in Arnob.* V. *p.* 202. *Blond. Triumph. Rom.* II. 39. *A. Hotman. Antiq. Roman.* III. I. *p.* 392. *D. Kipping. Antiq. Roman. ibid.* §. I. *Schegk. Præmis.* 9. Ter mortuum suo nomine compellatum fuisse: & inde res illas omnes conclamatas vocari, quarum aut retinendarum aut consequendarum spes nulla restat, scribunt *Boxhorn. Quæst. Roman.* 42. *Morestell. l. l. Herald. ad Arnob. l. l.* Serv. Æneid. III. 67. *Est autem hoc loco quod dicimus more sollenni, id est, tertio vale. Quidam dicunt eorum mortuorum nomina ter vocari, qui in aliena terra dimittuntur, ut in* VI. 506.

-- *&*

— & magna manes ter voce vocavi.

Albinov. de Morte Drusi n. 219.

Te clamore, vocant, iterum iterumque supremo.

Gorall. in Albinovanum. Pignoris loco a creditoribus rapiebatur, teste Luciano de Luctu, donec solveretur ab amicis, quod si non solveretur, maxima mortuum manebat infamia, ac sepulturæ privatio. De hujusmodi creditoribus conqueritur Ambros. in Tobiam c. 10. *Quoties vidi a fœneratoribus teneri defunctos pro pignore, & negari tumulum dum fœnus exposcitur? Quibus ego acquiescens dixi: Tenete reum vestrum, & ne vobis possit elabi, domum ducite, claudite in cubili vestro carnificibus duriores: quoniam quem vos tenetis, carcer non suscipit, exactor absolvit.* Morestell. ibid. c. 21. Ne tamen reliquiæ debitorum a creditoribus injuria afficerentur, novella est Justiniani l. 3. §. non perpetuæ ff. de sepulcro violato. Quod generali antea Severi edicto prohibitum fuit, ne scilicet defunctorum corpora detinerentur aut vexarentur. Etenim si morte capitale crimen exstinguitur, quid injustius quam corpora debitorum mortuorum pignori subjicere, cum vivorum solum membra distrahi leges XII. olim permisissent. *Guther. de Jur. Man.* I. 15. III. 22. Dicebatur efferri Romanis, ut ἐκφέρεσθαι Græcis. Donat. in Andr. I. I. 90. *Effertur.* Ἐκφέρεται *Græcum est, quod vitans* Virg. Georg. IV. 256.

— tum corpora luce carentum
Exportant tectis, & tristia funera ducunt.

Efferri dicuntur proprie cadavera mortuorum. Ita enim Cicer. de Orat. II. 55. *Cum casu in eadem causa efferretur anus Julia.* Petron. c. 71. *Hæc ergo cum virum extulisset.* Estque nihil aliud quam foras ferre. Plaut. Aul. II. I. 34.

Quæ cras veniat, perendie foras feratur soror.

Kirchman. de Funer. Roman. II. I. Clasen. Theol. Gentil. I. 10. §. 24. Guther. de Jur. man. III. 19. Faes ad Gyrald. de var. sepel. rit. c. 5. Antiquitus tempore nocturno. Serv. Æneid. XI. 143. *De more vetusto, quia antea per noctem cadavera proferebantur.* Audiamus causam. Donat. Andr. I. I. 81. *Etenim noctu efferebantur propter sacrorum celebrationem diurnam.* Magis plene Serv. l. l. *Apud Romanos moris fuit, ut noctibus efferrentur ad funalia, quia in religiosa civitate cavebant, ne aut magistratibus occurrerent, aut sacerdotibus, quorum oculos nolebant alieno funere violari.* Hic mos in funeribus indictivis desiit: mansit in vulgaribus, ac translatitiis. Festus. Sed V. illum in *Vespillones.* Hoc modo Tullius Rex est elatus. Dionys. IV. p. 243. *Tullii uxor, Tarquinii Regis filia, prosequentibus paucis quibusdam amicis, noctu ex Urbe ipsum, ut hominis privati & plebeji funus extulit.* Et de acerbis id testatur Serv. l. l. *Et magis moris Romani, ut impuberes noctu efferrentur ad faces, ne funere immaturæ sobolis domus funestaretur.* Consuetudinis hujus auctorem Demetrium Phalereum facit Cicer. de Legib. II. 26. *Demetrius Phalereus sumptum minuit non solum pœna, sed etiam tempore, ante lucem enim jussit efferri.* Kirchman. ibid. c. 2. Clasen. l. l. Morestell. Pomp. Feral. II. I. Laurent. de Funer. l. l. De hora nihil habeo certi affirmare. Si tamen hariolari mihi liceat, crediderim primis diei horis funera duci cœpisse. Nam Syllam, cui hora nona ductæ exsequiæ, ut tardiuscule elatum notat in ejus vita Plutarch. p. 475. D. *Cæterum cum ab aurora dies iste nubilus fuisset, pluviæque exspectarentur, nona demum hora funus elatum est.* Pertinet huc inscriptio Romana:

L. CÆCILIUS. L. L. SYRUS
NATUS. MENSE. MAJO
HORA. NOCTIS. VI
DIE. MERCURII
VIX. ANN. VI. DIES. XXXIII.
MORTUUS. EST. III. K. JULIAS
HORA. X.
ELATUS. EST. HORA. IIII.

Kirchman. l. l. Octavo post efflatam animam die. Serv. Æneid. V. *Apud majores ubi qui fuisset exstinctus ad domum suam referebatur: unde est, Sedibus hunc refer ante suis. Et illic erat septem diebus, octavo incendebatur, nono sepeliebatur.* Meurs. de Funer. c. 9. Morest. ibid. II. I. Guther. ibid. I. 15. Kipping. Antiq. Roman. IV. 6. 4. Kirchman. l. l. Causam hanc affert Servius: *Ne fortean nimium festinando sepulturæ traderetur, qui animam nondum omnino exspirasset.* Quanquam verosimilior multo hæc mihi videtur, ut funus interea temporis adornari, & quæ ad exsequiarum pompam requirebantur, apparari rite possent. *Kirchman. & Morest. l. l.* Aliter tamen faciebant, si funus immaturum: quippe hoc, tanquam magis luctuosum, citius *efferebatur*, ut parentum oculis subtraherent. Tacit. Annal. XIII. 17. 3. *Festinationem exsequiarum edicto Cæsar defendit, id a majoribus institutum referens, subtrahere oculis acerba funera, neque laudationibus, aut pompa detinere.* Meurs. l. l. aut tacitum, in quo plerumque omnia raptim, & ἐπισεσυρμένως, fiebant. De funere Othonis Suet. c. II. n. 4. *Et celeriter, & parvo cultu funeratus.* Mihi fere subit suspicari, vix habitam certi alicujus diei rationem, atque in eodem populo, urbe eadem, non eundem semper morem obtinuisse. *Kirchman. l. l.* Et quidem ad faces accensas. V. infr. in *Fax.* Sed acerbissimorum funerum ad cereos. V. infr. in *Cereus.* Pedibus ad januam versis. Plin. VII. 8. Pers. Sat. III. 104. Senec. Epist. 12. V. illos supr. *laudatos.* Lips. Elect. I. 6. & in Senecam. Casaub. in Persium. Meurs. ibid. c. 6. Kirchman. ibid. I. 12. Morest. ibid. I. 18. Clasen. l. l. Nobiliorum, & ditiorum lectica. Ita Dionys. IV. p. 270. Lucretiæ cadaver *efferri* facit *in lectica nigris vestibus instrata.* Nep. c. 25. n. 4. Atticum *in lecticula, ut ipse præscripserat, sine ulla pompa funeris elatum* scribit. Pauperiorum, & vilioris fortunæ hominum sandapila. Fulgent. Placiad. de Prisc. serm. *Sandapilam antiqui dici voluerunt feretrum mortuorum, id est, loculum non in quo nobiliorum corpora, sed in quo plebejorum atque damnatorum corpora portabantur. Sicut Stesimbrotus Thasius de morte Polycratis Regis Samiorum descripsit, dicens: posteaquam de cruce depositus, sandapila etiam deportatus est.* Suet. Domit. c. 17. n. 6. *Cadaver ejus populari sandapila per vespillones exportatum.* Kirchman. ibid. II. 9. Turneb. Adv. XXX. 30. Salmas. Exercit. Plin. p. 848. a. G. Rævard. de Div. reg. jur. 138. Laz. Comm. Reip. Roman. III. 18. Meurs. ibid. c. 20. Morest. ibid. II. 8. 2. Kipping. ibid. §. 5. Clasen. l. l. Pitisc. in Suetonium. Plerumque a proximis hæredibus. Serv. Æneid. VI. 23. *Deferendi feretrum propinquioribus virilis sexus dabatur munus.* Horat. Sat. II. 5. 86.

- - - cadaver
Unctum oleo largo nudis humeris tulit hæres.

Hinc Q. Metellum Macedonicum *a quatuor filiis illatum rogo, uno prætore, tribus consularibus, duobus triumphalibus, altero censorio* testatur Plin. VII. 44. qui etiam de Eutyche VII. 3. *Inter quas legitur Eutyche a viginti liberis rogo illata Trallibus, enixa triginta partus.* Nonnunquam etiam servis, sed manumissis. Unde Pers. Sat. III. 106.

- - - at illum
Hesterni capite induto subiere quirites.

Imperatorum, aliorumque præclare de Republica meritorum a magistratibus, & senatoribus, vel patriciis. Nam Coriolanum *juvenes bellicis facinoribus clarissimi extulerunt* teste Dionys. VII. p. 528. C. Julii Cæsaris *lectum pro rostris in forum magistratus, & honore defuncti detulerunt*, ut annotavit Suet. c. 84. n. 5. Augusti *corpus ad rogum humeris senatorum ferendum* conclamasse auctor est Tacit. Annal. I. 8. 6. Tenuioris vero fortunæ, vel populo invisus a vespillonibus. V. infr. in *Vespillones.* Kirchman. ibid. II. 8. Morest. ibid. II. 13. Meurs. ibid. c. 21. Et quidem humeris, si virile esset. Suet. Aug. c. 101. n. 7. *Senatorum humeris delatus in campum, crematusque.* Tacitus modo laudatus. Et III. 2. 2. *Igitur tribunorum, centurionumque humeris cineres Germanici portabantur.* Horatius modo

laudatus. Inde ſubire dicebantur, qui illud deferebant. Virg. Æneid. VI. 222.

- - - pars ingenti ſubiere feretro.

Appian. de Bell. civ. I. p. 418. *Lecticam in humeros ſublatam robuſti aliquot ſenatores tranſtulerunt in campum Martium.* Meurſ. & Kirchman. l. l. Pitiſc. in Suetonium. Manibus ſi muliebre eſſet, quippe eſſe ſupra ſe illum ſexum ne mortuum quidem volebant, quem ſciebant ſubmitti ſibi debere. Prop. IV. 12. 13.

Num minus immites habui Cornelia Parcas,
Et ſum quod digitis quinque levatur onus?

Obtinuit hic mos etiam ad tempora uſque Majoriani, & Anthemii Imperatorum. Teſtis Sidonius ejus ævi ſcriptor Epiſt. II. 8. *Tum Libitinam ipſam flentes omnes externi quoque prenſitarent, remorarentur, exoſcularentur, ſacerdotum, propinquorumque manibus excepta, perpetuis ſedibus dormienti ſimilior illata eſt.* Meurſ. l. l. Savar. in Sidonium. Attamen de feretro, & ritu geſtandi manibus muliebre funus Propertium loqui negat; ſed de urna potius, quæ facile una manu geſtaretur in conditorium affirmat *Broukh. in Propertium.* Pueros lactentes adhuc efferebant ipſæ matres, ſed feretrum illis erant ſuæ manus, & ferebant ſub uberibus. Stat. Sylv. V. 5. 15.

Si qua ſub uberibus plenis ad funera natos
Ipſa gradu labente tulit, madidumque cecidit
Pectus, & ardentes reſtinguit lacte favillas.

Ovid. Heroid. XV. 115.

Non aliter quam ſi nati pia mater adempti
Portet ad exſtructos corpus inane rogos.

Pauperum, ſervorum, & damnatorum ab hominibus vilibus, & mercede conductis. Juven. Sat. III. 30.

—— maneant, qui nigrum in candida vertunt,
Queis facile eſt ædem conducere, flumina, portus,
Siccandam eluviem, portandum ad buſta cadaver.

Horat. Sat. I. 8. 8.

Huc prius anguſtis ejecta cadavera cellis
Conſervus vili portanda locabat in arca.

Meurſ. l. l. Per forum. Dionyſ. IV. p. 243. *Exorto ingenti tumultu, & ululatu per totam urbem, ob Tullii mortem, veritus Tarquinius, ne ſi per forum funus duceretur, ut fert Romanorum conſuetudo. . . . .* Apul. Met. II. p. 61. *Ecce jam ad ultimum defletus, atque conclamatus proceſſerat mortuus, rituque patrio, utpote unus de optimatibus, pompa funeris publici ductabatur per forum.* Kirchman. ibid. II. 18. Caſal. de Proph. Roman. rit. c. 26. de Urb. ac Imper. Roman. ſplend. part. 2. c. 21. Ante lectum emortualem defuncti imago ferebatur. V. infr. in *Effigies defunctorum.* Ad forum cum ventum eſſet, illa pro roſtris erecta ſtatuebatur. Polyb. VI. 51. *Quoties aliquis vir illuſtris apud illos migravit de vita, is, cum funus effertur, in forum ad roſtra, ut vocant, ſolet efferri, ſtans interdum, ut ſit omnibus conſpicuus,* machinamentis quibuſdam erecta. *Figrel. de Stat. Roman. c. 11. Guther de jur. man. I. 23. Kirchman. & Claſen. l. l.* Etiam paternæ, maternæque gentis, imo quorumlibet magnorum virorum, ac virtute præſtantium. V. infr. in *Imago.* Nec non inſignia honorum, quos geſſiſſent, ſi magiſtratus fuiſſent. Polyb. VI. 51. *Faſces, & ſecures, & reliqua principatibus conſueta, ſecundum dignitatem cujuſque præcedunt, qua dum in vivis eſſet, in Republica eminuit.* Kirchman. ibid. II. 7. Moreſt. ibid. II. 20. 4. Claſen. l. l. Et hæc omnia cum tubarum, & tibiarum cantu. Quod ne pluribus probem, affero Lucanum, qui in apoſtrophe ad Fortunam Pompejum non petere ambitioſas exſequias dicit VIII. 734. nec

Ut reſonent triſti cantu fora.

Et Cicer. pro Milon. c. 32. affirmantem, iram deorum Clodii ſatellitibus iſtam injeciſſe amentiam, *ut ſine cantu, ſine exſequiis, ſine lamentis, ſine laudationibus, ſine funere, oblitus cruore, & luto ambureretur etiam abjectus.* Cum illo vero cadavera extulerunt, ſive *perſuaſi fuerint, quod poſt corpus animæ ad originem dulcedinis Muſicæ, id eſt, ad cœlum rediret.* Macrob. Somn. Scipion. II. 3. ſive imitati fuerint Tyrrhenum Herculis filium, qui inſtituit, ut, cum ſepelirentur mortui, populus ſono conchæ pertuſæ convocaretur, & cerneret jam non Tyrrheni comites ἀνθρωποφαγεῖν, ut ante, ſed ſepelire. Ita enim Hygin. Fab. 274. *Quod exemplum hodie Romani ſervant: &, cum aliquis deceſſit, tubicines cantant: & amici convocantur, teſtandi gratia, eum neque veneno, neque ferro periiſſe.* Et Tacit. Annal. III. 5. ait in funere Germanici requiſitam a populo næniam. Aculeus ille populi eſt in Tiberium, quo non inſciente Germanicus veneno necatus eſt. Sive ſpectra abigere voluerint: qua fini olim, ſi quis exceſſiſſet, æra, campanaſque pulſatas ex Theocriti Scholiaſte annotavit Hadrianus Junius infr. in *Campana.* Kirchman. ibid. II. 4. Guther. ibid. c. 22. Caſal. de Prophan. Roman. rit. c. 26. Laurent. Polym. III. Synopſ. 9. Claſen. l. l. Et cum multis odoribus. V. illos infr. in *Odores.* Maxima ſæpius frequentia. Quod etiam ad defuncti memoriam commendandam ipſi tumulo inſcripſerunt. Gruter. p. 665. n. 1.

L. CÆCILIUS. L. L. SYRUS
NATUS. MENSE. MAJO
HORA. NOCTIS. VI
DIE. MERCURII
VIXIT. ANN. VI. DIES XXXIII
MORTUUS. EST. III. KAL. JULIAS
HORA. X
ELATUS. EST. HORA. IIII
FREQUENTIA. MAXIMA

Guther. ibid. I. 18. Elatum cremabatur. Cremaſſe primus omnium Hercules legitur Argium Licymnii filium mortuum. Narrat ex Androne vetus Homeri interpres ad Iliad. A. his verbis: *Cauſa cremandorum corporum Græcis hæc eſt. Primum ferunt ita ſepultum Argium Licymnii filium ab Hercule ex neceſſitate. Hercules enim adducto ad Ilium exercitu, Laomedonte ipſi fidem non ſervante, neque dante equos promiſſos ob liberatam a ceto filiam ejus Heſionem, poſcebat etiam Argium. Sed Licymnius Argii pater metuens, quia etiam filium majorem eorum, quem cum Hercule Lacedæmonem miſerat, amiſiſſet, cum non daret, Hercules juravit ſe reducturum ipſum. Cum vero fatalis interim hora Argium opprimeret, Hercules ignarus, quo pacto jusjurandum præſtaret, cremavit ipſum.* Magi id impium cenſebant. Laertius Prooemio, ubi de ipſis loquitur: *De juſtitia verba facere, iniquumque arbitrari, atque impium igni ſepeliri.* Apud Romanos vero non omnes cremavere, nam ſervatus a multis adhuc familiis mos priſcus: adeoque in gente Cornelia ante Syllam crematus nemo fuit. Plin. VII. 54. *Ipſum cremare apud Romanos non fuit veteris inſtituti: terra condebantur. At poſtquam longinquis bellis obrutos erui cognovere, tunc inſtitutum. Et tamen multæ familiæ priſcos ſervavere ritus: ſicut in Cornelia nemo ante Syllam dictatorem traditur crematus, idque voluiſſe, veritus talionem, eruto C. Marii cadavere.* Cicer. de Legib. II. 22. *Gentem Corneliam uſque ad memoriam noſtram hac ſepultura ſcimus eſſe uſam. C. Marii ſitas reliquias apud Anienen diſſipari juſſit Sylla victor, acerbiore odio incitatus: quod haud ſcio an timens ſuo corpori poſſe accidere, primus e patriciis Corneliis igni voluit cremari.* Meurſ. de Funer. c. 10. Kirchman. de Funer. Roman. I. 1. & 2. Manut. de Leg. Roman. c. 16. Guther. de Jur. man. c. 25. Moreſtell. Pomp. Feral. X. 3. Bellon. de Antiq. oper. præſt. I. 16. Ferrar. II. 21. Elect. 21. A Feith Antiq. Homer. I. 14. Nequeo ſatis mirari Plinium, qui *cremari* affirmat *non eſſe veteris inſtituti.* Atqui, ut prætercam Virgilium, qui *cremandorum* cadaverum ritus in Italia etiam ante Urbis conditum meminit Æneid. VI 212—235. & Ovidium, qui ſub ipſo naſcentis Reipublicæ exordio Remum hoc modo ſepultum tradit Faſt. IV. 853. Sed ut hos mittam, quibus fortean per anticipationem iſta eſt dicta, poſſet quis objicere;

re;

re: ille ipse Plinius suo se jugulat gladio, dum XIII. 12. *rogum vino aspergi* a Numa Rege vetitum scribit. Sed & Numam testamento cavisse, ne corpus suum post mortem combureretur, auctor est Plutarch. p. 74. C. Hujus rei causam Numa non habuisset, nisi jam tum uterque ritus & terra obruendi, & igne *cremandi* Romæ obtinuisset. Et, ut exempla alia deessent, quorum tamen inopia nobis non est, ex interdicto legis XII. tabularum, de non sepeliendis, neve urendis in Urbe mortuis quod dicemus, clarum est. Antiquissima igitur *crematio*, quidem adeo frequens, ut fere sola quasi regnum obtinuerit: unde de Poppæa Tacit. Annal. XVI. 6. 3. *Corpus non igni abolitum, ut Romanus mos.* Laert. IX. 84. *Ægyptii condientes sepeliunt corpora, Romani vero incendentes.* Kirchman. ibid. c. 1. Aring. Rom. Subterr. V. 1. 2. Blond. Triumph. Rom. II. p. 39. D. Cur cadavera *cremaverint*, docet Serv. Æneid. XI. 186. *Heraclitus qui omnia vult ex igne constare, dicit debere corpora in ignem resolvi.* Heracliti etiam dogma multi ex postgenitis amplexi sunt, existimantes animam non nisi hoc modo a corporis sordibus purgari & ad suam naturam reverti posse. Serv. Æneid. III. 68. *Romani contra faciebant comburentes cadavera, ut statim anima in generalitatem, id est, in suam rediret naturam.* Huc respexit Ovid. Trist. I. 4. 10.

Spiritus hic vacuas prius extenuandus in auras
Ibit, & in tepido deferet ossa rogo.

Sil. Ital. X. 577.

Hæc Lybys: atque recens crepitantibus undique flammis
Æthereas anima exsultans evasit in auras.

Kirchmann. ibid. I. 1. Ferrar. & Bellon. l. l. *Cremandi* consuetudo usque ad Antoninorum tempora duravit: rursus terra condi cœptum est. *Mamut. Morebell. & Aring. l. l. Castel. de Proph. Roman. III. c. 26. de Urb. ac Imper. Roman. splend. part. 2. c. 21.* Sed hi falluntur. Ecce de Abascanto sub imperio Domitiani Stat. Sylv. V. I. 225.

Hic te Sidonio velatam molliter ostro
Eximius conjux (nec enim fumantia busta
Clamoremque rogi potuit perferre) beato
Composuit, Priscilla, thoro.

Quintil. Declam. X. *Oderat ignes, oderat rogos: reponi corpus, & servari membra cupiebat.* Et Græci quoque ipsi desierunt, integra deinde corpora terræ mandantes. *Meurs. l. l.* Macrob. Sat. VII. 7. quidem diserte scribit, morem illum suo tempore plane exolevisse: *Deinde licet urendi corpora defunctorum usus nostro seculo nullus sit.* Vixit ille sub Theodosio juniore. Cum vero hac de re nihil, quod sciam, ab antiquis scriptoribus literarum monumentis consignatum sit, ἀναμφισβητως ita existimamus, politiam religionis Christianæ ritum hunc gentilem paullatim sustulisse, strenue laborantibus in eo sanctis patribus, ut ex Tertulliani scriptis passim videre est. Quod cum paganus illis vitio verteret his verbis: *Indeque videlicet exsecrantur rogos, & damnant ignium sepulturam.* Sic responsum huic criminationi ab Octavio apud Minuc. Felic. p. 327. *Nec, ut creditis, ullum damnum sepulturæ timemus: sed & veterem & meliorem consuetudinem humandi frequentamus.* Kirchman. ibid. I. 2. Ferrar. l. l. Cuper. in Lactant. de mort. persecut. c. 39. Sunt: & inter hos Mag. Misc. III. 11. a Lapid. in 1. Sam. p. 359. Danhawer. in Hodosoph. sacr. p. 1000. Tarnov. ad Amos. p. 166. Horn. ad Sulpit. Sever. I. p. 190. Abulens. in 1. Reg. c. 31. quæst. 18. qui combustionem *cadaverum* Judæis usitatam velint probare exemplis sacris; sed illos refutant *Nicol. de Sepulcr. Hebræor. II. 3. 3. Gejer. de Luct. Hebræor. c. 6. Kipping. Antiq. Roman.* IX. 6. 8. Et cum eo vestes, quas induerant. V. infr. in *Vestis*. Inferri dicuntur, quæ in locum aliquem sepulturæ causa importantur. *Guther. de Jure man.* III. 19. Si proprium sepulcrum non haberent, inferendi jus ab aliis petebant: quod etiam a non plane sordidis, & iniquis patronis facile impetrabant. Testimonium nobis suppeditat epistola Ælii Cæsaris Romæ apud Astellanum inventa, & in lapide incisa:

ÆLIUS. CÆSAR
Duobus. lib. Sannari.
Quintilian. salutem.

Cum. petieritis. a. me. ut. si. cui. quid. vestrum. humanitus. acciderit. is. in. locum. qui. est. in. fundo Æschiniano. meo. intrantibus. a. via. parte. leva. a. monumento. testaceo. per. longitudin. pedum. CLXXV. *latitudin. a. maceria. introrsus. pedum.* XXV. *inferatur. id. jus. concedere. me. hac. epistola. notum. vobis. facio. Bene. valere. vos. cupio.* Kirchmann. ibid. III. 14. Occisorum in carcere nuda solebant projici in vias vicinas. Apud Liv. XXXVIII. 59. dicit Scipio Nasica, damnato L. Scipione Asiatico, fore *ut in carcerem inter fures nocturnos, & latrones vir clarissimus includatur, & in robore, ac tenebris exspiret, deinde nudus ante carcerem projiciatur.* Propterea obscœnæ vocabantur. Albinov. de Morte Drusi n. 279.

Consistam, lætisque oculis, lentusque videbo
Strata per obscœnas corpora nuda vias.

Gorall. in Albinovanum.

CADISCUS, καδδισκος, dicebatur sitella, sive urna, in quam immittebantur calculi. Pollux VIII. 5. Καδδίσκος μὲν ὢν ἐστιν ἀγγεῖον, ᾧ τὰς ψήφους ἐγκαθίεσαν. *Salmas. in Vopisc. Procul. c. 13. Jun. Animadv. II. 5. Bud. Comment. Ling. Græc. p. 91.* V. infr. in *Camus*.

CADMIA est *terra, quæ in æs conjicitur, ut fiat orichalcum.* Festus. Plin. XXXIV. 10. *Ipse lapis, ex quo fit æs, cadmia vocatur, fusuris necessarius, medicinæ inutilis.* Nomen ex eo creditur, quia *Cadmus* Tyrius auri metalla, eorumque fusuram invenit. *Voss. Lex. Etymol.* Galli *calamine* vocant. Est duplex; alia naturalis, alia artificialis. Naturalis rursus duplex est: alia, quæ multum æris, & interdum etiam aliquid argenti continet, quæ per excellentiam metallica dicitur; alia, cui nulla nec æris, nec argenti portio inest, quæ arctiori significatione fossilis appellatur. Artificialis est, quæ in fodinis, vel fornacibus producitur. Quæ in fodinis producitur, nascitur ex exhalatione *cadmiæ* naturalis, quæ intra lapidum & saxorum cavitates colligitur, quando admoto igne operarii ea calefaciunt, & vi caloris petras metallorum rumpere conantur, ut Hannibal olim rupes Alpium rupisse legitur. Quæ fit in fornacibus, a Georgio Agricola dicta *cadmia fornacum*, nascitur ex vena æris, vel argenti. *Savot. de Num. Ant.* II. 13.

CADOMUM Galliæ urbs est, hodie *Caen* vulgo dicta. Honorii Imperatoris nummus æreus est, in quo Imperator paludatus conspicitur, dextra labarum, sinistra globum, & ad pedes captivum tenens. Notatur his notis. KAD. P. S. quæ forsitan significant *Kadomi Pecuniam signatam.* Ursat. de Not. Roman. Thes. Antiq. Romin. Græv. Tom. XI. p. 791. F.

CADUCA aqua. V. supr. in *Aqua*.

Caduca bona. V. supr. in *Bona*.

CADUCÆ preces. V. illas infr. in *Preces*.

CADUCUM auspicium. V. illud supr. in *Auspicium*.

Caducum legatum. V. illud infr. in *Legatum*.

CADUCEATOR *legatus pacem petens. Cato: Caduceatori nemo homo noceat.* Festus. Glossæ: *Caduceator*, κῆρυξ ὁ ὑπὲρ εἰρήνης ἀποστελλόμενος, καὶ τὸ κηρύκιον φέρων. Ammian. XX. 7. *Ira tamen tum sequestrata, caduceatoribus missis ex more, clausos blandius hortabatur, ut vitæ speique consulturi obsidium deditione solverent opportuna, reseratisque portis egressi supplices, victori gentium semet offerrent.* Per *caduceatores* finiebantur bella, ut per feciales indicebantur. *Rhodig. Ant. Lect.* XXI. 16. *Voss. Lex. Etymol. Paschal. de Legat. c. 4. Vaillant. Numism. I. p. 172. La Chausse de Deor. Simulacr. Tab.* VIII. *Alex. Gen. Dier.* V. 3. *Lotich. in Petron. p.* 209. *Calcagn. de Concord. p.* 410. Inter inimicorum tela incolumis consistere poterat. Cicer. de Orat. I. 46. *Eum quærimus, qui non tam caduceo, quam nomine oratoris ornatus incolumis possit inter hostium tela versari.* Unde Eustathius *caduceatores* fuisse ἀσύλους tradit, quod nefas esset eos a quoquam violari, quia crederentur esse θεῖον γένος, id est, *divinum genus.* Proinde Ulysses in Odyssea exploratoribus

toribus comitem adjecit *caduceatorem*, διὰ τὸ ἄσυλον. Juven. Sat. VI. 537.

Magnaque debetur violato pœna caduceo,
Et movisse caput visa est argentea serpens.

Rabir. de Hastar. & Auction. Orig. Thes. Antiq. Roman. Græv. Tom. III. p. 31. A. Rhodiginus, La Chausse, Paschalius l. l. Fab. Semest. II. 1. Verum quidem est, *caduceatores*, hoc est, legatos fuisse inviolabiles jure gentium. Sed tamen ex Cicerone nihil illorum colligas, quæ inde Rabirius expiscatur. Nam hæc simplex ejus est sententia, eum se quærere, quem non tam legati, quam oratoris nomen, & fama præstet in medio hostium incolumem, qui propter celebritatem nominis, quod sit illustris orator, & eloquentiam ubique tutus sit, ac si in antro Corycio, ut ille ait, degeret. Ineptissime ad *caduceos* hos trahit locum Juvenalis, tanquam legatur *caduceo* contra leges metrorum, cum recte scribatur in editis *cadurco*. Quod longe aliud est, ut & *argentea serpens*, quæ in Isidis templo erat, quæ plane nihil ad hoc, de quo loquitur Rabirius, faciunt. *Græv. Thes. Antiq. Roman. Thes.* III. *Præfat.* * * 2. *vers.*

CADUCEUS, Latina vox, a Græca originem traxit. Græcis est κηρύκειον, Tarentinis & Syracusanis καρύκειον. Inde Latini dixere *caduceum R* in *D* converso. Nec obstat quod κηρύκειον scribatur per ει vulgo. Nam in glossis Philoxeni est *Caduceum*, κηρύκιον. Græci tantum *caduceos* gerebant, Romani vero herbas quasdam, quæ sagmina vocantur. Marcian. leg. sanctum de divis. rerum. *Sunt sagmina quædam herbæ, quas legati populi Romani ferre solent, ne quis eos violaret: sicut legati Græcorum ferunt ea, quæ vocantur cerycia.* Plin. XXIX. 3. *Hic complexus anguium, & efferatorum concordia, causa videtur esse, quare extera gentes caduceum in pacis argumentum circumdata effigie anguium fecerint.* Scalig. in Festum in *Caduceatorum.* Voss. Lex. Etymol. *Gestamen erat legatorum.* Pollux VIII. 11. De *caduceo* Hygin. Astron. II. 8. *Ab Apolline virgulam quandam muneri accepit Mercurius, quam manu tenens cum proficisceretur in Arcadiam, & vidisset duos dacrones, inter se conjuncto corpore alium appetere, ut qui dimicare inter se viderentur, virgulam inter utrumque projecit: itaque discesserunt, quo facto, eam virgulam pacis causa dicit esse constitutam, nonnulli etiam cum faciunt caduceos, duos dracones implicatos virgula faciunt, quod initium Mercurio fuerat pacis.* Rectum quidem lignum συμβολικῶς & operte orationis rectitudinem significat: serpentes vero impliciti castra castris juncta nobis innuunt occultius, quibus se diffidentes conciliatura voluntates orationis inserit virtus. *Rhodig. Ant. Lect.* XXI. 16. *La Chausse de Simulacr. Tab.* VIII. *Paschal. de Legat. c.* 4. *Lotich. in Petron. p.* 209. *Gyrald. Deor. Synt.* IX. *p.* 300. *A. Ferret. Mus. Lapid.* 1. *Memor.* 2. *Bud. in Pandect. p.* 52. *C. Thys. in Gell.* X. 27. *Jun. Anim.* V. 20. *Licet. de Lucern.* VI. 97. *Malvas. Marm. Felsin. Sect.* V. *c.* 13. *Nonn. in Goltz. Jul. Cæsar. Nomism. p.* 51. *Faschius de Numm. Pylemen. Energet. Thes. Ant. Græc. Gronov. Tom.* IX. *p.* 1614. *B. Tomas. Cecrop. vet. c.* 6. *Schill. Nomencl. Philol. p.* 123. *Pitisc. in Curt.* III. 1. 6. §. 35.

CADURCUM *quidam dicunt cucullum candidum, propter hyemes & nives comparatum; alii tabernaculum, aut tentorium dixerunt, quibus merces suas protegere consueverunt.* Scholiast. Juven. Sat. VII. 221.

Institor hibernæ tegetis, niveique cadurci.

Et VI. 537.

Magnaque debetur violato pœna cadurco.

Membrum mulieris intelligitur, cum sit membri velamen. Vel ut alii, est institа, qua lectus intenditur. Unde ait Sulpitia:

Ne me cadurcis destituam fasciis
Nudam Caleno concubantem proferat.

Omnes male. *Cadurcum* est vestis stragula, sive lodix, sive culcita, ad frigus arcendum, densa scilicet & villosa, facta ex lino *Cadurcensi.* Plin. XIX. 1. *Nullum est candidius linum, lanæve similius: sicuti in culcitis præcipuam gloriam cadurci obtinent.* Apud Juvenalem pro lecto sumuntur. Nam cum in sacris Isidis per decem dies feminæ secubarent, si per eos dies mariti matrimonii jus usurparent, a sacerdotibus petenda erat concubitus venia magnaque pœna violato lecto, sive *cadurco.* *Cadurcæ fasciæ* non sunt institæ, quibus lectus intenditur; sed sunt fasciæ lineæ, lodices & stragula quibus Sulpitia ipsa velabatur. Ne scilicet, inquit illa, remotis *cadurcis fasciis*, sive stragulis nudus concubitus appareat. *Ferrar. de Re Vest.* II. 1. 22. *Salmas. Exercit. Plinian. p.* 824. *F. Britannicus & Grang. ad Juven.* VI. 537. *Voss. Lex. Etymol.*

CADUS, vas quo vinum conditur. Lucill. XVIII.

Millia ducentum frumenti tolle medimnum,
Vini mille cadum.

Virg. Æneid. 1. 199.

Vina bonus quæ deinde cadis onerarat Acestes.

Non. XV. 9. In Alpibus rustici ligneos *cados* circulis cinctos primi excogitasse dicuntur. Eos autem turbinatos fuisse instar coni, aut strobili, colligitur ex Plin. XXVII. 4. ubi *aloen*, ait, *in turbinibus cadorum seri.* Buleng. de Conviv. IV. 16. Stuck. Ant. Conviv. II. 10.

Cadus Gallicus, quem vulgo *caquum* appellant, triens est modii Parisini, & comprehendit quartarios octo & quadraginta. *Cenal. de Pond. & Mens. rat. Thes. Antiq. Roman. Græv. Tom.* XI. *p.* 1470. *C.*

CAE.

CÆCILII *orti sunt a Cæculo* Vulcani filio, *qui condidit Præneste. Alii appellatos eos dicunt a Cæcade Tojano Æneæ comite.* Festus. *Sigon. de Nom. Roman. c.* 4. *Panvin. de Nom. Roman. Thes. Antiq. Roman. Græv. Tom.* II. *p.* 2002. *D. Alex. Gen.* 1. 9. *Schott. Obs.* III. 17.

CÆCUS dictus est ab oculis. Ita Appius Claudius Cæcus appellatus, postquam aspectum oculorum amisit. *Sigon. de Nom. Roman. c.* 5. *Streim & August. de Gent. & Fam. in Claudia.*

CÆDERE pignora apud Cicer. de Orat. III. 1. *Pignora non sunt tibi cædenda, si Crassum vis coercere*, est illa ablata concidere & frangere. Hoc enim Consules consueverunt. Et inde Antonius se disturbaturum ædes Ciceronis minatur. *Franciscus Connanus.* Hoc ridiculum est. *Cædere* namque veteres pro consumere dicebant, ut ex illo Lucillii demonstrat Nonius IV. 97.

Lana, opus omne perit: squalor, tinea omnia cædunt.

Quare cum *cædi pignora* lex vetus dixisset, pro ita capi, ut auctione distraherentur & consumerentur, ludens Crassus ancipiti significatione vocabuli, sic locutus est, similiter ut Cicero in ea pro Sext. Rosc. c. 29. *Nescimus, per ista tempora eosdem fere sectores fuisse collorum & bonorum.* Non enim sectores collorum appellatos esse cuivis perspicuum est. Itaque idem in eodem libri tertii proœmio paullo superius sic scripsit. *Non tulit ille, & graviter exarsit, pignoribusque ablatis Crassum instituit coercere.* Et Gell. XIV. 1. *Prætor hæc de pignore capiendo disserit, deque multa dicenda senatori, qui cum in senatum venire debuisset, non adesset.* Hotomann. de Senat. II. 7. Zamosc. de Senat. II. 4.

CÆDICIA colonia. Hanc vetus epigramma tantum, quod sciam, commemorat ita:

DUOVIR. MULSUM. ET. CRUSTUM
COLONIS. SENUESSANIS. ET. CÆDICIANIS

Panvin. Imp. Roman. c. 11.

CÆLATA proprie dicuntur vasa aurea, vel argentea, in quibus signa, vel sigilla intus, vel extra eminentia expressa sunt, quæ solo cælo fieri non torno possunt exigi. Quo magis miror ita canere Virg. Ecl. III. 36.

— pocula ponam
Fagina, cælatum divini opus Alcimedontis,
Lenta quibus torno facili superaddita vitis
Diffusos hedera vestit pallente corymbos.

Pro-

Profecto vix ac ne vix quidem fieri potest: hoc enim τῶν ἀδυνάτων, ut vitis & hederæ corymbi in poculo per tornum exprimi queant, vel imprimi. Imitatus est Theocritum poeta, qui poculum in certamine rustico depositum describit. Ubi κισσύβιον torno factum non dicit Græci Musi, sed γλυφάνῳ, id est, cælo. Et sane figuræ illæ omnes, quæ in eo poculo expressæ memorantur, minime torno fieri poterant. Mollis enim acanthus, de quo loquitur apud Theocritum & Virgilium, quo ansas est amplexus Alcimedon, cælo fieri debuit, non torno. *Salmas. Exerc. Plin. p. 735. a. D.*

CÆLATORES dicebantur Latinis, τορευταὶ Græcis, qui ex argento sigilla in vasis exprimebant. Plin. XXXIV. 8. *Ariston, qui & argentum cælare solitus est*, id est, qui scyphos sigillatos ex argento faceret, τὰ τορεύματα. Et paullo post: *item ex cælatoribus Stratonicus ...* Hunc *Stratonicum* alio loco inter τορευτὰς recenset. *Salmas. Exerc. Plin. p. 737. b. E.* Hos veteres habebant domesticos. Juven. Sat. IX. 145.

Sit mihi præterea curvus cælator, & alter
Qui multas facies pingat cito.

Ubi vetus interpres *cælatorem* exponit *servum argentarium, laboriosum, anaglyfarium.* Quæ tamen disparare videtur antiqua inscriptio sepulcralis, quæ Romæ legebatur.

ANTIGONUS. GERMANIC. CÆSAR
ARGENTARIUS
VIXIT. AN. XLII.
AMIANUS. GERMANIC. CÆSAR
CÆLATOR
FECIT.

Pignor. de Serv. p. 210.

CÆLATURA dicebatur ars, quæ exstantes figuras ostendebat, & extra corpus materiei prominentes, interdum totas, interdum dimidiatas. In argenteis & aureis vasis apud veteres locum ac auctoritatem suam maxime tenuit, sed præcipue in argenteis. Græci τορευτικὴν appellant, & τόρευμα opus eo modo *cælatum.* Hodie fere tantum scalpitur & cavatur argentum, ex quo pocula fiant. Cæterum vasa etiam *argentea scalpta* in Historia Augusta legimus. Apud veteres tamen frequentius *cælabatur* argentum figuris exstantibus, ut dixi, aut totis, aut dimidiatis. Quintil. Inst. Orat. II. 21. sculpturam a *cælatura* materie tantum distinguit his verbis: *Et cælatura, quæ auro, argento, ære, ferro, opera efficit: Nam sculptura etiam lignum, ebur, marmor, vitrum, gemmas, præter ea, quæ supra dixi, complectitur.* Sane sculptor marmoris dicitur, non *cælator.* Ut contra *cælatura* auri & argenti, non sculptura. Et sculptura quidem æque ac *cælatura* figuras exstantes facit; sed in ligno, marmore, ebore & gemmis operatur: *cælatura* in auro, argento, & ære. Virgilius tamen Ecl. III. 37. lignum dixit *cælatum* pro sculpto improprie, sed poetice. Alii tamen *cælata tecta* de laquearibus dixere. *Salmas. Exercit. Plin. p. 736. a. C. F.* Mihi *cælaturam* a sculptura distinguit non materia, sed forma. Opinor enim *cælata* opera dici a veteribus, quæ vel in materia plana, vel in tumida, vel in convexa ita fiunt, ut in ipsa materia, quæcunque sit, hæreant, & aliqua parte promineant: sculpta vero, quæ vel integra undique & solida cernuntur, ex quacunque materia sculpendo facta, quo in genere sunt statuæ: vel in cavo depressa, neque solidam exprimunt effigiem, neque integram ab omni latere ostendunt, ut sigilla. *Manut. Quæst. Epist. III. 9.* Ego non immerito dubitaverim, an hanc διαίρεσιν tam sollicite observent veteres. *Sagittar. de Jan. Veter. c. 26.*

CÆLUM est instrumentum *cælatorum.* Usus est Varro Agathone apud Nonium II. 235.

Numnam cælatus in manu dextra scyphus
Cælo dolitus artem ostentat Mentoris?

Auson. Epigr. LVI. 6.

Talem fecerunt ferrea cæla Deam.

Voss. Lex. Etymol. Latini recentiores nuncupaverunt *cilium & cilionem.* Imo etiam *scilum*, quod est σμίλιον. Nam & *scilatos* lapides vulgo dicimus, qui sculpti sunt: & *scilare* pro sculpere vel *cælare.* Idiotismus noster id vocat *cizeler.* Salmas. Exercit. Plin. p. 735. b. F. *Cælum* adhuc olere eleganter & recte dicitur, quod recens a *cælo* est. *Salmas. ibid. a. F.*

CÆMENTA boni auctores vocant lapides rudes, informes, impolitos, non cæsos, & irregularia lapidum fragmenta. *Bergier. de Viis militar. II. 22. Voss. Lex. Etymol. Bud. in Pandect. p. 116. I: 148. I: 176. D.* Non vocant, ut vulgo sibi persuadent, rudes lapides, sed cæsos ac politos ad usum ædium, non tamen quadratos; nam *cæmenta* semper distinguunt a quadratis lapidibus. Vitruv. I. 5. *Sed ubi sunt saxa quadrata, sive cæmentum, aut coctus lapis, sive crudus, his erit utendum.* II. 7. *Sequitur ordo de lapidicinis explicare, de quibus & quadrata saxa, & cæmentorum ad ædificia eximuntur copiæ, & comparantur.* *Cæmentum* vero minutus lapis *cæsus*, & æquatus ad structuram ædium, a *cædendo* dictus. Imo *cæmentum* idem quod cæsura. Inde *cæmenta marmorea* pro assulis, quæ e marmore cadunt, quum cæditur, dixit idem Vitruv. VII. 7: *Quibus autem locis hæ copiæ non sunt, cæmenta marmorea, sive assulæ dicuntur, quæ marmorarii ex operibus dejiciunt.* Lapidem *cæsalem* veteres etiam dixerunt *cæmentitium.* Auctor incertus apud Agrimensores: *Lapis fluvialis chomaticus dicitur: lapis Tiburtinus cæsalis dicitur.* Hodie *cæmentum* vocamus ferrumen, quo lapides in structura ligantur, & nectuntur invicem. Apud veteres *cæmentum* lapis ipse cæsus e lapidicina, & æquatus ad struenda tecta; Plin. XXXVI. 23: XXXV. 13. Vitruv. II. 8. Omnibus illis locis *cæmenta* sunt lapides. *Salmas. Exercit. Plin. p. 268. a. F. de Laat. Lexic. Vitruv.* Quæ sint *cæmenta* nondum convenit inter interpretes. Qui non habent quod sibi exprobrent. Aliquid veri omnes dicunt, & tamen ex parte falluntur. Nam Vitruvium attente legenti satis liquet, *cæmenta* esse lapides, non quadratos, qui sive quod sine delectu & respectu formæ temere tantum cædantur, sive quod cædendo lapide quadrato hinc inde eximantur, decidant, & frangantur, *cæmenta* dicuntur. Relinquuntur hi interdum, & exciduntur rudes & impoliti; interdum poliuntur & aptantur ædificiis, sed non ad eandem & certam omnes mensuram, unde *cæmentorum* nomen retinent. *Schel. in Hygin. Thes. Antiq Roman. Græv. Tom. X. p. 1118. F.*

CÆNINA Græci generis non ignobilis urbs bello primo Sabino prima omnium colonia a Romulo facta est. Trecenti eo deducti cives coloni fuerunt, anno ab U. C. 4. Dionys. Halicarn. II. p. 103. *Panvin. Imp. Roman. c. 11. Sigon. de Ant. Jur. Ital.* I. 5.

CÆNOMANI continuabantur Insubribus. Horum fines feruntur incerti. Quoniam autem Veronam, quam interfluit Athesis, modo in Venetis, modo in *Cænomanis* collocari ab antiquis animadverto, fit, ut ab oriente *Cænomanos* Athesi flumine terminatos putem, ab occidente Ollio amne, a septentrione Rhætis, & cæteris, qui eas Alpes insidebant, barbaris, a meridie Pado. Quo in spatio sunt Verona, Brixia, Mantua, Tridentum, & Bustrium, auctore Ptolemæo. *Sigon. de Ant. Jur. Ital. I. 24. Cluver. Ital. Ant. I. 26.* Bello adeo afflicti sunt & perditi, ut patriis eversi sedibus ne agro quidem, quem amiserant, nomen reliquerint. *Sigon. ibid. c. 26.*

CÆPIO Quintus. In argenteis nummis gentis Juniæ & Serviliæ, in quibus aliquis *cæparum*, vel cultor, vel gustator insignis, cognomen hoc sibi & posteris familiare fecit, nisi quis ob animi atque corporis splendorem & nitorem *Cæpio* cognominatus fuerit, deducto cognomine a *Cæpionide* gemma, de qua Plin. XXXVII. 10. *Cæpionides in Æolidis Atarne, nunc pago, quondam oppido, nascuntur multis coloribus translucentes, alias vitreæ, alias crystallinæ, alias jaspideæ. Sed & sordidis tantus est nitor, ut imagines reddant ceu specula.* Ursat. de Not. Rom. Thes. Antiq. Roman. Græv. Tom. XI. p. 929. B. August. de Famil. in Servilia.

CÆRE fuit antiquissimum Tusciæ oppidum, nunc vulgo *Cerveteri.* Ursat. de Not. Roman. Thes. Antiq. Roman.

Roman. Græv. Tom. xi. p. 871. A. Quaſi dicas *Cære veteri*, id eſt, *Cære vetus*. Quatuor millia paſſuum a mari abeſſe tradit Plin. iii. 5. Antiquum hodieque retinet ſitum in ... tumulo. *Agylla* antea fuit dictum a Pelasgis ... Plinio teſte. *Cluver. Ital. Ant.* ii. 2. 35. Fuit ... p... ecturis, in quas ibant, quos Prætor urbanus quotannis legibus in quæque loca mittebat, qui jus dicerent. Feſtus in Præfectura. *Sigon. de Ant. Jur. Ital.* ii. 13. *Manut. de Civ. Roman. Theſ. Antiq. Roman. Græv. Tom.* i. *p.* 21. *B.* Poſt civitatem impetratam in tribu Cluſtamina ſuffragium tulit. *Sigon. de Ant. Jur. Ital.* iii. 3.

CÆRETE eſt oppidum in Sabinis, nunc *Cærveto*. Urſat. de Not. Roman. Theſ. Antiq. Roman. Græv. Tom. xi. p. 871. A.

CÆRITES *primi fuerunt municipes ſine ſuffragii jure. Illis conceſſum fuit, ut civitatis Romanæ honorem quidem caperent, ſed negotiis tamen atque oneribus vacarent, pro ſacris bello Gallico receptis, cuſtoditiſque.* Gell. Noct. Attic. xvi. 13. *Panvin. Imp. Roman. c. 7. & 12. Civit. Roman. c. 53. Manut. de Civ. Roman. Theſ. Antiq. Roman. Græv. Tom. i. p. 29. E. 34. D. Comit. Roman. c. 2. Sigon. de Ant. Jur. Ital. ii. 6. Torrent. & Cruq. in Horat. Epiſt. i. 6. 62. Franckenſtein de Ærar. pop. Rom. c. 3.* Hoc eſt, ut beneficii loco jure civitatis populi Romani donarentur; ſic tamen, ut ad dignitates capiendas non admitterentur. Quo nomine Romani a Strab. v. p. 152. taxantur, quaſi ipſi *Ceritanos*, non, ut a ſe benefactis ſuis meriti eſſent, tractaſſent: *Quibus addi poteſt Ceritanorum facinus. Hi enim Gallos, qui Romam ceperant, debellaverunt, adorti eos in Sabinis: invitiſque eam extorſerunt prædam, quam illi volentibus Romanis abſtulerant. Præterea Romanos, qui Cære confugerant, & æternum ignem, ac Veſtales virgines conſervaverunt. Ac mihi videntur Romani propter eos, qui Urbem tum male adminiſtrabant, non ſatis memores beneficii accepti ſe exhibuiſſe. Cum enim eis jus civitatis darent, inter cives tamen nomina eorum non retulerunt. Quin & alios, qui æquali jure cum civibus reliquis non fruerentur, in Cæritum tabulas rejiciebant.* Oizel. in Gellium.

Cærites tabulæ appellabantur, *in quas referri jubebant, quos notæ cauſa ſuffragiis privabant.* Gell. Noct. Attic. xvi. 13. Referebantur enim in illas, non qui beneficii loco, ut ante *Cærites*; ſed qui ignominiæ cauſa moti tribu ſuffragiis privabantur. In *Cæritum* tabulas autem referebantur plebeji. Cenſores enim, ut ſcribit Aſcon. in Cicer. p. 20. cives ſic notabant: *ut qui ſenator eſſet, ejiceretur ſenatu. Qui eques Romanus, equum publicum perderet. Qui plebejus, in Cæritum tabulas referretur, & ærarius fieret, ac per hoc non eſſet in albo centuriæ ſuæ; ſed ad hoc eſſet civis tantum, ut pro capite ſuo tributi nomine æra penderet.* Hinc Horat. Epiſt. i. 6. 63. *Cærite cera digni.* Gloſſ. Philox: *Cærites*, δέλτοι, ἐν αἷς τὰς ἐγγραφὰς ἀποτίθενται. *Oizel. in Gellium. Torrent. in Horatium. Manut. de Civit. Roman. Theſ. Antiq. Roman. Græv. Tom. i. p. 27. E. 34. C. Alex. Gen. Dier. iii. 13. Laz. Comment. Reip. Roman. xii. 2. Salmuth in Pancirol. de Reb. Deperd. & Inv. p. 518. Donat. Dilucid. in Livium p. 31.* Imo & ſenatores & equites Romani. V. ſ. pr. in *Ærarius*. In *Cæritum tabulas* referri idem erat quod ærarium fieri. Aſconius modo laudatus quaſi duo diverſa poſuit, ſed unum diverſis verbis explicavit, quod veteres nonnunquam ſolebant, quo ſcilicet res fieret illuſtrior: multo enim uſitatius, ideoque apertius id loquendi genus, *ærarium fieri*, quam in *Cæritum tabulas referri*: & in Livio ſæpe alterum, alterum, niſi me fallit memoria, nunquam invenias. Semel Gellius, ſed ut rem doceret, cum de municipiorum ageret origine, non ut factum narraret, uſurpavit. Semel Aſconius, ſed conjuncte. Subjunxit enim: *& ærarius fieret*, quaſi parum plane locutus eſſet ad exponendam ſententiam. *Manut. ibid. p. 28. E. Rhodig. Ant. Lect.* xxix. 6. Peccant. Aliud erat *in Cæritum tabulas referre*, aliud *ærarium facere*. *In Cæritum tabulas referre* erat ſuffragio ſpoliare. Nam *Cæritibus* beneficii loco, ob ſacra bello Gallico ſervata, civitas ſine ſuffragii latione fuerat data, ut a Strabone & Gellio jam dictum. *Ærarium* vero *facere*, auctore Aſconio, nullum aliud jus civitatis in centuria, atque adeo in tribu relinquere, quam ut pro capite ſuo tributi nomine æra penderet, ita ut qui ærarius factus eſſet, is non ſolum ſuffragio urbano, ſed etiam ſtipendiis militaribus ſpoliatus eſſet. Ut autem gravior erat nota *in Cærites referri*, quam tribu moveri, ſic ærarium relinqui, quam inter *Cærites* conjici. Quod autem ærarii a militaribus ſtipendiis eſſent repulſi cognoſcitur ex Liv. vii. 2. cum ſcribit Attellanos hiſtriones cenſoria nota vacuos fuiſſe, quia *neque tribu moverentur, & ſtipendia facerent*. Sigon. de Ant. Jur. civ. Roman. ii. 16. Minime hoc genuinum eſt. Aliud eſt a ſtipendiis repelli, aliud ærarium fieri. Qui enim ſtipendiis privabantur, non ærarii dicebantur, ſed *ære diruti* appellabantur. Feſtus ſupr. in *Ære diruti*. Senſus verborum Livii eſt, quod quamvis hiſtriones & ſcenam exercentes, tanquam infames a militia arcerentur, nihilominus Attellani hiſtriones peculiari privilegio ab hac nota excipiebantur, & ſtipendia facere poterant. *Ærarium facere*, vel *relinquere*, vel in *ærarios referre* nihil aliud fuit quam redigere eum vel eos in numero capite cenſorum, ut ſcilicet pro capite, ſicuti & capite cenſi, ſtatutam pecuniam penderent, nec militiæ adſcribi poſſent. Quod ignominioſum fuiſſe conſtat. Liv. iv. 24. *Cenſores ægre paſſi, Mamercum, quod magiſtratum populi Romani minuiſſet, tribu moverunt, octuplicatoque cenſu ærarium fecerunt.* Hoc eſt, damnaverunt, ut pro ſuo capite octo plus ærario ſolveret, quam capite cenſi pendere tenebantur. V. & ſupra Feſtum. *Donat. Dilucid. in Liv. p. 35. & 38.* Qui pro ſuo capite octuplum quod capite cenſi, vel octies tantum quantum capite cenſi, dicere voluit. Sed & ſic errat: non enim dicit Livius octuplicatam capitationem, aut octuplicato ære capite cenſum, ſed *octuplicato cenſu ærarium*. Cujus cenſu: ipſius utique Mamerci. Ergo *octuplicato cenſu ærarius*, qui ubi pro cenſu pendere deberet aſſem unum, damnas erat pendere octo. *Gronov. de Pecun. Vet.* iv. 1.

CÆSAR cognomen erat glorioſiſſimum. Spartian. Æl. Ver. c. 2. *Certe quæcunque illa felix neceſſitas fuit, unde tam clarum & duraturum cum æternitate mundi nomen effloruit.* Ideo cecinit Virg. Æneid. i. 290.

Naſcetur pulcra Trojanus origine Cæſar,
Imperium oceano, famam qui terminet aſtris.

Propterea ex Dionis ſententia xliii. p. 235. D. apud Romanos imperio deſtinati primum *Cæſaris* cognomen accipiebant, tanquam ipſis proprium, cum præcipue decreto Senatus *nomen Imperatoris a Julio, quemadmodum etiam Cæſaris nomen, tanquam peculiare ſummi imperii cognomentum, ad omnes Imperatores dimanavit.* Urſat. de Not. Roman. Theſ. Antiq. Roman. Græv. Tom. xi. p. 500. B. Qui quoque de titulis Imperatorum differens teſtatur, *Cæſaris* appellationem *nihil peculiaris potentiæ* ſignificare, ſed tantum *ſucceſſionem ſtirpis*. Noris Epiſt. Conſul. Theſ. Antiq. Roman. Græv. Tom. xi. p. 498. D. Donat. de Urb. Rom. iii. 4. Quamvis *Cæſar* ævo ſequiori non tam Imperatorem, quam deſignatum & imperio deſtinatum ſucceſſorem denotarit, tamen nonnulli Imperatores, qui ex jure imperii in his nummis ſalutabantur *Auguſti*, in illis nummis voluerunt dici *Nobiliſſimi Cæſares*: neque enim unquam, aut certe vix reperietur *Nobiliſſimus Auguſtus*; ſed fere ſemper *Nobiliſſimus Cæſar*. Bergier. de viis milit. iii. 41. §. 9. Titus & Domitianus, vivente patre, *Cæſares*, non Auguſtos, eſſe appellatos conſtat ex Inſcriptione apud Gruterum p. 244.

T. Cæſari	*Imp. Cæſari*	*Cæſari Aug. F*
Veſpaſiano	*Veſpaſiano. Aug*	*Domitiano*
Pontif. Tr	*Pont. Max. Tr. Pot*	*Coſ. Deſig.* ii
Pot. ii. *Imp.* iii.	iv. *Imp.* ix. *Coſ.* iv	*Principi. Juventutis*
Coſ. ii	*P. P.*	

C. Papirius Æquos. 7. Leg. iii. *Aug. Teſtamento. Poni. juſſit*
Ex. Arn. P. X.

Nec obſtant nummi i. & ii. Conſulatus Titi, in quibus habetur, VICTORIA AUGUSTI. PAX. AUGUSTI.

STI. Hæc enim in obſequium patris potius fuit intelligenda, qui ſolus erat Auguſtus; ut ex titulis utriuſque patet nummi, abſque Auguſti nomine, Tito inſcriptis. *Donat. l. l.*

CÆSAR Julius. Conſtat originem omnium teſtimonio Juliorum familiam ab Julo Aſcanio, Æneæ filio, traxiſſe. Virg. Æneid. I. 292.

Julius a magno demiſſum nomen Iulo.

Lucan. IX. 995.

Gentis Iuleæ veſtris clariſſimus aris
Dat pia thura nepos.

Moreſtell. de Menſib. Dial. IX. Heros Julius eſt appellatus. *La Chauſſe de Deor. Simulacr. Tab.* I. Sub Prætore M. Thermo prima ſtipendia in Aſia fecit, & ab eo in expugnatione Mytilenarum civica donatus eſt anno plus minus 673. Suet. Jul. c. 2. n. 1. *Auguſtin. de Famil. Roman. in Minucia.* Fluxiore utebatur præcinctura, ut molles & delicati ſolebant. Suet. c. 45. n. 5. *Etiam cultu notabilem ferunt. Uſum enim lato clavo ad manus fimbriato, nec ut unquam aliter, quam ſuper eum cingeretur, & quidem fluxiore cinctura, unde emanaſſe Sullæ dictum conſtat, optimates ſæpius monentis, ut male præcinctum puerum caverent.* Ubi duo notat in Julio I. quod interiores tunicas nullo cingulo caſtigabat, ſed ſola toga præcingebat tunicas. Nam quamvis tunica laticlavia ὀρθοςάδιος erat, tamen tunicas inferiores zona ſubſtrictas portare ſolebant cæteri laticlavii. II. Quod cinctu ipſo togæ fluxiore utebatur. Diverſa hæc togæ præcinctura a cinctu Gabino, quo habitu amicti non præcincti a ſcriptoribus vocabantur, ſed toga aut prætexta incincti, & a Græcis τὰς τηβέννας περιζωσάμενοι, id eſt, circumcincti. Præcingi videtur dici proprie, quando non circumcirca cinctus ambit hominem, ſed ab interiore tantum parte. Mart. XIV. 153.

Det tunicam dives, ego te præcingere poſſum.

Ennius apud Gell. Noct. Attic. VI. 6.

Brunduſium pulcro præcinctum præpete portu.

Hunc autem cinctum togæ non habebant antiqui Romani, qui nullos ſinus habebant, ſed brachium toga cohibebant. Hinc Pedo Albinovanus ita Mæcenatem defendit, qui & ipſe male præcinctus erat n. 21.

Quod diſcinctus eras, animo quoque carpitur uno:
Diluitur nimia ſimplicitate tua.
Sic illi vixere, quibus fuit aurea Virgo,
Quæ bene præcinctos poſt modo pulſa fugit.
Invide quid tandem tunicæ nocuere ſolutæ?
Aut tibi ventoſi quid nocuere ſinus?

Ruben. de Re Veſt. II. 13. I. 12. V. Ferrarium infr. in *Cinctus.* Qui & hoc præter morem, quod laticlaviam chirodotam ferebat, forte ut ſe a Phrygibus & Ænea oriundum hoc habitu teſtaretur. Phrygibus manuleatæ tunicæ in uſu erant. Virg. Æneid. IX. 616.

Et tunicæ manicas, & habent redimicula mitræ.

Et ſic Julus Æneæ filius cernitur apud Triſtanum in gemma regia cum tunica chirodota uſque ad digitos. *Ruben. ibid.* I. 12. Viſus eſt etiam inſolens eſſe in eo, quod diebus etiam non feſtis mulleos calceos geſtabat, nempe ut ſe de Regibus Albanorum oriundum teſtaretur, qui iis calceis olim uſi fuerant. Dio XLIII. p. 234. E. *Atque is provectiori jam ætate formæ ſtudebat: delicatiori enim veſte ſemper luxuriabat, atque jam calceamento, quo interdum quoque utebatur, alto & puniceo ex more Regum Albanorum, ad quos genus ſuum referebat ab Julo.* Ruben. ibid. II. 1. Senatus, qui tum adulatione certabat, ei decrevit, *ut ſemper etiam in ipſa Urbe uteretur veſte triumphali, & ſederet in ſella curuli, præterquam in ludis. Tum enim ei ſeſſio in tribunitio ſubſellio cum iis, qui quoque tempore tribunatum plebis gererent, concedebatur.* Dio XLIII. p. 242. B. Imo tandem ut ſella aurea, & veſte regia uteretur, ut eodem libro Dio p. 243. A. Δίφρος τε ὁ ἐπίχρυσος, καὶ στολὴ (non στήλη, ut corrupte legitur) ᾗ ποτε οἱ βασιλεῖς ἐκέχρηντο. Nam poſtquam Senatus omnes honores ſtante Republica claris viris olim conceſſos exhauſerat, ad eos converſus eſt, qui olim Regibus tributi fuerunt: itaque Julio auream ſellam, & veſtem regiam decrevit. Confirmat hoc Dio XLIV. p. 245. D. dum deſcribit *Cæſarem* ab Antonio in Lupercalibus oblatum diadema reſpuentem. *Pro roſtris aurea in ſella conſeſſu, regia veſte, aureaque corona ornatus.* Ruben. ibid. I. 21. Circum maximum reſtituit; ampliavitque. V. infr. in *Circus.* Funere filiæ venationem dedit, qua non captivi modo & noxii, ſed etiam equites, inter quos & Prætoris filius, pugnarunt. Dio XLIII. p. 225. A. *Bulenger. de Venat. c. 37.* Pontifex factus, poſt aliquot annos ab Optimatium factione ſpe provinciæ Ægypti dejectus Pontificatum maximum petiit, tanta contentione, ut cum mane ad comitia deſcenderet, prædixerit matri, domum ſe niſi Pontificem Maximum non reverſurum. Qua in re ſenſit uberrime, quantum ſibi favor populi prodeſſet. Nam juvenis adhuc, needum Prætorius, duobus potentiſſimis competitoribus, multumque & ætate, & dignitate antecedentibus. Q. Catulo Conſulari, & Senatus omnium confeſſione principi, ac Servilio Iſaurico Conſulari itidem & ſummæ auctoritatis in Senatu viris prælatus eſt. Vellej. II. 3. Suet. c. 13. n. 2. Plutarch. Cæſ. p. 710. C. & Dio XXXVII. p. 46. E. Artibus his hanc dignitatem adeptus eſt. Reduxerat Sylla, antiquata in gratiam Optimatium lege Domitia, jus Sacerdotum creandorum ad collegium Pontificum. Horum plerique cum Senatui addicti eſſent, facile prævidebat Cæſar, ſe repulſam paſſurum, ſi penes eos poteſtas creandi Pontificis Maximi maneret. Itaque populi gratia fretus, quem nuper in Tribunitia poteſtate reducenda & lege Manilia defendenda enixiſſime juverat, mox Ædilis ludorum ac munerum magnificentia ſibi conciliarat, per T. Attium Labienum tribunum plebis rogatione lata effecit, ut jus illud plebi denuo redderetur. Hac ratione cum deviciſſet populum, vix dubitandum erat, ſui rationem unice habitum iri. Nihilominus vulgi inconſtantiæ diffiſus, & præterea veritus validiſſimos competitores, quorum alter etiam magna mercede oſtenſa, eum a petitione deducere conatus erat, adhuc aliis artibus tenuiores juxta ac ditiores & potentiores aggreſſus eſt. Illos enim profuſiſſima largitione, etiam nominibus factis; hos diligenti affectatione; utroſque etiam viliſſimos, veneratione & cultu, ad fœditatem adulationis uſque demerebatur. Quibus officiis adeo cunctos permovit, ut etiam in competitorum tribubus plura ipſe ſuffragia, quam uterque eorum in omnibus tulerit, ut e Suetonio cognoſcimus. Sic ergo in locum Metelli Pii Pontifex Maximus factus eſt M. Cicerone & C. Antonio Conſulibus, hoc eſt, anno ab U. C. 691. paullo ante quam Cicero Conſulatu decederet. *Boſius de Pontif. Max. Imper. Roman. c.* 1. Dictator dictus eſt an. 707. Dio XLII. p. 194. C. *Romani, ut adhuc cives, ſuique juris eſſe viderentur, & hæc, & alia omnia Cæſari decernebant, quæ vel invitis ipſis obtinere poterat. Quippe hoc etiam accepit, ut dictator non ad ſemeſtre tantum ſpatium, ſed in integrum annum diceretur.* p. 195. A. *His ita decretis, approbatiſque Cæſar, quamvis extra Italiam eſſet, ſtatim dictaturam occepit, magiſtro equitum aſſumpto Antonio, qui prætor nondum fuerat.* Appian. de Bell. civ. I. p. 351. *Nemine audente contradicere, ſecundus poſt Syllam dictator perpetuus creatus eſt.* Cicer. Phil. II. 34. *At etiam adſcribi juſſit in faſtis, ad Lupercalia, C. Cæſari, dictatori perpetuo M. Antonium conſulem populi juſſu regnum detuliſſe, Cæſarem uti noluiſſe.* Quo autem titulo *dictaturam* ceperit, in ejus laudatione oſtendit Antonius apud Dion. XLIV. p. 266. B. in qua *dictatorem adverſus hoſtes* creatum eſſe ait: ergo rei gerundæ cauſa factus fuit. Aliam etiam ob cauſam *dictaturam* accepiſſe conſtat: ea fuit, ut illa poteſtate, quæ ſumma erat, omne ad ſe unum jus Reipublicæ traheret, quod ante multorum erat. *Panvin. Faſt. II. p. 166.* Interemptus eſt in ſenatu anno ſecundo Juliano, qui fuit quintus ejus Conſulatus M. Antonio collega, teſte Cenſorino, in quem incidit annus ab U. C. 710. cum per integrum annum, duos menſes, & quatuordecim dies in uſu fuiſſet Kalendarium Julianum. Diſcrepant auctores, ut incertum videatur eſſe, an

cædes Cæsaris referenda sit ad annum ab U. C. 709. ut communis fert opinio; an vero ad annum 710. ut Fasti marmorei Romæ effossi indicant, sic ut ex antiquitatibus Romanis Onuphrius Panvinus ostendit Fast. II. p. 169. Julium *Cæsarem* interfectum esse anno ab U. C. 710. quando fuit Dictator IV. & Consul V. Sane non est dubium, quin annus ab U. C. 710. inciderit in annum secundum Julianum, sed non semper initium fuit computatum ab U. C. De sententia Varronis & Censorini Urbs condita est ipsis Parilibus, hoc est, XI. Kal. Maji. Quamobrem si annorum U. C. principium inde sumamus, cædes Cæsaris incidit sub finem anni ab U. C. 709. ut opinio vulgaris est accipienda. Si autem a Kalendis Martiis Romuli initium annorum U. C. numeremus, sicut illustres quidam auctores Romani fecerunt, tunc Cæsaris cædes incidit in principium anni ab U. C. 710. neque absurdum est, ut unus idemque locus diverso respectu habeat rationem principii & finis. *Christmann. de Kalend. Roman. Thes. Antiq. Roman. Græv. Tom.* VIII. *p.* 293. *B.*

CÆSARAUGUSTA, nunc Saragoza Hispaniæ Tarraconensis, in finibus Celtiberorum olim urbs insignis; Ptolemæo teste, Salduba prius dicta, modo Arragonum regni caput. Fundatorem Augustum scribit Anton. Augustin. Antiq. Rom. & Hispan. Dial. I. faciem ipsius Imperatoris expendens his verbis: *Non potest non vehementer ista inspectione tam jucunda affici; vosque & ego in primis, cum, quod Cæsaraugustanam civitatem, patriam nostram fundaverit, nomenque indiderit.* Verum si Salduba *Cæsaraugusta* est, hanc ita appellatam affirmare audeo, quia sub Augusto deducta colonia fuit, cum potissimum meæ opinioni accedat Plin. III. 3. hisce verbis: *Cæsaraugustana colonia immunis, amne Ibero affusa, ubi oppidum antea vocabatur Salduba.* Ursat. de Not. Roman. Thes. Antiq. Græv. Tom. XI. p. 595. F. Vaillant. Numism. I. 14. & 94.

CÆSAREÆ plures fuerunt, & *Cæsareas urbes Reges amici atque socii, & singuli in suo quisque regno condiderunt.* Suet. Aug. c. 60. n. I. *Ruben. de Urb. Neocor. Diatr. Thes. Antiq. Roman. Græv. Tom.* XI. *p.* 1354. *C. Hennin. ad Bergier. de Vus milit.* III. 44. §. 10. *Donat. Dilucid. in Sueton. p.* 7-3.

Cæsarea Palæstinæ urbs maritima, olim *Apollonia* Plin. V. 13. postea *Stratonis Turris* Josepho, tandem mutato nomine in honorem Augusti ab Herode Judæorum Rege appellata est, ex eodem Historico Ant. Jud. XV. 13. *Olim Stratonis Turrim dictam ipse Cæsaream appellavit.* Prosper Chronic. Thes. Antiq. Roman. Græv. Tom. XI. p. 283. Vaillant Numism. I. 135. Harduin. in Plinium, Pinedo in Stephanum. Colonia facta est a Vespasiano, teste Paullo II. de Censibus. *Divus Vespasianus Cæsarienses colonos fecit, non adjecto ut & juris Italici essent, sed tributum remisit capitis. Sed Divus Titus etiam solum immune factum interpretatus est.* Unde *Cæsarea* beneficii memor, *Flaviæ* nomen accepit. Et prima quidem dicta est, quod Judææ caput esset. Tacit. Hist. II. 79. I. *Discessere, Mucianus Antiochiam, Vespasianus Cæsaream, illa Syriæ, hæc Judææ caput est.* Joseph. de Bell. Jud. III. 28. pro maxima provinciæ civitate numerat. *Inde in loco maritimo Cæsaream pervenit, Judææ maximam civitatem.* Nihil mirum igitur, si urbs tam ampla, tandem metropolis facta sit ab Alexandro Severo, cum antecessores ipsius Imperatores plurimas in his tractibus metropoles, & geminas quidem in eadem provincia constituerint. *Vaillant ibid.* II. *p.* 116. 194. 195. 122. 50. Dirutis Hierosolymis caput Palæstinæ fuit, ad littus maris Syriaci, cis Jordanem sita, prius Turris Stratonis a Stratone Sidonis Rege ædificata, postea Cæsarea a Vespasiano vocata. Justinian. Nov. 103. de Proconf. Palæstinæ, quod in ejus obsidione is Cæsar sit appellatus. *Pancıroll. Notit. Dign. Imp. Orient. c.* 107.

Cæsarea etiam fuit metropolis Cappadociæ. Antea fuit dicta Mazaca. Sita sub monte Argæo. Plin. VI. 3. *Sub monte Argæo Mazacam, quæ nunc Cæsarea nominatur.* Ammian. XX. 9. *Apud Cæsaream Cappadociæ, Mazacam antehac nominatam, opportunam urbem, & celebrem, sub Argæi montis pedibus sitam.* Strab. XII. p. 370. *In præfectura, quæ Cilicia dicitur, Mazaca sunt gentis metropolis. Ipsa quoque Eusebia cognominatur ad Argæum.* Dictam a Julio dicit Constant. Porphyrogen. Them. I. 2. *Cæsarea metropolis a magno Cæsare Julio dicta, quæ antea Mazaca nominabatur.* ab Augusto Festus in Breviario. *Inter auxilia nostra fuere Cappadoces, & ita majestatem coluere Romanam, ut in honorem Augusti Cæsaris Mazaca civitas Cappadociæ maxima, Cæsarea cognominaretur.* a Tiberio Hieron. Chron. p. 157. *Tiberius multos Reges ad se per blanditias evocatos nunquam remisit: in quibus & Archelaum Cappadocem: cujus regno in provinciam verso Mazacam nobilissimam civitatem Cæsaream appellari jussit.* a Claudio Sozomen. Histor. Eccles. V. 4. Niceph. Hist. Eccles. X. 4. Cassiod. Histor. Tripart. VI. 4. *Primum Mazacam vocatam Claudius Cæsar appellatione mutata nomine suo cohonestavit.* Panvin. Notit. dignit. imper. Orient. c. 68. & 130. Spanhem. de Præst. numm. IX. p. 892. Lindenbr. in Ammianum. Harduin. in Plinium. Pined. in Stephanum.

CÆSARIES. Serv. ad Æneid. X. 832. admonet *antiquo more viros, sicut mulieres, composuisse capillos. Quod verum esse statuæ antiquorum docent, & personæ, quas tragœdiis videmus esse similes in utroque sexu, quantum ad ornatum pertinet.* Græci βόστρυχον & πλόκαμον hujusmodi *cæsariem* appellant. Qualem Euphorbum gestasse cecinit Homer. Iliad. P. 52. auro videlicet religatum:

Cincinni auro & argento vincti erant.

Liberorum hominum erat esse comatos, id est, comam adornare; & his solis *cæsariem* habere licebat. Ita liber dicitur habere *cæsariem*, τὴν κεφαλὴν κεκοσμημένος τῇ συνθέσει τῆς κόμης *caput ornatum habens compositis capillis.* Joseph. Antiq. XIV. 17. *Hotomann. de vet. rit. nupt. c.* 17. *Junius de Coma c.* 8.

CÆSIA gens. V. illam infr. in *Gens.*

CÆSIM pugnantes non solum facile vicere, sed etiam derisere Romani. *Cæsa* enim quovis impetu veniat, non frequenter interficit, cum & armis vitalia defendantur & ossibus; at contra, puncta duas uncias adacta, mortalis est. Deinde cum *cæsa* infertur, brachium dextrum, latusque nudatur: puncta autem recto corpore infertur, & adversarium sauciat antequam videat. *Thes. Rom. Illustr.* III. *p.* 76.

CÆSO primo dictus est, qui ex utero matris mortuæ esset exsectus Valerio X. & Sext. Pompejo auctoribus. Plinius quoque VII. 9. *Primus Cæsar a cæso matris utero dictus, qua de causa & Cæsones appellati.* *Cæsonis* nota *K* cum librariorum culpa, vel temporis vetustate adeo interiisset, ut non solum nulla nobis sui vestigia reliquisset; verum etiam in alia prænomina, ut *C* & *Cn* in libris Latinis se transtulisset, ex Fastis Capitolinis, vetustissimisque codicibus facile est restituta. Nam cum in Fastis Capitolinis *K. F. K. N.* eos describi vidissem, quos in Fabiorum familia *Cæsonis* filios aut nepotes fuisse Livius & Dionysius scribunt, pro *K. Cæsonem* debere intelligi existimavi. De qua nota etiam Terentius Scaurus scripsit. Ea autem potissimum litera ipsos usos esse in hoc prænomine existimandum, ut a Cajo, quod *C* litera notatur, distingui ac internosci posset. *Panvin de Nom. Roman. Thes. Antiq. Roman. Græv, Tom.* II. *p.* 2025. *B. Sigon. de Nom. Romans c.* 3. *Pigh. Annal. Rom.* I. *p.* 103.

CÆSONINUS cognomen fortasse eadem ratione dictum est, qua multa cognomina ita immutata sunt, ut per diminutionem in *inus* a suo primitivo deflexa sint. *Sigon. de Nom. Roman. c.* 9.

CÆSTUS erant lora ex multiplici crudo tergore bovis agrestis, ut ait Homerus, manibus & brachiis inducta, ferreis, plumbeisve clavis, aut squamis, ut ita dicam, clavatis convoluta, ad similitudinem arietini cornu. Plin. XI. 37. *Dedit natura in amfractum convoluta arietum generi cornua, ceu cæstus daret.* Arietum enim cornua non sunt æquali superficie, sed cingulos quosdam habent eminentes, ambitu imperfecto, cum alius oriatur ex alio; ut in cochlearum testis. Eustathius: *Pugilum lora bubula circa manus ipsis involvebantur, plagas nonnihil adjuvantia: digitos autem simul continebant; & quasi clavam quandam ro-*

tunda

tunda forma dure faciebant. Manus igitur loris illis involutæ, clavæ quædam esse videbantur. Isque *cæstus* erat. Qui ea de causa dicebatur indui, innecti, ligari. Val. Flacc. Argon. IV. 251.

Quos potes, indue cæstus.
Trojanos exsue cæstus.
Paribus palmas amborum innexuit armis.

Prop. III. 12. 9.

Nunc ligat ad cæstum gaudentia brachia loris.

Ubi lora nominantur. Convolutos fuisse *cæstus* ferreis plumbeisve vel clavis vel squamis docet Virg. Æneid. V. 405.

Terga boum plumbo insuto ferroque rigebant.

Ex quo versu idem conjicere licet. Nam verbo *rigebant* horribilem illam speciem ostendit clavorum in loro bubulo eminentium. Eustath. Homer. Iliad. p. 1446. & Pollux III. 30. 5. μύρμηκας appellant ob similitudinem verrucarum in corpore exstantium. Totum certamen dextro pariter ac sinistro pugno fiebat: unde pugiles dicti. Virg. Æneid. V. 457.

Nunc dextra ingeminans ictus, nunc ille sinistra.

n. 460.

Creber utraque manu pulsat, versatque Dareta.

Pugiles etiam *cæstibus* decertasse docet Cicer. Tusc. Quæst. II. 17. *Pugiles cæstibus contusi ne ingemiscunt quidem.* c. 23. *Pugiles, cum feriunt adversarium, in jactandis cæstibus ingemiscunt.* Manut. Quæs. Epist. III. 8. Mercur. de Art. Gymn. II. 9. Panvin. de Lud. Circ. II. 1. Turneb. Adv. XIV. 4. Voss. Lex. Etymol. Thys. in Gell. III. 15. Strauch. in Olymp. agon. §. 15. Bartholin. de Armill. §. 7. Scal. Poet. I. 22. Falconer. ad Inscript. athlet. Thes. Antiq. Græcar. Gronov. Tom. V. p. 253. C. Reines. Inscr. V. §. 44. *Cæstiphori* in gymnasiis exerceri solebant. Testatum hoc facit Propertius modo laudatus, qui in palæstris puellis Spartanorum etiam cum *cæstibus* exercere consuevisse scribit. *Cæstibus* clari fuerunt Amycus Bebryciorum Rex, Neptuni filius, a Polluce occisus apud Val. Flacc. Argon. IV. 160. Entellus & Dares apud Virg. Æneid V. 369... *Panvin. Mercur. Thys. l. l.* Sævissimum aliquando erat spectaculum, ita ut cerebrum & guttur facile eliderentur. Servius in Virgilium. *Erat durum certamen cæstuum, raroque sine cæde committebatur. nam ex ferro erant, &, ut habilius faciliusque manibus gererentur, pendebant ab illis lora, quibus non solum manus, sed brachia humerique alligabantur.* Idcirco ἀμφωτίδας aurium munimenta induebant, quod aures nonnunquam amitterent. *Thys. l. l.* V. supr. in *Aures.*

Cæstus erat etiam genus clavæ pilas plumbeas loris bubulis appensas habens. *Panvin. de Lud. Circ.* II. 1. *Voss. Lex. Etymol. Thys. in Gell.* III. 15. Hæ pilæ non erant *cæstuum*, sed plumbatarum. *Argol. in Panvinium.* V. infr. in *Pila.*

CAJ.

CAJÆ mulieres in nuptialibus sacris appellabantur. Festus: *Caja Cæcilia appellata est, ut Romam venit, quæ antea Tanaquil vocitata erat, uxor Tarquinii Prisci, Regis Romanorum; quæ tantæ probitatis fuit, ut id nomen, ominis boni causa, frequentent nubentes, quam summam asseverant lanificam esse.* Ursat. de Not. Roman. Thes. Antiq. Roman. Græv. Tom. XI. p. 587. D. Augustin. de Fam. Roman. in Cæcilia. & ad Leg. XII. tab. §. 18. Blond. Triumph. Rom. VIII. *p.* 160. *H.* Sigon. de Nom. Roman. c. 3. Coras. Miscell. jur. civ. V. 14. 5. Demster. Paral. ad Rosin. Antiq. V. 37. Thys. in Gell. IV. 4. Panciroll. de Reb. Deperd. & Inv. p. 675. & in illum Salmuth p. 684. Brisson. de Rit. nupt. p. 83. Casal. de Prof. Rom. rit. c. 22. de Urb. ac Imper. Roman. splend. part. 2. c. 16. de Rit. nupt. c. 1. *Cajæ* prænomen omnibus feminis commune fuisse concedo, nullam tamen fere usum adjungo, nisi cum mulieris libertus esset ostendendus, ne cognominis productiore vocabulo uti cogerentur hoc pacto: Arescusæ libertus. Qua de causa liberti omnes mulierum se *Cajæ* libertos in titulis monumentorum his notis asserunt. C. CÆCILIUS Ɔ. L. EROS. *Castal. adv. Femin. Prænom. Assert. Thes. Antiq. Roman. Græv. ibid. p.* 2050. *D.* 2254. *A. Augustini. l. l.* Præter *Cajæ* nullum nobis in tanta veterum monumentorum copia feminarum prænomen est repertum, idque in duobus tantum lapidibus gentilicio nomini præfixum: quod tamen ipsum omnium mulierum commune fuisse dixi. *Castal. ibid. p.* 2059. *F.*

CAJUS prænomen usitatissimum aliquando gentilitii nominis locum obtinuit. Monumentum apud Gruterum p. 1025. n. 9.

M. CAJUS. MAXIMI.
PRÆF. PRÆTOR. . . .

Prænomen hoc Cæsaribus semper ominosum. Suet. Cal. c. 60. n. 4. *Observatum autem notatumque est, in primis Cæsares omnes, quibus Caji prænomen fuit, ferro periisse, jam inde ab eo qui Cinnanis temporibus sit occisus.* Ursat. de Notis Roman. Thes. Antiq. Roman. Græv. Tom. XI. p. 583. F. Est dictio dissyllaba, nisi per diæresin ex *J* consonante facias vocalem. Mart. IX. 94. 4.

. . *Pervigil in pluma Cajus ecce jacet.*

Panvin. de Nomin. Roman. Thes. Antiq. Roman. Græv. Tom. XI. p. 2025. C. Litera *C* notatur, *G* tamen sono pronuntiatur. *Sigon. & Panvin. l. l.* V. Diomedem supr. in *C pro G.* & infr. in *G.*

CAL.

CALABRIA est regio, quæ Isthmo est inclusa a Tarento ad Brundisium, quam præterea variis nominibus Messapiam & Japygiam Sallentinam signarunt. Alii regionem illam in duas partes distribuerunt, teste Strabone, unam, in qua Tarentum, quam Calabriam & Messapiam; alteram in qua Brundisium, quam Sallentinos, sive ultimam Japygiam appellarunt. *Sigon. de Ant. Jur. Ital.* I. 12. *Panciroll. Not. Dign. Imp. Occid. c.* 53. Neptuno dicata fuit ob terræ motus, cui præses Neptunus. *Tomas. de Donar. Vet. c.* 25.

CALAGNA *colonia muro ducta jussu Drusi. Cæsaris populus deduxit. Iter populo non debetur, ager ejus veteranis est assignatus.* Frontinus de Coloniis. *Panvin. Imp. Roman. c.* 11.

CALAGURRIS urbs Hispaniæ Tarraconensis ad Iberum fluvium, inter oppida civium Romanorum a Plin. III. 3. recensetur. Reipublicæ tempore cum jure veteris Latii facta, deinde a Julio Cæsare suffragii jure donata, *Julia* vocata est. *Vaillant. de Numism.* I. *p.* 21. *Calagorina* Ptolemæo auctore Geogr. part. II. & *Calagorum* observatione Strab. III. p. 111. denominata. Vasconum civitas olim eidem, unde Prudentius *Calagurritanus* cecinit Περις. I. 94.

Jamne credis bruta quondam Vasconum gentilitas.

Nunc Castellæ veteris urbs clara, vulgo *Calahorra.* Municipiumne an colonia fuerit, ambigit Augustin. Ant. Hispan. Dial. VII. Municipium potius, quam coloniam fuisse mihi suadent nummi ærei Augusti, quos & ipse Augustinus l. l. expendit, in quibus legitur. MUN. CAL. JUL. videlicet *Municipium Calagurris Julia*; quos & omnes penes Adolphum Occonem in coloniis & municipiis Augusti observare licet. *Ursat. de Not. Roman. Thes. Antiq. Roman. Græv. Tom.* XI. *p.* 591. *E.*

CALAMISTRATURA summa invidia semper laboravit & mollitiei macula, neque id sine causa. Phocylides masculis pueris non vult complicari crines verticis, aut in cincinnos cogi n. 201.

Cæsariem ne mas crispos producat in orbes,
Vincula neve plicent crines contorta corymbis.

Portius Latro in Catilinaria invectiva acerbe suggillat Romanos juvenes, qui in oculis civium *calamistrati* obvolitabant passim. Et Cicero Pisonem ut profligatæ vitæ hominem *cincinnatum ganeonem* appellat post Red. in Sen. c. 5.

c. 5. Idem ibid. c. 7. in Gabinio Consule *frontem calamistri vestigiis notatam*, capillumque compositum traducit. Rursus c. 6. eundem *calamistratum saltatorem* nominat. *Junius de Coma c. 8.*

CALAMISTRUM est Græcorum καλαμὶς, quæ & σύριγξ. Ferrum erat fistulæ instar cavum, cui manubrium ligneum immittebatur, ut teneri posset, dum calidum esset, quo calefacto capillus intorquebatur. Non. xv. 27. *calamistrum* exponit *fistulam brevem, qua cirri continentur*. Videtur *calamistrum* idem facere cum acu, qua crines compti figuntur, ac sustinentur. Hesychius: Καλαμὶς κοσμάριόν τι περὶ τὰς πλοκάμους: ἄλλοι σύριγγα. Ait genus esse ornamenti circa crines. Nonius *calamistrum* & καλαμίδα eadem videtur putasse ex nominum similitudine. Profecto, quum καλαμίδα κοσμάριόν τι περὶ τὰς πλοκάμους interpretatur Hesychius, & περιτραχήλιον χρυσοῦν de eo ferro, quo calefacto vibrantur crines, fortean non possit accipi. Sed nec Nonius, qui fistulam exponit, qua continentur cirri. Eam igitur acum uterque designavit, qua fixa & inserta compago annulatorum crinium fulcitur ac continetur. Alias nihil prohibet, quin eadem acu crinali usi sint etiam ad torquendos capillos. Quippe in cinere caldo calefacta eundem usum præbere potuit. Diversa tamen res fuit & diversi usus *calamistrum* & acus crinalis. Hæc aurea fuit distinguendis & continendis capillis, illud ex ferro torquendis & vibrandis. Aperte Varro de Ling. Lat. iv. 29. *calamistrum* & discerniculum separat. *Calamistri*, inquit, *quod his calefactis in cinere capillus ornatur. Discerniculum, quo discernitur capillus.* Virg. Æneid. xii. 100.

Vibratos calido ferro.

Intelligit *calamistrum*. Acus ex auro, & revera acus, id est, acuta. Unde apud Apulej. Met. viii. p. 244. *Acu crinali capite deprompta Thrasylli convulnerat lumina.* Ovid. Art. Amand. iii. 240.

Et rapta brachia figit acu.

De acu crinali. Græci βελόνην vocant. In *calamistro* acumen nullius usus. Nec obstat, quod *calamistrum* Serv. in Æneid. xii. 100. *acum majorem* interpretatur, quæ *calefacta & adhibita intorquet capillos.* Quia *calamistrum* & acum crinalem, utrumque comendis capillis adhibebant mulieres: & quia crinali acu interdum vicem *calamistri* utebantur, ideo Grammatici ea instrumenta confundunt. *Salmas. Exercit. Plinian. p. 535. a. A. . . D. Bartholin. De Inaur. c. 2. Voss. Lex. Etymol. Junius de Com. c. 7. & 8. Pignor. de Serv. p. 400. Donat. Dilucid. p. 252. Lauremberg. Antiquar. p. 61. Demster. Paralip. in Rosin. Antiq. Roman. v. 35.*

CALAMOS inter & syringa, seu fistulam plurimum fuit discriminis. *Calami* plane rudes & agrestes fuerunt. In fistula paullo amplius artis fuit. Virg. Ecl. ii. 36.

Est mihi disparibus septem compacta cicutis
Fistula.

Theocrit. Eidyll. vi. 5.

An unquam fistulam possedisti;
Non satis est tibi culmo, quæ tua tibia est, sibilare?

Virgilius ita vertit Ecl. iii. 27.

— Aut unquam tibi fistula cera
Juncta fuit? non tu in triviis indocte solebas
Stridenti miserum stipula disperdere carmen?

Græci aliquid interesse volunt inter δόνακα & κάλαμον, ut λεπτότατος sit ὁ δόναξ, *tenuissimus*, *calamus* confertus & densus, ἁδρὸς δὲ ὁ κάλαμος. Δόναξ μὲν συρικταῖς χρήσιμος, κάλαμος δὲ αὐληταῖς. Δόναξ *quidem utilis fistulis, calamus tibiis.* Eustath. Iliad. Σ. p. 1224. Theocr. Eidyll. xx. 29.

— Et si fistula canam,
Aut tibia, aut calamo, aut tibia curva.

Ubi aliquid inter hæc omnia vides esse discriminis. *Buleng. de Theat. ii. 23. Bartholin. de Tib. vet. c. 4.* Apud Latinos nihil vulgatius quam sola *calami* denominatione tibiam significare. Nemes. Ecl. i. 3.

Incipe si quid habes gracili sub arundine carmen
Compositum. Nam te calamos inflare labello
Pan docuit.

Virg. Ecl. vi. 69.

Hos tibi dant calamos, en accipe, Musæ,
Ascræo quos ante seni, quibus ille solebat
Cantando rigidas deducere montibus ornos.

Bartholin. l. l.

Calamus erat mensura perticæ proxime accedens, quæ alias *calamus mensuræ* appellatur, hac nota discrepans a *calamo aromatario*, quem nos solemus appellare *canelle*. Hanc mensuram Hebræi dicunt *cane*: quo nomine arundinem, *calamum*, juncumve significant. Cui vocabulo alludunt Narbonenses Galli: mensuram enim vocant *une cane*, quæ est ad ulnam Parisinam pæne dupla. Hanc ita describit Ezech. c. 40. n. 3. ut censeatur esse sex cubitorum & palmi. Sic habetur apud LXX. *In manu viri calamus mensuræ, sex cubitorum, & palmi in cubito.* Nos ita dicimus: *Calamus mensuræ sex cubitorum, & palmo*, subaudi, *addito cubitis.* Non enim dicitur, quod palmus sit adjungendus *calamo*, sed cubito. Et ita docet intelligendum esse Nicolaus de Lyra in libro differentiarum, quo loco accipit ulnam pro cubito, qua tamen ratione id faciat, ipse viderit. Illud satius est demonstrare ex lectione LXX. Interpretum, quod mensura sanctuarii, utpote cubitus erat major vulgari, palmo uno. *Calamus* ergo, de quo ad præsens sermo est, comprehendit cubitos sex vulgares, & sex palmos. Ex quibus exsurgit mensura decem pedum & semissis. Est itaque *calamus* sanctuarii major quam pertica, seu decempeda, palmis duobus, seu dimidiato pede: & Gallice appellari potest *une cane*. Hic ergo *calamus* duplex, vulgaris scilicet, longus est novem pedes: totidem enim efficiunt sex vulgares cubiti, seu orgyiam unam cum dimidia, quæ *acerra* Volaterrano dicitur. Alius autem est sanctuarii, qui decempedam dimidiato pede superat. Quum ergo *calamus mensuræ* sex cubitos sanctuarii comprehendat, seu septem communes, fit, ut mille *calami* sanctuarii reddant sexies mille cubitos majores, & septies mille vulgares. Hinc etiam sequitur, quod *calami* bis mille, quæ summa assignatur pro circuitu templi in quadro, constituant duodecim millia cubitorum sanctuarii, & quatuordecim millia vulgaria. Quod autem Hieronymus assignat duodecim millia, trecentos triginta tres cubitos, illud est in causa, quia *calamum* sanctuarii facit sex cubitorum & palmi, cum tamen palmus iste non sit addendus *calamo*, sed cubito. *Cenal. de Pond. & Mensurat. Thes. Antiq. Roman. Græv. Tom. xi. p. 1483. E.*

Calamus, quem *structum* vocat Prop. ii. 15. 24. est *aucupatorius*, ut vocatur Mart. xiv. 218. In aucupio enim, quod *calamis* peragebatur, arundo ad arundinem sic attexi, jungique consueverat, ut sensim cresceret, donec alitis ejus, quæ captabatur, alas viscum tangeret. Mart. xiv. 218.

Non tantum calamis, sed cantu vincitur ales,
Callida tum tacita crescit arundo manu.

Petron. c. 69. *Volucres, quas textis arundinibus peritus artifex tetigit.* Δόναξ ἰξευτὴς Erycio Anthol. iv. 83. 3.

Quique linis confidentes inceditis, quique ferro,
Et qui viscosa occulte jacta arundine.

Δόνακι ἰξευτῇ.

Salmas. Exercit. Plin. p. 83. a. F. 765. b. C. Gronov. Observ. iii. 18. & in Plaut. Bacch. i. i. 17. Gonsal. de Salas in Petronium. Zinzerling. Promulsf. Juven. Critic. c. 10. Douza Sched. Succid. pro Propert. p. m. 929. Auctor misc. defens. pro Salmas. ad jus Attic. & Rom. p. 697. Brouckh. in Prop. ii. 15. 24.

Calamus, quem vocant *scriptorium* Cels. v. 28. *chartarium* Apulej. Florid. p. 778. habilis erat chartis. Mart. xiv. 38.

Dat chartis habiles calamos Memphitica tellus.

Quia copiosissime prope Memphim, Cnidum & ad Ni-

lum

lum crefcit: unde Plin. xvi. 36. *Chartis ferviunt calami, Ægypti maxime, cognatione quadam papyri. Probatiores tamen Cnidii, & qui in Asia circa Anaiticum lacum nafcuntur. Noftratibus fungofior fubeft natura, cartilagine bibula, quæ cavo corpore intus, fuperne tenui marefcit ligno: fiffilis, præacuta femper acie, geniculata. Niloticus* vocatur Apulej. Metam. i. p. 2. *Juncus fcribæ* ex verfione Aquilæ vocatur Pfalm. c. 45. n. 2. ubi legitur: *Lingua mea calamus fcribæ.* Idem hæc funt. Sunt enim *calami*, junci feu arundines quædam aquaticæ. De illorum ufu Petrus Gregorius de Republ. xv. 3. *Calamo fcriptum in chartis, tefte Martiale* modo laudato. Opmerius initio Chronicôn: *In pugillares fcribebant ftylis ferreis: in papyros autem arundineis calamis, & poftmodum etiam avium pennis. Candida arundo* pro calamo fcriptorio paffim legitur apud Poetas Græcos & Latinos. Et pro *calamo* invenies apud Poetas arundinem. Perfius elegantiffime *calamum* defcripfit Sat. iii. 10.

Inque manus chartæ, nodofaque venit arundo,
Tum querimur craffus calamo quod pendeat humor,
Nigra quod infufa vanefcat fepia lympha:
Dilutas querimur geminet quod fiftula guttas.

Hugo de prim. fcrib. Orig. c. 9. Salmaf. Exercit. Plinian. p. 917. B. Voff. de Art. Grammat. i. 36.

CALANDI novam Lunam hæc olim ratio erat, prodita a Macrob. Saturn. i. 15. *Prifcis temporibus, antequam Fafti a Cn. Flavio fcriba in omnium notitiam proderentur, Pontifici minori hac provincia delegabatur, ut novæ Lunæ primum obfervaret afpectum, vifamque Regi facrificulo nuntiaret. Itaque facrificio a Rege & minore Pontifice celebrato, idem Pontifex calata, id eft, vocata in Capitolium plebe juxta curiam Kalabram, quæ cafæ Romuli proxima eft, quot numero dies a Kalendis ad Nonas fupereffet, pronuntiabat: & quintanas quidem quinquies dicto verbo καλῶ, feptimanas fepties repetito prædicabat.* Caufa *calandarum* dierum hæc erat, quod poft novam Lunam oporteret Nonarum die populares, qui in agris erant, in Urbem confluere, ut acciperent caufas feriarum a Rege facrorum, fcirentque quid quoque iftius menfis die faciendum effet. Qua formula ufi fuerint, paullo obfcurius Macrobius, M. Terentius Varro clarius tradunt. Nam is de Ling. Lat. v. fcribit, quod Pontifex ita proclamaverit. *Dies te quinque Kalo Juno Novella.* Item; *Dies te feptem Kalo Juno novella.* Quinque, fi quintanæ effent Nonæ: feptem, fi feptimanæ. Cur antem Juno? quia omnes Kalendæ in Junonis præfidio erant. Cur Novella? quia de novis novi menfis diebus agebatur. *Lipen. de Stren. c. 4. §. 3. & 5.*

CALANTICA Romanis capitis fuit ornatus, non veftis. *Alex. Gen. Dier. v. 18. Tegmen muliebre, quod capiti innectebatur. M. Tullius in Clodium: Tune, cum vincirentur pedes fafciis, cum calanticam capiti accommodares?* Non. xiv. 2. *Tiraquell. in Alexandrum, Juret. in Symm.* iii. 25. *Brod. Mifc.* x. 20. *Calcagn. Epift. Quæft.* iii. 1. *Lauremberg. Antiq. p. 61. Cujac. Obferv.* x. 17. Grammatici veteres volunt *calauticas* Latine appellari. Gloffæ: *calautica*, εἶδ@ ζώνης ex Græco καλυπτικῇ. *Salmaf. Exercit. Plin. p. 392. b. B.*

CALASIRIS vocabatur linea tunica laticlavia facrificulorum. Interpres Ariftoph. in Aves p. 601. *Calafiris tunica laticlavia.* Hefychius: *Calafiris tunica laticlavia: nonnullis eft & lineata & talaris tunica.* Euftath. Iliad. iii. p. 296. *Calafiris linea tunica facerdotalis.* Nec Phœnices folum, fed & omnes alii fere externarum religionum antiftites *calafires* habebant laticlavios. *Ruben. de Re Veft.* i. 17. Ægyptiorum certe fuit. Pollux viii. 16. *Tunica fimbriata Ægyptia.* Herodotus de Ægyptiis loquens ii. p. 134. *Induti funt veftes lineas, circum crura fimbriatas, quas vocant calafiris.* Ferrar. Anal. de Re Veft. c. 23. Voff. Lex. Etymol. Sunt quibus eft equeftris tunica latior. Hefychius: ἡνιοχικὸς καὶ ἱππικὸς χιτών. *Rhodig. Ant. Lect.* xviii. 37. Feftus: *Calaffis, tunicæ genus, quod Græci καλάσιριν dicunt. Alii dicunt nodum effe tunicæ muliebris, quo connexa circa cervicem tunica fummittitur.* Cujus altera fententia mihi magis placet, ut fit nodus, vel laxamentum tunicæ muliebris. Nam χάλασις, *laxamentum, refolutio*, ἀπὸ τοῦ χαλᾶν, quod eft laxare. Et inde *acalafis*, atque ex eo *aclaffis.* Feftus: *Aclaffis, tunica, ab humeris non confuta.* Gloff. Philox: *Aclaffes*, λώματα. Eft autem λῶμα, ῥαφὴ ἢ κλωσμὸς εἰς τὸ κατώτερον τοῦ ἱματίου. *Voff. l. l.*

CALATHUS erat *leve geftamen ex ligno vel canna, aut ex junco factum, in quo vel penfa ponuntur, vel leguntur flores.* Ifidor. xix. 28. Origine Græcum effe docent Feftus: *Calathos Græci, nos dicimus quafillum.* Serv. Ecl. ii. 46. *Sane calathus Græcum eft. Nam Latine quafillum dicitur.* Fuit proprie vas, in quo penfum & fufos reponebant: γυναικεῖον σκεῦ@, εἰς ἐρίων παράθεσιν, ut interpretatur Hefychius. Sic ufus Maro vii. 805.

— non illa colo, calathisve Minervæ
Fœmineas affueta manus.

Erat & *calathorum* ufus in reponendis floribus. Maro Ecl. ii. 45.

— tibi lilia plenis
Ecce ferunt nymphæ calathis.

Nafo defcribens puellas in campo Ennæo flores cum Proferpina legentes Faft. iv. 435.

Hæc implet lento calathos e vimine nexos.

Voff. Lex. Etym. Pius Annot. Pofter. c. 168. *Calathus* figura muliebri in Smyrnæorum nummo, feu Veftæ itidem additus, Cereri proprius, ac follenni curru & pompa in ejus honorem geftari in Thefmophoriis folitus, ut inde laudes hujus Deæ aufpicantem novimus Cyrenæum vatem Hymn. in Cerer. n. 1. τῷ καλάθῳ κατίοντ@, *calatho defcendente.* Et apud Ariftoph. Θεσμοφ. p. 810. οἱ καλαθίσκοι inter confuetum Θεσμοφοριαζουσῶν mulierum apparatum continuo recenfentur. Hinc & eadem Ceres in nummo Saloninæ Auguftæ vifitur, in quo infculptum ipfius Deæ nomen, CERER. AUG. & cui accedit Sardianorum nummus, in quo Ceres itidem cum *calatho*, cornucopiæ, fpicis, ac temone præterea, Fortunæ inftar, fignatur, Dea utpote frugum terra marique advectarum potens; vel ponto haud minus ac terra, dum filiam quæreret, jactata. *Spanhem. de Veft. & Prytan. Thef. Antiq. Roman. Græv. Tom. v. p. 691. C. in Callim. Hymn. in Cerer. n. 1.*

Calathus erat etiam *vas æreum, in quo lac vel recens cafeus diftrahitur.* Servius ad Virgilium mox laudandum. Etymologus: Κάλαθ@, *in quem lac fundunt illud in cafeum cogentes.* Pro hujufmodi vafe ufus eft Maro Georg. iii. 400.

Quod furgente die mulfere, horisque diurnis
Nocte premunt: quod jam tenebris & fole cadente,
Sub lucem exportant calathis.

Colum. vii. 8. *Confeftim, cum concrevit, liquor in fifcellas, aut in calathos, vel formas transferendus.* Voff. Lex. Etymol.

Calathus dicebatur etiam calix. Maro Ecl. v. 71.

Vina novum fundam calathis Arvifia nectar.

Ubi Servius: *Ordo eft, vina fundam calathis, id eft, calicibus, quæ vina fint novum nectar.* Martialis in Apophoretis, ubi lemma 97 eft *Calathi*, diftichon vero tale:

Nos Satyrus, nos Bacchus amat, nos ebria tigris,
Perfufos domini lambere docta pedes.

Voff. Lex. Etymol.

CALATIA colonia deducta fuit a C. Cæfare. Paterculus de Augufto ii. 61. 2. *Primum a Calatia, mox a Cafilino veteranos excivit paternos.* Cicer. Attic. xvi. 8. *Octavianus veteranos, quiqui Cafilini & Calatiæ funt, perduxit ad fuam fententiam.* Panvin. Imp. Rom. c. 11. Sigon. de Ant. Jur. Ital. iii. 4. Fuit etiam apud Feftum in Præfectura ex iis *præfecturis, in quas præfecti ibant a populo Romano creati.* Sigon. ibid. ii. 13. Manut. de Civ. Roman. Thef. Antiq. Roman. Græv. Tom. i. p. 21. B.

CALATINUS fuit dictus A. Atilius. Cui hoc cognomen fortaffe inditum, quia illi paupertas maxima, & ex

aratro

aratro ad honores vocatus eſt. *Calare* enim vocare eſt. Fuit conſul cum Q. Sulpitio Paterculo an. 495. Et iterum cum Cn. Cornelio Scipione an. 499. dictator rei gerundæ cauſa an. 504. cenſor cum A. Manlio Torquato an. 506. Huic elogium ad portam Capenam fuit poſitum. Cicer. de Senect. c. 17. *Quanta auctoritas in Atilio Calatino, in quem illud elogium unicum: plurimæ conſentiunt gentes, populi primarium fuiſſe virum. notum eſt totum carmen inciſum in ſepulcro.* Strein. de gent. & fam. Theſ. Antiq. Roman. Græv. Tom. VII. p. 1137. Auguſt. de fam. ibid. p. 1160. E. Glandorp. Onom. Rom. p. 135.

CALATOR erat ſervus, libertinus. Tacit. Annal. XIII. 27. 2. *Quippe latum fuſum id corpus. Hinc plerumque tribus, decurias, miniſteria magiſtratibus & ſacerdotibus, cohortes etiam in Urbe conſcriptas. Si ſeparentur libertini, manifeſtum fore penuriam ingenuorum.* Suet. Gramm. c. 12. n. 1. *Cornelius Epicadius Lucii Cornelii Syllæ Dictatoris libertus calatorque.* Fab. Semeſtr. II. 24. Popm. de Serv. pag. 75. Erat etiam ſervus militaris. Plaut. Merc. V. 2. 11.

Egomet mihi comes, calator, equus, agaſo, armiger.

Urſat. de Not. Roman. Theſ. Antiq. Græv. Tom. XI. p. 591. D. Et ſervus invitator, ſive vocator ab hac o-p[illegible]rte dictus hoc nomine a Plaut. Rud. II. 3. 5.

Eſtne hic Trachalio, quem conſpicor, calator Pleuſidippi?

P[illegible] de Se[illegible] p. 113.

C[illegible] κατ᾽ ἐξοχὴν dictus eſt ſervus publicus. Iſidorus in [illegible] *minister publicus.* Cujuſmodi erant [illegible] Hoc quotidiana gloſſaria optime declarant: *calatores*, δῦλοι δημόσιοι, περίπολοι, *calator*, κλήτωρ, *calatores*, ἱκεῖβαςαὶ ἱερέων. Neque vero mirabitur ſacrorum miniſtros ſervos dici publicos, qui ipſos augures publicos dici, atque adeo publicos P. R. Quiritium conſuevisse meminerit. Docet hoc inſcriptio, quæ hodieque Neapoli antiquiſſima viſitur. M. MÆCIO. MEMMIO. FURIO. BALBURIO. CÆCILIANO. PLACIDO. C. V. PONTIFIC. MAJORI. AUGURI. PUBLICO. P. R. QUIRITUM. *Carr. Ant. Lect.* I. 14: III. 4. *Voſſ. Lex.* Horum miniſterio Pontifices uſi, qui ſacrificaturi *calatores* ſuos præmittebant, qui populum monebant, ut feriis publicis opere abſtinerent. Serv. Georg. I. 268. *Sunt aliqua, quæ ſi feſtis diebus fiant, ferias polluant. Quapropter & Pontifices ſacrificaturi præmittere calatores ſuos ſolent, ut, ſicubi viderent opifices aſſidentes, opus fieri prohibeant, ne pro negotio ſuo, & ipſorum oculos, & Deorum ceremonias contaminent.* Popm. de Serv. p. 75. Guther. de Vet. Jur. Pontif. I. 13. Erant etiam Virginum Veſtalium miniſtri. Lapis, qui Fundi in Latio:

VINICIO. COCTÆO. CALAT
VII. VIR. EPULO. LIBERTO
OPTIMO. PATRONUS

Guther. l. l. Et ſacerdotii Titialium. Antiqua Inſcriptio Romæ.

Q. CÆCILIO. FEROCI
KALATORI. SACERDOTII
TITIALIUM. FLAVIALIUM. . . .

Panvin. de Civit. Roman. c. 42. Carr. Ant. Lect. III. 4. *Popm. l. l.* Et magiſtratuum in *calandis*, id eſt, convocandis comitiis curiatis & centuriatis. Tacitus ſupra laudatus. Et *calatoribus*, utpote publicis populi Romani miniſtris, teſtamenti pro parte bonorum dimidia faciundi jus fuiſſe crediderim. *Faber Semeſtr.* II. 24. *Popm. l. l.*

CALBEI dicebantur donativæ armillæ. Feſtus: *Calbeos armillas dicebant, quibus triumphantes utebantur, & quibus ob virtutem milites donabantur.* Rhodig. Ant. Lect. XXIV. 5. Barthol. de Armill. vet. §. 7. Lauremb. Antiq[illegible] p. 61. Nicol. de Triumph. c. 10. §. 4. *Calbeum*, ſi[illegible] *[illegible]lleum* dicebatur a Græca voce κάρπιον. Et calbeos apud Feſtum, hoc eſt, καρπίας. Unde καρπίας ὄφεις, & ἐπικαρπίας Græci dicunt armillas in modum ſerpentis contextas. Κάρπιον enim vocabant id omne, quod χειρὸς καρπὸν vinciebat, quod armillæ proprie faciunt. Latini *calpeum*, vel *calbeum*. Optimæ gloſſæ: *Calbea*, κοσμία. *Salmaſ. in Lamprid. Alex. c. 41. Voſſ. Lex. Etymol.*

CALCANDI hoſtium vel corpora, vel colla ritus, in ſignum plenæ de illis victoriæ reportatæ, olim fuit uſitatiſſimus. V. illum infr. in *Pes.*

CALCANEUM in navibus dictum, quod torculari adaptatur. *Calcagn. de Re Naut.* §. 14. ſi dextrum palpitaret, iter bonum: ſi ſiniſtrum, idem ſimili ratione ſecundum Ægyptios ſignificabatur. *Niphus de Augur.* I. 9. Camelorum *calcanea* veteribus fuerunt in deliciis. Lamprid. Heliogab. c. 19. *Comedit ſæpius ad imitationem Apicii calcanea camelorum & criſtas vivis gallinaceis demptas.* Camelorum *calcanea* ſunt natura ſua tenera. Herodian. IV. 15. 8. Fuiſſe cupediariis expetita non multo magis miror quam de criſtis gallorum gallinaceorum: quas hodieque ab iis, qui palatum eruditum habent, cupidiſſime conſtat expeti. *Caſaub. in Lampridium.*

CALCARIA erat locus ubi calx coquebatur. Ulpian. Leg. 8. §. 10. ff. de Pœnis. *In calcariam quoque vel ſulphuriam damnari ſolent.* Buleng. de Imp. Rom. VI. 77.

Calcaria e ferro fiebant, quibus equos concitabant, non aliter quam flagellis e ſummis arborum partibus, e loris, e nervo taurino. Hæc per *calcem ferratam* intelligunt Virg. Æneid. XI. 714.

Quadrupedemque citum ferrata calce fatigat.

& Sil. Ital. VII. 696.

Ferrata calce, atque effuſa largus habena
Cunctantem impellebat equum.

Buleng. de Circ. c. 17. Grapald. de Part. Dom. c. 8. §. 15.

CALCARIUM opus. V. hoc infr. in *Opus.*

CALCARIUS dicitur, qui calcem coquit. *Præpoſitus calcis* Caſſiodor. Var. VII. 17. *Buleng. de Imp. Rom.* VI. 77.

CALCEABANTUR ſtrictim veteres, ut auctor eſt Feſtus in Tentipellium. Unde Sidon. Apollin. Epiſt. IV. 13. *tenſum cothurnum* dicit, ubi de Germanico homine lauto loquitur. Illauti enim & incurii hominis indicium eſt, ſi pedes in laxa calceorum pelle natent & folleant. Hinc Ovidius elegantiæ præcepta tradens ei, quæ velit amari Art. Amat. I. 516.

Nec vagus in laxa pes tibi pelle natet.

Sidonius alloquens Thaliam Epiſt. VIII. 11.

Soccos ferre cave, nec ut ſolebat
Laxo pes natet altus in cothurno.

Hieron. Epiſt. ad Euſtochium, ubi maleſanum feminini cultus ſtudium perſtrinxit: *Omnis his cura de veſtibus, ſi bene oleant, ſi pes in laxa pelle non folleat.* Ne vero follicarent calcei, ſi quando pedum modulo laxiores eſſent, ſolebant eos vel tomento, vel qualibet alia re idonea ſtipare. Tertullian. de veland. virg. c. 12. *Calceum ſtipant multiformem.* Ad hanc rem multum conferebant anſulæ, ſive corrigiæ, quibus nimirum calcei pedibus ſtrictius firmiuſque aptabantur. Unde Tibull. I. 9. 18.

Anſaque compreſſos alligat arcta pedes.

Olim etiam Græci, eorumque poſtea imitatione Romani, antequam *calcearentur*, pedes inungere frequentiſſime ſolebant. Conſtat ex Athenæo, qui morem hunc ad mollitiem transfert. Quamobrem Lucretius Sicyonia recte junxit unguentis IV. 1118.

Unguenta & pulcra in pedibus Sicyonia rident.

Unde *in calceo unguipedem* dixit Tertull. de Pall. c. 5. *Balduin. de Calc.* c. 21.

CALCEARIUM erat donativum, militibus collatum in emendos *calceos.* Ulpian. leg. 21. ff. de alim. & cib. leg. *Diariis vel cibariis relictis neque habitationem, neque veſtiarium, neque calcearium deberi palam eſt.* Suet. Veſpaſ. c. 8. n. 8. *Claſſiarios petentes conſtitui aliquid ſibi calcearii nomine.* De *calceario* Reginarum Ægypti Herodot. II. p. 140. *Harum*

urbium Anthylla, quæ est insignis, datur peculiaris in calceamenta uxori semper ejus, qui in Ægypto regnat. Bergier. de viis milit. IV. II. §. 2. Balduin. de Calc. Ant. c. 21. Demster. Paral. ad Rosin. Ant. Rom. V. 36. Schott. Nod. Cicer. I. 3. Meurs. Auctar. Philol. c. 28. Donat. Dilucid. p. 770. Lyd. de Milit. Roman. III. 2. Voss. Lex. Etymol. in Calceus. Lips. in Tacit. Histor. III. n. 60.

CALCEM ciere est pedem movere. Plaut. IV. 2. 36.

Prius dispertibit faxo, quam unam calcem civerit.

Pareus Lexico Plautino. Qui sua sponte errat. Quare cave *calcem* pro ea parte pedis apud Plautum accipias, quam Græci πτέρναν vocant. *Calces* enim *per diminutionem calculi dicuntur.* Lucillius:

Naumachiam licet hæc, alveolumque putare calces.

Ciere itaque *calces* est κινεῖν τοὺς πεσσοὺς. Alia apud Græcos erat tabula calculorum, quippe quinque linearum. Calculi inciti non in ultimis erant lineis, sed in media. Cum alteruter ex lusoribus ad incitam lineam cogeretur, tunc movebat calculum ab eadem media linea hoc dicto, κινῶ τὸν ἀφ' ἱερᾶς: nam linea illa vocabatur ἱερά. *Scalig. Append. Conj. Varr. de Ling. Lat.* VI. *Senftleb. de Alea* c. II. §. 14.

Ad *calcem* pervenire est venire ad metam. *Calcem* vocarunt veteres locum illum circi, qui creta perductus fuit, non quia *calce* pro creta uterentur antiqui, sed quia finis ibi statutus quadrigarum cursibus, post ultimum metarum flexum. Senec. Epist. 108. *Hanc quam nunc in circo cretam vocamus antiqui calcem vocabant.* Calx τὸ τέρμα. Ita enim & Græci vocarunt, ubi consistebant quadrigæ, cursu legitimo peracto, Latini *calcem*. Pollux III. 30. §. 3. *Ubi cessant, finis, meta τέρμα, terminus.* Ibi stabant ad palmam accipiendam. Et dixerunt *cretam*, quod albo notatus esset ille locus: *calcem*, quod terminus esset currendi. Atque ita cretam ultimam appellat Prop. IV. 2. 58.

— hæc spatiis ultima creta meis.

quia finis erat: ita *calcem candidum*, quia terminus ille creta, id est, albo notatus esset, Varr. Margopoli περὶ ἀρχῆς apud Non. III. 60.

Nemini fortuna currum carcere emissum intimo
Labi inoffensum per æquor candidum ad calcem sivit.

Salmas. Exerc. Plin. pag. 642. D. Lips. Ant. Lect. V. 10. Voss. Lex. Etymol. Turneb. Adv. II. 12. Par. Lex. Lucret. in Calcis. Argol. in Panvin. de Lud. circens. I. 6.

CALCEUS quomodo differat a solea V. infr. in *Solea*. Illorum consuendorum primum artificium nonnulli cuidam Boethio tribuunt, quia Plin. VII. 56. *Sutrinam Boethius.* Sed quandonam ille vixerit, aut ubi, non docent. Unde præstat ad ipsa mundi primordia confugere. Quæ mens enim Adamo post vetiti fructus esum consuendorum e ficuum foliis perizomatum rationem suggesserat, quo pudendorum velaret turpitudinem; eadem & illum artem edocuit, qua sibi uxorique suæ *calceos* e cæsorum animalium pellibus apte commodeque consarcinaret. Imo ipse Deus, ubi *Adamo & uxori ejus tunicas fecit pelliceas & induit eos*, censendus est eadem ratione illis *calceos* consuisse, quo in necessariis ad vitam comparandis, minaces spinarum tribulorumque aculeos tutius evitaret. *Balduin. l. l. Voss. de Idolol.* III. 70. Qui hæc quidem ingeniose, non tamen solida ratione. Alia enim est vestium, alia *calceorum* ratio. Vestes enim erant quam maxime Adamo necessariæ, itemque uxori ipsius, non tam ut misera corpora, jam ob peccatum mille calamitatibus obnoxia, ab æstu, atque frigore, & aliis tempestatum injuriis defenderentur, quam quidem, ut nuditas, jam pudenda, tegeretur. Hæc necessitas in *calceis* non fuit. Sane videmus politiores populos non tantum habuisse, atque etiamnum habere vestium usum, verum etiam nullam gentem tam feram, tamque barbaram unquam repertam esse, quæ non speciem aliquam vestimentorum habuerit. Id vero in *calceis* non observamus. Etenim non barbaros modo, atque ab omni cultu, & humanitate alienos; verum etiam ipsos cultiores populos non dedecori putasse nudis pedibus incedere, licet sine vestibus prodire in publicum magno duxissent probro. Alterum prorsus apud omnes est inhonestum, alterum non item. Illi ipsi, qui summum scelus putassent aliquem in publico nudum conspici. *Flagitii* enim *principium est, nudare inter cives corpora*, ut vere Cicer. Quæst. Tusc. IV. 33. dixit, minime credebant turpe, si quis incederet nudis pedibus. Ut, licet Adamus folia consuerit, atque ipsi Deus tunicas fecerit pelliceas: confici non possit, aut Adamum *calceos* consarcinasse, aut Deum ipsi de *calceis* prospexisse; cum longe diversa sit utriusque ratio, ac non tam necessitas, quam ipsa honestas hominem certis quibusdam vestimentis voluerit obtegi. Licet autem obscura non tantum, sed etiam incognita sit *calceorum* origo, priscos tamen mortales non diu caruisse quadam pedum tutela certissimum videtur. Etenim necessitas, ut pedum plantas, molles illas atque teneras defenderent, id facile effecit, ut aliquod invenirent *calceorum* genus. Sane antiquissimum fuisse *calceamentorum* usum, & jam vulgarem Abrahami ævo, ostendit ipsius ad Regem Sodomæorum responsum, se ex omnibus, quæ ipsius erant, non accepturum *a filo usque ad corrigiam calceamenti.* Παροιμιώδης enim hæc loquendi ratio, qua pro re vili, ac fere nihili *calceamenti corrigiam* usurpat, nata non fuisset, si non vulgaris, ac diu cognitus fuisset *calceorum* usus. Quo quidem dicto nullum vetustius, de *calceorum* inter antiquos usu reperitur. *Byn. de Calc. Hebr.* I. I. §. 4. & 5. Illis consuendis primum, & ut plurimum materiam pelles præbuerunt. Apud Romanos certe pelliceos fuisse *calceos* non obscure insinuant hæc Mart. II. 49.

Lunata nusquam pellis, & nusquam toga.

Juven. VII. 190.

Appositam nigræ lunam subtexit alutæ.

Aluta enim pellis mollior est, ad compingendos *calceos* concinnata. Horat. Sat. I. 6. 27.

Ut quisque insanus nigris medium impediit crus
Pellibus.

Balduin. ibid. c. 2. Byn. de calc. Hebr. I. 2. §. 4. Deinde linum. Hoc ostendunt udones illi, sive lintea calceamenta, quibus Imperator Antoninus Philosophus permultique alii, ejus exemplo, sunt usi. Narrat Herodian. V. Linteis illis udonibus Romani etiam Pontifices, referente Josepho Stevano de Oscul. ped. summ. Pontif. per longa tempora sunt usi, postquam nimirum iis primum Sylvester a Constantino Magno donatus est. Quod in sericum purpureum migravit. Et hoc cum aurea cruce intexta in Pontificalibus *calceis* jampridem locum obtinet. Sic enim Ceremoniale Pontificum. *Induitur Papali habitu, toga scilicet linea alba, caligis rubeis, & sandaliis rubeis, aurea cruce signatis.* Sericis etiam *calceamentis* priscos Imperatores usos esse facile; nec invitus opinor, licet id veterum scriptorum nullus, quod sciam, expresse commemoret. Cum enim illis mirificus undequaque splendor quæreretur, eos sericum, cujus tanta dignitas, in *calceorum* etiam usu neglexisse, non est verisimile. *Balduin. ibid.* c. 4. Ex ligno etiam factis *calceis* usi sunt Indi. Philostr. Apollon. II. 9. Ab illis ligneorum *calceorum* usus ad alios varie traductus est: ita ut alii rudioribus & omnimode ligneis sint usi. De illis non gravate intelligam *soleas illas impares quibus anus lippa, sordidissimo linteo præcincta, imposita canem ingentis magnitudinis catena trahit* apud Petron. c. 55. Item illas, quæ damnatis ad culeum inducebantur, de quibus Auctor ad Herenn. I. 23. *Si quis parentes occiderit, vel verberarit, ei damnato obvolvatur os folliculo lupino; soleæ ligneæ pedibus inducantur.* Unde & viliores quique tenuiorisque fortunæ homines, sive urbium, sive ruris incolæ, *calceamentis* ejusmodi, quæ vernaculo nostro idiomate *Sabotz* dicuntur, jam passim plerisque in locis uti solent. Alii soleis

tantummodo ligneis, quarum cætera e corio, vel ex alia quavis molliore materia fiebant. De quibus proclivius accipio tibicinum quorundam crupezia, militum caligas & Galicas. V. infr. suis locis. Quibus ferrei simul & aerei succedent. Ferreæ crepidæ clavis confixæ cruciandorum hominum pedibus induebantur. Martyrologium Romanum: *Basilissus martyr ferreas crepidas ignitis clavis confixas calceatus.* . . . . . Empedocles Philosophus æreo est usus. Laert. de vit. Philos. VIII. 69. Ælian. Var. Hist. XII. 32. Tertull. de Pall. c. 4. *Balduin. ibid. c.* 5. Etiam ex argento & auro in usu fuerunt, sed non e laminis solidis conflati, at e tela quadam tenuiore aureis, argenteisve filis intexta consuti: vel vix ad incessum, at ad pompam tantum & ostentationem usurpati: vel dicti μετωνυμικῶς, quod auro tantum argentove suppactum solum haberent. Quo sensu Theotimus ille apud Plaut. Bacch. II. 3. 97.

Etiam rogas, qui soccis habeat auro suppactum solum?

Ita Seneca, cum de C. Cæsare in exoticum alienumque cultum demigrante loquitur de Ben. II. 12. *Qui excusant, negant id insolentiæ causa factum: ajunt socculum auratum, imo aureum margaritis distinctum ostendere eum voluisse.* Balduin. ibid. c. 6. Salmas. in Tertull. de Pall. p. 325. Ferrar. de Re Vest. II. 4. 10. Pitisc. in Curt. IX. 1. 29. Buleng. de Imper. Roman. II. 7. Veterum Romanorum olim fuerunt, quales Turcarum hodie, medio crure tenus; ita ut non solum imos pedes, sed etiam mediam tibiarum partem circumcirca velarent. Titinn. in Setina apud Festum in Mulleus: *Jam cum mulleis te ostendisti, quos tibiatim calceas.* Tertull. de Pall. c. 4. *Impuro cruri purum aut mulleolum inducit calceum.* Horatius supra laudatus. *Balduin. ibid. c* 8. In arcuatum desinebant acumen, similes linguæ exsertæ, versusque nares reflexæ, sive in parte anteriore uncum habebant, forma s. literæ, sicut fere se habent crepidæ ferreæ, quibus in glacie vulgus utitur, & **Schaetzen** appellat. Tertull. de Pall. c. 5. *Quam enim non expediat in algore & ardore rigere nudipedem, quam in calceo uncipedem? Uncipedem* dicit, cujus *calcei* uncinati, id est, unci ad instar in altum reflexi, & in acumen intortum desinentes. Cato Orig. VII. apud Festum l. l. *Qui Magistratum curulem cepissent, calceos mulleos gerebant, alii uncinatos, alii perones. Repandos* vocat Cicer. de Nat. Deor. I. 29. *Nostram Sospitam nunquam ne in somnis quidem vides. nisi cum calceolis repandis.* Pleræque veteres etiam cum statuæ, tum imagines idem suadent, quas nimirum plerisque in locis vidisse me memini cum uncinatis, sive repandis ejusmodi *calceis* expressas. *Balduin. l. l. Boxhorn. ad Plutarch. Quæst. Roman.* 75. *Ferrar. de Re Vest. Anal. c.* 32. Falluntur certe docti, qui uncinatos uncinis & clavis confixos interpretantur. Nos aliquando de lunatis accipiebamus. *Salmas. ibid. p.* 391. Corrigias an & quot habuerint V. infr. in *Corrigia*. Liberorum hominum fuerunt albi. Mart. VII. 32. 1.

Sordidior cœno cum sit toga, calceus autem
Candidior prima sit tibi, Cinna, nive.
Dejecto quid inepte pedes perfundis amictu?

Lamprid. Alex. Sev. c. 40. *Baxeas albas habuit, non coccineas, ut prius solebant.* Et male in Vopisc. Aurelian. c. 49. *calcei* albi damnantur, ut parum viriles. *Calceos mulleos, & cereos, & albos, & hederaceos viris omnibus tulit, mulieribus reliquit.* Et censeam scribendum, *galbos*. Quis ille color V. infr. in *Color*. Lips. Elect. I. 13. Laurent. de Re vest. c. 5. Pro civili more virorum, nigri fuerunt. Ut dictis fides accedat, Horatius & Juvenalis supra laudati diserte nigros viris, iisque senatoribus *calceos* assignant. *Balduin. l. l. Ferrar. de Re Vest.* III. 24. *Anal. c.* 32. *Byn. ibid.* I. 3. §. 5. Lipsio respondeo, in versibus Martialis Cinnam duplici titulo vituperari, quod contra decorum toga sordida uteretur, & præter aliorum morem *calceos* haberet albos, qui mulierum magis erant proprii, ut paullo post ostendemus: sicque præpostere nitorem in *calceis* affectaret, cum tamen ea in re sordidus esset, in qua nitoris studiosior esse debuerat. Deinde si pro arbitrio voluit Alexander album in *calceis* suis colorem purpureo præferre, nihil tamen necesse, colorem illum cæteris inferioris notæ hominibus usurpatum dicere. Nisi forte quis velit, tum temporis hac in re, ut in plerisque aliis hominum mores in femineos cœpisse degenerare. Unde factum sit, ut qui post aliquot annos imperavit Aurelianus, quem Eutrop. IX. 14. *morum dissolutorum magna ex parte correctorem* appellat, *calceorum* . . . . *usum viris omnibus tulerit.* Non enim necesse est *galbeum* pro *albo* supponere apud Vopiscum, cum hederaceus in hoc cum galbeo conveniat, quod herbaceum seu viridem significet. *Balduin. l. l. Kipping. Ant. Rom.* IV. 5. §. 15. Mulierum fuerunt albi. Tertullianus supra laudatus. Ibi enim de scortillis sermo, quibus ornandis lenones *calceos* interdum albos, alias vero rubeos inducebant. Purum enim idem est quod album, ut Servius illud Virgilii Æneid. XII. 169. est interpretatus. Apul. Metam. VII. p. 212. *Calceis femininis, albis illis & tenuibus inductus, & in sequiorem sexum insertus atque absconditus.* Ovid. Art. Amat. III. 271.

Pes malus in nivea semper celetur aluta.

Balduin. l. l. Albanorum Regum, qui olim in Italia imperitabant, ut a cæteris facile internosci possent, & augustiorem ipso pedum calceatu, ut & cætero vestium apparatu majestatem sibi conciliarent, rubri sive punicei fuerunt. Ex illorum exemplo tales fuerunt Romanorum Regum. De Romulo refert Zonar. Annal. VII. *quod calceis rubris utebatur.* Illis, ut ex Albæ Regibus se ortum testaretur, usus est postea Julius Cæsar, ut auctor est Dio XLIII. p. 234. E. *Deliciis fluxioris vestis ubique luxuriabatur, & calceamentorum, quibus etiam postea interdum usus est altioribus & coloris rubri, more Regum, qui Albæ quondam regnarunt, ut qui propter Julum ipsos genere contingeret.* Et ab iisdem Regibus rubrorum usum mutuati sunt, qui deinceps in Republica Romana cæteris nobilitate præcelluerunt patricii, ut supra Festus docuit. Sed potissimum illis usi sunt in triumphis & pompis sollennibus, in quibus nimirum exquisitior ornatus ad splendoris ostentationem quærebatur. Vetus monumentum in lapide, qui ad C. Marii memoriam Arimini positus est, de iis exstat his verbis: DE. MANUBIEIS. CIMBRICEIS. ET. TEUTONICEIS. ÆDEM. HONORI. VICTOR. FECIT. VESTE. TRIUMPHALI. CALCEIS. PUNICEIS. *Balduin. ibid. c.* 10. *Byn. ibid.* §. 11. 12. *Salmas. ad Vopisc. Aurelian. c.* 49. *Ruben. de Re Vest.* II. 1. *Buleng. de Imper. Roman.* II. 7. *Guther. de Jur. Pontif.* III. 11. Posteriori ævo ad Imperatores transiit hic mos gestandi *calceos* rubros. Argumento est Julius Cæsar, de quo modo Dio. Docet etiam Procopius de Ædif. Justiniani III. *Calcei usque ad genua punicei coloris, quibus solis Romanorum & Persarum Regibus calceari licet.* Et superius Lampridius notavit Alexandrum præter morem Imperatorum fecisse, quod *baxeas albas habuerit, non coccineas.* Sed id singulare fuit Imperatoribus Constantinopolitanis, ut rubris & purpureis *calceis* uterentur. Paull. Diacon. XVI. *Ut agnosceretur Imperator ex rubris calceis.* Georg. Phranzez Protovestiarius in Chron. I. 17. *Suffragante nobilitate Manuelem Imperatorem creat, cocco tincta calceamenta concedit, successorque ab omnibus agnoscitur.* In illis enim, ut in chlamyde purpurea, elucebant expressa imperii insignia. Unde Corippus Justini junioris imperialem habitum describens sic ait II. 3.

Purpureo suræ rutilant fulgente cothurno,
Cruraque puniceis induxit regia vinclis,
Parthica Campano dederant quæ tergora fuco.
Augustis solis hoc cultu competit uti.

Et ab Imperatoribus ad summos Pontifices. V. supr. *Ceremoniale Romanum.* Balduin. l. l. Byn. ibid. §. 13. 14. Petav. in Themist. Orat. XIV. p. 681. Scilicet ab eo tempore, quo se quam maxime Romani Pontifices cœperunt extollere, etiam in cultu & externo splendore voluerunt esse insignes, ac pro sandaliis Apostolicis, rudibus illis, uti credere par est, & impolitis, pedibus induere sandalia rubea,

rubea, crucis aureæ ornamento insignita, cœperunt, ut vel hac ratione se Imperatorum ostenderent æmulos. *Byn. ibid.* §. 14. Imo rubeus, sive purpureus a mulieribus in suo calceatu color est usurpatus olim. Tertullianus, ubi balneorum antistitem suas lupas ornantem depingit, de Pallio supra jam laudatus. Livius Andronicus apud Terentianum de metris Dianam venatricem alloquens:

Et jam purpureo suras include cothurno.

Virg. Ecl. VII. 32.

Purpureo stabis suras evincta cothurno.

Balduin. l. l. Byn. ibid. §. 15. Cerei etiam *calcei*, id est, instar ceræ flavi olim usitati fuerunt. Aurelianus illos *viris omnibus tulit, mulieribus reliquit*, ut supra ex Vopisco relatum. Color cerinus, qui cereus dicitur, ut cocceus & coccinus, aureus & aurinus, non solum in vestibus, sed etiam in aliis rebus locum habuit. Ovid. Art. Amat. III. 184.

Et sua velleribus nomina cera dedit.

Nec minus hederacei, hoc est, hederacei coloris, prasini scilicet, vel virides. De illis in eodem Aureliano Vopiscus jam laudatus. *Herbosos* pro viridibus posuit Martianus Capella: *Calceos autem smaragdinæ fluctu viriditatis herbosos vestigiis ejus tellus annexuit.* Salmas. l. l. Byn. ibid. §. 5. *Calcei* quoque lutei, albicanti seu dilutiori crocco colori similes in deliciis fuerunt. Catull. LXI. 9.

Huc veni niveo gerens
Luteum pede soccum.

Senec. Hippol. I. 322.

Crura distincto religavit auro
Luteo plantas cohibente socco.

Apul. Metam. VIII. p. 260. *Pedes luteis induti calceis.* Turneb. Advers. XXVIII. 21. Passerat. ad Catullum, Balduin. de Calc. c. 16. Initio nascentis Reipublicæ Romanæ ipsi Senatores (quidni & plebs promiscua?) nudis incedebant pedibus. Scholiast. Juven. Sat. I. 111. *Illo tempore necdum Senatores nigris calceis utebantur, sed nudis pedibus, vel pulverulentis.* Sagittar. de Nudiped. c. I. §. 17. Panciroll. de Reb. Deperd. & Inv. pag. 319. Byn. ibid. I. I. §. 5. Senatorum cujus fuerint coloris. V. infr. in *Senator.* A Siculis illisque Græcis qui Italiam incoluerunt nomen & usum *calcei* videntur esse mutuati Romani veteres. Κάλτιον illi dicebant, quem Latini *calcium*, vel *calceum* vocaverunt. Ea voce Rinthon Tarentinus usus est teste Polluce VII. 22. Hesychius: Κάλτιον ὑποδήματα κοῖλα. Cavum & profundum calceamentum Græci vocant κοῖλον καὶ βαθὺ ὑπόδημα, quod ad mediam usque tibiam ascendit. Pollux: Καὶ ὑποδήματα κοῖλα, βαθέα εἰς μέσην κνήμην ἀνήκοντα. Tales Romanorum esse *calceos* jam diximus. Voce κάλτιος utitur etiam alicubi Plutarchus, ubi καινὸν κάλτιον appellat *novum calceum*. Idem περὶ εὐθυμίας dixit κάλτιον πατρίκιον, ubi docet *calceos* patricios podagræ sanandæ nihil quicquam prodesse, non magis quam pretiosos annulos reduviæ tollendæ. *Salmas. in Treb. Pollion. Gallien. c.* 16. Inserebantur clavi non modo militum. V. illos infr. in *Caliga.* Sed etiam mulierum. Clem. Alex. Pædag. II. 11. *Similiter autem in calceamentis superbæ, arrogantesque feminæ magnam ostendunt mollitiem. Turpia quippe illa sunt sandalia cum aureis ornamentis. Sed & clavos circumcirca soleis infigere æquum censent.* Etiam ex auro, & gemmis. Plin. IX. 35. *Affectantque jam & pauperes, lictorem feminæ in publico unionem esse dictitantes. Quin & pedibus, nec crepidarum tantum obstragulis, sed totis socculis addunt. Neque enim gestare jam margaritas, nisi calcent, ac per uniones etiam ambulent, satis est.* Spartian. Heliogab. c. 4. *Semiamirica SCta sunt facta ridicula de legibus matronalibus: quæ aurum vel gemmas in calceamentis haberent.* Ruben. Elect. II. 14. Schedius de Diis German. II. 9. In publico Romani utebantur *calceis.* Atque ea de causa Verri crimini vertit Cicer. Verr. V. 35. quod *soleatus Prætor populi Romani steterit cum pallio purpureo tunicaque talari.* Turneb. Adv. XXIV. 17. Byn. ibid. I. 6. §. 10. Domi depositis *calceis* soleas sumebant. Extra Urbem quoque *calceos* abdicabant. Itaque *calceus* togam semper sequebatur: & *calcei* togæ proprii. Nam toga sine *calceis* non sumebatur, nec *calcei* sine toga. In Urbe ut togæ usus, ita *calceorum.* Extra Urbem cum in secessu agebant, sine toga & sine *calceis* erant. Plin. Epist. VII. 3. ad amicum, quem de secessu ruris in Urbem revocare nititur. *Quin ergo in Urbem redis, ubi dignitas, honor, amicitiæ tam superiores quam minores? quousque regnabis? quousque vigilabis cum voles? dormies quando voles? quousque calcei nusquam? toga feriata?* Quousque, inquit, dabitur tibi, ut *calceos* non inducas, & togam non induas, id est, feriatam habeas? cum toga feriabatur, *calcei* nusquam erant. *Salmas. in Tertull. de Pall. p.* 386. *Treb. Pollion. c.* 16. Altiusculis staturæ altitudinem adjicere solebant veteres subere in illos infarto. Xenoph. Κύρου παιδ. VIII. p. 142. *Etenim calceos tales habent, in quibus qui eos ferunt, clam aliquid subjiciunt, quo majores esse videantur quam sunt.* Suet. Aug. c. 73. n. 3. *Calceamentis altiusculis usus est, ut procerior quam erat videretur.* Scalig. de Poet. I. 13. Italas mulieres altissimis usas se vidisse scribit, quamvis diminutiva dicant voce *Saccolet.* Et patris sui perfacetum dictum adfert. *Ejusmodi uxorum dimidio tantum in lectis frui maritos, altero dimidio cum soccis deposito.* Balduin. de Calc. c. 15. Byn. de Calc. Hebr. I. 8. §. 2. Sched. de diis German. II. 9. Pitisc. in Suetonium. Servi in servitute agentes habebant serviles *calceos*, scilicet sculponeas. Cato de Re Rust. c. 59. *Sculponeas bonas alternis annis dare oportet.* Manumissi accipiebant soleas, quæ non nisi a liberis & ingenuis gerebantur. Plaut. Casin. III. 5. 63.

Si effexis hoc, soleas tibi dabo.

Meurs. ad Plautum. Loon. de Manum. IV. 3. §. 5. *Calceos* exsuere, & corrigias, sive vincula *calceorum* domini solvere erat apud veteres proprium servorum ministerium, & quidem vilissimum. De Græcis locus est apud Platon. Sympos. *Solvite calceos, pueri, Alcibiade, ut accumbat.* De Romanis constat vel ex illo vulgato apud Terent. Heaut. I. I.

Accurrunt servi, soccos detrahunt.

Lucill. Sat. III.

Cernuus extemplo plantas convestit honestas,
Et pedibus læva Sicyonia demit honesta.

Hinc Tibullus, cum vellet exprimere ad omne officium, etiam abjectissimum, pauperem fore præsto, ministerium solvendi *calceorum* corrigias adjungit. I. 5.

Pauper erit præsto tibi, præsto pauper adibit
Primus & in tenero fixus erit latere. . . .
Vinclaque de niveo detrahet ipse pede.

Byn. ibid. I. 7. §. 8. Ciaccon. de Triclin. c. 42. Ursin. Append. p. 243. Eosdem detractos gestare servorum etiam erat. Unde Plautus servos appellavit *sandaligerulos* Aul. III. 5. 28. si vera est Jani Douzæ emendatio, pro *salutigerulos*, servos nimirum qui dominorum sandalia portant. Ita ancillas vocavit Plautus *sandaligerulas* Trin. II. I. 22. quæ *sandalia* dominarum gerebant & portabant. Imo luto conspurcatos extergere. Hoc pro vilissimo ministerio veteres dixerunt. Apud Aristophanem Vespis p. 472. Edit. Aurel.

Vel ipse Theorus, licet vir sit Euphemio nihil minor,
Spongiam habens ex pelvi crepidas nobis exterget.

Byn. ibid. II. 8. §. 11. Dicebantur induci. V. infr. in *Induci.* *Calceum* capitis, quod ex corio fiat, quasi vaginam capitis, & operculum verticis, Martialis vocat galericulum ex hœdina pelle confectum ad dissimulandam calvitiem XII. 45.

Hœdina tibi pelle contegenti
Nudæ tempora verticemque calvæ;
Festive tibi, Phœbe, dixit ille,
Qui dixit caput esse calceatum.

Soler. de Pileo sect. 2.

Calceus Apostolicus Italis vulgo vocatur sandalium, seu solea Capuccinorum, sine obstragulis, quales interpretes

dicunt fuiſſe caligas Petri: & pictas videmus in pedibus Apoſtolorum. *Nigron. de Calig. c. 2. §. 27.*

Calceus Auguralis. Hujus formam in tabella c. 9. de Sacrificiis præpoſita litera *E* ex antiquitate lectori proponit *Joh. Saubertus.*

Calceus lunatus *pellis lunata* vocatur Mart. I. 50. 31. ejuſque *ligula lunata* Mart. II. 29. 7. *Calcei lunati* dicti, quibus fibula in malleolo pedis eburnea, ſpecie lunæ, quamque fibulam Juven. Sat. VII. 192. lunam appellat. *Grangæus in Juvenalem.* Qui fallitur, dum lunam interpretatur fibulam. Utut enim id largiar, in lunæ modum formam fibularum fuiſſe, annon etiam cæterorum, qui ignobiles erant, calcei fuere fibulati? Quomodo igitur ab iis patriciorum *calcei* diſtinguebantur? *Boxhorn. in Plutarch. Quæſt. Roman.* 75. Qualis fuerit, & num picta, an ex aliqua materia adſuta fuerit hæc luna, V. infr. in *Luna.* *Calceos* hos lunatos portabant omnes Senatores patricii, ut a novitiis diſtinguerentur. Interpres Juven. Sat. VII. 192. *Patricius Senator eſt, nam adſuta calceis lunula diſcernuntur patricii a novitiis.* Sed & patricii ante ætatem ſenatoriam, imo ante prætextam depoſitam lunulas habebant in *calceis.* Papin. Sylv. V. 2. 27.

Sic te clare puer genitum ſibi curia ſenſit,
Primaque patricia clauſit veſtigia luna,
Mox Tyrios ex more ſinus, tunicamque potentem
Agnovere humeri.

Supereſt, ut videamus, quibus *calceis* Senatores, qui non erant patricii, uſi fuerint florente imperio. Nam ſane haudquaquam lunatos fuiſſe ſatis in confeſſo eſt, & tamen diverſos fuiſſe a plebejis, ex Cicerone conſtat Phil. XIII. 13. *Eſt etiam Aſinius quidam Senator voluntarius, lectus ipſe a ſe, apertam curiam vidit poſt Cæſaris mortem, mutavit calceos, Pater conſcriptus repente factus eſt.* Servius Senatores crepidas olim geſtaſſe ait ad Æneid. VIII. 458.

Et Tyrrhena pedum circum dat vincula plantis.

Tuſca calceamenta: & dicit crepidas, quas primo habuere Senatores, poſt Equites Romani, nunc milites: alii calceos Senatorios volunt, quia hoc genus calceamenti a Tuſcis ſumptum eſt. Quæ vera ſunt, ſi illa reſtringamus ad Senatores, qui magiſtratus curules geſſerant. Si aliquando geſtabant crepidas mulleas, quæ ſimiles Tuſcis calceamentis, ut Salmaſius probabit infr. in *Mulleus.* Neque aliter Servius explicari poteſt. Alii enim Senatores omnes ſemper *calceos* cavos portabant; crepidæ enim antiquis temporibus ſemper probroſæ Senatoribus. V. Petav. ad Themiſt. Orat. XIV. p. 682. Zamoſc. de Sen. Rom. I. 17. ubi Servii ſententiam damnat, quam tamen defendere conatur Mag. Miſc. III. 3. Mihi ſane indubium videtur, Senatores Romanos florente imperio *calceos* cavos portaſſe, atque eos quidem haud quaquam multum diſſimiles patriciorum *calceis*, ſi lunulam eburneam excipias, quæ propria patriciorum. Etenim & corrigias illas nigras habebant, quæ crus tegebant. Horatius ſupr. in *calceus* laudatus. Tamen etiam aliqua differentia fuiſſe videtur inter *calceos* patricios & ſenatorios in ipſa inflexione ligularum: quod elicio ex Zonar. II. V. illum infr. in *Senator.* ubi de Servii Tullii regno agens, ea occaſione, quod Regem illum plurima plebi indulſiſſe dixerat, addit, eum aliquos etiam ex plebe in Senatum legiſſe; qui olim quidem plurimis in rebus deteriore quam patricii jure uſi fuerint. Tandem vero, ſi inter regnum & ſacerdotia quædam excipias, exæquati ſunt patriciis, ita ut *calceis* ſolummodo differrent. *Patricii habebant calceamenta, quæ & inflexione corrigiarum & nota litera ornabantur.* Ruben. de Re Veſt. II. 4.

Calceus Tuſcus, ſive Tyrrhenus. V. illum infr. in *Mulleus.*

CALCULARIUS manibus, cum cæteri thaumatopœi ore, pede, reliquoque corpore frequentius utantur. Ludus eſt, manuum agilitas, hodieque in uſu, & pueris aut plebi in admiratione. *Calculos* ſive nummos in menſa ponunt: deinde acetabulis (vaſculis, aut pyxidibus) opertos tam dextre loco movent, & transferunt, ut cum hic eſſe cenſeas, alibi compareant: & arte magica fieri arbitrere. Senec. Epiſt. 45. *Sic iſta ſine noxa decipiunt, quomodo præſtigiatorum acetabula, & calculi, in quibus fallacia ipſa delectat.* Græci vocant ψηφοπαίκτην, quia ludit *calculis*, ψηφοκλέπτην, quia velut eos furatur. V. Suidam in voce ψηφολόγος. *Muretus & Lipſius in Senecam, Buleng. de Theatr. I. 40. Bud in Pandect. p. 213. F.*

CALCULATOR erat ſervus. Veteres *calculos*, id eſt, lapillos minutos, in manu tenentes numerabant, ſive numeros componebant. Ulpian. leg. 7. ff. de oper. libert. *Nam hujus quoque eſt miniſterium, ſi forte vel librarius, vel nomenculator, vel calculator ſit.* Modeſtin. leg. 15. §. 5. ff. de excuſat. *Neque librarios, neque calculatores, quos vulgo rationarios dicimus, habere immunitatem dicunt Divorum conſtitutiones.* Mart. X. 62.

Nec calculator, aut notarius velox,
Majore quiſquam circulo coronetur.

Ediſcebant hæc pueri cum literarum primis elementis. Auguſtin. Cenfeſſ. I. 13. *Adamaveram Latinas literas, non quas primi magiſtri, ſed quas docent qui Grammatici vocantur. nam illas primas, ubi legere & ſcribere & numerare diſcitur, non minus oneroſas pœnaleſque habebam, quam omnes Græcas.* Iſidor. Orig. I. 3. *Primordia artis Grammaticæ literæ communes exiſtunt, quas librarii & calculatores ſequuntur, quorum diſciplina velut quædam Grammaticæ artis infantia eſt.* Pignor. de Serv. p. 336. Popm. de Oper. Serv. p. 66.

CALCULI erant lapilli, quales in ripis per luſum ſæpe legimus, quos *Oceani ſpolia* Caligula appellavit apud Sueton. c. 46. n. 1. Græci ψήφους, quibus antiqui numerabant, & ſuffragia ferebant, teſte Ariſtot. Elench. 1. Theocritus λίθους appellare videtur, *hunc & a linea* ſacra *moves lapidem.* Succeſſu temporis horum lapillorum loco alia quoque ſucceſſit materia. Inde *calculos* ex ebore factos inducit Juven. Sat. XI. 131.

—— adeo nulla uncia nobis
Eſt eboris, nec teſſellæ, nec calculus ex hac
Materia.

Cryſtallinos, aureos & argenteos Petron. c. 33. *Sequebatur puer cum tabula terebintina & cryſtallinis teſſeris, & pro calculis albis aut nigris aureos, argenteoſque habebat denarios.* Vitreos Lucan. ad Piſon. n. 180.

Callidiore modo tabula variatur aperta
Calculus, & vitreo peraguntur milite bella.

Senſtleb. de Alea vet. c. 11. §. 14. Buleng. de Lud. vet. c. 60. Calcagn. de Calcul. p. 297. Souter. de Aleat. I. 4. Savar. in Sidon. VIII. 12. Turrig. ad Urſ. Tog. Inſcr. §. 3. Imo pro *calculis* adhibuerunt fruſtilla teſtarum. Petron. l. l. *Interim dum ille omnium agmen teſtorum*, id eſt, calculorum, *inter luſum conſumit.* Senſtleb. l. l. Gronov. de Pecun. vet. III. 15. Et quia omnia in illo ludo ad imaginem belli erant compoſita, hinc militum, aciei, phalangis, prælii, hoſtium, captivorum, tropæorum paſſim mentio apud veteres, dum illum ludum deſcribunt. Achmes Oneirocr. c. 241. *Si ſomniaverit ludere ſe calculis cum altero ſibi noto, lucri cauſa dimicant inter ſe. Si Rex, aut ampliſſimus vir, aut belli dux calculis ludere viſus ſibi fuerit, de loco prælii cum hoſtibus conferendi diſpiciet. Si viderit in ſomnis ſe ludentem plures cepiſſe ludi perſonas, plures ex hoſtibus vinciet.* Mart. XIV. 20. cujus lemma, *calculi.*

Inſidioſorum ſi ludis bella latronum,
Gemmeus iſte tibi miles & hoſtis erit.

Lucan. ibid. n. 194.

Interea ſectis quamvis acerrima ſurgant
Prælia militibus, plena tamen ipſe phalange
Aut etiam pauco ſpoliata milite vincis.

Græcis *calculi* κύνες dicuntur. *Salmaſ. in Vopiſc. Procul. c. 13. Buleng. l. l. Turrig. ad Inſcr. Urſi Tog. Theſ. Antiq. Roman. Græv. Tom. XII. p. 397. C.* Hodie alludunt ad vetus nomen Itali & Galli; *Scalculum* enim vocant. Puto artis verbum fuiſſe *excalculari*, de eo qui vinceretur: ut *excuriari* & *excuneari* Varroni. Unde & eadem licentia videntur

tur dicti *Axedres*, ut Hiſpani vocant, quaſi *exquadri.* V. infr. in *Zatricion :* nam *ſquadrones* quadras phalanges vocant. *Calculorum* vero ludus nihil aliud, quam caſtra & inſtructa acies. *Scalig. in Catal. p.* 281. *Salmaſ. l. l.* Erant *calculi* bicolores. Sidon. Epiſt. VIII. 12. *Hic tabula calculis ſtrata bicoloribus.* Alter alterum ἑτερόχρουν, *diverſi coloris*, vel ligabat, vel includebat, & capiebat. Ovid. Triſt. II. 477.

Diſcolor ut recto graſſetur limite miles,
Cum medius gemino calculus hoſte perit.

Unus diſcolor a duobus capiebatur concoloribus. Præter Ovidium Mart. XIV. 17. 2.

Calculus hic gemino diſcolor hoſte perit.

Pollux IX. 7. *Cum calculi in duas partes diviſi ſint ſecundum colores, ars ludi in eo eſt, ut duo ejuſdem coloris calculi hoſtem contrarii coloris circumveniant & tollant.* Hos ligari & moris olim erat, & mos etiam nunc eſt. Lucan. ibid. n. 182.

Ut niveus nigros, nunc & niger alliget albos.

n. 190.

Ancipites ſubit ille moras, ſimiliſque ligato
Obligat ipſe duos.

Sed aliter ligabantur, aliter capiebantur. Unus poterat duos adverſæ partis ac diſcolores ligare; ſed unus capi diſcolor non poterat, niſi a duobus contrariis. *Salmaſ. & Buleng. l. l.* Luſus enim erat, ut in duas diviſi turmas, colore, ut dictum, diverſi veluti qui congredi acie parant, hinc inde ſub hoſtium imagine procederent; at præſcripto fine, quoad quiſque fine progredi debeat. Ita cavere oportebat, ut dum hoſtem quiſque invadere nititur, alterius non pateat incurſibus. Ovid. Art. Amat. III. 357.

Cautaque non ſtulte latronum prælia ludat,
Unus cum gemino calculus hoſte perit.
Bellatorque ſuo prenſus ſine compare bellet;
Æmulus & cœptum ſæpe recurrit iter.

Triſt. II. 479.

Ut mage velle ſequi ſciat, & revocare priorem,
Ne tuto fugiens incomitatus eat.

Souter. Palam. I. 5. *Calculis* ludebatur triginta, quindecim nigris, & quindecim albis: vel albis totidem, totidemque rubeis. Eundem hodie numerum ſervamus, & eoſdem colores. Cento de alea.

Triginta magnos, adverſoſque orbibus orbes.

Eleganter ſic *calculos* expreſſit. De nigris & albis Petronius modo laudatus. In ludo enim latrunculorum nigri & albi *calculi.* Lucanus jam laudatus. Aliquando tamen pro nigris rubei cum albis componebantur. Epigramma vetus;

Diſcolor ancipiti ſub jactu calculus adſtat:
Decertantque ſimul candidus atque rubens.

Aliud nondum editum:

Namque acie æquali concurrit ruſſeus albo,
Ut gravibus damnis ſe domet alteruter.

Salmaſ. & Gronov. l. l. *Calculus* unus erat, qui rex dicebatur. Scholiaſtes Theocriti: *Dictio ſumpta eſt per metaphoram ab iis, qui ludunt zatricio. Illi enim cum omnia fecerint, ſi non poſſunt vincere eum, cum quo ludunt, lapidem movent a ſacra linea, qui rex dicitur.* Hunc movere non ſolebant, quam ubi maxima urget neceſſitas, & aliud auxilii non ſuppetit luſori ad ſe defendendum. In hoc ludo vincebat, qui omnes ex adverſo ludentis milites capere poterat, & regem ipſum, hoc eſt, principem *calculum*, quia nunquam capiebatur, ad incitas redigere. Lucan. ibid. n. 194. ſupra laudatus. *Salmaſ. & Buleng. l. l.* Ipſe, qui ludebat, ſi faveret alea, rex exibat. *Caſaub. ad Vopiſc. Procul. c.* 13. Qui hoc perperam exiſtimavit. Nihil enim alea quod ageret habebat in latrunculorum luſu, in quo nihil fortunæ licebat, ſed arti & induſtriæ ſoli, ludendique peritiæ locus erat. Et imperator exire dicebatur, qui ſuperior diſcedebat, regemque adverſæ partis omnibus ſuis militibus ſpoliabat, ipſumque ad incitas redigebat. *Salmaſ. l. l. & Souter. Palam.* I. 11. & 23. Ludus ergo *calculorum* & latrunculorum, licet illos diſtinguat *Caſaub. l. l.* idem omnino fuit. Nam & latrones & latrunculi ſæpius, ut vidimus, *calculi* vocantur. Et illos præterea hoc nomine appellat Ovid. Art. Amat. II. 297.

Sive latrocinii ſub imagine calculus ibit;
Fac pereat vitreo miles ab hoſte tuus.

Salmaſ. l. l. Inventus vero eſt, ut qui eo genere ludicri certaminis exercerentur, recte atque ordine inſtruerentur exercitum movere. Donat. in Terent. Eun. IV. 7. 13. *Pyrrhus peritiſſimus ſtratagematum fuit: primuſque quemadmodum ea diſciplina per calculos in tabula traderetur, oſtendit.* Sidon. Epiſt. I. 2. *Putes illum*, Theodoricum, *& in calculis arma tractare.* Ludus hic militi neceſſarius adeo viſus eſt, ut qui in eo male verſatus eſſet, contumelioſe *muger*, id eſt, muccoſus increparetur. Feſtus. *Savaro in Sidonium.* Vel a Pyrrho, ut modo Donatus, vel ab Attalo Aſiatico, ut Chilo, & ex Chilone Sariſber. Policrat. I. 5. vel a Palamede Nauplii filio, qui in obſidione Trojana, ut milites in officio contineret, illud ludi genus belli imagine excogitavit. Pauſan. Corinth. p. 62. *Supra Nemei Jovis Fortunæ fanum eſt perantiquum: in quo inventas a ſe teſſeras Palamedes dedicavit.* Unde ab inventore *Palamediaci calculi* Caſſiodor. Var. VIII. 31. dicuntur. *Souter. ibid. c.* 12. & 13. *Savaro l. l.* Petrus autem Texeiras Compendio Hiſtoriæ Perſicæ ſcribit ſibi non abſonum videri, apud Perſas primum repertam tabulam latruncu'ariam, ratione potiſſimum hac perſuaſus: quod quibuſcunque in regionibus hoc ludi genus luditur, ſerventur *calculorum*, ſive latronum nomina eadem, aut corrupta ſaltem, minimum & variantia a Perſica nomenclatura. *Souter. ibid. c.* 11. *Calculos* dare & revocare dicebantur veteres. Unde & hodie teſſerarum ludus, datorum ludus vocari ſolet. Auſon. Profeſſ. Burdig. I. 29.

Narrantem fido per ſingula pu[illegible] recurſu
Quæ data, per longas [illegible] revocata moras.

Quod idem in duodecim ſcriptorum ludo vel *calculorum* fiebat. Cicero in Hortenſio. *Itaque t[illegible], quod in duodecim ſcriptis ſolemus, ut calculum reducas, ſi te alicujus dati pœnitet.* Qui enim *calculum* movit, & in aliqua ſede lineave collocavit, dedit: qui ſi ſe male collocaſſe putat, reducit illum ad ſequentem, vel alium jactum, ita tamen, ſi hoc colluſor concederet, hoc enim in arbitrio ludentium ſtabat. Ovidius pro dare ponit ſubire de Art. Amat. III. 355.

Et modo tres numero jactet, modo cogitet apte,
Quam ſubeat partem callida, quamque vocet.

Ubi ſubire partem ſcilicet tabulæ, nihil eſt aliud quam dare, vel collocare *calculum*, ſive repetere. *Turneb. Adv.* VI. 3. *Senftleb. de Alea c.* 11. §. 13. *Salmaſ. Vopiſc. Procul. c.* 13. Dies etiam felices, & infelices *calculis* notabantur. V. infr. in *Dies atri.* Etiam a judicibus illis in urnam miſſis ſententiæ ferebantur. V. infr. in *Sententia.* Et numeri ponebantur. V. infr. in *Numerare.*

Calculi inciti dicebantur, qui omnino moveri non poterant. Unde & egentes homines inciti vocantur, quibus ſpes ultra procedendi nulla reſtat. Iſidor. XVIII. 67. Antiqui fines, ſeu terminos, quos amplius promovere non eſt, incitos vocabant. Et qui eo rerum redacti erant, ut nullum certum rerum ſuarum conſilium capeſſere poſſent, ad incitas redacti dicebantur, ubi ſubaudiendum, lineas. Metaphora a ludo duodecim ſcriptorum. Nam cum ad ultimam lineam promoti erant *calculi*, tum is, cujus intererat, ad incitas lineas redactus, *calculi* vero ipſi inciti dicebantur. Apud Græcos qualis fuerit *calculorum* tabula. V. ſupr. in *Calcem ciere.* Scalig. Append. Conject. Varr. de Ling. Lat. VI. Senftleb. de Alea c. 11. §. 11. De omnibus hiſce *calculis* quæ ſcribit Iſidorus, ea omnia ad latrunculos ſunt referenda, quæ viri doctiſſimi male referunt ad duodecim ſcriptorum ludum. Illi hodieque etiam in lu-

do latronum, vel ſcacorum ſunt. Ab incitis proverbium, ad incitas redigere pro ad extremas metas compellere, & in ſummam deſperationem aliquem adducere. Porro quem veteres *calculum incitum*, hoc eſt, ad incitas redactum vocabant, eos nos in hoc eodem ludo *ſcaccum mattum* dicimus, id eſt, contritum & exactum, eoque loci adactum, ut moveri non poſſit. *Salmaſ. in Vopiſc. Procul. c.* 13. *Souter. Palam.* I. 22. *Senftleb. l. l.*

Calculi ordinarii ſunt, qui ordine moventur. Iſidor. XVIII. 67. *Salmaſ. in Vopiſc. Procul. c.* 13. *Turneb. Adv.* XXVII. 3. *Senftleb. de Alea c.* II. §. 11. *Souter. Palam.* I. 14.

Calculi vagi dicebantur, qui vage movebantur, velut vagabantur & errabant. Iſidor. XVIII. 67. *Turneb. Adv.* XXVII. 3. *Salmaſ. in Vopiſc. Proc. c.* 13. *Sentfleb. de Alea c.* 11. §. 11. *Souter. Palam.* I. 14.

CALDARIUM erat locus, ſive cella in balneis. Hoc nomine appellatur a Vitruv. V. 10. *Ipſa autem caldaria tepidariaque lumen habeant.* Locus erat teſtudinis inſtar conſtructus, aerem plane continens ab igni ſine fumo accenſo: unde ξηρὸν θόλον vocat Alexander Aphrodiſienſis. A ſicco vapore dicitur etiam *vaporarium*. Cicer. ad Quint. Fratr. III. 1. *In balneariis, aſſa in alterum apodyterii angulum promovi, propterea quod ita erant poſita, ut eorum vaporarium, ex quo ignis erumpit, eſſet ſubjectum cubiculis.* Ac quia id eſſet eliciendo ſudori, etiam *ſudatorium* vocabatur. Senec. Epiſt. LI. *Quid mihi cum iſtis calentibus ſtagnis? quid cum ſudatoriis? in quæ ſiccus vapor corpora exhauſturus includitur.* Vocatur quoque *Laconicum*. V. illud infr. in *Laconicum*. Voſſ. Lex. Etymol. Græci vocant πυριατήριον. Erat enim cella ſuperior aeris calidi. Et in ea ſudorem ſicco calore provocabant. *Urſin. Append. ad Ciaccon. de Triclin. p.* 141. *Demſter. Paralip. ad Roſin. Antiq. Roman.* I. 14. Nullam aquam intra ſe continebat, ad provocandum ſudorem potiſſimum inſtituta, & ob id a nonnullis *calida ſudatio* vocatur, ſicuti a Cicerone jam laudato *aſſa* nuncupatur, & *aſſa ſudatio* a Celſo III. cap. ult. quæ, ut loquitur ipſe II. 17. fit calore ſicco: ut quæ ſole, vel exercitio corporis fit: aut in Laconico, vel clibano, vel ſimilibus modis. In hac vapor calidus, ſeu calor ſiccus incluſus ſudorem provocabat, haud aliter ac ſuper Bajas myrtetis, ubi tempore Celſi e terra profuſus calidus vapor ædificio incluſus maximos ſudores ciebat, cujus Horatius quoque meminit Epiſt. I. 15. 5.

> —— *ſane myrteta relinqui*
> *Dictaque ceſſantem nervis elidere morbum*
> *Sulphura contemni.*

Mercur. Gymnaſt. I. 10. *Caldarium* adjectivum eſt, quod pro ſubaudito ſubſtantivo, ut grammatici loquuntur, duplicis eſt ſignificationis. Aut enim ſubauditur conclave, & pro loco, in quo *calda* eſt lavatio, accipitur, aut ſubauditur vas, & eſt id, in quo calefit aqua. Priore ſenſu ponitur in his verbis apud Vitruv. V. 10. *Et item eſt animadvertendum, uti caldaria muliebria, viriliaque conjuncta, & in iiſdem regionibus ſint collocata. Caldaria* etiam dicebatur genere feminino, tum ſubauditur cella, ita & tepidaria, & frigidaria. Plin. Epiſt. V. 6. 26. *Frigidariæ cellæ connectitur media; cui ſol benigniſſime præſto eſt; caldariæ magis: prominet enim.* Græci θερμὸν οἶκον vocant, & θερμὸν οἴκημα. *Græv. Theſ. Antiq. Roman. Tom.* XII. *Præfat.* * * 2.

Caldarium dicebatur etiam vas, in quo aqua calefiebat. Vitruv. V. 10. *Ahena ſuper hypocauſtum tria ſunt componenda, unum caldarium, alterum tepidarium, tertium frigidarium.* Plin. XXXIV. 8. V. illum laudatum ſupr. in *Æs caldarium*. Bald. Lex. Vitruv. Bacc. de Therm. c. 9. Meurſ. de Calid. pot. c. 1. §. 1. Tempore Vitruvii & Plinii *caldarium* ſignificaſſe vas, non exiſtimo. Vitruvius non abſolute *caldarium* appellat pro aheno, ex quo aqua calida effluebat, ſed *ahenum caldarium*, unum *caldarium*; nimirum ahenum. Atque ita de tepidario, & frigidario aheno. Abſolute vero *caldarium* eſt illi θερμὸς οἶκος. Nec Plinius pro vaſe poſuit. Nam illo loco, quem citant, dixit de ære, quod tantum funditur, non etiam malleo ducitur, ideoque opponitur regulari. V. ſupr. in *Æs regulare*. Græv. Theſ. Antiq. Roman. Tom. XII. Præfat. * * 2. Quod ſi apud Vitruvium & Plinium *caldarium* abſolute de vaſe, quod poſteriores Latini *caldariam* dixerunt, veteres *miliarium*, accipiendum eſſet, etiam tepidarium vas aliquod eſſet, in quo aqua uſque ad teporem tantum calefieret, & frigidarium, in quo ſola frigida eſſet. Quod eſt ineptum. Extra balnea nullum vas *caldarium*, vel *tepidarium*, vel *frigidarium*. Tria ahena in thermis ſupra hypocauſtum collocabantur, unum quod vocabatur *caldarium*, alterum quod *tepidarium*, tertium quod *frigidarium*. Ita autem erant collocata, ut ex *tepidario* in *caldarium* quantum aquæ calidæ exiſteret influeret, & de frigidario in tepidarium eodem modo. At *caldariæ* noſtræ, quæ in uſu communi habentur, & ſic dictæ ſunt infimo Latinitatis ſeculo, non ſolum aquæ calefaciendæ idoneæ ſunt, ſed etiam tepidæ continendæ & frigidæ. Ideoque tribus his nominibus ſimul vocari poſſent. Nam aqua priuſquam his calefiat, frigida eſt, deinde tepeſcit, poſtea fervet. *Caldariæ* autem dicuntur, præcipue quod ad aquam calefaciendam ſuper ignem comparatæ ſunt. Hujuſmodi *caldariam* cum hoc nomine non norat ſeculum Plinianum. *Græv. Theſ. Antiq. Roman. Tom.* XII. *Præfat.* * * 3.

CALDUS cognomen fuit Cœliorum, ut obſervavit Glandorp. in cognom. Urſat. de Not. Roman. Theſ. Antiq. Roman. Græv. Tom. XI. p. 591. D. *Caldi* cognomen novum & recens habuit gens Cornelia, etſi in varias & prope innumerabiles ſtirpes, ſeu cognomina diſtincta ſit. Nummus Auguſti: M. AUGUSTA. BILBILIS. L. CORN. CALDO. *Vaillant. Numiſm.* I. 3. & 100.

CALENI dicti ſunt Fuſii, quia cognomina a locis, unde quiſque Romam commigraverit, ſumpta ſunt. *Sigon. de Nom. Roman. c.* 5.

CALES Auſonum fuit. Liv. VIII. 16. *Auſonum gens Cales urbem incolebat. T. Veturius, Sp. Poſtumius, etſi belli pars cum Sidicinis reſtabat; tamen ut beneficio prævenirent deſiderium plebis, de colonia deducenda Cales retulerunt: factoque Senatuſconſulto, ut duo millia quingenti homines eo ſcriberentur, triumviros coloniæ deducendæ, agroque dividundo creaverunt Cæſonem Duilium, T. Quintium, M. Fabium.* Paterc. I. 14. 3. *Sp. Poſtumio, Veturio Calvino Conſulibus Cales colonia deducta.* Sigon. de Ant. Jur. Ital. II. 5. Panvin. Imp. Roman. c. 11. Poſſumus ſuſpicari *Cales* ante legem Juliam civitate fuiſſe donatam, ac municipium factum. Siquidem C. Gracchus in ea oratione, quam de legibus habuit promulgatis, inter municipia Italiæ hoc retulit, atque municipes ipſos a magiſtratibus Romanis verberatos, tanquam cives Romanos eſt conqueſtus. *Sigon. ibid. c.* 9.

CALIANDRIA, ſive, ut alii legunt, caliendra, quid fuerit, olim fuit dubitatum: utrum notaverit comam πρόσθετον, ſive appoſitam: an capitis ornamentum. Vetus interpres Horat. Sat. I. 8. 48. *Caliendrum peplum capitis, aut crinis ſuppoſititius, ſeu capillamentum, aut galericulus, capitisve ornamentum. Caliendri meminit & Varro in eo libro, qui inſcribitur virgula divina, dicens: Ego nunc poſtulo Agamemnona meum: tantis cothurnis accipit Critona caliendrum.* Voſſ. Lex. Etymol. Utitur ea voce Arnob. VI. p. 209. *Faſciculæ, claves, caliendra.* Eſt operimentum capitis. Heſychius: Κάλυντρα, κόσμητρα. Similiter Suidas. *Turneb. Adverſ.* VII. 20. Vel pallium eſt, quod ante *recinium* vocaverat. Nam de Jove dixerat Arnobius. *Reciniatus Jupiter atque barbatus: dextera fomitem ſuſtinens.* Et non ita longe ea quæ ante poſuerat, recolligens ait *caliendra, fomes, talaria.* Turneb. XXIII. 28. Meminit item *caliendri* tanquam feminei pepli Tertull. de Pall. c. 4. expoſtulans ſui ævi feminas ejeraſſe omnia, quibus oberrare facile, & videre & videri prohiberentur: & inter cætera *caliendrum* prætermiſiſſe commemorat. *Raynaud. de Pil. & cæt. cap. tegm. ſect.* 6. V. etiam *Salmaſ. in Tertull. de Pall. p.* 345. *Vopiſc. Aurelian. c.* 45.

CALICATA *calce polita.* Feſtus. *Decalicatum, calce litum.* De tectorio opere. Tectorii enim operis proprium linere & polire, ut albarii dealbare. Illud fiebat

bat arenata calce, vel marmorato: iſtud calce nuda, id eſt, cui nulla arena admixta. Inde in veteri inſcriptione: *Eoſque parietes margineſque omnes, quæ lita non erunt calce arenata, lito politoque & calce nuda dealbato.* Dacer. in Feſtum. In tabula vetuſtiſſima Aletri, quam deſcripſit Manutius Pauli filius, hodie legitur *calecata*, & ita dicebant veteres: *L. Betilienus L. F. Vaarus hec, quæ infra ſcripta ſunt, de Senatu ſententia facienda coiravit, Baſilicam calecandam.* Scaliger in Feſtum. Salmaſ. Exercit. Plinian. p. 868. B.

CALIDA, ſive *calda*, nam & ita veteres, V. ſupr. in *Aqua calida*, myrrhinis poculis bibebatur. Mart. XIV. 111.

Si calidum potas, ardenti myrrha Falerno
Convenit, & melior fit ſapor inde mero.

Vitrea enim ſpernebantur. Mart. XII. 74. 5.

Nullum ſollicitant hæc, Flacce, toreumata furem,
Et nimium calidis non vitiantur aquis.

Cryſtallina tamen divites etiam adhibebant. Mart. X. 13. 5.

Candida Setini rumpant cryſtalla trientes.

Perſæpe enim calices *caldæ* fervore frangebantur. Ni dicere velimus generoſa Setina ſuo fulgore cryſtalla rumpere, dum per ea mirabiliter translucent. *Butius de Potu Ant.* c. 11. Vivificat, & de potentia ad actum reducit. Proinde vino immiſſa confeſtim univerſam vini præſtantiam exhibet, doteſque ampliat, odoremque & ſaporem auget, & totam fragrantiam in illius profundo latentem excitat, atque omnes partes ipſius ſpiritales & gratiores propalat. *Butius ibid.* c. 23. Quamquam Plutarch. *Sympoſ.* V. 3. languente ſtomacho, & ob imbecillitatem confirmationis indigente, nihil *calidum* adhiberi debere aſſerit, ſed vino tantum dato mederi. Idem de ſtomachi inflatione ſcribit Celſ. IV. 5. *Cibis calidis neque inflantibus, eodemque modo calidis potionibus primæ aquæ, mox ubi reſedit inflatio, vini auſteri.* Butius ibid. c. 6. Frequentiore uſu adminiſtrata hæc incommoda invehit, carnis effeminationem, nervorum impotentiam, mentis torporem, profuſiones ſanguinis, animi deliquia, ad quæ quidem mors. Hippocrat. Sect. V. apoph. 16. Galen. Met. VIII. 5. Celſ. II. 25. & alii. *Calidæ* aquæ potores, quod *calda* pallere faciat, irridet Mart. XII. 60. 1.

Natali pallere ſuo, ne calda Sabello
Deſit.

Et *calida* ob morbum faſtiditus nivatum Setinum deſiderans, canit VI. 86. 5.

Poſſideat Libycas meſſes, Hermumque, Tagumque,
Et potet calidam qui mihi laudet aquam.

Butius ibid. c. 22.

CALIDIA gens. V. illam infr. in *Gens.*

CALIGA paullo ſupra genua extendebatur, braccis alligabatur, gregariorum quondam militum præcipuum genus veſtimenti, quod hodie aliqua ex parte etiam manet, vulgo **ein ſtrumpf**. *Lax. Comment. Reip. Rom.* VIII. 13. *Dilher. Diſput.* I. 3. §. 6. Quos non poſſum non valde mirari. Hoc enim dicere eſt, vel oblonga tibialia fuiſſe, vel feminalia. *Nigron. de Calig.* c. 4. §. 11. Non enim ſunt crurum, aut tibiarum operimenta, quæ cruralia & tibialia probati ſcriptores dicunt. Multo minus femorum indumenta, quæ feminalia nominantur a Suetonio, femoralia ab interprete ſacrorum bibliorum & a ſcriptoribus Eccleſiaſticis. Eſt vero *caliga* bonis Latinis ſcriptoribus, priſcis Juriſconſultis, atque Imperatoribus in jure civili, lapidibuſque vetuſtis, pedum integumentum, & calceamenti militaris genus, quo Romani milites gregarii ac manipulares in bello & caſtris potiſſimum utebantur. *Nigron. de Calig.* c. 1. §. 1. *Byn. de Calc. Hebr.* I. 5. 2. *Briſſon. Antiq. Select.* II. 5. *Licet de Lucern.* VI. 28. *Tegmen pedum*, quod non niſi *caliga* erat, ſeu *caligula*, quæ parva eſt *caliga*, conveniens Cajo, qui puerulus educabatur in caſtris, de Caji cognomine agens vocat Tacit. Annal. I. 41. 4. *Quem militari vocabulo Caligulam appellabant; quia plerumque ad concilianda vulgi ſtudia eo tegmine pedum induebatur.* Στρατιωτικὸν ὑπόδημα eandem hiſtoriam narrans Dio LVII. p. 605. C. *Calceamentum militare* Aurel. Vict. c. 3. §. 2. Juſtin. XXXVIII. 10. 3. *Argenti certe aurique tantum, ut etiam gregarii milites caligas auro figerent, proculcarentque materiam, cujus amore populi ferro dimicant.* Quod hic *caligæ* ſint pedum munimenta, colligitur ex verbo *proculcarent*, quod neque tibialibus, neque femoralibus aptari poteſt. Juſtino lucem dat de eodem exercitu ſcribens Val. Max. IX. 1. 4. *Magna ex parte aureos clavos habuit crepidis ſubjectos.* En *crepidas* dicit Valerius, quas Juſtinus *caligas*, quia crepidarum ac ſolearum in genere ſunt, ut mox docebitur. Sueton. Calig. c. 52. n. 2. ubi refert inſanam varietatem habitus illius portenti, qua procedebat in publicum. *Modo*, inquit, *in crepidis, vel cothurnis, modo in ſpeculatoria caliga, nonnunquam ſocco muliebri.* Cum cætera enumerata ſint pedum indumenta, crepidæ, cothurni, ſocci, cogimur exiſtimare ſub eodem genere contineri *caligam*. Accedit Opifex quoque calceorum, qui Plin. XXXV. 10. & Gell. XIII. 21. *ſutor* eſt, & Plaut. Aul. III. 5. 38. *calceolarius*, & Italis *Calzolaio*, dictus & Soſipatro Chariſio vetere ſcriptore Gramm. p. 59. edit. Putſch. *caligarius artifex*, & in veteri lapide apud Gruter. Inſcript. p. 649. n. 1.

C. ATILIUS. C. F
JUSTUS
SUTOR. CALIGARIUS

Quæ vox haud dubie deducitur a *caliga*, & eadem ſignificatione, in aliquot Italiæ provinciis, a Latino ſermone relicta, dicitur *il caligaro.* Ipſe Cicero *caligam* dixit pro calceo ad Attic. II. 3. *Epicratem*, is eſt Pompejus, *ſuſpicor laſcivum fuiſſe. Etenim mihi caligæ ejus, ut faſciæ cretatæ, non placebant.* Laſcivus, ſeu delicatus viſus eſt Paulo Manutio in epiſtolæ hujus explanatione Attico & Ciceroni Pompejus, quia præter morem geſtabat in Urbe duas res inſolitas, & maxime inuſitatas, calceos militares & faſcias crurales. Illi *caligarum* nomine, faſciarum hæ cretatarum vocabulis ſignificabantur. Romani etiam ſtante & florente Republica nudis cruribus, abſque feminalibus & tibialibus incedebant, & illa non niſi toga demiſſa tegebant. V. infr. in *Feminalia.* Nigron. ibid. c. 2. Uſus ejus erat in militia. Et ideo pro militia, ſeu militari profeſſione ſumitur. Senec. de Brev. vit. c. 17. *Marium caliga dimiſit? conſulatus exercet*, hoc eſt, quamvis relicta militia pervenerit ad conſulatum, tamen in eo ſuas moleſtias, eaſque graves incurrit. de Ben. V. 16. *C. Marius ad conſulatum a caliga perductus*, hoc eſt, ab infimo militiæ ordine ad ſummam reipublicæ dignitatem adſcendit. Lapis Auximi repertus apud Gruter. Inſcr. p. 445. n. 9.

C. OPPIO. C. T. VEL
OMNIBUS. OFFICIIS
IN. CALIGA. FUNCTO

hoc eſt, in militia. Inde *militia caligata* Tertulliano dicitur de Idolol. c. 19. Et *milites caligati* paſſim dicuntur a *caligæ*, quam militantes geſtabant. Juven. Sat. XV. 24.

Cum duo crura habeas, offendere tot caligatos.

Lapis vetus Romæ apud Gruter. p. 279. n. 3.

HONORATI. ET. DE
CURIONES. ET. NU
MERUS. MILITUM. CA
LIGATORUM.

Et quidem militum gregariorum. Probant hoc dicta Senecæ, Juſtini, Taciti jam laudata. Notat Suet. Aug. c. 25. n. 3. tanquam rem inſolentem, ab eo coronas murales ſæpe etiam *caligatis* fuiſſe tributas, quibus ob vilitatem ordinis non dabantur. Eodem ſpectat demiſſio animi notata ab eodem Vitell. c. 7. n. 6. quia *tota via caligatorum quoſque militum obvios* exoſculabatur. Confirmatur etiam ex lapide ſepulcrali apud eundem Gruter. pag. 533. n. 1. ubi *caligatus* miles cum lixa ſepelitur:

AURE.

AURELIUS. T. F. CAL
VOS. CAL. MIL. LEG. X
ET. AURELIUS. FLAVI. F
FLAVIANUS. LIXA. ANN
XVIII. HIC. SITI. SUNT.

Nigron. ibid. c. 3. *Balduin. de Calc. c.* 13. *Byn. de Calc. Hebr.* I. 5. 2. *Salmuth ad Panciroll. de Reb. Deperd. & Inv. p.* 338. *Valtrin. de Re Milit.* III. 13. Non ſolum pedem, ſed etiam crus videtur texiſſe, & ad mediam tibiam adſcendiſſe. Horatius in Satyris, Titinius apud Feſtum in Mulleus, & Tertullianus de Pallio laudati ſupr. in *Calceus*. Valtrin. l. l. Salmaſ. in Treb. Poll. Gallien. c. 16. Caſtal. Obſerv. II. 4. Ruben. de Re Veſt. II. 1. Byn. ibid. I. 6. §. 8. Balduin. ibid. c. 13. Ad illam aſcendere non potuit. Neque teſtimonia producta me de gradu dejiciunt. Non enim in illis ſermo eſt de *caliga* militari, ſed de calceo Senatorio. Itaque non valet hæc argumentatio, calceus Senatorius ad medium crus perveniebat, igitur etiam *caliga* militaris. *Nigron. ibid. c.* 4. §. 6. Fuit enim in genere ſandaliorum & ſolearum. Quod ſatis oſtendit *caligarum* forma. Sub lucernæ ſpecie jam dudum exhibuit *Licetus* laudatus, ex ingenti columna marmorea, a Senatu Romæ Trajano Imperatori erecta. *Nigron. ibid.* §. 1. Plantam ſolummodo tegebat, & vinciebatur habenis. Carebat obſtragulo, id eſt, operimento partis ſupernæ pedis. *Plantarum* enim *calces tantum infimæ tegebantur, cætera prope nuda.* Gell. N. A. XIII. 21. *Nigron. ibid.* §. 3. Ab ima pedum parte erat lignea. Iſidor. XIX. 34. *Caligarius non a callo pedum, ſed a calo, id eſt, ligno vocatus, ſine quo conſui calceamenta non poſſunt, quod Græci κολοπόδιον dicunt. Fiebant autem prius ex ſalice tantum. Hinc & calceamenta dicta, quod in calo, id eſt, in ligno fiant.* Valtrin. & Balduin. l. l. Quod ratio duplex ſuadet: tum ut calceamenta hæc in longis itineribus, aſperitate viarum ſaxoſarum, diuturnitate belli, durabilia forent: tum ad tuendam militum valetudinem, ut ſemper, etiam in cœno atque humido ſolo ſtantes & ambulantes ſiccos haberent pedes. Ego tamen diſſentio, ac nullum ſuppactum lignum *caligæ* militari pronuntio. Statuæ veteres, columna Trajani, arcus Conſtantini me diſſentire cogunt: quæ non niſi ſoleas eaſque tenues oculis exhibent. *Caligæ* etiam ſine ulla additione nequaquam ſoleæ dicerentur, ſi lignum ſuppactum haberent. Iſidorus loquitur de forma lignea pedem humanum imitante, quæ in calceos, dum conſuuntur, intromittitur. Ratio prior non urget de conſervatione diuturna *caligarum*, quoniam in hunc finem clavi comparati ſunt. Multo minus valet poſterior, quia ſoccellus ligneus impeditiſſimum redderet militem tum in via, tum in pugna. *Nigron. ibid.* §. 4. 5. Erat clavis multis & minutis ſuffixa & munita, conſervationis, ut arbitror, gratia; ut diutius duraret, aſperitatique ſaxorum reſiſteret. Iſidorus: *Clavati, eo quod minutis clavis, id eſt, acutis, ſoleæ caligis vinciantur.* Auguſtin. tract. x. in 1. Joh. v. *Forte caligis clavatis contereт pedes tuos.* Qui hinc dicebantur *clavi caligares* Plin. IX. 18. Chariſio jam laudato, & Sympoſio mox laudando: & *clavi caligaris* Plin. XXXIV. 14. Iſidor. XVI. 20. *Nigron. ibid.* §. 8. *Licet: de Lucern.* VI. 28. *Byn. de Calc. Hebr.* I. 4. 10. *Lyd. de Re Milit.* III. 2. *Brod. Miſc.* VIII. 16. Erant interdum ferrei. De quibus intelligendus Joſeph. de Bell. Jud. VII. 3. *Calceos habens creberrimis atque acutis clavis, ut cæteri ſolent milites, fixos, dum ſtrato ſaxeis cruſtis ſolo curreret, labitur.* Interdum ænei. Lucill. apud Non. III. 98.

Fulmentas clavis æneis ſubcudere.

Imo & argentei & aurei. Plin. XXXIII. 3. *Agnonem Tejum Alexandri Magni præfectum aureis clavis ſuffigere crepidas* tradidit. Juſtinus & Valerius Maximus jam laudati. Irrepſit & in Latium idem luxus, & fœdavit Romanos. Teſtis Plautus ſupra laudatus in *Calceus*. Nigron. ibid. §. 8. 11 -- 14. Balduin. & Valtrin. l. l. Scheffer. & Perizon. in Ælian. Var. hiſt. IX. 3. Caſaub. in Theophr. Charact. p. 149. Horum cuſpides ſi terræ ſolum contigerint, & humi ſerpſerint, pedum incolumitati magis fuiſſet conſultum, quod plana & levia capita exiſtimarem. Et in hanc ſententiam me olim propendiſſe fateor. Sed mutavi ſententiam lecto ænigmate LVII. Cælii Sympoſii Poetæ de *caligari clavo*, quod ſic habet:

In caput ingredior, quia de pede pendeo ſolo,
Vertice tango ſolum, capitis veſtigia ſigno.
Sed multi comites caſum patiuntur eundem.

Ultimus verſus multitudinem & crebritatem clavorum innuit. Duo priores ſignificant clavorum capita terræ converſa eſſe, non averſa, terramque contingere. Quis aliter interpretetur in caput ingredi, vertice ſolum tangere, & capitis veſtigia ſignare. *Nigron. ibid.* §. 15. Sub Imperatoribus poſterioris ævi etiam Senatores ſumpſerunt *caligas*. Cyprianus, ſive quis auctor eſt carminis in Senatorem Iſiacum.

— caligaque remota
Gallica ſit pedibus molli redimita papyro.

Ex quo ſatis liquet, Senatores illo tempore, abdicatis calceis cavis, *caligas* portaſſe, quod ſane non fecerunt florente imperio, quo milites ſoli *caligas* habebant; non tamen has Senatorum *caligas* ſimiles omnino fuiſſe *caligis* militaribus exiſtimo; ſed ex illo *caligarum* genere, quas poſterior ætas *campagos* appellavit, qui ſane haud multum diverſi erant a *caliga*. Capitolinus *caligam* & *campagum* confudit infr. in *Caliga Maximini*. Non tamen omnino ſimiles inter ſe fuiſſe teſtatur Trebellius Pollio in Gallien. c. 16. *Caligas gemmatas annexuit, cum campagos reticulos appellavit.* Senatorias autem *caligas* fuiſſe campagos, colligi poteſt ex Juliano veteri Novellarum interprete, qui in Novella 126. ubi interdicitur Advocatis & aliis, ne, cum cauſas agunt non præſente Imperatore, dignitatis ſuæ inſignia aſſumant, togam nempe & calceos; ibi calceos hos campagos exponit. *Ruben. de Re Veſt.* II. 5. Ejus, qui carmen hoc ſcripſit, non eſt tanta auctoritas, ut nobis perſuadeat, Senatores poſteriori ævo *caligis* uſos eſſe. Potuit enim auctor ille *caligam* per abuſum pro calceo poſuiſſe. Quis enim alius veterum Senatores *caligatos* induxit? Quis, ut credat, calceamentum militare, & quidem plebejum ac manipulare ampliſſimo ordini aptatum. *Ferrar. Anal. de Re Veſt. c.* 37. Ornatiore quam manipularii utebantur, ac clavis argenteis, aureiſque effulgebant, qui gradum aliquem militiæ tenebant. Quales clavi fuerunt, qui militum *caligis* ſuffigebantur, colligimus ex Plin. IX. 18. *Duo*, inquit, *lacus Italiæ in Alpium radicibus. In quibus piſces omnibus annis Vergiliarum ortu exiſtunt ſquamis conſpicui crebris, atque peracutis, clavorum caligarium effigie.* Torrent. in Suet. Aug. c. 25. Briſſon. l. l. Kipping. Antiq. Roman. IV. 5. 15. Differt a mulleo, a ſocco, an etiam a campago. V. infr. *ſuis locis.*

Caliga Maximini eſt parœmia ducta a Maximino, qui e gregario milite tandem Imperator eſt factus, qua ſignificatur Maximinus elatus ad ſummum imperii honorem ex infimo militiæ gradu, qui erat *caliga*. V. ſupr. in *Caliga*. Delrio Adag. Sacr. Part. 1. n. 17. Potius dicetur de hominibus enormis & ineptæ magnitudinis. Sic enim de illo Capitol. Maxim. jun. c. 2. *Nam quum eſſet Maximinus pedum octo & prope ſemis, calceamentum ejus, id eſt, campagum regium quidam in luco, qui eſt inter Aquilejam & Arziam poſuerunt, quod conſtat pede majus fuiſſe hominis veſtigii menſura.* Nigron. de Calig. c. 2. §. 7. Manut. in Adag. p. 50. Balduin. c. 13.

**Caliga* ſpeculatoria erat ſpeculatorum & exploratorum. Hoc genus militum erat in militia, qui præcipue ad hoc erant inſtituti, ut quemadmodum Feſtus ait, *hoſtilia ſilentio perſpicerent.* Meminit Suet. Cal. c. 52. n. 2. *Modo in crepidis, vel cothurnis, modo in ſpeculatoria caliga.* Qui hoc addit quo majorem *caligæ*, qua in publicum proceſſit Cajus, vilitatem oſtenderet. Inter milites enim alii aliis ornatiore *caliga* utebantur. Et ſpeculatores quidem militum numero habebantur, verum ob laboris aſſiduitatem, ac diſcrimina, quæ ſubibant, minus cultos incedere ſolitos credendum eſt. Tertullianus abſolute dixit *ſpeculatoriam* de Cor. Mil. c. 1. *Speculatoriam moroſiſſimam pedibus abſolvit* Chriſtianus miles, hoc eſt, dimiſit, quam ex more geſtabat pedibus, remorantem in via Chriſtianæ religio-

ligionis illum ipſum, qui gerebat. *Nigron. de Calig. c.* 3. §. 7. *Balduin. de Calc. c.* 3. *Turneb. Adv.* XXIV. 41: XXVII. 20. *Licet. de Lucern.* VI. 28. *Beroald. & Torrent. ad Suetonium.*

CALIGARIUS dicebatur, qui *caligas* parabat, aut divendebat, qualis Quintus Lævius, qui habitavit in vico Cyprio, in regione Urbis quarta. Inſcriptio Romæ:

Q. LÆVIO. Q. F. TYCHICO
CALIGARIO. DE. VICO. CYPR.
NAT. THRAX. DOM. PARTHEN....

Spon. Miſc. Erud. Antiq. Sect. VI. *p.* 220.

CALIGULA *cognomen ſuum caſtrenſi joco traxit, quia manipulario habitu inter milites educabatur.* Suet. c. 9. n. 1. Dio LVII. p. 605. C. *Cui,* Caligulæ, *cognomen dederant, quod plerumque in exercitu educatus militari pro urbico pedum tegmine uteretur.* Tacit. Annal. I. 41. 4. *Quem militari vocabulo Caligulam appellabant, quia plerumque ad concilianda vulgi ſtudia eo tegmine pedum induebatur.* Panvin. Faſt. II. p. 197. Pitiſc. in Suetonium. Prætextatus etiam tum Liviam proaviam defunctam pro Roſtris laudavit. Suet. Cal. c. 10. n. 3. *Guther. de Jur. Man.* I. 24. Quandoque hortos habitavit Salluſtianos. Philo Hebræus. *Argol. in Panvin. de Lud. Circ.* I. 20. Circum maximum ornavit, & chryſocolla conſtravit. Suet. Cal. c. 18. n. 6. *Buleng. de Circ. c.* 4. centies HS. cœnavit uno die; ut Seneca ad Helv. c. 9. id eſt, ducentis quinquaginta ſcutatorum millibus. *Buleng. de Conviv.* I. 7. & 9. Petronii Syriæ Præfecti opera Hieroſolymis ſtatuam ſibi locandam curavit cum nomine ΔΙΟΣ ΕΠΙΦΑΝΟΥΣ: unde illud in Euangelio lucem fœneratur βδέλυγμα templi. *Borrich. Ant. Urb. Fac. c.* 8. §. 4. *Proſper Chron. Theſ. Antiq. Roman. Græv. Tom.* XI. *p.* 285. *C. Lipen. de Stren. cap.* 2. *ſecund. æt.* §. 12. *Vaillant. Numiſm.* I. *p.* 175. Optimus Maximus & Latialis Jupiter eſt conſalutatus. *Bargæus Comm. de Obeliſc. Theſ. Antiq. Roman. Græv. Tom.* IV. *p.* 1916. *E.*

CALIX eſt certa ſpecies poculi potatorii. Pollux VI. 16: X. 19. *Pocula & potatoria vaſa: calices.* . . . . Ejus uſus magnus in balneis. Unde *thermarum calices* dicuntur Juven. Sat. VIII. 168. Mart. XII. 71. 5.

Frangendos calices, effundendumque Falernum
Clamabat, biberet, qui modo lotus eques. . . . .

Grang. in Juvenalem. Grapald. de Partib. dom. II. 3. 9.

Calices allaſſontes dicuntur, qui colores mutant, & alium aliumque ſubinde colorem oſtendunt, ut in collis columbarum videmus. *Colorem mutantem* vulgo vocamus, hoc eſt, ad verbum ἀλλάσσοντα. Vitrum autem olim, ut etiam nunc, in varios colores tingebatur & pingebatur. *Nec enim alia,* inquit Plin. XXXVI. 26. *eſt nunc materia ſequacior, aut etiam picturæ accommodatior. Hinc & album fiebat, & myrrheum, & ſapphirinum, hyacinthinumque & omnibus aliis coloribus.* In Ægypto vero ex vitro fiebant *calices* verſicolores pretioſiſſimi, quos Adrianus apud Vopiſc. Saturn. c. 8. ἀλλάσσοντας vocat. Et narrat Strab. XVI. pag. 521. ſe a vitrariis Alexandrinis accepiſſe eſſe quandam in Ægypto terram ὑαλῖτιν, ſine qua hujusmodi *calices* verſicolorii perfici nequirent. Hinc non parvi muneris loco tres hujuſcemodi verſicolores & allaſſontes *calices* Serviano miſit Adrianus: quos a templi ſacerdote acceperat, eumque admonuit ut feſtis tantum diebus eos adhiberet, caveretque ne Africanus iiſdem indiligenter uteretur. Ex quibus apparet, magni pretii hujuſmodi *calices* fuiſſe. πολυτελεῖς καὶ πολυχρόους vocat Strabo. *Salmaſ. Caſaub. & Donat. ad Vopiſci Saturninum. Buleng. de Conviv.* IV. 11.

Calices apyroti vocantur vaſa frigidaria. Plinius. V. illum infr. in *Calices pteroti.* Nam apud illum quidam *calices pterotos* legunt. Calida & frigida in cœnis veteres ſunt uſi. Hinc ipſe crediderim apyrotum nos poſſe refrigeratorium appellare vas illud patens, in quo vitreo, porcellanico, argenteove, & pauperibus figlino frigida pleno per æſtates poculis immiſſis vina & decocta refrigerare ſolemus: veluti olim apud Romanos nive menſibus etiam æſtivis ſervata refrigerabantur. *Grapald. de Partib. dom.* II. 3. 13. *Dalechamp. in Plinium.*

Calices audaces vulgo dicebantur vitrei, qui Romæ vili pretio venum ibant: & qui audaces vocabantur, quod ſpecie quadam auderent imitari cryſtallina. Mart. XII. 75. 3.

Hi magis audaces, an ſunt qui talia mittunt
Munera?

Senſus eſt: ſuntne hi *calices* magis audaces, an illi, qui dant tales tam viles. *Rader. ad Martialem.* De his idem XIV. 94.

Nos ſumus audaces, plebeja toreumata vitri.

Ejuſmodi *calices* intellexit Strab. XVI. p. 521. ubi ſcribit, Romæ vitrarios multa commentos eſſe & ad vitreorum colores, & ad eorundem tornandorum facilitatem, tantamque ex eo vilitatem eorum fuiſſe, ut [illegible]ulum vitreum vulgo aſſe venum daretur. Χαλκοῦ πρίασθαι. Mart IX. 60. 22.

Aſſe duos calices emit & ipſe tulit.

Salmaſ. ad Vopiſc. Saturn. c. 8. &, qui tamen male, monente Salmaſio, Martialem de fictilibus accipit. *Turneb. Adv.* XXX. 26.

Calices diatreti ſunt teſſellati, ac torno concinnati. Mart. XII. 71. 9.

O quantum diatreta valent.

Rhodig. Ant. Lect. XXVII. 27. Bud. in Pandect. p. 118. 1. Alex. Gen. dier. V. 17. & ad illum Tiraquellus. [illegible] conſultus ad legem Aquiliam. *S[illegible] dum dediſti, ſi quidem imp[illegible] bitur: ſi vero non imperitia fregit, ſed rimas habebit viti[illegible], poteſt eſſe excuſatus.* Vi vocabuli inductus, & verbis Juriſconſulti perſuaſus ego potius putem eſſe *calicem,* vel cryſtallinum, vel myrrhinum, aut e metallo, qui artifici perforatus eſt. Foraminibus autem illis includebant fortaſſe gemmas, & emblemata, & alia ornamenta. In forando autem & pertundendo *calice* periculum erat, ne artifex eum frangeret, quod Juriſconſultus ſignificat. *Turneb. Adv.* XXVII. 37. Hi magnas agant nugas, nunquam profecto factum, ut myrrhinis, aut cryſtallinis gemmæ includerentur, nec id fieri poter[illegible] tantum poculis gemmæ includi ſolebant. Hinc *aurum gemmatum* de hujuſmodi aureis *calicibus* gemmas inſertas habentibus. V. ſupr. in *Aurum gemmatum.* [illegible] gemmæ, ſed aurea inſerebantur emblemata, qua[illegible], & *chryſocolleta,* & *chryſocliſta.* V. illa in [illegible] *ſuis locis,* inde dicebantur: cryſtallina autem & myrrhina nullis iſtiusmodi emblematis uſquam incruſtata, quæ pura & ſincera per ſe magis placebant: ut ne addam cryſtallinis & myrrhinis nullo modo inſeri potuiſſe emblemata mihi videri. Si quis autem artifex in aureum poculum gemmas immittere, aut in argenteum auri emblemata pararet incudere, nullum frangendi poculi, ſive aurei, ſive argentei, ſubire periculum poterat. ſiquidem nihil in auro argentove frangi poteſt, quin ſtatim ſolidari queat ac ferruminari. at in vitro ſi quis frangat, totum perit, materiaque ſimul cum manupretio evaneſcit. In vitreis *calicibus* Ægypti ingenium & artificium olim oſtentabatur. Arguit hoc lemma, quod eſt *Calices vitrei,* cujus verſus ſunt apud Mart. XIV. 115.

Adſpicis ingenium Nili: quibus addere plura
Dum cupit, ah quoties perdidit auctor opus.

Vitrum enim olim, & in ejus ſculptura & cælatura Ægyptiorum ars viſebatur, etiam argenti modo cælabatur. Plin. XXXVI. 26. *Alind flatu figuratur, aliud torno teri[illegible], aliud argenti modo cælatur, Sidone quondam iis off[illegible] nobili.* In flatu figurandis & torno terendis, ut olim etiam ſolebant, nullum operis periculum, at in ſculpendis & cælandis non parvum. nam inter ſculpendum ſæpe frangebantur. Et hi erant omnino *calices* qui diatreti dicebantur, vitrei nimirum & perforati, hoc eſt, ſculpti. *Si quis calicem diatretum faciendum dederit,* dixit Juriſconſultus,

ſultus, hoc eſt, ſi quis *calicem* vitreum perforandum cavandumque dederit. *Διατρῆσαι* eſt perforare vel cavare. Cavare & forare idem eſt. Hinc cavum & foramen idem eſt. Cavare autem pro ſculpere, ut Græci *διατρῆσαι* poſuerunt. Qui enim gemmas ſcalpunt, quaſi quoſdam [illegible] in iis cavant, & foramina cœlo imprimunt. Inde [illegible]. V. illos infr. Caro venibant. pretium enim [illegible] incendebat, quod metus in iis cælandis non parvus [illegible] artifici ne frangerentur. periculum etiam æque magnum. nam ſæpe operam oleumque perdebat, dum cælo vellet indulgere, & plura argumenta addere. *Salmaſ. in Vopiſc. Saturn. c. 8. Buleng. de Conviv.* IV. 11.

Calices inæquales dicuntur, cum qui plus poteſt bibere plus bibit: qui minus poteſt, non cogitur, ſed animo ſuo obſequitur, nec ſupra vires ſuas bibit. At ubi lex eadem bibendi omnibus impoſita eſt, huic parere tenentur ex æquo puſilli timidique potatores cum valentiſſimis & promptiſſimis; & tunc æquales omnibus *calices* hauriuntur. De inæqualibus Horat. Sat. II. 6. 68.

Siccat inæquales calices conviva, ſolutus
Legibus inſanis.

Salmaſ. in Spartian. Peſcenn. Nig. c. 3.

Calices pteroti erant pinnati, alati, quia anſæ utrimque protenſæ ſpeciem alarum referunt. Plin. XXXVI. 26. *Sed quid refert, Neronis principatu reperta vitri arte, quæ [illegible] calices duos, quos appellabant pterotos H. S. ſex millibus venderet.* Buleng. de Conviv. IV. 15. Dalechamp. in Plinium.

Calices Thericlei. V. illos infr. in *Vaſa.*

Calices Vatiniani erant vitrei. Mart. X. 3. 4.

Vatinianorum proxeneta fractorum.

Sutor fuit Vatinius. Mart. XIV. 96.

Vilia ſutoris calicem monumenta Vatini
Accipe, ſed naſus longior ille fuit.

& quidem Beneventanus. Juven. Sat. V. 46.

Tu Beneventani ſutoris nomen habentem
Siccabis calicem naſorum quatuor.

Habebat quatuor naſos oblongos ille calix: & tamen longiorem iis fuiſſe Vatinii naſum dicit Martialis. Qui & illum notat ut acrem & ſagacem inquiſitorem criminatoremque. Et talem deſcribit Tacit. Ann. XV. 34. 3. *Grang. in Juvenalem, Raderus in Martialem. Lipſius in Tacitum.*

Calices etiam vaſa erant cibis, & obſoniis excoquendis apta. Ovid. Faſt. V. 505.

Stant calices: minor inde fabas, olus alter habebat.

Grapald. de Partib. dom. II. 3. 9. Criſpin. in Ovidium.

Calix in aquæductibus erat modulus æneus, qui rivo aut caſtello induebatur, huic fiſtulæ applicabantur. Longitudo ejus ad minus habebat digitos duodecim: lumen, id eſt, capacitatem, quanta erat impetrata. Excogitatus videtur, quoniam rigor æris non temere poteſt laxari, aut coarctari. ſed & ipſe ad libram erat collocandus: nam ſi ad aquæ curſum erat oppoſitus devexusque amplius rapiebat: ad latus vero prætereuntis aquæ converſus, & ſupinus exiguum ſumebat. Frontin. de Aquæd. I. Theſ. Antiq. Roman. Græv. Tom. IV. p. 1648. A. *Marlian. Topogr. Urb. Rom.* IV. 10. *Græv. Theſ. Antiq. Roman. Tom.* IV. *Præfat.* * * *.

CALLAICA fuit quoddam aurium ornamentum, colore viride, ſed decens. Iſidor. XVI. 7. *Callaica colore viridis, ſed patens & nimis craſſa, nihil jucundius aurium decens.* Bartholin. de Inaur. Vet. c. 1.

CALLAICÆ erant veſtes ab auri colore rutilæ. Mart. XIV. 139.

Jungere neſciſti nobis, o ſtulte, lacernas:
Indueras albas, exue callaicas.

Ferrar. de Re Veſt. II. 1. 2. Rader. ad Martialem.

CALLÆCUS fuit dictus D. Junius Brutus a *Callacia* devicta. *Sigon. de Nom. Roman. c.* 5.

CALLICULÆ erant ornamenta rotunda. Græce *τροχάδες*. Fuerunt ex purpura, gemmis, auro, argento, aliisque diverſis materiis; ut videre eſt in Actis paſſionis ſanctarum martyrum Perpetuæ & Felicitatis: ubi ipſa Perpetua de ſe hæc ſcribit: *Pridie quam pugnaremus, video in horomate hoc veniſſe Pomponium diaconum ad oſtium carceris, & pulſare vehementer: & exivi ad eum, & aperui ei, qui erat veſtitus diſtinctam candidam, habens multiplices calliculas.* Paullo poſt: *habens calliculas multiformes ex auro & argento factas.* Lambec. in Kalendar. Vet. Theſ. Antiq. Roman. Græv. Tom. VIII. p. 113. A.

CALLINICUM erat in finibus imperii Romani, prope Perſas, quod Juſtinianus, dirutis vetuſtis muris, inexpugnabile fecit, ut ait Procop. de ædif. Juſtinian. Latine ſonat *pulcra victoria.* Olim *Hieropolis* dicebatur, nunc *Hepo.* Panciroll. Notit. Dign. Imp. Orient. p. 1727. B.

CALLIS in gloſſis exponitur *via pecorum veſtigiis trita.* Quomodo Liv. XXII. 14. *Nos hic pecorum modo per æſtivos ſaltus deviasque calles exercitum ducimus.* Voſſ. Lex. Etymol. Ex *callibus* vectigal colligebatur. V. infr. in *Paſcua.* Erant illi in Apulia & extremis illis Italiæ regionibus frequentes. Liv. XXXIX. 29. *Magnus motus ſervilis eo anno in Apulia fuit. Tarentum provinciam L. Poſtumius prætor habebat. Is de paſtorum conjuratione, qui vias latrociniis paſcuaque publica infeſta habuerant, quæſtionem ſevere exercuit.* Provincia *calles* dicebatur munus publicorum in eo tractu adminiſtrandorum ſaltuum & *callium*, ex quibus redigebatur ſcripturæ vectigal. Tacit. Ann. IV. 27. 2. *Erat iiſdem regionibus Curtius Lupus quæſtor*, ſive is ordinarius fuerit, ut conjicit Gruchius; ſive potius prætoris ejus, qui eam provinciam haberet, ut vult Sigonius; *cui provincia vetere ex more calles evenerat.* Quæſtor dabatur eis, qui cæteras provincias ſortiti eſſent, quidni & illi, qui *calles* & ſylvas. Et non dixiſſet, *cui provincia vetere ex more calles evenerat*, ſi de ordinario quæſtore, qui quotannis in eas regiones mitteretur, intellexiſſet, ſed ſignificat, revocatum eo anno morem antiquum in *calles* mittendi prætores cum quæſtore. Quare quod ille conſcripſit claſſiarios, & compreſſit conjurationem, feciſſe videtur ex imperio non magiſtratus ſui, ſed prætoris ſui, ipſo abſente fortaſſe prætore, ut alii multi, quorum exempla neminem fugiunt. V. *Gruchium Refut. ad Poſter. Sigonii Diſput. c.* 42. *Sigon. de Leg. Curiat. c.* 10. Provincia hæc quare futuris Conſulibus, Julio Cæſari & Marco Bibulo data ſit apud Suet. Jul. c. 19. n. 3. V. infr. in *Vectigal.*

CALLUM aprugnum fuit proprie abdomen legibus Cenſoriis interdictum. Plin. XI. 37. *Vulva ejecto partu melior quam edito. Ejectitia vocatur illa, hæc porcaria. Proxima ejectitiæ & occiſæ uno die poſt partum. Hujus & ſumen optimum, ſi modo fœtus non hauſerit: ejectitiæ deterrimum. Antiqui abdomen vocabant: prius callere id ſinentes, occidere non aſſueti.* Ita legit Herm. Barbarus, & hunc ſenſum eſſe dicit: Id quod modo ſumen dicitur, hoc eſt, ſuillas cum lacte ſuo mammas veteres abdomen vocabant, ab lacte jam abdito & fugato, utpote, quæ antequam ubera calleſcerent, hoc eſt, ſiccato lacte dureſcerent, ſuem occidere non ſolerent. Hoc *callum* in deliciis fuit, & neſcio an nobilius fuerit, quam media illa pars, quæ lumbus aprugnus fuit appellata. *Guther. de vet. jur. Pontif.* I. 26.

CALO erat ſervus militum caſtra ſequens, qui clavas ligneas, & fuſtes gerebat. Feſtus: *Calones*, inquit, *militum ſervi dicti, quod ligneas clavas gerebant; nam Græci ligna κᾶλα vocant.* Servius vero Æneid. VI. 1. *Calas dicebant majores noſtri fuſtes, quos portabant ſervi ſequentes dominos ad prælium: unde etiam calones dicebantur. Nam conſuetudo erat militis Romani, ut ipſe ſibi arma portaret & vallum: vallum autem dicebant calam. Sic Lucilius: Scinde puer calam ut caleas, id eſt, o puer, frange fuſtes & fac focum.* De his Horat. Sat. I. 2. 44.

Hunc perminxerunt calones.

Popm. de Oper. Serv. p. 83. Pignor. de Serv. p. 244. Voſſ. Lex. Etym. Stewech. ad Veget. p. 41. Schill Nomencl. Philol. p. 237. Bennius in Salluſt. de Bell. Catil. Edit. Thyſian. p. 179. Tribuni, centuriones, & digniores

gniores militum servos habebant: gregarii non habebant. Sallust. Bell. Jugurth. p. 101. *Ne lixa exercitum sequerentur; ne miles gregarius in castris, neve in agmine servum aut jumentum haberet.* Vides *sublata esse adjumenta ignaviæ*, & neutrum gregariis licuisse. Sed addit Sallustius: *cæteris arcte modum statuisse* Metellum, id est, dignioribus quoque præfiniisse, ultra quos & quot non haberent. Nec aliter in veteri militia. In sequenti, hoc & alia solutiora. Tacit. Hist. II. 87 2. *Sexaginta millia armatorum sequebantur licentia corrupta. Calonum numerus amplior.* Josephus tamen Ἁλωσ. III. 3. aliter, qui de numerosis istis *calonibus* recenset, & parte aliqua probat. *Erant*, inquit, *Vespasiano ad sexaginta millia militum, præter calones, qui multi admodum sequebantur.* Lips. de Mil. Roman. V. Dial. II. Schel. in Polyb. Thes. Antiq. Roman. Græv. Tom. X. p. 1268. E. Licet militiæ sacramento adigi non solerent, siquidem servilia ministrabant militibus; illos tamen in aciem prodiisse, bonam fidelemque operam Reipublicæ sæpe navasse comperimus, tunc quum accisis rebus, & re exterminata, militumque fracta virtute militare coacti sunt. *Alex. Gen. Dier.* VI. 22. Josephus ibidem notat, *usu & peritia militari vix infra dominos ponendos fuisse.* Et addit rationem. *Nam & in pace assidue exercitiis eorum intersunt, & in bello cum iis versantur & periclitantur. adeo ut nec peritia nec robore a quoquam, nisi a solis dominis vincantur. In quo admirari est Romanorum prudentiam, qui famulos ita assuefaciunt & instituunt, ut non solum ad vitæ officia, sed ad belli munia sint apti.* Lips. & Schel. l. l.

CALOPODION est calceus ligneus. Horat. Satyr. II. 3. 106.

Si scalpra & formas non sutor.

Acro *formas* exponit *calopodias* ex more seculi pro *calopodia.* Nam neutra fere muliebri genere efferebant. Multum metuo, ne Paullus Festi Epitomator calones confuderit cum *calopodus.* Voss. Lex. Etym. Belgæ ab nartarum genere, sive solearum lignearum, quibus Scricfinni, atque his conterminæ gentes utuntur, deduxerint sua *calopodia*, quibus propter constrictas frigore aquas quam velocissimo cursu ludibundi quaqua versum oberrant. Vulgus **schaatsen** vocat, præsentissimum itineris instrumentum, sed quod exercitatum hominem requirit. *Balduin. de Calc. c.* 5.

CALPAR erat *genus vasis fictilis.* Festus, sive dolium, sive, ut Glossæ Cyrilli explicant, urna. Hesychius similiter exponit, ὑδρίαν, σάμιον, *hydriam, urnam.* At σάμιον, *urceus, urna*, ut est in Cyrilli glossis. *Voss. Lex. Etymol. Stuck. de Sacrif. p.* 77.

Calpar μετωνυμικῶς erat vinum. Varro de vita pop. Rom. apud Non. XV. 31. *Quod, antequam dolii nomen prolatum esset, cum id genus vasorum calpar diceretur, id vinum calpar appellatum.* Κατ᾽ ἐξοχὴν autem *calpar* vocatum id vinum, quod libabant Vinalibus. Festus: *Calpar vinum novum, quod ex dolio demitur sacrificii causa, antequam gustetur. Jovi enim prius sua vina libabant, quæ appellabant festa vinalia.* Quemadmodum igitur in frumentis, quod sacrificii causa ante præmetebant, *præmessa* appellabant, sic in vinis *calpar* vocatum, quod antequam vina gustarent, sacrificii causa e vase demtum Jovi libabant: quippe id ni facerent, vinum omne in apothecis sacrum fiebat, usibusque humanis eripiebatur. *Scalig. Conject. in Varron. p.* 75. *& Festum. Voss. Lex. Etymol. Leo Casella de prim. Ital. colon. Misc. Ital.* III. 15. *Dacer. in Festum. Stuck. de Sacrif. p.* 77. *Brisson. de Form.* I. *pag.* 27. *Laurent. Var. sacr. gentil. c.* 19. *Schill Nomencl. Philol. p.* 237.

CALPURNIA gens. V. illam infr. in *gens.*

CALPURNII Romæ plebeji fuerunt, cognominibus Pisone, Frugi, Bestia, Cæsonino & Bibulo distincti: consulatibus, censuris, & triumphis maximis actis illustres. Originem duxerunt a *Calpo* Numæ filio. Festus. Plutarchus in Numa, Acro & Porphyrion in Horat. de Art. Poet. n. 292. *Panvin. de Nom. Rom. Thes. Antiq. Roman. Græv. Tom.* II. *p.* 2005. *D. Sigon. de Nom. Roman. c.* 4. *Tiraquell. in Alex.* I. 9.

CALTHULA erat genus tunicæ. Non. XVI. 4. *Calthulam & crocotulam, utrumque a generibus florum translatum a caltha & croco. Virgil. Eclog.* II. 50.

Mollia luteola pingit vaccinia caltha.

Plaut. Epid. II. 2. 47.

Indusiatam, patagiatam, calthulam, aut crocotulam.

Ferrar. de Re Vest. I. 3. 20. Voss. Lex. Etymol.

CALVINUS dictus eadem fortasse ratione, qua multa cognomina ita immutata sunt, ut per diminutionem in *Inus* a suo primitivo deflexa sint. *Sigon. de Nom. Roman. c.* 5. Tres *Calvini* quatuor consulatus, censuram & triumphum, & magisterium equitum destinatum assecuti sunt. I. Cn. Domitius, sive Cajus; Consul fuit cum A. Corn. Cosso Arvina II. Anno ab U. C. 422. Alter Cn. *Calvinus* superioris, ut creditur, filius Consul fuit anno ab U. C. 470. cum Q. Cornelio Dolabella Maximo. Censor triennio post cum Q. Fabio Maximo Gurgite III. Longo intervallo Cn. Domitius M. F. M. N. Consul fuit cum M. Valerio Messalla anno ab U. C. 700. Notatum in Fastis est post octo annos hunc in insequentem annum designatum non iniisse, sed an de magisterio equitum, vel de Consulatu dictum sit, incertum est. Iterum Consul fuit cum Asinio Pollione anno ab U. C. 713. Triumphum egit ex Hispania a. d. XVI. Kal. Sext. post quatuor annos sub Augusto Cæsare. Præter hos invenio C. Domitium Cn. F. *Calvinum* Ædilem curulem fuisse cum Sp. Carvilio Q. F. Maximo anno ab U. C. 454. *Augustin. & Strein. de Famil. Roman. in Domitia.*

CALUMNIA Nonio IV. 74. est *malitiosa & mendax infamatio. Calumnia rursum calliditas. M. Tull. de Rep.* II. *Ut Carneadi respondeatis, qui sæpe optimas causas ingenii calumnia ludificari solet.* Isidor. V. 26. *Calumnia est jurgium alienæ litis.* Hansen. de Jurej. Vet. c. 16. Ejus jusjurandum ortum habuit a gladiatorum consuetudine, nam ἀμφιορκία & ἀμφιμοσία ab illis dicebatur, quia uterque jurare cogebatur. Ita postquam uterque advenit litigator, judex utrique, juret, jubet. Id jusjurandum *calumniæ* juramentum appellarunt. Nam actor quidem juravit, se non *calumniæ* causa litem intendere; reus vero, se non *calumniæ* causa inficiari. Cicer. pro Mil. c. 27. *Qui calumnia litium alienos fundos petebat.* pro Q. Rosc. c. 1. *Quod in codicem juratus referre noluit, id jurare in litem non dubitet.* Id interpretantur Jurisconsulti, actorem jurasse, se litem ex æquo & bono æstimaturum. Cujus rei rationem affert Marcellus ff. de in litem jurando: *Quod cum dominus rem suam vendere cogatur, hæc tamen ei potestas relinquenda est, ut rem non pretio, id est, quanti interest, ea carere, arbitrio suo definiat.* Sigon. de Judic. I. 28. Stephan. de Jurisd. vet. Græcor. c. 10. Brisson. de Form. V. p. 462. Carol. Antiq. Roman. II. 7. Hansen. l. l. Judicium reo absoluto contra accusatorem instituendum relinquebatur, si falsum crimen intulisse constaret. Marcian. ad SC. Turpilianum: *Calumniari est falsa crimina intendere. Calumniatoribus pœna lege Remmia irrogatur, sed non utique, qui non probat, quod intendit, protinus calumniari videtur. nam ejus rei inquisitio arbitrio cognoscentis permittitur, qui reo absoluto de accusatoris incipit consilio quærere, qua mente ductus ad accusationem processit. Et siquidem justum ejus errorem repererit, absolvit eum. si vero in evidenti calumnia eum deprehenderit, legitimam pœnam ei irrogat. Quorum alterutrum ipsis verbis pronuntiationis manifestatur. nam siquidem ita pronuntiaverit; non probasti, pepercit ei; sin autem pronuntiavit, calumniatus es, condemnavit eum; & quamvis de pœna nihil subjecerit, tamen legis potestas adversus eum exercebitur.* Cicer. pro Cluent. c. 31. *Nec elabi alio accusatore poterat Albius, nec sine ignominia calumniæ relinquere accusationem Cluentius.* Sigon. ibid. I. 32. II. 25. Pœna erat frontis inustio & nota. Plin. Paneg. c. 35. n. 3. *Neque ut antea, exsanguem illam & ferream frontem nequicquam convulnerandam præbeant punctis, & notas suas rideant: sed spectent paria præmia damno.* Cicero, ubi comparat accusatores cum anseribus & cani-

bus Capitolinis, Orat. pro Sext. Roſc. V. illum ſupr. in C. Turneb. Adv. VII. 22. Broid. Coroll. ad Pollet. For. Roman. IV. 5. Lipſ. Elect. III. 15. & in Plinium. Nicol. de Sigl. vet. c. 25. Sigon. ibid. II. 25. *Quæſitum*, inquit Papinian. de Adult. I. *ſcio, an in judicus calumniæ damnati teſtimonium judicio publico perhibere poſſint? Sed neque lege Remmia prohibentur & Julia lex de vi, & repetundarum, & peculatus eos homines teſtimonium dicere non vetuerunt.* Auguſtin. de Legibus in Remmia.

CALVUS primus Tribunus militum Conſulari poteſtate de plebe fuit P. Licinius *Calvus* anno ab U. C. 353. Magiſter equitum e plebe primus C. *Calvus*. Conſul plebejus ſecundus fuit C. Licinius *Calvus* Stolo, quem conſtat auctorem fuiſſe, ut alter Conſul plebejus eſſe poſſet. Liv. VI. 34. Idem *Calvus* cum L. Sextio Laterano refectus quinquies Tribunus plebis fuit, & curulibus magiſtratibus toto eo quinquennio Roma caruit, quorum primus fuit poſt U. C. annus 377. Conſul fuit anno ab U. C. 389. cum C. Sulpicio Petico, iterumque triennio poſt cum eodem collega. Sed quarto poſt alterum conſulatum anno ſua lege Licinia damnatus eſt, quod ultra quingenta jugera cum filio emancipato, cui donationem in fraudem legis fecerat, poſſideret. Verrius eum dixit fuiſſe C. F. P. N. Suſpicor ejus avum fuiſſe eum, qui primus Tribunus militum e plebe fuit cum quinque patricus. Cujus filius P. *Calvus* quadriennio poſt patrem eundem magiſtratum obtinuit. Poſt quem alter C. *Calvus* P. F. P. N. anno ab U. C. 375. Tribunus etiam militum fuit, & decimo poſt anno Magiſter equitum primus e plebe. Ita quatuor *Calvi* duos conſulatus, Tribunatus militares tres ac Magiſterium equitum obtinuerunt. Celebris poſtea longo intervallo fuit C. Licinii *Calvi* optimi oratoris & poetæ fama, cujus pater C. Licinius Macer vir Prætorius accuſatus Cicerone Prætore repetundarum, cum damnaretur, ſeipſum interemit. Erat tum *Calvus* filius annos natus ſeptemdecim. Fuit autem Atticorum imitator, verbis & ſententiis valde preſſus, quod Cicero improbare videtur, non ſine aliqua moleſtia, ne dicam invidia, quod a multis doctis viris id genus orationis Tullianæ præferretur. *Auguſtin. de Famil. Roman. in Licinia. P. Servius Miſcell. c. 3.*

Calvus eſt vox convicii. Perſ. Sat. I. 56.

—— Nugaris, cum tibi, Calve!
Pinguis aqualiculus propenſo ſeſquipede exſtet.

Qui poetaſtrum mordaciter, σκωπτικῶς, & uſitato Romanis convicio *Calvum* dicit. Quod frequentiſſime in poetaſtros ac verſificos detortum manifeſtum eſt ex Mart. I. 72.

Hac es tu ratione, qua poeta es,
Calvus cum fueris, eris comatus.

Saubert. de Sacrif. c. 10. Nihil enim invenuſtius capite *calvo* & capillis nudato. Renitatur quantumcunque Syneſius & ipſe *calvus*, & collectis omnibus viribus ingenii, quo valuit plurimum, nitatur ſuadere, nihil decedere capitis elegantiæ ob *calvitium*. Oculus ipſe, æquus æſtimator, aliud ſtatuit. Monſtrant artes *calvorum* aptantium galericulum capiti; & ſubdititia coma imponentium oculis ſpectatorum, ne turpitudine nudi capitis offendantur, quod ab Othone Imperatore factum Suet. c. 12. n. 3. teſtatur, & facete de more in Phœbo deriſit Martialis ſupr. in *Calceus* laudatus. Quod enim galericulus hic ex pellibus & coriis pararetur, æque ac calcei, non inficete caput a *calvo* Phœbo *calceari* jocatur. Ruffus Avienus carm. X.

Calvus eques capiti ſolitus religare capillos,
Atque alias nitido vertice ferre comas.

Ridiculum, populo conſpiciente, caput exhibuit ab adverſis boreæ ſpiraminibus.

Nam mox detecto nituit frons nuda galero,
Diſcolor appoſita quæ fuit ante coma.

Raynaud. de Pil. & cæt. cap. tegm. ſect. 3. Junius de coma c. 11. Buleng. de Theatr. I. 56.

CALX eſt materia tenuis & apta ad opera compingenda, conſolidanda & confirmanda, teſte Vitruv. II. 5. Non eſt ſolius naturæ opus; ſed partim induſtriæ & artificii humani, quo fit ex ſilicibus maxime albis, aut ſaxis durioribus, excocta eorum per ignis fervorem humiditate. Inventa eſt, cum experimentis conſtitit, nec terram puram ſimplicem, nec arenam ſufficere cæmento ſatis firmæ compagis, & quod cum duriore lapide, ac nonnihil polito poſſit firmiter coaleſcere. Itaque ſaxa ipſa in pulverem redegerunt; verum factis experimentis, ab hoc ſtructuras minime compaginari compertum eſt. Quare cœperunt ſilices & ſaxa conjicere in ignem, ut ibi hujus vehementia amitterent nimiam humiditatem, cæteraque impedimenta, quibus ratione ſuæ ſubſtantiæ atque indolis ad ſtructuras minus conveniebant. Belle res ſucceſſit. Conjecta in fornacem exurebantur, ita ut exemta, permanente eadem magnitudine, excocto autem liquore, circiter tertia parte ponderis imminuerentur. Exuſta vehementi ignis fervore relinquebantur, liquore illo, qui in ſaxorum corpore fuerat, diſſipato & excocto, patentibus foraminibus & inanibus, habebantque in ſe reſiduum calorem latentem, qui contrariis qualitatibus ſeſe oſtendit, humida ſcilicet & frigida. Aqua enim injecta, eaque in foraminum raritates penetrante, conferveſcunt, deinde reſoluta in pulverem, arenæ mixtionem recipiunt, itaque cohæreſcunt, ſicceſcendoque cum cæmentis coeunt, & efficiunt ſtructurarum ſoliditatem & durabilem firmitatem. Hinc etiam bonæ *calcis* notæ petuntur, teſte Alberto de re ædificat. III. 4, nam *calcem*, ait, *quæ ex fornace apportata glebis fuerit non integris, ſed reſolutis, reprobant: eam probant, quæ ignibus perpurata, candicans & levis & ſonora ſit; quæve, cum aſpergas, multo crepitu acrem vaporis vim in altum evomat.* Bergier. de viis milit. II. 2. *Calcis* coctoribus primo pro tribus vehis ſingulas vini amphoras dabat Præfectus Urbis Romæ, & ſingulas vectoribus pro binis millibus & nongentis pondo *calcis*, quam Romam vehebant, leg. 1. C. Th. de calc. coct. Poſtea inductum eſt, ut vectoribus pro ſingulis vehis ſinguli ſolidi præſtarentur, quorum tres partes poſſeſſores prædiorum, quartam Præfectus Urbi in vino pendebat: quotannis enim terna millia minorum vehum *calcis* Umbri, Piceni & Campani Romæ præſtabant, Tuſci 900. leg. 3. C. Th. de calc. coct. Ex his 1500. onera aut vehæ pro reparandis formis aquæductuum, reliquum in ſarcienda tecta publica Urbis inſumebatur, quorum cura ad Urbis Præfectum ſpectabat. *Panciroll. Notit. Dign. Imp. Occid. c. 3. Burmann. de Vectig. c. 3.* *Calce*, ubi nulla ſuppeterent ad condiendum aromata, ſanctorum corpora obducta fuerunt, ut ejuſdem vi a putredine incorrupta permanerent. Nam beatæ Martyris Afræ corpus poſt nobile conſummatum pro fide martyrium, cum ſepulcro repoſitum fuiſſet, hac prorſus ratione diligenter conditum, incorruptum poſtea ab Embricone Epiſcopo repertum eſt, ut teſtatur Velſer. Comm. in Paſſ. S. Afræ n. 63. *Aring. Rom. Subterr.* I. 23. 12. Nam ſive caro tabefacienda, *calcis* vivæ mordax & cauſtica vis eſt, teſte Dioſcor. V. 91. ſive cadavera alioquin exſiccanda, Galenus tradit *calcem* ſæpius aqua lotam valde ſiccare, abſque ulla mordacitate, de Simpl. medic. facult. IX. *Kirchmann. de Funer. Roman.* I. 8.

CALYPTRA erat genus integumenti, quo capita operiebant ſacerdotes, ſacra ſua adminiſtrantes. *Stuck. de Sacrif. p.* 104. Erat flammeum nuptiale. *Delrio agens de pallio, quo Rebecca ſe operuit Gen. c. 24. n. 65. Rhodig.* XXVIII. 24. Junius & Calcagn. Epiſt. Quæſt. III. 1. quorumvis feminei capitis tegminum volunt eſſe nomen. Verum proprie erat ſpeciale Reginarum tegmen. ut propterea Aëtio pictor apud Lucianum Alexandri & Roxanes nuptias repræſentans in tabula expreſſerit Alexandrum detrahentem Reginæ *calyptram*. Plato item in Alcibiade I. meminit agri in Perſide, cui nomen erat *Reginæ calyptra*, quia agri illius proventus erant attributi Reginæ in ſumptus *calyptra*. Videtur idem eſſe cum regillo; quod Reginas operuiſſe, ait Iſidor. XIX. 25. *Raynaud. de Pil. & cæt. cap. tegm. ſect.* 6. Apud Heſiod. Θεογον. n. 574. Virgini jam veſtitæ dicitur imponi in caput *calyptra* ingenioſe facta.

Vide-

Videtur ejus fuisse generis, ut arcere pluviam possit, & promineat a capite. Certe Callim. Fragm. II. I.

Decebat sane eam, a capite prominens, calyptra lata,
Quasi pileus pastoralis.

Perizon. in Ælian. var. hist. IX. 9.

CAM.

CAMA est *lectus brevis, & circa terram.* Isidor. XX. II. Græci *camas*, sive potius *cameunas* dicunt strata humilia, & lectulos humi propiores, quod homines veluti *χαμαὶ* jacerent. Hesychius: *χαμεύνη ςιβὰς, καὶ ἡ ταπεινὴ κλινίς: καὶ χαμεύνης ὁ χαμαὶ κοιμώμενος. Ferrar. de Re Vest.* I. 3. 5. *Buleng. de Conviv.* I. 29.

CAMARINA fuit urbs vetus Siciliæ, Strabonis tempore tantum vestigiis nota VI. p. 187. *Argol. in Panvin. de Lud. Circ.* I. 13. In ipso littore inter duos amnes posita, quorum alter nunc Frascolari, seu Frascolani, alter *Camarana* vulgo vocatur. Erravit Ptolemæus in mediterranea ad decem millia passuum ab littore eam removens. In littore locarunt Plin. III. 8. & Scylax. Hodie ex urbe tam celebri nihil reliquum est præter nomen, & antiquorum mœnium & ædificiorum tenues reliquias. *Cluver. Sicil. Antiq.* I. 14. 6.

CAMARINI in Aventino monte a populo Romano collocati sunt, teste Val. Max. VI. 5. 2. quos a Q. Claudio devictos, & sub hasta venditos P. R. magna cura conquiri, & pecunia publica redimi, & bona adempta iis restitui jussit. *Nardin. Rom. vet.* VII. 8.

CAMBODUNUM Munstero teste ad secundam partem Geographiæ Ptolemæi est Monachium, Norici caput, vulgo Monaco, cui Stephanus in Lexico Hist. Geographico adstipulatur. Ferrarius tamen in Lexico *Cambodunum* novum Monachium putat dicendum, cum ex ruderibus *Camboduni* Monachium exstructum dici possit. *Ursat. de Not. Rom. Thes. Antiq. Roman. Grav. Tom.* XI. *p.* 530. *A. Pancıroll. Notit. Dign. Imp. Occid. c.* 82.

CAMELA est Italis dicta tegmen capitis, quod pilei loco capiti imponitur. Cedren. I. *Raynaud. de Pil. & cæt. cap. tegm. sect.* XIII.

CAMELARIUS erat, qui *camelorum* curam habebat. Nam si exercitus impedimenta ob expeditiones publicas comportanda erant, *camelis* utebantur, quibus & *camelariis* ex publico cibaria præstabantur. Sed *camelorum* curam habentes, plurimi in albo descripti erant, qui ordine singuli sua vice citabantur, ut hoc personale munus subirent, nec nisi corporis infirmitate excusari poterant. Arcad. ff. de Mun. & Hon. leg. 18. §. 11. *Camelasia similiter personale munus est. Nam ratione habita & alimentorum, & camelorum, certa pecunia camelariis dari debet, ut solo corporis ministerio obligentur.* Pancıroll. de Magistr. Municip. c. 23. Alex. Gen. Dier. III. 14. Voss. Lex. Etymol. Dicitur etiam Græcis *καμηληλάτης*: ut *ὀνηλάτης*, *ἱππηλάτης*, *ςρατηλάτης*. *Bud. in Pandect. p.* 263. *A.*

CAMELASIA erat munus alendorum camelorum. Arcadius. V. illum supr. in *Camelarius*. Turneb. Adv. XXI. 28. Voss. Lex. Etym. Du Fresne in Glossario.

CAMELASIUM erat tributum, quod *camelasiæ* nomine pendebatur. Ammian. XVII. 3. *Factumque est tunc, & deinde unius animi firmitate, ut præter soluta, nemo Gallis quicquam exprimere conaretur camelasii nomine.* Turneb. XXI. 28. Voss. Lex. Etym. Rhodig. Ant. Lect. VII. 18. Cujac. Observ. IX. 9.

CAMELAUCUS fuit pileus. Scholiast. Aristoph. *Ἀχαρν.* p. 393. *Telephi pileolus, qui nunc camelaucus appellatur.* Et quidem in modum parvulæ cassidis extensus supra summitatem capitis. *Beda de Tabernac.* III. 8. Integumentum Pontificii capitis quasi usurarium. Hujusmodi capitis tegmine uti solitum Romanum Pontificem scribit Anastasius in Constantino Papa: *Pontifex, & ejus primates, cum sellaribus Imperialibus, sellis & frenis inauratis, simul & mappulis, ingressi sunt civitatem* Constantinopolim: *Apostolicus Pontifex cum camelauco, ut solitus est Romæ procedere.* Non videtur hoc tegmen capitis, tum Pontifici usuarium, aliud fuisse, quam pileolus purpureus, quo semper operitur; cujusmodi *camelaucis* usos item Imperatores docemur ex Constantino Porphyrogeneta in Chorographia. *Raynaud. de Pil. & cæt. cap. tegm. Sect.* 13. *Du Fresne in Glossario.* Extendebatur etiam aliquando supra faciem, ita ut operta hujusmodi *camelanco* subduceretur prospectus aliorum, & in eum finem usurpatum esse a monialibus legimus in vita Mariæ, neptis Abrahæ, quæ est inter opera Ephrem. Ibi cap. 5. sic habetur: *Camelauchum quoque longum capiti suo, ut facies ejus velaretur, imposuit.* Raynaud. ibid. Sect. 15.

CAMELLA vas quoddam est, quo in quibusdam sacris solebant uti. Petron. c. 95. *Camellam vetustate ruptam pice temperata refecit. Tum clavum, qui detrahentem secutus cum camella lignea fuerat, fumoso parieti reddidit.* Ovidius. V. illum supr. in *Burranica*. Turneb. Adv. X. 20: XXVI. 7. Rhodig. Ant. Lect. XXVII. 25. Morestell. de Fer. Roman. Dial. IX. vas incurvum, inflexumque, ac in modum cameræ effigiatum fuit. *Gonsal. ad Petronium.*

CAMELLÆ virgines sunt *γαμήλιοι θεάι*, mutatione g in c. Festus: *Camellis virginibus supplicare nupturæ solitæ erant.* Turneb. Adv. III. 11. Scalig. in Festum.

CAMELOPARDALIS non est fera, sed pecus magis, nullam enim feritatem præ se fert. Nulla re *pardali* est similis. Varietas coloris nebridibus magis similis, virgatis pilis distincta. Omnino posteriora humiliora anterioribus sunt, ut videatur sedere ad bovis altitudinem: anteriora vero crura *cameli* cruribus non sunt humiliora, collum rectum est, & in altum exsurgit, verticem paullo sublimiorem *camelo* habet. Strab. XVI. p. 533. Plin. VIII. 18. *Specie est cameli, Nabin Æthiopes vocant, collo similem equo, pedibus & cruribus bovi, camelo capite, albis maculis rutilum colorem distinguentibus: unde appellata camelopardalis. Dictatoris Cæsaris Circensibus ludis primum visa Romæ.* Pinell. Additam. ad Argol. in Panvin. de Lud. Circ. II. 3. Bochart. Hieroz. I. 3. 21. Buleng. de Venat. c. 18.

CAMELUS bello Mithridatico primum visus est Romanis, ut putat Sallustius apud Plutarch. Lucull. p. 498. D. sed ab illo ridetur, quod neque olim illos, qui duce Scipione Antiochum devicerunt, neque hos qui ad Orchomenon & Chæroneam certaverunt cum Archelao, nosse putaverit *camelum*. Pinell. Additam. ad Argol. in Panvin. de Lud. Circ. II. 3. *Camelos* curribus committere veteres consueverunt. Suet. Ner. c. II. n. 3. *Commisit etiam camelorum quadrigas.* Lamprid. Heliogab. c. 23. *Fertur etiam junxisse camelos quaternos ad currum in circo privato spectaculo.* Onuph. Panvin. de Lud. Circ. I. 9. Bochart. Hieroz. I. 2. 2. Scheffer. de Re Vehic. I. 9. Ad cursum assuefacti plus centum octoginta septem passuum millia confecerunt. Diodor. XIX. *Stewech. in Veget.* III. 23. Aliquantæ nationes in aciem produxerunt, ut Ursiliani in Aphrica, Macetes hodieque producunt. Veget. III. 23. Produxit Mithridates contra Lucullum, Antiochus contra Scipionem. Plutarchus modo laudatus. Crœsus apud Frontin. Strat. II. 4. *prævalido equitatui camelorum gregem opposuit: &* illorum *novitate consternati equi insidentes præcipitaverunt.* Aliique. Ideo feminæ, quæ bello præparabantur, castrabantur, quia fortiores fiebant coitu negato. Plin. VIII. 18. *Stewech. in Vegetium. Schel. in Hygin. Thes. Antiq. Roman. Grav. Tom.* X. *pag.* 1096. *D. Salmas. in Treb. Poll. Claud. c.* 14. *Bochart. Hieroz.* I. 2. 2. *Hugo de Milit. equest.* I. 5. In nummo Trajani spectatur puer ducens fune *camelum*, cui adstat figura stolata, dextra lauream tenens, sinistra scipionem militarem. *Camelus* Arabiam, quam adquisivit Trajanus, denotat, utpote provinciam animalium illorum feracissimam; figura quæ adstat Imperatorem, sinistra scipionem, hoc est, imperatorium baculum, dextra lauream, victoriæ scilicet signum ferens. *Ursat. de Not. Roman. Thes. Antiq. Roman. Grav. Tom.* XI. *p.* 556. *F.* Illorum calcanea cupediariis fuerunt expetita. V. supr. in *Calcaneum*.

CAMERÆ Latinis, καμάραι Græcis, erant armata tecta, & in morem rotarum rotundata. Inde *rotatio camerarum* apud Caſſiodorum, ἡ τροχάλισις τῶν καμαρῶν. *Salmaſ. in Spart. Adrian. c.* 10. Frequenter opere muſivario ornabantur. Hinc paſſim apud Anaſtaſium Bibliothecarium leges *cameras* templorum, porticuum, baſilicarum, oratoriorum, & tricliniorum muſivo opere decoratas & depictas. *Salmaſ. in Spart. Peſcenn. Nigr. c.* 6. Differunt a laquearibus; nam ſunt curva tecta, de quarum diſpoſitionibus Vitruv. VII. 3. nam & truliſſabantur, & inducebantur tectorio. Laquearia autem, vel laqueata tecta erant, quæ nunc lambriſſata vocamus; ex tabulis enim ligneis fiebant, in varias figuras & mæandros ſectis, & cælatis, quæ tabulæ etiam plerumque verſatiles erant, ita ut flores & unguenta deſuper ſpargerentur. Suet. Ner. c. 31. n. 8. Id vero in *camera* qui fieri potuiſſet. Aliter igitur *camerantur* cœnationes, aliter laqueantur. *Camerarum* uſum veteres ignoraviſſe notat alicubi Servius. Laquearium igitur tantum norant: eaque ratione vela ſubtendebant laquearibus ad excipiendum pulverem, qui per rimas tabularum multus conſueverat manare, quibus non opus erat in *cameris*, quæ pulverem nec admittebant, nec tranſmittebant. Nam tectorio opere inductæ rimis non dehiſcunt, quibus pulvis concipitur & effluit. quod neceſſario evenit in laqueatis tectis, quibus tabula tabulæ jungitur, & ſic inter ſe laqueatur, ut tamen per commiſſuras facile viam inveniat pulvis. *Salmaſ. in Vopiſc. Aurelian. c.* 46. Vitro *cameras* ornare etiam moris fuit. Quod proxime ætatem ſuam, quum Scaurus in ludis ſuis parietes ſcenæ vitro inductos oſtendiſſet, incepiſſe fieri narrat Plin. XXXVI. 25. *Pulſa deinde ex humo pavimenta in cameras tranſiere e vitro: novitium & hoc inventum. Agrippa certe in thermis non dubie vitreas facturus cameras, ſi prius inventum id fuiſſet, aut a parietibus ſcenæ Scauri perveniſſet in cameras.* Stat. Sylv. I. 3. 53.

Calcabam nec opinus opes; nam ſplendor ab alto
Defluus, & nitidum referentes aera teſtæ
Monſtravere ſolum.

In his verſibus *teſtæ nitidum aera referentes* ſunt vitreæ teſtæ ἀερίζουσαι & διαφανεῖς. Neſciebam, inquit, opes me calcare & pavimentum dives. Nam ſplendor ab alto delapſus, & vitrearum teſtarum perſpicuitas mihi ſolum oſtendit, quod in *camera* vitro operta, velut in ſpeculo, conſpiciebatur. *Salmaſ. Exercit. Plinian. p.* 854. *b. G. Donat. de Urb. Rom.* I. 27.

Cameræ erant etiam naviculæ tenues, anguſtæ & leves & rotundæ piraticæ, viros viginti quinque, raro triginta recipientes. Euſtath. ad Dionyſ. n. 700. Etiam Germani tectas ejuſmodi naves *cameras* vocarunt a **kammer**, quod ipſis adhuc hodie aliquod tabulis clauſum ſignificat. V. Tacit. Hiſt. III. 47. 5. *Scheffer. Add. Mil. Nav. p.* 325. *Gyrald. de Navig. c.* 18. *Lipſ. in Tacit. Hiſt.* III. *n.* 56. *Oiſel. in Gell.* X. 25. *Alex. Gen. Dier.* IV. 2.

CAMERIA eſt urbs Latii. Plin. III. 5. Illam Albani multo ante quam Romam condiderant: temporibus autem priſcis Aboriginum fuit domicilium cum primis nobile. Romulus fecit Romanorum coloniam. Dionyſ. Halic. II. p. 114. *Sigon. de Ant. Jur. Ital.* II. 5. *Panvin. Imp. Roman. c.* 11. *Cluver. Ital. Ant.* II. 9. §. 9.

CAMERINUS cognomen eſt Sulpiciorum tractum a loco, unde Romam commigraverant. *Sigon. de Nomin. Roman. c.* 5.

CAMERLENGHI vulgo appellantur quæſtores, qui, ut tributa exigant, a Principe ubique conſtituuntur. *Panciroll. de Magiſtr. Municip. c.* 10.

CAMESENE regio, oppidum Janiculum vocitabatur, quia Janus Italiam cum *Cameſe* æque indigena participata potentia poſſidebant. Macrob. Saturn. I. 7. *Panvin. Deſcr. Urb. Rom. Theſ. Antiq. Roman. Græv. Tom.* III. *p.* 279. *A. Marlian. Topogr. Urb. Rom.* V. 20. *Lipen. de Siren. c.* 4. §. 19.

CAMILLA tribus. V. illam infr. in *Tribus.*

CAMILLUS idem qui *Caſmilla*, de quo mox Varro de Ling. Lat. VI. 3. Eliſa enim litera S inde *Camillus* appellatus. Quod colligitur de *Camilla* apud Virg. Æneid. XI. 542.

—— matriſque vocavit
Nomine Caſmillæ, mutata parte, Camillam.

Urſat. de Not. Roman. Theſ. Antiq. Roman. Græv. Tom. XI. pag. 584. C. Argol. in Panvin. de Lud. Circ. II. 2. Aleand. Tabul. Heliac. Explic. Theſ. Græv. Tom. V. pag. 670. C. Voſſ. de Idolol. II. 57. Bochart. Hieroz. I. 2. 36. Puer impubes, qui utenſilia mulieris, & quæ in uſu ac miniſterio ejus erant, in vaſe operto geſtabat, *Camillus*; vas ipſum, cumerum proprio nomine vocabatur. Varro: *Igitur dicitur in nuptiis Camillus, qui cumerum fert, in quo, quod ſit in miniſterio, plerique extrinſecus nectunt. Hinc Caſmillus nominatur in Samothracis myſteriis Dius quidam, adminiſter Diis magnis. Verbum Græcum arbitror, quod apud Callimachum in poematis ejus inveni.* Verba hæc apud Feſtum non modo ſunt depravata, ſed & confuſa & permixta: *Cumerum vocabant antiqui vas quoddam, quod opertum in nuptiis ferebant, in quo erant nubentis utenſilia, quod & camillum dicebant, eo quod ſacrorum miniſtrum κάμιλλον appellabant.* Rectius alia parte cumerum vas eſſe dicitur nuptiale, a ſimilitudine camerarum, quæ fiunt palmeæ vel ſparteæ ad uſum popularem, ſic appellatum. Quod ad *Camilli* vocem attinet, ab eodem Feſto traditur. *Flaminium camillum puerum dictum ingenuum, patrimum & matrimum, qui Flamini Diali ad ſacrificia præminiſtrabat: camilloſque ab antiquis miniſtros, ſecundum nonnullorum ſententiam, omnes pueros appellatos, ſicut habetur in antiquo carmine, cum pater filio de agricultura præciperet:*

Hiberno pulvere, verno luto, grandia farra, camille, metes.

Serv. Æneid. XI. 542. *Camilla, quaſi miniſtra dicta eſt. Miniſtros enim & miniſtras impuberes camillos & camillas in ſacris vocabant. Unde & Mercurius Hetruſca lingua Camillus dicitur, quaſi miniſter Deorum.* Talia etiam Macrob. Sat. III. 8. Dionyſ. Halic. II. p. 93. Plutarch. in Numa p. 64. C. *Briſſon. de Rit. Nupt. Theſ. Antiq. Roman. Græv. Tom.* VIII. *p.* 1038. *F. Alex. Gen. Dier.* IV. 17. *& ad illum Tiraquellus. Guther. de vet. jur. Pont.* II. 13. *La Chauſſe de Deor. Simulacr. Tab.* 37. *Gyrald. Synt. Deor.* IX. *p.* 305. *G. Stuck. de Sacrif. pag.* 109. *Laurenb. Antiquar. p.* 64. *Laurent. Polym.* III. 1. *Kircher. Lat. Vet. & Nov.* I. 2. 3. *Saubert. de Sacrif. c.* 6. *Caſal. de Prof. Roman. Rit. c.* 15. *de Urb. ac Imper. Roman. ſplend. part.* 3. *c.* 1. *Voſſ. Lex. Etymol. de Idolol.* II. 57. *Turneb. Adv.* XXIII. 16. *Toll. de Siſtris Theſ. Antiq. Roman. Græv. Tom.* VI. *p.* 416. *F. Argol. in Panvin. de Lud. Circ.* II. 2. *Le Moyne de Melanoph. apud Cuper. Harpocr. pag.* 266. *Ravard. Conject.* III. 11. *Rhodig. Ant. Lect.* XXIV. 6. *Malvaſ. Marm. Felſin. Sect.* V. *c.* 13.

Camillus cognomen fuit Furiorum. *Sigon. de Nomin. Roman. c.* 5. Illorum primus ille princeps Romanæ Reipublicæ *alter Romulus* dictus, cujus parentes ignoramus, M. Furius *Camillus*. Quinquies Dictator, ſexies Tribunus militum fuit, quater triumphum duxit, ſemel Cenſor, ter Interrex factus eſt. Nunquam Conſul fuit, & exſilium paſſus eſt. Primus ei magiſtratus Cenſura fuit, quam cum M. Poſtumio Albino Regillenſi egit anno ab U. C. 357. Triumphum de Vejentibus egit quadrigis albis, biennio poſt Tribunus militum fuit, & anno 361. Interrex II. Poſtea in exſilium ob invidiam miſſus capta a Gallis Senonibus Urbe anno ab U. C. 363. reſtitutus, & abſens Dictator II. factus Gallos vicit, & de eis triumphavit. Anno proximo Dictator III. fuit rei gerundæ cauſa. III. triumphum egit de Volſceis, Æqueis, Etruſceiſque, eodem anno Interrex III. fuit. Quartum Tribunatum egit anno 367. quintum poſt biennium, ſextum anno tertio poſt quintum. Dictator IV. fuit a. 385. ſed abdicavit. Anno proximo Dictator V. triumphum quartum egit de Galleis Senonibus. Primus Prætor urbanus fuit Sp. *Camillus* M. F. II. L. *Camillus* M. F. bis Dictator, ſemel Conſul fuit. Priorem Dictatu-

ram egit a. 403. comitiorum habendorum causa, & eisdem comitiis Consul designatus est cum Appio Claudio Crassino Regillensi. Iterum Dictator quarto anno post Consulatum rei gerundæ causa. III. *Camillus* L. Furius Sp. F. M. N. Consul fuit a. 415. cum Cn. Mainio. Triumphum egit de Pedaneis & Titurtibus IV. Kal. Octob. Iterum Consul a 428. cum D. Junio Bruto Scæva. IV. Longo intervallo M. Furius P. F. P. N. Consul fuit cum Sext. Nonio Quintiliano a. 760. sub Augusto. Sed & sub Tiberio M. Furius M. F. P. N. *Camillus* Scribonianus Consul fuit suffectus ex Kal. Jul. a 700. *Augustin. de Famil. Rom. in Furia. Kircher. Lat. Vet. & Nov.* I. 2. 3. *Panvin. Fast.* I. *p.* 101.

CAMINUS, κάμινος, *est fornax.* Isidor. XIX. 6. Virg. Æneid. III. 580.

> —— *ruptis flammam exspirare caminis.*

Ubi Servius: *Caminis, id est, fornacibus. Græce dixit, ἀπὸ τῆς καίειν.* Juven. Sat. XIV. 117.

> *Sed crescunt quocunque modo, majoraque fiunt*
> *Incude assidua, semperque ardente camino.*

Non aliter Cicer. Fam. VII. 10. *Camino luculento utendum censeo*, quia in frigida Gallia erat Trebatius. Et ita in glossis priscis: Κάμινος, *caminus, furnus, furnax.* Lips. Epist. ad Belg. III. 75. Voss. Lex. Etymol. Grapald. de Part. dom. c. 4. n. 4. Ferrar. Elect. I. 9. Manut. in Ciceronem.

Caminus pro foco etiam, sive igni, vel hypocausto accipitur, ad se calefaciendum, & cibos coquendos. Horat. Sat. I. 5. 79.

> —— *nisi nos vicina Trivici*
> *Villa recepisset, lacrymoso non sine fumo,*
> *Udos cum foliis ramos urente camino.*

Epist. I. 11. 19.

> *Per brumam Tiberis, Sextili mense caminus.*

Ferrar. Elect. I. 9. Voss. Lex. Etymol. Manut. in Cicer. Fam. VII. 10.

Caminus est nobis hodie gula, quæ fumum extra tectum emittit. *Voss. Lex. Etymol.* sive structura extra parietem porrecta, vel in ipso pariete producta, quæ fumum excipit, & acceptum emittit per spiramenta, quæ supra tegulas elata meridiem versus & septentrionem relinquenda sunt: ita fumus facilius erumpens loca non denigrabit. *Grapald. de Part. dom. c. 4. n. 4.* Sine tali *camino*, fumique emissario foci apud majores fuerunt, aut mobiles ex ære, ferro, testave, super quos cameram atramento illinebant, ut atrum id pictura inductum pro fumo videretur. *Brod. in Anthol.* III. 24. 17. Antiquorum *caminus* loco, & forma differebat a nostro. Non enim in excavato pariete, quo simul cum fumo ignis excipitur, sed, ut monere videntur exempla, in medio cubiculo hiberno fieri solebat. Propterea dixit Cato de Re rust. c. 18. *Focum purum circumversum, prius quam cubitum eat, habeat.* Quomodo enim *circumverti*, sive in orbem ambiri, focus posset, si fuisset more nostro in excavato pariete? Nostri a lateribus *vertuntur*, a tergo nec possunt, nec opus est. Et cum ait Colum. XI. 1. *Consuescat rusticus circa larem domini, focumque familiarem semper epulari:* quid aliud significat, nisi larem, & focum, circa quem epularetur familia rustica, medium in conclavi locum tenuisse. Ad formam quod attinet. Exitum ignis *caminus* antiquus non habebat: itaque molestia fumi vacare non poterant, nisi vel ligna urerent, quod Cato docuit, amurca illita, vel apertis fenestris uterentur: quorum alterum impensæ non minimæ: alterum, qui ferri posset, cum per fenestras, hyeme præsertim, frigori & ventis aditus pateret, non intelligo. *Manut. in Cicer. ad Fam.* VII. 10. *Bacc. de Therm. vet. c.* 17. *Mazzon. in Dantem* I. 41. *Lambin. in Horat. Epist.* I. 11. 19. *Voss. & Grapald. l. l.* Inventum hoc haud nimis priscum, etsi bonum, & commodum. Nam si antea Romæ, imo in provinciis: cedo, ubi in tot ædificiorum ruinis, aut parietinis eorum vestigium? ubi in Vitruvii, aut veterum scriptis memoria? Utebantur igitur fornacula, aut foculo in cubiculum, aut triclinium illata, in qua carbones igniti essent. Ea ex ære, ferro, testa erant pro copia, aut arbitrio cujusque. Suet. Tib. c. 74. n. 3. *Cinis e favilla, & carbonibus ad calefaciendum triclinium illatis, exstinctus exarsit repente.* Alexandri Magni dictum pro hoc more. Plutarch. Apophth. p. 180. E. *Hyeme, & frigore,* inquit Plutarchus, *cum quidam amicorum epulo eum exciperet, atque is parvum foculum, & modicum ignem intulisset, aut ligna aut thus jussit inferre.* Significans, & ludens, talem ignem cum sua acerra magis supplicationi, quam calfactioni convenire. Etiam Anacharsidis apud Plutarch. Quæst. conviv. VI. 7. *Sapiens Anacharsis, cum multa Græcorum carperet, laudabat carbonarium ignem, quod fumum foris relinquentes, ipsum purum in domum inferrent.* Itaque accendebant foris, accensum importabant. Ac postea, ab exemplo balneorum fortasse, repertus modus alius: atque is fuit, ut fornace, sive *camino*, sub ipso cubiculo, aut cœnatione structo, per tubos, & canales; qui parietibus in orbem inhærebant, calorem ab igne mitterent in dicta membra. Videmus passim hos tubos ex imbrice, aut tegula structos, non in Italia tantum, sed provinciis: & ipso armamentario ad Rheni ostium in Batavis, scio me notasse. De his Senec. de Provid. c. 4. *Quem specularia semper a flatu vindicarunt, cujus cœnationes subditus, & parietibus circumfusus calor temperavit.* Ait, *subditum:* ergo in loco inferiore, & sub ipso pavimento: *circumfusum parietibus*, nempe per impressos illos tubos. Rem non veterem plane ipse ostendit Epist. 90. *Quædam nostra demum memoria prodisse scimus, ut speculariorum usum, & impressos parietibus tubos, per quos circumfunderetur calor, qui ima simul, & summa foveret æqualiter.* Dicit, sua memoria prodisse, id est, sub ævum Augusti, aut circa. Et vero ante specularia recepta nec isti commode induci potuerunt, quia fenestris apertis calor exspirasset. *Lips. Epist. ad Belg.* III. 75. Plane mirum, ac perdifficile intellectu, in quo Brodæus, & Manutius consentiunt, hujusmodi *caminum*, sive portatilem, sive immobilem, & conclavi inædificatum non habuisse exitum, unde fumus evaporare posset. Necesse enim fuisset, eos fumo præfocari, qui in eo cubiculo essent. Duplici ratione his occurrit Manutius, sed dubie, & hæsitanter. Sed primum fuisse magnæ impensæ fatetur, alterum vix credibile, sæviente hyeme apertis fenestris vixisse, frigida tempestate cuncta pervadente. Huc accedit, quod illa conclavia alta fumi caligine obsita fuisse necesse est, etiam cum per fenestras emitteretur. De more ligna ungendi, & exsiccandi Plin. XV. 8. *Ligna macerata amurca nullius fumi tædio ardere.* Quæ diligentia licet adhiberetur, cavere tamen non poterat, quin aliqua fumi molestia afficerentur. Conclavia fumi, & fuliginis injuria minime vacasse ostendit Vitruv. VII. 3. *Coronarum aliæ sunt puræ, aliæ cælatæ. Conclavibus, ubi ignis, & plurima lumina sunt ponenda, puræ fieri debent, ut eæ facilius extergantur. In æstivis, & exedris, ubi nullus ignis usus, ubi minime fumus est, nec fuligo potest nocere, ibi calatæ sunt faciendæ.* c. 4. *Tricliniis hibernis non est utilis illa compositio, nec megalographia, nec camerarum coronario opere similis ornatus, quod ea, & ab ignis fumo, & ab luminum crebris fuliginibus corrumpantur.* Daniel Barbarus huic opinioni refragatur. Nam commentario in Vitruvium, auctoritate architecti, qui Urbini regiam construxit, tradit, veteribus *caminorum* usum cognitum fuisse, ita tamen, ut nonnisi in summa parte ædium iis uterentur, rotundumque foramen in tecto haberent, unde fumus egrederetur. Subjicit ideo nunc in antiquis ruderibus nulla eorum vestigia apparere, quod in ea parte ædium statuerentur, quæ ruinæ proxima est, primoque corruit. Sed obstat, quod vidit etiam Mazzonius: scilicet hanc fuisse conditionem Romæ, ut in iis, quæ duas tres contignationes habent, domini ædium inferiorem ferme partem habitarent, superiorem locarent inquilinis, quæque cœnacula dicebantur. V. illa infr. in *Cœnacula.* Si itaque *caminus* tantum in summitate ædium statuebatur, illos qui inferiorem partem incolebant, fumi exitu caruisse necesse erat. Barbari igitur sententiam confirmabunt. Primum illud, quod supra attigimus, si his

fum

fumi conceptaculis caruissent, futurum erat, ut homines, aut apertis fenestris, etiam stridente aquilone, vivere cogerentur, aut fumo præfocari, vel saltem rebus lætis lacrymare. Neque attinet dicere, alioquin Romæ apertis fenestris vivere consuevisse, tum quod hyemes mites admodum sint, tum quia specularia tantum Senecæ ævo inducta fuerint, & cum nondum vitreæ fenestræ cognitæ essent, inde sequi perpetuo fenestras patuisse, aut iis obseratis diem exclusum. Cur enim alia materia pellucente muniri non potuerunt? Certe velorum mentio apud Ictos occurrit, non in alium usum: item potuere ex carbaso tenuissima plagulæ confici, aut ex Ægyptia papyro, & similibus, ut hodie ex tela, & charta, atque ita innoxia lux admitti. Sed demus, ajunt, pellucidum aliquod munimentum fenestris obtentum fuerit, non tamen fumi tædio vexati homines fuissent, cum ligna acapna urerentur. Quorum usus supervacuus fuisset, si fumo exitus patuisset. Verum ista non minimi pretii fuisse videntur, & tantum ad focalia, & escharas adhibita, quæ cubiculis inferebantur. Quis autem credat, iis culinæ focum instructum, maxime a pauperibus? Etsi Mart. XIII. 15. indicare videtur non magnum eorum pretium fuisse, cum monet rusticum, ut ad villam ligna acapna ferat, quod in agro Nomentano propter uliginem, & paludes humida ligna essent: quod indicat arido solo id non esse factum. Secundum testimonia scriptorum, quæ docent, nequaquam veteres fumi spiramentis caruisse. Virg. Eclog. I. 83.

Et jam summa procul villarum culmina fumant.

Ubi Servius: *Ad vesperam*, inquit, *coquenda cœna.* Nam Brodæus, & Mazzonius plane argutantur, cum ajunt, duplicem sensum habere: sive, quod fumus tectorum culmine exsiliat, & hoc esse falsum: sive ob noctis imminentis vicinitatem videri villarum tecta, & fastigia fumo operta esse, & hanc esse veram interpretationem. Quæ sunt inepta. Nunquid enim rustici cœnam non coquebant? aut acapnis utebantur? Quid cum apud Homerum Ulysses in ædibus Calypso cupit videre fumum exsilientem e patria terra, de tenebris noctis instantis intelligemus, & ubi ignis fuerit, fumum evanuisse? Plaut. Aul. II. 4. 20.

Quin divum, atque hominum clamat continuo fidem,
Suam rem periisse, seque eradicarier;
De suo tigillo fumus si qua exit foras.

Nihil ad rem faciunt variæ lectiones *tigillo*, *tigillo*, *licnillo*. Nam quodcunque admittatur, fumus exit foras. Apud Athen. VI. p. 236. B. leguntur Diphili tragœdi carmina, quibus parasitus a divite vocatus ad cœnam ait se intentis oculis respicere fumum culinæ. Quod si ille impetu quodam directo latus, fusfusque sit, lætari se, ac præ gaudio exsultare: contra autem, si obliquus, & tenuis, illico cognoscere cœnam, quod ei vehementer doleat, sanguinem non habiturum. Senec. Epist. 64. *Intervenerunt quidam amici, propter quos major fumus fieret, non hic, qui erumpere ex lautiorum culinis, terrere vigiles solet, sed hic modicus, qui hospites venisse significet.* Quo modo fumus vigiles, qui incendiorum metu noctu Urbem circuibant, terrere poterat, nisi tectis erumpens, & magnitudine sua magnum ignem indicans? unde metus, ne proxima incendio corriperentur. Appian. de Bell. civ. IV. p. 596. ubi immanissimam triumvirorum proscriptionem recenset, narrat, proscriptos, ut milites cuncta scrutantes laterent, & percussores effugerent, partim in puteos descendisse, alios in cloacas, quosdam in fumaria, vel summas tegulas refugisse. Quid hic fumaria sunt? εἰς καπνώδεις ὑπωροφίας, in fumario sub tecto, qua scilicet fumus e tecto evolvitur. Herod. VIII. p. 578. D. narrat tres fratres, quorum natu minimus erat Perdicca, ex Argo in Illyrios profugisse, & inde transgressos superiorem Macedoniam, pervenisse ad urbem Lebæam, & ibi, se ad mercenariam operam locasse, ut armenta pascerent. Fuisse autem tunc Regibus, sicut & populo, non magnas opes. Ita ipsam Regis uxorem farinam subigere solitam, & panes conficere. Sed dum coquebatur panis, pars Perdiccæ pueri in duplam molem excrescebat. Id cum Regina nuntiasset marito, ingressus ille culinam, ut hoc prodigium spectaret, ubi rem oculis hausit, arcessitis operariis, uti e domo sua discederent, imperavit. Illis dicentibus discessuros, ubi mercedem accepissent: tunc Rex, sole per fumarium, καπνοδόχην, domum ingrediente, dixit: at ego hanc mercedem vobis dignam rependo, ostendens solem. Ac ne quis dicat, fuisse foramen in tecto, per quod sol ingrederetur, conceptaculum non potuit esse aliud, quam tubus, aut gula conceptum fumum emittens. Potuit autem c[illegible] breve, [illegible] latum, ut per illud sol ingrediens pavimentum illustraret. Nam sequitur apud Herod. p. 579. C. Perdiccam gladio solem in pavimento circumscripsisse, ac velut sublatum intra sinum condidisse. Certe per tubos longissimos, & in celsarum ædium fastigio collocatos sol usque ad pavimentum pervenire non potuisset: atque ita unius modo contignationis culina latum, & rectum conceptaculum habuit, ut sol radios in pavimentum diffundere potuerit. Clarius Aristoph. Vesp. I. 2. 8. inducit senem Phylocleonem a filio domi conclusum, conari per *caminum*, sive fumi tubum, & gulam effugere:

Τί ποτε ἡ κάπνη ψοφεῖ:

Quid instrepit fumarium?

Vetus interpres: καπνοδόχη, *fumi receptaculum, instar tubi, vel canalis, super culinam, per quem fumus evadebat*, & per quem senex evadere conabatur. Unde Florens Christianus existimat κάμινον dictum, quasi κάπνινον, id est, fumarium. Ex his liquet, duplex *caminorum* genus fuisse apud veteres: alterum portatilem, id est, escharam, sive focale: alterum cubiculis inædificatum, & vel in medio, vel ad parietem adstructum: hunc autem, & tubum, sive canalem, & exitum habuisse, emittendo fumo. Non enim omnes portatiles fuisse, ut credit Brodæus, illud indicat, quod apud Plaut. Aul. prol. n. 7. senex ille avarus ollam auro plenam sub ipso foco condidit: quod fieri non potuisset, si *caminus* ille mobilis, ac portatilis, sive simplex focale fuisset. Et his quidem escharis, sive foculis illatis cubicula calefacta esse per ligna acapna, sive coctilia, depellendo fumi tædio, ut hodie hujusmodi foculi cum carbonibus inferuntur in eundem usum. Successu temporis calorem, sublato foculo inductum, per occultos illos tubos parietibus insertos, ut docuit Lipsius, quorum Icti meminerunt de servitute urbani prædii: *Non licet autem habere tubulos admotos ad parietem communem, quod per eos paries flamma torretur.* Inventis tubis inventa specularia, quibus excludebatur frigus admisso die, alioquin calor per fenestras exspirasset. V. infr. in *Specularia*. Ferrar. Elect. I. 9.

CAMISIA, sive *Camisium* est linea tunica talaris, quæ prima vestium sacerdotalium, præter amictum lineum superiorem, quo in sacra psalmodia sacerdotes, atque ipsis sacris ministri utuntur, induitur. Ex quo comprobatur, sacerdotes olim in sacris communi, & promiscuo habitu usos. Communis vestitus antiquorum tunica linea interior, altera superior lanea interdum serica, tum toga, vel in ejus locum byrrhus, sive lacerna. V. singula suis locis. Et licet illud discrimen esse videatur, quod olim saltem duabus tunicis communiter utebantur, nostri autem sacerdotes in una tantum linea faciunt; id tamen inde ortum, quod honori Episcoporum datum est, ut soli duas tunicas in sacris gestent, quemadmodum in veteri instrumento Pontifex, præter tunicam lineam, etiam hyacinthinam induebatur, reliqui sacrifici minores linea tantum amiciebantur. Sic & nostri ritibus Episcopi, præter *camisiam* talarem, tunicam superiorem induunt, quæ primo de more κολοβὸς erat, id est, sine manicis, mox in Dalmaticam conversa est. Ποδήρης, quod talaris esset, dicebatur, & alba a colore. Hesychius: Ποδήρης τὸ μέχρι τῶν ποδῶν ἱμάτιον. Hieronymus ad Fabiolam tradit *fuisse strictam, & corpori adhærentem, eamque similem militum camisiis, quæ sic aptæ membris, & adstrictæ corpori, ut nihil militares exercitationes impedirent.*

Ferrar. de Re Veſt. I. 3. 5. Du Freſne in Gloſſario. Braun. de Veſt. Sacerd. Hebr. I. 10. 5. Pier. Hierogl. XL. 20. Schill. Nomencl. Philol. p. 926.

CAMPAGUS eſt genus calciamenti barbarici. *Rhodig. Ant. Lect.* XVIII. 21. *Caſaub. ad Treb. Poll. Gallien.* c. 16. Militare Ducum atque Imperatorum, poſtea ab iiſdem etiam in pace uſurpatum; & ideo Capitolinus vocat regium. *Ferrar. Anal. de Re Veſt.* c. 37. *Byn. de Calc. Hebr.* I. 6. §. 8. Ocrea nimirum ex ære vel ferro ad obtegendas tibias accommodata. Nam ſi ex alia materia corruptibili, panno vel corio exſtitiſſet, utique non diu aſſervata fuiſſet in luco, qui eſt inter Aquilejam & Arziam. *Donat. ad Capitol. Maxim. jun. p.* 917. Fuit potius de genere ſolearum, ſive crepidarum, id eſt, quæ imam tantum pedis calcem tegerent, ſuperiore nuda, & ideo a calceo cavo urbano diſtinctæ. *Ferrar. & Byn. l. l.* Fuit caliga ex rubricatis pellibus purpurea ſub poſterioribus Imperatoribus. *Pub. Subciſ.* I. 16. Non enim *campagi* multum diverſi fuerunt a caligis. Capitolinus *campagum* & caligam confudit ſupr. in *Caliga Maximini.* Non tamen omnino ſimiles inter ſe fuerunt. Diſtinguit enim Trebellius in Gallien. l. l. *Caligas gemmatas annexuit, cum campagos reticulos appellaret.* Ruben. de Re Veſt. II. 5. Hæc fuit differentia, quod caliga non ultra pedem, *campagus* ad medium uſque crus habenas & retinacula extenderet: & ideo a loris illis, ſive corrigiis, per crus decuſſatim implexis, & ſe reticulato opere interſecantibus reticulos Gallienus appellabat. Nec aliter intelligi poteſt Trebellius, niſi quod, cum cæteri Imperatores *campagos* geſtarent, ad medium crus reticulatos, Gallienus caligas induit, ſed ut a gregario calceamento diſtinguerentur, eas gemmis annexuit, id eſt, ejus habenas, & vincula gemmata, vel gemmea habuit. *Ferrar. l. l. Balduin. de Calc. Ant. c.* 18. Imperatorum etiam *campagi* a caligis colore puniceo, ſive purpureo, ſaltem inferiori ævo, diverſi fuerunt. V. Corrippum infr. in *Mulleus.* Ferrar. l. l. An idem fuerit qui mulleus. V. infr. in *Mulleus.*

CAMPANA tribus. V. illam infr. in *Tribus.*

CAMPANÆ ſunt tintinnabula inſtar ſcyphorum oblongorum, inferius apertorum, in quorum medio pendet malleolus, linguæ inſtar, cujus motu, quando tintinnabulo illiditur, fit tinnitus. *Braun. de Veſt. Sacerd. Hebr.* II. 5. §. 22. Paullinus Epiſcopus Nolanus, qui juxta Trithemium circa annum Chriſti 420. floruit, primus in ſuam Eccleſiam *campanæ* uſum invexiſſe proditur, quaſi priori ſæculo ignotus fuerit ejus uſus. Id quod ſecus habet: verum ſanctiſſimus vir abuſum gentilium ſacrorum correxit, & ad pia munia tranſtulit, ut nimirum ejus ſtrepitu exciri poſſent ſemotius habitantes ad conciones precationesque. Olim ſi quis ex vita exceſſiſſet, æra *campanæ*ve pulſabantur, ut pervetus Theocriti Scholiaſtes annotat, qui mos in hunc uſque diem perdurat, quod is ſonus credebatur avertere ſpectra, & dæmonum ludibria. Illarum etiam complosu aerem longe lateque diverberante vis tonitrui infringitur. Lacones etiam Rege defuncto lebetes vice *campanarum* ſolebant complodere. *Campanæ* ſonitu Romæ populus in thermis ſtatis horis vel advocari, vel dimitti ſolebat. Mart. XIV. 163.

Redde pilam, ſonat æs thermarum.

Græci in piſcatorio foro ſub cœnam pulſabant nolam. Plutarch. Sympoſ. IV. *Junius Anim.* III. 11. *Du Freſne in Gloſſario. Hoſpin. de Orig. Templ.* II. 26. *Claſen. Theol. gent.* I. 10. §. 26. *Voſſ. Lex. Etymol. Mag. Miſc.* IV. 14. *de Tintinn. c.* 10. & ad illum *Sweertius.*

CAMPANIA eſt Latio adjuncta. *Campaniam* a Liri amne ad Vulturnum, a Vulturno ad Sarnum, inde ad Silarim antiqui produxerunt. Quare tres *Campaniæ* partes ſunt inſtitutæ: una, quam Auſones, Aurunci, Sidicini, & Capuani tenuerunt: altera, quam Cumani & Opici: tertia, quam Nucerini. Eſt veterum omnium literis adeo celebrata, ut eorum conſenſu victus Florus eam omnium non modo Italiæ, ſed toto orbe terrarum pulcerrimam plagam appellet I. 16. 3. *Nihil mollius cælo: inquit, nam bis floribus vernat. Nihil uberius ſolo: ideo Liberi Cererisque certamen dicitur. Nihil hoſpitalius mari: hic illi nobiles portus, Cajeta, Miſenus & tepentes fontibus Bajæ: Lucrinus & Avernus, Hic amicti vitibus montes Gaurus, Falernus, Maſſicus, & pulcerrimus omnium Veſuvius. Ad mare urbes, Formiæ, Cumæ, Puteoli, Neapolis, Herculaneum, Pompeji, & ipſa caput urbium Capua, quondam inter tres maximas, Romam, Carthaginemque numerata.* Sigon. de Ant. Jur. Ital. I. 10. Nunc *Terra laboris* dicitur a campis Laborinis, vel quod ille ager ob fertilitatem ſit elaborandus. Cicer. Agrar. II. 35. *Campani ſemper ſuperbi bonitate agrorum, & magnitudine fructuum, ſalubritate aeris, & pulcritudine regionis.* Eam cunctis terris Dionyſ. Halic. I. p. 29. Plinius cum Livio, Polyb. III. 5. Virgiliusque præferunt, quod vini, frumenti, oleique copia cæteris antecellat. Unde *Felix* eſt cognominata. Itaque aſſignata cuique oppido certa frumenti quantitate pro alimentis reliquum Romanis horreis inferebatur. Symm. Epiſt. I. 39. *Puteolanis*, ait, *municipibus D. Conſtantinus* CL M. *modiorum in alimentum civitatis indulſit, quæ ſumma a D. Conſtantio regente Rempublicam media parte mutilata eſt: poſt quem Conſtantius annonam Puteolani populi* XXV. M. *modiorum adjectione cumulavit, atque ita factum eſt, ut C. M. modiorum ejuſdem populi victus acciperet.* Pancirol. Notit. Dign. Imp. Occid. c. 49. Ideo quoque veteribus *Felix* eſt dicta, quod calidos frigidosque fontes habeat ad valetudinem magnopere opportunos. *Butius de Potu Antiq. c.* 2. Anno ab U. C. 411. M. Valerio Corvo III. & A. Cornelio Coſſo conſulibus, quum *Campani* bello a Samnitibus urgerentur, auxilio adverſus eos a ſenatu petito, quum id non impetrarent, urbem atque agros populo Romano dediderunt. *Panvin. Imp. Roman. c.* 3. *Sigon. l. l.* V. plura infr. in *Latini.*

CAMPANISTICUM erat tributum, quod libripendi publico ſolvebatur: Καμπανὸς enim ſtatera. *Buleng. de Vectig. c.* 86.

CAMPESTRE eſt ſubſtantivum ex adjectivo factum; ſubaudiendo tegmen. *Eſt ſuccinctorium genitalium. Nam quidam interpretes ſuccinctoria poſuerunt Geneſ. c.* 3. *n.* 7. *ita ſuccinctos campeſtratos vulgus appellat.* Auguſtin. de Civ. Dei XIV. 17. Vocantur femoralia a doctis ſcriptoribus. *Vives ad illum. Rhodig. Ant. Lect.* XVIII. 21. Ab illis non parum videntur differre; nam etſi ſuccinctoria & *campeſtria* alias verenda & femina etiam velaverint, videtur tamen quod non quodlibet crus ſeparatim velaverint, ſed utrumque uno ambitu. Videntur itaque ejuſdem fuiſſe formæ, cujus ſunt velamenta illa, quibus aliquando piſtores incedere videmus in depſendis panibus ſiligineis; aut etiam balneatores; qui lintea quædam infra axillas conſtricta habent, quæ totum corpus inde fere ad genua operiunt. *Braun. de Veſt. Sacerd. Hebr.* II. I. 6. *Laz. Comm. Reip. Rom.* VIII. 12. Succingebatur ab umbilico, & ad pedes demittebatur, locoque tunicæ habebatur. Pro tunica habebatur æſtate. idcirco Horat. Epiſt. I. 11. 17.

—— facit quod
Pænula ſolſtitio, campeſtre nivalibus auris.

dixit: quod eo tegmine adverſus rigidam hyemem non ſatis defendi quis poſſet ſemicincto corpore. Aſcon. in Cicer. p. 178. *Cato prætor judicium, quia æſtate agebatur, ſine tunica exercuit, campeſtri ſub toga cinctus.* Turneb. Adv. XXVII. 22. Sigon. de Judic. III. 19. Voſſ. Lex. Etymol. in Campi.

CAMPICURSIO. V. illam infr. in *Decurſio.*

CAMPIDOCTOR in Gloſſario veteri eſt ὁπλοδιδακτής. *Doctores* pro *ductores* ἀρχαϊκῶς ſcriptum. Veget. I. 13. *Præterea illo exercitii genere, quod armaturam vocant, & a campidoctoribus traditur, imbuendus eſt tyro.* Ubi exemplar impreſſum *campiductoribus*, quod ſequor. *Stewech. ad Vegetium. Laz. Comm. Reip. Rom.* IV. 9. *Demſter. Paral. ad Roſin. Antiq. Roman.* V. 25. Falluntur doctiſſimi viri, qui a ducendo, non a docendo deducunt.

Exercitum quidem ducere & ductare dicebant. Sed aliud *ducis* officium, aliud *campidoctoris*. *Ducis* enim est & ducere & educere in campum exercitum: at *campidoctoris* docere quæ ad campum pertinent. *Campus* est locus in quo exercentur milites, sed & in quo prælium committitur. Græci qui tactica scripserunt, καμπιδέκτωρας dicunt, idque imposuit viris doctis, & persuasit, ut crederent ubique scribendum in Latinis auctoribus *campiductores*. In quo fefellit eos Græculorum in Latinis nominibus, sed & in suis enuntiandis consuetudo. Nam modo κλέβιον, modo κλώβιον dicunt: & κυδίαν pro κωδίαν, λωρίκιον pro λωράκιον, κυκκία pro κοκκία, κυνώπια pro κωνώπια: sic καμπιδύκτωρες illis sunt, qui Latini *campidoctores*. Qui etiam *armorum doctores* vocabantur. Glossarium vetus: *Armidoctor*, ὁπλοδιδάσκαλος. Veget. I. I. *Ita autem severe apud majores exercitu disciplina servata est, ut & doctores armorum duplicibus remunerarentur annonis.* Salmas. in Lampr. Alex. Sev. c. 53. Vales. in Ammian. XV. 3: XIX. 6. Voss. Lex. Etymol. Pigh. Annal. Rom. III. p. 152. Scalig. in Manil. p. 290. Cum enim quies erat a vero certamine & ab hoste etiam in stativis aut hybernis, milites non cessabant; sed, ut Veget. II. 23. *missilia vel plumbatas jugi perpetuoque exercitio dirigere cogebantur, usque adeo, ut tempore hyemis de tegulis, vel scindulis, quæ si deessent, certe de cannis, ulva, vel culmo, & porticus tegerentur ad equites, & quædam velut basilicæ ad pedites: in quibus tempestate, vel ventis aere turbato, sub tecto armis erudiebatur exercitus. Cæteris autem etiam hybernis diebus, si nives tantum pluviæve cessarent, exerceri cogebantur in campo: ne intermissa consuetudo & animos militum debilitaret & corpora.* Plin. Paneg. c. 14. n. 3. *Nisi cum die stativorum proximum campum alacritate, discursu, pulvere attolleres.* Inde *campestres exercitationes* apud Suet. Aug. c. 83. n. 1. Ner. c. 10. n. 8. *campestris meditatio* apud Plin. ibid. c. 13. n. 1. Certum hoc officium inferiore ævo: non certum veteri; sed tunc centurio aliquis, aut miles annorum armorumque vetus docebat. Plin. ibid. n. 5. *Postquam exercitationibus nostris non veteranorum aliquis, cui decus, muralis aut civica, sed Græculus magister assistit.* Lips. de Milit. Rom. V. 14. In his decursionibus & prolusionibus ante signa procedebat, & milites docebat, quo pede in hostem eundum esset, quo pede ab hoste recedendum, quomodo ordines servandi, & signa sequenda, & locus non deserendus, quomodo ad clypeum, ad hastam esset declinandum. *Salmas. de Re Milit. Roman. c. 6. & ad Lampridium.*

CAMPIGENI dicebantur campidoctores, quod *campum* quasi facerent & *gignerent*, dum militem imbuunt arte, quam in *campo*, id est, in acie, armati ostendere deberent. Veget. II. 7. *Campigeni, hoc est, antesignani; ideo sic nominati, quia eorum opera atque virtute exercitii genus crescit in campo. Genus exercitii*, quod per illos *crescere in campo* dicit, est armatura quæ tradebatur a campidoctoribus. *Campigenos* autem inter principia legionis enumerat; nam & *campidoctores* & principia simul ponit III. 8. *Singulæ centuriæ dividentibus campidoctoribus & principiis accipiunt pedaturas. Antesignanos* interpretatur eos, quia *campidoctores* & reliqua legionis principia ante signa pugnabant, & *antesignani* vocabantur. Veget. II. 15. *Ante signa, & circa signa, nec non etiam in prima acie dimicantes, principes vocantur, hoc est, ordinarii, cæterique principales.* Ammian. XIX. 6. *Horum campidoctoribus, ut fortium virorum antesignanis post civitatis excidium armatas statuas apud Edessam in regione celebri collocari jusserat Imperator.* Salmas. in Lampr. Alex. Sev. c. 53. & de Re Milit. Roman. c. 6.

CAMPTAULA est tibicen, qui flexibili tibiarum cantu utitur. Vopisc. Carin. c. 19. *Exhibuit centum camptaulas.* Rhodig. Ant. Lect. XII. 5. Rectius mea sententia, qui tibiis, seu fistulis obliquis, seu flexis concinunt, siquidem αὐλὸς Græcis, tibia vel fistula Latinis dicitur, καμπτὸς flexibile, in orbem scilicet, significat. *Donat. in Vopiscum.* Alii volunt esse tibicinem inflexæ modulationis artificem; nam κάμπτειν Hesychius interpretatur καμπὰς ἐν τῇ ᾠδῇ ποιεῖν. Ut enim assa vox in cantu, cum flectitur, varietatem facit modulationis. V. infr. in *Vox*: ita in tibiarum cantu spiritus artificis vertitur, ut varios edat sonos. Plaut. Merc. I. 2. 15.

Animam nequeo vertere, nimis nihili tibicen sum.

Anima, spiritus quo calamus inflatur. Tales igitur *camptaulæ* dicti. *Barthol. de Tib. vet. c. 6.* Non displicet eorum sententia, qui a tibiarum figura dictos existimant, *Casaub. in Vopiscum.* Neutrum verum. Tibicines quidem in tibiarum flatu soliti sunt spiritum inflectere, ut cantores vocem inter canendum: proprium hoc non fuerit unius generis tibicinum, sed omnium. Curvæ quoque tibiæ genus quoddam olim quidem notum fuit, & locum habuit in sacris Bacchi. Virg. Æneid. XI. 737.

Aut ubi curva choros indixit tibia Bacchi.

Ubi Servius: *Curva tibia symphoniacorum. Bacchi autem ideo, quia apud veteres ludi theatrales non erant, nisi in honorem Liberi patris.* Sed πλαγίαυλον Græci tibiam illam vocant, non κάμπταυλον. ut apud Servium sequitur. Nemo vero dixerit, κάμπταυλον esse πλαγίαυλον. Vera hujus loci lectio est *cerataulas*. Et hi sunt cornicines, recteque junguntur cum salpistis, id est, tubicinibus. *Salmas. in Vopiscum.* Vox ipsa minus usitata, a Græcis oriunda, imo vero plane Græca, ne a Græcis quidem ipsis agnoscitur. Mihi videtur falsa & irreptitia, & legendum *ascaulæ*, ut sint utricularii. *Turneb. Adv.* XI. 25.

CAMPUS est vox Siculis propria. Hesychius: Καμπὸς ἱππόδρομος Σικελοῖς. *Campi* fuerunt in Urbe planities vacuæ ab ædificiis, qui aut spectaculorum causa habebantur, certorumque conventuum, aut usibus civium necessariis addicti erant. *Fabric. Descr. Urb. Rom. c. 8.* Octo numero: Viminalis, Agrippæ, Martius, Codetanus, Octavius, Pecuarius, Lanatarius, Brytianus. Victor. *Nardin. Rom. Vet.* VIII. I. Absolute cum ponitur, semper de Martio *campo* accipi solet, in quo ara Martis fuit; qui quod in duos divideretur, majorem & minorem, plurali numero *campi* de hoc potius, quam de aliis accipiendi sunt. Livius XL. 45. V. supr. in *Ara Martis.* Festus in v. *Opima: Secunda spolia in Martis aram in Campo Solitaurilia utra voluerit, cædito.* Nardin. ibid. I. 9. Fabric. l. l.

Campus Agonius inter vallem Murtiam, & circum Flaminium, nomen vetus retinet: & in eo nunc commune forum rerum venalium. *Fabric. Descr. Urb. Rom. c. 8.*

Campus Agrippæ. Hunc inter Agrippæ monumenta memorat Tacit. Ann. XV. 39. 2. *Sed solatium populo exturbato & profugo campum Martis, ac monumenta Agrippæ, hortos quin etiam suos* Nero *patefecit.* Martio adjacebat. In illo M. Agrippa Pantheum, & thermas exstruxit. *Marlian. Topogr. Urb. Rom.* V. 3. Ambigi potest an ad illas thermas & Pantheum fuerit, an potius ad porticum Vipsaniam & Aquæ Virginis fontem. Hunc Agrippa defuncto, porticu excepta, ac diribitorium ipse Augustus dedicavit, sive publici juris fecit. Dio LV. p. 553. D. *Donat. de Urb. Rom.* III. 19. *Panciroll. Descr. Urb. Rom. Thes. Antiq. Romani. Græv. Tom.* III. *p.* 348. *B.* Non fuit ubi Pantheon. Pantheon enim ab illo in Campo Martio conditum fuit: eaque de causa a Rufo & Victore inter ædificia regionis nonæ refertur: at *Campus Agrippæ* in septima. Donatus, dubitanter tamen ad fontem Trevium illum collocat: in quo non discedit a verosimili. Nam & porticus Vipsanii, & septa, & diribitorium, aliaque plura illic fuisse existimantur. Verum præterquam quod nihil isthic illorum situm fuit, ut suis locis ostendetur, non sequitur, ubi porticus Vipsanii fuerit, illic & illius *campum* fuisse. Agrippa, ut animi maximi erat, omnem, quam longa lataque fuit, adjacentem *campo* Martio planitiem exornare cupiit. Nam & aquam illuc Virginem duxit, & thermas fecit, & Pantheon, hortos, porticum, & diribitorium: instauravit ac restituit Septa vetera, & in aliqua planitiei parte alium

campum fecit & aperuit, ſuo de nomine appellatum: ac nova ibi fecit Septa: quæ in ipſo illius *campo* fuiſſe perquam probabile eſt. Situs in hac regione duobus locis eſſe potuit, in quibus aliquod privatum fuiſſe ædificium, quod ea loca occuparit, nuſquam legitur. Alter eorum ad manum dextram Viæ Latæ eſt ſub Quirinali, ubi nunc Palatium eſt Columnenſium, & area SS. Apoſtolorum: alter ad ſiniſtram ejus viæ inter Collegium Romanum & Capitolium. *Nardin. Rom. Vet.* IV. 10. *Borrich. Ant. Urb. Fac. c.* 9. §. 3.

Campus Brutianus a Victore ſtatuitur in Janiculo, in regione decima quarta, Tranſtiberana. Ejus & vicus cognominis recenſetur; unde *campum* illi vicinum, adeoque vel intra, vel proximum mœnia fuiſſe ſuſpicari licet. Quod ſi ea vox ſimplici litera *T* legenda eſt, ut in baſi Capitolina viſitur, ab ſervis publicis Brutiis, de quibus ſupr. in *Brutii* habitatum exiſtimem. *Nardin. Rom. Vet.* VII. 11. Ego a Bryto, ſeu Bruto, cujus domus infr. in *Domus* oſtendetur, complanatum & exornatum puto. *Panciroll. Deſcr. Urb. Rom. Theſ. Antiq. Roman. Græv. Tom.* III. *p.* 376. *A.*

Campus Codetanus etiam fuit in Janiculo. *In eo virgulta naſcebantur ad caudarum equinarum ſimilitudinem.* Feſtus: *Borrich. Ant. Rom. Urb. Fac. c.* 16. §. 1. *Nardin. Rom. Vet.* VII. 11. V. tamen *Panciroll. Deſcript. Urb. Rom. Theſ. Antiq. Roman. Græv. Tom.* III. *p.* 376. *A.*

Campus Cœlimontanus, cujus Rufus meminit, ubi omnino fuerit, aut cujus uſus, haud liquido dixerim. Nomen illud Cælimontani generale, abſque ulla alia nota, qua a Martiale diſtinguatur, tum quod in Victore ſolus memoretur *campus* Martialis, ſuſpicionem mihi movet, unum eundemque illum fuiſſe; deſcriptoremque Rufi inepto illum ardore adjeciſſe, cum neglectum eum putaret: idemque poſtea in recentiore factum Victore. *Nardin. Rom. Vet.* III. 7.

Campus Eſquilinus primis urbis Romæ temporibus extra mœnia fuit. Vulgo in extremis Eſquiliis fuiſſe creditur proxime Viminalem, & ad portam obſtructam. Porphyrius & Feſtus aperte ſatis extra Eſquilias eum collocant. *Nardin. Rom. Vet.* IV. 2. In illo plebs humabatur, & populus Romanus odoris ac cœli gravitate laborabat, ideo Auguſtus locum repurgavit, & Urbem ædificiis auxit & ornavit. *Puticuli* antea locus appellatus. V. infr. in *Puticuli.* Fuit ergo extra Urbem, cum in eo liceret mortuos ſepelire. Horat. Sat. 1. 8. 8. V. illum infr. in *Puticuli.* Poſtea vero quam amota ſunt ſepulcra, & receptus intra Urbis ambitum campus, loci amœnitatem tectorumque frequentiam ſequuta eſt nova cœli ſalubritas. Horat. ibid. n. 14. V. etiam infr. in *Puticuli.* At præter cætera, quæ ibi ſtructa ſunt, hortos Mæcenas fecit, & turrim nobilem, quæ Mæcenatiana dicta eſt, erexit. *Donat. de Urb. Rom.* 1. 13. Bella fabula. Horatius non dicit Auguſtum veterem tranſportaſſe *campum*, ut in eo Mæcenas hortos faceret. Antequam Tullius Eſquilias mœnibus incluſit, cadavera viliora huc deferri, & projici ſolita non nego; verum tranſlata deinde ab illo Rege *campo* illo extra muros inter portas S. Laurentii & Majorem, primo illi loco nomen *campi* Eſquilini remanſiſſe aſſero, qui vel totus, vel ex parte hortis occupatus, ædificiisve, poſtea fuit; imo ex parte hortis Mæcenatis. At non ideo, quod Servii Tullii ætate factum eſt, ad Auguſti tempora referendum videtur. *Nardin. l. l.*

Campus Figulinus ad Aventini eſt latus, qua fluvium ſpectat: eſt lata planities, in qua hodie Equiria fiunt. Excluſus Urbe *campus* eſt a Paullo III. mœnibus in Aventini latere recta ductis ad portam Trigeminam. In *campo* Figulino collis eſt fractis figulorum teſtis congeſtus, formam habens cucurbitæ: quem montem teſtaceum appellant. *Fabric. Deſcr. Urb. Rom. c.* 8. V. illum infr. in *Mons.*

Campus Floræ dictus eſt a Flora Pompeji liberta, ut ajunt. In hoc Pompejani theatri exſtant veſtigia. Spatio non magnus, ſed ſatis celebris. Profeſtis diebus variæ in eo merces venduntur: Feſtis autem præcipue equi. *Fabric. Deſcr. Urb. Rom. c.* 8. *Argol. in Panvin. de Lud. Circ.* 1. 21. *Faunus Antiq. Urb. Rom.* IV. 25. V. illum infr. in *Campus minor.*

Campus Horatiorum. Hujus meminit Mart. V. 93.

Horatiorum qua viret ſacer campus.

non fuit ille, in quo Horatii Curiatios vicerunt ad flumen Almonem & portam Capenam. V. infr. in *Horatii:* adeoque hic alius aliquis ſit, neceſſe eſt; de quo nihil habeo dicere. *Nardin. Rom. Vet.* III. 3.

Campus Jovis, de quo Spart. Peſcenn. Nigr. c. 12. *Domus ejus hodie Romæ viſitur in campo Jovis*, in deſcriptionibus urbis Romæ prætermittitur, aut aliter nominatur. *Caſaub. in Spartianum.* Fuit Martius major, fortaſſe propter Pantheon in eo Jovi Ultori dicatum. *Donat. de Urb. Rom.* 1. 8. Minori potius a Coloſſo Jovis illa appellatio tributa erit. *Nardin. Rom. Vet.* VI. 8.

Campus Lanatarius eſt in regione duodecima, quæ Piſcina publica. Victor. A lana ibi vendita nomen habuiſſe videtur, etſi vocabulum ſit inuſitatum. *Panciroll. Deſcr. Urb. Rom. Theſ. Antiq. Roman. Græv. Tom.* III. *p.* 370. *C.*

Campus Martialis eſt in Cœlio, dictus a Martio, quia præſtabat uſum *campi* Martii, ad Equiria in honorem Martis celebranda, ſi quando Tiberis planitiem inundando altiora requirere jubebat loca. Ovid. Faſt. III. 519.

Altera gramineo ſpectabis Equiria campo,
Quem Tiberis curvis in latus urget aquis.
Qui tamen ejecta ſi forte tenebitur unda,
Cœlius excipiet pulverulentus equos.

Nardin. Rom. Vet. III. 7. Fabric. Deſcr. Urb. Rom. c. 8. Marlian. Topogr. Urb. Rom. IV. 12. Donat. de Urb. Rom. III. 12.

Campus Martius, qui Marti dedicatus erat. Liv. II. 5. *Ager Tarquiniorum, qui inter Urbem & Tiberim fuit, conſecratus Marti, Martius deinde campus fuit.* Dionyſ. Halic. V. p. 287. *Agrum, quem illi,* Tarquinii, *privatim poſſederant, inopibus ex plebe diviſerunt, uno tantum campo exempto, qui ſitus eſt Urbem inter & fluvium. Is jam ante Marti ſacer erat.* Ejus nomine latiore ſignificatione intelligitur quicquid interjacet Tiberim, Capitolium, Quirinalem & Pincium: preſſa vero & adſtricta, quod ſolum Tarquinii poſſederant, & Marti poſtea dedicatum eſt. Priore *campus* Flaminius, & Tiberinus Tarratiæ, pars Martii ſunt, poſteriore Martio excluduntur. Preſſe ſumptus quos habet fines? A monte Quirinali, ubi nunc palatium Pontificis, ducenda eſt ad Tiberim linea, quæ per collegium Romanum, Pantheon, & *campum* Floræ producta ad ædes Farneſiorum in Tiberim deſinit. Erit *campus Martius*, quicquid extra lineam erit: quicquid relinquetur propinquius Capitolio, erit minor *campus*, Tarratiæ, Tiberinum, & prata Flaminia complexus, hodieque *campus* Martius in Urbe vulgo dicitur, qui a nobis deſignatus eſt. Quidam ad pontem Milvium bis mille & amplius paſſus *campum* extendunt. Atqui Marti conſecratum eſt, quod Tarquiniorum erat. Quis autem tam vaſtum illis agrum tribuerit? Itaque ſicut *campus Martius* terræ ſpatium relinquebat Urbi propinquius, ſic aliud propinquius Milvio medius ipſe. Nec dixerim ampliorem ſpatium, quod patet inter Pantheon, Flaminiam portam, fluvium, & Hortorum collem. Certe conſtat ex Cicer. Cat. III. 2. ad pontem Milvium villas fuiſſe fundoſque privatorum civium. *Martius* autem *campus* propter veterem conſecrationem, nec ſeri, nec coli poterat. Quis autem dixerit eum; qui cis pontem Milvium veniſſet, veniſſe in *campum*? Donat. de Urb. Rom. 1. 8. Donati diſtinctio rationi perquam conſentanea eſt: ſed nimis liberaliter ſpatium illud eſt dimenſus poſterius, a Palatio ſcilicet Pontificis in monte Quirinali uſque ad Tiberim per Collegium Romanum, Pantheon, *campum* Floreum, & Palatium Farneſiorum. Non enim credibile videtur, omne illud loci ſpatium vacuum ſemper fuiſſe, & juventuti ad exercitationes relictum. Adde, juxta Tiberim viam rectam fuiſſe, & non procul a collibus Flaminiam, quas ab utroque latere ædificiis fuiſſe

conſeptas negari nequit: quum Flaminia tota ſui longitudine extra Urbem domibus exculta fuerit; ſic ut *campus Martius* utraque hac via coartatus fuiſſe videatur. Quando & a quo Marti conſecratus ſit, diverſæ Livii Dionyſiique ſupr. laudatorum ſententiæ incertum faciunt. Livius populo illud factum tribuit, ſtatim poſt ejectos Reges: Dionyſius prius conſecratum, & a Tarquiniis poſtea uſurpatum, rurſusque a populo Marti redditum tradit. Dionyſio favet lex Numæ a Feſto tradita in v. *Opima: Secunda ſpolia in Martis aram in campo Solitaurilia utra voluerit, cadito.* Ipſe Liv. I. 44. *Edixit ut omnes cives Romani. . . . . in campo Martio prima luce adeſſent. Ibi inſtructum exercitum omnem ſue, ove, tauriſque tribus luſtravit.* Fortean illic ara a Romulo poſita fuit, & locus Marti dedicatus non tam amplus fuit, nec late protenſus, quam poſt factum expulſis Tarquiniis. *Nardin. Rom. Vet.* VI. 5. Simpliciter & κατ' ἐξοχὴν *campus* appellatus fuit. Treb. Poll. Claud. c. 13. *Fecerat hoc etiam adoleſcens in militia, quum ludicro Martiali in campo luctamen inter fortiſſimos quoſque monſtraret.* Feſtus modo laudatus. Liv. XL. 45. *Comitiis confectis Cenſores in campo ad aram Martis ſellis curulibus conſederunt.* Nardin. ibid. I. 9: VI. 5. Fabric. Deſcr. Urb. Rom. c. 8. Fuit olim extra Urbem. Probant hoc I. Livii & Dionyſii verba ſupra allata. II. Conſuetudo comitiorum centuriatorum, quæ in Urbe, ſive intra pomœrium haberi non poterant, ſed in *campo Martio* jam ab initio juſſu Servii ſexti Regis habebantur. V. infr. in *Comitia centuriata.* III. Illis, qui petebant triumphum, non licebat eſſe in Urbe; ſed illi morabantur cum exercitu in *campo Martio.* V. infr. in *Triumphus.* IV. Hominem mortuum in Urbe ſepelire non licebat. At in *campo Martio* frequentia fuerunt ſepulcra, ut ſtatim dicetur. *Donat. l. l. Marlian. Topogr. Urb. Rom.* I. 4: V. 3. Tarquinius contempta religione cum ſeverat: quo expulſo ſegetes cæſæ, & in fluvium projectæ inſulam Æſculapio ſacram paullatim alia adjecta materia creaverunt. Liv. II. 5. Dionyſ. V. p. 288: V. illos infr. in *Inſula Tiberina.* Caſal. de Urb. ac Imper. Roman. ſplend. part. 3. c. 6. Faunus Antiq. Roman. IV. 12. Panciroll. Deſcr. Urb. Rom. Theſ. Antiq. Roman. Græv. Tom. III. p. 359. Donat. l. l. Tyronum militarium exercitiis fuit deſtinatus. Cicer. de Orat. II. 71. *Cum ceteris in campo exercentibus in herba ipſe recubuiſſet.* Perpetuis enim erat obſitus herbis & gramine. Horat. Od. III. 7. 25.

Quamvis non alius flectere equum ſciens
Æque conſpicitur gramine Martio.

Strab. V. p. 162. *Horum pleraque habet campus Martius, cum natura, tum hominum prudentia ornatus. Nam & magnitudo ejus mirabilis eſt, & curruum equorumque decurſionibus libere patet: tantæque multitudinis pila, circo ac palæſtra ſe exercentium; tum opera circumjecta, ſolumque toto anno herbis virens.* Aliam cauſam attulit Veget. I. 10. cur juventus armorum exercitationem in *campo Martio* obiret aſſidue: *Romani*, inquit, *veteres campum Martium vicinum Tiberi delegerunt, in quo juventus poſt exercitium armorum ſudorem pulveremque dilueret, ac laſſitudinem curſus natandi labore deponeret.* Donat. l. l. Fabric. Deſcr. Urb. Rom. c. 8. Borrich. Ant. Urb. Fac. c. 11. §. 5. Baccius de Therm. vet. c. 7. Erat enim fere ſchola militiæ Romanæ, ubi juventus ad palum omni genere armorum, & quidem veris duplo graviorum exercebatur, caput petendo, lateribus inſidiando, poplites ſuccidendo, inſiliendo, punctim potius quam cæſim feriendo, & interim tamen aſſidue ſeſe protegendo, item jaculando. Pars ibi tyronum pilis, lapidibus, ſagittis, manu, funda, arcu, jaculis exercebatur. Tum vero ſaltu foſſæ latitudinem, aut valli altitudinem ſuperare, præcipue autem curſu locum occupare, fugientem aſſequi conſueſcebat. Erant etiam equi lignei in *campo*, ut inſilire, deſilire, dextra, læva, inermis, armatus, diſtricto etiam gladio futurus eques addiſceret; verum etiam equos domaret, & futuris præliis aſſuefaceret. Veget. I. 23. *Equi lignei hyeme ſub tecto, æſtate ponebantur in campo: ſuper hos juniores primo inermes, dum conſuetudine proficerent, deinde armati cogebantur aſcendere. Tantaque cura erat, ut non ſolum a dextris, ſed etiam a ſiniſtris partibus & inſilire & deſilire condiſcerent, evaginatos etiam gladios vel contos tenentes.* Moreſte. l. Pomp. Feral. V. 3. Nardin. l. l. Homines etiam otioſi in illo ambulabant. Horat. Epiſt. I. 7. 58.

Gaudentem parviſque ſodalibus, & lare certo,
Et ludis, & poſt deciſa negotia campo.

Fabric. l. l. Clari viri mortui in illo ſepeliebantur. Strab. V. p. 163. *Cum locum illum religioſiſſimum eſſe cogitaſſent, clariſſimorum virorum ac feminarum monumenta in eo conſtruxerunt.* Ut aliquot recenſeam: Julia Cæſaris filia. Plutarch. Pomp. p. 647. D. L. Sylla Appian. Bell. Civ. I. p. 418. Druſus Claudii pater. Suet. Claud. c. I. n. 6. Auguſti Cæſares. Suet. Aug. c. 101. n. 7. Herodianus, cum poſt mortem Sevori Cæſaris referret apotheoſin Auguſtorum IX. 2. 11. *Poſt hæc tollentes lectum ferunt extra Urbem in vocatum Martis campum.* Donatus, Fabricius, Moreſtellus l. l. Kirchman. de Funer. Roman. II. 25. Et illorum ſtatuæ collocabantur. Suet. Calig. c. 34. n. 2. *Statuas virorum illuſtrium Auguſtus ex Capitolina area propter anguſtias in campum Martium contulit.* Hæ quamvis a Caligula *disjectæ*, mox tamen *reſtitutæ* ſunt, etſi *non ſalvis titulis.* Has in crepidine viarum, quæ tres, n. Fornicata, Flaminia, Recta, in *campo* ſecundum ejus longitudinem fuerunt, collocabant interjectis forte arbuſculis, ut non modo ſpeciem loci cohoneſtarent; ſed & juventutem ad æmulationem virtutis excitarent. *Donat. ibid.* III. 16. *Nardin. ibid* VI. 7. *Marlian. & Caſal. l. l.* Hunc Urbi addere voluit Julius Cæſar; ſed morte præventus facere hoc non potuit. Pomœrio incluſiſſe Aurelianum cum Onuphrio puto. V. infr. in *Pomœrium.*

Campus minor ad latus Martii fuit. Strab. V. p. 163. *Huic proximus campo & alter adjacet campus.* Catull. LV. 3.

Te quæſivimus in minore campo.

Hic eſt *campus Tiberinus*, quem Caja Taratia, ſive Suffetia populo Romano dono dedit. Gell. N. A. VI. 6. *Cajæ Taratiæ, ſive illa Suffetia eſt, nomen in antiquis annalibus celebre eſt, quod campum Tiberinum ſive Martium populo Romano condonaſſet.* Plin. XXXIV. 6. *Invenitur ſtatua decreta & Taratiæ Cajæ, ſive Suffetiæ, Virgini Veſtali, quod campum Tiberinum gratificata ea eſſet populo.* Hujus prata Flaminia, & alter, qui *campus Tiberinus* eſt dictus, partes fuerunt. *Donat. de Urb. Rom.* I. 8. Cui ego non aſſentior. Nam *campum* illum, qui poſtea pratorum Flaminiorum nomen obtinuit, non Caja Taratia, ſed Flaminius populo Romano dono dedit. Plutarch. Probl. 66. *Quid eſt, quod circus Flaminius dictus eſt? an quod cum Flaminius quidam priſcus eum civitati agrum reliquiſſet. . . . .* Præterea nullam amplius *campi* illa prata ſpeciem retinere potuerunt, ædificiis ab omni parte late ſparſis occupata. Tum & nominis nimia differentia eſt inter *campum* & *prata.* Contra, qui jam ſupra *campum* Martium inter duos colles *Citorium* & *Jordanum* incluſi, ita cenſeo, *campum Tiberinum* a Taratia populo Romano relictum Martio ad ſiniſtram conjunctum fuiſſe, a ponte Sixti uſque ad pontem S. Angeli, Tiberis ripam ſtringentem; unde jure merito huic proximus a Strabone dicitur. Quoniam vero inter Martium & viam rectam incluſus, & in anguſtias redactus fuit, jure *Minor* vocari potuit, reſpectu Martii majoris. Et inde dubitans quaſi Gellius dicit *Tiberinum, ſive Martium.* Eſt ei hodieque non ſecus ac Martio *campi* nomen per tot ſæcula ſervatum. *Campus* enim *Florum* dicitur. Cui appellationis originem Fulvius veniſſe ait a loci præſtantia & celebritate, quaſi a Florum amœnitate, ideoque non *Floræ*, ſed *Floreum* nominatum. Alii a Flora Pompeji amica nomen derivant. V. ſupr. in *Campus Floræ.* Mihi denominatio verior a Caja Taratia petenda videtur, quæ illum populo Romano dono dedit: cujus hiſtoriam, ſeu fabulam potius prolixe exſequitur Macrob. Sat. I. 10. Plutarchus in Problematibus & Auguſtin. de Civ. Dei VI. 7. referunt: quorum poſterior & hoc addit, divinos ei honores redditos. Ea, ut Plutarchus vult, *Flavia*, ut

Lactant.

Lactant. Instit. I. 20. *Faula* appellata, *Flora* meretrix esse creditur, quam populus Romanus hæres ab ea institutus, ad abolendam ludorum Floralium ab ipsa relictorum ignominiam, Deam esse florum finxit. Lactant. l. l. Atque illi quidem, si eadem Taratia fuit *campi* donatrix Tiberini, ædem in eodem *campo* dedicari æquissimum fuit, cujus & nomen hodieque servat. Quod si diversa ab illa meretrix fuit, nec hoc absurdum videri potest, meretrici in *campo* a meretrice alia donato fanum positum. Taratiæ vero illi Plinius *statuam decretam*, huic forsan tributam, aut etiam aliam pro cumulatiore redhostimento a populo Romano additam verisimile est: & hinc *campo* illi Flaviæ, & postea Floræ nomen. Faunus rursus *campum minorem* illum Agrippæ esse putat; verum Catullus, qui *minoris campi* mentionem facit, multo Agrippam vitæ tempore antecessit. *Nardin. Rom. Vet.* VI. 8. *Borrich. Ant. Urb. Fac. c.* 11. § 6.

Campus Octavius ubi sit, non legitur. Hunc forte Augustus in honorem Octaviæ sororis fecit, ut porticum, & alia. Suet. Aug. c. 29. n. 11. *Quædam*, inquit, *opera sub nomine alieno, nepotum, & uxoris, & sororis, fecit, ut porticum. . . .* Has esse puto, quas Josephus Octavianas ambulationes appellat, in quibus Vespasianum & Titum triumphantes a Senatu exceptos fuisse scribit Bell. Jud. VII. 24. *Panciroll. Descr. Urb. Rom. Thes. Antiq. Roman. Græv. Tom.* III. *p.* 380. *A.*

Campus pecuarius, alias pascuarius in descriptionibus regionum omittitur. Panvinius in decima tertia regione locat, a pecoribus, ubi vendebantur, denominatum. *Panciroll. Descr. Urb. Rom. Thes. Antiq. Roman. Græv. Tom.* III. *p.* 380. *A.*

Campus Rediculi a Panvinio Descript. Urb. Rom. Thes. Antiq. Roman. Græv. Tom. III. p. 284. A. in prima regione locatur. Dicitur fuisse ultra Rediculi fanum extra Appiam ad secundum lapidem. In illo Annibal castrametatus fuerat. *Alex. Gen. Dier.* II. 4.

Campus sceleratus, in cujus subterraneo specu tumulabantur Vestales vivæ stupri compertæ, totum id spatii obtinuit, quod a Sallustii hortis intra portam Collinam fere usque protenditur. Liv. VIII. 15. *Eo anno Minucia Vestalis, facto judicio, viva sub terram, ad portam Collinam, dextra via strata defossa scelerato campo. Credo ab incesto id ei loco nomen factum.* At in Urbe non tumulabatur quispiam? Respondet in Problematibus Plutarchus: Vestalibus hoc permissum, etiam incestis, quippe sacris corporibus, quæ vel violenter exturbare, vel occidere religio. Diserte Festus in Probrum: *M. Cato in ea oratione, quæ de Auguribus inscribitur, adjicit quoque Virgines Vestales sacerdotio exauguratas, quæ incesti damnatæ vivæ defossæ sunt, quod sacra Vestæ matris polluissent, nec tamen licet nocentes extra Urbem obruebantur, sed in campo proxime portam Collinam*, ubi hodie villa Mandosia est, qui sceleratus appellatur. *Borrich. Ant. Urb. Fac. c.* 8. §. 5. *Marlian. Topogr. Urb. Rom.* IV. 53. *Fab. Semest.* II. 9. *Kirchman. de Funer. Rom.* II. 26. *Morest. Pomp. Feral.* V. 7. *Lips. de Vesta c.* 13. *de Mil. Rom.* V. *dial.* 14. *August. de Famil. Rom. in Minucia. Boissard. Topogr. Urb. Rom. Tom.* I. *p.* 56. *Faunus Antiq. Urb. Rom.* IV. 10. *Manut. de Legib. Roman. c.* 17.

Campus Vaticanus, stricto sensu proprioque de ea planitie dici potest, quæ inter Vaticanum montem & Tiberim interjacet, cujusque hodie partem civitas Leontina sive Burgum occupat. *Vallis Vaticanæ* nomen ei impertit Annal. XIV. 14. 3. *Clausumque valle Vaticana spatium*: nisi forte, quod nec ab ratione veri abhorret, *vallem Vaticanam* Tacitus appellat eam solam partem, quæ inter Vaticanum & Janiculum intersita est depressior. *Nardin. Rom. Vet.* VII. 13. *Fabric. Descr. Urb. Rom. c.* 8. *Aring. Rom. Subterr.* II. 3. 11.

Campus Veranus aperitur extra portam D. Laurentii, Tiburtinam dictam, in quo templum D. Laurentio sacrum Roma adhuc veneratur. De eo Anastasius Bibliothecarius: *Constantinus Augustus*, inquit, *fecit basilicam B. Laurentio martyri in via Tiburtina, in agro Verano, super arenarium cryptæ.* Borrich. Ant. Urb. Fac. c. 7. §. 6.

Campus Viminalis sub aggere Servii Tullii levi opera deprehenditur: cujus aggeris vestigium adhuc a nobis agnitum superest post ædem S. Mariæ Angelorum, in extrema villa Peretta, versus Urbis mœnia. Collis viminalis latitudo inter thermas Diocletianas, ubi ante vallis fuit, & cavitatem illam porrigebatur, quæ instar sulci dictam villam diffindit: quos duos collis limites fuisse certa res est. Totus igitur situs ejus, si is sub aggere Servii intra vetera ejus mœnia fuit, ea in parte villæ Perettæ fuisse videtur, quæ ad latus thermarum est: aut, si ultra aggerem abiit, murosque veteres, intra mœnia tamen Aureliani (in quam ego sententiam propendeo) ultra thermas & dictam villam fuit, ubi castra prætoria incipiebant. *Nardin. Rom. Vet.* IV. 4. *Borrich. Ant. Urb. Fac. c.* 7. §. 6. *Donat. de Urb. Rom.* III. 11. Partim est consitus, partim vastus, & repletus varii generis viminibus. *Fabric. Descr. Urb. Rom. c.* 8. Fuit in eo puteus aquæ salientis, qui dicebatur puteus vivarii, quia ibi apud antiquos animalia includerentur: quo vivarii nomine etiam nunc *campus* ille ab incolis appellatur: exstantque veluti ferarum latibula hominum opera exstructa. *Marlian. Topogr. Urb. Rom.* IV. 21.

Campus est etiam locus, in quo prælium committitur. Unde *exercitum ad campum producere* Cypriano est in prælium educere. Et apud Trebellium in Tyrannis: *Ad campum deductus, victus, occisus est. Campum minari* est bellum denuntiare apud Corippum. *Campo occumbere* est in prælio cadere apud Johannem Abbatem in Chronico. *Salmas. in Vopisc. Aurelian. c.* 23. *Lamprid. Alex. Sev. c.* 53.

Campum colligere dicebatur victor. Veget. III. 25. *Prior de cæsis hostibus spolia capiat, &, quod ipsi dicunt, colligat campum, prior clamore ac buccinis exsultare videatur.* Cui non absimile est, quando quis dicitur victor *campi*, non hominum, qui in *campo* pugnarunt. Ita Gordianus dicitur non fuisse *victor Philipporum* n. camporum a Capitolin. Gord. c. 34. Mira prorsus locutio. Sed ita & nos hodie. Nam victorem *campi* magistrum exstitisse dicimus. *Salmas. in Capitolinum.*

Campum eripere dicebatur olim in ludis Circensibus, qui tertio ostio exibat, ac priores prævertebat. Præmium siquidem eripiendum erat veluti primo & secundo loco egressis, siquidem palmam consequi vellet. Sed melius est, ut intelligamus, *campum eripi*. Ita enim diserte Silius XVI. 389. expressit in circensibus Scipionis, ubi omnia artis vocabula studiose posuit. Ita loquitur de agitatore secundi loci equos suos adhortante;

> *Tene Astur certante feret quisquam æquore palmam*
> *Erepto?*

In tabula agitatorum circensium hoc ordine hæc sic habentur exposita: *occupavit & vicit: successit & vicit: eripuit & vicit.* Silius de primo dixit præcipere limitem, quod est occupare: de secundo proximum esse, quod idem est ac primo succedere: secundus apud eundem metuere dicitur, ne a tertio *campus* sibi *eripiatur*. Salmas. Exerc. Plinian. p. 635. F.

CAMUS erat inter varia illa instrumenta, quibus equi procurati. Hesychius: *Camus, qui equis circumponitur, in quo hordeum jacitur. Capistra fistulosa cami, quibus appensa sunt tintinnabula, in quæ inspirantes equi vocem tuba mittunt.* Buleng. de Equo c. 17. Isidor. XX. 16. *Camus est genus asperi freni, quo caballi superbi coerceri solent.* Plaut. Cas. II. 6. 37.

> *Tu ut quidem hodie camum & furcam feras.*

Voss. Lex. Etymol. Hugo de Milit. Equest. I. 3.

Camus erat operculum cadisci, sive vasis, in quod immittebantur calculi, per *camum* enim in illud injiciebantur. *Junius Anim.* II. 5. Referebat infundibulum; nam in summo latus erat, in imo strictus & angustus. Grammatici vocant *camum* χωνοειδὲς πλέγμα καὶ ἠθμοειδές. Χώνη talis erat, in summo patens, in imo angusta. Scholiast. Aristophanis: Κημὸς ὁ ἐπὶ τῷ καδίσκῳ, εἰς ὃν τὰς ψήφους καθίεσαν. Vocatur etiam *colus* & *urna*. Plerique *camum* illum vel phimum, vel infundibulum in jactandis tesseris non usurpabant, sed solo pyrgo utebantur. Et videtur ad solam

 jactan-

jactandi commoditatem & facilitatem uſitatus fuiſſe *camus*: ut enim lato & hianti ore patebat, facilius teſſeras recipiebat, quæ inde quaſi per infundibulum in pyrgum cadebant, mox concuſſæ & agitatæ ſuper tabulam mittebantur. *Salmaſ. in Vopiſc. Procul. c.* 13. An inſtrumentum fuerit proprie luſorium ferme dubitat, & inter alia fuiſſe cadum quendam coni figuram referentem, in quem judices calculos conjiciebant, putat *Senftleb. de Alea c.* 11. §. 27. V. etiam *Rhodig. Ant. Lect.* x. 5.

CAN.

CANABULÆ appellantur loca iniqua a menſoribus. Frontinus: *Eorum delimitatio eſt per rationem arcuum, riparum, canabularum, vel novercarum.* Ex libris Magonis & Vegolæ: *Item variatio fluminum, rivorum curſus, canabulæ, vel novercæ tegulis conſtruitur.* Schel. in Hygin. Theſ. Antiq. Roman. Græv. Tom. x. p. 1130. B.

CANALE, ſive *Canalium* proprie locus eſt, per quem curſus publicus dirigitur. Gaudentius Epiſcopus in Concilio Sardicenſi can. 11. *Unuſquiſque noſtrum, qui in canali conſtitutus eſt, cum progredientem Epiſcopum viderit, inquirat tranſitum ejus; cauſas videat: quo tendat, agnoſcat: & ſiquidem eum invenerit ire ad Comitatum, requirat & illud, quod ſuperius comprehenſum eſt: niſi forte invitatus ei facultas eundi permittatur.* Ἐὰν ἕκαςος ἡμῶν τῶν ἐν ταῖς παρόδοις ἤτοι καναλίῳ Ἐπισκόπων καθεςώτων. Πάροδος, tranſitus, qui prætereundo fit, ſeu locus, qui juxta viam ſitus eſt. Epiſcopi ergo in *canalio* conſtituti ſunt, qui ſedes habent in curſu publico, via ſcilicet, qua equi publici diſpoſiti ſunt per ſtationes ſingulas ad iter agendum. De *canalibus* Conſtantius Imperator leg. 2. C. T. de curioſis. *Nec vero*, ait, *multos eſſe per ſingulas provincias juſſimus, quippe ſufficit duos tantummodo curas gerere, & curſum publicum gubernare, ut licet in canalibus publicis hac neceſſitas explicetur, numerus tamen amplior eſſe non debeat.* Sanxit Julianus ibid. leg. 15. *Ne ſit cujuſquam tam inſignis audacia, qui parangarias aut paraveredos in civitatibus ad canalem audeat commovere, quo minus marmora privatorum vehiculis provincialium transferantur. Canalis*, τοποθεσία, ἔξοδος, δημόσιος ἀγωγὸς, ὀχετός. M. Tullius Attic. x. 10. Τοποθεσίαν, *quam poſtulas Miſeni & Puteolorum, includam orationi meæ.* Τοποθεσία, *loci deſcriptio, ſeu locus, in quo quis accumbit.* Ἔξοδος, *via, quæ aliunde extenditur*, [illegible]. Δημόσιος ἀγωγὸς, *dux viæ publicus.* Ὀχετός, *canalis*, [illegible], *unde* ὀχετός. *Guther. de* [illegible] *Dom. Aug.* III. 15. V. tamen *Salmaſ. Exerc. Plin. p.* 359. *E. & Bergier. de Viis milit.* IV. *ſect.* XVIII. §. 9. *Canalis* iſta ſignificatio forte ſatis eſt antiqua. Plaut. Curc. IV. I. 15.

In medio foro *propter canalem, ibi oſtentatores meri.*

Feſtus: *Canalicolæ, forenſes, homines pauperes dicti, quod circa canales fori* [illegible]. Gell. N. A. IV. 20. *Cavillatores, canalicolas, & mimos ridicularios* componit. Forſan *canales fori* erunt loci ambulationis per viam fori, ſive *canales* intelligi poterunt viarum urbanarum militarium partes laterales, quibus maxime homines ambulaſſe vero eſt ſimile. *Hennin. Not. ad Bergier. de Viis milit.* IV. 18. §. 9. Plautus videtur mihi velle indicare illud cavum ſoli, quod ante cloacas eſſe ſolet, quo facilius corrivatas aquas accipiant. Os enim cloacæ in medio foro ad lacum Curtium fuiſſe valdequam probabile eſt. *Nardin. Rom. Vet.* v. 7. *Fori canales* videntur eſſe dicti fori cancelli. *Fori cancellorum* mentio alicubi apud Ciceronem. Gloſſæ veteres: *Caules*, legebam aliquando *canales, cancelli tribunalis, ubi ſunt advocati.* Inde *canalicolæ* ſunt οἱ παρὰ τῇ κιγκλίδι ζῶντες, ἀεὶ περὶ τὸν δρύφακτον ποιούμενοι τὸν βίον. Tertullian. de Pall. c. 5. *Ego nihil foro, nihil campo, nihil curiæ debeo, nihil officio advigilo, nulla roſtra præoccupo, nulla prætoria obſervo, canales non odoro.* In illis *canalibus* aqua hærens interdum male olebat. Ideo *canales odorare* dixit Tertullianus. nam memphitin illam pati cogebantur, qui foro dabant aſſiduam operam, ut cauſidici & rabulæ forenſes. Ante tribunalia judicum cancelli erant, ad turbas prohibendas. Ad eos cancellos ſtabant advocati, quos adorabant, qui judicem cum reverentia adire, aut coram eo dicere volebant. *Salmaſ. ad Tertull. de Pall. p.* 421. *Vopiſc. Carin. c.* 16.

CANALES ſunt foſſæ, quas & ipſi mortales per artem faciunt per aperta camporum, quæ mutuis commerciis exercendis, cæteriſque vitæ humanæ commodis inſerviant. *Bergier. de Viis Milit.* IV. 46. §. 1. Arcuato ſæpe fuerunt opere, ut loquitur Frontinus, quorum altitudinem montes Urbis æquarunt. Plin. XXXVI. 15. *Spatioque advenientis aquæ exſtructos arcus, montes perfoſſos, convalles æquatas.* A lapide quadrageſimo ad eam excelſitatem, ut in omnes Urbis montes levarentur, influxere Curtius atque Cæruleus fontes. Strab. v. *Cuniculi lapides fornicibus ſuffulti ſpatium currui fœni onuſto ad tranſeundum præbent.* Claudian. de Honor. Conſul. VI. 520.

Inde, ſalutato libatis Tibride lymphis,
Excipiunt arcus, operoſaque ſemita vaſtis
Molibus, & quicquid tantæ præmittitur urbi.

Buleng. de Imp. Roman. v. 21. Quædam *canaliculæ* & derivationes aquarum ad extremam oram graduum in theatris fuerunt, qua ſcalaria incipiebant. Uſum, credo, habuerunt ſive aquæ cœleſtis derivandæ, ſive potius humanæ. Nam cum dies totos in ſpectaculis perſederent, quin urina reddenda fuerit, non ambigimus: eique uſui tribuimus hos inciſos *canales.* Nam ad pluviam penduli leviter & proclives omnes gradus fuerunt. *Lipſ. de Amphith. c.* 13.

CANARIUM ſacrificium erat, *quo rutilæ canes, id eſt, non procul a rubro colore immolabantur pro frugibus deprecandæ ſævitiæ, cauſa ſideris caniculæ.* Feſtus in rutilæ. Et *non longe a Catularia porta Romæ ſic dicta ad placandum caniculæ frugibus inimicum rufæ canes immolabantur, ut fruges flaveſcentes ad maturitatem perducerentur.* Ovid. Faſt. IV. 905.

Hac mihi Nomento, Romam cum luce redirem,
Obſtitit in media candida turba via.
Flamen in antiquæ lucum Rubiginis ibat,
Exta canis flammis, exta daturus ovis.

Ratio additur n. 939.

Eſt canis, Icarium dicunt, quo ſidere moto
Toſta ſitit tellus, præcipiturque ſeges.
Pro cane ſidereo canis hic imponitur aræ:
Et, quare pereat, nil niſi nomen habet.

Alex. Gen. III. 12. Briſſon. de Form. I. p. 57. Rhodig. Ant. Lect. XVII. 27. Lomejer. de Luſtrat. c. 23. Laurent. Var. ſacr. gentil. c. 17. Diverſas res aperte miſcet Ovidius. Exortu caniculæ tota tellus ſitit propter immanes calores, qui tunc exiſtunt, & ſata omnia exuruntur, uvæ carbunculantur uredine, exoritur porro per tranſitum ſolis in leonem. Et tum *canario* ſacrificio placabatur. Græci περισκυλακισμὸν vocant. At Ovidius Robigalibus exoriri canem dicit, & *eo ſidere moto*, id eſt, exorto totam ſitire tellurem, quo in tempore omnes id ſidus occidere conſentiunt. Quod profecto miror. *Moveri* ſidera dicuntur, & quum occidunt, ſed præcipue quando oriuntur. Qui paullo ante dixerat canem exoriri Robigalibus die ſeptimo Kalendas Majas, hic ait *moto eo ſidere* præcipi ſegetem & ſitire arva. Atqui ſævitia tanta, nec tanta vis caloris tunc eſt in canicula, ut non potius frigore noxia ſit. Id potius convenit exorienti, quod fit tredecimo, aut duodecimo Kalendas Auguſti, ſole primam partem obtinente leonis. *Salmaſ. Plinian. Exercit. p.* 309. *a. A.*

CANCELLARIUS, hujus Vopiſci ætate nulla erat dignitas. Eratque nomen miniſterii in aulis Principum & aliorum procerum. Erat moris, ut principum & magiſtratuum ſecreta, ſive loca, ubi de negotiis pro ratione muneris quiſque ſui tractaturi conveniebant, in aditu primo vela, & deinde *cancellos* haberent. Qui *cancellos* ſervabant, *cancellarii* ſunt dicti. Vox non admodum antiqua, nec multo ante Vopiſci tempora uſurpari cœpta, & cujus

cujus nulla in Digestis fit mentio. In Codicis titulo de Assessoribus & alibi *ministerium Cancellariorum* leges. Id cujusmodi fuerit, describit Agathias lib I. Appellantur ab illo *ὑπηρέται τῆς ἀρχῆς*: & præcipuum illorum munus apud illum fuit, ut ad *cancellos* hærerent, admissiones curarent, & ne quid tumultus, ut fieri amat in turba, audiretur, prospicerent. Simillimum munus hodie in curia eorum, qui ostiarii dicuntur, quare etiam ut re, sic & nomine conveniunt, quod acceperunt hi ab ostio, illi a *cancellis*, qui pro ostio erant. Unde Vopisc. Carin. c. 16. *Præfectum Urbi unum ex cancellariis suis fecit: quo fœdius nec cogitari potuit aliquando nec dici.* Accessit postea aliquid dignitatis huic generi hominum, sed multo post Carini & Vopisci tempora. Nam Cassiod. Var. XI. 6. sic munus hoc describit, ut appareat ipsius ætate *Cancellarium*, non, ut olim, ostiarii munus sustinuisse, verum etiam ex parte eorum, qui hodie in aulis principum a secretis nominantur, & a libellis supplicibus: adhuc tamen, ut ibi dicitur, *lucidas fores tenebat & claustra patentia*, adhuc *judicum jussionibus obsecundabat.* Salmas. in Vopiscum, Kirchmann. de Annul. c. 9. Panciroll. Notit. Dign. Imp. Orient. c. 9. Pith. Advers. Subc. II. 12. Pollet. For. Roman. V. 12. Turneb. Advers. XI. 25. Bud. in Pandect. p. 78. B.

CANCELLI sunt septa ex rectis, obliquis, transversis lignis contexta compactaque, ac plagulis, sive foraminibus, distincta. Cassiodorus *lucidas fores & fenestratas januas* scite vocat Var. Epist. XI. 6. *Voss. Lex. Etymol. Rhodig. Ant. Lect.* V. 14: XXVIII. 10. *Blond. Triumph. Rom.* IX. *p.* 182. *H. Buleng. de Imper. Roman.* II. 23. *Cancelli* in tabula Caroli magni, quam ex codice antiquo Paullus Petavius Senator Parisiensis anno 1610. publici juris fecit, expressi ostendunt secretum ejus consistorium, intra quod cum suis interioribus Consiliariis de magnis agebat rebus. Glossæ Basilicæ: *Cancellum, reticulum, a cassibus, id est, retibus diminutive: unde Cancellarii, qui stant in cancello.* Secretum ejusmodi consistorium designasse videtur Ammian. XXX. 4. *Cum intra cancellorum venerunt septa, & agi cœperint alicujus fortunæ, vel salus; atque laborari debeat, ut ab insonte gladius, vel calamitoso detrimenta pellantur.* De eisdem juris dicundi septis Cassiod. l. l. *Chiflet. Childer. Anast. c.* 9. Etiam in templis *cancelli* facti ad prohibendas turbas intra quos solis licebat clericis stare. Capitularia Caroli Magni VII. 291. *Ut nulla femina ad altare præsumat accedere aut presbytero ministrare, vel intra cancellum stare, aut sedere.* c. 203. *Pars illa quæ cancellis versus altare dividitur choris tantum psallentium pateat clericorum. Cancelli* etiam dicebantur regionum limites & agrorum termini. Jornandes de successione regnorum *cancellos Tusciæ* dixit pro limitibus Tusciæ. Fragmentum vetus *cancellos* vocat terminos, hoc est, lapides, quibus agri limitantur, quibus sacra olim faciebant pagani. *Nullus Christianus ad fana, vel ad petras, aut ad fontes, vel ad arbores, aut ad cancellos, vel per trivia luminaria faciat, aut vota reddere præsumat.* Hinc *cancellatio* pro limitatione vel metatione apud Siculum Flaccum, & apud Hyginum *regio cancellata* pro limitata. *Salmas. in Vopisc. Carin. c.* 16.

CANDELA erat funiculus pice delibutus, vel cera circumdatus. Posteaque etiam ex papyro fecerunt, quam cera circumdabant, ut videre est ex Serv. Æneid. I. 731. Idem ex Donato in Andriam I. I. 88. cum ait: *Funus a funalibus dictum est, id est, uncis vel cuneis candelabrorum, quibus delibuti funes pice vel cera infiguntur.* Nam si *candela* erat, quod *candelabro infigebatur*, funales illi *candelæ* recte dicuntur. Ex scirpis etiam fiebant. Plin. XVII. 37. *E quibus detracto cortice, candelæ luminibus & funeribus serviunt.* Voss. Lex. Etymol. Ex cera factæ in primis ad rem divinam flaminibus, & potentioribus in ædibus serviunt. Ex sebo vulgares & sebaceæ dici possunt. Apul. Metam. IV. p. 122. *Nec mora cum numerosæ familiæ frequentia tota domus completur. Tædis, lucernis, cereis, sebaceis, & cæteris nocturni luminis instrumentis clarescunt tenebræ.* Grapald. de Part. Dom. II. 3. §. 8. Si illico exstingueretur, ominosum. *Niphus de Augur.* I. 21.

CANDELABRUM est, quo *candela*, dum ardet, continetur. Varro apud Macrob. Sat. III. 4. *Candelabrum appellatur locus, in quo figebant candelam.* Mart. præmisso de *candelabro* lemmate XIV. 43.

Nomina candelæ nobis antiqua dederunt:
Non norat parcos uncta lucerna patres.

Ex argento, & auro etiam his utuntur nostra tempestate principes & antistites, cæteri ex orichalco, pauperiores e ligno, ut olim, ex rei familiaris angustia. Hinc exiit distichon:

Esse vides lignum, servas nisi lumina, fiet
De candelabro magna lucerna tibi.

Grapald. de Part. Dom. II. 3. §. 8. De argenteis ne dubito quidem. Ulpian. in leg. cum aurum: *Nec candelabra, nec lucernæ argenteæ.* Ac quo magis pretium accederet, sigillis exornabantur l. 23. Dig. de rei vindicat: *Si quis adjecerit candelabro sigillum.* De *candelabris* Plin. XXXIV. 3. *Privatim Ægina candelabrorum duntaxat superficiem elaboravit, sicut Tarentum scapos. In his ergo juncta commendatio officinarum est, nec pudet Tribunorum militarium salarius emere, cum ipsum nomen a candelarum lumine impositum appareat.* *Candelabra* etiam Corinthia in pretio fuerunt. Lemma carminis ex Martiale jam producti. *Kobierz. de Lux. Roman.* II. 10. *Blond. Triumph. Rom.* IX. *p.* 184. *E.* Veterum *candelabra* ita fiebant, ut hodie videmus ea, quibus utuntur in templis. Catinus est, vel scyphus, & in medio uncinus, cui infigitur *candela.* Varro apud Serv. Æneid. I. 731. *Facibus, aut candela simplici, aut ex funiculo facta, cera vestita: quibus ea figebant, appellabant funalia.* Sequuntur Servii verba: *Nonnulla apud veteres candelabra dicta tradunt, quæ in capitibus uncinos haberent, quibus affigi solebat, vel candela, vel funes pice delibuti, quæ interdum erant minora, ut gestari manu, & præferri Magistratibus a cœna possent.* Donatus supr. in *Candela.* *Candelabra* ipsa in modum lancis, vel ἰμβαφία uncinum in medio habentia, quibus infigebatur *candela* cum pediculo, quo manu retinebatur, *βάμβυλον*, vel *βάμπυλον* Græci recentiores vocarunt, id est, bammulon, vel ὀξυβάφιον. Quod unico tantum constabant acetabulo, μονοβάμβυλον vocabant, quod ex duobus, διβάμβυλον. *Salmas. Exerc. Plinian. p.* 266. *C.* Illis utebantur veteres, cum rem divinam faciebant: in illis figebantur *candelæ*: & funiculi ardentes, vel etiam lucernæ oleariæ ponebantur, minus tamen ad lumen exhibendum, quam ad sacrificii decus & majestatem. *La Chausse de Insign. Pont. Max. Tab.* XIII.

CANDIDATI erant, qui in *candida* veste, cum comitia habebantur, singulas tribus prensabant & circuibant, suffragia pro se ipsis rogando. *Ursat. de Not. Roman. Thes. Antiq. Roman. Grav. Tom.* XI. *p.* 791. *A. Prevot. de Magistrat. Roman. c.* 5. *Laurent. de Adult. & meretric. c.* I. Appellabantur ab illa, quemadmodum Regum Babyloniæ, & Ægypti familiares a purpurea veste, quam gerebant, purpurati sunt appellati. Tertullian. de Idolol. c. 18. *Qui familiaritate Regum utebantur, purpurati Regum vocabantur, sicut apud nos a toga candida candidati.* Panciroll. Notit. Dign. Imp. Orient. c. 73. Candidatorum auspicia de auspiciis Regis inaugurandi loquens, ita describit Dionys. II. p. 81. *At nostra ætate hic mos sublatus est, & tantum quædam ejus imago, hujus religionis causa, remanet. Candidati enim sedem capiunt, & sub crepusculum matutinum surgunt, & quasdam preces sub dio peragunt. . . . .* *Candidatos*, seu albatos vota ad deos fudisse priscos colligimus ex Pers. II. 39.

— negato
Jupiter hæc illi, quamvis te albata rogarit.

Plaut. Rud. I. 5. II.

— æquius vos erat
Candidatas venire, hostiatasque ad hoc
Fanum ad istunc modum veniri non solet.

Laurent. de Adult. & meretr. c. I. var. sacr. gentil. c. 10. Deponebant tunicas, ne argentum in sinu gestantes suffra-

gia redimerent, aut ut aperto pectore vulnera honeſta petitorem commendarent. Plutarch. Quæſt. Roman. 48. *Rhodig. Ant. Lect.* XIV. 16. *Ferrar. de Re Veſt.* I. I. 8. *Blond. Triumph. Rom.* II. *p.* 76. *G.* Deducebantur ab amicis in campum Martium. Cicer. Attic. II. I. *Cum candidatum deducerem, is quærit ex me.* . . . , ... de Petit. Conſul. c. 9. V. illum infr. in *Deductores*. Boſſ. de Tog. Rom. c. 13. Dextram obviis porrigebant, multosque prehenſabant, ac nominatim appellabant. Vilibus adhæc hominibus interdum prehenſa manu blandiebantur, hunc quidem fratrem appellando, illum natum, alium parentem, ac pro ſingulorum ætate ac dignitate cunctis adulabantur. *Schott. Nod. Cicer.* IV. I. *Alex. Gen. Dier.* IV. 3. *Salmuth ad Panciroll. de Reb. Deperd. & Inv. p.* 737. Senec. Epiſt. 3. *Quomodo obvios, ſi nomen non occurrit, dominos ſalutamus.* Mart. I. 113.

Cum te non noſſem, regem, dominumque vocabam.

II. 68.

Quod te nomine jam tuo ſaluto,
Quem regem & dominum prius vocabam.

Laurent. l. l. In ſenatum, ubi Principis ſuffragia, producti dicebantur boni, vel optimi viri. Senec. Epiſt. 3. *Quomodo omnes candidatos bonos viros dicimus.* Plin. Paneg. c. 71. n. 7. *Faciebas ergo, cum diceres, optimos.* Lipſ. in Senecam & Plinium. Laurent. l. l. Profitebantur ſe petere, & nomina dabant. Paterc. II. 92. 3. C. *Sentius Saturninus in comitiis habendis præcipuum egit Conſulem. Nam & Quæſturam petentes, quos indignos judicavit, profiteri vetuit; & cum, id facturos ſe, perſeverarent, Conſularem, ſi in campum deſcendiſſent, vindictam minatus eſt. Et Egnatium florentem favore publico, ſperantemque, ut Præturam Ædilitati, ita Conſulatum Præturæ ſe juncturum profiteri vetuit.* Briſſon. de Formul. II. p. 135.

Candidati milites erant oſtenſionales ex iis, quos ſtaturæ proceritas & forma commendabat, milites n. fortes & inſignes, qui in pugna Imperatorem circuibant & propugnabant *candida* veſte induti, & exornati, ut ſub oculis Auguſti præclare & ſtrenue præliando ſe ad majora aſpirare, & militaria officia merito ambire. Teſtem habeo Vegetium, ſcribentem *candidatos milites dictos principales, quique privilegiis muniuntur.* Ammian. XV. 5. *Sed Laniogaiſo vetante tunc tribuno, quem dum militaret candidatus, ſolum adfuiſſe morituro Conſtanti ſupra retulimus.* Hieron. in vita Hilarionis: *Candidatus Imperatoris Conſtantii, rutilus coma, & candore corporis indicans provinciam.* . . . . Vetus Inſcriptio Romæ in æde S. Petri ad vincula.

HIC. POSITUS. EST. ANTIOCHOS
CANDIDATUS. PRIMICER.

Valeſ. ad Ammianum. Buleng. de Imp. Rom. III. 6. Ad *candidati* gradum promoveri militaris honos fuit: Menelogium: *Eudocimus pulcre ab illis inſtitutus ad virtutem, a Theophilo candidatus promotus.* Buleng. l. l.

Candidati Principis dicebantur, quos Princeps populo commendabat in magiſtratuum petitione. Suet. Aug. c. 56. n. 3. *Quoties magiſtratuum comitiis intereſſet, tribus cum candidatis ſuis circuibat, ſupplicabatque more ſollenni.* Hinc jocus apud Quintil. VI. 3. amphibologicus: *Jungitur amphiboliæ ſimilitudo: ut L. Galba pilam negligenter petenti: ſic, inquit, petis tanquam Cæſaris candidatus. Nam illud petis ambiguum eſt, ſecuritas ſimilis.* Tam neglectim in luſu petebat ille pilam, quam ſolent honores petere Principis *candidati*, quibus non magnopere ſupplicare neceſſe erat ob Principis commendationem. *Bud. in Pandect. p.* 83. *C. Valeſ. in Ammian.* XV. 5. *Donat. Dilucid. p.* 835. *Beroald. in Suetonium.* Itidem & illi, qui Principis epiſtolas, decreta, & conſtitutiones in Senatu recitabant. Dig. I. 13. 4. Qui ideo *candidati* dicebantur, quod officium illud eſſet quaſi ingreſſus & primordium cæterorum honorum & magiſtratuum gerendorum, ut ibidem Ulpianus docet. Lampr. Alex. Sev. c. 43. V. illum infr. in *Quæſtores*. Panciroll. Notit. Dign. Imp. Orient. c. 73. Guther. de Offic. Dom. Aug. II. 18. Buleng. de Imp. Rom. V. 70. Donat. l. l.

Candidati tribuni etiam ſunt dicti, qui a ſecretis Principum Egregiorum titulo honeſtabantur. Caſſiod. Var. I. 4. *Pater candidati ſub Valentiniano Principe geſſit tribuni, & notarii laudabiliter dignitatem. Honor, qui tunc dabatur egregiis: dum ad imperiale ſecretum tales conſtet eligi, in quibus reprehenſionis vitium nequeat inveniri.* Panciroll. Notit. Dign. Imp. Orient. c. 73.

CANDIDUS eſt cognomen Cœliorum. *Vaillant. Numiſm.* I. *p.* 73.

CANEBANT in conviviis veteres, loca ex Poetis proponebant, gryphos afferebant. Theophr. Charact. c. 16. *Contumax in convivio canere, locum e Poeta proponere, qui canatur aſſa voce, ſaltare non vult.* Buleng. de Conviv. III. 29. Senec. Epiſt. 84. *In comeſſationibus noſtris plus cantorum eſt, quam in theatris olim ſpectatorum fuit.* Sidon. Epiſt. I. 2. *Sic tamen quod illic nec organa ſonent, nec ſub phonaſco vocalium concentus meditatum acroama intonat, nullus ibi lyriſtes.* Buleng. de Imper. Roman. II. 33. Putabant non eſſe hominis ingenui bibere ſine *cantu*. Ergo apud Platon. in Symp. Alcibiades ait, *quidnam agimus? nihil quicquam dicimus ad calicem, neque canimus? ſed ſedulo, ſicut ſitientes, potamus.* Cantabant ipſi patres. Horat. Epiſt. II. I. 110.

—— pueri patresque ſeveri
Fronde comas vincti cœnant, & carmina dictant.

Paſchal. de Coron. II. 4. Pueri. V. infr. in *Puer.* & puellæ. V. infr. in *Puella.* Myrteum tenebat ramum, qui canebat. Ariſtoph. Veſpis, item Gruibus:

Canebat ille myrtum tenens Admeti hiſtoriam.

Plutarch. Symp. I. I. Myrteum illum ramum ἄσαρκον appellat. *Stuck. Ant. Conviv.* III. 20. *Jun. Anim.* III. 7. *Putean. Reliq. Conviv. priſc. Theſ. Antiq. Roman. Græv. Tom.* XII. *p.* 277. *E. Etiam accubantibus ſingulis ordinabatur conviviale genus carminum:* unde *in conviviis lyra, vel cithara circumferebatur.* Iſid. II. 15. *Cujus cum ſe Themiſtocles imperitum confeſſus eſſet, habitus eſt indoctior.* Quintil. Inſt. Orat. I. 10. *Putean. l. l. D.* Nec Deorum tantum; verum etiam hominum clarorum virtutes & res præclare geſtas carminibus & cantilenis celebrabant, quibus ſe invicem ad illorum imitationem incitarent. Penelope ad Phemium inclytum cantorem apud Homer. Odyſſ. I. 337.

Phemie, multa ſane alia mortalium oblectamenta noviſti,
Geſta hominumque Deorumque, quæ celebrabant cantores.

Cicer. Brut. c. 19. *Utinam exſtarent illa carmina, quæ multis ſeculis ante ſuam ætatem in epulis eſſe cantata a ſingulis convivis de clarorum virorum laudibus in Originibus ſcriptum reliquit Cato.* Valer. Max. II. I. *Majores natu in conviviis ad tibias egregia ſuperiorum opera carmine comprehenſa pangebant, quo ad ea imitanda juventutem alacriorem redderent. Quid hoc ſplendidius? quid etiam utilius certamine? Pubertas canis ſuum honorem reddebat, defuncta virium curſu ætas ingredientes actuoſam vitam favoris nutrimentis proſequebatur. Quas Athenas, quam ſcholam, quæ alienigena ſtudia huic domeſticæ diſciplinæ prætulerim? Inde oriuntur Camilli, Scipiones, Fabricii, Fabii, Marcelli: ac ne ſingula imperii noſtri lumina percurrendo ſim longior, inde, inquam, cœli clariſſima pars divi fulſerunt Cæſares.* Putean. ibid. C. Junius & Stuckius l. l. Caſaub. in Theophraſtum.

CANEPHORÆ erant virgines primariæ & ingenuæ, quæ in Panathenæis aliisque pompis caniſtra cum rebus ad ſacrificium pertinentibus ad Deam ferebant. Harpocratio in v. κανηφόροι. Scholiaſtes Ariſtoph. in Acharn. *Athenis nobiles virgines Dionyſiacis caniſtra ferebant. Erant vero caniſtra facta ex auro, in quibus primitias ponebant.* Feſtus: *Canephora mulier appellatur, quæ fert canum, id eſt, quaſillum, quod eſt ciſtæ genus.* Quam mulierem vocat, virgo erat. Ovid. Metam. II. 711.

Illa forte die caſtæ de more puellæ
Vertice ſuppoſito feſtas in Palladis arces
Pura coronatis portabant ſacra caniſtris.

Cic. Verr. IV. 3. *Erant anea præterea duo signa, non maxima, verum eximia venustate, virginali habitu atque vestitu, quæ manibus sublatis sacra quædam more Atheniensium virginum reposita in capitibus sustinebant. Canephoræ ipsæ vocabantur.* Meurs. Cecrop. c. 22. Panathen. c. 23. Voss. Lex. Etymol. Beroal. Annot. c. 61. Pius Annot. Prior. c. 9. Philand. in Vitruv. IV. 1. Buleng. de Theatr. I. 1. Aleand. Tab. Heliac. Expos. Thes. Antiq. Roman. Græv. Tom. V. p. 745. D. Turneb. Adv. II. 14. Laz. Comm. Reip. Roman. XI. 7. Stuck. de Sacrif. p. 100. Donat. Dilucid. p. 267. Sigon. de Republ. Athen. IV. 7: I. 4. Fasold. de Fest. Græcor. Dec. III. Fest. 9. Castellan. de Fest. Græcor. Thes. Antiq. Græcar. Gronov. Tom. VII. p. 643. A. Jonston. de Fest. Græcor. Antiq. Gronov. ibid. p. 889. F.

Canere intus dicitur, qui sinistra carpit chordas, tacita quadam musica, nec foris audita, sed artifici tantum intellecta. Dextra enim, quæ modos facit, foris auditur, carmenque non tantum artifici, sed etiam auditori canit: cum sinistra auditori carmen suffuretur. *Turneb. Adv.* XIV. 4: XXVIII. 46. *Rhodig. Ant. Lect.* IX. 10. *Buleng. de Theat.* II. 39.

Canere dicitur etiam is, qui tibias inflat. Cicer. de Orat. II. 83. *Quemadmodum tibicen sine tibiis canere, sic orator sine multitudine audiente eloquens esse non potest.* Gell. N. A. V. 1. *Tum scias & qui dicit, & qui audit, frustra esse, neque ibi philosophum dicere, sed tibicinem canere.* Et *cantus* tibiarum Solin. c. 24. dicitur. *Bartholin. de Tib.* c. 7.

CANICULÆ stella propria censetur Isidis, & facta inclinatione a τὸ κύειν κύων, sive canis vocatur. Plutarch. de Isid. & Osir. p. 376. A. *La Chausse de Deor. Simulacr. Tab.* XXXV. Illi placandæ rutilæ canes offerebantur. V. supr. in *Canarium sacrificium.*

CANINIA gens. V. illam infr. in *Gens.*

CANIS ostiarius plerumque janitori & janitrici comes addebatur. Plaut. Most. III. 2. 167.

Tranio age, canem istam a foribus abducas face.

Eustath. ad Iliad. X. *Moris erat atriensibus fores servari a canibus.* Hunc *canem ostiarium* designare puto Virg. Ecl. VIII. 107. quando canit:

— *Hylax in limine latrat.*

Et eosdem Aristot. Ethic. Nicom. VII. 6. *Canes, priusquam attenderint, utrum sis amicus, si quis modo fores pulsaverit, latrant.* Sagittar. de Jan. Vet. c. 21. §. 1. Laurent. var. sacr. gentil. c. 24. Interdiu erat catenatus. Suet. Vit. c. 16. n. 4. *Confugit in cellulam janitoris, relegato pro foribus cane.* Senec. de Ira III. 37. *Irasceris ergo catenario cani? & hic cum multum latravit, objecto cibo mansuescit.* Hic δέσμιος dicitur Artemid. II. 11. Et hinc *mordax janua* dicitur Plaut. Truc. II. 4. 1. Nec tantum catenatos in limine *canes* habuerunt Romani, sed & interdum januæ, vel janitoris cellæ inscriptum erat CAVE CANEM. Petron. c. 29. *Ad sinistram intrantibus non longe ab ostiarii cella canis ingens catena vinctus in pariete erat pictus, superque quadrata litera scriptum, CAVE, CAVE CANEM.* Quod deinde proverbii more usurpatum, cum quendam terrere, vel arcere volebant. Varro apud Non. II. 647. *Quod ea die mea erat præbitio, in januam, CAVE CANEM, inscribi jubeo.* ut n. ab aditu ædium deterreret, qui ad condictum venturi erant. *Sagittar. ibid.* §. 2. & 14. *Licet. de Lucern.* IV. 33. *Rhodig. Ant. Lect.* XVII. 28. *Laurent. Var. sacr. gentil. c.* 24. *Casaub. in Theophr. Charact. p.* 159. *Borremans. Var. Lect. c.* 19. De hoc proverbio præter Petronii Commentatores egerunt *Turneb. Adv.* XV. 4. *Fab. Sem.* II. 2. *Coler. Parerg. c.* 16. *Popm. de Oper. Serv. p.* 136. *Gruter. & Lips. ad Senec. l. l. Rader. ad Martial.* XI. 17. *Gataker. Adv. Misc. Postum. c.* 38. Idcirco de die jubebantur dormire, noctu ut vigilarent. Varr. de Re Rust. I. 21. *Canes consuefacias potius noctu vigilare, & interdiu clausos dormire.* Phædr. III. 7. 18.

— *Alligant me interdiu,*

Luce ut quiescam, & vigilem nox quum venerit.

Herald. in Arnob. p. 253. Unde & illos fecerunt custodes templorum. Arnob. VI. p. 205. *Indigna res, & potentiam destruens, auctoritatemque, summorum custodiam numinum canum solicitudinibus credere.* Et ipsius Capitolii. Cicer. pro Sext. Rosc. c. 20. *Anseribus cibaria publice locantur, & canes aluntur in Capitolio, ut significent, si fures venerint.* Arnob. l. l. *Ac ne forte fur aliquis, aut nocturnus irrepat latro, ædituis mille protegitis, atque excubitoribus mille. Cur canes in Capitolio pascitis? cur anseribus victum alimoniamque præbetis?* At Gallis in Capitolium irrumpere volentibus male suas egerunt excubias. Liv. V. 47. *Galli tanto silentio in summum evasere, ut non custodes solum fallerent: sed ne canes quidem, solicitum animal ad nocturnos strepitus, excitarent.* Et miseri quotannis per Urbem sunt circumlati & in crucem acti. Plutarch. de Fort. Roman. I. p. 325. C. *Etiamnum sollenni in pompa gestatur canis in crucem actus.* Plin. XXIX. 4. *Supplicia annua canes pendunt inter ædem Juventutis & Summani, vivi in furca sambucea arbore fixi.* Sagittar. ibid. §. 6. 7. 8. 11. Borrich. Ant. Urb. Fac. c. 16. §. 3. Laurent. l. l. Schill Nomencl. Philol. p. 242. Immolabatur Pani Lycæo Arcadiæ Deo. Causam enarrat Plin. XXIX. 4. *Catulos lactentes adeo puros existimabant ad cibum, ut etiam placandis numinibus hostiarum vice his uterentur.* Tomas. de Donar. c. 26. Symbolum erat Laris, sive domestici, sive compitalis. Ovid. Fast. V. 137. V. illum infr. in *Lares præstites.* La Chausse de Deor. Simulacr. Tab. XXVI. Et Laribus præficiebatur. V. infr. in *Lar.* A Lupercis immolabatur. An quia Lupercalia Urbis sunt lustratio, & fiunt mense Februario, cui ab expiando nomen est. Jam *cane* in piaculis fere omnes usi sunt Græci, & utuntur in hunc usque diem pro piaculari hostia nonnulli: & Hecatæ etiam *catuli* offeruntur, & expiandos *catulis* tangunt, quam februationem sua lingua periscylacismum vocant. Aut Lycus lupus est, Lycæa Lupercalia? *canis* ergo animal lupo inimicum Lycæis immolatur. Aut quia Lupercos per urbem discurrentes allatrant & vexant? Plutarch. Quæst. Rom. 67. Forsan ad indicandam & obtinendam partus facilitatem, in gratiam matronarum, quæ aut steriles erant, aut cum summa difficultate fœtum edebant. Quibus malis Luperci mederi posse credebantur. Facillime autem pariunt *canes.* Vel quod Lupercus Deus, qui Pan esse existimabatur, arcendis lupis, custodiendisque agris esset præfectus. *Canes* admodum infesti sunt lupis, ac proinde Luperco accepti. Quæ autem Dii gratissima iis solent immolari. *Boxhorn. ad Plutarchum.* Erat Isidi sacer, & duo *canes* in imo hydriæ positi sunt incrementum Nili promoventes, duo hemisphæria, custodiamque accessus & recessus Solis designantes, ut docet Clemens Alexand. Strom. V. p. 567. B. Narrat Diodor. I. *Canem* Osiridi & Isidi corporis custodem fuisse, vel illum Isidi, quando Osirim investigabat, ducem & socium inquisitionis se præbuisse cum ululatu; ideoque in hujus Deæ festis *canes* pompam antecedere. *La Chausse ibid. Tab.* XXXV. Vorans rem nobis gratam ominosum. *Niphus de Augur.* I. 21. Ominosus etiam fuit illius ululatus. Dio XLV. p. 278. E. *Canes multi nocte cum in aliis Urbis locis, tum ad domum Lepidi Pontificis ulularunt:* tum inopinatus concursus & occursus. Terent. Phorm. IV. 4. 25.

Introiit in ædes ater alienus canis.

Horat. Od. III. 27. 1.

Impios parræ recinentis omen
Ducat, & prægnans canis.

Buleng. de Prodig. c. 37. Æsculapii adhibebatur templo, vel quod is uberibus *canis* sit nutritus, ut Festus, vel quod lingua *canis* ad ulcera sananda plurimum soleat conferre, ut *Boxhorn. in Plutarch. Quæst. Rom.* 93. In urbe Cyrenopoli a *canibus* dicta pro Deo habebatur. Strabo XVII. p. 558. *Sequitur Cyrenopolitana præfectura, & canum urbs, in qua Anubis colitur, & honor, & sacer quidam cultus est constitutus. Cane* mortuo non solum supercilia radebant

debant Ægyptii, ut fieri ſolitum in fele, ſed etiam totum corpus, quod maximi luctus erat indicium. Herod. in Euterpe & Lactant. de Falſ. Sap. c. 20. *La Chauſſe l. l.* Videtur quoque adhibitus in aucupio, qui perdices excitaret, & aſturibus objiceret. Firmic. v. 9. *Equorum nutritores, accipitrum, falconum, caterarumque avium, quæ ad aucupia pertinent. canum vertagorum, qui ſunt ad venationes accommodati.* Buleng. de Venat. c. 4. Miracula patraſſe dicitur. Zonar. & Cedren. in Juſtiniano: *Viſus eſt faber quidam nomine Andreas, habens ſecum canem rufum & cæcum, qui miracula patrabat:* &, cum ſtabat in turba, ſuos cuique annulos reddebat, & adulteros prægnanteſque indicabat. *Buleng. de Theatr.* I. 25. *Caſal. de Tragœd. c.* 2. Sepulcrum conſtituit Adrianus Imperator. Spartian. Adrian. c. 20. *Equos & canes ſic amavit, ut eis ſepulcra conſtitueret.* Buleng. de Circ. c. 60. Guther. de Jur. Man. II. 37. Ad rogum ſuorum trucidabant. Plin. Epiſt. IV. 2. 3. *Amiſſum luget inſane. Habebat puer mannulos multos & vinctos & ſolutos, habebat canes majores minoreſque. . . . . omnes Regulus circa rogum trucidavit, nec dolor erat ille, ſed oſtentatio doloris.* Moreſt. Pomp. Feral. VII. 4. Venaticus partem capiebat prædæ. Callim. Hymn. in Dian. n. 89.

—— Is, Pan, *carnes lyncis ſecabat*
Mænaliæ: ut ejus fœtæ canes eſcam comederent.

Grat. Cyneget. n. 247.

In partem prædæ veniet canis, & ſua norit
Præmia: ſic operi juvat inſerviſſe benigno.

Unde Ælian. de Anim. VIII. 2. *Canis omnis venaticus, ipſe ſibi capta fera plaudit, & prædæ parte, ut præmio, fruitur.* Spanhem. in Callimachum. Vlit. in Gratium. In ſacris primitus eſt mactatus. Unde in marmore Sylvano ſacro aræ adſtat puer illum loro trahens. *Tomaſ. de Donar. vet. c.* 26. Si œnuttam herbam ederit, furit. Ælian. Var. Hiſt. II. 40. *Buleng. de Conviv. Proluſ.* III. In rabioſi morſu frigidæ natatio optime facit: nam nullum magis præſentaneum hoc remedio habetur, quam ob eam cauſam aquas timentes, quos ideo ὑδροφόβους Græci appellant, invitos etiam & renitentes, in fontem, lacum, fluvium, vel in mare ad natatum projicere. Abominantur enim qui a *cane* rabioſo commorſi ſunt aquas, perinde ac in aquis ſpeciem ringentis *canis* aſpiciant, & vereantur. Exſtat ejus rei proverbium apud Lucianum: τί κοινὸν κυνὶ καὶ βαλανείῳ; ortum ex philoſopho quodam, qui jam aquam timere incipiens, invicto animo formidinem ſprevit, ac inſiliens in aquam, perſanatus eſt. *Baccius de Therm. Vet. c.* 25. Memorabilem de homine a *cane* rabido commorſo & perſanato hiſtoriam reliquit Plin. XXV. 2. *Inſanabilis ad hoſce annos fuit rabidi canis morſus, pavorem aquæ, potuſque omnis adferens odium. Nuper cujuſdam militantis in prætorio mater vidit in quiete, ut radicem ſylveſtris roſæ, quam cynorrhodon vocant, blanditam ſibi adſpectu pridie in fruteto mitteret filio ſuo bibendam. In Luſitania res gerebatur, Hiſpaniæ proxima parte: caſuque accidit, ut milite a morſu canis incipiente aquas expaveſcere, ſuperveniret epiſtola orantis, ut pareret religioni. Servatuſque eſt ex inſperato, & poſtea quiſquis auxilium ſimile tentavit.* Tomaſ. ibid. c. 35. Æreus Plinii ætate *erat in cella Junonis vulnus ſuum lambens: cujus eximium miraculum, & indiſcreta veri ſimilitudo non eo ſolum intelligitur, quod ibi dicata fuerat: verum & nova ſatiſdatione: nam ſumma nulla par videbatur: capite tutelarios cavere pro ea publici inſtituti fuit.* Tomaſ. ibid. c. 4.

Canis vocabatur etiam in talorum ludo jactus, qui omnium infeliciſſimus erat. *Rutgerſ. Var. Lect.* IV. 17. Tali latera ſuum ſingula numerum faciebant, latus quod unitatem habuit, *canis*, ſive *canicula* appellabatur. *Sabell. ad Suet. Aug. c.* 71. *n.* 5. *Senftleb. de Alea c.* 4. §. 9. Græcis κύων & χῖος. Heſychius: Κύων *ſignificat aleatoribus jactum quendam, qui & chius vocatur.* Pollux IX. 7. *Et unitatem ſignificans canis vocatur.* Meurſ. de Lud. Græc. p. 37. Souter. Palam. I. 28. Eo ſpectat Leonidæ Epigramma in Piſiſtratum:

Quid commentabor de te Piſiſtrate, Chium
Inſculptum tumulo quod videam aſtragalum.

Adde, quod Eubulus Comicus in Aleonibus κύλλωπα, ni fallor, dixit ab uno oculo monadi reſpondente. *Junius Anim.* II. 4. Jactus non fuerunt punctis diſtincti, aut figuris, ſed ſolo ſitu & laterum diverſitate. In ſimplici & ſenili ludo tres tantum jactus erant: & inde factum puto, quod quamvis tali quatuor latera haberent, quibus in cadendo inſiſtere poſſunt, fere tamen, cum jaciuntur, non niſi in duo cadere non ſemel experti ſumus, nempe latiora, ea ſcilicet parte, quæ cava, aut alia leviter protuberante, unde illa cous, ſive ſenio, iſta chius, ſive *canicula* dicta. In quo potius divinare licet, quam aliquid certi ſtatuere. *Canis* fuit, cum tali omnes ſurrexiſſent, ſive recto gradu ſtetiſſent, & in pedes, non, ut Lipſius Ant. Lect. I. 21. in dorſum ſubſiliiſſent. Nam Lucian. Amor. p. 885. de illo juvene Gnidio ſimulacri Veneris amatore. *Sin autem*, inquit, *paullo ſimplicius per menſam jeciſſet, ac tali id, quod abominabilius erat, ſurgendo reddidiſſent.* Ovid. Art. Amat. II. 206.

Damnoſi facito ſtent tibi ſæpe canes.

Triſt. II. 474.

Damnoſos effugiaſque canes.

Prop. IV. 9. 18.

Semper damnoſi ſubſiluere canes.

Nam quod Lucianus ait *ſurgere*, Ovidius *ſtare*, Propertius *ſubſilire* dixit. *Ferrar. Elect.* I. 16. Quia vero jactus erat infelix, eſt *damnoſus* laudatis auctoribus dictus. Et ob eandem cauſam Plaut. Curc. II. 3. 78. *vulturius*, quod pecuniam raperet, vulturi rapaci ſimilis. Unde Perſ. Sat. III. 49.

—— Damnoſa canicula quantum
Raderet.

Dicit vero Plautus: *jacit volturios quatuor*, id eſt, *caniculam*, jactum infeliciſſimum. *Ferrar. l. l. Meurſ. de Lud. Græc. p.* 38. *Souter. Palam.* I. 28. *Salden. Ot. Theol.* I. 7. 12. *Senftleb. de Alea* V. 2. *Boxhorn. Quæſt. Roman.* 28. *Tiraquell in Alex. Gen.* III. 21. *Buleng. de Lud. Vet. c.* 59. *Lipſ. Ant. Lect.* I. 21. *Maurit. de Sortit. c.* 10. §. 2. *Demſter. Paralip. ad Antiq. Roman. Roſin.* V. I.

Canis erat etiam vinculi genus, quod, ut furcam, geſtabant facinoroſi. Plaut. Caſ. II. 6. 37.

Ut quidem tu hodie canem & furcam feras.

Feſtus: *Catulus, genus quoddam vinculi, qui interdum canis appellatur.* Lomejer. de Luſtrat. c. 23. Cujac. Obſerv. XI. 22. *Canem ferre* apud Plautum eſt eſſe vinctum. *Catellum ferreum* per diminutionem dixit Curc. V. 3. 13.

Delicatum te hodie faciam cum catello ut accubes,
Ferreo ego dico.

Græci eodem modo σκύλακα vocant. Pollux X. 39. Δεσμὸς μὲν τοι σιδηροῦς καὶ σκύλαξ. *Turneb. Adv.* VII. 12.

CANISTRUM erat vas factum ex viminibus ſalicis. Pallad. R. R. XII. 17. *De ſalignis caniſtros fieri debere virgultis.* Ciſtulam & panariolum dicere poſſumus, in quo reponuntur per miniſtros, quæ cœnæ ſuperfuerunt. Horat. Sat. II. 6. 104.

Multaque de magna690 ſupereſſent fercula cœna,
Quæ procul exſtructis inerant heſterna caniſtris.

Eodem etiam panis in menſam portabatur apud antiquos, non autem, ut nunc, argenteis vaſculis, ut refert Donatus, enarrans Virg. Æneid. I. 705. *Grapald. de Part. dom.* II. 3. 51. *Voſſ. Lex. Etym.* Etiam illo neceſſaria ſacrificio deportabantur. V. ſupr. in *Canephoræ.* Vaſa illa coronabant floribus & ſertis. Tibull. I. 11. 27.

Hunc pura cum veſte ſequar: myrtoque caniſtra
Vincta geram, myrto vinctus & ipſe caput.

Paſchal. de Coron. IV. 19.

Caniſtra, ſiccaria dicebantur, quæ ſiccam menſam cuſtodiebant, & a liquore vini decidentis immunem. In *caniſtris* argenteis pocula ſolebant apponi, ne appoſita mappam, qua inſtrata erat menſa, vino inquinarent. Serv. Æneid. I. 170. *Similiter more antiquo dixit, quia veteribus*

non

non in manibus dabantur pocula, sed mensis imponebantur, ut hodie apud plures pocula in canistris argenteis apponuntur quæ canistra siccaria dicuntur. Auctor misc. def. pro Salmas. ad jus Attic. & Rom. p. 499.

CANNA mensura est, quæ constat ex palmis decem, instar decempedæ, qua aliqui ex antiquis usi sunt, ut meminerunt Cicer. pro Mil. c. 27. & Phil. xiv. 4. Suet. Aug. c. 24. n. 5. Frontinus de Limitibus. Pallad. ii. 12. ex decem palmis ideo, ut arbitror, constituta, quia is numerus receptiori sententia perfectus dicitur. In nostris municipalibus juribus *passus senatus*, eo quia senatusconsulto & certa lege ea mensura statuta sit, appellatur, qua etiam voce in mensurandis lignis, quæ ad comburendum emuntur, hodie quoque utimur: ligna enim passu mensurantur & venduntur, hoc modo: strues lignorum, quæ palmorum trium & semis longitudinis sint, construuntur, ita compositæ, ut neque ictu calcentur, neque transversariis aut fraude rarescant; quæ autem strues erit longitudinis palmorum decem, totidemque altitudinis, sive longitudinis palmorum viginti, altitudinis palmorum quinque, *passus* appellatur. Hæc autem mensura decem palmis divisa, & distincta olim in stipitibus portarum veterum palatiorum Senatoris, & Conservatorum, quæ in Capitolio sunt, insculpta erat. Hodie vero, illis in meliorem, augustioremque formam factis, in marmorea tabula, quam Conservatorum palatio poni curavi, Romæ conservatur. *Pætus de Romanor. & Græcor. mens. ii. Thes. Antiq. Roman. Græv. Tom. xi. p. 1622. D. Fabrett. de Aquæd. Thes. Antiq. Roman. Græv. Tom. iv. p. 1714. D.*

CANNEA pavimenta Latini nuncuparunt, quibus fistucæ, sive sublicæ subjiciuntur, teste Grapaldo de Part. ædif. ii. 1. §. 3. *Bergier. de viis Milit. ii. 15. §. 3.* Nec testis hic classicus est, nec Latini sic vocant, sed Itali hodierni. Audi Perott. Corn. cop. p. 147. edit. Basil. 1532. quem imperite sublegit Grapaldus. Apud veteres primo facta sunt pavimenta, quæ Barbarica sive Subtegulana vocantur, ex testis tusis, rudere & calce. In Italia fistucæ (intelligit paleas, filicem, arundines siccatas) subjiciebantur, propter quod *cannea* vocitata. Hæc ille. Nam *canna* Italis est arundo, æque ac *canna palustris* Latinis. *Henin. ad Bergierium.*

CANON regula dicitur. Inde effectum, ut certa pensio alicui prædio imposita *canon* vocetur leg. 1. C. de præd. Tamiac. quemadmodum id, quod ab emphyteuta domino solvitur leg. ult. §. sin autem C. de jure emphyteutico, & in Authent. qui rem C. de sacros. Eccles. Et *canonicum* dicitur, quod solitum est fieri. qua ratione & *canonica illatio* tributum vocatur, quæ quotannis pendi consuevit leg. placet. C. de sacros. Eccles. Quælibet provincia suum *canonem*, id est, indictam a Principe pecuniam pendebat. Sic Justinianus in Edict. 4. §. 1. ex *canone* Phœniciæ decem libras auri singulis annis Primicerio Notariorum solvi jubet. Exactæ enim ex vectigalibus & tributis pecuniæ, Præfectus prætorio partem ipse in provinciis retinebat; ut magistratibus eorumque officialibus & aliis salaria penderet. Novell. 128. §. 1. Arcæ quoque largitionum certam auri quantitatem inferri curabat, quæ *canon* vocabatur, quia ex more a provinciis exigi, & ad largitionum arcam mitti consueverat. Leo A. in leg. ult. C. de Can. largit. tit. *Si delegatio*, inquit, *quæ ab amplissima præfectura in diversas provincias ex more quotannis emittitur, minus contineat omnes largitionales titulos, nihilominus competentem exactionem procurari præcipimus.* Vocat *delegationem* scripturam P. P. quæ etsi minus contineat, quam largitionalibus titulis debeatur, nihilominus consuetam quantitatem vult solvi. Largitionibus enim destinata, uniformis esse videtur; quæ vero in provinciis a P. P. impendebantur, vix certa esse poterant. Justin. A. in Novell. 128. *Sancimus*, ait, *dispositiones functionum in auditorio cujusque diœceseos Præfectorum actis intervenientibus manifestari, & quid ex his in arcam inferri, & quid in unaquaque provincia expendi oportet.* Forma hæc observabatur. Præsides provinciarum singulo quadrimestri, exactam & subditis sibi civitatibus pecuniam, largitionibus destinatam, in tutum provinciæ oppidum, ad hoc electum, ad Thesaurensium Præpositum mittebant, & Principi tradebatur. Gratianus A. in leg. 1. C. de canone largit. *Pancirol. Notit. Dign. Imp. Orient. c. 77. Guther. de Offic. Dom. Aug. iii. 4. Bulenger. de Imp. Rom. vi. 11. Falconer. Epist. ad Datum Thes. Antiq. Roman. Græv. Tom. iv. p. 1490. C.*

Canon frumentarius erat annua frumentatio, vel apparatus omnis generis frugum, siliginis, tritici, ac avenæ. Proprie vero *canon* vocabatur annua frumentatio, quam Ægyptus, Africa & Sicilia statam populo Romano pendebant. Spartian. Sever. c. 8. *Rei frumentariæ ita consuluit ut excedens vita septem annorum canonem populo Romano relinqueret.* Lamprid. Heliog. c. 27. *Jusserat & canonem populi Romani unius anni meretricibus, lenonibus, exoletis intramuranis dari, extramuranis alio promisso, quum eo tempore juxta provisionem Severi & Trajani septem annorum canon frumentarius Romæ esset.* Laz. Comm. Reip. Rom. ii. 15. Falconer. Epist. ad Datum Thes. Antiq. Roman. Græv. Tom. iv. p. 1490. E. Buleng. de Vectig. c. 9. Hunc Augustum primum instituisse credibile est: hic enim, cum imperium nomine Principis recepisset, confecit rationarium, sive breviarium imperii, quo continebantur vires totius imperii, & in quo ratio introituum & expensarum deducta erat. Suet. Aug. c. 28. n. 4: c. 102. n. 7. Etiam id elici potest ex Tacit. Annal. vi. 13. 2. ubi cum Senatus & Magistratus populum Romanum, licentius de gravitate annonæ querentem, non coercuisset, Tiberius Patribus scribit, *quibus e provinciis, & quanto majorem, quam Augustus, rei frumentariæ copiam advectaret*, qua epistola tota frumenti ratio continebatur. Et aperte quantitatem frumenti, quod Ægyptus suppeditabat sub Augusto, definit Aurel. Vict. Epit. 1. 6. *Hujus tempore ex Ægypto Urbi annua ducenties centena millia frumenti inferebantur.* Burman. de Vectig. Dissert. 3.

Canon largitionum erat auri quantitas, quæ earum arcæ singulis annis ex provinciis inferri solet, quam postea ad varios usus Princeps destinabat. *Falconer. Epist. ad Datum Thes. Antiq. Roman. Græv. Tom. iv. p. 1490. D. Panciroll. Notit. Dign. Imp. Orient. c. 77. Lazius Comm. Reip. Rom. ii. 15.* V. supra in *Canon.*

Canon metallicus erat vectigal ex metallis Imperatori præstari solitum. Imperat. Valentin. & Valens leg. 2. C. de Metallariis. *Ob metallicum canonem, in quo propria consuetudo retinenda est, quatuordecim uncias balluca pro singulis libris constat inferri.* Burman. de Vectig. Dissert. 6.

Canon navicularius, seu navarchicus erat pensio navarchica, quam præstabant prædia naviculariorum, qui, licet constitutum fuerit Neronis temporibus, ne censibus negotiatorum adscriberentur, tributumque pro illis penderent, non tamen a tributis immunes fuerunt. Quod onus fundo cohærebat, & possessorem ita sequebatur, ut illa prædia naviculariæ functioni obnoxia, etiamsi ad Principem pervenissent, onere non solverentur. *Guther. de Offic. Dom. Aug. iii. 17.*

Canon vestium. De illo Valentin. leg. 1. C. de milit. veste. *Omnem*, inquit, *canonem vestium ex Kalendis Septembris usque ad Kalendas Aprilis nostris largitionibus tradi præcipimus.* Conferebatur autem pro singulis triginta jugeribus, aut viginti pro locorum consuetudine, singula vestis leg. 2. C. de milit. veste, aut pro singula veste aureus militibus solvendus leg. 3. ibid. Ex sex enim partibus vestium, quæ a gynæciariis texebantur, quinque dignioribus militibus in auro dabantur, id est, singulis singuli aurei. Sexta pars in specie, id est, ipsæ vestes gregariis, seu tyronibus tradebantur leg. ult. C. ibid. *Panciroll. Notit. Dign. Imp. Orient. c. 77. Guther. de Offic. Dom. Aug. iii. 16.*

Canon ab inferioris ævi scriptoribus de quovis tributo accipitur, quod populus olim Imperatoribus pendebat. Et hinc in linguam nostram vernaculam vocem *canonis* defluxisse crediderim, quo vectigal annuum persolvitur soli dominis ab his, qui in alieno solo ædificant. Cassiod. Var.

[illegible] 39. *Transmarinorum canonem, ubi non pauca fraus* [illegible] *locis intimatur, vos attente jubemus exigere.* [illegible] *quin etiam canonem nulla faciatis usurpatione* [illegible] Falconer. Epist. ad Datum Thes. Antiq. Roman. Græv. Tom. iv. 1490. F.

CANONICARII dicebantur, qui tributum exige[illegible]. Cassiod. Var. xii. 13. *Sacrilegis mentibus est familia-* [illegible] *Numerariorum nomine Canonicarii sub-* [illegible] Auth. [illegible] 128. Justinianus Imperator *Canonicarios* appellat *tributorum exactores.* Falconer. Epist. ad Datum Thes. Antiq. Roman. Græv. Tom. iv. p. 1491. C. Guther. de Offic. Dom. Aug. iii. 25. Buleng. de Imp. Rom. vi. 10.

CANTABRUM fuit vexilli species apud Imperatores Romanos. Min. Fel. Octav. p. 286. *Nam & signa ipsa, & cantabra, & vexilla castrorum, quid aliud quam inaurata* [illegible] *ornate?* Tertull. Apologet. c. 16. *Siparia* [illegible] *brorum stolæ crucium sunt.* De Fresne in [illegible]. Cujac. Observ. xi [illegible]. Turneb. Adv. xv. 16. Lips. Epist. Quæst. v. 9. Stewech. in Veget. iii. 17. Lyd. Synt. de Milit. iii. 7. Quæ differentia sit inter vexilla & *cantabra*, ex Septimio colligitur. Vexilla vela sunt parva, colore quæque suo militibus nota. *Cantabra* vexilla sunt, quæ non tantum colore militibus erant pro signo, sed & carmine seu nomine aliquo inscripta cantabant, sive significabant illis quid grati & jucundi. *Cantabra* omnia erant vexilla: sed non omnia vexilla erant *cantabra.* Notabilis est locus Dion. xl. p. 128. E. *Vexillum quoddam ex eorum numero, quæ magna velorumque similia sunt, inscriptum puniceis literis ad notitiam exercitus Imperatorisque faciendum, inversum vi vehementis venti a ponte in flumen decidit.* Rigalt. in Minucium. Quo modo differat a labaro. V. infr. in *Labarum.* Baron. Annal. Eccles. i. anno salut. 312. c. 5. La Chausse de Sign. Thes. Antiq. Roman. Græv. Tom. x. p. 1531. A.

CANTARE dicebant veteres proprie de magico carmine, cujus effectus excantatio, occantatio, obligatio. Apulejus primi nominis magus, & carminis sepulcralis perdoctus magister, nullo carmine decantatum in asinum se commutatum miratur Metam. iii. p. 91. *Guther. de Jur. Pontif.* iv. 9.

Cantare est proprium tragœdorum, ut *saltare* histrionum. *Cantare* fabulam dicebatur tragœdus, eandem *saltare* histrio. Suet. Cal. c. 54. n. 2. *Threx & auriga, idem cantor atque saltator.* Qui per *cantorem* tragœdum intelligit, per *saltatorem* histrionem. Errant qui hæc confundunt, & histrionem pro tragœdo & actore fabularum accipiunt. Veteres enim hæc distinxerunt, & histrionem quidem pantomimum appellarunt, tragœdum vero qui fabulas exprimit *canendo*, quod proprie facit tragœdus, ut histrio alio modo fabulas agit, nempe *saltando.* Suet. ibid. n. 4. [illegible] *voluptate ita efferebatur, ut ne publicis quidem spectaculis temperaret, quo minus & tragœdo pronuntianti concineret; & gestum histrionis quasi laudans, vel corrigens palam effingeret.* Hinc *cantare* fabulam dicitur tragœdus, quam agit Nero apud Suet. c. 21. n. 6. & 7: c. 46. n. 9. Hinc licet colligere, quare dixerit Horat. Art. Poet. n. 155.

— donec cantor, vos plaudite, dicat.

Ubi per *cantorem* tragœdum intelligimus, quem *cantorem tragicum* appellavit Prudent. contr. Symm. ii. 646.

Ut tragicus cantor ligno tegit ora cavato.

Græci etiam recentiores τραγῳδεῖν *cantare* dixerunt. Scholiastes Theocriti aliquot locis τραγῳδεῖν μέλπειν exponit. Glossæ veteres: *Cantatores*, τραγῳδηταί. *Salmas. Vopisc. Aurel. c. 7. & 42. Carin. c. 19. Gronov. in Liv.* vii. 2.

CANTHARUS fuit vas vinarium, *Voss. Lex. Etymol. Donat. Dilucid. in Pollion. p.* 1011. *Baccius de Conviv.* iv. *p.* 168. Forsitan ad dimidii ovi speciem. Et quidem ansatum. Virg. Ecl. vi. 17,

Et gravis attrita pendebat cantharus ansa.

Gravem dicit, quod magnus esset. *Cantharus*, ut narrant Plin. xxxiii. 11. & Val. Max. vi. 3. *C. Marius post victoriam Cimbricam potasse Liberi Patris exemplo traditur.* Aleand. Tab. Heliac. Expos. Thes. Antiq. Roman. Græv. Tom. v. p. 712. C. Ursin. Append. ad Ciaccon. de Triclin. p. 368. Casaub. de Satyr. poes. i. 2. Erat enim vas Baccho sacrum. Macrob. Sat. v. 21. *Virgilius aptissime cantharum Liberi Patris proprium poculum assignat Sileno.* In antiqua inscriptione Arimini mentio est Bacchi statuæ cum *canthāro.* Et Sidonius Baccho triumphanti *cantharum* dextræ applicat, quasi præcipuum gestamen:

Cantharus & thyrsus dextra lævaque feruntur.

Aleander l. l. *Cantharum* etiam Diis veteres sacrabant. Apulej. Metam. ix. p. 277. *Cantharoque & ipso simulacro, quod gerebam, apud fani donarium redditis ac consecratis.* Tomasin. de Donar. c. 4.

Cantharus dicebatur etiam vas ad poculi Bacchi similitudinem, quo exportabantur exponendi. Terent. Andr. iv. 4. 30.

— vidi cantharum
Suffarcinatum.

Ubi *canthara* non *est nomen anus*, ut inepte Donatus. Cur enim adferri diceretur, & non pedibus suis incedere? sed potius *corbis*, ut recte Eugraphius, *quasi supponendo puero repleta.* In Græcia mos fuit, cujus ritus comœdia palliata, qualis hæc est, imitari debet, ut liberos in vasis fictilibus ad compita exponerent, quo magis obvii inventu, & faciliores asportatu essent, si quis eos forte educare non gravaretur. Aristophanes de Oedipode exposito in Ranis.

Qui mox ut alvo matris esset editus,
In vase fictili per hyemem exponitur.

Nann. Miscell. i. 2. Demster. Paral. ad Rosin. Ant. Rom. i. 1. Bartholin. P. & F. de Puerper. p. 87. 88. Lindenbr. in Terentium.

Cantharus erat vas fontis, vel e vase emanans aqua, quæ subterraneis meatibus per fornices & fistulas decurrit plumbeas. Ora fontium vario ordine & forma constructa in fronte detinebant conchas, simulacra numinum, vel animalia efficta, quæ oculis, pectore, vel ore lymphas prosilientes evomebant, apud Romanos deliciæ cantatissimæ, ornamenta vel privata, vel publica in plateis, & viridariis, quæ multiplici numero ex aquæductibus, & formis, longo tramite ducebantur. Inscriptio restituti fontis Romæ:

PERDIDERAT. LATICUM. LONGÆ-
VA. INCURIA. CURSUS
QUOS. TIBI. NUNC. PLENO. CAN-
THARUS. ORE. VOMIT.

Ennod. Ticinens. Epigr. xix.

Aspice deposita blandum feritate leonem,
Ore vomit lymphas, pectoris obsequio.
Effera dum vitreos effundunt guttura fontes:
Naturam perdens, bellua nos satiat.

Ferrett. Mus. Lapid. ii. Memor. 32. Brod. Miscell. x. 13. Voss. Lex. Etymol.

Cantharus dicebatur annulus, seu marculus ferreus, quo fores pulsantur. Plaut. Men. i. 2, 63.

—, jam fores ferio? MS. feri:
Vel mane etiam. PE. *mill. passuum commoratus es cantharum.*

Pius Annot. post. c. 5. Voss. Lex. Etymol. Almelov. Conject. p. 149. Sagittar. de Jan. vet. c. 16. §. 7.

CANTHERIUS vocatur equus, cui ferociæ minuendæ gratia exsectione animus cum virilitate adimitur. Hoc vulgo fit quibusdam in locis, ubi promiscue pascuntur armenta equorum, ut placide & mansuete castrati una versentur. *Camerar. de Equis cur. Ant. Græc. Gron. Tom.* xi. *p.* 816. *D. Distat hoc ab equo, quod majalis a verre, capus a gallo, vervex ab ariete. Est enim equus, cui testiculi amputantur.* Festus. *Propter quod discrimen maxime institutum, ut castrentur equi. Demptis enim testiculis fiunt quietiores: &*

idea

ideo quod semine carent, ii cantherii appellati, ut in suibus majales, gallis gallinaceis capi. Varr. de Re Rust. II. 7. Equum in circo currentem *cantherium* vocat Arnob. VII. p. 245. *Quis cantherios de velocitate certantes, replicantes gyros septem: & quos dissimiles ipse corporum esse in mobilitate voluisses, eos tamen gaudere transiri, pronos & cernuos ruere, cum curribus resupinos verti, trahi alios cruribus & claudicare præfractis.* . . . Panvin. de Lud. Circ. II. 13.

Cantherius dicebatur simplex vineæ jugum, hoc est, arundines binæ viti applicatæ cum pertica transversa: quæ ut *cantherius* tergo suo onus, ita jugum hoc vineam sustinet. Colum. IV. 12. *Itaque aut veteres arundines binas singulis vitibus applicabimus: aut si regionis conditio permittit, vetera deponemus hastilia, quibus adnectuntur singulæ transversæ perticæ in imam partem ordinis, quod genus jugi cantherium vocant rustici.* Plin. XVII. 21. *Simplici jugo constat porrecto ordine, quem cantherium appellant.* Hinc vites *cantheriatæ*, quæ pedamentis *cantheriisque* jugantur. Colum. V. 4. *Deinde quæ pedaminibus adnixæ singulis jugis imponuntur, eas rustici cantheriatas appellant.* Voss. I ex. Etymol. Donat. Dilucid. p. 1630. Scheffer. de Re Vehic. II. 2.

Cantherius vocatur in architectura tignum tecti oblongum, a culmine ad imum tectum ductum, quod, si longius promineat, constituit suggrundam, hoc est partem tecti prominentem, quæ efficit, ne parietibus damnum inferatur a pluviis. Vitruv. IV. 2. *Et transtra, & capreoli, columen, & cantheris prominentes ad extremam subgrundationem.* Voss. Lex. Etymol. Philander in Vitruvium. Nostrates materiarii caballos dicunt, nec abs re. Pondera enim templorum, & universæ fere contignationis & tecti sustinent. Nec abluit Latina dictio, quæ alias castratum caballum denotat. Nos Urbinates veteri vocabulo *biscanterios* trabeationes illas dicimus, quæ transtro monacho arrectariove, & duobus *cantheriis* constant. *Baldus Lexic. Vitruv.* Nec dubito, quin posterioribus Græcis similiter καβάλλης dictus sit. Nam in Glossis Latino-Græcis legas: *Cantherius,* καβάλλης μηχανικός. *Voss. Lex. Etymol.*

Cantherius dicitur homo bajulus, qui certa machina clitellis non absimili, gestaret onera in dorso. Pomponius de homine: *Magnus manducus, camillus cantherius.* Convenit, quod vocet magnum manducum, hoc est, hominem voracem: tales namque plurimum consueverunt esse isti geruli, propter magnitudinem laborum. *Scheffer. de Re Vehic. II. 2. Turneb. Adv.* XVIII. 23.

CANTHUS est circulus ferreus, quo apsis, sive rotæ curvatura munitur. Suidas: *Episotra, canthi, ferramenta in summo rotarum.* Ante Persium ea voce usus est nemo. Utitur illa Sat. V. 70.

> — *quamvis temone sub uno*
> *Vertentem sese frustra sectabere canthum.*

Persium secutus est Mart. XIV. 168. 2.

> *Iste trochus pueris, at mihi canthus erit.*

Et ideo notatur Persius ab antiquis criticis. Quintil. Inst. Orat. I. 5. *Barbarismum pluribus modis accipimus: unum gente, quale si quis Afrum, vel Hispanum Latinæ orationi nomen inserat, ut ferrum, quo rotæ vinciuntur, dici solet canthus: quanquam eo tanquam recepto utitur Persius.* Non agnoscit hanc vocem pro Græca Quintilianus: neque nos sane apud ullum e veteribus Græcis id verbi meminimus legere: etsi Grammatici Græci utantur, sed tanquam petito e vulgi sermone. *Casaub. ad Persium. Voss. Lex. Etymol. Scheffer. de Re Vehic. I. 6. Petus de Roman. & Græcor. Mens. III. Thes. Antiq. Roman. Grav. Tom. XI. p. 1646. F. Buleng. de lud. vet. c. 3.*

CANTICUM dicebatur proprie de mimis. *Cantica,* quæ & posterior ætas soliloquia appellavit, ubi unus tantum introducitur loquens. Liv. VII. 2. *Canticum egisse aliquanto magis vigenti motu.* Suet. Cal. c. 54. n. 6. *Ac desaltato cantico abiit* Pitisc. in Suetonium. *Cantica* Græcorum erant varii generis. Interponebantur non modo ad voluptatem populi, sed vel maxime ad levandos actores. Vitruv. Præfat. V: *Græci quoque Poetæ comici interponentes e choro canticum, diviserunt spatia fabularum.* Legendus Athen. XIV. de *canticis* ejuscemodi. Cæterum in theatro temperabantur modis, non a Poeta, sed a perito artis musicæ factis. Neque enim omnia iisdem modis agebantur in uno *cantico,* sed sæpe mutatis, cum tres sint numeri, qui tres *cantici* mutatos modos continent, ut ait Donatus. *Buleng. de Theatr.* II. 12.

CANTILENÆ fuere res erant carmina, quæ modulabantur [illegible]. Et duplex erat genus carminis: unum, quo gesta illius & virtutes canebantur: & alterum, quo ad luctum doloremque, quod næniam vocabant, ut lacrymas excitarent. *Ferret. Mus. Lapid.* I. *A*[illegible] *26. Laz. Comm. Reip. Rom.* III. 18.

CANTILENA nautica. V. illam infr. in *Symphonia.*

CANUSIUM & Cannas qui unum eundemque locum esse volunt, errant. Ex Cannensi enim clade pauci *Canusium* perfugerunt: quo & Varro reliquas copias traduxit: mœnibusque se certe, si non armis, defensurus. Liv. XXII. 50. Situm fuit ad Aufidi ripam viginti quinque stadia supra Cannas. *Cluver. Ital. Ant.* IV. 8. *Pan*[illegible] *Digr. Imp. Occident. c.* 37.

CAP.

CAPEDO non est εὐρυχωρία, ut voluit Johannes Morisotus, qui vixit anno 1550. variis libris editis clarus, qui in convertendis in Græcam linguam paradoxis exemplo Gazæ & Maximi Planudæ multum operæ posuisse voluit videri. Vox hæc significat latifundia, & ampla spatiosaque loca. Sed hoc procul extra sententiam Ciceronis. Cui vas fuit sacrificale fictile, a Numa relictum. Cic. Parad. I. *Quid autem Numæ Pompilius, minusne gratas diis immortalibus capedines, ac* [illegible] *quam plenas aliorum pateras fuisse arbitramur.* Nat. Deor. III. 17. *Docebo meliora me didicisse de colendis Diis immortalibus jure Pontificio, & more majorum, quam capedunculis, quas Numa nobis reliquit.* Fuit vas ansatum, atque ita facile prehendi potuit. *Junius Anim.* II. 10. *La*[illegible] *Consecr. Jul. Cæs. Miscell. Fr*[illegible] *Ital.* I. *p.* 360. *Sigon. de Nomin. Roman. Thes. Antiq. Roman. Grav. Tom.* II. *p.* 1979. *D. Emend.* II. 34. *Turneb. Adv.* XX. 20. *Voss. Lex. Etymol.*

CAPELLIATICUM, καπελιατικόν, erat tributum, quod caupones pro sua caupona solvebant. *Buleng. de Vectig. c.* 83. & 88.

CAPENA creditur fuisse urbs cum luco & templo Feroniæ ad ripam Tiberis, inter agrum Faliscum & Vejentem. Hodie *Canepina.* Albert. Descr. Ital. p. 120. Cluver. Ital. Ant. II. 3. 46. Hennin. ad Bergier. de viis Milit. II. 33. 3.

CAPER immolabatur Baccho. Ovidius. V. illum supr. in *Bacchus.* Æneum pestilentia sedata Apollini pro dono misit Cleones, ut auctor est Pausan. Phocic. p. 327. *Tomas. de Donar. c.* 4.

CAPILLAMENTUM est coma adscititia, & ex alienis *capillis* consuta. Tertull. de cult. femin. c. 7. *Affigitis nescio quas enormitates sutilium capillamentorum, nunc in galeri modum, quasi in vaginam capitis, & operculum verticis, nunc in cervicem retro suggestum.* Petron. c. 70. *Sevocatumque me non minus decoro exornavit capillamento.* Junius de Coma c. 1. Raynaud. de Pil. & cæt. cap. tegm. Sect. 3. Tiraquell. in III. leg. Connub. Gloss. I. p. 31 n. 27. Gonsal. in Petronium. Imo non quæcunque est apposita coma, sed prolixior, longior, similisque prope femineæ. Nam *capillus* est coma paullo longior, ut cum virilis etiam promittitur. Juven. Sat. V. 30.

> *Ipse capillato diffusum consule potat.*

Suet. Cal. c. 11. n. 1. *Ganeas, atque adulteria capillamento celatus, & veste longa noctibus obibat.* Vestem longam gessit Caligula, ut stolam mulier solet ad pedes demissam, ne agnosceretur: & *capillamentum* sumpsisse virili longius, simileque muliebri, aut Maurorum & Hispanorum promissis crinibus. *Turneb. Adv.* I. 17.

CAPILLATI vocabantur impuberes, sive qui ad generationem erant inepti. Nam pueri olim non radeban-

tur; sed comas alebant signum impubertatis. V. infr. in *Pueri*.

CAPILLATURA mulierum. V. illam in *Comam struere*.

CAPILLOS navigantes tempestate urgente fusis precibus evellebant. Scribit in vita sua Libanius. Imo rescissos in fluctus ejiciebant votis Neptunum placaturi. V. infr. in *Naufragi*. Hi etiam, quibus aliquid acciderat, quo tristiores fierent, solebant aut radi, ut notant Plutarch. de Superstit. & Senec. de Ben. v. 6. Et dicebatur tonsura lugubris, quasi ἐν χρῷ κουρά. Aut *capillos* summittere, sordidoque *capillo*, & promisso, sive demisso prodire, ut narrat Plin. VII. 27. Unde Senec. Troad. I. 84.

> *Solvite crinem: per colla fluant*
> *Mœsta capilli.*

Hotoman. de vet. rit. nupt. c. 17. Similiter & capitalis criminis reus absolutus tondebatur apud Romanos, antequam Capitolium ascenderet. Mart. II. 74. 3.

> *Ad alta tonsum templa cum reum misit.*

Tomas. de Donar. c. 11. Pollet. For. Rom. II. 13. Captivorum *capillos* reducere, id est, manu arreptos retrahere cum capite solebant veteres. Suet. Vitell. c. 17. n. 2. *Religatis post terga manibus, injecto cervicibus laqueo, veste discissa, seminudus in forum tractus est, reducta coma a capite, ceu noxii solent, atque etiam mento mucrone gladii subjecto, ut visendam præberet faciem, neve submitteret.* Pollet. ibid. v. 19. Pitisc. in Suetonium. Detonsos fluminibus aut Diis consecrabant. V. infr. in *Coma*. *Capillis* passis, solutis & demissis mulieres Diis supplicabant. Ovid. Fast. IV. 17.

> *— Vultus in imagine Divæ*
> *Figit, & hos edit, crine jacente, sonos*
> *Supplicis, alma, tuæ genetrix fœcunda Deorum.*
> *Accipe sub certa conditione preces.*

Tibul. I. 3. 31.

> *Bisque die resoluta comas tibi dicere laudes*
> *Insignis turba debeat in Pharia.*

Brisson. de Form. I. p. 40. Morti proximos a Proserpina primum tonderi, & his quasi primitiis Orco initiari: nec aliter diem suum obire posse existimabant antiqui. Virgilius quidem Didonis difficulter morientis causam hanc edicit Æneid. IV. 698.

> *Nondum illi flavum Proserpina vertice crinem*
> *Abstulerat, Stygioque caput damnaverat Orco.*

Quæ & postea effecit opera Iridis n. 704.

> *Sic ait: & dextra crinem secat: omnis & una*
> *Dilapsus calor, atque in ventos vita recessit.*

Horat. Od. I. 28. 19.

> *Mista senum ac juvenum densantur funera: nullum*
> *Sæva caput Proserpina fugit.*

Eurip. Alcest. n. 74.

> *Hæc enim mulier descendet in Plutonis domum.*
> *Accedo autem ad eam, ut gladio sacra auspicer:*
> *Ille enim est sacer diis inferis,*
> *Cujus hic gladius lustrarit capillum capitis.*

Scholiastes ad n. 75. *Quoniam mos obtinet, mortem morituri comam resecare.* Ad ipsum quoque morem quod pertinet, ejus rei causam justam nondum comminisci potui: nisi forte per crines antiqui vires cujusque, ac robur constare crediderint; ita ut iis ablatis in alterius jam potestatem facile quis veniret: quemadmodum de Simsone narrant sacræ literæ, de Niso ac Pterelao poetæ. Nec abhorrent hinc quotidiana veneficarum exempla, quas nullis ajunt tormentis, donec desectus fuerit *capillus*, domari. *Canter. Nov. Lect.* IV. 20. *Turneb. Adv.* XIX. 17. *Saubert. de Sacrif.* c. 10. *Barnes ad Euripidem.* In recordationem & pignus amoris defunctis ad sepulcra ponebant, vel super ipsorum pectora imponebant. Prop. I. 17. 21.

> *Illa meo caros donasset funere crines.*

Max. Tyr. Dissert. VIII. *Comam, ultimum quod jam sepulto donari potest* vocat *munus*. Dionys. Halic. XI. p. 720. scribit virgines feminasque cum funus duceretur filiæ Virginii, in ejus lectum *vittas virginalis comæ & detonsos crinium tortorum cincinnos* conjecisse. Petron. c. 71. *Laceravit vehementius pectus, ruptosque crines super pectus jacentis imposuit.* Kirchmann. de Fun. Roman. II. 15. Ferret. Mus. Lapid. II. Memor. I. Herald. Adv. I. 9. Meurs. de Fun. c. 26. Morestell. Pomp. Feral. II. 32. Goral. in Albinov. I. 98. Tomas. l. l. Interea dum ædes funestæ erant, & dum fieret πρόθεσις ejus, qui obierat, *capilli* de ipsius defuncti capite secti foribus appendi solebant. Euripid. Alcest. n. 101.

> *Comaque nulla ad vestibulum secta*
> *Est, quæ profecto accidunt in luctu mortuorum.*

Kirchman. ibid. I. 14. Morestell. Pomp. Feral. I. 20. In luctu *capillos* solvebant, & circum colla fluitantes spargebant. Liv. I. 26. Soror Horatiorum *solvit crines, & flebiliter nomine sponsum mortuum appellat.* Ovid. Fast. II. 813.

> *— passis sedet illa capillis,*
> *Ut solet ad nati mater itura rogum.*

Plutarchus in Problematibus testatur filias *solutis crinibus* funus fuisse prosequutas. Ipsi viri, si qui comam alerent. Albinovan. in Epiced. Drusi n. 85.

> *Vidimus attonitum fraterna morte Neronem*
> *Pallida projecta flere per ora coma.*

Kirchman. ibid. II. 12. Morestell. ibid. II. 34. Pulveris, cinerumque aspergine sordidabant. Achilles apud Homer. Σ. n. 23.

> *Ambabus autem manibus sublatos cineres*
> *Fudit super caput.*

Virg. Æneid. XII. 609.

> *Demittunt mentes, it scissa veste Latinus*
> *Conjugis attonitus fatis urbisque ruina*
> *Canitiem immundo perfusam pulvere turpans.*

Catull. LXIV. 224.

> *Canitiem terra atque infuso pulvere fœdans.*

Kirchman. l. l. Morestell. ibid. c. 35. Lacerabant & evellebant. Cicer. Tuscul. Quæst. III. 26. *Hinc ille Agamemnon Homericus, & idem Accianus,*

> *Scindens dolore identidem intonsam comam.*

In quo facetum illud Bionis, perinde stultissimum Regem in luctu capillum sibi evellere, quasi calvitio mœror levaretur. Et apud Curt. X. 5. 19. *laceratis crinibus humi corpus abjecit* Darii mater. *Kirchmann. l. l. Morestell. ibid.* c. 30. Casus suos *capillo* summisso lugebant. V. supr. in *Barba*. Meretricum erat flavus. V. infr. in *Meretrices*. Matronarum cujus fuerit coloris. V. infr. in *Matrona*.

CAPIS colonia fuit Romanorum. Frontinus: *Capis coloniæ pro æstimio ubertatis, & natura locorum sunt agri adsignati, nam termini in variis locis sunt positi.* Panvin. Imp. Roman. c. 11.

Capis fuit vas potorium, ansatum, ut prehendi posset, id est, capi. Varro de Ling. Lat. IV. 26. *A quo illo capis, & minores capulæ a capiendo, quod ansatæ, ut prehendi possent, id est, capi. Harum figuras in vasis sacris ligneas & fictiles antiquas etiam nunc videmus.* Ursin. Append. ad Ciaccon. de Triclin. p. 297. Baccius de Vin. & Conviv. p. 169. Voss. Lex. Etymol.

CAPISTERIUM erat cribrum, vel ventilabrum, quo semina rustici purgabant. Colum. II. 9. *Cum rursus amplior messis provenerit, quicquid exteretur, capisterio expurgandum erit, & semper quod propter magnitudinem ac pondus in imo subsederit, ad semen reservandum.* Voss. Lex. Etymol.

CAPISTRUM est vinculum capitis, quod mulis, jumentis, bobus & cuicunque animali adhibetur, ne fugiant. Mart. I. 105. 7.

> *Paret purpureus aper capistris.*

Item quod circa os involvitur, ne cibos decerpant. Plin. XVIII. 19. *Si inter arbores vitesque aretur, fiscellis capistra-*

ri

ri boves oportet, ne germinum tenera decerpant. Perott. Cornu cop. p. 907. Hugo de Milit. Equeſt. I. 3. Voſſ. Lex. Etymol. Scheffer. de Re Vehic. I. 13.

Capiſtrum erat vinculum, quo vineæ *capiuntur* & ligantur. Colum. IV. 12. *Cum ad ſummum palum vitis extenta eſt, capiſtro conſtringitur, ne fœtu gravata ſubſidat, curveturque.* Voſſ. Lex. Etymol.

Capiſtrum videtur etiam dici retinaculum, quo prælum tanquam freno capitur, cum ducendum eſt, aut torquendum, vel potius ſubducendum. Cato de Re Ruſt. c. 12. *In torcularium quæ opus ſunt vaſis capiſtra quinque.* Turneb. Adv. VIII. 6. Voſſ. Lex. Etymol.

Capiſtrum erat quoque vinculum ex pelle factum, quod ori circumligabatur. Heſychius: φορβεία ἡ αὐλητικὴ ςομίς. Non erat fibula, ſed vinculum ex pellibus factum, quo labra & os conſtringebantur, relicta rima, per quam tibiarum lingula ori poſſet immitti. Unde de Marſya, ubi cum Apolline certamen iniret, Plutarch. Sympoſ. VII. 8. *Capiſtro & tibiis os ſibi præcludens auſus eſt decertare.* Hujuſcemodi *capiſtra* non ſemper in uſu fuerunt, cum in variis tibicinibus, qui in ſacrificiis & conviviis veterum & paſſim alibi inflatis buccis conſpiciuntur, non appareant. Licet ſuſpicari, illos tantum ori circumligata hac pelle ceciniſſe in certaminibus muſicis: ubi & majori arte & niſu opus, & debita proportione ſpiritus moderandus eſſet. Neque tamen & alias uſui fuiſſe inficias ivero. Saltem hanc conjecturam in certaminibus confirmat Ariſtoph. in Veſp. p. 470.

Tum tibicen, ſi victor litis abit, grates agit ipſis
Judicibus, & egreſſis canit ori circum pelle ligata.

Uſus *capiſtri* neutiquam fuit, ut fœditatem oris tegeret, & hoc tumentes buccas abſconderent tibicines, ne res oculis ingrata eſſet, ut nonnulli autumant; ſed ne labrum ſcinderetur; quem finem adducit Suidas. Et quia magno niſu tibiæ flatu implendæ erant, tali *capiſtro* opus habuere, quod genas ambiret ad canentis robur. Præterea immodicum ſpiritum coercebat, & attemperabat, ut moderatus exiret, & ſuavem tibiæ cantum efficeret. Ita Scholiaſt. Ariſtoph. l. l. φορβειαὶ δέσματα τὰ περὶ τὸ ςόμα τῶν αὐλητῶν προσδεσμευόμενα, ὅπως ἂν σύμμετρον τὸ πνεῦμα πεμπόμενον ἡδεῖαν τὴν φωνὴν τοῦ αὐλοῦ ποιήσῃ. Etiam ut inæqualitatem oris abſconderet. Plutarch. de Ira p. 456. B. ubi de Marſya inquit: *Capiſtro quodam & integumento, φορβειᾷ καὶ περιςομίοις, circa os ſpiritum, qui rapide & violenter perrumpebat, coercuit, & vultus inæqualitatem abſcondit.* Sed uſus præcipuus ac primus fuiſſe videtur, ut impetum ſpiritus exciperet, & eum juſte moderaretur. Unde qui immoderate ſpiritu utebantur in tibiis inflandis, eos ſine *capiſtro* flare Græci dicebant. Sophocles.

Non jam ille modicas ore inſpirat tibias,
Sed ſine capiſtro enormibus flat follibus.

Bartholin. de Tib. III. 4. Salmaſ. Exercit. Plinian. p. 585. E.

CAPITA, ſive *Capitum* appellatur a viris doctis vectigal, quia in numerum *capitum* equorum definiebatur. Conſiſtebat hoc in ſubminiſtrando fœno ſtabulis Imperatoriis, unde equitibus & eorum ducibus depromebatur. Hinc in leg. 9. Cod. Juſtin. & leg. ult. C. Theod. de jur. fiſc. mentio fit ſuſceptorum, quos vectigalium & tributorum exactores fuiſſe, amplius docebimus infr. in *Suſceptores*, qui familiæ pabula & ſumptus miniſtrant. Extraordinarii vero & ſummi honoris documentum erat, ſi Imperator alicui in urbe Roma pabula & ſumptus decerneret; pabula dabantur, ut jumenta, quæ quis ſecum adduxerat, inde publicis impenſis alerentur, ſumptus in hominum alimentum Imperatores largiebantur: unde hæc duo plurimum conjunctim data legimus. Sic *Valerianus Aureliano, quamdiu Romæ fuit, pabula extra ordinem decrevit, & ad ſumptus aureos Antonianos diurnos duos*, tradente Vopiſco Aurel. c. 9. Ultra fœni præſtationem, ad quam prata obligata erant, tenebantur etiam provinciæ, in quibus commoda pabula erant, militibus hybernantibus ea dare. Hoc colligo ex Trebell. Poll. trig. tyr. §. 18. Ubi Valerianus Ragonio Claro præfecto Illyrici & Galliarum ſcribit, *ut diſpoſitionem Baliſtæ proſequeretur, ne provinciales gravet, ſed illic equos contineat, ubi ſunt pabula.* Burmann. Diſſert. de Vectig. c. 4.

CAPITATIO dicitur Appian. in Syriac. p. 119. φόρος τῶν σωμάτων, *tributum corporum.* Græci nonnunquam pecunias pro capitibus, ψυχικὰ δημόσια, *animales functiones* appellant. Cenſum Heſychius ἐπικεφάλαιον. Vet. gloſſ. *tributum capitulare.* C. Theod. leg. 14. de extraord. ſive ſord. mun. dicitur *capitularia functio.* leg. 15. *capituli neceſſitas.* leg. 18. *capituli onus.* *Capitula gravia* appellat Greg. Magn. l. I. c. I. ind. 9. epiſt. 47. Tertull. Apolog. *Hominum capita ſtipendio cenſa* Ictus l. 3. ff. de cenſibus *tributum capitis.* Plutarchus de puer. inſtit. p. 11. B. Τὸ κατὰ κεφαλὴν εἰσφερόμενον. Jus Orientale de Imperatore ait, *inſpicere & deſcribere pueros juſſit naſcentes, ut exigeretur capitatio.* Zonaras: *Edicens ut capitis tributum Judæorum more ſolveretur.* Unde apparet aliquid in *capita* penſitatum eſſe, cum Chriſtus pro *capite* ſuo ſolverit, cui nulli agri fuere: & aliud eſſe tributum pro *capite*, aliud pro æſtimatione bonorum, quanquam interdum utrumque tributum pro capite & ex cenſu conjunctim ſolutum eſt. Appian. Lybicis. *Aliis indixerunt tributum in agros & corpora.* Joſephus in Judæa cenſeri ſcribit ſeptingentas & quinquaginta hominum myriadas, idque liquere ex tributo quod ſinguli in *capita* pendunt. Romæ ante Servium Regem tributum *capitis* ſolutum eſt, qui cenſum primus inſtituit, & iterum a Tarquinio Superbo tributum *capitis* reſtitutum narrante Dionyſio IV. *Buleng. de Vectig.* c. 17. *Laz. Comm. Reip. Rom.* IV. 7. *Du Freſne Gloſſario. Caſal. de Urb. ac Roman. Imper. ſplend.* p. I. c. 3. Nota erat captivitatis. Tertullian. Apolog. c. 13. *Agri tributo onuſti, viliores: & hominum capita ſtipendio cenſa, ignobiliora. nam hæ ſunt notæ captivitatis.* Uſurpatum hoc in vere victos, & vi ſubditos: olim quidem, ſed Imperatores, & ipſe Auguſtus produxerunt, & valde dilatarunt. Ac *capitum*, vel *capitationis* ſatis frequens mentio in poſteriorum ſcriptorum, ſed & juris libris: ubi non hominum ſolum *capita*, ſed & animalium leges: & quædam, quæ fateor in ſubnubilo mihi eſſe. *Lipſius*, qui hæc fuſius, quam hæc charta admittat, perſequitur de *Magnit. Rom.* II. 2. & 3.

Capitatio prædiorum vocatur jugatio, jugeratio, quia, ut ait Varro, alii jugis, alii jugeris metiuntur. Ex quibus verbis aliquid inter jugationem & jugerationem intereſſe putes. Jugatio, ζεῦγος, jugatio cum *capitatione* ζυγοκέφαλα. Cæterum agri in cenſum referebantur, ut nomen fundi, quot jugerum eſſet, adnotaretur l. 4. ff. de cenſibus. Quibus autem ab Imperatore remiſſum eſt tributum capitis, iiſdem remiſſum eſt & tributum ex cenſu l. ult. §. divus ff. de cenſibus. Cicero peſſimam eorum conditionem eſſe dixit, qui ſtipendiarii eſſent ipſi, atque agri, id eſt, qui tributa in caput, & in agros pendebant, quia *hæc nota fuit captivitatis*, ut Tertullianus ſupr. in *Capitatio.* Certe nonnullos fuiſſe, qui aliquid in capita, aliquid pro cenſu ſolverent, dubium non eſt, & interdum utrumque tributum conjunctum, & aliquot aureis definitum, ex ratione cenſus & capitis. Oſtendimus hoc ex Appiano ſupr. in *Capitatio.* Buleng. de Vectig. c. 17.

CAPITELLORUM, quæ *cephalia*, & *capitula* dicuntur, & nobis ſunt *chapiteaux*, ut totidem ordinum, ſunt quinque ſpecies, quæ ordinibus ſunt cognomines. *Bergier. de viis milit.* v. 10. §. 12.

Capitellum Tuſcanicum omnium eſt ſimpliciſſimum. In ima ſui parte habet faſciolam rotundatam, quam nonnulli architecti vernacule appellant *frize.* Hæc dividitur a ſcapo, vel trunco columnæ duobus minoribus modulis, quorum alter inſtar tori aut torquis rotundatur, dicitur a nonnullis vernacule *armille*, *rondeau*, aut *anneau:* ſive Latine *armilla*, *circulus*, aut *orbiculus*, *annulusve:* alter *hypotrachelium*, & nobis & vocis Græcæ ſignificatione *gorgerin*, quaſi *collare*, eſtque faſcia plana,

quæ

quæ ſine ullis ornamentis ſupra ſe habet duos modulos, quorum prior eſt *gulula*, aut echini ſpecies, nobis *quart-de-rond*, quæ aſſimilatur lanci librariæ, unde nonnullis dicitur *balancier*, ceu diceres *lanciformem*: poſterior eſt plinthium quadratum, cum ſua linea, quod lancis, quam modo dixi, quaſi operculum eſt. *Bergier de viis milit.* v. 10. §. 12. *Philand. in Vitruv.* III. 2.

Capitellum Doricum exornatum ex uſitato more roſæ flore in hypotrachelio, & ſupra hoc echino, extrema parte habet plinthium, quod abacum ſuum ſuſtinet; omnia autem ſunt diſtincta tribus lineis. *Bergier. de viis milit.* v. 10. §. 12. *Philand. in Vitruv.* III. 2.

Capitellum Ionicum non habet faſciæ capita ſeu fines, ſed componitur ex voluta in formam echini facta, ſub quo ſcapus columnæ conjungitur inter flexus duorum tetrantum inferiorum, quos *pendants de la volute* vocant noſtri. Echinus, nobis *liſteau de la volute*, ſive tænia volutæ pro more ornatur ovis, quibus jacula hamata, ſive hamis recurvis utrinque armata intermiſcentur, atque operitur, ſive tegitur ſuo plinthio, uti gulula in ordinibus præcedentibus. Cæterum tænia iſta volutæ cum ſuis ovis tantum ante & poſt conſpicitur, quod ab utroque, dextro & ſiniſtro latere, bini volutæ flexus ſive volumina, involuta & implicata in cochleæ modum conſpiciantur, quæ per lineas ſuas ſpirales exhibeat capillos Dianæ in nodum & gyrum collectos, & convolutos, atque connexos, colligatosque utrimque faſciolis, quibus puellæ capillos ſuos ſolent intorquere & implicare. Nonnulli has linearum ſpiralium intimas in medio implicationes appellant oculos volutæ, nobis *les jeux de la volute*. Bergier de viis milit. v. 10. §. 12. Philand. in Vitruv. III. 2.

Capitellum Corinthium tribus his, quæ diximus, eſt altius. Ejus inventio debetur Callimacho. Vitruv. IV. 1. *Prima inventio ſic memoratur eſſe facta. Virgo civis Corinthia jam matura nuptiis implicita morbo deceſſit. Poſt ſepulturam ejus, quibus ea viva poculis delectabatur, nutrix collecta & compoſita in calatho pertulit ad monumentum, & in ſummo collocavit. Calathus is fortuito ſupra acanthi radicem fuerat collocatus. Interim pondere preſſa radix acanthi media, folia & cauliculos circa tempus vernum profudit, cujus cauliculi ſecundum calathi latera creſcentes, & ab angulis tegulæ, ponderis neceſſitate, expreſſi flexuras in extremas partes volutarum facere ſunt coacti. Tunc Callimachus, præteriens hoc monumentum, animadvertit eum calathum, & circa foliorum naſcentem teneritatem, delectatusque genere, & formæ novitate, ad id exemplar, columnas apud Corinthios fecit, ſymmetriasque conſtituit, ex eoque in operum perfectionibus Corinthii generis diſtribuit rationes.* In hoc *capitello* ſunt folia, quæ quaſi integra & tota in conſpectum veniunt, alia quaſi dimidia ſui parte, uti ſi poſt illa integra & ſub illis creſcerent: majora & quaſi firmiora ſuſtinent quatuor abaci angulos, nobis *encoigneures*; octo folia autem protrudunt ſuos cauliculos & acumina ad angulos plinthii, unde deflectuntur & curvantur in exiguas volutas. *Bergier. de viis Milit.* v. 10. §. 12. *Philand. in Vitruv.* III. 2.

Capitellum compoſitum eſt ita dictum, quod componatur ex Corinthio & Ionico. Nam ſupra folia acanthi habet, ad inſtar Ionici, volutas in quatuor angulis abaci prominentibus, qui nobis *encoigneures*. Inſuper ibidem habet helices, quæ nobis *urilles*: hæ autem ſunt altæ lineæ ſpirales in medio cujusque lateris, ſimiles volutis, & eodem modo colligatæ tæniis, ſive faſciolis. Aliter etiam noſtris architectis appellantur *cartoches*, ſive *cartouches*, ſupra quas in craſſitudine abaci exteriore, qui *capitellum* tegit, pro more uſitato ſculpuntur roſæ, quæ noſtris architectis dicuntur *roſaches*. Alii volunt ſic eſſe dictum, quod magis debeatur compoſitis inventis, quam certis præceptis; & quod arbitrio architecti relinquatur, unde & quo modo illud componere ac exornare pro lubitu velit. Vocatur quoque Italicum, quia Romanis ejus debetur inventio, qui primi auſi ſunt commiſcere ordines, ut alter alteri ſubſidio eſſet: ſed fere tantum eo ordine in arcubus triumphalibus ſunt uſi, uti ordinibus Dorico, Ionico e Corinthio in theatris & amphitheatris. *Bergier. de viis Milit.* v. 10. §. 12. *Philand. in Vitruv.* III. 2.

CAPITIUM erat lacerna cum cucullo, ſive *capitio*. Interpres Juvenal. Sat. III. 81. *In capitium purpuram, quaſi conchylia ſignant.* Georgius Valla, qui ex illo plerumque ſumpſit, uſus fortaſſe meliori libro ſic legit. *Conchylia, capitia purpurea ita flagrantia, ut conchylia ipſa videri poſſint.* Ferrar. de Re Veſt. II. 1. 23.

Capitium erat capitis tegmen. Varro: *Tunicas, neque capitia, neque zonas.* Idem: *Neque id ab orbita matrumfamilias inſtituti, quod eæ pectore, ac lacertis etiam apertis, nec capitia habebant.* Nonius XIV. 37. Varro tamen ponit pro muliebri tegumento, quo illæ pectus vinciebant, de Ling. Lat. IV. 30. *Capitium ab eo quod capit pectus, id eſt, ut antiqui dicebant, induitu comprehendit.* Ulpian. leg. 27. ff. de aur. & arg. leg. *Muliebria ſunt, veluti ſtolæ, pallia, capitia, zonæ.* Et ita Varro locis a Nonio laudatis. Laber. in mimo, qui inſcribitur Natal. *Indutus capitium tunicæ pittacium* apud Gell. XVI. 7. *Oiſel. in Gellium. Joſ. Scalig. in Varronem. Jul. Scalig. Poet.* I. 16. *Salmuth in Pancіroll. de Reb. Dep. & Inv. p.* 331. *Voſſ. de Vit. Serm.* I. 29.

Capitium dicebatur etiam ara locis fulguritis impoſita. V. infr. in *Puteal.*

CAPITO erat cognomen gentis Mariæ. In nummis argenteis gentis Mariæ: C. MARI. C. F. CAPIT. *Cajus Marius Caji filius Capito.* In qua gente ex magno capite Capitonis cognomen inditum. *Urſat. de Not. Roman. Theſ. Antiq. Roman. Græv. Tom.* XI. *p.* 616. *Vaillant. de Numiſm.* I. 23.

CAPITOLINI erant collegium hominum *Capitolium* incolentium & arcem, ludosque *Capitolinos* celebrantium. Illos M. Furius Camillus Dictator, Urbe a Gallis liberata, inſtituit. Liv. v. 50. *Ludi Capitolini fierent, quod Jupiter optimus maximus ſuam ſedem atque arcem populi Romani in re trepida tutatus eſſet: collegiumque ad eam rem M. Furius Dictator conſtitueret, ex iis, qui in Capitolio atque arce habitarent.* Horum ipſe M. Tullius meminit ad Fratr. II. 5. eosque *e ſuo collegio M. Furium Flaccum equitem Romanum hominem nequam ejeciſſe ſcribit.* Turneb. Adv. v. 28. Sigon. de ant. jur. civ. Rom. II. 10. Salmuth ad Panciroll. de Reb. Deperd. & Inv. p. 217. Ryck. de Capitol. Roman. c. 2. Inſtituti cauſam ipſe Camillus Dictator recitat apud Liv. v. 52. V. illum infr. in *Ludi Capitolini.* Subit hic dubitare florentiſſimis P. R. rebus, quum tot divinitatum templis, delubris, ſacellis, aris mons ille obſideretur, an humanæ habitationi locus aliquis relictus? Videtur in arce habitatio militum præſidiariorum fuiſſe, quos a munere in arce excubandi Arcubias, ſive Arcubios Feſtus & Iſidorus dixere. Æditorum etiam ac ſacrificulorum, ad tutelam cuſtodiamque τοῦ ἱεροῦ κόσμου: quorum meminere veteres inſcriptiones, & C. Oppius Juliusque Hyginus apud Gell. VII. 1. *Æditos templi ſæpe eſſe demiratos* ſcribunt, *quod ſolum Africanum, noctu in Capitolium, ingredientem canes ſemper in alios ſævientes neque latrarent neque incurrerent.* Apud ſacrificulos Domitianus latuit, cum bello civili Vitelliano Capitolium incenderetur. Suet. Dom. c. 1. n. 4. Tacit. Hiſt. III. 74. 1. Fuiſſe & aliorum in Capitolio manſiones vel Propertius oſtendit de meretricula Teja IV. 9. 3.

Altera Tarpejos eſt inter Teja lacos
Ebria, ſed potæ non ſatis unus erit.

Inde acerbiſſima illa januæ querela I. 16. quod loco tam religioſo & auguſto nocturnis potorum rixis ſaucia, turpibusque, & obſcœnis corollis obvelata, Dominæ ſuæ turpitudinem fateretur. Oſtendit etiam Lamprid. Heliog. c. 30. *Celebravit tale convivium, ut apud amicos ſingulos ſinguli miſſus appararentur. Et quum alter maneret in Capitolio, alter in Palatio, alter in Cœlio, alter trans Tiberim, ut quisque manſiſſet, tamen per ordinem in eorum domibus*

domibus singula fercula ederentur. Quid, quod honoris causa domus etiam in *Capitolio* interdum assignata. Exemplum est in M. Manlio Capitolino, qui *Gallos adscendentes cum dejecisset, patronus a civibus appellatus, & farre donatus est: domum etiam in Capitolio publice accepit.* Aurel. Vict. V. I. 24. 4. Sed cum in regni affectati suspicionem venisset, domus ea diruta, cum edicto: *ne quis patricius in arce aut Capitolio habitaret.* Ryq. l. l.

CAPITOLINUS agon. V. illum supr. in *Agon.*

Capitolinus Catulus. V. illum infr. in *Catulus.*

Capitolinus Jupiter. V. illum infr. in *Jupiter.*

Capitolinus ludus. V. illum infr. in *Ludus.*

Capitolinus mons geminum efficit hemicyclum, & ovali figura, nisi quod latera paullo contractiora sunt, totus concluditur. Hujus figuræ nobilitas eo magis commendanda nobis est, quod rerum naturalium observatores mundum ipsum ὅμοιον τῷ τοῦ ὠοῦ σχήματι esse docuerint: ut mundi quasi quædam imago *Capitolium* esset, quod armorum & imperii jure mundi Romani caput, qua religionum publicarum ceremonia, qua legum & triumphorum sanctimonia gentibus in orbe cunctis horrori fuit atque venerationi. Ad orientem solem Palatii partem habuit, viamque sacram, a Streniæ sacello directo ad arcem euntem, & Amphitheatrum Flavium. Ad occidentem Urbis planitiem, sive regiones circi Flaminii & campi Martii. Meridiem Aventinus occupabat, & Tiberinum flumen. Septentrionem collis Quirinalis. Ambitus est stadiorum septem, id est, passuum octingentorum septuaginta quinque. Latitudo, qua amplissima est, octingentos pedes Romanos non excedit. Longitudo, qua in occasum æstivum protenditur, CIↃ & ↀC facile capit, non superat. Ejus in arce altitudo supra omnia Urbis ædificia maxime exsurgit. Ideo *Capitolium amplissimum & celsissimum locum* appellat August. de Civ. Dei IV. 23. Serv. Æneid. VIII. 652. *In summa parte clypei dicit* poeta *esse factum Capitolium, quia hoc summo Urbis loco esse manifestum est.* Hoc etiam innuit Tertullianus initio Apologetici: *Si non licet vobis in aperto & edito ipso vertice civitatis præsidentibus ad judicandum. . . .* Propterea a Poetis *Capitolia celsa, sublimia, alta, cœlo juncta*, & a Tertulliano alibi *cœlo certantia* vocantur. *Ryq. de Capitol. c. 7. Donat. de Urb. Rom.* II. 1. *Fabric. Descript. Urb. Rom. c. 3. Nardin. Rom. Vet.* II. 1. Quanquam autem totus mons *arx* & *Capitolium* dicitur, strictius tamen in tres dividitur partes, *Saxum*, *Arcem*, *Capitolium.* Saxum est prærupta & aspera rupes, montisque pars, quæ ad occasum & Tiberim vergit, sita nunc prope cœnobium turris speculorum, forumque montanarium, & Tarpeja olim dicta. V. infr. in *Rupes Tarpeja.* Arx est editior & munitior illa montis nostri pars, qua theatrum Marcelli, flumen Tiberinum & Dianam Aventinam in meridiem conversus respiciebat. *Capitolium* vero ea pars montis maxime appellabatur, quæ in aquilonem directa planior spatiosiorque erat, & Quirinalem versus extra ipsa arcis mœnia protendebatur. Distinguuntur hæc in vehementi illa F. Camilli ad populum Vejos meditantem oratione apud Liv. V. 51. *Cum victoribus Gallis, capta tota Urbe, Capitolium tamen atque Arcem Diique & homines Romani tenuerint, victoribus Romanis, recuperata Urbe, Arx quoque & Capitolium deseretur?* In oratione, quam ad eundem populum habuit Valerius Poplicola apud Liv. II. 7. *Ego si in ipsa Arce, Capitolioque habitarem, metui me crederem posse a civibus meis?* Et sæpe alibi: *Faunus Ant. Urb. Rom.* II. 2. *Donatus l. l. Ryq. ibid. c. 5.* Ante *Saturnius* est appellatus, quod ibi fuerit urbs, aut arx Saturnia. V. infr. in *Saturnia.* Inde *Tarpejus* a virgine Tarpeja. V. infr. in *Rupes Tarpeja.* Tandem *Capitolinus.* V. infr. in *Capitolium.* Borrich. Ant. Urb. Fac. c. 2. §. 2. Marlian. Topogr. Urb. Rom. II. 1. Nardin. Rom. Vet. II. 2. Panvin. Descr. Urb. Rom. Thes. Antiq. Roman. Græv. Tom. III. p. 273. D. Donat. & Fabric. l. l. Est biceps: altero hodie vertice, qui septemtriones spectat, fert monasterium Franciscanorum, & templum Ara cœli nominatum, quo olim loco admirandum illud Jovis *Capitolini* templum superbissime se ostentabat: altero, qui nunc *mons caprinus* appellatur, domum Ducis Caffarelli. Inter utrumque verticem humilior sinus est, ubi hodierna curia Romana emicat, olim ibi asylum, templum Vejovis, quercetum & tabularium visebantur. *Borrich. Nardin. & Donat. l. l.* Non a Romulo, sed a T. Tatio Urbi adjectus est, quicquid etiam in contrarium afferat Marlianus ibid. I. 2. Docet hoc Tacit. Annal. XII. 24. 3. *Capitolium non a Romulo, sed a T. Tatio additum Urbi credidere.* Borrich. ibid. I. §. 4. Nardin. ibid. I. 2.

CAPITOLIUM unde fuerit dictum, Plutarchus, Halicarnasseus, Livius, atque adeo alii qui de antiquitatibus Romanorum scripserunt, videntur ignorasse. Solus Arnobius non ignoravit. Ejus verba sunt hæc VI. p. 194. *Regnatoris in populi Capitolio quis est hominum qui* [illegible] *Oli e*[illegible]*e sepulcrum Vulcentani? Quis est, inqua*[illegible] *ex fundaminum sedibus caput* [illegible] *mum temporis, aut solum,* [illegible] *dam ferunt, aut cum membris* [illegible] *titum? Quod si plenum* [illegible] *Sammonicus, Granius,* [illegible] *bunt, cujus Olus fuerit filius,* [illegible] *. . . Nec erubuit civitas ma*[illegible] *cultrix, cum vocabulum templo daret,* [illegible] *ex nomine Jovio nuncupare.* [illegible] Quam memoria fugit. Non ignoravit Hali[illegible] IV. p. 257. *Quo tempore mirum quod*[illegible] *prodigium: fundamentis opera fossorum ad magn*[illegible] *tem perductis, inventum* [illegible] *quod & facie vivo erat simile, &* [illegible] *recentique sanguine manabat.* p. 258. [illegible] *tur Capitolium, ab invento ibi capite.* [illegible] de Ling. Lat. IV. 7. *Capitolium est dictum,* [illegible] *cum fundamenta foderentur ædis Jovis,* [illegible] *dicitur.* Elmenhorst ad Arnobium. M[illegible]lian. Descr. Urb. Rom. II. 1. Panvin. Descr. Urb. Rom. Antiq. Roman. Græv. Tom. III. p. 275. A. Panciroll. T[illegible] Græv. ibid. p. 344. B. Borrich. Ant. Urb. Fac. [illegible] §. 2. [illegible] §. 9. Gyrald. Synt. Deor. II. p. 80. D. G[illegible] d. Papyr. memb. III. 11. 62. Lips. de Magn. Rom. III. 5. Pigh. Annal. Rom. I. p. 52. Faunus Antiq. Urb. Rom. II. 1. Blond. Instaur. Rom. I. §. 66. *Cap*[illegible] appellatum, cum alterum illud magnifice[illegible] in Tarpejo jam esset exstructum. Fuit illud Numæ opus in alta semita, regione Urbis sexta, ut ex Notitia Imperii & P. Victore didici. Varro ibid. §. 32. ad Clivum publicum ponit, hoc est, in eadem reg[illegible]e & loco, ad circum Floræ. Eusebius & Cassiodorus in Chronicis: Numa *Capitolium quoque a fundamentis ædificavit.* De hoc Varro l. l. *Capitolium vetus, quod ibi sacellum Jovis, Junonis, Minervæ, & id antiquius, quam ae*[illegible]*, quæ in Capitolio facta.* Mart. VII. 72. 1.

> *Esquiliis domus est, domus est tibi colle Dianæ,*
> *Et tua patricius culmina vicus habet:*
> *Hinc viduæ Cybeles, illinc sacraria Vestæ;*
> *Inde novum, veterem prospicis inde Jovem.*

Quasi utrumque *Capitolium* ab illo ce[illegible], vetus e domo Esquilin[illegible], aut vici patrici[illegible], quæ haud l[illegible] alta semita: Novum e Diana Aventin[illegible]. *Ryq. ibid. c.* [illegible] *Donat. de Urb. Rom.* II. 7: III. 15. [illegible] *ibid.* IV. 22. *Lips. de Magn. Rom.* III. 5. Hoc satis exiguum atque humile fuisse cum arctæ tunc populi Romani res, tum Valerii auctoritas videtur ostendere, IV. 4. §. 11. ubi vetera & sollennia ejusdem populi sacra adjurat: *Romuli casam, veteris Capitolii humilia tecta,* [illegible] *ignes.* Ryq. l. l. Novum in regione octava Fori Romani Tarquinius Priscus bello Sabinorum se ædificaturum voverat, ut quidem Liv. I. 38. *Aream ad ædem in Capitolio Jovis, quam voverat bello Sabino, jam præsagiente animo futuram olim amplitudinem loci, occupat fundamentis.* Et Tacit. Hist. III. 72. 3. *Voverat Tarquinius Priscus Rex, jeceratque fundamenta, spe magis futuræ ma*[illegible]*, quam quo modicæ adhuc populi Romani res sufficerent.* Sed mox *Servius Tullius sociorum studio; deinde Tarquinius Superbus, capta Suessa*

Pometia hoſtium ſpoliis exſtruxere. Et Liv. I. 55. *Inde* Tarquinius Superbus *ad negotia urbana animum convertit, quorum erat primum, ut Jovis templum in monte Tarpejo, monumentum regni nominiſque relinqueret: Tarquinios Reges ambos, patrem voviſſe, filium perfeciſſe.* Ryq. ibid. c. 10. Faunus, Lipſ. Marlian. & Panciroll. l. l. Caroli Antiq. Rom. I. 8. *Capitolium* illud ipſum omnium delubrorum, religionum, ſacrorum caput, deorum, ut ajebant, domicilium, & alterum Jovis fulminantis cœlum, pilis latere coctili dealbatis tres in partes diviſum ſuſtinebatur, ut Dionyſ. IV. p. 259. & pari propemodum longitudine ac latitudine, quindecim duntaxat latitudini detractis, patebat ducentos pedes: id eſt, ducentos ſexaginta ſex palmos, & beſſem vel uncias octo. *Donat. ibid.* I. 25: II. 4. *& Ryq. ibid. c.* 10. Eo, quod hodie eſt, amplius fuiſſe & ſpatioſius certum eſt, quandoquidem ab omni parte laceratum conſpicitur: præterea vetus *Capitolium* quadratis undique lapidibus ſubſtructos habuiſſe muros, turres & portas indubium eſt. De his ſubſtructionibus Liv. VI. 4. *Capitolium quoque ſaxo quadrato ſubſtructum eſt, opus vel in hac magnificentia Urbis conſpiciendum.* De muro Plutarch. in Camill. p. 141. F. Pontius Cominius *acceſſit ad eos, qui murum cuſtodiebant.* De turribus Cicer. Catil. III. 8. *Complures in Capitolio turres eſſe percuſſas.* Portas V. infr. in *Porta Pandana.* Donat. ibid. II. 2. Nardin. Rom. Vet. II. 2. Additæ ſunt fores in ſummis clivis, per quos clivos aſcendebatur in arcem. De illis Tacit. Hiſt. III. 71. 1. *Erigunt aciem per adverſum collem, uſque ad primas Capitolinæ arcis fores.* n. 4. *Diverſos Capitolii aditus invadunt, juxta lucum aſyli, & qua Tarpeja rupes centum gradibus aditur.* Primæ fores undique cinctæ parietibus in capite clivi fuere, qui ob dignitatem, locique frequentiam & celebritatem *Capitolinus* eſt dictus; quo hodieque recta aſcenditur ab arcu Septimii. Secundæ fores fortaſſe cuipiam videbuntur, quæ in altero ſummo clivo erant, qui vicinior templo Jovis ad eandem collis partem, ubi nunc carceres, pertinebat. Sed ut demus, ibi fuiſſe fores, & aditus, ut ait Tacitus, tamen quia arx preſſiori ſignificatione erat dexter *Capitolii* apex editus & abruptus, hic potius crediderim fuiſſe alterum circuitum murorum, & ſecundas fores, quibus in editum aſcenderetur. Primæ itaque fores erant in capite clivi, mittebantque in aream, ubi nunc equus M. Antonini: ſecundæ vero, ubi hodie, aliis gradibus muro & porta munitis, poſt ædes Conſervatorum evaditur in altiorem verticem, vulgo montem caprinum. Aliæ demum fores ad rupem Tarpejam centum gradibus imminentes fuere. Quæ ſane formam exprimunt perfectæ arcis ſitæ in edito & abrupto, opere naturaque munitæ. Itaque jure Tacit. Hiſt. III. 78. 4. *Munitiſſimam Capitolii arcem, & ne magnis quidem exercitibus expugnabilem* nuncupavit. *Donat. l. l.* Janua tota, nempe quod ad limina, poſtes & tænias, ex ære fuit. Liv. X. 23. *Cn. & Q. Ogulnii Ædiles Curules aliquot fœneratoribus diem dixerunt: quorum bonis mulctatis, ex eo quod in publicum reductum eſt, ænea in Capitolio limina poſuerunt.* Nardin. & Marlian. l. l. Faſtigium fuit inventum in antiquis templis Neceſſitatis, ut tectum duplici latere declive ac pectinatum eſſet, ad demittendam pluviam, e planitie, in qua tænia extremum murum, ſeu parietem circuibat, circumdabatve, in ſpeciem trianguli aſſurgens: quo præter illud delabentis pluviæ commodum decor ipſi conciliabatur ædificio. Cicer. de Orat. III. 46. *Capitolii faſtigium illud, & cæterarum ædium, non venuſtas, ſed neceſſitas ipſa fabricata eſt. Nam cum eſſet habita ratio, quemadmodum ex utraque parte tecti aqua delaberetur, utilitatem templi faſtigii dignitas conſecuta eſt: ut etiamſi in cœlo Capitolium ſtatueretur, ubi imber eſſe non poſſet, nullam ſine faſtigio dignitatem habiturum eſſe videatur.* Inter ornamenta quadrigæ illi ſunt impoſitæ, a Vejente quodam primis Urbis temporibus ex argilla fictæ. Feſtus in Ratumena: *Quas faciendas Romani locaverunt Vejenti cuidam artis figlinæ prudenti. Id prodigium portendere videbatur, in qua civitate eæ fuiſſent, omnium eam futuram potentiſſimam.* Hæ, niſi jam ante forſitan a Sylla, in Capitolii reſtitutione e marmore, ſeu potius, uti Donatus exiſtimat, ex ære refectæ ſunt. Ego vero jam multo ante ex ære factas e pecunia damnatorum fœneratorum multatitia in Livio X. 23. invenio. In eodem & Dei Summani ſtatua fuit. V. illam infr. in *Statua.* Aquilæ ligneæ faſtigium hoc ſuſtinuerunt. Tacit. Hiſt. III. 71. 7. *Suſtinentes faſtigium aquilæ vetere ligno traxere flammam.* Nardin. l. l. De argento, quod locandis *Capitolii* fundamentis impendit Tarquinius, ſcriptores varie opinantur. Apud Liv. I. 55. Fabius Pictor *quadraginta talenta expenſa* tradit, *quæ perducendo ad culmen operi fuerant deſtinata.* Hæc viginti quatuor millia Philippæorum noſtratium eſſent. Sed ſumma certe non adeo magna, aut admiranda, ut octingentorum pedum fundamenta inde exſtruerentur. Calpurnius Piſo *quadraginta millia pondo argenti ſepoſita in eam rem* ſcripſit. Ea nobis eſſent ducenta quadraginta millia Philippæorum. Hujus traditio verior, quia eandem ſummam ponunt Dionyſ. VI. p. 397. Plutarch. in Poplic. p. 105. A. Quæ pecunia quidem ſatis grandis, præſertim e ſolis decimis: ſed res Italiæ & Latii tunc uberes & florentes hoc perſuadent; tum & ipſum opus ea amplitudine inſtitutum. *Lipſ. & Ryq. l. l.* Hoc tamen non dedicavit Tarquinius; ſed erat pæne abſolutum cum Roma pelleretur. Plutarch. ibid. p. 104. A. Itaque, ſi Dionyſio V. p. 304. A. credimus, tertio ab exactis Regibus anno, hoc eſt ab U. C. 246. ſi Livio VII. 3. ab iiſdem exactis primo, ſive ab U. C. 244. Eidibus, quæ poſtea Julianæ dictæ, de *Capitolio* dedicando cogitatum eſt. Dedicavit M. Horatius Pulvillus Conſul. Dedicationem deſcribit Liv. II. 8. *Nondum dedicata erat in Capitolio Jovis ædes. Valerius Horatiuſque Conſules ſortiti, uter dedicaret. Horatio ſorte evenit. Ægrius quam dignum erat tulere Valerii neceſſarii dedicationem tam inclyti templi Horatio dari. Id omnibus modis impedire conati, poſtquam alia fruſtra tentata erant, poſtem jam tenenti Conſuli fœdum inter precationem Deûm nuntium incutiunt: mortuum ejus filium eſſe, funeſtaque familia dedicare eum templum non poſſe. Non crediderit factum, an tantum animo roboris fuerit, nec traditur certum, nec interpretatio eſt facilis. Nihil aliud ad eum nuntium a propoſito averſus, quam ut cadaver efferri juberet, tenens poſtem, precationem peregit, & dedicat templum.* Ryq. ibid. c. 11. Streinn. de Famil. Roman. in Horatia gens. Incenſum eſt, ſeu æditui negligentia, ſeu incerta culpa, vel fraude, anno ab U. C. 670. *L. Scipione & C. Norbano Conſulibus,* 415. *anno, poſtquam a Pulvillo dedicatum fuerat,* ſi veræ in Tacit. Hiſt. III. 72. numerorum notæ. Ratio enim temporum videtur evincere, ut cum Lipſio ad Tacitum ſcribamus, 425. *Ejus reſtituendi curam L. tum Sylla Dictator ſuſcepit, neque tamen dedicavit, quod unum felicitati ejus negatum. Lutatii Catuli nomen inter tot Cæſarum opera uſque ad Vitellium manſit.* Ryq. l. l. Streinn. ibid. in Lutatia gens. Panciroll. ibid. p. 344. D. Donat. ibid. II. 4. Marlian. ibid. II. 1. Faun. l. l. *Capitolii tegulas æreas inauravit Catulus.* Plin. XXXIII. 3. Harum non ſolus ſplendor ſolaribus radiis repercuſſus, *Capitolio aurei* cognomen conciliavit, ut Donat. I. 27. me libenter aſſentiente judicat; verum potius, quod & tres ejus porticus inauratæ fuerint, & in ipſo templo baſes, epiſtylia, tæniæ, frontiſpicia, & cæteræ templi partes, ſaltem poſt Syllæ & Catuli reſtitutionem. Marlianus epitheton illud propter ſtatuas aureas, aliaque pretioſa ornamenta accepiſſe exiſtimat. Addam ego præter ſtatuas, & partes ædis, multa alia in eo templo fuiſſe ſimulacrorum & ſculpturarum inauratarum ornamenta. Id ut opiner, immenſa ſumma in illam inaurationem impenſa facit, quam Plutarch. l. l. duodecim millium talentorum fuiſſe dicit; quæ ſumma noſtratium ſcutatorum facit centum milliones, & ducenta millia, & amplius, qua totum ex auro ſolido templum conſtrui poſſit. *Nardin. ibid.* V. 15. Iterum arſit bello civili Vitelliano, quando Sabino Veſpaſiani fratre in illud compulſo, obſcurum fuit *ignem tectis oppugnatores an obſeſſi injeciſſent. Quæ crebrior fama eſt,* inquit Tacit. Hiſt. III. 71. 6. *quo nitentes & progreſſos depellerent.* Inſtauravit denuo Veſpaſianus ea religione, quam idem ſcriptor fuſius exſequitur. Conflagravit denuo ſtatim a Veſpaſiani morte, fortuito caſu. Plutarch. Poplic. p. 104. F. *Simul enim atque deceſſit Veſpaſianus, Capitolium hau-*

hauſtum incendio eſt. Domitianus reſtituere aggreſſus eſt & tanta firmitate & magnificentia perfecit, quantam nunquam antea habuiſſet. *Sed ſub ſuo tantum titulo, ac ſine ulla priſtini auctoris memoria.* Suet. Dom. c. 5. n. 1. Nemo miretur hoc in eo Principe, cujus animus totus ad immanitatem atque ambitionem incubuerat. *Ryq. Donat. Panciroll. Marlian. l. l.*

CAPITULARII dicti ſunt ii, qui *capitationem* exegere. leg. 2. de privil. eor. qui in ſacro pal. mil. *Ne exactorum, vel turmariorum, quos capitularios vocant, curam ſubeant.* Symm. Epiſt. IX. 10. *Poſtulant capitularii taxationem tyronis ab hominibus meis.* Iidem *cephaleotæ* dicuntur Cod. Theod. VI. de patrocin. vicor. *Buleng. de Vectig. c.* 17. Ab ICtis *peræquatores* dicuntur, quod ex æquo ab omnibus exigant. *Rhodig. Ant. Lect.* XXV. 23.

CAPITULUM fuit ornamentum capitis muliebre. Iſidor. XIX. 31. *Capitulum, quod vulgo capitulare, vel quod apices, ut litera cappa, habeat, vel quod ſit capitis ornamentum.* Salmaſ. in Vopiſc. Aurelian. c. 45.

CAPNICON, ſeu fumarium fuit tributum; quod Imperatores pro fumo exegerunt. Reperit hoc Nicephorus Imperator. Zonar. III. p. 100. *Nicephorus indixit tributum e fumo, quod peſſimo exemplo repertum, & indictum omnibus accolis & parœcis Eccleſiarum, & earum domuum, ubi ſenes, & pauperes, & monachi alerentur, licet neque agros haberent, neque vectigal ſolvere ſolerent: & exegit pecunias ab eis, qui ex inopibus induſtria ſua divites facti eſſent.* Buleng. de Vectig. c. 74.

CAPPA hodieque appellatur palliolum, quo mulieres *caput* tegunt. Heſychius: Καππάτια, γυναικεῖα ἱμάτια. V. Iſidorum in *Capitulum.* Salmaſ. in Vopiſc. Aurelian. c. 45. Ferrar. de Re Veſt. I. 39. Voſſ. de Vit. Serm. III. 3.

CAPPADOCIA ab oriente Armeniæ magnæ finitima eſt, ab occaſu Galatiæ & parti Pamphyliæ, a meridie Ciliciæ, a ſeptentrione habet Pontum Euxinum. Olim adeo magna fuit, ut ferme totum Pontum occuparet. A flumine *Cappadoce* inter eam & Galatiam defluente denominari ſcribit Plin. VI. 3. *Illam Germanicus ad componendum orientis ſtatum expulſus, cum Armeniæ Regem deviciſſet, in provinciæ formam redegit.* Suet. Cal. c. 1. n. 3. V. tamen Tacit. Annal. II. 42. Dion. LVII. p. 614. *Panciroll. Notit. Dign. Imp. Orient. c.* 130. Fuit, ut Solin. c. 47. ante alias terras altrix equorum, & proventui equino *accommodatiſſima.* Argol. in Panvin. de Lud. Circ. I. 13.

CAPPAGIA Johannes Antiochenſis vocat, non campagos patriciorum, ſed veros calceos Romanos, a *cappa* litera, id eſt, lunula, inſtar Romani *cappa*, ſive C. & ideo idem ſubjicit, nunquam videri ſolitos in publico, neque Imperatorem ſalutare, ſine hujuſcemodi calceis *cappagiis*, id eſt, lunatis calceis. *Ferrar. Anal. de Re Veſt. c.* 37.

CAPRA Delphis prima oraculum fecit. V. ſupr. in *Apollo Delphicus.* Ejus tactu & nominatione abſtinebant, quia ejus abominabantur laſciviam, & fœtorem. Vel, quod morbo comitiali animal iſtud obnoxium eſt, contagionem mali metuebant ad eos perventuram, qui tum veſcerentur *capra*, aut eam tangerent, cum in morbo eſt. *Plutarch. Quæſt. Rom.* 109. Pani Lycæo Arcadiæ Deo candidam immolabant. *Tomaſ. de Donar. c.* 26.

Capra fuit cognomen Anniorum a minore pecore ductum. Varro de Re Ruſt. II. 1. *Sigon. de Nomin. Roman. c.* 5. *Vaillant. de Numm.* I. 65.

CAPRARIUS eſt ſervus, qui caprilia curat. Colum. III. 10. *Annon laudabimus caprarium ſummittentem fœtus earum pecudum, quæ trigemino partu commendantur?* Pignor. de Serv. p. 536.

Caprarius a pecude cognomentum tulit. Alex. Gen. Dier. I. 9. Plutarch. in Poplic. p. 103. B. *Filiis ſuis Suillius, Bubulcis, Caprariis, Porciis nomina indebant.* Tiraquell. in Alexandrum. Dictus eſt Cæcilius Metellus ex contumelia ob ingenii tarditatem. *Vaillant. Numiſm.* I. 65. Unde Cicer. de Orat. II. 66. *Itaque Scipio de eo dixit, matrem ejus, ſi quintum pareret, aſinum fuiſſe parituram.* Sigon. de Nomin. Roman. c. 5. In Cæciliæ gentis nummis argenteis hoc cognomen eſt frequens. *Urſat. de Not. Roman. Theſ. Antiq. Roman. Græv. Tom.* XI. *p.* 616. *B.*

CAPREOLUS eſt cincinnus ille, ſive *clavicula.* Plin. Præf. 23. *qua repit vitis.* Varro de Re Ruſt. I. 31. & Feſtus. *Capreolus is eſt coliculus viteus intortus ut cincinnus. Is enim vites ut teneat, ſerpit ad locum capiendum.* Baldus Lexico Vitruviano. Johannes Baptiſta Fulgoſius de Dict. & Fact. Memor. I. 6. ſcribit, Sirmii in vitibus interdum *capreolos* vere aureos inventos fuiſſe, ex quibus aurea moneta eſt percuſſa, quæ ejus temporibus circumferebatur. *Panciroll. Notit. Dign. Imp. Occid. c.* 29.

Capreolus eſt tigillum faſtigatum, & in columellam ſuis capitibus nitens, eamque hinc inde firmans, ne nutet, aut vacillet. Vitruv. IV. 2. *Columen in ſummo faſtigio culminis, unde & columnæ dicuntur, & tranſtra, & capreoli.* Turneb. Adv. II. 4. Mutuatur nomen a *capreolis* feris pecudibus, quas δορκάδια Græci appellant. Ut enim illi incurſant adverſis cornibus, & enituntur: ita *capreoli* iſti aſſurgentes capita, ſeu cornua, & frontes onerum ponderibus opponunt. Nam & inde a Græcis dicuntur συγκύπται; a verbo συγκύπτειν, *ſimul inclinare, pariter incumbere.* Unde apud Xenoph. Ἀναβ. III. p. 310. A. legimus: *Neceſſe autem erat dura coirent cornua agminis.* Vitruv. X. 15. ubi de baſi fulcrove catapultæ loquitur. *Ejus capreoli tres, quorum longitudo foraminum novem.* Bald. Lex. Vitruv. Voſſ. Lex. Etymol.

Capreolus eſt genus ruſtici ferramenti bicornis ad terram commovendam, quod a ſimilitudine cornuum *capreolorum* nomen traxit. Colum. XI. 3. *Vere deinde, priuſquam cœperit germinare, capreolis, quod genus bicornis ferramenti eſt, terra commoveatur.* Voſſ. Lex. Etymol.

CAPRICORNUS eſt ſignum cœleſte, quod ſuperiore parte corporis *caprum* refert, & inferiori piſcem. *Capram* fingitur referre, & quidem ſcandentem, quia ſol, ubi ad *Capricorni* ſidus pervenerit, iterum ad nos revertatur. Inferior pars piſcis, quia primus tunc incipit menſis hybernus, quæ tempeſtas pluvia, unde & hyems dicta. Nam ὕειν, *pluere.* Atque idcirco & proximis duobus ſideribus, Aquarii, & Piſcium nomen fecerunt. Iſidor. III. 70. *Capricorni figuram ideo inter ſidera finxerunt, propter capram Jovis nutricem: cujus poſteriorem partem in effigiem piſcis ideo finxerunt, ut pluvias ejuſdem temporis deſignarent, quas ſolet idem menſis plerumque in extremis habere.* Voſſ. Lex. Etymol. *Capricorni* ſignum in Veſtæ tutela olim poſitum fuit, ob crebrum tum & neceſſarium ignis παντέχνου, ut illum vocat Æſchyl. Prometh. n. 8. uſum: & qua de Manil. IV. 243.

Veſta tuos Capricorne fovet penetralibus ignes.
Hinc artes ſtudiumque trahis.

II. 445.

Atque auguſta fovet Capricorni ſidera Veſta.

Spanhem. de Veſt. & Prytan. Græc. Theſ. Antiq. Roman. Græv. Tom. V. p. 677. E. In gemma Auguſti Romæ & Auguſto in orbiculo eſt ſuperpoſitus,

— *in Auguſti felix qui fulſerit ortum.*

ut Manil. II. 499. Et Suet. Aug. c. 94. n. 24. *Tantam mox fiduciam ſui Auguſtus habuit, ut thema ſuum vulgaverit, nummumque argenteum nota ſideris Capricorni, quo natus eſt, percuſſerit.* In genethliaco enim themate Auguſti ſors Fortunæ, quæ ab antiquis Aſtrologis cenſebatur ὥσπερ σεληνιακὸς ὡρόσκοπος, *Capricornum* obtinuit. In nummis Auguſtæis *Capricornus* plerumque gubernaculum navis, orbem & cornu copiæ præfert, ipſa nempe fortunæ inſignia. Lactant. III. 29. *Simulacrum ejus cum copiæ cornu & gubernaculo fingunt, tanquam hæc opes tribuat, & humanarum rerum regimen obtineat.* Imo etiam fortaſſis eandem ob cauſam hic orbiculo eſt incluſus: ſortem enim fortunæ circulo decuſſato deſignant Aſtrologi, quia, ut Scaliger exiſtimat, ſortes omnes ligneæ, vel eburneæ ita ſcalperentur. *Ruben. de Gemm. Auguſt. Theſ. Antiq. Roman. Græv. Tom.* XI. *p.* 1343. *A.* Inexplicabilem fere

 nodum

nodum de *Capricorno* Augusti horoscopo fusius, & magno animi æstu, explicare conantur *Carreo Emend.* II. 2. *Scalig. de Emend. Temp.* v. *p.* 441. *in Manil. p.* 147. 148. *Epistol.* 40. *Petav. de Doctrin. Temp.* x. 64. *Tristan. Comment. Hist.* I. *p.* 68. *Petit: Observ.* I. 5. *Spanhem. de Præst. Numism. Dissert.* III. *p.* 209. *Huet. in Manil.* II. 509. *Bulen. de Divin.* II. 3. *Ruben. de Nat. Aug. Thes. ibid. p.* 1378. . . . .

CAPRIFICUS, sub qua in spelunca, quæ Lupercal est dicta, expositi sunt ad Tiberim Romulus & Remus, fuit in Comitio. Tacit. Annal. XIII. 58. 1. *Ruminalem arborem in Comitio, quæ super octingentos annos & quadraginta Remi Romulique infantiam texerat, mortuis ramalibus, & arescente trunco diminutam, prodigii loco habitum est, donec in novos fœtus revivisceret.* Plin. v. 18. *Ficus arbor in Foro & Comitio Romæ nata.* Servius. Sed V. illum infr. in *Lupercal.* Donat. de Urb. Rom. II. 18.

CAPRILIUS, quia multæ gentes a quadrupedibus nuncupatæ sunt olim Romæ, a *capra* dictus est. Varro de Re Rust. II. 1. *Nomina multa habemus ab utroque pecore: a minore, Porcius, Ovinius, Caprilius.* Sigon. de Nomin. Roman. c. 4. Vaillant. Numism. I. 19.

CAPSARIUS dicebatur servus, qui in *capsa*, sacculo, sive librorum theca puerorum scholam adeuntium libros custodiebat. Ulpian. leg. 15. ff. de manum. vind. *Si collactaneus, si educator, si pædagogus ipsius, vel capsarius.* Juven. Sat. x. 116.

Quisquis adhuc uno partam colit asse Minervam,
Quem sequitur custos angustæ vernula capsæ.

Ubi Scholiastes: *Ostendit puerum, qui adhuc discit, & arcula sequitur eum. Capsas* autem & armaria librorum recensuit & Julius Paullus. Et hæ pueriles *capsæ* minusculæ videntur fuisse, utpote ad gestandum habiles: ideoque *angustas* vocavit Juvenalis, ad earum discrimen, quæ majores erant & statariæ. *Pignor. de Serv. p.* 238. *Popm. de Oper. Serv. p.* 53. *Cujac. Observ.* v. 8. *Pollet. For. Rom.* II. 4. *Voss. de Vit. Serm.* I. 16. & *Lex. Etymol. in Capsa. Rævard. Conject.* I. 10. *Schill Nomencl. Philol. p.* 253.

Capsarius dicebatur servus, qui mercede servanda in balneis vestimenta suscipiebat, & *capsis* ea includebat. Paull. leg. 3. §. ult. de Offic. Præf. Vig. *Adversus capsarios quoque, qui mercede servanda in balneis vestimenta suscipiunt, judex est constitutus, ut si quid in servandis vestimentis fraudulenter admiserint, ipse cognoscat.* Hi ad fores solebant stare. Epiphanius, ubi Adamitarum mores pessimos describit: refert *nudis corporibus conventus habuisse in hypocaustis, & ad fores adstitisse quosdam capsariorum instar, qui eorum vestimenta susciperent & custodirent.* Popm. de Oper. Serv. p. 52. Rhodig. Ant. Lect. xxv. 20. Grapald. de Part. Dom. I. 10. §. 4. Ursin. Append. ad Ciaccon. de Triclin. p. 157. Broid. ad Pollet. For. Rom. II. 4. Voss. Lex. Etymol. in Capsa. Qui utrum servus, an liber fuerit, disputat Cujac. Observ. v. 8. *Pignor. de Serv. p.* 239.

Capsarius erat etiam apud Romanos, qui *capsæ* nummariæ apud argentarium & nummularium præpositus erat. *Popm. de Oper. Serv. p.* 53.

Capsarius insuper dicebatur *capsarum* opifex. Tarrunt. Patern. leg. 6. ff. de jur. immunit. *Quibusdam aliquam vacationem munerum graviorum conditio tribuit: ut sunt mensores, optiones, valetudinarii, medici, capsarii.* Popm. de Oper. Serv. p. 53.

CAPSUS est *carruca undique contexta.* Isidor. xx. 12. Vitruv. x. 14. est pars rhedæ, ubi, qui vectantur, sedent. Scribit enim: *Insuper ad capsum rhedæ loculamentum firmiter figatur.* Clavulare enim carrum dicebatur, quod undique clavulis erat confixum & contextum, & *capsum* ex clavulis factum habebat, ad res, quæ imponerentur, retinendas, ne defluerent. *Salmas. in Capitol. Anton. Pium c.* 12. *Bald. Lex. Vitruv.* Non omnia vehicula *capsam* habent. Et illa quæ habent, differunt pro diversa ejus specie. Nam modo est quadrata, modo rotunda, vel semirotunda. Quadrata modo æquilatera est, nec multo longior quam latior; modo oblonga, sic ut longitudo latitudinem exsuperet plurimum. Rotunda est, quæ nullos habet angulos, sed circulari forma instar urcei, vel cupæ clauditur. Semirotunda, quæ non undiquaque clausa, sed dimidia sua parte aperta instar lunulæ, idque vel a fronte, vel a tergo. Quædam ex solidis integrisque tabulis construebantur, quædam ex bacillis aut viminibus texebantur. *Scheffer. de Re Vehic.* II. 1.

CAPTIVI apud signa custodiebantur. Ammian. XXI. 4. *Finitisque epulis Vadomarium fortiter apprehensum, rectori militum, arcte custodiendum apud signa commisit.* Laz. Comment. Reip. Rom. VII. 1. Reges & nobiles tondebantur. Claudian. in Eutrop. I. 383.

Militet ac nostris detonsa Sicambria signis.

Ubi *detonsa* est victa, & ex libertate in servitutem redacta. Sidon. Epist. VIII. 9.

Et sic crinibus ad cutem recisis
Decrescit caput, additurque vultus.
Hic tonso occipiti senex Sicamber
Postquam victus es, elicis retrorsum
Cervicem ad veterem novos capillos.

Senes & seniores passim usurpat ætas media pro primoribus & Satrapis, quos inde hodieque nos vocamus Seigneurs. Et crines detonsi Romam mittebantur ad ornatus muliebres. Ovid. Amor. I. 14. 45.

Nunc tibi captivos mittet Germania crines:
Culta triumphatæ munere gentis eris.

Chiflet. Anast. Childer. Reg. c. 7. Demster. Paral. Rosin. Antiq. Roman. x. 29. Testamenta eorum qui in hostium potestate decessissent, perinde confirmabantur, ac si qui ea fecissent, in hostium potestatem non pervenissent, & hæreditas, ex his ad unumquemque pertinebat, & quidem lege Cornelia. Scripsit hoc Julian. Dig. XLII. leg. qui testam. fac. poss. Quæ ita intelligenda sunt, non ut testamentum, quod is apud hostes fecit, valeat; nam illud ne redeunte illo quidem domum valet: sed quod antea, dum in civitate esset, fecit; si illic decesserit, valeat ex lege Cornelia; sin autem redierit, jure postliminii. Bona quoque, sive testamenti factionem habuerint, sive non habuerint ad eos pertinebant, ad quos pertinerent, si in hostium potestatem non pervenissent. *Augustin. de legibus in lege Cornelia de captivis.* In triumphum deducebantur. Horat. Od. IV. 2. 33.

Concines majore Poeta plectro
Cæsarem, quandoque trahet feroces
Per sacrum clivum merita decorus
Fronde Sicambros.

De clivi initio loquitur Horatius; *captivi* namque non ulterius ducebantur, neque ad ipsum Capitolii culmen; verum in carcerem mittebantur. Ostendit hoc Cicer. Verr. v. 30. *Cum de foro in Capitolium currum flectere incipiunt*, quo loco captivi currum præcedentes initium ascensus facere debuerant, *duci illos in carcerem jubent.* Nardin. Rom. Vet. v. 10. Præcedebant vincti catenis in servitii notam. Stat. Sylv. III. 2. 120.

Actias Ausonias fugit Cleopatra catenas.

Ita Zenobia Odenati uxor vincta triumphata est ab Aureliano Treb. Poll. 30. tyran. c. 30. *Vincti erant pedes auro, manus etiam catenis aureis: nec collo aureum vinculum deerat.* Prop. II. 1. 33.

Aut Regum auratis circumdata colla catenis.

Et milites. Flor. II. II. 6. *Gallogræci alligati miraculo quodam fuere, cum catenas morsibus & ore tentassent.* Unde & egredientes in bellum duces catenas vinciendis hostibus secum gestabant. Flor. III. 7. 2. *Primus invasit Cretam M. Antonius, cum ingenti quidem victoriæ spe atque fiducia, adeo ut plures catenas in navibus quam arma portaret.* Alex. Gen. Dier. VI. 6. ad illum Tiraquellus. Demster. Paral. ad Rosin. Ant. Rom. x. 29. Nicol. de Triumph. c. 16. §. 6. Cives Romani pileati incedebant, quasi

quaſi liberati ſervitute ab eo qui triumphabat. Liv. xxx. 45. *Secutus Scipionem triumphantem eſt pileo capiti impoſito Q. Terentius Culleo: omnique deinde vita libertatis auctorem coluit.* Auguſtin. de Legibus in Junia Norbana. Quod ſi morte obita minime duci valuiſſent, illorum imagines & ſimulacra perſæpe delata ſunt. Ita Auguſtus poſt bellum Actiacum Alexandrino triumpho, cum Cleopatram ducere nequiret, ipſius imaginem, quæ manu ſibi mortem conſciverat, exſanguem detulit. Alex. Gen. l. l. Plutarch. Ant. p. 955. B. *Siquidem in triumpho ejus imago tranſlata eſt ipſius Cleopatra, & aſpides mordicus brachio affixa.* Unde Prop. III. 9. 53.

Brachia ſpectavi ſacris admorſa colubris.

Etiam ſi aufugiſſent. Sil. Ital. XVII. 648.

Sed non ulla magis menteſque oculoſque tenebat
Quam viſa Hannibalis campo fugientis imago.

Syphacis, qui paullo ante triumphum apud Tibur deceſſerat, feretro impoſitam in ſuo triumpho oſtentabat Scipio Africanus. Sil. Ital. XVII. 634.

Ante Syphax feretro reſidens captiva premebat
Lumina, & auratæ ſervabant colla catenæ.

Figrel. de Stat. Roman. c. 7. Nicol. de Triumph. c. 8. §. 4. Dauſqu. & Cellar. in Silium. Voſſ. in Paterc. II. 82. Pitiſc. in Suet. Aug. c. 17. n. 10. §. 31. Illorum cervices militibus victoribus conculcandæ dabantur. V. infr. in *Pes.* Haſtæ publicæ ſubjiciebantur, & ſub corona vendebantur. Liv. IX. 42. *Deditio fieri cœpta eſt: & pacti, qui Samnitium forent, ut cum ſingulis veſtimentis emitterentur. Hi omnes ſub jugum miſſi. Sociis Samnitum nihil cautum: ad ſeptem millia ſub corona veniere.* V. infr. in *Corona.* Fab. Semeſtr. II. 3. Briſſon. de Form. VI. p. 511. In perpetuæ contumeliæ tum notam, tum monimentum, *captivi* Reges, ac populi, pariter marmoribus adhuc affixi ſuſpiciuntur: ibidemque ipſa temporum vetuſtas, quæ cuncta tandem abolere conſuevit, etſi de ipſiſmet victis, nullatenus tamen de victoribus, ex more triumphat: triumphales quippe iſti lapides, qui nunc viſuntur, virentes adhuc victoribus palmas, & victis contumeliam portendere, ac deſignare videntur: quapropter ut triumphus magis conſpicuus eſſet, & victorum dedecus immortale intuentium oculis plene innoteſceret, *captivos* in ſublimiori fornicum triumphalium parte inſculpebant, quos ſuſpiciens quondam cecinit Juven. Sat. x. 136.

— *ſummo triſtis captivus in arcu.*

Aring. Rom. Subterr. VI. 50. §. 5.

CAPTURÆ dicuntur mercedes artium ſordidarum, & obſcœnarum. Senec. Controv. I. 2. *Pretia ſtupri accepiſti: & manus, quæ diis datura erat ſacra, capturas tulit.* x. 4. *Tibi captura quotidiana non conſtat.* Val. Max. III. 4. 4. *Et quidem fortuna parum duxit ſordidiſſimæ mercis capturis alito duodecim faſces largiri.* Suet. Calig. c. 40. n. 5. *Ex capturis proſtitutarum quantum quaque uno concubitu mereret.* Caſaub. in Suetonium. Franckenſtein de Ærar. pop. Rom. c. 8. Schill Nomencl. Philol. p. 247. Græci *μίσθωμα* proprie vocant: docent enim ita differre *μίσθωμα* & *μισθὸν*, ut illud ſit *captura* proprie, vel pretium flagitii aut ſceleris. Ita diſtinguit Philo contr. Flacc. p. 984. D. Μετὰ τὸν ἐπάρατον μισθὸν, ἢ κυριώτερον εἰπεῖν τὸ μίσθωμα. *Caſaub. & Schill. l. l.* Μισθὸν hac notione tamen accipit Juſtin. Mart. Apolog. II. p. 70. D. *Ita nunc & pueri ad turpem duntaxat uſum, atque itidem feminarum, & ambigui ſexus androgynorum, & obſcœnorum familiæ, nefandi hujus piaculi gratia per nationem omnem præſtant. Atque horum vos mercedes, μισθὰς, capitis.* Franckenſtein l. l.

CAPUA ex Campaniæ urbibus prima, & metropolis regionis. Liv. IV. 37. *Vulturnum Etruſcorum urbem, quæ nunc Capua eſt, ab Samnitibus captam: Capuamque ab duce eorum Capye, vel, quod propius vero eſt, a campeſtri agro appellatam.* Paterc. I. 7. 2. *Quidam hujus temporis tractu ajunt, a Tuſcis Capuam conditam ante annos fere octingentos triginta: quibus equidem aſſenſerim.* Cluver. Ital. Ant. IV. 5. §. 4. *Capuam* coloni a Sylla adſcripti fuerunt. Frontinus: *Capuæ agrum, antequam a Cæſare Capua deduceretur, lege Syllana fuiſſe aſſignatum.* Rurſus. *Coloniæ Capuenſi cum territorio ſuo a Sylla Felice adjudicata olim ob hoſticam pugnam.* Accedit, quod Cicero, cum in Rullum tribunumplebis Conſul loqueretur Agrar. II. 34. qui legem de *Capua* colonia deducenda promulgarat, quam poſtea Cæſar in conſulatu pertulit, ita loquitur, ut eam ab aliis ante parum bonis ominibus deductam oſtendat: quo in loco, credo, Syllanam deductionem ſignificavit. Sic enim dixit: *Neque te P. Rulle, omina illa M. Bruti, atque auſpicia a ſimili furore deterrent: nam & ipſe, qui deduxit, & qui magiſtratum Capuæ ceperunt, & qui aliquam partem illius deductionis, honoris, muneris attigerunt, omnes acerbiſſimas impiorum pœnas pertulerunt.* Eſt veriſimile, cum alia Scyllæ acta poſt mortem ejus reſcinderentur, hanc quoque deductionem eſſe labefactatam. idque cauſam Rullo attuliſſe, ut in conſulatu Ciceronis de eadem deducenda cogitaret. cujus legem a plebe Romana incredibilem Conſulis eloquentiam admirata eſſe repudiatam accepimus. Deduxit eo Julius Cæſar coloniam in primo conſulatu. Cæſar ipſe de Bell. Civ. I. 14. *Capuæ primum ſeſe confirmant & colligunt, delectumque colonorum, qui lege Julia Capuam deducti erant, habere inſtituunt.* Unde Frontinus: *Capua muro ducta colonia. Julia Felix juſſu Imperatoris Cæſaris a viginti viris eſt deducta.* Sigon. de Ant. Jur. Ital. III. 4. Manut. de Civ. Rom. Theſ. Antiq. Roman. Græv. Tom. I. p. 21. C. Panvin. de Imp. Rom. c. II. Goltz. Ital. p. 234. V. infr. in *Præfectura.*

CAPULA erat vas utrinque anſatum, ad oleum in alia vaſa transferendum comparatum. Et *capulare* eſt oleum in aliud vas transfundere. Cato de Re Ruſt. c. 67. *Cuſtos oleum frequenter capulet.* Panciroll. Deſcr. Urb. Rom. Theſ. Antiquit. Romanar. Græv. Tom. III. pag. 334. C.

CAPULARIS dicitur ſenex morti vicinus, ut Serv. Æneid. VI. 222. jam morti contiguus, ut Fulgent. de Priſc. ſerm. §. 23. Plaut. Mil. Glor. III. 1. 33.

— *itane ego tibi videor oppido Acheruntícus,*
Tam capularis.

Quem *capuli decus* vocat Artemona anus apud eundem Aſin. v. 2. 42.

Perii miſera! ut oſculatur carnifex, capuli decus.

Kirchman. de Fun. Roman. II. 9. Guther. de jur. Man. I. 17. Moreſtell. Pomp. Feral. II. 9. Salmaſ. Exerc. Plinian. p. 848. b. D. Voſſ. Lex. Etymol.

CAPULATOR erat, qui concha ferrea in labrum fictile oleum expreſſum transfundebat: & miniſter præfectus, qui populo oleum admetiebatur & dividebat. Hoc enim *capulis* diſtribuebat. Cato de Re Ruſt. c. 67. *Continuo capulator concha oleum, quam diligentiſſime poterit, tollat.* Colum. de Re Ruſt. XII. 50. *Quod primum oleum defluxerit, in rotundum labrum protinus capulator depleat, & in fictilia vaſa huic uſui parata defundat.* Conveniebant *capulatores* quotidie cum quæſtoribus in locum, ubi erat oleum populo dandum, ut hi rationes, id eſt, olei quantitatem ſingulis datam, & accipientium nomina ſcriberent, illi dividerent: unde in tertia Urbis regione apud Sext. Rufum & P. Victorem ſchola quæſtorum & *capulatorum* ponitur. *Panciroll. Notit. Dign. Imp. Occid. c. 4. Deſcr. Urb. Rom. Theſ. Antiq. Roman. Græv. Tom. III. p. 334. B. Boſius de Pont. Maxim. c. 2. Pignor. de Serv. p. 549. Reineſ. Inſcr. Claſſ. XI. n. 62. Burmann. Diſſert. de Vectig. c. 3.*

CAPULUS, ſive *capulum* eſt enſis manubrium. Virg. Æneid. x. 536.

— *Capulo tenus abdidit enſem.*

Feſtus: *Capulum manubrium gladii vocatur.* Scaliger ad Feſtum. *Capulos* veteres habebant eburneos. Unde Spartianus exhibiturus Adrianum Cæſarem gregarii plane militis habitu, dicit in ejus vita c. 10. *capulo vix eburneo ſpatham clauſiſſe*, quod eſt, eburnum *capulum* vel clauſulam vix ſpathæ addidiſſe. Spatham eburno *capulo* clauſam

Græci ἐλεφαντόκωπον σπάθην vocant Theopompus: ἐλεφαντοκώπους ξιφομαχαίρας. . . . . . . Et auro vinctos. Serv. Æneid. IV. 261. V. illum infr. in *Secespita*. Salmas. ad Spartianum. Imo in illis cælata quædam gestabant signa. Ovid. Met. VII. 422.

Cum pater in capulo gladii cognovit eburno
Signa sui generis.

Senec. Hippol. III. 2. 899.

Regale parvis asperum signis ebur
Capulo refulget gentis Actææ decus.

Gronov. ad Senecam. Chiflet. Anast. Childer. c. 14.

Capulus est sarcophagus, id est, sepulcrum. Quem veteres *capulum* dici volunt, quod corpora capiat. Nonius I. 13. Prorsus male. Nec enim in *capulo* condebantur cadavera, sed efferebantur. Melius Glossæ: *Kapulus, in quo mortui deferuntur.* Cum Kappa scribunt, ut distinguatur a *capulo* ensis, qui a capiendo dictus est, quod capiatur. At *capulus* mortuorum ex Græco κάπαλ@, quæ præsepem & φάτνην significat. *Κάπαλ@, capulus,* ut ἴταλ@, *vitulus.* Festus: *Capulus vocatur id, quo mortui efferuntur.* Utitur Lucill. Sat. II.

Quem cum vidissent Hortensius, Posthumiusque,
Cæteri item in capulo hunc non esse, aliumque cubare.

Salmas. Exerc. Plinian. p. 848. b. C. Kirchmann. de Funer. Rom. II. 9. Morestell. Pomp. Feral. II. 9. Voss. Lex. Etymol. Cuper. Observ. II. 9. Nicol. de Sepulcr. Hebræor. c. 2. §. 2: c. 3. §. 2.

Capulus etiam navis genus apud veteres videtur fuisse. V. infr. in *Lembus*. A *capulo* vero fortasse *capulici* per diminutionem apud Gell. Noct. Attic. X. 25. Quæ quales hactenus essent, ignorabantur. *Scheffer. de Milit. Nav.* II. 2. *Gyrald. de Navig. c.* 18.

CAPUT eminet supra reliquos artus corporis, & est præstantissimum omnium, tanquam inter elementa cœlum, tanquam arx inter reliqua urbis mœnia. In arce hac regalis quædam habitat sapientia, secundum Propheticum dictum, quia *Oculi sapientis in capite ejus.* Hæc est cæteris tutior, & ex illa omnibus membris vigor prudentiaque defertur. Quid enim robur & validitas lacertorum proficiat, quid velocitas pedum, nisi *capitis* velut Principis sui imperialis quædam adminiculetur potestas? Ex hac enim aut destituuntur universa, aut omnia fulciuntur. Ambros. Hexaem. VI. 9. Fixa est in eo sedes sensoriis omnibus. Inhabitant in eo artes omnes. Leguntur in eo omnes affectus. Vita universa per illud dispensatur. *Raynaud. de Pil. & cæt. cap. tegm. Sect.* I. In Urbe Romani *caput* non tegebant, & nullus pilei, petasi, causiæ, & alius tegminis usus nisi extra Urbem in peregrinatione fuit. V. infr. in *Pileus*. Laciniam tamen togæ in caput sæpe rejiciebant, contra ventum aut æstum, eamque detrahebant in honorati alicujus occursu. Nam Sallustius scribit Hist. V. apud Nonium IV. 5. *Sullam in victoria Dictatorem equo descendere Pompejo uni, surgere de sella, caput aperire.* Et, ne quid hic de militia quis cavilletur, ut vulgatissimum morem hunc recenset Senec. Epist. 64. *Si Consulem videro aut Prætorem, omnia quibus honor solet haberi, faciam: equo desiliam, caput aperiam.* Et, ne quis dicat & hunc loqui de militia aut peregrinatione, quia equi usus infrequens, aut nullus in Urbe, Plutarch. Quæst. Roman. 10. *Romani, si cui obviam facti sunt, cui honos habendus, & si forte caput veste injecta tectum habeant, id revelant.* In Gracchis de Scipione Nasica p. 833. C. *Laciniam togæ rejiciens in caput.* Lips. de Amphith. c. 20. Casal. de Urb. ac Imper. Roman. splend. part. 2. c. 12. Lipsii sententiam probamus, & addimus Plutarch. in Pomp. p. 622. C. qui illum fugit, locum præcipuum. Illic enim cum recensuisset eximios honores, quibus Pompejum Sylla excepit, ait assurrexisse ei advenienti, & *caput* aperuisse. In Græco est, καὶ τῆς κεφαλῆς ἀπάγοντ@ τὸ ἱμάτιον, *vestem capiti detrahentis.* Non tamen lacinia togæ, limbusve inferior in *caput* rejici solebat, quod vult Lipsius, sed pars togæ superior ad cervicem, quæ nempe sinistro humero insidebat, & dextro dejiciebatur, cum res posceret, in *caput* attrahebatur. Nec dubitabit, qui veteres lapides & nummos viderit. Et ita factum esse ratio evincit. Nam de Cæsare scribit Suet. c. 82. n. 3. *cum strictis pugionibus* a conjuratis *peti videret, toga caput obvolvisse, simul sinistra manu sinum ad ima crura deduxisse, quo honestius caderet, etiam inferiore corporis parte velata.* Si lacinia, imaque pars togæ rejiciebatur in *caput*, quomodo sinus deduci ad ima crura potuit, qui nihil aliud erat quam lacinia brachio subducta? Deinde quomodo inferior corporis pars velata esse potuit extrema ora in *caput* subducta? Quod ad Scipionem Nasicam attinet, alia res fuit. Nam cum repente in mediam rixam iturus esset, ubi fustibus & saxis, subselliorumque fragminibus, & cæteris, quæ furor ministraret, maxime res agebatur, nullo spatio capiendi arma, non solam togæ laciniam, sed totam fere partem inferiorem in rugas contractam, ac complicatam *capiti* imposuit ad tutelam, & se veluti galea communivit, ut etiam sic subducta toga expeditior in pugna foret. Eadem ratione qui cum eo erant, ex eadem toga clypeam fecerunt. *Ferrar. de Re Vest.* I. I. 10. *Stuck. Ant. Conv.* II. 32. *Kipping. Antiq. Roman.* IV. 5. 19. Nec tantum contra cœli injurias *caput* operiebatur; sed maxime in sacrificiis, cujus rei causas plures adfert Plutarch. Quæst. Roman. c. 10. maxime has, ut eo gestu & habitu se humiliores redderent, & ne inter precandum triste quid aut ignominiosum aliunde occurreret, quo animi religiosa attentio turbaretur. Saturno vero sacra faciebant Romani aperto *capite* tanquam veritatis numini, cui nihil obtegere possent; Honori Deo itidem, quia aperta & patens sit gloria. Etiam Virg. Æneid. III. 405.

Purpureo velare comas adopertus amictu:
Ne qua inter sanctos ignes in honore Deorum
Hostilis facies occurrat, & omnia turbet.

Ad quem Servius: *Sciendum est, sacrificantes Diis omnibus capita velare consuetos ob hoc, ne se inter religionem vagis aliquid offerret obtutibus, excepto tantum Saturno.* Quare inter *signa mortis* Adriani, quod sacrificanti *prætexta sponte delapsa caput ei aperuit*, recenset Spartian. c. 26. *Ferrar. & Stuck. l. l. Tomas. de Donar. c.* 5. *Brisson. de Form.* I. *p.* 36. *Kirchmann. de Fun. Rom.* II. 16. *Laz. Comm. Reip. Rom.* VIII. 14. *Salden. Ot. Theol.* I. 6. 8. *Buleng. de Vest. Pont. c.* 36. *Scalig. Conj. in Varr. p.* 39. *Jun. Anim.* II. 11. *Noris. Cenot. Pisan. Dissert.* II. 5. *Guther. de Vet. Jur. Pont.* IV. 17. *Boxhorn. in Plutarchum. Brod. Misc.* V. 8. *Gyrald. Synt. Deor.* XVII. *p.* 521. *F. Lomej. de Lustrat. c.* 34. *Schegk. Præmess. c.* 10. *Kipping. ibid. l.* 10. §. 4. Imo in re crepera & calamitosa totum obvolvebatur. Hoc Cæsar & Pompejus eodem leti genere ad Cereris generum descendentes in ipsa morte usurparunt. De hoc Dio XLII. p. 187. C. tradit, quod simulatque insidias esse, & se neque defendendi sui, neque effugiendi facultatem habere vidit, συνεκαλύψατο. De hoc XLIV. p. 249. B. eodem verbo usus est. Nam ita a conjuratis vulneratum refert, ut præ ipsorum multitudine nec dicere, nec agere quicquam posset, ἀλλὰ συγκαλυψάμενον σφαγῆναι πολλοῖς τραύμασι. Quod Suetonius *toga caput involvere* modo dixit. *Ferrar. l. l.* Superstites filii *caput* operiebant, filiæ aperiebant, in funus parentis prodeuntes. Moris causas adfert Plutarch. Quæst. Rom. 14. *An quod patres*, inquit, *tanquam Deos a maribus coli convenit; quos tamen eosdem filias nudas luctu prosequi magis deceat. An ea lugenti accommodata sunt, quæ sunt inusitata? Consueverunt autem magis aperto capite mulieres, atque viri contra operto in publicum prodire. Apud Græcos enim si quid adversi acciderit, ut mulieres tonderi, sic viri comas alere consueverunt, quod viros tondere, mulieres vero promissiores habere crines moris est.* Kirchman. l. l. Morestell. Pomp. Feral. II. 24. *Caput* etiam velabant pallio delicati & ægroti. Mæcenas apud Senec. Epist. 114. *Hunc esse qui in tribunali, in rostris, in omni publico cœtu sic apparuerit, ut pallio velaretur caput,*

exclusis

exclusis utrinque auribus. Trimalcio apud Petron. c. 32. *Pallio coccino adrasum incluserat caput.* Quintil. Inst. Orat. XI. 3. *Palliolum, & focalia, & aurium ligamenta sola excusare potest valetudo.* Lips. l. l. *Caput* poste veteres tundebant ad Deorum iram placandam. Tib. I. 5. 42.

Et miserum sancto tundere poste caput.

Turneb. Adv. XII. 5. In luctu & mentis perturbatione foribus & parietibus illidebant. Suet. Aug. c. 23. n. 4. *Adeo consternatum ferunt, ut per continuos menses caput interdum foribus illideret.* Capitol. Maxim. c. 17. *Jaciebat se in parietes.* Senec. de Ira I. 16. *Quid opus est se in columnas impingere?* Casaub. in Suetonium & Capitolinum. Per *caput* jurabant. Virg. Æneid. IX. 300.

Per caput hoc juro, per quod pater ante solebat.

Plin. in Grat. Act. *Jusjurandum & ille juravit, & expressit verba, quibus caput suum, si sciens fefellisset, Deorum iræ consecraret.* Quod si quis causam quærat, cur tantus *capiti* cultus & honor, dicam *caput* pro salutis hieroglyphico poni solitum, idque in extremo discrimine, adjurare, devovere. Hinc toties apud Homerum ea loquendi formula, ἐπ' ἐμοῖο κάρη. Consuerant autem manum *capiti* imponere, ex Livio, & Aristophane in Acharnanibus. Etiam alterius. Ovid. Heroid. III. 107.

Perque tuum, nostrumque caput, quæ junximus una,
Juro.

Juven. Sat. VI. 16.

—— nondum Græcis jurare paratis
Per caput alterius.

Imo Regum & Cæsareum. Ovid. Pont. III. 3. 68.

Per matrem juro, Cæsareumque caput.

Hansen. de Jurejur. vet. c. 15. Raynaud. de Pil. & cæt. cap. tegm. Sect. I. In *caput* suum ut reciderent ea, quæ in alium dixerant, si eum placare, eique satisfacere vellent, optabant. V. infr. in *Recidere.* *Caput* radere ignominiæ, & servilis notæ loco habitum, & tam servorum, quam manumissorum, imo scurrarum etiam, & morionum *capita* derasa fuisse nemo ignorat. De libertate donatis Plautus laudatus infr. in *Pileus.* Et factum Prusiæ narrans Livius. V. illum infr. in *Manumissio.* Ideo autem manumissos *caput* radere consuevisse veteres tradunt, quod servitutis naufragium evasissent. V. infr. in *Naufragi.* Sed si servi *caput* derasi, quomodo manu emissi capillis *caput* spoliabant? Atqui servi ferme *caput* semirasi. De servo bustuario Catull. LIX. 5.

A semiraso tunderetur ustore.

De servis in pistrino opus facientibus Apul. Met. IX. p. 280. *Capita semirasi, pedes annulati.* Artemid. I. 22. *Utram autem capitis partem nudam sibi habere visus sit, si parum meminit, damnabitur ad opus publicum: nam & hoc istic damnatis insigne est.* De scurris & morionibus; nam & his ad ludibrium *capita* radebantur. Juven. Sat. V. 171.

—— pulsandum vertice raso
Præbebis quandoque caput.

Artemidorus laudatus infr. in *Naufragi.* Neque tamen apud omnes gentes rasisse *caput* ignominiosum fuit. Nam Ægyptios sacerdotes Synesius Encom. Calvit. memorat, totum corpus pilis denudasse, ne quid scilicet sordium, in peragendis sacris excidens, divinum cultum contaminaret. Quod accepit ab Herod. II. p. 116. C. qui scribit tertio quoque die eos totius corporis partes radere hac de causa consuevisse. Unde Isidis cultores Romæ penitus derasos fuisse scimus, quos ideo Juven. Sat. VI. 533. *gregem calvum,* Mart. XII. 29. 19. *sistratos calvos,* & Apul. Met. XI. p. 371. *deraso funditus vertice prænitentes* appellant. Atque ita Commodum Imperatorem, cum sacris Isidis operaretur, *caput rasisse* tradit Spartian. c. 9. *Ferrar. Elect.* II. 13. Hostis victi a ferocioribus victoribus interdum amputabatur, & in contumeliam, vel loco patente spectandum proponebatur, vel hastæ affixum in ludibrium circumferebatur. Suet. Aug. c. 13. n. 2. *Caput Bruti* ab Augusto *Romam missum, ut statuæ Cæsaris submitteretur.* Paull. Diacon. X. *Didius Salvius Julianus cervice decollatus, caputque ejus in Rostris ponitur;* *Caput* Pompeji præfertur ad Cæsarem. Lucan. VIII. 679.

Impius ut Magnum nosset puer, illa verenda
Regibus hirta coma, & generosa fronte decora,
Cæsaries comprensa manu est, Pharioque veruto
Dum vivunt vultus, atque os in murmura pulsant
Singultus animæ, dum lumina nuda rigescunt,
Suffixum caput est.

Valer. Max. IX. 4. 3. *Caput ejus abscindere, & per Urbem pilo suffixum ferre sustinuit.* Demster. Paralip. ad Rosin. Antiq. Roman. X. 10. Freinshem. in Flor. IV. 9. 7. Gebhard. in Nepot. VII. 10. 6.

Caput Africæ fuit *caput* mulieris, quod Africam retulerit. *Panciroll. Descr. Urb. Rom. Thes. Antiq. Roman. Græv. Tom.* III. *p.* 329. *E.* Ita legitur in Ruso & Victore in regione Urbis secunda, quæ Cœlimontium. Corruptum utriusque textum existimo, & emendandum: *caput Africi,* nempe vici. V. illum infr. in *Vicus.* Adjuvat me hic Anastasius, qui in Leone III. *Et in monasterio,* inquit, *S. Agathæ, quod ponitur in monasterio apud Africi.* . . . . . cujus plenus sensus est, apud *caput Africi.* Nardin. Rom. Vet. III. 6.

Caput Bovis est nobilissimum sepulcrum in via Appia ultra Caracallæ circum, & adhuc superest, & habet hanc Inscriptionem.

CÆCILIÆ
Q. CRETICI. F
METELLÆ. CRASSI

Panvin. Descr. Urb. Rom. Thes. Antiq. Roman. Græv. Tom. III. *p.* 254. *F.*

Caput cœnæ erat præcipuus missus, sive ferculum præcipuum, quod in cœna dabatur. Cicer. Tusc. Quæst. V. 34. *Ubi cum tyrannus cœnavisset Dionysius, juravit se jure illo nigro, quod cœnæ caput erat, delectatum.* Mart. X. 31. 3.

—— mullus tibi quatuor emptus
Librarum, cœnæ pompa caputque fuit.

Ursin. Append. ad Ciaccon. de Triclin. p. 310. Turneb. Adv. II. 17. Græcis κεφαλὴ δείπνου appellatur. Alexis:

---- Κεφαλὴ τοῦ δείπνου γίνεται.

Exempli gratia: Si gallina, pulli, oliva, rapula, capparis, & alia hujusmodi secundo loco fuissent apposita, hæc omnia simul cœna fuerunt dicta: *caput* autem illius cœnæ gallina. *Stuck. Ant. Conviv.* III. 1.

Caput Commodi Imperatoris ingens æneum est in porticu Conservatorum in Capitolio. De illo meminit Lamprid. in Comm. c. 17. *Colossi caput depressit, quod fuerat Neronis, ac suum imposuit, & titulum more solito subscripsit.* Marlian. Topogr. Urb. Rom. II. 9.

Caput extorum simpliciter dicitur initium fibrarum jecoris. Plin. XI. 37. *Jecur in dextra parte est in eo quod caput extorum vocant magnæ varietatis. M. Marcello circa mortem, cum periit ab Hannibale, defuit in extis, sequenti die geminum repertum est.* . . . . *Caput* dicitur fastigium fibrarum; jecur in duas partes dividebant, familiarem & hostilem: suum cuique *caput* tribuebant, ex cujus colore & habitudine futura prædicebant. *Caput jecinoris interdum geminum inveniri* scribit Plin. XXVIII. 1. *quando scilicet ita excrevit, ut geminum videri possit.* Lucan. I. 627.

Ecce videt capri fibrarum increscere molem:
Alterius capitis pars ægra, & marcida pendet;
Pars micat, & venas celeri movet improba pulsu.

Caput ipsum non modo aliquando cæsum erat, sed etiam in membranæ cujusdam involucris latens, ut vix potuerit inveniri. Ovid. Met. XV. 794.

—— magnosque instare tumultus
Fibra monet, cæsumque caput reperitur in extis.

Senec. Oed. II. 360.

En capita paribus bina conſurgunt toris,
Sed utrumque cæſum tenuis abſcondit caput
Membrana, latebram rebus occultis negans.

Buleng. de Sort. c. 6. Briſſon. de Form. I. p. 21.

Caput fluvii dicitur ejus fons. Ulpian. leg. 1. §. 8. ff. de Aq. quot. & æſtiv. *Caput aquæ illud eſt, unde aqua naſcitur.* Sicul. Flacc. de condit. agror. p. 12. *Quidam rivi ab origine, id eſt, a capite, donec in mare defluant, fines poſſeſſionibus præſtant.* Mela III. 2. *Rhenus ab Alpibus decidens prope a capite duos lacus efficit.* Horat. Od. I. 1. 22.

Nunc ad aquæ lene caput ſacræ.

Hennin. in Bergier. de viis Milit. III. 38. §. 6. Turneb. Adv. XXIV. 40.

Caput porcinum vocatur in militia, qui *cuneus*, ſive *multitudo peditum, quæ primo anguſtior, deinde latior procedit.* Veget. III. 19. Ammian. XVII. 13. *Deſinente in anguſtum fronte, quem habitum caput porcinum ſimplicitas militaris appellat.* Dicitur *caput* porcinum, quia porco aſſimilatur, & quia velut fodit & ruit invadendo. Optime Agathias, &, qui illum deſcribit, Suidas: *Erat iis forma aciei velut in roſtrum. Literæ enim Δ aſſimilabatur. Et anterior pars, qua in acutum deſinebat, tecta & denſa erat, quia ſcutis undique muniebatur. Dixeris caput eos porci ſtructura ea efformaſſe. Crura autem utrimque ſecundum ordines & cohortes in profundum compoſita, & pleraque parte in obliquum extenſa, deibant paullatim, & disjungebantur, donec in maximam latitudinem progreſſa deſinerent: ita ut medius locus vacuus relinqueretur, & terga militum nuda per ordinem conſpicerentur.* Lipſ. de Mil. Roman. IV. 7. Stewech. in Vegetium. Hugo de Milit. equeſt. III. 6.

Capita aut navia erat genus ludi puerilis apud Romanos, quo nummum in ſublime jactantes, cum in terram recidit, utram faciem oſtenderet, obſervabant. Macrob. Sat. I. 7. *Janus, cum primus æra ſignaret, ſervavit & in hoc Saturni reverentiam, ut quoniam ille navi fuerat advectus, ex una quidem parte ſui capitis effigies, ex altera vero navis exprimeretur, quo Saturni memoriam etiam in poſteros propagaret. Æs ita fuiſſe ſignatum hodieque intelligitur in aleæ luſu, cum pueri denarios in ſublime jactantes, capita aut naviam, luſu teſte vetuſtatis, exclamant.* Hodieque in uſu eſt ille luſus. Galli vocant *jover a croix ou pile.* Pila navim ſignificat: unde magiſter navis vulgo pilote dicitur. *Schott. in Aurel. Vict. de Orig. Gent. Rom. c. 3. n. 5. Buleng. de Lud. Vet. c. 5. Junius de Pictur.* II. 8.

Capite cenſi vocabantur, qui ære aut nullo, aut perquam parvo, pæne ſolo *capite* cenſebantur, qui 365. aſſes habebant in cenſum, & numerum civium augebant: quibus non ideo vacatio a militia dabatur, quod arma his quoque committi non poſſent, ſed quia bellicos ſumptus facere nequirent. Eis enim temporibus milites de ſuo alebant: ideoque minus ſæpe milites hoc de genere ſcribebantur: nec ante C. Marium *capite* cenſorum opera quemquam ex Romanis ducibus in bello eſſe uſum, teſtatur Salluſt. Bell. Jugurth. p. 135. *Ipſe interea milites ſcribere, non more majorum, neque ex claſſibus, ſed uti cujuſque lubido erat, capite cenſos pleroſque. Id factum alii inopia bonorum, alii per ambitionem Conſulis memorabant, quod ab eo genere celebratus, auctuſque erat: & homini potentiam quærenti egentiſſimus quiſque oportuniſſimus.* Erant in ſexta civium claſſe. V. infr. in *Cenſus.* Differebant a proletariis. V. infr. in *Proletarii.* Auguſtin. ad XII. tabb. §. 2. Panvin. de Civ. Rom. c. 52. Manut. de Civ. Rom. Theſ. Antiq. Roman. Græv. Tom. I. p. 37. A. Sigon. de Ant. Jur. Civ. Rom. I. 4. Bud. in Pandect. p. 133. I. Ræevard. ad Leg. XII. tab. c. 9. Rittersh. in Leg. XII. tab. Claſſ. III. p. 3. c. 5. Prevot. de Magiſtrat. Roman. c. 1. Pigh. Annal. Roman. I. p. 46. de *Capite* civis damnati non niſi comitiis centuriatis agi poterat. Hoc erat ſcitum ſacratis legibus, quæ anno ab exactis Regibus ſextodecimo latæ ſunt, & XII. tabularum, quæ poſt annum quinquageſimum ſextum promulgatæ ſunt. Quod Cicero in oratione pro Sextio c. 30. & de Leg. III. 4. ſcriptum reliquit. Unde addidit de Leg. III. 19. *Vere L. Cottam dixiſſe, nihil omnino actum eſſe de ſe a Clodio, quia tributis comitiis de capite ſuo egiſſet, quæ rata eſſe non poſſunt.* Sigon. de Judic. III. 5. Ant. Jur. Civ. Rom. I. 6. Lex decemviralis hæc eſt: *De capite civis Romani niſi per maximum comitiatum ne ferunto.* Per *comitiatum maximum* intelligere debemus comitia centuriata. Erant enim comitia duorum generum: alia centuriata, alia tributa. In illis erat melior ordo quam in his, & plus rationis, plus conſilii: unde & magiſtratus in illis creari ſolebant. In his omnia magis confuſe agebantur. Merito itaque rem adeo gravem ad ea comitia rejecerunt Romani, in quibus ad ſuffragia plus rationis, & conſilii afferebatur. Poſterioribus tamen temporibus judicia capitalia non ipſe exercuit populus; ſed quæſitoribus parricidii commiſit, vel prætoribus capitalium quæſtionum: quædam duntaxat ſibi ipſi reſervavit, ut crimen perduellionis. *Rittersh. ad Leg.* XII. *tab. Claſſ.* II. *c.* 3. *Turneb. in Cicer. de Leg.* III. *p.* 190. *Auguſt. ad* XII. *tabb.* §. 2. *Manut. de Comit. Rom. c.* 14. Damnatis egredi palam ex Urbe licebat: quod ſi tribuum una, quæ ſcilicet ad damnationem deeſſet, ſuffragium de reo nondum detuliſſet, facultas reo dabatur exſilii ſuo ſibi arbitratu deligendi: exſulibus autem tuto commorari licebat, in qua urbe vellent fœderata, ut Neapoli, Præneſte, Tibure, item aliis in urbibus, quibus hoc jure fœdus intercedebat cum Romanis. Polyb. VI. 12. *Manut. de Leg. c.* 19. *Capitis* anquirere, aut judicare, diem rei *capitalis* dicere, rei *capitalis* accuſare ſunt profecta ex illo, quod quem exſilio, ſervitute, morteve affecerunt, in eo nomen *capitis* factitarunt. Pro quibus etiam perduellionem judicare, & perduellionis actionem intendere poſuerunt. Atque ipſi mulctæ, ut *capitis*, ſic perduellionis nomen tanquam idem valens oppoſuerunt. Liv. XLIII. 16. *Bis pecunia anquiſitum eſt: tertio cum capitis ſe anquirere diceret, tribuni plebis permiſerunt, ut aut capitis, aut pecuniæ judicaret privato: ille perduellionem judicavit.* Sigon. de Judic. III. 3. Deminutio erat triplex: maxima, media, minima: non omnis fuit pœna, ſed tantum duæ priores: maxima, quæ libertatis ademptione fiebat: & media, quæ civitatis: minima, cum familia mutaretur, beneficium potius, quam pœna, fuit. Quod ſi cui magiſtratus adimeretur, *capitis* deminutio non fuit, ut Inſtit. I. legimus: ſicut *capitis* deminutio fuit manente magiſtratu, ut in emancipatione filii, quod Digeſt. XLIII. de *capite* minutis traditum eſt. *Manut. de Legib. c.* 19. *Nann. Miſc.* IX. 12. *Pius annot. Poſt. c.* 44. *Cujac. Obſerv.* VI. 25. *Rævard. Var.* III. 5. *Schill Nomencl. Philol. p.* 248. Supplicium in campo Eſquilino de ſontibus ſumebant veteres. Horat. Epod. 5. 99.

Poſt inſepulta membra different lupi,
Et Eſquilinæ alites.

Suet. Claud. c. 25. n. 9. *Civitatem Romanam uſurpantes in campo Eſquilino ſecuri percuſſit.* Locus ille id temporis extra Urbem fuit. Colligimus hoc ex illo Tacit. Annal. II. 32. 5. *In P. Martium Conſules extra Eſquilinam portam, cum claſſicum canere juſſiſſent, more priſco advertere. Seſtertium* appellabatur. Nardin. Rom. Vet. IV. 2. Borrich. Ant. Urb. Fac. c. 7. §. 3.

CAPUTIUM quid fuerit. V. infr. in *Orarium.*

CAR.

CARACALLA Antoninus poſt Severum patrem imperium geſſit annos ſex. *Caracallæ* nomen accepit a *Caracallis*, veſtimenti genere. Spartian. Ant. Carac. c. 9. Dio LXXVII. p. 881. *D. Urſat. de Not. Roman. Theſ. Antiq. Roman. Græv. Tom.* XI. *p.* 773. *C. Ferrar. de Re Veſt.* II. I. 28. *Berthald. de Ara c.* 28. §. 8.

CARACALLA fuit veſtimentum in Gallia uſitatum, quod ex Gallia in Romanum ſolum invexit Aurelius Antoninus Baſſianus *Caracalla.* Aurel. Vict. Epit. c. 21. n. 1. *At cum e Gallia veſtem plurimam devexiſſet, talareſque caracallas feciſſet, coegiſſetque plebem ad ſe ſalutandum indutum talibus introire, de nomine hujuſce veſtis Caracalla cognominatus eſt.* Hoc auctore nec nomen, nec veſtem excogitavit; ſed ta-

lares

lares inſtituit, quæ antea talares non fuerant. Veſtis igitur cum ſuo nomine jam in uſu erat apud Gallos, ex quibus veſtis formam ſumpſit Antoninus, non illam ipſam, ſicut erat inter Gallos, ſed in ea aliquid mutavit, nomen ipſum tamen retinuit. Et ſic interpretor verba Spartiani c. 9. *Ipſe Caracalli nomen accepit a veſtimento, quod populo dederat demiſſo uſque ad talos, quod antea non fuerat*, n. ſic demiſſum ad talos, quemadmodum primus inſtituit Antoninus, quod convenit cum verbis Victoris. Nec licet hæc aliter accipere, & confirmat quod ſequitur: *unde hodieque Antonianæ dicuntur caracallæ hujuſmodi, in uſu maxime Romanæ plebis frequentatæ. Caracallæ hujuſmodi*, id eſt, talares, vel ad talos demiſſæ, quas inſtituit *Caracalla*, eæque *Antonianæ* proprie dicebantur, quod novum earum modum excogitaſſet Antoninus, demittendo uſque ad talos, quod antea non fuerant. *Salmaſ. in Spartianum. Braun. de Veſt. Sac. Hebr.* II. 6. 4. Ad inſtar lacernæ erant factæ. Dio LXXVIII. p. 881. C. *Sed etiam proprium genus indumenti in modum lacernæ excogitavit. Id barbarum, diſciſſumque & conſutum erat ex multis partibus, eoque indutus erat ſemper, ex quo & Caracallus cognominatus eſt, juſſitque milites eodem genere veſtis uti.* Ferrar. de Re Veſt. II. 1. 28. *Caracallæ* poſtea Clericis ſunt aſſignatæ. In paſſione S. Albani: *Unde ſtatim juſſit milites eum inquirere: qui cum ad tugurium martyris perveniſſent; mox ſe S. Albanus pro hoſpite ac magiſtro ſuo ipſius habitu, id eſt, caracalla, qua veſtiebatur, indutus militibus exhibuit.* Καρακάλλιον Gloſſæ exponunt *cucullam. Caracalla* non erat proprie cuculla, ſed palliolum cucullatum. Nunquam enim *caracalla* ſine cuculla. Hieron. de veſt. ſacerd. *Et efficitur palliolum miræ pulcritudinis, in modum caracallarum, ſed abſque cucullis.* Salmaſ. l. l. Braun. ibid. II. 4. 9. Voſſ. Lex. Etymol.

CARATUM vulgo appellant ſcrupulum, qui eſt vigeſima quarta pars unciæ, ſeu tertia pars drachmæ, id eſt, duo oboli. *Panciroll. Notit. Dign. Imp. Orient. c.* 75.

CARBASUS erat lini genus miræ tenuitatis, in Hiſpania Tarraconenſi primum inventum. Plin. XIX. 1. *Hiſpania citerior habet ſplendorem lini præcipuum, torrentis in quo politur natura, qui alluit Tarraconem. Et tenuitas mira, ibi primum carbaſis repertis.* Etiam regio Membari fertilis eſt *carbaſi*, & quæ ex illo conficiuntur, telarum Indicarum. Arrian. Periplo maris Erythr. p. 165. Et ex ejus telis veſtes pretioſiſſimas faciebant Indi. Lucan. III. 239.

Fluxa coloratis adſtringunt carbaſa gemmis.

Curt. VIII. 9. 21. *Corpora uſque pedes carbaſo velant.* Pitiſc. ad Curtium. Quidam id genus linei panni eſſe putant, quod telam Baptiſtæ, & telam Hollandicam, & telam Cameracenſem vocant. *Dalechamp. ad Plinium.* Ex illo texebatur veſtis magni pretii, antiquis in deliciis habita, ut ſericea nobis. Virg. Æneid. XI. 775.

—— tum croceam chlamydemque, ſinuſque crepantes
Carbaſeos, fulvo in nodum collegerat auro.

Val. Max. I. 1. 7. *Maxima virgine Æmilia adorante, cum carbaſum, quam optimam habebat, foculo impoſuiſſet, ſubito ignis emicuit.* Dalechamp. l. l. Voſſ. Lex. Etymol. Guilland. Papyr. membr. IX. n. 22. Dii fluviorum & maris illo amiciebantur. De Tiberino Virg. Æneid. VII. 33.

—— eum glauco tenuis velabat amictu
Carbaſus.

Turneb. Adv. XXIV. 11. *Carbaſus* figurate velum ſignificat Virg. Æneid. IV. 417.

—— vocat jam carbaſus auras.

III. 357.

—— tumidoque inflatur carbaſus auſtro.

Carbaſina quoque vela appellaverunt antiqui, quibus & fora & theatra obtegebantur. Plin. XIX. 1. *Carbaſina vela primus in theatro duxiſſe traditur Lentulus Spinther ludis Apollinaribus.* Gyrald. de Navig. c. 14. Salmuth ad Panciroll. de Reb. Deperd. & Inv. p. 30. Voſſ. l. l. Scheffer. de Milit. nav. II. 5.

CARBATINA fuit *calceamentum ruſticum, a Caribus dictum.* Pollux VII. 22. ex corio factum. Xenoph. Anabaſ. IV. p. 330. D. *Cum defeciſſent veteres calcei, carbatinas habebant ex recentibus coriis bubulis confectas.* De hoc calceo Catull. XCVI. 4.

Culos & crepidas lingere carbatinas.

Politian. Miſc. c. 2. Balduin. de Calc. c. 2. Byn. de Calc. Hebr. I. 2. §. 3. Palmer. Spicil. X. Sperling. de Crepid. vet. Theſ. Ant. Græcar. Gronov. Tom. IX. p. 974. Demſter. Paralip. ad Roſin. Antiq. Roman. V. 36.

CARBO eſt in nummis argenteis gentis Papiriæ plebejæ, in qua clarum hoc cognomen, quod forte a colore traxit originem. *Urſat. de Not. Rom. Theſ. Antiq. Roman. Græv. Tom.* XI. *p.* 593. *B.* Fuerunt tres conſulares libertatis Reipublicæ tempore. Primus *C. Carbo* vir maximi ingenii, & eloquentiæ. Tribunus plebis fuit anno ab U. C. 623. Fuit etiam Triumvir agris dividendis cum C. Graccho & Fulvio Flacco. Conſul mox cum P. Manilio anno ab U. C. 633. Alter conſularis *Cn. Carbo* fuit collega C. Metelli Caprarii anno ab U. C. 640. Tertius ter Conſul fuit collega L. Cornelii Cinnæ in tertio & quarto conſulatu, & C. Marii Caji ſepties Conſulis filii. Cum enim morte C. Marii patris L. Cinna Conſul iterum in Urbe anno 667. tyrannidem exerceret, in proximum annum ſe & *Cn. Carbonem* Conſules deſignavit, cumque anno vertente Conſules creari oporteret, eoſdem Conſules edidit. Sed cum is quartum Conſul ab exercitu fuiſſet occiſus, ſolus *Cn. Carbo* nullo ſuffecto collega conſulatum geſſit. *Auguſtin. de Fam. Roman. in Papiria. Glandorp. Onom. Rom. p.* 660.

CARCER eſt cuſtodia reorum. *Carcerem* ædificavit Ancus Rex. Liv. I. 33. *Ingenti incremento rebus auctis, quum in tanta multitudine hominum, diſcrimine recte an perperam facti confuſo, facinora clandeſtina fierent, carcer ad terrorem increſcentis audaciæ media Urbe, imminens foro, ædificatur.* Ad coercendos n. & conſtringendos homines comparatus. Unde Cicer. Verr. V. 9. *Quæret, cur carcer ædificatus, cur tot ſupplicia more majorum in improbos conſtituta?* In illum reus conjiciebatur poſt confeſſionem. Venul. ff. de cuſtodia reorum. *Reus confeſſus, donec de eo pronuntiaretur, in publica vincula conjiciendus.* Sigon. de Judic. II. 3. Si vades non dediſſet. Liv. XXV. 4. *Tribuni plebis omiſſa mulctæ certatione rei capitalis diem Poſtumio dixerunt; ac ni vades daret, prehendi a viatore, atque in carcerem duci juſſerunt. Poſtumius vadibus datis non adfuit.* Sigon. ibid. III. 7. Ejus ſumma cura committebatur triumviro capitali, cui *carceris* cuſtos, quem commentarienſem vocat Plin. VII. 38. parebat. Val. Max. V. 4. 7. *Quæ tam admirabilis ſpectaculi novitas ab ipſo, qui cuſtodiæ præerat, ad Triumvirum perlata.* Sigon. ibid. II. 3. Triumviris *carceris* curam fuiſſe commiſſam docent Pompon. de Orig. Juris: *Triumviri capitales conſtituti, qui carceris cuſtodiam haberent, & cum animadverti oporteret, interventu eorum fieret.* Cicer. de Leg. III. 3. *Vincula ſontium ſervanto, capitalia vindicanto.* Sigon. ibid. III. 16. In *carcere* damnati, qui alicujus exiſtimationis erant, ut aliquod in morte ſolatium haberent, & ne ſupplicii irrogatio cognatorum animos ad ultionem accenderet, per lictores puniebantur ſupplicio decreto. Docet Senec. Declam. IX. 2. Tacit. Annal. III. 50. 1. *Neque carcer, neque laqueus in Priſcum ſuffecerint.* 51. 1. *Ductuſque in carcerem Priſcus, ac ſtatim exanimatus eſt.* VI. 39. 1. *Paconianus in carcere ſtrangulatus eſt.* Appian. de Bell. Civ. I. p. 366. Gracchi, & Fulvii *conſpirationis ſociis in carcere juſſu conſulis* Opimii *laqueo gula fracta eſt.* Etiam hoſtium duces triumphati. V. infr. in *Triumphantes.* Faber Semeſtr. II. 7. Kipping. Antiq. Roman. II. 7. §. 3.

Carcer Claudii Decemviri in nona fuit regione. Victor. *Nardin. Rom. Vet.* V. 11. Situs ejus, ſeu vicinia ex Eccleſia *S. Nicolai in carcere* liquet, nec non e reſiduis theatri Marcelli, quod attingebat, ut eſt apud Plin. VII. 36. *Humilis in plebe, & ideo ignobilis puerpera ſupplicii cauſa in carcere incluſa matre cum impetraſſet aditum a janitore ſemper excuſſa, ne quid inferret cibi, deprehenſa eſt uberibus alens eam. Quo miraculo ſalus matris donata filiæ pietati eſt: & locus ille eidem conſecratus eſt Deæ, Templo Pietatis exſtructo in illius*

carceris ſede, ubi nunc Marcelli Theatrum eſt. Nardin. ibid. VI. 2.

Carcer Latomiarum
Mamertinus &
Tullianus } V. infr. in *Tullianum.*

Carcer militaris videtur ad aquilas & ſigna fuiſſe: quia is locus maxime conſpicuus, & nocte dieque cuſtoditus. *Carcerem* in caſtris in ſeditione militum Pannonica agnoſcit Tacit. Ann. I. 21. 2. *Blæſus paucos affici verberibus, claudi carcere jubet.* n. 5. *Carcere effracto ſolvunt vincula.* Juven. Sat. VI. 561.

Lævaque ſi longo caſtrorum in carcere manſit.

Lipſ. de Milit. Roman. IV. 5.

CARCERES in circo equos, antequam currere inciperent, coercebant. Varr. de Ling. Lat. IV. 32. *In circo primo, unde mittuntur equi, nunc dicuntur carceres. Nævius oppidum appellat. Carceres dicti, quod coercerentur equi, ne inde exeant, antequam magiſtratus miſit. Oppidum, quod a muri parte pinnis turribusque carceres olim fuerunt.* de Re Ruſt. II. 7. *Ego quoque adveniens aperiam carceres inquit, & equos emittere incipiam.* Erant fornicati. Dionyſ. III. p. 201. *Reliqua pars laterum circi minorum ſub dio poſita arcuatos carceres habet, qui per unam tranſennam ſimul aperiuntur.* Romæ per initia ex topho & ligno fuerunt, quos marmoreis Claudius permutavit. Suet. c. 21. n. 6. quod ita nolim accipi, quaſi nihil operis & ſtructuræ in iis fuerit. Nam & picti olim, & turriti, & mœnibus clauſi fuerunt. Quare Ennius pictas fauces vocat:

—— *ſpectant ad carceris oras,*
Qua mox emittant pictis e faucibus currus.

Haud ſcio an verius inſtitutionem *carcerum* primam Liv. VIII. 20. quam Dionyſius poſuerit. Ait enim anno ab U. C. 425. Olym. 113. cum tumultus Gallici fama atrox invaſiſſet, *carceres* in circo primum inſtructos. XLI. 27. Cenſores ait ſcenam Ædilibus, & Prætoribus præbendam locaſſe anno ab U. C. 581. & *carceres* in circo, & ova ad notas curriculis numerandas. *Buleng. de Circ. c. 10. Caſal. de Urb. ac Imper. Roman. ſplend. part. 2. c. 3. Laurent. Polym. IV. Synopſ. 9. Kipping. Antiq. Roman.* II. 6. §. 3. *Blond. Inſtaur. Rom.* III. §. 22. *Carcerem* in ſingulari contra ſuperſtitioſam grammaticorum ſolicitudinem dicunt Ennius Annal. I.

—— *omnes avidi ſpectant ad carceris oras.*

& Virg. Æneid. V. 145.

—— *ruuntque effuſi carcere currus.*

Column. in Ennium p. 23. Edit. Amſtelæd. Cerda in Virgilium. Erant hi in duodecim portas diſtincti, quæ, teſte Caſſiod. Var. III. 51. clauſæ obicibus funibus ſuſtentatis, quamprimum ſignum datum eſſet, admirabili artificio e veſtigio omnes ſimul aperiebantur. Puto tamen mediam circi partem, inter *carceres*, qua introitus erat, apertam fuiſſe, & detectam, ut introitus alicujus ſolet eſſe areæ: nam per hoc ſpatium pomparum ſollennium acceſſus erat. Tum vero ſcire percupiam, utrum duodecim illæ portæ totam abſolverent circi latitudinem, an vero tantum dimidiam: quod ſi totam, quum ſpina medium circum diviſerit, currus illos qui ab diverſo angulo eam ſuperare debebant, multo pejore conditione fuiſſe neceſſe eſt, quam qui ſigno dato recta procurrebant: niſi forte utrinque recta decurſum, & currus ſibi invicem obvii fuere; quod tamen aſſerere non auſim. At ſi alteram tantum partem occupaverunt, quid altera factum? num & illic duodecim inſtructæ portæ? an vero miſſus nunc ab hac, nunc ab illa parte circi fiebant? Nam hoc certum eſt, quaternos tantum currus ſingulis vicibus procurriſſe, cujuſque factionis ſingulos. Ita Serv. Georg. III. 18. *Olim viginti quinque miſſus fiebant.* Quare ſolas quaternas portas ſingulis vicibus aperiri ſolitas inferre licet. Quod ſi viginti quatuor fuere portæ, ſex vicibus cunctæ aperiebantur, ſcilicet ab utraque parte ternis vicibus. Contra, ſi duodecim in tota tantum fuerunt circi latitudine, quaternæ ſimul aperiri non potuerunt. Spatium vero latitudinis, quod cannarum 83. fuit noſtrarum, etiamſi ſex ſeptemve demantur introitus datæ, & ſpinæ, quæ circum medium dividebat, ſatis capax 24. portarum fuit, imo & plurium. Sidon. XXIII. 317. duodecim tantum fuiſſe indicat.

Tum qua eſt janua, Conſulumque ſedes,
Ambit quam paries utrinque ſenis
Cryptis, carceribuſque fornicatus.

Portæ igitur in univerſum fuere 12. & forſan ſenæ ex his tantum ſingulis miſſibus apertæ ſingulis dicatæ factionibus: nam priſtinis quatuor duæ poſt acceſſerunt a Domitiano additæ. Suet. c. 7. n. 3. Nihil tamen ea de re certi habeo, quod afferam. *Nardin. Rom. Vet.* VII. 2. *Borrich. Ant. Urb. Fac. c. 13. §. 2. Salmaſ. Exercit. Plinian. p. 635. a. F.* . . . .

Carceres vocabantur in tabula loca illa, ſive ſedes, in quibus veluti tenebantur latrunculi clusi. V. infr. in *Mandra.*

CARCHESIUM Græcum vocabulum, καρχήσιον, quod & Latini uſurparunt, ſenſu non mutato. Eſt ſumma mali nautici pars. Macrob. Sat. V. 21. *Ait ſummam navalis mali partem carcheſium nominari, & inde diffundi in utrumque veli latus ea, quæ cornua vocantur.* Ejus mentionem facit Apul. Met. XI. p. 379. *Malus exſurgit, pinus rotunda, carcheſio conſpicua.* Gyrald. de Navig. c. 12. Voſſ. Lex. Etymol. Scheffer. de Re Nav. II. 5. Calcagn. de Re Naut. c. 14. Verſatilia fuiſſe obſervamus ex Vitruvio. Apud quem legitur X. 5. *Harum machinationum omnium rationes ſunt in carcheſiis verſatilibus collocatæ.* c. 7. *Machinam in carcheſio verſatili conſtituit.* Unde non tam partem mali, quam aliud quoddam inſtrumentum in ipſius ſummitate fuiſſe arbitramur, ſimile fortaſſe corbibus noſtris, quas in ea parte nautæ collocare ſolent, & exinde procul in mare conſpiciunt, naveſque adventantes conſervant. *Scheffer. l. l.*

Carcheſium eſt poculum oblongum, rotundum, & circa mediam partem compreſſum. Virg. Æneid. V. 77.

Hic duo rite mero libans carcheſia Baccho.

quem etiam Nonius XV. 20. licet perperam, ex libro primo totidem literis adfert. Macrob. Sat. V. 21. *Carcheſium procerum eſt, & circa mediam partem compreſſum, anſatum mediocriter, anſis a ſummo ad infimum pertinentibus.* Bald. Lex. Vitruv. Voſſ. Lex. Etymol. Buleng. de Conviv. IV. 17. Rhodig. Ant. Lect. XXVIII. 2. Saubert. de Sacrif. c. 17. Bruyer. de Re Cibar. III. 9. Crinit. de Honeſt. Diſcipl. XIX. 11.

Carcheſium eſt tractoria machina, trabs erecta, robuſta quidem, & annulis ferreis revincta, ad inſtar mali, in cujus ſuperiore parte ferreæ fibulæ inſerta transverſa alia trabs librata continetur, & facile circumvertitur: ab altera extremitate ferrei harpagones dependent, quibus onera annexa ſublevantur, & machina vectibus circumverſa curribus facillime imponuntur. Ejus imaginem affabre expreſſam habemus in majuſculis literis T. Y. *Bald. Lex. Vitruv. Voſſ. Lex. Etymol.*

CARDEA dea fuit, cui *cardines* ſacri. Singulæ enim januæ, ſive oſtii partes peculiaribus quibuſdam Diis fictitiis ſacræ erant. Auguſt. de Civ. Dei IV. 8. *Unuſquiſque domui ſuæ ponit oſtiarium, & quia homo eſt, omnino non ſufficit. Tres Deos iſti poſuerunt: Forculum foribus, Cardeam cardini, Limentinum limini. Ita non poterit Forculus ſimul & fores, & cardinem, limenque ſervare.* Stuck. Ant. Conviv. II. 30. Tomaſ. de Donar. c. 8. Sagittar. de Jan. Vet. c. 6. §. 23. Blond. Triumph. Rom. I. p. 13. B. Hanc quidam libentius *Carnam* vocant, quæ ab Jano compreſſa acceperit *cardinum* poteſtatem, prius *Crane* nuncupata, dein per antiſtichon *Carna.* Sic Ovid. Faſt. VI. 101 -- 128. *Stuck. l. l.* Kal. Junii *Carnæ* Deæ ſacra celebrabantur, quæ Junius Brutus pulſo Tarquinio in Cœlio monte primus fecit. A carne poterit dicta videri. Vitalibus enim præerat, qua de re Macrob. Sat. I. 12. Sed a cardo *Cardea* dicta eſt, ſi id quoque verum apud veteres *Carnæ* nomen. Meminerunt hujus Deæ Auguſt. de Civ. Dei I. 8. Tertull. de Idol.

Idol. c. 15. Adv. Gnost. c. 13. ad Nat. II. 15. *Sagittar. de Jan. Vet. c. 8. §. 20. 21. Græv. Thes. Antiq. Roman. Tom. VIII. Præfat.* * * 2.

CARDINALE dicitur, quod est principale & præcipuum. Sic Gregor. Epist. I. 81. Diaconum *Cardinalem* vocat, qui est primus. *Liberatus*, inquit, *quia diaconi fungi prohibetur officio, si a successore tuo non est factus Cardinalis.* Et Epist. 77. & 79. Martinum Salonæ *Cardinalem* sacerdotem creat, id est, Episcopum, ut vocat qui est supra alios sacerdotes. *Panciroll. Notit. Dign. Imp. Orient. c. 42.* Et ventos e quatuor mundi plagis spirantes *Cardinales* vocamus. Servius Æneid. I. 135. *Cardinales quatuor venti sunt.* Veget. V. 8. illos *principales* nuncupat. *Veteres autem juxta positionem cardinum, tantum quatuor ventos principales singulis cœli partibus flare credebant.* Similiter quatuor principes virtutes nuncupare solemus *Cardinales*, ab ævo usque Ambrosii, qui primus sic nominavit Comment. in Lucam Tom. V. p. 66. & 67. *Sagittar. de Jan. Vet. c. 7.* §. 11. 12.

CARDINALES vocantur in libro Officiorum Theodosii Præfecti Prætorio Asianæ diœceseos, & Præfectus Africæ, quod cæteris essent majores. Civilium ergo magistratuum exemplo introductum est nomen *Cardinalium* in Ecclesiam. Ac putat Duarenus, sic proprie dictos presbyteros, qui in majore Ecclesia, quam cathedralem appellamus, cum Episcopo suo facerent rem divinam. Postea tamen id nomen solis Ecclesiæ Romanæ post Papam antistitibus, ejusdemque consiliariis tributum est, iidemque paullatim ad tantum honoris fastigium pervenerunt, ut nunc gemino cum Regibus loco censeri velint. Unde non inepte Nicolaus de Clemangiis libro de corrupto Ecclesiæ statu: *Si artifex quispiam vellet superbiæ simulacrum effingere, nulla congruentius ratione id facere posset, quam Cardinalis effigiem pingendo.* Titulum Eminentissimorum demum ab Urbano VIII. acceperunt. *Sagittar. de Jan. Vet. c. 7. §. 18. 19.* Quia secundum Pontificem eminent in Ecclesia, pileus & galerus ruber est illis concessus ab Innocentio IV. in Concilio Oecumenico Lugdunensi anno 1244. vel anno 1245. ut Spondanus in Breviario statuit. In pervigilio natalis Domini, creatis duodecim *Cardinalibus*, inter quos Hugo de S. Caro ordinis Prædicatorum, scriptis gestisque notissimus. *Raynaud. de Pil. & cat. capit. tegm. Sect. 12. & Sagittar. l. l.* Purpureo hoc colore sunt donati, ut meminissent, si res ferret, occumbendum sibi esse pro Ecclesia. Idem fortitudinis, & charitatis monimentum, ex attributo *Cardinalibus* purpureo colore, proponit Antonius III. p. summæ majoris tit. XXI. c. 1. §. 11. & Ciacconius in Innocentio IV. Purpuræ etiam color significat flammam curarum, quibus perpetuo circumdari debent *Cardinales*. Germanissima tamen ratio petenda videtur ex significatione participii, aut potius viciniæ potestatis *Cardinalium* ad summam & regiam Pontificis in Ecclesia potestatem. Fuit enim purpura jam olim regium indumentum: ut idcirco Constantinus Magnus usum purpuræ Pontifici Romano in signum regiæ potestatis attribuisse legatur, & eo privilegio caruisse Patriarcham Constantinopolitanum testetur Balsamon in prima Meleta; *quia*, inquit, *non coronatur loco regni: & idcirco neque cocco tinctis calceis se spectandum præbet, neque alio privilegio veteris Romæ utitur.* Raynaud. ibid. Sect. 13. Du Fresne Glossario. Voss. Lex. Etymol.

CARDO secundum vetus vocabularium est cuneus, qui in foramine vertitur, vel ponitur pro ipso foramine aliquando. Græcis dicitur στρόφιγξ etiam LXX. Interpretibus Prov. c. 26. n. 14. Isidor. XV. 7. *Cardo est locus, in quo ostium vertitur, & semper movetur, unde & proverbiale est, in cardine rem esse.* Sane Germanis *cardo* est ein thür-angel / quasi *januæ hamum* dixeris. *Sagittar. de Jan. Vet. c. 7. §. 1. 2. 3. Voss. Lex. Etymol.* Fiebat vel ex ligno. Ison. Gloss. in Prudentium: *Cardo proprie est lignum, in quo ostium volvitur.* Plin. XVI. 40. *Rigorem fortissime servat ulmus, ob id cardinibus asamentisque portarum utilissima, quoniam minime torquetur: permutanda tantum sic, ut cacumen ab inferiore sit cardine, radix superior.* Vel ex ære. Virg. Cir. n. 221.

—— sonitum nam fecerat illi
Marmoreo æratus stridens in limine card[...].

vel ex ferro. Stat. Theb. XI. 49.

Stabat in Argolicæ ferrato limine turris. . . .

Barth. in Statium. Sagittar. de Jan. Vet. c. 7. §. 22. 23. Portarum Capitolii post Tarpejæ virginis proditionem fuisse æreos, ut stridore suo proditionem detegerent, scribit Serv. Æneid. I. 454. *Cumum fuerat post proditum hostibus a Tarpeja virgine Capitolium, ut ærei cardines fierent: quorum strider posset aperta ostia indicare* Nardin. Rom. Vet. V. 10. Erant ita facti, ut cum verterentur, clarum ederent sonitum. Ovid. Met. XI. 608.

Janua ne verso stridorem cardine reddat.

Amor. I. 6. 49.

Fallimur? an verso sonuerunt cardine postes?

Et vociferari *æra cardinum* facit Lucret. II. 450.

Æraque, quæ claustris restantia vociferantur.

Unde, cum non recluderetur janua, tacere dicebantur. Prop. I. 16. 26.

Respondes tacitis mutua cardinibus.

Sagittar. de Jan. Vet. c. 7. §. 24. Ut vero tacerent, solebant impudicæ, quæ maritos aut custodes fallere in animo habebant, aquam illis affundere. Plaut. Curc. I. 3. 1.

Placide egredere, & sonitum prohibe forum, & crepitum cardinum;
Ne quod hic agimus, herus percipiat fieri.
Mane, suffundam aquulam. PA. *Viden' ut anus tremula medicinam facit.*
Eapse merum condidicit bibere, foribus dat aquam, quam bibant.

Sagitt. ibid. §. 27. Lips. Elect. IV. 22. Eos, qui impetum in domum faciebant, effringebant. Virg. Æneid. II. 480.

Limina perrumpit, postesque a cardine vellit.

Apul. Miles. III. p. 75. *Viden' quosdam sævissimos latrones aditum tentantes, & domus januas cardinibus obtortis evellere gestientes, claustrisque omnibus, quæ accuratissime affixa fuerant, violenter avulsis.* Sagittar. ibid. §. 28.

Cardo appellatur ipsa terra, circa quam vertitur cœlum velut circa centrum mundi. Apul. de Mund. p. 707. *Mundus est ornata ordinatio Dei munere, Deorum recta custodia: cujus cardinem, sic enim dixerim centrum, robustum & immobilem genitrix atque altrix animantium omnium habet tellus.* Sagittar. de Jan. Vet. c. 7. §. 6.

Cardo est Gromaticis scriptoribus in mensura agrorum limes transversus. Ducitur Servio ab oriente ad occidentem ad Georg. I. 126. *Quod cum agri colonis dividerentur, fossa ducebatur ab oriente ad occidentem, quæ cardo nuncupabatur.* Servio imposuit, quod hujusmodi sæpe limitum erat ratio in præfecturis, ubi alia erat, quam in coloniis. In his decumanus in orientem, *cardo* in septentrionem: unde & nomen a *cardine* mundi. Quod ostendit Hyginus initio de limit. constit. *Primus duos limites constituunt: unum, qui ab oriente in occidentem dirigeret: hunc appellaverunt duodecimanum. Alterum a meridiano ad septemtrionem, quem cardinem nominaverunt a mundi cardine.* In Italia duodecumanos vocarunt Gallicos, quia Gallia est ad occidentem: at *cardinem* dixere maritimum, quia ad septentrionem ei esset mare Adriaticum. Front. de Colon. *Adrianus ager de limitibus maritimis & Gallicis, quos nos decumanos & cardines appellamus.* Sagittar. de Jan. Vet. c. 7. §. 7. Voss. Lex. Etymol. Augustin. de Legibus in Julia [a]graria. Velser. Rer. Aug. Vindel. IV. p. 229.

Cardines dicuntur Latinis cœli puncta, meridies & septentrio, quæ polos Græci appellant, quod circa illa vertatur cœlum. Cicer. de Nat. Deor. II. 41.

Extremusque adeo duplici de cardine vertex
Dicitur esse polus.

Claudian. Conf. Stilich. II. 16.

Certarent utroque pares a cardine laurus.

Sagittar. de Jan. Vet. c. 6. §. 5.

Cardines etiam funt mundi plagæ, & puncta illa, quæ mundum velut linea æqualiter fecant & dividunt, non raro *cardinum* nomine veniunt. Lucan. v. 71.

Hefperio tantum, quantum femotus Eoo
Cardine, Parnaffus gemino petit aera colle.

IV. 672.

Cardine ab occiduo vicinus Gadibus Atlas
Terminat: a medio confinis Syrtibus Ammon.

Ubi *cardinem occiduum* pro occidente, *medium* pro meridie dixit. *Sagittar. de Jan. Vet. c. 7. §. 9. Voff. Lex. Etymol.*

Cardines temporum dicuntur ver, æftas, autumnus, hyems. Plin. XVIII. 25. *Omnis autem ratio obfervata eft tribus modis, exortu fiderum occafuque & ipforum temporum cardinibus.* Sagittar. de Jan. Vet. c. 7. §. 10.

Cardines dicuntur etiam in omni re id, in quo momentum maximum pofitum, tum maxime ejus gerendæ opportunitas: quoniam in *cardine* vertitur janua, iique fores fuftinent. Serv. Æneid. I. 676. *Non poterit in tanta rerum opportunitate ceffare. Ut fit de proverbio tractum, quod dicitur, res in cardine eft, hoc eft, in articulo.* Sagittar. de Jan. Vet. c. 7. §. 13. Voff. Lex. Etymol..

Cardines in ftructuris dicuntur, qui *cardinum* vices fuftinent. Plin. XXXVI. 15. *Variavit hanc fuam magnificentiam feffis turbatifque cardinibus, & amphitheatri forma cuftodita.* Vitruv. X. 20. *Ea concludantur fuperne intercardinatis trabibus. Supra trabes collocentur capreoli, cardinibus alius in alium conclufi.* Ubi Philander: *Cardines hoc loco intelliguntur extrema capreolorum partes, quæ in cavum induntur: quomodo cardinatum dicitur.* Sagittar. de Jan. Vet. c. 7. §. 14.

Cardines anni fui cur non initiis menfium, more Macedonum; fed VIII. antea diebus Cæfar attribuerit, quæri poffet. Scaliger refpondet, percrebruiffe Romæ illam de æquinoctiis & folftitiis in octavis partibus fignorum conftituendis opinionem, quam cum vulgo extorquere non poffet, maluiffe Cæfarem inveteratæ eorum opinioni ex parte affentiri. Bene quidem illud, fi conftaret, Cæfarem *cardines* in VIII. femper ante Kalendas die conftituiffe, quod vereor, ne fatis firmum fit. De hyberno quidem & verno *cardine* nullum dubium eft. Difertis enim verbis hac de re auctores teftantur. Colum. IX. 14. *Ab æquinoctio primo, quod menfe Martio, circa* VIII. *Kal. April. in octava parte Arietis conficitur.* Plin. XVII. 25. *Omnefque eæ differentiæ funt in* VIII. *partibus fignorum. Brumæ Capricorni ad* VIII. *Kal. Januarii fere.* Sed idem Plinius etiam in VIII. Kal. Julias folftitium æftivum, in VIII. Kal. Octobris æquinoctium autumni conftituit. Cum tamen Ovidius in Faftis illud in fextum Kalendas conferat, Columella vero & in octavum & in fextum. Ita enim de VIII. Kalend. fcribit. *Hoc & biduo fequenti folftitium.* Eadem ejufdem de æquinoctio autumni fententia eft. Sed imperitiffime hi omnes, folem his diebus VIII. fignorum partes occupare, arbitrati funt. Unde femper octo diebus ante *cardines* illos quos omnium veriffimos exiftimabant, folis in dodecatemorium ingreffum atque accuratum ac Aftrologicum folftitium aut æquinoctium fieri docent. De octavis fignorum partibus res manifeftiffima eft. Quo ergo die æquinoctia aut folftitia omnium accuratiffima fieri audiverant, eum pro vero folftitiali habebant, ita tamen ut VIII. parti figni alicujus illum tribuerent, & VIII. diem antea ingreffui folis in dodecatemorion affignarent. Quod imperitiffime & abfurdiffime eft fictum. Idcirco ego arbitror aliam fuiffe caufam, ob quam Cæfar ab VIII. Kalendas, & non ab ipfis Kalendis annum inchoaverit. Habuit cognitum ex antiquis commentariis, ac Pontificum annalibus (adhæfit enim ut in aliis multis, ita etiam in anni ratione emendanda, majorum inftitutis) Numam Kal. Apriles in æquinoctio verno conftituiffe, cum fol VIII. Arietis gradum teneret, id ipfum fibi imitandum ratus, Kal. Apriles in VIII. parte Arietis conftituit, in qua plurimi ex vulgo æquinoctium iftis quoque temporibus confici crediderunt. Quem terminum cum primo conftituiffet, juxta rationem Plin. XVIII. 25. reliquos exinde deduxit. *Langius de Vet. ann. Rom. Thef. Ant. Roman. Græv. Tom.* VIII. *p.* 413. *F.* . . ;

Cardines funt viæ dictæ in theatro, quia multis verfuris cuneos interfecabant. V. infr. in *Cuneus.*

CARENUM, five carœnum, κάροινον Myrepfo Sect. I. c. 5. eft vini dulcis genus, quando decocta mufti parte una, duæ relinquuntur. Legas non modo apud Græcos; fed etiam Latinos. Pallad. XI. 18. *Carœnum, cum tertia perdita duæ partes remanferint.* Apic. II. 5. *Carœnum vel paffum defuper confractum afperges.* Hinc *carenaria* apud Pallad. VIII. 7. dicuntur cortinæ & vafa, in quibus *carenum* coquitur. *Turneb. Adv.* XIII. 23. *Voff. Lex. Etymol. Du Frefne Gloffario. Nonnus de Re cib.* IV. 13. *Barth. Adv.* XXXV. 22. *Buleng. de Conviv.* II. 51.

CARICÆ funt genus fici. Plin. XIII. 5. *Syria præter hanc peculiares habet arbores, in ficorum genere caricas.* Non unæ celebrantur. Nam in pretio erant Atticæ, Phrygiæ, Rhodiæ, Patriæ, Chiæ, item Calliftrutiæ a Romanis dictæ, Hircanæ, Syriacæ, Ægilides. *Lipen. de Stren. c. 2. quint. et. §. 19. & 22. Salmaf. Exercit. Plinian. p. 658. Voff. Lex. Etymol. Nonn. de Re Cib.* I. 40. Ut aufpicium anni fauftum, & quafi mellifluum ominarentur, dulces votorum tefferas offerebant *caricas.* Ovid. Faft. I. 185.

Quid vult palma fibi, rugofaque carica, dixi,
Et data fub niveo candida mella favo?
Omen, ait, caufa eft, ut res fapor ille fequatur:
Et peragat cœptum dulcis ut annus iter.

Lipen. ibid. §. 15. & 20.

CARINA eft infima pars navis in ventre, fundamentum totius fabricæ. Ovid. Pont. IV. 3. 5.

Dum mea puppis erat valida fundata carina.

Græcis στεῖρα vocatur. Schol. Homer. Iliad. A. & ex eo Euftathius. *Gyrald. de Navig. c.* II. *Scheff. de Milit. Nav.* I. 6. *Voff. Lex. Etymol. Potter. Archæol. Græc.* III. 15. *Kipping. Differt. de Exped. marit. n.* I. Et τρόπις. Gloffæ vet. Cypriani: Τρόπις, *carina.* Schol. Homer. Odyff. M. Τὸ κατώτατον ξύλον περὶ ᾧ σχίζεται τὸ κῦμα. Id enim lignum, *quo fcinduntur fluctus,* tenue, ac longum, proprie *carina* eft. Non reperitur nifi in navibus longis, id eft, iis quarum alveus eft anguftus & acutus. Quæ latum & planum habent alveum, quia non tam fcindunt fluctus, quam fupernatant, *carinam* non habent. Hinc Ifidor. XIX. I. *Navicula eft lata, & fine carina.* Scheffer. & Potter. l. l. Ejus ratio haberi folet, ut apte fcilicet inflexa, & curvata fit, & cum modo convexa, ut facilius & promptius aquas fcindat, ne ufquam vitium faciat. *Calcagn. de Re naut. c.* II. Hæc pars ut curvari, & recte in navigii fpeciem formari poffit, palis quibufdam firmabatur fubjectis, & per intervalla circumcirca rite difpofitis ab utroque latere, quos δρυόχους appellavere. Euftath. Odyff. T. Hinc *carina bene liniata, & fundata, & conftituta* apud Plaut. Mil. Glor. III. 3. 42. eft nihil aliud, quam διὰ δρυόχων καθ' ἴσον ἱσαμένη. *Scheffer. l. l.* Hinc ea vox accommodatur infimæ navis alvo, quam pro tugurio habere Afri folent. Salluft. Bell. Jugurth. p. 77. *Adhuc ædificia Numidarum agreftium, quæ mapalia illi vocant, oblonga, incurvis lateribus tecta, quafi navium carinæ funt.* Et Poetis eft tota navis. Virg. Æneid. II. 23.

Nunc tantum finus, & ftatio malefida carinis.

Ovid. Heroid. XVII. 103.

Tunc ego te vellem celeri veniffe carina.

Voff. & Gyrald. l. l.

CARINÆ erat locus prope amphitheatrum Flavium, qui quod olim *ædificia facta in carinarum* modum haberet, *Carinæ* dictus eft. Serv. Æneid. VIII. 361. Hæ, cum in valle inter Cœlium & Efquilias fe continerent,

& circa ædem S. Clementis inciperent, ad ipſum amphitheatrum initium dabant Sacræ viæ. *Donat. de Urb. Rom.* II. 12: III. 10. *Marlian. Topogr. Urb. Rom.* IV. 14. *Aring. Rom. Subterr.* III. 22. *Faunus Antiq. Urb. Rom.* IV. 1. Horum opinio nulla alia re nititur, quam ſimilitudine iſtius, qua inverſam navis *carinam* refert; unde vico datum nomen exiſtimant: idque abſque ulla auctoritate veterum, aut hac animadverſione pleraque montium faſtigia ſpeciem illam obtinere. Servio æquivocatio his in rebus ſolita permittitur, ut illa ejus ædificia *carinæ* appellata fuerint. Hoc ſane verum certumque *Carinas* a Varrone & aliis ita nuncupatas vicum fuiſſe: neque item in anguſto Eſquiliarum vertice; quum Victor & Rufus *Carinas* unanimiter in regione quarta recenſeant, quæ in planitie fuit, Eſquiliæ vero in quinta tantum & tertia fuerint. Præterquam quod Liv. XXVI. 10. ubi de Flacco ita loquitur. *Porta Capena cum exercitu Romam ingreſſus media Urbe per Carinas Eſquilias contendit*, manifeſte eas non in Eſquiliis, ſed ante Eſquilias fuiſſe indicet. Nemo melius quam Virgilius deſcripſit Æneid. VIII. 359.

Talibus inter ſe dictis ad tecta ſubibant
Pauperis Euandri, paſſimque armenta videbant
Romanoque foro, & lautis mugire Carinis.

Hinc & nominis etymon agnoſcitur. Deſcribit Poeta Æneam & Euandrum Palatium adſcendentes, & deinde armenta in ſubjecta planitie paſcentia deſpectantes. Planities enim illa valles continebat Palatino ſubjectas inter ſeptemtriones & orientem ſolem: quæ poſtea occupatæ a cultoribus, mœnibusque Urbis incluſæ, nomen fori & *Carinarum* obtinuerunt. *Carinæ* autem forte dictæ ſunt, quod convexitates illæ inter vicinos ſibi colles, Cœlium, Eſquilinum, Capitolinum & Palatinum *carinarum* habuerint ſpeciem: ſic ut, cum Romulus Eſquilias Urbi adderet, qui has convalles incolebant, ab iis, qui collium illorum vertices occupaverant, in *Carinis* habitare dicti fuerint: quod nomen in initio laxiori ſpatio loci tributum, quum id ſenſim contraheretur, (uti fieri amat, ut diverſæ unius regionis partes aliunde ſæpe aliud ſibi nomen acquirant) tandem uni ſoli vico adhæſit. Sed hæc inter inania, ſi ita videbitur, numerentur: hoc tamen conſtabit, montem S. Petri *Carinas* non aſcendiſſe. *Nardin. Rom. Vet.* III. 9. Quomodo illa *ædificia intra templum Telluris* fuerint. V. infr. in *Templum Telluris*.

CARINARIUS erat, qui cerino colore pannum inficiebat. Nam cera Dorice καρὸς dicitur, quæ aliis Græcorum linguis κηρὸς dicitur Libentius autem a Doribus & Æolibus Latini mutuum ſumſerunt, quam ab aliis Græcis. Ejus meminit Plaut. Aul. III. 5. 36. *Turneb. Adv.* XIV. 5. *Ferrar. de Re Veſt.* I. 3. 20. *Salmaſ. in Vopiſc. Aurel. c.* 49.

CARISIA gens. V. illam infr. in *Gens*.

CARISSIMI vocabantur ab Imperatoribus præſides & rectores provinciarum & alii. Ita Verinum appellat Conſtantinus leg. 1. C. de Feriis. Hypatium & Lampadium Gratianus & Valentinianus l. 7. C. de Suſceptoribus. *Panciroll. Var. Lect.* I. 76. *Urſat. de Not. Roman. Theſ. Antiq. Roman. Græv. Tom.* XI. *p.* 794. *E. Briſſon. de Form.* III. *p.* 312.

CARMANIA provincia dicitur a *Carmanis* Turcis, qui eam an. 250. tenuerunt, donec a ſuæ ſectæ hominibus expulſi ſunt. *Panciroll. Not. Dign. Imp. Orient. c.* III.

CARMELUS *eſt inter Judæam & Syriam, ita vocant montem Deumque: nec ſimulacrum Deo, aut templum: ſic tradidere majores: aram tantum & reverentiam.* Tacit. Hiſt. II. 78. 4. Suet. Veſp. c. 5. n. 9. *Apud Judæam Carmeli Dei oraculum conſulentem ita confirmavere ſortes.* Scylax Cariandenſis: Κάρμηλος, ὄρος, ἱερὸν Διός. Conſtabat *Carmelus Deus* genio loci, & vaſto montis corpore. Commentum hoc inde ortum, quod Elias Thisbites in illo habitaverit, ſcholamque habuerit 1 Reg. c. 18. n. 19. & poſt ejus fata Eliſchæus 2 Reg. c. 2. n. 25: c. 4. n. 25. *Pitiſc. in Suetonium.* Aſperum eſſe montem Stephanus teſtatur. Deſcribit illum Hieron. de locis Hebraicis: *Carmelus, ubi quondam Nabal Carmelius fuit, & nunc villa eſt Carmelia nomine, decimo lapide oppidi Chebron vergens ad orientalem plagam, ubi & Romanorum præſidium eſt poſitum.* Et: *Chermula in Scripturis ſanctis Carmelus vocatur; vicus hodie Judæorum, unde fuit Nabal Carmelius.* Panciroll. Notit. Dign. Imp Orient. c. 145. Montium vero cum altitudinem, tum fœcunditatem & fertilitatem admirantes, vel ipſos tanquam Deos colebant, vel Deos illorum incolas & præſides fingebant Veteres. *Stuck. de Sacrif. p.* 34. *Salmaſ. in Lampr. Heliogab. c.* 1.

CARMEN non ſemper ſignificabat Poetæ verſum; ſed etiam quod in proſa ſcriptum eſt, & apud Latinos. Ita *carmen* vocatur precatio, qua ſe devoverunt Decii apud Plin. XXXVIII. 2. *Durat immenſo exemplo Deciorum patris, filiique, quo ſe devovere carmen.* Et *carmina* vocantur ſententiæ & dicta Philoſophorum. Cato Diſt. Mor. n. 1.

Si Deus eſt animus, nobis ut carmina dicunt.

Et apud Græcos ᾆσμα apud Julian. Μισοπ. Edit. Lipſ. p. 338. *Τὸ δ' ᾆσμα πεζῇ μὲν λέξει πεποίηται. Carmen autem ſoluta oratione factum eſt.* Pitiſc. in Curt. III. 1. 2. §. 15. Auguſtin. de Legibus Theſ. Antiq. Roman. Græv. Tom. II. p. 1282. C.

Carmen in alterius injuriam apud Romanos prohibitum, imo capitale erat ſcribere V. infr. in *Libellus Famoſus*.

Carmen ſeculare revera non erat, quod pro ſedanda aut vitanda peſtilentia, nullo conſtituto ad illud certo tempore in ſeculi decurſu canebatur, licet ita vocaretur, eo quod iiſdem modis ac ritibus caneretur, quibus veterum *carmen* ſeculare. Ejus meminit Acro Horatianus interpres in carmine ſeculari: *Secularis carminis duplex eſt devotio; altera pro ſedanda, aut vitanda peſtilentia.* Taffin. de Ann. ſecul. c. 16. Panvin. de Lud. Secul. Theſ. Antiq. Roman. Græv. Tom. IX. p. 1073. C. *Carmen* ſeculare verum erat dictum ab anno, quo componebatur, ſtato nimirum tempore decurſo, quo ludi ejuſdem nominis edebantur. Acro: *Altera carminis ſecularis devotio fuit pro certo & conſtituto numero annorum.* V. infr. in *Ludi ſeculares.* Taffin. de Ann. ſecul. c. 16. Panvin. de Lud. ſecul. Theſ. Antiq. Roman. Græv. Tom. IX. p. 1073. C. Lyrico carmine erat ſcribendum. Liquet hoc aliqua ratione ex Horatio. Ex tribus odis, quæ ſunt *carmina* ſecularia, una eſt ode tricolos tetraſtrophos, conſtans duobus verſibus Aſclepiadeis, uno Pherecratio, & uno Glyconio. Reliqua duo ſunt odæ conſtantes Sapphici tribus verſibus, & unico Adonio. Ex quo liquet Horatium pluris feciſſe ejus generis odas pro ſeculari *carmine*, ex eo quod bis uſurpavit, & propterea quod eos, qui ſuum *carmen* ſeculare recitabant, monet, ut ſervent Lesbium pedem Od. IV. 6. 35. hoc eſt, Sapphicum, quia Sappho ejus inventrix fuit Lesbia. Materia eadem eſt quæ Pæanum & hymnorum, hoc eſt, laudes Deorum, nominatim Dianæ atque Apollinis, quia illis ludi ſeculares erant dicati, ut Urbis Romanæ auctoribus. Quod tradit Horat. carm. ſecul. n. 37.

Roma, ſi veſtrum eſt opus.

Cujus rei cauſam innuit Virgilius, dum Æneas ſignificat ſe juſſu Apollinis Italiam petere, Æneid. IV. 345.

Sed nunc Italiam magnam Grynæus Apollo,
Italiam Lyciæ juſſere capeſſere ſortes.

Juſſum Apollinis habetur Æneid. III. 94.

Dardanidæ duri, quæ vos a ſtirpe parentum
Prima tulit tellus, eadem vos ubere læto
Accipiet reduces: antiquam exquirite matrem.
Hic domus Æneæ cunctis dominabitur oris.

Et Dianæ & Apollini templum, ſi in Italiam poſſit pervenire, vovet Æneas VI. Altera ratio, quia ſecula ſunt maximæ temporis portiones. Apollo autem & Diana tempori præeſſe dicebantur a Poetis: nam Apollo eſt Sol,

 Diana

Diana vero Luna: unde Horatius de utroque carm. ſecul. n. 1.

Phœbe, ſylvarumque potens Diana
Lucidum cœli decus.

Et ſingillatim de Sole n. 9.

Alme Sol, curru nitido diem qui
Promis & celas.

de Luna n. 35.

Siderum Regina bicornis audi,
Luna, puellas.

Eleganter Ovidius deſcribit Soli adſtare omnes temporis partes, & inter cæteras ſecula Metam. II. 23.

—— purpurea velatus veſte ſedebat
In ſolio Phœbus, claris lucente ſmaragdis.
A dextra lævaque dies, & menſis, & annus,
Seculaque, & poſitæ ſpatiis æqualibus horæ.

Hinc Acron vetus interpres *carminis* ſecularis Horatii ſcribit: *Actos ludos ſeculares pro cultu Solis die, & nocte Lunæ.* Canebatur a pueris & puellis, quæ non ſolum debebant habere utrumque parentem ſuperſtitem, ſed præterea debebant eſſe patrimi, hoc eſt, *confarreatis parentibus* geniti, ut utar verbis Tacit. Annal. IV. 16. 2. vel, ut Servius explicat Georg. I. V. illum infr. in *Confarreatio. orti ex confarreatione*, quod eſt matrimonium flaminis & flaminiæ. Unde vocantur carm. ſecul. n. 6.

Virgines lectæ, puerique caſti.

Et Od. IV. 6. 31.

Virginum primæ, puerique claris
Patribus orti.

Horum chorus *carmen* hoc ediſcebat, & de memoria recitabat. Horat. Epiſt. II. 1. 132.

Caſtis cum pueris ignara puella mariti
Diſceret unde preces, vatem ni Muſa dediſſet?

Et quidem cum cantu, & muſicis inſtrumentis. Ipſe Horatius hoc ſignificat Od. IV. 6. 35.

Lesbium ſervate pedem, meique
Pollicis ictum.

Per pollicis ictum intelligit certam rationem ſibi familiarem pollice tangendi lyram, aut aliud muſicum inſtrumentum, quam edocuerat illos, quibus *carmen* ſeculare concinendum erat. Nec non & ſaltu. Legimus enim in Liv. XXVII. 39. Virgines, quæ *carmen* recitabant in pompa Junonis, *ſonum vocis pedum pulſu modulantes inceſſiſſe.* Atque conſtat in hymnis, quæ poſt ſacrificia canebantur, etiam ſaltum adhibitum. *Carmen* autem ſeculare poſt ſacrificia, quæ fiebant, cantatum fuiſſe habetur ex verſibus Sibyllinis de Ludis ſecularibus. Canebatur tribus diebus ludorum ſecularium, ut aſſerit Zoſim. II. 5. Quare exiſtimo ſeculare *carmen* Horatii, quod habetur lib. IV. die primo cantatum fuiſſe: quod habetur lib. I. ſecundo die; tertio denique die id quod poſt librum Epodon exſtat. Imo etiam canebatur ipſis noctibus tribus ludorum, ut Horatius innuit n. 21. laudatus ſupr. in *Carmen ſeculare* Matronæ etiam ſecundo die ludorum *carmen* cecinerunt, ut prodidit Zoſimus. Quod ita capiendum eſt, ut illæ ſuis ſumptibus quædam curarent ſacrificia, & cum pueris atque puellis canerent, non vero ſolæ. *Taffin. ibid. c. 17.*

CARMENTA, ſive *Carmentis* vates fuit Arcadica, mater Euandri. Prius vocabatur Nicoſtrata. Mart. Capella: *Carmentis in Arcadia ab effuſo per vaticinia carmine dicta.* Dionyſ. I. p. 24. *Carmentæ nomen fatidicam ſignificat, deductum a carmine juxta Romanam Etymologiam. Hanc mulierem affirmant dæmonis ſpiritu correptam, futura populo præcinere ſolitam.* Plutarch. Romul. p. 31. ait: *Nonnulli nomen Carmentæ haud inepte interpretantur: ut ſit Carmenta amens, & mente carens: quod numine afflata fuerit, atque inſanire ſit ſolita.* Themis eadem quæ *Carmenta.* Dionyſ. I. p. 24. *Euander filius Mercurii, & nymphæ cujuſdam Arcadiæ, quam Græci Themin dicunt plenam numine, Romanarum antiquitatum ſcriptores Carmentam patria lingua nominant.* Plutarch. Probl. 56. *Themin, Carmentam mutato nomine vocaverunt*; cum ſcilicet, ut idem ait, in Italiam veniſſet. *Moreſtell. de Fer. Rom. Dial. 5. Stuck. de Sacrif. p. 41. Hoſpin. de Orig. Feſt. p. 95. Perizon. Triad. Diſſert. III. p. 251. Kipping. Antiq. Roman. I. 4. §. 3.* Cum Euandro filio & Arcadibus domo profecta cæteris Palatium occupantibus, ipſa in infima, quæ flumen Tiberinum reſpicit, Capitolini montis parte conſedit. *Ryq. de Capitol. c. 2. Panvin. Deſcr. Urb. Rom. Theſ. Antiq. Roman. Græv. Tom. III. p. 273. F.*

CARMENTALIA erat *feſtum Romæ, quod ſacrum & feriæ Carmentis.* Varr. de Ling. Lat. V. 3. Fiebant annis ſingulis a matribusfamilias XVIII. Kal. Februarii, in quibus aliquid ſcorteum, aut ſua morte peremptum attuliſſe magnum crimen erat. Alex. Gen. Dier. VI. 8. qui feriarum non erat prima, ſed ultima. Romanum quippe Kalendarium ſi quis conſulat, ipſarum initium inveniet III. Idus Januarii, qui ejuſdem menſis dies undecimus; poſtremus vero iſtarum, ſeu earundem inſtauratio, dies erat XVIII. Kal. Februarii, qui Januarii XV. Ergo aut per quinque dies celebrabantur, aut ſaltem poſt diem quintum repetebantur. Illa fuſius deſcribuntur ab Ovid. Faſt. I. 617——636. *Urſat. de Not. Roman. Theſ. Antiq. Roman. Græv. Tom. XI. p. 592. F. Hoſpinian. de Orig. Feſt. p. 95. 96. 97. Perion. de Græcor. & Roman. magiſtrat. III. Theſ. Antiq. Græcar. Gronov. Tom. VI. p. 2807. F. Moreſtell. de Fer. Rom. Dial. 5. Ryq. de Capitol. c. 43. Gyrald. Synt. Deor. XVII. p. 495. A. Laz. Comm. Reip. Rom. XI. 3.* Illis mane Prætori jus non licebat reddere. *Urſat. ibid. p. 593 C.*

CARNA Dea. V. illam ſupr. in *Cardea.*

CARNARIUM eſt locus, ubi ſalitæ carnes ſiccabantur in uſum domeſticum. Vindicianus:

Prome etiam, ſed tunde prius, ſeu contere gyro,
Quod viride hortus habet, vel quod carnaria ſiccum.

Fumo durabantur & ſiccabantur tales trunci carnium ſale ſparſi. Seren. Moret. n. 56.

Non illi ſuſpenſa focum carnaria juxta
Durati ſale terga ſuis, truncique vacabant.

Juxta focum videlicet ad fumum combibendum. Furcis ſuſpendebantur tales. Petron. c. 95. *Alius furca de carnario rapta ſtatum præliantis componit.* c. 96. *Sinciput in carnarium furca reponit.* Barth. Adv. XXXV. 8. I. 6. Stuck. Ant. Conviv. II. 10. & 11. Gonſal. in Petronium. Grapald. de Part. dom. I. 4. §. 4.

CARNI *coluerunt Galliam Togatam.* Mela II. 4. A Natiſone flumine uſque ad Formionem, quantum ex Plin. III. 5. perſpici poteſt. Oppida tenuerunt Aquilejam, quam aperte extra Venetos fines trans amnem fuiſſe narrat Strabo, Concordiam & Tergeſte. Unde illud commode Mela: *In oris Italiæ proximam eſſe a Tergeſte Concordiam, interfluere Timavum, deinde Natiſonem non longe a mari Aquilejam attingere.* Integris fuerunt viribus ad annum ab U. C. 582. Liv. XLIII. 1. *C. Caſſius Conſul in Gallia memorabile nihil geſſit: & per Illyricum ducere legiones in Macedoniam vano incœpto eſt conatus. Aquilienſes queſti in Senatu Romæ, coloniam ſuam novam, & infirmam, necdum ſatis munitam inter infeſtas nationes Iſtrorum atque Illyriorum eſſe. Senatus Carnis, aut Iſtris bellum a Caſſio illatum credere. Poſtero anno Carnorum, Iſtrorumque & Japudum legati venerunt: duces ſibi a Conſule Caſſio primum imperatos, qui in Macedoniam ducenti exercitum iter monſtrarent, pacatum ab ſe tanquam ad alid bellum gerendum abiiſſe, inde ex medio regreſſum itinere hoſtiliter peragraviſſe fines ſuos, paſſim rapinas & incendia facta, nec ſe ad id locorum ſcire, propter quam cauſam Conſuli pro hoſtibus fuerint.* In provinciæ tamen formam, ſive armis, ſive voluntate ſe ad amicitiam Romanorum contulerint, relatos, & Gallis Venetiſque adjunctos crediderim. *Sigon. de Ant. Jur. Ital. I. 25.*

CARNIFEX eſt is, per quem ſontes in crucem egerunt Romani. Erat unus, qui non modo civis non fuit; ſed ne domi-

domicilium quidem in Urbe habuit. Cicer. pro Rab. c. 5. *Sed moreretur prius acerbissima morte millies Gracchus, quam in ejus concione Gracchus consisteret: quem non modo foro; sed etiam cœlo hoc, ac spiritu censoriæ leges, ac Urbis domicilio carere voluerunt.* Sigon. de Ant. Jur. Civ. Rom. II. 15. Mag. Misc. IV. 16. Balduin. de Calc. c. 2. Lips. in Tacit. Annal. II. Excurs. H. Kirchman. de Fun. Rom. II. 24. Buleng. de Imp. Rom. VI. 23. Guther. de Jur. Man. I. 19. Pollet. For. Rom. V. 14. Laurent. Var. sacr. gentil. c. 15. Kipping. Antiq. Roman. II. 4. §. 8. Putabant enim populi Romani coronam & liberam civitatem ejus pollui præsentia & contagione. Cicer. ibid. c. 4. *Uter nostrum tandem, Labiene, popularis est? Tune qui civibus Romanis in concione ipsa carnificem, qui vincula putas adhiberi oportere? qui in campo Martio comitiis centuriatis auspicato in loco crucem ad civium supplicium constitui & defigi jubes? an ego qui funestari concionem contagione carnificis veto, qui expiandum forum populi Romani ab illis nefariis sceleris vestigiis esse dico?* Pollet. l. l. Habitabat vero in Subura. V. infr. in *Subura.* Inter instrumenta ejus erant tintinnabula. V. infr. in *Tintinnabulum. Carnificis loco habebatur, qui se vulnerasset, ut moreretur.* Festus. *Guther. ibid. c. 9.* Non procul a triumphante sedebat. V. infr. in *Triumphantes.*

CARNUNTUM fuit quondam urbs Pannoniæ. Plin. IV. 12. *Superiora autem inter Danubium & Hercynium saltum, usque ad Pannonica hiberna Carnunti, Germanorumque ibi confinium; campos vero & plana Jazyges, Sarmatæ: montes vero & saltus pulsi ab his Daci ad Pathyssum amnem a Moro, sive is Duria est, a Suevis regnoque Vanniano dirimens eos.* Patet hinc ad confinia Germanorum ex adverso fuisse confluentis Mori & Danubii: ubi nunc oppidum visitur *Haimberg.* Cluver. Vindel. c. 5. Ego puto esse pagum, ubi Cecius mons in Hungariam protenditur, ad ripam Danubii situm, vulgo *S. Petronelle* dictum. Eo Tiberii Cæsaris ævo colonia a Romanis est deducta, quæ & jus Latii accepit. Hic stativa habuisse legionem XIV. & Geminam, & Germanicam dictam Antoninus in Itinerario monstrat. *Laz. Comm. Reip. Rom.* XII. *Sect.* 3. *c.* 1. *Ursat. de Not. Roman. Thes. Antiq. Roman. Græv. Tom.* XI. *p.* 666. *C.*

CARO nihil aliud est, quam densatus sanguis, ut comprobat Aristot. de Animal. gener. II. ex frigiditate ac humiditate. Nam, ossa ex siccitate ac caliditate volunt generari. *Rhodig. Ant. Lect.* V. 2. In fece vini suspensa non eget sale, aut alio condimento. Philo in Mechanicis. *Buleng. de Conviv.* II. 24. Pecudum *carne* vescebantur undique ex provinciis exacta; unicuique enim provinciæ prout abundaret, vel minorem copiam pecudum proferret, imperatam esse certam quantitatem verosimile est, Roma & domus Augusta alebatur, ministri & officiales partem inde pro salario capiebant, militibus & populo sæpe gratuito distribuebatur. Vopisc. Aurelian. c. 47. *Quemadmodum oleum, & panis, & porcina, gratuito præberentur.* Burmann. Dissert. de Vectig. c. 4. Cruda a defuncti hæredibus interdum populo dabatur. *Morestell. Pomp. Feral.* VIII. 17.

Caro assa magis nutrit quam elixa. Heroum mensis parari ab Homero non pisces, non elixas *carnes*, sed assas, quæ facilius concinnarentur, legimus apud Platon. de Republ. III. Observatum & physicis illud quoque: elixa intus fieri sicciora, & inde nutrimenti minoris, quam sint assa, in quibus humidum geminum intus obseptum contineatur. Quod in illis evaporet, quoniam meatus laxet elixans calor: quo argumento etiam inalbescit jus. Auctore porro M. Varrone, assam primo, secundo elixam, tertio e jure cœpisse, natura docet. *Buleng. de Conviv.* II. 5. *Rhodig. Ant. Lect.* XXVIII. 2. *Salmas. in Vopisc. Aurelian. c.* 49. *Baccius de Vin. & conv.* IV. *p.* 163. *Castellan. de Esu carn.* I. 7. *Cerda Æneid.* VIII. 180.

Caro bubula & suilla vendebatur octo minutis, quæ est quarta oboli pars, ut ait Suidas. Sed Alexander efflagitante populo Romano *carnes*, feminas animantes vetuit occidi; quare intra biennium tanta *carnium* fuit copia, ut duobus aut uno minutis venderentur. Lamprid. Alex. c. 22. *Cum edulitatem populus Romanus ab eo peteret, interrogavit per decurionem, quam speciem caram putarent. Illi continuo exclamarunt, carnem bubulam atque porcinam. Tunc ille non quidem edulitatem proposuit, sed jussit, ne quis suminatam occideret, ne quis lactantem, ne quis vaccam, ne quis damalionem: tantumque intra biennium, vel prope annum porcinæ carnis fuit & bubulæ, ut cum fuisset octiminutalis libra, ad duos, unumque utriusque carnis libra redigeretur.* Panciroll. Notit. Dign. Imp. Occid. c. 4. Suilla ex genere quadrupedum animantium suavissima est, & ad bonos gignendos humores aptissima a Galeno censetur: quam, si modo probe in ventriculo concoquatur, & probatissimos gignere succos idem affirmavit. Varr. de Re Rust. II. 4. dicit. *Suillum pecus donatum est a natura ad epulandum.* Cicer. de Nat. Deor. II. 64. *Sus quid habet præter escam: qua pecude quod erat ad vescendum hominibus apta, nihil genuit natura fœcundius.* Stuck. Ant. Conv. II. 8. Nonnus de Re Cibar. II. 3. Bruyer. de Re Cibar. XII. 4. Nec ex alio animali numerosior materia ganeæ, quinquaginta prope sapores, cum cæteris singuli. *Bruyer. ibid.* XIII. 1. *Kobierzyk. de Lux. Roman.* II. 11. In convivio natalitio apponebatur. V. infr. in *Convivium.* De *carne* bubula & suilla multa *Castellan. de Esu carn.* II. 1.—11.

CARPENTARIUS est artifex, qui facit *carpenta*, sive vehicula. Veget. II. 11. *Habet legio fabros, tignarios, structores, carpentarios, ferrarios.* Panciroll. de Corpor. Art. §. 30. Non enim stricta significatione de solo confectore *carpentorum*, quæ ita propric appellabantur, est intelligendus; nam *carpenta* omnia vehicula vocabant. Et apud Vegetium *carpentarii* sunt, qui vehicula militaria portandis militum impedimentis, aut etiam ægrotis militibus vehendis conficiebant. Ad hæc illa habebantur fere in castris. Lamprid. Alex. Sever. c. 47. *Ægrotantes ipse visitavit per tentoria milites, etiam ultimos, & carpentis vexit.* *Carpentarius* etiam redarius vocabatur, qui *carpenta* redarum; & *carpentarius* vehicularius, qui *carpenta* vehiculorum fabricabat. *Salmas. in Lampr. Alex. Sev. c.* 52.

Carpentarius dicebatur etiam Romanis generatim, qui agebat vehicula ab antiquissimo vehiculi genere. Sic etiam nos hodie appellamus *cochers* eos, qui agunt carrus illos pensiles, quos vocamus *carrosses*; scilicet prius & antiquius vehiculi genus recentioris vehiculi aurigis nomen transmisit. *Bergier. de viis milit.* IV. *Sect.* 10. §. 8. *Panciroll. Notit. Dign. Imp. Orient. c.* 6. Quos falli, & non esse *carpentarios* nisi vehiculorum artifices dicit *Hennin. ad Bergierum.*

CARPENTUM est genus vehiculi. Ovid. Fast. I. 619.

Nam prius Ausonias matres carpenta vehebant.
Hæc quoque ab Euandri dicta parente reor.

Non semper erat idem, sed varium. Primum enim est agreste: quomodo leguntur *carpenta stercoris* apud Pallad. X. 1. *Uni jugero asserit Columella viginti quatuor carpenta stercoris sufficere.* Aliquando illud est genus illud, quo portantur conjuges & liberi Alanorum. Ammian. XXXI. 2. *Sine sedibus fixis absque lare, vel lege, aut ritu stabili dispalantur, semper fugientium similes, cum carpentis, in quibus habitant.* Interdum est vehiculum, ad cursum publicum destinatum. Ut libr. VIII. C. Th. leg. 18. *Illud sublimitas tua observari omni cautione præcipiat, ne amplius in singulis quibuscunque carpentis, quam bini, aut ut summum terni homines invehantur.* Etiam quo homines vehebantur publicis in viis. Apul. Met. XI. p. 391. *Romam dehinc carpento pervolavi.* Interdum vehiculum, seu currus militaris Gallorum. Flor. III. 2. *Rex Bituitus argenteo in carpento, qualis pugnaverat.* & Britannorum. Flor. III. 10. *Trepidantia ad conspectum rei novæ carpenta volitabant.* Interdum genus est aliquod, peculiariter sic dictum, quod commune habet nil cum cæteris. Fuit hoc ex parte contectum. Apul. Met. X. p. 335. *Spretis carpentis, quæ partim contecta, partim revelata.* Rotas habuit interdum duas, interdum quatuor. Trahebatur a mulabus plurimum.

Lamprid,

Lamprid. Heliog. c. 4. *Facta ſunt ſenatusconſulta, quæ veherentur carpento mulari.* Et mulionem habemus ad *carpentum* apud Auct. Vir. Illuſt. c. 7. *Mulionem evitantem ſuper ipſum corpus carpentum agere præcepit.* Uſus ſpectabat maxime ad mulieres, & nominatim matronas honeſtiores ad itinera quotidie in Urbe facienda. Uſa eſt apud Romanos Tullia Tarquinii uxor. Inde de ea Liv. I. 48. *Carpento invecta in forum. Carpentum flexit in Virbium vicum. Per patris corpus carpentum egit.* Impetrarunt etiam matronæ libera Republica, ſed peculiaris beneficii cauſa, quod conferendo in publicum omnem mundum ſuum civitati præſtiterant, ut ex eo votum Apollini a Camillo nuncupatum ſolveretur. Meminit Liv. V. 25. *Grata ea res ut quæ maxime Senatui fuit, honoremque ob eam munificentiam ferunt matronis habitum, ut pilenta ad ſacra ludosque carpentis feſto profeſtoque uterentur.* Etiam eo uſi Imperatores & Reges. De Conſtantio Ammian. XVI. 10. *Inſidebat aureo ſolus ipſe carpento.* Eginhartus vita Caroli de Rege Francorum: *Quocunque eundum erat, carpento ibat.* & magiſtratus Romanorum, & videtur currui antiquo, unde dicti ſunt curules, ſub Imperatoribus ſucceſſiſſe. Ita vectus eſt I. Præfectus prætorii, de quo Caſſiod. Vet. VI. 3. *Ipſe primum hujus dignitatis infulas conſecravit, ipſe carpentum reverendus adſcendit.* Epiſt. 4. *Carpento veheris per nobilem plebem.* II. Vicarius Urbis. Caſſiodor. Var. VI. 15. *Ad ſimilitudinem ſummorum carpento veheris.* Eſt formula Vicarii urbis Romæ. Per *ſummos* intelligere illos ipſos Prætorii Urbisque Præfectos arbitramur. Et præter magiſtratus etiam Sacerdotes. Tacit. Annal. XII. 42. 3. *Suum quoque faſtigium Agrippina altius extollere, carpento Capitolium ingredi, qui mos ſacerdotibus & ſacris antiquitus conceſſus.* Ubi per *ſacerdotes* non tam Virgines Veſtales, quod facit Lipſ. de Veſt. c. 11. quam revera ſacerdotes viros, præſertim Flamines exiſtimo intelligendos. Quos cum alias *carpentis* vectos arbitror, tum præſertim cum in Capitolium deducerent ſacra nemini conſpicienda. Hoc enim fieri optime in *carpentis*, tectis ſcilicet ſuperne, poterat. Poſtea tranſlatum eſt ad pompam Circenſem. I. Ut imagines defunctarum Auguſtarum eis veherentur, quale ideo Iſidor. XX. 12. appellavit *pompaticum.* Hoc enim peculiare habebant Auguſtæ, quod ipſarum imagines veherentur *carpentis*, cum Auguſtorum veherentur curribus. Suet. Cal. c. 15. n. 3. *Inſtituit matri Circenſes, carpentumque quo in pompa traduceretur.* II. Ut ipſæ vivæ una cum magiſtratibus in pompa *carpentis* incederent, quod datum primo Meſſalinæ, & mox Agrippinæ. *Scheffer. de Re vehic.* II. 17. De *Carpento* quoque ſcribunt *Ligor. de Vehic. c.* 1. *Panciroll. de Corp. Artif. c.* 20. *Bergier. de viis milit.* IV. 10. §. 8. *Salmaſ. in Lamprid. Heliog. c.* 4. *Alex. Sev. c.* 52. *Vopiſc. Aurelian. c.* 1. *Chiment. Biſell. c.* 41. *Argol. ad Panvin. de Lud. Circ.* II. 2. *Figrell. de Stat. Romani. c.* 33. *Guther. de Offic. Dom. Aug.* II. 16. *Donat. Dilucid. p.* 817.

Carpentum fuit etiam tribunal, ſella curuli magiſtratuum, & ordinariorum judicum altius, prætorianæ præfecturæ inſigne. Caſſiodorus ſupra laudatus ibi dictis addit: *Tribunal tuum ideo tam excelſum factum eſſe noveris. . . .* Et Vopiſc. in Aurelian. c. 1. vocat *judiciale carpentum* his verbis: *Vehiculo ſuo me & judiciali carpento Præfectus Urbis Junius Tiberianus accepit.* Quia in eo ſedentes jus dicebant majores magiſtratus, ut antea pro tribunali. *Faber Semeſtr.* I. 3. *Savaro in Sidon. Epiſt.* I. 11. Quaſi quæ de tribunali dicit Caſſiodorus, ea intellecta velit de *carpento*, remque eandem prius *carpentum*, mox *tribunal* appellaverit. Quod falſum eſſe ex eo liquet, quia intercedunt plurima inter ea, quæ de *carpento*, & ea, quæ de tribunali habet. Et quis unquam de *carpento* jus dixiſſe quenquam magiſtratuum apud Romanos ſcripſit legitve? Denique *carpentum* adeo a *tribunali* differt, ut non poſſim non mirari, quenquam voluiſſe iſta inter ſe miſcere. Tribunal fuit ingens tabulatum forma quadrata. Id *excelſum* vocat Caſſiodorus, non quod *carpentum* eſſet, rectisve altis impoſitum incederet; ſed quod revera exſtructum foret altius a terra. Sicut *celſum* hac de cauſa nominavit Juvencus. Vopiſcus *vehiculum* & *judiciale carpentum* ponit, non ut duo diverſa, ſed ut uno alterum explicaret. Nam cum vehiculi ſignificatio ſit generalis, quale vehiculum intelligat putavit apponendum: ac idcirco id vehiculum ſe dixit intelligere quod eſt *judiciale carpentum.* Appellavit autem *judiciale carpentum*, non quod ex eo jus diceret; ſed quod ſpectaret ad judicem, quod nimirum pertineret ad judicem honoratæ congregationis, ad judicem civitatis. Ideo *vehi carpento*, & *judiciales ſedes conſcendere* diſtinguit Juſtinian. Nov. 70. ubi loquitur de Præfecto utroque, Prætorii & Urbis: *Quatenus magno promeriti honore & in carpentis vecti, & clamores præconum audientes, inſuper judiciales ſedes conſcendentes, hujuſmodi fortuna liberi conſtituantur.* Et in eo nullas cognoviſſe cauſas, nullum jus dixiſſe; ſed ſermones inter ſe miſcuiſſe atque vectos eſſe monet ipſe de *carpento* Aureliani Vopiſcus, dum dicit: *Ibi cum animus cauſis atque a negotiis publicis ſolutus ac liber vacaret, ſermonem multum a Palatio uſque ad hortos Valerianos inſtituit.* Scheffer. de Re Vehic. II. 17. Buleng. de Imp. Rom. III. 3.

CARPISCULUS *eſt genus calceamenti.* Vopiſc. Aurelian. c. 30. Sic appellatur calceus multifariam ſciſſus & cæſus, quem Græci πολυσχιδῆ vocant & λεπτοσχιδῆ. *Carpere* id Latinis ſignificat. *Salmaſ. in Vopiſcum. Rhodig. Ant. Lect.* XX. 33.

CARPTOR dicebatur antiquis, qui cibum ſcindens & *carpens* præminiſtrabat. Juven. IX. 110.

Archimagiri, carptores.

Senec. Epiſt. 47. *Alius pretioſas aves ſcindit: pectus & clunes, certis ductibus circumferens eruditam manum, in fruſta excutit.* Unde ſcindendi *obſonii magiſter* vocatur Senec. de Vit. beat. c. 17. Et Petron. c. 36. *Proceſſit ſciſſor, & ad ſymphoniam ita geſticulatus laceravit obſonium, ut putares Darium hydraule cantante pugnare.* Qui ideo cheironomontes appellatur Juven. Sat. V. 121.

Saltantem ſpectes, & cheironomonta volanti
Cultello, donec peragat dictata magiſtri.

Lipſ. Saturn. II. 2. Buleng. de Conviv. IV. 3. Kobierzyk. de Lux. Roman. II. 10. Pignor. de Serv. p. 121. Popm. de Serv. p. 117. Caſal. de Urb. ac Imper. Roman. ſplend. part. 2. c. 19. Demſter. Paralip. ad Antiq. Roman. Roſin. V. 29. V. etiam infr. in *Cibus.*

CARPUS dicebatur *carptor*, ſive ſciſſor, qui cibos dividebat, ſive ſcindebat. Petron. c. 36. *Vides illum qui obſonium carpit? Carpus vocatur. Itaque quotieſcumque dicit, carpe, eodem verbo & vocat, & imperat.* Vocat, quia *carpus* vocatur; imperat, quia *carpere* eſt ſcindere obſonia. *Carpere* enim verbum eſt conviviale, id etiam haud incommode ſignificans. Mart. III. 13. 1.

Dum non vis leporem, dum non vis carpere mullum.

Gonſal. Wouwer. Lotich. in Petronium, Barth. Adv. VII. 5. Demſter. Paralip. ad Antiq. Roman. Roſin. V. 29.

CARRAGO erat munimentum caſtrorum, & re & nomine barbarorum, quo *carris* & plauſtris caſtra muniebant, quod nec hodie omnino interiit. *Schel. in Hygin. Theſ. Antiq. Roman. Græv. Tom.* X. *p.* 1122. C. Curt. IX. 1. 15. *Barbari vehiculis inter ſe junctis dimicaturi occurrerunt*, ut ſcilicet illis ab utroque latere & tergo incedentibus tutus eſſet exercitus. Hoc eſt *carros* in orbem connectere Veget. III. 10. *Omnes barbari carris ſuis in orbem connexis, ad ſimilitudinem caſtrorum, ſecuras a ſupervenientibus exigunt noctes.* Conſtruere Siſen. IV. *Impedimenta collocant omnia, conſtruunt carros.* Conſtipatim & conjunctim ducere, iiſque circumdare armatos Polyæn. III. 10. 7. *Currus frequentes agens & connexos, armatos circum hos foris circumdedit.* *Carraginem* facere recentioribus Vopiſc. Aurelian. c. 11. *Quærere præterea, ubi carrago ſit hoſtium.* Treb. Poll. in Gallien. c. 13. *Scythæ facta carragine fugere ſunt conati.* Hinc *carros* & plauſtra hoſti objicere dicebantur. Cæſ. Bell. Gall. I. 2. 63. *Quod pro vallo carros objecerant.* Flor. III. 3. 16. *Quum objectis undique plauſtris atque carpentis pugnarent.* Pitiſc. in Curtium, Salmaſ. in Pollion. Gallienos, Stewech. in Vegetium.

CARRUBA erat vigesima quarta pars grani. *Cenal. de Pond. & Mens. Thes. Antiq. Roman. Græv. Tom.* XI. *pag.* 1494. *E.*

CARRUCA, & cum adspiratione *carrucha*. *Carrus*, sive *carrum* barbara est vox, opinione mea. Ita & *carruca* erit, seu *carrucha*. Ejus mentionem, nescio, an quisquam ante Plinium fecerit. Sic ipse XXXIII. 11. *Nos carrucas ex argento cælare invenimus.* Quot rotas habuerit, non vidi ex veteribus, qui disertim hoc dicat. Quatuor habuisse vult Coras. Misc. III. 20. *Carrus quadrirotum est, hoc est, quatuor rotarum, a quo fit carruca, quæ parvum currum significat, totidem rotas habentem.* Et Vales. in Ammian. XIV. 6. *Est carrucha* τετράκυκλον ὄχημα, *seu rheda. Hesychius:* ἰνδῖον., καρέχαν. Adde ego Martialem qui quod prius *rhedam* dixit, postea nominat *carrucam* III. 47. 5. 13.

Faustine, plena Bassus ibat in rheda,
Nec feriatus ibat ante carrucam.

Quanquam vero *carruca* sit rheda, non vero rheda omnis est *carruca*. Hæc enim vox frequentius accipitur de vehiculo honoratiore. Cæterum *carruca* videtur fuisse tecta. Isidor. XX. 12. *Carruca undique contecta.* Jungebantur *carrucis* muli. Scævol. leg. 13. ff. de aur. & arg. *An carruca dormitoria, qua semper uxor usa sit, cum mulis ei debeatur.* Frequentius mulæ. Paull. Sent. III. 6. *Carruca cum junctura legata, mulæ quoque legatæ videntur.* Inde habes *mulam carrucariam* apud Ulpian. leg. 38. ff. de Edicto Ædilitio. Vecti primum *carrucis* viri, & nominatim Senatores. Lamprid. Alex. Sev. c. 43. *Carrucas Romæ & rhedas Senatoribus omnibus ut argentatas haberent, permisit.* Deinde & honorati alii. Lex Cod. Theod. de honor. vehic. XIV. 12. *Omnes honorati seu civilium, seu militarium dignitatum carrucis semper utantur.* Deinde & feminæ. Scævola jam laudatus. *Scheffer. de Re Vehic.* II. 27. Fiebant ex ære atque ebore, mox & argento. Vopisc. Aurelian. c. 46. *Dedit præterea potestatem ut argentatas privati carrucas haberent, quum antea ærata & eborata vehicula fuissent.* Lampridius & Plinius jam laudati. *Salmas. in Lampridium. Pignor. de Serv. p.* 433. *Scheffer. l. l.* Aureas fuisse testatur Mart. III. 62. 5:

Aurea quod fundi pretio carruca paratur.

Bayf. de Vascul. Thes. Antiq. Græcar. Gronov. Tom. IX. p. 681. B. Lindenbr. in Ammian. XIV. 6.

CARRHÆ est urbs Mesopotamiæ antiquissima, siquidem Abrahami olim ac Tarrhi ejus patris domicilio insignis perhibetur apud Joseph. Ant. Jud. I. 7. & Crassi clade apud Hieron. de Loc. Hebr. *Panciroll. Notit. Dign. Imp. Orient. c.* 115. *Vaillant. Numism.* I. *p.* 710.

CARRILIA gens. V. illam infr. in *Gens.*

CARTHAGO triplex fuit: una in Africa, æmula Romæ, & quæ tandem ejus triumphorum numeros auxit. Secunda & tertia in Hispania fuerunt Tarraconensi, vetus scilicet una, nova altera dicta. Vetus Edetanorum fuit urbs, nunc *villa Franca*, vel ad mentem quorundam *Conavilla.* Nova, quæ nunc *Carthagena*, in ora Contestanorum est sita, fundatorem habuit Amilcarem, & *Carthago Spartaria* dicta est a sparti copia. Colonia an fuerit Phœniciorum, quia ejus conditores: an Romanorum, quia ejusdem oppugnatores, mihi non liquido constat. *Ursat. de Not. Rom. Thes. Antiq. Roman. Græv. Tom.* XI. *p.* 595. B. . . . . Africana condita est a Didone, sive ab ejus patre (utrumque enim dicitur) annis post captam Trojam plus minus centum & quinquaginta. *Barg. de Obelisc. Thes. Græv. Tom.* IV. *p.* 1925. *F.* Excisa est anno ab U.C. 605. a Scipione Æmiliano, qui inde Africani tulit cognomen. *Manut. de Leg. Rom. c.* 10. atque per septendecim incensa dies. *Panciroll. Notit. Dign. Imp. Occid. c.* 46. Romanorum *colonia in vestigia magnæ Carthaginis*, ut apud Plin. V. 4. deducta fuit Julio Cæsare curante. Strab. XVII. p. 579. *Postquam diu Carthago deserta permansit: eodem fere tempore, quo & Corinthus, rursum a D. Cæsare, sub idem fere tempus, missis eo colonis Romanis, quibus liberet, & militum nonnullis.* Dio XLIII. p. 238. *Addidit hoc suis præclaris factis, quod Carthaginem instauravit.* Et *Carthaginem, urbem antiquam, splendidam, illustrem, quæ jam perierat, coloniam Romanorum deduxit.* Quod contigit juxta Dionis chronologiam anno ab U. C. 710. *Carthaginem* eodem teste *Augustus coloniam denuo deduxit; quia Lepidus, quum partem ejus habitatoribus orbasset, jus coloniæ dissolvisse videbatur* anno ab U. C. 725. decimo quinto scilicet anno a C. Julii Cæsaris deductione. *Ursat. ibid. C.* Est vero restaurata propter magnum commodum, quod quotannis ex frumento Africæ percipiebatur. Quo alludit Prudent. contr. Symmach. II. 936.

Respice num Libycis desistat ruris arator
Frumentis onerare rates, & ad ostia Tibris
Mittere triticeos in pastum plebis acervos?

Et titulus de *frumento Carthaginensi* est in Codice Theodosiano. *Panciroll. ibid. c.* 47. Ab Ausonio in Gratiarum actione pro Consulatu recensetur inter urbes, quæ sub Romanorum legibus agebant, & sollennes, quibus novi Consules magistratum inibant, & dies celebrabant. Et a Salviano de Gubern. Dei VII. 16. in Africano orbe quasi Roma vocatur. *Spanhem. Exerc.* II. *ad Anton. Constit. Thes. Antiq. Roman. Græv. Tom.* XI. *p.* 141. *E.* Octaviano VI. & Agrippa Consulibus libertatem a populo Romano accepit. *Fasti Idat. Thes. Antiq. Roman. Græv. ibid. p.* 254. *C.* Sub Theodosio muro est circumdata, quæ ex tempore, quo vetus illa destructa est, *sanctione Romanorum, ne rebellioni esset, munimento murorum non est permissa vallari.* Prosper Chron. Thes. Antiq. Roman. Græv. ibid. p. 327. B.

CARTHAGINENSES solis tunicis induti incedebant, nullo pallio, aut alia exteriori veste. Et ideo Q. *Ennius Carthaginensium tunicatam juventutem non videtur sine probro dixisse* apud Gell. N. A. XIV. 12. *Ferrar. de Re Vest.* I. 3. I. Magistratus tempore vino abstinent, militibus quoque vino interdicunt. Xenophon. *Buleng. de Conviv.* III. I. Principum infantes ad aras mactarunt. Horum consuetudinem hanc sustulit Gelo, qui prælio victis noluit pacem ante concedere, quam ut quoque insertum esset conditionibus, eos finem facturos Saturno suos immolandi liberos, ut videre est apud Plutarch. de his qui sero puniuntur p. 552. A. *Tomas. de Donar. Vet. c.* 40. *Pitisc. in Curt.* IV. 3. 23. §. 80 — 86. In luctu comas & ora lacerarunt. *Morestell. Pomp. Feral.* II. 33. Cum prius terra obruerent fato defunctos, postea a Dario admoniti igni tradiderunt. Justin. XIX. I. II. Alex. Gen. Dier. III. 2. *Morestell. ibid.* X. 4. Illos Romani tribus bellis, nomine quidem pro sociis, re vero pro imperio, cujus utraque præter cæteras avida fuit, gestis subegerunt. I. Pro Mamertinis susceptum in Sicilia cum multis Pœnorum ducibus, sed ad extremum cum Amilcare gestum est. II. In Hispania, Italia & Africa cum Annibale Amilcaris filio pro Saguntinis, idque hac occasione: Post res priore bello compositas Romani extremum hoc cum Asdrubale, Amilcaris genero, Pœnorum in Hispania duce fœdus percusserant: *Ne Pœni armati Iberum flumen transirent: neve Saguntinos trans Iberum populi Romani socios divexarent.* Cum autem Asdrubale mortuo, Annibal Amilcaris filius imperium suscepisset, Romanos statim Sagunto expugnando, atque Ibero contra fœdus cum exercitu trajiciendo, bello omnium acerrimo, atque clarissimo provocavit: cui postea per pluros duces in Hispania, Italia, atque Africa, varia fortuna, ac dubia spe victoriæ administrato, P. Cornelius Scipio, superato acie in Africa, quo bellum denique translatum erat, Annibale finem imposuit, atque inde Africani cognomen retulit. Leges denarrat Liv. XXX. 37. III. Bellum eo nomine iis indictum est, quod contra fœdus naves haberent, & extra fines exercitum eduxissent, & Massinissæ socio arma intulissent. Quod bellum quarto anno, ductu, & auspiciis P. Scipionis Æmiliani, Pauli Æmilii natura filii, ac P. Scipionis Africani adoptione nepotis, anno 605. confectum est. *Sigon. de Ant. jur. Prov.* II. 15. Succubuisse ad extremum, & victos conditiones accepisse ob eam maxime causam putat Polybius, quod quo tempore inter illos & Romanos incidit contentio, tum & *Carthagine*

gine multo, quam antea, negligentius: & Romæ multo, quam unquam, diligentius leges colebantur. Nihil vero ſine lege & jure perpetuum eſt. *Manut. de Leg. Roman. c.* I.

CARTHAMA eſt oppidum Hiſpaniæ Bæticæ, ad regni Granatenſis confinia, haud procul a Malaga ſitum. *Urſat. de Not. Roman. Theſ. Antiq. Roman. Græv. Tom.* XI. *p.* 593. *D.*

CARTIBULUM erat *menſa lapidea, quadrata, oblonga, una columella. Hæc in ædibus ad compluvium apud multos me puero ponebatur: & in ea, & cum ea vaſa ænea: agerendo gertibulum, unde cartibulum poſt dictum.* Varro de Ling. Lat. IV. 26. *Urſin. Append. ad Ciaccon. de Triclin. p.* 297. *Buleng. de Imper. Roman.* II. 34. *Stuck. de Conviv.* II. 16.

CARYA ſunt ſecundæ menſæ, qua voce acrodrya omne genus ſignificantur. Proprie κάρυα, nuces juglandes. *Buleng. de Conviv.* II. 39.

CARYATIDES erant columnæ, in figuras mulierum efficitæ, onera gravia ſuſtinentes, & quibus limina ſuſtinebantur. Inventum Spartanorum, qui mancipiorum in bello captorum ſtatuas ad januas ſuas, quaſi in ſervitium perpetuum ſolebant collocare. De *Caryatibus* Vitruv. I. I. *Carya, civitas Peloponneſi cum Perſis hoſtibus contra Græciam conſenſit; poſtea Græci per victoriam glorioſe bello liberati, communi conſilio Caryatibus bellum indixerunt. Itaque oppido capto, viris interfectis, civitate deleta, matronas eorum in ſervitutem abduxerunt. Nec ſunt paſſi ſtolas, neque ornatus matronales deponere; uti non uno triumpho ducerentur; ſed æterno ſervitutis exemplo gravi contumelia preſſæ, pœnas dare viderentur pro civitate. Ideo qui tunc architecti fuerunt, ædificiis publicis deſignaverunt earum imagines oneri ferundo collocatas, ut etiam poſteris nota pœna peccati Caryatium memoriæ traderetur.* Borrich. Ant. Urb. Fac. c. II. §. 4. Voſſ. Lex. Etymol. Junius de Pict. II. 8. Figrell. de Stat. Rom. c. 6. Pius Annot. Poſt. c. 119. Vaillant. Numiſm. I. p. 193. Grapald. de Part. Dom. I. I. §. 5. *Caryatidis* ſtatuam memini me olim vidiſſe inter marmora Arundelliana, mulieris nempe ſtolatæ, manibus poſt occiput reductis, & elevatis cubitis, & ſubmiſſo nonnihil capite ſuſtinentis pondus. Architecti hodierni manibus brachiiſque demiſſis effingunt *Caryatidas*, quod tamen minime eſt concinnum. *Voſſ. de Trirem. & Liburn. Conſtr. Theſ. Antiq. Roman. Græv. Tom.* XII. *p.* 722. *F.*

CARYOTA e palmis naſcitur. Plin. VI. 32. *Hanc & palmetis caryotas ferentibus abundare.* XIII. 4. *Ab his caryotæ maxime celebrantur, & cibo quidem ſed & ſucco uberrimæ. Ex quibus præcipua vina orienti, iniqua capiti, unde pomo nomen.* Grapald. de Part. Dom. II. 3. §. 43. Meminit illarum Mart. VIII. 33.

Hoc linitur ſputo Jani caryota Kalendis.

Et in Xeniis 24.

Aurea porrigitur Jani caryota Kalendis.

Caryotam appellat *auream*, quia quæ Kalendis Januariis dono mittebatur, aureis tunicis, ſive bracteis involvebatur: prout & hodie ejuſmodi tunicis operiri in nuptiis ſolent pleraque opera e ſaccharo confecta. *Voſſ. Lex. Etymol. Lipen. de Stren. c.* 3. §. 8.

CARYOTIS dicitur etiam pro *caryota.* Dioſcor. I. 149. *Maxime autem caryotides comeſtæ faucium medentur aſperitati.* Stat. Sylv. I. 6. 20.

—— & latente palma
Prægnantes caryotides cadebant.

Mart. XI. 32.

Et notas caryotidas theatris.

Voſſ. Lex. Etymol. Lipen. de Stren. c. 3. §. 9. Grapald. de Part. Dom. II. 3. §. 43.

CAS.

CASA ab Iſidoro in Gloſſis exponitur tugurium. Gloſſæ Philoxeni ſimiliter interpretantur καλύβην. *Voſſ. Lex. Etymol.* Urbis Romæ ſi auream ætatem animo perluſtremus, reperiemus incolas illius humili & luteo tecto contentos, jucundam pauperiem coluiſſe. *Furcæ utrinque ſuſpenſæ fulciebant caſam ſpiſſatis ramalibus, ac fronde congeſta, & in proclive diſpoſita, decurſus imbribus quamvis magnis erat. Sub his tectis habitabant ſecuri.* Senec. Epiſt. 90. ex iis *caſulis* prodibant, ad debellandos & profligandos hoſtes, & ſub luto ac ſtipula ſpolia & exuvias ſuſpendebant. Prop. IV. I. 6.

Non fuit opprobrio facta ſine arte caſa.

Elegantiſſime deſcripſit Petron. c. 95.

At paries circa palea ſatiatus inani,
Fortuitoque luto, clavos numerabat agreſtis,
Et viridi junco gracilis pendebat arundo.
Præterea, quæ fumoſo ſuſpenſa tigillo
Conſervabat opes humilis caſa.

Claud. Honor. Conſ. IV. 414.

Sordida Serranus flexit Dictator aratra,
Luſtratæ lictore caſæ, faſceſque ſaligni
Poſtibus affixi.

Kobierzyck. de Lux. Roman. II. 6. Fiebat præterea ex virgis. Tibul. II. I. 24. V. illum infr. in *Caſas ſtruere.* Seneca modo laudatus. Junco. Lucan. V. 516.

Haud procul inde domus, non ullo robore fulta,
Sed ſterili junco, cannaque intexta paluſtri.

Epigramma Græcum vocat καλύβην χοινῖτιδα. Palea; Petronius jam laudatus. *Bourdelot. in Heliodor. Æthiop. p.* 15.

Caſa Fauſtuli fuit ſupra Comitium, prope Græcoſtaſin, & ficum Ruminalem. Locum hunc Germalum Plutarchus videtur appellaviſſe. V. infr. in *Germalus.* Marlian. Topogr. Urb. Rom. II. 17. Fortaſſis eſt eadem, quæ *caſa* Romuli in Palatino. V. *infr.*

Caſa Romuli longo temporum ſpatio in Capitolio aſſervata fuit, ac ſuam Romanis luxuriam exprobravit. Vitruv. II. I. *Item in Capitolio commoneſacere poteſt, & ſignificare mores vetuſtatis, Romuli caſa, in arce Sacrorum ſtramentis tecta.* Macrob. Sat. I. I. *Pontifex Kalata, id eſt, vocata in Capitolium plebe, juxta curiam Kalabram, quæ caſæ Romuli proxima eſt.* Senec. Contr. I. 6. *Inter hæc tam effuſa mœnia, nihil eſt humili caſa nobilius, faſtigiatis ſupra tectis auro puro fulgens prælucet Capitolium.* Kobierzyk. de Lux. Roman. II. 6. Ryq. de Capitol. c. 44. Donat. de Urb. Rom. II. 9. Eam, ſi forte vetuſtate conſumeretur, continuo Romani reparabant, & iiſdem ſtramentis contegebant, ut ſemper integra permaneret. Ideo licuit Ovidio canere Faſt. III. 183.

Quæ fuerit noſtri ſi quæris regia nati,
Aſpice de canna ſtraminibuſque domum.

Ryq. & Donat. l. l. Verum, quum nunquam Romulus incoluiſſe Capitolium legatur, nec ante Tatium, quum Roma ultra urbem quadratam non extenderetur; nec poſt Tatium, quum non minus amplitudine, quam viribus aucta ac potentia *caſam* pro regia aſpernabatur, vix eſt, ut quis huic opinioni queat acquieſcere. Nam ſi Romulus in *caſa* ſtramentis tecta habitavit, cives nunquid Rege ſuo ſumptuoſius habitarunt? ſi non ſumptuoſius, totam iſtiuſmodi ædificiis urbem conſtruere opus ſane paſtorium fuerit, idque flammis conſumere unius hominis nequam ſulphurata vendentis. Quare forſan fuerit alicujus de illo genere hominum, qui ad Aſylum confugerunt, & in Arce ſedem fecerunt: cujus *caſæ* vetuſtas, ut pro Romuli domo acciperetur, imperitis perſuaſit. Quod ſi autem revera Romuli fuit, receptui tantum inſerviit, cum Capitolium alicujus negotii cauſa conſcenderet. Forſan & ipſa Curia Calabra fuit, quæ ſtramentis tecta a nonnullis Romuli *caſa* dicta ſit, quum eam Virg. Æneid. VIII. 664. *regiam* appellavit,

Romuleoque recens horrebat regia culmo.

Ut ex Servii patet expoſitione. Sic & Ovidius modo laudatus. Quæ tamen de Romuli domo in monte Palatino

tino accipienda nullus dubito. Sed utrum vera Romuli illa *casa* fuerit, necne, tanti non refert. Sufficiat nobis, in illa eam usque tempora durasse antiquitatis, & pro Romuli *casa* habitam fuisse. Interiit Augusti principatu, sacrificio quodam a Pontificibus ibi facto conflagrans. Dio infr. laudandus. *Nardin. Rom. Vet.* v. 16. In monte Palatino fuit. Victor. Qui ejus domum *casam* appellat, quia tum humilis erat præ aliis magnificisque postea factis ædificiis. *Panciroll. Descr. Urb. Rom. Thes. Antiq. Roman. Græv. Tom.* III. *pag.* 363. *F.* Et quidem in illa Palatini parte quæ Aventinum respicit, & in Circum maximum descendebatur. Ita Plutarch. Rom. p. 30. C. *Romulus incoluit illam Urbis partem, qua ex Palatio in Circum maximum itur: juxta quem locum sunt, quos pulcri littoris gradus vocant.* Hanc domum qui Romuli *casam* cannis tectam fuisse opinantur, errant. Fuit enim, sed falso, mea quidem sententia, ut jam expositum est, in Capitolio. Quod si vero in Palatino, qua parte Circum respicit, alia etiam Romuli *casa* exstitit, non tamen illa domus fuit, in qua Romulus Urbe jam condita habitavit: verum in qua fratres gemini ætatem primam pastorali habitu traduxerunt. Dionys. I. p. 66. *Sed eorum vita pastoralis & operosa erat: casisque sæpe in montibus factis arundineis & ligneis operiebantur; quarum una etiam meo tempore perdurat in parte a Palatio in Circum versa, casa Romuli dicta; quam adhuc sacrarum rerum custodes tuentur, nihil magnificentius adjungentes, sed si aliquid cœli injuria, aut senio periclitatur, reliqua fulciunt, labefactatas res primis similes resarcientes.* Quum igitur Romulus jam regni compos esset factus, aliam sibi domum struxit, non longe forsan a *casa* pristina remotam, ut Plutarchus supra allatus indicat. Forsan & hæc tugurium Faustuli fuit, in quo fratres gemini primam transegere infantiam, a Romulo in memoriam facti conservatum, & posteris semper sartum tectum habitum. Huc mihi alludere videtur Solin. c. 1. *Habuit terminum, ubi tugurium fuit Faustuli: ibi Romulus mansitavit.* Nardin. ibid. VI. 12. Et ego duplicem fuisse dico: veram & veterem in Palatio; alteram adsimilem, religionis causa, in monte Capitolino, ubi omnia, aut præcipua sacra: certe sacra hæc habita, & per illam Valerius etiam jurat IV. 4. f. *Per Romuli casam, perque veteris Capitolii humilia tecta juro.* Quin & pontifices in ea sacrificare soliti, ut templo. Dio XLVIII. p. 383. B. *Casa Romuli, ex sacrificio quopiam, quod in eo pontifices fecerant, exusta est.* Lips. in Senec. ad Helv. c. 9.

Casas exstruere erat ludus puerilis. Horatius de ludis puerorum Sat. II. 3. 247.

Ædificare casas, plostello adjungere mures.

Tib. II. 1. 23.

Turbaque vernarum saturi bona signa coloni
Ludet, & ex virgis exstruet arte casas.

Buleng. de Lud. vet. c. 29. Lambin. in Horatium.

CASCA est cognomen Serviliorum. Hunc pro sene Latini veteres dixerunt. Varr. de Ling. Lat. VI. 3. *Cascum primum significat vetus. Ejus origo Sabina, quæ usque radices in Oscam linguam egit cascum. Vetus esse significavit Ennius, cum ait:*

Quam primum casci populi genuere Latini.

Eo magis Manilius, quod ait: Cascum duxisse Cascam non mirabile est, quoniam canoras conficiebant nuptias. Item ostendit Papinii epigrammation, quod in adolescentem fecerat Cascam.

Ridiculum est, cum te Cascam tua dicit amica
Casca Philotonis, ipsa senex puerum.
Dic tu illam pusam: sic fiet mutua muli;
Nam vere pusus tu, tua amica senex.

Sigon. de Nomin. Roman. c. 5. Glandorp. Onom. Roman. p. 797.

CASEALE erat locus, ubi & conficiuntur & reponuntur *casei*. Colum. XI. 15. *Quadam quotidie, ut culina & caseale debent emundari*, ob serum nempe & eluviem. *Turneb. Adv.* IV. 8. *Voss. Lex. Etymol. in Caseus.*

CASEUS coagulo cogebatur & premebatur. Virg. Ecl. I. 82.

— & pressi copia lactis.

Circumlocutione poetica. Interdum manu premebatur, formabatur, atque figurabatur. Suet. Aug. c. 76. n. 2. *Caseum bubulum manu pressum appetebat.* Colum. VII. 8. *Illa vero notissima est ratio: faciamus caseum quem dicimus manu pressum. Namque is paullum gelatus in mulctra, dum est tepefactus, rescinditur, & fervente aqua perfusus, vel manu figuratur, vel buxeis formis exprimitur.* Premebatur, ne esset fistulosus: quod ei accidit, qui laxius & remissius in formis suis habetur, nec satis cogitur. *Turneb. Adv.* V. 12. *Voss. Lex. Etymol. Bruyer. de Re cibar.* XIV. 7. Obsonium erat pastorum. Varr. de Ling. Lat. IV. 22. *Hoc*, pulmentarium, *primum debuit pastoribus caseus.* Pereleganter ait *caseum* hoc pastoribus debuisse, ut eorum esset pulmentarium, id est, obsonium; quod cum pulte vel pulmento comessent, ut cum pane obsonium edimus. *Turneb. ibid.* XXII. 2. Et cibus militum. Spartian. Adrian. c. 10. *Cibis castrensibus in propatulo libenter utens, hoc est, larido, caseo, & posca.* Stuck. Ant. Conviv. I. 21.

CASILINUM fuit oppidum Campaniæ in conspectu Capuæ. Valer. Max. VII. 6. 2. *Campanæ urbis*, Capuæ, *quæ Punicam ferocitatem suis deliciis cupide fovit, in propinquo situm Casilinum.* Eo in loco, ubi nunc est Capua nova. *Cluver. Ital. Ant.* IV. 5. §. 5. Præfectura prius fuit. Festus in Præfectura. Successu temporis in coloniam deducta est a C. Julio Cæsare. Cicer. Phil. II. 40. *Deduxisti coloniam Casilinum, quo Cæsar antea deduxerat.* Ursat. de Not. Roman. Thes. Antiq. Roman. Græv. Tom. XI. p. 629. A. Sigon. de Ant. Jur. Ital. III. 4. Panvin. Descr. Imp. Roman. c. 11. Cluver. l. l. Ejus memoria nunc in Campania pæne exolevit, oppido ibi superstite, cui Castellacio nomen vulgo. Et Plinius morientis Casilini reliquias memorat. *Ursat. & Cluver. l. l.*

CASSIDARIUS erat, qui in armamentario *cassidum* curam habebat. Inscriptio Romæ:

Q. NÆVIUS. MARINUS
MILES. EX. ARMAMENTARIO. IMP
CÆSARIS. DOMITIANI. AUG. GERMANICI
CASSIDARIUS
VIXIT. ANN. XXXX.

Spon. Misc. Erud. Ant. Sect. VII. *p.* 254.

CASSINUM fuit ultimum novi Latii, seu Volsci agri in via Latina oppidum. Nominis originem a *casco* deducit Varr. de Ling. Lat. VI. 3. *Cascum significare vetus ostendit oppidum, quod vocatur Cassinum. Hoc enim a Sabinis orti Samnites tenuerunt, & nunc nostri: unde & Casinum forum vetus.* Cluver. Ital. Ant. III. 8. §. 24. Colonia eo deducta est anno ab U. C. 442. M. Valerio Maximo & P. Decio Mure Consulibus. *Hi triumviros creavere, ac misere colonorum quatuor millia.* Liv. IX. 28. *Sigon. de Ant. Jur. Ital.* II. 5. *Panvin. de Imp. Roman.* c. 11. *Cluver. l. l.*

CASSIA gens. V. illam infr. in *Gens.*

CASSIS de lamina est: galea de corio. *Cassidem* autem a Tuscis nominatam dicunt. Illi enim galeam *cassim* nominant: credo a capite. Isidor. XVIII. 14. V. infr. in *Galea.* Differt a buccula. V. supr. in *Buccula.*

CASSITERIDES sunt insulæ Hispaniæ Tarraconensis. Sunt decem numero, vicinæ invicem, ab Artabrorum portu versus septentrionem in alto sitæ mari. Has P. Crassus metallorum cupiditate, quæ ibi effodiebantur, adductus ad imperium Romanum adjunxit. Strab. III. p. 121. *Sigon. de Ant. Jur. Prov.* I. 5.

CASTELLA erant conventus hominum minores & angustiores. Isidor. XV. 2. *Vici, castella, & pagi sunt, quæ nulla civitatis dignitate ornantur, sed vulgari hominum conventu incoluntur, & propter parvitatem sui civitatibus attribuuntur. Castrum antiqui dicebant oppidum loco altissimo situm.* Sigon. de Ant. Jur. Ital. II. 1. Donat. Dilucid. p. 150.

p. 150. Illud palam eſt, *caſtrum* dici locum muris munitum, indeque *caſtellum* diminutivum, *caſtrum* ſcilicet, vel oppidum parvum, Græcis φρέριον κῶμα, id eſt, locus munitus. Etymologicum. Ἡ κοιμητηρία καὶ ἀνάπαυσις ξείδων καὶ ἀνθρώπων ἀπὸ τῶν ἀγρῶν. Namque agricolæ poſt opera diurna ſeque & animalia tanquam in locum tutum recipiebant ab agris in *caſtella*. Quod autem *caſtellum* locus munitus eſſet, conſtat ex Cicer. Fam. XI. 4. *Multa caſtella cepi, multa vaſtavi.* Attic. III. 7. *Caſtellum natura munitum.* in Piſon. c. 5. *Receptaculum veterum Catilinæ militum, caſtellum forenſis latrocinii.* Donat. ibid. p. 151.

Caſtella erant propugnacula mobilia in acie, quæ in procinctu portabantur, ex aſſeribus, ſine alia materia conſimili fabricata, ad caſtrametandum quam maxime apta, ita dicta a ſtabilium *caſtellorum* ſimilitudine, & uſus convenientia. Tacit. Annal. III. 74. 4. *Caſtella & munitiones idoneis locis imponens.* Cicer. Phil. V. 4. *Aditus hoſtium caſtellis & aggeribus prohibetur.* Donat. Dilucid. p. 151. Laurent. Polym. IV. Synopſ. 11.

Caſtella ſunt in aquæductibus derivacula quædam laxiora, certis ſpatiis emodulata, ex quibus per fiſtulas aqua in varia loca diſtribuitur, id eſt, in villas & prætoria nobilium, indultu Principis. Vitruv. VIII. 7. *Cumque* aqua rite librata *venerit ad mœnia, efficiatur caſtellum, & caſtello conjunctum, ad recipiendam aquam, triplex emiſſarium.* Bud. in Pandect. p. 164. F. Marlian. Topogr. Urb. Rom. IV. 10. Bald. Lex. Vitruv. Donat. Dilucid. p. 152. Baccius de Therm. Vet. c. 4. Chiflet. Aqu. Virg. Theſ. Antiq. Roman. Græv. Tom. IV. p. 1786. B. Eorum parietes malthati erant, tam tenaci & dura materia, ut vix ferro frangeretur, qualem maltham in pluribus vidimus *caſtellis*, ut in Prænestino, in portu Oſtienſi, in monte Miſeno, in piſcinis ſinus Bajani, locisque aliis. In Urbe erant quatuor. unum in Cœlio: item alia duo, prius ſub thermis Titi, alterum ſub Diocletiani: quartum inter portam Næviam & Statilii theatrum. *Fabric. Deſcr. Urb. Rom. c.* 19. In Cœlio, ſub aquæ Claudiæ ductu, cernitur adhuc ferme integrum: cujus parietes per ambitum ſunt latitudine pedum ſex, interius vero trium, operti tectorio craſſitudine digitorum trium. *Marlian. ibid.* IV. 9. *Fabric. ibid. c.* 17. Titi vulgo *ciſternas capaces*, & *ſeptem ſcalas* nominant. Sunt autem novem ſub terra cameræ fornicatæ, quarum unaquæque portas aliquas habet, & per unam introiens, ſimul per multas ei oblique oppoſitas uno ordine oculos inferre potes. Diocletiani figuræ mathematicæ, quæ ſcalenos dicitur, formam habet, pilis quadratis fultam: in prima ſerie pilæ quindecim, totidem in ſecunda, in tertia decem, in quarta quinque. *Fabric. ibid. c.* 19. Ex *caſtellis* varie derivata fuit aqua in privatorum domos. Ictus *caſtellum* in edicto prætoris l. 1. ff. de aqua quotid. interpretatur *receptaculum, quod aquam publicam ſuſcipit.* Duplici modo aquæ ducendæ ſervitus imponi poterat, vel ex capite, vel ex *caſtello*. Interdictum prætoris de aqua quotidiana, & æſtiva ad utrumque genus pertinebat. *Caput aquæ illud erat, unde aqua naſcitur. Si ex fonte, fons ipſe, ſi ex flumine, vel lacu prima incilia*, ut eſt in eadem lege, *vel principia foſſarum, quibus aqua ex flumine, vel ex lacu in primum rivum communem peti ſolet.* Ex capite autem, vel etiam ex rivo publico, & communi aqua in *caſtellum* cadebat, ex quo deinceps dividebatur per fiſtulas ſingulis privatis, qui jus aquæ a Principe impetrarant. Non ſemper ex *caſtello*, ſed etiam ex rivo ducenda concedebatur. Lex eadem: *Permittitur autem aqua ex caſtello, vel ex rivo, vel ex quo alio loco publice ducere.* Nimirum ubi *caſtella* non erant, ex quibus diſtribueretur, ex rivo duci ſolebat, ac dividi. Omnes aquæ publicæ, quæ in Urbem ex fontibus influebant in plura *caſtella* diviſæ per regiones Urbis deducebantur, atque erogabantur privatis, aut publicis uſibus. Inde & privata, & publica erant *caſtella*. Ex iſtis aqua publice operibus dabatur, ex illis privatorum domibus, aut hortis. Si *caſtella* nulla eſſent, ex rivo ducebatur. Frontin. de Aquæduct. 11. *Claudia, & Anio novus extra Urbem proprio quæque rivo erogabatur, intra Urbem confundebatur*; & per eadem *caſtella* dividebatur. Hoc ex Frontino obſervare licet, aquas illas, quæ in Urbem deducebantur, extra Urbem quidem rivo deductas fuiſſe, intra Urbem vero per *caſtella* diſtributam. Unico id exemplo probabimus de Marcia: *Marciæ*, inquit, *erogabantur extra Urbem nomine Cæſaris quinariæ*, CCLXIX. *reliquæ quinariæ* M CCCCLXXII. *intra Urbem per regiones* I. III. IV. V. VI. VIII. IX. XIV. *in caſtella* LI. In aliis omnibus hæc eadem perpetuo ſervat, ut *caſtella* aquis intra Urbem deductis tribuat, extra Urbem fluentibus non tribuat. Ducebatur aut rivo ſubterraneo, aut opere ſupra terram arcuato, aut non arcuato, vel ſubſtructionibus rivorum. Ex his omnibus operibus cum erogabatur punctis, ex rivo duci dicebatur. Hoc etiam confirmatur auctoritate Vitruv. VIII. 7. ubi tradit aquæ ductus fieri tribus generibus, *rivis per canales ſtructiles, aut fiſtulis plumbeis*; deinde ſubjungit: *cumque venerit ad mœnia*, id eſt, Urbis ædificia, *efficiatur caſtellum, & caſtello conjunctum ad recipiendam aquam triplex immiſſarium.* Verumtamen Vitruvius ibidem etiam meminit *caſtelli* extra Urbem faciendi ad caput aquæ, ſi fiſtulis plumbeis ducatur. Non ergo in aliis aquæ ductibus locum habuere *caſtella* extra Urbem, niſi cum ab iſto capite fiſtulis plumbeis aqua duceretur. Nam & intra Urbem ex *caſtellis* per fiſtulas erogari ſolebat aqua. Frontinus: *Sollicite ſubinde ductus extra Urbem ſunt circumeundi ad recognoſcenda beneficia. Idem & caſtellis, & ſalientibus publicis eſt faciendum; ut ſine intermiſſione diebus noctibuſque aqua fluat.* Hoc non obſcure oſtendit, *caſtella* intra Urbem eſſe, ut & ſalientes. Nam cum dixiſſet *extra Urbem circumeundos eſſe ductus ad recognoſcenda beneficia*, paullo poſt *in caſtellis, & ſalientibus publicis idem faciendum* eſſe dicit, nimirum intra Urbem. Salientes enim publici intra Urbem ſunt, non extra, ut & *caſtella*. Fuit ergo *caſtellum* ad inſtar *caſtelli* muris munitum; quod aquam publicam ex rivo ſuſcipiebat. Nam ex rivo publico in *caſtellum* cadebat, ex *caſtello* per plures fiſtulas *caſtello* adfixas tam privatis uſibus, quam publicis operibus erogabatur, & dividebatur. Frontinus: *Memineram omnem aquam, quoties ex alto rivo venit, & intra breve ſpatium in caſtellum cadit, non tantum reſpondere modulo ſuo, ſed etiam excipere. Quoties vero ex humiliore, id eſt, ex minore preſſura longius ducatur, ſegnitia ductus modum quoque deperdere.* Hinc autem ut ex rivo, ſive ex *caſtello* aqua ducebatur, huic vel illi calix æneus indebatur. V. illum ſupr. in *Calix*. Huic adplicabatur fiſtula, quæ aquam deducebat in fundum, vel in domum ejus, qui eam beneficio Principis impetrarat. Calix ille moduli, qui conceſſus fuerat, ſignabatur a procuratore Cæſaris, cujus etiam partes erant videndi, ne fiſtula ſubjiceretur calici majoris luminis, id eſt, capacitatis, quam modulus foret calicis, qui erat conceſſus. Ad lineam illi calices collocabantur ordine, ita ſcilicet, ut alter altero ſuperior, vel inferior non poneretur, quia æqualiter omnibus, qui ex communi *caſtello* ducebant, aqua dividi debebat. Inæqualiter autem diſtribueretur ab inferius, & ſuperius ordinatis calicibus. Nam inferior calix plus trahit aquæ, ſuperior minus. Aliquando ſine calice fiſtulæ ipſæ rivo, vel *caſtello* indebantur, quæ fiſtulæ dicebantur ſolutæ. Frontin. 11. *In quorundam fiſtulis ne calices quidem poſitæ fuerunt: hæ fiſtulæ ſolutæ vocantur, &, ut aquario libuit, laxantur, vel coartantur.* Præter illos duos modos principales aquæ ducendæ ex rivo, vel ex *caſtello*, alii etiam duo ſunt, unus aquæ caducæ, alter per puncta. Aqua caduca dicebatur duobus modis, aut quæ ex *caſtellis* fluebat, aut ex manationibus fiſtularum. Effluebat ex *caſtellis*, quæ abundabat ſupra labra conceptaculi. Antiquitus, ut ſuperius docui, Romæ nulla alia aqua in privatos uſus convertebatur, niſi quæ ex lacu humum accidiſſet, hoc eſt, quæ ex lacu, cum abundaſſet, ſupra ripam lacus exiſſet. Nam & abundare fluvii dicebantur, qui ſupra ripas ſurgentes vicinos agros inundabant. Virg. Georg. I. 115.

Incertis ſi menſibus amnis abundans
Exit.

Eo tempore, cum ex ſolis lacubus abundantibus petebatur

tur aqua, nulla erant *castella*. Postea cum *castella* in Urbe facerent, ex illis soli lacus, & salientes publici ducebantur, nulli puncto inde aqua erogabatur, nisi si quo ex lacu abundanti effluxisset, & in humum cecidisset, id est, caduca facta esset. Caduca erat quoque, quæ effluebat ex manationibus fistularum. Ita *manare sudoribus* dicuntur aquæ apud ICtum l. 1. ff. de aqua quotid. quæ sic in aliquem lotum effluunt. Per fistulas sic sæpe manabant sudore, aut ex male compaginatis. Utriusque modi aquæ caducæ beneficia interdum princeps punctis tribuebat. Alius modus per puncta. V. illum infr. in *Puncta*. Ipsa autem *castella*, de quibus egimus, quæ olim dividicula vocabantur, ita cœperunt appellari, postquam ad ornatum Urbis majorem inædificata sunt in modum *castellorum*. Nam cultum in horum ædificatione affectarunt. Plin. XXXVI. 15. *Agrippa in ædilitate sua advecta Virgine aqua ceteris corrivatis atque emendatis lacus septingentos fecit, præterea salientes centum quinque, castella centum triginta, complura etiam cultu magnifica: operibus iis signa trecenta ærea, aut marmorea imposuit, columnas ex marmore quadringentas, eaque omnia annuo spatio.* Frontinus in totum Romæ intra Urbem ad aquas omnes publicas, quæ in Urbem producebantur, dividendas *castella* ducenta quadraginta septem numerat. In hæc *castella* dividebantur aquæ publicæ intra Urbem distribuendæ per fistulas. Hesychius vocem *castellum*, quæ Romana vox est, ita explicat: Κάςελλον ὄνομα τόπȣ ἄνω φέροντ☉, καὶ κάτω φέροντ☉, καὶ μερίζοντ☉ ὕδωρ. Locum esse dicit, qua aqua sursum mittitur, & deorsum, ac dividitur. Mallem tamen legere ἀναφέροντ☉ καὶ καταφέροντ☉. Nam Græcis ἀναφέρειν ὕδωρ est aquam in altitudinem extollere, καταφέρειν vero est deorsum immittere aquam. Quod utrumque præstabant *castella* per fistulas plumbeas appositas. Unde vides quam vere conveniat *castellis* priscum nomen dividiculi, quo olim appellabantur, antequam ornabantur, quia non solum aquam dividebant privatis, & publicis usibus, sed etiam ipsa aqua per canales, & rivos deducta in plura *castella* divideretur. Unus enim aquæ ductus, verbi gratia, Virginis, aut Anienis in plura *castella* dividebatur, & ex *castellis* ipsis in plures salientes spargebatur, & in plures lacus, & in plures domos, tam publicas, quam privatas distribuebatur. Exempli gratia, aqua Virgo Romæ intra Urbem in *castella* viginti sex dividebatur, auctore Frontino, ex quibus *castellis* quinariæ fistulæ nomine Cæsaris DXCIX. dividebantur privatis, CCCXXXVIII. publicis usibus. SCtum vetus apud Frontinum: *Aqua. dividatur. in. castella. in. lacum. immittatur.* Hinc *castella* dividicula, & lacus immissaria dicta sunt. In alio cavetur, ne punctis liceat aquam nisi ex *castello* ducere, ne aut rivi, aut fistulæ publicæ frequenter lacerarentur: *Ne. cui. privato. aquam. ducere. ex. rivis. publicis. liceat. utique. omnes. ii. quibus. aquæ. ducendæ. jus. esset. datum. ex. castellis. ducerent.* Arcadius & Honorius Imperatores item longo post tempore statuebant his verbis: *Quicunque ex aquæ ductu magis, quam ex castellis aquæ usum putaverit derivandum, etiam id, quod prius jure beneficii fuerat consecutus, amittat.* Extra Urbem vero e rivo publico duci licuit, quia *castella* ibi nulla fiebant, intra Urbem ex solis *castellis*. Hinc ICtus ex utroque permissum fuisse dicit ex edicto prætoris aquam *ducere vel e castello, vel ex rivo, vel ex quo alio loco publico.* l. 1. ff. de aqua quotid. §. 41. E rivo extra Urbem, e *castellis* intra Urbem. Sed in eo, quod modo laudavimus, SCto mentio fit *castellorum* tam extra quam intra Urbem faciendorum: *Animadverterentque. curatores. aquarum. quibus. locis. intra. extraque. Urbem. apte. castella. privati. facere. possent. ex. quibus. aquam. ducere. possent. ex. quibus. aquam. ducerent. quam. ex. communi. castello. concepissent.* Q. Ælio Tuberone, & P. Fabio Maximo SCtum hoc factum dicitur. Postea, ut videtur, hoc mutatum fuit. Vitruvius, ut supra notavi, *castellum* extra Urbem unum tantum faciendum esse ad caput aquæ præcipit, si fistula plumbea ducatur aqua. Rationem ibi addidimus. In aliis aquæ ductibus *castellum* tantum recipi vult, ubi aqua fuerit perducta ad mœnia. Cum autem ICtus *castellum* interpretatur receptaculum, quod aquam publicam suscipit, idem noster Vitruvius receptacula aquæ diversa facit ab ipso *castello*. Ecce enim *castellum* unum effici præcipit, ubi aqua venerit ad mœnia, id est, intra Urbem perducta fuerit. Hinc *castello* conjunctum ad recipiendam aquam triplex immissarium esse vult. Et hæc ipsa immissaria receptacula aquæ vocat. Sic enim ait. *Collocentur in castello tres fistulæ æqualiter divisæ intra receptacula conjuncta, uti cum abundaverit ab extremis, in medium receptaculum redundet.* Ubi legendum: *in tria receptacula conjuncta.* Tres fistulæ æqualiter divisæ in tria receptacula, seu immissaria dividebant aquam, quæ conjuncta erant *castello*. Ea ubi per tres fistulas æquabiliter ex *castello* divisam receperant aquam, ab extremis duobus in medium, ubi abundaverat, redundabat. In medio illo receptaculo, sive immissario fistulæ erant positæ ad omnes lacus, & salientes publicos. Ex altero immissario, seu receptaculo aqua distribuebatur in balneas publicas, quæ vectigal quotannis populo præstarent; ex tertio immissario in domos punctis aquam distribui præcipit, ita tamen ne desit in publico. Hoc recte, & quo declaratur, minimum unum *castellum* efficiendum esse, cum in Urbem aqua fuerit perducta cum tribus immissariis, sive receptaculis conjunctis *castello*, ut ex medio receptaculo in lacus, & salientes publicos aqua per fistulas dividatur, ex altero in balneas, ex tertio in domos privatas. Frontinus cum *castella* publica privataque nominat, ex quibus aqua erogabatur per puncta, ea sola intelligit, ex quibus aqua in privatas domos, & hortos distribuebatur, ut contra publica dicebatur, quæ publico tantum usui serviebat. Nam communia sunt *castella*, ex quibus plures privati in commune ducerent aquam. SCtum vetus: *Quibus. locis. intra. extraque. Urbem. apte. castella. privati. facere. possent. ex. quibus. aquam. ducerent. quam. ex. castello. communi. accepissent.* Hæc sunt *castella* privata. Alia fuerunt publica, quæ tantum in usus publicos aquam erogabant per fistulas appositas, quæ & ipsæ publicæ fistulæ appellatæ sunt, ut contra privatæ dictæ, quæ ex privatis *castellis* aquam in privatorum domos ducebant. Ad neutrum genus referenda videntur esse ista *castella* plumbea, de quibus habetur l. 17. ff. de action. empti, quæ ICtus censet ædium esse his verbis. *Castella plumbea putealia, id est, opercula puteorum, epitonia fistulis adplumbata, aut quæ terra continentur, quamvis non sint adfixa, ædium esse constat.* Quæ ædium sunt, non possunt videri publica, & quæ una cum ædium venditione comprehendi debent. At *castella*, de quibus diximus, publica fuere ædificia, ut ex Plin. l. l. constat, & quidem cultu magnifica. Illa etiam privata, id est, quæ privatim aquam dividebant, & multorum communia fuerunt, in publico erant posita, nec ædium cujusquam propria. Quænam igitur, quæ ICtus ædium esse censet? Ex communi *castello* privati plures aquam ducebant, quæ per fistulas plumbeas in singulorum domos derivabantur. Ubi intra cujusque venerat, excipiebatur ibi *castello* aliquo exiguo plumbeo, id est, receptaculo ex plumbo facto, ex quo per fistulas alias privatas in varios domus usus distribuebatur, ut ad hortos irrigandos illius, cui aquæ ducendæ jus datum fuerat, aut ad lacum aliquem efficiendum, aut ad salientem. Hæ sunt fistulæ, quæ cum *castello* ipso ædium esse censentur, quasque emptori accessuras dicit ICtus l. 78. ff. de contrah. empt. ut & ipsum *castellum*. Hæ sunt fistulæ, quas cum *castellis* conjunxit l. 41. ff. de leg. *Sed si cancelli sint, vel vela, legari poterunt, non tamen fistulæ, vel castella.* Nam, ut dixi, privati, quibus jus aquæ ducendæ concessum fuerat ex *castello* communi & publico, eam accipiebant per fistulas communi *castello* affixas, & aquam ad domum eorum perducentes, quæ ibi excipiebatur alio *castello*, ac per alias fistulas illi *castello* affixas ad varios usus ædium divisam erogabant. Hæc *castella* ex plumbo facta erant, non autem illa publica, quæ aquas per Urbem dividebant. Tale plumbeum *castellum* est, de quo in l. 38. ff. de action. empt. *Firmus a Proculo quæsivit, si de plumbeo castello fistulæ sub terram missæ aquam ducerent in alienum lateribus*

circumstructum an hæ ædium essent. Ex quibus liquet *castellum* istud plumbeum fuisse conceptaculum aquæ privatæ intra ædes conclusum, ex quo per fistulas ad diversas ædium partes aqua deferebatur. Ideo plumbeum vocatur ad differentiam *castellorum* publicorum, quæ non erant ex plumbo. Falluntur juris interpretes hujus ætatis, qui hæc *castella* non discreverunt a publicis, & omnia ex plumbo fuisse harum legum auctoritate probant. At cum *castellum* sine adjectione dicitur, de publico, & communi, ex quo plures aquam accipiunt, intelligendum: ut apud Ulpian. l. 2. ff. communia prædiorum; *De aqua per rotam tollenda ex flumine, vel haurienda, vel, si quis castello servitutem imposuerit, quidam dubitaverunt, ne hæ servitutes non essent.* Quam male interpretatur Cujacius. I. Quod de flumine privato loqui Ulpianum putat, non de publico, in quo fallitur. II. Quod *castellum* accipit, quo aquæ non perennis, sed temporariæ haustus datur. *Ipso*, inquit Observ. III. 18. *jure non ceditur ex castello aquæ haustus, quia perpetuam causam non habet. Castellaria autem aqua, quæ causa servitutis est, cum manu, & organis, non naturaliter in castellum influat, perpetua, perennis, viva non est.* Ex quibus patet, eum ignorasse quid esset *castellum.* De haustu aquæ per *castellum* quæ dicit, nulla nituntur auctoritate. Nec locus Vitruvii, quem laudat, hoc docet. Tympanis, vel rotis aqua ex fluviis publicis hauriebatur, quæ inde in *castellum* influebat conjunctum, & ad hoc factum, id est, conceptaculum ad aquam, quæ cadebat ex rotis, excipiendam. Hinc deinde *castello* fistulæ, vel canales appositi eam deducebant in fundos privatorum ad irrigationem agrorum. Hujusmodi intellexit Vitruv. x. 9. de organorum ad aquam hauriendam generibus: *Ita cum rota a calcantibus versabatur, modioli pleni ad summum elati rursus ad imum revertentes infundent in castellum ipsi per se, quod extulerunt.* Nec verum est, quod vult, *castella* tantum servire aquæ temporariæ hauriendæ. Quæ probari non posse satis constat ex iis, quæ de *castellorum* usu disputavimus. *Castella* æque usum habent in aquis, quæ ex flumine publice hauriuntur, ad eam per fistulas, aut canales ad quælibet loca deducendam, ac in perennibus, quæ ex rivo, vel aquæ ductu publico veniunt. In lege autem modo laudata *castellum* de quolibet publicæ aquæ conceptaculo, & dividiculo debet accipi, cui servitus imponi non potest, ut nec flumini publico ad aquam inde rota hauriendam. De flumine publico constat ex l. 3. ff. de servitut. præd. Ergo & *castellum* in hac lege de publico intelligendum est. Nec necesse est de eo intelligi, in quod cadit aqua ex flumine per rotam hausta, sed de eo potius capiendum est, ex quo plures privati aquam ducunt, quod commune dicitur in veteri SCto. *Castella* autem plumbea privatorum sunt propria, ex quibus aquam sibi commissam, & ad ædes suas perductam ad varios in domo usus per fistulas distribuunt. De his existimo accipienda esse verba veteris SCti: quod superius monuimus Q. Ælio Tuberone & Q. Fabio Maximo factum esse. In illo vides, cum privati plures ex *castello* communi aquam accepissent, ea deducitur in privata *castella*, quæ cujusque propria sunt. Sic tria genera sunt *castellorum*: publica, quæ ad publicos usus aquam dividunt: privata, quæ in privatorum domos eam distribuunt: & alia privata, quasi domestica, cuique privato propria. *Græv. Thesaur. Antiquit. Roman. Tom.* IV. *Præfat.* * * 4.

CASTELLARIUS erat *castelli* aquarum custos. Epitaphium vetus Romæ legitur:

D. M.
CLEMENTI CÆSAR
UM N. SERVO CASTEL
LARIO AQUÆ CL
AUDIÆ FECIT CLAU
DIA SABBATHIS ET SI
BI ET SUIS.

Marlian. Topogr. Urb. Rom. IV. 10. *Baccius de Therm. Vet.* c. 4. *Chiflet. Aqu. Virg. Thes. Antiq. Roman. Græv. Tom.* IV. *p.* 1786. *E. Reines. Inscript. Class.* IX. *n.* 55. & 84. *Pignor. de Serv. p.* 65. *Spon. Misc. Erud. Antiq. Sect.* VI. *p.* 233. *Fabric. Descr. Urb. Rom. c.* 17. *Lips. in Tacit. Annal.* XV. *n.* 81.

CASTERIA est pertica quædam in navi, quam hortator remigum tenet, quam si incusserit, remiges non desinunt: si deposuerit, quiescunt a labore. Stat. Theb. VI. 797.

Et signo de puppe dato posuere parumper
Brachia.

Lactantius in Statium. Est error manifestarius Exegetæ. Est enim locus reponendis remis, & instrumento cætero nautico. Nonius II. 128. *Casteria, locus, ubi cum navigatio conquiescit, remi & gubernacula conquiescunt.* Plaut. Asin. III. 1. 16.

Quin pol si reposivi remum, sola ego in casteria
Ubi quiesco, omnis familiæ causa consistit tibi.

Barth. in Statium. Voss. Lex. Etymol. Scheffer. de Milit. Nav. II. 5. Blond. Triumph. Rom. VI. p. 144. F.

CASTIGATIO militum fiebat verberibus. Polybio quoque tacta est, cum scripsit tribunum jus habuisse verberandi. Ipse μαςιγῶν dixit VI. 35. quod etiam flagellare reddas: sed cave nunc feceris, nec servilia flagella admoveris ad corpus ingenuum, & militare. Fuerunt in hac re fustes, aut virgæ: illi honestiores, istæ acerbiores. Sed fustes iterum duplices, e vite, aut alia materia. E vite civibus reservati. V. infr. in *Vitis.* De communibus fustibus Isidor. v. 27. *Fustes, quibus juvenes pro criminibus feriuntur.* Lamprid. in Alexand. c. 51. *Si quis militum de via in alicujus possessionem deflexisset, pro qualitate loci, aut fustibus subjiciebatur, aut virgis, aut condemnationi.* Lips. de Milit. Roman. v. 18. Thys. Rom. Illustr. v. p. 152. De Lampridii loco differentem videsis *Salmasium.*

CASTOR & *Pollux* fratres finguntur Jovis in cygnum transformati ex Leda Tyndari Laconiæ Regis filia. Hygin. Fab. 77. *Jupiter Ledam Thestii filiam, in cygnum conversus, ad flumen Eurotam compressit, & ex eo peperit Pollucem & Helenam, ex Tyndareo autem Castorem & Clytemnestram.* La Chausse de æn. ant. luc. tab. 15. Gyrald. Synt. Deor. v. p. 184. Ortel. Capit. deor. II. 35. Vel ex ovo. Tertull. de Spect. c. 8. *Ova honori Castoris & Pollucis adscribunt, qui illos ovo editos credendo de cygno Jove non erubescunt.* Auson. Epigram. LV. 1.

Istos tergemino nasci quos cernis ab ovo.

Panvin. de Lud. Circ. I. 14. & ad illum Argolus. Soliti pingi cum pileis, quia Lacones fuerant, quibus pileatis pugnare mos fuit, ut Festus scribit. Itaque *pileatos fratres* vocat Catull. XXXVII. 2.

A pileatis nona fratribus pila.

Raynaud. de Pil. & cæt. cap. tegm. Sect. 8. Pier. Hierogl. XL. 2. Meurs. Misc. Lacon. I. 17. Lycoph. p. 226. Braun. de Vest. Sac. Hebr. II. 4. §. 19. Jun. de Pict. III. 8. Panciroll. Descr. Urb. Rom. Thes. Antiq. Roman. Græv. Tom. III. p. 355. E. Stuck. Ant. Conviv. II. 28. Tutelaria Romanorum numina fuerunt crediti. Quali de causa V. infr. in *Templum Castoris.* Votum faciebant parentes tanquam Diis magnis liberis sanitati restitutis. Hoc indicat saxum:

CASTORI. ET. POLLUCI. DIIS. MAGNIS
SULPITIA. Q. SULPITII. F. VOTUM
OB. FILIUM. SALUTI. RESTITUTUM.

Tomas. de Donar. Vet. c. 10. Et nautæ adversa tempestate jactati. Cicer. de Invent. II. Illorum simulacra in Samothracia ante portum sita fuerunt, ut iis naufragio liberati vota solverent, ut annotat Servius. In hanc rem Romæ legitur:

CASTORI. ET. POLLUCI. SACRUM
OB. FELICEM. IN. PATRIAM
REDITUM. TOT. SUPERATIS
NAUFRAGII. PERICULIS
. . . . . . EX. VOTO. CUM
SOCIIS
L. M. P
C. VALERIUS. C. F. AGELLUS

Erant enim a veteribus forsitan ob discrimen vitæ Dii magni vocati, ut docet Inscriptio supra allata. Illorum meminit Sen. N. Q. I. I. *In magna tempestate apparent quasi stellæ velo insidentes: adjuvari se tunc periclitantes existimant Pollucis & Castoris numine.* Catull. LXVIII. 63.

Ac velut in nigro jactatis turbine nautis
Lenius adspirans aura secunda venit,
Jam prece Pollucis, jam Castoris implorata.

Tomas. ibid. c. 25. Ferret. Mus. Lapid. I. Memor. 16. IV. Memor. 22. Gyrald. ibid. p. 187. Kipping. Antiq. Roman. I. 3. §. 3.

CASTRA ad Pyrrhi tempora refert, & ab ejus exemplo instituta asserit Frontin. IV. I. 15. *Pyrrhus Epirotarum Rex primus totum exercitum sub eodem vallo continere instituit. Romani deinde, victo eo in campis Arusinis, castris ejus potiti, & ordinatione notata, paullatim ad hanc usque metationem, quæ nunc est, pervenerunt.* Miror hoc Frontinum scribere. Hoc enim ne apud Græcos quidem verum, & in Homero ipsa exempla sunt quæ refellunt. Romani nullam noctem sine *castris* egerunt, & semper ligneis terreisque istis mœnibus, ut in urbe, cincti. Sub Regibus, & statim post eos *castra* posuerunt, vallo & fossa cinxerunt. Pluries meminerunt Livius & Dionysius. Pyrrhus fortasse primus curiosius meliusque illa digessit, ad illud fortasse instar Romani. *Castrorum* Romanorum facies ipsi Pyrrho pulcra & admirabilis est visa. Plutarch. Pyrrh. p. 392. F. *Ut intellexit in propinquo Romanos esse, & ultra Sirin amnem castra ponere, excurrit speculandi causa ad amnem. Ubi ordinem, stationem, digestionem eorum & figuram contemplatus est, obstupuit: appellansque unum ex amicis, qui proxime astabat: ordo hic, inquit, Megace, barbarorum non est barbarus.* Græci illa pro locis & temporibus mutabant, Romanis quadrata fuere, portæ & sectiones eædem, tabernacula ducum & militum eodem situ. *Lips. de Milit. Rom.* V. *Dial.* I. *Schel. in Hygin. Thes. Antiq. Roman. Græv. Tom.* X. *p.* 1087. *C. Ram. de Milit. Cæsar. Thes. Ant. Roman. Grev. ibid. p.* 1556. *C. Thes. Rom. Illustr.* V. *p.* 105. *Patric. Rei Rom. Part.* XIV. *Sect.* 5. & 6. Spartiani disciplinæ militaris inter Græcos facile principes locorum naturæ multum dabant; ea non interpellante, rotunda *castra* cæteris præferebant, eamque formam, quæ suapte natura omnium perfectissima habetur, in *castrorum* quoque compositione amplectebantur. Coxæ enim & anguli, quos efficiunt formæ quadratæ, infirmant opus, & hostibus quam militi oportunius faciunt. Orbis quoque non ad impugnandos impetendosque alios, sed ad resistendum rebus extremis una ex bonis aciei formis existimabatur, quod neque usquam tergum latusque apertum præberet hosti, & ab omni parte una fronte defenderetur. At Romani veteres quadrata tantum & quadra oblonga probaverunt: illa cum duabus, hæc cum quatuor legionibus res gererentur. Neque ab hac ratione defecerunt posteriores, quamvis varium admodum acciperent numerum legionum. Causa, quod nulla expeditiora & faciliora; nulla ad interiorem metationem aptiora. Nam angulos *castrorum* turribus & propugnaculis facile tutabantur; neque ab illo vitio munitionis unquam summa res in periculo fuisse legitur. Africanus *castra* rotunda ideo postponit quadratis, quod illa corona circumdata ab omni parte, velut una acie pariter oppugnari queant: hæc nonnisi diductis & distractis in quatuor partes copiis, quo vis oppugnationis infringitur. Probat & hanc formam Leo Imperator Constit. IX. ut bene ordinatam & necessariam. Bene ordinatam, quia hac ratione *castra* commode dividuntur in longum in tres partes, tanquam in tres acies considentes: in latum in duas, in dextrum & sinistrum cornu: præterea strigarum & viarum directiones, cæteraque pulcro & apto ordine disponuntur. Ut necessaria videtur hæc *castra* commendare, quod necessario in his copiæ quadratas pedaturas accipiant, nisi multum soli perire velis, unde exit tota *castrorum* forma quadrata, vel quadra oblonga. *Lips. ibid. Dial.* 5. Duo *castrorum* erant genera, æstiva & hiberna. Sed hæc veteres illi & prisci Romani diu ignoraverunt, continentia quidem cum accolis bella, sed tamen ita gerere consueti, ut hyeme quasi a rerum natura, & tempore anni induciis factis dimitterent semper militem, in domosque & tecta sua reducerent. Obsidione Vejorum anno ab U. C. circiter 348. instituta primum hiberna: & quia res nova militi, eoque gravis, *stipendiis*, ut ait Flor. I. 12. 8. *taxata.* Servabatur tamen diu post illa tempora, quoties licebat, mos antiquus, & hibernacula adeo in promiscuo usu non erant, ut etiam pro pœna irrogarentur. Bello Punico II. militum qui ex Cannensi prælio fugerant, ignominiæ inter cætera adjectum: *Ne in oppidis hibernarent, neve hiberna propius ullam urbem decem millibus passuum ædificarent.* Equidem mali moris solutæque disciplinæ semper habitum, equitem, non tantum peditem, per oppida, vicos, aut villas sparsum sub tectis, & in umbra æstiva agere. Ostendit hoc P. Scipio Africanus, cui cum relatum esset, bene magnum Carthaginensium equitatum sub tectis contineri: *Sint*, inquit, *vel plures, dum talem habeant ducem.* Postquam longinqua & gravia bella procul a domo traxere, militem militiamque perennem fecere, nullo præstituto militandi tempore, nisi quis legitimorum stipendiorum esset, aut bello confecto domum reduceretur: non raro disciplinæ interfuit, ut tam hyeme, quam æstate in *castris* continerentur, quo semper velut in procinctu adversus hostem stantes, neque insidiis locum præberent, neque hosti laxamenti aliquid darent ad respirandum, viresque recolligendas: simul ut inter externos & sæpe pessimos mores remoti ab oppidorum, vitiorumque contactu sanctius & incorruptius agerent. Illa non tantum exterius adversus omnes conatus hostiles magno opere emuniebantur; sed & interius laxius disponebantur multo paratu, multaque cura. Sæpe lapide vel saxo contra inclementiam & injurias aeris ædificabantur, præsertim quæ in finibus imperii, aut ferocibus, & nondum satis pacatis nationibus, sed belli aut servitutis pluriumque annorum hiberna, rationem quidem & ordinem *castrorum*, cæterum omnia in modum municipii habebant. Ideoque & tractu temporis magis magisque adaucta, quædam eorum claris aliquot oppidis originem dederunt. Ut vero ignis alimentum in *castris* fugerent, tam hiberna, quam æstiva sub pellibus vulgo agebant. De primis ad Vejos hibernis Flor. I. 12. 8. *Tunc primum sub pellibus hyematum.* Liv. V. 2. *Militem Romanum in opere ac labore nivibus pruinisque obrutum sub pellibus durare.* Æstiva vel in unius noctis transitum ponebantur, quæ absque alia adjectione *castra* dicuntur, & inde *castra* pro uno die, aut unius diei itinere: ut primis, secundis, tertiis *castris* ad aliquem locum pervenire: vel in plures dies, aut aliquod tempus. Stativa Latini, χρόνιον ἄπληκτον vocant sequioris ævi Græci: in plures, inquam, dies: nam & hæc stativa dicuntur, non tantum quæ in longum tempus ponebantur. Liv. XXXVII. 33. *Ibi paucos dies stativa habuit;* XXIII. *Ibi quia otiosa stativa erant, crebro decurrere militem cogebat.* Hoc tantum intererat, quod, quæ in diuturnam mansionem instituebantur, & magnitudine operum, & laxitate totorum *castrorum* hibernaculis propria: ordo & ratio eadem erat. Sed ne in illis quidem munitionem intermittebant, nullamque noctem sine muro considebant. *Schel. ibid.* 1109. *F. . . . Bergier. de viis Milit.* III. *Sect.* 37. §. 8. *Laz. Comm. Reip. Rom.* IV. 4. & 5. *Lips. & Thes. l. l.* Horum custodiam, frontem, portas, vallum, præfectum, metatores V. suis locis.

Castra equitum singulorum II. Victor. *Alæ Singularium* meminit Tacit. Hist. IV. 70. 3. *Accessit ala Singularium excita olim a Vitellio.* Hi forte *Singulares* sunt dicti, quia inter eos nullus gradus præterquam eorum præfecti reperie-

reperiebatur, & erant ſinguli: vel quod eſſent ſingulares & optimi. Hi in Urbis præſidio fuiſſe videntur. *Panciroll. Deſcr. Urb. Rom. Theſ. Antiq. Roman. Græv. Tom.* III. *p.* 392. *B.*

Caſtra Gentiana & Gypſiana Rufus geminat, Victor pro iiſdem ponit in regione ſeptima, ſive Lata via. Sunt autem *caſtra*, in quibus Lollianus Gentianus conſularis, id eſt, exercitibus præfectus milites continebat. Aſiam proprætor rexit, deinde ſub Pertinace conſularis leg. 2. §. 1. de iis qui not. infam. id eſt, univerſo exercitui præfuit, ut Capitol. Pertin. c. 7. *Panciroll. Deſcr. Urb. Rom. Theſ. Antiq. Roman. Græv. Tom.* III. *p.* 348. *C.*

Caſtra lunata a figura ſitus & caſtrametationis nominata ſunt. Hirt. de Bell. Afric. c. 80. *Ipſe cum reliquis copiis lunatis caſtris Thapſum operibus circummunivit.* Huc alludit Ammian. XXV. 1. *Lunari acie, ſumptiſque lateribus occurſuros hoſtibus manipulos inſtruebat.* Laz. Comm. Reip. Rom. IV. 5. Ram. de Milit. Jul. Cæſ. Theſ. Antiq. Roman. Græv. Tom. X. p. 1556. E.

Caſtra Miſenatium porticui Liviæ in regione tertia, quæ Iſis & Serapis, ſubſcribit Victor. Hi claſſiarii erant, interdum ad Urbem venientes. Auguſtus referente Suet. c. 49. n. 2. *claſſem Miſeni, & alteram Ravennæ ad tutelam ſuperi & inferi maris collocavit.* His claſſis militibus, ſeu vocatis, ſeu alia de cauſa venientibus ad Urbem attributa hoſpitia. *Donat. de Urb. Rom.* III. 6. *Panciroll. Deſcr. Urb. Rom. Theſ. Antiq. Roman. Græv. Tom.* III. *p.* 335. *B.*

Caſtra nautica vocabantur ad differentiam aliorum, quorum in militia terreſtri uſus. Nep. XXIII. 11. 6. *Puppes averterunt, ſeſeque ad ſua caſtra nautica retulerunt. Navalia caſtra* dixit Liv. XXX. 9. *Navalia caſtra relicta cum levi præſidio oppreſſurus.* Differebant ab aliis partim in eo, quod ſemper fierent in littore, partim ideo, quia diverſa ratione muniebantur. Muniendi ratio erat duplex, vel a terra, vel a mari. A terra ducebatur foſſa cum vallo, ab una parte maris in alteram forma, ut videtur, ſemicirculari. Polyb. I. 29. *Romani claſſe oram Africæ tamdiu legunt, donec Clupeam perveniunt. Ibi exſcenſione facta naves foſſa valloque muniunt.* A mari, ſive potius in ipſo mari ſtatuebantur ligna præacuta & valida, veluti in portu, & ante ipſa onerariæ, quarum præſidio & *caſtra* ipſa tuta eſſet, & naves ſecure egredi ac redire poſſent. Thucyd. de Nicia: *Onerarias naves collocat ante vallum, quod in vicem portus concluſi defixum erat in mari, reliquas onerarias binum jugerum intervallo diſponit, ſi quæ navis ab hoſte ſuperaretur, hic receptus eſſet, tutoque rurſum poſſet egredi.* Scheffer. de Milit. Nav. III. 4.

Caſtra peregrina erant in Cœlio monte, ſive regione ſecunda, prope ædiculam S. Mariæ in Dominica: ut liquet ex Inſcriptionibus, quæ in ejus area aliquot annis ante inventæ ſunt.

FELICITER. VICE. PRINCIPIS. PERE-
GRINORUM. TEMPLUM. JOVIS. RE-
DUCIS. C. P. O. FELICITER. CUL-
TU. DE. SUO. EXORNAVIT.

Item:

COCCEJUS
PATRUINUS
PRINC
PEREGRI
NORUM

Panvin. Deſcr. Urb. Rom. Theſ. Antiq. Roman. Græv. Tom. III. *p.* 286. *C.* Primi tamen auctores hæc *caſtra* ponunt in montis crepidine, ubi ædes Sanctorum quatuor coronatorum: quæ ſedes quidem aptior videtur ac tutior. De illis Ammian. XVI. 12. *Miſſus exinde Romam* Chnodomarius, *in caſtris peregrinis, quæ in monte ſunt Cœlio, morbo veterni conſumptus eſt.* Donat. de Urb. Rom. III. 12. Marlian. Topogr. Urb. Rom. IV. 9. Boiſſard. Topogr. Urb. Rom. Tom. I. p. 35. Vignol. Inſcript. Select. p. 184. Hæc peregrinorum militum *caſtra* ab Auguſto in illo monte ſunt inſtituta. *Blond. Inſtaur. Rom.* II. §. 88. *Laz. Comm. Reip. Rom.* IV. 5. *Vignol. l. l.* Hi nullo nituntur auctore. Imo Suet. Aug. c. 49. n. 4. contrarium affirmat his verbis: *Neque unquam plures quam tres cohortes in Urbe eſſe paſſus eſt: eaſque ſine caſtris.* Dion vero LV. p. 565. A ſcribit Auguſtum equites peregrinos, nominatim Batavos in Urbe ſtatuiſſe, ex Batavia inſula Rheni contractos, quos forte *caſtris* munivit peregrinis vocatis. *Panciroll. Deſcr. Urb. Rom. Theſ. ibid. p.* 339. *C.* Imo militum Germanorum, qui ordinarii corporis Imperatoris fuerint cuſtodes, meminerunt Suet. Cal. c. 58. n. 9. & Joſeph. Ant. Jud. XIX. 1. Ut nihil de militibus Illyricis dicam, vel Germanis, qui cum Galba interimeretur, caſu tunc Romæ erant. Tacit. Hiſt. I. 31. 7. Quid? nonne circa ultima imperii tempora, cum Conſtantinus milites prætorianos abrogaſſet, imperiale palatium ab ſeptem Armenorum ſcholis cuſtoditum fuit. *Nardin. Rom. Vet.* III. 7. Vel multis in Urbem confluentibus peregrinis, quia non omnes a cauponis recipi poterant, locus, ubi hoſpitarentur, aſſignatus erat, qui *caſtra peregrinorum* appellabatur. *Panciroll. ibid. p.* 392. *C.*

Caſtra Prætoria Ælii Sojani, cohortibus Prætoriis præfecti, monitu & ambitu exſtruxit Tiberius. Tacit. Ann. IV. 2. 1. *Vim præfecturæ modicam antea intendit, diſperſas per Urbem cohortes una in caſtra conducendo; ut ſimul imperia acciperent, numeroque & robore, & viſu inter ſe fiducia ipſis, in cæteros metus crederetur. Prætendebat laſcivire militem diductum, ſi quid ſubitum ingruat, majore auxilio pariter ſubvenire, & ſeverius acturos, ſi vallum ſtatuatur procul Urbis illecebris.* Donat. de Urb. Rom. I. 15. Erant viæ proxima, qua Nero ſub vitæ exitum iturus in ſuburbanum, ſeu Nomentanæ, ſeu Salariæ. Suet. Ner. c. 48. n. 1. *Offerente Phaonte ſuburbanum ſuum inter Salariam & Nomentanam circa quartum milliarium. . . . equum conſcendit quatuor ſolis comitantibus, ſtatimque audiit ex proximis caſtris clamorem militum, & ſibi adverſa, & Galbæ proſpera ominantium.* Schol. Juven. Sat. X. *Juxta aggerem primus caſtra poſuit Sejanus, id eſt, ſuper Diocletianas, quæ dicta ſunt Caſtra Prætoria.* Tum & excurſus muri quadratus eo loco veſtigium eorum nobis exhibet certiſſimum; n. a porta Viminali, nunc Pia, ad portam Eſquilinam, nunc S. Laurentii. *Donat. l. l. Nardin. Rom. Vet.* IV. 4. *Borrich. Ant. Urb. Fac. c.* 1. §. 5. *c.* 7. §. 6. *Lipſ. Tacit. Annal.* IV. *n.* 9. A muris Servii Tullii disjuncta fuerunt, & aliquantulum remota, ut ex aggeris liquet ſitu. *Nardin. & Donat. l. l.* Fuerunt quadrata more veteri: muris, propugnaculis, turribuſque munita, inſtructa templo, armamentario, balneis & fontibus. Formam indicant mœnia. Turrium meminit Herodian. II. 5. 15. *Cuſtodias pro turribus conſtituentes.* Mœnium & turrium Tacit. Hiſt. III. 84. 4. *Multi ſemianimes ſuper turres & propugnacula mœnium exſpiravere.* Templi, in quo ſigna ac ſimulacra exercitus adorabantur, Herodian. IV. 4. 12. *Templum, in quo ſigna & imagines exercitus adorantur.* Suggeſtus, e quo Imperator verba faciebat ad milites, & ſacramentum ab illis accipiebat, Tacit. Hiſt. I. 36. 1. *In ſuggeſtu, in quo paullo ante aurea Galbæ ſtatua fuerat, medium inter ſigna Othonem vexillis circumdarent.* Armamentarii caſtrenſis Tacit. Hiſt. I. 38. 5. *Aperire armamentarium juſſit, rapta ſtatim arma ſine more & ordine militiæ.* Balnearum ad uſum militum Herodian. IV. 4. 13. *Quorum alii in balneis lavabant; alii quieſcebant.* Donat. l. l. Ab Aureliano, cum mœnia proferret, iis fuerunt annexa, & conjuncta. *Nardin. l. l.* V. etiam infr. in *Circus Antonini Caracallæ.*

Caſtra Ravennatium ab Auguſto inſtituta fuerunt ſub ipſo Janiculo, militum qui claſſem Ravennæ collocatam tuebantur ad defenſionem ſuperi maris. Sueton. ſupr. in *Caſtra Miſenatium.* Hi claſſiarii venientes ad Urbem ibi ſtativa habebant. Quoniam vero principatu Cæſarum rariſſimæ expeditiones maritimæ, Ravennates claſſiarii frequentes erant in Urbe, ludiſque vela ducebant in theatro. Lamprid. Comm. c. 15. *Irriſum ſe credens* Commodus *populum Romanum a militibus claſſiariis, qui vela ducebant, in amphitheatro interimi præceperat.* Donat. de Urb. Rom. III. 21.

Caſtra Salgamariorum appellabatur locus, qui pro *caſtris* ſalga-

ſalgamariis, id eſt illis, qui *ſalgama* condiebant & vendebant. *Panciroll. Deſcr. Urb. Rom. Theſ. Ant. Roman. Græv. Tom.* III. *p.* 392. *B. Rhodig. Ant. Lect.* XXX. 10.

Caſtra ſcelerata dixerunt, in quibus Claudii pater Druſus gravi morbò afflictus, & triſti fato ſublatus fuit, quia intempeſta morte præventus, acerbo funere deceſſit, quanta eum caritate milites proſecuti fuerint, turpi convicio, & infando nomine ſignificantes. Suet. Claud. c. 1. n. 5. *Supremum diem morbo obiit, in æſtivis caſtris, quæ ex eo ſcelerata ſunt appellata.* Alex. Gen. Dier. II. 6. Pitiſc. in Suetonium.

Caſtra tertiata erant tertia parte longiora quam latiora. Hyginus: *Caſtra in quantum fieri potuerit, tertiata eſſe debebant.* Quod vocabulum, quia hoc ſenſu novum, opinor, repetit mox, & exemplo explanat: *dixi tertiata, ut puto in longum duo millia quadringenti, in latum mille ſexcenti pedes.* Schel. in Hyginum Theſ. Antiq. Roman. Græv. Tom. X. p. 1087. F.

Caſtra urbana appellantur ab Ulpian. l. ſi maritus §. 1. ad leg. Jul. de adult. *Si quis*, inquit ille, *præſens ſit, vice tamen abſentis habeatur, ut puta, qui in vigilibus, vel urbanis caſtris militat, dicendum eſt deferri hunc poſſe.* Auguſtus ſex millia militum conſtituerat, eoſque in quatuor cohortes diviſerat, ſingulas 1500. milites continentes, ut memorat Dio LV. Hi in Urbe *caſtra* habebant. Ipſi milites Urbaniciani ſunt vocati. Paull. l. qui mittuntur §. 1. ex quib. cauſ. major. *In Urbanicianis militibus idem D. Pius conſtituit, ut Reipublicæ cauſa abeſſe videantur.* Panciroll. Deſcr. Urb. Rom. Theſ. Antiq. Roman. Græv. Tom. III. p. 390. E. Briſſon. de Adulter. §. 7.

CASTRENSIANI, ſive *Caſtrenſes miniſtri* dicebantur, vel quod in *caſtris* degere plurimum cum Principe ſolebant, vel quod exemplo *Caſtrenſium*, quemadmodum illi in *caſtris* Principi miniſtrabant leg. contra C. de re milit. ita hi in palatio ipſi inſerviebant. Habent enim aulici militiæ imaginem. Tertull. de Coron. mil. c. 12. *Eſt & alia militia familiarum regiarum, nam & caſtrenſes appellantur.* Dicuntur *Caſtrenſiani & Miniſteriani* Cod. Caſtrenſ. & Miniſter. Illorum nomen imperante Alexandro in uſu fuit. Lamprid. c. 41. ita aulica miniſteria appellat, & quinam proprie dicerentur, nominat. *Aulicum miniſterium in id contraxit, ut eſſent tot homines in ſingulis officiis, quot neceſſitas poſtularet: ita ut annonas, non dignitatem, acciperent fullones & veſtitores, & pictores*, melius piſtores, *& pincernæ, omnes caſtrenſes miniſtri. Caſtrenſes miniſtros* deſcribit & enumerat Corippus in laudem Juſtin. min. III.

Adſunt obſequio caſtrorum turba virorum.
Illis ſumma fides, & plena licentia ſacris
Deſervire locis, atque aurea fulcra parare,
Regales menſas epulis onerare ſuperbis,
Conſervare domum, ſanctumque intrare cubile,
Internas munire fores, veſteſque parare.

Panciroll. Notit. Dign. Imp. Orient. c. 92. Salmaſ. in Lampridium. Guther. de Offic. Dom. Aug. III. 30. Schel. in Hygin. Theſ. Antiq. Roman. Græv. Tom. X. p. 1060. C. Buleng. de Imper. Roman. II. 36. Idem ſunt ac Cæſariani. *Caſaub. in Lampridium. Buleng. l. l.* Cæſariani a *Caſtrenſibus* omnino differunt. Etenim Cæſariani ſunt Officiales Procuratoris Cæſaris, qui & Catholiciani dicuntur, quique bona caduca auctoritate Principis occupabant, ipſique fraudibus infames. At *Caſtrenſiani* honoratiores fuere. *Guther. l. l.*

CASTRUM cuſtodiæ dicebatur locus extra Querquetulanam portam quadratus, parietibus ſeptus: ubi fuerant olim in ſtatione milites prætoriani Diocletiani, ut quidam teſtantur. Procopius ſcribit, e regione vivarii extra muros, veteres alterum brevem murum modico intervallo adjeciſſe, non ad tutelam, ſed ad delicias, ut leones & alias feras ibi ſervarent: quem locum olim Vivarium, nunc vero, qui ibi prædia habent, vivariolum vocant. *Marlian. Topogr. Urb. Rom.* V. 25. *Caſtrum* prætorium, non cuſtodiæ vocabatur. id quod nuper in lucem venit ex tabulis inibi effoſſis in vinea Clavariorum, quorum inſcriptionem ego & Pyrrhus Ligorius diligentiſſime exſcripſimus. Ex quibus diverſum eſſe, quod vulgo vivariolum vocant, & prætorium *caſtrum*, clariſſime demonſtratur. *Urſinus ad Marlianum.*

Caſtrum Novum fuit oppidum in agro Picentium. Ad oſtium Batini, ſive, ut nunc vocatur, Turdini amnis dextra ripa viſuntur hodie antiquæ urbis magna veſtigia, cum egregio Chriſtiani operis templo: cui loco vulgare nunc nomen Flaviano. Hic *Caſtrum* illud Novum fuiſſe apparet ex intervallo auctoribus & Itinerariis notato. *Cluver. Ital. Ant.* II. 11. 20. Huc a Romanis colonia eſt deducta initio belli Punici 1. quod geſtum eſt Appio Claudio, M. Fulvio Conſulibus anno ab U. C. 489. Paterc. 1. 14. 8. *At initio primi belli Punici Firmum & Caſtrum colonis occupata. Caſtri* memoria exſtat etiam in Epitoma Liv. XI. Quocirca *Caſtrum* inter colonos maritimos numerat Liv. XXXVI. 3. *Sigon. de Ant. Jur. Ital.* II. 5. *Cluver. l. l.*

CASTULA *eſt palliolum præcinctui, quo nudæ infra papillas præcinguntur mulieres, quo nunc eo magis utuntur, poſtquam ſubuculis deſierunt.* Varr. de vit. pop. Rom. 1. *Ferrar. de Re Veſt.* 1. 3. 19. *Voſſ. Lex. Etymol.*

CASULA fuit pænula. *Baron. ad annum Dom.* 58. Hoc ego fateri non poſſum. Fuit enim vel toga, vel togæ ſimillima, ea nempe forma, qua olim in uſu erat; nam ætate noſtra non parum immutata eſt. Iſid. XIX. 24. *Caſula eſt veſtis cucullata a caſa, quod hominem totum tegat, quaſi minor caſa.* Gemma animæ c. 207. *Caſulam* ſcribit *omnibus aliis veſtibus circumjici, quæ planeta dicatur, quod errabundus limbus ejus utrimque in brachia ſublevetur. Hæc in pectore, & inter humeros duplicatur, in utroque brachio triplicatur.* Ex his apparet *caſulam*, quæ olim in uſu, fuiſſe veſtem laxam, rotundam, circumcluſam, quæ totum corpus involvebat, & utrimque a lateribus in ſcapulas rejiciebatur. Quæ omnia oſtendunt togam fuiſſe, non pænulam. Nam pænula aperta fuit, & fibula, vel in humeris, vel in cervice nectebatur. *Caſula* tota clauſa, ut toga. *Ferrar. de Re Veſt.* 1. 1. 36. Sacrorum fuit propria, & tamen in promiſcuo fuit uſu. Joh. Diacon. in vit. Gregor. *Patris ejus indumentum fuit Planeta caſtanei coloris, & ſub Planeta Dalmatica.* Bonifac. Epiſt. 3. *Parva munuſcula tranſmitto vobis, id eſt, caſulam non holoſericam, ſed caprina lanugine miſtam, & villoſam ad tergendos pedes dilectionis veſtræ.* Quam non modo promiſcuus, ſed vilis *caſulæ* uſus? hanc tamen a ſacrificali diſtinctam fuiſſe apparet. Ivo Carnot. de reb. Eccleſ. *His omnibus indumentis ſuperponitur caſula, quæ alio nomine Planeta vocatur, quæ quia communis eſt veſtis, charitatem ſignificat.* Ferrar. ibid. c. 38. Quanquam ex eo, quod totum hominem involvat, licet aperta, etiam improprie *caſula* pænula poſſit dici. *Ferrar. ibid. c.* 39. Sacerdotum *caſulæ* uno clavo lato ſunt diſtinctæ: & poſterior quidem pars clavi multis in locis in crucis figuram formatur. Tertull. de Coron. Milit. c. 13. *Tui ordinis, & tui magiſtratus, & ipſum curiæ nomen Eccleſia eſt Chriſti illius. Et conſcriptus in libris vitæ: illic purpuræ tuæ ſanguis Domini, & clavus latus in cruce ipſius.* Ruben. de Re Veſt. 1. 18. Nulla mihi adhuc viſa *caſula* laticlavia. Crucis quidem figura paſſim *caſulæ* additur. Nemo tamen eam clavum appellaverit, & quomodo poſterior pars clavi in crucis figuram formetur, qualiſque ſit illa pars poſterior clavi, ſatis intellexerit. Ex Tertulliano clavus latus in *caſula* Sacerdotum non recte adſtruitur. Locus hic ſic eſt interpungendus: *Chriſti. Illius es, conſcriptus in libris vitæ.* Sententia eſt. Eccleſiam Dei eſſe Senatum, ſive Curiam: & patres conſcriptos, ſive Senatores eſſe Chriſtianos in libris vitæ, & non in Senatu conſcriptos: pro purpura, id eſt, prætexta magiſtratuum, eſſe ſanguinem Domini, clavum autem latum in cruce, ad crucis clavos alludens: non quod Sacerdotes, aut Presbyteri in colobio latum clavum in modum crucis geſtarent. Imo hæc clare arguunt, non aliud fuiſſe inſigne magiſtratus & Senatoris Chriſtiani, quam ſanguinem Domini & clavum crucis. *Ferrar. Anal. de Re Veſt. c.* 25. V. & infr. in *Planeta.*

CASUS Flaminis Dialis sunt regulæ, juxta quas debet vivere. Gell. x. 13. *Ceremoniæ Flamini Diali multæ impositæ, item casus multiplices.* Verum hoc ex veteri Glossario: in quo *casibus*, θέμασιν, κανόσιν, unde apud nos κανόνες & jus canonicum. Quo sensu Tullius Tyroni scripsit Fam. xvi. 17. *Sed heus tu, qui κάνων esse meorum scriptorum soles.* Ejus *casus* ex Fabii Pictoris libro a Gell. l. l. recensentur: quibus nonnulla addi possent ex jure Pontificio, ab antiquis auctoribus repetita. *Guther. de vet. jur. Pontif.* I. 32.

Casus & Fortuna ritu ipso funeris a Pontificibus separantur. Diversa esse docet Philosophus Physic. II. 6. *Differunt ergo Fortuna & Casus; quod casus latius patet, & quod a fortuna est, casu est: quod vero a casu, non omne a fortuna.* Itaque sic differt fortuna a *casu*, ut fortuna ad eos referatur, qui deliberant, & ex animi judicio agunt: *casus* vero ea complectitur, quæ temere & nullo hominis delectu accidunt. Quare quæ præter naturam fiunt, fortuna suo quodam sibi jure vindicat: quæ præter fatum, *casibus* imputantur. Sic Didonis mors non a *casu*, sed a fortuna, & meditato consilio, ut eorum omnium, qui violentas manus, vel metu, vel impatientia doloris. At *casu* mors Priami, ut eorum, qui perierunt ruina, naufragio, vel alia vi, continetur. Ad *casum* ergo ictos fulmine, necatos in bello, peregre mortuos, in navi mortuos, in mare projectos rejicimus: ut ad fortunam βιαιοθανάτους, de quibus singulis Pontifices diversa jura sanxerunt. *Guther. de jur. Man.* I. 2.

CAT.

CATABULENSES dicebantur Romanis, qui stationibus cursus publici deputati erant, ut comitarentur Imperatoris Agentes in rebus: uti cursores in postis Gallicanis nostris, quos postillons vocamus; comites solent ante eos, qui cursu publico utuntur, equitare, flagrum ipsi in manu habentes. De his Cassiodor. Var. III. 10. *Magnitudini tuæ præsenti admonitione declaramus, ut marmora, quæ de domo Pinciana constat esse deposita, ad Ravennatem urbem per catabulenses vestra ordinatione dirigantur.* IV. 47. *Quinquaginta solidorum multam, jam non veredarius, sed catabulensis incurrat.* Bergier. de viis milit. IV. Sect. XIII. §. 7. Cerd. Adv. Sacr. 10. §. 3. Buleng. de Imp. Rom. VI. 40.

CATABULUM erat locus, in quo feræ erudiebantur, sive ad mansuetudinem, sive etiam ad crudelitatem, quam in bestiarios exercerent. Papias: *Catabulum est clausura animalium, ubi desuper aliquid jacitur.* Voss. Lex. Etymol. Stabulum erat animalium, non sylvestrium; sed jumentorum, quæ publicæ utilitati ad vehenda onera deservirent. *Cerd. Adv. Sacr. c.* 10. §. 3. *Du Fresne Glossario.* Ad transferendas vestes militares, pecunias fiscales, species largitionales, *Catabulenses* enim exonerabant vehicula ad suam stationem advenientia, & vicissim sua vehicula eodem illo onere rursus onusta provehebant, mulabus aliisque animalibus ad cursum vehicularem destinatis, ad vicinam & propinquam stationem, ubi stationum præpositis advecta sua onera reddebant. *Bergier. de viis milit.* IV. *Sect.* XIII. §. 7. Nocentes aliqui ad hanc servitutis speciem subinde condemnabantur: imo Imperatores pagani per modum supplicii Christianos ad hoc servile opus quandoque damnabant. Damasus in vit. Marcelli Papæ. *Damnatus est in catabulum; cumque multis annis serviret in catabulo, jussit Maxentius planctus extrahi, ut ibidem animalia catabuli congregata starent, & ipsis beatus Marcellus deserviret.* Bergier. & Du Fresne l. l. Cujac. Observ. XVI. 5.

CATACLISTON, Græci κατάκλειστον vocarunt quicquid ita pretiosum est, ut servari diligentius, & clausum teneri mereatur. Puellas virgines, quas *nigerrimis diligentius asservandas uvis*, dicit Catull. c. 17. n. 16. κατακλείστους vocat Callim. Fragm. 16. 1. Hinc & κατάκλειστοι meretrices dictæ, quæ carius se venditarent, nec omnibus paterent. *Devium scortum* Horat. Od. II. 11. 21. quod scilicet non omnibus obvium est. Κατάκλειστα εἶχον τὰ βιβλία apud Strab. XIII. p. 419. de Apellicontis hæredibus, qui libros Aristotelis sub clave habebant. Latini hanc vocem usu suam fecerunt. Unde *vestis catacliста*. Apul. Met. XI. p. 370. *Ibat amœnus lectissima juventutis, veste nivea & catacliста prænitens, sequebatur chorus.* Tertull. de Pall. c. 3. *Unquam ... pulchra vestis & de cataclistis.* Non ab ullo colore illam dixit Apulejus, utpote quæ nivea esset; sed in arca condi servarique solitam, festivis tantum diebus & sollennitatibus inde promendam ac siemendam. Hujusmodi enim meliores vestes non quotidie habebantur, sed in arcis servabantur. Senec. de Tranq. c. 1. *Non ex arcula prolata vestis, non ponderibus aut tormentis cogentibus pressa.* Mart. II. 64. 4.

Et micat innumeris arcula synthesibus.

Salmas. in Tertullianum, Vopisc. Bonos. c. 15. Cerd. Adv. Sacr. c. 166. §. 19. Buleng. de Conviv. I. 31. Ego malim vestes appellari eas, quibus lapilli ac uniones intexi solent, qui quodammodo in opere includuntur & κατακλείονται: quod faciunt phrygiones. Unde *cataclistæ vestes* eæ sunt, quæ opere Phrygio adornantur. Neque alia sunt θέριστρα κατάκλειστα apud Esaiam c. 3. n. 23. non quidem instrata lectorum accubitalium; sed palliola, & vela feminea: quæ notio est vocis θέριστρον. *Du Fresne Glossario.*

CATACLITA, κατάκλιτα, sunt accubita: tori nempe, quibus ad mensam accumbitur; nam κατακλίνεσθαι est ad mensam accumbere, & κατάκλισις, accubitio. Inde *cataclitum*, accubitum, vel stibadium. Sic ἀνάκλιτοι δίφροι, vel ἀνάκλιτα sunt sedes, vel cathedræ, quæ ἀνακλισμὸν habent. Hesychius: Θρόνος, ἀνάκλιτοι δίφροι. Ita *vestis de cataclitis* apud Tertullianum laudatum in *Catacliston*, apud quem etiam *de cataclitis* legitur, est *vestis catacliтorum*, quibus *catacliта* nimirum sternuntur, hoc est, accubita, vel tricliniares lecti. Non mediocriter errant, qui vestes accubitorias interpretantur. *Salmas. in Tertullianum.* Qui quod scribit, falsum esse LXX. Interpretum Græca lectione, & S. Basilii auctoritate constat. Apud Esajam laudatum in *Catacliston* κατάκλιτα adjective sumi necesse est, & sunt accubitoria. Ita Basilius exponit. *Cataclita vocat, quæ in accumbendo præ nimio luxu lectis insternuntur.* Petav. Append. adv. Salmas. c. 6.

CATADROMUS Latine decursorium ad verbum verti potest. Δρόμος enim cursum significat. Suet. Ner. c. 11. n. 5. *Eques Romanus elephanto supersedens per catadromum decucurrit.* id est, per stadium, in quo equites decurrere solebant imaginario prælio, ut fit sæpe in Gallia Principe spectante. Labeo Digest. XIX. 1. 54. *Puta eum fuisse servum, qui per catadromum descendere jussus esset.* Bud. in Pandect. p. 165. H. Panvin. de Lud. Circ. 1. 5. & ad illum Argolus. Alex. Gen. Dier. III. 14. Beroald. in Suetonium. Ego eo vocabulo funem intelligo, qui summo theatro alligatus, declivis ad imum theatri pertinebat solum, defigebaturque, per quem descendere maximi periculi & artis, atque adeo miraculi erat. Xiphil. LXI. p. 697. D. *Quo tempore elephas introductus in theatrum, in summum ejus fornicem conscendit, atque inde vehens hominem in fune descendit.* Vocabulum ipsum notionem descendentis & decurrentis præ se fert. Si hippodromus esset, nihil mirum fuisset, hominem elephanto insidentem per eum decurrere. Elephantos funambulos adfert quoque Suet. Galb. c. 6. n. 1. *Turneb. Adv.* XXVII. 18. *Brod. Misc.* III. 7. *Coler. in Alexandrum.*

CATAMPO *genus est lusus.* Festus. Nihil præterea apud quenquam hac de re cernere potuimus, neque nunc in mentem venit. *Turneb. Adv.* XXVII. 33. Græcum scilicet, κατ' ἄμφω. Videntur verbi duorum, qui eum ludum exercebant. Dictum κατ' ἄμφω, ut καθ' ἕν. Sed puto potius scribendum *catambo* per *b*. Καταμβῶ dictum ut ὀπισαμβῶ. Est autem ὀπισαμβῶ ἡ εἰς τὸ πίσω ἀναχώρησις, *itio retrograda.* Καταμβῶ ἡ εἰς τὸ κάτω καὶ τὸ πρηνὲς, *itio in caput.* *Catambo* igitur, quod hodie pueri faciunt, cum capite ambulant, gradiuntur. *Scalig. & Dacer in Festum.*

CATA-

CATAPHRACTÆ appellantur naves; quæ in prœliis navalibus obteguntur obarmanturque, ne ab hostibus facile lædi queant. Has Latini *tectas* vocant. Cæs. Bell. Civ. I. 56. *Massilienses usi sunt L. Domitii consilio, naves longas expediunt numero septemdecim: quarum erant undecim tectæ.* Et *constratas*. Hirt. de Bell. Alex. c. 11. *Magno impetu quatuor ad eam constratæ naves & complures apertæ contenderunt.* Gyrald. de Navig. c. 18. Tegebantur tabulis, super quibus defensores stabant, & sub quibus remiges sedebant, qui tabulis superne tecti ab hostibus nullo telo lædi poterant. *Meibom. de Fabr. Trirem. Thes. Antiq. Roman. Græv. Tom. XII. p. 663. E.* V. & infr. in *Naves constratæ.*

CATAPHRACTA, καταφράκτη, erat lorica, sive thorax militaris, squamis ferreis consertus. Veget. I. 20. *Ab Urbe condita usque ad tempus D. Gratiani & cataphractis & galeis muniebatur pedestris exercitus.* Tacit. Hist. I. 79. 5. *Cataphracta Principibus ac nobilissimo cuique tegmen, ferreis laminis aut prædura corio consertum.* Ita *triumphalis cataphracta*, magni nempe Alexandri, legitur apud Tertull. de Pall. c. 4. *Triumphalem cataphractam amolitus.* Spanhem. Observ. ad Juliani Imperat. Orat. I. p. 243. b. Voss. Lex. Etymol. Lips. Milit. Rom. III. 6. Salmas. in Tertull. de Pall. p. 320. A manuum carpis ad cubitum, ac inde ad humeros erat compacta. Julian. Orat. I. p. 37. D. *Ab ipsis manuum carpis ad cubitos, inde ad humeros usque compacta: tum & segmentis, & squamis coagmentatus thorax pectori applicatus & tergo.* Ita apud Suidam in voce θώραξ dicitur, quod pars ejus anterior pectus, femora, & summas manus, posterior tergum, & cervicem tegeret. Unde χειριδωτὸς, seu manicula vocatur ab Heliodor. IX. p. 433. *a collo ad genu demissa.* Quum alioquin vulgares Græcorum, vel Romanorum loricæ nudum ferme utrumque brachium relinquerent. *Spanhem. ibid. p. 248. b.* Crura, femora, & summos pedes tegebat. V. infr. in *Ocrea.*

CATAPHRACTUS, κατάφρακτος, undique armis munitus, κατασεφραγμένος ὅπλοις, ut loquitur Plutarchus in Alexandro. Prop. III. 10. 12.

Ferreus aurato nec cataphractus equo.

Ubi Passeratius & Dousa F. *ærato* legunt. Equitum *cataphractorum* meminit Liv. XXXV. 48. *Equitum innumerabilem vim trajici Hellesponto in Europam: partim loricatos, quos cataphractos vocant.* XXXVII. 40. *Hic tria millia equitum loricatorum, cataphractos ipsi appellant, adjunxit.* Non equites solum, sed equi etiam lorica induebantur. Serv. Æneid. XI. 771. *Cataphractum eum fuisse significat. Cataphracti autem equites dicuntur, qui & ipsi ferro muniti sunt, & equos similiter munitos habent: de quibus Sallustius: Equis paria operimenta erant, quæ linteo ferreis laminis in modum plumæ adnexuerant. Sane sciendum est, quod ipsos equites cataphractos dicimus. Sallustius: Et sequebantur equites cataphracti.* Ammian. XVI. 10. *Sparsi cataphracti equites, quos clibanarios vocant Persæ, thoracum muniti tegminibus, & limbis ferreis cincti, ut Praxitelis manu polita crederes simulacra, non viros: quos laminarum circuli tenues, apti corporis flexibus, ambiebant per omnia membra deducti, ut quocunque artus necessitas commovisset, vestitus congrueret, junctura cohærentes apta.* De illorum munere in exercitu Nazar. Paneg. Constant. *Cataphractos equites, in quibus steterat maximum pugnæ robur; his disciplina pugnandi est, cum aciem arctaverint, fervent impressionis tenorem; & immunes vulnerum, quicquid oppositum est sine hæsitatione perrumpunt.* Vocabantur etiam *cataphractarii* & *clibanarii*. Lamprid. Alex. Sev. c. 56. *Centum & viginti millia equitum fudimus: cataphractarios, quos illi clibanarios vocant, decem millia in bello interemimus.* Voss. Lex. Etymol. Spanhem. Observ. ad Juliani Imperat. Orat. I. p. 283. b. Petav. ad eandem p. 71. Brisson. de regn. Pers. III. p. 305. Salmas. in Vopisc. Aurelian. c. 34. Treb. Poll. Claud. c. 16. Stewech. in Veget. III. 22. Hoc genus armorum a Constantio Imperatore excogitatum scribit Julianus Imperator Orat. I. p. 37. B. Edit. Lips. *Quem enim veterum Imperatorum referre potest quispiam, qui robur equitum, atque genus ejusmodi excogitarit unquam, aut expresserit imitando? quod tu primus omnium [illegible] excolens, cæteris exemplo tuo inexpugnabilem armorum usum docuisti.* Sed hoc mirum videri potest. Præterquam enim, quod vetus hæc Persarum, Parthorumque militia fuerit: ita etiam inde e bellis inter Romanos, Parthosque gestis, haud fuit ignota *cataphractorum* ratio. Quod liquet e Plutarch. in Crass. p. 558. D. ubi a Parthis illos in fronte Romanis oppositos, ac, ut in eos impressionem facerent, suos milites hortatum Crassi filium refert. Ita in Parthico M. Antonini bello visos ab eo, sed quasi is inde continuo in metum sit versus, *cataphractos*, licet mox iidem ab eo fuerint debellati, tradit Nazar. in Paneg. Constantin. c. 24. ac de decem *cataphractariorum*, seu quos clibanarios vocant, millibus ab Alexandro Severo interemptis, modo Lampridius. Imo inter Alpinas gentes, cum quibus Constantini parens formidandum *cataphractorum* equitum genus, & quos ipse prostraverit, exstitisse memorat Nazar. Paneg. c. 22. & 25. *Spanhem. ibid. pag. 246. b.*

CATAPIRATER, καταπειρητὴρ, vocatur plumbum illud, quo altitudo maris exploratur. Lucillius:

An catapirateris eodem deferet uncum
Plumbi pauxillum rauidus, linique metaxam.

Voss. Lex. Etymol. Salmas. Exercit. Plinian. p. 712. b. F. Scheffer. Milit. Nav. IV. 5. Turneb. Adv. XIII. 25. Vocatur etiam bolis. V. supr. in *Bolis.*

CATAPLUS, κατάπλους, dicebatur proprie, cum ex alto redibat navis, & in portum, unde exierat, remeabat. Ita καταπλεῖν apud Demosthen. contra Dionysodorum accipitur de nave regressa, unde egressa fuerat: Ἐφ ᾧ καταπλεῖν τὴν ναῦν εἰς τὸ ὑμέτερον ἐμπόριον. *Ea conditione, ut navis redeat in vestrum emporium.* Unde Latinis, & præcipue Poetis, de stolo, sive classe, quæ Alexandriam ibat, ac redibat Romam. Marcellus Empiricus.

Et quicquid confert medicis Lagæa cataplus.

Hic enim medicis species fere omnes, quæ medicinæ conferunt, afferebat. Mart. XII. 75. 1.

Cum tibi Niliacus portet crystalla cataplus.

Auson. de Urb. XII. 21.

Toto tibi navigat orbe κατάπλους.

Sidon. Epist. VI. 8. *Quoties catapli recentis nundinas adit.* Salmas. de Mod. usur. c. 9. Exercit. Plinian. p. 443. a. F. Cerd. Adv. Sacr. c. 173. §. 7. Turneb. Adv. XXX. 26. Barth. Adv. I. 6. Ruben. Elect. II. 13. Rader. in Martialem. Savaro & Sirmond. in Sidonium. Gyrald. de Navig. c. 18. Argol. in Panvin. de Lud. Circ. I. 18. Voss. Lex. Etymol. in Catasta. Vocabatur etiam *classis Alexandrina.* V. illam infr. in *Classis.*

CATAPULTA, καταπέλτης, machina fuit, sive duplex instrumentum priscis, quo in hostes emittebant & jaculabantur: altero, tela vel grandiores sagittas; altero, lapides & saxa. Id prius *catapultam* dixere, veteres quidem, & quibus cautus & electus sermo fuit. Nam alii postea confuderunt. Inventa hæc est machina a Syris. Plin. VII. 56. *Catapultam Syri invenerunt.* Cui facile assentior, certus pleraque artium orta ab oriente. Diodorus Siciliæ adscribit XIV. p. 419. *Catapultaria ars & machinatio reperta circa ea tempora Syracusis*, scilicet Dionysii senioris, cum is bellum in Carthaginenses pararet. Sed & Plutarch. Apophth. p. 219. A. refert: *Archidamum cum telum catapultarium vidisset, tunc primum e Sicilia allatum, dixisse: periit virtus. Inventum fuisse ipsius Dionysii dicit* Ælian. Var. Hist. VI. 12. Formabatur e ligno, ferro, nervis. Ammianus, cui ballista est *catapulta*, describit illam supr. in *Ballista.* Lips. Poliorc. III. 2. Turneb. XXIX. 18. Perizon. in Ælianum. Junius Archit. Mechan. Catal. p. 57. Voss. Lex. Etymol. Brod. Misc. III. 30. Bald. Lex. Vitruv. Laurent. de Rebusp. c. 7. Polym. IV. Synops. II. §. 9. Thys. de Oppugn. urb. III. p. 175. In Syria & Judæa ante Dionysios Siciliæ Tyran-

nos

nos tales machinæ fuerunt in uſu. Hinc Uzzias 2 Paralip. c. 26. n. 15. feciſſe dicitur *machinas, quas collocaverit in turribus, ut jacularetur ex eis ſagittas, & lapides magnos.* Vides hic *catapultas* & balliſtas: atque ita non temere earum inventionem primam Syris, vel Syro-Phœnicibus adſcribi. In Græciam ex Sicilia venere, & demum tempore Philippi. Plutarchus modo laudatus. *Perizon. l. l.*

Catapulta ſumitur etiam pro inſtrumento torquendi. Hinc Suidas ait: *Catapultam eſſe tormenti genus pedum, ut vincula manuum.* Plaut. Curc. v, 3. 12.

Te nervo torquebo, itidem ut catapultæ ſolent.

Laurent. de Rebuſp. c. 7.

CATASCOPIUM erat navis ſpeculatoria, ſive exploratoria. *Cataſcopus* dicitur Hirt. Bell. Afric. c. 26. *Literis per cataſcopum miſſis.* Iſidor. xix. 1. *Scapha, quæ κατάσκοπος, navigium, quod ſpeculatorium dicitur κατασκοπικὸν πλοῖον* Plutarch. in Catone. Conjicimus tale fuiſſe, quales naves ſunt quæ noſtra tempeſtate *brigantini* nominantur. *Gyrald. de Naviz. c.* 18. *Thyſ. in Gellium* x. 25. *Ciaccon. de Re Naut. c.* 12.

CATASTA erat compes ligneus. *Philand. ad Vitruv.* VIII. 4. *Junius Anim.* v. 14. *Laurent. de Rebuſp. c.* 7. Potius erat pegma ligneum, in quo venales collocabant, aut ad venditionem parabant. Schol. Perſ. Sat. v. 77. *Venales gladiatores in cataſta ponebantur, ut in eis poſſent omnia membra conſpici.* Vox Romana, ſed Græcæ, vel potius Siculæ originis, ut aliæ non paucæ, quæ ab iſtis ad Romanos corruptæ, & ſemibarbaræ tranſierunt, reliquis Græcis omnino incognitæ. A verbo *καθίστασθαι*, aut voce *κατάστασις* vox eſt facta. In *cataſta* mancipia fuiſſe vendi ſolita indicant Plin. xxxv. 18. *Talem in cataſta videre Chryſogonum Syllæ.* Suet. Gramm. c. 13. *Laberius Hiera ſuo hero emptus de cataſta.* Perſ. Sat. vi. 77.

Cappadocas rigida pingues placuiſſe cataſta.

Caſaub. ad Perſium. Voſſ. Lex. Etymol. Argol. ad Panvin. 1. 18. Tales etiam in ædibus, in quibus mangones collocabant eximiæ formæ pueros, quibus hedera non opus erat, & in publicum non producebantur; ſed domi apud mangones ipſos facile emptorem inveniebant, & ibi *cataſtam* conſcendebant, non in foro. Illas *arcanas* vocat Mart. ix. 59.

Inſpexit molles pueros, oculiſque comedit:
Non hos quos primæ proſtituere caſæ:
Sed quos arcanæ ſervant tabulata cataſtæ,
Et quos non populus, nec mea turba videt.

Q. Cicero *machinas* vocat, quia, ut modo Martialis, e tabulatis erant conſtructæ, de petit. conſ. c. 2. *Quo in magiſtratu amicam, quam palam domi haberet, de machinis emit.* Caſaub. ad Perſ. l. l. & Voſſ. Lexic. Etymol. Non video, ad quid *cataſtis* in domo opus fuerit. Verum tabulata, *arcanæ cataſtæ*, fuerunt in ipſa publica *cataſta*, vel ſub ipſa recondita ſepta, in quibus pueri venales pretioſiores ſervabantur, ne turbæ oculis proſtituerentur: ſublimis enim *cataſta* ſub ſe, vel in proximo, hujuſmodi tabulata recondita habebat, ut hodie etiam in officinis in receſſu pretioſæ merces ſervantur. *Amicam emere de machinis* apud Q. Ciceronem idem eſt ac de *cataſta*, non, quod cenſet Turneb. Adv. xxv. 4. in ergaſtulo, vel in piſtrino compeditam, vel in *cataſta* alligatam ad machinam: ſoluti enim venalitii in machina, ſive *cataſta* fuerunt, & *amica de machina* eſt venale mancipium de *cataſta.* Ferrar. Elect. 1. 6.

Cataſta erat etiam machina ad torquendum parata, quæ vulgo equuleus dicebatur. Ita legas in martyrologiis in *cataſtam* Martyres fuiſſe impoſitos. In geſtis S. Martyrum Mariani & Jacobi: *Illic erat cataſta non humili pulpito, nec uno tantum aſcenſus gradu; ſed multis ordinata gradibus, & longe ſublimis aſcenſus: & admovebantur confeſſorum ſingulæ claſſes, quas ille ad gladium jubebat duci. Tunc exauditur mihi vox clara, & immenſa, dicentis: Marianum applica. Et aſcendebam in illam cataſtam, & ex improviſo mihi ſedens ad dexteram ejus judicis Cyprianus apparuit, & porrexit manum, & me levavit in altiorem cataſtæ locum.* Super hujuſmodi *cataſtam* & ſuggeſtum elevabantur martyres cruciandi, quo illorum tormenta ab omnibus poſſent conſpici. Unde Prudent. Περὶ στεφ. x. 466.

Audite cuncti: clamo longe, prædico,
Emitto vocem de cataſta celſior.

Cerd. Adv. Sacr. c. 71. §. 11. Caſaub. & Voſſ. l. l. Sigon. de Judic. III. 17. Non tamen ſequitur, *equuleum* & *cataſtam* eandem rem fuiſſe, ſed quod equulei in *cataſta* conſtituebantur, quo conſpectiores pœnæ, & ſupplicia forent, & in *caſtata* martyres equuleo torquebantur, non quod equuleus *cataſta* eſſet. Prudentius quidem Periſteph. II. 397.

Poſtquam vapor diutinus
Decoxit exuſtum latus
Ultro e cataſta judicem
Compellat affatu brevi.

Sed intelligit cratem ferream, ſive quod crates ſuper *cataſtam* poſita erat, loco eminenti, & conſpicuo, laminis ferreis ſubjectis, ne tabulatum ureretur, ſive, quod ipſa crates *cataſtæ*, & pegmatis ſpeciem, altius evecta referret. Nam ibidem Periſteph. 1. 56. ut laudamus infr. in *Cataſta. Cataſtas igneas* poeta vocat crates, in quibus martyres torrebantur, quia *cataſtæ* impoſitæ, vel *cataſtæ* figuram referrent. *Ferrar. Elect.* 1. 6. *Gallon. de cruciat. martyr. c.* 3. *p.* 162.

Cataſta erat etiam pegma quodvis ligneum, cui imponi ſolebant qui variis ſuppliciis afficiebantur. Prudent. Περὶ στεφ. 1. 56.

Verberum poſt vim crepantum, poſt cataſtas igneas.

Caſaub. in Perſ. Sat. vi. 77.

CATASTROMATA quidam foros, quam ſane neſcio, eſſe opinati ſunt. Erant tabulæ, quibus conſternebatur navis ac contegebatur, ut in hoc veluti tecto ſtare propugnatores, & in hoſtem tela emittere poſſent. Naves, quæ *cataſtromata* habebant, vocabantur *conſtratæ, tectæ, κατάφρακτοι.* V. ſupr. in *Cataphractæ.* Gyrald. de Navig. c. 16. Scheffer. de Milit. Nav. II. 5. Rhodig. Ant. Lect. XXI. 31. Auctor Miſc. defenſ. pro Salmaſ. ad jus Attic. & Rom. p. 724. Illa invenerunt Thaſii. Plin. VII. 56. *Tectas longas invenerunt Thaſii: antea ex prora tantum & puppi pugnabatur.* Thucyd. 1. de temporibus Trojanis: *Non contectas naves habebant, ſed veteri, ac magis prædonum more conſtructas.* Ubi Scholiaſtes Latinitate donatus: *Naves non conſtratæ erant tabulis, ut in inferiore quidem parte arma habere, ipſi autem ſuperius agere poſſent; piraticæ enim naves non habent tabulas, ſed in carina piratæ ſedent, quo navigantes minus conſpiciantur, quocirca & ipſorum naves magis concavæ & altiores ſunt.* Recte λῃστικώτερον παρασκευασμένα dixit Thucydides. Neque enim prorſus nullas habuerunt tabulas, ſed in prora tantum & puppi, ſicut Plinius teſtabatur. Homer. Odyſ. M. 229.

— in tabulas navis aſcendit,
Quæ in prora ſunt.

Scholiaſtes ἴκρια τὰ καταστρώματα τῶν νεῶν interpretatur. *Scheffer. l. l. Meibom. de Fabr. Trirem. Theſ. Antiq. Roman. Græv. Tom.* XII. *p.* 722. *C.*

CATASTUS erat ſervus; dictus eſt a *cataſta*, id eſt, machina, in qua venales exponebantur. Illic quoniam erat magnus ſervorum ſtrepitus, ait Mart. ix. 29.

Heu quæ lingua ſilet, non illam mille cataſtæ
Vincebant.

De *cataſtis* ſervis Vitruv. VIII. 4. *Ideoque ſemper tranſmarinos cataſtos emere formoſos, & puellas maturas, eoſque conjungere.* Popm. de Serv. p. 175. Junius Anim. v. 14. Brod. Miſc. 1. 17. Argol. in Panvin. de Lud. Circ. 1. p. 18. Philander in Vitruvium.

CATEJA erat *genus Gallici teli, ex materia quam maxime lenta, quæ jactu quidem non longe propter gravitatem evolabat, ſed quo perveniebat, vi nimia perfringebat. Quod ſi ab artifice mitteretur rurſus ad eum redibat qui miſerat.* Hujus Virgilius meminit Æneid. VII. 741.

Teutonico ritu soliti torquere catejas.

Isidor. xviii. 7. Servius in Virgilium. *Lips. Poliorc.* iv. 4. *Salmas. Treb. Poll. Claud. c.* 14. *Voss. Lex. Etymol. Thys. de Oppugn. Urb.* iv. p. 186. *Kipping. Antiq. Roman.* iii. 2. §. 2. *Demster. Paral. ad Rosin. Antiq. Rom.* x. 10.

CATELLÆ, sive *catenulæ* inter dona & præmia militaria referuntur. Differunt a torquibus, quia ex annulis vel singulis, vel binis inter se cohærentibus figura, qua barbare numerum octonarium designamus, factæ erant: at vero in torquibus annuli omnes inter se cohærebant ex filo uno procedentes. Unde & torques rotundæ crassioresque instar funium, *catellæ* laxiores fuerunt. Quo factum est, ut torquibus postponerentur, & jungerentur fibulis, etsi fibularum usus fuerit in vestimentis, *catellarum* in ornando collo. Hesychius: ἀλύσιον, τὸ περὶ τὸ τράχηλον πλόκιον. *Scheffer. de Torquib. c.* 14. Liv. xxxix. 31. *Donati a Calpurnio equites phaleris. Quintius alter prætor suos equites catellis donavit.* Postponit *catellas* phaleris, & minoris habet: quia, quod ex narratione videas, minus laudabilis opera Quintianorum. *Lips. de Milit. Roman.* v. *dial.* 17.

CATENAS dextræ manui alligatas habebant captivi, quæ militum sinistras vinciebant. V. infr. in *Custodia.* more veteri Romanorum egregio & laudabili, si iniquam ob causam essent injectæ, non solvebant, sed frangebant, ut scilicet carceris dehonestamentum, & vinculorum infamia deleretur. Joseph. Bell. Jud. v. *Titus qui cum patre aderat, justum est inquit pater, una cum ferro probro Josephum solvi. Erit tanquam nec initio vinctus fuerit, si non dissolverimus, sed inciderimus catenas. Namque id agi solet in his, qui non recte fuerint vincti.* Hegesippus: *Illic etiam Josephus solvi præceptus vinculis jussu Imperatoris, addidit Titus, ut frangerentur potius quam solverentur catenæ. Quod si frangerentur, ita esset, quasi non fuisset ligatus. Placuit patri, secum deferri, jussit frangi catenas.* Durant. Var. ii. 13. *Catenas* etiam veteres pro dignitate & conditione personarum solebant injicere, vel ferreas, vel aureas, vel argenteas. Clem. Alexandr. Pædag. ii. 12. de mulieribus veram pulcritudinem, dum eam auro obumbrant, obscurantibus, & se innumerabilibus vinculis alligantibus: *Quemadmodum dicunt apud barbaros scelestos & maleficos homines auro vinciri. Captivos hos vinctosque hæ divites mihi videntur æmulari mulieres.* Dio xlix. p. 415. C. *Argenteis Artuasdem vinxit* Antonius, *quia nimirum turpe erat Regem ferreis in catenis haberi.* Vellej. ii. 82. 3: *Artuasdem catenis, sed ne quid honori deesset, aureis vinxit.* Durant. l. l. Demster. Paral. ad Ant. Rosini x. 20. Schegk. & Voss. in Vellejum. In memoriam laborum in *catenis* servitutis perpessorum Laribus post manumissionem servi dedicabant. Horat. Sat. i. 1. 65.

Multa Cicerrus ad hæc: donasset jamne catenam
Ex voto Laribus quærebat.

Cum enim homo quidam improbus multa in alium convitia jaciebat, ille ad hæc nihil respondebat, nisi quod eum rogaret an modo liber esset, & jugo laxatus herili. *Loon. de Manum. Serv.* iv. 3. §. 3. *Tomas. de Donar. c.* 38. Illis loco perticæ in metiendo utuntur Germani quandoque, quia in decimo, vel duodecimo quovis annulo majori refert decempedam. *Meyer. Arithm. Decimal. p.* 12. *Hennin. ad Bergier. de viis Milit.* iii. 10. §. 3. Illas ad captivos vinciendos Romani pedites secum ferebant. V. infr. in *Milites.* In mundo suo habebant mulieres. Nicostratus & Aristophanes comici eas inter muliebria locant ornamenta apud Clement. l. l. Sic apud Latinos *catena* æque pro re muliebri, atque pro vinculis, quibus compeditur reus, vel captivus, accipiuntur. Plin. xxxiii. 3. *Habeant feminæ, in armillis digitisque totis, collo, auribus, per has discurrant catenæ, circa latera & inserta margaritarum pondera e collo dominarum auro pendeant, ut in somno quoque unionum conscientia adsit.* Horat. Epist. i. 17. 55.

Nota refers meretricis acumina, sæpe catellam,
Sæpe periscelidem raptam sibi flentis.

Durant. l. l.

CATERVA est *densius agmen* Glossis MSS. Multis Græcis unam Latinam vocem interpretatur Philoxenus: Caterva, πολυπληθία, συνδρομὴ, ὅμιλος, πλῆθος, συστροφὴ, ἐπὶ ὄχλου, ἄθροισμα, σύλλεγμα. *Barth. in Stat. Theb.* ii. 577. Galli atque Celtiberi, pluresque *barbaricæ nationes, catervis utebantur in prælio, in quibus erant sena millia armatorum.* Veget. ii. 2. Alex. Gen. vi. 13. *Tiraquell. ad Alexandrum.*

CATERVARII gladiatores. V. illos infr. in *Gladiatores.*

CATHEDRA *vocatur ipse in anfractu ad consessum situs.* Tertull. de Spect. c. 3. scilicet in amphitheatris. Intelligitne anfractum in singulis gradibus? an potius superum locum, ubi clivi subselliorum desinunt, & murus incipit qui porticum facit, clivosque illos velut frangit? Nam plani aliquid spatii ibi fuisse videatur, unde *cathedris* positis spectarent. Posses Calpurnium ad hanc sententiam flectere vii. 26.

Venimus ad sedes, ubi pulla sordida veste
Inter femineas spectabat turba cathedras.

Nam feminæ & pullati nonnisi ex superiore loco spectabant ex Augusti decreto, quod memorat Suet. Aug. c. 44. n. 6. *Lips. de Amphith. c.* 13. *Thys. de Amphith. pag.* 204.

Cathedra dicebatur sella docentium in scholis. Ita de rhetoribus Juven. Sat. vii. 203.

Pœnituit multos vanæ, sterilisque cathedræ.

Sic apud Sidonium legitur Epist. vii. 9. *Literarum cathedras tenere.* Et iv. 5. *cathedrarios* appellat oratores vulgares, quemadmodum philosophos *cathedrarios* Senec. de Brev. vit. c. 10. Ἐπιδίφριοι vocantur Græcis. Cyrill. adv. Julian. vii. Subindicavit Æsculapius remedia opinor, sicut *medici cathedrarii,* ἐπιδίφριοι ἰατροί. Cresoll. Theat. Rhet. iii. 13. Lips. in Senecam. Savar. in Sidonium.

Cathedra in Ecclesia sedes est, quam antistites & sacerdotes occupant, honoris tesseram; & sacræ jurisdictionis symbolum. Est enim *cathedra,* καθέδρα, idem quod sedes, ἕδρα, vel sella, sed honestior ac dignior. Sedetque in ea nescio quid magis augustum, ac sanctum, quoties ad usus speciatim transfertur venerabilium virorum, quos regendis populorum animis in via suæ legis præficit Deus. Sidon. Epist. vii. 9. *Aut altarium, aut literarum cathedras tenuere.* ix. 16. *Tolosatum tenuit cathedram,* id est, rexit Ecclesiam. Ab hac *cathedra* Ecclesiæ, *Cathedrales,* & *Cathedrales* Episcopi. Quocirca initi Pontificatus diem *cathedræ* appellantes cum veneratione coluerunt, anniversarium recursum sollenniter celebrantes. *Natalis Cathedræ* dictus ille dies. Sic natalis Basilii, Chrysostomi. . . . apud Orientales. Nec minus in Occidente lucem eam cum gaudio, ac pietate revisunt, qua primum *cathedram* Romani culminis Petrus suscepit. De Petri Antiochena *cathedra* Augustin. Serm. ii. de ea: *Recte Ecclesiæ natalem sedis illius colunt, quam Apostolus pro Ecclesiarum salute suscepit.* Et mox: *Quod natalis ergo cathedræ hodie colitur, sacerdotale honoratur officium. Cathedra* Petri primum Romæ visa atque erecta a. d. xv. Kal. Februarii Claudio iii. & Vitellio Consulibus supputante Baronio ad annum Christi 45. Præcipua cum reverentia, cultuque servatur ad hunc diem in Vaticana Basilica. Lignea est; & admodum rudi opificio. *Chiment. de Honor. Bisell. c.* 19.

Cathedra erat etiam sella muliebris. Feminea inde dicta Mart. xii. 38.

Hunc, qui femineis noctesque diesque cathedris
Incedit tota notus in urbe nimis.

Phædr. iii. 9. 2.

His speculum in cathedra matris suppositum fuit.

Unde molles dicuntur, quia erat feminarum, quæ molles. Juven. Sat. vi. 91.

Cujus apud molles minima est jactura cathedras.

In illis feminæ per urbem ferebantur, & in theatro sedebant. *Gangr. ad Juvenalem. Chimentell. de Hon. Subsell. c.* 24. V. infr. in *Sella.*

CATHEDRALICII quibuſdam explicantur delicati & molles; qui rheda vehebantur, in *cathedra* ſedentes. Sed cum *cathedras femineas* legamus, verius eſt, ut a feminarum *cathedris* intelligamus effeminatos, & formoſulos, feminis ſimiles. De illis Mart. x. 13. 1.

Cum cathedralicios portet tibi rheda miniſtros.

Turneb. Adv. xxx. 30. Pignor. de Serv. p. 434. Rader. ad Martialem. Niſi malis, quoniam in *cathedra* ſedentes intra rhedam poſita vehebantur. Arrideret etiam exponere, quoniam aſſidui, atque officioſi circa mulierum *cathedras* præſto forent, neque ab earum *cathedra*, aut lectica recederent, quales vocamus *paggi di valigia*, qui ferme molli, ac delicato cultu. *Chimentel. de Hon. biſell. c.* 24.

CATHEDRARII erant ſervi, qui *cathedras* portabant. Sidon. Epiſt. I. 11. *Solus Curio meus in transfugarum perfidiam invectus, cum adveſperaſceret, per cathedrarios ſervos veſpillonibus tetriores domum raptus ac reportatus eſt.* Pignor. de Serv. p. 277. Savaro in Sidonium.

CATHEDRATICUM eſt genus annuæ penſionis, quod clerici ſuo Pontifici erogant intuitu *cathedræ*, alio nomine Synodaticum, aut quoties ſacri regiminis cauſa ab eodem Epiſcopo διοίκησις inviſitur. *Chiment. de Honor. Biſell. c.* 19. Etenim pro conſuetudine ab Epiſcopis conſecratis præſtabantur Patriarchis auri libræ viginti, vel ea tantum, quæ vult conſuetudo. Metropolitanus autem, qui a concilio, vel Patriarchis creatur, & omnes alii Epiſcopi, qui vel a Patriarchis, vel a Metropolitanis conſecrantur, ſiquidem non minus triginta auri libris habeat Eccleſia conſecrati, dabit pro *cathedratico* ſolidos centum. *Guther. de Offic. Dom. Aug.* II. 17.

CATHENOPLION erat genus rythmi, ad quem ſaltabant commoventes arma. Suidas. *Buleng. de Theatr.* I. 1.

CATHOLICUS eſt procurator & rationalis Cæſaris, qui provinciam obtinet, quique in partem adminiſtrationis provinciæ venit, & ἡγεμὼν, ut præſes dicitur. Non licebat *Catholico*, ſeu Procuratori Cæſaris novum vectigal conſtituere, vel vetus augere, ſine principali reſcripto. Βασιλικ. LVI. tit. 1. Ἄνευ βασιλικῆς κελεύσεως ὐκ ἔςι τῷ ἄρχοντι ἢ τῷ Καθολικῷ καινὸν τέλος, ἢ τὸ παλαιὸν αὐξῆσαι. Hinc *Catholiciani* dicuntur, qui ſunt in officio Procuratoris Cæſaris. *Guther. de Offic. Dom. Aug.* III. 18.

CATILINA Lucius Sergius ex gente Sergia fuit, Salluſtio & Aſconio auctoribus. Homo, ut Cicer. pro Cœl. c. 5. ſcribit, ex contrariis diverſiſque inter ſe pugnantibus naturæ ſtudiis cupiditatibuſque conflatus, in quo permulta maximarum, non expreſſa ſigna, ſed adumbrata virtutum erant, quæ multis maximiſque obſcurata & deformata vitiis eluceſcere nullo modo poterant. Ter Conſulatum petiit, bis repulſam tulit. Bis accuſatum Cicero in Piſonem oſtendit. Semel repetundarum a P. Clodio, cum Proprætor Africam provinciam ſuperbe, avare, crudeliter adminiſtraſſet, ſocios ſpoliaſſet & diripuiſſet, abſolutus eſt prævaricante Clodio. Iterum inter ſicarios a L. Lucullo, Cæſare Figulo Coſſ. quod Sulla dominante complures peremiſſet. Conſulatum ter petiit. I. Tullo, Lepido Coſſ. ratio tamen ejus habita non eſt, quod, cum repetundarum reus eſſet, intra legitimos dies profiteri nequiverit. II. Curione, Figulo Cæſare Coſſ. III. Cicerone, Antonio Coſſ. ac tum quoque Muræna & Silano Coſſ. deſignatis repulſam tulit. Conjuravit in Rempublicam cum Cn. Piſone primo, Tullo, Lepido Coſſ. Deinde Cicerone, Antonio Coſſ. quæ quidem conjuratio virtute & mirifica Ciceronis vigilantia oppreſſa & exſtincta eſt. Ipſe *Catilina* a M. Petrejo Antonii Coſ. legato in agro Piſtorienſi cum exercitu deletus eſt. *Auguſtin. & Strein. de Famil. Roman. in gente Sergia. Glandorp. Onom. Rom. p.* 790.

CATILLATIO *grave opprobrium hominibus generoſis objiciebatur, ſi qui provincias amicas populi Romani exſpoliaſſent.* Feſtus. Quod tanquam provincialium bona abliguriſſent. *Turneb. Adv.* xxx. 6. *Schott. Nod. Cic.* I. 3. *Voſſ. Lex. in Catinus.*

CATILLO, *quaſi ligurritor appellabatur lupus piſcis inter duos pontes captus, ſcilicet qui proxime ripas ſtercus ſectaretur.* Lucilius:

Hunc pontes Tiberinos duo inter captus catillo.

Proprie autem catillones dicebantur, qui ad pollucttum Herculis ultimi cum venirent, catillos ligurribant. Macrob. Sat. II. 12. *Buleng. de Conviv.* II. 5. & 25. *Turneb. Adv.* xxx. 6. *Voſſ. Lex. in Catinus.*

CATILLUS erat patina, in qua eſcæ apponebantur, atque etiam interdum opera dulciaria. Cato de Re Ruſt. c. 85. *Ita pone cum catillo.* Turneb. Adv. xxx. 6. Schott. Nod. Cic. I. 3.

CATILLUS eſt ſuperior pars molæ. Paull. de Inſtr. & Inſtrum. legat. leg. 18. *Eſt autem meta inferior pars molæ, catillus ſuperior.* Putat Scalig. in Manil. p. 214. Ictum ſcripſiſſe. *Eſt autem meta ſuperior pars molæ, catillus inferior.* Græci certe ſuperiorem molæ partem ὄνον vocant, inferiorem μύλον. Mœris Atticiſta: Μύλος ἡ τράπεζα τῦ μύλυ, ὄνος τὸ ἄνω μύλυ. *Catillus* igitur molæ, id eſt, πίναξ id fuerit, quod Græci τράπεζαν μύλυ appellant. *Salmaſ. Exercit. Plinian. p.* 464. *a. D.* 852. *a. A.*

CATINUS erat vas fictile. Juven. Sat. VI. 343.

Simpuvium ridere Numæ, nigrumque catinum.

Eo utebantur pauperiores. Horat. Sat. I. 3. 114.

——— inde domum me
Ad porri, & ciceris refero, laganique catinum.

In illo apponebantur piſces feralibus aliquot in antiquo marmore cœnis juxta illud Horat. Sat. II. 4. 77.

Anguſtoque vagos piſces urgere catino.

Ad pullos etiam, & alia obſonia *catino* utebantur. Horat. Sat. I. 3. 92.

Aut poſitum ante mea quia pullum in parte catini
Suſtulit eſuriens.

Urſin. Append. ad Ciaccon. de Tricl. p. 359. Baccius de vino & conv. IV. p. 154. Adhibebatur etiam ſacrificiis. Apul. Apol. p. 434. *Paupertas populo Romano imperium a primordio fundavit: proque eo in hodiernum Diis immortalibus ſympulo & catino fictili ſacrificat.* Suet. Galb. c. 18. n. 6. *Cumque exterritus luce prima ad expiandum ſomnium, præmiſſis qui rem divinam appararent, Tuſculum excucurriſſet, nihil invenit præter tepidam in ara favillam, atque nigrumque juxta ſenem, in catino vitreo thus tenentem.* Stuck. de Ant. Conviv. II. 37. Sacrif. p. 81. Erat etiam vas promendi frumenti, quod curculiones exeſſe inciperent. Varr. de Re Ruſt. I. 63. *Id enim cum promptum eſt, in ſole oportet aquæ catinos; quod eo conveniunt, ut ipſi ſe necent, curculiones.* Stuck. de Sacrif. p. 81.

CATIUS eſt cognomen a prænomine *Cato.* Sigon. de Nom. Rom. c. 4.

CATO Marcus Porcius princeps Porciæ gentis, qui *Priſcus* primo, deinde, quia multarum rerum uſum haberet, *Cato*, teſte Plutarcho appellatus eſt. quod cognomen poſteri retinuerunt. Idem quoque a cenſura ſevere adminiſtrata *Cenſorius* dictus eſt. Et in ſumma ſenectute, quia multa ejus in Senatu, multa in foro, vel proviſa prudenter, vel acta conſtanter, vel reſponſa acute ferebantur, *Sapientis* cognomen adeptus eſt. Cicer. Offic. III. 4. *Auguſtin. & Strein. de Famil. Roman. in gente Porcia. Sigon. de Nom. Roman. c.* 5. Plutarchus miratur in illo, quod jam ſenex poſt conſulatum & triumphum adeptum, nulla unquam veſte uſus ſit, quæ excederet pretium centum denariorum, queis ad quadrantem reſpondent Julii, quibus utuntur hodie paſſim in Italia: qui centum denarii nummo noſtrate viginti Francicis æſtimari poſſunt. Jam & in obſonium ipſe *Cato* in diem triginta aſſes inſumebat, hoc eſt, triginta bayochos: noſtro vero more triginta ſolidos. *Bayſ. de Re Nav. c.* 12. Græcos, ſive Philoſophos & Sophiſtas Urbe pellendos cenſuit. Plin. VII. 30. *Ferrar. de Re Veſt.* I. 1. 15.

Catonis eſſe libellum paræneticum, qui pueris primo legi ſolet in ſcholis, quemque maximus Planudes in Græ-

cum

cum transtulit sermonem, sunt qui opinantur, eo quod citetur a Gellio: *Cato in libro, qui inscriptus est carmen de moribus.* De quo *Catone* intelligant, nescio. Illud equidem non ignoro, nullum fuisse *Catonem* post Lucanum poetam, cujus mentionem hic habet libellus. Qui autem Boetio assignant, styli diversitate refelluntur. *Flavius Conject. c.* 95. Ausonio ausus est asserere Baptista Pius. Sed qui possunt illa esse Ausonii, quum Ausonio eorum auctor sit antiquior. Vindicianus enim, empiricus ille, qui vixit temporibus Valentiniani senioris, hoc est, ante consulatum ipsius Ausonii, qui etiam se a Julio Ausonio, qui fuit poetæ pater, plurimum adjutum se in re medica scribit. Is igitur producit ex illo *Catonis* libello testimonium tanquam ex uno ex veteribus poetis: non facturus profecto, si χθὲς καὶ πρώην conscriptus fuisset ille liber. Sed quid nugamur? quid tam dissimile Ausonii scriptis, quam character ille? *Scalig. Lect. Auson.* II. 32. Dionysium *Catonem* laudant Simeonis Bosii veteres membranæ, quas laudat Scaliger, quarum inscriptio erat. *Dionysii Catonis Disticha de moribus ad filium.* In codice Melchioris Goldasti, de quo Barth. Adv. XXIV. 4. Octavianus nominatur. Est penes me vetus liber in membrana exaratus, in cujus præfatione glossematum auctor de horum Distichorum scriptore agens, meminit cujusdam Tullii, & Johannis Clothomii, hominum Christianorum, quorum alibi, quod sciam, mentio non exstat. Et ego, licet Scaliger l. l. neget, auctorem, quisquis fuerit, omnino credo fuisse Christianum. Id jam olim persuasum satis apparet ex glossis antiquis, in quibus magnam Distichorum partem ex libris sacris, præsertim Ecclesiaste, desumptam esse adductis testimoniis confirmatur. Nostræ, quas laudavimus, Christianum esse disertim asseverant. *Boxhorn. Quæst. Roman. c.* 14. *Saubert. de Sacrif. c.* 1. Mihi ille liber satis elegans & bonus, satis antiquus videtur. Quisquis autem fuit, qui Disticha illa composuit, ita inscripsit illa, quia probitas *Catonis* vel proverbio omnibus nota erat. Probos enim homines, & moribus probatissimis illis temporibus *Catones* vocatos nemo ignorat. Notum illud Juven. Sat. II. 40.

Tertius e cœlo cecidit Cato.

Quid quod *Cato* major librum de moribus scripserat ad filium suum? Hinc etiam potuit poeta ille gnomographus lemmatis causam expiscari. *Scalig. & Flavius l. l.*

CATOMUM, τὸ κάτωμον, vel τὰ κάτωμα, pars est sub collo inter scapulas, quod Latini *interscapulum*, vel *interscaplium*, & *conscaplium* appellant. Vox Græca κατωμάδεια ea quæ κατ᾽ ὤμων significat. Hesychius: Κατωμάδεια, κατὰ τῶν ὤμων καὶ τοῦ τραχήλου. Hinc verbum *catomidiare*, pro *catomadiare*. Nam *a* in *i* mutant Latini in plerisque vocibus quas ex Græco deflexerunt. Spartian. Adrian. c. 18. *Decoctores bonorum suorum catomodiari in amphitheatro & dimitti jussit.* Noxii enim per fora, theatra & amphitheatra inter magna rerum, verborumque ludibria traducebantur. Alii hoc dixerunt, *catomis*, vel *catomo cædere.* In conversione Afræ: *nam in conspectu armatorum tuorum catomis cædi jubeam.* In passione Viti martyris: *Tunc iratus Valerianus jussit infantem catomo cædi.* Sic autem aliquis *catomo*, aut *catomis* cædi dicitur, cui *catomum* aut *catoma* cæduntur, quemadmodum capite cædi ille dicitur, cui caput cæditur: tergo vapulare, cui tergum verberatur: manibus vapulare, cui manus flagris cæduntur, aut ferula. Etiam Petronio c. 92. verbum *catomidiare* restituimus: *Et me jubet catomidiari.* Salmas. & Casaub. in Spartianum. Gronov. Observ. IV. 13. Gonsal. in Petronium. Voss. Lex. Etymol. Plumbatis vero nuda cervice cædebantur. Prudent. περὶ στεφ. X. 116.

Tundatur, inquit, terga crebris ictibus,
Plumboque cervix verberata extuberet.

Tertull. Apolog. c. 12. *Cervices ponimus ante plumbum.* Quasi diceret: catomia & cervices nostras plumbatis vestris opponimus, plumbatis vos cæditis nos in *catomiis* vel cervicibus. *Scalig. in Manil. p.* 400. *Epist.* 144. & 146. *Du Fresne in Glossario. Oizel. in Gell.* XIII. 7. *Voss. l. l.*

Q. CATUL. Q. F. in Romanorum est notis. *Quintus Catulus Quinti filius.* In nummis argenteis gentis Lutatiæ, in qua *Catuli* cognomen usitatissimum, ac peculiare; quod tamen a *catulo*, hoc est, parvo cane deductum non puto, nec ab illo genere vinculi, quod *canis* appellabatur; sed a verbo *Cato*, quod apud Sabinos Varr. de Ling. Lat. VI. 3. solertes, acutos & ingeniosos homines denotabat. *Ursat. de Not. Roman. Thes. Antiq. Roman. Græv. Tom.* XI. *p.* 929. C. Consulatus quinque censuras duas, triumphos tres, & principatum Senatus quinque, tantum viri consecuti sunt, omnes *Catuli* cognomine, uno excepto Cercone. Primus C. Lutatius C. F. C. N. *Catulus* Consul cum A. Postumio Albino Flamine Martiali anno ab U. C. 511. insignem victoriam de Pœnis obtinuit, & finem bello Punico I. post 23. annos imposuit. Anno proximo IV. Non. Octob. Proconsule navalem triumphum egit. Eodem anno Q. Cerco frater & Consul fuit cum A Manlio Torquato iterum, & triumphavit de Faliscis Kal. Mart. Quinquennio post idem Quintus Censor fuit cum L. Cornelio Lentulo Caudino, & in magistratu mortuus est. Eodem cognomine Cn. Lutatius ad Regem Persen cum aliis legatus profectus est anno 580. Sequitur C. *Catulus*, qui cum L. Veturio Philone Consul fuit anno 533. Post hos fuere duo Q. *Catuli* insignes viri, quos Cicero ita distinguit, ut alterum patrem, alterum filium appellet. Pater collega C. Marii in quarto consulatu fuit anno 651. & ambo Consules de Cimbris, aliisque barbaris gentibus præclarissima victoria potiti anno proximo Proconsulibus triumphum egerunt. Sibi mortem conscivit cubiculo inclusus nuper calce illito, & igne admoto, cum L. Cinna & C. Marius fratres, & alios Senatores occidi jussissent, & a militibus a collega Mario missis quæreretur anno 666. Post quatuor annos Capitolium conflagravit, quod Q. *Catulus* filius curavit restituendum, quamobrem Capitolinus appellatur. Consul fuit cum M. Aimilio Lepido anno 675. cum L. Sulla se perpetua Dictatura abdicasset. Censuram cum M. Licinio Crasso post tredecim annos gessit. Quadriennio post Principem Senatus a Censoribus lectum, & eodem anno mortuum esse ferunt. *Augustin. & Strein. de Famil. Roman. in Lutatiis.*

CATUS primus appellatus est Ælius Sextus, qui Consul fuit cum T. Quintio Flaminio anno ab U. C. 555. de quo Ennius apud Varr. de Ling. Lat. VI. 3.

Egregie cordatus homo Catus Ælius Sextus.

Catum Varro interpretatur *acutum* potius quam *sapientem.* Ab hoc actiones compositæ sunt, quod *jus Ælianum* dicebatur, & liber *Tripertita* inscriptus, ut Pomponius refert. *Augustin. de Famil. Roman. in Ælia.*

CAV.

CAVA quadrata, quæ in amphitheatro, nonnullisque aliis publicis ædificiis plurima existunt, video quæri, quo pertineant, & a quibus facta sint. Respondeo. Exstant epistolæ duæ Cassiodori Theodorici Regis nomine scriptæ: una ad Senatum urbis Romæ, altera ad Symmachum Patricium. In hac saxa sic inter se commissa scribit, ut, cum commissuræ non appareant, tota illa moles natura exstitisse videatur: in illa vero ad Senatum aeris non minimum pondus, & quod propter mollitudinem diripi facillime potuit, e mœnium ornatu plumbum fuisse exemptum queritur. Hinc non sine argumento existimari poterit, hujusmodi *cava*, quando omnia propemodum in lapidum commissuris sunt, & ad commissuras contegendas, & ad ædificiorum, & ad immanium illarum substructionum ornatum, sic ære & plumbo fuisse obstructa, ut spectantium oculos mirabiliter affulgerent. *Barg. de Ædif. Urb. Rom. Evers. Thes. Antiq. Roman. Græv. Tom.* IV. *p.* 1892. *E.*

CAVARES sunt accolæ sinistræ ripæ Rhodani, dicti quasi *cis Avares*, & Helvii etiamnum vocantur. Vivarienses, sive Vivares, quasi Vavares, ut uls Avares. Fortean olim in descriptionibus utriusque regionis ita scribebatur

batur *C. Avares* & *V. Avares*, cis & uls Avares. *Bellus de Part. templ. augur. c. 5. §. 5.*

CAVATORES dicuntur gemmarum ſcalptores. In veteri inſcriptione mentio eſt *cabatorum de ſacra via*, qui non alii ſunt intelligendi. *Cabitarii* etiam, vel *cavitarii* dicebantur a *cavitandis* lapidibus. Græci καβιδάριος voce Latina dixerunt. Gloſſæ: καβιδάριος, *cabitarius*. *Cabitarius* pro *cavitarius*: ut *cabator* pro *cavator* in veteri ſaxo. Διατρῆσαι eſt perforare, vel *cavare*. *Cavare* & forare idem eſt. hinc *cavus* & foramen res eadem. *Cavare* autem pro ſculpere Latini, ut Græci διατρῆσαι poſuerunt. Qui enim gemmas ſcalpunt, quaſi quoſdam ſulcos in iis *cavant*, & foramina cœlo imprimunt. *Salmaſ. in Vopiſc. Saturn. c. 8. de Mod. Uſur. c. 16. Exercit. Plian. p. 138. b. C. 736. a. E. 774. b. E. Buleng. de Conviv. IV. 14. & 11.*

CAUCA, ſive *caucus* eſt patera, unde bibitur. Καύκιον παρ' ἡμῖν, κύλιξ δὲ παρὰ σοφοῖς. *Vulgo caucium, calix vero elegantioribus.* Sic in farragine Epiſtolarum S. Bonifacii Epiſt. 40. legitur, ab Æthilbecto Rege ei miſſum *Caucum* argenteum intus deauratum. *Lipen. de Stren. c. 3. §. 75.* Erat etiam ligneum. Hieron. in Jovin. II. de Diogene: *Quodam tempore habens ad potandum caucum ligneum, vidit puerum manu concava bibere, & eliſiſſe fertur ad terram, dicens: neſciebam, quod natura haberet poculum.* Spartian. Peſcen. c. 10. *Tantæ fuit ſeveritatis, ut cum milites quoſdam in cauco argenteo expeditionis tempore bibere vidiſſet, juſſerit omne argentum ſubmoveri de uſu expeditionali, addito eo, ut ligneis vaſis uterentur.* Cerd. Adv. Sacr. c. 23. §. 3. [illegible] ſua ætate fuiſſe dictum ſcribit Iſidor. XIV. 25. *Cyathi pondus decem drachmis appenditur, qui etiam a quibuſdam caucatus dicitur.* Ita libri veteres. *Caucus* & *caucatus* idem. Sic terminus, terminatus: matella, matellata: matula, matulata in veteribus gloſſis. Magiſtrati pro magiſtris apud Livium in vetuſtiſſimis membranis. *Salmaſ. in Trebel. Poll. Claud. c. 14.*

CAUCULARIUS, ſive *cauculator* eſt præſtigiator, qui acetabulis ludit, **die uit de kokeltaſſe ſpeelt.** *Lipen. de Stren. c. 3. §. 75.*

CAVÆDIUM eſt locus ſub dio vacuus, cinctus undique porticibus ad communem omnium uſum. Plin. Epiſt. II. 17. 5. *Eſt contra medias cavædium hilare.* Grapald. de Part. Dom. I. 2. §. 1. *Cavædium* nos, ſi compluviatum eſt, nempe ſub divo, *cortile* dicimus; ſi vero teſtudinatum, *anditum* appellamus: illud magnificis ædibus, iſtud vero privatis domibus familiare. *Bald. Lex. Vitruv.*

ex CAUDA hoſtiarum vaticinia colligebantur. Igni quippe inflexæ difficultatem rei indicabant, vel belli: extenſæ & deorſum confluentes cladem futuram: ſi vero in altum erectæ fuiſſent, victoriæ indicia præ ſe ferebant. *Saubert. de Sacrif. c. 20. Buleng. de Sort. c. 7.*

CAUDEX eſt Appius Claudius dictus, quia *Romanis primus perſuaſit navem conſcendere: plurium enim tabularum contextus caudex apud antiquos vocabatur: unde etiam publicæ tabulæ codices dicuntur, & naves nunc quoque, quæ ex antiqua conſuetudine per Tiberim commeatus ſubvehunt, caudicariæ vocantur.* Senec. de Brev. vit. c. 13. *Sigon. de Nom. Roman. c. 5. Alex. Gen. Dier. I. 8. Strein. de Gent. Rom. in Claudia. Moreſtell. de Fer. Rom. Dial. XIX.*

CAUDICARIÆ naves. V. illas infr. in *Naves*.

CAUDINUS fuit dictus L. Lentulus, quod ad furcas Caudinas obſeſſus cum Conſulibus turpe fœdus ſuaſerit: ut ex Livio elici poteſt. *Sigon. de Nom. Roman. c. 5.*

CAVEÆ nomen quidem apud antiquos, libera republica, & Ciceronis ævo in theatris fere hæſit; ſed ſub Principibus, cum gratia & uſus amphitheatrorum increbruiſſet, bono jure migravit ad iſta. Ammian. XXIX. *Alter in amphitheatrali cavea, cum adſuturus ſpectaculis introiret.* Tertull. contr. Marc. I. 27. *Quid? non in omnem libidinem ebullis? non frequentas ſollennes voluptates circi furentis, & caveæ ſævientis, & ſcenæ laſcivientis?* Ubi *cavea* eſt amphitheatrum, quia in illo ſævitia, ob cædem gladiatorum & ferarum. Dividebatur in imam, mediam, ſummam. Ima continebat Orcheſtram & Equeſtria. Media & ſumma aſſignata populo, hoc eſt, plebi: unde & is locus Popularia dicebatur. V. ſingula ſuis locis. *Lipſ. de Amphith. c. 2. & 14. Voſſ. Lex. Etymol. Caſal. de Urb. ac Imper. Roman. ſplend. part. 2. c. 5. Scalig. de Poet. I. 21. Fab. Agon. II. I. Thyſ. de Amphith. p. 206.*

Cavea erat etiam locus in amphitheatro, in quo feræ detinebantur. Vopiſc. Prob. c. 19. *Qui omnes contificiis L. poſticis, interempti ſunt, non magnum præbentes ſpectaculum quum occidebantur. Neque enim erat beſtiarum impetus ille qui eſſe e caveis egredientibus ſolet.* Habebantur enim in amphitheatro *caveæ* ferreæ continendis ac concludendis feris, & *cavi*, ſpeluncæque hypogææ ad hanc rem factæ. *Caveæ* quidem ex regulis ferreis contextæ erant, & ad lucem expoſitæ in medio, ut par eſt, amphitheatro: *cavi* autem & ſpecus illi ſubterranei tenebroſi plane erant, ut qui nulla, vel minima luce irradiarentur. Nec mirum ſi feræ in illis ſpecubus detentæ minore inde cum impetu exirent & exſilirent, quam quæ in *caveis* habebantur; tenebris enim ac pædore domitæ languidiores, & quaſi manſuetiores efficiebantur. Nihil eſt autem quod æque faciat domandis feris ac tenebræ. At e *caveis* exeuntium major vis & impetus erat, nam & major feritas erat. Luce enim ipſa efferabantur, & beſtiarii fortaſſe conſpectu contra quem emittebantur: fortaſſe etiam priuſquam inde exirent, irritabantur, ut majore cum ferocia & impetu exſilirent: quod haud facile fieri poterat in *cavis* & hypogæis illis. *Salmaſ. in Vopiſcum. Buleng. de Venat. c. 17.*

Cavea quoque feræ incluſæ Romam advehebantur. Erant illæ ilignæ, aut fagineæ, quas fabri texebant, & frondibus inumbrabant, ut ſylvarum aſpectu beſtiæ fallerentur. Claud. in Conſ. Stilich. II. 322.

Hæc laqueis innexa gemunt: hæc clauſa feruntur
Ilignis domibus. Fabri nec tigna polire
Sufficiunt: rudibus fagis texuntur & ornis
Frondentes caveæ.

Etiam ferreæ, ne lignea ſepta diffringerent. Symmach. Epiſt. II. 76. *Ut nunc ſeptem Stoicorum canum probavit oblatio, quos proluſionis die ita Roma mirata eſt, ut ferreis caveis putaret advectos.* Plin. VIII. 17. *D. Auguſtus Quinto Tuberone, Fabio Maximo Coſſ. IV. Nonas Majas, theatri Marcelli dedicatione, tigrin primus omnium Romæ oſtendit in cavea manſuefactum: Divus vero Claudius ſimul quatuor.* Buleng. de Venat. c. 17.

CAVEÆ, Græce καύκιοι, ſive καύχιοι quid ſint, ingenue fateor me neſcire. Gothofredus facit *cavos* iſtos, & paullulum incurvatos nummos minutos, quales etiam Germania noſtra agnoſcit. *Caveas* ergo forma facit, non materia. Forſitan vaſis iſtis potatoriis non abſimiles, quæ Trebellius Pollio notat in Claud. c. 14. aut quæ Spartianus in *Cauca* tangit, niſi fortaſſe mendoſe illic ſcriptum ſit *caveo* pro *cauco*. Lipen. de Stren. c. 3. §. 75.

CAVELLUS, *Caveau*, dicitur colonia Cabellionum, ſita ad radices montis, qui eſt in Cavaribus Saliis, ducta a Cavaribus nuncupatione. *Bellus de part. templ. augur. c. 5. §. 5.*

CAVIARIA fuit pars hoſtiæ cauda tenus, quæ quinto quoque anno pro collegio Pontificum apponebatur in ſacrificio, unde *hoſtiæ caviares* nominatæ Feſto: *Caviares hoſtiæ dicebantur, quod caviæ, id eſt, pars hoſtiæ cauda tenus diceretur, & ponebatur in ſacrificio pro collegio Pontificum quinto quoque anno.* Saubert. de Sacrif. c. 20. L. *caviar*. Pars enim ſecundum caudam in equo Octobri dicebatur *caviar*, ut in bove palaſea, in ſue offa penita. Equi hujus coda tanta celeritate in regiam perferebatur, ut ſanguis recens inde in focum ſtillaret. *Scalig. in Feſtum.*

CAUNEÆ erant genus fici minutum, quod ex maritima Cariæ Urbe *Cauno* advehebatur. Cicer. Divin. II. 40. *Cum M. Craſſus Brundiſii exercitum imponeret, quidam in porticu caricas Cauno advectas vendens, Cauneas clamitabat.* Lipen. de Stren. c. 3. §. 20.

CAUPO, κάπηλος Græce, in jure appellatur ſuſceptor vini. Is vinum vectoribus calcis tit. Cod. de ſuar.

&

& suscept. vin. aut aliis ex publico dandum custodiebat. *Panciroll. Notit. Dign. Imp. Occid. c.* 10. Et erat, qui vendebat vinum. Ita Mart. I. 57. 2.

Non potes, ut cuperes, vendere caupo merum.

Turneb. Adv. XIV. 5. Voss. Lexic. Etymol.

Caupo habebat etiam nomen generale a copiis, & erat mercator & institor patagiorum, indusiorum, flammeorum. Plaut. Aul. III. 5. 35.

Caupones, patagiarii, indusiarii.

Quæ sic interpretor, ut dicantur *caupones* patagiarii, *caupones* indusiarii. *Turneb. Adv.* XIV. 5: XXV. 4. *Reines. Inscript. Class.* XI. *n.* 83. *Voss. Lexic. Etymol.*

CAUPONÆ, sive tabernæ, in quas deverterent peregrinantes, olim nullæ erant. Quo fiebat, ut nisi reciperentur a quopiam, pernoctare deberent in plateis sub dio. Res manifesta est, cum ex Lothi historia Genes. c. 19. n. 2. qui Angelos Sodomam venientes, & sibi ignotos, ultro tamen suas in ædes invitavit, ut *istic manerent, & surgentes mane suum persequerentur iter*, *ipsis in platea se mansuros* respondentibus. tum maxime ex Levitæ in urbe Gibea Judic. c. 19. n. 15. Is enim *sedisse* dicitur in *platea civitatis, quia non erat quispiam, qui reciperet eum in domum suam ad pernoctandum.* Vel in tentoriis quibusdam, quæ sibi ipsi in publicis viis fecissent. Liquet hoc ex Jona, qui c. 4. n. 5. ad Nineven extra urbem tugurium sibi sub arbore paravit. Adde Dionys. VIII. p. 482. de Volscis Romam ad spectandos istic ludos profectis, *tentoria sibi faciebant plerique in sacris; & publicis locis, quum non haberent diversoria in ædibus, & apud hospites.* Imo & in via iter facientes, ubi eos nox opprimebat, ejusmodi sibi tentoria figebant. Sic legati Laviniensium redeuntes Roma dicuntur *tentorium sibi fixisse in ipsa via, ubi vespera eos oppresserat* apud eundem II. p. 115. Perizon. in Ælian. IV. I. Ubi apud Græcos quoque & Romanos cœperunt usitatæ esse, sordidæ tamen erant, & habebantur. Hinc Rhodiorum legati apud Liv. XLV. 22. *Antea quum Romam venissemus, ex publico hospitio in curiam gratulatum vobis veniebamus, nunc ex sordido diversorio, vix mercede recepti.* . . . . . . Perizon. ibid. Addend. p. 1001.

de CAUSA nondum liquere jurabat arbiter, quando a Prætore officio suo fungi, id est, sententiam in se receptam dicere cogebatur. Ulpian. leg. 13. §. ult. ff. de Recept. qui arbitr. rec. *Proinde, si forte urgeatur a Prætore ad sententiam, æquissimum erit, si juret, sibi de causa nondum liquere, spatium ei pronuntiandum dari.* Ursat. de Not. Roman. Thes. Antiq. Roman. Græv. Tom. XI. p. 660. D. Inaudita nemo debet interfici. V. infr. in *Inauditum.* Exarmari quando dicatur. V. infr. in *Exarmari.*

Causæ amabiles sunt, quæ Jurisconsultis sunt favorabiles. Illarum quatuor referuntur species, de libertate scilicet, matrimonio, dote, testamento. *Ernst. ad Probi c.* 3. *Ursat. de Not. Roman. Thes. Antiq. Roman. Græv. Tom.* XI. *p.* 592. *B.*

Causæ capitales sunt, & causæ sunt capitis, & agitur de capite idem sunt. Non enim dubito, quin, quæ *causæ capitales* vocantur, eædem *causæ capitis* vocari omnes possint: quæ vero *capitis*, fortasse non omnes item *capitales*; nam *causa capitis* Quinctiana dicitur: quam tamen nullo modo *capitalem* fuisse concedo, cum in ea neque de libertate, neque de civitate adimenda, quæ *capitalia* fuisse judicia notum est, agatur. Et *causa* Mancini, quem a patre patrato ex SC. Numantinis deditum Numantini non receperunt, *causa* quidem *capitis* est (agitur enim in ea de civitate, de libertate, de capite) *capitalis* tamen non est. In *capitalibus* enim quæritur de crimine, & damnatos diminutio capitis ex judicum sententia sequitur: in aliis autem *capitis causis* agitur quidem de capite, non tamen quæritur de crimine, capitisque diminutio vel nulla sequitur, ut in *causa* Quinctii: vel, si sequitur, ut in causa Mancini, non sequitur, uti pœna a judicibus irrogata; sed ideo sequitur, quia is, qui jam deditus erat ex SC. Numantinis, capite fuisse diminutus ostenditur. ita ut judex non judicet, sit, necne capite minuendus, quod fit in *causis capitalibus*; sed fueritne antea, an non fuerit, capite diminutus: & status hominis tunc non mutatur, sed qualis sit cognoscitur. *Manut. de Leg. Roman. c.* 19. Non omnes crimen continuerunt: ut causa Quinctii, quæ a Cicerone *capitalis* dicitur, cum tamen sit sine crimine, quia infamiam afferebat. Quinctius autem vadimonium deseruisse dicebatur. Modestin. ff. de verb. sign. *Licet capitalis Latine loquentibus omnis causa existimationis videatur, tamen appellatio capitalis mortis, vel amissionis civitatis intelligenda est.* Sigon. de Judic. II. 3. Fuerunt judicium privatæ quæstionis, nec solum eæ, cum de mortis pœna quæritur; sed & cum de existimatione hominis quæritur. Cicer. pro Q. Rosc. c. 6. *Si qua sunt privata judicia summæ existimationis, & pæne dicam capitis, tria hæc sunt tutelæ, fiduciæ, societatis.* pro Quint. c. 31. *Horribile est causam capitis dicere, horribilius priore loco dicere.* Siccam. de judic. centumv. I. 7.

Causæ centumvirales quænam fuerint, docet Cicer. de Orat. I. 38. *Nam volitare in foro, hærere in jure, ac prætorum tribunalibus, judicia privata magnarum rerum obire, jactare se in causis centumviralibus, in quibus usucapionum, tutelarum, gentilitatum, agnationum, alluvionum, circumluvionum, nexorum, mancipiorum, parietum, luminum, stillicidiorum, testamentorum ruptorum aut ratorum, cæterarumque rerum innumerabilium jura versentur, cum omnino quid suum, quid alienum, quare denique civis, an peregrinus, servus an liber quisquam sit, ignoret, insignis est impudentiæ.* Nimirum, cum centumviri primum essent instituti, tum quod omnes istæ controversiæ in juris & æquitatis quæstione quoque sunt positæ, tum quod hæreditariæ quæstiones nondum essent adeo frequentes. Posterioribus temporibus videntur de solis hæreditariis controversiis, sive ex testamento, sive ab intestato obvenirent, judicasse. I. Quia apud nullos scriptores legatur centumviros de ejusmodi controversiis, quales Cicero enumerat; judicasse. II. Quia de hæreditariis quæstionibus judicasse apud diversos scriptores legitur. Cicer. l. l. *Quæ potuit causa major esse quam illius militis, de cujus morte cum domum falsus ab exercitu nuntius venisset, & pater ejus, re credita, testamentum mutasset, essetque ipse mortuus, res delata est ad centumviros, cum ipse domum revenisset.* c. 39. *Quid? qua de re inter Marcellos & Claudios patricios Centumviri judicarunt, cum Marcelli ab liberti filio stirpe, Claudii patricii ejusdem hominis hereditatem gente ad se rediisse dicerent.* Plin. Epist. VI. 32. *Femina exhæredata ab octogenario patre intra dies undecim, quam ille novercam ei amore captus induxerat, quadruplici judicio bona paterna repetebat. Sedebant judices centum & octoginta.* III. Quod quævis hæreditatis petitio absolute vocetur centumvirale judicium: ut in d. l. ult. C. de petit. hæred. & l. 13. π. de Inoffic. ubi sic. *Si soror centumvirali judicio obtinuerit, quæsitum est, an fideicommissa ex capite supra scripto debeantur.* Siccam. de Centumv. Judic. II. 5. Pollet. For. Roman. III. 13. Bud. in Pandect. p. 66. C. Alex. Gen. Dier. III. 16. Ræward. Protribun. c. 20. Cujac. Observ. X. 20. Prevôt. de Magistrat. Roman. c. 7. Agebantur in Basilica Julia. Mart. VI. 38. 5.

Jam clamor, centumque viri, densumque coronæ
Vulgus, & infantis Julia tecta placent.

Plin. Epist. V. 21. I. *Descenderam in Basilicam Julianam auditurus, quibus proxima comperendinatione respondere deberem. Sedebant judices, centumviri venerant.* Interdum subsellia in forum transferebantur, & causæ sub dio disceptabantur. Quintil. Inst. Orat. X. 5. *Ut cum ei summam in scholis opinionem obtinenti causa in foro esset oranda, impense petierit, ut subsellia in Basilicam transferrentur.* Nardin Rom. Vet. V. 5.

Causæ civiles semper sunt actæ & agebantur sub dio, & oratores plausorum turbam conducere solebant; quem morem pravum refert & deridet Plin. Jun. Ep. II. 14. *Nardin. Rom. Vet.* V. 8.

Causæ criminales nomen invenerunt publicæ, quoniam crimen ferme complexæ sunt. *Sigon. de Judic.* II. 2. Loca habuerunt commoda sibi ædificata: quia in illis interrogandi sæpe clam erant testes, & rei ipsi: imo & quæstiones adhibebantur, ut per tormenta verum exquireretur, tum quidem temporis, nimirum sub Imperatoribus in corpora libera, sub Consulibus in servilia tantum permissa. *Nardin. Rom. Vet.* V. 8. Non omnes erant capitales, veluti, si majestatis reus mulctatus esset pecunia. *Sigon. de Judic.* II. 3. Quædam commodissime inficiatione defendebantur, ut repetundarum & ambitus: aliæ quæ definitione, ut majestatis: quædam jure, ut cædes. Primarum exemplum erit defensio Fonteji Flacci, Murenæ, & Plancii; secundarum Cornelii; tertiarum Miloniana; quin etiam Gracchi & Saturninus jure cæsi fuisse defensi sunt. *Sigon. ibid.* c. 18.

Causæ liberales sunt, quibus de statu cujusque quæritur, servus an liber sit. Ut si quis dolo malo, vel in servitute, vel major viginti annis passus se venumdari, pretiumque acceperit. His enim proclamatio ad libertatem non dabatur, titulo vulgato, quib. ad libert. procl. non licet. Ab liberali vero *causa* duæ consuetudines derivabantur, liberali *causa* manu asserere, & liberalem *causam* dicere. Donat. Adelph. II. 1. 40. *Juris sunt verba, quibus etiam assertores sunt vindices alienæ libertatis. Nam & causa ipsa liberalis dicitur, quæ actionem in se continet libertatis.* Laz. Comm. Reip. Rom. XII. 5. Non tam Romanæ civitatis, quam communi gentium jure, posset videri introducta. Cuilibet enim suum licuit liberali *causa* manu asserere popularem, ut civi Romano Romanum civem etiam Athenis, & civi Atheniensi civem Atheniensem etiam Romæ. Quo spectant versus Plaut. Pœn. V. 2. 77.

> *Meis consanguineis nolo te injuste loqui:*
> *Carthagini ego sum natus, ut tu sis sciens.*
> POE. *O mi popularis salve!* AG. *Et tu ædepol quisquis es,*
> *Et si quid opus est, quæso dic, atque impera*
> *Popularitatis causa.*

Ut liberos homines alienare prohibitum erat, sic alienatos civili judicio manu asserere permissum. Terent. Adelph. II. 1. 38.

> SA. *Quid! si ego tibi illam nolo vendere,*
> *Coges me?* ÆSC. *Minime.* SA. *Namque id metui.*
> ÆSC. *Neque vendundam censeo,*
> *Quæ libera est: nam ego liberali illam assero causa manu.*

Rævard. Var. I. 18. Brisson. de Form. II. p. 384. Lindenbr. in Terentium. Has Decemviri cognoverunt. Solebant ut plurimum decidi delato jurejurando, quoniam in facto consistunt, & obscuri sunt conjecturarum loci: ut hodie nostro seculo provinciis singulis præficiuntur in liberales *causas*, & Electi vocantur. *Pollet. For. Rom.* III. 14. An ordinarii, an vero extraordinarii fuerint juris, fusius disputat *Noodt de Jurisdict. & imper.* I. 9.

Causæ moriendi justæ veteribus Ictis videbantur, funus patriæ, dolor, vitæ tædium, valetudinis adversæ impatientia, quæ a nostris probantur: qui injustas decernunt eas solum *causas*, quibus mori magis quam vivere aut damnari quis malit. Horum mors merita dici potest, ut immerita eorum, quibus justa *causa* est. Unde illi Catonem sic abiisse vita crediderunt, ut *causam* moriendi se nactum esse gaudere debuerit, quia justam illi Deus ipse dedisse videretur, qua vir sapiens ex his tenebris in illam lucem impune excedit. *Guther. de Jur. Man.* I. 9.

Causam conjicere est argumentum *causæ* judici strictim, & per indicem breviter exponere, antequam ipsa *causa* ageretur. Ascon. in Cicer. p. 76. *Ad judicium cum esset ventum, antequam causa ageretur, quasi per indicem rem exponebant. quod ipsum dicebatur causæ conjectio, quasi causæ suæ in breve coactio.* Gell. N. A. V. 10. *Cum ad judices conjiciendæ consistendæque causæ gratia venissent.* Sigon. de Judic. I. 28. Pollet. For. Rom. IV. 15. Alciat. Parerg. V. 1. Duaren. Dispunct. I. 46. Thys. in Gellium.

Causam conscire dicebatur Prætor, cum de *causa* apud se acta cognoscebat. Gell. N. A. XVII. 2. *In duodecim tabulis ita scriptum est. Ante meridiem causam conscito.* Referuntur hæc ad Prætorem jus dicentem. Manifestum ex sequentibus: *quum perorant ambo præsentes.* item *litem addicito.* Nam omnino necesse est, alios esse, qui postulant, sive perorant: alium vero, qui, postulantibus aliis de causa cognoscat, & iis addicat. Gloss. Cyrill. *συγγιγνώσκω, σύνοιδα, conscio.* Oisel. in Gellium. Frustra hoc negat Latine dici *Turneb. Adv.* XIII. 27.

Causam dicebant interdum rei ex vinculis, præsertim in gravioribus criminibus, & ubi suspicio suberat, ne fugeret reus, aut per vim auferretur. Liv. XXIX. 19. *Pleminium legatum vinctum Romam deportari placere, & ex vinculis causam dicere.* Suet. Ner. c. 36. n. 5. *Conjurati e vinculis triplicium catenarum dixere causam.* Freinshem. & Pitisc. ad Curt. VI. 9. 26. Brisson. de Form. V. p. 472.

Causam mortis monumentis interdum adscribebant. Tib. III. 2. 27.

> *Sed tristem mortis demonstret litera causam,*
> *Atque hæc in celebri carmina fronte notet:*
> *Lygdamus hic situs est: dolor huic & cura Neæræ*
> *Conjugis ereptæ causa perire fuit.*

Didus tumulo incisum hoc fuit carmen apud Ovid. Her. VII. 191. Brouckh. in Tibullum.

> *Nec consumpta rogis, inscribar Elissa Sichæi;*
> *Hoc tamen in tumuli marmore carmen erit;*
> *Præbuit Æneas & causam mortis & ensem:*
> *Ipsa sua Dido concidit usa manu.*

Kirchman. de Fun. Roman. III. 20. Brisson. de Form. VII. p. 692. Brouckh. in Tibullum.

CAUSIA erat pileus communis Macedonum. Pollux X. 96. Quanquam enim erat Regibus *causia* peculiaris, cui diadema apponebatur, uti ex Plutarcho in Demetrio, & Athen. XII. liquet, eratque etiam potentioribus Macedonibus certum *causiæ* genus, illustre supra communem omnibus *causiam*, ut demonstrat in Eumene Plutarchus, tamen pileus quoque vulgaris Macedonicus *causiæ* nomine donatus est: sicut tiara apud Persas & popularis & regius pileus erat. *Raynaud. de Pil. & cæt. cap. tegm. Sect.* 8. *Bayf. de Re Vest.* c. 20. Habuit margines expassos ad defendendum æstum, quali messores utuntur. Eustath. Iliad. II. *Causia tegmen erat capitis Macedonicum e lanis coactis, ut tiara, æstum defendens.* Junius Anim. II. 6. Braun. de Vest. Sacerd. Hebr. II. 4. 4. Stewech. in Veget. IV. 15. Et contra pluviam utilis. Quare & naucleri eo utebantur. Plaut. Mil. Glor. IV. 2. 41.

> *Facito ut venias huc ornatus ornatu nauclerico,*
> *Causiam habeas ferrugineam.*

Barth. Adv. XXI. 3. Budæus appositissime usurpat pro galero Cardinalium coccino. Licet enim uni Romano Pontifici, ut quondam Eumeni, *causias ἀλουργεῖς*, id est, purpureas, ut chlamydes coccinas, cæteraque Cardinalium ornamenta arbitratu suo, certe hoc jure utimur, dilargiri, *μὴ γὰρ γένοιτο* nundinari. *Bayf. ibid.* c. 11. Romæ tamen usurpatum fuisse & quidem in theatro, indicat locus Mart. XIV. 29. cujus lemma *Causia*, ut in Aldina legas:

> *In Pompejano tectus spectabo theatro,*
> *Nam ventus populo vela negare solet.*

Sententia est: Si ventus impedierit, quo minus theatrum velis tegi possit ad arcendum solis æstum, caput *causia* tegam. *Voss. Lex. Etymol.* Dio LIX. p. 645. C. Caligula *senatoribus causias Thessalicas in theatra ferre permisit, ne insolatione torquerentur.* Buleng. de Circo c. 46.

CAUTEL vocatur in tabulis puppis. Hoc quid sit nescio. *Grotius ad Aratum.* Sane antiqua terminatione, velut capital, & puteal, & alia hujusmodi formatum videtur. Erat tutela, quæ in puppi, coloribus plerumque depicta, eo genere picturæ, quod encausticen appellant. Est sacrosancta & inviolabilis hæc pars navigii,

adeo

adeo ut & ſupplices ad eam confugiant. *Scheffer. de Milit. Nav.* I. 6.

CAUTERIA ſunt quibus pictores olim ceris pingentes picturam tabularum inurebant. Quo ſignificatu Mœcianus reſpondit, *pictoris inſtrumento legato ceras, colores, ſimiliaque horum, item peniculos, & cauteria, & conchas legato cedere* leg. item pictoris 17. ff. de Inſtr. vel inſtrum. leg. De quo picturæ genere Ovid. Faſt. III. 831.

—— tabulamque coloribus uris.

Turneb. Adv. VIII. 9. Salmuth in Panciroll. de Reb. Deperd. & Inv. p. 20. Rhodig. Ant. Lect. VII. 31.

Cauteria dicuntur quoque inſtrumenta, ſive ferramenta chirurgorum, quibus ignitis & candentibus putridæ uruntur carnes & ulcera. Hinc & *cauteriata conſcientia* apud Apoſtolum 1 Tim. c. 4. n. 2. quaſi *cauterio* notata. Plutarchus in Moralibus ſcribit, Nicocratem Cyrenenſium tyrannum, ne quiſquam civium ſævitiam ſuam aufugeret, portis cuſtodes appoſuiſſe, qui etiam mortuos, dum afferrentur, pugiunculis & *cauterio* ſcrutarentur. Tertull. Apolog. c. 15. *Riſimus & inter ludicras meridianorum crudelitates Mercurium mortuos cauterio examinantem.* Salmuth in Panciroll. de Reb. Deperd. & Inv. p. 20. Rhodig. Ant. Lect. VII. 31. *Cauterizatio*, inquit Avicen. IV. 1. *perutile medicamentum eſt, juvamentum in eo præcipuum, ne ſerpat vitium. Quod corruptum eſt, ac in membro retentum, reſolvit; ſanguinis fluxionem inhibet, oblæſas partes reſovet leniter. Cauterium*, ſi aureum fuerit, cenſetur præſtantiſſimum: cujus ratio eſt, ut ibi atteſtatur interpres, *quoniam aurum urit mitius; quin urendo fovet leniter inſita virtute: vulnus, quod inde fit, celerius coit: porro minus terroris affert aurum, quam candens ferrum.* Rhodig. l. l.

CAUTIO creditæ pecuniæ dicebatur, quia qui pecuniam mutuam accipiebat, is creditori ſuo *cavebat.* leg. Titius ff. quæ res pignor. Vetus commentator Horat. Sat. II. 3. 76. *Dictantis aut credentis, quia cum damus, dicimus, ſcribere cautionem pro ea pecunia.* Hæc quemadmodum conciperetur, docet ea, quam in Æmilii Papiniani Præfecti Prætorio auditorio lectam fuiſſe Paulus commemorat in leg. Lecta ff. ſi certum pet. *Lucius Titius ſcripſi me accepiſſe a Publio Mævio quindecim mutua numerata mihi de domo: hæc quindecim proba recta dari Kalendis futuris ſtipulatus eſt Mævius Publius, ſpopondi ego Lucius Titius, ſi die ſupra ſcripta ſumma Publio Mævio ejus, ad quem ea res pertinebit, data, ſoluta, ſatisve eo nomine factum non erit, tunc eo amplius, quo poſt ſolvam, pœnæ nomine, in dies triginta, inque denarios centenos; denarios ſingulos dari ſtipulatus eſt P. Mævius, ſpopondi ego Lucius Titius, convenitque inter nos, uti pro Mævio ex ſumma ſupra ſcripta menſtruos refundere debeam denarios trecenos ex omni ſumma ei, hæredive ejus.* Briſſon. de Form. VI. p. 535. Appellatur Latinis *cautio*, & Græcis ἀσφάλεια, quaſi ſecuritas creditoris in eo verſaretur. *Salmaſ. de mod. uſur.* c. 10.

CED.

CEDENDI verbum importat ſervitutem, & proprie *cedi* actus, aquæ ductus, iter, via dicuntur. leg. qui per certum & leg. fin. ff. commun. prædior. *Cedi* recte res incorporeæ & jura dicuntur, ut corpora tradi. Gloſſ. vet. *Cedo*, παραχωρῶ. *Guther. de Jur. Man.* III. 12.

Cedere dies legatorum dicitur ab apertis tabulis, non a morte teſtatoris, dum medio illo tempore caduca fiunt. *Cedere diem*, ut Ulpian. Regul. I. ſcribit, *ſignificat incipere deberi pecuniam; venire diem ſignificat cum diem veniſſe, quo pecunia peti poſſit. Ubi pure quis ſtipulatus fuerit, & ceſſit, & venit dies: ubi in diem, ceſſit dies, ſed nondum venit: ubi ſub conditione, neque ceſſit, neque venit dies pendente adhuc conditione.* Itaque ſi legatarius, antequam dies *cederet*, mortuus eſſet, caducum legatum fiebat: neque enim ad hæredes ſuos id tranſmittebat, niſi poſt eum diem mortuus eſſet, ut ex Imperatoris Alexandri reſcripto leg. ex his verbis C. quando diem legati conſtat. Uſque eo autem verum eſt diem legatorum non *ceſſiſſe* ante apertas tabulas, ut quamvis vindicationis legatum eſſet, quo genere legandi legatarius vindicare legatum poterat non exſpectato hærede, ut Cajus ſcribit Inſtit. II. Tamen apud Paullum Sent. III. ita ſcriptum eſt. *Per vindicationem legatum, etſi nondum conſtituerit legatarius ad ſe pertinere, atque ita poſt apertas tabulas ante aditam hæreditatem deceſſerit, ad hæredem ſuum legatum tranſmittit.* Neque verum eſſe arbitror, quod vulgo dicitur, apud Neratium Membran. I. ſcriptum eſſe, dominium ad legatarios poſt mortem teſtatoris ſtatim transferri. *A Titio*, inquit, *hærede homo Sejo legatus ante aditam hæreditatem Titio furtum fecit. Si adita hæreditate Sejus legatum ad ſe pertinere voluerit, furti ejus ſervi nomine aget cum eo Titius, quia neque tunc, cum faceret furtum, ejus fuit.* Negat quidem ante aditam hæreditatem hæredis fuiſſe, quippe cum hæreditate adita omnia jura ad nos tranſeunt, ut Javolen: Epiſt. I. ſcripſit, præter poſſeſſionem. Poſt aditam quoque hæreditatem hæredis ſervum non fuiſſe ſcribit, quia ea quæ legantur, recta via ab eo qui legavit, ad eum cui legata ſunt, tranſeunt. Quibus verbis mortis nulla mentio fit, ut poſt mortem dominium transferatur. Ex his autem quæ jam diximus illo quoque caſu dicendum eſt non a morte teſtatoris, ſed a tabulis apertis diem *ceſſiſſe*. Auguſtin. de Legibus in Papia Poppæa.

Cedere foro eſt æris alieni cauſa in forum non ventitare, & creditoribus non ſolvere: quod genus *ceſſionis* erat. Itaque inter creditores bona dividebantur. Senec. de Ben. IV. 39. *Debitorem ad diem appellare poſſum, & ſi foro ceſſerit, portionem feram.* Id tamen de argentariis præcipue dici ſolebat, qui menſam in foro habebant. *Turneb. Adv.* XVI. 5. Qui *foro cedere* dicebantur, cum tabernis, id eſt, menſis ſuis *cedentes*, quæ in foro Romano erant, alio habitatum migrabant. Juven. Sat. XI. 48.

Neſcio quid ſupereſt, & pallet fœnoris auctor;
Qui vertere ſolum, Bajas & ad Oſtia currunt.
Cedere namque foro jam non eſt deterius, quam
Eſquilias a frequenti migrare Suburra.

Ulpian. leg. ſi hominem. §. quoties. *Quoties foro cedunt nummularii, ſolet primo loco ratio haberi* [illegible]. Tabernas enim ſuas in foro habebant argentarii. V. infr. in *Taberna.* Bud. in Pandect. p. 140. C.

CEDRUS in Syriæ montibus, ut ſcribit Theophr. Hiſt. Plant. V. 9. tanta craſſitie naſcitur, ut tres viri exſertis brachiis, manuum extremitates jungendo, comprehendere inferiorem caudicem nequeant. Deinde multis circum ramis a non magna altitudine ſtatim creſcit, unde malo ineptior merito cenſetur. *Meibom. de Fabr. Trirem. Theſ. Antiq. Roman. Græv. Tom.* XII. *p.* 647. *B.* Ex *cedri* ligno Syri naves ædificarunt longas, non ea ex cauſa, quod *cedri* lignum putredini non eſſet obnoxium, quod adfert Hieronymus ad Ezech. c. 27. n. 3. ſed quod abiete carerent. Theoph. ibid. V. 8. *Qui Syriam Phœnicenque incolunt, quod pinus apud ipſos rarior ſit, cedro utuntur, & ex illa naves longas faciunt.* Plin. XVI. 40. *At in Ægypto & Syria Reges, inopia abietis, cedro ad claſſes feruntur uſi.* Meibom. ibid. p. 640. E. In condiendis mortuis & putredine abigenda veteres *cedri* ſucco ſunt uſi. Nicandri Scholiaſtes Θηριακοῖς: Ἡ κέδρος τοὺς νεκροὺς ἀσήπτους ποιεῖ τὸ νότερον καὶ τὸ ῥευστικὸν ἐξωθοῦσα, ὅθεν καὶ νεκρῶν ζωὴν ἔνιοι αὐτὴν ἐκάλεσαν. Plin. XXIV. 5. *Cedrus defuncta corpora ævis ſervat, viventia corrumpit, mira differentia, cum vitam auferat ſpirantibus, defunctis pro vita ſit.* Kirchmann. de Fun. Rom. I. 8. Moreſtell. Pomp. Feral. I. 12. Salmuth ad Panciroll. de Reb. Deperd. & Inv. p. 282. *Cedro*, ſive oleo *cedrino* chartam ſubtiliter fricabant, ut & a carie immunem, & odoriferam eam chartam redderent. Vitruv. II. 9. *Ex cedro oleum, quod cedreum dicitur, naſcitur, quo reliquæ res cum ſunt unctæ, uti etiam libri, a tineis & a carie non læduntur.* Ovid. Triſt. I. 1. 7.

Nec titulus minio, nec cedro charta notetur.

Panciroll. de Reb. Deperd. & Inv. p. 271. *Cedro* quoque *digna locutus* dicebatur, ut eſt apud Perſ. I. 42. qui docte ſcripſiſſet, quaſi ea protuliſſet, quæ digna eſſent ut ad æternam diuturnitatem permanerent: ſiquidem res *cedreo*

oleo perunctæ a tineis & carie solent æternum asservari. Horat. Art. Poet. n. 332.

— speramus carmina fingi
Posse linenda cedro.

Ita *libros Numæ cedratos tineæ non tetigerunt, repertos in ejus arca, P. Cornelio L. F. Cethego, M. Bebio Q. F. Pamphilo Consulibus, ad quos a regno Numæ colliguntur anni* 535. Plin. XIII. 13. *Erasm. Adag. p.* 281. *Pancroll. l. l.* & *Salmuth ad illum p.* 281.

CEJ.

L. CEJONIUS Consul fuit, ut in Fastis legitur anno ab U. C. 831. vulgaris epochæ 78. Leunclavius in indice LXVI. Dionis L. Commodum Verum appellat. Omittit familiam *Cejoniam*, addit de suo alterum cognomen Veri. Perperam. Nam L. *Cejonius* Commodi tantum cognomen tulit, ut ex vetustis Inscriptionibus colligo. Leunclavius, quod legit L. *Cejonium* Commodum ab Imperatore Adriano adoptatum Veri cognomen tulisse, idem cognomen ejusdem avo hujus anni Consuli attribuit. At certum est L. *Cejonium*, antequam ab Adriano adoptaretur, cognomen Veri non tulisse. Cum idem anno ab U. C. 889. Christi 136. consulatum iniisset, in tribus Inscriptionibus Gruteri p. 99. 250. 874. dicitur L. *Cejonius Commodus*, nusquam altero Veri cognomine addito. Error Spartiani c. 2. de vita Ælii Cæsaris, ubi eundem Ælium Verum appellat, corrigendus est ex Capitolino, qui de ejusdem Ælii Cæsaris filio ac Imperatore L. Vero c. 1. ait: *Igitur L. Cejonius Ælius Commodus Verus Antoninus, qui ex Adriani voluntate Ælius appellatus est, ex Antonini conjunctione Verus & Antoninus.* Noris. Epist. Consul. Thes. Antiq. Roman. Græv. Tom. XI. p. 424. C.

CEL.

CELEJA urbs in Norici confinio sita fuit. Plin. III. 24. *Rhætis junguntur Norici, oppida eorum Virunum & Celeja.* Quæ quando & a quibus colonia deducta in obscuro est, nisi eam deduxerit M. Cælius vir consularis, cujus opera usus fuit Octavianus Cæsar in Sacciensi regione, in ejusque subigendis municipiis, Metullo, Monecio & Vendo, ut scribit Laz. Comm. Reip. XII. Sect. 4. c. 6. atque ideo sic a *Cælio* ipso *Celeja* denominata. *Ursat. de Not. Roman. Thes. Antiq. Roman. Græv. Tom.* XI. *pag.* 536. *F.*

CELER est cognomen pluribus familiis vulgare. *Vaillant. Num.* I. *p.* 39. *&* 70. A *celeritatis* officio, vel ab equitibus, vel, ut Valerius Antias prodidit, a Fabio *Celere* primo eorum præfecto. Vaillant. ibid. p. 78. Metello *Celeri* nomen datum, quod funebres ludos & viscerationem sine mora exsolvendos curavit. Plutarch. in Romul. p. 23. C. *Alex. Gen. Dier.* I. 9.

CELERES fuerunt trecenti juvenes, quos decem ex singulis curiis ad corporis custodiam, ex reliquis qui Senatores creati non fuerant, omnibusque tam patriciis quam plebejis familiis legit Romulus. Hi a primo duce Fabio *Celere Celeres* vocati sunt. Inde ille postea, & ii qui post eum fuerunt, tribuni *Celerum* appellati. Festus: *Celeres antiqui dixerunt, quos nunc equites dicimus, a Celere interfectore Remi, qui initio a Romulo iis præpositus fuit, qui primitus electi fuerunt ex singulis curiis deni, ideoque omnino trecenti fuere.* Quidam a *celeritate* corporis dictos opinantur. *Panvin. de Civit. Rom. c.* 3. *Ursat. de Not. Rom. Thes. Antiq. Roman. Græv. Tom.* XI. *p.* 601. *F. Salmuth ad Panciroll. de Reb. Dep. & Inv. p.* 568. *Serv. Juven. Fer. c.* 2. *Pigh. Antiq. Rom.* I. *p.* 16. *Sigon. de Ant. Jur. Civ. Rom.* II. 3. Dionys. II. p. 86. *Celeres, ut plerique tradunt, a celeritate ministerii; promptos enim & citatos in exsequendis negotiis celeres Romani vocant.* Serv. Æneid. IX. 370: XI. 603. *Equites habuit Romulus, quos celeres appellavit, vel a celeritate.* Tiraquell. in Alex. VI. 22. Non sunt dicti a *celeritate*; sed voce plane Græca. Κέλης Græcis est eques. Æolice κέλης, ut πίθος, πίθος, & similia. Inde *celer*. Salmas. in Lamprid. Commod. c. 2. Scalig. Poet. I. 22. *Celeres* itaque, id est, singularii equites. Cum singulæ curiæ denos equites darent, & denæ curiæ essent in singulis tribubus, ita singulæ tribus centenos equites suppeditabant. Trecenti autem illi equites, quos tres tribus efficiebant, in decem partes rursus distributi sunt, quæ turmæ, Græcis ἴλαι sunt appellatæ. Administros eos sibi sumpsit Romulus, qui in Urbe quasi domestici sibi obsequium facerent, & in bello protectorum munere fungerentur. Dionys. l. l. & Liv. I. 15. Iidem si campus equitando aptus occurreret, ex equo pugnabant; si in loco aspero & montuoso pugna esset, pedites dimicabant. Ut habetur ibidem apud Dionysium. *Salmas. de Re Milit. Roman. c.* 20. *& Exerc. Plin. p.* 57. *B. Græv. Thes. Antiq. Roman. Tom.* I. *Præfat.* * * * 2. *vers.* V. & infr. in *Tribuni.*

CELES fuit dictus equus singularis. Vox hæc frequens apud Pindarum. Festo celsus equus dicitur *celes*, id est, μονάμπυξ, freno uno ductus, non jugatus. Κέλης ἵππος μονάμπυξ, καὶ δρομικὸς, ὃς νῦν σελλάριος λέγεται, ait Scholiastes Græcus, id est, *celes equus non jugatus, sed cursor, qui nunc sellarius dicitur.* Aristophanis interpres in Pace, μονάτορες ἵπποι κέλητες. *Buleng. de Circ. c.* 57. *Tiraquell. in Alexandrum* V. 8. *Argol. in Panvin. de Lud. Circens.* I. 9. *Hugo de Milit. equest.* III. 4. *Brunnen. in Palæphat. c.* 16. *Pitisc. in Curt.* VI. I. 10. *Bud. in Pandect. p.* 97. *H. Petav. in Themist. Orat.* VI. *p.* 571.

CELEUMA, sive *celeusma*, κέλευσμα, fuit clamor quidam nauticus, quo ab hortatore remiges modo remis incumbere jubebantur, modo fortius remigare, modo a remigando quiescere. Serv. Æneid. VIII. *Celeusma est clamor nauticus ad hortandum: ut nunc incumbite remis.* Mart. IV. 64. 21.

Quem nec rumpere nauticum celeusma.

In glossis Cyrilli ita explicatur: κέλευσις, *jussio*, vel *jussus*. *Celeusmatis* vox altera, qua remigare jubebantur, erat, ῥυππαπαί, *rhippape*. Aristoph. Ran. IV. 2. καὶ ῥυππαπαὶ εἰπεῖν. Ubi Scholiastes sic Latine: *Rhippape clamor nauticus est, quo jubentur navigare.* Altera, qua desistere a remigando jubebantur. Ὠόπ. Aristoph. Avib. p. 606.

PI. *Oop.* CI. *marinum cursum errans.*

Scholiastes. *Oop est clamor nauticus, quo remiges jubentur ab opere quiescere.* Quicquid hoc sit, perpetuum, an minus, non certe constat, varium diversumque illum fuisse clamorem. Rutil. Itin. I. 369.

His mecum pigri solabar tædia venti,
Dum resonat variis vile celeuma modis.

Nonnunquam pro voce lapidum concussione utebantur. Xenoph. V. *Lapidum concussione hortatorum pro voce.* Sæpe tibiis aliisve instrumentis musicis cantilena proferebatur, longe a *celeusmate* diversa. *Celeusma* vox erat simplex, hæc cum modulatione quadam fiebat. Pedianus ad Cicer. p. 37. *Cani remigibus celeusma per symphoniacos solebat, & per assam vocem ore prolatam, &, ut in Argo navi, per citharam.* Scheffer. de Milit. Nav. III. 1. Bartholin. de Tib. II. 16. Gyrald. de Navig. c. 19. Calcagn. de Re Naut. c. 18. Dolet. de Re Naval. Thes. Antiq. Græcar. Gronov. Tom. XI. p. 687. A. Bud. in Pandect. p. 106. A. Pignor. de Serv. p. 107. Cerd. Advers. Sacr. c. 173. C.

Celeuma etiam faciunt helciarii, id est, qui onera funibus moliuntur, vel qui naves deducunt, subducuntque, ad officia invicem sese adhortantes, ut uno connixu pariter conspirantes, admoliri universis viribus possint, quod singulis nequeunt: ut fieri sæpe vidimus Venetiis in loco, qui lingua Veneta Douana vulgo appellatur. *Dolet. de Re Naval. Thes. Ant. Græcar. Gronov. Tom.* XI. *p.* 687. *C.*

CELEUSTES dicitur, qui remiges hortatur, quasi navigationis moderator. Plaut. Merc. IV. 2. 5. *hortator* Latine appellatur, quod ea hortamenta faciat; quæ verbo Græco *celeusmata* dicuntur etiam a Latinis. *Dolet. de Re Nav. Thes. Ant. Græc. Gron. Tom.* III. *p.* 787. *A. Gyrald. de Navig. c.* 19. Et *hortator remigum.* Glossæ veteres: κελευστής, *hortator remigum.* Cerda Adv. sacr. c. 173. §. 6. Item *hortator animorum* Ovid. Met. III. 620. laudatus infr. in *Hortator.* Laurent. de Præcon. c. 1.

CELLÆ

CELLÆ cura ſervis commiſſa erat, & a *cellariis* ſeris & clavibus cohibebatur. *De La Chauſſe de Teſſer. tab.* VII.

Cella aſſa vocabatur, quod in ea per *aſſum*, id eſt, ſiccum vaporem ſudor eliceretur. Sic *aſſo ſole* apud Cicer. Attic. XII. 6. *Parietes de aſſis lapidibus* apud Serv. Georg. II. 417. id eſt, ſiccis. Ita & *aſſæ ſudationes* Cornelio Celſo III. 27. pro ſiccis ſudationibus, ξηροὺς ἱδρῶτας Græci vocant. *Aſſa cella* itaque in balneis eadem quæ ſudatoria. Sudatorium Senecæ dicitur ſupr. in *Caldarium* & de Vit. Beat. c. 7. *Circa balnea & ſudatoria. Aſſa* ſimpliciter Ciceroni ſupr. in *Caldarium*. Πυριατήριον & Λακωνικόν. V. infr. in *Laconicum*. Salmaſ. Vopiſc. Carin. c. 17. Turn. Adv. XXIV. 39. Caſaub. in Theophr. Charact. c. 9.

Cella caldaria. V. illam ſupr. in *Caldarium*.

Cella familiæ eſt habitatio ſervorum. Colum. I. 6. *Optime ſolutis ſervis cellæ meridiem æquinoctialem ſpectantes fient.* Servitia namque habitacula *cellæ* nomine deſignantur. Senec. de Tranq. c. 8. *Cui jam dudum divitiæ eſſe debuerant, duo vicarii & cella laxior.* Cicer. Anton. II. 27. *Conchyliatis Cn. Pompeji periſtromatis ſervorum in cellis lectos ſtratos videres.* Illorum *cellæ* erant laxæ, & auguſtæ. Plin. XXXVI. 2. *Nimirum ſi habitarunt, qui imperium hoc fecere, quorum agri quoque minorem modum obtinuere, quam cellaria iſtorum.* Seneca modo laudatus. Singulis ſuæ erant. Suet. Cal. c. 57. n. 4. *Capitolium idibus Martiis de cœlo tactum eſt, item Romæ cella Palatini atrienſis.* Petron. c. 29. *Ceterum ego dum omnia ſtupeo, pæne reſupinatus crura mea fregi, ad ſiniſtram enim intrantibus non longe ab oſtiarii cella canis ingens catena vinctus in pariete erat pictus.* Illud accedit, quot ſervi, tot *cellæ*, & aliquando ſervi bis mille ſub uno tecto. Etiam janitorum. Vitruv. VI. 10. *Ex una parte equilia, & ex altera oſtiariis cellas, ſtatimque januæ interiores finiuntur.* Talis *cella* fuit, in quam confugit Vitellius. Suet. Vit. c. 16. n. 4. *Confugit in cellulam janitoris, religato pro foribus cane.* Hæc erat adjuncta ædium foribus. Varr. de Re Ruſt. I. 13. *Villici proxime januam cellam eſſe oportet; eumque ſcire, qui introeat aut exeat noctu, quidve ferat, præſertim ſi oſtiarius eſt nemo.* Dicitur etiam *familiarica*. Vitruv. VI. 10. *Circum in porticibus cubicula etiam & cellæ familiaricæ conſtituuntur.* Pignor. de Serv. p. 279. Lipſ. Saturn. I. 14. Kobierzyck. de Luxu Roman. II. 8. Pitiſc. in Suet. Cal. c. 57. n. 4. Vit. c. 16. n. 4.

Cella frigidaria. V. illam infr. in *Frigidarium*.

Cella Jovis *in Capitolio fuit. In illa de mulcta damnatorum quadrigæ inauratæ poſitæ fuerunt ſupra faſtigium ædiculæ, & duodecim clypea inaurata.* Liv. XXXV. 41. Non patuit, ut pleræque hujus temporis; ſed janua, vel minimum cancellis clauſa fuit. Gell. N. A. VII. 1. *Literis mandaverunt Scipionem Africanum ſolitaviſſe noctis extremo, priusquam dilucularet, in Capitolium ventitare, ac jubere aperiri cellam Jovis.* In illa etiam fuit imago Scipionis Africani. Val. Max. VIII. 15. *Imaginem in cella Jovis Opt. Max. poſitam habet: quæ, quoties cunque funus aliquod Corneliæ gentis celebrandum eſt, inde petitur, unique illi inſtar atrii Capitolium eſt.* Nardin. Rom. Vet. V. 15. Borrich. Ant. Urb. Fac. c. 10. §. 7. Guther. de Jur. Pont. II. 3.

Cella Junonis, ut Plin. XXXIV. 7. fuit in ejus ſacello *in Capitolio. In illa, priusquam id noviſſime conflagravit, fuit canis ex ære vulnus ſuum lambens: cujus eximium miraculum & indiſcreta veri ſimilitudo, non eo ſolum intelligebatur, quod ibi dicatus fuerat; verum & nova ſatiſdatione: nam ſumma nulla par videbatur: capite tutelarios cavere pro eo inſtituti publici fuit.* Tomaſ. de Donar. c. 4. Marlian. Topogr. Urb. Rom. II. 4.

Cella erat etiam lupanaris camera. Petron. c. 8. *Jam pro cella meretrix aſſem exegerat.* Juven. Sat. VI. 121.

Intravit calidum veteri centone lupanar,
Et cellam vacuam.

Pignor. de Serv. p. 280. Certa cuique meretrici conſtituebatur, propriusque & titulus inſcribebatur, quo & proſtitutæ nomen, & quantum uno concubitu mereret, deſignabatur, quo facilius in eam quiſque incideret, ad quam animum appuliſſet; pretiumque concubitus a ſe pendendum ſciret. Senec. Controv. II. *Deducta es in lupanar: accepiſti locum, pretium conſtitutum eſt: inſcriptus eſt titulus: hactenus in te inquiri poteſt.* Et, *Meretrix vocata es, in communi loco ſtetiſti, ſuperpoſitus eſt cellæ tuæ titulus, venientes recepiſti.* I. *Stetiſti cum meretricibus: nomen tuum pependit in fronte, pretia ſtupri accepiſti.* Inde *Inſcriptam cellam* dixit pro lupanari Mart. XI. 46. 1.

Intraſti quoties inſcriptæ nomina cellæ.

Briſſon. de Jur. Connub. Theſ. Antiq. Roman. Græv. Tom. VIII. p. 1068. A. Wouwer. in Petronium. Douſa Præcid. Petron. c. 4. Laurent. de Adult. & meretr. c. 2. *Cellæ* in circi porticu colli contiguæ etiam fuerunt, & in illis nullum viſebatur feneſtræ veſtigium; unde omne illis lumen, & quidem malignum, non a parte collis, ſed a parte porticus illuxerit. Has fuiſſe exiſtimo nocturnis tantum uſibus apta, ideoque lupis ac lenonibus deſtinata lupanaria: ut eſt apud Juven. Sat. III. 65.

Et ad circum juſſas proſtare puellas.

Hanc ante lucem deſerebant. Juven. Sat. VI. 127.

Mox, lenone ſuas jam dimittente puellas
Triſtis abit: ſed, quod potuit, tamen ultima cellam
Clauſit.

Nardin. Rom. Vet. VII. 2.

Cella Minervæ fuit ad latus dextrum *cellæ* Jovis. Liv. VII. 3. *Clavus fixus fuit in dextro latere ædis Jovis Opt. Max. ea parte, qua Minervæ templum eſt.* In ea aræ Juventæ & Termini fuerunt; ſed qua *cellæ* parte V. ſupr. in *Ara*. Nardin. Rom. Vet. V. 15.

Cella olearia, ſive olearis quomodo ſit collocanda, docent Pallad. I. 20. *Olearis cella meridianis ſit objecta partibus, & contra frigus munita, ut illi per ſpecularia debeat lumen admitti. Ita & operas, quæ hyeme futuræ ſunt, nullus algor impediet: & oleum, cum premetur, adjutum teporibus, frigore non valebit aſtringi.* Vitruv. VI. 9. *Olearia ita eſt collocanda, ut habeat a meridie calidisque regionibus lumen. Non enim debet oleum congelari, ſed tepore caloris extenuari.* Quæ in illam opus ſunt, denarrant fuſius Cato de Re Ruſt. c. 13. Colum. XII. 50. *Pignor. de Serv. p.* 548. In thermis Diocletianis ante tepidarium commode, ut videtur, eſt *cella* olearia, ubi nimirum olea ſervarentur, atque unguenta, aliique odores ad opportunos uſus. Erat hæc pars una de neceſſariis in toto ritu thermarum, quando hic mos erat communiſſimus, ut quiſque lotus ſimplicis ſaltem olei unctione uteretur, tum ut ſudores inhiberet, tum ut ſe ab extrinſecus ambientis aeris injuria vindicare poſſet. *Baccius de Therm. Vet. c.* 10.

Cella penuaria eſt, in qua penus, aut utenſilia conduntur, & unde ad uſum familiarem promuntur. Suet. Aug. c. 6. n. 1. *Cellæ penuariæ inſtar.* Promptuaria dicitur Plaut. Amph. I. 1. 4.

Inde cras e promptuaria cella depromar ad flagrum.

Proma Tertull. de Reſurr. c. 27. *Cur cellarum promarum potius vocabulo uſus eſt, & non alicujus loci receptorii, niſi quia in cellis promis caro ſalita, & uſui repoſita ſervatur depromenda illinc ſuo tempore.* Pignor. de Serv. p. 98. Pitiſc. in Suetonium, *Cellarium penum dicit* Fabius Planciades Expoſ. Serm. Ant. §. 24. Differunt tamen juxta Serv. Æneid. I. 708. *quod cellarium ſit paucorum dierum: unde & in cella dicitur imperatum frumentum: penus vero temporis longi.* Pignor. l. l.

Cella templi pars ejus eſt primaria, quam nos corpus templi vulgo dicimus. Eodem ſenſu a Cicerone, Livio, & aliis ejus ævi ſcriptoribus frequentiſſime uſurpatur. *Bald. Lex. Vitruv.* In illa Deus, vel Dea concludebatur. Gloſſ. vetus: *Cellis*, ἀποθήκαις. Repoſuit Vulcanius, ἀποθέσεσιν perdocte. Ἀπόθεσις enim repoſitorium eſt. Vulgo nos *capellam* vocamus, quæ quidem duobus divis una ædificari non potuit. *Guther. de Jur. Pontif.* II. 3. *Laurent. Var. ſacr. gentil. c.* 7. Ὁ σηκός. Sequebatur πυλεῶνα. Plerumque multæ in eodem conſepto, præſertim ſi pluribus divis una eademque ædes eſſet dedicata.

Salmaſ. Exercit. Plinian. p. 857. *A. Buleng. de Templ. Theſ. Antiq. Græcar. Gronov. Tom.* VII. *p.* 52. *F.*

Cella vinaria, ut monent Colum. I. 6. *ſummota procul eſſe debet a balneis, furno, ſterquilinio, reliquisque immunditiis tetrum odorem ſpirantibus, nec minus a ciſternis, aquisve ſalientibus, ex quibus qui extrahitur humor, vinum corrumpit.* Plin. XIV. 21. *Latus cellæ vinariæ, aut certe feneſtras obverti in aquilonem oportere, vel utique in exortum æquinoctialem. Sterquilinia, & arborum radices procul abeſſe, omniaque odoris evitandi, facillimo in vina tranſitu: ficos utique & caprificos.* Vitruv. I. 4. *In cellis vinariis tectis lumina nemo capit a meridie, nec ab occidente, ſed a ſeptentrione, quod ea regio nullo tempore mutationes recipit, ſed eſt firma perpetuo & immutabilis.* Tectas has cellas dicit Vitruvius. Tradit enim Plin. l. l. aliquas gentes vinis cœlum præbere, alias vero impoſitis tectis arcere. Et Conſtantinus Γεωπον. VII. 2. fortius vinum ſub dio, levius ſub tecto adſervari præcipit. *Philander. in Vitruvium.* Has veteres non habuerunt ſubterraneas, quandoquidem dolia, in quibus vina adſervabant, ſub terram demittebant, præſertim ſi hæc eſſent imbecilla. Plin. XIV. 21. *Imbecilla vina demiſſis in terram doliis ſervanda, valida expoſitis.* Ulpian. leg. 8. in inſtrumento ff. de Inſtruct. vel inſtrum. leg. *Conſervandi: quaſi dolia, licet defoſſa non ſint, & cupæ.* Id vero ſuperfluum & ſupervacaneum fuiſſet, ſi ſubterraneæ exſtitiſſent *cellæ*. Et quidem nec Plinius l. l. ubi & de vinariis *cellis*, & quomodo hæ fieri debeant, tractat, ſub terra eas fieri meminit: nec etiam Vitruvius ad iſtum modum eas deſcribit. Qui tamen locus adeo utilis & neceſſarius nequaquam fuiſſet prætermiſſus. *Panciroll. de Reb. Deperd. & Inv. p.* 138. Eas editiore aliquo loco fuiſſe putaverim, maxime ſi vina in multam uſque ætatem ſervari, &c, quod Horat. Od. III. 8. 11. *fumum bibere* vellent. Juvat nos in eo Plin. Epiſt. II. 17. 13. qua Laurentinum ſuum deſcribit. *Eſt*, inquit, *& alia turris: in hac cubiculum, in quo ſol naſcitur conditurque: lata poſt apotheca & horreum: ſub hoc triclinium.* Hoc igitur eſt, quod Horat. Od. III. 21. 7. amphoram alloquens, ait:

Deſcende, Corvino jubente.

Et Od. III. 28. 7.

Parcis deripere horreo
Ceſſantem Bibuli Conſulis amphoram.

Torrent. in Horat. III. 28. 7.

Cella unctoria in balneis erat locus, in quo ungebantur. V. illam infr. in *Unctorium.*

Cellæ nomine, id eſt, ad ſe & familiam ſuam alendam a provincialibus aliquid exigere permittebatur Prætori vel Proconſuli. Hoc ex Senatuſconſulto & legibus permittebatur, & a Senatu definiebatur, quantum ſumere liceret. Cum autem more invaluiſſet, ut in commodum aratorum, qui aut frumentum jam vendidiſſent, aut ſervare vellent; aut in eum locum, quo imperabatur, portare nollent, Prætor loco frumenti pecuniam acciperet, conſuetudo æſtimationis introducta eſt, qua Prætor frumentum, quod ipſi in *cellam* debebant aratores dare, æſtimaret. Aſcon. in Verr. de Præt. Urb. p. 95. *Licebat magiſtratibus in uſus ſuos frumentum accipere, ſi vellent, aut pro frumento pretium, quæ æſtimatio dicebatur.* Et in Divinat. p. 29. *Dabat Sicilia æſtimatum, quod decretum Prætor in cellam, hoc eſt, in uſus cellæ æſtimare ſolebat, cum interdum pro frumento pecuniam ſumeret.* Hoc frumento Prætor, vel Proconſul domum ſuam, cohortem & præfectos alebat. Hinc Cicer. ad Attic. VI. 3. ſcribit, Gavium, qui ſe præfectum gerebat, impudenter a ſe *cibaria* petiiſſe. *Burman. de Vectig. c.* 2. *Guther. de Offic. Dom. Aug.* II. 9.

Cellæ in diverſoriis erant cubicula. Petron. c. 55. *Vos me hercule, ne cellæ mercedem daretis, fugere nocte in publicum voluiſtis.* Buleng. de Conviv. II. 64.

Cellæ in gladiatorum ludis erant multiplices & minutæ. In illis ſeorſim habebantur ſinguli gladiatores. Quintilianus: *Commorabor inter homicidas, incluſus turpiore cuſtodia, & ſordido cellarum ſitu.* Idem: *An ille animus rediret in cellulam, ferret ſaginam, magiſtrum, perſonam denique ſceleris?* Lipſ. Saturn. I. 14.

CELLARIA vocabatur portio, quam quiſque officialium & miniſtrorum ex cellis quas Imperatores habebant, & in quibus collectum vinum ex provinciis & ſubjectis populis condebatur, in partem ſalarii accipiebat. Vopiſc. Prob. c. 4. *In ſalario diurno vini veteris diurnos ſextarios decem.* Diſtributio fiebat per *cellarios*. V. infr. in *Cellarius*. Burman. Diſſert. de Vectig. c. 3.

CELLARIUM eſt quod pro penſione *cellæ* ſolvitur, quam pro clientibus & paraſitis magnates & patroni dependebant. Juven. Sat. IX. 63.

Sed clamat penſio cellæ.

Salmaſ. in Lamprid. Heliog. c. 26.

Cellarium eſt, quod ex *cella* promptuaria depromitur. Præter annonas, quo nomine panis, vel frumentum proprie intelligebatur, miniſtri caſtrenſibus, paraſitis, & reliquis domeſticis Palatinæ domus etiam ſal, vinum, oleum, caro bubula, lardum, & cæteræ ſpecies, quæ ex *cellario* depromuntur, deferri ſolebant. Hoc Lamprid. Heliogab. c. 26. vocat, ut illum emendo *cellarium ſalarii*, pro quo Heliogabalus *mittebat paraſitis ſuis vaſa annua cum ranis, & ſcorpiis, & cum ſerpentibus, & hujuſmodi monſtra. Cellarienſes ſpecies* dicuntur leg. 32. C. T. de erog. mil. ann. *Cellarienſium ſpecierum gratia, quas in dignitatibus conſtituti, id eſt, rectores provinciarum & comites ſolent accipere.* Salmaſ. in Lamprid. Heliogabalum. Du Freſne Gloſſario. Burman. Diſſert. de Vectig. c. 3.

CELLARIUS eſt ſervus, a *cella* nominatus, ideo *cellæ* præpoſitus, ut rationes ſalvæ ſint. Ulpian. leg. 12. ff. de inſtr. & inſtrum. leg. *Cellarium quoque, id eſt, ideo præpoſitum, ut rationes ſalvæ ſint.* Popm. de Serv. p. 21. Pignor. de Serv. p. 515. Guther. de Offic. Dom. Aug. III. 30. Rem cibariam, quæ in penu, adſervabat. Plaut. Capt. IV. 2. 115.

Sume, poſce, prome quid vis: te facio cellarium.

Senec. Epiſt. 122. *Circa lucem diſcurritur, pueri vocantur, cellarii, coqui tumultuantur. Quæro quid ſit? dicitur mulſum & alicam popoſciſſe.* Pignor. de Serv. p. 96. Du Freſne Gloſſario. Buleng. de Imp. Rom. II. 3. Vocabatur etiam *promus*. V. illum infr. in *Promus*.

CELOX erat navigium breve, in quo ſinguli nautæ ſingulos tantum tractabant remos. Docet Suidas, quando ait: *Celox per tranſlationem dicitur a celete equo, cui vir unus inſidet.* Mens Suidæ eſt hæc. Quemadmodum *celetes*, vel, ut Latini nominabant, ſingulares equites ſingulis ex equis pugnabant, ita & *celoces* dicebantur eæ naves, in quibus ſinguli ſingulos tantum tractabant remos. Quod & tum fiebat, cum unicus navigabat. De ea Scholia Thucyd. I. *Parvum navigium, quod ab uno incitatur.* Alias pluribus impellebantur. Apud Nonium XIII. I. Varro Bimargo:

Nautæ remivagam movent celocem.

Turpil. Lemniis:

Remulis ſenſim celox ab oppido proceſſerat.

Scheffer. de Milit. Nav. II. 2. Diſſert. de Variet. Nav. Theſ. Antiq. Græcar. Gronov. Tom. XI. p. 773. C. Bayf. de Re Nav. Theſ. Gronov. ibid. p. 605. C. Voſſ. Lex. Etymol. Pro prædatoriis, vel piraticis navibus ſæpe poni videas. Liv. XXXVII. 27. *Apparuit inde piraticas celoces & lembos eſſe.* Dolet. de Re Nav. Theſ. Antiquit. Græcar. Gronov. Tom. XI. p. 677. A. Errant, qui cum pentecontoris confundunt. Quod ex eo patet, quia cum hæ eſſent naves longæ, *celoces* contra longis opponuntur. Appian. de Bell. Pun. p. 12. *Sequebantur eum celoces & lembi plurimi.* Polyb. V. 94. *Duas naves longas cum viris ipſis cepit, cepit & celocem.* Scheffer. de Milit. Nav. II. 2. *Celocem* Rhodii invenerunt. Plin. VII. 56. *Scheffer. de Milit. Nav.* I. 3. *Gyrald. de Navig. c.* 8. *Calcagn. de Re Naut. c.* 2. *Voſſ. l. l. Columm. in Ennium p.* 132.

CELTAS ab Aquitanis Garumna flumen, a Belgis Sequana diſclufit. Inter *Celtas* & Aquitanos mons ſive

Cemen-

Cemennus, ſive Gebenna interceſſit, qui Pyrenæo ex altera parte reſpondet. Atque hi ſinguli in multos diſtributi populos, alii domeſticis regibus paruerunt, alii liberi rempublicam communibus armis & communi conſilio adminiſtrarunt. Cum autem *Celtæ*, interprete Strabone, ab Alpibus ad Gebennam montem pertinerent, certe Salyes, Cavares, Vocontii, Allobroges, Volcæ, Ruteni & Arverni inter *Celtas* fuerunt. Nam quin Helvetii, Sequani, Æduique ex *Celtico* genere fuerint, qui his finitimi a ſeptentrione fuerunt, nemo dubitat. *Sigon. de Ant. Jur. Prov.* I. 6. Præter ſaga *Celtæ* loco tunicæ geſtarunt veſtes ſciſſas & manuleatas uſque ad pudenda. Strab. IV. p. 135. de habitu Gallorum. *Ferrar. de Re Veſt.* II. 3. 9. Seniores in rubro clypeo duos luteos dracones ex eodem cippo exeuntes, & capita in ſummo ſibi admoventes tenebant. De *Celtis* Ammian. XX. 4. *Miſit auxiliares Herulos, & Batavos, cumque Petulantibus Celtas.* Panciroll. Notit. Dign. Imper. Occid. c. 21. §. 4. Juniores in alba parma orbem album rubro & cæruleo circulis cinctum præferunt. Extremitatem clypei rubeus circulus cingit. Quod duplici imperio connexo Romanum orbem regi inſinuat. *Panciroll. ibid.* §. 47.

CELTIBERI, Hiſpaniæ populi, quaſi ex *Celtis & Iberis* commixti, nunc *Biſcaini* vocantur. *Panciroll. Notit. Dign. Imp. Occid. c.* 88. Si qui in acie mortem oppetunt gaudio exſultant: ſi autem morbo affecti decedunt, in ſquallore & luctu ſunt. *Alex. Gen. Dier.* III. 7. *Moreſtell. Pomp. Feral.* II. 37. Levia Romanis cum *Celtiberis* fuerunt bella citeriorem Hiſpaniam vaſtantibus, a variis ducibus geſta. *Sigon. de Ant. Jur. Prov.* I. 5.

CEN.

CENARII leguntur in antiqua Inſcriptione Romæ.

HIC. JACET. NOMINE. MATRONA
C. F. IN. PACE. UXOR. CORNELI
PRIMICERI. CENARIORUM. FILIA
PORPHORI. PRIMICERI. MONETA
RIORUM.

Vix *Cenarios* interpretor, quos tamen inter monetarios referendos inſcriptio monet. Κήνεον Heſychio eſt καθαρὸν, purum: & aurum aut argentum purum dicitur, quod expurgatum & excoctum eſt. Unde *cenarios* arbitror eſſe auri & argenti expurgatores, καθαρίζοντας, quos nos dicimus *Affineurs*. Guther. de Offic. Dom. Aug. III. 9.

CENOTAPHIUM erat *tumulus ſine corpore*. Ovid. Met. XI. 429. μὴ ἔχον νεκρόν. Suidas. Excitabatur inſepultis, quorum reliquiæ non faciles erant inventu, ut qui in mari perierant. Callim. Anthol. III. 22. 9. n. 3.

Nunc vero hic in mari alicubi fertur mortuus, pro ipſo autem
Nomen & vacuum ſepulcrum præterimus.

Item iis qui militiæ occiderant. Tale ſepulcrum ſtruitur apud Xenophont. Exped. Cyri VI. militibus defunctis, quorum reliquiæ non poterant reperiri. Et in hiſtoria Romana Varianis legionibus ab Arminio cæſis poſt ſex annos *cenotaphium* exſtruxit Germanicus: unde Tacit. Annal. I. 62. 2. *Primum exſtruendo tumulo ceſpitem Cæſar poſuit gratiſſimo munere in defunctos.* Fiebat religionis cauſa, quod veteres exiſtimarent, animas non poſſe prius quieſcere, quam ſepulcro eſſent conditæ. Ob hanc cauſam ψυχαγωγία & κενοτάφια ſunt inſtituta, ut quorum corpora reperiri nuſquam poſſent, iis inanis tumulus exſtrueretur, ad quem animas mortuorum vocarent: quod ſepulcri inſtar apud Romanos habitum. Auſon. Parent. Præf. n. 10.

Voce ciere animas funeris inſtar habet.

n. 13.

Ille etiam mæſti cui defuit urna ſepulcri,
Nomine ter dicto pæne ſepultus erit.

Kirchman. de Fun. Rom. III. 27. Mourſ. de Funer. c. 40. in Lycophr. p. 194. Vignol. Diſſert. de Column. Anton. Pii c. 4. Quenſted. de Sepult. Vet. c. 10. Gyrald. de var. ſepel. rit. c. 15. & Faes in illum. Blond. Triumph. Rom. I. p. 43. A. Guther. de Jur. Man. II. 18. Non aliter quam ipſum ſepulcrum ornabant inſcriptionibus Romani. Ovid. Met. XI. 705.

——— *inque ſepulcro,*
Si non urna, tamen junget nos litera: ſi non
Oſſibus oſſa meis; at nomen nomine tangam.

n. 429.

Et ſæpe in tumulis ſine corpore nomina legi.

Græci de Periandro Laert. I. 97. *Corinthii cenotaphium illius verſibus illuſtrarunt:*

Et Sophia & nummis Periandrum terra Corinthus
Clarum littoreo continet alma ſinu.

Kirchman. l. l. Quomodo differat a tumulo honorario, & an aliquid habuerit religionis. V. infr. in *Tumulus honorarius.*

CENSENDI inſtitutum eſt a Servio Tullio Rege, qui *cenſum* in Rempublicam intulit, atque, ut hoc modo ageretur, inſtituit. Populum univerſum jurejurando adactum fortunarum ſuarum æſtimationem apud ſe profiteri juſſit: qua cognita eundem in ſex claſſes, & centum tres nonaginta centurias ita diſtribuit, ut in primas centurias, qui maximo eſſent *cenſu*, conjecerit, in reliquas deinceps qui minore, ſervato eo *cenſu* & centuriarum gradu, quem in claſſibus & centuriis exponendis oſtendemus. Inde manſit, ut cives omnes in ſua quiſque tribu, claſſe, centuria, jurejurando dato, apud eum, penes quem jus *cenſendi* populi eſſet, nomina ſua, uxorum, liberorum, libertorum, ſervorumque ſuorum, profiterentur. præterea ætatem omnium, regionem quam habitarent, & fortunarum ſuarum æſtimationem deferrent. Hoc jus primum Regum; deinde Conſulum & Dictatorum; poſtremo proprio ad id magiſtratu creato, *Cenſorum* fuit. Itaque Servius quater *cenſum* egit, quintum P. Valerius & T. Lucretius Coſſ. anno poſt Reges exactos II. ſextum decennio poſt T. Lartius Dictator. Conſules poſtea quater interjectis temporibus populum *cenſuerunt*; ſed continentibus bellis gerendis occupati per annos undecim ei muneri vacare non potuerunt. *Sigon. de Ant. Jur. Civ. Rom.* I. 14. *Panvin. de Civ. Rom. c.* 52. *Faſt.* I. *p.* 52. *Hotman. Antiquit. Roman.* II. 5. *Blond. Triumph. Rom.* III. *p.* 60. *H. Manut. de Civit. Rom. Theſ. Antiq. Roman. Græv. Tom.* I. *p.* 31. 32. Non *cenſebantur* orbi & orbæ. Liv. III. 3. *Cenſa civium capita centum quatuor & viginti millia ducenta quindecim dicuntur, præter orbos orbasque.* LIX. *Cenſa ſunt civium capita trecenta tredecim millia, octingenta viginti tria, præter pupillos & viduas.* Manut. & Panvin. l. l. Non pueri, & feminæ, & ſervi, & mercatores, atque opifices, qui vel ſervi, vel peregrini erant. *Hotman. l. l.* Nec coloni. Hi enim ſi *cenſi* fuiſſent, cives Romani fuiſſent. Cives non fuiſſe liquet, quod neminem unquam ex ulla colonia, e-rant multæ tamen prope Urbem, ſuffragii ferendi cauſa ad Urbem veniſſe legimus. Sed argumentum illud clariſſimum, quod multos ex coloniis cives Romanos eſſe factos Cicero commemorat pro Cluentio. Semel omnino colonias eſſe *cenſas*, bello ſcilicet Punico II. animadverti. Sed id, non quia coloni civium numero haberentur, factum exiſtimo; ſed, ut, quibus auxiliis uti populus Romanus in bello poſſet, e *cenſu* poſſet intelligi Liv. XXIX. *Duodecim coloniarum, quod nunquam antea factum erat, deferentibus Cenſoribus, cenſum acceperunt: ut, quantum numero militum, quantum pecunia valerent, in publicis tabulis monumenta exſtarent. Cenſebantur* cives Romani non ubi ad ætatem ferendis armis idoneam, hoc eſt, ad annos ſeptendecim pervenerant; quod quidam exiſtimarunt; ſed a quo primum die nati erant. Nam ſi robuſtiores tantum *cenſi* fuiſſent, Servio Tullio regnante, Romæ fuiſſent hominum ducenta millia. Siquidem Liv. I. 44. millia octoginta: Dionyſ. IV. p. 245.

p. 245. plures in primo cenſu commemorat, ut neceſſe ſit, eos, qui nondum per ætatem geſtare arma poſſent, haud fere pauci res viginti millibus fuiſſe. Et quidem quinto quoque anno exacto, tametſi ultra quinquennii tempus vel bello, vel domeſticis diſcordiis, vel alio caſu in ſeptem, decem, & aliquando ſeptemdecim annos *cenſum* productum eſſe ex Faſtis conſtet. *Manut.* & *Panvin. l. l.* In foro. Hoc conjicio, quod Equites trabeatos per medium forum Idibus Quintilibus ante Cenſores ſua manu equum transduxiſſe, Livius, Valerius, Suetonius, Plutarchus affirmant. Quod ſi Equites in foro *cenſebantur*, de cæteris nihil obſtat, quin idem putemus. *Manut. l. l.* Deinde in villa publica. Varro & Victor. V. illos infr. in *Villa publica.* Erat hæc in campo Martio, quem morem a Cæſare labefactatum oſtendit Suet. c. 41. n. 6. *Recenſum nec more, nec loco ſolito, ſed vicatim per dominos inſularum egit,* Sigon. l. l. Qui Suetonii verba male intellexit de *cenſu* luſtrali totius populi Romani, ſive omnium ejus ordinum. Quo modo illum agere potuiſſent domini inſularum? Agit ibi Suetonius de *recenſu* populi tenuioris frumentum menſtruum gratuitum accipientis, uti oſtendunt ſequentia n. 7. *Ne qui novi cœtus recenſionis cauſa moveri quandoque poſſent, inſtituit quotannis in demortuorum locum ex his, qui recenſiti non eſſent, ſubſortitio a prætore fieret.* Quis enim non videt, ad plebem pauperiorem hæc pertinere, quam paſcebat frumentum publicum? His elocatæ erant inſulæ, quas poſſidebant homines pecunioſi: ideoque per illos, inſularum nimirum dominos, facile poterant recenſeri earum incolæ. *Græv. Theſ. Antiq. Roman. Tom.* I. *Præfat.* * * * 3. *verſ. Cenſendi* ordo hic erat. Senatorum, quia plebi & Equitibus præſtabant, primum recitabantur. Erat autem inter ipſos Senatores primum recitari perhonorificum: iſque princeps Senatus vocabatur. Poſt Senatores cenſebantur Equites hoc modo. Singularum tribuum, quæ erant 35, nomina tantum legebantur: deinde equites omnes cujuſque tribus, in unum collecti, recitabantur. Ita & fiebat Equitum *cenſus* ſeorſim a plebejis, nec tamen quiſquam extra tribum *cenſebatur*. Dico omnes Equites ſimul eſſe *cenſos*. Alioqui, ad recognoſcendas Equitum centurias, quam longi temporis fuiſſet opus, ſi diverſis per omnes tribus Equitum nominibus, diverſis in locis, permiſti cum plebejis, legerentur. Et princeps Equeſtris ordinis dicebatur is, quem *Cenſores* primo loco ſcripſiſſent in tabulis, quæ Equitum nomina continebant. Peracto Senatorum & Equitum *cenſu* tertius ordo, homines de plebe, in ſua quiſque tribu *cenſebatur*. Manut. ibid. p. 33. 34. Imo potius in ſua quiſque *centuria*. Elucet ex delectu militari. Is cum haberetur, vocabantur ſingulæ centuriæ, unde tribuni legebant, quos centuriarent. Unde vero hæ centuriæ, niſi ex *cenſorum* tabulis cognoſcebantur? Patet id etiam ex centuriatis comitiis. Quis enim in centurias deſcripſiſſet cives Romanos niſi cenſor? Non mirum autem Liv. XXIX. 37. in *cenſura* Salinatoris & Claudii Neronis mentionem tantum facere tribuum, nullam vero claſſium. Tribus enim ſingulæ pro fortunis diſtinctæ erant in quinque claſſes. In tribubus nulla habebatur ratio facultatum, ſed in ſingula tribu fuerunt omnium claſſium homines, qui pro divitiarum modo in centurias dividebantur. Cum comitia centuriata habebantur; conveniebant omnes tribus in Campo Martio, ſed diſtinctæ in ſuas centurias. Hinc toties fit mentio tribuum in centuriatis comitiis. *Græv. Theſ. Antiq. Roman. Tom.* I. *Præfat.* * * * 3. Omnes, etiam municipes ante legem Juliam a *Cenſoribus* Romæ eſſe *cenſos* facile crediderim. Poſt legem Juliam, civitate univerſæ Italiæ impertita, mirum videri poſſet, tantam multitudinem, ut *cenſeretur*, in Urbem confluxiſſe: nec deſunt, qui opinentur, omnes in ſuis oppidis atque urbibus a ſuis magiſtratibus eſſe *cenſos*, deinde *cenſorum* numerum Romam ad *cenſores* miſſum. Me Ciceronis & Pediani teſtimonium adducit, ut omnino Romæ *cenſos* exiſtimem. Ait enim Cicer. Verr. Prœem. c. 18. *Cum hæc frequentia totius Italiæ Roma diſceſſerit.* Et Pedian. p. 63. *Frequentiam dicit plebis ruſticæ, cui voluit judicii exitu notam eſſe integritatem ſuam. Convenerat autem ex municipiis cujuſcunquemodi multitudo, aut propter comitia ſuffragiorum cauſa, aut ludorum votivorum, Romanorum, Victoriæ, plebejorum, aut ut cenſeretur apud Cenſores Gellium & Lentulum, qui tunc erant.* Tabulas tamen eorum, qui *cenſerentur*, duplices fuiſſe crediderim: quarum unas Romæ, alteras in eorum urbibus, aut oppidis aſſervatas. Romæ quis dubitet? Ad unamquamque Urbem, aut oppidum exemplum illarum fuiſſe miſſum ſatis aperte declarat Cic. pro Cluent. c. 14. *Illum*, inquit, *publicas tabulas Larini cenſorias corrupiſſe decuriones univerſi judicaverunt.* Et. *Dum eum fuiſſe Oppianicum conſtabit, qui tabulas publicas municipii ſui corrupiſſe judicatus ſit.* Manut. ibid. p. 27. B. Pigh. Annal. Roman. I. p. 166. Panvin Faſt. I. p. 52. V. & infr. in *Tabulæ cenſoriæ.*

CENSIO *haſtaria dicebatur, cum militi ob delictum militare indicebatur quod haſtas daret.* Feſtus. Futilis ſcriptura videtur. Nam quot haſtas cenſes militem dediſſe? Legendum putarim, *quod haſta ſtaret.* hoc eſt, uſu haſtæ ipſi interdicebatur. Sic ſecubare, & alia non pauca dicuntur. *Barth. Adv.* XLI. 1. Fuit hæc ex pœnis militaribus. Quemadmodum enim illi, qui rem egregie geſſerunt, haſta pura donari ſummo honori duxerunt: ita viciſſim non exigua erat ignominia, haſtam reſignare. *Godwyn. Anthol. Roman.* IV. 5. *Laurent. de Rebuſp. c.* 7. & *Polym.* IV. *Synopſ.* 3. Et non minus ſi frangeretur, quod nonnunquam factum patet ex Ammiano laudato infr. in *Milites.* Sichterman. Diſſert. de Pœn. Milit. c. 14.

CENSITOR erat vel *cenſuum* impoſitor, ut patet ex toto titulo Cod. Th. de Cenſibus. Vel qui *cenſum* agebat, & præcipiebat præſtationes tributorum, pignoriſque jure prædia vendebat, ſi *cenſus* non ſolvebatur. ut in leg. formum. §. illam & leg. cum poſſeſſor. §. pro pecunia ff. de Cenſibus. Vel tandem, qui recipiebat præſtationes collectorum, ut ex titulo legibuſque allatis deprehenditur. *Urſat. de Not. Roman. Theſ. Antiq. Roman. Græv. Tom.* XI. *p.* 602. *E. Buleng. de Vectig. c.* 2. *Laz. Comm. Reip. Rom.* II. 6. Vocabatur etiam *legatus ad cenſus accipiendos.* Vetus lapis:

CAJO. LÆLIO. LEGATO. IMP. NERVÆ TRAJANI. CÆSARIS. AUG. AD. CENSUS ACCIPIENDOS.

Hac de re Sidon. Epiſt. VIII. 6. *Audivi eum adoleſcens, atque adhuc nuper ex puero, cum pater meus præfectus prætorio Gallicanis tribunalibus præſideret. Adhærebam ſellæ curuli, etſi non latens per ordinem, certe non ſedens per ætatem: mixtuſque turmæ cenſualium penulatorum. proxime Conſuli proximus eram.* Cenſuales ſtabant, ſedebat ſolus, qui *cenſum* ageret. *Guther. de Offic. Dom. Aug.* III. 9. Hi etiam *Peræquatores* vocabantur. V. illos infr. in *Peræquator.*

CENSORES creati ſunt anno ab U. C. 310. cum Conſules perpetuis bellorum curis impediti *cenſum* peragere nequirent. Liv. IV. 8. *Ortum initium rei eſt, quod in populo per multos annos incenſo, neque differri cenſus poterat, neque Conſulibus, quum tot populorum bella imminerent, operæ erat id negotium agere. Mentio illata ab ſenatu eſt, rem operoſam ac minime conſularem ſuo proprio magiſtratu egere.* Zonar. Annal. II. *Creati propterea Cenſores fuerunt, quia Conſules rebus omnibus propter earum multitudinem ſufficere non poterant. Nam Conſules omnem illam, quæ tum Cenſoribus attributa eſt, præfecturam ad illud uſque tempus geſſerant.* Hotoman. de Magiſtrat. Roman. Theſ. Antiq. Roman. Græv. Tom. II. p. 1866. A. Sigon. de Antiq. jur. civ. Roman. I. c. 14. & 20. Robortell. de Magiſtr. Imp. Theſ. Antiq. Roman. Græv. Tom. III. p. (40.) C. Panvin. in Faſt. I. p. 87. Flocc. de Poteſt. Roman. II. 17. Lycklama de Magiſtrat. c. 10. Læt. de Magiſtrat. Roman. c. 21. Volaterr. Comment. Urban. XXIX. p. 1102. G. Lipſ. de Magiſtrat. Roman. c. 18. Blond. Triumph. Rom. III. p. 61. C. A principio duo ſunt creati, totidem ſcilicet, quot conſules, quorum vicem etiam hac parte ſuſtinebant, iique ex patriciis. *Zonar. l. l.* Liv. l. l. *Patres quamquam rem parvam, tamen quo plures patricii magiſtratus in Republica eſſent, læti accipere: id quod evenit, futurum*

crede

credo etiam rati, ut mox opes eorum qui præessent, ipsi honori jus majestatemque adjicerent. Quum e primoribus civitatibus spretus honor esset, Papirium Semproniumque censui agendo populus præfecit. Hotoman. Panvin. Lycklama & Robertell. l. l. Sigon. ibid. c. 20. Primus ex plebe *censor* creatus est anno ab U. C. 411. C. Marcius Rutilus. Liv. VII. 22. *Cæterum cum Censoribus creandis indicta comitia essent, professus se petere censuram C. Marcius Rutilus, qui primus Dictator de plebe fuerat. . . . . Nec variatum comitiis est, quin cum Manlio Cneo Censor Marcius crearetur.* Anno vero 622. uterque Censor plebejus fuit Q. Pompejus & Q. Metellus. Liv. Epit. LIX. *Q. Pompejus & Q. Metellus, tunc primum uterque ex plebe Censores facti lustrum condiderunt.* Augustin. de Fam. Rom. in Pompeja. Lycklama l. l. Illorum electio Senatus acclamationibus fiebat & confirmabatur. Trebell. Poll. Valerian. P. & F. c. 1. *Cum in æde Castorum Senatus haberetur, ireturque per sententias singulorum, cui deberet deferri censura, ubi primum Prætor edixit: Quid vobis videtur P. C. de Censore deligendo? atque eum qui erat Princeps quum senatus sententiam rogasset, absente Valeriano, omnes una voce dixerunt, interrupto more dicendæ sententiæ, Valeriani vita censura est: ille de omnibus judicet, qui omnibus melior est: ille de Senatu judicet, qui nullum habet crimen: ille de vita nostra sententiam ferat cui nihil potest objici. Valerianus a prima pueritia Censor fuit. Valerianus in tota vita sua fuit Censor. Prudens senator, modestus senator, gravis senator. Amicus bonorum, inimicus tyrannorum, hostis criminum, hostis vitiorum. Hunc Censorem omnes accipimus, hunc imitari omnes volumus. Primus genere, nobilis sanguine, emendatus vita, doctrina clarus, moribus singularis, exemplum antiquitatis. Quæ cum essent sæpius dicta, addiderunt; omnes.* Ferrar. de Vet. Acclam. & Plaus. IV. 5. Etsi inter majores erat magistratus, jus tamen ferendæ legis, aut habendorum comitiorum non habebat. Ideo dixit Plin. XXXV. 17. *Lex Metilia exstat, fullonibus dicta, quam Censores dedere ad populum ferendum.* Manut. de Leg. Rom. c. 32. Officium sive munus describunt Cicer. de Leg. III. 3. *Censores populi ævitates, soboles, familias, pecuniasque censento: Urbis templa, vias, aquas, ærarium, vectigalia tuentor; populique partes in tribus distribuunto, exin pecunias, ævitates, ordines partiuntor: equitum peditumque prolem describunto. Cœlibes esse prohibento: mores populi regunto. bini sunto.* Ascon. Ped. in Cicer. p. 20. *Regendis moribus civitatis Censores quinto quoque anno creari solebant. Hi prorsus cives sic notabant, ut qui senator esset, ejiceretur senatu; qui eques Romanus, equum publicum perderet; qui plebejus in cæritum tabulas referretur, & ærarius fieret, ac per hoc non esset in albo centuriæ suæ, sed ad hoc esset civis tantum, ut pro capite suo tributi nomine æra penderet. Iidem completo quinquennio Urbem lustrabant.* Hotoman. ibid. p. 1865. D. Prevot. de Magistrat. Roman. c. 10. Aquam etiam publicam civibus concedendi jus habebant. V. supr. in *Aquam*. Vectigalia locabant. V. infr. in *Vectigal*. Viarum curam administrabant. V. infr. in *Via*. Tabularum & librorum curam gerebant. Liv. IV. 8. *Proprio magistratu egere: cui scribarum ministerium, custodiæque, & tabularum cura: cui arbitrium formulæ censendi subjiceretur.* Huc facit locus Cicer. de Leg. III. 20. *Legum custodiam nullam habemus: Itaque hæ leges sunt, quas apparitores nostri volunt: a librariis petimus, publicis literis consignatam memoriam nullam habemus. Græci hoc diligentius: apud quos νομοφύλακες creantur: nec hi solum literas, nam id quidem etiam apud majores nostros erat; sed etiam facta hominum observabant, ad legesque revocabant. Hæc detur cura Censoribus: quandoquidem eos in Republica semper volumus esse apud eosdem, qui magistratu abierint, edant, & exponant, quid in magistratu gesserint: deque iis Censores præjudicent.* Flocc. de Magistr. Rom. II. Lomejer. de Biblioth. c. 13. Acta sua tabulis publicis descripta in æde Nympharum servaverunt. Cicer. pro Mil. c. 27. *Qui Nympharum ædem incendit, ut memoriam publicam recensionis tabulis publicis impressam exstingueret.* Ad quid eæ Nymphis creditæ? nisi quod censura puræ mentis integritatem iis peculiarem exigat. *Tomas. de Donar. c. 28.* Ad illos etiam pertinebant sponsalitiæ quæstiones. Varr. de Ling. Lat. V. 7. *Despondisse dicebatur, quod de sponte ejus, id est, voluntate exierat. Non enim si nolebat, dabat quod sponsu erat obligatus. Nam in comœdiis vides dici: sponden' tuam gnatam filio uxorem meo? quod tum & prætorium jus ad legem, & censorium judicium ad æquum æstimabatur.* Ad *censores* enim ducebatur, qui ex desponsationis causa conveniebatur, ut de ejus moribus improbis cognosceretur, qui desponsatam puellam domum uxorem duci non patiebatur. Si is qui spoponderat, non serio, sed animo potius jocandi apud *censores* diceret, se filiam despondisse, *censorium judicium ad æquum æstimabatur sic*, ut de ejus, qui desponderat, animo diligenter inquireretur: eoque probe perspecto, quod æquitas suaderet, adhibita interdum *censuræ* nota statueretur. Et de maritorum, & uxorum moribus cognoverunt. Id testatur M. Cato in ea, quam de dote scripsit, oratione: *Vir, cum divortium fecit, mulieri judex pro censore est.* Et hoc voluerunt Gell. IV. 20. & Cicer. de Orat. II. 64. V. illos infr. in *Ex animi tui sententia.* Rævard. Var. IV. 13. Senatores senatu ejiciebant. Fiebat illud, cum *censores* initio suæ *censuræ* senatum legebant, & nomina singulorum edebant, qua in lectione si quos ejectos senatu vellent, eorum nomina simpliciter præteribant, eaque præteritione senatu censebantur moti senatores, siquidem nomina illorum non amplius albo tunc erant inscripta. De hac præteritione Festus in Præteriti. V. illum infr. in *Lex Ovinia*. Etiam Liv. XXXIV. 44. *Tres omnino senatores, neminem curuli honore usum, præterierunt censores Sex. Ælius Pætus & C. Cornelius Cethegus.* Et de censoribus T. Quinctio Flaminino, & M. Claudio Marcello XXXVIII. 28. *Quatuor senatores præteriti sunt, nemo curuli usus honore.* Ejus meminit Cicer. pro dom. c. 32. *Patrem tuum, civem optimum, clarissimi viri filium, qui si viveret, qua severitate fuit, tu profecto non viveres, L. Philippus censor avunculum suum præteriit in recitando senatu.* Equitibus equos adimebant. V. infr. in *Equites*. Plebeji ordinis homines tribu movebant. V. infr. in *Tribus*. Peracto *censu*, is *censor*, cui sors condendi lustri contigerat, congregato in campum Martium populo Romano eum sacrificio de sue, ove, & tauro facto, quod Solitaurilia, sive Suovetaurilia lustrabat, ad exemplum Servii Tullii testibus Livio & Dionysio laudatis infr. in *Solitaurilia*. Ubi etiam vide laudatum Asconium. Et hunc morem ad suam ætatem usque permansisse testatur Dionys. IV. p. 225. *Censores* autem id facientes dicebantur *lustrum condere*. Hæc munera *censorum*, P. Clodio tribuno plebis aliquantum sunt imminuta, ut favorem sibi senatus, & equitum, & plebis conciliaret lata lege. V. illam infr. in *Lex*. Hanc autem legem a Clodio latam subinde Metellus Scipio Consul iterum e medio sustulit, in pristinum statum redacta potestate *censoria*. Duravit hic magistratus usque ad Reipublicæ lapsum. Post quem ea, quæ prius a *censoribus* tractabantur, Principum arbitrio permissa fuerunt. Elapso magno temporis intervallo, sub Decio nempe *censuræ* honos, sed ad breve tempus, restitutus est. Fusius Treb. Poll. in Valerian. c. 1. & 2. *Panvin. in Fast. I. p. 90. Lycklama l. l. Laurent. Sacr. var. gentil. c. 2.* Uno *censorum* defuncto illi nemo subrogabatur, sed ille, qui in vivis manserat, solebat se e vestigio magistratu abdicare. Liv. V. 31. *Bellum duobus populis*, Volsiniensibus & Æquis, *indictum. C. Julius censor decessit: in ejus locum M. Cornelius suffectus. Quæ res postea religioni fuit: quia eo lustro Roma est capta. Nec deinde unquam in demortui locum censor sufficitur.* VI. 27. *Creati censores, C. Sulpicius Camerinus, Sp. Postumius Regillensis. Cœptaque jam res morte Postumii, quia collegam suffici censori religio erat, interpellata est. Igitur quum Sulpicius abdicasset se magistratu, censores alii vitio creati non gesserunt magistratum.* IX. 34. *An collegam subrogabis*, ita alloquitur P. Sempronius tribunus plebis Appium Claudium *censorem*, qui C. Plautio collega ejus *se juxta legem Æmiliam*, post sesquianni spatium abdicante, exemplum insequi nolebat, *quem ne in demortui quidem locum subrogari fas est.* Quam ob rem etiam

Sempronius eum prehendi, & in carcerem, tanquam contumacem, protrudi curavit. *Pigh. Annal. Rom.* I. *p.* 164. *Lycklama l. l.* Nunquam fere bis iidem *censores* creabantur, quod invidiosum esset, si iidem bis ad *censuram* producerentur, propter maximam vim, & vigorem, quo uti in *censura* poterant. Hinc *censuram* sibi secunda vice oblatam respuit Marcius Rutilus Censorinus, testem se præbente Val. Max. IV. I. 3. *Par Furio moderatione Marcius Rutilus Censorinus. Iterum enim censor creatus, ad concionem populum vocatum quam potuit gravissima oratione corripuit, quod eam potestatem sibi bis detulisset: cujus majores, quia nimis magna videretur, tempus arctandum judicassent. Uterque recte, & Censorinus, & populus: alter enim, ut moderate honores crederent, præcepit: alter se moderato credidit.* Q. Fabius Rullianus apud Aur. Victor. c. 32. n. 2. *Iterum censor fieri noluit, dicens, non esse ex usu Reipublicæ eosdem censores sæpius fieri.* Lycklama l. l. Schott. in Victorem. Primo quinquennis fuit. Ascon. in Cicer. p. 20. *Regendis moribus civitatis censores quinto quoque anno creari solebant.* Deinde Mamercus Æmilius Dictator legem tulit consentiente populo an. 320. ut annua & semestris esset. Liv. IV. 24. *Alios magistratus annuos esse, quinquennalem censuram: grave esse iisdem per tot annos magna parte vitæ obnoxios vivere. se legem laturum, ne plus quam annua ac semestris censura esset.* IX. 33. *Appius Claudius Censor, circumactis decem & octo mensibus, quod Æmilia lege finitum censuræ spatium temporis erat.* Hotoman. ibid. p. 1866. C. Panvin. in Fastor. I. pag. 88. Lycklama, Pigh. & Lips. l. l.

CENSORIA notatio & animadversio in improbos, aut parum civitate Romana dignos cives non ejusdem erat generis: eaque cum utebatur *censor*, antiquo loquendi more *censionem facere* dicebatur. Senator senatu movebatur, eques equum publicum perdebat, plebejus in Cæritum tabulas referebatur, & ærarius fiebat. V. supr. in *Cærites tabulæ.* Adimebant igitur *Censores*, quod cuique ordini summum erat; senatori, ne in senatu esset; equiti, ne equitis insigne, publicum equum & annulum aureum haberet; plebejo, ne suffragium ferret. quod enim præterea posset adimi, nihil erat. Suffragii porro amissionem sequebatur simul amissio omnium munerum publicorum: sicuti suffragii jure concesso, scimus honorum simul ac munerum omnium partem esse datam. *Manut. de Civit. Rom. Thes. Antiq. Roman. Græv. Tom.* I. *p.* 34. *C. Sigon. de Ant. jur. civ. Rom.* II. 16. *Pigh. Annal Rom.* I. *p.* 167. Patrum memoria, teste Liv. XXXIX. 42. institutum erat, ut *Censores* motis e senatu adscriberent notas. Unde Catonis, & aliorum orationes feruntur editæ in eos, quos aut senatorio loco moverant, aut quibus equos ademerant. Itaque notam adscribere nihil aliud fuit, quam causam infamem & ignominiosam in præteritum aliquem edere. Notare ergo, & ordine movere inter se distant. Ob leviores siquidem causas movebant senatu tantum *Censores*; gravioribus autem pollutos sceleribus notabant. *Zamosc. de Senat. Rom. c.* 19. Subscribebant etiam causas, quod socios diripuissent, quod judicium in sua civitate cum peregrino recusassent, quod propter æris alieni magnitudinem prædia mancipassent quibus exemplis, ut omittam alia, sunt enim innumerabilia, eos qui senatu ejecti essent; ideo ignominiosos habitos esse constat, quod, cur ejicerentur, dignam causam turpis eorum vita præbuisset. Omnino enim, si quid turpiter aut flagitiose senator aliquis commisisset, eum *Censor* in senatu recitando præteribat. *Manut. de Senat. Rom. c.* 3. Præteritus ordinem senatorium continuo amittebat: neque amissum jus recuperabat, nisi aut ab altero *Censore* mox probaretur: quam ob causam Liv. XL. 51. *Tres ejecti de Senatu: retinuit quosdam Lepidus a collega præteritos.* aut aliorum postea *censorum* judicio in curiam revocaretur. aut iis criminibus, quæ *Censores* in subscriptionem nominassent, juratorum judicum sententiis, absolveretur. aut populi Romani suffragiis *Censorum* judicium rescinderetur. aut denique se ad eos, quos gesserat, honores iterum petendos retulisset, donec minores magistratus consecutus ad curules perveniret, quorum jure & in senatu sententiam posset dicere, & a primis *censoribus* legi deberet. *Manut. & Zamosc. l. l.* Atque hanc ordinis senatorii recuperandi rationem Lentulus ille, cui propter conjurationem cervices in carcere fractæ sunt, secutus est. nam cum a Gellio & Lentulo *censoribus* ejectus esset e senatu, præturam, quam antea gesserat, iterum petiit, eamque adeptus jure magistratus in senatum rediit, nec igitur perpetua, quæ *censis* inferebatur, pœna erat; nec ejusmodi, ut honorum cursum impediret. *Manut. de Civit. Rom. Thes. Antiq. Roman. Græv. Tom.* I. *p.* 35. *A. & l. l.*

CENSORINUS vocatus fuit Marcius Rutilus, quod bis *censor* factus est, quod nemo unquam obtinuit. *Sigon. de Nom. Rom. c.* 5. *Augustin. de Fam. Rom. in Marcia.* A rigiditate atque austeritate morum denominatum vult Val. Max. IV. I. 3. V. illum supr. in *Censores.* Ursat. de Not. Rom. Thes. Antiq. Roman. Græv. Tom. XI. p. 597. C.

CENSUALES erant, qui sub magistro *census* publica monumenta scribebant, apud quem testamenta aperiebantur & publicabantur. leg. testamenta 18. leg. consulta 23. C. de testam. sed in primis patrimonia cujusque describebant. d. l. I. §. 2. de mun. & honor. Arcad. in d. l. ult. §. pari modo. *Pari modo*, inquit, *qui acceptandis, sive suscipiendis censualibus professionibus destinantur, ad personalis muneris sollicitudinem animum intendunt.* Inviti non creabantur; sed sponte hoc onus susceptum postea relinquere non poterant. d. l. 2. Cod. de tabular. *Panciroll. de Magistr. Munic. c.* 21. *Notit. Dign. Imp. Occid. c.* 3. *Salmas. in Capitol. Gordian. c.* 12. *Guther. de Offic. Dom. Aug.* III. 3. *Buleng. de Vectig. c.* 13.

CENSURÆ *initium fuit annus* 310. *rei a parva origine ortæ, quæ deinde tanto incremento aucta est, ut morum disciplinæque Romanæ penes eam regimen, senatus equitumque centuriæ, decoris dedecorisque discrimen sub ditione ejus magistratus, publicorum jus, privatorumque locorum, & vectigalia populi Romani sub nutu atque arbitrio essent.* Liv. IV. 8. *Panvin. de Civit. Rom. c.* 70. *Perizon. contr. Huber. de Prætor. c.* 13. Fuit primo quinquennalis, deinde annua & semestris. V. supr. in *Censor.* Ejus dignitas summa fuit: nec absurde Plutarcho in Caton. maj. p. 345. A. omnium honorum apex vocatur; & ab eodem M. Crassus dignitate *censoria* Pompejum superasse dicitur. Et Pollio tradit Valerianum antea *Censorem*, postea Imperatorem fuisse, omissa aliarum dignitatum nomenclatione. Et L. Vitellio, cum tres Consulatus præter *censuram* gesserit, atque ita non ut Q. Fulvius, aut T. Manlius Torquatus duobus apud Liv. XXV. 5. sed tribus esset Consulatibus & *Censura* insignis, ab hac tamen potius, ut per se eximia, & sub Cæsaribus singularis exempli quæsitum honori apud posteros monumentum. *Explica totos fastos*, inquit de Scipione Censore Valer. VIII. 13. *Constitue omnes currus triumphales, nihil tamen morum principatu speciosius reperies.* Nummi etiam, ut L. Vitellii, & statuæ, ut Scipionis nihil aliud olim inscriptum habuerunt, nisi *Censoris* nomen. Pater itaque ut L. Pisoni, cujus nobilitatem eo nomine extollit Tacit. Annal. III. 28. ita Vitellio Imperatori *censorius*, quod nesciri etiam a posteris noluit, & quo nomine Tacit. Hist. III. 9. *Censoris Vitellii filius* dicitur. Præcipuum nempe Romanæ nobilitatis decus domus *Censoriæ*, quarum meminit Halicarnass. I. p. 60. qui commentarios *censorios* tanquam patria sacra a patre ad filium docet transiisse, & multos e domibus *censoriis* viros illustres talia conservasse. Sub Cæsaribus duo circa *censuram* sunt mutata. I. Quod non ut antea, perpetua, & juxta legem de *Censoribus* apud Tullium de Leg. III. 3. *Eaque potestas semper esto*, sed intermissa fuerit in agendo *censu*, & pro arbitrio Principum solita renovari; unde neglecta eadem ab ævo Augusti ad Claudium, certe sub Tiberio *adserente non id tempus censura*, ut Tacit. Annal. II. 33. & postea nonnisi per varia temporum intervalla repetita. II. Quod eo casu etiam non amplius duo e Consularibus viris crearentur more veteri, sed Cæsar vel solus *censuram* gereret, vel collegam adscisceret, ut Claudius Vitellium: aut in

alium munus illud transferret, qualis sub Deciis Valerianus *Censor* exstitisse legitur. Postremi itaque sub Augusto Paullus Æmylius & Munatius Plancus duo privati simul veteri *Censura* functi. Dio LIV. p. 521. C. *Neque hunc magistratum suscepit; sed Censores statim alios fecit, Paullum Æmylium Lepidum & L. Munatium Plancum. Hi postremi censores simul ex privatis fuerunt: nec deinde alii censores eorum similes simul creati sunt. Augustus, his licet electis, multa tamen, quæ illorum essent officii, egit.* Suet. Claud. c. 16. n. 1. *Gessit & censuram intermissam diu post Paullum Plancumque censores.* Hoc munus Julius Cæsar admisit sub nomine Præfecti morum, sicut Cicer. Fam. IX. 15. & Suet. c. 76. n. 2. eum vocant. Augustus tenax callidi propositi perpetui *censoris* titulum recusavit. Alioquin & *censuram* gessit cum Agrippa. Macrob. Sat. II. 4. *Mira etiam Censoris Augusti & laudata patientia.* Factum vero postea, ut magister morum crearetur in quinquennium cum *potestate censoria*, ut amisso nempe titulo rem teneret. Alioquin *censoriam potestatem* pro vera *censura* dixerunt nonnunquam auctores, ut Liv. XLIII. 16. de irritis publicanorum precibus apud Senatum, ut *modum potestati censoriæ imponeret.* Valerius autem II. 9. de M. Valerio Messala *censoria* nota perstricto, *qui censoria postmodum potestate imperavit.* Cæsares potestate *censoria* sub Augusto reperta contenti a *Censoris* nomine frequentius abstinuerunt, aut tantum in agendo *censu* idem usurparunt. Hoc modo factum, ut obscura evaserit mentio gestæ *censuræ* in historia Augusta; nomen certe ejusdem a Flaviis admissum, post Domitiani vero tempora vix in publica Cæsarum monumenta sit adsumptum. *Spanhem. De usu & præst. numism. Dissert.* VIII. *Robortell. de Magistr. Impp. Thes. Antiq. Roman. Græv. Tom.* III. *p.* (40.)

CENSUS differebat a lustro, & *censum* agere a lustrum condere. *Censu* enim peracto demum suovetaurilibus populus est lustratus, & id vocabatur lustrum conditum. Liv. I. 44. *Censu perfecto, quem maturaverat metu legis de incensis latæ, cum vinculorum minis mortisque edixit, ut omnes cives Romani, equites, peditesque in suis quisque centuriis, in campo Martio prima luce adessent. Ibi instructum exercitum omnem suovetaurilibus lustravit: idque conditum lustrum appellatum, quia is censendo finis factus est.* Adde, quod *census* primum actus in foro, deinde in villa publica, qui campi Martii locus erat. Liv. IV. 22. *Eo anno C. Furius Pacilus, & M. Geganius Macerinus censores villam publicam in campo Martio probaverunt: ibique primum census populi est actus.* At lustrum semper in campo Martio conditum est. *Voss. Lex. Etymol. in Lustrum.* Præterea non tantum prius agebatur *census*, quam lustrum conderetur; sed *census* sæpe agebatur prætermisso lustro. Liv. III. 22. *Census actus eo anno; lustrum propter Capitolium captum, Consulem occisum, condi religiosum erat.* Et Dionysius in secundo Consulatu mentionem fecit *census*, lustri autem non fecit propter mortem alterius Consulis. *Robortell. de Magistr. Impp. Thes. Antiquit. Roman. Græv. Tom.* III. *p.* (40) *D. Voss. l. l.* Est a Servio Tullio Rege institutus, a Regibus, Consulibus & Dictatoribus ante creatos *censores*, in foro primum, deinde in campo Martio peractus. V. supr. in *Censendi institutum.* Duas opportunitates Reipublicæ attulit omnium, meo judicio, maximas. nam & numerum eorum, qui arma ferre possent, ostendit, & pecuniarum magnitudinem, quibus bellorum sumptus sustinebantur, indicavit. *Census* fortunarum eam habuit vim, ut singuli patresfamilias singula prædia, & urbana, & rustica in censu deferrent; pecuniæ summam, servorum pecudumque numerum, fundorum instrumenta sigillatim profiterentur. Liv. XXXIX. 44. de Catone censore. *In censibus accipiendis aspera in omnes censura fuit. ornamenta & vestem muliebrem, & vehicula, quæ pluris, quam quindecim millium æris essent, in censum referre viatores jussit. item mancipia minora annis viginti, quæ post proximum lustrum decem millibus æris, aut eo pluris venissent.* Gell. N. A. VII. 11. *Tu in uno scorto majorem pecuniam absumpsisti, quam quanti omne instrumentum fundi Sabini in censum dedicavisti.* Cicer. pro Flacc. c. 32. *Illud quæro, sintne ista prædia censui censendo? subsignari apud ærarium, apud censorem possint? in qua denique tribu ista prædia censuisti? census es præterea numeratæ pecuniæ centum triginta millia, census es mancipia Amyntæ.* Sigon. de Ant. Jur. Civ. Rom. I. 14. In censu primo Servii Regis, qui fuit minimus, numerus *censorum* fuit $\overline{XXC}$; aut, si Dionysium sequamur, multo plures: maximus Pompejo & Crasso Coss. $\overline{CDL}$, cum Cn. Gellius & L. Lentulus censuram gererent. nam qui post bellum civile deinde *census* fuit, quem Cæsar Dictator egit, is $\overline{CL}$ non excessit, ut civium Romanorum $\overline{CCC}$ civili bello consumpta videantur. Hic video posse quæri: Gellio & Lentulo censoribus non ultra CDL. capita *censa* sunt. Hoc mirum: nam, cum ipsi quoque municipes cum civibus Romanis censerentur, civitate post sociale bellum lege Julia, & SCto Italis, hoc est, sociis, & Latinis data, qui fieri potest, ut censorum omnium numerus CDL. major non fuerit? at Gallico bello, quod ante Punicum II. sexennio gestum est, CD. armatorum nominis Latini inter socios populi Romani adversus Gallos pugnarunt, idque sine Transpadanis, qui postea inter socios recepti. Jure dubitabitur. Sed ita dubitantibus licet occurrere. Duo *census* fuerunt, unus civium Romanorum, quibus vel in Urbe, vel in agro Romano domicilium esset: alter municipum, qui, ut opinor, & certe, nunquam comprehenduntur in eo numero, cum censorum capita numerantur: nam multo amplior fuisset sine dubio municipum numerus, quam civium Romanorum. *Manut. de Civit. Rom. Thesaur. Antiquit. Romanar. Græv. Tom.* I. *pag.* 37. *B.* Quis veterum, duos *census* fuisse dixit, scripsitve? Municipes censi sunt ut cæteri cives Romani in suis tribubus & centuriis. Manutii ratio, qua duos *census* conatur probare, nulla est. Non enim satis attendit ad utriusque temporis, de quo agit, rationem. In bello Gallico Italia tota cum Romanis metu Gallorum Italiam infestantium consurrexit, & arma cepit, omnibusque viribus contendit, ne illa ferocissima gens denuo inundaret Italiam. Post bellum vero sociale non mirum est, censorum capitum non fuisse majorem numerum, cum hoc bellum amplius quam trecenta millia juventutis Italicæ abstulisse testetur Paterc. II. 15. Quin ita juventutem exhausit hoc bellum, ut libertinos sacramento adigere coacta fuerit Respublica. Non igitur his exemplis uti Manutius potest ad duplicem *censum*, ab omni memoria inauditum, fingendum. *Græv. Thes. Antiq. Roman. Tom.* I. *Præfat.* * * * 3. *vers.* Servi etiam *censu* manumittebantur. V. infr. in *Manumissio.* Prout cujusque varius erat, ita etiam sex descripsit Servius civium classes, quæ in centurias dispartitæ erant. Liv. I. 43. Dionys. IV. p. 221. Ita ut in primam ditissimum quemque, in sextam tenuissimum conjiceret. Ex his enim quorum maximus erat *census*, id est, qui centum millia æris cove amplius possiderent, primam classem fecit octuaginta centuriarum: quadraginta quidem seniorum & totidem juniorum. Seniores post annum ætatis quintum & quadragesimum ad Urbis custodiam ut præsto essent: juniores a decimo septimo ad quintum & quadragesimum, ut foris bella gererent. Arma his imperata galea, clypeus; ocreæ, lorica, omnia ex ære: hæc ut tegumenta corporis essent: tela in hostem hastaque & gladius. Additæ, ut Livius scribit, duæ fabrum centuriæ, quæ sine armis stipendia facerent, datum munus ut machinas in bello ferrent. Has non primæ, sed secundæ classi adjectas fuisse prodit Dionysius, earumque unam centurias seniorum, alteram juniorum sequi jussas. II. Intra centum usque ad quinque & septuaginta millium *censum* viginti centuriarum instituta, decem seniorum, & decem juniorum. His arma imperata, scutum pro clypeo, & præter loricam omnia eadem. III. Quinquaginta millium *censum* esse voluit, viginti quoque centuriarum, ex quibus decem seniorum, totidem juniorum, quibus de armis nihil quicquam mutatum, præter ocreas tantum, quas eis ademit. In IV. *census* quinque & viginti millium, ut Livius; vel viginti tantum mil-

lium, ut Dionysius: totidem centuriæ, eodemque discrimine ætatum factæ, arma his immutata, nihil præter hastam & verutum datum. V. Aucta, centuriæ triginta factæ, quindecim seniorum, quindecim juniorum, undecim millibus censebatur, fundas lapidesque missiles hi secum gerebant. In his, ut Livius scribit, accensi, tibicines, cornicinesque in tres centurias distributi. Dionysius vero duas tantum tibicinum centurias factas fuisse refert, easque quartæ classi adjunctas, quarum una erat seniorum, altera juniorum. VI. Fuit illorum, quorum *census* undecim millium minor, & reliquam habuit civium multitudinem. Hæc erat major civium multitudo, & illam in unam centuriam redegit militiæ ac tributi immunem. Erant in illa proletarii. V. illos infr. in *Proletarii.* & capite censi. V. illos supr. in *Caput*. Panvin. de Civ. Rom. c. 52. Fast. I. p. 52. Blond. Triumph. Rom. III. p. 60. H. Augustin. ad leg. XII. tabb. §. 2. Sigon. de Ant. Jur. Civ. Rom. I. 4. Manut. de Comit. Rom. c. 4. Gruch. de Comit. I. I. Hotman. Antiq. Roman. II. 4. Pigh. Annal. Rom. I. p. 46. Augustus publicæ quietis fundator, postquam tributorum & vectigalium exactiones provincialibus fierent intolerabiles, omnes extraordinarias tributorum vectigaliumque ærusćationes, quas avaritia magistratuum Romanorum Provincialium, Proconsulum, Prætorum, Præsidum malo publico repererat, velut uno ictu præcidit: & neglecta veterum ratione, nova tributa ordinaria instituit, alia in agros, alia in capita. Atque hæc ut tanto majore æquitate in singulos distribuerentur, jussit *censum* totius imperii fieri. Hic est ille *census*, cujus meminit Luc. c. 2. n. 1. *Exiit edictum a Cæsare Augusto, ut describeretur universus orbis.* Hac descriptione, quæ *census* dicebatur, pernosse voluit, quantum hominum esset in imperio, quantumque singuli in bonis & facultatibus haberent, ut in tributis imperandis æquitatis & portionis ratio posset haberi. Isidor. V. 36. *Quando primum censum exegit, & Romanum orbem descripsit* Augustus. *Bergier. de viis milit.* I. *Sect.* 12. §. 8. *Censum* enim intelligimus non annuum esse proventum, ut falso nonnulli existimarunt: sed rerum, ac bonorum alicujus existimationem, secundum quam tributa pendebantur. *Prevot. de Magistrat. Roman. c.* I. Vix putem in hoc *censu* Judææ, sive Syriæ, & reliquum similiter universum orbem Romanum fuisse descriptum. Πᾶσα ἡ οἰκουμένη apud Lucam est omnis terra Canaanis, strictius Judæa tota. Sic οἱ ὁ Exod. c. 16. n. 35. vertunt εἰς τὴν οἰκουμένην, ubi mox subjicitur in Hebraica veritate, ceu explicationis gratia, *ad extremitatem regionis Cenahaneæ.* Hoc stylo Hellenistico dixit Luc. n. 3. *omnes ivisse.* . . . . Neque enim quis credat omnes aut in Syriæ præsidialem provinciam, aut singillatim in patrias majorum urbes concurrisse ad professionem faciendam. Porro si fuit totius simul orbis Romani, cur tanta res tam profundo silentio foret sepulta apud τοὺς ἔξω. *Hennin. ad Bergierum.* De *censu* Judaico integrum tractatum scripsit *Clar. Perizonius.* Non erat nisi præsentium. Itaque sub *censendi* tempus cives, qui ab Urbe aberant, ad Urbem redibant, *censendi* causa: nisi *censores* magna ex causa decretum pro collegio fecissent, ut ad *censum* venire necesse non esset, quod nonnisi perraro accidebat. Ejus, qui *censum* non profitebatur, pœna hæc fuit, ut publicatis bonis virgis cæsus pro servo venderetur, ut Ulpianus in Fragmentis testatur. *Hotman. Antiq. Roman.* II. 5.

Census Equestris fuit sestertium quadringentorum millium. Suet. Jul. c. 33. n. 3. *Existimatur etiam equestres census pollicitus singulis.* . . . . . . *Extrema concio, cui facilius erat videre concionantem quam audire, pro dicto accepit, quod visu suspicabatur, promissumque jus annulorum cum millibus quadringentis dixit.* Horat. Epist. I. I. 57.

Si quadringentis sex septem millia desint,
Plebs eris.

Sigon. de Jur. Civ. Rom. II. 3. Augustin. de Legibus in Julia theatralis. Manut. de Senat. Rom. c. 1. Panvin. Fast. I. p. 46. Quod nescio a Servione Tullio initium ceperit, an a Tiberio Cæsare, ut Plin. XXXIII. 2. videtur significare. *Tiberii demum principatus nono anno in unitatem venit equester ordo: annulorumque auctoritati forma constituta est.* . . . . . *Hac de causa institutum, ne cui jus id esset, nisi cui ingenuo ipsi, patri, avoque sestertia* CCCC. *census fuisset.* Augustin. ad XII. tabb. §. 2. *Censum equestrem* jam inde a primis etiam Reipublicæ temporibus celebratum, nemo est qui dubitet. Ita enim Liv. V. 8. *Repente quibus census equester erat, equi publici non erant assignati.* Ut vero per *censum* equestrem ordinem impetrabant equestrem, sic consumpto patrimonio equestris dignitatis insignia perdebant. Cicer. pro Sext. c. 51. de Gellio equite, sed decoctore: *Indignus ordine equestri, cujus nomen retinet, ornamenta amisit.* Horatius modo laudatus. *Sigon. l. l.*

Census lustralis appellabatur; quo lustrabantur cives quinto quoque anno, acto *censu*, ad discrimen *census* equestris, senatorii, aut ejus, qui in provinciis agebatur: & lustralis dicitur a lustri spatio, ut si quinquennalis diceretur. *Turneb. Adv.* VII. 21.

Census senatorius octingentorum fuit millium, duplo major quam equestris. *Prevot. de Magistrat. Roman. c.* 4. *Panvin. Fast.* I. *p.* 46. *Manut. de Civit. Rom. Thes. Antiq. Roman. Græv. Tom.* I. *p.* 5. *A.* Certe aliquandiu ante Augusti imperium, qui eum redegit quidem primo ad quadringenta millia, quia, ut ait Dio, multi erant per bella, intellige civilia, spoliati paternis bonis, postea vero ad decies centena millia perduxit, postremo etiam ad duodecies. Hoc modo conciliandi videntur Suetonius ac Dio. Quorum ille c. 41. n. 4. *Senatorum censum ampliavit, ac pro octingentorum millium summa duodecies HS. taxavit, supplevitque non habentibus.* Nimirum posuit iste *censum* senatorum, quem Augustus invenerat ad Rempublicam accedens, & quem moriens reliquerat. At Dio LIV. p. 532. & 540. prout ab ipso Augusto primum constitutus statim post bellum civile, & dein prima vice ampliatus fuerat: Τοσοῦτον (δέκα μυριάδων, intellige iterum, ut semper, drachmas, & verte, ut recte fecit interpres, *quadringenta sestertia*) γὰρ τὸ βουλευτικὸν τίμημα τὴν πρώτην εἶναι ἔταξεν (διὰ τὸ, ut ait p. 540. συχνοὺς τῶν πατρῴων ὑπὸ τῶν πολέμων ἐστερῆσθαι) ἔπειτα καὶ ἐς πέντε καὶ εἴκοσι μυριάδας (δραχμῶν, hoc est, usque ad decies HS) αὐτὸ προήγαγε. De duodecies sestertio nihil quidem diserte Dio, sed tamen ex eo ipso non male forsan colligas ea tandem summa taxatum fuisse ab Augusto *censum* senatorium, quando, ut traditur LV. p. 557. multis ille adolescentibus senatorii generis & equestris, ad paupertatem sine sua culpa redactis, τοῖς μὲν πλείοσι τὸ τεταγμένον τίμημα ἀνεπλήρωσεν, ὀγδοήκοντα δέ τισι καὶ ἐς τριάκοντα μυριάδας τοῦτο ἐπηύξησε, *plerisque constitutum censum supplevit, octoginta autem ex iis usque ad duodecies HS.* (seu *triginta myriadas drachmarum*) auxit. Quo ex loco putem vel jam tunc in animo habuisse Augustum hanc summam præfinire tandem *censui* amplissimi ordinis, vel certe illud Augusti factum Suetonium in errorem induxisse, ut, quum animo ejus obversaretur Augustum tot senatoriis adolescentibus *censum* supplevisse usque ad duodecies HS eamque summam certo sciret post illum Imperatorem fuisse propriam *censui* Senatorum, ex eo existimaverit, id tunc ab illo ipso fuisse constitutum, atque idcirco faciendum non esse, certe nihil nos cogere, ut apud eum τῷ *duodecies* ex Dione substituamus *decies*, quod voluit Lipsius Elect. II. 17. non accepit Casaubonus, rejecit & refutavit Torrentius. *Perizon. Triad. Dissert.* II. *p.* 174. *Zamosc. de Senat. Rom.* I. *c.* 10. *&* 14. *Masson. Ovid. Vit. p.* 79. *Census* autem dat, non ut eques, aut senator necessario sis, sed ut esse possis: neque propter opes honor datur, sed ob inopiam negatur. turpe enim & indecorum, senator egens: malasque res non omnino malis mentibus interdum persuadet inopia. Neque cum dixit Cicer. Fratr. I. 2. *Catienus, homo equestri censu,* equitem Romanum significavit; sed, quam a dignitate non poterat, eam a re familiari commendationem sumpsit:

pfit: ut ei non esse *censum* impedimento ostenderet, quo minus equestrem ordinem obtinere posset. *Panvin. Fast.* I. *p.* 46. *Manut. ibid. p.* 3. *D.* Quid nomine *census*, de *censu* equestri, & senatorio dum agitur, intelligendum sit, num res, sive facultates, & bonorum æstimatio, an vero reditus annuus, a viris doctissimis disputatum est. Communis opinio est, *census* nomine intelligenda esse bona omnia, sive substantiam familiarem, ut nemo eques esse possit, qui in bonis x. millia coronatorum non haberet. Contrarium sentit Turnebus, *censum* nempe pro annuo reditu accipiendum, ita ut nullus sedere in quatuordecim posset, nisi qui ex bonis suis quotannis x. coronatorum millia conficeret. Turnebum solus sequitur, quod ego sciam, Jacobus Mazzonius, qui in Dantis poema annotationes edidit, sicque statuit, *censum* annuum reditum fuisse. Ejus argumentum I. est: si *census* senatorius, & equester pro substantia, & bonorum æstimatione sumatur, futurum fuisse, ut melioris conditionis Romæ essent rhetores, medici, atque alii, qui victus causa artem suam venditabant, quam senatores, aut equites. Nam ut de medicorum mercede sileatur, tradit Suet. Vesp. c. 18. n. 2. a Vespasiano *rhetoribus constituta* fuisse *annua centena* I. bis mille, & quingentos coronatos: quæ summa multo excessisset reditum equitum. Multo magis etiam Eumenius rhetor beatus fuisset, senatoresque annuo reditu superasset, quem percepisse annua sexcenta a Constantio Imperatore ejusdem epistola testatur, id est, si modo numerus non fallit xv. millia coronatorum. Hinc sequi ait Mazzonius, senatores & equites a rhetoribus & medicis annuo *censu* superatos fuisse, quod haud verisimile videtur, duos supremos Urbis ordines nobilissimos ab hominibus, qui lucri causa artem suam venalem habebant, superatos: & proinde senatorum, atque equitum *censum* non de bonis, sed de reditu annuo intelligendum. Quæ ratio quam sit levis, ac frivola inde apparet, quod etiam ætate nostra non pauci, & medici, & professores, annuo stipendio, non equitum modo, sed aliquot senatorum *censum*, inaudita Venetæ Reipublicæ munificentia, non sine invidentium gemitu, exsuperant. Quid? mercatores, danistæ, ac trapezitæ, & vilissimæ mercis institores, quam sæpe procerum, comitumque & marchionum annuos reditus aut æquant, aut supergrediuntur? Num ergo hi illustriores, atque honoratiores. Sed eo Mazzonius deceptus est, quod x. millia coronatorum existimavit, summum equitum *censum* fuisse, & ideo facile ab obscurioribus superatum. Cum illa minima summa esset, & sine qua quis esse eques, aut senator non poterat. Cæterum nemo ambigere potest, immensis illis Romanorum divitiis, atque orbis universi spoliis, plurimos, ac majorem equitum partem multo plus quadringentis in *censu* habuisse, atque ita reditus annuos medicis omnibus, ac professoribus ampliores. Nullus eques esse poterat, cui in bonis non essent x. millia coronatorum; sed plurimis longe major *census* fuit, L. & centum millia: qui si vellent, & a censore legerentur, vel post initum magistratum senatores fiebant. Aliı licet haberent *censum* senatorium, in equestri ordine manere malebant, ut de Mæcenate, & aliis notum est. II. Neronem, ut tradit Suet. c. 10. n. 4. *senatorum nobilissimo cuique a re familiari destituto annua salaria constituisse, & quibusdam quingena*, id est, XII. M. & D. coronatos. Ex quo colligit, si *census* bona fuissent, non potuisse Neronem dare, nisi tria millia coronatorum, etiam si x. pro centum fructus captus esset, & tamen ait, XII. & D. coronatos dedisse. Et hæc ratio non magnum momentum habet. Nam quamvis senator, aut eques, casu, aut prodigentia *censum* imminuisset, constat senatorem esse desiisse, aut equitem. Tunc Imperator, præcipue in senatoribus, *censum* de sua liberalitate supplebat, quod etiam Tiberium non semel fecisse tradit Tacitus. Dupliciter autem suppleri *census* poterat: aut tot bona addendo, ut XXX. millium coronatorum æstimatio esset, aut tantum annui reditus assignando, quantum summam illam conficeret, quæ ex XXX. millibus quotannis redigeretur. Aliquando hanc liberalitatem Cæsar augebat, extraordinario munere, sed cum paucis. Quod in hoc casu fecit Nero: nam senatoribus annua salaria constituit, quibusdam etiam quingena, hoc est, Messallæ, ut tradit Tacit. Annal. XIII. 34. 2. Quod clare indicat, non fuisse reditum ordinarium senatorum: alioquin dixisset, a Nerone data omnibus senatoribus quingena. Fuit ergo illa peculiaris liberalitas, qualis & Vespasiani, de quo Suet. c. 17. n. I. *Explevit censum senatorum*, en liberalitas ordinaria. Mox subjicit: *consulares inopes D. sestertiis annuis sustentavit*, quæ fuit munificentia extraordinaria. Non enim, quod deerat *censui*, addidit, sed annuo salario inopiam levavit. Alioquin, si *census*, reditus annuus senatorum fuisset XXX. M. coronatorum, dando XII. M. & D. non supplevisset *censum*. Plin. Epist. I. 19. 2. donat Firmo trecenta ad supplendum *censum* HS. Si *census* pro reditu accipiatur, donasset illi septem millia, & quingentos coronatos aureos. Præterea omnes fere consensu statuunt, *censum* fuisse æstimationem rerum, ac bonorum factam, secundum quam tributa pendebantur, quod Græcis τίμημα, οὐσία, æstimatio, substantia. Juven. Sat. XVI. 52.

—— nam quæ sunt parta labore
Militiæ, placuit non esse in corpore census.

Ita est JCti. Ulpianus enim. *Hoc idem, & si patrimonium fuerit rogatus restituere, & si facultates, & si quid habeo, & si censum meum, & si fortunas meas, & si substantiam meam.* Ferrar. Elect. I. 20.

CENTENARIA mensa. V. illam infr. in *Mensa*.

Centenaria porticus. V. illam infr. in *Porticus*.

CENTENARII *erant centuriones, qui singulas centurias curabant.* Veget. II. 8. Modestin. de vocab. castrens. *Panciroll. Notit. Dign. Imp. Orient. c.* 64. *Occid. c.* 80. *Salmas. in Capitol. Maxim. c.* 4. *Buleng. de Imp. Rom.* V. 9: VI. 50. *Bud. de Asse p.* 275. *Donat. Dilucid. p.* 938. *Cerda Adv. Sacr. c.* 85. §. 20.

CENTENARIUS portus. V. illum infr. in *Portus*.

CENTENIONALIS est nummus aureus, qui centenas auri libras efficit. *Guther. de Offic. Dom. Aug.* III. 19. De hoc Honorius & Arcadius Impp. l. I. C. Th. si quis pecun. confl. & I. 2. *Centenionalem tantum nummum in conversatione publica præcipimus, majoris pecuniæ figuratione submota.* Freher. de Monet. vet. Rom. I. I. Lamprid. Alex. Sev. c. 29. *Formas centenarias, quas Heliogabalus invenerat, resolvi præcepit* Alexander, *atque ex his materiæ nomen inditum est.* Et nulli quidem nunc *centenarii* nummi, aut *centenariæ* formæ. Nomen *centenarii* tamen in usu remansit, & usurpari cœptum est de quacunque materia, centum libras pendente. *Centenarium* de centum auri libris frequenter usurpant historici, & Græci præcipue recentioris ævi. Ut χρυσοῦ κεντηνάρια de centum libris auri signati passim in eorum libris. Cod. de curs. publ. I. 12. *centenariorum* auri fit mentio, quæ hippocomi in sacculis ferebant. *Salmas. in Lampridium.* Ego puto *centenionalem* a *centenario* diversum esse, ut *centenarius* major pecunia fuerit, *centenionalis* minutula, ut loquitur Valerianus in Epistola ad Aurelianum: deinde *centenionem* dictum ut binionem, qui δίνυμμα redditur in Glossis Latino Græcis, & δηνάριον, proindeque *centenionalem* centum æreos, seu stipes confecisse. Utut sit majorinas, seu majores, & *centenionales* communes vetitas ostendit Lex I. quæ est Constantii: altera quæ est Arcadii & Honorii modo laudata. Ex ultima infertur *centenionalem* in eo a majore differre, quod minutior fuerit, proindeque usui publico commodior: etsi utramque prius vetitam par sit credere: majorinam propter nimium pondus, *centenionalem* propter nimiam sui exiguitatem. *Gothofr. in Codicem, Du Fresne Glossario.* Non fuit aureus, ut vult Salmasius, nec ponderis, aut valoris ante memorati, sed potius idem exstitit cum miliaresio posteriorum temporum. Hoc inde probari potest, quod usus grandiorum numismatum aureorum, quæ Heliogabalus percuti jussit, statim post ejus mortem in commerciis interdictus fuerit, nummus

 vero

vero *centenionalis*, secundum consuetudinem legis monetæ publicæ usum præbuerit. *Savot. de Numm. Antiq.* III. 25.

CENTESIMA *auctionum*, ut dicitur Suet. Cal. c. 16. n. 9. sive *rerum venalium*, ut Tacit. Annal. I. 78. 2. sive *centesimæ vectigal*, ut Tacit. Annal. II. 42. 7. erat rerum in auctione venditarum, qui fisco numerabatur, nummus *centesimus*. Apud Cicer. ad Brut. Epist. 18. *Tributum ex centesima collatum.* Gronov. de Pec. Vet. III. 13. Lips. ad Tacit. Annal. II. 42. 7. Imposita est Urbi & Italiæ ab Augusto post bella civilia anno ab U. C. 759. quo tempore ærarium militare institutum, ut Suet. Aug. c. 49. n. 6. tradit. Colligo ex verbis Tacit. Annal. I. 78. 2. *Centesimam rerum venalium post bella civilia institutam deprecante populo, edixit Tiberius militare ærarium eo subsidio niti.* Lips. ad Tacit. n. 117. de Magn. Roman. II. 4. Buleng. de Vectig. c. 44. Dio tamen LVIII. p. 631. B. scribit Tiberium *ducentesimam* mutasse in *centesimam*, ita ut ex ejus sententia necesse fuerit *ducentesimam* ab Augusto institutam fuisse. Sed huic refragatur Tacitus jam laudatus. Qui ibidem II. 42. 7. tradit Tiberium, cum Archelao Cappadociæ Rege mortuo, ejus regnum vacuum invasisset, & in provinciæ formam redegisset, *fructibus ejus levari posse centesimæ vectigal professum, ducentesimam in posterum statuisse.* Sed hæc loca optime conciliantur, si statuamus Dionem loqui de tempore post mortem Sejani, quo liberalitatem suam Tiberius revocavit, restituta *centesima*, in cujus locum olim, auctus Cappadociæ fructibus, *ducentesimam* substituerat. Et sic Tacito suffragabitur Suet. Cal. c. 16. n. 9. dicens: *Caligulam centesimam auctionum Italiæ remisisse.* Lips. in Tacit. l. l. Burman. Differt. de Vectig. c. 5. Franckenstein de Ærar. pop. Rom. c. 6.

CENTESIMÆ usuræ. V. illas infr. in *Usura*.

CENTESIMARI dicuntur milites, quando *centesimus* quisque supplicio afficitur. Capitol. Opil. Macr. c. 12. *Quum seditiosos milites pateretur, milites sæpius decimavit, aliquando etiam centesimavit: quod verbum proprium ipsius est, quum se clementem diceret, quando eos centesimaret, qui digni essent decimatione atque vicesimatione.* Stewech. in Veget. III. 4. Rhodig. Ant. Lect. x. 5.

CENTHONUM stirps una fuit quatuor illarum, in quas cognominibus distinctas gens Claudia patricia divisa fuit. Illorum cognomine duos solos reperio, C. *Centhonem* Cæci filium, qui Consul, Censor, & Dictator fuit: atque Appium, qui Proprætore orationem obtinuit, ejus filium. Caji Consulatus fuit anno ab U. C. 513. cum P. Sempronio Tuditano. Censuram post quindecim annos gessit cum M. Junio Pera. Dictator fuit comitiorum causa anno 540. Appius Proprætore ovans ex Celtiberia reversus est a. 579. *Augustin. de Famil. Roman. in Claudia.*

CENTO erat stragulum ex pannis diversorum colorum consutum. Talibus viliorum hominum lecti sternebantur, aut etiam tabernacula, omnisque castrensis supellex pluvio tempore velari solet. Macrob. Sat. I. 5. *Tremellius scrophæ cadaver sub centonibus collocat, super quos uxor cubabat, verba jurationis concipit, nullam esse in villa sua scropham, nisi istam, quæ in centonibus jacet. lectulum monstrat.* Voss. Lex. Etymol. Ursat. de Not. Rom. Thes. Antiq. Roman. Græv. Tom. XI. p. 599. B. Schill Nomencl. Philol. p. 270.

Cento vocubatur vestis rustica & famularis, quia ex diversis veteribus pannis sarciretur, uti hodieque fit. Cato de R. R. c. 2. *Centones, cuculiones familiam oportuisse sibi sarcire.* c. 59. *Quoties cuique tunicam aut sagum dabis, prius veterem accipito, unde centones fiant.* Voss. Lex. Etymol. Tiraquell. ad Alex. Gen. v. 24.

Cento dicebatur fasciculus ex variis pannis aut linteis compactus, quibus ædes detergentur: item qui perticæ impositus aceto immergitur ad restinguendum incendium. Hoc modo usus videtur Ulpian. leg. 12. quæsitum §. 18. ff. de Instr. vel instrum. leg. *Acetum quoque, quod extinguendi incendii causa paratur, item centones, perticæ.* Voss. Lex. Etymol. Tiraquell. ad Alex. Gen. v. 24. Schill Nomenc. Philol. p. 270.

Cento dicebatur ex villis crassioribus sagulum intextum pannis vilioribus. Talibus domorum tecta, tabulata, aut ligneæ machinæ militares adversus incendia, si ignis major vis ingruat, muniuntur. *Alex. Gen.* v. 24. Sisen. Hist. IV. apud Non. II. 177. *Puppes aceto madefactis centonibus integuntur, quos supra perpetua classi suspensa cilicia obtenduntur.* Veget. IV. 15. agens de machina, ex qua vineæ struuntur: *Extrinsecus autem*, ait, *ne immisso crematur incendio, crudis ac recentibus coriis, vel centonibus operitur.* Stewech. ad Vegetium, Voss. Lex. Etymol. Salmas. Exercit. Plinian. p. 347. a. D. Schill Nomencl. Philol. p. 270.

Cento vocabatur etiam poematis genus, quod ad similitudinem *centonis*, ex diversis versibus, hinc atque inde arcessitis, consuebatur. Auson. Epist. Paulin. *Cento quid sit absolvam, variis de locis, sensibusque diversis quadam carminis structura solidatur in unum versum ut coeant, aut cæsi duo, aut unus, & sequens cum medio: nam duos junctim locare ineptum est, & tres una serie meræ nugæ. Diffunditur autem per cæsuras omnes, quas recipit versus heroicus, convenire ut possit aut pentimeris cum reliquo anapæsto, aut trochaicæ cum superiore segmento, aut septem. semipedes cum anapæsto chorico, aut post dactylum atque semipedem quicquid restat hexametro, simile ut dicas ludicro, quod Græci ostomachion vocavere.* Composuerunt vero hoc carminis genere Eudocia, Proba, & Pomponius, qui ex carmine Virgiliano Tityrum in Christi laudem composuit. Exstant in hoc genere *centonis* apud Irenæum de Hercule ejusmodi versus: legitur etiam Ausonii Epithalamium. Adde Tertull. de Proscript. c. 39. Isidor. I. 38. *Gyrald. de Poet. Dialog.* I. *p. 47. D. Scalig. Poet.* I. 43. *Voss. Lex. Etymol. Lotich. in Petron. p. 61. Tiraquell. ad Alex. Gen.* v. 24. *Schill. Nomencl. Philol. p. 269.*

Cento vocabatur speciali nomine in fornicibus velum, quo fores prætendebantur: quoniam ex *centonibus*, id est, fasciculis ex variis pannis, aut linteis compactis conficiebatur. Juven. Sat. VI. 121.

Intravit calidum veteri centone lupanar.

Ubi vetus Scholiastes: *veteri velo ex pannis facto.* Sagittar. de Jan. Vet. c. 24. §. 11.

CENTONARII erant artifices, de quibus est titulus Cod. Theod. de *centonariis & dendrophoris*: ubi in l. 1. Constantinus statuit, *ut in quibuscunque oppidis dendrophori fuerint, centonariorum atque fabrorum corporibus adnectantur. Centonibus*, vestibus militaribus operam dabant. Hujusmodi vestes vectigalis nomine publice militibus impendebantur, & in hunc usque diem feltrini hujusmodi crassioribus pannis contexendis plurimam impendunt operam. Qui panni, ad instar antiquorum confecti, a nobis feltri, ab urbe desumpto nomine, nuncupantur. *Ursat. de Not. Rom. Thes. Antiq. Roman. Græv. Tom.* XI. *p.* 599. C. Conficiebant *centones*, quibus in obsidione oppidani adversus arietem uti solebant, & obsessores, vineas ne incenderent, integebant. *Turneb. Adv.* XXIX. 16. Verum quid commune habent cum fabris tignariis & ferrariis? nisi ut essent, qui in castris tabernacula conficerent, una cum tignariis & ferrariis fabris, quorum etiam opera in iis exstruendis necessaria erat. *Du Fresne in Glossario.*

CENTUMALI fuerunt Fulviæ gentis plebejæ. Tres Consulatus, Dictaturam unam, duos triumphos obtinuerunt. *Centumalus* I. Cn. Fulvius, Cn. F. Cn. N. Maximus Consul fuit cum L. Scipione anno ab U. C. 455. Triumphum egit de Samnitibus & Etruscis Idib. Novembr. Dictator fuit clavi figendi causa anno 490. Verrius in Fastis. II. Cn. F. Cn. N. superioris, ut creditur, filius. Consul fuit anno 524. cum L. Postumio Albino II. Anno proximo Proconsul ex Illyreis navalem egit x. Kal. Quintil. III. Cn. F. Cn. N. Consul fuit cum P. Sulpicio Maximo anno 542. *Augustin. de Fam. Rom. in Fulvia.*

CENTUMVIRALE judicium. V. hoc infr. in *Judicium*.

Centumvirales causæ. V. illas supr. in *Causa*.

Cen-

Centumviralis hasta. V. illam infr. in *Hasta.*

CENTUMVIRI instituti sunt anno ab U. C. 513. Q. Lutatio Cercone, A. Manlio Torquato Coss. aut certe non ita multo post. I. Enim ex tribubus quinque & triginta electi sunt, ut mox docebit Festus. Tribuum vero numerus eo ipso anno, quem modo signavi, ad xxxv. pervenit, ut docet Flor. Epit. 18. Igitur non ante, sed circa, aut ipso anno 513. sunt electi. II. Prætor peregrinus creatus est an. 510. A. Manlio Torquato, C. Sempronio Blæso Coss. Epit. 19. propter maximam peregrinorum turbam, qui quotidie in Urbem confluebant, ut is inter cives, & peregrinos jus diceret, sufficiente vix prætore urbano civium negotiis: ii peregrini triennio post in tribus relati sunt, anno, ut dixi, 513. Quo facto credibile *centumviros* esse institutos. III. Conjecturam meam confirmat Pompon. de orig. jur. §. 29. π. *Deinde*, id est, mox post præturam peregrinam, *cum esset necessarius magistratus, qui hastæ præesset*, centumviralem intelligo, *decemviri litibus judicandis sunt instituti.* qui sane mox post prætorem peregrinum creati sunt, ut ait Pomponius, & mox post *centumviros*, forte eodem anno scilicet, ut essent qui hastam *centumviralem* cogerent. IV. Nusquam apud historiarum, & antiquitatum scriptores, Livium, dico, Ciceronem, Valerium, Senecam, Tacitum, Quintilianum, aliosque invenio, *centumvirale* judicium ante eum annum fuisse frequentatum, plurima vero paullo ante Ciceronis, & Augusti ætatem. *Siccam. de Centumv. judic.* 1. 8. *Prevot. de Magistrat. Roman. c.* 7. Eadem fere scribit, sed ad an. 520. refert *Pigh. Annal. Tom.* II. *p.* 98. Unde sint dicti, & quomodo creati, explicat Festus. *Cum essent Romæ quinque & triginta tribus, terni ex singulis tribubus sunt electi ad judicandum, qui centumviri sunt appellati, & licet quinque amplius quam centum fuerint, tamen, quo facilius nominarentur, centumviri sunt dicti.* Siccam. l. l. Taffin. de Lud. Secul. c. 1. Hotoman. de Magistrat. Roman. 1. Thes. Antiq Roman. Græv. Tom. II. p. 1866. F. Sigon. de Judic. I. 22. Augustin. de Legibus in Æbutia. Panvin. de Civit. Rom. c. 62. Poller. For. Rom. III. 14. Erant privati judices. *Torrent. ad Suet. Claud. c.* 14. *Marcil. ad Suet. Vesp. c.* 10. *Sigon. de Privatis Judiciis.* Imo maxime inter se differebant privati judices & *centumviri*. I. A privatis judicibus discernuntur. Quintil. v. 10. *Alia apud Centumviros, alia apud judicem privatum in iisdem quæstionibus est ratio.* Plin. Epist. VI. 33. 9. *Ut repente in privati judicii formam centumvirale vertatur.* II. Privati judices in subselliis judicatum sedebant. Gell. XIV. 2. *Jussi diem diffindi, atque a subselliis pergo ire. . . .* *Centumviri* in tribunalibus. Plin. Epist. IV. 16. 1. *Proxime cum dicturus apud Centumviros essem, adeundi mihi locus nisi a tribunali non fuit.* III. Privati judices, postquam semel sententiam dixerant, judices esse desinebant. *Centumviri* vero de pluribus causis & ad certum tempus judicabant. IV. Privata judicia differri poterant. *Centumviralia* nequaquam differri poterant. V. Privati judices & plurimum de controversiis facti, & iis quæ perspicui & scripti juris erant, judicabant. *Centumviri* de causis intricati juris, & quæ in æquitatis & juris quæstione sitæ sunt. Quintil. IV. 11. *Id accidit aliquando utrique parti, cum vel nulla expositio est, vel de re constat, de jure quæritur, ut apud Centumviros, filius an frater debeat intestato hæres esse.* VI. Privatis judiciis omnibus præjudicium fieri poterat: *Centumvirali* vero nullum; sed omnia integra erant servanda, donec *Centumviri* de hæreditate judicaverint. VII. Ab omnibus datis judicibus ipsi magistratus appellari poterant: verum a *Centumviris* ad alios magistratus non erat provocatio. V. infr. in *Provocatio.* Siccam. ibid. c. 6. Qui censet *centumviros* non fuisse judices privatos, quia putat judices privatos non eos tantum fuisse, qui a prætore dati ad causas privatas judicandas, sed qui etiam homo fuerit privatus, non qui cum imperio ac potestate fuerit, acsi *centumviri* cum imperio ac potestate fuissent. Et reprehendit Torrentium, qui in privatorum judicum numerum retulerit. Atqui nihil certius est quam omnes judices, tam illos, qui dabantur a prætore, quam quos sortiebatur prætor in judiciis publicis, & decemviros, ac *centumviros* fuisse privatos, hoc est, nullos magistratus, sine imperio, ac potestate. Omnes enim magistratus, ut consules, prætores, ædiles, quæstores, tribuni plebis creabantur a populo in comitiis, judices legebantur a prætoribus, & postea a principibus, quod est Suet. Claud. c. 15. n. 2. *decurias judicum expungere.* Ex his decuriis a prætore deligebantur tam *centumviri*, quam judices, quos dabant ad privatorum lites dijudicandas, quam etiam qui forte legebantur ad quæstiones, sive judicia publica. Nullum igitur dubium *centumviros* æque ut alios judices a prætore datos fuisse privatos, sedisse quoque in subselliis, in tribunalibus, æque ut alios judices. Hoc modo negavit Siccama, sed satis clare ostendit Plin. Epist. VI. 33. 3. *Sedebant judices centum & octoginta: tot enim quatuor consiliis conscribuntur, ingens utrinque advocatio, & numerosa subsellia: præterea densa circumstantium corona latissimum judicium multiplici circulo ambibat.* Ubi per subsellia intelliguntur tam *centumvirorum*, quam advocatorum subsellia. In sellis curulibus sane non sedebant *centumviri*. Et erant in tribunalibus, sed non judicum datorum a prætore ad alias lites. Hinc *in subselliis habitare* dicuntur apud Cicer. de Orat. I. 62. qui in judiciis privatis versabantur assidue, sive ea essent *centumviralia*, sive aliorum judicum. Quanquam autem Plinius & Quintilianus discrimen faciant inter privata judicia & *centumviralia*, non tamen hæc sic intelligenda sunt, acsi *centumviralia* non fuissent privata judicia, sed quia *centumviralia* judicia cum decemviris & prætore judicabant in tribunali de certis causis, quarum numerus erat definitus, de quibus Cicer. de Orat. I. 38. V. illum supr. in *Causæ centumvirales.* Hæ res, quæ ad *centumviros* pertinebant, notæ erant Romæ, & habebantur olim, Republica, & libertate florente, leves, quamvis postea sub Cæsaribus inter privata judicia primum locum obtinuerint, ut ostendit auctor dial. de caus. corrupt. eloquent. c. 38. *Apud quos*, prætores, *quanto majora negotia olim exerceri solita sint, quod majus argumentum est, quam quod causæ centumvirales, quæ nunc primum obtinent locum, adeo splendore aliorum judiciorum obruebantur, ut neque Ciceronis, neque Cæsaris, neque Bruti, neque Cælii, neque Calvi, non denique ullius magis oratoris liber apud centumviros dictus legatur, exceptis orationibus Asinii, quæ pro hereditate Urbiniæ inscribuntur.* Graviores itaque causæ olim apud prætores, & judices, & recuperatores a prætoribus datos magis cognoscebantur quam apud *centumviros*. Utrique vero erant privati judices, & de rebus privatis judicabant. *Centumviri* legebantur ex decuriis judicum a prætore in suum annum, qui illo anno secum deciderent causas *centumvirales*, in tribunali, in quo ipse sedebat in sella curuli, cum *centumviri* sederent in subselliis, sed ad alias causas, quæ non pertinebant ad *centumviros*, dabat judices, aut recuperatores, aut arbitrum, qui, quia non sedebant in tribunali, sed in basilica, aut alio loco, a prætore designato, in subselliis, dicti sunt pedanei, Græcis χαμαιδικασταὶ, quod Hesychius exponit σύλεκτοι. Selecti vero dicebantur, qui ex toto populo selecti erant, & in decurias, seu album relati, ex quibus capiebantur tam *centumviri*, quam illi pedanei, & recuperatores a prætore. Hi pedanei appellabantur alio nomine quoque privati, non quod magis essent privati, quam *centumviri*, sed quod *centumvirorum* annuum, ut ita dicam, esset collegium, pedanei vero darentur sigillatim ad quamvis causam, quæ non pertinebat ad *centumviros*. Sedebant in subselliis *centumviri*, sedebant in iisdem judices dati, & recuperatores in loco, ubi a prætore jussi erant judicare, sive in comitio, forove, sive in basilica quadam: nonnunquam tamen non sedebant judices, sed stabant, sicut ostendit Cicer. in Brut. c. 84. *In comitium veniunt, ad stantem judicem dicunt*; sed procul dubio in causis valde levibus, cum sedere sit tam proprium judicis, ut sedere in aliquem sit alicujus esse judicem. *Centumviri* autem ideo in tribunalibus sedebant in subselliis, quia illis judiciis prætor præerat, qui semper in tribunali cognoscebat, nisi de plano decideret. Argumenta, quæ affert Siccama ad ostendendum judicia *centumviralia* non

fuisse

fuisse privata, valde sunt levia, & vix responsione digna. Nam cum ait privatum judicem desiisse judicem esse, cum sententiam tulit, non vero *centumvirum*, id verum est, sed num ideo, quia *centumviri* erant annui, magistratum gerebant, aut privatorum personam exuerant? Hoc nemo unquam somniavit. Nec ex hoc colligas, quia privata judicia potuerunt differri, *centumviralia* non potuerunt, *centumviros* non fuisse privatos judices. Id ostendunt tantum sub principibus nonnulla in *centumviralium* judiciorum ordine discrepuisse a judiciis recuperatoriis, aut aliis privatis, non vero *centumviros* non fuisse privatos. Addit judicibus privatis commissas esse ut plurimum controversias facti, & perspicui & scripti juris, *centumviris* vero intricati juris, & quæ in æquitatis, & juris quæstione sitæ sint. Aliter nos docuit auctor dialogi l. l. Aliter nos docet Tullius de Orat. I. 38. *Judicia*, inquit, *privata magnarum rerum obire, in quibus sæpe non de facto, sed de æquitate, & jure certetur*, tum sequuntur causæ centumvirales, *jactare se in causis centumviralibus, in quibus usucapionum*, & quæ sequuntur. Et quamvis ad *centumviros* quoque causæ graves, & magni momenti deferrentur, ut in sequentibus declarat Cicero nonnullis exemplis, non leviores tamen in judiciis privatis agitabantur causæ, cujus exempla habes apud eundem c. 39. *Quid nuper, cum ego Sergii Auratæ contra hunc nostrum Antonium judicio privato causam defenderem, nonne omnis nostra in jure versata defensio est.* Vide ibi plura. Inde constat etiam in privatis judiciis actas fuisse causas gravissimas, quæ in jure versabantur. Nec in ulla fere alia re *centumviralia* judicia diversa erant a privatis, quam quod causæ a *centumviris* dijudicandæ notæ erant, & definitæ, quodque *centumviralibus* judiciis ipse prætor cum decemviris præesset; causæ vero, quæ non erant in *centumviralium* censu, committerentur aut judici, aut recuperatoribus, aut arbitro a prætore dato, quæ privata appellabantur, quia iis non præerat prætor, ut *centumviralibus*, quamvis tam *centumviri*, quam recuperatores essent privati. *Græv. Thes. Antiq. Roman. Tom.* II. *Præfat.* * * * * * 2. *vers.* Magistratus quidem non erant; sed tamen in minorum magistratuum ordinem referendi videntur, quia Cicer. de L. L. III. in illorum ordinem refert illos qui lites judicabant. *Hotoman. & Siccam. ibid. l. l.* Sed qui fuerint magistratus, qui a Decemviris sunt conscripti & coacti. Suet. Aug. c. 36. n. 1. *Ut centumviralem hastam, quam quæstura functi consueverant cogere, Decemviri cogerent.* Nec ipsi, sed Prætor, eorum sententias exsequebatur Plin. Epist. V. 21. 2. *Sedebant judices, decemviri venerant, observabantur advocati; silentium longum, tandem a prætore nuntius. Dimittuntur centumviri.* 5. *Hoc facto Nepotis commotus Prætor, qui centumviralibus præsidet.* Grucch. de Comit. Rom. II. 2. Noodt de Jurisd. & imper. I. 12. Masson. Ovid. vit. p. 64. Creabantur tributis comitiis, quod illis minima quæque ad populum spectantia illis fierent. Manifestum hoc est ex verbis Festi supr. allatis. *Siccam. l. l.* Hujus rei nulla vola, nec vestigium in ullo prisco monumento, nec id fidiculis exprimas ex loco Festi, quem affers. Festus enim nihil aliud dicit, nisi ex XXXV. tribubus electos esse *centumviros*, non addit a populo. Sed ipse sibi adversatur in fine capitis hujus, in quo ex Dione ostendit sorte ductos esse *centumviros*. Procul dubio a prætore sorte lecti sunt ex decuriis judicum, & quidem, ut Festus dixit, tres ex singulis tribubus. Nam omnium tribuum cives fuisse in decuriis, seu albo judicum nemo ambigit. *Græv. ibid.* * * * * * 3. *vers.* Mansit ea eligendi ratio ad lapsam rempublicam, nec plures quam centum & quinque quoque judicio & tribunali conscribebantur, & post Augusti ætatem majori numero ad centum & octuaginta scilicet, quando in quatuor consilia distribuebantur, quia *centumviralis* judicii propter gravissimas quæstiones, quæ eo disceptabantur, auctoritas crescebat. Plin. Epist. VI. 33. 2. *Sedebant judices centum & octuaginta: tot enim quatuor consiliis conscribuntur.* Quintil. XII. 5. *Certe in basilica Julia cum diceret primo tribunali, & quatuor consilia, ut moris est, cogerentur.* Siccam. ibid. c. 8. Hotoman. & Pollet. l. l. Rævard. Protribun. c. 20. Non conveniebant feriis, nec postulatoriis diebus, sed cognitionalibus duntaxat, nec iis omnibus, sed cum Prætor consilium nec exerceret, nec præberet. *Siccam. ibid.* II. 1. In basilica conveniebant. V. supr. in *Basilica.*

CENTURIÆ equitum tres ab initio fuere. Has Romulus instituit, Tarquinius Priscus geminavit, trium tamen vetere numero servato. Romulus illas militiæ causa fecit, ut pedestrem exercitum equestri robore firmaret: & de nominibus tribuum, Ramnenses, Titienses, Luceres vocavit. Non dubito, quin ab initio singulis in centuriis centeni tantum equites fuerint: ut ipsum *centuriæ* nomen significat; sed, aucto civium numero, auctus est simul eorum numerus, qui equo militarent: quos in *centurias* receptos esse, ne cum peditibus equites admiscerentur, certum est; inde factum, ut trium duntaxat *centuriarum* numerus maneret, cum tamen equites, ut in Dionys. II. p. 89. legimus, quo tempore Romulus e vita excessit, haud fere pauciores quam mille fuerint: qui cum Urbs condita est, nec trecenti fuerant apud eundem p. 78. Id probatur & Livii testimonio: qui Tarquinii Prisci ætate tres duntaxat *centurias* nominat, eas scilicet, quas Romulus instituit; & tamen in iis *centuriis* mille equitum significat. Ejus verba sunt hæc I. 36. *Neque tum Tarquinius de equitum centuriis quidquam mutavit: numero tantum alterum adjecit; ut mille & trecenti equites in tribus centuriis essent.* Manut. de Comit. Roman. c. 4. Augustin. ad Leg. XII. tabb. §. 2. *Centurias* Servius Tullius cum universum populum in sex classes distribuisset, in unaquaque classe, quæ suffragium ferrent, delegit. V. illas supr. in *Census.* Hæ eo fuerunt infrequentiores, quo ditiores in iis suffragium ferrent: eo pleniores, quo tenuiores; nam in civitate, quo minor est census, eo major civium numerus est; quo major, eo minor. Et sive pauciores, sive plures in singulis *centuriis* ad comitia coirent, integra tamen & una, utrolibet numero, habebatur *centuria.* Singulis autem *centuriis* præerat civis unus, dignitate præstans: qui, ne quid per fraudem committeretur, curaret: cumque ab ipsa *centuria* viritim suffragia lata essent, suffragiorum numerum in utramque partem dignosceret, quod diribere vocabant; & ex majore numero voluntatem *centuriæ* pronuntiaret. Exemplum habemus in II. de Oratore, cum M. Scipio Maluginensis e *centuria* sua Consulem L. Manlium renuntiavit. Et, quemadmodum is, qui *centuriæ* præerat, ex majore suffragiorum numero sententiam *centuriæ* significabat: sic is, qui comitiis præerat, ex majore numero judicium populi pronuntiabat. Hunc autem comitiorum ordinem ideo Servius instituit, ut eam potestatem, quam in comitiis pauperes habebant, ad divites transferret; ante enim in pauperum manu comitia erant: ipsi magistratus dabant, leges sciscebant, bella decernebant: non quod divites comitiis excluderentur: sed quod pauperes numero præstarent; cum e Romuli, aliorumque Regum instituto suffragia viritim populus ferret universus: quod Servius Rex non sustulit; sed callido consilio effecit, ut neque suffragio exclusus aliquis videretur, neque suffragium tamen, nisi rarissime, omnes ferrent. Nam, cum universa civium multitudo in sex classes distributa sit, pro suo quisque censu; classes vero in certum *centuriarum* numerum; cumque quod a pluribus *centuriis* id ratum esset: plerumque usu veniebat, ut non ad sextam classem deveniretur, sed priores classes ad rem conficiendam satis essent: cum in una prima classe ita multæ *centuriæ* essent, ut, si, in suffragio ferendo consentirent, ad inferiores classes descendere necesse non esset. Divites igitur auxit potestate rerum maximarum:, quos comitiorum dominos constituit, si *centuriarum* numerum spectemus, quæ plures erant non modo in quinque primis, quam in una reliqua, in qua plebs egena censebatur, sed etiam in una prima, quam in quinque reliquis omnibus. *Manut. de Comit. Roman. c.* 4.

Panvin.

Panvin. de Civ. Rom. c. 52. *Fast.* I. *p.* 53. *Prevot. de Magistr. Roman. c.* I. *Hotman. Antiq. Roman.* II. 4. Populo ita per *centurias* distributo, militum descriptionem per *centuriarum* divisionem faciebat, ac tributum ex censu per easdem *centurias* imperabat. Nam si quando ei opus esset militum decem millibus, aut viginti, divisa in centum nonaginta tres *centurias* civitate, per *centurias* imperabatur, quantum dare militum quamque oporteret. Tum inita ratione pecuniarum, quæ exercitui ducendo opus esset, populus in centum nonaginta tres *centurias* dividebatur, & quid quamque *centuriam* conferre oporteret, imperabatur. Qua ratione fiebat, ut qui maximo censu erant, quum & pauciores essent, & in plures divisi *centurias*, sæpius ac fere continenter ferrent onus militiæ, & de suis facultatibus plus in commune conferrent: atque ut ait Livius; *in dites a pauperibus inclinata onera.* Qui enim medio censu erant, quia plures erant, & in pauciores *centurias* distributi, nec ita sæpe militabant, nec magno tributo gravabantur; qui vero infimo censu erant, omni onere immunes fuerunt. Atque illo quidem periculorum & impensarum onere divitibus imposito, ut ne id graviter ferrent, optimam rationem leniendæ indignationis commentus est. Effecit enim ut hi, ut supra dictum, vere Reipublicæ domini essent, & in pauperibus nulla propemodum vis esset: idque ita fecit, ut se excludi plebs non sentiret. *Panvin. l. l.* Postquam magistratus populum in suas *centurias* discedere jusserat ad suffragium ferendum, tum omnes qui aderant cives, quibus suffragii jus erat, discedebant in suas quisque *centurias*, ut quo ordine rogarentur, suffragium dicerent. *Panvin. ibid. c.* 53. Ea, quæ primum sorte exiisset, prærogativa vocabatur. Cicer. pro Planc. c. 20. *An tandem una centuria prærogativa tantum habet auctoritatis, ut nemo unquam prior eam tulerit, quia renuntiatus sit.* In ea itaque tantum erat momenti, ut fere in quam partem inclinasset, in eam reliquæ traherentur. Erat una quædam ex una quadam tribu desumpta, cui sorte obtigisset, ut prima suffragium diceret: sed quia illius tribus cuidam *centuriæ* obtigisset, quod prima vocaretur. Quod ostendit Cicero, dum a se dictam *centuriam* prærogativam, *unius tribus partem* fuisse dicit. Sorte *centuria* fiebat prærogativa. Liv. XXVII. 6. *Galeria juniorum, quæ sorte prærogativa erat, Q. Fulvium & Q. Fabium Coss. dixerat, eodemque jure vocatæ inclinassent, ni tribuni plebis C. & L. Arennii se interposuissent.* Cicer. Phil. II. 33. *Ecce Dolabellæ comitiorum dies. Sortitio prærogativæ quiescit.* Quanta fuerit prærogativæ auctoritas, inde observari potest, quod gratulandi causa turba coiret, quasi jam certo Consul declaratus esset, qui prærogativam tulerat. Liv. XXVI. 22. *Prærogativa centuria juniorum declaravit Consules T. Manlium Torquatum & T. Octacilium. Manlius, qui præsens erat, gratulandi causa turba cum coiret, nec dubius esset populi consensus, magna circumfusus turba ad tribunal Consulis venit, petitque ut centuriam, quæ tulisset suffragium, revocari juberet.* Ejus quoque sententia statim renuntiabatur, non post collecta reliquarum suffragia, ut Livius nos jam docuit. Ex eodem apparet etiam, Consulem non discurrisse per *centurias* suffragiorum rogandorum causa, sed in tribunali mansisse. *Centuriæ*, ut quæque vocabantur a Consule, ex suis locis migrabant, ut propius ad tribunal Consulis accederent in unum quendam locum cancellis undique clausum, quod ovile propter similitudinem appellabatur. Ideo ut introirent, vocatæ dicuntur. Liv. X. 13. *Populus nihilominus suffragia inibat: & ut quæque introvocata erat centuria, Consulem haud dubie Fabium dicebat.* Grucch. de Comit. I. 4: II. 4. Maurit. de Sortit. c. 27. §. 5. c. 28. §. 2. Prevot. de Magist. l. l. Hotman. Antiq. Roman. II. 12. Blond. Triumph. Rom. III. p. 78. F. Sigon. Emend: I. 35.

Centuria centum jugerum olim mensura fuit, quæ postmodum duplicata, & ducentorum facta, pristinum nomen retinuit. Varr. de Re Rust. I. 10. *A centum centuria dicta. Centuria est quadrata in omnes quatuor partes pedum ∞ ∞ c. hæ porro quatuor centuriæ conjunctæ, ut sint in utramque partem binæ, appellantur in agris divisis viritim publice saltus.* Varronem sequens Colum. V. I. *Centuriam nunc dicimus, ut Varro ait, ducentorum jugerum modum, olim autem ab centum jugeribus vocabatur centuria, sed mox duplicata, nomen retinuit.* Sed Varronis numerus, *duum millium centum*, librariorum incuria est corruptus. Constat enim, quatuor *centurias* simplices, seu duas duplicatas, quinquagies centies millies, & septingentos sexaginta millia quadratos pedes habere, id est, secundum hodiernum numerandi modum, pedum quinque milliones ac septingentos sexaginta millia continere. Ex Varronis autem numero non nisi quatuor milliones ac quadringenti decem millia rediguntur. Locus igitur restituendus est, ut numerum *duum millium & quadringentorum* contineat, & quadrabit. *Pætus de Roman. & Græcor. Mens.* I. *Thes. Antiq. Roman. Græv. Tom.* XI. *p.* 1616. *B. Ursat. de Not. Roman. Thes. ibid. p.* 584. *F. Bulenг. de V.*?*ig. c.* 5.

CENTURIARE est limitibus includere & separare: & agri ex hostibus capti per *centurias* dividuntur, & militibus adsignantur. Hyginus de Limitibus. Inde in Tiberii nummo Duumviri CC. A. signantur. Quod interpretor, *centuriandis agris.* Guther. de Jur. Man. III, 26.

CENTURIATUS ager. V. illum supr. in *Ager.*

Centuriatus miles. V. illum infr. in *Miles.*

Centuriatus mulus. V. illum infr. in *Mulus.*

CENTURIO, Græcis ἑκατόνταρχος; dicebatur, qui *centum pedites sub uno vexillo gubernabat*, ut ait Veget. II. 14. sive potius *centum & decem*, ut ex MSS. correxit Stewechius, ob rationem allatam de decem decanis, qui decem militibus sub uno papilione degentibus præerant. *Spon. Misc. Erud. Antiq. Sect.* 7. *p.* 255. Duos *centuriones*, qui frontem ducerent, unicuique manipulo assignabant tribuni: ne scilicet uno, vel ægrotante, vel vulnerato, vel mortuo, vel a duce superiore ad exsequendum aliquod negotium ablegato, *centuria* careret ductore. Polyb. VI. 22. *Secundum hæc una cum ordinum ductoribus dividunt ætates singula, sive genera in decem partes, exceptis velitibus: & attribuunt cuique parti ex viris jam electis duos duces & duos uragos. Quod non faciunt absque ratione. Quum enim incertum sit, quid dux vel facturus sit, vel passurus, neque excusationem ullam bellica res admittat, committere nolunt, ut unquam centuria ductore careat.* Patric. Rei milit. Roman. VII. Sect. 2. & 6. Sigon. de Ant. Jur. Provinc. III. 2. In legione tota erant, ut scribit Veget. II. 8. *centuriones quinquaginta quinque.* Sed alii scriptores sexaginta ponunt: inter eos Dionys. IX. p. 567. *Cujus ductum & jussa sexaginta centuriones cum suis manipulis sequi lex jubet.* Tacit. Annal. I. 32. 2. *Prostratos verberibus mulcant, sexageni singulos, ut numerum centurionum adæquarent.* Gell. N. A. XVI. 4. *In legione sunt centuriæ sexaginta, manipuli triginta, cohortes decem.* Stewech. ad Vegetium. Patric. & Spon. l. l. Ut melius a militibus dignoscerentur signum habebant in galea, seu literas in cassidum cristis. Veget. II. 13. *Centuriones transversis cassidum castris literas habebant, ut facilius noscerentur.* Ubi illæ literæ esse potuerint, vix intelligo. Torulos scio fuisse qui gestarint. Ammian. XVI. 12. *Chnodomarius, cujus vertici flammeus torulus aptabatur, anteibat sinistrum cornu.* Fortean Vegetius scripserit *titulos.* Et potuit galeæ *centurionis* titulus fuisse appositus, & inibi scriptum *Centurio* I. II. &c. hujus aut illius cohortis. *Stewech. ad Vegetium.* Forte signum istud 7. quod *centurionis* nota est, additis literis COH. I. II. vel III. prout ille primæ, secundæ, aut tertiæ cohortis erat. Romæ.

DIIS. MAN
QUARTIUS. JUNIUS. QUAR. F. PAL
HESPERINUS
7. COH. VI. VIGILUM.

Spon. l. l. Viteam virgam gerebant. V. infr. in *Vitis.* Vigilias circumibant. Tacit. Hist. II. 29. 3. *Deflagrante paullatim seditione, addit consilium, vetitis obire vigilias centurioni-*

turionibus. Annal. XV. 30. 1. *Initia vigiliarum per centurionem nuntiari*. Stewech. ad Veget. III. 8. Militibus munera distribuebant, & negligentius operantes puniebant. Veget. I. 25. *A centurionibus fossa inspicitur, ac mensuratur, & vindicatur in eos, qui negligentius fuerint operati*. Stewech. in Veget. II. 21. Præter stipendium ordinarium habuerunt sua commoda, vacationes scilicet, quas gregariis militibus annuas præstabant a muneribus militaribus certa pecuniæ summa. Tacit. Annal. I. 17. 4. *Hinc sævitiam centurionum, & vacationes munerum redimi*. Guther. de Offic. Dom. Aug. I. 14. Lipf. Tacit. Hist. I. n. 90. Stewech. l. l. Stipendii vero nomine in diem quatuor obolos accipiebant. Polyb. VI. 37. *Stipendii nomine pedites in diem accipiunt binos obolos, ordinum ductores duplum*. Sigon. de Jur. Civ. Roman. I. 15. Bud. de Asse V. p. 696. Consequebantur hunc honorem I. virtute. Lucan. I. 645.

—— ibi sanguine multo
Promotus, Latiam longo gerit ordine vitem.

Polyb. VI. 22. *Ordinum ductores eligunt pro cujusque virtute*. Et hoc milites reddebat fortes. Tacit. Annal. I. 44. 7. *Centurionatum Germanicus inde egit. Citatus ab Imperatore nomen, ordinem, patriam, numerum stipendiorum, quæ strenue in præliis fecisset, & cui erant militaria donaria, edebat*. Cæs. Bell. Gall. VI. 39. *Centuriones, quorum nonnulli ex inferioribus ordinibus reliquarum legionum, causa virtutis, in superiores erant ordines hujus legionis transducti*. Lipf. de Milit. Rom. II. 8. Ramus de Mil. Jul. Cæs. Thes. Antiq. Roman. Græv. Tom. X. p. 1592. D. II. Gratia. Suo ævo hoc factum queritur Veget. II. 3. *Legionum robur infractum, cum præmia virtutis occuparet ambitio, & per gratiam promoverentur milites, qui promoveri consueverant per virtutem*. Ipsi Principes inter beneficia cœperunt dare, & ab iis petebantur. Capitolin. Pertin. c. I. *Per Lollianum Avitum ducendi ~~ordinis~~ dignitatem petiit*. III. Censu, cujus etiam rationem habitam video, & quosdam ditiores statim ab initio *Centuriones* factos, sine militiæ aliis rudimentis. Dio LII. p. 481. C. apud quem Mæcenas suadet Augusto, *recipi in Senatum quosdam centurionum, modo non eos, qui aliquando inter gregarios meruissent, & corbes ac storeas portassent; quia hoc indignum & turpe: ex iis vero qui ab initio & semper centuriones fuissent, nihil impedire prudentissimos eorum assumere*. Forte huc illud Senecæ contr. II. I. *Census in castris ordinem promovet, census in foro judices legit*. Lipf. l. l. Thyf. Rom. Illustr. II. p. 59. Stabant *juxta suam quisque centuriam*, ut dicit Tacit. Hist. II. 89. 3. id est, ut opinor, in capite ipso. Nam credo a fronte præivisse & curasse, ut optiones eorum a tergo. Argumentum a castris ubi item in manipulis primum locum & sedem habent. Allusit Senec. de Const. Sap. c. 19. *Quo quisque genere honestior, fama, patrimonio est, hoc se fortius gerat, memor in prima acie altos ordines stare*. Lipf. ibid. IV. 4. Laz. Comment. Reip. Roman. IV. 10.

Centurio primi pili, qui & primipilus, & primus quoque *centurio* dictus est, erat omnium honestissimus. Veget. II. 8. *Vetus consuetudo tenuit, ut ex primo principe legionis promoveretur centurio primipili: qui non solum aquilæ præerat; verum etiam quatuor centurias, hoc est, quadringentos milites, in prima acie gubernabat. Hic tanquam caput totius legionis merita consequebatur & commoda*. Liv. VII. 41. *Lex militaris lata est, ne quis ubi tribunus militum fuisset, postea ordinum ductor esset. Id propter Salonium postulatum est; qui alternis prope annis tribunus militum, & primus centurio erat, quem nunc primipili appellant*. Erat supremus omnium, etiam primi hastati, & primi principis. quippe quem, ut dixit Dionysius supr. in *Centurio*, sexaginta legionis *centuriones* sequerentur, ac mandata ejus peragerent. *Sigon. de Ant. Jur. Prov.* II. 2. *Panciroll. Notit. Dign. Imp. Orient. c.* 21. *Panvin. de Imp. Rom. c.* 16. *Manut. Quæst. Epist.* II. 3. *Alex. Gen. Dier.* I. 5. *& ad eum Tiraquellus.*

CENTUSSIS Romæ non erat nummus, sed æs, & quidem *maximum vocabulum æris*, ut loquitur Varr. de Ling. Lat. V. 36. Perf. V. 191.

Et centum Græcos curto centusse licetur.

Centum erant libræ æris, quæ argentea primum signata pecunia decem denariis, vel viginti victoriatis, vel quadraginta sestertiis æstimabantur. Post *centussis* a centenis æris libris, velut ad centenos sextantes, qui eidem numero denariorum, victoriatorum, sestertiorum pretio pares habebantur. Tertia vice centum unciæ, & quarta centum semunciæ signati æris fuere *centusses*: hoc vero *centussis* non decem denariis, viginti victoriatis, quadraginta sestertiis, sed sex denariis & sestertio, duodecim victoriatis & dimidiato, viginti quinque sestertiis commutabatur. *Gronov. de Pec. vet. p.* 664. *Cenal. de Pond. & Mens. rat.* VI. *Thes. Antiq. Roman. Græv. Tom.* XI. *pag.* 1537. *E. Bud. de Asse* I. *p.* 12. *Lipen. de Stren.* III. §. 26. *Hotman. Antiq. Roman.* IV. I. 13.

Centussis vocabatur Lex Fannia. V. infr. in *Lex*.

CER.

CERA in obsignationibus literarum & tabularum adhibebatur. Lino imponebatur, & in illam sigillum imprimebant. Plaut. Bacch. IV. 4. 64. adferri jubet ad literas scribendas & signandas,

Stylum, ceram, & tabellas, & linum.

Iis jam exaratis, sed necdum signatis, dicitur n. 96.

Cedo tu ceram ac linum actutum. age obliga, obsigna cito.

Voss. de Idolol. IV. 91. Long. de Annul. c. 9. Salmas. de mod. usur. c. II. Sed prius saliva madefactum, ne *cera* illi adhæreret. Unde Juven. Sat. I. 68. *gemmam udam* dixit, quam Scholiastes interpretatur *saliva tactam propter signaculi impressionem*. Et Ovid. Trist. V. 4. 5.

Flens quoque me scripsit: nec qua signabar, ad os est
Ante, sed ad madidas gemma relata genas.

Amor. II. 15. 15.

Idem ego, ut arcanas possem signare tabellas,
Neve tenax ceram siccaque gemma trahat,
Humida formosæ tangam prius ora puellæ.

Kirchman. de Annul. c. 7. Brod. Misc. VII. 6. Grang. in Juvenalem. *Cera* judicii sui quædam signa in censendis scriptis annotare Critici solebant. Huic admiscebatur μίλτος, sive rubrica, aut minium. Unde Achilles Statius in Aratum: *Est in sphæra illitus cera, minio admisto*. Criticis fuisse in usu indicat Cicer. Attic. XVI. II. *Nostrum opus tibi approbari lætor, ex quo ἄνθη ipsa posuisti, quæ mihi florentiora sunt visa tuo judicio: cerulas enim tuas miniatulas illas extimescebam*. Voss. l. l. *Ceræ* usus etiam in pictura erat. Nam *ceram* prius tabulæ inducebant, non quidem liquefactam, sed cujusmodi esset. Inducebant autem *ceram* discolorem, prout exigeret id, quod in tabula vellent pingere. Id, quo *ceris* pingerent, ἔγκαυστον dixere; uti artem ipsam ἐγκαυστικήν. De hac capiendus Varro de Re Rust. III. 17. *Nam & Pausias, & ceteri pictores, ejusdem generis loculatas magnas habent arculas, ubi discolores sunt ceræ*. Item Mart. IV. 47.

Encaustus Phaeton tabula depictus in hac est:
Quid tibi vis, dipyron qui Phaetonta facis?

Erat & alter *ceraria* encaustices modus, qui fiebat *ceris* liquefactis. Vitruv. VII. 9. *Ceram Punicam igni liquefactam paullo oleo temperatam seta inducat: deinde postea, carbonibus in ferreo vase compositis, eam ceram apprime cum pariete calefaciendo sudare cogat, fiatque ut perequetur. Postea cum candelis, linteisque puris subigat, uti signa marmorea curantur. hæc ἔγκαυσις Græce dicitur*. Voss. l. l. Salmas. Exerc. Plinian. p. 164. a. Buleng. de Pict. I. 6. Bergier. de viis milit. V. Sect. XII. §. 6. Hoc puppes navium pingebant: & ipsas naves, ne aquam admitterent, oblinebant. Ovid. Heroid. V. 42.

Cærula ceratas accipit unda rates.

Metam,

Metam. xi. 514.

Jamque labant cunei, ſpoliataque tegmine ceræ
Rima patet.

Veget. iv. 37. *Cera etiam, qua ungere ſolent naves, inficitur.* Græci quoque κηρὸν pro eadem mixtura accipiunt. *Voſſ. l. l. Brod. Miſc.* iv. 13. *Scheffer. Milit. Nav.* i. 5. Ex *cera* etiam ſola vultus, totaſque imagines efformabant. Nec *cera* ſane ulla eſt materies magis ductilis. Talis erat imago, de qua Ovid. Rem. Amor. ii. 723.

Si potes, & ceras remove: quid imagine muta
Carperis? hoc periit Laodamia modo.

Vult, ut amaſiæ ſubeat oblivio, removeri *ceratam* illius imaginem, eo quod conſpectus memoriam ejus renovet, uti Laodamiæ contigit, quæ marito ſuo Proteſilao, ad Trojam profecto, ſic ſcribit apud Ovid. Heroid. xiii. 151.

Dum tamen arma geris diverſo miles in orbe,
Quæ referat vultus eſt mihi cera tuos.
Illi blanditias, illi tibi debita verba
Dicimus, amplexus accipit illa meos.
Crede mihi plus eſt, quam quod [illegible], imago:
Adde ſonum ceræ; Proteſilaus erit.
Hanc ſpecto, teneoque ſinu pro conjuge vero
Et tanquam poſſit verba referre, queror.

Tales erant imagines majorum, quas, ut ait Val. Max. v. 8. 3. *ut eorum virtutes poſteri non ſolum legerent, ſed etiam imitarentur, in prima ædium parte ponere ſolebant.* Deſcribit eas Plin. xxxv. 2. *Apud majores hæ imagines in atriis erant, quæ ſpectarentur, non ſigna externorum artificum, nec ærea, nec marmorea. Expreſſi cera vultus ſingulis diſponebantur armariis, quæ comitarentur gentilia funera.* Qui recte *expreſſi vultus.* Non enim tota corporis effigies ſtatuebatur, membris omnibus, a vertice ad pedes, juſta magnitudine efformatis; quis enim locus, quæ domus tanti exercitus capax, ſi totis integriſque ſimulacris majorum, avorumque replenda fuiſſet, præcipue cum ex imaginum multitudine cenſeretur omnis nobilitas, ſed ſolum caput fiebat humerorum tenus. Quia vero ex *cera* erant, Poetis non *ceree*, ſed μετωνυμικῶς *ceræ* dicuntur. Ovid. Faſt. i. 591.

Perlege diſpoſitas generoſa per atria ceras.

Juven. viii. 19.

Tota licet veteres exornent undique ceræ
Atria.

Voſſ. l. l. & Lex. Etymol. Figrel. de Stat. Roman. c. 11. Lipſ. Elect. i. 29. Bergier de Viis Milit. v. 13. 4. Etiam magi imagines eorum, propter quos carmen inſtituebant, ex *cera* fingebant. Ovid. Her. vi. 91.

Devovet abſentes, ſimulacraque cerea fingit.

Serv. Ecl. viii. 80. *Fecerat illa duas imagines, alteram ex limo, qui igne ſit durior; alteram ex cera, quæ igne ſolvitur. Ut videlicet mens amatoris ita dureſceret ad illam, quam tunc amabat, omneſque alias, ſicut ad ignem limus; & ad ſe ita molliretur, & ſolveretur amore, ut cera ad ignem liqueſcit.* Junius de Pict. Vet. iii. 11. Etiam rebus in glutini morem jungendis uſum præſtabat. Sic fiſtulas fecerunt pluribus cicutis, ſive cannis ex *cera* junctis. Nemeſian. Ecl. iii. 14.

Quas ego Mænaliis cera conjungo ſub antris.

Theocrit. Eidyll. viii. 18.

Fiſtula, quam feci bonam ego novem vocum
Albam ceram habentem.

Mart. xiv. 63.

Quid me compactam ceris, & arundine rides?
Quæ primum exſtructa eſt fiſtula, talis erat.

Nempe Martialis ævo hæc componendæ ejus ratio obſoleverat: ac ſi quis revocare vellet, ridebatur. Ideo quondam iſtam obtinuiſſe formam caute ait Ovid. Metam. viii. 189.

— nam ponit in ordine pennas
A minima cœptas, longam breviore ſequente,
Ut clivo creviſſe putes. Sic ruſtica quondam
Fiſtula diſparibus paullatim ſurgit avenis:
Tum lino medias, & ceris [illegible] oras.

Voſſ. ibid. c. 92. Rader. in Martialem. Scalig. Poet. i. 4. Barthol. de Tib. vet. iii. 6. Dolia etiam, ne liquorem tranſmitterent, oblinebant. Colum. xii. 50. *Conſiderant, nunquid ceram novam dolia deſiderent. Nam fere ſexta quaque olivitate cerari oportere antiqui dixerunt.* Voſſ. l. l. Κατὰ μετωνυμίαν tabella eſt *cerata.* Nempe, quia, ut Priſcianus ait I. *Plerumque in tabellis ceratis antiqui ſcribere ſolebant, & poſtea delere.* Quintil. x. 3. *[illegible] ceris, in quibus facillima eſt ratio delendi.* Mart. xiv. [illegible]

Eſſe puta ceras, licet hæc membrana vocetur:
Delebis quoties ſcripta novare velis.

Unde mos loquendi in *cera* prima, ſecunda, extrema. *Voſſ. Lex. Etym. Hugo de prim. ſcrib. Orig. c.* 10. *Ferret. [illegible]* ii. *Mem.* 45. *Cellar. in Plinium.* Ita tabulæ teſtamenti vulgo erant duplices, binis *ceris*, id eſt, *ceratis* paginis conſtantes, prima & ſecunda. Primæ meminit Horat. Sat. ii. 5. 53.

— quid prima ſecundo
Cera velit verſu, ſolus, multiſne cohæres,
Veloci percurre oculo.

Ubi vetus Commentator. *Prima cera, prima tabula.* Secundam Cicer. Verr. i. 36. *ceram extremam.* Suet. Jul. c. 83. n. 3. *ceram imam* vocant. In *cera* prima hæredes primi ſcribi ſoliti: & in eadem legata, adoptiones, commendationes relinquebantur: in ſecunda ſecundi hæredes. Suet. l. l. *Noviſſimo teſtamento tres inſtituit hæredes ſororum nepotes, C. Octavium ex dodrante, & L. Pinarium, & Q. Pedium ex quadrante: reliquos in ima cera.* Salmaſ. Ferret. Voſſ. l. l. Briſſon. de Form. vii. p. 592. Alex. Gen. i. 1. Lambin. in Horatium. Guilland. Papyr. memb. iii. n. 42. Schill Nomencl. Philol. p. 274.

CERARIUM vocabatur pecunia, quam pro *cera* magiſtratus a provincialibus exigebant. Cicer. Verr. iii. 78. *Cerarium vero quid? quomodo hoc nomen ad [illegible] magiſtratus, quomodo ad pecuniam publicam allatum eſt?* Muret. Var. Lect. xii. 5. Voſſ. Lex Etymol.

CERASA numerantur inter bellaria. Hæc Lucullus Romam primus intulit ab oppido Ceraſunte, quod Ponti eſt. Hieron. Epiſt. 19. Plin. xv. 25. *Ceraſi ante victoriam Mithridaticam L. Luculli non fuere in Italia, ad Urbis annum 680. Is vexit e Ponto, [illegible] 120. trans oceanum in Britanniam uſque pervenere.* Pancroll. Notit. Dign. Imp. Orient. c. 132. Buleng. de Conviv. ii. 39. Nonnus de Re cibar. i. 29. Bruyer. de Re cibar. xi. 8.

CERATIUM eſt oboli pars tertia, ſcrupuli ſexta, continens in ſe lepta quatuordecim. *Pætus de Roman. & Græc. Pond.* v. *Theſ. Antiq. Roman.* [illegible] xi. *p.* 1671. *B. Cenal. de Pond. & Menſ.* [illegible] *p.* 1495. *E.* Nummus fuit, ut [illegible] argenteus: ut plerique putant, idem qui Latine ſiliqua [illegible] & Priſcianus, & vetus Novellarum interpres, [illegible]lianus anteceſſor Latine ſiliquam interpretantur. Sed Iſidorus videtur *ſiliquam cornutam* appellare, opinor, vel ex ſiliquæ forma, vel ex lunæ creſcentis nota, qua nummus ille ſignabatur. *Cerates*, inquit xvi. 24. *[illegible] media eſt, ſiliquam habens unam ſemis. Hunc L[illegible] cat. Cerates autem Græce, Latine ſiliqua cornuum interpretatur. Obolus ſiliquis tribus appenditur, habens cerates duos, calcos quatuor.* Hotman. Antiq. Roman. iv. 2. 31. Scalig. de Re numm. Antiq. Græc. Gronov. Tom. ix. p. 1525. F. Male inter ſpecies argenteas ponitur κεράτιον, ſive ſiliqua: nam nec ſpecies ejus erat, nec argentea, ſed ſummula æreorum, duodecim folles, dimidium milliarenſis, ſiliqua, & auri ſiliqua dicebatur: quia quod ſiliqua eſt in quatuor ſcriptulis, hoc duodecim folles erant in pretio ſolidi. *Gronov. de Pecun. vet. Mantiſſ. c.* 3.

Ceratium accipitur quoque pro indicatura auri, ſeu nota æſtimationis, & valoris. Nam auri ſummus valor vi-

ginti quatuor caractas habere dicitur. Et sicut Philosophi qualitates primas octo gradibus partiuntur, ut summus calor octo graduum esse dicatur: sic trapezitæ summam auri æstimationem in viginti quatuor caractis constituunt. Hanc indicaturam tenent nummi, quos regales [illegible] itemque Franci pedestres & equites, & quos di[illegible] [illegible]atios, Gallice salutz. *Cenal. de Pond. & Mens. ver. Thes. Antiq. Roman. Græv. Tom.* XI. *p.* 1495. *E.*

CERAUNON est gemma ignei coloris, quæ a fulmine nomen sumpsit. Rubidum esse indicat etiam Isidor. XVI. 12. *cui color pyropo rubenti, & qualitas ut ignis.* Ex Claud. Laud. Seren. n. 77.

> —— *Pyrenæisque sub antris*
> *Ignea fluminea legere ceraunia nymphæ.*

Aleand. Tab. Heliac. Explic. Thes. Ant. Roman. Græv. Tom. [illegible] p. 733. A.

CERBERUS canis Plutonis, qui triceps fingebatur. Virg. Æneid. VI. 417.

> *Cerberus hæc ingens latratu regna trifauci*
> *Personat.*

Natus traditur ex Geryone & Echidna. Ab Hercule fertur tractus ab inferis. Virg. Æneid. VI. 395.

> *Tartareum ille manu custodem in vincla petivit*
> *Ipsius a solio regis traxitque trementem.*

Senec. Agamem. IV. 859.

> *Tractus ad cœlum canis inferorum*
> *Triplici catena jacuit.*

Cujus hæc ratio traditur, quia Hercules omnes cupiditates & cuncta vitia terrena contempsit, & domuit: nam *Cerberus* dictus quasi κρεόβορος, *carnem vorans.* Unde de eo Virg. Æneid. VIII. 297.

> *Ossa super recubans.* . . . .

Gyrald. Synt. Deor. VII. p. 215. F. Bellor. Descr. Sepulc. Nason. Tab. 16. Clasen. Theol. gentil. II. 2. Porphyr. apud Euseb. de Præpar. Euang. III. 11. *Plutonis canis fructuum generationem significat in tria divisam, in sationem, conceptionemque & generationem: haud enim a morte vocatus est, quod defunctorum animas possideat ad vorandum; sed a concipiendo, seu generando: cujus rei Pluto elargitor est, quum Proserpinam rapit.* Aleand. Tab. Heliac. Explic. Thes. Antiq. Roman. Græv. Tom. XI. p. 751. A.

CERCO cognomen fuit Lutatiorum, & Q. Lutatius *Cerco* Consul fuit cum A. Manlio Torquato iterum, & triumphavit de Faliscis Kal. Mart. Quinquennio post idem Quinctus Censor fuit cum L. Cornelio Lentulo Caudino, & in magistratu mortuus est. *Cercoms* cognomen a cauda dictum credimus, unde *cercalopex*, & *cercopithecus.* Eodem cognomine Cn. Lutatius ad Regem Persen cum aliis legatus profectus est anno ab U. C. 580. *Augustin. de Famil. Roman. in Lutatia.*

CERCURUS, κέρκουρος, est navis Asiana prægrandis. Plaut. Stich. II. 2. 42. quem laudat Nonius XIII. 4.

> *Dum percontor portitores, ecquæ navis venerit*
> *Ex Asia: negant venisse: conspicatus sum interim*
> *Cercurum, quo ego me majorem non vidisse censeo.*

Invenerunt illam Cyprii. Plin. VII. 56. *Voss. Lex. Etymol. Dolet. de Re Nav. Thes. Antiq. Gronov. Tom.* XI. *p.* 676. *D. Gyrald. de Navig. c.* 18. *Rhodig. Antiq. Lect.* VIII. 5. *Turneb. Adv.* XIX. 32. *Calcagn. de Re Naut. c.* 2. *&* 13. Fuit idonea vehendis oneribus. Plaut. Merc. Prol. n. 86.

> *Ædificat navim cercurum, & merces emit:*

quas nempe *cercuro* imponat. Apud Athen. V. p. 208. F. ingens legitur *Cercurus*, qui *gestabat tria talentorum.* Et tamen dispositos habuit remos, velut actuariolæ. Lucillius:

> *Verum flumen uti, atque ipso divortio aquarum,*
> *Ilignis pedibus cercurum concinit aquis.*

Pedes poetarum more hic pro remis posuit. Non tamen per navim totam; sed, ut censeo, in prora tantum. Hinc Athenæus de prædicto *cercuro* tanquam aliquid inusitatum refert, quod fuerit totus remis instructus. *Scheffer. de Mil. Nav.* II. 2.

CERDO proprie est turpis lucri cupidus. *Scholiast. Juven. Sat.* IV. 153. Transfertur ad coriarium, βυρσοποιόν, qui simpliciter *cerdo* vocatur. Vetus lapis Romæ:

SEX. POMPEJUS SEX.
HERMIA SEX.
POMPEI
CERDONI.

Et *cerdo faber.* Vetus lapis Romæ:

POMPEJÆ MELISSÆ MAJOR HAVE	POMPEJA SEX. L. EMP. MELISSA SIBI ET DE. F. C. TROLTO
POMPEJUS NARDUS CERDO FABER	SEX. POMPEJO CILICI EPIGONO

Spon. Misc. Erud. Ant. Sect. VI. *p.* 221. Forsan lecticarii, de quibus Victor in regione XIV. sive Transtiberina, de *cerdonibus* accipiendi sunt, quod genus oculis naribusque molestum trans Tiberim remotum fuisse Panvinius censet ex Novella 43. cui & Artemid. I. 53. suffragatur: *Coriariam exercere malum omnibus: corpora enim mortua abjectat cerdo, ideoque ab urbe secluditur.* Foveas quoque & officinas ibidem fuisse e Victore suspicari licet, e voce *coriaria.* Sic enim tam spurcum decuit opificium, ut e culti luxuique assueti populi Romani oculis summoveretur. Forte in ripa Tiberis fuere, ob aquæ facilem ibidem usum, quæ nunc in altera ripa sunt, in tractu, seu vico, cui *Regula* nomen. Ad hanc allusisse videtur Mart. V. 63.

> *Non detracta cani Transtiberina cutis.*

Nardin. Rom. Vet. VII. 11. Tractabant enim morticinia, ut monuit Artemidorus. Et illorum opificium fœtidos odores exhalat. Hinc crediderim, domum Simonis illius coriarii, apud quem in Joppe Petrum hospitatum Apostolorum acta c. 9. n. 43. c. 10. n. 32. narrant, Urbis ambitu exclusam: cum diserte domus illa fuisse dicatur *juxta mare*, quod quidem urbem illam alluit. *Balduin. de Calc. c.* 2. *Byn. de Calc. Hebr.* I. 2. §. 7.

CEREALIA fuerunt ludi a Cerere denominati. Celebrabantur Romæ per matronas albis vestibus indutas, luctum Cereris ob raptam Proserpinam, ejusque peregrinationem repræsentantes cum face, ut filiam inveniret. *Alex. Gen.* VI. 9. *Volaterr. Rer. Urban.* XXIX. *p.* 1085. *F. Kipping. Antiq. Roman.* II. 6. §. 12. Ludos istos spectabant Romani toga pariter induti candida, & est observatum, ut tunc Diis gratum esse censerent, si a lætis, nec funere pollutis celebrarentur, atque in sacris *Cereris* ante noctem epularetur nemo, atque a vino inprimis & Venere abstinerent: utque quinto quoque anno ex Sibyllinis carminibus, prodigiorum causa, jejunium fieret, interque præcipuum fuerat, ut sacris initiatos calida ablucrent primum, quod castitati prodesse ducerent. Polluti & immundi a *Cereris* templo arcebantur voce præconis, quique impurus accedebat, capite mulctabatur. *Alex. ibid. c.* 19. *Ursat. de Not. Roman. Thes. Antiq. Roman. Græv. Tom.* XI. *p.* 603. *E. Scalig. Poet.* I. 32. Illis equorum cursus in circo celebrabantur, primusque eos C. Memmius ædilis fecit. Tacit. Annal. XV. 53. 1. *Tandem statuere Circensium ludorum die, qui Cereri celebratur, exsequi destinata, quia Cæsar rarus egressu, domoque, aut hortis clausus, ad ludicra circi ventitabat.* c. 74. n. 2. *Utque Circensium Cerealium ludicrum pluribus equitum cursibus celebraretur.* Ovid. Fast. IV. 391.

> *Circus erat pompa celeber, numeroque deorum,*
> *Primaque ventosis palma petetur equis,*
> *Hic Cereris ludi.*

Et Dio XLIII. p. 239. C. narrat Ædiles ex patriciis a Cæsare creatos a Cæsare fuisse denominatos. Præterea Laurentius Medices numismata compluria nobis ostendit, quæ faciem viri barbatam, & intonsam habeant cum duplici titulo: Quirini & C. Memmi. Altrinsecus autem Cereris imagunculam draconibus vehentem, cum titulo

hujus-

hujusmodi: *Memmius Ædilis Curulis Cerealia primus fecit.* Politian. Misc. c. 85. Non sunt iidem Circenses illi veteres, jam inde a Romulo instituti, & hi *Cereales* multo recentiores; nam illi Neptuno equestri fuerant semper sacri. Deinde *Cereales* ludos longe ante Memmium factos fuisse testis est Liv. xxx. 39. nempe decimo sexto anno belli Punici II. ex S. C. a Dictatore Cn. Servilio Gemino, & magistro equitum Ælio Pæto. Nec Tacitus & Ovidius aliud indicant, quam in circo celebrari solitos ludos Cereris. Et *Cereales* Ædiles rei frumentariæ curandæ creati sunt, non ludorum ergo, tametsi ludos facerent Cereri. *Vives in August. de Civ. Dei* VII. 20. *Hospinian. de Orig. Fest. p.* 148. *Scal. l. l.* Uti ex Kalendario Romano edifcitur, pridie Idus Aprilis initium habebant, hoc est, ejusdem mensis die undecimo, atque per octiduum continuabantur; primusque *Cerealium* dies circensi pompæ succedebat. Ovid. loco jam allato. *Ursat. l. l. Tomas. de Donar. c.* 26. *Land. Misc. Num. Rom. Misc. Ital. Tom.* I. *p.*415. *Kipping. ibid.* I. 10. §. 5.

CEREBELLA avium erant olim in deliciis. Apic. de Art. Coquin. V. I. *Alicam purgatam infundis, coques, facies ut ferveat: cum ferbuerit, oleum mittis: cum spissaverit, obligas diligenter. Adjicies cerebella duo cocta.* Lamprid. Heliog. c. 20. *Exhibuit Palatinis ingentes dapes refertas, cerebellis phænicopterum, & cerebellis turdorum.* Suet. Vit. c. 13. n. 5. *In hac scarorum jocinora, phasianorum & pavonum cerebella. . . . . . commiscuit.* Buleng. de Conviv. II. 24. Voss. de Idolol. III. 91. Pitisc. in Suetonium.

CEREBRUM veteres non gustarunt, quod omnes prope sensus sint in *cerebro.* Athen. II. p. 65 F. Proverbium de homine nequam apud Eustathium: *Qui cerebrum comedens nihil relinquat.* Buleng. de Conviv. II. 24. Saliens bene valenti morbum, ægrotanti sanitatem, augmentum & victum denotat; stanti vero filium & gaudium; exsuli peregrinationem & reditum in patriam; militi vero & nautæ capitis periculum. *Niphus de Augur.* I. 9.

Cerebrum Jovis ad caput cœnæ pertinebat. Hoc Ennius dixit de piscibus apud Apulej. Apol. p. 469.

Scarum præterii, cerebrum Jovis pæne supremi.

Eustathius *cerebrum Jovis* ait *esse cibum apud Athenienses similem ei qui ex cerebellis conficitur.* Buleng. de Conviv. II. 4.

CEREMONIÆ sunt exterior Deorum cultus, cujus ope commode & rite, quia erant veluti instrumenta, & adminicula pro excitanda cordis devotione, sacra possent expedire. Hic pro ratione locorum & temporum mutari potest. Nonnunquam pro religionis ipsius fundamentis & radicibus sunt usurpatæ. Sic Tacit. Hist. I. 2. 4. *pollutas ceremonias* exclamat: & P. Clodius *pollutarum ceremoniarum reus factus* apud Suet. Jul. c. 74. n. 4. De *Ceremoniis* Pontifex Maximus edicebat, & funesti ominis loco acceptum, quod Vitellius Imperator Pontificatum Maximum adeptus edixit de *ceremoniis* infausto Alliensi die. Ex collegii vero sententia in albo proponebat nonnulla translatitia, & nova, quæ ad Deorum cultum pertinebant: ut de festis, feriis, supplicationibus, quibus diebus, ad quæ templa; cui Deo, & de cæteris omnibus quæ per annum servarentur. Hæc edicta erant διατάγματα, quæ Pontifex Maximus condebat. Atque ut ille de *ceremoniis* edicebat: ita de illis remittebat, gratiamque faciebat. *Ceremoniarum* magister erat in ludis secularibus, qui magistratus officia antiquitus potissimum exsequebatur, quæ ipsi postea Imperatores confecerunt. Romæ in vinea Cardinalis Carpensis Inscriptionis visitur fragmentum.

PONTIFICI. MAXIM
TRIBUNI. POTESTAT
IMP. XVII. P. P
COS. VII. DESIGN. VIII. CENSORI
CONSERVATORI CEREMONIARUM
PUBLICARUM.

Cura erat tanta, ut ob illas, vel neglectas, vel prætermissas sibi crederent iratos Deos. Quapropter sæpe levi de causa ludos instaurarunt, & *adversis Reipublicæ temporibus acciti Aruspices, quorum monitu redintegratæ ceremoniæ, & in posterum rectius habitæ.* Tacit. Annal. XI. 15, I. *Guther. de Vet. Jur. Pont.* I. 12. *Stuck. de Sacrif. p.* 4. *Kipping. Antiq. Roman.* I. 9. §. I.

CERES est eadem quæ Terra. Artemid. I. 44. *Insuper Cererem eandem cum terra rationem habere sapientes ajunt: largitrix enim, atque auctor vitæ, victusque terra appellatur.* Aleand. Tab. Heliac. Explic. Thes. Antiq. Rom. Græv. Tom. V. p. 753. B. Argol. in Panvin. de Lud. Circ. I. 2. Phornut. c. 28. *Utraque autem Ceres & Vesta non videtur alia a Terra esse.* Eurip. Bacch. n. 275.

— *Ceres Dea*
Terra autem est, nomine vero utrovis voca.

Plotin. Ennead. IV. p. 419. *Animam terræ Vestam & Cererem nominari ab hominibus.* Spanhem. de Vest. & Prytan. Thes. Antiq. Romanar. Græv. Tom. V. p. 691. B. Invenit *frumenta, cum antea glande vescerentur. Eadem molere & conficere in Attica, Italia & Sicilia: ob id Dea judicata.* Plin. VII. 56. Ovid. Metam. V. 341.

Prima Ceres unco glebam dimovit aratro,
Prima dedit fruges, alimentaque mitia terris.

De La Chausse de Deor. Simulacr. tab. VI. Tomas. de Donar. c. 26. Kipping. Antiq. Roman. I. I. §. 15. Divinationem per omina reperit. Hesychius. *Buleng. de Omin.* c. I. Et leges. Ovid. Metam. V. 343.

Prima dedit leges.

unde a Græcis Θεσμοφόρος, & a Latinis Legifera dicta est. Diodor. Sic. V. p. 201. B. *De La Chausse & Kipping. l. l.* Traditum a quibusdam, *Cererem* filiam Proserpinam a Plutone surreptam & corruptam quærentem, totam illam pervestigationem pedibus peregisse. Et ideo Callimachus ait se mirari, quo pacto *Cererem* per tot regiones ferre pedes valuerint. Verum, ut est fabularum inconstantia, aliter alii tradiderunt. Apud Ovid. Metam. V. 511. *Ceres*, ubi ex Arethusa cognovisset Proserpinæ raptum,

— *curribus auras*
Exit in ethereas.

Et apertius scribit idem Fast. IV. 495. Sicula quidem loca pedibus a *Cerere* peragrata: at quum extra insulam abire vellet, currum conscendisse:

Est specus exesi structura pumicis asper,
Non homini facilis, non adeunda feræ.
Quo simul ac venit, frenatos curribus angues
Junxit, & æquoreas sicca pererrat aquas,
Et fugit ad Syrtes.

Neque enim Siciliam tantum; sed universam pererrasse terram traditur. Cicer. Verr. IV. 48. *Quam quum investigare, & conquirere Ceres vellet, dicitur inflammasse tædas iis ignibus, qui ex Ætnæ vertice erumpunt, quas cum sibi ipsa præferret, orbem omnium peragrasse terrarum.* Sed & in cœlum indagatum ivisse Ovid. Fast. IV. 573.

Quo feror? immensum est erratas dicere terras;
Præteritus Cereri nullus in orbe locus.
Errat & in cœlo.

Aleand. ibid. p. 754. D. A *Cerere* raptam Proserpinam, accensis in Ætnæ montis vertice tædis quærente Ethnici deduxerunt rationem instituti, quo in supplicationibus, accensis facibus, longa pompa Deorum templa adierunt. Ritus ille magna pars sacrorum Eleusiniorum fuit: quæ licet omnium mysteriorum occultissima, summo silentio tegerentur, illud tamen inter cætera emanavit, in iis & gestatas præcipue, & jactatas faces fuisse. Psyche *Cererem* sic propitiat apud Apulej. Metam. VI. p. 174. *Per ego te frugiferam tuam dextram istam deprecor: per currum rapacem, & terram tenacem, & illuminarum Proserpinæ nuptiarum demeacula, & luminosarum familiæ inventionum remeacula.* Quo loco videmus prius supplicationem minime accensis facibus peractam, eaque vocat, *illuminarum nuptiarum demeacula,* id est, processum: in reditu vero, ob inventæ filiæ gaudium, faces accensas prælatas, quod *luminosarum* inven-

inventionum remeacula appellat. *Ferrar. de Lucern. Sepulcr. Thes. Antiq. Roman. Græv. Tom.* XII. *p.* 997. *C.* Deum matris, magnæ matris, & matris maximæ mortalium nominibus designatur. Inscriptio in vico Fleri agri Brixiensis:

CERERI
MATRI. MAXIMÆ
FRUGIFERÆ
QUINTIUS
GEMELLUS
V. S. L. M.

Spanhem. ibid. p. 692 *B. Tomas. de Donar. c.* 26. In veteri nummo caput *Cereris* multiplici spica coronatur. Unde Diodoro Siculo teste I. p. 9. B. Ægyptii in æstate spicas offerebant Isidi, quam cum *Cerere* quidam eandem fuisse censent. Tibull. I. I. 21.

Flava Ceres, tibi sit nostro de rure corona
Spicea, quæ templi pendeat ante fores.

Ovid. Metam. X. 431.

Festa piæ Cereris celebrabant annua matres
Illa, quibus nivea velatæ corpora veste
Primitias frugum dant spicea serta suarum.

Paschal. de Coron. VII. 15. Buleng. de Conviv. IV. 18. Tomas. l. l. Ei agricolæ falcem dicabant, item vomerem, & lorum subjugium tauros ligans, nec non stimulum, aliaque rusticationis instrumenta. Eidem pariter post messem primitias frugum offerebant, unaque mulsum & lac. Porca etiam fuit illi sacra. Inde in veteri nummo *Ceres* est cusa cum porco. Occasionem patefacit Hygin. fab. 277. *Ceres boves domare, & alumno suo Tri*[illegible] *sevisset, & sus,* [illegible]*dit, & duxit ad aram* [illegible] *filiis, eidem Cereri immolatur.* [illegible] quoque [illegible], priusquam messem inciperent coloni, *Cereri* facta est. Cato de Re Rust. c. 135. *Tomas. l. l.* V. etiam infr. in *Sacrificium & Porca.* Etiam ex herba illi sacrum fiebat. Phurnut. c. 28. *Verno tempore Cereri virentem herbam cum* [illegible] *cant, videntes omnia germinare, ac ubert*[illegible] *spem portendere.* Virg. Georg. I. 338.

In primis venerare Deos, atque annua magnæ
Sacra refer Cereri, lætis operatus in herbis,
Extremæ sub casum hyemis jam vere sereno.

Innuit poeta, non in piatis tantum; sed adhibita quoque herba fieri consuevisse id genus sacrificii. Et *lætas herbas* dum dicit, alludit ad hilaritatem, qua id festum peragebatur. [illegible] ibid. p. 745. C. Illi *vinum datum* esse dixit [illegible] *Cereri* vinum libatum negotium fecit Macrob. Sat. III. 11. qui de mulso intelligendum putavit. Sed nos scimus *Cererem* non ita abstemiam, ut illi mulsum pro vino offerretur. Nec libri Pontificales vetant, ut *Cereri* de vino sacrificaretur. Plaut. Aulul. II. 6. 5.

STA. *Cererine, Strobyle, has facturi nuptias?*
STR. *Qui?* STA. *Quia temeti nihil allatum intelligo.*

Lambino est inexplicabilis, qui alium Græcorum, alium Romanorum ritum sibi finxit in *Cereris* sacris, cum tamen *Cereri* Romæ Græco ritu sacrificaretur. Nodum incidit Serv. Georg. I. 343. *Superfluum est, quod quidam dicunt, contra religionem dixisse Virgilium, licere Cereri de vino sacrificari. Quod ait Plautus modo laudatus, non est huic loco contrarium. Nam aliud est sacrificium, aliud nuptias celebrare, in quibus revera vinum adhiberi nefas erat, quæ Orci nuptiæ dicebantur, quas præsentia sua Pontifices ingenti sollemnitate celebrabant.* Douza & Taubman. ad Plautum. Guther. de Vet. Jur. Pont. IV. 3. Sacerdos Græca sacrificula fuit *Cereris*, cujus templum est factum ab Arcadibus in Palatio, quæ abstemia sacrificia more Græcorum faciebat; in Thesmophoriis enim, quæ festivitates ob acceptas leges fiebant, jejunia maxime in honorem *Cereris* exercebantur. *Argol. in Panvin. de Lud. Circ.* II. 2. In pompa Circensi inter Lupercos Panos Lycæi & Gallos sacerdotes Deæ Cybeles collocabatur. *Panvin. l. l.* Ejus sacerdotibus Olympiæ spectare concedebatur. Suet. Ner. c. 12. n. 12. *Panvin. ibid.* II. I. ad illum *Argolus*, & *Beroaldus ad Suetonium.*

Ceres Actæa fuit dicta, quia in regione Attica ejus sacra celebrabantur. Ex hoc est illud Papin. Sylv. IV. 8. 50.

Tuque, Actæa Ceres, cursu cui semper anhelo
Votivam taciti lassamus lampada mystæ.

Gyrald. Synt. Deor. XIV. p. 430. A.

Ceres Africana summo cultu & continentia celebrata est a viduis mulieribus. Tertull. ad Uxor. I. 6. *Cæterum Africanæ Cereri viduas assistere scimus, durissima quidem oblivione matrimonii allectas, in æternum viris non modo toro decedunt: sed & alias eis utique ridentibus loco suo insinuant, adempto omni contactu, usque ad osculum filiorum: & tamen durante usu perseverant in tali viduitatis disciplina, quæ pietatis etiam sanctæ solatia excludit.* Gyrald. Synt. Deor. XIV. p. 431. E.

Ceres Catinensis fuit dicta ab oppido Siciliæ Ætnæ propinquo, ut ostendit Lactant. II. 4. Ad ejus sacrarium viris accedere non licebat, sacra vero per mulieres ministrari, & virgines præfici solebant: ejus simulacrum non modo tangere: sed ne videre homini fas. *Alex. Gen.* VI. 2. *Gyrald. Synt. Deor.* XIV. *p.* 423. *C.*

Ceres Deserta fuit cognominata pro tempore & loco, vel quoniam deserta a filia. Utrumque ostendit Poeta: nam de primo ait Æneid. II. 713.

— *templumque vetustum*
Desertæ Cereris.

De altero Georg. I. 39.

Nec repetita sequi curet Proserpina matrem.

Gyrald. Synt. Deor. XIV. p. 431. G.

Ceres Ennæa, sive Ennensis est nuncupata ab Enna Siciliæ urbe, ubi summo honore colebatur. Cicer. Verr. IV. 49. *Mira quidem tota Sicilia privatim ac publice religio est Cereris Ennensis.* Et, *Nec solum Siculi, verum etiam cæteræ gentes, nationesque Ennensem Cererem maxime colunt.* Priap. LXXVI. 12.

Ennææ Cererem nurus frequentant.

Gyrald. Synt. Deor. XIV. p. 423. B.

Ceres Erynnis est cognominata, quod in furorem a Neptuno compressa fuerit, & Arionem equum pepererit. Fabulam in Georgicis Virgilii recitat Probus Grammaticus: innuit Ovid. Met. VI. 118.

Et te flava comas, frugum mitissima mater,
Sensit equum.

Lactant. in Theb. VI. *Neptunus*, inquit, *pater quorundam equorum fertur, Pegasi ex Medusa, Arionis ex Cerere.* Gyrald. Synt. Deor. XIV. p. 428. B. Brod. Misc. III. 23. Rhodig. Ant. Lect. XV. 31: XVIII. 11.

Ceres Flava cognominata est sæpe a Latinis, a maturæ segetis colore. Tibullus supr. in *Ceres.* Ovid. Amor. III. 10. 3.

Flava Ceres, tenues spicis redimita capillos.

Eadem ratione Virgilius videtur appellare *rubicundam* Georg. I. 297.

At rubicunda Ceres medio succiditur æstu.

Gyrald. Synt. Deor. XIV. p. 423. F.

Ceres spicifera est etiam cognominata, quia Dea frugum credita. Manil. II. 442.

Spicifera est Virgo Cereris.

Ideo vero Virginis signo præesse fingitur, quia Virgo est signum Augusti mensis, quo segetes maturescunt. Unde Virgo spicam gerit inter astra. *Gyrald. Synt. Deor.* XIV. *p.* 425. *F. Fayus in Manilium.* Spicis coronatam fuisse *Cererem*, diximus supr. in *Ceres.*

Ceres Tædifera, Græce Δᾳδοῦχος, est appellata, propterea quod cum filiam Proserpinam raptam quæreret, fa-

cibus accenſis orbem circuiſſe dicta eſt. Ovid. Heroid. II. 42.

Et per tædiferæ myſtica ſacra Deæ.

Ideo & lampadum dies Cereri dedicatus eſt, illa videlicet ratione, quod hoc tempore cum lampadibus, id eſt, cum Solis fervore ſeges ad metendum cum gaudio requiratur. *Gyrald. Synt. Deor.* XIV. *p.* 425. *E.*

Ceres Theſmophoros quoque dicta, & Legifera. Virg. Æneid. IV. 57.

—— mactant lectas de more bidentes
Legiferæ Cereri.

Et ſacra ejus apud Athenienſes Θεσμοφόρια, quaſi *divinæ legis latio.* Nam θεσμὸς, νόμος θεῖος, *lex divina*, ut Heſychius exponit. Urbibus quidem ab ea leges latas etiam Callimachus hymno in Cererem ait. Rationem addit Servius. *Leges Ceres dicitur inveniſſe. Nam & ſacra ipſius Theſmophoria, id eſt, legumlatio vocantur. Sed hoc ideo fingitur, quia ante inventum frumentum a Cerere paſſim homines ſine lege vagabantur; quæ feritas interrupta eſt, poſtquam ex agrorum diſcretione nata ſunt jura.* Voſſ. de Idolol. II. 59. Gyrald. Synt. Deor. XIV. p. 426. G.

CEREUS eſt candela ex *cera*, cujus olim uſus fuit I. in tenebris nocturnis pellendis. Et hodie candelas ſebaceas Belgæ vocant **keerſſen**/ quia olim e *cera*. Ad conſuetudinem hanc Romanam pertinet illud Plaut. Curcul. I. I. 9.

Tute tibi puer es, lautus luces cereum.

Et Mart. XIV. 42.

Hic tibi nocturnos præſtabit cereus ignes.

Quas etiam patrimi & matrimi pueri faces præferebant in nuptiis, hæ *cerei* fuerunt. Plutarch. Quæſt. Rom. 3. *nominat faces, quas Romani ipſi cereos vocant.* In Eccleſia prius quidem ad tenebras pellendas, quia, ut ex Plin Epiſt. x. 97. 7. conſtat, noctu potiſſimum, ad perſecutionem effugiendam, cœtus fiebant: poſtea placuit, ut in ſacris de die quoque veteri luminarium inſiſteretur conſuetudini, *non quidem ad fugandas tenebras; ſed ad ſignum lætitiæ demonſtrandum, ut ſub typo luminis naturalis illa lux oſtendatur, de qua in Evangelio legitur* Joh. c. I. n. 9. Hieron. contr. Vigilant. c. 3. Iſidor. VII. 12. *Hildebrand. de Sacr. prim. Eccl. c.* 3. *Voſſ. de Idolol.* IV. 92. *Saubert. de Sacrif. c.* 16. Inde quoque eſt, quod Chriſtianos martyres *cereos* quaſi fieri juſſerat Nero. Nam moleſta eos tunica induebat, quæ interius papyracea, foris *cerea* erat: qualis κηροχίτων dicitur poetæ veteri: ut Chriſtiani ipſi ex eo vocati κηρίωνες, hoc eſt, *cerei*. Nempe quia hoc pacto ardentes noctu pro *cereis* erant. Tacit. Annal. XV. 44. 7. *Pereuntibus addita ludibria, ut ferarum tergis contecti, laniatu canum interirent, aut crucibus affixi, aut flammandi; atque ubi defeciſſet dies, in uſum nocturni luminis uterentur.* Papyro autem, quæ *cera* eſſet circumlita, indui ſolere indicat vetus interpres ad Juven. Sat. I. 155. *Tigillinum ſi læſeris, vivus ardebis; quemadmodum in munere Neronis vivi arſerunt, de quibus ille juſſerat cereos fieri, ut lucerent ſpectatoribus, cum fixa eſſent illis guttura, ne ſe curvarent. Nero maleficos homines tæda, & papyro, & cera ſuperveſtiebat, & ſic ad ignem admoveri jubebat, ut arderent.* Voſſ. de Idolol. IV. 92. II. In Saturnalibus, quibus miſſitabantur. Macrob. I. 7. & 12. *Cum diu humanis capitibus Ditem & virorum victimis Saturnum placare ſe crederent propter oraculum, in quo erat:*

Καὶ κεφαλὰς Ἅδῃ καὶ τῷ πατρὶ πέμπετε φῶτα.

Herculem ferunt poſtea ſuaſiſſe illorum poſteris, ut fauſtis ſacrificiis infauſta mutarent, aras Saturnias non mactando viros, ſed accenſis luminibus excolentes, quia non ſolum virum, ſed & lumina φῶτα *ſignificat. Inde mos per Saturnalia miſſitandis cereis cœpit.* Tomaſ. de Donar. c. 24. Lipen. de Stren. c. 3. §. 48. Alex. Genial. II. 22. Ferrar. de Lucern. Theſ. Antiq. Roman. Græv. Tom. XII. p. 997. B. III. In ſacris, in quibus cum *cereis* ſacrificiorum miniſtros ad altare nummi & antiquitatum monumenta nobis exhibent. Pacat. Paneg. Theodoſ. c. 37. *Quid ego referam pro mœnibus ſuis feſtum liberæ nobilitatis occurſum, conſpicuos veſte nivea Senatores, reverendos municipali purpura flamines, inſignes apicibus Sacerdotes: & accenſis funalibus auctum diem?* Illa vero *cera* circumdati erant. Serv. Æneid. V. 731. *Funalia a funibus, qui intra ceram ſunt: hos ante uſum papyri cera circumdatos habebant.* Inde feſtum quoddam Λαμπτήρια dictum, & Bacchus Λαμπτὴρ cognomen cepit. *Saubert. l. l.* IV. In funeribus efferendis. Iſidor. XI. 2. *Funus dictum a funalibus accenſis, quos ante feretrum papyris cera circumdatis ferebant.* Hoſce ex papyro *cereos* laudat Paullinus in Felicis natalem tertium:

Limina ceratis adolentur odora papyris.

Suet. Jul. c. 84. n. 6. *Lectum repente duo quidam gladiis ſuccincti ſuccenderunt ardentibus cereis*, qui ſane circa defuncti corpus ardebant. Verum hic notandum, acerba potiſſimum funera ad *cereos*, immixtis tamen facibus, efferri ſolita. Senec. Epiſt. 122. *Iſti mihi defunctorum loco ſunt: quantulum enim a funere abſunt, & quidem acerbo, qui ad faces & cereos vivunt?* de Tranq. c. II. *Toties in vicinia mea conclamatum eſt; toties præter limen immaturas exſequias fax cereusque præceſſit.* de Brev. vit. c. 20. *At mehercule iſtorum funera, tanquam minimum vixerint, ad faces & cereos ducenda ſunt.* Kirchman. de Fun. Rom. II. 3. Noriſ. Cenot. Piſan. Diſſ. III. p. 403. Moreſt. Pomp. Funeb. II. 21. Aring. Rom. Subterr. I. 18. I: 17. 19. Lipſ. Excurſ. ad Tacit. Annal. A.

CERINARIUS eſt, qui *cereo* colore veſtes tingit, V. illum ſupr. in *Carinarius.*

CERNI erant myſtici crateres, ſupra quibus lychni ponebantur. Sulmone ex eruto conditorio lucerna reperta, pauci anni ſunt, fuit cum vaſculo, cui ſuperimpoſita erat, utrumque figlinum, ut mirum ſit infractum perduraſſe. Hæſi jam diu, quid vaſculum vellet: tandem ad Nicandri Scholiaſten accedo, qui ait in Alexipharm. Κέρνυς τὺς μυσικὺς κρατῆρας, ἐφ᾽ ὧν λύχνυς τιθέασι. *Argol. in Panvin. de Lud. Circ.* II. 3.

CERNERE hæreditatem ſignificat hæreditatem adire. Feſtus in Crevi. *Bud. Pand. p.* 37. *K.* 134. *D.* Non proprie, ſed *cernere*, videre, an illam expediat adire, nec ne. Et *cretionem* aditio hæreditatis ſtatim ſequebatur. Vetus Gloſſarium: *Cernitoque*, καὶ ἐγχειρησάτω. q. d. ut eam poſſit adire: agat, aggrediatur. *Scalig. in Feſtum.* V. infr. in *Cretio.* Hæredes ſcripti interdum jubebantur & rogabantur *cernere* hæreditatem. Plin. Epiſt. x. 79. 2. *Rogavit teſtamento, ut hæreditatem ſuam adirem, cerneremque.* Briſſon. de Form. VII. p. 600.

CERNUARE erat labente veſtigio in pronum ire, & ſæpe etiam labi: quo genere luſus Conſualibus uti ſolebant per pelles unctas currentes & in caput ſe jactantes. Varro de vit. pop. Rom. I. apud Nonium I. 76. *Etiam pelles bubulas oleo perfuſas percurrebant, ibique cernuabant; a quo vetus ille verſus in carmine:*

Ibi paſtores ludos faciunt cernui Conſualia.

Turneb. Adv. XVII. 23. Buleng. de Theatr. I. 37. Voſſ. Lex. Etymol. Caſal. de Urb. ac Imper. Roman. ſplend. part. 2. c. 7. de Trag. ac com. c. 2. & ſupr. in *Aſcoliaſmus. Cernuat*, vel *cernuatur* equus, qui pedibus prioribus deficientibus in faciem ruit. Quod aliquando fit cum pernicie ſeſſoris, ſed ſæpius ſine periculo. Virg. Æneid. x. 892.

Tollit ſe arrectum quadrupes, & calcibus auras
Verberat, effuſumque equitem ſuper ipſe ſecutus
Implicat, ejectoque incumbit cernuus armo.

Salmaſ. Exercit. Plin. p. 628. b. B. Voſſ. l. l.

CERNUUS dicebatur puer in ludis, qui capite in ſolo ſiſtebat, pedibus in aerem erectis. Serv. Æneid. x. 892. *Pueri, quos in ludis videmus, ea parte qua cernunt ſtantes, cernui vocantur, ut Varro docet in theatralibus.* Græci κυβιστῆρας vocant. *Salmaſ. Exercit. Plin. pag.* 628. *b. C.*

Cernuus eſt calciamenti genus. Feſtus. In quo tamen

vix

vix pellucet hujus vocis vestigium. De eo fortasse contra Grammaticorum sententiam versum illum Lucill. Sat. III. licet accipere,

Cernuus extemplo plantas convestit honestas.

Nonnulli *cernuum* interpretantur soccum sine solo ligulatum. *Turneb. Adv.* XVII. 23. Festus, & qui illum sequuntur, decepti sunt hoc Lucillii versu. Nam apud illum *cernuus* nihil aliud est quam inclinatus, quasi quod terram *cernat*. Nonius I. 76. *Scalig. ad Festum. Palmer. Spicil.* IV.

CEROFERARII erant clerici, quorum munus erat ad sacrorum mysteriorum pompam accensos *cereos ferre*. Vocabantur etiam *acolythi*. V. illos supr. in *Acolythus*.

CEROLIENSIS fuit pars quædam Carinarum. Varro de Ling. Lat. IV. 8. *Cum Cælio conjunctæ Carinæ; sed in[illegible], quem locum Ceroliensem appellatum apparet.* Et, *Ceroliensis a Carinarum junctu dictus Carinæ: postea Cerio[illegible], quod hinc oritur caput Sacræ viæ.* Nardin. Rom. Vet. III. 9. Turneb. Adv. XX. 35. Panvin. Descr. Urb. Rom. Thes. Antiq. Roman. Græv. Tom. III. p. 275. B.

CEROMA erat oleum ceratum, quo luctatori perfundebantur. Plin. XXXV. 13. *De terræ usu in ceromatis, quibus exercendo juventus nostra corpora vires animorum perdidit.* Fab. Agon. II. 5. Philand. in Vitruv. V. 11. Panvin. de Lud. Circ. II. 1. Bud. in Pandect. p. 95. G. Thys. in Gell. III. 15. Mercur. Gymnast. I. 8. Demster. Paral. ad Antiq. Roman. Rosin. V. 1. Postquam oleo uncti erant, horum alii luto sese totos opplebant, alii pulvere sese aspergebant. Tertull. de Pall. c. 4. *Et lutea unctio, & pulverea volutatio. Luteam unctionem* τὴν πήλωσιν vocat: *pulveream volutationem* τὴν κόνισιν. Qui luto sese inliniebant, id faciebant, ut lubrica cute ansam non darent antagonistis, qua prendi possent aut teneri, ut λαβὴν nempe effugerent. Qui pulveris tactu se inspergebant, hoc captabant, ne manus laberentur in apprehendendo antagonistarum corpore: firmiorem enim λαβὴν præbebat pulveris conspersio. *Salmas. in Tertull. de Pall. p.* 259.

Ceroma erat etiam locus, in quo athletæ oleo cerato ungebantur. Senec. de Brev. vit. c. 12. *Qui in ceromate spectator puerorum rixantium sedet.* Plin. XXXV. II. *Palæstras athletarum imaginibus & ceromata sua exornant.* Faber Agon. II. 5. Philand. in Vitruv. V. 11. Salmas. in Tertull. de Pall. p. 259. Lips. in Senecam. Mercur. Gymnast. I. 8.

CEROSTROTUM dicebatur pavimenti genus, quod lapideæ aut testaceæ formæ non erat, sed fiebat ex schidiis, sive assulis ligneis, quæ cum cornibus pictis & adaptatis conjungebantur & dirigebantur in certas effigies, prout placebat artifici hujus operis segmentati perito & versato. Plin. XI. 37. *Apud nos cornua in laminas secta translucent, atque lumen inclusum latius fundunt, multasque alias ad delicias conferuntur, nunc tincta, nunc sublita, nunc quæ cerostrota picturæ genere dicuntur.* Bergier. de viis milit. II. Sect. 21. §. 8. Guther. de Jur. Man. II. 29. Philand. in Vitruv. IV. 6. Crinit. de Honest. Discipl. XXII. I.

CERRETANI fuerunt dicti Aulii a loco, unde Romam commigraverunt. *Sigon. de Nomin. Roman. c.* 5.

CERTAMEN apertum de propiori pugna videtur accipi, quia in eo genere plerumque vir virum legit, pes pede teritur, & res ad manus adducitur. Liv. X. 4. *In aperto certamine virium spem habebat.* XXXVIII. 41. *Etsi iniquo loco, prælio tamen justo, acie aperta, collatis signis dimicandum erat.* Hoc certe volunt, ut insidiis non sit locus, & ideo loca arboribus tecta, aut fossis invia, cauti duces vitabant, nisi prius aperirentur. Tacit. Hist. II. 25. 3. *Cunctator natura, & cui cauta potius consilia cum ratione, quam prospera ex casu placerent; compleri fossas, aperiri campum, pandi aciem jubebat, satis cito incipi victoriam ratus, ubi provisum foret, ne vincerentur.* Schel. in Hygin. Thesaur. Antiquit. Romanar. Græv. Tom. X. p. 1132. A.

Certamen gymnicum est gloria velocitatis ac virium. Isidor. XVIII. 17. Ejus auctor Lycaon. Plin. VII. 56. *Ludos gymnicos in Arcadia instituit Lycaon.* Primum inventum a Græcis ad Tuscos, ab iis ad Romanos manavit. *Panvin. de Lud. Circens.* II. 1. In Hetruria viguisse docet Prud. contr. Symm. II. 516.

Tunc mastigophoris, oleoque & gymnadis arte
Unctis pugilibus miles pugnabat Hetruscus:
Nec petaso insignis poterat Lacedæmone capta
Mercurias de clade suas servare palæstras.

Argol. ad Panvin. l. l. Peragebatur certando & laboribus. Finis erat, ut athletæ committerentur *in æmulationem virtutis.* Paschal. de Coron. VI. 5. Kipping. Antiq. Roman. II. 6. §. 2. Fuit duplex, ut Plato sensit, vel triplex, ut Dionysius mox laudandus & Julius Pollux V. scripserunt, fuit. Plato de Legib. VII. dividit in saltationem & luctationem. Dionysius & Pollux cum Cicerone in cursum, pugillatum, & luctam, sive palæstram distinxere. Quæ tria apud Romanos præcipue in usu erant. Cicer. de Legib. II. 15. *Sunt corporum certationes cursu, & pugillatione & luctatione curriculisque equorum.* Dionys. VII. p. 480. *Hi qui corporibus suis certant, cursores, pugiles, & luctatores tria athletica certamina apud Græcos veteres erant, ut in Patrocli funere auctor est Homerus.* Panvin. l. l. Instituebatur in honorem alicujus numinis, aut eorum hominum, qui, quod virtute, & fortibus factis numinibus proximi fuerant, summis honoribus colebantur. Plutarch. Thes. p. 6. E. *Minos in Androgei memoriam ludos gymnicos fecit, & victoribus præmio dedit pueros, qui tunc in Labyrintho asservabantur.* Panvin. de Lud. Circens. II. 1. Paschal. l. l. Pitisc. in Sueton. Aug. c. 99. n. 5.

Certamen Olympium. V. illud infr. in *Olympia*.

Certamen quinquennale, id est, quinto anno celebrandum: unde *lustrale* vocatur. Tacit. Annal. XVI. 4. 1. *Interea senatus propinquo jam lustrali certamine*, Nero instituit. Tacit. Annal. XIV. 20. 1. *Nerone quartum, Cornelio Cosso Coss. quinquennale ludicrum Romæ institutum est, ad morem Græci certaminis, varia fama, ut cuncta ferme nova.* Suet. Ner. c. 12. n. 8. *Instituit & quinquennale certamen primus omnium Romæ more Græco triplex.* Ursat. de Not. Roman. Thes. Antiq. Rom. Græv. Tom. XI. p. 604. B. Scalig. de Emend. Temp. V. p. 470. Landus Explic. Numism. vet. Misc. Erud. Ital. Tom. I. p. 412. Lips. in Tacit. Annal. XI. n. 51. Neapoli jam antea actum fuerat. Strab. V. p. 170. *Hoc tempore sacrum quinquennale certamen gymnicum & musicum per aliquot dies agitur, ludis Græcorum nobilissimis æmulum.* Suet. Aug. c. 99. n. 5. *Mox Neapolim trajecit. . . . . tamen & quinquennale certamen gymnicum honori suo institutum perspectavit.* Pitisc. ad Suetonium. Quod longo intervallo post reduxit & firmavit Gordianus junior Imperator. Victor Cæs. c. 27. n. 7. *Eoque anno lustri certamine, quod Nero Romam invexerat aucto firmatoque, in Persas profectus est.* Nota, quod Strabo dicit, *hoc tempore.* Erat enim ejus ævo institutum, in Augusti honorem, ut docet Suetonius. Herodes etiam Rex Judææ theatrum & certamen quinquennale condidit, ad honorem gratiamque Augusti. Joseph. XVI. 9. *Lips. in Tacit. l. l.*

Certamina Commodi Pergami fuerunt instituta. Arundelliana inscriptio nos hoc docet: ΠΕΡΓΑΜΟΝ ΑΥΓΟΥΣΤΕΑ Γ ΤΡΑΙΑΝΕΙΑ ΑΣΚΛΗΠΕΙΑ ΚΟΜΟΔΕΙΑ Β. *Ruben. de Urb. Neocor. Thes. Antiq. Roman. Græv. Tom.* XII. *p.* 1364. *B.*

CERUCHUS est antenna in navi, quod cornua habeat. *Philand. in Vitruv.* X. 8. Est funis, quo antenna ex utroque cornu religatur ad malum. Lucan. X. 495.

Transtraque nautarum, summique arsere ceruchi.

Val. Flacc. I. 469.

Temperet ut tremulos Zethes fraterque ceruchos.

Homerus καλῶνας appellavit, quemadmodum & Latini aliqui rudentes. *Scheffer. de Milit. Nav.* II. 5. *Voss. Lex. Etymol. Scalig. in Manil. p.* 74.

CERVI erant ramosi trunci arborum in faciem cornuum

nuum

nuum cervinorum. Varro de Ling. Lat. IV. 24. *Cervi a ſimilitudine cornuum cervi.* Ii alias firmiores, alias infirmi. Iſti teneriores & infirmi *cervoli* dicebantur, verbo diminuente. In Hygino: *Cervoli, trunci ramoſi. Ad hos decurritur, ſi ſoli natura, nimia teneritate, ceſpes frangeretur.* Utebantur his in vallo ſtruendo, ad terram coercendam & adſtringendam, identidem interdictis. Nos hodieque facimus. Hyginus: *Nec vallum exſtrui, nec foſſa fieri poteſt, ut non ripæ decidant, quoties cervoli deſunt.* Quod tamen, ubi legitimus, denſusque ceſpes, vix opus. De his Frontinus etiam I. 5. *Pelopidas vallum, & cervolis, & alio materiæ genere conſtructum incendit.* Majorum uſus fuit duplex: I. Ut truncos illos firmiores in terram depangerent, & varie fererent, itineri impediendo aut obſtruendo. Liv. XLIV. 11. *Romanus ad Clitas, quas vocant, munimenta cervis etiam objectis, ut viam intercluderet, a Macedonico ad Toronaicum mare perducit.* Fuere foſſæ & valli, & ante ea *cervi* iſti. Sic timidæ Cannarum reliquiæ, quæ Canuſium ſe receperant, & Annibalem in horas exſpectabant, ſe muniunt apud Sil. Ital. x. 414.

Quaque patet campus planis ingreſſibus hoſti,
Cervorum ambuſtis imitantur cornua ramis.

Tibull. IV. I. 82.

Nam te non alius belli tenet aptius artes,
Qua deceat tutam caſtris prædycere foſſam,
Qualiter adverſos hoſti defigere cervos.

II. Sed rarior, in Cæſ. de Bell. Gall. VII. 72. *Grandes cervos eminuiſſe ad commiſſuras pluteorum atque aggeris, qui adſcenſum hoſtium tardarent.* Puto in exteriore vallo eminuiſſe, inſertos inter loricam ligneam, & aggerem ipſum, ſimplicis coronæ in modum; & vidi agreſtes noſtros ſpineas ejuſmodi projecturas, in loricis terreis, eidem fini, uſurpare. *Lipſ. Poliorc.* II. 2. *Godelev. & Donat. in Livium. Schel. in Hygin. Theſ. Antiq. Roman. Græv. Tom.* x. *p.* 1121. *C. Turneb. Adv.* XXIX. 32. *Scal. Conject. in Varr. p.* 51. *Thyſ. de Oppugn. Urb.* II. *p.* 166. *Cerda in Virg. Ecl.* II. 29. *Meurſ. in Lycophron. n.* 291. *Voſſ. in Cæſarem.*

Cervi ſunt etiam arborum trunci longiores, iique furcati, quibus transverſa tigna injici poſſunt ad ſuſtinendum. Fit in tuguriis & rudi opere ruſticorum. Virg. Ecl. II. 29.

Atque humiles habitare caſas, & figere cervos.

Lipſ. Poliorc. II. 2. Argol. in Panvin. de Lud. Circ. I. 5. Voſſ. Lex. Etym. Thyſ. de Oppugn. Urb. II. p. 166.

CERVOLI erant trunci teneriores. V. illos in *Cervi.*

CERVICAL erat pulvinus cervici ſubjectus. Mart. XIV. 146.

Tange caput nardi folio, cervical olebit.

Baccius de Vin. & Conviv. IV. p. 141. Rader. in Martialem. V. infr. in *Pulvinus.*

CERUS MANUS erat Jani cognomen myſticum in carmine Saliari. Feſtus in Matrem matutam: *In carmine Saliari cerus manus intelligitur creator bonus.* Scalig. in Feſtum in Ceremoniarum. Guther. de Jur. vet. Pont. I. 11. Gutberleth. de Saliis p. 130.

CES.

CESPES eſt terra cum gramine exciſa. Serv. Ecl. I. 69. *Ceſpite, id eſt, terra cum propria herba evulſa.* Γῆς ἐκτομὴ βαθεῖα. Plutarchus in Pompejo. Gloſſæ Cyrilli: *Ceſpes,* χορτόλιθος, χορτόβωλος. *Pitiſc. in Suet. Aug. c.* 24. *n.* 5. Erat ara nullo paratu, & ex *ceſpitibus* congeſtitia, quam veteres utpote ruſtici ac pauperes e *ceſpitibus* Diis ſuis componebant: unde & modo *ceſpititiam*, modo gramineam, ex ea qua conſtabat materia, appellabant. Ovid. Faſt. I. 341.

Ante Deos homini quod conciliare valeret,
Far erat, & puri lucida mica ſalis.
Ara dabat fumos herbis contenta Sabinis.

Tertull. Apolog. c. 25. *Frugi religio, & pauperes ritus, & nulla Capitolia certantia cœlo, ſed temeraria de ceſpite altaria.* De ara *ceſpititia* intelligendus Horat. Od. I. 19. 13.

Hic vivum mihi ceſpitem, hic
Verbenas pueri ponite.

III. 8. 3.

—— poſituſque carbo in
Ceſpite vivo.

Virgilius *gramineas* appellavit Æneid. XII. 118.

In medioque focos, & Diis communibus aras
Gramineas.

Ceſpitibus inſerebantur ligna, aut arborum rami, ut his quaſi quibuſdam vinculis aptius oræ cohærerent. Stat. Theb. VIII. 298.

—— geminas ergo ilicet aras
Arboribus vivis, & adulto ceſpite texi
Imperat.

Berthald. de Ara c. 6. §. 4. Barth. in Stat. Theb. II. 246. Saubert. de Sacrif. c. 15. Turneb. Adv. XXI. 3. Kipping. Antiq. Roman. I. 7. §. 2. Sched. de Diis German. Syngram. II. 26. Ad caſtra cingenda, & aggeres caſtrenſes exſtruendos adhibebatur. Veget. I. 24. *Ceſpites circumciduntur e terra, & ex illis velut murus inſtruitur.* Plin. XXXV. 14. *Hinc & ceſpitum natura, caſtrorum vallis accommodata contra fluminum impetus aggeribus.* Illis certa erat menſura. Veget. III. 8. *Ceſpes circumciditur ferramentis, qui herbarum radicibus continet terram: ſit altus ſemiſſem, latus pedem, longus pedem ſemis.* Du Freſne Gloſſario in Ceſpitaticum. Lipſ. de Milit. Roman. v. 5. Thyſ. Rom. Illuſtr. v. p. 118. Stewech. in Veget. I. 26. Robortell. de Pœn. Mil. Miſc. Erud. Ital. I. p. 674. Pitiſc. in Suet. l. l. Elatior plerumque pro menſis. Lucan. IV. 196.

Pax erat, & miles caſtris permiſtus utriſque
Errabat: duro concordes ceſpite menſas
Inſtituunt.

Tibull. II. 5. 99.

At ſibi quiſque dapes, & feſtas exſtruet alte
Ceſpitibus menſas, ceſpitibuſque toros.

Suet. Tib. c. 18. n. 5. *Trans Rhenum eum ordinem vitæ tenuit, ut ſedens, in ceſpite nudo cibum caperet.* Ad has reſpicit Varr. de Ling. Lat. IV. 25. *Menſam eſcariam cibillam appellabant. Ea erat quadrata, ut etiamnunc in caſtris. Ceſpes* enim iſte, aut *ceſpites*, quadri. *Lipſ. de Milit. Rom.* v. 15. *Pitiſc. in Suetonium.* Ex illis tribunal fiebat caſtrenſe. V. infr. in *Tribunal.* Hujus erectio certiſſimum erat creati Imperatoris argumentum. Vopiſc. Prob. c. 10. *Idque per multos circulos, ut fieri aſſolet, diceretur, quaſi divino nutu undique ab omnibus acclamatum eſt: Probe Auguſte, Dii te ſervent. deinde concurſus & ceſpititium tribunal, appellatuſque Imperator.* Buleng. de Imper. Roman. II. 2. de Conv. I. 38. Demſter. ad Roſin. v. 26. Caſaub. ad Vopiſcum.

CESSIO in jure, auctore Ulpiano, communis alienatio eſt, & mancipi rerum, & nec mancipi, quæ fit per tres perſonas, in jure *cedentis*, vindicantis & addicentis. Boet. ad Topic. Cicer. I. *Cæteræ res, quæ ſui juris erant, nec mancipi vocabantur, eædem vero in jure etiam cedebantur. Ceſſio vero fiebat tali modo. Apud magiſtratum populi Romani, ut apud prætorem, vel præſidem, is, cui in jure res ceditur, rem tenens, ita vindicat: hunc ego hominem ex jure Quiritium meum eſſe ajo. Deinde poſtquam hic vindicaverit, Prætor interrogat eum, qui cedit, an contra vindicet. quo negante, aut tacente, tunc ei, qui vindicaverit, eam rem addicit: idque legis actio vocabatur.* Sigon. de Ant. Jur. Civ. Roman. I. 11. de Judic. I. 10. Faber Semeſtr. II. 23. Calcagnin. de Verb. & Rer. Signif. p. 354. Briſſon. de Formul. v. 374. Pollet. For. Rom. v. 4. Alex. Gen. Dier. VI. 10. Bud. in Pandect. p. 26. D. Thyſ. in Gell. v. 19. Hotom. de Form. Theſ. Antiq. Roman. Græv. Tom. II. pag. 1911. D.

CESTIA gens. V. illam infr. in *Gens.*

CESTICILLUS *appellatur circulus, quem ſuperponit capiti, qui eſt aliquid laturus in capite.* Feſtus. Apud quem per-

perperam ita legitur. Emendo *circitellus.* Nam veteres dixerunt *circitem* pro circo, hoc eſt, magno circulo. Inde igitur ὑποκοριστικῶς *circitellus*, vel *circitillus.* Salmaſ. Exercit. Plinian. p. 14. a. C. Voſſ. Lex. Etymol. Non debet mutari vera, ut exiſtimo, ſcriptura, quæ a Græca origine, & Latina diminutione nomen habet. Ex panno conſuitur. Hic mos a Romanis deſcendit etiam. Nam in multis Germaniæ, Belgii, atque in Alpinis locis, etiam trans eas ſitis, videmus pleraque onera mulieres præſertim capite geſtare tanti non raro ponderis, ut robuſtus aliquis juvenis eis attollendis collocandiſque laboret. *Barth. Adv.* XL. 20. Vocatur etiam *Arculus.* V. ſupr. in *Arculus.*

CESTROSPENDONUS erat telum, quod eſt nomen adeptum a funda & *ceſtro*, id eſt, vericulo. Deſcribitur a Liv. XLII. 65. *Maxime ceſtroſpendonis vulnerabantur Romani. Hoc illo bello*, cum Rege Perſeo, *novum genus teli inventum eſt. Bipalme ſpiculum haſtili ſemicubitali infixum erat, craſſitudine digiti: huic ad libramen pinnæ tres, velut ſagittis ſolent, circumdabantur: funda media duo funalia imparia habebat. cum majori ſinu libratum funditor habena rotaret, excuſſum velut glans emicabat.* Turneb. Adv. XXX. 32. Gyrald. Var. Crit. Dialog. XII. Laurent. Polym. IV. Synopſ. II. §. 9. *Pinnæ tres* additæ erant, ut libratior, & directior, certiorque eſſet volatus teli: nec erranti, diverſeque nutanti parte ejus poſteriore ictus irritus eſſet, telo eodem tenore non eunte. *Funda* medio haſtili inhærebat: ſed ea duplex, ut latior ejus ſinus telum melius libraret. nam *funalia duo* interpretor *fundam* duplicem, alteram alteri continentem. *Funale* enim opus funarium eſt. hic *funda* e funibus. Poſterius *funale* majus & latius erat, ut ictum teli adigeret vehementius, meliuſque telum ſuſtineret. *Duo* autem *funalia*, quæ *fundam* unam faciebant, in nodum nectebantur, ut opinor, anſula facta, cui inſerebatur habena, qua telum rotabatur. *Majorem ſinum* interpretor majoris fundæ, & tanquam duplicis majorem capacitatem, in qua pendebat & librabatur telum. *Turneb. l. l.* Polybius, ut puto, deſcripſit apud Suidam in κεστρός. Ex illo non dubie Livius. Sed in Suida pars una vocis modo eſt, *ceſtrus.* Atqui ſolitaria ea non niſi veruculum & breve telum notat: compoſitio Liviana mixtum hoc complectitur, & *ceſtrum* e *funda* miſſum. In Plutarchi Sylla legi βελοσφενδόνας: neque ſcio, an idem hoc genus ſit: niſi ſi ea voce tela intelligit amentis religata, iiſque velut fundis emiſſa. *Funda media* eſt ipſum *fundæ* medium, id eſt, latius illud, cui telum ſedet. *Imparia funalia* habuit, ſive habenas, aut κῶλα utrimque *duo*: cur *imparia*, & quo ſitu? Credo, ob teli mutati modum ita factum. quod ne excideret in circumactu, ſedem paullo majorem voluit, eamque aptam excuſſioni. Eſto igitur fundus latior, duo funes utrimque contineant: ſed prior, & ubi ferrum eſt, paullo longior, laxiorque; ſtrictior & brevior poſterior ille, ubi pinnæ. An hoc modo vult, utrimque unum fuiſſe, ſed alterum breviorem? Turnebo ſtatuenti duas fuiſſe fundas, & duplicem ſinum, ſed inter ſe eas nexas: & in majore libratum telum, vix aſſentior, nec video cui uſui duplex hic ſinus, utique ſi in altero modo telum. Quin ſententia ſimpliciſſima ſit, *majore ſinu libratum*, quam vulgatæ fundæ habere ſolent: ex comparatione *majorem* dico, non quia ibi duplex. *Lipſ. Poliorcet.* IV. *Dialog.* 3.

CESTROTA, κεστρωτά, fuit genus encauſtices, qua *ceſtro*, id eſt, vericulo pingebatur in ebore, & cornu, quod genus κεστρωτὸν vocabant, & ἐγκαυτόν. Quicquid in acumen exibat, κέστρον Græci vocarunt. Κεστρωτὸν ξύλον, [illegible] Heſychius: κεστρωτὸν ξύλον, βαρὺ ἔχον τὸ κέντρον. Ita lego apud Plin. XI. 37. *Nunc quæ ceſtrota picturæ genere dicuntur.* Eadem mendæ indole, quam in Plinio [illegible]avimus, ſcribitur hodie *ceroſtrata* apud Vitruv. IV. 6. *Itaque forium ornamenta non fiant ceroſtrata.* Animalium cornibus tinctis, & *ceſtrotis*, ebore quoque ſimiliter picto lignum diſtinguebatur in lectis, menſis, & foribus. Plin. XVI. 44. *Excogitatæ ſunt & ligni bracteæ, nec ſatis: cœpere tingi animalium cornua, dentes ſecari, lignumque ebore diſtingui, mox operiri.* Ebur illud, & cornu, quo lignum operiebatur, & diſtinguebatur, *ceſtro* etiam inuri ſolebat, & *ceſtrotum* fieri. Inde *ceſtrota forium ornamenta* Vitruvio. *Salmaſ. Exercit. Plinian. p.* 163. *D. Bald. Lex. Vitruv. in Ceroſtrata. Voſſ. Lex. Etymol. Turneb. Adv.* XIII. 24.

CESTRUM erat ferramentum, ſive graphium, aut ſtylus, quo in ebore aut cornu ſcalpebatur. Plin. XXXV. 11. *Encauſto pingendi duo fuiſſe antiquitus genera conſtat; cera, & in ebore ceſtro, id eſt, veruculo.* Referebat illud inſtrumentum minutum veru. *Voſſ. Lex. Etymol. Buleng. de Pictur. c.* 6. *&* 13. *Bergier de viis milit.* V. 12. §. 6. *Turneb. Adv.* XIII. 24. Ego Plinii locum ſcribendum arbitror hoc modo: *Encauſtice pingendi duo fuiſſe genera antiquitus conſtat, in cera & ebore; ceſtro & uriculo.* Vult enim aliud encauſtices fuiſſe genus in cera, aliud in ebore. In illa *ceſtro* pingi conſueviſſe, in hoc autem uriculo. Patet hoc ex his ejuſdem capitis: *Lala Cyzicena perpetua virgo Marci Varronis juventa Romæ & penicillo pinxit, & ceſtro in ebore.* Scheffer. de Milit. Nav. II. 6.

CESTUS eſt cingulum, ſeu baltheum Veneris pelliceum varium & pulcerrimum, cui omnia delinimenta ad decipiendum parata ineſſe fabulantur. Lactant. Stat. Theb. V. 63. *Ceſton eſt vinculum ornamenti, quo circumdatur Venus, omnibus illecebris, nuptiarumque cupiditatibus elaboratum, quo matrimonia dicitur alligare. Specialiter zonam Veneris debemus accipere, quæ non rutilo auro gemmiſque ſit, ſed pelle, ut probentur corporeæ voluptates. Ceſton autem dicitur, quod copulæ & matrimonio vis ſit, quia adeo, quæ adulterio perpetrantur, inceſta dicuntur, quaſi quod non vinctum fuerit, ſit inceſtum.* Nazianz. in Julian. Orat. I. p. 299. *Nunc autem univerſum amorum ceſtum aſſumit, laſcivoque ornatu Jovem ita allicit, ut ipſe quoque omnes ſuos, omnium feminarum amores hoc uno multis partibus inferiores eſſe confiteatur.* Minuc. Fel. p. 206. *Jovem ceſto Veneris illectum flagrantius, quam in adulteras ſoleat, cum Junone uxore concumbere.* Elmenhorſt. in Minucium. Gyrald. Deor. Synt. XIII. p. 387. 6. Cerd. Adv. Sacr. c. I. §. 10. Laurent. de Sponſal. & nupt. c. I. Caſal. de Rit. nupt. c. I. *Ceſtum* Veneri matronæ dicarunt. Inſcriptio Eboræ:

DIVO. JULIO
LIB. JUL. EBORA
OB. ILLIUS. INMUN. ET. MUN
LIBERALITATEM
EX. D. DD
QUOJUS. DEDICATIONE
VENERI. GENETRICI
CESTUM. MATRONÆ
DONUM. TULERUNT.

Tomaſ. de Donar. c. 16.

CETARIUS *eſt, qui cete, id eſt, magnos piſces venditat, & bolonas exercet.* Donat. Ter. Eun. II. 2. 26. Papias: *Cetarii piſcatores dicuntur abuſive, vel qui ſalſamenta piſcium, & liquamen vendunt, tractum a piſce. Cetaria, vivaria, in quibus cete alii piſces ſunt, vel officina, in qua liquamen ex piſcibus conficitur.* Du Freſne in Gloſſario. Reperi & in antiquo Lexico, *bolonas* diſerte explicari μεταπράτας & παλιγκαπήλους. *Turneb. Adv.* XIII. 14.

CETHEGI cognomen uni Corneliæ genti datum legimus, & a diverſo amictu, quo a cæteris diſtinguebatur, dictum: ipſi enim ut habilius valentiuſque telum vibrarent, ſubſtrictiores erant: unde Horat. de Art. poet. n. 50.

— *Cinctutis non exaudita Cethegis.*

Vaillant: de Numiſm. I. p. 29. Ex illis quatuor conſulares totidem Conſulatus, cenſuras duas, duos etiam triumphos obtinuerunt. I. M. *Cethegus* M. F. M. N. cum P. Sempronio Tuditano Cenſor fuit anno ab U. C. 544. Luſtrum fecerunt 44. cum neuter Conſul fuiſſet. Nam Conſules fuerunt quadriennio poſt. II. C. *Cethegus* L. F. M. N. Conſul fuit cum Q. Minucio Rufo anno ab U. C. 556. triumphum egit de Inſubribus, & Cœnomannis Gallis. Cenſor triennio poſt fuit cum Sex. Ailio Paito Cato. Luſtrum fecerunt 47. III. P. *Cethegus* L. F. P. N. Con-

Conful fuit cum M. Bæbio Tamphilo anno 572. anno proximo Proconful triumphavit de Liguribus. IV. M. Cornelius C. F. C. N. *Cethegus* Conful fuit cum L. Anicio Gallo anno 593. Si quis horum parentes conjungere velit, quos M. Verrius Flaccus enumerat, vix ullam propinquitatem eliciat exceptis duobus prioribus, quos fratres patrueles effe idem prænomen avi oftendit. Quartus fecundo conjungetur, fi ejus nepotem fuiffe credideris. Ita fiet, ut Marcus fit pater Marci, & Lucii, fecundus Marcus pater Marci Cenforis & Confulis. Lucius vero pater Caji Confularis, hic Cajus Caji pater fit, & Caji Confularis avus. Si tertium addere velis, fingendus eft aliquis ex parentibus Marci Cenforii habuiffe etiam Publilium filium, qui pater Lucii fuerit, Lucium Publii Confularis patrem. *Auguftin. de Famil. Roman. in Cornelia.*

CETRA *eft fcutum loreum, quo utuntur Afri & Hifpani.* Serv. Æneid. VII. 732. Et quidem minus. Vetus interpres Juven. Sat. XI. 140. *Oryx animal minus quam bubalus, quem Mauri uncem vocant, cujus pellis ad citonas (cetras* emendat Pithoeus) *proficit, fcuta Maurorum minora.* Unde *brevem* vocat Tacit. Agric. c. 36. n. 1. *Britanni ingentibus gladiis, & brevibus cetris, miffilia noftrorum vitare.* Fiebant etiam ex tergo elephantorum, quorum apud Mauros ingens vis. Plin. XI. 39. *Elephantorum quoque tergora impenetrabiles cetras habent.* A peltis non multum abfuit. Curt. III. 2. 5. *Barcani armati bipennibus, levibufque fcutis cetræ maxime fpeciem reddentibus.* Lipf. Milit. Roman. III. 7. Bochart. Phaleg. I. 42. Voff. Lex. Etymol. Panciroll. Notit. Dign. Imp. Occid. c. 22. Laurent. Polym. IV. Synopf. II. §. 11. Demfter. Paralip. ad Rofin. Antiquit. Roman. X. 10. Thyf. Rom. Illuftr. III. p. 70. Pitifc. in Curtium.

CETRONIA gens. V. illam infr. in *Gens.*

CHA.

CHALATORII funes funt, quibus antenna & attollitur & demittitur. Chalare enim, quo verbo utitur Veget. IV. 23. *Aliquanti centones, & culcitras funibus chalant,* laxare & demittere eft. Atque hoc etiam verbum hodie nautis familiare eft, qui chalare velum dicunt. Hinc bonis libris auctoribus, & adftipulatore Guilielmo Pellifferio Montifpeffuli Epifcopo ita lego apud Veget. IV. 46. *Quod contis longioribus inditum, chalatorios funes, quibus antenna fufpenditur, repente præcidit.* Turneb. Adv. XXIV. 25. Falcem enim Vegetius defcribit, quo præcidebantur funes opiferi. *Stewech. in Vegetium.* Et Turnebus & Stewechius errant, quando *chalatorios funes* pro opiferis accipiunt. Sunt rudentes, quibus antenna fuftollitur, vel demittitur cum velis. Hieron. adv. Jovinian. I. *Rudentibus vela fuftollam.* Ita Seneca in Agamemnone, Horatius, & alii: *Scheffer. de Milit. Nav.* II. 5.

CHACEJUM erat rotunda pelvis cava in cottabi ludo. V. illam infr. in *Cottabus.*

ΧΑΛΚΕ'ΜΒΟΛΟΝ navigium Græci vocant, cujus æratum eft roftrum, & quod purgationi aptum eft. Roftrum quoque navis mafculino genere interdum Χαλκέμβολος vocatur. Χαλκέμβολον innuit Virgilius, cum cecinit Æneid. V. 198.

— *fremit ictibus ærea puppis.*

IX. 122.

Quot prius æratæ fteterant ad littora proræ.

Gyrald. de Navig. c. 11. & 18. Calcagn. de Re Naut. c. 16.

CHALCIDICUM *dicebatur genus ædificii.* Feftus. Vitruv. V. 1. *Sin autem locus erit amplior in longitudine, Chalcidica in extremis conftituantur, uti funt in Julia Aquiliana.* Qui ea de bafilica loquitur, quæ erat in foro Julio a judice Aquilio cognominata, de qua etiam Dio LI. p. 459. D. *His peractis Athenæum, & quod Chalcidicum appellatur, & curiam Juliam, in patris honorem exftructam facravit.* Turneb. Adv. XVIII. 34. Baldus Lex. Vitruv. Voff. Lex. Etymol. De *Chalcidicis* multa *Donat. de Urb. Rom.* IV. 2.

Chalcidicum ufurparunt etiam veteres pro cœnaculo. Arnob. IV. p. 149. *Scribuntur Dii veftri in tricliniis cœleftibus, atque in chalcidicis aureis cœnitare.* Et quod Homer. Odyff. XXIII. 1. fcripfit Græce

Γρηῦς δ' εἰς ὑπερῷ' ἀνεϐήσατο καγχαλόωσα.

Aufonius in Homerum Perioch. 23. Odyff. reddidit Latine.

Chalcidicum greffu nutrix fuperabat anili.

Turneb. Adv. XVIII. 34. Baldus Lex. Vitruv. Salmaf. in Spart. Pefcenn. c. 12. Elmenhorft. in Arnobium. Voff. Lex. Etymol.

CHALCOS fex in obolum Savoto remittimus, quia diffentiunt auctores. Plinius ei decem tribuit, quas alibi fexagefimas denarii partes vocat. Diodorus apud Suidam, & quæcunque illa Cleopatra fex. In veteri apud me membrana ftatuitur unciæ II. *femuncia*, III. *duella*, IV. *ficilicus*, VI. *fextula*, VIII. *drachma*, XII. *hemifefcla (f femifextula)* XVI. *tremiffis*, XXIV. *fcriptulum*, XLVIII. *obolus*, LXXII. *cerates*, XCVI. *filica*, CXX. *chalcus.* Ifidoro quarta pars oboli eft *chalcus.* Hi omnes de ponderibus loquuntur, non de partibus pretii in ære, de quibus tamen agere ftatuit Savotus. Pollux octo *chalcos* in obolo agnofcit: quem fequimur; quia de nummis fcimus ibi tractare, quum ifti pondera & nummos mifceant; dein quia nemo explicatius IX. 6. Ubi ad hunc modum Latine: *Obolus quidem æneos habet octo. Et duo ærei, quarta pars. Hi autem & δίχαλκον fuerint, cum oboli fint quadrans. Quatuor autem ærei, femiobolus. Sex ærei, triens, quando tres oboli partes funt.* Gronov. de Pecun. vet. III. 10. Cenal. de Pond. & Menf. Rat. Thef. Antiq. Roman. Græv. Tom. XI. pag. 1522. D. Bud. de Affe p. 619. Sperling. de Num. non cuf. c. 33.

CHALDÆORUM genus eft duplex, locorum, ac regionum, quas alii alias incolunt, diftinctum varietate. Nam qui terram habent, pertinentem ad finus Perfici initium, definitam Arabia illa, quam Pomponius Mela & C. Plinius fterilem, hoc tempore ad Græcorum imitationem defertam dicunt, ii a *Chaldæa* terra, ubi ætatem agunt, *Chaldæi* nominantur. Ad hæc Babylon eft urbs, & ejus regio Babylonia; in qua vicus fuit, ad habitandum nationis & gentis ejufdem philofophis affignatus; qui fimiliter, ut fuperiores, *Chaldæi* funt nuncupati. Atque hi quidem tempus omne, omnem operam in difciplinarum ftudiis, Aftrologiæ præfertim, confumpferunt: inter quos extiterunt nonnulli, qui quod cuique eventurum effet, ex natali die profiterentur fe poffe prædicere. Sed iftos contra alii minime approbarunt. Nam *Chaldæorum*, de quibus loquimur, fectæ fuerunt complures, difcretæ cum opinionum diffimilitudine, tum cognomento ab fuis urbibus tracto: quod alii Orcheni ab Orcha, Borfippeni a Borfippa, Babylonii a Babylone dicerentur, de rebus iifdem diffidentes inter fe, ac repugnantes: quam diffenfionem a Lucret. V. 726. reddente caufam, quid fit, cur lunæ lumen fæpius in menfe varietur, fignificari puto his verfibus:

Ut Babylonica Chaldæum doctrina refutans
Aftrologorum artem contra convincere tendit.

Male igitur Annius Viterbienfis, qui *Chaldæum* honoris nomen effe comminifcitur. At Jofephus bene, qui eodem verbo nationem defignat eruditam. V. etiam fupr. in *Berofus.* Docent hoc etiam Gell. N. A. I. 9. *Vulgus quos gentilitio vocabulo Chaldæos dicere oportet, mathematicos dicit.* Cicer. de Divin. I. 1. *Qua in natione Chaldæi non ex artis, fed ex gentis vocabulo nominati.* Ferrar. de Orig. Roman. Thef. Antiq. Roman. Græv. Tom. I. p. 10. C. Turneb. in Cicer. de Fato p. 71.

CHAMULCUS erat inftrumentum, quo humo pæne reptile aliquid trahebatur. Græcam vocem retinuit Ammian. XVII. 4. *Unde chamulcis impofitus, tractusque lenius;*

num; Argol. in Panvin. de Lud. Circ. I. 17. Buleng. de Circ. c. 20. Donat. Dilucid. p. 815. Videtur & trahea dici. Glossar. Antiq. χαμῦλκ@, *trahea*. Philoxenus vertit *scludiam*. Verba ejus. *Sclodia*, χαμουλκ. Hac voce hodieque Germani omnesque septemtrionis populi utuntur in vehiculi hujus appellatione. Nec abludit ratio vocabuli, quia signat id, quod per terram trahitur. Vir summe doctus ad Codicem Theodosianum, & Ammianum *carpentum humile* explicavit, cui adstipulari non possum, quia carpentum omne rotis volvebatur. *Scheffer. de Re Vehic.* II. 7.

CHAOS Græcorum nihil aliud est quam Janus Latinorum. Festus. *Chaos appellat Hesiodus confusam quandam ab initio unitatem hiantem, patentemque in profundum, ex eo & χαίνειν Græci, & nos hiare dicimus. Unde Janus detracta aspiratione nominatur ideo, quod fuerit omnium primus, cui primo supplicabant velut parenti, & a quo rerum omnium factum putabant initium.* *Chaos* autem, ut loquitur Ovid. Met. I. 7. *moles rudis est, & indigesta.* Sic biceps Janus confusum aliquod & commixtum notat. Quemadmodum *Chaos* principium omnium rerum, ita principium & hominum & Deorum Janum faciebant. Huc faciunt versus Septimii, qui exstant apud Terentianum:

Jane Pater, Jane tuens, Dive biceps, biformis,
O cate rerum sator, o principium Deorum,
Stridula cui limina, cui cardines tumultus,
Cui reserata mugiunt aurea claustra mundi,
Tibi vetus ara caluit Aborigineo sacello.

Hinc factum, ut in sacrificiis primo omnium Janum compellarent, ut Patris cognomentum ei tribueretur. Quicquid autem natum, in tempore natum, pars vero temporis anni, sic simul & temporis & anni præses Janus habebatur. Proprie autem *chaos* est, quemadmodum dixi. *Boxhorn. ad Plutarch. Quæst. Roman.* 22.

CHARACTÆ vocantur gradus puritatis in auro. Metallici enim & monetarii bonitatem & puritatem auri in viginti quatuor gradus distinguebant. Aurum igitur, cujus puritas est viginti quatuor graduum, quod vulgo viginti quatuor *charactarum* vocatur, ad extremam excoctum est puritatem, omnique alio metallo, siquidem possibile sit eo usque arte nostra progredi, destituitur. Quilibet porro gradus in duos & triginta gradus secundos, quin imo a nonnullis in quatuor & sexaginta subdividitur. Si igitur, e. g. dicatur, massam auri habere duodecim *charactas*, sciendum est, eam esse compositam ex æquis portionibus auri & argenti, vel æris, pro ratione mixtionis; quoniam duodecim sunt dimidia pars ad quatuor & viginti. Sin massa fuerit octodecim *charactarum*, tum tres quartæ partes duntaxat aurum componunt, quoniam octodecim obtinent rationem dodrantis ad quatuor & viginti. Buleng. de Vectig. c. 85. itidem interpretatur de specie quadam monetæ, quæ tributi nomine Imperatoribus pendebatur. Sicuti enim ad denotandos gradus puritatis adhibita fuit vox *denarius*, quæ speciem quandam monetæ significat; ita verisimile est, gradus puritatis in auro expressos quoque fuisse nomine monetæ cujusdam, dictæ *characta*, quod nomen hodieque durat. Existimo monetam χαράτζιον dictam, quæ erat denarius certi alicujus tributi, auream fuisse: eamque esse causam, quare ad denotandos puritatis gradus, qui sunt in auro, adhibita fuerit. Inferioribus enim imperii seculis, præcipue sub Justiniano, pleraque tributa auro pendenda imperabantur. *Savot. de Numm. Ant.* II. 6. At ego censeo τὸ χαράτζιον nihil esse aliud quam κεράτιον, etsi sono barbariore prolatum. Sunt qui speraverunt se mirifice esse locutos, quum *charattam* reddiderunt *obrussam nativam, obrussam naturalem, cocturam naturalem: & aurum obrussæ vicenariæ binariæ, vicenariæ ternariæ, & vicenariæ ternariæ dodrantalis*, quod postremum sit trium & viginti *carattarum* & novem granorum. Restant nostræ partes. Censemus igitur artifices, qui primi constituere istos metalli pretiosi gradus in auro, habuisse ob oculos solidum aureum Romanum: ut enim ille erat viginti quatuor ceratiorum, ducentorum octoginta octo follium; sic hi Marcæ, & hinc cujusque massæ solidæ quartam & vicesimam partem dixerunt *carattam*, & *caratæ* dederunt duodecim grana, ut ceration quodvis Romanum habebat duodecim folles, ita ut Marcæ totius sint ducenta octoginta octo grana. Est igitur *caratta* αὐτότατον κεράτιον, ut sine religione hoc vocabulo pro illo uti liceat. *Gronov. Pecun. Vet. mant. c.* 4.

CHARISIA erant pervigilium in Gratiarum honorem, quorum præmium erat placenta & bellaria. Et ipsamet placenta, & bellaria dicebantur *Charisia*. Eustath. Odyss. Σ. 23. p. 1843. *Sciendum est, a Charitibus Charisia derivari. Toti nocturni autem eam* celebrantes *erant. In quibus quam diutissimum tempus tripudiantes vigilabant. Placenta* ex tritico melle admixto *præmium dabatur iis, qui pervigilavissent totam noctem. Et quædam bellaria & ipsa Charisia appellata.* Pinell. Additam. ad Argol. in Panvin. de Lud. Circ. II. I. Meurs. Græc. Fer. Thes. Antiq. Græcar. Gronov. Tom. VII. pag. 864. B. Jonston. de Fest. Græcor. II. 6. §. 15.

CHARISTIA vocaverunt Romani Græca voce festum, quo cognati & consanguinei convenire solebant, & mutua dona dare. Ovid. Fast. II. 617.

Proxima cognati dixere Charistia patres,
Et venit ad socios turba propinqua Deos.

Hæc fiebant XI. Kal. Martii. Val. Max. II. I. 8. *Convivium sollenne majores nostri instituerunt, idque Charistia appellaverunt. Præter cognatos & affines nemo interponebatur, ut si qua inter necessarias personas querela esset orta, apud sacra mensæ & inter hilaritatem animorum, fautoribus concordiæ adhibitis, tolleretur.* Ursin. ad Kalend. Rustic. Farnes. Thes. Antiq. Roman. Græv. Tom. VIII. pag. 22. C. Lambec. ad Kalend. Vet. Thes. ibid. p. 105. C. Gyrald. Synt. Deor. XVII. p. 498. B. Stuck. Ant. Conviv. I. 32. & 33. Modius de Lud. & Spectac. vet. II. 28. Perion. de Græcor. & Roman. magistrat. III. Thes. Antiq. Græcar. Gronov. Tom. VI. p. 2809. D. Nicol. de Bacchan. c. 16. Laurent. Polym. IV. Synops. 6. Schill Nomencl. Philol. p. 276.

CHARON inferorum apud poëtas nauta, per Stygiam, Acherontemque paludem mortuorum animas transvehens, A Virgilio probe describitur Æneid. VI. 298.

Portitor has horrendus aquas & flumina servat,
Terribili squalore Charon, cui plurima mento
Canities inculta jacet, stant lumina flamma,
Sordidus ex humeris nodo dependet amictus,
Ipse ratem conto subigit, velisque ministrat,
Et ferruginea subvectat corpora cymba,
Jam senior, sed cruda Deo viridisque senectus.

Gyrald. Synt. Deor. VI. p. 215. Ferret. Mus. Lapid. IV. Memor. II. Clasen. Theol. gentil. II. 2. §. 4. *Charonti* in mortui compositi ore stipem imponebant portorium & naulum, quod est pretium, quod pro vectura navis solvitur ei qui navem exercet l. cum servus §. fructus D. de Leg. I. V. infr. in *Obolus*.

CHARONARIA lex. V. illam infr. in *Lex*.

CHARONITÆ appellati sunt novi illi senatores a Romanis illos despicientibus ac nomine illo irridentibus, qui post necem Cæsaris, fraude Antonii, in senatum irruperant. Plutarch. Anton. p. 922. C. Antonius *his*, Cæsaris Commentariis, *interserens quos ei visum est, multis magistratus dedit, multos in senatum adlegit. Unde omnes hos Romani per ludibrium Charonitas appellabant, quandoquidem ubi arguebantur, ad mortui confugiebant commentarios, & neminem vivum dignitatis suæ auctorem ciere poterant.* Suet. Aug. c. 35. n. 1. *Senatorum affluentem numerum deformi & incondita turba, erant enim super mille, & quidam indignissimi, & post necem Cæsaris per gratiam & præmium allecti, quos Orcinos vulgus vocabat, ad modum pristinum & splendorem redegit.* Eadem Dio. XLIV. p. 268. C. & Appian. Bell. Civ. III. p. 529. *Victor. Var. Lect.* XVI. 16. *Zamosc. de Sen. Roman.* I. 13. Græci χαρώνια loca quædam terrarum appellant, quæ exhalant fœdos odores, ac sunt tanquam aditus quidam faucesque inferorum. Inde cadavera beluarum ejecta vocamus *carogne* a fœtore: molestus

lestus enim odor mortuarum projectarumque beluarum idem, quod loca illa, præstat, & facit, ne illac transiri sine molestia possit. Latini autem videntur *Charonem* portitorem inferorum *orcum* appellasse. *Victor. l. l.* Alluserit forte vulgus ad libertos *orcinos*. V. illos infr. in *Liberti*.

CHARRA est civitas Mesopotamiæ trans Edessam, ubi Romanus exercitus est cæsus, & Crassus Dux captus. Hieron. de locis Hebræis. Lucan. I. 104.

—— miserando funere Crassus
Assyrias Latio maculavit sanguine Charras.

Falsum est, quod Cedrenus a Caro Imperatore conditam, & ab ipso appellatam fuisse scribit. Stephanus refert a *Charra* Fluvio Syriæ vocari. Ammian. XXV. 6. *Chartam* appellat. *Egressi exinde proxima nocte Chartam occupavimus.* Zosim. III. 13. *Cartas* nominat, & Romanos ab Assyriis disterminare dicit. Est urbs, in quam sacræ literæ narrant Tharam cum Abraam filio ex Chaldæa profectum, & inde a Domino jussum Abraam exire Gen. c. 11. n. 31: c. 12. n. 1. Hoc oppidum Justinianus munivit, ut ait Procop. de ædif. Justinian. II. Eutrop. IX. 24. auctor est Galerium Maximianum a Narsæo inter Callinicum & *Charras* prælio fusum. *Panciroll. N. tit. Dign. Imp. Orient. c.* 150.

CHARTA aliud est, aliud papyrus. Papyrus materies erat, ex qua *charta* fieret. Nec papyro *chartæ* datum nomen videtur, nisi cum epistolis salutatricibus inserviret. Est enim χάρτης Græcum a χαίρειν, ut ad verbum notet salutator. Unde epistolam sic περιφράζει Mart. IX. 101. 2.

Charta salutatrix si modo vera refert.

Voss. de Art. Grammat. I. 37. Hugo de prim. scrib. orig. c. 11. quando, & ubi fuerit inventa, tradit ex Varrone Plin. XIII. 11. *Et hanc Alexandri Magni victoria repertam, auctor est M. Varro, condita in Ægypto Alexandria. Antea non fuisse chartarum usum.* Sed deceptus est Varro, & plane falsum in literas retulit. Refutat illum Plin. XIII. 13. his verbis: *Ingentia quidem exempla contra Varronis sententiam de chartis reperiuntur. Namque Cassius Hemina, vetustissimus auctor Annalium quarto eorum libro prodidit, Cn. Terentium scribam agrum suum in Janiculo repastinantem offendisse arcam, in qua Numa, qui Romæ regnavit, situs fuisset. In eadem libros ejus repertos P. Cornelio L. F. Cethego, M. Bæbio Q. F. Pamphilo coss. ad quos a regno Numæ colliguntur anni* 535. *& hos fuisse e charta: majore etiamnum miraculo, quod tot infossi duraverunt annis. Quapropter in re tanta ipsius Heminæ verba ponam: mirabantur alii, quomodo illi libri durare potuissent. Ille ita rationem reddebat. Lapidem fuisse quadratum circiter in media arca vinctum candelis quoquoversus. In eo lapide insuper libros impositos fuisse: propterea arbitrarier eos non computruisse. Et libros cedratos fuisse: propterea arbitrarier tineas non tetigisse. In his libris scripta erant philosophiæ Pythagoricæ. Eosque combustos a Q. Petilio prætore, quia philosophiæ scripta essent. Hoc idem tradit C. Piso Censorius primo commentariorum: sed libros septem juris pontificii, totidem Pythagoricos fuisse. Tuditanus decimo tertio Numæ decretorum fuisse. Libros duodecim fuisse ipse Varro humanarum antiquitatum sexto. Antias secundo duos pontificales Latinos; totidem Græcos præcepta philosophiæ continentes. Idem tertio ponit, quo comburi eos placuerit.* Numa vero trecentis non minus annis Alexandri natalem prævertit. Pergit Plinius: *inter omnes vero convenit, Sibyllam ad Tarquinium Superbum tres libros attulisse. Ex quibus igni duo cremati ab ipsa, tertius cum Capitolio Syllanis temporibus.* Verum ab hoc Tarquinio Superbo usque ad Magnum Alexandrum ducenti circiter anni fluxerunt. Adhuc Plinius: *Præterea Mucianus ter consul prodidit nuper se legisse, cum præsideret Lyciæ, Sarpedonis a Troja scriptam in quodam templo epistolæ chartam.* Verum ab exciso per Græcos Ilio usque ad Alexandri dominatum, principatumque colliguntur anni nongenti circiter. *Guiland. Papyr. membr.* II. XXIII. . . . . . XXVI. *Pigh. Annal. Rom.* II. *pag.* 328. *&* 329. Modum ex papyro conficiendæ tradit Plin. XIII. 11. *Præparantur ex eo chartæ, diviso acu in prætenues, sed quam latissimas philuras.* Ubi clare Plinio papyrus est totus scapus, sive caulis: ex cujus libro plures philuræ fiebant. Uti cæpa tunicas habet multas, quas acu melius, quam cultro dividas: sic papyrus solebat dispesci in tenues philuras, iis acu a se invicem separatis, ita ut suo quæque ordine detraherentur. Mirum id non cepisse Guilandinum Papyr. membr. X. §. 3. & 5. qui ad hoc non acus, sed cultri, vel alius ferri operam requiri contendit. Philuræ acu separatæ ad modum cratis sterni solent super tabulam, sive asserem ligneum, madentem turbida Nili aqua. V. plura infr. in *Tabula*. Voss. de Art. Grammat. I. 37. Salmas. in Vopisc. Firm. c. 3. Bodæus a Stapel in Theoph. Hist. Plant. IV. 9.

Charta amphitheatrica. Plin. XIII. 12. *Proximum amphitheatricæ datum fuerat a confectura loco.* Diu, multumque me solicitum tenuit, quinam in Ægypto locus fuerit amphitheatrum, a quo *charta* amphitheatrica nomen accepisse scribitur, cui auctor secundas ab hieratica tribuit. In sententiam venio scripsisse Plinium *Atribiticam*, a nomo, sive præfectura Ægypti Atribitica, de qua Strabo, Ptolemæus, Stephanus, & Plinius. *Guiland. Papyr. Membr.* XII. §. 1. Sed nihil impedit, quo minus amphitheatro essent additæ officinæ, in quibus quando nulli essent ludi amphitheatrales, *chartæ* fierent. Nec enim Alexandria caruerit amphitheatro, urbs tantopere luxui, ac voluptatibus dedita. *Voss. Grammat.* I. 37. *Scalig. in Guiland. p.* 36. *Dalechamp. & Harduin. in Plinium. Hugo de prim. scrib. orig. c.* 11.

Charta Augusta ab Augusto Cæsare est dicta. V. illam infr. in *Charta Claudia & hieratica*.

Charta Claudia dicta est a Claudio Cæsare. Plin. XIII. 12. *Primatum mutavit Claudius Cæsar: nimia quippe Augustæ tenuitas non sufficiebat tolerandis calamis. Igitur & secundo corio statumina facta sunt e primo subtegmine. Auxit & latitudinem. Pedalis erat mensura, & cubitalis macrocollis. Sed ratio deprehendit vitium, unius schedæ revulsione plures infestante paginas. Ob hoc prælata omnibus Claudia.* Claudius Cæsar duabus philuris, quibus Augusta, sive hieratica conserta erat, tertiam insuper membranam injecit, & latitudinem ab undecim digitis usque ad tredecim auxit. Ex quibus summæ, & infimæ tæniæ nactæ erant positionem rectam, quæque inter utrasque schedæ claudebantur, medium sortitæ locum transversam. Plagulas namque in medio rectarum utrinque paginarum transverso positu jacentes auctor vocat *secundum corium*, quod scilicet dum Claudia consereretur, secundo imponerentur, quemadmodum ramenta, quæ primo explicabantur, *subtegmen*: & quæ postremo injiciebantur, *statumen* appellat. *Guiland. Papyr. membr.* XVIII. §. 1. 2. Primatum tenebat Augusta hieratica. Nam prima hieratica dicebatur. Ob nimiam tenuitatem, & quia indecoro visu pellucida erat, secundæ Liviæ corio statumina fecit e primæ Augustæ subtegmine Claudius Cæsar. Unde vero didicit Guilandinus, Claudium Cæsarem duabus philuris, quibus Augusta inserta erat, tertiam insuper membranam injecisse, & latitudinem ab undecim digitis usque ad tredecim auxisse? Quis illi indicavit Augustam duas philuras habuisse? Ubi Plinius ejus rei mentionem fecit? Deinde, si *charta*, quæ ex duabus paginis contexta undecim digitos habebat, postea una pagina auctior facta ad tredecim pervenit, necessario illa tertia pagina duos tantum digitos lata fuit. Quod si verum est, & duæ reliquæ similes tertiæ fuerunt, ut fuisse necesse est, quatuor igitur tantum digitorum primum fuit Augusta, ex duabus scilicet paginis binum digitorum compacta, deinde non tredecim, ut vult, sed sex tantum fuisse tertia pagina aucta. Atqui Plinius tantam brevitatem in philuris adhuc non notavit. *Scalig. in Guiland. p.* 42. V. *Harduinum.*

Charta Corneliana *a Cornelio Gallo præfecto Ægypti primum confecta*, nomen adepta est. Isidor. VI. 10. *Turneb. Adv.* VII. 2. *Voss. de Art. Grammat.* I. 37.

Charta emporetica, vel potius emporica, sic enim in

Plinio emendandum arbitror, mercatorum uſui ſerviebat, & involucris, & integumentis mercium dicebatur, ſcripturæ inutilis. *Turneb. Adv.* VII. 2. *Hermol. Barbar. in Plinium. Voſſ. de Art. Grammat.* I. 37. Quod minimam latitudinem obtineret, atque inter omnes arctiſſima exiſteret, ſex digitos non ſuperabat. Plin. XIII. 12. *Emporeticæ brevitas ſex digitos non excedit. Brevitatis* namque nomine hic ſignificatur anguſtia, atque contractio, opponiturque dictio illa hoc loco non tam longitudini, quam latitudini. In qua ſignificatione *breviſſimum* dixit Plin. Epiſt. x. 69. 2. *Erit enim facile per illam breviſſimam terram, quæ interjacebit, advecta foſſa onera tranſportare in flumen. Terram breviſſimam* appellavit non in comparatione ad longiſſimum, ſed quæ latiore arctior, atque anguſtior appareat. Pariter noſter emporeticam, quæ latitudine cæteris omnibus inferior erat, recte *breviſſimam* eſſe dicere potuit. *Guiland. Papyr. membr.* XVII. §. 5. 6. 7.

Charta Fanniana nomen habet ab interpolatore, nobili illo grammatico Rhemmio Fannio Palæmone, qui *chartarum* habuit officinas. *Turneb. Adv.* VII. 2. *Voſſ. de Art. Grammat.* I. 37. *Guiland. Papyr. membr.* XIII. §. 3. Ab amphitheatrica diſcrepat, cæteroquin numeralem ab ea differentiam faciens. Nam Fannius poliendo amphitheatricam, cum ex proletaria, deterioreque auguſtiorem, atque elegantiorem conformaſſet, viſus eſt novam ſpeciem conſtituiſſe, relicta in ſua amphitheatrica non interpoli, quæque mangonium ſui artificii experta non erat. Plin. XIII. 12. *Guiland. ibid. n.* I. & 2. In Ægypto curata recurabatur Romæ: cumque advecta ſolum novem eſſet digitorum, malleo ita extendebatur, ut decem fieret digitorum. *Voſſ. l. l.*

Charta hieratica, ut ſcribit Plin. XIII. 12. prima olim fuit, *religioſis tantum voluminibus dicata, quæ ab adulatione Auguſti nomen accepit, ſicut ſecunda Liviæ a conjuge ejus. Ita deſcendit hieratica in tertium nomen*, quæ olim prima erat. Fidelius exiſtimo, quod in antiquis exemplaribus reperi, *quæ ablutione Auguſti nomen acceperit.* Auguſtea enim, & regia candidior erat quam hieratica, ut & Liviana: nam *hieratica ſubcolorata* erat, ui ſcribit Iſidor. VI. 10. Abluendo igitur candorem *chartæ* accipiebat. *Turneb. Adv.* VII. 2. Magno, & pudendo errore feſellit hominem vocabulum *ſecunda*, quod ratus rectum caſum eſſe Livianam ab Auguſta ſeparavit, atque hanc ab hieratica, cum ſit obliquorum ultimus, poſſitque etiam *ſecundo*, ut adverbium, legi. Sententia namque eſt, *chartam*, qua priſci mortales ad religioſa volumina utebantur, prius *hieraticam* fuiſſe nominatam, poſterius adulatoriis nominibus *Auguſtam*, & *Livianam*: hoc eſt, ab prima adulatione accepiſſe nomen Auguſti, ſicut ab ſecunda adulatione Liviæ, atque ita hieraticam triplici appellatione inclaruiſſe. *Guiland. Papyr. membr.* XI. §. 2. & 3. Ineptiſſime Turnebum reprehendit, & jculariter primam, & ſecundam adulationem ſomniavit. Quod autem eum præcipue in errorem adegerit, eſt ignoratio diviſionis *chartæ* hieraticæ. *Charta* majoris moduli annalibus, & ritualibus libris, & hierophanticis rebus dicata fuit, ab hoc *hieratica* appellata. Ea duplex fuit: prima *hieratica* tredecim digitorum; ſecunda *hieratica* undecim digitorum. Sed prima abolitione Auguſti Auguſta dicta eſt. Eſt enim abolitio, ut longe melior vetus ſcriptura, cum pro *hieratica* Auguſta eſt appellata. Secunda Liviana abolitione Liviæ Auguſtæ. Sententiæ meæ veſtigia præclara exſtant apud Iſidor. VI. 10. *Prima, & præcipua Auguſtea regia, majoris formæ in honorem Octaviani Auguſti appellata. Secunda Liviana, ad honorem Liviæ. Tertia hieratica dicta, eo quod ad ſacros libros eligebatur, ſimilis Auguſteæ, ſed ſubcolorata.* Quin & Plinius ipſe hoc capite primæ, & ſecundæ meminit, cum ait: *Igitur & ſecundæ corio ſtatumina facta ſunt e primæ ſubtegmine.* Intelligit ex Auguſtæ ſubtegmine ſtatumina facta corio Livianæ. Et *Liviana ſuam tenuit, cui nihil primæ erat, ſed omnia ſecundæ.* Scalig. in Guiland. p. 34. Dalechamp. in Plinium.

Charta Livia. V. illam ſupr. in *Charta hieratica.*

Charta Memphitica. Hujus meminit Lucan. IV. 136.

Conſicitur bibula Memphitis charta papyro.

Turneb. Adv. VII. 2. Qui illam prodidit inauditam, & minime ab aliis ſcriptoribus notatam, deceptus hoc Lucani verſu, quem ſic corruptum refert Iſidor. VI. 10. cum legendum ſit:

Conſeritur bibula Memphitis cymba papyro.

Conſeri, contexi, ſui naves veteres dixerunt. *Dalechamp. ad Plin.* XIII. 12. *Guiland. Papyr. membr.* XI. §. 4.

Charta Saitica proximum ab amphitheatrica ſibi locum vindicat ab oppido Sai. Plin. XIII. 12. *Poſt hanc Saitica, ab oppido, ubi maxima fertilitas ex vilioribus ramentis.* Guiland. Papyr. membr. XIV. §. 1. Voſſ. de Art. Grammat. I. 37. Turneb. Adv. VII. 2.

Charta Tæniotica ſequitur Saiticam. Plin. XIII. 12. *Propiorque etiamnum cortici Tæniotica a vicino loco, pondere jam hæc, non bonitate, venalis. Tænioticam* defendo per æ diphthongum, a loco, qui propter anguſtam longitudinem Tænia vocatur, & vinum Tænioticum apud Athen. I. p. 33. D. *Hermol. Barbar. in Plinium. Turneb. Adv.* VII. 2. Non conſentio Hermolao alioquin oculatiſſimo, qui Tænioticam ponit ex Iſidoro, quem ſuppreſſo nomine ſequitur. Ita ille VI. 10. *Charta Tæniotica, a loco Alexandriæ, qui ita vocatur, ubi fiebat.* L. Tanitica, a civitate Tani, quæ hodie vocatur Damiata. Nam Plinius prius dixit papyrum in Ægypto non gigni extra Deltam, locus vero, cui tæniæ nomen eſt, habetur non in Delta, ſed extra Deltam. *Guiland. Papyr. membr.* XIV. §. 2. & 3. *Pintian. in Plinium.* At Plinius dixit non in Tænia *chartam* naſci, ſed prope. Ait enim in vicino loco. Conſentit Plinio Iſidorus. Perperam ergo Tanitica ſuppoſitum a Guilandino. *Scalig. in Guiland. p.* 37. Guilandinus Tanis, & Taphnis confundit. Taphnis in Scripturis תחפנס, Tanis eſt in iis צען. Nec dubitandum Tanis ſit ex Tzoanis. Nam quia Græci & Latini non habent TS; eo interdum S. interdum T. omittunt. Ut a צור Tſor eſt tum Sarra, tum Τύρος, Syriaca ἐναλλαγῇ. Sive autem Tænia eſt Alexandriæ locus, ſive non longe erat ab Alexandria, Tæniotica legi debet, cum in eo Plinii, & Iſidori codices conveniant. Taniticæ autem ante Guilandinum meminerit nemo. *Voſſ. de Art. Grammat.* I. 37.

Chartæ luſoriæ fortuitæ ſunt. Illarum auctorem comperies Satanam. Hic enim, humani generis hoſtis, idololatriam altius cum animis hominum imprimere, & ipſa convicia, jocos, & ludos deducere vellet, ut ipſe quadam etiam cum voluptate, velut noxio melle, inter mortales libere regnaret, *chartarum* ludum protulit. In quibus *chartis*, & foliis figuræ ſunt Reges, Reginæ, & ſervi, qui olim idolorum ipſorum effigies erant, & idolorum manifeſta nomina habebant. Idololatriæ veriſſimum, & plauſibile monumentum retinens, tantum nomina iſta interpolavit. Nam pro antiquis illis idolorum imaginibus, & nominibus, ſcilicet Caroli Magni, Lanceloti, & aliorum quondam belli ducum, & Regum nomina inepte ſubſtituit, rem tamen ipſam, uſumque muneris iſtius Satanici conſervans. Ideoque *chartarum* ludicra a Chriſtianorum exercitiis procul ſint remota, ac, ut illicitæ animi recreationes reputentur, imo damnentur,

Ac valeant talique vagi, chartæque nocentes;
Quæque alia incerto dant plurima damna rotatu.

Souter. de Aleator. III. 8. Volaterr. Comm. Urban. XXIX. p. 1096. F. Danæus de Alea. *Chartarum* luſum quis invenerit, reperire non poſſum, &, quantum exiſtimo, longe ſequior eſt ejus inventio Carolinis temporibus. Materia ſeipſam prodit, quod nimirum folia ſint papyracea, Latinis *chartæ* dictæ. Forma earundem varia eſt, ubivis tamen locorum quadrata; modo tamen longior, modo brevior. Pictura tam varia eſt, ut vix recenſeri poſſit. Genera ludendi ſunt multo intricatiora, quam ut quis illa numerare queat; ſiquidem nullus ferme pagus tam obſcurus, qui non certum aliquod ludicrum in *chartis* ſibi finxerit. *Senftleb. de Alea vet. c.* 18. §. 1. 5. 6.

CHARTARIUS est χαρτοφύλαξ, inter togatos sedium illustrium. Inscriptio Romæ:

LOCUS VALERIANI CHARTARII.

Athlaricus Rex apud Cassiod. Var. VIII. 23. nominat *chartarios sedis Comitis Patrimonii Burgantini.* Reines. Inscr. Class. XX. n. 409. V. infr. in *Chartularius.*

CHARTIATICUM fuit genus tributi, in quo duos folles pendebant officialibus pro *chartis.* Zonaras: *Exploratores instituit, quibus præcepit, ut reditus publicos augerent, & pro chartiatico in nummum duos folles exigerent.* Novell. 96. *In omnes inquiri, & augeri publica vectigalia, ut pendant etiam chartiatici nomine duos folles.* Buleng. de Vectig. c. 79. Guther. de Offic. Dom. Aug. I. 44. Cujac. Observ. IV. 18.

CHARTOPHYLACIUM erat locus, in quo scripturas publicas reponebant. *Antiquarium* etiam vocabatur, & *grammatophylacium, & tabularium,* Græce ἀρχεῖον. *Panciroll. de Magistr. Munic. c. 20. Pollet. For. Rom. I. 6.*

CHARTULARIUS erat vir spectabilis, qui instrumenta contractuum Principis & alia scribebat. Præcipue vero ad magistratum ab eo promotos chirographo notabat, & ad Primicerium notariorum transmittebat, ut illis codicillos cum symbolis & insignibus obtentæ dignitatis, libroque mandatorum traderet. l. ult. C. de Offic. mag. offic. §. ult. Novell. 24. §. ult. *Panvin. Notit. Dign. Imp. Orient. c. 61.* Expensionum etiam earum, quæ privato Principis ærario illatæ, magna ex parte in largitiones insumebantur, *chartas* & codices tractabat. *Card. Adv. Sacr. c. 17. n. 5. Lomejer. de Biblioth. c. 13.* Olim *Commentariensis* vocabatur. l. 3. de canon. largit. *Præcepit nostra serenitas chartularios, qui de cohortalibus officiis uniuscujusque provinciæ largitionales titulos retractare constituuntur.* Buleng. de Imp. Rom. IV. 10. Lomejer. l. l. Ego *chartularios* non dixerim proprie χαρτοφύλακας, sed χαρτογράφυς. Nam Scriniarii vere χαρτοφύλακες, & χαρτοφυλάκιον, scrinium. Fuerunt varii: n. divinarum domorum, sacri cubiculi, defensorum civitatum, largitionum, titulorum fabricensium; sunt etiam Ecclesiæ. Atque de his omnibus constitutio est Græca Justiniani, quæ numerum *chartulariorum* continet in scrinio orientis, qui pro ratione consuetudinum accipiebant emphyteuticis quidem instrumentis quinquagesimas, pro conditionalibus vero & cæteris contractibus centesimam. *Guther. de Offic. Dom. Aug. II. 14. Bulenger. l. l.*

CHE.

CHELIDON est hirundo; quæ, quod ineunte vere, quando omnia virent, apparet, pro viridi *chelidonem* veteres usurpavere. *Panvin. de Lud. Circ. I. 16. Chelidon* hirundinem avem, ut dictum, significat: & omnia auspicato, & captatis auguriis Romani agebant: propterea ait Cicer. Verr. I. 40. *Nam ut Verres prætor factus est, qui cum auspicato a Chelidone surrexisset, sortem nactus est urbanæ provinciæ, magis ex sua & Chelidonis, quam populi Romani voluntate.* Quibus verbis alludit simul & ad auspicium, & concubitum; cubileque meretricis *Chelidonis,* quam efflictim deperibat Verres, & quæ tum in urbana, tum in Siciliensi Verris prætura omnia moderabatur. *Gyrald Ænigm. 20.*

CHELIDIONIÆ sunt venti ex favoniis, spirant in Kalend. Martii. Plin. II. 47. *Favonium quidam ad* VII. *Kalendas Martii Chelidoniam vocant, ab hirundinis visu.* Panvin. de Lud. Circ. I. 16. Voss. de Idolol. III. 4.

CHELYS est instrumentum musicum, quod Mercurius fecit ex testudine, quam in littore Nili decrescentis repererat. Philostratus in Amphione: *Primus Mercurius lyram texuit e duobus cornibus; & jugo; & chely. Cornu fuit capræ saltatricis: ligna quæ lyræ usui sunt e buxo, non ex elephanto: cornua sunt manubria camura: nervi autem alii positi sunt super hemisphærio, seu lamina repanda, & umbilicis occurrunt, alii sub jugo cavi videntur.* Buleng. de Theatr. II. 37. Voss. Lex. Etymol.

CHELYSMA nuncuparunt Græci lignum quoddam crassius, quod carinæ, ut & hodie, affigebatur, quo minus, si in saxa incurreret, attereretur, rimasve contraheret. Pollux I. 9. 3. *Quod extremæ carinæ, ne atteratur, conglutinatur, cheleusma est.* Scheffer. de Mil. Nav. I. 6. Gyrald. de Navig. c. 11. Sunt qui ideo ferunt tantum adhibitum, ne cum in aquam navis deducitur, carina damni quid accipiat. Vocatur etiam cuneus. Scheffer. l. l. V. infr. in *Cuneus.* Theoph. Hist. Plant. V. 8. jubet, ut fabricetur e fraxino, moro, aut ulmo. *Voss. de Tritem. & Liburn. const. Thes. Antiq. Roman. Græv. Tom.* XII. *pag.* 721. *E.*

CHEME est quinta pars cyathi, capit cochlearia minora duo, pendet oleo plena drachmas duas, grana sedecim. *Pætus de Roman. & Græcor. Mens.* III. *Thes. Antiq. Roman. Græv. Tom.* XI. *p.* 1649 *F.* Habet imaginem testæ minoris conchyliorum. *Cenal. de Pond. & Mens. Rat. Thes. ibid. p.* 1454. *C.*

CHENISCUS est dictio futilis & illiterata, & digna quæ obelo fodiatur: illa expuncta in ejus vicem substituo *ceruchi* apud Apul. Metam. XI. p. 379. de Isidis navigio: *Puppis intorta cerucho bracteis aureis vestita fulgurabat.* Si retinueris vulgarem lectionem, *cheniscus* dicetur loculus & vas in puppe navis, vel quod puppis ipsa esset ad effigiem *chenisci* inflexa & intorta: vocabulo deducto ἀπὸ τῆς χοίνικος, id est, a chœnice. Est autem chœnix Græco nomine vasis, sive mensuræ nomen, qua sextarii quatuor continentur. *Beroald. in Apulej. p.* 717. ἀπὸ τῆς χοίνικος qui derivari possit? cum alterum vocali simplici, alterum cum diphthongo scribatur. Est vero *cheniscus* ornamentum navis, quod anserculi effigiem referebat. In puppe ponit Lucian. in Navig. p. 493. *Puppis quidem paullatim insurgit inflexa, atque aureum anserculum,* χρυσοῦν χηνίσκον, *superne habet impositum.* Veræ hist. II. p. 688. *Cheniscus, vel anserculus, qui in puppi erat, alas sustulit.* In prora Etymologus, qui & hujus ornamenti causam exponit: *Cheniscus proræ pars est, cui aptantur ancoræ, quæ est & tropidis principium. Sunt, qui summitatem puppis potius esse contendunt, ad quam epotides navis firmantur. Dicitur autem cheniscus, quia fabri navium caput anserinum deformant, & in ejus summitate collocare solent atque ita navim anseri quodammodo assimilant, ominis fortasse causa, ne navis submergatur, quemadmodum anseres, qui per fluctus nullo periculo navigant.* Scheffer de Milit. Nav. II. 6. Gyrald. de Navig. c. 11. Brod. Misc. I. 10. Florid. in Apulejum. Scalig. in Manil. p. 350.

CHEOPINA sextarius dicitur. Sextarium Romanum superat in selibra & drachmis duabus; Atticum in besse, seu unciis octo, duabus drachmis: Georgico minor est uncia una. *Cheopinæ* medietas semisextariolus vulgo appellatur: hic autem semisextariolus sextarii medietas libram unam Parisinam capit: sic fit, ut sextarius sit bilibris ad modum libræ Parisinæ, quæ libra Romana major est; superat enim Romanam sesquidigito, hoc est, uncia & drachma. Ita enim mihi liceat dicere sesquipedalem, sicut dico unciam mensuralem. Hinc ergo manifestum est, quod *cheopina* Parisina, quam sextarium appellamus, duas libras Romanas habet, & duas uncias cum duabus drachmis. Tenet ergo uncias sex & viginti Romanas & drachmas duas: sicque sextarius noster Parisinus selibra & quadrante unciæ superat Romanum, qui viginti uncias habet, & Parisinus viginti sex; & duas drachmas. Sextarium vero Græcum, ac perinde log Hebraicum superat in besse libræ, hoc est, unciis octo & quadrante. *Cenal. de Pond. & Mens. rat. Thes. Antiq. Roman. Græv. Tom.* XI. *pag.* 1456. *C.*

CHERNIBS, χέρνιψ, erat tum vas, unde abluebantur manus, tum aqua ipsa, qua abluebantur. Phavorin. p. 1863. *Cherniba, vasa, quibus manus abluunt.* Et *cherniba, aquam, a nominativo chernibs.* Vas facit Etymologicum magnum p. 559. Λέβης, τὸ χέρνιβον. Et Hesychius: *Cherniba, qua aqua in manus infunditur.* Pro aqua ponit Homer. Odyss. A. 136. & ad illum Eustathius: *Cherniba dicit aquam, quæ ad manus datur,* Harpocration addit: ea veteres usos fuisse ad sacrificia. Nunquam enim ad sacra

pera-

peragenda accedebant, ni prius manus, & interdum totum corpus abluiſſent. *Pinell. Additam. ad Argol. in Panvin. de Lud. Circ.* II. 3. Titionem ardentem, ab ara ſumptum, quando victima adolebatur, in illam mergebant. Eurip. Herc. Fur. n. 928.

Cum autem torrem manu dextra laturus eſſet
Filius Alcmenæ, ut intingeret in aquam luſtralem.
Εἰς χέρνιβ' ὡς βάψειεν Ἀλκμήνης γόνος.

Athen. IX. 18. χέρνιψ *eſt aqua, in quam titionem ex ara ſumptum tingebant, & quam ad perficiendum ſacrum adhibebant, & illa conſperſos purificabant eos, qui adeſſent.* Lomejer. de Luſtrat. c. 17.

CHI.

CHILO ſcribitur *cum aſpiratione ex Græco, a labris improminentibus, quæ illi* χείλη. *Unde Chilones improbius labrati.* Chariſ. Inſt. Gramm. I. p. 78. Edit Putſch. Velius Longus apud Caſſiod. de Orthogr. tit. 2. *Sigon. de Nomin. Rom.* c. 5. *Salmaſ. in Spart. Peſcenn.* c. 6. *Thyſ. in Gell.* I. 3. *Voſſ. Lex. Etymol.* Fuerunt *Chilones* in gente Magia, ut & in Fabiis & in Vectiis. *Schott. Obſerv.* III. 37.

CHILOTER eſt ferrum, quod in os equi inditur, ut quidam volunt, ſed ut Suidas, eſt capiſtrum a capite ſuſpenſum, in quo cibus ponitur. *Buleng. de Equu* c. 17.

CHIRAMAXIUM vehiculum eſt apud Petron. c. 28. *Præcedente chiramaxio, in quo deliciæ ejus ferebantur.* Quid id eſſe dicam neſcio. *Douz. Præcid. Petron.* I. 13. Fuerit ſella curulis. *Pinell. Additam. ad Argol. in Panvin. de Lud. Circenſibus.* Hoc revellitur ſolo nomine quod ἅμαξαν fuiſſe docet, id eſt, vehiculum cum rotis. *Scheffer. de Re Vehic.* II. 8. Videtur eſſe genus modici plauſtri, quo homo tantum geſtari poterat, & ſervis, non a mannis trahebatur. *Scalig. ad Feſtum in v. Arcuma. Erhard. Symb. Petron.* p. 594. *Voſſ. Lex. Etymol. in Arcuma. Douz. l. l.* Ab his non recedit is, qui Gloſſarium Petronianum edidit. *Chiramaxium*, inquit, *genus modici plauſtri, unius hominis tantum capax, ſolitum a ſervis trahi.* Verum inter plauſtra numerari non exiſtimo conveniens. Plauſtra non hominibus, ſed oneribus vehendis deſtinata magis legimus. At in *chiramaxio* Petronii puer vehitur. Adde quod is puer Trimalcioni fuerit in deliciis, qui pro luxu reliquo ſine dubio & puerum illum ſplendide ac delicate habuit. Jam vero nemo eſt, qui plauſtrum ullum inter ſplendida vehicula retulerit. Deinde nec hoc puto verum, quod ſit tractum a ſervis. Inceſſiſſe hominum opera, non jumentorum, docet ipſum vocabulum, a χεὶρ & ἅμαξα compoſitum. Χεὶρ enim eſt manus, quæ de ſolis intelligitur hominibus. At vero ideo tractum ab hominibus continuo non ſequitur. Imo potius contrarium hinc colligas. Nam qui trahunt, illi manibus id minime faciunt, ſed loro ad pectus religato, vel jugo indito cervici. Virgilius, ubi loquitur de iis, qui equum Græcorum in urbem Trojam deducere debebant, Æneid. II. 236.

— & ſtuppea vincula collo
Intendunt.

Hygin. ſab. 254. *Gleops & Bitias pro bobus ſub jugo ſe junxerunt.* At vero *chiramaxium* nihil tale innuit, ſed manibus oſtendit promotum. Nec mihi dubium, quin ſit illud ipſum vehiculum, quod *actum manibus* appellat Aurelian. Med. I. 5. *Adhibenda geſtatio primo geſtatoria ſella, tum vehiculo manibus acto.* II. I. *Tum geſtatione corpus movemus pro virium modo fertoria ſella, ſive cathedra, tum longiore vehiculo manibus acto.* Si vero manibus actum, vix illud aliter concipere valemus, quam quale hodieque notum eſt cum rota unica inter duas tabulas utrinque deſinentes velut in temones, ut iis ante ſe propellere homo poſſit. Ac fortaſſis non ſedere ſolum, ſed & recumbere in eo poterant. Liquet enim fuiſſe delicatum, ac propterea tributum ægrotantibus, quos juvare molli corporis jactatione debebat. Neque mihi alia videtur cauſa, cur Trimalcionis puer vectus fuerit in *chiramaxio*, quam ut motu eo valetudini conſuleret. Nempe ſicut Trimalcio primum balneis, deinde lectica ſe exercuit; & geſtatione corpus commovit ſuum, ita plane puer ejus *chiramaxio*. In Batavis obſervavi receptum, pueros & infantes vectitare iis, quibus **kruywagens** nuncupantur. *Scheffer. l. l.*

CHIRODOTA erat tunica manicata. Χειροδωτοὶ in vulgatis Lexicis tunicæ manuleatæ exponuntur. Et apud Capitolin. Pertin. c. 8. vulgo legitur, *chirodotas Dalmatarum.* Sed quomodo χειροδοτὸν Græcum eſſe poſſit in hac ſignificatione, non video. Χειροδοτὸν eſt quod manu datur, vel in manum. At putabam neminem ignorare debere χειριδωτὸν ſcribi de tunica quæ χειρίδας habeat. *Salmaſ. in Capitolinum. Voſſ. Lex. Etymol.* V. illam infr. in *Tunica manicata.*

CHIROGRAPHUM erat ſcriptura privata, manu debitoris propria conſcripta, & data creditori, qua fatebatur ſe mutuum accepiſſe, & promittebat ſe redditurum. Sic ut *chirographo* ſimpliciter caveret debitor pecuniam, quam acceperat, reddendam. Et creditor *chirographi* exhibitione debitum ſibi perſequi & probare poterat. Gell. N. A. XIV. 2. *Is tamen cum ſuis multis patronis clamitabat probari apud me debere pecuniam datam conſuetis modis, chirographi exhibitione.* . . . Oizel. in Gellium. Attici χειρόγραφον vocabant χεῖρα. Pollux. II. 4. §. 31. quia, ut his addit, *propriam negare manum non eſt poſſibile.* Suidas: χεῖρα, τὸ χειρόγραφον. Et Latini *manum* pro *chirographo* dixerunt. Sen. de Ben. III. 15. ex noſtra correctione. *Ille non eſt interrogatione contentus, niſi reum ſua manu tenuit*, id eſt, ſuo *chirographo*. E contrario *chirographum* pro manu cujuſque, vel ſcriptura ἰδιοχείρῳ. Suet. Aug. c. 87. n. 7. *Notavi & in chirographo ejus illa præcipue.* c. 64. n. 6. *Ut chirographum ſuum imitaretur*, id eſt, ſuam manum. Idem Tit. c. 3. n. 3. quem dicit *imitatum eſſe chirographa quæcunque vidiſſet*, id eſt, omnium hominum ſcripturam ἰδιόγραφον. Cautionem, quæ dabatur creditori a debitore, qua fatebatur ſe accepiſſe, & promittebat ſe redditurum, manu ipſius propria ſcriptam fuiſſe, nomen ipſum indicio eſt, χειρόγραφον & χεὶρ. Quomodo differat a Syngrapha, V. infr. in *Syngrapha.* Salmaſ. de mod. uſur. c. 10. Et in mutuo, & in depoſito non facit obligationem, quæ rei datione perficitur, ſed probationem obligationis præſtat, & fidem facit debiti. Hinc *chirographarius* debitor in jure eſt, qui contentus eſt *chirographo* debitoris, & diſtinguitur ab hypothecario. Similiter *chirographarius* debitor appellatur, qui per *chirographum* ſuum ſe obligavit. Hinc cum *chirographa* legabantur, non ipſæ tabulæ, ſed debitum legari intelligebatur. Similiter & cum veniebat *chirographum*, nomen ipſum venundatum cenſebatur l. 44. ff. de legat. I. *Eum, qui chirographum legat, debitum legare, non ſolum tabulas, argumento eſt venditio. Nam cum chirographa veneunt, nomen veniſſe videtur. Chirographo* continebatur probatio debiti: ideo legato *chirographo* ipſum debitum legabatur l. 59. ff. de legat. III. *Qui chirographum legat, non tantum de tabulis cogitat, ſed etiam de actionibus, quarum probatio tabulis continetur.* Auctor Miſc. defenſ. pro Salmaſ. in jus Attic. & Rom. p. 759.

CHIROMANTIA, χειρομαντεία, eſt divinatio ex manuum inſpectione, ut χειρόμαντις, qui inſpectis manus lineis, ſeu inciſuris, de hominum vita ac moribus quædam ſe prædicturum promittit: a χεὶρ, *manus*, & μάντις, *divinus, vates*, ſeu μαντεία, *divinatio.* Voſſ. Lex. Etymol. Schill. Nomencl. Philol. p. 277. Polyd. Virg. de Invent. Rer. VII. 7.

CHIRONOMIA eſt manuum ac corporis agitatio, ad veteres fabulas exprimendas, vel, ut Fabius loquitur I. 11. *lex geſtus ab heroicis profecta temporibus, & a Socrate probata, a Platone quoque in parte civilium poſita virtutum, & a Chryſippo in præceptis de liberorum educatione compoſitis non omiſſa.* Manil. v. 474.

Nunc ſaturo geſtu, referetque affectibus ora,
Et ſua dicendo faciet; ſoluſque per omnes
Ibit perſonas, & turbam reddet in uno:
Aut magnos Heroas aget, ſcœniſque togatas
Omnis fortunæ vultum per membra reducet,

Æqua-

Æquabitque choros gestu, cogetque videre
Præsentem Trojam, Priamumque ante ora cadentem.

Buleng. de Theatr. I. 51. Salmas. Vopisc. Carin. c. 19. Bud. in Pandect. p. 94. G. Salmuth in Pancirol. de Reb. Deperd. & Inv. p. 86. Schill Nomencl. Philol. p. 37.

CHIRONOMONTES dicebatur, qui gestu quodam obsonia artificiose concidebat. Sidon. Epist. IV. 7. *Illic ea comitate retractabitur, ac si inter Apicios epulones, & Byzantinos chironomontas hucusque ructaverit.* & Juvenalis supr. in *Carptor.* Lips. Saturn. II. 2. Popma de Serv. p. 117. Kobierzyck. de Luxu II. 10. Savaro in Sidonium. *Cheironomus*, χειρονόμος, dicitur a χεὶρ *manus*, & νόμος, *lex*; ut proprie sit, qui certa lege manus movet, ac gesticulatur. Hesychius optime interpretatur ὀρχεστήν. Hi artifices a theatris ad convivium translati sunt, ubi ad numerum saltarent, & moverent scissorium illum gradum. Nec obstat Xenoph. Sympos. p. 877. D. *Etiam ipse domum ubi venissem, non saltabam quidem; quando id nunquam didici, sed manibus gesticulabar,* ἐχειρονόμουν δὲ, *quod facere noram.* Nam hinc quidem discimus, posse aliquem χειρονομεῖν, etiam non ὀρχούμενον; verum minime inde consequitur, non solere eosdem utramque artem & docere & discere: ut omnino diversæ tantum essent unius artis partes, quæ ab uno exercerentur. Nec Juvenalis distinxit. Istiusmodi enim ejus est mens. *Structor*, ex pantomimarum arte saltans, cibos mensæ infert, unde *infertorem* interpretatur Scholiastes, idemque in cibis carpendis, vel scindendis, certa lege manibus gesticulatur. Vides, ut hinc minime consequatur, alium esse *saltantem*, alium *chironomonta*: aut quia diversæ essent artis partes, saltatio & manuum gestus, eo & artificem fuisse alium & alium. Cur vero eundem esse putemus, impellunt cum superior Hesychii, tum hic Cassiodori locus Var. IV. 51. *His additæ sunt orchistarum loquacissimæ manus, linguosi digiti, silentium clamosum, expositio tacita, quam Musa Polymnia reperisse narratur, ostendens homines posse & sine oris affatu suum velle declarare.* Voss. Lex. Etymol. Mercer. ad Aristæn. Epist. I. 26. Demster. Paralip. ad Antiq. Roman. Rosin. V. 29. V. etiam infr. in *Cibus.*

CHIROTHECÆ, manuum tegmenta, posteriori ævo aliquando clavatæ fuerunt, ut nunc etiam fieri solet. Aldhelmus de laudibus virginitatis: *Cultus gemini sexus hujuscemodi constat . . . . & manicæ sericis clavatæ.* Ut hic manicas pro *chirothecis* sumam, non pro manicis tunicæ, facit Chrysostomus, qui iridem sacris virginibus *chirothecas* tribuit. Hom. in I. ad Timoth. c. 8. *Manus sicut tragœdi tam accurate chirothecis muniunt, ut natura annexas eis existimes.* Ante soli rustici eas portabant ex rudi corio, ut manus a spinis defenderent. Homer. Odyss. Ω.

Chirothecas in manibus ruborum gratia.

Romani etiam aliquando ad arcendum frigus eas portabant. Plin. Epist. III. 5. 15. *Cujus manus hyeme manicis muniebantur, ut ne cœli quidem asperitas ullum studii tempus eriperet.* Erant duplicis generis; quædam enim digitos omnes exprimebant, quas Varro de Re Rust. I. 55. *digitalia* appellat, aut, ut Scaliger legit, *digitabula*, Græci δακτυλήθρας, ut Xenoph. de Instit. Cyri VIII. p. 241. B. qui eas Persis in usu fuisse scribit. Aliæ sine digitis erant, ut eæ, quas nunc **wanten** appellamus. Eustath. ad Homer. l. l. *Sciendum non solum propter spinas chirothecas esse inventas, sed & ad alia opera prompte expedienda. Nam & sagittas jacientes chirothecis utuntur, sed non digitabulis, ut & lavantes & fermentantes.* Delicatiorum ex lana coactili, aut ex textili erant. Muson. apud Stob. I. *Minime honestum est vestitu nimio operire corpus, aut fasciis involvere, aut manus pedesve circumligatis cujuscumque generis pannis ac linteis quibusdam molles & languidos reddere, cum morbo non sint implicati.* Ruben. de Re Vest. I. 4. Laurent. de Re vest. c. 2. *Chirothecis ex serico factis, cum ad eliciendum, tum ad abstergendum sudorem, balneatores Italos uti vidimus.* *Fabric. Descr. Urb. Rom. c. 18.*

CHIRURGUS est medicus vulnerum, ut appellat Plin. VII. 2. Romæ legebatur

CHRESTÆ. CONSERVÆ. ET. CONJUGI
CELADUS. ANTINOUS. DRUSI
MEDICUS. CHIRURGUS.

Pignor. de Serv. p. 71. Proprie sonat opificem manuarium; sed κατ' ἐξοχὴν tribuitur medicis, qui manu curant. Ac præcipue χειρουργία dicitur de sectione *chirurgi.* Ita speciatim Hippocrates usurpat. *Artem medicinam chirurgicam ex herbis primus instituit Chiron Centaurus Saturni filius.* Hygin. Fab. 274. *Voss. Lex. Etymol. Raevard. de Div. reg. jur.* CXXXII. V. infr. in *Medici.* Suo more succingebantur, ne in artis suæ exercitatione impedirentur. Japidem, vulneratum Æneam curaturum amictu succinctum effingit Virg. Æneid. XII. 400.

—— ille retorto
Pæonium in morem senior succinctus amictu,
Multa manu medica, Phœbique potentibus herbis.

De illis, qui se ad Rutilium Gallicum medendum parabant, Stat. Sylv. I. 4. 106.

—— ritu se cingit uterque
Pæonio.

Oisel. in Minuc. Felic. p. 189.

ΧΙΤΩ'Ν semper apud Græcos tunicam significat, & mirum est quosdam togam interpretatos esse. Ita Plutarchi interpretes illud in Catone Uticensi, ἀχίτων πολλάκις ἐπὶ τὸ βῆμα προσερχόμενος, vertunt *sæpe sine toga ad Rostra veniens.* Dionis verba XXXVI. p. 26. A. de Tigrane ad Pompejum veniente perperam de toga accipiunt. τὸν χιτῶνα τὸν μεσόλευκον, καὶ τὸν κάνδυν τὸν ὁλοπόρφυρον ἐξέδυ. *Togam* vertunt *semialbam, & candyn purpureum exuerat.* Quis locus togæ in Tigrane? & quis χιτῶνα togam dixit. Tigranes indutus erat tunica, & chlamyde, sive veste superiore regia purpurea. *Ferrar. de Re Vest.* I. 3. I.

CHIUM vinum. V. illud infr. in *Vinum.*

CHIUS, Χῖος, vocabatur in talorum & tesserarum ludo jactus, quem pro ternione venditabant. Polyd. Virg. de Inv. Rer. II. 13. *Duo alia latera chius & cous nominabantur, & ille ternarium, hic quaternarium jactum dabat.* Et *Igitur qui chium jactabat, tres nummos: qui coum, quatuor lucrabatur.* Alex. Gen. Dier. III. 21. *Chius ternarium numerum facit.* Posterior commode explicari potest. *Chius* enim facit ternarium numerum in tribus talis aut tesseris, non autem in singulo talo vel tessera, quod falsum esset, & procul dubio in mentem summo Philologorum non venit. Prior, ut nulla prorsus auctoritate scriptoris antiquioris nititur, ita totus quoque merito rejicitur. *Senftleb. de Alea c. 5. n. 3.* Unio isto nomine designabatur. Eustath. Iliad. Ψ. p. 1399. *Qui unum valet, chius & canis vocatur.* Hesychius, sed V. illum supr. in *Canis.* Meurs. de Lud. Græc. p. 37. Ferrar. Elect. I. 16. Junius Anim. II. 4. Senftleb. l. l. Quia unum significabat, ex eo proverbium: Χῖος παραστὰς κῷον οὐκ ἐάσω. *Chius adstans Coum non permittam.* Vel, ut Stratides comicus plenius scribit: Χῖος παραστὰς κῷον οὐκ ἐᾷ λέγειν. *Chius adstans non sinit coum loqui.* De iis, qui quum multo inferiores sint, eos tamen, qui superiores & majores sunt, compescunt. Ad quod videtur allusisse Aristophanes ἐν βατράχοις, de Theramene homine ambiguo, & qui in duabus sellis sederet, loquens: quum inquit πέπτωκεν ἔξω τῶν κακῶν οὐ χῖος, ἀλλὰ κεῖος ἢ κῷος. In eo enim bella est allusio, quod Theramenem *Chium* fuisse accepimus. *Calcagn. de Talor. lud. p. 290.*

CHL.

CHLÆNA erat vestis, quam tunicæ injiciebant. Nos lænam dicimus. *Rhodig. Ant. Lect.* XVI. 10. Græcorum *chlænam* esse Latinorum lænam in Numa ex Juba notavit Plutarchus. Hoc vestimenti genus antiquissimum, & heroicum fuisse constat. Itemque vestem

fuiſſe duplicem, quæ tunicæ ſuperindueretur, præſertim hyeme ad propulſandum frigus. Heſychius: Χλαῖνα, ἱμάτιον χειμερινὸν ἀπὸ τοῦ χλιαίνειν, ὅ ἐςὶ θερμαίνειν. Quod tunicæ injiceretur, ex Homero clarum eſt, ubi heroes primo *chlænas*, mox & tunicas exuunt. Idem duplicem appellat, & arcendo frigori, ventoque adhibitam docet. *Ferrar. de Re Veſt.* II. 10. Inde proverbium: *dum cucumere veſcimur, chlænam texamus.* Hoc enim præcipit, media æſtate, quo tempore cucumere veſcimur, hyemis non eſſe obliviſcendum; ſed in eam præſidia providenda. Neque enim tam tempore æſtatis & commoditate capti eſſe debemus, ut obliviſcamur injuriam & inclementiam ſecuturæ hyemis. *Turneb. Adv.* XXVII. 30. Præter duplices, ſive ἀμφιμίτας etiam ſimplices fuere, quas idem vates ἁπλοΐδας ſive μονομίτας appellat Iliad. Ω. 230. Ex quo Pollux VII. 13. Εἰσὶ δὲ χλαῖναι αἱ μὲν ἁπλοΐδες, αἱ δὲ διπλαῖ. Hinc intelligimus, quid duplex veſtimentum fuerit, duplex læna, duplexve amictus, craſſius ſcilicet indumentum, ac duplici filo contextum, ſive ἀμφίμιτον: non quod totum hominem utrimque velaret; nam & ſimplex totum corpus operiebat: & ſimplices quidem ſine villis, duplices villoſæ fuiſſe videntur: nam Homer. Odyſſ. K. 451. *chlænas villoſas* appellat. In luctu faciem injecta *chlæna* obvelabant. Homer. Iliad. Ω. 163. Priamus lugens Hectora inducitur ἐντυπὰς ἐν χλαίνῃ κεκαλυμμένος. Hoc dum fiebat, *chlæna* corpori adſtringebatur, manusque ori opponebatur. Subjicit hoc interpres; ἐγκεκαλυμμένος τὸ πρόσωπον τῷ ἱματίῳ τὴν χεῖρα πρὸ τοῦ προσώπου. Etiam inſternendi & incubandi cauſa ſumebatur. Apparet hoc ex Homer. Iliad. Ω. 646. ubi Achilles jubet Priamo lectum ſterni, & ſtragula purpurea injici. Et Odyſſ. Γ. 349. Ubi Neſtor vetat a ſe diſcedere Telemachum, qui in navibus pernoctare volebat. Sibi enim eſſe molliter dormiendi copiam & hoſpitibus. Inter Χλαῖναν ex Χλανίδα hoc diſcrimen fuiſſe notat Ammonius ex Tryphone, quod *chlænæ* veſtimenta eſſent craſſa, quæ & lectis injicerentur, *chlænulæ* molliores. *Chlænæ* & geſtarentur & inſternerentur lectis; *chlænulæ* amictui tantum adhiberentur. *Ferrar. l. l.* At inter *chlænam* & chlamydem hoc eſſe diſcrimen, quod *chlæna* heroum geſtamen fuerit, chlamys Macedonicum: illam quadrangulum, ſive quadratum pallium fuiſſe, hanc in inferiori parte clauſam. Quod verum de Macedonica; ſed Romanorum, & reliquarum gentium totæ fuerunt apertæ. *Ferrar. ibid. &* II. 3. 11. Fuit quadrata inſtar pallii, & ſtragularum, quibus hodie mendici, quos Bohemos Galli, nos **heydens** vocamus, velantur. Sed licet inſtar pallii, ſive φᾶρος fuerit quadrata, tamen aliter corpus velabat; & quidem fibula fuit in humeris conſtricta, ut diſerte docet Homer. Iliad. X. 157 cum contra φᾶρος tantum circumjiceretur, ut Agamemnon e lecto ſurgens, cum tunicam induiſſet. Homer. Iliad. B. 43. *Cuper. Apoth. Homer. p.* 164. 165.

CHLAMYDULA ſemitecti infantes, aut puſiones olim incedebant. Herodian. I. 17. 5. narrat Commodum, quum familiarium nomina, quos neci deſtinaverat, libello inſcripſiſſet, eum libellum a puerulo, quem habebat in deliciis, foras elatum totum negotium aperuiſſe. *Erat autem*, inquit, *puerulus adhuc infans ex iis, qui veſtitu cætero nudi, ſed auro, gemmisque ornati ſolent delicatioribus oblectamento eſſe.* Reliqui ferme *chlamydula* humeris injecta ſeminudi. Talem Mercurium deſcribit Martianus initio operis. *Ac jam pubeſcentes genæ ſeminudum incedere, chlamydeque indutum parva, invelatumque cætera humerorum cacumen obnubere ſine magno riſu Cypridis non ſinebant.* Apulej. Met. X. p. 345. *Adeſt luculentus puer nudus, niſi quod ephebica chlamyda ſiniſtrum tegebat humerum.* Puerilis *chlamydis* meminit Suet. Tib. c. 6. n. 3. *Munera, quibus a Pompeja S. Pompeji ſorore in Sicilia donatus eſt, chlamys* . . . . . Ferrar. de Re Veſt. II. 3. 1.

CHLAMYS non aliud fuit quam περιβόλαιον, hoc eſt, veſtimentum, quod tunicæ ſuperindueretur, & quidem fere militare. Philoſtr. V. 14. *Chlamydem & militarem vitam adamavit.* Ferrar. de Re Veſt. II. 3. 1. Apud Græcos tunicæ, loricæ, ac reliquæ armaturæ imponebatur. Plaut. Rud. II. 2. 9.

— qui tres
Duceret chlamydatos cum machæris.

Ubi *chlamydati* ſunt milites, quos ſecum Pleuſidippus duxerat adverſus lenonem. Et Pſeudolo, quum ſycophantam ornaturi eſſent militarem in modum II. 4. 45.

Etiam opus eſt chlamyde, & machæra, & petaſo.

Quem Ballio primum videns IV. 2. 8.

Quis hic, inquit, *homo chlamydatus eſt.*

Apud Romanos etiam an fuerit veſtis militaris, dubitari poteſt. Nam Latini ſcriptores raro, aut nunquam in veſtimentis militaribus *chlamydis* meminerunt; ſed tantum ſagi ac paludamenti. Verum nihil aliud ſagum fuit quam *chlamys*, indumentum ſcilicet, ſive περιβόλαιον, quod tunicæ imponebatur, & fibula, ut *chlamys*, in humeris nectebatur. Auctor Etymologici: Χλαμὺς τὸ περιφερὲς καὶ κυκλοειδὲς, τὸ ἐν συνηθείᾳ λεγόμενον σάγος: ἱμάτιον ὅπερ φοροῦσιν οἱ κηροφόροι. *Ferrar. ibid. c.* 3. Imo *chlamys* & paludamentum eadem fuit res. Nonius XIV. 11. *Paludamentum eſt veſtis, quæ nunc chlamys dicitur.* Nam licet paludamentum peculiaris Imperatorum veſtitus fuiſſe videatur, ſagum ſive *chlamys* militum, nihilominus etiam Imperatores *chlamyde* ſagoque uſos apparet. Apud Græcos Pericles. Plutarch. Symp. I. 4. *Pericles quoties Prætor creatus chlamydem primum indueret.* Phocion. Ælian. Var. Hiſt. XIV. 10. *Demades cum adiiſſet Phocionem, commoda, inquit, mihi iſtam ſordentem chlamydem, quam geſtare ſolebas, quum Dux eſſes.* Apud Romanos Claudius. Dio LX. p. 677. A. *In caſtris chlamydem indutus munus gladiatorium exhibuit.* Caracalla. Xiphil. LXXVII. p. 877. A. *Ipſum Cilonem chlamydis objectu tegens; nam tum ei veſtis militaris erat.* Plinius etiam confudit. Nam quod Tacit. Ann. XII. 56. 4. narrat de Claudio edente naumachiam; *Ipſe inſigni paludamento, neque procul Agrippina aurata chlamyde.* Ipſe ſic retulit XIII. 3. *Nos vidimus Agrippinam Claudii Principis edente eo navalis prælii ſpectaculum adſidentem ei indutam paludamento auro textili ſine alia materia.* Ferrar. ibid. c. 4. Laz. Comm. Reip. Roman. VIII. 10. Ea inter ſe videntur tamen ſeparare Cicer. pro Rab. Poſt. c. 10. & Val. Max. III. 6. 3. qui in Scipione Aſiatico & Cornelio Sylla clariſſimis Romanorum Imperatoribus illud tanquam inſolens, & a Romanis moribus alienum notant, quod *chlamydati* fuerint, nimirum quod *chlamys* Græcorum eſſet, non Romanorum. *Valtrin. de Re milit. Roman.* III. 13. Non notant in illis, quod *chlamydati* eſſent. Verum quod quum in urbibus atque oppidis non Imperatores modo, ſed reliqui cives ea tempeſtate togati incederent, Sylla contra conſuetudinem id ſibi indulſit, ut cum *chlamyde* & crepidis incederet. L. vero Scipio ſtatuam ſibi *chlamydatam* & crepidatam poni voluit, cum nonniſi togatæ ponerentur, ea ſcilicet ſpecie, qua triumphabant. De Scipione idem Valer. III. 6. 2. *L. Scipionis ſtatuam chlamydatam & crepidatam in Capitolio cernimus, quo habitu videlicet, quia aliquando uſus erat, effigiem ſuam formatam poni voluit. Licentius* igitur quam mos patrius permitteret, id *ſibi indulſit*, ut habet capitis hujus apud Valerium inſcriptio, L. Scipio, ut ſtatua cum *chlamyde* ſibi poneretur, cum togatæ ponerentur. *Ferrar. l. l.* Ita tamen, ut breviores *chlamydes*, longius ac fuſius fuerit paludamentum. *Ferrar. ibid. c.* 8. Illam primi Macedones invenerunt, ab illis vicini Theſſali & Arcades acceperunt; unde poſtea ad cæteros Græcos, & deinde ad Romanos tranſiit. *Ruben. de Re Veſt.* II. 7. Conficiebatur ex lana, communi tum temporis materia veſtimentorum; tribunorum & centurionum pretioſior, nobilior, pexa, mollior, & recens: gregalium & manipularium militum minus pretioſa, craſſior, vilior, hirta ac villoſa, interdum longo uſu detrita. Spartian. Sever. c. 19. *Hic tam exiguis veſtibus uſus eſt, ut vix tunica ejus aliquid purpuræ haberet, & cum hirta chlamyde humeros velaret.* Quas ad uſum ſuum revocavit Alexander Severus apud Lampr. c.

33. Ex

33. Ex ſerico factam *chlamydem* induit Cajus Cæſar, quum per pontem, quem inter Bajas & Puteolos ſtruxerat, triumphali pompa incederet. Dio LIX. p. 653. A. *Omnibus perfectis thoracem, qui Alexandri Magni fuerat, ſic enim perhibebat, & ſupra eum chlamydem ſericam purpurei coloris, multo auro, multisque gemmis Indicis ornatam induit.* Sed hoc novum ac notabile in monſtroſo, prodigo, atque effeminato Principe fuit. Et Commodus cum theatrum ingreſſus eſſet. Dio LXXII. p. 825. C. *Solebat, antequam veniret in theatrum, amictus eſſe tunica manicata ſerica, alba: quum autem ingreſſus eſſet, induebatur purpurea, auro intexta, accepta pari chlamyde more Græco.* Ferrar. ibid. c. 12. Erat & aurata, maxime apud Barbaros. Spartian. Adrian. c. 17. *Quum a Pharaſmene ipſe quoque ingentia dona accepiſſet, atque inter hæc auratas quoque chlamydes, trecentos noxios cum auratis chlamydibus in arenam miſit ad munera ejus deridenda.* Meminit etiam Virg. Æn. v. 250.

Victori auratam chlamydem, quam plurima circum
Purpura Mæandro duplici Melibœa cucurrit.

Romæ Agrippina in naumachiæ ſpectaculo auratam *chlamydem* induta fuit. Tacitus jam laudatus & Dio LX. p. 687. A. *Et Agrippina chlamydem διάχρυσον induta erat.* Ubi διάχρυσος eſt auro diſtincta, ſive aurum diſtinctum habens. Atqui Plinius totam auream fecit loco jam laudato. Quod profecto mirum. Quomodo enim aurum ſine alia materia texi potuerit, difficile dictu eſt. Etiam Caligula *per pontem Bajanum aurea chlamyde commeavit* apud Suet. c. 19. n. 4. & Dionem jam laudatum. *Ferrar. ibid. c.* 13. Aliquando clavis ornari ſolebat. Pollux VII. 13. *Chlamys purpureis clavis ornata.* Et *veſtis habens utrimque clavos purpureos.* Tales Numæ tempore Romanis in uſum veniſſe tradit Chronicon Alexandrinum. *Iſte Numa Pompilius capiens Senatores ex regione Pelaſgorum gerentium chlamydes, habens coccineos clavos, quales Iſaurorum ſunt, & captus illo habitu primus inſtituit Romæ chlamydes geſtare, & ut regiæ quidem haberent clavos aureos, Senatorum vero & aliorum habentes clavos purpureos.* Idem Dorothæus Doctr. I. & Caſſiod. Var. VI. 21. *Ruben. de Re Veſt.* I. 6. Sed Pollux de Græca *chlamyde* loquitur, nos de Romana, cui clavos eſſe additos præciſe negamus. Chronici auctor aut falſus eſt, aut fallit: aut commodiore interpretatione *chlamydes* pro tunicis accepit, aut ævum ſuum reſpexit. Idem de Dorothæo & Caſſiodoro dicendum eſt. Sed cum ille omnes milites clavata ſingula geſtaſſe tradat, hic ſoli provinciæ Rectori clavos in *chlamyde* tribuat, hæc Rubenio concilianda relinquimus. Nos vetere Republica, & priorum Cæſarum ævo *chlamydes* clavatas in uſu fuiſſe negamus. *Ferrar. Anal. de Re Veſt. c.* 7. Græcorum fuit alba. Pollux VII. 13. licet Plutarchus in Philopœmene ejus exercitus ornatum militarem deſcribens ait *chlamydes* fuiſſe floridas, & variis coloribus pictas. At Romanorum nativo fuit lanæ colore. Imperatorum fuit purpurea ſive ex cocco. Senec. Epiſt. 76. *Felix eſt non magis, quam ex illis, quibus ſceptrum & chlamydem in ſcena fabulæ aſſignant.* Virgil. Æneid. IV. 136.

Tandem progreditur magna ſtipante caterva
Sidoniam picto chlamydem circumdata limbo.

Ferrar. de Re Veſt. II. 15. Ruben. de Re Veſt. I. 5. In humero plurimum dextro fibula jungebatur, ita ut lævam tantum corporis partem amiciret. Iſidor. XIX. 24. *Chlamys eſt quæ una parte induitur, neque conſuitur, ſed fibula infrenatur.* Ovid. Metam. XIV. 393.

Purpureum chlamydis pennæ traxere colorem.
Fibula quod fuerat, veſtemque momorderat aurum,
Pluma fit.

Cuper. Apoth. Homer. p. 157. Ferrar. ibid. II. 3. 8. 4. 7. 9. Ruben. de Re Veſt. II. 7. Vlit. in Nemeſ. Cyneget. n. 91. Unde patet, quam facile dimicaturi potuerint illam colligere, & brachium ſiniſtrum ea loco ſcuti munire, ut Alcibiadem feciſſe memoriæ mandat Plutarch. p. 213. C. *Chlamyde ſua circum ſiniſtram intorta, dextra ſtrictum tenens gladium.* . . . . . Cuper. l. l. *Chlamydis* inferior pars ſyrmatis inſtar ita dependebat, ut ſi quis ſe ad agendum quicquam prompte accingeret, manu facile colligeretur, ſiniſtra potiſſimum. Nam militiæ id maximum habebat uſum, ut non modo non caudam illam, quod delicatorum erat, pro impedimento traherent, ſed etiam involuto *chlamyde* brachio ictus ſcuti vice exciperent. *Vlit. l. l.* Quod ego cum illo non puto. Nam nummi, lapides, ipſa denique ratio evincit, militantium *chlamydes* nullum ſyrma, vel caudam habuiſſe; ſed ad genua, vel paullum infra ea deſcendiſſe. Quæ ejus fuerit forma, diſputant inter ſe eruditi. Macedonicam a reliquis diverſam faciunt alii, alii eaſdem. Salmaſius & Ferrarius illam inferiore parte fuiſſe cenſent concluſam, reliquas apertas; Petavius & Rubenius apertas omnes. Ammonii verba ultima, ἡ δὲ χλαμὺς εἰς τέλειον περὶ τὰ κάτω συνῆκται, motus præcipue dederunt, virique maximi ut in diverſas partes abirent, fecerunt. Alii enim explicant *in extrema parte undique clauditur*; alii *in infima ſolum parte rotunda*; alii denique *in imo in anguſtum cogitur*; ita ut cunei fere formam & trigonum magis quam tetragonum referret: quam ultimam Vlitii expoſitionem ego fere, utpote Græcis verbis convenientiſſimam, ſecutus ſum. Nam συνάγεσθαι dicitur res, quæ cum lata ſit, ad finem in anguſtias coit. Euſtath. ad Dionyſium ſcribit terram habitabilem utrinque dilatari, alias autem partes συνάγεσθαι εἰς ὀξύτερον, *in anguſtias coire*, id eſt, latiorem inter ſeptemtrionem & meridiem eſſe, arctiorem ab ortu & occaſu. Strab. II. p. 81. Χλαμυδοειδὲς σχῆμα τῆς οἰκουμένης facit, quia, ut ipſe loquitur, *extrema longitudinis utrinque in anguſtum coartantur mari alluente.* p. 79. *Dicitur hæc figura chlamydi ſimilis: nam in extremis latitudinem valde contrahi animadverſum eſt, præcipue in occiduis.* Cum igitur terra habitabilis ſit *chlamydi* ſimilis, cum orientales & occidentales ejus partes coarctentur, ſequitur hanc fere *chlamydis* formam fuiſſe, quam ponimus. *Cuper. l. l.* a qua tamen diverſam poſuit *Ruben. ibid.* II. 7. Qui ſedebant, ut ſupra genua *chlamydem* contraherent, indecore atque illiberaliter facere dicebantur. Huc pertinet apophthegma Philippi Macedonum Regis apud Plutarch. p. 178. C. Cum ſub corona captivos venderet, tunica contracta indecore ſedens, unus ex iis qui vendebantur acceſſit, & ad aurem inquit: *paullo inferius chlamydem dimitte, ſic enim ſedens indecore te habes.* Ferrar. de Re Veſt. II. 4. 6. Lamprid. Alex. Sev. c. 67. tradit, Conſtantinum adeo nullo pretio eunuchos habuiſſe, ut & *chlamyde* uti vetuerit. Quo loco militia ſummotos illos cenſuit Caſaubonus. Hæc opinio diſplicuit viro doctiſſimo, qui Caſauboni veſtigia legit. Ipſe exiſtimat, eunuchos, poſtquam domeſticarum neceſſitatum miniſterio deputati a Conſtantino fuerunt, *chlamyde* uti vetitos, quod regii miniſtri ſola tunica uterentur. Id de omnibus ſervis, ac miniſtris regiis intelligendum adduci non poſſum ut credam: ſed de iis tantum, qui menſæ inſervirent, miniſtrarentque & ſolius convivii tempore. Nam ſi etiam ſervis privatis jus *chlamydum* fuit, earum uſum regiis ademptum quis credat? *Chlamyde* autem ſervos uſos declarant verba l. 1. C. Th. de habitu, quo uti oportet intra Urbem: *Servos ſane omnium, quorum tamen dominos ſollicitudine militiæ conſtat non teneri, aut birris, aut cucullis uti permittimus.* Birri autem, lacernæ, & *chlamydes* idem fere veſtimentum fuerunt. *Ferrar. ibid.* I. 3. 4. Etiam veſtis fuit venatorum. Nemeſ. Cyneget. n. 91.

Sit chlamys aurato multum ſubtegmine luſa.

Ita & Dido venatum exiit apud Virg. Æneid. IV. 137. modo laudatum. Et Venerem venatricis habitu ſe obviam ferentem Æneæ *chlamyde* indutam fuiſſe arguunt illa apud Virg. Æneid. I. 324.

— nodoque ſinus collecta fluentes.

Et hi *chlamydem* colligebant. Pollux V. 3. *Et huic ſimili chlamys, quæ ſiniſtræ manui circumvolvenda eſt, ſive curſu, ſive pugna cum feris certandum eſt.* Et lucem hinc capit

 Xenoph.

Xenoph. de Venat. p. 985. C. cum ſcribit: *itque una cum canibus currat obvolvens manui chlamydem*, ſiniſtræ ſcilicet. Talis venantis cum cane Moloſſo Adonidis, dextro humero affibulatam, lævoque brachio circumvolutam *chlamydem* geſtantis habitus in antiqua ſtatua Romæ viſitur. *Vlt. l. l.* An *chlamyde* ſenatores fuerint uſi V. infr. in *Senator*.

Chlamys quam Domino Jeſu milites circumdederunt, Matth. c. 27. n. 28. coccinea dicitur, Marc. c. 15. n. 17. purpurea, quia primo cocco, deinde purpura tincta fuit. *Ruben. de Re Veſt.* II. 15. Potius, quia & coccum inter purpuras. Quare non ſatis capio ſententiam Auguſt. de Conſ. Euang. III. *Poteſt etiam fieri, ut purpuram etiam Marcus commemorarit quam chlamys habebat, quamvis eſſet coccinea.* Non enim aliter poterat *chlamys* coccinea habere purpuram, quam quod coccum erat purpura, licet terreſtris, & marina inferior, & minoris pretii. *Ferrar. Anal. de Re Veſt. c. 5.*

Chlamydis muliebris, licet proprie veſtimentum virile fuerit, non ſemel mentio apud ſcriptores occurrit. Illa ind[illegible] fuit Dido apud Virgilium, Agrippina apud Tacitum & [illegible] m. V. illos ſupr. in *Chlamys*. Bunduica Britann[illegible] apud Dion. LXII. p. 701. B. *Tunicam variegatam in* [illegible] *ol*[illegible]*, & in ipſo* [illegible] *chlamydem infibulata.* Fe[illegible] de Re Veſt. II. 3. 2.

C[illegible] puerilis. V. illam ſupr. in *Chlamydula*.

ΧΛΑΝΙΣ [illegible]cta eſt, & χλανίδιον, chlæna tenuior & mollior. Quod ἱμάτιον λεπτὸν Grammatici veteres, noſtri *lænulam* interpretantur. Quale veſtimenti genus Ciceroni geſtatum exprobrat Calenus apud Dion. XLVI. p. 296. E. Si tamen aliquid Græculo illi credendum eſt. Sane, ut par ſummorum Oratorum fatum videatur, etiam Demoſtheni vitio data eſt teſte Gell. I. 5. Menander apud Athen. IV. p. 166. A. inducit Etoſippum hominem luxu perditum ſic cum uxore loquentem. *Quamvis juvenis aliquando uxor fuerim. Non tamen quinquies lavi quotidie illa ætate, ſed nunc. Nec tunc lænulam habui, ſed nunc.* Inter χλαῖναν & χλανίδα quod diſcrimen fuerit V. ſupra in *Chlæna*. Ferrar. de Re Veſt. II. I. 10.

CHLORIS nympha. V. illam infr. in *Flora*.

CHO.

CHODACES, ſeu *cnodaces* ſunt ferreæ rotundæ parte exteriore ſubſcudiculæ, in extremis ſcaporum, vel axium capitibus adactæ, implumbatæve, per quas in armillis (eo nomine accipimus ferreos annulos, & veluti umbilicos in arrectariis, aut transverſariis) ſcapi, aut axes, etiam torni, verſantur. Vitruv. X. 6. *Armillas in materia ad chodaces circumdandos infixit, chodaces autem in armillis incluſi liberam habuerunt verſationem tantam, uti cum boves ducerent ſubjuncti, ſcapi verſando in chodacibus & annulis ſine fine volverentur.* Philand. in Vitruvium. Bald. Lex. Vitruv. Bartholin. de Armill. §. I. Salmaſ. de Mod. Uſur. c. 3. Voſſ. Lex. Etymol. in *Cnodaces*.

CHOENIX medimni pars quadrageſima octava, ſextarium habet Atticum & ſemiſſem. Eſt igitur ſeſquiſextarius, appellatur & hemerotrophis, celebrata Pythagoræ adagio: *Super chœnice ne ſedeas.* Ἡμεροτροφὶς dicitur quia in diem victum continet, & ἡμερήσιος τροφὴ, hoc eſt, diurnus, ſive diarius cibus teſte Suida: & idcirco Apollo Pythius Corinthios, quod ſervos poſſiderent, quadragies ſexies mille, χοινικομέτρας appellavit, ut teſtis eſt Athen. VI. p. 272. B. *Chœnix* apud Homer. Odyſſ. T. 27.

> *Namque operæ immunem haud patiar, quicunque meam unquam*
> *Chœnica attigerit.*

Euſtathius: *Chœnix hic eſt* τροφὴ, *id eſt, cibus: nam vox chœnicis cum ipſum vas, tum rem, quam dimetimur, ſignificat.* Pythagoræ proverbium Hieronymo eſt, de victu non debere quemquam eſſe ſollicitum in diem craſtinum. Plutarcho in Sympoſiacis non indulgendum otio, ſed victum induſtria proſpiciendum, ne deſit in poſterum. Demetrio Byzantio apud Athenæum, non in diem vivendum, ſed craſtinum exſpectandum. Ego opinor ex Homeri loco laudato ſumptum eſſe, & ſignificare, non oportere per inertiam otium & cibum alienum ſectari, ſed ſua quemque induſtria ſibi parare facultates, quibus munditiam vitæ ſuſtineat. Paraſiticum enim ac fœdum aliena quadra vivere, nec ullam artem callere, qua poſſis vivere. Notat id Homerus etiam in Iro, cum ait Odyſſ. Σ. 2.

> —— *ſed ventre inſignis inerti*
> *Aſſidue bibere atque edere, aſt induſtria nulla,*
> *Nullaque vis aderat.*

Nec abhorret hinc illud Apoſtoli 2 Theſſ. c. 3. n. 10. ne ipſum quidem incelebre vulgo: *qui non laborat, nec manducet.* Eraſm. Adag. p. 628. b. Stuck. Ant. Conviv. I. 23. Cenal. de Pond. ac Menſ. rat. Theſ. Antiq. Roman. Græv. Tom. XI. p. 1460. B. Rhodig. Ant. Lect. XVI. 17. Rhemm. Fann. Pal. de Pond. & Menſ. n. 68.

CHORAGIUM ſunt virginum immaturarum efferendarum exſequiæ dictæ. Fulgent. Expoſ. Priſc. Serm. §. 36. *Choragium virginale funus vocatur: ſicut Apul. Metam.* IV. *p.* 139. *Choragio itaque perfecto dejectis capitibus domuitionem parant.* II. 53. *Cantatrices aniculæ in ipſo momento choragii funebris prapeti celeritate alienam ſepulturam antevertunt.* IV. 138. *Jam feralium nuptiarum miſerrimæ virgini choragium ſtruitur.* Guther. de Jur. Man. I. 28. Philand. ad Vitruv. V. 9. Harduin. ad Plin. XXXVI. 15. L. *Coragium* a κόρη, quæ puella eſt: non recordor tamen me apud alium ſcriptorem legiſſe *coragium*: ſed Fulgentio tamen fidem derogare non auſim. *Turneb. Adv.* XXI. 10. *Schott. Nod. Cicer.* IV. 10. *Muncker. ad Fulgentium. Gyrald. de Var. ſepel. rit. c.* 9. Non reſpuo, imo probo hoc. Nam κοραγεῖν eſt ἀπάγειν τὴν κόρην. Heſychius. *adultam virginem abducere.* Et κορικὸν eſt τὸ παρθενικόν. Pollux II. 2. 10. Mallem tamen dictum a choro, qui proprie eſt coævorum cantus. Serv. Georg. I. 346. Nam in his funeribus virginum chorus ſequebatur, ut etiam nunc obſervari videmus. *Guther. l. l.*

Choragium eſt inſtrumentum ſcenicum, pompa chori ſcenici. Vitruv. V. 9. *Poſt ſcenam porticus ſunt conſtituendæ, uti cum imbres repente ludos interpellaverint, habeat populus, quo ſe recipiat ex theatro, choragiaque laxamentum habeant ad chorum parandum.* Plin. XXXVI. 15. *Sed & reliquus apparatus Attalica veſte, tabulis pictis, cæteroque choragio fuit.* Val. Max. II. 4. 6. *Argentatis choragiis P. Lentulus Spinther adornavit.* Gentil. in Apul. Apol. n. 169. Buleng. de Theatr. II. 15. Barth. Adv. XXXVI. 13. Philand. ad Vitruvium, Guther. de Jur. Man. I. 28. Harduin. ad Plinium.

Choragium erat etiam locus, in quo *choragi*, hoc eſt, in *choro* primas tenentis, veſtes ſcenicæ, & cætera ejuſmodi pro ſcenæ apparatu & inſtrumento adſervabantur. Pollux IV. 15. *Choragium eſt locus ipſe, in quo choragi apparatus eſt.* Bald. Lex. Vitruv. Guther. de Offic. Dom. Aug. III. 35. In regione tertia, quæ Iſis & Serapis, erat *choragium*. Barth. Adv. XXXVI. 13. Puto fuiſſe locum, in quo Prætor in ludis *choros* agi jubebat, in quo *chori* comœdiarum & tragœdiarum exercebantur. *Panciroll. Deſcr. Urb. Rom. Theſ. Antiq. Roman. Græv. Tom.* III. *p.* 333. *F. Bellor. Veſt. Vet. Rom. tabula* VII. Ego vero tabernam fuiſſe, in qua tabulæ, machinæ, & pegmata in uſum amphitheatri conficiebantur: vel locum in quo recondebantur. De his machinis agit Apollodorus architectus in epiſtola, qua Adriano Imperatori, de ſchemate ſibi miſſi templi Veneris & Romæ, ab eodem Imperatore ædificare cœpti, reſpondet apud Dion. LXIX. p. 789. E. *Concavus ad excipiendas ludorum machinas, quæ in eo latenter compingi; & item ex occulto in theatro duci poſſent.* Aſcon. in Orat. pro Cornelio ſcribit, ſolitas tauris in amphitheatro objici imagines, ut hodieque e charta ſolet, aut tela ex fœno expleta; *Effigies hominum ex fœno fieri ſolebant, quibus objectis ad ſpectaculum præbendum tauri irritarentur.* Hujuſmodi autem effigies forſitan in *choragio* ad amphitheatrum præparabantur, vendebanturve. Situm quod attinet,

net, quanquam de eo nihil adest certi, attamen in vicina amphitheatri planitie fuisse probabile est. *Nardin. Rom. Vet.* III. 6. In Rufo *summum choragium* vocatur, in Victore *Samium*. In quo vitium esse docet hæc inscriptio:

HERCULI. ET. SILVANO. EX. VOTO
TROPHIMIANUS
AUG. LIB.
PRO. SUMMI. CHORAGI
CUM. CHIA. CONJUGE.

Panvin. Descr. Urb. Rom. Thes. Antiq. Roman. Græv. Tom. III. p. 217. *B. Nardin. & Bellor. l. l.* Hoc epithetum forte additum, quod majori cæteris amphitheatro inserviebat ad nobiliora, & maxime stupenda spectacula. *Nardin. & Bellor. l. l.*

CHORAGUS dicitur *chori* ductor, cui id erat negotii, ut priscas Musicæ leges observarent. Athenæus XIV. *Choragos dicebant non eos, qui choros conducunt, iisque mercedem solvunt; sed eos qui chori ductores sunt quemadmodum nomen ipsum significat, & bene Musicam tractare, nec transgredi antiquas Musicæ leges.* Buleng. de Theatr. II. 15. Panciroll. Descr. Urb. Rom. Thes. Antiq. Roman. Græv. Tom. III. p. 333. F. Faber Agonist. I. 26. De Atheniensium *choragis* multa Sigon. de Republ. Atheniens. IV. 4. Schill Nomencl. Philol. p. 278.

Choragus etiam dictus est, qui omnia curabat facienda, ornamenta servabat, producebat, locabat, & reducebat. Itaque Plautus quærenti vestem jubet a *chorago* utendam sumi. Pers. I. 3. 79.

Πόθεν ornamenta? ab chorago sumito,
Dare debet, præbenda Ædiles locavere.

Trin. IV. 2. 16.

Ipse ornamenta a chorago hæc sumpsit.

Scalig. Poet. I. 9. Buleng. de Theatr. II. 15. Guther. de Offic. Dom. Aug. III. 35. Faber Agonist. I. 26.

CHORAULA dicebatur omnis, qui cum *choro* tibiis canebat. Unde & tibicines, qui saltantibus pantomimis operam in scena dabant, ut saltantium vigorem excitarent, quia & *choro* canenti respondebant, *choraulæ* appellati. Olim quoque in comœdiis, quando *chorus* canebat, choricis tibiis artifex concinebat, atque is *choraules* dicebatur, ut refert Diomedes Grammaticus III. p. 489. Edit. Putsch. Postea *choraulæ* a comœdia sese segregarunt, & res suas partesque seorsum in scena agere cœperunt, ut & pithaulæ, & pantomimi, qui omnes primis temporibus in comœdia canebant. Diomedes: *Primis temporibus, ut asserit Tranquillus, omnia quæ in scena versantur, in comœdia agebantur. Nam pantomimus & choraules & pithaules in comœdiis canebant.* Postquam a comœdia seipsos separaverunt *choraulæ*, & seorsim artis suæ specimen in scena exsequi cœperunt, *chorum* etiam suum habuerunt, qui ubique eos comitabatur. nunquam enim *choraules* sine *choro*. *Chorus* ille ex septem constabat cantoribus. Hygin. fab. 273. *Pythaules, qui Pytia cantaverat, septem habuit palliatos, qui voce cantaverunt, unde postea appellatus est choraules.* Salmas. in Vopisc. Carin. c. 19. Tertull. de Pall. p. 470. Bartholin. de Tib. Vet. I. 6. Buleng. de Theatr. II. 12. Pignor. de Serv. p. 150. Cerd. Adv. Sacr. XXVI. 11. Scriver. in Mart. p. 207.

CHOROBATES, χωροβάτης, est machina ad librandam aquam, in terra tanquam ambulat & insistit. Hesychius: χωροβατεῖν, ἐν τῇ χώρᾳ περιπατεῖν. *Turneb. Adv.* XXX, 38. hoc est, *regionem perambulare*: item regionem describere, more chorographorum: quo sensu Jos. c. 18. n. 8. χωροβατήσατε τὴν γῆν, *describite terram.* Aquam vero diligenter librare non possumus, nisi regiones, per quas ducenda est, obambulemus, & oculis minute perlustremus. Formam ejus, sed ὡς ἐν τύπῳ, ut Græci ajunt, & crassiori Minerva, describit Vitruv. VIII. 6. *Chorobates est regula longa circiter pedum viginti: ea habet ancones in capitibus extremis æquali modo perfectos, inque regulæ capitibus ad normam coagmentatos, & inter regulam & ancones a cardinibus compacta transversaria, quæ habent lineas ad perpendiculum recte descriptas, pendentiaque ex regula perpendicula in singulis partibus singula: quæ, cum regula fuerit collocata, eaque tangent æque pariter lineas descriptionis, indicabunt libratam collationem.* Baldus Lex. Vitruv. Salmas. Exerc. Plinian. p. 473. b. A. Voss. Lex. Etymol. Beroal. Annot. c. 66.

CHOROCITHARISTÆ sunt, qui plures una fidibus modulate concinunt. Suet. Domit. c. 4. n. 10. *Certabant etiam præter citharœdos chorocitharistæ.* Turneb. Adv. XX. 16.

CHORODIDASCALUS dicebatur præsultor, & qui ὑπορχήματα aliis præscribebat, quia *chorum* docebat & regebat. Διδασκάλους τοῦ χόρου vocat illos in Midia Demosthenes: interpres vero κορυφαίους τῶν χορευτῶν exponit. Ac quoniam cantum etiam, non modo saltationem, moderabantur, *præcentores* Latinis vocabantur, ut Horatius præcentor erat in carminibus, quæ a pueris puellisque seculari carmine canebantur. Carm. IV. 6. 31. ipse Poeta:

Virginum primæ, puerique claris
Patribus orti,
Lesbium servate pedem, meique
Pollicis ictum.

Et n. 41.

Nupta jam dices: ego Diis amicum,
Seculo festas referente luces,
Reddidi carmen docilis modorum
Vatis Horati.

Argol. in Panvin. de Lud. Circ. II. 2. Buleng. de Theatr. II. 15.

CHORUS est pars inter actum & actum. In fine tamen fabularum etiam *choros* videmus. Quare tutior erit definitio, quæ dicat: post actum, introducta cum concentu. Is tractus non fuit uniusmodi. Sane aliquando totus cum cantu, & motu, & saltationibus ad tibias. Miscebatur aliquando & versuum, & tractuum varietate: nonnunquam etiam singularibus personis. *Scal. Poet.* I. 9. *Voss. Instit. Poet.* II. 2. 6. §. 2. Ajunt primos *choros* ab Arcadibus institutos ex Dionysiacis tibicinibus Timothei, ac Philoxeni legibus. Nobis tamen pro comperto est Philoxeno *choros* longe fuisse vetustiores. *Chorus* sane res adeo vetusta fuit, ut olim actio Satyrica in tragœdiis solo *choro* constiterit. Primus autem Philammon Delphicus ad aram patriam *choros* disposuit in Apollinis honorem. Plutarch. de Music. p. 1132. A. L. Anilius, sicuti a Polybio in XXX. scriptum est, Romæ devicto ac triumphato Gentio Rege Illyriorum in circo scenam extemporaneam excitandam curavit, ludosque edidit cum thymelicis tum primum, quos in orchestra constituit, in proscenio autem tibicines cum *choro*. Primus Archontes in scenam duxit comicum *chorum*. Scalig. l. l. Voss. ibid. §. 4. Buleng. de Theatr. II. 13. Saltationum originem ab agricolis arcessit Tibull. II. 1. 55.

Agricola & minio perfusus Bacche rubenti
Primus inexperta duxit ab arte choros.

Postea *chorus* cum in scenam inductus esset, per initia totam fabulam peregit: ubi res longius progressa est, pro auctore & reliquis pauca præfatus est. Isocrat. Panathen. *Et de meipso, & de aliis, quasi chorus ante certamen, præmittere ista volui.* Horat. Art. Poet. n. 193.

Actoris partes chorus, officiumque virile
Defendat.

Tandem ita res descripta est, ut duæ partes tragœdiæ præcipuæ essent: scenica, quæ ab histrionibus in scena, seriemque rei gestæ exhibet: chorica, quæ ornatus fere causa e viris & feminis in tragœdiis interponitur, & res ab histrionibus expositas aut querelis, aut hymnis prosequitur. Horat. ibid. n. 194.

—— neu quid medios intercidat actus
Quod non proposito conducat, & hæreat apte.
Ille bonis faveat & concilietur amicis,
Et regat iratos, & amet peccare timentes.

Buleng. & Voss. l. l. Per initia enim *chorus* monoprosopus fuit in fabulis. Unus prodibat quispiam civium vitia recensens, idque sine cantu. Talis est apud Plautum Choragus in Curculione. Deinde alter additus, ut interrogationibus atque responsionibus explerent animos varietate. Postea quaterni fuerant, ita ut partirentur *chorum* in paria duo, quæ idcirco Græci vocaverunt ζυγά. Qua in re ita evenit, quemadmodum in tribubus Romanis. Nam Romulus universum populum tres in partes quum divisisset: unde & tribus appellatæ, tametsi major deinde numerus additus est, mansit tamen nomen. Sic τοῦ ζυγοῦ vox non est mutata, quanquam aucto numero. In Comicis enim *chori* vicini quaterni distincti erant in certa paria. Igitur ζυγὸν ex quaternis constitutum, nomine retento, pristinam fefellit significationem. *Scalig. l. l.* Tragicus *chorus* constabat quindecim personis, quinis in longum, ternis in latum dispositis. Quorum hoc ζυγὸν, illud στοιχὸν vocant. Κατὰ ζυγὸν ingrediuntur terni, κατὰ στοιχὸν quini. In comœdiis quatuor erant in jugo, seni in stœcho. *Buleng. l. l.*

Chori cyclici dicebantur non modo qui in orbem in orchestra formabantur; sed & anniversarii, qui in orbem anno confecto redibant. Plutarch. in Andocide p. 835. E. *Andocides sumptus suffecit cyclico choro suæ tribui certanti dithyrambo.* in Lycurgo Rhetore p. 842. A. *In Piræo Neptuni certamen facere, cum cyclici chori tribus pauciores non essent.* Buleng. de Theatr. II. 14. Turneb. Adv. I. 4.

Chorus erat etiam locus, ubi *chori* exercebantur. Homer. Iliad. Σ. 590.

> *In hoc*, scuto, *Vulcanus chorum varie finxit.*

Hic intelligitur chorus, in quo saltantium cœtus erat. Suidas. *Panciroll. Descr. Urb. Rom. Thes. Antiq. Roman. Græv. Tom.* III. *p.* 333. *F.*

CHOUS fuit jactus talorum. V. illum infr. in *Cous.*

CHR.

CHRISTIANI, cum hæreticorum seges domi nondum esset nata, acerrimos foris hostes habuerunt paganos. Hi potissimum tria agebant: aut fabulas suas loquebantur, aut principia religionis Christianæ negabant, aut falsa quædam de ea in vulgus spargebant. Quibus animose obviam ivere *Christiani.* De postremo prius dicemus. Falsa spargebant, aut fama, aut scriptis. Illius exemplum in Tacit. Annal. XV. 44. §. 4. habemus, qui disertim testatur Neronem *Christianos* tanquam incendii Urbis Romæ auctores subdidisse, & exquisitissimis pœnis affecisse. Scripta fingebant, quibus atrocia de Christo & horrenda continebantur. Maximinus tyrannus & acerrimus *Christiani* nominis hostis, ut narrat Niceph. Hist. Eccl. VII. 27. literas sub Pilati nomine confictas, contumeliarum & dirarum plenas, ludimagistris in scholis pueris dedit prælegendas, ut prima jam statim ætate a *Christiana* religione, tanquam impia, & flagitiosa abhorrerent. Paribus armis oppugnandos gentiles censuerunt. Emissæ ab his in publicum Senecæ & Paulli Epistolæ, quibus illum maximæ inter paganos famæ insuper habitis gentilium ineptiis *Christiano* nomini sese dedisse testarentur. Ad tuenda religionis principia argumentis ab antiquitate, a veritate divinorum oraculorum, ab effectu, a miraculis desumptis utebantur. In fabulis multa observabant. Quæ ad duas classes possunt revocari. Aut enim ipsas fabulas, aut earum allegoriam & interpretationem concernunt. Quod ad fabulas spectat, in iis aut ineptias & inania deridebant, aut ex historia sacra veteris testamenti derivatas probabant. Quod interpretationem fabularum concernit, illam nunc tanquam dubiam, nunc velut longius petitam, nunc ut imperfectam reprehendebant. Imo frustra sapientes allegoriis fabulas suas interpretari existimabant, quia populus ut plurimum eas ignorabat. *Boxhorn. Quæst. Roman.* 13. *Marlian. Topogr. Urb. Rom.* IV. 3. Iidem olim habiti cum Hebræis, præsertim vigentibus legalibus, quæ Concilio Neocæsariensi tempore Sylvestri I. primum repudiari cœpta sunt. *Argol. in Panvin. de Lud. Circ.* I. 10. A spectaculi gladiatorii sævitia abhorruerunt. Athenag. Apol. pro Christianis: *Quos sciunt ne spectaculum quidem ferre posse hominis qui merito ac jure capite plectatur, quis eos aut homicidas, aut carnis humanæ voratores accusare posset? Sed nos existimantes cernere cædem affine esse homicidio, prohibemus gladiatoria munera, & venationes, & hujusmodi spectacula.* Buleng. de Venat. c. 12. Templorum limina & postes osculabantur. Prudent. Hymn. in Laurentium n. 520.

> *Ipsa & Senatus lumina*
> *Quondam Luperci, aut Flamines*
> *Apostolorum & Martyrum*
> *Exosculantur limina.*

Chrysost. in Epist. ad Corinth. II. Homil. 30. *Templum Christi sumus. Itaque templi vestibula & aditum osculamur, cum alii alios osculamur. Annon cernitis, quotnam homines etiam hujusce templi vestibulis osculum figunt, partim inclinato capite, partim manu tenentes, atque ori manum admoventes.* Vix abfuit hæc *Christianorum* religio a superstitione. Neque enim id omnino poterit probari, quod sibi & aliis persuaserint, omnem protinus languorem, quem ex mutatione aeris & viæ longitudine contraxerint, explodi atque abigi, quamprimum ad limina sanctorum pervenissent. Sic de itinere suo Romano Sidon. Epist. I. 5. *Ubi prinsquam vel pomœria contingerem, triumphalibus Apostolorum liminibus affusus, omnem protinus sensi membris male fortibus explosum esse languorem.* Sagittar. de Jan. Vet. c. 25. Sæpius lavabant, quia non voluptatis tantum, sed sanitatis potissimum gratia balneum erat. Tertull. Apolog. c. 42. *Non lavor diluculo Saturnalibus, ne & noctem & diem perdam, attamen lavor honesta hora & salubri, quæ mihi & colorem, & sanguinem servet.* Iren. adv. hæres. III. 3. *Sunt, qui audierunt eum dicentem, nempe Polycarpum, quoniam Johannes Domini discipulus in Ephesum iens lavari, cum audissent intus Cerinthum, exsilierit de balneo non lotus. . . .* Butius de Potu Antiq. c. 3. Nullos gerebant calceos, & nudis pedibus incedebant: &, si id pati non possent, soleis utebantur, teste Clement. Alex. Pædag. II. 2. Lucian. Philopatr. *Christiani* habitum describens, inquit: *Pallium putre, sine calceis, & tegmine capitis incedens, detonsa coma.* Butius ibid. c. 8. Bynæus de Calc. Hebr. I. 1. 5. Sagittar. Nudiped. c. 2. §. 14. Qui convaluerant, partis affectæ imaginem ex auro, & argento, aliave materia illi sancto, cujus ope se sanatos putabant, suspendebant. Theodoret. Therap. VIII. *Tomas. de Donar. c.* 35. Cadavera non cremabant, scilicet fiducia resurrectionis. Ethnicus contra *Christianum* disputans, & resurrectionem irridens, inter cætera ait apud Minut. Felic. in Octav. *Inde videlicet & exsecrantur rogos, & damnant ignium sepulturas, quasi non omne corpus, etsi flammis subtrahatur, annis tamen, & ætatibus in terram resolvatur.* Ferrar. de Vet. Lucern. Sepul. Thes. Antiq. Roman. Græv. Tom. XII. p. 1014. D. Ex eadem resurrectionis spe conditis cadaveribus unguenta & odores liberalissime impendebant, ut diutius integra servarentur. Ut non falso jactaverit Tertull. Apolog. c. 42. *Si Arabiæ queruntur, sciant Sabæi pluris, & carius merces suas Christianis sepeliendis profligari, quam Diis fumigandis.* hoc est, plus odoramentorum a *Christianis* in illa paupertate prodigi consuevisse quam ab Ethnicis. Scilicet Ethnici duobus digitulis paucas thuris glebulas Diis numerabant: *Christiani* plena manu, & sinu, casiam, & cinnama effundebant, sumptibusque funerum Arabias & Sabæos exhauriebant. Futuræ, inquam resurrectionis fiducia. Cum enim incertus esset supremi judicii adventus, ipsis Ecclesiæ incunabulis non longe abfore summum diem credebant, ut brevi excitandas mortales exuvias a tabe præstarent immunes. Et ideo ajebat ille apud Minutium, *Christianos*, qui in totum unguenta abdicaverant, ea solis funeribus reservasse. V. August. de Civ. Dei I. 13. Prudent. Cathem. X. 33. . . . . *Ferrar. ibid. F. Kirchman. de Fun. Roman.* I. 8. *Morestell. Pomp. Feral.* I. 12. Illi aurei seculi & purioris animi non jurarunt. Id Tertull. Apolog. c. 32. videtur insinuare, apud quem gentes ad exaggerandam

dam invidiam contra *Christianos* majestatis eos læsæ insimulabant, quod cogi non possent, ut per genios eorum adjurent. Observatum id frigide, & crescens ætas majorum defecit sanctimonia. Antistites tamen & Episcopi non abierunt ab illa puritate, aut, si major vis adhiberetur, cautum ne jurarent, ut hoc legis imperio aliorum malitas, ut Labeo loquitur, cohiberetur, & staret. In Gallicam Ecclesiam hoc paullatim introductum, & hæc consuetudo est. Rationes duæ sunt primariæ: tum, quod Galliæ Reges omnium sint Ecclesiarum fundatores, ex quo eis hoc jus: tum, quod cum in utriusque ordinis viros, suæ diœcesi subditos, magna auctoritate jurisdictionem tueantur, eamque cum permissu Regis exerceant, ut id sine dolo, fraudeve fiat, an non sacramenti præstatione fidem Regi securam præstant: Omitto solum, quo vivunt, & aluntur, Regis esse. *Hansen. de Jurej. vet. c.* 30. Ad orientem adorare solebant. Johan. Damascen. Orthod. Fid. IV. 13. quod *Christus* Dominus stipiti affixus, & cœlum deinde subiturus, oculos & ora in occasum obvertisse dicitur; & *Christianos* ejus præstolaturos adventum converti ea propter solitos affirmat. *Bellus de Part. temp. Augur. c.* 10. Extra muros portæ Salariæ ad circum Sallustii sub Imperatoribus Ecclesiam persequentibus martyrio coronabantur. Intelligitur hoc ex martyrologio Hieronymi fuisse ædificium publicum ludis edendis, in quo 272. martyres a militibus confectos scribit. *Panciroll. de Lud. Circ.* I. 20. & ad illum *Argolus*. A populo sæpius ad necem petebantur. Cyprian. Epist. 54. *Toties ad leonem petitus in circo, in amphitheatro.* Tertull. de resurrectione: *Popularium cœtu clamante, Christiani ad leonem.* Argol. ibid. II. 3. Sub Nerone pro cereis nocturno spectaculo in arena ardebant. V. supr. in *Cereus*. Precibus, in M. Aurelii exercitu cum essent, in hostes fulmina, in Aurelii exercitum siti vexatum largos imbres de cœlo impetrarunt. V. supr. in *M. Aurelius*.

CHRISTUS Dominus natus est anno quadragesimo secundo imperii Augusti. Asserit hoc Eusebius. Et confirmat traditio Græcorum Patrum, qui senserunt *Christum* conceptum esse 25 Martii, die Veneris: natum 25 die Decembris, die Solis. Nam annus quadragesimus quintus Julianus, quo *Christus* conceptus & natus perhibetur, literam Dominicalem habuit B, cum fuerit nonus illorum duodecim, quos Augustus sine intercalatione transigi voluit: ideo 25 dies Martii incidit in diem Veneris, & 25 Decembris incurrit in diem Dominicam. *Christman. de Kalend. Roman. Thes. Antiq. Roman. Græv. Tom.* VIII. *p.* 297. *D. Fast. Idatian. Thes. Tom.* XI. *p.* 255. *A. Augustin. de Fam. Roman. in Plautia.* Crucifixus, ut quidam putant, decimo quinto anno imperii Tiberii Cæsaris, id est, duobus Geminis Rufino & Rubellione consulibus, quo anno secundum indubitabilem Lucæ Euangelistæ auctoritatem baptizatum eum manifestum est, & Euangelium regni cœlorum prædicare cœpisse. Secundum vero Johannis Euangelium festivitati Paschæ Judæorum ter Dominum interfuisse cognoscimus; ut appareat tertium illud fuisse Pascha, quod verus Agnus suo sanguine consecravit. Proinde Consules quidem a manifestatione Domini, id est, a Rufino Gemino & Rubellio Gemino Consulibus inchoamus, sed tertios ab iis Consules Dominicæ passioni adscribimus, sequentes, quod auctoritas tradidit & ratio. *Prosper Chron. Thes. Antiq. Roman. Græv. Tom.* XI. *p.* 284. *E. Fast. Idatian. Thes. Græv. p.* 255. *D.* Clem. Alexandr. Pædag. III. Hymno *Christi* Salvatoris n. 14. *σοφίας πρύτανις, sapientiæ rector*, & Nazianz. in Julianum Orat. II. *ἀληθείας πρύτανις, veritatis prytanis* vocatur. *Spanhem. de Vest. & Prytan. Thes. Græv. Tom.* V. *p.* 701. *C.* Severius vitæ institutum formans vetuit, quia duas & plures tunicas etiam Judæi gerebant, discipulos duas gestare tunicas. Matth. c. 10. n. 10. Et nunquam satis mirari potuerim Maldonatum ita hæc interpretatum esse. Non quidem prohiberi duabus simul, si necessitas & frigus postulet, tunicis indui, sed plures habere tunicas, quam in præsentem necessitatem requirerentur, ut solent divites, & harum rerum solliciti habere unam in præsentem usum, alteram in futurum. Si enim cogente frigore permisit D. *Christus* ut duas tunicas induerent: æstate unica contenti fuerint, quid altera factum est: habere eam in futurum vetabantur, eam igitur vendere, aut non habenti donare cogebantur, quam rursus instante bruma compararent. At ratio, quam affert, magis mira est. Nam, & *Christus*, inquit, duabus simul tunicis indutus fuit, ut manifestum est ex Johan. c. 19. n. 23. Sed ubi hic duæ tunicæ? Sed piget his diutius immorari. *Ferrar. de Re Vest.* I. 3. I. Pedes Apostolorum ante convivium loturus pallium posuit, quia, ut Nonnus interpretatur, servile opus facturus erat. Servorum enim erat sine pallio, aut alia veste exteriori, tunicatos, & cinctos, vel etiam linteo succinctos ministrare. Suet. Cal. c. 26. n. 2. *Senatores summis honoribus functos cœnanti sibi modo ad pluteum, modo ad pedes stare succinctos linteo est passos.* Casaubonus in Exercitationibus attulit etiam locum Philonis in hanc rem, qui Essenorum convivia describens observat mancipiorum usum ab ipsis repudiatum; nam liberorum opera utentes cavisse, ne ullam habitus servilis speciem inter ministrandum præberent, & propterea discinctos, ac demissis tunicis in cœnationem solitos ingredi. Positum autem a *Christo* pallium vestem exteriorem idem observat, quod brachia includeret, & ideo inepta ad ministeria, quæ liberum brachiorum motum requirunt. *Ferrar. ibid. c.* 4. Imperatori in nummis Imperatoriis ad latus est appositus, & diadema ei sua manu imponens, ad exprimendum scilicet titulum illum, *θεοστεφὴς, a Deo coronati:* modo aversa nummi parte tenens librum vitæ, cum inscriptione: *Jesus. Christus. Rex. regnantium.* Alii vero in totum omissa sua imagine & titulo *Christum* solum insculpserunt, cum literis: *Jesus, Christus. Immanuel.* aversa parte modo has literas: *Jesus. Christus. basileus. Basileon.* quod Johanni Zimisci Imperatori Cedrenus, Scyllitzes & Glycas tribuunt: modo crucem quadratam cum literis: *Ihs. Chrs. nika.* quod omnino imitati Franci, sollenne illud in suis aureis circa crucem florescentem fecerunt: *Christus vincit, Christus regnat, Christus imperat.* Ut plane agnoscas, quod Paullinus ad Cytherium canit.

Regemque Christum confitentur Principes,
Et sceptra submittunt cruci.

Freher. de Monet. Germ. Imp. II. I. *Christi* nomen labaro addi curavit Constantinus. V. infr. in *Labarum*. Imaginem inter animas sanctiores in Larario habuit Alexander Severus. Lampr. c. 29. *Borrich. Ant. Urb. Fac. c.* 16. §. 1. *Tomas. de Donar. c.* 44. *Alex. Gen.* VI 14. *Pignor. de Serv. p.* 483. *Gyrald. Synt. Deor.* XV. *p.* 441. *G.* Illi *templum facere, eumque inter Deos recipere voluit* Alexander Severus. Lampr. c. 43. *Borrich. & Tomas. l. l.* Sed de loco templi illius omnia adhuc ambigua, nisi aliquid possit exsculpi ex illo Lampr. c. 49. *Quum Christiani*, inquit, *quendam locum, qui publicus fuerat, occupassent, contra popinarii dicerent, sibi eum deberi, rescripsit, melius esse, ut quomodocunque illic Deus colatur, quam dedatur popinariis.* Credibile, tabernam meritoriam antiquam, hoc est, ut ICti interpretantur, diversorium publicum fuisse, ideoque popinariis invitis extortam, quod obsonia sua justo carius ibi divenderentur diversoribus. *Christianis* autem desideratus videri potest locus, quod fons olei istic cœperit scaturire circa natalem Salvatoris *Christi*, si verus Eusebius. *Borrich. l. l.*

CHROMA est in Musica, quod hemitoniis componitur. Sicut enim, quod inter album nigrumque est, color dicitur: ita hoc chroma, quia est inter utrumque, enarmonicum videlicet & diatonicum, nominatur. Martianus Capella. Vitruv. V. 4. *Chroma subtili solertia, ac crebritate modulorum suaviorem habet delectationem.* Plutarch. de Music. p. 1096. B. *Cur inter Musices genera chromaticum animum maxime diffundit.* Macrob. Somn. Scip. II. 4. *Chromaticum est infame mollitie.* Buleng. de Theatr. II. 4. Rhodig. Ant. Lect. IX. 3. Bald. Lex. Vitruv.

CHRYSARGIRUM fuit dictum vectigal, quod Constantinopoli pro urina & stercore hominum & brutorum exactum est. Zosim. II. 38. *Constantinus tributum indixit*

auri & argenti omnibus mercatoribus, & per Urbes quidlibet vendentibus, ne pauperrimis quidem exceptis aut ipsis etiam miseris meretricibus: ita ut cum quadriennium venisset, quo vectigal illud inferri oportebat, ubique per urbem lamenta & querelæ audirentur. Euagr. Hist. Eccl. III. 40. negat Constantinum hujus tributi auctorem, cum a Vespasiano sit institutum. Ejus exigendi munus amplum fuit, usque adeo ut scrinium particulare haberet. Euagr. ibid. c. 39. *Buleng. de Vectig. c. 45. Lips. de Magn. Rom. II. 6. Guther. de Offic. Dom. Aug.* III. 18. *Meurs. Glossar. Græco-Barb. Casal. de Urb. ac Imper. Roman. splend. part.* I. *c.* 3. *Thys. de Magn. Rom.* II. *p.* 257. *Franckenstein de Ærar. pop. Rom. c.* 8. Cedrenus explicat: *Chrysargiri pensio fuit talis, ut quisque mendicus, aut pauper, meretrix, seu jam emerita, omnes servi, itemque libertus inferrent in ærarium pro urina, & stercore, jumentorum etiam, & canum: sive in agris, sive in oppidis habitarent. Et homines quidem utriusve sexus numisma argenteum: equus, mulus, bos tantundem, asinus & canis folles sex.* Caroli Antiq. Roman. II. 3.

CHRYSOASPIDES & *Argyroaspides* sunt nomina Macedonica. Pollux. I. 11. §. 23. Hos instituit Alexander, cum Indiam peteret. Justin. XII. 7. 4. *Post hæc Indiam petit, ut oceano, ultimoque Oriente finiret imperium. Cui gloriæ ut etiam exercitus ornamenta convenirent, phaleras equorum, & arma militum argento inducit; exercitumque suum ab argenteis clypeis Argyraspidas appellavit.* Unde ad milites apud Curt. VIII. 8. 16. *An me luxuriæ indulgentem putatis arma vestra auro argentoque adornasse.* Et ad Alexandri imitationem Romani. Lamprid. Alex. Sev. c. 50. *Fecerat sibi argyroaspidas & chrysoaspidas.* Et Alex. Gen. Dier. VI. 22. *Fertur Alexander Macedo argyroaspidas ab argenteis clypeis, sicut Alexander Severus Imperator chrysoaspidas ab aureis nuncupasse.* Et hoc quidem priscis temporibus Reipublicæ Romanæ factum tradit Liv. IX. 40. *Duo exercitus erant: scuta alterius auro, alterius argento cœlaverunt.* Bernegg. ad Justinum, Demster. Paral. ad Rosin. Antiq. Rom. X. 10. Pitisc. ad Curt. IV. 13. 27. Fecerunt hoc Imperatores I. ut illis ornarentur. Polyæn. VIII. 23. 20. Plutarch. Sertor. p. 575. B. *Cæsar militibus præcepit, ut arma haberent auro argentoque ornata, maxime quidem ornamenti causa.* II. Ut illis hosti majorem incuterent terrorem. Polyb. XI. 7. *Dicebat* Philopœmen, *splendorem armorum ad terrorem hostibus incutiendum vim magnam habere.* III. Ut acrius pugnarent. Plutarch. Philop. p. 361. B. *Hæc species animos incendebat eorum, & alacritatem excitabat: unde periculorum contemptores, & prompti ad subeunda discrimina evaserunt.* Polyæn. l. l. *Sed ideo etiam, ut milites res pretiosas acrius defendendas ac propugnandas existimarent.* Pitisc. ad Curt. VIII. 8. 16.

ΧΡΥΣΟΚΛΑΒΟΝ, *chrysoclavus*, est vestis aureis *clavis* distincta, ornata. Anastas. in Leon. III. *Super altare majus fecit tetravela holoserica alithina quatuor cum astillis & rosis chrysoclabis.* Bened. III. *Camisias albas sigillatas holosericas cum chrysoclavo.* Hinc χρυσοκλαβάρικον apud Codinum. Quod veteres glossæ purius χρυσόσημον interpretantur. Juven. Sat. VI. 482.

Aut latum pictæ vestis considerat aurum.

Ad quæ verba Scholiastes: *Auroclavias vestes miratur.* Viri docti rescribunt, *auro clavatas.* Tu sine scrupulo corrige, *auroclavas.* Sed tamen etiam dicebant *auroclavatus.* Vopisc. Tacit. c. 11. *Uxorem gemmis uti non est passus. Auroclavatis idem interdixit.* Meurs. Glossario Græco-Barb. Salmas. Treb. Poll. trig. Tyr. c. 14. Claud. c. 17. Bulenger. de Vest. Pont. I. 45. De Fresne in Glossario. Hoc mihi non plane arridet: invenio enim apud Anastasium vestes ornatas tabulis, & orbiculis, qui varias historias continebant, pictas de *chrysoclavo.* Item vestibus sæpe insertas esse cruces, rotas, & stellas *chrysoclavas.* Ita ut picturæ potius species sit *chrysoclavus*, quam clavus aureus antiquorum, apud quos vestes pictæ a clavatis diversæ sunt. Existimo igitur Græcos, cum viderent, Romanos sæpe clavum absolute pro clavo purpureo ponere, hinc clavum ἁπλῶς pro purpura dixisse. Ita in Gloss. Cyril. πορφύρα ἐνυφασμένη, *clavus.* Itaque ut χρυσοκόκκινον vocabant, quod auro & cocco variatum erat; χρυσοπράσινον, quod aureis coloris prasini liciis mixtum; χρυσοκίτρινον quod aureo & citrino colore fulgebat: ita χρυσοκλαβάρικον vocarunt quicquid ex auro & purpura textum erat. Papias: *Chrysoclavus aurata purpura.* Anastas. in Leon. III. *Fecit vestem chrysoclabam cum periclysi, cum chrysoclabo unam; sed & aliam de blattin, habentem de medio crucem cum chrysoclabo, & tabulas chrysoclabas quatuor cum gemmis ornatas, atque gammadias in ipsa veste chrysoclabas quatuor cum periclysi de chrysoclabo.* Ruben. de Re Vest. I. 23. Qui ex hisce ait patere, *chrysoclavum* non esse aureum clavum vestibus insertum. Quid autem erat? Certe utraque illa vestis purpurea fuit. Prima ex purpura marina; altera ex blattin, sive ex cocco, purpura terrestri. Utraque habebat periclysin, & *chrysoclabon*, id est, in limbo & in pectore clavos aureos: & ideo vestes ipsæ *chrysoclavæ*, sive *chrysoclaviæ.* Crux autem, & tabulæ pariter aureæ loco clavorum erant; & ideo tam illæ quam gammadiæ *chrysoclaviæ* dicuntur. Si *chrysoclavus* picturæ species erat, cur vestis illa picta, & auro intexta, ut & triumphalis, non dicebatur? Proprie enim picta vestis purpurea, variis ex auro figuris elaborata. Sed quia non per totum auro picturata erat, ut triumphalis, verum aliqua tantum in parte aureos clavos habebat, aut alias figuras loco clavorum, *chrysoclava*, sive *chrysoclavia* dicebatur, & auro clavata. Prætea, si *chrysoclavia* erat vestis picta, id est, purpura auro variata, quomodo ornari poterat *chrysoclavo*, eadem scilicet materia; ut si quis diceret, vestem auream auro fuisse distinctam. Ergo *chrysoclava* vestis purpurea, aureis clavis ornata. Clavus quidem Latinis interdum sumitur pro purpura; sed tantum in vestimentis Romanis proprie tunica senatoria & equestris dicebatur, cujus insigne clavus purpureus erat: nemo enim de prætexta, aut trabea, aut toga picta id unquam usurpavit, in quibus nulli clavi, sed tantum fasciæ, aut limbi, aut segmenta purpurea. Clavi ergo proprie de notis, sive de signis purpureis tunicæ insertis; & ita cum aurei facti sunt, *chrysoclavi* dicti, & quicquid loco eorum ex auro purpureæ vesti immittebatur. Licet autem χρυσοκόκκινον & χρυσοπράσινον vocarent quod dixit Rubenius, non propterea χρυσοκλαβάρικον, quicquid ex auro & purpura textum; sed quod aureis clavis, aut similibus ornamentis distinctum. *Ferrar. Anal. de Re Vest. c.* 29.

CHRYSOCOLLA est color Hesychio. Χρυσοκόλλα χρῶμά τι χλωρόν. Describit illum Plin. XXXIII. 5. *Chrysocolla humor est in puteis, per venam auri defluens crassescente limo rigoribus hybernis usque ad duritiam pumicis. Laudatiorem eandem in ærariis metallis, & proximam in argentariis fieri compertum est. Invenitur & in plumbariis, vilior etiam auraria.* Et colorem describens subnectit: *Summæ commendationis est, ut colorem herbæ segetis læte virentis quam simillime reddit.* Et Dioscor. V. 14. probat *chrysocollam saturate prasinam.* Isidor. XIX. 17. *Chrysocolla colore prasino est, dicta quod vena ejus aurum habere trahitur. Hæc & in Armenia nascitur; sed ex Macedonia probabilis venit.* Unde liquet idem esse quod viride. *Nardin. Rom. Vet.* VII. 2. *Pitisc. in Suet. Cal. c.* 18. *n.* 6. Circi aream *minio & chrysocolla constravit* Caligula. Suet. Cal. c. 18. n. 6. & chrysocolla Nero. Plinius: *Visumque jam est Neronis principis spectaculis arenam circi chrysocolla sterni, cum ipse concolori panno aurigaturus esset.* Nardin. l. l. Panvin. de Lud. Circ. I. 5. Buleng. de Circ. c. 37. Catal. de Urb. ac Imper. Roman. part. 2. c. 5. Hoc Caligulam & Neronem, quia uterque prasinæ factioni pari insania faverit, fecisse credit *Torrentius ad Suetonium.* Mendose, cum apud Plinium *chrysocolla* lutea sit, & minium rubeum. *Buleng. ibid. c.* 7. Magnificentiæ potius causa constraverunt. *Buleng. ibid. c.* 37. tum ad ornatum, tum ut post naumachiam, emissa in Tiberim aqua, nullo limo impediente, reliqua ludicra celebrarentur. *Panvin. ibid.* II. 1. Sed illa, quia maxime valeret ad perdendam pecuniam, putat *Argolus in Panvin. de Lud. Circ.* I. 5. Et certe magno parabatur pretio. Aristot. Mirab. p. 1089. F. *Habet locus iste cœruleum metallum, & chrysocollæ:*

le: hujus optima tanti æſtimatur ac aurum. Vitruv. VII. 14. *Qui non poſſunt chryſocolla propter caritatem uti, herba, quæ luteum appellatur, cæruleum inficiunt.* Pitiſc. in Suetonium l. l.

ΧΡΥΣΟΤΕ'ΛΕΙΑ, *chryſotelea*, id eſt, auraria præſtatio eſt, quam inſtituit Anaſtaſius Dichorus, cum ſumptus militares vendidiſſet, & pro iis aurum ſibi præſtari juſſiſſet. Euagr. Hiſt. Eccl. III. 42. *Cum chryſotelam dictam reperiſſet, & vendidiſſet militares ſumptus graviſſimo eorum, qui tributa pendebant, onere.* Socrat. Hiſt. Eccl. IV. 34. *Numerato pretio vendidit militem, qui ex provinciis per vicos a collatoribus præſtabatur, cum juſſiſſet, ut pro quoque milite aurei octoginta exigerentur a tributariis, nec prius vectigalium onere eos levavit, quam id præſtitiſſent.* Buleng. de Vectig. c. 63.

CHRYSUS auctore Polemarcho fuit ex pondere didrachmæ. *Sardus de Numm. Theſ. Antiq. Roman. Græv. Tom.* XI. *p.* 1720. *E.* Conficit duos ſcutos & ſolidos unum de viginti. *Sardus ibid. p.* 1722. *B.*

CHU.

CHUS, qui & *chocus* appellatur, & qui duodecima pars eſt metretes, continet in ſe ſextarios Atticos ſex, ſeu cotylas duodecim, pendet oleo plenus ex Galeni, Dioſcoridis, & Cleopatræ ſententia, drachmas ſeptingentas viginti, quæ libras ſeptem & ſemis conſtituunt. Juxta quam rationem pendet aquæ puræ, aut vini puri libras octo & quadrantem. *Pætus de Roman. & Græcor. Menſ.* III. *Theſ. Antiquit. Romanar. Græv. Tom.* XI. *pag.* 1648. *F.*

CIB.

CIBARIA debebat ferre miles Romanus. Cicero de temporis ſui militia loquens plus quam dimidiati menſis debuiſſe ferre dicit Tuſcul. Quæſt. II. 16. *Militiæ noſtri exercitus primum unde nomen habeant vides: deinde qui labor, quantus agminis? ferre plus dimidiati menſis cibaria: ferre ſi quid ad uſum velint. Ferre vallum: nam ſcutum, gladium, galeam in onere noſtri milites non plus numerant, quam humeros, lacertos, manus.* Integri menſis cibaria militem ſolitum ferre docet Liv. XLIV. 2. *Conſul menſtruum juſſo milite ſecum ferre, profectus decimo poſt die.* Sic Pompejani legionarii in Hiſpania dierum viginti duorum frumentum efferre juſſi ſunt. Eadem etiam poſtea diſciplina ab Imperatoribus ſervata legitur. Peſcenninus Niger, ut Lampr. c. 10. *vinum & piſtores a caſtris removit, juſſitque omnes aceto & buccellato contentos eſſe.* Sic *Julianus buccellatum in viginti dies humeris militum impoſuit.* V. Marcellinum ſupr. in *Buccellatum.* Ramus de Milit. Jul. Cæſaris II. Theſ. Antiq. Roman. Græv. Tom. X. p. 1551. C. Lipſ. de Milit. Roman. V. 11. Schel. ad Polyb. c. 7. Theſ. Antiq. Roman. Græv. Tom. X. p. 1220. E: 1218. F. Valtrin. de Milit. Roman. IV. 4. Hennin in Bergier. de Viis milit. IV. Sect. 20. n. 2. Stewech. in Veget. I. 19. Thyſ. Rom. Illuſtr. V. pag. 132.

CIBICIDA eſt qui cibos ſcindit. Ita nuncupat Lucillius. *Buleng. de Conviv.* IV. 3. V. ſupr. in *Carptor* & *Chironomontes.*

CIBILLA erat *menſa eſcaria quadrata, ut etiam nunc in caſtris eſt: poſtea rotunda facta.* Varr. de Ling. Lat. IV. 25. *Baccius de Vin. & conviv.* IV. *p.* 153. *Urſin. ad Ciaccon. de Triclin. Append. p.* 290. *Buleng. de Conviv.* IV. 3. Apud quem in manuſcriptis libris non *cibilla* legitur, ſed *cilliba*, ut apud Feſtum etiam in vulgatis libris eſt: *Cilliba menſa rotunda.* Ciaccon. de Triclin. p. 26. Vocabatur etiam *cillibantum.* V. hoc infr. ſuo loco.

CIBORIUM, κιβώριον, vocabatur receptaculum, quo continebantur grana fabæ Ægyptiacæ, prægrandis inſtar papaveris capitis, in quo ipſa grana ſuis quæque loculamentis ac capſis incluſa, paullulum ſupra cellulas ſuas extantia. Σφήκιον vocat Theophraſtus a ſimilitudine favi veſparum. Dioſcorides φυσκίον. Quod vocabulum hodieque retinemus eodem ſenſu. Et notum illud Horat. Od. II. 7. 21.

Oblivioſo levia Maſſico
Ciboria exple.

Et illud ipſum *ciborium* fabæ Ægyptiæ, granis excuſſis, & membranaceis diſſepimentis ejectis poculi vicem & uſum præbebat. Et hic eſt ſenſus verſuum Nicandri de faba Ægyptia apud Athen. III. 72. A.

Ægyptiam tu fabam ſerito, ut poſt metas:
E floribus coronam texas: delapſa
Maturo fructu ciboria pranſuris
Pueris, & jam pridem cupientibus in manum des.

Plane dicit exinanita *ciboria*, fructu maturo ac decuſſo, præſtare poculorum uſum. *Salmaſ. Exercit. Plinian. pag.* 925. *a. C.* Quod *ciboria* in uſum poculorum vocarint, factum puto propter inſignem foliorum amplitudinem, quæ petaſo aſſimilat Dioſcorides, pileo Theſſalico Theophraſtus. *Junius Anim.* I. 10. *Rhodig. Ant. Lect.* IX. 12: XXVII. 27. *Buleng. de Conviv.* IV. 15. Eſt nomen Ægyptium, quia *ciborium* fuit Ægypto peculiare. Heſychius juvat nos, cum ſcribit: Κιβώριον, Ἀιγύπτιον ὄνομα, ἐπὶ ποτηρίου. Sane uſurpat quoque Syneſius in encomio calvitii: ubi de Ægyptiorum diſſerit philoſophia. Quare ita ſtatuendum. *Ciborium* notare I. fabam Ægyptiam. II. poculum ex faba Ægyptia. III. poculum alius materiæ, quod fabam Ægyptiam referat. *Voſſ. Lex. Etymol.*

Ciborium appellant etiam ſcriptores Eccleſiaſtici, quod ordo Romanus tegimen & umbraculum altaris. Alcuin. Poem. 117.

Hoc quoque ciborium Farculfus fecerat Abbas.

Illud quatuor columnis, iiſque prealtis attollebatur, & in faſtigiatam formam eductum totum altare contegebat. Anaſtaſius in Gregorio P. P. p. 44. *Hic fecit ciborium B. Petro Apoſtolo cum columnis ſuis quatuor ex argento puro.* Du Freſne Gloſſario.

CIBUS. Trium maxime generum *cibi* fuerunt. Nam in menſam inferebantur aut carnes ex animantibus domeſticis, aut ſylvaticis, aut ex volucribus, quibus adjungas licet, quæ ab animantibus iſtis petuntur, lac, ova, & cætera id genus. Inter animalia domeſtica primo loco ſunt oves, boves, arietes, hædi, vituli, verveces, porci, majales, apud aliquas gentes cameli, equi, aſini, gallinæ, Numidicæ, pavi. Aves aliæ indigenæ, aliæ peregrinæ fuerunt. Aut piſces. Aut olera, quæ interpretor omnia, quæ terra ex ſe fundit, triticum, e quo panes, poma, cannas eboſias, & ſi quid ejuſmodi uſpiam reperitur. *Buleng. de Conviv.* II. 6. Antequam ſumerent, ſe lavabant. V. ſupr. in *Abluebant.* Semel *cibum* ſumere antiquis mos erat. Boeth. de Conſol. II. 5. 1.

Felix nimium prior ætas,
Contenta fidelibus arvis,
Nec inerti perdita luxu,
Facili quæ ſera ſolebat
Jejunia ſolvere glande.

Non dubito veteres *cibum* ſumpſiſſe, ſive prandium, ſive prandiculum vocare libet, priuſquam in agros ad opus, vel in forum exirent. Cœnabant autem vel hora undecima, vel certe nona, cœnamque in noctem producebant. *Buleng. de Conv.* I. 5. Ter ſumpſiſſe, mane, ſub horam undecimam, & veſpere docet Didym. Odyſſ. II. *Ter cibum veteres die capiebant. Jentaculum primo ſumitur, quod vocatur ἄριστον, & ſumitur mane, cum adhuc pœne tenebræ eſſent, dictum ab ἄειρε. Secundo ſumitur prandium, δεῖπνον, quia eo ſumpto laborandum, δεῖ πονεῖν, & ad militaria exercitia redeundum. Tertio δόρπον, cœnam Latini vocant, quaſi ἰαύεργον ab ἰαύειν, dormire, κοιμᾶσθαι, quando imus dormitum, aut cubitum.* Buleng. ibid. c. 3. Bruyer. de Re cibar. III. 1. Falſa multorum animos occupavit opinio, veteres ſemel tantum die *cibum* ſumpſiſſe, quam, ut puto, conceperunt, e verbis Platonis, qui in illa nobili epiſtola ait,

diſpli-

displicuisse sibi, quod in Sicilia bis die saturi fierent. Sed aliud est capere *cibum*, aliud ἐμπιπλῆσθαι. Ego in Græcorum commentariis reperio, quater ipsos die cibo ac potu corpus reficere sôlitos: quod etiam hodie multis locis fit apud quasdam Transalpinas nationes; primum quidem diluculo, id vocabant ἀκρατισμὸν, aut ἀκράτισμα, quod non dilutum, sed merum, ut Ausonius, biberent: aut etiam διανηστισμὸν, quam vocem una cum reipsa nostrates retinuerunt. Sequebatur ἄριστον, ita dictum, quod postea oporteret ἀριστεύειν: inde ἑσπέρισμα, cujus hora erat, cum jam noctesceret, antequam tamen contenebrasset: postremo δεῖπνον, aut δόρπον, aut ἐπιδόρπιον. Aliter tamen hæc ab aliis traduntur. Sunt enim, qui tantum tria agnoscant: ἄριστον, δεῖπνον, δόρπον. Et de ipso τοῦ δεῖπνου tempore ac nomine non omnes ita sentiunt: omninoque hæc confunduntur apud veteres. In Romanis scriptoribus reperio silatum, sive jentaculum, prandium, cœnam, vespernam. Miror autem, quid sibi voluerint, cum sibi vinum condirent: jucunditatemne aliquam in eo, an salubritatem spectaverint. *Muret. Var. Lect.* IV. 12. *Manut. Quæs. Epist.* I. 4. *Baccius de Conviv. antiq.* I. 1. *Kipping. Antiq. Roman.* IV. 3. 1. *Casaub. in Athen.* I. 10: II. 8: V. 4. *Mercur. de Potion. & edul. antiq. c.* 10. *Laurent. de Conviv. c.* 1. *& 6.* Tribus de causis publice sumebant Romani. I. Quando dabatur epulum, seu potius visceratio in funere alicujus viri principis, & insignis, vel in Latinis feriis; vel in funere, & parentalibus, quam viscerationem in funere matris dedit M. Flaccus. II. Cum publice sacrificabant, seu sacra faciebant. III. Cum ob publicam lætitiam publicum aliquod epulum dabatur. *Laurent. de Conviv. c.* 1. *de Prand. & cœna vet. c.* 2. quomodo sumpserint V. supr. in *Accumbere*. Tenuem sumpserunt. Arcades glande, Argivi pyris, Athenienses ficubus, Tirynthii pyris silvestribus, Indi calamis, Carmani dactylis, Sauromatæ milio, Persæ terebintho victitarunt, Lacones jure illo nigro, maxima hominum pars castaneis & glande. Gell. N. A. III. 39. Lycurgus *cibum* præscripsit Laconibus, ut neque onerarentur, neque inanes mensa excederent. Jus nigrum caput cœnæ esse voluit, non glandia, sumen, aut offam penitam. Plin. Epist. II. 6. 3. *Ad cœnam, non ad notam invito: cunctisque rebus exæquo, quos mensa & toro æquavi. Si gulæ temperes, non est onerosum, quo utaris ipse, communicare cum pluribus. Illa ergo reprimenda, illa quasi in ordinem redigenda est, si sumptibus parcas, quibus aliquanto rectius tua continentia, quam aliena contumelia consulas.* Et n. 2. quendam incusat, qui *sibi & paucis optima, cæteris vilia & minuta ponebat. Vinum etiam parvulis lagunculis in tria genera descripserat, non ut potestas eligendi, sed ne jus esset recusandi.* Horat Sat. II. 2. 17.

— cum sale panis
Latrantem stomachum bene leniet. unde putas, aut
Qui partum? non in caro nidore voluptas
Summa, sed in teipso est: tu pulmentaria quære
Sudando.

n. 14.

Quum labor extuderit fastidia, siccus; inanis
Sperne cibum vilem.

n. 38.

Jejunus stomachus raro vulgaria temnit.

Buleng. de Conviv. Prolus. II. Schel. in Polyb. Thes. Antiq. Roman. Græv. Tom. X. p. 1241. F. In vicinia paratos fastidiebant, & e longinquo advectos impense probabant in gulam ingeniosi. Suet. Vit. c. 13. n. 5. *In hac scarorum jecinora, phasianorum, & pavonum cerebella, linguas phœnicopterûm, murenarum lactes Carpathio usque, fretoque Hispaniæ, per navarchos, ac triremes petitarum commiscuit.* Pacat. in Paneg. Theodos. *Horum gulæ angustus erat orbis, namque appositas dapes non sapore, sed sumptu,* supple æstimabant, vel probabant: *illis demum cibis acquiescebant, quos extremus oriens, aut positus extra Romanum Colchus imperium, aut famosa naufragiis maria misissent.* V. Senec. ad Helv. c. 9. de Provid. c. 3. Petron. Sat. c. 53. Claud. in Eutrop. II. 326. . . . . Lucan. X. 155. . . . *Kobierzyck. de Lux. Roman.* II. 11. *Demster. Paralip. ad Antiq. Roman. Rosin.* V. 29. In convivium illatos dividebant in æquales partes, ut unicuique convivæ ex æquo portio tribueretur, quam illi vel servo donare, vel domum mittere poterant. Macrob. II. 4. *Rogavit* Curtius, *num macrum turdum mittere liceret? & cum respondisset Princeps* Augustus, *quidni liceret? statim per fenestram misit.* Aristæn. Epist. I. 5. *Si tamen vestem illam & pauculas e convivio partes clanculum ad me miseris, ludos faciam hominem, animumque ejus sequiora de me agitantem alio avertam.* Hunc ritum in gulosa Santra eleganter, & fuse expressit Mart. VII. 19. Dividebantur communius a famulis, qui edocti inspectantibus convivis lacerabant. Senec. Epist. 47. *Cum ad cœnandum discubuimus. . . . . alius pretiosas aves scindit, pectus & clunes, certis ductibus circumferens eruditam manum, in frusta excutit. Certi ductus* sunt artificiosi. Isti servi appellabantur *structores, scissores, diribitores, chironomonta, carpi, sive carptores, magistri obsonii.* V. singulos suis locis. *Demster. l. l.* Qui, ut concinnius ministeria hæc obirent, doctores in eam rem Romæ fuerunt, qui ludum structorium aperirent. Talis ille Trypherus doctor, qui discipulos in ulmea cœna, sic dicta, quia discipulos suos ulmis cædere solebat, si quando *cibos* non apposite scinderent, artis suæ specimina edere consuefaciebat. V. Juven. Sat. XI. 136. . . . 144. Innuit aliquid Plin. X. 50. *Postea culinarum artes, ut clunes spectentur, ut dividantur in tergora, ut a pede uno dilatata repositoria occupent.* Kobierzyck. de Lux. Roman. II. 10. Et, dum hæc obibant, organa, tibiæ, variaque alia insonabant instrumenta, præcipua tamen memorantur hydraulica. Petron. c. 36. *Processit statim scissor, & ad symphoniam ita gesticulatus laceravit obsonium, ut putares Darium hydraule cantante pugnare.* Quare laus illa non vulgaris Theodorici Gothorum Regis, quod, dum epularetur, *organa hydraulica non sonarent,* ut loquitur Sidon. Epist. I. 2. *Demster. l. l.* Sic in partes dissecti sorte distribuebantur. *Mercurii sors* pars illa carnium in convivio vocabatur, quæ prima illi deo consecrata seponebatur. Pollux VI. 9. 5. Testimonium luculentissimum est apud Plutarch. in Caton. Utic. *qui, etsi prima carnium divisarum pars ejus sorte non fuisset, amicis, ut eam tamen caperet, hortantibus, habere se illam invita Venere dicebat.* Demster. l. l. Maurit. de Sortit. c. 35. §. 4. Maxime in gustatione circumferebant, & ab alio ad alium transferebant, ut quisque caperet quantum vellent. συγγενικὸν ἄριστον, Regis Persarum prandium cognatorum, ad quod vocabantur Regis cognati, interdum & alii. Heraclides de cibis circumferendis: *Capiendus est modicus cibus, antequam bibas, maxime autem id operam dare debes, ut cibi soliti circumferri in jentaculo tibi apponantur.* Epict. Enchiridio: *In convivio si aliquid circumfertur tuo loco, extensa modeste manu cape, si præterit, ne retine.* Buleng. de Conviv. I. 3. Casaub. in Athen. III. 33. Ob nimiam varietatem gravia salutis discrimina adierunt mortales. Senec. Epist. 95. *Simplex erat ex simplici causa valetudo: multos morbos multa fercula fecerunt.* Hos exitiales ex nimia ventris repletione contraxisse, & celerius fatum sibi approperasse lautiores, illorum ingeniosam gulam castigans Juvenalis scripsit Sat. I. 142.

Pœna tamen præsens, cum tu deponis amictus
Turgidus, & crudum pavonem in balnea portas.
Hinc subitæ mortes, atque intestata senectus.

Imitatus est Persium, qui idem dicit Sat. III. 98.

Turgidus hic epulis atque albo ventre lavatur.
Gutture sulphureas lente exhalante mephites.
Sed tremor inter vina subit, calidumque trientem
Excutit e manibus, dentes crepuere retecti,
Uncta cadunt laxis tunc pulmentaria labris.
Hinc tuba, candelæ, tandemque beatulus alto
Compositus lecto, crassisque lutatus amomis,
In portam rigidos calces extendit.

Kobier-

Kobierzyck. de Lux. Roman. II. 12. Obſignabant veteres, ne a ſervis raperentur. Plin. XXXIII. 1. *At nunc cibi quoque ac potus annulo vindicantur a rapina.* Plaut. Caſ. II. 1. 1.

Obſignate cellas, referte annulum ad me.

Perſ. II. 3. 14.

Nam id demum lepidum eſt, triparcos homines. . .
Bene admordere, qui ſalinum ſervo obſignant cum ſale.

Guther. de Jur. Man. 1. 11. Long. de Annul. c. 11. Abſtinebant, tum qui morbum immedicabilem effugere moliebantur. Sic obiit Atticus. Nep. c. 22. n. 3. *Cum biduo cibo ſe abſtinuiſſet, ſubito febris acceſſit, leviorque morbus eſſe cœpit: tamen propoſitum nihilo ſecius peregit. Itaque die quinto, poſtquam id conſilium inierat, pridie Kal. April. deceſſit.* Et obire deſtinaverat Gallus Terrinius ſenator, quem *minus ſibi familiarem, ſed captum repente oculis, & ob id inedia mori deſtinantem, præſens conſolando revocavit in vitam* Auguſtus. Suet. c. 53. n. 8. *Caſaub. & Pitiſc. in Suetonium.* tum qui ex malo, quo premebantur, ſe expedire non poterant. Suet. Tib. c. 10. n. 9. *Quin & pertinacius retinentibus cibo per quatriduum abſtinuit.* Curt. X. 5. 24. *Siſygambis dolori ſuccumbit, obvolutoque capite. . . . . cibo pariter abſtinuit & luce, quinto, poſtquam mori ſtatuerat, die exſtincta.* Pitiſc. in Suetonium.

Cibus caſtrenſis dicebatur, quo in caſtris utebantur milites. In eo erant laridum, caſeus, & poſca, Spartian. Adrian. c. 10. *Cibis etiam caſtrenſibus in propatulo libenter utens, hoc eſt, larido, caſeo, & poſca.* Stewech. in Veget. 1. 3. Brod. Miſc. IV. 11. Vulcat. in Avid. c. 5. *Præter laridum, ac buccellatum, atque acetum militem in expeditione portare prohibuit.* Erant ſal & legumina. Plutarch. in Craſſo. *Evenit, ut poſt tranſitum fluminis, cum emetirentur neceſſaria exercitui, primum omnium darent lentem & ſalem.* Legumina etiam in Syneſio reperio: qui de Caro imperatore militariter cœnante: *Cœna erat, e piſis pulmentum pridianum, & in ipſo fruſta aliquot ſalitæ ſuillæ carnis.* Coctum *cibum* in caſtris proſtare noluit Metellus. Salluſt. Bell. Jug. p. 101. *Metellus edicto primo adjumenta ignaviæ ſuſtulit, ne quiſquam in caſtris panem, aut quem alium cibum coctum venderet.* Sed ſi quis haberet e præda aut pecunia, ipſe pararet & veſceretur. Frontin. IV. 1. *Q. Metellus bello Jugurthino ſimiliter lapſam diſciplinam pari ſeveritate reſtituit, cum inſuper prohibuiſſet alia carne quam a ſe* (voculas duas inſero, nec aliter evolvo) *aſſa elixave.* Illum nemini fas erat ſumere niſi ad ſignum. Joſeph. III. 3. *Nec cœna, aut prandium, cum viſum, cuique libera; ſed omnibus ea ſimul.* Lipſ. de Milit. Roman. V. 16. Schel. in Polyb. Theſ. Antiq. Roman. Græv. Tom. X. p. 1245. B. Stuck. Ant. Conviv. 1. 21. Thyſ. Rom. Illuſtr. V. p. 145. Hoc fine inter inſtrumenta militis invenio verua & ollas. Polyæn. VIII. 16. 2. *Scipio juſſit amoveri novas menſas, ſcyphos, & vaſa omnia, præter ollam, & veru, & pocillum.* Sed quæ *novæ menſæ.* Et pro menſis plerumque iis elatior ceſpes. V. ſupr. in *Ceſpes.* Nolebant curioſe, & ab profeſſo opifice panem coctum edi, ſed ſubitaneum, & quem ſua manu miles paraſſet. V. illum infr. in *Panis militaris.* Lipſ. & Thyſ. l. l.

Cibus feralis erat, qui in mortuali cœna apponebatur. Certos *cibos* huic proprios fuiſſe docet Xiphil. LXVII. p. 763. 3. *Denique quæ in exſequiis mortuorum adhiberi ſolita, in vaſis eodem modo iis appoſita fuerunt.* In illa mentionem fieri fabarum, apii, lactucæ, panis, ovorum, lentium, ac ſalis, vel libi, carnium, pultis obſervavimus. *Kirchman. de Funer. Rom.* IV. 7. Ethnicorum hanc ſuperſtitionem ridet Tertullianus de Reſurrectione: *At ego magis videbo vulgus, tunc quoque, cum ipſos defunctos atrociſſime exurit, quos poſtmodum guloſiſſime nutrit.* Ferrar. de vet. Luc. Sepulcral. Theſ. Antiq. Roman. Græv. Tom. XII. pag. 1014. E.

Cibus meridianus erat prandium. Suet. Aug. c. 78. n. 1. *Poſt cibum meridianum, ita ut veſtitus, calceatuſque erat, retectis pedibus paulliſper conquieſcebat.* Illo *cibum* levem & facilem ſumebant veteres. Horat. Sat. 1. 6. 127.

Pranſus non avide, quantum interpellet inani
Ventre diem durare.

Illud deſcribit Senec. Epiſt. 83. *Panis deinde ſiccus, & ſine menſa prandium, poſt quod non ſunt lavandæ manus.* Hoc ſumebant, ut largiorem ſumerent cœnam. Plutarch. Non poſſe ſuaviter vivi ſecund. Epicur. decret. pag. 1099. C. *Meliores inquiens ſe habere obſoniorum conditores, nocturnum iter ad prandium, & prandii exilitatem ad cœnam.* Pitiſc. ad Suetonium. A ſtantibus, vel ſedentibus ſumebatur, nam in cœna diſcumbentes cœnatoria accipiebant: hoc eſt, non modo ſine toga, ſed etiam ſine tunica erant, hoc eſt, ſola ſyntheſi, ſive ſindone ſemitecti. *Ferrar. Anal. de Re Veſt. c. 23.*

Cibus nauticus erat frumentum, vel crudum, vel piſtum & coctum. Illud, ſi iter longius, hoc ſi minus longum. Liv. XXIX. 25. *Quinque & quadraginta dierum cibaria, e quibus quindecim dierum cocta, impoſita.* Crudum fuit frumentum ipſum. Virg. Æneid. 1. 181.

Tum Cererem corruptam undis, Cerealiaque arma
Expediunt feſſi rerum: frugeſque receptas
Et torrere parant flammis, & frangere ſaxo.

Vel farina. Ita apud Homer. Odyſſ. B. 354. Telemachus, cum Spartam navigare vellet. Præcipit enim Eurycleæ nutrici:

Mihi infunde farinam bene conſutos in utres,
Viginti autem ſunt menſuræ molitæ farinæ.

Allium. V. ſupr. in *Allium.* Et caſeus. V. ſupr. in *Caſeus.* Cocta *cibaria* etiam habuerunt. Liv. XXI. 41. *Edictum propoſitum, ut ſocii navales decem dierum cocta cibaria ad naves deferrent.* XXIV. 11. *Cum triginta dierum coctis cibariis naves conſcenderunt.* Talia fuerunt I. panis nauticus. V. infr. in *Panis*, ſeu buccellatum. V. ſupr. in *Buccellatum.* II. Μυττωτὸς, jus quoddam, ſive pulmentum, ex caſeo, alliis & ovis confectum. Pollux VI. 10. 2. *Myttotus, commixtio ex alliorum caulibus.* Ariſtoph. Acharn. 1. 5. 1.

Ah me miſerum, quantum alliati, μυττωτὸν ὅσον, perdidi.

Scholiaſtes: Κατασκευάζεται ἀπὸ τυρȣ̃, καὶ σκορόδȣ, καὶ ᾠȣ̃. Latini *moſetum*, vel *moretum* appellarunt, & intritum, ut ex Donato docet Scaliger in Moretum Virgilii. *Scheffer. de Milit. Nav.* IV. 1. Huic erant deſtinata ſpatia ſubjecta remigibus inter O. & P. quæ in tabella exhibemus. *Voſſ. de Trirem. Conſtr. Theſ. Antiq. Roman. Græv. Tom.* XII. *p.* 724. *D.*

CIC.

CICER album a rubro pondere differt. Quamvis enim eodem ſolo genita utraque, & eodem tempore ſata collectaque fuerint, notabile tamen diſcrimen in pondere illorum deprehenditur. Ex examine enim libræ cognovi, viginti grana *ciceris* albi, temere & abſque delectu ſumpta, pondere reſpondere triginta granis *ciceris* rubri, itidem ut ſe temere offerebant, lanci ſtateræ impoſitis. *Savott. de Numm. Ant.* III. 2. Sativum albo idoneum, urinam ciet. *Buleng. de Conviv.* II. 56. Elixum, vel frictum frugalium, aut tenuiorum erat cibus. Mart. 1. 42.

— *quod otioſa*
Vendidit qui madidum cicer corona.

v. 79.

Et fervens cicer, & tepens lupinus,
Parva eſt cœnula, quis poteſt negare.

Horat. Art. Poet. n. 249.

Nec ſi quid fricti ciceris probat, aut nucis emptor.

Bochart. Hieroz. II. 1. 7. Gronov. de Pecun. Vet. IV. 12. Buleng. l. l. In ſpectaculis per cuneos vendebatur. Martialis jam laudatus, ut & Horatius. *Buleng. de Circ. c. 56. de Conviv. l. l.* Et ab illis, qui honores ambibant, ut plebeculæ gratiam captarent, inter miſſilia cum fabis & lupinis ſpargebatur. Horat. Sat. II. 3. 182.

In cicere, atque faba, bona tu perdaſque lupinis,
Lætus ut in circo ſpatiere, atque æneus ut ſtes.

Perſ. Sat. v. 177.

> —— *cicer ingere large*
> *Rixanti populo, noſtra ut Floralia poſſint*
> *aprici meminiſſe ſenes.*

Bochart. l. l. Buleng. de Circ. l. l. Stuck. Ant. Conviv. II. 8.

CICERO erat cognomen Tullorum, qui hoc tulerunt a *ciceribus* ſerendis, ut ait Varro. Illud enim quod de verruca, quam *cicerem* Latini vocant, quamque *Ciceronum* princeps in extremo naſi habuerit, narrat Plutarch. Cicer. p. 861. B. eo mihi minus veriſimile fit, quod patrem ſuum & avum Cicero eodem plane uſos eſſe cognomine de Orat. II. 66. oſtendat. *Strein. de Gentib. & Famil. Roman. & Auguſtin. de Famil. Roman. in Tullia. Sigon. de Nomin. Roman. c. 5.* M. Tullius Ptolemæi Phyſconis regni anno octavo Arpini natus eſt matre Helvia, patre Equeſtris ordinis ex regio Volſcorum genere. *Proſper Chronic. Theſ. Antiq. Roman. Græv. Tom.* XI. *p.* 281. *B.* Q. Servilio Cæpione & P. Rutillio Coſſ. anno ab U. C. 648. eodemmet teſte in Bruto c. 43. III. Nonas Januarias Attic. VII. 5: XIII. 41. *Noriſ. Cenotaph. Piſan. Diſſert.* II. 4. Cum equite Romano natus eſſet, nunquam, poſteaquam in ſenatum pervenit, eques appellabatur, ſed ſenator. Atque ipſe ſuis in ſcriptis, cum de ordine ſenatorio loquitur, noſtrum appellat; cum de equeſtri, non item. Non igitur eques, neque equeſtris ordinis, ſed ſenator, & ſenatorii ordinis dicebatur. *Manut. de Civit. Rom. Theſ. Antiq. Roman. Græv. Tom.* I. *p.* 5. *B.* Patris patriæ appellationem primus meruit. Quapropter eum Plin. VII. 30. ita ſalutat. *Salve primus omnium parens patriæ appellate.* Eum hoc cognomine appellavit Q. Catulus. Cic. in Piſ. c. 3. *Me Q. Catulus princeps hujus ordinis, & auctor publici conſilii, frequentiſſimo Senatu parentem patriæ nominavit.* Et præter Catulum Cato. Plutarch. Cicer. p. 872. C. Appian. II. p. 431. *Cato Ciceronis Conſulatum ita extulit concionibus ſuis, ut honores ei decernerentur omnium ampliſſimi, & pater patriæ appellaretur.* Briſſon. de Form. II. p. 227. Et recte Juven. Sat. VIII. 244.

> *Roma patrem patriæ Ciceronem libera dixit.*

A ſervitute enim, quam conjurati eidem minabantur, patriam liberaverat; unde a libera, ac per ipſum tum liberata Republica, tam dulce nomen audivit. *Noriſ. ibid. c.* 8. *Argol. in Panvin. de Lud. Circ.* II. 16. Fide fuit lubrica. Macrob. Sat. II. 3. *Laberio* [illegible] *& ſedile quærenti ait Cicero, recepiſſem te, niſi anguſte ſederem. Reſpondit Laberius* [illegible] *ſi anguſte ſedes, qui ſoles duabus ſellis ſedere; objecta levitate Ciceroni.* Senec. Controv. III. 18. *Laberius ad Ciceronem remiſit: atqui ſoles duabus ſellis ſedere. Quia Cicero male audiebat, tanquam nec Pompejo certus amicus, nec Cæſari, ſed utriuſque adulator.* Chimentell. de Hon. Biſell. c. 9. Lege a P. Clodio lata in exſilium eſt ejectus. Ejus vero reditus natalis, quo die ab exſilio rediit Italiæ humeris reportatus. Salluſt. in Cicer. c. 4. *Junius Faſt. Theſ. Antiq. Græv. Tom.* VII. *p.* 247. *A. B. Briſſon. de Form.* II. *p.* 228. In Formiano ſuo ab Herennio & Popilio occiſus eſt. *Proſper Chronic. Theſ. ibid. p.* 282. *C.* VII. Idus Decembris, undecima ab inito triumviratu die, ſæviſſima illa proſcriptione, qua tot nobiliſſimi cives miſere [illegible]. *Noriſ. ibid. c.* 4.

CICONIA fuit quondam Junoni dicata. Porphyr. de Abſtin. II. *Tomaſ. de Donar. c.* 8. Fuit in auſpiciis. Saliſber. Polycr. I. 13. *Ciconia quoniam avis concordiæ eſt, & concordiam invenit, aut concordiam facit.* Procop. Vandal. I. *Cum Aquilejæ Attila obſidionem ſolvere vellet, animadvertit diluculo ciconiam, quæ in turre nidificaverat, nidos humeris imponentem & avolantem: bene ſperat, turris, ubi nidus erat, ſponte delapſa, urbs capta.* Buleng. de Aug. c. 6. *Ciconiam* comederunt Romani. Petron. c. 37.

> *Ciconia etiam grata peregrina, hoſpita. . . .*
> *Nequitiæ nidum in cacabo fecit tuo.*

Primus conviviis appoſuit Sempronius Rufus vir prætorius. Horat. Sat. II. 2. 49.

> *Tutus erat rhombus, tutoque ciconia nido;*
> *Donec vos auctor docuit prætorius.*

Ubi Scholiaſtes: *Sempronius Rufus prætorius inſtituiſſe fertur, ut ciconiarum pulli manducarentur: quare cum in prætura petenda tuliſſet repulſam, tale epigramma meruit:*

> *Ciconiarum Rufus iſte conditor,*
> *Plancis duobus eſt his elegantior:*
> *Suffragiorum puncta ſeptem non tulit,*
> *Ciconiarum populus mortem ultus eſt.*

Kobierzyck. de Lux. Roman. II. 12. Voſſ. de Idolol. III. 93. Nonn. de Re Cib. II. 33. Lotich. in Petronium. Bruyer. de Re Cibar. XV. 60. Caſtellan. de Eſu Carn. IV. 28.

Ciconia appellabatur etiam irriſio manu facta, quando digitis omnibus collectis in unum, & ad *ciconiæ* colli ſimilitudinem curvatis, inque eum directis, qui irridebatur, pinſentem roſtro ciconiam frequenti & ſtata motione exprimebant. Perſ. Sat. I. 58.

> *O Jane, a tergo quem nulla ciconia pinſit.*

Ubi Cornutus: *Ciconiam*, inquit, *manu formare ſolent irriſores, qui unitate colligatos digitos agunt ad inferiorem partem inclinata, ſimilitudine ciconini roſtri; quod cum præſentant, poſt tergum motitantes, derident quos volunt.* Ferrar. de Acclam. Vet. II. 21. Caſaub. ad Perſium. Hieronymus ad Ruſticum monachum Epiſt. IV. vult colli motu exprimi. Ita enim ſcribit: *Ne credas laudatoribus tuis: imo irriſoribus aurem ne libenter accommodes: ſi ſubito reſpexeris, ciconiarum deprehendes poſt te colla curvari.* Poteſt fieri, ut utrumque ſannæ genus *ciconia* diceretur. *Caſaub. l. l.* Non hoc dicit Hieronymus. Sed quid ſenſerit, indicat in prologo ad Sophoniam, quem etiam laudat Caſaubonus: *Qui ſi ſcirent Holdam viris tacentibus prophetaſſe, nunquam poſt tergum meum manum incurvarent in ciconiam.* Ferrar. l. l.

Ciconia erat etiam inſtrumentum, ſeu lignum longum, quo hauriunt aquas hortulani. Gloſſarium vetus: *tolleno, vel ciconia.* Iſidor. XX. 15. *Hoc inſtrumentum Hiſpani ciconiam vocant, quod imitetur ejuſdem nominis avem, levantem ac deponentem roſtrum dum clangit.* Stewech. in Veget. IV. 21. Rhodig. Ant. Lect. X. 17.

Ciconiæ nixæ fuerunt in regione nona, qui circus Flaminius. *Panvin. Deſcr. Urb. Rom. Theſ. Antiq. Rom. Græv. Tom.* III. *p.* 390. *C.* Simulacrum *ciconiarum*, quæ ova pepererant. Has publice aluerunt Romani, quia Gallis, qui Urbem ceperant, nocte Capitolium invadentibus, *ciconiarum* clangore, & alarum ſtrepitu excitati hoſtes repulerunt. *Panciroll. Deſcr. Urb. Rom. Theſ. ibid. p.* 360. *A.* Qui memoria lapſus eſt. Anſeres fuerunt ſervatores Capitolii, non *ciconiæ*, ut nemo ignorat. *Græv. Antiq. Roman. Tom.* III. *Proleg.* * * 3. *verſ.*

CICURINUS cognomen Veturiæ gentis, a morum ſimplicitate dictus. Varr. de Ling. Lat. VI. 5. *Cicurare, manſuefacere, quod enim a fero diſcretum id dicitur cicur: & ideo dictum, cicur ingenium obtineo, id eſt, manſuetum. A quo Veturii quoque nobiles cognominati Cicurini.* Sigon. de Nomin. c. 5.

CID.

CIDARIS, *Cittaris*, ſive *citaris*, promiſcue his dicebatur nominibus. Pollux. X. 36. *Herodotus quoque citarin nominavit.* Heſychius: *Cidaris, pileus regius, quem & tiaram, nonnulli citarin per t ſcribunt.* Briſſon. de Regn. Perſ. I. p. 32. Raynaud. de Pil. & cæt. cap. tegm. Sect. IX. Mirum videri poſſit, Auguſtinum in Exod. q. 123. ſcripſiſſe, ignorari quid ſit *cidaris*, & ſe putare, non eſſe capitis tegmen; cum in Levit. q. 81. agnoſcat eſſe capitis operimentum. *Raynaud. l. l.* Certe fuit pannus contextus ex pilis, aut genus galeri. Suidas: *Cidaris, capitis tegmen ex pilis contextum. Quidam dicunt eſſe galerum pileo ſimilem*, nempe vulgarem & univerſis communem: *aut coronam, aut faſciam, aut pileum regium Perſarum, aut ſtrophium quod ſacerdotes ferunt.* Paſchal. de Coron. X. 3. Raynaud.

naud. l. l. Qualis fuerit pileus, unus nobis Curtius aperit III. 3. 19. *Cidarim Persæ regium capitis vocabant insigne hoc cœrulea fascia albo distincta circumibat.* Quam cidarim Armenii, Persæ tiaram vocabant: nec *cidaris*, nisi nomine, a tiara distincta fuit. Pollux VII. 13. *Persarum propria sunt candys, subligaculum, quam & cyrbasiam, cidarin, & pileum vocant.* Hesychius jam laudatus. *Alex. Gen. Dier.* I. 28. *Spanhem. de Præst. Num. Dissert.* V. p. 456. *Gataker. Misc. Post. c.* 24. *Brisson. & Raynaud. l. l. Pitisc. in Curtium.* Et incautius loquitur Philo, qui de Vit. Mos. III. tradit, Reges Orientis *cidari* loco diadematis usos esse. Namque insigne iis una usurpatum auctores antiqui & probatissimi tradunt, & nummi luculenter arguunt. *Spanhem. l. l.* Diadematis nomine etiam *cidarim* designant, quod Diodoro & Justino collatus Arrianus aperte comprobat. Justin. XII. 3. 8. narrat *Alexandrum ex habitu Regum Persarum diadema, insolitum antea Regibus Macedonicis assumpsisse.* Diodor. Sicul. XVII. p. 603. *Quin & Persicum diadema capiti imposuit.* Arrianus vero *cidarim* Persicam ex Persico luxu Alexandrum mutuatum refert IV. ita, quod ille Περσικὸν διάδημα, hic κίδαριν Περσικὴν dicit. Ac deinde VI. Diodoro consentiens *cidarim* & diadema confundens, Alexandri καυσίαν καὶ τὸ συνεχόμενον αὐτῇ διάδημα numerat. *Brisson. l. l. Panciroll. Var.* I. 9. Quibus ego non assentior. Utrumque enim hoc capitis ornamentum a Persis mutuatus est Alexander, ut non opus sit proinde illa inter se confundere. De *cidari*, aut tiara præter Arrianum fidem facit Lucianus Dial. Mort. apud quem Philippus pater inter alia filio objicit, quod *tiaram rectam imposuisset.* De diademate vero præter Diodorum, Justinum, aliosque diserte verbis, quæ de *cidari*, aut tiara sumi non possunt. Curt. VI. 6. 4. *Itaque purpureum diadema, distinctum albo, quale Darius habuerat, capiti circumdedit.* Idem nempe, quod *cærulea illa fascia albo distincta, quæ cidarim circumibat*, ut paullo ante eum tradentem audivimus. Conjuncta igitur in regio illo cultu capitis illa ornamenta, non tamen ut eadem, sed diversa. *Spanhem. l. l. Bayf. de Re Vest. c.* 20. Satis differre docet, quod diadema dicatur fascia, non insigne id, quod fascia ambiret. Interim dum *cidarim* fascia ambierit, nil mirum, si nunc *cidarim*, nunc diadema legamus Persarum capiti impositum, cum ad regium culmen eveherentur. *Voss. Lex. Etymol.* Usi sunt hoc capitis tegmine Reges Armeniorum & Ponti, ut de Mithridate agens tradit Plutarchus in Pompejo. Item Reges Ægypti, ut proditum est in Æsopi vita. *Bayf. & Raynaud. l. l.*

CIL.

CILICES suos habuerunt aruspices. Tacit. Hist. II. 3. 2. *Fama recentior tradit, a Cynira sacratum templum, Deamque ipsam conceptam mari, huc appulsam. Sed scientiam artemque aruspicum accitam, & Cilicem Thamyram intulisse.* Buleng. de Sortib. c. 5. Avium significationibus plurimum obtemperaverunt. *Buleng. ibid. c.* 7. Insignes nautæ & piratæ fuerunt, ac navibus plus mille & quingentis cum sociis mare vexarunt, donec a Cn. Pompejo sunt exstincti. Plutarch. Pomp. p. 631. Eorum mores in proverbia abierunt: *Cilix haud facile verum dicit: Cilicii sermones: Cilicium exitium: Cilicii Imperatores.* Panciroll. Notit. Dign. Imp. Orient. c. III.

CILICIA ab oriente Amano monte a Syria Cœle separatur, a septentrione parte Armeniæ & Cappadociæ, ab occidente Pamphylia, a meridie Issico sinu terminatur. Eam Marcell. XIV. 8. ita describit: *Superatis Tauri montis verticibus, qui ad Solis ortum sublimius attolluntur, Cilicia spatiis porrigitur late distentis, dives bonis omnibus terra, ejusque lateri dextro adnexa Isauria.* Et paullo infra. *Hæ duæ provinciæ bello quondam piratico catervis mixtæ prædonum a Servilio Proconsule missæ sub jugum, factæ sunt provinciales.* Est pars Asiæ minoris, Orienti tamen attribuitur, non Asianæ. Ejus metropolis est Tharsus. V. illam infr. in *Tharsus.* Huic olim Proconsul imperabat: nam Cicero, Plinius, & alii *Ciliciæ* Proconsules, aut eorum loco fuere. Adriano imperante Vibium Varum legatum habuit. l. 3. §. 1. ff. de test. deinde Benidium Rufum l. 2. in fin. ff. de jur. immun. Duplex fuit l. 5. C. de tempor. appellat. Campestris prima dicta, & Trachæa secunda. Prima a Consulari regebatur. Novel. 8. in Notitia, cujus metropolim Tharsum fuisse diximus. Secunda a Præside l. 24. C. de Appellat. l. 1. de inoffic. dotib. d. Novell. 8. cujus metropolis Amanarza urbs antiquissima fuit. Strab. Geogr. XIV. p. 459. *Cilicia*, inquit, *quæ extra Taurum est, dividitur in Ciliciam Trachæam, id est, asperam, & campestrem. Trachæa oram maritimam perangustam habet, & nullum, vel raro locum planum. Ei Taurus imminet, parum frequens incolis usque ad latera borealia, quæ circa Isauriam sunt, & Homonades usque in Pisidiam. Eadem Trachiotis dicitur, & incolæ Trachiotæ. Campestris vero a Solis, & Tharso Issum usque pertendit.* Panciroll. Notit. Dign. Imp. Orient. c. III. Sigon. de Ant. Jur. Prov. I. 11. Illam Phaselide, Coryco, Olympo, Isauroque ipsa *Cilicia* arce captis subegit, atque Isauricus appellatus est P. Servilius Vatia Proconsul, & in provinciæ formam redegit: Unde Rufus: *Cilices & Isauros, qui se piratis & prædonibus maritimis junxerant, Servilius Proconsul ad prædonum bellum missus subegit, & viam per Taurum montem primus instituit: Pamphyliam, Phrygiam, Icariam idem obtinuit, isque de Cilicibus & Isauris triumphavit, atque Isauricus cognominatus est.* Triumphavit anno ab U. C. 680. *Panvin. Imp. Roman. c.* 14. *Sigon. l. l.* Trachæam antea Regibus concessam in provinciæ formam redegit Vespasianus. Suet. Vesp. c. 8. n. 9. *Trachæam Ciliciam* (V. de hoc loco inter se contendentes *Turneb. Adv.* XXIV. 36. *Scalig. Euseb. p.* 113, *Noris. Cenot. Pisan. Dissert.* II. 11. *Spanhem. Orb. Rom.* II. §. 16. *Vaillant. de Numm.* I. 131: II. 181.) *& Comagenem ditionis regiæ usque ad id tempus, in provinciæ formam redegit.* Aurel. Vict. c. 9. §. 13. *Syria, Palæstina, nec non Cilicia Trachæa, & Comagene, quam Augustophratensem nominamus, provinciis accessere, additique sunt Judæi.* Panvin. Imp. Roman. c. 18. Panciroll. & Sigon. l. l. Manut. de Leg. Rom. c. 10. Provincia hæc, ut regiones tres, Pamphyliam, Isauriam, *Ciliciam:* sic tres conventus, Pamphylium, Isaurium, & *Ciliciensem*, qui Tharsi agebatur, complexa est. Quod autem in aliis sæpe provinciis factum est, ut ornandi præsidis causa, cui provincia decernebatur, præcipue vero, si cum imperio proconsulari mitteretur, provinciæ fines augerentur, idem etiam in hac observatum est: nempe ut qui *Ciliciæ* præesset, non Pamphylicam solum, Isauricam, & *Ciliciensem* diœcesin in potestate haberent; sed etiam tres alias ex Asia provincia finitima demptas, atque huic attributas: ut Cn. Dolabella, P. Lentulus, Ap. Claudius, M. Cicero, qui omnes cum proconsulari imperio *Ciliciæ* præfuerunt, interea dum prætores Asiam obtinebant. Fuerunt autem regiones, Phrygiæ pars, Pisidia & Lycaonia; diœceses vero, Cibyratica, Synnadensis & Apamensis. Hoc demonstrat Cicero I. in Orat. in Verr. I. 38. cum inquit: *Verrem Cn. Dolabellæ Ciliciæ Proconsulis quæstorem Pamphyliam, Pisidiam, Phrygiamque totam imperando frumento afflixisse.* II. In Epistolis, cum Appium Pulcrum, *Ciliciæ* item Proconsulem, pariter Phrygiæ, & Lycaoniæ præfuisse significat. Nam de se Proconsule, liquet ex Famil. XIII. 67. *Ex provincia mea Ciliciensi, cui scis τρεῖς διοικήσεις Asiaticas attributas fuisse.* Attic. V. 21. *Idibus Februariis, quo die has literas dedi, forum institueram agere Laodiceæ Cibyraticum, & Apamense ex Idibus Martiis, ibidem Synnadense, Pamphylium, Isauricum, ex Idibus Majis in Ciliciam.* Ep. 20. *Laodiceam pridie Kalend. Sext. venimus: ibi morati biduum, perillustres fuimus, honorificisque verbis omnes injurias revellimus superiores: quod idem dein Apameæ quinque dies morati, & Synnadis triduum, Philomeli quinque dies, Iconii decem fecimus: nihil ea jurisdictione æquabilius, nihil lenius, neque gravius.* Sigon. l. l.

Cilicia sunt vestimenta, e pilis caprinis confecta. Ascon. Verr. I. 38. *Cilicia texta de pilis in usum castrorum & nautarum.* Virg. Georg. III. 311.

Ne… … interea barbas, incanaque menta
Ci… p… … tondent hirci, setasque comantes
Usum in castrorum, & miseris velamina nautis.

Ubi Probus: *Cinyps oppidum est, & flumen Africæ regionis Garamantum. Apud eos hirci villosissimi nascuntur, quos tondent ad cilicia, quibus nautæ utuntur.* Nempe in Cilicia hoc genus primum creditur inventum. Servius: *Celsus ait, retulisse Varronem, ideo sic appellari, quod usus eorum in Cilicia ortus est.* Varr. de Re Rust. II. 11. *Tondentur, quod magnis villis sunt in magna parte Phrygiæ: unde cilicia, & cætera ejus generis ferri solent. Sed quod primum ea tonsura in Cilicia sit instituta, nomen id Cilicias adjecisse dicunt.* Hoc vero genus aptum erat contra fluctus aquarum, & ventorum impetum. Hoc tegumento reliqui quidam nautæ frequentius, remiges rarissime utebantur. Nam in monumentis antiquis fere nudos eos reperimus. *Scheffer. Mil. Nav.* II. 7. *Gyrald. de Navig. c.* 16. *Voss. Lex. Etymol. Stewech. in Veget.* IV. 6. *Calcagn. de Re Naut. c.* 16. *Philand. in Vitruv.* X. 22. *Laz. Comm. Reip. Rom.* VIII. 16.

CILLIBANTIUM, *cilibantum, cilibas, cylibantum erat mensa rotunda, ut etiamnum in castris.* Festus: *Cillibæ, mensæ rotundæ.* Erat mensa tripes, supra quam antiquitus bello redeuntes clypeos reponebant. Suidas & Hesychius: *Cillibantes sunt quædam ligna tribus cruribus instructa, quibus milites imponunt clypeos, dum ad aliquod tempus quiescunt, postquam prælio sunt defatigati.* Aristophan. Acharn. IV. 7. 52.

Cillibantes affer puer clypeorum.

Ubi Scholiastes Latinitate donatus: *Cillibantas, tabulas quasdam tribus pedibus fultas, supra quas clypeos ponunt, qui bellando defessi sunt.* Voss. Lex. Etymol. Dacer. in Festum, Scalig. Conj. in Varron. p. 53.

CILO fuit cognomen Flaminiorum. Unde in nummis argenteis:

C. FLAMINIUS CILO.

Dicuntur *cilones* a corporis vitio, id est, capite acuminato, ut Cicero, Pansa, Plautus, Scaurus, Varo nominatus fuit. Festo auctore *Cilo dicitur, cui frons est eminentior, ac dextra sinistraque velut recisa videtur.* Epigramma Romæ in horto Conservatorum in Capitolio.

SUME. LIBENS. SIMULACRA. TUIS
QUÆ. MUNERA. CILO.
ARIS. URBANUS. DEDICAT. IPSE.
SACRIS.

Tomas. de Donar. c. 1. *Sigon. de Nom. Roman. c.* 5. *Ferret. Mus. Lapid.* 1. *Mem.* VIII.

CIM.

CIMBRICUM vocatur hodie locus inter templa S. Eusebii, & S. Juliani, in Esquilino, in quo ex marmore bina tropæa. Sic dictus quia illa in illo de *Cimbris* a C. Mario sunt erecta. *Fabric. Descr. Urb. Rom. c.* 14.

CIN.

CINÆDUS dictus est apud veteres saltator, vel pantomimus. Plaut. Mil. III. 1. 74.

Tum ad saltandum non cinædus malacus æque est atque ego.

Stich. v. 5. 19.

Lepidam & suavem cantionem aliquam occipito cinædicam.

id est, quæ ad saltandum movere possit. Lucill. II.

Stulte saltatum te intervenisse cinædos.

Varro Ὄνος λύρας. *Mœror quietus ac demissior probandus* Ἀχιλλέως ἡρωϊκῶς, Ἰωνικῶς κιναίδου, *Achillis heroice, cinædi Ionice.* Ita lege, quia Ionici mores infames. Pantomimi ergo repræsentabant nobilem aliquam personam, in quam scriptum erat a Poeta canticum, quod dicitur ὑπόρχημα, quamque veste, habitu, ac manuum gestu referebant. Quæ saltatio a scena traducta est ad cœnas Principum. Juven. v. 121. V. illum supr. in *Carptor.* Buleng. de Theatr. I. 51. Casal. de Trag. & com. c. 2.

CINCIA familia. V. illam infr. in *Familia.*

Cincia lex. V. illam infr. in *Lex.*

CINCINNATUS est cognomen Quintiorum, qui cognomen hoc a flexuosis cirratisque crinibus usurpavit, crinemque pro insigni ac stemmate habuit, teste Suetonio Cal. c. 35. n. 1. *Veterum familiarum insignia nobilissimo cuique ademit, Cincinnato crinem.* Kobierzyck. de Lux. Roman. I. 6. Sigon. de Nomin. Roman. c. 5. Glandorp. Onom. Roman. in Quintii.

CINCINNUS est crinis intortus. Varro apud Non. VI. 43.

Ante aures modo ex subolibus parvuli
Intorti demittuntur, seu cincinnuli.

Sic hunc locum scribo, cum libri vulgo habeant *sed*, vel *sex*, ex quo Popma fecit *ceu.* Τὸ *cincinnuli* præcedentis *intorti* interpretatio. Nempe *cincinnus* magis in usu pro tortis crinibus, quam tortus aut intortus, cum hoc quicquid denique in orbem flexum esset, significaret, a toro, quod natura sua signat quid rotundum. *Scheffer. de Torquib. c.* 1. *Jun. de Com. c.* 1. *Bartholin. de Inaur. c.* 2. *Voss. Lex. Etymol.* Hos feminæ in rogum conjiciebant. *Morestell. Pomp. Feral.* VII. 2.

CINCIUS Latinorum primus egit personatus comœdiam. Donat. Fragm. de Comœd. & Tragœd. p. 3. *Personati primi egisse dicuntur comœdiam Cincius & Faliscus.* Buleng. de Theatr. I. 53. Mariscott. de Pers. & Larv. c. 2.

CINCTICULUM. Hujus mentio in veste adolescentum apud Plaut. Bacch. III. 3. 28.

Cincticulo præcinctus in sella apud magistrum assideres,
Cum librum legeres.

Ferrar. de Re Vest. I. 1. 9.

CINCTUM, hoc est, subligaculum, sive campestre, quod solas partes infra pectus velabat. Porphyr. ad Horat. Art. Poet. n. 50. *Cinctum est genus tunicæ infra pectus aptatæ.* Alii *cinctum* non tantum subligaculum dixerunt, sed vestem, quæ ab umbilico ad pedes cadebat, qualis poparum vestis, sive victimariorum in sacrificiis, quæ & limus dicebatur. Serv. Æneid. XII. 120. & Hygin. de Limit. constit. V. illos infr. in *Limus. Cinctum,* ac campestre idem facit Ovid. Fast. v. 101. cum *cinctutos Lupercos* appellat:

Semicaper coleris cinctutis, Faune, Lupercis.

Hos nudos solo subligaculo incinctos discurrisse notum. *Ferrar. de Re Vest.* I. 1. 9.

CINCTURA erat tunica cincta. Quintil. XI. 3. *Pars ejus prior mediis cruribus optime terminatur, posterior eadem portione altius quam cinctura:* quod nempe tunicæ zonæ arbitrio altius, submissius suspenderentur, & propterea togæ pars prior, & posterior ita mediis cruribus terminabatur, ut tamen tunicæ *cinctæ* ima ora paullo altiores essent. Juvat, quod Quintilianus paullo supra, ubi tunicæ laticlaviæ longitudinem tradit, dicit: *Latum habentium clavum modus est, ut sit paullulum cinctis submissior,* id est, paullo longior tunicis, quæ cingebantur. Tunica enim lati clavi non *cingebatur.* Si ergo ibi *cinctis* ponit pro habentibus tunicas *cinctas*, cur non & hinc *cincturam* pro tunica *cincta* intelligamus. Fuit, cum existimarem de ea parte togæ loqui Quintilianum, quæ brachio subducta in humerum sinistrum rejiciebatur, & sic ipsa *cinctura* altior esset: sive de illa, quæ excluso dextro brachio ab humero pariter dextro defluebat, & tamen superior *cinctura* erat. *Ferrar. de Re Vest.* I. 1. 24.

CINCTUS dicitur miles factus, & *cingi* apud JCtos militare. Loquendi mos sumptus est a Græcis, quibus ζωννύω, *arma induo* significat. Ita *cingulo* spoliatus est exauctoratus, ac ære dirutus: *cinguli* privatio exauctoramentum: *cingulum* deponere militiam relinquere. Ζώνη Græcis armorum apparatus, & ἄζωνος militia emissus. *Brod. Misc.* X. 19. Fluxit mos iste ex eo, quod *qui militabant,*

litabant, omnes cincti erant. Serv. Æneid. VIII. 724. *Cingi* consuevisse eos, qui inter milites recipiebantur, patet ex Dig. ff. de Milit. testam. leg. quod dicitur §. I. *Miles testamentum fecerat, deinde non ignominiæ causa missus, rursum cinctus est in alia militia.* leg. Titius. *Titius, priusquam tribunus legionis factus esset, testamentum fecit, & postea cinctus.* Brisson. Select. ex Jur. Civ. Antiq. II. 7. Inde *cingulum* est jus militandi. Rufinus: *Militiæ cingulum non daxi nisi immolantibus jussis.* Hieron. Epitaph. Nepot. *Quod alteri militaverit, & ad hoc habuerit cingulum, ut miseris subveniret.* Ouzel. in Minuc. Fel. p. 190.

Cinctus Gabinus non erat toga sinistrum humerum involvens, ut vult Persii vetus interpres ad Sat. V. 31. *Quia Gabino habitu, cinctuque Dii penates formabantur, obvoluti toga super humerum sinistrum, dextro nudo.* Sed cum togæ lacinia lævo brachio subducta in tergum rejiciebatur ac retrahebatur in pectus, atque ita in nodum colligabatur, ut togam contraheret, & breviorem ac strictiorem redderet. Serv. Æneid. VII. 612. *Gabinus cinctus ex toga sic in tergum rejecta ut una*, leg. *una ejus lacinia a tergo rejecta hominem cingat.* Isidor. XIX. 24. *Cinctus Gabinus dicitur, cum ita imponebatur toga, ut togæ lacinia, quæ post rejicitur, attraheretur ad pectus, ita ut ex utroque latere penderet*, nempe togæ lacinia. *Ferrar. de Re Vest.* I. I. 14. *Ruben. de Re Vest.* I. 5. *Salmas. in Tertull. de Pall.* p. 254. *Sigon. de Judic.* III. 18. *Braun. de Vest. Sacerd. Hebr.* II. 3. 14. *Casal. de Urb. ac Imper. Roman. splend. part.* 2. *c.* 8. *part.* 3. *c.* I. Hic *cinctus* nullo *cingulo*, nullo balteo fiebat: sed ipsa veste, non autem qualibet, sed toga tantum, cujus lacinia una a tergo revocata cingebat medium hominem, instar zonæ. *Braun. l. l.* Origo *cinctus* Gabini hæc fuit. Cum toga longum ac redundans vestimentum esset, & ideo pugnæ incongruum, repentina, ut notat Servius l. l. apud Gabios hostium incursione, cum non esset tempus deponendi togas, ac sumendi chlamydes, subductam, & retro rejectam togæ laciniam hinc inde revocantes ad pectus se ea incinxerunt, sive succinxerunt. *Barth. Adv.* XXII. 2. *Lomej. de Lustrat.* c. 34. *Ferrar. l. l.* Hic *cinctus* est servatus ab iis I. qui sacris operabantur, eoque *præcinctos* Pontifices minores exhibet in publica supplicatione Lucan. I. 595.

Pontifices, sacri quibus est permissa potestas.
Turba minor ritu sequitur succincta Gabino.

Eodem modo Pontifex Maximus in ipsa inauguratione describitur a Prudent. περὶ Στεφ. X. 1014.

Mitra infulatus, festa vittis tempora
Nectens, corona tum repexus aurea,
Cinctu Gabino sericam fultus togam.

Liv. V. 46. *Sacrificium erat statum in Quirinali colle genti Fabiæ, ad id faciendum C. Fabius Dorsuo, Gabino cinctu sacra manibus gerens. . . . .* II. Qui se pro patria devovebant. Liv. VIII. 9. *Ipse incinctus cinctu Gabino, armatus in equum insiluit, ac se in medios hostes immisit.* X. 7. *Retulisse dicitur Decius parentis sui speciem, qualem illum multi, qui in concione erant, viderant, incinctum Gabino cultu, super telum stantem, quo se habitu pro populo ac legionibus devovisset.* III. Qui colonias deducebant, dum tauro, ac vacca ad aratrum junctis, ducto sulco, mœnia designabant. Serv. Æneid. V. 750. ex Catone in Originum libris: *Conditores civitatis taurum in dextra, vaccam intrinsecus jungebant: & incincti ritu Gabino, id est, togæ parte succincti, tenebant stivam incurvam.* IV. Consule, qui portas Jani aperiebat. Virg. Æneid. VII. 612.

Ipse Quirinali trabea, cinctuque Gabino
Insignis, reserat stridentia limina Consul.

V. Ab Imperatoribus Romanis, qui hostium spolia cremabant. De Sylla Appian. Mithrid. p. 199. *Imperator inutilia quæque coacervata, Romano more accinctus cremavit, Diis belli præsidibus sacrata.* De Scipione post captam Carthaginem Appian. Punic. p. 83. *Scuta, machinas, & naves inutiles, Marti, Minervæque sacratas, more patriæ accinctus cremavit.* VI. A Duumviris, qui jussi sunt struem Diis manibus in parentalibus Lucii Cæsaris sacratam incendere. Cenotaphium ejus: *Dum ii qui immolaverint, cincti Gabino ritu, struem lignorum accendant.* Noris. Cenot. Pisan. Dissert. III. 37. Turneb. Adv. XXII. 20. Braunius, Ferrarius & Lomejerus l. l.

CINCTUTI sunt *cincti*, & militares. Horat. Art. Poet. n. 50.

Fingere cinctutis non exaudita Cethegis
Continget.

Lambin. & Torrent. ad Horatium. Sequuntur quidem Acronem; sed præter sententiam: cum omnes, qui sacramento dicerent, *cingerentur*, *cinctique* ideo essent. V. supr. in *Cinctus*. cur solos Cethegos *cinctutos* Horatius dixit? Acron tamen MSC. in Bibliotheca Mediolanensi *cinctutos* interpretatur *exsertos*. *Exsertos* autem proprie eos appellabant veteres, qui sine tunica, nudoque humero, & brachio extra togam porrecto incederent. Hoc Cethegorum peculiare & gentile fuit. Lucan. II. 543.

Exsertique manus vesana Cethegi.

Ubi recte notavit Sulpitius, *exsertum* eum dici, qui habet humerum, & brachium dextrum nudatum. Porphyrio maculosus est, sed ex quo quasi per caliginem veram sententiam eliciamus: *Omnes Cethegi*, inquit, *morem servaverunt eundem Romæ inter cætera descriptam comam retulerunt: nunquam enim tunica usi sunt. Ideo cinctutos eos dixit, quoniam cinctum est genus tunicæ infra pectus aptatæ.* Quid hic de *coma descripta*? Fortasse legendum est: *inter cætera dejectam togam tulerunt.* Quod nempe sine tunica incederent, ideo sinistro brachio togam non contraxisse, ne cætera corporis nudarentur, cum solo *cinctu* velati essent. Quicquid sit, ideo Cethegos *exsertos* dictos intelligimus, quod sine tunica, nudisque humero & brachio incederent: atque inde *cinctutos*, quod loco tunicæ *cinctum*. V. hoc supr. in *Cinctum*, gestarent. *Ferrar. de Re Vest.* I. I. 9. *Turneb. Adv.* XIX. 9. & 16. *Braun. de Vest. Sacerd. Hebr.* II. 3. 14. Nisi toga in Urbe tegerentur. *Turneb. Adv.* XIX. 9. Hoc non est verum. Nunquam enim *exserti* esse aut dici poterant, nisi cum togati. *Exsertum* quippe ad togam refertur, extra quam brachium nudum cum humero exserebatur. *Ferrar. l. l.*

CINERARIUM erat vasculum, in quo corporum crematorum *cineres*, ut tumulo componerentur, colligebantur. *Kirchm. de Funer. Roman.* III. 8. *Ferrar. Elect.* II. 21. *Ferret. Mus. Lapid.* III. *Memor.* 28. Inscriptio Romæ:

CINERARIUM
GEMELLI. III. ÆLI
MARCI. ET. PHILIPPI.

Spon. Misc. Erud. Ant. Sect. IX. *p.* 290.

CINERARIUS, qui & *ciniflo* dicebatur, erat inter mulierum ministeria, qui *cinerem* curabat, ut ad capillos fulvo colore tingendos utilis esset. Eo respectu arbitror fulvam dixisse *cinerem* ipsum Calvum apud Sosipatr. Charis. Inst. Gramm. I. p. 78. Horat. Sat. I. 2. 98. *Ciniflones & cinerarii eadem significatione dicuntur ab officio calamistrorum, qui acus & veruta flando in cinere calefaciebant, quibus matronæ crines crispabant.* Barth. Adv. IV. 21. Kobierzyck. de Lux. Roman. I. 6. Demster. Paralip. in Rosin. Antiq. Roman. V. 35. Victor. Var. Lect. IX. 5. Catull. LXI. 138.

Nunc tuum cinerarius
Tondet os.

Columella hos *capitum & capillorum concinnatores* dixit. Tertullian. de Cult. femin. c. 7. *Structores capillaturæ.* Græci βοστρυχοπλόκους, & κομώτας, & τριχοβόστρυχας vocant. Mutius ipsum Latini vocant comam in gradus frangere. V. infr. in *Comam*. Junius de Com. c. 8. & Kobierzyck. l. l. Ministerium ipsum dicebatur *incinarium*. Sosipater l. l. *Hinc muliebre ministerium incinarium dicitur. Nam Cato in Originibus, Mulieres, inquit, nostræ capillum cinere inungitabant, ut rutilus esset crinis.* Barth. l. l. Cerd. Adv. Sacr. CXLVI. 8.

Cine-

Cinerarius dicebatur etiam, qui *cineres* & reliquias martyrum honorabat. Hieronym. Epistola quadam ad Ripuarium: *An Vigilantium os fœtidum rursus aperire, & putorem spurcissimum contra Sanctorum proferre reliquias, &* [illegible] *suspicimus, appellare cinerarios & idololatras, qui* [illegible] *hominum ossa veneremur.* Kirchm. de Funer. Roman. III. 8. Quensted. de Sepult. vet. c. 9.

CINGULA est zona, qua venter equi substringitur textu canabino. Ovid. de Rem. Amor. n. 236.

> *Et nova velocem cingula lædat equum.*

Apul. de deo Socrat. p. 700. *Si cingula aurata.* Claud. Epigram. XX. 4.

> *Hac uterum zona cinge frementis equi.*

Hugo de Milit. equest. I. 4.

CINGULUM inter & subligar differentiam latere puto, ut videlicet zona sit *cingulum*, quod ad prehensiones ponitur, subligar ad velanda turpia. Mart. III. 87. 3.

> *Tecta tamen non hac, qua debes, parte lavaris:*
> *Si pudor est, transfer subligar in faciem.*

Argol. in Panvin. de Lud. Circ. II. 2.

Cingulum erat præcipuum insigne omnium magistratuum, sine quo Principem adire non licebat, ut ait Chrysostomus in 1. ad Corinth. c. 2. serm. 20. & ideo in *cingulo esse* dicebantur, qui actu provincias administrabant, ad aliorum differentiam, qui honoraria dignitate fungebantur, quæ *cingulo* carebat. l. 1. C. ut dignit. ordo serv. l. omnes C. de metat. Quare exauctorati magistratus *cingulo* exuebantur §. 1. in Auth. de incest. nupt. seu Novell. 12. *Panciroll. Notit. Dign. Imp. Orient. c.* 100. *Casaubon. Pallio* [illegible] *c.* 2. *Lydus de Re Milit. c.* 6. [illegible] *Imp.* [illegible] 73. Et in specie judicum. Cassiod. [illegible] *Cincti* [illegible], judicibus in actu positis. Tull. Sent. 1. [illegible] *cinctos, aut privatos judices fuerit.* Cassiod. Psalm. XXIX. *Cingulum significat, quod ad* [illegible] *cuncta potestas in ipso vocabulo* [illegible]. *Sic enim cinctum dicimus judicem,* [illegible] *fasces* [illegible]. Savaro in Sidonium, [illegible] l. l. Unde & *cingula* sunt quivis honores. Epitaphium vetus Pantagathi Episcopi Viennensis:

> *Arbitrio Regum Quæsturæ cingula sumpsit.*

Aliud Namatii scriptum sub Justino Imperatore:

> *Post fasces posuit & cingula Symmachus ampla.*

Freculf. Tom. II. lib. 4. cap. 24. *Cumque hoc ille agere declinaret, erat enim orthodoxus, majoribus cingulis eam invitavit.* Barth. Adv. XXIX. 2.

Cingulum erat non modo gestamen, sed & nota militum, sine quo nemo militaribus dignus ordinibus censebatur, quippe illi insertus gladius gestabatur. Sarisber. Polycrat. VI. 13. *Honorem gladii in cingulo militari frustra portat.* Virg. Æneid. XII. 941.

> *— humero cum apparuit alto*
> *Baltheus, & notis fulserunt cingula bullis.*

Et *cingulum* pro ipsa militia usurpatur. Et *cinctus* pro milite. V. supr. in *Cinctus*. Treb. Poll. Gallien. c. 2. *Quum cingula sua plerique militantium, qui ad convivium venerant, ponerent hora convivii.* Demster. Paral. ad Rosin. Antiq. X. 1. *Cingulo* donari honori dabatur apud Romanos, & in ipsis sacris bene merenti honorarium datum claret 2 Sam. c. 18. n. 11. *Stewech. in Veget.* II. 3. *Lydus de Re Milit. c.* 6. Si auferretur, in gravissimis habebatur & ignominiosissimis pœnis. Sarisber. l. l. *Fit interdum ut ex delicto suo privetur miles militiæ cingulo, in his maxime, ubi sacrilegia committuntur: veteri namque jure statutum est, & novo non est abolitum, ut qui non servato militiæ sacramento, religionem, quam profitetur, impugnat, cinguli amissione mulctetur.* Marcianus Imperator de summ. Trin. l. 4. Cod. *Si militia præditus sit, cingulo spoliabitur.* Valentiniani, Theodosii, & Arcadii A A A rescriptum exstat l. 3. C. de his qui relig. contend. *Qui sacrilego animo auctoritatem nostri numinis ausi fuerint expugnare, privati cingulo, bonorum proscriptione mulctentur.* Demster. Stewech. & Lyd. l. l. Saubert. de Sacrif. c. 9. Sichterman. de Pœn. milit. c. 13.

Cingulum, quo nupta *cingebatur*, vir in lecto solvebat. Festus: *Cingulo nova nupta præcingebatur, quod vir in lecto solvebat, factum ex lana ovis; ut sicut illa in glomos sublata conjuncta inter se sit, sic vir suus secum cinctus, vinctusque esset. Hoc Herculaneo nodo vinctum vir solvit, ominis gratia, ut sic ille felix sit in suscipiendis liberis, ut fuit Hercules, qui septuaginta liberos reliquit.* Varro. Γέροντ. διδασκ. apud Nonium: *Novus maritus tacitus taxim solvebat cingulum.* Alex. Gen. Dier. II. 5. Brisson. de Rit. Nupt. Thes. Antiq. Roman. Græv. Tom. VIII. pag. 1028. B. Sigon. de Ant. Jur. Civ. Roman. I. 9. Casal. de Roman. Rit. Prof. c. 13. de Rit. nupt. c. 7. Laurent. de Sponsal. c. 1. Blond. Triumph. Rom. VIII. p. 161. B. Salmuth in Panciroll. de Reb. deperd. & inv. p. 683. V. & infr. in *Zona*.

CINIFLO, de quo Horat. Sat. I. 2. 97.

> *— multæ tibi officient res,*
> *Custodes, lectica, ciniflones, parasitæ.*

V. illum supr. in *Cinerarius*.

CINIS. Accipitur pro ipsa pugna, & lucta, quia substernebatur in certaminibus. Glossa: Κόνις, ἄμμος, μάχη. Et, κόνιν τὴν μάχην ἔλεγον οἱ παλαιοί. *Argol. in Panvin. de Lud. Circens.* II. 2.

Cinis sacrificiorum, sacrificio peracto ut plurimum in ara relinquebatur, usque dum nova immolatio exverrias pararet, ejusque remotionem urgeret. Quo pertinent illa Pers. Sat. VI. 43.

> *O bone, num ignoras? missa est a Cæsare laurus*
> *Insignem ob cladem Germanæ pubis: & aris*
> *Frigidus excutitur cinis.*

Plin. II. 107. refert *in ara Laciniæ Junonis sub dio sita cinerem relictum esse immobilem, perflantibus undique procellis.* Saubert. de Sacrif. c. 27.

Cinere & pulvisculo capillitium in luctu veteres solebant sordidare, tum Græci, tum Romani. Achilles enim, comperta Patrocli nece caput *cinere* respersit apud Homerum Antiquitatis omnis locupletissimum testem Iliad. XVIII. 23.

> *Ambabus autem manibus capiens pulverem atrum*
> *Fudit super caput.*

Et Priamus pulvere aspersus Hectoris filii mortem luget. Iliad. XXIV. Hoc & præficæ in monodiis apud Romanos factitabant. Virg. Æneid. XII. 611.

> *Demittunt mentes: it scissa veste Latinus,*
> *Canitiem immundo perfusam pulvere turpans.*

Catull. LXIV. 224.

> *Canitiem terra atque infuso pulvere fœdans.*

Apul. Met. VII. p. 229. *Mater pueri mortem deplorans acerbam filii, fleta & lacrymosa, fuscaque veste contecta, ambabus manibus trahens cinerosam canitiem.* X. p. 321. *Ab ipso ejus rogo senex infelix, ora sua recentibus adhuc rigans lacrymis, trahensque cinere sordentem canitiem.* . . . . Junius de Coma c. 5. Kirchm. de Funer. Roman. II. 12. Alex. Gen. Dier. III. 7. & ad illum Tiraquellus, Roa Singul. I. 4. 3. Passerat. ad Catullum, Cerda ad Virgilium. Meurs. de Funer. c. 46. Imo & barbam conspergebant. Stat. Theb. VI. 30.

> *— sedet ipse exutus honoro*
> *Vittarum nexu genitor, squallentiaque ora*
> *Sparsus, & incultam ferali pulvere barbam.*

Meurs. l. l.

ex *Cinere* collecto ex adustis victimaribus femoribus aras faciebant veteres. Inde Jovis Olympiaci. V. supr. in *Ara Jovis Olympiaci*: & Apollinis Spodii. V. illam supr. in *Ara Apollinis Spodii*, *cinericiæ* fuerunt.


Cineres crematorum corporum quinam & quomodo collegerint veteres, docet Alex. Gen. Dier. III. 7. *Nono die*

reliquias

reliquias defuncti & cremati cineres, mater, soror, & propinqui, affinesque nigra in veste, & effusis comis, aut Pontifices & Sacerdotes, nonnunquam primores patrum perfuncti honoribus tunicati & discincti, lotis manibus & nudis pedibus ossa a cinere separare & colligere, eaque lacte & vino lavare, & Deos manes advocare: Graeci vino & unguento inspergere solebant, cumque odoribus effusi in lacrymas, in urna condere, & linteo ventilare. De hac cineris collectione Herodian. III. 15. §. 16. *Corpusculo ignibus tradito, cinerem ipsum cum odoribus in vasculum alabastri conjectum, Romam referebant, ut videlicet in sacris principum monimentis componeretur.* Laz. Comm. Reip. Rom. III. 18. Cadaveris *cineres* a *cineribus* ex ligno natis quomodo potuerint dignoscere, quaestio est quae multos viros doctos habuit exercitatos. Sunt qui tunicas factas existimant e lino quodam Indico, quod exuri minime potuerit, atque iis operta cremandorum corpora, ut ita illorum favilla ac ossa a reliquis *cineribus* separarentur. Ad istam opinionem stabiliendam abutuntur auctoritate Plinii, qui XIX. 1. de hoc lino sic loquitur: *Inventum est etiam, quod ignibus non absumeretur. Vivum id vocant, ardentesque in focis conviviorum ex eo vidimus mappas sordibus exustis splendentes magis, quam possent aquis. Regum inde funebres tunicae corporis favillam ab reliquo separant cinere.* Sed hos raritas hujus lini & pretium facile refutaverit: ut mittam, quod Plinio non de Romanis sermo, sed iis gentibus, apud quas illud linum nascebatur, quarum Reges tantum eo sint usi. Nugis etiam similiora, quae alii de Amianto lapide comminiscuntur. Cujus sententiae cum nullum veteris scriptoris testimonium afferant, assensum illis accommodare minime possum. Sed potius cum clarissimo viro Isaaco Casaubono in Suet. Aug. c. 101. n. 9. ita sentio, cadaver cremandum sic in pyra fuisse collocatum, ut *cineres* & ossa separata manerent, neque aut ligni cineribus aut animantium, quae simul cremabantur, ossibus commiscerentur: atque ita ex situ & collocatione cadaveris facultatem fuisse discernendi *cineres* & ossa. Opinionis fundum habemus Smyrnaeum in descriptione funeris Achillei III. 720.

Tandem pyram vina restinxerunt. Ossa autem illius
Insigniter exstabant; quia caeteris non aequalia
Erant, sed invicti gigantis instar. Nec alia
Cum his permixta erant. Nam boves & equi
Et Trojugenae, promiscue cum aliis mortuis
Haud longe jacebant, circa cadaver, quod in medio
Vulcani aestu consumptum jacebat separatim.

Hoc igitur modo positi in rogo cadaveris ossa, quae superant, μετὰ τὴν τ̃ πυρὸς μάρανσιν colligebantur, & quicquid *cinerum* inde decuti atque detergeri potuit in urnam conditum existimo. Nam alias omnes *cineres* combusti corporis distingui situ potuisse ab iis, qui e lignis nascebantur, vero non est simile. *Kirchm. de Funer. Roman.* III. 7. *Herald. in Mart.* IX. 31. 3. *Cren. Animadv. Philol. & Histor. Tom.* XI. *p.* 258. Rogum a cadavere distinctum fuisse disertim indicat Serv. Æneid. III. *Apparatus, inquit, mortuorum funus dici solet; exstructio lignorum rogus; subjectio ignis pyra; crematio cadaveris bustum; locus ustrina; operis constructio sepulcrum; nomen inscriptum monumentum.* Igitur rogus, & crematio cadaveris omnino erant diversa. Tres enim hic ordines observare mihi videor. Primus erat cupressorum, quae ustrinas circumdabant, & incendebantur ad tollendum foetorem cadaveris, quod cremabatur. Varro dicit laudante Serv. Æneid. VI. 216. *pyras ideo cupresso circumdari solitas propter gravem ustrinae odorem, ne eo circumveniatur populi circumstantis corona.* Secundus erat rogi, qui forma quadrata, ex vario lignorum genere, addita pice, connexus erectusque, & a cadavere ipso nonnihil distans, incendebatur. Tertius erat cadaveris, quod vi & aestu flammae circumlambentis haud difficulter in *cineres* resolvebatur. Nos sic aliquando rudi forma rem totam delineavimus.



Non abnuerim interea facile fieri potuisse, ut & cypressorum ramuli, & rogi partes quaedam subinde super cadaver conciderent. Sed in eam rem adhibiti custodes, qui id, quam maxime fieri poterat, uncis hamisque praevenirent. Ejuscemodi custodum meminit Lucan. VIII. 743.

Sic fatus, parvos juvenis procul adspicit ignes,
Corpus, vile suis, nullo custode cremantes.

Boxhorn. Quaest. Roman. 25. Feith Antiq. Homer. II. 14. Ego malo in eam opinionem venire, ut credam, fuisse lapideas arcas, in quibus inclusa cadavera urerentur. *Morestell. Pomp. Feral.* VIII. 3. Quae Casaubonus dicit, facilius dici, quam fieri potuerunt. In summo enim rogo lectus cadaver sustinens collocabatur, ut iisdem lignis, quibus arsurus erat, non tangeretur modo, sed fulciretur. Nisi corpus in aliquo vase aeneo, aut ferreo positum dicamus, in quo veluti pulli in testu, vel fictili in ossa, assaretur, & in *cineres* redigeretur: quod futile commentum est. In lecto enim, non in vase cadaver statuebatur. Verba Smyrnaei non aliud indicant, quam quomodo ossa Achillis ab ossibus boum, & equorum, & Trojanorum, qui eodem rogo cremati fuerant, discerni potuerint. Idque duplici ratione: primo, quia ossa ejus, veluti gigantis erant, & ideo magnitudine a caeteris discreta: deinde ipso situ, quod ipse in medio rogi jacebat, caetera hinc inde. Debuit autem iste rogus vastus esse. Sed quaestio est, quo modo *cineres* mortui a favilla rogi separari poterant, consumptis lignis, subsidente lecto, rogique *cineribus*, & lignorum fragminibus obruto. Quae non ita est inanis quaestio, ut Casaubonus censet. Non modo enim sola ossa, sed & *cineres* collectos, & urnae inditos, indicat *cinerum* non exigua copia, qui post tantum aevi in urnis reperiuntur. rara autem ossa, & eorum fragmenta. Et *cinerarium* pro loco urnarum, in quibus *cineres*. V. supr. in *Cinerarium.* Salmasius, ut ex ejus familiari sermone retulit Schildius ad Suet. August. c. 101. n. 9. reliquias dixit, cum veteres legerent, non fuisse tam anxios, ut omnes absumpti cadaveris *cineres* conquirerent, & in urnam conderent: ut sibi aliqui falso persuadent, qui linteum asbestinum comminiscuntur. Satis hoc refutari capacitate urnarum, quales plurimas ipse vidisset, quae vix cavae manus geminatae magnitudinem excederent. Hinc Agrippinam *ferales reliquias* mariti tulisse dicitur apud Tacit. Annal. II. 75. 2. & III. 1. 6. *feralem urnam tenens, egressa navi.* Inde dicitur Prop. IV. 12. 14.

Et sim quod digitis quinque levatur onus.

Fuisse quidem, & urnas majores, sed ea ossuaria appellata, in quibus urnas plures, & totius familiae locatas. Cum igitur, ajebat, urnulae essent tantae magnitudinis, quomodo totius corporis, & saepe quidem ingentis, capere *cineres* poterant? Dicendum igitur, reliquias legere nihil aliud fuisse, quam residuas ossium particulas colligere. Cum flammae non ita saevirent in corpus, ut totum plane consumerent: & ideo in urnis saepe officula inventa: ita aliquantulum *cineris* adspersisse, sed exiguum. Officula igitur urnae destinata, unde ossilegium. Quae est sententia Casauboni. Sed quod ad urnarum capacitatem attinet: quae quotidie effodiuntur, & in antiquariorum aedibus passim spectantur, justae magnitudinis omnes fere sunt, ollarum instar, quae non facile levari possunt:

 paucae

paucæ admodum parvæ visuntur, quæ puerorum, & infantium fuerunt, eorum nimirum, quorum ætas rogi patiens erat. Nam *nondum genito dente cremari* non consuevisse notum est ex Plin. VII. 16. & ideo talis infans *minor igne rogi* eleganter dicitur a Juven. Sat. XV. 140. Hujusmodi urnas majores, & hic, & in patria plures effossas vidi, quas vulgus ignarum thesaurum esse credebat. Omnes fere ejusdem magnitudinis, raro admodum parvulas. Quod vero ajebat magnas urnas ossuaria dictas, in quibus plures urnæ, & totius familiæ locarentur. Id neque factum, neque fieri potuit. Cum urnarum ut plurimum ea figura sit, ut ex ventre ovatim rotundo in collum fistulatim gracile consurgant, quo pacto urna, etiam parva, intra majorem mitti potuit? Quod si intelligit, *cineres* totius familiæ, vel plurium crematorum conjectos, non est credibile, ad singula funera urnam refossam, & *cineres* permixtos. Sed ipse urnarum situs, & positio id credi vetat: ita enim consertæ, & constipatæ collocabantur, ut inde extrahi, nisi una, aut altera diffracta potuerint, & quidem pronæ, oreque in terram verso. Sed si tam magnæ, ac ponderosæ urnæ erant, quales hodie videntur, quomodo Agrippina potuit feralem mariti urnam gestare? Potuit illa minor esse vulgaribus, neque fictilis, sed ex auri, aut argenti tenuibus laminis, vel etiam vitrea: ita non admodum ponderosa, nihilque *cineribus* levius, unde Propertius pondus, *quod digitis quinque levatur*, dixit. Certe ex plurimis urnis, ejusdem fere magnitudinis vix una, & altera parvula reperitur. Verisimilius igitur est, urnas istas, quas passim videmus, unius tantum cadaveris *cineribus* destinatas fuisse, qui *cineres* proximi ossium reliquiis erant, unaque ossium ipsorum fragmenta, & residuas particulas collectas, & conditas, quotquot colligi poterant: nec multum interesse visum, si una cum corporis reliquiis rogi *cineres* admixti fuissent. *Ferrar. Elect.* II. 21. Collecta ad hunc modum ossa ac *cineres* vinoque & aliis odoribus, interdum & lacrymis persperſa ac irrigata in monumentum condebant. Dionys. Halicarn. VIII. *Deinde collectas reliquias in eodem loco humarunt, tumulo excelso super eas multorum manu congesto, monumentoque insigni instructo.* Suet. Aug. c. 101. n. 9. *Reliquias legerunt primores equestris ordinis, ac in Mausoleo condiderunt.* Nequaquam tamen ita nude tumulo componebant, sed vasculis quibusdam inclusa, quæ Latini *Urnas*. V. illas infr. in *Urna*, vocabant. *Kirchm. de Fun. Roman.* III. 8. Per illos religiose supplicabant & jurabant. Cicer. pro Quint. c. 31. *Obsecravit per fratris sui mortui cinerem.* Horat. Od. II. 8. 9.

Expedit matris cineres opertos
Fallere.

Suet. de Rhet. c. 6. n. 7. *Jura per patris matrisque cineres.* Stuck. de Sacrif. p. 141. Guther. de Jur. Man. II. 4. Passerat. Prop. II. 16. 15. Cerd. Æneid. II. 431. Peregre defunctorum urnis in patriam remittebant. V. infr. in *Urna*.

CINNA est cognomen Corneliorum. Unde hoc Corneliæ genti sit inditum, quisve primum sic appellatus sit, nondum comperi. Nisi quis a *Cinna* civitate Thessaliæ, Cornelios *Cinnas* dictos velit, quemadmodum a Messana civitate Siciliæ Valerii vocati sunt Messanæ primum, deinde Messalæ. L. Cornelius L. F. *Cinna* Consul fuit anno ab U. C. 627. cum L. Cassio Longino. L. Cornelius L. F. L. N. *Cinna* quater Consul multa crudelitate in cives usus, a suis militibus occisus est. Liv. 79. 80. & 83. L. Cornelius Cinna F. adhæsit Lepido: post cujus mortem cum fugisset ad Q. Sertorium, opera C. Cæsaris per rogationem Plotiam patriæ restitutus est. Suet. Jul. c. 5. n. 2. Cn. Cornelius L. F. *Cinna* magnus, Pompeji nepos ex filia, primum hostis Augusti, veniam obtinuit, relatus etiam ab eo in numerum judicum, deinde insidiator eandem lenitatem expertus est, fidus & amicus in posterum, cum Liviæ consilium, clementiam suadentis, libenter princeps Augustus amplecteretur. Idem Consulatum gessit anno ab U. C. 757. V. Senec. de Clem. I. 9. Dion. LV. p. 563. C. *Glandorp. Onomast. Roman. in Corneliis, Augustin. de Famil. Roman. in gente Cornelia.* Nullum ærarium tam refertum atque opulentum esse potuit, ut *Cinnæ* immoderate dominantis, atque assiduis bellis civilibus Rempublicam perturbantis libidini, & avaritiæ suffecerit. *Sigon. de Ant. Jur. Civ. Roman.* I. 16.

CINNUS erat genus potionis ex frumento coctæ. Arnob. v. p. 174. *Sitienti adoris oggerit potionem cinnum: cyceonem quam nuncupant Græci.* Ei potioni conficiendæ miscebatur polenta, id est farina hordeacea. Hippocrat. de Affect. Sect. v. p. 89. *Polenta ex hordeo decorticato, & circum affusa aqua resperso valentior est.* Ovid. Met. v. 450.

Dulce dedit, tosta quod coxerat ante polenta.

Κυκεὼν vocatur Græcis. Homer. Odyss. K. 290.

Τεύξει τοι κυκεῶ.

Quam dicit Didymus ex vino, melle, polenta, aqua, caseo temperatam. Quia mel admiscebatur, *dulce* Ovidius vocavit in neutro genere, quod ait coctum cum polenta fuisse. Qui enim grammatici polentam hic neutrius generis faciunt, in pollinariis & pistoribus potius quam grammaticis numerandi videntur. *Turneb. Adv.* XII. 8. *Voss. Lex. Etymol. Dacer. in Festum in Cocetum. Meibom. de Cerevis. vet. c.* 26.

CIP.

CIPPIA gens. V. illam infr. in *Gens*.

CIPPUS est columna cum inscriptione, erecta ad conservandam rei memoriam. Ita etiam vocari possunt lapideæ cruces, ac similia monumenta, quæ in sepulcris aut viis exstruuntur. Pers. Sat. I. 36.

Assensere viri, nunc non cinis ille poetæ
Felix? non levior cippus nunc imprimit ossa.

Voss. Lex. Etymol. Bud. in Pandect. p. 116. F. Guther. de Jur. Man. II. 24. Laz. Comm. Reip. Roman. III. 18. Differebat a columna, quod columnæ sint rotundæ, *cippi* quadratæ, aut incertæ figuræ. *Bergier de Viis milit.* II. *sect.* 38. §. 4. Ponebatur in privatis monumentis. Monumenta enim dum ædificabant veteres, locum determinabant & spatium, ut quantum jugeris sepulcra occuparent scirent, sic in lapidibus. *Infra, ped. in agr. ped. in fronte. & ante. frontem.* Horat. Sat. I. 8. 12.

Mille pedes in fronte, trecentos cippus in agrum
Hic dabat: heredes monumentum ne sequeretur.

E *cippo* lapideo Comi ad D. Laurentii:

Dant. tamen. hæc. patronæ. pietas. solatia. fidæ.
Jugera. quot. terræ. dedicat. hic. tumulus.

Monumenta inscribebantur, ut plebs sciret a *cippis*, quod hæreditario jure hæredipetæ hunc locum, spatium, vel agrum petere non possent, atque ex illo tumulatorum cadaverum ossa eruendo disseminare. Inscriptio Patavina:

Inferendi. in. area. humandi. sepeliendique
jus. potestasque. esto. ut. huic. areæ
quam. ego. definii. et. a. fronte. maceriam
duxi. et. titulum. posui. ultra. eam. aream
et. maceriam. in. fronte. in. agro. versus
late. p. x. retro. usque. ad. canabetum
huic. areæ. cedet. in. qua. pedatura. neque
humari. neque. tumulum. fieri. volo. ut
habeat. ea. area. et. a. tergo. et. a
latere. accessum. suum.

Ferret. Mus. Lapid. III. Memor. 23. Laurent. de Funer. c. I. Clasen. Theol. gentil. I. 13. §. 4. Unde capitur etiam pro ipso sepulcro. Pers. Sat. I. 36.

—— nunc non cinis ille poetæ
Felix? non levior cippus nunc imprimat ossa?

Gyrald. de var. sepel. rit. c. 9. & Faes in illum. Murmel. in Persium.

Cippus erat inſtrumentum ad inſtar annuli factum, quo pedes damnatorum vinciebantur, aut ſervorum. Gell. N. A. XVI. 7. *Laberius in mimo qui inſcribitur, cippum dicit.* Inde *cipparii* cuſtodes denominantur. *Oizel. in Gellium. Pollet. For. Rom.* V. 14. *Voſſ. Lex. Etymol. Salmaſ. in Tertull. de Pall. p.* 406. Inde pedes ſervorum annulati Apul. Met. IX. p. 280. *Anum* etiam vocant: unde *anati* in veteri Gloſſario οἱ συμποδισθέντες. *Cippum* gloſſæ exponunt ποδοκάκκην, ξύλινον δεσμόν. Suidas: Ποδοκάκκη *ſic cippus in carcere vocabatur, vel inſerto altero κ*, quod *eſſet quædam quaſi* ποδῶν κάκωσις: *vel per ſyncopen, ut Didymus ait, quaſi* ποδοκατέχη. *Erat lignum, in quod magiſtratus maleficorum pedes conjiciunt, & in carcere conſtringunt.* Salmaſ. l. l. Briſſon. de Formul. V. p. 473. Du Freſne Gloſſario.

Cippus erat etiam lignum ad inſtar annuli factum, quod ſerviebat umboni togæ, & rugas plicaſque quibus umbo ſtructus & contabulatus erat, in ſua ſede contineret & conſtringeret. Tertullian. de Pall. c. 5. *Etiam cum reponitur, nulli cippo in craſtinum demandatur.* Salmaſ. in Tertull. p. 405.

Cippus pomœrii eſt ejus terminus. Tales haud procul a Tiberi extra Flaminiam portam inventi, cujus exemplum hoc eſt:

IMP. CÆSAR. DIVI. F
AUGUSTUS
PONTIFEX. MAXIMUS
TRIBUNIC. POTEST. XVII
EX. S. C. TERMINAVIT
R. R. PROXIM. CIP. PED. CLXI

Panvin. Deſcr. Urb. Rom. Theſ. Antiq. Roman. Græv. Tom. III. *p.* 223. *D.*

Cippus in munitionibus erat vallus, aut ſtipes acutiſſimus. Cæſ. de Bello Gall. VII. 73. *Truncis arborum, aut admodum firmis ramis abſciſſis, atque horum dolabratis atque præacutis cacuminibus perpetuæ foſſæ quinos pedes altæ ducebantur. Huic illi ſtipites dimiſſi, & ab infimo revincti ne revelli poſſent, ab ramis eminebant. Quini erant ordines conjuncti inter ſe, atque implicati, quo qui intraverant, ſe ipſis acutiſſimis vallis induebant: hos cippos appellabant.* Lipſ. Poliorc. II. Dial. 2.

CIR.

CIRCANEA *dicitur avis, quæ volans circuitum facit.* Feſtus. *Buleng. de Circo* c. 2.

CIRCE dicta eſt Solis filia, quod mons, ubi ejus ſtatua erecta eſt in Tyrrheno littore, tam altus exſurgit, ut ſimulacrum Deæ etiam nocte Solis radiis illuſtrari videretur, quod Euſtathius habet ad Homer. Odyſſ. M. n. 3. Ubi etiam Poeta;

—— Ubi auroræ mane genitæ
Domicilium, & chori ſunt, & Solis ortus.

Soror Æetæ Regis Colchorum. Euſtath. ad Dionyſ. de Sit. orb. n. 692. Gaudebat equis. Virg. Æneid. VII. 280.

Abſenti Æneæ currum, [illegible]
Semine ab ætherio ſpirantes naribus ignem,
Illorum de gente, patri quos Dædala Circe
Suppoſita de matre nothos furata creavit.

Argol. in Panvin. de Lud. Circ. I. 4. Super currum ſolis venit in Tyrrheniæ adjacentem inſulam. *Argol. ibid.* & ad illum *Pinellus.* Ludos Circenſes dicitur inſtituiſſe. V. infr. in *Ludi.*

CIRCEJOS in Volſcis coloniam deduxit Rex Tarquinius Superbus. Bello Volſcis illato, ac Sueſſa Pometia capta in Sabinos profectus præſidium in Volſcis reliquit, & *Circejos* colonos miſit, quod id oppidum & agro Pomptino, omnium qui in Latio ſunt maximo, & mari, quod attingebat, eſſet opportuniſſimum. Ita quidem Dionyſ. Halic. IV. p. 260. Nam Liv. I. 56. *Signiam Circejosque colonos miſſos, præſidia Urbi futura terra marique* tantum ſcribit. *Sigon. de Ant. Jur. Ital.* II. 5. *Panvin. Imp. Roman. c.* 5. *Cluver. Ital. Ant.* III. 7. 9.

CIRCENSES equi. V. illos infr. in *Equus.*

Circenſes ludi. V. illos infr. in *Ludi.*

CIRCESIUM *eſt nomen caſtelli,* inquit Zoſim. III. 12. *quod Abora fluvius & Euphrates circumfluunt.* Ibi erat præſidium Romanorum prope flumen Euphratem in extremis Meſopotamiæ, quod Diocletianus ædificavit, & temporis injuria labefactum Juſtinianus munivit, inſignemque civitatem fecit. Procop. de Ædif. Juſtiniani II. & de bell. Perſ. II. *Eſt,* inquit, *in altera fluminis ripa Romanorum oppidum munitum, quod Circeſium vocatur, præruptum ex magna parte, ubi Abora fluvius ingens hic oſtia emittens Euphrati miſcetur. Cingulum juxta oppidum facit, ac murus extra caſtellum in longum regionem utriuſque [illegible] nis mediam complectens, [illegible].* Ammian. XXIII. 5. *Cercuſium appellat. [illegible]*, inquit, *Imperator* Julianus *[illegible], Cercuſium [illegible], munimentum tutiſſimum, [illegible] politum: cujus mœnia Abora & Euphrates ambiunt flumina, velut ſpatium inſulæ [illegible]. [illegible]. Diocletianus exiguum antehac, & ſuſpectum, muris turribuſque circumdedit celſis, cum in ipſis Barbarorum confinus interiores limites ordinaret, ne vagarentur per Syriam Perſæ.* Capitol. Gordian. c. 34. ibi eſſe tumulum Gordiani Imperatoris, quod *Circeſium* appellat. Eſt poſtea *Conſtantina* nuncupata, quod a Conſtantino ſit inſtaurata. *Panciroll. Not. Dign. Imp. Orient. c.* 149. *Caſaub. ad Capitolinum.*

CIRCINUS eſt inſtrumentum, quo circuli deſignantur. *Voſſ. Lex. Etymol.* Vitruv. X. 2. *In capitibus circino dividuntur circinationes eorum.* Illum *Perdix Dædali ſororis filius reperit.* Hygin. Fab. 274. *Meurſ. de Athen. Attic.* II. II. *Junius Catal. Archit. Mechan. p.* 63.

CIRCITOR eſt, qui in militia vigilias *circuit.* Veget. III. 8. *Idoneos tribuni & probatiſſimos eligunt, qui vigilias circumeant, & renuntient, ſi qua emerſerit culpa, quos circuitores appellabant. Nunc militiæ factus eſt gradus, & circitores vocantur.* Buleng. de Circ. c. 2. Panciroll. Notit. Dign. Imp. Orient. c. 64. Reineſ. Inſcript. Claſſ. XX. n. 424. Hugo de Milit. equeſt. IV. 2. Laurent. Polym. IV. Synopſ. 3. Ἐφοδεύοντες Heſychio, id eſt, vigiliarum recognitores. Forte ἐποπτεύοντες, inſpectores. Sed nihil muto. Eidem Heſychio ſunt ἔφοροι, qui gloſſis veteribus περίπολοι. Et Polyb. VI. 33. τὴν φυλακὴν ἐφοδεύοντες. Officium ipſum Agath. II. vocat τὰ περὶ τῆς ἐφοδείας ϗ τὰς ἀνὰ τὰ πλήθη περινοστήσεις. Priſcis erant *fraxatores,* qui obibant in vigiliis cuſtodias. Et *circitare* eſt κυκλεύειν, nobis *faire la ronde.* Guther. de Offic. Dom. Aug. II. 12. Reineſ. l. l. Ubi Polybius agit de quatuor juvenibus ad cuſtodias electis, quos tam diurnas quam nocturnas ſtationes obiiſſe neceſſe eſt. Quoniam enim cuſtodes non ſolum noctu, ſed etiam interdiu nonnunquam obdormiſcere, & ſtationem ſuam deſerere ſolent, utroque tempore par periculi metus, atque adeo par luſtrandi neceſſitas. Quatuor hi a Tergiductoribus electi ſortiuntur inter ſe primam, ſecundam & ſequentes vigilias. Inde Tribunos adeunt, ut ab eis mandata, ſcripto comprehenſa accipiant, quot ſtationes, & in quota vigilia quiſque illorum circumire debeat. Dum autem dicit, juvenes illos jam antea inter ſe ſortitos eſſe, & poſtea tamen ſubjungit, Tribunum, dato ſcripto, ſingulis imperaſſe, quot ſtationes, & in quota vigilia *circumire* deberent, declarat, non omnes ſtationes obiiſſe eum, qui primam vigiliam ſortitus eſſet, uti nec ſequentes; ſed primum quidem certum ſtationum numerum in prima, ſecunda, tertia, & quarta vigilia; eademque ratione ſecundum & ſequentes *circumire* debuiſſe. Hinc fiebat, ut primus, luſtratis omnibus primæ vigiliæ ſtationibus reliquum noctis quieti dare non poſſet, quod hodie fit; ſed tota nox, in quatuor vigilias deſcripta, in *circuitione* ei conſumenda eſſet. *Patric. de Re Milit. Roman. Part.* X. *Sect.* 20. *Schel. in Polyb. Theſ. Antiq. Roman. Græv. Tom,* X. *p.* 1186. *Circuibant* equites. Polyb. VI. 33. *Fides circuitionis equitibus committitur.* Hoc obtinuit ante Polybium. Docet, qui inter prodigia memorat bello primo Annibalico, Liv. XXII. 1. *Circumeunti vigilias equiti ſcipionem, quem manu tenebat, arſiſſe.* Allufit ad hanc equeſtrem circuitionem Stat. Theb. X. 387.

— Monitu ducis acer agebat
Ampinor equites, noctem, vigiliasque castra
Explorare datus.

Tribuni, si propius discrimen. Liv. xxviii. 24. *A custodibus probra in circumeuntes vigilias tribunos jacta.* Imperator ipse interdum. De Mario Sallust. Bell. Jugurth. p. 145. *Vigilias ipse circuire.* Et cum illo legati. Sallust. ibid. p. 102. de Metello: *Vigilias crebras ponere, & eas ipse cum legatis circuire.* Etiam centuriones posteriore ævo. Tacit. Hist. ii. 29. 3. *Deflagrante paullatim seditione addit consilium, vetitis obire vigilias centurionibus, omisso tubæ sono, quo miles ad belli munia cietur.* Sed hoc magis sit intelligi de initiis vigiliarum quæ centuriones procurant. Est enim in eodem Annal. xv. 30. 1. *Initia vigiliarum per centurionem nuntiari.* Sub Vegetii ævum *circitorum* proprium munus fuit. V. illum modo laudatum. *Lips. de Milit. Roman.* v. *dial.* 9. *Thys. Rom. Illustr.* v. *p.* 129. *Stewech. in V[illegible].*

[illegible]itor erat etiam ex institoribus, quibus vestiarii, vel lintearii vestem circumferendam, & distrahendam dabant, teste Ulpiano l. 5. ff. de instit. act. Exstat antiquus lapis Romæ ad D. Balbinæ ita inscriptus:

✠ L OCUS OPORTU
NI CIRCITORIS CON.
JUGISQUE EJUS ALBI
NÆ ATQUE FILIORUM
EORUM PALATINÆ
ET URBICI
REQUIESCENTIUM
IN PACE

Pignor. de Serv. p. 351. *Reines. Inscr. Class.* xx. *n.* 424. *Panciroll. Notit. Imp. Orient. c.* 64. *Stewech. in Veget.* iii. 8. Similes, quorum meminit Tertull. Apolog. c. 22. *Circuit cauponas religio mendicans, exigitis mercedem pro solo templi, pro aditu sacri: non licet Deos nosse gratis; venales sunt.* Stewech. l. l.

Circitor cacabarius, qui vasa ærea detrita, hiulca, pertusa sarcit, eique rei vicos perambulat. *Reines. Inscr. Class.* xx. *n.* 424.

Circitor horti, ejusdem custos dicitur, ἀμφίπολος, *circumitor.* Petron. Tragur. p. 24. *Repudiata a circumitore lib[illegible], in balneatoris contubernio deprehensa.* Reines. Inscr. Cl[illegible]. n. 424.

CIRCULATORES proprie ἀγύρται, & μητραγύρται. Vet. gloss. *circulator*, ὀχλαγωγὸς, ἀγύρτης. Victorinus Afer. *Circulatores, qui animos hominum, sensusque quadam specie ver[illegible].* Mart. x. 32.

Et fœda linguæ probra circulatricis.

Apul. Metam. i. p. 8. *[illegible] equestrem spa[illegible]* [illegible] Paul. de Extraord. crimin. [illegible] *pro modo* [illegible] V. illos sup. in [illegible], & [illegible]. V. illos sup. in *Calcularii.* Buleng. de Theat. i. 40. Arg[illegible]. in Panvin. de Lud. circens. i. 14. Meurs. de Athen. Attic. i. 5. *Circulatorum* sortes quæ fuerint, indicat Juvenalis Scholiast. Sat. vi. 582. *Quod circulatores hoc consueverint adhibere, ut delectis sibi locis eos lustrent, id est, circumeant, deinde per eos sortes, id est, taxillos jactitent, quo exinde, quod suæ geneseos signum se accommodaverit inspiciatur, nunquid vivet, & quando, & paucis ex verbis ibidem conscriptis sortes ducunt suas.* Buleng. de Sort. c. 2. Frequentabant circum. Ennius in Telam:

Non vicanos aruspices, non de circo astrologos.

Juven. vi. 588.

Plebejum in circo positum, vel in aggere fatum.

Liv. xxxix. 16. *Quoties hoc patrum, avorumque ætate negotium est magistratibus datum, ut sacra externa fieri vetarent? sacrificulos, vatesque foro, circo, urbe prohiberent?* Column. in Ennium p. 226.

CIRCULUS. Ejus circumferentia paullo est major triplicata diametro, propter curvaturam, quam tres illæ *circuli* partes per diametrum suam in tres arcus divisæ habent. Certissimum namque est, lineam curvam, aut circularem semper esse majorem & longiorem linea recta, quæ illi subtenditur: prout arcum semper videmus majorem subtenso nervo suo. Illi autem qui *circulum* per tres diametros suas metiuntur, lineas rectas assumunt, negligunt curvas; quasi non tam arcus, quam nervi longitudo foret dimetienda. Hinc in illorum rationibus oborti errores. Si quis ex me quærat justam proportionem *circuli* ad suam diametrum, respondebo cum Archimede, qui in erudito matheseos pulvere princeps regnavit, esse *illum in ratione tripla, & ultra paullo minus una septima parte, & paullo plus decem septuaginta unis partibus*; aut per notas vulgares, *ut* 21 & $\frac{1}{7}$ *paullo minus & paullo* plus $\frac{10}{71}$ ad 7. *Bergier. de Viis Milit.* iii. *Sect.* 17. §. 3. *Novem circulis*, ut Serv. Æneid. vi. 426. *inferi cincti dicebantur. Primus animas infantium tenebat Secundus eorum, qui sibi per simplicitatem adesse nequiverant. Tertius eorum, qui evitantes ærumnas se necarunt. Quartus eorum qui amaverunt. Quintus virorum fortium fuit. Sextus nocentes tenet qui puniuntur a judicibus. In septimo animæ purgantur. In octavo sunt animæ ita purgatæ, ut redeant. In nono ut jam non redeant, scilicet in campo Elysio,* nullis amplius cupiditatibus obstrictæ. *Guther. de Jur. Man.* ii. 38.

Circulus differt a torque. Est quidem rotundus, sed durus & crassior, ex una massa, figura orbiculari: quales annuli, quibus circumdant colla fontium. Ita sane pictos habemus apud Gruter. Inscript. p. 1030. Dubium nullum est, quin *circulos* repræsentent figuræ illic exhibitæ. In quibus porro id notabile, quod non continue in orbem redeant; sed ab una parte sint aperti, hicque orbiculum, illic uncum habeant, qui orbiculo ceu fibulæ innecti, iterumque potest eximi. Oportebat namque tales esse, quia strictius ambiebant collum, cui circumdari haud potuissent, nisi a parte una patuissent. Et quoniam uncos istiusmodi habuere, hinc fortassis est, quod cecinit Prop. iv. ii. 43.

Torquis ab incisa decidit unca gula.

Torques appellabantur generaliori voce, quoniam id ipsum in *circulis* aurum etiam tortum aliquando, præferebatque velut ductus & strias in ambitu, ad modum funis. Et loquitur de Viridomaro Celta, sive Gallo Propertius. De Gallis autem clarissime Diodor. v. p. 113. *Circa collum circulos crassiores ex solido auro gestant.* Scheffer. de Torquib. c. 4.

Circulus vocatur carmen, sive poema perpetua serie contextum: Proclus. *Orbis epici poemata servantur studiose non tam adeo propter virtutem, quam ob perpetuam & connexam seriem rerum quæ in eo sunt.* Buleng. de Theatr. ii. 14.

Circulus est etiam incitega, in qua vasa reponuntur, ne mensa inficiatur. Mart. xiv. 138. 2.

Orbibus in nostris circulus esse potest.

Buleng. de Imper. Roman. ii. 34. de Conviv. i. 37. V. infr. in *Incitega.*

Circulus in ludo disci erat orbita, intus quam ille erat, qui discum vibrabat in altum. Si extra orbem recidisset discus, jactus improsperus habebatur, felix, si intra: & discus, qui propius ejaculantem recidisset, victor, nam signabantur jactus, prædicabatur. De *circulo* illo, sive orbita Stat. Theb. vi. 701.

Illa manu magna & multum felicior exit,
Nec partem exiguam circi transvecta quievit.

Ita signatum fuisse apud Homerum testatur Eustathius: σημεῖα ἔνθα τὸ πρῶτον καθῆλθεν ὁ δίσκος. Σημεῖα vocat etiam τέρματα Homerus. Si extra *circulum* decidisset discus, non signabatur; nam ille a spe victoriæ recesserat. Stat. ibid. n. 679.

— cœlum dextra metitur, humique
Pressus utroque genu collecto sanguine discum

Ipse

Ipse super sese rotat, atque in nubila condit:
Ille cuius sublime petit, similisque cadenti
Crescit in adversum, tandemque exhaustus ab alto
Tardior in terram redit, atque immergitur arvis.

neque *circuli* spatio, quia creverat in adversum, & a recta linea discesserat. Hinc prioris fortunam, hujus casum tristem nuncupat n. 706.

Et casus Plegiæ movet, & fortuna [illegible].

Tertius Hippomedon ejaculato disco interius cadentem ipsum habuit: nam dicit non transilisse discum victum Menesthea meta dubia, junctaque, hoc est, signo proximo, ac dubio: si non transabiit, vicinior certanti fuit, unde victoria. Idem ibid. n. 710.

—— fugit horrendo per inania saltu
Jamque procul meminit dextræ, [illegible] te tenorem
Discus, nec dubia, junctaque Menesthe[illegible]
Transabiit meta.

nec, pertinet ad *transabiit*. n. 713.

—— longo super æmula signa
Consedit.

Versus centrum *circuli* intellige. Tremescit vero humeros virides theatri, & culmina, ne reliqua verba te decipiant. Is itaque victor declaratur postea. *Argol. in Pa[illegible] de Lud. Circ.* II. I.

Circulus pullatus. V. illum infr. in *Pullati*.

CIRCUMDUCI cognitio ad Principem remissa potest ab eo, qui remiserat. L. ad Principem ff. de Appellationibus. *Circumducere* est ad se reducere, & causæ cognitionem suscipere ex litigantium voluntate. Ad Imperatorem enim causam remissam partibus consentientibus, Præses, si ad ejus notitiam pertinet, audire potest, quasi priore judicio, quo remittebat, abolito & obliterato. L. ad Imperatorem. ff. eodem. *Guther. de Offic. Dom. Aug.* I. 28.

CIRCUMFORANEI erant agyrtæ, qui cantionibus inconditis, rudique dramatis quadam specie plebeculam alliciebant, eique medicaminibus illis suis imponebant, & priori ævo non minus, quam nunc temporis personis utebantur. Athen. XIV. & Strabo itidem XIV. μαγωδὸς, & illorum artem μαγωδίαν appellant, quod suis cantionibus magicæ artis præstigia & medicamentorum vires declararent. *Marisfcott. de Pers. & Larv.* c. 2.

CIRCUMLATIO erat actio, sine qua lustrationum sacra nullo modo constare poterant. Quicquid enim rei lustrandæ applicabant, id in orbem ducebant: unde præpositio περὶ cum plerisque huc pertinentibus vocabulis componitur, ut περιςίαρχ☉, περιμάτlεσθαι, περιθύεσθαι, περιαγνίζειν, περιθειῶν & περιθείωσις, περικαθαίρειν, περιῤῥάλλεσθαι κάρφ☉ apud Aristot. Hist. Anim. VI. 2. In his & similibus inest circuitus quædam & ambitus significatio. Serv. Æneid. VI. 229. *Circu[illegible] [illegible] [illegible] quum verbum est. Plautus: Pro lar[illegible] [illegible], [illegible] est, purgabo. Nam lustratio a circumlatione dicta est vel tædæ, vel sulphuris.* Lomej. de Lustrat. c. 35. Turneb. Adv. IX. 10. Guther. de Jur. Man. II. 7. Stuck. Ant. Conv. II. 33.

CIRCUMPADANI erant in tribu Fabia. Quare V. infr. in *Tribus*.

CIRCUMPEDES *sunt obsequia servorum*. Agrœcius de Orthographia. Cicer. Verr. I. 36. *Servos artifices pupilli cum haberet domi, circumpedes autem homines formosos & literatos*. Turneb. Adv. III. 23. Salmas. in Treb. Poll. Claud. c. 14. Pignor. de Serv. p. 138. Stuck. Ant. Conv. II. 22. Ursin. Append. ad Ciaccon. de Tricl. p. 224. Dicuntur & *a pedibus*, & *ad pedes*. V. supr. in *A*. Sed nonnulli *circumpedes* distinguunt ab iis, qui *ad pedes* dicuntur, quos proprie volunt esse mensæ ministros. Stuck. l. l.

CIRCUMPOTATIO erat convivium funebre, ubi dabantur epulæ pro mortuorum animabus, in defunctorum honorem & recordationem. Usitatum quippe fuit apud priscos illos Romanos, sicut etiam Athenienses, ut celebrarent epulum aliquod funebre, & *circumpotarent* co[illegible]. Cui mori satis quidem absurdo, & improbabili [illegible]currere voluerunt & Solon Athenis, & decemviri Romæ. Quid enim absurdius quam ebrietas, & lætitia in luctu? quid magis absonum, quam ubi alienum sepelieris terra, etiam propriam animam, & sensum vino sepelire? Lex Septima XII. tabb. apud Cicer. de Leg. II. 24. *Ut servilis unctura, omnisque circumpotatio tollatur*. Ferrett. Mus. Lapid. IV. mem. 9. Stuck. Ant. Conviv. I. 29. Antiquæ enim consuetudinis erat, ut uncto & delibuto cadavere *potatio* circum illud instituer[illegible]tur, ordineque omnes invitarentur. Virg. Æneid. V. 90.

—— ill[illegible] [illegible] longo
Tandem inter pateras, & levia pocula serpens
Libavitque dapes.

Etsi autem Hotoman. An[illegible] Romm. III. I. p. 393. A. omnem *circumpotationem* subl[illegible] putat: [illegible] tamen est, ut illa legis verba ob connex[illegible] de servili dumtaxat epulo, seu *potatione* prohibita cum R[illegible] ad L[illegible] XII. tab. c. 15. [illegible] *[illegible] de Reb. [illegible] p. 733.* V. etiam *[illegible]* XII. c. 9. [illegible] *ad Leg.* XII. [illegible] *ad Cicer. de Leg.* p. 162. *[illegible] ad Leg. [illegible] Rom. [illegible] Tom.* II. *p.* 1365. C.

CIRCUMVALLATIO erat inter opera primum. Ea [illegible] iter olim adhibita Græcis & Lat[illegible], [illegible] obsidio munitionem, aut locum vellent. [illegible] ma. Claudere enim prius erat, ne num[illegible] auxilia intrarent; tum & ne quis exiret. Sed etiam ut [illegible] obsidentes munirent [illegible] Au[illegible] causa aliqua, terror? Certe enim metum, aut & desperationem [illegible]cipiant necessum est, qui vident sic [illegible] claudi: & quanquam cætera adsunt, cogitatio tamen illius carceris nocet, tum & fiducia, & pertinacia hostilis. Ergo plerique olim *circumvallabant*, ii quibus cura aliqua bonæ militiæ, aut artes. Græcis sæpe nominatur ἀποτειχισμὸς καὶ περιτειχισμὸς hoc sensu. Habuit has partes, vallum, loricam, cervos, turres. V. singula suis locis. *Lips. Poliorc.* II. I. *Thys. de Oppugn. Urb.* II. *p.* 163.

CIRCUMVERTERE in orbem solebant se Romani Deos adoraturi. Plutarch. in Marcell. p. 301. B. *So[illegible] est Romanis, quum adorant Deos, [illegible] convertere.* Suet. Vesp. c. 7. n. 2. *Cum, pr[illegible] Deo, tandem se convertisset.* Et quidem dextroversum, capite summisso, dextra manu labris admota, & ad oscul[illegible], priore digito in erectum poll[illegible]. Plin. XXVIII. 2. *[illegible] dextram ad osculum referentes, totum corpus [illegible].* Plaut. Curc. I. I. 99.

—— quo me vertam, nescio.
PA. *Si Deos [illegible] censeo.*

Institutum fuit Numæ Pompilii. De illo Plutarch. Num. p. 99. E. *Circumagas te, cum Deos adoras. C[illegible]io adorantium simulacrum orbis mundi dicitur [illegible]. [illegible] magis videatur, qui adorat Deos, quando or[illegible] templis aversus est ab ortu, eo se flectere, [illegible] mox convertere ad Deum, orbem conficiens, & comm[illegible] ambobus consu[illegible]ationem precum. Nisi quid hercle [illegible] rotis involvit, & significat hæc figu[illegible], nihil esse in rebus humanis stabile, sed quo verterit & volverit vitam nostram Deus, contentos esse nos & boni debere consulere.* Pith. Adv. I. 7. Pier. Hierogl. XXXIX. 9. Stuck. Ant. Conviv. II. 28. Merul. de S[illegible] c. 6. §. 2. Bellus de Part. templ. augur. c. 9. §. 3. T[illegible]ll. in Alex. IV. 17. Dalechamp. in Plinium. Beroal. & Pitisc. in Suet. Vitell. c. 2. §. 10. Saubert. de Sacrif. c. 12. Brisson. de Formul. p. 36. Struv. Ant. Rom. c. 2. p. 200. Laurent. Var. sacr. gentil. c. 10. Schill Nomencl. Philol. p. 285. Demster. Paralip. ad Rosin. Antiq. Roman. III. 33.

CIRCUS erat locus forma *circulari*, sed oblonga, gradus habens plurimos, in quibus ludos spectaturi sedebant, atque ita ut alter alterius prospectum non impediret. *Marlian. Topogr. Urb. Rom.* III. 17. *Ferret. Mus. Lapid.* II. *memor.* 2. *Faunus Antiq. Urb. Rom.* III. 9. *Laurent. Polym.*

IV. *Synopſ.* 9. *Lyd. Agoniſt. ſacr. Proleg. p.* 5. *Schill. Nomencl. Philol. p.* 288. Locum, in quo ludi fierent, Romani *circum* nominarunt. Erat enim is orbicularis, longior tamen quam latior, ut indicant, quæ de longitudine & latitudine *circi* maximi ſcribunt Dionyſ. Halicarn. IV. p. 200. Plin. XXXVI. 15. Hinc Coripp. I.

Ipſe ingens circus plenus, ceu circulus anni,
Clauditur in teretem longis anfractibus orbem.

Voſſ. Lex. Etymol. Caſal. de Urb. ac Imp. Rom. ſplend. part. 2. c. 3. Inſtitutus eſt ad celebrandos ludos, qui in Deorum honorem, templorum locorumque publicorum dedicationem fiebant. *Marlian. & Donat. l. l.* In eo varia dabantur certamina, utputa equeſtria, curulia, venationes. De equeſtribus Ovid. Faſt. IV. 391.

Circus erat pompa celeber, numeroque Deorum
Primaque ventoſis palma petetur equis.

De curulibus Plin. VIII. 42. *Nam in circo ad currus juncti equi non dubie intellectum adhortationis & gloriæ fatentur.* De venationibus Gell. N. A. V. 14. *In circo maximo venationis amplissimæ pugna populo dabatur.* Marlian. l. l. Argol. in Panvin. de Lud. Circ. I. 13. Buleng. de Circ. c. 9. Vir magnus appendice ad Sidonium non eſt audiendus, qui cum fateri videatur *circum* cœleſti deſcriptum eſſe imitatione, cœlum tamen & ſidera polum ait perpetua dextratione circumagere. Videtur enim polum arcticum inſtar metæ collocare, & cœli caput in eodem. Ego vero ſecus in *circo* delineando proceſſiſſe Romanos puto; & Solis curſus proſecutos eſſe, quos ab ſolſtitio ad brumam ducit; & in *circulo* illo brumali ſive hyemali collocaſſe metas. Favet duplex factio primum inſtituta, alba & ruſſea. Tertull. de Spectac. c. 9. *Colores ab initio duo ſoli fuere, albus & ruſſeus: albus hyemi ob nives candidas, ruſſeus æſtati ob Solis ruborem voti erant.* Bellus de Part. templ. augur. c. 8. Et quia imaginem quandam & anni & cœli præ ſe ferret, Solemque ducem ac moderatorem cœleſtium orbium eſſe veteres exiſtimarent, ei *circum* dicarunt. Vetus Poëta:

Circus imago poli, formam cui docta vetuſtas
Condidit, & numeros limitis ætherei.
Namque duodenos oſten...t oſtia menſes,
Quæque meat curſ.. aureus aſtra jubar.

Et non modo Soli, ſed etiam Neptuno, Caſtori, Polluci, Jovi & Marti. Iſidor. XVIII. 27. *Itaque & Caſtori & Polluci deputantur hæ ſpecies: quibus equos a Mercurio diſtributos hiſtoriæ docent: Sed & Neptuno equeſtris ludus eſt, quem Græci ἱππικὸν vocant: ſed & Marti & Jovi in ludis equi ſunt conſecrati, & ipſi quadrigis præſunt.* Ad formam Olympiæ *circum* Romanum factum vel ex eo deprehendas, quod in medio fere Neptuni, & Junonis equeſtrium aræ: ad columnam autem, quæ pro meta fuit, Dioſcurorum, ad carceres Martis & Palladis equeſtrium. Pauſan. Eliac. p. 162. Quin etiam ut in Olympia Minervæ currus fuit, item & Romæ. Dio p. 285. *Currus Minervæ, rediens e quadam decurſione Circenſi, ad Capitolium fractus eſt.* Buleng. & Caſal. l. l. Minio & Chryſocolla ſtraverunt Caligula & Nero. V. ſupr. in *Chryſocolla.* ornamenta V. infr. in *Ornamenta.* In *circo* nihil gratius oculis fuit, quam cum equi, curruſque naufragium facerent. Demoſth. Erotic. *Multis dicentibus, quod in curulibus certaminibus pulcerrimum ſpectaculum præbent currus fracti, & naufragi.* Plutarch. Syll. *Cum evertiſſent currus, Romani cum riſu alios petebant, ut ſolent curulibus ſpectaculis.* Chryſoſt. ſerm. de human. inquit: *aurigæ, præterclusſo totius populi theatro, contendunt eo loco adverſariorum currus ſubvertere, ubi regem viderint ſedentem, & unum oculum digniorem tot putant vultibus.* Caſal. l. l.

Circus Adriani ab illo ædificatus, rudis quidem, nec lapidibus, nec artificio commendatus, ut tradit Fulvius IV. & teſtatur cum Blondo in vineis Domitiæ hortis proximis ſuo ævo veſtigia ſedilium exſtitiſſe. Adhuc ſupereſt poſt molem ipſius. Nec tamen Blondus audiendus, qui hunc Neronis *circum* pronuntiat. *Donat. de Urb. Rom.* III. 15. & 23. Verum qualem Adrianus *circum* condiderit, nullum apud auctores, quod ſciam, veſtigium. Nummum quidem Adriani circumdant hæ notæ. *Ann.* DCCCLXXIIII. *Nat. Urb. CIR. Con.* & in ejus adverſa parte obſervatur figura humi procumbens cum rota, & tribus obeliſcis certum *circi* alicujus ſignum. Sed fateor me ignorare quid numiſma hoc indicet, niſi vera ſit Franciſci Angeloni in Hiſtoria Auguſta opinio, quod ab hujuſce nummi inſcriptione indicatum ſit aliquod Adriani opus inſigne, pro *circo* factum, utputa, aliquam viam ſternendo, ut ad *circum* ipſum commodior pateret aditus. Viæ enim alicujus ſtratæ, aut patefactæ indicium exhibet mulier illa in nummo humi procumbens, cum rota, ut ex ſimili patet nummo Trajani Appiæ viæ reparationem demonſtrante. *Urſat. de Not. Roman. Theſ. Antiq. Roman. Græv. Tom.* XI. *p.* 547. *F.*

Circus Agonalis, ſive Agonis, vulgo Navonius, creditur vel exſtructus, vel inſtauratus ab Alexandro Imperatore. P. Victor in regione nona ſtatuit *circum Alexandri & thermas Alexandrinas.* Et Sextus Rufus in eadem: *Domus*, inquit, *& circus Alexandrii Pii Imperatoris.* Thermarum exſtant veſtigia prope templum S. Ludovici nationis Gallicæ. Quare & *circo* proximæ, ut domus ejusdem Cæſaris. Eundem *circum* exprimunt nummi Alexandri. Sed cur Agonalis eſt dictus, & locus ipſe Agon? Putant a ludis Agonalibus ibidem celebrari ſolitis. Hanc nominis originem, quamquam pleriſque probatam, falſam eſſe, aut certe valde incertam arbitror. Feſtus: *Agonium putabant Deum præſidentem rebus agendis. Agonalia ejus feſtivitatem.* Huic Deo factos fuiſſe ludos in *circo* Agonali putat Fulvius IV. Verum non hæc tantum ſpectacula illi tribuenda. Sed forte antequam exſtrueretur *circus*, Jano Agonio Deo Agonalia ibi herbido in loco facta, ex inſtituto Numæ; ideoque *circus* deinde ædificatus, aliis celebratus ludis Agonalis dictus. *Donat. de Urb. Rom.* III. 14. *Nardin. Rom. Vet.* VI. 5. *Borrich. Ant. Urb. Fac. c.* 11. §. 6. *Fabric. Deſcr. Urb. Rom. c.* 12. *Boiſſard. Topogr. Urb. Rom. Tom.* 1. *p.* 38. *de Ant. Urb. Rom. ſtat. p.* 8. *Faunus Antiq. Urb. Rom.* IV. 20. Hodieque in media Urbe mercatu eſt frequens. *Buleng. de Circo c.* 5.

Circus Antonini Caracallæ fuit in prima Urbis regione cum obeliſco. Dictus eſt prætorianus, quod ibi cohortis prætoriæ ſtatio fuerit extra portam Capenam. Ejus veſtigia hodieque exſtant ad S. Sebaſtianum. *Buleng. de Circo c.* 5. *Marlian. Topogr. Urb. Rom.* V. 27. *Caſal. de Urb. ac Imper. Roman. ſplend. part.* 2. *c.* 3. *Fabric. Deſcr. Urb. Rom. c.* 12. *Aring. Rom. Subterr.* III. 10. 16. Quod de *circo* hoc eſt reliquum, inter ædem S. Sebaſtiani & caput bubulum, loco depreſſiore eſt ſitum. Metarum indicia etiamnum ſua ætate exſtitiſſe affirmat alicubi Fulvius. Nec multi anni ſunt, cum in medio *circo* obeliſcus illic confractus jacuit, quem Papa Innocentius X. in foro Navona erexit, & ſplendidiſſimo fonte exornavit. Hunc Caracallæ fuiſſe e ſolis numiſmatibus ejuſdem Imperatoris a Fulvio laudatis probatur. Exhibet ex his unum Ericius in Diſſertationibus, atque item Angelonius de Cæſaribus. Eſt qui dicat, numiſmatis illius *circum circi* eſſe maximi effigiem; verum recte obſervavit Angelonius, *circum* maximum obeliſcum majorem in medio ſpinæ habuiſſe; hunc autem eum habere in parte extrema; interque ſpinam & carceres amplius illi ſpatium eſſe. Qui docent in uſum prætorianorum eſſe exſtructum, ut in eo ſe exercerent, & horum ibi fuiſſe caſtra, errant. *Nardin. Rom. Vet.* III. 3. *Borrich. Ant. Urb. Fac. c.* 3. §. 3. *Donat. de Urb. Rom.* III. 14. Adducit pro ſe Angelonius, fieri potuiſſe ut Caracalla occaſione thermarum, aliorumque operum publicorum a ſe & patre illic factorum, adductus, caſtra in eam regionem e colle Viminali tranſtulerit: Diocletianus autem eadem propter ſuas a ſe exſtructas thermas in priſtinam ſedem reduxerit, auctoritate in hanc ſententiam adductus Ligorii, qui numiſma ſe vidiſſe dicit Caracallæ, cum caſtris in parte averſa. Sed hujus inniti fidei perquam periculoſum eſt. Ego ejus fuerim opinionis, *circum* propter ludos illic aliquando fieri ſolitos exſtructum fuiſſe;

fuiſſe; dein Mutatorium Cæſaris appellatum : vix enim mihi perſuadere poſſum, tam præclarum ac notabile opus, atque ſtructuram adeo conſpicuam, tam a Victore, quam a Rufo, ſilentio fuiſſe prætermiſſam. *Nardin. l. l.* Mirum eſt quod cum Angelono Nardinus obeliſcum in extremitate *circi* illius collocet, quando non ſolum ſitus obeliſcorum in *circis* aliis contrarium doceat, quod obeliſci repræſentent malorum ſitum in navibus; ſed & ſcrobs etiamnum in medio fere *circi* Caracallæ apparet, unde obeliſcus ille fuit evulſus. Ut taceam non deeſſe numiſmata vetera, quæ cum *circum* hunc repræſentent, obeliſcum in medio propemodum conſtituant : ita tamen, ut pro more verſus obtuſiorem *circi* extremitatem aliquanto magis inclinet. *Borrich. l. l.*

Circus Aureliani cum obeliſco in quinta fuit regione Urbis. *Panvin. Deſcr. Urb. Rom. Theſ. Antiq. Rom. Græv. Tom.* III. *p.* 291. *A. Buleng. de Circ. c.* 5.

Circus caſtrenſis, unus illorum, quorum hodie veſtigia in Urbe, vel in ſuburbiis ſuperſunt, fuit extra portas Labicanam & Præneſtinam ſimul junctas, quæ hodie uno nomine Major dicitur, haud longe ab amphitheatro caſtrenſi, & templo S. Crucis in Hieruſalem prope formas aquarum Claudiæ & Marciæ. Ejus auctor in incerto eſt. Parietinas in vineis proximis vidimus, in his graduum ſive ſubſelliorum porticibus ſuſtentatorum ordinum loca, quibus ſpectatores conſidebant, in cujus medio in terram disjectus, & conciſus jacet obeliſcus notis etiam ipſe Ægyptiacis inſcriptus. Hunc quidam ab Aureliano conditum autumant, hac ducti conjectura, quod in ejus Principis nummo percuſſus *circus* videatur, quæ tamen levis eſt. Ego militari uſui, quemadmodum & proximum amphitheatrum caſtrenſe excitatum fuiſſe libenter crediderim. *Panvin. de Lud. Circ.* I. 25. Qui tamen ipſe in tabulis Urbis regione, ut jam dictum, *circum* Aureliani cum obeliſco ponit, atque idem nullo auctore repetit Merul. Geogr. Part. II. lib. IV. *Argol. in Panvinium.*

Circus Conſtantinopolitanus, veteris Romæ exemplo, conſtructus eſt. Ejus veſtigia uſque ad noſtra ſecula perdurarunt. Petrus Gyllius Gallus qui diu Byzantii verſatus eſt, de Topogr. Conſtantinop. II. ait Severum reconciliatum Byzantiis, ut recentes hiſtorici, Zonaras & alii plerique tradunt, hippodromum ædificaſſe. Zoſimus antiquus hiſtoricus ſcribit, Conſtantinum Magnum hippodromum elaboraſſe, omnique cultu pulcerrimo adornaſſe, partemque ejus feciſſe templum Caſtoris & Pollucis, quorum ſimulacra uſque in ſuam ætatem, hoc eſt, Theodoſii minoris in hippodromi porticibus exſtantes videre liceret. *Panvin. de Lud. Circ.* I. 27. Figuram mundi repræſentabat, & in ipſo non oceanus, ſed mare mediterraneum figurabatur. Euripus ſiquidem, non, ut olim, in *circo* veteri Romano arenam circumdabat, ſed in medio erat. Euripus mare ſignificabat. Caſſiodorus: *Euripus maris vitrei reddit imaginem.* Quapropter terræ poſitio etiam illis accepta juxta oram maritimam cognitione veteri, quæ fundæ comparabatur. Dionyſ. n. 3.

— *in illo*, oceano
Tellus toto velut circumdatur inſula, ſed non
Prorſus tota tamen, quoniam defertur utrinque
Latior, ad Solis qua ſunt regione meatus
Conſimilis fundæ.

Unde apud Græcos recentiores pars occidentalis in *circo* Conſtantinopolitano, & ad columnas, quæ in eo erant, funda, & σφενδόνη dicta eſt. Johannes Antiochenus: *Flexus metæ, qua ad carceres orientem, qua ad fundam occidentem deſignat.* Ad fundam, ut columnas Herculis imitarentur. In illis ſuſpenſum Principem fuiſſe dicit Nicetas Andronico Comneno. Nam in hippodromo rei ad ſplendorem cruciati atque enecti. Dicit enim idem auctor accenſum rogum in hippodromo fuiſſe, ac flammam in ſplendorem fuiſſe elatam. Ad columnas itaque rogus accenſus, ad comburendos noxios; & mos poſtea a Venetis receptus, qui reos etiam ad columnas morte puniunt : imo eaſdem ego Conſtantinopolitani *circi* cum illis fori Veneti aſſeverarem; nam e Conſtantinopoli advectæ iſtæ parvulæ columnæ erant, & meræ imaginem reddebant. Magnæ aliæ columnæ prope adſtabant quatuor numero, & tres in ditionem Venetorum venere, non longe a ſecunda meta, inter quas Conſtantinopoli decollabantur ſontes. De his ultimis majoribus Paull. Diacon. III. *Phocas juſſit fieri ludum equeſtrem; Demarchi autem utriuſque partis apud quatuor columnas cum imperialibus ſignis poſuerunt. Priſci, ac Demente ſigna, quibus auditis Imperator iratus eſt, & mittens adduxit Demarchum & Pamphylum, & ſtatuens nudos juſſit eos decollari.* Erant etiam ut in ſpina Romani *circi* multa myſteria, extollebantur in ripæ Euripi murulis varia ornamenta. Ara Solis in aperto : ut Romæ quoque in circulo. *Solis effigies*, ait Tertullianus, *de faſtigio ædis emicat, quod non putaverint ſub tecto conſervandum, quem in aperto habent.* Duodecim ibi carceres, ut in Romano erant. Anonymus de hippico agone Conſtantinopolis : *Duodecim carceres ad imitationem duodecim ſignorum zodiaci.* Septies quoque currebant. Joh. Antiochenus: *Septies circumcurrebant Euripum aurigantes, & quia ſeptem ſtadia conficiunt milium, & propter ſeptem planetas.* Lydus aliam adfert rationem, n. reciprocationis Euboici Euripi ſimilitudinem. *Ex marino Euripo, & ſeptena ipſius reciprocatione.* Viginti quatuor vicibus currebant, non ut horarum numerum intelligerent, ex menſuræ ulnarum viginti quatuor in obeliſco contentis, ſi Lydo credendum eſt. *Quatuor & viginti braviis*, id eſt, curſibus, *totum conficiebant agonem, ob hanc in pyramide proportionem. Duodecim enim angulos, ſeu facies, pyramis capit, hoc eſt, ordines quatuor, quorum quilibet ex tribus conſtat.* Argol. ad Panvinium.

Circus Domitiæ in pratis in decima quarta fuit regione Urbis. *Panvin. Deſcr. Urb. Rom. Theſ. Antiq. Rom. Græv. Tom.* III. *p.* 312. *C.*

Circus Elagabali extra theatrum caſtrenſe ſitu evidenter adhuc monſtratur, & viſum ſibi docet Pyrrhus Ligorius, etiam ſuo ſeculo magnificum, in cujus medio ſurgebat obeliſcus ille inſignis hieroglyphicis diſtinctus, quem hodie fractum area Cardinalis Franciſci Barberini in Quirinali oſtentat. *Circum* hunc Aureliano tribuunt alii, quem haud dubie refecit & exornavit Aurelianus, nequaquam primus conſtruxit. *Borrich. Ant. Urb. Fac. c.* 7. §. 2.

Circus Flaminius fuit antiquitate & uſu *circo* maximo proximus. *Donat. de Urb. Rom.* III. 14. *Panvin. de Lud. Circ.* I. 18. *Caſal. de Urb. ac Imper. Roman. ſplend. part.* 2. *c.* 3. *Volaterr. Comment. Urban.* XXIX. *p.* 1093. *D.* Dictæ a Flaminio cenſore. Livius & Feſtus. V. illos infr. in *Via Flaminia.* Panciroll. Deſcr. Urb. Rom. Theſ. Antiq. Roman. Græv. Tom. III. p. 357. B. Marlian. Topogr. Urb. Rom. V. 9. Borrich. Ant. Urb. Fac. c. 11. §. 2. Blond. Inſtaur. Rom. III. §. 30. Licet campus ipſe jam ante deſtinatus fuerit ab alio Flaminio antiquiore, qui Urbem agro donaſſet, & cujus reditibus uſi ſunt Romani ad equeſtria certamina, ſi Plutarcho debemus fidem Problem. 65. *Panvin. Marlian. & Borrich. l. l. Buleng. de Circ. c.* 5. Certe Cn. Flaminius, qui per Hetruſcos Aretium viam Flaminiam duxit, alius eſt & recentior illo, qui locum huic *circo* attribuerit. Is Flaminius iterum Conſul apud lacum Traſimenum cum quindecim Romanorum millibus bello Punico II. ab Hannibale cæſus eſt, cum ex hoſtium Gallorum, de quibus triumphavit, manubiis in cenſura anno ab U. C. 530. viam Flaminiam ſtraviſſet. Atqui *circi* Flaminii nomen pæne fuit ſub primis Conſulibus, ut Liv. III. 54. *Ea omnia in pratis Flaminiis concilio plebis acta, quem nunc circum Flaminium appellant.* Florus tamen Epit. XX. *a C. Flaminio Cenſore exſtructum* vult : idque L. Veturio & C. Lutatio Conſulibus, ſi Caſſiodoro fides. Sic enim ille in Chronico: *L. Veturio & C. Lutatio Conſulibus circus Flaminius eſt factus.* Buleng. l. l. Prata Flaminia olim hunc *circum* fuiſſe dictum idem Livius confirmare videtur c. 63. *Itaque inde Conſules, ne criminationi locus eſſet, in prata Flaminia, ubi nunc ædes Apollinis eſt, circum jam tum Apollinarem appellabant, avocavere ſenatum.* Hoc vero factum fuit anno ab U. C. 300. *Panvin. & Panciroll. l. l.*

Dictus

Dictus est Apollinaris ab æde Apollinis illi vicina; de qua Asconius. V. illum infr. in *Templum Apollinis.* Has præstantissimorum auctorum contradictiones ita tolli posse opinor, si dixerimus cum Livio & Plutarcho, prata illa Flaminia ab illo antiquo Flaminio vocata fuisse, in iisque rustice vel *circum* ligneum, vel *circi* formam exstructa esse, qui & Apollinaris a proxima Apollinis æde appellatus fuit. Cæterum postea C. Flaminium *circum* ipsum tanquam gentis suæ monumentum de hostium manubiis magnificentius latiusque renovasse, vel ruinæ proximum restituisse, a quo postea ex Apollinari Flaminius denominatus fuit. *Panvin. l. l.* Collocatur a Sexto Rufo & P. Victore in regione Urbis nona. *Buleng. l. l.* Et quia situs in pratis Flaminiis, quæ sub Capitolio, & secundum illi adjuncta mœnia jacebant, etiam ipse prope Capitolium fuit. Fulvius ætate sua, scripsit autem Clemente VII. Pontifice Maximo, exstitisse adhuc formam *circi* & veterum sedilium signa commemorat, atque in ejus cavea erectum templum S. Catharinæ cognomento ad Funarios: ibi enim propter loci commoditatem, & areæ longitudinem fines confici solebant. Porro *circi* latitudo spatium cœpit, quod inter officinas, vulgo obscuras, forumque Judæorum est interjectum. Ad eas porro officinas nuper vidimus, inibi ædificante Cardinali Gimnasio, refodi ingentes columnarum spiras & scapos e Tiburtino lapide, & quadratas eximiæ magnitudinis. Summus *circus* curvatus in hemicyclum ad plateam vulgo Marganam prope Capitolium pertinens flectebatur ad ædem S. Angeli in Foro piscario; ima pars, ubi *circi* carceres, versus S. Nicolaum cognomento ad Calcarias; & ædes Ducum Cæsarinorum. Hæc *circi* longitudo. *Donat. ibid.* I. 10. *Nardin. Rom. Vet.* VI. I. 2. *Fabric. Descr. Urb. Rom. c.* 12. *Panvin. & Borrich. l. l.* Puto locum, cui nunc Agoni, sive *circo* agonali nomen est, *circum* fuisse Flaminium. *Blond. Instaur. Rom.* III. §. 34. Adeoque in media Urbe situs foret. Sed hic auctor in multis erravit. Fuit enim extra Urbem, ut jam laudatus docuit nos Asconius. Quod enim ædes Apollinis ab illo dicitur extra portam esse inter Forum & *Circum*, nec ipsa ædes, nec *circus* procul fuit, cum Forum olitorium esset ad portam. Quomodo recte diceret Asconius, ædes inter Forum olitorium & *circum* Flaminium, si ponatur *circus* abesse fere mille passus a Foro, interpositis tot ædificiis, & publicis, & privatis, ut testatur Strabo? Fuerunt ergo hæc quatuor loca propinqua, ac fere contigua: porta Carmentalis, Forum olitorium, ædes Apollinis, *circus* Flaminius. Erat autem ædes propinquior Capitolio & muris, quam *circus*. Donat. l. l. In hoc *circo* vitri officina fuit, in qua pocula fierent, punctis coloratis quasi gemmis insignita, & crystallinis similia: quæ ut pretia gemmatis non æquanda erant, ita usu reperiebantur firmiora, quod aquis calidis, ut veræ gemmæ, non vitiarentur, aut fluerent: quod Martialis expresse docet XII. 75. I.

Cum tibi Niliacus portet crystalla cataplus,
Accipe de circo pocula Flaminio.
Nullum sollicitant hæc, Flacce, toreumata furem,
Et nimium calidis non vitiantur aquis.

Fabric. & Panvin. l. l. Duplicem porticum ei adjecit Cn. Octavius. Plin. XXXIV. 3. *Invenio & a Cn. Octavio, qui de Perseo Rege navalem triumphum egit, factam porticum duplicem ad circum Flaminium, quæ Corinthia sit appellata a capitulis æreis columnarum.* Panciroll. ibid. C. In illo fuerunt multi ex his, quibus prohibitus erat in Urbem ingressus. Dio LV. p. 549. A. *Mortuo Druso, & Romam delato, habita est in Foro ejus laudatio a Tiberio; sed ab Augusto, qui cum exercitu Urbe profectus, neque fas ei erat intra pomœrium intrare, in circo Flaminio.* Sic Cicero pro Sext. c. 14. post red. in Sen. c. 7. exprobrat Clodio tribuno plebis, quod in *circo* Flaminio productis Consulibus Pisone & Gabinio infestam sibi concionem habuerit. Causa fuit, ut etiam Cæsar adesset, qui superiore anno Consul provinciam Galliam cum exercitu regendam acceperat, & necdum in eam profectus, extra Urbem morabatur, & in ea causa adversabatur Ciceroni. *Erat*, inquit, Cicero, *ad portas erat cum imperio, erat in Italia ejus exercitus.* Igitur, ut narrat Dio XXXVIII. p. 69. D. ejus causa Clodius concionem extra mœnia convocaverat, ut legis suæ approbatorem haberet. *Donat. ibid.* I. 11. Ab hoc triumphi incipiebant, & dona militaria militibus a ducibus triumphaturis in eo distribuebantur. Liv. XXXIX. 5. *Fulvius multos eo die, priusquam in Urbem inveheretur*, de Ætolis triumphaturus, *in circo Flaminio tribunos, præfectos, equites, centuriones, Romanos sociosque donis militaribus donavit.* Et illic Lucullus itidem triumphaturus pompa hactenus non visa circumcirca magnam armorum hostilium, & regiam machinarum copiam disposuit. Plutarch. Lucull. p. 517. *Triumphum non, ut aliqui, pompæ prolixitate, & rerum traductarum copia portentosum & fastidiosum duxit, sed armis hostilibus, quorum erat vis ingens, & machinis regiis circum Flaminium exornavit, quod erat per se haud contemnendum spectaculum.* Nardin. ibid. I. 10. Donat. l. l. Borrich. ibid. c. I. §. 9. In hoc *circo* quotannis stato die ludi Apollinares celebrabantur. Instituebantur & quandoque nundinæ. Cic. Attic. I. 14. *Res agebatur in circo Flaminio: & erat in eo ipso loco illo die nundinarum πανήγυρις.* In eodem collocabantur plura templa, collocabantur & ædes; de quibus suis locis; id quod non de ipsa *circi* area capiendum; sed de lateribus exterioribus, quibus sacræ illæ ædes acclinabantur. *Borrich. ibid. c.* II. §. 2. Erat in humili Capitolium inter & Tiberim situs loco, & non raro inundabatur stagnante fluvio; hinc, ut populo, cui *præter panem & Circenses* nihil adeo in deliciis secundum Juven. Sat. X. 81. obtemperaretur, in vallem sub Quirinali Apollinares ludi interea translati sunt. Liv. XXX. 38. *Ita abundavit Tiberis, ut ludi Apollinares circo*, Flaminio, *inundato, extra portam Collinam ad ædem Erycinæ Veneris*, in Sallustii hortis sitæ *parati sint.* Borrich. ibid. c. 8. §. 5. Bello Gothico Italico, sub Imperatore Justiniano, a Belisario & Narsete gesto, quo circenses ludi fieri desierunt, disjectum fuisse haud levis est conjectura. *Panvin. l. l.*

Circus Floræ. Fulvius scribit, *circum* fuisse ad ædem S. Laurentii in Fonte in vico Patritio, cujus ipse viderit sedilia: *Cujus*, inquit, *forma, ac sedilium vestigia adhuc apparent inter Viminalem montem, & Esquilias, juxta viam Suburam, ubi nunc est ædes S. Laurentii in Fontana.* Negat Marlianus; quoniam is vicum Patritium, vel partem Suburæ interclusisset. Attamen *circus* ille ita ad unum viæ latus constructus esse potuit, ut vicus ab altero latere flexu quodam illum more veteri circumierit. Donatus pro *circo* theatrum fuisse censet, non in spectaculorum usum ædificatum, verum in ornamentum alicujus fontis. Alexand. Gen. VI. 8. ludos Florales in vico Patritio olim celebrari solitos scribit. Unde hoc acceperit, in obscuro est. Attamen habeatur illi fides. Ita *circus* ille, ut Fulvius voluit, sive aliud qualecunque genus ædificii, nonnisi in ludorum istorum usum exstructum esse potuit. At *circus* Floræ in valle, cui nunc Areæ Grimanæ nomen fuit, & hic loci esse non potuit. Observavi ludos illos pluribus diebus celebrari solitos, diversisque temporibus, nempe a. d. 28 Aprilis, & primis tribus diebus Maji, vario spectaculorum genere, gestibusque ac motibus lascivis nudarum meretricum, & imbellium animalium venatione, cujusmodi sunt damæ & lepores: quæ venationes a nudis exerceri nequivere. Unde rationi mihi videtur consentaneum, pluribus ac diversis illa spectacula fuisse locis exhibita. Festum Aprilis lascivis erat saltationibus dicatum, ut testatur Ovid. Fast. IV. 945.

Mille venit variis Florum Dea nexa coronis:
Scena joci morem liberioris habet.

Ideoque meretrices in his ludis mimæ appellatæ fuerunt, ac si de scena fuissent. Val. Max. II. 5. *Cum ludis Floralibus, M. Catone spectante populus, ut mimæ nudarentur, postulare erubuisset, Cato cognito illo e theatro discessit.* His vero ludis, spectaculoque saltationum & gestuum impudicorum *circus* minime conveniebat, cujus spatia solis apta venationibus, & curulibus erant certaminibus. Commodius

modius multo theatrum fuit: theatrum vero fuisse Valerius indicat, cum ait: *e theatro discessit*: ut & Mart. I. 29.

Nosses jocosæ ludicrum sacrum Floræ,
Festosque lusus, & licentiam vulgi.
Cur in theatrum Cato severe venisti?

Nec non Auson. Eclogar. XVII. 25.

Nec non lascivi Floralia læta theatri.

Quare ædificium illud, quod in vico Patritio fuit, theatrum potius quam *circum* fuisse existimandum est; id est, non istius longitudinis, ut pars quædam populi a saltantibus meretricibus longius remota esset. Et quia suis numeris, seu partibus absolutum non fuit, deficiente nempe scena, in qua dramata agebantur, scenæ saltem imaginem habuit; & is locus, ubi meretrices saltatione gesticulationibusque populum oblectabant, scena appellata fuit. Inde legas in Valerio: *Populus priscum morem jocorum in scenam revocavit.* Et *scena* dicitur Ovid. l. l. Cæteri vero ludi Florales mense Majo in *circo* fiebant. Ovid. Fastor. V, 189.

Circus in hunc exit, clamataque palma theatris:
Hoc quoque cum circi munere carmen eat.

Quid in *circo* exhibitum sit, idem docet ibid. n. 371.

Cur tibi pro Libycis clauduntur rete leænis
Imbelles capreæ, sollicitusque lepus?
Non sibi, respondit, sylvas cessisse, sed hortos.

Ut igitur in ludis Floralibus mensis Maji *circus*, qui in area Grimana est, caprearum & leporum inserviebat venationi, ita festo Aprilis theatrum vici Patritii nudarum meretricum improbos ac impudicos ostendebat jocos. *Nardin. Rom. Vet.* IV. 3. & 7. Commentum hoc est subtilius, quam solidius. I. Alexandri auctoritas, cum nulla se veterum muniat auctoritate, imbelle telum est; quod de loco ipse dubitet Nardinus. II. Ludi Florales non erant duplices; sed pars eorundem prima in finem Aprilis incidebat, pars ultima in Maji initium. Ovid ibid. n. 183.

Mater ades florum ludis celebranda jocosis,
Distuleram partes mense priore tuas:
Incipis Aprili, transis in tempora Maji,
Alter se fugiens, cum venit alter, habet.
Cum tua sint, cedantque tibi confinia mensum,
Convenit in laudes ille, vel iste tuas.
Circus in hunc exit. . . . .

III. Ovidius uno textu sermonis meretricios & venatorios illos ludos conjungit, nullo locorum discrimine annotato. His accedit, quod venationes illæ non fuerint sævientium bestiarum, sed lepusculorum, caprearumque, animalium non nisi in Venereis bellicosorum. Ovidius jam laudatus. Cato e theatro discessit ludorum Floralium, non e *circo* Floræ. Et tamen salva res est. *Circus* enim non est nisi theatrum oblongius, ut adeo curæ non fuerit, sive Valerio, sive Martiali *circum* a theatro religiose hic distinguere. Quid, quod si presse discrimen urgeat Nardinus, hoc ipso causa cadet; nam cum diserte *circi* vestigia sibi in vico Patritio conspecta Fulvius memoret, non autem theatri, Nardinus oculatum Fulvii testimonium rejicit, & theatrum ibi sine ulla auctoritate veterum ex ingenio collocat. Valerius Maximus Nardinum valde premit; nam Cato, opinor, antequam theatrum ingrederetur, explorate noverat, meretrices ibi nudari; sed una sciebat & venationes leporum dari, caprearumque, missilia cicerum fabarumque spargi, & alia ludicra celebrari: hæc ad spectaculum Catonem invitaverant, non illa meretricia, alioquin in suetam sibi severitatem iniquior merito fuisset existimatus, ut proinde acumen suum perdat Martialis jam laudatus. *Borrich. Ant. Urb. Fac. c.* 7. §. 4. 5.

Circus intimus erat inter figulos post vicum vitriariorum. Ejus vestigia exstant in vineis Tiberi adjacentibus. *Marlian. Topogr. Urb. Rom.* IV. 1. Antiquiore nomine *Circus ad Murtium vocatus est, ut Procilius ajebat, ab urceis, quod is locus esset inter figulos. Alii esse dicunt a murteto declinatum, quod ibi id fuerit, cujus vestigium manet, quod ibi sacellum etiam nunc Murtiæ Veneris.* Varr. de Ling. Lat. IV. 32. *Fabric. Descr. Urb. Rom. c.* 12. qui male apud Varronem *Circus ad murum* legit. *Buleng. de Circ. c.* 4.

Circus Julii Cæsaris complectebatur eum locum, qui est a Mausoleo Augusti usque ad montis vicini radices. *Boissard. Topogr. Urb. Rom. Tom.* 1. *p.* 49.

Circus Maximus, & qui etiam intelligitur, licet nihil aliud addatur: ut fori appellatione Romanum accipimus: campi vocabulo Martium. *Fabric. Descript. Urb. Rom. c.* 12. Appellabatur quondam *vallis Murtia.* Auctores sunt Liv. I. 33. *Latinis in civitatem acceptis, ut jungeretur Palatio Aventinum, ad Murtiæ datæ sedes.* Varro. V. illum supr. in *Circus intimus.* Buleng. de Circ. c. 2. Imo *Martia.* Cassiod. Var. III. 7. *Sed mundi dominus ad potentiam suam opus extollens mirandam etiam Romanis fabricam in vallem Martiam tetendit Augustus.* Nec est, quod Cassiodorum corruptum putet Bulengerus de Circo c. 2. Non enim in solo illo ita legitur; sed & in Claud. de Laudib. Stilich. II. 404.

Ad cœlum quoties vallis tibi Martia nomen
Ducet Aventino, Pallanteoque recessu.

Nec non in Symm. Epist. X. 22. *Malo fremitum Martiæ vallis exponere, ac illam quadrigarum distributionem.* Quare vel hi quoque vitio impliciti esse credendi sunt, vel, tametsi illic locus aliquis exstitit a *murteto Murtius* appellatus, credendum verum nomen totius vallis fuisse *Martiæ* ab Anco forsan Martio, quum prolatis ultra Palatinum mœnibus incolendam eam acceptis in civitatem Latinis dedit, ut paullo ante e Livio habuimus. Verum utrum Murtia, an Martia dicta fuerit, parum refert. *Nardin. Rom. vet.* VII. 2. Romæ apud Latinos aliquando ob rei similitudinem *stadium* dictus est, quod tamen nomen Græcorum potius fuit; nam quod Latini *circum*, ipsi stadium, vel agonem vocavere. Suetonius refert in Domit. c. 5. n. 3. ipsum Romæ exædificasse inter cætera *Flaviæ gentis templum, & stadium, & odeum.* Panvin. de Lud. Circens. II. 1. A Romulo exstructum & instructum scribit Cedren. p. 121. *Romulus condit primum circum Romæ in honorem Solis. Per duodecim ostia duodecim domos zodiaci designat: per spatium ipsum & solum universum terram: per euripum mare, quod terram mediam amplectitur: per metam, quæ est ad ostia, ortum: per eam quæ est in funda juxta ultimam metam occasum.* Sed res Romanæ tum temporis adeo tenues fuerunt, ut ea magnificentia id temporis a Romulo *circus* exstrui non potuerit. In undecima Urbis regione, quæ *Circus Maximus* dicta, nihil tam celebre quam ille *circus.* Pulcerrimum enim, cum adornaretur, opus, & in admirandis Urbis operibus prodeuntibus temporibus futurum fuisse scribit Dionys. Halic. III. p. 200. Simile quiddam habebat literæ Pythagoricæ, quippe extra portam Flumentanam exorta, ad radicem Aventini, ubi schola Græca, in duo veluti brachia dividebatur, quorum sinistrum constituebat vallis illa Aventinum inter & Palatinum, quæ *circorum* hodie vocatur, ubi situs adhuc maximi *circi* observatur; excurrens ad templum S. Georgii, dextrum angusta illa via Aventinum inter & Tiberim; desinens ad portam olim Trigeminam. *Nardin. ibid. c.* 1. *Borrich. l. l. Boissard. Topogr. Urb. Rom. Tom.* 1. *p.* 31. *Kipping. Antiq. Roman.* II. 6. §. 1. *Lyd. Agonist. sacr. Proleg. p.* 5. In ea valle primum ad equorum & curruum procursum & certamen a Tarquinio Prisco institutus fuit: non ex stabili ædificio, sed ex asseribus & tabulatis ligneis, exstructis non a Rege Tarquinio, sed ab ipsis privatis Senatoribus, Equitibusque in usum proprium. Liv. I. 35. *Tunc primum circo, qui nunc maximus dicitur, designatus locus est, loca divisa Patribus Equitibusque, ubi spectacula sibi quisque facerent, fori appellati. Spectavere furcis duodenos ab terra spectacula alta sustinentibus pedes.* Dionysius jam laudatus contra stabilem eum a Tarquinio factum asserit, & sedilia illi addita: *Idem Tarquinius primus in circo maximo,*

inter Palatinum & Aventinum montes ſito, primo circumquaque operta tecto fecit ſedilia: nam antea ſtantes, ſpectare ſolebant furcis tabulata ſuſtentantibus. Sed hi facile conciliantur. Livius enim de primis ibi celebratis ludis loquitur devictis Latinis, quum ſibi quiſque foros exſtruxit. Dionyſius vero poſt illos *circum* ſtabilem a Tarquinio exædificatum eſſe aſſerit, cui ſua conſtat fides. Erat multo longior quam latior: cujus longitudinis principium rectum erat, extremitas orbicularis, inſtar theatrorum, a quibus ſola longitudine differebat, & quod pro ſcena habebat carceres: reliquum eodem modo porticibus cinctum, ſupra quas interius ſedilia erant, ut in theatris & amphitheatris lapidea gradatim adſcendentia, quemadmodum hodieque ex eorum veſtigiis liquet in amphitheatro Titi. *Nardin. & Panvin. l. l. Buleng. de Circo c. 32. Goltz. de Orig. pop. Rom. p. 271. Caſal. de Urb. ac Imper. Roman. ſplend. part. 2. c. 3. Pigh. Annal. Rom. 1. p. 43.* Longitudo Dionyſ. III. p. 200. erat ſtadiorum trium & dimidii, id eſt, pedum 2187. & dimidii, latitudo continebat quatuor jugera. Plin. XXXVI. 15. diſſentit a Dionyſio, quod ad longitudinem. *Circum* enim *maximum dicit a Cæſare Dictatore exſtructum longitudine ſtadiorum trium, latitudine unius; ſed cum ædificiis jugerum quaternum ad ſedem 260 millium.* Hi facile conciliari poſſunt. Nam Plinius interius tantum ſpatium ſine ædificiis dimenſus eſt in longitudine, nec illam cum ædificiis conjunctim expreſſit, ſicut fecit in latitudine. Dionyſius vero totam una cum ædificiis & porticibus tam longitudinem, quam latitudinem expoſuit. Spatium enim porticuum dimidium ſtadium occupavit, ut e latitudinis proportione liquet. *Nardin. Donat. Borrich. l. l. Marlian. Topogr. Urb. Rom. III. 17. Faunus Antiq. Urb. Rom. III. 9. Volaterr. Comment. Urban. XXIX. p. 1092. F. Panciroll. Deſcr. Urb. Rom. Theſ. Antiq. Roman. Græv. Tom. III. p. 366. C.* Halicarnaſſeo hominum millia centum & quinquaginta, Plinio millia ducenta & ſexaginta, Victori in regione ſecunda trecenta & octoginta quinque millia dicitur potuiſſe admittere. Quæ vera, ſi diſtinguantur tempora. De Tarquinii & Reipublicæ ſeculis intelligendus Halicarnaſſeus, quamvis videatur loqui de ſuo, hoc eſt, Auguſti ævo. Julius Cæſar amplificavit, addito Euripo; forſan verſum unum, aut alterum gradum adjecit. Certe capaciſſimum fuiſſe tandem teſtabitur illud Juven. Sat. XI. 195.

Totam hodie Romam circus capit.

Borrich. & Panciroll. l. l. Hunc ramentis lapidis albi ſtraverunt. Plin. XXXVI. 22. *Invenere & alium uſum* hujus lapidis *in ramentis quoque circum maximum ludis circenſibus ſternendi, ut ſit in commendatione candor.* Minio & chryſocolla Caligula, & chryſocolla Nero. V. ſupr. in *Chryſocolla*. Buleng. ibid. c. 2. Fabric. l. l. Pancirol. ibid. p. 367. B. Scobe auri, atque argenti Heliogabalus; dolens quod non poſſet & electri. Id quod ſcribit Lampridius. *Fabric. & Faunus l. l.* Qui hoc ſcribunt quidem; ſed nihil tale apud Lampridium legi, quod inter *circi* maximi ornamenta referendum videatur. *Donat. l. l.* Pars *circi* exterior, ſeu convexa, ſimplici, teſte Dionyſio, porticu ambiebatur: in qua infra officinæ, ſeu tabernæ negotiantium: & in ſuperiore parte cellæ, per quas absque impedimento in *circum* aditus erat. Ita & Tacit. Ann. XV. 38. 2. Neronianum incendium incepiſſe ait *in ea parte circi, quæ Palatino Cœlioque montibus contigua eſt, ubi per tabernas, quibus id mercimonium inerat, quo flamma alitur, ſimul cœptus ignis, ac ſtatim validus, ac vento citus, longitudinem circi corripuit.* At ſi exteriora porticus, interiora ſedilia aperta, vel tecta contignationibus occupavere, quis tabernis & cellis locus? Quod ſi namque porticus ſimplex extrinſecus in plano ſolo fuerit, tabernas intra porticum fuiſſe conſequitur, ſupraque eas poſita ſedilia. Cellas vero ſuperiores, quæ ſine dubio ſpectantibus non fuerunt impedimento, in ſuprema parte credo porticus conſtructas exterioris: contra quam Ligorius ſenſit, ut e delineatione ejus apparet: habeoque auctorem in hanc ſententiam Dionyſium, quum ait: *Externe ambit circum ſimplex contecta porticus habens officinas, & ſuperne cellas.* Nardin. & Borrich. l. l. Ampliſſimis ædificiis, porticibus, & templis a Tarquinio Priſco, & aliis viris principibus ornatus eſt: In fragmentis antiqui Kalendarii Veneris, & Summani templa ad *circum* maximum ſita fuiſſe dicuntur. V. & infr. in *Templum*. Ad eundem ædes fuit Juventutis. V. ſupr. in *Ædes*. Etiam Hercules a Myrone factus *fuit in æde Pompeji magni apud circum maximum* apud Plin. XXXIV. 8. Ibidem erant lupanaria. Lamprid. Heliog. c. 26. *Omnes de circo, de theatro, de ſtadio . . . . meretrices collegit.* Juven. III. 65.

— & ad circum juſſas proſtare puellas.

Ad *circum* maximum ſignum Vertumni fuit *in ultimo vico thurario, ſub baſilicæ angulo*, ut ait Aſcon. in Cicer. p. 107. Fuit etiam Velabrum. Plutarch. in Romul. p. 20. B. *Quod qui munus populo exhibent, inde velis viam, quæ a foro fert in circum maximum, adumbrent.* Nec non ſacra *cornus*. V. infr. in *Cornus*. Buleng. ibid. c. 2. Ad eundem res furto ſublatæ ſub crepuſculi tempus vendebantur: quod in Horat. Sat. I. 6. 113. cum *circum veſpertinum* vocat, annotavit Helenius. Servi per *circum* nuces, & fractum cicer clamando ſolebant circumferre: item in cortinis aquam portare, quam eſurienti, ſitientique plebi venderent. Ad illud reſpexit Horat. de Art. Poet. n. 249.

Nec, ſi quid fricti ciceris probat & nucis emptor.

Alterum Plaut. Pœn. V. 5. 11.

Ita replebo atritate, ut atrior multo ſies,
Quam Ægyptii, aut qui cortinam ludis per circum ferunt.

Fabric. l. l. Incendio Neroniano, ut vidimus, conſumptus reſtitutus eſt a Veſpaſiano, an a Domitiano incertum: huic tamen potius tribuerim, cum ob animum in ædificando magnificum & promptum; tum quod ſpectaculis Circenſibus valde delectatus ſit, & ludos ſeculares ediderit, quibus, *quo facilius ſeptem miſſus peragerentur, ſingulos a ſeptenis ſpatiis ad quina corripuit.* Suet. c. 4. §. 8. Sed quicquid hujus fuerit, de Trajano certum eſt. Ita enim de illo Dio: *Circum collapſum ampliorem atque elegantiorem reſtituit: quod ideo ſe feciſſe inſcripſit, ut populum Romanum capere poſſet.* Suet. Dom. c. 5. §. 3. principatu Trajani, vel Hadriani, non collapſum, ſed incendio conſumptum dicit. *Fecit*, inquit de Domitiano, *naumachiam, e cujus poſtea lapide circus maximus deuſtis utrinque lateribus exſtructus eſt.* Utrum vero id factum fuerit incendio Neroniano, an quo alio exteriore, non exprimit. Plin. Pan. c. 51. §. 3. *Hinc immenſum latus circi templorum pulcritudinem provocat. Digna populo victore gentium ſedes, nec minus ipſa viſenda, quam quæ ex illa ſpectabuntur, cui locorum quinque millia adjeciſti.* Donat. Faunus, & Nardin. l. l. Nulla vi tempeſtatum, ſed hominum opera dirutus eſt. Quicunque illi fuerint, gratiſſimum Deo Opt. Max. feciſſe exiſtimari debent. Quando, ut auctor eſt Tertullianus, & ipſemet *circus* Soli προηγουμένως conſecratus fuerat, & ſingula *circi* ornamenta ſingula erant Deorum templa. Ova Caſtori & Polluci, Delphines Neptuno, tres aræ Diis Samothracibus, obeliſci Soli & Lunæ, Euripus Matri magnæ adſcribebatur. Apud metas Conſus ſub terra deliteſcebat. In medio ſpatio ædes Soli conſecrata viſebatur. Nec Murtiæ, hoc eſt, Veneris ſimulacrum aberat. *Bargæus de ædific. Rom. Everſ. Theſ. Antiq. Roman. Græv. Tom. IV. p. 1889. C.* Metas, portas, obeliſcos . . . . V. ſuis locis.

Circus Neronis fuit in valle Vaticana, nimirum in hortis ejus. Tacit. Annal. XIV. 14. 3. *Clauſumque valle Vaticana ſpatium, in quo Nero equos regeret, haud promiſcuo ſpectaculo.* Vallem hanc inter duos colles fuiſſe Janiculum & Vaticanum, ubi nunc Baſilica illa ingens S. Petri eſt, ibidemque Neronem ſuos hortos habuiſſe, ac *circum*, ex obeliſco certum eſt, qui prius ad Secretarium templi; dein a Sixto V. in media area ante templum erectus

ctus est. Plin. xxxvi. 11. *Obeliscus in Vaticano Caji & Neronis Principum circo ex omnibus unus omnino fractus est in molitione.* Quum vero obeliscus adhuc ante Secretarium consisteret Ecclesiæ, meta isthic *circi* fuit: cujus altera pars in longitudinem versus ædem S. Marthæ extensa fuit; altera a gradibus occupatur & turri Basilicæ S. Petri, summa cum ratione eo loci ædificatæ, ubi infinita vis olim martyrum pro religione Christiana occubuit. De his Tacit. Annal. xv. 44. 7. *Pereuntibus addita ludibria, ut ferarum tergis contecti laniatu canum interirent, aut crucibus affixi, aut flammandi. . . . . . Hortos suos ei spectaculo Nero obtulerat, & Circense ludicrum edebat, habitu aurigæ permixtus plebi, aut curriculo insistens.* Nardin. Rom. Vet. vii. 13. Marlian. Topogr. Urb. Rom. v. 21. Fabric. Descr. Urb. Rom. c. 12. Donat. de Urb. Rom. iii. 23. Blond. Rom. Instaur. iii. §. 17. Casal. de Urb. ac Imper. Roman. splend. part. 2. c. 3.

Circus Sallustii erat, qui hodie vestigia sua prope Collinam portam in angustiori valle Quirinalem inter & Pincium ostendit. *Borrich. Ant. Urb. Fac. c.* 8. §. 5. *Casal. de Urb. ac Imper. Roman. splend. part.* 2. *c.* 3. Ad Urbis mœnia complanato procurrit solo, ubi horti Ludovisiani sunt, & declivis idem, ab illis se demittit in vallem. *Donat. de Urb. Rom.* iii. 15.

Circus Vaticanus, alias Caji & Neronis, in quo obeliscus pedum erat 72. *Panvin. Descr. Urb. Rom. Thes. Antiq. Roman. Grav. Tom.* iii. *p.* 312. *B.* V. supr. in *Circus Neronis.*

Circus est palus humi defixus, circa quem milites ludentes circumeunt. Varro de Ling. Lat. iv. 32. *Itaque dicunt in Cornicularia milites, ad vectim, quem circumeunt ludentes:*

Quid cessamus ludos facere? circus noster ecce adest.

Buleng. de Circ. c. 2. Voss. Lex. Etymol. Utrobique potius translatio est. Simili translatione Posidippus apud Athenæum lusit

Ἱππόδρομος οὗτός ἐστι σοὶ μαγειρικῆς.

Plautus ipse Mil. iv. 2. 1.

Iamne est ante ædes circus? ubi sunt ludi faciundi mihi.

Quod autem hic vectim in terra destitutum esse cognoscimus, quem milites circumeant: fortasse est ex vulgato exercitamenti genere in militia veteri: quod milites ad palum se exercerent. Qui locus veteribus *Palaria* dicebatur, ut ait Sosip. Charis. Instit. p. 21. edit. Putsch. *Scalig. Conj. in Varr. p.* 63. *Voss. l. l.*

CIRNEA erat vas vino capiendo destinatum. Plaut. Amph. i. 1. 273.

Cadus erat vini: inde implevi cirneam.

Κιρνάσθαι Græcis est miscere, & vinum invergere. Alcæus:

Ἐκ δὲ κιρνᾷς οἶνον ἀφειδέως.

Hoc verbum vino peculiare est, & apud Hesychium: κιρνᾷ, οἰνοχοεῖ exponitur. Vocem hanc agnoscit, sed perperam per y scriptam circumfert Nonius xv. 29. *Barth. Adv.* i. 19. *Voss. Lex. Etymol. Buleng. de Conviv.* iv. 11.

CIRRATÆ erant vestes militares. Capitol. Pertin. c. 8. *Vestis per cirratas militares.* Vel villosæ & hirtæ. Ita *cirratas* possumus interpretari villosas, καὶ ἀμφιμάλλους, quas & μαλλωτὰς Græci vocant. Veteres Glossæ: *μαλλὸς, cirra, villus; μαλλωτὸς, villosus.* Hinc vestes *bicirres*, quæ ab utraque parte *cirros* habent & villos. Glossæ: *bicirres, δίμαλλοι, δίκροσσοι. Salmas. Casaub. & Donat. in Capitolinum.* Vel etiam fimbriatæ. Nam lacernæ & penulæ militum fimbriatæ. Vetus interpres Persii Sat. i. 29. *Lacerna pallium fimbriatum, quo olim soli milites velabantur. Cirratum* vero pro fimbriato satis dicitur, & *cirrus* pro fimbria. *Salmas. Exerc. Plinian. p.* 131. *b. E.* 536. *C. & l. l. Ferrar. Anal. de Re Vest. c.* 17. *Voss. Lex. Etymol.*

Cirrati dicebantur pueri. Pers. Sat. i. 29.

Ten' cirratorum centum dictata fuisse
Pro nihilo pendas?

Hieron. adv. Rufinum: *Quasi non cirratorum turba Milesiorum in scholis figmenta decantet*, quia *cirros*, id est, cincinnos alebant, qui grandioribus tondebantur. Ammianus: *Cirros puerorum licentius detondebat.* Erant & *cirratæ* puellæ. Ammianus: *Feminas affatim multas spectare cirratas [illegible], si nup[illegible] per ætatem ter jam nixus poterat [illegible] liberorum.* Turneb. Adv. xxviii. 26. Voss. Lex. Etymol. Junius de Com. c. 4.

CIRRI sunt fimbriæ, seu villi, qui vestibus prætexuntur, & per extimam vestis oram dependent. Phædr. ii. 5. 11.

Ex alticinctis unus atriensibus,
Cui tunica ab humero linteo Pelusio
Erat destricta, cirris dependentibus.

Cirros κροσσοὺς interpretatur vetus magister. *Salmas. Capitol. Pertin. c.* 8. *Voss. Lex. Etymol. Scheffer. & Gudius in Phædrum.* Diversi sunt a fimbriis, quas nomine inde facto appellamus *frangias.* Recti sunt villi ac discriminati circa extimas vestium oras, nullo modo constricti. *Cirri* vero villi plures in nodum coacti, & ab extremitate vestis descendentes. *Salmas. Exerc. Plinian. p.* 536. *a. C.*

Cirri sunt capilli, sed non proprie crispi, qui rectæ comæ opponerentur. *Cirro* crispulos vocat Seneca Epist. 66. Inde colligas non esse crispos, nisi hoc addas. Verum in nodum religati. Et *cirrati* dicuntur non a crispulis capillis, sed quod nodo haberent religatam comam in vertice. Horat. Epod. xi. 40.

Sed alius ardor, aut puellæ candidæ,
Aut teretis pueri,
Longam renodantis comam.

Claudian. Honor. Consul. vi. 527.

Substringitque comam gemmis.

Virg. Æneid. iv. 138.

—— crines nodantur in aurum.

Salmas. Exercit. Plinian. p. 535. G. Voss. Lex. Etymol. Junius de Com. c. 1. Vocantur etiam annuli. V. supr. in *Annulus.*

CIS.

CISIARIUS est, qui *cisio* moderatur. *Victor. Var. Lect.* xxxvii. 1. Ulpian. in leg. 13. ff. Locat. *Item quæritur, si cisiarius, id est, carrucharius, dum ceteros transire contendit, cisium evertit, & servum quassavit, vel occidit: puto ex locato in eum esse actionem.* Scheffer. de Re Vehic. ii. 18. Pignor. de Serv. p. 433. Thys. in Gell. vii. 11. Blond. Triumph. Rom. ix. p. 199. D.

CISIUM est genus vehiculi gestatorii, auctore Nonio Marcello. *Pincian. in Senec. Epist.* 72. Ex vehiculis enim alia gestatoria sunt ad vectandos homines, veluti cisium. . . . . *Coras. Misc.* iii. 20. Qui gestatorium vehiculum accipit pro eo, quo vehuntur homines, & opponit onerariis. Et fortassis etiam ita Pincianus. Verum aliter fecerunt veteres. Gestatoria vocarunt, quæ portantur, & opposuerunt illis, quæ trahuntur. Nihil tale quoque Nonius Marcellus. Qui ii. §. 139. ait *biroti genus esse.* Ejus meminit Cicer. Phil. ii. 31. *Inde cisio ad Urbem celeriter advectus, domum venit capite involuto.* Incessit itaque rotis, non fuit gestatum. Et rotas habuit tantum duas. Fuit in illo capsum V. supr. in *Capsus*, quale veteres vocarunt ploximum. Festus: *Ploximum ait appellari Catullus capsum in cisio, capsave, cum ait: gingivas vero ploximi habet veteris.* In illo ex virgultis contexto vehentes sedebant. Trahebatur a mulabus. Virg. Catal. in Sabinum n. 1.

Sabinus ille, quem videtis hospites,
Ait fuisse mulio celerrimus:
Neque ullius volantis impetum cisi. . . . .

Qui & nominatim mulas appellat:

— leva, ſive dextra,
Stringere mulas, ſive utrumque cœperat.

Et quidem tribus. Auſonius ideo *trijuge ciſium* appellat Epiſt. VIII. Vehebantur illo viri. Colligimus ex Cicerone, Auſonio, auctore carminis de Sabino, qui ubique quando *ciſiorum* mentionem faciunt, viros tantum memorant in ipſis, nunquam feminas. Pertinebat ad itinera extra Urbem cum celeritate facienda. Cicer. pro Sext. Roſc. c. 7. *Decem horis nocturnis ſex & quinquaginta millia paſſuum ciſiis pervolavit.* Et jam ſupra laudatus Phil. II. 31. Et auctor de Sabino jam prolatus. *Scheffer. de Re Vehic.* II. 18. *Bud. in Pand. p.* 166. *E. Pignor. de Serv. p.* 433. *Thyſ. in Gell.* VII. 11. *Beroal. Annot. c.* 64. *Philand. in Vitruv.* X. 1. *Voſſ. Lex. Etymol.*

CISPIUS *mons in Urbe Eſquilinæ regionis, de nomine cujuſdam hominis dictus.* Feſtus. Eſt alter vortex Eſquiliarum; *Eſquiliæ* enim, ut Varro de Ling. Lat. IV. 7. *duo montes habiti*, clivo Suburrano ab Oppio diſcretus, ubi templum S. Mariæ cognomento Majoris: ad quam fuit templum Junonis Lucinæ. Feſtus ex Varrone in Septimontium: *Ciſpius a Lævo Ciſpio Ananigno, qui ejuſdem rei cauſa eam partem Eſquiliarum, quæ jacet ad vicum Patritium verſus, in qua regione eſt ædes Mephitis, tuitus eſt.* Donat. de Urb. Rom. III. 9. Nardin. Rom. Vet. II. 2. Alexand. Gen. VI. 11. Oiſel. in Gell. XV. 1. Beroal. Annot. c. 55.

CISSYBIUM cenſebatur inter pocula menſaria. Κισσύβιον ὃ κισσὸς περιέχει *quod hedera ambiat*, Pollux. VI. 16. Hoc poculi genus eo uſque fuit vernaculum, ut factum fuerit ἀγροικικὸν ποτήριον, *agreſtis, ſive agricolarum calix.* Paſchal. de Coron. I. 17. Demſter. Paral. Ant. Rom. Roſin. V. 30. Muſon. Philoſ. de Luxu. Græcor. c. 3. Athen. XI. p. 476. F. ſcribit ita appellari, non quod hederaceis foliis circumdatum, ſed quod ex hederæ ligno effictum eſſet: & addit altera tantum parte fuiſſe auritum. Poculum erat Bacchi. Cæterum apud Nonnum XIX. ſaltationum præmia a Baccho proponuntur maximi crateres aurei, & argentei hedera ornati. Ac ſane id ornamenti genus poculis indebatur, quare Treb. Poll. c. 17. ex epiſtola Gallieni exhibet *diſcum corymbiatum, lancem pampinatam, pateram hederatam ex argento.* Aleand. Explic. Tab. Heliac. Theſ. Antiq. Roman. Græv. Tom. V. p. 713. A. Stuck. Ant. Conviv. III. 12.

CISTERNÆ ſunt in noſtro veſtigio ad regulam Vitruvii deſcriptæ triplici ordine conſtructæ, quorum quilibet quatuor, vel plures videtur habere *ciſternas*, interjectis cuniculis connexas, ut percolationibus de uno in aliud receptaculum puriores & ſalubriores aquæ redderentur. Vitruvius cum loquitur de aquis ducendis a ſuperioribus locis VIII. 7. *Ea autem loca ſi duplicia, aut triplicia facta fuerint, uti percolationibus aquæ transſmutari poſſint, multo ſalubriorem ejus uſum efficient; limus enim cum habuerit, quo ſubſidat, limpidior aqua fiet, & ſine odoribus conſervabit ſpiritum.* Proximum e regione veſtigii fragmentum indicat *ciſternas* Titianas, vulgo *le ſette ſale*, in quibus continebantur aquæ ad uſus thermarum Titi Imperatoris in Exquiliis. Novem ſunt *ciſternæ* cum aperitionibus obliquis de una in aliam: quarum ichnographiam integram, & rationes cognoſces apud Serlium in libro de Architectura. *Bellor. Fragm. Veſt. Vet. Rom. Tab.* XVII.

CISTIS utebantur veteres in myſteriorum ſacrificiis. Pſyche apud Apulej. Met. VI. p. 174. *per tacita ſacra ciſtarum* ſupplicat. Unde idem XI. p. 373. *Ferebatur ab alio ciſta ſecretorum capax, penitus celans operta magnificæ religionis.* Tibull. I. 8. 48.

Et levis occultis conſcia ciſta ſacris.

Et præcipue in Bacchi Orgiis, ſacriſque Iſidis & Oſiridis occultandis. Catull. LXIV. 259.

— celebrabant Orgia ciſtis,
Orgia, quæ fruſtra cupiunt audire prophani.

Turneb. Adv. XVI. 4. Saubert. de Sacrif. c. 17. Pius Annot. Prior. c. 9. Vives in Auguſt. de Civ. Dei VII. 20. Rittersh. in Oppian. Κυνηγ. IV. 242. & 267. Beroal. in Apul. VI. p. 643. Eggeling. Myſter. Cerer. & Bacch. Theſ. Antiq. Græcar. Gronov. VII. p. 70. B. Petav. in Themiſt. Orat. p. 647. Valeſ. in Mauſſac. Diſſert. critic. in Harpocrat. p. 81. 2. Ut igitur Cretenſes ſe Bacchicorum Orgiorum inventores eſſe ſignificarent, *ciſtam* myſticam cum ſerpente in nummis ſuis ſignarunt. Patet hoc ex marmoribus antiquis, in quibus Bacchantium chori expreſſi ſunt, ubi ſemper *ciſtula* aliqua cum ſerpente incluſo cernitur; ut Romæ in vaſis marmoreis quæ exſtant in hortis Juſtinianeis. Eandem ob rationem etiam Macedones *ciſtam* myſticam aliquando nummis ſuis impreſſerunt, ut apud Goltz. in Græcia tab. 34. quia & ipſi Orgia hæc apud ſe inventa gloriabantur. Hinc & Baſſarides feminæ Bacchi comites vocantur Μακέται. *Ruben. de numm. Aſia recepta. Theſ. Antiq. Romanar. Græv. Tom.* XI. *p.* 1372. *E. Meurſ. Eleuſin. c.* 25. V. ſupr. in *Baſſarides.* Et in comitiis. V. infr. in *Sitella.*

CIT.

CITATIO appellabatur in militia imperium, vel ſignum vocale in militia, quo ad belli munia milites *ciebantur.* Hygin. de Caſtramet. *Ut una teſſera ſuo vocabulo citationes audiant.* Tacit. Hiſt. II. 29. 3. *Omiſſo tubæ ſono, quo miles ad belli munia cietur.* Virg. Æneid. VI. 165.

Ære ciere viros, Martemque accendere cantu.

Schel. in Hygin. Theſ. Antiq. Roman. Græv. Tom. X. p. 1106. E.

CITERIA *appellabatur effigies quædam arguta & loquax, ridiculi gratia*, quæ in pompa vehi ſolita ſit. Cato in M. Cæcilium: *Quid ego cum illo diſſertem amplius, quem ego denique credo in pompa vectitatum ire* (iri Scaliger) *in ludis pro citeria, atque cum ſpectatoribus ſermocinaturum?* Ex illo etiam Mart. XIV. 182. ex quo apparet ex luto *citeriæ* fuiſſe perſonam:

Ebrius hæc fecit terris puto monſtra Prometheus:
Saturnalitio luſit & ille luto.

Argol. in Panvin. de Lud. Circ. II. 1. Junius de Pictur. II. 8. Alex. Gen. VI. 6. Voſſ. Lex. Etymol. Blond. Triumph. Rom. II. p. 53. A.

CITHARA, κιθάρα, pro quo & κίθαρις dicitur. Sed κίθαρις Æolicum eſt, eoque προπαροξύνεται. Sic Euſtathius. At Ammonius vult, κίθαριν eſſe λύραν, eaque utentes dici κιθαριστὰς & λυρῳδοὺς, ut, qui κιθάρᾳ utantur, ait, κιθαρῳδοὺς nominari. Sed verius profecto eſt κιθαριστὰς dici, qui *cithara* ſine voce modulantur, unde ψιλοκιθαρισταὶ vocati; κιθαρῳδοὺς vero eſſe, qui vocem addunt. Scalig. in Euſeb. p. 179. Tradit Euſtathius, ex antiquis κιθάρα dici quaſi κινοῦσα, ſeu κεύθουσα ἔρωτας. *Voſſ. Lex. Etymol. Buleng. de Theatr.* II. 36. *Rhodig. Ant. Lect.* IX. 6. Hieronymus exiſtimat, *citharam* effici in modum Δ literæ, cum chordis viginti quatuor, & per digitos variis vocibus, tinnuliſque ictibus in diverſis modis concitari. Eadem dicitur φόρμιγξ. Demetrius Phalereus non abſimilem eſſe ait arcui lunato. *Theognis in medium affert citharam curvam chorda carentem, in eo qui arcu jaculatur: cithara enim periculoſa eſt in arcu, ſed ſi chorda abeſt, ſine periculo eſt.* Buleng. l. l. Spon. Miſc. Erud. Antiq. Sect. I. Artic. 6. p. 23. *Citharam* invenit Apollo, ut quidem Græci volunt apud Pauſan. Eliac. I. p. 162. *Apollo & Mercurius communem habent aram, propterea quod lyræ inventionem Mercurio, citharæ vero Apollini Græcorum ſermo attribuit.* Junius Catal. Archit. Mechan. p. 23. Spon. l. l. Hujus proprium inſigne eſſe *citharam* præter marmora, nummos, plurimoſque auctores teſtatur Serv. Ecl. V. 66. Ubi ſic loquitur: *Lyra ſimulacro ejus additur, ut nobis cœleſtis harmoniæ imaginem monſtret.* Hoc eſt quod eum *cithariſtam* Auguſt. de Civ. Dei I. 5. *pulſatorem citharæ* Valerius Flaccus, & χρυσάορον Græci, ſi fides habenda Scholiaſtæ Homeri Iliad. O. 256. curque

quę citharœdi dicuntur eſſe ἐκ Ἀπόλλωνος καὶ Μουσῶν. *Cuper. Apoth. Homer. p.* 30. Apollo enim muſicus & citharœdus inducitur, quia Sol omnia temperat, ut viſum eſt Georgio Codino in libello de Origin. Conſtantin. & univerſi harmonia eſt. Suidas: *Apollinis ſimulacrum fingunt citharam manibus tenens, quaſi Sol ſit harmonia univerſi.* Aleand. Explic. Tab. Heliac. Theſaur. Antiquit. Roman. Græv. Tom. v. p. 711. E. Ariſt. Orat. in Minervam exiſtimat tibiarum, lyræ, & *citharæ* cantum a Minerva repertum, quæ tibiam uni ex Muſis dederit, lyram Mercurio, *citharam* Apollini. *Buleng. ibid. c.* 22. Plinius tamen VII. 56. *Citharam Amphion: ut alii, Orpheus: ut alii, Linus invenit. Septem chordis additis Torpander. Octavam Simonides addidit. Nonam Timotheus.* De Amphione Plutarch. de Muſic. p. 1131. F. *Heraclides, in libro, in quem res muſicas collegit, citharæ cantum, ejusque artem excogitatam primum perhibet ab Amphione Jovis & Antiopæ filio patre nimirum docente.* Unde & *Amphione* dicitur Heſychio, quia ab Amphione reperta. *Buleng. ibid.* II. 36. Dextra plectrum tenebatur, læva digiti movebantur, ut chordæ plectro percuſſæ varium ſonum ederent. Apul. Flor. p. 791. *Cithara baltheo cælato apta, ſtrictim ſuſtinetur: manus ejus teneræ procerula læva diſtantibus digitis nervos molitur, dextra pſallentis geſtu ſuo pulſabulum citharæ admovet, ceu parata percutere.* Aſcon. in Verr. I. 20. *Cum canunt citharistæ, utriuſque manus funguntur officio, dextra plectro utitur, & hoc eſt foris canere, ſiniſtra digitis chordas capit, & hoc eſt intus canere.* V. ſupr. in *Canere intus.* Quomodo Aſpendius univerſam cantionem intus & ſiniſtra tantum manu complexus fuerit V. ſupr. in *Aſpendius.* Buleng. ibid. c. 39. Quinque erant ejus ſoni, qui ſumma varietate diſtinguebantur, cum ab imo ad ſummum omnibus intenta nervis conſentiret. Quintil. XII. 10. *Cum in cithara quinque conſtituerint ſonos, plurima deinde varietate complent ſpatia illa nervorum, atque iis quos interpoſuerunt, inferunt alios, ut pauci illi tranſitus multos gradus habeant.* II. 8. *Nam ſicut cithara, ita oratio perfecta non eſt, niſi ab imo ad ſummum omnibus intenta nervis conſentiat.* Septem fides a Terpandro additæ ſunt, a Simonide octava, cui nonam ſubjunxit Timotheus. In *cithara* viginti quatuor chordas Hieronymus ponit. Olim tribus tandem chordis uſi. Horat. de Art. Poet. n. 355.

— & citharœdus
Ridetur, chorda qui ſemper oberrat eadem.

Buleng. ibid. c. 41. Conviviis adhibebatur. Plutarch. Symp. VII. 8. *Cithara jam olim ætate Homeri adhibita eſt in conviviis, & amicitiam, conſuetudinemque adeo antiquam non licet diſſolvere, ſed citharœdis ſolis utendum eſt, ut luctum & funebrem comploratıonem e cantilenis ſubmoveant, canentes bene nominata, quæque hominibus epulantibus accommodata ſunt.* Virg. Æneid. I. 744.

— cithara crinitus Iopas
Perſonat aurata.

Val. Flacc. III. 158.

— inſignem cithara, cantuque fluenti
Dorcea, qui dulci feſtis aſſiſtere menſis
Pectine.

Buleng. de Theat. II. 30. & 36. Cerd. in Virgilium, Pignor. de Serv. p. 150. Urſin. Append. ad Ciaccon. de Tricl. p. 372. Imo in illis circumferebatur, & accubantibus ſingulis ordinabatur conviviale genus canticorum. Iſid. II. 15. Heſychius: *Circumferebant in conviviis citharam, & myrteam coronam ad dextrum latus ad quam canebant.* Putean. Reliq. Conv. Priſc. Theſ. Antiq. Roman. Græv. Tom. XII. p. 277. D. Buleng. de Conviv. III. 33. In theatris quoque ſollennis fuit, & eo in pretio ludis Græciæ, ut victori ſtatuæ ponerentur. Dio Chryſoſt. Tharſ. I. *In angiportis, in privatis ædibus, in foro, in theatro, in gymnaſio dominatur res citharœdica.* Xiphil. LXIII. p. 719. C. *Pammenam, qui ſub Cajo floruerat, coegit certare, ut ipſius ſtatuas obtineret, eumque ignominia afficeret.* Buleng. de Theatr. II. 36. *Citharæ* cantu Thales Cretenſis morbos ac peſtilentiam fugavit. *Buleng. ibid. c.* 17.

CITHARISTA dicitur, qui aſſa *cithara* utitur, qui cithara ſine voce modulatur. Heſychius: *Citharistæ, qui crumata & pulſationes edunt.* Buleng. de Theatr. II. 37. Brod. Miſc. II. 14. Camerar. Etymol. v. 3. Bud. in Pandect. p. 94. F. Menag. in Diog. Laert. III. §. 88.

CITHAROEDUS appellatur Latinis proprie fidicen. *Camerar. Etymol.* v. 3. Honore ac dignitate aulœdum antecellebat. Cicer. pro Mur. c. 13. *Ut ajunt in Græcis artificibus eos aulœdos eſſe, qui citharœdi fieri non potuerint.* Brod. Miſc. IV. 30. Illorum peculiaris fuit aurata lacerna. Juven. Sat. X. 210.

Et quibus aurata mos eſt fulgere lacerna.

Cicer. Heren. IV. 47. *Uti citharœdus cum prodierit optime veſtitus, palla inaurata indutus, cum chlamyde purpurea coloribus variis intexta, cum corona aurea, magnis fulgentibus gemmis illuminata.* Pallam purpuream Arioni dat Ovid. Faſt. II. 107.

Induerat Tyrio diſtinctam murice pallam.

Ita illorum habitus fuit tunica talaris & chlamys. Quæ tunica etiam palla dicta videtur in Ciceronis verbis. Nam ſi ibi palla eſſet pallium, quomodo chlamys ſupra pallium ſumeretur. Quod autem ea tunica talaris eſſet, ideo cum ſtola Orpheum inducit Varr. de Re Ruſt. III. 13. *Quintus Orphea vocari juſſit, qui cum eo veniſſet cum ſtola, & cithara, & cantare eſſet juſſus.* Ea tunica talaris diſcincta, quam ὀρθοστάδιον Græci dixere. Dio LXIII. de Neronis habitu *citharœdico.* Nam cum ſtatuiſſet ad *citharam* canere, non ſuſtinuit a Corbulone videri τὸ ὀρθοστάδιον ἔχων. Aliqui hanc tunicam rectam credunt, qualem cum pura toga tyroni & novæ nuptæ indui tradit Plin. VIII. 48. Sed rectas tunicas dici tradit Feſtus, quæ a ſtantibus ſurſum verſus texerentur. Simplicior notatio eſt, quod cum non cingerentur, ſtarent rectæ, ſive non interrupto vinculo deſcenderent. Pollux VII. 13. Χιτὼν ὀρθοστάδιος ὁ ζωννύμενος. Diſcincta ea tunica & fluens: ut mirum ſit Bathyllum *citharœdum* ab Apulej. Florid. p. 791. induci cum tunica cincta: *Eique prorſus citharœdicus ſtatus Deam proſpiciens, canenti ſimilis, tunicam picturis variegatam ad pedes dejectus ipſos; Græcanico cingulo, chlamyda velat utrumque brachium aduſque articulos palmarum.* Tunicam etiam talarem manicatam tragœdis tribuit Lucian. in Jove Trag. τοὺς ποδήρεις χιτῶνας καὶ χλαμύδας. Icaromenip. ſtolam, ſive ſimpliciter veſtem auro ſparſam, ſive intextam. Illis etiam fuit chlamys, ſive lacerna purpurea, auroque diſtincta. Lucian. adv. indoctum p. 383. tradit Euangelum *citharœdum* veniſſe Delphos, ut in agone certaret: habuiſſe ἐσθῆτα χρυσόπαστον & coronam auream gemmis diſtinctam. Mox ſubjicit: *Ipſa purpura quæ auro intexta viſebatur, commendabat hunc cultum mirifice.* Nec tunica ſolum talaris fuit, ſed & chlamys longum ſyrma trahens. Horat. de Art. Poet. n. 215.

— Traxitque vagus per pulpita veſtem.

Ferrar. de Re Veſt. II. 3. 13. Anal. c. 26. Ruben. de Re Veſt. I. 17. Salmaſ. in Tertull. de Pall. p. 469. Figrell. de Stat. Roman. c. 19. Buleng. de Theatr. II. 40. Cerda in Virg. Æneid. VI. 645. Petav. in Themiſt. Orat. V. p. 565. Coronati in theatrum aſcendebant: deinde victores Delphica, aut Pythia corona inſuper donabantur. Lucian. ibid. p. 384. *Prodit Eumelus quidam Eleus, pervetuſtam habens citharam, cujus verticilla erant lignea, & veſtem cum corona vix decem drachmis æſtimandam. . . . . Tu quidem Euangele aurea lauro es redimitus, quia es dives, ego Delphica, quia pauper.* Buleng. de Theatr. II. 1. Suggeſtus erat, ſuffultus gradibus, & velut θεατρίδιον, in quo muſicæ ſpectabantur concertationes. *Argol. in Panvin. de Lud. Circ.* II. 1. V. infr. in *Odeum.* De eventu certaminis ſemper erant pavidi. Arrian. in Epict. II. 13.

[illegible] *solus non angitur, sed ingressus theatrum licet sit vocalis, & bene callens artis suæ, sollicitus tamen est, propterea quod non solum belle cupit canere, sed etiam commendari ab auditoribus. At id in potestate ipsius non est. Pulsare didicit neten, atque hypaten; at collaudatio a multis profecta quidnam sit, & quam vim habeat id, nec didicit, nec in eo cognoscendo se exercuit. Quare ipsum necesse est tremere & expallescere.* Suet. Ner. c. 23. n. 6. *Judices, prius, quam inciperet, reverentissime alloquebatur, omnia se facienda fecisse, sed eventum in manu esse fortunæ: illos ut sapientes, & doctos viros fortuita debere excludere: atque ut auderet hortantibus, æquiore animo recedebat: ac ne sic quidem sine solicitudine taciturnitatem pudoremque quorundam pro tristitia ac malignitate arguens, suspectosque sibi dicens.* Buleng. ibid. c. 39. *Citharœdos* infibulari moris erat. V. infr. in *Fibula.* Erant criniti & comati. Virgilius laudatus in *Cithara.* Apulejus de Bathylli statua Florid. p. 791. *Adulescens est visenda pulcritudine, crinibus fronte parili separatis per malas* [illegible]*: pone autem coma prolixior interlucentem cervicem* [illegible] *finibus obumbrat.* Amphion comatus inducitur a Philostr. Icon. I. *Coma autem per se quoque jucunda, fronti quidem oberrans, una vero cum lanugine ad aurem descendens.* Ideo autem comam nutrientes inducuntur a veteribus, tum ut auricomum Apollinem imitentur Musicæ auctorem, quod Servius etiam monuit, & ad idem alludens dixit Ovid. de Art. III. 141.

Alterius crines humero jactentur utroque:
Talis es assumpta Phœbe canore lyra.

Phœbum cæsariatum, & longis comis conspicuum esse cum caneret, elicio ex Tibull. II. 5. 7.

Sed nitidus, pulcerque veni: nunc indue vestem
Purpuream, longas nunc bene necte comas:
Qualem te memorant Saturno Rege fugato
Victoris laudes tunc cecinisse Jovis.

Tum etiam quia hoc genus hominum perstudiosum est [illegible] quod satis Cicero docet Off. I. in eleganti comparatione, quam ex Musico assumit. *Cerd. in Virg. Æneid.* I. 744. Ubi Iopas *citharœdus* crinitus, quia citharœdi, ut formosiores viderentur, comam nutrire, & colere studiose solebant: ut & pueri. Mart. XII. 49. I.

Crinitæ Line pædagoge turbæ.

Qui & *cirrati* ideo dicuntur a Persio supr. in *Cirrati.* Turneb. Adv. XXVI. 21.

CITORIUS fuit colliculus alter in dextro latere campi Martii, vicinus Horologio. Retro S. Laurentii in Lucina habuit initia. Blondus Rom. Instaur. II. 71. & Pollet. For. Rom. V. I. eum a principio adpellatum putant montem *Citatorum*, quia populus Romanus magistratuum creandorum causa vel eo citatus ad suffragia ferenda accederet; vel quia postquam ea tulerat, illuc conveniret, ne cæteris esset impedimento. Sed nihil ejusmodi legitur apud veteres, & hoc ne speciem quidem veri habet; quum fieri nequiverit, ut tantillus collis omnes populi Romani ceperit centurias a suffragiis datis illuc se receptantes. Sed nec alia in proximo loco plana, & commodiora, capacioraque tantæ deerant multitudinis. Fulvius eum vel *Citatorum* appellat a *citandis* tribubus, vel *Acceptorum* ab *acceptandis* suffragiis, aut etiam *Septorum* a proximis *septis*: creditque eum ex egesta terra natum, quum columnæ Antonianæ in vicinia jacerentur fundamenta. Sed mihi probari non potest, locum tam celebrem, publicisque usibus destinatum, tanta effossæ telluris mole a tam pio fuisse Imperatore occupatum. Nec verisimile est, jaciendis illius columnæ fundamentis tantum terræ egestum, ut hunc collem efficeret, qui sine dubio tum temporis, non secus ac cæteri, multo quam nunc fuit editior. Marlian. Topogr. Urb. Rom. V. 4. rudera potius ingentis ædificii istuc accumulata censet: cujus tamen aliqua, ut theatri Marcelli, si non hac nostra, saltem avorum proavorumque memoria, & ante centum ducentosve annos exstare debuissent vestigia. De quo mox plura. Nam Blondi quidem ætate collis erat & dicebatur: & ædificium tam altum, tamque splendidum, magnificum, ac sumptuosum, quantum ex istiusmodi conjectandum foret ruderibus, tam facile in cineres dilabi non potuit. Contra ea videtur potius alter de duobus esse campi collibus, quos Strabo in vicinia, seu ripa fluminis collocat. Propiora consideremus. Septa ei ab Antiquariis vicina fuisse dicuntur, quanquam de situ ejus in diversa abeant. Tum hæc Macrob. Sat. I. 16. ad animum revocentur: *Ea re candidatis usui fuit, in Comitium nundinis venire, & in colle consistere, unde coram possint ab universis videri.* Non loquitur Macrobius de comitiorum tempore, quo candidati se populo in colle campo Martio vicino conspiciendos præbebant: nec ille collis est Hortulorum, ubi nunc Ecclesia SS. Trinitatis in montibus conspicitur. Nam ex tam longinquo loco nemo a populo dignosci potuit, etiamsi aquilina oculorum acie fuisset: & interjecta inter collem & septa campi ædificia plurima conspectum impedivissent. Septa vero plerique in area columnæ Antonianæ, aut saltem ad fontem Trevium fuisse statuunt. Sed potius de nundinis, quæ nono quoque die in Foro celebrabantur: quo quidem tempore populus omnis ex agris in Urbem confluere solebat: ita ut candidati proximorum comitiorum, quo a populo conspicerentur, in comitium adscenderint, quod Foro imminebat. Non obstat hoc tamen, quo minus ipso comitiorum tempore candidati in collem omnium sese conspectui obtulerint. Quod si vero jam tam *Citorius* exstiterit, propior sane, & ad eam rem aptior alius esse nullus potuit. At si tandem & hic & Jordanus ex egesta terra exorti sunt, ne æqualis amœnissimi campi planities effossa exstruendis fundamentis terra devenustaretur, hoc tamen extra controversiam est, ætate Strabonis, qui sub Tiberio vixit, colles illic saltem duos exstitisse. Quare sive mons *Citorius* collis, sive egesta terra fuerit, sive ædificiorum rudera, indicium nobis hoc fecisse sufficiat, *Citorium* collem illam, quam diximus, dextri campi Martii lateris partem occupasse. Appellatio ipsa etymon manifeste prodit. Centuriæ namque olim in campum convocatæ, singulæ ordine *citari* solebant a præcone, ut septa intrarent, & suffragia ferrent. Hæc autem *citatio* nonnisi in loco editiore fieri potuit, quo præconis vox melius ab omnibus posset exaudiri. Porro in ædibus D. Caroli Eustachii adversus monasterium montis *Citorii* permagna columna vetus est maximam partem terra obruta, quam complures columnam fuisse *Citatoriam* existimant. Quod si verum est, situs sane nullus aptior esse potuit, nimirum in ipso campi margine, & collis clivo, ad introitum Septorum. Verum ad porticum illam quondam Europæ pertinuisse multo mihi videtur verosimilius. *Nardin. Rom. Vet.* VI. 6. *Donat. de Urb. Rom.* III. 16. Qua auctoritate id nobis persuadere illi velint, ne ulla huc usque sane apparuit: nullus etenim apud vetustos scriptores sive mons, sive alius in Urbe locus occurit, qui *citatorum*, vel alia ejusmodi appellatione designetur; sed ea tantum conjectura id assequi nituntur, quod scilicet ad septa omnino pars hæc campi Martii attinuerit: quo & citabatur populus ad magistratus creandos, & suffragia illius ibidem acceptabantur. Unde tamen ejus nomen derivari potuerit, non nostrum est divinare: nisi quis forsan ab Europæ porticu, quæ a Nardino VI. 6. aliisque ibi statuitur, ejus velit vocis originem repetere. Hanc buxo celebrem laudat Martialis. V. illum infr. in *Porticus Europæ.* Inde non improbabile alicui videri possit, quod postquam eadem porticu jam collapsa, sordibus aliunde petitis, atque illic depositis, locus ille ante quartum scilicet seculum montis formam acceperat, adhuc ibi ejusdem porticus buxeta quodammodo virescerent (buxum etenim tam longævæ durationis creditur a Plin. XVI. 40. ut, *& cariem, vetustatemque non sentiens* appelletur) proindeque quod *Cytorum* notissimum Galatiæ montem, qui & buxo insignis, referens, ita fuerit aliquando cognominatus. De hoc monte Plin. XII. p. 375. *Plurima, & optima buxus apud Amastrim nascitur, maxime ad Cytorum.* Virg. Georg. II. 437.

Et juvat undantem buxo spectare Cytorum.

Catull. IV. 11. qui vocem adspirat:

—— nam Cythoriaco in jugo
Loquente sæpe sibilum edidit coma.
Amastri Pontica, & Cythore buxifer.

Quod nos quidem, ut æquius eruditorum judicium subeat, in medium relinquimus. Nec minus profecto de illius origine variæ sunt antiquariorum sententiæ. Volaterranus, & Fulvius tradunt, opinionem eam aliquando extitisse, quod terra ad M. Aurelii columnæ cochlidis fundamenta jacienda effossa, ibique ob vicinitatem exonerata, congestus ille fuerit. Sed non ea illorum temporum socordia erat, ut amœnissimum civium diversorium, quod præter alia nobiliora ædificia hoc optimi, ac desideratissimi Imperatoris Antonini Pii monumentum tunc recens propemodum cohonestaverat, tam turpiter fœdandum relinqueretur. Marlian. l. l. quem Faun. de Antiq. Urb. Rom. IV. 14. Maurus, atque alii hujus notæ auctores sequi videntur, vastissimi alicujus ædificii, ac præsertim amphitheatri, quod perperam Claudii dicitur, ruinis crevisse opinatur. Hoc autem, quia prope septa Suetonius descriptum reliquit: ideo illud, uti etiam cætera, quæ ab antiquis scriptoribus septis proxima traduntur ibi sunt imaginati. Suetonius vero de hoc ipso amphitheatro a C. Cæsare Caligula inchoato verba faciens, ne se quidem dixisse somniavit, quod illud postea Claudius perfecerit, ut Claudii nomen, quod iidem antiquarii minus recte ei tribuunt, jure aliquando sustinere inde potuerit. Suetonii verba laudavi supr. in *Amphitheatrum Claudii*. Quæ, licet nitidissima, eorundem tamen antiquariorum oculis tenebras induxerunt: adeo ut non a Caligula, sed a Tiberio idem amphitheatrum inchoatum; a Claudio vero non illud, sed aquæductum omissum Suetonium scripsisse putarint. Sed non is tantummodo verborum contextus: verum etiam Suetonius ipse Claud. c. 20. n. 1. *Opera magna potius quam necessaria, quam multa perfecit: sed vel præcipua aquæductum a Cajo inchoatum.* Plin. XXXVI. 15. *Vicit antecedentes aquarum ductus novissimum impendium operis inchoati a C. Cæsare, & peracti a Claudio.* Quare etiamsi pro comperto omnino haberetur, quod ibi septa fuerint, ubi *Citorius* assurgit: attamen quum neque Claudius, neque successor Nero, qui ut populo in campo Martio spectacula daret, ligneum amphitheatrum exstruxerat; neque alius denique, qui ad exitum illud perduxerit, veterum scriptorum monumenta legenti occurrat: quod alteri potius operi deinde cesserit, facile ad credendum ducimur: quemadmodum de amphitheatro a Julio Cæsare incepto evenerat: cujus apparatus omnis in ædificatione Mausolei Augusti fuit postea disjectus. Quinimo cum Donato sentiam: quod scilicet ipse Claudius illud destruxerit, ut arcuatos aquæ Virginis ductus a Caligula in ejusdem amphitheatri ædificatione disturbatos restitueret. De quo vetus inscriptio legitur apud Gruter. p. 176. n. 5.

TI. CLAUDIUS. DRUSI. F. CÆSAR. AUGUSTUS. GERMANICUS.
PONTIFEX. MAXIM. TRIB. POTEST. V. IMP. XI. PP. COS. DESIG. IIII.
ARCUS. DUCTUS. AQUÆ. VIRGINIS. DISTURBATOS. PER. C. CÆSAREM.
A. FUNDAMENTIS. NOVOS. FECIT. AC. RESTITUIT.

Quoniam vero illi aquæ ductus inter templum S. Ignatii, & Pantheon suos habuit terminos, uti ex fornicibus, plumbeisque ipsius aquæ virginis tubis sub ejusdem templi fronte repertis certissimum argumentum factum tunc est: inde sequitur, quod amphitheatri a Caligula ibi inchoati ruinæ nullam penitus rem cum *Citorio* habere potuerint. Nec ex villæ publicæ ruinis intumuit, ut opinantur alii, quandoquidem longe a *Citorio* extitit illa villa. Nec audiendos prorsus censeo, qui non sequioris ævi, sed ipsius naturæ opus sibi *Citorium* persuadentes, levissimæ huic opinioni ut aliquod pondus addant, eam Strabonis auctoritati committunt. Hic etenim V. p. 162. nativam campi Martii amœnitatem, ejusque amplitudinem, ornatus, ludos, aliasque exercitationes, quæ ad juventutem recte instituendam illic habebantur, describens, *Tum opera*, inquit, *circumjecta, solumque toto anno herba virens, & collium coronæ supra amnem usque ad alveum scenæ quandam ostentant speciem, a cujus spectaculo difficulter quis avellatur.* Mihi Nardinus hos colles perscrutanti *Citorium*; aliumque ei persimilem plebejum, spuriumque Urbis montem, Jordanum scilicet, opponit: deque iis verba Strabonis intelligenda esse jurejurando pæne affirmat. Sed non tam cæcus ego, ut a ponte Milvio Urbem per Flaminiam petens tot lætissimos a læva fere declives in Tiberinum alveum colles, atque Urbem ingressus Hortulorum collem non videam: qui adeo eminent, ut me stultum simul crederem, si pulcerrimos colles istos a Strabone laudatos hæc inter ædificiorum Urbis rudera; viarumque excrementorum acervos inquirere vellem. *Vignol. Dissert. de Column. Anton. Pii. c. 2.*

CITRUM. Macrob. Sat. II. 15. interpretatur, quod apud Homerum est θύον. *Citrum* autem illam crediderim, cujus in Atlante monte nobiles sylvæ materiam lautis mensarum orbibus suppeditavere Romanis expetitarum deliciis. *Turneb. Adv.* XVIII. 4. Cornut. ad Pers. Sat. 1. 52.

—— non quicquid denique lectis
Scribitur in citreis.

Citrum, inquit, *Romanis antea pretiosum notabatur & auro comparandum.* Quumque tantum *citri* pretium esset, non mensas tantum *citreas* ex hoc ligno faciebant. Harum meminit Lucan. IX. 428.

Sed citri contenta comis vivebat, & umbra.
In nemus ignotum nostræ venere secures:
Extremoque epulas, mensasque petivimus orbe.

Illarum etiam insana pretia stupentibus refert Plin. XIII. 15. Sed quia durabilis maxime est materia, ædium quoque sacrarum laquearia ex ea fecerunt. Theophrast. Hist. Plant. V. 5. *Atque etiamnum memorant contignationes quasdam vetustissimas thuiæ. Incorruptibile enim omnino hoc lignum.* Ob eandem denique rationem statuas etiam ex *citro* factitarunt. Pausan. VIII. p. 483. testatur in vertice Cyllenes montis fuisse Mercurii Cyllenii templum, atque in eo ipsius Dei simulacrum e *citro* octo circiter pedum altitudine. *Junius de Pictur.* III. 11. Etiam Petron. de Mut. Reip. n. 28. per *mensas citreas* intelligit e *citro* ex Mauritania Africæ regione Romam allatas; quæ & eburneis pedibus fulciebantur. Mart. II. 43. 9.

Tu Libycos Indis suspendis dentibus orbes.

Dio LXI. p. 694. B. de Seneca tradit, *quingentos illum habuisse tripodas de ligno cedrino, pedibus eburneis suffultos, similes & prorsus pares inter se super quibus epulari consueverat.* Singularum pretium cognoscere licet ex illis Tertull. de Pall. c. 5. *Adigo cauterem ambitioni, qua M. Tullius quingentis millibus nummum orbem citri emit: qua bis tantum Asinius Gallus pro mensa ejusdem Mauritaniæ numerat.* Gonsal. in Petronium.

CIV.

CIVIS Romanus optima lege judicabatur, qui non domicilium solum, sed tribum etiam, & honorum petitionem erat consecutus. Domicilium enim & jam inquilini, & tribum libertini obtinuerunt: quorum tamen illi nullum jus civitatis; hi vero non optimum habuerunt. Libertinis enim quanquam tribus urbanæ, non tamen honores ullo tempore patuerunt. Qui autem e municipiis fuerunt, quanquam tribum, atque honorum petitionem sunt adepti; tamen quia domicilio caruerunt, non ingenui *cives* Romani, sed municipes; nisi si quando Romæ fortunarum suarum domicilium collocassent, nominati sunt. Ut M. Porcius Cato Tusculanus, quamdiu fuit Tusculi, municeps fuit, id est, non ingenuus *civis* Romanus, sed

sed civitate Romana donatus; ubi vero Romam cum rebus suis commigravit, *civis* Romanus. *Sigon. de Ant. Jur. Civ. Rom.* I. 2. *Gruch. de Comit. Rom.* I. 3. *Panvin. de Imp. Rom. c.* 5. *Kipping. Antiq. Roman.* I I. 2. §. I. *Schill Nomencl. Philol. p.* 290. Differt ab eo, qui jus habet civitatis Romanæ. Nam *cives* Romani non modo censebantur, & suffragium ferebant; verum etiam Romanis legibus utebantur; qui vero jus habebant civitatis, censebantur illi quidem, & suffragium omnes ferebant, non tamen simul illud contingebat, ut legibus Romanis omnes viverent: quo de genere sunt municipia. Ergo latius patet, habere jus civitatis Romanæ, quam *civem* Romanum esse: cum is, qui *civis* Romanus erat, idem & jus haberet civitatis: qui vero civitatis habebat jus, non idem continuo *civis* Romanus esset: quandoquidem fieri potuit, ut alii Romanis, quemadmodum coloniæ: alii aliis, ut municipia, legibus uterentur. *Manut. de Civ. Rom. Thes. Antiq. Roman. Græv. Tom.* I. *p.* 16. *E.* 22. *A.* Quicunque *civis* Romanus erat, is de tribus ordinibus unum haberet, senatorium, aut equestrem, aut qui de plebe dicebatur, necesse erat. Senator non es: ergo eques, aut de plebe. Neque senator, neque eques: ergo de plebe. Ordo enim præterea nullus supererat. *Manut. ibid. p.* 3. *C.* 16. *E. Panvin. de Civ. Rom. c.* 3. Ex equite senator factus non amittebat ordinis equestris insignia, annulum aureum, & equum. Auctus enim dignitate, tantum aberat, ut de pristino jure quicquam amitteret, ut etiam aliquid præterea consequeretur: nam præter annulum & equum, quæ equitum erant, habebant senatores tunicam purpuream, cum qua non eques, sed de plebe senator factus utebatur annulo aureo; & senator, qui honore antecellebat, habebat id quo eques insigniebatur: non tamen equo publico. non enim, ut annuli aurei insigne, item equi publici possessio ac usus addit ornamentum, ac speciem senatori. Liv. XXIX. 37. *Ambo Censores*, Nero & Salinator, *equum publicum habebant*. Non ergo Equites, cum Senatores esse cœperunt, & ordinis equestris esse desierunt, Equitum ornamenta amiserunt. Dicit enim Livius de Nerone non modo Senatore, verum etiam Censore: *Equum publicum habebat.* Manut. ibid. p. 3. E. Extra agri Romani fines negotii gerendi causa aliquando si habitaret, jus civitatis Romanæ non statim amittebat; sed si in aliam urbem proficisceretur, & ab ea se in numerum *civium* recipi permitteret, *civis* Romanus esse desinebat: neque enim, ut Cicero pro Cæcina, *jure Quiritium idem duarum civitatum civis esse potuit.* Unde Nepos Attic. c. 3. n. I. *Factum est, ut huic omnes honores, quos possent, publice haberent, civemque facere studerent: quo beneficio ille uti noluit. Quod nonnulli ita interpretantur, amitti civitatem Romanam alia adscita.* Sigon. l. l. Govean. Var. Lect. Jur. Civ. c. 6. Cæsarum tamen voluntate alterius civitatis jus quandoque habuit: ut vel e Dionis Prusæensis de avo ac patre, ut de ipsomet jam nihil dicam, verbis licet omnino percipere Orat. XLI. p. 500. *Avus enim meus cum matre ab illo tum Imperatore, qui ei erat amicus, simul Romanam civitatem & vestram adeptus est; pater autem a vobis.* Utrumque illud, Romanam nempe civitatem amittere, aut alterius simul esse civitatis participem, erat, ut de his Cicer. pro Balb. c. 25. extra *præclara, atque divinitus inde a principio Romani nominis constituta jura:* nempe, ut de iis ait ibidem: *ac ne quis nostrum plus quam unius esse civitatis posset:* addita etiam ejus rei causa: *dissimilitudo enim civitatum varietatem juris habeat necesse est: tum, ne quis invitus civitate mutetur:* nec, quod postremo addit, *in civitate maneat invitus.* Nec hoc natis in Romanorum municipiis civibus ullatenus obfuit, quin iidem cum in patria, in qua nati erant, aut ea orti; tum Romæ, in cujus civitatem erant recepti, magistratum gererent: quod non adeo diversarum urbium, quam unius, etsi aliqua inter eas privati juris esset varietas, *cives* censerentur. *Spanhem. Dissert. ad Constit. Imp. Antonini* I. § 6. & 15. *Salmas. Obs. ad jus Attic. & Roman. c.* 26. Nemo erat, qui non tribum, non curiam, non centuriam obtineret, neque quisquam fuit, qui suffragii jure exclusus esset, quanquam alia in aliis comitiis civium ipsorum inter se potestas atque auctoritas esset. *Sigon. ibid. c.* 17. Necesse enim erat, ut tribuum, in quas populus Romanus erat distributus, & erant quinque & triginta, aliquam, cujuscunque esset ordinis, *civis* Romanus obtineret. Qui enim pleno jure *civis* Romanus erat, id est, cum jure suffragii, quod erat supremum *civis* Romani jus, is in una harum quinque & triginta tribuum ut esset necesse erat, quam, si antiquus *civis*, hæreditate: si novus, a populo civitate donatus, a Censoribus obtinebat, in qua suffragium ferret. *Panvin. de Civit. Rom. c.* 50. An maneret, qui hostibus esset a Romanis deditus, nec a prioribus receptus, quæsitum docet Pompon. leg. 17. ff. de Legat. III. & quibusdam existimantibus manere, aliis contra, addit: *quum quem semel populus jussisset dedi, ex civitate expulisse videretur, sicut faceret, cum aqua & igni interdiceret.* Spanhem. ibid. §. 6. *Civem* adsciscere, aut civitate donare Republica stante ex quacunque gente licebat. Cicer. pro Balb. c. 13. *Defendo rem universam, nullam esse gentem ex omni regione terrarum, neque tam dissidentem a populo Romano, odio quidem atque dissidio, neque tam fide benevolentiaque conjunctam, ex qua nobis interdictum sit, ut neque adsciscere civem, aut civitate donare possimus.* Fœderum enim conditio cum Germanis, Insubribus, Helvetiis, aliisque, ne quis ex iis gentibus Romanus *civis* fieret, ab iisdem populis, non a Romanis profecta est. Cicer. ibid. c. 14. *At enim quædam fœdera exstant, ut Germanorum, Insubrium, Helvetiorum, Japidum, nonnullorum itidem ex Gallia Barbarorum, quorum in fœderibus exceptum est, ne quis eorum a nobis civis recipiatur.* Et c. 20. facta Camertini cujusdam civitate a C. Mario donati mentione: *Neque Fulginatium, neque Camertium fœdere esse exceptum, quo minus eorum civibus a populo Romano præmia virtutis tribuerentur.* A quo tamen instituto resiluerunt sub Augusto Romani, seu ipse Augustus, dum devictis Ægyptiis interdictum est eis, ne Romanæ aut etiam Alexandrinæ civitatis fierent participes, & quomodo alioquin a Dion. LI. p. 455. B. dicitur, nulli Ægyptiorum senatorem esse Romanum permisisse. *Spanhem. Exercitat. ad Constit. Anton.* I. §. 16. Se, quod Tarsi in Cilicia natus esset, profitetur Paullus Actor. c. 22. n. 25. quod nempe, ut in Græcorum ea de re commentariis legitur, pater ejus pecunia civitatem Romanam sibi comparasset. Tarsus enim, non civitate quidem, ut minus accurate ad eum Actorum locum a viris eruditis est adnotatum; sed libertate tantum ac immunitate a M. Antonio donata legitur apud Appian. Bell. Civ. V. p. 675. *Laodicenses autem ac Tarsenses liberos immunes a tributis reliquit.* Spanhem. ibid. §. 19. *Cives* Romani multis gaudebant privilegiis, quorum I. quod essent in tribu & centuria, in qua & suffragium ferebant, & iisdem suffragiis ad magistratus, publicasque cæteras administrationes ac dignitates perveniebant, quod in Verrinas docet Asconius. *Panvin. de Imp. Rom. c.* 5. II. Quod per leges Porciam & Semproniam. V. illas infr. in *Lex.* nec virgis cædi, nec vinculis coerceri, nec omnino capite plecti, nisi populi ipsius judicio possent. Idcirco Cicer. Verr. V. 62. quia Gavium municipem Consanum Verres virgis ceciderat, exclamat, quum ait: *Cædebatur virgis in medio foro Messanæ civis Romanus, o lex Porcia, legesque Semproniæ.* De iis enim qui *cives* non essent nihil horum cautum erat, poterantque a magistratibus, non solum peregrini, sed Latini etiam ipsi, quorum privilegia maxime ad civitatem Romanam accedebant, non consulto populo servili supplicio affici. Nam Sallust. Bell. Jugurth. p. 119. quendam T. Turpilium Silanum commemorat, qui quum socium præfectus esset, tribunosque & centuriones sub se haberet, condemnatus tamen, verberatusque capite pœnas solvit. *Nam is*, inquit, *civis ex Latio erat.* Panvin. l. l. Sigon. de Ant. Jur. Civ. Rom. I. 6. Manut. de Leg. Rom. c. 16. Gruch. de Comit. Roman. I. 3. III. Quod solis illis in legione Romana militare jus erat. Ideoque soli ad ærarium in beneficiis deferri ab Imperatoribus, & beneficiarii milites fieri poterant. Hoc fuisse proprium *civium* Romanorum Cicero ostendit pro Archia supr. *In beneficiis.* IV. Quod liberos in potestate haberent.

Et

Et hoc proprium fuisse *civis* Romani docet Justin. Instit. 1. tit. de patria potestate. V. Quod jus haberent adoptionis, gentilitatis, & togæ ferendæ. Et hoc proprium *civium* Romanorum erat. *Panvin. l. l.* VI. Quod soli testamento *civis* Romani hæreditatem capere possent: neque enim ullus peregrinus poterat hæreditatem *civis* Romani adire; & testamenta fiebant Romanis *civibus* præsentibus. Quod Cicero ostendit pro Archia, ubi probat Archiam se pro *cive* gessisse hoc argumento, quod sæpe adiisset hæreditates *civium* Romanorum. Et pro Cæcinna, Æbutius Cæcinnæ adversarius negat posse hæredem Cæsenniæ esse Cæcinnam Volaterranum, quod civitas Volaterranis adempta esset a L. Sylla Dictatore, adeoque *civis* Romanus non esset Cæcinna. Quum pro argumento accipiat etiam Archiam se pro *cive* gessisse, quia sæpe testamenta legibus Romanis fecisset. *Panvin. l. l. Sigon. ibid. c.* 11. *&* 12. *August. de Legibus in Junia Norbana. Gruch. de Comit. Roman.* 1. 3. Licet vero in una certa tribu singuli censendi essent, propter, ut dictum, comitia & suffragia, cæterasque perfunctiones publicas; tamen, licet rarissime, eodem tempore duas retinebant tribus, quod in Augusto tradit Suet. c. 40. n. 4. Goltzius in illo Principe p. 193. ex veteri lapide Brixiano.

C. JULIO C. F.
FAB. SCAPT.
CÆSARI
AUGUSTO.

Affert etiam Gruter. Inscr. p. 226. n. 3. Fabia scilicet, & Scaptia tribus memorantur: hæc tanquam gentilis, & nativa familiæ Octaviæ: illa propria Juliorum, in quorum nomen & gentem per jura adoptionis pertransiit. In hac autem inscriptione honori posita Cæsaris Augusti, non miror, si utraque tribus nominatam se voluit gloriæ causa, ut neutra mortalium tunc maximi & felicissimi altricem & parentem sese reticeret. *Chimentel. de Hon. Bisell. c.* 3. Ut in Constitutione Diocletiani legitur leg. VII. Cod. Inst. de incolis, origo, manumissio, allectio, vel adoptio faciebat. Cautum alioquin erat, ne omnes manumissi continuo Romani *cives* fierent. V. infr. in *Manumissio.* Spanhem. Exercit. II. ad Constit. Anton. Imp. §. 18. Parentes aut cognatos peregrinos ut haberent, evenit nonnunquam, qui cum ex testamento neque hæreditatem, neque legata consequi possent, rogabantur hæredes, qui testamenti factionem haberent, ut his legata, aut hæreditatem restituerent. Cujus opinio T. Antonini constitutione l. 1. C. de hær. inst. comprobari videtur. Verba sunt hæc: *Qui deportantur, si hæredes scribantur, tanquam peregrini capere non possunt. Sed hæreditas in ea causa est, in qua esset si scripti non fuissent.* August. de Legibus in Junia Norbana. Captivi in triumpho pileati incesserunt. V. supr. in *Captivi.* Post M. Catonis Censorii ætatem bonorum publicatione, aut amissione civitatis, cum aqua & igni interdiceretur (nam exsilium nulla lex irrogabat: sed interdicta aqua & igni, exsilium necessario sequebatur) aut carcere etiam pœnas dabant. Vinculorum enim video fieri mentionem apud Cicer. 1. de Orat. c. 52. *Quæ, etiamsi corpora capta sint armis, aut constricta vinculis, tamen suum jus, atque omnium rerum impunitam libertatem tenere debeat.* pro Cæcin. c. 25. *Nam qui jus civile contemnendum putat, is vincula revellit judiciorum.* Excipio illa tempora, cum, ob seditiones domesticas, ad illud S. C. necessario descendebatur: *Darent operam Consules, ne quid Respublica detrimenti caperet.* Manut. de Leg. Rom. c. 19. Ex Principum ingeniis mores suos fingebant. Unde a summo studio strenarum mittendarum, quod sub Augusto inoleverat, remiserunt, cum viderent Tiberium eas non adeo curare. Et cum Caligula lapsam consuetudinem revocaturus *edixisset, se strenas ineunte anno recepturum, & staret in vestibulo ædium Kalendis Januariis ad captandas stipes, plenis ante eum manibus, ac sinu omnis generis turba eas fundebat.* Suet. c. 42. n. 2. *Lipen. de Stren. c. 2. Sec. et.* §. 4. Distinguebantur in novos & veteres, non post legem Antonini, qua omnes *cives* in orbe Romano facti sunt, ut putat Casaub. ad Capitol. Anton. Philos. c. 7. & Spartian. Pescenn. Nigr. c. 7. Nam antiquum jam illud discrimen fuit. De temporibus ante Trajanum, imo de ipso jure, quod circa hos constituit Augustus, Plin. Paneg. c. 37. n. 3. *Hæc mansuetudo legis veteribus civibus servabatur: novi seu per Latium in civitatem, seu beneficio Principis venissent, nisi simul cognationis jura impetrassent, alienissimi habebantur quibus conjunctissimi fuerant.* Veteres autem dicebantur, qui majoribus *civibus* Romanis prognati erant, & quorum tota familia jam civitatis jure gaudebat. Novi vero erant ii, qui aut per Latium in civitatem, vel beneficio Principis venissent, & ex peregrinis *cives* essent facti: qui enim jus Latii, hoc est, illud jus, quo socii Latini nominis fruebantur, habebant, ut plurimæ civitates coloniæ & municipia Italiæ, quæ suis legibus & magistratibus vivebant, proximi erant juri civitatis Romanæ, quam consequebantur, aut beneficio Principis, aut si sedem Romam transtulissent: aut liberis, iteratione, militia, nave, ædificio, pistrino, & ex S. C. si ter enixa erat mulier, ut docet Ulpian. tit. 3. Hi ergo hac ratione civitatem adepti dicebantur novi *cives*, quemadmodum & ii, qui ex peregrinitate in civitatem beneficio Principis translati erant. Horum conditio in eo erat deterior veterum, quod cum hi possent ex lege XII. tabularum, parentibus, agnatis & gentilibus succedere, & immunes esse a vicesima ex lege Augusti, novi in civitatem adoptati, a parentum hæreditatibus & agnatorum excluderentur. Plinius mox laudandus. *Burman. Dissert. de Vectig. c.* 11. Et quando filius succedebat patri, succedebat tanquam extraneus hæres, soluta hæreditatis vicesima. Nerva matrem in liberorum hæreditate, & vicissim liberos ac filium in parentis bonis immunitate perfrui voluit. Trajanus id beneficium in tantum auxit, ut sicut in patris filius, ita in filii hæreditate pater immunis esset: tum ut frater, avus, avia, neptis, nepos, & invicem, absque deminutione vicesimæ hæredes esse possent: denique exiles hæreditates ad quoscunque hæredes pertinerent, immunes itidem fecit. Plinius Panegyrico. V. illum infr. in *Vigesima hæreditatum.* Spanhem. ibid. Exercit. 1. 21. Novos primus in octo novas, ut quæ postremæ, ac inde irrito ut plurimum juris illius beneficio suffragium ferrent, tribus Romanas conjectos, in veteres dein XXX. tribus, lege ea de re promulgata, distribuere tentavit P. Sulpitius tribunus plebis; ac dein, id agente prius C. Mario Cinna Consul, & hoc, etsi repugnantibus antiquis *civibus*, ne novi *cives* sibi suffragiorum numero æquarentur. Hi, ut veri *cives*, deinceps sunt censi; ac inde lustro paucis post annis a Censoribus condito, L. Gellio & Cn. Cornelio Lentulo, censa tum sunt, multiplicato inde haud parum eorum numero, *civium capita quadringenta quinquaginta millia.* Liv. Epit. XCVIII. haud aliter ac post Lanuvinos, Aricinos, aliosque Latinos populos in civitatem acceptos, de iis refert Liv. VIII. 17. *novique cives censi, tribus propter eos additæ Mutia & Scaptia.* Spanhem. ibid. §. 13. Sigon. de Ant. Jur. Ital. III. 6. E provincialibus facti sunt sub Marco Antonino, qui potentia, opibus, aut dignatione plurimum suis in urbibus poterant. Aristid. Orat. Tom. 1. p. 373. *Qui quidem vel gratia, vel generis potentia præstabant, utique eos civitate & tribu veluti donastis, reliquis inter subjectos relatis.* Et hoc callido Romanorum consilio, quo eadem oppida in fide ac veneratione Romani nominis eo securius validiusque adsererentur. Aristid. ibid. p. 375. *Jam & multi in singulis urbibus vestri cives, non minus quam urbis suæ, licet eorum aliquis nunquam civitatem suam viderit: nec præsidiis ad arces tuendas opus est, quum maximi & potentissimi quique suam vobis patriam singuli custodiant: & bifariam urbes occupatis, partim hinc, partim per ipsos singulos.* Spanhem. ibid. n. 3. Fiebant e sociis ac Latinis, qui stirpem ex se domi reliquerant. Liv. XLI. 8. *Lex sociis ac nominis Latini, qui stirpem ex sese domi relinquerent, dabat, ut cives Romani fierent:* aut juxta alteram legem, quam

tulit

tulit tribunus plebis Servilius Glaucias, ut Latinis eſſet jus civitatis aſſequendæ, in illius *civis*, ſive ſenatoris locum, qui accuſatus ab iis repetundarum a Romanis fuiſſet damnatus. Quomodo nempe, ut ait eam in rem Cicer. pro Balb. c. 24. *hanc Latinis, id eſt, fœderatis viam ad civitatem populi juſſu patere paſſi ſunt Romani:* donec poſtea primum univerſo Latio, mox Italiæ reliquæ, juxta tum præſcriptos eidem Italiæ fines, eſt illud impertitum. *Spanhem. ibid.* I. 13. *Sigon. de Antiq. jur. Ital.* III. I. Etiam Judæi Antiochenſes, Alexandrini, Cyrenæi, Cæſarienſes, aliorumque locorum tranſierunt in eadem jura, in quæ reliqui earundem urbium *cives*. Id in literis Agrippæ ſenioris ad Cajum Imperatorem apud Philon. legat. ad Cajum p. 1031. exſtare memini: quod non auſus ſit ille patriæ ſuæ, nempe Hieroſolymis petere non Romanam quidem civitatem, ſed, quod addit, ne libertatem quidem vel immunitatem: at non ideo ob eadem non libertate ſolum ac immunitate, ſed a civitate etiam excluſi, omnes ſeu in Judæa, ſeu extra eam nati in ſubjectis Romano imperio urbibus, & quales dicti inde Helleniſtæ Judæi. Ita Antipatrum ex Idumæo Judæum religione civitate Romana ac immunitate a Julio Cæſare donatum legimus apud Joſeph. Antiq. Judaic. XIV. 15. imo ſe quoque, Hieroſolomytanum quanquam, eodem civitatis honore a Veſpaſiano affectum tradit Joſeph. vit. p. 1031. Imo in eam rem exſtant aperta Philonis ibid. p. 1014. de Judæis Romæ Auguſti ætate agentibus verba: *neque eos Urbe juſſit excedere, nec civitatem eis ademit.* Quod itidem aliis paſſim Judæis, qui extra Judæam in variis Romani orbis nati, aut domicilium ibidem fixerant, contigit. *Spanhem. ibid.* §. 19. OB. CIV. S. *Ob cives ſervatos*, notæ frequentiſſimæ in nummis Auguſti, Tiberii, Caji, Claudii, Galbæ, Vitellii, ac Veſpaſiani, intra coronas civicas, atque in æreis præcipue. Adulatio antiquorum, certe fœdiſſima erga malos etiam Principes. Ad haſce coronas reſpexit ſic canens Ovid. Triſt. III. I. 47.

Cauſa ſuperpoſitæ ſcripto teſtata coronæ,
Servatos cives indicat hujus ope.

Urſat. de Not. Roman. Theſ. Ant. Græv. Tom. XI. p. 883. B. *Civium* numerum arte & induſtria auxit Romulus I. Apertione aſyli. Cum enim militiam & Rempublicam ordinaret, vix ad millia terna peditum (alii bina millia volunt) cenſa, & equitum trecentos. At cum e vivis abiit, peditum reliquit ſex & quadraginta millia. Tantum viri opeſque creverant in annis circiter, quibus regnavit, ſeptem & triginta. Apertio vero aſyli haud dubie aliquid adjuvit, & e vicinis, etſi non optimos, elicuit. Lege de liberis lata, qua juſſit quidquid natum eſſet tolli, modo ne mutilum aut monſtroſum. II. Receptione in civitatem, quam non exteris ſolum confluentibus; ſed victis & hoſtibus dedit. Laudant cum alii hoc inſtitutum ejus, tum Claudius Imperator apud Tacit. Annal. XI. 24. 6. *Conditor noſter Romulus tantum ſapientia valuit, ut pleroſque populos eodem die hoſtes, dein cives haberet.* Atque id ſane diu retentum Romæ, ut e provincialibus honeſtiſſimos hoc civitatis beneficio obligarent: & ita ſimul ſe augerent, ſimul diſcrimen, & tacitum pæne diſſidium inter illos conciliarent. Claud. Stilich. Conſ. II. 150.

Hæc eſt, in gremium victos quæ ſola recepit,
Humanumque genus communi nomine fovit,
Matris, non dominæ, ritu: civeſque vocavit
Quos domuit, nexuque pio longinqua revinxit.

Ita, quod ex illo apparet, diffuſum late aut undique jam hoc beneficium: & *cives* Romani facti, quicunque in orbe Romano eſſent; ex conſtitutione Imperatoris Antonini. Unde *patria communis* Senec. ad Helv. c. 6. *& cunctarum in toto orbe gentium patria* Plin. III. 5. dicitur. Et ad eam Rutil. Itiner. I. 63.

Feciſti patriam diverſis gentibus unam,
Profuit injuſtis te dominante capi.
Dumque offers victis proprii conſortia juris,
Urbem feciſti, quod prius orbis erat.

III. Inſtituto non quidem Romuli, ſed Servii Tullii. Ille cum videret pleroſque tunc ſervorum, aut bello captos, aut e præda emptos eſſe: atque eos fere e liberis & ingenuis, & ante etiam liberos: humanum bonumque putavit, in civitatem recipere, ſi qui a dominis manumiſſi eſſent. Nam & Romanis moribus ingeniiſque aſſuefacti jam erant: & ſic fore providebat, ut ſemper, tanquam ex fonte domeſtico, proles ſcaturiret ad belli aliosque uſus. Cicer. pro Balb. c. 9. *Servos, quorum jus & fortunæ conditio eſt infima, bene de Republica meritos, perſæpe libertate, id eſt, civitate, publice donatos videbamus.* Nec tamen ii ſtatim æquiparati dignioribus, & veteribus civibus: rejecti in quatuor urbanas tribus fuere, & inventa ratio, ut minimum in ſuffragiis, aut alia publica re, pollerent. Quin & a militia legionaria & honeſtiore excluſi ſunt: donec paullatim nepotes, ac pronepotes eorum, vere jam Romanus ſanguis, pervenirent. Ex illo vero Tullii inſtituto videmus factum, ut quum ſub eodem Rege anno ab U. C. 114. cenſi ſint *civium* Romanorum juxta Liv. V. 44. 80000. aut, juxta Dionyſ. IV. p. 225. 80005. minus trecentis; ſequenti autem cenſu, qui nempe intermiſſus fuerat ſub Tarquinio, annis 51. interjectis, ſeu a U. C. 246. cenſa ſint juxta Dionyſ. V. p. 293. civium, qui pubertatem attigiſſent 130000. *Lipſ. Magn. Roman.* I. 7. *Manut. de Civ. Rom. Theſ. Antiq. Roman. Græv. Tom.* I. *p.* 3. *Spanhem. Exercit. ad Conſtit. Anton.* I. §. 3. Et ut ſciamus quibus gradibus Roma ad tantam ſit provecta magnitudinem, an. U. C. 256. cenſa fuerunt CL. & DCC. a. U. C. 260. non plura millia quam CX. a. U. C. 279. fuerunt millia CXXX. a. U. C. 288. præter orbos orbasque fuere CXXIV. & CCXV. a. U. C. 294. fuere millia CXXXII. & CCCCXIX. a. U. C. 361. fuere millia CLII. & DLXXX. a. U. C. 410. fuere millia CLX. a. U. C. 435. fuere millia CCL. a. U. C. 459. fuere millia CCLXII. a. U. C. 472. fuere millia CCLXXXVIII. & CCXXII. a. U. C. 478. fuere millia CCLXXI. & CCXXIV. a. U. C. 488. fuere millia CCXCII. & CCXXIV. a. U. C. 501. fuere millia CCXCVII. & CCXXVII. a. U. C. 506. fuere millia CCLI. & CCXXII. a. U. C. 512. fuere millia CCLX. a. U. C. 533. fuere millia CCLXX. & CCXIII. a. U. C. 544. fuere millia CXXXVII. & CVIII. a. U. C. 554. fuere millia CCXV. a. U. C. 559. fuere millia CCXLIII. & DCCIV. a. U. C. 564. fuere millia CCLVIII. & CCCXXVIII. a. U. C. 574. fuere millia CCLXXIII. & CCXLIV. a. U. C. 579. fuere millia CCLXIX. & XV. a. U. C. 584. fuere millia CCCXII. & DCCCCV. a. U. C. 589. fuere millia CCCXXVII. & XXII. a. U. C. 594. fuere millia CCCXXVIII. & CCCXIV. a. U. C. 599. fuere millia CCCXXIV. a. U. C. 606. fuere millia CCCXXII. a. U. C. 611. fuere millia CCCXXVIII. & IDXLII. a. U. C. 617. fuere millia CCCXXXIII. a. U. C. 622. fuere millia CCCLXVII. & DCCCCXIII. a. U. C. 628. fuere millia CCCXC. & DCCXXXV. a. U. C. 638. fuere millia CCCXIV. & CCCXXVI. a. U. C. 667. fuere millia CCCCLXIV. uti habet Euſebii Chronicon, quamvis exemplaria nonnulla manu exarata exhibeant CCCCLXXXIII. *Voſſ. de Magnit. Rom. Vet.* c. 6. Duplex diviſio fuit, quarum altera ad alteram nihil pertinet: prior hæc, *cives* vel patricii, vel plebeji: poſterior, vel ſenatores, vel equites, vel de plebe. Ita vel a genere, vel ab ordine diſtinguebantur: &, quemadmodum Regum ætate omnes patricii aut ſenatores, aut equites, aut neutrum, ſoli tamen ſenatorii ordines participes, ſic Regibus pulſis, plebeji homines, tum ſenatores, tum equites, de plebe reliqui, fuere: ut non modo ex patriciis, verum etiam ex ipſa plebe, tres ordines fuiſſe conſtet. *Manut. de Civit. Rom. Theſ. Antiq. Roman. Græv. Tom.* I. *p.* 3. *B. Sigon. de Ant. Jur. Civ. Rom.* II. I. Qui ex municipiis non erant, hæc erant jura: cenſebantur, ſuffragium ferebant, honores, magiſtratuſque capiebant, æs pro ſuo capite tributi nomine pendebant, habebant locum in legionibus, utebantur

tur legionibus Romanis, ſacra more Romano faciebant, Quirites populusque Romanus vocabantur. Quæ omnia illis cum municipibus non erant communia. Nam, cum eſſent ipſi quoque *cives* Romani, jura tamen illa, quæ nominavi, non omnia plane, ſed quatuor, habebant, quatuor vero non habebant. Cenſeri, ſuffragium ferre, munerum omnium partem capere, unde municipes dicti, tributum pendere, hæc habebant: locum vero habere in legionibus, uti legibus Romanis, ſacra more Romano facere, Quiritum populive Romani nomine appellari non habebant. *Manut. ibid. p.* 30. *A.* In illorum cenſum collocandi etiam veniunt, qui jure Latii, ſeu geſtis in patria, quæ Latio donata erat, magiſtratibus, inde jus Romanæ civitatis adepti cenſebantur: atque adeo, ut pateret tum iis Romæ ad ſuffragia & honores aditus; ſicut adhuc Trajani ævo id tangit Plin. Paneg. c. 39. n. 2. *His quoque quibus per Latium civitas Romana patuiſſet.* Quod de Nemauſi in Gallia, Latini quippe juris, incolis obſervat Strab. IV. c. 187. ut qui ædilitatem ac quæſturam in eadem civitate geſſerant, *cives* Romani haberentur: ac de Novocomo oppido ſub Alpibus, quod illo Latii jure donaverat, antequam rerum potiretur, J. Cæſar, refert Appian. Bell. Civ. II. p. 443. ut qui annuum ibidem obirent magiſtratum, *cives* Romani continuo fierent. *Spanhem. Exercit. ad Conſtit. Anton.* I. §. 9. Poſt datam Antonini Caracallæ conſtitutione omnibus in orbe Romano ingenuis civitatem, non eſt adempta prorſus illa in eodem orbe ſuarum legum & aviti juris conceſſa olim quibuſdam populis vel oppidis libertas. V. ſupr. in *Autonomia.* Id quidem inde contigit, ut ſublato illo *civium* & provincialium, ſeu qui τὸ ὑπήκοον, vel οἱ ἀρχόμενοι, aut etiam δουλεύοντες, dici vulgo a Græcis Romanarum rerum ſcriptoribus ſolent, diſcrimine: ac proinde abolitis provincialibus, quibus iidem ſubjacebant, Præſidum Romanorum edictis, civilibus dein Romanorum ſeu Quiritium legibus fuerint illi in poſterum obſtricti. Hac ratione factum, ut dicantur deinceps ab auctoribus infra ætatem Caracallæ, *redditæ Romanis legibus provinciæ:* aut *ubique Romanæ leges: omnes petitis Romanis legibus & conſuetudinibus regi:* inſtitutis etiam in Oriente legum Romanarum ſcholis, unde per omnem terrarum orbem legum periti & juris aſſeſſores ſolerent mitti. *Spanhem. ibid.* II. 17.

CIVITAS ſignificationis origine non urbem notat, ſed nationem populumve integrum, aut cœtum hominum in ſocietate viventium, iiſdemque magiſtratibus, legibus ac juris conditione in eadem regione utentium. Aliis conſiſtit non tam in hominum multitudine, quam legibus, diſciplina civili, & forma Reipublicæ, quæ cunctos conjungit. Talis erat vera & genuina vocis ſignificatio ævo Scipionis Minoris, qui Carthaginem delevit apud Appian. de Bell. Pun. p. 58. . . . . Apud illum Cenſorinus legatis Carthaginenſium contendentibus ſe pepigiſſe cum Romanis inter alias conditiones, ut Carthago libera foret, ſuisque uteretur legibus, ſi darent obſides, quibus acceptis non poſſe Romanos imperare ſubverſionem Carthaginis, reſpondet: *Vos, non veſtrum ſolum putamus eſſe Carthaginem.* Scilicet in Republica eorum eſſe *civitatem* innuebat, quæ libera in novis ſedibus & integra eſſet futura. Idem ergo eſt *civitas* quod Reſpublica. Nam neque hæc, neque illa ſita eſt in ædificiis, ſed cœtu civium per eaſdem leges & jura eadem conjunctorum. Pompejus Magnus apud Appian. Bell. Civ. II. p. 491. *Etiam Athenienſes quondam urbem ſuam deſeruere, milites, dum pro libertate bellum gererent, rati viris civitatem conſtare, non ædificiis.* Auguſtus apud Dion. LVI. p. 659. *Neque enim civitas domibus, porticibus, aut foris hominum inanibus, ſed viris conſtat.* Adeoque *civitas* olim alterutrum horum notabat, aut integram nationem & regionem populi alicujus iiſdem magiſtratibus legibusque utentis: aut leges ipſas, formamque diſciplinæ civilis, ſecundum quam in cœtu communiter vivebant. Prima ſignificatione utitur Cæſar de Bell. Gall. I. 12. *Omnis civitas Helvetia in quatuor pagos diviſa eſt.* Altera idem paſſim in Commentariis: cum legitur *Civitas Remorum, Bellovocarum, Nerviorum.* . . . . ubi intelligit integram nationem, ſive populum, ſive regionem, cujus incolæ eoſdem agrorum fines incolunt, parique juris conditione utuntur. Deinde *civitatis* nomen urbibus inditum; non ſimpliciter omnibus, ſed illis, in quibus ſumma Reipublicæ, præcipua auctoritas, magiſtratus ſupremi & legum tribunalia ſumma cujusque provinciæ, aut regionis ſedem habebant. *Civitatem* pro urbe principe, quamvis rarius, in Commentariis Cæſar poſuit: & ſeculis ſequioribus uſu invaluit, ut notaret urbem, vel oppidum. Et ita accipitur in Itinerario Antonini, & in Itinerario a Burdegala Hieruſalem uſque, quod illi ſubjicitur. In illis enim ambobus ſemper notat urbem aut oppidum. *Bergier. de viis milit.* IV. 7. §. 2—6. *Chimentell. de Hon. Biſell. c.* 42. Intercedit tamen inter *civitatem* & *urbem* hæc differentia, quod *urbs*, qua *urbs* non opus habeat magiſtratibus legibusque ſuis ſingillatim & ſeparatim a reliquis urbibus; ſufficit, ut *urbs* ſit, muro, vallo, foſſa munitam eſſe. At *civitates*, præter munimenta iſta, gaudent ſuis legibus, magiſtratibusque ſeparatim ab aliis urbibus. Præcipue autem illæ habebantur *civitates*, quæ Senatum quaſi habebant, quales in municipiis & coloniis erant Decuriones, & Scabini in Galliæ urbibus, quos Strab. IV. p. 358. Primores vocat. Hinc *civitati* Remorum Senatum adſcribit Cæſ. de Bell. Gall. II. 4. Hanc diſtinctionem *Civitatis & urbis*, ſive inter πόλιν & ἄστυ agnoſcit etiam Strab. V. p. 400. *Bergier. ibid.* §. 8. Urbes etiam olim erant, quæ forum cauſarum, & Duumviros, ſeu jus dicentes magiſtratus habebant: *civitates* vero, quæ prætorium, gymnaſium, theatrum, forum, & balneum habebant. Paull. l. civitatibus 122. de Leg. I. *Ad ornatum civitatis pertinet, quod ad inſtruendum forum, theatrum, ſtadium legatum fuerit.* Martian. l. non tantum 6. de rer. diviſ. *Univerſitatis ſunt, non ſingulorum, veluti quæ in civitatibus ſunt, theatra, & ſtadia, & ſimilia civitatum.* Panciroll. Notit. Dign. Imp. Orient. c. 98. de Magiſtr. Municip. c. 8. *Civitas* & jus Quiritium idem: ut Latinitas, & Latium, ſive jus Latii idem. Nec ad jus Quiritium, ſive *civitatem* Romanam aliquis poterat pervenire, niſi prius Latinitatem, ſive jus Latii eſſet adeptus. Majus munus erat *civitatem* dare, quam jus Latii. Tributario Gallo denegatur *civitas.* Suet. Aug. c. 40. n. 7. Sed eidem datur immunitas. *Robort. de Prov. Roman. Theſ. Antiq. Roman. Græv. Tom.* III. *p.* 4. *A. Manut. de Civit. Rom. Theſ. Antiq. Roman. Græv. Tom.* I. *p.* 16. *E.* Hinc non ignobilis ad conſiderandum locus: utrum, uti jus Quiritium dare eſt *civitatem* Romanam largiri, eadem ratione, qui *civitatem* Romanam habent, jure Quiritium omnes fruantur. Negatur: nam libertini ordinis homines *civitatis* participes ſunt, nec tamen habent jus Quiritium: & nominandi quidem inter cives, habendi tamen inter Quirites non ſunt. Itaque Romanorum civium libertis nunquam *civitatem*, (cum enim libertate donantur, eo ipſo tempore cives fiunt, cenſerique incipiunt) Quiritum autem ſæpe jus eſſe petitum invenias: quod ſi aſſequebantur, tum licebat iis non modo ruſticis in tribubus cenſeri, verum etiam magiſtratus obtinere. *Civitas* igitur peregrinis vel libertis, vel ingenuis, jus Quiritum Romanis libertis dabatur. Diſtinctio hæc patet ex Plin. Epiſt. X. 4. n. 2. *Quare rogo des civitatem Romanam Harpocrati jatraliptæ. Eſt enim peregrinæ conditionis, manumiſſus a peregrina: patronam habet Thermuthin Theonis, quæ jampridem defuncta eſt. Item rogo, des jus Quiritium libertis Antoniæ Maximillæ, Heliæ & Antoniæ Harmeridi.* Manut. ibid. p. 17. B. Cellar. in Plinium. Et quæri poteſt, an peregrinis, ſive libertis, ſive ingenuis *civitas* data fuerit eodem jure, & nulla inter ingenuos & libertos diſtinctione? Omnino ſatis beneficii fuit, *civitate* peregrinos libertos donari: nec veriſimile videtur, ab ordine libertino & peregrinitate ad jus Quiritum tranſcendiſſe. Sic enim pares fuiſſent, atque adeo ſuperiores libertis Romanis, qui a *civitate* ad jus Quiritum adſcendebant; peregrini vero liberti, non a *civitate*, ſed a pere-

peregrinitate, statim ad summum illud ingenuorum civium jus elati essent. Itaque puto eos, cum *civitatem* essent adepti, eodem in Urbe jure cum Romanis libertis fuisse; cives quidem ut essent, sed neque rusticis in tribubus locum, neque petendi magistratus facultatem haberent. Cum vero peregrinis ingenuis impertita *civitas* appellatur, sine dubio jus Quiritum intelligitur; interdum etiam nominatur, ut a Suet. Claud. c. 19. *Latino jus Quiritum.* Manut. ibid. p. 18. B. Dabatur aut oppidanis singulis, aut universis. Singulis, ut Hostio Hostilio Medullino Romulus, ut Lucumoni Tarquinio Tarquiniensi Ancus, ut Servio Tullio Ocriculano Priscus; qui omnes singulis hominibus, quibus voluerunt, jura *civitatis* impertiverunt. Anno vero post Reges exactos sexto Appio Claudio Sabino, neque ita multo post Octavio Mamilio Tusculano Consulum rogatione populus. Universis, ut Antemnatibus, Camerinis, Crustuminis, Sabinis Romulus, quibus *civitatem* ita dedit, ut qui tum Romam ex oppidis suis commigrare vellent, ii omnes in tribus descripti *civitatis* Romanæ jura omnia possiderent, qui domi in patria remanerent, ii nullum jus Romanæ *civitatis* haberent. Atque hi quidem non municipes, sed *cives* Romani dicti sunt. Ex his autem populis Romanus populus erat conflatus. Siquidem Albanorum tria millia, aut certe paullo amplius Romulo ad Urbem condendam affuisse tradit cum Plutarcho Dionysius, quos ille Ramnenses vocavit. Reliqua omnis turba peregrinorum fuit, quos ille suscepit in *civitatem*, Tatiensium & Lucerum: sed hi nunquam municipes, semper *cives* Romani vocati sunt. De quibus Cicer. pro Balb. c. 13. *Illud vero sine dubitatione maxime nostrum fundavit imperium, & populi Romani nomen auxit, quod princeps ille creator Urbis Romulus fœdere Sabino docuit, etiam hostibus recipiendis augeri hanc civitatem oportere, cujus auctoritate & exemplo nunquam est intermissa a majoribus nostris largitio, & communicatio civitatis.* Post Urbem a Gallis captam institutum est, ut quotquot essent alicujus oppidi cives, quotiescunque Romam venissent, quanquam Romæ nullum domicilium haberent, eodem, quo cives Romani loco ducerentur: ii vero dum domi suæ manserunt, municipes; si quando Romam domicilium traduxerunt, cives Romani: hoc tamen aut illo municipio oriundi vocati sunt, ut Porcii Tusculo, Coruncanii Camerio; Marii & Tullii Arpino. *Sigon. de Ant. Jur. Civ. Roman.* I. I. *Spanhem. Exercit. ad Constit. Anton.* I. §. 4. Pro diversa conditione, aut in populum Romanum studio modo cum jure suffragii, modo sine eodem jure impertita dicebatur. Auspicium a Cæretibus factum observat Gell. XVI. 13. ob sacra populi Romani, ut ea de re Liv. V. 50. bello Gallico ab iis recepta, ac proinde anno ab U. C. 364. atque ita centum & aliquot annis post donatos *civitate* aliquos Latinorum populos, ac, paucis dein annis interjectis, Hernicos. Discrimen hoc observant Livius, Vellejus, aliique. Prius cum jure ferendi suffragii, & capiendi in Urbe muneris, unde municipiorum iis, quæ eo donata erant, oppidis nomen, innuere videtur Liv. VIII. 14. ubi ad a. 415. Lanuvini, Aricini, Nomentani, Pedani *in civitatem accepti:* aut Lanuvinis ac Tusculanis apud eundem c. 12. *civitas data*, vel *servata*, sicut paullo post apud eundem c. 21. Privernatibus quoque dicitur. Alterum, ubi mox c. 14. Campanis equitibus, Fundanis, & Formianis, ac dein c. 17. Acerranis, & IX. 43. Anagninis *civitas sine suffragio*, cum restricto proinde, nec pleno illius jure concessa legitur. *Spanhem. ibid.* §. 8. *Manut. de Civit. Rom. ibid. p.* 29. *E.* Non Latinis solum V. supr. in *Civis*; sed Italicis data cum jure suffragii *civitas.* Quod ex Appiano Bell. Civ. I. p. 379. & Liv. Epit. 80. constat: in qua postrema ad a. U. C. 666. dicitur: *Italicis populis a Senatu civitas data est*, iis nempe, qui soli hactenus inter Italos nondum arma deposuerant, Lucanis ac Samnitibus; ad annum vero 670. apud Liv. Epit. 84. *novis civibus senatusconsulto suffragium datum est*; ac dein ad sequentem annum Epit. 86. *Sulla cum Italicis populis, ne timeretur ab eis velut erepturus civitatem & suffragii jus nuper datum.* Spanhem. ibid. §. 13. Transpadanis, omnibus tandem Cisalpinis a J. Cæsare est impertita: imo ante secundum ejus consulatum Gaditanis universis in ulteriori Hispania est data, & hoc populus dein ratum habuit. Dio XLI. p. 164. *Spanhem. ibid.* §. 16. & 17. Ita gradus paullatim est factus, ut Romana *civitas* aliquot primum in Latio municipiis, dein toti Latio, mox universæ Italiæ, aliquot postea extra Italiam, vel privatis, vel oppidis, vel etiam provinciis: exin nobilissimarum in Orbe Romano urbium primoribus, aut limitaneis militibus: tum memorabili in primis Antonini Imperatoris constitutione, omnibus in Orbe Romano ingenuis: tandem, idque post trium circiter ab hac constitutione seculorum decursum, omnibus etiam quacunque conditione manumissis seu libertis sit a Romanis Principibus concessa. *Spanhem. ibid.* II. 9. Non solum deportatione in insulam adimebatur, sed eos etiam qui ad opus publicum perpetuo damnati, inde ἀπόλιδας eos continuo fuisse, seu *civitatem* amisisse testatum reliquit Marcian. D. leg. 17. de Pœnis. Extra quam pœnam aut noxam invito adimi non potuit. Cicer. pro Dom. c. 30. *Populus Romanus, L. Sulla Dictatore ferente, comitiis centuriatis municipiis civitatem ademit: de civitate ne tamdiu quidem valuit, quamdiu illa Sullani temporis arma valuerunt. Hanc vero Volaterranis, cum etiam tum essent in armis, L. Sulla victor, Republica recuperata, comitiis centuriatis civitatem eripere non potuit: hodieque Volaterrani non modo cives, sed etiam optimi cives, fruuntur nobiscum simul hac civitate.* c. 29. *Civitatem nemo unquam ullo populi jussu amittit invitus.* Ubi voluntate, sicut a civibus Romanis in sponte colonias Latinas nomina dederant, amitti potuisse docet. Quod etiam ab illo dicitur pro Balb. c. 11. *Multi etiam superiori memoria cives Romani sua voluntate, indemnati & incolumes, rebus relictis, alias in civitates se contulerunt.* Tribus cæteroquin amitti *civitatem*, *exsilio* (non voluntario nempe, sed quo bona venibant, & aqua & igni, ut in judicio M. Postumii Pygargi apud Liv. XXV. 4. dicitur, interdicebantur) *postliminio* ac *rejectione civitatis* docet Cicer. ibid. c. 12. ejusque rei dat aut adducit exempla c. 11. *Spanhem. ibid. Exerc.* I. §. 6. *Auct. misc. def. pro Salmas. ad jus Attic. & Rom. p.* 88. Semel a Republica data, vel a Principe Romano transibat vulgo ad liberos posterosque; nec Caligulæ, qui tamen & filio id jus relinquendum, sed aliis dein posteris adimendum statuebat apud Sueton. c. 38. n. 2. ratio ea in re habita deinceps legitur. *Spanhem. l. l. Civitatis* communicandæ arbitrium ita penes populum fuit, ut etiam sine auctoritate, cui liberet, eam dare posset. Liv. XXXVIII. 36. *C. Valerius Tappus tribunus plebis promulgavit, ut Formianis Fundanisque municipibus, & Arpinatibus suffragii latio esset. Huic rogationi quatuor tribuni plebis, quia non ex auctoritate Senatus ferretur, cum intercederent: edocti, populi esse, non Senatus jus, suffragium quibus velit impertiri, destiterunt incœpto.* Rogatione de *civitate* perlata res nondum erat confecta. Etenim si *civitas* cum suffragio data esset, præterea ut a Censoribus in certam ex XXXV tribubus conferrentur, requirebatur. Liv. VIII. 17. *Eo anno census actus, novique cives censi, tribus propter eos additæ Mæcia & Scaptia: Censores addiderunt Q. Publilius Philo, Sp. Postumius.* Hoc vero jus censorium non fuit perpetuum. Scribit enim Liv. XXXVIII. 36. *rogationem esse perlatam, ut Formiani in Æmilia tribu ferrent: atque in hac tribu tum primum ex Valerio plebiscito a Censoribus T. Quinctio, M. Claudio censos esse.* Hac enim lege tribus expressa est, in qua novi cives suffragium ferrent, non arbitrio Censorum permissa: ex quo intelligi potest jus ac beneficium *civitatis* totum a populo Romano esse profectum. *Sigon. de Ant. Jur. Ital.* II. 6. *Spanhem. Exercit. ad Constit. Anton.* I. §. 17. Non nudum nomen Transpadanis, Comatæ Galliæ, qua de re Tacit. Annal. c. 11. n. 23. primoribus; sed cum latione suffragii & adipiscendorum Romæ honorum a J. Cæsare datum est. Liquet hoc I. ex Suetonio, qui c. 76. n. 8. inquit: *Civitate donatos & quosdam e semibarbaris Gallorum recepit in curiam.* Quod de

togatis

togatis Transpadanis dici vir doctus monuit ad Tacit. Annal. xv. 24. II. E Claudii Imperatoris ea de re verbis apud Tacit. Annal. xi. 24. *Postremo ipsam*, civitatem, *ad Alpes promotam, ut non modo singuli viritim, sed terræ gentesque in nomen nostrum coalescerent. Tunc solida domi quies, & adversus externos floruimus, cum Transpadani in civitatem recepti*, & quidem, ut totus loci contextus docet, cum pleno suffragii & honorum petendorum jure. *Spanhem. Exercit. ad Constit. Anton.* I. §. 16. Et annexorum variorum jurium & privilegiorum dignitas ac veneratio paullatim insedit, ut aliis omnibus rationibus posthabitis, peregrini nomen cum Romani civis appellatione commutare, eximiumque quid ac singulare a plerisque duceretur. Quo spectat illud Plinii supr. in *Civis*. Spanhem. ibid. II. §. 8. Jura, Græcorum more, communia remanserunt inter deductas ex Urbe Romanorum *civium* colonias, & ipsam earum antiquam patriam. *Spanhem. ibid.* I. §. 12. Commune jus inter varias urbes, ob mutua inter se fœdera, vel commercia, subinde est sancitum. Ita *de civitate Rhodiis ab Atheniensibus, quemadmodum prius Rhodii Atheniensibus dederant*, a Liv. xxx. 15. ac jam ante a Polyb. Excerpt. Leg. III. & quæ ἰσοπολιτεία, seu *æquum jus civitatis* ab eo ibidem dicitur, est in literas relatum. Quam itidem uti is vocat, συμπολιτείαν, seu *commune jus civitatis* inter Perinthios ac Byzantios restituendam memorat Polyb. xvii. p. 744. Qualem etiam inter Cretenses & Apolloniatas extitisse, sed a prioribus præter fas violatam docet idem in Excerpt. Vales. p. 133. *Spanhem. ibid.* §. 5. *Civitatem* Romanam sine suffragio consecuti, non cives Romani, sed tantummodo Romani vocabantur: quod de Acerranis a Livio proditum legimus: atque hi nomen tantum, & honorem Romanæ *civitatis* habebant, tributum pendebant: magistratus autem, aliave munera, aut curationes capere non poterant. Cujusmodi Cærites fuerunt, de quibus supra. Cum suffragio consecuti erant & dicebantur cives Romani, & cum cives Romani essent & dicerentur, sociorum tamen nomen non amittebant, iique auxiliares in bellis appellabantur. Quibus vero concessa quidem *civitas*, suffragii vero ferendi denegata potestas est, neque cives Romani, neque municipes, sed tantum cives, & socii vocabantur. *Manut. de Civit. Rom. Thes. Antiq. Rom. Græv. Tom.* I. *p.* 29. *E.* Ante . . . . . lege Julia datam neque præfecturæ, neque unquam provinciæ, licet Romanas leges tuerentur, e civibus Romanis constabant, sed omnes & erant, & dicebantur socii. *Manut. ibid. p.* 21. *D.* Peregrinis libertis, & Romanis libertis jus Quiritium petere non licebat, nisi patronis aut concedentibus, aut mortuis: quia scilicet libertis aut *civitatem*, aut jus Quiritium adeptis, jura quædam in eos patronorum amittebantur. De Romanis testimonium afferunt verba Plin. Epist. x. 4. *Quod a te, petente patrona, peto.* De peregrinis ejusdem verba l. l. *Patronam habet Thermuthin Theonis, quæ jam pridem defuncta est.* Et illa ejusdem iteratæ sententiæ. *Contentus fueram hoc solum scribere, eum scilicet a peregrina manumissum, patronamque ejus jam pridem decessisse.* Epistola x. 6. exemplum habet de *civitate* peregrinis hominibus, jure autem Quiritium Romanis libertis petito, nec non de jure patronorum in libertos. *Rogo, ut civitatem des Chrysippo Mithridatis, uxorique Chrysippi Stratonicæ Epigoni; item liberis ejusdem, ita ut sint in potestate patris, utque iis in libertos servetur jus patronorum. Item rogo, indulgeas jus Quiritium L. Satrio Abascanto, & P. Cæsio Phosphoro & Panchasiæ Soteridi: quod a te, volentibus patronis, peto.* Romanos libertos esse hos duos posteriores, nomina eorum Romana, Satrius & Cæsius, declarant: Chrysippum vero, uxoremque ejus, peregrinos, & Græcos, ex adjunctis patronorum Mithridatis, & Epigoni nominibus liquet. *Manut. ibid. p.* 17. *F.* Pecunia interdum emebant. Ita Actor. c. 22. n. 28. a tribuno militum dicitur, quod multa pecuniæ summa effet *civitatem* Romanam consecutus. Et ex Græcorum ea de re commentariis diximus, Paulli patrem pecunia sibi *civitatem* Romanam comparasse. Neque vel ab ipso Cæsare Gaditanis primum, dein Gallis Transpadanis; aut ab eodem Julio, vel Augusto opulentis Hispaniæ oppidis, vel ditibus Comatæ Galliæ primoribus, etsi necdum pleno jure; aut hisce postremis a Claudio, cum honorum adipiscendorum jure, gratuito datam *civitatem*, licet arbitrari. *Spanhem. Exercit. ad Constit. Anton.* I. §. 19. Servis dare Athenis lege vetitum fuisse tradit Dio Chrysost. Orat. xii. p. 235. Et tamen servos servis genitos, homines perditos, accepto tanquam pro aliis mercibus pretio, cives fecisse Athenienses conqueritur Demosth. περὶ συντάξ. p. 70. Idem Romanæ *civitatis* suo ævo, ac proinde sub Augusto fatum deplorat Dion. Halicarn. iv. p. 227. Ubi nempe e manumissis plurimos olim gratis, ac honestatis & probitatis merito, libertatem ac inde *civitatem* consecutos docet; paucos autem numerato pretio, quod labore per jus & fas conquisivissent. *Spanhem. ibid.* §. 18. Quibus dederint Julius, Augustus, Caligula, Claudius, Nero, Galba, Domitianus, Trajanus, accurate satis denarrat *Spanhem. ibid.* §. 18 — 22. Omnibus omnino orbis Romani incolis dedit Antoninus, sive Pius, ut volunt *Ulpian. Novell.* 78. *c.* 5. *Alciat. Dispunct.* II. 21. *Augustin. lib. singul. ad Modestinum. Panciroll. Var.* II. 64. *Cujac. Obs.* IV. 5. *Casaub. ad Spartian. Sever. c.* I. *Salmas. ad Vopisc. Prob. c.* 14. sive Caracalla, ut contendit *Spanhem. Exercit. ad Constit. Anton.* II. §. 6. *Civitates* & municipia Principis beneficio habebant agros, ex quorum reditu onera sustinebantur, sacra perficiebantur, ædes sacræ & communes sartæ tectæ conservabantur. *Agri vectigalis municipii Atellani, qui erat in Gallia*, meminit Cic. Fam. xiii. 7. Epist. vero II. inquit: *Arpinatium omnium commoda, omnesque facultates, quibus & sacra conficere, & sarta tecta ædium sacrarum, locorumque communium tueri possint, consistunt in his vectigalibus, quæ habent in provincia Gallia.* Hos solebant *locare in perpetuum, id est, hac lege, ut quamdiu pro illis vectigal pendatur, tamdiu neque ipsis, qui conduxerunt, neque his, qui in eorum locum successerunt, auferri eos liceat* leg. I. ff. si ager. vectig. Ita *agrum ex suis, quem pro quingentis millibus nummum, quæ in alimenta ingenuorum promiserat, actori publico mancipaverat, vectigali imposito receperat, tricena millia annua daturus.* Plin. Epist. vii. 18. 2. Hos *fructuarios* appellat Cælius ad Cicer. Fam. viii. 9. Hinc colligitur a magistratibus Romanis, qui in provincias mittebantur, non potuisse hoc fructu, qui ad arcam *civitatum* pertinebat, privari, ne *civitatum* vectigalia imminuerentur: petierat enim Cælius, ut *Marcus Feridius hos agros Ciceronis beneficio immunes haberet*, quod ei Cicero negavit, utpote fœdum & illicitum, quemadmodum ad Attic. vi. I. scribit. *Burman. Dissert. de Vectig. Pop. Rom. c.* I. Verùm vectigalis alicujus novi instituendi jus non habebant; sed a Senatu, vel postea ab Imperatoribus obtinere debebant. Sic in leg. ult. §. 15. ff. de muner. & honor. dicuntur *quædam civitates habere prærogativam, ut hi, qui in territorio earum possident, certum quid frumenti, pro mensura agri, per singulos annos præbeant.* Vespasianus Decurionibus Sabotensibus ita rescribit apud Gruter. Inscript. p. 164. n. I. *Vectigalia, quæ a Divo Augusto accepisse dicitis, custodito, si qua nova adjicere vultis, de his Proconsulem provinciæ adire debetis: ego enim, responso prius ab eo non accepto, nihil constituere possum.* Contra, si male meritæ essent *civitates*, rursus vectigalia illis adimebantur. Suet. Tib. c. 49. n. 5. *Plurimis civitatibus & privatis veteres immunitates, & jus metallorum, ac vectigalia ademit.* Burman. ibid. c. 7. nonnullæ capita dicebantur. Plin. III. 4. *Vocontiorum civitates fœderatæ capita duo, Vasco & Lucus Augusti.* Robort. de Provinc. Roman. Thes. Antiq. Roman. Græv. Tom. III. p. (4) D. Primæ dicebantur in provinciis, quæ conventum habebant. Ita Nicæenses se πρώτους τῆς ἐπαρχίας inscribebant in nummo Domitiani apud Sanctamant. Tom. I. p. 334. in quo ara expressa cum inscriptione ΔΙΟΣ ΑΓΟΡΑΙΟΥ, ob conventus nempe forenses, qui illic stato anni tempore a Præside Bithyniæ celebrari solebant. *Ruben. de Urbib. Neocor. Diatr. Thes. Antiq. Roman. Græv. Tom.* XI. *p.* 1361. *B.* Nonnullæ erant stipendiariæ. Cæs. B. G. I. 30. *civitates stipendiarias* vocat. Stipendiarias non puto a tributariis differre. Hinc *tributarium Gallum* vocat Suet. Aug. c. 40. n. 7. De tributariis civi-

civitatibus Galliæ, & exactorum tributorum mentio fit in vetusta inscriptione, quæ adhuc exstat Bononiæ in marmore ad columnam lateritiam, quæ est ante fores templi Petronii.

Q. MANILIO
C. F. CORDO.
LEG. XXI. RAPAC.
PRÆF. EQUIT. EXACT.
TRIBUT. CIVITAT. GALL.
FAC. CUR.
CERTUS. LIB.
IN. ARG. PXL. IV. IN. FRO. PXL. IV.

Robort. ibid. p. (3) A. Nonnullæ fœderatæ, quæ ex lege fœderis populo Romano debebant aliquam obsequii speciem, uti certum numerum militum ad auxilia: cæterum hoc obsequii titulo excepto, liberæ erant, gaudentes sua republica, suis legibus, suisque magistratibus. Quod plurimæ urbes fœderatæ cætera fuerint liberæ, colligimus ex Suet. Aug. c.47. n.2. *Urbium quasdam fœderatas, sed ad exitium licentia præcipites, libertate privavit.* Neque enim ullam *civitatem* fœderatam libertate privare potuisset, si ante non fuissent liberæ. Dio LIV. p. 602. *Augustus interim subditos ex Romanarum legum præscripto composuit, fœderatos uti majorum suorum institutis permisit. Bergier. de viis Militar.* IV. *Sect.* VIII. §. 6. & ad illum *Henninius. Auctor Misc. def. pro Salmas. ad jus Attic. & Rom. p.* 590. Nonnullæ in servitute, aut ad provinciæ formam redactæ. His namque a Romanis adimebantur & suæ ipsorum a majoribus acceptæ leges, & jus magistratus suo ipsorum arbitrio ex sua civitate legendi. Harum tres species videntur fuisse: Præfecturæ, *Civitates* immunes, & *civitates* vectigales. *Civitates* immunes, quæ in historia Romana sic appellantur, ut distinguantur a liberis, nobis dicerentur commode: *Villes franches & exemtes de tribut.* Hæ revera sub jugo erant servitutis, neque suis utebantur magistratibus: attamen certis de causis a tributis erant immunes. *Civitates* vectigales erant, quibus imperabantur tributa, & vectigalia ordinaria provinciæ: hæ inter omnes durissima fuerunt fortuna & conditione. Tales fere erant omnes Galliæ *civitates*, quas J. Cæsar in provinciæ formam redegit. Unde hæc diversitas orta, docet Sicul. Flacc. de Condit. agror. p. 1. *Hæc vocabula non sine causa acciderunt. Quidam enim populi pertinaciter adversus Romanos bella gesserunt: quidam experti virtutem eorum servaverunt pacem: quidam cognita virtute & justitia eorum se eis addixerunt, & frequenter adversus hostes eorum arma tulerunt. Leges itaque pro suo quisque merito acceperunt: neque enim erat justum his, qui admisso perjurio rupere pacem, ac bellum intulere Romanis, idem præstari quod fidelibus populis.* Bergier. ibid. §.7. & 8.

CLA.

CLABA, κλάβη, genus est vehiculi. Notæ ad Curopalatem Francofurti editum apud Joh. Mareschallum an. 1588. p. 275. Κλάβη, sive κλάπη *squamæ formam habens vehiculum, desinensque in orbem pone: cujus diminutivum clabula, sive clavula, celox vehiculum, cujus caplus ad squamæ formam in hemicyclum ductus, ad ægrotos commode exportandos est commodissimum.* Sed hæc omnia sunt falsa. *Clabula*, seu *clavula* nunquam est vehiculum, sed bacillus, a *claba*, sive *clava*. *Claba* est a κλάδα. Κλάδα vero ῥάβδος, sive baculus. Hesychius: Κλάδαν, κλάδον, ῥάβδον. Ab hoc κλάδα Æolice est κλάβα, indeque Latine *claba*, pro quo & *clavam* usurparunt. Nam *clava* proprie fustis est ex arbore recisus, teste Varr. de Re Rust. I. 40. & ex eo Non. IV. 473. *Nam etiam nunc rustica voce intertaliare dicitur dividere, vel excidere ramum ex utraque parte æquabiliter præcisum, quas alii clabulas, alii taleas appellant.* Hinc *clava* Herculea. A *claba* per diminutivum est *clabula*, quod proinde non vehiculum significat, sed bacillum. *Scheffer. de Re Vehic.* II. 8.

CLABULARE est vehiculum, quod undique *clabulis* erat confixum & contextum, & capsum ex *clavulis* factum habebat, ad res, quæ imponerentur, retinendas, ne defluerent: quod & in nostris carris onerariis fieri videmus, quæ undique vallantur, & sudibus, vel *clabulis* muniuntur, ne onera imposita decidant. *Salmas. Capitol. Anton. Pio. c.* 12. *Scheffer. de Re Vehic.* II. 8. *Buleng. de Imp. Rom.* VI. 35. Fuit currus onerarius non affabre factus: non, quales rhedæ, carpenta, δίφρα, aut honoratiorum vehicula; verum ex *clavulis* nudis, taleis, prosegminibus lignorum, ut *clabulas* Nonius explicat IV. 473. *un charret a bœufs*, quales hodie in opere rustico. *Gothofr. ad* 1. 23. *C. Th. de C. P. Ziegler. de Jur. Maj.* II. 18. 6. *Hennin. ad Bergier. de viis Milit.* IV. 4. §. 4. Ad illud jungebantur aut aptabantur boves aut asini. *Bergier. de viis Milit.* IV. 10. §. 9.

CLABULARIS cursus. V. illum infr. in *Cursus.*

CLAMATOR dicitur convivii vocatur. Mart. XII. 26. 11.

Nec venit ablatis clamator verna lacernis,
Accedit gelidam servus ad auriculam.

Qui post tot officia, casus, & discursus venit, & mihi concreto frigore suggerit in gelidam auriculam vocatum me esse a Lætorio patrono ad cœnam. *Rader. ad Martialem.* Lepida interpretatio, quasi opus *clamore* esset ad vocandos convivas, aut unquam vocatores *clamatores* dicti sint. Et necesse sit, clam in auriculam servum vocationem ad convivium insusurrare. Etsi igitur omnes libri veteres repugnent, recte viri docti pridem emendarunt: *clamatus*. Nam *clamatus* est vocatus. Mart. I. 50. 29.

Vocabitur venator, & veniet tibi
Conviva clamatus prope.

Et sic sensus: cum decidit imber, non præsto est vocatus verna, qui alias afferat lacernas, quibus imbre madidas mutem. *Ferrar. de Re Vest.* II. 1. 27.

CLAMOR in bello excitabatur a militibus I. Duci ex tribunali exercitum alloquenti assensuris. Livius in ipsa Ducis oratione III. 62. *Si jam satis animi est, decernique placet, agitedum, clamorem qualem in acie sublaturi estis, hic tollite, indicem voluntatis virtutisque vestræ.* Val. Flacc. I. 681.

Dixerat hæc: oritur clamor.

Lips. de Milit. Roman. IV. dial. 9. Thys. Rom. Illustr. IV. p. 99. II. Post classicum imminente jam conjunctione & conflictu, incitatio pariter animi & virium, atque hosti terror. Ante enim, & cum eminus, silentium vastum erat, idque Homerico versu approbat Gell. I. 11. apud quem Græci taciti eunt, spirantes robur: at Trojani contra cum *clamore* ut grues. Subjicit deinde: *Quid ergo vult ille ardentissimus clamor militum Romanorum, quem in congressibus præliorum fieri solitum scriptores Annalium memoraverunt?* Et respondet, ac prudenter distinguit: *An tum etiam gradu clementi & silentio est opus, cum ad hostem itur, in conspectu longinquo procul distantem? Cum vero prope ad manus ventum est, tum jam e propinquo hostis & impetu propulsandus est, & clamore terrendus.* Vetus hercle hoc institutum. Et Cæsar commemorat, cum causis, ubi Pompeji consilium damnat, qui id omiserat Bell. Civ. III. 92. *Neque frustra antiquitus institutum est, ut signa undique concinerent, clamoremque universi tollerent, quibus rebus & hostes terreri, & suos incitari existimaverunt.* Jam tum in Romuli rebus *clamorem* hunc agnoscit Liv. I. 11. *Fusi primo impetu & clamore hostes.* Et statim post Reges II. 30. *Consul nec promovit aciem, nec clamorem reddi passus.* Arbitror *clamorem* hunc fuisse vocem aliquam confusam repetitam, nec quidem significantem: cujusmodi subitæ & primi impetus esse soleat, syllabæ potius quam verba. Facit apud Græcos quidem ipsa vox, ἀλαλάζειν καὶ ἀλαλαγμὸς, assidua in ista re: & quid aliud quam formatæ a syllaba ista repetita, *al al?* qua utebantur scilicet in provocando. In Suidæ collectaneis hoc aperte satis dicitur: *Euntes ad prælium illud Eleleu acclamabant, cum modulato quodam motu.* Apud Romanos quid fuerit, planissime ignoro, nisi quod Baritum, vel Barritum posteriore ævo reperio.

reperio. V. supr. in *Barritus*. Tanti apud illos æstimatus est, ut ex eo judicarent de eventu pugnæ. Liv. IV. 37. *Clamor indicium primum fuit, quo res inclinatura esset: excitatior, crebriorque ab hoste sublatus; ab Romanis dissonus, impar, segnis, sæpe iteratus, prodidit pavorem animorum.* Plutarch. Crass. p. 560. D. *Cum is suos clamorem tollere jussisset; mœstitiam eorum accusavit, quod imbecillum, & inæqualem edidissent.* Momentum habet ea res etiam a naturalibus causis. Quippe duo sensus in nobis, per quos timor maxime in animum penetrat, oculi & aures. Alterutrum illorum qui turbat, næ ille victoriæ suæ multum confert. Quid autem magis aures, quam validus, & magnus sonus? Itaque non injuria Catoni Prisco hoc adscribitur: *verba plus quam gladium & voces, quam manum, hostes territare, & in fugam vertere.* Ejus Pan fuit inventor. Polyæn. Stratag. I. 2. *Cum Bacchus expeditione Indica in valle aliqua cava cum copiis esset, ex adverso autem infinita hostium multitudo; nonnihil in animo pertimuisse. Tum Pana persuasisse, ut noctu Dionysii exercitus maximum clamorem tolleret, quem cum & petræ, & valles exceptum referrent, & augerent, hostes territos in fugam se dedisse.* Stewech. ad Veget. III. 17. Donat. Dilucid. p. 209. Lyd. de Re Milit. IV. 3. Valtrin. de Milit. Roman. V. 3. Camerar. Hor. Subces. I. 77. Spanhem. in Juliani Imper. Orat. I. p. 234. Buleng. de Omin. c. I. Potter. Archæol. Græc. III. 9. Laurent. de Re Vest. c. 2. Thys. Rom. Illustr. IV. p. 102. Lips. ibid. dial. II. V. infr. in *Pæan*. Gentis aut patriæ nomen solebant acclamare. Nam Hispani Hispaniam ingeminabant in concertatione & rixa, & cum auxilium ciebant. Ita apud Plutarch. in Mario p. 416. C. legitur: *Ambrones, cum pugnam cum Romanis incœptarent, sive quo sese cohortarentur, sive ut hostes terrerent, nomen suum identidem intonasse* AMBRONES. In eodem lego, Romanos etiam usurpasse crebro illud in acie, *Feri*, & cum sese mutuo adhortarentur. *Unde etiam,* inquit in Marcel. p. 302. B. *quidam Feretrii Jovis nomen derivant.* Lips. Anal. ad Milit. p. 289. Lyd. & Thys. l. l.

Clamor in concionibus excitabatur nonnunquam ab audiente populo, ut intelligentia assecutum se testaretur, quæ a concionante vel dicebantur, vel dicenda erant; atque ita dicentem ipsum præveniebat interdum, interdum comitabatur. In Sermone XIII. de verbis Domini in Euangelium Matthæi, cum proferre cœpisset Augustinus eum Psalmi versiculum: *pluviam voluntariam segregans Deus*, populus optime tenens verba proxime post pronuntianda, in eorum recitatione dicentem ipsum prævenit: *Attendite*, sic inibi scriptum est, *audite, intelligite, agite. Neque enim agendum est cum firmis alibi, ut sint infirmi; sed agendum est cum infirmis ut sint firmi. Multos autem impedit a firmitate præsumptio firmitatis; nemo enim erat a Deo firmus, nisi qui se a seipso sentit infirmum. Pluviam voluntariam segregans Deus hæreditatis suæ; Quid præceditis, qui quod dicturus sum nostis?* Mos hic fuit Græcæ simul & Latinæ Ecclesiæ. In Paulli Emeseni Episcopi homilia de Christi incarnatione, quæ olim coram Alexandrino Cyrillo habita est, & reperitur nunc inter ejusdem Cyrilli homilias numero septima, cum essent ea verba pronuntiata: *Peperit itaque Deipara Maria Emmanuelem*, audiens populus illico, ut se & assecutum esse, & credere firmiter, quæ dicebantur, manifestaret, concionantis cursum interrupit, sic acclamans: *Ecce fides eadem est, Donum Dei Cyrille Orthodoxe, hoc audire cupiebamus; qui non ita loquitur, anathema sit.* Ferrar. de Acclamat. & Plaus. Vet. V. 3. Nonnunquam ad ea etiam, quæ minime intelligeret. Exponente Augustino Psalmum 147. ad ea *clamavit* audiens populus, quæ necdum potuerat intelligentia assequi. In ea expositione ita est: *Quomodo exultatis omnes? Nihil dixeram, nihil exposueram; versum pronuntiavi, & acclamastis.* Eidem Augustino in Serm. 47. de Diversis quæstionem duntaxat proponenti, necdum solventi, auditores tamen acclamarunt: *Malus est mundus*, ita scriptum est eo loci, *sed bonus a quo factus est mundus. Quomodo potero absolvere & explicare quod dixi? Deus. Quid enim dixi? Quid laudastis? Ecce quæstio est, & tamen jam laudatis.* Ferrar. ibid. c. 4. Etiam de re per se odio digna & exsecratione, si inter concionandum mentio fieret, ut esset odii & exsecrationis testis. In Chrysostomi in Epist. ad Titum homilia quinta, cum Ethnicorum corruptæ quædam depravatæque consuetudines commemorarentur, diceretúrque inter cætera, moris illorum fuisse, ut in virorum conspectu nudæ virgines luctarentur. Hic merito indignitatem rei aversata audiens multitudo magnos edidit *clamores*. Atque honestum hoc populi judicium laudibus ornans vir sanctissimus ita locutus est: *Magnas vobis gratias habeo, bonaque precor omnia, quod nec nomen quidem ipsum patienter audire potuistis.* . . . . Cicerone singularem aliquando exaggerante L. Antonii insolentiam, quod se *populi Romani patronum* ausus esset in statua inscribere; concio hæc audiens exarsit ad rei indignitatem, & *clamorem* sustulit. Ejus verba id exprimentia sunt hæc Philip. VI. 5. *Quinque & triginta tribus patrono. Populi Romani igitur est patronus L. Antonius? Malam quidem illi pestem. Clamori enim vestro assentior. Non modo hic latro, quem clientem habere nemo velit: sed quis unquam tantis opibus, tantis rebus gestis fuit, qui se populi Romani victoris, dominique omnium gentium tutorem dicere auderet?* Ferrar. ibid. c. 5. Etiam confusus nonnunquam, ac nihil plane significans. Chrysostomus confusum hunc *clamorem*, vocemque nihil certi declarantem commemorat, & reprehendit de verbis Esaiæ prima homilia. *Cur se extendunt manus ad supplicandum, quæ semper ad sublime jactantur, & indecore circumaguntur, quæque vehementi clamore; violentoque impulsu strepitum habent nihil certi declarantem? Annon ista quidem partim sunt mulierum in triviis meretriciam artem exercentium? partim vero eorum, qui in theatris vociferantur, sunt exempla?* Exprimebatur potissimum hisce vocibus, *a, a,* admirationis scilicet indicibus. Euripidis Scholiastes ad Orestem: *Cum quis mirabile quidpiam audierit, vel adspexerit, nihil aliud exclamat quam a, a.* Ferrar. ibid. c. 6.

Clamor gubernatoris nautis erat proficiscendi indicium. Sil. Ital. III. 153.

> *Confisus pelago celsa de puppe magister*
> *Cunctantem ciet, abripitur divulsa marito.*

Stat. Sylv. III. 2. 54.

> *Jam ratem terris divisit fune soluto*
> *Navita, & angustum dejecit in æquora pontem:*
> *Sævus ubi e puppi longo clamore magister*
> *Dissipat amplexus, atque oscula fida refellit.*

Scheffer. de Milit. Nav. III. 3.

Clamor, lætitiæ & approbationis argumentum, edebatur in cavea, quoties in scena aliquid ageretur, quod omnes probarent. Cicer. de Amic. c. 7. *Qui clamores tota cavea nuper in hospitis & amici mei M. Pacuvii, nova fabula: cum ignorante Rege, uter eorum esset Orestes, Pylades Orestem se esse diceret, ut pro illo necaretur: Orestes autem, ita ut erat, Orestem se esse perseveraret? stantes plaudebant in re ficta.* Xiphilin. LXI. p. 699. C. Nerone canente *audire erat quodammodo ipsos dicentes, pulcer Cæsar, Apollo, Augustus. Sæpe a mane ad vesperam clamare pertendebant.* Buleng. de Theatr. I. 60.

CLARIGATIO dicebatur, cum feciales res repetitum mittebantur: Plin. XXII. 2. *Legati cum ad hostes, clarigatumque mitterentur, id est, res raptas clare repetitum, unus utique verbenarius vocabatur.* Serv. Æneid. IX. 53. *Hoc de Romana sollennitate tractum est. Cum enim volebant bellum indicere, Pater patratus, hoc est, princeps fecialium proficiscebatur ad hostium fines, & præfatus quædam sollennia clara voce dicebat se bellum indicere propter certas causas: aut quia socios læserant, aut, quia nec abrepta animalia, nec obnoxios redderent. Et hæc clarigatio dicebatur a claritate vocis.* Formula *clarigationis* est apud Liv. I. 32. *Voss. Lex. Etymol. Brisson. de Formul.* IV. *p.* 342. *Grot. de jur. bell. & pac.* III. 3. §. 7. *Alex. Gen.* V. 3. *Caroli Antiq. Roman.* III. I. *Kipping. Antiq. Roman.* III. I. §. 2. *Schill Nomencl. Philol. pag.* 294.

Clarigatio dicebatur etiam hominum prehensio & pigneratio, quod ἀνδροληψίαν Græci vocant, & jus hominis pre-

prehendendi & abducendi. Liv. VIII. 14. *Ut ejus, qui cis Tiberim deprehenſus eſſet, uſque ad mille paſſuum pondo clarigatio eſſet.* Idem firmare eſt Gloſſ. Lat-Græc. Philox. in quibus: *Clarigatio*, ἀρπαγὴ, ἐνεχυριασμός. Et paullo poſt: *Clarigatio*, ἐνεχυριασία, ὁμηρία. Quare ubi Imperator Juſtinianus Novell. 52. ἐνεχυρισμὸν nominat, ac *pignerationem* vertit vetus interpres, *clarigationem* cum Livio dicere potuit. *Turneb. Adv.* XXI. 1. *Voſſ. Lex. Etymol. Bud. in Pandect. p.* 248. *H. Salmaſ. de Mod. Uſur. c.* 13. *Donat. Diluc. p.* 18.

CLARISSIMI, cadente enim imperio mutati ſunt tituli, & ad diſtinguendas perſonas ſublimiores ſunt inſtituti, qui Reipublicæ tempore in uſu non fuerunt, nomen primum Senatoribus eſt tributum. Hoc jam imperante Tiberio introductum eſt. Siquidem Cajus Caſſius Longinus, qui eo tempore vixit leg. 2. §. pen. de Origine juris, *claras perſonas* ſenatoris uxores aut filias vocat. leg. curator. 5. de curator. furioſ. Ælius quoque Marcianus, qui ſub Pio floruit leg. 2. de his qui ſunt ſui vel alien. jur. Senatores *Clariſſimos viros* dicit leg. deferre 18. in princ. de jur. fiſc. *Panciroll. Notit. Dign. Imper. Orient. c.* 2. *Buleng. de Imp. Rom.* II. 19. *Alciat. Diſpunct.* III. 4. *Thyſ. in Gell.* I. 22. *Buchner. in Plin. Epiſt.* VII. 33. *Schill Nomencl. Philol. p.* 296. Deinde in provinciarum magiſtratus, & alios tranſiit, & in primis Conſules, mox Proconſules *clariſſimi* dici cœperunt. Ita enim eos Pius Antoninus in coll. leg. Rom. & Severus appellant in leg. 3. C. de his qui not. infam. In *clariſſimi* quoque recepti ſunt conſulares, id eſt, Præſides conſularibus ornamentis decorati, quorum dignitas *clariſſimatus* vocatur leg. 2. C. de dom. & prot. Eodem titulo Correctores provinciarum leg. 1. C. ut omnes tam civil. 1. ſi poſt & præſides d. l. 1. C. ut omnes tam civil. 1. præſes ſunt honeſtati. Denique & Comites ordinis ſecundi, veluti primicerii ſcholarum l. 2. C. de privil. ſchol. & Silentiarii l. ult. C. de ſilentiar. Scribebatur autem *Vir Clariſſimus* his notis V. C. cujus rei multa ex legum ſubſcriptione patent exempla. *Panciroll. l. l. & c.* 156. *Guther. de Offic. Dom. Aug.* I. 4—7. *Buleng. l. l.* Fruebantur hoc privelegio, ut per ſe ipſos lites civiles, aut criminalem injuriarum actionem exercere non poſſent, ſed per procuratores id agere compellebantur. Indignum enim videbatur ſpecioſas perſonas cum inferioribus cauſam dicendo ante judices ſtare leg. pen. C. de procurator. Poſtea illis conceſſum eſt, ut ipſi per ſe litigare poſſent. Authen. ut ab Illuſtr. & qui ſupra eos ſunt. *Panciroll. ibid. c.* 2.

CLASSIARIUS dicebatur miles *claſſis*, quæ tutelæ ſive præſidii cauſa diſpoſita eſſet in mari, fluvio, aut lacu. Tacit. Annal. XV. 51. *Primores claſſiariorum Miſenenſium labefactare connixa eſt.* Voſſ. Lex. Etymol. Scheffer. de Milit. Nav. II. 3.

Claſſiarius dicebatur etiam nauta, & miniſter navalis. Hirt. Bell. Alex. c. 12. *Non jam virtute propugnatorum, ſed ſcientia claſſiariorum ſe victos vident.* Hic *ſcientia claſſiariorum* eſt, quam Cæſ. Bell. Civ. I. 58. *artificium nautarum & ſcientiam gubernatorum* nominat. *Scheffer. de Milit. Nav.* II. 3. *Donat. Dilucid. p.* 200.

CLASSICARIUS eſt *claſſicen.* Gloſſ. Philox: *Claſſicarii*, σαλπιγκταί. Nam σάλπιγξ περιφερὴς, *claſſicum*, ut interpretantur Gloſſæ Græco-Latinæ, in Cyrilli calce inventæ. *Voſſ. Lex. Etymol. Turneb. Adv.* XXI. 28.

CLASSICUM accipiebatur & pro ipſo ſono. Serv. Æneid. VIII. 637. *Nam claſſicum dicimus & tubam ipſam & ſonum. Claſſicum autem eſt flexibilis tuba.* Iſidor. XVIII. 4. *Claſſica ſunt facta, & a calando claſſica dicebantur.* Stewech. ad Veget. II. 22. Eſt cum ſigna omnia pariter canunt, & militem vocant, incitantque ad pugnam. *Thyſ. Rom. Illuſtr.* IV. *p.* 99. Sane vocari *claſſico* ſolere, verum eſt. Et ita Liv. VII. 36. *Conſul claſſico ad concionem vocat.* Simile & in ipſa Urbe. Lucillius:

Rauco concionem ſonitu, & curvis cogant cornibus.

Ritus valde antiquus: & ſi fides Prop. IV. 1. 13.

Buccina cogebat priſcos ad verba Quirites.

jam tum Romulæo ævo. Dionyſ. Halicarn. II. p. 33. *Plebem miniſtri quidam cornibus bubulis, id eſt, buccinis, inſonantes ad concionem cogebant.* Uterque de buccina, cui *claſſici* nomen etiam aptat Veget. II. 22. *Claſſicum appellatur, quod buccinatores per cornu dicunt.* Sed & Senec. Oedip. III. 733.

Sonuit reflexo claſſicum cornu.

Tamen contra ſoli tubæ adſcribit Suet. Jul. c. 32. n. 1. *Rapta ab uno tuba, ingenti ſpiritu claſſicum exorſus eſt.* Lipſ. & Thyſ. l. l. Delr. ad Senec. Thyeſt. III. 574. Laz. Comm. Reip. Rom. IV. 11. In his talibus non aliud eſt, quam bellicum & incitatorium canere, certis videlicet modis. Quod in pugna quidem legitima fiebat omni illo inſtrumento, & cornuum, & tubarum. Quintil. II. 18. *Quid autem aliud in noſtris legionibus cornua ac tubæ faciunt? quorum concentus quanto eſt vehementior, tanto Romana in bellis gloria cæteris præſtat.* Lipſ. & Thyſ. l. l. Erat præcipuum dignitatis Imperatoriæ inſigne. Veget. I. 22. *Hoc inſigne videtur imperii, quia canitur Imperatore præſente.* Cæſ. Bell. Civ. III. 82. *Pompejus Scipionis milites cohortatur. . . . . ſuum cum Scipione honorem partitur, claſſicumque apud eum cani jubet.* Liv. XXVIII. 27. *In prætorio tetenderunt Albius & Atrius, ſeditioſi milites, qui imperium proconſulare ſibi vindicarunt; claſſicum apud eos cecinit: ſignum ab eis petitum eſt.* Stewech. ad Vegetium. Valtrin. de Re Milit. Roman. III. 14. Incinendi modum habemus apud Dion. XLVII. p. 352. C. *Deinde tubicen unus utrimque inſonuit, & mox alii pariter reſponderunt. Priores quidem ii, qui rotundo quodam loco conſtituti, tubis certum aliquid modulabantur: quo ut conſiſterent, & prælio ſe pararent milites, admonebantur: tum deinde omnes reliqui, qui animos, iraſque militum acuebant, & ad pugnam excitabant.* Triplex ergo tubæ ſonus. I. unius, & ſingularis, qui primopili fortaſſe, haud longe ab Imperatore, ejusque nutu incinuit. II. aliquot aliorum, qui in loco quodam orbiculato, & fortaſſis editiore ſtabant, ad ſigna & aquilas, ut exiſtimo. III. omnium aliorum per cohortes, per turmas, qui pariter jam *claſſicum* canebant. Nam duo priores ſoni nonniſi expediendo militi videbantur, paullatimque ejus animi & iræ notæ Facit enim profecto hoc ſonus, & magnam vim habet ad ſpiritus, & ſanguinem evocandum. Ideo placent hic quoque Romani, qui non in equitibus ſolum tubas, ut nos, ſed & peditibus habebant. Tubæ autem illius primæ exemplum fortaſſe in Apul. de Mund. p. 744. *Cum tuba bellicum cecinit, milites clangore incenſi, alius accingitur gladio, alius clypeum capit, alius equum frenis temperat.* Eſt enim adhuc non verum *claſſicum*, ſed præparatorium illud ad pugnam. *Lipſ. & Thyſ. l. l.* Canebat, cum civi rei capitalis dies dicta eſſet, in celeberrimis Urbis locis, & poſtremo ante januam damnati. Tacit. Annal. II. 32. 5. *In P. Martium Conſules extra portam Eſquilinam, cum claſſicum canere juſſiſſent, more priſco advertere.* Veget. II. 22. *Claſſicum canitur, cum in militem capitaliter animadvertitur.* Varr. de Ling. Lat. V. 9. *Quo die comitia erunt, in arce claſſicum canat, tum circumque mœros, & ante privati hujuſce T. Quinctii Trogi ſceleroſi hominis hoſticum canat, & ut in campo cum primo luci adſit.* Lipſ. in Tacitum. & Senec. de Ira I. 16. Laurent. de Rebuſp. c. 6. Stewech. in Veget. I. 23: II. 22. Valtrin. l. l. Nec Romæ ſolum, & inter cives ſervatus ille mos, ſed etiam in provinciis, niſi fallunt me declamatores apud Senecam patrem Controv. IX. 2. de Flaminio, qui inter cœnam punivit noxium. Capito: *Fit a præcone ſilentium, adhibentur deinde legitima verba, canitur ex altera parte claſſicum.* Caſſius Severus: *Si tribunal conſcenderit convivali veſte: ſi cum claſſicum canere debeat, ſymphoniam canere juſſerit.* Lipſ. l. l.

CLASSICUS eſt, qui in *claſſe* remis incumbit. Curt. IV. 3. 18. *Tandem remis pertinacius everberatum mare, veluti eripientibus navigia claſſicis ceſſit. Claſſis* enim etiam navium ſignificat multitudinem. Inde bellum navale *claſſicum* dicitur. Prop. II. 1. 28.

Cum canerem Siculæ claſſica bella fugæ.

Et

Et certamen classicum. Paterc. II. 85. 2. *Agrippæ omne classici certaminis arbitrium commissum.* Voss. Lex. Etymol. Pitisc. in Curtium.

Classicus ab ea notione, qua Servius Tullius populum Romanum in sex *classes* distinxit, dicitur cornicen, qui centurias *classium* inliciebat ad centuriata comitia. Varr. de Ling. Lat. IV. 16. *Classicos a classe: qui item cornu canunt, ut tum cum classes comitiis ad comitatum vocant.* V. 9. *Uti curent eo die, quo die comitia erunt, in arce classicus canat.* Voss. Lex. Etymol. Turneb. Adv. XXI. 28.

Classici ab eadem notione dicti omnes cives Romani, quia omnes in aliqua *classe* essent: qua ratione *classici* vox opponebatur iis, qui non essent cives Romani. Κατ' ἐξοχὴν dicebantur, qui primæ *classis* essent. Gell. VII. 13. *Classici dicebantur, non omnes, qui in classibus erant, sed primæ tantum classis homines, qui centum & viginti quinque millia æris, aut amplius censi erant.* Apud Græcos πρῶτον τίμημα vocatur, id est, *primus census.* Infra *classem* appellabantur, qui in secunda & sequentibus classibus erant, id est, qui minore summa censi erant. Propterea, ut inquit Festus, dicebantur *classici testes, qui signandis testamentis adhibebantur*, hoc est, primæ *classis* homines, quasi primæ auctoritatis, & idonei veritatis sponsores. Ita μεταφορικῶς auctores *classicos*, quasi testes idoneos Latinæ puritatis, & primæ notæ scriptores: quales sunt Cicero, Livius, Cæsar, Quintilianus, Plinius, Virgilius, Horatius, Catullus, appellat Gell. XIX. 8. *Quærite, an quadrigam & arenas dixerit e cohorte illa duntaxat antiquiore, vel oratorum aliquis, vel poetarum, id est, classicus, assiduusque aliquis scriptor, non proletarius.* Voss. Lex. Etymol. Bud. in Pandect. p. 133. G. Long. de Annul. c. 10. Scalig. ad Festum. Pigh. Annal. Rom. I. p. 47. Schill. Nomencl. Philol. p. 296.

CLASSIS, seu exercitus navalis est justa & ordinata navium expeditarum, id est, armis, viris, nautis, ac remigibus probe instructarum multitudo, quæ fines hostium, non furtim latrocinantium more, sed palam & aperte audet invadere. Græcis στόλος. Pollux I. 9. ait etiam ἀπόστολον vocari. Sed usitatius est ναυτικὸν vocabulum. A Latinis dici cœpit ab equitibus, cum primum stipendia in eam contribuerent. Serv. Æneid. VI. 1. *Classem hinc dictam volunt, quod apud majores nostros stipendium terrestri prælio miles pedester dabat: equites vero dabant in navali certamine, nam adhuc pauper fuerat populus. Exinde jam quod ab equitibus dabatur stipendium, tractum est, ut diceretur classis. Proprie enim classes equitum dicimus.* Scheffer. de Milit. Nav. I. 1. Olim non solum navium multitudo, aut navalis exercitus vocari solebat, sed etiam pedestris exercitus. Festus: *Classes clypeatas antiqui dixerunt, quos nunc exercitus vocamus.* Et *classis procincta, exercitus instructus.* V. infr. Et *classiam unimammiam*, exercitum Amazonum innuens, Comica fictione dicit Plaut. Curc. III. 75. *Voss. Lex. Etymol.* Interdum unam significabat navim. Virg. Æneid. I. 43.

— *Pallasne exurere classem.*

Horat. Od. III. 21. 47.

Me vel in extremos Numidarum in agros
Classe releget.

Servius ad Virgilium. Nec id Latinis modo; sed & Græcis. Apollon. Schol. Argon. I. 704. Στόλον τὸ τῆς μιᾶς νηὸς πλῆθος εἶπε. Alias vix nisi exercitum multarum navium. *Scheffer. l. l.* Romanis constat quinquaginta navibus. Liv. XXX. 27. *T. Claudio Africa evenit, ut quinquaginta navium classem, omnes quinqueremes, in Africam trajiceret.* XXVII. 24. *P. Licinio Varo prætori Urbis negotium datum est, ut naves longas triginta veteres reficeret, quæ Hostiæ erant, & viginti novas naves sociis navalibus compleret, ut quinquaginta navium classe oram maris vicinam urbi Romæ tueri posset.* Laz. Comm. Reip. Roman. VI. 5. Qui quidem hisce Livii locis, quibus aliquæ tot navium describuntur, permotus. Verum falsa hæc ipsius sententia. Nam apud eundem etiam triginta, imo viginti navium *classes* reperimus. Justa non ex nostris viribus, sed hostium potius est metienda. Leo Imperator Tact. c. 19. *Triremium singularum, militumque qui in eis vehantur, numerum definire facile non est. Temporum enim ipsorum opportunitas ad copias hostium expugnandas, tum triremium numerum, tum militum etiam, omnesque res præterea ad bellum necessarias indicabit.* Quanquam vix pauciores, quam decem naves requireremus. Sex profecto non constituunt. Flor. I. 11. *Spolia Mœnius in suggestu fori, capta hostium classe, suffixit. Si tamen illa classis, nam sex fuere rostratæ.* Liv. XXXII. 32. *Rex ab Demetriade cum quinque lembis, & una nave venit*, non, cum *classe* quinque lemborum. Antiquissima fuit Semiramidis, quæ vixit circum Abrahami tempora, id est, trecentis prope annis post diluvium, & mille octingentis annis ante natum Christum, Eusebio & Augustino numerantibus. Diodor. II. 1. *Semiramis, ubi ad Indum flumen pervenit, inventa Regis classe ad certamen parata, & ipsa suas naves electis militibus instruxit.* Suidas: *Ferunt in Bactris Semiramidem curasse fieri naves longas & rostratas ad tria millia, paremque numerum nautarum in eas coegisse.* Apud Græcos Minos primus *classem* instituisse legitur. Ad hos enim, non qualescunque populos, referenda verba Plin. VII. 56. cum ait: *Minos princeps classe depugnavit.* Fuit is non tantum bonus legislator, sed primus in mari imperium obtinuit. Quod memorat Strab. X. p. 328. Romani sero admodum ad hujus rei curam animum applicuerunt. Scilicet terrester populus non ante mare adire potuit, quam circumcirca omnibus pacatis ad id perveniret. Ornaverunt autem *classem* bello Punico I. si Polybium audimus. Livius & ante ea tempora nonnullarum fecit mentionem. Nam IX. 30. Duumviros ornandæ *classis* commemoravit. Nisi aliæ hæ *classes* fuerint. Florus certe, qui alias cum cura Livium sibi sequendum proposuit Sic enim ait II. 2. quo describitur id bellum, de quo dixi: *Appio Claudio Consule primum fretum ingressus est. Sed adeo non est exterritus, ut illam ipsam ruentis æstus violentiam pro munere amplecteretur, statimque ac sine mora Hieronem Syracusanum Regem tanta celeritate vicit, ut ille ipse se prius victum, quam hostem videret, fateretur. Duillio Cornelioque Coss. etiam mari congredi ausus est.* Scheffer. l. l. Stewech. in Veget. IV. 31. Militiam *classicam* Romani deteriorem putaverunt terrestri. V. infr. in *Militia nautica.* Lustrabatur, antequam navigaret. V. hunc ritum infr. in *Lustrare.*

Classis Africana dicebatur, quia ex ulteriori *Africa* illa frumenta Romam quotannis deferebantur. Hanc instituit Commodus Imperator apud Lamprid. c. 17. *Classem Africanam instituit, quæ subsidio esset, si forte Alexandrina frumenta cessassent.* Naves Carthaginenses ex Africa vocantur in marmore Romam delato ex civitate Portuensi exhibito a Reines. Inscr. III. 21. Et in Codice Theodosiano est titulus *de Frumento Carthaginensi.* Inde *navicularii per Africam* rescripserunt Imperatores Honorius & Theodosius leg. 36. 37. C. Th. de Navicul. Deferebantur vero CC. M. medimnum frumenti: olei tricies centena millia librarum. Plutarchus in Cæsare. *Lips. Elect.* I. 8. *Burmann. Dissert. de Vectig. c. 9. Reines. l. l.*

Classis Alexandrina dicebatur, quia ex Ægypto illa frumenta Romam quotannis deferebantur. Augustus Ægypto in provinciam redacta, certum frumenti numerum quotannis illi imperavit, egenæ plebi Romanæ dividendum. Suet. Aug. c. 98. n. 3. *Forte Puteolanum sinum prætervehenti vectores, nautæque de navi Alexandrina. . . . . eximias laudes congesserant.* Vocatus etiam *commeatus Alexandrinus.* Suet. Ner. c. 20. n. 7. *Alexandrini, qui de novo commeatu Neapolim confluxerant.* Græci videntur exprimere voluisse duabus suis dictionibus, πορευτικὸς στόλος. Vetus Inscriptio:

ΥΠΕΡ ΣΩΤΗΡΙΑΣ ΚΑΙ ΔΙΑΜΟΝΗΣ
ΤΟΥ ΚΥΡΙΟΥ ΑΥΤΟΚΡΑΤΟΡΟΥ
ΚΟΜΜΟΔΟΥ ΣΕΒΑΣΤΟΥ
ΟΙ ΝΑΥΚΛΗΡΟΙ ΤΟΥ ΠΟΡΕΥΤΙΚΟΥ
ΑΛΕΞΑΝΔΡΙΝΟΥ ΣΤΟΛΟΥ.

Dicitur etiam *cataplus.* V. supr. in *Cataplus.* Casaub. in

Suetonium. Urſat. de Not. Roman. Theſ. Antiq. Roman. Græv. Tom. xi. p. 612. E. Unde *frumentum Alexandrinum* in rubrica C. Theod. de frum. Alex. Et ipſa urbs Alexandria in nummo Hadriani quinto mulieris habitu dextra ſpicas tenet fertilitati indicandæ, qua Ægyptus, cujus caput eſt, & Siciliam, & Italiam, & Græciam, totasque pæne maris mediterranei accolas ſuis nutrit meſſibus. Ut narrat Patin. Numiſm. Imper. p. 153. & ex eo Harduin. Numm. Antiq. p. 27. *Burmann. de Vectig. Diſſert. c.* 9. Frumenti modum, qui ex Ægypto tempore Auguſti, ſuggerit Aur. Vict. Epit. 1. 6. *Hujus tempore*, inquit, *ex Ægypto Urbi annua ducenties centena millia frumenti inferebantur.* Ubi litera *M* inſerenda, quæ modium notet. Sinu utebantur Puteolano, eo appellebant, inde ſolvebant. Strab. xvii. p. 545. *Sentiet, qui Alexandriæ & Puteolis fuerit, & obſervaverit onerarias naves & venientes & recedentes, quanto graviores, aut leviores ultro citroque navigent.* Philo in Flacc. p. 969. *Cumque deſcendiſſet Puteolos, & naves Alexandrinas in portu paratas ad ſolvendum inveniſſet.* Suetonius modo laudatus, & Seneca mox laudandus. *Lipſ. Elect.* 1. 8. *Pitiſc. in Suetonium.* Illius prærogativa fuit, ut ſola portum intraret cum ſupparo: cæteræ naves cum intraverant Capreas & Minervæ promontorium, velo jubebantur eſſe contentæ: Supparum Alexandrinarum inſigne erat. Senec. Epiſt. 77. V. illum infr. in *Supparum.* Imperio Conſtantinopolim tranſlato Byzantio, ſive novæ Romæ ſervit relicta Romanis ſola Africana. Roma ipſa facunde de hac diviſione queritur apud Claud. de Bell. Gildon. n. 52.

Tot mihi pro meritis Libyam Nilumque dedere:
Ut dominam plebem, bellatoremque Senatum
Claſſibus æſtivis alerent, geminoque viciſſim
Littore diverſi complerent horrea venti.
Stabat certa ſalus, Memphis ſi forte negaſſet,
Penſabam Pharium Getulis meſſibus annum.
Frugiferas certare rates, lateque videbam
Punica Niliacis concurrere carbaſa velis.
Cum ſubiit par Roma mihi, diviſaque ſumpſit
Æquales aurora togas. Ægyptia rura
In partem ceſſere novam, ſpes unica nobis
Reſtabat Libyæ.

Lipſ. & Burmann. l. l.

Claſſis fluviatilis I. fuit in Rheno, de qua Panegyricus: *Cum totus armatis navibus Rhenus inſtructus ſit.* Ait *totum Rhenum*: ergo diviſam per partes cenſeo, ut & militem ipſum terreſtrem. Bonnæ, & Geldubæ, ſi proba modo lectio, fuiſſe ex inſtituto Druſi oſtendit Flor. iv. 12. 26. *Bonnam & Geldubam pontibus junxit, claſſibusque firmavit.* Ergo ibi pars, pars & certo ad exitum fluvii, ubi Pharus olim, quam nunc arcem Britannicam vocant. Hanc opinor eſſe, quam *claſſem Britannicam* appellat Tacit. Hiſt. iv. 79. 5. quia & in Britanniam ea commeabat. Sed tota *claſſis* communiter *Germanica* dicta. Et ſic Tacit. Hiſt. i. 58. 3. *Julium Burdonem Germanicæ claſſis præfectum.* II. In Danubio, de qua Tacit. Annal. xii. 30. 3. *Vannius funditur prælio, & ad claſſem opperientem in Danubio perfugit.* *Luſoriæ* vocantur Vegetio. V. illum infr. in *Naves.* III. In Euphrate, ut credo: quidni in magno flumine, & contra Parthos? Ammiani aliquot loca ſuadent, etſi non cogunt: nec alibi certo legi. *Lipſ. de Magn. Rom.* 1. 5. *Thyſ. de Magn. Rom.* 1. *p.* 244.

Claſſis Gallica, in Gallia, colonia & portu Foro-Julienſi: tum ad ipſam Galliam, tum ad Hiſpaniæ illam oram tuendam. Tacit. Annal. iv. 5. 1. *Galliæ proximum littus roſtratæ naves præſidebant, quas Actiaca victoria captas Auguſtus in oppidum Foro-Julienſe miſerat, valido cum remige.* Habes Auguſtum auctorem, habes roſtratas, & bellicas, itemque validum remigium. Satis ergo grandis, & inſtructa ea *claſſis.* Eſt hoc Forum Julii in Gallia Narbonenſi. V. infr. in *Forum.* Et *Claſſica*, itemque *Octavanorum colonia* dicitur a Plin. iii. 4. *Lipſ. de Magn. Rom.* 1. 5. *Thyſ. de Magn. Rom.* 1. *p.* 244.

Claſſis Miſenatium. Hanc *ad tutelam inferi maris collocavit* Auguſtus. Suet. c. 49. n. 2. Veget. iv. 31. *Apud Miſenum & Ravennam ſingulæ legiones* (*cohortes* duntaxat, eaſdem decem fuiſſe dicit Lipſ. de Magn. Rom. 1. 5.) *cum claſſibus ſtabant, ne longius a tutela Urbis abſcederent: & cum ratio poſtulaſſet, ſine mora, ſine circuitu ad omnes mundi partes navigio pervenirent. Nam Miſenatium claſſis Galliam, Hiſpanias, Mauritaniam, Aphricam, Ægyptum, Sardiniam, atque Siciliam habebat in proximo.* Tacit. Annal. iv. 5. 1. *Italiam utroque mari duæ claſſes, Miſenum apud & Ravennam: proximumque Galliæ littus roſtratæ naves præſidebant, quas Actiaca victoria captas Auguſtus in oppidum Forojulienſe miſerat valido cum remige.* Scheffer. de Milit. Nav. ii. 4: iii. 7. Lipſ. de Magn. Rom. 1. 5. Reineſ. Inſcript. ix. 57. Merul. Coſmog. ii. 4. 6. Caſal. de Urb. ac Roman. Imper. ſplend. part. 1. c. 2. Thyſ. de Magn. Rom. 1. p. 243. Blond. Inſtaur. Rom. 1. §. 32.

Claſſis Pontica in ipſo fuit Ponto, id eſt, in capite & fonte mediterranei maris. De ea Tacit. Hiſt. ii. 83. 2. *Mucianus claſſem e Ponto Byzantium adigi juſſit.* Ergo ſtatio ei ſupra Byzantium fuit. Sed ubi ignoro. Numerum dat Joſeph. de Bell. Jud. ii. *Pontica omnes gentes tribus millibus militum ſubduntur, & quadraginta naves longæ* roſtratæ *illud aſperum, & innavigabile pelagus tutum, pacatumque præſtant.* Lipſ. de Magn. Rom. 1. 5. & in Tacitum. Thyſ. de Magn. Rom. 1. p. 244.

Claſſis procincta vocabatur exercitus armatus, ad pugnandum paratus, & inſtructus. Feſtus: *Claſſis procincta, exercitus inſtructus.* Gell. x. 15. *Equo Dialem flaminem vehi religio eſt: claſſem procinctam extra pomœrium, id eſt, exercitum armatum videre.* 1. 11. *Quum procinctæ igitur claſſes erant, & inſtructæ acies.* Ita in lege Numæ: *Quojus. auſpicio. claſſe. procincta. opima. ſpolia. capiuntur.* Voſſ. Lex. Etymol. Thyſ. in Gell. 1. 11. Donat. Dilucid. p. 585. Blond. Triumph. Rom. vi. p. 133. B.

Claſſis Ravennatium. Hanc *ad tutelam ſuperi maris collocavit* Auguſtus. Suet. c. 49. n. 2. *Epiron, Macedoniam, Achajam, Propontidem, Pontum, Orientem, Cretam, Cyprum petere directa navigatione conſueverat.* Veget. iv. 31. Inſcriptio

CINCIO. L. F. SABINIANO. TABULARIO. CLASS. RAVENN.

Illam deſcribit Jornand. Gothic. c. 29. *A meridie Padus, qui & Eridanus, ab Auguſto Imperatore altiſſima foſſa demiſſus: qui ſeptima ſui alvei parte mediam influit civitatem, ad oſtia ſua amœniſſima portum præbens, qui claſſem ducentarum quinquaginta navium, Dione referente, tutiſſima dudum credebatur recipere ſtatione. Qui nunc, ut Fabius ait, quod aliquando portus fuerat, ſpatioſiſſimos hortos oſtendit, arboribus plenos, verum de quibus pendeant non vela, ſed poma.* Lipſ. de Magn. Rom. 1. 5. Scheffer. de Milit. Nav. ii. 4: iii. 7. Urſat. de Not. Rom. Theſ. Antiq. Roman. Græv. Tom. xi. p. 565. C. p. 613. A. Cluver. Ital. Ant. 1. 28. 27. Caſal. de Urb. ac Imper. Roman. ſplend. part. 1. c. 2. Thyſ. de Magn. Rom. 1. p. 244. Blond. Inſtaur. Rom. 1. §. 32. Reineſ. Inſcript. ix. 57. Bergier. de Viis Milit. iv. Sect. 49. §. 6. Schel. in Hygin. Theſ. Antiq. Roman. Græv. Tom. x. p. 1096. F. Miles ut adularetur Antoninis, quandoque *claſſis* Ravennatis Antoninianæ cognomen accepit, licet Auguſtum auctorem habuerit. *Urſat. ibid. p.* 861. *E.* *Claſſis* hæc cum *claſſe* Miſenatium in lapidibus ſæpe prætoriæ dicuntur, opinor dignitatis cauſa, & quia inter minores alias, ut prætoria aliqua navis eminerent. Nam præfectus earum non fuit prætor. Poſſunt & exemplo prætoriarum cohortium eſſe dictæ, quia ad Italiæ & Principis tutelam. *Lipſ. Schel. Thyſ. & Scheff. l. l.* Ex his *claſſibus* claſſiarii ſub Imperatoribus ad terreſtrem quoque militiam traducebantur. Ac primus Nero, ſi fides Suet. Galb. c. 12. n. 3. claſſiarios ex remigibus juſtos milites fecit. Tacit. Hiſt. iii. 50. 5. claſſicos legionariam militiam poſcentes, adſcitos fuiſſe memorat. Et Hiſt. ii. 11. 6. in exercitu Othonis claſſicos quoque recenſet. *Ipſum Otho-*

nem

nem comitabantur ſpeculatorum lecta corpora cum cæteris prætoriis cohortibus, veterani e prætorio claſſicorum ingens numerus. Schel. l. l.

Claſſis ſignificat etiam partem civium, diſtributorum ratione cenſus. In ſex enim *claſſes* populum Romanum Servius Tullius diſtinxit. *Voſſ. Lex. Etymol. Sigon. de Ant. Jur. Civ. Roman.* I. 4. *Panvin. de Civ. Roman. c.* 52. V. illas ſupr. in *Cenſus.* Quanquam autem ſex deſcriptæ ſunt, tamen non niſi quinque celebratæ ſunt: quoniam ultimæ non eſt habita ratio. Hoc oſtendit Tubero apud Gell. x. 28. apud quem ſcripſit *Servium Tullium, Regem populi Romani quinque claſſes cenſus faciendi gratia inſtituiſſe.* Et Livius, cum ait III. 30. *Tribunos plebis decem creatos binos ex ſingulis claſſibus.* Et Aſcon. in Cicer. p. 138. *quinque primum tribunos creatos* prodit, *ſingulos ex ſingulis claſſibus.* Et Salluſt. ad Cæſarem de Republica ordinand. Orat. II. p. 221. ubi C. Gracchum promulgaſſe inquit, *ut ex confuſis quinque claſſibus ſorte centuriæ vocarentur.* Sigon. l. l. In illis alii juniores, alii ſeniores, quia ætate diſtinguebantur, dicebantur. Tubero modo laudatus ſcriptum reliquit: *Servium Tullium pueros eſſe exiſtimaſſe, qui minores eſſent annis ſeptendecim: atque inde ab anno ſeptimo decimo, quod idoneos jam eſſe Reipublicæ arbitraretur, milites ſcripſiſſe: eoſque ad annum quadrageſimum ſextum juniores, ſupraque eum annum ſeniores appellaſſe.* Cicer. de Leg. III. 19. *Ferri de ſingulis, niſi comitiis centuriatis, noluerunt. Deſcriptus enim populus cenſu, ordinibus, ætatibus, plus adhibet ad ſuffragium auxilii, quam fuſe in tribus convocatus.* Sigon. l. l. Auguſt. de Leg. c. 8. & ad XII. tabb. §. 2. Prevot. de Magiſtr. Roman. c. I. Hotman. Antiq. Roman. II. 4. Ut tribus cum curiis omnem civium multitudinem ſunt complexæ, ſic etiam alia ratione *claſſes* cum centuriis. Quanquam autem *claſſes* cum tribubus, & centuriæ cum curiis commune nihil a principio habuerunt, tamen procedente tempore inſtitutum eſt, ut *claſſes* quodammodo tribuum eſſent partes. Hoc autem factum eſſe poſt expletas quinque & triginta tribus ſignificat Livius, cum ſcribit I. 43. *Nec mirari oportet, hunc ordinem, qui nunc eſt, poſt expletas quinque & triginta tribus, duplicato eorum numero, centuriis juniorum ſeniorumque, ad inſtitutam ab Servio Tullio ſummam non convenire: quadrifariam enim Urbe diviſa regionibus collibusque, quæ habitabantur partes, tribus eas appellavit. Neque hæ tribus ad centuriarum diſtributionem, numerumque quicquam pertinuere.* Cum ait, tribus a Servio inſtitutas nihil ad centuriarum diſtributionem valuiſſe; poſt autem tribus quinque & triginta expletas pertinuiſſe, ſatis oſtendit, Servii tempore populum non modo in tribus, curiasque: altero in *claſſes*, centuriaſque diviſum: ita ut altera diviſio alteram non attingeret; poſt autem utramque in unum eſſe collatam: populum enim in tribus quinque & triginta, ſingulas autem tribus in quinque *claſſes*, eaſque in ſuas quamque centurias eſſe deſcriptas. *Sigon. l. l.*

CLATHRI ſunt virgæ ligneæ aut ferreæ, quibus muniuntur feneſtræ aut fores. *Oppoſitiones oſtiorum* interpretatur Acro in Artem poeticam. Græcis κανόνες dicuntur. Uſus ea voce Chryſoſt. ad Epheſ. p. 143. Gloſſ. Philox. *Clathri,* κανόνες, οἱ ἐν θύρησιν ὀβελίσκοι. *Voſſ. Lex. Etymol. Grapald. de Part. dom.* II. 3. 2.

CLATRA fuit Dea cancellorum & *clatrorum.* Donat. de Urb. Rom. III. 15. Nardin. Rom. Vet. IV. 6.

CLAVARIUM erat vectigal, quod calceis & *clavis* caligarum ſolvebatur. *Schott. Nod. Cicer.* I. 3. Imo donativum interprete Tacit. Hiſt. III. 50. 7. *Ipſos in regione bello attrita, inopia & ſeditioſæ militum voces terrebant, clavarium (donativi nomen eſt) flagitantium.* In *clavos* caligarum impendendum, præſertim cum ſcribat Juven. Sat. XVI. 24.

— offendere tot caligatos
Millia clavorum.

Militum caligæ *clavis* ſuffixæ erant. V. ſupr. in *Caliga.* Turneb. Adv. IV. 7. Rhodig. Ant. Lect. XXIX. 6. Buleng. de Imper. Roman. II. 21. Donat. Dilucid. p. 771. Laz. Comm. Reip. Roman. IV. 9. Vide ſis etiam *Lipſium & Alciatum in Tacitum, Laurent. de Re Veſt. c.* 5. Unde & *Clavarius* appellatur Suetonii pater, quod præfectus fuerit *clavario* donativo Imperatorio inter milites diſpartiendo. *Donat. & Laurent. l. l.*

CLAVATA dicuntur veſtimenta, quæ *clavos* purpureos intextos habent, aut latos, aut anguſtos. Feſtus *clavata* dicit *veſtimenta clavis intertexta.* V. infr. in *Clavus.* Sigon. de Judic. III. 19. Zamoſc. de Senat. Rom. I. 17. Tomaſ. de Donar. c. 2. Guther. de Offic. Dom. Aug. III. 17. Calcagn. Quæſt. Epiſt. III. I. Laurent. de Re Veſt. c. 5.

CLAVATOR eſt grallator, qui *clava*, id eſt, gralla utitur. Plaut. Pœn. III. I. 27.

Cervum curſu vinceres, & clavatorem gradu.

Clava enim vel clupa eſt gralla vel colobathrum. Non. II. 361. *Grallatores ſunt colobathrarii. Grallæ enim fuſtes quibus innituntur.* Salmaſ. Spartian. Car. c. [illegible] Turneb. Adv. III. II. Pignor. de Serv. p. 244. Grapald. de Partib. Dom. II. 10. 15.

CLAUDI erant inauſpicati & ominoſi. Cicer. Attic. I. 16. *Lurco autem tribunus plebis, qui magiſtratum ſimul cum lege Ælia iniit, ſolutus eſt & Ælia & Fufia, ut legem de ambitu ferret, quam ille bono auſpicio claudus homo promulgavit.* Buleng. de Omin. c. I. Theatr. I. 44.

CLAUDIA aqua. V. illam ſupr. in *Claudia.*

Claudia gens. V. illam infr. in *Gens.*

Claudia tribus. V. illam infr. in *Tribus.*

CLAUDIUS Imperator donariis modum poſuit, quum omnia opera eorum eſſent plena, ut auctor eſt in Claudio Dio Caſſ. LX. p. 668. A. *Tomaſ. de Donar. c.* 26. Strenarum oblationem edicto ſuſtulit. Dio ibid. D. *Lipen. de Stren. c.* 2. *ſec. æt.* §. 5. Lecticarum uſum Conſulibus conceſſit. Dio ibid. p. 665. C. *Lipen. de Stren. c.* 2. *ſec. æt.* §. 24. Cœlo dicatus eſt. Juven. Sat. VI. 622.

Ille ſenis tremulumque caput deſcendere juſſit
In cœlum.

Ubi vetus interpres: *ridens, pro ad inferos, & apotheoſin deridet: nam Deum fecit Imperatorem.* Honorem a Nerone ipſo deſtitutum & abolitum reſtituit Veſpaſianus. Suet. Claud. c. 45. n. 3. *Guther. de Jur. Man.* IV. 5. *Berthald. de Ara c.* 25. *n.* 6. *Vaillant. de Numm.* I. *p.* 124.

CLAVICULA totum eſt propugnaculum ante portam in formam cavæ lunæ ductum. Hygin. p. 1024. *Similiter clavicula circinatur ex linea interiore valli, & puncto mediæ portæ.* Ejus foſſam *titulum* & *loricam ſanctam* jam dixerat nominari. Cum enim illa ſexaginta pedes extra portam fieri juſſerit, ubi & hanc videtur circinare, illa partes hujus ſuſpicor eſſe. Veget. IV. 4. *Ante portam addatur propugnaculum, in cujus ingreſſu ponitur cataracta, quæ annulis ferreis & funibus pendet.* Schel. in Hygin. Theſ. Antiq. Roman. Græv. Tom. X. p. 1124. B.

CLAVICULARIUS eſt, qui *claves* efficit. In codice Theodoſiano omittitur. *Panciroll. de Corpor. Artif. Theſ. Antiq. Roman. Græv. Tom.* III. *p.* 18. *A.*

Clavicularius appellabatur etiam janitor carceris, a geſtandarum *clavium* munere. Grandiores ſane *claves* vindicabant ſibi janitores. . . . . . *Cujac. ad Cod. lib.* X. *tit.* 65. *De la Chauſſe de Teſſer. tab.* 7. *Pignor. de Serv. p.* 215. Firmic. Matheſ. III. in Solis decretorum ratione. *Quod ſi*, inquit, *his ſic poſitis, in quibus dictum eſt locis, Mars ſe aliqua ſocietate conjunxerit, vel ſi is cum fuerit inventus, erunt homicidiis publicis præpoſiti, & exceptores earum ſententiarum, quæ de hominum capitibus præferuntur, aut cornicularii, aut commentarienſes, quibus damnatorum cura committatur, ſeu claviculariis, vel carcerum cuſtodes.* Rhodig. Ant. Lect. XVII. 10.

CLAVIS quando & apud quos populos primum uſurpari cœperit, fortaſſis in incerto eſt. Euſtath. ad Homer. Odyſſ. IX. Lacedæmoniorum inventum facit. *Antiquus*, inquit, *ceu dicunt, mos fuit claudere vinculis. Claves enim poſteriorum inventum & Laconum.* Plinius Theodorum quendam Samium inventorem tradit VII. 56. E-

rant apud veteres potissimum ferreæ. Etiam ligneas habuisse colligimus ex Augustino de Doctrin. Christ. 17. 11. *Quid prodest clavis aurea, si aperire, quod volumus, non potest? aut quid obest lignea, si hoc potest?* Aurearum mentionem facit Zeno Veron. Sermon. 111. ad Neophytos: *Exsultemus fratres in Christo, Triumphatorique perpetuo hymnis, citharis, tympanis, canticis gratiam referamus: qui nobis promissa perpetuans, pia sanctione, ut ajunt, claves vere aureas misit.* Sagittar. de Jan. c. 15. §. 10. 13. 14. Custodiebant servi. Senec. de Ira 11. 25. *Quid est enim cur clavis negligentis servi manibus elapsa nos in rabiem agat.* Et Martialis Euclionem quendam sic notavit v. 35.

Equiti superbo, nobili, locupleti,
Cecidit repente magna de sinu clavis.
Nunquam, Fabulle, nequior fuit clavis.

Nequam clavem vocat, quod aut fortunas sui domini prodidit, qui non haberet servum, cui *clavis* custodiam committeret; aut animum indicavit, quod præ extremis sordibus servis nullam fidem habens *clavem* illis tradere non auderet. *Sagittar. ibid.* §. 15. *La Chausse de tesser. tab.* 7. Et forium janitores. Myrmex apud Apulej. Met. IX. p. 288. *cum dominus januam pulsaret, jam clamitaret, jam saxo fores verberaret: repentino malo turbatus, & misera trepidatione ad inopiam consilii deductus, quod solum poterat, nocturnas tenebras causabatur sibi obsistere quin clavem curiose absconditam reperiret. Tandem vero clave pessulis subjecta, repandit fores.* Chrysol. Serm. 172. *Audistis hodie fratres, quemadmodum dum seclusit alios, seipsum janitor invidiosus exclusit. Væ vobis, inquit, legisperitis, quia tulistis clavem scientiæ, ipsi non introistis, & eos, qui introibant, prohibuistis.* Sagittar. ibid. c. 16. §. 24. Uxoribus primum domum ingredientibus dabantur vel *ad significandam partus facilitatem*, ut vult Festus: vel, quod magis est, ut significaretur, illis rerum omnium domesticarum, quæ *clavibus* concludi solent, cura ac custodia, tota denique domus ac rei familiaris administratio dispensatioque permitti. Et e diverso, cum illis nuntius remittebatur,. adimebantur. Cicer. Philipp. 11. 28. *Mimam suas res sibi habere jussit ex* XII. *tabulis: claves ademit, exegit.* Victor. Var. Lect. 11. 2. Brisson. de Rit. Nupt. Thes. Antiq. Roman. Græv. Tom. VIII. p. 1042. C. Hotoman. de Vet. Rit. Nupt. c. 10. Scalig. Poet. 1. 100. Fab. Semest. 11. 23. Sagittar. l. l. Demster. Paral. ad Rosin. Antiq. v. 38. Casal. de Rit. nupt. c. 1. Laurent. de Sponsal. c. 1. Caroli Antiq. Roman. IV. 3. Blond. Triumph. Rom. VIII. p. 161. A. Sane *clavium* traditionem custodiam rerum designare expeditum est leg. cum pater 77. §. pater pluribus 12. ff. de legat. 2. quinimo quandoque non possessionem tantum transfert leg. clavibus 74. ff. de contrah. empt. sed & dominium ipsum. Innocent. in c. 2. de fide instru. in iis præsertim contractibus, ex quibus fere dominium transferri solet. Ciceronem etiam imitatur Ambros. Epist. 65. *Mulier*, inquit, *offensa claves remisit, domum revertit.* Salmuth in Panciroll. de Reb. Deperd. & Invent. p. 692. Theod. Marcil. in leg. xviral. c. 26. Greg. Tholos. Synt. Jur. Univers. IX. 5. Non tamen cellæ vinariæ mulieribus Romani permittebant. Plin. XIV. 13. *Fabius Pictor in annalibus suis scripsit, matronam, quod loculos, in quibus erant claves vinariæ cellæ, resignavisset, a suis inedia mori coactam.* Nicol. de Rit. Bacchan. c. 5. Laurent. de Prand. & cœn. c. 15. Casaub. in Athen. x. 11. Schill Nomencl. Philol. p. 1122. Sicuti autem scrinia, ita & januæ quædam fuerunt, quæ sine *clave* claudi, nec tamen sine *clave* aperiri poterant. August. Quæst. super Judic. VII. qu. 23. *Aut alia clavis illata est, aut talis clausuræ genus fuit, quod sine clavi possit claudi, nec sine clavi aperiri. Nam sunt quædam talia, quæ veruclata dicuntur.* Sagittar. ibid. §. 17.

Clavis annulata. V. illam supr. in *Annuli*. Non præbuit duplicem usum annuli sigillatorii & *clavis*. Nullum in hac sigillum impressum ad signandum aptum. Mera erat *clavis* cum annulo, qualis & hodie fieri solet in nostris *clavibus*, quæ sunt longiore scapo. Digito inserebatur, ut annulus signatorius, quo commodius verti possit intra claustrum. Scapum quippe non habet, quo teneri queat, quique sit instar manubrii. Excepto annulo tota intra claustrum absconsa mergebatur. Ideo κρυπτὰν καὶ καλυπτὰν appellavere. Omnino vertebatur ad reducenda & adducenda, quæ intus erant, ferrea verucula, vel repagula. *Salmas. Exercit. Plinian. p. 654. G. Nicol. de Sigl. Vet. c. 44. §. 2.*

Clavis Laconica, quia Laconibus erat in usu, quædam est dicta. Theon. ad Aratum. *Non, sicut nunc, exterius erant claves, sed antiquo more intus apud Ægyptios & Lacones.* Quibus verbis docet, quod interius quoque Lacones *clavibus* domum aperuerint. At contra alii (& inter illos Scalig. in Manil. p. 48.) apud Spartanos *claves* in usu fuisse volunt, quæ extrinsecus aperirent januas, contra morem aliarum gentium. Atque id probare contendunt loco quodam Plauti, apud quem Most. 11. 1. 57. servus Tranio præ foribus constitutus, præter istam, quam habebat, vult sibi dari *clavem* Laconicam, ut nemo vel ingredi posset se invito, vel egredi.

— *clavem*, infit, *mihi harunce ædium Laconicam*
Jam jube efferri intus: hasce ego ædes concludam hinc foris.

Alii *clavem* Laconicam volunt esse adulterinam, quam nos vernaculo sermone Dieterich appellare solemus, quæque κρυπταὶ κλεῖδες ab Aristophane vocantur, quod impactæ claustris vix apparerent. Ejusmodi *clavem* Ovidius nuncupat *adulteram* Art. III. 643.

Nomine cum doceat, quid agamus, adultera clavis.

Nonnulli talem *clavem* Cariam quoque dici posse existimant, adducti loco Festi Avieni, ubi difficilem locum Arati interpretatur. Cum enim hebetem lucem Cassiopeæ denotare vellet, non magis eam apparere ait, quam *clavem* Cariam foribus impactam:

Lux hebes est matri, vix qualem Caria quondam
Noverit intrantem per claustra sonantia clavem.

Sagittar. de Jan. Vet. c. 15. §. 7. 8. 9. Salmas. Exercit. Plinian. p. 651. b. E. : . . . . Meurs. Miscel. Lacon. 11. 17. Nicol. de Sigl. vet. c. 44. §. 1. Taubman. & Lambin. ad Plautum. Scalig. in Moret. p. 160.

CLAUSURÆ dicebantur ipsæ munitiones, quæ fossis, murisque & aggeribus alte exstructis cingebantur d. l. 4. C. de Offic. mag. offic. d. l. 2. §. in Sardinia. C. de offic. P. P. Africæ. *Panciroll. Notit. Dign. Imp. Orient. c.* 140.

CLAVUS *annalis appellabatur, qui figebatur in parietibus sacrarum ædium, per annos singulos, ut per eos numerus colligeretur annorum.* Festus. Raræ enim adeo primis Urbis temporibus literæ, ut non modo res tunc gestæ uberioribus literarum monumentis non fuerint mandatæ & custoditæ ad posteritatem, sed & ut annorum numerus ac memoria publice fuerit servata tantum hoc *clavo*, quem inde dixerunt, annali. Unde & *lex fuit vetusta priscis literis verbisque scripta, ut qui Prætor maximus sit, Idibus Septembribus clavum pangat. Fixus fuit dextero lateri ædis Jovis Opt. Max. ea ex parte, qua Minervæ templum est. Eum clavum, quia raræ per ea tempora literæ erant, notam numeri annorum fuisse ferunt: eoque Minervæ templo dicatam legem, quia numerus Minervæ inventum est.* Liv. VII. 3. Denique non Romæ tantum, sed & inter Etruscos idem olim obtinuit, atque adeo ex affirmatione & fide Cincii, *Volsinus quoque clavi indices numeri annorum fixi in templo Nortiæ Etruscæ Deæ comparuerunt.* Postea, invalescente tandem literarum usu, in desuetudinem ea res abiit. *Perizon. Anim. Hist. c. 5. Alex. Gen. Dier. 1. 6. Manut. de Leg. c. 4. Sagittar. de Jan. vet. c. 25. §. 9. Dacer. in Festum. Faunus Antiq. Urb. Rom. 11. 4.* Apud rusticos vero literarum, vel memoriæ per literas servandæ, temporisque per annos ab Urbe condita, aut alia ratione notandi ignaros plerumque & rudes, ac antiquæ

quæ simplicitatis, ut plurimum, retinentissimos, numerans iste *clavus* diutissime in usu mansisse videtur. Nam Petron. C. 59. pauperem & agrestem describens casam:

At paries circa palea satiatus inani,
Fortuitoque luto, clavis numerabat agresteis.

Vetustæ & genuinæ hujus lectionis sensum esse puto, parietem illum *clavis*, quos fixos continebat, numerasse, vel *clavorum* numero significasse, singulos istius loci, vel domicilii agrestes; eorumque ætatem, seu annos. Ad ætatem enim suam suorumque declarandam potissimum his *clavis* usi fuerunt agrestes, & singuli homines habuere in pariete suo *clavos* ætatem ipsorum significantes, novo quotannis ad priores addito, vel parietes habuerunt tales singulorum hominum *clavos*, & ita his *clavis* significarunt, non modo annorum, sed & ipsorum hominum in quaque agresti hujusmodi familia numerum. *Perizon. l. l. Palmer. Spicil.* 11. *Durant. Var. Lect.* 1. 5. *Demster. Paral. Antiq. Rosin.* IV. 13. *Comment. in Petronium.* Ejus figendi causa etiam Dictator anno ab U. C. 391. jussu Senatus dictus est, non ad numerandos eo annos, sed ad levandam, quæ tunc civitatem affligebat, pestilentiam. Liv. VII. 3. *Cn. Genucio, L. Æmilio Mamerco secundum Coss. quum piaculorum magis conquisitio animos quam corpora morbi afficerent, repetitum ex seniorum memoria dicitur pestilentiam quondam clavo ab Dictatore fixo sedatam. Ea religione adductus Senatus, Dictatorem clavi figendi causa dici jussit. Dictus est L. Manlius Imperiosus.* Et ut mentes alienatæ sui compotes fierent. Liv. VIII. 18. ubi narrasset ad centum septuaginta matronas esse damnatas ex illis, quæ venena coxerunt. *Neque de veneficiis ante eam diem Romæ quæsitum est. Prodigii loco ea res habita; captisque magis mentibus quam consceleratis similis visa. Itaque memoria ex annalibus repetita, in secessionibus quondam plebis clavum ab Dictatore fixum, alienatasque discordia mentes hominum eo piaculo compotes sui fecisse, Dictatorem clavi figendi causa creari placuit. Creatus Cn. Quintilius Magistrum equitum L. Valerium dixit: qui fixo clavo magistratu se abdicarunt.* Alex. & Perizon. l. l. Laz. Comm. Reip. Rom. XI. 2. Volaterr. Comm. Urban. XXIX. p. 1099. A. Lomej. de Lustrat. c. 37. Hospin. de Fest. Ethn. p. 213. Manut. de Leg. c. 3. Pigh. Annal. Rom. I. p. 274. & 333.

Clavus bilancis in ponderanda aqua in inferiore parte non rotundus, sed acutus, vel quadratus sit oportet, ut bilanx eo subtilius judicium faciat, sive ut examen ejus eo facilius & leviori momento huc illuc impellatur. Si enim *clavus* hic sit rotundior & crassior, præcipue in parte inferiore, bilanx non tam facile huc illuc nutabit; sed, etiamsi forte pondus unum altero paullo levius sit, examen tamen non propendebit in partem eam, in qua est pondus gravius; sed in æquilibrio permanebit. Olim erat rotundus: quare cum ad majores libras merces ingentis ponderis appendebantur, in centenas libras addebantur octonæ, quæ in inclinationem examinis imputabantur. Non solum autem in parte inferiori rotundum, in medio jugi situm esse oportet, sed præterea etiam requiritur, præcipue in Gallia, ut linea ab una jugi extremitate ad alteram ratione ducta, & transiens per foramina, quibus unci & annuli funiculorum inserti sunt, transeat quoque per medium hunc *clavum*, ita ut situs ejus linea hac nec superior, nec inferior esse debeat. Expresse hoc cautum constitutione anni 1557. quæ quamvis a Carolo IX. a. 1564. & Henrico III. a. 1575. confirmata sit, vix tamen hodie in praxi observatur. Zygopœi enim plerumque *clavum* paullo inferius locant, ut bilanx eo facilius in alterutram partem a pondere deprimatur; quod tunc eo magis fieri videas, si *clavus* non solum situm habeat dicta linea paullo inferiorem, sed etiam in parte inferiori quadratus sit & acutus. Situs *clavi* tanti in librandis ponderibus est momenti, ut, quamvis duarum lancium pondera sibi prorsus sint æqualia, si tamen *clavus* modo memoratus dicta linea paullo sit inferior, nec jugum bilancis habeat situm horizonti parallelum, sed altera quidem extremitas infra lineam horizontalem sit depressa; altera vero supra eandem exstet, interdum plus octava ponderis pars alteri lanci adjicienda sit, ut jugum in eam partem deprimatur. Causa est, quod ob situm hunc *clavi*, linea ante dicta in latere superiore interdum ad tertiam partem contrahatur; in latere vero inferiore tanto fiat longior, quanto in altero brevior. Contra vero, si *clavus* infra eandem lineam situs sit, evenire poterit, ut linea illa in latere superiori, æque ac inferiori, octava fere longitudinis parte augeatur: unde contingit, ut, quamvis pondus lancis inferioris octava circiter parte gravius sit pondere lancis superioris, lanx tamen hæc superior deorsum vergat. Quamvis autem *clavus* in medio lineæ ante dictæ, nisi tamen jugum bilancis ad situm horizonti parallelum redigatur, antequam pondera trutinare incipias; vel, nisi ita tractetur bilanx, ut nec altera jugi extremitas dicta linea, quæ per *clavum* transit, superior, nec altera inferior existat, etiamsi pondera lancibus imposita sint æqualia, pondus tamen lancis depressioris, adjutum pondere examinis sive linguæ, in eam partem inclinantis, tanto erit gravius, quanto examen istud vel magis vel minus ab æquilibrio distabit. *Savot. de Numm. antiq.* III. 31.

Clavus navis est gubernaculum. Ennius

Ut clavum rectum teneam, navemque gubernem.

Cicer.Fam.IX. 15. *Sedebamus in puppi, clavumque tenebamus.* Serv. Æneid. V. 177. putat esse *fustem gubernaculi*, hoc est, lignum oblongum, quo flectit ac reflectit gubernator navim. Distinxit & Cicero, ut cum ait pro Sext. c. 9. *Clavum tanti imperii tenere, & gubernacula Reipublicæ tractare.* Græce vocatur οἴαξ & οἰήιον, totum vero gubernaculum πηδάλιον. Quod de οἴαξ dicimus, Vitruv. X. 8. *ansam* transtulit. *Quemadmodum*, inquit, *etiam oneraria maximæ navis gubernator, ansam gubernaculi tenens, quod οἴαξ a Græcis appellatur.* Thomas Magister de dictionibus Atticis οἴαξ inquit non modo ansam significare, sed & totum gubernaculum. *Gyrald. de Navig.* c. 11. *Scheffer. de Milit. Nav.* II. 5. *Calcagn. de Re Naut.* c. 14. *Philand. in Vitruvium. Voss. Lex. Etymol. Kipping. Dissert. de Exped. marit.* §. 1. *Colum. in Ennium.* Dianæ Agamemnon *clavum* dicavit, postquam ventos gratia composuisset, ut canit hymno in Artemin Callimachus. *Tomas. de Donar.* c. 25.

Clavi vestium fuerunt flores vesti intexti. *Sigon. de Judic.* III. 19. *Zamosc. de Senat. Roman.* I. 18. *Egnat. in Lampridium.* Haud satis quid velint intelligo. Si enim de iis quos *boutons & fers d'or & orfres* dicimus, illis prorsus assentior, de quibus sentire videtur JCtus in l. Cum aurum. cum l. se supra eodem. *Quemadmodum*, inquit, *clavi aurei & purpurei pars sunt vestimentorum: & si non sunt clavi vestimentis consuti, tamen veste legata contineri.* Si vero de illis floribus intelligant, qui eorum artificio vestibus inseruntur, quos acupictores dicimus, vide tu lector etiam atque etiam, ne te tantorum virorum auctoritas decipiat. Siquidem Ulpianus ut diversa adscripsit hac ipsa lege insitas picturas & *clavos*, quum ait: *Et quæ his accessionis vice cedunt, quæ sunt insitæ picturæ, clavique qui vestibus insuuntur.* Bayf. de Re Vest. c. 7. Nec florida vestis Romanis usitata, nisi delicatioribus, ut & feminis, ut bene notat Colv. Apul. Metam. pag. 28. Servi etiam floridam vestem portabant. Aster. Homil. ult. *Novimus ipsi mulierem, quæ attonsa coma vestem virilem, eamque floridam induit, ut ne virum fugientem latentemque deserere cogeretur. Ita cum servitutem servire videatur, affectu vere servit.* *Clavis* autem omnes plerique utebantur, qui Senatores ab Equitibus distinguebant. Deinde unus aut alter *clavus* in vestibus erat, cum florida vestis tota floribus sparsa esset. *Ruben. de Re Vest.* I. I. Vel fibulæ, aut globuli aurei & purpurei, qui ad pectus assuebantur. *Accurs. ad leg.* §. *ff. de aur. & arg. leg. Laz. Comment. Reip. Rom.* II. 3: VIII. 4. vel latera tunicæ connectebant. *Pancirol. Rer. Memor.* I. *Gregor. Tholos. Synt. Juris Univers.* XLVII. 23. *n.* 17.

Bayſ. l. l. Sed in ſtatuis togatis & conſularibus, quæ ex ære & marmore ſuperſunt, nuſquam hæ fibulæ aut globuli apparent, quibus muliebres ſolum tunicæ quandoque connecti ſolitæ. Præterea conſtat, *clavos* veſti ut plurimum intextos fuiſſe. • Quis ſani ingenii negabit hoc non poſſe convenire fibulis? Deinde non ſolum tunicæ & chlamydes *clavis* diſtinguebantur; ſed & mappæ & mantelia, quæ globulis aureis aut purpureis connexa fuiſſe quis credat? *Ruben. l. l.* Ego invenio *clavos* eſſe potius partem veſtimenti, quam veſtimentum: & alios conſui veſtimento, alios non conſui, & indiſtincte veſtimento legato contineri quaſi partem leg. 19. §. Plane leg. 23. §. 1. de aur. & arg. leg. Sane quibus honoris cauſa utebantur Senatores, vel tribuni, vel Equites, non erant conſuti veſti, ſed ſupra eam demiſſi in pectus uſque, alii arctius, alii latius, ut recte dixerit Horat. Sat. 1. 6. 28.

Latum demiſit pectore clavum.

Et integer Acro in Sat. 1. 5. 35. inquit: *Latum clavum purpuram dicit, quæ in pectore extenditur Senatorum: Græci τὸν κολοβῶνα vocant.* Et hanc interpretationem confirmant aperte verba Petron. c. 32. *Pallio coccino adraſum incluſerat caput, circaque oneratas veſte cervices laticlaviam immiſerat mappam.* Monachi quoque quidam utuntur tali, ſed viliore. *Cujac. Obſerv.* XII. 39. *Cruq. in Horat. Sat.* 1. 5. 35. *Wouwer. ad Petronium.* Sed hæc valde debili tibicine fulta ſunt. Nec enim ideo minus in pectus dimittitur, aut purpura in pectore extenditur Senatorum, quamvis intexta aut aſſuta ſit. Nec ex Horatio colligitur tunicæ haudquaquam adſutum vel intextum fuiſſe. Acronem V. infr. in *Colobium.* Trimalcio a Petronio non deſcribitur in laticlavia tunica; ſed in veſte cœnatoria, cum ſudario *clavato* circa collum ſolebant immittere. Suet. Ner. c. 51. n. 3. *Plerumque ſyntheſinam indutus, ligato circum collum ſudario prodiit in publicum.* Nec colobium eſt ſcapulare monachorum, quo hodie utuntur, & quod deſignat Cujacius. V. infr. in *Colobium.* Ruben. l. l. Ego arbitror fuiſſe tunicam purpura prætextam, latiorem tunica vulgari, longiorem ac diſcinctam, cui toga ſuperinduebatur. Apparet hoc ex Quintil. XI. 3. *Cui lati clavi jus non erit, ita cingatur, ut tunicæ prioribus oris infra genua paullum, poſterioribus ad medios poplites uſque perveniant. Nam infra, mulierum eſt: ſupra, centurionum. Ut purpuræ recte deſcendant, levis cura eſt: notatur interim negligentia. Latum habentium clavum modus eſt, ut ſit paullum cinctis ſubmiſſior. Ipſam togam rotundam eſſe & apte cæſam velim.* Bud. in Pandect. p. 54. C. Coraſ. ad leg. II. §. Deinde quia difficile n. 42. ff. de Orig. Jur. Tiraquell. ad Alex. Gen. IV. 11. Et mihi faſcia eſt, qua veſtes in extremis oris ornabantur. Favent huic interpretationi veteres Grammatici, qui *clavos* cum purpura prætexta, vel limbis veſtium confundunt. Feſtus: V. illum infr. in *Ricinium.* Iſidor. in Gloſſ. *Limbus, navis piratica, vel clavus in veſte regia, ſive ipſa veſtis.* Carol. Neap. in Ovid. Faſt. II. Ad hanc opinionem refutandam haud multis verbis opus eſt. Prætexta toga, quam Græci περιπόρφυραν vocant, dicebatur ea, cujus ora & circuitus purpura prætextus erat. Hac utebantur magiſtratus, ſacerdotes, & nobiles pueri. At apud Romanos florenti imperio tunicam virilem unquam prætextam fuiſſe non legi, ſaltem ante Gallienum. Deinde inter prætextas & *clavatas* veſtes omnes Romani ſcriptores paſſim diſtinguunt, ut etiam Græci inter τὰ περιπόρφυρα, id eſt, prætextas purpura, & μεσοπόρφυρα, id eſt, *clavatas* purpura, ut Hieronymus interpretatur in Eſajam Comment. II. Adhæc ſi erat limbus purpureus imæ tunicæ adtextus, qua ratione in pectore collocatur ab Horatio modo laudato. Et ab Acrone ſupr. dicitur *ſe extendiſſe in pectore Senatorum.* Et a Quintiliano *recte deſcendiſſe.* Ad quem modum etiam Eucherius ad Sabin. II. *Penula eſt quaſi lacerna deſcendentibus clavis.* Ruben. l. l. Potius erat plagula, quæ ab humeris in pectus dimittebatur, ut erat ἐπωμὶς Græcorum. *Clavis* quibuſdam conſita erat, in Senatoribus quidem latioribus, in Equitibus anguſtioribus. Non. XIV. 19. *Patagium aureus clavus, qui pretioſis veſtibus immitti ſolet.* Varr. de Ling. Lat. VIII. §. 47. *Si quis tunicam in uſu ita conſuit, ut altera plagula ſit anguſtis clavis, altera latis: utraque pars in ſuo genere caret analogia.* Scalig. Conject. in Varr. p. 192. Cui Varronis locus non opitulatur. Ejus enim hic eſt ſenſus, ut mihi videtur, cum tunica conſtet duobus pannis, ſive ex δυοῖν περιτμημάτων, ut ait Joſeph. Antiq. III. 8. id eſt, duabus plagulis, ut Varro hic appellat, quæ conſuuntur ad latera: ſi pars anterior tunicæ ſit anguſtis *clavis* ornata, pars vero poſterior latis *clavis*, utraque in genere ſuo caret analogia. Huc alludit Tertull. de Orat. c. 1. *Oportet in hac quoque ſpecie novum vinum novis utribus recondi, & novam plagulam novo adſui veſtimento.* Et duas has plagulas utrumque corpus appellat de Pudic. c. 8. *Pleroſque interpretes parabolarum idem exitus decipit, quem in veſtibus purpura oculandis ſæpiſſime evenire eſt, quum putaveris recte conciliaſſe temperamenta colorum, & credideris comparationes eorum inter ſe amaſſe, erudito mox utroque corpore, & luminibus expreſſis errorem omnem traducta diverſitas evomet.* Nonius valde improprie, & pro more ſui ſeculi locutus eſt, quo omnia ſegmenta veſtimentorum, quamvis ad oras adtexta eſſent, *clavos* appellabant. Patagium quid fuerit. V. infr. in *Patagium.* Ruben. l. l. Ferrar. de Re Veſt. 1. 3. 12. Kipping. Antiq. Roman. IV. 5. 9. Figuram non aliam exprimebant quam veri *clavi*, unde & nominantur. Ἧλος etiam Græci vocarunt: unde ἔνηλος veſtis purpurea *clavata*, id eſt, ἐμπόρφυρος. Nam *clavus* nihil aliud erat quam πορφύρα ἐνυφασμένη. Gloſſæ: *clavus*, πορφύρα ὑφασμένη. *Rotundis* autem & quadratis quibuſdam figuris ex auro, vel purpura veſtes intexebant. Teſſeras vocabant & tabulas, & oculos, & orbiculos. Græci κύβους, σφραγῖδας, κέγχρους, φολίδας, barbaro-Græci ταυλία, πλούμια. *Clavi* nomine illa omnia Latini comprehendebant, ut Græci σημεῖον dicebant purpuram intextam veſti, adtextamque omnem, qualis figuræ eſſet: σημεῖα igitur *clavi* ſunt. *Salmaſ. in Treb. Poll. trig. Tyran. c.* 16. *Vopiſc. Carin. c.* 20. *Lipſ. de Magn. Roman.* IV. 2. *Valtrin. de Re Milit. Roman.* III. 13. *Torrent. ad Horat. Sat.* 1. 6. 28. *Ferrar. l. l.* Ubi Ferrarius affirmat fuiſſe rotunda, Salmaſius ad Vopiſcum quadrata. Sed non video, ſi quadrata vel rotunda fuerint, qua ratione latitudo eorum curiam ab Equite diſtinxerit. Quadrata enim magnitudine excreſcere poſſunt, non latitudine, & nulla rotunditas, ut utar verbis Hieron. in Epiſt. ad Epheſ. III. latitudinem & longitudinem habet. Adhæc ſi *clavi* erant rotunda aut quadrata purpuræ fruſta, quæ ob ſimilitudinem a capitibus *clavorum* ferreorum nomen acceperunt: pluribus quidem ejuſmodi *clavis* tunicam Senatoriam diſtinctam fuiſſe oportet; una enim aut duæ bullæ haud grande lumen afferre poterant tunicæ Senatoriæ. Atqui unum modo aut duos ad ſummum *clavos* in veſte Romana admittit Horat. de Art. Poet. n. 15.

Purpureus late qui ſplendeat unus & alter
Aſſuitur pannus.

Et Quintil. VIII. 5. *Porro ut lumen affert clavus purpuræ loco inſertus; ita certe neminem deceat intertexta pluribus notis veſtis.* Ammian. XVI. 8. plane hanc ſententiam deſtruit. Sic enim ille: *Veterator quidam ad lautum convivium rogatus, & mundum, qualia ſunt in iis regionibus plurima, cum vidiſſet linteorum toralium par, duos clavos ita latiſſimos, ut ſibi viciſſim arte miniſtrantium cohærerent, menſamque operimentis paribus tectam, intrinſecus ſtructuram omnem, ut amictus adornaverat principales, quæ res patrimonium dives evertit.* Quomodo hæc purpuræ fragmenta *clavorum* capitibus ſimilia in linteis toralibus ita ſibi invicem arte miniſtrantium cohærere poſſint, ut amictum imperialem, qui purpureus erat, referant, non perſpicio. *Ruben. l. l.* Ego aſſerere non vereor, *clavos* fuiſſe purpureas lineas, quæ medias veſtes interſecabant. Proprie enim purpurea hæc ornamenta, *clavi* appellata fuere; quamvis deinde etiam ad aurata & picta veſtium lumina in modum purpureorum *clavorum* veſtibus inſerta hoc nomen tranſlatum eſt. Lexicon Græco-Latinum, πορφύρα ὑφασμένη, *clavus.* Malim, ἐνυφασμένη. Gloſſæ Benedicti Floriacenſis, *Clavare,*

vare, *πορφυρῶσαι*. Sosipater Charisius: Hic *clavus*, id est, impurpurata vestis, ἐμπόρφυρ☉ ἡ ἐσθὴς καὶ ἔνηλ☉. Græcis dicuntur vestes *clavatæ μεσοπόρφυρα*, sicut prætextæ *περιπόρφυρα*. Ita Septuaginta Interpretes Esai. c. 3. n. 21. Καὶ τὰ περιπόρφυρα, καὶ τὰ μεσοπόρφυρα. Ad quem locum Basilius: *Mulieres aut vestium oris attexebant purpuram, aut eam parti mediæ immittebant*. Hieronymus: *Pro fascia pectorali, quam interpretatus est Symmachus, Septuaginta Interpretes tunicam μεσοπόρφυραν, id est, clavatam purpura, transtulerunt*. Sic gemma mesoleucos apud Plin. xxxvii. 10: xxvii. 11. quam *mediam candida distinguit linea*. Inde clare patet *clavos* fuisse purpureas lineas, sive virgas, quæ medias vestes intersecabant. Inde & in Dalmaticis Diaconorum nostrorum *clavos* Alcuinus & Remigius virgulas, Amalarius & Honorius lineas, Johannes Diaconus zonas, Rabanus tramites appellat, quemadmodum Tibullus aureos *clavos* in femineis vestibus vias vocat. ii. 6. 35. V. illum infr. in *Via in vestibus*. Et Serv. Æneid. viii. 660. de virgatis Gallorum sagulis; *quæ habebant in virgarum morem deductas vias*. Ruben. ibid. c. 2. Et hujus sententiam probant Cuper. Apoth. pag. 189. Græv. Thes. Antiq. Roman. Tom. vi. * * 3. vers. Ex his omnibus non sequitur, *clavos* fuisse lineas, aut virgulas, quæ medias vestes intersecabant. Alcuinus & Remigius Dalmaticarum in sacris ornamenta virgulas, Amalarius & Honorius lineas, Rabanus tramites appellaverunt improprie, quod scilicet eo loco hæc ornamenta erant, quo olim in tunica senatoria & equestri *clavi* fuerunt. Sicut Tibullus aureas vias in stola matronarum aurum intertextum, non ad pectus modo, sed per totam vestem, quos nemo *clavos* proprie appellaverit: quemadmodum virgata Gallorum sagula non fuerunt *clavi*, nemoque veterum hæc sagula *clavata*, sicut nec stolæ aurum intextum *clavos* appellavit. *Ferrar. Analect. de Re Vest.* c 3. Quadratum omnino latitudine excrescere potest, & rotunditas quandam habet latitudinem. Quadratum enim alio majus aut minus esse potest. Et si nulla rotunditas latitudinem habere potest, peccavit Juvenalis, cum Sat. i. 138. dixit de Romanorum mensis, quæ vulgo rotundæ erant:

Nam de tot pulcris & latis orbibus, & tam
Antiquis, una comedunt patrimonia mensa.

Et clarius xi. 122.

—— latos nisi sustinet orbes
Grande ebur.

Neque, ut puto, peccaret, qui Solis orbem Luna latiorem diceret, sicut Horat. Od. i. 12. 57.

Te minor latum reget æquus orbem.

Unum quoque, aut duo purpuræ segmenta, quod tamen fortasse falsum, ea magnitudine fieri potuerunt, ut tunicam distinguerent & illuminarent. Obscurior certe tunica, ac prope surdo lumine fuisset, si, quod Rubenius censet, *clavus* non aliud quam virgula purpurea fuerit. Ammiani locus obscurus, ac prope deploratus videtur. Videor tamen per caliginem hanc sententiam elicere. Cum purpuræ usus in vestibus privatis præter *clavos* eo tempore interdictus esset, & ita *clavi* illi latissimi in toralibus, & in mantili arte ministrantium inter se cohærerent, ut tam toralia, quam mappa tota purpurea, & non purpura tantum *clavata* videretur, inde sycophantam accusationis adornandæ occasionem arripuisse, qua illi fortunis eversi sunt, quasi vestem totam purpuream solis Imperatoribus dicatam domi possiderent. Cur autem illa toralia, & mantilia arte ministrorum ita conjungi, & complicari non potuerunt, parte scilicet linteaminis alba *clavis* interposita sub iisdem latente, ut tota purpurea appareret, atque ita vestem Imperatoriam referret? Quod si virgulæ fuissent tantum purpureæ, ut vult Rubenius, viderit ipse, quomodo ita componi, & contabulari potuerint, ut principale indumentum exprimerent; quod facile admodum in *clavis* non cernimus. Cæterum, sive rotundi fuerint, sive quadrati, sive, quod nunc verisimilius nobis videtur, purpuræ segmenta oblonga a lato in acutum instar *clavorum* desinentia, non ita laboramus, ut in eo Græciæ salutem verti credamus. *Ferrar. ibid.* c. 1. Hæc, quæ Rubenio opponit Ferrarius, tam distorta sunt, & obscura, ut in iis refellendis ne horæ momentum nobis debeat perire. *Græv. l. l.* Tota tunica erant dispersi, aut saltem tunicæ marginem prætexuerunt. Ovid. Trist. iv. 10. 29. Stat. Sylv. v. 2. 29. V. utrumque infr. in *Clavus latus*. Nicol. Abrah. in Cicer. Cœlian. §. 77. n. 11. Imo ad pectus tunicæ fuerunt inserti. Docent hoc Horatius & Acro ad illum supra laudati. Latus *clavus* pro ipsa tunica accipiebatur, in qua *clavi* purpurei: &

Induitur humeris cum lato purpura clavo.

idem est atque, induitur tunica lato *clavo* purpureo distincta. Qui *clavi* purpurei, quoniam in pectore erant, *Tyrios sinus* vocat Statius, non quod in humeris purpura esset, sed quod tunica laticlavia, ut & communes tunicæ, humeris dependeret. *Ferrar. de Re Vest.* i. 3. 12. Tunicæ insuebantur. Ulpian. de aur. & arg. leg. l. vestimentum. *Vestimentorum sunt omnia lanea, lineaque vel serica, vel bombycina . . . & quæ his accessionis vice cedunt, quæ sunt insitæ picturæ, clavique qui vestibus insuuntur*. Quintil. viii. 5. jam laudatus. *Manut. Quæst. Epist.* iii. 2. *Boss. de Lato clavo Synt.* viii. Rursus Ulpianus: *Institæ, picturæ, clavique qui vestibus insuuntur. Idem Pomponius in libris Epistolarum, etsi non sunt clavi vestimentis consuti, tamen veste legata contineri*. Et Horatius de Arte Poetica jam allatus. Et interdum intexebantur. Quod præfracte negandum non est. Nam hoc docet idem Ulpian. leg. 7. ff. ad exhibendum: *Idem est, si granario vel navi tabulam meam vel ansam scypho junxeris, vel emblemata phialæ, vel purpuram vestimento intexueris*. Festus supr. in *Clavata*. Vetus Lexicon Græco-Latinum: *πυρφύρα ἐνυφασμένη, clavus*. Imo Græci *clavos* a texendo *παρυφὰς* videntur appellasse. Hesychius: *παρύφη, ἡ ἐν τῷ χιτῶνι πορφύρα*. Quintilianus priorem sententiam non juvat, sed refutat. *Ruben. l. l. Ferrar. Anal. de Re Vest.* c. 13. Non aliis vestibus fuerunt additi, nec trabeæ, V. infr. in *Trabea*. nec chlamydi. V. supr. in *Chlamys*. Sed nonnunquam supellectili lectorum & mensarum. Mapparum meminit Mart. iv. 46. 17.

Et lato variata mappa clavo.

Et præter illum Petronius jam laudatus. De mantilibus Lamprid. Alex. Sev. c. 37. *Convivium neque opiparum, neque nimis parcum, sed nitoris summi fuit: ita tamen ut pura mantilia mitterentur; sæpius cocco clavata, aurata vero nunquam*. De linteis toralibus Ammianus modo laudatus. *Ruben. ibid. c. 4. & 19. Ferrar. ibid. c. 15. Casaub. in Lampridium*.

Clavus angustus erat Equitum Romanorum. Paterc. ii. 88. 2. scribens de Mæcenate, qui equestri dignitate contentus erat: *Mæcenas non minus Agrippa Cæsari carus, sed minus honoratus: quippe vixit angusto clavo contentus pene*. Stat. Sylv. iv. 5. 42.

Contextus arcto lumine purpura.

id est, angusto *clavo*. Equestrem locum vocat idem turmalem sanguinem, trabeam Remi & pauperem *clavum* Sylv. v. 2. 17.

—— non sanguine cretus
Turmali, trabeaque Remi, nec paupere clavo
Augustam sedem, & Latii penetrale senatus
Advena pulsasti.

Ovid. Trist. v. 10. 35.

Curia restabat, clavi mensura coacta est.

id est, postquam egressus sum e pueris, restabat ordo senatorius, ut latum *clavum* continuarem: at *clavi mensura coacta est*, & angustum sumpsi cum virili toga. Et sic distinguebantur a Senatoribus. Lampr. Alex. Sev. c. 27. *Tum satis esse constituit, ut Equites Romani a Senatoribus clavi qualitate discernerentur*. Turneb. Adv. i. 2: xii. 6. Sigon. de Judic. iii. 19. Ferrar. de Re Vest. i. 3. 14. In Glossario Benedicti *clavi* angusti exponuntur *ψιχόσημα*. Ubi

Bona-

Bonaventura Vulcanius ψηφόσημα legendum censet. Recte enim inquit, supra σημεῖα interpretatur *clavos*; ψῆφυς vero gemmas. Sententia Vulcanii est, angustos *clavos*, ψήφοις sive gemmis & calculis similes fuisse, id est, parvos & rotundos. Et ideo cum σημεῖα sunt *clavi*, id est, signa, ψῆφοι calculi, *angusticlavia*, ψηφόσημα sunt *clavi*, calculis sive gemmis similes. *Ruben. de Re Vest.* I. 8. *Ferrar. Anal. de Re Vest. c.* 10. Ego lego ψιχόσημα, quasi quæ micas tantum purpuræ, non *clavos* haberent. *Salmas. in Vopisc. Carin. c.* 20. Quam lati fuerint *clavi* tunicæ *angusticlaviæ*, haud facile est definire, pro arbitrio enim aut extendebant, aut restringebant *clavos*. Pauca purpura fuisse videtur in tunica *angusticlavia*. Arrian. in Epictetum, τὸ ὀλίγον ἐκεῖνο καὶ στιλπνόν. *Ruben. l. l.* Hoc quærere non minus futile est quam ineptum, scilicet quam latum fuerit, quod est angustum. Paucam purpuram pro parva, sive exigua dicere Latine vix posse credimus. *Ferrar. ibid. c.* 11. Distinguebat plebem ab Equitibus, & tunica eorum, qui equestris ordinis non erant, omnino *clavis* caruit. *Manut. Quæs. Epist.* III. 2. Ego existimo nullum discrimen inter tunicam equestrem & plebejam fuisse: nam Appian. Bell. Civ. II. p. 474. diserte scribit excepta Senatoria veste cæterum habitum promiscuum fuisse. *Et libertinus par civitatis jus habet, & servus habitu dominis similis est; præter Senatoriam enim vestem reliquus vestitus servis est communis.* Ruben. l. l. Hoc hactenus est inauditum. Appianus conqueritur, postquam togæ in desuetudinem abierunt, nullum fuisse inter servos, atque ingenuos in habitu discrimen. Nam cum toga nonnisi ingenuorum esset, ea sublata, vix a civibus mancipia discerni poterant: quandoquidem tunicæ, lacernæ, penulæ communes omnibus erant. Excipit vestem Senatoriam, id est, laticlaviam, non quod illa sola, nam etiam *angusticlavia* discrimen faciebat, sed cum utraque purpura insignis esset, satis habuit a principali laticlaviam nominasse, cum *angusticlavia* spem atque aditum in Senatum faceret, & esset illi affinis. Aut in Appiano desideratur vox *Equestris*. Aut demum, quod verisimilius est, cum ea ætate ita toga in desuetudinem venisset, ut penes solos Senatores ejus usus maneret: propterea Appianus per vestem Senatoriam togam intellexit, quæ sola discrimen inter ingenuos & servos afferebat. Licet stricte loquendo præter togam alio insigni Senatores ab Equite & plebe distinguerentur, id est, tunica laticlavia, sicut Equites a plebe tunica *angusticlavia*. Diximus sublata toga vix ullum discrimen fuisse inter ingenuorum & servorum vestem. Quia etiam post illud tempus mentio vestis servilis apud Appianum occurrit, quæ scilicet, & materia, & colore a civili paullo diversa. *Ferrar. l. l.* Etiam matronæ Romanæ tunicas angustis *clavis* ex purpura ornatas portabant, quod extra dubium est; cum etiam virgines Deo devotæ aliquantulum purpuræ tunicæ insertum gestarent, quod testatur Hieron. Epist. 22. ad Eustochium: *purpura*, inquit, *tantum in veste tenuis.* Cæteræ illustriores quamvis ut plurimum auro *clavatis* tunicis uterentur: tamen etiam sæpe purpuratis vestibus insignes erant: & regillam quidem tunicam, quam feminæ portabant, purpura distinctam fuisse, mihi colligere videor ex Varronis versu, qui corrupte legitur apud Non. XIV. 13. *Regilla, vestis diminutive a regia ficta, ut & basilica.* Plaut. Epid. II. 2. 39.

An regillam tuniculam induam, an mendiculam.

Varr. παπ. περὶ ἐγκωμ. V. illum infr. in *Regilla*. Tunica autem regilla alba erat & recta. Ita Festus: V. illum infr. in *Regilla?* ibique *Ruben. ibid. c.* 9. *& Ferrar. c.* 13. Nec minus in Græcia mulieres. Aristophanes in Θεσμοφοριαζούσαις inter ornatum muliebrem recenset τὸ παρυφές. Locus exstat apud Clement. Pædag. II. 12. Sed non nisi lautiores. Plutarch. de Gen. Socrat. p. 583. E. *Tibi pater*, apud illum dicit Caphisias, *Milesiam chlamydem, matri vero clavatam emamus tunicam*, παραλουργὸν χιτώνιον. Et ipsi viri. Apul. Florid. p. 776. *Habebat indutui ad corpus tunicam interulam tenuissimo textu, triplici licio, purpura duplici.* Quod tamen de ditioribus intelligendum est; aliorum enim albis *clavis* distinctæ erant. Hinc Alexander apud Plutarch. Apophth. 27. *Antipater extrinsecus vestes habet albas, intus totus purpureus est.* Quorum etiam pallia *clavata* fuerunt. Athen. V. p. 212. *Athenio in purpureis, stragulis, sella pedibus argenteis subnixa Athenas portabatur, qui prius pannoso tritoque pallio vestitus purpuram nunquam viderat.* Ruben. ibid. c. 10. Παρυφὲς apud Aristophanem, & παραλουργὸν apud Plutarchum nihil aliud significant, quam vestem purpura intextam, vel prætextam, & quidem per totum, cum *clavi* tantum ad pectus essent. Et ut demus παρυφὲς de *clavis* intelligendum, undenam fuisse angustos, non autem latos colligit? Illud Apuleji non de duobus *clavis* accipiendum, sed aut de duplici genere purpuræ; vel quod tunica illa texta erat ex triplici licio, sive trimita, duobus purpureis, altero albo. Græcorum vestimenta vulgo fuerunt alba: qua ergo ratione *clavi* albi in alba veste insignes esse potuerunt? Alexander apud Plutarchum nihil de *clavis*, sed λευκοπαρυφὸς est vestibus albis, sive ex alba lana factis indutus. Apud Athenæum nullum pallium, sed tantum stragula vestis purpurea, qua & lecti, & pulvini in lectica insternebantur, quo sensu semper stragula vestis a Latinis sumitur, nunquam pro indumento. *Ferrar. ibid. c.* 14.

Clavus latus Græcis vocatur πλατύσημος. Glossarium: *Latus clavus*, πλατύσημος. Strabo III. p. 116. mox laudandus, ubi de Balearibus agit. Herodian. III. 11. 3. Epictet. apud Arrian. I. 24. Diod. Sicul. Eclog. XXXI. & πλατυπόρφυρος. Pollux VII. 14. Πλατυπόρφυρα εἴρηκεν ἱμάτια. Oracula Sibyll. VIII.

Καὶ τότε πενθήσεις πλατυπόρφυρον ἡγημονήων.

Latinis *lata purpura*. Plin. XXXIII. 1. *Vulgoque purpura latiore tunicæ usos invenimus etiam præcones.* Tertull. de Pall. c. 4. *Cum latioris purpuræ ambitio Saturnum commendat & major purpura.* Juven. Sat. I. 106.

— quid confert purpura major
Optandum.

Vetus commentator Horatii a Cruquio editus Sat. I. 5. 35. *Latus clavus, colobion Græce, dicebatur vestis, quæ ad pectus magistratuum extendebatur in formam lati clavi.* Acro ad eundem. V. supr. in *Clavus*. Tunica *laticlavia* unum solum habebat ab interiore & posteriore parte. Juvenalis & Plinius modo laudati. Lucian. Demonact. *Cum aliquem vidisset laticlaviorum latitudine purpuræ superbientem.* Quintil. Instit. Orat. VIII. 5. & Horat. Sat. I. 6. 28. V. utrumque supr. in *Clavus*. Sil. Ital. III. 26.

Discinctis mos thura dare, atque ex lege parentum
Sacrificam lato vestem distinguere clavo.

Mart. IV. 46. 47. V. illum supr. in *Clavus*. Optime omnium Herod. V. 5. 21. *Induti tunicas talares ac manuleatas, Phœnicum more, unamque in medio purpuram ferentes.* Obstare videtur Varr. de Ling. Lat. VIII. §. 47. prolatus supr. in *Clavus*. Sed aut de angusticlavia est intelligendus, cujus una plagula latioribus quam altera *clavis* distincta sit. Aut legendum est: *ut altera plagula sit angustis clavis, altera lato.* Sed recte Scioppius. *Ut altera plagula sit angusti clavi, altera lati.* Ruben. de Re Vest. I. 11. Hæc scriptorum loca eodem recidunt, & uno verbo facile solvuntur. Apud Juvenalem purpura major, & Plinium purpura latior de pluribus intelligi potest, quotquot illi fuerint. Singularis pro numero plurium per tropum: ut *Romanus prælio victor, & hostis habet muros.* Apud Lucianum intelligitur purpura quæ est in *clavis*. Eodem modo Quintilianus. Nam si duo aut tres *clavi* in usu fuissent, quod incertum est, si quis recepto numero plures addidisset, sive plures *clavos* tunicæ inseruisset, rem indecoram fecisset. Apud Horatium latus *clavus* est tunica *laticlavia*, quæ cum non cingeretur, cadebat in pectus. Et ideo recte Acro exposuit κολοβίωνα ad Horat. Sat. I. 5. 35. V. illum supr. in *Clavus*. Apud Silium idem tropus est pro latis *clavis*. Neque unus *clavus*, sed plures vestem distinguunt. Martialis contrarium indicat. Quomodo enim uno tantum *clavo* mappa variari potuerit, ipse viderit, qui melius hunc locum

cum prætermisisset. Apud Herodianum nihil de tunicâ *laticlavia*, sed de sacrifica Phœnicum veste. Et duo contra Romanum morem in eorum cultu notavit: quod tunicas talares, & manuleatas, quæ Romæ infames erant, quodque eædem tunicæ solam purpuram in medio haberent more Phœnicum. Varronem ait de tunica angusticlavia intelligendum. Sed cur non de laticlavia a nobiliori parte? Vel eadem tunica erit *laticlavia & angusticlavia.* Sed communi criticorum more quod non placet corrigit. Et nihilominus non unus, sed duo *clavi* fuerint. *Ferrar. Anal. de Re Vest.* c. 15. Latis *clavis* omnium primi sunt usi Baleares. Strab. III. p. 116. *Hi vero primi hominum dicuntur gestasse tunicas laticlavias.* Eusthath. in Dionysium: *Incolæ vero Balearium primi invenerunt laticlavias tunicas.* Primus Romæ Tullus Hostilius lato *clavo* usus. Plin. IX. 39. *Purpuræ usum, Romæ semper fuisse video, sed Romulo in trabea; nam toga prætexta & latiore clavo Tullum Hostilium e Regibus primum usum Hetruscis devictis satis constat.* Ruben. de Re Vest. I. 2. Manut. Quæs. Epist. III. 2. Hoc Senatorius ordo ab Equestri ordine distinguebatur. Ulpian. Instit. tit. VII. *Hoc amplius principalibus constitutionibus concessum est mulieri in hoc donare viro suo, ut is ab Imperatore lato clavo, vel equo publico honoretur.* Quibus verbis utriusque ordinis discrimen notat. Id ipsum ita Cajus effert in leg. nuper ff. de donat. inter vir. *Nuper ex indulgentia Principis Antonini recepta est alia causa donationis, quam dicimus honoris causa, ut ecce si uxor viro laticlavii petendi gratia donet, vel ut equestris ordinis fiat.* Hinc etiam Augusto *sumenti virilem togam, cum tunica lati clavi resuta ex utraque parte decidisset,* ominis loco quosdam interpretatos Suet. c. 94. n. 17. tradit futurum, *ut is ordo, cujus id insigne esset, ei quandoque subjiceretur.* Idem Claud. c. 24. n 3. sic ait: *Latum clavum, quamvis initio affirmasset non lecturum senatorem, nisi civis Romani abnepotem, etiam libertini filio tribuit.* Brisson. Antiq. Select. ex jur. civ. III. 16. Ruben. l. l. Senatores, quibus lati *clavi* jus erat, tunicam *laticlaviam* non consueverunt cingere. Quintil. Instit. Orat. XI. 3. V. illum supr. in *Clavus.* Ex illo apparet, tunicam *laticlaviam*, quæ ipsa latus *clavus* dicebatur, non cingi solitam. Hinc contra usum Julius Cæsar, de quo Sueton. c. 45. n. 5. *Etiam cultu notabilem ferunt. Usum enim lato clavo ad manus fimbriato, nec ut unquam aliter quam super eum cingeretur, & quidem fluxiore cinctura: unde emanasse Syllæ dictum, optimates sæpius admonentis, ut male præcinctum puerum caverent.* Atque ita *clavi* purpurei cum zona non constringerentur, cadebant in pectus, sive, ut Horatius supra dixit, *pectore demittebantur.* Secus in Equitibus, qui cum tunicam cingerent, angusti *clavi* non descendebant in pectus; sed in sinu, quem zona succincta efficiebat, supra ipsam zonam conspiciebantur. Qui vero ex Equitibus in Senatum allegebantur, solvebant tunicas, & latiores *clavos* demittebant, atque in pectus fluere sinebant. Ex his facile intelligimus, quid sibi velit Horatius cum ait Sat. II. 7. 10.

—— clavum mutabat in horas;

Nam *clavus* ibi est tunica *laticlavia*, quam Priscus ille inæqualis & inconstans sæpissime mutabat. Quemadmodum & *clavus* pro eadem sumitur apud eundem Sat. I. 6. 25.

Sumere depositum clavum.

Ita tunica est *laticlavia* manicata, quam Cæsar contra morem cingebat apud Suetonium modo laudatum. *Ferrar. de Re Vest.* I. 3. 12. *Ruben. l. l.* Assuebantur tunicis Senatorum: unde latum *clavum tribuere, & adimere*, pro Senatorem facere, & Senatu movere scriptores usurpant. Ut mirum sit, cur Lambinus, quid essent *clavi*, non ignoravit, id insigne majorum magistratuum fuisse scribat, ut Ædilium, Prætorum, Consulum, nam & minorum fuit, & omnium Senatorum, etiamsi nondum in magistratu essent. *Ferrar. ibid.* Patre Senatore, vel Equite, qui nati erant, ab anno septimo decimo, quo etiam virilis toga sumebatur, lati *clavi* jus habebant, ad annum ætatis senatoriæ V. illam supr. in *Ætas.* quo curiam ingredientibus remanebat ejusdem tunicæ jus, addito præterea omni reliquo jure, quo senatorius ordo præcipue fruebatur: sin autem senatoriam dignitatem non assequerentur, lato *clavo* deposito angustum sumebant. Ita Ovid. Trist. IV. 10. 27--34. latum *clavum* sumpsit cum toga virili, & eundem, quia recusabat senatorium locum, restrinxit. Natus est patre Equite Romano, non Senatore: & lato tamen *clavo* citra ætatem senatoriam ita usus est, ut qui patre senatore nati essent. Hinc jam nemo, opinor, dubitabit, si Ovidius, equestri loco natus, latum *clavum* gestavit ante senatoriam ætatem, quin eundem ii gestare potuerint, quorum patres senatores erant. Adjuvetur conjectura exemplo. C. Julius Cæsar, patricii generis, ortus nobilissimis majoribus adolescens lato *clavo*, nondum senator usus est. Suetonius paullo superius productus hoc narravit. Idem hoc etiam ibidem de Augusto dixit. Quod si quis contendat, non simul cum toga virili sumptam esse tunicam lati *clavi*; sed antea quoque gestari solitam, & mansisse post sumptam virilem togam, consideret versum Ovid. Trist. IV. 10. 29.

Induiturque humeris cum lato purpura clavo.

Et non dubito, quin mecum sentiat, primum annum lati *clavi*, & virilis togæ eundem fuisse, vel in Senatorum, vel in Equitum filiis. Postea mutavit eam consuetudinem Augustus, & permisit solis *Senatorum filiis*, ut cum lato *clavo* togam virilem sumerent, & curiam sine mora introirent, *quo celerius Reipublicæ assuescerent.* Suet. c. 38. n. 2. *Manut. l. l.* Ego non vereor affirmare, liberos Senatorum, saltem eos, qui patricii erant, etiam in puerili prætexta latum *clavum* portasse. Stat. Sylv. V. 2. 27.

Sic te clare puer genitum sibi curia sensit,
Primaque patricia clausit vestigia luna,
Mox Tyrios ex more sinus, tunicamque potentem
Agnovere humeri.

Ubi non dubium est, per *Tyrios sinus* prætextam puerilem, per *tunicam potentem laticlaviam* designari. Crispinum autem illo tempore, quo ei Statius *Tyrios sinus & tunicam potentem* tribuit, nondum virilem togam sumpsisse, compertum ex iis quæ sequuntur. n. 66. 67.

Nec saltem teneris ostrum puerile lacertis
Exuit, albentique humeros induxit amictu.

Hinc patet frustra æstuare Casaubonum, dum quærit; quomodo Octavio, ut Suetonius jam productus retulit, *sumenti virilem togam tunica laticlavia ad pedes deciderit.* Octavius enim *laticlaviam* tunicam in prætexta gestabat; fuerat enim allectus inter patricios a Cæsare. Etiamsi Casaubonus existimet eum patricium factum a Cæsare post virilem togam sumptam, ex Dion. XLV. p. 271. A. Sed hoc non necessario infertur ex illo Dionis loco. Damascenus in Excerpt. Vales. *Dum in Urbe moratur, Senatusconsulto in patricios allectus est.* Hanc cum prætexta deposuerunt, & cum toga virili tunicam rectam acceperunt, qua illos in tyrocinio suo solum usus credo. Sed an alii Senatorum filii, qui non erant patricii, ante virilem togam *laticlaviam* portaverint; sane haud quaquam affirmare audeo. Illud scio, sub Consulibus eos nequaquam *laticlavios* fuisse, nisi postquam ad honores pervenerant. Isidor. IX. 4. *Quamvis autem quisquam Senatoria esset origine, usque ad legitimos annos Eques Romanus erat; deinde accipiebat honorem Senatoriæ dignitatis.* Mutavit hoc Augustus etiam a Manutio laudatus. Ubi cum in multis M. S. codicibus scriptum sit *virili toga*, malim legere *protinus a virili toga.* Nec enim cum toga virili latum *clavum* simul accipiebant, sed tunicam rectam, ut diximus. Augustus autem permisit, ut statim post virilem togam sumptam, ante gestos honores, latum *clavum* gestarent. Latum *clavum* autem sumebant, cum se ad Rempublicam gerendam, & honores capessendos accingerent. Plin. VIII. 23. *Latum clavum in domo mea induerat, suffragio meo adjutus in petendis honoribus fuerat.* Ruben. ibid. c. 14. Statii verba non aliud innuunt, quam Crispinum patricium, cum togam virilem sumpsit, de more cæterorum, etiam *laticlaviam* induisse. Nam *Tyrii sinus* non prætextam, sed tunicam ad

pectus, ſive in ſinu, lato *clavo* inſignem ſignificant, & Statiana luxuria idem eſt *tunica potens*, id eſt, Senatoria, & *Tyrii ſinus clavi* in eadem ex oſtro Tyrio. Non fuiſſe equeſtri genere, tribus adjunctis expreſſit in *Clavus anguſtus*; ſed Senatoria & patricia ſtirpe, & ideo cum calceis lunatis, die togæ virilis *laticlaviam* ſumpſiſſe. Erat enim ſedecim jam annorum n. 12. Nec ex n. 66. & 67. jam prolatis tum fuiſſe in prætexta. Sed conqueritur Statius ereptum fatis parentem, cum adhuc puer eſſet Criſpinus, & prætextatus: atque ita non potuiſſe intereſſe filii tyrocinio, & togæ virilis ſollennitati n. 64.

Nec genitor juxta: fatis namque hauſtus iniquis
Occidit: heu geminam prolem ſub præſide linquens.

Non igitur Criſpinus exuit prætextam; ſed parens fatorum invidia intereſſe non potuit, cum eam exueret, & candentem amictum, id eſt, virilem togam ſumeret. *Mox Tyrios ex more ſinus*, id eſt, ſuo tempore, die nempe tyrocinii. Nec recte ab æſtu Caſaubonum expedit Rubenius. Nam ſi id more apud patricios jam tum fuiſſet, ut in prætexta *laticlaviam* geſtarint, non erat, cur Auguſtus *liberis Senatorum, quo celerius Reipublicæ aſſueſcerent, protinus a virili toga latum clavum induere, & curiæ intereſſe permitteret.* Addidiſſet etiam Suetonius, *filiis Senatorum etiam non patriciis.* Sed nulli in prætexta *laticlavii*, verum ſumpta demum virili toga. Auguſto certe ex avunculi indulto conceſſum die togæ virilis *laticlaviam* ſumere, non quia patricius factus eſſet. Nam hoc poſt virilem togam contigiſſe clare docet Dio. Neque hoc comprobat Damaſcenus. Non enim dicit, ante, an poſt togam virilem factum ſit. Falſum etiam eſt *laticlaviam* cum prætexta depoſitam, & cum toga pura tunicam rectam ſumptam, qua in tyrocinio ſolum ſint uſi. Nam ſi *laticlavia* eo die depoſita, quomodo Auguſto, cum virilem togam ſumeret, reſuta ad pedes decidit? Quod ſolo tyrocinio eadem uſos tradit, ſi ſolum tyrocinii diem intelligeret, poſſet utrumque excuſari: ſed tyrocinium ſignificat apud veteres annum integrum togæ virilis. Quo toto ſine *laticlavia* fuiſſe vetat credere, quod Auguſtus permiſit filiis Senatorum tunicam lati *clavi* a toga virili protinus ſumere. Veriſimilius ergo eſt, tunicam rectam una cum *laticlavia* ſumptam, ut hæc ſuperior, illa eſſet inferior. *Protinus* apud Suetonium eſt continue, uno eodemque tempore, ut ex Servio etiam Caſaubonus annotavit. Rubenii correctio *a virili toga*, ut admittatur, facile revincit, falſiſſimum eſſe, latum *clavum* tantum ſumptum, cum ſe ad Rempublicam gerendam, & honores capeſſendos accingerent, & tamen ſupra dixerat: *Auguſtus autem permiſit, ut ſtatim poſt virilem togam ſumptam, ante geſtos honores clavum geſtarent.* Hæc inter ſe pugnant. Præterea Suet. Ner. c. 26. n. 5. *A quodam laticlavio, cujus uxorem attrectaverat, prope ad necem cæſus. Laticlavium* hunc Tacit. Annal. XIII. 25. 1. vocat Julium Montanum *Senatorii ordinis, ſed qui nondum honores capeſſiſſet.* Ergo ante honores tunica *laticlavia* geſtata. Quid autem erat opus *laticlaviam* cum virili toga indulgere, ſi ea non utebatur, niſi cum magiſtratus adipiſcerentur? Et ſi jure magiſtratus curiam ingrediebantur, & cum eo tunicam Senatoriam ſumebant, nulla fuiſſet Auguſti indulgentia, concedendo *laticlaviam*, qui eam a magiſtratu conſequebantur. Neque id Plinius arguit, ſed contrarium. Quaſi uno eodemque tempore factum ſit. Duo neceſſitudinis argumenta affert. I. quod in domo ſua *clavum* ſumpſerat. II. quod cum ad ætatem legitimam perveniſſet, eundem ſuffragio ſuo ad honores capeſſendos adjuviſſet: utrumque diſtinctis temporibus. *Ferrar. Anal. de Re Veſt. c.* 20. Ut Equitum filii in ſpem Senatoriæ dignitatis latum *clavum* adipiſcerentur, tria neceſſaria erant. I. Opes. II. Origo. III. Indulgentia Principis. Stat. Sylv. IV. 8. 59.

Quippe & opes, & origo ſinunt, hanc lampade prima
Patricias intrare fores; hos, pube ſub ipſa,
Si modo prona bonis invicti Cæſaris adſint.

De indulgentia Principis ex Plinio quoque conſtat Epiſt. II. 9. *Ego Sexto latum clavum a Cæſare noſtro impetravi.* Spartian. Sever. c. 1. *Poſtea ſtudiorum cauſa Romam venit, latum clavum a D. Marco petiit, & accepit, favente ſibi Septimio Severo.* De opibus etiam certum eſt Senatorium cenſum neceſſarium fuiſſe. Hinc Ulpianus & Cajus ſuperius laudati. Origo etiam deſiderabatur: nec enim facile conferebatur niſi iis, qui ex antiqua Equeſtri familia erant. Ita Ovidius poſt virilem togam ſumptam cum fratre ſuo latum *clavum* geſtavit. Ipſe Triſt. IV. 10. 27.

Interea tacito paſſu labentibus annis
Liberior fratri ſumpta mihique toga.
Induiturque humeris cum lato purpura clavo.

Fuiſſe autem ex antiqua familia Equeſtri teſtatur ipſe Pont. IV. 8. 17.

Seu genus excutias, Equites ab origine prima
Uſque per innumeros inveniemur avos.

Ruben. l. l. *Clavo* vero anguſto contenti vivebant, quibus vita quieta placebat, ut Pomponius Atticus, Mæcenas, & Septimius ille Severus, de quo Martialis ſupr. in *Clavus anguſtus.* Et hinc ſæpe eveniebat, ut unus ex fratribus *laticlavius*, alter *anguſticlavius* eſſet. Suet. Veſp. c. 2. n. 4. *Sumpta toga virili, latum clavum, quamquam fratre adepto, diu averſatus eſt.* Sic etiam Seneca & Gallione Senatoribus, Mella frater eorum in Equeſtri gradu ſubſtiterat per ambitionem præpoſteram, ut Tacitus ait Annal. XVI. 17. 3. Sæpe etiam ii, qui latum *clavum* ſumpſerant in ſpem Senatoriæ dignitatis, vel quia non aſſequebantur honores, qui in Senatum ducunt, vel quod animo mutato diverſum iter ingredi volebant, depoſito lato *clavo* ad anguſticlaviam tunicam redibant, quod de ſe teſtatur Ovid. Triſt. IV. 10. 35.

Curia reſtabat, clavi menſura coacta eſt,
Majus erat noſtris viribus illud opus.
Nec patiens corpus, nec mens fuit apta labori,
Sollicitæque fugax ambitionis eram.

Et ille apud Horat. Sat. II. 7. 10. jam laudatum. Suet. Aug. c. 40. n. 1. *Comitiis tribunitiis, ſi eſſent candidati Senatores, ex Equitibus Romanis creavit; ita ut poteſtate tranſacta in utro vellent ordine manerent.* Quod & narrat Dio LIV. p. 543. A. *Caſaub. in Suet. Aug. c.* 38. *Ruben. l. l.* Feminis in uſu non fuit, niſi forte in Aſia olim. Eſajas enim c. 3. n. 25. inter cultum muliebrem τὰ μεσοπόρφυρα recenſet ſecundum LXX. Interpretum verſionem. Romanas certe matronas, etiamſi Senatorum uxores, *aut filiæ eſſent*, haudquaquam portaſſe credo, cum nuſquam id apud ſcriptores inveniam. Imo Imperatores Valentinianus & Valens leg. 18. C. de Prætoribus & Quæſtoribus. *Etſi, injuſtum enim atque dedecus videtur, mulieres ad laticlavum procedere, tamen carbonariam præturam juxta glebam paternæ ſubſtantiæ cognoſcere poterunt.* Ruben. ibid. c. 16. Illos geſtarunt ſacerdotes Saturni Carthagine. Tertull. de Pall. c. 4. *Cum latioris purpuræ ambitio, & Galatici ruboris ſuperjectio Saturnum commendat.* Gaditani Herculis. Sil. Ital. III. 26.

Diſcinctis mos thura dare, atque e lege parentum
Sacrificam lato veſtem diſtinguere clavo.

Hos & Carthaginenſes & Gaditani ſumpſerunt a Tyriis, quorum coloni erant. Phœnicum autem ſacrificulos tunicas *laticlavias* portaſſe docet Herodianus V. 5. 20. *Induti tunicas talares, ac manuleatas, unamque in medio purpuram ferentes, quemadmodum vates in eis regionibus conſueverant.* Hæ lineæ tunicæ *laticlaviæ* calaſires vocabantur. Nec Phœnices ſolum; ſed & omnes fere alii externarum religionum antiſtites. V. ſupr. in *Calaſiris.* Hinc lux. Mart. V. 17.

Dum proavos atavosque refers, & nomina magna;
Dum tibi noſter Eques ſordida conditio eſt;
Dum te poſſe negas niſi lato, Gellia, clavo
Nubere, nupſiſti, Gellia, ciſtifero.

Hæc Gellia tumida ob nobilitatem, dum non vult nube-

re

re angusticlavio, nec ad Senatorias nuptias pervenire potest; ut tamen non... *laticlavio* nubat, nupsit cistifero, id est, externæ religionis sacrificulo, qui tamen *laticlavius* erat. Portabat enim calasyrin lineum lato *clavo* ornatum. Etiam apud Hebræos Scribæ & Pharisæi. Epiphan. de Hæres. I. 15. *Ad hæc vestes phylacteriis distinctas gerebant, quæ sunt latiora quædam purpuræ segmenta, πλατία σήματα πορφύρας. . . . . . . Quippe cum stolis, sive vestimenti genere quodam uterentur isti, quod Dalmaticas, aut colobia appellare possumus, quæ amplioribus ex purpura segmentis. Ejusmodi porro segmenta qui accuratius loquuntur, nominare phylacteria solent.* De Pharisæis paullo post tradit, illos eodem, quo Scribas, habitu uti. *Ruben. ibid. c.* 17. Hoc nos non capimus. Nam ut cistifer ille fuerit sacrificulus, calasirin indutus, quæ mera conjectura est, cur ille cistifer dictus? Num omnes sacrificuli cistiferi, quia in quibusdam sacris cistæ secretorum capaces gestabantur? Et sive fuerit Isiacus, quod Martialis interpretes tradunt, sive Judæus, quod verisimilius videtur, quorum *cophinus, fœnumque supellex*, demonstrandum fuerat, omnes sacerdotes calasirin, sive lineam tunicam gestasse. Nec omnes *laticlaviam* tunicam appellant. V. supr. in *Calasiris*. Scribarum vestes non fuisse *laticlavias* inde apparet, quod *σήματα segmenta* vertit Rubenius, quæ Latini nunquam pro *clavis*, sed pro institis, sive fasciis, ac limbis purpureis, sive aureis acceperunt, quibus stolæ matronarum prætexebantur. Magnum autem discrimen inter limbos & *clavos* fuisse ne Rubenius quidem negaverit. *Ferrar. ibid. c.* 23.

CLAXENDIX erat concha, theca, sive loculamentum, qua signa olim tegebantur & occultabantur, fortean ne vel per imprudentiam violarentur, vel alii in fraudem similia sculperent. Priscian. V. p. 655. *Claxendix significat concham, qua signum tegitur. Plaut. Vidul. Apposita est claxendix: at ego dicam signi quid sit.* Kirchman. de Annul. c. 10. Gruter. in Plautum. Nicol. de Sigl. Vet. c. 44. §. 8.

CLE.

CLEDONISTICÆ genera plura esse arbitror, tinnitum aurium, salissationem, sternutationem, crepitum ventris, & alia id genus. *Buleng. de Omin.* c. 2. V. singula suis locis.

CLEMENTIA fuit Dea habita. Hanc descripsit Claud. in primum Consul. Stilich. II. 6.

Principio magni custos Clementia mundi,
Quæ Jovis incoluit zonam, quæ temperat æthram
Frigoris & flammæ mediam, quæ maxima natu
Cælicolûm, (nam prima chaos Clementia solvit
Congeriem miserata rudem, vultuque sereno
Discussis tenebris in lucem secula fudit)
Hæc Dea pro templis, & thure calentibus aris
Te fruitur.

Idem de Consul. Manl. n. 167.

Nonne vides, ut nostra soror Clementia tristes
Obtundat gladios.

Gyrald. Synt. Deor. I. 34. G. Ortel. Deor. & dear. cap. II. 55.

CLEMMATERES erant pocula parva, cava, sine fundo & auribus; dicti usui Gallis Cybeles. Athen. XI. *Buleng. de Conviv.* IV. 15.

CLEOPATRA regio comitatu Urbem est ingressa. *Prosper Chronic. Thes. Antiq. Roman. Græv. Tom.* XI. *pag.* 382. *C.* Uniones duos possedit, quibus per omne ævum in universo hoc mundo pares non inveniebantur, nec hac tempestate illis similes reperiuntur. Eos illa æstimaverat ducenties sestertium: quæ summa hodie quingenta millia aureorum exæquaret. *Panciroll. de Reb. Deperd. & Inv. p.* 35. Plin. IX. 35. Macrob. Saturn. II. 13. *Duo fuere maximi uniones per omne ævum: utrumque possedit Cleopatra, Ægypti Reginarum novissima, per manus orientis Regum sibi traditos. Hæc cum exquisitis quotidie Antonius saginaretur epulis, superbo simul ac procaci fastu, ut Regia meretrix, lautitiam ejus omnemque apparatum obtrectans, quærente eo quid adstrui magnificentiæ posset, respondit, una se cœna centies H. S. absumpturam. Cupiebat discere Antonius, sed fieri posse non arbitrabatur. Ergo sponsionibus factis, postero die, quo judicium agebatur, magnificam alias cœnam, ne dies periret, sed quotidianam Antonio apposuit, irridenti, computationemque expostulanti. At illa corollarium id esse, consumpturamque se ea cœna taxationem confirmans, solamque centies H. S. cœnaturam, inferri mensam secundam jussit. Ex præcepto ministri unum tantum vas ante eum posuere aceti, cujus asperitas visque in tabem margaritas resolvit. Gerebat auribus cum maxime singulare illud, & vere unicum naturæ opus. Itaque exspectante Antonio quidnam esset actura, detractum alterum mersit, ac liquefactum absorbuit. Injecit alteri manum L. Plancus, judex sponsionis ejus, eum quoque paranti simili modo absumere, victumque Antonium pronuntiavit. Comitetur fama unionis ejus parem, capta illa tantæ quæstionis victrice Regina dissectum, ut esset in utrisque Veneris auribus Romæ in Pantheo dimidia eorum cœna.* Buleng. de Conviv. I. 9. de Imper. Roman. II. 32. Salmuth ibid. p. 37. Bud. de Asse. I. p. 97. Navigium, quo cum M. Antonio ad Actium Epiri oppidum, deinde Nicopolim pervenerat, prædicatur inprimis fuisse nobile. Id enim velo purpureo & tabulato inaurato insigne fuisse fertur: adeo, ut post naufragium factum aurum & purpura in littus revomerentur, & Arabibus ac Sabæis prædæ essent. Plin. XIX. I. Flor. IV. II. 7. aliique. *Salmuth ibid. p.* 244. *Gyrald. de Navig. c.* 6. *Calcagn. de Re Naval. c.* 12. Solebat, si quid jurejurando affirmabat, jus quod esset datura in Capitolio juramento adstringere. Dio L. p. 422. A. *Hansen. de Jurej. Vet. c.* 29. Quomodo perierit, docet Flor. IV. II. 10. *Ubi servari se triumpho vidit, incautiorem nacta custodiam, in Mausoleum se (sepulcra Regum sic vocant) recipit. Ibi maximos, ut solebat, induta cultus, in differto odoribus solio, juxta suum se collocavit Antonium: admotisque ad venas serpentibus, sic morte, quasi somno, soluta.* Moreftell. Pomp. Feral. I. 16. §. 6. Salmuth ibid. p. 245. Augustus sepultæ imaginem in triumpho duxit ante currum, inter captivos: quæ imago honoratior in Veneris templo inter ornamenta clarissima tunc etiam spectabatur. Dio LI. p. 459. E. *Ita Cleopatra, quanquam victa & capta, gloriam tamen consecuta est, quum ejus ornamenta in templis nostris affixa sint, & ipsius aurea imago in templo Veneris conspiciatur.* Guther. de Jur. Man. I. 6.

CLEPSYDRA erat vasculum quoddam plenum aqua, ex qua per fistulam guttatim stillabat, eoque spatium dicendi metiebantur. Describit illud Apul. Metam. III. p. 75. *Sic rursus a præconis amplo boatu citatus accusator quidam senior exsurgit, & ad dicendi spatium vasculo quodam in vicem coli graciliter fistulato, ac per hoc guttatim defluo, infusa aqua populum sic adorat.* Sticm. de Centumv. Judic. I. 13. Ad hunc fere modum fiebat. Capiebant vas quoddam vitreum, in cujus fundo angustum foramen erat, auro circumdatum, ne ab aqua consumeretur. In altera vasis illius parte linea recta, duodecim horas inscriptas habens, erat ducta. Postea vas aqua implebant, quæ per exiguum foramen illud guttatim emittebatur: ipsique etiam aquæ suber immittebant, cui hastula, seu virgula erat infixa: quæ apice & extremitate sua primam; mox emissa sensim & guttatim aqua, secundam & tertiam, & alias tangendo monstrabat horas. Atque hæc Græca voce *clepsydra* nominabatur, quasi aquam eam surreptam dicas. *Panciroll. de Reb. Deperd. & Inv. p.* 748. *Sigon. de Republ. Athen.* III. 4. Tardius multo hyemali tempore profluit, quam æstivis horis. Ejus rei physica deprehenditur ratio, quoniam ex vi frigoris obsidentis gravior & corpulentior fit aqua. Plutarch. Quæst. Natur. 7. *Aquam impellens frigus gravem facit & crassum: quod in clepsydris licet observare; tardius enim trahunt hyeme quam æstate.* Rhodig. Ant. Lect. XXVI. 7. *Clepsydris* in militia vigilias primipilus discernebat. Habebat enim vascula aquaria, sive *mensuras ex aqua*, ut Cæsar statim appellabit, quibus

quatuor

quatuor vigiliarum tempora æqualiter distinguebat. Veget III. 8. *Ideo in quatuor partes ad clepsydram sunt divisæ vigiliæ, ut non amplius quam tribus horis nocturnis necesse sit vigilare.* Cæs. Bell. Gall. v. 13. §. 4. *Nos nihil de eo percunctationibus reperiebamus, nisi certis ex aqua mensuris breviores esse noctes, quam in continenti videbamus.* Agnitum id & observatum e vigilariis hisce *clepsydris* significat, quæ castra comitabantur. *Lips. de Milit. Rom.* v. 9. *Stewech. in Vegetium. Casaub. in Æneæ Tactic. c.* 22. Sunt, & inter illos Haguelon. Calendar. Tiling. Thes. Antiq. Græcar. Gronov. Tom. IX. p. 1040. A. & Laurent. de Annis. . . c. 2. qui tradant inventum esse Scipionis Nasicæ. Movent eos hæc verba Plin. VII. 60. *Tunc Scipio Nasica, collega Lænatis primus aqua divisit horas æque noctium ac dierum.* Sed loquitur ille de horologio publico, non privato: Romæ, non in Græcia. Unde continuo subjungit. *Idque horologium sub tecto dicavit, anno Urbis* 595. *Tamdiu populi Romani indiscreta lux fuit.* Apud Græcos vero moris fuit antiquissimi, ut, quia in ludis publicis multa essent dramata exhibenda, tragœdiæ agerentur πρὸς κλεψύδραν. Quod clare ait Aristot. de Poetica. Ac oratores apud eos *ad clepsydram* dixisse, liquet ex non uno Demosthenis loco, ut orat: περὶ παραπρεσβείας: Ἀναςὰς ἐν τῷ ἐμῷ ὕδατι εἰπάτω. A Græcis igitur hunc morem causas agendi accepere Romani. Nempe eo fine, ut tum actori, tum reo constaret, quamdiu sibi dicere liceret. Mart. VI. 35. 1.

Septem clepsydras magna tibi voce petenti
Arbiter invitus Cæciliane dedit.

VIII. 7. 1.

Hoc agere est causas, hoc dicere Cinna diserte,
Horis Cinna decem dicere verba novem.
Sed modo clepsydras ingenti voce petisti
Quatuor, o quantum Cinna tacere potes.

Etiam Apuleji tempore durasse morem dicendi *ad clepsydram* patet ex ejus Apol. p. 450. *Quoniam tamen mihi pro accusationis longitudine largiter aquæ superest, cedo, si videtur, singula consideremus.* Et ex ejusdem loco modo producto. Consuetudo hæc in Græcia antiquissima Romæ demum instituta est post tertium Pompeji consulatum, unde is libello de causis corruptæ eloquentiæ c. 38. n. 2. primus frena injecisse dicitur eloquentiæ, quia antea liberum erat oratoribus dicendi tempus. *Voss. Lex. Etymol. Fab. Semest.* II. 25. *Alexand. Gen.* II. 25. *Stewech. in Veget.* III. 8. *Salmas. Exercit. Plinian. p.* 450. *a. A. Bud. in Pandect. p.* 266. *F. Barth. Adv.* L. 12. *Rhodig. ibid.* XVIII. 39. *Pollet. For. Roman.* I. 11. *Pius & Savar. in Sidon. Epist.* II. 9. *Laurent. de Profess. orator. . . . . c.* 4. *Stephan. de Jurisdict. vet. Græcor. c.* 10. *Schill. Nomencl. Philol. p.* 298. Invidiosum vero erat, & ad famam periculosum, cogi in certa dicendi tempora: nam & nonnunquam bonis, exactisque causarum patronis, aut nimis breve spatium, ad rem pro merito & decoro explicandam, aut nimis laxum datur, quod cum non absolverent necessariis, metu infamiæ, quæ subeunda esset, si tacerent, multa levicula præter rem aliquando afferre cogebantur, quæ reliquæ & necessariæ actionis auctoritatem elevarent, oborto mentibus audientium prolixitatis non necessariæ, & importunæ tædio. Itaque qui non ita erant confirmati, ne periculum invidiæ, aut pudoris ex silentio adirent, solebant sibi, atque ita adversario, petere libera ad agendum tempora. Plinius de Regulo Oratore Epist. II. 2. 3. *Jam illa perjucunda una dicentibus, quod Regulus libera tempora petebat, quod audituros corrogabat: quid denique jucundius, quam sub alterius invidia, quamdiu velis, & in auditorio alieno quasi deprehensum commode dicere.* Tacit. de Orat. c. 38. n. 1. de foro veteri: *In quo*, ait, *nemo inter paucissimas horas perorare cogebatur, & liberæ comperendinationes erant, & modum dicendi sibi quisque sumebat, & numerus neque dierum, neque patronorum finiebatur.* Hunc morem damnat Quintil. XII. 6. *Laboratam congestamque dierum, & noctium studio actionem aqua deficit.* Et exagitat Plin. ibid. n. 7. *Equidem quoties judico, quod sæpius facio quam dico, quantum quis plurimum postulat, aquæ do. Etenim temerarium existimo, divinare quam spatiosa sit causa inaudita, tempusque negotio finire, cujus modum ignores: præsertim cum primam religioni suæ judex patientiam debeat, quæ pars magna justitiæ est. At quædam supervacua dicuntur etiam; sed satius est & hæc dici, quam non dici necessaria.* Pollet. & Voss. l. l.

Clepsydra vocabatur etiam vas, quo mos est hortos irrigare. Nam contingit plane in hoc, quod tradit Aristot. Problem. II. 1. ὥσπερ τὸ ὕδωρ ἐκ τῶν κλεψυδρῶν, ὅταν πλήρεις ὥσας, ἐπιλάβῃ τις. & cum superius foramen latum aliquis digito clauserit, e tenuibus illis inferioribus foraminibus aqua exire non possit: ipso autem aperto, statim fluit e tenuibus illis aqua, quæ roris speciem habet, & ante oculos ponit hominem corpore sudantem. *Victor. Var. Lect.* XXXII. 1. *Voss. Lex. Etymol.*

CLEROPECTÆ mulieres erant, quæ in enses insiliebant, & ignem ex ore ejiciebant. *Buleng. de Theatr.* I. 34.

CLI.

CLIBANARII vocabantur a Persis, qui cataphractarii dicebantur. Lamprid. in Alex. Sev. c. 56. *Cataphractarios, quos illi clibanarios vocant, decem millia in bello interemimus.* Ammianus. V. illum supr. in *Cataphractus.* Possis utriusque verba ita capere, ut hoc solum velint, Persas sua lingua vocare cataphractos vocabulo quodam, quod Græci *clibanarium* vertunt: ita autem nuncupari ob similitudinem *clibani* quam referunt. Ita non origine barbarum sit hoc nomen, verum Græcum. Sane vel Persicum esse, vel a *clibani* figura formari credere malo, quam ut κλίβανα, quasi καλύβια, dicantur, ἀπὸ τοῦ καλύπτειν: quod voluisse videtur auctor Glossarum nomicarum. *Voss. Lex. Etymol. Lips. in Tacit. Anal.* III. n. 100. Dicuntur, quod tota specie ferrea sic contegantur, ut tanquam panis, sic ipso *clibano* undique obtecti obductique videantur. *Turneb. Adv.* XXVI. 34. Vel quoniam more testudinis arcuatis muniuntur armis, quæ *clibani* forma est. *Pius Annot. Post. c.* 81. Falso sibi persuaserunt, qui putarunt *clibanarios* non Latinam vocem esse, sed Persicam. Res quidem ipsa Persica; sed & vocem habuerunt Persæ, qua rem illam exprimerent, quam Latini vertentes vocaverunt *clibanum.* Loricæ enim Romanorum & Græcorum non soliferreæ, sed squamis contextæ, hoc est, ex multis particulis ferreis in modum squamarum compositæ. At *clibani* illi Persici erant ex solido ferro, idcirco sic nominati, quod *clibanorum* speciem referrent. Ideo Ammianus simulacris manu Praxitelis illos comparat. V. illum supr. in *Cataphractus.* Tales sunt hodie thoraces, quibus utuntur nostri milites, quos *coracias* vocamus; sunt enim soliferreæ. *Clibanos* tamen etiam nominarunt quaslibet loricas, sive ex hamis succusæ essent, sive ex squamis ferreis. Græci ἁλυσιδωτὸς καὶ φολιδωτὸς appellant. *Salmas. in Lampridium.* Etiam de illis *Bochart. Phal.* III. 13. *Hieroz.* I. 1. 6. *Guther. de Offic. Dom. Aug.* III. 12. *Stewech. in Veget.* III. 22. *Lyd. de Re Mil.* III. 5. *Buleng. de Imp. Rom.* III. 6.

CLIBANUS, κλίβανος, proprie signat, in quo hordeum coquitur: etsi ad alia quoque transferatur. *Voss. Lex. Etymol.* Est fornaculus, aut ferreus, aut testaceus, mobilis, in quo prunis subjectis, ac superne congestis, panis olim, nunc placentæ, farcimina, botuli, pyra condita decoquuntur. *Brod. Miscell.* v. 21. *Buleng. de Imp. Rom.* III. 6. Hieron. in Orat. Hierem. *Clibanus est coquendis panibus æneı vasculi deducta rotunditas, quæ sub urentibus flammis ardet intrinsecus.* Panciroll. Notit. Dign. Imp. Orient. c. 34.

Clibanus argenteus erat etiam inter ornamenta abaci: ex eo enim panes convivis ministrabantur. Petron. c. 35. *Circumferebat Ægyptius puer clibano argenteo panem.* Kobierzyck. de Lux. Roman. II. 10.

CLIENTA vocabatur Romana lingua uxor *clientis* etiam togati. *Clientela* namque apud Romanos non modo

tenuiorum fuit, a quibus observarentur patroni quotidie & colerentur, comitatuque frequenti ad forum deducerentur honoris causa, sed etiam togatorum, quos defendebant, atque ope sua juvabant. Charis. Instit. Gramm. I. Edit. Putsch. p. 77. *Cliens communis generis est. Invenimus tamen & clientam apud Afranium in Pompa. Interim & tua clienta.* Et apud Horat. Od. II. 18. 7.

— Nec Laconicas mihi
Trahunt honestæ purpuras clientæ.

Romulus apud Plutarch. p. 25. A. nominavit *clientas* Græce πελάτας sub utroque genere, ut arbitror, ὁ καὶ ἡ πελάτης, ου, *cliens & clienta*; aut, ut alii volunt, πελάτις, ιδος, ἡ ἰδος, ἡ *clienta*. Cruq. in Horatium. Kobierzyck. de Lux. Roman. II. 2.

CLIENTELÆ & patrocinii ratio est primum in Urbem invecta a Romulo. Ut enim erat singulari consilio, & alta quadam mente præditus, cum vereretur, ne quid injuriæ plebs, per inscitiam circumventa, a Senatoribus ferret; indeque concordiam, sine qua diuturnum nihil est, exorta seditio dissolveret, universæ civitatis animos quasi quodam necessitudinis vinculo conjunxit. Hoc erat hujusmodi, ut plebeji patronum sibi deligerent e Senatoribus, quem quisque vellet; Senatores plebejis in *clientelam* receptis fidem suam ac studium benignissime præstarent. Erant autem hæc inter utrosque officiorum vicissitudo, ut patricii plebejos, ab usu rerum urbanarum imperitos, consilio erudirent, accusatos defenderent, præsentes, absentes omni ope tuerentur. Contra *clientes* ad collocandas Senatorum filias, si parentibus copiæ non suppeterent, de suo conferrent: in æris alieni dissolutionem gratuitam pecuniam erogarent: ab hostibus in bello captos redimerent: in magistratibus & honoribus officiosa sedulitate deducerent ac reducerent. Quod si *clientem* patronus, aut patronum *cliens* accusasset, contrave testimonium dixisset, aut suffragium tulisset, is proditionis lege tenebatur: eumque qui occidisset, pie fecisse, & inferno Jovi hostiam mactasse putabatur. *Manut. de Senat. Roman. c.* I. *Pollet. Hist. Rom. For.* II. 10. *Panvin. de Civit. Roman. c.* 3. *Sigon. de Ant. Jur. Civ. Roman.* I. 7. *Ræward. de Diverʃ. reg. jur.* XII. *Stephan. Sched.* IV. 9. In *Clientelam*, licet illæ ab initio potissimum urbanæ plebis causa sint institutæ, tamen per tempora, quæ consecuta sunt, aucta jam urbis ditione, amplificatæ, ut sese proceribus Romanis darent provinciales & socii populi Romani olim moris fuit. Dionys II. p. 85. *Nec tantum in ipsa Urbe plebs tota erat sub patrocinio, sed & coloniarum, & sociarum, & amicarum civitatum, ac bello subactarum quæque suos habebant patronos, quoscunque vellent e Romanis civibus.* Ita *in Antoniorum clientela antiquitus erant Bononienses.* Suet. Aug. c. 17. n. 4. *in Claudiorum tutela Lacedæmonii.* Suet. Tib. c. 6. n. 2. *sub Marcellorum clientela tutelaque incolumes habebantur Syracusani.* Liv. XXV. 29. *C. Cassium & Brutos patronos adoptaverant Puteolani.* Cicer. Phil. II. 41. *Reines. Epist. ad Hofman.* 31. *Manut. de Senat. Roman. c.* I. *Noris. Cenot. Pisan. Diss.* II. 7. *Ferret. Mus. Lapid.* III. *Mem.* I. *Pitisc. in Suetonii Augustum.*

CLIENTES vocabantur, non quidem redacti in potestatem patronorum (cives enim erant) sed tamen in comi obsequio eorum obligati, ad quos lites privatim ortas deferebant velut arbitros. Horat. Epist. II. I. 103.

Romæ dulce diu fuit, & sollenne reclusa
Mane domo vigilare, clienti promere jura.

Hoc ideo, ne sumptibus ad publica judicia ineunda requisitis domesticam rem attenuarent, & a patronis iisdem in judiciis publicis, cum res magni momenti erant, defendebantur. *Kipping. Antiq. Roman.* II. I. §. 4. quam plurimos, non modo catervas togatorum, sed & tenuiores amicos habere apud majores non modica laus illis, qui ex claris familiis erant. *Alex. Gen.* V. 23. Quanta fuerit illorum copia, abunde declarat Juven. Sat. X. 44.

— tunc præcedentia longi
Agminis officia, & niveos ad frena Quirites:
Defossa in loculis, quos sportula fecit amicos.

Summo mane patronos salutabant. Mart. II. 18. 3.

Mane salutatum venio, tu diceris isse
Ante salutatum, jam sumus ergo pares.

Et quidem prima diei hora, aut secunda. Mart. IV. 8. I.

Prima salutantes atque altera continet hora.

Ea propter Juvenalis mox laudandus *clientes* vocavit *salutatricem turbam.* Et maximæ laudis loco id sibi reputabant, qui primus ad salutandum patronum comparuisset, quapropter properabant, & neglecto etiam corporis cultu ad januam accedebant. Senec. de Brev. Vit. c. 14. *Cum per diversas domos meritoriam salutationem circumtulerint....* Mart. III. 36. 3.

Horridus ut primo semper te mane salutem,
Per mediumque trahat me tua sella lutum.

Juven. Sat. V. 19.

— habet Trebius propter quod rumpere somnum
Debeat, & ligulas dimittere, sollicitus ne
Tota salutatrix jam turba peregerit orbem
Sideribus dubiis, aut illo tempore, quo se
Frigida circumagunt pigri sarraca Bootæ.

Kobierzyck. de Lux. Roman. II. 2. Induti erant toga in hoc officio. V. infr. in *Toga.* Eaque alba. Ideo *niveos Quirites* vocavit jam allatus Juvenalis. Huc spectat, nec invite trahendus Mart. I. 56. 13.

Non amet hanc vitam, quisquis me non amat, opto:
Vivat & urbanis albus in officiis.

Alii patronorum latera tegebant, alii præibant: atque ob eam causam anteambulones appellabantur. Mart. III. 7. I.

Centum miselli jam valete quadrantes,
Anteambulonis congiarium lassi.

II. 18. 5.

Sum comes ipse tuus, tumidique anteambulo Regis.

Hinc *agminis longi præcedentia officia* loco supra adducto vocavit Juvenalis. *Kobierzyk. l. l. Demster. Paralip. ad Rosin. Antiq. Roman.* I. 16. Patronis dona dabant. Liban. ἐκφράσει καλανδῶν. *Quin etiam patronus ipse clientem osculatur: cum modo hunc nummum aureum dederit, modo illum acceperit* a clientibus, dum hi patronos imitantur. *Lipen. de Stren. c.* 2. *æt. quint.* §. 12. *Kipping. & Demster. l. l.* Die illo, quo eorum intercessione usi obtinuissent causam, obtentæ sententiæ publicum signum ad fores patroni suspendebant coronam. Corn. Gall. I. 13.

Sæpe perorata percepi lite coronam,
Et data sunt linguæ præmia digna meæ.

Kipping. & Demster. l. l. A patronis pro officio exhibito sportulas accipiebant. V. infr. in *Sportula.* Et ad illas uxores *clientum* patronos in lecticis comitantes, pari ordine cum cæteris veniebant. Juven. Sat. I. 120.

— densissima centum
Quadrantes lectica petit, sequiturque maritum
Languida, vel prægnans, & circumducitur uxor,
Hunc petit absenti, nota jam callidus arte,
Ostendens vacuam, & clausam pro conjuge sellam.
Galla mea est inquit, citius dimitte, moraris?
Profer Galla caput, noli vexare, quiescit.

Kobierzyck. l. l. Cum patronis suis hospitium, domumque communem habebant l. 3. §. 3. de penu legat. Id quod etiam manifestum dedit Terent. Eun. V. 8. 7.

— Tum autem Phædriæ
Meo fratri gaudeo amorem esse omnem in tranquillo: una est domus.
Thais patri se commendavit in clientelam, & fidem:
Nobis dedit se.

Ræward. de Div. reg. jur. XII.

CLIMACIDES. V. illas supr. in *Adulatrices.*

CLIMACIS ea est, quæ in catapulta vocatur σύριγξ, id est, canalis: nam in ballistis nomen mutat propter ampli-

amplitudinem, & κλιμακὶς, id eſt, ſcalula vocatur. Κλίμαξ Græce ſcala, κλιμάκιον & κλιμακὶς, parva ſcala, vel gradulus. *Turneb. Adv.* II. 5. *Bald. Lex. Vitruv.*

CLIMACTERICUS annus quid eſſet, plerique veterum, etiam antiquariorum & philologorum ignorarunt, ut ipſe quoque Gell. XV. 7. unicum videatur admittere *climactericum*, nempe ſexageſimum tertium. *Obſervatum eſt*, inquit, *in multa hominum memoria, expertumque eſt in ſenioribus pleriſque omnibus, ſexageſimum tertium vitæ annum cum periculo & clade aliqua venire, aut corporis & morbi gravioris, aut vitæ interitus; propterea, qui rerum verborumque ejuſmodi ſtudio tenentur, eum ætatis annum appellant* κλιμακτηρικόν. Quaſi vero hic ſolus ætatis in vita hominis annus dictus fuerit ab antiquis κλιμακτηρικὸς, cum nullus annus vitæ ſit, qui non alicui habeatur *climactericus*. Quibus autem venit hic annus cum interitu vitæ, non eſt illis *climactericus*; ſed illis ſolis, qui in eo ſentiunt gravioris morbi impetum, aut animi ægritudinem triſtiorem, quibusque cum aliqua clade aut periculo advenit. Non enim dubium eſt, quin plerique ſeniores in eo anno vitæ terminum naturalem nanciſcantur & fatalem, quos certum eſt proinde non pro *climactere* eum annum poſſe habere. Aliud eſt, ſi quis violentam mortem eo anno patiatur, quia tunc videri poſſet, ἀπαράβατον κλιμακτῆρα eo tempore & θανατηφόρον incurriſſe. Si inter genera *climacterum* numerandi ſunt mortiferi, ſic triplex illud genus erit ita definiendum, τῶν ἀπαραβάτων qui & θανατικοὶ, τῶν δυσπαραβάτων qui & δυσαπάλλακτοι, & τῶν παραβατικῶν qui & παροδικοὶ nominantur. Hos facile tranſcendere & evadere licet, medios difficillime, priores nullo modo. Quos magno errore hodierni Aſtrologi ſolos pro *climactericis* numerant. Hinc præcipuus Ranzovii labor in recenſendis ex omni memoria viris, qui annis hebdomadicis & enneadicis *climactericis* obierunt. Longe alia fuit ratio veterum mathematicorum, qui ut exempla proponerent *climacterum*, eas geneſes afferebant, non quæ in *climactericis* annis vitæ terminum accepiſſent, ſed quæ aliquid notabile, & magnum periculum paſſæ eſſent, quod κλιμακτῆρος nomine appellabant. *Salmaſ. de Ann. Climact.* p. 498. 499. Plura de annis *climactericis* qui voluerit, evolvat *Lemnium de Occult. nat. mirac.* II. 2. *Biſciol. Hor. Subciſ.* XV. 7. *Rhodig. Ant. Lect.* XXI. 2. XXII. 12. *Fred. Bonavent. de Octimeſt. part.* VI. 50. *Marſil. Ficin. de tripl. vit.* II. 20. & qui integro volumine de illis ſcripſit, *Claudium Salmaſium.*

CLINICUS eſt medicus viſens morbo cubantes in lectulo. Sic uſurpatur in Ἀνθολογίᾳ Græca II. εἰς ἰατροὺς, & in Veteri Inſcriptione, quæ Romæ exſtat: P. DECIMUS L. HEROS MERULA, MEDICUS CLINICUS, CHIRURGUS OCULARIUS. Indeque medicina ipſa *clinice* apud Plin. XXXIX. I. *Voſſ. Lex. Etymol. Pignor. de Serv.* p. 74. Mart. I. 30.

> *Chirurgus fuerat, nunc eſt veſpillo Diaulus:*
> *Cœpit, quo poterat, clinicus eſſe modo.*

Diaulus enim chirurgus primum, cum inter *clinicos*, qui præſtantiores chirurgis, numerari vellet, nec propter ingenii ſtuporem ad artem aſpirare poſſet, quæſivit aliam viam, qua *clinicus* fieret, factus eſt veſpillo. Itaque circum lectos & cum lectis habuit quod ageret, uti *clinici* qui lecto affixos & decumbentes curant, παρὰ τὸ κλίνη, quæ vox lectum valet. *Moreſtell. Pomp. Feral.* II. 8. Poſt Plinii tempora dicebatur æger ipſe, quia lecto eſſet affixus. Hieronymus in epitaphio Paullæ matris: *Quis clinicorum non ejus facultatibus ſuſtentatus eſt?* Voſſ. Lex. Etymol.

CLITELLÆ ſunt ephippia quædam, quæ jumentis imponuntur doſſuariis ad onera commodius geſtanda: vulgus detorto a Græcis vocabulo baſtos nuncupat: nam βαστάζοντες pro bajulis ab illis dicuntur. *Rhodig. Ant. Lect.* XX. 29. Horat. Sat. I. 5. 47.

> *Hinc muli Capuæ clitellas tempore ponunt.*

Inde muli *clitellarii* apud Plaut. Moſt. III. 2. 93.

> *Nam muliones mulos clitellarios*
> *Habent, ego habeo homines clitellarios,*
> *Magni ſunt oneris: quicquid imponas, vehunt.*

Grapald. de Part. Dom. I. 8. 21.

Clitellæ erant locus in via Flaminia. Feſtus: *Clitellæ, non tantum hæ, quibus ſarcinæ colligatæ mulis portantur, dicuntur; ſed etiam locus Romæ per ſimilitudinem, & in via Flaminia loca quædam devexa & acclivia.* Panvin. Deſcr. Urb. Rom. Theſ. Antiq. Roman. Græv. Tom. III. p. 239. C.

CLIVUS Capitolinus alter eſt de tribus adſcenſibus, ſive aditibus in Capitolium. Fuit ad eam arcis partem, quæ verſa in Aventinum, nunc Eccleſiam S. Georgii ad velum aureum e regione reſpicit. Liv. XXVI. 10. *Conſules transfugas Numidarum, qui tum in Aventino ad mille & ducenti erant, media Urbe tranſire Eſquilias juſſerunt. Nullos aptiores intra convalles tectaque hortorum, & ſepulcra, & cavas undique vias, ad pugnandum futuros rati. Quos cum ex arce Capitolii clivo publico in equis decurrentes quidam vidiſſent, captum Aventinum inclamaverunt.* Blond. Rom. Inſtaur. I. §. 73. II. §. 53. Cui hæc videtur hujus loci ſententia, Numidas decurrentes ex arce Capitolioque *clivo* publico fuiſſe ſpectatos. Sed illorum verborum longe alius eſt intellectus. Ita enim ad germanum ſenſum eliciendum verba conſtruenda ſunt: *Cum ex arce Capitolioque quidam vidiſſent Numidas clivo publico in equis decurrentes.* Videbant enim Romani ex Capitolio & arce obverſa in Aventinum deſcendentes ex illo Numidas. Itaque non loquitur Livius de via in Capitolium acclivi, ſed in Aventinum. Quod ipſa oſtendunt Hiſtorici verba: *Cum ex arce Capitolioque quidam vidiſſent*, id eſt, Romani ſpectabant ex utraque montis parte, altera, quæ arx dicitur, altera, quæ Capitolium. Cur ergo his adjunges, *clivo publico*? Quomodo enim unus idemque *clivus* ad utramque montis partem pertinebat? Deinde *clivus* Capitolinus publici nomen non habuit, ſed qui ducebat in Aventinum. *Donat. de Urb. Rom.* II. 11. *Nardin. Rom. Vet.* V. 11. Errare quidam convincuntur, qui *clivum* Capitolinum viam aliquam arbitrati ſunt, per quam in ipſum ſummum Capitolium aſcenderetur. Sed a majoribus eſt dictus *clivus* Capitolinus aſcenſus ipſe modo levis, olim autem difficilior, qua e via deorſum poſita prope Eccleſiam S. Mariæ in porticu ſurſum aſcenditur verſus Eccleſiam S. Mariæ conſolationis dictam: quem olim fuiſſe eminentiorem atque longiorem nullum eſt dubium. *Baron. in Apologia addita notis ad Martyrologium die* 14. *Martii.* Qui habet refragantes in eo ſibi omnes ſcriptores veteres. Liv. V. 49. loquens de Gallis, qui Urbem ceperant, & Capitolium capere vellent: *Prima*, inquit, *luce, ſigno dato, multitudo omnis* Gallorum *in Foro inſtruitur. Adverſus quos Romani nihil temere, nec trepide, ad omnes aditus ſtationibus firmatis, qua ſigna ferri videbant, ea robore virorum oppoſito ſcandere hoſtem ſinunt: quo ſucceſſerit magis in arduum, eo pelli poſſe per proclive facilius rati. Medio fere clivo reſtitere, atque inde ex loco ſuperiore, qui prope ſua ſponte in hoſtem inferebat, impetu facto, ſtrage ac ruina fudere Gallos.* Quo quidem loco apparet *clivum* non fuiſſe extra dorſum montis. Cum enim omnia in Urbe, præter Capitolium, eſſent in Gallorum poteſtate; liberum tamen illis non erat per *clivum* excurrere. Qui eodem modo, cum loqueretur de Romanis, qui captum a ſervis Capitolium recuperare volebant, ait III. 18. *Hunc ducem ſecuti, nequicquam reclamantibus tribunis in clivum Capitolinum erigunt aciem.* Tacitus de Vitellianis militibus, qui obſederunt, ceperuntque Capitolium, Hiſt. III. 71. I. *Cito agmine Forum, & imminentia Foro templa prætervecti erigunt aciem per adverſum collem, uſque ad primas Capitolinæ arcis fores. Erant antiquitus porticus in latere clivi, dextra ſubeuntibus. In quarum tecti egreſſi adverſarii ſaxis, tegulisque Vitellianos deturbabant. Qui faces in prominentem porticum jecere, & ſequebantur ignem, ambuſtasque Capitolii fores penetraſſent, niſi Sabinus revulſas undique ſtatuas in ipſo aditu vice muri objeciſſet.* Ex quo loco hic locorum fuiſſe ſitus elicitur, ut primum eſſet Forum; deinde *clivus* e Capitolio devexus in Forum, in collem acclivis, cui dextrorſum porticus eſſent adjunctæ. Vitelliani igitur cum per *clivum* ad pri-

mam

mam usque portam Capitolii aciem extendissent, repulsi sunt ab hostibus egressis in tectum porticus. Mox incensa porticu, hostibusque igne summotis, ad fores venerunt in summo *clivo* positas, & mox eodem igne combustas. *Donat. & Nardin. l. l.* Ego statuo fuisse illum, qui nunc est, aditum, quo e campo Vaccino & arcu Severi ascenditur in Capitolium. Servius enim dum ait, *Saturni templum fuisse ante clivum Capitolinum, ubi ædes Concordiæ*, innuit hunc *clivum* fuisse forum Romanum versus, ubi erat utraque ædes. Huic sententiæ conveniunt verba Cicer. Verr. v. 30. *Tamen cum de Foro in Capitolium currum flectere incipiunt, illos duci in carcerem jubent.* Carcer enim sub Capitolio fuit. Arcus etiam Septimii Imperatoris inibi positus facit, ut credam aditum in hunc collem e regione ipsius quandoque stetisse. *Marlian. Topogr. Urb. Rom.* II. 3. Et cum Marliano omnes ferme Antiquarii. Sed I. Saturni templi situm abunde indicabo infr. in *Templum*. II. Ut hic non reponam, æque commodum fuisse triumphantibus, e quacunque Fori parte currum versus Capitolium flecterent, mandare, ut captivi in carcerem ducerentur, eoque magis, quia ex ipso *clivo*. ubicunque is esset, via apta & facilis esset ad carcerem; hoc tantum dicam, etiamsi faciamus triumphantes arcum Severi transisse, non tamen ideo illic *clivum* fuisse Capitolinum. Nam per *clivum* ad arcem ascendebatur, eratque is arduus & difficilis aditus, adeoque curribus ineptus. Ovid. Fast. I. 261.

Utque levis custos armillis capta Sabinis
Ad summæ Tatium duxerit arcis iter.
Inde, velut nunc est, per quem descenditis, inquit,
Arduus in valles & Fora clivus erat.

Ubi illa, *velut nunc est*, non modo locum superstitem, sed & situm loci eundem significant; ostenduntque & olim, & Ovidii ætate, *clivum* Capitolinum arduum fuisse. Angustum præterea prædicat Dionys. x. p. 612. *Qui fortitudine præstabant, per adversum clivum, & viam manu factam, in arcem tendebant. His nec numerus proderat, quo longe superabant hostem*; per angustam enim viam ascensus erat. Contra ea, via triumphalis ampla, lata & commoda, facilisque ascensu erat, adeoque a *clivo* diversa: quam ego tertiam viam, sive aditum fuisse putem, per quam ad asylum, utpote locum humiliorem, facilior ascensus erat. III. Ab arcu Severi quæ mutuatur, a quo triumphantes Capitolium conscendere sint soliti, ab illis mihi contrarium de Capitolino *clivo* inferri posse videtur, ut ex ante dictis liquet. Adde & hoc, jam ante ad *clivum* Capitolinum & templum Saturni arcum Tiberio erectum fuisse, qui intra ducentesimum annum ita omnino collapsus esse nequit, ut Severo illic alium deinde ædificandi spatium esset: rursus eundem ætate Severi dirutum affirmare, quo suum reponeret, tam absurdum sit & audax dictum, atque illud Severi fuisset facinus. Ergo in principio *clivi* Capitolini arcus Tiberii fuit, in capite aliquo Fori; sicut in altero capite, ubi alius *clivi* Capitolini in Forum introitus fuit, arcus Severi exstructus est. Marliano qui patrocinantur, laudant Plin. XIX. 10. ubi hæc habet: *Cæsar Dictator totum Forum Romanum contexit, viamque Sacram ab domo sua ad clivum usque Capitolinum:* ajuntque, quod via Sacra arcui Severi objecta sit, qua ædem S. Laurentii in Miranda prospicit, recte Plinium ab uno illius lateris Fori extremo ad alterum, Forum totum contectum dixisse. At si contra latus solum latitudinis a Cæsare contectum fuit, *totum Forum contectum* a Plinio dici non potuisse. Sane duo anguli illi Fori orientalis & occidentalis præcipue extremi dicendi sunt, quorum alteri ad ædem S. Laurentii vicina, seu juncta erat via Sacra, alteri ad Xenodochium Consolationis *clivus* Capitolinus. Itaque si ab uno ad alterum, qui directe sibi oppositi fuere, tota longitudo simul & latitudo Fori contecta fuerit necesse est: viam vero Sacram ab arcu Fabiano, qui ad S. Laurentii in Miranda est, in Forum exeuntem per medium illud in latus transiisse occidentale usque ad Vestæ templum, atque inde ad vicum flexisse Capitolinum, infr. in *Via* exponetur. Primus igitur *clivi* Capitolini in Forum ingressus fuit ad Xenodochium Consolationis, ubi ædes Saturni fuisse dicitur, cujus milliarium aureum, quod ad illud templum in capite Fori certius adhuc argumentum est. Huic accedit porta stercoraria, quæ in *clivo* fuit, *ubi sordes*, ut ait Festus, *in templo Vestæ sublatæ condebantur in Tiberim mox transferendæ*. Templum vero Vestæ in latere occidentali versus Tiberim fuit. *Nardin. l. l.*

Clivus Cinnæ olim dictus, nunc *montis Marii* appellatione insignitur. Probatur ex inscriptione vetere, quæ apud Gruterum integra exstat. Nobis tantum partem ejus attulisse sufficiet:

MONUMENTUM QUOT EST VIA TRIUMPHALE
INTER MILLIARIUM SECUNDUM ET TERTIUM
EUNTIBUS AB URBE PARTE LÆVA IN CLIVO
CINNÆ EST IN AGRO AURELII PRIMIANI
FICTORIS PONTIFICUM.

Nardin. de Urb. Rom. VII. 13.

Clivus Cucumeris fuit in via Salaria, ubi multos Christianos martyrio coronatos in Martyrologio ad 27. Junii & 5. Augusti legimus, ut & in Actis SS. Abundii & Abundantii aliorumque. Qua vero parte viæ fuerit, ignoratur. Verum non adeo absurda conjectura fuerit, si in prælongam illam vallem, quæ inter Salariam & Numentanam portam est, duxisse eam existimaverimus: quæ vallis hortis peropportuna a cucumerum copia *clivo* nomen dare potuit; uti mihi colligere videor e Metello Tergesensi. Hic 1260 martyres carmine celebrans, qui sub Claudio ad effodiendam arenam in via Salaria damnati, & in *clivo* cucumeris sepulti sunt, ait:

In sinu cryptæ positos, cui juga montis instant
Plena cucurbitarum.

Nisi forte in ea declivitate fuit, quæ ponti Salario, vicinisque pratis imminet, in quibus tum temporis hortos excoli solitos verisimile est. *Nardin. Rom. Vet.* IV. 4.

Clivus Martis olim vocatus fuit ille, qui in planitiem redactus non quidem exactam, sed leniter, ut videmus, acclivem opere excavationis, quæ ad portam S. Sabastiani est, conspicitur: ita profecto a templo Martis, portæ Capenæ proximo denominatur. Lapis effossus apud Gruter. p. 152. n. 7.

SENATUS.
POPULUSQUE.
ROMANUS.
CLIVUM.
MARTIS.
PECUNIA PUBLICA.
IN PLANITIAM.
REDIGENDUM.
CURAVIT.

Fabrett. de Aquæd. Diss. I. *Thes. Antiq. Roman. Græv. Tom.* IV. *p.* 1696. *E.* Inscriptio hæc hodie in palatio Marchionis Nari publicata, in vinea, quæ nunc D. Tiberii Nari est, inventa fuit proxime extra portam S. Sebastiani ad manum dextram euntibus. Alterius fragmentum n. 6. exhibetur:

CLIVUM. MARTIS. PER. PUBLICA. . . ?
IN. PLANITIEM. REDEGERUNT
S. P. Q. R.

Nardin. Rom. Vet. III. 2.

Clivus Publicius in regione fuit decima tertia, quæ Aventinus dicebatur, & Aventinus per illum ascendebatur. Male alicubi aliquando Publicus scribitur. Livius supr. in *Clivus Capitolinus*. His inductus Victoris recentioris ampliator regioni sextæ addidit, *Clivus Publicus*. Caput ejus foro boario prope circum maximum assignat Liv.

Liv. XXVII. 37. *Inde vico Thusco per forum boarium in clivum Publicum perrectum.* Sic ut ad, vel prope saltem aditum hodiernum fuerit, quo a S. Anastasiæ ad S. Sabinæ ascenditur: cujus rei idoneum argumentum est vicus Publicius, qui ad ima Palatini inter forum boarium & circum maximum ad Salinas pervenit: unde prope circum *clivus* ille vel recto, vel aliquantulum flexo ductu discedebat. Nomen illi ab auctoribus, vel complanatoribus Publiciis. Varr. de Ling. Lat. IV. 32. *Clivus Publicius ab Ædilibus plebis Publicius, qui eum publice ædificarunt.* Accuratior hic Festus: *Publicius clivus appellatur, quem duo fratres L. & M. Publicii Malleoli Ædiles Curules pecuariis condemnatis ex pecunia, quam ceperant, munierunt, ut in Aventinum vehicula Velia venire possent.* Ubi non modo origo nominis, sed & causa munitionis *clivi* Publicii indicatur, scilicet, ut inter Aventinum & Palatinum, cujus Velia pars erat, vehiculi via esset. Eadem de re dicit Ovid. Fast. V. 293.

Parte locant clivi, qui tunc erat ardua rupes,
Utile nunc iter est, Publiciumque vocant.

Locis Ovidii & Festi omne convellitur eorum opinionis fundamentum, qui *clivum* hunc supra circum Floræ in Quirinali constituunt. *Nardin. Rom. Vet.* IV. 7: VII. 8. *Faunus Antiq. Urb. Rom.* IV. 9. *Clivum* Publicum ex corruptis Livii libris invexit Sigon. in Liv. XXVII. 37. licet hoc a Rhenano correctum esset. Publicium enim vocaverunt illum Varro & Festus jam laudati *Gronov. in Livium.* Donat. de Urb. Rom. II. 11. ait Publicum ab aliis, ab aliis Publicium dici. Sed mihi crede, nullus fuit Romæ *clivus*, qui sic præ cæteris diceretur, sed Publicius, qui a Publiciis ædilibus nomen traxit. *Græv. Thes. Antiq. Roman. Tom.* IV. *Præfat.* * * * 3.

Clivus Pullius olim dictus non procul a Fagutali absuit. Solin. c. I. *Tarquinius Superbus clivum Pullium ad lucum Fagutalem.* Qui *clivus* forte non adeo diversus ab eo, qui nunc est, per quem ex hodierna Suburra ad S. Petri in vincula ascenditur. *Nardin. Rom. Vet.* IV. 2.

Clivus Scauri appellatus fuit vetustis temporibus in Cœlio. Gregor. Epist. VII. 13. *Abbatum Monasterii S. Andreæ Apostoli positi in hac urbe in clivo Scauri.* Nardin. Rom. Vet. III. 7.

Clivus Suburranus in Esquilias præbens ascensum a fine Suburræ initium capit. *Marlian. Topogr. Urb. Rom.* IV. 15. *Faunus Antiq. Urb. Rom.* IV. 2. Hic est, quo ad templa SS. virginum Luciæ & Praxedis hodie ascenditur. De antiquo *clivo* Mart. X. 19. 5.

Illic Orphea protinus videbis
Altum vincere tramitem Suburræ,
Udi vertice lubricum theatri.

Donat. de Urb. Rom. III. 10.

Clivus Victoriæ sic dictus ab æde ipsius Deæ, quæ fuit in Palatino. Varro de Ling. Lat. IV. 34. loquens de porta Romana, seu Romanula a Romulo designata: *Alteram Romanulam, quæ est dicta ab Roma, quæ habet gradus in Navalia ad Volupiæ sacellum, & porta Romanula, instituta est a Romulo in infimo clivo Victoriæ.* Donatus illum statuit ex descensu Palatini in circum maximum. Nardinus in parte altera collis Capitolium versus, auctoritate Iginii apud Ascon. in Cicer. p. 164. *P. Valerio Volesii filio Publicolæ ædes publicas sub Velia, ubi nunc ædes Victoriæ, populum ex lege, quam ipse tulerat, concessisse.* Bellor. in fragm. vestig. vet. Rom. tab. 4.

Clivus Virbius, sive Urbius est ea Esquiliarum pars, quæ ædi D. Laurentii in Fontana incumbit: ubi fuit lucus Fagutalis, & domus Servii Tullii. *Marlian. Topogr. Urb. Rom.* IV. 18. *Faunus Antiq. Urb. Rom.* IV. 2. Adibatur per vicum sceleratum, &, ut communis est opinio, fuit, qui nunc est S. Luciæ in silice. *Virbius* a Liv. I. 48. *Urbius* a Solin. c. 2. *Orbius* a Festo appellatur; qui & etymon ejus adfert: *Orbius clivus videtur appellatus esse ab orbibus, per cujus flexuosos orbes Tullia filia Servii Tullii Regis, & L. Tarquinius Superbus gener interfecto Rege properaverant, tendentes una in regiæ domus possessionem. Cœptus tamen est is clivus appellari Orbius, quod pronus cum esset, per orbes in Esquiliarum collem duceret: unde Orbius ab ipsis orbibus appellatus est.* Orbes hi flexuosi illic jam non amplius exstant, cum recto tramite ascendatur. Sed nec ea est, quæ olim fuit, prona declivitas, exæquata, seu exaggerata valle. Hic Donat. de Urb. Rom. III. 9. omnibus aliis, nec immerito, refragatur, affirmatque *clivum* S. Petri in vinculis, non autem S. Luciæ in silice *Urbium* esse; siquidem vicum sceleratum, per quem ad *clivum* hunc ibatur, ultra hortos pios fuisse ad *clivum* S. Petri in vinculis, omnes concedunt & fatentur Antiquarii. Nec ego negarem, nisi vicum sceleratum in hodierna Suburra affirmarem: qua sententia omnis tollitur controversia. *Nardin. Rom. Vet.* IV. 3.

CLO.

CLOACA *est locus cavus, per quam colluvies quædam fluit. Cloacæ appellatione & tubus & fistula continetur.* Ulpian. §. Cloaca ff. de Cloacis. Marlian. Topogr. Urb. Rom. V. 15. Ferrett. Mus. Lap. IV. Mem. 44. Philand. in Vitruv. V. 9. Erant fossæ subterraneæ, sive pontes, arcus, fornices camerati ingentis latitudinis & longitudinis, deducti subter medias Urbis vias, pro sustinenda illarum tam externa, quam interna materia, quibus constratæ erant: nec non oneribus columnarum, obeliscorum, aliisque immensæ gravitatis molibus, quæ quotidie super illas vias vehebantur. Viis publicis duo præstabant commoda I. in insternendis & coæquandis pavimenti materiis, quæ vel internæ, vel externæ sunt, & sub nomine substraturæ & instraturæ distinguuntur. II. in viis siccandis & purgandis. Per *cloacas* enim Urbe tota viæ præcipuæ cameris fornicatis fiebant pensiles; sic tamen ut certis spatiis essent veluti ostia, spiramenta, meatus, receptacula, ac aquarum defluvia per fornices pervia, quæ corrivabant & derivabant per *cloacas* subjectas omne cœnum, lutum, & sordes pavimenti, adeo ut brevi temporis spatio vix simul siccarentur & purgarentur, singulæ suis quasi fossulis & defluviis instructæ, & nulla alterius servituti obnoxia esset in recipiendis alienis aquis, aut sordibus. Et sic incommoda, quæ aliæ urbes, *cloacis* immunditiem & fœtores sordium, quæ singulis noctibus in illarum publicas plateas projiciuntur, & quibus advenæ maxime offenduntur, exhaurientibus dum carent, ferre debent, Roma per hasce fossas subterraneas nesciebat. Quicquid enim sordium conjiciebatur in plateas; facile abripiebatur aquis, aut hominum opera statim immittebatur per meatus & defluvia pervia, quæ certis spatiis in longum pavimenti sua habuerunt intervalla, in *cloacas*, quæ istis sordibus nunquam oppleri poterant. Poterant enim, ut sic dicam, singulis horis purgari, per meatus corrivatis septem amnibus cursu præcipiti torrentium modo rapere atque auferre omnia coactis & concitatis, id quod apertis claustris emissariis fiebat: in Tiberim enim ostia *cloacarum* exonerabantur. *Bergier. de Viis Milit.* II. 29. §. 3. 4. 5. 16. 17. *Donat. de Urb. Rom.* III. 20. *Panciroll. Notit. Dign. Imp. Occid.* c. 7. Primæ opus Tarquinii Prisci fuerunt. Liv. I. 38. *Infima Urbis loca circa Forum, aliasque interjectas collibus convalles, quia ex planis locis haud facile evehebant aquas, cloacis e fastigio in Tiberim ductis siccat.* Dionys. III. p. 200. *Cœpit & cloacas Tarquinius fodere, quibus in Tiberim corrivatur quicquid aquarum est per vias; dici vix potest quam admiranda opera. Mihi sane tria magnificentissima videntur, ex quibus maxime apparet amplitudo Romani Imperii, aquæductus, viæ stratæ, & hæ cloacæ, reputanti non solum utilitatem operum, verum etiam impensarum magnitudinem; quam vel hinc licet conjicere, quod, ut affirmat C. Aquilius, neglectas aliquando cloacas, & non transmittentes aquas, censores mille talentis purgandas locaverint,* hoc est, sexcentis millibus aureorum. Plin. XXXVI. 15. *Operum omnium dictu maximum, suffossis montibus, atque Urbe pensili, subterque navigata. A. M. Agrippa in Ædilitate post Consulatum per meatus corrivati septem amnes, cursuque præcipiti torrentium more rapere atque auferre omnia coacti, insuper mole imbrium*

com-

concitati, vada ac latera quatiunt: aliquando Tiberis retro infuſi recipiunt fluctus, pugnantque diverſi aquarum impetus intus, & tamen obnixa firmitas reſiſtit. Trahuntur moles internæ tantæ non ſuccumbentibus cauſis operis, pulſant ruinæ ſponte præcipites, aut impactæ incendiis, quatitur ſolum terræmotibus; durant tamen a Tarquinio Priſco annis DCCC *prope inexpugnabiles.* Donat. l. l. Borrich. Ant. Urb. Fac. c. 17. §. 4. Baron. Mart. Rom. d. 26. Aug. Aring. Rom. Subterr. II. I. §. 26. Marlian. Topogr. Urb. Rom. V. 15. Nardin. Rom. Vet. VIII. 5. Burman. Diſſert. de Vectig. c. XII. Caſal. de Urb. ac Imper. Roman. ſplend. part. I. c. 13. Lipſ. de Magnit. Roman. III. 12. Thyſ. de Magnit. Roman. III. p. 305. Hæ pluribus ramis inter Capitolium, Palatinum, & Quirinalem diſtinctæ nonniſi in Foro concurrere, conjungique in unum potuere; unde unico dein ductu aqua in Tiberim emiſſa eſt. Quoniam vero, ut ex Liv. V. 55. cognoſcimus, *veteres cloacæ primo per publicum ductæ*, perquam veriſimile eſt viam eapropter novam e Foro ad Tiberim ab eodem Tarquinio factam, cui deinde licet antiquiſſimæ idem ſemper manſit nomen. Quod ſi idem Rex inter Cœlium quoque & Palatinum *cloacam* aliquam inſtituerit, hanc una cum aliis in Forum deductam vix putem, quum via ejus multo compendioſior recta in Tiberim fuerit, per vallem circi. *Nardin. Rom. Vet.* VIII. 5. *Cloacarum* curatores etiam fuerunt. Vetus lapis.

EX AUCTORITATE
IMP. CÆSARIS DIVI
NERVÆ FIL. NERVÆ
TRAJANI AUG. GERM
PONTIFICIS MAXIMI
TRIBUNICIÆ POTEST. V
CONSUL. IIII. P. P
TI. JULIUS FEROX CURATOR
ALVEI ET RIPARUM TIBERIS
ET CLOACARUM URBIS TER
MINAVIT RIPAM RR PROXIMO
CIPPO DCCCLXXXVI. S.

Marlian. Topogr. Urb. Rom. V. 15. *Ferret Muſ. Lapid.* IV. *Mem.* 43. Hi, ut minori impendio *cloacæ* purgarentur, utebantur pœnæ damnatis. Plin. Epiſt. X. 41. *Solent ejuſmodi ad balneum, ad purgationes cloacarum, item munitiones viarum dari.* Burman. Diſſert. de Vectig. c. XII.

Cloaca maxima, id eſt, illa quæ a Foro in Tiberim cæterarum aquas detulit, opus Tarquinii Superbi fuit. Liv. I. 56. *Foros in circo faciendos, cloacamque maximam receptaculum omnium purgamentorum Urbis ſub terram agendam: quibus duobus operibus vix nova hæc magnificentia quidquam adæquare potuit.* Quum enim Roma montibus Viminali, Eſquilino, & parte Quirinalis aucta eſſet, novi *cloacarum* rami adhibendi fuerunt, qui convalles inter iſtos montes deſiccarent. Hos a Superbo, vel etiam a deceſſore Servio Tullio additos perveroſimile eſt Dionyſ. IV. p. 246. *Conatus eſt, ut opera ab avo imperfecta relicta complerentur, nempe cloacarum ductus ab eo cœpti.* Quoniam vero illa a Priſco inter Forum & flumen facta fortean minus capax erat omnium iſtarum recens collectarum aquarum, Superbo neceſſitas impoſita fuiſſe videtur, ut eam de integro reficeret, & in majorem amplitudinem magnificentius reformaret. *Nardin. Rom. Vet.* VIII. 5. *Borrich. Ant. Urb. Fac. c.* 17. §. 4. *Boiſſard. Topogr. Urb. Rom. Tom.* I. *p.* 30. *Faunus Antiq. Urb. Rom.* II. 13. *Pigh. Annal. Rom.* I. *p.* 52.

Cloacæ minores erant & aliæ uſibus privatis ſervientes, quæ in maximam ſordes emittebant. Earum veſtigia multis in locis adhuc cernuntur. Liv. V. 55. *Feſtinatio curam exemit vicos dirigendi, dum omiſſo ſui quenique diſcrimine in vacuo ædificant. Ea eſt cauſa, ut veteres cloacæ, primo per publicum ductæ, nunc privata paſſim ſubeant tecta: formaque Urbis ſit occupatæ magis, quam diviſæ ſimilis.* Marlian. Topogr. Urb. Rom. V. 15.

Cloacæ & aliæ inſtitutæ a M. Catone & Val. Flacco Cenſoribus. Liv. XXXIX. 44. *Opera deinde facienda ex pecunia in eam rem decreta, lacus ſternendos lapide, detergendasque, qua opus eſſet, cloacas. In Aventino, & in aliis partibus, qua nondum erant, Cenſores faciendas locaverunt.* In Aventino, quod is natura declivis, *cloacis* opus non fuit, multo minus in anguſta, quæ montem flumenque intercedit, planitie. Quare illas in convalle, quæ inter montem & circum eſt, factas exiſtimo. Inter *cloacæ* maximæ exitum, pontiſque ſublicii pilas duo alia veterum *cloacarum* oſtia conſpiciuntur, per quorum unum Marrana nunc Tiberim intrat, poſtquam vallem circenſem pertranſit. Et forſan hæ fuerunt illæ a Catone & Flacco in Aventino inſtitutæ *cloacæ*. Tandem & Agrippa ſub Auguſto non ſolum veteres deterſit, ſed & novas fecit: ſic ut Roma tota penſilis ſubtus navigaretur. Plinius ſupr. in *Cloaca*. Harum forſan una fuit, quæ in campo Martio ab ipſo ædificiis exornato aquam Treviam, ab eodem in Urbem deductam, prope Ripettam in Tiberim deducit, ubi & molam circumagit. Tum & illa ejuſdem fuiſſe exiſtimanda eſt, quæ, cum recens illa a Gregorio XV. inchoata, & ab Urbano VIII. perfecta a Tiberi ad Curſum, & inde ad montes Quirinalem & Pincium, magno cum vicinarum cellarum aquis alias oppletarum levamine atque emolumento deduceretur, ad Pantheon ex obliquo occurrit a vico clavario verſus Eccleſiam S. Ignatii ad Quirinalem tendens, multaſque alias *cloacas* veteres hinc & inde recipiens, quarum nonnullæ aquas deferebant, & ex his una capite peramplo reperta, quum frontiſpicii Eccleſiæ S. Ignatii fundamenta jacerentur. Sed & alia nuper detecta fuit inter Ulmum & Paſquinum, primum repurgari juſſa, dein neglecta. Temporibus quoque minus vetuſtis Gregorium IX. Pontificem maximum veteres repurgari, & novas fieri curaſſe Platina refert, quas partem hodiernarum conſtituere neceſſe eſt, adeoque multo, quam veteres illæ fuere, depreſſiore ſitu. Et his quidem *cloacarum* harum concameratis arcubus non modo hodieque totæ viæ & areæ ſuſtentantur, ſed & immenſæ altitudinis ædificia, omnis omnino ruinæ ſecura. *Nardin. Rom. Vet.* VIII. 5. & *Donat. de Urb. Rom.* III. 20.

Cloacæ etiam fuerint ſub ipſa area in theatro. Ita credere me jubet Andreas Fulvius de Mirab. Urb. I. qui magnam etiam partem tolerari ab iis vult & ſuſtineri. An ipſe, an alius viderit, neſcio: ſi vera traditio; ambigam, fuerintne reipſa *cloacæ* ad exſugendum & educendum humorem illum ſtagnorum, (nam in ſtagnis Neronis ſtructum fuit amphitheatrum) provide ſtructæ: an potius cameræ quædam, & ſpecus ſubterranei, ad cuſtodiam & receptum ferarum, quas tamen illi indiligentes *cloacas* cenſuerunt. *Lipſ. de Amphith. c.* 8. *Thyſ. de Amphith. p.* 198.

CLOACARIUM erat vectigal, quod pro *cloacis* ſolvebatur. Ulpian. §. ſi quid cloacarii. ff. de uſufr. *Si quid cloacarii nomine debeatur, vel ſi quid ob formam aquæductus, quæ per agrum tranſit pendatur, ad onus fructuarii pertinebit: Cloacarum* cura antiquitus ad Cenſores ſpectabat, qui eas purgandas & reficiendas locabant redemptoribus. Maximi autem ſumptus fiebant in illas ex publico. Dionyſius ſupr. in *Cloaca*. Ne autem damnum hinc ſentiret ærarium, hoc vectigal fuit inſtitutum. Poſtea ſub Imperatoribus pertinebat ad curatores, qui illarum curam geſſerunt. *Burman. Diſſert. de Vectig. c.* XII. *Briſſon. Antiq. Select.* III. 11.

CLOACINA Dea fuit, cujus ſimulacrum in *cloaca* invenit Rex Tatius, & cum quæ eſſet ignoraretur, fortuito nomine dicta eſt. Lactant. I. 20. *Cloacinæ ſimulacrum in cloaca maxima repertum Tatius conſecravit, &, quia cujus eſſet effigies, ignoraretur, ex loco illi nomen impoſuit.* Hinc Minuc. Fel. Octav. p. 232. *Cloacinam Tatius & invenit & coluit.* Feſtive ad hujus Deæ nomen alludit Tertull. de Pall. c. 4. *Quod ſi tunc locorum Diogenes de dolio latraret, non cœnulentis pedibus, ut thori Platonici ſciunt, ſed omnino totum Empedoclem in adyta Cloacinarum detuliſſet, ut qui ſe cœlitem delirarat, ſorores prius ſuas, dehinc homines Deos ſalutaret.* Lipen. de Stren. I. 7. Argol. ad Panvin. de Lud. Circ. I. 3. Gyrald. Synt. Deor. I. p. 55. Elmenhorſt. & Ouzel. ad Minucium. Nonn. in Goltz.

Jul. Cæſar. Numiſm. p. 45. Faunus Antiq. Urb. Rom. II. 13. Salmaſ. in Tertull. p. 330.

CLODIA gens. V. illam infr. in *Gens.*

Clodia pro quadrante corporis ſui copiam balneatori faciebat. Unde *quadrantaria* dicta Cicer. pro Cœl. c. 26. *Niſi forte mulier potens quadrantaria illa permutatione familiaris facta erat balneatori.* Manut. ad Ciceronem. Fuit quidem laſcivia perdita, omnique probro reſperſa, & in mediaſtini, ac balneatoris amplexus ruerit, id tamen feciſſe ad redimendum quadrantem, potentem alioqui, & auri largam in amatores ſuos, nemo ſanus crediderit. Vix hoc de lupis diobolaribus, & meretricum mendicabulis credatur. Ex Plutarcho p. 875. C. notum eſt, quadrantariam dictam Clodiam, quod ex ejus amatoribus quidam perfacetus quadrantes argenteorum loco in loculos miſerat. Hæc igitur quadrantis mercede quadrantaria facta erat, & ſic balneatori familiaris quæſtus, ac mercimonii ſimilitudine. Ille quadrantem viris pro balneo exigebat, hæc quadrante merces ſuas permutabat: ille quadrantarius, hæc quadrantaria: & ex quæſtus communione, mercediſque ſimilitudine familiaritas. *Ferrar. de Re Veſt.* I. 3. 6.

CLODIANUS Cnæus Cornelius Lentulus ſubinde denominatus fuit aliquis gentis *Clodiæ*, adoptatus in Corneliam ab aliquo, cui nomen erat Cnæus Cornelius Lentulus. Communiſſimus ſiquidem uſus fuit apud Romanos, ut qui per adoptionem alterius gentis fiebat, ipſe proprium nomen in ſuum gentilitium aſſumeret. Ideo Auguſtus, qui Octavius natus fuerat, adoptatus a C. Julio Cæſare in gentem Juliam, C. Julius Cæſar Octavianus Auguſtus poſtea fuit appellatus. Inde in argenteis Corneliæ gentis nummis legitur: CN. LENTUL. CLODIAN. *Urſat. de Not. Roman. Theſ. Antiq. Roman. Græv. Tom.* XI. *p.* 618. *B.*

CLODIUS Æſopi filius hiſtrio unionem abſorbuit. V. ſupr. in *Æſopus.*

Clodius Publius in adoptione nihil ſervavit eorum, quæ lex in hoc genere obſervari jubebat. I. Ut is adoptaret, qui neque procreare jam liberos poſſet; &, cum potuiſſet, expertus eſſet. II. Ut tum generum, ac dignitatis, tum ſacrorum ratio haberetur, id eſt, ut ita fieret adoptio, ut ne quid aut de dignitate generum, aut de religione ſacrorum minueretur. III. Ne qua omnino calumnia, ne qua fraus, ne quis dolus adhiberetur. Unde Cicero in Oratione pro Domo ſua ait illam adoptionem fuiſſe infirmam & irritam. *Manut. de Leg. c.* 14. Cum Bonæ Deæ ceremonias & ſacra libidinis cauſa polluiſſet, SC. factum eſt, ut populus de reo cognoſceret. *Manut. ibid. c.* 20. In tribunatu legem tulit adverſus cenſoriam poteſtatem, ne quem Cenſores in legendo Senatu præterirent, neve qua ignominia afficerent, niſi qui utriuſque Cenſoris ſententia damnatus eſſet: qua de lege ſic in Piſonem Cicero c. 4. *Ab eodem homine vetus illa magiſtra pudoris & modeſtiæ, cenſoria ſeveritas ſublata eſt.* Manut. ibid. c. 7. Legis Æliæ tria membra, de auſpiciis, de obnuntiatione, de interceſſione ſua lege ſuſtulit. Tulit etiam, ut omnibus faſtis legem ferri liceret. Aperte hoc demonſtrant hæc in ea de provinciis c. 11. *Aut ſtatuendum vobis eſt, legem Æliam manere, legem Fuſiam non eſſe abrogatam, non omnibus faſtis legem ferri licere, cum lex feratur, de cœlo ſervari, obnuntiari, intercedi licere.* Manut. ibid. c. 8. Ab Aricia redux, exturbata taberna, in qua latebat, a Milonianis eſt interemptus. Aſcon. in Cicer. p. 180.... *Junius Faſt. lib. Theſ. Antiq. Roman. Græv. Tom.* VIII. *p.* 121. *C.*

CLOELIÆ foſſæ. V. illas infr. in *Foſſa.*

Clœlia gens. V. illam infr. in *Gens.*

Clœlia tribus. V. illam infr. in *Tribus.*

CLU.

CLUACINA Venus. V. illam infr. in *Venus.*

CLUDO erat gladius, quo mimi & ſcenici utebantur, ſi quando in ſcena cædes facienda eſſet. Erat ex ferro. De fabulis, quæ ſaltabantur a pantomimis Apul. Apol. p. 526. *Quas cum ſaltas, tanta mollitia animi, tanta formido ferri eſt, ſine cludine ſaltas.* Deſcribit illum Achilles Tatius: *Gladius cacus, & incluſus manubrio longo palmas quatuor, ferro extante digitos tres, ſed quod levi motu exiret in longitudinem, quanta ipſius manubrii.* Buleng. de Theat. I. 55. Lipſ. Elect. I. 28. Ejus acies in manubrium prælongum refugiebat, atque includebatur, cum hiſtrio in tragœdia agenda ipſo ſe confodere ſimularet. Unde bene Apul. Apol. p. 526. *tanta mollitia animi, tanta formido ferri eſt:* valde enim meticuloſum eum oportet eſſe, qui talem gladium reformidet. *Florid. in Apulejum.*

CLUNACULUM erat *cultrum ſanguinarium* (*victimarium*, vel *ſaginarium* mavult Scaliger) Feſtus. Erat culter lanionum, ad jugulanda pecora ſaginata. Ita ergo poparum culter vocabitur. *Scalig. ad Feſtum. Voſſ. Lex. Etymol. Turneb. Adv.* XIX. 32. *Buleng. de Theat.* I. 55. *Stuck. de Sacrif. p.* 177. *Thyſ. in Gell.* X. 25. *Lyd. de Re milit.* III. 8. *Nonn. in Goltz. Jul. Cæſar. Numiſm. p.* 47. Non video cur *ſanguinarium* rejiciatur. Quidni enim *ſanguinarius culter* dicatur, qui victimarum ſanguine mergitur. Vet. Gloſſar. Arabico-Lat. *Clunaculum, pugio: dictum, quod ad clunes religetur.* Dacer. ad Feſtum.

CLUSIUM eſt urbs & colonia Hetruſcorum antiquiſſima, Porſennæque Regis ſedes, vulgo *Chiuſi*, ob aeris inſalubritatem nunc pæne deſtituta & inculta. *Urſat. de Not. Roman. Theſ. Antiq. Roman. Græv. Tom.* XI. *pag.* 614. *E.*

CLUSTUMINA tribus. V. illam infr. in *Tribus.*

CLUVIA gens. V. illam infr. in *Gens.*

Cluvia tribus. V. illam infr. in *Tribus.*

CLY.

CLYPEUS differt a ſcuto. V. infr. in *Scutum.* Fuit ex ære. Liv. XLV. 33. *Edito ludicro omnis generis, clypeiſque æreis in naves impoſitis.* Ideo Virg. Æneid. II. 734. *ardentes clypeos* dixit. Et Feſtus Ennianum in Achille Ariſtarchi *prolato ære aſtitit*, interpretatur *clypeo ante ſe protento.* Forma rotunda. Feſtus: *Clypeum antiqui ob rotunditatem etiam corium bovis appellarunt: in quo fœdus Gabiorum cum Romanis fuerat deſcriptum.* Accedit ea ratio, quod Attius poeta comparavit cœlo *clypeum*: ait enim in Agamemnone. *In altiſſimo cœli clypeo temo ſuperat ſtellas.* Quibus verbis Varro ſubjungit: *Cavum enim clypeum.* Ovidius quoque unicum Polyphemi oculum clypeo comparavit Met. XIII. 851.

Unum eſt in media lumen mihi fronte, ſed inſtar
Ingentis clypei.

Virg. Æneid. III. 636.

—— telo lumen terebramus acuto
Ingens, quod torva ſolum ſub fronte latebat
Argolici clypei, aut Phœbeæ lampadis inſtar.

Manut. Quæſt. Epiſt. III. 6. Lipſ. de Milit. Roman. III. 2. Patric. Rei Milit. Roman. Part. III. Sect. I. V. Sect. 3. Lyd. Synt. de Re Milit. III. 5. Potter. Archæol. Græc. III. 4. Croph. Antiq. Maced. III. 4. Voſſ. de Vit. ſerm. I. 30. Schill Nomencl. Philol. pag. 302. Romanus vocatur Liv. VIII. 8. *Clypeis antea Romanis uſi ſunt, dein poſtquam ſtipendiarii facti ſunt, ſcuta pro clypeis fecere;* quoniam Romulus initio Argolicis *clypeis* uti ſolebat, quos ſcutis Sabinis poſtea mutavit. Docet Plutarch. Romul. p. 30. E. his verbis: *Romulus ſcutis illorum,* Sabinorum, *utebatur, quæ loco aſpidum Argolicarum, quas ipſe, & Romani geſtare antea conſueverant, aſſumpſit.* Patric. ibid. Part. IV. Sect. I. . . . . . Eodem ſymbolo a Principibus Romanis legionibus & cohortibus peditum & auxiliis, ut, prælio turbatis aciebus, ſe invicem agnoſcerent, & facilius unirentur, dato, & ab aliis numeris diverſo, unaquæque legio aut cohors pingebat. In illis I. præclara a ſe, vel parentibus geſta repræſentarunt. Virg. Æneid. VII. 658.

—— clypeoque

— clypeoque insigne paternum,
Centum angues, cinctamque gerit serpentibus hydram.

Hinc descendit familiarum insignia in scutis depingendi usus. II. Nomen suum, & ex qua essent cohorte, & ex qua centuria, addebant. Veget. II. 18. *Sed ne milites aliunde in prælii tumultu a suis contubernalibus aberrarent, diversis cohortibus, diversa in scutis signa pingebant, quæ ipsi nominant δείγματα, sicut etiam nunc moris est fieri. Præterea in adverso scuto uniuscujusque militis erat literis nomen adscriptum, addito, & ex qua esset cohorte, & ex qua centuria.* Claud. Bell. Gildon. n. 422.

— nomenque probantes
Invicti, clypeoque animosi teste leones.

In Notitia tota legio clypeum eodem modo pictum habebat. Aliæ quoque extra legiones cohortes, & peditum auxilia idem observarunt. *Panciroll. Notit. Dign. Imp. Orient. c.* 38. Dicabant illos in sacro, vel publico loco. Antiquitatem ritus ostendit Salomo Cant. c. 4. n. 4. *Sicut turris David collum tuum, quæ ædificata est cum propugnaculis; mille clypei pendent ex ea.* Apud Romanos primus Appius dicare instituit. Plin. XXXV. 3. *Suorum clypeos in sacro, vel publico loco privatim dicare primus instituit Appius Claudius, qui Consul cum Servilio fuit anno ab U. C. 259. Posuit enim in Bellonæ æde majores suos, placuitque in excelso spectari, & titulos honorum legi. Decora res, utique si liberorum turba parvulis imaginibus ceu nidum aliquem sobolis pariter ostendat: quales clypeos nemo non gaudens favensque aspicit.* De dedicatione vetus lapis. Gruter. pag. 441. n. 7.

NESTORI
AUG. NEPETE
HIC. LUDOS. FECIT
ET. DEDICATIONE
STATUÆ. PATRONI
QUAM. IPSE. POSUIT
ET. CLYPEI. SUI. ITERUM
MUNICIPIBUS. NEPESINIS
EPULUM. DEDIT.

Guther. de Jure Pontif. III. 8. *Ryquius de Capitol. c.* 15. *Tomas. de Donar. c.* 22. Minervæ dicarunt, & pictores addiderunt, quod armis præesset. *Tomas. l. l.* Duodecim inaurati *clypei* in Capitolio positi fuerunt ab Ædilibus P. Claudio & P. Sulpitio Galba ex pecunia, qua frumentarios ob annonam compressam condemnaverant, ut tradit Liv. XXXVIII. 35. *Marlian. Topogr. Urb. Tom.* II. 7. *Panvin. Descr. Urb. Rom. Thes. Antiquit. Roman. Græv. Tom.* III. *p.* 298. *E.* Plin. XXXV. 3. *Pœni ex auro factitavere & clypeos & imagines, secumque in castris tulere. Certe captis eis talem Asdrubalis invenit Q. Marcius Scipionum in Hispania ultor: isque clypeus supra fores Capitolinæ ædis usque ad incendium primum fuit.* Sed in ipso templo fuisse, sed argenteum pondo centum triginta octo, & Martium appellatum vult Liv. XXV. 39. *Marlian. Topogr. Urb. Rom.* II. 7. *Tomas. de Donar. c.* 24. Naves cum conscendissent; in puppibus, & ad latera navigiorum suspendebant. Senec. Agam. III. 424.

Neglecta summas scuta per puppes jacent.

Jacent neglecta contra consuetudinem; nam alias ordine suspendebantur. Quare id a Græcis, ut Polyæn. v. ἀπηρείσασθαι τὰ ὅπλα κατὰ κόσμον appellatur. *Scheffer. de Milit. Nav.* III. 3. Pugnam inituri ut pugnæ signum elevabant, vel auratum, ut Demetrius apud Diodor. XX. *Demetrius proposuit usitatum pugnæ signum, clypeum auratum:* vel æneum, ut Lysander apud Polyæn. I. 45. 2. *Trierarchi cum egressos esse Athenienses cernerent, sublime tollunt signum æneum scutum.* Scheffer. ibid. III. 1. Illum abjicere, ob singularem maximeque necessarium scutorum & *clypeorum* in bello usum, grave crimen habebatur. Isocrates in Oratione de Pace infames fuisse habitos scribit, qui *clypeos* abjecissent. Nec minus ignominiosum, quam vel fugam capessere, vel locum in acie deserere: quia qui *clypeum* abjecisset, is ægre fugam evitare poterat. Quapropter matres solebant filiis ad bellum proficiscentibus hoc ἐπίφθεγμα, seu documentum postremum dare, tradendo ipsis scutum, dicentes: ἢ τὰν, ἢ ἐπὶ τᾶς. V. Plutarchum & Ausonium mox laudandos. Senec. Suasor. II. de Lacedæmoniis agens: *Referam*, inquit, *præcepta matrum, aut in his, aut cum his.* Causam instituti retulit Demaratus apud Plutarch. Lacon. Apophth. 27. *Rogatus, cur ignominia notarentur, qui clypeum amisissent, non item qui galeam, aut thoracem, respondit: quia hæc sui ipsorum causa gestant: clypeum autem propter communem ordinem.* Apud Græcos militari jure erat cautum, ut qui miles scutum in acie amisisset, capite lueret. Alex. Gen. II. 13. Plutarch. Lacon. Apophth. p. 210. A. Et Instit. Lacon. p. 239. B. Lacedæmonios Archilochum poetam urbe exegisse tradit, quod carmen scripserat, in quo suadere visus fuit, satius esse arma; quam vitam in acie amittere. Quanta infamia apud Romanos fuerit illorum docet Horatius, quibus illam notam sibi & Pompejo Varo inurere non veretur Od. II. 7. 9.

Tecum Philippos & celerem fugam
Sensi relicta non bene parmula:
Cum fracta virtus, & minaces
Turpe solum tetigere mento.

Lydius l. l. Muret. Var. Lect. IX. 2. Schott. Obs. IV. 5. Tiraquell. in Alexandrum. Spanhem. in Juliani Imper. Orat. I. p. 239. Cragius de Republ. Lacedæm. III. Tab. XII. de Leg. milit. Instit. XII. Meurs. Them. Attic. I. 9. Vinet. in Auson. Epigram. XXIV. *Clypeos* majorum suorum, præcipue eorum, qui præ cæteris inclaruissent, in apparatu funebri omnium oculis exponere solebant illustri & nobili prosapia orti. *Bellor. Descr. Sepulcr. Nason. tab.* v. In *clypeo* loco cunarum deponebantur infantes. V. infr. in *Infantes.* In *clypeo* efferri erat ducum mortuorum in acie unicus honor. Huc pertinet præceptum Lacænæ matris armantis filium in bellum profecturum, ut refert Plutarch. Apophth. Lacon. p. 241. E. *Fili, aut hunc, aut super hunc*, hoc est, ut vel vivus integrum a conflictu referret, vel in eo ad suos referretur mortuus. Hanc sententiam ita leges apud Auson. Epigram. XXIV. I.

Mater Lacæna clypeo obarmans filium,
Cum hoc, inquit, aut in hoc redi.

Stat. Theb. VIII. 637.

Talia jactabant, subito cum pigra tumultu
Expavit domus, & multo sudore receptus
Fertur Atys, servans animam jam sanguine nullo,
Cui manus in plaga, dependet languida cervix
Exterior clypeo.

Ubi Lactantius. *In clypeo mortui efferebantur.* Virg. Æneid. X. 841.

At Lausum socii exanimem super arma ferebant.

Vinet. in Ausonium, Cerda in Virgilium, Demster. Paralip. ad Rosin. Antiq. Roman. X. 10. Column. in Ennium p. 242. Bernart. in Stat. Theb. VIII. 732.

Clypeus erat etiam discus quidam magnus ex metallo, in quo sculptæ erant heroum imagines & actiones memorandæ. Vocatur *clypeata imago* Macrob. Sat. I. 3. *Cum in ea erat provincia, quam Q. Cicero frater rexerat, vidisset clypeatam imaginem ejus, ingentibus lineamentis usque ad pectus ex more pictam (erat autem Quintus ipse statura parva) ait: frater meus dimidius major est quam totus.* Talem illustribus viris ponebant veteres. Capitol. Anton. Pio c. 5. *Clypeum Adriano magnificentissimum posuit.* Suet. Cal. c. 16. n. 12. *Quas ob res inter reliquos honores decretus est ei clypeus aureus.* Quo loco docemur *clypeos* illos etiam interdum au-

aureos fuisse. Quod tradit etiam Trebellius Pollio in Claud. c. 3. *Illi clypeus aureus, vel, ut Grammatici loquuntur, clupeum aureum, senatus totius judicio in Romana curia collocatum est, ut etiam nunc videtur ejus expressa thorace vultus.* Salmas. in Treb. Pollionem & xxx. Tyran. c. 25. Scalig. in Euseb. ad a. 2286. p. 218. Lips. in Tacit. Ann. ii. p. 53. & Excurs. N. Roa Sing. i. 7. 21. Tomas. de Donar. c. 22. Ryquius de Capit. c. 15. Buleng. de Theatr. ii. 12. Spon. Misc. Erud. Antiq. Sect. 4. p. 153. Non semper erant cum effigie, sæpe sine ea, cum nudo nomine ponentis, & cui ponebantur; sive etiam cum ponendi causa. Philo de Legat. ad Cajum p. 1033. E. *Pilatus erat procurator Judææ. Hic non tam in gratiam Tiberii, quam in odium populi auratos clypeos dedicavit intra sanctam urbem in Herodis regia, nulla insignes imagine, nec habentes quicquam vetitum: tantum titulus continebat nomen dedicantis, & ejus cui dedicabantur.* Nec publice solum, sed & privatim sibi quisque ponebat. Plin. xxxv. 3. *Suorum clypeos in sacro, vel publico privatim dicare primus instituit, ut reperio, Appius Claudius.* Lips. l. l. Guther. de vet. jur. pontif. iii. 8. In . . . . . dedicationibus epulas civibus dare solebant. Gruter. supr. & p. 496. 4.

D. M
CAJUS. DEDICA
TIONEM. ET
CLYPEI. SIMPI
DEDIT.

Pro SIMPI reponendum SUI. EP. quod est *clypei sui epulum dedit.* Illud cum notis scriptum esset, facile cohærere literæ male potuerunt. *Guther. l. l. Harduin. in Plinium.*

Clypeus vocabatur quoque æreum instrumentum, quod catena pendebat ex orbiculari fenestra fornicis Laconici, per cujus deductionem ac reductionem nunc augebatur, nunc minuebatur calor. Vitruv. v. 10. *Medium lumen in hemisphærio relinquatur, ex eoque clypeum æneum catenis pendeat: per cujus reductiones & demissiones perficietur sudationis temperatura.* Mag. de Tintinn. c. 1. & 3. Robortell. Lacon. Pisan. Explic. Thes. Antiq. Roman. Græv. Tom. xii. pag. 387. A.

CN.

CN notam hanc, quæ cum adjunctis numeris sæpissime in Kalendario vetere occurrit, existimat R. P. Bucherius interpretandum esse *congiarium*. Lambec. in Kalend. vet. Thes. Antiq. Roman. Græv. Tom. viii. pag. 104. E.

CNA.

CN. CNÆUS. Hoc prænomine nominabantur, qui nævum aliquem nascentes habuissent. Ita in Florentinis Pandectis pro *Cnæo* scribitur aliquando Næus cum eadem diphthongo. Næum autem antiqui præposito C. *Cnæum* dicebant, atque per G sono pronuntiabant, ut tradit Diomedes: *N prænominis nota Numerium significat, & præposita sibi G. Gnæum, quem antiqui Cnæum scribunt.* Valerius: *Cnæi prænomen varia scriptura notatum est: alii enim Cnæum, alii Gnæum, alii Næum scripserunt. Qui G. litera in hoc pronomine usi sunt, antiquitatem secuti esse videntur, quæ multum ea litera usa est. Olim enim dicebant fragmentum, post frumentum; olim gnaturam, post naturam. Itaque etiam qui in corporibus gigni solet Gnæus appellatur. Qui Cnæum dixerunt, corruptione syllabæ delectati esse videntur. Qui Næum levitate.* *Cnæorum* quoque familia ab hoc pronomine oriri quidam existimant, de qua Q. Cicer. de Petit. Consul. c. 3. *Catilina ex Equestri ordine Pompilios & Cnæjos amicissimos sibi comparavit.* Ea porro Domitiorum familia, cui Ahenobarbi fuit cognomen, ex qua Nero originem duxit, nulla alia *prænomina præterquam Cnæi & Lucii usurpavit, eaque ipsa notabili varietate, modo continuantes unumquodque per ternas personas; modo alternantes per singulas. Nam primum, secundum, ac tertium Ahenobarbum Lucios, sequentes rursus tres ex ordine Cnæos accepimus; reliquos non nisi vicissim tum Lucios, tum Cnæos.* Suet. Ner. c. 1. n. 3. *Panvin. de Nomin. Roman. Thes. Antiq. Roman. Græv. Tom. ii. p. 2025. D. Sigon. de Nomin. Roman. c. 3. & 4. Tiraquell. in Alexand. v. 4.*

CNASON *est acus, qua mulieres scalpunt caput.* Festus. Nam duplex est acus ornatricum: altera, qua scalpunt caput, quæ discerniculum dicitur: altera, qua crines figunt & sustinent, quam Græci καλαμίδα & κορίγγα vocant, Latini etiam aliquando fistulam. Est autem *cnason* Tarentinæ linguæ. Nam Tarentinorum proprium est, simplicia verba κατὰ παραγωγὴν producere, & ab ἄγω, ἀγάζω, unde agaso, ὁ ἀγάζων, & a κνάω, κνῶ, κνάζω, unde *cnaso*, ὁ κνάζων. *Scalig. in Festum. Barthol. de Inaur. c. 2.*

COA.

COACTILIA sunt instrumenta viatoria, sicut pelles, quibus involvuntur vestimenta, & lora, quibus hæ pelles constringi solent. Unde *taberna coactiliaria* apud Capitol. Pertin. c. 3. *Pater ejus tabernam coactiliariam in Liguria exercuerat.* Egnat. in Capitolinum. Illis verbis videtur significare, quod Græci φαίνωλιν dicunt, Itali valize, nos vero malle. Sed *coactilia vesti cedere ait Aristo* Ulpian. leg. argumento 25. §. Aristo ff. de aur. & arg. leg. Dicebantur autem *coactilia* ad differentiam, quæ ex liciis, seu filis, quibus in telis textrices implicant stamina, fiebant. Unde trilicem, vel bilicem dicimus vestem, quæ ex duobus, vel tribus liciis constat. *Coactilia* vero diversimode erant compacta ex villis crassioribus, quibus insimul *coactis* fiebant vestimenta, seu tegumenta. Galli & Itali feltri vocant, Belgæ **vilten**. Fiebant e lana *coacta*. *Coactilia* signat Plin. viii. 48. ubi scribit: *Lanæ & per se coactæ vestem faciunt.* Subjicit deinde: *Si addatur acetum, etiam ferro resistunt.* Ideo *coactilium* ejusmodi usus in bello maximus fuit: unde auctor libelli de rebus bellicis ad Theodosium, ubi de thoracomacho tractat. *Hoc enim vestimenti genus, quod de coactili ad mensuram & tutelam pectoris humani conficitur, de mollibus lanis, timoris sollicitudo solertia magistra composuit.* Cæsar *subcoacta* appellat de Bell. Civ. iii. 44. *Atque omnes fere milites, aut ex subcoactis, aut ex centonibus, aut ex coriis tunicas ac tegmenta fecerant, quibus tela vitarent.* Bayf. de Re Vest. c. 21. Donat. in Capitolinum. Voss. Lex. Etymol. Cujac. Observ. v. ii. In Pertinace Capitolini non est pertinaciter legendum *tabernam coactiliariam*; sed *cocticiliciam* potius. V. illam infr. in *Coctilia.*

COACTILIARIUS est qui *coactilia* operatur aut vendit. Ita simpliciter passim appellatur. Glossæ: *coactiliarius*, πιλοποιός. Marcell. Empir. c. 14. *Lixivium, unde operantur coactiliarii.* Dicitur etiam *lanarius coactiliarius*: Vetus lapis: M. L. LARISCUS LANARIUS COACTILIARIUS. *Salmas. in Capitol. Maxim. & Balbin. c. 5. Pertin. c. 3. Voss. Lex. Etymol. Cujac. Observ. v. 2. Du Fresne Glossar.*

COACTIO erat modus, quo populus aurigam in circo *cogebat* inusitatos cursus suscipere. Ita Diocles sexaginta millia nummum semel vicit novis *coactionibus*. Panvin. de Lud. Circ. i. 4. Videlicet ut permutaret equos, alienis uteretur; e quarto ostio exiret; sine flagello curreret, non clamaret, neque equos voce cieret. Certe in icone quadam aurigantium, quæ penes Cassianum a Puteo est, aurigæ cernuntur sine flagellis. Equum Deuxippi adnotavit Suidas in voce ἵππος ita edoctum, ut sine habenis apte curreret, sisteret se, & flecteretur. De mulis Gallicis eodem modo sine habenis parere voci assuetis est Ausonii epigramma; & de Tingitanis equis virga tantum solitis moderari locus Strab. xv. Habitus aurigarum in illa icone videtur veluti toga, & habenæ pan-

no ipsius attineri tanquam consutæ cernuntur: talique indumento usos aurigas tunc puto, cum *coactionibus novis* inter se ad ostendendam artem certarent; non enim sago, qui vestis accommodissima aurigæ est, & propria, V. infr. in *Sagus*. Sed hac veste laciniosa & lata utuntur, ut aurigandi ingenium in difficiliori modo venditarent. Tunicam illam solitam aurigarum appellavit Plin. Epist. IX. 6. Attineri hanc dixi veluti togæ habenas, cum satis ex hac cæterisque figuris aurigarum appareat ipsos olim habenis solitos præcingi, ut octo lora facilius possent distinguendo temperare, totiusque vi corporis equos retinere. V. infr. in *Habena*. Argol. in Panvinium l. l.

Coactio argentaria erat ipsum munus *cogendi* pecunias. Suet. Vesp. c. I. n. 3. *Ubi coactiones argentarias factitavit.* Bud. in Pandect. p. 81. F.

COACTOR dicitur Cicer. pro Cluent. c. 64. *Ne multa, perquiritur a coactoribus.* & Horat. Sat. I. 6.86.

Si præco parvas, aut, ut fuit ipse, coactor
Mercedes sequerer.

Et *coactor argentarius* Scævol. Dig. XL. 7. 40. §. 8. *Argentarius coactor, cum pene totam fortunam in nominibus haberet, servis actoribus ita libertatem dedit.* Erat minister argentariorum, qui auctionibus præerant. V. supr. in *Auctio*. quibus ministrabat, & rerum in auctione venditarum pretia certa mercede ab emptoribus colligebat: & inde *auctionarius coactor* dicebatur. Acro ad Horat. l. l. *Auctionarii coactores, qui pecunias in auctionibus cogebant.* Senec. Epist. 81. *Post naufragia maria tentantur, fœneratorem non fugat a foro coactor.* hoc est. Non ideo fœnore abstinet, quod multa mala sint nomina, *coactoribus* tradenda ut illa exigant. Hinc *coactiones argentarias factitare* Suet. Vesp. c. I. n. 3. est pecunia a debitoribus exigenda & colligenda se sustentare. *Fab. Semest.* II. 15. *Sigon. de Ant. Jur. Civ. Roman.* II. II. *Laz. Comment. Reip. Rom.* II. 13. *Bud. in Pandect. p.* 81. *F. Buleng. de Vectig. c.* 3. *Zamosc. Antiq. Daciæ c.* 5. *Lips. in Senecam. Petav. in Themist. Orat. p.* 664. *Torrent. Marcil. & Pitisc. in Suet. Vesp. c.* I. *n.* 3. §. 12. *Torrent. in Horatium.*

COASSATIO, sive *coaxatio*, est *assium* compactio, contabulatio. Vitruv. VII. 1, *Cum coassatum fuerit, super altera coassatio transversa sternatur. Asses*, sive *axes* tabulæ sunt, quibus cœnacula ad pavimenta sustinenda sternuntur. Græci σανίδας appellant. *Bald. Lexic. Vitruv. Bud. in Pandect. p.* 164. *D. Grapald. de Part. Dom.* II. 1. §. 2. *Hennin. in Bergier. de Viis. milit.* II. 13. §. 4. Illas faciebant esculinas; esculus enim minus se contrahit, aut incurvat, quam quercus. *Bergier. l. l.*

COC.

COCCEJA gens. V. illam infr. in *Gens*.

COCCINA fuerunt olim in pretio, licet coccinea purpureis pretii fuerint inferioris. Juven. Sat. III. 283.

—— cavet hunc quem coccina læna
Vitari jubet, & comitum longissimus ordo.

Mart. II. 39. 1.

Coccina famosæ donas & janthina mœchæ.

Qui etiam jocatur in Bassum, & ait illum indutum fuisse herbarum colores, virides scilicet, galbeos, & similes, dum promiscue in theatro sederetur: at postquam Domitianus legem Rosciam revocaverat, ut Equites tantum in quatuordecim sederent, Bassum, ut videretur Eques, purpuream, aut *coccineam* lacernam gestasse v. 23. 5.

Non nisi vel cocco madida, vel murice tincta
Veste nites, & te sic dare verba putas.
Quadringentorum nullæ sunt, Basse, lacernæ:
An meus ante omnes Codrus haberet equum.

Ferrar. de Re Vest. II. 1. 12. Bayf. de Re Vest. c. 3.

COCCINEUS color. V. illum infr. in *Color*.

COCCUM est frutex fullonius, cui adhærent grana, quibus fit ille color lanarum præcipuus, cujus copia summa in ea parte Hispaniæ, quæ Tudertania appellatur. Strab. III. p. 99. *Bayf. de Re Vest. c.* 3. De locis, in quibus provenit, Plin. IX. 41: XXII. 2. *Jam vero scimus infici vestes admirabili succo. Atqui ut sileamus Galatiæ, Africæ, Lusitaniæ granis coccum Imperatoriis paludamentis dicatum, Transalpina Gallia herbis Tyrium atque conchylium tingit, omnesque alios colores.* Ferrar. de Re Vest. I. 2. 7. Describit quoque Dioscor. IV. 78. *Coccus tinctorius frutex est parvus ex cremiorum genere, cui grana ceu lentes adhærent, quæ quidem exempta, decerptaque reponuntur. Optimum gignitur in Galatia, & Armenia, denique in Asia & Cilicia; omnium postremum quod in Hispania provenit. Nascitur porro in Cilicia in quercubus, exiguis cochleæ similitudine, quod illius regionis homines coccum vocant, & ore legunt.* De hoc plurima Salmas. Exercit. Plinian. p. 192. b. E. Braun. de Vest. sacerd. Hebr. I. 15. §. 3 Quomodo differat a purpura. V. infr. in *Color coccineus*.

COCETUM *genus eduli ex melle & papavere factum.* Festus. *Stuck. de Sacrif. Gent. p.* 75. Tertull. contra Valentin. c. 12. *Pandorum Hesiodi, Acci patinam, Nestoris cocetum.* Mallem Festus dixisset: *genus potionis.* Non enim tam ad esculenta pertinuit, quam potulenta. Tertullianus, dum dicit *Nestoris cocetum*, respicit κυκεῶνα Nestoris, quam Homerus celebrat Iliad. Λ. 640. Aliter dicitur *cinnus*. Voss. Lex. Etymol Dacer. in Festum. V. supr. in *Cinnus*.

COCHLEAS saginabant veteres. Macrob. Sat. II. 9. *Si cui hoc mirum videtur, quod ait Varro, lepores illa ætate solitos saginari; accipiat illud, quod majore admiratione sit dignum; cochleas saginatas, quod idem Varro in eodem libro refert.* n. de Re Rust. III. 14. *Has quoque saginare solent ita, ut ollam cum foraminibus incrustent sapa & farre, ubi pascantur, quæ foramina habeat, ut intrare aer possit.* Buleng. de Conviv. II. 5. Ex Varrone etiam Plin. IX. 56. *Cochlearum vivaria instituit Fulvius Hirpinus in Tarquiniensi, paullo ante civile bellum, quod cum Pompejo Magno gestum est, distinctis quidem generibus earum, separatim ut essent, albæ, quæ in Reatino agro nascuntur: separatim Illyricæ, quibus magnitudo præcipua: Africanæ, quibus fœcunditas: Solitanæ, quibus nobilitas. Quin & saginam earum commentus est sapa & farre, aliisque generibus, ut cochleæ quoque altiles ganeam implerent: cujus artis gloria in eam magnitudinem perductæ sint, ut octoginta quadrantes caperent singularum calices.* Bochart. Hieroz. I. 4. 30.

Cochlea erat machina, qua Ægyptii hauriebant aquas irrigandis agris. Illam invenit Archimedes. Diodor. V. p. 217. B. *Et, quod ante omnia admireris: illos aquarum profluxus cochleis, quæ Ægyptiæ vocantur, exhauriunt. Inventor harum fuit Archimedes in sua ad Ægyptios peregrinatione. Per has continuæ successionis vicibus aquam ad ostium usque promoventes fodinæ locum exsiccant, humumque ad operis sui tractationem hac arte reddunt. Cum enim instrumentum hoc ingeniosissime fabricatum sit, labore non ita magno, vis aquæ immensa mirabili ratione protruditur, totusque amnis fluor ex imo ad summum ita haustus evacuatur.* Fusius illam describit Vitruv. X. 11. *Schott. Observ.* V. 26. Unde & haustorium organum, quod vulgus pompam appellat, *cochlea* diceretur. Hujusmodi vidimus dudum in ponte Parisiensi, cum pilarum fundamenta jacerentur. In medio enim ejus rota est, quæ a calcantibus versatur, machina introrsus claviculatim detornata, inter strias & strigles aquas exsorbet ex aquario septo, & retrorsus emittit. *Bud. in Pandect. p.* 172. *H.*

Cochlea in torculari est lignum erectum, claviculatim, id est, spirulatim, & capreolatim striatum, quod per medium prelum striatum & ipsum transactum, vertigine sua tollendo demittendoque prelo inventum est: vulgo visa torcularis dicitur. *Bud. in Pandect. p.* 172. *G.*

Cochlea, quæ *scalæ cochlides* etiam dicuntur, in ædificiis dicta: quod anfractuosæ sint in modum *cochlearis* testæ: & quod claviculata & tortili structura a tricliniis in cœnacula evadant: cujusmodi fere sunt in ædificiis Gallicis

cis scalæ. *Bud. in Pandect. p. 172. H.*

Cochlea erat porta caveæ in circo, V. supr. in *Cavea.* Varr. de Re Rust. III. 5. *Ostium humile & angustum, & potissimum ejus generis, quod cochleam appellant, ut solet esse in cavea, in qua tauri pugnare solent.* Buleng. de Venat. c. 17.

COCHLEAR est notum convivialis supellectilis instrumentum, ad liquida capienda potissimum deserviens. Lexicon vetus: *cochleare,* δείδυξ. Recte, nam ejusdem formæ instrumenta coquinariis etiam usibus adhibita. *Gonsal. in Petron. p. 134.* κατ' ἀποκοπὴν ex *cochleare.* Nam natura sua adjectivum est *cochlearis.* Præ se formam *cochleæ* fert. Mart. XIV. 121.

Sum cochleis habilis, sed nec minus utilis ovis,
Nunquid scis, potius cur cochleare vocer?

Quasi mirum esse dicat, si quis ignoret, quod a forma *cochleæ* potius, quam a rei alicujus usu nomen accipiat. *Cen l. de Pond. & Mens. Rat. Thes. Ant. Rom. Græv. Tom.* XI. *p. 1154. B.* [illegible] *Buccius de Conv.* [illegible] II. p. 155. Sed nihil prohibet ab usu sic dici, quandoquidem [illegible] inventum ad usum cochlearum, etsi post in[illegible]erit ovis ferendis, aut etiam frangendis. Ad posteriorem usum pertinet illud Petron. c. 33. *Accipimus cochlearia non m[illegible] [illegible] libras pendentia, ovaque ex farina pingui figurata pertundimus.* Solent autem calices ovorum & *cochlearum cochlearibus* pertundere, ad avertendum maleficium eorum, qui perforandis his alios se lædere posse existimabant. Plin. XXVIII. 2. *Defigi quidem diris deprecationibus nemo non metuit. Huc pertinet, ovorum, ut exsorbuerit quisque, calices, cochlearumque, protinus frangi, aut eosdem cochlearibus perforari.* Voss. Lex. Etymol.

Cochlear est cyathi pars quarta. Colum. XII. 21. *Et ex eo,* fœno Græco, *molito post salituram musti cochlear cumulatum, vel simile genus poculi ejus, quod est quarta pars cyathi, adjicitur in binas urnas.* Neque huic sententiæ refragatur, quod Fannius dicit:

At mystrum cyathi pars, ac tertia mystri,
Quam vocant cyanem: capit hæc cochlearia bina.

Ex qua supputatione videtur dicendum, *cochlear* esse cyathi partem quartam & vigesimam, quam Fannius ibi non de Latinis, sed de Græcis *cochlearibus* intellexit. Miscuit enim mensuras Græcas cum Romanis. Hanc autem quartam cyathi partem appellavit Dioscorides Græca voce *chemin,* quam pro postrema amphoræ parte, & cyathi quarta collocavit. *Pætus de Roman. & Græcor. Mens.* III. *Thes. Antiq. Roman. Græv. Tom.* XI. *p. 644. E.* Cui solet adjici *parvum,* cyathi pars, ex juniorum sententia, decima: pendet oleo plenum drachmam unam, vino aut aqua drachmam unam, grana octo. De his tamen Fannius scripsit versus supra laudatos. Juxta quam supputationem parvum *cochlear* pars quarta & vigesima cyathi esset. *Pætus ibid. p. 1649. G.*

COCLES dicebatur, qui altero oculo carebat. Unde *Cyclopas* pro *coclites* antiquos dixisse auctor est Serv. Æn. VIII. 649. Hinc illud Plaut. Curc. III. 23.

De Coclitum prosapiâ te esse arbitror:
Nam ii sunt unoculi.

Augustin. de Fam. Rom. in *Horatia. Cocles* Horatius contra Porsennæ Clusiorum Regis & Tarquiniorum copias in ponte Tiberis unus assistere ausus est, donec a tergo pons interscinderetur, dum se armatum in Tiberim præcipitavit. Cui populus Romanus virtutis causa æream statuam in foro posuit. Dionys. V. p. 295. Liv. II. 10. Cicer. de Leg. II. 4. *Strein. de Gent. Rom. in Horatia.*

COCTILIA differebant a carbonibus. Carbones ligna dici non possunt. *Coctilia* erant *cocta* quidem ligna, sed non ad plenum, neque ita ut carbones videri possint. At carbones penitus & ad plenum erant *cocti. Salmas. ad Capitol. Pertin. c. 3. Treb. Poll. Claud. c. 14.* Inter ligna igni destinata, καύσιμα Græci dicunt, *cocta* recensentur, id est, bene exsiccata & arida, quæ fumum non faciunt, vel saltem modicum, ἄκαπνα Græcis. Nam κάπνος, *fumus.* Sic enim apud Galenum eo nomine ligna omnino arida pluries appellantur. Ulpian. leg. 167. de Verb. Sign. appellat *ligna cocta, ne fumum faciant.* Græci poetæ δανὰ & κάγκανα. Pollio Claud. c. 14. *Ligni quotidiani pondo mille, si est copia: si minus, quantum fuerit, & ubi fuerit: coctilium quotidiana bardla quatuor.* Hinc *taberna coctilicia* apud Capitol. Pertin. c. 3. quæ *coctilibus* lignis erat instructa, in qua *coctilia* vendebantur. Hanc exercuerat Helvius Successus pater Pertinacis c. 1. *Qui filio nomen ex continuatione lignariæ negotiationis imposuisse fertur.* Et ideo emit, vendidit ligna sicca ad coquendum apta, & in quoscunque ignis usus adhibenda. *Bays. de Re Vest. c. 21. Salmas. ad Capitol. Pertin. c. 3. Donat. ad Capitol. l. 1. Voss. Lex. Etymol.*

COCUS *& pistor apud antiquos idem fuit. Nævius, Cocus, inquit, edit Neptunum, Venerem, Cererem. Significat per Cererem panem, per Neptunum pisces, per Venerem olera.* Festus. Nam *coci* initio dicti, qui faciebant panem, & coquebant primum sub cinere in foco, postea in furno. Cato de pane: *In foco calido sub testa coquito leniter.* Senec. Epist. 90. *Farinam aqua sparsit, & assidua tractatione perdomuit, finxitque panem, quem primo cinis calidus & fervens testa percoxit.* Ulpian. leg. 12. §. 5. ff. de instr. vel instrum. leg. *Mulieres, quæ panem coquant. Cocum* autem ICti nominant non solum, qui officium sciat, id est, usitatos cibos præparet; verum etiam qui artificium, & urbanas mensas, & lautiora instruebat convivia. Unde Cajus leg. legatis servis ff. de leg. 3. ait, *quod venditor qui optimum cocum esse dixerit, optimum in eo artificem præstare debet; qui vero simpliciter cocum esse dixerit, satisfacere videtur etiamsi mediocrem cocum præstet.* Ars erat servilis. Cicer. pro Sext. Rosc. c. 46. *Mitto has artes vulgares, coquos, pistores.* Mart. XIV. 220.

Non satis est ars sola coco, servire palato.
Namque cocus domini debet habere gulam.

Cocos antiquis mos erat e foro conducere. Plaut. Aul. II. 4. 1.

Postquam obsonavit herus, & conduxit cocos,
Tibicinasque hasce, apud forum.

n. 45.

Cocus ille nundinalis est, in nonum diem
Solet ire coctum.

Et pro cujusque artificio pluris minorisve *coci* conducebantur. Hinc *cocus* sociis suis omnibus ad coquendum abductis, cur solus ipse eo die quasi unus obsessor fori prætermissus esset, hanc reddit rationem apud Plaut. Pseud. III. 2. 20.

Illi drachmis iissent miseri, me nemo potest
Minoris quisquam nummo, ut surgam, subigere.

Et ad cœnam nuptialem coquendam a Megadoro conductus Congrio, sic ait Aul. III. 2. 34.

Nummo sum conductus; plus jam mercede opus est.

Ubi nummum aureum, pluris duobus aureis æstimatum antiquitus intelligunt. *Popm. de Oper. Serv. p. 123. Buleng. de Conviv.* IV. 2. *Pignor. de Serv. p. 92.* Postea tamen cœperunt esse in pretio. Liv. XXXIX. 6. *Luxuriæ peregrinæ origo ab exercitu Asiatico invecta in Urbem est: tum psaltriæ, sambucistriæque, & convivialia ludionum oblectamenta addita epulis: epulæ quoque ipsæ, & cura, & sumptu majore apparari cœptæ: tum cocus, vilissimum antiquis mancipium & æstimatione, & usu, in pretio esse; & quod ministerium fuerat, ars haberi cœpta.* Plin. IX. 17. *Qui in conquestione luxus cocos emi singulos pluris quam equos quiritabant. At nunc coci triumphorum pretiis parantur, & coquorum pisces. Nullusque prope jam mortalis æstimatur pluris, quam qui peritissime censum domini mergit.* Bud. in Pandect. p. 187. E. Supplicii quoddam genus videtur esse, quo in illos animadversum, ut corbibus impositi penderent. Themist. Orat. 1. p. 42. *Qui, cocus, in corbe suspendi si ita contingeret, debuerit.* Aliter & per corbem, sive cophinum pœnæ tardis nominibus constitutæ apud Bœotios. Cophino

enim caput inserebant, & ſic infames habebantur. Ut de hoc ritu Nicol. Peripat. de rit. gent. Sed quod ad *cocos* attinet, aliud in eos animadverſionis genus extitit, cum in puteum, ſive barathrum deprimerentur. Plaut. Aul. II. 5. 20.

Dicant; coci abſtulerunt, comprehendite,
Vincite, verberate, in puteum condite.

Quanquam fieri poteſt, ut corbis ille, in quem impoſitos fuiſſe Themiſtius ſignificat, in puteum, ciſternamve demitteretur. *Petav. in Themiſt. Orat. Addend. p.* 724. Puteum intellige non perennem, ſed ſuffoſſum quoddam hypogæum, quod Athenienſes λάκκον vocabant. *Turneb. Adv.* VI. 24. *Gentil. Parerg.* I. 39. *Lambin. & Taubmann. in Plautum.*

Cocus nundinalis eſt, qui in cœnas lautiores, quaſi nundinales conduci ſolebat. Plaut. Aul. II. 4. V. illum ſupr. in *Cocus.* Alii novendialia, & epulum ferale hic intelligi malunt, nono die fieri ſolitum, quod ſilicernium appellabatur. Sed ſi ita, *cocus* ille, quia mortuis cœnam *coquit*, non nundinalis, ſed novendialis erit. *Putean. de Nund. Rom. c.* 8.

COD.

CODETANUS campus. V. illum ſupr. in *Campus.*

CODEX e Principum ab Hadriano ad Theodoſium juniorem conſtitutionibus & reſcriptis eſt conditus, & ab eodem confirmatus: quo generalia, ſeu quæ ad omnes Romani orbis incolas attinerent, juſſa, vel edicta proponuntur: ſeu ut dicitur in fine Novellæ, qua idem codex a Theodoſio confirmatur. *Edictis propoſitis in omnium populorum, in omnium provinciarum notitiam.* Imo unde factum, ut compilatis poſtea a Juſtiniano, ſeu ejus juſſu ac auctoritate a Triboniano veteris Romanorum juris legibus, iisque in unum corpus reductis, eædem, quod præmiſſæ Digeſtis eam in rem illius Principis præfationes, ſeu reſcripta indicant, non ad Senatum ſolum, aut ad populum Conſtantinopolitanum aut Romanum: ſed ad omnes populos, vel ad omnes orbis noſtri, ſeu Romani civitates ſunt conſcriptæ. *Spanhem. Exercit. ad Conſtit. Anton. Imp.* II. §. II.

Codex pro libro, ſeu volumine. Halucinatur Ictus, qui in libris Obſervationum notavit, *codices* duum generum ſe reperiſſe dictos, *unum proprie nominatum, quod pluribus inter ſe contextis per extremas oras tabulis, ſive paginis, ita conſtabat, ut in gyrum convolveretur.* Nunquam hoc factum, ut ex pluribus paginis, ſeu tabulis ligneis aliis ad alias per extremas oras attextis *codices* tanquam volumina concinnarentur. Nec fieri porro potuit. Nec hilum hæc opinio juvatur, quod Grammatici veteres ex Varrone citant, *quod antiqui plures tabulas conjunctas codices dicebant, a quo in Tiberi naves codicariæ appellatæ ſint.* Nam conjunctæ illæ tabulæ aliæ ſuper alias fuerunt impoſitæ, non aliæ ad aliarum latera attextæ. Et plane forma fuit & tabularum, in quibus ſcribebant, quæ aliæ ſuper alias ſtructæ *codicem* pariter appellatum dederunt, ad inſtar *codicum* amni devehendorum, qui plures tabulas ſic colligatas ac junctas habuere. Unde naves *codicariæ* dictæ, quæ plures hujusmodi *codices* veherent. Inde & *codex* pro maſſa, vel corpore tabularum plurium ſcriptarum, vel ſcribendarum. Hinc etiam ad earum inſtar de quacunque materia concinnatus contextus plurium tabellarum paginarumve, aliarum aliis ſuperſtructarum *codicis* nomine veniebat. Ex eo non *codices* tantum lignei, ſed & eborei, & membranei, atque etiam chartacei veteribus noti. Quorum eadem forma fuit, quæ & noſtrorum, qui ex noſtrate charta compinguntur. Ideo dubitatum olim a Ictis, an libris legatis, quo volumina cujuſcunque generis certum eſt deſignari, etiam *codices* omne genus continerentur. Nihil enim tam diverſum quoad formam, quam *codex* & volumen. *Salmaſ. de mod. uſur. c.* 10.

Codex erat etiam ligneus ſtipes, quem alligati ſervi, qui deliquerant, trahebant, cuique inſidebant vincti: qui hodie appendi ſolet ſimiis. Prop. IV. 7. 40.

Codicis immundi vincula ſentit anus.

Juven. Sat. II. 57.

Horrida quale facit reſidens in codice pellex.

Significat a matrefamilias ſervam pellicem male tractari: & in vinculis habitam lanificio perpetuo fatigari: quanquam non deeſt, qui *in codice reſidens* interpretetur, ut *Lacedæmonios in robore accumbere* dicit Cicer. pro Mur. c. 34. pro in robuſta quernave ſede. Vidi qui *codicem* in privatis ædibus adverſus improbos & nequam ſervos id eſſe diceret, quod in carcere publico robur. *Turneb. Adv.* XXIII. 21. *Parraſ. Epiſt. Quæſt.* 22. *Alciat. de Verb. Sign. p.* 238. *Paſſerat. ad Propertium.*

CODICILLI ſunt tabulæ minores, *codices* majores; *Codicillorum* uſus antiquiſſimus fuit jam ante chartam inventam: itaque ſcripſit Homer. Iliad. Z. 168.

Miſit illum in Lyciam datis exitialibus literis,
Quas in codicillo exaraverat, multa continentes atrocia.

Plin. XIII. 13. *Præterea Mutianus ter Conſul prodidit nuper ſe legiſſe, cum præſideret Lyciæ, Sarpedonis a Troja ſcriptam in quodam templo epiſtolæ chartam. Quod eo magis miror, ſi etiamnum Homero condente Ægyptus non erat: aut cur, ſi jam hic erat uſus, in ipſa illa Lycia Bellerophonti codicillos datos, non epiſtolas prodidit.* Manut. Quæſ. Epiſt. II. I. Voſſ. Lex. Etymol. Quod quidam putant Plinium hic incurioſe *codicillos* ab epiſtolis diſtinguere, cum *codicilli* nihil aliud ſint quam epiſtolæ Latinis, accuſandum hac in re Plinium minime cenſeo, mirantem ſi jam tum uſus chartæ fuit, quod indicat epiſtola Sarpedonis, cur non potius Prætus mandata ſua in charta deſcripta, quo modo epiſtolæ mittuntur, quam pugillarium ligno conſignata Bellerophonti dederit. Quo ſenſu nihil poteſt eſſe explicatius. *Dalechamp. in Plinium.* Proprie ſignificant epiſtolas. Cicer. Frat. II. 10. *Epiſtolam hanc efflagitarunt continuo codicilli tui.* Fam. VI. 18. *Simul ut accepi a Seleuco tuas literas, ſtatim quæſivi e Balbo per codicillos, quid eſſet in lege.* Suet. Cal. c. 55. n. 3. *Equiti Romano tumultuanti per centurionem denuntiavit, ut abiret ſine mora Oſtiam: perferretque ad Ptolemæum Regem in Mauritaniam codicillos ſuos.* Guiland. Papyr. membr. IV. 2. 2. Charta inventa manſerunt, commodi ſcilicet cauſa: quoniam, ubi charta & atramentum non adeſſent, ut in itinere, in cœna, in ſenatu, ſtylo ſcripti mittebantur. Et ita Cicer. Fam. IV. 12. *Puer Acidini mihi obviam venit cum codicillis.* Interdum ipſi non mittebantur, ſed ſcribebatur in iis, quod in chartam deinde tranſlatum mitteretur. Hinc Cicer. Fam. IX. 26. *Accubueram hora nona; cum ad te harum exemplum in codicillis exaravi.* Manut. & Voſſ. l. l. *Codicillis* principes etiam præſentes ſolebant adire. V. infr. in *Libellus.* Mandabant cædem interimendorum Imperatores, quo magis cautum eſſet militibus, ne Imperator auctoritatem poſſet defugere. Herodian. III. 11. 19. *At Saturninus codicillos, ſive libellum petiit, qui cædis mandata haberet. Mos enim ille regius, ut cum mittunt ad cædem alicujus ſine ſententia, aut judicio patrandam; tunc id per ſcriptum jubeant, ne cum factum fuerit, ſine teſſera aut nota ſit.* Tacit. Annal. I. 6. 6. *Quod poſtquam Salluſtius Priſcus particeps ſecretorum, is ad tribunum miſerat codicillos, comperit: metuens, ne reus ſubderetur.* Lipſ. ad Tacit. n. 42.

Codicilli accipiuntur quandoque pro diplomate, ſeu literis Principalibus quibus officia & adminiſtrationes dari a Principe moris erat. Tacit. Agric. c. 40. n. 2. *Credidere plerique miſſum e ſecretioribus miniſteriis libertum, codicillos ei, quibus Syria dabatur, tuliſſe.* Leg. adminiſtrantes ff. de excuſ. *Adminiſtrantes rem principum, ex indulgentia eorum, licet citra codicillos.* Leg. judices C. lib. 12. de dignitate V. infr. in *Magiſtratus codicillares.* Inde *codicilli officiorum* dicuntur Suet. Claud. c. 29. n. 3. *Suppoſitos etiam, aut palam immutatos officiorum codicillos.* Lipſ. ad Tacit. Annal. XIII. n. 63. Donat. Dilucid. p. 987. Savar. in Sidon. Epiſt. I. II: V. 16. Bud. in Pandect. p. 231. D. Buleng. de Imp. Rom. II. II. Panciroll. Notit. Dignit. Imp. Orient. c. 4.

c. 4. Plus pro *codicillis* magistratus solvebat Proconsul quam Præses, ut tradit Justinian. §. notitia, in auth. ut jud. sine quoquo suffr. fiant, seu Nov. 8. Disponit ea notitia, quantum quisque magistratus pro *codicillis* administrationis solvere debeat, tresque illorum classes facit. I. Comitum, quibus Asiæ Proconsulem & Thraciæ, seu longi muri Vicarium addit. Hi sacro cubiculo, seu tribus ejus Chartulariis solidos LXIII. solvebant, Primicerio Notariorum solidos XL. ejus adjutori solidos III: Offi. Præf. Præt. solidos XL. scilicet quantum Consulares, excepto officio P. P. cui solidos L. pendebant. II. Consularium. Chartulariis tribus sacri cubiculi solidos IX. pendebat, Primicerio Notariorum solidos XXIV. ejus adjutori III. officio P. P. XL. III. Præsidum Chartulariis tribus cubiculi pendebat solidos IX. Primicerio Notariorum solidos XV. ejus adjutori III. officio P. P. XXXVI. *Pancíroll. Notit. Dignit. Imp. Orient. c.* 101.

Codicilli erant etiam orationis, aut recitationis habendæ vel argumenta, vel exemplaria, auditoribus domi interdum, interdum in auditoriis distributa. Plin. Epist. III. 18. 4. *Cepi non mediocrem voluptatem, quod hunc librum cum amicis recitare voluissem, non per codicillos, non per libros, sed, si commodum esset, admoniti convenerunt.* Auctor Dial. de Orat. supr. in *Auditorium.* Ferrar. de vet. acclam. & Plaus. III. 3.

Codicilli etiam pro supplicibus libellis, qui Imperatori porriguntur, in sententiis Adriani, quia nimirum in *codicibus* erant dati. *Salmas. de mod. usur. c.* 10.

Codicilli dicuntur interdum testimonia amicorum bene gestæ provinciæ. Plin. Paneg. c. 70. n. 9. *Volo ego, qui provinciam rexerit, non tantum codicillos amicorum, nec urbana conjuratione eblanditas preces: sed decreta coloniarum, decreta civitatum alleget.* Buleng. de Imp. Rom. II. 11.

Codicilli quoque erant quasi parva testamenta, in quibus erat supplementum, atque additamentum testatoris in testamento deficientis: unde Moschopulus περὶ σχεδῶν: Κωδίκελλος, ἡ διόρθωσις τῆς διαθήκης. *Voss. Lex Etymol. Salmas. de mod. usur. c.* 10. Tacit. Annal. XV. 64. 5. *Ita codicillis præscripserat, cum etiam tum prædives & præpotens supremis suis consuleret.* In illorum confirmatione ipsi testatores sua manu obsignabant. Plin. Epist. II. 16. 1. *Tu quidem pro cætera tua diligentia admones me, codicillos Aciliani, qui me ex parte constituit heredem, pro non scriptis habendos, quia non sunt confirmati testamento. Constat autem, codicillos istos Aciliani manu scriptos.* n. 3. *Licet ergo non sint confirmati testamento, a me tamen, ut confirmati, observabantur.* Ferret. Mus. Lapid. II. Memor. 3. Brisson. de Formul. VII. p. 587.

CODON, κώδων, est cymbalum, vel potius parva ex ære nola. Refert formam & similitudinem capitum plantæ papaveris. *Mag. de Tintinnab. p.* 6. Sonalios proprie *codones* vocabimus. *Sweert. in Mag. p.* 114. Appendebantur equorum phaleris & frenis. Phavorinus. *Tintinnabula, κώδωνας, in phaleris & frenis equorum milites apud veteres habuerunt, ut nunc quoque. Equos cum phaleris tintinnabula In Avibus memorat Aristophanes de iis, qui usurpant. Simile quid & Romanis usitatum, sicut ego Varinus sæpissime conspexi.* Locus exstat in Ranis IV. 1. 59. Ad quem Scholiastes: *Codonophalaropolus, id est, nolophalaropullas, Apollonius aut vocare, quod proponat quosdam nolis seu tintinnabulis utentes, qui tintinnabula in phaleris & frenis habent equorum.* Ita muli in curru Alexandri apud Diodor. XVIII. *ad utramque maxillam habebant exstans tintinnabulum ex auro.* Pollux X. 13. loquitur non de phaleris, nec frenis, sed φιμοῖς, *fiscellis.* Deinde φιμοὺς appellat non κωδωνοφόρους, sed αὐλωτούς. De κώδωσι vulgaribus dicit Suidas, quod *tinnitum sonumve edant, quando moventur.* At apud Pollucem edunt sonum tum demum, cum in eos hinnit equus. Quare adducor, ut existimem has fuisse instar cymbalorum æreas patellas, intus cavas, sensimque dilatato ambitu patentes, in quas dilapsus equi hinnientis sonus majori voce relabebatur. Hesychius: Κώδων, σάλπιγξ, ἠχεῖον, κύμβαλον, μύκων, κάλυξ. Dicit κώδωνα, quem alias nolam, seu tintinnabulum exponunt, significare quoque tubam, vasculum æneum, voce repercussa sonum edens, cymbalum, mycona & calycem. Hujusmodi κώδωνας igitur, seu patellas cymbalorum specie habebant aliquando in φιμοῖς, quæ quia sonum reddebant repercussum equi voce, ideo rectissime αὐλωτοὶ vocati sunt. Hesychius: *Phimi aut cami tibiales, quia camis codones addebant, in quas inflantes equi vocem tubæ edebant.* Ostendit, sonum illum fuisse gravem tubæ instar: unde manifestum est, huc nihil pertinere tintinnabula. V. etiam Eustath. in Homer. Iliad. p. 1157. *Scheffer. de Re Vehic.* I. 13. *Cuper. Harpocr. p.* 144.

Codones etiam sunt tubarum orificia, qua spiritus emittitur, quod eam referunt formam, sensimque sese in exitu dilatantia repandis per ambitum labris aperiantur. Hos & hodiernæ habent tubæ. Κεκλασμένον κώδωνα vocat Eustathius, quod labra in ambitu repanda & replicata haberet. Tibiis Phrygiis, quæ ex buxo, aut etiam ex ossibus fiebant, hujusmodi κώδωνες ex cornu facti addebantur ad instar tubæ, ut clarius & acutius resonarent. Tales habent hodieque & nostræ tibiæ, quas vocamus *altibuxias.* Salmas. Exercit. Plinian. p. 86. C. Celtæ, vel Galli illa orificia effingebant animalium vel ferarum figura, uti etiam ex nummis veterum apud Antiquarios patet; & Paphlagones utebantur capitis bovini forma, quemadmodum apud Eustathium legitur. *Cuper. Harpocr. p.* 144.

CODONOPHORUS, κωδωνοφορῶν, de quo Aristoph. Avib. p. 580. & Hesychius, circumcurrebat, ut ad Aristophanem Scholiastes, Suidas, & Hesychius prodiderunt, per urbem gestans tintinnabulum, ut num vigiles vere vigiles essent, deprehendere posset, hoc forsan modo. Circumcurrens (eos hodie, qui id muneris obeunt, *rondam* vocari vulgo satis est notum) tintinnabulo personuerit, & si illi non statim vigiles occurrissent, vel assurrexissent, eos minime vigilasse, sed tinnitu e somno excitatos fuisse apertum fuerit. *Mag. de Tintinn. c.* 10.

Codonophori erant etiam, qui atrati funus præcedebant: tum ut ad spectandam funebrem pompam homines arcesserentur, tum ut Flaminem Dialem admonerent funeris, ne ille ex improviso funeri occurreret, & funebribus tibiis auditis pollueretur. *Mag. de Tintinn. c.* 10. Hodie apud nos anteambulones atratos Latine appellare possumus, & ferales præcones. Ex illorum grege sunt funerum indictores, quorum omnium vota sunt eadem quæ Orci. Hos diris ominibus ad morientium vestibula ultro advolare videmus, ut in proverbium venerint horum apud nos vota, ut apud antiquos libitinariorum. *Bud. in Pandect. p.* 137. *E. Laurent. de Fistul. & tintinn. c.* 4.

COE.

COECINA gens. V. illam infr. in *gens.*

COELES, sive *Cælius* Vibenna *Thuscus fuit dux nobilis, qui cum sua manu dicitur Romulo venisse auxilio contra Sabinum Regem.* Varro de Ling. Lat. IV. 8. Tacit. Annal. IV. 65. 2. & Festus. *Panvin. Descr. Urb. Rom. Thes. Antiq. Roman. Græv. Tom.* III. *p.* 275. *B. Marlian. Topogr. Urb. Rom.* IV. 9.

COELIA gens. V. illam infr. in *Gens.*

Coelia lex. V. illam infr. in *Lex.*

COELIBATUS non ignominiæ solum, sed pœnæ erat. Ita apud Val. Max. II. 9. 1. *Camillus & Postumius censores æra pœnæ nomine eos, qui ad senectutem cœlibes pervenerant, in ærarium deferre jusserunt.* Festus. V. illum infr. in *Uxorium.* Exemplum videtur ab Spartiatis petitum. Pollux III. 3. 5. *Fuerunt cœlibibus actiones multis in locis. Serotini vero, aut mali matrimonii judicium fuit apud Lacedæmonios.* Nec tamen lege aliquid cautum reperio: nisi quod C. Cæsar post bellum Africanum, vehementer exhausta Urbe, præmia proposuit multitudini liberorum: idque præfectus morum, & quasi Censor. Dio XLIII. 226. D. *Et quoniam infrequens admodum Urbs erat, propter cæsorum multitudinem, quod ex recensu (eum autem & reliqua velut censor faciebat) & ex ipso aspectu animadvertebatur, iis qui multos liberos haberent, præmia proposuit.* Primus

Augu-

Auguſtus certam legem poſuit, & præmia pœnasque diſtinxit. Ea dicta Julia de maritandis ordinibus. V. illam ſupr. in *Lex.* Dio. LIV. p. 531. E. in actis anni 736. *Inter alia ab Auguſto tum ſtatuta : graviorem multam innuptis utriusque ſexus impoſuit : contra ea nuptiarum, & multitudinis liberorum præmia conſtituit.* Lipſ. Excurſ. in Tacit. Annal. III. C. Junius in Tertull. Apolog. c. 4. *Cœlibum* pœnas ſuſtulit Conſtantinus. Euſeb. de Vit. Conſtant. IV. 26. Sozom. Hiſt. Eccleſ. I. 9. *Vetus lex fuit apud Romanos, quæ vetabat, ne cœlibes ab anno ætatis quinto ac vigeſimo pari jure eſſent cum maritis, tum in aliis plurimis rebus, tum in eo, ut nihil ex teſtamento caperent, qui non eſſent genere proximi. Orbos vero multabat dimidia parte bonorum, quæ ipſis relicta erant. Tulerant hanc legem veteres Romani, cum ſperarent, futurum hac ratione, ut urbs Roma, & reliquæ provinciæ imperii Romani hominum multitudine abundarent. Cum igitur animadverteret Imperator, eos qui virginitatem, & orbitatem propter amorem Dei conſectarentur, ob id pejore loco eſſe, ſtultum eſſe exiſtimavit, credere humanum genus humana poſſe cura, ac diligentia amplificari : cum natura juxta Dei diſpenſationem ſemper aut detrimentum accipiat, aut incrementum. Itaque legem dedit ad populum, ut cœlibes & orbi pari jure, quo reliqui omnes, fruerentur.* Lipſ. & Jun. l. l. Auguſt. de Legib. in Papia Poppæa.

COELIMONTANI fuerunt dicti Verginii, qui *Cœlium* montem incolebant. *Sigon. de Nomin. Rom. Theſ. Ant. Roman. Græv. Tom.* II. *p.* 1982. *D.*

COELIMONTIUM eſt ſecunda regio Urbis, intra mœnia prima a dextris, tota ferme *Cœlio* monte continebatur. *Nardin. Rom. Vet.* III. 5. *Panciroll. Deſcr. Urb. Rom. Theſ. Antiq. Rom. Græv. Tom.* III. *p.* 328. *C.* Fuit vel conjuncta, vel vicina primæ, & porta Latina vel in ea regione, vel ei viciniſſima. Ab hac limitem illius regionis ſecundum muros ad S. Johannis portam, & aliquanto etiam ulterius pertendiſſe neceſſario ſequitur, ubi intra Urbis ambitum *Cœlius* cum colle S. Crucis in Hieroſolymis confinis regionem hanc a quinta dividebat. Alterum ejus latus boreale quod attinet, via, quæ a porta majore recta ducit ad SS. Petri & Marcellini & S. Clementis, credita fuiſſe vetus Labicana, ab tertia illam regione ſeparabat; ſicut & hodieque colles duos disjungit. Quicquid in planitie illa fuit, ad hanc regionem pertinuit : ſiquidem veterem illic Suburram fuiſſe reperiemus. Non tamen verſus Amphitheatrum Titi ultra, aut ſaltem non multum ultra S. Clementis procurrebat; cum caput Suburræ, quod iſthic fuit, & Ceroliensis, nec non illud ipſum Amphitheatrum partes tertiæ fuerint regionis. Unde viam illam, qua nunc in *Cœlium* ad Navicellam itur, eandem eſſe veriſimile eſt, qua olim per Tabernolam aſcendebatur in *Cœlium.* Finiebatur illa planitie regionis tertiæ, & tramitem *Cœlii* ſecuta ſub ædes SS. Johannis & Paulli in rupes iſtas flectebatur : ſicut ad angulum ejus accedens rurſus ad ſiniſtram regyret verſus S. Gregorii. Ab hujus æde ad mœnia uſque una cum ipſo monte proxime portam Latinam progreſſa fuit. *Nardin. l. l.*

COELIOLUS eſt minor *Cœlius.* Mart. XII. 18.

Dum per limina te potentiorum
Sudatrix toga ventilat, vagumque
Major Cœlius, & minor fatigat.

Voco illam planitiem; quæ eſt inter amphitheatrum & baſilicam S. Clementis, *Cœlium* ipſum & Eſquilias. A meridie autem habet piſcinam publicam, & vallem quæ eſt ante viam Appiam, quæ prope Septizonium Severi inchoans, verſus portam Capenam protenditur: *Panvin. Deſcr. Urb. Rom. Theſ. Antiq. Roman. Græv. Tom.* III. *p.* 276. *A. Marlian. Topogr. Urb. Rom.* IV. 8. Ligorius adducit locum Varronis, qui inter *Cœliolum* & Eſquilias Tabernulam collocat, *Cœliolumque* non fuiſſe collem dicit, ſed locum ita appellatum. Varronis verba ſunt de Ling. Lat. IV. 8. *In eum locum, qui vocatur Cœliolus.* Ego vero in Varrone hoc inveni, Tabernolam ad *Cœlium* fuiſſe, & per eam ad Eſquilias tranſiri ſolitum. Contra *Cœliolum* collem fuiſſe, ſi non omnino, certe ex parte a *Cœlio* diſtinctum Martialis productus nos docet. Fuiſſe locum non planum vel ex ipſo Varrone colligo: *Hi poſt Cœlii obitum, quod nimis munita loca tenerent, neque ſine ſuſpicione eſſent, deducti dicuntur in planum.* Et paullo poſt ad differentiam eorum, qui in planum deducti erant; *Principes de Cœlianis, qui a ſuſpicione liberi erant, traductos volunt in eum locum, qui vocatur Cœliolus.* Unde conjectura duci poſſit, ſi ſuſpecti in ipſa Urbis penetralia deducti fuerint, & in planum, quod erat inter Capitolium & Palatium, hoſce non ſuſpectos in locum deductos fuiſſe minus editum, quam ipſe erat *Cœlius*, magisque muris portisque Urbis remotum. Veruntamen fuiſſe collem illum præruptum, abſciſſum, munitum, & muris proximum, in quo porta Latina eſt, multo etiam minus mihi videtur veroſimile. Quod ſi mihi ex facie, qualis hodie eſt, iſtius collis conjecturam facere licitum, Fabioque Pictori, qui Argiletum uſque ad *Cœlium*, inter circum maximum & Aventinum extendit, habenda fides eſt, *Cœliolum* illius cornu ſiniſtrum appellatum exiſtimem, quod e regione eſt Palatini & Aventini; & in quo ædes eſt S. Gregorii. *Nardin. Rom. Vet.* II. 2.

COELIUS ab altero latere ſitus montis Palatini, in editiſſima ſui parte baſilicam habens S. Johannis Lateranenſis, Urbi a Romulo additus fuit ſecundum Dionyſ. II. p. 113. juxta Liv. I. 30. a Tullo Hoſtilio; ut vult Strab. V. p. 162. ab Anco Martio; ut Tacit. Ann. IV. 65. 2. a Tarquinio Priſco. Forma fuit oblonga & anguſta ab Amphitheatro Flavio, ſeu Titi, cui nunc *Coliſeo* nomen, ad ſeptentrionale latus verſus ortum ſolis per viam, quæ ab æde S. Clementis, & S. Petri, ac Marcellini, ad portam majorem ducit, ſinuoſo flexu proſerpens, inter S. Johannis, & S. Crucis in Hieroſolymis finitur. Verſus occidentem vero ſolem una cum ipſis civitatis muris uſque eo, ubi Marrana Urbem intrat, pergens, cum hoc ipſo rivulo ſenſim ad Aventinum procedit, donec a S. Gregorii e regione Palatini deficiat. Dictus eſt a *Cœle* Vibenna, de quo ſupr. in *Cœles.* qui eum incoluit: quo vero tempore, incertum. Varro ad antiquiſſima uſque Romuli tempora rem refert. Tacitus in auxilium Tarquinii Priſci adveniſſe memorat, & antea Querquetulanum dictum fuiſſe Annal. IV. 65. 1. *Haud fuerit abſurdum tradere, montem eum antiquitus Querquetulanum cognomento fuiſſe, quod talis ſylvæ frequens, fœcundusque erat : mox Cœlium appellitatum a Cœle Vibenna, qui dux gentis Etruſcæ cum auxilium appellatum ductaviſſet, ſedem eam acceperat a Tarquinio Priſco, ſeu quis alius Regum dedit : nam ſcriptores in eo diſſentiunt.* Donat. de Urb. Rom. III. 12. Nardin. Rom. Vet. II. 2. Panciroll. Deſcr. Urb. Rom. Theſ. Antiq. Roman. Græv. Tom. III. p. 328. C. Panvin. Deſcr. Urb. Rom. Theſ. ibid. p. 275. A. Marlian. Topogr. Urb. Rom. IV. 9. Urſat. de Not. Roman. Theſ. Antiq. Roman. Græv. Tom. XI. p. 620. B. Manut. de Civit. Roman. Theſ. ibid. Tom. I. p. 6. F. Boiſſard. Topogr. Urb. Rom. Tom. I. p. 34. Faunus Antiq. Urb. Rom. III. 14. In Senatu etiam actum, an non etiam *Auguſtus* diceretur. Tacit. Annal. IV. 64. 4. *Adduntur ſententiæ, ut mons Cœlius in poſterum Auguſtus appellaretur : quando cunctis circumflagrantibus, ſola Tiberii effigies, ſita in domo Junii Senatoris inviolata manſiſſet.* Suetonius autem Tib. c. 48. n. 3. refert Tiberium *juſſiſſe montem Cœlium appellatione mutata vocari Auguſtum.* An Auguſti nomine cœperit appellari non conſtat. Conſtat certe appellationem non manſiſſe. *Donat. Nardin. Marlian. Panvin. l. l. Pitiſc. in Suetonium.* Dictus poſtea *Lateranus* a Lateranorum nobiliſſimorum civium, quorum aliquot Conſules recenſentur in Faſtis; magnificentiſſimis ædibus: quæ ubi baſilica Lateranenſis, & Palatium Pontificium eſt, fuere : atque *egregiæ* dicuntur a Juven. Sat. X. 17. & obſeſſæ a Nerone propter cædem Plautii Laterani Conſulis deſignati. Hieron. Epitaph. Fabiolæ : *In baſilica quondam Laterani, qui Cæſariano truncatus eſt gladio.* Capitol. in Marco Anton. c. 1. *Natus eſt Marcus Romæ in monte Cœlio in hortis, educatus eſt in eo loco, in quo natus eſt, & in domo avi ſui Veri juxta ædes Laterani.* Aurel. Vict. c. 20. n. 6. Severus *Lateranum ditavit, ædibus quo-*

que memoratu dignis, quarum præcipuas videmus, Parthorum quæ dicuntur, ac Laterani. Domum Lateranorum successu temporis possedit Constantinus: idemque B. Sylvestro habitandam dedit: aut Miltiadi, qui Sylvestrum præcesserat, ut putat Baronius. Niceph. IV. 49. *Quod sane palatium* Lateranense *ipse quoque* Constantinus *ingentibus* impensis magnifice construxit, & Christo sacravit. Nam & basilicam Lateranensem in eo exstruxit, & Pontifici donavit. Deinceps Romani pontifices in eo habitarunt, donec commigrarunt in Vaticanum, amplissimis ædibus inibi ædificatis. *Donat. l. l.* Urbi addidit Tullus Hostilius. V. infr. in *Tullus.*

COEMPTIO certis verbis concipi solebat. Cicer. de Orat. I. 56. *Nam neque illud est mirandum, qui quibus verbis coemptio fiat, nesciat, eundem ejus mulieris, quæ coemptionem fecerit, causam posse defendere.* Ejus formulam & ritum describit Boethius ad Cicer. Topic. II. *Coemptio certis solennitatibus peragebatur, & sese in coemendo invicem interrogabant: vir ita, an sibi materfamilias esse vellet: illa respondebat, velle. Item mulier interrogabat, an vir sibi paterfamilias esse vellet: ille respondebat, velle. Itaque mulier in viri conveniebat manum, & vocabantur hæ nuptiæ per coemptionem: & erat mulier materfamilias viro loco filiæ.* Hæc totidem verbis refert Serv. Æneid. IV. 214. & Georg. I. 31. *Coemptionem* imaginariis venditionibus peractam credibile est: in eaque facienda nummos aliquot dicis causa intervenisse. Id enim in aliis quoque legitimis actibus observabatur, in quibus specie tenus mancipationum sollennia repræsentanda erant. *Brisson. de rit. nupt. Thes. Antiq. Roman. Græv. Tom.* VIII. *p.* 1019. *A. de Form.* VI. *p.* 543. *Sigon. de Antiq. Jur. Connub.* I. 9. *Bud. in Pandect. p.* 27. *F. Calv[illegible] de Verb. Sign. p.* 366. *Rhodig. Ant. Lect.* XXVIII. 17. *C[illegible] de Rom. Rit. Prof. c.* 22. *de Urb. ac Imper. R[illegible] [illegible] part.* 2. *c.* 16. *de Rit. nupt. c.* 1. *H[illegible] de vet. [illegible] nupt. c.* 21. *Antiq. Roman.* III. 3. *pag.* 41[illegible]. *F. [illegible] Thes. Antiq. Roman. Græv. Tom.* II. *p.* 1911. *E. [illegible] Miscell.* VII. 10. *[illegible] de Noth. & spur. c.* 4. *n.* 2. *R[illegible] in Leg.* XII. *tab. c.* 21. *Rittersh. in Leg.* XII. *tab. Cl.* III. *p.* 1. *c.* 5. *Laurent. Var. sacr. gentil. c.* 14. *de Sponsal. c.* 1. *Caroli Antiq. Roman.* IV. 2. *Demster. Paralip. in Rosin. Antiq. Roman.* V. 37. Varro de vit. pop. Rom. apud Nonium in Nubentes: *Veteri Romanorum lege mulieres tres ad virum asses ferre solebant, atque unum quidem, quem in manu tenebant, tanquam emendi causa, marito dare; alium, quem in pede habebant, in foco Larium familiarium ponere, tertium in [illegible] cum condidissent, solebant resignare,* vel, ut Lips. Ant. Lect. V. 22. emendat, *dare.* August. ad leg. XII. tab. §. 18. Scalig. Poet. III. 100. Thys. in Gell. III. 2. Calcagn. & Hotom. l. l.

COEMPTIONALES sunt simul venales. Mancipia enim rejicula & veterana, quod non ita facile *emptorem* invenirent, aut minimo æstimarentur, solebant vel plura in cumulum vendere, vel quasi mantissam & appendicem dare melioribus, ut qui bene habitum bene conciliare cuperet, imparem contubernalem simul acciperet. Plauto Bacch. IV. 9. 52. est *venalis senex coemptionalis* ex eo genere, in quibus singulis vix quisquam facit pretium, sed qui auctioni aliorum accedunt. Unde Cicer. Fam. VII. 29. *Quod si inter senes coemptionales venale proscripserit, egerit non multum.* Quod est, si mihi inter rejicula istiusmodi mancipia titulum in venalitio pinxerit, vendideritque me, parum rei fecerit. Quare? quia inutiles sumus, & nullius pretii. Ita de se modeste. Comparentur & aliorum sententiæ. Manutius ad Ciceronem: *Non opinor hoc dici: si me Atticus, mancipium suum venale proscripserit, inter senes qui coemant, sed inter senes qui coemptiones faciant. Aliud est enim coemere, aliud coemptionem facere: coemere notam habet significationem: coemptionem facere est, cum mulier in manum viri convenit sollenni quadam stipulatione, qua se invicem coemebant.* Dicit ergo Curius; si venale proposuerit mancipium senibus *coemptione* uxores ducentibus. Quod autem genus auctionis concipere animo, vel fingere possumus, quo mancipia venalia distrahebantur inter senes potissimum, & eos matrimonium *coemptione* ineuntes? Et quid cum istis senibus Curio. Turnebo Adv. I. 28. videtur *proscribere venale inter senes coemptionales esse in tabula auctionis proponere rem hac conditione venalem, ut proprietas tantum penes auctorem sit, nec res tota proscribatur & alienetur.* Nimia mira, sed quare? Scilicet κτήσεως καὶ χρήσεως meminit Curius: Attici ait se esse κτήσει, Ciceronis χρήσει. Atticum, si hoc mancipium *inter senes coemptionales* proscribat, acturum non multum. Hinc tamen male colligitur hoc esse tantum proprietatem vendere. Si enim maxime hic esset eventus, & vendendo Atticus inter istos senes nil nisi proprietatem transferret, id evenire judicandum esset, non quia isti essent senes aut *coemptionales*, aut mancipium inter senes *coemptionales*, ut volunt, proscriptum; sed quod ipse tantum κτήσει, non χρήσει possideret. Sive inter senes, sive inter juvenes, sive hominibus inter senem juvenemque auctionetur, qui nil nisi proprietatem habet, nil nisi proprietatem vendit. Sed maximum interpretationum harum vitium est, quod putant τὸ *inter* alligare verbo emptores, cum omnino alliget vendendos & emptioni subjectos. Nam *proscribere* tam generale est, ut nullum certum & definitum genus emptorum admittat: palam, publice omnibus, qui velint & possint emere, venum exponere significat. Juvat Ulpian. l. 11. §. 3. ff. de institor. act. etsi de alio *proscribendi* modo agatur. *Proscribere inter paucos* definitos non est proscribere. *Senes coemptionales* ait Turneb. Adv. I. 28. esse, *qui ad coemptiones libentes accedunt, qui libenter emunt.* Quæ vero istorum societas & conjuratio, ut soli exclusis aliis obsiderent hastam? Quæ illa hasta, ad quam aliis accedere non licuit? ubi juveni; ubi viro nemini digitum tollere? Unde autem bonorum hominum emacitas tantum contraxit mali, ut non possint emere nisi proprietatem? Quæ est illa proprietatis sine fructu, sine spe fructus *coemptio*, ad quam libenter homines, & quidem senes accedant? Hotomannus Curium ita interpretatur: *Si inter eos senes, qui multos servos coemunt, venale hoc mancipium proscripseris.* Sed præter illa, quæ diximus, hi quoque quod genus senes, qui multos servos coemunt? Cur senes potius quam viri? Aut ubi forum illud, in quo solis senibus venalia proponebantur? Marcilius hanc Plauto sententiam affingit: *Herum meum faciam ego, ut sit hodie tanquam senex coemptionalis, quia ut seni coemptionali non manet hæreditas, ita nec hero meo manebit pecunia.* Sed senibus his *coemptionalibus* nihil cum hæreditate. Qui ad *coemptiones* hæreditatum adhibebantur, etsi nihil adquirebant alienum, non tamen fraudabantur suo, nec decipiebantur, quippe qui scirent, quod agerent. Non potest igitur dici *facere* aliquem *senem coemptionalem* pro fraudare pecunia. Nec vero Plautus dicit: *faciam senem coemptionalem*; sed vendam: oportet igitur esse similitudinem aliquam hujus senis, & illorum qui venduntur: non qui emunt. *Venire* autem pro decipi dixit hac fabula IV. 7. 16. *Senex coemptionalis*, pergit Marcilius, emit hæreditatem: at ego hunc ipsum venalem habebo, & vendam profecto. Acumen egregium! Quid doctius? nam vendere senem, frigidum; vendere autem senem, qui solet emere, ac præsertim hæreditatem, quamvis salsum atque facetum. Nihilo melior tertia observatio, usurpatam in *coemptionibus* illis imaginariis proscriptionem quoque imaginariam: quod sit *inter senes coemptionales proscribere.* Hæc revera imaginaria sunt: hoc est dicere quod nescias, ut scire aliquid imperitis videare. Salmasius quoque de senibus ad *coemptiones* adhibitis sacrorum causa censet capiendum Curium. Mancipia enim si forte hæreditaria ab illis senibus *coemebantur, qui proprietatem tantum eorum emebant, cum usus maneret penes ipsum heredem. Per fictionem enim celebrabatur hæc venditio, qua heres sacris testatoris posset liberari.* Sed I. illi distinctioni proprietatis & usus jam respondimus. II. Si proprietas erat senum, usus hæredis, non erat fictio, non imaginaria venditio: vere enim aliquid consequebantur: & qui proprietatem habent, profecto non habent nihil, quum possint intervenire casus, quibus usus fructus ad proprietarium redeat. At in imaginaria

coemptione

coemptione, qualis hæc quidem fuit, qualis cum pater filium emancipandum vendebat, nihil consequebatur emptor, quod rem ejus augeret: omnia erant mimica, defunctoria, in speciem. Adfert rem novam, *senem coemptionalem poni pro decrepito, quia senes in extrema tegula ætatis constituti eligerentur ad coemptiones faciendas.* Multo, ergo, minus egerit, opinor, Atticus, si non senibus potius decrepitis quam crudis & validis mancipium suum licitandum offerat. Neque necesse est adeò decrepitum statui Nicobulum, qui quamvis hoc ætatis, destinet nagigare, possit amare. *Gronov. de Pecun. Vet.* IV. 8.

Coemptionales senes etiam, quibus utebantur ad *coemptiones* faciendas sacrorum interimendorum causa, bona testatoris emebant, & hæredi, quem testator elegisset, restituebant hæreditatem. Cicer. pro Mur. c. 12. *Majores nostri sacra interire noluerunt. Senes ad coemptiones faciendas interimendorum sacrorum causa reperti sunt.* Illi homines erant de trivio otiosi, qui omnes auctiones sectabantur, quibus interessent, ut quæ venalia proscribebantur, pretio modico conducti licitarentur, quo emptoribus calorem adderent, resque pluris veniret. Cum de finibus sociorum populi Romani judicium esset, Scaptius senex vanissimus agrum, de quo agebatur, dixit jure belli publicum populi Romani factum. Consules testantes ingens flagitium fieri, *Scaptione*, inquiunt apud Liv. III. 72. hoc seni *coemptionali* (male in vulgatis plerisque *concionali*) assignaturos putarent finitimos populos. Hæc quidem attulimus ad faciliorem intellectum Cicer. de Leg. II. 21. *Heredes*, inquit, *per æs & libram solvant.* Nam *coemptionales* senes, ut familiæ emptores certis conditionibus emebant hæreditatem, ut scilicet pecuniam hæredi, legatariisque solverent, quam testator illos habere volebat. Quo pacto pecunia ex stipulatu debebatur, nec legatarii solum, sed & filii, qui emancipatione sui hæredes esse desinebant, nec in familia testatoris erant, sacrorum onere sublevabantur. *Guther. de vet. jur. Pontif.* II. 6. Sed si *coemptionales* fuerunt de trivio otiosi . . . . mirum est non libuisse Ciceroni potius *coemptionalem*, quam *licitatorem* dicere; quem tamen dicit Fam. VII. 2. *Licitatorem potius apponam, quam illud minoris veneat.* & de Offic. III. 15. *Non licitatorem venditor, non qui contra se liceatur, emptor apponet.* Cicer. de Leg. II. 21. ait: *per æs & libram heredes testamenti solvant*: non dicit: *hæredibus testamenti pecuniam solvant*: quæ immane quantum discrepant. Sed eosdem senes, quos significat Cicero, esse familiæ emptores, non est verosimile. Secus in omni testamento per æs & libram eo ipso, quod res inter testatorem & familiæ emptorem agebatur, hæres sacris solutus fuisset. Emebant, inquit Gutherius, hæreditatem, ut pecuniam solverent. Si eandem hic intelligit hæreditatem, quam pecuniam, cur tanquam duas res ponit? si diversas res intelligit, non erat negotium imaginarium, & senes illos non homines de trivio, sed bene locupletes oportebat esse. Quorsum autem hic illa mentio filiorum emancipatorum? Salmasius ad Plautum & ipse, quos sacrorum interimendorum causa JCti adhibuerunt, proprie dictos esse vult *coemptionales*, nec in aliis *emptionibus* locum habuisse. Cur? nisi quia sic placet. Eos res aliquot hæreditatis, velut mancipia *coemisse*, & sic cum viderentur hæreditatem ipsam *coemisse*, sacris etiam illis, quæ cum hæreditate conjuncta erant, obnoxios factos: sed cum capulares essent, ipsis mortuis sacra illa etiam exstincta fuisse, & interempta, nec ad eorum hæredes transisse. Sed qua simulatione mancipia illa poterant repræsentare totam hæreditatem, cum suis sibi adjunctis sacris? Novo hic ingenio opus est ad hæc mancipia toti hæreditati subdenda, & substituenda piacularia. Unde *coementes* hujusmodi mancipia sacris obnoxii fiebant? Sextum ergo genus Scævolæ constituendum fuit sacris alligatorum, qui hæreditariæ quicquam rei *coemissent*. Cur denique ad illos, ad quos morte capularium ejusdem senum redibat mancipiorum proprietas, non propagabantur eadem sacra, cum quibus accepissent ea isti senes? Cur ad hæredes eorum non transibant, sed ipsis mortuis interimebantur? Si integra exstaret pars illa libri secundi de Legibus Ciceronis, qua de sacris perpetuis tractat, res, credo, foret declarata satis: nunc facilius aliorum opiniones rejicere, quam ipsi certiorem prodere possumus. Tentemus tamen & nos aliquid, ne simus asymboli. Præbebunt occasionem verba Cicer. de Legib. II. 20. *Cum etiam cavent, ut cui plus legatum sit, quam sine religione capere liceat, is per æs & libram heredes testamenti solvat: propterea quod eo loco res est ita soluta hereditate, quasi ea pecunia legata non esset.* c. 21. *Rursus sacris liberantur. Hoc vero nihil ad pontificium jus, & e medio est jure civili, ut per æs & libram heredes testamenti solvant: & eodem loco res sit, quasi ea pecunia legata non esset, si is, cui legatum est, stipulatus est id ipsum, quod legatum est, ut ea pecunia stipulatione debeatur.* Hæc quidem de certo genere solvendi sacris loquuntur, similitudine tamen in universum juvare nos possunt. Æs & libra, cujus hic mentio, non est ea, qua testamentum fit, nec quæ inter testatorem, & familiæ emptorem adhibetur (nam hic emptor, ut hæreditatem, & pro hærede emebat, eoque adstringebat illum sacris) sed alia inter hæredes legatariumque. Sic nos cum per æs & libram sacris hæredem solvere volumus, non accipimus eam, quæ testando interveniebat, sed quæ post testatoris mortem hæreditatemque aditam usitabatur inter hæredem & comparatum hominem senem, qui hæredem solveret. Itaque poterat post quodvis testamentum, & in hæreditate etiam intestati, atque adeo in quinque illis generibus, quæ Scævola facit eorum, qui sacris alligarentur, adhiberi. Subornabat hæres hominem senem, tanquam graviorem auctorem: (*interest enim nonnunquam a sene potius aliquid fieri, quam a juvene.* Modestin. l. 15. ff. de fideicomm. libert.) ei ut in legitima mancipatione, advocato libripende, ac testibus, vendebat hæreditatem non ut hæredi, nec pro hærede, ut testator familiæ emptori, sed ut possessori alieno: senex dato dicis causa nummo sestertio eam *coemebat*, & non secus ac sectionis emptor, & possessor liberam eam nullis adstrictus sacris quasi suam faciebat: postea res in stipulatum deducebatur, & emptor, ac dominus fiduciarius stipulato hæredi quasi ex sponsu eandem tradebat: communi jure, quo nihil tam naturali æquitati conveniens esse sancitur, quam voluntatem domini rem suam in alium transferre volentis ratam haberi. Sic exstinguebatur nomen hæredis, & hæreditatis, & sic etiam sacrorum hæreditati adnexorum, & lucrosiore titulo possidebat, qui graviore prius, ut hæres possederat. *Coemptio* autem illa imaginaria vim eandem obtinebat, quam in emancipationibus liberorum. Ibi enim pater uno, aut duobus nummis, ut loquitur Cajus, in similitudinem pretii accepti, filium fiduciario patri vendebat, isque mox illum manumittebat: quod cum iterum factum esset, tertio rursus emptum a patre naturali fiduciarius pater non manumittebat, sed velut suum naturali patri remancipabat, a quo tum denique manumissus fiebat sui juris. Sed & donationibus interdum hujusmodi venditiones imaginariæ interponebantur, ut ea non donatio, sed emptio venditio videretur. Ut cum Serviliæ amplissima prædia ex auctionibus hastæ nummo Cæsar addixit, teste Suet. Jul. c. 50. n. 3. Hi porro senes ad *coemptiones* faciendas adhibiti sacrorum interimendorum causa cum senibus *coemptionalibus* nihil habent commune nisi partem vocabuli, quo alterorum opera, alterorum status significatur. *Gronov. de Pecun. Vet.* IV. 7.

COENA. Ejus apud veteres hora erat attributa æstate nona, hyeme decima. Cicer. ad Fam. IX. 26. *Accubueram hora nona, cum id literarum exemplum in codicillis exaravi.* Mart. IV. 8. 6.

Imperat exstructos frangere nona thoros.

Itaque Juvenalis Marium tanquam intempestivum convivam notat, quod hora octava cœnatum venisset, Sat. I. 49.

Exsul ab octava Marius bibit, & fruitur Dîs
Iratis.

Cum Mart. XI. 53. 3. dixerit:

Octavam poteris servare, lavabimur una.

Erat enim octava hora adsignata lavationi æstate, quam *cœna* consequebatur hora sequenti, hoc est, nona: cum hyeme lavarent nona, cœnarent decima. Cicer. ad Herenn. IV. 51. *Visit triclinium stratum . . . vos huc decima venitote.* Plin. Epist. III. 1. *Ubi hora balnei nuntiata est, est autem hyeme nona, æstate octava. . . . Lotus accubat, & paullisper cibum differt. . . . Apponitur cœna non minus nitida quam frugi.* Ursin. Append. ad Ciaccon. de Tricl. p. 170. Buleng. de Conviv. I. 23. Putean. Reliq. Conviv. Prisc. Thes. Antiq. Roman. Græv. Tom. XII. p. 251. F. Schel. ad Polyb. Thes. Græv. Tom. X. 1242. C. Lips. Ant. Lect. III. p. 144. Salmas. Exercit. Plinian. p. 456. b. E. in Spartian. Adrian. c. 22. Lampr. Alex. Sev. c. 30. Vopisc. Flor. c. 6. Panciroll. de Reb. Deperd. & Inv. p. 496. Partes fuerunt tres, promulsis, seu antecœna, & antecœnium, deinde caput *cœnæ*, quod *δεῖπνον* dicitur, tum vero bellaria. *Buleng. ibid.* II. 3. V. singula suis locis. . . . . . Pater ut dicitur Horat. Sat. II. 8. 6.

Inprimis Lucanus aper leni fuit austro
Captus, ut ajebat cœnæ pater.

erat, qui talorum jactu creatus *cœnæ* modum præscribebat. *Ursin. ibid. p.* 339. Inter cœnandum lectores servi cœnantibus librum aliquem prælegebant. V. infr. in *Lectores.* Convivæ, pueri, & puellæ canebant. V. supr. in *Canebant.* Ministrabant pueri. V. infr. in *Pueri*, & puellæ, interdum etiam nudæ. V. infr. in *Puellæ.* Finis erat ante Solis occasum, vel sub ipsum certe occasum Solis, juxta illud Homer. Odyss. III. 335.

Jam enim lumen ivit sub occasum, neque decet
Diu Deorum in epulo sedere, sed redire.

Et ut de Domitiano inquit Suet. c. 21. n. 4. *Convivabatur frequenter ac large, sed pæne raptim: certe non ultra Solis occasum.* Postea in multam noctem *cœnæ* produci cœperunt, ut de Nerone Suetonius, quem suas *epulas a medio die ad mediam noctem protraxisse* scribit c. 27. n. 2. Unde *noctes Neronis* dicit Juven. Sat. IV. 137. & Horat. Sat. II. 6. 65.

O noctesque cœnæ Deûm, quibus ipse meisque
Ante Larem proprium vescor.

Item Pers. Sat. V. 42.

Et tecum primas epulis decerpere noctes.

Unde in marmoribus scalptæ sunt etiam lucernæ, quas vocant tricliniares. V. illas infr. in *Lucerna.* Ursin. ibid. p. 376. Stuck. Ant. Conviv. III. 23. Cum incaluisset, ut pallio tegerentur, moris erat. Plutarch. in Arato pag. 1047. D. quem Antigonus supra se accumbere jussit, & post paullo, cum petiisset pallium, jussit Aratum proxime se accedere, & pueri, cum tapes allatus esset, ambos simul eodem involucro texerunt. Athen. I. p. 23. F. *Tyrrheni cœnant cum uxoribus accumbentes sub eodem pallio.* Buleng. ibid. I. 34. Amicis faciebant novæ domus incolæ, ex more, quo peracto ædificio Larem familiarem dominus salutabat primum, eique sacrum faciebat, quo lemures extra januam ejiceret: unde natum proverbium: *Chasser les Esprits.* Guther. de Jur. Man. II. 16. *Cœnarum* sumptus coercueruut leges Fannia, Licinia, Cornelia, Æmilia, Antia, Julia. V. illas infr. in *Lex.* Caput. V. supr. in *Caput.*

Cœna adjicialis dicta videtur, quia in illa semper aliquid, veluti majori luxu *adjiciebatur.* Bacc. de vin. & conviv. IV. p. 132. Guther. de vet. jur. Pontif. I. 26. Plin. X. 20. *Pavonem primus occidit Hortensius adjiciali cœna sacerdotis.* XXIX. 4. *Catulinam adjicialibus quidem celebrem epulis, Plauti fabulæ indicio sunt.* Video dubitari quid sit illa. Erat, quoties aut inaugurandi alicujus gratia, aut propter aliud quid, puta, publicam lætitiam, indicebatur epulum: idque dicebatur epulum, aut cœnam *adjicere.* Tacit. Annal. II. 65. 5. *Rhescuporis sanciendo fœderi convivium adjecit, tractaque in multam noctem lætitia per epulas & vinolentiam.* Scalig. Conject. in Varr. p. 118. Saubert. de Sacrif. c. 26. Ursin. Append. ad Ciaccon. de Triclin. p. 175. Tiraq. in Alex. VI. 12. Buleng. de Imper. Roman. II. 32. de Conviv. I. 10. Siccam. in Fast. Kalend. Roman. c. 4. Laurent. de Natal. & conviv. c. 2. Polym. II. Synops. 36. Baccius de Conviv. antiq. I. 2. *Adjiciales* ego nullas arbitror, & aditiales omnino lego. Intelligo eas, quæ in *aditu* honoris, & auspiciis quasi primis etiam nunc dari solent: sed olim maxime sacerdotiorum. Inde Pontificiæ, Saliares, Augurales, Diales *cœnæ* proverbiis celebratæ: Has honori datas scribit Senec. Epist. 95. *Et tricies tamen HS aditiales cœnæ frugalissimis viris constiterunt. Eadem res si gulæ datur, turpis est: sin honori, reprehensionem effugit.* Talis illa apud Macrobium, ex indice Metelli Pontificis transscripta Saturn. II. 9. *Ante diem IX. Kalend. Septembres, quo die Lentulus flamen inauguratus est.* Datæ igitur in ipsa inauguratione, & aditu, ut dixi: & quidem sic *aditiales*, ut *initiales*? Tranquilli simile Claud. c. 9. n. 5. *Sestertium octogies* (id est, ducenta millia Philippicorum) *pro introitu novi sacerdotii coactus impendere.* Lips. de Magn. Rom. IV. 9. Chimentell. de Hon. Bisell. c. 38. Fab. Semest. I. 6. & comm. I. 16. ff. de R. J. Saubert. l. l. Græv. Thes. Antiq. Roman. Tom. V. Proleg. * *. vers. Tom. XII. Præfat. * 4. Pitisc. in Suetonium. Pichena & Gronov. in Tacitum.

Cœna adventitia, sive adventoria erat, qua amicos peregre advenientes veteres solebant excipere. Plaut. Stich. IV. 1. 8.

Et magis par fuerat me dare vobis cœnam advenientibus.

Bacch. III. 6. 7.

— salvus cum peregre advenis,
Cœna datur.

Mart. Epist. Dedic. 12. *Ut familiarissimas mihi aures tuas exciperem adventoria sua.* Suet. Vitell. c. 13. n. 3. *Famosissima super ceteras fuit cœna ei data adventitia a fratre.* Turneb. Adv. II. 30. Fab. Semest. I. 6. Agonist. II. 18. Laurent. de Conviv. vet. c. 5. Stuck. Ant. Conv. I. 29. Buleng. de Conviv. I. 8. Rhodig. Ant. Lect. XXVIII. 3. Laz. Comm. Reip. Rom. III. 3. Pitisc. in Suetonium.

Cœna æstiva. Hanc apud Tertullianum de Anima vulgo ita interpretantur, ut si quid post assum inferatur, sit alienum. Putem ego levem fuisse, & humidioribus cibis constitisse. Plaut. Men. II. 1. 30.

Æstive admodum viaticati sumus.

Buleng. de Conviv. I. 2.

Cœna auguralis. De illa Cicer. Fam. VII. 26. *In eos cum incidissem in cœna augurali apud Lentulum.* Siccam. in Fast. Kalend. Roman. c. 4. Ursin. Append. ad Ciaccon. de Triclin. p. 175. Bacc. de Conviv. antiq. I. 2. Quid fuerit. V. supr. in *Cœna adjicialis.*

Cœna Capitolina dicebatur epulum Jovi in Capitolio Idibus Novembribus indictum. Mart. XII. 48. 12.

Nec Capitolinæ, Pontificumque dapes.

Meminit epuli Jovis Val. Max. II. 1. *Jovis epulo ipse in lectulum, Juno & Minerva in sellas ad cœnam invitantur.* Liv. XXIV. *In Capitolio convivium hujusmodi celebrant. Lectisternia tribus Diis, Jovi, Junoni, & Minervæ Romæ in Capitolio hoc modo fiebant. Jovis simulacrum statuebatur in lecto recubans: Junonis & Minervæ in sellis considebant. Deinde multa nocte appositis epulis septem epulones introducebantur, qui cibos sacratos comedebant. Hinc Jupiter dapalis dictus est, quod illi sacra dapali epulo fierent.* Tenuit consuetudo apud Romanos, ut vel in supplicationibus, vel iræ cœlestis placandæ causa in templis Deorum convivia instaurarentur, Diisque tanquam epulaturis lecti sternerentur. His indicendis præerant Triumviri vel Septemviri Epulones. Festus. V. illum infr. in *Epulones.* Rader. ad Martialem. Buleng. de Conv. I. 9. Ursin. Append. ad Ciaccon. de Triclin. p. 178. Baccius de Conviv. Antiq. I. 2.

Cœna centenaria dicebatur, in qua centussis, id est, centum

centum asses expendebantur. Tertull. Apolog. c. 6. *Quonam illæ leges abierunt, sumptum & ambitionem comprimentes, quæ centum æra non amplius in cœnam subscribi jubebant, nec amplius quam unam inferri gallinam, & eam non saginatam? Video enim centenarias cœnas a centenis jam sestertiis dicendas.* Buleng. de Conviv. I. 10. August. de Leg. in Fannia & Licinia sumptuariis. Rhodig. Ant. Lect. VII. 9. XXVIII. 39. Alex. Gen. Dier. III. 22. & ad illum Tiraquellus. Bud. de Asse v. p. 627. Donat. Dilucid. p. 940. Bruyer. de Re cibar. III. 4. Crinit. de Honest. Discipl. XIV. 6.

Cœna Cerealis appellabatur opima, lauta, & multis ferculis onerata. Plaut. Men. I. 1. 25.

Cereales cœnas dat, ita mensas exstruit
Tantas struices concinnat patinarias.
Standum est in lecto, si quid de summo petas.

quod *Cerealibus* populariter solerent genio indulgere, docet Virg. Georg. I. 338.

In primis venerare Deos, atque annua magnæ
Sacra refer Cereri: lætis operatus in arvis,
Extremæ sub casum hyemis, jam vere sereno:
Tunc agni pingues, tunc sunt mollissima vina.

Sed & ante messem ei sacra faciebant, ut ex eodem intelligimus. Et educatrix hominum *Ceres* Dea erat: inde & *auras Cereales*, quæ educant & alunt fructus, Plinius de caprificatione loquens vocavit XV. 19. *Intus solem primo secum inducunt, Cerealesque auras immittunt foribus apertis.* Turneb. Adv. XVIII. 14. Stuck. Ant. Conv. I. 6. Ursin. Append. ad Ciaccon. de Triclin. p. 178. Siccam. ad Fast. Kalend. Rom. c. 4.

Cœna Cynica erat eorum, qui misere vivebant, ut siliquis & leguminibus, quique vilissimis cibariis se tolerabant, atque sustentabant. Petron. c. 14.

Ipsi qui Cynica traducunt tempora cœna.

Nam talis erat Cynicorum philosophorum victus. *Turneb. Adv.* I. 15. *Laurent. Polym.* II. *Synops.* 35.

Cœna dapalis dicebatur, quæ diversis & amplis dapibus constabat. Nonius II. §. 200. *Dapalis cœna est amplis dapibus plena. Titinnius Varro:*

Toto fit in foco de lignis mihi dapalis cœna.

Plin. X. 10. *Pavonem cibi gratia primus occidit Hortensius dapali cœna sacerdotii.* Sueton. Vesp. c. 19. n. 3. *Convivabatur assidue: ac sæpius recta & dapsile.* Stuck. Ant. Conviv. I. 6. Buleng. de Imper. Roman. II. 32. Laz. Comm. Reip. Rom. III. 3. Ursin. in Ciaccon. de Triclin. p. 176. Baccius de Conviv. Antiq. I. 2. Pitisc. in Suetonium.

Cœna dialis, quæ dicitur Senec. Epist. 123. *Hæc qualiscunque cœna diali jucundior erit*, ut Tacit. Annal. III. 58. I. *sacra dialia*, & *flamen dialis*. & Apul. Met. IV. p. 186. *viæ diales*. VIII. p. 240. *fulmen diale*, est ea, quæ ante Jovis cellam in Capitolio fiebat eratque publica. Senec. Epist. 98. *Tubero paupertatem, & se dignam, & Capitolio judicavit, cum fictilibus in publica cœna usus, ostendit debere his hominem esse contentum, quibus dii etiamnum utentur.* Et Epist. 95. Sed V. illam infr. in *Fictilia*. Val. Max. II. 1. 2. quem laudamus infr. in *Epulum Jovis*. *Solenni enim die Jovi epulum libari, atque ob id sacrificium senatum in Capitolio epulari* solitum docet Gell. XII. 8. itemque Dio XLVIII. p. 389. B. *Ludis Romanis nullum senatorem in Capitolio epulatum esse in prodigium tractum fuit.* Hinc explico, quod *excusantibus se senatoribus* ab Augusto *servatum insigne vestis, & spectandi in orchestra, epulandique publice jus* apud Suet. c. 35. n. 3. Fiebat ludorum causa. Liv. XXXIII. 42. *Ludi plebis per biduum instaurati, & epulum fuit ludorum causa.* XXXI. 4. *Ludi plebeji ter toti instaurati ab ædilibus plebis L. Apustio Fullone, & Q. Minucio Rufo: & Jovis epulum fuit ludorum causa.* Faber Semest. I. 6. Laz. Comm. Reip. Rom. III. 3. Thys. in Gellium. V. & infr. in *Epulum*.

Cœna dubia est lauta, opipara, cibis conquisitissimis exstructa, vario apparatu affluens. Terent. Phorm. II. 2. 28.

Cœna dubia apponitur.

Horat. Sat. II. 2. 78.

Cœna desurgat dubia.

Ipse Terentius, cum id non satis intelligeretur, declaravit eam esse n. 29.

Ubi tu dubites quid sumas potissimum.

Hinc species quædam placentæ *dubia* est appellata. Eam in genere placentarum a Chrysippo Tyanensi relatam legimus apud Athen. XIV. 19. *Turneb. Adv.* XXVIII. 4. *Erasm. Adag. p.* 443. *b. Ursin. Append. ad Ciaccon. de Triclin. p.* 191. *Guilielm. Quæst. Plaut. Cist. c.* 4. *Schill Nomencl. Philol. p.* 309. *Lister. in Apic. de Re Coquin.* IV. 2. §. 44.

Cœna funebris erat duorum generum. Una in rogo Diis manibus parabatur: altera proximioribus & amicis. Hoc proprie epulum funebre: illud silicernium. V. infr. in *Silicernium*. Guther. de Jur. Man. I. 25. Ferret. Mus. Lapid. III. Memor. 27. Kirchm. de Fun. Rom. IV. 5. Turneb. Adv. III. 13. Ursin. Append. ad Ciaccon. de Triclin. p. 280. Morest. Pomp. Funebr. VIII. 16. Lips. in Tacit. Annal. VI. n. 19. Stuck. Ant. Conviv. I. 26. Hospinian. de Fest. Ethnic. p. 106. Meurs. de Fun. c. 35. Casal. de Urb. ac Imper. Roman. splend. part. 2. c. 21. de Proph. Roman. rit. c. 26. Clasen. Theol. gentil. I. 10. 30. Baccius de Conviv. Antiq. I. 2.

Cœna Imperatoria quæ dicitur Spartian. Sever. c. I. *Quum rogatus ad cœnam Imperatoriam palliatus venisset.* Et convivium Imperatorium vocatur Capitol. Pertin. c. 8. *Convivium Imperatorium ex immenso ad certum revocavit modum.* erat quam Principes Romani, ad triumphantium antiquitus Imperatorum similitudinem, & exemplum, die qua Augusti appellationem recipiebant, ad convivium magistratus, & senatorum præcipuos invitare solebant. Capitol. ibid. c. 6. *Ea die etiam ad convivium magistratus, & proceres senatus rogavit, quam consuetudinem Commodus prætermiserat.* Faber Semest. I. 6.

Cœna libera dicebatur, quia etiam per mensam, sive *convivii*, ut Gajus Instit. §. 2. de Jur. Pers. *exhibitione* servi manumittebantur. Non sufficiebat tamen servo, ut simpliciter domini mensæ accumberet, & cum domino cibum caperet; sed oportebat, ut eum dominus expresse dandæ libertatis causa convivio adhiberi testetur. Hoc satis indicat Theophilus §. 4. Instit. de Libert. *Per mensam: Cum libertatis dandæ gratia servum convivio adhibebant.* Utque sic eum vel inter epulas, vel etiam antequam accumberet, manumitteret. Apud Petronium Fragm. Tragur. p. 1. hujusmodi *cœnæ* fit mentio. *Venerat jam tertius dies, id est, exspectatio liberæ cœnæ.* Quam ita capiendam sequentia satis probant. Tum quoque aquam liberam gustare dicuntur. V. supr. in *Aquam*. Loon. de Manum. II. 4. Mihi diceretur illa, quam *cœnabant* in publico, qui ad ludum, vel ad bestias damnati erant, pridie antequam pugnarent: illa sic nuncupabatur, vel quod apponeretur ipsis quicquid postulassent, vel quod summa cum libertate & licentia peragеretur. Passio Perpetuæ & Felicitatis: *Pridie quoque cum illa cœna, quam liberam vocant, quantum in ipsis erat, non cœnam liberam, sed agapen cœnarent, eadem constantia ad populum verba ista jactabant.* Et de illa fragmentum Petronii jam allatum. De eadem intelligendus Tertull. Apolog. c. 42. *Non in publico liberalibus discumbo, quod bestiariis supremam cœnantibus mos est.* Du Fresne in Glossario. Vales. in epistola ad lectorem præfixa editioni Paris. hujus passionis. Græv. Thes. Antiq. Roman. Tom. IX. * * 4. XII. Præfat. * 4.

Cœna Luculli extemporalis, de qua Plutarch. Lucull. p. 519. C. *Cicero & Pompejus Lucullum in foro otiosum convenerunt, & illi dixerunt: nos hodie constituimus apud te cœnare, verum cœna solita tua. Hic recusare Lucullo simulante, atque in posterum diem eos rejiciente, negaverunt se concessuros, neque alloquendi potestatem ei fecerunt servos, ne quid parari quotidiano præciperet & amplius. Id modo largiti sunt petenti, palam ut uni servo diceret, hodie ipsum in Apolline cœnaturum. Id uni ex splendidis tricliniis nomen erat. Quod ejus commentum fefellit illos. Nam singulis scilicet tricliniis summa certa in cœnam fuit taxata, peculiaresque im-*

penſas & paratum habebant, ut ſervi audito ubi cœnare vellet, ſcirent quantum impendendum, quo eſſet cœna ordine & digeſtione inſtruenda. Cœnare in Apolline quinquaginta millibus denariorum, quæ præter propter nobis ſunt quinque millia ſcutatorum, ſollenne habebat. Ea tunc inſumpta ſumma obſi[illegible]t Pompejum, in ſumptus immenſitate celeritas apparatus. Buleng. de Conviv. I. 9. Cenal. de Pond. & menſ. rat. Theſ. Antiq. Roman. Græv. Tom. XI. p. 1541. E. 1563. F.

Cœna Muſica erat mediocris & temperata. Damaſcius Syrus in Hiſtoria de Philoſophis: *Victum ſortitus eſt moderatum, & frugalem, neque ob egeſtatem præparcum, neque propter opes diffluentem, ſed medium atque muſicum pro fortunis vere temperatum.* Huc refero illud Plaut. Moſt. III. 2. 40.

Muſice hercle agitis ætatem, ita ut vos decet
Vino, & victu, piſcatu probo, electili vitam colitis.

Quum vellet innuere mediam vivendi rationem illos ſequi, neque vilis & minimi pretii, neque rurſus maximis dapibus victitando, ſed medio victu contentos. *Stuck. Ant. Conviv. I. 5. Buleng. de Conviv. I. 8. Laurent. de Prand. & cœn. I. 9. [illegible] II. Synopſ. 35.*

Cœna natalitia dicebatur, quæ dabatur, cum natales celebrarentur. Plaut. Perſ. V. I. 16.

— *Loca te, accumbe,*
Hunc diem ſuavem meum natalem inter nos agitemus amœnum:
Date illi aquam manibus, apponite menſam.

Juven. Sat. XI. 84. V. illum infr. in *Porcus.* Fab. Semeſt. I. 6. Urſin. Append. ad Ciaccon. de Triclin. p. 180. Buleng. de Imper. Roman. II. 32. Baccius de Conviv. Antiq. I. 2. V. infr. in *Convivium.*

Cœna nuptialis eſt, quam ſponſi parentes, vel ipſe ſponſus dare ſolebant. Plaut. Curc. V. 2. 61.

Hic nuptialem cras dabit.

Suet. Cal. c. 25. n. 3. *Adhibitum cœnæ nuptiali, mandaſſe ad Piſonem.* Illam deſcribit Apul. Met. VI. p. 195. *Nec mora, cum cœna nuptialis affluens exhibetur. Accumbebat ſummum torum maritus: Pſychen gremio ſuo complexus, ſic & cum ſua Junone Jupiter, ac deinde per ordinem toti Dei. Tunc poculum nectaris, quod unum Deorum eſt, Jovi quidem ſuus pocillator ille ruſticus puer, cæteris vero Liber miniſtrabat: Vulcanus cœnam coquebat: Horæ roſis & cæteris floribus purpurabant: omnia Gratiæ ſpargebant balſama. Muſæ quoque canora voce perſonabant: Apollo cantavit ad citharam.* Fab. Semeſt. I. 6. Urſin. Append. ad Ciaccon. de Triclin. p. 179. Roa Singul. I. 2. 16. Demſter. Paralip. ad Roſin. Antiq. Roman. V. 37. Briſſon. de Rit. Nupt. Theſ. Antiq. Roman. Græv. Tom. VIII. p. 1043. F. Stuck. Ant. Conviv. I. 24. Caſal. de Urb. ac Imper. Roman. ſplend. part. 2. c. 16. de Rit. nupt. c. I. Laurent. de Sponſal. c. I. Potter. Archæol. Græc. IV. 11. Baccius de Conviv. Antiq. I. 2. Pitiſc. in Suetonium.

Cœna Pontificalis dabatur lautiſſima in eorum creatione. Dabatur bis in anno, videlicet IX. Kalend. Aug. & XIII. Kal. Novemb. *Laz. Comm. Reip. Rom.* III. 3. *Eraſm. Adag: p.* 458. *a. Baccius de Conviv. Antiq.* I. 2. *Sardus de Mor. Gent.* III. 17. Ita opipara erat, ita lauta, ut nihil magnificentius adſtrui poterit, nihil ad evertendas ſumptuarias leges fortius. Omnes hæ Orchia, Didia, Cornelia, Æmylia, Antia, Julia conticuerunt, ubi Pontifices voluerunt exquiſitis epulis saginari. Varr. de Re Ruſt. III. 2. *Collegiorum cœnæ innumerabiles excandefaciebant annonam macelli.* Unde Horat. Od. II. 14. 25.

Abſumet hæres Cæcuba dignior
Servata centum clavibus, & mero
Tinget pavimentum ſuperbo
Pontificum potiore cœnis.

Guther. de vet. jur. Pontif. I. 26.

Cœna popularis erat epulum, quod populo dabatur. Nam verbi gratia in triumphis epulum populo interdum dabatur, & dabantur prandia: ut indicat Suet. Cæſ. c. 38. n. 4. Sed & cum decimam Herculi ſolvebant, poll ucto accipiebant populum. Plaut. II. 4. 67.

Quid tunc ſi in ædem ad cœnam veneris,
Atque ibi opulentus tibi par forte ut venerit,
Appoſita ſit cœna, popularem quam vocant. . . .

Turneb. Adv. XXVI. 16. Eraſm. Adag. p. 445. b. Baccius de Conviv. Antiq. I. 2. Ex his verbis ego conjicere viſus ſum a clientibus olim in æde ſacra convivium patronis apparari ſolitum, quod *cœnam* popularem vocarent. Docet hoc n. 70. Et in ædem ſacram ad illam *cœnam* conveniſſe dicit n. 67. In ſacris vero ædibus ut Dialis, itemque popularis *cœna*, ſic & alia convivia fiebant. Vopiſc. Tacit. c. 10. *Argentum menſale, quod privatus habuerat, miniſteriis conviviorum, quæ in templis fierent, dedicavit.* Ideo *publicarum epularum apparatum cum lectiſterniis Deorum, diebus feſtis, ludis ſcenicis, ludiſque Circenſibus* conjunxit Apul. de Mund. p. 750. *Fab. Semeſtr.* I. 6. *Auctor miſc. def. pro Salmaſ. ad jus Attic. & Rom. p.* 84.

Cœna pura apud Romanos fuit jejunium quoddam, & abſtinentia ciborum, quam veteres in caſto Cereris uſurpabant. Apulejus ſub finem Aſclepii: *Hoc optantes convertimus nos ad puram & ſine animalibus cœnam.* Græci *cœnam* ſine ſanguine dixerunt. Diphilus apud Athen. p. 136. C.

Illam mihi futuram cœnam absque ſanguine.

Ob quam ſcilicet nullæ cæderentur animantes, ſed convivantibus olera tantum, & terra nata apponerentur: & quam terreſtrem *cœnam* ob id appellavit Plaut. Capt. I. 2. 86.

HEG. *Terreſtris cœna eſt.* PAR. *ſus, terreſtris beſtia eſt.*
HEG. *Multis oleribus.*

Hujuſmodi quandam *cœnam* innuit Spartian. Did. Julian. c. 3. *Sæpe nulla exiſtente religione, oleribus, leguminibuſque contentus ſine carne cœnavit.* Auguſtin. in Johann. tractat. 167. & 120. *Acceleratam vult intelligi ſepulturam, ne adveſperaſceret, quando jam propter paraſceven, quam cœnam puram Judæi Latine uſitatius apud nos vocant, facere tale aliquid non licebat.* Feſtus in Penem ſcribit offam penitam in *cœnis* puris dari ſolitam fuiſſe. *Penem,* inquit, *antiqui codam vocabant, a qua antiquitate etiamnum offa porcina cum cauda in cœnis puris offa penita vocatur.* Urſin. ad Ciaccon. de Triclin. pag. 189. Scalig. in Feſtum & de Emend. Temp. VI. p. 569. C. Victor. Var. Lect. VII. 16. Buleng. de Conv. I. 11.

Cœna recta erat lauta, opipara, omnibus modis inſtructa, & in qua nihil menſæ apparatui deeſt, δεῖπνον λυσιτελὲς, ut dicitur Luciano Συμποσ. p. 650. Mart. VII. 48. 10.

Promiſſa eſt nobis ſportula, recta data eſt.

Idem ibid. 17. 2.

Rectam vocatus cum recurrit ad cœnam.

Suet. Aug. c. 74. n. 1. *Convivabatur aſſidue, nec unquam niſi recta.* Ita *recte vivere* pro laute & opipare dicit Senec. Epiſt. 122. *Hanc petunt omnes iſti, qui, ut ita dicam, recte vivunt.* Et *apparatus rectus* eidem lautus eſt Epiſt. 110. *Non magnam rem facis, quod vivere ſine recto apparatu potes.* Turneb. Adv. XVIII. 11. Meurſ. ad Lycophr. p. 218. Pollet. For. Rom. V. 11. Stuck. Ant. Conv. I. 6. & 35. Donat. Dilucid. p. 492. & 496. Urſin. Append. ad Ciaccon. de Triclin. p. 174. Bud. in Pandect. p. 204. de Aſſe p. 618. Buleng. de Conviv. I. 2. & 10. Laz. Comm. Reip. Roman. III. 3. Baccius de Conviv. Antiq. I. 2. Pitiſc. in Suetonii Auguſtum.

Cœna Saliaris erat lauta, copioſa, opipara, magnifica. Salii enim per feſtos dies luxurioſas *cœnas* facere dicebantur. Feſtus. V. illum infr. in *Salii.* Cicer. Attic. V. 9. *Cum opipare Saliarem in modum epulati eſſemus.* Horat. Od. I. 37. 2.

— *nunc Saliaribus*
Ornare pulvinar Deorum

Tem-

Tempus erit dapibus sodales.

Apulej. Met. IV. p. 124. *Ut equus quidem meus tanta copia, & quidem solus potitus, Saliares cœnas cœnasse crederet.* Ursin. Append. ad Ciaccon. de Triclin. p. 177. Laurent. de Prand. & cœn. vet. c. 9. Baccius de Conviv. Antiq. I. 2. Stuck. Ant. Conv. I. 18. Beroal. in Apulejum. Parabatur in æde Martis. Suet. Claud. c. 33. n. 2. *Cognoscens quondam in Augusti foro, ictus nidore prandii, quod in proxima Martis æde Saliis apparabatur, deserto tribunali, ascendit ad sacerdotes, unaque discubuit.* Celebrabatur non tantum die, quo ancilia pristino loco condebantur, sed omnibus illis diebus, quibus anciliorum circumgestatio fiebat. Festus modo laudatus. Apud quem per *omnes dies* non intelligendi omnes totius anni, sed festi anciliorum: id diserte indicant verba *ubicunque manent*, nempe nocte in exstructis mansionibus tempore festi. Hoc clarius patet, si correctionem Cuperi admittamus, qui pro *omnis* legit *ominis*; omnes enim festi sollennis dies ominosi erant. Acro & Porphyrio ad Horatium: *Saliares cœnæ, quas Salii sacerdotes faciebant, dicuntur amplissimi sumptus fuisse; unde & in proverbio erat Saliares cœnas dicere opiparas, & copiosas.* Ultima hæc verba confirmant modo laudati Cicero & Apulejus. *Gutberl. de Saliis c. 27. Dacer. in Festum. Siccam. in Fast. Kalend. Roman. c. 4.*

Cœna froria dicebatur, quæ dabatur sorori nuper agnitæ. Plaut. Curc. V. 2. 60.

Tu ut hodie adveniens cœnam des sororiam.

Taubman. in Plautum.

Cœna triumphalis dicebatur, qua Imperator triumphaturus post victoriam populum Romanum excipiebat. Ad hanc etiam *moris erat Consules invitari, deinde rogari, ut venire supersedeant, ne quis eo die, quo ille triumpharet, majoris in eodem convivio esset imperii.* Val. Max. II. 8. 6. Plutarch. Romul. c. π. De Cæsaris *cœnis* triumphalibus Plin. IX. 55. *Cœnis triumphalibus Cæsaris Dictatoris sex millia numero muranarum mutuo appendit.* Suet. Jul. c. 38. n. 4. *Adjecit epulum & visceratonem, & post Hispaniensem victoriam duo prandia.* De Luculli *cœna* Plutarch. Lucull. p. 513. *Acto triumpho Urbem & suburbanos, quos vocant, vicos splendido convivio excepit.* Celebrari hujusmodi *cœnæ* solebant plerumque in Capitolio, id est, in porticibus Capitolii, ut exponit Zonar. Annal. II. ubi de Camillo agens triumphum describit: interdum etiam alibi. Atque ita Tiberius de Dalmatis & Pannoniis triumphavit, & populum in Capitolio, & pluribus aliis in locis convivio excepit. Dio LV. p. 549. C. *Ovans in Urbem equo est invectus, epulumque populo in Capitolio partim, partim in aliis locis Urbis exhibuit.* Erant magnificentissimæ. Varr. de Re Rust. III. 2. *Opus erit tibi aut epulum, aut triumphus alicujus, ut tunc fuit Scipionis Metelli. . . . . quæ excandefaciebant annonam macelli.* Cæsaris liberalitatem describit Plin. XIV. 15. *Quid? non & Cæsar Dictator triumphi sui cœna vini Falerni amphoras, Chii cados in convivia distribuit? Idem Hispaniensi triumpho Chium & Falernum dedit. Epulo vero in tertio Consulatu suo Falernum, Chium, Lesbium, Mamertinum.* Tiberii magnificentiam Suet. Tib. c. 20. n. 1. *A Germania in Urbem regressus triumphum egit:* n. 3. *Prandium populo mille mensis, & congiarium tricenos nummos viritim dedit.* Fab. Semestr. I. 6. Buleng. de Triumph. c. 34. Mader. in Panvin. de Triumph. c. 1. Salmuth ad Panciroll. de Reb. Deperd. & Inv. p. 652. Volaterr. Comm. Urban. XXXII. p. 1190. A. Stuck. Ant. Conviv. I. 21. Nicol. de Triump. c. 23. Alex. Gen. dier. VI. 6. Donat. de Urb. Rom. II. 6. Baccius de Conviv. Antiq. I. 2. Demster. Paralip. ad Rosin. Antiq. Roman. X. 29. Pitisc. in Suetonium.

Cœna viatica erat, quam amans amanti in discessu solebat dare. Plaut. Bacch. I. 1. 61.

Ego sorori meæ cœnam hodie volo dare viaticam.

Athen. XI. testis est Athenienses & Lacones *cœnam viaticam*, quam ille appellat ὁδοιπορικὸν δεῖπνον, inter lautissimas *cœnas* habuisse. *Longol. in Plautum.* Fuit eadem quæ adventitia, sive adventoria. *Turneb. Adv.* II. 33. *Stuck. Ant. Conviv.* I. 29. *Tomas. de Donar. c.* 24. *Faber Agonist.* II. 18.

COENACULARIAM facere, sive exercere dicebantur, qui domus totas conductas per singula *cœnacula* inquilinis locabant, ut inde quæstum facerent pluris in summam locando. Hoc modo accipitur in leg. si vero §. si quis ff. de his qui effuderint, vel dejecerint. *Nam & si quis cœnaculariam exercens, ipse maximam partem cœnaculi habebat, solus tenebitur.* Dicitur ut *argentariam facere* apud Cicer. pro Cæcin. c. 10. & *furnariam exercere* apud Suet. Vit. c. 1. n. 7. *Bud. in Pandect. p.* 113. I. *Voss. Lex. Etymol. Salmuth in Panciroll. de Reb. Deperd. & Inv. p.* 557. *Alex. Gen. Dier.* III. 14. *Stuck. Ant. Conv.* II. 14.

COENACULARIUS dicebatur, qui in *cœnaculo* habitabat. leg. solutum. §. solutam autem: *Videtur tacite, & cum domino ædium hoc convenisse, ut non pactio cœnacularii proficiat domino, sed sua propria.* Bud. in Pandect. p. 113. H. Salmuth in Panciroll. de Reb. Deperd. & Inv. p. 557.

COENACULUM erat pars ædium superior. Varr. de Ling. Lat. IV. 33. *Ubi cœnabant, cœnaculum vocitabant. Posteaquam in superiore parte cœnitare cœperunt, superioris domus universa cœnacula dicta. Posteaquam ibi cœnabant, plura facere cœperunt.* Plaut. Amph. III. 1. 3.

In superiore qui habito cœnaculo.

Macrob. Sat. I. 6. *Circensium die puer de cœnaculo pompam superne despexit.* Ad illam scalis adscendebatur. Festus: *Cœnacula dicuntur, ad quæ scalis adscenditur.* Liv. XXXIX. 14. *Cœnaculum super ædes datum est scalis ferentibus in publicum obseratis.* Mart. I. 118. 7.

Et scalis habito tribus, sed altis.

Hæc locabatur inquilinis. Paull. leg. nam salutem §. ult. de offic. præf. vigil. *Præterea ut aquam unusquisque inquilinus in cœnaculo suo habeat, jubetur admovere.* Et quidem pauperioribus. Juven. Sat. X. 17.

—— egregias Lateranorum obsidet ædes
Tota cohors: rarus venit in cœnacula miles.

Raro enim a Principibus mittuntur milites intersectores ad inquilinos & pauperes, qui in *cœnaculis* habitare solebant. *Alex. Gen. Dier.* III. 14. *& ad illum Tiraquellus. Buleng. de Conviv.* I. 27. *de Circ. c.* 46. *de Imper. Roman.* II. 34. *Bud. in Pandect. p.* 113. *G. Stuck. Ant. Conviv.* II. 14. *Volaterr. Comm. Urban.* XXVII. *p.* 1032. *D. Baccius de Vin. & Conviv.* IV. *p.* 134. *Demster. Paral. ad Rosin. Antiq.* V. 28. *Laurent. de Conviv. Vet. c.* 1. *Schill Nomencl. Philol. p.* 313. Cur in ædificiis monumentorum aliquando jungeretur, inde scire possumus, quod in multis inscriptionibus defunctorum voluntatem testantibus, cœna aut aliud epulum singulis annis ad talem diem amicis, aut ejusdem professionis viris parari jubetur. Neapoli ad fluvium Lirim:

HUJUS MONUMENTI JUS QUA
MACERIA
CLUSUM EST CUM TABERNA ET
CÆNACULO
HERED. NON SEQUETUR NEQUE
INTRA
MACERIAM HUMARI QUEM-
QUAM LICET

Spon. Miscell. Erud. Antiq. Sect. IX. *p.* 292. *Aring. Rom. Subterr.* III. 16. 8. *Guther. de Jur. Man.* II. 31. Sanctissimum illud, in quo D. D. Petrus, Paullus & Lucas commorati sunt, sub æde B. V. in via Lata etiam nunc durat, pereruditο commentario celeberrimi Fioranvantis Martinelli illustratum. *Nardin. Rom. Vet.* IV. 10. In circo fuerunt etiam officinæ, & *cœnacula* supra officinas, unde spectarent ii qui conduxissent a locariis, quibus Censores locabant. Ita forte & in theatro, & in amphitheatro fuere *cœnacula*, quæ *cœnaculariam* facientes & locarii locarent, auctoribus Censoribus. *Buleng. de Circo c.* 35.

COENARE largius solebant Romani. *Putean. Reliq. Conv. Prisc. Thes. Antiq. Roman. Tom.* XII. *p.* 251. *F.* etiam in propatulo. *Buleng. de Conviv.* I. 5. Interdum voluptatis causa

causa sub platano. Plin. XII. 1. *Licinium Mucianum ter Consulem, & Lyciæ legatum, epulatum esse sub platano cum duodevicesimo comite, large ipsa toros præbente fronde. Et Cajum principem in Veliterno rure, quindecim convivarum ac ministerii capace triclinio.* Virg. Georg. IV. 146.

Jamque ministrantem platanum potantibus umbram.

Horat. Od. II. 11. 13.

Cur non sub alta platano, vel hac
Pinu jacentes sic temere: & rosa
Canos odorati capillos,
Dum licet, Assyriaque nardo
Potamus uncti?

Ursin. Append. ad Ciaccon. de Triclin. p. 205. Utilius est noctu, quam interdiu. Athen. VII. p. 276. D. *Utiliores sunt unctis corporibus nocturnæ cœnæ. Coctionibus enim alimentorum prodest lunæ sidus, quod putredinem efficit, quia putredine fit concoctio.* Κατὰ σῆψιν ἡ πέξις. Alia tamen est σῆψις, *putrefactio*; alia coctio, quia putrefactio, & putrefactum περίττωμα τοῦ πεφθέντος est excrementum cocti, ut Aristot. Met. IV. *Buleng. de Conviv.* I. 23. Etiam in castris solebant accumbentes ætate Julii Cæsaris & circa. Quod satis apparet, cum duces quosdam sedentes cepisse cibum notent tanquam insolitum. De Tiberio Suet. c. 18. n. 5. *Eum vitæ ordinem tenuit, ut sedens in cespite nudo cibum caperet.* De Catone Plutarch. p. 792. C. *Post cladem Pharsalicam sedens semper cœnavit, nec recubuit nisi somni causa.* Sane veteres Romanos sedentes *cœnasse* auctor est Varro, unde & considere dicebantur: postea *viros discumbere cœpisse, mulieres sedere; quia turpis visus in muliere accubitus.* Idem Marcus Curius probat, qui agresti se in scamno assidentem foco, atque ligneo catillo cœnantem spectandum præbuit. Etiam heroes prisci gramineo sedili locantur. Quare veteribus in castris id quoque fortasse obtinuit. Postea discubuerunt. Fere autem contubernales una *cœnasse* videntur; ubique quoties lautioris aliquid obsonii. Spartian. Pescenn. Nigr. c. 10. *Ob unius gallinacei direptionem decem commanipulones, qui raptum ab uno comederant, securi percuti jussit: & fecisset, nisi ab omni exercitu prope usque ad metum seditionis esset rogatus: & quum pepercisset, jussit ut denorum gallinaceorum pretia provinciali redderent decem qui simul furto convixerant.* Convivebant igitur contubernales; ut etiam Cyri apud Xenophontem instituto. Ac inde tandem natum vocabulum, quo hodie contubernales designamus *companiones*; & quo centuriam *compania*, quod eadem annona uterentur, panemque una comederent. *Schel. in Polyb. c.* 10.

COENATICA Valentiniani Imperatoris tempore milites excogitarunt. Nomine novo rem novam exprimente tanquam pro *cœna* provinciales expilabant. Sed ea præberi vetuit constitutio Imperatorum Valentiniani & Valentis ad Victorem magistrum militum: *Cœnaticorum, inquit, nomine milites, & super his stantes, nihil penitus a provincialibus accipere audeant.* Stewech. in Veget. II. 7. Lyd. de Re Milit. V. 1.

COENATIO erat locus, in quo Romani olim cibum sumebant. Senec. Epist. 90. *Non enim tectæ cœnationi epulum receptura parabantur.* 115. *Sive ex Ægyptiis arenis, sive ex Africæ solitudinibus advectæ, porticum aliquam, vel capacem populi cœnationem ferunt.* Ciaccon. de Triclin. p. 1. Pitisc. ad Suet. Ner. c. 31. n. 8. Erant in inferiore parte ædium, quia & hyeme & æstate commodiores. Interdum & in superiore loco divitibus. Sidon. Carm. XXII. 209.

Alta volubilibus patet hinc cœnatio valvis.

n. 212.

Undosa inveniunt nantes cœnacula pisces,
Cominus erigitur vel prima, vel extima turris.
Mos erat hic dominis hibernum sigma locare.

Buleng. de Conviv. I. 27. Erant enim potentiorum. Juven. Sat. VII. 182.

Parte alia longis Numidarum fulta columnis
Surgat, & algentem rapiat cœnatio solem.

Bud. in Pandect. p. 113. G. Laurent. de Conviv. Vet. c. 1. Erant versatiles, id est, ita coagmentatæ, ut machinis quibusdam verterentur, & subinde alia facies atque alia succederet, quoties fercula mutarentur. Senec. Epist. 90. *Qui versatilia cœnationum laquearia ita coagmentat, ut subinde alia facies atque alia succedat, & toties tecta, quoties fercula mutentur.* Suet. Ner. c. 31. n. 8. *Cœnationes laqueatæ tabulis eburneis versatilibus, ut flores fistulatis, ut unguenta desuper spargerentur. Præcipua cœnationum rotunda, quæ perpetuo diebus ac noctibus, vice mundi, circumageretur.* Kobierzyk. de Lux. Roman. II. 7. Donat. de Urb. Rom. III. 5. Ursin. Append. ad Ciaccon. de Triclin. p. 217. Casaub. in Athen. IV. 2. Stuck. Ant. Conv. II. 14. Casal. de Urb. ac Imper. Roman. splend. part. 2. c. 19. Lips. de Magnit. Roman. III. 14. Tiraquell. in Alex. V. 22. Pitisc. in Suetonium. Illis nomina Deorum indebant. Ita Lucullus, qui cœnationi nomen Apollinis indidit: unde illud, cœnabitur in Apolline. V. supr. in *Cœna Luculli.* Suet. Claud. c. 10. n. 2. *Quum quasi secretum eo desiderante submoverent turbam, in diætam, cui nomen est Hermæum, recesserat.* Ursin. ibid. p. 219. Pitisc. in Suetonium. Alias in ædibus habebant hybernas, alias æstivas. Varr. L. L. VII. 14. *Itaque & hyberna triclinia & æstiva facimus.* de Re Rust. I. 13. *Ut spectent sua æstiva tricliniaria ad frigus orientis, hyberna ad solem occidentem.* Et ita cum tempore permutandam censebat habitationem Lucullus apud Plutarch. p. 518. D. *Quæ quum viseret Pompejus, reprehendit Lucullum, quod villam optime ad æstatem comparasset, verum habitationi brumali fecisset incommodam. Ille vero arridens, inquit: videorne tibi minus, quam grues & ciconiæ sapere, ut cum tempore diætas non commutem?* Mos antiquissimus, cujus delicati & principes viri in Asia sunt auctores. Ejus & mentio Jud. c. 3. n. 20. *Ehud accessit ad eum, sedebat autem in cœnaculo suo æstivo solus.* Luxum hunc damnat Amos c. 3. n. 15. *Percutiam domum æstivam & hybernam.* Buleng. l. l. Casaub. & Pitisc. in Suet. Aug. c. 72. n. 3. Grang. in Juven. Sat. VII. 183.

Cœnatio Jovis locus fuit epuli Deorum, ubi scilicet Jovi ipsi *cœna* apponeretur. Capitol. Pertin. c. 11. *Ingressi porticus Palatii usque ad locum qui appellatur Sicilia & Jovis cœnatio.* Guther. de vet. jur. Pontif. IV. 23. Erat in Palatio cœnaculum peculiare ad instar Apollinis Lucullæi. V. supr. in *Cœnatio.* Apposita enim Deorum præcipua simulacra atque imagines nomen illis fecerunt. *Donat. de Urb. Rom.* III, 2. *Nardin. Rom. Vet.* VI. 13.

COENATORIA erant vestes, quibus in cœna veteres utebantur. Petron. c. 21. *Cœnatoria repetimus, & in proximam cellam ducti sumus, in qua tres lecti strati erant.* Mart. X. 87. 12.

Cœnatoria mittat advocato.

XIV. 135. V. illum infr. in *Vestis.* Lips. Ant. Lect. III. p. 145. Saturn. I. 2. Stuck. Ant. Conv. II. 26. & 27. Rhodig. Ant. Lect. XVI. 11. Casal. de Prof. Roman. Rit. c. 25. Commentat. in Petronium. Fuerunt & muliebria. Pompon. l. 33. ff. de aur. & argent. leg. *Q. Mutius ait, scire se quendam Senatorem muliebribus cœnatoriis uti solitum.* Fuisse a virilibus distincta, indicare videtur Mart. X. 29. 1.

Quam mihi mittebas Saturni tempore lancem,
Misisti dominæ, Sextiliane, tuæ.
Et quam donabas dictis a Marte Kalendis,
De nostra prasina est synthesis empta toga.

q. d. pretio, quo emere solebas togam, quam mihi natali meo mitteres, emisti viridem *cœnatoriam* amicæ. *Stuck. l. l.*

COERCITIO jurisdictioni conjuncta fuit, & *coercitione* jurisdictio exercebatur. Paullus titulo de officio ejus: *Jurisdictio sine modica coercitione nulla est. Coercuisse* autem dicti sunt, vel cum citari, vel cum prehendi jusserunt. Itaque *coercitionis* insignia, ac prope instrumenta fuerunt, accensus, & lictor, ille ad citandum, hic ad summovendum & prehendendum tributus. De quibus Cicer. ad Fratr. l. I. 7. *Nuper C. Octavius, tacuit accensus, quoties quis-*

quisque voluit, dixit, & quam voluit diu. Recte: fuit enim officium accensi, accire, qui jus poscerent, aut diutius, quam oporteret, loquentibus silentium imponere; lictoris non prehendere solum ac ducere, sed etiam summovere, atque aliquando etiam loquentem cohibere. Liv. XLV. 29. *Ubi dies venit, cum decem legatis in tribunali consedit. Assuetis regio imperio, tamen novam formam terribilem præbuit tribunal, summotor aditus, præco accensus, insueta omnia oculis auribusque.* Suet. Clar. Rhet. c. 6. n. 7. *Albutius Silius in cognitione cædis Mediolani apud L. Pisonem proconsulem defendens reum, cum cohiberent lictores nimias laudantium voces, ita excanduit. . . .* Sigon. de Ant. Jur. Prov. II. 5.

COG.

COGNATI defuncti a proximioribus erant elugendi, quibus illorum hæreditas, vel ex testamento, vel ab intestato deferretur. Nam qui hæres non est, elugere alios non cogitur, quam parentes. *Guther. de Jur. Man.* III. 28.

COGNITIO opponitur juri ordinario. Suet. Claud. c. 15. n. 2. *Cum decurias rerum actu expungeret, quendam interpellatum ab adversariis de propria lite, negantemque cognitionis rem, sed ordinarii juris esse, agere confestim apud se coegit.* Ner. c. 15. n. 1. *In jurisdictione postulatoribus, nisi sequenti die, & per libellos, non temere respondit. In cognoscendo eum morem tenuit, ut continuis actionibus omissis singula quaque per vices ageret.* Recte. *Cognitio* enim est magistratuum & maximorum judicum, jus ordinarium, sive jurisdictio ordinariorum, & privatorum, delegatorum, eorumve qui dati fuerant a Prætore. Ita semper accipitur in priscis auctoribus vox *cognitionis.* Suet. Claud. c. 9. n. 4. *Cognitio falsi testamenti recepta est, in quo & ipse signaverat.* Quia extra ordinem de falso testamento *cognoscebatur* a majore judice, non a dato, vel delegato, jure nec ordinario. Claud. c. 12. n. 3. *Cognitionibus magistratuum, ut unus e consiliariis frequenter interfuit.* Quinam illi essent magistratus Dio LX. p. 667. B. significat, & nominat Consules, Prætores, & Præfectos. Erant etiam Principum & Senatus, & Præsidum provinciarum, ut Proconsulum, & Legatorum Principis pro Prætore, sed & Præfectorum Urbis & prætorii. Quintil. III. 10. *Principum & Senatus cognitionibus frequens est, & populi fuit.* Capitol. Marc. Anton. c. 10. *Senatum multis cognitionibus & proprie ad se pertinentibus judicem dedit.* Paull. Sent. V. sub titulo ad legem Fabiam: *Cognitio est translata in Præfectos Urbis, itemque Præsidis provinciæ extra ordinem meruit animadversionem.* Salmas. de mod. usur. c. 10. Siccam. de Centumvir. judic. I. 2. Rævard. de Div. reg. jur. 101. Causæ *cognitio* desiderat tribunal. Et causæ proprie *cognosci* dicuntur, cum pro tribunali finiuntur. Suet. Claud. c. 46. n. 4. *In ultima cognitione pro tribunali accessisse se ad finem mortalitatis pronuntiavit,* quasi ore proprio, & seipso judice morti se addixerit. *Guther. de Offic. Dom. Aug.* I. 20. *Cognitionem* recipere est actionem dare: Plin. Epist. VI. 22. 2. *Recepta cognitio est, fui in consilio.* Tacit. Annal. III. 10. 3. *Petitum a Principe est, ut cognitionem reciperet.* Quod faciunt nostri prætores, cum suas commissiones decernunt ad citandas partes in jus. *Pollet. For. Rom.* III. 2. Et *cognitionem* ab Imperatore impetrari, impetrato rescripto aliquem in aulam evocare. Quod lenitatis Imperatoriæ indicium Constantinus vocat, & viduis, pupillis, atque fortunæ injuria miserabilibus ab ipso indultum est, ut possint *cognitionem* Principis obtinere, cum alterius potentiam perhorrescunt, & adversarios cogere, ut Principi sui copiam facerent. *Guther. ibid. c.* 21.

Cognitio planaria dicebatur, cum Prætor de plano subinde jus reddebat postulantibus. V. infr. *e Plano.*

Cognitio prætoria domestica erat, qua res etiam domi cognoscebantur. Intra prætorium, & in cubiculo querelis provincialium audiendis, ministrante atque admittente cubiculario est consumpta. Cicer. ad Attic. VI. 2. *Aditus ad me minime provinciales, nihil per cubicularium, ante lucem inambulabam domi, ut olim candidatus.* Ea quidem, quæ domi transigebantur, fere per diplomata annulo obsignata perficiebantur. Unde Cicero dixit in Pison. c. 37. *Mitto diplomata tota in provincia passim data.* Et Plin. Epist. X. 121. 1. *Usque in hoc tempus, domine, nemini diplomata commodavi.* Ex quo divinitus illa Q. fratri I. 1. de annulo sunt præcepta: *Sit annulus tuus non ut vas aliquod, sed tanquam ipse tu; non minister alienæ voluntatis, sed testis tuæ.* Sigon. de Ant. Jur. Prov. II. 5.

Cognitio prætoria popularis, sive publica in basilica, atque in tribunali, scribis, accensis, præconibus, & lictoribus apparentibus exercebatur. Utriusque, domesticæ & popularis, meminit Cicer. Frat. I. 1. *Constare inter omnes video facillimos esse aditus ad te, patere aures tuas querelis omnium, nullius inopiam ac solitudinem non modo illo populari accessu, ac tribunali, sed ne domo quidem tua, ac cubiculo exclusam.* Hirt. Bell. Alex. c. 49. *Neque ullum genus quæstus prætermittebatur, quo domus & tribunal Imperatoris vacaret.* Sigon. de Ant. Jur. Prov. II. 5. Goduin. in Hirtium. Utramque potestatem non ante, quam provinciam suam attigissent, neque alibi, quam in provincia sua, exercere poterant. Unde illud est Ulpiani tit. de Officio proconsulis: *Proconsul quidem ubique proconsularia insignia habet statim, atque Urbem egressus est, potestatem autem non exercet, nisi in ea provincia sola, quæ ei decreta est.* Ut autem hanc potestatem exercere commode possent, institutum erat, ut præses, posteaquam in provinciam venerat, in aliquam civitatem, aut in plures ex iis, in quibus conventus agi solebat, conventum, sive forum in certam diem edicto indiceret, eoque provinciales homines evocaret: atque ita aut uno in oppido plures conventus; aut in singulis singulos agebat, atque omnes percurrebat. Indictos ante fuisse a Prætore conventus indicant Liv. XXXI. 29. & Virg. Æneid. V. 758. V. illos infr. in *Conventus.* In uno oppido plures, aut in singulis. Singulos actos, docet Cicero; qui cum per annum in Cilicia fuisset, primum se in singulis fere conventibus jus dixisse, deinde Laodiceæ quinque conventus egisse scribit Attic. V. 20. *Laodiceam pridie Kal. Sext. venimus: ibi morati biduum: perillustres fuimus: dein Apameæ quinque dies, Synnadis triduum, Philomeli quinque dies, Ionii decem fecimus: nihil ea jurisdictione æquabilius.* Post autem cum foro Tarsi in Cilicia peracto, in Asiam ad secundos conventus agendos rediret, ita scribit Attic. V. 21. *In Asiam profectus sum Tarso Nonis Januarii maxima admiratione Ciliciæ civitatum, maximeque Tarsensium. Postquam vero Taurum transgressus sum, mirifica exspectatio nostrarum Asiæ diœcesium, quæ sex mensibus imperii mei nullas meas acceperant literas. Idibus Februariis forum institueram agere Laodiceæ Cibaryticum, & Apamense; ex Idibus Martiis ibidem Synnadense, Pamphylium, Isauricum.* Frequentius tamen singulos conventus a Prætore perlustratos fuisse existimo, atque id quoque fuisse ad provinciæ rationes accommodatius. Cicer. Fam. IV. 12. *Cum Athenis in Bœotiam irem, ut reliquam jurisdictionem absolverem.* Verr. V. 11. *Nullum oppidum in Sicilia fuit ex iis oppidis, in quibus Prætores consistere, & conventum agere solent. . . .* Sigon. l. l.

COGNITOR dicebatur, qui alium defendebat, maxime si de illius statu ageretur: sicque causam noscebat, & tuebatur illam, ut suam. Ascon. in Cicer. p. 72. *Hoc genus defensoris in jure cognitor vocatur, maxime cum de alicujus statu agitur.* Cicer. Divin. c. 4. *Me defensorem calamitatum suarum, me ultorem injuriarum, me cognitorem juris sui esse voluerunt.* Eligebatur a reo, quem Verres, cum prætor esset, ex suo arbitrio dabat. Cicer. Verr. II. 43. *Cognitorem adscribit Sthenio. Quem? cognatum aliquem? aut propinquum? non Thermitanum aliquem, honestum aliquem ac nobilem? ne id quidem. At Siculum, in quo aliquis splendor, dignitasque esset? minime. Quem igitur? Civem Romanum. Cui hoc probari potest? cum esset Sthenius civitatis suæ nobilissimus amplissima cognatione, pluribus amicitiis, invenire neminem Siculum potuit, qui pro se cognitor fieret?* A procuratore differt. Procurator enim est, qui aliena negotia mandato domini administrat, *Cognitor*, qui ad cognitionem alieni jurgii suffragator accedit. *Guther. de Offi. Dom.*

Dom. Aug. I. 25. *Bud. in Pandect. p.* 101. I: 141. *K. Salmaſ. de mod. uſur. c.* 16.

Cognitor eſt interdum, qui quem cognoſcit: ut homines Romani, qui in provincia erant, ſi magiſtratus cives Romanos eſſe neſciret, illi tamen civitatis Romanæ jura implorarent, ut crucem, ſecurim, virgas depellerent, *cognitores* dabant, id eſt, homines producebant, qui ſe eos noſſe dicerent, & cives Romanos eſſe pro teſtimonio dicerent. Cicer. Verr. v. 65. *Homines tenues adeunt ad ea loca, quæ nunquam antea viderunt: ubi neque noti eſſe iis, quo venerunt, neque ſemper cum cognitoribus eſſe poſſunt.* Seneca *notorem* vocat in Ἀποκολοκυνθώσει: *Si quis*, inquit, *a me notorem petiſſet, te fui nominaturus, qui me optime noſti.* Turneb. Adv. XXIX. 36. Douza Præcid. Petron. c. 2. Gruterus in Senecam.

Cognitor etiam & ſector pæne idem. Eſt autem is, qui ſectionibus præeſt, cujus munus *cognitura* dicitur. Suet. Vit. c. 1. n. 7. *Filius ſectionibus & cognituris uberius compendium nactus.* Ovid. Amor. I. 12. 19.

Aptius hæ capiant vadimonia garrula ceræ,
Quas aliquis duro cognitor ore legat.

Manil. v. 336. illos conjungit.

Defueritque bonis ſector, prædamque lucretur
Noxius, & patriam fraudarit debitor æris.
Cognitor eſt urbis.

Gloſſæ: *Cognitor*, ἔκδικος. Eſt ergo proprie, qui compendii ſui cauſa nullum non manubiarum genus experitur. *Scalig. in Manil. p.* 379. Male Scaliger. Hic ſenſus eſt Manilii: Quacunque iverit haſta proſcriptionum & auctionum, & bonis ſector adfuerit, non ullos curans digitos, eorum nempe, qui ſublatis digitis profitentur ſe redemptores eſſe, ac ſectores bonorum haſtæ ſubjectorum, *cognitoris* officio fungitur ad eum defendendum, cujus bona publice veneunt. Item *cognitorem* & ſe illi præbet qui criminis alicujus reus bonorum confiſcatione pœnam lucratur & redimit, & pro eo, qui peculatus, aut pecuniarum repetundarum tenetur, aut de reſiduis ob adminiſtratam pecuniam publicam. Fuere & ſui ſectoribus notores & *cognitores*, qui publico ſpondebant, atque intercedebant. Hi plerumque & participes lucri, ut ſocii cum ſectoribus erant. Unde junxit modo *ſectiones & cognituras* Suetonius. Verum de illis non eſt hoc loco Manilius intelligendus. *Salmaſ. de Mod. Uſurar. c.* 16. *&* 18. *Auctor miſc. def. pro Salmaſ. ad jus Attic. & Rom. p.* 328. Nos quid probabilius. Sunt delatores ad ærarium aut fiſcum. Suet. Domit. c. 9. n. 9. *Fiſcales calumnias, magna calumniantium pœna, repreſſit. Ferebaturque vox ejus: Princeps, qui delatores non caſtigat, irritat.* Capitol. Anton. Phil. c. 11. *Delationes, quibus fiſcus augeretur, contempſit.* Hinc Tacitus, quem *ſectionibus apud ærarium famoſum* dicit Annal. XIII. 23. 2. eundem *obliterata ærarii nomina retraxiſſe* ait n. 4. quod prorſus *cognitoris* eſt hac ſignificatione. Hinc Gloſſæ: *Cognitor*, ἔκδικος. Nam hi ecdici & defenſores civitatum erant, & in primis etiam publicas pecunias curabant & perſequebantur. Plin. Epiſt. x. 111. *Ecdicus, domine, Amiſenorum civitatis petebat apud me a Julio Piſone denariorum circiter quadraginta millia, donata ei publice ante viginti annos, & bule, & eccleſia conſentiente; nitebaturque mandatis tuis, quibus ejuſmodi donationes vetantur.* Habes plane nomen vetus & obliteratum perſequentem. Cicer. Fam. XIII. 56. *Mylaſii & Alabandenſes pecuniam Cluvio debent. Dixerat mihi Euthydemus, cum Epheſi eſſem, ſe curaturum, ut ecdici Mylaſii Romam mitterentur. Id factum non eſt: legatos audio miſſos eſſe; ſed malo ecdicos, ut aliquid confici poſſit.* Ab hac ſignificatione ſumptum eſt, ut delatores, & quadruplatores, & ἐνδεῖκται honeſtiore vocabulo dicerentur *cognitores*, tanquam qui cauſas ærarii & fiſci, atque ita populi & principis ſuſciperent ſponte, ac tuerentur, cujus operæ pretium partes de proſcriptorum bonis conſequebantur. Atque huic lucro quia adjungebant ex illis plurimi, ut & ab haſta, quam erexerant, emerent: ideo perſæpe iidem *cognitores* qui *ſectores*: quod etſi non facerent, tamen erant cognati, & ſocii, participesque manubiarum, & lucri ex aliena calamitate. *Gronov. de Pecun. Vet.* IV. 3.

COGNOMEN *eſt, quod uniuscujusque proprium eſt, & nominibus gentilitiis ſubjungitur, ut Cato, Scipio.* Diomed. I. p. 306. Edit. Putſch. Priſcian. II. p. 578. Et Suet. Jul. c. 20. n. 5. *Ut quid eo anno actum eſſet, Julio & Cæſare Conſulibus actum ſcriberent, bis eundem præponentes, nomine atque cognomine.* Quibus ſatis oſtendit, Julium nomen, Cæſarem *cognomen* fuiſſe. *Sigon. de Nomin. Roman. c.* 1. Hoc duobus nominibus, prænomine & nomine cur non contenti Romani homines adjunxerint, magna exiſtere quæſtio poteſt. Ac mihi quidem videtur, eos primum, ut qui idem prænomen nomenque ferebant, nota aliqua internoſcerent, hanc tertii nominis rationem excogitaſſe; poſt autem, cum *cognominum* uſus increbruiſſet, eosdem etiam ſine ejuſmodi cauſa *cognomina* indidiſſe. Hac ratione L. Tarquinium Priſcum, & L. Tarquinium Superbum, cum & prænomine & nomine convenirent, inquit Dionyſ. IV. p. 244. Priſcum illum, quod natu major; hunc Superbum, quod contumacior eſſet, eſſe vocatum. Valuit autem in primis hic *cognominum* uſus ad confuſam ipſarum gentium turbam diſtinguendam. Hoc in gentibus Valeria, Fabia & Cornelia perſpici poteſt, quæ *cognominum* varietate in multas familias diviſæ ſunt: *cognomina* enim Voluſi, Poplicolæ, Maximi, Potiti, Faltonis & Meſſallæ gentem Valeriam in multas familias diſtinguunt: ſic Vibulani, Ambuſti, Maximi, Dorſones, Licini, Labeones gentem Fabiam: item gentem Corneliam Maluginenſes, Coſſi, Scipiones, Lentuli, Merulæ, Cinnæ, Sullæ, Dolabellæ in plures familias diſtribuere. Iterum quum Maluginenſium familia creviſſet, quartis nominibus additis eſt in alias familias propagata, ita ut alii Maluginenſes Coſſi, alii Scipiones, alii Maluginenſes Lentuli. Itemque Scipiones alii Scipiones Africani, alii Aſiatici, alii Naſicæ dicerentur. Et ſic de omnibus familiis, & gentibus dicendum eſt. *Sigon. ibid. c.* 5. *Panvin. de Nomin. Roman. Theſ. Antiq. Roman. Græv. Tom.* II. *p.* 2036. *D. Spanhem. Diſſert. de Uſu & Præſt. Numiſm.* VI. *p.* 506. Significat præcipue non illud familiæ nomen a majoribus acceptum, ut Maximus, Metellus, Sulla, Craſſus. . . . . ſed ἐπίκλησιν alicujus rei, ad deſcribendum & deſignandum hominem ab ejus ingenio, fortuna, habitu corporis, rebus geſtis, aliiſque cauſis petitam, imo ſæpe vulgare ἐπίθετον, vel etiam laudis aut honoris alicujus titulum. Sic Senec. Epiſt. 108. *Hoc ſenectuti cognomen impoſuit.* Virgilius. *Triſtem illam vocat.* Ubi videmus, quum ſcripſerat Virg. Georg. III. 67.

—— ſubeunt morbi, triſtiſque ſenectus.

in his verbis *triſtis* dici a Seneca *cognomen* ſenectutis. Suet. Cal. c. 22. n. 2. *Compluribus cognomentis aſſumptis. Nam & Pius, & Caſtrorum Filius, & Pater Exercituum, & Optimus Maximus Cæſar vocabatur.* Tacit. Annal. XI. 25. *Patrem Senatus appellandum eſſe Claudium, quippe promiſcuum Patris patriæ cognomentum.* Sic Q. Labienum a Parthis cum exercitu contra Romanos miſſum, ſe *Imperatorem*, & quidem *Parthicum* cognominaſſe obſervat Dio XLVIII. p. 373. B. Unde & in nummis invenias Q. LABIENUS. PARTHICUS. IMPERATOR. Neque exiſtimandum eſt, his ſignificari certum aliquod & verum illius *cognomen*, ſicut fuit Africanus & Aſiaticus Scipionum . . . . . ut ſentire videntur viri doctiſſimi; ſed, ut Caligula ſe nonnunquam *Caſtrorum Filium* . . . . . *cognominavit*, ſic illum ſe ſcripſiſſe *Parthicum Imperatorem*, eumque titulum ſuis nominibus frequenter adjeciſſe, ut eſſet ſermo *quaſi cognomen*, quomodo Cicer. Læl. c. 2. de Catone loquitur: *Propterea quaſi cognomen jam habebat in ſenectute Sapientis.* Non erat hoc verum Catonis *cognomen*, ſed tam crebro inter cives iſto epitheto ornabatur, ut pæne locum obtineret *cognominis*. Et idcirco eum *Sapientem eſſe appellatum* dicit Quintil. XII. 7. *Perizon. Anim. Hiſtor. c.* 2. Æque omnes Romani cives *cognominibus* inventis uti potuerunt, neque *cognominum* uſus plebi magis quam optimatibus interdictus fuit. Factum eſt tamen, ut, quoniam

Reſpu-

Respublica primum in patriciorum potestate fuit, eorum etiam ante *cognomina* celebrata quam plebis sint. Ubi vero plebs ad Rempublicam accessit, tum plebejorum etiam ad distinguendas familias *cognomina* audiri, perinde atque imagines ad posteritatem prodendam poni, sint cœptæ. Alia quam longissime ad posteros propagabantur, alia ne ad filios quidem perveniebant. Etiam succrescentibus in eadem gente *cognominibus*, vetustissimum abolebatur, recentia vero omnia plerumque retinebantur. Ac primum quidem, qui *cognomen* patris avive & majorum tulerunt, id ipsum fecisse videntur præstanti illius, qui primus illud *cognomen* invenit, virtute & gloria adducti; ita tamen, ut aut mutare, aut relinquere pro arbitratu potuerint. Hujus rei esse documento possunt, quæ scribit Plutarch. Cicer. p. 861. B. *Qui primus Ciceronis cognomen a posteris non solum non neglectum sit, verum etiam studiose retentum. . . . . Cum autem M. Cicero, posteaquam magistratus cepit, crederetur cognomen illud aut vitaturus, aut certe mutaturus, respondit, operam se daturum, ut id esset Scauris & Catulis illustrius.* Præterea idem Cicero *cognomina* hæreditaria fuisse ostendit, cum loquentem inducit Africanum cum nepote hoc modo Somn. Scip. c. 2. *Erit id tibi cognomen per te partum, quod nunc ex me hæreditarium.* Itaque videmus hac de causa Album & Albinum per quingentos amplius annos in gente Postumia custoditum, Maximumque in Valeria, & fere etiam in Fabia, & item in Mucia Scævolam. Hoc tamen non in omnibus servatum esse inde apparere potest, quod Strabonis *cognomen*, quod fuit patris Pompeji Magni, ne filius quidem usurpavit; neque filii Q. Maximi Oviculæ Verrucossi ea quæ fuerant patris. Novis autem ascitis familiæ *cognominibus* vetera esse deleta, agnosci potest ex Manlia gente: cujus primum *cognomen* fuit Vulso, post Vulso Capitolinus, tum Capitolinus Imperiossus, post Imperiossus Torquatus; ad extremum autem tantum Torquatus retentus est. *Sigon. l. l. Panvin. ibid. p. 2042. E.* Obtinuit tamen, ut antiquissima gentium suarum, & præcipue illustrium in iis hominum *cognomina*, quæ jam in usu esse desierant, ex omni vetustate deligerent, iisque filios suos ornarent, licet ipsi revera ab illis, quorum nomina repetebant, progeniti non essent. Sic relatos ex antiquitate videmus in Oppiam gentem Cornicinos, in Valeriam Publicolas, Potitos, Volusos, & Maximos, in Furiam Camillos, in Liciniam Calvos & Stolones, in Corneliam Cossos, in alias gentes alios. *Perizon. ibid. c. 3.* Quædam uni gentium vel familiæ propria fuerunt, ut Scipio, Galba, Cæsar, Brutus, & omnia fere vetusta: quædam multis communia, ut Maximus; Capitolinus, Augurinus, Poplicola, & Torquatus. Frequentior usus fuit, ut singuli singula *cognomina* haberent. Sæpe etiam duobus utebantur, ut P. Cornelius Rutilus Cossus, Q. Servilius Priscus Fidenas, T. Manlius Imperiossus Torquatus, & similia. Raro tria usurpabant, ut P. Cornelius Scipio Africanus Æmilianus, T. Quinctius Pennus Capitolinus Crispinus. Rarissime quatuor, ut Q. Fabius Maximus Verrucossus Ovicula Cunctator. Pluribus usos fuisse neminem inveni ante Reipublicæ casum; nam post, sub Imperatoribus nulla certa regula tradi potest, quum inepte, & pro arbitrio nomina sumere consueverint. Legi enim in vetusta quadam inscriptione aliquando quinque & sex ab uno usurpata fuisse, ut Q. Fabio Ciloni Septimino Catinio Aciliano Lepido Fulginiano. *Panvin. ibid. p. 2043.* ~~D.~~ Erat etiam veteribus in more positum, si quando prænomen hominis non exprimerent, *cognomen* ultimum, quod plerumque erat quasi ἐπίθετον, præponere nomini gentilitio. Ita sæpius occurret Æmilianus Scipio, Octavianus Cæsar, Marcellus Claudius, Bithynicus Pompejus, Cæsoninus Piso, Marcellinus Lentulus, atque alia ejusmodi, quam contra. *Spanhem. ibid. p. 503. Perizon. l. l.* Qui adoptabantur, novis augebantur. V. supr. in *Adoptio.* Non solebant veteres paucis literis notare, si quidem integre scripserant nomen gentilitium. Quia hoc quum constans esset, & perpetuum inter omnes gentiles ac posteros, ideoque omnibus notius, facilius multo cognosci poterat concise scriptum ex addito plene *cognomine*, quam ex gentilitio *cognomen*, quod sæpissime in posteris, sæpe etiam in uno homine mutabatur; ac novum plane, ideoque etiamnum incognitum plerisque erat. Sic in aliquot fistularum plumbearum titulis apud Gruter. p. 182. & 183. C. JUN. SILANO. M. LICIN. LUCULLO. L. JUN. CLARO. ET. AUR. SEVERO. COS. SEX. AUR. ANULINO. COS. aliaque. *Perizon. ibid. c. 7.* Virile cum feminina terminatione citra ullam generis aut flexionis mutationem sumebant. Pietas L. Antonio cum noto ciconiæ symbolo tribuitur. V. infr. in *Pietas.* Ita Murænæ, Musæ, Asinæ, Scrophæ, feminina positione dicti haud ignobiles Romani. Ita & Petræ dicti ex Equestri ordine, auctore Tacit. Annal. XI. 4. 1: *Pergit Suilius addere reos Equites Romanos illustres, quibus Petra cognomentum.* Hinc illud Fabio I. 4. inter reliquas Romanorum nominum observationes notatum; *aut quæ feminina positione mares, aut neutrali feminas significant, qualia sunt Muræna, Glycerium.* Non hoc Græcis usitatum, quibus deducta ab appellativis nominibus genere & flexione continuo mutabantur. *Spanhem. ibid. p. 532.* Multa ita immutata sunt, ut per diminutionem in INUS a suo primitivo deflexa sint: Albus enim, quod fuit *cognomen* primum Postumiorum, post Albinus evasit: ita Rufus in Corneliis Rufinus, Mamercus in Æmiliis Mamercinus, Messalla in Valeriis Messalinus. *Sigon. l. l. Panvin. ibid. p. 2040. E.* Nullum ad tempora Augusti fuit in IUS desinens, quod esset aliunde formatum in hanc formam: sed omnia istius terminationis sine ulla mutatione vel ex prænominibus, aut servilibus, ac peregrinis nominibus sunt facta, ut Statius Cæcilii poetæ, vel ex appellativis sumpta, ut Pius & Caprarius Metellorum, Triarius Valerii, Quadrigarius Q. Claudii apud Gellium, Lanarius Calpurnii apud Plutarchum in Sertorio, qualia a Grammaticis deinde vocata sunt proprio vocabulo agnomina. Adeoque non Quirinius, sed Quirinus, quum tertium fuerit illius nomen, verum fuit P. Sulpicii *cognomen.* Assentientem habeo non modo vulgatum interpretem, qui Cyrinum vocat, sed & Syrum, qui Kurinus vertit Luc. c. 2. n. 2. A Luca & aliis Græcis Κυρήνιος nominatur. Sed hoc non obstat. Græcis enim sollenne est dare istam terminationem nominibus propriis Romanorum, quia videbant eorum pleraque prænomina, omnia gentilitia, nonnulla etiam *cognomina* ita desinere. Sic Imperator M. Clodius Pupienus in Græcis nummis Tarsi cusis apud Patin. Thes. p. 124. Πουπήνιος scribitur. Imo Lucianus castigat eos alicubi, qui Titianum vocent Τιτάνιον. Dionysius quoque Halicarnasseus Nautem Æneæ comitem Ναύτιον, Cœlum Vibennam Κοίλιον nominat. Homo vero Latinus, seu Romanus est appellandus, non quomodo a Græcis ejus nomen scribitur, sed quomodo in patria urbe & lingua dictus fuit. *Perizon. de August. Orb. Terr. Descript. §. 30.* Quum antea tres aut quatuor fratres variis prænominibus, eodem vero omnes *cognomine* uterentur, ut Quinctus, Lucius, Marcus & Cajus Cæcilii Metelli Q. Macedonici filii, postea patris prænomine utentes, variis *cognominibus* inter sese distingui cœperunt, a variis eventibus acceptis, vel ab avorum, matrum, patruorum nominibus derivatis. Ac natu quidem maximus patris prænomine & cognomine utebatur, cæteri omnes eodem quidem patris prænomine, diversis vero *cognominibus* ornabantur. Exemplum accipi potest ab ea gente Flavia, quæ rerum potita est. Nam T. Flavius T. F. Sabinus ex uxore Vespasia Polla duos filios eodem prænomine tulit, majorem quidem T. Flavium Sabinum, *cognomine* etiam paterno ornatum: minorem vero T. Flavium Vespasianum, qui postea Imperator Romanus appellatus est, qui *cognomen* sibi a matris Vespasiæ nomine derivavit Vespasianum. T. Flavius Sabinus Vespasiani Imperatoris frater duos filios etiam tulit eadem ratione distinctos; id est, T. Flavium Sabinum, & T. Flavium Clementem. T. quoque Flavius Vespasianus duos filios eadem ratione appellavit, majorem quidem T. Flavium Vespasianum, minorem vero T. Flavium Domitianum, qui *cognomen* a matre Domitilla accepit. Et alia ratio

fuit appellandi & distinguendi, ut filii a patre non prænominibus solum more veteri, sed *cognominibus* etiam distinguerentur. Exemplum hujus rei est in L. Septimio Severo, M. Septimio Bassiano, & P. Septimio Geta filiis. *Panvin. ibid. p.* 203.5. *F. Cognomine* aliquem salutare familiaris erat, ut apud Ciceronem in Epistolis: *Cæsar Pulcro.* Turneb. Adv. II. 19. *Cognomina* an mulieres Romanæ usurpaverint, necne, olim disputarunt ad omnem antiquitatem illustrandam nati viri. Robortellus de Romanorum nominibus libellum conscripsit, & nonnisi gentilitium nomen antiquas feminas usurpasse affirmat. At Sigonius Emendat. II. 35. tribuit illis quidem gentilitium, sed *cognomen*, tanquam a veterum consuetudine abhorrens, explodit. Non defuerunt, qui Sigonianæ sententiæ prope bellum indixerint. Robortellus ipse in Emendationum libro contra Sigonium edito, vel pristinæ sententiæ pertæsus, vel oblitus eorum, quæ prius in libro de Nominibus scripserat, palinodiam canens, feminas *cognomine* usas, summis argumentorum viribus probare contendit. Robortellum secutus Onufrius Panvinus, Paullus Manutius, & Antonius Augustinus idem, magna argumentorum vi coacta, comprobare nituntur. Sed, ut libere dicam, non ex concepta spe, non ex voto. Nam eodem, quo petunt Sigonium, gladio pereunt: adeo ambiguæ sunt & ancipites ab iis adversus hunc allatæ rationes, ut iisdem hic suam fulciat rationem. Attamen prope innumeris inscriptionibus, quas ex Epigrammatibus in medium affert, *cognomina* usurpare consuevisse mulieres ostendit *Petrus Servius Miscell. fusioribus capitibus* 6. 7 8. Sigonii, Robortelli, Panvinii, Manutii & Augustini rationes, quibus in utramque partem disputatur, ut & Servii inscriptiones, quibus sententiam suam præ illis se certius probare putat, si attulissem, sex septem philyras, sive plagulas illis colligendis, implevissem, & scribendi modum mihi propositum dudum excessissem. Ea de re satis habeo hæc subnotasse, & te B. L. ad fontes ipsos ablegasse.

COH.

COHÆRES dicitur non tantum ille, qui cum alio institutus est *hæres*, sed etiam fideicommissarius, ut satis patet ex lege 36. §. final. juncta leg. 91. §. itidem final. ff. de Legat. III. *Ursat. de Not. Rom. Thes. Antiq. Roman. Græv. Tom.* XI. *p.* 620. *C.*

COHORS erat proprie peditum manus, ut turma equitum. Varro de Ling. Lat. IV. 16. *Cohors, quod, ut in villa ex pluribus tectis conjungitur, & quiddam fit unum: sic hæc ex manipulis copulatur.* Panvin. Imp. Roman. c. 16. Voss. Lex. Etymol. Qui villaticam descripsit de Re Rust. III. 3. *In plano cohors, in qua pascebantur gallinæ.* Est vox origine Græcanica, & Græci, quod clausum, vel septum in anteriore domo, vel villa *χόρτον* dixerunt, & Latini *cohortem.* Lips. de Milit. Rom. II. 4. Voss. l. l. Panciroll. Notit. Dign. Imp. Orient. c. 36. Thys. Rom. Illustr. II. p. 56. *Cohortes* apud scriptores, qui stante Republica Latine scripserunt, pro manipulis audiendæ sunt, vel ordinibus veteris legionis, qui pedites tantum centum & viginti continebant. *Σπείρας* Græci scriptores, ut Polybius, appellant, & manipulos, sive ordines, quales & quantos dixi, intellexerunt. Qui vero Imperatorum ævo vixere, solent & *σπείρας* appellare *cohortes* quingenarias & sexcenarias, quales tunc legio Romana denas habuit. Livius lapsus est, dum distinguit *cohortes* a manipulis XXX. 33. *Non confertas cohortes ante sua quemque signa instruebat, sed manipulos aliquantum inter se distantes.* Atqui apud Polybium, unde illa hausit, idem *σπεῖρα*, id est, *cohors*, quod *σημαία*, vel manipulus. *Salmas. de Mil. Rom. c.* 2. Idem olim *cohortem* significasse atque manipulum jam Varro negavit. Stulte enim diceret, inde dictam, quod *ut cohors in villa ex pluribus tectis, sic ex pluribus manipulis copuletur cohors*, si id a Mario demum, non ita diu ante Varronem institutum, olim autem *cohors* manipuli unius vocabulum fuisset. Quid? nonne passim Livius, & Sallustius, & alii, quum de prisca Republica loquuntur, *cohortium* meminere? nonne interdum palam distinguunt a manipulis? Liv. XXVII. 41. *Consul quinque cohortes, additis quinque manipulis, nocte jugum superare, & aversis vallibus considere jubet.* Eodem: *Duo simul præsidia, Placentinæ cohortis, & manipulorum secundæ legionis aggrediuntur.* Idem c. 13. *Cohortibus, quæ signa amiserant, dare hordeum jussit, centurionesque manipulorum, quorum signa amissa fuerant, districtis gladiis discinctos destituit.* Polybius hoc vocabulo ut plurimum manipulum denotat, alicubi tamen & velitibus spiras dat, qui neque *cohortes* habuere, neque manipulos. Ita Latini interdum ipsos etiam manipulos *cohortes* dicunt; interdum quamlibet manum manipulo grandiorem. *Schel. in Polyb. Thes. Ant. Roman. Græv. Tom.* X. *p.* 1279. *C. Boecler. Dissert. de Leg. Rom. c.* 3.

Cohortes equitatas, ad nomen quod attinet, appellari, insolens certe, neque ullius boni auctoris auctoritate confirmatum est. Hyginus tamen nusquam meminit *cohortium* harum, ubi non equitatas vocet. Confirmatur veteribus aliquot inscriptionibus. Apud Gruterum in lapide prisco: L. FL. T. F. Q. VIR. SECULARI. PRÆFECTO COHORTIS PRIMÆ EQUITATE. Item alio: P. LICINIO. P. F. GAL. MAXIMO PRÆFECTO COHORTIS II. GALLORUM EQUITATE. Plinius & Trajanus equestres appellant. Ille Epist. X. 107. *Rogatus a P. Accio Aquila, centurione cohortis sextæ equestris.* . . . . Hic 108. *Libellum P. Accii Aquilæ, centurionis cohortis sextæ equestris, quem mihi misisti, legi.* Erant, si quidem *cohors* ad equites transferenda, non turmæ equitum, non alæ, sed quæ partim ex pedite, partim equite constabant. *Cohortes*, inquam, peditum, quæ habebant proprios, & insitos, ut cum Vegetio loquar, equites suos. Liquet hoc non tantum ex Plinio, qui *cohortem equestrem* appellat, & tamen Accium Aquilam *centurionem* ejus, hoc est peditum ductorem; sed etiam ex epistola libri ejusdem 32. qua scribit, Trajanum jussisse, ut Gabius Bassus contentus esset beneficiariis decem, equitibus duobus, centurione uno ex *cohortibus*, quibus ipse Plinius præerat, innuens iisdem in *cohortibus*, & equites & centuriones, & beneficiarios fuisse. Vetus inscriptio Salonæ: PEDITIBUS ET EQUITIBUS QUI MILITANT IN COHORTE. . . . . Hujus generis fuerunt *cohortes* Batavorum & Cananenifatium, de quibus Tacit. Hist. IV. 19. 1. *Batavorum & Cananenifatium cohortes missus a Civile nuntius assequitur. Intumuere statim superbia ferociaque, & augeri equitum numerum postulabant.* Cum augeri numerum equitum postulent, apparet jam fuisse in illis equites, plures ad equum rescribi, & ad honorationem militiam voluisse traduci. *Schel. in Hygin. Thes. Antiq. Roman. Græv. Tom.* X. *p.* 1090. *C.* Equitata milliaria *cohors* habebat homines septingentos sexaginta. Hyginus: *Accedunt ex eadem cohorte milliaria detractis equitibus, reliqui pedites septingenti sexaginta.* Schel. ibid. p. 1094. D. V. & infr. in *Cohors peditata.*

Cohors Hyginiana, non quinque centurias, ut vult Vegetius, sed sex, antiquo Romanorum instituto, habet. Probant id omnes hæ, quæ *cohorti* assignantur, pedaturæ: tum quod ampliores, quam quinque centuriæ requirant, tum quod alius formæ, quam in qua quinque centuriæ recte tendant ex præscripto Hygini, qui vult centuriam eodem quamque hemistrigio accipi. Quinque centuriæ isto modo quinque hemistrigia postulant: at hæ pedaturæ, alia sex, alia tribus, alia duobus hemistrigiis constant. Nulla itaque harum ejusmodi *cohorti* apta est. Quare fallitur Salmasius in libro de Re militari Romanorum, qui putat, ex quo *cohortes* primæ milliariæ factæ sunt, cæteras *cohortes*, atque adeo hanc ipsam ob causam, quod *cohortes* primæ milliariæ, quinque tantum centurias habuisse: in legione enim Hyginiana, quamvis *cohortes* primæ duplum numerum, cæteræ tamen omnes sex centurias habent. *Schel. in Hygin. Thes. Antiq. Roman. Græv. Tom.* X. *p.* 1040. *B.*

Cohors legionaria constabat tribus manipulis, non ejusdem generis e. g. hastatorum, aut principum; nec commode id potuit: superasset enim manipulus unus in quo-

que genere post tres *cohortes*. Sed mixta erat e triplici genere, & sic parva aliqua legio. Habuit hastatos, principes, triarios, e singulis manipulum unum. Et adde velites, qui solent manipulos comitari. Ita fuit justa & plena legionaria *cohors*, homines quadringenti & viginti. Quod si pleniores manipuli aut legiones, plenior scilicet etiam ipsa; atque ita quingenarias & sexcenarias etiam leges. *Lips. de Mil. Rom.* II. 4. Recte. Liquet hoc tum ex eo, quod aliter legio in decem partes commode tribui non queat, tum ex militia Cæsariana, in qua quæque *cohors* tres manipulos, vel sex centurias, duas hastatorum, duas principum, totidem habuit triariorum. Cæs. Bell. Civ. III. 64. *Aquila conservatur, omnibus primæ cohortis centurionibus interfectis, præter principem priorem.* Cicer. Attic. V. 20. *At ille cohortem primam totam perdidit, & centurionem primipili nobilem sui generis Asinium Dentonem, & reliquos ejusdem cohortis.* Adde, quod hæc ipsa ratio hujus divisionis pulcra est. *Cohors* enim hæc decima legionis pars, toties centum habet, quoties legio mille. *Cohors* legionis quaternum millium quadringentos, quinum millium quingentos, senum millium sexcentos. Deinde cum pars aliqua legionis ad præsidia agitanda, aut parvas expeditiones mittitur, ex omni militum genere aliquos demi, ex iis unum corpus effici posse, aptissimum est; quod fit tota *cohorte* missa. Adde quod residui in legione milites tum commodius longe ordinari possunt: e. g. si quadringentos hastatos, nullos vero nec principes, nec triarios: vel quadringentos principes, absque hastatis & triariis, de legione detraxeris, tota ratio aciei turbabitur. Subsidia non erant paria primæ aciei, nec prima acies subsidiis; detractis hastatis solis, non erunt, qui ante principes ejusdem ordinis collocentur; detractis vero principibus, vel triariis, hastati subsidio suo destituentur. At si ejusdem ordinis principes, hastatos, & triarios, hoc est, justam *cohortem* dempseris, acies quidem ab illa parte, qua collocatur legio, ista ratione imminuta, brevior paullo erit; sed ratio & modus instruendi idem manebit. Præterea, sicut in singulis manipulis est quidam nexus, non tantum eorum, qui eodem versu, sed etiam qui eodem jugo collocantur: ita in acie vinculum quoddam non solum inter milites ejusdem generis, ejusdemque aciei, inter hastatos & hastatos, principes & principes, triarios & triarios esse oportuit: verum etiam inter eos, qui sibi subsidio ponebantur inter primum manipulum hastatorum, & primum principum, & primum triariorum: item inter secundos, tertios, & inter dipersa genera. Qua ratione efficiebatur, ut legio ab omni parte, & undique pulcre composita esset & ordinata. *Schel. in Polyb. Thes. Antiq. Roman. Græv. Tom.* X. *p.* 1281. *A.* Duæ lateribus castrorum ad vallum tendentes pedaturam quadringentorum octoginta pedum occupant in longitudine castrorum: singulæ ducentos quadraginta. *Schel. in Hygin. ibid. p.* 1106. *A.* Opponendæ sunt in castris *cohorti* primæ, ut cum educendus est exercitus cum *cohorte* prima, vel statim post eam, tanquam combinatæ possint educi. Cum enim ex sua quisque striga in majorem viam se effundant, sequitur, ut dextra lævaque ejusdem viæ tendentes, in ea conjungantur; quare ejusdem generis milites, ab utraque collocati, & legionarios legionariis, alarios alariis, nationes nationibus vult opponi. *Schel. ibid. p.* 1048. *D.* Hyginus cum *cohortium* ἁπλῶς meminit, hasce fere intelligit, contra morem scriptorum ejus ætatis, quorum plerique *cohortes* auxiliares, quas hic *cohortes* equitatas & peditatas, sine alio additamento *cohortes* nominant, ut in Tacito, Suetonio, aliis passim videre est. At in Cæsare Ciceronisque & Plinii epistolis observes, non tantum *cohortes* legionarias *cohortes* simpliciter dici, sed etiam eum *cohortium* numerum, qui plenas legiones facit, ut puta decem, viginti, quadraginta, non minus sæpe per *cohortes*, quam per legiones exprimi, sive quod ea tum placuerit ratio, qua omnes copiæ comprehendi possent, sive quod ex diversis legionibus, sive quod recens conscriptæ, & nondum in legiones distributæ essent. *Schel. ibid. p.* 1039. *D.*

Cohors peditata erat, quæ more antiquo ex solo pedite constabat, & ad differentiam equitatæ peditata appellatur. Tacitus *peditatum cohortium* vocat Annal. XIII. 35. 4. *Adjectaque ex Germania legio cum equitibus alariis & peditatu cohortium.* Hæ *cohortes*, ut equitatæ, magnam partem auxilia ejus ætatis erant. Hinc sæpe *cohortes auxiliares*, *auxilia cohortium*, item *socias*, & *sociorum cohortes* idem Tacitus appellat. Singulæ autem a nationum, ex quibus conscriptæ, vocabulo; item auctorum, qui scripsissent; etsi plures, ut legionariæ, etiam numero distinguebantur. *Schel. in Hygin. Thes. Antiq. Roman. Græv. Tom.* X. *p.* 1095. *E.* Peditatas & equitatas *cohortes* ad viam quintanam spectare debuisse scribit Hyginus. Sed quomodo? cum strigis a tergo castrorum ad quintanam currentibus tendentes, vel ad quæstorium, vel ad latus castrorum necessario spectent? nullæ enim copiæ respiciunt longitudinem hemistrigiorum, qua papiliones papilionibus connectuntur & cohærent; omnes latitudinem, ubi viæ interjiciuntur. Sed spectare ad viam quintanam non est respicere, & conversas tendere ad hanc, quo sensu accepit Polybii interpres, cum illud βλέπει εἰς τὰς διόδους convertit, *spectat ad vias intercurrentes*; sed tantum, eas tendere ea strigæ parte, quæ est proxima quintanæ. Quod non sine causa monet, cum in proxima quæstoria striga centurias stratorum posuerit ea in parte, *cohortes* vero contraria: hic contra, *cohortes* ad quintanam ponit, nationes vero supra eas legionarias *cohortes* & tergum versus. Sic dicimus regiones spectare ad orientem, vel septentrionem, non quod eo revera spectent, sed quod septentrionali parte, vel orientali sitæ sint. Neque aliter alibi Hyginus: *Quoniam* ad viam prætoriam signa spectare debebunt. *Schel. ibid. p.* 1085. *B.*

Cohors prætoria dicebatur, *quod a Prætore non discederet.* Festus. *Bud. in Pandect. p.* 74. *K. Laurent. Polym.* IV. *Synopſ.* I. §. 5. *Blond. Triumph. Rom.* VI. *p.* 131. *A.* Habebat equites & pedites. Inscriptio Romæ:

A. SOLO. ZOSIMIANO
EQUIT. ROM. PRÆT
COHORT.

Suet. Cal. c. 45. n. 2. *Quo facto, proripuit se cum amicis, & parte equitum prætorianorum.* Zonar. Ann. II. p. 243. *Alii comitem domesticorum fuisse dicunt, quos nonnulli equites esse putant.* Et prætorianis ob cædem Pertinacis equos ademit Severus. Dio LXXIV. p. 839. A. *Ceteros prætorianos prius: quam ipse Romam veniret, arcessi jussit. . . . . dein arma, equosque abstulit.* Guther. de Offic. Dom. Aug. II. 14. Fab. Semest. I. I. Buleng. de Imp. Rom. III. 33. Stewech. in Veget. II. 2. Thys. Rom. Illustr. II. p. 56. Torrent. & Pitisc. in Suetonium. Est instituta a P. Scipione: Festus. *Scipio Africanus primus fortissimum quemque delegit, qui ab eo in bello non discederent, & cetero militiæ munere vacarent, & sesquiplex stipendium acciperent.* Et ante illum, licet non in istas stipendii aut vacationis leges, a P. Postumio Dictatore. De hoc tale aliquid Liv. II. 20. *Cohorti suæ, quam delectam manum præsidii causa circa se habebat, dat signum. Cohors Dictatoris tum primum prælium init.* Per bella civilia *cohortes* istæ auctæ, & unus aliquis plures habebat. *Lips. de Mil. Rom.* II. 4. *Sigon. de Ant. jur. Prov.* II. 2. *Thys. l. l.* Augustus enim præter legiones XXIII. aut XXV. ut alii volunt, quas in provinciis alebat, decem millia hominum ad sui corporis tutelam detinebat, quos in partes, seu *cohortes*, sub totidem tribunis diviserat, ut auctor est Dio LV. p. 565. A. Quælibet *cohors* ex mille constabat. *Pancirol. Descr. Urb. Rom. Thes. Antiq. Roman. Græv. Tom.* III. *p.* 390. *C. Lips. l. l.* Hoc ego addo, non omnes milliarias fuisse. Milliariæ fuere, quas instituit Augustus, si qua fides Dioni. Eundem numerum habuerunt; ut urbanæ quatuor, & prætoriæ sedecim a Vitellio scriptæ, teste Tacito. At Hyginianas has minores fuisse, quamvis non dicat Hyginus, satis manifesto tamen ostendit. Nam cum duplam his pedaturam æque ac *cohortibus* primis adsignet, non eandem tamen utriusque rei adfert causam: illis enim quod duplum numerum habeant, his quod tentoriis majoribus utantur,

primipilares præterea & evocati in eadem pedatura accipiant locum, duplam pedaturam aſſignari dicit. Ac ne quis putet duplum ejus quod *cohorti* primæ dari, *cohortem* prætoriam una ſtriga pedum ſeptingentorum viginti collocari, ut & primam legionis ex verbis Hygini manifeſtum eſt: quingenariæ itaque aut certe milliariis minores. Tenebant cum equitibus eum fere locum, quem in caſtris Polybianis triariorum quinque priores manipuli inter quintanam & principalem vias, niſi quod hic comites Imperatoris prætorio proximi. *Schel. in Hygin. Theſ. Antiq. Rom. Græv. Tom.* x. *p.* 1057. *B.*

Cohors prima, commutata nonnihil ſub Adriano militia, facta eſt millenaria, & reliquæ omnes quingenariæ. *Salmaſ. de Re milit. Roman. c.* 6. *Lipſ. de Milit. Roman.* II. 4. Sed Vegetius de *cohortibus* primis milliariis, tanquam antiquo inſtituto, loquitur I. 22. *Decem cohortes habere legiones diximus, ſed prima erat milliaria, in qua cenſu, genere, literis, forma, virtute pollentes, mittebantur. Cohortibus* etiam primis legionum Cæſar & Cicero peculiare aliquid tribuunt. Ille de Bell. Gall. v. 15. *Duabus miſſis ſubſidio cohortibus, atque his primis legionum duarum.* Hunc V. ſupr. in *Cohors legionaria.* In acie Pharſalica Craſtinus evocatus, qui priori anno primum pilum duxerat, *ἀνδρῶν ἑκατὸν εἴκοσι λοχαγὸν* vocat Plutarch. Pomp. p. 656. F. centum viginti homines ejuſdem centuriæ ſecum in hoſtem rapuiſſe traditur. *Primus ex dextro cornu procurrit, atque cum milite electi circiter centum viginti voluntarii ejuſdem centuriæ ſunt proſecuti.* Fuiſſe centuriam *cohortis* primæ vero non abſimile eſt, tum quia *cohortes* primæ, primæ fere in prælio concurrebant, tum quia Craſtinus primipilus prioris anni eos manipulares ſuos fuiſſe ait. Nec obſtat quod *voluntarios* appellat Cæſar. Nam inde *cohortes* primæ principio cæteris grandiores factæ fortaſſe ſunt, quod voluntarii & electi milites in iis centuriarentur. Quod ſi centuria *cohortis* primæ jam tum centum viginti homines, totam *cohortem* etiam duplum numerum habuiſſe, non dubitamus. Inter cauſas, quare *cohortes* primæ olim cæteris nihilo majores poſtea adauctæ fuerint, primum locum hæc tenere videtur, quod ex quo acies per corpora integra *cohortium* inſtrui cœpit, aquila legionis, quæ antea in tertia acie apud triarios erat, in primam traducta fuerit, ubi niſi & majori manu, & ipſo virorum robore ſepta, hoſtili impetui expoſita fuiſſet & objecta. Atque ætate Julii Cæſaris jam vulgo acies per *cohortes* ordinabatur, & in prima acie aquila erat. *Schel. in Hygin. Theſ. Antiq. Roman. Græv. Tom.* x. *pag.* 1046. *A.* Illarum locus in lateribus prætorii erat & in prætentura intra viam ſagularem, non procul a portis tribus præcipuis, duabus principalibus & prætoria; ſive illæ defendendæ, ſive in hoſtem educendus exercitus: ſingularis enim non immerito portarum cura erat, & ſtationibus antiquitus ſemper firmabantur. *Schel. ibid. pag.* 1047. *C.*

Cohors togata legitur apud Tacit. Hiſt. I. 38. 3. *Nec una cohors togata defendit nunc Galbam, ſed detinet.* Qui illam ita appellat elevans & infirmans, quia moris ut illa *cohors*, quæ more militiæ excubabat, id ipſum faceret ſine armis, gladio tantum, lanceiſque contenta. Itaque & togis induti erant, non ſagis. Modeſtiæ cauſa inſtitutum id videtur, & ne Mars palam habitare videretur in ſua urbe. Huc ſpectat, quod n. 5. legis: *apertum in caſtris armamentarium fuiſſe, rapta arma*; quorum iis non vulgo jus, aut uſus, niſi Tribunis aut Præfecto permittente. Ideo de Fuſco Præfecto Prætorii Mart. VI. 76. I.

Ille ſacri lateris cuſtos, Martisque togati:
Credita cui ſummi caſtra fuere ducis.

Vocat togati Martis cuſtodem ab hoc habitu: atque adeo in ipſa Italia tota milites togatos eſſe voluit M. Antoninus. Capitol. c. 27. *Per Brundiſium veniens in Italiam, togam & ipſe ſumpſit, & milites togatos eſſe juſſit, nec unquam ſub eo ſagati fuerunt milites.* Hoc tamen de ipſis Prætoriis *cohortibus* accipio, quæ e civibus. De Batavis Germaniſque cuſtodibus ſcimus aliter fuiſſe. *Lipſ. in Tacit. Hiſt.* I. *n.* 84.

Cohortes vigilum VII. quarum excubitoria XIV. Paull. leg. 3. de Offic. Præf. vig. *Auguſtus opportunis locis conſtituit cohortes* VII. *pluribus uno die ortis incendiis, ut binas regiones Urbis unaquæque cohors tueatur, præpoſitis eis tribunis, & ſuper omnes ſpectabili viro, qui præfectus vigilum appellatur.* Suet. Aug. c. 30. n. 2. *Adverſus incendia excubias nocturnas vigileſque commentus eſt. Nocturni cuſtodes* a Modeſtino vocantur leg. ſed & miles 8. §. qui autem 8. de excuſ. tutor. Sed etſi una *cohors* duas Urbis regiones tuebatur, non eodem tamen in loco excubabat, ſed diviſa in binis caſtris habitabat, ita ut unaquæque regio a dimidia *cohorte* cuſtodiretur, & ideo XIV. excubitoria ponuntur. In regionibus tamen longe plures *cohortes* quam ſeptem recenſentur, nempe in II. V. in V. II. in VII. VII. in VIII. VI. in XII. IV. in XIV. VII. Quarum omnium XIV. tantum ſtatuit excubitoria, ſed in numeris mendum eſſe puto, nec niſi VII. *cohortes* in XIV. excubitoriis fuiſſe, & codex Victoris ab hac deſcriptione variat. Forte VII. antiquæ *cohortes* in XXXI. tenuiores ſunt diviſæ. *Panciroll. Deſcr. Urb. Rom. Theſ. Antiq. Roman. Græv. Tom.* III. *p.* 329. *B:* 391. *A. Lipſ. de Magnit. Roman.* I. 4. *Thyſ. de Magnit. Roman.* I. *p.* 243. Hoc factum obſervat Auctor Romæ Illuſtratæ anno ab U. C. 759. ſubdens, quod licet præcipuus hic finis fuerit, etiam Urbis tutelæ *cohortes* vigilum ordinatas extitiſſe non eſſe ambigendum. Minus tamen lecta hæc militum manus fuit, & miniſterii potius quam militiæ cauſa ordinata, tamen ut promptiores ad ducum juſſa vigiles eſſent, digeſti in *cohortes* fuerunt, & centuriones, tribunoſque ſuos acceperunt. *Urſat. de not. Rom. Theſ. Antiq. Roman. Græv. Tom.* x. *p.* 622. *B. Lipſ. & Thyſ. l. l.* Erant e libertinis conſcriptæ: propterea alii milites per contemptum eos vocabant *ſparteolos.* V. infr. in *Sparteoli.*

Cohortes urbanæ quatuor. Præter milites enim prætorianos ad Urbem cuſtodiendam, Auguſtus ſex millia militum conſtituit, quos in quatuor *cohortes*, ſingulas mille & quingentos milites continentes diviſit, ut Dio LV. p. 565. A. memorat. Hi in Urbe caſtra habebant, quæ ab Ulpiano urbana vocantur leg. ſi maritus 15. §. 1. ad leg. Jul. de adult. *Si quis*, inquit, *præſens ſit, vice tamen abſentis habeatur, ut puta qui in vigilibus, vel urbanis caſtris militat, dicendum eſt deferri hunc poſſe.* Ipſi milites a Paullo Urbaniciani ſunt vocati leg. qui mittuntur §. 1. ex quib. cauſ. *In Urbanicianis militibus idem D. Pius conſtituit, ut Reipublicæ cauſa abeſſe videantur.* Hi etiam Prætorii nominantur, quoniam a Prætore tutelari dicto regebantur, quia Urbis tutelam habebat, ſicut tutelares Dii nuncupantur, qui oppida tuentur. Ulpianus librum ſingularem de Officio Prætoris tutelaris ſcripſit leg. 9. ſi tribun. de excuſ. tutor. in quo has *cohortes* Prætorias appellat, & cuique ſuum præfuiſſe tribunum ſignificat. *Panciroll. Deſcr. Urb. Rom. Theſ. Antiq. Roman. Græv. Tom.* III. *p.* 390. *F.* Has cum prætoriis eaſdem prodit Herod. II. 13. §. 3. qui cum de nece Imperatoris Pertinacis, a prætorianis patrata, vindictam cogitaret, *datis clam literis centurionibus hortatur multa pollicens, perſuadeant militibus urbanis, τοὺς ἐν τῇ Ῥώμῃ στρατιώτας, ut ſibi dicto audientes eſſent.* Urſat. de not. Rom. Theſ. Antiq. Roman. Græv. Tom. XI. p. 622. C. V. etiam infr. in *Copiæ urbanæ.*

COHORTALES dicuntur apparitores, cæterique omnes, qui tanquam acceſſiones, & adminicula quædam ſunt cæterarum dignitatum, quaſi *cohorti* obnoxii, *τῇ τάξει ἐναπογράφοι*: ut in leg. Officia, & ſi cohortalis lector videre poterit. *Cohors* non modo de numero militum dicitur; ſed etiam adminiſtrorum, quem Proconſules & Prætores ſibi comparant, & habent. Suet. Ner. c. 5. §. 2. *Comes ad Orientem C. Cæſaris juvenis occiſo liberto ſuo, quod quantum potare jubebatur recuſaret, dimiſſus e cohorte amicorum. . . .* Inde Horat. Epiſt. I. 3. 6.

Quid ſtudioſa cohors operum ſtruit?

Catull. x. 10.

Nec prætoribus eſſe, nec cohorti,
Cur quiſquam caput unctius referret:

Sic *cohortales* dicuntur a *cohorte* in *cohortem* adoptati, aut *coborti* adſcripti, ut curiales a curia, tribulis a tribu. *Alciat. Parerg.* VI. 18. *Buleng. de Imp. Rom.* VI. 19. *Bud. in Pandect. p.* 244. *E. Panciroll. Notit. Dign. Imp. Orient. c.* 9. Extra ædes Præfecti, aut Præſidum habitabant. Illorum officia cum imperio Romano ferme univerſa ſunt exſtincta, aliqua tamen permanent veſtigia: pauci enim hodie relicti ſunt nuntii, ſeu viatores, qui olim Principis miniſtri litigantes citabant: neque hi hodie ſemper a magiſtratibus, ſed a decurionibus civitatum eliguntur. *Panciroll. l. l.*

COI.

COIRE erat apud priſcos verbum criminoſum. Lege enim Cornelia conſtituta erat accuſatio adverſus eos, qui in accuſationes condemnationeſque *coierant*. Hoc capite legis Corneliæ a Cornelio Sylla ſic appellatæ, nec plebs, nec equeſter ordo tenebatur: ſed Senatores, & qui magiſtratum geſſerant. Verba legis hæc exſtant in Cicer. Orat. pro Cluent. c. 54. *Qui tribunus militum legionibus quatuor primis, quive quæſtor, tribunus plebis*, & deinceps magiſtratus omnes enumerantur, *quive in ſenatu ſententiam dixit, dixerit: qui eorum coiit, coierit: convenit, convenerit: quo quis judicio publico condemnaretur.* pro Dom. ad Pontif. c. 18. *Collegia medius fidius Tribunorum plebis tota reperientur, hoc jure firmato, quæ coeant de hominum locupletiſſimorum bonis: præda præſertim populari, & ſpe largitionis oblata.* id eſt, qui in abdito conſilia agitent de evertendis locupletum fortunis. Interdum addito accuſativo ſocietatem eodem verbo utitur Cicer. pro Sext. Roſc. c. 31. *Avaritiam præfers, qui ſocietatem coieris de municipis cognatique fortunis cum alieniſſimo.* Bud. in Pandect. pag. 213. G.

COITIONES nocturnæ erant cavendæ. Huc primum pertinuit vetus lex regia Romuli: *Nocturnas in templo vigilias ne habento.* In XII. tabulis ſancitum videtur eſſe, *ne quis in Urbe cœtus nocturnos agitaret:* nox enim facinus occultans impunitatis fere ſpem promittit. Hanc legem nominat Porcius Latro in oratione adverſus Catilinam: pœnam non memorat, ſed eam capitalem certe non fuiſſe, ex eo conjicimus, quod Latro hæc ſubjungit: *Deinde lege Gabinia promulgatum, qui coitiones ullas clandeſtinas in Urbe conflaviſſet, more majorum capitali ſupplicio multaretur.* Patet utraque lege omnia ſodalitia generatim interdicta, poſteriore etiam pœnam capitalem irrogatam: at quam? nam etiam capitis pœna exſilium fuit. Non dubito, quin de nece ſit intelligendum, cum in lege ſcriptum ſit, *more majorum:* nam *more majorum*, antequam Porcia Semproniæque leges ferrentur, crimine rerum capitalium damnati necabantur. Quid quod Ageſilaus Rex Spartanorum ſuis Lacedæmoniis auctor extitit, *ut indicta cauſa occiderent eos, qui ſub impreſſionem Thebanorum coitionem noctu fecerant.* Ælian. Var. hiſt. XIV. 27. Non igitur omnes *coitiones*, ſed nocturnæ XII. tabulis, Gabinia vero lege omnes clandeſtinæ, ſive nocturnæ, ſive diurnæ, ſunt interdictæ. *Manut. de Leg. c.* 30. *Rutersh. in Leg.* XII. *tab. Claſſ.* II. *c.* 7. *Hotman. Antiq. Roman.* III. 2. *p.* 404. *E.*

COL.

COLIPHIUM, ſive *colliphium*, erat panis cum recenti caſeo commixtus, vel ἄζυμος, & caro aſſa, quibus Pythagoras athletas uti docuit, cum antea ficis uterentur. Plaut. Perſ. I. 3. 12.

Collyræ facite ut madeant, & coliphia.
Ne mi hæc incocta detis.

Juven. Sat. II. 53. V. illum ſupr. in *Athletæ*. Voſſ. Lex. Etymol. Bud. in Pandect. p. 97. A. Witell. contr. Merul. c. 12. Argol. in Panvin. de Lud. Circ. II. 1. Mercur. de Art. gymnaſt. I. 15. Salmaſ. in Tertull. p. 262. Erat inſtar bis cocti hodierni nautarum: quod poſtremis diebus imperii Romani cœptum eſt vocari buccellatum. *Scriver. in Mart. p.* 263. Mart. VII. 66. 12. poſt luctam Philænin inducit manducantem *coliphia:* ut quæ ſeſe paret ad pygiacam luctam:

Cum coliphia ſedecim comedit.
Poſt hæc omnia cum libidinatur.

Unde & crederem Junio, qui panes in ſimilitudinem virilis membri factos fuiſſe aſſerit; qui compoſiti fortaſſe ſatyrio, & ſimilibus, quæ ad Venerem incitant. De hoc pane Mart. XIV. 69.

Si vis eſſe ſatur, noſtrum potes eſſe Priapum.

Grang. ad Juvenalem.

COLLARE erat vinculi genus, quo collum adſtringebatur. Aptum fuiſſe fugitivis teſtatur Lucill. apud Non. I. §. 162.

Cum manicis, catillo, collarique ut fugitivum
Deportem.

Collare vidi Romæ apud Lælium Paſchalinum cum hujusmodi inſcriptione: TENE ME, QUIA FUGI, ET REVOCA ME DOMINO MEO BONIFACIO LINARIO. Cum enim Conſtantinus Auguſtus ad normam humanitatis, quam profitebatur, vetuiſſet in facie noxiorum ſcribi, quod dedeceret faciem maculari, quæ ad ſimilitudinem pulcritudinis cœleſtis eſſet figurata, non defuerunt lenes domini, qui obſequerentur, & frontis contumeliam in *collaria* transferrent. *Pignor. de Serv. p.* 31. *Spon. Miſc. Erud. Ant. Sect.* IX. *p.* 300. *Turneb. Adv.* XXIX. 17. *Cujac. Obſerv.* XI. 22. *Laurent. de Rebuſp. c.* 7

COLLATIA fuit oppidum Sabinorum non longe ab Urbe. Feſtus. *Donat. de Urb. Rom.* I. 19. De ea Liv. I. 38. *Collatia, & quicquid circa illam agri erat, Sabinis ademptum.* Servat quoque ætas noſtra morem appellandi *in Collatia* quicquid e regione portæ *Collatinæ* habet ager Romanus. *Marlian. Topogr. Urb. Rom.* I. 8.

COLLATINA porta. V. illam infr. in *Porta*.

COLLATINUS fuit dictus Tarquinius, quod ejus pater Egerius diu *Collatiæ*, a Priſco Rege captæ, præfectus fuerit. Dionyſ. III. p. 187. *Ex quo ejus oppidi præfecturam adeptus eſt, tum ipſe Collatini cognomen invenit, tum ejus poſteritas.* IV. p. 261. *Ab eo præfectum Collatiæ, Collatini cognomen a loco, in quo commorabatur, accepiſſe, idemque in poſteros propagaſſe.* Ovid. Faſt. II. 733.

Surgit, cui dederat clarum Collatia nomen.

Sigon. de Nom. Rom. c. 5. Panvin. Faſt. I. p. 64.

COLLATIO dicebatur ipſa tributorum ſolutio. leg. diu C. de ſuſcept. & arcar. *Diu minime penes ipſos ſuſceptores maneat facta collatio: ſed ſtatim quodcunque a provincialibus fuerit exſolutum, ſacris theſauris inferatur.* Panciroll. de Magiſtr. Munic. c. 10. *Collationum* alia ſordida, viliora, humilia, abjecta, & illiberalia habebantur, quod præſtarentur a vulgo, & plebe viliori, & humiliori: alia erant digniora, honeſtiora, nobiliora, & liberalia, qualia præſtabant honeſtioris ordinis homines, quique primi loci erant, utpote ex quibus honos & ſalus Reipublicæ non minimum dependebat. Quod ad præbitiones & munera ſordida, illis prædia, agros & poſſeſſiones Senatorum liberas eſſe præcepit Imperator; ut & rem ſuam privatam, vel prædia, aut poſſeſſiones ſuas privatas: quo nomine veniebant prædia & poſſeſſiones, quæ in patrimonio ipſorum ante fuerant, quam fierent Imperatores, item quæ poſtea his accedebant, nec non quæ hæreditatis, legatorum, aliove legitimo jure ad eos perveniebant. Conſtant. M. leg. I. C. de privil. Dom. Aug. *Privatas poſſeſſiones noſtras ab univerſis muneribus ſordidis placet immunes eſſe, neque eorum conductores, neque colonos ad extraordinaria munera, vel ſuperindictiones aliquas circumveniri.* Eadem immunitate gaudebant Senatorum bona leg. 4. C. de dignitat. *Senatorum ſubſtantias, quas in diverſis locis & provinciis poſſident, & homines eorum, tam a temonariis oneribus conferendis, quam a cæteris præſtationibus, quas judices deſcribunt; nec non etiam ab omnibus ſordidis muneribus, extraordinariisque & vilioribus liberos eſſe præcipimus.* Verum

quod

quod attinet ad præſtationes & munera in viis publicis reficiendis, quamvis prima fronte videantur humilia & vilia, ſita quippe maxime in manuum opera, materiaque, quæ videri poſſit abjectior & nullius dignitatis, qualia ſunt lapides, ſilices, calx, ſabulum, cæmentum; nunquam tamen opera viarum publicarum habita ſunt humilia & viliora, ſed e contrario liberalia, nobilia & honeſtiora; cujus rèi inſignia ſunt, quod nec ipſi Imperatores dedignati ſint hiſce operibus manum admovere, ſeſe auctores ferre inſcriptis publice marmoribus, aliisque quæ epigrammata ad poſteros tranſmittere, ætatemque ferre poſſunt; & quod ad inſtructiones, reparationesque viarum, pontium, qui vias connectunt, nullum genus hominum, nullius etiam dignitatis ac venerationis meritis voluerunt ceſſare, ſine ulla exceptione, ne quidem privati ſui ipſorum patrimonii, rei, prædiorum. *Bergier. de viis milit.* I. *Sect.* 23. §. 2. 3.

COLLECTA eſt collatio, ſive portio, quæ a convivis ad cœnam, aut prandium confertur, ſive pecuniaria, ſive penuaria ſit. Cicer. de Orat. II. 57. *Ego vero quoniam collectam a conviva, Craſſe, exigis....* Turneb. Adv. III. 6. Stuck. Ant. Conviv. I. 34. Buleng. de Conviv. I. 2.

Collecta eſt etiam cœna, quæ Græcis ἔρανος vocatur, ut ſodalium epulæ, & epularis accubatio juvenum, ut tetracliſtarum ſymbolam conferentium. Auſon. Epiſt. IX. 46.

Aut paraſitorum collectas Plautinorum.

Turneb. Adv. III. 6. Bud. in Pandect. p. 82. C.

COLLECTARIUS fuit dictus coactor argentariorum, ut vult Acro. Minor fuit argentario, & major miniſtris & mercenariis. Per illos pecunias cogebant, & quas acceperant per partes occupabant fœnori, vel qua alia ratione erogabant. Suidæ eſt argentarius, nummularius, menſarius, menſularius, trapezita, coactor argentarius, κολλεκτάριος. Symm. Epiſt. X. 42. *Vendendis ſolidis, quos plerumque publicus uſus expoſcit, collectariorum corpus obnoxium eſt, quibus arca vinaria ſtatutum pretium ſubminiſtrat.* Buleng. de Imp. Rom. VII. 19. Laz. Comm. Reip. Rom. II. 14.

COLLEGIUM differt ab ordinibus, ſacerdotiis, ſodalitatibus. *Collegium* tres faciunt. Marcell. leg. 85. de Verb. Sign. *Neratius Priſcus tres facere exiſtimat collegium, & hoc magis ſequendum eſt.* Ordo dignitatem, vel artem plurium deſignat, ut Equeſter ordo, Senatorius qui ampliſſimus, ordo publicanorum & mancipiorum. Sacerdotium eſt συναρχία. Sodalitas ἑταιρία. *Guther. de vet. jur. Pontif.* I. 3. De *collegiis* lex ſcripta ad exemplum Græcæ Solonis legis eſt in XII. tabulis, ut cognoſcimus ex Cajo IV. ad legem XII. tabularum. Verba referuntur Dig. XLVII. 22. 4. *Sodales ſunt, qui ejuſdem collegii ſunt, quam Græci ἑταιρίαν vocant. His autem poteſtatem facit lex pactionem, quam velint, ſibi ferre, dum ne quid ex publica lege corrumpant.* Solonis legem ita interpretor. *Si qui ex plebe, aut tribu, aut ſacrorum myſteriorum miniſtri, aut nautæ, aut communi cibo, vel ſepulcro utentes, aut publicani, aut qui prædatum eunt, aut ad mercatum, quidquam inter ſe propter eas cauſas conſtituerint, ratum ſit; dum ne id publicis ſanctionibus prohibeatur.* De ejuſmodi *collegiis* atque corporibus varie in Urbe actum eſt. Nam, ut Cicero ſcribit de Senect. c. 13. *ſodalitates* Quæſtore M. Catone majore *conſtitutæ ſunt ſacris Idæis magnæ matris receptis.* Veteres autem XII. tabularum fortaſſe fuerunt diſſolutæ. Sed & P. Clodius, ut ſcribit in Piſonem & pro Sextio, *collegia* pleraque inſtituit. Ad Q. Fratr. II. 3. ait *factum eſſe SC. ut ſodalitates, decuriatique diſcederent; lexque de his ferretur, ut qui non diſceſſiſſent, ea pœna, quæ eſt de vi, tenerentur.* Noſtri quoque JCti & Senatuſconſulta, & mandata, reſcriptaque Principum referunt, quibus *collegia* ſine Principis aut Senatus voluntate coire nequeunt. *Auguſtin. ad* XII. *tabb.* §. 55. *& de Legibus in Clodia de Collegiis.* Sublata eſſe multa, quia adverſus Rempublicam eſſe videbantur, his verbis prodit Aſcon. in Cicer. p. 137. *Frequenter tum etiam cœtus factioſorum hominum ſine publica auctoritate malo publico fiebant: propter quod poſtea collegia S. C. & pluribus legibus ſunt ſublata, præter pauca atque certa, quæ utilitas civitatis deſideraſſet, ut fabrorum, lictorumque.* Quando ſublata fuerint, docet p. 158. *L. Cæcilio, Q. Marcio Coſſ. S. C. collegia ſublata ſunt, quæ adverſus Rempublicam videbantur eſſe. Solebant autem magiſtri collegiorum ludos facere, ſicut magiſtri vicorum faciebant compitalitios prætextati, qui ludi ſublatis collegiis diſcuſſi ſunt. Poſt novem deinde annos, quam ſublata erant, P. Clodius tribunus plebis lege lata reſtituit collegia.* Sed illa rurſus ſuſtulit J. Cæſar. Suet. c. 42. n. 4. *Cuncta collegia, præter antiquitus conſtituta, diſtraxit.* Et cum ejus lex in maximis Reipublicæ motibus poſtea ad nihilum recidiſſet, Auguſtus Suet. c. 32. n. 2. *Cum plurimæ factiones titulo collegii novi ad nullius non facinoris ſocietatem coirent, collegia præter antiqua & legitima diſſolvit.* Timebant ſcilicet ſapientiſſimi homines factioſorum hominum cœtus, ne jure *collegii* ad res novandas, & Rempublicam *perturbandam abuterentur.* Sigon. de Ant. Jur. Civ. Rom. II. 12. Rittersh. in Leg. XII. tab. Claſſ. II. c. 8. Non ſolum patronos habuerunt, ſed etiam patronas, ut Auguſtas, quæ illorum ſocietates & ſodalitia tuebantur, & mulieres alias. Lapis Firmi in Piceno.

ALLIENÆ. T. F
BERENICÆ
C. VETTIUS. POLUS
UXORI
SANCTISSIM. ET
C. VETTIUS. POLUS
MATRI
PIISSIMÆ. PATR
COLL. FABR. ET. CENT.

Brixiæ:

SEXTIÆ
T. F.
ASINIÆ. POLLÆ
M. NONI. ARRII
MUCIANI. COLLEGIA
JUVENUM. BRIXI
OB. MERITA.

Ferret. Muſ. Lapid. III. *Mem.* I. Erant quatuor ſumma: Pontificum, Augurum, Septemvirorum epulonum, & Quindecimvirorum. Dio LIII. p. 496. D. *Atque hi ludi quinquennio quoque in hunc uſque diem celebrati: quorum curatio penes quatuor collegia ſacerdotum, ordine, & per vices. Dico, Pontificum, Augurum, Septemvirorum, uti appellantur, & Quindecimvirorum.* Caſaub. ad Suet. Aug. c. 101. n. 4. Lipſ. in Tacit. Annal. III. n. 151. Ex his verbis quatuor quidem *collegia* videre eſt; ſed non ſumma. Non enim ſummam Septemviri epulones auctoritatem in ſacris habuerunt, quorum cura hæc fuit una præcipua, ut ludi diligenter fierent, & ſi quid prætermiſſum eſſet aut commiſſum, ad Pontifices afferrent, quorum de ſententia illa eadem renovata atque inſtaurata celebrarentur. Summum itaque eſſe non potuit, quod pendebat ab alio, illique quaſi ancillabatur. Quapropter in quatuor ſummis *collegiis* aruſpices agnoſcimus, non Epulones. Nam veteres Romani ſtatas ſollenneſque ceremonias Pontificatu: rerum bene gerendarum auctoritates augurio: prædictiones Apollinis vatum libris: portentorum explanationes Etruſcorum diſciplina contineri voluerunt. Fuit ergo ſummum aruſpicum *collegium*, quorum reſponſis magnis in rebus ſæpe Senatus paruit. *Guther. de vet. jur. Pontif.* I. 3. Qui refellitur a Tacit. Annal. III. 64. 3. *Ludi magni ab ſenatu decernuntur, quos Pontifices, & Augures, & Quindecimviri, Septemviris ſimul & ſodalibus Auguſtalibus ederent.* Et quod fuerit ex quatuor ſummis, patet ex eo, quod Nero filii Claudii Imperatoris in illud ſupra numerum cooptatus fuit, ut quatuor ſummis ſacerdotiis, majoris honoris gratia initiaretur. Inſcriptio Gruteri p. 236. n. 9.

NERONI

NERONI
CLAUDIO. AUG. F. CAISARI
DRUSO. GERMANICO
PONTIF. AUGURI. XVIR. S. F.
VII. VIR. EPULONI
COS.
PRINCIPI JUVENTUTIS

Ita Tiberius Pontifex Maximus, Augur, Quindecimvir sacris faciundis & Septemvir Epulonum inscribitur in vetusta inscriptione p. 235. n. 10.

TI. CÆSARI. DIVI. AUG. F. DIVI. JULI. N.
AUGUSTO. PONT. MAX. TRIB. POT. XXIIX.
COS. IIII. IMP. VIII. AUGURI. XV. VIRO. S. F.
VII. VIRO. EPULON . . .

Nec propterea ex quatuor summis sacerdotum collegiis expungendi sunt; quia, cum non recte curata erant sacra, id referebant ad pontifices, quorum, ut ita loquar, magister erat pontifex maximus; ad quos pertinebat jus constituendi, quando sacra instauranda essent. Quam ob causam non possunt dici pontificum ministri, qui illis ancillarentur, non magis quam hoc tempore possunt dici Cardinalium, ut vocantur, ministri, licet ad Cardinalium collegium de rebus nonnullis dubiis referant, ut ex pontificis Maximi Romani, & Cardinalium sententiæ illæ decidantur. Et dum Aruspices inter quatuor summa *collegia* numerat, quia ne quidem secundo loco inter *collegia* Sacerdotum a Romanis collocati fuerunt. Lucanus publicam Sacerdotum Urbis supplicationem describens recensito *collegio* Pontificum, ac Vestalibus, addit I. 559.

Tum qui fata Deum, secretaque carmina servant,
Et lotam paullo revocant Almone Cybellem,
Et doctus volucres Augur servare sinistras,
Septemvirque epulis festis, Titiique sodales,
Et Salius læto portans ancilia collo,
Et tollens apicem generoso vertice Flamen.

Recenset post Pontifices, Quindecimviros Sibyllinorum carminum scrutatores, Augures, Septemviros Epulones, Sodales Titios, Salios, ac tandem Flamines. Nullus Aruspicibus, utpote non tantæ majestatis, locus inter memorata Sacerdotum collegia. Nulli Consules, aut viri triumphales, nulli provinciarum præsides, aut legati Imperatorum in vetustis inscriptionibus Aruspices nuncupantur, cum tamen Septemviri Epulones honoris gratia dicantur. V. Indic. Gruter. c. 3. Cicer. Fam. VI. 19. suo demum tempore, eversa per Cæsarem Republica, qui aruspicinam facerent, in Senatum lectos scribit. *Cuper. Observ.* IV. 13. *Noris. Cenot. Pisan. Dissert.* II. 5. *Vignol. Inscript. Select. p.* 306. *Græv. Thes. Antiq. Roman. Tom.* V. *Proleg.* * * 2.

Collegium artificum & opificum instituit Rex Numa. Plutarch. p. 71. C. *Ut differentiam illam tolleret, qua civium Romanorum alii Quirites, alii Romani, alii a Tatio, alii a Romulo dicebantur, artium divisionem excogitavit tibicinum, aurificum, fabrum, tinctorum, sutorum, cerdonum, fabrum ærarium & figulorum: reliquas vero artes in unum redigens, unum ex his collegium instituit, quibus cum sodalitates, & conventus, & sacra unicuique generi apta tradidisset, nomen Romanorum, Sabinorumque delevit.* Quamquam Florus Servium Tullium potius illorum auctorem asserit, cum de eo ita scribit I. 6. 3. *Ab hoc Rege populus Romanus relatus in censum, digestus in classes, decuriis atque collegiis distributus, summaque Regis solertia ita ordinata est Respublica, ut omnia patrimonii, dignitatis, ætatis, artium, officiorumque discrimina in tabulas referrentur.* Sigon. de Ant. Jur. Civ. Rom. II. 12. Qui *collegio* artium præerat, præfectus dicebatur. At non tantum Romæ extabant, sed florente imperio per omnes civitates non solum Italiæ, sed etiam Provinciarum, diversa erant, quæ bellicis expeditionibus necessaria, vel opportuna Romanorum exercitibus suppeditarent; arma scilicet, tela, machinas, vestes, & similia. Hinc passim in antiquis lapidibus leguntur *collegia* Fabrorum ferrariorum, Tignariorum, Dendrophororum, Centonariorum, Sagariorum, Tabernaculariorum, Tabulariorum, Fœnariorum. . . . Hæc *collegia* in corpora varia & decurias divisa, suos habebant præfectos, magistros, decuriones, quinquennales plerosque. *Ursat. de Not. Roman. Thes. Antiq. Roman. Græv. Tom.* XI. *pag.* 538. *B.*

Collegium augurum & artem apud Romanos fecerunt auguria. Plin. VIII. 28. Claudius *nullo præter auguralis sacerdotii honore impertitus est.* Suet. Claud. c. 4. n. 12. *Buleng. de Aug. & Ausp. c.* 11.

Collegium Capitolinorum fuit eorum, qui Capitolium & arcem incolebant, & ludos Capitolinos exercebant. Hoc instituit M. Furius Dictator. Liv. V. 50. V. illum infr. in *Ludi*. Ad Ciceronis tempora duravit, quibus M. Furii gentilis ab hoc *collegio* expulsus est. Cicer. Q. Frat. II. 5. *Non prætermittam, ne illud quidem, M. Furium Flaccum, Equitem Romanum, hominem nequam Capitolini & Mercuriales de collegio ejecerunt.* Piso hos eosdem facit cum Tarpejis. Tertull. de Spect. c. 5. V. infr. in *Ludi Capitolini*. Guther. de Jur. vet. Pontif. III. 18. Turneb. Adv. V. 28. Salmuth ad Panciroll. de Reb. Deperd. & Inv. p. 217.

Collegium Corneliorum fuit *servorum, quos proscriptorum florentissimos ætate ac viribus, plusquam decem mille, libertate & civitate donatos, & Cornelios vocatos de patroni nomine plebi inseruit L. Cornelius Sulla, ut inter plebejos haberet semper ad jussa parata decem millia.* Appian. Bell. Civ. I. p. 413. De illis Cicer. pro Corn. c. 1. *Cornelios tam multos esse, ut jam collegium esset constitutum.* Sigon. de Ant jur. civ. Roman. II. 14.

Collegium fabrum *ærariorum institutum est a Rege Numa.* Plin. XXXIV. 1. V. supr. in *Collegium artificum*. Sigon. de Jur. Civ. Roman. II. 12.

Collegium figulorum *septimum instituit Numa Rex.* Plin. XXXV. 12. V. supr. in *Collegium artificum*. Sigon. de Ant. Jur. Civ. Rom. II. 12.

Collegium Kalendariorum & Iduarium in lapide Catalonico nominantur. Erant corpora ad Kalendarium, seu ratiocinia Urbis curanda adhibita. Qui scilicet arcam vinariam, qua de Symm. Epist. IX. 121: X. 47. olearium, frumentariam exercebant, de quibus duabus leg. 11. C. de Curat. Kalendar. Ita habet inscriptio Exoniæ in Catalonia:

L. VAL. L. FIL. GAL
FAVENTINO. II. VIRALI
QUI. ANNONA. FRUMENTARIA
EMPTA. PLEBEM. ADJUVIT
ET. OB. ALIA. MERITA. EJUS
COLLEGIA. KALENDARIORUM
ET. IDUARIA. SUO. CIVI
GRATISSIMO. POSUERUNT.

Lipen. de Stren. c. 4. §. 15.

Collegium lotorum. Hujus meminit Inscriptio Aricina:

DIANÆ. AUG.
COLLEG. LOTOR
SACR
PRIMIGENIUS. R. P.
ARICINORUM. SER. ARC
CURATOR. II. CUM
M. ARRECINO. GELLIANO
FILIO. CURATORE. T.
D. D.

Et nescio an alibi mentio in antiquis monumentis. Lotores itaque non nisi a lavando dictos ipsa vox suadet. Igitur *collegium* lotorum eorum fuit, qui eadem de causa ita appellarentur. Verum quid lotoribus commune cum Diana Aricina? ad quam referendam hanc inscriptionem vix dubi-

dubitare poteſt. Aut igitur, quantum conjectura mihi aſſequi licet, *collegium* lotorum ſacerdotum, aut miniſtrorum quorumlibet ſacrorum fuit; qui advenis templum olim Dianæ celeberrimum in crepidine lacus Nemorenſis poſitum adeuntibus, ac religionis, aut morbi fortaſſe alicujus depellendi cauſa in lacu Dianæ ſacro lavantibus præeſſent, ac rei ſacræ peragendæ ritus monſtrarent. Aut ideo dictum, quod ejus *collegii* ſacerdotes Dianæ illius Aricinæ, ſeu Nemorenſis ſimulacrum certis anni diebus ob veterem aliquam religionem, cujus notitia ad nos minime pervenerit, in ſubjecto lacu lavarent. Favet conjecturæ noſtræ non unum in antiquitate exemplum hujusmodi lavationum. Nam de ſimulacro Cybeles, quod a xv. viris quotannis in Almone lavabatur, Lucanus & Ovidius laudati ſupr. in *Almo*. De ſimulacri Palladis lavatione Callimachus in hymno Palladis. De hac Scholiaſtes: *Mos fuit Argivis mulieribus certo quodam die accipere ſimulacrum Palladis, & Diomedis, eaque ad Inachum perducta in ipſo flumine lavare.* Imo & id ſuadet proclive deæ ipſius ingenium ad hujuſmodi lavationes, ut docent veteres fabulæ, quo alluſum fortaſſe hujuſmodi ritu. In hoc vero marmore legendum: DIANÆ AUGUSTÆ COLLEGII LOTORUM SACRUM; non COLLEGIUM LOTORUM SACRUM, quæ lectio alicui fortaſſe veriſimilior videretur, quaſi ſenſus ſit *collegium* lotorum monumentum hoc Dianæ Auguſtæ dedicaſſe, quod ſane perperam eſſet, cum illud a Primigenio, & M. Arrecino Gelliano R. P. Aricinorum curatoribus dedicatum inſcriptio ipſa doceat. *Falkoner. ad Inſcript. athlet. Theſ. Antiq. Græcar. Gronov. Tom.* VIII. *p.* 2304. *B.*

Collegium poetarum Romæ fuit. Hoc alloquitur Ovid. Triſt. v. 3. 47.

Vos quoque conſortes ſtudii, pia turba, poetæ.

n. 51.

Admonitusque mei, cum circumſpexerit omnes,
Dicat, ubi eſt noſtri pars modo Naſo chori.

Et IV. 10. 45. ſui temporis poetas tanquam *ſodalitii* ſui membra enumerat. Ejus *collegii* meminit Val. Max. III. 7. 11. *Is*, inquit, *Julio Cæſari, ampliſſimo ac florentiſſimo viro, in collegium poetarum venienti nunquam aſſurrexit.* Sic Stat. Sylv. I. 2. 257.

—— tecum ſimiles, junctæque Camœnæ,
Stella, mihi: multumque pares bacchamur ad aras,
Et ſociam doctis haurimus ab amnibus undam.

Et Epiſtola prope extrema ad Stellam: *Et tu fortaſſe pro collega mentieris?* id eſt, fidem falles, & affirmabis eſſe biduo ſcriptam, quo mihi gratificeris ſtudio ſociorum. Affectavit autem *pro collega* dicere, quia poetarum *collegium* Romæ fuit. *Parrhaſ. Epiſt.* 57. *Barth. in Statium p.* 8. *Lomej. de Biblioth. c.* 14. Hoc omnino certum minime mihi videtur ex locis in ſubſidium vocatis. Valerius Maximus ſolus id genus *collegia* memorat, & eum poſſumus tranſlate, & figurate interpretari, non vero proprie de ſodalitate poetarum vera, quæ legibus, numeroque membrorum circumſcripta fuerit. Cum enim & poetæ ſuos cœtus haberent, ubi carmina invicem recitarent, eo potuit Valerius reſpicere, ſiquidem addit: *quapropter inſolentiæ crimine caruit, quia ibi voluminum, non imaginum certamina exercebantur.* Nec magis ſtringunt e Naſone & Statio loca. Poſſunt enim poetæ, etſi in nullum fuerint cooptati *collegium*, dici *ſocii*, & *conſortes ſtudii* ejusdem, atque etiam *chorus* Art. Amand. III. 533. quemadmodum Ovidius ſuperius n. 10. *ſe mollem egiſſe*

In ſtudiis vitam, Pieridumque choro.

ut ſignificaret ſe Muſis operam navaſſe, quarum veluti chorus fingebatur, qualis & poetis transſcribi potuit. *Maſſon Ovid. vit. p.* 85.

Collegium Romanum ſocietatis Jeſu a fundamentis exſtruxit, ac dotavit Gregorius XIII. Opus ſane, ſi fabricæ amplitudinem ac dignitatem: ſi univerſitatem diſciplinarum, quæ in eo traduntur: ſi Profeſſorum doctrinam: ſi attributos reditus: ſi diſcipulorum ex eadem ſocietate ad omnes dein terras commeantium, externorumque multitudinem ſpectes, Gregorianæ charitati par, qua omnia complectebatur. Primum in fundamenta lapidem jecit ad III. Idus Januarii Philippus Bonocompagnus S. Sixti Cardinalis fratris filius, ſic inſcriptum: *Religionis cauſa Gregorius* XIII. *Pont. Max. Bonon. collegii Romani Societatis Jeſu ampliſſimo reditu aucti ædes ad omnes nationes optimis diſciplinis erudiendas ære dato exſtruens, primum in fundamenta lapidem conjecit* MDLXXXII. Biennio in eam, qua ſpectatur, formam eſt perductum. Externa *collegii* facies latiſſima e grandi lapideaque corona in medio eminet, tum celſam exſtat in turrim, duobus hinc atque hinc ſupremos cancellos claudentibus acroteriis. Eadem latere cingitur lævigato modo in faſcias procurrente, modo retracto & exæquato: angulatis eadem lapidibus Tiburtinis, antarum inſtar projectis munita, non ſine multiplici, directoque ordine patentium feneſtrarum. Media pars Gregorii ſimulacrum in loculo ponendum exſpectat: altiusque impoſita ejusdem inſignia egregie ſculpta oſtendit, ſub quibus titulus operis in marmore inſcribitur: GREGORIUS XIII. RELIGIONI ET BONIS ARTIBUS. Deorſum ad juſtam ædificii formam duplex oſtium habet, pulcerrimis inſtructum antepagmentis, & arcuato ſupercilio, quod prothyrides ſuſtinent. Porro impluvium coctili latere ſtratum, radiorum inſtar intercurrentes candidi lapidis patulæ ac perpolitæ glebæ in ſyderis ſpeciem figurant: tum quaternæ ambiunt quadratæque porticus nixæ pilis Tiburtini lapidis. E pilis antæ proſtant, inferiores Ionici generis: his vero ſuperſtantes Corinthii: quibus epiſtylia & coronæ incumbunt. Binis ſcalis ſe mutuo e regione ſpectantibus aſcenſus eſt ad ſuperiores porticus, quæ lapideis mœnianis cancellatim marginantur ad pulcritudinem ſimul & ſecuritatem deambulantium. Cohærent quadrilateris porticibus ſcholæ: ſuperioribus vero aula etiam ingens ad publica munia doctrinarum: in qua ſumma Gregorii effigies ad vivum expicta in ſolio ſedens viſitur purpuratis patribus ad latera conſidentibus. Ad ejus pedes alumni accidunt e Romano, aliisque collegiis. In ſummo titulus totius nomine ſocietatis Gregorio inſcriptus eſt:

GREGORIO XIII. PONTIFICI MAXIMO
HUJUS COLLEGII FUNDATORI SOCIETAS
JESU AMPLISSIMIS AB EO
PRIVILEGIIS MUNITA ET INGENTIBUS
AUCTA BENEFICIIS
IN HOC TOTIUS ORDINIS SEMINARIO
PARENTIS
OPT. MAX. MEMORIAM SUIQUE GRATI ANIMI MONIMENTUM P.

Donat. de Urb. Rom. IV. 11.

Collegium tibicines Romani habuerunt. Val. Max. II. 5. *Tibicinum quoque collegium ſolet in foro vulgi oculos in ſe convertere, cum inter publicas privatasque ferias, actiones, perſonis tecto capite, variaque veſte velatis concentus edit.* Huc ſpectat inſcriptio apud Gruter. p. 175.

COLLEGIO. TIBICINUM
ET. FIDICINUM. ROMANORUM
QUI. S. P. P. S.
TI. JULIUS. TYRANNUS
MUNIS. PERPETUUS. ET
ULIUS. TYRANNUS. F.
H. C. D. D.
DEDICATUM. K. MART.
RSO. SERVIANO. II. L. FABIO. JUSTO. COS.

Collegia illa Romæ primum inſtituta ſunt a Rege Numa, ſi credimus Plutarcho. V. illum ſupr. in *Collegium artificum*. Barthol. de Tib. Vet. III. 1. Mod. Novant. Lect. Epiſt. 108.

COLLINA porta. V. illam infr. in *Porta*.

Collina regio. V. illam infr. in *Regiones*.

Collina tribus. V. illam infr. in *Tribus*.

COLLIS Dianæ vocatur Aventinus a Dianæ templo. Mart. XII. 18. 1.

Cum

Cum tu forsitan inquietus erras
Clamosa Juvenalis in Subura,
Aut collem dominæ teris Dianæ.

VII. 72. 1.

Esquiliis domus est, domus est tibi colle Dianæ.

Fabric. Descr. Urb. Rom. c. 3.

Collis hortorum, sive hortulorum dictus est a proximis, ut credo, hortis Sallustianis. Est & dictus Pincius, quod ibi Pinciorum domus essent. Ejus meminit Suet. Ner. c. 50. n. 2. *Reliquias Ecloge & Alexandra nutrices cum Acte concubina gentili Domitiorum monumento condiderunt, quod prospicitur in campo Martio impositum colli hortorum.* Hic antiquitus extra Urbis mœnia erat, & idcirco extra VII. numerum. Aurelianus illum Urbis pomœrio inclusit. Ab ortu tangit montis Quirinalis campum, a meridie item aliquam ejus partem, ab occasu vallem Martiam & Domitiani naumachiam, a septentrione Urbis mœnia. Ab ortu propinquam habet portam Collatinam, a meridie pilam olim Tiburtinam, ab occasu viam Flaminiam, a septentrione templum Solis & Neronis sepulcrum. *Fabric. Descr. Urb. Rom. c. 3. Panvin. Descr. Urb. Rom. Thes. Antiq. Roman. Græv. Tom.* VI. *p.* 278. *C. Marlian. Topogr. Urb. Rom.* IV. 26. *Nardin. Rom. Vet.* III. 23. *Donat. de Urb. Rom.* III. 23. *Boissard. Topogr. Urb. Rom. Tom.* I. *p.* 56. *Faunus Antiq. Urb. Rom.* IV. 11.

Collis Latiaris est illud montis Quirinalis fastigium, ut existimo, extremum in quo monasterium S. Dominici est positum. Si revera is fuit, antiquum illic vicum Mustellarium fuisse affirmari queat, ut & Turaculum. Varr. de Ling. Lat. IV. 8. *Collis Latiaris sexticepsos in vico Mustellario summo apud Turaculum, ædificium solum est.* Nardin. Rom. Vet. IV. 6. Panvin. Descr. Urb. Rom. Thes. Antiq. Roman. Græv. Tom. III. p. 274. C.

Collis Mutialis fuit in hortis Aldobrandinis, ubi templum extitit Dii Fidii. Varr. de Ling. Lat. IV. 8. *Collis Mutialis quinticepsos apud ædem Dii Fidii in delubro, ubi æditumus habere solet.* Nardin. Rom. Vet. IV. 6.

Collis Salutaris babebat vicina templa Quirini, & Salutis. Varr. de Ling. Lat. IV. 8. *Collis Salutaris quarticepsos ædem Quirino. Collis Salutaris quarticepsos adversum est Pilæ Honoris. Ædem Salutis.* Quirini templum proxime ad palatium papale inter monasterium S. Mariæ Magdalenæ, & collegium S. Andreæ Jesuitarum fuisse confessa res est. Unde *collem* Salutarem in proximo, & quidem in angulo hortorum Columnensium fuisse valde mihi fit verisimile. *Nardin. Rom. Vet.* II. 2.

Collis Testaceus. V. illum infr. in *Mons.*

COLLOCATUM corpus dicitur etiam conditum & sepultum. Lapis Romæ apud Gruter. p. 309. n. 7.

CLOELIÆ. CLAUDIANÆ
V. V. MAX
COLLOCATA XII. KAL. APRIL
C. AUFIDIO ATTICO
C. ASINO. PRÆTEXTATO. COS.

Capitol. Anton. Pio c. 5. *Sed Adriano apud Bajas mortuo, reliquias ejus Romam pervexit sancte ac reverenter, atque in hortis Domitiæ collocavit.* Guther. de Jur. Man. I. 17. *Collocare* hic cave accipias pro condere, aut sepelire; id enim significat quod Græcis προτιθέναι de mortuis: cum eos lugendos laudandosque in vestibulo domus exponebant. Nam similiter Adriani reliquiæ in his hortis sunt expositæ, ut illas populus Romanus inspiceret, ac veneraretur, priusquam in sepulcrum, sive Adriani molem inferrentur. *Casaub. ad Capitolinum.* At vero sepultus est Adrianus juxta flumen ad pontem Ælium, ubi monumentum fecerat, cum Mausoleum plenum esset, in quo nemo amplius sepultus est. Dio LXIX. p. 797. Et horti Domitiæ trans Tiberim fuerunt, in quibus Adriani sepulcrum. V. illos infr. in *Horti.* Nec certe in horto Adriani reliquias *collocasset* ad pompam Pius Imperator, quas populus adoraret, Adriano infensior, qui *repugnantibus cunctis relatus est in divos.* Etenim si ea mens Antonino fuisset, in templo aut celebriore aliquo loco reliquias illas deposuisset, ut de Severo Herodian. IV. 1. 7. tradit, cujus cineres in Urbem perrectos Senatus adoravit, προσέκυνον, καὶ ἀπέθεντο τῷ νεῷ. Politianus vertit *composuerunt*, improprie. Compositio enim differt a *collocatione*, & *collocatio* a depositione. Nec Senatus Severi reliquias composuit, aut *collocavit*, sed deposuit in templo, quod est, ἀποτίθεσθαι, non προτίθεσθαι, aut προστέλλεσθαι. Sic depositus in Inscriptionibus dicitur, qui humatus, sepultus est Romæ p. 832. n. 3.

DEPOSITA III. KAL. DECEMB.

Depositum ergo & *collocatum* veteres dixerunt pro terra condito. Sicque *collatum* Adrianum ἀποτιθέμενον in hortis Domitiæ facile credo, quem ad exsequias amplissimas productum nullus auctor scriptum reliquit. *Guther. l. l.*

COLLUM, si pars ejus dextra salierit, libero homini timorem, servo ægritudinem portendit, cæteris omnibus bonum, si sinistra tremuerit. *Niphus de Augur.* I. 9. Nudo *collo*, absque torquibus olim fere omnes gentes incessere, sicut hodieque fit in Oriente locis plurimis. *Scheffer. de Ant. Torq. c.* 12. Hostium devictorum pedibus calcabant victores. V. infr. in *Pes.*

COLLUS cernui. Lucill. XXVII.

Modo sursum, modo deorsum, tanquam collus cernui.

ventrem distendebant corbitores, quod est, rejectis & inversis in tergum manibus ad circuli modum caput deorsum ad pedes usque inflectebant distento ventre. Quod hodie in comœdiis vulgare est. *Collus genus est tormenti e corio.* Festus, quod in quamlibet partem nullo negotio complicatur. *Guther. de Jur. Man.* I. 20.

COLLYBUS est id detrimentum pecuniæ, quod in ratiociniis emptionem auri appellant, & vulgo cambium dicitur, cum pecunia ad exteras nationes exportanda est, apud nummularios alios aliis nummis commutanda, ut si argentea moneta aurea mutetur, aut genera quædam pecuniæ abrogata, aut antiquata, aut quovis modo repudiabilia in una provincia, alio quo genere permutanda sint, rato, receptoque & promulgato in ea provincia. Id enim quod ex summa apud nummularium decedit, & velut deperit, *collybus* verbo Græco appellatur. Cicer. Verr. III. 78. *Ex omni pecunia, quam aratoribus solvere debuisti, certis nominibus deductiones fieri solebant, primum pro spectatione & collybo, deinde pro nescio quo cerario. Hæc omnia, judices, non rerum certarum, sed furtorum improbissimorum sunt vocabula. Nam collybus esse qui potest, cum utantur omnes uno genere nummorum.* Attic. XII. 6. *De Cœlio vide quæso, ne qua lacuna sit in auro, sed certe est in collybo detrimentum.* Bud. in Pandect. p. 134. F. Voss. Lex. Etymol. Senftleb. de Alea c. 7. §. 4. Sigon. de Ant. Jur. Civ. Rom. II. 11. Pitisc. in Suet. Aug. c. 4. n. 5.

Collybus est nummorum assidua tractatio, qua nummularii liventes manus habere solent. Pollux VII. 33. Κόλλυβος, ἀλλαγή. III. 9. Ἀργυρίου ἀλλαγὴ, ὁ καλούμενος κόλλυβος. Notat enim æreum nummum, cui bos erat impressus. Hesychius. Suet. Aug. c. 4. n. 5. *Hanc finxit manibus collybo decoloratis Nerulonensis mensarius.* Bud. in Pandect. p. 134. G. Donat. & Pitisc. in Suetonium.

COLLYRÆ videntur fuisse parvuli panes rotundi & globosi. Plautus supr. in *Colyphium.* Turneb. Adv. IV. 1. Salmas. in Tertull. Pall. p. 354. Solin. p. 936. b. G. 182. a. F. Vel etiam genus fictorum farinaceorum, quæ ut lagana interdum in sartagine frigantur: interdum cocta per se edantur: interdum ex jure comedantur, ut tabellas paniceas in sorbitiuncula plerumque esitamus: frigi solitas docent Grammatici Græci, qui εἶδος πλακοῦντος interpretantur, & κολλυρίζειν explicant λαγάνας τηγανίζειν, id est, lagana in sartagine frigere: & κολλύρια exponunt λάγανα. In Plauto autem satis constat illud panificium etiam sumi ex jure. Subjicit enim n. 15.

Tum nisi cremore crasso est jus collyricum.

Jus enim *collyricum* ecquodnam aliud esse potest, quam ex quo *collyra* eduntur? atque illud crassius & unctius esse parasitus postulat n. 17.

Quaſi juream eſſe jus decet collyricum.

Ut jus *collyricum* non liquidum ſit, neque macrum: ſed tam craſſum, & concretum, quam ſi e jure placenta fieret. *Turneb. l. l.*

Collyra, vel *collyrides* erat etiam comarum ſuggeſtus, quem pone cervices in modum umbonis, aut *collyridis* cujusdam, ſive popani formatum gerebant mulieres. Tertull. de Cult. fem. c. 6. *Affigitis neſcio quas enormitates ſutilium atque textilium capillamentorum, nunc in galeri modum, quaſi vaginam capitis, & operculum verticis, nunc in cervicem retro ſuggeſtum. Mirum quod contra Domini præcepta contenditur. Ad menſuram neminem ſibi adjicere pronuntiatum eſt. Vos plane adjicitis ad pondus collyridas quaſdam, ſcutorum umbilicos cervicibus adſtruendo.* Hujus ornatus inſtar in mulierum cervicibus multi veterum nummi exhibent. Fauſtinam ſic fere ſemper comptam in iis nummis videre eſt. *Salmaſ. in Tertull. p.* 354.

COLOBATHRARII ſunt grallotores. Non. II. §. 361. *Grallatores ſunt collobathrarii.* Ita habent anteriores editiones. In novitia editione perperam legitur *calobathrarii* ex conjectura olim eruditiſſimi viri. Leg. *colobathrarii*. Κωλοβάθρων mentio apud Artemidorum, & in notis Senecæ *colobathra* dicuntur. Suidas: Κωλοβάθρευ τῆς λεγομένης κλάπας παρὰ πολλοῖς. Κωλόβαθρα igitur & κῶλα ξύλινα vocabant Græci, quibus innitebantur, qui γύπωνες dicebantur. Pollux IV. 14. Οἱ δὲ γύπωνες κώλων ξυλίνων ἐπιβαίνοντες. Illa κῶλα ξύλινα nihil aliud ſunt quam *colobathra*. Salmaſ. in Spartian. Anton. Carac. c. 4. Argol. in Panvin. de Lud. Circ. II. I.

COLOBIUM erat tunica ſine manicis, extantibus extra eam brachiis. Serv. Æneid. IX. 616. *Tunicæ veſtræ habent manicas, quod etiam vituperat Cicer. Catil.* II. 10. *dicens manicatis ac talaribus tunicis. Nam colobiis utebantur antiqui.* Iſidor. XIX. 22. *Colobium dictum, quia longum eſt, & ſine manicis. Antiqui enim magis hoc utebantur.* Petav. in Themiſt. Orat. XIV. p. 680. & Epiphan. ad Hæreſ. LXIV. p. 284. Ferrar. de Re Veſt. I. I. 38. Anal. c. 17. Ruben. de Re Veſt. I. 18. Pith. Subceſ. I. 16. Salmaſ. Exerc. Plin. p. 751. a. G. in Tertull. Pall. p. 85. Voſſ. Lex. Etymol. Moreſtell. Pomp. Feral. I. 16. Calcagn. Epiſt. Quæſt. III. I. Braun. de Veſt. Sacerd. Hebr. I. 5. 8. Pignor. de Serv. p. 165. Ammian. XIV. 9. *Poſthæc indumentum regale quærebatur, & miniſtris fucandæ purpuræ tortis, confeſſiſque pectoralem tuniculam ſine manicis textam.* Ubi per *tuniculam purpuratam ſine manicis colobium* deſcribitur. Ruben. & Pith. l. l. *Colobum* curtam vocarunt tunicam. Nam κολοβὸς χιτὼν opponitur χειριδωτῷ. Lex. I. Cod. quo habitu oportet uti intra urbem *colobos* hujuſmodi tunicas vocat: *ſed chlamydis terrore depoſito quieta coloborum ac penularum induant veſtimenta.* Ubi *colobi* ſunt κολοβοὶ χιτῶνες, quos *colobiones* & *colobia* etiam appellarunt. *Salmaſ. in Vopiſc. Carm. c.* 20. Ejuſmodi figuræ fuit cum ſacco. Rufinus *colobia*, ſive tunicas monachorum quaſi ſaccos lineos eſſe dicit Hieronymus tunicas ſaccineas, & ſaccos vocat, quibus operiebantur monachi in Ægypto. *Salmaſ. Exerc. Plin. l. l. Voſſ. l. l.* Differebat a Dalmatica, quod Dalmatica manicata erat, *colobium* ſine manicis. Adhæc illa anguſtis clavis diſtincta erat, *colobium* lato clavo ornatum, quia unico clavo purpureo fuit diſtinctum. Doroth. Abbas Doctrin. I. *Habet colobium noſtrum clavum purpureum. Quidnam deſignat clavus ille purpureus? unusquisque Regi militans habet purpuram in ſago ſuo, ut inde appareat, regios illos eſſe, & Regi commilitare. Sic & nos in colobio noſtro purpureum clavum apponimus, ut demonſtremus nos Chriſto commilitare.* Acron κολοβίωνα exponit latum clavum ad Horat. Sat. I. 5. 36. *Latum clavum, purpuram, quæ in pectore extenditur Senatorum, Græci τὸν κολοβίωνα vocant.* Commentator Cruquii. *Latus clavus colobion Græce dicebatur veſtis quæ ad pectus magiſtratuum extendebatur ad formam lati clavi.* Presbyteros *colobia* portaſſe teſtis eſt Epiphan. Hæreſ. Tom. II. lib. II. §. 3. *Hemiphorium & colobium indutus* Arius presbyter. Ut igitur Diaconi anguſticlavia portabant, ut Equites & alii, ita presbyteri laticlavia more Senatorum. Poſterior pars clavi in ſacerdotum tunicis in crucis figuram multis in locis figuratur. Tertull. de Coron. Milit. c. 13. *Illic purpura tua ſanguis Domini, & clavus latus in cruce ipſius.* Ruben. l. l. Ex Dorotheo non apparet, utrum latus fuerit, an anguſtus clavus. Quid ſi anguſtus fuerit? Sicut illud ſuſpectæ fidei eſt, quod idem tradit, omnes milites chlamydibus purpuram immiſiſſe, quod tam credibile mihi videtur, quam omnes vulgo Romæ tunicas anguſto clavo purpureo ornatas geſtaſſe. Multo minus credibile eſt, *colobia* monachorum, quia auſteriorem vitæ diſciplinam ſectabantur, quorum indumenta fuſci *coloris* erant, quique vilitatem in veſtitu affectabant, purpureo clavo fuiſſe diſtincta. Quicquid illud ſit, neque *colobium* eſt, neque Dalmatica, quod ab Ammiano deſcribitur. Hæc manuleata: *colobium* non quidem penitus ſine manicis, ſed curtis, quæque brachia cubito tenus tegebant: cum manuleatæ ad manus uſque pertinerent. Tales omnes olim Romanorum tunicæ, ſive *colobia* mutilis ac dimidiatis brachiorum operimentis, ut videre eſt in antiquis ſtatuis & nummis. Quod vidit Salmaſ. de Pall. c. 100. Caſſianus de Ægyptiorum monachorum colobiis I. 5. *Colobiis quoque lineis induti, quæ vix ad cubiti ima pertingunt, nudas de reliquo circumferunt manus.* Deinde Ammiani tunica pectus tantum tegebat, *colobium* totum corpus ad medium crus. Fuerit fortaſſe ſubucula brevior, quæque pectus modo, ac dorſum velaret, & ideo *tunica pectoralis* dicitur, qualia apud nos *colletti* appellantur: aut exomis, quæ manicis pariter carebat. Acron latum clavum exponit κολοβίωνα, non quia omnia *colobia* latum clavum haberent: ſed quod cum latus clavus pro tunica laticlavia ſumatur V. ſupr. in *Clavus latus*, & tunica illa *colobium* erat, & dicebatur, *colobium* pro lato clavo poſuit, ſive pro tunica laticlavia, nam & tunicæ anguſticlaviæ, imo aſemæ, ſive clavo carentes, omnes denique Romanæ tunicæ viriles *colobia*, ſive *coloba* erant. Lex. I. C. de habitu quo oportet uti extra Urbem jam producta. Et ſi concedamus Sacerdotum caſulas clavo diſtinctas, non proinde ſequitur & *colobia*, diverſa enim caſula, ſive planeta a *colobio*, hoc tunica erat, illa penula. Quæ ſi fuit laticlavia, non idcirco *colobium*. Quanquam nulla mihi adhuc viſa caſula laticlavia. Crucis quidem figura paſſim caſulæ additur. Nemo tamen eam clavum appellaverit. . . . . . V. plura ſupr. in *Caſula*. Ferrar. Anal. de Re Veſt. c. 25. Meurſ. Gloſſar. Græco-barb.

COLONARII Latini quinam fuerint dicti V. infr. in *Latini colonarii*.

COLONI erant nomine cives Romani, re vero *coloni*. Erant quidem donati jure civitatis Romanæ, verum non optimo: neque enim jura publica civitatis habebant, ſed privata tantum. Liv. XXXIV. 42. *Puteolos, Salernum, & Buxentum civium Romanorum colonias aſcripti coloni, qui nomina dederant, cum ob id ſe pro civibus ferrent, ſenatum judicaſſe, non eos eſſe cives Romanos.* Sigon. de Ant. Jur. Ital. II. 3. Alios ſervabant dies feſtos, alia ſacra. Oſtendit hoc Cicero, cum plebem Romanam adhortatur, ne ſe deduci patiatur in *coloniam* Agrar. II. 27. *Vos vero Quirites retinete iſtam poſſeſſionem gratiæ, libertatis, ſuffragiorum, dignitatis, Urbis, fori, ludorum, feſtorum dierum, cæterorum omnium commodorum.* Sigon. de Ant. Jur. Civ. Rom. I. 8. Licet infimi fuerint ordinis, locum tamen in ruſticis tribubus habere potuerunt: ut nobiliſſimis, locupletiſſimisque civibus ordine, dignitate inferiores, pares tamen ſuffragio eſſent. *Manut. de Civit. Rom. Theſ. Antiq. Roman. Græv. Tom.* I. *p.* 14. *E.* De ſuffragiorum ferendorum, aut magiſtratuum Romæ petendorum jure vetera prope muta ſunt monumenta, ideo facile adducor, ut credam, nullum *colonis* ullis ante legem Juliam patuiſſe, niſi quo modo Latini id, ut infra dicemus, per magiſtratum domi geſtum adepti ſunt. *Sigon. de Ant. Jur. Ital.* II. 3.

COLONIÆ fuerunt oppida, quo populus Romanus cives ſuos ad incolendum deduxit. Harum antiquiſſima origo: quippe, quæ jam inde a Romulo Rege, teſte Dionyſ. II. p. 88. repetatur. Is autem, ut apud eundem ſcriptum eſt, quæ oppida bello cepit, ea neque diruit, neque ſervitute multavit, ſed fere in agrum de eis captum *colonos* ab Urbe deduxit. Qua re vel ad libertatem firmandam,

dam, vel ad propagandum imperium fingi accommodatius nihil potuit." Ex quo apparet, vere scripsisse Gell. XVI. 13. *Colonias fuisse civitates ex civitate Romana quodammodo propagatas.* Romuli deinde vestigia cæteri Reges, atque exactis Regibus Senatus populusque; ac postremo Senatus populique auctoritate & potestate infirmata Dictatores sunt secuti. Deductæ sunt I. Quod allevabatur Urbs illa princeps, & superfluam nimiamque multitudinem, ut sanguinem, emittebat. Ita victus facilior, ita turba minor; & turbæ quoque faciles oriri inter tam confertos. Sed & soboli magis vacabant libentiusque, sic vacui: non aliter quam arbores, aut plantaria magis se diffundunt & propagant, ubi in arcto non stipantur. II. Quod, ubi *coloniæ* sic collocatæ, loca frequentabantur, colebantur, poliebantur etiam, novorum hospitum adventu, & artium invectu. Divina providentia hoc fine Græcos olim in Asiam, Europam hanc nostram, usque in Hispaniam, per maritima loca misit & disposuit: ut rudes ferocesque humanitate & elegantia percolerent, atque ad mitiora studia & mores transferrent. Quod idem Romani mox fecerunt: & iis cultum hunc omnem debet pulcerrimus noster Europæ tractus. III. Quod sparsa tot oppida, locis opportunis, & in iis Romanus sanguis, erant tot arces & propugnacula imperii Romani. Nihil enim tam validum, quam talis aliqua deductio: & ubi ii qui agros in alieno acceperunt, semper obligantur, aut tueri jura imperiumque donantium; aut pelli, si & ii pellantur. IV. Quod plebem inopem & gravem sic exhauriebant. Nam ecce in tanta Urbe, & crescente civium tenuiorum numero, per tot manumissiones: quæ ratio alendi aut subsistendi fuit, nisi ut emitterent? non aliter, quam ubi alvearia plena, nova examina in alia & nova transfunduntur. Sic & occulto politico consilio, sentina & fex Urbis educebatur: purior, meliorque pars asservabatur. V. Quod militibus emeritis præmia sic largiebantur. In militibus hoc pulcrum. Et quis non libens in eam militiam se impenderet, ubi & post quam tam magna & certa præmia essent? Agri & sedes dabantur, regimen illic & honores, pecunia etiam, nam sic Augustus instituit, ad instrumenta, jumenta, &, si quid opus, coemendum. *Lips. de Magn. Roman.* I. 6. *Sigon. de Ant. Jur. Ital.* II. 2. *Fab. Semest.* II. 4. *Bergier. de viis milit.* IV. *Sect.* 8. §. 2. *Ursat. de not. Rom. Thes. Antiq. Roman. Græv. Tom.* XI. *p.* 585. *D. Kipping. Antiq. Roman.* II. 2. §. 2. *Blond. Triumph. Rom.* III. *p.* 64. *Casal. de Urb. ac Roman. Imper. splend. part.* I. *c.* 2. *Prevot. de Magistrat. Roman. c.* I. *Hotman. Antiq. Roman.* II. 16. *Thys. de Magnit. Roman.* I. *p.* 245. Ratio, & modus erat, ut agri dividerentur viritim: idque a triumviris, quos graves & prudentes viros huic rei legere solebant: qui & sedes, agrosque, & ipsum oppidum, si condendum esset, disponebant, & jura, ac formam novæ quasi reipublicæ dabant. Si tamen, ut omnia Romam, & urbem matrem referrent: ipsis quoque locis, fora, Capitolia, templa, curiæ pro illa imagine essent. *Lips. & Thys. l. l.* Nulli nisi lege lata eas deducere licuit: ut paullo latiore legis appellatione, tam Senatus, quam populi jussiones comprehendamus. Et stante quidem Republica, singulis deductionibus, sive una *colonia* deduceretur, sive plures simul, singulæ leges ferebantur. At Senatus populique potestate in unum transfusa, peculiari lege nihil opus erat, quod ea, qua populus in illum unum omne imperium & potestatem conferebat, de *coloniis* quoque cavetur. Plutarchus de Sulla p. 473. A. *Omnium præteritorum data ei fuit ex lege impunitas: in futurum autem jus necis, publicationes bonorum, coloniarum deducendarum, urbium condendarum & diruendarum.* Hinc verba fluxerunt, quæ Neroni affingit Senec. de Clem. I. I. *Quæ ruant urbes, quæ oriantur, mea jurisdictio est.* Atque idem Julio & Octavio tributum, definite & nominatim opinor: quanquam quod Dio & alii Imperatoribus a subditis nihil non concessum prodiderunt, universe jus istud, de quo loquimur, tum reliqua omnia complectitur. *Velser. Rer. Augustan. Vindel.* IV. *p.* 228. *Sigon. l. l.* Nonnisi auspiciis captis. Cicer. Phil. II. 40. *Negavi in eam coloniam, quæ esset auspicato deducta, dum esset incolumis, coloniam novam jure deduci.* Nec absque lustratione *coloniæ*. Cicer. de Divin. I. 45. *In lustranda colonia ab eo, qui eam deduceret, bonis nominibus, qui eam deducerent, fuisse electos.* Quocirca scriptum invenimus apud Plutarch. Gracch. p. 839. D. C. Gracchum in Carthagine deducenda, extis aris impositis tempestate direptis, ac trans fines *coloniæ* latis, valde esse commotum. Mos ille, ut arbitror, a Romulo, ab eo Romam *coloniam* & auspicato, & lustratione adhibita esse deductam, prodidit Dionys. l. l. *Sigon. l. l.* Deducebantur a curatoribus qui ex lege, aut S. C. *coloniæ* deducendæ erant, creati, sive sua sponte nomina dederant, sive sorte exierant, in agros lege definitos sub vexillo, quasi exercitus aliquis deduceretur. Appian. Bell. Civ. I. p. 353. cum de *colonis* loquens ait: multitudinem quondam in fanis, & lucis sub uno vexillo & uno duce collocatam. Ostendit Plutarch. l. l. cum C. Graccho III.viro *coloniæ* Carthaginem deducendæ præfecto portentum factum ait, quod vexillum laceratum sit. Cicer. Phil. II. 40. *Casilinum coloniam deduxisti, ut vexillum tolleres.* Agrar. II. 32. *Tum illud vexillum Campanæ coloniæ vehementer huic imperio timendum Capua a X viris inferetur.* Sigon. l. l. In Titi quodam nummo *colonus* agens boves, & vexillum gerens, cives ex Urbe, & ex veteranis in eam transmissos indicat. *Colonus* ad originem indicandam signatur, dextra vexillum gerit, quod aræ imponebatur post sacrificium, in quo vexillum legionis deducendæ imponebatur, ita ut recte Hyginus: *Multis legionibus contigit bellum feliciter transigere, & ad laboriosam agriculturæ requiem primo tyrocinii gradu pervenire: nam cum signis & aquilis, & primis ordinibus ac tribunis deducebantur.* Vaillant. Numm. Imper. I. p. 134. Etiam in Cæsaraugustæ nummis modo colonus ad indicandam *coloniæ* originem, modo signa militaria percutiuntur: ille ex plebe traductos cives, hæc veteranos ad *coloniæ* supplementum indicat. Panvinus ante Marii tempora ex plebe tantum deduci, & sub consulatu ejus II. militares incepisse tradit, cui adversari videtur Paterc. I. 15. I. qui ante Hannibalis in Italiam adventum milites in *colonias* deduci notat. *Deinde neque dum Hannibal in Italia moratur, neque proximis post excessum ejus annis, vacavit Romanis colonias condere, cum esset in bello conquirendus potius miles, quam dimittendus.* Cum autem Cæsaraugusta utrumque coloni & signorum militarium typum in diversis nummis exhibet, illam tum ex civibus Romanis, tum ex veteranis militibus ab Augusto deductam existimamus. *Vaillam. ibid. p.* 68. Aratro circumscribebantur. Varr. de Ling. Lat. IV. 32. *Oppida, quæ prius erant circumducta aratro, ab orbe urbes: & ideo coloniæ nostræ in literis antiquis scribuntur urbes, quod item conditæ, ut Roma: & ideo coloniæ ut urbes conduntur, quod intra pomœrium ponuntur.* Et terminos Carthaginis *coloniæ*, quos C. Gracchus triumvir descripserat, lupi dissipaverunt, ut tradunt Plutarch. in Gracch. p. 839. D. & Appian. Bell. Civ. I. p. 364. *Sigon. l. l.* Et illarum agri Lege Mamilia cautum erat, ut ager assignaretur, *qua falx & aratrum exierat.* Hygenus: *Hac lege, sua interpretatione quidam putant, tantum cultum nominari: ut mihi videtur, utilem ait agrum assignari oportere: hoc erit, ne accipienti sylvæ universus modus assignetur, aut pascui. Qui vero majorem modum culti acceperit, optime secundum legem accipiet aliquid sylvæ, ad implendum accepti modum.* Cicer. Phil. II. 40. *Casilinum coloniam deduxisti, ut vexillum tolleres, & aratrum circumduceres: cujus quidem vomere portam Capuæ pene perstrinxisti, ut florentis coloniæ territorium minueretur.* Velser. ibid. p. 229. & 238. Sigon. l. l. Rævard. Conject. II. 7. Aliæ erant civium Romanorum, aliæ Latinæ. Liv. XXXIX. 55. *Illud agitabant, uti colonia Aquilejam deduceretur: nec satis constabat, an civium Romanorum deduci placeret: postremo Latinam potius coloniam deducendam Patres censuerunt.* De quarum differentia plura, quam ut hæc charta admittat, collegerunt *Sigon. de Ant. Jur. Ital.* II. 3. III. 3. *Spanhem. ad Constit. Antonin. Imper. Exercit.* I. §. 10. . . . . . *Manut. de Civit. Rom. Thes. Ant. Roman. Græv. Tom.* I. *p.* 16. . . . 32.

Goltz. Ital. p. 205. Aliæ erant immunes, quæ nihil populo Romano ſolvebant, aliæ ſtipendiariæ, quæ aliquid ſolvebant. Alex. Gen. IV. 10. *Erat conſtutum, ut ſingulæ coloniæ annuam penſionem populo Romano penderent, tametſi Livius Druſus tribunus plebis duodecim colonias ſine onere penſionis deduxiſſe legatur.* Ergo immunes erant, quæ nihil ſolvebant, non autem quibus jus civitatis Romanæ collatum fuerat, ut Auguſtino videtur Antiq. Rom. & Hiſpan. Dial. VI. *Colonias* ſiquidem fuiſſe jure civitatis Romanæ donatas, immunes tamen minime extitiſſe, planum eſſe ſcio, cum tantummodo immunes dicerentur, quæ juris Italici erant, ut monet Ulpian. ff. de Cenſibus l. 1. l. 8. & per totum titulum. Quæ cauſa, cur Plinius in Italia immunium non meminerit, in provinciis meminerit. III. 1. *Hujus conventus ſunt reliquæ coloniæ immunes.* III. 3. *Cæſarauguſtana colonia immunis.* Urſat. de not. Rom. Theſ. Ant. Roman. Græv. Tom. XI. p. 596. Velſer. l. l. Sigon. de Jur. Prov. I. 1. Robortell. de Prov. Rom. Theſ. Ant. Rom. Græv. Tom. III. p. (4) D. Cujac. Obſerv. X. 35. Quin etiam aliæ aliis majores immunitates habuerunt. Cic. Verr. V. 22. *Quæ colonia eſt in Italia tam bono jure, quæ per hos annos tam commoda vacatione uſa ſit omnium rerum, quam Mamertina civitas per triennium?* Sigon. de Ant. Jur. Ital. II. 3. Militares erant, in quas milites veterani deducebantur, ut præliorum diuturnitate feſſi laborum ſuorum præmium aliquod aliquando caperent. Lucan. I. 344.

Quæ ſedes erit emeritis, quæ rura dabuntur,
Quæ noſter veteranus aret, quæ mœnia feſſis?

Paterc. I. 14. 1. *Status huic loco inſerere, quæ quoque tempore deducta ſit colonia juſſu Senatus: nam militarium & cauſæ, & auctores, & ipſarum præfulgent nomina.* Vere. Quid enim L. Sylla, C. Cæſare Dictatoribus, M. Antonio, M. Lepido & C. Octaviano III. viris Reipublicæ, & ipſomet Imperatore Auguſto potuit eſſe illuſtrius? quos omnes, parta civili victoria, inimicorum ſuorum agros militibus, per quos vicerunt, diviſiſſe literis proditum eſt? Hujus conſuetudinis a Sylla initium introductum, poſt a Cæſare probatum eſt. Brutus in concione ad veteranos apud Appian. Bell. Civ. II. 516. *Vos pro rebus geſtis adverſus Gallos & Britannos præmia, quæ olim dabat populus, referetis; qui nec ſuis, nec innocentibus hominibus agros adimebat, neque illis aliena donabat, neque injuria facienda, gratiam referri oportere putabat: idemque hoſtes victos non omni agro, ſed parte multabat, in eamque emeritos deducebat, ut eſſent quaſi hoſtium, quos deviciſſent, cuſtodes: cumque ſæpe agri armis parti non eſſent ſatis, publicos quoque diviſit, aut alios emit. Sylla vero & Cæſar, quod patria armis occupata, cuſtodibus & ſatellitibus adverſus eam egerent, neque vos in civitates veſtras dimiſerunt, neque vobis agrum emerunt, neque publicum diviſerunt, neque dominis pretia perſolverunt; ſed Italiæ innoxiæ, lege belli, agros, villas, ſepulcra, & fana extorſerunt, quibus ne alienigenas quidem hoſtes unquam exuimus, ſed decima ſolum fructuum multavimus: illi vero agros ſociorum Latini nominis diviſerunt, & vos in eos frequentes ſub ſignis & ordinibus deduxerunt.* Sigon. de Ant. Jur. Ital. III. 4. Non ſunt quartum genus habendæ, ſed tribus generibus, Romanis, Latinis, Italicis communes eſſe poſſunt, & non minus Latinæ quam Romanæ, nec minus Italicæ quam Latinæ eſſe poterant. Romanæ vero Latinis præſtabant, quia conſtabant ex civibus Romanis: Latinæ Italicis, quia populi omnes Latini locum præſtantiorem apud populum Romanum, quam reliqua Italia obtinebant. Ergo ſuffragii lationem Romanæ habebant, quo præſtabant reliquis: ſed eædem non ſecus, atque ii, qui Romæ vivebant, civitatisque participes erant, Romanas obſervare leges, & omnia civium Romanorum onera ſuſtinere cogebantur, itaque potiorem & præſtabiliorem fuiſſe municipiorum conditionem ſcribit Gell. XVI. 13. *Manut. de Civit. Rom. ibid. p.* 20. *B. Lipſ. l. l. Thyſ. ibid. p.* 247. Latinæ Latii quidem jus habebant, civitatis autem Romanæ participes non erant: & hæc univerſi plane Latii, omniumque præterea, quibus Latii jus datum eſt, perpetua conditio fuit, donec lege Julia non Latio ſolum, ſed univerſæ Italiæ civitas conceſſa: verum non hoc beneficium omnibus, qui ubique locorum jus Latii, Italiæve haberent, ſed omnibus Latii, Italiæque incolis datum eſt. Itaque Latinæ, quæ quidem extra Italiam eſſent, excludebantur. *Manut. ibid. F.* Transpadanis Cn. Pompejus Strabo Conſul Cn. Pompeji Magni pater lege lata jus dedit Latii, *ut poſſent habere jus, quod ceteræ Latinæ coloniæ, id eſt, ut, petendi magiſtratus gratia, civitatem Romanam adipiſcerentur.* Aſcon. in Cicer. p. 156. quod ego ſic interpretor, ut qui in iis *coloniis* magiſtratus geſſiſſent, deinde cives Romani eſſent, ferendi ſuffragii jus haberent, eadem conditione qua populi Latini: quod etiam ſignificatur ad Attic. V. 2. Has poſtea jus abſolutum civitatis cupiiſſe, id eſt, ut etiam non geſto magiſtratu cives Romani eſſent, oſtendit Suet. Jul. c. 8. n. 1. ubi ait: Cæſarem *colonias Latinas de petenda civitate agitantes adiiſſe, & ad audendum aliquid concitaſſe: niſi Conſules conſcriptas in Ciliciam legiones ob id ipſum retinuiſſent.* Manut. de Leg. c. 10. Illarum reſpublica in legibus, & legum curatoribus fuit poſita. Leges vel a populo Romano acceperunt, vel ipſæ ſibi per ſenatum aut populum condiderunt. Legum curatores aut magiſtratus, aut ſacerdotes fuerunt, humanarum illi, hi divinarum. Leges quæque habuit præcipuas, a Romanis quidem ſeparatas, ſed tamen a Romanis triumviris datas. Gell. XVI. 13. *Jura inſtitutaque omnia populi Romani, non ſui arbitrii habent.* Flacc. de condit. agr. p. 24. *De territoriis ſi quando quæſtio movetur, reſpiciuntur leges civibus datæ, id eſt, coloniis, municipiiſque & præfecturis. Itaque, ut frequenter diximus, leges datæ coloniis municipiiſque intuendæ erunt.* Fuiſſe illis leges ab ipſis *coloniis* latas, argumento illud eſt, quod in *coloniis* erat conſilium & ſenatus & populi. Senatores in *coloniis* decuriones vocabantur. Cicer. pro Sext. c. 4. *Hoc tempore iidem homines, nomine commutato, coloni, decurionesque beneficium P. Sextii teſtimonio declarant: recita, quæſo, quid decreverint Capuæ decuriones.* Suet. Aug. c. 101. n. 1. *Corpus decuriones municipiorum & coloniarum a Nola Bovillas uſque deportarunt.* Magiſtratus præcipui fuerunt duumviri, cenſores, ædiles, quæſtores. Duumviros V. infr. in *Duumviri.* Inveni tamen etiam IIIvirum *coloniæ* Auximatis & IVvirum *coloniæ* Signinæ in Inſcriptionibus hiſce: IIIVIR IN. COL. AUXIM. Item:

L. VOLUMNIO. L. F. POMP. JULIANO. SEVERO.
IV. VIRO. COL. SIG. PATRONO COLONIÆ SUÆ
SENATUS. POPULUSQUE SIGNINUS

Cenſores cenſum in *coloniis* egerunt, perinde atque Romani Cenſores Romæ. Liv. XXIX. 15. Decretum eſt, ut *cenſus* in XII. *coloniis*, quæ imperium abnuerant, *ageretur ex formula ab Romanis Cenſoribus data. Dari autem placere eandem quam populo Romano: deferrique Romam ab juratis Cenſoribus coloniarum, priuſquam magiſtratu abirent.* Itaque Nero & Salinator Romani Cenſores earum *coloniarum*, quod nunquam ante factum erat, deferentibus *coloniarum* cenſoribus, cenſum receperunt, ut quantum numero militum, quantum pecunia valerent, in publicis tabulis monumenta extarent. Ex quibus apparet etiam, quid in cenſu *coloniarum* agendo a Cenſoribus *colonicis* obſervatum ſit. Invenio etiam in antiquis marmoribus ÆDIL. COLON. PUTEOLANORUM. Illud præterea non prætereundum, quod ad omnes *coloniarum* magiſtratus pertinet, etiam in *colonia* magiſtratus prætexta uſos eſſe, quod ſcriptum eſt in oratione L. Valerii tribuni plebis apud Liv. XXXIV. 7. Sacerdotes, ut augures & pontifices in *coloniis* cooptatos indicat Cicer. Agrar. II. 35. *Hinc iſti decemviri, cum numerum colonorum ex lege Rulli deduxerint, centum decuriones, decem augures, ſex pontifices conſtituerint.* Fuerunt etiam patroni *coloniarum.* Hos Romulus in Rempublicam induxit, & *coloniis* ac ſociis populi Romani quos vellent, ex civibus Romanis patronos deligendi copiam fecit, quorum opera in civitate uterentur, ſi quid eſſet, quod ſua intereſſet, ac Romæ curandum eſſet.

esset. Dionys. II. p. 85. V. illum, & exempla supr. in *Clientela.* Adde Cicer. pro Syll. c. 21. *Primum omnis Pompejanorum, colonorumque dissensio delata ad patronos est, cum jam inveterasset, ac multos annos esset exagitata, deinde ita a patronis res cognita est, ut nulla in re a cæterorum sententiis Sylla dissenserit.* Sigon. de Ant. Jur. Ital. II. 4. Panvin. Imp. Rom. c. 8. Ursat. de not. Rom. Thes. Ant. Roman. Græv. Tom. XI. p. 536. D. Chimentell. de Hon. Bisell. c. 4. De numero nihil certi, aut definiti habeo. In Italia sola centum quinquaginta fuisse reperio; in Africa circiter sexaginta; in Hispaniis ad triginta; paullo minus in Galliis: & idem judica de reliquo orbe. Difficile enim hæc adnumerare firmiter: cum & aliqua legentem fallant, & non omnia hodie in libris legenda. Hoc Senecæ suffecerit ad Helv. c. 7. *Populus* Romanus *quot colonias in omnes provincias misit? ubicunque vicit Romanus, habitat.* Lips. de Magnit. Roman. I. 6. Thys. de Magnit. Roman. I. p. 248. Sola etiam Romanorum dialectus in quibusdam *colonis* invaluit, omissa aut desueta loci vernacula, sicut de Turditanis ad Bætim notat Strab. III. eos evasisse Romanos sermone, moribus, propriæ linguæ oblitos. Quod potissimum in iis *colonis* locum habuit, ubi indigenis exstinctis, soli admissi, aut relicti lapsu temporis cives Romani, quemadmodum de Corintho sua ætate in Corinthiacis tradit Pausanias, nullos eam habuisse indigenas, omnes *colonos* Romanorum; unde non mirum quoque Latine passim efferri nummos Corinthi sub Cæsaribus a tempore *coloniæ* percussos. *Spanhem Diss.* IX. *de Præst. & Usu numism. p.* 914.

Colonia Agrippinensis est metropolis Germaniæ secundæ. *Panciroll. Notit. Dign. Imp. Occid. c.* 86. Neronis enim mater *Agrippina, quo vim suam sociis quoque nationibus ostentaret, in oppidum Ubiorum, in quo genita erat, veteranos, coloniamque deduci impetrat, cui nomen inditum est ex vocabulo ipsius.* Tacit. Annal. XII. 27. I. C. Antistio, M. Suillio Coss. anno a nato D. Jesu quinquagesimo, annis octoginta quinque post, quam ipsi Ubii Rhenum transducti. Nomen hoc retinent Plin. IV. 17. Tacit. Hist. I. 56. 4. IV. 25. 5. Suet. Vit. c. 10. n. 7. Eandem Tacitus libro proxime dicto vocat *coloniam Agrippinensium*, quasi Ubiorum *coloniam*, quia ipsi Ubii postmodum *coloniæ* cognomine Agrippinenses dicti. Tacit. Hist. IV. 28. 3. *Quod gens Germanicæ originis, ejurata patria, Romanorum nomine Agrippinenses vocarentur.* Ipso vocabulo Agrippinæ conditricis suæ nuncupata est *Colonia Agrippina Ubiorum*, ut duo testantur nummi, alter Claudii, Vitellii alter; postea *Colonia Agrippina*, sine Ubiorum vocabulo, ut bis habet Antoninus in Itinerario: item uno vocabulo *Agrippina*, apud eundem Antoninum, in tabula itineraria, apud Marcellinum, Æthicum, & Zosimum, & denique nude appellata est *Colonia*, ut referunt Antoninus & Marcellinus. Maxima est omnium Germanicarum, tam cis, quam trans Rhenum. Zosim. I. 38. *Agrippinam, urbem Rheno adjacentem maximam.* Cluver. Germ. Ant. II. 17. Vocatur etiam *Claudia* fide lapidis.

M. MARIO. M. F.
STEL. TITIO. RUFINO
COS.
LEG. LEG. I. MINER. P. F.
CUR. COL. CLAUD. AUG.
AGRIPPINENSIUM. . . . .

Lips. in Tacit. Annal. XII. *n.* 63.

Coloniæ Latinæ non habuerunt jus civium Romanorum, nisi quatenus per Latium, seu per gestos in patria, quæ illo jure Latii gaudebat, magistratus id beneficium consequebantur. Liv. XXXIV. 42. *Novum jus eo anno a Ferentinatibus tentatum, ut Latini, qui in coloniam Romanam nomina dedissent, cives Romani essent.* Et Spoletani cujusdam L. Matrinii, qui ex ea Latina *colonia* a C. Mario fuisset civitate donatus, meminit Cicer. pro Balb. c. 21. *Spoletinus L. Matrinius, unus ex iis, quos C. Marius civitate donasset, dixit causam ex colonia Latina.* Adeo ut, quamquam e Romanis civibus constarent subinde dictæ illæ Latinæ, seu deductæ cum jure Latii Romanorum *coloniæ*, prout dicitur a Cicer. pro Dom. c. 30. *Qui cives Romani in colonias Latinas proficiscebantur*: eosdem tamen colonos ne privato quidem Quiritium jure usos liquet, sed civitatem etiam, quanquam voluntate, non vero invitos, amisisse. Cicer. pro Cæcin. c. 33. *Certe quæri hoc solere me non præterit, quemadmodum si civitas adimi non possit, in colonias Latinas sæpe nostri cives profecti sunt. Aut sua voluntate, aut legis multa profecti sunt; quam multam si sufferre voluissent, tum manere in civitate potuissent.* Unde etiam mediam capitis diminutionem passos, qui in *colonias* Latinas mitterentur, cives Romanos, in Topicis tradit Boëthius his verbis: *media vero* capitis diminutio, *in qua civitas amittitur, retinetur libertas, ut in Latinas colonias transmigratio.* Quo loco observandum, [illegible] Cælarius *Latinos colonarios.* V. illos infr. in *Latini.* Spanhem. ad Constit. Antonin. Imper. Exercit. I. §. 9. Prevot. de Magistrat. Roman. c. I. Hotman. Antiq. Roman. II. 16.

COLOR albus est purissimus, simplex, & primus ex primis *coloribus* secundum physicos, purusque simplicitatem, & puritatem, candoremque animi significat. Hinc & angelorum proprius. Et alba veste ornari solebant, qui candorem animi, & hilaritatem præ se ferebant, ut in conviviis. Cicer. in Vatin. c. 13. *Quum ipse epuli dominus Q. Arrius albatus esset.* Schedius de Diis German. Syngram. II. 8. Nullibi quam in nive color est. Sumitur pro pallido, unde timor albus legitur, & metu exalbuit. Quam ob rem Romanæ mulieres quondam funera sequebantur in veste alba, tanquam mortui, quem efferebant, *colorem* referrent. *Thyles. de Color. c.* 4. *Laurent. de Re Vest. c.* 6. V. infr. in *Vestis alba.* Sub Imperatoribus enim, post tot genera *colorum* reperta, cæptus est sperni, & contemni, adeo ut nota & indicium luctus fuerit sequiori sexui eum induisse. Herodian. IV. 2. 6. *Feminæ vestibus albis exilibus indutæ mœrentium speciem præbent.* Plutarch. Quæst Rom. 26. *Feminæ in luctu albas gerunt vestes, & albas vittas. An quemadmodum mortui corpus albis vestibus induunt, & propinquos idem facere volunt? An tenuitas his in rebus, ac simplicitas maxime decet? infectæ autem vestes tum superfluitatem præ se ferunt, tum elegantiam, ac sumptum.* Kirchman. de Fun. Rom. II. 17. Lips. in Tacit. Annal. II. Excurs. M. Morest. Pomp. Fer. II. 25. Ferrar. de Re Vest. I. I. 23. Fab. Semestr. II. 10. Falcon. Dissert. de Pyram. Cest. Epul. Thes. Antiq. Rom. Græv. Tom. IV. p. 1473. F. Blond. Triumph. Rom. II. p. 39. C. Luctum simplicia maxime decent: quæ mixtis autem *coloribus* intexta sunt, vel infecta, partim luxum, & partim supervacaneum rerum studium arguunt. Albus autem *color*, quippe qui purus duntaxat & sincerus est, optime his, qui sepeliuntur tanquam adulterinum omne vitæ commentum, ac morum fallaciam jam exutis congruere videtur; mortuus enim quid omnino simplex, ac purum, & fictionis, ac mendacii expers præ se fert. *Aring. Rom. Subterr.* I. 24. §. 2. Alias signum & indicium erat lætitiæ. V. infr. in *Toga.* In militum symbolis animi candorem, & puritatem: vel, ut alii, fidem insinuat. Virgilius enim ait Æn. I. 296. *Cana fides.* Panciroll. Notit. Dign. Imp. Orient. c 38. Conveniebat Imperatori & Regi. Val. Max. I. 6. §. 11. *In prælium exeuntibus album vel purpureum paludamentum dari solebat.* Hirt. de bell. Afric. c. 52. *Quum Scipio sagulo purpureo ante Regis adventum uti solitus esset, dicitur Juba cum eo egisse, non oportere illum eodem uti vestitu, atque ipse uteretur. Itaque factum est, ut Scipio ad album sese vestitum transferret.* Unde Herodes cum suis illusuri D. Jesum Regem Judæorum, *candida veste illum vestiverunt.* Luc. c. 23. v. 11. quia *color* albus olim receptus in Regum insignibus. *Casaub. contr. Baron. Annal.* XVI. 73. Et Pompejo non fasciam, sed candidam fasciam in regni turpitudinem objectam fuisse legimus apud Val. Max. VI. 2. 7. *Cui, Pompejo, candida fascia crus alligatum habenti, Favonius, non refert, inquit, qua in parte corporis sit diadema: exigui panni cavillatione regias ejus vires exprobrans.* Quia diademata nihil aliud erant quam candidæ fasciæ. *Casaub. in Suet. Aug.*

Aug. c. 82. n. 1. Jul. c. 97. n. 3. Erat index fertilitatis: &, ut Ovid. Fast. IV. 619.

Alba decet Cererem vestis, Cerealibus albas
Sumite, nunc pulli velleris usus abest.

Paschal. Legat. c. 64. Et in Cereris sacrificiis albi *coloris* vestes erant. Ovid. Met. X. 431.

Festa piæ Cereris celebrabant annua matres
Illa, quibus nivea velatæ corpora veste
Primitias frugum dant spicea serta suarum.

Fast. IV. 619. sed modo laudatus. *Sched. l. l.* Imo fidei, cujus nullo mendacii fuco tinctæ simulacrum amiciebatur panno albo. Horat. Od. I. 35. 25.

Te spes, & albo rara fides colit
Velata panno.

Symm. Epist. VIII. 47. *Alba velamina, non segmentati amictus fidem vestiant.* Hinc legatis candidam vestem ad gratulandum exhiberi olim moris erat. *Paschal. l. l.*

Color amethystinus dicitur a gemma purpuræ violaceæ. *Ferrar. de Re Vest.* I. 3. 22. Vestimenta purpura infecta eo temperamento, ut ejus lapilli colorem reddant, qui amethystus appellatur, amethystina dicuntur. Describit Plin. XXXVII. 9. *Amethysti Indicæ absolutum purpuræ colorem habent: ad hancque tingentium officinæ dirigunt vota. Fundit eum aspectu leniter blandum, neque in oculos, ut carbunculi, vibrat.* Hinc amethysti purpurei apud Ovid. Art. III. 181.

Hic Paphias myrtos: hic purpureos amethystos.

Hinc Mart. I. 97. 7.

Amethystinasque mulierum vocat vestes.

Et II. 57. 2.

Amethystinatus media qui secat septa.

Magnum discrimen est inter amethystinum & hyacinthinum. V. supr. in *Amethystina.*

Color amygdalinus, sive castaneus dicitur a castaneis. Ovid. Art. III. 183.

Nec glandes Amarylli tuæ, nec amygdala desunt.

Ferrar. de Re Vest. I. 3. 22.

Color argenteus est, quem cum aureo *coloribus* in circo usitatis adjecit Domitianus. Dio LXVII. p. 760. D. *Aurigarum duo genera adjunxit, quorum unum aureum, alterum argenteum appellavit.* Hi *colores* paullo post interciderunt. *Buleng. de Circ. c. 49.*

Color ater est horribilis, omnino velut anthrax, id est, carbo: nam proprie est carbonis exstincti. Terent. Ad. V. 3. 63.

Tam excoctam reddam atque atram, quam est carbo.

Et inde a Virgilio cinis dictus est ater, & favilla atra. Sanguis præterea caloris atque *coloris* ignei particeps; effusus ac frigefactus amisso rubore, tanquam in carbonem mutatus, ater ab omnibus vocatur. Dicitur & mors atra, quia cadaver exstincto calore illo vitali, quo corpus alitur, atrum relinquitur, ut est carbo: quæ mihi perquam elegans videtur similitudo. Quid quod dies atri dicuntur. V. illos infr. in *Dies.* Differt a *colore* nigro, quod ut omnis ater est niger: sic non omnis niger est ater. Horrendus est hic, tristis, visu injucundus, lugentibus accommodatus: ille contra nonnunquam lepidus ac venustus, ut humani oculi sunt complures, quos nemo atros diceret, sed nigros, iisque tamen nihil majori cum voluptate spectamus. Vocabatur ab antiquis anthracinus, idemque furvus. *Thyles. de Color. c. 3. Laurent. de Re Vest. c. 6.*

Color aureus circumscribitur ab Ovid. Art. III. 175.

Ecce tibi similis, qui quondam Phryxon & Hellem
Diceris Ioniis eripuisse dolis.

Referebat enim arietem, quo Phryxus cum sorore novercæ insidias per freta fugit. *Ferrar. de Re Vest.* I. 3. 22. In symbolis militum felix seculum, aureumque repræsentat. Virg. Ecl. IV. 9.

— toto surget gens aurea cælo.

Æneid. VI. 792.

Augustus Cæsar, divi genus, aurea condet
Secula.

Panciroll. Notit. Dign. Imp. Orient. c. 38. Hunc cum argenteo circo donavit Domitianus. V. supr. in *Color argenteus.*

Color austerus est idem qui maxime satur. Plin. IX. 36. *Sed unde conchyliis pretia, queis virus grave in fusco, color austerus in glauco?* c. 38. *Nimiæque ejus nigritiæ dat austeritatem illam nitoremque qui quæritur cocci.* Austeritatem vocat saturitatem & superbiam nitoris. Πικρὸν Græci vocant, quod austerum in *coloribus* Latini. Epiphan. de XII. lapid. n. 3. *Specie austerus est*, πικρὸς ἐςὶ τῷ εἴδει, *& valide viret, translucidus & nitens.* Salmas. ad Tertull. Pall. p. 183.

Color badius, sive baïus est idem qui phœniceus, sive spadix, qui est termes palmæ Græcis. Βαῒς & βαΐον idem quod σπάθη, vel σπάδιξ. Hesychius: Βαῒς ῥάβδος φοίνικος καὶ βαΐον. Glossæ: Palma, χεὶρ, καὶ βαῒς, καὶ φοῖνιξ. Βαῒς, βαΐδος, ut δαῒς, δαΐδος. Ut δαΐδες & δᾷδες, sic βαΐδες & βᾷδες. Inde βάδιον χρῶμα, phœniceum, & *badii* equi, spadices & phœnices. *Salmas. Exerc. Plinian. p. 291. b. D. 935. a. C. Thyles. de Color. c. 10. & 2. Laurent. de Re Vest. c. 6.*

Color Bæticus est rutilus, ac rufus. Plin. VIII. 48. *Colorum plura genera. Canusium rutili*, sic emendandus est Plinius, *quas Erythras vocant, item Bætica.* Mart. V. 39. 7.

Quæ crine vincit Bætici gregis vellus,
Rhenique nodos, aureamque nitelam.

Rutilos, ac rufos puellæ crines comparat Bætico velleri, Germanorum capillis, & pilo nitelæ. *Salmas. Exerc. Plinian. p. 224. a. B.* Aurea tamen ξανθὰ Bæticæ vellera laudat Mart. XII. 100. 1.

Bætis olivifera crinem redimite corona,
Aurea qui nitidis vellera tingis aquis.

Harduin. in Plinium.

Color blatteus pro purpureo apud scriptores inferioris sæculi reperitur. Vopisc. Aurel. c. 46. *Concessit, ut blatteas matronæ tunicas haberent.* Ferrar. de Re Vest. I. 2. 7. Bayf. de Re Vest. c. 5. Thyles. de Color. c. 8. V. supr. in *Blatta.*

Color cæsitius, sive cæsicius invenitur apud Plaut. Epid. II. 2. 46.

Tunicam rallam, tunicam spissam, linteolum cæsitium.

Quid, & unde sit, docet Non. XIV. 17. *Cæsitium dicitur linteolum purum & candidum, a cædendo, quod ita ad candorem perveniat, vel quod oras circumcisas habeat.* Voss. Lex. Etymol. Calcagn. Epist. Quæst. III. 1.

Color cæsius non est idem qui cœruleus, sed ab illo est diversus vel auctoritate ipsius Cicer. de Nat. Deor. I. 30. *Cæsios oculos Minervæ, cœruleos esse Neptuni.* Ad hæc, non quemadmodum legimus, cœlum, mare, vestem, florem cœruleum: ita legimus cœlum, mare, vestem, florem *cæsium*: sed oculos tantum *cæsios* veteres dixerunt, quibus inest fulgor quidam visu horrendus. Unde existimo, *cæsium* a cæde nominatum esse: ut qui *cæsius* sit, cædem quodammodo oculis minari videatur: qualis prælio gaudens & cæde dicitur fuisse Minerva, ex quo illa ab antiquis vocata fuit *cæsia.* Cicer. Catil. I. 1. *Notat & designat oculis ad cædem unumquemque nostrum.* Hic, qui oculis ad cædem Senatores designabat, *cæsius* erat. Cujusmodi memoriæ proditum est Neronis quoque oculos fuisse: quod ipsum non leve fuit argumentum tyrannicæ crudelitatis apud Suet. c. 51. n. 3. Et quia tantum est oculorum, erit idem, quem χαροπὸν vocat Aristoteles, qui χαροποὺς ὀφθαλμοὺς tribuit leoni Phys. c. 5. quem *cæsium* vocat Catull. XLV. 7.

Cæsio veniam obvius leoni.

& χάρων Hesychio ἀπὸ τῆς χαροπότητος dicitur. *Thyles. de Color. c. 2. Parrhas. Epist. Quæst. 12. Laurent. de Re Vest. c. 6.* Thylesius recte docet *cæsium* & cœruleum colores esse diversos, nec tamen ejus opinioni subscribere possum, nisi alter dilutior, alter pressior fuerit, uterque a cœlo dictus.

Ferrar.

Ferrar. de Re Veſt. I. 3. 22. Melius ſane. Si enim id nomen a cæde eſſet, potius oculos ſanguinei *coloris* ſignaret, quam glaucos. Nunc quis dubitat, quin Minerva, quæ Græcis γλαυκῶπις, ea Latinis *cæſia* ſit? *Voſſ. Lex. Etymol. Scalig. Exerc. Exot.* 325. §. 15.

Color candidus differt ab albo juxta Frontonem & Iſidor. x. quod *album natura, candidum cura ſit.* Ita enim prior. Poſterior vero: *Candidus quaſi candor datus. Studio enim accedit candor. Nam album vocari naturæ eſt.* Rectius Serv. Virg. Georg. III. 83. quod ſplendorem addat: *Aliud eſt candidum eſſe, id eſt, quadam nitenti luce perfuſum: aliud album, quod pallori conſtat eſſe vicinum.* Unde & nivem recentem, argentum politum, aliaque hujuſcemodi, proprie *candida* vocamus. Et nix *candida* eſt natura, non cura, ac ſtudio. Appellatur etiam quod coccinum, ſive purpureum eſt. Horat. Sat. II. 6. 102.

— rubro ubi cocco
Tincta ſuper lectos canderet veſtis eburnos.

Candentem veſtem purpuream vocat n. 106.

Ergo ubi purpurea porrectum in veſte locavit.

Voſſ. Lex. Etymol.

Color Canuſinus eſt turbato mulſo ſimilis. Mart. XIV. 127.

Hæc tibi turbato Canuſina ſimillima mulſo
Munus erit, gaude. non cito fiet anus.

Ferrar. de Re Veſt. II. 1. 25 Adeoque fuſcus. Hinc paſſim Canuſinæ fuſcæ à vulgo Romæ geſtatæ. Mart. XIV. 129.

Roma magis fuſcis veſtitur, Gallia rufis.

Fuit etiam creſcente mox luxu rutilus. V. Plinium ſupr. in *Color Bæticus.* Hinc Mart. IX. 23. 9.

Ut Canuſinatus noſtro Syrus aſſere ſudet.

Suetonius tanquam Neronis profuſione dignum tradit c. 30. n. 10. Eum *nunquam carrucis minus mille feciſſe iter, canuſinatis mulionibus.* Ferrar. ibid. II. 2. 8.

Color cerinus a cera dicitur. Plaut. Epid. II. 2. 49.

Cumatile, aut plumatile, cerinum, aut melinum.

Ferrar. de Re Veſt. I. 3. 19. V. ſupr. in *Carinarius.*

Color cillius eſt aſininus. Nam Dores κίλλον aſinum vocant. *Calcagn. Quæſt. Epiſt.* III. 1.

Color coccineus tingitur cocco, unde & nomen, eodem plane modo, ac purpura & conchylium. Hinc *cocco tincta veſtis* Horat. ſupr. in *Color candidus*, & *cocco madida* Mart. V. 25. 5. Omnes colores, qui aliquem ruborem habebant, ab antiquis ſæpe purpurei dicebantur, ideoque & coccineus eodem nomine veniebat. Ideo Horatius *veſtem rubro cocco tinctam* confundit cum purpura Sat. II. 16. 102. 106. *Braun. de Veſt. Hebr. Sacerd.* I. 15. §. 2. *Laurent. de Re Veſt. c.* 8. Conſtat hoc etiam ex paludamento Imperatorum, quod cum coccinum fuerit, ut ex Plinio conſtat dicente: *Coccum imperatoriis dicatum paludamentis*, Φοινίκις appellatur a Plutarcho in Craſſo, & punicum ab Horat. Epod. IX. 27. Paludamentum Conſulum, quamvis & aliquando alba chlamyde, aliquando etiam trabea utebantur, in hoc differebat, quod totum erat coccinum, ſed limbo purpureo prætextum. Iſidor. XIX. 24. *Paludamentum pallium fuit Imperatorum, cocco, purpura, & auro diſtinctum.* Auguſtinus. V. illum ſupr. in *Chlamys D. Jeſu.* Ruben. de Re Veſt. I. 5. Forte fuerit qualis augurum amictus, qui fuit trabea, id eſt, ut ex Suetonio Serv. Æneid. VII. 188. *ex purpura & cocco*, hoc eſt, primo cocco tincta; deinde purpura. Plin. IX. 41. *Quia & terrena miſcere, coccoque tinctum, Tyrio tingere, ut fieret hyſginum.* Ruben. ibid. II. 14. Imperatorum paludamentum coccineum, aliquando punicum & purpureum dicitur, quia etiam coccum purpura dicta eſt, per abuſionem, id eſt terreſtris purpura. Unde nec Conſulum, quod erat coccineum, limbo purpureo fuerit prætextum. Neque hoc Iſidorus tradit, qui nihil de limbo: & falſum eſt paludamentum auro diſtinctum fuiſſe. Nec limbus purpureus conſpicuus eſſe potuit in veſte coccinea, quæ & ipſa ex purpura, ſed terreſtri, nec magnum in *colore* diſcrimen. Quia vero, ut diximus, coccum inter purpuras, ideo chlamys, qua D. Jeſus fuit illuſus, tum purpurea, tum coccinea dicitur. Nec capio Auguſtini ſententiam. Non enim poterat aliter chlamys coccinea habere purpuram, quam quod coccum erat purpura, licet terreſtris, & marina inferior. *Ferrar. Anal. de Re Veſt. c.* 5. Quem de Servii loco differentem V. infr. in *Trabea.* Differt a purpura, quæ eſt rubra, inſtar nigricantis roſæ, aut ſanguinis concocti, ita ut fere mixta fuerit ex auſtera aliqua nigritie, & nitente rubedine: Coccinum vero rubrum fuit, rubedine florida, & acuto lumine ſplendens, inſtar micantis roſæ, ſed nigritia iſta, & ſaturitate purpuræ fraudatum. Roſæ ſplendorem, & gratum admodum nitorem cocco adſcribit Plin. IX. 38. XXI. 8. *Braun. l. l. Salmaſ. in Tertull. de Pall. p.* 186. & 182.

Color cœruleus eſt intenſus & ſaturatus inſtar ſereni cœli, & primo aſpectu tanquam niger apparet. Belgis diceretur **donker blaeuw.** *Braun. de Veſt. Hebr. Sac.* I. 12. 7: II. 12. 12. Id Ennius reſpicit, ubi inquit:

Cœli cœrula templa.

Atque inde mare appellatur cœruleum; refert enim illud eundem, quem ab ipſo ſuperne accipit cœli nitorem. *Thyleſ. de Color. c.* 1. Cicer. apud Non. II. 717. *Quid mare, nonne cœruleum?* Egregie utrumque exprimit Ovid. Art. III. 173. . . 178.

Aeris ecce color tum cum ſine nubibus aer,
Nec tepidus pluvias concitat auſter aquas.

Reliqua in *Color aureus & cumatilis.* Braun. ibid. I. 12. 5. Quare ex antiquis nonnulli, ut alterum Homeri opus propter cædes, de quibus illic Poeta loquitur, *colore* exornabant ſanguineo: ſic Odyſſeam, ubi Ulyſſis maritimos ſcribit errores, membrana contegebant cœrulea. Scilicet talis maris *color*, quo per tot annos Ulyſſes fuit jactatus. Inde cœrula frequenter pro pelago ponunt Poetæ, & Dii marini cœrulei vocantur. Ovid. Pont. IV. 16. 22.

Carmina cœruleos compoſuiſſe Deos.

Et iis omnia cœrulea tribuuntur. *Cuper. Apoth. Homer. p.* 52. *Thyleſ. l. l.* Græci dicunt cyaneum, in quorum etiam commentariis lazurion invenio. *Thyleſ. l. l. Salmaſ. Exerc. Plinian. p.* 93. *a. in Tertull. de Pall. p.* 186. Ex ſplendido, albo, & nigro creatus. Plato in Timæo juſtitiæ, & claritatis, famæque eſt ſymbolum. *Panciroll. Notit. Dign. Imp. Orient. c.* 38. Depoſita veſte purpurea feminæ in luctu utebantur cœrulea; ut ait Cato apud Serv. Æneid. III. ſed *color* cœruleus in acerbo funere filiorumfamilias præcipue adhiberi ſolebat. *Guther. de Jur. Man.* III. 28.

Color Coloſſinus, ſive Coloſſenus eſt purpureus, aut in purpureum vergens. Nam cyclamini florem coloſſinum deſcribit Plin. XXI. 9. *In vepribus naſcitur cyclaminum. Flos ejus coloſſinus in coronas admittitur.* Et nos teſtes oculos habemus: hunc enim *colorem* in flore cyclamini nunc agnoſcimus, quem turba olitorum panem porcinum appellant. Sic eum deſcribit Dioſcor. II. 194. *Folia habet ſimilia hederæ, purpurea & varia, in quibus ſupra infraque albicant maculæ, cauliculo digitorum quatuor carente foliis, flore in modum roſæ purpureo.* Calcagn: Epiſt. Quæſt. I. 48. Thyleſ. de Color. c. 13. Voſſ. Lex. Etymol. in Coloſſus.

Color conchyliatus. V. illum infr. in *Conchylium.*

Color croceus eſt flavus. Theocr. Idyll.

Aliæ porro flavi croci odoratam comam
Decertabant certantes.

Puniceus Ovidio Faſt. V. 318.

Filaque punicei languida facta croci.

Tryphiod. XX. aureus.

Profundens vinum miſtum aureo croco.

Paſchal. de Coron. III. 14. Laurent. de Re Veſt. c. 6. Auroræ illum adſcribit Ovid. Art. III. 179.

Ille crocum ſimulat, croceo velatur amictu,
Roſcida luciferos cum Dea jungit equos.

Ferrar. de Re Veſt. I. 3. 22.

Color coracinus eſt niger. Tales ſunt lanæ Hiſpanæ: unde Spanum *colorem* & nativum de nigro dixerunt. Κοραξὰ Strab. III. p. 99. Hiſpana vellera dicuntur, quæ ex Hiſpania in Italiam importabantur, cum prius veſtes importari ſolitæ eſſent. Hiſpanæ enim lanæ ſunt nigræ. Plin. VIII. 48. *Hiſpania nigri velleris præcipuas habet.* Κοραξὸς Græcis eſt niger. Plutarch. de Flumin. in Inacho & Strymone. Corvinum dicit Apul. Met. II. p. 45. *Corvina nigredine cærulos columbarum colli floſculos imitatur.* Salmaſ. in Tertull. Pall. p. 215. Exerc. Plinian. p. 615. a. C. Laurent. de Re Veſt. c. 6.

Color cumatilis, cujus meminit Plautus ſupr. in *Color cerinus*, eſt idem qui cœruleus. Dicitur ab unda. Ovid. Art. III. 177.

Hic undas imitatur, habet quoque nomen ab undis.
Crediderim nymphas hac ego veſte tegi.

Non. XVI. 1. *Cumatilis, aut marinus, aut cœruleus. Tractum a Græco, quaſi qui fluctuum ſit ſimilis. Fluctus enim Græce κύματα dicuntur. Titinius Setina:*

Et quem color cumatilis deceat.

Ferrar. de Re Veſt. I. 3. 20. & 22. Thyleſ. de Color. c. 13. Bayſ. de Re Veſt. c. 2. Laurent. de Re Veſt. c. 6.

Color ferrugineus eſt ferro ardenti haud abſimilis, ut quidam putavere. *Bayſ. de Re Veſt. c. 2.* Refert potius *colorem* ferri longo ſitu rubiginoſi. Filamenta, quibus ſæpe conopæum, & multæ præterea veſtes lineæ circumſuuntur, etiam ferruginem dicunt infectores. Tunica etiam nuclei pinei lanugine quadam pulverulenta ferruginea eſt. Erat quoque liventium *color*. Itaque capitur & nonnunquam pro funeſto, atque ea de cauſa hyacinthi a Virg. Georg. IV. 183. dicuntur ferruginei, quaſi lugubres: quia puerum, ut eſt in fabulis, caſu interfectum Apollo diu luxit: atque in ejus foliis velut epitaphium, in ſui doloris perpetuum monumentum inſcripſit, non quia vere floris *color* ſit ferrugineus: eſt enim is, in quem ferunt mutatum adoleſcentulum, purpureus. *Thyleſ. de Color. c. 6. Laurent. de Re Veſt. c. 6.* Imo vere cœruleus eſt. Plaut. Mil. IV. 4. 42.

Palliolum habeas ferrugineum, nam is colos thalaſſicus eſt.

Non. XVI. 7. *Ferrar. de Re Veſt. I. 3. 22. Beroal. Annot. c. 89.*

Color flammeus eſt luteus, quoniam eo Flaminis uxor Flaminica caput ſuum operiebat. *Thyleſ. de Color. c. 11. Salmaſ. in Vopiſc. Aurel. c. 45.*

Color flavus in maturis frugibus ſemper elucet. Ornat ſæpe virginum ac puerorum capita. *Thyleſ. de Color. c. 11.* Hinc apud Poetas *flava Ceres.* Indeque eſt, quod flaveſcit in veteribus Gloſſis exponitur πεπαίνεται, quod eſt matureſcit. Sed quia ingens eſt *colorum* affinitas, Agrætius exponit rubeum, atque ita dici ait flavam Cererem. Virg. Æneid. V. 309. dicit flavam olivam: nempe ut ξανθὴν ἐλαίαν in Perſa dixerat Æſchylus. Donatus apud Virgilium interpretatur viridem: ſed, ut puto, minus recte. *Voſſ. Lex. Etymol.* Gellio II. 27. videtur ex viridi, & rufo, & albo concretus. Pacuvius aquam flavam dixit, & flavum pulverem:

Cedo tamen pedem lymphis flavis: flavum ut pulverem
Manibus iſdem, quibus Ulyſſi ſæpe permulſi, abluam.

Bayſ. de Re Veſt. c. 2. Laurent. de Re Veſt. c. 6.

Color floridus opponitur auſtero. Plin. XXXV. 6. *Colores ſunt auſteri, aut floridi.* Floridi autem, ut minium, Armenium, Indicum, cinnabari, & ſandaraca. Hinc Græci ἀνθηρὸν de rubro & purpureo *colore* abſolute uſurpant, ut & ὀξὺ & ἀληθινόν. *Salmaſ. in Vopiſc. Aurel. c. 46.*

Color fulvus videtur de rufo atque viridi mixtus, in aliis plus viridis, in aliis plus rufi habere: ſicut Poeta verborum diligentiſſimus *fulvam aquilam* dixit & *jaſpidem, fulvos galeros, fulvum aurum,* & *arenam fulvam,* & *fulvum leonem.* Sic Q. Ennius in Annalibus *ære fulvo* dixit. Gell. II. 27. *Bayſ. de Re Veſt. c. 2. Thyleſ. de Color. c. 11.*

Color fuſcus non eſt niger, ſed ex fulvo rufoque mixtus; quem caſtaneum, & ſubnigrum appellant, Veneti roanum obſcurum, Inſubres tanetum, quaſi caſtanetum. *Ferrar. de Re Veſt. II. I. 25. Laurent. de Re Veſt. c. 6.*

Color galbinus eſt viridis. Galbus in Latino-Græco Lexico explicatur χλωρὸς, id eſt, *viridis, pallidus, flavus.* Hinc galbula avis, quæ hujus *coloris* erat. Juven. Sat. II. 97.

Cœrulea indutus ſcutulata, & galbina raſa.

Veget. Veterin. III. 2. florem eryngii ait eſſe galbinei *coloris:* quem herbarius mihi dixit eſſe *coloris* cœrulei dilutioris & palleſcentis. Cenſebatur dedecere viros, ut mollior & effeminatior: hinc galbini mores dicuntur Mart. I. 97. 9. *Turneb. Adv.* XVII. 8. *Ferrar. de Re Veſt.* I. 3. 22. *Lipſ. Elect.* I. 15. Ego addo, aureum fuiſſe, vel ad auri *colorem* proxime acceſſiſſe. Sane galbineum, aureum vocat Veget. l. l. *Eryngion herba dicitur, quæ in littore naſcitur prope undam maris: florem habet quaſi aureum, vel galbineum.* Dioſcoridi χλωρὸν ἢ λευκὸν ἢ κυανοῦν: ſic galbineus *color* eſt qui Græcis χλωρὸς, ſed ita ut aurum eſt; nam Græci *colorem* auri χλωρὸν vocant. Sic ovi croceum iidem χλωρὸν vocant. De aureo *colore* in veſtibus Ovid. ſupr. in *Color aureus.* Qui manifeſto galbineum deſignat auri ſimilem. *Salmaſ. in Vopiſc. Aurel. c. 34.*

Color glaucus, eſt idem qui cæſius. V. illum. ſupr. in *Color Cæſius.*

Color helvus eſt medius inter album & rubrum. Belgis **bleckroot**. Ut vini genus eſt nulli non cognitum: quod quoniam cerafi *colorem* refert duracini, cerafolum aliqui dicunt Italiæ populi. *Thyleſ. de Color. c. 7.* Varro de Re Ruſt. II. 5. *Corium attactu non aſperum, ac durum, colore potiſſimum nigro, deinde rubeo, quarto albo.* Ab illo helvolus eſt, neque purpureus, neque niger. Columella, ut videatur paullum abire a Varrone III. 2. *Sunt & uvæ helvolæ, quas nonnulli varias appellant, neque purpureæ, neque nigræ, ab helvo, ni fallor, colore vocitatæ.* Voſſ. Lex. Etymol. Salmaſ. Exerc. Plin. p. 181. b. E. Rhodig. Ant. Lect. VIII. 11. Brod. Miſc. IV. 25.

Color gilvus *eſt melinus ſubalbidus.* Iſidor. XII. I. Idem, ſed omiſſa voce *ſubalbidi* ſcripſerat Serv. Georg. III. 83. Sed fallitur Servius. Nam melinus *color* nunc albus eſt, nunc luteus. At gilvus eſt cinericius, qui Græcis ſimiliter σποδιὸς, σποδιαῖος, & σποδοειδής. Nempe a σποδὸς, quomodo cinis vocatur. Gloſſ. Philox. *Gibus.* L. *Gilbus,* γίλβος, σποδιαῖος. Eſt is *color* aſinis. Unde σποδιὴ ὄνος Simonidi, quod Latinis ſit *gilva aſina.* In equis deterrimis eſſe ait Virg. Georg. III. 82.

— honeſti
Spadices, glaucique: color deterrimus albis,
Et gilvo.

Non dubito, quin idem ſit ac ille, qui Heſychio γαλουὶς, vel γαλωνὶς. Γαλουὶς, χρῶμα ἵππων ὀνοειδές. Iſidoro XII. I. doſinus dicitur: *Doſinus dictus, quod ſit color ejus de aſino: idem & cinereus.* Voſſ. Lex. Etymol. in Gilvus. Rhodig. Ant. Lect. XXII. 32. Salmaſ. Exercit. Plin. p. 181. b. D. Laurent. de Re Veſt. c. 6.

Color hyacinthinus qualis fuerit, nondum conſtat, cœruleus, an purpureus. Pro cœruleo accepit Hieron. in Ezech. c. 16. n. 10. *Cum loti fuerint pedes, & omni ſorde purgati, calceantur hyacinthinis,* vel, ut alii, *janthinis, quod utrinque aerii, & κυανέα coloris eſt, ut rapiantur in occurſum domini in aerem, & ad cœleſtia regna feſtinent.* c. 27. n. 24. *Involucra hyacinthina propter coloris ſimilitudinem referamus ad aerias poteſtates.* At nos male exponi cœruleum putamus, ſed potius purpureum dicendum eſſe. Et Poetæ hyacinthum purpureum dicunt. Virg. Ecl. III. 63.

Munera ſunt lauri, & ſuave rubens hyacinthus.

quod Ecl. IV. 43. dicit *ſuave rubenti murice.* Rurſus Georg. IV. 183.

Et pinguem tiliam, & ferrugineos hyacinthos.

id eſt, purpureos, aut ſubpurpureos. Nam, ut ait Servius Æneid. IX. 582. *Ferrugo coloris genus eſt vicinus purpuræ ſubnigræ.* Bochart. Hieroz. V. 10. Salmaſ. Exerc. Plin. p. 193. a. Byn. de Calc. Hebr. I. 3. 6. & 8.

Color hyalinus est vitreus. Hyalus, ὕαλος, vitrum. Virg. Georg. IV. 334.

— Milesia vellera nymphæ
Carpebant, hyali saturo fucata colore.

Ubi Servius: *hyalo, hoc est, vitreo, viridi, nymphis apto.* Sic ὑαλοειδέας πεπάζες Orpheus vocat ab *colore* hyalino. *Voss. Lex. Etymol. Ferrar. de Re Vest.* I. 3. 22. *Thyles. de Color. c.* 13. *Salmas. Exerc. Plin. p.* 180. *a. G. Laurent. de Re Vest. c.* 6. *Cerda in Virgilium.*

Color hysginus est purpureus, sive hyacinthinus. Nomen a frutice, qui a Galatis sua lingua ὕσγη dicebatur: cum Græcorum aliis κόκκος vocaretur. Testis Pausan. Φωκικ: p. 354. *Voss. Lex. Etymol. Thyles. de Color. c.* 13. Quid hysginum V. *Philandr. in Vitruv.* VII. 14. *Bald. Lex. Vitruv.* Miror hoc scribere Pausaniam. Sic enim coccinus & hysginus idem *color* esset. Quos distinguit Plinius supr. in *Color coccineus.* Est ergo inter purpureum & coccinum: quamvis magis ad purpuram inclinet quam ad coccum. *Salmas. Exerc. Plinian. p.* 192. *G.*

Color impluviatus est pullo simillimus. Non. XVI. 3. *Impluviatus color, quasi fumato stillicidio impletus, qui est Mutinensis, quem nunc dicimus. Plaut. Epid.* II. 2. 40.

Impluviatam: ut istæ faciunt vestimentis nomina.

Thyles. de Color. c. 5. Voss. Lex. Etymol. in Pluo. Videtur significare a similitudine impluvii vesti nomen esse factum. Dicit enim n. 41.

Utin' impluvium induta erat?

Ut enim vites impluviatæ, sic & vestis impluviata de similitudine impluviorum dicetur, quæ ea figura est, ut quaternata, id est, quatuor quadrata latoribus undique corpus ambiat: quæ forma est impluviorum in cavædiis. *Turneb. Adv.* XIV. 19. *Voss. Lex. l. l.*

Color leucophæus a Græcis, voce jam a nostris usurpata, vocatur albi nigrique particeps. Genus est *coloris* nativi, non enim inficitur, sed ovis ipsa sic natura quasi pingitur. *Thyles. de Color. c.* 4. *Salmas. in Tertull. Pall. p.* 214. *Ferrar. de Re Vest.* II. I. 23.

Color lividus est minus niger, & plumbeus. Ex gravi corporis ictu proveniens deformitatem habet. Unde invidi aliorum bonis, velut verberibus laniati, & idcirco exangues, lividi nuncupantur. *Thyles. de Color. c.* 2. *Voss. Lex. Etymol.*

Color luridus est supra modum pallidus. Festus. Quomodo *luridas mappas* dixit Stat. Sylv. IV. Glossæ Latino-Græcæ: *Luridus,* ὠχρὸς, πέλιος, ἰκτερικός. *Voss. Lex. Etymol. Scalig. in Festum.* Est mortui, ipsiusque mortis & Plutonis. Inde *luridus Orcus* Horat. Od. III. 4. 74. *Thyles. de Color. c.* 11.

Color luteus est, qualis videtur in ovorum vitelliis, vel malo Cydonio. Glossæ veteres: *Luteum,* μήλινον χρῶμα. *Luteus,* μήλινος. Est ergo rufus albo mixtus, & quasi clarus a luto, quod est λευκόν. Gell. II. 27. *Luteus rufus color est dilutior; unde ei quoque nomen factum esse videtur.* Salmas. Exerc. Plinian. p. 181. C. Thys. in Gellium. Bays. de Re Vest. c. 2. Voss. Lex. Etymol. Thyles. de Color. c. 13. Laurent. de Re Vest. c. 6.

Color melinus dicitur Plaut. Epid. II. 2. 49. qui Græcis est μήλινος, μηλίζων, μηλοειδὴς, & μήλοψ. Estque is, qui est in malis maturis, nempe flavus, hoc est, rutilus, cum pallorem accipit. Hunc aliter gilvum dici dicunt Servius, & Isidorus. V. supr. in *Color gilvus.* Sed helvum debuere dicere pro gilvo. *Voss. Lex. Etymol. Salmas. Exerc. Plin. p.* 181. *b. F.*

Color niger differt ab atro. V. supr. in *Color ater.*

Color phœniceus dicitur a *colore* palmitis palmei, qui φοῖνιξ dicitur, de *colore* equorum cum dicitur. Termes enim palmulæ φοῖνιξ, & σπάδιξ & βαΐς Græce dicitur: Estque is *color*, aut ei admodum affinis, quem in aliis rebus, quam in equis castanatum nuncupamus, a *colore* castaneæ. Quidam ex Latinis inferioris ævi castaninum dixerunt. In capillis præcipue hic *color* obtinet, qui rufi sunt *coloris*, non nimium pressi, nec ultra modum saturi. Philargyrus: *Spadix & phœniceus est, quales sunt fructus palmarum, neque diluti satis coloris, neque nimium pressi.* Salmas. Exerc. Plinian. p. 935. Voss. Lex. Etymol. Thyles. de Color. c. 10.

Color prasinus est viridis, ad similitudinem porri. Nam πρασόν Latine porrum dicitur. Hinc vestes e viridi lana prasinæ dicuntur. Mart. X. 29.

Et quam donabas dictus a Marte Kalendis,
De nostra prasina est synthesis empta toga.

In ludis Circensibus sæpe fit mentio prasinæ factionis, prasini ornatus, prasini agitatoris: quibus quid significetur, indicat Juven. Sat. XI 195.

Totam hodie Romam circus capit: & fragor aurem
Percutit, eventum viridis quo colligo panni.

Salmas. Exerc. Plinian. p. 244. E. Voss. Lex. Etymol. Beroal. Annot. c. 89. Laurent. de Re Vest. c. 6. Pitisc. in Suet. Cal. c. 55. n. 6.

Color pressus est purpuræ eximius. Dicitur Latine, quem aliter saturum, aut saturatum dixerunt, Græci κατακορές, quo nomine intensiorem *colorem*, & minime dilutum vocant. Myrteum & pressum eundem faciunt Servius & Isidorus: *Myrteum, quem in purpura pressum vocamus.* Myrteus *color* Porphyrio medius est inter flavum & nigrum. Cynaræ flos quem myrteolum Columella vocat, Dioscoridi ὑπόκιῤῥον dicitur, ac Plinio myrteus. Κιῤῥὸς autem & ὑπόκιῤῥος *color* est in fuscum & lividum vergens. Silis quoddam genus pressum vocat Plin. XXXIII. 12. quod cæteris erat fuscius, & quo pictores utebantur ad picturæ umbras: *Tertium genus pressum, quod alii Syricum vocant.... quo utuntur ad picturæ umbras.* Et de sinopide XXXV. 6. *Quæ magis cæteris rubet utilior abacis: idem pretium ejus, quæ pressior vocatur, & est maxime fusca.* Subfuscus ergo est, & saturatus, & diluto opponitur. Phylargyrus. V. illum supr. in *Color phœniceus.* Oneratum vulgo appellamus, τὸν κατακορέςερον: ut contra exoneratum, qui dilutus est. Plenum dixit Capitol. Albin. c. 5. *Nam & bos albus purpureis ad plenum coloribus natus est.* Adstrictum Plin. IX. 38. *Pelagio admodum alligatur, nimiæque ejus nigritiæ dat austeritatem illam, nitoremque qui quæritur cocci: ita permistis viribus altero excitatur aut adstringitur.* Salmas. in Tertull. Pall. p. 179. Exerc. Plinian. p. 244. b. C.

Color pullus est niger. Serv. Georg. III. 89. Proprie iis tribuitur, quæ terræ habent *colorem.* Illius enim major pars pulla est. Itaque quoniam ea mortuis injicitur, voluerunt veteres, ut qui lugerent, pullis pallis, terræ similibus, essent amicti. Dorsum leporinum etiam proprie est pullum: quam ob rem naturæ ipsius doctus magisterio, terram recentem ab aratro metu pavidus quærit ille, ibique nonnunquam stratus, nullaque re abditus, venatores, & canes ipsos prætereuntes *coloris* tantum beneficio latet. Nulla arte, aut impensa paratur. Natura enim sic provenit, unde nativus quoque vocatus est. *Thyles. de Color. c.* 5. *Voss. Lex. Etymol. Laurent. de Re Vest. c.* 6.

Color puniceus dicitur a φοῖνιξ, vel φοινικοῦς, quod idem est quod φοινὸς & φοίνιος, cruentus, sanguineus, a φόνος. Hinc & φοίνιον pro rubio dixerunt. Hesychius: φοινὸν, πυῤῥόν. Suidas: φοινός, πυῤῥὸς, φόνιος. Hesychius: φοίνιον, πυῤῥὸν, ἐρυθρόν. A φοινὸς est verbum φοινίσσω, quod est cruento, & sanguine inficio. Homerus:

— φοινίσσετο δ' αἵματι γαῖα.

Hinc & pro rubore *colore* inficere accipitur. Suidas: φοινίξω, αἱμάξω, βάψω, πυῤῥώσω, ἀπὸ τοῦ φόνου. Etiam Pœnos φοίνικας Græci dixerunt a *colore* tincturæ, quæ ibi primum reperta est. Omnes ferme auctores antiqui puniceum cum phœniceo ex ὁμωνυμίᾳ vocabuli confuderunt. Gell. II. 26. *Nam phœniceus, quem tu Græce φοίνικα dixisti, noster est & rutilus, & spadix phœnici συνώνυμος, qui factus Græce noster. Exsuperantiam splendoremque significat ruboris, quales sunt fructus palmæ arboris non admodum sole excocti, unde spadici & phœnicio nomen est.* Colorem equorum badiorum, qui phœniceus & spadix vocatur, facit eundem cum puniceo & φοινικῷ. Et male utrumque a

colore fructus palmæ nondum maturi dictum sciscit. Quis vero vidit equos puniceos, sive coccineos, nativo ac suo *colore?* Ut itaque phœniceus est, quemadmodum supra diximus, *coloris*, neque nimium diluti, neque nimium saturi: ita puniceus est rubri *coloris* vegetissimi & exsuperantissimi. *Salmas. Exerc. Plin. p.* 935. *Thyles. de Color. c.* 10. *Voss. Lex. Etymol. in Phœniceus.*

Color purpureus quomodo differat a coccineo, V. supr. in *Color coccineus.* Auctorem, usum & species V. infr. in *Purpura.* In militum symbolis vim imperii ob purpuram, quæ Principis est propria, significat. *Pancirol. Notit. Dign. Imp. Orient. c.* 38.

Color ravus vocatur fulvus obtusus quodammodo & obscuratus. Sic Horat. Od. III. 27. 3. *lupam ravam* appellavit, cujus *colorem* noto magis verbo plerique omnes fulvum dixerunt. Tradunt aliqui, ravos oculos, quos in cane & ariete laudat Varro, inter cæsios esse & flavos. *Thyles. de Color. c.* 11. *Laurent. de Re Vest. c.* 6.

Color robeus, sive rubeus invenitur apud Plin. IX. 38. *Rubeus color nigrante deterior.* Legendum *rubens.* Præterissem hoc ut leve, nisi omnibus codicibus inolevisset: vulgoque imperiti suam in eo verbo barbariem tueri laborarent. *H. Barbar. in Plinium.* Ex eo provenisse arbitror, quod cum rubens esset scriptum; ob similitudinem literæ *u* & *n* inter eas non distinguerent. *Voss. de vit. serm.* III. 34. Invenitur tamen ex uvis nigris fieri vinum forte, e rubeis autem suave. Imo bos robeus apud Pallad. IV. 12. *Boves sint rubei maxime coloris, aut fusci.* Colum. VI. 1. *Sint colore rubeo, vel aut fusco.* Vitulus rubeus apud Hygin. fab. 136. *Cui dixerunt natum esse vitulum, qui ter in die colorem mutaret, primum album, secundo rubeum, deinde nigrum.* Auctor Ovid. Vetulæ:

Sic tamen, ut rubeus vincatur ab albo.

Ignis rubeus apud Mart. Capell. I. *Minio rubeoque igne rutilans es.* Equus rubeus apud Fulgent. Mythol. I. 11. *Erythræus Græce rubeus dicitur.* Imo Glossæ Steph. Κιῤῥὸς, *rubeus. Robeus*, ἐρυθρός. *Thyles. de Color. c.* 7. *Alciat. Parerg.* II. 1. *Muncker. in Hyginum.* Verbum est omnino rusticum, nec prorsus idem *color* est, qui ruber, sed ad eum proxime accedit. *Thyles. l. l.* Est *color* in venis durissimæ quercus, quæ robur vocatur: item in homine sano ac robusto. Festus: *Robum rubro colore, & rufo significari, ut bovem quoque rustici appellant, manifestum est. Unde & materia, quæ plurimas venas ejus coloris habet, dicta est robur: hinc & homines valentes & boni coloris robusti.* Voss. Lex. Etymol. in Ruber.

Color roseus dicitur ab albente rosa, ut distinguatur a sanguinea, qui *color* purpuræ matronis tantum concessæ. *Ferrar. de Re Vest.* I. 3. 22. Est omnium jucundissimus, atque humano corpori, si id formosum est, quam simillimus. Itaque os, cervicem, papillas, digitos roseos Poetæ dicunt: id est, candidos, rubore sanguinis penitus diffuso cum venustate: isque *color* proprie est, quem communis sermo incarnatum. Refert enim maxime omnium nitorem pueri ac virginis. Rosam non Milesiam intelligo, quæ nimis purpurea ardore quodammodo videtur; nec albam: sed quæ utrinque decorem accepit. *Thyles. de Color. c.* 9. *Laurent. de Re Vest. c.* 6.

Color rubidus est *atrore & nigrore multo mixtus.* Gell. II. 27. *Bays. de Re Vest. c.* 2.

Color rufus non est idem atque ruber. Hoc potest intelligi ex eo, quod recte dicitur sanguis ruber, rufus non recte. Rursus barbam ob capillum Ænobarbi rubrum veteres non dixerunt, sed modo rufum, rutilum modo, qui idem est. Quin & canes immolabant Romani sacerdotes, nunquam rubras vocatas, sed quas nunc rufas, nunc rutilas appellabant, ad placandum Caniculæ sidus frugibus inimicum. Ex quo manifestum est, rufum rutilumque eundem esse. *Thyles. de Color. c.* 7. *Laurent. de Re Vest. c.* 6.

Color russeus, sive russus etiam legitur. Sosip. Charis. Instit. Gram. I. p. 55. *Russeum Grammatici non magis dicendum putant, quam album, aut prasineum, sed russum, & album, & prasinum.* Utrumque certe Latinum est. Sed aratoris magis quam oratoris. Habent enim & sua verba, qui ruri vivunt, urbanis nonnullis inaudita. Ruscum equum dicunt illi, qui non plane russus est, sed aliquanto minus ruboris habens, idem fere videtur. Hic autem, quoniam quasi cruentato similis est, hodie saginatus, quasi sanguinatus vulgo nominatur: quamvis hujus nominis nonnunquam equi albescant. *Thyles. de Color. c.* 7. *Russus* legitur apud Catull. XXXIX. 19.

Dentem atque russam defricare gingivam.

Hunc *colorem* Egnatius contraxerat ex lotii defricatione. Lotii vero *color* russus est, maxime ὄρυ πεπαλαιωμένυ, ut vocat Strabo. *Tunicas russas militares* est apud Trebell. Claud c. 14. *Russea facie* dixit Cato Orig. VII. apud Festum in Ruscum. *Russea fasciola* Apul. Met. II. p. 43. *Russeus color* Tertull. de Spectac. c. 9. *Russea tunica* Petron. c. 27. *Scalig. in Festum & Conject. in Varr. p.* 118. *Voss. Lex. Etymol. Gifan. Collect. Lucret.* Est idem ac rutilus, vel vicinus. Sane cum Varr. de Ling. Lat. VI. 5. ait *mulieres valde rufas* dici *rutilas*, videtur non alias intelligere, quam quas *facie russea* dixit Cato laudatus. Hinc russatus, russo indutus. Russati olim erant milites. Isidor. XIX. 22. *Russata sub consulibus Romani usi sunt milites: unde etiam russati vocabantur.* Varr. apud Non. III. 245. *Tela dextra vibrant, russati micant.* Tertull. de Cor. mil. c. 1. *Et nunc sanguine suo russatus.* Rei causam indicat Sil. Ital. III. 236.

—— & rubræ velamine vestis
Ars erat in pugna fusum occuluisse cruorem.

Et Circenses quidam agitatores, sive aurigæ, qui hoc panni *colore* ornabantur. Plin. VII. 53. *Invenitur in actis, Felice russato auriga elato, in rogum ejus unum e faventibus jecisse sese.* Et russatæ factionis mentio itidem in Inscriptionibus antiquis. *Voss. l. l. Ruben. Elect.* II. 12.

Color sandaracinus dicitur a sandaraca. Festus: *Sandaracam ait esse genus coloris quod Græci sandycem appellant. Nævius. Merula sandaracino ore.* Ubi sandaracinus est luteus. Hunc enim *colorem* habet os merulæ. Nempe sandaraca quidem rubet ipsa, sed luteo *colore* tingit. *Voss. Lex. Etymol. Thyles. de Color. c.* 13. *Laurent. de Re Vest. c.* 6.

Color sandycinus est coccino similis. *Thyles. de Color. c.* 13. *Beroal. in Prop.* II. 19. 81. Sitne sandyx planta, an potius compositio quædam ex sandaraca & rubrica, inter se disputant *Turneb. Adv.* XV. 20. *Agric. de Nat. Fossil.* IX. 19. *Ryq. de Capit. c.* 32. *Voss. Lex. Etymol. Cerd. in Virg. Ecl.* IV. 45.

Color spadiceus est idem qui badius. V. illum supr. in *Color badius.*

Color suasus est factus e stillicidio fumoso in vestimento albo. Quare haud dubitanter non alius est quam impluviatus: quamvis aliqui tradiderint *colorem omnem, qui fiat inficiendo, suasum dici, quod illi quodammodo sit persuasum in alium quemvis colorem ex albo transire.* Festus. *Thyles. de Color. c.* 5. Suasum, an insuasum dicere oporteat, dubitari potest. Nam apud Plaut. Truc. II. 2. 16. non minus legi potest: *tibin' suaso*, quam *tibi insuaso.* Et jam olim fuisse de hoc dubitatum docet Festus: *Suasum colos appellatur, qui fit ex stillicidio fumoso in vestimento albo. Plautus:*

Quia tibi suaso infecisti propudiosum pallium.

Quidam legunt insuaso. Mihi insuasum non displicet: præsertim quando & in Glossis veteribus legas: *Insuasum*, εἶδος δοκαριοκαπνισμένον, ubi Josephus Scaliger legit: εἶδος δοκαρίυ κεκαπνισμένυ. *Voss. Lex. Etymol. Jul. Scalig. Exercit.* 325. §. 10.

Color subaquilus & fuscus idem. Is est, quem Græci μελίχρυν, vel μελάγχλωρον vocant. In vita Virgilii: *corpore & statura fuit grandis, colore aquilo.* Treb. Poll. trig. tyr. c. 30. *Fuit vultu subaquilo, fusci coloris.* Salmas. in Trebellium.

Color Tyrius. V. illum infr. in *Purpura Tyria.*

Color vegetus, vividus, & excitatus Latinis idem est, atque etiam clarus. Unde *claræ purpuræ* in vita Probi. Græcis ὀξὺς & λαμπρὸς. *Salmas. in Tertull. Pall. p.* 181.

Color venetus est is, a quo Venetæ factioni in ludis Circensibus est nomen. De auctore ita Isidorus XIX. 17. *Venetum colorem temperare primum Alexandria docuit.* Sunt qui censeant eundem esse ac vitreum: unde & apud Lampridium vulgatam lectionem immutatum eunt, quia is in Heliogabalo c. 19. venetum & vitreum ut diversos conjungat. Sed affines sunt *colores*, idem non sunt: quia vitreus est veneto remissior & clarior. *Voss. Lex. Etymol.* Egnatius semel atque iterum scribit eum esse, quem vulgus giallo vocat. Dictio mera Germanica, **geel**. Inveni tamen apud Cassiodorum. V. illum infr. in *Colores factionum*. aurigarum factionem *cæruleam ab imbribus hybernis*, quibus id, quod est, docet, cœruleum esse venetum. Olympiod. Meteor. I. ait: *prasinum & venetum in nocte non videri.* At **geel** refert lucis speciem. Non est ergo hic ille. *Scalig. Exerc.* 325. §. 10. Ei succenturiamus Veget. IV. 37. *Ne tamen exploratoriæ naves candore prodantur, colore veneto, qui marinis est fluctibus similis, vela tinguntur, & funes. Nautæ quoque vel milites venetam vestem induunt, ut non solum per noctem, sed etiam per diem facilius lateant explorantes.* Lamprid. Heliog. c. 24. *Pisces semper quasi in marina aqua cum colore suo coctos conditura veneta comedit.* quo non alio *colore* mensis inferrentur, quam quo in aquis essent vivi. *Voss. Lex. Etymol. Casaub. in Lampridium, Beroald. Annot. c.* 89. *Argol. in Panvin. de Lud. Circens.* I. 10.

Color verus est purpureus, & ita κατ᾽ ἐξοχὴν Latini purpureum *colorem* nominarunt. Treb. Poll. Claud. c. 17. *Chlamydes veri luminis limbatas duas.* id est, purpureas, sive veri *coloris*. Græci quoque ἀληθινὸν χρῶμα dixerunt pro purpureo, vel coccineo. Hesychius: Κυνάβαρι, εἶδος χρώματος ἀληθινῦ, ὃ λέγομεν κόκκινον. *Salmas. in Trebellium.*

Color viridis fit ex flavo & nigro. Est autem qualis in maxima herbarum parte: a quibus etiam privatim quædam obtinet nomina: ποώδης, quia πόα: χλωρὸς, quia χλόη. Galenus apud Hippocr. de rat. vict. II. χλωρὸν interpretatur ὠχρόν. Idque ait in usu fuisse loquendi apud Asianos, ut viridem pro pallido dicerent. Tinca quoque lutea potius quam viridis. At viridem maluit Ausonius. *Scalig. Exerc.* 325. §. 16. *Bayf. de Re Vest. c.* 2. Ex avibus insignis est hoc *colore* psittacus, avis inde a quibusdam viridis appellata: &, qua nihil lætius est, smaragdus: maxime quoque lucet viriditas in genere quodam scarabæi, cujus meminit Arist. Hist. Anim. v. 19. *Thyles. de Color. c.* 12.

Color undulatus. V. illum infr. in *Toga undulata.*

Color xerampelinus est autumnalibus viteis frondibus arefactis simillimus, & idcirco Græce ξηραμπέλινος dictus. Usurpant hanc vocem Latini. Juven. Sat. VI. 519.

Et xerampelinas veteres donaverit ipsi.

Certum enim vitis genus adulto jam autumno pampinis rubet, velut cruentatis, unde nomen *coloris* inditum est, rosa ab omnibus nunc dicitur sioca. *Thyles. de Color. c.* 8. *Scalig. Exerc.* 325. §. 13. *Voss. Lex. Etymol.* Quidam censent, potius esse pullum, sive atrum, adducti verbis Suidæ in Ἀτραβατικάς: ubi χλαμύδας ξηραμπελίνας etiam Ἀτραβατικὰς dictas ait: at has idem a *colore* atro, vel trabea, qua simul utebantur, dictas arbitratur. Sed utrumque perperam Suidas. Ab Atrebatis enim Galliæ populis sunt appellatæ. Firmat priorem opinionem Scholiastes Juvenalis: *Vestes scilicet, quæ ad usum matronarum fuerunt, ampelini coloris, qui inter coccinum & muricem medius est.* Salmas. in Treb. Poll. Gallien. c. 6. Voss. l. l.

Colores fuerunt quatuor, quibus agitatorum factiones in Circensibus ludicris distinguebantur: albus, russeus, prasinus, & venetus. Tertull. de Spectac. c. 9. *Talibus auctoribus quadrigæ productæ, merito & aurigis coloribus idololatriam vestierunt, & ab initio duo soli fuerunt, albus & russeus. Albus hyemi, ob nives candidas: russeus æstati, ob solis ruborem voti erant. Sed postea tam voluptate, quam superstitione provecta, russeum alii Marti, alii album Zephyris consecraverunt. Prasinum vero terræ matri, vel verno: venetum cœlo & mari, vel autumno.* Cedren. p. 121. paullo aliter interpretatur: *Romulus imposuit partibus ista nomina; terræ viride & porraceum; mari venetum, quia aquæ sunt cœruleæ; igni russeum, & aeri album. Prasinum vocavit a metaphora porri; proprium enim est terræ ut herbis vireat. Venetum dicitur a Venetia; & conjunxit album cum viridi, id est, aerem cum terra, quia inter se misceri ac temperari utraque debent: itidem russeum subjunxit cæruleo, quia igni aqua supposita est.* Cassiod. Var. III. 51. suo modo interpretatur, nec usque quaque cum illis sentit. *Colores in vicem temporum quadrifaria divisione funduntur. Prasinus virenti verno, venetus nubilæ hyemi, russeus æstati flammeæ, albus pruinoso autumno dicatus est.* Coripp. de Laud. Justin. I. n. 17.

Aurigas totidem, totidem posuere colores,
Ut sunt æstivis brumalia frigora flammis,
Nam viridis vernis campus ceu concolor herbis,
Pinguis oliva comis, luxu nemus omne virescit,
Æstatis roseus rubeus sic veste refulget,
Ut nonnulla rubent ardenti poma colore.
Autumni venetus ferrugine dives & ostro
Maturas uvas, maturas signat olivas,
Æquiparans candore nives, hyemisque pruinas,
Albicolor socia viridi conjungitur uva.

Buleng. de Circ. c. 49. Ursin. Append. ad Ciaccon. de Triclin. p. 232. Demster. Paral. ad Rosin. Antiq. Roman. v. 5. Panvin. de Lud. Circ. I. 6. & 10. & ad illum Argolus. Laurent. de Re Vest. c. 6. Etiam in cursu fuerunt; nec enim minus unquam e quatuor portis, quam quatuor currus emittebantur ad septem spatia. Agitatores petaso, vel galea alba, viridi, russa & veneta distinguebantur alii ab aliis. Petasum vocat Athen. v. Κράνος in Heliogabalo Xiphilinus. Nec tantum in circo locum habuerunt, sed & in theatro. Cassiod. Var. I. 2. 27. 33. *Partis prasinæ insinuatione comperimus, quoniam hoc introductum est, ut populi de colore vocitentur, seditiones turbulentas a quibusdam sceleratissimis incitari, & causam lætitiæ publicæ ad furoris certamina prorupisse: quapropter a vobis prasini pantomimus constituatur.* Buleng. l. l.

COLOSSÆUM vocatur Titi Amphitheatrum. V. supr. in *Amphitheatrum.*

COLOSSUS *est statua ultra mensuram.* Schol. Juven. Sat. VIII. 230. Unde Plin. XXXIV. 7. *Moles excogitatas videmus statuarum, quas colossos vocant, turribus pares.* Etymol. Magn. *Colossi proprie dicuntur statuæ supra modum magnæ.* Voss. Lex. Etymol. Bergier. de viis milit. v. Sect. 15. §. 4. Gronov. Marmor. bas. Coloss. Tiber. c. 2. Faes ad Gyrald. de Var. sepel. rit. c. 2. Pitisc. in Suet. Cal. c. 35. n. 4. Et ludit in magnitudinem *colossi* Solis suo more jocularis ille Lucianus in Jove tragœdo, negatque illi in consilio Deorum locum esse; nam si ille præsideret, omnes cæteros Deos discessuros, ut soli illi ad sedendum locus fieret, omni spatio vel alternis tantum, natibus occupato. Et inde translata est etiam ad homines, grandi, vastoque corpore præditos aliqua denominatio. Sic Esius Proculus apud Suet. Cæs. c. 35. n. 4. *ob egregiam corporis amplitudinem & speciem Colosseros dictus.* Figrell. de Stat. Roman. c. 17. Olim tantum in honorem Deorum fiebant, ut tanta statuarum magnitudine, divinæ potentiæ magnitudinem supra hominum vires quodammodo indicarent & quasi effigiarent. Isidorus ex Tranquillo VIII. 7. *Cum primum homines exuta feritate rationem vitæ habere cœpissent, seque ac Deos suos nosse, cultum modicum, ac sermonem necessarium commenti sibi, utriusque magnificentiam ad Deorum suorum religionem excogitaverunt. Igitur ut templa illis, domibus pulcriora, & simulacra corporibus ampliora faciebant.* Nec temere aliud invenies apud antiquos scriptores. Verum postquam prava ambitio Imperatores, Reges, Principes eo vesaniæ egit, ut alter alterum inter Deos referret, & Divum faceret a morte; aliqui etiam & vivi volentesque adorari se, ut Deos præsentes, jusserint; mirum videri non debet, si nonnulli *colossos* sibi, qui tantum Diis jure debentur, dedicari, aut consecrari jusserint, aut saltem erigi sint passi. *Figrell. l. l. Bergier. de viis Milit.* v. *Sect.*

Sect. 15. §. 3. Videntur in Ægypto primum frequentati. Diodor. I. p. 43. ed. Wech. 33. Steph. Heliopoli jam plurimas statuas *colossicas* ait fuisse. p. 51. Wech. 37. Steph. narrat in Memphitico Vulcani templo a Sesostri suas & uxoris imagines statutas ex integris saxis triginta cubitos altas, & filiorum ad viginti cubitos eductas. *Hennin. in Bergierum. Kircher. Turr. Bab.* II. 9.

Colossus Apollinis Apolloniatæ in Capitolio Romæ magni fuit nominis. Plin. XXXIV. 7. *Talis est in Capitolio Apollo translatus a M. Lucullo, ex Apollonia Ponti urbe, triginta cubitorum, quingentis talentis factus.* Magni hujus marmorea quædam σπαράγματα sunt etiamnum qui in Capitolio spectari velint. *Ryq. de Capitol. Roman. c.* 25.

Colossus Apollinis Tuscanici operis in templo Apollinis Palatini ex ære altus pedes quinquaginta, qui palmos nostrates conficiunt sexaginta duos. Plin. XXXIV. 7. *Vidimus certe Apollinem in bibliotheca templi Augusti Tuscanicum quinquaginta pedum a pollice, dubium ære mirabiliorem, an pulcritudine.* Dubitat Donatus, utrum Augusti ipsius, an Apollinis fuerit: sed ego Marliano hic accedo, qui Apollinis illud fuisse asserit. Non enim usquam legitur, Tiberium, qui Augusto templum dedicavit, bibliothecam ei & *colossum* addidisse ex ære. Martialis quoque, ubi libro suo suadet, ut Proculi ædes adeat, monet eum, ut bibliothecam Apollinis transiens, non se contemplatione *colossi* detineri patiatur I. 71. 7.

Nec te detineat miri radiata colossi,
Quæ Rhodium moles vincere gaudet opus.

Alii hæc de *colosso* Neronis in via sacra erecto, at minus commode, accipiunt; quia Martialis eum in Palatino collocat: Neronis autem ille erat infra collem. Tum & via ad ædem Castorum, & ædiculam Victoriæ virginis, ad quas Martialis librum mittebat, multum diversa erat a via sacra, in qua Nero domus suæ aureæ fecit vestibulum. Hujus ego caput illud æreum esse existimo, quod hodieque in Capitolio in impluvio Conservatorum cum stupore visitur, quod male a quibusdam Neronis esse creditur. Ille namque Neronis e marmore fuit: tum & plus quam centum pedes altus, id est 133. palmos nostrates: cujus caput esse minimum debuerit septemdecim palmorum, seu duarum nostrarum perticarum. Hoc autem a vertice ad imum mentum, non habet integros octo palmos, quæ exactissima proportio est ad duos & sexaginta & medium palmum altitudinis totius statuæ: quum e Vitruv. III. I. constet, caput octavam humani corporis adæquare partem altitudinis. *Nardin. Rom. Vet.* VI. 14. *Borrich. Ant. Urb. Fac. c.* 12. §. 3.

Colossus Augusti erat in foro Augusti. De illo Mart. VIII. 44. 7.

Foroque triplici sparsus ante equos omnes,
Ædemque Martis, & colosson Augusti.

Fabric. Descr. Urb. Rom. c. 7.

Colossus Constantinopolitanus structus est a Constantino in medio circo Constantinopolitano. Illi incisum erat. *Colossum hunc quadrilaterum, qui inter sublimia miracula numerandus est, nunc Constantinus Dominus Romani filius, gloria Regum sceptrum gerentium erexit, melior est recens factus antiquo spectaculo. Colossus enim stupendus erat Rhodi, & æreus iste stupor est Constantinopoli.* Buleng. de Circo. c. 6. Etiamnum exstat ex lapidibus quadratis factus, olim ut quidam imperitus in lucem prodidit, marmoreis crustis, ut vero epigramma in ejus basim incisum testatur, æreis tabulis vestitus ferro colligatis, ut apparet ex foraminibus non modo in scapo, sed etiam in basi remanentibus, in quæ quidem foramina regulæ ferreæ insitæ erant plumbo confirmatæ, nunc spoliatis restat structuram interiorem lapideam prodens barbarorum avaritiam expertus. Tres gradus imæ basi adjuncti sunt; primus a terra altus est duos pedes, secundus pedem & duos digitos, tertius tantundem. Basis est marmor quadratum altum septem pedes & tres digitos, cujus latera singula lata decem pedes & dodrantem. *Panvin. de Lud. Circ.* I. 27.

Colossus Domitiani equestris, ex ære inauratus fuit in medio foro. Sed hic cum cæteris ejus monimentis ac titulis post ejus mortem jussu Senatus sublatus atque eversus est. *Donat. de Urb. Rom.* II. 20. Illum equestri habitu ipsemet sibi post victoriam Germanicam, supra ingentem molem columnarum pulcerrimis marmoribus exstruxit. Stat. Sylv. I. I. I.

Quæ super imposito moles gemmata colosso
Stat Latium complexa forum.

Allat. in Philon. Byzant. de VII. orb. mirac. Thes. Antiq. Græcar. Tom. VIII. p. 2667. B. Pedum 107. altitudine fuisse tradit Comes Hermannus Contractus Chronico, ex antiquioribus, ut solet, scriptoribus, nec sine judicio. Est enim idem iste, licet vivo Vespasiano erectus inibi dicatur. Id altitudinis notant & Cassiodorus Chronico, & Collector historicus ex libro II. Idacii. *Barth. Adv.* XXXI. 4. *Faes in Gyrald. de Var. sepel. rit. c.* 2.

Colossus Herculis Tarentini in Capitolio est is, quem capta urbe Tarento Fabius Maximus Verrucosus in Capitolio juxta statuam suam æneam equestrem collocavit, auctore Plutarch. in Fabio p. 187. C. Plin. XXXIV. 7. Strab. VI. p. 192. & Auctore de Vir. illust. c. 43. n. 6. Lysippi opus æreum fuisse iidem scriptores affirmant, & a Verrucoso tanquam victoriæ suæ monimentum asportatum, cum Jovem qui in eadem urbe erat 60. cubitorum, propter magnitudinem difficultatemque moliendi attingere non auderet. *Ryq. de Capit. Rom. c.* 25.

Colossus Jovis fuit ornamentum campi minoris, a Claudio Imperatore ad theatrum Pompeji erectus: qui & Jupiter Pompejanus ea de causa appellatus fuit. Plin. XXXIV. 7. *Talis in campo Martio Jupiter a Claudio Cæsare dicatus, qui vocatur Pompejanus a vicinitate theatri.* Ubi Plinius campi Martii appellatione minorem quoque complectitur. *Nardin. Rom. Vet.* VI. 8. *Marlian. Topog. Urb. Rom.* V. 10.

Colossus Jovis est etiam in Capitolio. Plin. XXXIV. 7. *Fecit & Sp. Carvilius Jovem, victis Samnitibus sacrata lege pugnantibus, e pectoralibus eorum, ocreisque & galeis. Amplitudo tanta est, ut conspiciatur a Latiario Jove. Reliquiis limæ suam statuam fecit, quæ est ante pedes simulacri ejus.* In hoc miror allucinatum fuisse Fabr. Semestr. III. 5. eundem hunc cum summo Capitolino Jove existimantem, quem Vitelliani milites, incenso ejus templo apud Philostr. Apoll. V. oppugnant. Cum ille non æneus, vel marmoreus, sed eburneus, vel aureus verosimiliter fuerit. Adhæc Capitolinus intra cellam suam positus ab adstantibus, aut prope accedentibus, conspici tantum potuit; templi enim alæ, sive latera omnem eminus adspectum auferebant: cum tamen Carvilianum signum Plinius ab amphitheatro commode conspectum adnotaverit. *Ryq. de Capit. Rom. c.* 25. *Pigh. Annal. Rom.* I. *p.* 398.

Colossus Martis erat in templo Bruti Callaici. Plin. XXXVI. 5. *Mars est etiamnum sedens colosseus in templo Bruti Callaici apud circum eundem, ad Labicanam portam euntis.* Marlian. Topogr. Urb. Rom. V. 9.

Colossus a Nerone etiam est positus, & stetit olim prope Sacram viam, qua clivo adscensus erat in Palatinum collem: & prope Amphitheatrum, ut *Colossæum* ab illo dictum sit. Stetisse ad Sacram viam docet Mart. de Spect. 2. n. I.

Hic ubi sidereus propius videt astra colossus,
Et crescunt media pegmata celsa via.

Hæc enim Sacra via est juxta interpretes, per quam ligneæ compactilesque machinæ immittebantur in amphitheatrum, cum agerentur ludi. Aut potius machinas & pegmata intelligit onusta spoliis & præda, quæ eadem via in triumphis vehebantur. Dio LXVI. p. 752. A. *Colossus Vespasiano Principe Sacra via collocatus:* Martial. I. 71. 5.

Inde sacro veneranda petes palatia clivo.

At in Palatium adscendentem quid in Sacra via morari poterat? Mirus *colossus*. Martialis jam laudatus in *Colossus Apollinis*. Nempe tam immanis, ut esset altitudine centum

tum viginti pedum, (placet enim magis audire Sueton. c. 31. n. 5. quam Plin. xxxiv. 7. qui scribit fuisse pedum centum decem,) tanta artificii elegantia, quantum ostendere potuit figurando marmore Zenodorus ævi Neroniani nobilissimus statuarius. Plin. l. l. *Et statua indicavit interisse fundendi æris scientiam, cum & Nero largiri aurum argentumque paratus esset, & Xenodorus scientia fingendi cælandique nulli veterum postponeretur.* E marmore igitur, at radiatus; nam postea Martiale Plinioque spectante Vespasianus detracto Neronis capite radiato Solis caput reposuit, & *colossus* dicatus est *Solis venerationi, damnatis sceleribus illius Principis*; ut Plinius: *radii septem fuere*, & singuli *longitudine pedum viginti duorum & semis*, ut ait Victor reg. iv. Nec solum a Vespasiano Solis facie ac radiis illustratus, sed etiam refectus est. Suet. Vesp. c. 18. n. 5. *Colossi refectorem insigni congiario magnaque mercede donavit.* Cum enim domus conflagraverat, aliqua sui parte mutilatus, tum sublato capite refici debuit. Loco tamen motus non est. Constat hoc ex Martiale jam laudato, qui scripsit post Vespasianum & statuam refectam. Annos triginta septem post Vespasianum regnare cœpit Adrianus, qui *colossum* loco motum alio transtulit. Spartian. c. 19. *Transtulit & colossum stantem atque suspensum per Decianum architectum de eo loco, in quo nunc templum Urbis est, ingenti molimine, ita ut operi etiam elephantes viginti quatuor exhiberet.* Est advertendum, quod de Adriano subdit Spartianus, *& cum hoc simulacrum post Neronis vultum, cui antea dicatum fuerat, Soli consecrasset*, de Commodo idem affirmare Lamprid. c. 17. *Colossi caput dempsit, quod Neronis esset, ac suum imposuit, & titulum more solito subscripsit.* Et de Vespasiano Plinium. Dubium an idem afferat Dio LXXII. p. 828. A. *Commodus abscisso colossi, sui capitis imaginem reposuit.* Quare aut abscissum *colosso* caput tanquam hydræ multiplicatum succrescebat, aut aliquis horum actorum fabulam comminiscitur. Equidem, ut Spartiano assentior, quo auctore *colossum* ab Adriano translatum accepimus, sic censeo Plinium audiendum, cujus narratione idem *colossus* refectus habetur, & Soli dedicatus. Hic enim, quod viderat, scripsit: alii, quod legerant & audierant, multo post tradiderunt ævo Diocletiani. Xiphilinus Solisne, an Neronis caput Commodus absciderit, ut suum reponeret, non refert. Aliis autem aures dare non possum, qui ajunt Neronis caput sæpius ablatum atque repositum. *Donat. de Urb. Rom.* III. 5. *Panciroll. Descript. Urb. Rom. Thes. Ant. Roman. Græv. Tom.* III. *p.* 338. *A. Faes in Gyrald. de var. sepel. rit. c.* 2. *Scriver. in Mart. de Spectac. p.* 6.

Colossus Rheni prope forum Romanum jacuit, quem alii Niphatis fluvii esse putant. Usitatissimum fuit, deos fluminum apponere, qui formantur jacere semierecti, urnisque brachio suppositis amnes tanquam e fonte emittere, velati plerumque serto harundineo, & tecti carbaso, quæ est vestis fluxa & ampla, umbilico tenus, superiore corporis parte nudi. Blondus falso vocabulo Jovem Pictorem, vulgus novo Marforium nominat. *Fabric. Descr. Urb. Rom. c.* 15. *Donat. de Urb. Rom.* IV. 11.

Colossus Solis Rhodi maxime admirandus fuit. Meminit Inscriptio vetus operis Gruteriani p. 186.

Colossus enim miraculum erat Rhodi.

Hunc respexit Stat. Sylv. I. I. 103.

— tua, sidereas imitantia flammas,
Lumina contempto mallet Rhodos aspera Phœbo.

Plin. xxxiv. 7. dicit fecisse Charetem Lindium. *Ante omnes in admiratione fuit Solis colossus Rhodi, quem fecerat Chares Lindius, Lysippi discipulus.* Debuit potius dixisse, inchoasse: nam is, cum errasset in impensæ subducendæ ratione, opere incepto tantum, se occidit. S. Empiric. adversus Mathem. VII. p. 156. C. *Rhodii rogarunt Charetem architectum, quanta pecunia impendenda esset ad colossum exstruendum; cum is aliquid definisset, iterum interrogarunt, quanta existimaret opus, si majorem duplo vellent constituere, & is duplum petiisset, illi quidem id dederunt; ipse vero, ea summa in initium impensa, & descriptionem formæ, se occidit.* Itaque perfecit alius, item Lindius, nomine Laches. Simonides Anthol. IV. 6.

Rhodi colossum octies decem
Cubitorum Laches fecit Lindius.

Hi versus erant in basi inscripti. Altitudinem septuaginta cubitorum illi tribuit Plinius. *Septuaginta cubitorum altitudinis fuit*: uti quoque Isidor. XIV. 6. *In hac urbe Solis colossus fuit æreus, septuaginta cubitorum altitudine.* Sed Simonides octoginta illos dicit. Itaque in Plinio, quem male sequitur Isidorus, peccatum a librario puto. Festus dicit, *altum fuisse pedes centum & quinque.* Inde terræ motu concidit annis sex & quinquaginta postquam collocatus erat. Plinius. Polyb. v. 88. Oros. IV. 13. Factum id Olymp. 139. an. 2. Eusebius: *Caria, & Rhodus, ita terræ motu concussæ sunt, ut colossus magnus rueret.* Quando sit positus, licet scire ex eversionis tempore. Si ab Olymp. 139. an. 2. annos 56. retro putes, habes Olymp. 125. an. 3. Perfectum totum tradunt annis duodecim. Plinius: *Duodecim annis tradunt effectum, trecentis talentis.* Jacuit ad Constantis Imperatoris, qui est Christi 656. cum Mauhias Othmanis præfectus, Rhodo potitus destruxit. Paull. Diac. Hist. Misc. XIX. *Anno duodecimo imperii Constantii Mauhias, Rhodum rediens, destruxit colossum ejus, post mille trecentos sexaginta stabilitatis annos.* Idem tradit Porphyrog. de Admin. Imp. c. 20. Cedrenus annos quinque addit. Errant vehementer. Nam Constantis annus duodecimus fuit Christi 656. inciditque ejus natalis in 194. Olympiadis an. 2. a quo si deinde numeres ad 125. an. 2. quo *colossus* dedicatus, habes annos 276. quos si computes ad Constantis annum 12. erunt simul universi 932. Illum Judæus quidam Emisenus negotiator cum emisset, nongentos camelos ex ejus ære oneravit. Diaconus: Zonar. Annal. III. Cedrenus. Auget vehementer numerum Constantinus, & triginta camelorum millia. Amplius Theophanes in Chronico dicit, atque octoginta addit. *Meurs. Rhod.* I. 15. *Panvin. de Lud. Circ.* I. 27. *& ad illum Argolus. Kircher. Turr. Bab.* II. 3. 9. *Casal. de Urb. ac Imper. Roman. splend. part.* I. *c.* 5. *Emm. Descript. Reip. Rhodiæ Thes. Antiq. Græcar. Gronov. Tom.* IV. *p.* 550. *F. Allat. in Philon. Byzant. Thes. Gronov. Tom.* VIII. *p.* 2666. *D. Faes in Gyrald. de var. sepel. rit. c.* 2. *Blond. de Reb. gest. Venetor. p.* 274. *Scriver. in Mart. de Spectac. p.* 6.

COLUM nivarium erat vasculum, quod ad præparationem bibendi comparari solitum docet Pompon. l. in argento ff. de aur. & arg. *In argento potorio utrum id duntaxat sit, in quo bibi possit, an etiam id, quod ad præparationem bibendi comparatum est, veluti colum nivarium, & urceoli, dubitari potest. Sed propius est, ut hæc quoque insint.* Solebant veteres cribella argentea habere foraminulenta, unde nivem *colare* possent, quam æstatis tempore diligenter servatam refrigerandis vinis, cum potaturi erant, immitterent. V. infr. in *Nix.* Pauperiores non argento ad hanc rem; sed lineo sacco utebantur. Mart. XIV. 103. cujus lemma est *colum nivarium*:

Setinos moneo nostra nive frange trientes:
Pauperiore mero tingere lina potes.

Quibus versibus non obscure significat poeta *cola*, per quæ nives vini refrigerandi, & diluendi gratia *colabantur*, lautioribus servire solita, & majoris, quam lineos saccos pretii fuisse. Unde idem de sacco nivario c. 104.

Attenuare nives norunt & lintea nostra:
Frigidior colo non salit unda tuo.

Salmuth. in Pancirol. de Reb. deperd. & inv. p. 538. Alciat. Parerg. VIII. 4. Laurent. de Prand. & Cœn. vet. c. 17. Popma de Instrum. fundi c. 11. Bayf. de Vascul. p. 274. Koeberzyck. de Lux. Roman. II. 10. Stuck. Ant. Conviv. III. 6. Ursin. Append. ad Ciaccon. de Triclin. p. 334. Guther. de Offic. dom. Aug. III. 16. Butius de Potu Antiq. c. 19.

COLUMBÆ erant Romanis in deliciis. Illarum *paria vulgo vendebant ducentis nummis*, id est, decem florenis, & *eximia* si quæ essent, *singulis millibus*, id est, quin-

quinquaginta. Adeoque *Axius negavit daturum minoris quadringentis denariis.* id eſt, florenis octoginta. Varr. de Re Ruſt. III. 7. Poſtea quatuor millibus nummum, id eſt, ducentis florenis, neque vendere, neque emere puduit. Colum. VIII. 8. *M. Varro nobis affirmat, etiam illis ſuis ſeverioribus temporibus paria ſingula millibus ſingulis ſeſtertiorum ſolita venire. Nam noſtri pudet ſæculi, ſi credere volumus inveniri, qui quaternis millibus nummum binas aves mercantur.* Kobierzyck. de Lux. Roman. I. 15. Bruyer. de Re cibar. XV. 24. Caſtellan. de Eſu carn. IV. 7. Nonn. de Re Cibar. II. 20. Illarum uſus olim fuit in ſpectaculis. Nam patresfamilias, qui in theatrum aut circum ibant, unde non pro arbitrio reditus, *columbas* ſecum ſinu ferebant, easque emittebant cum tabellis, nuntias domum quid vellent. Varro l. l. *Columbas redire ſolere ad locum licet animadvertere, quod multi in theatro ſinu miſſas faciunt, atque ad locum redeunt, quæ niſi reverterentur, non emitterentur.* Lipſ. Saturn. II. 6. Argol. in Panvin. de Lud. Circ. II. 16. Nonn. l. l. *Quin & internuntiæ in rebus magnis fuere, epiſtolas annexas earum pedibus obſidione Mutinenſi in caſtra Conſulum Decimo Bruto mittente.* Plin. X. 37. Seta ad *collum* epiſtolas religaſſe Hircium ſcribit Frontin Strat. III. 13. *Idem Hircium columbis epiſtolas ſeta ad collum religabat, easque a propinquo in quantum poterat mœnibus loco emittebat: illæ lucis cibique avidæ, altiſſima ædificiorum petentes excipiebantur a Bruto, qui eo modo de omnibus certior fiebat.* Bochart. Hieroz. II. I. 2. Stewech. ad Veget. III. 5. Scalig. in Manil. p. 395. Nonn. Caſtellan. & Lipſ. l. l. Nonniſi Regibus dabant auguria, quia nunquam ſingulæ volant, ſicut Rex nunquam ſolus incedit. Serv. Æneid. I. 397. *Buleng. de Aug. & Auſp.* c. 4. *Laurent. Var. ſacr. gentil. c.* II. Veneri erant ſacræ. Et Paphiæ dicuntur Mart. VIII. 38. 13.

Spartanus tibi cedet olor, Paphiæque columbæ.

Buleng. de Conviv. II. 10. Ortel. Deor. & dear. cap. I. 25. quod teſte Fulgent. Mythol. II. ſint fervidæ. Illas Venereo currui alligarunt Poetæ; illas *aves maternas* vocat Virg. Æneid. VI. 193. Syri putabant nefas eſſe violare, quod in tutela Veneris eſſent. Hygin. fab. 197. *Syri piſces & columbas ex Deorum numero habent, non edunt. De La Chauſſe de ax. ant. lucern. Tab.* XII. *Bochart. ibid.* I. I. *Nonn. l. l.*

COLUMBAR erat genus vinculi. Plaut. Rud. III. 6. 50.

Illic in columbum, credo, leno vertitur:
Nam in columbari collum haud multo poſt erit.

Ita explicat Priſcian. V. p 646. Salmaſ. de Mod. uſur. c. 18. Voſſ. Lex. Etymol. Turneb. Adv. XXVI. 2. Gyrald. de Navig. c. II. Laurent. de Rebuſp. c. 7.

Columbaria ſunt ſtationes *columbarum*. Varro ſcribit de Re Ruſt. III. 3. in uno vel quinque millia fuiſſe incluſas, quæſtumque ex earum fæcunditate majorem quam ex gallinarum referri. Colum. VIII. 8. etiam id quo locum ſuum inquinant, & quod ex *columbariis* egeritur, appoſitum ad agriculturam, probaturque maxime, quod modice ſparſum terram fermentet. Et ſat igitur cauſæ habuit Primigenius in Inſcriptione, quæ Romæ in ædibus Cardinalis Creſcentii:

TI. CLAUDIO. PRIMIGENIO
COLUMBARIA. N. IIII.
EMANCIPAVIT
T. FLAVIUS. CORINTHUS

augendæ rei & reditus conciliandi *columbaria* conducere a Corintho: quod hodiernis moribus abſonum. *Reineſ. Inſcr. Claſſ.* VII. §. 21.

Columbaria ſunt repoſitoria, ſive foramina ſub fornicibus, in quibus ollæ reponebantur. In familia Abucciorum reperti ſunt fornices, in quibus plurima *columbaria* Romæ:

L. ABUCCIUS HERMES IN HOC
ORDINE AB IMO AD SUMMUM
COLUMBARIA IX. OLLÆ XVIII.
SIBI POSTERISQUE SUIS.

Spon. Miſc. Ant. Erud. Sect. IX. *p.* 287. *Sanct. Bartol. Proleg. in Monum. Vet. Roman. & Etruſc. p.* 4.

Columbaria ſunt *in navium lateribus ſummis loca concava, per quæ eminent remi.* Iſidor. XIX. 2. Turneb. Adv. XXVI. 2. Scheffer. de Mil. Nav. I. 2. Voſſ. Lex. Etymol. Baldus Lexic. Vitruv. Gyrald. de Navig. c. II.

Columbaria ſunt etiam organa hauriendæ aquæ per tympana idonea. *Rhodig. Ant. Lect.* XXI. 21. Non bene. Sunt cava, ſive foramina, per quæ aqua ad axem delata, in tympani verſatione egreditur. Vitruv. X. 9. *Secundum axem columbaria fiunt excavata in ſingulis ſpatiis. . . . . Hauriendo aquam per aperturas, quæ ſunt in frontibus tympani, reddit eam per columbaria ſecundum axem.* Gyrald. de Navig. c. II. Baldus Lex. Vitruv.

COLUMELLA eſt cippus. Certe humilior non multum differt a cippo. Prop. III. 21. 23.

I puer, & citus hac aliqua propone columna,
Et dominum Exquiliis dic habitare tuum.

Cicer. de Leg. II. 26. *Pittacus ſuper terræ tumulum noluit quid ſtatui, niſi columellam tribus cubitis ne altiorem. . . . .* Guther. de Jur. Man. II. 24.

Columellæ dicti ſunt μεταφορικῶς majores ſervi domus; quos heri negotiis ſuis præficiebant. Metaphoræ ratio eſt, quod his nitatur domus, tanquam *columellis*. Ita de Turno Virg. Æneid. XII. 59.

—— in te omnis domus inclinata recumbit.

Donat. Phorm. II. I. 57. *Columella apud veteres dicti ſervi majores domus.* Lucill. XXII.

Servus neque infidus domino, neque inutilis cuiquam
Lucilli columella hic ſitus eſt Metrophanes.

Voſſ. Lex. Etymol. Pignor. de Serv. p. 303. *Columen familiæ* dici ſervum facile fortaſſis concederem. At *columen*, ſive *columnam domini* appellari neſcio an poſſit. Satis habuit ſervum ſuum hoc nomine laudaſſe Lucillius, quod *infidus domino* non fuiſſet. Hæc propria laus ſervi, τὸ πιστόν. *Columellam* ſuam eum inſcripſiſſe in titulo, ac elogio ſepulcri, vix videtur ſimile vero. Nec ſane verum eſt. *Lucillii Metrophanes*, tralatitia veteribus locutio, quæ ſubintelligit ſervum, *Columella* igitur hic cippus ſepulcralis, ac στήλη. Itaque lego:

Lucilli columella hac ſitus eſt Metrophanes.

Salmaſ. Exerc. Plinian. p. 859. A.

COLUMNÆ, Græcis κίονες, differunt a pilis, quæ στῆλαι ab illis dicuntur. *Columnæ* uno ſcapo conſtant, id eſt, lapide oblongo perpetuo. Pilæ ſtructura conſtant aut lapidea, aut cæmentitia, aut lateritia. Propterea ab Ulpian. leg. 8. §. I. D. Si ſervitus vendicetur *columnæ ſtructiles* dicuntur, quia lapide quadrato, aut laterculis exſtructæ ſunt. *Bud. in Pandect. p.* 116. *E. Holſteen. Diſſert. de Pil. Staffil. Theſ. Antiq. Roman. Græv. Tom.* IV. *p.* 1804. *E. Bald. Lex. Vitruv. in Pila. Voſſ. Lex. Etymol. in Pila.* Erant memoria perpetua. Et illarum celebratio antiquiſſima. Plin. XXXIV. 5. *Celebratio antiquior columnarum, ſicut C. Mænio, qui devicerat priſcos Latinos, quibus ex fœdere tertias prædæ populus Romanus præſtabat, eodemque in Conſulatu in ſuggeſtu Roſtra devictis Antiatibus fixerat anno Urbis* 416. *item C. Duillio, qui primus navalem triumphum egit de Pœnis, quæ eſt etiam nunc in foro.* Caſtal. de Columm. Triumph. Theſ. ibid. p. 1943. D. Nardin. Rom. Vet. V. 7. Vignol. Diſſert. de Columm. Anton. Pii c. 3. *Peregrini marmoris in atrio primus habuit L. Craſſus Orator.* Plin. XXXVI. 3. *Borrich. Ant. Urb. Fac. c.* 10. §. I. Æneas quatuor ex roſtris Ægyptiorum navigiorum conflatas, ab Auguſto alibi erectas Domitianus in Capitolio ſtatuit. *Marlian. Topogr. Urb. Rom.* II. 7. *Ryq. de Capit. c.* 33. *Borrich. ibid.* §. 9. Capita in ædificiis erant aurata. Hieron. Epiſt. ad Gaudentium: *Auro parietes, auro laquearia, auro fulgent capita columnarum.* Ipſæ marmoreæ. Juven. Sat. VII. 182.

Parte alia longis Numidarum fulta columnis
Surgat.

Et,

Et, ut docet Juvenalis, longæ. Unde Plin. xxxvi. 11. *Tacuerunt maximas earum, atque duodequadragenum pedum Lucullei marmoris in atrio Scauri collocari.* Et magno numero. Stat. Sylv. i. 2. 152.

Pendens innumeris faſtigia nixa columnis.

Centenæ apud Mart. v. 13. 5.

At tua centenis incumbunt tecta columnis.

Imo ducentæ. Capitol. Gord. iii. 32. V. illum infr. in *Villa Gordianorum*. Magno pretio coemptæ. *Decem columnas centum millibus nummum emit Craſſus* apud Val. Max. ix. 1. id eſt, ſingulas quingentis florenis. *Meurſ. de Lux. Roman. c.* 12. *Kobierzyck. de Luxu Roman.* 11. 7. Vetus fuit ritus inſignium virorum ſepulcris *columnas* imponere. V. infr. in *Columnæ ſepulcrales*. Fragmenta *columnarum* in obſeſſores murum conſcendentes jaciebant obſeſſi. V. infr. in *Dolia*.

Columna Antonini Pii terra, ac ſuperædificatis domibus undique obruta, longo annorum ſpatio neglecta, atque omnibus ignota delituit: quæque veluti, qui e naufragio caput exerit, id ſui tantum noſtro exhibebat obtutui, quod opem imploranti ſufficeret; etſi e ruderibus ſummam tantum ſui partem proferret: nonnulli tamen cum vulgo potius ſentientes ſibi jam ſatis eſſe putarunt, ut peregrinum, novumque nomen ei imponerent. Alii namque, ac ſi apud veteres Romanos peculiaris quædam *columna* extitiſſet, cui forenſes litigatorum dicæ affigerentur; vel e cujus faſtigio præco ad ſuffragia in ſeptis danda centurias, ſive tribus citare conſueviſſet, citatoriam illam dixerunt. Nonnulli, & præſertim Nardin. de Urb. Rom. vi. 6. unam ex iis eſſe ſunt arbitrati, quæ proximam Europæ porticum ſuſtinebant: atque alii alia de ea nuper, quos ingenium, & eruditio non minus fefellit, ne feliciori quidem omine auſpicati fuiſſe videntur. Gaudet nunc tamen, & meliori ætate fruens omnes id genus vulgarium errorum abſolvit: dextramque læta veneratur, quam ſui tandem adjutricem ſenſit ad emergendum. Clemens XI. Pontifex Romanus menſe Novembri 1705. in campo Martio detegendam mandavit. Conſtat marmore rubeis maculis intermixto. Quod marmoris genus a Syene celeberrima Thebaidis urbe Syenitem Latini appellarunt, ut declaratur a Plin. xxxv. 8. Altitudo illius eſt pedum quinquaginta, imi ſcapi craſſities pedum ſex, ambitus pedes viginti excedit. Atque inſigni quidem admodum, utpote ex unico, integroque Pario marmore, minimeque vulgaris magnitudinis ſtylobate gaudet, qui elegantiſſime inſculptus undiquaque latitudinis pedes duodecim habet, altitudinis vero undecim. In hujus prioris facie occaſum æſtivum verſus uncialibus literis ære olim obductis, ut apparet, hæc ſeſe offert inſcriptio:

DIVO. ANTONINO. AUGUSTO. PIO
ANTONINUS. AUGUSTUS. ET
VERUS. AUGUSTUS. FILII

In altera vero, quæ orientem ſpectat, ipſius Antonini Pii conſecratio anaglyphice deſignatur: mox reliquis duabus lateralibus partibus funebris equitum, peditumque decurſio exhibetur. Ipſo vivente a ſenatu eidem fuit dedicata. Apparet occaſione nummi ærei ſecundæ magnitudinis cuſi in honorem Antonini patris. Nam in parte anteriori nummi radiatum Antonini caput apparet cum hiſce verbis circumſcriptis: ANTONINUS AUGUSTUS PIUS. PP. TR. P. COS. III. in poſteriore vero *columna* hac nuper reperta cum verbis ſequentibus: FELICITAS AUG. S. C. Alius ſimilis cum *columna* nummus percuſſus eſt a Nicæenſibus in Bithynia ad decus ejusdem Imperatoris, prout notatur a Vaillantio inter Græca numiſmata p. 44. Et ex primo dicto nummo licet certus hujus *columnæ* conſecrationis, erectioniſque annus elici nequeat, quum tribunitia in eo poteſtas non numeretur; atque inter III. & IV. Antonini Pii conſulatum quinque jam anni effluxerint, in quorum intervallo adhuc pro more COS. III. nominabatur: abunde tamen evincitur quindecim, aut viginti prope annos ante illius mortem a ſenatu eidem fuiſſe dicatam: viginti enim a III. ejusdem conſulatu nondum finito, & quindecim a IV. deſignatione ad illius vitæ finem uſque numerantur. Mortuo a filiis in ſymbolum conſecrationis, & apotheoſeos fuit dedicata, & poſt obitum in ſtylobate, quæ diximus, exſculpta. *Bagliv. Diſſert. var. argum. c.* 1. *Vignol. Diſſert. de Column. Anton. Pii c.* 1.

Columna, bellica dicta, fuit parva ante Bellonæ ædem ad Circum Flaminium, ſupra quam jaculum transmittebant, cum bellum indicerent. V. illam infr. in *Conſul.*

Columna Cæſari *ſolida prope viginti pedum lapidis Numidici in foro eſt ſtatuta, & inſcripta parenti patriæ. Apud eandem plebs longo tempore ſacrificare, vota ſuſcipere, controverſias quasdam, interpoſito per Cæſarem jurejurando diſtrahere perſeveravit.* Suet. Jul. c. 85. n. 2. Hanc *exſecratam* vocat, & a Dolabella *everſam* dicit Philip. i. 2. *Talis animadverſio fuit Dalabellæ cum in audaces ſceleratosque viros, tum in impuros & nefarios liberos, talisque everſio illius exſecratæ columnæ.* Lactant. i. 15. *Dolabella Conſul columnam in foro, id eſt, titulum ejus evertit, ac forum expiavit.* Guther. de Jur. Man. ii. 5. & 19. Caſtal. de Column. Triumph. Theſ. Antiq. Roman. Græv. Tom. iv. pag. 1944. C. Faunus Antiq. Urb. Rom. ii. 15. V. & ſupr. in *Ara*. Everſa, & dejecta eſt a Dolabella menſe Aprili, aut certe ſub initium Maji. Epiſtola enim Caſſii & Bruti, de qua ſupr. in *Ara*, eſt ſcripta ante Junium an. ab U.C. 710. *Noriſ. Cenot. Piſan. Diſſert.* iii. 4.

Columnæ in Circo delphinis erant aſſignatæ, ſuper quas adſculpti erant. Has *phalas* vocat Juven. Sat. vi. 588.

Plebejum in circo poſitum eſt, & in aggere fatum,
Quæ nudis longum oſtendit cervicibus aurum,
Conſulit ante phalas, delphinorumque columnas.

Has in circo privati homines interdum ſe poſituros recipiebant. leg. 1. C. de pollicitat: *Si columnas circenſibus promiſit.* Quidam putant juxta poſtremas Circi metas fuiſſe ſeptem *columnas*, quibus pulvinus ſuperſtructus, & ova lapidea ſeptena impoſita. *Columnæ* illæ erant ipſæ metæ. *Buleng. de Circo c.* 19.

Columna cochlis Antoniniana, ſive Antonina hodieque inter Viam Flaminiam & Campum exſtat. Multum ea priſtinæ amiſerat pulcritudinis, flammis & injuria temporis devenuſtata: ſed antiquum ei decus & ſplendorem Sixtus V. reſtituit; qui & faſtigio ejus B. Paulli ſtatuam ex inaurato ære impoſuit. Erexit hanc Antonino Pio Imperatori Senatus, ſed jam fatis functo, cum inſcriptione, DIVO PIO. Quoniam vero in illa bellum, quod a Marco Aurelio ſucceſſore ejus cum Marcomannis geſtum inſculptum viſitur, una cum pluviæ laborante ſiti exercitu impetratæ, ut Gentiles crediderunt, revera tamen a vero Deo precibus Chriſtianorum hoc dante miſſæ, miraculo. V. ſupr. in *M. Aurelius*, poſt Marci mortem a Commodo abſoluta creditur. *Nardin. Rom. Vet.* vi. 9. *Borrich. Ant. Urb. Fac. c.* 11. §. 6. *Mod. de Triumph. Vet.* i. 37. *Blond. Inſtaur. Rom.* ii. §. 76. *Donat. de Urb. Rom.* iii. 16: iv. 12. *Boiſſard. Topogr. Urb. Rom. Tom.* i. *p.* 53. *Caſal. de Urb. & Roman. imper. ſplend. part.* i. *c.* 11. *Columna* Antonini Pii detecta, de qua ſupra, in cognitionem venimus *columnam* hanc cochlidem non eſſe Antonini Pii, ſed Marci Aurelii Antonini ejuſdem filii; in qua ejuſdem Aurelii Antonini filii, non Antonini Pii patris bellum Germanicum exprimitur. Quæ cum oculis pateant, neſcio quo pacto omnes ad hanc uſque diem Antiquarii decepti ſint, credentes *columnam* cochlidem in via Flaminia Antonini Pii patris eſſe, non Aurelii Antonini filii, cum bellum contra Germanos Pius pater non geſſerit. Felicitati itaque noſtrorum temporum tribuendum eſt, tam gravem errorem, nova hac, ac vera Antonini patris *columna* detecta, deletum jam eſſe, atque exſtirpatum; quoniam inſcriptio ſupra dicta in ſtylobate poſita ſatis aperte veritatem manifeſtat. *Bagliv. Diſſert. Var. argum. p.* 61. *Vignol. Diſſert. de Column. Antonii Pii c.* 7. P. Victor: *Templum D. Antonini cum cochlide columna, quæ eſt alta pedes* 175. *Habet intus gradus* 206. *& feneſtellas* 56. Donat. l. l.

Columna cochlis Trajani in foro eſt Trajani. Eſt alta pedes 128. habetque intus gradus 185. in ea exciſos, feneſtellas 45. P. Victor ad reg. VIII. Dio LXVIII. p. 778. C. *In foro ſuo columnam maximam collocavit, partim ſepeliendi ſui cauſa, partim ut opus, quod ipſe circa forum fecerat, poſteris oſtenderet.* Ambitioſum ergo ſepulcrum hac *columna* ſibi Trajanus exſtruere voluit, ibique ejus oſſa condita fuerunt, ut auctores ſunt Dio LXIX. p. 788. C. Eutrop. VIII. 5. Circum hanc Trajani geſta ſculpta viſuntur, imaginibus ab imo ad ſummum capreoli inſtar circumvolutis, omnesque in plano conſiſtentibus ejus magnitudinis eſſe videntur, cum tamen ſuperiores ab inferioribus magnitudine differant. *Panciroll. Deſcr. Urb. Rom. Theſ. Ant. Roman. Græv. Tom.* III. *p.* 353. *D.* Pergit Dio: *Clivus ſurgebat, quem effoſſa quoquo verſus ita complanavit, ut undique columna conſpiceretur.* Inſcriptio ſic habet:

SENATUS. POPULUSQUE. ROMANUS IMP. CÆSARI. DIVI. NERVÆ. F. NERVÆ TRAJANO. AUG. GERM. DACICO. PONTIF. MAXIMO. TRIB. POT. XVII. IMP. VI. COS. VI. P. P....

Sculptura anaglyptica in extima facie admirandi operis MMD. hominum figuras, partim integras, dimidias partim, vel pectore tenus continet, præter equos, arma, & alia inſignia, &, quod admirabilius eſt, una manu cuncta, unoque ſcalpro inſculpta videntur. Unde triumphalis *columna* exhibet profectiones, trajectus, caſtra, adlocutiones, ſacrificia, pugnas, victorias, tropæa. In faſtigio ſtetit coloſſus Trajani haſtam tenentis, atque auream pilam, in quam ejuſdem cineres recondidit Hadrianus. *Donat. de Urb. Rom.* II. 24. *Stuck. de Sacrif. p.* 108. *Aring. Rom. Subterr.* II. I. II. *Nardin. Rom. Vet.* V. 9. *Boiſſard. Topogr. Urb. Rom. Tom.* I. *p.* 42. *Caſal. de Urb. & Roman. Imper. ſplend. part.* I. *c.* II. *Mod. de triumph. Vet.* I. 36. *Oizel. in Gell.* XIII. 24. Ejus delineationem, quemadmodum adhuc hodie ſupereſt, æri inciſam edidit, & ſimulacrorum in ejus extima ſuperficie inſculptorum, quæ hiſtoriam utriuſque belli Dacici continent, explicationem addidit *Ciacconius.* Illam reſarciri, & in ea S. Petri inauratum ex ære ſimulacrum collocari juſſit Sixtus V. *Donat. ibid.* IV. 12.

Columna compoſita erat longa decem diametros ſui ſtyli, ſive trunci. Illi nomen hæſit, quod componeretur ex mixtura plurium ordinum Architectonicorum in unum idemque corpus. Nonnulli vocant eam Italicam, quod Italis, ut Græcis Tuſcanica, Dorica, Ionica, Corinthia debentur, debeatur. *Bergier. de viis milit.* V. *Sect.* 10. §. 5. Alias & Romana dicebatur. A recentioribus eſt addita. Si verum amemus, nulla eſt, quippe miſtura evidens Ionicæ & Corinthiæ, a quibus ornamenta ſua furtim mutuatur, unde & cognomen circumfert. *Hennin. ad Bergierium.*

Columna Corinthia erat longa novem diametros ſui ſtyli, ſive trunci. Imitatur virginis quindecennis teneritatem & venuſtatem. Vitruv. IV. 1. *Tertium, quod Corinthium dicitur, virginalis habet gracilitatis imitationem, quod virgines propter ætatis teneritatem gracilioribus membris figuratæ, effectus recipiunt in ornatu venuſtiores.* Bergier. de viis milib. V. Sect. 10. §. 5. & ad illum Henninius.

Columna Dorica cum ſua baſi ac capitulo longa eſt ſeptem diametros ſui ſtyli, ſive trunci. Fuit aliquando tantum ſex diametros ſui ſcapi longa, imitans virilis corporis proportionem, cujus pedes continent ſextam altitudinis in viro partem. Illi nomen fecerunt priſci Dorienſes, qui ſunt Lacedæmonii, penes quos fuit in uſu communi. Vitruv. IV. 1. *Bergier. de viis milit.* V. *Sect.* 10. §. 6. Qui ſequitur popularem architectorum errorem, ubi de ſtylobate agit Dorico. Dorica enim *columna* in genuinis veterum reliquiis baſi caret, ut videre licet ex reliquiis theatri Marcelli. Nec Vitruv. IV. ubi *columnæ* Doricæ rationem perſequitur, baſeos meminit; unde miror Philandri audaciam, qui ad illum hunc quaſi defectum de ſuo ſupplere conatus eſt. *Hennin. ad Bergierium.* Doricum ordinem perſpicies in theatri Marcelli, & thermarum Diocletiani nonnullis reliquiis. *Hennin. ibid.* §. 16.

Columnas Hymettiis ex lapidicinis in Attica marmoreas L. Craſſus Orator ſtatuit duodecim in atrio ſuæ, quam in Palatino monte habebat, domus, cum in publico nondum ullæ eſſent, graviter ideo a Cenſore collega Cn. Domitio increpitus. *Bergier. de viis milit.* V. *Sect.* 4. §. 2. Anno Urbis 662. ante primum Auguſti conſulatum quadrageſimo nono. *Donat. de Urb. Rom.* I. 25. Plinius XVII. 1. memorat tantum *columnas quatuor Hymettii marmoris Ædilitatis gratia ad ſcenam ornandam advectas, in atrio domus* ab eo *fuiſſe ſtatutas.* At XXXVI. 3. *peregrini marmoris columnas Hymettias non plures ſex, aut longiores duodenum pedum* fuiſſe Craſſo tradit: eaſdemque reſpiciens dicit poſtea c. 15. *Scena ei* theatro M. Scauri *triplex in altitudinem* 360. *columnarum in ea civitate, quæ ſex Hymettias non tulerat ſine probro civis ampliſſimi.* Primo ergo Plinii loco, ſcribæ, memoriæ, aut typothetæ forſan culpa, τὸ *quatuor* ἀντὶ τοῦ *ſex* legitur. Verum nuſquam *duodecim* reperi; quare longitudinem *duodenum pedum* putem Bergierio erroris occaſionem præbuiſſe. *Hennin. ad Bergierium.*

Columna Ionica cum ſua baſi ac capitulo longa eſt octo diametros ſui ſtyli, ſive trunci. Illi Iones in Aſia nomen fecerunt, penes quos fuit in uſu communi. Eſt gracilior, & quaſi formam ſiſtit feminæ mediæ ætatis. Primum conſtitutæ ſunt in illo Dianæ Epheſiæ nobiliſſimo templo, ubi, ut aliqua ex parte ſtolæ illius Deæ rugas figurarent, truncos totos *columnarum* in longam earundem ſuperficiem, quaſi dimidiatis canaliculis excavarunt. Vitruv. IV. 1. *Bergier. de Viis milit.* V. *Sect.* 10. §. 5. *Philand. in Vitruvium.* Ionicum ordinem admiraberis in reliquiis theatri Marcelli, & templi Fortunæ Virilis, hodie S. Mariæ Ægyptiacæ dicati. *Hennin. ad Bergier. ibid.* §. 16.

Columna Lactaria in undecima fuit Urbis regione. Victor & Feſtus: *Forum olitorium, in eo columna eſt lactaria, ad quam infantes lacte alendos deferunt.* Ritus illic forte aliquis ſuperſtitioſus obſervatus; vel, ut alii volunt, infantes illuc deportari ſoliti, quos matres exponebant, ut, quod locus is frequens eſſet, invenirent aliquem, qui eos tolleret, & lactari curaret. Quo & Tertullianus reſpexiſſe videtur cum ait Apolog. c. 9. *In primis filios exponitis ſuſcipiendos ab aliqua prætereunte matre extranea.* Nardin. Rom. Vet. VII. 4. Marlian. Topogr. Urb. Rom. III. 12. Donat. de Urb. Rom. II. 26. Bartholin. de Puerper. p. 90. Borrich. Ant. Urb. Fac. c. 13. §. 4. Barth. Adv. VIII. 5. Rævard. Conject. I. 17. Faunus Antiq. Urb. Rom. III. 6. Dacer. in Feſtum.

Columna Mænia in foro poſita fuit pro tropæo. *Columnarum* enim uſus fuit antiquior ſtatuis. V. Plinium ſupr. in *Columnæ.* Datum hoc fuit Conſuli C. Mænio, quia ſuis auſpiciis Antiates bello navali potentes ſubjugavit. Plinius l. l. A quo proditus numerus anno videtur redundare, ſi Capitolinis lapidibus fides habetur. Verrius Flaccus de ejus triumpho:

C. MÆNIUS. P. F. P. N. COS. DE. ANTIATIBUS. AN. CDXV. LAVINIEIS. VELITERNEIS. PRIDIE K. OCT.

Caſtal. de Columm. triumph. Theſ. Ant. Roman. Græv. Tom. IV. *p.* 1943. *E. Nardin. Rom. Vet.* V. 7. *Marlian. Topogr. Urb. Rom.* III. 5. *Donat. de Urb. Rom.* II. 26. *Pigh. Annal. Rom.* I. *p.* 315. Ex ultimis Plinii verbis ſupr. in *Columnæ* allatis conjicere licet, *columnam* hanc ejus ætate non amplius exſtitiſſe. *Nardin. l. l.*

Columnæ Mamurræ *in totis ædibus nullæ niſi e marmore fuerunt, omnes ſolidæ e Caryſtio aut Lunenſi.* Plin. XXXVI. 6. *Donat. de Urb. Rom.* I. 26.

Columna Mancini fuit in regione Urbis decima tertia, quæ Aventinus dicebatur. *Panvin. Deſcr. Urb. Rom. Theſ. Ant. Roman. Græv. Tom.* III. *p.* 310. *B.*

Columna Menia dicta eſt a Menio Cenſore. Aſcon. Cicer. p. 36. *Menius cum domum ſuam venderet Catoni & Flacco Cenſoribus, ut ibi Baſilica ædificaretur, exceperat jus ſibi unius columnæ, ſuper quam tectum projiceret ex provolantibus*

tabulatis, unde ipse & posteri ejus spectare munus gladiatorum possent, quod etiam tum in foro dabatur: ex illo igitur columna Menia vocitata est causis ejusmodi solitis. Hanc in venditione domus sibi reservavit anno ab U. C. 569. *Nardin. Rom. Vet.* v. 4. *Rhodig. Ant. Lect.* xxviii. 10. *Castal. de Columm. triumph. Thes. Ant. Roman. Græv. Tom.* iv. *p.* 1944. *B. Marlian. Topogr. Urb. Rom.* iii. 6. Ad hanc Triumviri Capitales in fures & servos nequam animadvertere solebant. Ascon. ibid. *Ut fures & servos nequam, qui apud Triumviros Capitales apud columnam Meniam puniri solent.* De eadem intellexisse videtur Cicer. pro Cluent. c. 13. *Manilium plerique noratis: non ille honorem a pueritia, non studia virtutis, non ullum existimationis bonæ fructum unquam cogitarat, sed ex petulanti atque improbo scurra in discordiis civitatis ad eam columnam, ad quam multorum sæpe conviciis perductus erat, tum suffragiis populi pervenerat.* In Divinat. c. 16. *Vobis autem tanta inopia reorum est, ut mihi causam præripere conemini potius, quam aliquos a columna Menia vestri ordinis reos reperiatis.* Nardin. & Castal. l. l.

Columnæ Messia, Sessia & Tutelina fuerunt in circo. Tertull. de Spect. c. 8. *Columnas Sessias a sementationibus, Messias a messibus, Tutelinas a tutelis fructuum sustinent: ante has tres aræ Diis patent magnis, potentibus, volentibus: eosdem Samothracas existimabant.* Utrum hæ nudæ fuerint, an signis adornatæ, ut cæteræ plures, Tertullianus indicare neglexit: at si sustentandis signis inservierunt, plura ejusdem numinis fuisse in circo signa verisimile est, quantum e Pollentiæ exemplo conjicere est. De his forte accipienda sunt Plin. xviii. 2. *Sejam a ferendo, Segestam a segetibus appellabant, quarum simulacra in circo videmus. Tertiam ex iis nominare sub tecto religio est.* An in spina illa fuerint, an vero alibi, incertum est: saltem de tribus aris vicinis existimandum, illas alibi locum habere non potuisse, ne curulibus certaminibus forent impedimento. *Nardin. Rom. Vet.* vii. 2.

Columna milliaris modo simpliciter lapis nominatur. Liv. v. 49. *Justiore altero deinde prælio ad octavum lapidem Gabina via vincuntur.* Modo cippus lapideus, si Probo credimus: unde Velser. ad chart. Peuting. ait: *Certissimi testes sunt lapidei cippi, qui reliqui: ex quibus interstitia locorum Itinerariis adnotabantur.* Græci σημεῖα, quia designant viarum publicarum intervalla: & usitatius στήλαι, quo nomine proprie significatur *columnæ* corpus, vel stylus. Hinc Strab. vii. p. 590. viam *columnis* milliaribus distinctam vocat κατεστηλωμένην. *Bergier. de viis milit.* iv. *Sect.* 39. §. 3. Auctor fuit hujus rei apud Romanos C. Gracchus. Plutarch. c. 9. *Porro singula milliaria dimensa diligenter lapideis columnis distinxit.* Bergier. l. l. §. 2. Borrich. Ant. Urb. Fac. c. 17. §. 5. Permansit hoc inventum, & in usum est tractum non modo per Italiam, sed & per provincias, ante æque ac post Imperatorum tempora. Strab. l. l. *Ex Apollonia in Macedoniam Egnatia in orientem via est, quam per millia passuum mensi sunt, lapideasque columellas usque Cypselum & Hebrum amnem millia* IↃXXXV. *distinxerunt.* Polyb. iii. 8. meminit viæ militaris jam ipsius ætate munitæ, quæ *a Romanis dilegenter stadiis octo dimensa est & signata, columnis* scilicet milliaribus. Materia plerumque fuit lapis vulgaris, durior, & qui a gelu non facile corrumperetur. Nonnullæ majori magnificentia erant marmoreæ, quæ in via erant Latina. Mart. ix. 65.

Qua Triviæ nemorosa petit dum regna viator,
Octavum domina marmor ab urbe legit.

Forma vel rotunda, vel quadrata, vel pro lubitu & ingenio artificis alia erat, & vix ultra pedes octo alta. Inscriptio apud Gruter. p. 157. n. 1. *In pago Stratsualto, Salisburgum versus, in columna rotunda, pedum octo longitudine, ad viam erecta.* n. 2. *Ursinis, in villa Augustanæ diœcesis visuntur columnæ milliares tres octonum circiter pedum.* Aut in stylo, aut in basi inscriptum habebant numerum milliarium, quo aut Roma, aut alia aliqua celebriore urbe distabant. Nonnullæ additam habebant inscriptionem, quæ viatores doceret auctorem viarum, & *columnarum* milliarium. Duplicem hanc rationem confirmat Gruter. Inscript. p. 146. n. 1. ubi adfert *columnam* milliarem, quæ exstat prope Caparram in Lusitania, inscriptam Hadriani Imperatoris nomine, & notatam cii. scilicet mille passuum: additque ibidem: *Aliis columnis omnibus etiam suus milliarium numerus additus est, etiamsi titulo hoc Imperatoris, sive inscriptione alia, careant.* Priores innuit Rutil. Itiner. ii. 7.

Intervalla viæ fessis præstare videtur,
Qui notat inscriptus millia crebra lapis.

Præter ornatum, quem viarum pulcritudini conciliabant, tædium quoque viatorum ex itineris longitudine levabant. Valde enim fessos juvat & solatur nosse, quantum viæ confecerint, quantum restet, quod ipsum quasi novam reddit alacritatem. Quintil. ix. 4. *Non aliter, quam facientibus iter multum detrahunt fatigationis notata inscriptis lapidibus spatia: nam & exhausti laboris nosse mensuram voluptati est, & hortatur ad reliqua fortius exsequenda, scire quantum supersit. Nihil enim longum videri necesse est, in quo quid ultimum sit. certum est.* Posteriores sunt quæ vel in basi, vel in stylo præferunt nomen Imperatoris, aut illius, qui vel novam fecit, aut veterem refecit viam publicam, eamque *columnis* milliaribus distinxit. Tales primum in usum venerunt Augusti ætate, & deinceps successorum hujus ævo in usu permanserunt, quorum nomina cum communi Cæsaris prænomine habent inscripta. Tales innuit Sidon. Carm. xxiv. 5.

Antiquus tibi nec teratur agger,
Cujus per spatium satis vetustis
Nomen Cæsareum nitet columnis.

Bergier. ibid. §. 2. 4--9. 11. Sect. 31. §. 7.

Columna Rhegia, ut dicitur Mel. ii. 4. *In Brutio sunt Columna Rhegia.* . . . Plin. iii. 5. *Dein Columna Rhegia.* Est *turris quædam exilis, quam Rhegini super freto locaverunt. Veteribus enim*, ut Strab. iii. p. 118. *hic mos fuit, hujus generis confinia, columnas, ponere, quemadmodum Rhegini columellam.* Hennin. ad Bergier. de viis milit. iii. 18. §. 4.

Columna rostrata in navali victoria publice a S. P. Q. consecrabatur. Ejus, quam primo Punico bello, ob gloriosam illam navalis prælii de Carthaginensibus victoriam, C. Duilio populus Romanus in foro posuit, jam meminit Plinius supr. in *Columnæ*. Et Quintil. i. 7. *Latinis*, inquit, *veteribus D. plurimis in verbis in ultima adjecta est: quod manifestum est etiam ex columna rostrata, quæ est Duilio in foro posita.* Servius etiam ad Virg. Georg. iii. 29. ut quidem in vulgatis exemplaribus legitur, sic scribit: *Rostratas Julius Cæsar posuit victis Pœnis navali certamine, e quibus unam in rostris, alteram ante arcum videmus a parte januarum.* Sed rectius in Vaticano libro: *Rostratas Duilius posuit victis Pœnis navali certamine, e quibus unam in rostris videmus, alteram ante circum, a parte januarum.* Ciaccon. Column. Rostrat. p. 1. Scheffer. de Milit. Nav. iv. 2. Illi inscriptum fuit. *Cajus Duilius Marci filius Consul adversus Carthaginienses in Sicilia rem gerens, Egestanos socios atque cognatos populi Romani artissima obsidione exemit. Legiones enim omnes Carthaginiensium*, qui Egestam obsidebant & Amilcar *maximus* eorum *magistratus* festinandi studio *elephantis relictis novem, castris effugerunt. Macellam* deinde *munitam* validamque *urbem pugnando cepit. Atque in eodem magistratu prospere rem navibus mari Consul primus gessit: remiges classesque navales primus ornavit atque paravit diebus sexaginta. & cum his navibus, classes Punicas omnes, paratas* ornatasque *summas copias Carthaginiensium, præsente Annibale maximo Dictatore illorum, in alto mari pugnando superavit; trigintaque naves cum sociis*, hoc est, cum ipsis hominibus cepit, *& septiremem prætoriam, quinqueremes præterea, ac triremes naves* xx. *depressit. Aurum captum in præda nummi III. M. DCC. Argentum captum in præda nummi C. M. Æs grave captum vicies semel centena millia pondo atque in triumpho navali prædam omnem in ærarium popul. Rom. intulit, captivos etiam Carthaginienses ingenuos, hoc est, nobiles aliquot ante currum duxit: primusque Consul, de Siculis, & classe Carthaginiensium triumphavit. Earum rerum ergo S. P. Q. R. ei hancce columnam posuit.* Ejus basis, seu

 para-

parastata potius, non procul ab arcu Septimii, in foro ipso Romano anno 1560. e ruderibus est effossa, & ab Alexandro Farnesio Cardinale in Capitolium translata. *Ciaccon. l. l. P. Serv. Miscell. c. 4. Kircher. Turr. Bab.* III. 2. *Pigh. Annal. Rom.* II. *p.* 24. E candido fuit marmore, Sil. Ital. VI 663.

Æquoreum juxta decus, & navale tropæum,
Rostra gerens nivea surgebat mole columna;
Exuvias Marti, donumque Duilius alto,
Ante omnes, mersa Pœnorum classe dicabat.

Ryq. de Capit. c. 33. Scheffer. de Milit. Nav. IV. 2.

Columnæ sepulcris imponebantur. Eutrop. VIII. 5. *Solus omnium Imperatorum intra Urbem sepultus est, ossa ejus collocata in urna aurea in foro, quod ædificavit sibi columna ibi posita, cujus altitudo* 140. *pedes habet.* Servius nescio ad quas gentes refert Æneid. XI. 850. *Apud majores*, inquit, *nobiles aut sub montibus altis, aut in ipsis montibus sepeliebantur: unde natum est, ut super cadavera aut pyramides fierent, aut ingentes collocarentur columnæ.* Plin. XXXIV. 6. a Græcis derivatum id scribit, ubi hujus moris causa his verbis exposita: *Columnarum ratio erat attolli supra ceteros mortales*; mox subdit: *Primus tamen honos cœpit a Græcis.* Mihi ab Ægyptiis hic mos ortus videtur. De illorum sepulcris Lucan. VIII. 694.

Cum tibi sacrato Macedo servetur in antro,
Et Regum cineres exstructo monte quiescant,
Cum Ptolemæorum manes, seriemque pudendam
Pyramides claudant, indignaque Mausolea.

Kirchman. de Fun. Roman. III. 16. Morestell. Pomp. Feral. VIII. 12. Meurs. de Funer. c. 31. Casal. de Urb. ac Imp. Roman. splend. part. 2. c. 21. Vignol. Dissert. de Column. Anton. Pii c. 4. Feith Antiq. Homer. II. 15. Nicol. de Sepulcr. II. 15. 4. Gyrald. de Var. sepel. rit. c. 2. & Faes ad illum. Plin. XXXVI. 13. *Labyrinthus Ægyptius introitu columnisque reliquis e molibus compositis, quas dissolvere ne secula quidem possint. Causam faciendi varie interpretantur. Lysias sepulcrum Mœridis fuisse.* c. 5. *Sepulcrum ab uxore Artemisia factum Mausolo Cariæ Regulo. Cingitur columnis triginta sex.* Rhodig. Ant. Lect. XVII. 20. Licet. de Lucern. VI. 24. Usus illarum in sepulcris tres habemus. Aliæ fiebant ad fulcimentum rei cujuspiam, aliæ nudæ simpliciter ad honorem defunctorum erigebantur, & aliæ ponebantur ad continenda intra se cadavera. V. de his latius differentem *Licetum.* In illis effigies mortuorum erant impositæ. Festus. V. illum infr. in *Vulcanale.* Hinc in sepulcro Diogenis Cynici erecta *columna* legitur, cui canis, quia nimirum talis propter mores dicebatur, pro sua effigie impositus. Laert. VI. 78. *Erigentes super illius tumulum columnam, canem desuper ex lapide Pario sculpserunt.* In sepulcro uxoris Charetis damalis imposita fuit *columnæ*, quia ita dicta fuerat. Codin. in Constantino. *Uxorem, quæ secuta ipsum fuerat, morbo tactam amittens sepelivit, statuens ei aram, & columnam, in qua damalis ostenditur ex lapide polito.* In Isocratis *columna* Siren erat, cui propter orationis suavitatem comparabatur. Plutarch. in vitis X. Rhetor. p. 838. C. *Isocratis monumento columna imposita erat cubitorum triginta, in qua Siren cubitorum septem.* Has, qui magnificentiores, excelsas valde ponebant: & ecce illa Isocratis, quam dixi, triginta cubitorum erat. Modum altitudini nimis jam exorbitanti statuit postea Demetrius Phalereus, & ad tres cubitos reduxit. Cicer. de Leg. II. 26. *Super terræ tumulum noluit quid statui, nisi columellam tribus cubitis ne altiorem.* Neque singulas ponebant, sed multas quoque puta in honoratiorum monumentis. Suidas: *Stesichorum dicunt Catanæ sepultum ad portam ex ejus nomine Stesichoream dictam, monumento habente octo columnas.* Nonnulli has cum Mercurii imagine faciebant. Cicer. l. l. *Nec hermas hos, quos vocant, licebat imponi.* In promptu ratio est: quia nimirum ille inter infernales deos, & credebatur animas ad inferos deducere. Et suspendebant in his lucernas. Dio LXVII. p. 763. B. *Ac primum quidem columnam sui illis sepulcralem addidit, cum nomine, & lucerna parva, qualis in monumentis pendet.* Meurs. l. l. Illas pro suo more perstringit Lucian. Menipp. & Philonid. dial. p. 336. *Dic Menippe, isti qui sumptuosa excelsaque sepulcra habent in terris, & columnas, & imagines, & titulos, nihilone apud inferos plebejis defunctis sunt honoratiores?* Vignol. l. l.

Columna Tuscanica longa est cum sua basi ac capitulo sex diametros imæ partis sui styli, scapi, sive trunci. Etiam hic ordo cognominatur Rusticus, quod ejus *columna* viro rustico, robusto, ac suis membris apte composito similis esse videatur. Olim septem diametros sui styli habuit; sed ad sex tantum est diminuta. Illi nomen fecerunt Hetrusci, qui alias etiam Tusci. *Bergier. de viis milit.* V. *Sect.* 10. §. 5. Si ad rationis trutinam rem ponderemus, ad elegantis architecturæ rationes referri nequit: certe non habet exempla in priscæ magnificentiæ ædificiis; unde etiam vere Rusticam cognominarunt. Nec illam Vitruvius habet, sed addit Plin. XXXVI. 23. *Genera columnarum quatuor. Quæ sextam partem altitudinis in crassitudine ima habent, Dorica vocantur: quæ nonam, Ionicæ: quæ septimam, Tuscanicæ: Corinthiis eadem ratio quæ Ionicis; & differentia, quoniam capitulis Corinthiarum eadem est altitudo, quæ colligitur crassitudine ima, ideoque graciliores videntur.* Hennin. ad Bergierium.

COLUMNARII sunt homines vilissimi, obærati & decoctores: qui sæpe ad *columnam* Meniam in jus vocabantur, quam intelligit Cicer. pro Sext. c. 18. *Æris alieni in freto ad columnam adhærescere.* Fam. VIII. 9. *Nolo te putare Favonium a columnariis præteritum esse.* Turneb. Adv. XVII. 12. Manut. in Ciceronem. Ita codices: quod si recipimus, *columnarii*, de quo infr. exactores interpretabimur. *Loens. Misc. Epiphyll.* VIII. 19.

COLUMNARIUM erat tributum grave & acerbum, quod pro singulis domorum *columnis* exigebatur. Cæs. Bell. Civ. III. 32. *Multa præterea generatim ad avaritiam excogitabantur columnaria. . . . . . cujusmodi rei nomen reperiri poterat, hoc satis esse ad cogendas pecunias videbatur.* Loens. Misc. Epiphyll. VIII. 19. Alciat. de Verb. Sign. p. 190. Rhellic. in Cæsarem. Burman. Dissert. de Vectig. c. 12. Manut. in Cicer. ad Attic. XIII. 6. Institutum hoc est a Julio Cæsare, qui ipse olim legem tulerat de pendendo *columnario*, id est, tributo in singulas *columnas*, quo sic ab insanis ædificiorum sumptibus Romanorum animos revocaret. De illo Cicer. Attic. XIII. 6. *Columnarium, vide, ne nullum debeamus.* Brant. in Cæsarem. Ego ad legem Juliam sumptuariam referendum arbitror, qua cum omnium impensarum modus & numerus esset definitus, etiam insanum *columnarum* studium inhibitum est, imposito vectigali, si quis plures *columnas*, quam lex permitteret, haberet. *Bosius & Popm. in Cicer. ad Atticum. Bronkh. in Tibull.* III. 3. 13. *Burman. l. l.*

Columnaria dicuntur æstuaria quædam & spiramenta. Vitruv. VIII. 7. *Etiam in ventre columnaria sunt facienda, per quæ vis spiritus relaxetur.* Philand. in Vitruvium. Infrequens apud alios auctores vocabulum. Dici ita arbitror, quod ad modum *columnarum* a solo attollantur. Qualia ea sunt, quæ prope Pisaurum ad viam Fanestrem spectantur, in veteri aquæductu nuperrime instaurato ad novum & pulcerrimum fontem in medio foro. *Bald. Lex. Vitruv. Voss. Lex. Etymol.*

COLUS cum lana, & fusus cum stamine sponsæ ad lectum deducendæ præferebantur, tanquam operis, in quo futura esset, auspicia: & quasi ad opus faciendum, non ad deponendam virginitatem deduceretur. Plin. VIII. 48. *Inde factum, ut nubentes virgines comitaretur colus compta, & fusus cum stamine.* Plutarch. Quæst. Roman. 31. *Ipsa secum colum & fusum importat.* Scalig. Poet. III. 100. Bernart. in Stat. Theb. II. 222. Brisson. de Rit. nupt. p. 72. Casal. de Prof. Rom. rit. c. 22. Rit. nupt. c. 1. Laurent. de Sponsal. c. 1.

COM.

COMÆ & quidem promissæ defectio in muliere ducitur ignominiæ: Apulej. Met. II. p. 44. *At vero quod*

nefas

nefas dicere, neque sit hujus rei ullum tam dirum exemplum, si cujuslibet eximiæ pulcerrimæque feminæ caput capillo exspoliaveris, & faciem nativa specie nudaveris; licet illa cœlo dejecta, mari edita, fluctibus educata; licet, inquam, Venus ipsa fuerit, licet omni Gratiarum choro stipata, & toto Cupidinum populo comitata, & baltheo suo cincta, cinnama fragrans, & balsama rorans, calva processerit; placere non poterit, nec Vulcano suo. Quid? cum capillis color gratus & nitor splendidus illucet; & contra Solis aciem vegetus fulgurat, vel placidus renitet, ac in contrariam gratiam variat aspectum, & nunc ut aurum coruscans in levem deprimitur umbram, nunc corvina nigredine cœruleos columbarum colli flosculos æmulatur; vel nunc guttis Arabicis obunctus, & pectinis arguti dente tenui discriminatus, & pone versum coactus, amatoris oculis occurrens, ad instar speculi reddit imaginem gratiorem? Quid? cum frequenti sobole spissus cumulat verticem, vel prolixa serie porrectus dorsa permanat? Tantaque denique est capillamenti dignitas, ut quamvis auro, veste, gemmis, omnique cætero mundo exornata mulier incedat, tamen nisi capillum distinxerit, ornata non possit abire. Tangit quoque Apostolus 1 Cor. c. 11. n. 5. & 6. *Id unum ac idem est ac si rasa esset. Quod si turpe mulieri tonderi aut radi, veletur.* Tonsura enim amolitur naturale signum subjectionis, viro a muliere debitæ. Argumentatur vero Apostolus ex eo, quod mulier sit subjecta viro, ac proinde sit velanda in signum subjectionis. Et ideo tegmen capitis feminei vocat *humilitatis femineæ sarcinam* Tertull. de Cor. Mil. c. 14. *illarum jugum* de vel. virg. c. 17. *subjectionis materiam* Concil. Gangr. c. 17. *signum muliebris subjectionis* Chrysost. in 1 Cor. 11. Idem monstrat usus decalvandi adulteras, de quo Fab. Semestr. III. 21. & 22. Feminas item Christianas ab Ethnicis ignominiæ causa decalvatas habetur ex Actis S. Martinæ c. 6. ex Actis S. Faustæ, & ex Actis S. Charitinis. *Raynaud. de Pil. & cat. cap. tegm. sect. 3. & 4. Salmuth. in Panciroll. de Reb. Deperd. & Inv. p.* 383. Studiosa nutritio, & promissionis ejus affectatio virum non honestat, & jam olim Apostolo displicuit 1 Cor. c. 11. n. 14. *Anne natura quidem ipsa hoc vos docet, quod viro quidem comatum esse dedecori sit?* Raynaud. ibid. sect. 3. Certe Ambrosius ait D. Paullum secundum legem hoc extulisse. *Prohibet enim*, inquit, *lex virum esse comatum.* Phocyl. n. 200.

> *Cæsaries decet haud marem, sed femina comptus*
> *Gestiat.*

Junius de Coma. c. 4. Moderata tamen diffusio consentanea ad uniuscujusque statum non modice confert ad virilem speciem. Belle enim caput & tutatur & honestat. Tutamen est per se perspicuum: nam & ad arcendum frigus & ad depellendas injurias capitis ab aëris clementia nihil præsentius naturali hocce galero, ut vocat Chrysost. homil. ad popul. XI. Venustas & condecoratio capitis ab hac naturali calantica ejusmodi est, ut merito dixerit Dio Prus. Orat. 35. *Qualisnam fieri possit pileus, vel Arcadicus, vel Laconicus, qui melius capiti quadret quam sua coma?* Quid vero e contrario *invenustius capite calvo & capillis nudato?* Raynaud. l. l. V. supr. in *Calvitium*. meretricum fuit flava, V. infr. in *Meretrices*. & matronarum cujus fuerit coloris apud Romanos V. infr. in *Matrona*. In gravi luctu tondebant mulieres. Eurip. Alcest. n. 426.

> *Jubeo communem esse luctum hujus mulieris*
> *Cæsarie rasa, & nigra veste.*

Suet. Cal. c. 5. n. 4. *Regulos quosdam uxorum capita rasisse, ad indicium maximi luctus.* Meurs. de Fun. c. 46. Kirchman. de Fun. Roman. II. 13. Jun. de Coma c. 2. Tondebant viri. Archelaus defuncto Euripide. Solin. c. 9. Archelaus Alexandri Amyntæ in regno successor Euripidis *suprema non contentus prosequi sumptu funeris, crines tonsus est, & mœrorem, quem animo conceperat, vultu publicavit.* Apud Theocritum Cupidines necem Adonidis lugent κειράμενοι χαίτας, *detonsis crinibus.* Bacchus exstincta conjuge *comam* totondit, intonsus alioqui. Etiam fluentes, sparsasque *comas* in funeribus receptas legimus. *Junius l. l.* Legimus de mulieribus. Terent. Heaut. II. 3. 45.

> *Mediocriter vestitam veste lugubri,*
> *Ejus anuis causa, opinor, quæ erat mortua:*
> *Capillus passus, prolixus, circum caput*
> *Rejectus negligenter.*

Virg. Æneid. III. 65.

> *Et circum Iliades crinem de more solutæ.*

Et de viris. Cicer. Verr. II. 25. *Sordidati maxime barba & capillo Romæ biennium prope fuerunt.* Suet. Cal. c. 24. n. 6. *Mœroris* ex Drusillæ sororis obitu *impatiens. . . propere redit barba capilloque promisso.* Meurs. Kirchman. Jun. l. l. In gradus frangebant, quod crines ferro vibrare dicit Virg. Æneid. XII. 100. dum delicati & molles inurendo contorquendoque scansilem faciebant capillum, velut gradibus quibusdam, atque undis quodammodo crispantem. Hunc recentiores exponunt *epaphæresin* apud Mart. VIII. 52. 8.

> *Expungitque cutem, facitque cutem*
> *Detonsis epaphæresin capillis.*

Junius l. l. Rhodig. Ant. Lect. XV. 8. Durant. Var. Lect. II. 5. Suet. Ner. c. 51. n. 3. *Circa cultum habitumque adeo pudendus, ut comam semper in gradus formatam, peregrinatione Achaica etiam pone verticem summiserit* Quintil. I. 6. *Vellis & comam in gradus frangere, & in balneis perpotare, quamlibet hæc invaserint civitatem, non erit consuetudo, quia nihil horum caret reprehensione.* Senec. Controv. I. *Capillum frangere. . . . .* Meurs. de Luxu Roman. c. 3. Hoc multis compagibus capillaturam exstructam gerere vocat Juven. Sat. VI. 502.

> *— tot adhuc compagibus altum*
> *Ædificat caput.*

Suggestum comæ vocat alibi. *Suggestum* enim Latini appellant, quicquid in altitudinem eductum est. Glossæ: *suggestus*, ὕψος. Lucianus ἐπανάστασιν τριχῶν alicubi vocitat. *Tutuli* dicebantur. Varro de L. L. VI. 3. *Tutulati dicti sunt hi qui in sacris capitibus habere solent ut metam: id tutulus appellatur.* Convolutiones autem istæ & concumulationes crinium *spiræ* vocabantur. Hinc *spirosus capillus* in spiram cumulatus & convolutus Apulej. Met. II. p. 45. *Quid cum frequenti subole cumulat verticem, vel prolixa serie porrectus dorsa permanat?* Salmas. in Tertull. Pall. p. 287. Barthol. de Inaur. p. 9. Junius de Coma c. 7. Parrhas. Epist. 57. Schedius de diis German. II. 4. In honorem alicujus Dei solebant nutrire, eamque postea resecare, eique Deo, cui voverant, consecrare. Petron. c. 67. *Cui Deo crinem vovisti?* Censor. D. N. c. 1. *Quidam etiam pro cætera bona corporis valetudine crinem Deo sacrum pascebant.* Forte origo hujus moris defluxit a Naziræis Judæorum, de quibus Num. c. 6. n. 5. Idque votum fiebat interdum statim ab ipsa nativitate, deposito nimirum ex more in terram nuper nato. Tertull. de Anim. c. 39. *Ita omnes idololatrica obstetrice nascuntur: dum prima constitutio infantis super terram, Statinæ Deæ sacrum est. Quis non exinde aut totum filii caput reatui vovet, aut aliquem excipit crinem, aut tota novacula prosecat, aut sacrificio obligat, aut sacro obsignat, pro gentica, pro avita, pro publica, aut privata devotione?* Alebant illam ad annos pubertatis, ac tum detondebant, atque in ejus Dei templo, cui consecrata erat, deponebant. Apud Athenienses homines minoris sortis, vulgo Herculi, aut cuipiam alii Deo, cujus templum esset in urbe, consecrare solebant. Hesychius. Nobiliores, & qui supra vulgus haberi volebant, Apollini Pythio vovebant, & Delphos proficiscebantur, cum deponendi tempus advenisset. Plutarchus in Theseo. Anthol. VI. 22. 4.

> *Tempestive florentes in capite lanugines*
> *Detondens mentorum viriles annuntiationes,*
> *Phœbo posuit Lycon primum munus. Precabatur autem sic*
> *Et canos capillos detondere e capite.*

Romæ, & in Italia etiam hic mos viguit. Varro apud Nonium II. 196. *Itaque Ambraciæ primum capillum puerilem demptum, item cirros, ad Apollinem ponere solent.* Mart. I. 32.

 Hos

Hos tibi, Phœbe, vovet totos a vertice crines
Encolpus, domini centurionis amor.
Grata pudens meritis tulerit cum præmia pili,
Quamprimum longas, Phœbe, recide comas.

Atque hinc Apollo Κυροτρόφος dictus, ut notat Eustath. Iliad. Ψ. p. 1403. Alii Æsculapio. Stat. Sylv. III. Præf. Earinus. . . *cum petiisset ut capillos suos, quos cum gemmata pyxide, & speculo ad Pergamenum Asclepium mittebat, versibus dedicarem.* Et carm. 4. 6.

Accipe laudatos, juvenis Phœbeje, crines,
Quos tibi Cæsareus donat puer, accipe latus,
Intonsoque ostende patri.

Alii Baccho. Virg. Æneid. VII. 391.

Te lustrare choros, sacrum tibi pascere crinem.

Et Arrian. Indic. p. 523. refert Liberum patrem Indos docuisse κομᾷν τῷ Θεῷ. Alii Dianæ. Stat. Theb. VI. 607.

Flavus ab intonso pendebat vertice crinis
Arcados, hoc Triviæ primis pascebat ab annis
Munus.

Alii Hygiæ. Pausan. Corinth. p. 54. *Eodem ferme habitu est Hygiæ signum: nam & hoc non facile conspicias; velatum enim undecunque est, partim comis, quas deæ mulieres detonderunt.* . . . Alii Minervæ. Stat. Theb. II. 253.

—— hic more parentum
Jasides, thalamis ubi casta adolesceret ætas,
Virgineas libare comas, primosque solebant
Excusare thoros.

Ouzel. in Minuc. Felic. p. 177. Casaub. ad Theoph. Charact. c. 21. Donat. Dilucid. p. 698. Junius de Coma c. 4. Tomas. de Donar. c. 10. & 25. V. plura supr. in *Capillus* & infr. in *Crinis.*

COMAGENA est *perparva regio, & urbem habet natura munitam Samosata regni caput.* Strab. XVI. p. 516. Sub Tiberio provincia est facta. Strabo, qui sub Tiberio vixit, dicit jam suo tempore provinciam fuisse. Unde de rebus Tiberii agens Tacit. Annal. II. 56. 5. *Comagenis Q. Servæus præponitur, tum primum ad jus Prætoris translatis.* Antiochus *Comagenus* forte fuit inter confiscatos, de quibus Suet. Tib. c. 49. n. 4. Sed Tiberii acta rescidit, & *Comagenem* Antiocho restituit Caligula apud Suet. c. 16. n. 10. *Adjecit & fructum omnem vectigaliorum, & redituum medii temporis, ut Antiocho Comageno.* Altera vice in provinciæ formam redegit Vespasianus. Suet. c. 8. n. 9. *Comagenem ditionis regiæ usque ad id tempus in provinciarum formam redegit.* Aurel. Vict. Epit. c. 9 n. 13. *Comagene, quam hodie Augustophratensem nominamus, provinciis accessit.* Panvin. Imp. Roman. c. 17. & 18. Pancirol. Notit. dignit. imp. orient. c. 114. Pitisc. in Suetonium.

COMBINÆ erant literæ, quæ dabantur a Principe ad *combinanda* publica animalia, & cursum usurpandum. *Combina* pro *combinatione.* *Combinare* autem proprie est κατὰ δύο ζευγνύειν: ut *conquaternare*, κατὰ τέσσαρα. Optimæ Glossæ: *combinat*, ζευγνύει, συνάπτει: *conquaternat*, ζευγνύει κατὰ τεσσάρων. *Combina* igitur pro *combinatio* est evectio, vel *combinandorum* animalium publicorum & jungendorum ad currum copia & facultas. Vel sic potius: *combina* est σύνθημα; nam *combinare* est συνδυάζειν. Hinc *combina* συνδυασμός. *Salmas. in Capitol. Pertin. c. 2. Meurs. Glossar. Græco-Barb. Guther. de Offic. Dom. Aug.* II. 3. *Prorius de Liter. tractor. n.* 10. *Du Fresne Glossar. Hennin. ad Bergier.* IV. 19. §. 9.

COMES Ægypti dicebatur præfectus Ægypti, qui ab Augusto regendæ Ægypto impositus, *Comitis* nomine decorabatur, & illam sub primæ *comitivæ* honore regebat. *Salmas. in Trebell. Poll. trigint. tyr. c.* 12. Mittebatur in Ægyptum, ut bona caduca, vel alio modo ad fiscum devoluta inquireret, ἴδιος λόγος, id est, *privata ratio* appellatur, Strabo XVII. Nullam ab initio jurisdictionem habuit, sed postea dignitate auctus, & *Comes*, ac *Rationalis summarum* dictus, ampliorem administrationem obtinuit, cum enim sericum, byssus, margaritæ, gemmæ, ac diversi generis aromata ex India, Arabiaque in Ægyptum quotannis veherentur, quæ millies centena millium nostrorum aureorum proventum Romanis Ægyptus dabat. Itaque proprium ibi Rationalem poni oportuit, quem *Comitis* titulo honestatum, summarum Ægypti vocarunt: ita pecuniæ quantitatem appellabant. V. infr. in *Rationalis.* Panciroll. Notit. Dign. Imp. Orient. c. 75. Limitis Ægypti Dux antea dictus *Comitis* dignitate est auctus, sed potestate diminutus. Cum enim universis Ægypti militibus præesset, aliis duobus Libyæ & Thebaidis Ducibus factis earum ditiones amisit. Id Gratiano imperante factum fuisse videtur, sub quo Romanus *Comes* Ægypti fuisse invenitur leg. 11. C. de pagan. & post eum sub Arcadio Heraclion leg. 3. C. de patrocin. vico. *Panciroll. ibid. c.* 145.

Comes Africæ recensetur primus in Notitia inter limitaneos cum sedecim præpositis: ita vocabantur, qui singulis munitionibus aut castris præerant, ut Diocletianus ad Pompejanum Francum P. Præt. significat leg. quamvis 19. C. de adult. *Panciroll. Notit. Dign. Imp. Occid. c.* 69. *Buleng. de Imp. Rom.* III. 9.

Comes Argentoratensis Argentorato & ejus tractui cum manu militum præerat. *Panciroll. Notit. Dign. Imp. Occid. c.* 74.

Comes auri quis fuerit, admodum incertum est: suspicari licet, eum fuisse, qui auri argentique usibus Principis parati curam gerebat. Quod munus ad vestiarii *Comitem* prope accedit. Vestis enim plerumque cum auro conjungitur. Aurum autem escarium & potorium non solum intelligendum est, sed & quodlibet factum, ut vascula, tabulæ, trullæ, pelves, scutellæ. . . . Repono inter privata domus Augustæ officia, & præerat libertis aut aliis, qui aureæ atque argenteæ supellectilis curam habebant. Meam opinionem juvat ipsa Notitia, quæ in Oriente nullum auri *Comitem* ponit, sub *Comitis* sacrarum largitionum dispositione, sed præpositos & præfectos thesaurorum, qui pecunias tractabant. Auro autem pecunia signata non continetur. *Guther. de Offic. Dom. Aug.* III. 16. *Panciroll. Notit. Dign. Imp. Occid. c.* 34. Forsan, qui argentum auro permutari, & in massam conflari curabat, unde in officio largitionum erat scrinium aureæ massæ, in quo hujus negotii rationes scribebantur. Forte intelligitur, qui aurifodinis & metallis præerat, aut qui tractabat aurum ad responsum, cujus scrinii scribas Gratianus Perfectissimorum titulo honestat leg. scriniis C. de palatin. sacr. legat. *Guther. l. l.*

Comes Britanniæ Valentiniano I. imperante maritima tuebatur. Ammian. XXVII. 8. *Britannias indicabat barbarica conspiratione ad ultimam vexatas inopiam. Nectaridumque Comitem maritimi tractus occisum, & Fallofaudem ducem hostilibus insidiis circumventum.* Panciroll. Notit. Dign. Imp. Occid. c. 72. Du Fresne Glossario.

Comes castrensis præerat Principi ministrantibus extra cubiculum in palatio, qui plurimi fuere, ut pincernæ, cellarii, lampadarii, & qui in mensa serviebant, quos esse puto, qui mensores ab Honorio leg. 1. C. de mensor. & mensæ ministri a Marcellino appellantur. *Panciroll. Notit. Dign. Imp. Orient. c.* 92. *Guther. de Offic. Dom. Aug.* III. 30. V. supr. in *Castrensiani.* Alius fuit per Africam, cujus meminit Ammian. XXX. 7. *Comes præfuit rei castrensi per Africam.* Hic rei castrensi præerat, *& summitatem castrensium necessitatum curabat,* ut ipse loquitur XXVI. Hinc Castrensiani de castris Riparensibus, quæ in ripis fluminum limitaneorum constituti erant leg. 14. C. de Re milit. Habuit officium tabularium dominicum, tabularium dominæ Augustæ, adjutorem chartularium, & scrinium ipsius, & cæteros Palatinos officiorum. *Guther. l. l.*

Comes civitatis dicebatur, qui in civitate judicis munus implet, eique præest: cujus dignitatis formulam exhibent Senator VI. 22. & 23. & Marculf. Form. 1. 8. Sidon. Epist. VII. 2. *Summatibus deinceps, & tunc comitati civitatis non minus opportunis quam frequentibus excubiis agnosci.* Savaro ad Sidonium. Du Fresne Glossario.

Comes clibanarius erat sub dispositione viri illustris Magistri militum præsentalis. Notit. Dign. Imp. Orient. c. 32. *Du Fresne Glossario.* Tertii ordinis, ut credo, titulo hone-

honestabatur. *Pancirol. ad Notitiam.* V. supr. in *Clibanarii.*

Comes commerciorum erat sub dispositione *comitis* largitionum. Erant hi negotiatores, quorum meminit Constant. leg. negotiatores C. de excus. muneris. Numero quatuor, per Orientem & Ægyptum unus, per Mœsiam alius, per Scythiam & Pontum tertius, per Illyricum quartus. Cujus hoc munus præcipuum erat, ut ei soli comparandi a barbaris serici facultas concessa esset, quæ cæteris denegata. leg. 2. C. quæ res ven. non poss. Videbat ille ne commercia illicita exercerentur, neve ulli cum barbaris, sine illius auctoritate ultra fines præfinitos negotiarentur. Lex enim posita Romanis & barbaris, id est, Persis, ne ultra loca constituta inter se negotientur, nundinasve exerceant leg. 4. C. de commerc. *Guther. de Offic. Dom. August.* III. 23. *Panciroll. Notit. Dign. Imp. Orient. c.* 75. *Du Fresne Glossar. Buleng. de Vectig. c.* 77. *de Imp. Rom.* IV. 30. *Laz. Comm. Reip. Rom.* II. 11. *Burman. Dissert. de Vectig. c.* 8. Dabat etiam operam, ut a negotiatoribus justa vectigalia solverentur leg. omnium l. ex præstat. cum duab. seq. C. de vectig. & commiss. & ob id in limitibus, & locis, ubi solvendum erit vectigal, stationarios tenebant leg. univ. C. eod. tit. *Panciroll. & Burman. l. l.*

Comes Consistorianus erat, qui Principi in consistorio adsidebat. Erat primi ordinis. Cassiod. Var. I. 12. *Comitivam primi ordinis largimur ut consistorium nostrum ingrediaris.* Inter hos primi ordinis *comites* aliquam differentiam constituo. Nam aliis consistorium Principis ingrediendi facultas concessa est; aliis deliberandi: alii etiam fuerunt *comites* ordinis primi in consistorio, alii ordinis primi intra consistorium. Inscriptiones Romæ:

MEMMIO. VITRASIO. ORFITO. V. C.
AFRICÆ. COMITI. IN. CONSISTORIO
ORDINIS. PRIMI.
COMITI. ORDINIS. PRIMI. INTRA
CONSISTORIUM.

multis negotiis interesse poterant: ut si legati adirent Principem & audirentur; si Princeps de causis privatorum cognosceret. At vero qui ex iis sunt *Comites* intra consistorium sacrum, hi arcanis Principis interesse meruerunt, *in contubernium Imperatoriæ Majestatis adsciti*, ut loquitur Spartian. Adrian. c. 8. *Guther. de Offic. Dom. Aug.* I. 17. & 45. *Salmas. Treb. Poll. trig. tyr. c.* 12. *Panciroll. Notit. Dign. Imp. Orient. c.* 98. *Du Fresne Glossario.*

Comes dispositionum vocabatur, qui in scrinio dispositionum prior erat. Iidem erant & principes scriniorum: & in leg. 11. Cod. dicuntur esse in capite constituti: *Per omnia scrinia nostra singulis annis emensis qui sunt in capite constituti, uno anno teneant proximatum.* Iidem priores in scrinio esse leg. 10. tit. eod. de prox. scrin. *ad similitudinem proximorum, qui in scriniis militantes comitum dignitatibus adornantur: hi quoque qui priores in scrinio dispositionum fuerint, & comitis acceperint dignitatem.* Salmas. in Lamprid. Alex. Sever. c. 31. Du Fresne Glossar.

Comes domesticorum equitum & peditum latus Imperatorum tuebatur. Suidas & Zonaras in Diocletiano equites proprie domesticos, protectores pedites dictos fuisse innuunt. Sed Justinianus domesticos tam in equitum, quam in peditum scholis collocat leg. restituendæ C. de advoc. divers. judic. Cassiodorus quoque eos commiscet I. *Domesticæ partis equitum & peditum, qui nostræ aulæ jugiter videntur excubare.* De his Procop. Ἀνεκδότ: *Sunt & alii in palatio longe præstantiores, quoniam majus ipsis stipendium solvi consuevit, ac digniori nomine militiæ honestantur. Hi domestici & protectores vocantur, & a cura rerum bellicarum longe absunt. In palatio enim conscribi solent, ut sit ordo, qui tantum personæ operam præstet. Horum aliqui Byzantii, alii in Galatia, nonnulli aliis in locis statuuntur.* Qui erant præsentes, semper Principem palatio exeuntem *comitabantur*, & ejus palatium custodiebant. Honor. leg. devotissimos C. de domest. & protect. *Devotissimos protectores, qui armatam militiam subeuntes, non solum defendendi corporis sui, verum etiam protegendi lateris nostri solicitudinem patiuntur, unde etiam protectorum nomen sortiti sunt, inglorios esse non patimur, sed ut devotissimis domesticis nuper protectoribus, ita his quoque honorem congruum condonamus.* Panciroll. Notit. Dign. Imp. Orient. c. 90. Du Fresne Glossar. Salmas. in Vopisc. Numerian. c. 13. Laz. Comm. Reip. Rom. II. 11. Buleng. de Imp. Rom. III. 32. Ursat. de Not. Roman. Thes. Antiq. Roman. Græv. Tom. XI. p. 601. B. Faber. Semest. I. 1.

Comes dominicæ rei erat, qui loca ad sacrum dominium pertinentia curabat leg. 3. C. de dominic. Ejus enim cura non pertinebat ad *Comitem* domorum. Et res dominica sub dispositione *Comitis* privatarum fuit, ut ex inscriptione legis planum est 3. C. de quadrien. præscript. quæ scripta est ad Florum *Comitem* rerum privatarum, & curatorem domus Augustæ. Divina tamen domus & domus dominica duos curatores habuit ex inscriptione ejusdem legis, ad Petrum virum illustrem curatorem divinæ domus Augustæ. *Guther. de Offic. Dom. Aug.* III. 28.

Comes domus divinæ per Cappadociam erat sub dispositione viri illustris sacri cubiculi, & celebratur in jure leg. 3. C. de palat. sacr. larg. Novel. 30. §. 1. Cum enim multa essent in Cappadocia Principis prædia, his proprius *Comes* datus fuit. *Panciroll. Notit. Dign. Imp. Orient. c.* 61. *Guther. de Offic. Dom. Aug.* III. 28. *Du Fresne Glossario.*

Comes formarum studebat reparandis aquæductuum formis. Quia magna aquarum copia Romam per aquæductus derivabatur, deinde in lacus, thermas, & privatorum ædes dividebatur, magistratum creari oportuit, qui sartas integrasque formas esse curaret; ne aqua exiret, sed pura salubrisque curreret, & adnatas formis arbores ædificia corrumpentes exscindi juberet. Dextra enim lævaque per quindecim pedes prope aquæductus arbores esse non licebat leg. 1. C. de aquæd. *Panciroll. Notit. Dign. Imp. Occid. c.* 6. *Buleng. de Imp. Rom.* V. 20.

Comes Imperatoris dicebatur, qui illum in omnibus processibus, ut vocabant, & expeditionibus bellicis *comitabatur*, ejusque etiam lateri, si domi manebat, adhærebat. Spart. Adrian. c. 18. *Quum judicaret, in consilio habuit non amicos, aut comites solum; sed jurisconsultos.* In antiquis Inscriptionibus legitur *comes* Tiberii Cæsaris Augusti.

SEX. PALPEJO. LEG. TI. CLAUDII
CÆSARIS. AUG. PRO. COS
COMITI. TI. CÆSARIS. AUG
DATO. SUB. DIVO. AUG. C.

Et de illo ituro in Germaniam Tacit. Annal. I. 47. 4. *Cæterum ut jam jamque iturus legit comites.* Vespasianus *peregrinatione Achaica inter comites Neronis* fuit. Suet. c. 4. n. 7. *Salmas. in Spart. Adrian. c.* 18. *Guther. de Offic. Dom. Aug.* I. 17. *Panciroll. Notit. Imp. Orient. c.* 140. *Schel. in Hygin. Thes. Ant. Roman. Græv. Tom. x. p.* 1063. *C. Du Fresne Glossar. Laurent. de Re[illegible]p. c.* 3. Pedites enim in castris juxta prætorium accipiebant a pedibus LX. ad LXX. Hyginus in Gromatico, cujus hæc verba sunt a nobis emendata: *Stationi dari oportet secundum prætorium pedes viginti, & si res exigit, pedes decem sufficient: item Comitibus Imperatoris nostri, a pedibus sexaginta ad septuaginta, potest observari, iisque pedatura pro prætorio primo loco ad viam principalem assignari debet.* Salmas. l. l. Qui causam mutati prioris numeri non addit: ego illam suspicor esse, quod postea in metatione castrorum suorum sexaginta *Comitibus* assignet pedes. Sed nihil vetat Hyginum illic mediam pedaturam assignasse: non enim vult quinquaginta vel septuaginta stricte, sed a quinquaginta ad septuaginta observari, id est, minimum quinquaginta, plurimum septuaginta pedes. *Comites* quoque Imperatoris non *pro prætorio*, ut vult ille, sed lateribus, & post stationem accipiunt locum; neque enim in universum ad viam principalem, nedum primo loco poterant tendere, cum striga *comitum* non per longitudinem viæ principalis, sed ut cæteræ omnes lateris strigæ a via principali ad quintanam percurrat. Ipsa scriptio ostendit aliud subesse. Scribo: *In qua pedatura præfecto prætorio primus locus ad viam principalem assignari debet.* Vox *præfecto*

fecto prætorio abbreviate ſcribebatur. PR. PR. vel PRF. PRT. a quo facilis ad ſcripturam codicis error. Et Hyginus qui legatis & tribunis, tam legionum, quam cohortium prætoriarum ſcamnum attribuerit ſuum, qui nec præfectos cæteros, ne centuriones, decuriones & principales quidem omnino reliquerit intactos, quo piaculo potuit omittere præfectum prætorio tanto in faſtigio collocatum: Adde, quod hic locus perſonæ ejus convenit. Nam cum in loco ducum & præfectorum vel hoc ſpectetur, ut juxta ſuas quique copias tendant, vel ut ad principia & prope Imperatorem, in qua poſitione fere quo quiſque eſt dignior, eo honore quoque loci Imperatori propior ſit: utrumque hic obſervatur, ubi datur præfecto prætorio primus locus in *Comitum* pedatura ad principia, medius inter cohortes prætorias & prætorium & proximus Imperatori. *Schel. in Hygin. Antiq. Roman. Græv. Tom.* x. *p.* 1063. *C.* Illorum gradus fecit Conſtantinus, & alios, ut ſcribit Euſeb. de vit. Conſtantini IV. 1. in primo, alios in ſecundo, alios in tertio ordine collocavit. Atque iſta ratione alii prope innumeri clariſſimos honores ſunt adepti. Quos igitur ex limitaneis ducibus *Comites* ordinis primi creavit leg. uni. C. ne res milit. 1. 1. & C. de Comit. rei milit. *Comites* per provincias appellat in l. 3. C. de offic. rect. prov. *Panciroll. & Guther. l. l. Buleng. de Imp. Rom.* IV. 27. Veterum tamen omnium Imperatorum exemplo, qui amicos totidem claſſibus & ordinibus diſtinctos habuere. Et ſic *Comitis* nomen, quod olim de his tantum, qui Imperatores in expeditionibus *comitabantur*, vel judicanti adſidebant, proprie uſurpabatur, in certum dignitatis titulum erexit, ſub diſtinctionibus primi, & ſecundi, & tertii ordinis, ut antea obtinebat in *Comitibus* Auguſtorum, eoque titulo ornabantur, præter eos, qui ex antiquo ſic appellati ſunt, *Comites* conſiſtorii, conſiliariique Principis, variæ etiam tam civiles, quam militares adminiſtrationes, variarumque artium profeſſores: quibus ad eam, qua potiebantur, dignitatem etiam hic titulus addebatur, ut *Comites* dicerentur, modo primi ordinis, modo ſecundi pro cujusque dignitate. Hinc & pro quacunque præfectura cœptum eſt uſurpari nomen *Comitis*. Non recte magnus JCtus, qui præfecti nomen mutatum eſſe in *Comitis* ſcribit, quod ita & omnes magiſtratus appellarentur, qui ſacrum *comitatum* obſervarent, & ex eo prodirent, & inde nomen poſtea porrectum eſſe ad omnes, qui cui negotio præpoſiti eſſent. Olim magnum erat inter amicos & *Comites* Imperatoris numerari, non tamen certa dignitas fuit: nec alio hoc nomine donabantur quam qui eſſent revera. Conſtantinus, ut honorarius eſſet titulus, effecit, & ad varias præfecturas & adminiſtrationes & artes extendit, quas hoc titulo honoravit. *Salmaſ. l. l. & in Trebell. Poll. trigint. tyr. c.* 12.

Comes Italiæ ſpectabilis præerat ejus limitibus, quos undique mari & Alpibus cincta non alios quam Alpes habebat, cum vires Imperii univerſæ contra hoſtes in Galliis eſſent converſæ. *Panciroll. Notit. Dign. Imp. Occid. c.* 73.

Comes largitionum privatarum erat privati ærarii præfectus, & privatæ rei procurator. Sub ſe habebat omnes rei privatæ rationales, qui in ſingulis provinciis fiſcum Principis procurabant. Spartian. Sever. c. 12. ſcribit *tunc*, ſub Severo, *primum privatarum rerum procurationem eſſe conſtitutam.* Sed in eo falſus eſt. Nam procurator rei & privati ærarii præfectus idem tunc erant: ut poſtea *comes* rei privatæ, & privati ærarii præfectus, & privatarum largitionum magiſter idem omnino fuere. Atqui longe ante Severum privatum ærarium erat & dicebatur, ut & ærarii privati præfectus. Munus hoc *ἰδίυ λόγυ* fuiſſe narrat Strab. XVII. Bona caduca & vacantia, ut fiſco Cæſaris adnecterentur curabat. Non aliud erat officium ejus, qui procurator rei privatæ dictus eſt etiam poſteriorum Imperatorum ævo. Caſſiod. Var. VI. 8. *Canonicarios dirigis poſſeſſores, admones, & cum aliis judicibus non modica jura partiris. Caduca bona non ſinis eſſe vacantia: ita quod uſurpatio potuit invadere, tu fiſcum noſtrum facis juſtis compendiis obtinere.* Salmaſ. in Spartianum: in Vopiſc. Prob. c. 23. Baſilic. VI. 1. vocatur Κόμης τῶν ἰδιοκλήτων τ̃ βασιλέως, & Κόμης τῆς ἰδικῆς τῶν πραγμάτων. Erat judex, & gubernator privatæ ſubſtantiæ Principis, ex qua cenſebantur non tantum vacantia & caduca, ſed etiam commiſſa, tacita fideicommiſſa, vaga mancipia, theſauri inventi, & quicquid negotii erat, in quo aliquid commodi fiſcalis apparebat leg. unic. C. de Offic. Com. rer. privat. Formulam *Comitivæ* rerum privatarum tradit Caſſiod. l. l. *Guther. de Offic. Dom. Aug.* III. 25. *Buleng. de Imp. Rom.* III. 16.

Comes largitionum ſacrarum eſt is, cui theſaurorum Imperatoris adminiſtratio commiſſa eſt, quique curam gerit publicæ pecuniæ in varios uſus erogandæ. Dicitur etiam *Comes* munerationum & remunerationum. Inſcriptio antiqua Romæ.

PETRONI. MAXIMI
QUI. MERUIT. NONO. DECIM. ÆTATIS
ANNO. SACRARUM. REMUNERATIONUM
PER. TRIENNIUM. COMES.

Hujus *dignitatem munerarium* vocat Caſſiod. Var. VI. 7. Ejus juriſdictio latiſſima eſt. Etenim de omnibus cognoſcebat, quæ ad fiſcum ex publicis debitoribus pertinebant leg. 1. C. de his qui ad Eccleſ. confug. & ſub illo bona debitorum fiſcalium diſtrahebantur leg. 2. C. de fid. & jur. haſt. fiſc. de ædificiis publicis decernebat, ne ſplendidæ urbes vel oppida vetuſtate laberentur leg. 11. C. de oper. publ. de theſauris inventis judicabat, ſi in loco fiſcali, ſive publico, vel ad ſepulcrum aut monumentum ſeparato reperti fuiſſent: tum enim media pars ad fiſcum pertinebat leg. 3. ſi in jocis ff. de jur. fiſc. de proſcriptorum bonis fiſco quæſitis cognitionem ſuſcipiebat leg. 5. C. de bon. proſcript. exactioni munerum extraordinariorum imminebat leg. 7. C. de extraord. muner. vice ſacra judicabat leg. 1. C. de his qui per met. judic. de vectigalibus, commerciis, mercatoribus, de paſcuis animalium cognoſcebat leg. 6. 8. 9. 12. C. de vectig. leg. 2. 6. C. de commerc. leg. 1. C. de paſcuis. Ad illum provocatio devolvitur, cum ſuper fiſcali debito emerſerit: & quoties ſuper fiſcalibus cauſis controverſiæ alicujus dubitatione pendentibus, ſummam ſententiæ *Comes* ærarii impoſuiſſe detegitur, proprium ſuper eo præſtat examen leg. 30. & 46. C. de appellat. habuit jus gladii in eos, qui bona proſcriptorum occultaſſent: qui ſi locupletes eſſent, proſcriptione puniebantur: ſi per egeſtatem abjecti in fecem vilitatemque plebejam damnatione capitali debita luebant detrimenta leg. 5. C. de bon. proſcript. extra ordinem negotia definiebat, legitimo & uſitato legis ordine non ſervato: quod tota res ex ejus cognitione pendebat, & illius officio committebatur; cum omnia, de quibus judicat, ad publicam utilitatem ſpectarent leg. 13. C. de jur. fiſc. *Guther. de Offic. Dom. Aug.* III. 16. *Panciroll. Notit. Dign. Imp. Orient. c.* 74. *Occid. c.* 35. *Turneb. Adv.* XV. 15. *Lipen. de Stren. cap.* 2. *Ætat. tert.* §. 38. *Du Freſne Gloſſar. Laz. Comm. Reip. Rom.* II. 11: IV. 9. *Salmaſ. in Vopiſc. Prob. c.* 23. *Burman. Diſſert. de Vectig. c.* 8. *Bergier. de viis milit.* IV. *Sect.* 22. §. 4. *& ad illum Henninius. Buleng. de Imp. Rom.* III. 16.

Comes matronæ dicebatur, qui matrifamilias ſubſerviebat, illamque *comitabatur*, aut ſequebatur. Leg. 1. §. omnemque ff. de Injur. *Injuria ad dignitatem pertinet, cum comes matronæ abducitur.* Plaut. Amph. III. 2. 48.

> *Juben' mihi ire comites?* JUP. *Sanan' es?* AL. *Si non jubes,*
> *Ibo egomet, comitem pudicitiam duxero.*

Impudicum enim erat, matremfamilias, virginem, aut puellam ſine *comite* in publicum prodire. Plaut. Ciſtell. loco amiſſo.

> *Aſtat ea in via ſola: proſtibulum ſane eſt.*

Rævard. Var. Lect. IV. 17. Conject. II. 18. Guther. de Offic. Dom. Aug. I. 17. Par. Elect. ſub tit. Pudicitiæ. Hujuſmodi *comites* Ulpian. 1. 49. ff. de legat. III. appellat *puellas, quas ſibi comatas mulieres exornant.* hoc, ni fallor, ſenſu,

ſenſu, ut injuſtæ hujuſmodi puellarum comæ criſpari, & criſpatæ acu comari, comatæque puellæ veſtibus elegantioribus exornari per ornatrices conſueverint. Eamque ornandarum *comitum* rationem antiquiſſimam etiamnum apud nos matronæ nobiles videntur obſervare. *Ravard. Conject.* II. 18.

Comes metallorum per Illyricum *comiti* largitionum ſuberat. Cod. de metallariis & metallis & procurat. metallorum. qui ex auro in metallis invento portionem Principi debitam exigebat: in fluminibus enim vel fodinis aurum legentes, ſinguli octo vel ſeptenos auri ſcrupulos pro locorum conſuetudine largitionibus inferebant, ut Valentinianus ad Creſcentium *comitem* metallorum ſcribens definivit leg. per annos C. de metall. Anno ab U. C. 597. M. Æmilio, & C. Popillio Coſſ. metalla in Macedonia inſtituta fuiſſe ſcribit Caſſiodorus. metalli Macedonici ingens vectigal fuiſſe refert Liv. XLV. 29. in ſuperficie terræ in Dalmatia aurum abundaſſe Plin. XXXIII. 4. *Invenitur aliquando in ſumma tellure rara felicitate: ut nuper in Dalmatia principatu Neronis ſingulis diebus etiam quinquagenas libras fundens.* Sub eo climate eſt Dacia mediterranea, Macedonia, Mœſia, ſeu Dardania leg. procuratores C. de metallar. quibus in locis ex civitatum curialibus metallorum procuratores creabantur, qui effodiendis metallis præerant, quibus hic *comes* imperabat. *Panciroll. Notit. Dign. Imp. Orient. c.* 75. *Du Freſne Gloſſar. Laz. Comment. Reip. Rom.* II. 11. *Petav. ad Themiſt. Orat.* 18. *p.* 719. *Burman. Diſſert. de Vectig. c.* 8.

Comes officiorum dicebatur etiam magiſter officiorum. V. illum infr. in *Magiſter*.

Comes orientis præerat orienti cum militum robore, ſed Præfecti prætorio orientis fuit vicarius, qui *Comitis* titulo eſt inſignitus, variiſque nominibus appellatus. Sub Decio & Fl. Claudio metaphraſtes Eumolpium *Comitem* orientis nominat, ſub Diocletiano Bibianum Præfectum orientis, & Domitianum Lycaoniæ *Comitem*. Alii præſidem, ut Vopiſc. in Aureliano: *Aſſidentibus Memmio Fuſco Conſule ordinario, Bebio Macro P. P. Quinto Ancario præſide orientis.* Quis invenerit, non conſtat. Certe univerſo imperabat orienti. Zoſim. V. 2. *Comitis orientis magiſtratus ea poteſtas eſt, ut qui eum gerit, omnibus provincias orientis adminiſtrantibus præſit, & quæcunque non aguntur, ut par eſt, præſit.* Quindecim provinciæ illi paruerunt; quarum appellationes ipſe cognoſcebat leg. nemo C. de jurisd. omn. jud. & Rectores corrigebat leg. 51. C. de Offic. rect. provinc. Claſſi quoque Seleuciæ dictæ imperabat, quæ ad purgandum latronibus orientem, aliaſque neceſſitates obeundas, per Orontem flumen navigabat leg. 1. C. de Claſſ. Antiochiæ, quæ Syriæ eſt metropolis, reſidebat. *Panciroll. Notit. Dign. Imp. Orient. c.* 105.

Comes patrimonii ſacri erat ſub *Comite* rerum privatarum domus divinæ. Illum ab Anaſtaſio inventum Græci in Baſilicis tradunt. Peculiarem prædiorum Principis curam habebat, nec alia tangebat. *Panciroll. Notit. Dign. Imp. Orient. c.* 88. Deſcribit Caſſiod. Var. VI. 9. *Patrimonium noſtrum pro ſublevandis privatorum fortunis tibi credidimus, non premendis. Quoddam regiæ domus famulis præjudicium humilitatis impones. Per ſuſceptam dignitatem ſupra cæteros judices familiaritatem Principis habere meruiſti. Nam etſi epulas ſolicita ordinatione diſponas, non ſolum noſtro palatio clarus, ſed & gentibus neceſſe eſt reddaris eximius. Legati pæne ex tota Orbis parte venientes, cum noſtris cœperint intereſſe conviviis, admirantur copioſe repertum, quod in patria ſua norunt eſſe rariſſimum.* Patrimonium privatum a fiſco ſeparatum videtur. Nam res fiſcales ſunt quaſi propriæ Principis: dominicæ res, quæ & privatæ, ſunt propriæ. Itaque res privata & res dominica patrimonialis appellatur, licet & fiſci quoque patrimonium dicatur. Proprie tamen patrimonium eſt, quod a patre & majoribus relictum eſt. Res ergo privatæ dominicæ, fiſcales in patrimonio Principis diverſo jure, & a ſacro patrimonio diſcernendæ ſunt. *Guther. de Offic. Dom. Aug.* III. 27.

Comes portuum erat alius a portitore. Nam Romæ explorabat naves portum ineuntes, & a mercatoribus conſuetudines exigebat: Ravennæ navium copiam procurabat, & ſi quid novi negotii emergeret, navigiolis ac dromonibus ſumma celeritate Romam nuntiabat. Caſſiod. Var. VII. 9. *Tu copiam facis, dum ingredientes juſte tractaveris. Avara manus portum claudit, & quum digitos attrahit, navium ſimul vela concludit. Merito enim illa mercatores cuncti refugiunt, quæ ſibi diſpendia eſſe cognoſcunt. Unusquisque pro ſollennitate commonitus offerat voluntarium munus. Xenia enim ſunt iſta, non debita. A paucis accipit, qui nimium quærit, & ſibi mittit vitæ munera, qui moderatur oblata.* 14. *Comitis* Ravennæ adminiſtratio vocatur *mediocris*. *Navium copiam procurat. Negotiatorum operas nec nimias exigas, nec venalitate derelinquas.* Libera Republica non erant, ſed erant ſoli portitores, qui merces in portum invectas, & e portu evectas inſpiciebant. Imperatores ſarta tecta portus & phari curarunt, & *Comites* portus inſtituerunt. Curabat etiam horrea portuenſia per patronos portuenſes. C. de patro. portuenſ. & ſaccar. *Buleng. de Vectig. c.* 7. *Du Freſne Gloſſar. Guther. de Offic. Dom. Aug.* III. 23.

Comes rei militaris dicebatur, *qui ad provincias defendendas milite credito deſtinabatur*, ut eſt in leg. 3. C. de Comit. rei milit. *Du Freſne Gloſſar. Comes* rei militaris Iſauriæ inſeritur Notit. Imp. Orient. c. 1. civilibus magiſtratibus, quia cum Iſauria Præſidis eſſet provincia, a *Comite* tamen rei militaris regebatur, qui idem officio Præſidis fungebatur. *Panciroll. ad Notitiam.*

Comes ſtabuli dicebatur, qui equos Principis curabat, quorum plures ex Africa, cæteriſque provinciis ad uſum militum adduci jubebat. Hodie ab aliquibus is eſſe creditur, quem Galli Conneſtabilem appellant: ſed verius is eſt, quem magnum Scutarium vocant, alibi Magiſter ſtabuli dicitur. *Panciroll. Notit. Dign. Imp. Orient. c.* 88. *Du Freſne Gloſſario. Turneb. Adv.* XXVIII. 2. *Hennin. ad Bergier. de viis Milit.* IV. *Sect.* 16. §. 8. *Buleng. de Imp. Rom.* IV. 27.

Comes veſtis lineæ, alias linteæ erat, qui lintеariis, ſeu linifariis, lintea, mappas, mantilia, induſia, & hujuſmodi veſtes lineas facientibus præerat. *Linteæ veſtis magiſter* a Theodoſio vocatur, quem jubet cavere leg. privatæ C. de murilegulis rem ſacri ærarii ſalvam fore. Quia vero ex pecunia vectigalium comparabantur, ſub diſpoſitione *Comitis* largitionum erat. Hujus magna fuit adminiſtratio, cum non modo lineas veſtes ad induendum, ſed & lintea, mantilia, papiliones, pro aula, & manſionibus, & ſimilibus pararet. Lineas has veſtes fieri procurabat, & factas cuſtodiebat, quarum numerus in ſcrinio ſacri veſtiarii ſcribebatur ſub ejus Primicerio. In occidente ſcribitur *Comes* veſtiarii, qui has veſtes lineas procurabat, aut conſervabat, & inter Cubicularios ab Honorio Auguſto connumeratur. leg. 1. C. qui a præb. tyron. *Veſtiarium* autem, inquit Suidas, *locus eſt, in quo veſtes reponuntur.* Panciroll. Notit. Dign. Imp. Orient. c. 75. Vocabatur etiam *Comes theſaurorum*, & *præpoſitus theſaurorum* leg. 14. C. de murileg. *Privatæ vel linteæ veſtis magiſtri, theſaurorum præpoſiti, vel baphiorum ac textrinorum procuratores, cæterique quibus hujuſmodi ſolicitudo committitur.* Theſauri autem hic ſunt, in quibus veſtis ſacra privataque Principis reponebatur. Lampr. Alex. Sev. c. 40. *In theſauris veſtem ſacram nunquam niſi annum eſſe paſſus eſt.* Salmaſ. in Lampridium.

COMESSATIO erat cibus, qui poſt cœnam ſumebatur. Suet. Tit. c. 7. n. 1. *Quod ad mediam noctem comeſſationes cum profuſiſſimo quoque familiarium extenderet.* Domit. c. 21. n. 4. *Convivabatur frequenter, ac large, ſed pæne raptim: certe non ultra ſolis occaſum, nec ut poſtea comeſſaretur.* Verbo ab Hermolao Barbaro eleganter ficto *pocænium* appellare poſſemus. *Buleng. de Conviv.* I. 3. *Bud. in Pandect. p.* 187. *C. Voſſ. Lex. Etymol. Stuck. Ant. Conviv.* I. 10. *Nonnus de Re Cib.* I. 4. *Urſin. Append. ad Ciaccon. de Triclin. p.* 200. *Baccius de Vin. & Conviv.* IV. *p.* 131. *de Conviv. Vet.* I. 1. *Laz. Comm. Reip. Rom.* III. 3. *Thyſ. in Gell.* IV. 14. *Laurent. de Conviv. Vet.* I. 6. *Feith Antiq. Homer.* III. 5. Deum quempiam *comeſſatores* ſolebant coronare. Laert. Xenocr. IV. 8. *Corona quoque aurea donatus*

tus in præmium largioris compotationis ab his, qui ſe continebant apud Dionyſium, cum inde eſſet profectus, eam ante Mercurii ſtatuam depoſuit, ubi floreas etiam coronas ponere ſolitus erat. Lipſ. Antiq. Lect. III. p. 158.

COMITATENSES ſunt, qui longius a limitibus in caſtris degunt, non multum tamen ab ipſis diſtant l. 2. §. pro limitaneis. *Panciroll. Notit. Dign. Imp. Occid. c.* 78.

Comitatenſes vexillationes. V. illas infr. in *Vexillationes.*

Comitatenſis eſt, qui eſt ex *comitatu* Principis. Ita Magnum Comitem largitionum ex *Comitatenſibus* fuiſſe dicit Niceph. XI. 28. *Panciroll. Notit. Dign. Imp. Orient. c.* 35. *Laurent. de Rebuſp. c.* 3.

COMITATUS eſt aula Principis, vel ubi eſt. Æmilius Macer leg. milites. §. ignominia ff. de re milit. *Qui ignominia miſſus eſt, neque Romæ, neque in ſacro comitatu agere poteſt.* Et leg. 2. C. quib. non obſtat long. temp. præſcript. Græcus Interpres, quem laudat Alciatus C. de palat. ſacra largit: *Alii ſemper in domo Auguſti perſeverantes Comitatenſes. Comitatum locum appellant; in quo vitam ducebat Imperator.* Sic & Argentarii *Comitatenſes* dicti ſunt in Principis *comitatu* leg. ſcriniis C. de palat. ſacra largit. *Panciroll. Notit. Dign. Imp. Orient. c.* 35.

Comitatus præſidum, quem in præſidiis & ornamentis provinciarum ponimus, amplectebatur adjutores, miniſtros, *comitesque* omnes eorum, quos cum uſus, & ratio provinciæ, tum dignitas ipſa magiſtratuum, ac Reipublicæ poſtulabat. Fuerunt autem legati, tribuni militum, centuriones, præfecti, decuriones, aliique militarium operum, rationumque adjutores, atque miniſtri: præterea ſcribæ, accenſi, præcones, lictores, interpretes, tabellarii, aruſpices, cubicularii, medici, & qui quotidianæ vitæ prope ſocii fuerunt, quæ cohors prætoria, & quaſi prætoria dicta eſt: inter quos contubernales quoque ſunt referendi. Ex hoc libera Republica feminæ remotæ videntur. Tacit. Annal. III. 33. 1. V. illum infr. in *Milites.* Sigon. de Ant. Jur. Prov. II. 2.

COMITIA dicebantur, cum vel ad creandum magiſtratum, vel ad ſciſcendam legem, vel quovis alio nomine modo plebs, ſive omnes cives, exceptis patriciis, modo populus, ſive univerſa civitas coibat. Juſſu magiſtratus, aut ſi magiſtratus nullus eſſet Interregis, vel etiam, quod ſemel accidiſſe legimus, Pontificis maximi edicto ſive plebs, ſive populus citabatur. Interrex præfuit tantum centuriatis, Pontifex tributis & curiatis. A quibus ut haberentur, extraordinarium fuit. Habebantur ab uno magiſtratu. Docent hoc duo exempla apud Liv. III. alterum de M. Duillio, tribuno plebis, qui tribunitiis: alterum de Appio Claudio, decemviro, qui decemviralibus præfuit. Munere omnino fungebatur honorifico, ſi quis illis præerat: habebatque & accipiendi, & rejiciendi petentium nomina poteſtatem: ſed ipſe ſe creare non poterat. Præerat modo ſorte. Liv. III. 64. *Forte quadam utili ad tempus, ut comitiis præeſſet potiſſimum, M. Duillio ſorte evenit.* XXXV. 6. *Eodem fere tempore duorum Conſulum literæ allatæ ſunt; L. Cornelii de prælio ad Mutinam cum Bojis facto, & Q. Minucii a Piſis. Comitia ſuæ ſortis eſſe. Si ita videretur Patribus, mitterent ad collegam, ut is, qui profligatum bellum haberet, ad comitia Romam rediret; ſi id facere gravaretur, quod non ſuæ ſortis id negotium eſſet.* Modo conſenſu. Liv. III. 35. *Comitiorum illi habendorum, quando minimus natu ſit, conſenſu injungunt. Ars ea hæc erat, ne ſemetipſe creare poſſet; quod præter tribunos plebis, & id ipſum peſſimo exemplo nemo unquam feciſſet.* XXXV. 20. *Conſulibus ambobus Italia provincia decreta eſt; ita ut inter ſe compararent, ſortirenturve, uter comitiis ejus anni præeſſet.* Utitur enim Livius verbo *comparare* pro paciſci etiam XLI. 6. *Sedato tandem Iſtrico tumultu ſenatuſconſultum factum eſt, ut Conſules inter ſe compararent, uter eorum ad comitia habenda Romam rediret.* Manut. de Comit. Roman. c. 6. Sigon. de Ant. Jur. Civ. Roman. I. 17. Gruch. de Comit. Rom. I. 3. Caſal. de Urb. ac Imper. Roman. ſplend. part. 3. c. 6. Blond. Inſtaur. Rom. II. §. 69. Si magiſtratuum cauſa haberentur, habebantur in campo Martio, legum tributa in foro, centuriata & legum & magiſtratuum cauſa in campo. *Manut. ibid. c.* 8. *de Civit. Rom. Theſ. Antiq. Roman. Græv. Tom.* 1. *p.* 38. *C.* Ita Liv. I. 44. *Edixit,* Servius, *ut omnes cives Romani, equites peditesque, in ſuis quisque centuriis in campo Martio prima luce adeſſent.* Cicer. pro Rabir. perduell. c. 4. *In campo Martio, comitiis centuriatis, auſpicato in loco.* Gell. XV. 27. V. illum infr. in *Tabernaculum.* Dionyſius. V. illum infr. in *Comitia conſularia.* Donat. de Urb. Rom. I. 8. Caſal. Hotman. Flocc. l. l. In campo celebrantes videntur hoc a Lacedæmoniis mutuati. Apud hos conciones celebrabantur in campo ſub dio ad amnem Cnacionem, quem poſtea Oenuntem dixerunt, & juxta pontem Babycam. Plutarch. in Lycurg. p. 43. A. *Conciones habebis inter pontem, & Cnacionem amnem. Cnacionem nunc vocant Oenuntem. In campo interjecto inter pontem, & Cnacionem amnem conciones habebant, ubi neque porticus erant, neque alia ſtructura ulla.* Crag. de Republ. Lacedæm. I. 7. *Comitiorum* temporibus non ſolæ tribus quinque & triginta omnem populum Romanum, qui Romæ eſſet, ſive intra mœnia, ſive in ſuburbanis, & agro complexæ; ſed par prope numerus ex Italia ad ferenda ſuffragia confluebat. Suet. Aug. c. 46. n. 1. *Italiam duodetriginta coloniarum numero deductarum ab ſe frequentavit: etiam jure, ac dignatione Urbi quodammodo pro parte aliqua adæquavit, excogitato genere ſuffragiorum, quæ de magiſtratibus urbicis decuriones colonici in ſua quisque colonia ferrent, & ſub diem comitiorum obſignata Romam mitterent.* Aſcon. in Cicer. p. 155. præter has multis Italiæ civitatibus ferendi in campo Martio ſuffragii jus fuiſſe docet. *Video,* inquit, *in annalibus eorum, qui Punicum bellum* II. *ſcripſerunt, tradi, Placentiam coloniam deductam pridie Kal. Januar. primo anno ejus belli, P. Cornelio Scipione patre Africani, T. Sempronio Longo Coſſ. Neque illud dici poteſt, ſic eam coloniam eſſe deductam, quemadmodum poſt plures ætates Cn. Pompejus Strabo, pater Cn. Pompeji Magni tranſpadanas colonias deduxerat. Pompejus enim non novis colonis eas conſtituit, ſed veteribus incolis manentibus jus dedit Latii, ut poſſent habere jus, quod ceteræ Latinæ coloniæ, id eſt, ut petendi magiſtratus gratia civitatem Romanam adipiſcerentur. Placentiam coloniam quinquageſimam tertiam deductam eſſe invenimus.* Nec Italis ſolum, ſed externis, & remotiſſimis a populo, principibuſve Romanis jus Latii datum fuit. Oſtendimus hoc, licet pluribus oſtendere poſſemus, unico teſtimonio Ulp. l. 1. ff. de cenſib. *Phœnice ſplendidiſſima Tyriorum colonia.... huic D. Severus, & Imperator noſter ob egregiam in Rempublicam, imperiumque Romanum inſignem fidem jus Italicum dedit.* Blond. ibid. §. 77. Non habebantur nundinis, quia nundinæ inter ferias. V. infr. in *Nundinæ,* & nonniſi *comitialibus* diebus. V. illos infr. in *Dies.* Habebantur tribus de cauſis. I. ut magiſtratus deſignarentur. II. ut lex ferretur; quæ etiam ferri dicitur, cum aut de bello indicendo, aut de provincia mandanda, aut de imperio abrogando, aut aliis de rebus, quæ hujus generis ſunt multæ, populus conſulitur. III. ut de reo judicium fieret. *Manut. l. l.* Omnium communis videtur conditio fuiſſe, ut antequam ſuffragium populus iniret, in incertum eventum Patres auctores fierent; hoc eſt, quod populus juſſurus eſſet, id Patres ante comprobarent. Liv. I. 17. *Decreverunt, ut cum populus Regem juſſiſſet, id ſic ratum eſſet, ſi Patres auctores fierent. Hodie quoque in legibus, magiſtratibusque rogandis uſurpatur idem jus, vi adempta. Priusquam populus ſuffragium ineat, in incertum comitiorum eventum Patres auctores fiunt.* Quod intelligendum non de iis, quæ plebejus magiſtratus habebat, & tributa dicebantur, quæ auctoritate Patrum confirmari oportuiſſe credibile non eſt, cum ab iis, quibus plebeji magiſtratus crearentur, ut docet Liv. II. 56. Patres Voleronis tribuni plebis lege ſummoti fuerint; ſed tantum de iis quæ patricius habebat, & quæ centuriata & curiata dicebantur. Docet hoc Liv. VI. 41. *Non leges auſpicio ferantur, non magiſtratus creentur, nec centuriatis, nec curiatis comitiis Patres auctores fiant.* Et Cic. pro Dom. c. 14. *Romanus brevi tempore non habebit auctores centuriatorum & curiatorum comitiorum.* Hoc tamen animadvertendum eſt, quam valde ſit imminuta ſenatus poteſtas: qui cum in creandis Regibus populi judicium

cium infirmare poſſet, (quod enim populus juſſerat, id ratum non erat, niſi deinde Patres auctores fierent) mutata conſuetudine factum eſt, ut non poſt lata ſuffragia, ſicut per multos annos ſervatum erat, ſed priuſquam ſuffragium iniretur, Patres auctores fierent, &, quicquid omnino populus juſſurus eſſet, ante confirmaret. Quando hoc fieri cœperit, Livius non indicat. Sed Cicero non paucis ante annis inſtitutum eſſe ſignificat pro Planc. c. 3. *Nam, ſi ita eſſet, quod Patres apud majores noſtros tenere non potuerint, ut reprehenſores eſſent comitiorum; id haberent judices, vel quod multo etiam minus eſt faciendum; tum enim magiſtratum non gerebat is, qui ceperat, ſi Patres auctores non eſſent facti: nunc poſtulatur a vobis, ut ejus exſilio, qui creatus ſit, judicium populi Romani reprehendatis.* Manut. l. l. Hotom. de Sen. & Sctis II. 2. Panvin. de Civit. Roman. c. 53. Gruch. de Comit. I. 4. *Omnes* etiam *Quirites poſt legem Hortenſiam tenebantur, quibuſcumque comitiis lex ferretur: cum antea rogationibus, quæ tributis latæ eſſent, patricii non tenerentur.* Gell. N. A. XV. 27. Centuriatis igitur, quorum ſumma ſemper fuit poteſtas Q. Hortenſii Dictatoris lege tributa ſunt æquata. Et hoc voluit Hortenſius, vel ut plebis jura augeret, cum plebejus ipſe eſſet: vel utili Reip. conſilio, quod in libera civitate diſſimilem civium conditionem diſcordiæ ſemina putaret. In quo diſſidentes veterum opiniones licet agnoſcere. Nam quod Hortenſio Dictatori a Cælio tribui ſcribit Gellius, id ad L. Valerium & M. Horatium Conſules anno ab U. C. 304. refert Liv. III. 55. plebis ſeceſſione ſecunda in Aventinum, *cum veluti in controverſo jure eſſet, tenerenturne Patres plebiſcitis, illi legem centuriatis tulerunt: ut quod tributim plebs juſſiſſet, populum teneret.* Hortenſius vero Dictator fuit anno ab U. C. 367. cum plebs tertio ſeceſſiſſet in Janiculum. Imo multo ante a L. Valerio Potito, & M. Horatio Barbato Coſſ. eam latam eſſe tradit Dionyſ. XI. p. 725. *Leges tributis comitiis latas omnibus Romanis eſſe latas, eandemque vim habere, atque eas, quæ centuriatis comitiis latæ ſunt.* Qua in varietate rerum internoſcere difficile ſit: niſi ſi, quod res eſt, non tanquam novam legem eſſe latam, ſed quaſi veterem ab Hortenſio intelligas. *Manut. de Leg. Roman. c. 33. Oizel. in Gellium.* Omnia, ſive curiata, ſive centuriata, auſpicato ſunt habita, cum a patricio magiſtratu haberentur. Liv. III. 20. *Augures juſſos adeſſe ad Regillum lacum fama exierat; locumque inaugurari, ubi auſpicato cum populo poſſet agi; ut, quicquid Romæ vi tribunitia rogatum eſſet, id comitiis ibi abrogaretur.* Tributa vero, ſi a plebejis magiſtratibus, hoc eſt, a tribuno plebis, & ædile plebis facta ſint, ſine auſpiciis ſunt facta. Dionyſ. IX. p. 598. *Tributa rata habebantur, etiamſi nec ſacra, nec auſpicia addixiſſent.* Erant autem auſpicia patriciorum, ut ex Cicerone & Livio eſt videre. Potuit igitur auſpicato tributis *comitiis* Conſul Cincinnatus cum populo agere, quia Conſulatus erat patricius magiſtratus. Liv. III. 20. *Ubi auſpicato cum populo juſſit agi: quibus leges tribunicias Conſul L. Quintius Cincinnatus abrogare velle videretur.* Manut. de Comit. Roman. c. 9. Lex etiam fuit, quam Gellius memorat, ut, quo die auſpicia capta eſſent, eodem ea de re, cujus rei cauſa auſpicatum eſſet, comitia abſolverentur: alioqui infirmum & inane populi juſſum erat. *Manut. de Legib. Roman. c. 8. Panvin. de Civit. Rom. c. 53. Gruch. de Com. Rom.* I. 4. Bina omnino, quo facilius in illis concordia populi firmaretur, de iiſdem candidatis fiebant: quorum tribus primæ prærogativæ dicebantur, quod primæ rogarentur, quos vellent Conſules fieri: ſecundæ jure vocatæ, quod in his ſequente populo (ut ſæpe contigit) prærogativarum voluntatem jure omnia complerentur. Liv. XXIV. 7. *Eo die quum ſors prærogativæ Anienſi juniorum exiſſet, eaque T. Otacilium, & M. Æmilium Regillum Conſules diceret; tum Q. Fabius ſilentio facto tali oratione eſt uſus. . . . . Præco Anienſem juniorum in ſuffragium revoca. Ea ſuffragium init: creatique in ea Conſules Q. Fabius Maximus* IV. *M. Marcellus tertium. Eoſdem Conſules ceteræ centuriæ ſine variatione ulla dixerunt.* Galeriam juniorum V. ſupr. in *Centuria.* Auguſtin. de Legib. c. 8. Manut. de Comit. Roman. c. 11. Gruch. de Comit. Roman. III. 2. ad bin. Sigon. repreh. Reſponſ. Theſ. Ant Roman. Græv. Tom. I. p. 717. C. . . . . poſter. Sigon. Diſp. Refut. c. 23. Sigon. Theſ. Ant. ibid. p. 711. B. . . . 734. . . . de Leg. Curiat. c. 2. Omnia hoc habebant commune, ut tempeſtatis interventu dirimerentur. *In commentariis noſtris*, inquit Cicer. Divin. II. 18. *ſcriptum habemus:*

Jove tonante, fulgurante, comitia populi habere nefas.

Hoc fortaſſe Reipublicæ cauſa conſtitutum eſt. Comitiorum enim non habendorum cauſas eſſe voluerunt. Itaque comitiorum ſolum vitium eſt fulmen: quod idem omnibus rebus optimum auſpicium habemus, ſi ſiniſtrum fuit. Unde Lucanus ſignaturus omnem ritum priſcorum in creandis magiſtratibus fuiſſe ſublatum, poſteaquam ad unum Cæſarem cuncta delata fuerunt, qui Dictator, qui Conſul creatus eſt, prævaricato omni jure auſpiciorum v. 395.

Nec cælum ſervare licet: tonat augure ſurdo.

Beroald. Annot. c. 44. Turneb. Adv. V. 18. Manut. de Leg. c. 9. Crinit. de Honeſt. Diſcipl. XX. 2. Cenſoria tamen habuerunt id diverſum a Prætoriis & Conſularibus, quod in illis, ſi poſt unum jam renuntiatorum Cenſorum aliquid de cœlo accidiſſet, antequam ex reliquo candidatorum numero alter quoque renuntiatus eſſet, tum ita dirimebantur comitia, ut vitioſus etiam cenſeretur is, qui jam creatus erat Cenſor: ſiquidem jure unus Cenſor non poterat creari. At in Conſularibus & Prætoriis tempeſtatis interventu non reddebantur vitioſi, qui jam creati erant. De Prætoriis Liv. XL. 59. *Secundum triumphum comitia edixit, quibus creati Conſules ſunt M. Junius Brutus, A. Manlius Vulſo. Prætorum inde tribus creatis, comitia tempeſtas diremit. Poſtero die tres reliqui facti.* His verbis oſtendit, tempeſtate quidem dirempta fuiſſe, id tamen ad eos magiſtratus, qui jam illis creati erant, nihil pertinuiſſe. In Conſularibus idem fuiſſe eo exiſtimo, partim quod eiſdem auſpiciis crearentur Conſules & Prætores; ex quo ſequitur, qua ex parte non vitiabantur Prætoria, & Conſularia non vitiatum iri, partim quod Conſularibus nihil vetabat unum Conſulem abſque collega creari: itaque vitium interveniens poſt unius renuntiationem ad eum nihil pertinere poterat. Dirimendorum etiam hæc fuit ratio: ſi detracto ſigno militari abduceretur exercitus, qui imperatus in *comitiis* Centuriatis eſſe debuit. Dio XXXVII. p. 42. B. *Rabirius a Duumviris damnatus provocavit: ſed tamen apud populum etiam damnatus fuiſſet, niſi Metellus Celer Augur & Prætor rem impediſſet. Nam cum multitudo nec eum audiret, nec quod ſecundum morem patriæ legesque judicium factum non eſſet, vellet attendere, propere Janiculum petit, priuſquam quicquam ſuffragio populus ſciſceret: ſignumque militare detrahit, ut nihil jam ei decernere liceret. Sic detracto vexillo concio ſoluta eſt.* Gruch. ibid. I. 4. Reſcindi ſolebant augure renuntiante. Cicer. de Leg. II. 12. *Quid majus eſt, ſi de jure quærimus, quam poſſe a ſummis imperiis & poteſtatibus comitiatus, & concilia, vel inſtituta dimittere, vel habita reſcindere? Quid gravius, quam rem ſuſceptam dirimi, ſi augur, alio die, dixerit?* Ob hanc cauſam ter dilata eſſe, cum jam ſuffragia populus univerſus tuliſſet, Prætoria Ciceronis comitia exiſtimo. Sic ipſe pro Man. c. 1. *Cum propter dilationem comitiorum ter Prætor primus centuriis cunctis renuntiatus ſum.* Manut. l. l. de Leg. c. 9. Poſt everſam Rempublicam hac fuerunt poteſtate. Julius Cæſar referente Suet. c. 41. n. 2. *cum populo partitus eſt, ut exceptis conſulatus competitoribus, de cætero numero candidatorum pro parte dimidia, quos populus vellet, pronuntiarentur, pro parte altera, quos ipſe dediſſet. Et edebat per libellos circum tribus miſſos ſcriptura brevi: commendo vobis illum & illum, ut veſtro ſuffragio ſuam dignitatem teneat.* Auguſtus retinuit. Suet. c. 56. n. 3. *Quoties magiſtratuum comitiis intereſſet, tribus cum candidatis ſuis circumibat, ſupplicabatque more ſolenni.* c. 40. n. 4. *Comitiorum priſtinum jus reduxit, ac multiplici quidem pœna coercito ambitu.* Sed ſub illo non ita libera fuerunt. Dio LIII. p. 511. C. *Comitia populi etſi nihilominus habebantur, tamen nihil præter voluntatem Auguſti agebatur.* Caligula, ut de illo Suet. c. 16. n. 7. *Tentavit & comitiorum more revocato, ſuffragia populo reddere.* quia

etiam ſub Tiberio non ita libere ſuffragia ferri ſolita. Vitellius, ut cognoſcitur ex Suet. c. 11. n. 2. *in decennium ordinavit, ſeque perpetuum Conſulem.* Etiam Domitiani ætate fuerunt. Suet. c. 10. n. 6. *Comitiorum die Conſularem deſtinatum Flavium Sabinum perperam præco, non Conſulem ad populum, ſed Imperatorem pronuntiavit.* Ut & Marci Antonini Philoſophi. Capitol. c. 10. *Comitiis uſque ad noctem interfuit frequenter, nec unquam de curia receſſit, priusquam Conſul dixiſſet: nihil vos moramur.* Tacitus contra omnium hiſtoricorum ſententiam a Tiberio ſublata fuiſſe videtur aſſerere Annal. 1. 15. 1. *Tum primum e Campo comitia ad patres tranſlata ſunt, nam ad eam diem etſi potiſſima Principis arbitrio, quædam tamen tribuum ſtudiis fiebant: neque populus ademptum ſibi jus querebatur niſi inani rumore.* Robort. de Magiſtrat. Imp. Theſ. Antiq. Roman. Græv. Tom. III. p. 41. B. Hotman. l. l. Panciroll. de Civit. Rom. c. 53. Lipſ. in Tacit. Annal. 1. Excurſ. E.

Comitiis Ædilitiis, poſtquam ſuffragium tuliſſet, Varr. de Re Ruſt. III. 5. fingit ſe, dum diriberentur ſuffragia, in villam publicam veniſſe, Appium Claudium augurem inveniſſe in ſubſelliis, ut Conſuli, ſi quid uſus poſceret, præſto eſſet. *Clamor*, inquit, *fit in campo. Nos athletæ comitiorum una cum id fieri non miraremur propter ſtudia ſuffragatorum: narrat Pantulejus ad tabulam, cum diriberent, quendam deprehenſum teſſerulas conjicientem in loculum, eum ad Conſulem tractum a fautoribus competitorum. Pavo ſurgit, quod ejus candidati cuſtos dicebatur deprehenſus.* c. 7. *Paullo poſt venit apparitor Appii a Conſule, & augures ait citari.* c. 17. *Ad extremum redit Pavo, & ſi vultis ancoras tollere, latis tabulis ſortitio fit tribuum, ac cœpti ſunt a præcone renuntiari, quem quaque tribus fecerint Ædilem. Appius confeſtim ſurgit, ut ibidem candidato ſuo gratularetur, ac diſcederet in hortos.... Nos hæc: at ſtrepitus a dextra, & eccum, recta candidatus noſter deſignatus Ædilis. Cui nos occurrimus, & gratulati in Capitolium proſequimur.* Quibus nobis quandam imaginem *comitiorum* expreſſit. *Auguſtin. de Leg. c.* 14. Non centuriatis, ſed tributis creabantur Ædiles curules. Erant enim magiſtratus minores. Et hi *tributis comitiis creabantur.* Gell. XIII. 14. Idem Gell. VI. 9. *Cn. Flavius patre libertino natus ſcriptum faciebat. Iſque eo tempore Ædili curuli apparebat, quo tempore Ædiles ſubrogabantur. Eumque primæ tribus Ædilem curulem renuntiaverunt. At Ædilis, qui comitia habebat, negat accipere.* Gruch. de Comit. Roman. II. 2. Manut. de Comit. Roman. c. II. Et Ædiles plebis. Docet hoc Livius. Apud illum II. 56. legimus, P. Voleronem Tribunum plebis legem Coſſ. P. Furio, L. Pinario promulgaſſe, ut plebeji magiſtratus tributis *comitiis* fierent. *Gruch. de Comit. Roman.* II. 2. Illa habuerunt Tribuni plebis. Dionyſ. VI. *Tribuni plebis rogarunt inſuper Senatum, ut ſibi permitteret ex plebejis hominibus duos ſingulis annis creare, qui Tribunorum plebis miniſtri eſſent. . . . Eo quoque a Senatu eis conceſſo, duos crearunt, quos Tribunorum miniſtros, & collegas, & judices vocabant.* Gruch. ibid. c. 3. Manut. l. l.

Comitia calata non faciebant diverſum genus *comitiorum*, ſed ejuſmodi erant vel curiata, vel centuriata, *Panvin. de Civit. Rom. c. 53. Caſal. de Urb. ac Imper. Roman. ſplend. part. 3. c. 6. Prevot. de Magiſtrat. Roman. c. 1. Flocc. de Poteſt. Roman. c. 7.* Calabantur enim & convocabantur curiata per lictorem curiatim, centuriata per cornicinem: ex quo utraque calata appellabantur. *Auguſtin. de Legib. c. 8. Gell.* XV. 27. *Labeo ſcribit, Calata comitia eſſe, quæ pro collegio Pontificum habentur, aut Regis ſacrorum, aut Flaminum inaugurandorum cauſa. Eorum autem alia eſſe curiata, alia centuriata: curiata per lictorem curiatim calari, id eſt, convocari: centuriata per cornicinem.* Quæ ſic ſunt accipienda, ut bina deſignentur *comitia* calata, quæ pro collegio Pontificum haberentur: alia quibus Rex ſacrorum crearetur, alia quibus flamines. Atque illa quidem, quibus Rex ſacrorum fieret, centuriata fuiſſe: quibus flamines, curiata. Rex ſacrorum & flamines, tametſi non eſſent Pontifices, ita tamen erant adſcripti in collegium Pontificum, ut ſi quando de re aliqua apud Pontifices ageretur, ipſi una judices ſederent ejus rei, de qua ad collegium Pontificum relatum eſſet. Hoc intelligi poteſt ex oratione Cicer. pro Domo. Fuit habita apud Pontifices, ad quorum collegium rejectum erat de domo a Clodio conſecrata judicium: judices ſediſſe Regem ſacrorum & Flamines in ea oſtendit, cum ait: *Diſcite orationem Pontifices, & vos Flamines, etiam tu Rex diſce ab homine gentili tuo, quanquam ille gentem iſtam reliquit.* Deinde erant Pontifici maximo ita ſubjecti, ut ab eo inaugurarentur, hoc eſt, certis quibusdam ac ſollennibus captatis auguriis crearentur. De Rege ſacrificulo Liv. XL. 42. *De Rege ſacrifico ſufficiendo in locum C. Cornelii Dolabellæ contentio inter C. Servilium Pontificem maximum fuit, & L. Cornelium Dolabellam Duumvirum navalem, quem ut inauguraret Pontifex, magiſtratu ſeſe abdicare jubebat. . . . . . Religio fuit Pontificibus inaugurandi Dolabellæ, P. Clœlium Siculum inaugurarunt.* De Flaminibus Liv. XXVII. 8. *Et Flaminem Dialem invitum inaugurari coegit P. Licinius Pontifex maximus C. Valerium Flaccum.* Habebantur *pro collegio Pontificum*, non quod de *collegio Pontificum* fuerint habita; ſed potius *a collegio*, & *apud collegium.* Ita illud *pro* ſæpe apud Latinos ſcriptores accipitur. Liv. XXXVIII. 36. *Supplicatio in triduum pro collegio Decemvirorum imperata fuit.* Gruch. de Comit. Rom. I. 2. Noriſ. Cenot. Piſan. Diſſ. II. 5. Guther. de jur. pontif. vet. I. 8. Oizel. in Gellium. Hi Labeonis verba male interpretantur *a collegio*, vel *apud collegium. A collegio* pontificum, aut apud illud habita eſſe *comitia* unquam mihi perſuaderi non poteſt. *Pro collegio pontificum* eſt cauſa collegii pontificum, petentibus pontificibus habita ſunt *comitia*, ut rex ſacrorum, aut flamines crearentur a populo in illis *comitiis* calatis, & inaugurarentur. *Comitia* illa habebantur ab iis magiſtratibus, quibus jus erat *comitia* edicere, quod jus nunquam habuerunt pontifices, quia magiſtratus non erant, ſed tantum dignitate ſingulari præditi. Hoc jus habebant Conſules, ut clare patet ex Cicer. Epiſt. ad Brut. 5. *Omnino Panſa vivo celeriora omnia putabamus. Statim enim collegam ſibi ſubrogaſſet. Deinde ante prætoria ſacerdotum comitia fuiſſent. Nunc per auſpicia longam moram video. Dum enim unus erat patricius magiſtratus, auſpicia ad patres redire non poſſunt.* Si pontifici maximo fuiſſet hoc jus, non exſpectandum fuiſſet, dum novi conſules crearentur. Quin etiam legimus ſæpe apud Livium *comitia* a conſulibus habita pontificis maxime creandi cauſa. Non me movet, quod tradit Liv. III. 54. Q. Furium pontificem maximum *comitia* habuiſſe, quibus tribuni plebis creati ſint, quia poſtquam decemviri ſe magiſtratu abdicaſſent, nulli tum erant magiſtratus. Atqui hoc plane erat extraordinarium, idque ex Senatusconſulto. *Factum*, inquit Livius, *Senatusconſultum, ut decemviri ſe primo quoque tempore magiſtratu abdicarent, Q. Furius pontifex maximus tribunos plebis crearet.* Quod Furius ſenatui parens poſtea fecit, quia nullus in Urbe, cum ſe abdicaſſent magiſtratu decemviri, ordinarius in Urbe magiſtratus erat, qui poterat *comitia* habere. Si ex his licet efficere, pontificem maximum habuiſſe poteſtatem *comitia* habendi, ſequetur etiam illum habuiſſe jus *comitia* tribunitia indicendi, quod nemo ſanæ mentis dixerit. Et quod dicit XXV. 5. *Comitia inde pontifici maximo creando ſunt habita. Ea comitia novus pontifex M. Cornelius Cethegus habuit.* Horum enim verborum hanc ſententiam eſſe puto. Cethegum collegii pontificum nomine petiiſſe ut *comitia* haberentur. Quem locum ſic intelligendum eſſe patet inde, quod nusquam aliter, quam hic legatur a pontifice habita fuiſſe *comitia* pontifici maximo creando, ſed in tot aliis locis commemoretur, *comitia* illa habuiſſe conſules, quod nemo, credo, inficiabitur. Nec hoc, quod tradit Dionyſ. V. p. 278. de primis conſulibus, quod cum vellent *nomen regium ſervare* ſacrorum cauſa juſſerint *pontifices, & augures creare ex ſenioribus eum, qui maxime idoneus* ad id ſacerdotium viſus illis fuiſſet. Cum hoc enim juſſu conſulum fecerunt augures, & pontifices, num id feciſſe *comitiis* habitis uſquam legimus? Eadem ratione ex hoc loco efficias, augures quoque regi ſacrorum creando potuiſſe habere *comitia.* Sic lege curiata adoptiones fiebant arbitris pontificibus, hoc eſt, præſentibus pontificibus,

bus, quorum erat cognitio de adoptionibus, sed non habita sunt illa *comitia* nisi a magistratibus, quibus habendi *comitia* jus erat. *Græv. Thes. Antiq. Roman. Tom.* v. *Prolegom.* * * 2. *vers.*

Comitia Censoria superioribus temporibus haberi solebant paullo post initum a Consulibus magistratum, priusquam in provincias proficiscerentur, ætate Ciceronis ad finem mensis Julii, ut constare potest ex epist. ad Appium III. collatis cum epist. ad Attic VI. ex quibus colligi potest, Appium Censorem facto eo, quo dixi, tempore. Verum hoc diversum erat, I. quod Censores statim designati magistratum inibant. Unde fit, ut apud Liv. XL. 45. & 46. reperiamus, Censores designatos statim in Capitolium deductos ad capienda magistratus insignia, jurandumque in leges. Consulesque vero & Prætores, nisi interregno, aut in locum demortui creati essent, non statim designati inibant magistratum. Ut cum Kalend. Januar. magistratum inibant, & designabantur ad finem Julii, quinque menses post designationem erant, quibus privati manebant, antequam inirent magistratum. Quo temporis spatio fere de ambitu in designatos inquirebatur per competitores, aut alios quosvis. II. quod tempestatis interventu diremptis *comitiis*, vitiosus censebatur is, qui creatus erat: Consules vero & Prætores non reddebantur vitiosi. V. supr. in *Comitia*. Illa habebant Consules. V. infr. in *Comitia centuriata*. Gruch. de Comit. Roman. I. 6. Panvin. de Civit. Roman. c. 53. Person. de Græcor. & Roman. Magistrat. Thes. Antiq. Græcar. Gronov. Tom. VI. p. 2798. D.

Comitia centuriata instituit Servius Tullius Rex. Illis populus per classium centurias divisus suffragium ferebat, ita ut suffragia colligerentur centuriatim: & quod plures centuriæ jussissent, id ratum haberetur. *Panvin. de Civit. Rom. c.* 53. *Fast.* I. *p.* 53. *Gruch. de Comit. Rom.* I. I. *Manut. de Civit. Rom. Thes. Antiq. Roman. Græv. Tom.* I. *p.* 2. *A. Augustin. de Leg. c.* 28. *Bud. in Pandect. p.* 22. *D.* 235. *F. Alex. Gen.* IV. 3. *Siccam. in Fast. Kalend. Roman. c.* 2. *Lax. Comment. Reip. Rom.* XII. 3. *Oizel. in Gell.* XV. 27. *Casal. de Urb. ac Imper. Roman. splend. part.* 3. *c.* 6. *Hotman. Antiq. Roman.* II. 12. *Perion. de Græcor. & Roman. Magistr.* III. *Thes. Antiq. Græcar. Gronov. Tom.* VI. *pag.* 2797. *A. Laurent. de Rebusp. c.* 2. *Flocc. de Potest. Rom.* II. 7. *Blond. Triumph. Rom.* III. *p.* 73. *B.* Livium & Dionysium V. supr. in *Classes*. Habebantur I. Creandorum magistratuum. II. Legum ferendarum. III. Judicii exercendi causa. Cicer. de Divin. II. 35. *Fulmen sinistrum auspicium optimum habemus ad omnes res præter quam ad comitia. Quod quidem institutum Reipublicæ causa est, ut comitiorum, vel in judiciis populi, vel in jure legum, vel in creandis magistratibus principes civitatis essent interpretes.* Illis creabantur I. Consules. Liv. I. 60. *Duo Consules inde Comitiis centuriatis a Præfecto Urbis ex commentariis Servii Tullii creati sunt.* Cicer. pro Mur. c. I. *Illo die, quo auspicato, comitiis centuriatis L. Murenam Consulem renuntiavi.* II. Prætores, qui collegæ erant Consulum, & iisdem auspiciis creabantur. Liv. VII. I. *Prætorem jura reddentem, & Collegam Consulibus, atque iisdem auspiciis creatum.* Gell. XIII. 15. *Maxima auspicia sunt Consulum, Prætorum, Censorum: neque tamen eorum omnium inter se eadem, aut ejusdem potestatis. Ideo & collegæ non sunt Censores Consulum aut Prætorum: Prætores Consulum sunt.* Inde Cicero pro lege Manilia supr. in *Comitia* laudatus. III. Censores. Hoc est perspicuum ex iis, quæ ex Gellio attulimus. Nam & inter majores magistratus numerantur, & centuriatis creari majores magistratus Messala ait. IV. Proconsul interdum. Liv. XXVI. 18. *Eo decursum est, ut populus Proconsuli creando in Hispaniam comitia haberet: diemque comitiis Consules edixerunt. Jussi deinde inire confusim suffragium, ad unum omnes non centuriæ modo, sed etiam homines P. Scipioni imperium esse in Hispania jusserunt.* V. Rex sacrorum, & Flamines. V. supr. in *Comitia calata*. Illis ferebantur leges, quæ promulgatæ sunt a magistratibus, qui vel majores essent, vel centuriatis crearentur. Quare omnes fere leges a Dictatoribus, Consulibus, & Prætoribus auctoritate Senatus latæ, centuriatis *comitiis* latæ sunt, ut de bello indicendo, Valeriæ de provocatione, duodecim tabularum, Æmilia de Censura & similes. Dixi fere ita factitatum fuisse, quia id perpetuum non fuit, ut quas leges ferrent majores magistratus, has centuriatis *comitiis* ferrent. Nam aliquando leges curiatas majoribus magistratibus, ut a Consule in comitio latas legimus, ut fuit rogatio M. Pisonis Consulis ad populum de religione a P. Clodio contempta in comitio lata, auctore Cicer. Attic. I. 14. Bellum centuriatis decretum fuisse docemur a Liv. XXXI. 6. *P. Sulpicio provincia Macedonia forte evenit, isque rogationem promulgavit, Vellent, juberent Philippo Regi Macedonibusque bellum indici. Rogatio de bello Macedonico primis comitiis ab omnibus ferme centuriis antiquata est.* c. 7. *Consul in campo Martio comitiis habitis, priusquam centurias in suffragium mitteret.* Illis judicia exercebantur, quæ tamen ad unicum crimen capitale perduellionis spectabant. Val. Max. VI. 5. *Cum Tiberius Gracchus & C. Claudius ob nimis severe gestam censuram majorem partem civitatis exasperassent, diem his M. Pompilius tribunus plebis perduellionis ad populum dixit. Quo in judicio primæ classis permultæ centuriæ Claudium aperte damnabant.* Gruch. de Comit. Roman. I. 2. Panvin. Hotman. Oizel. & Casal. l. l. Consules habebant illa creandis I. Consulibus. Hoc vero ex omni historia est tam perspicuum, ut probationem subjicere sit supervacaneum. II. Prætoribus, a quibus Prætores omnino creari non poterant. Cic. ad Attic. IX. 9. *Iste omnium turpissimus & sordidissimus, qui Consularia comitia a Prætore ait haberi posse: nam permagni ejus interest, rem ad Interregnum non venire. Id assequitur, si per Prætores Consules crearunt. Nos autem in libris habemus, non modo Consules, sed ne Prætores quidem a Prætoribus creari jus esse: idque factum esse nunquam. Consules eo non esse jus, quod majus imperium a minore rogari non sit jus. Prætores autem, cum ita rogentur, ut collegæ Consulum sint, quorum est majus imperium.* Gell. XIII. 15. *Prætor etsi collega Consulis est, neque Prætorem, neque Consulem jure rogare potest: quia imperium minus Prætor, majus habet Consul: & a minore imperio, majus aut major collega rogari jure non potest.* Eveniebat id alteri Consulum, vel sorte, vel consensu. V. supr. in *Comitia*. III. Censoribus. Liv. VII. 22. *Ceterum cum Censoribus creandis indicta comitia essent, professus se petere Censuram C. Martius Rutilius. . . . ambo tum forte patricii Consules erant, qui rationem ejus se habituros negabant.* Cicer. ad Attic. IV. 2. *Ego me a Pompejo legari ita sum passus, ut nulla re impedirer, quin, si vellem, mihi esset integrum, si comitia Censorum proximi Consules haberent, petere possem.* Legibus vero ferendis & judiciis exercendis habere solebant, nec omnes tamen majores magistratus. Consules legibus ferendis habuisse, satis ostendunt leges Consulares, quæ passim reperiuntur apud auctores: & in judicio Manlii habuerunt. Dictatores habuisse lex Hortensia, quam tulit Dictator Q. Hortensius, ut plebiscita omnes tenerent. V. illam supr. in *Comitia*. & Æmilia, quam tulit Æmilius Mamercus, ut Censura sesquiannua esset, & omnes Corneliæ L. Syllæ argumento sunt. Et Dictator L. Quintius judicium exercebat, cum Sp. Melius a Magistro equitum C. Servilio Hala interfectus est. Prætores habuisse constat, quia, si in Urbe Consules non essent, Prætorum, ac præsertim Urbani summum imperium erat. Cum in Urbe erant Consules, eis primum agendi cum populo munus incumbebat, adeo ut non posset Prætor vetante Consule *comitia* habere. Gell. XIII. 15. *Consul ab omnibus magistratibus, & comitiatum & concionem avocare potest: Prætor & comitiatum & concionem usquequaque avocare potest, nisi a Consule.* Liv. XXVII. 5. *Cum Consul se populum rogaturum negasset, quod suæ potestatis esset, Prætoremque vetuisset rogare.* Gruch. ibid. c. 3. Panvin. & Hotman. l. l. Ante illa edictum præmitti necesse erat, ut ad quam diem convenire populus deberet, multo ante intelligeret. Inde tam sæpe reperiuntur Consules *comitia* edixisse. Dubium est, itane edici solerent, ut præcones per vicos dimissi diem prædicerent: an potius scriptum esset, quod publice proponeretur, eodem modo quo Prætorum

rum edictum in tabella publice proponi solitum, idque forma perpetua, tradit Gell. XIII. 15. *In edicto Consulum, quo edicunt quis dies comitiis centuriatis futurus sit, scribitur ex vetere forma perpetua, ne quis magistratus minor de cœlo servasse velit.* Fuerunt in illo plura capita, & publice fuit proponendum, ut populo notum esset. Et quoniam *comitiis* etiam adesse ex agris homines oportebat, qui in Urbem fere nisi nundinis, nono quoque die, non veniebant, propterea edictum per plures dies publice exstare necesse erat, ut populo universo notum esset. *Gruch. ibid. c. 4. Augustin. de Legib. c. 8. Panvin. l. l.* Non poterant haberi intra pomœrium, quia, ut inquit Gell. XV. 27. *Exercitum extra Urbem imperari oporteat, intra Urbem imperari jus non sit.* Atqui centuriata *comitia* nisi imperato exercitu haberi non poterant: idque *præsidii causa*, ut idem Gellius ait, *quoniam populus esset in suffragiis ferendis occupatus.* Rationem edicendi exercitus indicat Liv. XXXIX. 15. *Majores vestri, ne vos quidem, nisi cum aut vexillo in arce posito comitiorum causa exercitus edictus esset, aut plebi concilium Tribuni edixissent, aut aliquis ex magistratibus ad concionem vocasset forte temere coire noluerunt.* Locus igitur illis destinatus erat campus Martius. In illo semper sunt habita *comitia* centuriata: nisi quod judicium Manlii e campo Martio translatum est in lucum Petilinum extra portam Flumentariam: ut a conspectu Capitolii oculi populi averterentur, quo liberius de Conservatore Capitolii judicaret, ut scribit Liv. VI. 20. *Gruch. ibid. c. 5. Panvin. l. l.* In illis melior ordo servabatur quam in tributis. V. supr. in *Capite censi.*

Comitia Consularia habebantur ad finem mensis Julii & principium Augusti. Cicer. Verr. II. VI. *Kal. Sext. comitia Consularia facta, quibus Hortensius designatus est.* ad Attic. I. *Comitia Consularia, quibus Afranius Consul designatus est, edicta ad* VI. *Kal. Sext.* Et VIII. Epistolarum Cælius ad Ciceronem scribens ostendit, *comitia* Consularia, quibus C. Marcellus & L. Paullus Consules designati sunt, ante Kal. Sext. habita fuisse: idque post XI. Kal. Sext. Quod si ultra ducerentur, id eveniebat propter intercessiones, aut obnuntiationes, per quas differrentur. Ut *comitia* Murænæ post. V. Kal. Novembris habita sunt, quemadmodum ex oratione pro Muræna constare potest. Habebantur ante Prætoria: interdum quidem eo die, ut ex Livio constat, cujus hæc sunt verba lib. X. 22. *His agendis dies consumptus est. Postridie ad præscriptum Consulis & Consularia & Prætoria comitia habita.* Interdum postero die, interdum tertio, aut alio quodam post die, ut ex lectione Livii intelligi potest. Tempore belli Punici II. Consules Idibus Martiis Consulatum inibant, ut passim in Livii historia legi potest. Idque ita observatum est usque ad annum Urbis DCI. quo anno Fulvius Nobilior, & T. Annius Luscus Consules primi Kal. Januar. magistratum inierunt. Ac toto illo quidem tempore, quo magistratum inibant Idib. Martiis *comitia* haberi solebant Januario & Februario mense, dimissis scilicet in hyberna exercitibus. *Gruch. de Comit. Roman. I. 6. Panvin. de Civit. Roman. c. 53. Perion. de Græcor. & Roman. Magistrat.* III. *Thes. Antiq. Græcar. Gronov.* VI. *p.* 2798. *D. F.* Prima habita sunt ab Interrege. Dionys. IV. p. 276. *Quo facto Brutus progressus Interregem ad peragenda more patrio comitia dixit Sp. Lucretium. Hic postquam in campum Martium, ubi mos erat legitimis comitiis magistratus eligi, ventum est, nominavit duos viros, qui regia obirent munia, Brutum & Collatinum.* Quæ tamen a Præfecto Urbis esse habita tradit Liv. I. 60. *Duo Consules inde comitiis centuriatis a Præfecto Urbis creati sunt.* Cui cum Dionysio nulla est controversia: nam ab Interrege & a Præfecto simul Urbis habita sunt: cum iis præfuerit Sp. Lucretius Tricipitinus Lucretiæ pater, qui erat idem Præfectus Urbis & Interrex: Interrex, quod eum habendis Consularibus *comitiis* Bruto referente, Senatus creasset: Præfectus, quod ei Tarquinius, ad bellum proficiscens, curam Urbis mandaverat. Utrumque scriptum est apud Dionysium. Aut igitur a Præfecto Urbis Lucretio creati Consules sunt, ut ab Interrege, non ut ab Urbis Præfecto: aut etiam, quod qui Interrex esset, idem & Præfectus Urbis vocari posset. Urbis enim curam gerebat Interrex, quia tunc, urbanas res qui curaret, magistratus omnino nullus esset. *Manut. de Leg. Rom. c. 5.* Deinde cum vel contentione ordinum, aut magistratuum, vel candidatorum ambitu, vel alia ratione ante anni exitum perfici non potuissent, tum patricios convenire oportebat ad prodendum ex suo numero Interregem, qui dies quinque imperaret, quo alius deinde creabatur, eodemque modo alii atque alii singulis quinque diebus creabantur, donec subrogati essent ab alio ex iis Consules, qui statim inirent magistratum. *Non fuit vero moris*, ut scribit Ascon. in Cicer. p. 195. *ab eo, qui primus Interrex proditus erat, comitia haberi.* Hinc fit, ut apud Livium, quoties de Interregno mentio est, nunquam reperiatur a primo Interrege habita *comitia*, sed interdum a secundo. Liv. IX. 7. *Et quia tædebat populum omnium magistratuum ejus anni, res ad interregnum rediit. Interreges Q. Fabius Maximus, M. Valerius Corvus. Is Consules creavit.* X. 11. *Eo anno interregnum initum. Interreges fuere Appius Claudius, dein P. Sulpicius. Is comitia consularia habuit.* Interdum a tertio. Liv. V. 31. *Interrex creatur M. Furius Camillus, qui P. Cornelium Scipionem, is deinde L. Valerium Potitum Interregem prodidit: ab eo creati sex Tribuni militum Consulari potestate.* Interdum a pluribus, ut ad undecimum aliquando perventum sit. Liv. VII. 21. *Infestam inde Patribus plebem Interreges quum accepissent, ad undecimum Interregem seditionibus certatum est.* Gruch. ibid. c. 3. Consulibus absentibus Senatui interdum visum est Dictatorem *comitiorum* causa creandum esse. Liv. VII. 22. *Dictatorem quoque hic annus habuit M. Fabium; nullo terrore belli, sed ne Licinia lex comitiis Consularibus observaretur.* VIII. 23. *L. Cornelio literæ missæ, ut Dictatorem comitiorum causa diceret; dixit M. Claudium Marcellum.* Hotoman. de Magistr. Roman. I. Thes. Ant. Roman. Græv. Tom. II. p. 1870. E. Gruch. & Perion. l. l. Alias soli habebant Consules. V. supr. in *Comitia centuriata.*

Comitia curiata instituit Romulus Rex. In illis populus curiatim suffragium dicebat, hoc est, populi per curias divisi sententia rogabatur, ut quod plures curiæ statuissent, id jussum populi diceretur esse. Gell. XV. 27. *Quum ex generibus hominum suffragium feratur, curiata comitia esse.* Panvin. de Civit. Roman. c. 53. Siccam. in Fast. Kalend. Roman. c. 2. Sigon. de Ant. Jur. Civ. Roman. I. 17. Augustin. de Legib. c. 8. Alex. Gen. IV. 3. Laz. Comment. Reip. Rom. XII. 3. Oizel. in Gellium. Casal. de Urb. ac Imper. Roman. splend. part. 3. c. 6. Hotman. Antiq. Roman. II. 12. Perion. de Græcor. & Roman. magistrat. III. Thes. Antiq. Græcar. Gronov. VI. p. 2797. B. Laurent. de Rebusp. c. 2. Flocc. de Potest. Roman. II. 7. Blond. Triumph. Rom. III. p. 73. C. Post curias a Romulo institutas omnia quæ suffragiis populi a Regibus committebantur, curiatis *comitiis* peragebantur. Nec modo Reges, sed etiam cæteri magistratus his creabantur: & leges omnes, quæ ad illud usque tempus latæ sunt, curiatæ fuerunt: & judicium Horatii a populo illis peractum est. *Gruch. de Comit. Roman.* III. 2. *Manut. de Civit. Roman. Thes. Antiq. Roman. Græv. Tom.* I. *p.* 1. *F. Hotman. & Oizel. l. l.* Servius centuriatis institutis, curiata non quidem plane sustulit, sed ita debilitavit, nihil ut iis majorum rerum mandaretur, speciem quidem aliquam *comitiorum* retinerent, tota vero, si quid consulendum gravius, centuriatorum potestas esset. *Manut. ibid. p. 2. A. & F. Hotman. l. l.* Tum cœperunt esse duo *comitiorum* genera, curiata & centuriata. Illis usus est populus usque ad judicium Coriolani, anno ab U. C. 263. quo tributa cœperunt etiam post classes a Servio institutas. Leges enim a L. Bruto latæ, cum Reges ejecti sunt, omnes curiatæ fuerunt. Dionys. IV. p. 275. *Quod si idem quoque vobis videtur, Quirites, discedite in curias, & suffragium inite. Omnes curiæ, uti Brutus rogarat, exsilium Tarquiniis jusserunt.* Ad quæ duo cum accessit tertium genus tributorum, tum minus frequentari cœperunt curiata, & maxime postquam lex lata est de plebejis magistratibus creandis tributis *comitiis*. Post illud tamen tempus reperio duas gene-

generales causas fuisse horum habendorum. I. legibus ferendis. II. sacerdotibus creandis. Legum causa toties habebantur, quoties legibus curiatis opus fuisse legimus. Ad sacerdotes creandos habita fuisse dum dicimus, ad Flamines & Curionem maximum hoc pertinuisse pertendimus. Flamines curiatis *comitiis* creari dixit Gellius supr. in *Comitia calata.* Curionem maximum Liv. XXVII. 8. *Inter majorum rerum curas comitia maximi curionis, quum in locum M. Æmilii sacerdos crearetur, vetus excitaverunt certamen: patriciis negantibus C. Mamilii Atelli, qui unus ex plebe petebat, habendam rationem esse: quia nemo ante eum, nisi ex patribus id sacerdotium habuisset, Tribuni appellati ad Senatum rejecerunt. Senatus populo potestatem fecit. Ita primus ex plebe creatus maximus curio C. Mamilius Atellus.* Erat autem, Festo auctore, *cujus auctoritate curiæ, omnesque curiones regebantur.* Unde colligo curiarum suffragio creari, ac fuisse ejus *comitia* curiata. Par enim est, ut quemadmodum singulos curiones curiæ creabant, ita curionem maximum omnes curiæ: ut omittam, cum hoc sacerdotium institutum est, non alia fuisse in usu *comitia,* quam curiata. *Gruch. l. l. & c. 3. Hotman. & Oizel. l. l. Nardin. de Urb. Rom.* V. 2. *Panvin. de Civit. Roman. c.* 8. His suffragium habebant non omnes, qui cives Romani erant, sed hi tantum qui in curias descripti erant, quæ fuerunt tantum eorum, qui Urbem habitabant. Quæ causa fuit, ut postquam Italiæ municipia civitate donari cœperunt, minus frequentarentur. Nam ego magistratus minores omnes a principio existimo curiatis creari solitos, non aliter quam Tribuni Ædilesque plebis usque ad legem a Volerone perlatam, idque eo usque durasse, donec ex municipiis Italiæ cives in horum minorum magistratuum suffragiis admitti voluerunt, sicut in majorum centuriatis. Tum ea ratio inventa est omnes cives admittendi, ut illis magistratus tributim, non curiatim crearentur: sed ita tamen, ut post de eisdem illis magistratibus lex curiata ferretur: idque auspiciorum causa, id est, ne in eorum magistratuum creatione negligi viderentur auspicia. Tributa enim auspicato non habebantur, nec patres auctores fiebant. Unde etiam Gell. XIII. 15: ait *justius lege curiata magistratus dari, quam tributis.* Atque illa quidem lex a principio justis curiatis ferebatur: ut Cicero in Rullum ostendit, cum ait *majorum instituto populum binis comitiis judicare de omnibus magistratibus solitum.* Et Livius IX. 38. ubi de Dictatore L. Papyrio legem curiatam de suo imperio ferente, aperte demonstrat, totas tum curias in suffragium mitti solitas. At successu tandem temporis factum est, ut non triginta curiæ in suffragium vocarentur, sed pro triginta curiis triginta lictores suffragium inirent: adeo ut legem curiatam magistratibus ferre, non esset populo curiatim convocato legem jubendam dare, sed ad usurpationem quandam vetustatis triginta lictorum suffragio legem committere. Cicer. in Rull. II. 11. *Nunc, quia prima illa comitia tenetis, centuriata & tributa, curiata tantum auspicia remanserunt. Hic autem tribunus plebis, quia videbat potestatem neminem injussu populi aut plebis posse habere, curiatis ea comitiis, quæ vos non initis, confirmavit: tributa, quæ erant, sustulit.* c. 12. *Sint igitur Decemviri neque veris comitiis, hoc est, populi suffragiis, neque illis ad speciem, atque ad usurpationem vetustatis per triginta lictores auspiciorum causa adumbratis.* Quanquam autem Ciceronis ætate hoc modo lex curiata ferretur per lictores, de magistratuum imperio, tamen dubito, an idem fuerit in cæteris curiatis *comitiis,* quæ adoptionis, aut sacerdotum causa habebantur. *Gruch. de Comit. Roman.* III. 3. *Panvin. de Civit. Roman. c.* 8. Illa habendi jus erat patriciis tantum magistratibus & Pontificibus. Illis quidem legibus curiatis ferendis, his vero sacrorum causa. Patricios magistratus solos id juris habuisse, ex eo intelligi potest, quod scribit Liv. VI. curiata *comitia* auspicato, & patribus auctoribus haberi. Unde fit, ut quoniam Tribuno plebis non licebat legem curiatam ferre, Rullus uno capite suæ legis juberet Prætorem eam ferre. Nam si tam legem curiatam poterat ferre Rullus, quam tributam, cur Prætori id munus dedisset? At si plebeji magistratus id non possent, restat, ut solis patriciis hoc jus concedamus. Pontifices sacrorum causa jus habuisse vocandi *comitia* curiata ex eo intelligi potest, quod centuriata habendi jus habuerint. Nam si illa habere poterant, & hæc certe multo potius vocare in eorum erat potestate. Et calata *comitia* proprie erant Pontificum: Flamines autem calatis creabantur. V. supr. in *Comitia calata.* imo nusquam in eorum creatione ulli intervenire magistratus comperiuntur. Non tamen *comitia* Curionis maximi habuerunt, quia ad collegium Pontificum non pertinebat Curio maximus: & hæc non omisisset Lælius apud Gellium, si inter calata fuissent. Itaque potius alicui magistratuum majorum ejus creationem attribuendam censeo, quam Pontificibus. Nec *comitia* legis de adoptione ferendæ, quia inter calata a Lælio non enumerantur. Quod argumento esse potest ab aliquo potius magistratu habita esse quam a Pontificibus. Sane Gell. VII. 19. non a Pontificibus dicit *comitia* haberi de arrogatione alicujus, sed arbitris Pontificibus; id quod Tacitus dicit apud Pontifices legem curiatam ferri. Neque vero legis ferendæ jus alicui erat, nisi magistratui. Unde perspicuum est, legem quidem curiatam ab aliquo ferri debuisse majorum magistratuum: sed hac in re intervenire Pontifices debuisse, ut de jure adoptionis cognoscerent, ne scilicet populus legem juberet contra quam jura adoptionis postularent. *Gruch. l. l.* Donec tributis creari minores magistratus cœperunt, curiata quod ad magistratus quidem attinet, habebantur ad designandos magistratus ex candidatis aliisve, quos populus vellet. Ad postea retenta sunt ad legem curiatam de imperio magistratuum ferendam, perinde, ut ante ferri solebat de imperio majorum magistratuum: adeo ut post illud tempus nulli designarentur magistratus curiatis, sed tantum de eorum imperio, quos jam populus designasset, lex ferretur. Curiatis omnibus commune erat, ut auspicato haberentur. V. Ciceronem & Livium supr. in *Comitia,* & Patribus auctoribus. Sic autem auspicato haberi debebant, ut non modo obnuntiationi parendum esset, si de cœlo servatum esset: quod ostendit Cicero, cum probaret legem de adoptione Clodii nullam esse, quia lata esset, quo die servatum esset de cœlo: sed etiam ut adesse augures oporteret, qui latori legis in auspicio essent. Cicer. Att. II. 12. *Jurabo Cnæum nostrum, collegam Balbi, Antii mihi narrasse in auspicio fuisse.* II. 7. *Acueram me ad exagitandam ejus legationem: quam si ille contemnit, &, si bilem id commovet, & latoribus & auspicibus legis curiatæ spectaculum egregium.* His Cicero Cæsarem latorem legis intelligit, & Pompejum auspicem, hoc est, qui magistratui auspicanti fuit in auspicio. *Gruch. ibid. c.* 4. Hoc modo fieri non poterant nisi intra pomœrium, idque in foro, adeoque in *comitio.* Liv. V. 52. *Quid alia, quæ auspicato agimus omnia fere intra pomœrium, cui oblivioni aut cui negligentiæ damus? comitia curiata, quæ rem militarem continent, comitia centuriata, quibus Consules Tribunosque militares creatis, ubi auspicato, nisi ubi assolent, fieri possunt?* In foro facta invenimus passim in historia Livii & Dionysii. Nam ante judicium Coriolani, quo primum tempore habita sunt tributa, quoties in foro habita populi *comitia* reperimus? Hæc vero non poterant alia esse, quam curiata. Et Dionysius nominatim ait, leges curiatas, quas Brutus Tribunus Celerum tulit, in foro latas fuisse. Unde etiam Augustus apud Suet. c. 65. n. 4. *Tertium nepotem Agrippam, simulque privignum Tiberium adoptavit in foro lege curiata.* In ea vero fori parte, quæ comitium erat. V. infr. in *Comitium.* Gruch. ibid. c. 5. Perion. de Græcor. & Roman. magistrat. Thes. Antiq. Græcar. Gronov. Tom. VI. p. 2798. D. De tempore nihil certo constitui potest, nisi quod non possent nisi diebus *comitialibus* haberi: qui quando sunt a Numa instituti, nulla erant nisi curiata. Et sane cum populo agi, nisi *comitialibus* diebus, fas non erat. *Gruch. ibid. c.* 6. *Casal. l. l.*

Comitia Pontificia erant, quibus tributis Pontifex Maximus creabatur. Cicer. in Rull. II. 7. *Item, inquit, eodemque modo, capite altero, ut comitiis Pontificis Maximi. Ne hoc quidem vidit, majores nostros tam fuisse populares, ut, quod*

quod per populum creari fas non erat propter religionem sacrorum, in eo tamen propter amplitudinem sacerdotii voluerint populo supplicari. Atque hoc idem de cæteris sacerdotiis Cn. Domitius, tribunus plebis, vir clarissimus tulit: quod populus per religionem sacerdotia mandare non poterat, ut minor pars populi vocaretur, ab ea parte qui esset factus, is a collegio cooptaretur. Ex his verbis perspicuum est, ante legem Domitiam Pontificem maximum populi suffragiis creari, cum interim Pontifices reliqui præter maximum a collegio tantum cooptarentur. Fuerunt illa non omnium tribuum, sicut magistratuum, sed tantum septendecim, quibus sorte id obtigisset. Illas intelligi per *minorem partem populi* a Cicerone, facile erit demonstrare, si antecedentia ejus verba cum sequentibus conferantur. *Primo enim capite Rullus ferebat*, ut ait Cicero, *ut Decemviri agrarii per tribus septendecim crearentur, quibus sorte id evenisset: subjiciebatque in secundo capite legis, id se ita fieri velle, ut in iis Decemviris idem eodemque modo fieret, ut comitiis Pontificis maximi.* Ex quo sequitur in *comitiis* Pontificis maximi septendecim tribus sorte delectas suffragium dixisse. *Gruch. de Comit. Roman.* II. 2. *Guther. de Jur. Pontif.* I. 8. Habebantur ab uno ex collegio, qui in illo plurimum posset. Liv. XXV. 5. *Comitia inde Pontifici Maximo creando sunt habita. Ea comitia novus Pontifex M. Corn. Cethegus habuit.* Illa vero renuntiatio fieri non potuit, nisi ab eo, qui *comitiis* præesset. Atqui Consules & Prætores tum Romæ erant, ut ex eodem auctore constat. Unde efficitur, Pontificibus etiam jus fuisse habendi *comitia* tributa. Post legem sane Domitiam eo existimo Consules habuisse *comitia* Pontificis maximi, quod certum sit, Sacerdotes collegiorum a Consulibus creari. *Gruch. ibid. c. 3. Manut. de Comit. Roman. c. 11. Guther. l. l.*

Comitia Prætoria non habebat Prætor, sed Consul. V. supr. in *Comitia centuriata.* Candidatorum multitudo fere efficiebat, ut diutius durarent, præsertim cum sex, octo, decemve creandi erant Prætores. Vix enim fieri poterat, ut pari constantia iidem candidati plura in primis centuriis suffragia ferrent, ut non esset ad postremas descendendum. Si tamen id accidisset, ut ex omnibus candidatis, quos prærogativa Prætores fecisset, eosdem primæ classis centuriæ facerent, tum sane nihil opus erat cæteras centurias vocare. Sin variarent, necessario ad numerum legitimum centuriarum conficiendum eousque vocandæ erant, dum sex, octo, decemve creati essent Prætores. At si quatuor sexve jam declaratis, ex reliquo numero candidatorum nullus explesset centurias, tum nisi judicatum esset a Senatu satis Prætorum esse, oportebat Consulem alia *comitia* habere ad collegas ad numerum legitimum subrogandos. *Gruch. de Comit. Roman.* I. 4.

Comitia Proconsularia & Proprætoria, si ordinaria ratio sortitionis, qua in suas quisque provincias proficiscebantur, ut sorte provinciæ evenerant, semper observari potuisset, non fuissent necessaria. Verum bellis undique urgentibus & ordinaria ista ratio sæpe sufficere non videbatur. Unde fiebat, ut extra ordinem mandari provinciam oporteret: ob idque ad populum ferri, ut eum designaret quem vellet in provinciam mitti. Extra ordinem hoc eveniebat modo I. Si annuo imperio finito continuandus magistratus videretur. Liv. VIII. 23. *Jam Publilius inter Palæopolim Neapolimque loco opportune capto, diremerat hostibus societatem auxilii mutui: qua, ut quisque locus premeretur, inter se usi fuerant. Itaque quum & comitiorum dies instaret, & Publilium imminentem hostium muris, avocari ab spe capiendæ indies Urbis, haud e Republica esset; actum cum tribunis est, ad populum ferrent, ut quum Publilius Philo consulatu abiisset, Proconsule rem gereret, quoad debellatum cum Græcis esset.* II. Si collega pati nollet beneficio sortis se excludi, populus rogari solebat, ut designaret quem vellet eam provinciam obtinere. Liv. X. 24. *Quæ ne perpetua esset, ordinum magis quam ipsorum inter se certamen intervenisse reor: patriciis tendentibus, ut Fabius Etruriam extra ordinem provinciam haberet: plebejis auctoribus Decio, ut ad sortem revocaret. Fuit certe contentio in Senatu; & postquam Fabius plus poterat, revocata res ad populum est.* Gruch. de Comit. II. 2. Panvin. de Civit. Roman. c. 69.

Comitia Quæstoria habebant Consules. Tacit. Annal. XI. 22. 5. *Mansit Consulibus potestas deligendi*, de Quæstoribus agit, *donec eum quoque honorem populus mandaret: creatique primum Valerius Potitus & Æmilius Mamercus.* Non est dubium, quin ante tributa curiatis crearentur, eodem modo quo Tribuni plebis & Ædiles, ante legem Publiciam. At postquam curiata cœperunt velut auspiciorum causa in Urbe retineri, certe tributis, velut cæteri minores magistratus, creati sunt. Cicer. Famil. VII. 30. *In campo certe non fuisti, cum hora secunda comitiis Quæstoriis institutis, sella Q. Maximi, quem illi Consulem esse dicebant, posita esset. Quo mortuo nuntiato sella sublata est. Ille autem, qui comitiis tributis esset auspicatus, centuriata habuit.* Siccam. de Judic. Centumvir. I. 11. Gruch. de Comit. Roman. II. 2. Panvin. in Fast. I. p. 65. Manut. de Comit. Roman. c. 11.

Comitia Sacerdotum tributa Consules debuisse habere potest colligi ex Cicer. ad Brut. Epist. 5. Illic enim ait mortuis Hirtio & Pansa Coss. *comitia* Sacerdotum necessario differenda esse, donec res ad Interregnum rediisset, ut Consules auspicato ab Interrege subrogarentur. Atqui tum & Prætores, & Tribuni plebis erant Romæ: quibus si jus fuisset ea *comitia* habendi, Sacerdotum *comitia* non fuissent eo usque differenda, dum Consules subrogati essent. Verba Ciceronis: *Omnino Pansa vivo omnia celeriora putabamus. Statim enim sibi collegam subrogasset. Deinde ante Prætoria Sacerdotum comitia fuissent. Nunc per auspicia longam moram video. Dum enim unus erit patricius magistratus, auspicia ante patres redire non possunt.* Postremis verbis Cicero vult, ideo moram futuram *comitiis* Sacerdotum. quia auspicia ad Patres redire non poterant, quamdiu unus patricius magistratus. Consulibus enim demortuis *comitia* subrogandis Consulibus habere non poterat Prætor. Quia tamen patricius magistratus erat, ideo non poterant patricii coire, quamdiu erat Prætor, ad prodendum Interregem: quæ sola tum erat ratio subrogandi Consules. Necesse igitur erat, ad finem usque anni exspectare, quo tempore nullus patricius magistratus impedimento erat, quoniam ad patricios auspicia redirent. *Gruch. de Comit. Roman.* II. 3.

Comitia Tribunitia fuerunt Tribunorum militum. Hoc potest intelligi cum quod minores magistratus essent, tum vero ex eo, quod de Mario loquens scribit Sallust. de Bell. Jugurth. p. 115. *Ergo ubi primum tribunatum militarem a populo petit, plerisque faciem ejus ignorantibus, facile notus per omnes tribus declaratur.* Neque nos movere oportet, quod scripsit Livius laudatus supr. in *Comitia curiata.* Illic enim Tribuni militares Consulari potestate intelliguntur, non Tribuni militum ad legiones, qui nondum tempore Camilli populi suffragio creabantur. Non omnes populi suffragio creabantur: & qui creabantur, primum creari cœperunt Coss. Q. Servilio iterum, & L. Genucio iterum an. ab U. C. 393. Ascon. Cicer. p. 56. V. illum infr. in *Tribuni militum.* Liv. VII. 5. *Et cum eo anno primum placuisset Tribunos militum ad legiones suffragio ferri, nam & antea sicut nunc, quos Rufulos vocant, Imperatores ipsi faciebant.* De illis ita Liv. IX. 30. *Et duo imperia eo anno dari cœpta per populum; utraque ad rem militarem pertinentia. Unum, ut Tribuni militum seni deni in quatuor legiones a populo crearentur: quæ antea perquam paucis suffragio populi relictis locis, Dictatorum & Consulum ferme fuerant beneficia.* Hinc intelligi potest, jam inde a Coss. Q. Æmilio iterum, & C. Junio Bruto iterum an. ab U. C. 444. populi suffragiis sedecim Tribunos militum creari cœpisse. *Gruch. l. l. Lips. de Milit. Roman.* II. 9. *Sigon. de Jur. Prov.* II. 2. *Laz. Comment. Reip. Roman.* IV. 10. Et Tribunorum plebis, qui ipsi sua habuerunt *comitia.* Liv. III. 64. *Forte quadam utili ad tempus, ut comitiis præesset, potissimum M. Duillio sorte evenit. Qui cum ex veteribus tribunis negaret se ullius rationem habiturum, pugnarentque collegæ, ut liberas tribus in suffragia mitteret, aut concederet sortem comitiorum a collegis habituris e lege potius comitia, quam ex voluntate Patrum.* c. 35. V. locum laudatum supr. in *Comitia.*

mitia.

mitia. Gruch. l. l. Manut. de Comit. Roman. c. 11. Panvin. in Fast. 1. p. 75.

Comitia tributa nomen habuerunt, quod non modo tributim divisus populus suffragium ferret; sed etiam quid plures tribus juberent, aut vetarent, spectaretur. Gell. xv. 27. *Comitia tributa erant, cum ex regionibus & locis suffragium ferebatur.* Gruch. de Comit. Roman. 11. 1. Panvin. de Civit. Roman. c. 68. Oizel. in Gellium. Alex. Gen. iv. 3. Siccam. in Fast. Kalend. Roman. c. 2. Manut. de Legeb. c. 8. Blond. Triumph. Rom. iii. p. 74. F. Casal. de Urb. ac Imper. Roman. splend. part. 3. c. 6. Hotman. Antiq. Roman. c. 12. Perion. de Græcor. & Roman. Magistrat. Thes. Antiq. Græcar. Gronov. Tom. vi. p. 2797. B. Instituta sunt a. 263. occasione Coriolani. Refert hoc Dionys. vii. p. 463. *Ubi vero affuerunt tertiæ nundinæ, agrestium turba, quanta in Urbem nunquam antea affluxerat, summo mane forum occupat; tribunorum multitudine convocata, loca fori funiculis distincta cuique assignaverunt tribum. Primumque tunc Romanus populus tributis comitiis viritim tulit suffragia, multis reclamantibus patriciis, & centuriata ex more postulantibus.* p. 465. *Itemque Martii factiones poscebant centuriata comitia, sperantes fore, ut a prima classe, aut certe a secunda, tertiaque absolveretur; tribuni vero idem suspicantes tributa maluerunt agere, quibus committeretur judicium, ne vel divitibus pauperes cederent, proletarii classicis, neve extrema plebs excluderetur a suffragiis. Sed æquum jus calculorum esset omnibus tribulibus pariter, videbaturque æquum postulari, quod populi judicium penes plebem potius debeat esse, quam penes factionem optimatium, se læsæ Reipublicæ crimen ad omnium cognitionem pertineret.* Laurent. de Rebusp. c. 2. Habendorum causæ erant quatuor. I. Ad minores magistratus creandos. II. Ad Sacerdotes collegiorum adoptandos. III. Ad leges ferendas. IV. Judiciorum causa iis magistratus creabantur partim provinciales, partim urbani: & partim ordinarii, partim extraordinarii. Ordinarii illis creabantur omnes minores, qui singulis annis ad suum munus ordinarium in Urbe obeundum a populo creabantur. Erant hi Ædiles curules, Tribuni plebis, Ædiles plebis, Triumviri capitales, Triumviri nocturni, & Triumviri auro, æri, argento flando feriundo præfecti, Quæstores, Tribuni militum. V. Singulos in *singularum comitiis*. Extraordinarii, quibus etiam in Urbe imperium fuit, fuerunt alii atque alii, ut quæque negotia occurrebant, quæ extraordinariam curationem requirere videbantur. Erantque Præfecti annonæ, Duumviri navales, Quæstores parricidii, Quinqueviri muris, turribusque reficiendis, Quinqueviri & Triumviri mensarii. Atque omnes illi, non perinde ut ordinarii annuam potestatem habebant: sed tamdiu in imperio erant, dum curationem, cui præfecti erant, absolvissent. Quia autem in minoribus magistratibus omnes numerantur, idcirco necesse est, ut dicamus *comitiis* tributis creari solitos, Provinciales erant Proconsules, Proprætores, Proquæstores, qui in provincias mittebantur. Iis Sacerdotes collegiorum creabantur: qui quod tributis crearentur, facile est ex lege Domitia demonstrare, qua cautum erat, ut non ab universo populo, sed a parte populi minore, hoc est, a septemdecim tribubus sacerdotes crearentur. Ea vero *comitia*, quibus tributim suffragia ferebantur, tributa fuisse negari non potest. Iis leges ferebantur. Hoc nomen plebiscitorum satis ostendit. Plebiscitum enim est, quod plebs plebejo magistratu rogante constituebat. Hinc est intelligere, tributis, non centuriatis, ut quæ a plebejis magistratibus vocari non poterant, plebiscita fieri solita. Legum nomine a nobis non modo comprehenduntur generalia jussa, & perpetuæ velut constitutiones populi: sed omnes omnino rogationes, quibus jubendis tributa vocari solebant. Ita paci ineundæ vocari solebant. Liv. xxxiii. 10. *Q. Marcius Rex & Caticius Labeo Tribunus plebis ad plebem tulerunt: vellent juberentne cum Rege Philippo pacem esse. Ea rogatio in Capitolio ad plebem lata est. Omnes quinque & triginta tribus, uti rogatæ, jusserunt.* Etiam eas rogationes comprehendimus, quibus superioribus temporibus legibus aliquis solvebatur, quacunque id ratione fieret. Eam vero auctoritatem Ciceronis ætate Senatus sibi usurpavit. Docet hoc Ascon. in Cicer. pro C. Corn. in argumento. Huc denique referimus omnes rogationes, quibus per populum triumphum decretum, publicas quæstiones constitutas, civitatem datam sæpe in historia Livii legimus. His judicia, quæ de mulcta erant, a magistratu, aut pontifice indicta, perficiebantur. Ita apud Liv. iv. 41. M. Postumio & T. Quintio a Tribunis plebis est dies dicta, quod ad Vejos eorum opera male pugnatum esset. Verba hæc subjicit. *Mœstæ civitati ab re male gesta, & iratæ ducibus M. Postumius reus objectus decem millibus æris gravis damnatur, T. Quintium collegam ejus omnes tribus absolverunt.* De capite populus nisi centuriatis judicare non potuit. Si vero capitis die dicta in exsilium abiisset reus, antequam dies advenisset, tum ad decernendum ei id exsilium satis fuit tributa vocare, nec fuit ad eam rem opus centuriatis. Id planum est ex verbis Liv. xxvi. 3. *Id ei justum exsilium esse scivit plebs.* Quod enim Livius dicit plebem id scivisse, argumento est, plebiscito id factum, non lege curiata. Et xxv. 4. scribit: *Postumius vadibus datis non affuit. Tribuni vocaverunt plebem, quæ ita scivit: Si M. Postumius ante Kalendas Majas non prodiisset, citatusque eo die non respondisset, neque excusatus esset, videri eum in exsilio esse, bonaque ejus venire, ipsi aqua & igni placere interdici.* Gruch. ibid. c. 2. Manut. de Comit. Roman. c. 14. Panvin. & Hotmann. l. l. Illa qui habuerint, diximus in singulis magistratibus, quos illis creatos narravimus. Erant tantum plebis. Gell. xv. 17. *Tribuni neque advocant patricios, neque ad eos referre de ulla re possunt.* Non quod patriciis non liceret illis adesse, sed quia jus non esset plebejis magistratibus eos vocandi. Cum enim plebis essent magistratus, merito fiebat, ut pro jure sui magistratus non possent nisi cum plebe agere. Itaque præmissum ab eis edictum ad plebem tantum pertinebat, cum interim liberum esset patriciis adesse, vel non adesse. Quæ vero *comitia* tributa a patriciis magistratibus habebantur, quod ad edicti quidem vim attinet, universi populi erant: sed tamen, quia his *comitiis* nulla habebatur ratio census, ordinis, ætatis, propterea primores civitatis fere his *comitiis* adesse non solebant: quia cum numero longe superior esset reliqua multitudo, spes nulla erat suum suffragium vim ullam habiturum contra plebis voluntatem. Unde eveniebat, ut omnia tributa *comitia* fere peragerentur ab humilibus, ut vix unquam primores populi adessent. Ex iis invenire causam possumus, cur, cum de tributis *comitiis* agitur; modo plebis, modo populi fieri mentionem sæpe eodem in loco reperiamus. Quod enim ad jus suffragii attinet, omnia *comitia* erant populi: quia nemo civis suffragio excludi poterat, si *comitiis* adesse vellet. Quod vero ad potestatem & jus vocandi attinet ejus magistratus, a quo *comitia* edicta sunt: aut vero si ad eos spectemus, qui convenire ad ea solebant, non immerito plebis tantum ea fuisse dicuntur. *Gruch. ibid. c. 4. Manut. Panvin. & Casal. l. l.* Auspicia hactenus servanda erant, ne haberentur, quo die servatum esset de cœlo. Unde sequitur, his etiam *comitiis* obnuntiationi parendum esse. In reliquo genere auspiciorum nulla fere religione astringebantur. Dionys. ix. p. 598. *Hoc erat discriminis inter tributa comitia & curiata, quod curiata oportebat ex Senatus auctoritate haberi, & populum curiatim suffragium dicere: & præterea necesse erat, ut auspicato fierent, deos ante consuli: alioqui justa haberi non poterant. Tributa vero non consulto Senatu; non adhibitis sacerdotibus auguribusque uno die, diviso per tribus populo perficiebantur.* Liv. vi. 41. *Penes quos sunt auspicia majorum? nempe penes Patres. Nam plebejus quidem magistratus nullus auspicato creatur. Nobis adeo propria sunt auspicia, ut non solum quos populus creat patricios magistratus, non aliter quam auspicato creet: sed nos quoque ipsi sine suffragio populi auspicato Interregem prodamus, & privatim auspicia habeamus, quæ ipsi ne in magistratibus quidem habent.* Magistratuum *comitia* tributa fere in campo Martio habebantur. Cicer. Attic. 1. 1. *In campo comitiis tribunitiis.* iv. 14. *Sequere nunc me in campum.* Ædilium *comitia* habebantur in campo. Cicer. Attic. iv. 3. *Nisi Milo in*

campum obnuntiaſſet, comitia futura erant ante diem duodecimum Kal. Decemb. Milo ante mediam noctem cum magna manu in campum venit. Clodius cum haberet fugitivorum delectas copias, in campum ire non eſt auſus. De Quæſtorum *comitiis* idem Cicer. Fam. VII. 30. *In campo certe non fuiſti, cum hora ſecunda comitiis Quæſtoriis inſtitutis....* Poſt ejectos Decemviros, cum Tribunorum plebis *comitia* habuit Q. Furius Pontifex Maximus, ea habita fuiſſe in pratis Flaminiis, qui poſt fuit circus maximus, ſcribit Liv. III. 54. In Capitolio habebantur *comitia*, quibus iterum Tribunus plebis creari volebat Tib. Gracchus, auctoribus Appiano & Plutarcho. *Comitia* Ædilium in foro, adeoque in *comitio* haberi poterant. Cicer. Attic. IV. 3. *Metellus tamen poſtulat, ut ſibi poſtero die in foro obnuntietur. Nihil eſſe, quod in campum nocte veniretur: ſe hora prima in comitio fore. Itaque ante diem undecimum Kal. in comitium Milo de nocte venit.* Gruch. ibid. c. 5. Manut. Caſal. & Panvin. l. l. Non poterant haberi niſi comitiali die. Quod cum hac exceptione intellectum volo, niſi nominatim, ut aliis etiam diebus cum populo agere ſibi liceret, quisquam legem tuliſſet. Quod feciſſe P. Clodium in Tribunatu ſcribit Cicero pro Seſtio: legem enim inter alias tulit, ut omnibus faſtis diebus legem ferre liceret. Erat etiam omnibus *comitiis* commune, ut cum populo agi non liceret ante primam horam diei. Ita legibus cautum fuiſſe ſcribit Dion. XXXIX. p. 120. C. ubi dicit, Prætorem Ser. Galbam de triumpho C. Pomptini rogationem male tuliſſe, quod ſummo mane ante primam horam diei *comitia* habuiſſet. Quo pertinent verba Cicer. Attic. IV. 16. *Pomptinus vult ad* IV. *Non. Novemb. triumphare. Huic obviant Cato & Servilius Prætores, & Q. Mutius tribunus plebis. Negant enim latum de imperio. Et eſt latum hercle inſulſe.* Cum enim lex de triumpho Proprætoris & Proconſulis id continere deberet, ut liceret ei, qui triumpharet, cum imperio eſſe eo die, quo Urbem ingrederetur, ideo Cicero eam legem appellat *de imperio*: quæ lex *inſulſe* lata dicitur, quia occulte ante primam horam diei lata eſſet. Propius tempus *comitiorum* definiri non poteſt, niſi in ordinariis magiſtratibus. Nam legum, judiciorumque, & extraordinariorum magiſtratuum *comitia* certum tempus habere non poterant: quandoquidem pro publica neceſſitate, ac voluntate magiſtratuum variis anni temporibus haberentur. *Gruch. ibid. c.* 6. *Manut. & Panvin. l. l.* Diverſa fuerunt a curiatis. I. quia tribus a curiis ſemper fuerunt diverſæ. V. infr. in *Tribus*. II. quia primum ſunt habita in judicio Coriolani, quod ſcribit Dionyſ. VII. p. 446. Sed non dici poteſt ad hoc uſque tempus non fuiſſe habita curiata. III. ſi eadem, quorſum legem tuliſſet P. Volero, ut plebeji magiſtratus tributis *comitiis* crearentur qui curiatis ante creabantur, ut ait idem Dionyſ. IX. p. 600. IV. Quinetiam ex Cicerone oſtendi poteſt ſua etiam ætate diverſa fuiſſe pro Dom. c. 29. *[illegible], ſi aut negaſſes, aut tacuiſſes, ſi tamen id triginta [illegible], num id juſſum eſſet ratum?* At, cum tribuum meminit, paſſim dicit quinque & triginta fuiſſe. In Rull. II. 11. prima *comitia* magiſtratibus creandis fuiſſe dicit centuriata, aut tributa, ſecunda autem curiata, quæ tantum auſpiciorum cauſa remanſerunt. Quæ profecto vera eſſe non poſſent, niſi tributa eſſent diverſa a curiatis. *[illegible] p. 2796. E.*

COMITIUM [illegible] Romani, in quo Roſtra [illegible]. [illegible] e Roſtris [illegible]bant, in forum & *comitium* [illegible] poterant. *Sigon. de Judic.* I. 7. Ad radices [illegible] Capitolium. Varr. de Ling. Lat. IV. 32. *[illegible]. Sub dextra hujus a comitio locus ſubſt[illegible]tus.* Quo videmus *comitium* prope curiam fuiſſe. Aſcon. Cicer. Verr. III. *Comitium locus eſt propter Senatum, quo coire Equitibus & populo Romano licet.* Porro idem Varroni eſt, *a dextra curiæ*, quod Aſconio *propter Senatum.* Curia autem circa medium forum ad radices Palatii fuit. V. infr. in *Curia.* Nam cum Roſtra in medio eſſent foro, curia ante quam Roſtra fuerunt, ibidem eſt ponenda, & ad ejus lævam *comitium.* Liv. I. 36. V. illum infr. in *Statua Accii.* Dion. XLVII. p. 338. A. V. illum infr. in *Curia Julia.* Curia igitur & *comitium* cum ſub imo Palatio eſſent conſtituta, nihilominus erant in foro. *Donat. de Urb. Rom.* II. 18 *Marlian. Topogr. Urb. Rom.* III. 1. *Nardin. Rom. Vet.* V. 2. *Auguſtin. de Legib. c.* 8. *Putean. de Jurejur. Theſ. Ant. Roman. Græv. Tom.* V. *p.* 898. *A. Pollet. For. Rom.* I. 3. & 4. *Thyſ. in Gell.* IV. 5. *Rhodig. Ant. Lect.* X. 17. *Alex. Gen.* II. 12. *Briſſon. de Form.* II. *p.* 238. *Demſter. Paralip. ad Roſin. Antiq. Roman.* VI. *p.* 483. *Blond. Inſtaur. Rom.* II. §. 67. & 68. *Gruch. de Comit. Roman.* II. 7. *Gutberl. de Saliis c.* 18. Partem fori fuiſſe non colligitur ex Varronis & Aſconii ſupra allatis. Forſan partem fori dixerunt, qui hoc dixerunt, quia a foro diſtinxerunt. Verum quomodo diſtingui potuit, ſi & intectum fuit & in foro? Situs ipſe veritati lucem fœnerat. Nam, quum curiæ Hoſtiliæ conjunctum fuerit, quæ in Palatini montis radicibus ſita erat ipſo foro editior, ipſum quoque in iiſdem radicibus conſtitutum altitudine loci a foro diſtinctum fuiſſe conſequitur. Hinc Varr. de Ling. Lat. IV. 32. de Græcoſtaſi loquens ſubſtructiones commemorat. *Sub dextra cujus a comitio locus ſubſtructus* . . . . . Fortean quoque non ſolo ſitu, ſed & intercedente humiliore muro a foro diſcretum fuit, ſicut ſepta tabulatis. E Livio jam allato colligi poſſit ad curiæ ſiniſtram fuiſſe, adeoque inter ædes S. Mariæ Liberatricis & S. Theodori. Verum ſi ita ſe res habuit, quomodo potuit eſſe conjunctum cum area Vulcani, quæ inter S. Laurentii in Miranda & S. Mariæ Liberatricis ædes fuit. Quin hic *comitium* fuit, & non alibi: atque ideo Varro *ſub dextram curia dixit, a comitio locus ſubſtructus* . . . quod Sacræ viæ confine fuiſſe e congreſſu Romuli & Tatii apparet, quorum fœdus teſte Feſto Sacræ viæ nomen fecit, quemadmodum & *comitio*, uti Plutarchus prodidit in Romul. p. 30. A. *Locus ubi fœdus ictum fuit, hodie quoque a coeundo comitium vocatur.* Nec obſtat Livius, modo recte intelligatur. Curia namque *comitio* conjuncta non modo januam & gradus habuit verſus forum, ſed & a latere, qua legati gentium exterarum e Græcoſtaſi per *comitium* in Senatum introducti. Hoc ita ſtatuto, bene ſe habent hæc Liv. V. 55. *Cum Senatus paullo poſt de his rebus in curia Hoſtilia haberetur, cohorteſque ex præſidiis revertentes forte agmine forum tranſirent, centurio in comitio exclamavit . . . . qua voce audita & Senatus accipere ſe omen ex curia exclamavit.* Quando igitur Livius de ſtatua Accii in *comitii* gradibus poſita loquitur, quibus e *comitio* in forum deſcendebatur, in illa parte fuiſſe cenſenda eſt, cui lateralis curiæ porta obverſa eſt: atque ita gradus *comitii*, & ſtatua Accii ad ſiniſtram curiæ fuere in forum deſcendentibus. Quæ quum dicimus, *comitium* in foro fuiſſe ſtatuimus: quod ſi inter curiam & viam Sacram ad Vulcanale collocaverimus, dicendum erit cum Varrone, ad dextram curiæ fuiſſe, id eſt, inter ædes S. Mariæ Liberatricis, & S. Laurentii in Miranda. *Tectum eſt eo anno primum, ex quo Hannibal in Italiam venit.* Liv. XXVII. 38. Columnæ prealtæ ad S. Mariæ Liberatricis ædem reliquiæ ſunt illarum, quæ tegendo inſervierunt. Explodimus ridiculam illorum opinionem, qui pontis eas Caligulæ fuiſſe exiſtimaverunt, aut Statoris Jovis, quod templum nec in foro fuit, nec illic ſitum eſſe potuit. Index hujus veritatis ſolum ipſum eſt, multo editius & foro, & arcu Severi: ut & epiſtylium magnifica ſculptura verſus forum exornatum, ab altera vero parte rude & impolitum, qua arcum Titi reſpicit, quippe cui tecti trabes inhæſerint, incubuerintque. *Nardin. l. l.* Hoc Ædiles ornabant in ludorum editione I. Porticibus. Suet. Jul. c. 10. n. 1. *Ædilis præter comitium, ac forum, baſilicaſque etiam Capitolium ornavit porticibus ad tempus exſtructis.* II. Signis & tabulis pictis. Aſcon. Cicer. p. 86. *Ædili atque Prætori Hortenſio, & item Metellis, rapta ex provinciis ſigna ad ornandum forum & comitium commodaverat Verres; olim enim, cum in foro ludi populo darentur, ſignis ac tabulis pictis, partim ab amicis, partim e Græcia commodatis utebantur ad ſcenæ ſpeciem, quia adhuc theatra non fuerant.* III. Opere tectorio. Plin. XXXV. 15. *Lacedæmone quidem exciſum lateritiis parietibus opus tectorium propter excellentiam picturæ ligneis formis incluſum Romam deportavere in Ædilitate ad comitium exornandum Murena & Varro.* Laz. Comm. Reip. Rom.

Rom. x. 1. Pitisc. in Suetonium. In illo fuit ara quæ puteal Libonis dicta, & ad hanc jurare judices soliti, sed & pejerare. Plaut. Curc. iv. 1. 9.

Qui perjurum convenire vult hominem, mitto in comitium.

Turneb. Adv. xxvii. 27. Putean. ibid. p. 897. A. Sigon. de Judic. i. 28. In illo fœdus fuit a Romulo & Tatio ictum. Etiam ficus, sive caprificus, sub qua expositi sunt ad Tiberim Romulus & Remus in illo fuit. Tacit. Annal. xiii. 58. 1. & Plin. xv. 18. V. illam infr. in *Ficus.* Donat. l. l. Marlian. ibid. ii. 12. Voss. de Idolol. v. 5. Salmas. in Solin. p. 801. b. B. Godelev. in Liv. p. 316. Et lapis niger a Romulo ad sepulturam sibi destinatus. Festus. V. illum infr. in *Lapis.* Nardin. Rom. Vet. v. 2. *Comitii* usus fuit I. Coitio curiarum, quæ *comitia* curiata dicta. II. Disceptatio controversiarum. Varr. de Ling. Lat. iv. 32. *Comitium ab eo, quod coibant: & comitiis curiatis, & litium causa.* Macrob. Sat. iii. 16. *Veniunt in comitium tristes: jubent dicere, quorum negotium est: narrant. Judex testes poscit.* Plaut. Pœn. iii. 6. 12.

Cras mane quæso in comitio estote obviam.

III. Animadversio in reos. Plin. Epist. iv. 2. *Cum in comitio cæderetur, in hac voce perstiterat . . . . . Se comitium & virgas pati nollet, ad confessionem confugeret.* Senec. Contr. vii. 1. *Nefas commissum est: ad expiandum scelus Triumviris opus est, comitio, carnifice.* Nardin. & Gruch. l. l. Borrich. Ant. Fac. Urb. c. 10. §. 1. Perizon. de Prætor. §. 25. Pitisc. in Suet. Jul. c. 10. n. 1.

COMMANIPULARIS est miles, qui in eodem contubernio sub uno Decano erat, & militabat. Tacit. Hist. iv. 46. 7. *Prensare commanipularium pectora.* Inscriptio Romæ, in villa Justiniani:

TESTAMENTO
FIERI MANDAVIT
PER HEREDES
ÆLIUM RESTITUTUM
COMMANIPULAREM.

Commanipulo est Spartian. Nig. c. 10. V. illum infr. in *Fartum.* Spon. Misc. Erud. Antiq. Sect. vii. p. 255. Stuck. Ant. Conviv. i. 21. Stewech. in Veget. ii. 8. Oizel. in Min. Fel. p. 3. *Commanipulus* & *contubernalis* in veteri inscriptione: COMMANIPULUS. ET. HERES. EJUS. CONTUBERNALI. KARISSIMO. *Salmas. in Spartian. Adrian. c. 10.*

COMMEATUS est epistola dimissoria, qua miles a signis ad aliquod tempus dimittebatur. Paulus. V. illum infr. in *Emansio.* Epistolam vocant Arcadius, Honorius & Theodosius C. leg. 2. de Desertoribus. *Ne suppositis & commentitiis epistolis evadendi habeant facultatem.* Donat. Hec. i. 2. 100. *Commeare est abesse inde, ubi te esse oporteat. Commeatus est ex aliqua commoratione temporalis abscessus.* Dabatur a Tribunis cohortium, aut præpositis militum, aut vicariis & domesticis eorum, vel a Principe. C. de commeat. leg. 1. *Sigon. de Ant. Jur. Civ. Roman.* i. 15. *Stewech. in Veget.* ii. 19. *Guther. de Offic. Dom. Aug.* iii. 15. *Laz. Comm. Reip. Rom.* iv. 8. *Donat. Dilucid. p.* 651.

Commeatus est annona militaris, alimonia exercitus, aut hominis etiam privati. Vet. Glossæ: *Commeatus, σιτηρέσιον.* Cicer. Man. c. 17. *Reliquas merces, commeatusque ad obsidionem urbis, si accidat, reservant.* Suet. Aug. c. 16. n. 1. *Pace facta ob interclusos commeatus.* Inde *commeatibus nostros intercludere instituunt* dicit Cæs. Bell. Gall. iii. 23. 6. *Laz. Comm. Reip. Rom.* ii. 15. *Guther. de Offic. Dom. Aug.* ii. 11. *Pitisc. in Suetonium.*

Commeatus dicebatur etiam plurium simul navium appulsus. Suetonius. V. illum supr. in *Classis Alexandrina.* Hirt. Bell. Afric. c. 8. n. 1. *Rabirium Postumum in Siciliam ad secundum commeatum arcessendum mittit.* Cæs. Bell. Gall. v. 23. 2. *Duobus commeatibus exercitum reportare constituit.* Pro eo Græcanica voce cataplus usi sunt Martialis, Ausonius & Sidonius. V. illos supr. *Ruben. Elect.* ii. 13. *Laz. Comm. Reip. Rom.* vi. 5.

Commeatus quoque dicitur, cum manus juncta iter terra facit. Apul. Met. viii. p. 247. *Ut hac clara, & die jam provecto, & sole florido, vitantes* [illegible] *dias, cum & ipso lumine dirarum bestiar*[illegible] *impetus, non laciniatim* [illegible] *commeatu* [illegible]. Tuncæ [illegible]. Ruben. Elect. ii. 13.

COMMENTACULUM erat *genus* [illegible], *quam Flamines portabant, pergentes ad sacrificium,* [illegible] *amoverent.* Festus. Alex. Gen. iv. 17. Stuck. de [illegible] p. 111. & 121. Guther. de Jur. Pont. iv. 14.

COMMENTARIENSIS erat scriba, qui *commentarium* Principis conficiebat. *Commentarius* Principis [illegible] libellus Principis, in quo Princeps nomina omn[illegible] habebat, quibus aliqua Reipublicæ a[illegible]. *Sigon. de Ant. Jur. Prov.* ii. 2. [illegible] v. 12. *Guther. de Offic. Dom. Aug.* ii. 13. *Buleng. de Imp. Rom.* vi. 47. *Lomei. de Biblioth. c.* 12.

Commentariensis etiam dicebatur, qui diurna judiciorum acta excipiebat, qui & manu adnotabat, si eorum potestas postuletur. Paull. leg. 45. §. Quotiens ff. de jure fisci. *Quotiens apud fiscum agitur, actorum potestas postulanda est, ut merito iis uti liceat, eaque manu commentariensis adnotanda sunt.* Guther. de Offic. Dom. Aug. iii. 35. Rhod. Antiq. Lect. xvii. 10. Buleng. de Imp. Rom. vi. 47. Donat. Dilucid. p. 206.

Commentariensis quoque dicebatur, qui carceribus præerat. Ulpian. leg. Divus §. 1. ff. de bon. damn. *H*[illegible] *tionem non in compendium suum debent Præsides* [illegible], *sed nec pati optiones, sive commentarienses ea pecunia* [illegible]. Valentin. leg. ad commentariens. C. de cust. reor. *Ad commentariensem receptarum personarum custodia observatioque pertineat.* Firmic. Math. iii. 6. *Erunt co*[illegible]*larii, aut commentarienses, quibus damnatorum cura commit*[illegible]. Carceri inclusos, si criminis qualitas vincula ex[illegible]. V. infr. in *Custodia.* Illis, si [illegible], aut tres diurnas libellas pro alimentis dabat, [illegible], qua pauperes alebantur. leg. judices C. de Episcop. audientia. Tricesimo quoque die numerum personarum carceri inclusarum, varietatem delictorum, clausorum ordines, ætatemque vinctorum præfecto aut judici suggerere tenebatur, ne rei diu in carcere macerarentur leg. de his S. C. de custod. reor. Delinquentes etiam comprehendebat. Justinian. Edict. 13. c. 12. [illegible] Præfecto Augustali, ut *comm*[illegible] delinquentes mittat. Idem [illegible]. in S. P[illegible]: *Cum* [illegible] *in civit*[illegible] *res publicas, & ad* [illegible]. Examinandos ad tribunal Præfecti vel Præsidis ducebat; ut ex actis D. Claudii, Asterii, & Neonis martyrum sub Diocletiano Imperatore apparet. Sur. xxiii. Augusti. Baron. Annal. [illegible]xxxv. Torquebat & quandoque ipse fontes, ut ex actis D. Gurie & Sonnonæ martyrum apud Metaphrastem constat xv. Novemb. & Surium. *P*[illegible]*roll. Not. D*[illegible] *Orient. c.* 13. *Buleng. de Imp. Rom.* vi. 47. *G*[illegible] *Offic. Dom. Aug.* ii. 13. *Tiraquell. in Alex.* vi. 22. *P*[illegible] *Annot. post. c.* 77. *Bud. in Pand. p.* 104. *K. Poller. For. Rom.* v. 14. *Schill Noment. P*[illegible] *p.* 323.

Commentariensis in castris erat, qui obsequia militum, excubias, commeatusque, & alia hujusmodi in *commentarios* referebat, ut scribit Veget. ii. 19. *Sigon. de Ant. Jur. Prov.* ii. 2. *Donat. Dilucid. p.* 206.

COMMENTARIUS, sive *commentarium* dicitur, quicquid ita conficimus, ut memoriæ tantum gratia, non plenæ narrationis facere videamur, in quo scilicet capita tantum, & summas rerum adnotare solemus. Cicer. Brut. c. 44. *Ipsa illa censoria contra Cn. Domitium coll*[illegible] *non est oratio, sed quasi capita rerum & orationis commentarium paullo plenius.* Sen. Contr. Exc. Præfat. *Nec hoc commentario contentus erat, in quo nudæ res ponuntur.* A Græcis dicuntur ὑπομνήματα. Illo utitur Cicer. Attic. xv. 23. Inde com-

commentarii Cæsaris dicti, in quibus res ejus in Gallia, & bello civili gestæ, non late, & plene enarrantur, sed veluti perstringuntur. De quibus Cicer. in Brut. c. 75. Suet. Jul. c. 56. n. 4. *Bud. in Pandect. p.* 104. I. *Panciroll. Notit. Dign. Imp. Orient. c.* 13. *Pitisc. in Suetonium.*

Commentarii pontificum. V. illos infr. in *Fasti.*

Commentarius Principis dicebatur codex, in quo viri ad obeundas dignitates ad tempus electi scribebantur, ac prout magistratu decedebant, in annuos successores renovabantur. Modestinus. V. illum supr. in *Abesse.* Panciroll. Notit. Dign. Imp. Roman. Præfat. Guther. de Offic. Dom. Aug. III. 9. & 35.

Commentarius privati erat scriptum, quod sibi quisque privatim domi faciebat, quasi quoddam memoriæ promptuarium eorum quæ agebant. Ascon. Cicer. p. 86. V. illum infr. in *Rationes privatæ.* Suet. Aug. c. 64. n. 4. *Filias & neptes vetabat loqui, aut agere quicquam, nisi propalam, & quod in diurnos commentarios referretur.* Pitisc. in Suet. Jul. c. 56. n. 4.

COMMIGRABANT ex ædibus in ædes Kalendis Juliis. V. infr. in *Kalendæ.*

COMMISSIO ludorum dicitur illorum exhibitio, & *commissi* ludi, inchoati. Virg. Æneid. v. 113.

Et tuba commissos medio canit aggere ludos.

Veteres glossæ. *Commissio*, συμβολή: *Commissor*, συμβαλλομάχος. Ex quo *commissiones*, quæ etiam pro comparationibus Poetarum & Oratorum accipiuntur. *Guther. de Vet. Jur. Pontif.* III. 21.

in COMMISSUM quod caderet res, erat pœna omissæ professionis mercium. Marcian. leg. 16. §. 3. ff. de Publican. *Quotiens quis mancipia invecta professus non fuerit, pœna commissi est.* In fragm. legum Censoriarum apud Quintil. Declam. 341. *Quod quis per publicanos improfessum transtulerit, commissum sit.* 359. *Quod quis professus non est, perdat.* Et a *commissi* pœna nemo nisi minor natu excusabatur. Marcian. ibid. §. 9. *D. Pius rescripsit, cum quidam intra legitimam ætatem esse dicebat, usus causa mancipia duxisset, & in sola professione errasset: ignoscendum esse ei.* Ignorantia non excusabat. Marcian. l. l. *Licet quis se ignorasse dicat, nihilominus eum in pœnam vectigalis incidere D. Adrianus constituit.* Sed errore lapsus non perdebat, sed duplex vectigal præstando eas servabat. Marcian. ibid. §. 10. *Divi fratres rescripserunt, cum quidam non per fraudem, sed per errorem, in causam commissi incidisset, ut duplo vectigali contenti publicani servos restituant.* Burman. Dissert. de Vectig. c. 5.

COMMITTERE est duos, pluresve in certamen conjicere. Suet. Aug. c. 45. n. 5. *Spectavit studiosissime pugiles, quos etiam committere cum Græcis solebat.* Poetæ quoque & Oratores in theatris *committebantur.* Græci tales *commissiones* dicunt δείξεις, ἐπιδείξεις. Tertull. adv. Gnost. c. 6. *Ita ab ævo dignissimum creditum est studiorum experimentum, committere artes, corporum & vocum præstantiam expendere, præmio indice, spectaculo judice, sententia voluptate.* Suet. Claud. c. 41. n. 2. *Cum primum frequenti auditorio commisisset.* In theatris enim & ludis Imperatorum laudes adulatores celebrabant. Suet. Aug. c. 89. n. 8. *Admonebat prætores, ne paterentur nomen suum commissionibus obsolefieri.* Plin. Paneg. c. 54. n. 1. *Et quis jam locus miseræ adulationis manebat, cum laudes Imperatorum ludis etiam & commissionibus* (ita pro *comessationibus* ad Suetonium legit Casaubonus) *celebrarentur.* Fab. Agon. I. 26. Bud. in Pandect. p. 117. H. 139. I. Heins. Dissert. de Crit. ort. p. 8. Rycq. de Capit. c. 35. Guther. de Jur. Pontif. III. 21. Turneb. Adv. XXI. 29. Demster. Paralip. ad Rosin. Antiq. Roman. v. 4. Et gladiatores, quorum paria comparabantur ad pugnam. Suet. Claud c. 34. n. 6. *Bestiariis, meridianisque adeo delectabatur, ut præter destinatos etiam levi, subitaque de causa quosdam committeret.* Aug. c. 45. n. 5. *Spectavit studiosissime pugiles, & maxime Latinos; non legitimos, atque ordinarios modo, quos etiam committere cum Græcis solebat. . . .* Lips. Saturn. II. 19. Thys. de Gladiat. p. 231. Casaub. Donat. & Pitisc. in Suetonii Augustum, & Claudium.

COMMODA, præmia, & dona militum solebant veteres distinguere. *Commodum*, nam de præmiis & donis suis agemus locis, erat I. præda, qua onusti domum redibant milites; nam capta oppida & urbes prædæ militum dari solebant. Liv. II. 25. *Postero die ad Suessam Pometiam, quo confugerant hostes, legionibus ductis, intra paucos dies oppidum capitur: captum prædæ datum. inde paullum recreatus egens miles.* II. Ager captivus, qui sæpe militibus dividi solebat. Liv. II. 41. nam cum non longe abesset ab Urbe, percommodum fuit hoc facere. III. Stipendium quod quando institutum ut daretur V. infr. in *Stipendium.* IV. Vestis. Plutarchus in Gracchis refert, Gracchum legem tulisse de veste militibus publice danda sine ulla stipendiorum imminutione. V. illum infr. in *Lex Sempronia.* Vopisc. Prob. c. 8. *Ille singulos manipulos adiit, vestes & calceamenta prospexit.* V. Annona. Vopisc. Prob. c. 10. *Te quæso, annonam, & commeatus, & quicquid necessarium est ubique militi pares.* Lampr. Alex. Sev. c. 45. *Deinde per ordinem mansiones, deinde stativæ, deinde ubi annona esset accipienda.* VI. Agri, horrea, & domus in provinciis. Vopisc. Prob. c. 14. *Agros, horrea, & domos, annonam Transrhenanis omnibus fecit.* Lampr. Alex. Sev. c. 58. *Sola quæ de hostibus capta sunt, limitaneis ducibus & militibus donavit, ita ut eorum ita essent, si heredes illorum militarent, nec unquam ad privatos pertinerent, dicens, attentius eos militaturos, si etiam sua rura defenderent. Addidit sane his & animalia & servos, ut possent colere quod acceperant.* VII. Privilegia omnia, quale illud apud Liv. II. 24. *Ne quis militis, dum in castris esset, bona venderet, aut liberos, sive nepotes moraretur.* VIII. Legata testamento: solebant enim morientes Imperatores cohortibus, & legionibus legare pecuniam. Tacit. Ann. I. 8. 3. & Suet. Aug. c. 102. n. 4. *Prætorianarum cohortium militibus singula nummum millia: legionariis autem cohortibus civium Romanorum trecentos nummos viritim divisit.* IX. Donativum. Lampr. Alex. Sev. c. 26. *Congiarium populo ter dedit, donativum militibus ter.* Vopisc. Probo. *Nam Imperator factus militi stipendium & donativum promisit.* X. Promotiones ad militiæ gradus. V. Lampridium in Alexandro Severo. *Robortell. de Commod. militar. Thes. Ant. Roman. Græv. Tom* X. *p.* 1474. . . . *Lips. in Tacit. Annal.* I. *Excurs. G. de Milit. Roman.* V. 19. *Chimentell. de Hon. Subs. c.* 38.

COMMODATUM erat contractus, quo gratis alicujus rei usus ita concedebatur, ut accipiens summam in ea reddenda ipse diligentiam *præstare deberet.* Sigon. de Judic. I. 5. Brisson. de Form. VI. p. 529.

COMMODUS Lucius Cejonius, a T. Antonino adoptatus L. Aurelius Verus appellatus est, & cum fratre adoptivo M. Aurelio Antonino eodemque socero suo imperium obtinuit. Filius fuit L. Cejonii Commodi Veri. *Augustin. de Famil. Roman. in Ælia.* Auriga fuit. Herod. I. 13. 17. *Commodus aurigando, bestiisque conficiendis supra modum exercebatur, ob quæ studia adulatores eum fortitudinis gloria celebrabant.* Lampr. Comm. c. 2. *Aurigæ habitu currus rexit, gladiatoribus convixit.* Panvin. de Lud. Circ. I. 12. Jaculator fuit. Herod. I. 15. 6. *Cervos & hinnulos, cæteraque animalia cornigera, tauris exceptis, concurrens & insequens feriebat, leones e loco superiori.* Buleng. de Circo c. 27. Strangulatur in domo Vestiliani. *Prosper Chron. Thes. Ant. Roman. Græv. Tom.* XI. *p.* 295. *B.*

COMMUNIO bonorum inter maritum & uxorem. V. illam supr. in *Bona.* Sacrorum infr. in *Sacra.*

COMOEDIA quomodo differebat a tragœdia, & quænam illarum prior sit. V. infr. in *Tragœdia.* Definientibus Græcis, est perioche periculi expers, rerum privatarum & publicarum. Donatus ita definit: *Comœdia est fabula, diversa instituta continens affectuum civilium ac privatorum, qua discitur quid sit in vita utile, quid contra evitandum.* Cicero apud Donat. in vit. Terent. *Comœdia est imitatio vitæ, speculum consuetudinis, imago veritatis.* Quod visus est accepisse a Livio Andronico, qui ante Ciceronem dixerat esse quotidianæ vitæ speculum: nec injuria: nam ut intenti speculo veritatis lineamenta facile per imagines colligimus: ita lectione *Comœdiæ* imitationem vitæ,

con-

'conſuetudiniſque non ægerrime animadvertimus. *Gyral. Dial. de Poet.* VI. *p.* 320. *F.* Errarunt, qui ſic definiverunt *comœdiam.* Principio aliis quoque fabulis convenit non dramaticis, quæ ſimplici narratione recitari poſſunt. Deinde in *comœdia* ſemper eſt periculum, alioquin exitus eſſent frigidiſſimi. Quid enim eſt aliud periculum, quam imminentis mali aditio, ſive tentatio? Præterea non ſola pericula, ſed etiam damna lenonibus, rivalibus, ſervis & heris: quemadmodum in Aſinaria & Moſtellaria ipſi quoque heri male mulctantur. Adhæc prætextatas *comœdiæ* nomine appellare nequeant ex 'ea definitione; non enim ſunt privatæ perſonæ. Poſtremo & mimis communis eſt definitio, & ſatyræ dramaticæ. Ego itaque ſic definio: *Comœdia* eſt poema dramaticum, negotioſum, exitu lætum, ſtylo populari. Quemadmodum in cæteris quoque ita uſu venit, ut tempus artium ſit, & lima, & lex: politioribus deinde ſeculis in artem eſt redacta, certiſque præſcripta ſimitibus. Itemque conſtituta loca ac tempora, in quibus ageretur. Nam quod ajunt (V. *Gyrald. ibid. p.* 321. *B. Buleng. de Theat.* I. 2.) Apollini Nomio, id eſt, paſtorali per compita & vicos cantatum carmen, a quibus appellata ſit *comœdia:* id poſtea contigiſſe arbitrandum eſt: neque tam tunc originem exſtitiſſe, quam ortæ rei cultum quendam. Ne erremus cum Idomeneo, qui auſus eſt affirmare, Piſiſtratidarum inventum eſſe θαλίας & κώμυς, id eſt, hilaritates & facetias; veteri enim licentia ab aliis inventas & inchoatas acceperunt, atque excoluerunt. Par Varronis lapſus. Neque enim, ut arbitratur, idcirco dictam putes, quia juvenes quæſtus gratia vicos circumire ſoliti eſſent, in quibus fabulas recitarent. In vicis enim prius nota fuit, quam circumlata. Et profecto luſus quoque, quam quæſtus prior. Quemadmodum ne id quidem verum, ab Epicharmo inditum nomen hoc, quum exſul in Co inſula ſcriberet hoc genus poematis. Ab aliis enim ſimul cum re nomen acceperat: quam ingenio ſuo fecit ille cultiorem. Quemadmodum enim Siculi Bucolicum ſibi vindicarunt: ita etiam ſe pro *comœdiæ* auctoribus gerunt. Quippe jactant ſe Megarenſium colonos, ſuumque civem Epicharmum profitentur, qui ante Chonnidam & Magneten vixit: ut falſo his attribuantur initia *comœdia.* Neque vero ſolum aſſerunt natalia; verum etiam & cultum, & nobilitatem: ſiquidem ejus poematis laus, atque gloria penes Phormin & Epicharmon ſtetit, qui primi rudem ab antiquis acceptam dicacitatem fabulis inſertis, ei quaſi animam addidere. *Scalig. Poet.* I. 5. *Voſſ. de Inſtit. Poet.* II. 22. §. 2. Tres ejus fuerunt partes; canticum, quod duabus tibiis, una perſona, aut duabus conſtabat: chorus, qui incerto numero perſonarum, ſed omnium vocibus in unum confuſis utebatur: diverbio, quod colloquio trium, aut quatuor perſonarum conſertum erat. Nunc vero in *comœdiis* Plauti & Terentii præter diverbia nihil habemus. *Buleng. ibid.* II. 26. *Gyrald. ibid. p.* 329. *G.* Vetus ſimplex carmen fuit, quod chorus circa aras fumantes, nunc ſpatiatus, nunc revolvens gyros cum tibicine concinebat. Sed primo una perſona ſubſtituta eſt cantoribus, quæ reſpondens alternis choro locupletavit, variavitque rem muſicam, tum altera, tum tertia: & ad poſtremum creſcente numero, per actores diverſos, perſonæ, pallæ, ſocci, & cæteri ornatus, atque inſignia ſcenicorum reperta; & ad hæc, unicuique ſuus habitus, & ad ultimum, qui primarum partium, qui ſecundarum, & tertiarum, qui quartarum & quintarum actores eſſent. Unde & in quinque actus tota fabula diſtributa eſt. In illa non ficta ut nunc argumenta, ſed res geſtæ a civibus palam & nominatim exponebantur. Cum autem Poetæ abuterentur licentius ſtylo, lege lata, ne quiſquam in alterum carmen infame proponeret, tandem ſiluit. Et cum exoleviſſet, exorta eſt nova, concinna argumento, conſuetudine congrua, utilis ſententiis, grata ſalibus, apta metro. Vetus ab initio chorus fuit, paullatim in quinque actus proceſſit. In nova choro nullus locus eſt, quod canente choro ſpectatores faſtidioſi abirent. *Buleng. ibid.* I. 6. *Scalig. ibid. c.* 7. *Gyrald. ibid. p.* 329. *C. Mareſchott. de Perſon. & Larv. c.* 2. *Caſal. de Urb. ac Imper. Roman. ſplend. part.* 2. *c.* 7. Illarum patrem, primum Ariſtophanem, & Menandrum apud Græcos habemus, & apud Romanos Livium Andronicum, qui fabulas Romæ recitavit anno ab. U. C. 513. & poſt illum Licinium, Cæcilium, Plautum, Terentium. In compitalitiis ludis agebantur ad refrenandos mores, cum etiam in curulibus, in megalenſibus, & in funebribus. In funeribus inſtitutæ ſunt ad demonſtranda defunctorum facinora, virtutes, merita, vel in patriam, vel aliis in rebus geſtis. *Ferret. Muſ. Lapid.* I. *Memor.* 26. III. *Memor.* 42. *Voſſ. ibid.* §. 6. Inter cœnandum etiam agebantur. V. ſupr. in *Cœna.* Illarum clauſula uſitata erat, ſive unica voce, *Plaudite,* ſive duabus, *Valete, & plaudite.* V. infr. in *Plaudere.* Ferrar. de Vet. Acclam. & Plauſ. c. 3.

Comœdiæ Atellanæ erant Latinæ, jocis & ſalibus compoſitæ, quæ in ſe non habebant niſi vetuſtam elegantiam, ab Atella civitate Campaniæ, quæ nunc *Averſa* vulgo exiſtimatur, dictæ, in qua primum cœptæ ſunt, argumentis dictiſque jocularibus ſimiles Satyricis fabulis Græcis. *Atellana differt* I. *a Satyra, quod in Satyris fere Satyrorum perſonæ inducuntur, aut ſi quæ ridiculæ ſunt Satyris ſimiles: ut, Silenus, Autolycus, & Burrhus: in Atellanæ perſonæ obſcœnæ.* Diomed. III. p. 488. Sane & perſonata fabula fuit, quam quidam putant primum a perſonatis hiſtrionibus dictam: ſed cum poſt multos annos *comœdi* perſonis uti cœpere, veroſimilius ait eſſe Sex. Pompejus, *eam propter inopiam comœdorum actam novam per Atellanos, qui proprie vocantur perſonati, quia iis fuit non cogi in ſcena ponere perſonam, quod cæteris hiſtrionibus pati neceſſe eſt.* Gyrald. Dial. de Poet. VI. p. 329. Voſſ. Inſtit. Poet. II. 35. C. Salmaſ. Exerc. Plin. p. 77. b. A. Buleng. de Theat. I. 6. & 10. Ferret. Muſ. Lapid. III. Mem. 42. Scalig. Poet. I. 7. Caſaub. de Roman. Satyr. II. 4. Qui cum Gyraldo apud Diomedem ſic legunt. Sed legendum *Oſcæ.* Nam Atella Oſcorum civitas, quorum perſonas inducebant. Obſcœnæ perſonæ vero mimis potius conveniebant, quam Atellanis. *Voſſ. ibid.* §. 6. *Cren. in Caſaubonum.* II. a mimis. Cicer. Fam. IX. 16. *Non, ut olim ſolebat, Atellanum, ſed, ut nunc fit, mimum introduxiſti.* Nimirum conqueritur Cicero, quod a Papirio non modeſte, & more Atellanarum riſus ſit, ſed mimice, & parum verecunde. Loci hujus ſententiam Loenſis non eſt aſſecutus, qui Epiphyll. II. 12. ex illo colligit, mimorum fabulas eaſdem fuiſſe poſteris, quæ priſcis erant Atellanæ. Hæ enim ab illis differunt, quæ jocis quidem & ipſæ, ſed aliquanto modeſtioribus compoſitæ erant: &, ut ait Donat. in Terentii vita, *in ſe non habebant niſi vetuſtam elegantiam:* id eſt, minus dicaces erant, quam mimi. Propterea Val. Max. II. 4. §. 4. *genus hoc delectationis Italica ſeveritate temperatum, ideoque nota vacuum, & ab Oſcis accitum eſſe dicit.* Et, a quo ſumpſit Valerius, Liv. VII. 2. laudatus infr. in *Exodia.* Quod igitur elegantiam in Atellanis Donatus eſſe dixit, non ad ſermonis genus, quod rude, & impolitum fuit; qualis erat Oſcorum lingua, a quibus Atellanæ acceptæ, ſed ad ſententiarum munditiem refero, jucundam auribus nobilium virorum, ſicut mimorum laſciva dicacitate inferiorum ordinum homines delectabantur magis. Præterea ſermone Oſco, non Romano Atellana componebatur: a pluribus, non ab uno tantum, agebatur, habebat exodia, ut oſtendit Livius; ex quo patet in actus diſtributam fuiſſe. Poſtremo cum tibicine, cantu, motu corporis agebatur: quod ex eodem Livio licet intelligere. Mimus vero parum modeſte dicax; quippe quæ dicta ſit, ut ait Donatus, *ab imitatione diuturna vilium rerum, & levium perſonarum;* itaque Macrob. Sat. III. 7. *mimis laſciviam* tribuit: quod Romana lingua, non Oſca: quod ab uno tantum agebatur: quod exodiis carebat; neque enim in quinque actus, ut Atellana, & reliquæ fabulæ, quibus actibus inſerebantur ad animos recreandos exodia, dividebatur, ſed perpetuam actionem habebat: quod neque adhibito tibicine, neque cantu, neque cum corporis motu, ut reliquæ fabulæ, agebatur. Præter hæc, quæ mimum ab Atellana diſtinguebant, addo cives Romanos ingenuos Atellanas tantum agere ſolitos eſſe, quia *genus illud*

nota vacuum fuit, ut modo Valerius; reliquas fabulas, & in iis mimum, a servis, aut libertis, aut a peregrinis actas esse. *Manut. in Ciceronem, Voss. & Cren. l. l.* Hac de causa illarum actores honestiori loco erant, quam cæteri histriones. Liv. VII. 2. *Eo institutum manet, ut actores Atellanarum nec tribu moveantur, & stipendia, tanquam expertes artis ludicræ, faciant.* Val. Max. II. 4. §. 4. *Ideoque vacuum nota est, nam neque tribu movetur, neque a militaribus stipendiis repellitur.* Voss. ibid. §. 7. Scalig. l. l.

Comœdiæ mixtæ dicebantur, quæ ex utroque actu, tum statariæ, tum motoriæ consistebant, ut Eunuchus. *Gyrald. Dial. de Poet.* VI. *p.* 329. *E. Ferret. Mus. Lapid.* III. *Mem.* 42. *Cuper. Obs.* I. 10. *Voss. de Instit. Poet.* II. 7. §. 7.

Comœdiæ motoriæ erant turbulentæ, in quibus scilicet turbæ excitabantur, quæ & negotiosæ appellabantur: vel, ut alii, quæ res turbulentas inducebant, ut Amphitryo. *Ferret. Mus. Lapid.* III. *Mem.* 42. *Scalig. Poet.* I. 7. *Gyrald. Dial. de Poet.* VI. *p.* 329. *E.*

Comœdiæ palliatæ dicebantur Græcæ, quia pallium fuit Græcorum indumentum exterius. In prolegomenis ad Terentium: *Comœdiæ formæ sunt tres. Palliatæ Græcorum habitum ferentes.* Interpres vetus Juven. ad Satyr. I. 3. *Togatæ sunt comœdiæ Latinæ, palliatæ Græcæ, quales Afranius fecit.* Afranius dedit togatas. Itaque verba illa, *quales Afranius fecit*, retrahenda sunt, & *togatis* subjicienda. *Ferrar. de Re Vest.* II. 4. I. *Scal. Poet.* I. 7. *Buleng. de Theat.* I. 6. *Ferret. Mus. Lapid.* III. *Mem.* 42. *Voss. de Instit. Poet.* II. 7. §. 2. Videntur eædem esse, quæ crepidatæ vocantur a Donat. Adelph. proleg. n. 7. Nam has species esse dicit fabulæ: tragœdiam, comœdiam, togatam, tabernariam, prætextatam, crepidatam, Atellanam, μικτὸν Rhinthonicam. Ubi, nisi per crepidatam intelligamus palliatam, nobilis species omissa erit. Potuit autem sic vocari, quia Græci, ut palliis, ita & crepidis uterentur. *Gyrald. Dial. de Poet.* VI. *p.* 328. *G. Voss. l. l.*

Comœdiæ planipediæ. V. illas infr. in *Planipes.*

Comœdiæ prætextatæ erant Latinæ. Horat. Art. Poet. n. 288.

Vel qui prætextas, vel qui docuere togatas.

Ubi prætextæ sunt prætextatæ. Neque tamen audiendi sunt, qui apud Acronem prætextatam tragœdiam dixerunt, comœdiam togatam: multo minus, qui ibidem togatas fuisse, in quibus Græca argumenta, prætextas, in quibus Latina. Nam, ut diximus, cum Latinæ essent, omnes erant togatæ, sed hæ viliorum, prætextatæ nobiliorum & Magistratuum. *Ferrar. de Re Vest.* II. 4. I. Nec audiendi sunt, qui togatas de viris togatis, prætextatas de pueris & puellis prætextatis compositas fuisse autumant. *Buleng. de Theat.* I. 6. Quos meliora docet Festus his verbis: *Prætextæ appellantur, quæ res Romanorum continent scriptas.* In illis enim Imperatorum negotia agebantur & publica, & reges Romani, vel magistratus inducebantur, qui prætexta, quæ illorum erat toga, utebantur in ipsis fabulis, erantque hæ personarum dignitate & sublimitate tragœdiis similes. A quibus tamen differebant, quod in tragœdia heroes introducebantur, in prætextatis Romanæ personæ, ut Brutus, Decius. Diomed. III. p. 487. Edit. Putsch. *Gyrald. Dial. de Poet.* VI. *p.* 329. *A. Scalig. Poet.* I. 7. *Ferret. Mus. Lapid.* III. *Mem.* 42. *Voss. de Instit. Poet.* II. 7. §. 4. Sed vix videtur potuisse dari *comœdiam*, in qua soli magistratus introducerentur. Probabilius erit, dictas ab argumenti gravitate, atque honestate, nulla jocorum licentia, atque obscœnitate, quæ magistratuum & pueritiæ sanctitatem dedeceret. Quanquam contra a verborum prætextatorum licentia, quis dictas suspicari possit. Sed tales togatæ omnes, viliorum scilicet personarum, lenonum, meretricum, nepotum, quibus vitæ li[illegible] co[illegible]gruens lascivior oratio. At prætextatas serias t[illegible] graves, omnique turpitudine vacuas fuisse credere p[illegible]. *Ferrar. l. l.*

Comœdiæ Rhinthonicæ appellabantur joculares & ridiculæ. Has Græci Hilarotragœdias, alii Latinas & Italicas vocaverunt. Rhinthon homo hilaris & festivus, floruit statim post Alexandrum, hoc est, per tempora primi Ptolemæi. Mixtæ erant ex *comœdia* & *tragœdia*: Unde *tragicomœdiæ* dictæ sunt. *Gyrald. Dial. de Poet.* VII. *p.* 400. *B. Ferret. Mus. Lapid.* III. *Mem.* 42. Suidas: *Rhinthon, Tarentinus comicus, auctor illius, quæ dicitur hilarotragœdia, quæ est jocosa, & ridicula scriptio. Fuit autem filius figuli idque temporibus Ptolemæi primi. Ejus vero fabulæ tragicæ, & comicæ, sunt* 38. Stephan. in Τάρας: *Rhinthon Tarentinus, qui ex tragicis fecit joculare, ac ridiculum fabulæ genus. Feruntur autem fabulæ ejus* 38. Voss. de Instit. Poet. II. 21. §. I. Donatus quare has reliquis addiderit, reddit rationem, quippe ab actore. Verum actor *comœdiæ* genus mutare, aut constituere qui possit, non video. Athen. III. meminit Rhinthonis tanquam poetæ, non quasi actoris, atque ejus fabulam Amphytrionem. *Scalig. Poet.* I. 7. *Cuper. Obs.* I. 10. Quare legendum puto *auctore*. At negant aliqui, a poeta novum posse constitui fabulæ genus. Nempe arbitrantur, eodem jure sic posse fabulas dividi in Plautinas & Terentianas. Sed valde errant. Nam poeta Rhinthon novum fabulæ genus induxit, quod inde Rhinthonicum nominatum est, atque ab hilaritate tragœdiæ aliter vocatum ἱλαροτραγῳδία. *Voss. l. l.*

Comœdiæ statariæ dicebantur sedatiores, in quibus non ita discurrebatur. Talis Hecyra, Asinaria. *Scal. Poet.* I. 7. *Ferret. Mus. Lapid.* III. *Mem.* 42. *Gyrald. Dial. de Poet.* VI. *p.* 329. *E.*

Comœdiæ tabernariæ dicebantur togatæ, humilitate personarum, & argumentorum similitudine *comœdiis* pares: in quibus non magistratus regesque, sed humiles & privatæ personæ inducebantur, quod olim tabulis regerentur domus privatorum, nuncupatæ. Differebant a *comœdia*, quod in *comœdia* Græci ritus inducebantur, personæque Græcæ, in hac vero Latinæ. In tabernariis Afranius & Ennius floruerunt. Illas innuit Horat. de Art. Poet. n. 223.

Migret in obscuras humili sermone tabernas.

Diomed. III. p. 487. *Gyrald. Dial. de Poet.* VI. *p.* 329. *B. Scal. Poet.* I. 7. *Turrig. in Inscript. Urs. Togat.* §. 2. Sed si nullus in illis togæ usus, cur inter togatas recensentur. Auctor Proleg. Terent. fuisse palliatas tradit. *Palliatæ Græcum habitum ferentes, quas nonnulli tabernarias vocant.* Sed paullo ante, si tamen unus auctor est, ab humilitate argumenti, & styli dictas putat. Quod palliatæ fuerint, non minus falsum est, quam notatio planipedum. V. illam infr. in *Planipes.* Quis enim ignorat infimam plebem, ac minutum populum in cœnaculis habitasse? Verisimilius est, dictas, quod opifices, institores, ac sellularii, qui in tabernis degerent, inducerentur. *Ferrar. de Re Vest.* II. 4. I. *Cuper. Obs.* I. 10.

Comœdiæ togatæ dicebantur, quæ, ut Diomed. III. p. 487. *scriptæ sunt secundum ritus & habitus hominum togatorum, id est, Romanorum. Toga namque Romana est.* Hinc & togatarius histrio appellatus est. Suet. Aug. c. 45. n. II. vocat Stephanionem togatarium: cujus & meminit Plin. VII. 48. *Minus miror Stephanionem, qui primus togatas saltare instituit. Togatas*, pergit Diomedes, *cum sit generale nomen, specialiter tamen pro tabernariis, non modo communis error usurpat, quod Fannius & togatas appellat; sed & Poeta, ut Horatius.* V. illum supr. in *Comœdiæ prætextatæ. Togatarum species sunt prætextatæ, tabernariæ, Atellanæ, planipediæ.* Gyrald. Dial. de Poet. VI. p. 328. F. Dicebantur duplici sensu, nam vel ponuntur pro Romanis, & tunc omnes species alias comprehendunt, vel aliis opponuntur, ut togatæ diversæ a prætextatis, & trabeatis, & tunc togatæ respiciunt populum. *Cuper. Obs.* I. 10. *Voss. de Instit. Poet.* II. 7. §. 2. & 6. Erantque prætextatæ nobiliores, ut minus nobiles, in quibus Senatores privati cum togis introducebantur. *Scal. Poet.* I. 7. Sed cur soli Senatores togati, cum gens universa togata esset? *Ferrar. de Re Vest.* II. 4. I.

Comœdiæ trabeatæ dicebantur, in quas procul dubio introducti triumphantes, aliique qui trabeæ jus habebant, &

forte

forte etiam reges. Illas Cajus Meliſſus invenit. Suet. Gramm. c. 21. n. 5. *Fecit & novum genus togatarum, inſcripſitque trabeatas.* Ex perſonis facile colligitur, tales peſſime *comœdias* vocari, & nullam aliam fabulam niſi tragœdiam eſſe poſſe. Quare de trabeatis ego quidem ampliandum cenſeo. *Cuper. Obſ.* 1. 10. *Voſſ. de Inſtit. Poet.* II. 7. §. 5. Et ego, cum trabeæ olim regum fuerint, iis pulſis penes equites in ſollenni tranſvectione remanſerint, inde a triumphantibus uſurpatæ, neſcio quis earum uſus in *comœdiis* eſſe potuerit. *Ferrar. de Re Veſt.* II. 4. I.

COMPAR dicitur maritus in hoc ſaxo apud Gruter. p. 793. n. 9.

JULIA. MATRONA
AUR. AQUILINO. COMP. . . .

Ita & Plaut. Caſ. IV. 2. 27.

Sed eccum progreditur, cum corona & lampade
Meus ſocerus, compar, commarıtus, villicus.

Urſat. de Not. Roman. Theſ. Ant. Roman. Græv. Tom. XI. p. 637. B.

COMPARARE inter ſe dicebantur Conſules, cum inter eos de conſularibus provinciis conveniſſet. Primis enim temporibus, cum provinciæ tuendæ armis eſſent, & in diſcrimine verſarentur, Conſules, inito ſtatim magiſtratu, in eas, quæ cuique obtigiſſent, exibant. Liv. XXXI. I. Cn. Servilius Cæpio, & C. Servilius Geminus *conſules, quum de Republica, belloque, & provinciis ad ſenatum retuliſſent, cenſuerunt patres, ut conſules inter ſe compararent, ſortirenturve.* Manut. de Legib. c. 10. Sigon. de Ant. Jur. Prov. II. I. Lycklama de Magiſtrat. c. 7. Perion. de Græcor. & Roman. Magiſtrat. Theſ. Antiq. Græcar. Gronov. VI. p. 2801. A. V. infr. in *Proconſules.*

Comparare dicebantur gladiatores, qui *paria* componebant. Quintil. VIII. 3. *Cum me una tamen res apud quoſdam faceret miſerabiles, quod viderer inique comparatus. Certe enim arenæ deſtinabar victima: nemo munerario vilius ſtetit.* Lipſ. Saturn. II. 19. Thulemar. in Freher. Cecropiſtr. Theſ. Antiq. Roman. Græv. Tom. IX. p. 1157. Thyſ. de Gladiat. p. 321. Terent. Adelph. II. 2. 3.

—— nunquam vidi iniquius
Concertationem comparatam, quam hæc hodie inter nos fuit.

Ubi Donatus: *Comparatam ad dictum Syri refert, qui ait, concertationem fuiſſe, pares faciens Æſchinum & lenonem.* Gonſal. in Petron. p. 57.

COMPEDES ſunt crurum vincula ferrea. *Ferrar. Anal. de Re Veſt. c.* 22. Græcis πέδαι dicuntur. Gloſſæ: *compedes,* πέδαι. Inde apud Plaut. Capt. III. 5. 64. *Craſſæ & ponderoſæ compedes.* Pondus in illis enim ſpectabatur, quia ex ferro. Demodocus in Medea apud Pollucem:

Trigintilibres juveni indantur compedes.

Quomodo differant a nervo etiam crurum vinculo V. infr. in *Nervus.* Salmaſ. de mod. uſur. c. 18. *Compedes* vinculis ſoluti ſuſpendebant Saturno. Mart. III. 29.

Has cum gemina compede dedicat catenas,
Saturne.

Saturnus enim *a filio regno potito in vincula conjectus eſt.* Macrob. Somn. Scip. I. 2. *Tomaſ. de Donar. c.* 38. Dicuntur etiam annuli. V. ſupr. in *Annulus.*

Compedes erant etiam genus tormenti, quo damnati in carcere poſiti, inſertis ad quartum, vel quintum foramen pedibus torquebantur. De *compede* Prudent. Periſteph. V. 249.

In hoc barathrum conjicit
Truculentus hoſtis martyrem;
Lignoque plantas inſerit
Divaricatis cruribus.

Illud de *crurum divaricatione* ſic explicat Euſeb. Hiſt. Eccleſ. VIII. 11. *Nonnulli poſt verbera in compedibus ligneis poſiti erant, ut pedes alter ab altero, ad quartum foramen diſtenti eſſent.* Quod tormentum adeo crudele erat, ut idem ſubjiciat, *jacuiſſe ſupinos.* Ejus ergo forma hæc erat, ut in trabe diverſa foramina eſſent, quibus pedes insererentur, ut modo ad quartum, modo ad quintum foramen, intruſis, ac divaricatis cruribus extenderentur, & diſtraherentur. Quod tormenti genus Metaphraſtes *cippum* appellat in vita S. Luciani: *Eſt autem,* inquit, *lignum oblongum, cui ambos ejus pedes immittebant, diſtrahentes ad quatuor foramina: quod quidem eſt in hoc ſupplicio graviſſimum, nam coxendices violenter a ſuis moventur articulis.* Ferrar. Elect. I. 6.

COMPEDITI qui villarum ac poſſeſſionum ergaſtulis continebantur, infimæ & miſerrimæ conditionis inter ſervos erant. leg. 15. §. 44. ff. de Injuriis. *Etenim multum intereſt, qualis ſervus ſit, bonæ frugi, ordinarius, diſpenſator: an vero vulgaris, vel mediaſtinus, vel qualis qualis: & quid ſi compeditus?* Unde illa de imminuta agriculturæ dignitate querela apud Plin. XVIII. 3. *At nunc,* inquit, *eadem illa vincti pedes, damnatæ manus, inſcripti vultus exercent.* Senec. Tranq. c. 10. *Cogita compeditos primo ægre ferre onera, & impedimenta crurum: deinde ubi non indignari illa, ſed pati propoſuerunt, neceſſitas fortiter ferre docet; conſuetudo facile.* Ovid. Pont. I. 6. 31.

Hæc facit ut vivat vinctus quoque compede foſſor;
Liberaque a ferro crura futura putet.

Dicuntur & alligati. Colum. I. 9. ubi ſcribit, *vineta plurimum per alligatos excoli.* Popm. de Oper. Serv. p. 147.

COMPERENDINATI dici poſſunt rei in cauſis criminalibus, quos curia dimiſſos fide ſua eſſe voluit, hoc eſt, quos ſuæ ipſorum cuſtodiæ commiſit, ut aut urbem carceris loco juſti habeant, aut privatam aliquam domum, ut fit interdum ex perſonarum dignitate, & genere cauſarum. Diu quis poterat dici *comperendinatus.* Cic. Verr. I. 7. *Deinde reliquis diebus, his criminibus, his teſtibus & urbanis, & provincialibus ſic obrutus atque oppreſſus eſt, ut his ludorum diebus interpoſitis, nemo illum comperendinatum, ſed condemnatum judicaret.* Poſſunt ideo dici, quia non plane abſoluti ſunt, ſed veluti vadimonio quodam obſtricti, vel quia nondum comperta ſatis crimina, vel quia ſe nondum innocentes approbaverunt. *Bud. in Pandect. p.* 33.

COMPERENDINATIO *eſt ab utriſque litigatoribus invicem ſibi denuntiatio in perendinum diem. Namque cum in rem aliquam agerent litigatores, & pœna ſe ſacramenti peterent, poſcebant judicem: qui dabatur poſt tertium diem: quo dato: deinde inter ſe perendinum diem, ut ad judicium venirent, denuntiabant.* Aſcon. in Cicer. p. 76. ne ſcilicet alter litigatorum imparatus tergiverſari poſſet. Eſt itaque nova accuſatoris & rei citatio. Nam duæ erant actiones, quarum prima perfecta: poſt diem tertium ſecunda eſt inſtituta, quæ *comperendinatio* dicta eſt, eo quod *perendino* die ageretur, id eſt, tertio, ita ut proprie dicatur, quando reus in tertium diem rejiciebatur. *Perendie* enim eſt, quod Græci μεταύριον dicunt, quaſi poſt craſtinum. Cicer. Attic. XII. 34. *Scies igitur cras, aut ad ſummum perendie.* Inde *perendinus dies,* verbum olim JCtorum: unde illud Cicer. pro Mur. c. 12. *Jam illud mihi quidem mirum videri ſolet, tot homines, tam ingenioſos, per tot annos, etiam nunc ſtatuere non poſſe, utrum diem tertium, an perendinum dici oporteret,* de JCtis ubi loquitur. *Perendinus dies* hodie quidem dici poteſt, cum judex ſtatuit, aut inter partes convenit, ut omne inſtrumentum litis apud acta utrimque proferatur intra triduum, hoc eſt, ut ſacculi apud graphiarium deponantur. Fluxit a Glaucia. Cicer. Verr. I. 9. *Glaucia primus tulit, ut comperendinaretur reus: antea vel judicari primo poterat, vel amplius pronuntiari.* Differebat perfecta actio a *comperendinatione,* quod in *comperendinatione* contra factum eſt atque in perfecta: ibi enim priore loco dixit accuſator, defenſor poſteriore: hic contra prius defenſor, poſterius vero iterum actor. *Moreſtell. de Diverſ. Dier. Dial.* XII. *Manut. de Legib. c.* 22. *Auguſtin. de Legib. in Acilia repetundarum. Sigon. de Judic.* I. 17. II. 20. *Bud. in Pandect. p.* 32. *E.* 92. *D. Donat. Dilucid. p* 859. *Turneb. Adv.* I. 3. *Pollet. For. Roman.* IV. 15. *Briſſon. de Form.* V. *p.* 368. *Robortell. Annot.* II. 25. *Volaterr. Comment. Urban.* XXIX. *p.* 1074. *F. Oizel. in Gell.* XIV. 2.

Struv,

Struv. Ant. Rom. c. 8. *p.* 375. *Prevot. de Magistrat. Roman. c.* 7. *Hotman. Antiq. Roman.* II. 13: V. *p.* 752. *C.* Quomodo differat ab ampliatione. V. supr. in *Ampliatio.*

COMPITALITIA. V. illa infr. in *Ludi compitales.*

COMPITUM est viarum concursus, sive, ubi viæ concurrunt. Gloss. Philox: *competit*, συντρέχει. Philarg. Georg. II. *Compitum locus ex pluribus partibus in se, vel in easdem partes ex se, via atque itinere dirigens, sive is cum arca, sive sine arca: sive sub tecto, sive sub divo sit, ubi pagani agrestes buccina convocati solent certa inire consilia. Hinc & Lares compitalitii, & feriæ compitalitiæ.* Vetus interpres Pers. Sat. IV. 27. *Compita sunt loca in quadriviis quasi turres, ubi sacrificia finita agricultura rustici celebrabant. Merito pertusa, quia per omnes quatuor partes pateant, vel vetusta. Vel compita non solum in Urbe loca, sed etiam viæ publicæ ac diverticula aliquorum confinium, ubi ædiculæ consecrantur patentes. In his juga fracta ab agricolis ponuntur, emeriti & elaborati operis indicium.* Voss. Lex. Etymol. Marlian. Topogr. Urb. Rom. I. 6. Ursat. de Not. Roman. Thes. Antiq. Roman. Græv. Tom. XI. p. 637. D. *Compitorum*, in quæ Vespasiano censore regiones divisæ sunt, numerum fuisse CCLXV. scribit Plin. III. 9. & non absurdum est existimare *compita* circiter quartam vicorum partem absolvisse; ita tamen, ut non quodvis trivium, aut quadrivium inter *compita* numeretur, verum ea tantum *compita* existimentur, quæ Janum-Quadrifrontem cum signis Larium habuerunt. *Nardin. Rom. Vet.* II. 5. *Borrich. Ant. Urb. Fac. c.* 2. §. 3.

Compitum etiam erat templum, in quo pro *compitis* sacra faciebant. Vetus lapis Veronæ:

COMPITUM REFECERUNT, TECTUM
PARIETES ALLEVARUNT, VALVAS
LIMEN DE SUA PECUNIA LARIBUS
DANT COSSO CORNELIO LENTULO
L. PISONE AUGURE COSS.

Siccam. in Fast. Kalend. Roman. Thes. Antiq. Roman. Græv. Tom. VIII. *p.* 70. *A.*

Compitum Fabricii, de quo Festus in Novæ curiæ: *Novæ curiæ proxime compitum Fabricii ædificatæ sunt*, ubi fuerit, nusquam legitur. Equidem, quum in Publio Victore, & Sexto Rufo legatur, vicum Fabricium in regione prima, porta Capena dicta, fuisse, quumque vici principium *compitum* esse sciatur, in eadem curias illas novas regione, atque in ejus vici principio fuisse crediderim. Suspicionem meam ipsa etiam loci utrarumque situs convenientia confirmat. Nam cum veteres curiæ a Romulo proxime muros primæ urbis, portamque exstructæ fuerint inter ortum solis & meridiem, novæ aptiore loco, & convenientiore ædificare non potuere, quam ad muros ea in parte urbis prolatos, id est, ad portam Capenam, inter orientem item & meridiem. *Nardin. Rom. Vet.* II. 1: III. 2.

COMPLOSUS manuum est gestus laudantium. V. supr. in *Pollex.*

COMPLUVIUM est cavædii pars subdivalis & cœlo exposita. Festus: *Compluvium est, quo de diversis tectis aqua pluvialis confluit in eundem locum.* Quomodo differat ab impluvio, docet Varr. de Ling. Lat. IV. 33. *Si relictum erat in medio, ut lucem caperet: deorsum, quo impluebat, impluvium dictum: & sursum, qua compluebat, compluvium, utrumque a pluvia.* Vitruv. VI. 3. *Item asseribus stillicidiorum in medium compluvium dejectu.* Bald. Lex. Vitruv. Turneb. Adv. X. 17. Philand. in Vitruvium.

COMPONERE gladiatores dicebantur, qui illorum paria inter se commitebant. Cicer. Fam. II. 8. *Quid? tu me hoc tibi mandasse existimas, ut mihi gladiatorum compositiones mitteres?* Plin. VIII. 12. *Quam quis aliam tantæ discordiæ causam attulerit, nisi naturæ spectaculum, sibi paria componentis.* Lips. Saturn. II. 3. Schott. Observ. V. 36. Thulemar. in Freher. Cecropistr. Thes. Antiq. Roman. Græv. Tom. IX. p. 1157. Casal. de Urb. ac Imper. Roman. splend. p. 2. c. 4. Faber Paralip. ad Agonist. p. 1934. l. 56. Thys. de Gladiat. p. 231. Ouzel. in Minuc. Felic. p. 205. Gonsal. in Petron. c. 19. In hac *compositione* prima editoris cura, ut pares cum paribus confligerent. Senec. de Prov. c. 3. *Ignominiam judicat gladiator, cum inferiore componi: & scit eum sine gloria vinci, qui sine periculo vincitur.* Lucan. IV. 708.

— veluti fatalis arenæ
Muneribus non ira vetus concurrere cogit
Productos: odere pares.

Lips. Thys. & Casal. l. l. Et *componi* ipsa paria. Horat. Sat. I. 7. 18.

— Bruto prætore tenente
Ditem Asiam, Rupili & Persi par pugnat, uti non
Compositus melius cum Bithio Bacchius.

Lucill. IV.

Æsernin' fuit, Flaccorum munere, quidam
Samnis, spurcus homo, vita illa dignu' locoque,
Cum Placidiano hic componitur, optimu' longe
Post homines natos gladiator qui fuit unus.

Hinc par *compositum* apud Albinov. de Morte Drus. n. 301.

Par bene compositum, juvenum fortissimus alter,
Altera tam forti mutua cura viro.

Franc. Dousa ad Lucilium, Goral. in Albinovanum.

Componere ossa atque cineres cremati dicebantur veteres. Prop. II. 19. 20.

Tu mea compones, & dices, ossa, Properti,
Hæc tua sunt.

Catull. LXVIII. 97.

Quem nunc tam longe non inter nota sepulcra,
Nec prope cognatos compositum cineres.

Non tamen ita nude *componebantur*, sed vasculis quibusdam inclusa, quæ Latini urnas vocabant. V. illas infr. in *Urna.* Kirchman. de Fun. III. 8. Brouckh. in Tibull. III. 2. 26. Imo de omni re usurpatur, quæ rite collocatur. Cadaver linteo tenus obvolvebatur & *componebatur*, quod etiam manus corpori applicaret, & pedes jungeret: deinde ligabatur fasciis, quibus verisimile non est nudum hominis corpus fuisse constrictum, & aliter solet fieri in infantibus circumtegendis: & tandem vel induebatur, vel injiciebatur vestis pretiosa, quam Græci ἐντάφιον vocant. Plutarch. de Instit. Lacon. p. 238. D. *Nihil permisit cum cadavere humari, verum illud in punicea veste ac foliis oleæ componi eodem ab omnibus modo jussit.* Ælian. Var. Hist. VI. 6. *Qui omnibus numeris absolutam virtutem præstitissent, ii etiam, injecta illis chlamyde purpurea, gloriose sepeliebantur.* Neque tamen factum credo, ut fasciæ semper fuerint adhibitæ, præcipue cum cadavera non condirentur, & funus Patrocli illas ignorat, de quo addenda sunt verba Dictys Cret. III. c. 11. *Dein Patrocli corpus elutum, mox veste circumtegitur, maxime ob tegenda vulnera.* Nam illa *vestis* est Homero *tenue linteum*, & pro *circumtegere* Hieronymus *obvolvere* dixit. *Cuper. Observ.* II. 9. *Guther. de Jur. Man.* I. 16. *Kirchman. l. l. Kipping. Antiq. Roman.* IV. 6. 3.

Componere togam circum se, & primum colligere solebant, qui se comparabant ad attentius audiendum, ne deflueret, & soluta laxaque aliqua parte decideret. Horat. Sat. II. 3. 77.

Audire, atque togam jubeo componere.

Etiam qui ad dicendum aggrediebantur. Quintil. XI. 4. *Ergo, cum judex in privatis, aut præco in publicis dicere de causa jusserit, leviter consurgendum: tum componenda toga, vel, si necesse, etiam ex integro injicienda.* Turneb. Adv. IX. 6. Torrent. in Horatium.

COMPOTATIO Græcis, convivium Latinis dicitur. Cic. Fam. IX. 24. *Nec id ad voluptatem refero: sed ad communitatem vitæ, atque victus; remissionemque animorum: quæ maxime efficitur sermone familiari, qui est in conviviis dulcissimus: ut sapientius nostri, quam Græci: illi συμπόσια, aut σύνδειπνα, id est, compotationes, aut concænationes: nos convivia: quod tum maxime simul vivitur.* Buleng. de Conviv. I. 1.

COM-

COMPULSOR erat qui fiscalia debita exigebat, & lentos debitores ad solvendum *compellebat.* leg. 9. ff. de Exactionibus. *Compulsor plane non mittatur, nisi post diem quo solvi debuit, & hoc amplius mensem alterum. Ab eo tempore elapso compulsor mittatur, qui non tantum reliqua fiscalia, sed & pro modo culpæ multam a præside & officio ejus, & a canonico exigat.* Ammian. xxii. 6. *Si compulsori quidquam dederit.* Eos κατεπείγοντας vocat Liban. Orat. contra Florentium, & Themist. Orat. vi. p. 157. Glossæ vet. *Compulsionem*, εἴσπραξιν, ἀπαίτησιν. Erant, ut videtur, milites, quibus Susceptores, seu Apparitores Præsidum tributarios, a quibus tributa ipsi exigere non poterant, delegabant. Unde delegatoriæ dictæ ejusmodi Præsidum epistolæ, quæ *compulsoribus* & opinatoribus dabantur, ut est in lege laudata. *Vales. in Ammianum. Burman. de Vectig. Dissert. c. 9.*

COMPRIVIGNI dicuntur, quorum unus novercæ filius alteram vitrici filiam, aut ex contrario uxorem ducit. Justinian. Instit. i. 10. *Mariti filius ex alia uxore, & uxoris filia ex alio marito, vel contra matrimonium recte contrahunt.* Hotoman. de Rit. Nupt. c. 10.

COMPROMISSARIUS est judex ex compromisso sumptus. Callistr. D. l. 41. ff. de receptis: *Cum lege Julia cautum sit, ne minor annis viginti judicare cogatur, nemini licere, minorem viginti annis compromissarium judicem eligere.* Sigon. de Judic. i. 27.

COMPROMISSUM dicebatur pecunia, quam aliquando deponebant, qui in causis bonæ fidei & arbitrariis arbitrum adigebant. Cic. pro Q. Rosc. c. 4. *Quæro abs te, quid ita de hac pecunia compromissum feceris, arbitrum sumpseris, quantum æquius melius sit dari, repromittique, si pateret.* Procul. leg. 76. D. ff. pro socio: *Arbitrorum genera sunt duo, unum ejusmodi: ut, sive æquum sit, sive iniquum, parere debeamus: quod observatur, cum ex compromisso ad arbitrum est. . . .* Sigon. de Judic. i. 27. Brisson. de Form. vi. p. 539.

COMPUTANDI ratio. V. illam supr. in *Calculus* & infr. in *Numerare.*

COMUM situm est ad radices Alpium ad lacum Larium. Strab. iv. p. 133. & 141. A Gallis, qui in Italiam venerunt, conditum. Justin. xx. 5. 8. *Galli dissensionum assiduarum domi quæ fuere tædio cum in Italiam venissent, sedibus Tuscos expulerunt, & Comum. . . . condiderunt.* Ab Orobiis conditum vult Plin. iii. 17. *Orobiorum stirpis esse Comum. . auctor est Cato.* Cluver. Ital. Ant. i. 25. §. 2. Merul. Cosmog. ii. 4. 35. *Mediocris*, ut Strab. v. p. 147. *colonia erat, sed Pompejus Strabo Magni pater colonos restituit, eam Rhæti vastaverant. C. Scipio tria millia hominum addidit, Cæsar quinque millia, ex quibus quingenti Græci civitate donati. Hi Novum Comum vocavere.* Appian. Bell. Civ. ii. p. 443. *Deinde Novum Comum condidit sub Alpibus, donævitque jure Latii.* Panvin. Imp. Rom. c. 11. Sigon. de Ant. Jur. Ital. iii. 2. Cluver. & Merul. l. l.

CON.

CONCÆDES vocantur ligna transversa, quæ itinera intercludunt. Tacit. Annal. i. 50. 2. *Romanus. . . . latera concædibus munit.* Ammian. xvi. 11. *Difficiles vias & clivosas concædibus clausere solerter, arboribus immensi roboris cæsis.* Greg. Turon. iv. 36. & Diacon. Hist. Longob. iii. 4. *concisa* vocant: *Factis etiam concisis per devia sylvarum, irruit super eos.* Idem stratagema Cæsarem video attingere de Bell. Gall. iii. 29. *Reliquis diebus Cæsar sylvas cædere instituit, & ne quis inermibus imprudentibusque militibus ab latere impetus fieri possit, omnem eam materiam, quæ erat cæsa, conversam ad hostes collocabat, & pro vallo ad utrumque latus exstruebat.* ii. 17. *Teneris arboribus incisis, atque inflexis, crebrisque in latitudinem ramis enatis, & rubis sentibusque interjectis, effecerant, ut instar muri hæ sepes munimenta præberent; quo non modo non intrari, sed ne perspici quidem posset.* Buleng. de Imp. Rom. iii. 9. Stewech. ad Veget. iii. 21. Rhodig. Ant. Lect. v. 14. Vales. in Ammianum. Lips. in Tacitum.

CONCHA erat faba non fresa, sed integra cum suo folliculo. Scribon. Larg. c. 233. *Ex faba quasi concha multo cum cumino cocta.* Etsi hic *concha* folliculus ipse videatur. Vocabatur etiam *conchis.* Cibus erat pauperum. Mart. xiii. 7. 1.

Si spumet rubra conchis tibi pallida testa.

vii. 77. 1.

Cum Saxetani ponatur cauda lacerti;
Et bene si cœnas, conchis inuncta tibi est.

Juven. Sat. iii. 293.

Cujus conche tumes?

xiv. 130.

—— nec non differre in tempora cœnæ
Alterius conchen æstivam cum parte lacerti.

Buleng. de Conviv. ii. 59. Turneb. Adv. xvii. 16. Rhod. in Scribonium. Voss. Lex. Etymol.

Concha est mensuræ species: est enim semicyathus, continens in se mystra duo: pendet autem, oleo plena, drachmas quinque, scripulum unum, grana viginti. *Pætus de Roman. & Græcor. mensur. iii. Thes. Ant. Roman. Græv. Tom. xi. p. 1649. E.*

Concha poculum grandius, hyperbolice. Juven. Sat. vi. 304.

Cum bibitur concha.

Aliter quam apud Græcos, quibus κόγκη, vel κόγχη est vasculum, vel mensura, naturali *concha* non major. *Bochart. Hieroz.* i. 2. 49. Explicant amplum vas. Vas autem fuisse vinarium, in quod e dolio hauritur vinum. At qui hoc loco est vas unguentarium. Non solum enim unguenta vino miscebant, sed ipsis vasculis potabant unguentariis. *Ferrar. Elect.* ii. 14.

Concha est vas parvum, quo capulator oleum tollit. Cato de Re Rust. c. 67. V. illum supr. in *Capulator.* Pætus de Roman. & Græcor. Mensur. Thes. Ant. Roman. Græv. Tom. xi. p. 1649. F.

CONCHYLIUM est genus coloris multo pallidius & dilutius purpura: ut mirum non sit, si colla pavonum, quæ mero lumine purpuræ florent, omni *conchylio* vegetiora dixerit Tertull. de Pall. c. 3. cum *conchylia* omnia saturitatem illam floris ac luminis non habeant quam habet purpura. *Conchylium* a purpura discernit semper Plin. ix. 35. *Conchylia & purpuras omnis hora atterit, quibus eadem mater luxuria pæne & margaritis paria pretia fecit.* xvi. 2. *Transalpina Gallia herbis Tyrium atque conchylium tingit.* xxi. 8. tria genera præcipua ac principalia statuit purpurei coloris, *Tyrium, amethystinum & conchylium.* Hujus variæ species erant, sed omnes dilutiores pallidioresque tum amethystino, tum multo magis Tyrio & purpureo. *Conchylii* coloris tres gradus facit, quorum vegetissimus, qui in viola serotina cernitur: minus vegetus & saturatus, qualis in malvæ flore: omnium dilutissimus in heliotropio, cujus flos est cœruleus. ix. 36. colorem illis tribuit *austerum in glauco, & irascenti similem mari*, postquam de purpura dixit, *huic fasces securesque Romanas viam facere, eandemque pro majestate pueritiæ esse, distinguere ab equite curiam, Diis advocari placandis, omnemque vestem illuminare, in triumphali misceri auro*, addit: *quapropter excusata & purpuræ sit insania. Sed unde conchyliis pretia? queis grave virus in fuco, color austerus in glauco, & irascenti similis mari?* Purpuram a *conchyliis* apertissime separat. Et de purpura quidem haud mirandum dicit tantopere ab omnibus expeti, tantoque in honore, ac pretio haberi; cujus tam insignis & eximius color. De *conchyliis* miratur, quod pretiosa & illa essent, cum tam male olerent, nec gratum colorem haberent. *Salmas. in Tertull. Pall. p. 184. Bochart. Hieroz.* ii. 4. 14. *Voss. de Idolol.* iv. 47. *Ferrar. Anal. de Re Vest. c. 11. Braun. de Vest. Sacerd. Hebr. i. 13. 8.* Differunt a purpuris I. tingendi temperamento. Plin. l. l. *Concharum ad purpuras & conchylia eadem est materia, sed distat temperamento.* II. quod lotium tingendis *conchyliis* admiscebatur, purpuræ non item. Hinc *grave virus &*

malum odorem in *conchylus* notabat ſupra Plinius. *Grave* illud *virus* ex lotio. Plin. IX. 39. *In conchyliata veſte cetera eadem ſine buccino: præterque jus temperatur aqua, & pro indiviſo humani potus excremento: dimidia & medicamina adduntur. Sic gignitur laudatus ille pallor ſaturitate fraudata, tantoque dilutior, quanto magis vellera eſuriunt. Jus* vocat τὸ βάμμα, ſuccum purpuræ, medicamen quod in aeno coquitur tingendis lanis. In purpura itaque tingenda jus illud ſola aqua temperabatur, ad *conchylii* vero tincturam aqua, & pro indiviſo humani potus excremento, hoc eſt, lotio & aqua ſimul junctis, nec certa menſura diviſis: prout dilutius aut ſaturatius facere vellent, ita plus minuſve lotii aut aquæ addebant. III. In purpura color eſt abundantiſſimus & ſaturatus; in *conchylio* dilutus & pallidus, & ad cœruleum magis accedens quam ad purpureum. *Salmaſ. ibid. p.* 187.

CONCILIABULUM dicebatur locus nundinationis, quem Prætores in provinciis indicere, Servio teſte, ſoliti erant. Hæc loca proprio vocabulo non fora; ſed diſtinctionis gratia *conciliabula* dicta eſſe invenio: nimirum, ut Feſtus tradit, *quod eo in concilium veniretur.* Unde eſt illud Liv. VII. 15. *Ea rogatione novorum maxime hominum ambitionem qui nundinas & conciliabula obire ſoliti erant, compreſſam credebant.* Nempe intelligebant, cives Romanos, qui in agris verſarentur, eo frequentes mercandi, ac vendendi cauſa convenire ſolere. Fuiſſe vero loca ejuſmodi, in quibus jus diceretur, alia, in quibus nundinæ tantum agerentur, oſtendit idem aperte, cum ait alio in loco: *Ex vicis partim habuiſſe Rempublicam, & jus dictum, partim nihil eorum, & tamen ibi nundinas actas.* Quo fit, ut hæc duo conjuncte ſæpe proferantur. Liv. XL. 37. *Decemviri ſupplicationem in biduum valetudinis cauſa in Urbe, & per omnia fora & conciliabula edixerunt.* XXV. 5. *Senatus triumviros binos creari juſſit, alteros qui citra, alteros qui ultra quinquageſimum lapidem in plateis, foriſque & conciliabulis omnem copiam ingenuorum inſpicerent.* Sigon. de Ant. Jur. Ital. II. 15. In illis tamen aliquando æque ac in foris jus dictum, veteres leges indicant. *Cum curator hac lege non erat, tunc quicunque magiſtratus in ea colonia, municipio, præfectura, foro, conciliabulo juredicundo præerit, ejus magiſtratus de ea re juriſdictio eſto.* Altera ænea. *In oppidis, foris, conciliabulis, ubi juredicundo præeſſe ſolet.* Nam quæſtiones ibi extra ordinem exercitatas indicat Liv. XL. 37. cum C. Mænio *per fora & conciliabula veneficii quæſtionem decretam fuiſſe* ſcribit. Ad jus municipiorum redigi potuiſſe non obſcure indicat Frontin. de Limit. agror. p. 41. *Quod ſi ad hæc revertamur, hoc conciliabulum fuiſſe fertur, & poſtea in municipii jus relatum.* Aggen. in Frontin. p. 60. *Sunt autem loca publica uti coloniarum, ubi prius fuere conciliabula, & poſtea ſunt in municipii jus relata.* Sigon. l. l. Turneb. Adv. I. 11. Donat. Dilucid. p. 90. Laurent. de Rebuſp. c. 3.

CONCILIUM plebis refertur ad comitia tributa: quod ad ea non univerſus populus vocaretur, ſed plebs tantum, patriciis exemptis. Gell. XV. 27. *Is qui non univerſum populum, ſed partem aliquam adeſſe jubet, non comitia, ſed concilium edicere debet. Tribuni neque advocant patricios, neque ad eos referre ulla de re poſſunt.* Liv. XXXIX. 15. *Majores veſtri, ne vos quidem, niſi cum aut vexillo in arce poſito comitiorum cauſa exercitus edictus eſſet, aut plebi concilium tribuni ediæ[illegible]* . . . II. 60. *Inſignem annum maxime tributa comitia e[illegible], res major victoria ſuſcepti certaminis quam uſu: plus enim dignitatis comitiis ipſis detractum eſt, patribus ex concilio ſummovendis, quam virium, aut plebi additum, aut demptum patribus.* Auguſtin. de Legib. c. 8. Sigon. de Ant. Jur. Civ. Rom. I. 17. Cicero etiam ideo *concilium* a comitiis diſtinguit de Leg. II. 13. *Quid enim majus eſt,* inquit, *ſi de jure quærimus, quam poſſe a ſummis imperiis & ſummis poteſtatibus comitiatus, & concilia vel inſtituta obnuntiare, vel habita reſcindere.* Poſt redit. in Sen. c. 5. *Tribunus plebis tulit, ne obnuntiare concilio, aut comitiis liceret.* Sed Livius indifferenter comitiorum & *concilii* nomine in eadem re utitur. Ita judicium Manlii, quod centuriatis comitiis peractum fuit, *concilium* vocat VI. 20. *In lucum Petilinum concilium populi indictum eſt.* Oizel. in Gellium.

CONCIONABATUR nemo ad populum, niſi de loco ſuperiore, ſive is privatus eſſet, ſive magiſtratum adminiſtraret: id autem ob eam cauſam, quo longius a ſtantibus in *concione* tum exaudiri vox, tum intelligi verba poſſent. *Concionabantur* igitur, ſi in foro, de Roſtris: ſi in campo Martio, vel alibi, de ſuggeſtu, aut editiore aliquo loco. Et quia ſæpius in foro, quam in campo leges ferebantur: ideo ſæpius de Roſtris, quam in campo, *conciones* habebantur. *Concionari* magiſtratibus pro eo, quam habebant, poteſtate omnibus licebat: privatis, niſi *concionem*, id eſt, *concionandi* poteſtatem a magiſtratu aliquo acciperent, non licebat. Illud addo, ſummum in eo jus, ſummamque poteſtatem Tribunorum plebis fuiſſe: qui, ſi vellent, non privatos modo, verum & magiſtratus ipſos, atque etiam Conſulem, qui ſummus erat magiſtratus, prohibere *concione* poterant. Itaque Ciceronem Conſulem extremo magiſtratus die Q. Metellus Nepos tribunus plebis *concionis* habendæ poteſtate privavit: & Q. Metellum Celerem Conſulem a L. Flavio Tribuno plebis in carcerem deductum, annoque proxime conſecuto M. Bibulum, item Conſulem, a P. Vatinio Tribuno plebis hiſtoriæ narrant. *Manut. de Legib. c.* 35. Ad *concionantium* eloquentiam comprobandam populus audiens & fauſte acclamare, & compoſite applaudere olim conſuevit. V. ſupr. in *Clamor.* Imperatores *concionabantur* aliquando voce aliena ad populum, aut in Senatu orationes recitabant. Suet. Aug. c. 84. n. 6. *Nonnunquam infirmatis faucibus, præconis voce ad populum concionatus eſt.* c. 65. n. 7. *Libello per quæſtorem recitato notum Senatui fecit.* Tacit. Annal. XVI. 27. 3. *Et oratio Principis per quæſtorem ejus audita eſt.* Pollet. For. Roman. II. 12.

CONCIONES. Vocem hanc ditioni *T* literæ Gloſſarium vetus ſubjecit: & per *T* lapides antiqui repræſentant. Adde tabulam æream legis Serviliæ, quæ in muſeo Bembi: & legis judiciariæ apud Fulvium Urſinum, in qua etiam *contio.* Putean. de Jurejur. Antiq. Judic. Theſ. Antiq. Roman. Græv. Tom. V. p. 897. F. Conſules habebant in circo Flaminio ob frequentiam & concurſum populi. Cic. Attic. I. 11. *Prima concio Pompeji qualis fuiſſet, ſcripſi ad te antea. Tum Piſonis Conſulis impulſu leviſſimus tribunus plebis L. Fuſius in concione produxit Pompejum. Res agebatur in circo Flaminio, & erat eo ipſo loco ipſo die nundinarum πανήγυρις.* pro Seſt. c. 14. *Iidem Conſules, ſi appellandi ſunt Conſules . . . . pacto jam fœdere provinciarum, producti in circo Flaminio ad concionem.* Panvin. de Lud. Circenſ. I. 18. Pro Roſtris etiam Conſules & magiſtratus alii jam in ſcelera improborum civium *concionabantur*, jam laudes prædicabant defunctorum, jam denique de gravibus Reipublicæ negotiis diſſerebant. Perorantis vultus Capitolio obverſus, ut Jovem Capitolinum teſtem dictorum invocaret: niſi quod Gracchus novo more non ad Capitolium, non ad Senatum, & comitium, ſed ad populum ſe converterit, Plutarcho advertente. *Borrich. Antiq. Urb. Fac. c.* 10. §. 2. Illas ad populum habenti modos certos dedit tibia. Inde tibia *concionatoria*, de qua Gell. I. 11. Sed hunc quia fuſius illam deſcribit, non exſcribo. *Tonarion* dicit Quintil. I. 10. *Cui concionanti poſt eum conſiſtens muſicus fiſtula, quam tonarium dicunt, modos quibus deberet intendere, miniſtrabat.* Hinc fortaſſe *Syntonator* in inſcriptione, quæ Genuæ exſtat apud Canonicum Ferro:

C . . . . TUSTACTUS
SYNTONATOR
REGIS THOLOMEI
L. VANN. L.

φωνασκικὸν ὄργανον Plutarchus in Gracchis appellat tibiam *concionatoriam.* Unde quos ἁρμονικὸς dicit, qui vocem ad cantum hujus flecterent & formarent, phonaſci Latinis ſunt. *Bartholin. de Tibiis* II. 12. In *concione* erat populus, ut ſemper confuſus, ſed ſuffragium laturus in ſuam quiſque tribum diſcedebat. *Auguſtin. de Legib. c.* 12. Aliud erat *habere concionem*, aliud *advocare concionem. Habere concionem* eſt agere ad populum: *advocare concionem*, ſi advocatur, ut ſuffragia ferantur, eſt agere cum populo. Ideo Macrob. Sat. I. 16. *Julius Cæſar Auſpiciorum* XVI. *negat*

gat nundinis concionem advocari poſſe, id eſt, cum populo agi: ideoque nundinis Romanorum haberi comitia non poſſe. Manut. de vet. dier. rat. Theſ. Antiq. Roman. Græv. Tom. I. p. 948. B.

CONCLAMARE proprie præconis verbum eſt, quod eſt prædicere. Plaut. Merc. Prol. II. 51.

Conclamitare tota urbe & prædicere.

Sic & auctiones bonorum a præcone *conclamatæ*, cujus veſtigia fixit nobis Plaut. Men. V. 9. 92.

MES. *Scitin' quid ego vos rogo?*
M. SUR. *Quid?* MES. *Mihi ut præconium detis.*
M. Sur. *Dabitur.*
MES. *Ergo nunc jam*
Vis conclamari auctionem fore.

Guther. de Jur. Man. I. 18.

CONCLAMATIO in caſtris non fiebat, cum ſola teſſera dabatur ſignum; & jubebantur milites vaſa ſilentio colligere. Liv. XXI. 47. *Itaque proxima nocte juſſis militibus vaſa ſilentio colligere, caſtra ab Ticino mota.* Raro id faciebant niſi fallendo hoſti & in metu. Ideo *conclamationem militare inſtitutum* appellat Cæſar, quod poſt prælium Dyrrachinum caſtra movens, ne negligere videretur; & tamen, priuſquam reſciſceret hoſtis, ad iter proficiſceretur, *conclamare* juſſit, cum jam poſtremum agmen in portis pæne eſſet Bell. Civ. III. 75. *Duas in caſtris legiones retinuit, reliquas de quarta vigilia compluribus portis eductas, eodem itinere præmiſit, parvoque ſpatio intermiſſo, ut & militare inſtitutum ſervaretur, & quam ſeriſſime ejus profectio cognoſceretur, conclamari juſſit, ſtatimque egreſſus noviſſimum agmen conſecutus, celeriter e conſpectu caſtrorum diſceſſit.* Sed fiebat, cum tuba ſignum dabatur. Ad primum enim ſignum miles vaſa *conclamabat*. Cæſ. Bell. Civ. I. 66. *Quo cognito, ſignum dari jubet, & vaſa militari more conclamari.* Sicut enim cum ad arma *conclamabatur*, quando expediti in hoſtem ducendi erant, ad capiendum arma diſcurrebant; ſic ad vaſa ſarcinaſque componendas, cum vaſa *conclamabantur*. Schel. in Polyb. Theſ. Antiq. Rom. Græv. Tom. X. p. 1247. A. Auctor Miſc. def. pro Salmaſ. ad jus Attic. & Rom. p. 456.

Conclamatione etiam ſeſe paratos eſſe ad Imperatoris juſſa exſequendum teſtabantur milites. V. ſupr. in *Clamor in bello.*

Conclamatio, antequam cadaver cremaretur, ab iis, qui in re præſenti erant, excitabatur, & defunctus magna voce nomine ſuo compellabatur: eo ſcilicet fine, ut vel exeuntem animam retardarent, vel in corpore adhuc deliteſcentem. V. ſupr. in *Cadaver.*

CONCLAVE proprie dicitur locus ſecretior, in penetralibus intimis domus, Græce forſan ταμεῖον, in quo vel viri colloqui, vel mulieres confabulari ſolent, habetque clavem unam communem domeſticis; nec eſt omnibus ad eum adeundi poteſtas. Feſtus: *Conclavia dicuntur loca, quæ una clave clauduntur.* Donat. Terent. Eun. III. 5. 35. *Conclave eſt ſeparatior locus in interioribus tectis: vel quod intra eum loca multa & cubicula clauſa ſint, adhærentia triclinio.* Stuck. Ant. Conv. II. 14. Voſſ. Lex. Etymol.

Conclave erat cœnaculum, ubi epulabantur, triclinium. In hiſtoria enim Simonidis, qui artem memoriæ primus oſtendiſſe dicitur, triclinium quod vocant Quintil. XI. 2. *Vix eo limen egreſſo, triclinium illud ſupra convivas corruit.* & Val. Max. I. 8. 7. *Eo momento temporis triclinium, in quo Scopas epulabatur, collapſum*; Cicero *conclave* appellat de Orat. II. 86. *Hoc interim ſpatio conclave illud, ubi epularetur Scopas, concidiſſe.* Stuck. Ant. Conv. II. 14. Baccius de Vin. & Conv. IV. 135. Bald. Lex. Vitruv.

CONCORDIALIS ſacerdos cæteros anteibat, cum in urbe Patavio loco Pontificis eſſet in veneratione. Templum enim *Concordiæ* ſplendore, dignitate, ac religione primum apud Patavinos habebatur. *Urſat. de Not. Roman. Theſ. Antiq. Rom. Græv. Tom.* XI *p.* 638. *B.*

CONCORPORALES, quia contubernia minima quidem exercitus, ſed tamen *corpora*, vocabantur contubernales, ſive qui in contubernio decano ſuberant. Ammian. XXVIII. 5. *Ne uno quidem cædibus concorporalium ſupereſſe permiſſo.* Schel. in Hygin. Theſ. Antiq. Roman. Græv. Tom. X. p. 1028. B. Stewech. in Veget. II. 8. Lipſ. de Milit. Roman. V. 5. Thyſ. Rom. Illuſtr. V. p. 116.

CONCREPARE digitis. V. infr. in *Digitus.*

CONCUBINÆ non erant juſtæ uxores, ſed amicæ vocabantur leg. 37. ff. de aur. & arg. leg. *Urſat. de Not. Rom. Theſ. Antiq. Roman. Græv. Tom.* XI. *p.* 546. C. Dicebantur, quod ad antiquum jus attinet, mulieres, ſive ſervæ, ſive liberæ, innuptæ, quas non uxoris loco, ſed *concubinatus* tantum cauſa, ſine ſtupri crimine habebant. Servas pro *concubinis* haberi ſolitas; patet ex leg. denique 8. ff. de pignorib. leg. pen. ff. de reb. auct. jud. poſſid. &, qui ex iis naſcebantur, ſervi erant, filiique naturales dicebantur leg. ult. de his qui ſui vel leg. naturali de præſcr. verb. neque aliud juris, quam alii ſervi, habebant leg. 3. C. de inceſt. nupt. Harum duo erant genera. Nam aliæ honeſtæ, matronæ, matresfamilias appellabantur: veluti ingenuæ, quæ teſtatione interpoſita, ſeſe alicui in *concubinatum* dabant leg. 3. ff. de concub. aut libertæ, quæ ſuis ſe patronis jungebant leg. probrum. 41. §. 1. ff. de rit. nupt. leg. 3. §. 1. ff. de don. int. vir. & uxor. leg. ſi uxor. 13. ff. de adult. ubi matronæ & matresfamilias appellantur. Atque adeo traditur, eas, ſi ſeſe alteri proſtituerint adulterii accuſari poſſe: non tamen jure mariti, ſed jure extranei. Aliæ vero probroſæ, & turpes habebantur: veluti, quæ, libertæ, ſeſe alteri quam patrono in *concubinatum* tradebant d. leg. probrum. §. 1. & leg. cum tabulis. 16. §. 1. ff. de his quæ ut indign. Ex Juſtiniani jure *concubina* eſt mulier libera, innupta, quam vir cœlebs domi *concubinatus* cauſa ſolam habet. Liberam eſſe oportere ex eo intelligitur, quod inteſtato ſuccedit leg. ſi qua illuſtris §. 1. C. ad Orphic. itemque Novel. 89. §. εἰ τις τοίνυν πρᾳῖκα. ubi Julianus: *Concubinam dicimus eſſe talem, quæ, libera conſtituta, in domo defuncti erat.* Innuptam eſſe oportere, non modo Juſtiniano, ſed etiam veteri jure, propter adulterii crimen, ſuperius dictum ex leg. ſi uxor. 13. ff. de adulter. A viro cœlibe tantum haberi poſſe diximus, propter Conſtantini conſtitutionem in leg. 1. C. de concub. & leg. ult. C. commun. de manum. Differebant igitur veteres ab his recentibus, quia jure vetere etiam maritis habere *concubinas* licuit. Solam addidimus propter hæc Juſtiniani verba, quæ in illa Novella poſuit: *Quod ſi profuſa ipſius libido fuerit, &, præter primam concubinam, alias ſuper alias inducat, pluresque habeat meretrices, ſic enim verius appellandæ ſunt, odio is nobis erit; neque hujus legis beneficio fruetur.* Hotoman. de Spur. & Legim. c. 2. Palæot. de Noth. & Spur. c. 12. Heuter. de Liber. homin. nativit. c. 6. n. 4. Caſal. de Rit. nupt. c. 2. Præſidibus Provinciarum conceſſit Alexander Severus. Lamprid. c. 42. *ut Præſides Provinciarum, ſi uxores non haberent ſingulas concubinas.* Panciroll. Notit. Dign. Imp. Occid. c. 100. *Concubinatum* Juſtiniani ætate non ſolum toleratum, ſed a lege nomen aſſumpſiſſe docet Gaudent. part. 1. de mor. ſec. Juſtinian. c. 22. atque in append. ad libr. de rit. Chriſt. extremo c. 3. hoc ideo factum putat, quod Chriſtiani Imperatores non putarent eſſe conducibile ferre leges adverſum id, quod ubique obtinebat ex antiqua conſuetudine, inveteratoque more; cum præſertim magna pars populi eſſet tenax antiquæ ſuperſtitionis, & multi quoque, qui cæteroqui Chriſtiani erant, imbecillitate magna laborarent. *Boſius de Pontif. Max. c.* 7. Ab earum, quæ in parentum fuerint *concubinatu*, nuptiis abſtinendum Imperator Alexander conſtituit l. liberi C. de Nupt. Contra religionem quippe, ac pudorem eſt cum ea matrimonium coire, quæ pudicitiam patri proſtraverit. *Caſal. ibid. c.* 2.

CONCUBIUM noctem mediam, aut certe partem ipſius valde remotam a veſpere, cum omnes fere mortales requieſcunt ac cubant, videtur accepiſſe M. Varro de Ling. Lat. V. 2. *Cum tempus agendi nullum eſt, concubium appellarunt, quod fore omnes tunc cubarent.* VI. 4. Apud Plautum in Trinummo. IV. 2. 44.

Concubium ſit noctis prius, quam ad poſtremum perveneris.

 Victor.

Victor. Var. Lect. VIII. 3. Morestell. de Diei civ. part. apud Roman. Dial. x. Sed Livius vocavit, ut opinor, cum contenebravit. Tarentum enim quo modo in Annibalis potestatem pervenerit, dum narrat, inquit XXV. 9. *Annibal concubia nocte movit: dux Philomenes erat cum solito captæ venationis onere.* Ita illum cepisse hoc nomen declarat Polyb. VIII. 21. *Ubi jam contenebravit*, κνέφατ© ἄρτι γενομένε, *primum agmen movit; id studens, ut ad muros circa mediam noctem perveniret.* Cum igitur Annibal cum proditoribus constitutum habuisset, se media nocte mœnibus urbis appropinquaturum, Tarentoque abesset quindecim fere millium spatio, festinarit necesse est; non multoque post occasum solis, ut occultum agmen esset, moverit. Verbum, quo Græcus usus est, significat vesperuginem, quod Grammatici dictum volunt, quod luce careat terra. *Victor. l. l.* Est vero *concubia* nox tempus munitionibus invadendis opportunum. Hanc ad rem summam verborum Sisennæ Histor. IV. apud Non. II. 175. dabo: *Ipsi legati concubia nocte oppido digressi jam supra hostium munitionem succedunt.* Morestell. l. l.

CONCURRERE milites in campo in speciem prælii solebant. V. infr. in *Simulacrum belli.*

CONDALUS est annulus. Festus: *Condalus annulus. Condalium similiter annuli genus.* Plaut. Trin. IV. 3. 7.

— Satin' in thermopolio
Condalium es oblitus.

Proprie esse annuli genus, quod servi digitis ferrent, scribit Alciat. Παρεργ. IV. 18. quod & Plauti locus aperte indicat. *Voss. Lex. Etymol. Kirchman. de Annul. c. 1. Long. de Annul. c. 1. Scalig. in Festum.*

CONDICERE est diem locumque communi consensu indicere, quo in judicium litigatores venirent: quod etiamsi in vindicatione quoque fiebat, tamen quia actio in rem proprium sibi nomen vindicationis asciverat, in actione in personam communi nomine *condictionis* usi sunt. *Sigon. de Judic. I. 17. Calcagn. de Verb. Signif. p. 370.* Festus: *Condicere est dicendo denuntiare. Condictio in diem certum ejus rei, quæ agitur, denuntiatio.* Hinc *status condictus dies cum hoste* apud Plaut. Curc. I. 1. 5. & Gell. XVII. 3. *Brisson. de Form. V. p. 368.*

Condicere ad cœnam est ultro denuntiare, se apud alterum cœnaturum. Suet. Tib. c. 42. n. 4. *Cœnam ea lege condixit.* Plaut. Men. I. 2. 15.

Ad cœnam aliquo condicam foras.

Absolute utitur Cicer. Fam. I. 9. *Cum mihi condixisset, cœnavit apud me.* Inde *cœna condicta* est exigua, subita, & quæ semetipsos offerentibus apponitur. Suet. Claud. c. 21. n. 9. *Velut ad subitam condictamque cœnulam invitare se populum.* Turneb. ad Plinii præfat. p. 17. Pitisc. ad Suetonii Tiberium.

CONDICTIO est actio in personam. Illa non corpus aliquod petierunt, sed a persona certam præstationem postularunt, neque, unde satisfaceret, curarunt. Ea vero fuit duplex; una adversus eum, qui ex contractu, altera adversus eum, qui ex maleficio obligatus erat. Contractus nomina ferme fuerunt, mutuum, commodatum, depositum, pignus, emptum, locatum, societas, fiducia, stipulatus, negotium gestum, præscriptis verbis. Obligationes ex maleficiis fuerunt, ex furto, damno, rapina, injuria. *Condictio* vocabatur actio furtiva, odio furum a Prætore instituta, ut furtum non solum vindicatione repeti posset, sed etiam *condictione.* Nam in vindicatione adversus possessorem tantum erat actio, hoc modo: *Ajo, hanc vestem meam esse:* neque furti mentio fiebat. In *condictione* vero adversus furem ipsum erat actio, & furti nomen exprimebatur, & illam rem eum dare, id est, reddere debere intendebatur. *Sigon. de Judic. I. 21.*

CONDITIONALES erant, qui curiæ reddebantur, & ad eam revocabantur, curialiumque *conditionem* sequebantur, hoc est, curiæ muneribus obligabantur, & manebant emeritis stipendiis in sua *conditione.* Unde curialis *conditio*, & curialis *conditionis* quæstio. *Guther. de Offic. Dom. Aug. II. 13.*

Conditionales dicebantur quoque, qui certis *conditionibus* operas suas locabant. Tertull. de Idolol. c. 12. *Opera & conditionalis eram.* Hinc Arnob. III. p. 115. *Libertatem ingenuis abrogare, & servitutis conditionem imponere.* Proprie hoc, & e JCtorum loquendi more. Zeno Veron. de Avarit. Serm. II. *Sed hæc non ad vos, fratres, quorum largitas provinciis omnibus nota est: a vobis multi redempti: multi edictis feralibus liberati: multi conditionibus exuti gratias agunt.* Arnob. III. p. 123. *Nigidius Penates deos Neptunum esse atque Apollinem prodidit, qui quondam muris Troicum Ilium conditione adjuncta cinxerunt.* Herald. in Arnob. p. 145. Junius in Tertullianum.

CONDITIONES vocantur sponsalia. Ulpian. leg. 3. ff. de proxenet. *Si quis forte conditionis, vel amicitiæ, vel adsessuræ, vel cujus alterius hujusmodi proxeneta fuit.* Arnob. IV. p. 140. *Uxores dii habent, atque in conjugalia fœdera conditionibus veniunt ante quæsitis.* Nam in sponsalibus nuptiarum pactiones fiebant, & de dote, donationibus, & promissionibus, & *conditionibus* quibusdam conveniebat. *Hotoman. de Sponsal. c. 1.*

CONDITORES erant, qui tanquam bene meriti, auctores & patroni factionis habebantur, ut conjectura est ex hac inscriptione: C. POMPEJO FUSCENO CONDITORI FACTIONIS RUSSATÆ. *Turneb. Adv.* XVIII. 33. Quod etiam aliter explicavimus. Vetus liber, quod & verius est, eos interpretatur ἀλείπτας ἵππων, qui inungunt oleo aurigas, aut equos, si opus est. *Turneb. l. l. Buleng. de Circo c. 44. Salmas. in Pollion. Gallien. c. 3. Vopisc. Saturn. c. 8. Panvin. de Lud. circens. I. 11. Græv. Thes. Antiq. Roman. Tom. IX. * * 2. 3. vers.*

Conditores nuncupabantur, qui dulciariis persimiles dulcia conficiebant, aut distrahebant. *Rhodig. Ant. Lect.* XXVI. 31.

CONDITORIUM vocabatur sepulcrum. Plin. VII. 16. *Quorum corpora miraculi causa in conditorio Sallustianorum asservabantur hortorum.* Petron. Satyr. c. 71. *In conditorium etiam prosecuta est defunctum. Miles, qui cruces servabat, descendit in conditorium.* Dicebatur etiam *conditivum.* Senec. Epist. 60. *Qui latitant & torpent, sic in domo sunt, quasi in conditivo.* Kirchman. de Fun. Roman. III. 10. Guther. de Jur. Man. II. 20. Meurs. de Funer. c. 42. Gyrald. de var. sepel. rit. c. 9. & Faes in illum. Lips. in Senecam. In illud per ostiolum aditus patebat. Petron. Satyr. c. 72. *Præclusis videlicet conditorii foribus*, & per scalas descendebatur. Petronius supra laudatus. In illo arca, in qua defuncti corpus. Petronius: *Jubet corpus mariti sui tolli ex arca.* Circum arcas accensæ suspendebantur lucernæ. Petron. c. 71. *Quoties defecerat positum in monumento lumen renovabat.* Modestin. l. 44. de Manum. test. *Servi mei sint liberi, si in monumento meo sollennia manere faciant.* Vetus interpres: *Servus meus, & Irene, & Eutychia, ancillæ meæ, omnes sub hac conditione liberæ sunto, ut monumento meo alternis mensibus lucernas accendant, & quæ fieri consueverunt, peragant.* Argol. in Panvin. de Lud. Circ. II. 3.

Conditorium etiam appellabatur arca, θήκη, λάρναξ, πύελ©, ut dicitur Strabon. XVII. p. 546. ubi agit de corpore Alexandri Magni. In illo corpus defuncti *condebatur.* Suet. Aug. c. 18. n. 1. *Per idem tempus conditorium, & corpus Magni Alexandri cum prolatum e penetrali subjecisset oculis.* Ursat. de Not. Roman. Thes. Ant. Rom. Græv. Tom. XI. p. 711. E. Pitisc. in Suetonium.

CONDUS promus erat procurator peni. Fulgent. Expos. Serm. Ant. n. 24. *Promos & condos appellari voluerunt cellaritas, eo quod deintus promant, & intus condant.* Plaut. Pseud. II. 2. 14.

Ego sum promus condus. procurator peni.

Paull. Diaconus in Distichis de Gest. Longob. I. 26.

Cur prome conde times stillam præbere lecyti?
Dolia certe fluunt: cur prome conde times?

Pignor. de Serv. p. 98. Buleng. de Conviv. II. 65. Stuck. de Conviv. II. 21.

CONFARREATIO erat matrimonii contrahendi quædam vetus consuetudo. Meminit ejus Boethius in Topi-

cis. Fiebat, cum certis verbis, & decem teſtibus præſentibus, ſollennique ſacrificio facto, in quo panis farreus adhibebatur, mulier in manum viri conveniebat, ut aſſerit Ulpian. tit. 9. regul. Profertur hac de re Servii auctoritas ex libro MSC. Georg. I. apud Lipſ. in Tacit. Annal. IV. II. 46. & Elmenhorſt. in Arnob. IV. p. 168. his verbis: *Farre nuptiæ fiebant per Pontificem maximum & Flaminem Dialem: per fruges & molam ſalſam conjungebantur; unde confarreatio appellatur: ex quibus patrimi & matrimi naſcebantur.* Et hic modus in ſponſalibus religioſiſſimus. In cujus ſignum præferebatur far toſtum, quod ſacrificiis ſæpe adhibebatur. Et Dionyſ. II. p. 95. ait, *priſcos legum.. ſacraque matrimonia, Romana appellatione farreacea dixiſſe, a communione farris, quod Græci ζεὰν vocant.* Ex eo autem *confarreandi* modo *confarreari matrimonium* dicebant. Apulej. Met. X. p. 343. *Talis mulieris matrimonium confarreaturus.* Inde etiam in veteri Gloſſario *confarreatus* dicitur *συμβιώσεως χάριν ζευχθεὶς, una vivendi cauſa junctus.* Quæ hoc modo nubebant, ſtatim e patris poteſtate in viri manum tranſibant. Tacit. Annal. IV. 16. 4. *Et quando exiret e patrio jure, qui id flaminium apiſceretur, quæque in manum flaminis conveniret.* Sed hic modus *confarreationis* in deſuetudinem abiit. Tiberius enim Cæſar apud Tacitum de Flamine Diali in locum Servii Maluginenſis defuncti legendo ita differuit ibid. n. 2. *Nam patricios confarreatis parentibus genitos, tres ſimul nominari, ex quis unus legeretur, vetuſto more; neque adeſſe ut olim, eam copiam, omiſſa confarreandi aſſuetudine, aut inter paucos retenta. Pluresque ejus rei cauſas afferebat; potiſſimam, penes incuriam virorum feminarumque. Accedere ipſius ceremoniæ difficultates, quæ conſulto vitarentur.* n. 6. *Sed lata lex, qua Flaminica Dialis ſacrorum cauſa in poteſtate viri, cætera promiſcuo feminarum jure ageret.* Hotoman. de vet. rit. nupt. c. 20. Auguſtin. ad Leg. XII. Tabul. §. 18. Boſius de Pont. Max. Vet. Rom. IV. 6. Thyſ. in Gell. III. 2. Sigon. de Ant. Jur. Civ. Rom. I. 9. Gyrald. Synt. Deor. XVII. p. 509. F. Bud. in Pandect. p. 27. F. Stuck. de Sacrif. p. 73. Scalig. Poet. III. 100. Coler. & Tiraquell. in Alex. II. 5. Donat. Dilucid. p. 155. Rævard. in Leg. XII. tabal. c. 21. Caſal. de Urb. ac Imper. Roman. ſplend. part. 2. c. 16. Rittersh. in Leg. XII. tab. Claſſ. III. p. I. c. 5. Laurent. Var. ſacr. gentil. c. 14. de ſponſal. c. I. Vertran. in Tacitum.

CONFECTORES æris dicuntur, ni fallor, qui in quibuſdam fodinis æri extrahendo & *conficiendo* operam navabant, forte in eo monte Mariano, ubi procurator erat Titus Flavius Auguſti libertus Polychryſus, de quo Inſcriptio Hiſpali, in Bibliotheca Ducis de Alcala.

T. FLAVIO AUG.
LIB. POLYCHRYSO
PROC. MONTIS
MARIANI PRÆS
TANTISSIMO
CONFECTORES ÆRIS.

Spon. Miſc. Erud. Ant. Sect. VI. p. 221.

Confectores etiam dicebantur tinctores & infectores. Vopiſc. Aurelian. c. 29. *Miſſis diligentiſſimis confectoribus.* Interpr. Juven. Sat. X. 38. *lanam confectam* pro infecta poſuit. *Tunicam Jovis palmatam dixit Tyria purpura confectam, hoc eſt Serrana.* Quod a coriis traductum eſt, quæ *conficiuntur*, id eſt, tinguntur ſimul & ſubiguntur. *Salmaſ. Exerc. Plinian. p. 330. F. & in Vopiſcum.*

CONFECTUARII dicebant *confectores* ſuum. Vetus lapis: CONFECTUARIORUM ET SUARIORUM CORPUS. *Scalig. in Manil.* IV. 184. *Buleng. de Venat. c.* 31.

CONFIBULÆ ſunt tanquam duplices *fibulæ*, quæ ſi quando quid hiet & aperiatur, ad conſtringendum utrinque & comprimendum adhibentur, interpoſitis & interculcatis etiam cuneis. Cato de Re Ruſt. c. 12. *Confibulas ligneas, qui arbores comprimant, ſi dehiaſcent, & cuneos ſex.* Turneb. Adv. VIII. 6.

CONFICERE erat vox ſacra apud veteres Romanos. Cicer. ad Fratr. II. 4. *Dies erant duo, qui poſt Latinas habentur religioſi: cæterum qui* (pro *quo*) *confectum erat Latiar, erat exiturus.* *Confectum Latiar*, ſeu Latinarum ſollenne, vel ſacrificium in Albano monte Latiari Jovi, verbo proprio & ſignato, eſt quod *confectæ Latinæ* Lucan. I. 550.

—— & oſtendens confectas flamma Latinas.

v. 400.

Nec non Iliacæ numen quod præſidet Albæ
Haud meritum Latio ſollemnia ſacra ſubacto
Vidit flammifera confectas nocte Latinas.

Gronov. Obſerv. IV. 25.

Conficere profeſſionem eſt profiteri rem ſuam eſſe, & edere numerum ejus, vel modum, vel æſtimationem apud magiſtratum, ut in cenſu: quod vicaria alterius opera fieri interdum, auctoritatem dum præſtaret, poterat. Cicer. Fam. XVI. 23. *Tu vero confice profeſſionem, ſi potes.* Turneb. Adv. XXI. 5. Manut. ad Ciceronem.

Confici dicebantur gladiatores. Donat. in Terent. Eun. V. 4. 5. *Confici proprie convenit gladiatoribus iis, qui graviſſimis vulneribus occubuerunt. Sic Cicero in Catilinam: gladiatori illi confecto, & ſaucio.* Eoque modo dixit Senec. de Ira III. 43. *Quos cum alter alterum vexarit, ſuus confector exſpectat.* Hinc extenſa ad animantes quoſvis ſignificatione dicuntur *confectores* ferarum apud Suet. Aug. c. 43. n. 4. *In circo aurigas, curſoreſque, & confectores ferarum produxit.* Ner. c. 12. n. 3. *Exhibuit ad ferrum ex iisdem ordinibus confectores ferarum.* Et *confectorium* in veteribus gloſſis dicitur locus in quo ſues interimuntur: exponunt enim χοιροσφαγεῖον. *Voſſ. Inſtit. Orat.* IV. 13. I. Hoc voce utitur Euſebius de Polycarpo martyre Hiſt. Eccleſ. IV. 15. *Confectorem, κομφέκτορα, propius accedere, enſemque alte in corpus adigere juſſerunt.* Erat beſtiarius, non utique ad beſtias damnatus, ſed qui auctoratus hos faciebat, ac ſpectaculo meridiano operam locabat, vel, ut cum Manil. IV. 186. *luxuriæ cædem parabat.* Scalig. in Manil. IV. 184. Lyd. Agoniſt. ſacr. c. 21. Weitz. in Prudent. Hamartigen. n. 370. Qui in eo falluntur. Neque enim *confectores* cum beſtiis pugnabant, ſicut beſtiarii: ſed ad *conficiendas* feras immittebantur, ſi quando efferatæ beſtiæ ſtragem populo minarentur, ut aliquoties contingebat. Hi *confectores* lancearii dicebantur in geſtis præſidialibus Tarachi, Probi, & Andronici c. 10. *Iratus præſes mandat lancearìis urſum occidi.* Valeſ. in Euſebium.

CONFLARE eſt *flata* quæ erant prius igne ſubacta rurſus in maſſam redigere, & reſolvere. Lampr. Alex. Sev. c. 39. *Quartarios jam formatos in moneta detinuit, exſpectans, ut ſi vectigal contrahere potuiſſet, & eoſdem ederet. Sed quum non potuiſſet per publicas neceſſitates, conflari eos juſſit, & tremiſſes tantum ſolidoſque formari. Formas binarias, ternarias, & quaternarias, & denarias etiam, atque amplius ad bilibres quoque & centenarias, quas Heliogabalus invenerat, reſolvi præcepit.* Principum nummos per legem Corneliam non licuit *conflare.* Paull. Sent. I. tit. 25. *Lege Cornelia tenetur, qui nummos aureos, argenteos adulteraverit, laverit, conflaverit; raſerit, corruperit, vitiaverit; vultuve Principum ſignatam monetam præter adulterinam reprobaverit.* Quod & conſtitutionibus deinde interdictum fuit, ne injuſſu Principum a quoquam fieret, ne nimirum ipſa icon, & rei impreſſæ memoria, cujus fine & contemplatione pecunia formata erat, periret. Eadem ratione qua nec ſtatuas & imagines Imperatorum conſecratas *conflare* citra majeſtatis crimen licuit leg. 4. in fine & leg. 6. ff. ad leg. Jul majeſt. Tacit. Annal. III. 70. 2. *L. Ennium Equitem Romanum majeſtatis poſtulatum, quod effigiem Principis promiſcuum ad uſum argenti vertiſſet, recipi Cæſar inter reos vetuit.* Niſi forte cujus memoria damnata eſſet d. leg. 4. ff. ad leg. Jul. majeſt. Hoc genus, ut ſtatuas, imagines, clypeos dejici, detrahi, confringi, aboleri ſolitos: ita etiam nummos *conflari* de Cajo teſtatur Dio LX. p. 679. D. *Contra Caji memoriam ægre ferentes, omne æreum numiſma, quod ejus imaginem haberet, conflari juſſerunt.* Freher. de Re Monet. vet. Roman. I. I.

CONFLUVIUM, in quod urina decideret, Romæ ſub menſa videntur habuiſſe. Varro apud Non. XV, 10.

 Sed

Sed quæ necessitas te juvet aquam effundere domi tuæ? si vasa habes pertusa, plumbum non habent? ad quam rem nobis est confluvium? ad quam rem urnarium? In pavimento non audes facere lacunam, at humi facis calceos elixos. Apud Herodot. II. p. 177. B. in conviviis *est pelvis aurea, in quam convivæ lavant, vomunt, mejunt.* Buleng. de Conviv. III. 23.

CONGIALE est, quod *congii* est capax. Ita *fideliam congialem* vocat Plaut. Aul. IV. 2. 15.

Mulsi congialem, plenam faciam tibi fideliam.

Pætus de Roman. & Græcor. mens. III. Thes. Ant. Roman. Græv. Tom. XI. p. 1632. B.

CONGIARIUM differt a donativo; nam semper refertur ad populum, donativum autem ad milites, quia etiam populo multa largiebantur Imperatores. *Robortell. de Comm. milit. Thes. Ant. Roman. Græv. Tom. X. p.* 1478. *E. Ursat. de Not. Rom. Tom. Ant.* XI. *p.* 638. *E. Bud. in Pand. p.* 258. *H. Stuck. Ant. Conviv.* I. 21. *Rhodig. Ant. Lect.* XXVII. 27. *Cenal. de Pond. ac Mens. rat. Thes. Ant. Rom. Græv. Tom.* XI. *p.* 1458. *F. Laurent. de Acclamat. c.* 2. *Nicol. de Triumph. c.* 10. §. 2. *Blond. Triumph. Rom.* V. *p.* 113. *C.* Erat Imperatoris munus, quod populo dabatur. *Liberalitas* etiam vocatum. Ideo in nummis, *congiarii* distributionem præ se ferentibus sæpissime legitur, *liberalitas prima, secunda, tertia,* & sic de singulis, ac si dictum fuisset, *congiarium primum, secundum, tertium. Congiarium* quoque, ut notat Calvinus in Lexico Juris, sportula erat, quam diurni cibi nomine, comitibus, anteambulonibus, asseclis, stipatoribusque suis potentiores cives distribuebant. Verum cum magna sit inter *congiarium,* & sportulas differentia, utique a recto valde aberrare opinor istum; siquidem *congiarium* ex sola munificentia Principis proveniebat, & sportulæ illis, de quibus agit, pro stipendio, necessario dabantur. *Ursat. l. l. & p.* 827. *E.* Ejus genera erant plura: alterum in liquido humoris, velut olei. Liv. XXV. 2. *Ædilitia largitio hæc fuit. Ludi Romani pro temporis illius copiis magnifice facti, & diem unum instaurati, & congii olei in vicos singulos dati:* alterum in solido pecuniæ. Sueton. Aug. c. 41. n. 5. *Congiaria populo frequenter dedit, sed diversæ fere summæ, modo quadringenos, modo tricenos, nonnunquam ducenos, quinquagenosque nummos* Tib. c. 20. n. 3. *Prandium dein populo mille mensis, & congiarium tricenos nummos viritim dedit.* Laz. Comm. Reip. Rom. IV. 9. Land. in vet. num. explicat. Miscell. Erud. Ital. Tom. I. p. 419. Bud in Pand. p. 142. Cujac. Observ. X. 37. Alex. Gen. Dier. V. 24. & ad illum Tiraquellus. Lips. Elect. I. 8. Mader. ad Panvin. de Triumph. Thes. Ant. Roman. Græv. Tom. IX. p. 1359. E. Baccius de Conviv. I. I.

CONGITELLA est semicongius, constans ex petittis quatuor, pendet vino aut aqua plena nostri temporis libram unam & viginti, ac trientem libræ, id est, uncias ducentas quinquaginta sex; antiquarum vero libras duas & viginti, drachmas tres, scripulum unum, grana sexdecim, hoc est; uncias ducentas octuaginta quatuor, drachmas tres, scripulum unum, grana sedecim. *Pætus de Roman. & Græcor. Mens.* IV. *Thes. Ant. Roman. Græv. Tom.* XI. *p.* 1653. *C.*

CONGIUS est amphoræ pars octavà, & liquidorum tantum mensura, constans ex sextariis sex: a quo sextarium nomen sumpsisse testatur Fannius:

Adde duos, χοῦς fit: vulgo qui est congius idem.
E quo sextari nomen fecisse priores
Crediderim, quod eos capiat sex congius unus.

Ex cujus versibus sententia eorum confundi videtur, qui primas sextario tribuere velle visi sunt: cum liquido appareat, si Fannii sententia, ut arbitror, vera est, sextarium ab alio formari, nempe, a *congio,* cujus ille sexta pars est, & non ipsum alteram supra se mensuram formasse. Quod vini esset mensura, probat Paull. Ictus leg. tabernæ de fundo instr. ubi *congium,* & urnam, & sextarium inter instrumenta tabernæ cauponariæ connumerat. Plinius hoc de vinis fictitiis loquens quoque probat XIV. 16. *Proximum fit e milii semine maturo cum ipsa stipula, libram & quadrantem in congios duos musti macerato.* Et, *Græci vero & alio modo, ramis teneris cum suis foliis in albo musto decoctis tusis, libram in tribus musti congiis defervefaciunt.* Quod esset etiam olei mensura, probant verba Livii allata in *Congiarium.* Hos autem *congios* fuisse puto in communi usu ex ære. Vino puro aut pura aqua plenus librarum pondo decem fuit. *Pætus de Roman. & Græcor. mens.* III. *Thes. Ant. Roman. Græv. Tom.* XI. *p.* 1631. *F. Cenal. de Pond. & Mens. rat. ibid. p.* 1458. *F. Land. in vet. num. explic. Misc. Erud. Ital. Tom.* I. *p.* 423. *Bud. de Asse p.* 573. *Porc. de Re pecun. antiq. c.* 12.

CONJECTIO *causæ, quasi causæ suæ in breve coactio dicebatur,* quia ex comperendinatione ad judicem *cum esset ventum, antequam causa ageretur, quasi per indicem rem exponebant* litigatores. Ascon. in Cicer. p. 76. Judex leviter audita litigatorum altercatione summam quandam ejus controversiæ quasi informationem colligebat: qualis fere fuit rhetorum in iis, quæ Græci τὸ κρινόμενον, Latini disceptationem appellarunt. Gell. V. 10. *Et cum ad judices conjiciendæ, consistendæque causæ gratia venissent.* Afrán. apud Non. IV. 89. *Causam conjicere hodie apud te volo, ambo adeste.* Hotman. Observ. II. 18. de Lite contest. c. 14. Thys. in Gellium.

CONISTERIUM erat locus gymnasii. Ibi pulvis asservabatur, quo post unctionem luctaturi adspergebantur, ut prehensiones essent firmiores, & non lubricæ. Vitruv. V. 11. *Sub dextro coriceum, deinde proxime conisterium.* Κονίστρα Polluci III. 30. *Pulverarium* Latinis. Usum ponit Ovid. Met. IX. 36.

Ille cavis hausto sparsit me pulvere palmis,
Inque vicem fulvæ jactu flavescit arenæ.

Ubi adnota, athletas invicem se pulvere sparsisse, hodieque unus alterum luctatorum quoque arena siccat, prout sibi commoda videtur prehensio. Differt tamen *conisterium* ab arena ipsa; pulvis enim *conisterii,* quo ceroma hoc athleticum parabatur, ex Ægypto petitus semper, non arena semper. *Panvin. de Lud. Circ.* II. I. & ad illum *Argolus. Bald. Lex. Vitruv. Mercur. de Art. Gymn.* I. 8. *Baccius de Therm. Vet. c.* 6. *Philand. in Vitruv.* V. II. *Thys. in Gell.* III. 15.

CONJURATIO erat apud majores genus militiæ. Serv. Æneid. VII. 694. *Conjuratio, quæ fit in tumultu, id est, Italico bello & Gallico, quando vicinum Urbis periculum singulos jurare non patitur: sicut de Fabiis legimus.* VIII. I. V. illum infr. in *Militia.* Sigon. de Ant. Jur. Civ. Roman. I. 15. Stewech. in Veget. I. 6. Brisson. de Form. IV. p. 341. Demster. Paral. ad Rosin. Antiq. Roman. X. 3.

CONNUBIUM est, ut definit Ulpian. Regul. tit. 6. *uxoris jure ducendæ facultas.* Et, ut Serv. Æneid. I. *jus legitimi matrimonii.* Rittersh. in Leg. XII. tab. Class. III. p. I. c. 4. Hotom. de vet. rit. nupt. c. 15. *Connubiorum* ratio inter Romanos ea fuit, ut haberetur respectus I. nationis, ne Romanus nisi Romanam duceret, quemadmodum in Institutionibus Justiniani est scriptum. Quamquam quos ille Romanos vocet, haud satis intelligo. Ego enim cum omnibus fere Italis fuisse Romanis *connubia,* nisi si qua forte de causa nonnullis id juris esset ademptum, invenio. Num enim melior antiquitatis auctor Justinianus, quam Strabo; accuratior, quam Dionysius? at ille Romanos & Albanos summa inter se sacrorum, *connubiorum,* & sermonis necessitudine fuisse devinctos narrat: hic v. p. 341. bello Latino, quod ad lacum Regillum non ita multo post Reges exactos gestum est, multas Romanas mulieres apud Latinos, & Latinas apud Romanos fuisse ait; factaque potestate, ut omnes relictis maritis ad parentes redirent, nullam Latinam a Romanis, plerasque Romanas a Latinis discessisse: idque pro omine futuræ victoriæ acceptum esse. Quid Festus, testis haudquaquam contemnendus, nonne Q. Fabium, eum qui 306. Fabiis ad Cremeram interfectis superfuit, Otaciliam, Numerii Otacilii Maleventani filiam in matrimonium duxisse refert in *Numerius* ea conditione, ut qui primus filius nasceretur, Numerii

av-

avi materni prænomine Numerius appellaretur, unde postea Numerius in Fabia gente fuit celeberrimus? Nam quid de Livio dicam, qui Canulejum tribunum plebis, dum legem de patriciorum, plebejorumque communicandis *connubiis*, quam ferebat, suaderet, ita loquentem facit. IV. 3. *Altera lege connubium petimus, quod finitimis externisque dari solet.* Adde, quod hoc juris post permissum quoque esse Campanis videtur. Siquidem bello Punico II. idem XXIII. 2. Pacuvium Calavium, nobilem Campanum liberos ex Appii Claudii viri Consularis filia habuisse, & filiam Romæ nuptum M. Livio etiam triumphali viro dedisse affirmat. Post autem cum aperta defectione Campani hoc jure spoliati essent eodem confecto bello, M. Messala & C. Salinatore Coss. a Senatu petiisse, ut sibi cives Romanas ducere uxores liceret, &, si qui prius duxissent, ut habere eas, & ante diem eam nati, uti justi sibi liberi, hæredesque essent; idque impetrasse. Postremo fuisse etiam civibus Romanis cum municipibus Latinis jus *connubii*, nonne Cicero satis idoneus testis esse potest? qui ita in M. Antonium agit Phil. III. 6. *Quæ amentia est, eum dicere aliquid de uxorum ignobilitate, cujus pater Numitoriam Fregellanam proditoris filiam habuerit uxorem, ipse ex libertini filia susceperit liberos? sed hoc clarissimi viri viderint, L. Philippus, qui habet Aricinam uxorem, C. Marcellus, qui Aricinæ filiam, quos certo scio dignitatis feminarum non pœnitere.* Ex quibus rebus illud intelligi potest, civi Romano nisi cum cive non fuisse *connubium*, nisi si qua rogatione hoc beneficii aliis etiam populis fuisset impertitum. Unde dixit Cicer. in Topic. c. 4. *Si mulier cum fuisset nupta cum eo, cui connubii jus non esset, nuntium remisit, quoniam qui nati sunt, patrem non sequuntur, pro liberis manere nihil oportet.* II. Conditionis, ne ingenuus libertinam, aut libertinus ingenuam duceret. Quod declarat Senatusconsultum, *quo Hispalæ libertinæ permissum est, ut enubere*, id est, ab ingenuo duci, *posset, neque ei, qui eam duxisset, id fraudi esset*; itemque lex Papia Poppæa, sero admodum, nempe Augusto jam omnia tenente, lata; *ut omnibus ingenuis præter Senatores, eorumque liberos uxores libertinas habere liceret.* Id quod scriptum est in Taciti & Dionis Annalibus. *Sigon. de Ant. Jur. Civ. Rom. I. 9. Laurent. de Sponsal. c. 2.* V. de omni hac re fusius differentem *Spanhem. Exercit. II. ad Constitut. Antonin. Imp. Thes. Antiq. Rom. Græv. Tom. XI. p. 162.* . . . III. Gentis. Duabus enim illis tabulis, quas Decemviri aliis e Græcia allaris addiderunt, vetitum fuerat, *ne patricius cum plebejis Romæ connubium esset.* Narrat hoc Dionys. X. p. 684. idque ab Appio Claudio Decemviro esse adjectum, ut in perpetuum patres a plebe divelleret. Lex hæc quinto post anno contraria rogatione est abrogata, quam tulit C. Canulejus tribunus plebis, qui ita de toto hoc jure differit apud Liv. IV. 4. *Hoc ipsum, ne connubium patribus cum plebe esset, non Decemviri tulerunt paucis abhinc annis pessimo exemplo publico, cum summa injuria plebis? An esse ulla major, aut insignior contumelia potest, quam partem civitatis velut contaminatam, indignam connubio haberi? Quid est aliud, quam exsilium intra eadem mœnia, quam relegationem pati? Ne affinitatibus, ne propinquitatibus immisceamur, cavent; ne societur sanguis.* Sigon. l. l. Laurent. de Sponsal. c. 2. Manut. de Legib. c. 16. Ræyard. ad Leg. XII. tab. c. 20. Augustin. de Legibus in Canuleja de connubio. IV. Sanguinis. Qui vero gradus in ducenda uxore servati fuerint, docent antiqui ICti, & in illorum libris, quæ duci, quæ non duci possit, explicatur. *Sigon. l. l.* V. illos gradus infr. in *Matrimonium.*

CONOPEUM, κωνωπεῖον, ad τοὺς κώνωπας, seu culices arcendos factum, erat reticulati operis. Juven. Sat. VI. 80.

Ut testudineo tibi, Lentule, conopeo.

Ubi Scholiastes: *Hoc est linum tenuissimis maculis textum.* Usum ab Alexandrinis Romani didicerant. Itaque Cleopatræ *conopeum* Romani poetæ recensent inter ea, quæ erant peregrini moris. Propert. III. 9. 45.

Fœdaque Tarpejo conopea tendere saxo.

Et de bello Actiaco, quod a Cæsare cum Antonio & Cleopatra gestum est, Horat. Epod. IX. 15.

Interque signa (turpe!) militaria
Sol aspicit conopeum.

Bochart. Hieroz. II. 4. 17. Casaub. in Spartian. El. Ver. c. 5. Buleng. de Theatr. I. 10. Grapald. de Part. Æd. II. 6. 10. Torrent. in Horatium. Voss. Lex. Etymol.

CONQUISITORES adhibebantur in militia ad delectus, & ad diversa loca propter cogendos mittebantur milites. In agros & extra Urbem. Multi enim aut suo metu, aut parentum timido amore, militiam fugiebant, latitabant, nec dabant nomen. Ad eruendos & conducendos isti. Liv. XXI. 11. *Duo populi delectus acerbitate consternati, retentis conquisitoribus metum defectionis quum præbuissent, oppressi celeritate Annibalis, omiserunt mota arma.* Hirt. de Bell. Alex. c. 2. *In omnes partes, per quas fines Ægypti, regnumque pertinet, legatos, conquisitoresque, delectus habendi causa, miserant*; Cicer. Attic. VII. 10. *Nec enim conquisitores φαινοπροσωπεῖν audent, cum ille adsit.* Lips. de Milit. Rom. I. Dial. 9. Stewech. in Veget. I. 6. Laurent. Polym. IV. Synops. I. §. 4. Caroli Antiq. Roman. III. 3. Thys. Rom. Illustr. I. p. 52.

Conquisitores dicebantur in theatro, qui *conquirerent*, si cui fautores delegati essent. Plaut. Amph. Prol. n. 65.

Ut conquisitores singuli in subsellia eant
Per totam caveam spectatoribus,
Si cui fautores delegatos viderint,
Ut his in cavea pignus capiatur toga.

Buleng. de Theatr. I. 54.

CONSANGUINEUS est, qui eodem patre tantum natus est. leg. fratres 27. C. ff. de inofficioso testamento. *Fratres consanguinei, durante agnatione, vel non, contra testamentum fratris sui, vel sororis de inofficioso quæstionem movere possunt.* Hotoman. de Rit. nupt. c. 9.

CONSANGUINITAS apud auctores nostros non generaliter pro cognatione, & communione sanguinis usurpatur; sed specialiter pro adgnatione, quæ est inter fratres & sorores ex eodem patre natos: & *species adgnationis* dicitur in §. pen. Instit. de succ. cognat. Videturque id non legis XII. tabul. sed legis Voconiæ verbum fuisse. Nam cum in lege XII. simpliciter ita scriptum esset: *Si intestato moritur, cui suus nec exstabit hæres, adgnatus proximus familiam habeto*; Voconia lex ei abrogavit, statuitque, *ut adgnata, nisi consanguinea, succederet*, eo verbo fraternitatem ex parte significans leg. I. §. pen. Dig. de suis & leg. non tantum naturali, verum etiam adoptivo §. I. Inst. de legit. adgn. tut. leg. 2. §. sed etsi ipsa. 19. leg. 3. ff. ad Tertyll. *Hotoman. de Rit. nupt. c. 9. Cujac. Observ. XI. 26.*

CONSECRARE, &, ut est in veteribus glossis, *divinare*, Græci dicunt ἀποθεῶσαι. *Consecrati ἀποθεωθέντες*, Capitolino *sacrati* dicuntur Anton. Philos. c. 18. Unde *etiam templum ei*, Marco Antonino, *constitutum, & omnia quæ de sacratis decrevit antiquitas.* Primus omnium Romæ Romulus, deinde Gracchi, tum Julius, Augustus, Claudius, & alii plerique Imperatores *consecrati* sunt, idque auctoritate Senatus, penes quem ejus rei fuerit arbitrium. Euseb. Hist. Eccl. II. *Cum lex vetus obtineret, neminem Romæ consecrari, nisi calculo & decreto Senatus.* Buleng. de Imper Roman. I. 6. Non *sacrati*, quod voluit Bulengerus, dicuntur ἀποθεωθέντες; sed desacrati. Unde & desacratos vocat unico vocabulo Capitolinus. Sacrati quidem & sacratissimi Imperatores dicebantur a veteribus, sed tantum vivi: at *consecrati* de divis, hoc est, mortuis. Nec Latina est oratio: *decernere de sacratis omnia.* Decerni enim honores dicuntur alicui, non de aliquo. *Salmas. in Capitolinum.*

Consecrare est etiam Deo dicare. Sic μεταφορικῶς *consecrari* dicuntur inanimata, puta *ædes Imperatoria* leg. unic. de Pal. domib. Domin. I. 11. *Ara loquenti Ajo in via nova* apud Cicer. de Divin. II. 32. *Delubra sanctissimis religionibus* apud Cicer. Procem. Verr. c. 5. *Donat. Dilucid. p. 218.*

Consecrari solebant animalia. Vetus enim mos hic fuit. Ita in *Junonis Laciniæ templo lucus erat frequenti sylva, & proceris abietis arboribus septus, qui læta in medio pascua habebat,*

bat, ubi omnis generis ſacrum Deæ paſcebatur pecus, ſine ullo paſtore. Separatim egreſſi cujuſque generis greges, nocte remeabant ad ſtabula, Liv. XXIV. 3. Hac religione motus Julius Cæſar equorum greges in trajiciendo Rubicone *conſecravit*, quos vagos & ſine cuſtode dimiſit. Suet. c. 81. n. 4. Ita piſces *conſecratos* legimus apud Athen. VII. Et piſcium ſacrorum meminit Mart. IV. 29. 1.

Bajano procul a lacu monemus,
Piſcator fuge, ne nocens recedas:
Sacris piſcibus hæ natantur undæ,
Qui norunt dominum, manumque lambunt.

quos etiam dedicatos vocat n. 14.

At tu, dum potes, innocens recede,
Jactis ſimplicibus cibis in undas,
Et piſces venerare dedicatos.

Maxime id factitatum in iis quæ uſui, aut voluptati fuerant: quibus hoc quaſi præmium datum, ut ante obitum manumitterentur, & ſinerentur ἄφετα. Tales fuerunt anſeres in Capitolio, quorum cibaria Cenſores locabant primum. De illis Syneſ. Epiſt. 57. *In mundo tanquam in ſacro quodam ſepto vivebam, uti animal liberum, & dedicatum Deo.* Guther. de vet. Jur. Pont. III. 13. Victor. Var. Lect. XXVIII. 24. Bochart. Hieroz. I. 2. 54. Turneb. Adv. II. 27. Buleng. de Equo c. 14. Caſaub. in Suetonium. Struv. Ant. Rom. Tom. I. c. 4. Bona civis damnati. Hæc *conſecratio* a Tribuno plebis fiebat. Cic. pro Dom. c. 49. capite velato, advocata concione, foculo poſito pro Roſtris, Pontifice verba præeunte, adhibito tibicine, qui cum Tribuno obteſtaretur, Tribunuſque preces & priſca verba efferebat. Cic. ibid. c. 47. bonaque deo alicui, deæve addicebat. Atque hoc eſt, quod Cicer. pro Corn. Balb. c. 14. *Sacroſanctum fieri* dicit aut genere ipſo, aut obteſtatione, & *conſecratione* legis, aut pœnæ. Obteſtatio hic pro deteſtatione accipitur. Fiebat a Tribuno plebis, ſi concionanti illi apud populum contradiceret aliquis, aut dicentem interpellaret. Tum enim ſi multam dixiſſet, & damnatus ſolvendo non eſſet, illius bona *conſecrabantur*, τὰ χρήματα ἀυτῦ ἱερά. Dionyſ. VI. p. 410. Quare cum Rutilius Tribunus plebis avocatam a ſe concionem a Cenſoribus quereretur, & in ordinem ſe coactum, poſtero die Tiberii Gracchi Cenſoris bona *conſecravit* apud Liv. XVIII. c. 46. Hanc ſine populi juſſu fieri non potuiſſe M. Tullius affirmavit, & obtinuit lege Papyria tribunitia, quæ ad omnem omnino *conſecrationem* pertinebat. Senatus tamen fracta Republica, *cum C. Lectorius adoleſcens patricii generis, in deprecanda graviore adulterii pœna, præter ætatem atque natales, hoc quoque patribus conſcriptis allegaret, ſe eſſe poſſeſſorem, atque ædituum ſoli, quod primum D. Auguſtus naſcens attigiſſet, peteretque donari, quaſi proprio ſuo ac peculiari deo, decrevit, ut ea pars domus conſecraretur.* Suet. Aug. c. 5. n. 2. Et hæc *conſecratio* a Tribuno plebis ſollenni ritu peracta eſt. *Guther. de vet. jur. Pont.* IV. 22. *Struv. Ant. Rom. Tom.* I. *c.* 4. *Gyrald. Synt. Deor.* XVII. *p.* 404. *G.* Idola, & rei inanimæ divinam infundi naturam poteſtatemque veteres credebant. Profani ſacramenti ſignum erat θεὸς ἐκ πέτρας. Firmic. de error. prof. rel. p. 27. Lapidem enim vel lignum, aliuſque materiæ ſimulacrum ritu & ſollennibus verbis deum fieri credebant. Itaque *conſecratum* vulgus orare, & publice colere non dubitabat, tanquam in ligno aut lapide præſentis numinis vis adeſſet. Simulacrum dum funditur, fabricatur, ſcalpitur, nondum deus eſt. Plumbatur, conſternitur, erigitur, nec adhuc deus eſt. Ecce ornatur, conſecratur, oratur, & poſtremo deus erat, cum homo voluiſſet, aut dedicaſſet. Tria ergo in lapide requirebantur, ut deus evaderet, ornatus, conſecratio, oratio. Primum enim adornabant idolum varia ſupellectile & pretioſa, quæ imperitæ multitudinis animos obumbraret: ſic exornatum & depexum *conſecrabatur*. Apud Romanos nihil tam ſollenne fuit quam dies *conſecrationis*. Serv. Æneid. VIII. 601. Verba ſollennia cum idolorum vanitate perierunt, ſi quæ fuerunt illa, quæ forte nulla. In Iſidis ſacris narrat Firmicus illius ſimulacrum in lectica poni ſolere. Et cum populus per numeros digeſtis fletibus eſſet lamentatus, hymnos ceciniſſet, & ficta ſe lamentatione ſatiaſſet, jacentis ſtatuæ membra componebantur, ſaxumque erigebatur, ornabatur. Tum omnium qui flebant fauces Pontifex ungebat, quibus perunctis hoc lento murmure inſuſurrabat: *confidite initiati ſacris numinis ſervatoris: eſt enim ex labore nobis ſalus.* Orationes deinde fundebantur ex libris ſacerdotum populi Romani, quæ cum libris ipſis evanuerunt. *Guther. de vet. Jur. Pont.* IV. 22. Imperatores, qui publice in deorum numerum referebantur, & publica religione colebantur. Tributus hic honos ſoli e Regibus & Urbis, & imperii illius conditori Romulo, qui cum Nonis Quintilibus ad Capræ paludem exercitum recenſens, ſubito coorta ingenti tempeſtate ex ſuorum conſpectu raptus, vel, ut alii ſcribunt, patrum manibus in minutiſſima fragmenta diſcerptus, & clam per partes aſportatus eſſet, magno ſui deſiderio apud populum relicto, Julius Proculus *ſubornatus eſt, ut renuntiaret plebi ſuæ, vidiſſe ſe Regem humano habitu auguſtiorem, eumque mandaſſe ad populum, ut ſibi delubrum fieret, ſe deum eſſe & Quirinum vocari. Quo facto & ipſi populo perſuaſit, Romulum ad deos abiiſſe: & Senatum ſuſpicione cædis regiæ liberavit.* Lactant. I. 15. Liv. I. 16. Plutarch. in Romul. p. 35. A. Dionyſ. Ant. II. p. 124. Imperatorum primus Julius Cæſar hoc honore affectus eſt ab Auguſto: quem propterea κοροπλάϛην Juliani Silenus nominat, & rationem addit Cæſ. p. 88. quia, *ut homines nymphas, ſic deos effinxerat, & illorum unum & primum Cæſarem.* Manil. IV. 948.

Jam facit ipſe deos, mittitque ad ſidera numen,
Majus & Auguſto creſcit ſub principe cœlum.

Catalogum Imperatorum inter deos relatorum contexuit Panvin. Faſtor. II. p. 249. *Conſecrationis* ritum fuſe deſcribit Herodian. IV. 2. *Mos eſt*, inquit ille, *Romanis conſecrare Imperatores, qui ſuperſtitibus filiis vel ſucceſſoribus moriuntur.* Quod tamen ex Romanorum more dici non poteſt, cum & alii divi facti ſint quam plures, & Nerva, Commodus, Pertinax a Trajano & Severo: L. Verus a Senatu conſecrati ſint, & ipſas etiam uxores Imperatorum *conſecrari* ſolitas conſtet. V. Herodianum ipſum verboſius hunc ritum deſcribentem. Panvin. in Faſtor. II. p. 246. Kirchman. de Fun. Rom. IV. 13. Realin. Annot. c. 16. Guther. de Jur. Man. II. 5. Berthald. de Ara c. 25. §. 4. Boiſſard. Antiq. Roman. Tom. II. p. 12. Boecler. in Herodianum. Caſal. de Urb. ac Imper. Rom. ſplend. part. 2. c. 22. Realin. Annot. c. 16. Van Dale de Conſecrat. Ethnic. p. 641. Blond. Triumph. Rom. II. p. 44. H. 45. A. . . . . Gyrald. de Var. ſepel. rit. c. 16. & Faes in illum. Kipping. Corollar. de conſecr. princip. Demſter. Paralip. ad Roſin. Antiq. Roman. III. 18. *Conſecratis* templa ponebantur. V. infr. in *Templum*, & ſacerdotes inſtituebantur. V. infr. in *Sacerdos*. Mariti, ſed privata religione, ab uxoribus. Illuſtre habemus exemplum in Charite maritum ſuum inſolabiliter lugente apud Apul. Met. VIII. p. 239. *Dies totos totaſque noctes inſumebat luctuoſo deſiderio: & imaginem defuncti, quam ad habitum dei Liberi formaverat, affixo ſervitio divinis percolens honoribus, ipſo ſeſe ſolatio cruciabat.* Kirchman. de Fun. Roman. IV. 13. Figrel. de Stat. Rom. c. 32. Et in Polla Lucani uxore. Hæc ſimiliter maritum adorat, ſed non ſub emendicata Bacchi, alteriusve numinis figura, apud Stat. Sylv. II. 7. 124.

Hæc te non thyaſis procax doloſis
Falſi numinis induit figura,
Ipſum ſed colit, & frequentat ipſum
Imis altius inſitum medullis:
Ac ſolatia vana ſubminiſtrat
Vultus, qui ſimili notatus auro
Stratis prænitet, incubatque ſomno.

n. 134.

Quicquid fleverat ante, nunc adorat.

Florid. in Apulejum. Etiam mulieres, & præcipue Imperatorum uxores. Hic honos tributus eſt Liviæ Auguſtæ a Claudio, effigie ejus in templo Auguſti *conſecrata*, ſacriſque, quæ Veſtales facerent, inſtitutis. Suet.

c. II.

c. 11. n. 5. *Aviæ Liviæ divinos honores, & Circensi pompa currum elephantorum Augustæo similem decernendum curavit.* Dio LX. p. 667. *Aviam Liviam præter hunc honorem etiam immortalitati asseruit, dedicavitque ejus effigiem in templo Augusti, ac rem sacram ei fieri à Vestalibus mandavit, mulieresque per nomen ejus jurare jussit.* Et exstant nummi: DIVUS AUGUSTUS PATER. caput radiatum, ara ante pedes: parte aversa: S. P. Q. R. DIVÆ. JULIÆ. AUGUSTI. FILIÆ. Eadem de Drusilla sorore Cajus decrevit. Dio LIX. p. 648. *Decreta ei omnia, quæ Liviæ, ac insuper ut immortalis haberetur, ut in foro imago Veneris statuæ ejus æqualis collocaretur, iisdemque honoribus coleretur, peculiare ei fanum ædificaretur, eamque statuis sacris non modo viri, sed etiam mulieres venerarentur, ut mulieres eam jurarent, quoties aliquid sacramento confirmarent. Itaque tunc vocata est Panthea, & divinis honoribus per omnes urbes culta.* Eo pertinet antiqua illa inscriptio:

VENERI CÆLESTI
AUGUSTÆ SACR
NUMMIA C. F. DORCAS
S. P. F. C.

Eodem etiam honore affecta est Faustina Antonini Philosophi conjux teste Capitolin. c. 26. *Divam etiam Faustinam a Senatu appellatam gratulatus est.* Kirchman. de Fun. Rom. IV. 13. Berthald. de Ara c. 25. §. 5. Guther. de Jur. Man. II. 6. Donat. de Urb. Rom. III. 16. Van Dale de Consecrat. ethnic. p. 636.

CONSECRATIO pro inauguratione nonnunquam accipitur, quæ tamen propria Sacerdotum Isidis fuit. Vetus lapis Romæ:

D. D. N. N. VALENTE. V. ET
VALENTINIANO. JUNIORE. PRIMUM.
AUG. CONS. VI. IDUS. APRIL
AUR. VICTOR. AUGENTIUS. V. C.
P. P. FILIO. SUO. ÆMYLIANO. CORYFONI
OLYMPIO. C. P. ANNO. TRICESIMO
CONSECRATIONIS SUÆ. . . .

Guther. de Vet. Jur. Pont. I. 25.

CONSENSUS contrahentium, ut nuptiæ justæ sint, maxime requiritur. Quare cum furioso, furiosave matrimonium contrahi nequit. leg. furor. ff. de sponsal. leg. oratione in fine ff. de rit. nupt. quoniam nec voluntatem, intellectumve habent: mutorum, surdorumve dissimilis causa est, quibus non obest talis defectus, ut contrahere possint matrimonium in quibuscunque ff. de oblig. & act. Quanquam matrimonium contrahi furor non sinit, contractum tamen non dirimit. leg. furor ff. de rit. nupt. Imo & eorum, in quorum potestate sunt, exigitur leg. 2. ff. de rit. nupt. adeo ut legitimi non habeantur liberi inde suscepti, ut inquit Apul. V. Nepoti siquidem uxorem ducere tam avum, quam patrem *consentire* debere inquit Paull. leg. oratione §. 1. ff. de Rit. nupt. *Casal. de Prof. Rom. Rit. c. 23. de Rit. nupt. c. 2. Brisson. de Jur. connub. p. 257. Hotoman. de Rit. nupt. & Matrim. c. 3. Palæol. de Noth. & Spur. c. 8. §. 1. Cujac. Observ.* III. 5.

CONSENTES dii. V. illos infr. in *Dii Consentes.*

CONSERTUM manu. V. infr. in *Ex jure manu consertum.*

CONSERVATORES ædium sacrarum in vetustis monumentis apud Romanos dicebantur, quibus munus tuendi sarta tecta templorum fuit demandatum. Fuerunt illi primum Censores, post eos Ædiles. *Fabric. Descr. Urb. Rom. c. 9.*

CONSIDIA gens. V. illam infr. in *Gens.*

CONSIGNATIO erat ad ἐποπτείαν pernecessaria. Qualis fuerit, narrat Clem. Alex. Admon. ad gent. p. 13. D. *Jejunavi, potum confectum bibi, ex cista accepi, postquam feci, deposui in calathum, & ex calatho in cistam.* Tertull. adv. Valentin. c. 1. *Illa Eleusinia hæresis, & ipsa Atticæ superstitionis, quod tacent pudor est, idcirco & aditum prius cruciant, diutius initiant quam consignant, cum Epoptas ante quinquennium instituunt.* Guther. de Vet. Jur. Pont. I. 25.

CONSILIARII vocabantur JCti, quos provinciarum magistratus secum ducebant. leg. 1. de offic. assess. quorum *consilio* secundum jura causas definiebant. Vocabantur & adsessores & *consiliarii*, quia judicanti adsidebant & *consulebant* leg. pen. & ult. eod. tit. Unde Ulpianus & Paulus in Papiniani P. P. *consilio*, id est, adsessores ejus fuisse dicuntur. V. illos supr. in *Adsessores.* Panciroll. Notit. Dign. Imp. Orient. c. 8. Vocabulum est Latinissimum pro illis, qui in *consilium* adhibetur. Suet. Cl. c. 12. n. 3. *Cognitionibus magistratuum, ut unus e consiliariis frequenter interfuit.* Tib. c. 33. n. 2. *Magistratibus pro tribunali cognoscentibus plerumque se offerebat consiliarium.* Paull. Sent. I. relatus in l. 5. de offic. assess. *Consiliariis eo tempore, quo assident, negotia tractare.* Chiment. de Hon. Bisell. c. 17. Pollet. For. Rom. III. 13. Brisson. Select. Ant. III. 10. Broid. ad Polletum.

Consiliarii status vulgo vocantur comites isti & amici Principis, quos in secretius atque interius *consilium* admittebat, in quo de summa Republica agitabatur, legati audiebantur, & majora alia negotia de regni statu tractabantur. Comites intra consistorium, & comites sacri consistorii, consistorianique dicti sunt sub posterioribus Imperatoribus. Erantque comites, sive amici primi ordinis. *Salmas. in Treb. Poll. trig. tyr. c. 12.*

CONSILIUM ejus, qui judicio præerat, appellabantur judices, seu assessores, cum quibus colloquebatur prius, ac deliberabat seorsim, atque ita demum de *consilii* sententia litigantibus respondebat. Cicer. in Bruto c. 22. *Cum Consules de consilii sententia, amplius, pronuntiavissent.* Atque hinc, causa perorata, antequam sententia ferretur, dicebantur proprie, & is, qui judicium cogebat, & reliqui judices, *consurgere in consilium, ire in consilium, mitti in consilium*, hoc est, secedere paullisper ad consultandum & colloquendum inter se. Ascon. in Cicer. p. 65. *Ab utraque parte oratione consumpta, ut in consilium dimitterentur judices, prætor solet pronuntiare, Dixerunt* scilicet Oratores. Cicer. pro Clu. c. 30. *Cur eum, cum in consilium iretur, Cluentius & Cannutius abesse patiebantur? cur cum in consilium mittebant, Stalenum judicem non requirebant?* c. 20. *Cum in consilium iri oporteret, quæsivit ab reo C. Junius quæsitor, clam an palam de se sententiam ferri vellet: responsum est, clam velle ferri. Itum est in consilium: omnibus sententiis damnatus est.* Perizon. ad Huber. de Prætor. II. 19. Noodt de Jurisdict. & imper. I. 11. *Consilium* prætor præbiturus, decem senatores, totidemque equites Romanos in *consilium* adhibebat. Ulpian. in Fragm. *In consilium Romæ adhibentur quinque senatores, & quinque equites Romani.* Theophil. Instit. quib. ex caus. manum. *Habebatur & Romæ consilium, aliquo die conventus prætore pro tribunali sedente, & assidentibus ei quinque senatoribus, & quinque equitibus Romanis.* Qui sane senatores equitesque dicebantur non assessores, non consiliarii, sed judices. Ulpian. l. 16. π. de manum. vind. *Illud in causis probandis meminisse judices oportet, ut non ex luxuria, sed ex affectu descendentes causas probent.* Imp. Antonin. l. 1. C. de vind. & apud cons. manum. *Eorum, qui apud consilium manumittuntur, post causam a judicibus probatam, non solet status in dubium revocari. . . .* Erantque non repentini, sed certi & continui; fuerunt enim iidem cum XX. recuperatoribus, qui præsidi in provinciis in *consilio* aderant. Continuos fuisse indicat Cicer. Verr. II. 29. *In consilio habebat homines honestos e conventu Syracusano, qui Sacerdoti quoque in consilio fuerant.* 33. *Illud negare posses, aut nunc negabis, te consilio tuo dimisso, viris primariis, qui in consilio C. Sacerdotis fuerant; tibique esse solebant, remotis de re judicata judicasse?* Tantæ fuerunt auctoritatis, ut, cum ei, cui mandata est jurisdictio a prætore urbano, vel præside provinciæ, assessores & amicos in *consilium* adhibere licuerit l. 3. & 5. π. de assess. tamen *consilium* exercere, id est, decemviros illos convocare non liceret. Ulpian. l. 2. π. de offic. ejus cui mand. jurisd. *Mandata jurisdictione a præside, consilium non potest exercere is, cui mandatur.* Unde credibile est, eosdem fuisse cum decemviris litibus judicandis, eaque appellatione fuisse ornatos præcipui honoris,

& prætorii judicii gratia, quemadmodum xx. illi, qui a præside in *consilium* vocabantur, honoris gratia peregrini recuperatores dicti sunt. *Siccam. de Centumv. judic.* I. 10. *Augustin. de Legibus ad Æliam Sent. de manum. Rævard. Protrib.* c. 18. *Pollet. For. Roman.* v. 6. *Loon. de Manum.* III. I. §. I. Prætor cum his pro tribunali considebat. Achil. Tat. VIII. p. 496. *Tu consiliarios habes, sine quibus nihil tibi decernere licet. Sed neque quidquam est, quod tu pro tua auctoritate statuere prius audeas, quam hoc in solio consideas.* Suet. Tib. c. 33. n. 2. *Magistratibus pro tribunali cognoscentibus plerumque se offerebat consiliarium; assidebatque mystim.* Assidebant *consiliaris* ita, ut post prætoris tergum sederent. Ammian. XXIII. ad finem: *Ad judicandum usu rerum spectati destinantur, & integri parum alienis consiliis indigentes: unde nostram,* Romanam, *consuetudinem rident, quæ interdum facundos, jurisque publici peritissimos post indoctorum collocat terga.* Igitur ad hanc formam sedebat cogniturus pro tribunali magistratus, decreturus autem, adeuntibus adsessorum verba pronuntiabat: ut ait Senec. de tranq. anim. l. 3. Quid multa? prætoris judicium erat, adsessores præsentem, ac judicantem instruebant, ipsi neque judicabant, neque jus dicebant. Inde qui huc alludit, Senec. Epist. 67. *Quidquid honeste fit, una virtus facit, sed de consilii sententia: quod autem ab omnibus virtutibus comprobatur, etiamsi ab una fieri videtur, optabile est.* Imo judicare, & judicanti in *consilio* adesse longe diversa opinatur Plin. Epist. I. 20. *Frequenter egi, frequenter judicavi, frequenter in consilio fui.* Pariter Paull. l. 2. ff. quod quisque juris: *Hoc,* inquit, *edicto dolus debet jus dicentis puniri: nam si adsessoris imprudentia jus aliter dictum sit, quam oportuit, non debet hoc magistratui, sed ipsi adsessori objicere.* Sed qui potest? nam qui prætori adsident, & ipsi judices appellati l. 16. ff. de manum. vind. l. 2. C. de vind. & apud consil. manum. Scio; sed ideo, quia is qui jus dicit, nihil cognoscere, aut decernere potuit sine horum sententiis: ita hi judices, quia judicis portiones (hoc enim nomine designantur) item partes, participes, & *consiliorum* socii, ipsum etiam *consilium* participatus appellatum: quod annotavit Savar. ad Sidon. Epist. I. 3. Igitur qui adsessores, hi & judices fuere, sed præsente, & judicante magistratu: absente enim neque libellis subscribere, neque causas audire potuerunt l. 2. & pen. C. de assessor. id est, judices non fuerunt. Hoc tamen ex parte mutatum est a Justiniano Novel. 60. c. 2. & 82. in præfat. *Noodt l. l.* Lege Ælia Sentia dominus minor annis viginti vindicta non poterat manumittere, nisi apud *consilium* justa causa approbata. Justinian. §. 4. Instit. quib. ex caus. man. *Eadem lege Ælia Sentia domino minori viginti annis non aliter manumittere permittitur, quam si vindicta apud consilium justa manumissionis causa approbata fuerit manumissi.* Rævard. ibid. c. 12. Augustin. & Loon. l. l. Ad *consilium* pertinet inscriptio, quam in Inscriptionibus exhibet Gruter. p. 631. PERSICUS. LIBERTUS. MANUMISSUS. AT. lege AP. id est, APUD. CONSILIUM. Nec tantum proprium, sed & communem servum apud *consilium* manumittere poterat §. 2. l. 4. ff. de manum. vind. & id poterat, etiamsi unus tantum ex sociis approbavisset. L. 6. ff. eodem. *Servus communis quum a minoribus viginti annis dominis possit apud consilium manumitti, quamvis unus ex sociis tantum approbaverit causam, dubium non est.* Loon. l. l.

Consilia alterna quæ appellentur, non facile dixerim. Sed arbitror ad *consilia* judicum referri, ut alternos *consiliarios* actori & reo rejicere liceret. Vatinii lex fuit de alternis *consiliis* rejiciendis, cujus legis beneficio C. Antonius Ciceronis collega exclusus esse dicitur. Cicer. in Vatin. c. 11. *Et quoniam crebro usurpas, legem te de alternis consiliis rejiciendis tulisse. . . . Et posteaquam C. Antonius reus factus est, statim tuleris in eum, qui tuam post legem reus factus esset ut homo Consularis exclusus, miser, puncto temporis spoliatus beneficio, & æquitate legis tuæ?* Namque Ascon. in Cicer. p. 47. scribit, cum de crimine aliquo quæreretur, cui prætor aliquis præpositus erat; veluti repetundarum, ambitus, majestatis, sortito ex his ordinibus, quibus judicia erant commissa, judices educebantur; e quibus accusatori ac reo rejicere licebat, si quos iniquos putarent; rejectis judicibus, alios in eorum locum prætor subsortiebatur. Alternæ rejectionis judicum mentio fit a Cicer. pro Planc. c. 15. *Non intelligo, quamobrem Senatus de ipso ambitu, de rejectione voluerit fieri judicium alternorum.* Augustin. de Legibus ad Vatiniam.

Consilia Centumvirorum erant quatuor. V. supr. in *Centumviri.* Inter hæc quatuor medius sedebat prætor, sic ut a dextra parte duo posita essent diversa tribunalia, & totidem a parte sinistra. Quod voluisse videtur Quintil. V. 2. cum scribit, *partes centumviralium in duas hastas fuisse divisas.* Rævard. Protribun. c. 20. Quod sic videtur intelligendum, ut hastæ singulæ singulis duplicibus *consiliis* essent præfixæ, eaque non altera centumviralis, altera prætoria, vel decemviralis, ut existimat Rævardus, sed ambæ centumvirales. Opinionem confirmat Ulpian. in l. 10. π. de inoffic. testam. *Si pars judicantium de inofficioso testamento contra testamentum, pars secundum id sententiam dederit, quod interdum fieri solet, humanius erit ejus partis sequi sententiam, quæ secundum testamentum pronuntiavit.* Quod ita interpretor, si pars una centumviralium (id est, duo *consilia*) contra testamentum, pars altera (id est, alia duo *consilia*) secundum testamentum pronuntiaverint, quia pares sententiæ sunt, sequendam esse ejus partis sententiam, quæ testamentum ratum habuit. Quod si ita sit, credibile est, prætorem ita sedisse, ut ab utroque latere unam partem duobus *consiliis* constantem haberet. *Siccam. ibid.* c. 12. Erant hæc quatuor in basilica quadam inter se usque adeo proxima, ut actiones unius tribunalis ab alio exaudiri possent. Quintil. XII. 5. *Certe cum in Julia basilica diceret* Trachallus *primo tribunali, quatuor autem judicia, ut moris est, cogerentur, atque omnia clamoribus fremerent, & auditum eum, & intellectum, & quod agentibus cæteris contumeliosum fuit, laudatum quoque ex quatuor tribunalibus memini.* Hotoman. de Magistr. Roman. I. Thes. Ant. Rom. Græv. Tom. II. p. 1867. E.

CONSISTORIUM est locus, in quo qui in consilio Principis erant, *consistunt.* Hesychius interpretatur κονσιςώριον, θεῖον συνέδριον. Suidas: Κονσιςώριον παρὰ Ῥωμαίοις ὅτω λέγεται τὸ συνέδριον, καὶ τὸ σύςημα, ἔνθα περὶ τῶν ἐπειγόντων βουλεύονται. *Meurs. Gloss. Græco-barb. Guther. de Offic. dom. Aug.* I. 17. *Pancıroll. Notit. Dign. Imp. Orient.* c. 98. *Pollet. Hist. For. Rom.* I. 4. *Du Fresne Glossario. Buleng. de Imper. Rom.* III. 9. *Donati Dilucid.* p. 811. *Vales. in Ammian.* XV. 5. *Salmas. in Treb. Poll.* XXX. *Tyran.* c. 12. *Spartian. Adrian.* c. 18. Non dicitur, nisi ubi Princeps est, qui sedebat inter eos, qui appellabantur *Comites consistoriales* l. ult. C. de Comit. Consistor. Illi adsistebant fere Præfectus prætorio, Quæstor palatii, Magister officiorum, cum Comitibus ac Tribunis sacri *consistorii.* Hi omnes nomine *Consistorianorum* continentur. *Vales. & Panciroll. l. l.* Qui steterant, non assederunt in *consistorio* Principis. Ambros. Epist. 133. *Ubi sedit in consistorio, ingressus sum: assurrexit, ut osculum daret, ego inter consistorianos steti.* Lex 5. C. de fide test. *Pars actorum habitorum apud Imperatorem Julianum Constantinopoli in consistorio, adstante Jovio viro clarissimo Quæstore, Anatolio Magistro officiorum.* Interdum tamen assedisse constat, ut ex Vopisco in Aureliano, Ammian. XXII. Procopio, & aliis observare est. *Du Fresne l. l.* Verbum est novum, quodque ab auditorio aliquatenus differre puto. Nam in *Consistorio* Principis & publicæ res, & privatorum tractantur: in auditorio causæ tantum agebantur, & Princeps sententiam dicebat l. minor §. I. ff. de minoribus. In utroque *Consistoriani* consilium præbebant, maxima culmina dignitatum consecuti l. 12. C. de excusat. mun. τὴν ἀξίαν τοῦ ὑψηλοῦ βήματος. Novell. 13. illustrium virorum supremi & ultimi. l. 2. C. ut dign. eod. serv. *Guther. l. l.* A *Consistorio* hoc Principis appellare non fuit jus. Et qui in *Consistorio* Principis causas agebant, nullas dilationes impetrabant l. 5. C. de dilationibus, & l. I. C. de relationibus. Princeps enim in locum & potestatem populi successit. *Siccam. de Centumv. Judic.* I. 6. Summa judiciorum potestas a temporibus Constantini, qui imperium, & omnem potestatem Roma Constantinopolim tran-

transtulit, apud *Consistorium* Principis permansit. *Siccam. ibid.* 11. 8.

CONSOBRINUS est materteræ filius. Itaque dupliciter hoc nomen usurpatur, cum aut duæ materteræ sunt. Nam qui duarum sororum filii sunt, *consobrini* dicuntur, ac tum inter se referuntur; estque alter alteri *consobrinus*, quippe alter alteri materteræ filius. Rursus *consobrinus* dicitur, cum ex una parte matertera est, ex altera avunculus, ut puta cum ex fratre & sorore filii prognati sunt, tum enim ambo invicem *consobrini* appellantur, atque inter se conferuntur, quippe cum ille avunculi, hic materteræ filius sit l. 1. §. quarto l. ult. §. eod. grad. ff. de gradibus. Sed recepta consuetudine latius hoc nomen productum est, ut generaliter patrui, amitæ, avunculi, materteræ filios comprehendat, quartoque numerentur gradu l. 1. §. quarto l. ult. §. eod. grad. ff. de gradibus l. 1. C. und. legit. Quod cum ita sit, nihil mutandum est apud Paullum Sent. IV. ubi sic legitur: *Consobrinus, consobrina, id est, avunculi & materteræ filius, filia. Amitinus, amitina, id est, amitæ filius, filia. Itemque consobrini, qui ex duabus sororibus nascuntur.* Ubi video, esse, qui absurdissime delenda hæc verba censent, *& materteræ.* Item illa, *itemque consobrini, qui ex duabus sororibus nascuntur.* Hotoman. de Rit. Nupt. & Matrim. c. 9. Salmas. in Spart. Adrian. c. 1.

CONSOCERI dicuntur inter se, quorum unius filius alterius filiam uxorem duxit. Suet. Claud. c. 29. n. 3. *Appium Silanum consocerum suum occidit.* Dixerat enim c. 27. n. 3. *Claudium filiam suam Octaviam Silano adolescenti, Appii filio, desponsasse.* Ulpian. Dig. 24. 1. 32. 21. *Si consocer consocero donaverit.* Hotoman. de Rit. Nupt. & Matrim. c. 10. Pitisc. in Suet. Claud. c. 29. n. 3.

CONSORTES cum dicimus, communionem significamus. Atque ita *consortes* ejusdem litis sunt, quorum communis lis est, qui simul litem contestati sunt. Frequenter autem de fratribus hoc dicimus. Suet. Tit. c. 9. n. 5. Domitianum *a primo imperii die consortem, successoremque testari perseveravit.* Sidon. Epist. IV. 24. *Non est, cur dicere incipias: habeo consortes, necdum celebrata divisio est, avarius constat me esse tractatum, quam cohæredes; frater, & soror sub annis adhuc tutelaribus agunt.* Tibul. II. 5. 24.

Mœnia consorti non habitanda Remo.

Festus. *Sors & patrimonium significat: unde consortes dicimus.* Qui indicat eos *consortes* appellari, qui pro indiviso commune aliquod patrimonium habent, nec referre, fratres sint propinqui, an extranei. Et *Titum Tatium Romuli* fuisse *consortem* scribit Suet. Tib. c. 1. n. 2. *RæYard. de Divers. reg. juris* c. 85. §. 3. *Cujac. Observ.* V. 10. *Savaro in Sidonium.*

CONSPONSORES dicuntur, qui fide mutua colligati sunt. Festus: *Consponsor, conjurator. Consponsos antiqui dicebant fide mutua conligatos.* Intellige hic conjuratores, qui pœna sacramenti mutuo se provocant, cum in rem aliquam agerent, puta in litem vindiciarum. *Nam,* ut inquit Varro, *qui petebat, & qui inficiabatur de aliis rebus, uterque quinquagenos æris ad pontificem deponebant.* Formula provocationis erat hæc: *Quando. negas. te. sacramento. quinquagenario. provoco.* &, *Qua. de. re. peto. laudabiliter. jura.* Hoc erat *consponsio.* Nam qui exegerat juramentum, rursus & ipse sacramentum adigebatur ab adversario. *Scalig. in Festum. Ursat. de Not. Roman. Thes. Antiq. Roman. Græv. Tom.* XI. *p.* 934. *B. Salmas. de mod. usur. c.* 16.

CONSTANTIA est in Itinerario urbs Lugdunensis secundæ apud Lixivios in littore e regione Britanniæ. *Constantia* castra in Normandia vocat Ammianus. *Panciroll. Notit. Dign. Imp. Occid. c.* 84.

CONSTANTINOPOLIS longo tractu, in promontorii qualitatem faucibus Pontici maris opposita, sinuosa lateribus, angustior latitudine, circumflui maris tutela vallatur. Hoc quoque spatium, quod solum apertum maris circulus derelinquit, duplici muro acies turrium extensa custodit: intra quas septa & in XIV. regiones divisa civitas habet palatia quinque, Ecclesias quatuordecim, domos divinas Augustarum sex, domos nobilissimas tres, thermas octo, basilicas duas, fora quatuor, senatus duos, horrea quinque, theatra duo, lusoria duo, portus quatuor, circum unum, cisternas quatuor, nymphæa quatuor, vicos trecentos viginti duos, domus quatuor millia trecentas octoginta octo, porticus quinquaginta duas, balneas privatas centum quinquaginta tres, pistrina publica viginti, pistrina privata centum & viginti, gradus centum decem & septem, macellos quinque, curatores tredecim, vernaculos quatuordecim, collegiatos quingentos sexaginta, vicomagistros sexaginta quinque, columnam purpuream, columnas intra se pervias duas, colossum unum, tetrapylum aureum unum, Augusteum, Capitolium, monetam, scalas maritimas tres. Habet sane longitudo Urbis a porta aurea usque ad littus maris directa linea pedum quatuordecim millia septuaginta quinque, latitudo autem pedum sex millia centum quinquaginta. *Panciroll. Notit Dignit. Imp. Orient. Thes. Antiq. Roman. Græv. Tom.* VII. *p.* 1334. *Panvin. de Civit. Roman. c.* 71. Est in Europa, habet in conspectu Asiam, a dextera Africæ, a sinistra Scythicis regionibus, navigandi opportunitate, opponitur. Portus ejus tanta magnitudine, & commoditate cæteris antecellit, ut triremes & naves, quæ uspiam locorum fabricatæ sunt, in sinum suum recipere possit. Duabus partibus ita mari alluitur, ut fere peninsulam quandam referat; tertia reliquo continenti jungitur. Ipsa urbs septem colles, unde etiam ἑπτάλοφος a Græcis nominatur, complectitur. In singulorum collium fastigiis templa, & mausolea sumptuosissima Imperatorum Turcicorum spectantur. Urbis muri, qui nescio qua in re ambitu suo Babylonicis inferiores videri possint, partim lapidibus quadratis, alii cæmentitiis, nonnulli interpositorum laterum ordinibus constructi sunt. Portas in circuitu viginti quatuor habet, quarum novendecim mare, quinque terram spectant. *Dousa Itin. Constantinop. Thes. Antiq. Græcar. Gronov. Tom.* VI. *p.* 3351. *C.* Antea vocabatur Byzantium. V. supr. in *Byzantium.* Urbem hanc intra decennium condidisse Constantinum scribit Julian. Imperat. Orat. I. p. 8. B. Sed de hoc decennio immane quantum inter se digladiantur *Petav. in Julian. Orat. p.* 67. *Spanhem. in easdem p.* 69. . . . *Pagi Critic. Historico-Chronolog. ad an. Christi* 324. §. 16. . . . 21. *Gothofr. in Philostorg. Histor. Eccles.* II. 9. A Mahumeto Turcarum Rege capta est editis omnis crudelitatis exemplis in urbem oppressam anno 1452. IV. Kal. Jun. post quatuor & quinquaginta dierum oppugnationem Constantino Palæologo in pugna occiso. *Jun. Fastor. Thes. Antiq. Rom. Græv. Tom.* IV. *p.* 240. *E. Nonn. in Goltz. Græc. p.* 154. Urbem hanc quatuor libris descripsit *Petrus Gyllius.*

CONSTANTINUS non est natus in Britannia, ut Baronius, Pomponius Lætus, Archiepiscopus Armachanus in Britannicarum Ecclesiarum antiquitatibus, & Ed. Stillingfleet in Originibus Britannicis censuerunt; sed in Illyrico late sumpto, vel in Dacia Mediterranea, & quidem in urbe Næso. Constant. Porphyrog. Themat. II. 9. *Præfectura Daciæ Mediterraneæ urbes quinque. . . . Næsus, patria Magni Constantini.* Stephanus: *Næssus, urbs Thraciæ,* (l. Daciæ) *opus & patria Constantini Imperatoris.* Firmic. Mathes. I. sub initium de *Constantino* loquens: *Apud Naisum genitus. . . .* Auctor Excerpt. de gestis Constantini. *Constantinus natus . . . . in oppido Naiso.* Nec ratio temporum permittit, ut in Britannia nasci potuerit; natus est enim a. Christi 272. consulibus Aureliano & Basso, diu antequam pater Cæsarea dignitate fuit ornatus; quod factum est a. Christi 291. Neque enim insulam illam ingressus est, antequam Cæsar foret, & ante sine dubio ut plurimum in Illyrico egit. Auct. Excerpt. *Constantius. . . . protector primum, exin tribunus, postea præses Dalmatiarum;* ultimamque dignitatem accepit sub Caro, qui regnare cœpit a. 282. Vopisc. in Carin. c. 17. *Constantium, qui postea Cæsar est factus, tunc autem præsidatum Dalmatiæ administrabat.* Nec viros illustres juvat Eumenius Paneg. Constant. qui dicit. *Constantinum primam Britanniam*

tanniam vidiſſe Cæſarem. Non enim quia ibi natus, ſed quia patre mortuo ab exercitu Cæſar eſt factus. Nec alter panegyricus ab incerto auctore dictus Maximiano & Conſtantino, qui dicit *Conſtantinum Britannias nobiles illic oriundo feciſſe.* Nam oriri & ortus ſingulari elegantia etiam uſurpantur de iis, qui Reges, Imperatores, vel Cæſares fiunt. Ita ipſi Panegyriſtæ loqui ſolent. Maximiano & Conſtantino c. 1. *Conſtantinæ oriens Imperator.* c. 8. *Hic eſt, qui in ortu numinis ſui*, id eſt, ſimul ac factus eſt Imperator, initio imperii. Et ita quando Conſtantinus dicitur Britannias nobiles feciſſe *illic oriundo*, nihil inde poteſt evinci, quam illum ibi purpuram ſumpſiſſe, & Cæſarem, vel Imperatorem factum eſſe. Loquendi ratio eſt deſumpta a ſole, vel ſideribus, quibus Imperatores ſolebant comparari. *Cuper. Præf. ad Lactant. de mort. perſecut. p. 2. ... 6. Valeſ. in Ammian.* XXI. 10. *Pinedo in Stephanum.* Conſtantii filius ex concubina Helena procreatus Conſtantio VI. & Maximiano VI. Coſſ. regnum invadit. *Proſper. Chron. Theſ. Antiq. Roman. Græv. Tom.* XI. *p.* 302. *A. Auguſtin. de Fam. Roman. in Aurelia.* Ubinam, & a quo fuerit baptizatus. V. ſupr. in *Baptiſterium.* Maximi cognomen ei non ante datum eſt, quam extremis imperii, vitæque annis. *Nardin. Rom. Vet.* VI. 15. Sunt, qui C. Aurelium Valerium Flavium *Conſtantinum* appellent. *Auguſtin. l. l.* Noviſſimus omnium Romanorum principum imperii formam, adminiſtrandi rationem, jura & ſtatum mutavit. Totum enim orbem Romanum denuo diviſit, novas diœceſium, vel provinciarum diſtinctiones fecit, novos magiſtratus excogitavit, novam urbem Romæ æmulam condidit *Conſtantinopolim*, quam orientalis imperii caput eſſe voluit, ut Romam occidentalis. Nam imperium omne Romanum ſuprema diviſione in duas partes ſecuit, orientale & occidentale. Provinciæ omnes tranſmarinæ orientales ab anguſto Propontidis freto ad Nili uſque oſtia & Ægyptum, qua Africæ continua eſt, Illyricum quoque, Epirus, Achaja, Græcia, Theſſalia, Macedonia, Thracia, Creta, Cyprus, Dacia omnis & Mœſia, cæteræque ejus tractus provinciæ imperio orientali, urbique *Conſtantinopoli* in plures diœceſes diſtinctæ, attributæ. Hiſpania, Britannia, Galliæ, & Noricum, Pannoniæ, & cæteræ Germaniæ provinciæ, Dalmatia, Africa omnis, & Italia urbis Romæ, & occidentalis imperii ditioni relictæ. Ut autem urbem a ſe conditam in omnibus antiquæ Romæ æqualem redderet, duos ad minus Imperatores eſſe procuravit, quorum alter in occidente, alter in oriente rerum potiretur, ſenatum quoque diviſit, quum enim univerſo orbi Romano civitas diu ante ab Antonino Caracalla Imperatore data fuiſſet, ſenatores omnes lecti ex occidentalis imperii provinciis Romæ remanſerunt, ex orientalis vero *Conſtantinopoli.* Eadem etiam de Conſulibus ratio fuit, quorum alterum *Conſtantinopoli* deſignari mos erat. Urbis deinde præfectus ut Romæ, ita etiam *Conſtantinopoli* factus eſt. Nullum poſtremo privilegium, ſeu dignitas, ſeu immunitas fuit, quæ Roma habuit, quæ non eadem ratione cum *Conſtantinopoli* etiam communicata non fuerint. Poſt exauctoratos milites prætorianos, & caſtrum prætorium Romæ exciſum, univerſum orbem Romanum in quatuor diœceſes, ſive adminiſtrationes diviſit, id eſt, Italiam, Gallias, Illyricum, & orientem, atque his omnibus provinciis quatuor rectores dedit, quos præfectos prætorio, vetere quidem & uſitato vocabulo, ſed nova adminiſtrandi ratione vocavit. Quorum primus præfectus prætorio Italiæ dicebatur. Hic Italiam omnem, & Africam, cum Illyrici parte regebat: alter vero præfectus prætorio Galliarum appellatus, Hiſpaniam, Gallias, Britanniam, & Germaniam ſub ſui juris adminiſtratione habebat. Atque hi duo præfecti prætorio occidentalis imperii erant, atque Imperatori occidentis, poſt quem primi erant, parebant. In orientali vero imperio præfectus prætorio Illyrici reliquas omnes Europæ provincias Romani juris adminiſtrabat: præfectus prætorio orientis Aſiæ omni eadem auctoritate præerat. Atque hi duo primum poſt Imperatorem in oriente locum obtinebant in ſuis unuſquiſque adminiſtrationibus. Sub his quatuor præfectis prætorio omnes magiſtratus Romani erant, variis nominibus appellati, dignitatibuſque & adminiſtrationibus diſtincti, qui tam provinciis, quam rei militari præerant. V. Zoſim. II. 33. *Panvin. Imp. Roman. c.* 24. Dirutis caſtris prætoriis, referente id Zoſimo, & ea muri parte, quæ ab civitate illa disjungebat, tres reliquas, ut ea parte Urbs muris clauderetur, reliquit intactas, atque ita Urbis ambitum, verum non admodum magno ſpatio, ampliavit. Illud igitur ſpatium quadratum, quod inter portam Nomentanam, & alteram nunc obſtructam procurrens hodieque viſitur, acceſſio eſt a *Conſtantino* facta, cum caſtra prætoria deſtrueret. *Nardin. Rom. Vet.* I. 8. De Eccleſia Chriſti bene meriturus, & regnum noviter partum pietate & juſtitia ſtabiliturus, non omnem gentilium errorem vi evertendum, nec tamen impietati frenum laxandum eſſe ſtatuens, quorum hoc Dei, iſtud hominum odium exacerbaſſet, falſum deorum cultum redarguit, prohibuit, ſuſtulit; ſed tamen etiam multa ex gentilibus vanitatibus toleravit potius, quam approbavit. Exemplo poteſt eſſe edictum de aruſpicina anno imperii XVI. prolatum, quod eſt l. 1. C. de pag. Poſtmodum ſeverius in idololatras, ſacrificatores, & divinatores invectus eſt apud Euſeb. in ejus vita II. 74. Imo & anno Chriſti 321. edixit publice, ut ſacrificiis domeſticis prorſus abſtinerent, ut eſt l. 16. C. de pag. Inprimis obicem idololatriæ poſuit; cum omnia fana gentilia claudi, incendi, deſtrui juſſit, idolis immolari interdixit, auguria prohibuit, & impium cultum prorſus omnem ſuſtulit, teſte Eunapio Sardiano gentili auctore, Euſeb. III. 50. IV. 25. Zozom. I. 3. & 4. Socrat. I. 14. Theodor. V. 20. Oroſ. VII. 28. *Lipen. de Stren. c.* 2. *tert. et.* §. 2. Octuaginta millia panum inopibus quotidie diſtribuebat, ut Metaphraſtes in Paullo *Conſtantinopolis* Patriarcha narrat. At Socrat. II. 10. auctor eſt donaſſe populo Conſtantinopolitano octuagies centena millia medimnorum frumenti. *Panciroll. Notit. Dign. Imp. Orient. c.* 118. Ejus pulcerrimum & ſanctiſſimum jusjurandum eſt l. 4. C. de accuſat. & inſcript. *Si quis cujuſcunque loci, ordinis, dignitatis; qui ſe in quemcunque judicum, comitum, aulicorum, vel Palatinorum meorum aliquid veraciter & manifeſte probare poſſe confidit, quod non integre atque juſte geſſiſſe videatur, intrepidus & ſecurus accedat; interpellet me, ipſe audiam omnia, ipſe cognoſcam: & ſi fuerit comprobatum, ipſe me vindicabo de eo qui me uſque ad hoc tempus ſimulata integritate deceperit. Illum autem, qui hoc prodiderit, & comprobaverit, & dignitatibus, & rebus augebo. Ita mihi ſumma divinitas ſemper propitia ſit, & me incolumem præſtet.* Hanſen. de Jurej. Vet. c. 29. Conſtantino VII. & Conſtantio Coſſ. ſive anno Chriſti 326. Romæ edidit vicennalia. *Faſt. Idatian. Theſ. Antiq. Roman. Græv. Tom.* XI. *p.* 262. *A.* tricennalia die VIII. Kalend. Auguſti Conſtantio & Albino Coſſ. ſive anno Chriſti 335. *Faſt. Idatian. ibid. p.* 111. *C.* Maxentium juxta pontem Milvium ſuperatum occidit Conſtantino III. & Licinio III. Coſſ. ſive anno Chriſti 313. *Faſti Idatian. ibid. p.* 261. *D. Proſper Chronic. ibid. p.* 302. *D.* Extremo vitæ tempore ab Euſebio Nicomedienſi Epiſcopo baptizatus in Arrianum dogma declinavit Nepotiano & Facundo Coſſ. ſive anno Chriſti 336. *Proſper ibid. p.* 304. *B.* Cum bellum pararet in Perſas, in Ancyrone villa publica juxta Nicomediam moritur anno ætatis ſuæ 66. *Proſper ibid. C.* Titiano & Feliciano Coſſ. ut ſcribit Socrat. lib. I. c. ult. Addit Euſeb. IV. 64. id factum XI. Kalend. Junias; ſeu XXII. Maji ipſa die Pentecoſtes, qui character annum Chriſti vulgarem 337. prorſus evincit. *Anonym. de Præfect. Urb. ibid. p.* 391. *B.* imperii 30. menſe nono, die ſeptimo & vigeſimo. Cadaver *Conſtantinopoli* ſepultum eſt in baſilica Apoſtolorum. *Panvin. Faſt.* II. *p.* 286.

CONSTITUERE non tantum ſtatuere ſignificat, quod fiebat in metatione, ſignis, tentoriiſque poſitis; ſed etiam componere, ordinare, & in certum ſtatum perducere. *Conſtituere rempublicam* dicit Cicer. pro Marc. c. 9. *Triumviri reipublicæ conſtituendæ* fatale legibus collegium, poſt quos libertas a nullo Romanorum fuit repetita: ita ſervitutem in rempublicam *conſtituerunt. Schel. in*

Hygin. Theſ. Ant. Roman. Græv. Tom. x. *p.* 1107. *F.* Judicium eſt dare actionem, & futuræ cauſæ proceſſum ſeriemque ordinare. Quintil. III. 10. *Rarum eſt, ut in foro judicia ſolum propter id conſtituantur, ſicut divinationes, quæ fiunt de accuſatore conſtituendo, & nonnunquam delatores, uter præmium mereris.* Quomodo *conſtitutionis* lex conciperetur, exſtat exemplum apud Aſcon. in Cicer. p. 190. ubi quæſtioni de Clodii cæde a Senatu decretæ L. Domitius Quæſtor præpoſitus eſt: accuſatori & reo præſtituta tempora dicendi, teſtibus & ſuus dies dictus, numerus judicantium finitus. . . . Hinc profectum legibus interrogare. *Pollet. For. Roman.* III. 7. *Hotman. de Lite ordin.* c. 9.

CONSTITUTIO, qua omnibus in orbe Romano civitas data dicitur, a nonnullis male Adriano tribuitur. Id a Chryſoſtomo traditum ad Acta Apoſt. c. 25. p. 875. Tom. IV. *Ab Adriano dicunt omnes factos eſſe Romanos: antiquitus vero non ita fuit.* Quod abunde redarguunt ipſa *Conſtitutionis* verba, quibus auctor hujus beneficii Antoninus Imperator ab Ulpiano dicitur: *Caſaub. ad Spartian. Adrian. c.* 21. *Spanhem. ad Conſtit. Anton. Imper. Exercit.* I. 22. Qui error exinde provenit, quia ſæpiſſime Adrianus a ſcriptoribus confunditur cum Antonino Pio, & quod hic feciſſe narratur, illi adſcribitur. *Burmann. Diſſert. de Vectig. c.* 11. Hanc Antonino Pio Romani juris conditor, ſeu ordinator verius, tribuit Juſtin. Novell. 78. c. 5. *Sicut enim Antoninus Pius cognominatus eſt (ex quo etiam appellatio huc ad nos pervenit) jus Romanæ civitatis, prius ab unoquoque ſubjectorum petitum, & taliter ex iis, qui vocantur peregrini, ad Romanam ingenuitatem ducens, hoc ille omnibus in commune ſubjectis donavit.* Tribuunt Alciat. Diſp. II. 21. Anton. Auguſtin. ad Modeſtinum, Panciroll. Var. II. 64. Cujac. Obſ. IV. 5. Salmaſ. ad Vopiſc. Prob. c. 14. Caſaub. Spartian. Sever. c. I. Non pauca ſunt, vel levia, quæ id ſuadere videntur. Sed ex iis, ampliatum quidem a Pio Romanorum civium numerum, quod nummus in Ubiis, in quo *ampliator civium* dicitur, ante hoſce viginti tres annos effoſſus evincit, ac proinde jus illud pluribus imperio ſubjectis, qui ejus erant hactenus expertes, ſub eo Principe munifice datum, licet omnino ſtatuere: non vero (qui haud unus Juſtiniani Imperatoris, ſeu verius Triboniani, in ampla illa novarum, uti ſunt appellatæ, *conſtitutionum* acceſſione lapſus) in univerſum, & ſublato inde omni in Romano orbe Romanorum civium, Latinorum & peregrinorum, quod Ulpiani, ac infra eam, ætate adhuc ſupererat, diſcrimine. *Spanhem. ibid. Exercit.* II. I. Marco Antonino Pii ſucceſſori Aurel. Vict. Cæſ. c. 16. n. 13. *Data cunctis promiſcue civitas Romana.* Et Victoris enarratores, aliique, Caſaub. in Spart. Adrian. c. 21. *Juriſconſulti M. Antoninum faciunt auctorem, ſuffragante Aurelio Victore.* Quod de Juriſconſultis, ſeu Ulpiano hic dicitur, eſſet omnino liquidum, ſi Marci prænomen, ut fit a Caſaubono, nomini Antonini Imperatoris eſſet ab Ulpiano præpoſitum. Ab Ariſtide quidem, qui ſub hoc Imperatore floruit, dicuntur in ejus oratione in Romam, quæ jam omnibus impertitum illud Romanæ civitatis beneficium haud obſcure videntur innuere. Illorum tamen ea demum habenda eſt ratio, ut ſicut de Antonino Pio jam diximus, non promiſcue quidem omnes in orbe Romano cives Romanos ſub Marco jam effectos; ſed ampliatum fuiſſe haud parum eorum numerum: neque unius urbis, aut gentis in orbe Romano finibus circumdatum; ſed ad plures, qui vel magiſtratus in patria geſſiſſent, in eaque præ cæteris civibus dignatione & potentia eminerent; vel inter Romanos militarent, ſeu in imperii finibus præſidiarii milites agerent, illius beneficii largitionem dimanaſſe: & quidem ita, ut nemo natalis ſoli conditione civitatis Romanæ jura & honores conſequi deinceps prohiberetur. V. Ariſtidem. *Spanhem. ibid. n.* 2. 3. Nec Victoris *promiſcue* ſignificat, omnibus in orbe Romano datam eſſe civitatem, ſed hoc tantum, Antoninum, nullo habito diſcrimine, cujus gentis & nationis homines eſſent, dediſſe civitatem plurimis, cum alii Imperatores difficiliores in largienda civitate eſſent. Hoc ſignificat apud Liv. I. 43. qui dicit *olim a Regibus eodem jure promiſcue omnibus datum ſuffragium*, cum poſtea gradus a Servio facti ſint. Eodem modo *promiſcue ſpectare* dixit Suet. Aug. c. 44. n. 6. Domit. c. 8. n. 6. Et fortaſſe idem voluit Victor, quod Capitolinus in ejus vita c. 24. notat, *Philoſophum infinitos ex gentibus in Romano ſolo collocaſſe.* Burmann. l. l. Nec hujus *conſtitutionis* auctor dicendus eſt Antoninus Commodus. Hoc facile licet opinari, cum paſſim & indignis fuerit venundatum. Lamprid. Comm. c. 6. *Tuncque primum vigintiquinque conſules in unum annum, venditaque omnes provinciæ; Omnia Cleander pecunia venditabat.* Spanhem. ibid. n. 4. Sed Antoninus Baſſianus, ſeu Caracalla, Severi filius. Ulpian. l. 17. ff. de Stat. hom. *In orbe Romano qui ſunt, ex conſtitutione Imperatoris Antonini, cives Romani effecti ſunt.* Ulpianus ſub Caracalla ejuſque patre Severo aſſeſſor exſtitit, & ſolo Antonini Imperatoris nomine hunc Principem haud ſemel deſignat, ut l. 6. §. ff. de Offic. Proconſ. l. 18. ff. de minor. §. I. & 2. l. 32. de donat. int. vir. & uxor. §. I. aliiſque in locis. Nec Ulpianus ſolum, ſed & Paull. l. 31. §. 4. de fideicom. libert. Modeſt. l. 3. de Senator. Voluſ. Mæcian. l. 9. ff. de leg. Rhod. & Licin. Rufin. l. 41. ff. de donation. eodem nomine eundem deſignant. Antonini Imperatoris appellatio Pio, vel Marco tributa ſubinde legitur; ſed a prioribus Ictis, quique ſub iiſdem Principibus, aut iis proxime defunctis vixerunt, Gajo, Scævola, Marcello, Papirio Juſto, non autem a poſterioribus, Ulpiano, aliiſque, qui eoſdem aliis appellationibus, ut Divi Pii, Divi Marci, Divorum Fratrum nominant. Plene ac liquido etiam de *Conſtitutionis* hujus auctore, & de ejuſdem latæ occaſione, ac inſtituto conſtat ex Dione Cocceјano in rebus Antonini Caracallæ, apud quem *Conſtitutionis Antonianæ* mentio facta occurrit lib. LXXVII. p. 745. *Poſtremo præter vectigalia, tum alia, quæ ab ipſo primum reperta ſunt, tum vectigal decimæ, quam pro viceſima conſtituit, tam eorum qui manumitterentur, quam hæreditatum ac legationum: cum ſuccedendi jus, & immunitates omnes, quæ proximis defunctorum ac genere conjunctiſſimis conceſſæ legibus erant, ſuſtuliſſet. Cujus rei cauſa etiam omnibus, qui in orbe Romano erant, civitatem dedit, ſpecie quidem ipſe eis honorem tribuens, ſed revera ut fiſcum ſuum augeret, quippe quum peregrini plerique horum vectigalium non penderent.* Spanhem. ibid. n. 6. 7. & 8. Valeſ. Not. ad Excerpt. Dion. Coccej. p. 108. Weſembec. Paratit. ad l. 17. ff. de Stat. homin. Petit. ad leg. Attic. p. 136. Burmann. l. l. Ex Spartiano tamen confici videtur, ante Caracallam jam omnibus fuiſſe datam civitatem. Ita enim ille Sever. c. I. *Severo civitas Leptis, pater Geta, majores equites Romani, ante civitatem omnibus datam.* Sed vox *omnibus*, non de univerſis in orbe Romano viventibus, ſed de omnibus Leptitanis eſt accipienda. Imo in MSC. codice non *omnibus*, ſed *ſibi*, quod eſt rectius, legitur. *Valeſ. ibid. p.* 109. Addo ego nequaquam hinc probari, ante Caracallam civitatem datam eſſe: nam eodem modo jam ante Adrianum concluderem datam civitatem: nam ſi rationem temporum ineas, Severus natus octavo anno Pii, ejus pater ſub Adriano jam floruit, majores vero longius ſub prioribus Imperatoribus neceſſe eſt vixiſſe, & ab iis civitatem accepiſſe, ut teſtatur Spartianus. Jam vero non commoda, neque congruens Spartiani eſſet locutio, ſi cum de aliquo civitate a Nerone, vel Veſpaſiano donato vellet agere, eum civem fuiſſe ante legem & *conſtitutionem* Antonini, qua omnibus data eſt civitas, diceret. Sed hoc innuit Spartianus, majores Severi ob præclara merita ab Imperatoribus prioribus fuiſſe civitate donatos. Solebant enim Imperatores primores & optimates aliquarum civitatum, ſi gratam ipſis operam præſtitiſſent, jure civitatis donare. Ita Julius Florus Trevirenſis, & Julius Sacrovir Æduus apud Tacit. Annal. III. 40. I. & primores Galliæ comatæ apud eundem Annal. XI. 23. I. civitate gaudebant. Tales etiam erant Severi majores, quibus data eſt civitas. Unde lego, *ante civitate omnibus data*, id eſt, majores ejus fuere equites Romani, cum iis omnibus antea civitas eſſet ab Imperatoribus data. *Burmann. l. l.* Illud *ante civitatem omnibus datam*,

datam, ad sequuta, quod auctoribus familiare, latæ illius ab Antonino Caracalla legis tempora respexerit Spartianus: nempe Leptitanos Severi, ac proinde ipsius Caracallæ majores, in Romanam civitatem adscitos, antequam eadem promiscue omnibus orbis Romani incolis, quod sub hoc demum contigit, esset data. Ni tamen illud, & quod mihi magis arridet, sit potius statuendum: ut qui sub Diocletiano demum & Constantino etiam vixit Spartianus, Pium forte vel Marcum illius *Constitutionis*, quæ ab Antonino Imperatore lata dicebatur, & qua civitas est omnibus data, ea nominis illius Antonini appellatione deceptus, non vero Antoninum Caracallam, qua de re silet etiam prorsus in ejus vita, crediderit. Idque eo magis, quod tantum humano velut generi impertitum beneficium, a truculenti adeo ac sævi, uti eum Caracallam describit Spartianus, magis quam a Pii, vel Marci Antoninorum moribus, quorum celebrata adeo humanitas, & qui ab eodem dicuntur Sever. c. 21. *Antoninus Pius & Marcus numina Reipublicæ*, ac eorum intuitu illud Antonini nomen sanctum & venerabile, alienum omnino censuerit. Ut minus etiam mirum videri possit, deceptum ea in re, & proclivi adeo ejus lapsus occasione, Spartianum; quem in describendis eorum Principum vitis, in Caracall. c. 10. Juliam Severi ejusdem non matrem, sed novercam: & cum qua ibid. & in Sever. c. 20. & in Get. c. 7. post patris obitum incestas duxerit nuptias: Getam vero solum ex eadem Julia genitum: eumque Cæsarem, aut vero Imperatorem, vel Augustum, ab exercitu tantum, non vero a patre Severo, primi quoque fastigii cum Antonino fratre, etsi annis aliquot interjectis, participem nuncupatum. Sever. c. 16. Caracall. c. 1. præter coæva aliorum auctorum, & veterum etiam nummorum, vel lapidum monumenta, tradiderit. *Spanhem. ibid. n.* 5. Est vero de solis intelligenda ingenuis. Hujus rei fidem abunde facit Justinian. Novell. 78. ubi Antoninianæ legis, sed quam male, quod antea vidimus, ad Pium refert, ab eo fit mentio: non de libertis, seu manumissis, minime de Latinis libertis, vel dedititiis, ut de servis nihil dicam. Salvian. de Avarit. III. 7. *More illorum uteris, qui servos suos non bene de se meritos, quia civitate Romana indignos judicant, jugo Latinæ libertatis addicunt.* Unde & e Constantini præterea, de qua mox dicetur, *constitutione* in Codice Theodosiano constat, eandem adhuc fuisse illius Principis, nempe & sequentis seculi scriptoris Salviani temporibus, Latinorum, ut jus Romanorum civium non haberent, conditionem. Adeo etiam & in pœnam ingratis libertis, qui erant cives Romani, cederet, ut quod ait Constantinus l. 1. C. de hæred. petit. de liberto cujus culpæ reo, *si is qui dignitate Romanæ civitatis amissa Latinus fuerit effectus*: ac inde hæredes filios non haberet, sed patronum, patronique liberos. Neque enim data erat hisce Latinis libertis, quam habebant liberti cives Romani, testamenti factio. V. infr. in *Liberti*. Spanhem. ibid. n. 9. Hac *constitutione* jus suffragiorum, si quæ adhuc essent, & honorum Romæ adipiscendorum, in quo præcipuum jus Romanorum civium versabatur, cuivis in orbe Romano concessum licet quoque statuere. Adeo ut haud opus esset amplius per Latinitatem seu magistratus in patria gestos, aut jure municipii, vel singulari quopiam Imperatoris munere, seu rescripto, aut in Senatum Romanum adlegi; aut ad supremos etiam in Urbe, vel in provinciis Romanorum magistratuum honores, imo ad ipsum Imperatoris fastigium tendere, vel etiam evehi. Observat id Julianus Imperator Orat. 1. p. 5. ubi de Roma, quæ se Constantii, etsi alibi nati, patriam venditaret, quæque ei imperium detulisset, addit, eam non communibus quidem, quæ de omnibus Imperatoribus usurpari cæteroquin solet, juribus ea in re niti: quod nempe, *etsi aliunde ii sint orti, tanquam civitatis ac Reipublicæ participes, & qui editis illinc moribus ac institutis utantur, pro civibus sint habendi.* Spanhem. ibid. n. 22.

Constitutiones Principum ad ipsas leges, pragmaticas jussiones, edicta, mandata, decreta, epistolas, interpretationes, subscriptiones, interlocutiones, beneficia, atque etiam orationes referuntur. Hæc enim omnia vim legis habere certissimi juris est. Plane ex iis quædam sunt personales, quæ nec ad exemplum trahuntur, quædam generales. l. 1. ff. de constit. Princip. Generales sunt, quæ vel oratione conduntur, vel incerti edicti vocabulo nuncupantur l. 3. C. de legib. *Constitutiones* enim cum generale nomen habeant, non omnes sunt generales: sed ut genus nonnihil a speciebus differunt: & proprie *Constitutiones* vocantur leges, quæ fiunt, iis duntaxat negotiis, aut personis, quibus fuerunt promulgatæ. Nam quæ per relationem, aut suggestionem judicum, aut aliorum statuta sunt, & quæ corporibus, legatis, provinciis, vel civitati, vel curiæ conceduntur, generalia jura non faciunt l. 2. C. de legib. *Constitutionibus* autem Princeps emendat jus vetus, quod certum est: ut decisionibus certum facit, quod erat controversum. Papirius Justus libros viginti *Constitutionum* compilavit, quorum reliquiæ in Pandectis sparsæ varias leges conficiunt, quæ omnes ab hoc verbo *Imperatores* incipiunt; & ad Antoninum & Verum referuntur, si unam excipiamus, quæ ab Antonino solo ad Avidium Cassium l. Imperator ff. de pactis. Sed quicquid a Principe conditur, generali nomine *Constitutio* vocatur. *Guther. de Offic. Dom. Aug.* I. 31.

CONSUALIA, ut scribit Varr. de Ling. Lat. V. 3. *erant feriæ publicæ, quæ Conso in circo ad aram ejus ab sacerdotibus fiebant, & ludi illi, quibus virgines Sabinæ raptæ.* De illis Dionys. I. p. 26. *Romanis instituerunt Consualia; per quod apud Romanos ex more immunes ab opere sunt equi & muli, coronanturque floribus.* II. p. 100. *Festum quod tunc consecravit Romulus, etiam nostra ætate Romani agitant nomine Consualium: in quo ara subterranea, sita prope circum maximum, refossa circumquaque terra, sacrificiis & missis in ignem libaminibus honoratur, equorumque & junctorum & injugum committuntur certamina.* Buleng. de Circ. c. 9. Berthald. de Ara c. 18. n. 2. la Chausse de æn. Lucern. tab. IX. Boxhorn. in Plutarch. Quæst. Roman. 40. Ursat. de not. Roman. Thes. Antiq. Roman. Græv. Tom. XI. p. 642. D. Voss. de Idolol. I. 15. Ferret. Mus. Lapid. I. 16. Alex. Gen. Dier. V. 26. Scalig. Poet. I. 22. & 28. Gyrald. Synt. Deor. V. p. 162. XVII. p. 494. Donat. Dilucid. in Ammian. XXVIII. p. 851. Ouzel. in Minuc. Felic. p. 231. Hospin. de Fest. p. 205. Godwyn. Anthol. Roman. lib. II. sect. 3. c. 6.... Marlian. Topogr. urb. Rom. III. 18. Panvin. de Lud. Circ. I. 3. Pigh. Annal. Rom. I. p. 16. Perion. de Græcor. & Roman. magistr. III. Thes. Antiq. Græcar. Gronov. Tom. VI. p. 2814. A. Laurent. var. sacr. gentil. c. 4. Ortel. Deor. & dear. cap. I. 11. Volaterr. Comment. Urban. XXIX. p. 1091. D. Blond. Triumph. Rom. I. p. 46. G. Schill. Nomencl. Philol. p. 345. Postea circenses fuerunt dicti. V. supr. in *Ludi circenses.*

CONSUL est nomen beneficii populi Romani. Cicer. Phil. XIV. 9. *Quomodo enim potius Pansam appellem? etsi habet honoris amplissimi nomen, quo Hirtium? est ille quidem consul: sed alterum nomen est beneficii populi Romani, alterum virtutis, atque victoriæ.* Castal. Obelisc. August. Inscript. Thes. Antiq. Roman. Græv. Tom. IV. p. 1864. C. *Consules* exactis Regibus successerunt, qui vicem Regis subeuntes privatum jus per se administrarunt, publicum cum populo, & senatu. *Pollet. For. Rom.* III. 5. Illis exactis, & libertate parta imperium duobus viris annuum mandatum est. Cicer. de Leg. III. 3. *Regio imperio duo sunto.* Duo sunt creati, *ut si unus improbus esse voluisset, alter eandem habens potestatem eum coerceret. Placuit quoque, ne imperium consulare longius quam annuum esset, ne propter magistratus diuturnitatem insolentiores, superbioresque essent, sed civiles semper se redderent, qui se post annum scirent esse futuros privatos.* Eutrop. I. 9. Idem Flor. I. 9. 2. & Dionys. IV. p. 268. *Panvin. de Civ. Rom. c.* 55. *Fast.* I. *p.* 58. *Prevot. de Magistr. Rom c.* 5. *Lips. de Magistr. Rom. c.* 7. *Hotoman. de Magistr. Rom. in Consules. Lycklama de Magistr. c.* 7. *Manut. de Legib. Rom. c.* 5. *Flocc. de Potest. Rom. c.* 7. *Kipping. Antiq. Rom.* I. 3. 6. Fuerunt dicti prætores. Varr. apud Non. I. 91. *Quod idem dicebantur consules & prætores.* Prætorum nomen, etsi commune omnibus imperiis; tamen

men velut per excellentiam his adhæſit. Feſtus. *Initio prætores erant, qui nunc conſules.* Juſtin. Novel. 24. & 25. *Eſt prætoris nomen Romani imperii proprium, & ante ipſos etiam conſules in veteri, atque præclara Reipublicæ conſtitutione uſurpatum.* In XII. tabulis exemplum apud Plin. XVIII. 3. *Impubem prætoris arbitratu verberari*, hoc eſt, *conſulis*, quoniam tunc certe nondum creatus prætor. Itaque anno ipſo poſt tabulas ſcriptas. Quum poſtea *conſules* non poſſent ſimul omnibus ſui magiſtratus muneribus vacare per continua bella, quæ ſubinde exoriebantur, eoſque occupabant, atque ita frequens eſſet quaſi juſtitium in Urbe, vel identidem aliquis, a populo non creatus, Urbi præfectus daretur, viſum fuit faciendum, ut peculiaris juri dicundo magiſtratus conſtitueretur. Pompon. de Orig. jur. §. 37. *Quum conſules avocarentur bellis finitimis, neque eſſet, qui in civitate jus reddere poſſet, factum eſt, ut prætor crearetur.* Huic novo magiſtratui cum daretur pæne altera pars muneris & imperii *conſularis*, conceſſa quoque eſt altera ex præcipuis antea unici magiſtratus appellationibus: ita tamen, ut *conſules* retinerent hoc *conſulis* nomen, ut quod maxime populare, quodque ſignificabat, eos non regere, ut poſtremus Rex fecerat, pro ſuo lubitu Rempublicam, ſed in ea tractandá uti conſilio ſenatus, qui erat quaſi conſilium publicum, quod tum Rex, tum *conſules* ex inſtitutis Reipublicæ conſulere de omnibus debebant. Judicis appellationem illo tempore non habuerunt, ſed tantum *conſulis*, & prætoris. Hoc enim cæteroqui conſularis magiſtratus nomen præ ullo alio aſſignatum fuiſſet haud dubie novo magiſtatui, cui juris dicundi poteſtas prorſus, & in perpetuum tradebatur. Ipſe Liv. III. 55. refellit alios, qui in lege Horatia, qua poſt decemviros abrogatos *caput ejus Jovi ſacrabatur, qui tribunis plebis, ædilibus, & judicibus nocuiſſet*, interpretabantur vocem *judicum* de *conſulibus*, dicentes *judicem conſulem appellari*, in iſta ſcilicet lege, pro ratione iſtius temporis. In iſta lege non agitur de *conſulibus*, ſed de plebejis magiſtratibus, per quos plebi ſua libertas firmaretur: & per *judices* intelliguntur ipſi ædiles, quippe quos Dionyſ. VI. I. creatos dicit hoc tempore, ut inter alia munia etiam *dijudicarent lites, quæ permitterentur illis*, ſeu tribunis, ſeu ædilibus: atque inde appellatos non modo tribunorum *miniſtros & collegas*, ſed & *δικαςὰς, judices.* Neque ſatis recte Livius, ut qui illos interpretes ſolo hoc argumento, in quo etiam ipſo offendere videtur, conatur refellere, quod his *temporibus nondum conſulem judicem, ſed prætorem appellari mos fuerit.* Etenim *nondum his temporibus conſulem judicis*, ſed tantum *prætoris* nomine appellatum ait, ſignificare videtur, ſic ergo poſtea appellatum. At vero facile ego quidem crediderim, etiam hac appellatione quaſi propria inſignitos aliquando *conſules*; quia ſic Cicero laudatus infr. in *Prætores.* Sed ſi unquam, minime videntur ſic appellari cœpiſſe demum poſt tempora decemvirorum, ſed omnino jam illis temporibus, vel etiam ante. Nam neque ſubſecuto novi hujus magiſtratus tempore tranſlatum eſt id judicum vocabulum ad novum illum magiſtratum, quum tamen res ipſa in eum conferretur, neque remanſit penes *conſules*, ut quod, re ablata, nullius illis erat uſus, & certe in hiſtoriis deinceps nuſquam occurrit *conſulibus* tributum. Exiſtimem itaque, ſi unquam appellati ſint judices, id factum primis plane temporibus. Verum paullatim illud nomen in ſignificandis *conſulibus* abiiſſe in deſuetudinem, & ſic eo tempore, quo juris dicundi poteſtas, *conſulibus* adempta, nova data eſt magiſtratui, *conſules* non alia habuiſſe nomina, quam illa *conſulis* & *prætoris*, quæ etiam ſola memorat Varro laudatus infr. in *Prætores.* Quorum poſterius datum eſt novo magiſtratui, quia is erat quodammodo, & dicebatur *collega conſulum.* Hæc *Perizon. de Prætor.* §. 4—8. *Voſſ. Lex. Etymol. Auguſt. ad LL.* XII. *tab.* §. 29. *& de Leg. in Horatia. Sigon. de Judic.* I. 16. *Lipſ. ibid. c.* I. *&* 7. *Lycklama ibid. c.* 6. *&* 7. *Panvin. in Faſt.* I. *p.* 57. *Pigh. Annal Roman.* I. *p.* 65. *&* 265. *Faber ad Tit.* II. *de Orig. jur. p.* III. *&* 168. *Ferret. Muſ. Lapid.* I. *Memor.* 7. Loco Regum creati ſunt, cum pleno eorum jure. Itaque *regium imperium* modo appellavit Cicero, *regium dignitatum* Caſſiod. Var. II. 2. *ſummum imperium* Ovid. de Pont. IV. 9. 65. Qua de cauſa Græci *conſules* verterunt ὑπάτες, q. d. ſummos, vim intuentes imperii & poteſtatis: quemadmodum quod præcellens & ſummum eſt, priſci Græci appellabant ὕπατον, inquit Dionyſ. VI. p. 270. *Lipſ. l. l.* Regia itaque poteſtate creati ſunt comitiis centuriatis ab Interrege, ut Dionyſ. IV. p. 269. ſive Urbis præfecto Sp. Lucretio Tricipitino. V. ſupr. in *Comitia centuriata.* Hi fuerunt Brutus & Collatinus. *Panvin. & Manut. l. l. Lætus de Magiſtr. Roman. c.* 15. Qui omnia Regum jura, lictores cum faſcibus, trabeam prætextam, ſellam curulem regiam, cæteraque Regum inſignia habuerunt. Liv. II. I. *Omnia jura, omnia inſignia primi conſules tenuere. Id tantum cautum eſt, ne, ſi ambo faſces haberent, duplicatus terror videretur.* Panvin. l. l. Flocc. de Poteſt. Rom. II. 7. Corona, & toga picta exceptis, illis enim non uſi ſunt, niſi cum victores e provinciis redirent e triumpho. *Auguſt. de Legib. in Julia.* Sub Imperatoribus etiam quoties magiſtratum inirent. V. infr. in *Toga palmata.* A P. Valerio conſule, Bruti collega, duæ leges poſtea latæ ſunt, quibus plebis poteſtas aucta, ſenatus & magiſtratuum imminuta eſt. I. *ut magiſtratum nemo caperet, niſi qui a populo imperium reciperet. Si quis aliter feciſſet, capitali pœna puniretur: qui eum occidiſſet, ei impune eſſet.* Dionyſ. V. p. 292. II. Ut adverſus magiſtratum provocatio ad populum eſſet: neve quis magiſtratus civem Romanum adverſus provocationem verberare, aut necare vellet. Pompon. l. I. §. 16. ff. de orig. jur. *Exactis deinde Regibus Conſules conſtituti ſunt duo: qui tamen ne per omnia regiam poteſtatem ſibi vindicarent, lege lata factum eſt, ut ab eis provocatio eſſet: neve poſſent in caput civis Romani animadvertere injuſſu populi: ſolum relictum eſt illis, ut coercere poſſent, & in vincula publica duci juberent.* De provocatione latam eſſe ſcribit Liv. X. 9. V. illum infr. in *Lex. Valeria.* Auguſtin. ibid. in Horatia & Valeria. Manut. de Leg. c. 5. Sigon. de Ant jur. civ. Roman. I. 20. Panvin. in Faſt. l. l. Prevot. de Magiſtrat. Roman. c. 5. Lipſ. l. l. Deſignati in comitiis, *conſulis*, qui comitia habebat, voce renuntiabantur & declarabantur. Cicer. pro Mur. c. I. *Illo die, quo auſpicato comitiis centuriatis L. Murænam conſulem deſignavi.* Et mox: *Ut ejuſdem hominis voce & declaratus conſul: . . .* Briſſon. de Form. II. p. 135. Et quidem ſub hac ſollenni precatione, qua, cum Murænam *conſulem* renuntiaret, ſe uſum eſſe teſtatur Cicero *conſul.* l. l. *Ut ea res mihi, magiſtratuique meo, populo plebique Romanæ bene, ac feliciter eveniret.* Noriſ. Cenot. Piſan. Diſſert. II. c. 2. Briſſon. l. l. Deinde, ſenatus, populuſque Romanus circa ædes recens creatorum *conſulum* conveniebant, & illos ſalutabant. Claudian. in Eutrop. II. 63.

— vulgata patebat
Aula ſalutantum ſtudiis.

in Capitolium deducebant. Ovid. Pont. IV. 9. 17.

Dumque latus ſancti cingit tibi turba ſenatus,
Conſulis ante pedes ire viderer eques. . . .
Proſpicerem gaudens, quantus foret agminis ordo,
Denſaque quam longum turba teneret iter.

in illo ſacra diis immolabant, ſacrificia faciebant. Ovid. ibid. IV. 4. 29.

Templaque Tarpejæ primum tibi ſedis adiri,
Et fieri faciles in tua vota deos.
Colla boves niveos certæ præbere ſecuri,
Quos aluit campis herba Faliſca ſuis.

IV. 9. 28.

At cum Tarpejas eſſes deductus in arces,
Dum caderet juſſu victima ſacra tuo. . . .

Et a Capitolio in curiam deducebant, ibique gratias agebant temporibus Reipublicæ, Imperatori temporibus Cæſarum. Ovid. ibid. IV. 4. 35.

Curia te excipiet, patreſque ex more vocati
Intendent aures ad tua verba ſuas. . . .
Egeris & meritas ſuperis cum Cæſare grates.

Qui-

Quibus peractis domum proficiſcebantur maxima hominum multitudine, & toto ſenatu comitante. Ovid. ibid. n. 41.

Inde domum repetes toto comitante ſenatu;
Officium populi vix capiente domo.

Hotoman. Lipſ. & Lycklama l. l. Cum promiſcua gratulationum officia exciperent, laureis majorum imagines coronabant. Cicer. pro Mur. c. 41. *Quo ſe miſer vertet? domumne? ut eam imaginem clariſſimi viri, parentis ſui, quam paucis ante diebus laureatam in ſua gratulatione conſpexit, eandem deformatam, lugentemque videat?* Literas ad Senatum miſſas ſibi traditas accipiebant. Dio XL. p. 151. D. *Quia enim literæ deſignatis conſulibus traduntur, atque alia quædam ad magiſtratum eorum pertinentia, antequam eum ineant, agere licet, hujus quoque rei poteſtatem habere videbantur.* Noriſ. Cenot. Piſan. Diſſert. l. l. Primi in Senatu paſſim ſententias rogabantur. V. infr. in *Sententia.* Non ſtatim, niſi interregno, aut in locum demortui creati eſſent, magiſtratum inibant. Cum Kalend. Januar. magiſtratum inibant, & deſignabantur ad finem Julii, quinque menſes poſt deſignationem erant, quibus privati manebant, antequam inirent magiſtratum. Quo temporis ſpatio fere de ambitu in deſignatos inquirebatur per competitores, aut alios quoſvis. Erat enim hoc accuſationis præmium, ut ſi deſignatum competitorem ambitus damnaſſet competitor, pro eo ſubſtitueretur, ut ex oratione pro Sylla intelligi poteſt. Unde etiam damnatis Antonio & Sylla, qui jam *conſules* deſignati erant, ſubrogati ſunt eorum competitores L. Torquatus & L. Aurelius Cotta. *Gruch. de Comit.* 1. 6. Novi dicebantur annum aperire, faſtos reſerare. Plin. Paneg. c. 58. n. 4. *Contigit ergo privatis aperire annum, faſtoſque reſerare.* Sidon. carm. 2. 3.

Annum pande novum, conſul vetus, ac ſine faſtu
Scribere bis faſtis.

Caſſiodor. Var. II. 1. *Felix a conſule ſumat annus auſpicium, portamque dierum tali nomine dicatus annus, tempus introeat.* Ratio, quia ab illis numerabatur annus. Senec. de Brev. Vit. c. 19. *Cum videris prætextam ſæpe jam ſumptam, cum celebre in foro nomen, non invideris. Iſta vitæ damno pararetur: ut unus ab illis numeretur annus, omnes annos ſuos conterent.* de Ira III. 31. V. illum infr. in *Conſul ordinarius.* Lactant. de ver. cult. VI. 4. *Iſ ſunt, qui ad gerendos magiſtratus omnem vitæ operam curamque convertunt, ut faſtos ſignent, & annis nomen imponant.* Claud. in Conſul. Prob. & Olyb. n. 204.

Felicemque uterum, qui nomina parturit annis.

Lipen. de Stren. c. 2. prim. æt. §. 30. Savar. in Sidonium. Broſſ. in Caſſidorum. Barth. in Claudianum. Lycklama de Magiſtrat. c. 7. Lipſ. & Cellar. in Plinium. Demſter. Paral. ad Roſin. Antiq. II. 3. Læt. l. l. Varia munera, tum aurea, tum argentea Kal. Januar. in populum ſpargebant, veluti publicæ lætitiæ indicia, & auræ popularis aucupia. De prioribus temporibus nihil definio. De poſterioribus certe ſatis conſtat. Liban. Progymn. 179. in Ἐκφράσει Καλανδῶν. *Diluculo inſtante & gallo canente, hi quidem lauri ramis, aliiſque coronarum generibus ante fores & poſtes ædium ſuarum exornant: illi vero ſplendidis, magna ex parte purpureis, veſtibus amicti equorum altorem virum,* conſulem, *ad fana & ſacra deducunt: & faculæ multæ lumen exhibent. Equitem ſequuntur miniſtri ſpargentes argentum in populum. Ibi labentem excipere eum qui propulit vicinum, res eſt certe ſuaviſſima: quin gaudent eo loci pedibus calcati.* Quod Valens & Marcianus prohibuerunt l. 2. C. de conſul. & non ſparg. pec. *Ceſſante iſta ſpargendi vilitate, ampliſſimi conſules pr[illegible] deinceps abſtineant hoc errore perdendi, optimoque conſilio operi neceſſario proficiat, quod erat incompetenter proji[illegible].* Juſtinian. Nov. 105. n. 1. & 2. eatenus tamen temperavit, argentum in minutioribus nummis in thymelicis, in caveis & quadrangulis mediocribus, ſeptem proceſſionibus, inprimis autem Kalend. Januar. ſpargere liceret novo *conſuli*, novi *conſulis* uxori, aut matri. Aurum autem ſive in majori, ſive in minore charactere aut pondere ſpargere non liceret, quippe quæ dignitas ſoli Principis majeſtati ſit reſervata, ut cum ſolius imperii ſit aurum contemnere, ejus etiam ſolius ſit ſpargere. Hac permiſſione non ſatis conſuluit aut conſulibus aut populo Juſtinianus. Nam & ipſe teſtatur, ſe vidiſſe magna iſtius rei incommoda, nempe verbera & vulnera in direptione miſſilium, & deinde inſanas comeſſationes eorum, qui aliquid nacti erant. Ideoque conſideratione horum incommodorum hæc miſſilium jactatio tollenda erat, inprimis cum ob eam cauſam ſæpe bene meriti a ſpe adeundi *conſularem* dignitatem dejicerentur, utpote ſumptibus impares. Videbantur etiam divitiæ eligi, non merita: aut ſaltem non eligi honores ex virtute, ſed ex pecunia. Quare Leo Imperator, ut indigentiæ *conſulum* conſuleret, & Reſpublica dignos honore viros haberet, ſparſionem illam miſſilium, vel rectius legem iſtam de conſulatu & conſularibus muneribus prorſus ſuſtulit Nov. 94. *Lipen. ibid.* §. 39. *Buleng. de Imper. Roman.* 1. 19. *Fab. de Magiſtr. Roman. p.* 189. . . . . . Senatoribus & Equitibus Romanis ipſo conſulatus die convivium dabant. Plin. XIV. 15. *Cæſar tertio in conſulatu ſuo epulo dedit Falernum, Chium, Leſbium, Mamertinum.* Vopiſcus in Valeriani literis de Aureliani conſulatu decreto cum ſumptibus c. 12. *Convivium publicum edi jubebis Senatoribus, Equitibus Romanis.* Buleng. ibid. c. 20. Fab. Semeſt. 1. 6. Inibant honorem ipſis Kalend. Januar. V. ſupr. in *Kalendæ.* & quidem ab anno U. C. 600. vel 599. Nam ante iſta tempora dies creandis Coſſ. variabant. Nam primi Coſſ. poſt ejectos Reges juxta Kalendarium Romanum, quod juſſu Cæſaris Auguſti ſaxeis tabulis exaratum eſt, magiſtratum inierunt VI. Kalend. Mart. ſive d. 24. Februarii, quo Tarquinius regno pulſus eſt. V. infr. in *Regifugium.* Poſt annos quindecim paullo ante ſeceſſionem plebis Dionyſius affirmat Coſſ. maturius ſolito magiſtratum iniiſſe Kalendis Septembribus. Poſt annos triginta fere inquit Liv. III. 6. Coſſ. Æbutio & P. Servilio, ut tunc principium anni agebatur, Kalendæ Sextiles ſollennes fuere magiſtratui ineundo. Poſtea tempore decemvirorum Idus Maji ſollennes fuerunt. Liv. III. 36. Fuit annus undecimus poſt Coſſ. Æbutium & P. Servilium. Inde poſt annos quinquaginta fere Idus Decembres ſollennes fuerunt. Liv. V. 11. Iterum poſt annos fere octo apud Liv. V. 32. inierunt magiſtratum Kalend. Quintilibus, qui mos diu obtinuit ad annos ferme ſeptuaginta, uſque ad Coſſ. M. Claudium Marcellum & Cn. Cornelium Scipionem, paullo ante bellum Punicum II. ubi tum Idus Martiæ ſollennes factæ ſunt huic honori. Tandem ab Idibus Martii tranſlatus eſt in Kalendas Januarias Coſſ. Fulvio Nobiliore & T. Annio Luſco apud Vinand. Pigh. Annal. Roman. Tom. II. p. 432. Cauſam tradunt Appianus & Caſſiodorus, ſcilicet, Celtiberi, qui per viginti quinque annos in pacto fidi permanſerant, bellum renovarunt admodum formidabile & diuturnum, ad quod ob arduam molem viſum eſt *conſulari* duce & exercitu rem gerere. Ideoque ob motum Celtiberiæ ſedandum maturanda erat Conſulum electio, quæ poſtmodum conſuetudo ad Kalend. Januar. alligata ex hoc tempore perpetua manſit Republica ſtante. *Lipen. ibid. prim. æt.* §. 36. *Gruch. de Comit. Roman.* 1. 6. *Fab. de Magiſtr. Roman. p.* 188. *Lipſ. de Magiſtr. Rom. c.* 9. Primis temporibus, cum provinciæ armis tuendæ eſſent, & in diſcrimine verſarentur, exibant in eas, inito ſtatim magiſtratu: vel ut quæque cuique ſorte obtigerat, vel etiam quandoque *conſulibus* inter ſe comparantibus. V. ſupr. in *Comparare.* Et hæ illis committebantur ſub nomine Imperatorum; nos redderemus Chefs, aut Capitaines Generaux des armees Romaines. *Bergier. de viis milit.* IV. *Sect.* 28. §. 4. Erantque ordinarii provinciarum rectores, qui graviore urgente bello, in *conſulatu* provinciis præfuerunt, ut in prætura duo prætores. Qui ſi prorogato ob certas neceſſitatis utilitatiſve publicæ cauſas imperio poſt præturam, aut *conſulatum* in provinciis remanſiſſent, ſive, ut aliter dicamus, ſi poſt novos *conſules* prætoreſque creatos continuarentur in ſuo munere, quod alias annuo ſpatio terminabatur, non amplius

plius

plus simpliciter prætores, aut *consules* dicebantur, sed proprætores & *proconsules*, ut innueretur, annum præturæ *consulatus*ve eorum tempus exspirasse, eosque jam alienas novorum prætorum ac *consulum* aliis negotiis occupatorum vices gerere in provinciis. Erant autem, ut prætores a *consulibus*, ita proprætores a *proconsulibus*, & nomine, & dignitate, & dignitatis insignibus separati. *Consules* & *proconsules*, cum in provinciis in publicum prodirent, duodecim ante se habebant lictores, qui præferebant fasces & secures, ut olim Regibus Romæ. V. infr. in *Fasces*. At prætores & proprætores, ut illi *consulibus* & *proconsulibus* erant inferiores dignitate, ita & dignitatis insignibus; sex enim tantum habebant lictores cum totidem fascibus & securibus. Testis est hujus rei Appian. Syr. p. m. 129. *Prætores ad exercitum Romani miserunt, quos* ἑξαπελέκεις, *id est, sex securium vocant, quia consules duodecim securibus & fascibus, Regum more, utuntur; prætores autem, quia dimidium dignitatis habent, etiam dimidium insignium consecuti sunt.* Plutarch. Paull. Æmil. p. 256. E. *Prætor in Hispaniam missus est, non cum sex securibus, tot enim habent prætores; sed totidem aliis assumptis, ut imperii consularis dignitatem haberet.* Bergier. ibid. §. 5. & 6. Sigon. de Ant. jur. prov. II. 1. Panciroll. Notit. dignit. imp. orient. c. 99. Faber ad tit. II. de Orig. jur. p. 169. Sigon. de Ant. jur. prov. II. 1. Jure *consulatus* exercitum parare, & bellum gerere non potuerunt. Docet hoc Sallust. Bell. Cat. p. 23. *Itaque, quod plerumque in atroci negotio solet, senatus decrevit, darent operam consules, ne quid Respublica detrimenti caperet. Ea potestas per Senatum, more Romano, magistratui maxima permittitur, exercitum parare, bellum gerere, coercere omnibus modis socios, atque cives: domi, militiæque imperium, atque judicium summum habere. Aliter sine populi jussu nulli earum rerum consuli jus est.* Hujus SCti ea vis fuit, ut legibus soluti *consules* dictatorium plane imperium sub nomine *consulum* obtinerent, quemadmodum Plutarchus ostendit in vita Gracchorum; ubi Opimium *consulem* dicit sub nomine *consulis* dictatoriam potestatem obtinuisse. Et Liv. VI. 19. cum scribit adversus Manlium non dictatorem dictum, ut adversus Sp. Melium factum erat, sed hoc SCto usum senatum: *Decurritur ad leniorem verbis sententiam, vim tamen eandem habentem, ut videant magistratus, ne quid ex perniciosis consiliis M. Manlii Respublica detrimenti capiat.* Hoc dicit Livius, vim eandem habuisse hanc sententiam decernendi illius nobilis SCti, quam si decretum esset, ut dictator diceretur. Obtinebant ergo per hoc SCtum *consules* extraordinarium quoddam imperium, quod a Sallustio particulatim exponitur, & indicat *consules* hoc SCto armatos omnibus legibus solutos fuisse, quibus repressum moderatumque erat eorum imperium ordinarium: cujusmodi erant leges de provocatione, Porcia & Sempronia. *Gruch. ad post. Sigon. disput. refutat. c. 9. Manut. de Sen. Rom. c. 10. Pollet. For. Rom. v. 16. Brisson. de Form. II. p. 213. Lycklama l. l.* Cum ad bellum proficiscerentur, votis in Capitolio nuncupatis ex Urbe exibant, omnibus ordinibus eos comitantibus. Docet hoc Liv. XLI. 10. Hotoman. l. l. Egrediebantur vero non in *consulari* prætexta, sed in paludamento. Liv. XXXVI. 3. *Ipse* Manius Acilius consul *ante diem quintum nonas Majas paludatus Urbe egressus est.* Cœlius Famil. VIII. 10. scribit Ciceroni vereri *consules, ne illud SCtum fiat, ut paludati exeant.* Plin. Paneg. c. 56. n. 4. *Gestus consulatus non in hoc Urbis otio, & intimo sinu pacis, sed juxta barbaras gentes, ut illi solebant, quibus erat moris paludamento mutare prætextam.* Noris. Epist. Consul. Thes. Antiq. Roman. Græv. Tom. XI. p. 490. C. Brisson. de Formul. II. p. 260. Hastam genti alicui, vel Regi bellum indicturus jacere solebat a columna bellica, quæ fuit in areola ante Bellonæ ædem in circo Flaminio, ut est apud Victorem: *Ante quam erat columna index belli inferendi.* Festus: *Bellona dicebatur dea bellorum: ante cujus templum erat columna, quæ bellica vocabatur, supra quam hastam jaciebant cum bellum indicebatur.* Ovid. Fast. VI. 205. V. illum supr. in *Ædes Bellonæ*. *A tergo* quod dicit Ovidius, intellige de tergo circi, non de tergo ædis Bellonæ, ante quam Victor columnam illam statuit: sic ut areola illa retro, sive a tergo convexæ extremitatis circi fuerit, in qua ædes Bellonæ fuit. Sic Festus vere dicere potuit, columnam bellicam exstitisse ante portam Carmentalem; tametsi intervallo inde aliquanto dissita fuit. Huic columnæ insistens potius, quam innixus *consul*, siquidem humilis erat, hastam in eam partem torquebat, ubi gens, vel Rex hostis populi Romani degebat. *Nardin. Rom. Vet.* VI. 1. *Donat. de Urb. Rom.* I. 11. *Blond. Instaur. Rom.* II. §. 28. *Volaterr. Comment. Urban.* XIX. *p.* 1093. *D. Borrich. Ant. Urb. Fac. c.* 11. §. 2. *Faunus Ant. Urb. Rom.* IV. 22. *Buleng. de Circo c.* 5. *Stewech. in Veget.* I. 6. *Demster. Paral. ad Rosin. Antiq. Roman.* III. 21. Ab Imperatore triumphum ducturo, invitabantur ad cœnam, deinde rogabantur, ut venire supersedeant, ne quis eo die, quo ille triumphaverit, majoris in eodem convivio esset imperii. Verba sunt Val. Max. II. 8. 6. Plutarch. Quæst. Rom. 79. *Cur cum publico epulo exciperent eum, qui triumphum duxisset, a consulibus missis internunciis petebant, ne ad cœnam venirent? an quod locum assignari honoratissimum triumphatori oportebat, tractarique eum magnificentissime, & domum deduci peracta cœna: quæ omnia consulibus, si interessent, nulli alii licebat deferri?* Panvin. de triumph. & Mader. ad illum Thes. Antiq. Rom. Græv. Tom. IX. p. 1378. A. B. E. Jus olim dixerunt. Hoc ex Livio intelligi potest: ubi scribit Appium *consulem* quam acerrime jus de creditis pecuniis dixisse. Pompon. l. 2. §. 8. de orig. jur. *Lege lata summum jus eis delatum est.* Hotoman. l. l. Et quidem in basilica Trajani. Gell. XIII. 24. *Cum in area fori ambularet, & amicum suum consulem opperiretur, causas pro tribunali cognoscentem.* Claud. in Honor. consul. VI. 645.

—— desuetaque cingit
Regius auratis fora fascibus Ulpia lictor.

Nardin. ibid. v. 9. Senatum convocarunt & quo modo. V. infr. in *Senatus*. In sententiis rogandis interdum plus necessitudini, quam dignitati tribuebant. Gell. IV. 10. *Quidam e consulibus studio, aut necessitudine aliqua ducti, quem iis visum erat, honoris gratia, extra ordinem sententiam primum rogabant.* Ita Calenum, qui nondum consul fuerat, sed socerum suum, Cicerone ipso, aliisque consularibus omissis, primum sententiam rogat *consul* Pansa. Cicer. Phil. X. 1. *Quæ enim est ista tua ratio, Calene? quæ mens? qui nunquam post Kalendas Januarias idem senseris, quod is, qui te sententiam primum rogat?* Fuisse Calenum Pansæ socerum docet Cicer. Phil. VIII. 6. *Satis multa cum Fusio, ac sine odio omnia, nihil sine dolore: cedo autem, qui generi querelam moderate ferat, æquo animo laturum amici.* Manut. de Senat. Rom. c. 8. Sententias, quas senatores rogati dixerant, pronuntiabant, ut facta discessione voluntas senatus appareret. Erat autem etiam in hoc maxima illorum potestas: qua si cujus senatoris sententiam improbarent, quod aut amici hominis rationibus adversariam, aut inimico honorificam, atque utilem ducerent, veriti, ne in eam SCtum fieret, non pronuntiabant. Itaque L. Lentulus *consul*, qui Pompejo studebat, Cæsaris honori acriter adversabatur, sententiam Calidii, qui neutram in partem propensus æqua senserat, se omnino pronuntiaturum negavit. *Manut. ibid. c.* 9. Senatusconsultis erant etiam impedimento. Liv. XXX. 43. *Inclinatis omnium ad pacem animis Cn. Lentulus consul, cui classis provincia erat, SCto intercessit.* Quam intercessionem sublatam mox esse constat, cum populus jussisset, ut senatus pacem cum Carthaginensibus faciendam decerneret: quod ita senatus decrevit. Ascon. in Cicer. p. 165. *Crasso collega fuit Q. Scævola Pontifex: qui cum animadverteret, Crasso, propter summam ejus in Republica potentiam ac dignitatem, senatum in decernendo triumpho gratificari, non dubitavit, Reipublicæ magis quam collegæ, habere rationem: ac, ne fieret SCtum, intercessit.* Non enim SCto tribunus plebis tantum intercedebat; sed omnes, *qui eadem potestate, qua ii, qui SCtum facere vellent, majoreve essent.* Quod ex Varrone docet Gell. XIV. 7. Itaque, si SCtum fiebat a *consule*, jus intercedendi habebat alter *consul*; erat enim eadem potestate: si a prætore, po-

terat non modo alius prætor, sed *consul* etiam intercedere: prætor, quia eadem potestate, *consul*, quia etiam majore esset. *Manut. de Senat. Rom. c.* 10. *Lycklama l. l.* Comitia habendi jus habebant. V. supr. in *Comitia calata.* Edebant ludos circenses, tanta expensa, ut Libanius panegyri ad Julianum misereri se illorum fateatur. De apparatu ludorum Stiliconis *consulis* Claud. in ejus Consul. n. 345.

Tum virides pardos, & cætera colligit austri
Prodigia, immanesque simul Latonia dentes,
Qui secti ferro in tabulas, auroque micantes,
Inscripti rutilum cælato consule nomen
Per proceres & vulgus eant. . . .

Argol. in Panvin. de lud. Circ. I. 13: II. 15. & 16. Fab. de Magistr. Roman. p. 193. Imperatores illis interdum de publico sumptus sufficiebant, ut Vopiscus in Aureliano c. 12. *Consulatum in annum sequentem a die* II. *Kalend. Januar. sperare te convenit sumptu publico. Ad editionem ludorum circensium dati Antoniniani trecenti, argentei Philippei minutuli tria millia.* Alexander Severus apud Lamp. c. 43. *Consules quoscunque vel ordinarios, vel suffectos creavit, ex senatus sententia nominavit, sumptum eorum contrahens.* Licet ob sumptus multi everterentur bonis, hic honor tamen usque adeo expetitus fuit multis, ut post *consulatum* mendicare mallent, quam sine *consulatu* abundare. Liban. Paneg. Juliani. *Ignosco iis, qui expetunt hunc locum, & ante alia bona postulant a diis, ut hac sella gestentur.* Buleng. de Imper. Roman. I. 19. Gladiatores. Cicer. de off. II. 16. *Magnificentissima Pompeji munera secundo consulatu.* Marcell. Ictus l. 36. de condit. & demonstr. *Vivo Mævio Sejus consul designatus est, & munus edidit.* Suet. Ner. c. 4. n. 4. *Nero præturæ consulatusque honore dedit munus gladiatorium.* Lips. Saturn. II. 9. Publicas vias straverunt. Flaminius & Lepidus tum maxime Consules, hic Æmiliam, ille Flaminiam perfecit viam. Strabo. V. illum infr. in *Via Æmilia.* Festus: *Flaminius circus, & via Flaminia a Flaminio consule dicta.* Bergier. de viis milit. I. Sect. 3. §. 3. Aquæductus restauraverunt. Valens & Marcian. l. 2. C. de consul. & non sparg. pec. *Ad restaurationem aquæductuum hujus amplissimæ urbis centena pondo auri præstentur per singulos consulatus.* Lipen. de Stren. c. 2. prim. æt. §. 39. Per multos annos fuerunt patricii. Occasionem plebejo petendi *consulem* plebejum dederunt, ut refert Liv. VI. 34. M. Fabii Ambusti, qui tribunus militum bis, censor, & pontifex maximus fuit, duæ filiæ. Harum majorem duxerat Ser. Sulpicius Rufus prætextatus patricius, qui tribunus militum fuit anno ab U. C. 362. Minor C. Licinio Calvo Stoloni nupsit. Hanc ferunt invidia sororis, cujus patricio nuptæ amplissimis magistratibus cum domum exornatam cerneret, impetrasse a patre, & a viro, ut in hanc rem maxime incumberent, ut plebeji patricios magistratus consequi possent. Tum Calvus tribunus plebis leges promulgavit, alteram de plebejis Consulibus, de qua magnæ contentiones ortæ sunt. Sed in ea re perstitit Calvus, ut non permiserit comitia ulla haberi, nisi hac lege perlata. Ita idem Calvus cum L. Sextio Laterano refectus quinquies tribunus plebis fuit, & curulibus magistratibus toto eo quinquennio Roma caruit. quorum primus fuit post Urbem conditam annus 377. *consul* fuit anno 389. cum C. Sulpicio Petico, iterumque triennio post cum eodem collega. *Augustin. de Legibus in Licinia & Fabia. Manut. de Legib. c.* 5. *Pollet. For. Rom.* III. 6. *Prevot. de Magistrat. c.* 5. *Panvin. de Civ. Roman. c.* 70. *& in Fastor.* I. *p.* 59. *Lycklama l. l. Laurent. Var. sacr. gentil. c.* 2. Jurabant & designati, & consulatu abeuntes, se nihil contra leges facturos, vel fecisse, aut aliud quid ejus generis. Illi apud Plin. Paneg. c. 64. n. 1. *Peracta erant sollennia comitiorum, si Principem cogitares, jamque se omnis turba commoverat: cum tu, mirantibus cunctis, accedis ad consulis sellam, adigendum te præbes in verba Principibus ignota, nisi cum jurare cogerent alios* consules designatos. n. 3. *Quinetiam sedens* consul *præit jusjurandum, & ille juravit, expressit, explanavitque verbis, quibus caput suum, domum suam, si scienter fefellisset, deorum ira consecraret.* Hi apud Ciceronem, qui hoc ipse de se prædicat his verbis in Pison. c. 3. *Ego cum in concione, abiens magistratu, dicere a tribuno plebis prohiberer, quæ constitueram: cumque is mihi tantummodo, ut jurarem, permitteret: sine ulla dubitatione juravi, rempublicam atque hanc Urbem mea unius opera esse salvam. Mihi populus Romanus universus, illa in concione non unius diei gratulationem, sed æternitatem, immortalitatemque donavit, cum meum jusjurandum tale, atque tantum juratus ipse una voce & consensu approbavit.* Epist. ad Fam. V. 2. Brisson. de Form. VIII. p. 715. Lips. in Plinium. Hansen. de Jurejur. vet. c. 8. Broid. Coroll. in Pollet. For. Rom. IV. 14. Fab. ibid. p. 205. & 214. Lycklama l. l. Ex rostris, cum auspicarentur, & deponerent magistratum, verba ad populum faciebant. Plin. Paneg. c. 56. n. 3. *Jam toties procedere in rostra, inascensumque illum superbiæ Principum locum terere, hic suscipere, hic ponere magistratus: quam dignum te, quamque diversum consuetudine illorum, qui pauculis diebus gestum consulatum, imo non gestum abjiciebant per edictum. Hoc pro concione, pro rostris, pro jurejurando; scilicet, ut primis extrema congruerent.* Nardin. Rom. Vet. V. 2. Fab. ibid. p. 198. *Consul* ne quis fieret, nisi post decem annos, Sylla legem tulerat de non continuandis magistratibus. Appianus. V. illum infr. in *Lex Cornelia.* Et *plebiscitis cautum se invenisse* scribit Liv. VII. 42. *ne quis eundem magistratum intra decem annos caperet.* Ideo Marius solutus fuit lege, ut ante decennium petere posset. Plutarch. in Mar. p. 412. B. *Quum lex absentem, & nisi interjecto spatio, vetaret denuo creari consulem, repudiavit populus adversantes.* Robortell. de Magistrat. Impp. Thes. Ant. Roman. Græv. Tom. III. p. (37) B. Pitisc. in Suet. Jul. c. 76. n. 2. Et ne absens crearetur, aut in provincia magistratum iniret, Pompejus. Suet. Jul. c. 28. n. 2. *Acciderat autem, ut is,* Pompejus, *legem de jure magistratuum ferens, eo capite, quo a petitione honorum absentes submovebat, ne Cæsarem quidem exciperet.* c. 18. n. 3. *Sed cum edictis jam comitiis ratio ejus haberi non posset, nisi privatus introisset Urbem: & ambienti, ut legibus solveretur, multi contradicerent, coactus est triumphum, ne consulatu excluderetur, dimittere.* Sed Imperatorum tempore hæc servari non sunt solita. Suet. Cal. c. 17. n. 2. *Ex consulatibus quatuor duos novissimos conjunxit. Tertium autem Lugduni iniit solus.* Robort. ibid. p. (38) A. Augustin. de Legib. in Pompeja. Pitisc. in Suet. Jul. c. 28. n. 2. Quot fascibus sit usus: & quis illorum prior illos habuerit V. infr. in *Fasces.* In fastis & legum subscriptionibus occurrit sæpe *Consule* Nobilissimo puero, vel Nobili puero. Puer in illis vocatur *Consul*, quales hodie in Hispania Regum filiæ Infantes appellantur. Cavendum itaque, ne pueros pro infantibus, aut impuberibus accipiamus. *Contius ad leg. fin. C. de relation.* Contii sententiæ exempla refragantur. Primum est Severi Imperatoris, qui filium majorem, eumque impuberem, *Consulem* designavit, data illi virili toga. Alterum est Joviani Principis, qui consulatum iniit adhibito in societatem Trabeæ Veroniano filio suo admodum parvulo, cujus vagitus pertinaciter reluctans, ne in curuli sella veheretur ex more, id quod mox accidit portendebat. *Guther. de Offic. Dom. Aug.* I. 12. *Noris. Cenot. Pisan. Diss.* II. 2. Si in castris morbo, vel casu, vel in acie concidissent, illius ut militum cadaver non licuit in Urbem referre. Dio LV. Quoniam qui cum exercitu ab Urbe profectus esset, fas non fuit intra pomœrium intrare, cum ea, quæ ante perfici majorum instituta juberent, non adimplesset. Sed ei aut monumentum, aut statua, si pro patria vitam effudisset, Scto decernebatur. *Guther. de Jur. Man.* I. 5. In luctu non solita sede, sed humili aliqua, puta prætorum aut tribunorum sedebant. Dio LVI. p. 590. C. *Consedit senatorum multitudo soluto quisque loco; consules autem inferius, alter in prætoriis, alter in tribunorum plebis subselliis.* Tacit. Ann. IV. 8. 3. *Consulesque sede vulgari per speciem mœstitiæ sedentes honoris locique admonuit*, hoc est, sedibus prætorum aut tribunorum. Nam horum, ut omnium senatorum, sedes humiles erant: altæ vero *consulum*, & excelsæ. Lucan. V. 15.

Ut

Ut primum mœstum tenuere silentia cœtum,
Lentulus excelsa sublimis sede profatur.

& non in curuli: in qua alioqui sedissent, nisi mœstitiæ speciem ostendere voluissent; nam in senatu curuli sella sedebant: & jus inter consules ea sella sedenti Julio concessum his verbis refert Dio XLIII. p. 220. B. *Utque cujusvis temporis consulibus in sella curuli in senatu assideret.* Lipf. in Tacitum. Fab. Semestr. II. 10. Kirchman. de Fun. Rom. IV. 11. Morest. Pomp. Feral. IX. 7. Quo anno quis *consulatum* potuerit petere. V. supr. in *Ætas consularis.* Illorum insignia diversa fuisse reperio, veteri Republica & nova. Veteri hæc in usu: fasces duodecim cum lictoribus, sella curulis, prætexta toga, scipio eburneus in manu, sive sceptrum. V. singula suis locis. Posterior ætas sub Principibus quædam addidit, quædam immutavit: & id fere in superbiam, ut solet, & ad pompam. Fuerunt toga picta, palmata, trabea. V. singula suis locis. Jam in fascibus ipsis etiam aliquid immutarunt. Laurum enim iis perpetuam addidere, quod olim solebat tantum in triumphis. Colligo ex Mart. X. 10. 1.

Cum tu laurigeris annum qui fascibus intras.

Cassiod. Var. II. 2. *Redit per te Transalpinæ familiæ consulatus: & arentes laurus viridi germine renovasti.* Et consulum ædibus laurum solere addi ostendit Mart. XII. 3. 10.

Atria sunt illic consulis alta mei.
Laurigeros habitat facundus Stella Penates.

Secures, quas Valerius ademerat, V. infr. in *Secures*, iterum in fasces retulerunt. Cassiod. Var. VI. 1. *Hinc est, quod etiam fasces atque secures tantæ potestati præceptæ sunt illigari.* Claud. in Eutrop. II. 520.

—— projectis fascibus horret
Lictor, & infames labuntur sponte secures.

Non ideo, quod imperium, aut potentia iis creverat: sed quod fastus, & superbia externa: quæ ipsa etiam calceos auratos consulibus induit. Quod scriptum a solo, quod sciam, Cassiodoro; satis tamen clare l. I. *Lares propriis calceis auratis egredere.* Lipf. de Magistrat. c. 8.

Consul designatus. V. illum infr. in *Designari.*

Consul honorarius dicitur, qui nudam *consulis* dignitatem, non administrationem consequitur. Justinian. Nov. 70. περὶ βουλευτῶν. *Novimus olim quandam præfecturæ speciem fuisse, quam honorariam vocant, & a codicillis a Principe obtentis provenit. Ita autem appellabant, quia nihil aliud quam nudum honorem tribuebat.* Hæ honorariæ dignitates primo a Cæsare inventæ, postea ab Augusto, & aliis Principibus sunt ampliatæ. *Panciroll. de Magistrat. municip. c. 7. Guther. de Offic. Dom. Aug. I. 12. & 13. Argol. in Panvin. de Lud. Circ. II. 16. Lipen. de Stren. c. 2. prim. æt.* §. 38. *Panvin. in Fastor. I. p. 61. Chimentell. de Hon. bisell. c. 33. Borremans. Var. Lect. c. 2. Lycklama de Magistrat. c. 7.*

Consul major is vocabatur, penes quem lictores cum securibus erant, qui exeuntem in publicum præcedebant, obvios summovendo. Erat enim moris, ut vicissim per menses, alter *consul* secures, tanquam imperii insigne, haberet: alterum, qui non haberet secures, virgis insignem vocabant. Festus: *Majorem consulem L. Cæsar putat dici, vel eum, penes quem fasces sunt: vel eum, qui prior factus sit.* Laurent. Var. sacr. gentil. c. 2. Pigh. Annal. Rom. I. p. 66. 264.

Consul ordinarius erat, ex cujus nomine anni supputatio ordinabatur, id est, cujus nomen in literis, & instrumentis, & in fastis scribebatur, qui denique Kalendis Januariis honorem inibat. V. supr. in *Annus.* Nam ætate Imperatorum annus in multos dividebatur consules: sed soli, qui anni initio inibant honorem, ordinarii dicebantur, & honoratiores erant. Senec. de Ira III. 31. *Dedit duodecim fasces? sed non fecit ordinarium consulem. A me numerari voluit annum?* id est, fecit me *consulem* ordinarium. Dicebantur ordinarii ad differentiam suffectorum, qui quidem pari potestate, non dignitate erant. *Turneb. Adv. V. 10. Guther. de Offic. Dom. Aug. I. 13. Panvin. in Fast. I. p. 61. Lipf. de Magistrat. Roman. c. 9. & in Senecam. Falconer. in Inscript. athlet. Thes. Antiq. Græcar. Gronov. Tom. VIII. p. 2298. B.* [illegible] *Roman. Græv. Tom. IV. p. 1486. C.* [illegible] *c. 7. Laurent. Var. sacror. gentil.* [illegible] I. 11. Honestiores fuisse [illegible] *In sex consulatibus non* [illegible] Alex. Sev. c. 28. *Consu*[illegible] *ac primo nundino sibi alios semper* [illegible] Lycklama l. l.

Consul suffectus dicebatur, qui [illegible] mensibus [illegible] Illorum [illegible] quinque & viginti fuisse perhibeatur. [illegible] Comm. c. 6. Dio LXXII. p. 8[illegible]2. E. Hinc *consul*[illegible] Imperatores, ut plurimum *consulatum* gerentes, [illegible] cujusquam decorandi gratia. *Ursat. de not. Roman.* [illegible] *Ant. Roman. Græv. Tom. XI. p. 9*[illegible]*2. E.* [illegible] *Datum ibid. Tom. IV. p. 1486. C.* [illegible] *Antiq. Græcar. Gronov. Tom. VIII.* [illegible] *B.* [illegible] *in Panvin. de Lud. Circ. II. 16.* [illegible] *I. p. 61. Lipf. de Magistrat. Roman. c. 9. in Senec. de Ir. III. 31. Lycklama de* [illegible] *Laurent. Var.* [illegible] *c. 2.* Tales fuerunt M. Papius Mutilus, Q. Poppæus Secundus, qui *consulatum* gesserant anno ab U. C. 761. & legi Papiæ Poppææ nomen dederant. Dion. LVI. p. 578. E. *Lata hæc lex fuit eo anno a* [illegible] *Q. Poppæo Secundo, qui parte ejus anni consules fuerunt.* [illegible] Labeo esse noluit. Pompon. l. post hunc ff. de O[illegible] jur. *Ex his Atejus consul fuit, Labeo noluit, cum offerretur* [illegible] *Augusto consulatus, quo suffectus fieret.* Augustin. de Legibus in Papia Poppæa. Suffecti etiam in Fastis numerantur. Hinc propter par *consulum* suffectorum, quod pro ordinariis plerumque irrepit, magna Fastorum perturbatio facta est. Sed cum par *consulum* suffectorum pro [illegible]riis positum est, par illud suffectorum extra numerum ponendum in Animadv. ad Eusebium putat Scal[illegible] [illegible]ron. Annal. II. ad an. 103. lapsus est, cum suffectos pro honorariis accepit, sicque Fastis additos scribit, ut [illegible] ordinariis *consulibus* ordinarium dicerentur gerere consulatum. Hoc frustra contendit probare ex verbis Plin. Paneg. c. 92. n. 2. *Ergo non* [illegible] *lem accipiet, & nostra quoque nomina addentur Fastis, quibus ipse præscriberis.* Fasti enim suffectum Plinium *consulem* & Cornutum Tertullum ex Kalend. Septemb. testantur, in quibus

IMP. CÆS. DIV. NERVÆ. F. NERVA.
TRAJANUS. OP. AUG. IV. COS. EX.
K. SEPT. C. PLINIUS. C. F. C. N. SE.
CUNDUS CÆCILIANUS. CORNU-
TUS. TERTULLUS.

In Fastis ergo, aliisque publicis monumentis, suffectorum nomina adscripta sunt, sed ad numerum annorum consignandum ordinarii solum notantur: nec opus est suffectos extra numerum ponere, cum temporum ordo facile turbari non possit. Ad hanc rem facit vetus SCtum, quod ab Ulpiano refertur sic conceptum l. item veniunt. §. præter. ff. de petit. hæredit. [illegible] *lius Balbus & Publius Juven*[illegible] *Titus A*[illegible] *Ornus Severianus co*[illegible] *de iis, quæ Imperator Cæsar Trajani Parthici filius, Divi Nervæ nepos, Adrianus, Augustus, Imperator,* [illegible] *Nonas Martias, quæ prox*[illegible] *quid fieri placeat.* Paullo aliter Fasti [illegible]:

IMP. CÆS. DIVI TRAJANI PARTH.
F. TRAJANUS ADRIANUS AUG. P.
M. TR. P. XII. XIII. COS. P. JUVEN-
TIUS CELSUS. II. Q. JULIUS BAL-
BUS. EX K. MART. T. AUFIDIUS
FRONTO, ARRIUS SEVERIANUS.

En quatuor *consulum* nomina, qui verbi faciunt de his, quæ Princeps [illegible] complexu[illegible]. Priores duo ordinarii, posteriores suffecti. Ex quo videmus, in publicis monumentis nomina *consulum*, qui ordinarii annum inchoassent,

choassent, licet abiissent magistratu, primo loco inscribi solere, & secundo suffectorum, qui consulatum gererent. Primi enim *Consules* majoris dignitatis erant: posteriores plerumque ignorabantur, ideoque *consules* minores appellati apud Dion. XLVIII. *Guther. de Offic. Dom. Aug.* I. 13.

Proconsule dicebantur esse, qui erant *consulari* imperio. Hoc enim vocabulum de iis solitum dici videtur, qui extra ordinem velut *consulis* loco mittebantur, cum interdum nec ex *consulatu* mitterentur, nec unquam *consules* fuissent: quando quod nunquam antea factum fuerat, ut ait Dio, & *consularibus* Ciceronis ætate provinciæ *consulares* mandatæ sunt, *proconsules*que vocati sunt. Cicer. de Leg. I. 20. *Quoniam Athenis audire ex Phædro meo memini, Gellium familiarem tuum, cum proconsule ex prætura in Græciam venisset, Athenis philosophos in locum unum convocasse.* *Proconsule* contra Sertorium missum esse scribit Cicero Pompejum pro leg. Man. c. 21. *Quod tam inusitatum, quam ut, cum duo consules clarissimi, fortissimique essent, eques Romanus ad bellum maximum, formidolosissimumque proconsule mitteretur? missus est: quo quidem tempore, cum esset nonnemo in Senatu, qui diceret, non oportere mitti hominem privatum proconsule: L. Philippus dixisse dicitur, non se illum sua sententia pro consule, sed pro consulibus mittere.* Videntur tamen tandem *proconsulem* & *proconsule* eodem modo dixisse: atque, si Augustino credimus, *proconsul* olim dicebatur, postea *proconsule*. Ejus verba sunt. *Ab E litera vocali nullum Latinum, nisi juncta præpositione masculinum invenitur, ut proconsule, proprætore. Ergo juncta præpositioni sunt Latina, ut dixi, proprætore, proquæstore. Nam veteres nominativo casu proconsul dicebant, attendentes nullum nomen Latinum exire in E literam nominativo casu generis masculini.* Turneb. Adv. IV. 24. Bud. in Pandect. p. 86. E. Pigh. Annal. Rom. I. p. 108.

CONSULARIS dicitur, qui aliquando *consulatum* gessit, qui *consulatu* abiit, ὁ ὑπατευκὼς καὶ ὑπατικὸς ἀνήρ. Differt a *consule*, qui dicitur, cum est in *consulatu*, hoc est, ὑπατεύων. Cicer. Fam. XII. 4. *Quamquam egregios consules habemus, sed turpissimos consulares.* l. 3. §. ait prætor. ff. de receptis arbitris. *Et quidem arbitrum cujuscunque dignitatis coget officio, quod susceperit, perfungi, etiamsi sit consularis: nisi forte sit in aliquo magistratu positus, vel potestate, consul forte.* Bud. in Pandect. p. 105. H.

Consularis aquarum postea dicebatur, qui antea curator aquarum dictus fuerat. Illum instituit Augustus. Suet. Aug. c. 37. n. 1. *Quo plures partem administrandæ Reipublicæ caperent, nova officia excogitavit: curam aquarum....* Is curam habebat aquarum. His in Urbem derivandis & dividendis unus præpositus erat, a Julio Frontino, qui & ipse hoc officio, Nerva Imperatore demandante, functus est, aquarum curator appellatus. Postea *consularis* est dictus, ex eo arbitror, quod *consularibus* ornamentis esset honestatus: ita imperante Constantino appellatus est Versennius Fortunatus circa annum salutis 316. l. 1. C. de divers. offic. cui successit Maximilianus, quem *consularem aquarum* idem Constantinus vocat l. 1. C. de aquæduct. Frontinus recitat quoddam SCtum, quo cautum est, ut aquarum præfectus extra Urbem lictores binos, servos publicos ternos, architectos singulos, scribas, librarios, accensos, & præcones totidem haberet, quot habent hi, per quos frumentum plebi datur. Hoc erat ejus officium l. 1. C. de aquæduct. lib. 10. Duæ præterea familiæ illi præsto erant, altera publica, altera Cæsaris nuncupata. Publica antiquior 260. hominum fuit, ab Agrippa instituta, quam moriens Augusto commisit, & ille publicavit, ut ex publico aleretur. Cæsaris familia 460. continebat, quam Claudius Imperator, cum aquas in Urbem perduceret, constituit. Utraque in aliquot ministeriorum species deducitur, villicos, castellanos, curatores, silicarios, rectores, aliosque opifices: ex his aliquot extra Urbem esse oportet, ad ea quæ non sunt magnæ molitionis: maturum tamen auxilium videntur exigere in Urbe circa castellorum stationes & opera, quæ urgebant inprimis ad subitos casus. Hæc & plura Frontinus. Inter hunc & comitem formarum illud interfuit, quod hic tantum formas tuebatur, id est, structiles canales aquam ferentes farciebat. *Consularis* vero operam dabat; ut ea debito modo in privatas ædes derivaretur, & publico ac thermis, aliisque usibus serviret: item ne a privatis usurparetur, & epistomia, fistulæ, salientesque integri essent, & castellum repararetur. *Panciroll. Notit. Dignit. Imp. Occid. c.* 12.

Consularis ad exercitum regendum mittebatur, tanquam Imperatoris legatus, ante inventos magistros militum. Illi milites tam pacis, quam belli tempore obtemperabant. Suet. Tib. c. 32. n. 1. *Corripuit consulares exercitibus præpositos.* Domit. c. 6. n. 3. *In Dacos duas, primam Appio Sabino consulari oppresso.* *Consularem* appellatum Ulpianus tradit l. 2. de his qui not. infam. quia *consularibus* insignibus utebatur. *Etiam is,* ait, *qui exercitui præest, licet consularibus insignibus utatur, ignominiæ causa ab Imperatore missus, hac nota laborat.* Vegetius vero, quia ex *consularibus* viri exercitibus præfici solebant. Legati nomen adhuc Alexandro imperante erat in usu. Lamprid. c. 52. *Apparitores nullos esse passus est: jussitque ut ante tribunum milites quatuor ambularent; ante ducem sex; ante legatum decem.* Legatis magistri militum successerunt. Veget. II. 9. *Legati Imperatoris ex consularibus ad exercitum mittebantur, quibus legiones & auxilia universa obtemperabant in ordinatione pacis, vel necessitate bellorum, in quorum locum nunc illustres viros constat magistros militum substitutos, a quibus non binæ tantum legiones, sed & plures gubernabantur.* Panciroll. Notit. Dignit. Imp. Orient. c. 31. Buleng. de Imp. Rom. IV. 36.

Consularis provinciæ dicebatur etiam provinciæ rector, sive qui provinciam jure *consulari* administrabat. Non intelligitur *consulari* dignitate functus, sed infulis *consularibus* ornatus. Hos ab Adriano partim, a Constantino partim sunt qui velint institutos. Sed id certe longe secus habet. Quippe ante Constantinum *consularis* provinciæ dicebatur, qui eam jure *consulari* administrabat. Idem de Adriano dicendum, qui non primus hanc *consularium* dignitatem instituit, sed cum ante ipsum Italia non regeretur a *consularibus*, ipse *consulares* judices, qui singulis Italiæ provinciis jura darent, constituit. Et hoc de illo Spartian. c. 22. Ego vero ab Augusto primum inventos fuisse puto. Cum enim provincias cum populo divideret, ex iis, quæ populo assignatæ sunt, aliæ fuere prætoriæ, aliæ *proconsulares*: ac duæ quidem *proconsulares*, quibus qui præerant, *proconsules* dicti sunt, Africa nempe & Asia: decem prætoriæ, quas enumerat Strab. XVII. sub finem. Reliquas omnes sibi Cæsar retinuit, ac regendas suscepit: & in eas quidem modo *consulares* viros mittebat, modo prætorios, modo equites. *Consulares*, qui mittebantur ex parte Cæsaris, legati *consulares* dicti sunt: qui prætorii, legati pro prætore. Græci πρεσβευτὰς ὑπατικοὺς, καὶ πρεσβευτὰς στρατηγικοὺς eos vocant. Quos ex equestri ordine ad regendas provincias mittebat, hi minutis provinciis præerant, præsidum nomine atque procuratorum. *Consulares* qui populi provincias administrabant, dicebantur *proconsules*, & sortito in eas proficiscebantur, & post peractum tempus magistratus provincia decedebant, antiquo scilicet more, qui stante republica obtinebat: qui vero provincias Cæsaris, legati *consulares*, vel *consulares* simpliciter: hi ad arbitrium Cæsaris in Cæsarianas provincias ibant, & ad ejusdem arbitrium revocabantur: hos nihil prohibebat appellari legatos Cæsaris pro *consule*, ut legati pro prætore dicebantur prætorii viri, quos provinciis suis nomine ac jure prætorio gubernandis præficiebat Cæsar. Qui etiam in suis provinciis prætorios plerumque jure *consulari* esse jubebat, & sic *consulares* dicebantur, qui nunquam *consules* fuissent. Sic Plinius Cæcilius *legatus Augusti pro prætore in provincia Ponti consulari potestate* dicitur in veteri inscriptione. *Salmas. in Spartian. Adrian. c.* 22. *Panciroll. Notit. Dign. Imp. Orient. c.* 156. *Guther. de Offic. dom. Aug.* I. 6. *Ursat. de not. Roman. Thes. Antiq. Roman. Græv. Tom.* XI. *p.* 640. *E. Manut. de Leg. c.* 10.

CONSULATUS designatio patrum conscriptorum acclamationibus comprobabatur. Plin. Paneg. c. 95. n. 2. *Vos proxime destinationem consulatus mei his acclamationibus appro-*

approbavistis. Ferrar. de vet. acclam. & plauſ. IV. 5. Petendi morem priſcum V. infr. in *Magiſtratus.* Stante Republica ex legibus ſemper fuit annuus. In magiſtratu *conſule* mortuo, aut cum alteri eorum ob neceſſarias cauſas magiſtratus abrogabatur, *conſul* alius in reliquum anni tempus ſubrogabatur; nec ob aliam rationem plures quam binos ſingulis annis creari mos fuit. Primus Cæſar dictator perpetuus creatus, cum multa contra leges patrias feciſſet, an. 707. *conſulatum* ex annuo bimeſtrem, vel trimeſtrem, ſive ad arbitrium fecit. Qui, ut plures, quibus in bellis civilibus miniſtris uſus fuerat, eo ſupremo magiſtratu inſigniret, leges neglexit, quum eum magiſtratum quibus, quoties, & quo anni tempore illi placuiſſet, præter Sctum, & populi ſuffragia dare cœpiſſet. Nam an. 707. quum ſe iterum dictatorem, & M. Antonium magiſtrum equitum feciſſet ſine *conſulibus*, poſtremo anni fine Q. Fuſium Calenum, & P. Vatinium *conſules* in aliquot noviſſimos anni menſes renuntiavit. Item interjecto anno, quo ipſe III. *conſul* fuit, ſe IV. *conſulem* renuntiatum ſine collega, paullo poſt tertiæ dictaturæ honore contentus, quam ſibi cum *conſulatu* a ſenatu decerni voluerat, quum in Urbem veniſſet; *conſulatu* abdicavit, Q. Fabio Maximo, & C. Trebonio *conſulibus* ſuffectis. Quo anno tunc primum contra patrias leges factum eſt, ut aliquis *conſul* deſignatus, & qui iniſſet magiſtratum, eum anno integro non teneret; ſed adhuc vivens, nec aliquo jure, ſed vi coactus, aliis ſuffectis, abdicaret, quod poſtea frequentiſſimum ſub ſequentibus Imperatoribus fuit. Unde Lucan. V. 397.

Indè perit primum quondam veneranda poteſtas
Juris inops: careat tantum ne nomine tempus,
Menſtruus in Faſtos diſtinguit nomina conſul.

& Dio XLIII. p. 236. *Ab eo tempore cœptum eſt, ut perpauci toto anno conſulatum gererent, ſed alii pauciores, alii plures menſes, dieſque, prout caſus tuliſſet, eo magiſtratu fungerentur.* Et hoc ſequentes Imperatores fere omnes ad Conſtantinum Magnum inſecuti, & quidem præcipue Auguſtus. Dio XLVIII. p. 378. A. *Tum vero annuus conſul nullus eſt creatus, ſed alii ad alias partes temporis ejus ſunt deſignati.* Et hoc modo factum eſt, ut *viginti quinque conſules in unum annum* fuerint ſub Commodo Imperatore, ut refert Lamprid. c. 6. Ex qua imminutione temporis conſularis orta eſt duplex *conſulum* denominatio, ut alii ordinarii, alii ſuffecti dicerentur. V. illos ſuis locis. Hæc *conſulum* denominatio manſit ad tempora Conſtantini Magni, qui *conſulatum* iterum annuum fecit, & duos *conſules*, quorum alter Romæ, alter Conſtantinopoli jus ſupremum exercerent, conſtituit. Procop. Hiſtor. arcan. p. 114. *Duo ſingulis annis apud Romanos conſules creabantur, unus Romæ, alter Byzantii.* Et loco ſuffectorum *viros conſulares*, aut *conſules honorarios.* V. illos ſuo loco, inſtituit. *Panvin. in Faſtor. I. p. 59. . . . . Lycklama de Magiſtrat. c. 7. Pigh. Annal. Rom. I. p 67.*

CONSULERE eſt populum rogare. *Conſulitur* enim populus, cum lex rogatur. Feſtus: *Rogatio eſt, cum populus conſulitur.* Itaque Cicer. pro Mil. c. 7. *Nihil de ejus morte populus conſultus.* pro Dom. c. 20. *Si populus Romanus de iſta re conſultus eſſet.* Manut. de Leg. c. 34. In ſenatu eſt rogare ſententias. Cicer. Attic. XII. *Hic me laudat, quod retulerim, non quod patefecerim, quod cohortatus ſim, quod denique, ante, quam conſulerem, ipſe judicaverim.* Manut. de Leg. c. 34.

CONSULTA per inſomnium in morbis capere ſolebant veteres. Diſcimus hoc ex tabella, quæ olim in Æſculapii ſacello in inſula Tiberina erat, & ibi inventa apud Maphæos Romæ habetur. V. illam ſupr. in *Ægri.* Juſtin. XII. 10. 3. *Cum inter multos vulneratus etiam Ptolemæus eſſet, moriturusque jam jam videretur, per quietem Regi monſtrata eſt in remedia veneni herba, qua in potu accepta, ſtatim periculo liberatus eſt; majorque pars exercitus hoc remedio ſervata.* Ideo in *dei fano ægrotus incubabat*, ut loquitur Plaut. Curc. I. 1. 61. Et ad Æneid. VII. 87. Servius. V. illum infr. in *Incubare.* Et quidem in templo tum Æſculapii. Philoſtr. vit. ſophiſt. p. 534. *Et profectus Pergamum, cum articulari morbo ægrotaret, & in ſacello requieſſet, atque eo loci apparuiſſet Æſculapius, & admonuiſſet, ut frigido potu abſtineret.* tum Serapidis. Strab. XVII. p. 551. *Habet Serapidis templum religioſe cultum, ut etiam nobiliſſimi viri ei credant, & pro ſe, vel pro aliis inſomnia ibi capient.* Argol. in Panvin. de Lud. Circ. I. 17. Pitiſc. in Suet. Veſp. c. 7. n. 5. Quid de his & ſimilibus ſentiat, ſatis prolixe narrat *Boxhorn. Quæſt. Roman. c. 18.*

CONSULTATIO erat, cum in conſiſtorio cum proceribus cauſas Princeps examinabat, aut alias ſtatuebat. Theodoſius l. 2. C. de Legibus. *Quæ ex conſultatione procerum ſtatuimus, non ſemper jura ſunt generalia.* Eadem *conſulta* vocantur l. conſulta de teſtam. l. ne quis C. de offic. rect. provinc. *Panciroll. Notit. Dign. Imp. Orient. c. 96.* Et hoc fuit primum *conſultationum* genus. Secundum fuit præfecti prætorio & quæſtoris palatii, qui in comitatu Principis erant: quorum cognitio ad *conſultationum* morem aliquatenus redacta eſt. Tertium fuit judicum. Quartum Ictorum, qui reſponſa dabant de jure conſulentibus, ex Principis auctoritate, ab Auguſto ad Adrianum uſque, qui hoc muneris non peti reſcripſit, ſed præſtari ſolere, ab iis, qui fiduciam ſtudiorum ingenii & doctrinæ haberent l. 2. §. fin. ff. de orig. jur. *Guther. de Offic. Dom. Aug.* I. 28.

CONSULTORES, qui ad Ictos *conſulendi* gratia adibant, non ſine præfatione id faciebant. Rogabant enim an per otium, & per occupationes *conſulere* eos poſſent. Fiebat hoc his verbis: *licet conſulere?* id eſt, licetne mihi tua opera uti, & a te conſilium petere? Hoc Cicer. pro Mur. c. 13. conjiciendum relinquit, cum de Ictis agens, ait: *Et veſtrum illud, licet conſulere?* Oſtendit & Horatius, qui inducit quendam de plebe, cum Rege Agamemnone altercantem, interrogare an liceat ſibi eum de aliquibus percontari: quod illi his verbis interrogat Sat. II. 3. 192. *Briſſon. de Form.* III. *p.* 331. *Turneb. Adv.* VII. 10. *Torrent. in Horatium.*

CONSUS quis ille ſit, bifariam auctores evariant. Quidam volunt quendam eſſe deum, cujus nomen publicari non poſſit: δαίμονι ἀῤῥήτῳ, ait Dionyſ. II. p. 100. Alii dicunt eſſe Neptunum, quem noſtra lingua interpretantur Ποσειδῶνα σεισίχθονα, inquit Dionyſius. Utrumque tangit Plutarch. Rom. p. 25. D. *Conſum vocabant deum, ſive conſiliorum ille præſes, Neptunus equeſtris fuit.* Argol. in Panvin. de Lud. circenſ. I. 3. Filius fuit Iſidis. Sic enim veteres gloſſæ: Κῶνσος υἱὸς Ἴσιδος, nempe Harpocrates, filius Iſidis poſtumus, qui & Sigalion dicitur. Eſt enim deus non tantum *conſiliorum*, ut Feſto dicitur, ſed etiam *ſecretorum conſiliorum*, ut Aſcon. in Cicer. p. 57. Et templum ſub circo habuit, ut oſtenderent tectum debere eſſe conſilium, quemadmodum memoriæ ſacravit Serv. Æneid. VIII. *Cuper. Harpocrat. p. 27. Buleng. & Argol. l. l.*

CONTABRA appellabantur haſtæ, quibus vexilla ſignorum appenſa præferebantur. Tertull. in Apologetico: *Et contabra, & vexilla caſtrorum quid aliud quam inauratæ cruces ſunt?* Salmaſ. de re milit. c. 6.

CONTARII, κοντοφόροι, erant equites, qui *contis* armati erant. Capitol. Maxim. c. 10. *Placuerat, ut contariis cum eo tranſirent.* Salmaſ. de Re milit. c. 6. Urſat. de not. Rom. Theſ. Antiq. Roman. Græv. Tom. XI. p. 543. F. Rhodig. Ant. Lect. XXI. 31.

CONTENDERE provocatione, ſacramento quiſnam dicatur. V. infr. in *Sponſio in judiciis.*

CONTESTATIO litis ſequebatur poſt actionis editionem, & propoſitam ſummatim actoris poſtulationem l. 1. C. de litis conteſt. *Res in judicium deducta non videtur, ſi tantum poſtulatio ſimplex celebrata ſit, vel actionis ſpecies ante judicium reo cognita. Inter litem enim conteſtatam, & editam actionem permultum intereſt. Lis enim conteſtata tum videtur, cum judex per narrationem negotii cauſam audire cœperit.* Narrationem vero ab utroque hoc eſt, & actoris intentionem, & rei contradictionem. Feſtus: *Conteſtari eſt, cum uterque reus dicit, teſtes eſtote. Conteſtari litem dicuntur duo, aut plures adverſarii, quod ordinato judicio utraque pars dicere ſolet, teſtes eſtote.* Et in Reus: *Reus eſt, qui cum altero*

litem contestatam habet, sive is egit, sive cum eo actum est. Cicer. pro Q. Rosc. c. 18. *Et lis contestata cum Flavio damni injuria esset.* Sigon. de Judic. I. 27. Augustin. ad leg. XII. tabb. §. 53. Pollet. For. Rom. v. 5. Hotom. de Rom. Thes. Antiq. Roman. Græv. Tom. II. p. 1912. B. de Lite ordin. c. 8. Cujac. Observ. IX. 21. Auctor misc. def. pro Salmas. ad jus Attic. & Rom. p. 818. Noodt. de Jurisd. & imper. I. 15.

CONTICINIUM dicitur illud tempus, quo omnia quiescendi gratia *conticescunt.* Macrob. Saturn. I. 3. Censorin. de die nat. c. 24. *Conticinium, cum & galli conticescunt, & homines etiam tum quiescunt.* Moreстell. de diei Civil. part. apud Roman. Dial. 3. Lalamant. de Tempor. & ejus part. Thes. Antiq. Græcar. Gronov. Tom. IX. p. 1049. D.

CONTIFEX est, qui pugnat *conto.* Ubi facere est occidere, ut in conficere & interficere. Glossæ veteres: *contifices, παραβόλως.* Inde *contificium* Vopisc. in Probo c. 19. *Qui omnes contificiis interempti sunt.* Voss. Lex. in *Contus.* Et inde *contifices* confectores ferarum, veluti si dixeris ἀκοντίζοντες, dicti arenarii. *Argel. in Panvin. de Lud. Circ.* II. 4. Dicuntur, ut carnifices. Facere enim, ut Græcis ῥέζειν, pro interficere. *Buleng. de Venat. circi. c.* 30. Nihil est ferme glossarum veterum, sive illæ editæ sunt, sive nondum editæ, quod ego non viderim. Nusquam in illis isti mihi reperti *contifices*: & sane nusquam possunt exstare eo sensu quem sibi fingunt. *Contifex* si diceretur, non alius esse posset, quam qui *contos* facit, ὁ κοντοποιός. Falsam etiam lectionem puto esse apud Vopiscum. Facit hoc optimus Palatinus liber, in quo expressis literis scriptum legitur *posticis.* Salmas. in Vopiscum.

CONTRIBULES erant, qui ex eadem tribu: unde si quis aliquid legasset sociis suæ tribus, *contribulibus* suis legasse dicebatur. Inde nota CONTRIB. D. *contribulibus dedit.* Ursat. de not. Rom. Thes. Antiq. Roman. Græv. Tom. XI. p. 644. A.

CONTUBERNALES magistratuum fuerunt adolescentes, qui post prætextam puerilem depositam, rei militaris percipiendæ, & provinciæ cognoscendæ gratia magistratus in provinciam secuti sunt, & propterea familiariter cum iis vixerunt, neque ab eorum lateribus discesserunt. Unde illorum etiam *contubernales* dicebantur. Suet. Jul. c. 42. n. 1. *Sanxit, ne quis senatoris filius, nisi contubernalis, aut comes magistratus, peregre proficisceretur.* Cicer. pro Cœl. c. 30. *Cum paullum jam accessisset ætati, in Africam profectus est Q. Pompejo proconsuli contubernalis: in qua provincia cum res erant, & possessiones paternæ, tum etiam usus quidam provincialis, non sine causa a majoribus huic ætati tribuitur.* Sub oculis enim ducis castius, & modestius agebat juventus. Cicer. pro Planc. c. 11. *Hic adolescentulus cum A. Torquato profectus in Africam, sic ab illo gravissimo, honore atque omni laude, & sanctissimo, & dignissimo viro dilectus est, ut & contubernii necessitudo, & adolescentuli modestissimi pudor postulabat.* Sigon. de Ant. jur. Prov. II. 2. Lips. de Milit. Rom. v. Dial. 2. Thys. Rom. Illustr. v. p. 108. Pitisc. in Suet. Jul. c. 2. n. 1. §. 6. Hinc *contubernio* alicujus militare quis dicitur, qui ejusdem est militiæ cum aliquo, & in ejus tabernaculo, & comitatu degit. Suet. Jul. c. 2. n. 1. *Stipendia prima in Asia fecit M. Thermi prætoris contubernio.* Sallust. de Bell. Jugurth. c. 64. *Is eo tempore patris contubernio ibidem militabat.* Turneb. in Plin. præfat. p. 14. Pitisc. l. l. Et *contubernio admoveri* est inter familiares recipi, juberi cum aliquo habitare. Suet. Tib. c. 14. n. 7. *Thrasyllum mathematicum, quem, ut sapientiæ professorem contubernio admoverat.* Et cohabitatio *contubernium* vocatur. Suet. Jul. c. 49. n. 1. *Pudicitiæ ejus famam nihil quidem præter Nicomedis contubernium læsit.* Et *contubernio removere* est domo interdicere. Suet. Tib. c. 56. n. 3. *Seleucum grammaticum a contubernio removit.* Pitisc. in Suet. Tiberium. Et *contubernio prohibere* est a comitatu removere. Suet. Vesp. c. 4. n. 7. *Peregrinatione Achaica inter comites Neronis. . . . . prohibitus contubernio.* Pitisc. in Suetonium.

Contubernales dicebantur milites, qui eodem utebantur *contubernio*; admittebatque *contubernium* decem milites, quorum unus *contubernii caput nominabatur.* Veget. II. 13. *Stewech. ad Vegetium. Ouzel. in Minuc. Fel. p. 3. Voss. Lex. Etymol. Ursat. de not. Rom. Thes. Antiq. Roman. Græv. Tom.* XI. *p.* 643. *F.*

Contubernales vocabantur etiam servorum uxores. Petron. c. 56. *Contubernalis mea mihi fastum facit.* Ursat. de not. Rom. Thes. Ant. Rom. Græv. Tom. XI. p. 644. B Voss. Lex. Etymol. Ouzel. in Minuc. Fel. p. 3. Turneb. in Plin. præfat. p. 14. Kipping. Antiq. Roman. IV. 1. §. 2. V. infr. in *Contubernium.*

CONTUBERNIUM fuerunt octo homines. Hygin. de Castram. p. 1. *Papilio tegit homines octo.* Vegetius auctor est undecim homines una tetendisse, & id *contubernium* esse appellatum. Veget. II. 25. *Singula contubernia, hoc est, undecim homines deputantur.* Et supr. in *Contubernalis.* Lips. de Milit. Rom. v. Dial. 5. Ouzel. in Minuc. Fel. p. 3. Voss. Lex. Etymol. Turneb. in Plinii præfat. p. 14. Thys. Rom. Illustr. v. p. 116. Quid ergo dicemus? An legionibus minora *contubernia* quam auxiliis? quia minores centuriæ: eundemque semper numerum in qualicunque centuria *contuberniorum*, non eundem in *contubernio* majoris & minoris centuriæ *contubernalium* fuisse? Sunt sane quæ hoc persuadeant. Hyginus tam centuriæ legionariæ, quam auxiliari decem papiliones dat, quamvis hæc centum, illa octoginta homines habeat. Totidem *contubernia* Vegetius centuriæ centum undecim hominum attribuit: undecim enim homines illi *contubernium* sunt. Tradit & Josephus agmen Vespasiani iter facientis, denos e singulis centuriis cum mensuris ad metanda castra præcessisse. Quid ita denos? nisi ut numerum papilionum adæquarent e singulis *contuberniis* singuli. *Schel. in Hyginum Thes. Antiq. Roman. Græv. Tom.* X. *p.* 1028. *A.*

Contubernium vocabatur etiam servorum & ancillarum conjugium. Inter servos enim non matrimonium, sed *contubernium* contrahi dicitur, ut ex jure notum l. 3. C. de incest. nupt. *Cum ancillis non potest esse connubium, nam ex hujusmodi contubernio servi nascuntur.* Inde Diocletianus & Maximianus l. 23. C. ad Leg. Jul. de adult. *Servi ob violatum contubernium suum adulterii crimine accusari non possunt.* Barth. Adv. XXV. 2. Ursat. de not. Rom. Thes. Antiq. Roman. Græv. Tom. XI. p. 644. B. Ouzel. in Minuc. Felic. p. 3. Voss. Lex. Etymol. Lotich. in Petron. p. 85. Palæot. de Noth. & Spur. c. 13. n. 1. Rittersh. in Leg. XII. tab. Class. III. p. 1. c. 4. Turneb. in Plinii præfat. p. 14. Kipping. Antiq. Roman. IV. 1. §. 2.

CONTUS erat hasta militaris major, & longior, præcipue qua equites utebantur. Virg. Æneid. IX. 510.

— *Ac duris detrudere contis.*

Veget. II. 14. *Similiter eligendus est decurio, qui turmæ equitum præponatur, inprimis habili corpore, ut loricatus, & armis circumdatus omnibus, cum summa admiratione equum possit ascendere, equitare fortissime, conto scienter uti, sagittas doctissime mittere; turmales suos, id est, sub cura sua equites positos erudire ad omnia, quæ equestris pugna deposcit, eosdem cogere loricas, vel cataphractos, contos, & cassides frequenter tergere & curare.* Laz. Comm. Reip. Rom. VIII. 17. Gyrald. de Navig. c. 13. Salmas. de Re Milit. Rom. c. 6. Demster. Paralip. ad Rosin. Antiq. Roman. X. 10. Inde *contati*, vel *contarii* equites. V. illos supr. in *Contarii.*

Contus est etiam pertica cuspidata & præferrata, cujus ope saxis aut vadis inhærentem navim solent protrudere. Virg. Æneid. V. 206.

Consurgunt nautæ, & magno clamore morantur,
Ferratasque sudes, & acuta cuspide contos
Expediunt.

Et aquarum altitudinem explorare. Donat. in Hecyr. I. 2. 2. *Contus est pertica oblonga, in capite ferrum habens, qua nautæ ad exploranda loca navibus opportuna utuntur.* Festus: *Percunctatio pro interrogatione dicta videtur ex usu nautico, quia conto pertentant cognoscuntque navigantes aquæ altitudinem.* Vulgo sunt κοντοί. Unde nomen κοντωτῶν, quod id genus navium, quod solis *contis* protruditur. *Scheffer. de Milit.*

Milit. Nav. II. 5. *Gyrald. de Navig. c.* 13. *Calcagn. de Re naut. c.* 15. *Ursat. de not. Roman. Thes. Antiq. Rom. Græv. Tom.* XI. *p.* 543. *F. Pius Annot. Post. c.* 19. *Potter. Archæol. Græc.* III. 16. *Voss. Lex. Etymol. Cerda in Virg. Æneid.* VI. 302. *Demster. Paralip. ad Rosin. Antiq. Roman.* X. 10. & inter ea quibus in arena pugnabatur. *Edidit alia die in amphitheatro una missione centum jubatos leones, qui rugitibus suis tonitrua excitabant: qui omnes contificiis interempti sunt.* Lamprid. in Comm. c. 13. *Virium ad conficiendas feras tantarum fuit, ut elephantum conto transfigeret.* Buleng. de Venat. c. 28. Voss. Lex. Etymol.

CONVENTUS dicebantur oppida in provinciis, in quibus, qui proprætore, aut proconsule præerant provinciæ, jus dicebant. *Conventus*, quia in illa ad diem, quem proprætore indixerat, ex agro vicino conveniebant omnes, qui lites habebant, quas volebant decidi. Plin. III. 3. absolute *conventus* vocat, & observat *universam Hispaniam in septem fuisse divisam conventus, Carthaginensem, Tarraconensem, Cæsaraugustanam, Cluniensem, Asturum, Lucensem, Bracarum. Conventus* vero *juridicos* III. 1. *Juridici ei conventus quatuor, Gaditanus, Cordubensis, Astigitanus, Hispalensis.* Noodt de Jurisd. & imper. I. 10. Guther. de Offic. Dom. Aug. I. 43. Græv. Thes. Antiq. Roman. Tom. I. Præfat. * * * 4. Hos percurrere & peragere solebant Romani magistratus per urbes suæ provinciæ celebriores & metropoles, quæ plures erant in multis illis imperii Romani provinciis amplissimis in quibus jus dicebatur. Hi ante a magistratu isto indicebantur publice, & in illis nobilissimi cujusque regionis provinciales aderant. Liv. XXXI. 29. *Siculorum civitatibus Syracusas, aut Messanam aut Lilybæum indicitur concilium a prætore Romano, conventus agitur: eo imperio evocati conveniunt.* Eodem respexit Virg. Æneid. V. 758.

Indicitque forum, & patribus dat jura vocatis.

Sive mandata excepturi magistratus Romani, sive causas tam civiles, quam criminales acturi & oraturi. In his suprema erat, & sine appellatione jurisdictio. Nihil melius nostra Franciæ Parlamenta ambulatoria exhibent, quam tales *conventus*, quæ nec locum, nec tempus certum habebant, sed in Urbibus præcipuis, & tempore, quod sibi maxime commodum consules, prætores, præsides indicabant, peragebantur. Obibantur tempore, maxime hyberno, quo magistratus ab armis otiosi jurisdictioni, & prætoriæ cognitioni vacabant. Hirt. Bell. Gall. VIII. 46. *Exercitum per legatos in hyberna deduxit. Paucos ipse dies in provincia moratus, cum celeriter omnes conventus percucurrisset, publicas controversias cognovisset, tandem ad legiones in Belgium se recepit.* V. & infr. in *Potestas.* Peragebantur in urbibus, ad quas ducebant viæ militares, quæ ipsæ etiam hac de causa munitæ erant, ut facilem & expeditum accessum atque iter præberent magistratibus, qui non sine numeroso comitatu ad illas urbes adveniebant. Notavit hoc Hier. Surita ad Itiner. Anton. p. m. 166. *Neque*, ait, *Italiam modo, sed & universas Romani imperii provincias eo decore atque ornamento idem Princeps* Augustus *affecit, ut præsides, & qui pro consulibus eo munere fungerentur, facilius provinciarum urbes atque conventus obirent.* Imo vero A. Schott. Præf. ad Anton. p. m. 10. hoc, quod sub Antonini nomine circumfertur, itinerarium credit hunc ipsum in finem esse confectum, ut viam monstraret magistratibus provincialibus. Hæc enim illius sunt verba: *Ducibus vero militibusque, ac proconsulibus, & prætoribus in provincias proficiscentibus compositum* Itinerarium Antonini *apparet, ne aberrarent a via, in insidiasque per devia inciderent.* Bergier. de viis milit. IV. Sect. 27. §. 4. Sigon. de jur. prov. II. 5. Præses, prætorve hunc inchoaturus solitus fuit eum ita dividere, ut alium diem postulationibus, alium cognitionibus, alium decretis, alium manumissionibus, alium aliis partibus assignaret, ut docet Theophil. ad §. 4. Institut. Qui, & quibus ex causis manumittere non possunt, & intelligitur ex Ulpian. l. 2. §. 1. & 2. ff. quis ordo in possessionibus servetur. *Noodt. de Jurisd. & Imper.* I. 10.

Conventus dicebatur etiam res ipsa, quæ in *conventu* agebatur, nimirum jurisdictio. Ita magnifice transtulit ad Alexandrum Justin. XII. 13. 3. *Velut conventum terrarum orbis acturo:* quod est, omnibus populis legem pacis dicturo, jura reddituro, tanquam sibi subjectis. Hinc *conventum agere* est jus dicere in *conventu*. Gronov. Observ. III. 22. Græv. Thes. Antiq. Roman. Tom. II. Præfat. * * * 4.

Conventus dicebantur etiam homines, qui in *conventu* litium causa conveniebant, ut apud Horat. Sat. I. 7. 22.

Persius exponit causam, ridetur ab omni
Conventu.

Gronov. Observ. III. 22. Græv. Thes. Antiq. Roman. Tom. II. Præfat. * * * 4.

Ex *Conventu* civium Romanorum, qui in provincia negotiarentur judices a prætoribus in provinciis legebantur. Cicer. Verr. II. 13. *Cæterarum rerum selecti judices ex civium Romanorum conventu proponi solent.* Sigon. de Antiq. jur. civ. Roman. II. 10. Ascon. l. l. *Ex iis civitatibus, ad quas cives Romani convenire solent agendæ suæ, & publicæ rei causa.* Hujus annotatio satis demonstrat in verbis Ciceronis aliquid esse suppurati: nam *conventus civium Romanorum* hic locum non habet. Scripserat autem Cicero. *Cæterarum rerum selecti judices civium Romanorum ex conventu proponi solent.* Dixerat, quid Rupilius statuisset in eo, quod civis a cive peteret, id est, homo Siculus ab homine Siculo ejusdem civitatis: quod privatus Siculus a populo Siculo, aut populus a privato alterius civitatis: quod civis Romanus a Siculo, vel Siculus a cive Romano. Nunc ergo, quod superest, *Cæterarum rerum*, nempe quibus disceptant non Siculi, sed inter se cives Romani, & alii peregrini. *Selecti judices civium Romanorum*, hoc est, ex civibus Romanis, qui sint numero civium Romanorum, cives Romani. Ex *conventu* unoquoque scilicet, id est, ex illo oppido, & regione, ubi *conventus* agitur, seu jurisdictio celebratur: qui negotientur illic, & domicilium habeant. *Proponi solent*, nempe in albo, ut Romæ quoque fiebat. *Gronov. Observ.* III. 22. *Græv. Thes. Antiq. Roman. Tom.* I. *Præfat.* * * * 4.

CONVIVÆ. Horum alii vocati fuere, alii invocati, muscæ, copriæ, umbræ, parasiti, *ἄκλητοι, ἀσύμβολοι. Προκλίτης, ὁ τῆς ἑστιάσεως πρωτοστάτης, convivarum* honestissimus. *Buleng. de Conviv.* I. 21. *Stuck. de Conviv.* I. 1. *Potter. Archæol. Græc.* IV. 19. Numerus *convivarum* ne sit minor quam Gratiarum, ne major quam Musarum. Gell. XIII. 11. Macrob. I. 7. *Varro in Satyra Menippæa, qui inscribitur, nescis quid vesper serus vehat: in quo disserit de apto convivarum numero. Dicit convivarum numerum incipere oportere a Gratiarum numero, & progredi ad Musarum: id est, proficisci a tribus, consistere in novem: ut, quum paucissimi convivæ sunt, non pauciores sint quam tres; quum plurimi, non plures quam novem: nam multos esse, inquit, non convenit, quod turba plerumque est turbulenta.* Lege Orchia, V. illam infr. in *Lex*, præscriptus *convivarum* numerus. Auson. Ephemer. 4. 5.

Quinque advocavi, sex enim convivium
Cum Rege justum: si super, convicium est.

Capitol. in Vero c. 5. *Notissimum quidem ejus fertur tale convivium, in quo primum duodecim accubuisse dicitur, quum sit notissimum dictum de numero convivarum: septem convivium, novem vero convicium.* Apud Suetonium tamen in Aug. c. 70. n. 1. *δωδεκάθεος* cœna fuit in fabulis, in qua duodecim convivæ, duodecim deorum numero & specie. *Buleng. ibid. c.* 22. *Oizel. in Gellium. Salmuth in Panciroll. de reb. invent. & perd. p.* 513. *Sard. de mor. & rit. gent.* I. 22. *Casal. de prof. Roman. rit. c.* 25. *de Conviv. Vet. c.* 1. *Rhodig. Ant. Lect.* XXVIII. 8. *Philand. in Vitruv.* VI. 5. *Schill Nomencl. Philol. p.* 349. *Stuck. Ant. Conviv.* II. 2. *Ursin. Append. ad Ciaccon. de Triclin. p.* 325. *Bruyer. de Re cibar.* III. 10. *Casal. de Urb. ac Imper. Roman. splend. part.* 2. *c.* 19. *Feith Antiq. Homer.* III. 4. *Cornar. de Conviv. Græcor. Thes. Antiq. Græcar. Gronov. Tom.* IX. *p.* 17. *C. Laurent. de Conviv. vet. c.* 3. *de Prand. & cœn. vet. c.* 5. *Blond. Triumph. Rom.* VIII. *p.* 175. *D.* Non singuli singulares lectos habebant;

bant; ſed aut terni, aut quaterni unum occupabant. Horat. Sat. I. 4. 86. V. illum infr. in *Hoſpes.* Si plures, ſordidum id, & minime lautum habebatur. Cicer. in Piſon. c. 27. *Nihil apud hunc lautum, nihil elegans. . . . Græci quini ſtipati in lectulis, ſæpe plures.* Apud Macrobium in cœnæ Pontificiæ deſcriptione in duobus tricliniis decem modo convivæ nominantur, ut pareat in magnifico aliquo epulo vix binos lectum unum occupaſſe. *Lipſ. Ant. Lect.* III. *p.* 145. Veſtem mutabant, & cœnatoriam, ſive convivalem ſumebant etiam ii, qui luctus cauſa atrati erant. Petron. c. 21. V. illum ſupr. in *Cœnatoria.* Cicer. in Vatin. c. 12. *Atque illud etiam ex te ſcire cupio, quo conſilio, aut qua mente feceris, ut in epulo Q. Arrii familiaris mei cum toga pulla accumberes? . . . . Cedo, quis unquam cœnarit atratus? ita enim illud epulum eſt funebre, ut munus ſit funeris, epulæ quidem ipſæ dignitatis.* Caſal. l. l. Manus abluebant. V. ſupr. in *Abluebant.* Caput & barbam ungebant, & pedes ipſos, ut indicat Athen. XIII. p. 553. C. in quo adducit Antiphanem poetam in Alceſtide inducentem quendam, qui oleo diſcumbentis pedes ungeret; & itidem in Metragyrte ancillam quandam, quæ oleo primum pedes diſcumbentium, ac deinde crura illineret. Ungebant autem pedes oleo tum baccharino, tum amaracino, ut innuit idem XV. p. 689. F. prolatis verſibus ex Trophonio Cephiſodori, quibus cum alter peteret *emi ſibi baccharinum unguentum ungendis pedibus*, alter reſpondet: *baccharinum ego tuis pedibus emam.* Amaracino uſos aliquando fuiſſe intelligi poteſt ex Amphidis verſu, quem citat idem Athenæus:

Pedes meos amaracino unguento triverunt.

Ad hunc morem reſpicit Plin. XIII. 3. *Vidimus etiam veſtigia pedum tingi: quod M. Othonem monſtraſſe Neroni principi ferebant.* Urſin. Append. ad Ciaccon. de tricl. p. 258. Dalechamp. in Plinium. Caput ungebant præcipue nardino. V. infr. in *Nardus.* & malobathro: Horat. Od. III. 7. 6.

Cum quo morantem ſæpe diem mero
Fregi, coronatus nitentes
Malobathro Syrio capillos.

Urſin. ibid. p. 261. Stuck. Ant. Conv. III. 15. Rader. ad Mart. III. 9. 1. Bacc. de conv. & vin. IV. p. 185. & 189. Caſal. & Potter. l. l. Capita & pocula coronabant. V. infr. in *Coronati.* Pileos etiam videntur ſumpſiſſe. V. infr. in *Pileus.* Soleas, ne pretioſam veſtem ſtragulam lutulentis, aut ſordidis calceis inquinarent, deponebant. Et a menſa diſceſſuri, iterum ſumebant. V. infr. in *Solea.* Mappas domo adſerebant. V. infr. in *Mappa.* Dona domum deferenda a convivatore accipiebant. Capitol. in Vero c. 5. *Donatos pueros decoros qui miniſtrabant ſingulis: donatos etiam ſtructores & lances ſingulis quibusque: donata & viva animalia, vel cicurum, vel ferarum avium, vel quadrupedum, quorum cibi appoſiti erant: donatos etiam calices ſingulis per ſingulas potiones myrrhinos, & cryſtallinos Alexandrinos, quoties bibitum eſt: data etiam aurea atque argentea pocula & gemmata: data & vaſa aurea cum unguentis ad ſpeciem alabaſtrorum: data & vehicula cum mulabus & mulionibus cum juncturis argenteis, ut ita de convivio redirent.* Urſin. ibid. p. 379. Tomaſ. de donar. vet. c. 17. V. etiam ſupr. in *Apophoreta.* Noctu lucernis domum deducebantur. Ex qua conſuetudine Athenæus in cœna Cleopatræ ſcribit Æthiopicos ſervos, qui *convivis* domum redeuntibus prælucerent, ab ea datos eſſe: ſic enim inquit IV. p. 148. B. *Omnibus Æthiopicos pueros, qui facibus prælucerent, repræſentavit.* Urſin. ibid. p. 378. Stuck. ibid. III. 24.

CONVIVATOR Latinis dicitur dominus *convivii*, qui amicos, aut hoſpites *convivio* excipit. Horat. Sat. II. 8. 73.

Sed convivatoris, uti ducis, ingenium res
Adverſæ nudare ſolent, celare ſecundæ.

Senec. de Ira III. 37. *Minus honorato loco poſitus, iraſci cœpiſti convivatori.* Buleng. de Conviv. I. 19. Stuck. Ant. Conviv. II. 7. Urſin. ad Ciaccon. de tricl. p. 339. Oizel. in Gell. XIII. 11. Convivis aſſidere debet. Hoc humanitati conveniens videtur eſſe. Et apud veteres fuit uſitatum. Locum ſibi non primum, ſed poſtremum potius pro ſua modeſtia deliget, qui & ad circumſpiciendum omnia, & ad ſurgendum, ſi ita opus fuerit, ſit accommodatus. Nam intentos in omnes partes oculos habere debet, & nonnunquam ſurgere, operamque dare ut omnia, quæ ad *convivium* pertinent, bene legitimeque adminiſtrentur, omniaque, quibus ipſis *convivis* opus eſt, illis abunde, liberaliterque ſuppeditentur. Nec vero primus accumbet, id quod indecorum valde, ac incivile videtur eſſe, licet id apud quoſdam Germaniæ populos in uſu eſſe intellexerim. Apud Romanos, teſte Plutarch. Symp. I. 3. cum duæ menſæ invitatis tribuerentur, in tertii lecti loco primo plerumque accumbebat. Ratio elegans additur, quæ ſimul illius munus & officium complectitur: *Ibi enim tanquam auriga atque gubernator dextre poteſt intueri in miniſteria, & a proximis locis non ita longe removetur, quin compellare convivas humaniter poſſit & colloqui.* Locus infra eum, ut Plutarchus addit, erat uxoris, aut liberorum. Unde colligimus, uxorem quoque & liberos in epulis una cum reliquis *convivis* accumbere fuiſſe ſolitos. *Stuck. ibid.* II. 35. *Buleng. de Conviv.* I. 34. Fuit autem moris, ut *convivatori* accumbenti ab architriclino chartula daretur, in qua quid cibi coquus illaturus eſſet in menſam, ſciretur. Suidas. Athen. XIV. p. 664. B. *Coquus narrat ſplendidum, & ordine diſpoſitum epulum ſe apparaſſe, jam prolocutus quale prandium, qualem antea cœnam exſtruxiſſet.* Buleng. ibid. proluſ. II.

CONVIVIUM. De hoc Cicer. de Senect. c. 13. *Majores noſtri ambitionem epularem amicorum, quia vitæ conjunctionem haberet, convivium nominarunt melius quam Græci, qui hoc idem compotationem, tum concœnationem, ſympoſium, ſyndipnon vocitarunt.* Et Fam. IX. 24. ſupr. in *Compotatio.* Buleng. de Conviv. I. 1. Stuck. Ant. Conv. I. 6. Bruyer. de Re cibar. III. 10. Juſtum atque legitimum res eſt non modo honeſta, utilis, & jucunda; verum etiam ſacra quodammodo, divina, & religioſa. Athen. V. p. 192. B. quoque: *Omnis convivalis cœtus apud veteres ſui cauſam ad deum referebat.* Et idcirco idem ſubjungit, veteres cum coronis, atque hymnis deorum propriis, tum menſæ miniſtris, non ſervis, ſed liberis & ingenuis in *conviviorum* celebratione uti ſolitos fuiſſe. Homero ſæpe videntur honorata & veneranda fuiſſe appellata. Idem certe ipſos quoque deos & crebra inter ſe *convivia* agitaſſe, & hominum *convivia* ſæpe ſua præſentia cohoneſtaſſe finxit. Unde Aſclepiades, teſte Pauſania, moderatum *convivium* deorum conciliabulum nominavit, dum ad tale non modo heroas, verum ipſum quoque Jovem, deosque omnes accedere poſſe credidit. Et Ovid. Faſt. VI. 305.

Ante focos olim ſcamnis conſidere longis
Mos erat, & menſæ credere adeſſe deos.

Origo eſt antiquiſſima, quæ ab ipſo generis humani primordio repetenda, & ad ipſum Deum ceu primum auctorem videtur eſſe referenda. Deus enim in ipſo paradiſo primos noſtros parentes matrimonio copulatos, non μονοφάγυς inſtar Cyclopum, ſed ὁμοφάγυς, & ὁμοτρόφυς, id eſt, victus communione conjunctos eſſe voluit. Non neſcio quis Chamos, ſeu Κῶμος, qui a Moabitis, aut Δειπνεὸς, qui in Achaja, aut δαίτης ἥρως, qui a Trojanis, aut Δαίτων, & Κεράων, qui a Spartanis, aut Εἰλαπιναστὴς, & Σπλαγχνοτόμος, qui in Cypro, ceu dii quidam, & *conviviorum* præſides divinis honoribus culti fuiſſe perhibentur, ut teſtis eſt Athenæus, & Euſtath. Od. β. & Od. α. p. 50. Finem tradiderunt Stoici, ut dum voluerunt, nos ad communitatem, ſocietatemque communem eſſe natos, eamque fecerunt duplicem: unam, quæ ſit hominibus cum Deo, alteram, quæ ſit inter ipſos homines. Ad utramque vel ineundam, vel fovendam, atque ſtabiliendam, vel denique redintegrandam, reconciliandamque *convivia* cum ſacra, tum prophana plurimum ſane momenti, atque ponderis habent. Cicer. Fam. IX. 24. in *Compotatio.* Stuck.

Stuck. ibid. c. 3. Buleng. ibid. c. 6. Quibus conſtet, docet Varro apud Gell. XIII. 11. *Ipſum deinde convivium ex rebus quatuor; & tum denique omnibus ſuis numeris abſolutum eſt: ſi belli homunculi ſunt collecti, ſi lectus locus, ſi tempus lectum, ſi apparatus non neglectus.* Buleng. ibid. c. 22. Turneb. Adv. VI. 16. In illis Romanorum luxus ſummopere ſe exercuit. Struebantur magno cum apparatu & oſtentatione; magno item miniſtrantium numero, qui in ordine omnes & per certas claſſes diſtincti. Senec. Epiſt 95. *Quam celebres culinæ ſunt? quanta nepotum focos juventus premit? Tranſeo puerorum infelicium greges, quos poſt tranſacta convivia aliæ cubiculi contumeliæ exſpectant. Tranſeo agmina exoletorum, per nationes coloresque deſcripta, ut eadem omnibus levitas ſit, eadem ſpecies capillorum, ne quis, cui rectior eſt coma, criſpulis miſceatur. Tranſeo piſtorum turbam, tranſeo miniſtratorum, per quos ſigno dato ad inferendam cœnam diſcurritur. Dii boni, quantum hominum unius venter exercet.* Meurſ. de Lux. Rom. c. 13. Miniſtri regii, menſæ inſervientes, *convivii* tempore, in ſola tunica fuerunt, ut expeditiores eſſent. Ammian. XXVI. 6. V. illum infr. in *Miniſtri.* Et in privatis *conviviis* tantum tunicati. Senec. de brev. vit. c. 12. *Cum videam quam diligenter exoletorum ſuorum tunicas ſuccingant.* Horat. Sat. II. 8. 70.

Præcincti ut recte pueri comptique miniſtrent.

Hinc etiam Chriſtus Dominus pedes Apoſtolorum ante *convivium* loturus poſuit pallium, quia, ut Nonnus interpretatur, ſervile opus facturus erat. Servorum enim erat ſine pallio, aut alia veſte exteriori, tunicatos & cinctos, vel etiam linteo ſuccinctos miniſtrare. Inde illa Suetonii in Caligulam c. 26. n. 2. indignatio, *quod Senatores ſummis honoribus functos, cœnanti modo ad pluteum, modo ad pedes ſtare ſuccinctos linteo paſſus eſt.* Quo ex loco apparet, non ſolum ſervos, ſed etiam ingenuos, qui ſervilia miniſteria erant obituri, ſervilem illum habitum aſſumpſiſſe. *Ferrar. de re veſt.* I. 3. 4. *Caſaub. Exerc. in Baron.* XVI. 11. 23. *Salmaſ. in Lamprid. Sev. Alex. c.* 67. Sumptus quis denarrabit? Denarrant illos prolixius *Meurſ. l. l. & Kobierzyck. de Lux. Roman.* II. 11. Sed illos non capit hæc charta. Sufficiat Juven. Sat. I. n. 138. dicens:

— *una comedunt patrimonia menſa.*

Sufficiat Senec. de Benef. I. 10. hunc impendiorum furorem carpens: *Nunc conviviorum vigebit furor, & fœdiſſimum patrimoniorum exitium culina.* Ante mappæ miſſionem magiſtratus ſuper fornices carcerum, eo loco unde ſpectabant, agitaſſe auguror. In hanc ſententiam cum Caſſiod. Var. VIII. 51. Cedrenus me veluti manu ducit p. 139. *Moris erat Conſulibus in theatris ipſis convivari. Sublatis epulis, mantile, quæ mappa dicitur, jaciebant: quam excipiens qui dicebatur mapparius, certamen adornabat.* Ut fuerit de epulo in carceribus, hoc ſcio, editores epulum domi viris principibus inſtruxiſſe. Imo publice & privatim *convivia* agitabantur per ludos. De publicis epulis in Sylla, Agrippa, Caligula, Nerone, Plutarchus, Appianus, Dio docent. De privatis Cicer. Verr. IV. 15. *Ludis circenſibus L. Siſenna vir primarius, cum eſſent triclinia ſtrata, argentumque expoſitum in ædibus, domus plena honeſtiſſimorum virorum.* Buleng. de Circ. c. 16. Mos fuit non inconcinnus Romanorum, qui inter luxuriæ apparatum, laſcivientium delicias *conviviorum*, genio liberius indulgentes, mortis commonefacere voluerunt. V. infr. in *Larva.* In luctu fugiebant. V. infr. in *Luctus.* Principis, Imperatoris, aut Regis interponi erat ingens honor. Sidon. Epiſt. I. 11. *Poſtridie juſſit Auguſtus, ut epulo ſuo intereſſemus.* Pacat. Paneg. Theod. p. 20. *Ille cohoneſtatus affatu, ille menſa beatus, ille oſculo conſecratus eſt.* Curt. VIII. 6. 5. *Præcipuus honos habebatur, quod licebat ſedentibus veſci cum Rege.* Unde *honor menſæ regalis* apud Ammian. XV. 5. *Facilitate aditus, honoreque menſæ regalis adeo antepoſitus aliis, ut jam ſecretius de rerum ſumma conſultaretur.* Et euchariſticon, ſive gratiarum actio Papinii ad Domitianum pro epuli, ad quod vocatus fuerat, honore Sylv. IV. 2. Et Cajo *apud ampliſſimum ordinem egit gratias, quod ſe honore cœnæ dignatus eſſet.* Pitiſc. in Suet. Cal. c. 39. n. 3. Et ideo illi magno conatu, & ingenti nonnunquam pretio, ut adhiberentur, a vocatoribus quidam redimebant. Suet. Cal. c. 39. n. 3. *Compererat provincialem locupletem ducenta HS numeraſſe vocatoribus, ut per fallaciam convivio interponeretur: nec tulerat moleſte tam magno æſtimari honorem cœnæ ſuæ.* Caſal. de Urb. ac Imper. Roman. ſplend. part. 2. c. 19. Buccina dimittebatur. Tacit. Annal. XV. 30. 1. *Convivium buccina dimitti.* Polyb. XIV. 3. *Eſt ea Romanis conſuetudo, ut tempore convivandi cuncti tibicines, ac buccinatores ad tentorium ducis perſonent.* Germanorum Principum mos neſcio an originem trahat iſtinc. Certe receptum dynaſtis etiam hodie, ut *convivium* ineant ad ſonum tubæ. Quod ipſum Alexandrum Macetam feciſſe obſervo ex Athen. XII. p. 538. E. *Ad tubarum ſonos & in illis tum nuptiis cœnatum eſt, & alias ſiquando libaret diis, ut in totius exercitus id conſpectu fieret.* Lipſ. in Tacit. n. 42.

Convivium æquale dicebatur, in quo *convivis* ſingulis portio æqualis daretur: δαὶς ἴση, διὰ τὴν ἐπιτηδευομένην ἐν τοῖς συμποσίοις ἰσομοιρίαν. Euſtath. Odyſſ. p. 55. & 1401. Ait Homer. Odyſſ. Θ 198.

Κεκορήμεθα δαιτὸς ἐΐσης.

Buleng. de Conviv. II. 2.

Convivium agricolæ, maxime collectis jam & reconditis frugibus, agitabant. Virg. Georg. I. 300.

Frigoribus parto agricolæ plerumque fruuntur,
Mutuaque inter ſe læti convivia curant.

Horat. Epiſt. II. 2. 139. V. illum infr. in *Feſcennini.* Ἀλωὰ hujuſmodi agricolarum feſtivitas dicta fuit, ut teſtis eſt Philochorus, quæ ſubvectis ex agro frugibus in honorem Cereris & Bacchi Athenis celebrabatur, ſic dicta, quod in areis, quæ Græce ἅλως dicuntur, præcipue moras traherent homines. *Stuck. Ant. Conviv.* I. 23.

Convivium artifices, & omnes denique illi; quorum vita manuum opere atque labore conſtat, vel ipſi inter ſeſe agitant, vel præbetur illis, ab iis, qui illorum operis uſi fuerunt. Apud Chriſtianos ſinguli fere artifices certos quoſdam habent divos atque divas, ceu vitæ artificiique ſui patronos atque tutores, ut pictores Lucam, fabri Eulogium, calcearii Criſpinum & Criſpinianum, ſartores Gutmannum, figuli Goarem, venatores Euſtathium, in quorum honorem dies illis ſacros comeſſationibus & compotationibus celebrare conſueverunt. Mos quoque eſt admodum laudabilis artificum nonnullorum, quo peregrinos ad ſe adventantes, & ὁμοτέχνους hoſpitio, *conviviiſque* liberalius excipere, humaniterque tractare ſolent. *Stuck. Ant. Conv.* I. 22.

Convivium conſulare dicebatur, quo conſul deſignatus ſenatores & populum excipiebat. *Stuck. Ant. Conv.* I. 20. Sed V. illud ſupr. in *Conſul.*

Convivium decurionale dicebatur idem quod ſenatorium. Qui enim Romæ ſenatores & Conſtantinopoli, hi in cæteris coloniis municipiiſque decuriones nominabantur, qui in cauſis civilibus judicabant. Meminerunt hujuſce *convivii* ſubinde Inſcriptiones vetuſtatum. Teſtamento etiam morientis in memoriam inſtituebantur, ut apud nos quæ fundatione fiunt. *Laz. Comm. Reip. Rom.* III. 3. *Stuck. Ant. Conviv.* I. 20.

Convivium funebre. V. illud infr. in *Epulæ funebres.*

Convivium Imperatorium dicebatur, quod Imperator Romanus, vel ubi primum a militibus, & ſenatu, populoque Romano Imperator appellabatur, vel etiam aliis certis & ſollennibus diebus conſulibus, ſenatoribus, univerſæque nonnunquam multitudini dare ſolebat. Capitol. Pertin. c. 6. *Ea die qua Auguſtus eſt appellatus* Pertinax. *& Flavia Titiana uxor ejus Auguſta, quaque patris patriæ nomen recepit: nec non ſimul etiam imperium proconſulare, etiam ad convivium magiſtratus & proceres ſenatus rogavit, quam conſuetudinem Commodus prætermiſerat.* Stuck. Ant. Conviv. I. 20. Buleng. de Imper. Roman. II. 33. Faber Semeſt. I. 6. V. & ſupr. in *Cœna.*

Convivium militare explicat Liv. XXIV. 16. *Signum deinde colligendi vaſa dedit, militeſque prædam portantes, agen-*

tesque per lasciviam ac jocum, ita ludibundi Beneventum rediere, ut ab epulis per celebrem festumque diem actis, non ex acie reverti viderentur. Beneventani omnes turba effusa cum obviam ad portam exissent, complecti milites, gratulari, in hospitium vocare. Apparata convivia omnibus in propatulo ædium fuerant, ad ea invitabantur, Gracchumque orabant, ut epulari militibus permitteret. Laz. Comm. Reip. Rom. III. 3. Plutarch. Probl. II. 10. vocat illud στρατιωτικὸν & παρεμβολικόν. Hujus Imperatores seu duces ipsos decebat summam curam suscipere atque gerere. Ac dabunt operam I. ut milites non singuli seorsim, sed in certas quasdam turmas atque cohortes divisi simul cibum potumque capiant, quæ quidem militum συσσιτία ad mutuam animorum conjunctionem plurimum faciunt. Huc facit Pescennii Imperatoris institutum, qui, teste Spartiano in ejus vita c. 10. *jussit, ne milites in zonis ad bellum aureos & argenteos nummos portarent, sed potius ut publice commanducarent.* Josephus quoque in historia belli Judaici de castrorum Romanorum forma ac dispositione verba faciens, testatur non fuisse in cujusvis potestate prandere atque cœnare seorsim, cum ipse vellet; sed simul & una prandendi & cœnandi certa fuisse & statuta tempora. Cœnæ autem illæ atque prandia in tentoriis per contubernia decore ordinateque apparabantur, cum singula sua certa haberent ministeria. II. ut illa *convivia* sint admodum liberalia atque copiosa, quibus nimirum militum vires multis bellicis laboribus atque vigiliis fractæ reficiantur. Quam sane ob causam Imperatores Romani, ac in primis C. Julius Cæsar, summam curam adhibuerunt, ne milites fame, & commeatus, reique cibariæ penuria premerentur. Alexander Severus, teste Lampridio in ejus vita c. 52. dicere est solitus, *militem non timere Imperatorem, nisi sit vestitus, calceatus, armatus, & satur, habens aliquid in zonula.* Addit rationem Lampridius: *idcirco quod mendicitas militaris ad omnem desperationem vocaret armatum.* III. ne *convivia* nimis sint delicata atque luxuriosa, quæ quidem ad illos emolliendum effeminandumque plurimum faciunt. Atque hanc quidem ob causam Homerica illa bellica *convivia* Plutarch. Probl. II. 10. ὑπολιμώδη & διψαλέα appellavit: credo, quod prisci illi heroes ac bellatores belli tempore moderato atque frugali victu uterentur, nec se ad saturitatem extremam usque immodico cibo potuque onerarent. *Stuck. Ant. Conviv.* I. 21. V. supr. in *Cibus castrensis.*

Convivium natalitium dabant viri principes. Julianus in Misopogone. *Natalitia quis epulo celebrans abunde præparat jentaculum, & prandium, mensa lauta excipiens amicos.* Buleng. de Conviv. I. 16. In illo lardum de more apponebatur. V. infr. in *Porcus.* Romanis hujusmodi publicum quoque fuerat, atque adeo post mortem etiam sic constitutum, ut reditu in hoc pecuniæ locato, multis annis maneret, memoriam ejus qui obierat retinens. Ad hoc alludit inscriptio vetustatis Spoleti in æde S. Pontiani reperta.

TRIB. MIL. LEG. XV. APOLLINARIS.
ET. LEG. V. MACEDONIC. HIC. LEGAVIT. TESTAMENTO. MUNICIPIBUS. HS. LXVI. C. MONET. UT. EX.
REDITU. EJUS. SUMMÆ. QUOTANNIS. VIII. IDUS NOVEMB. NATALE.
SUO. MUNICIPIBUS. EPULUM. ET.
CRUS. ET. MULSUM. DARETUR.

Adhuc manet, cum decurso anno dies natalis redierit, fere optimus quisque amicos cognatosque *convivio* excipere consuevit. *Laz. Comm. Reip. Rom.* III. 3.

Convivium navale quale fuerit, nondum scio. Ejus meminit Tacit. Annal. XV. 37. 1. *Ipse quo fidem acquireret, nihil usquam perinde lætum sibi, publicis locis struere convivia, totaque urbe quasi domo uti. Igitur in stagno Agrippæ fabricatus est ratem, cui superpositum convivium navium aliarum tractu moveretur.* Loquitur de Nerone. *Laz. Comm. Reip. Rom.* III. 3.

Convivium nuptiale. V. illud supr. in *Cœna nuptialis.*

Convivium prætorium dabatur in exercitu, vel limite, prætore sive præfecto prætorio designato. Atque id vocatur *munus septem solidorum*, de quo omnes ICti intellexere locum Cod. XII. l. 2. ubi *septem solidorum functionis* fit mentio, *& glebæ, & follis, & clavis:* nam illa ut sollennia recens electo dabantur. Instituebatur sumptu partim provincialium, partim legionum limitanearum. Alludunt inscriptiones monumentorum quorundam, quæ Romæ eruta sunt.

C. CESTIUS. L. F. POB.
EPULO PR. TR. PL.
VIIVIR EPULONUM.

Et.

PONTI. PF. CLAMELLÆ. HEREDIS.
ET. POB. EPULONIS C. CESTIUS. L.
F. POB. EPULO. PR. IONTIL. PONTIFICIS. P. F. PII FELICIS TR. PL.
VIIVIR EPULONUM.

Laz. Comm. Reip. Rom. III. 3.

Convivium propter viam, sive peregrinationis ergo instituebatur. V. illud infr. in *Propter viam.*

Convivium in provinciis, cum ad eas magistratus primum accederent, celebrari solitum: quo & magistratus a provincialibus accipiebantur, & ipsi provinciales accipiebant. Ad quod respexisse puto Cicer. Verr. V. 11. *Erant autem convivia non illo silentio prætorum, atque imperatorum, neque eo pudore, qui in magistratuum conviviis versari solet, sed cum maximo clamore, atque convicio.* De illo accipietur non inepte, quod de Julio Cæsare tradit Suet. c. 48. n. 1. *Convivatum assidue per provincias duobus tricliniis: uno, quo sagati, palliative, altero, quo togati cum illustrioribus provinciarum discumberent.* Hoc provincialibus remisit Cicero Ciliciæ proconsul apud Plutarch. p. 879. A. *Sublevavit provinciales cœnarum largitionibus. Ipse vero quotidie festivissimos quosque conviviis excipiebat.* Faber Semest. I. 6. Pitisc. in Suetonium.

Convivium puerperiale & olim in usu erat, veluti nunc quoque manet: tenet enim mos cum alibi, tum in Austria potissimum, ut puerperæ duabus aut tribus septimanis a partu elapsis, convocatis amicis ac cognatis mulieribus epulum exhibeant. Meminit Capitol. Albin. c. 5. *Quum rarum esset aquilas in his locis videri, in quibus natus est Albinus, septima ejus diei hora convivio, quod celebritati pueri deputabatur, quum ei fierent nomina, septem aquilæ parvulæ de nido allatæ sunt.* Laz. Comm. Reip. Rom. III. 9.

Convivium senatorium describit Vopiscus Aurelian. c. 12. *Convivium publicum edi jubebis senatoribus, equitibus Romanis.* Manet hujus apud nos Viennenses umbra quædam. Solent enim in festo Petri & Paulli, cum naumachia hic editur in Danubio, simul epulari senatores & consul. *Laz. Comm. Reip. Rom.* III. 3.

Convivium servile servis a dominis adornari olim consueverat. Exempla aliquot ponuntur ab Athen. IV. Apud Romanos Saturnaliorum diebus moris fuit, ut domini famulos suos *convivio* exciperent, ipsique servorum officio fungerentur. Hanc consuetudinem Græcam fuisse, exemplis quibusdam probat. Nam in Creta, festo Mercurialium, *convivantibus* servis domini ministrant. Idem mos fuit apud Trezoenios, apud quos mense Geræstione per aliquot dies multæ festivitates celebrantur, quorum in uno servi cum civibus astragalis ludebant, & servis domini *convivium* præbebant. *Stuck. Ant. Conviv.* I. 22.

Convivium sordidum describit Cicer. in Pison. c. 27. *Toreuma nullum,* in convivio Pisonis, *maximi calices,* quod non fuit hominis elegantis, & frugi, *exstructa mensa non conchyliis, aut piscibus, sed multa carne subrancida. Servi sordidati ministrant, nonnulli etiam senes, idem coquus, idem atriensis, pistor domi nullus, nulla cella, panis & vinum a propola, & de cupa. Græci stipati quasi in lectulis. Ubi galli cantum audivit, avum suum revixisse putat, mensam tolli jubet.* Theophr. de Charact. c. XI. *Pusillanimis paullum aliquid pro primitiis convivarum dicat Dianæ. Illiberalis amico symbolam colligente ad prandium subodoratus ex via deflectens domum abit.* Buleng. de Conviv. I. 13.

Con-

Convivium sponsalitium ex more Romanorum adhibebatur sponsalibus, cum stipulatio futurarum nuptiarum contraheretur. Cicer. Fratr. II. 6. *Ad* VIII *Iduum Aprilis sponsalia Crassipedi præbui. Huic convivio Quintus tuus defuit.* Plin. IX. 35. *Lolliam Paullinam, quæ fuit Caji principis matrona, ne serio quidem ac sollenni ceremoniarum aliquo apparatu, sed mediocrium etiam sponsalium cœna, vidi smaragdis margaritisque opertam.* Græci similiter habuerunt sua προγάμεια, qua voce cum dona, quæ ante nuptias dabantur, tum sacrificia, atque *convivia*, quæ ante nuptias celebrabantur, significantur, quæ etiam προτέλεια, id est, *initiatio*, dicebantur, teste Polluc. III. 3.4. *Stuck. Ant. Conviv.* I. 24.

Convivium tempestivum in antiquis scriptoribus dici sæpe legimus. Cicer. Verr. III. 25. *Statuitur Lollius in illo tempestivo gladiatorum convivio.* Senect. c. 14. *Ego propter sermonis delectationem conviviis tempestivis delector.* Apulej. Apol. p. 482. *Nuptiane illæ fuerunt, an aliud celebratum officium, an convivium tempestivum?* Sed & intempestivum dicitur ei contrarium. Cicer. pro Mur. c. 6. *Neque in convivio moderato atque honesto: intempestivi convivii, amœni loci, multarum deliciarum comes est extrema saltatio.* Ego tempestivum puto esse, quod non fit de die (nam id turpe, & nequam, & intempestivum habebatur, de die *convivia* agitare) neque in multam noctem producitur: sed quod tempori fit. V. Varronem apud Gell. XIII. 11. supr. in *Convivium.* Ad tempestivum quoque fortasse pertinuerit diebus potius certis, quam aliis *convivas* vocare, ut diebus potius festis, quam profestis, & quibusdam profestis potius, quam aliis, ut nefastis. *Turneb. Adv.* VI. 16. Inducunt & seducunt, qui hæc scribunt. Tempestive epulari dicebantur, & præmature, & *convivia* eorum tempestiva, qui *convivii* præveniebant horam, quæ legitima apud Romanos priscos erat sol occasus: labente vero imperio, moribusque nona. V. supr. in *Balneum.* Qui in longum trahebant, inque noctem intempestam, jure eorum epulæ intempestivæ. Diurnum ergo *convivium*, intellige a meridie, aut circiter, tempestivum, quia initum nimis tempori: nocturnum contra, intempestivum. *Lips. Tacit. Annal.* XIV. *Excurs. A.* Quæ licet viri eruditi sic distinxerint, ego tamen nunc doceo, intempestiva *convivia* nulla extare in veterum libris, nisi vitio librariorum. Ubicunque enim mentio fit intempestivorum, eam intempestive fieri putandum est, & tempestiva reponi debere. Quid enim? an non tempestiva *convivia*, ut temporius iniri, sic & serius finiri de more fuit? adeo quidem, ut etiam in multam noctem protraherentur, & usque ad galli cantum. Ita mos enim in istis festorum hominum dierumque epulis, & temporius discumbendi, & nonnisi multa jam nocte de *convivio* surgendi: & inde illis nomen a tempestiva commissione. Liv. XXV. 23. *Inde ubi id temporis visum, quo de die epularis vini satias principiumque somni esset.* quod multum provectæ fuisse noctis colligi potest, quia, ut sequitur c. 24. *magna pars in turribus epulati, aut sopiti vino erant, aut semigraves potabant.* Sil. Ital. XI. 41.

— medioque dierum
Regales epulæ, atque ortu convivia solis
Deprensa.

Vides, de die eos epulatos, oriente sole in eodem statu bonos propugnatores deprehensos. Cicer. in Pisonem supr. in *Convivium sordidum.* Si *convivium* tempestivum de diurno tantum deberet intelligi, idem & tempestivum, quod temporius iniretur, & intempestivum, quod in noctis intempestæ tempus protraheretur, simul recte diceretur. Nec dubium est, quin si ita acceperimus, tempestivum & intempestivum idem sit: nam ex his, quæ diximus, satis constat, diei noctem conjunxisse veteres in illis suis tempestivis epulis: sed tempestivum *convivium* dicendo, satis intelligitur intemperantes epulas eo nomine significari: *intemperantissimæ perpotationes* dicuntur a Cicer. in Pison. c. 10. utrumque igitur & intemperantia & intempestiva etiam fuere illa tempestiva *convivia*, sed intempestiva nunquam dicta. Inepte quoque & improprie & plane intempestive *conviviis* hæc vox applicatur, quantumvis nocturnis, & intempesta nocte agitari solitis. Intempestive fieri, & intempestivum esse id dicitur quod importunum est & molestum. Intempestiva *convivia* quomodo interpretaberis? an molesta & importuna? quibus? non opinor *convivis*, qui illa agitant. Utrum quod intempesta nocte celebrantur, & non sua hora fiant? quare non potius ea sic appellata sunt, quæ medio die celebrantur? non enim hæc erat hora solita *conviviis.* Intempestivum autem omne id dici puto, quod non suo tempore agatur, sive citius, sive serius id aggrediaris, sive noctu, sive interdiu. *Salmas. in Vopisc. Florian. c.* 6. & ejus emendationem laudant *Gronov. in Quintil. Declam.* 20. *Græv. Thes. Antiq. Roman. Tom.* XII. *Præfat.* * 4. *& in Suet. Calig. c.* 45. *n.* 6. *Cellar. in Curt.* VI. 2. 2. Contra putarim commode dici potuisse intempestiva, quæ de nocte fierent; quemadmodum tempestiva, quia de die, & ad noctem usque non ultra producerentur, quæ non suo tempore fierent. Deinde durum est interpolare veteres auctores; qui intempestiva *convivia* commemorant. Certe tempestiva dici non potuerunt, quæ post decimam horam, aut undecimam inciperent, & totam noctem ad initium sequentis diei extraherentur. Tardius enim, quam oportuit, non temporius inita erant. Si tempestivum est, quod fit ante legitimum tempus, quod fit post tempus legitimum, intempestivum est. Non nescio *convivia* tempestiva sæpius occurrere apud veteres auctores, rarenter intempestiva. Eo tamen hæc significatu, quem posui, Latine dici posse non dubito. *Buleng. de Conviv.* I. 24. *Ouzel. ad Gell.* XIII. 11. Et mihi nemo persuaserit, omnia scriptorum, qui intempestivorum meminerunt, loca esse corrupta. Sed quod ait Salmasius, etiam tempestiva in multam noctem producta: unde idem tempestivum dici posset, quia temporius initum: & intempestivum, quod in noctem intempestam extractum. Quod ut aliquando fieri potuisse scimus, ita semper factum negamus: & si factum fuerit, non ita absurdum videtur, potuisse idem *convivium*, propter diversam causam, tempestivum, & intempestivum dici. Cum tempestiva ob lætitiam, ac festi diei licentiam concessa, vel excusata, nec severo illi Catoni damnata, imo libenter frequentata: intempestiva damnata semper, & proscissa. Parum quoque tempestive ait, inepte, improprie, & intempestive eam vocem *conviviis* applicari, quantumvis nocturnis, & intempesta nocte agi solitis: quia intempestive fieri, & intempestivum id esse dicitur, quod importunum est, & molestum: quomodo autem *convivia* potuerunt esse molesta? Proprie enim intempestivum quod nimium. Unde *intempestivos imbres* appellat Lucret. II. 871.

— putrorem cum tibi nacta est
Intempestivis ex imbribus humida tellus.

n. 927.

— vermesque effervere, terram
Intempestivos cum putror cepit ob imbres.

Et *intempestivas pluvias* VI. 1099.

— ubi putrorem humida nacta est,
Intempestivis pluviis, & solibus icta.

Ita Gifanius in Collectaneis *intempestiva convivia* dici ait apud Ciceronem & alios, quasi non suis, & consuetis horis. Quoniam autem quod nimium, utique molestum est, intempestivum pro eo accipi cœpit. Ergo tempestivum, quod maturius, sive temporius: intempestivum, quod extra, sive ultra tempus usurpatum: illud aliquando concessum. Quæ autem essent *intempestiva convivia*, de Alexandri luxu tum primum erumpente, indicat Curt. VI. 2. 2. *Intempestiva convivia, & perpotandi, pervigilandique insana dulcedo. Pervigilandi*, epulas in noctem extrahendi. n. 5. *Cum intempestivis conviviis dies pariter, noctesque consumeret*, vigiles noctes dapibus, & poculis extenderet. De Vitellio Xiphil. LXV. p. 734. D. *Plurimum diei, & noctis epulis consumebat.* Et Juven. Sat. IV. 136.

—— noverat ille
Luxuriam imperii veterem, noctesque Neronis
Jam medias, aliamque famem.

Quod Suet. Ner. c. 27. n. 1. *Epulas a medio die ad mediam noctem protrahebat.* Tempestivi meminit Curt. VIII. 2. 22. *Jamque iter parare in posterum jussus, sollenni, & tempestivo adhibetur convivio.* Tempestivum, quia sollenne, & sollennitatis causa ante captum, quod nequaquam ex usu recepto reprehensioni obnoxium. Apul. Apol. p. 482. *Nuptiæne illæ fuerunt, an aliud celebratum officium, an convivium tempestivum.* Ita severus ille censor apud Cicer. de Senect. supr. laudatum: quod cum tribus, quatuorve horis prævenirentur, longius fabulandi spatium præbebatur, & varios sermones conserendi. *Neque enim* dixerat c. 13. *ipsorum conviviorum delectationem voluptatibus corporis magis, quam cœtu amicorum, & sermonibus metiebar.* Sic Cicer. Attic. IX. 1. *Audio bonis viris hanc cunctationem nostram non probari: multaque, & severa in me, in conviviis quidem tempestivis, disputari.* Quibus largior loquendi copia, & spatium. Hæc licet aliquando permissa, tetricis tamen patruis damnata. Senec. de Ira II. 28. *Inde est, quod tempestiva filii convivia pater deterior filio castigat.* Tempestiva Græcis ἐνωρότερα dicta docet Casaub. in Athen. IV. 9. quod significat μᾶλλον ἐν ὥρᾳ, quod idiotismo nostro bona hora, Latine mature, ut auctor de bell. Hispan. c. 33. *Ipse de tempore cœnavit.* Plaut. Capt. II. 1. 88. *tempori.* Unde *temporius* eodem sensu. *Ferrar. Elect.* II. 23. V. etiam, si lubet, *Manut. Quæst. Epist.* I. 5.

CONUS est curvatura, quæ prominet in summitate galeæ, super quam cristæ sunt, hoc est, omnis ille ornatus, qui galeam reddit admirabilem, ut loquitur Etymologicum, τὸ περίσσευον τῆς περικεφαλαίας ἀνάστημα χάριν κόσμου καὶ καταπλήξεως. Serv. Æneid. XII. 492. *Galea, id est, eminentia, quam Græci conum vocant, in qua eminent cristæ.* Interdum duplici, quandoque triplici, & quadruplici crista insignis erat. Hinc illa apud Poetas aliosque epitheta galeæ data, ἀμφίφαλος, & τρικόρυθος κυνέη: tum τετραφάληρος, τετράφαλος, τετράπηλος. *Paschal. de Coron.* X. 19. *Voss. Lex. Etymol. Salmas. Exerc. Plinian.* p. 385. E.

COP.

COPA est mulier, quæ *cauponam* exercet, καπηλίς. Virg. Copæ n. 1. V. illum infr. in *Crotalum.* Suet. Ner. c. 27. n. 4. *Matronarum institorio copas imitantium.* Veteres enim, ut cludam, claudam: sic *sic copam, caupam* & *cupam* dicebant. Cicer. in Pison. c. 27. *Vinum de cupa. Cupa* illi est καπηλίς. *Scalig. Conj. in Varr. p.* 61. *Catal. p.* 354. *Turneb. Adv.* XXIV. 6. *Lampe de Cymbal. Vet.* II. 23. *Tomas. de Tesser. hospit. c.* 29.

COPHINUS est vas vimineum. Gloss. κόφινος, *corbis, corbula, qualus.* Juven. III. 14. V. illum infr. in *Lucus.* Sidon. Epist. VII. 6. *Ordinis res est, ut Pharao incedat cum diademate, Israelita cum cophino.* Veget. II. 20. *Hæc ratio apud signiferos in cophino servabatur.* Et terra exportabatur. Veget. II. 25. *Item ad fossarum opera facienda bidentes. . . . cophinos, quibus portetur terra.* Stuck. Ant. Conv. II. 15. Savar. in Sidonium. *Cophinos* partim argenteos, partim aureos in Dionysii templo vinitores suspendebant. Philostr. Vit. Apollon. II. 4. *Tomas. de Donar. c.* 27.

COPIÆ militares nihil aliud sunt, quam perpetuus miles, qui ad tutelam imperii, ex instituto Augusti, fuit. Fuerunt triplices; classicæ, provinciales, urbanæ: illæ maximæ, alteræ satis validæ, & tertiæ utiles, atque opportunæ. Omnia hæc ab Augusto; qui sapienter pleraque in novo imperio aut instituit, aut restituit, ut res visæ postulare. Hoc autem inter nova: & in laudibus Augusti jam mortui ponit Tacit. Annal. I. 9. 5. *Legiones, provincias, classes, cuncta inter se connexa.* Narrat & Suet. Aug. c. 49. n. 1. *Ex militaribus copiis legiones & auxilia provinciatim distributa.* Sed bene Tacitus, *cuncta connexa:* nam ita ordo & dispositio fuit, ut limitanea loca militem haberent, interiora vix haberent: & essent, ut in magna urbe, circa mœnia dispositi, & vallum. Cohærebant autem provinciæ; ideoque & legiones, per cohortes suas, & alas sparsæ, & inter se vicinæ. *Lips. de Magnit. Rom.* I. 4. *Thys. de Magnit. Rom.* I. *p.* 243.

Copiæ classicæ Romam maritimo, sive fluviatili etiam milite muniebant. Nam cum mare medium per totum illud imperium iret, cum etiam flumina magna clauderent, vel ambirent; utile censuerunt, classes perpetuas in utravis parte esse, quæ & piratas cohiberent, & hostes excluderent; & suis etiam transitum, aut transvectionem, cum opus esset, statim darent. Fuerunt classes in ipso mari quatuor; in fluminibus tres. Maritimæ primæ duæ majores se offerunt, Misenensis & Ravennas. Duæ minores, Gallica & Pontica. Fluviatilis prima fuit in Rheno, altera in Danubio, tertia in Euphrate. V. singulas suis locis supr. in *Classis.* In omnibus classibus haud minus centum millibus militum remigumque. *Lisp. de Magnit. Rom.* I. 4. *Thys. de Magnit. Rom.* I. *p.* 243.

Copiæ provinciales. Miles enim ad limites positus, ubi minimo oneri subditis, maximo usui in hostes esset. Sub Augusto & Tiberio viginti quinque legiones fuerunt ex Dion. LV. p. 564. A. & Tacit. Annal. IV. 5. postea auctæ, & sub Trajano atque Hadriano fuerunt triginta, aut etiam supra. Columella, in qua legionum nomina, tum & alia quædam hoc evincunt. Hæ Augusti & Tiberii ævo sic dispositæ. In Hispania tres, in Gallia ad Rhenum octo, in Africa duæ, in Ægypto duæ, in Syria ad Euphratem quatuor, in Mæsia ad Danubium duæ, in Dalmatia duæ. Sed mutabant interdum, quod notat Tacitus, & ob causas huc atque illuc ibant, aut sedebant. Quædam autem & in oppidis erant, etsi pleræque in castris: sed in oppidis dico, quæ valida, aut magna, & ideo motui, aut rebellioni opportuna. Talis Alexandria in Ægypto: de qua Strab. XVII. p. 548. *Sunt tres in Ægypto legiones: quarum una in urbe collocata est, alia per regionem. Præter has, sunt & novem cohortes Romanorum, tres in urbe item, tres in Æthiopiæ finibus ad Syenen, præsidium locis; tres in aliis partibus.* Sed præter legiones ipsas fuerunt etiam *cohortes sociæ, aliæque*, numero satis grandi. Observo hoc e primis illis Strabonis. Enimvero *novem illæ cohortes* (sociales fuisse dico, etsi ille Romanas appellat: sed hoc ideo, quia militabant sub Romanis signis) pæne legiones tres æquarunt, nec minores eas millenariis fuisse opinamur. Id quoque dixit Tacit. Annal. IV. 5. 6. *Apud idonea provinciarum, socias triremes, & alas, auxiliaque cohortium, nec multo secus in iis virium fuisse: sed persequi,* inquit, *incertum fuit, cum ex usu temporis huc illuc mearent, gliscerent numero, & aliquando minuerentur.* Ecce disertim, *haud secus*, id est, non minus *in iis virium fuisse*, quam in legionibus ipsis. Sed hæc ita sub Augusto: creverunt tamen, & primum Claudius Britannia domita, legiones in ea tres locavit, manseruntque. Tum Vespasianus duas etiam in Cappadocia; & Trajanus deinde in Dacia duas. *Lips. de Magnit. Rom.* I. 4. & *Anal. ad Milit. Rom. p.* 265. *Thys. de Magn. Rom.* I. *p.* 241.

Copiæ urbanæ, quæ sedem Romæ, & in ipsa domina urbe habuerunt, fine duplici, ut Principem in ea tuerentur, & ut ipsam urbem. Principis custodiæ triplex miles fuit: Prætoriani, Evocati, Batavi. V. singulos suis locis. Alter nunc miles in Urbe, & pro Urbe, duplex est: urbanæ, & vigilum cohortes. De prioribus Tacit. Annal. IV. 5. 5. *Quanquam insideret urbem proprius miles, tres urbanæ cohortes.* Et mox ostendit eam quoque lectam, & nonnisi Italam manum fuisse. Sed tres ipse dicit, quatuor Dio LV. p. 565. A. *Urbis custodes sex millia, & in quatuor partes divisi.* Miror dissensum, nec concilio. Si tamen numerus tantus, vides grandes istas cohortes fuisse, atque etiam supra prætorianas. Nam singulæ fuerunt mille quingentorum militum. Harum officium præcipuum tueri urbem, id est, motus, aut turbas plebis coercere; noctu circum templa, fora, basilicas excubare; stationes agere contra grassatores, aut sicarios; itemque præfecto

Urbis

Urbis apparere, quia caput iis erat: hoc de Flavio Sabino, qui tunc in eo munere, scribit Tacit. Hist. III. 64. a. *Esse illi proprium militem cohortium urbanarum.* Itaque extra Urbem interdum puto dispositos, cum ejus jurisdictio ad centesimum lapidem porrigeretur. Cohortes vigilum V. supr. in *Cohors.* Lips. de Magn. Rom. I. 5. Thys. de Magn. Rom. I. p. 141.

Copiæ est etiam verbum castrense, & notat commeatum, annonam & alimenta exercitui præbenda. Val. Max. V. I. *Censuitque ut domus ei Romæ quam optima conduceretur, & copiæ non solum ipsi, sed etiam comitibus ejus publice præberentur.* Cassiod. Var. VI. 18. *Is certe debet esse gloriosus, qui ad copiam populi Romani proba'ur electus.* Unde & in veteri inscriptione mentio fit præfecturæ cujusdam *A copiis militaribus.* Ouzel. in Gell. XVII. 2. Brosf. in Cassiodorum. Panciroll. de Magistr. Munic. c. 11.

COPIARIUS a Latinis vocatur, ut tradit Porphyrius, qui victum, salem & ligna iis præstabat, qui Reipublicæ causa peregre ibant. *Stuck. Antiq. Conviv.* I. 27. *Turneb. Adv.* XII. 5.

COPIDES erant *gladii leviter curvati falcibus similes.* Curt. VIII. 14. 29. qui *falces* dicuntur Curt. IX. 2. 19. *Vasta corpora securibus falcibusque mutilata sunt.* De illis Leunclav. in Pandect. Turc. c. 172. *Arabibus Seife, Kilitsch Turcis dicitur is gladius, quem nos acinacem red[illegible]imus. Leviter est incurvus, & qui non pungit, sed [illegible], apud Xenophontem, Græcosque cæteros [illegible] nomen copidis invenit.* Machæram interpretatur Suidas: Κοπὶς ἢ μάχαιρα. Et Plutarchus. Quam enim βαρβαρικὴν κοπίδα vocat Alex. p. 637. A. βαρβαρικὴν μάχαιραν vocat de Fort. Alex. I. p. 327. Distinguit tamen ab illa Xenoph. Κυροπαιδ. I. p. 7. A. Ἐν τῇ δεξιᾷ μάχαιραν ἢ κοπίδα. Illis armat Persas Plutarch. Arist. p. 330. A. Gallos Plutarch. Camill. p. 142. E. Venatores Apul. Metam. XI. p. 368. *Brisson. de regn. Pers.* III. p. 288. *Lips. Anal. Milit. Rom.* III. *dial.* 3. *Rhodig. Ant. Lect.* VIII. 3. *Bochart. Hieroz.* II. 5. 15. *Xyland. & Cruser. in Plutarch. Camillum. Beroal. & Colv. in Apulejum. Buleng. de venat. circ.* c. 28. *Puteanus in Curtium. Kipping. Antiq. Roman.* III. 2. §. I.

COPONIA gens. V. illam infr. in *Gens.*

COPPATIÆ dicebantur equi, qui *cappa* inustum armo, vel femori gerebant, hoc est Ρῶ conversum, vel figuram Latini *q.* Hesychius: *Coppatias, equus inustus cusum habens signum coppam, quod est Ρῶ inversum.* Hoc modo apud vetustissimos Græcos pingebantur *q.* quæ forma est Latini *q.* recentiores Græci paullo aliter eam pinxerunt non clausam ad hunc modum *G.* Et sane ex *coppa* Græcorum & formam, & nomen literæ suæ *q* Latini sumpserunt, eumque ordinem in alphabeto eorum obtinuit, quem *coppa* apud Græcos. *Salmas. Exercit. Plinian.* p. 627. *a. A. E. Scalig. in Euseb.* p. 108. *Pinell. Addit. ad Ar[illegible] in Panvin. de Lud. Circ.* I. 12. *Buleng. de Equis* c. 9. *Kipping. Antiq. Lect.* VII 31. *Bochart. Hieroz.* I. 2. 8. *Hepping. de Jur. insign.* p. 717. *Pier. Hierogl.* XLII. 52. *Nicol. de Sigl. vet.* c. 49. §. 3. 4. 5.

COPTA erat panis durissimus, qui difficulter incidebatur. Mart. XIV. 68.

> *Peccantis famuli pugno ne percute dentes:*
> *Clara Rhodos coptam, quam tibi misit, edat.*

Calder. in Martialem. Videtur potius fuisse genus panificii, cui quædam ut tunderentur, ut ipsum vocabulum fatetur, miscerentur, ut nuclei pinei, amygdalæ, atque alia. Omnino durissima adferebatur Rhodo, ut e Martialis joco intelligimus. Ejus confectionem tradit Alex. Trallian. VII. 2. *Sumant amygdalas, aut nuculas, aut passulas, aut nucleos pineos, aut coptas, quæ ex his omnibus fiunt.* Oribasius etiam libro medicaminum purgans facit e simila, nucleis pineis, dacrydio, pipere, melle despumato: & alterum e simila, scammonia, nucleis pineis, pipere, melle. *Turneb. Adv.* X. 10. *Voss. Lex. Etymol. Rader. in Martialem. Buleng. de Conviv.* II. 54.

COPULA nonnullis est catena, qua canes tenentur & ligantur; sed meo judicio proprie est is funiculus, quo venatores in ducendis ad venationem canibus utuntur. Ovid. Met. VII. 769.

> *Copula detrahitur canibus.*

Trist. V. 9. 27.

> *Utque canem pavidæ nactum vestigia cervæ*
> *Luctantem frustra copula dura tenet.*

Sagittar. de jan. vet. c. 21. §. 3. Barth. Adv. VIII. 14. Bos. Ind. Nepotian. Transferebatur tamen ad alias feras. Nep. XIV. 3. 2. *Dextra manu clavam, sinistra copulam, qua vinctum ante se Thyum agebat, ut si feram bestiam captam duceret.* Apul. Metam. IX. p. 280. *Muli pectora copulæ sparteæ tritura continua exulcerati.* Barth. & Bos. l. l.

COR.

COR palpitans augures dicunt bonum omnibus portendere, secundum alios hilaritatem, vel amici insidias, servo tamen libertatem, virgini pigritiam, viduæ ac militi bonam locutionem, mercatori negotiationem. *Niphus de Augur.* I. 9. *Non semper in parte extorum habitum est. L. Postumio Albino Rege sacrorum post centesimam vicesimam tertiam Olympiadem, cum Rex Pyrrhus ex Italia discessisset, in extis aruspices inspicere cœperunt.* Plin. XI. 37. Brisson. de Formul. I. 20. *Si in extis non fuisset, pestiferum auspicium dicebant esse.* Paullus. *Cæsari tamen Dictatori, qui [illegible] primum veste purpurea processit, atque in sella aurea sedit, sacrificanti bis in extis defuit. Unde quæstio magna de [illegible] ne [illegible], [illegible] ullo viscere [illegible], [illegible] amiserit.* Cicer. de Divin. II. 16. Plin. XI. 37. Suet. Jul. c. 77. n. 2. Val. Max. I. 6. 13. Plutarch. in Cæsar. p. 737. Etiam Pertinace eadem die, qua interfectus est, *immolante negatur in hostia cor repertum* apud Capitol. c. 11. *Brisson. ibid.* p. 22. *Saulcet. de Sacrif.* c. 20. *Kipping. Antiq. Roman.* I. 12. §. 11. *P[illegible] in Suetonium.* Animæ sedes prudentiam significat: unde [illegible] homines prudentes dicuntur. *Panc[illegible]* c. 90. An non uratur iis, qui cardiaco morbo obierunt, vel veneno sublati sunt, non ita certum. [illegible] *Negatur cremari posse in iis, qui cardiaco morbo perierint: negatur & veneno intere[illegible]ptis. Certe exstat oratio Vitellii, qua reum Pisonem ejus sceleris coarguit, hoc usus argumento, palamque testatus, non potuisse ob venenum cor Germanici Cæsaris cremari. Contra genere morbi defensus est Piso.* Suet. Cal. c. I. n. 4. *Obiit [illegible] veneni suspicione. Nam præter livores, qui toto corpore [illegible], quæ per os fluebant, cremati quoque [illegible] inter [illegible] repertum est [illegible] natura existimatur, ut tinctum veneno [illegible] confici nequeat.* Guther. de Jur. Man. I. 25.

CORACINUS, qui corvus dicitur Auson. Epist. IV. 60.

> *Nec duraturi post trina bihoria corvi.*

Alexandriæ inter cibos est princeps. Mart. XIII. 85.

> *Princeps Niliacis raperis coracine macellis,*
> *Pellææ prior est gloria nulla gulæ.*

In Græcia vilis est. Amphis.

> *Quicunque coracinum vorat marinum,*
> *Glauco præsente, non habet cerebrum.*

Buleng. de Conviv. II. 28. Nonn. de re cibar. III. 42. Rader. in Martialem.

CORBES illæ, ad sistendas naves lapidibus refertæ, quarum mentio fit a Josepho & Eunapio, cujus posterioris verba habet Suidas, voce Ζεῦγμα, pertinent ad genus ancorarum. Describit Arrian. Exped. Alex. *Crates,* inquit, *vimineas in pyramidum modum contextas, & selectis ad id saxis oppletas ad proras singularum navium demittunt.* Scheffer. de milit. nav. II. 5. Illis naves firmabant & ligabant, quia facile e viminibus struere, & ad usum hunc aptare poterant. Ancoræ fuissent circumferendæ & vehendæ. Quid, quod solo aliquo istæ non mordent, aut adhærent, *corbes* in omni boni utilesque sunt? Potuit &

hæc cauſa eſſet: ac ſane firmiter hæ tenebant ac ligabant, pyramidali ea forma ſic demiſſæ. Ideo enim tali, ut aquæ impetus minus pelleret, & ab acumine illo ſenſim & facile laberetur. Cui rei puto & moneo, minuentem, tenuemque partem illam contra aquam ſurſum! injectam; craſſam, & grandiorem deorſum, fune inibi alligato. *Lipſ. Poliorc.* II. 5.

Corbes in navibus quod Latini vocant, Græcis eſt θωράκιον. Euſtathius: *In ſummitate mali eſt carcheſium, cui ſuprapoſitum, quod thoracion dicitur, & eſt quadratum.* Θωράκιον diſtinctum quid a carcheſio, & figura quadrata, inſtar turriculæ, cum propugnaculis, unde & θωράκιον, quod Suidas τεῖχος exponit. Stabantque in eo milites, pugnantes in hoſtes ſaxis ac lapidibus, ut apud Athen. v. in deſcriptione navis Hieronis videre eſt. *Scheffer. de milit. nav. Addend. p.* 330.

per *Corbes* menſuram facere facete & jlocalariter pro effundere dicebant veteres. Ulpian. l. 1. §. ult. ff. de peric. & comm. rei vend. *Si doliare vinum emeris, nec tradendo eo quicquam convenerit, id videri actum, ut evacuarentur, quam ad vindemiam opera eorum futura ſit neceſſaria, quod ſi non ſint evacuata: faciendum, quod veteres putaverunt per corbem venditorem menſuram facere, & effundere. Veteres enim hoc propter menſuram ſuaſerunt: ſi quanta menſura eſſet, non appareat: videlicet, ut appareat, quantum emptori perierit.* Quod facete a veteribus dictum videtur, ac ſi per cribrum dixiſſent: ut ſic quod ex dolio diffunditur, quaſi in vas aliquod effluat ſtatim & effundatur. Vix eſt enim, ut *corbis* vinum contineat: cum juxta Varr. de Re Ruſt. I. 22. fiat ex viminibus, colligendis liquidis inepta: & proprie cogendis fructibus comparata ſit l. in inſtrum. 8. ff. de fundo inſtructo. Ac ut maxime ita poſſit conſerte contexteque fieri: tamen menſuræ genus eſſe negat Cujac. Obſerv. II. 36. *Salmuth in Panciroll. de Reb. deperd. & inv. p.* 142. *Corbem* portabant ſecum Romani pedites. V. infr. in *Miles.*

CORBITÆ *dicuntur naves onerariæ.* Feſtus. Plaut. Pœn. III. 1. 4.

> *Tardiores quam corbitæ ſunt in tranquillo mari.*

Cicero quam ante *corbitam* vocavit, ſtatim poſt onerariam appellat Attic. XVI. 6. *Corbitane Patras, an actuariolis ad Leucopetram Tarentinorum, aſt inde Corcyram: &, ſi oneraria, ſtatimne freto, an Syracuſis.* Ab Hippio Tyrio inventas tradunt *Gyrald. de Navig. c.* 18. *Bayſ. de re nav. Theſ. Ant. Græc. Gronov. Tom.* XI. *p.* 600. *A. Dolet. de re nav. ibid. p.* 675. *F. Scheffer. de milit. nav.* III. 1. *Turneb. Adv.* I. 16. *Voſſ. Lex. Etymol. Dacer. in Feſt. in corbitæ. Auctor miſc. def. pro Salmaſ. ad jus Attic. & Rom. p.* 652. *Demſter. Paralip. ad Roſin. Antiq. Roman.* V. 26. *Oizel in Gell.* X. 25. Grandes & prægraves ſunt, & non facile ventorum impetu provehuntur. De illis exſtat ridiculum Lucillii carmen Sat. XV. apud Nonium XIII. 2.

> *Multa homines portenta in Homero verſificata*
> *Monſtra ferunt: quorum in primis Polyphemus ducentos*
> *Altus pedes: & porro huic multo majus bacillum,*
> *Quam malus navis in corbita maximus ulla.*

Calcagn. de re naut. c. 12.

CORBITORES dicuntur ſpeculatores, quoniam, ut Feſtus, in *corbe* mali ſpeculabantur. In lege Rhod. §. 36. βιγλίων φρουροὶ appellantur. *Scheffer. de milit. nav.* II. 3. Et ad *corbes* inſignia navium per fines repebant, ut vela legerent, vel expanderent. De illis Ammian. XIV. 2. *Nauticos obſervabant, quos cum in ſomnum ſentirent effuſos, per ancoralia quadrupedo gradu repentes, ſeſeque ſuſpenſis paſſibus injectantes in ſcaphas.* Ab his apud Feſtum n. ſeq. *corbitores* dictos puto. *Savar. in Sidon. carm.* 23. *n.* 301.

Corbitores ſunt etiam ſaltatores vel cernuatores in funere ſimpludiario. Feſtus. V. illum infr. in *Funus.* Illos Feſtus vocat *corbitores*, more ſcribendi antiquitus imperitis librariis uſitato, qui *b* cum *v* & contra commutabant. *Corvitores* enim, ſine dubio dicendum erat: qui enim geſtus cernuantium, ut modo ſurſum, modo deorſum ſpectent, is & corvorum eſt, & cornicum, & monedularum, quæ ubi pedibus aliquem locum inſiſtunt, modo ἀνανεύουσι, modo ἐπινεύουσι. Hinc elegantiſſime de mulieribus cibo ſe ingurgitantibus ad menſam dixit Plaut. Caſ. IV. 1. 20.

> *Novi ego illas ambas eſtrices, corvitant, ubi*
> *Comeſſe poſſunt.*

Scalig. in Feſtum. Voſſ. Lex. Etymol. in Corbitæ. Demſter. Paral. ad Roſin. Antiq. V. 24. Ego imperitorum librariorum errorem ſequor, & *corbitores* cum Feſto ad certum ludorum genus revoco. Nemo neſcit ludos ſine funebri epulo datos non fuiſſe. Atque ita illud epulum fuit funebre, ut munus eſſet funeris, epulæ dignitatis. In epulo ergo ludii adhibiti ſunt *corbitores*, qui alii a gladiatoribus, qui eodem in epulo ad internecionem depugnabant. At *corbitores* fuerunt comeſtores & helluones, qui epuli reliquiis, quæ in *corbibus* exportabantur, ventrem avidius onerabant, & ſcurrili ſaltatione convivas oblectabant. Unde *corbitant* apud Plautum lego. *Guther. de jur. man.* I. 20. V. & ſupr. in *Collus cernui.*

CORCULUM. Eo cognomine uſus eſt P. Cornelius Scipio Naſica, optimi viri filius. Cic. de Clar. Orat. c. 20. *P. etiam Scipionem Naſicam, qui eſt Corculum appellatus.* c. 58. *Jam duorum abavorum, quam eſt illuſtre nomen, P. Scipionis, qui bis conſul fuit, qui eſt Corculum dictus.* Sigon. de Nomin. Roman. c. 5. Tiraquell. in Alex. Gen. Dier. I. 9.

CORDIA gens. V. illam infr. in *Gens.*

CORDUS dicebatur ſero natus. Dicitur de fœno. Colum. VII. 3. *Autumnali fœno, quod cordum dicitur.* Plin. XVIII. 28. *Ut ſecetur autumnale fœnum, quod vocant cordum.* De olere. Colum. XII. 13. *Sunt quædam herbæ, quas appropinquante vindemia condire poſſis, ut olus cordum.* De animalibus. Varr. de re ruſt. II. 1. *Dicuntur agni cordi, qui poſt tempus naſcuntur.* Quæ quando *corda* dici debeant, indicat Plin. VIII. 47. *Coitus omnibus ab Arcturi occaſu, id eſt, a tertio Idus Majas ad Aquilæ occaſum, x. Kalend. Auguſti. Gerunt partum diebus* 150. *poſtea concepti invalidi. Cordos vocabant antiqui poſt id tempus natos.* De hominibus ſero natis. *Cordi* Cremutii meminit Tranquill. Aug. c. 35. n. 2. Alterius, qui vitas ſcripſerit Imperatorum, Capitol. Gordian. c. 12. Tertii Aurel. Vict. de Vir. Illuſtr. c. 12. n. 1. Id vero nomen ex eo eſſe, quod ſero & quaſi intempeſtive nati ſint, indicat Quintil. I. 4. *Scrutabitur præceptor acer atque ſubtilis mille origines nominum. . . . ex caſu naſcentium: hinc Agrippa, & Opiter, & Cordus, & Poſtumus erunt: & ex iis quæ poſt natos eveniunt: unde & Vopiſcus.* Voſſ. Lex. Etymol. Auguſtin. Urſin. & Patin. de Famil. in Mucia. Vaillant. Num. ær. Imp. I. p. 53. Sigon. de Nomin. Roman. c. 5.

CORIARIUS dicitur opifex, qui detracta cæſis animalibus coria depilat, intingit, concinnat, polit. Hi opifices olim, quod morticinia tractarent, ab urbibus fere ſubmoti. Artemid. I. 53. *Coriariam exercere malum omnibus: corpora enim mortua tractat coriarius: ideoque ab urbe ſecluditur.* Quanquam & alia ratio externæ illius habitationis non ita ſuperſtitioſa poteſt afferri, quod ejuſmodi *coriariorum* opificium fœtidos odores exhalet, unde juſſi videntur illi extra urbes habitare, quo puriore cœlo reliqui cives uterentur. Hoc enim recta politiæ ratio ſatis perſuadet. Hinc facile crediderim, domum Simonis *coriarii*, apud quem in Joppe Petrum hoſpitatum Apoſtolorum acta c. 10. n. 5. commemorant, urbis ambitu excluſam: cum diſerte fuiſſe dicatur *juxta mare*, quod quidem urbem illam alluit. Si vero quis excluſam abnuat, propterea, quod ibidem Simonem Joppenſem acta nominent, & Petrum in Joppe moratum referant: videtur fieri poſſe ſatis, ſi dicamus, *coriarium* illum Joppenſem vocari, quomodo ſuburbani Pariſiorum Pariſienſes dicuntur vel in Joppe domum habuiſſe, quod ea parte, qua mari urbs alluitur, inter ipſam domum & urbem nulla eſſent interpoſita mœnia; ſicque domus interna, vel ſaltem non excluſa videatur, licet a reliquo ædificiorum urbis corpore ſemota eſſet, atque diſcreta. *Balduin. de Cal. c.* 2. *Byn. de Calc.*

Calc. Hebr. I. 2. 8. *Lips. Tacit. Annal.* II. *Excurs. H. Voss. de Idolol.* III. 70.

CORICEUM, de quo Vitruvius supr. in *Conisterium*, erat gymnasii pars, ubi puellæ etiam ipsæ exercebantur. Vel etiam tonstrina, quæ erat in gymnasiis. Non defuerunt, qui *coryceum* legerint pro loco, ubi pila exercerentur, quod Græci *corycum* pilam vento conflatam vocent, quæ Latinis follis dicitur, cujus meminit Paullus Ægineta de speciebus gymnasii scribens. *Philand. in Vitruvium. Panvin. de Lud. Circ.* II. I. & ad illum *Argolus. Baccius de therm. vet. c.* 6. De puellari gymnasio consentio, tonstrina haud peræque, etsi nec abnuo. Si ephebis erat locus, quare non & κόραις, sive κόραις. Quanquam, ne huic sententiæ acquiescam, id efficit, quod neque ἀπὸ τῆς κόρης, neque ἀπὸ τῆς κουρᾶς, id est, cæsarie, tonsurave, apud Græcos auctores manasse videam *coriceum*, neque *curiceum*. Non leviter ergo ambigo, & legi malim *corycium*, seu Græce κωρύκιον, quæ vox tum multa, tum lusorium follem pilamve denotat. Movet me Hippocratis auctoritas, qui in libro περὶ διαίτης ludi meminit, quem κωρυκομαχίην appellat. Ad palæstritas spectare docet Cœl. Aurelian. Chron. V. 12. his verbis: *Tum volutatio in palæstra varia, quam Græci celadian atque corycomachiam vocaverunt.* Bald. Lexic. Vitruv. Turneb. Adv. X. 10. Tertia gymnasii pars erat: qui locus, ut mea fert sententia, pro denudandis hominibus, qui vel exerceri, vel lavari, vel utrumque agere volebant, inserviebat, alias a Græcis ἀποδυτήριον, & a Galeno γυμναστήριον vocatus. Nisi enim talem locum significat; palæstras a Vitruvio descriptas absque hac parte omnium maxime necessaria extitisse dicendum esset, quam non solum in publicis gymnasiis, verum etiam in privatis adfuisse credo: siquidem Plin. Epist. V. 2. 25. in descriptione suæ Tuscorum villæ apodyterium inter alia adnumerat. Unde illorum sententias probare nequeo, qui *coryceum* in Vitruvii textu legendum putarunt a *coryco* pilæ specie, quasi ibi ludus talis ageretur: aut *couriceum* pro tonstrina: aut *coryceum*, tanquam in eo puellæ, & virgines, κόραι Græcis vocatæ, exercerentur. *Mercur. de Art. Gymn.* I. 8.

CORINTHIARIUS nomen est artificii apud Sueton. Aug. c. 70. n. 4.

Pater argentarius, ego Corinthiarius.

Postea fuit ministerii in familia Principum. Vetus lapis:

CALLITYCHE ZOILI
CORINT. AGRIPP.

Casaub. in Suetonium.

CORINTHUS erat Achajæ metropolis, in medio fere Isthmo Peloponnesiaco sita. *Ursat. de not. Roman. Thes. Ant. Roman. Græv. Tom.* XI. *p.* 614. *A. Panciroll. Notit. Dign. Imp. Orient. c.* 104. Ægæum Ioniumque maria respicit: quare bimarem dixerunt poetæ. Ovid. Fast. IV. 501.

Hadriacumque patens late, bimaremque Corinthum.

Horat. Od. I. 7. I.

Laudabunt alii claram Rhodon, aut Mitylenen,
Aut Ephesum, bimarisque Corinthi Mœnia.

Ursat. l. l. Eversa olim fuit penitus a Romanis L. Mummio, cui ob Achajam devictam Achaici cognomen fuit, duce. *Ursat. l. l. Augustin. de Famil. Roman. in Lutatia, Manut. de Legib. Roman. c.* 10. *Emm. Descript. Reip. Corinth. Thes. Antiq. Græcar. Gronov. Tom.* IV. *p.* 532. *B. Reip. Achæor. Thes. Gronov. ibid. p.* 570. *D. Schoock. Achaj. vet. c.* 23. *Lax. Græc. ant.* II. 3. *Vinding. Hellen. Thes. Gronov. Tom.* XI. *p.* 173. *D. Faber Semest.* I. 8. Eodem anno, quo duce P. Scipione Carthago quoque in Africa deleta est. Is fuit annus tertius Olymp. 158. Urbis Romæ secundum Varronem 608. Viri omnes in urbe capta trucidati, feminæ cum pueris sub corona venditæ. Urbs diruta sub ruderibus jacuit sine habitatore per annos quasi 102. Hoc verius, quam quod alibi a me scriptum de annis 87. Nam non a C. Cæsare primum consule, quod ibi scripsi secutus auctores alios, sed ab eodem V. consule, & dictatore, qui vitæ ejus postremus fuit, est instaurata cum Carthagine, ut affirmat Dio XLIII. p. 238. E. Illam D. Cæsar instauravit, atque in eam coloniam deduxit. Strab. VIII. p. 263. *Corinthus cum diu deserta jacuisset, instaurata est a D. Cæsare propter loci opportunitatem, missis eo in coloniam libertinis plurimis,* qui Festo auctore *Corinthienses ex eo dici cœperunt, ex quo Corinthum coloni sunt deducti: quam consuetudinem,* subdit ille, *servamus etiam, cum Romanenses, & Hispanienses, & Sicilienses negotiatores dicimus, qui in alienis civitatibus negotiantur.* Nunc etiam durat, *Corintho* vulgo appellata. *Emm. Descript. Reip. Corinth. Ursat. & Lax. l. l.*

CORIOLANUS Cajus Marcius, quod fortem, strenuamque operam Reipublicæ navasset, capto Volscorum oppido *Coriolis*, *Coriolani* nomen sumpsit. Liv. II. 33. Consueverunt enim Romani ex oppidis, vel provinciis captis, aut vi subactis plerumque cognomina ferre. *Alex. Gen. Dier.* II. II. & 7. *Sigon. de Nomin. Roman. c.* 5. *August. de Fam. Rom. in Marcia.* Anno proximo cum repulsam in consulatus petitione tulisset, & de tribunorum plebis potestate abroganda in senatu consilium dedisset, ne damnaretur, solum vertit: in patriam magnum Volscorum exercitum quadriennio post duxit; sed Vetusiæ matris, & Volumniæ uxoris & aliarum matronarum precibus ab incepto destitit. *August. l. l.* Non procul a templo Fortunæ muliebris, quod fuit in via Latina, castrametatus est, quum Volscos ad Urbem occupandam duceret. *Nardin. Rom. Vet.* III. 3. *Borrich. Ant. Urb. Rom. Fac. c.* 3. §. 3. Mortem *Coriolani* varie veteres scripserunt. Alii a Volscis proditionis crimine invisum occisum esse: alii seipsum interemisse: tertii senem admodum in exsilio esse mortuum. *August. l. l.*

CORITOS, id est, Joves hastatos Hetrusci vocabant suos Reges. Hastam enim *corim* dicebant: & Itis Jupiter, vel Jovis fiducia dictus erat, & hasta cum diademate erant Hetruscorum Regum insignia, ut probat Johannes Aonius in Historia Hetrusca. *Siccam, de Centumv. Judic.* II. 3.

CORIUM est vocabulum translatitium a *coriis* animalium ad murorum, seu parietum *coria*. Nostri *smaltaturas*, *intonicaturas* dicunt. Vitruv. VII. 3. *Grano inducto & inarescente, alterum corium, mediocre dirigatur.* Alio sensu pro laterum ordinibus in parietibus struendis sumitur: Nostrates *cursus* appellant, seu *filas* & *ordines*. Vitruv. II. 8. *Alligant eorum alternis coriis coagmenta, & sic maxime ad æternitatem firmas perficiunt virtutes.* Etiam laterum superficiem & crustam significat. Vitruv. II. 3. *Qui cum per solstitium parantur, ideo vitiosi sunt, quod summum corium sol acriter, quum percoquit, efficit, ut videantur aridi.* Pro crustis & inductionibus tectoriorum ponitur. Vitruv. VII. 3. *Quum ab arena præter trullisationem non minus tribus coriis fuerit deformatum.* Nos vulgo *inducta* dicimus & *culcas*. Cato usurpavit pro pavimenti crusta de Re Rust. c. 18. *De calce arenato primum corium facito.* Bald. Lexic. Vitruv. Salmas. Exerc. Plinian. p. 870. b. E. Pavimentum quatuor *coriis* distinctum super stratum filicis aut paleæ opifices digerebant. I. erat compositum ex lapidibus, aut silicibus globosis, non tamen minoribus, quam qui manum implere possent, ope calcis & signini coagmentatis. Hoc dicebatur *statumen*, Gallice vocarem *le pied*, vel *la fondation de l'ouvrage*. II. fiebat ex pluribus cæmentis, aut lapidibus contusis, & cum calce permixtis. Hos *rudos* vocat Isidor. XVI[illegible]. *Rudos artifices appellant lapides contusos & calci admixtos, quos in pavimentis faciendis superfundunt: unde & rudera dicuntur.* Rudus hoc erat vel novum, vel redivivum. V. infr. in *Rudus*. III. fiebat super ruderatione, & componebatur ex lateribus, testis figulinis, aut testa tusa calci admixtis, sic ut ad tres partes una esset calcis. Hoc super ruderatione fiebat, ceu stratum mollius, & eleganti translatione *nucleus* vocabatur. V. infr. in *N.* quod reciperet. IV. & summum, & pavimentum cooperiret & perficeret: unde hoc ultimum dicebatur *summa crusta*, quasi diceres, extimam faciem. *Bergier. de viis milit.* II. *Sect.* 13. & 14.

Coria

Coria & vela in [illegible] ex caprinis pilis veteres faciebant. [illegible] *tum &* [illegible] *pilis* [illegible] Aceto & aqua madefaciebant. Appian. Mithrid. p. 221. *Tela* [illegible] *refutabant aceto & aqua* [illegible] *aut linteis laxe suspensis resolvebant, &* [illegible] Suspendebant autem lignis & sudibus. Joseph. de bell. jud. [illegible] 7. *Sudibus* [illegible] *per eos* [illegible] *lapides* [illegible] *tela* [illegible] *more languesceret.* Suidas: [illegible] *longitudine suspendebant e proceris lignis, & ante se pratendebant.* Illis itaque I. jacula ignita repellebant. Thucyd. II. p. 150. Arrian. II. p. 131. *Tegmina habuit coria & pelles, ut nec operantes, nec ligna operis ignitis jaculis peterentur, & in tuto essent.* II. ballistarum lapides sistebant. Diodor. XVII. 35. *Praeterea coria, ac pelles duplices, palea farctas* [illegible] *in his excipiebant ictus ballistarum, quia molliter* [illegible] *vis lapidis resolvebatur.* *Spicula* enim, ut Veget. IV. 6. *non facile transeunt, quod cedit & fluctuat.* Hinc Rex *munientibus coria, velaque jussit obtendi, ut extra teli ictum essent* apud Curt. IV. 2. 23. *Lipf. Poliorc.* V. 9. *Blancard. in Arrianum, Pitisc. in Curtium. Thys. de Oppugn. urb.* V. 194. *Laurent. de Polymath.* IV. 2. 10

CORNELIA gens. V. illam infr. in *Gens.*

Cornelia lex. V. illam infr. in *Lex.*

Cornelia tribus. V. illam infr. in *Tribus.*

CORNELIUS Gallus. V. illum infr. in *Gallus.*

Cornelius Maluginensis. V. illum infr. in *Maluginensis.*

Cornelius Scipio. V. illum infr. in *Scipio.*

CORNETA locus *fuit inter Sacram viam & macellum editum.* Varr. de Ling. Lat. IV. 32. Non procul itaque fuit a Via Sacra. Ubi vero fuerit, non ita constat, utrum versus Palatium, an Carinas, an Esquilias. Ex addito *macello* adjectivo *editum* suspicari licet loco altiore, & qui viae immineret, fuisse, adeoque in ea Palatini parte, quae inter Sacram Viam est, & viam arcus Titi, quam vicum Sandaliarium appellabant. Haec pars montis Palatini variis casibus, uti solet, & inprimis fori Cupedinis causa sensim amisso antiquo nomine, nomen *Cornetae* solis illis reliquit aedificiis, quae foro huic erant contigua. *Nardin. Rom. Vet.* III. 13. *Donat. de Urb. Rom.* III. 10.

CORNICEN fuit cognomen Oppiorum. Liv. III. 35. *Creati cum eo Sp. Oppius Cornicen. . .* Unde & *Cornicinus* apud Cicer. ad Attic. IV. 2. *Cornicinus ad suam veterem fabulam redit.* Sigon. de Nomin. Roman. c. 5. Glandorp. Onom. Roman. p. 644.

Cornicen appellabatur, qui *cornua* inflabat. Veget. II. 22. *Cornicines quoties canunt, non milites, sed signa ad eorum obtemperant nutum. Quoties pugnatur, & tubicines, & cornicines pariter canunt.* Laz. Comm. Reip. Rom. IV. 11. Alex. Gen. Dier. IV. 2. Figuram exhibet *Choul. de Castram. Rom.* p. 77.

CORNICULA quid fuerint, nemo, quod sciam, explicat. *Hugo de Milit. equest.* V. 1. Fuerunt insignia galearum, non cristae plumeae sectae, ac divisae in *cornua*, sed vera cornuum similitudo aere, vel ferro expressa. Plin. X. 43. *Nec non & recens fama Crateri Monocerotis cognomine in Erizena regione Asiae corporum opera venantis, eo quod devehebat in silvas eos insidentes corniculis humerisque.* Per *cornicula* palam est intelligi galeae *cornua*, quibus insidebant corvi. Atque inde *Monoceros* cognomen habuisse videtur ille Craterus ab unico galeae *corniculo*. Erant inter dona militaria virtutis ergo conferri solita. Liv. X. 44. *Equites omnes ob insignem multis locis operam, corniculis, armillisque aureis donat.* Et hinc comoediae Plautinae nomen *Cornicularia*, in qua miles *corniculis* insignem galeam gestans traducebatur. Et *corniculo merere* dicuntur, qui *corniculum* habebant in galea, ut equites equo. Suet. Gramm. c. 9. n. 1. *Orbilius Pupillus in Macedonia corniculo, mox equo meruit.* Buleng. de Triumph. c. 12. Pius Annot. Poster. c. 77. Sigon. de Ant. Jur. Civ. Rom. I. 15. Salmas. Exercit. Plinian. p. 386. b. C. Donat. Dilucid. in Livium. Pitisc. in Suet. Domit. c. 17. n. 2.

CORNICULARII nomen est antiquum: Tribuni enim plebis illum apud se habebant; quorum acta, plebiscita, jussaque scribebat, & servabat. Accurs. in l. 2. C. de proxim. sacro. scrinior. simplicem praetorium apparitorem esse opinatur, Alciatus principis ministrum. Sed eum inter primates officii tam notitia quam jura collocant. Valentinian. in dict. l. 2. & in l. fin. C. de offic. divers. judic. *Sciant,* inquit, *principes, cornicularii, & primates officiorum ternas libras auri e suis facultatibus eruendas, si honoratis viris secretarii in judicium non patuerit ingressus.* Ego illum fuisse puto, qui jussa, sententias, & decreta praefecti praetorio, aut praesidis scribebat & publicabat. Cassiod. Var XI. 36. *Praefuit,* loquitur de *corniculario, juribus secretarii praetoriani,* id est, pro usu illorum temporum tribunalis. De tribunis Val. Max. VI. 1. auctor est, Lectorio tribuno militari a Caminio tribuno plebis diem dictam, quod *cornicularium suum stupri causa appellasset,* diuque hoc nomen permansit. Hunc esse arbitror, qui scriba vocatur. Gn. enim Flavius, qui fastos publicavit, Annii libertini filius a Valerio II. 1. scriba nuncupatur: & Gell. VI. 9. qui ejus historiam narrat, *eum scriptum fecisse, & aedili curuli apparuisse,* seu ejus apparitorem fuisse scribit; ejus enim jussa & decreta notabat. *Cornicularius* quandoque cancellarius est dictus in l. 2. §. & est notitia. C. de Offic. P. P. Afric. quanquam is proprie erat, quem extra cohortem secum in provinciam praeses scribendi causa ducebat: qui enim decreta scribebat, ab officio, ut apparitor esset, eligendus erat l. nullus C. de assessor. *Cornicularius* autem, quod pro insigni *cornu* uteretur, vel forte ex eo silentium litigantibus indiceret, denominari potuit. *Pancіroll. Notit. Dign. Imp. Orient.* c. 11. *Buleng. de Imp. Rom.* VI. 46. *Pius Annot. Poster.* c. 77. *Lomej. de Biblioth.* c. 13. In militia antiqua Romana *cornicularii* dicti sunt milites. Genus erat militum honestiorum, qui ab galeae parasemo sic dicebantur, beneficiarii ut plurimum tribunorum, aut centurionum. Valerius modo laudatus. Beneficiarius ille tribuni militum fuit *cornicularius* dictus a *corniculo* galeae, non quod *cornu* ductaret in cohorte tribuni, ut inepte censent viri doctissimi. Nec enim in acie, aut exercitu, sed nec in cohorte, vel ala, *corniculum* dicitur pro *cornu*. Nomen hoc ab antiqua militia ductum remansit in officiis magistratuum posterioris aevi. Unde & *cornicularium* Cassiodorus a tribunalis *cornu* dictum asserit; & *corniculum agere* in codice Theodosiano dicuntur *cornicularii*, quasi nomen esset alicujus officii, vel muneris *corniculum*. Sed cum nescirent tunc, unde *cornicularii* nomen olim habuissent, munus quod tum habebant, sola nominis inducti ratione *corniculum* vocaverunt. *Salmas. Exercit. Plinian.* p. 386. *b. F.* 387. *a. B. Sigon. de Ant. Jur. Prov.* II. 2. *Guther. de Offic. Dom. Aug.* II. 15. *Rhodig. Ant. Lect.* XVII. 10. *Turneb. Adv.* V. 10. *Donat. Dilucid.* p. 23. *Ursat. de Not. Rom. Thes. Antiq. Roman. Graev. Tom.* XI. p. 645. *B. Reines. Inscript. Class.* I. n. 127.

CORNIFICIA gens. V. illam infr. in *Gens.*

CORNISCAE, cujus in vetustiore Victore nomen apparet, recentior *Dia* adscripsit: forte ad exemplum antiqui lapidis, cui inscriptum apud Panvin. in regione XIV.

DEIVAS
CORNISCAS
SACRUM

Festus: *Corniscarum divarum locus erat trans Tiberim corniculis dicatus, quod in Junonis tutela esse putabantur.* Nardin. Rom. vet. VII. 11.

CORNIX *est inauspicatae garrulitatis, a quibusdam tamen laudata.* Plin. X. 12. Solitariae occursus ominosus, nuptiis auspicatae, si duae occurrerint, quia in eo genere mira concordia maris & feminae, unde accini solitum, ἐκκόρει κορὶς κορώνην, de quo Aelianus de Animalibus. Virg. Ecl. IX. 4.

Quod nisi me quacunque novas incidere lites
Saepe sinistra cava monuisset ab ilice cornix.

Buleng. de Augur. n. 6. Rhodig. Ant. Lect. XXIX. 18.

Tomas.

Tomaſ. de Donar. c. 15. Mercer. in Alex. Gen. 11. 5. Adhibebatur olim ad aucupium, non avium modo, ſed & leporum. Cteſias in Indic. p. 14. *Pygmæi venantur lepores, & vulpes, non canibus, ſed corvis, & accipitribus, & cornicibus, & aquilis.* Buleng. de Venat. c. 4.

CORNUA amnium & fluviorum dicuntur ipſorum oſtia & ora. Virg. Æneid. VIII. 727. *Rhenus bicornis.* Exit enim duobus oſtiis in Oceanum. Valer. Flacc. VII. 815.

Haud procul hinc ingens Scythici ruit impetus Iſtri,
Fundere non uno tantum quem flumina cornu
Accipimus.

Turneb. Adv. XXIII. 5. XXIV. 40. Salmaſ. Exercit. Plinian. p. 339. b. F. 535. b. E. Paſchal. de Coron. X. 4.

Cornua boum. V. illa ſupr. in *Bos.*

Cornua cervorum in veſtibulo templi Dianæ ſuſpendebantur. Virg. Ecl. VII. 29.

Setoſi caput hoc apri tibi, Delia, parvus,
Et ramoſa Mycon vivacis cornua cervi.

Liv. I. 45. *Bos in Sabinis nata cuidam patrifamiliæ dicitur miranda magnitudine ac ſpecie. Fixa per multas ætates cornua in veſtibulo templi Dianæ monumentum ei fuerunt miraculo.* Tomaſ. de Donar. Vet. c. 31. Schott. Obſerv. I. 2. Sagittar. de Jan. Vet. c. 29. §. 10.

Cornua exercitus erant prominentes ejus partes. Priſco ordinum in acie inſtruenda inſtituto nunquam dextrum *cornu* & ſiniſtrum dictum eſt niſi de ſociali exercitu. Is in duas partes auctore Polybio dividebatur. Partibus nomen erat dextrum *cornu* & ſiniſtrum. *Reliquos auxiliarium dividebant in duas partes, & hanc vocaverunt dextrum, illam vero ſiniſtrum cornu.* Non putandum, hæc nomina *dextri & ſiniſtri cornu* de auxiliari exercitu ad ordines tantum pertinuiſſe, & τακτικῆς eſſe vocabula, quibus extra aciem, niſi cum inſtrueretur, nihil eſſet loci. Non ſolum in acie, dum pugnabatur, ſed etiam in agmine, dum iter agebatur, imo etiam in caſtris hoc nomen, & locus, unde nomen habuerunt. Ex his duabus partibus, in quas dividebantur ſociorum copiæ, ſemper una ad dextrum latus in acie tenendum deſtinabatur, quæ & inde nominari ſolita, altera ad ſiniſtrum occupandum. Cum caſtra moverentur, pars ea ſociorum exercitus, cui dextrum *cornu* in acie aſſignabatur, prima exibat, & agmen primum conſtituebat: altera pars cui ex loco nomen agmen noviſſimum claudebat. Nec aliter in acie collocabantur niſi in *cornibus*, dextra ala in dextro *cornu*, ſiniſtra in ſiniſtro. Mutata ratione artis militaris & ordinum, *cornua* ſociorum, ſive alæ, dextra & ſiniſtra evanuit; nec diviſio illa amplius audita eſt auxiliarium aut ſocialium copiarum, quæ olim percrebruit, in dextrum & ſiniſtrum *cornu*. In cohortes eæ dividebantur, haud ſecus quam legiones ipſæ Romanæ. Hinc paſſim legimus cohortes auxiliares, & alarias, ut legionarias cohortes his oppoſitas. Quod *dextrum cornu* dicitur in eorum auctorum ſcriptis, qui vixerunt poſt mutatam militiam, non eſt altera pars auxiliorum, quæ in Romano exercitu erant; ſed prima acies ex legionariis inſtructa, ut *ſiniſtrum cornu* ſecunda eſt, non ut olim pars altera auxiliarium, quæ lævam partem in acie tenebat. Sed nec amplius auxiliis in dextro ac ſiniſtro latere locus proprius dicatus, ut antea fieri mos fuit, quando certam ac ſtabilem ejus loci poſſeſſionem ſibi vindicabant ſociales copiæ, adeo ut pro jure perpetuo una pars earum in acie *cornu* conſtitueret, altera ſiniſtrum: arbitrio quippe ducum modo in media acie collocata auxilia poſtea ſunt, modo in ſubſidiis, aut quacunque in parte pro re, tempore, ac loco vellent, aut ex uſu eſſe judicarent. Sic Craſſum apud Cæſarem auxilia in mediam aciem conjeciſſe legimus de Bell. Gall. III. 24. 1. *Prima luce productis omnibus copiis, duplici acie inſtituta, auxiliis in mediam aciem conjectis, quid hoſtes conſilii caperent, exſpectabat.* Salmaſ. de militar. re Rom. c. 7. Quo modo differant ab acie. V. ſupr. in *Acies.* ab ala V. ſupr. in *Ala.*

Cornua galearum dicebantur earum inſignia. Sil. Ital. XI. 679.

Caſſide cornigera dependens infula ſacros
Præ ſe terrores, divumque ferebat honorem.

Virg. Æneid. XII. 89.

Enſemque, clypeumque, & rubræ cornua criſtæ.

Alia tamen fortaſſis mente, & criſtæ ipſæ plumeæ ſectæ & diviſæ intelliguntur. Suidas tale: *Cornu veteres capillos aut jubas vocabant.* Alius etiam *cornua* ſumebat, quaſi ad impetendum & terrendum. Liv. XXVII. 33. *In arborem illatus impetu equi, alterum cornu galeæ ad eminentem ramum perfregit.* In noſtris hodie galeis quam crebra *cornua?* aliæ animalium partes? ſæpe capita. Diodorus de Gallis: *Galeas æreas capiti circumponunt, quæ magnas eminentias verticeſque habent, & magnificam opinionem ſpectantibus objiciunt. Aliis enim naturalia cornua appoſita ſunt, aliis avium aut quadrupedum animalium expreſſæ effigies.* Lipſ. Anal. ad Milit. p. 285.

Cornua librorum vocabantur ornamenta. Tib. III. 1. 13.

Atque inter geminas pingantur cornua frontes.

Ovid. Triſt. I. 1. 8.

Candida nec nigra cornua fronte geras.

In fronte lunulam deſignabant. Auſon. Profeſſ. Burdigal. 26. 1.

Quos legis a prima deductos menide libri,
Doctores patriæ ſcito fuiſſe meæ.

Menis lunula eſt, quæ *corniculata.* Sed & in fine *cornua* ponebantur. Mart. XI. 108. 1.

Explicitum nobis uſque ad ſua cornua librum
Et quaſi perfectum Septiciane refers.

Turneb. Adv. XXII. 10. Manut. in Cicer. Famil. III. 7. Barth. Adv. XXII. 18. Pier. Hierogl. XXXIV. 38.

Cornua menſæ ſemirotundæ, ſive ſigmatis dicebantur ejus extremæ partes, quæ porrectæ videntur in *cornua.* Juvenc. lib. III. in Lucæ c. 14.

Si vos quiſque vocat cœnæ convivia ponens,
Cornibus in ſummis devitet ponere membra
Quiſque ſapit, veniat forſan ſi nobilis alter,
Turpiter extremo cogetur cedere cornu.

Gregor. Turon. de Mirac. I. 80. *Diſcumbentibus autem ad convivium, vir ille cum presbytero dextræ partis cornu occupat, Catholicum ad ſiniſtrum ſtatuens.* Sidon. Epiſt. I. 11. *Primus jacebat cornu ſiniſtro Conſul Severinus*, id eſt, primum locum obtinebat in ſiniſtro ſemirotundi margine. *Savaro in Sidonium. Argol. ad Panciroll. de Lud. Circ. II. 16.*

Cornua in navibus dicuntur extremitates antennarum. Tertull. adv. Jud. c. 10. *Nam & in antenna navis, quæ crucis pars eſt, extremitates cornua vocantur.* Virg. Æneid. III. 549.

Cornua velatarum obvertimus antennarum.

Græcis ἀκροκέραια dicuntur. *Gyrald. de Navig. c. 12. Scheffer. de mil. nav. II. 5. Paſchal. de Coron. X. 5. Philand. in Vitruv. X. 8.*

Cornua ſigna dicuntur vocalia in bello. Val. Flacc. VI. 92.

Prælia nec rauco curant incendere cornu.

quæ nunc fiunt ex ære, tunc fiebant ex bubulo cornu. Varr. de Ling. Lat. IV. 24. Virg. Æneid. VII. 615.

Æreaque aſſenſu conſpirant cornua rauco.

Stat. Theb. VIII. 342.

— *Cum jam Mavortia contra*
Cornua, jam ſævos fragor æreus excitat enſes.

Fuere vero reflexa ex ære recurvo. Ovid. Met. I. 98.

Non tuba directi, non æris cornua flexi.

Veget. II. 8. *Tubicines, cornicines, buccinatores: qui vel tuba, vel ære recurvo, vel buccina committere prælium ſolent.* Barthol. de tib. vet. III. 7. Thyſ. in Gell. I. 11. Voſſ. Lex. Etymol. Stewech. in Veget. III. 5. Lipſ. de Milit. Roman. IV. 10. Thyſ. Rom. Illuſtr. IV. p. 101. Quo modo differant a buccina. V. ſupr. in *Buccina.*

CORNUBIA est una ex quatuor partibus Britanniæ, quæ Hispaniam versus extenditur, ac velut peninsula mari circumdatur, instar *cornu*, primo anguste, postea latius se extendit, idcirco *Cornubia* est vocata, vulgo *Cornowallia.* Panciroll. Notit. Dignit. Imp. Occid. c. 87.

CORNUS Romuli germinavit olim in Palatini radicibus versus Aventinum. Sacra habita, quod eam Romulus jactando plantasset. *Borrich. Ant. Urb. Fac. c.* 12. *n.* 1. *Buleng. de Circ. c.* 2. Plutarch. Rom. p. 30. C. *Eodem loco,* ad circum maximum, *ferunt sacram cornum fuisse. Addunt enim fabulæ, Romulum eo sui experiundi gratia ab Aventino lanceam corneam jaculatum esse: eam vero defixam altius annitentibus multis nunquam convelli potuisse, lignumque nactum plantiferam humum, germinibusque, ramisque emissis, in eximiæ altitudinis cornum crevisse. Is locus ab iis, qui post Romulum secuti sunt, muris circumductis, sanctissimum templum in magna religione est habitus: ac si cui prope accedenti visum fuerit arborem minus frondescere, sed ut deficientibus alimentis languescere & deficere, id statim sibi occurrentibus clamabant, & hi velut incendio reprimendo aquam vociferabant, concurrebantque, undique vasa aqua plena ferentes.* Serv. Æneid. III. 46. *Traxit hoc de historia Romana. Nam Romulus capto augurio hastam de Aventino monte in Palatinum jecit: quæ fixa fronduit.* Nardin. Rom. Vet. VI. 12. Panciroll. Descript. Urb. Rom. Thes. Antiq. Roman. Græv. Tom. III. p. 329. E.

CORNUTI vocantur milites, ex oppido Illyrici *Cornuto* contracti. In fabricis enim Illyrici Notitia *Cornutensem* scutariam nominat, a loco *Cornuti* dictam. *Cornutorum* meminit Marcell. XVI 12. *Cornuti*, ait, *& Braccati diuturno præliorum usu firmati excipiunt eos.* Panciroll. Notit. Dignit. Imp. Orient. c. 46. Occid. c. 29.

COROLLA est tenuis, sive gracilis *corona*, eademque plerumque florea, aut herbacea. Catull. LXIV. 279.

Advenit Chiron portans sylvestria dona:
Nam quoscunque ferunt campi, quos Thessala magnis
Montibus ora creat, quos propter fluminis undas
Aura parit flores tepidi fœcunda favoni,
Hos indistinctis plexos tulit ipse corollis,
Queis permulsa domus jucundo risit odore.

Id quod unico versu complexus est Pallad. Epigr. XV.

Ver placidum vario nectit de flore corollas.

Possumus dicere *corollas* fuisse subitarias *coronas* ex eo flore plexas qui vigeret. Has plerumque imponebant statuis numinum, quæ domi servabantur, ac si illo quotidiano & qualicunque cultu ea sibi propitiarent. Hujus moris meminit libidinosa illa Fotis apud Apul. III. p. 95. *Atque utinam vesperi de more nobis parassem corollas aliquas.* p. 97. *Respicio Eponæ deæ simulacrum residens ædiculæ, quod accurate corollis roseis equidem recentibus fuerat ornatum.* Interdum & metallica. Plin. XXI. 2. *Postquam e lamina tenui ærea inaurata atque inargentata dabantur* corollæ. *Paschal. de Coron.* I. 7. *Turneb. Adv.* XVIII. 29.

COROLLARIUM etiam est corolla tenuior. Plin. XXI. 2. *Paulatim & Romæ subrepsit appellatio, corollis inter initia propter gracilitatem nominatis.* Qui significatus est translatus ad quamlibet additiunculam, sive auctarium forte non debitum, sed additamentum ad totam summam. Varr. de Ling. Lat. IV. 16. *Corollarium, si additum præter quam debitum erat: vocabulum factum a corollis: quod hæ, cum placuerunt [illegible] flores, in scena dari solitæ.* Cicer. Verr. III. 50. *De [illegible] aliquid erat resecandum, ut esset, unde Apronio [illegible] orationum hoc corollarium nummorum adderetur.* Paschal. de Coron. I. 16. Rhodig. Ant. Lect. XXX. 30. Buleng. de Theat. I. 58. Donat. Dilucid. p. 428. Philand. in Vitruv. IX. 3. Argol. in Panvin. de Lud. Circ. I. 16.

CORONA est circulare capitis gestamen, non arcendæ injuriæ, sed ea re inventum, ut sit luculentum insigne lætitiæ, pietatis, morum optimorum, ingenii & doctrinæ, virtutis ac strenuitatis, victoriæ & felicitatis, denique summi inter homines fastigii. *Paschal. de Coron.* I. 1. Circulus qui est, non est *corona*, tunc scilicet, cum capiti imponi non potest. Quippi *corona* ita corrotundata est, ut cum humano capiti aptatur, sit insigne eorum quæ dixi. Ergo circulus & *corona* etsi forma conveniunt, effectibus tamen eunt in diversa. Atque adeo in rerum natura circulus est veluti ἀρχέτυπον, exemplar, ad cujus speciem formata est *corona*, ut exemplum. Nulla item *corona* non est circulus ob formam; sed non contra. Circulos natura sæpius quam homo; *coronas* homo nectit sæpius quam natura. *Paschal. ibid. c.* 8. Ne apud antiquos Græcos fuit ullus adhuc *coronarum* usus: neque enim proci, nec qui luxuriosam vitam agebant Phæaces, eis usi sunt. In certaminibus autem primo fuit donum athletarum, secundo autem plausus & excitatio, tertio foliorum conjectio, ultimo autem fuit *corona*, cum Græciæ post tempora Medica magna ad delicias facta esset accessio. Clem. Alex. Pædag. II. 8. *Argol. in Panvin. de Lud. Circ.* I. 16. Illarum primus auctor dicitur fuisse Janus bifrons. Eustath. ad Odyss. E. 251. *Janum ajunt fuisse bifrontem, atque unam faciem post, alteram ante prætulisse. Hic primus invenit coronam, ratem tumultuariam & naves. Etiam numisma æneum primus signavit: ac propterea Græcarum, Siculorum, & Italicarum urbium plurimæ numismati suo insculpunt faciem bifrontem: atque ab altera parte, aut operis tumultuarii ratem, aut coronam, aut navem.* Draco Corcyræus apud Athen. XV. p. 692. *Janum fama est bifrontem fuisse, habentemque faciem unam retrorsum, antrorsum alteram: illum etiam primam coronam invenisse, & vates, ac navigia, nummum quoque æreum primum signasse: multas itaque urbes Græcas, Italas, Siculas monetæ suæ insculpere vultum bicipitem, & ex altera parte ratem, aut coronam, aut navem.* Jun. Catal. Archit. Mechan. p. 29. Stuck. Ant. Conv. III. 16. Bulenger. de Triumph. c. 13. Muson. Philos. de Luxu Græcor. c. 8. Paschal. ibid. c. 11. Semper est habita victoriæ signum. Sozomenus de Juliano desertore v. 2. *Fama est quodam tempore & viscera animalis inspectanti signum crucis in eisdem apparuisse corona circumdatum, & nonnullos, qui ejus divinationis erant participes, in metum conjectos esse; quippe qui inde conjicerent, religionem Christianam deinceps vires acquisituram, & doctrinam Christi perpetuo duraturam. Coronam enim crucis signo circumjectam tum victoriæ indicium esse, tum æternitatis, propterea quod in rotundum ambitum ducta, omni ex parte initium habet, & in seipsa desinit.* Inde Apostoli a *coronis* similitudinem sumunt, & *certamen in hac vita præclarum decertantibus* 2 Tim. c. 4. n. 8. *legitime certantibus* 2 Tim. c. 2. n. 5. *tentationem tolerantibus* Jacob. c. 1. n. 12. *justitiæ coronam, immarcessibilem gloriæ coronam* promittunt. *Mader. de Coron. Thes. Antiq. Roman. Græv. Tom.* VIII. *p.* 1412. *B.* Et præmium pugnando & vincendo partum. Aristoph. Equit. I. 3.

— *Et victoriam adeptus*
Inde rursus ad nos venias
Coronis plenus, sive insignis.

Et fortiter pugnare est ire, seu vadere ad *coronam.* Pindar. Olymp. IV. 34.

Æreis enim armis vincens
Cursum, dixit Hypsipyle,
Ad coronam vadens.

Paschal. de Coron. V. 7. Statuis appendebantur. V. infr. in *Statua. Corona*, mitra, vitta adorantes capita velabant, & aliquando inter sacras vestes ad aures usque attollere solebant, partim quidem ut eo gestu & habitu humiliores se redderent, partim vero ne inter precandum triste quid aut ignominiosum aliunde occurreret, quo animi religiosa attentio turbaretur. *Tomas. de Donar. c.* 5.

Corona agonothetarum fuit habitus. Suet. Domit. c. 4. n. 11. *Certamini præsedit crepidatus, purpureaque amictus toga Græcanica, capite gestans coronam auream.* Chrysost. Orat. de Sacro baptism. *Non videtis Olympicis certaminibus, cum agonotheta per forum ambulat, habens coronam in capite.* Buleng. de Venat. c. 18.

Corona, quam Apollo fertur gestare inter deos, est duodecim lapidum pretiosorum. Albric. de deor. imag. c. 4. *Coronam capite gestabat Apollo duodecim lapidum pretiosorum:*

forum : five duodecim magnorum radiorum. Capella de Nupt. Philol. II.

Solem te Latium vocitat, quod solus honore
Post patrem sis lucis apex; radiisque sacratum
Bissenis perhibent caput aurea lumina ferre
Quod totidem menses, totidem quod conficis horas.

Hinc & Latinus Rex, utpote ex mente Hygin. Fab. 127. Apollinis ex Circe nepos,

Quadrijugo invehitur curru, cui tempora circum
Aurati bis sex radii fulgentia cingunt,
Solis avi specimen.

Virg. Æneid. XII. 162. *Mader. de Coron. Thes. Ant. Rom. Græv. Tom.* VIII. *p.* 1409. *A. Aleand. Explic. tab. Heliac. Thes. ibid. Tom.* V. *p.* 709.

Corona aurea fine alio agnomine, virtutis ergo, sæpe donabatur. Val. Max. III. 2. 24. *Præferebantur aureæ coronæ octo, civicæ quatuordecim, murales tres, obsidionalis una.* Liv. VII. 10. *Dictator coronam auream addidit donum, mirisque pro concione eam pugnam laudibus tulit.* XXVI. 21. *Et non minimum fuit spectaculum cum coronis aureis præcedentes Sosis Syracusanus, & Mericus Hispanus.* A Græcis hoc manasse videtur, & maxime Athenienfibus, qui viritim & populariter fic donabant. Ita Demosthenes *corona aurea* insignitus apud Demosth. Orat. de Coron. p. 481. D. *Lips. de Milit. Roman.* V. *dial.* 17. *Thys. Rom. Illustr.* V. *p.* 148.

Corona castrenfis *donabatur illi, qui primus hostium castra pugnans introisset. Ejus insigne fuit vallus ex auro.* Gell. V. 6. Tota fuit aurea, etsi primum fuit frondea. Plin. XVI. 4. *Romulus frondea coronavit Hostium Hostilium, quod Fidenam primus irrupisset.* Cæterum *castrensem* & vallarem vix duas fuisse puto. Moveor verbis Valerii Maximi, ut hoc fic existimem I. 8. ubi loquitur de castris Lucanorum & Brutiorum expugnatis a C. Fabricio confule. *Postero*, inquit, *die, cum consul inter honorandos, quorum strenua opera fuerat usus, vallarem coronam ei se servare dixisset, a quo castra essent oppressa.* Quibus verbis perspicuum fit vallarem dari ei qui *castra* oppressisset, hoc est, vallum conscendisset, ac perrupisset. Certe *castra*, portis obstructis, non alia ratione capi posse constat, quam vallo dejecto ac superato. *Paschal. de Coron.* VII. 3. *Mader. ad Panvin. de Triumph. c.* I. *de Coron. Antiq. Roman. Græv. Tom.* VIII. *p.* 1412. *A. Lips. de Milit. Rom.* V. *Dial.* 17. *Pigh. Annal. Rom.* I. *p.* 87. *Buleng. de Triumph. c.* 13. *Laurent. Polym.* IV. *Synops.* 3. *Thys. Rom. Illustr.* V. *p.* 148. *Nicol. de Triumph. c.* II. §. 15. *Rosin. Antiq. Roman.* X. 27. *Ursat. de not. Roman. Thes. Antiq. Roman. Græv. Tom.* XI. *p.* 646. *A. Schill Nomencl. Philol. p.* 360. Senescente ac decrescente imperio, tantæ rei decus translatum est ad eos, qui vix unquam castra viderant; sed solum erant in comitatu Principis. Isti enim plerumque non tam ob virtutem; quam gratia & favore Principis, more jam diu recepto, donabantur iis præmiis quæ non meruerant. Hæ nimirum sunt illæ *coronæ* castrenses, de quibus Tertull. de Coron. Milit. c. 12. *Est & alia militia regiarum familiarum. Nam & castrenses appellantur munificæ, & ipsæ sollennium Cæsarianorum.* Paschal. l. l.

Corona in circo aurea ut uterentur, plerisque honoris causa est datum. Paterc. II. 40. I. *Titus Ampius & Titus Labienus tribuni plebis absente Cn. Pompejo, legem tulerunt, ut is ludis circensibus corona aurea, & omni cultu triumphantium uteretur.* Legendum tamen puto *laurea.* Nihil enim de *aurea*, sed de *laurea* Dio XXXVII. *Neque alium honorem ullum nimium acceptavit: his vero qui absenti decreti erant, semel tantum usus est. Erant autem hæc: uti lauream ferret semper, & prætextam in ludis sollennibus omnibus, & in circensibus triumphalem habitum indueret.* Buleng. de Circ. c. 36. Pigh. Annal. Roman. Tom. III. p. 324. Lipf. & Boecler. ad Paterculum: itemque Lipf. de Milit. Rom. V. Dial. 17.

Corona civica inter militares, ut nobilissima, eminuit. Gell. V. 6. *Civica corona appellatur, quam civis civi, a quo servatus est in prælio, testem vitæ salutisque perceptæ dat.* Illa multos Romanorum libera Republica donatos fuisse ex Livio; Dionysio, aliisque patet; *coronaturque* procul dubio ea in nummo ducis Arschotani rarissimo M. Lepidus, insidens equo, & tropæum humeris gerens cum hac inscriptione. M. LEPIDUS. AN. XV. PR. H. O. C. S. id est. *Annorum* XV. *prætextatus, hostem occidit, civem servavit.* Ei, ut Plin. XVI. 4. *additæ sunt leges arctæ, & ideo superbæ* fuerunt, illasque *conferre libeat cum illa Græcorum summa, quæ sub ipso Jove datur, cuique muros patria gaudens rumpit: civem servare, hostem occidere: utque eum locum, in quo sit actum, hostis obtineat eo die. utque servatus fateatur; alias testes nihil prosunt: ut civis fuerit. Auxilia, quamvis Rege servato, decus id non dant: nec crescit honos idem Imperatore conservato, quoniam conditores in quocunque cive summum esse voluere. Accepta licet uti perpetuo. Ludos ineunti semper assurgi etiam ab Senatu, in more est. Sedendi jus in proximo Senatui. Vacatio munerum omnium ipsi, patrique, & avo paterno. O mores æternos, qui tanta opera honore solo donaverint: & cum reliquas coronas auro commendarent, salutem civis in pretio esse noluerint: clara professione, servari quidem hominem nefas esse lucri causa.* Frondea enim fuit, infra ut dicetur. Hinc Romæ super omnia spectatæ virtutis documenta hujus præcipua ratio semper est habita. *Neque enim tantum sudores bellicos testatur*, ut ait Cassiod. Var. II. *sed hæc una omnia militiæ decora præ se ferre semper est visa.* Et *militum virtutis insigne clarissimum* dicitur Plin. l. l. juxta quem *cedunt illi murales vallaresque, & aureæ, quanquam pretio antecedentes: cedunt & rostratæ, quamvis in duobus maxime ad hoc ævi celebres: M. Varrone e piraticis bellis, dante Magno Pompejo: itemque M. Agrippa, tribuente Cæsare e Siculis.* In bello civili huic locus non fuit. Indicat Plinius, etsi verbis obscurioribus: *Hinc civicæ coronæ, militum virtutis insigne clarissimum, jam pridem vero & clementiæ Imperatorum, postquam civilium bellorum profano meritum cœpit videri, civem non occidere.* Cum enim civica non daretur nisi illi qui civem servando hostem occidisset, ac tum civis civi hostis esset, ac proinde non hostis occidi, quin eadem civis perderetur, posset, meritissimo sub Imperatoribus hæc una ex asperis illis *coronæ* civicæ legibus dempta. Et idem est ac si dicat Plinius: Olim fuisse meritum, & quidem magnum; si quis hostem occideret. Sed hodie par, majusve meritum esse, hosti parcere, videlicet, quia civis est. Neque enim ætate Plinii ideo minus dabatur civica, quod hostis non esset occisus. Quin hoc ipso dabatur, quod esset servatus. In prisca Republica præcipua laus civicæ *coronæ* erat professio ejus qui eam dabat. Dabat enim propria manu servatori civis servatus. Gellius hoc supra jam docuit. Docet hoc Cicer. pro Planc. c. 30. *At id etiam gregarii milites faciunt inviti, ut coronam dent civicam, & se ab aliquo servatos esse fateantur.* Polyb. VI. 37. *Qui servati fuerunt, ultro, sin minus, Tribuno post causæ cognitionem cogente, solent coronare: atque adeo per omnem vitam ii qui servatus est, illum pro parente colit, & omnia ea tenetur præstare, quæ filius patri.* Verso rerum statu, cœpit esse beneficium Principis, non judicium servati. Etsi enim sub Principibus non minus advertebatur meritum ejus qui sibi hoc decus in acie peperisset; tunc tamen civica nequaquam tribuebatur a servato, ac ne duce quidem exercitus, sed sola Principis manu. Cuncta enim cesserant in unum Principem. Et hoc nimirum fuit inter illa quæ Princeps uni sibi seposuerat. Tacit. Annal. XV. 12. 5. *Si singulis manipularibus*, inquit Corbulo, *præcipua servati civis corona Imperatoria manu tribueretur, quod illi, & quantum decus, ubi par eorum numerus adipisceretur, qui attulissent salutem, & qui accepissent?* Nec Apronius proconsul eam fine Tiberii consensu dare voluit. Tacit. Annal. III. 21. 3. *Quo prælio Rufus Helvius gregarius miles servati civis decus retulit: donatusque est ab Apronio torquibus & hasta: Cæsar addidit civicam coronam, quod non eam quoque Apronius jure proconsulis tribuisset; questus magis quam offensus.* Materia, unde plectebatur, fuit frondea, hoc est, primum ex ilice, postea ex esculo, postremo e quercu. Plin. XVI. 4. *Samnitium bello civica iligna fuit; postea magis placuit ex esculo Jovi sacra. Variatumque & cum quercu est: ac data ubique, quæ fuerat, custodito tantum ho-*

vore glandis. Gell. l. l. *Ea fiebat e fronde querna : etiam ex ilice, quod genus superiori proximum est, sicut scriptum est in quadam comœdia Cæcilii:*

Advehuntur cum ilignea corona, & chlamyde.

Postremo invaluit mos dandi civicam e qualibet quercu; hoc tantum e prisca superstitione scrupulose servato, *ut glans in ea eligeretur optima atque grandissima. Nam præter glandem ilicis, quam Homerus acylon vocat, qua appellatione a communi glande distinguitur, quæ & ipsa est brevior & gracilior, robori est parva, cerro tristis.* Quare quercus eo dignitatis evecta sit, Plutarch. Quæst. Rom. 91. has reddit rationes: Quod ubique copia est quercus in expeditionibus, & quidem nullo negotio. Quia Jovi & Junoni sacra est ista corona, quibus diis urbium tutelam assignant. Quod prisca est hæc Arcadum consuetudo, quibus est aliqua cum quercu cognatio. Primi enim hominum e terra enati creduntur, sicut quercus inter stirpes prima. Forte etiam stabilis & duraturæ gloriæ indicium erat. Firma enim & annosa est quercus. Num vero denotabat, quasi redivivam integritatem priorum hominum, qui glandibus vescebantur. Tunc se invicem mutuo juvare, tueri, primæ & magnæ artes erant. Dein corrupti posteri, belluarum ritu, cædibus in se invicem grassari cœperunt. Oliva etiam quercui videtur fuisse mixta. Stat. Sylv. v. 3. 231.

Nam quid me mixta quercus non pressit oliva,
Et fugit speratus honos.

Paschal. de Coron. VII. 8 — 11. & 14. Cuper. Apoth. Homer. p. 215. Lips. de Milit. Rom. v. Dial. 17. Panciroll. de Reb. deperd. & inv. p. 611. & ad illum Salmuth. Boxhorn. in Plutarchum. Ursat. de Not. Rom. Thes. Antiq. Roman. Græv. Tom. XI. p. 610. F. Donat. de Urb. Rom. II. 7. Panvin. de Triumph. c. I. Vaillant Numism. Imper. I. p. 46. & 197. Laz. Comm. Reip. Rom. IX. 18. Nicol. de Triumph. c. II. §. I. & 2. Pier. Hierogl. LI. I. Schill Nomencl. Philol. p. 359. Minos in Alciat. Emblem. p. 676. Mader. de Coron. Thes. Antiq. Rom. Græv. Tom. VIII. p. 1412. A. Curt. de Hort. II. 14. Thys. Rom. Illustr. v. p. 147. & in Gellium. Pigh. Annal. Rom. I. p. 60. & 87. Buleng. de Triumph. c. 13. Laurent. Polym. IV. Synops. 3.

Corona convivalis. V. illam infr. in *Coronati.* Has capiebant a domino convivii. Fuerunt primum ex lana, mox floribus omnibus, excepto apio mortuis dicato. Factæ frequentissime ex rosis hyemali tempore, ramento e cornibus tincto, laminave ærea inaurata, aut unguentata cum lemniscis aureis, quos cælare instituit P. Claudius Pulcer, & bracteas etiam M. Crassus aureas fecit, & argenteas, folia imitantes. Adhibebantur ad vini vapores, & ebrietatem cohibendam. *Laurent. de Prand. c. 5.* Aureas etiam Romæ usum aliquem habuisse discas ex Tacit. Annal. II. 57. 6. *Vox quoque audita est in convivio, cum apud Regem Nabatæorum coronæ aureæ magno pondere Cæsari & Agrippinæ, leves Pisoni & cæteris offerrentur.* Capitol. Vero c. 5. *Coronas quinetiam convivis datas, lemniscis aureis interpositis, & alieni temporis floribus.* Ulpian. l. Sed & in coronis ff. de aur. & arg. leg. *Sed & in coronis mensarum gemmæ coronis cedent: & hæ mensis.* Lips. in Tacit. n. 167.

Corona donatica *victoribus in ludis donabatur, quæ postea magnificentiæ causa instituta est super modum aptatum capitibus, quali amplitudine fiunt, cum Lares ornantur.* Festus: *Guther. de jur. Man.* I. 21. *Panvin. de Lud. Circ.* I. 16. *Bulenger. de Triumph. c.* 13. 15. & 30. Sunt, ut puto, aliter provinciales dictæ. Tertullian. de Coron. milit. c. 13. *Sunt & provinciales aureæ* coronæ *imaginum jam, non virorum, capita majora quærentes:* Scalig. in Festum.

Corona equestris inter militares videtur fuisse illa, quæ scilicet dabatur illi, qui equo merens edidisset aliquod memorabile facinus, quo Rempublicam juvisse diceretur. Zonaras in Camillo. Hæc quoque præferebat suum insigne, id est, quidpiam quod ad equitatum pertineret. Plin. XV. 4. *Oleæ honorem magnum Romana majestas tribuit, equitum turmas Idibus Juliis ex ea coronando.* Dionysius. V. illum infr. in *Equites.* Paschal. de Coron. VII. 4.

Corona exploratoria effigiatum solem, lunam, cætera sidera habuit peculiaria insignia. Illam, ut meus fert animus, exploratoriam vocavit Caligula apud Suet. c. 45. n. 2. *Comites autem & participes victoriæ novo genere ac nomine coronarum donavit; quas distinctas solis, ac lunæ, siderumque specie exploratorias appellavit.* Quod ut cœlesti siderum fulgore omnia explorantur, ita illa tanta specie is testabatur, sibi quidem esse exploratam, hoc est, satis superque spectatam virtutem illorum, quos talibus *coronis* honestasset. *Paschal. de Coron.* IX. 10. Vel exploratoria est dicta, quod in explorationem hostium daretur. *Beroal. in Suetonium.*

Corona forensis dicebatur, quæ a clientibus advocati foribus suffigebatur. V. illam supr. in *Clientes.*

Coronæ funebres dici possent, quas leges decemvirales permittunt. Vestigia ejus exstant apud Cicer. de Leg. II. 24. *Illa jam significatio est laudis, ornamenta ad mortuos pertinere, quod coronam virtute partam, & ei, qui peperisset, & ejus parenti sine fraude esse lex impositam jubet.* Plin. XXI. 3. *Inde illa* XII. *tab. lex : Qui coronam parit, ipse pecuniæve ejus virtutis ergo arguitur. Quam servi, equique meruissent, pecunia partam lege dici nemo dubitavit. Quis ergo honos? ut ipsi mortuo, parentibusque ejus, dum intus positus esset, forisve ferretur, sine fraude esset imposita.* Sed in Plinii verbis non unum, aut alterum, sed plura insunt menda. Nam pro verbo *arguitur*, quod alii in *arduitor* mutarunt, liber MSC. habet *diditur*, licet in alio sit *dividitur*, quod ab imperito aliquo suppositum est, cui esset ignota significatio verbi *diditur.* Vocis item *ergo* nulla in eodem libro exstant vestigia, ut eam decemviralem non esse plane credendum sit. Pro *parentibus* scribimus *parentalibus*, ducti conjectura, quam veram existimamus. Quid enim magis absurdum, si receptam lectionem retineamus, vel, quod magis sit contra jus naturæ, potuit a decemviris excogitari, quam parentes liberis suis superstites ominari? Deinde *parentibus* numero multitudinis quid magis ineptum? ut fortasse minus turpiter erratum sit ab iis, qui apud Ciceronem *parenti* reposuerunt. *Parentalia* apud antiquos quæ fuerint notum est. Lex igitur XII. tab. ei qui *coronam* ludis adeptus esset, præter eos honores, qui tribuuntur viventi, cum ejus nomen publice peractis ludis a præcone omnibus audientibus pronuntiatur, sive is equo, sive quadrigis victoriam adeptus esset (id enim est *ipsius pecuniæve ejus virtutisve diditor*, ut apud Græcos ἵππῳ, τεθρίππῳve addebatur) hoc etiam tribuit, ut eidem mortuo virtute parta *corona* sine fraude imponatur non illis septem tantum diebus, quibus intus, id est, domi, positus esset; sed eo etiam die, quo foris efferretur cum pompa, & ornatu in forum ad rostra. Morem mortuos *coronandi* indicant Tertull. Apolog. c. 41. & Minucius Felix in Octavio, cujus verba sunt hæc: *Nec mortuos coronamus: ego vos in hoc magis miror, quemadmodum tribuatis exanimi, aut sentienti facem, aut non sentienti coronam, cum & beatus non egeat, & miser non gaudeat floribus . . . .* Emendamus legem hoc modo: *Quei. coronam. paret. ipsius. pecuniæve. ejus. virtutisve. diditor. ipseique. mortuo. parentalebos. ejus. quum. entus. positos. est. quomque. foris. exfertor. imposita. se. frauded. estod.* Apud Ciceronem ita legendum: *quod coronam virtute partam ei qui peperisset, ejus parentalibus sine fraude. . . .* Nemo enim non videt sententiæ, ut est in vulgatis, absurditatem. Error fluxit ex voce *parentalibus*, quam faciliore lapsu primum in *parentibus* librarius mutavit; deinde alius, cum inepta prorsus illa vox videretur, in *parenti* rursus mutandam existimavit. *Ursin. ad Leg. & SCta Thes. Antiq. Roman. Græv. Tom.* II. *p.* 1367. *C. Kirchman de Funer. Roman.* I. II. V. etiam *Lips. Epist. Quæst.* IV. 26. *Revard. Balduin. Hotman. & Marcil. in Leg.* XII. *tab.* Posset tamen fortean pro vulgata Plinii, & Ciceronis lectione contra conjecturam Ursini non improbabiliter dici; illud omen, ut liberi ante parentes moriantur, non necessario inesse illi legis lectioni, cum possint *coronæ* a filiis partæ etiam parentibus eorum imponi, viventibus, ac superstitibus licet ipsis filiis: & potuisse *coronas* eas reportari a funere domum, atque asservari usque ad tempus mortis etiam

etiam filiorum. Ita dico, videri mihi honorem *coronæ* a filio partæ sua virtute communem esse potuisse eidem cum parentibus. *Rittersh. in Leg.* XII. *tab. Claß.* I. *c.* 10.

Corona Jovis in Capitolio fuit habitus. Plaut. Trin. I. 2. 46.

Nam nunc ego si te surripuisse suspicer
Jovi coronam de capite, e Capitolio,
Quod in culmine adstat summo.

Auream enim opinor eam *coronam* fuisse, ad similitudinem Etruscarum, quas describit Tertull. de Coron. Milit. c. 13. *Hoc vocabulum est coronarum, quas gemmis & foliis ex auro quercinis ob Jovem insignes, ad deducendas thensas cum palmatis togis sumunt.* Rycq. de Capitol. c. 19. Qui Jovis *coronam* ex auro fuisse, quercinam referentem hinc probare vult. Verum Tertullianus quercum Jovi sacram tantummodo indicare volens, non dicit Jovem *coronam* quercinam habuisse in Capitolio: & ego radiatam fuisse ex Suetonio assero. Ita enim ille Aug. c. 94. n. 9. *Videre visus est filium mortali specie ampliorem, cum fulmine & sceptro, exuviisque Jovis Opt. Max. ac radiata corona.* Nardin. Rom. Vet. V. 15. Donat. de Urb. Rom. II. 7. *Corona* etiam, ut res maximo numini vota & consecrata non apud alium sanctius asservari, quam in æde eidem summo numini dicata potuit. Triumphalis enim dux hanc domum non deferebat; sed eam ipse, perfecto prope triumpho, triumphali curru vectus deferebat ad Jovem, eamque in ipsius gremio deponebat. Nempe effigies Capitolini Jovis, ad exemplum Olympici, sedebat. Cicer. de Prov. Conf. c. 14. *Si in Capitolium invehi victor cum illa insigni laurea gestiret.* Sil. Ital. IX. 545.

Ille, o nata, libens cui tela inimica ferebas,
Contundet Tyrios juvenis, ac nomina gentis
Induet, & Libycam feret in Capitolia laurum.

Decernebatur a Senatu, & proinde publico fiebat sumptu. Cicer. in Pison. c. 24. *Quid est, quod confecto formidolosissimo bello, coronam illam lauream tibi tantopere decerni volueris a Senatu?* Paschal. de Coron. VIII. 3.

Corona Larium erat florea. Plaut. Aul. II. 8. 15. V. illum supr. in *Lares.* Tib. II. I. 59.

Rure puer verno primum de flore coronam
Fecit, & antiquis imposuit Laribus.

De illa Cato de Re Rust. c. 144. *Kalendis, Idibus, Nonis, festus dies cum erit, coronam in focum indat: per eosdemque dies Lari familiari pro copia supplicet.* In focum, quia sedes Larium erat apud focum. Plautus modo laudatus. Et quia apud focum statuebantur, nigri, hoc est, atri, fumosi dicuntur. Prudent. contr. Symm. I. 203.

—— *saxa illita ceris*
Viderat, unguentoque Lares humescere nigros.

Paschal. de Coron. IV. 3. Voss. de Idolol. I. 11. Durant. Var. Lect. I. 19. Guther. de vet. jur. Pontif. IV. 6. Saubert. de Sacrif. c. 24. Mader. de Coron. Thes. Ant. Rom. Græv. Tom. VIII. 1416. E.

Corona lemniscata dicebatur lemniscis obligata. Plin. XXI. 3. *Crassus dives primus argento auroque folia imitatus, ludis suis coronas dedit. Accesseruntque & lemnisci, quos adjici ipsarum coronarum honos erat propter Hetruscas, quibus jungi nisi aurei non debebant. Puri diu fuere ii. Cælare primus instituit P. Claudius Pulcher.* Capitol. Ver. c. 5. *Coronas quin etiam datas lemniscis aureis interpositis, & alieni temporis floribus.* Illis concinne involvebantur, atque adeo tanta gratia, ut solidarentur flores, non absconderentur. Cui decori augendo reliquæ partes utrinque relinquebantur, ut utrimque dependerent usque ad humeros. *Paschal. de Coron.* II. 12. *Politian. Miscell. c.* 72. *Salmas. in Capuolinum.*

Coronæ longæ in funeribus prohibitæ apud Cicer. de Leg. II. 24. quales fuerint, quia non satis intellexerunt, interpretes non adnotant. Hotman. Antiq. Roman. III. I. p. 394. A. lemniscos intelligit: sed errat, tam enim rotundæ esse lemniscatæ possunt, quam longæ. Observavimus longis *coronis* busta, sepulcra, sellas curules, theatra, & currus triumphales *coronari* consuevisse: rotundis homines usos esse. De longis *coronis* illud accipiendum puto, quod hunc in modum scripsit Min. Felix. Octav. p. 107. *Sic reformidatis deos, quos negatis. . . . . coronas etiam sepulcris denegatis.* Ræward. in Leg. XII. tab. c. 15. Salmuth in Pancirol. de Reb. deperd. & inv. p. 734. Dictæ sunt longæ ad differentiam rotundarum. Longis non solum fores coronabant, ut significat Ovid. Fast. IV. 738.

Et tegat ornatas longa corona fores.

sed etiam iisdem redimiebant funera, ac sepulcra. Plin. XXI. 3. *Et jam tunc coronæ deorum honos erant, & Larium publicorum privatorumque, ac sepulcrorum, & manium.* Balduinus putat, *coronas* longas cultui deorum adhibitas fuisse, & ideo mortuis negari per leges XII. tab. ne divini honores cadaveribus adhiberi viderentur. *Rittersh. in Leg.* XII. *tab. Claß.* I. *c.* 9. Et ita interpretatur *Turneb. in Cicer. p.* 163.

Corona muralis fuit aurea. Hanc Imperator proponebat illi qui murum obsessæ urbis primus ac per vim ascendisset. Liv. XXVI. 48. *Itaque quanquam omnibus omnia deberet, præcipuum tamen muralis coronæ decus ejus esse, qui primus murum ascendisset.* Gell. V. 6. *Muralis est corona, qua donatur ab Imperatore qui primus murum subiit, inque oppidum hostium per vim escendit: idcirco quasi muri pinnis decorata est.* Polyb. VI. 37. *At quoties urbs capitur, auream iis coronam, qui primi muros conscenderint, donat.* Quod alia dona militaria honore anteibat, nonnisi præcedente fastidiosa inquisitione, hoc est, re ad unguem explorata, dabatur. Suet. Aug. c. 25. n. 3. *Dona militaria aliquanto facilius, phaleras & torques, quicquid auro argentoque constaret, quam vallares & murales coronas, quæ honore præcellerent, dabat. Has quam parcissime, & sine ambitione, ac sæpe etiam caligatis tribuit.* Paschal. de Coron. VII. 3. Lips. de Milit. Rom. V. Dial. 17. Panciroll. de Reb. deperd. & inv. p. 612. & ad illum Salmuth. Ursat. de Not Roman. Thes. Antiq. Roman. Græv. Tom. XI. p. 646. A. Mader. in Panvin. de Triumph. c. 11. Laz. Comm. Reip. Rom. IX. 18. Buleng. de Triumph. c. 13. Thys. Rom. Illustr. V. p. 148. Kipping. Differt. de Expedit. marit. c. 3. Nicol. de Triumph. c. 11. §. 4. Rosin. Antiq. Roman. X. 27. Schill. Nom. Philol. p. 360. Hanc magnæ deum matri tribuit Lucret. II. 606.

Muralique caput summum cinxere corona,
Ex imis munita locis quod sustinet urbes.

Hæc est Rhea, sive Cybele, quæ ita pingitur, ut eam leones ferant, & tympanum habeat, & super caput *coronam* turritam: ἐπὶ τῇ κεφαλῇ πυργοφορέει. Lucian. de dea Syria. p. 663. *Eandem inquit Varro* apud Augustin. de Civ. Dei II. 12. *dicunt matrem magnam, quod tympanum habeat, significari esse orbem terræ, quod turres in capite, oppida.* Ovid. Fast. IV. 219.

At cur turrita caput est ornata corona?
An primis turres urbibus illa dedit?

Paschal. & Nicol. l. l.

Corona natalitia, qua parentes gaudium suum præ foribus suspensa testabantur. Juven. Sat. IX. 85. V. infr. in *Infantes.* & alludit Nonn. Dionys. XXV. 228.

Bacchi coronas hasce puerperio condecentes.

Ideoque, notante Meurs. Attic. Lect. IV. 10. puerperæ domus *coronata*, στεφανηφόρος dicta est. *Barthol. de puerper. vet. p.* 125. In sexu vario circa *coronas* has diversitatem noto ex Hesychio. Ita enim ille: *Moris erat apud Athenienses, quando puerulus esset, coronam oleaginam statuere præ foribus, ob femellas vero lanas.* Barthol. ibid. p. 127. Mader. de Coron. Thes. Antiq. Roman. Græv. Tom. VIII. p. 1411. B. Sagittar. de Jan. vet. c. 30. n. 20.

Corona navalis, sive classica, sive rostrata ea est, qua donatur is, qui maritimo prælio primus in hostium navem armatus transilierit; cujusque opera, manuve navis hostium capta fuerit. Gell. V. 6. *Navalis est, qua donari solet maritimo prælio, qui primus in hostium navem armatus vi transilivit: ea quasi navium rostris insignita est, & ex auro*

fieri solet. Ideoque fulgere dicebatur. Virg. VIII. 684.

— cui belli insigne tropaum
Tempora navali fulgent rostrata corona.

Hoc insigni tam præclaro neminem unquam Romanorum, excepto Agrippa, fuisse donatum affirmant Paterc. II. 81. 3. *Insigne corona classicæ, quo nemo unquam Romanorum donatus erat, hoc bello*, n. Actiaco, *Agrippa singulari virtute meruit*. Liv. Epit. 12. *M. Agrippa navali corona a Cæsare donatus est. Qui honos nemini ante eum habitus est.* Dio XLIX. p. 400. C. *Agrippam aurea corona rostrata donavit, quod neque ante eum, neque post eum ulli contigit.* Seneca quidem vocat Agrippam navali *corona* insignem, sed non addit primum. Verba ejus sunt hæc de Benef. III. 32. *Utrum majus beneficium dedit M. Agrippæ pater, ne post Agrippam quidem notus: an patri dedit Agrippa, navali corona insignis, unicum adeptus inter dona militaria decus?* Contra tamen Festus in Navali: *Navali corona donatur, qui primus in hostium navem armatus transilierit: cujusve opera, manuve navis hostium capta fuerit. Itaque adeptus est eam M. Varro donante Cn. Pompejo Magno, bello piratico. Item A. Atilius bello contra Nabin.* Et Plin. VII. 30. *M. Varroni Magnus Pompejus piratico ex bello navalem dedit.* XVI. 4. V. illum supr. in *Corona civica*. Magnæ fuit dignitatis, rostra enim navium tribunali fuerunt præfixa. Plin. XVI. 4. *Antea rostra navium tribunali præfixa fori decus erant, veluti populo Romano ipsi corona imposita: postquam vero tribunitiis seditionibus calcari ac pollui cœpere, postquam vires ex publico in privatum magis singulisque civium quæri, sacrosancta omnia profana fuere, tum a pedibus eorum subiere in capita civium rostra.* Suetonius quoque refert c. 17. n. 4. Claudium *inter hostilia spolia navalem coronam fastigio Palatinæ domus juxta civicam fixisse, trajecti, & quasi domiti Oceani insigne.* Hanc a Græcis quoque usurpatam fuisse video. Nempe cum Atheniensis Respublica duris rebus urgeretur, & undique surgentia pericula postularent, ut quantocyus triremes milite complerentur, decretum factum est his verbis: *qui primus adornaverit triremem, huic populus quæstorem jussit dare coronam.* At hoc ego feci, inquit Cephisodotus ore Demosthenis de Coron. præfectur. nav. p. 1094. D. idcirco me coronari oportere ajo. *Paschal. de Coron.* VII. 4. *Chiflet. Aqu. Virg. Thes. Antiq. Rom. Græv. Tom.* IV. *p.* 1787. *A. Mader. in Panvin. de Triumph. c.* I. *Buleng. de Triumph. c.* 13. *Laurent. Polym.* IV. *Synops.* 3. *Kipping. Dissert. de Expedit. marit.* §. 3. *Rosin. Antiq. Roman.* X. 27. *Sagittar. de Jan. vet. c.* 30. *n.* 6. *Ursat. de not. Rom. Thes. Antiq. Roman. Græv. Tom.* XI. *p.* 896. *E. Lips. de Milit. Rom.* V. *Dial.* 17. *Turneb. Adv.* XXVI. 29. *Salmuth in Panciroll. de Reb. deperd. & invent. p.* 614. *Scheffer. de Milit. Nav.* IV. 2. *Boecler. in Paterculum. Cerda & Taubman in Virgilium. Schill. Nomencl. Philol. p.* 360. *Thys. Rom. Illustr.* V. *p.* 148. Distincta fuit a rostrata. V. infr. in *Corona rostrata*.

Corona nuptialis dicebatur, qua I. nova nupta blande & eleganter redimita prodibat. Catull. LXI. 7.

Cinge tempora floribus
Suaveolentis amaraci.

Lucan. II. 358.

Turritaque premens frontem matrona corona.

Aring. Rom. Subterr. II. 49. 9. Casal. de Rit. nupt. c. I. Laurent. de Sponsal. c. I. Blond. Triumph. Rom. VIII. p. 161. B. Nectebatur e floribus aureis, addito pretioso gemmarum decore. Claud. de Laud. Seren. n. I.

Dic mihi, Calliope, tanto cur tempore differs
Pierio meritam serto redimire Serenam?
Vile putas donum solitam consurgere gemmis
Aut rubro radiare mari, si floribus ornes
Reginæ regina comam.

Hanc procul dubio designat versibus, quos e vetere comœdia refert, Cicer. de Orat. III. 58.

Sed mihi cum retulit, coronam ob collocandas nuptias
Tibi ferebat, cum simulabat sese alteri dare,
Tum ad te ludibunda docte & delicate detulit.

Videtur fuisse perpetuum gestamen & ornamentum matronarum, præcipue illarum, quæ essent primores, principes, reginæ. Colligo ex Homer. Iliad. X. 470.

Coronamque, quam & dedit aurea Venus
Die illo, quando ipsam cristatus duxit Hector
Ex domo Eetionis, postquam præbuit ingentem dotem.

Vocabant γαμήλιον. Bion Eidyll. I. 86.

Ipsam Cythercam deplorant amores,
Exstinxit totam faciem in limine Hymenæus,
Et coronam nuptialem, γαμήλιον σέφ@, expandit.

Paschal. de Coron. II. 16. Mader. de Coron. Thes. Antiq. Roman. Græv. Tom. VIII. p. 1422. B. Brisson. de Ritu nupt. Thes. Antiq. Rom. Græv. Tom. VIII. p. 1227. F. Lyd. Serm. Conviv. II. 120. Componebatur ex verbenis ab ipsa lectis. Festus: *Corollam nova nupta de floribus, verbenis, herbisque a se lectis sub amiculo ferebat.* Hotman. de vet. rit. nupt. c. 16. Brisson. de Rit. nupt. l. l. Dacerius *sub amiculo* exponit sub flammeo. II. sponsus ipse coronabatur. Tertull. de Coron. milit. c. 13. *Coronant & nuptiæ sponsos.* Claud. Nupt. Honor. & Mar. n. 202.

Tu festas, Hymenæe, faces; tu, Gratia flores
Elige; tu geminas, Concordia, necte coronas.

Plaut. Cas. IV. I. 9.

Villicus hic autem cum corona candide
Laute vestitus, exornatusque ambulat.

III. Universa familia in sponsi sive adulationem, sive honorem *coronas* plectebat, & omnes affines & domestici, qui intererant lætitiæ nuptiali, adspiciebantur *coronati coronis* floreis. Apollon. IV. 1158.

Capita vero pulcricomis coronati ramis
Accurate Orphei sub suaviter modulantis
Sponsalibus Hymenæum in cacuminibus cantabant.

Paschal. l. l. IV. Nuptialium domorum fores floribus, & frondibus exornabantur. Catull. LXIV. 293.

Vestibulum ut molli velatum fronde vireret.

Plin. XV. 30. *Laurus triumphis proprie dicatur, vel gratissima domibus, janitrix Cæsarum, Pontificumque sola, & domos ornat, & ante limina excubat.* Juven. Sat. VI. 227. V. illum infr. in *Laurus*. Aring. & Paschal. l. l. Curt. de Cult. Hortor. II. 16. V. Thalamus, sive lectus *coronari* mos fuit. Apollon. IV. 1143.

— nec non & flores stratis
Nymphæ collectos candidis sinibus
Inferebant.

Paschal. l. l.

Corona obsidionalis, sive obsidialis dabatur Imperatori, qui cives obsidione liberasset. Gell. V. 6. *Obsidionalis est, quam ii, qui liberati sunt obsidione dant ei duci, qui liberavit.* Dicebatur & graminea. Plin. XXII. 4. *Graminea nunquam nisi in suprema desperatione contigit, nulli nisi ab universo exercitu servato decreta. Cæteras Imperatores dedere. Hanc solam miles Imperatori. Eadem vocatur obsidionalis, libertatis obsidione, abominandoque exitio totis castris.* Fiebat *ex gramine viridi fere eo loco decerpto in quo erant inclusi. Namque summum apud antiquos signum victoriæ erat, herbam porrigere victos, hoc est, terra & altrice ipsa humo, & humatione etiam cedere.* Festus, Plin. & Gell. l. l. In hac tantum fuit claritatis, ut ea claritate nihil in rebus humanis sublimius fuerit. Et quidem P. Decius *religione confessus est quanta esset ejus honoris auctoritas, siquidem & donatus bovem album Marti immolavit, & centum fulvos, qui ei virtutis causa dati fuerant simul ab obsessis.* Plin. XXII. 5. Qui etiam ibid. c. 3. firmat, *coronam nullam fuisse graminea nobiliorem in majestate populi terrarum principis, præmiisque gloriæ. Gemmatæ*, inquit, *& aureæ, vallares, murales, rostratæ, civicæ, triumphales post hanc fuere, suntque cuncta magno intervallo, magnaque differentia.* Paschal. de Coron. VII. 16. Lips. de Milit. Rom. V. Dial. 17. Thys. Rom. Illustr. V. p. 148. & in Gellium. Laz. Comm. Reip. Rom. IX. 18. Mader. de Coron. Thes. Antiq. Roman. Græv. Tom. VIII. p. 1412. A. Buleng. de Triumph. c. 13. Laurent.

Polym.

Polym. IV. Synopf. 3. Nicol. de Triumph. c. II. §. 3. Rofin. Antiq. Roman. x. 27. Minos in Alciat. Emblem. p. 172. Inter obfidionalem & civicam hoc difcriminis erat, quod hæc fervati unius civis fignum, illa plurimorum civium fervatorum effet. Iftam cives, qui liberati obfidione erant, darent duci, qui liberaffet: civicam vero daret civi, a quo in prælio effet fervatus. Illa graminea erat; hæc quercea, vel querna. *Mader. in Panvin. de Triumph. c. I. Pafchal. & Buleng. l. l.*

Corona oleagina dicebatur, *qua uti folebant, qui in prælio non fuerunt, fed triumphum procurabant.* Gell. v. 6. Qui quos auctores, aut quod ævum afpiciat, nefcio. Virtutis tamen caufa invenio militibus donatam. Dio Caffius de Augufto præmia tribuente in Sicilia Sext. Pompejo victo XLIX. p. 400. B. *Et omnibus quidem militibus quingentas drachmas, iis vero qui navali certamine viciffent, etiam coronam oleagineam dedit.* Et ante a Senatu ipfo id factum tradit XLVI. p. 317. D. bello & victoria Mutinenfi: qui cum nollet omnes milites Octaviani præmiis afficere, ne efferrentur fuperbia, nec omnes prætermittere poffet, auderetve: *media via ingreffi funt, hos laudantes, illos minime; hos coronis oleæ donantes uti per ludos ferrent, illos nequaquam.* Lipf. de Milit. Rom. v. Dial. 17. Thyf. Rom. Illuftr. v. p. 148. & ad Gellium. Buleng. de Triumph. c. 13.

Corona ovalis etiam ducibus tantum, non militibus feponebatur. Qua donabantur ii, qui ovantes Urbem introibant. Gell. v. 6. *Ovalis corona myrtea eft: ea utebantur Imperatores, qui ovantes introibant Urbem.* Feftus: *Ovalis corona eft myrtea, quam habebant, qui ovantes introibant, cum bella non erant indicta, aut fine fanguine confecta.* Contexebatur ex myrto, quod hæc arbor Veneri dicata fuerit, quæ vim ac bellum perofa fit. Gell. l. l. *Cui facilitati aptam effe Veneris frondem crediderunt, quod non Martius, fed quafi Venereus quidam triumphus foret.* Plin. XV. 29. *Triumphans de Sabinis Poftumius Tubertus in confulatu, qui primus omnium ovans ingreffus Urbem eft, quoniam rem leviter, fine cruore gefferat; myrto Veneris victricis coronatus inceffit, optabilemque arborem etiam hoftibus fecit.* Pafchal. de Coron. VII. 17. Curt. Hortor. II. 11. Buleng. de Triumph. c. 14. Tiberius tamen ipfe nihil Venereum in ovatione cogitavit, cum apud Suetonium c. 9. n. 4. *& ovans, & curru Urbem ingreffus eft, licet triumphalibus ornamentis, primus, ut quidam putant, honoratus, novo, nec antea cuiquam tributo genere honoris.* Et quidem Dionyf. Halicarn. v. p. 314. hoc triumphi genus a Senatu inventum auctore Licinio prodidit; aitque nullo difcrimine agi hunc triumphum ab altero, nifi quod in ovatione dux non curru, fed pedibus in Urbem præcedit pompam militum; nec induitur trabea picta, auroque intertexta, fed toga prætexta, quod eft confuetum confulibus & Imperatoribus geftamen: nec fceptrum geftat ut triumphantes, fed tantum coronam lauream, *στέφανον ἐπίκειται δάφνης.* Sed pro *δάφνης* repone *μυῤῥίνης. Pafchal. l. l.*

Corona pactilis plerifque videtur compactilis. Fortaffe tamen fuerit, cujus coronamenta in torulo rotundo, vel ufpiam figuntur *panguntur que.* Plin. XXI. 3. *Summaque auctoritas pactili coronæ.* Turneb. Adv. XVIII. 29. Stuck. Ant. Conv. III. 16. V. infr. in *Corona plectilis.*

Corona plectilis dicebatur, quæ e floribus, gramine, falice, arundine, lana, lino, hedera, omnique adeo materia plectili plectebatur. Numeratur in mundo muliebri. Plaut. Bacch. I. 2. 37.

Pro galea fcaphium, pro infigni fit corona plectilis.

Græcis funt *στέφανοι πλεκτοί.* Hujus meminit Artemid. IV. 6. ubi recenfet plectilem, feu plicatilem fupellectilem. Eft quoque dicta pactilis, quafi juncta, id eft, floribus artificiofe mixtis compacta. Et nexilis, quod conftabat e nexibus florum. Nempe & ipfi flores necti dicebantur, vel innecti. Plin. Epift. IV. 3. 3. *Quæ fcribis complere apes floribus, & innectere videntur.* Et tandem tortilis, feu volubilis, aut fe volvens. Tortam vocat Prop. III. 18. 10.

Teftis fidereæ torta corona deæ.

Videtur fuiffe non folum forma circulari, fed & in eam fuerunt admiffæ res orbiculares, veluti ad volubilitatem rotundatæ. Quippe hinc tota fiebat firmior ac folidior, ac proinde volubilis, verfatilis, rotatilis. *Pafchal. de Coron.* I. 13. *Turneb. Adv.* II. 30. *Stuck. Ant. Conv.* III. 16. *Buleng. de Triumph. c.* 16. Ego intelligo ex integra fronde lauri plexam. Gell. XVIII. 2. *Ponebat coronam e lauro plexam.* Hujufmodi enim, quas ex integris frondibus & intonfis veteres nectebant, plectiles, vel nexiles dicebantur. *Ouzel. in Gellium.*

Corona provincialis erat, quæ Imperatori triumphaturo e provinciis mittebatur, & quidem in hoc, ut ipfi in ipfa triumphi celebritate præferretur, nempe poftquam triumphum ei decretum effe percrebruerat: aut cum res ejus geftæ tantæ erant, ut ei jure denegari triumphus non poffet. Tertull. de Coron. milit. c. 13. *Sunt & provinciales aureæ, imaginum jam, non virorum capita majora quærentes.* Unde conftat, eas fuiffe grandiores & ponderofiores. Plutarch. in Paull. Æmil. p. 273. D. *Sub his coronæ aureæ quadringentæ numero tranflatæ dona civitatum Paullo cum legationibus victoriæ caufa miffæ.* Erant aureæ. Eft hoc palam e locis laudatis. Nimirum ut munus non tantum honore cenferetur, fed & pondere & pretio. Manebant apud eum cui mittebantur. Id quod ea re addo, quod proceffu temporis eo ventum eft, ut hoc argumentum cultus & officii, detrita gratia muneris, factum fit tributum; cui & in libertate, quod mirere, fuit *auro coronario* nomen, quod nunquam accipiebatur nifi decreto triumpho. *Pafchal. de Coron.* VIII. 6.

Corona quercica ornabat poftes domus Auguftæ, erat lauro circumdata. V. infr. in *Laurus. Media* appellatur, non quod lauro fuerit circumdata, ut hi volunt. Ovidius enim illas difcernit, nec non Dio LIII. p. 507. A. *Cæfari multi erant honores delati, nempe ut ante ipfius domum in palatio lauri, ac fuper eas coronæ quernea fufpenderentur, quod perpetuus effet hoftium victor, & civium fervator.* Et fufpenfam docet Suet. Claud. c. 17. n. 4. Puto ab utroque portæ Palatinæ latere laurus fuiffe, & propterea Poetam eas *poftibus Auguftis cuftodes* apponere, inque medio earum fupra fores in fronte ædium *coronam* civicam fuiffe, eam inde mediam vocari, & recte dici *fuper laurus* fufpendi. Non igitur erant junctæ, fed vicinæ; altera nempe laurus in terram defixa, virens, crefcens, ut patet ex Ovidio mox laudando; altera vero parieti affixa: Eo refpiciens ultimam *vicinam arborem* videtur vocare Calpurn. Ecl. IV. 90.

In quibus Auguftos vifuraque fæpe triumphos
Laurus fructificat, vicinaque nafcitur arbos.

Vicina arbos mihi videtur effe quercus, ex qua *coronæ* civicæ fiebant, quæ ante fores Augufti erant lauro proximæ. V. Ovid. Trift. III. 1. 33. *Lauru appofita* poftes velari, & illi civicam fuperponi canit n. 39. V. illum. Cuper. Apoth. Homer. p. 216. Buleng. de Triumph. c. 13. Infcriptio addita erat, *ob cives fervatos.* Ovid. n. 47.

Caufa fuperpofitæ fcripto teftata coronæ
Servatos cives indicat hujus ope.

Senec. de Clem. I. 26. *Felicitas illa. . . . & mereri clementia civicam. Nullum ornamentum Principis faftigio dignius pulcriufque eft, quam illa corona ob cives fervatos.* Val. Max. II. 8. *Ad quercum pronæ manus porriguntur: ubi ob cives fervatos corona danda eft: qua poftes Auguftæ domus fempiterna gloria triumphant.* Cuper. ibid. p. 217. Sagittar. de Jan. vet. c. 30. n. 4. Nardin. Rom. vet. VI. 13. Poft Auguftum illam Tiberius noluit fufcipere. Suet. c. 26. n. 6. *Civicam in veftibulo coronam recufavit.* Caligula eodem docente c. 19. n. 4. *per pontem primo die phalerato equo, infignifque quercica corona, ultro citro commeavit.* Claudius *Palatinæ domus faftigio affixit.* Suet. c. 17. n. 4. Cernitur in nummis cum infcriptione: EX S. C. OB CIVES SERVATOS. vel S. P. Q. R. P. P. OB. C. S. Ac fine dubio fequentes Imperatores eadem fibi fervata palatia fua exornarunt. Cernitur fane in Galbæ, Vitellii, Vefpafiani nummis cum infcriptione follenni; in Trajani cum literis COS. P. P. S. P. Q. R. OPTIMO PRINCIPI: in L. Aurelii PRIMI DE-

CEN-

CENNALES COS. III. quia illi una cum Marco *oblata eſt corona civica* teſte Capitol. in Anton. Philoſ. c. 12. *Cuper. ibid. p.* 218. *Nardin. l. l. Criſpin. in Ovid. Faſt.* I. 613. *Briſſon. de Form.* IV. *p.* 354. A domo Principis ſenſim tranſiit ad fores privati cujuſque. Certe ibi aſpiciebatur picta, aut quavis alia ratione effigiata. Ovid. Faſt. I. 613.

Augeat imperium noſtri ducis: augeat annos:
Protegat & noſtras querna corona fores.

Id fiebat in publica lætitia. Quippe publica re bene geſta, ut ad ſingulos utilitas, ita lætitia perveniebat. Tertull. de Idolol. c. 15. *Scio fratrem per viſionem eadem nocte caſtigatum graviter, quod januam ejus, ſubito annuntiatis gaudiis publicis, ſervi coronaſſent.* Lucan. in Piſon. n. 30.

Hinc quoque ſervati contingit gloria civis,
Altaque victrices intexunt limina palmæ.

Paſchal. ibid. c. 10. Hæc fidei totius antiquitatis adverſantur; & vel Cæſarum zelotypia, qui ægre ferebant inſignia ſua aliis dari, hanc ſententiam condemnat. Apud Ovidium, quem producit, *noſtras*, eſt ex ejus mente, fores Ovidii. Sed *protegat* poteſt commode ſignificare defendat. Deinde in uno Vaticano eleganter ſcribitur *meritas*; & in optimis codicibus *veſtras*; ut ad Germanicum referatur, cujus tutelam geſturum Auguſtum hac loquendi forma, vel certe eum quoque Imperatorem fore optat. Quod ex Tertulliano affert, nihil ad rem facit; quia in publica lætitia omni frondium genere januas ornare & *coronare* ſolebant. Ex Lucani verbis qui probabit, privatorum ædibus *coronam* civicam fuiſſe appenſam, debet argumentari hoc modo: ut palma, ita & quercea *corona*, quæ eſt gloria ſervati civis, debuit ſuſpendi. Sed præcedentes verſus, ſine quibus hi bini intelligi difficulter poſſunt, in medium afferantur. Ita igitur canit n. 25.

Nos quoque pacata Piſonem laude nitentem
Exæquamus avis; tamen etſi bella quierunt,
Non periit virtus, licet exercere togatæ
Munera militiæ, licet & ſine ſanguinis hauſtu
Mitia legitimo ſub judice bella movere.
Hinc quoque ſervati. . . . .

Opponit militiam bellicam avorum, & togatam Piſonis; & licet illa quieſcat, tamen hanc exercere, & ſub judice bella movere, id eſt, patroni munere fungi, reoſque in judicio defendere, quæ maxima apud Romanos laus, eum poſſe canit: & hinc addit *contingere gloriam ſervati civis*; quando ſcilicet cauſa patronus vincit; nec civicam *coronam* dicit eſſe foribus ſuſpendendam, ſed *palmas intexere alta limina.* Scilicet ſolebant oratores & cauſidici victoriam in foro partam teſtari appenſa pro foribus palma, ut ea via clientes plures pararent; quemadmodum loco eleganti docet Lucianus libello, quem ῥητόρων διδάσκαλον inſcripſit p. 324. quo etiam reſpicit Juven. Sat. VII. 117.

—— rumpe miſer tenſum jecur, ut tibi laſſo
Figantur virides, ſcalarum gloria, palmæ.

Mart. VII. 28. 5.

Sic fora mirentur, ſic te palatia laudent,
Excolat & geminas plurima palma fores.

Cuper. ibid. p. 217. Grang. in Juvenalem, Sagittar. de Jan. vet. c. 30. §. 22.

Corona radiata eſt, quam *radiantem arcum* vocat Stat. Theb. I. 28.

Ipſe tuis alte radiantem crinibus arcum
Imprimit.

Illa e Romanis Principibus primum Caligulam uſum video: nempe cum id ageret, ut ſibi adſciſceret famam divinitatis, ſeque non ſolum heroibus æquaret, ſed & ipſis majoribus numinibus, Mercurio, Marti, Apollini, quorum geſtamina & inſignia geſtabat, *coronis* radios imitantibus caput evinctus, ut de illo Philo Legat. p. 1005. B. In hujus lamina, ſive ambitu aſpiciuntur ſtellæ tres, & ſupra frontem ſemicirculus lunaris. E ſola ſpecie ſatis apparet eſſe ex illarum genere, quas ipſe, ut ſupra dixi, exploratorias vocavit. Radiata quoque aſpicitur in numiſmate Trajani, hoc uno ab cæteris diſcriminata, quod ſub radiis inſerta ſunt humilia quædam acumina, ſive alii radioli cuſpidatim inſerti fiſſuris apertis & acuminatis, veluti iis ita infixi, ut eas fulciant. Eſt quoque conſpicua ſuper caſſide M. Aurelii, Valerii Probi. Ibi ramuli lauri baccati inſerti ſunt radiis. Habet inſuper hoc inſigne & ſingulare, nempe diadema ex unionibus, cujus initium eſt in fronte laminæ. Inde ambit apices radiorum & laurorum uſque ad poſteriorem partem laminæ, cui inſertum denique ex ea pone occipitium dependet. Ut in radiata Caligulæ dixi eſſe ſtellas tres, ita in radiata Cari & Carini, multorumque inſequentium Principum laminæ inſerti aſpiciuntur lapilli. In radiata Theodoſiorum utrimque lamina eſt margine eminentiori; habetque in fronte gemmam inſignem. Huic nova res addita. Nam ſuperiori parti laminæ inhæret perpetua ſeries unionum. *Paſchal. de Coron.* IX. 16. *Raynaud. de pil. & cæt. cap. tegm. Sect.* 18.

Corona roſtrata non fuit navalis ſimplex, & certe diverſa fuit a roſtrata. Nam ecce hæc in ſummo pretio, & non iis data, qui in navim aliquam tranſcendiſſent (ſæpe id factum) ſed qui navale aliquod magnum decus magna induſtria peperiſſent. Data dico ducibus ipſis, & aſſimilanda aliquatenus obſidionali. Plinius cedere eam ſoli civicæ facit. V. illum ſupr. in *Corona navalis.* Lipſ. de Milit. Rom. V. Dial. 17. Thyſ. Rom. Illuſtr. V. p. 148. & in Gell. V. 6. Pigh. Annal. Rom. I. p. 60. Buleng. de Triumph. c. 13. Laurent. Polym. IV. Synopſ. 3.

Corona ſacerdotalis dicitur, qua *coronabantur* ſacerdotes. Ammian. XXIX. 5. *Biduoque poſt Icoſium oppidum militaria ſigna, & coronam ſacerdotalem cum cæteris, quæ interceperat, nihil cunctatus reſtituit.* Apud Plin. XXXV. 10. pingitur *ſacerdos adſtante puero cum acerra & corona.* Qui mos etiam in Syria viguit. Hieronym. in vit. Hilarionis: *Non prius abire paſſi ſunt, quam futuræ eccleſiæ lineam mitteret, & ſacerdos eorum, ut erat coronatus, Chriſti ſigno denotaretur.* Erat oleaginea. Stat. Theb. III. 466.

Huc gemini vates ſanctam canentis olivæ
Fronde comam, & niveis ornati tempora vittis
Evadunt pariter.

Interdum aurea. Prudent. περὶ ςεφ. X. 1011.

Summus ſacerdos nempe ſub terram ſcrobe
Acta, in profundum conſecrandus mergitur
Mire infulatus, feſta vittis tempora
Nectens, corona tum repexus aurea.

Tertull. de Idolol. X. 18. *Quo more nunc prætextæ, vel trabeæ, vel palmatæ, & coronæ aureæ ſacerdotum provincialium.* Mos fuit antiquiſſimus. Plin. XVII. 2. *Hinc*, Romulo, *ab Acca Laurentia nutrice ſua ſpicea corona, quæ vitta alba colligeretur, in ſacerdotio pro religioſiſſimo inſigni data, quæ prima apud Romanos fuit corona.* Paſchal. de Coron. IV. 13.

Corona ſepulcralis appellari poteſt I. quæ imponebatur mortuo, ſi vivus virtute ſibi aliquam peperiſſet: idque ex permiſſu legis XII. tabularum. V. ſupr. in *Coronæ funderes.* *Coronarunt* veteres mortuos, ut ſignificarent ex victoria ſeculi ἀόχλητον ἀμεριμνίαν, ut innuit Clem. Alexandr. Strom. II. 8. *A turba & negotio remotæ ſecuritatis ſignum eſt corona quare ea & mortuos coronant.* Hic ritus a Græcis originem traxit. Creon enim Rex de non ſepeliendo Polynice ejuſmodi edictum proponit apud Eurip. Phœn. n. 1626.

Hunc mortuum quiſquis corollis induet,
Tectaque operiet, morte multator mala.

Ubi Scholiaſtes: Εἰώθασι ςέφειν τὺς νεκρὺς. II. qua lectus, quo efferebantur, ornabatur. V. infr. in *Lectus funebris.* III. qua urna, in quam reliquiæ condebantur, *coronabatur.* Quo exemplo Plutarch. p. 316. A. memorat Marcelli cadaver combuſtum fuiſſe conditum urna argentea, cui circumdata fuit aurea *corona.* Urna aurea, in qua conditæ erant reliquiæ Demetrii fuit circumdata *coronis.* Plutarch. p. 915. B. *Ut eas accepit, impoſuit urnam, quæ ex ſolido auro erat, in navem prætoriam. Civitates, ad quas ap-*

vnle-

pulcrum, hinc coronas ingesserunt urnæ, hinc viros cultu lugubri miserunt ad exsequias decorandas & prosequendas. Decurrente Corinthum classe, urna ex puppi conspicua visa, regali purpura & diademate exornata. Paschal. de Coron. IV. 6. IV. qua sepulcrum exornabatur. Plin. XXI. 3. *Et jam tunc coronæ deorum honos erant, & Larium publicorum, privatorumque, ac sepulcrorum, & manium.* Ovid. Trist. III. 3. 81.

Deque tuis lacrymis humida serta dato.

Tib. II. 4. 48.

Annua constructo serta dabit tumulo.

Kirchman. ibid. IV. 3. Noris. Cenot. Pisan. Dissert. III. 6. Morestell. ibid. VIII. 14. Paschal. l. l. Casal. de Urb. ac Imper. Roman. splend. part. 2. c. 21. Fiebat ex apio. Suidas: *Corona ex apio lugubris est: apium enim luctibus convenit.* Plutarch. Timol. p. 248. D. *Cæteros milites postquam Timoleon persuasionibus exhortationibusque firmiter ad prœlium induxit ad Crinisum fluvium, quo Carthaginenses venturos audiverat, adduxit, qui cum castra superaret, unde inimicorum castra videndi potestas erat, mulis apium ferentibus obviavit: quod infaustum milites augurium putavere, quoniam apii coronas sepulcris imponere usurpatum est. Unde proverbium hoc natum est: apio egere, qui periculose ægrotet.* Plin. XX. 11. de Apio. *Ambo neutrum ad cibos admittendum, imo omnino nefas: nam id defunctorum epulis feralibus dicatum est.* Pius Annotat. Poster. c. 115. Kirchm. & Paschal. l. l. Quis dixerit, modo mentis compos sit, quoniam scribit Plutarchus, apud Græcos consuevisse *coronas* ex apio sepulcris imponi, idem de Latinis esse affirmandum. Plinius, qui in historia usus rerum non reticet, & qui XXI. 3. *coronarum* sepulcralium meminit, hunc ejus herbæ usum silentio non involvisset. Quin ex aliis floribus textas *coronas* sepulcris fuisse impositas docent historiæ, & monumenta. Texebatur itaque I. ex rosis. Harum Romani adeo fuerunt studiosi, ut iis post mortem monumenta sua spargi supremo judicio nonnunquam jusserint, legato ad hanc rem relicto, cui plerumque hæc erat adnexa conditio, ut in Ravennati inscriptione legimus: *Ut quotannis rosas ad monumentum ejus deferant.* Testatur idipsum lapis Mediolanensis:

PETRONI. JUCUND. VI. VIR.
SENI.
PETRONIA. MIRA. L. F.
PATRONO. QUÆ. HS.
CCCC. LEG. POSSESSORIBUS
VICI BERGOMAG. IN. HERM.
TUEND. ET. ROSA. QUOTANNIS
ORNANDUM.

Mag. Miscell. II. 17. *& Noris. l. l.* Apud Græcos & sepulcra rosis decorabantur. Anacreon in rosam.

Quid dicam? & illa multis
Medicina certa malis,
Nec inutilis sepultis.

Kirchman. & Mag. l. l. II. ex myrto. Eurip. n. 323.

Agamemnonis vero sepulcrum
Neglectum, nec libamina, neque ramum myrti
Accepit.

n. 509.

Veni enim ad ipsum sepulcrum obiter;
Ac procidens humi luxi, nactus solitudinem:
Libaminaque soluto utre, quem hospitibus fero;
Fudi: ramosque myrteos circa tumulum posui.

Kirchman. & Mag. l. l. Victor. Var. Lect. XVI. 2. Barnes ad Eurip. n. 323. III. ex liliis. Virg. Æneid. VI. 884.

Tu Marcellus eris: manibus date lilia plenis.
Purpureos spargam flores: animamque nepotis
His saltem accumulem donis, & fungar inani
Munere.

Paschal. Kirchman. & Mag. l. l. IV. ex amarantho. Philostratus hunc florem usurpatum esse scribit in Heroicis, orto a Thessalis initio, qui Achillis sepulcrum hujusmodi *coronis* redimiverint. *Mag. & Kirchman. l. l.*

Corona spicea, qua antiquitas Cererem, quam existimabat magistram sationis frumentariæ, *coronavit.* Horat. carm. secul. n. 29.

Fertilis frugum, pecorisque tellus
Spicea donet Cererem corona.

Tib. I. I. 21. V. illum supr. in *Ceres.* Et hæc quidem omnium *coronarum* videtur esse antiquissima, non solum ob id, quod Romulus ea *coronatus* est, sed quod Ceres eadem est quæ terra, quæ est omnium mater. Atque adeo semper visa est esse boni ominis. Est etiam pretiosissima, quod spica, ut altrix hominum, præbet paci convenientem aspectum: ac merito spica sumi potest pro symbolo pacis. Tib. I. 11. 67.

At nobis pax alma veni, spicamque teneto.

Paschal. de Coron. VII. 15. Laz. Comm. Reip. Rom. IX. 18. Pependit ante templum, tanquam proprium insigne deæ spiciferæ, & frugiferæ. Apul. Met. VI. p. 173. *Videt spicas frumentarias in acervo, & alias flexiles in corona: & spicas hordei videt. Erant & falces, & operæ messoriæ modus omnis; sed cuncta passim jacentia, & incuria confusa, &, ut solet, æstu laborantium manibus projecta. Hic singula Psyche dividit, & discretim remota rite componit.* Videlicet suo quoque loco collocatura, & *coronam* quidem in foribus, quo liqueret Cereris esse templum; id quod ipsa, nullo conspecto signo, primulum accedens ignoraverat. *Brouckh. in Tibullum.*

Corona sutilis: Ejus folia, unde necterentur, consui mos fuerit. Hanc Artemid. IV. 4. vocat ξ ϛεφάνȣ δέσιν, *coronæ conjunctionem.* Plin. XXI. 3. *Sutiles Saliorum sacris invenimus, & sollennes cœnis.* Ac si dicat: sutilium *coronarum* usus est antiquissimus. Id quod hinc intelligimus, quod eas in Saliorum sacris antiquitus adhibitas scimus. Addit Plinius: *Transiere deinde ad rosaria.* Id quod cujusmodi fuerit, docet Apic. de re culin. I. 4. V. illum infr. in *Rosatum.* Itaque ad hanc suturam, id est, ad consuenda & concinnanda folia rosarum, necesse fuit, ea sic macerari, ut manum artificis, & puncturas, quibus necterentur, pati possent. Pergit Plinius: *Eoque luxuria processit, ut non esset gratia nisi mero folio.* Id quod convenit cum verbis Apicii, qui ad hanc sui seculi luxuriam sutiles componit. Ergo idem propemodum est, ac si dicat Plinius: Antiquitus tota rosa inserebatur sutilibus. Sed eo tandem res processit, ut rejecta & fastidita gratia floris pulcerrimi ejus tantum folia retenta sint, quæ ut alia aliis veluti squamatim insererentur, inventa est ea ratio conditurae, quam describit Apicius. Nempe omnis decor harum *coronarum* videtur contineri artifice quadam sutura & mixtione foliorum. *Paschal. de Coron.* I. 13. *Jun. de Coma c.* 8. *Stuck. Ant. Conv.* III. 16. *Turneb. Adv.* XVIII. 29. *Buleng. de Triumph. c.* 16. Inde *coronam suere* dixit Tertull. de Pall. c. 4. *Vetus jam hydræ Centaurorumque sanguis in sagittis pumice speculi excludebatur, insultante luxuria, ut post monstra transfixa coronam forsitan suerent.* Græcis ῥαπτὸς ϛέφανος dicitur, & ἐν ῥαφαῖς ϛέφανος. Justin. Apolog. Mart. IX. 95. 5.

Sutilis aptetur rosa crinibus.

hoc est, *corona* sutilis ex rosis. *Salmas. in Capitol. M. Anton. Philos. c.* 4. Inter sutilem & pactilem hoc interesse arbitror, quod in pactili folia pangerentur cum caudice, vel pediculo in torulo rotundo; sutili folia filo stringerentur, ac consuerentur. *Buleng. l. l.*

Corona tonsa & tonsilis idem. Virg. Æneid. V. 556.

Omnibus in morem tonsa coma pressa corona.

Serv. in Georg. III. 21. *Tonsæ,* inquit, *olivæ, minutis foliis compositæ. Habiturum se autem coronam tonsilem dixit. Coronas* interdum ex integris frondibus & intonsis nectebant veteres, ut ex lauro, oliva, & aliis. Interdum ex mero folio funiculis eas suebant. Hæ tonsiles vocatæ, illæ nexiles, vel plexiles. Tonsæ autem, vel tonsiles, ideo quod ex foliis detonsis textæ essent, vel quod folia in his pa-

rum eminerent, tanquam si tonsa essent. *Tonsilia serta* Mart. vi. 80. 8.

Tonsilibus sertis omne rubebat iter.

Salmas. Exercit. Plinian. p. 703. b. B. Ouzel. in Gell. xviii. 2.

Corona triumphalis dabatur triumphantibus. Erat duorum generum. Priorem locum obtinuit illa, quam exercitus Imperatori dabat, scilicet, argumentum sui judicii de suo duce. Hujus duæ fuerunt species: una laurea, quam triumphans capite gestabat: altera aurea, id est, effigiata in speciem lauri. Alterius generis fuerunt illæ, quas provinciæ ductori exercitus Romani, cum is e militia Romam redibat victor, gratulationis ergo certatim mittebant. V. illas supr. in *Corona provincialis*. Hoc genus *coronarum* triumphanti præferebatur. E duabus prioribus illa quæ erat laurea, id est, contexta, seu plexa e duobus ramulis lauri, caput triumphantis evinciebat. At illa aurea proprie dicebatur insignis laurea; quandoque insignis *corona* triumphalis. Liv. vii. 13. *Te Imperator, milites tui oramus, ut nobis pugnandi copiam facias. Tum vincere cupimus; tum duce te vincere; tibi lauream insignem*, videlicet auro & gemmis, *deferre*. Hanc servus publicus eodem, quo triumphator, curru vectus gestabat super caput ejus. Ergo hæc laurea, quam triumphans capite gestabat, distinguenda est ab illa aurea. Accuratissime tradit hoc Zonaras in triumpho Camilli. Ait enim, quam coronam Camillus triumphans, ac triumphali curru sublimis capite gestabat fuisse contextam e ramulis lauri. At supra caput ejus aliam fuisse quam servus publicus tenebat gemmis insignem, eamque enormis magnitudinis, cui, scilicet, ferendæ nullum mortale caput esset idoneum. Juven. Sat. x. 39.

—— magnæque coronæ
Tantum orbem, quanto cervix non sufficit una,
Quippe tenet sudans hanc publicus, & sibi consul
Ne placeat, curru servus portatur eodem.

Triumphales itaque non solum in Republica, sed & sub Principibus, quæ capite gestabantur, fuerunt laureæ. Ovid. de Pont. ii. 2. 81.

Ipse super currum placido spectabilis ore
Tempora Phœbea virgine nexa tulit.

n. 91.

Hunc colis, ante diem per quem decreta merenti
Venit honoratis laurea digna comis.

Tib. i. 8. 7.

At te victrices lauros Messalla gerentem
Portabat nitidis currus eburnus equis.

Paschal. de Coron. viii. 1. Aring. Rom. Subterr. vi. 49. n. 8. Laz. Comment. Reip. Roman. ix. 18. Nicol. de Triump. c. ii. n. 6: c. 19. n. 4. Casal. de Urb. ac Imper. Roman. splend. part. 2. c. 1. Buleng. de Triumph. c. 16. 17. & 30. Lips. de Milit. Roman. v. dial. 17. Thys. Rom. Illustr. v. p. 149. Kipping. Dissert. de Victor. §. 3. Rosin. Antiq. Roman. x. 27. & ad illum Demster. Paral. x. 29. Schill Nomencl. Philol. p. 358.

Corona turrifera, sive turrita dicebatur, quam mater deûm gestabat, quod prima turres urbibus dedit. Hinc ejus epithetum, πυργοφόρος. Hæc est illa Rhea, illa Jovis, Junonis, Neptuni mater, Saturni uxor, insignis πυργωτῷ στεφάνῳ, quod urbes initio super montibus positæ sunt, ut loco munitissimo, & cœlo sincerissimo. *Paschal. de Coron.* ix. 10. *Cuper. Apoth. Homer. p.* 199. *Argol. in Panvin. de lud. circ.* i. 17. *Menetrej. Symbol. Dian. Ephes. stat. Thes. Antiq. Græcar. Gronov. Tom.* vii. *p.* 369. *F.* V. & illam supr. in *Corona muralis*.

Corona vallaris erat, qua donabatur, qui primus vallum subierat. Non fuit diversa a castrensi. V. illam supr. in *Corona castrensis*.

Corona vitiginea ad pampinorum vitis similitudinem efficiebatur. Illa Bacchum ornabant. Horat. Od. iii. 25. 18.

—— dulce periculum est,
O Lenæe, sequi deum,
Cingentem viridi tempora pampino.

iv. 8. 33.

Ornatus viridi tempora pampino
Liber vota bonos ducit ad exitus.

Erat symbolum maturitatis ejus quæ est fini proxima. Nec mirum si equiti Romano objectum est apud Tacit. Annal. xi. 4. 2. quod *per quietem vidisset Claudium pampinea corona evinctum albentibus foliis. Id quod ita interpretatum, vergente autumno mortem principis ostendi.* Cum qua interpretatione consentit Artemid. i. 79. ubi observat *coronam ex vite præter Dionysiacos artifices mortem ac vincla significare, propter pampinos implicatos & inflexos.* Paschal. de Coron. iv. 18. Lips. ad Tacitum. Laz. Comm. Reip. Roman. ix. 18.

Corona votiva dicebatur, quæ voto diis immortalibus erat constituta. Vitruv. viii. V. illum infr. in *Votiva*. Tomas. de Donar. c. 1.

Corona cingi dicitur urbs, cum undique milite circumdatur, ut nullus exitus pateat. Cæs. Bell. Gall. vii. 72. 2. *Nec facile totum opus militum corona cingeretur.* Usi sunt illa veteres in subita oppugnatione ad claudendum, ad distinendum. Liv. xliii. 18. *Postquam nihil pacati referebant, oppugnare est adortus, & corona eam capere conatus est.* Hinc Sil. Ital. xiii. 140.

Mœnia flexa sinu, spissa vallata corona
Alligat, & telis in morem indaginis ambit.

Facit *spissam coronam*; id est, duplicem, triplicem, aut supra, ut numerus militum, aut magnitudo loci oppugnandi erat. Joseph. de Bell. Jud. iii. 7. *Duplici peditum corona urbem* Jotapatam *cingunt, & tertiam seriem equitum exterius ponunt.* Introrsum erant pedites, quorum invadere; extrorsum equites, quorum inspectare, & tueri. Et eminus quidem series ita duplex, aut triplex; sed cum appropinquabant, ratio vult magis arctatos, multiplicatosque item fuisse, in gyro scilicet assidue angustiore. Corpora etiam forsan alibi militum, & cohortes relictæ, ad subita belli, & subsidium, aut præsidium. Hoc etiam amplius, primos ordines peditum scutatorum, graviorumque fuisse, qui cominus assultarent, invaderentque: retrorsum leves, aut velites, ut funditores, sagittarios, qui eminus pellerent telis, & deturbarent propugnatores. *Coronam* hanc Græci cum sagena comparant, dicuntque rem ipsam σαγηνεύειν, quod est *corona cingere*, & includere velut pisces. *Lips. Poliorcet.* i. 4. *Laurent. Polym.* iv. *Synops.* ii. *Thys. de Oppugn. Urb.* i. *p.* 156.

sub *Corona* venire dicebantur mancipia jure belli capta. Gell. vii. 4. *Sicuti antiquitus mancipia jure belli capta coronis induta veniebant, & idcirco dicebantur sub corona venire: namque ut ea corona erat signum captivorum venalium, ita pileus impositus demonstrabat ejusmodi servos venum dari, quorum nomine emptor venditori nihil præstabat. Vel quod milites, custodiæ causa captivorum venalium greges circumstarent: eaque circumstatio militum corona appellata sit. Sed id magis verum est, quod supra dictum.* Mos apud antiquitatem frequens. Liv. xxiv. 42. *Turdetanos in potestatem redactos sub corona vendiderunt.* Tacit. Annal. xiii. 39. 7. *Imbelle vulgus sub corona venumdatum.* Curt. ix. 8. 15. *Multos captivos sub corona venisse.* Faber Semest. ii. 3. Bud. in Pandect. p. 26. H. Paschal. de Coron. vii. 7. Rhodig. Ant. Lect. vii. 31: xxv. 22. Sigon. de Ant. jur. civ. Rom. i. 11. Laz. Comm. Reip. Rom. ix. 18. Turrig. Not. in Inscript. Ursi Tog. §. 2. Pitisc. in Curtium.

CORONATI ad oraculum accedebant, & ab eo recedebant. Hunc morem sollennem Græcorum ignoravit Q. Fabius apud Liv. xxiii. 11. *Hæc ubi ex Græco carmine interpretata recitavit, tum dixit: se oraculo egressum extemplo his omnibus divis rem divinam thure ac vino fecisse: jussumque ab templi antistite, sicut coronatus laurea corona & oraculum adisset, & rem divinam fecisset: ita coronatum navim ascendere, nec ante deponere eam quam Romam pervenisset.* Schol. Eurip. Hippol. *Mos hic est veteribus, ut ab oraculo dum veniunt, coronati veniant.* Lips. Epist. Quæst. iv. 21.

Co-

Coronati potabant in floribus, quos anni tempus subministrabat: sed maxime rosa, aliisque, quæ ebrietatem prohiberent, & caput non gravarent. Lucret. IV. 1124. V. illum infr. in *Unguentaria.* Mart. XIII. 127.

Dat festinatas Cæsar tibi bruma coronas:
Quondam veris erant, nunc tua facta rosa est.

Horat. Od. II. 7. 23.

—— quis udo
Deproperare apio coronas
Curatve myrto?

Et quidem I. caput. Horat. Od. II. 11. 13.

Cur non sub alta vel platano, vel hac
Pinu jacentes sic temere, & rosa
Canos odorati capillos
Potamus uncti?

Prop. III. 3. 43. V. illum supr. in *Rosa.* II. Frontem. Anacreon.

Ubi vero superciliis ex apio corollas
Imposuimus, festum convivium celebravimus.

Et.

At ego demens ea corona capta
Revinxi frontem.

Juven. Sat. XV. 50. V. infr. in *Unguentaria.* III. Collum. Horat. Sat. II. 3. 256.

—— potus ut ille
Dicitur ex collo furtim carpsisse coronas.

Tib. I. 8. 51. V. illum infr. in *Natales.* Ursin. de Triclin. p. 263. Paschal. de Coron. II. 2. & 3. Stuck. Ant. Conviv. III. 16. Lips. Ant. Lect. III. p. 157. Casal. de Conviv. vet. c. I. de Urb. ac Imper. Roman. splend. part. 2. c. 19. de Prof. Roman. ritib. c. 25. Buleng. de Conviv. III. 24. & 27. Baccius de Conviv. IV. 1. Laurent. de Conviv. vet. c. I. Tomas. de Tesser. hospit. c. 18. Sardus de mor. gent. I. 22. Sagittar. de jan. vet. c. 37. §. 14. Kipping. Antiq. Roman. IV. 3. 6. *Coronarum* ejusmodi origo, & causa item illa potissimum extitit, quod cum discumbentes multo convivales inter epulas se vino ingurgitarent, ne caput subinde doleret, fascia illud linea, vel certe lanea vinciebant. Hæc enim, ut Festus ait, primum cunctis *corona* ad manus fuit. Verum luxu subinde immane aucto; ad novas sibi delicias concinnandas, compacta tum ex frondibus, tum ex floribus aut calidis aromatibus serta adhibita sunt, quæ humani capitis meatus molliter, ut vinum facile perspiret, adaperiunt, quod ex nardo potissimum *corona* præstare consuevit: vel certe ex frigidis interdum *coronæ* instruebantur, ut opportuno meatus temperamento adstringentes, æstuantis vini vim valide comprimerent: ad quod apte quidem *corona* ex violis, rosis, & ex hedera item intexta adhibebatur. *Aring. Rom. Subterr.* IV. 49. *Pier. Hierogl.* XLI. 24. *Schill. Nomencl. Philol. p.* 363.

CORPUS circumagebant veteres in re divina. V. supr. in *Circumvertere.* Defuncti quomodo curaverint. V. supr. in *Cadaver.* Numinibus nostri *corporis* partes *esse consecratas dicunt Physici, ut aurem Memoriæ. Hinc Virg. Ecl.* VI. 3. *Cynthius aurem vellit & admonuit: frontem Genio, unde venerantes deum tangimus frontem: dextram fidei, unde* Virg. Æneid. III. 611.

—— atque animum præsenti pignore firmat.

genua Misericordiæ, unde hæc tangunt rogantes. Serv. Æneid. III. 607. *Hotomann. de vet. rit. nupt.* c. 11. *Pitisc. in Curt.* VII. 10. 35.

in *Corporum* cultu Romanorum versabatur luxus. In illo enim captata levitas, facies fucata, gressus mollis & suspensus, & quidem a viris, quod gravius opprobrium Seneca objurgat, & detestatur Nat. Quæst. VII. 31. *Adhuc quicquid est boni moris, exstinguimus levitate & politura corporum. Muliebres munditias antecessimus, colores meretricios, matronis quidem non invidendos, viri sumus. Tenero, & molli ingressu suspendimus gradum, non ambulamus. Corporis* levitatem non uno epigrammate perstringit Martialis, & de ipso Julio narrat Suet. c. 45. n. 3. *Circa corporis curam morosior, ut non solum tonderetur diligenter, ac raderetur, sed velleretur etiam, ut quidam exprobraverunt.* Comam frangebant in gradus. V. supr. in *Coma.* & hos unguento delibuebant. Irridet sæpe Martialis. Horatius supr. in *Coronati potabant.* Juven. Sat. IV. 108. V. illum supr. in *Amomum.* Itaque officinæ erant eorum, qui odores coquerent. Senec. Epist. 90. *Hinc fabrorum officinæ sunt, hinc odores coquentium.* Faciem levigabant, & pane linebant. Juven. Sat. VI. 471. & Suet. Oth. c. 12. n. 4. V. utrumque infr. in *Facies.* Ingressum ut suspenderent, erant etiam huic rei doctores. Senec. Epist. 90. *Hinc officinæ molles corporis motus docentium & infractos.* Meurs. de Lux. Roman. c. 3. Kobierzyck. de Lux. Roman. I. 7.

Corpus a Ictis pro collegiis & universitatibus usurpatum. Patet hoc ex l. 3. §. a municipibus ff. de bonor. possess. ex l. 1. §. neque ff. quod cujusque universit. & ex l. 7. §. item municipes ff. ad exhibend. *Corporum* namque tria genera statuunt. Ita l. 30. ff. de Usucap. seu Usurp. *Unum, quod continetur uno spiritu, & Græce ἡνωμένον vocatur, ut homo, tignum, lapis & similia. Alterum, quod ex continentibus, hoc est, cohærentibus constat: quod συνημμένον vocatur, ut est, ædificium, navis, armarium. Tertium, quod ex distantibus constat, ut corpora plura, non soluta, sed uni nomini subjecta, veluti populus, legio, grex.* In notis P. C. *patronum corporis* significat, quotiescunque alicujus collegii artificum nomen sequitur. *Ursat. de Not. Rom. Thes. Antiq. Roman. Græv. Tom.* XI. *p.* 897. *B.*

Corpus vocatur etiam liber, codex, ut Græcis σωμάτιον. Senec. Epist. 46. *Brevis mihi visus est, cum esset nec mei, nec tui corporis, sed qui primo aspectu aut T. Livii, aut Epicuri posset videri. Brevis,* inquit, *mihi visus est* tuus liber pro voluptate, quam in eo legendo cepi: quamvis ejus molis, ut *Epicuri posset videri, aut Livii,* qui ingentia volumina scripserunt, *non tui, aut mei corporis,* id est, non qualia sunt *corpora,* sive *σωμάτια* codicum, quæ ego, tuque scribimus, quia brevioribus modulis arctamur. *Salmas. de Mod. usur. c.* 10.

CORRECTORES erant magistratus provinciales, & fere per Italiam solum; nam extra eam raro adhibiti: neque enim alios reperio in Notitia provinciarum Hieroclis præter *Correctorem* Paphlagoniæ in Asia, & *Correctorem* Augustamnicæ primæ in Ægypto. In Africa Ducem, & *Correctorem* limitis Tripolitani habet codex Theodosianus XII. 1. 133. Notitia utriusque Imperii etiam *Correctorem* Saviæ in Pannonia recenset. In Italia autem diversos diversarum, aut ferme omnium provinciarum *Correctores,* tum libri, tum lapides antiqui referunt; puta *Correctores* Venetiæ & Histriæ; Flaminiæ & Piceni; Tusciæ & Umbriæ; Campaniæ, Lucaniæ, & Brutiorum; Apuliæ & Calabriæ. Item *Correctores* Italiæ, & totius Italiæ, Italiæ Transpadanæ; & utriusque Italiæ. Et priores quidem aliquot provinciæ, post divisionem Constantini, pro *Correctoribus* Consulares acceperunt: duo autem *Correctores* soli relicti fuere, alter Apuliæ & Calabriæ; alter Lucaniæ & Brutiorum, cæteræ provinciæ Præsides habuerunt. Multum interesse puto, utrum totius Italiæ *Correctorem* dicas; an indefinite Italiæ tantum; nam totius Italiæ *Correctorem,* præter unum Tetricum, nullum lego, nec alium unquam fuisse adeo ampla potestate ex eo conjicio, quod Trebellius Pollio, ut rem novam & inusitatam notet, Aurelianum tantum potestatis permisisse quondam æmulo imperii, & triumphato. Et ne quis simplicem Italiæ *Correctorem* crederet, & ordinariæ potestatis, totius Italiæ dixit, & attributas ei provincias enumerat, quæ singulæ singulis *Correctoribus* tunc demandari consueverant; suntque numero sex, Campania, Samnium, Lucania & Brutii, Apulia & Calabria, Hetruria atque Umbria; quibus deinde adjungitur omnis annonaria regio; quam ego ex tribus Italiæ provinciis admitto, quæ & ipsæ suum *Correctorem* habere consueverant: sunt autem Liguria, Æmilia, Venetiæ, Histriæ: & hæ aut tres simul junctæ, aut saltem duæ priores proprie & peculiariter dictam constituebant, quæ & ipsa peculiarem habuit *Correctorem,* qui

Corrector Italiæ in lapidibus abſolute, & ſine ulla adjectione appellabatur. Atque hoc ut credam ex eo adducor, quod huic Italiæ parti etiam poſtea ſub Præfecto prætorio, ejuſque vicario peculiare Italiæ nomen hæſerit: tum vero, quod antiquus lapis apud Gruter. p. 459. n. 7. *Correctorem* totius Italiæ Tranſpadanæ commemoret: unde Italiæ Ciſpadanæ tunc alium quoque *Correctorem* fuiſſe crediderim; adeoque duas illas provincias, quandoque ſeorſim duos, quandoque junctim unum *Correctorem* habuiſſe. Atque inde Ælium Dionyſium in veteri lapide non edito utriuſque Italiæ *Correctorem* appellari non dubito. At inter cæteros provinciarum Italicarum *Correctores* ipſum Italiæ *Correctorem* dignitate eminuiſſe apparet ex Vetii Agorii inſcriptione apud Gruter. p. 486. n. 3. qui cum principio *Corrector* Tuſciæ & Umbriæ fuiſſet, quaſi per dignitatum gradus deinde provectus, Illyrici, & poſtea Italiæ *Corrector* factus eſt. Itaque quantumvis præcipue hæc dignitas in Italia ante Conſtantinum fuerit, unicam tamen recte dici non poſſe fateor, eo quod plures tunc per Italiam eſſent *Correctores*: Uti nec illud, quod in Patav. Monum. I. 5. nimis facile ſcripſi, Conſtantino imperante, duos in Italia *Correctores* creatos fuiſſe, quaſi antea unicus tantum extitiſſet. Sed rectius ex dictis, una cum Pancirolo dicere volo, cum a Conſtantino cæteris *Correctoribus* Conſulares fuiſſent ſubſtituti, duos tantummodo reliquiſſe eo nomine præſides, alterum Apuliæ & Calabriæ, alterum Lucaniæ & Brutiorum: quamvis nec illud adeo certum exiſtimem, cum in Codice Theodoſiano leges ad *Correctorem* Tuſciæ extent, datæ a. 362. 354. 355. & 356. hoc eſt, Juliano, Joviano & Valentiniano Auguſtis, cui poſt paullo Conſularem ſuffectum apparet ex legibus datis a. 370. & 389. ad Conſularem Tuſciæ. *Urſat. de Not. Roman. Theſ. Antiq. Rom. Græv. Tom.* XI. *p.* 641. *B. Panciroll. Notit. Dignit. Imp. Orient. c.* 99. *Guther. de Offic. Domus Aug.* I. 7. *Laz. Comm. Reip. Rom.* II. 2. *Salmaſ. Exerc. Plinian. p.* 567. *a. D.* Medium inter Conſulares & Præſides locum tenuerunt, & illis inferiores, his vero aliquanto digniores fuerunt, ut ex ordine a Notitia obſervato liquet. Videntur fuiſſe antiquiſſimi, ſiquidem marmor ſupra portam Arimini, imperante Auguſto, *Correctores* in Italia fuiſſe ſignificat.

IMP. CÆSAR DIVI JUL. FL. AUGUSTUS PONT. MAX. COS. XXIII. TRIB. POTEST. XII. P. P. MURUM DEDIT CURANTE L. TURNO SECUNDO APRONIANO PRÆF. URBIS FL. ACTEJO V. C. CORRECTORE FLAMINIÆ ET PICENI.

Sed hæc inſcriptio vitiata eſt, quia nullus Auguſto imperante Apronianus Urbi præfuit, ſed Statilius Taurus & L. Piſo, ut Tacit. Annal. VI. 11. 5. ſcribit. Quare intelligit Rufium Turcium Apronianum, quem ſub Valentiniano Urbi præfuiſſe ſcribit Ammian. XXVI. 3. Et pro Turno legendum Turcio, reponendumque nomen Valentiniani pro Auguſto. Puto vetuſtate corruptum marmor ab aliquo qui non intellexit, male reſtauratum. Certe ſub Severo & Antonino Caracalla *Correctores* fuerunt. Eorum enim Hermogenianus l. ex omnibus 10. ff. de offic. præſ. & Papinianus l. penult. ff. eodem titulo meminerunt. *Panciroll. ibid. c.* 157. *Buleng. de Imp. Rom.* IV. 37. Titulo Clariſſimorum ſunt honeſtati. l. 1. C. ut omnes tam civil. l. ſi poſt 4. C. de jur. & fact. ignor. *Panciroll. ibid. c.* 2.

CORRECTURA perhibebatur ipſum officium. Auſon. Parent. XXIV. 11.

Nam Correcturæ tibi Tarraco Ibera tribunal
Præbuit, affectans eſſe clienta tibi.

Invenio in Italia Lucaniam provinciam *Correcturam*. Aur. Vict. Cæſ. c. 35. n. 5. *Ipſe in triumphum ductus Lucaniæ Correcturam cooptavit.* Conceſſa eſt non cuivis, ſed peritioribus rerum, & eruditioribus. Ammian. XV. 5. *Dynamius, & præclaris artibus illuſtratus, cum Correctoris dignitate abiit.* A *corrigendis* vero, & in priſtinum decorem reſtituendis provinciis ductum hunc honoris titulum docere nos poſſit, quod apud Rufin. XVIII. 4. legitur: *Senatus ex decreto Germanicum mittit cuncta Syriæ negotia correcturum.* Barth. Adv. LIX. 14.

CORRIGIA lorum, ſive ligula eſt calcei. Harum inflexione patriciorum calcei aliis diverſi fuere. Zonar. Annal. II. Habueruntque quatuor *corrigias*, ſive ligulas. Iſidor. XIX 34. *Patricios calceos Romulus reperit quatuor corrigiarum.* Perveniebant ad medium uſque crus. Horat. Sat. I. 6. 27. V. illum ſupr. in *Calceus*. Ubi Acro: *Et circumdedit medium crus; quia altiores ſunt calcei ſenatorum.* Qui non loquitur de altitudine ſoli, ut male exiſtimat Dempſter. ad Roſin. Ant. V. 36. ſed de altitudine ipſius calcei, qui altius crus tegebat quam plebejus. Cum enim calcei plebeji unicam tantum ligulam, ſive *corrigiam* haberent, qua religabantur: patricii quatuor corrigiarum erant, quæ inter ſe implexæ ad medium uſque crus aſcendebant. *Lora patricia* dicuntur Senec. de Tranq. c. 11. *Quæ dignitas, cujus non prætextam, & augurale, & lora patricia, & ſordes commentur?* Et ita in antiquo lapide, quem exhibet Phil. Ruben. Elect. I. 30. prope portam Nomentanam prætor, qui mappam mittit, habet calceos cavos, quorum *corrigiæ* inter ſe implexæ uſque ad ſuras aſcendunt. Hinc explico Mart. II. 29. 7. V. illum infr. in *Ligula*. Exiſtimo enim *ligulam non extremam* dici, quia ſtigmatias iſte, in quem invehitur Martialis, calceos patricios quatuor *corrigiarum* portabat, atque ita ligula illa infima, quæ pedem tangit, haudquaquam extrema erat, cum contra in calceis plebejis extrema eſſet: illi enim non habebant alias illas ligulas, quæ inter ſe implexæ uſque ad ſuras aſcendebant. In calceis patriciis & ſenatoriis erant ex nigra aluta. *Ruben. de re Veſt.* II. 3. Quatuor *corrigias* habuiſſe patriciorum calceos merum eſt Iſidori commentum. Nullum enim hujus rei veſtigium apud veteres apparet, ac ne in ſtatuis quidem, quas videre licuit. Et quid illis erat opus? Cum enim calcei cavi eſſent, & ſolidi, pedem tibiatim veſtientes, ad quid *corrigiæ*, & quidem quatuor? Nam, ut concedamus, etiam clauſi calcei fuerint, potuiſſe, ut facilius calcearentur, habere ſciſſuram in medio, qua cruri pes jungitur, eamque, ut hodie ſolemus, habena, vel ligula ſtringi; quatuor tamen *corrigias*, ſive lora fuiſſe gratis dicitur. In calceis fuiſſe vincula, ſive ligulas oſtendit Juven. Sat. V. 19. ſupr. in *Clientes*. Vetus interpres: *Calceari cum feſtinant, anſas caligarum prætereunt nonnullas.* Sed quatuor fuiſſe probandum erat. Quod vero ad medium uſque crus pervenerint, nequaquam ex Horatio allato conſtat. Nam pelles pro calceo ſumuntur ſenatorio, qui ad ſuras uſque extendebatur, cum cæterorum calcei ſolum pedem tegerent. Et ideo ſenatorii altiores, ſive longiores, non quod illas *corrigias* ad ſuram producerent; ſed quod totæ & integræ calcei pelles illuc extenderentur: nam, quod plebeji calcei unam tantum ligulam habuerint, tam verum eſt, quam patricios quatuor habuiſſe. Zonaras loquitur de calceis patriciis ſub imperio Byzantino, quorum forma immutata, quique aperti habenas reticulatim implexas habebant; & ideo a cæteris diverſi *inflexione lororum*, ſed hæc lora fuiſſe quatuor non dicit. *Lora patricia* apud Senecam, ſi tamen certa lectio eſt, de quo dubitant Muretus & Lipſius, quod vox *lora* in veteribus deſit, de habenis, quibus lunula religabatur, non de *corrigiis*, quæ ad medium crus pertingebant, intelligenda ſunt. Prætor, quanquam non conſtet patricium fuiſſe, qui in vetere monumento Circenſibus mappam mittit, habet quidem calceos cavos noſtrorum ſimiles; ſed *corrigias* illas inter ſe implexas, uſque ad ſuram aſcendentes non magis videmus, quam ſenex ille Plautinus corniculas in pariete depictas. Sola enim ibi ligula apparet, eodem plano ſitu, & forma, qua nos calceos ſtringimus. Apud Martialem ſanior lectio eſt, *non heſterna*, id eſt, recens, & in dies nova. Sed, ut demus, quod falſum eſt, in calceo patricio quatuor fuiſſe *corrigias*, ſi illa, quæ pedem tangebat, erat infima, etiam fuit extrema, ultima ſcilicet quatuor aliarum, quæ per crus extendebantur. Etſi in plebejis calceis una tantum

erat,

erat, una & sola, extrema dici non potest: extrema enim refertur ad præcedentes. Sedebat in calceo stigmatiæ non extrema. *Ferrar. Anal. de re Vest. c.* 35. *Demster. l. l.* Varia ratione apud veteres circumvolutæ fuerunt pedibus, uti ex antiquis statuis & nummis apparet. Usitata admodum circumvolvendi ratio ea videtur, quam spectare licet in statua, quam dedit Ferrar. de re vest. I. 3. 18. qualis etiam apparet in ea, quæ visitur in fronte domus Bassianorum; quomodo & Hercules in nummis Æsculapii cernitur. Alia ratione vero circumvolutæ apparent in statua togata, quæ visitur in atrio palatii Veneti, quam fortasse, certe oratoris, quod libelli in dextra indicant, & libellorum theca ad pedes statuæ, fuisse Ferrarius conjecit. Atque iterum alia in statua M. Aurelii palliata, quam videre est in eodem atrio palatii Veneti. Scilicet veteres etiam hac in re ornatum quæsiverunt. *Byn. de calc. Hebr.* I. 7. 2. Hanc si quando, cum calceamenta pedibus inducerent, eaque pressius astringerent, contingeret effringi, malum omen crediderunt, adeo ut suscepta negotia desererent. Cicer. de Div. II. 40. ubi sic ait: *Quæ si suscipiamus, pedis offensio nobis, & abruptio corrigiæ, & sternutamenta erunt observanda.* Quod omen veteres illi portendere credebant, rem susceptam haud feliciter progressuram, aut sinistro aliquo casu impediendam: quemadmodum iis, quibus in itinere contingit abrumpi, non parvo abruptio illa impedimento est, ita ut iter inceptum retardet. Unde qui sacram paginam glossa, quæ dicitur ordinaria, illustravit, locum Esaj. c. 5. n. 27. *Non rumpetur corrigia calceamenti ejus*, apposite sic interpretatur: non impedietur in itinere Dominus. Ut eum significet re nulla retardandum, quin brevi sit in hostes iracundiæ suæ tela vindice dextra contorturus. *Balduin. de Calc. c.* 21. Illas solvere, hoc est, exuere calceos dominorum apud veteres proprium fuit servorum ministerium. V. supr. in *Calceus. Corrigias solvere* quid mystice significet, docet *Balduin. ibid. c.* 28.

CORSICA non plus centum millibus passuum ab ora Ligustica distat, & Italiæ pars censetur. *Panciroll. Notit. Dign. Imp. Occid. c.* 52. Modico freto a Sardinia discreta, aliquanto minor 390. milliaria circumit, prius Cirna a Cirno Herculis filio dicta. Vinum producit optimum, alumen & ferrum. *Panciroll. ibid. c.* 55. Quæ causa fuerit *Corsis* arma inferendi, nemo tradit: illud tantum est apud Zonaram, anno 517. C. Licinium Varum consulem *Corsicam* petiturum Claudium Cliniam cum copiis præmisisse: Claudium *Corsis* terrore injecto, quasi Imperator esset, cum iis fœdus fecisse: Varum autem neglecto fœdere Claudiano *Corsos* adortum subegisse. Quin etiam biennio post a Sp. Carvilio Consule rem bene cum *Corsis* gestam, & post triennium eosdem a C. Papirio Masone Consule in ditionem populi Romani adductos invenio. *Sigon. de Ant. Jur. Prov.* I. 4. *Bergier. de viis militar.* III. *Sect.* 45. *n.* 9. *Panciroll. l. l.*

CORTINA est vas tinctoris, in quo colores vestibus tingendis adservantur. Cato. de re Rust. c. 67. *Cortinam plumbeam in lacum ponito, quo oleum fluat.* Buleng. de circ. c. 31. Argol. in Panvin. de lud. Circens. I. 15. Voss. Lex. Etymol.

Cortina est hemisphærium cœli. Ennius apud Varron. de Ling. Lat. VI. 3.

Corpore cœruleo cava quæ cortina receptat.

Turneb. Adv. VI. 20. Voss. Lex. Etymol.

Cortina est capacitas convexa & sinuosa theatri. Virg. Ætn. n. 295.

Carmineque irriguo magni cortina theatri
Imparibus numerosa modis canit arte regentis.

Nam id de vasis, quæ in theatro ἠχεῖα vocabantur, non tam dici crediderim, quam de tota ejus structura: quæ sic exædificata est, ut numerosæ voces ad spectatorem perveniant, cum sit musicis designationibus modificata, ut Vitruv. v. 3. scribit. *Turneb. Adv.* VI. 20. *Palmer. Spicil.* XI. *p.* 816. Proprie est lebes, quo sensu vox hæc est frequens apud Plinium in Historia naturali. Ex forma rotunda lebetis videtur dictus fornix, aut concameratum opus formæ haud absimilis; quale erat adytum Apollinis Delphici, unde oracula edebantur. Varr. de Ling. Lat. VI. 3. *Cava cortina dicta, quod est inter terram & cœlum ad similitudinem cortinæ Apollinis.* Videtur ergo intelligi ædificium concameratum, post scenam, aut ei imminens, ex quo sonitus e Tritonis ore audiebatur. Ejusmodi erat Odeum, quod describitur a Plutarch. Pericl. p. 160. *In interiore dispositione multa habet sedilia, & multas columnas, tecto vero circumquaque convexum, & acclive ex uno fastigio factum, imaginem ajunt fuisse, & imitamentum regii tentorii.* Gorall. in Virgilium.

Cortina est etiam vas in circo usitatum. Plaut. Pœn. v. 5. 11.

Ita replebo atritate, atrior multo ut siet,
Quam Ægyptii, aut qui cortinam ludis per circum
ferunt.

Vas enim aqua plenum homines sole perusti ludi circensibus circumferebant, ut equos cursu defessos frigida aspergerent. *Lambin. in Plautum.* Fuit potius vas ferendæ per cuneos, ac vendendæ sitienti popello aquæ. *Buleng. de Circ. c.* 31.

Cortina est locus subselliorum juxta tribunal, in quo non advocati solum, sed scribæ, præcones, atque id genus operæ forenses consistebant. Tacit. de Orat. c. 19. n. 6. *Cum vix in cortina quisquam assistat, qui elementis studiorum etsi non instructus.* . . . Lips. in Tacit. n. 57. Palmer. Spicil. XI. Thes. Crit. Gruter. Tom. IV. p. 816.

Cortina est quoque tripus æreus Apollini sacer. Plin. XXXIV. 3. *Ex ære factitavere & cortinas tripodum nomine Delphicas, quoniam donis maxime Apollini Delphico dicabantur.* Suet. Aug. c. 52. n. 2. *Argenteas statuas olim sibi positas conflavit omnes, ex iisque aureas cortinas Apollini dedicavit.* Donat. de Urb. Rom. III. 1. Tomas. de Donar. c. 4. Pitisc. in Suetonium.

CORVINUS est cognomen. *Corvini* cognomen sibi adscivit M. Valerius, tribunus ille militum, qui a Gallo quodam provocatus, cum in arenam conscendisset, *corvus* in galea consedit, donec hostem interemit. De hac pugna Liv. VII. 26. Perenne postmodum Valeriorum fuit, licet quandoque a Statiliis usurpatum. *Ursat. de not. Roman. Thes. Ant. Roman. Græv. Tom.* XI. *p.* 644. *E. Glandorp. Onom. Rom. p.* 863. *Niphus de Augur.* I. 10.

CORUNCANII. V. illos infr. in *Gens.*

CORVUS ad aucupia olim adhibitus. Ctesias in Indic. p. 14. *Pygmæi venantur lepores, & vulpes, non canibus, sed corvis.* Buleng. de Ven. circ. c. 4. Avis fuit auguralis. Val. Max. I. 4. 2. *T. Gracchus, cum ad res novas pararetur, auspicia domi prima luce petiit: quæ illi perquam tristia responderunt. Nam janua egressus ita pedem [illegible], ut ei digitus decuteretur: tres deinde corvi in eum [illegible] occinentes partem tegulæ decussam ante ipsum propulerunt.* §. 4. *Cum Metellus Pontifex maximus Tusculanum peteret, corvi duo in os ejus adversum velut iter impedientes advolaverunt, vixque extuderunt, ut domum rediret.* §. 5. *M. Ciceroni mors imminens auspicio prædicta est: cum enim in villa Cajetana esset, corvus in conspectu ejus, horologii ferreum loco motum excussit, & protinus ad ipsum tetendit, ac laciniam togæ eousque morsu tenuit, donec servus ad eum occidendum milites venisse nuntiaret.* Plin. X. 12. *Corvi in auspiciis soli videntur intellectum habere significationum suarum. Nam cum Medii hospites occisi sunt, omnes e Peloponneso & Attica regione volaverunt. Pessima eorum significatio, cum glutiunt vocem velut strangulati.* Buleng. de Aug. & Ausp. c. 6. Niphus de Aug. I. 10. Bruyer. de Re cibar. XV. 75. Apollini præcipue dedicatus erat. Albric. de deor. imag. c. 4. *Juxta illum corvus niger desuper volitans pingebatur, avis scilicet ipsi deo consecrata, quod solus contra rerum naturam in mediis ipsis æstivis fervoribus oviparos pullulet fœtus.* Ut loquitur Hyginus Mythol. I. *Aleand. tab. Heliac. explic. Thes. Antiq. Roman. Græv. Tom.* V. *p.* 727. *B.* In via Appia quendam sepultum esse scribit Plin. X. 43. *Funusque innumeris aliti celebratum exsequiis, constratum lectum super Æthiopum duorum humeros, præcedente tibicine, & coronis omnium gene-*

rum, ad rogum usque, qui constructus dextra via Appiæ ad secundum lapidem, in campo Rediculi appellato, fuit. Morestell. Pomp. Feral. III. 2. Borrich. Ant. Urb. Rom. Fac. c. 17. §. 5.

Corvus a manu ferrea, sive harpagone diversus fuit. Distinguunt enim Curt. IV. 2. 12. *Ferreæ quoque manus, harpagones vocant, corvique præparabantur.* & Diodor. XVII. 44. *Corvis autem manibusque ferreis in loricis consistentes abripiebant.* Videtur *corvus* ferramentum fuisse triquetrum, & acuminatum, ad effigiem *corvini* rostri, inque summo capite habuisse annulum e ferro, cui inserebatur catena, sicque postea vel balista, vel alia machina conjectum, navim hostilem aliquando retinuisse, sæpius perforasse. Describit Polyb. I. 22. V. illum. *Scheffer. de Milit. Nav.* II. 7. *Lips. Poliorc.* V. 8. *Philand. in Vitruv.* X. 19. *Bald. Lex. Vitruv. Stewech. in Vegit.* IV. 44.

CORYBANTES fuerunt sacerdotes Rheæ, sive matris deum. De illis, & illorum, quæ sortiti sunt, nominibus Strab. X. p. 321. *Qui Cretenses res tradunt, Phrygiasque, ii quibusdam sacris ministeriis implicant Curetes, cum arcanis, tum alias Jovis in Creta educationi puerili; & matris deum sacrificiis in Phrygia, ac locis circa Idam Trojæ montem. Ingens est diversitas istarum narrationum: alii eosdem cum Curetibus ponunt Corybantas, Cabiros, Idæos Dactylos, Telchines: alii cognatos inter se, & exilibus distinctos differentiis.* Horum rituum originem ordine exponit Firmicus, inde ortum, quod Cretenses, ut Jovis furentis propter filii Bacchi cædem sævitiam mitigarent, festos funeris dies statuentes, & annuum sacrum trieterica consecratione componentes, omnia per ordinem facere vellent quæ puer moriens aut fecit, aut passus est. Ideoque, ut memorat Firmicus, vivum laniant dentibus taurum, crudeles epulas annuis commemorationibus excitantes, & per secreta sylvarum clamoribus dissonis ejulantes fingunt animi furentis insaniam. Præfertur cista, in qua soror cor latenter absconderat, tibiarum cantu, & cymbalorum tinnitu crepundia, quibus puer deceptus fuit, mentiuntur. *Voss. de Idolol.* II. 53. *Barthol. de tib. vet.* II. I. *Gyrald. Synt. Deor.* IV. 138. *D. Saubert. de Sacrif. c.* 6. *Aleand. tab. Heliac. Explic. Thes. Ant. Roman. Græv. Tom.* V. *p.* 760. *E. Rhodig. Ant. Lect.* V. 3. XVII. 12. *Ferret. Mus. Lapid.* I. *mem.* 4. *Junius Catal. architect. p.* 59. *Spanhem. in Callim. hymn. in Jovem n.* 32. *Langbæn. in Longin. de Sublimit. c.* 38. §. 2. *Tiraquell. ad Alex. Gen. Dier.* VI. 4. *Donat. Dilucid. p.* 470. *Ouzel. in Minuc. Felic. p.* 173. *Lampe de Cymbal. Vet.* II. 13. & 14.

CORYMBA est ornamentum navis, quo summitates proræ & puppis decorari solebant. Val. Flacc. IV. 691.

Saxa sed extremis tamen increpuere corymbis.

Apollon. II. 603.

Sic tamen ut illæ summos aplustris apices desecarent.

Et hinc *corymbatæ* navis nomen profectum, quod in glossis Isidori legitur. *Scheff. de milit. nav.* II. 6.

CORYMBIUM est suggestus crinium in speciem *corymbi*, qui *est hederæ racemus in orbem circumactus*, ut scribit Plin. XVI. 34. *Capillamentum* interpretatur Petron. c. 70. *Sevocatumque me non minus decoro exornavit capillamento: imo commendatior vultus enituit, quia flavum corymbion erat.* Ibid. *Ancilla Tryphænæ Gitona in partem navis inferiorem ducit, corymbioque dominæ pueri adornat caput.* Salmas. in Treb. Poll. Claud. c. 17. Gonsal. in Petronium. An tantum sit mulierum V. infr. in *Crobylus.* Inde *discus corymbiatus* apud Trebell. l. l. fortassean appellatus; in quo *corymbia* illa, & crinium structuræ, cælatura erant expressæ: variis enim argumentis in cælandis vasis lusit veterum luxuria. *Salmas. l. l.*

CORYTI *sunt proprie arcuum thecæ: dicuntur tamen etiam sagittarum, quas pharetras nominamus.* Serv. in Æneid. X. 169.

— queis tela, sagittæ,
Corytique leves humeris, & letifer arcus.

Kipping. Antiq. Roman. III. 2. §. 5. *Corytus* est theca, repositoriumve arcus. Errore enim imbuti sunt grammatici non pauci, qui sagittarum thecam, quæ pharetra est, sic appellari autumant. *Junius Nomencl. c.* 72. Qui clare errat. Senec. Herc. Fur. IV. 1127.

Telum Scythici leve coryti.

Qui sagittam vocat *telum coryti.* Stat. Theb. IX. 720.

— cælestibus implet
Coryton telis.

id est, sagittis. Idem clarius IV. 269.

Terga Cydonæa corytos arundine pulsat.

Cerda in Virgilium. Voss. Lex. Etymol. Bernart. in Statium.

COS.

COSCONIA gens. V. illam infr. in *Gens.*

COSMETA erat servus ornator, cui domini, vel ancilla ornatrix, cui dominæ exornandæ cura incumbit. Juven. Sat. VI. 476. V. illum infr. in *Libraria.* Laz. Comm. Reip. Rom. VIII. 1. Brod. Misc. X. 17. Reines. Inscript. Class. I. n. 89. Rhodig. Ant. Lect. XXX. 19. Pignor. de Serv. p. 390.

COSMIATICUM forte tributum est pro mundo muliebri. *Buleng. de Vectig. c.* 88.

COSSUS fuit antiquitus cognomen Corneliorum tantum, ut ex Fastis Capitolinis & Livio observatum est. Quod quum procedente tempore fere exolevisset, pro prænomine iterum, ut pleraque alia, ab ejusdem gentis hominibus circa Augusti tempora usurpari cœptum est, ut *Cossus* Cornelius Lentulus Consul anno ab U. C. 754. & hujus filius eodem prænomine ornatus Consul anno ab U. C. 789. *Panvin. de Nom. Rom. Thes. Antiq. Roman. Græv. Tom.* II. *p.* 1226. *A.* Ab antiquis dicebantur *Cossi* natura rugosi corporis homines a similitudine vermium, quos in ligno editos Phryges & Pontici maris accolæ pro delicatissimis cibis sumunt. Plin. XVII. 24. *Luxuria cossos roborum prægrandes delicatiore adhibuere in cibo.* XI. 33. *Nec cossi tantum in eo, sed & tabani in eo nascuntur.* Panvin. l. l. Sigon. de Nom. Rom. c. 5. Alex. Gen. Dier. I. 9. & ad illum Tiraquellus. *Cossi* viginti consecuti sunt Pontificatum maximum semel, opima spolia semel, dictaturas tres, censuras duas, triumphos tres, decemviratum legibus scribendis bis, consulatus decem, tribunatus militares consulari potestate duos & viginti, magisteria equitum quatuor. I. Serv. Cornelius L. F. Maluginensis *Cossus* Consul fuit cum Q. Fabio Vibulano anno 268. II. L. Maluginensis *Cossus* Serv. F. L. N. qui Consul fuit cum alio Q. Fabio Vibulano III. a. 294. III. Hujus frater M. Cornelius Decemvir legibus scribendis a. 303. & 304. IV. M. Cornelius, quem quidam superioris filium existimant. Consul fuit cum L. Papirio Crasso a. 317. V. A. *Cossus*, superioris, ut creditur, frater, Pontifex maximus a. 322. Consul cum T. Quintio Cincinnato II. triennio post triumphum egit de Vejentibus, & spolia opima tulit post Romulum primus hostium duce Larte Tolumnio Rege interfecto. Tribunus militum fuit post biennium, & eodem anno magister equitum Mamerco Aimilio Mamercino III. Dictatore rei gerundæ caussa. Paullo post A. *Cossus* Dictator seditionis sedandæ, & rei gerundæ causa reperitur a. 368. cum de M. Manlii Capitolini seditione ageretur, quem eundem esse cum superiore non videtur verosimile. VI. P. *Cossus* tribunus militum fuit a. 338. Hunc Verrius P. N. appellat. VII. Cn. *Cossus*, cujus parentes ignorantur, a proximo fuit tribunus militum. Iterum post decennium creatus est cum P. Maluginense. VIII. M. Cornelius *Cossus* Consul cum L. Furio Medullino a. 340. IX. Cn. *Cossus*, quem quidam A. F. M. N. vocant, Consul fuit cum eodem L. Furio Medullino II. tribunus militum fuit triennio post consulatum cum P. Rutilo *Cosso.* Iterum deinde tribunus a. 352. X. P. *Cossus* A. F. M. N. superioris fortasse frater, tribunus militum a. 345. XI. P. Cornelius M. F. L. N. Rutilus *Cossus* appellatur a Verrio Flacco, qui eodem a. Dictator fuit rei gerundæ

gerundæ cauſa Tribunus militum fuit biennio poſt cum Cn. *Coſſo*. XII. P. Cornelius Maluginenſis, qui tribunus militum fuit cum Cn. *Coſſo* II. a. 349. Iterum poſt ſeptem a. ſed vitio factus cum aliis quinque abdicavit. XIII. P. *Coſſus*, qui cum P. Cornelio Scipione, & aliis quatuor tribunus militum fuit a. 358. XIV. M. Cornelius Maluginenſis triennio poſt cenſor ſuffectus C. Julio Julo mortuo. XV. Serg. Maluginenſis, qui ſepties tribunus militum fuit, quod paucis accidit, a. 363. iterum quadriennio poſt, tertio a. 369. quarto poſt biennium, quinto item poſt biennium, ſexto a. 382. biennio poſt ſeptimo. XVI. M. Maluginenſis ſuperioris, ut putant, frater, bis tribunus militum fuit cum A. Cornelio *Coſſo* a. 383. & triennio poſt. Poſt hos duos invenio Ser. Cornelium Maluginenſem, quem M. N. appellat Verrius, magiſtrum equitum fuiſſe T. Quintio Capitolino Criſpino Dictatore rei gerundæ cauſa a. 392. Hunc ſuſpicantur Servii ſepties tribuni filium. *Auguſtin. de Famil. Roman. in Cornelia.*

COSSUTIA gens. V. illam infr. in *Gens.*

COSTÆ navium ſunt ligna quædam ex carina ſurſum aſcendentia, in quibus tabulæ ſuffiguntur. Νομεῖς Heſychio, aliis ἐγκοίλια dicuntur. *Statumina* Cæſarem vocaſſe arbitrantur Bell. Civ. I. 54. 2. *Carinæ primum ac ſtatumina ex levi materia fiebant, reliquum corpus navium viminibus contextum coriis integebatur.* Nobis ſtatumina & carinæ eadem, aut certe minimum inter ſe diverſa fuiſſe videntur, ita ut ſtatumina ſignificarent ligna ſingularia, quæ per medium navium, velut per corpus animalium ſpina, tranſeunt. Et certe diſtinguuntur ab ἐγκοιλίοις. Moſchion apud Athen. V. Γόμφος, καὶ ἐγκοίλια, καὶ σαμίνας. *Paxillæ, & coſtas, & ſtatumina.* Scheffer. de Milit. nav. I. 6. Virg. Æneid. II. 16.

> — *ſectaque intexunt abiete coſtas.*

Apud illum *coſtas* eſſe puto interiora quædam ſtatumina, quibus laterum compages & coaſſatio nitebatur, quales in navi *coſtas* videmus. Græci ἐγκοίλια vocant. Et apud Perſ. Sat. VI. 31.

> *Coſta ratis laceræ.*

Turneb. Adv. XXVI. 23.

COT.

COTHO eſt navium portus artificialis, manu factus, egeſta nempe terra, & inducta aqua. Serv. Æneid. I. 431. *Portus effodiunt, id eſt, cothona faciunt.* Feſtus: *Cothones appellantur portus in mari interiores arte & manu facti.* Carthaginenſium portus, Κώθων vocatus fuit. Appian. de Bell. Pun. p. 79. Strab. V. χειροποιήτους ὅρμους nuncupavit. Abſolvuntur tribus partibus quoad eorum ſtructuram, quarum una χηλὴ, altera στόμος, tertia μυχὸς a Græcis vocatur, ut oſtendit Pollux I. 9. Illorum meminit Vitruv. V. 12. ibique *progreſſus* appellat. *Structuris*, ait, *ſive aggeribus expediantur progreſſus. Eæ autem ſtructuræ videntur ſic eſſe faciendæ, ut portetur pulvis a regionibus, quæ ſunt a Cumis continuatæ ad promontorium Minervæ, iſque miſceatur uti in mortario duæ ad unum reſpondeant: deinde tunc eo loco, qui definitus erit, arcæ ſtipitibus robuſteis & catenis incluſæ in aquam demittendæ, deſtinandæque firmiter: deinde inter eas ex tranſtillis inferior pars ſub aqua exæquanda & purganda, & cæmentis ex mortario materia mixta ibi congerendum, donicum compleatur ſtructuræ ſpatium quod fuerit inter arcas.* Cicero *cornua* vocavit Attic. IX. 19. *Ab utroque portus cornu*, inquit, *moles jacimus.* Nimirum in modum cornuum lunarium ab utroque latere coibant. Hinc Lucan. II. 706.

> *Præcipiti curſu flexi per cornua portus*
> *Ora petunt, pelaguſque dolent contingere claſſes.*

Hæc cornua, quo tutius illic eſſent navigia, veteres ſolebant catenis quibuſdam, ab capitibus firmatis, munire atque claudere. Frontin. Stratag. I. 5. 6. *Cn. Duillius conſul in portu Syracuſano, quem temere intraverat, objecta ad ingreſſum catena clauſus, univerſos in puppim retulit milites.* Et ligneis quibuſdam ſeptis. Appian. de bello Mithrid. *Confugerunt in portum, eoque ſeptis obſerato a mœnibus Mithridatem arcuerunt.* Septa pice contra injurias aquæ muniebantur. Æneas Poliorc. c. II. *Quia pax eſſet, portus clauſtrum in terram extractum, ſiccandum eſſe, & pice inungendum.* Et quia his catenis ſeptiſque portus claudebantur, clauſtra dicta ſunt Latinis, & Græcis κλείσεις. *Scheffer. de Milit. nav.* III. 4. *Voſſ. Lex. Etymol. Salmaſ. Exerc. Plinian. p.* 794. *G.*

COTHURNUS erat calceus utrique aptus pedi, imo & utrique conveniens ſexui: unde & Theramenes unus e triginta Athenienſium tyrannis dictus eſt Κόθορνος, *Cothurnus*, quod in Republica utrique parti ſe accommodaret apud Xenoph. Hiſtor. Græc. II. p. 468. D. *Appellat me cothurnum, ut qui utrique ſtudere cupiam.* Qui etiam *cothurnum* deſcribit ibid. p. 465. D. *Quæ quidem cauſa eſt, quamobrem cothurnus appelletur. Etenim cothurnus utrique pedi congruere videtur, & ad utrumque pertinet.* Heſychius: *Cothurnus eſt calceus utrique pedi ſerviens; mulieri item & viro aptus.* Voſſ. Lex. Etymol. Buleng. de Theat. I. 55. Balduin. de Calc. c. 15. Scalig. Poet. I. 13. Barth. Adv. XXXV. 19. Etymologicum magnum hunc calceum facit forma quadrata. *Cothurnus, muliebre calceamentum quadrilaterum figura, quadrans utriſque pedibus.* Argol. ad Panvin. de Lud. Circ. II. 19. Pinell. ad illum. Caſal. de Urb. ac Imper. Roman. ſplend. part. 2. c. 7. *Erat calceamentum ad modum crepidarum.* Iſidor. XIX. 34. Et forte Tyrrhenici calcei iidem cum *cothurnis*, cum Ovidius *cothurnum* Lydium appellet, id eſt, Tyrrhenicum, aut Tuſcum Amor. III. I. 14.

> *Lydius apta pedum vincla cothurnus erat.*

Sed, ut hoc non auſim affirmare, ita non vereor aſſeverare, mulleos Regum Albanorum *cothurnis* fere ſimiles fuiſſe. Utrique enim punicei erant, utrique etiam ſolo alto & fulmentato, utrique etiam tibiatim calceabantur, ut de mulleis prodit Titinnius apud Feſtum, de *cothurnis* Virg. Æneid. I. 340.

> *Virginibus Tyriis mos eſt geſtare pharetram,*
> *Purpureoque alte ſuras vincire cothurno.*

Optime *cothurnos* deſcribit Sidon. Carm. II. 400.

> *Perpetuo ſtat planta ſolo, ſed faſcia primos*
> *Siſtitur ad digitos, retinacula bina cothurnis*
> *Mittit in adverſum vincto de fomite pollex,*
> *Quæ ſtringant crepidas, & concurrentibus anſis*
> *Vinclorum pandas texant per crura catenas.*

Ruben. de re veſt. II. I. *Cothurnis* ob has cauſas mullei non fuerunt ſimiles. Ex illo enim ſequeretur, non tam Cæſarem quam omnes, qui curulem magiſtratum cepiſſent, fuiſſe Romæ *cothurnatos*, more tragœdorum, fruſtraque a Suetonio pro monſtro notatum c. 52. n. 2. quod Caligula aliquando in publico *cothurnatus* viſus ſit. Fuerint Regum Albanorum, & deinceps patriciorum mullei rubri, & altiore ſolo; nemo tamen dixerit, eadem altitudine, qua *cothurni*, quibus ſtaturæ proceritas exſtruebatur, ut veterum heroum ſublimitatem referrent. Præterea ſi omnes mullei alto & *cothurnali* ſolo erant, Cæſaris cultus minime notabilis fuiſſet, quod calceatu altiore uteretur; cum omnes magiſtratu curuli præditi in mulleis eſſent, ſaltem diebus, & officiis ſollennibus. Cæſaris ergo mullei a cæteris ſoli altitudine diſtincti, cum color communis eſſet. In eo Cæſar notatus, quod pro nigris calceis ſenatoriis, rubris uteretur: nam quod tam mullei, quam *cothurni*, tibiatim calcearentur, docuit jam Virgilius. Non tamen idem calceamentum fuerunt, alioqui etiam vulgaris ſenatorum calceus *cothurnus* fuiſſet, qui medium crus pellibus impediebat. Verum tam mullei, quam communes calcei cavi erant, & tam pedem quam crus medio tenus tegebant: *cothurni* aperti, & vinculis ad ſuras uſque religati, hi altiſſimo ſolo, illi humili, etſi in Cæſare altiuſculi, ſive ad juvandam ſtaturam, ſive in regii generis oſtentationem. Vidit hoc Rubenius ex Sidonio, quem laudavit. *Cothurni* ergo crepidæ, ſive ſoleæ, vinclis ad ſuras pertinentibus

nentibus religatæ. Mullei cavi & clausi, pedem cum crure ad dimidium tegentes. Et idem inter eos discrimen, quod inter calceum Romanum, & soleas, sive crepidas Græcanicas. *Ferrar. Anal. de re vest. c.* 32. Fuerunt *cothurni* lepidiore quadam concinnitate calceis elegantiores. Sic enim ἀμφοτεροδεξίαν ratio suadet imaginari, non quod laxior *cothurnorum* amplitudo facilem utrique pedi calceatum præberet, ut plerique sunt arbitrati, sed potius quod utrimque repanda *cothurnorum* latera sese pari tenore molliter incurvarent, æquabilique tandem modulo reducta, atque invicem recurrentia, directum acumen antrorsum efformarent; ita ut in iis nullum esse dextri sinistrive pedis, aut laterum interiorum exteriorumve discrimen. Cujus formæ expressam imaginem oculis subjectam intueri licet in elegantiore illo calceatu, quo jam passim honestioris fortunæ viri atque mulieres utuntur: hunc siquidem, propter æquabilem illum utriusque lateris modulum, non magis dextrum, quam sinistrum possis asseverare. Cum in contrarium sic efformatos rusticorum viliorumque hominum vulgares calceos animadvertas, ut extrorsum, magis quam introrsum protuberante laterum amplitudine insignes maxime videantur. Ut plurimum fuerunt purpurei. Livius Andronicus Dianam venatricem sic alloquitur.

Et jam purpureo suras include cothurno.

Virgilius supra laudatus. Color purpureus tragicis admodum fuit consentaneus theatris, in quibus quidem Regum, Reginarumque, conspicuo splendentis purpuræ decore illustrium infortunati casus, & luctuosa funera repræsentabantur. Hominibus, quos parcior natura breviores, contractioresque efformavit, altius attollendis usurpabantur. Juvenalis de mulieribus, quibus hoc fere accidit, Sat. VI. 504.

—— si breve parvi
Sortita est lateris spatium, breviorque videtur
Virgine Pygmæa, nullis adjuta cothurnis.

Scaligeri in Italicas mulieres dictum V. supr. in *Calceus.* Ita scilicet alte substructis illis *cothurnis* impositæ mulieres attolluntur, ut si postea relictis iis incedentes easdem intuearis, dimidia sui parte minores humilioresque credas. *Balduin. l. l.* Illis utebantur tragœdi. Isidor. l. l. *Cothurni sunt, quibus calceabantur tragœdi, quando in theatro dicturi erant, & alta intonantique voce carmina cantaturi.* Pollux VI. 16. & 18. *Cothurni tragici sunt calcei.* Horat. Sat. I. 5. 64.

Non illi larva, aut tragicis opus esse cothurnis.

Sidon. Epist. VIII. 11.

Soccos ferre cave, nec, ut solebat,
Laxo pes natet altus in cothurno.

Demster. Paralip. ad Rosin. Antiq. Roman. V. 8. Argol. & Buleng. l. l. Brod. Miscell. II. 18. Et venatrices. Has *cothurnis* usas fuisse supra docuit Virgilius, & ad illum Servius: *Cothurni sunt calceamenta etiam venatoria, crura quoque vincientia: quorum quivis utrique aptus est pedi. Ideo & numero usus est singulari.* Etsi tamen venatici & tragici *cothurni* utrique pedi convenirent: tamen forma differebant. Nam tragici fiebant subere altius sublevato: quales venatici esse non poterant: quia ea res pernicitatem in venando impediisset. *Voss. l. l. Spanhem. in Callim. in Dian. n.* 16. *Ulit. in Nemes. Cyneget. n.* 90. Non enim est quod venaticus tragico omnino similis fuisse censeatur. *Cothurnum* enim pro calceo, speciem nimirum calceamenti pro alia specie Poeta usurpavit καταχρηστικῶς. Neque violenta tamen hæc usurpatio putanda est, qualis in rebus, quæ maxime sunt ab invicem discrepantes. Nam ea *cothurnis*, quoad formam spectat, cum calceis intercedit affinitas, ut si eorum infartas alto subere soleas demiseris, cætera calceis apte respondeant. *Cothurnum* tragicum pro stylo gravi, pleno, sublimi, atque tragico usurparunt Poetæ. Virg. Ecl. VIII. 10.

Sola Sophocleo tua carmina digna cothurno.

Mart. III. 20.

Dic Musa, quid agat Canius meus Rufus?
An in cothurnis horridus Sophocleis.

Unde proverbium, *Sophocleus Cothurnus*, ad altum & sublimem dicendi characterem exprimendum. His succedens ita succinit Horat. Art. Poet. n. 280. cum Æschyli poetæ magniloquam in dicendo vim attollit:

Qui docuit magnumque loqui, nitique cothurno.

Hinc, quibus hoc a natura concessum, ut ampliore vena grandiloqua metra profunderent, quibus animoso, vividoque spiritu, atque ore patulo pronuntiatis, arcuata theatrorum subsellia circumsonarent, eos epitheto, non quidem probri, ut antea, sed eximii cujusdam honoris titulum præferente, *cothurnatos* placitum fuit appellari. Mart. V. 5. 8.

Grande cothurnati pone Maronis opus!

Et ea dicendi facultas, quæ magnifico sesquipedalium verborum apparatu superbifice instructa, moderatum loquendi tenorem imis conculcat pedibus, seseque tantum attollit, ut ipso vertice sidera tangere velle videatur, ea inquam eloquentia, bene composito vocabulo *cothurnata* nuncupata est. Hieron. ad Pammach. Epist. 26. *Non cothurnatam affectas eloquentiam.* Balduin. l. l. Savar. in Sidon. Epist. II. 9.

COTTA fuit cognomen Aureliæ familiæ. Ab anno Urbis D. ad DCC. septem habuerunt consulares, quorum unus bis consul fuit, duo censores, unus magister equitum, unus triumphalis. I. C. *Cotta* L. F. C. N. consul fuit cum P. Servilio Gemino, & solus triumphavit Idibus April. a. DI. de Pœnis & Siculis. Iterum cum eodem collega post quadriennium consul fuit. Censor cum N. Fabio Buteone septimo deinde anno. Magister equitum cum C. Duillio Dictatore comitiorum habendorum causa anno DXXII. II. C. *Cotta* C. F. C. N. superioris, ut creditur, filius consul fuit cum P. Sulpicio Galba Max. II. anno primo belli Philippici, hoc est, a. DLIII. III. L. *Cotta*, cujus parentes ignoramus, consul fuit cum Serv. Sulpicio Galba anno DCIX. IV. L. *Cotta*, superioris, ut creditur, filius, consul fuit cum L. Cæcilio Metello Calvo anno DCXXXIV. V. C. Aurelius M. F. consul fuit cum L. Octavio anno DCLXXVIII. Huic triumphus decretus erat, sed ob rescissam cicatricem prius mortuus est. Laudatur, ut disertus a Cicerone, ejusque leges aliquot fuerunt. VI. Marcus superioris frater consul fuit anno sequenti cum L. Licinio Lucullo. VII. L. *Cotta*, superiorum duorum frater, consul fuit anno DCXXCIIX. cum L. Manlio Torquato, damnatis competitoribus jam designatis P. Cornelio Sulla, & P. Autronio Pæto. Censor anno proximo cum Q. Cæcilio Metello Pio, quo mortuo *Cotta* abdicavit. *Augustin. & Patin. de Famil. Roman. in Aurelia. Glandorp. Onom. Roman. p.* 142. *& Tiraquell. in Alex. Gen. dier.* I. 9.

COTTABUS lusus ortus est a Siculis, quibus latage dicitur liquor ex potione reliquus. Erat talis, ut describit Suidas. Defixa erat in terra quædam virga oblonga, & alia supra eam commota ut in statera, habebat autem duas lances suspensas, & duos crateras aquæ sub lancibus, & sub aqua statuam æneam inauratam. Id obtinuit in conviviis, & omnibus ludentibus exsurgebat aliquis phialam habens mero plenam, & a longe stans quod vini ex epota phiala supererat, id totum ad stillam usque unam mittebat in lancem, ut repleta gravis fieret, & descendens feriret caput statuæ, quæ latebat sub aqua, & sonitum faceret, quique ita jaceret, ut ne gutta quidem una effunderetur, vincebat, & canebat quasi ab amica redamaretur: si aliquid in terram cecidisset, aut sonitum non fecisset, vincebatur. Statua sub aqua latens dicta Manes. Tzetzes Chil. Hist. VI. 85. 27.

In convivio erat statera, & ollula
Ex utroque latere statera sub lancibus:
Ollulæ istæ in medio habebant imagunculas,
Imagunculas, quas Manes vocabant illi tum.
Comessatores cum implessent os suum eo vino,
Quod dicebatur latax, seu latage, humor & fluxus.

Hoc

Hoc cum strepitu miscebant in unam lancium,
Hoc est, excutiebant, exspuebant, evacuabant.
Cottabum, & instrumentum omne vocabant hoc.
Si igitur ictu vini lanx deorsum vergeret,
Et sonitum fecisset Manem in caput feriens,
Comessator comessatoribus videbatur generosus.
Sin autem non, multum auferebat velut debilis risum.

Paullo aliter Pollux vi. 19. *Cottabium a culmine suspendebatur supinum ex ære levi factum, ut candelabri operculum, quod candelam sustinet. Erat deinde virga quædam longa, quam cottabicam vocant, & rotunda pelvis cava, quam & chalcejum & scapham vocarunt, poloque horas indicanti erat persimilis. Sed cottabo a culmine suspenso ludentem sonum quendam edere oportebat, qui latax dictus. Aristophanes Pac. p. 715. n. 16. cottabium catacton vocat ruptilem cottabum assimilans illud tubæ tintinnabulo. Pelvis porro aqua implebatur, cui globus innatabat, lanx, & Manis statua, tres myrti, & tria acetabula: & qui humida manu cottabum contingens aliquod horum adipiscitur, laudatur: sed qui plurima eorum, quæ innatabant, submergit, cottabia pro præmio accipiebat.* Meurs. de Lud. Græc. in Κοτλαβισμός. Buleng. de Conviv. III. 20. & Lud. Vet. c. 38. Stuck. Ant. Conviv. III. 14. Alex. Gen. Dier. III. 10. Rhodig. Ant. Lect. XXVIII. 5. Parrhas. Epist. 36. Lips. Ant. Lect. III. p. 155. Senftleb. de Alea c. 9. n. 1. Gyrald. de Poet. Dialog. III. p. 179. Potter. Archæol. Græc. IV. 20. Laurent. Polym. IV. Synops. 8. Interdum quidam convivantium reliquias humoris, epoto poculo, inversa manu mittebant in altum, ut relabens in terram sonitum quendam, strepitumque cieret. Cujus rei vestigium Romæ servatum videri potest, nam Plin. XIV. 22. illud inter legum scita fuisse scribit, *contra bibendi fallacias, nihil ad elidendum in pavimentis sonum ex vino reliquisse.* Eo allusit Horat. Od. II. 14. 26.

--- *& mero*
Tinget pavimentum superbo
Pontificum potiore cœnis.

Tingebatur enim per *cottabismum.* Rhodig. l. l. Buleng. ibid. c. 21.

COTTANUM est ficus parva. Martialis infr. laudandus, & XIII. 28.

Hæc tibi quæ torta venerunt condita meta,
Si majora forent cottana, ficus erat.

Plin. XIII. 5. *Syria præter hanc peculiares habet arbores in ficorum genere, caricas, & minores ejus generis, quæ cottana vocant.* Fici hæ mittebantur in vasculis, quorum forma erat instar metæ. Stat. Sylv. IV. 9. 27.

Nusquam turbine conditus ruenti
Prunorum globus, atque cottanorum?

Qui *turbinem ruentem inversam metam* esse dicit. Hoc vero voluit dicere, potuisse sibi pro munusculo Saturnalitio ab amico mitti globum *cottanorum* & prunorum in vasculo ad instar metæ figurato, seu instar turbinis ruentis. Quæ duo etiam ut munera Saturnalitia jungit Mart. VII. 52. 1.

Omnia misisti mihi Saturnalibus Umber
Munera, contulerant quæ tibi quinque dies.
Bissenos triplices, & dentiscalpia septem:
His comes accessit spongia, mappa, calix.
Semodiusque fabæ cum vimine Picenarum,
Et Laletanæ nigra lagena sapæ.
Parvaque cum canis venerunt cottana prunis.

Lipen. Stren. Hist. c. 3. §. 19. Cruc. in Statium. Voss. Lex. Etymol.

COTYLA, sive *cotyle*, quæ & triblion dicta est, sextarii dimidia pars est, choei autem duodecima: continet in se quartarios duos, cyathos sex: pendet oleo plena uncias septem semis, sive drachmas sexaginta, vino aut aqua uncias octo, drachmas duas, scripula duo. *Pætus de Rom. & Græc. Mens.* III. *Thes. Ant. Roman. Græv. Tom.* XI. *p.* 1649. *B. Cenal. de Pond. ac mens. rat. ibid. p.* 1453. *D. Savot. de numm. antiq.* III. 39. *Lampe de Cymb. Vet.* I. 12.

Cotyle Attica novem unciarum Italicarum existit: etenim novem unciæ Italicæ in cornibus intersectis discretæ pendent uncias septem cum dimidia: sic fit; ut unciæ mensurales a ponderalibus discrepent: sequitur etiam, quod unciæ & libræ mensurales medicæ sint eædem Atticis & Romanis, quod testatur Galenus, dicens: *Ex multis medicamentis olim conscriptis, priusquam res Romanæ in tantam potentiam venirent, conjeci quam illi nominant cotylen, parem esse unciis novem libræ Romanis nunc consuetæ. Hac utuntur medici, ut sit eadem Attica & medica.* Cenal. de Pond. & mens. rat. Thes. Ant. Roman. Græv. Tom. XI. p. 1453. F.

Cotyla georgica major est quam libralis: tenet enim uncias mensurales tredecim, & semunciam, hoc est, libram Romanam, & sescunciam. *Cenal. de Pond. & mens. rat. Thes. Ant. Roman. Græv. Tom.* XI. *p.* 1451. I.

Cotyla hippoiatrica libralis est unciarum Romanarum duodecim. Parisina quidem libralis est, sed ea libra quæ Romanam superat ea proportione, qua pes Parisinus Romano pede major est, videlicet drachmis novem, hoc est, uncia & drachma, quam sesquidigitalem profunditatem dicere possumus conferendo lineales mensuras cum cavis. *Cenal. de Pond. & mens. rat. Thes. Ant. Roman. Græv. Tom.* XI. *p.* 1450. *G.*

COTYLISCUS, seu *cotylus*, vas est ansatum, ventriosum quidem, at non lati admodum oris, unicam habet ansam, Baccho erat peculiare. Athen. XV. p. 478. Pollux VI. 16. *Aleand. Tab. Heliac. Explic. Thes. Ant. Roman. Græv. Tom.* V. *p.* 712. *D. Vaillant de numm.* I. *p.* 165. *Muson. Philos. de Luxu Græcor. c.* 2. *Pigh. Mythol. in anni part. Thes. Antiq. Græcar. Gronov. Tom.* IX. *p.* 1189. *B.*

COV.

COVINARIUS erat eques, qui scilicet de *covino* pugnabat. Tacit. Agric. c. 35. n. 4. *Media campi covinarius eques strepitu & discursu complebat.* Hugo de Milit. equest. I. 6. Non erat eques, sed qui *covinum* regebat. Apud Tacitum non legitur *covinarius eques*, sed *covinarius & eques.* Alii itaque Tacito sunt equites, alii *covinarii.* Et qui possint iidem esse, cum, ut ipse ait, *covinarii* pugnaverint de *covino*, id est, vehiculo, non equo. Quare iterum ut de diversis Tacit. c. 36. n. 4. *Equitum turmæ fugere, covinarii peditum prælio se miscuere.* Scheffer. de re vehic. II. 22.

COVINUS, *covinnus* apud Martialem mox laudandum, & *covina* in Gloss. anon. MS. *Covina, genus vehiculi.* Formam quod spectat, fuit vehiculum tectum & constratum. Lucan. I. 426.

Et docilis rector constrati Belga covini.

Sunt enim *vehicula constrata*, quæ superne tecta, sicut constratæ naves, quæ etiam tectæ dicuntur. Habebant falces. Mel. III. 6. *Dimicant & bigis, & curribus, Gallice armati: covinos vocant, quorum falcatis axibus utuntur.* Sil. Ital. XVII. 422.

Agmina falcifero circumvenit arcta covino.

Non tamen omnes, ne in bello quidem. Quod colligimus ex Tacito, qui tametsi pugnam *covinariorum* memoret Agric. c. 35. n. 4. tamen falcium in *covinis*, aut per eas factæ stragis nullum apud ipsum est indicium, quod non omissurus pro cætera sua diligentia videtur, si quas habuissent falces. Quinimo aperte Hieron. in Esaj. c. 66. *Sine falcibus itaque currus noster covinus est.* Habebant etiam cathedram ad considendum. Gloss. Philox. *Covinus, κάῤῥιον καθεδρωτόν.* Vocat carrum cum cathedra: porro cathedra ad considendum. Quanquam cathedra mihi hic videatur, quod in curribus militaribus antiquis δίφρος, id videlicet, ubi consistere, ac unde pugnare in hostem solebant, σέλλα vulgo appellatum. Nempe carrus vulgo fuit sine sella, ideo καθεδρωτόν vocavit, quasi diceret, non fuisse de communi genere carrorum, sed peculiari, quod impositas habuit sellas, id est, capsos ex vimine factos, & superne tectos, unde stantes pugnabant. Rotas, quia κάῤῥιον, id est, carrus nominatur, quem exponunt ἅμαξαν, colligo duas habuisse. Usus frequentissimus apud Belgas,

 quod

quod ex Lucano conſtat. A Belgis tranſiiſſe ad Britannos videtur. Colligo ex his verbis Melæ *Gallice armatos.* Cur enim *Gallice?* niſi quia rationem totam mutuati ſunt a Gallis, Belgis inquam, qui ſunt pars Gallorum. *Scheffer. de Re vehic.* II. 22. *Bochart. Geogr. Sacr.* I. 42. *Voſſ. de vit. ſerm.* I. 3. *Lex. Etymol. Savar. in Sidon. carm.* XXIII. 351. *Argol. in Panvin. de lud. Circ.* I. 9. *Donat. Dilucid. p.* 210. Capiebat ad ſummum duos; & in illo libere amici duo loqui poterant, cum delatorum omnia ſuſpecta forent. *Solitudinem* enim ejus laudat, & ipſum *jucundum* etiam vocat Mart. XII. 24. 1.

O jucunda, covinne, ſolitudo.

Cum enim in foro amici, domi ſervi caverentur, *covinus*, in quo multitudo vehi non poterat, a politicis amabatur; nam in cæteris curribus aurigarum aures timebantur: ob id Mart. XI. 39. 1.

Mulio viginti venit modo millibus, Aule:
Miraris pretium tam grave, ſurdus erat.

Et in hanc ſententiam Mart. XII. 24. 4.

Hic mecum licet, hic, Juvence, quicquid
In buccam tibi venerit, loquaris.

n. 9.

O ſi conſcius eſſet hic Avitus,
Aurem non ego tertiam timerem.

Erat commodiſſimus ad Circenſes, ſive ponderis, ſive parvitatis gratiam ſpectes. Sidon. carm. XXIII. 350.

Inſtant verberibus ſimul regentes,
Jamque & pectora prona de covino
Trans armos feriunt.

Argol. l. l. Qui errat, quando ſcribit duos ad ſummum cepiſſe. Erat enim capax plurium, ſaltem trium, quia Martialis ſecum invitat in conſeſſum & Juvencum & Avitum. *Solitudinem* prædicat Martialis, quia regebatur ab unico ſoloque, qui & vehebatur ſimul, & auriga erat: & n. 8. ait *mulionem eſſe nuſquam*, id eſt, ſe ſolum & vehi eo, & mannulos ipſius regere. Et ex hoc genere ad illud militare non recte videtur tranſire, ac ſtatuere, ne in illo quidem fuiſſe niſi unum. Saltem *covini* ſine falcibus requirebant plures, ſi per eos damnum afferendum erat hoſtibus. Quid enim unus faceret, qui ſimul equos regere debebat? Fruſtra quoque ex Sidonio colligit, fuiſſe vehiculorum Circenſium ſollenne hoc vocabulum. Nam bigas quadrigasque alibi vocatas, *covinos* non legas. Imo ipſe Sidonius *quadrigas* dicit n. 312.

Tunc cœtus juvenum ſed aulicorum
Elæi ſimulacra torva campi
Exercet ſpatiantibus quadrigis.

n. 340.

Tandem murmura buccinæ ſtrepentis
Suſpenſas tubicen vocans quadrigas
Effundit celeres in arva currus.

Vocat *currus* & *quadrigas*, quomodo in univerſum omnes alii. Ergo *covini* ſua & ſollenni voce minime appellabantur. Sed nec adhibiti ad Circenſes ludos, qui ſic proprie ſunt dicti. Alii fuere *covini*, alii currus Circenſes. Nam quod ſic appellat Sidonius, id fit abuſive, per poſitionem generis unius vice alterius, ſicut locus univerſus docet, qui agit de juvenibus Auguſtalibus, quorum ludus agitatioque fuit non *covinis*, ſed quadrigis. Aſcon. in Cicer. p. 148. *Cum Sylla poſt victoriam Circenſes faceret, ita ut honeſti homines quadrigas agitarent.* p. 152. *Diximus, Syllæ ludis, quos hic propter victoriam fecerit, quadrigas C. Antonium, & alios quoſdam nobiles homines agitaſſe.* Loquitur de ludis ſacris, in quibus ingenuos, & nobiles, quos *aulicos* vocavit Sidonius, ait certaſſe. Certaſſe vero non *covinis*, ſed quadrigis. Unde plane conſtat ludos illos ſimiles per omnia circenſibus vulgaribus exſtitiſſe, ac idcirco nullos habuiſſe *covinos*. Cum præſertim *covinorum* mentio nomenque ſero, ac nonniſi poſt Cæſareana tempora Romæ orta fuerit, Circenſes omni tempore duraverint. Pertinebant I. ad bellum. Ita clare Mela ſupra laudatus. Quæ dimicationis fuerit ratio, non ſatis conſtat. Quia tamen falces habuerunt, vix eſt dubium, quin ſola incurſione damnum afferre hoſti quæſiverint. Sed non omnes habuerunt falces. Ergo in cæteris ſtetiſſe, indeque tela conjeciſſe in adverſarios exiſtimo. Ideo *ſe peditum prælio immiſcent* apud Tacit. Agric. c. 36. n. 4. II. in pace ad iter, ſive ſerium, ſive, quod magis Martialis jam laudatus videtur velle, voluptatis cauſa inſtitutum. Fuerunt nominatim *covini* inter munera, quæ donari ſolebant. Erat enim muneris loco datus Martiali n. 2.

Carraca magis, eſſedoque gratum
Facundi mihi munus Heliani.

Scheffer. l. l.

COUS, Κῷος, erat in ludo talario ſenio, qui & ἑξίτης Euſtath. Iliad. ψ. *jactuum, qui ſex valent, cous dicebatur, & hexites.* Pollux IX. 7. *Plurimi vero hexiten coum appellari putant.* Commemoratur inter bonos jactus Polluc. VII. 33. 9. *Meliores, de quibus felici eventu alea uti dicitur . . . . cous.* Meurſ. de Lud. Græc. in Κύβεια. Rhodig. Ant. Lect. XXVII. 27. Calcagn. de Lud. teſſer. p. 290. p. Senftleb. de Alea c. 4. n. 7. Buleng. de Lud. c. 58. Souter. de Aleat. I. 26. & 28.

COX.

COXÆ ſi pars ea ſilierit, quæ retro eſt, ignominiam præſagit: cæteris vero temporis temperiem: ſin autem ſiniſtra pars, inſidias: cæteris vero facultatem prædicit. *Niphus de Augur.* I. 9.

Coxæ ſunt anguli, ſive flexus, & verſuræ terminorum, rigorem non ſervantes. Siculus Flaccus: *Ergo convenientia poſſeſſionum terminos conſecrat: ut ante dixeramus, omnibus angulis coxiſque poſiti eſſe debebunt.* Schel. in Hygin. Theſ. Ant. Roman. Græv. Tom. X. p. 1123. C.

CRA.

CRADE in comœdia eſt, quod machina in tragœdia, quia ficus imitatio eſt, & ficum Attici *cradem* vocant. Heſychius: *Crade ramale eſt & argyris, unde emergebant, qui ſubito in machinis tragicis apparebant.* *Crade* pegmatis ſpecies, ad ficulneæ arboris imaginem, quam Heſychius tragicis, Pollux comicis ſolis attribuit. *Buleng. de theatr.* I. 22. Illa in aere dei & heroes agebantur, ut Perſeus & Bellerophontes. Tametſi quidam *craden* hamum ferreum, ſeu vinculum ſignificare ſcribant, quo in aere pendere videntur, qui ita ſuſtolluntur, ut hodie quoque in celebritatibus fieri conſpicimus. *Gyrald. de Poet. hiſtor. dial.* VI. *p.* 334. *F. Edit. Lugdun. Bat.*

CRAMBE dabatur in primo miſſu. Muſurus: *Crambe ſatietatem arcet, prima convivis apponitur.* Buleng. de Conviv. II. 4.

CRANIUM, ſive caput hominis mortui in menſa quare appoſuerint. V. infra in *Larva.*

CRASSUS cognomen eſt gentis Liciniæ celebre. *Sigon. de Nom. Roman. c.* 5. *Urſat. de Not. Roman. Theſ. Antiq. Roman. Græv. Tom.* XI. *p.* 854. *D.* Commune tamen Calpurniis, Claudiis, Fontejis, Otaciliis & Papiriis. *Glandorp. in Cognom. Indic. Urſat. l. l.* Licinii *Craſſi* viri conſulares ſeptem octo conſulatus, cenſuras quatuor, Pontificatus maximos duos, triumphum, & ovationem, & magiſterium equitum ante Dictatorem Cæſarem obtinuerunt. I. P. *Craſſus* Dives P. F. P. N. Pontifex maximus anno ab U. C. 451. in locum L. Cornelii Lentuli cooptatus eſt, biennio poſt magiſter equitum Q. Fulvio Flacco Dictatori comitiorum habendorum cauſa, & eodem a. cenſor cum L. Veturio Philone, qui in eo magiſtratu mortuus eſt: quamobrem *Craſſus* abdicavit. Conſul fuit cum P. Scipione Africano majore a. 548. duobus & viginti annis poſt conſulatum vixit. II. P. *Craſſus* C. F. P. N. anno primo belli Perſici cum Caſſio Longino, hoc eſt, a. 582. Prætor fuerat ante quinquennium, & in Hiſpaniam provinciam ire recuſavit. III. C. *Craſſus* tertio poſtea anno, eiſdem parentibus natus, ut fratrem germanum eſſe non dubi-

dubites, cum L. Aimilio Paullo iterum Conſul fuit, qui ante quadriennium prætor urbanus fuerat. IV. P. *Craſſus* P. F. P. N. fuit Pontifex maximus in locum P. Scipionis Naſicæ Serapionis a. 621. cooptatus. Proximo anno Conſul fuit cum L. Valerio Flacco flamine Martiali: cum quo poſtea de provincia contendit, & flaminem vetuit a ſacris diſcedere. Ipſe in Aſia occiſus eſt ab Ariſtonico, primus extra Italiam Pontifex maximus profectus. V. P. *Craſſus* M. F. P. N. Conſul fuit a. 656. cum Cn. Cornelio Lentulo. Hujus pater M. *Craſſus* is eſt, quem ſemel in vita riſiſſe Lucilius ſcripſit, avum fuiſſe eum exiſtimo: quem ſecundo loco conſtituimus P. *Craſſum*. Proconſule de Luſitanis triumphavit anno quarto poſt conſulatum pridie Idus Junias. Cenſor quadriennio poſt triumphum cum L. Julio Cæſare factus eſt. VI. M. *Craſſus*, quem *Divitem* plerique appellant, patris fuit ſuperſtes, Cn. Pompeji Magni in duobus conſulatibus collega. Eos geſſit a 683. & 698., Cenſor fuit quinto anno poſt priorem conſulatum cum Q. Lutatio Catulo. A Parthis cum P. filio occiſus eſt, adverſus quos cum exercitu profectus Proconſule eſt. VII. L. *Craſſus*, diſertiſſimus ille orator. Conſul fuit cum Q. Mucio P. F. Scævola Pontifice maximo a. 658. Cenſor triennio poſt cum Cn. Domitio Ahenobarbo. Anno proximo L. Philippo conſule annos natus fere quinquaginta mortuus eſt. Hujus parentes ignoramus. *Auguſtin. de Famil. Roman. in Licinia. P. Serv. Miſcell. c.* 3. De M. *Craſſi Divitis* divitiis Plin. xxxiii. 10. *M. Craſſus negabat locupletem eſſe, niſi qui reditu annuo tueri legionem poſſet. In agris ſuis HS. bis millies poſſedit, Quiritium poſt Sullam ditiſſimus.* Apud quem mihi legendum videtur: *Niſi qui legiones* (Cicero enim Parad. vi. n. 1. plures; imo *ſex legiones nominat*) *tueri poſſet ex agris ſuis. Seſtertium bis millies poſſedit.* Ut univerſæ opes fuerint bis millies, ſive quinque millionum. *Lipſ. de Magnit. Rom.* ii. 15. Papirii *Craſſi* conſecuti ſunt quinque conſulatus, tribunatus militares quatuor, dictaturas duas, cenſuras & magiſteria equitum totidem. I. Marcus, ſive Manius Papiſius conſul fuit cum C. Fuſio Pacilo an. 312. II. L. *Craſſus* bis conſul & cenſor: priorem conſulatum geſſit cum M. Cornelio Maluginenſi quinquennio poſt ſuperiorem, & poſt quinquennium alterum otioſum poſteriorem geſſit cum L. Julio Julo. Cenſor fuit a. 335. Hunc ſuperioris filium ex fragmentis Verrii ſuſpicantur. III. C. *Craſſus* tribunus militum fuit cum conſulari poteſtate a. 369. IV. Sp. *Craſſus* biennio poſt tribunus etiam militum fuit cum L. Papiſio *Craſſo*. V. L. *Craſſus* SP. F. C. N. tribunus militum fuit a. 384. VI. L. Papirius *Craſſus*, qui primus eſt Papiſius vocari deſitus. Hunc L. F. M. N. Verrius appellat. Illius fortaſſe L. *Craſſi* filius fuit, quem quinto loco poſuimus. Hic & Dictator & magiſter equitum fuit, & bis conſul. Nam cum prætor eſſet a. 413. Dictator rei gerundæ cauſa eſt factus: quadriennio poſt conſul fuit cum K. Duillio, iterumque cum L. Plautio Vennone poſt ſex annos, & cenſor a. 343. magiſter equitum fuit ſuffectus Q. Fabio Rulliano. VII. M. *Craſſus* Dictator fuit rei gerundæ cauſa a. 421. VIII. L. Papirius magiſter equitum fuit T. Manlio Dictatori a. 434. comitiorum, ut credimus, cauſa. Et ita Verrius. Hunc tamen *Craſſum* fuiſſe, & L. F. L. N. nobis incertum eſt. *Auguſtin. ibid. in Papiria. Glandorp. Onom. Rom. p.* 657.

CRATER erat ingens vas vinarium, quod in media menſa ſupra machinulam incitegam deſtituebatur. Ex eo cyathis vinum emiſcebant, id eſt, hauriebant. Manil. v. 226.

— nec parce vina recepta
Hauriet emiſcens.

Scalig. in Manilium. Saubert. de Sacrif. c. 17. Latini *crateram* vocant. In eo veteres vinum aqua temperabant. Ritum antiquis fuiſſe teſtatur interpres Pindar. Iſthm. Od. vi. n. 12. ut in conviviis primum poculum in Jovis Olympii laudem ſumerent, alterum in heroum, tertium in Jovis ſervatoris: idque & Sophoclis & Æſchyli verſibus comprobat. *Luiſin. Parerg.* 1. 7. *Demſter. Paral. ad Antiq. Roſin.* v. 30. *Turneb. Adv.* xxi. 13. *Calcagn. de ſalut. ac rect. valet. p.* 425. *Buleng. de Conviv.* iii. 15. Non conveniebat inter veteres de tertio poculo poſt cœnam. Quidam enim illud bono dæmoni, alii Jovi Servatori, nonnulli Mercurio tribuunt. Pollux vi. 16. *Primus crater eſt Jovis Servatoris, at vinum merum quod bibitur ſublatis menſis dicitur boni dæmonis, ultima potio dicitur Mercurii: quare Homerus dicit: ultimo libabant.* Diodor. Sicul. iv. *Inter epulas*, inquit, cum merum affertur, dicunt *ἀγαθοῦ δαίμονος*: poſt cœnam, cum datur mixtum aqua, *κεκραμένος ὕδατι*, exclamant Jovis Servatoris. *Buleng. l. l.* Semiramidis fuit pondo auri talentorum quindecim. *Cenal. de pond. ac menſ. rat. Theſ. Ant. Rom. Tom.* xi. *p.* 1590. C. Lapidei, ut Porphyrius diſerte affirmat, ſymbola ſunt nympharum Hamadryadum: quibus & Poetarum princeps Ithacenſe antrum adornavit. De his Proclus etiam v. 31. . . . & Scholia in Cratylum c. 142. & 143. quæ in Barberina bibliotheca typis nondum vulgata ſervantur. *Holſten. in Nymph. Theſ. Antiq. Roman. Græv. Tom.* iv. *p.* 1800. *F.*

Crater ſinus eſt etiam Italiæ inter duo promontoria Miſenum & Minervium ſitus, a vaſis ſimilitudine dictus. Ex reducto rotundoque receſſu nomen obtinuit. Strab. v. p. 171. *Hic finem accipit ſinus, qui crater appellatur, duobus promontoriis in meridiem converſis diremptus, Miſeno & Minervio.* Cicer. Attic. ii. 18. *Inde (quoniam putas prætereundum nobis eſſe hoc tempore cratera illum delicatum) Kal. Maj. de Formiano proficiſcemur.* Turneb. Adv. xxi. 13. Sigon. de Ant. Jur. Ital. i. 10.

Crateres vocabantur Ætnæ ſpiracula ignem exſpirantia, atque adeo aliorum locorum ardentium. In pervetuſto libro apud Suet. Cal. c. 51. n. 3. lego *Ætnai crateris fumo ac murmure pavefactus.* Turneb. Adv. xxi. 13: xxvii. 20.

CRATES Mallotes Attali Regis legatus inter ſecundum & tertium bellum Punicum, hoc eſt a. poſt Scipionem Barbatum ſupra centum & viginti, Grammaticæ artis ſtudium primus in Urbem intulit. Grammatica enim olim Romæ, ut Suet. Gramm. c. 2. n. 1. teſtatur, ne in uſu quidem erat; rudi ſcilicet, ac bellicoſa gente armis potius, quam liberalibus diſciplinis vacante. *Explan. Ant. Inſcript. de Scip. Barb. Ant. Rom. Græv. Tom.* iv. *p.* 1838. *A.* Athenienſis primus ebrios in comœdiam induxit. *Buleng. de Theatr.* 1. 53.

Crates bellicæ in ſubita oppugnatione erant in uſu. Hirt. de Bell. Alexandr. c. 18. *Neque noſtri aut ſcalis, aut cratibus, aut reliquis rebus parati venerant ad oppugnandum.* Ammian. xxi. 12. *Pluteos præferentes oppugnatores, cratesque denſius textas.* In duplici erant uſu I. ut tegerent, ſic antelatæ. II. ut foſſas iis explerent, & mixto aggere quaſi per pontes irent. Cæſar facit ipſos Gallos, oppugnaturos Romana caſtra, de bell. Gall. vii. 81. *magno cratium, ſcalarum, harpagonum numero effecto, ad campeſtres munitiones accedere: ac tum, clamore ſublato, crates projicere.* c. 86. Iidem Galli, pari tentamento, *multitudine telorum propugnantes deturbant, aggere & cratibus aditus expediunt, falcibus vallum ac loricam ſcindunt.* Ubi vetus etiam Fulvii liber, *aggere & cratibus foſſas explent*, clarius pro ſententia dicta. Tales autem, quibus foſſas explebant, non cenſemus fuiſſe elaboratas, ad modum illarum ſtabilium, quas in obſidione defigebant: ſed leviores, fortaſſe nec tecto, aut lateribus, ſed ſimplici textu vimineo, quem ante ſe ferebant. *Lipſ. Poliorc.* 1. 7. *in Tacit. Annal.* 1. *n.* 227. *Laurent. Polym.* iv. *Synopſ.* ii. *Thyſ. de Oppugn. urb.* 1. *p.* 160. Etiam lapidibus complebantur, & in capita per ſcalas adſcendentium hoſtium devolvebantur. Veget. iv. 6. *Inventum quoque remedium, ut de ligno crates facerent, quas metellas vocaverunt, lapidibuſque complerent: ea arte inter bina propugnacula conſtituta, ut ſi per ſcalas adſcendiſſet hoſtis, & partem aliquam ipſius contigiſſet, ſupra caput ſuum vergerent ſaxa.* Lipſ. ibid. v. dial. 4. Thyſ. ibid. v. p. 190. V. etiam infr. in *Pluteus*.

Crates erat ſupplicium, cum quis dejectus in aquam, *crate* ſuperne injecta, ſaxiſque congeſtis mergebatur. *Laurent. de Rebuspubl. c.* 7. Liv. i. 51. *Dejectus ad caput aquæ*

Ferentinæ, crate superne injecta, saxisque congestis, mergeretur. IV. 50. *Ad vociferationem eorum, quos necari sub crate jusserat, concursu facto.* Tacit. Germ. c. 12. n. 2. *Ignavos, & imbelles, & corpore infames cœno, ac palude, injecta insuper crate, mergunt.* Plaut. Pœn. v. 2. 65.

Sub cratim uti jubeas sese supponi, atque eo
Lapides imponi multos, ut sese neces.

Hoc supplicii genus Carthaginensibus peculiare fuisse, memoriæ a nonnullis proditur. *Brod. Misc.* I. 28. *Lambin. & Taubman. in Plautum. Ferrar. Elect.* II. 7.

Crates ficariæ erant, quibus fici, dum siccabantur, acclinatis in testudinis morem adversus injuriam pluviæ roremque noctis defendebantur, de quibus Cato de Re rust. c. 48. *Seminario impone crates ficarias.* Colum. XII. 15. *Tunc ficus injicitur, & crates pastorales culmo, vel carice, vel filice textæ ex utroque latere super terram planæ disponuntur.* In *cratibus* stratæ ficus siccantur in sole, quod θηλοπεδεύειν Græci vocant. *Turneb. Adv.* VI. 23.

Crate volucres capiebantur. Senec. Octav. II. 412.

Decipere volucres crate.

Nostrates rustici, cum nive tecta est humus, ab ea vacuas areolas quasdam concinnant, in quibus superjecta *crate* hordeum effundunt, variaque semina ad inescandas aves spargunt. Eæ vero sub ea desuper incumbente pascentes fune, qui machinam suspendit, clam laxato, omnes facile opprimuntur. Aucupii hujus, sed *cratis* non facit mentionem, meminit Plaut. Asin. I. 3. 64.

Auceps quando concinnavit aream, offundit cibum.

Brod. Misc. I. 28. Gronov. in Senecam.

CRE.

CREATORES sunt nominatores, χειροτονῆται in Basilicis. Nominare idem est ac *creare*. Hinc in Pandectis Florentinis. *Si eo tempore, quo quis nominatus est idoneus, postea lapsus facultatibus, damnum debitis Reipublicæ dederit: creator hoc nomine nihil præstare debet.* Inter cætera fabricensium privilegia hoc unum fuit l. 5. C. de hæredit. decurion. *Ut si quis eorum sine liberis, vel legitimo hærede intestatus decessisset, bona ejus iis deferrentur, qui velut creatores attinentur, ut fabricenses collegarum suorum solatiis perfruantur.* Hoc privilegium concessum est, quod fabricenses suis *creationibus*, seu nominationibus constricti sunt, & qui inter eos suscipitur, totius corporis nominatione suscipitur. Quare quod uno delinquitur, totum corpus fabricensium resarcire compellitur d. l. 5. *Guther. de Offic. Dom. Aug.* III. 12.

CREDITOR chirographarius. V. illum supr. in *Chirographum.*

CREMATIO est vivi hominis damnati exustio: qua pæna transfugæ ad hostes, & publici consilii renuntiatores adficiebantur. l. 8. §. 2. ff. de pœnis. *Hostes, item transfugæ ea pœna adficiuntur, ut vivi exurantur.* l. 38. §. 1. ff. eod. *Transfugæ ad hostes, vel consiliorum nostrorum renuntiatores vivi exuruntur.* Item falsæ monetæ damnati l. 2. C. de fals. monet. *Si quis nummos falsâ fusione formaverit, a quocunque fuerit publicatus, illico omni dilatione summota, flammarum exustionibus mancipetur.* Item qui in Urbe dolo malo incendium fecerunt. Cajus. V. illum infr. in *Incendiarii.* Hoc supplicio Christiani sunt affecti sub Nerone apud Tacit. Annal. XV. 44. 7. *Ut interirent flammandi.* Hotman. Antiq. Roman. V. p. 758. A.

CREMONA est oppidum antiquissimum trans Padum, a Gallis primum in Italiam transgressis, in ritum vici constructum. Hoc ipsum vocabulum, quod mere Celticam fert formam, ut *Dertona Verona*, satis aperte indicat. Neque admitti potest testimonium Polyb. III. 40. qui a Romanis sic appellatum innuit, quum eo coloniam sub adventum Hannibalis in Italiam deducerent: colligitur enim, jam ante eodem loco vicum fuisse, a Gallis Cenomanis conditum, Gallico vocabulo *Cremon*, quem postea Romani, in coloniæ sedem deligentes, mœnibus communiverunt. *Cluver. Ital. Ant.* I. 26. Colonia fuit deducta anno ab U. C. 535. P. Cornelio Scipione & T. Sempronio Longo Consulibus. Paterc. I. 14. 8. *Sub adventum in Italiam Hannibalis deducta Cremona.* Tacit. Hist. III. 34. 1. *Hic exitus Cremonam habuit anno 286. a primordio sui. Condita erat T. Sempronio & P. Cornelio Consulibus, ingruente in Italiam Hannibale, propugnaculum adversus Gallos trans Padum agentes, & si qua alia vis per Alpes rueret. Igitur numero colonorum, opportunitate fluminum, ubere agri, annexu connubiisque gentium adolevit, floruitque, bellis externis intacta, civilibus infelix.* Cluver. l. l. Panvin. Imp. Roman. c. 11. Sigon. de Ant. Jur. Ital. II. 5. Pigh. Annal. Roman. II. p. 149.

CREPEREIA gens. V. illam infr. in *Gens.*

CREPI sunt *Romanis dicti Luperci a crepitu pellicularum, quem faciunt verberantes. Mos enim Romanis erat in Lupercalibus nudos discurrere, & pellibus obvias quasque feminas ferire.* Festus. Sponte etiam palmas feriendas præbentibus mulieribus, ob id sibi fœcunditatem, & partus facilitatem dari arbitrantibus, teste Plutarch. in Romulo p. 31. D. *Donat. Dilucid. p.* 275. & 638. *Blond. Triumph. Rom.* I. *p.* 22. *E.*

CREPIDÆ sunt κρηπῖδες τῶν ποδῶν, sicut pedes sunt fundamenta corporis. Nam κρηπῖδες Græcis fundamenta significant, & ideo videntur Græci vocem ad calceamenta transtulisse. Et quidem talia fundamenta, quæ basin significant, & structuram sustinent, ipsa structura ampliora, & latiora, ut firmiter insistere possit. *Sperling. de Crepid. veter. Thes. Ant. Græcar. Gronov. Tom.* IX. *p.* 971. *E.* Differunt a sandaliis, quia fuerunt sine jugo, quippe solis vinculis supra pedem constrictæ, raro nisi suberis corticibus suppactis adhibebantur. Sandalia vero jugo digitos pedum coercebant: nam corium illud, quod digitos tegebat, jugum dicebatur, & ligneæ tabellæ subdebantur, clavis compactæ. Si tenuis sola tabella indueretur, solea erat: at si corium solum pedem infra & supra tegeret, sine ligno, sine subere, jam soccus erat. *Sperling. ibid. p.* 970. *A.* Nec calcei fuerunt, etiamsi ad medium crus habenis religarentur, quia pedem non operiebant, quod est calceorum proprium. *Ruben. de Re vest.* II. 1. *Ferrar. Anal. de Re vest. c.* 33. Et calcei stringebantur fortius. Unde cum Athen. XV. p. 621. B. Aristoclis verba producit, qui ὑποδήματα & κρηπῖδας distinxit, ait de certis poetis, τὸ μὲν παλαιὸν ὑποδήμασιν ἐχρῆτο, νῦν δὲ κρηπῖσι. Nam ὑποδήματα proprie vocari non poterant *crepidæ*, quod nihil in illis esset ligamenti stringentis, sed libere circa pedes fluctuarent. Ὑποδήματα nomen acceperunt, quod ubique supra pedem ipsum, & digitos pedis, nam olim plantæ pedis solum vestiebantur ligno, at superiora pedis fasciis, ac vinculis firmabantur: hoc dicebatur Græcis ὑπόδημα. Postea πίλημα in superiore parte pedis accessit loco adstrigmentorum, & ὑπόδημα perrexit vocari. Germanis hodie overleder; πίλημα vero, quod ex mollibus pilorum texturis adderetur, prout hodie corium, at cum non adstringerentur, puta circa calcem, *crepidæ*, & κρηπῖδες vocabantur. *Sperling. ibid. p.* 974. *C.* De illis Gell. XIII. 21. *Omnia ferme id genus, quibus plantarum calces tantum infimæ teguntur, cætera prope nuda, & teretibus habenis vincta sunt, soleas dixerunt: nonnunquam voce Græca crepidulas.* Laz. Comm. Reip. Roman. VIII. 13. Æratas habet Tertull. de Pall. c. 4. *Atquin alius & sericatus, & crepidam æratus incessit: digne quidem, ut bacchantibus indumentis aliquid subtinniret, cymbalo incessit.* Non quidem ex solido ære soleas *crepidis* subditas statuo, cum levitatem cæteris in calceis maxime quæsiverint: sed ære cavo, & in lamellas diducto, quod subtinnire posset, ut cymbalo incedere viderentur, prout expressit Tertullianus. De Empedocle philosopho traditur eum æratis ejusmodi *crepidis* usum, & cum Ætnæ crater eum absorberet, cui prope nimis accesserat, inventa est altera *crepida* ærata relicta in crepidine, & excussa in ipso descensu. *Sperling. ibid. p.* 972. *E.* Calceamenta fuerunt Græcorum. Pers. I. 127.

Non hic qui in crepidis Grajorum ludere gestit.

Tertull. de pall. c. 4. *Crepida cretata Græcatim Æsculapio adulan-*

adulantur. Hinc Suetonius de Tiberio loquens c. 13. n. 1. *Deposito patrio habitu redegit ad pallium & crepidas.* Tiberius enim relicto habitu Romano Græcum usurpavit. *Balduin. Calc. Ant. c.* 14. *Laurent. de Re vest. c.* 5. Hæ, quia insanum est feminarum in conquirenda undiquaque elegantia studium, ut plurimum comptulæ, & delicatulæ, longe a communibus fuerunt discrepantes. *Balduin. ibid. c.* 11. & 14. Philosophorum, quæ ad deliciarum contemptum rudi Minerva fuerunt compactæ. Apul. Metam. xi. p. 368. philosophi habitum depingens. *Nec deerat, qui pallio, baculoque, & baxeis, & hircino barbitio philosophum fingeret.* Baxeæ vero sunt *crepidæ.* Balduin. ibid. c. 14. Laurent. l. l. Romæ statuæ aliquæ, quæ Senatoriæ, & antiquæ creduntur, *crepidas* habent; Gellii vero ætate Senatoribus erant indecoræ. Gell. l. l. *Soleatos v.s populi Romani Senatores per Urbis vias ingredi nequaquam decorum est, non hercle vobis minus quam illi tum fuit, cui hoc M. Tullius pro turpi crimine objectavit.* Mag. Miscell. III. 3. Et illis inambulare molle & effeminatum habebatur. Delicatos hac nota insignit Manil. v. 152.

Femineæ vestes, nexæ sine tegmine plantæ.

Lipſ. Tacit. Ann. II. Excurs. K. Fuerunt pallii peculiares, nec unquam sine illis pallium sumebatur. Liv. XXIX. 19. *Ipsius etiam Imperatoris non Romanus modo, sed ne militaris quidem cultus jactabatur, cum pallio crepidisque inambulare in Gymnasio.* Quod imitatus Germanicus in Ægypto, ut Tacit. Ann. II. 59. 2. loquitur, *pedibus intectis incessit, & pari cum Græcis amictu.* Dio LX. p. 668. D. tradit Claudium Neapoli tanquam privatum egisse, atque in ludis musicis pallium & *crepidas* gestasse. *Ferrar. de re Vest.* II. 4. 10. *Balduin. l. l.* Gallicis an similes sint V. infr. in *Gallicæ.* Mulieribus solis credo primum hoc calcei genus receptum, viris enim convenit calceis indutos stare, ut ad quævis parati sint cum opus est. Hodie tam viris quam mulieribus inserviunt, sed sub noctem maxime, quando vestes deponunt, ita tamen, ut illis crebrius mulieres quam viri utantur; in Belgio inprimis, ubi calceis rarius incedunt mulieres. *Sperling. ibid. p.* 973. *C.*

Crepidæ Carbatinæ. V. illas supr. in *Carbatinæ.*

Crepidæ ferreæ clavis confixæ cruciandorum hominum pedibus induebantur, prout aliquando fuit in quosdam martyres usurpatum teste martyrologio Romano die 22 Maji. V. illud supr. in *Calceus.* Balduin. Calc. Ant. c. 5.

CREPIDO est præceps viæ latus ab summo ad imum, horrens quasi ad perpendiculum ductis cautibus. Isidor. de Differ. *Crepido est extremitas saxi abrupti.* Bergier. de viis Milit. II. Sect. 4. §. 8.

Crepido est ora terræ, quæ est aquæ basis, quia κρηπὶς basin, sive fundamentum notat. Vel dicitur ab aquæ *crepitu.* Vetus Scholiastes Juvenalis a Pithœo editus Sat. v. n. 8. *Crepido est ora terræ, quam aqua alluit: ex hoc appellata, quod ibi aqua allidens concrepitet.* Voss. Lex. Etymol. Barth. Stat. Theb. II. 504.

Crepido est fulcrum, & podium, cui innititur ædificium, & quod sustinet ejus pondus: a discrepando, ut volunt, dicta: & significat ædificii partem exstantem, ubi discrepat regula, gradum scilicet extrorsus procurrentem, latioremque quam sit ædificii latitudo, cujusmodi erat altaris fulcrum. *Berthald. de Ara c.* 5. *n.* 6.

Crepido in circi parte aliqua exteriore fuit ex lapide albo; in qua cineres tribunorum militarium conditi, qui bello cum Volscis interierant, & in circo cremati fuerant: Festus: *Nauti consulatu, & T. Sicini, Volsci populi cum atrox prælium inivissent adversus Romanos, tribuni militum in circo combusti fuerunt, & sepulti in crepidine, quæ est prope circum, qui locus postea fuit albo lapide constratus.* Nardin. Rom. Vet. VII. 3.

Crepido portus est, ad quam navigia appellunt. Curt. IV. 5. 21. *Ac dum applicant navigia crepidini portus.* In tali jacuit Marius exsul apud Senec. Contr. I. p. 77. 17. 242. *Quis crederet jacentem supra crepidinem Marium aut fuisse consulem, aut futurum?* Videtur e lapide plerumque exstrui consuevisse hemicycli forma. *Scheffer. de Milit. Nav.* III. 4. *Pitisc. in Curt.* V. I. 28.

Crepido est margo, & ornamentum, quod circa ostium ponitur, id est, membrum parvum, quod transversum & directum circa antepagmenta currit. Vitruv. IV. 6. *Dextra ac sinistra projecturæ sic sunt faciendæ, uti crepidines excurrant.* Barbar. & Philand. ad Vitruvium. Non satis Vitruvii sensum penetrasse videntur. Non sunt *crepidines* membra parva, sed unum quodque membrum, prout in corona aliave re eminet, *crepido* appellatur. *Bald. Lexic. Vitruv.*

CREPITACULUM dicebatur sistrum. Apul. Metam. XI. p. 361. *Dextra ferebat æneum crepitaculum, cujus per angustam laminam in modum balthei recurvatam, trajectæ mediæ paucæ virgulæ crispante brachio tergeminos ictus, reddebant argutum sonum.* Sistrum Ægyptiacum ovalis erat figuræ, cujus per medium tres æneæ virgulæ trajiciebantur: manubrium præterea habebat, quo tenebatur & agitabatur. Et hanc figuram Apulejus assimilat baltheo. Nihil similius. Lamina enim recurvata in modum balthei ovalem plane figuram exhibet: cui si manubrium addas, formam plane habebit reticuli pilarii, quo hodie in lusu parvæ pilæ ad expellendas pilas utimur, raquettam vocamus. Vide, si lubet, sistri effigiem in libro Inscript. Gruter. p. 82. n. 3. & 4. & fateberis ipsissimum esse quod describitur ab Apulejo. Sic sistra vocat Mart. XIV. 54. cujus inscriptio est *crepitaculum.*

Si quis plorator collo tibi vernula pendet,
Hæc quatiat tenera garrula sistra manu.

Salmas. Vopisc. Carin. c. 19. Lampe de Cymbal. Vet. I. 19. *Crepitaculis,* sive crotalis utebantur etiam nutrices, dum infantes lenire cupiebant. Mart. Cap. de nupt. Philol. I. p. 4. *Tunc crepitacula, tinnitusque, queis infanti somnum duceret, adhibebat quiescenti.* Arnob. IV. p. 141. *Suxit fluenta mammarum, vagitum edidit, repsit? atque ut fletum poneret ineptissime tractum, crepitaculis obticuit auditis, & ad somnos inductus est in mollissimis cunis jacens, & vocibus delinitus infractis.* Lucret. v. 230.

Nec crepitacula eis opus sunt, nec cuiquam adhibenda est
Almæ nutricis blanda, atque infracta loquela.

Hinc Mart. IX. 9. 3.

—— ut ab ubere raptus
Sordida vagitu posceret æra puer.

Lampe de Cymbal. Vet. III. 15. Grot. in Capellam. Meurs. Critic. Arnob. II. 8.

CREPITUS ventris ad genus cledonistices revocari potest, quod *peditum* vocavit Catull. LIV. 3.

Subtile, & leve peditum Libonis.

Veteres glossæ: *Peditus, peditum,* πορδὴ, *cum sonitu,* βδεσμὸς, *sine sonitu.* Βδίσμα, βδεσμὸς, *visio,* βδεῖν, *visire.* Cic. Fam. IX. 22. *Nam honestum verbum divisio. At inest obscœnum.* Buleng. de Omin. c. 3. Scalig. in Catullum. Voss. Lex. Etymol. in pedo & vesica. Guilielm. Quæst. Plaut. Curc. I. 2.

CREPUISSE fores apud Comicos dicuntur, quia qui intus exibant, prius ostium percutiebant, & *crepitum* faciebant, ut qui extra erant, admonerentur recedere, ne apertura ostii læderet transeuntes. Terent. Andr. IV. I. 58.

Concrepuit a Glycerio ostium.

Hec. IV. I. 6.

Ostium concrepuit! credo ipsum ad me exire.

Plaut. Amph. I. 2. 34.

Orationem comprimam! crepuit foris.

Qui intus domo exibant, forium aperturam in exteriores partes, & publicum versus projiciebant. Attici ψοφεῖν θύραν dicebant de his, qui exibant domo, foribus prius percussis. At cum externus ostium pulsaret intraturus, κόπτειν θύραν dicebatur. In Græcia ædium fores in viam publicam aperiebantur: quoniam igitur periculum erat, ne quispiam, qui aut præteriret, aut pro foribus staret: ideo, qui exituri erant domo, solebant prius ipsimet intrinse-

trinsecus fores ædium suarum percutere: ut illi strepitu admonerentur, qui foris erant, cavere sibi, atque eatenus absistere, ut ne læderentur. *Salmas. Exercit. Plinian. p.* 655. *b. G. Turneb. Adv.* XI. 12. XXIX. 25. IV. 15. *Muret. Var. Lect.* I. 17. *Mag. de Tintinn. c.* 19. *Laurent. Polym.* IV. *Syn.* 15. *Sagittar. de Jan. vet. c.* 22.

Crepuisse ter, id est, voce significationes lætas, & manuum plausu in plausu theatrali dando ter dedisse leguntur veteres. Horat. Od. II. 17. 26.

Lætum theatris ter crepuit sonum.

Prop. III. 8. 4.

Et manibus faustos ter crepuere sonos.

Turneb. Adv. XVIII. 12.

CREPUNDIA erant monumenta, quæ pueris expositis apponebantur, ut ex iis aliquando possent dignosci. Græci vocabant γνωρίσματα. Terent. Eun. IV. 6. 15.

Cistellam, Pythias, domo effer cum monumentis.

Ubi Donatus: *Monumenta, quæ Græci dicunt* γνωρίσματα καὶ σπάργανα. Salmas. in Vopisc. Aurelian. c. 4. Barthol. de Puerp. p. 82. Victor. Var. Lect. II. 3. Addebantur tanquam fortunæ viatica, ut qui in infantulos incidissent, haberent unde alimentum præstare possent; vel etiam ut essent signa, quibus favorabiliori aura a parentibus agnoscerentur, ut jam dictum. Plaut. Cist. III. 1. 5.

Nam hic crepundia insunt, quibuscum te illa olim ad me detulit:
Quæ mihi dedit, parentes te ut cognoscant facilius.

Hinc apud Heliod. Æthiop. IV. p. 174. Edit. Bourdel. *Quamobrem tempus est omnino, ut mihi fasciam ostendas, quam cum filia expositam te cum cæteris indiciis recepisse dicebas.* Variæ *crepundiorum* erant species. Denarrantur a Longo Pastoral. I. p. 4. *Infantem invenit masculum, magnum atque formosum, fasciis involutum longe præstantioribus, quam pro expositi fortuna. Erat quippe illi chlamydula purpurea, quam aurea nectebat fibula; gladiolus, cujus eburneus erat capulus.* p 6. *Et huic crepundia expositi monumenta addita: videlicet mitra auro distincta, calces inaurati, nec non periscelides aureæ.* Ouzel. in Minuc. Felic. p. 306. Bourdelot. in Heliodorum. Eratque interdum etiam annulus. Terent. Heaut. IV. 1. 37.

—— quum exponendam do illi, de digito annulum
Detraho: & eum dico ut una cum puella exponeret:
Si moreretur, ne expers partis esset de nostris bonis.
CH. *Istuc recte: conservasti te atque illam.* SO. *Is hic est annulus.*

Barthol. l. l. Scheffer. de Torquib. c. 5. Petav. in Themist. Orat. XVI. p. 707. Habebant fere parentum nomina inscripta. Plaut. Rud. IV. 4. 110.

PA. *Sunt crepundia.* DÆ. *Ecca video.* GR. *Perii in primo prælio.*
D. *Mane, ne ostenderis, quæ facie sint? responde ex ordine:*
P. *Ensiculus est aureolus primum literatus.* D. *Dice dum:*
In eo ensiculo literarum quid est? P. *Mei nomen patris.*
Post altrinsecus est securicula anceps, item aurea,
Literata: ibi matris nomen in securicula est.

Ex his inscriptis nominibus, & liberi parentes, & hi liberos agnoscebant. Unde illa puellæ apud eundem n. 100.

O mei parentes, hic vos conclusos gero!

de *crepundiis* intra cistulam conclusis. Pergit Plaut. n. 125.

PA. *Post est sicilicula argenteola, & duæ connexæ maniculæ, &*
Sucula. GR. *Quin tu i directa cum sucula, & cum porculis!*
PA. *Et bulla aurea est, pater quam dedit mihi natali die.*

Scheffer. de Ant. torquib. c. 5. Panciroll. de reb. perd. & inv. p. 290. & ad illum Salmuth.

Crepundia dicebantur etiam, sed abusive, fasciæ quibus involvebantur infantes, etiam cum exponerentur, & non minus ex illis quam ex monumentis & *crepundiis* agnoscerentur. Sic plane Græci σπάργανα ἀντὶ τῶν γνωρισμάτων usurparunt, cum σπάργανα apud illos proprie dicantur fasciolæ, quibus illigantur infantes. Hesychius: Σπάργανα, δεσμοὶ, ῥάκη: at σπάργανα sunt etiam γνωρίσματα. V. supr. Donatum. Tales infantiles fasciolas, quas mater fecisse perhibetur filio de pallio purpureo in frusta & pannos secto *crepundia* vocat Vopisc. Aurelian. c. 4. *Ex palliolo purpureo sacerdos mulier crepundia filio fecisse perhibetur.* Hoc sensu apud Plin. XI. 51. *Semestris locutus est Crœsi filius in crepundiis*, id est, in cunabulis. *Salmas. in Vopiscum.*

CREPUSCULUM est lux dubia, quæ fit ante solis ortum, & ante occasum. Multis enim dubium est, dies sit jam an nox. *Morestell. de Part. diei civil. Dial.* IX. *Lalamant. de Temp. & part. Thes. Antiq. Græcar. Gronov. Tom.* IX. *p.* 1049. *D.* 1050. *C.* Serv. Æneid. II. 268. *Licet utrique tempori posset jungi, usus tamen, ut matutino jungamus, obtinuit, licet Lucanus dixerit:*

Longa repercusso nituere crepuscula Phœbo.

Sed contra notat lucem dubiam mox post solis occasum: unde mane & *crepusculo* opponuntur. Colum. XII. 1. *Villico & primo mane cum familia prodeundum est, & crepusculo peractis operibus fatigato redeundum.* Plin. XVIII. 25. *Prout alterutri eorum mane vel crepusculo contingit.* Proprie igitur *crepusculi* descriptio est ista Ovid. Met. IV. 399.

Jamque dies exactus erat, tempusque subibat,
Quod tu nec tenebras, nec possis dicere lucem,
Sed cum luce tamen dubiæ confinia noctis.

Et veram significationem docet de Die natali Censor. c. 24. *Inde porro crepusculum, sic fortasse appellatum, quod res incertæ creperæ dicuntur; idque tempus noctis sit, an diei, incertum est;* cum jam incertam lucem ante solis ortum diluculum vocari docuisset. *Voss. Lex. Etymol.* Hoc vocabulum sumptum esse a Sabinis docet Varr. de Ling. Lat. V. 1. *unde veniunt Crepusci nominati Amiterno, quod eo tempore erant nati, ut Lucii prima luce in creatione.* Gyrald. de ann. & mensib. Oper. Tom. II. p. 797. F.

CREPUSIA gens. V. illam infr. in *Gens.*

CRETA centum quondam oppidis insignis erat, inquit Hieron. in Act. Apostol. & Poeta Æneid. III. 106.

Creta Jovis magni medio jacet insula ponto:
Centum urbes habitant magnas, uberrima regna.

famosa divitiis, maxime æris, ubi prima hujus metalli inventio & utilitas fuit. Macarin aliqui, id est, beatam a cœli temperie appellaverunt. Ab occasu Adriatico, a septentrione Cretico, a meridie Punico, ab ortu Carpathio maribus terminatur, ut auctor est Ptolemæus. *Panciroll. Notit. Dignit. Imp. Orient. c.* 137. *Virdung. Hellen. Thes. Antiq. Græcar. Gronov. Tom.* XI. *p.* 535. *B. Meurs. Cret.* I. 5. *Misc. Lacon.* II. 14. Cyrenis opposita, cum opibus, armis, ac diuturna libertate floreret, prædonibus tum mare late peragrantibus favisse existimata, merito arma in se Romana convertit. Anno, ut opinor, ab U. C. 682. M. Antonius triumviri pater, piratas in prætura persequens, bellum *Cretensibus* intulit, atque, eo parum prospere gesto, in Creta mortuus est. Ascon. in Cicer. p. 37. *Quidam Antonius, curator totius oræ maritimæ, qua Romanum erat imperium rem inauditam invasit, & indicto Cretensibus bello, male re gesta, ibidem periit.* Liv. Epit. 97. *M. Antonius prætor bellum adversus Cretenses parum prospere susceptum morte sua finivit.* Biennio post, cum Q. Hortensius consul *Cretam*, ac bellum cum *Cretensibus* gerendum sortitus, Urbe ac foro delectatus, Q. Metello collegæ suo provinciam, exercitumque concessisset, Metellus multis præliis prospere factis, multisque operibus insulæ urbibus expugnatis, totam insulam ad imperium triennii spatio redegit, ac *Cretici* cognomen inde una cum triumpho reportavit. Paterc. II. 34. 1. *Per id tempus a Q. Metello Creta insula in populi Romani potestatem redacta est: quæ ducibus Panare & Lasthene* XXIV. *millibus juvenum coactis, velocitate pernicibus, armorum laborumque patientissimis, sagittarum*

usu

usu celeberrimis, per triennium Romanos exercitus fatigaverat. Dio XXXVI. p. 8. D. *In hunc modum Cretenses, qui ante id tempus in perpetua libertate vixerant, neque peregrinum unquam dominum ullum habuerunt, in servitutem sunt redacti.* Sigon. de Ant. Jur. Prov. I. 16. Panvin. Imp. Rom. c. 14. Panciroll. Notit. Dignit. Imp. Orient. c. 99. & 137. Meurs. Cret. III. 5. In hunc modum subacta, in provinciam redacta. Sext. Ruf. in Breviario: *Creta per Metellum proconsulem, qui Creticus dictus est, provincia facta est.* Illam postea cum Cyrenaica unam fecit Augustus. Strab. XVII. p. 576. *Cum Reges suos aliquandiu habuissent* Cyrenæi, *in Romanorum potestatem devenerunt, & nunc provincia est Cretæ conjuncta.* Panvin. Sigon. & Panciroll. l. l. Meurs. ibid. c. 6.

Creta fuit in circo dicta meta, quia *creta* signabatur. Plin. XXXV. 17. V. illum infr. in *Gypsatus.* Prop. IV. 2. 58.

> —— *hæc spatiis ultima creta meis.*

Buleng. de Circ. c. 22. Lips. Ant. Lect. v. 10. Turneb. Adv. II. 12. Pith. Subcis. I. 11.

Creta literas obsignandi mos est antiquissimus. Serv. Æneid. VI. 321. *Quod cum cives ejus cognovissent, ei epistolam miserunt creta antiquo more signatam.* Cicer. Flacc. c. 16. *Hæc, quæ a nobis prolata laudatio, obsignata erat creta illa Asiatica, quæ fere est omnibus nota nobis: qua utuntur omnes non modo in publicis, sed etiam in privatis literis.* Γῆν σημαντρίδα appellat Herod. II. *Eum, si fuerit his omnibus mundus, notat, alligato cornibus byblo: deinde applicita creta sigillari annulo impressa abducitur.* Kirchman. de Annul. c. 7. Longin. de Annul. c. 9. Victor. Var. Lect. XIV. 4. Dalechamp. in Plin. XXXV. 17. Lips. Institut. Epistol. c. 4. mappas, togas, fascias crurales veteres illustrabant, ut nunc amylo, ac glutine lintea, quæ collaria vocamus, dirigimus. Isidor. XIX. 24. *Toga addita creta quo candidior insigniorque esset.* Argol. in Panvin. de Lud. circ. I. 14. Quasi hoc dicat: communis togæ color, si quoddam *cretæ* genus addas, ad candorem adducitur. Genus *cretæ*, cujus nomen omittit, opinor illud fuisse, quod inter cimoliæ genera saxum appellat Plin. XXXV. 17. *Candidis vestibus saxum utilius a sulphure, inimicum coloribus.* Manut. Quæst. Epist. III. 1. Sed hoc difficultate non caret, quod in omni togarum lotione adhibebatur *creta*, nec ars fullonia sine *creta* fuit. Titinn. Fullon. apud Non. IV. 34.

> *Terra hæc est, non aqua,*
> *Ubi tu solitus argutarier pedibus,*
> *Cretam dum compescis, vestimentaque lavas.*

Et Plin. l. l. *Ergo ordo hic est: primum abluitur vestis sarda, dein sulphure suffitur; mox desquamatur cimolia, quæ est coloris veri.* Hæc autem & sarda *cretæ* species fuerunt. Ex his apparet, omni togæ *cretam* adhibitam fuisse. Fortasse ergo communi togæ abluendæ *creta* adhibebatur: at togæ petitorum jam lotæ *creta* superinducebatur, ut candesceret magis ac poliretur. Certe Plinius cimoliam cretam abluendis vestibus in usu fuisse scribit: Umbricam autem, quæ & saxum vocabatur, nonnisi poliendis vestibus assumi solitam. *Ferrar. de re Vest.* I. I. 21. *Lips. Elect.* I. 13. Venalium trans mare advectorum pedes denotabantur: eratque hoc insigne venalitiis gregibus, ut *cretatis*, sive gypsatis pedibus venirent. V. infr. in *Gypsatus.* Ad formæ lenocinium, faciemque ornandam, & exhilarandam feminæ utebantur: & præcipue ea, quam cimoliam vocabant. Plin. XXXV. 17. *Cimolia quodam nitore exhilarat contristatos sulphure.* Horat. Epod. XII. 9.

> —— *nec illi*
> *Jam manet humida creta, colorque*
> *Stercore fucatus crocodili.*

Nunc terra saponaria vulgo dicitur, mira in abstergendo vi prædita. Mart. II. 41. 10.

> *Quam cretata timet Fabulla nimbum.*

Torrent. in Horatium. Dalechamp. in Plinium.

CRETENSES ut apud se natos deos primum; ita etiam sacrificia, atque mysteria, atque Orgia in Creta fuisse inventa asserebant, quamvis & Phryges, & Thraces, & alii Orgiorum inventionem sibi ipsi adscriberent. Diodor. V. p. 237. B. *Porro, ut honores quoque deum, & sacrificia, ritusque initiorum a se ad cæteros mortales pervenisse probent, hoc pro maximo & firmissimo, ut persuasum habent, argumento confirmationis adducunt. Initiales, inquiunt, ritus apud Athenienses Eleusinii omnium celeberrimi, itemque Samothracii, & qui in Thracia usitati sunt, Ciconibus mystice traduntur. At in urbe Cretæ Cnosso ab antiquo sancitum est, in propatulo illa tradi, & quæ in secreto a cæteris administrantur, ea neminem apud se, qui modo cognoscere illa studet, celari.* Hinc licet *Creta* nullum venenatum animal producat, tamen *Cretenses* in numismatis suis duos angues implicitos & cistam cum serpente impresserunt, ut se Bacchicorum Orgiorum inventores esse significarent. *Est* enim *serpens mysteriis initiatus Bacchicorum Orgiorum symbolum.* Clemens Alexand. Paræn. p. 9. D. & sacra etiam Jovis cum Orgiis peragerent, quod alibi nusquam fiebat. Strabo, postquam de Phœbi, Musarum, Cereris, Bacchi & Matris deum Orgiis egit XV. *In Creta præter hæc peculiariter Jovis sacra celebrantur cum Orgiis.* Hinc Jupiter Sabazius vocabatur. V. illum infr. in *Jupiter.* Ruben. de numm. Asia recepta Thes. Ant. Rom. Græv. Tom. XI. p. 1370. C. *Ut furentis tyranni,* Jovis, *sævitiam mitigarent, festos funeris dies statuebant, & annum sacrum trieterica consecratione componebant, omnia per ordinem facientes, quæ puer moriens aut fecit, aut passus est.* Firmic. de error. proph. relig. p. 9. Quibus eleganter subjungit idem: *sic in honorem tyranni a sæviente plebe deus factus est, qui habere non potuit sepulturam.* Tomas. de Donar. c. 3. Musicam invenerunt. Solin. c. 17. *Musica a Cretensibus reperta est, cum Idæi Dactyli modulos crepitu ac tinnitu æris deprehensos in ordinem versuum transtulissent.* Buleng. de Theatr. II. 3. *Cretensium* insigne gentilitium sunt duo angues, ut patet ex nummis eorum apud Goltzium in Insulis Græciæ tab. 3. qui habent duos serpentes implicitos, cum pharetra intermedia, & inscriptione ΚΡΗΤΑΙΩΝ. Alii apud eundem tab. 4. habent templum quoddam inter hos angues positum, cum inscriptione ΚΥΔΑΙΩΝ ΑΡΙΣΤΟΚΛΗΣ. Quidam etiam habent hos angues implexos, cum Jove intermedio, & inscriptione ΚΥΔΑΣ ΚΡΗΤΑΡΧΑΣ. *Ruben. ibid. p. 1369. B.*

CRETICUS fuit dictus M. Antonius triumviri pater. Plutarch. Anton. p. 915. E. *Antonii pater is, qui Creticus cognomento appellatus.* In Creta est mortuus. V. supr. in *Creta.* Hunc quidam Antonium *Cicerejum* vitiose nominant. *Sigon. de nomin. Roman. c. 5. Meurs. Cret.* III. 5. Et a *Creta* subacta Q. Metellus. Sigon. ibid. V. supr. in *Creta.*

CRETIO *est certorum dierum spatium, quod datur instituto hæredi ad deliberandum, utrum expediat ei adire hæreditatem, necne, velut, Titius hæres esto, cernitoque in diebus centum proximis, quibus scieris, poterisque: nisi ita creveris, exhæres esto.* Ulpian. tit. 22. Isidor. V. 24. *Cretio est certus numerus dierum, in quo institutus hæres aut adit hæreditatem, aut finito tempore excluditur: nec liberum est illi ultra capiendæ hæreditatis jus. Cretio appellatur, quasi decretio. Cernere enim decernere & constituere significat. Nam ita dicitur: ille hæres mihi esto, cernitoque intra dies tot.* Qua in formula verbum hoc *cernito* Varro de Ling. Lat. V. 8. explicat *Facito videant te esse hæredem. Itaque in cretione adhibere jubent testes.* Cicer. Attic. XIII. 46. *Ex eo cognovi, cretionem Gluvii liberam, testibus præsentibus, sexaginta diebus.* Erat duplex, ut idem Ulpianus docet: una vulgaris, altera continua. Vulgaris erat, in qua adjiciebantur hæc verba: *quibus scieris, poterisque,* in quibus ludit Crassus apud Cicer. de Orat. I. 22. cum ait: *De his, credo, rebus, ut in cretionibus scribi solet, quibus sciam, poteroque.* Continua, in qua non adjiciebantur verba illa, *quibus scieris, poterisque.* Et ita bonorum in possessionem admittendorum tempus utile esse, non continuum definiens Ulpian. in l. 2. ff. quis ordo in bon. possess. *Ita autem,* ait, *utile tempus est, ut singuli dies in eo utiles sint, scilicet, ut per singulos dies & scierit, & potuerit admittere. Cernere* autem non modo erat constituere se hæredem esse, ut Varro explicat, verum

etiam,

etiam, ut Ulpian. tit. 22. tradit, legitima ac ſollennia *cretionis* verba dicere in hunc modum: *cum me Mævius hæredem inſtituerit, eam hæreditatem adeo cernoque.* Multum vero intererat, utrum cum *cretione* quis, an ſine *cretione* hæres ſcriptus eſſet. Extraneus enim hæres, ut ibidem Ulpianus docet, ſiquidem cum *cretione* hæres inſtitutus eſſet, *cernendo* fiebat hæres. At ſi ſine *cretione*, pro hærede gerendo. Præterea ſine *cretione* hæres inſtitutus, ſi conſtituiſſet nolle ſe hæredem eſſe, ſtatim excludebatur ab hæreditate, & amplius eam adire non poterat. Cum *cretione* vero inſtitutus, ſicut *cernendo* fiebat hæres, ita non aliter excludebatur, quam ſi intra diem *cretionis* non *crevisſet* hæreditatem. Ideoque etiam ſi conſtituiſſet nolle ſe hæredem eſſe, tamen ſi ſupereſſent dies *cretionis*, pœnitentia actus, *cernendo* hæres fieri poterat. Intererat etiam utrum vulgari, an continua *cretione* hæres quis inſtitutus eſſet. Nam ei qui vulgarem *cretionem* habebat, dies illi computabantur, quibus ſe ſciverat hæredem inſtitutum eſſe, & potuerat *cernere*. Ei vero qui continuam habebat *cretionem*, etiam illi dies computabantur, quibus ignoraverat ſe hæredem inſtitutum: aut ſciverat, ſed non potuerat *cernere*. Briſſon. de Form. VII. p. 600. Fab. Semeſt. II. 22. RæVard. Protribun. c. 8. Brod. Miſc. X. 16. Cujac. Obſerv. VII. 18. libera, quæ teſtamento ſcribitur his verbis, *cernito cum volueris*, non adſcripto centum dierum ſollenni tempore. Cicer. Attic. XIII. 44. *Ex eo cognovi cretionem Cluvii liberam teſtibus præſentibus ſexaginta duobus*, non ſexaginta diebus: alioqui non eſſet libera. Quinimo quibus hæreditatis *cernendæ* cauſa libera legatio dabatur, iis recte dixeris liberam *cretionem* dari, licet ut legatio, ita *cretio* ſit ſine re, id eſt, profectionis color potius, quam hæreditatis acquiſitio. Cicer. de Leg. I. 3. *Legationem nimirum aliquam iſta oratio poſtulat, aut ejuſmodi quampiam cretionem liberam, atque otioſam.* Cujac. ibid. IX. 29.

CRI.

CRIBRUM æneum habuerunt Virgines Veſtales. Feſtus in Ignis: *Ignis Veſtæ ſiquando interſtinctus eſſet, Virgines verberibus afficiebantur a Pontifice, quibus mos erat tabulam felicis materiæ tamdiu terebrare, quouſque exceptum ignem cribro æneo virgo in ædem ferret.* Almelov. Antiq. e ſacr. prof. ſpec. p. 120. Ænigma Sympoſii inter Enneoſticha VII. in *cribrum.*

Sicca pruinoſam crebris effundo feneſtris,
Candentemque nivem jactans de vertice (L. fornice) *furvo.*
Et nos omnis amat, quum nix ſit frigida, nimbo
Denſior, & nebulis late ſpargatur in aula.

Secundo enim verſu *cribri* curvaturam intelligit. *Barth. Adv.* LVIII. 1. Illorum duo apud antiquos erant genera; alterum, quo vannabantur potius res quam percribrabantur. Alterum, quo permittebantur, perforatum. Docemur a Scribon. comp. LXI. *Proſunt iis lentiſci folia arida contuſa & cribrata perforato cribro.* Barth. ibid. XL. 4. Hujus generis in Italia paſſim videntur e pellibus pertuſis, quibus ſemina aliaque craſſiuſcula ſecernuntur, quemadmodum ſubtiliora iis, quæ ex ſetis aut ſparto conficiuntur. Priſcis autem vannorum in modum alia fuiſſe integra, nequicquam alii hinc jure colligunt. Huc refer, quæ notavit Plin. XVIII. 11. *Cribrorum genera Galli e ſetis equorum invenere, Hiſpani e lino excuſſoria & pollinaria, Ægyptus e papyro atque junco.* Excuſſoria procul dubio, qualia apud Italos hodie *frulloni*, quæ novi operis e ſerico reliquis ſubtiliora texuntur. *Rhod. in Scribonium.*

CRIMEN deferre dicimur, ut nomen. Cicer. pro Ligar. c. 1. *Novum crimen, C. Cæſar, & hactenus inauditum Q. Tubero heri ad te detulit.* Hoc ideo, quia in libello accuſatorio rei nomen, & ſpecies *criminis* concipiebatur. *Pollet. For. Roman.* IV. 7. ob quod plectebatur reus, ſolebant Romani, dum ſupplicium de aliquo ſumerent, aut per præconem, aut per inſcriptionem, exprimere, ut omnibus noteſceret. De præcone Lamprid. Alex. Sev. c. 51. *Clamabat ſæpius, quod a quibuſdam, ſive Judæis, ſive Chriſtianis audiverat, & tenebat: idque per præconem, cum aliquem emendaret, dici jubebat: quod tibi fieri non vis, alteri ne feceris.* c. 36. *Thurinum in foro tranſitorio ad ſtipitem ligari præcepit, & fumo appoſito, quem ex ſtipulis atque humidis lignis fieri juſſerat, necavit, præcone dicente: fumo punitur, qui vendidit fumum.* Pollet. ibid. V. 19. De titulo, ſive inſcriptione Suet. Cal. c. 52. n. 5. *Romæ publico epulo ſervum. . . . . carnifici confeſtim tradidit, ut manibus abſciſſis, atque ante pectus e collo pendentibus, præcedente titulo, qui cauſam pœnæ indicaret, circumduceretur.* Domit. c. 10. n. 3. *Patremfamilias, quod Threcem mirmilloni parem, munerario imparem dixerat, detractum e ſpectaculis in arenam canibus objecit, cum hoc titulo: impie locutus eſt parmularius.* Notus eſt titulus magnificus & triumphalis, per Pontium Pilatum Tiberii procuratorem, & præſidem in Judæa affixus ligno crucis, unde noſtra pependit Salus. *Pollet. l. l. Lipſ. de Cruc.* II. 11. *Fab. Semeſtr.* II. 8. *Godwyn. Moſ. & Aar.* V. 9. *Hugo de prim. ſcrib. orig. c.* 33. *Niquett. tit. cruc.* I. 4. 3. *Pitiſc. in Suetonii Caligulam.* *Criminum* alia ſunt publica, alia privata. Publica vel ſunt capitalia, vel non capitalia. Capitale non plane ita eſt intelligendum, quod vita privaretur is, qui *crimine* capitali damnatus erat; ſed ideo, quod eum, qui damnatus erat, capitis pœna ſequeretur: capitis autem pœna, vel libertatis, vel civitatis amiſſio dicebatur, quam utramque capitis deminutionem vocabant: quæ quotuplex V. ſupr. in *Capitis deminutio.* Quocunque autem in *crimine*, vel maxima, vel media capitis deminutio ſequeretur, capitale illud eſſe *crimen* dicebatur. Ne majeſtatis quidem judicium capitale ſemper fuit, cum tamen publicum ſemper eſſet: nam Claudiæ Veſtali, Appii Cæci filiæ, C. Fundanius, & T. Sempronius ædiles plebis, quod populo Romano calamitatem eſſet imprecata, multam dixerunt æris gravis XXV. millia, quæ capitalis pœna non fuit: judicium autem illud & publicum fuiſſe, inde patet, quod ad populum factum eſt, idque etiam Atejus Capito propterea inter publica judicia retulit, & majeſtatis nomine notatum his verbis ſignificat Suet. Tib. c. 2. n. 8. *Claudia novo more judicium majeſtatis apud populum mulier ſubiit, quod in conferta multitudine. . . . .* Publica erant capitalia, inceſtus, majeſtas, repetundæ, vis publica, & ea, quæ in Rempublicam, ac magiſtratus inferebatur, & ea, quæ in privatos cives: tum peculatus, de reſiduis, inter ſicarios, parricidium, veneficium, ambitus, pecuniæ ob judicandum captæ, adulterium, de falſis, de plagiariis, de tutorum fraude, de famoſis libellis, de furto, clandeſtina coitio. *Manut. de Leg. Roman. c.* 19. *Sigon. de Judic.* II. 3: III. 2. *Salmaſ. de mod. uſur. c.* 3. *Pollet. ibid.* IV. 1. *Sardus de mor. ac rit. gent.* II. 23. Non capitalia erant; ut, ſi quis auguri non paruerit, aut inaugurato quid fecerit: ſi quis deos patrios alieno ritu, aut novos ſeparatim coluerit: ſi quis loca ſacra privata fecerit: ſi quis in deos, aut de diis nefarie atque impie locutus fuerit: ſi quis ſacrum, aut in loco ſacro ſurripuerit: ſi quis ſacram perſonam, aut prophanam in loco ſacro percuſſerit: & illa duo, quorum alterum apud Paullum Ictum, alterum apud Ulpianum legimus: ſi quis alicujus numinis ſuperſtitione leves mentes terruerit: ſi quis illicitam divinationem pollicitus erit. *Manut. ibid. c.* 20. Erant & quædam quæ directe in Rempublicam commiſſa erant: ut ſi quis majeſtatem populi Romani, aut ejus magiſtratum minuiſſet, publicam, ſacramve pecuniam avertiſſet, populi ſuffragia honoris adipiſcendi gratia corrupiſſet, ſocios ſpoliaſſet, pecuniam ob judicandum accepiſſet, armis magiſtratum aut privatum coegiſſet. Quædam S. P. Q. R. in Rempublicam commiſſa eſſe exiſtimavit. Erant quidem privatis illata, ſed quæ ad civis Romani interitum, injuriam, ac proinde univerſo populo facta cenſebantur, ut ſi quis hominem telo occidiſſet, ſi veneno necaſſet, ſi parentibus manum intuliſſet, ſi falſum teſtamentum, falſumve nummum feciſſet, ſi uxorem alterius corrupiſſet, ſi ſervum alienum aut celaſſet, aut vinxiſſet, aut emiſſet ſciens dolo malo. *Siccam, de Centumv. jud.* I. 5.

Crimen

Crimen dicebatur etiam libellus accusatorius. Cicer. Verr. II. 4. *Hoc commoti dolore postulata consulibus, quæ non postulata, sed in istum crimina viderentur esse, ediderunt*, id est, non supplices, sed accusatorios libellos obtulerunt: nam & *criminatione* pro accusatione utitur pro Quint. c. 9 *Nos inaudita criminatione accusatorum priore loco causam dicere intelligis.* *Criminari* est etiam accusare. Tacit. de Orat. c. 42. n. 3. *Ego te poetis; Messala antiquariis criminabimur.* Pollet. For. Roman. IV. 7.

Crimen dicebatur quoque intentio & objectio accusatoris, quæ libello concipitur. Cicer. pro dom. c. 18. *Hæc cum ita sint in re, ubi crimen est? ubi accusator? ubi testes?* Pollet. For. Roman. IV. 7.

CRINE alieno atque adscititio caput exornare matronis Romanis frequens & usitatum. Ovid. Art. Amand. III. 165.

Femina procedit densissima crinibus emptis;
Proque suis alios efficit ære suos.

Amor. I. 14. 45.

Nunc tibi captivos mittet Germania crines:
Culta triumphatæ munere gentis eris.
O quam sæpe, comas aliquo mirante, rubebis:
Et dices: empta nunc ego merce probor.

Mart. VI. 12.

Jurat capillos, quos emit, esse suos
Fabulla, nunquid illa Paulle pejerat?

Kobierzyck. de Lux. Roman. I. 6.

Crines capere est blandiri, assentari, blande & amatorie osculandi causa capillos amatoris prendere. Plaut. Most. I. 3. 69.

Soli gerendum censeo morem, & capiundos crines.

Sic etiam aures leniter tractabant iis, quibus adulabantur, quosque captabant & admirabantur: & quibus indicabant, vel simulabant amorem. Horat. Sat. II. 5. 95.

- - - aurem substringe loquaci.

Turneb. Adv. XVI. 17: XIX. 13. Laurent. de Oscul. c. 3. Qui hoc dicunt sine exemplo, sine teste. *Capere crines* dicebantur, quæ nubebant, & matronæ fiebant. Nam ornatus matronarum ut alia quædam propria habuit, e. g. duplicem vittam, stolam. ... sic etiam *crines* peculiari quadam ratione formatos. Itaque cum ancillam instrui vult ornatu matronarum dicit Plaut. Mil. III. 1. 193.

Utique eam ornatam adducas matronarum modo,
Capite compto crines, vittasque habeat.

Facit huc, opinor, illud Festi: *Senis crinibus nubentes ornantur, quod is ornatus vetustissimus fuit, quidam quod eo virgines Vestales ornentur.* Lips. Ant. Lect. III. p. 142. Tertull. de Virg. veland. c. 12. *Simulque se mulieres intellexerunt, vertunt capillum, & acu lasciviore comam sibi inferunt, crinibus a fronte diversis apertam professæ mulierositatem.* *Crinibus* enim, inquit, posituque comarum matronæ antiquitus discretæ ab innuptis. *Lips. in Tacit. Annal. III. Excurs. I. Brisson. de Rit. nupt. p. 46. Casal. de Prof. Roman. ru. c. 22.* Apud Festum *seni crines* dicuntur in capite matronæ Romanæ sex sertæ *crinium* vitta & ipsis *crinibus* implexæ, quas vulgus *trecias* vocant. Sic apud Mart. XII. 32. 4.

Portabat uxor rufa crinibus septem.

Nihil aliud significat, quam capillos in septem sertas distinctos, ut videmus matronas ornatas in veteribus numismatis. *Salmas. Exerc. Plinian. p. 339. b. G. 534. a. B. in Tertull. de Pall. p. 313. Scalig. in Festum.* Illas Belgæ vocant **tuiten**. Sed vereor ne fallatur Scaliger. Quomodo enim proprius nuptarum hic ornatus fuerit, si aliæ matronæ promiscue eo usi fuerint? Hoc autem verum esse, & multis scriptorum testimoniis, & nummis aliquot Romanis posset comprobari. Proinde suspicari cœpi, an non *senis* hic positum sit secundo, sive gignendi casu. Ut mens Festi sit: *senis* alicujus, sive canis capillis novæ nuptæ caput fuisse exornatum. *Senis* vero capilli indicaverint longævitatem. *Boxhorn. Quæst. Roman.* 26. Apud Festum ego lego: *sine crinibus.* Quod de Vestalibus addit, id ipsum ostendit, locum non posse aliter concipi. Nam quis nescit Vestales tonderi solitas, aut cui ignota lotos capillata, ad quam earum capilli deferebantur, cum a pontifice crearentur, uti est apud Plin. XVI. 44. Jam vero etiam alias virgines pridie quam nuberent, capillos suos consecrasse docet Hesych. in Γάμων ἔθη. Martialis totum istud epigramma si quis legat, fatebitur nihil posse magis alienum a mente Martialis excogitari. Describit Vacerræ mendici familiam, aitque se visa conjuge, matre, & sorore illius, furias esse putasse, *nocte ditis emersas.* Aliquisne hic ornatui locus esse possit? Sed sane quid verbis opus, nihil certius quam simpliciter esse accipienda hæc Martialis verba. Ipse similiter III. 93. 1.

Cum tibi trecenti consulis Vetustina
Et tres capilli, quatuorque sint dentes.

Voss. in Melam. I. 9. Qui quamvis dissentiat, Festum tamen recte exposuerunt Lipsius, Scaliger, Salmasius. *Græv. Thes. Antiq. Roman. Tom. V. Prolegom.* * * * 2. Luxuriantium myrrha, Arabica planta, perfundebant. Ovid. Met. V. 53.

Et madidus myrrha, curvum crinale, capillus.

Tibull. III. 4. 28.

Stillabat Tyrio myrrhea rore coma.

Hinc myrrheum crinem dixit Horat. Od. III. 14. 22.

Myrrheum nodo prohibere crinem.

vel croco. V. infr. in *Crocus.* Spanhem. in Callim. Hymn. Apollinis n. 38. Albos & canos nigro colore inficiebant, quarum capita ultima senectutis pruina conspergere incipiebat, & quæ, ne intermicans canities annos earum proderet, arte hac adjutæ curiosos oculos decipiebant. Has mulierum præstigias notat Tertull. de cult. femin. c. 6. *Quamvis [illegible] ex albo conantur facere; quas pœnitet ad [illegible]e.* Eam ob causam cortice nucis sunt usæ. Tib. I. 9. 43.

Tum studium formæ, coma tunc mutatur, ut annos
Dissimulet, viridi cortice tincta nucis.

Kobierzyck. l. l. Plin. XV. 22. *Tinguntur cortice earum, nucum juglandium, lanæ, & rufatur capillus primum prodeuntibus nuculis.* Cyllæn. ad Tibullum. Aliud remedium reperitur apud Ovid. Art. Amand. III. 163.

Femina canitiem Germanis inficit herbis,
Et melior vero quæritur arte color.

Kobierzyck. l. l. *Crinibus* arte crispitudinem conciliabant, videlicet sartagine, lamina, acu, calamistroque candentibus, nec non & causticis medicamentis. Quam rem qui profitebantur, ciniflones & cinerarii appellabantur. *Jun. ibid. c.* 8. V. illos supr. in *Ciniflones.* Illis ornandis aurum addebatur. Ovid. Her. XV. 75.

Veste tegor vili, nullum est in crinibus aurum.

XXI. 89.

Ipsa dedit gemmas digitis, & crinibus aurum.

Val. Flacc. II. 103.

—— tereti crinem subnectitur auro.

Auro gemmæ accedebant non mulierum modo *crinibus*; sed & virorum. Claud. in Honor. Consul. VI. 523.

Ac velut officiis trepidantibus ora puellæ
Spe propiore tori mater sollertior ornat
Adveniente proco, vestesque & cingula comit
Sæpe manu, viridisque angustat jaspide pectus,
Substringitque comam gemmis.

Manil. V. 518.

Perque caput ducti lapides.

Huc traho Luitprandi in legatione ad Nicephorum Phocam p. 85. *Nemo ibi auro, nemo gemmis ornatus erat.* Demster. Paralip. ad Rosin. Antiq. Roman. V. 35. Weitz. & Lampert. in Valerium. Evulsos solebant mulieres conjicere in cadavera eorum quos amaverant. Petron. c. 71. *Illa ignota*

ignota consol[illegible] percussa laceravit vehementius pectus, rupitque comes super pectus jacentis imposuit. Stat. Theb. vi 19[illegible].

> *[illegible], [illegible]que decus, cultusque [illegible]*
> *[illegible] rogis, tergoque & pectore fusam*
> *[illegible], sectisque jace[illegible]*
> *[illegible] ora comis.*

Prop. I. 17. 22.

> *Illa meo caros donasset funere crines.*

Unde Max. Tyr. Orat. VIII. comam esse dicit *ultimum, quod jam sepulto donari potest.* Etiam apud Græcos Agathias de sorore Eugenie Floril. III. 12. 31.

> *[illegible] jacet hic, ad cujus busta secarunt*
> *[illegible] Musæ & cum Themide alma Venus.*

Morestell. Pomp. Feral. II. 32. Kirchman. de Funer. Rom. II. 15. Herald. Adv. I. 9. Bernart. in Statium. Brouckh. in Propertium. Gorall. in Albinov. I. 98. Meretricum erat flavus. V. infr. in *Meretrices.* Matronarum cujus coloris fuerit. V. infr. in *Matrona.* V. plura supr. in *Coma.*

CRIOBOLIUM est sacrificium arietum, quod, cum immolantur, dejiciantur clava, vel securi. *Turneb. Adv.* [illegible]. 21. *Ferret. Mus. Lapid.* I. *Mem.* 4. *Salmas. in* [illegible] *Heliogab. c.* 7. *Remes. Inscript.* I. *p.* 221. Matri deum fieri solitum. De illo Firmic. de error. prof. relig. p. 37. *Miseri sunt, qui profusione sacrilegi sanguinis cruentantur. Tauribolium, vel criobolium scelerata te sanguinis labe perfundit.* Bos. de Pontif. Max. Imper. Roman. c. I. Aries arbori alligabatur, priusquam mactaretur. Quod ab exemplo Abrahæ patriarchæ tractum ait Firmic. ibid. p. 36. *Vide*, inquit, *quid sibi ludibriosus hostis invenerit, Abrahæ* [illegible] *Dei aries supponitur, & in vicinæ ar-*[illegible]. Voss. de Idolol. II. 53. Videsis [illegible] I. c. 3.

CRISPINUS est cognomen in æreis nummis gentis Pallienæ. Inde Lucius Pallienus Quinti filius *Crispinus* dictus est. *Ursat. de Not. Roman. Thes. Antiq. Rom. Græv. Tom.* XI. *p.* 834. *D. Sigon. de nomin. Roman. c.* 5.

CRISPUS est cognomen Bæbiorum, Juliorum, Martiorum, Naviorum, Passienorum, Sallustiorum, Vibiorum. *Glandorp. in cognominum indice.* Antiquitus, ut & nunc etiam *Crispi* cognominabantur, quorum capillitium *crispum*, & in cincinnos contortum. *Ursat. de Not. Rom. Thes. Antiq. Rom. Græv. Tom.* XI. *p.* 587. *B. Sigon. de Nomin. Roman. c.* 5. *Vaillant. de Numm. ær. Imper.* I. 74.

CRISTÆ, sive apices plumei apud omnes pæne populos hodieque in usu sunt, modo tamen & more diverso. Nonnulli enim pennas majores, quidam minores; alii plures, alii pauciores vertici aptant. Sæpius tamen equites quam pedites pennis uti solent, iisque altioribus & pulcrioribus. Præ cæteris autem quidam Turcarum, dicti Dellii, supra alios ferocia militari, *cristis* plumeis superbire, iisque non solum suum, sed etiam equi sui caput adornare solent. *Patric. Milit. Rom. part.* V. *sect.* 8. Galeas illis instruxerunt simul in ornatum sui, simul in terrorem hostium. Virg. Æneid. IX. 365.

> *Tum galeam Messapi habilem, cristisque decoram*
> *Induit.*

VIII. 620.

> *Terribilem cristis galeam, flammasque vomentem.*

Fuerunt primum ex setis equinis. Homer. Iliad. III. 336.

> *Capiti autem forti galeam affabre factam imposuit,*
> *Cristatam ex setis equinis.*

Virg. Æneid. IX. 808.

> —— *strepit assiduo cava tempora circum*
> *Tinnitu galea, & saxis solida æra fatiscunt:*
> *Discussæque jubæ capiti.*

[illegible] ex Herod. VII. p. 465. B. *Æthiopes, qui ex Asia erant, pelles frontium equinarum, cum auribus atque jubis, in capitibus habebant: ut ipsæ jubæ pro cristis essent, & [illegible] aures equinæ rigerent.* Postea pennæ impositæ sunt avium. Herod. VII. p. 470. A. *Lycii in capite pilea gerebant pennis ornata.* Polyb. VI. 21. *Super hæc omnia adornantur apice plumeo, pennisque puniceis, aut nigris, rectis tribus, ad cubiti longitudinem; quæ cum in summo vertice aliis armis addiderint, vir duplo major apparet, & pulcra ea species fit, hostique formidolosa.* Rubrum in illis maxime colorem observarunt, quod is color sanguini geminus. Virg. Æneid. IX 50.

> —— *cristaque tegit galea aurea rubra.*

II. 271.

> —— *ipsum illum clypeum, cristasque rubentes*
> *Excipiam forti, jam nunc tua præmia Nise.*

Cluver. Germ. Ant. I. 44. Lips. de Milit. Roman. III. Dial. 5. Paschal. de Coron. X. 19. Feith Ant. Homer. IV. 7. Potter. Archæol. Græc. III. 4. Caroli Antiq. Roman. III. 8. [illegible] Rom. Illustr. III. p. 79. Kipping. Antiq. Roman. III. 3. §. 3. Nigrum addit Polybius. Fuerit ille Diti sacer, ad quem multi in ferali hoc certamine ibant. Puto viliorum fuisse. Nec tamen legi exemplum. Non tamen ambigo quin tulerint: ut aquilæ, & talium avium, quæ pugnaces, aut, rapaces, vel ominis scilicet causa. Bene de candido Virg. Æneid. X. 187.

> *Cujus olorinæ surgunt de vertice pennæ.*

Sil. Ital. II. 397.

> - - - *galeamque coruscis*
> *Subnixam cristis, vibrant cui vertice coni*
> *Albentes niveæ tremulo nutamine pennæ.*

Fuit sæpe triplex. Virg. Æneid. VII. 785.

> *Cui triplici cristata juba galea alta.*

Val. Flacc. III. 62.

> *Adstitit, & triplici pulsans fastigia crista.*

Unde Suidas Geryonem autumat dictum *tricipitem, quod tres cristas in galea habuerit.* Lips. & Thys. l. l. Dausquej. in Sil. Ital. V. 122. Auctores rei primi Cares. Herod. I. p. 78. C. *In galeis cristas illigare Cares sunt qui ostenderunt.* Strab. XIV. p. 455. *Studii sui erga rem bellicam testimonia adferunt* Cares *scutorum ansas, & insignia, & cristas.* Plin. VII. 56. *Cristas invenerunt Cares.* Stewech. in Veget. I. 20. Lips. & Paschal. l. l. Hostibus detractæ statuebantur inter insignia spolia. Virg. Æneid. VII. 183.

> *Multaque præterea sacris in postibus arma,*
> *Captivi pendent currus, curvæque secures,*
> *Et cristæ capitum.*

Euryalus Messapi galeam *cristatam* aufert: & Ascanius Nisum alloquens pollicetur se ei daturum *cristas* Turni apud Virgilium jam laudatum. *Paschal. l. l.* Præ mœrore & tristitia abjecerunt. Sil. Ital. X. 399.

> *Saucius omnis eques, galeis carpsere superbum*
> *Cristarum decus, & damnarunt Martis honores.*

Cellar. ad Silium. Heliogabalus *vivis gallinaceis demptas sæpius comedit.* Lamprid. c. 19. *Cristas* hodieque ab iis qui palatum eruditum habent, cupidissime constat expeti. *Salmas. ad Lampridium. Buleng. de Conviv.* II. 6.

CRO.

CROATIA olim Savia dicebatur. V. illam infr. in *Savia.*

CROBYLUS est crinium utrinque in acumen intortorum plexus. Attribuitur viris: in pueris scorpius vocatur, in feminis corymbion. Eustath. *Capillorum contextus tendens in acutum, crobylus virorum, feminarum corymbus, puerorum scorpius vocatur.* Jun. Anim. II. I. de Com. c. I. Turneb. Adv. IV. 19. Salmas. Exercit. Plinian. p. 536. B. Bartholin. de Inaurib. c. 8. Erhard. Symb. in Petron. c. 70. Viris his doctissimis Eustathius imposuit. Sed quid, quum *crobylum*, quem illi virorum faciunt, indiscriminatim promiscuum prædicet Pollux II. 3. *Corymbe Atticum non est, sed crobylus potius. Vocatur etiam quædam coma apposititia, quæ non modo mulierum, sed & virorum est. Et qui raros pilos habent, ipsa instar capillorum utuntur.* Sed magis adhuc Eustathio contradicit, dum *crobyli* usum

ufum hominibus interdicit, concedit vero mulieribus homilia in festum Kalendarum: *Tunicam ad talos demittit, zonam pectori circumvolvit, calceamenta muliebria sumit, & more feminarum capiti crobylum imponit.* Gonsal. & Wouwer. in Petron. c. 70.

CROCODILUS est animal quadrupes, terra pariter ac flumine infestum, in illa interdiu, in hoc noctu: utrobique terribile, dentium serie pectinatim disposita: unguibus etiam armatum est, cuteque contra omnes ictus invicta. Hunc piscium cibo saturatum, somnoque datum trochilus, avium regulus, ad hiandum invitat pabuli sui gratia. Os primum ejus adsultim repurgat, mox dentes & fauces intus quoque ad hanc scabendi dulcedinem quam maxime hiantes. Naturalem Tentyrarum vim experiuntur, & ab illis capiuntur. Plin. VIII. 25. *Quinetiam flumini innatant* Tentyritæ: *dorsoque equitantium modo impositi, hiantibus resupino capite ad morsum, addita in os clava, dextra ac læva tenentes extrema ejus utrinque, ut frenis in terram agunt captivos.* Pinell. Additam. ad Argol. in Panvin. de lud. Circ. II. 3. Buleng. de Venat. c. 20. Animal est perspicacissimum, & linguæ usu caret, si fides Plin. l. l. Silentium sapientibus, deæque Isidi gratum, ac quandam in rebus providentiam puero forte ominatur in tabula. *La Causse de Man. an. Vot. ref. tab.* 12. Nonnisi in Nilo nascuntur. Antigonus tamen Hist. Memor. c. 162. quodam fonte prope Carthaginem *crocodilos* ait reperiri Ægyptiis similes. *Argol. in Panvin. de lud. Circ.* II. 3. In præcipua voluptatis theatralis parte apud Romanos exstiterunt. Symmach. Epist. X. 19. *Præ ceteris autem quæ Romana spectacula desiderant, crocodilos functio theatralis desiderat.* Spanhem. de Numism. dissert. III. p. 148. Quo autem tempore Romæ primum visus fuerit, non ausim affirmare. Testimonio tamen Strab. XVII. p. 558. qui ex sententia Casauboni in ejus vita decessit sub Tiberio, satis probatur vel sub Augusto allatos fuisse. *Pinell. l. l.*

Crocota erat tenuis ex serico vestis. Ita κροκωτὸν interpretatur Scholiast. Aristoph. in Ran. p. 212. ἀπὸ πήνης ἔνδυμα, *sericum indumentum*: nam πήνην pro serico dicebant. *Salmas. ad Tertull. pall. p.* 328. *Scal. Poet.* I. 16. Propria fuit mulierum. Plautus inter luxum sequioris sexus recenset Aul. III. 5. 47. Cicer. de Arusp. resp. c. 20. *Clodius a crocota, a mitra, a muliebribus soleis, purpureisque fasciolis, a strophio factus est repente popularis.* Et quasi proprium vestitum histrionibus loco, quem misere corruptum sic emendo & distinguo, assignat Apul. Apol. p. 422. *Quid enim si choragium thymelicum possiderem, num ex eo argumentarere etiam uti me consuesse tragœdi syrmate, histrionis crocota, mimi centunculo?* Et Gallis matris deum effeminatissimis Metam. VIII. p. 260. *Variis coloribus indusiati, & deformiter quisque formati, facie cœnoso pigmento delita, & oculis obunctis graphice prodeunt, mitellis, & crocotis, & carbasinis intecti.* Salmas. in Capitol. Pertin. c. 8. Perizon. ad Ælian. VII. 9. Ferrar. de Re vest. I. 3. 5. Salmuth ad Pancirol. de Reb. deperd. & inv. p. 29. Turneb. Adv. XXIX. 25.

CROCOTARII erant infectores, qui *croco* tunicas inficiebant. Plaut. Aul. III. 5. 47.

Cum incedunt infectores crocotarii.

Bayf. de re vest. c. 2. Ferrar. de re vest. I. 3. 22. Pinell. Addit. ad Argol. in Panvin. de lud. Circ. II. 1.

CROCUS optimus ubi nascatur, docet Strab. XIV. p. 461. *Corycus promontorium, supra quod ad viginti stadia est Corycium antrum, in quo optimus crocus nascitur.* Pinell. Addit. ad Argol. in Panvin. de lud. Circ. II. 16. In theatris effundebatur per fistulas, & per statuarum venulas ex plumbo intus gypso occlusas; utre interim, puto, aqua crocali ad inferna pleno, quo obtorto aqua exprimeretur. *Argol. in Panvin. de lud. Circ.* II. 16. De fistulis Senec. Epist. 90. *Utrum tandem sapientiorem putas, qui invenit, quemadmodum in immensam altitudinem crocum latentibus fistulis exprimat.* Apul. Metam. X p. 352. *Tunc de summo montis cacumine per quandam latentem fistulam in excelsum prorumpit vino crocus diluta, sparsimque defluens pascentes circa capellas odorato perpluit imbre*, quia e fistulis illis, per minuta quædam foramina stillabat is liquor in modum imbris. De statuis Lucan. IX. 808.

Utque solet pariter totis se effundere signis
Corycii pressura croci.

Et ex theatri Marcelli configuratione conspicuum, in media & summa præcinctione statuas plures fuisse, partim ad ornatum, partim ad hunc usum. Eas autem scire licet concavas fuisse, & per immissas fistulas ferreas, sive æneas, minutis foraminibus, veluti per poros & membra expressum hunc humorem, non sine præsenti quidem auxilio, & manu administrorum, qui in parte inferna stabant. Non vero *crocus* fuit arida, quæ non potuisset in imbrem exprimi; sed *vino diluta*, ut supra Apulejus, mixtus videlicet & tritus herbæ flos fuit cum vino, quod colorem deinde assumebat & odorem. Plin. XXII. 6. *Sed vino mire congruit, præcipue dulci, tritum ad theatra replenda.* Tryphiod. 20.

Et aliqua resolvens vittam, immensi dolii
Profundens vinum mixtum aureo croco.

Itaque *liquidum crocum* dixit Ovid. Art. Am. I. 104.

Nec fuerant liquido pulpita rubra croco.

Et fluxisse per gradus. Spartian. Adrian. c. 19. *In honorem Trajani balsama & crocum per gradus theatri fluere jussit.* Lips. de Amphith. c. 16. Brod. Misc. V. 6. Crinit. de Honest. discipl. XVIII. 4. Spanhem. in Callim. Hymn. Apollinis n. 83. Thys. de Amphith. p. 207. Demster. Paral. ad Rosin. Antiq. Roman. V. 10. Paschal. de Coron. III. 14. Bod. in Theophr. Hist. Plant. VI. 6. p. 662. Roa Sing. I. 3. 1. Scalig. in Prop. IV. 1. 16. Ursin. Append. ad Ciaccon. de Triclin. p. 268. Pitisc. in Suet. Ner. c. 25. n. 5. *Croco* lectus nuptialis adspergebatur. Mart. Capell. IX.

Conscia tam Veneris nova serta parate Napeæ,
Crocumque lecto spargite.

Buleng. de Imp. Rom. III. 17. Crines imbuebantur. Prop. IV. 6. 72.

Terque lavet nostras spica Cilissa comas.

Quod alii de nardo accipiunt. *Buleng. de Conviv.* III. 28. *Spanhem. ibid. n.* 38.

CROTALISTRIÆ dicebantur feminæ *crotalis* utentes, quæ vulgo in conviviis, ac comessationibus admittebantur ad recreandos, & exhilarandos tum sonis, tum saltationibus convivarum aures, & oculos. Petron. c. 37.

Ciconia etiam grata, peregrina, hospita,
Pietaticultrix, gracilipes, crotalistria.

Prop. IV. 9. 11.

Nile tuus tibicen erat; crotalistria Phyllis.

La Chausse de Mutin. simul. tab. 1. Buleng. de theat. II. 19. de Conviv. III. 30. de Imperat. Rom. II. 33. Passer. in Propertium. Turneb. Adv. VIII. 18. Spon. Misc. Erud. antiq. sect. 1. art. 6. tab. 43. Lampe de cymbal. vet. II. 22. Salmas. in Vopisc. Carin. c. 19. Pignor. de Serv. p. 160.

CROTALUM quid sit, disce ex Apul. Met. XI. p. 361. *Nam dextra ferebat æneum crepitaculum: cujus per angustam laminam in modum balthei recurvatam, trajectæ media paucæ virgulæ, crispante brachio tergeminos ictus, reddebant argutum sonum.* Neque aliud intellexit per *scabillorum crepitus* Arnob. II. p. 73: VII. p. 237. *Scalig. in Virg. Cop. p.* 254. *& in Euseb. p.* 158. *Salmas. in Vopisc. Carin. c.* 19. *Wenz. in Cop. p.* 28. perperam confundit cum sistro Scaliger, etiam illi, quos splendor nominis Scaligeriani in eundem errorem induxit. *Lampe de Cymbal.* I. 4. *Pignor. Mens. Isiac. p.* 67. Figura variabant omnino. Hoc enim erat oblongum, manubriatum in imo sui parte, cancellatum trajectis virgulis, & uno verbo dicam, laminæ, & præterea nihil. Illud, si Eustathio ad Iliad. Λ. p. 773. credimus, *vas, e testa, ligno, ære, quod manibus tenebatur.* Videtur autem collisum sonitum edidisse, ut de margaritis loquens indicat Plin. IX. 35. *Subeunt luxuria ejus nomina, & tædia*

exquisita perditiore portatu, siquidem cum id fecere, crotalia appellant, ceu sono quoque gaudeant, & collisu ipso margaritarum. Pignor. de Serv. p. 161. Constabat ex duabus æneis laminis, aut virgulis, quæ manu agitatæ ex collisione sonum argutum edebant. Δίζυγα χαλκὸν appellat Nonn. Dionys. XLVI. 119. duas virgulas, aut laminas æneas, quæ manibus versatæ concutiebantur, & inter se collidebantur, ut sonum ex ipso collisu redderent. *Salmas. in Vopisc. Carin. c.* 19. Instrumentum hoc quanquam aliquantum a cymbalis diversum, a nullo tamen non cum iisdem commixtum. Unde Spon. Misc. Erud. Antiq. Sect. I. art. 6. tab. 42. citra necessitatem dicit dicam Grutero, quod Inscript. 3. p. 27. *crotala* cum cymbalis confuderat: non enim aliter auctores. Clare Saresber. VIII. 12. *Croton Græce pulsus dicitur, & inde cymbala sic dicuntur: vel musicum notat instrumentum, quod in sono vocem ciconiæ imitatur.* Inde factum, ut κροτεῖν, & crepare sæpius de cymbalis diceretur, tinnire contra de *crotalis*: cum tamen in hoc latere palmarium cymbalorum, & *crotalorum* discrimen existimem, quod cymbala tinniebant, *crotala* crepabant. Sed & in eo differebant, quod cymbala bina, & majora ambabus manibus: *crotala* vero quaterna, atque adeo singulis manibus bina percuterentur. *Lampe ibid. c.* 5.

Crotalum erat etiam arundo per medium fissa, cujus duæ partes sic movebantur, ut ex collisione sonarent. Hinc Græci Grammatici interpretantur σχιζόμενον κάλαμον. Schol. Aristoph. I. 3. 38. *Crotalum palmarie fissus calamus, preparatus apte ut sonet, si quis eum verset manibus ad efficiendum plausum.* Suidas: *Crotalum proprie fissus calamus, & studiose comparatus, ut sonet, si quis manu eum pulset, quasi plausum efficiens.* Idem hodie fieri videmus ex duobus ossibus, quæ digitis agitata, & invicem collisa crepitant, & *crotalum* efficiunt. Ciconia quoque rostri sui superiorem partem cum inferiore collidendo mera *crotalistria* est, & sic dicitur a P. Syro: *Salmas. in Vopisc. Carin. c.* 19. *Spon. Misc. Erud. Antiq. Sect.* I. *artic.* 6. *La Chausse de Mutin. simulacr. tab.* IV. *Rhodig. Ant. Lect.* XIX. 4. *Scalig. in Copam p.* 204. *Lampe de Cymb. vet.* I. 5. Inde qui lingua est expeditiore, κρόταλος vocatur Aristoph. Nub. Act. I. scen. 3. n. 38. Ubi ita Scholiastes: Κρόταλος δὲ εὔγλωττος, εὔστομος. Ἡ μεταφορὰ ἐκ τοῦ κροτάλου. Usurpabatur in deorum festis, ludis publicis & comessationibus. Priap. Carm. XXVI. n. 3.

> *Cymbala cum crotalis, prurientiaque arma Priapo*
> *Ponit, & adducta tympana pulsa manu.*

Auctor Cop. n. I.

> *Copa Syrissa caput Graja redimita mitella,*
> *Crispum sub crotalo docta movere latus.*

Clemens Alexandrinus a conviviis arcere volebat *tympana, & cymbala, & crepitacula, quæ dicuntur crotala, inventa a Siculis.* Spon. & Rhodig. l. l. Lampe ibid. c. 6.

CROTO, sive *Crotona*, vulgo hodie *Crotone* dicitur. Ejus conditor perhibetur Μίκυλλος. In Scholiis ad Theocr. Idyll. IV. legitur *Croton* Æaci filius *Crotonis* conditor. Urbs Brutiorum. Laciniæ Junonis fanum a VI. millibus passuum sequebatur. Græca fuit urbs. Livius mox laudandus. *Cluver. Ital. Ant.* IV. 15. 52. P. Cornelio Scipione Africano iterum & T. Sempronio Longo consulibus facta est Romanorum colonia. Liv. XXXIV. 45. *Africano* II. *& Longo consulibus Tempsam & Crotonem civium Romanorum coloniæ deductæ: Crotonem Græci habebant. Triumviri Cn. Octavius, L. Æmilius Paullus, C. Plætorius Crotonem deduxerunt.* Panvin. Imp. Roman. c. 11. Sigon. de jur. Ital. II. 5. Cluver. l. l.

CRU.

CRUCIARIUS dictus est, qui *cruce* est dignus. Isidor. X. C. *Cruciarius, eo quod sit cruce dignus.* Apulej. Metam. X. p. 323. *Nec tantillum cruciarius ille deterritus.* Lips. de Cruc. I. 3. Laurent. de Rebusp. c. 7. Est etiam, qui jam in *cruce* appenditur. Petron. c. 72. *Cruciarii unius parentes ut viderunt noctu laxatam custodiam, detraxere pendentem.* Et inscriptio in Calpurn. Flacc. Declam. 17. & 29. *Pædagogus cruciarius.* Et *peregrinus cruciarius.* Lips. & Laurent. l. l. Flagellabatur, antequam in crucem daretur. Liv. XXXIV. 26. *Alii verberati crucibus affixi.* Curt. VII. 11. 28. *Omnes verberibus affectos, sub ipsis radicibus petræ crucibus jussit affigi.* Joseph. Excid. V. 32. *Flagellati & præcruciati ante mortem omne genus verberibus, crucifigebantur.* Lips. ibid. II. 2. Lyd. Flor. Spars. ad pass. D. Jesu p. 140. & 174. Kipping. Antiq. Roman. II. 9. §. 8. Pitisc. in Curtium. Interdum domi, & in prætorio, ubi ligabatur ad columnam: quod in Servatore factum. Prudent. Diptych. n. 161.

> —— *atque columnæ*
> *Annexus, tergum dedit, ut servile, flagello.*

Hieron. Epist. ad Eustochium: *Ostendebatur illi* Paulæ *columna, Ecclesiæ porticum sustinens, infecta cruore Domini, ad quam vinctus dicitur & flagellatus.* Lips. ibid. c. 4. Aut in ipsa deductione per viam. Val. Max. I. 7. *Antonius,* Macrobio *Autronius, Maximus diverberatum servum sub furca medio circo ad supplicium egerat.* Macrob. Sat. I. 10. *Autronius Maximus quidam servum suum verberatum, patibuloque constrictum per circum egit.* Lips. ibid. III. 3. *Crucem* totam, aut ejus partem ferebat. Artemid. II. 41. *Similis est crux morti, & qui in ea figendus, prius eam portat.* Plutarch. de ser. num. vind. *Et corpore quidem quisque maleficorum suam effert crucem.* Tulit illam ipse D. Jesus. Joh. c. 19. n. 17. *Bajulans suam crucem, exivit in locum Calvariæ dictum.* Et quidem totam plenamque. Ni fecisset, quid opus erat auxiliatore & subsequa, qui allevasset. Qui vero ritu veteri sub furca cæsi ducebantur, ferebant non nisi istam. *Lips. ibid.* II. 5. *Casaub. Exercit. in Baron. Annal. Eccles.* XVI. *n.* 79. *Kipping. ibid.* §. 7. Flagris cæsus collo furcæ inserto, manibus dispessis, & ad furcæ cornua deligatis, per urbem trahebatur ostentui. Dionys. Halic. VII. p. 473. *Per forum flagellatum ipsum trahere eos jussit.* Nec dubium est, quin impulerint, dejecerint, erexerint, per sævitiam, aut lusum. Imo & stimulis agebatur. Plaut. Most. I. 1. 52.

> *O carnificum cribrum! quod credo fore,*
> *Ita te forabunt patibulatum per vias*
> *Stimulis, si noster huc revenerit senex.*

Lips. ibid. c. 6. Kipping. ibid. §. 5. Simul ad *crucem* ventum, vestibus spoliabatur. Receptum hoc in plerisque suppliciis, velut naturæ suasu, quæ nudos induxit in vitam, & educit: etiam in isto. Artemid. II. 57. *Crucifigi noxium divitis, quia nudi crucifigebantur.* In Christo hoc factum observes: quem Euangelistæ narrant recepisse vestes post flagellationem jam deducendum, & posuisse iterum deductum. Dabatur in *crucem* erectam. Cicer. Verr. V. 66. V. illum infr. in *Via Pompeja.* Verba, & rei seriem vide: observabis fixam primo *crucem*, & tum in eam datum. Et pro Rabir. c. 4. *In campo Martio crucem ad civium supplicium defigi, & constitui jubes.* Stabat jam defixa, dum causa diceretur, & *cruciarium* suum exspectabat. Etiam *statuebatur cuidam inclamanti, se civem Romanum esse* apud Suet. Galb. c. 19. n. 4. V. illum infr. in *Crux.* Docent etiam phrases veteres, quæ plerumque assimiles rebus ipsis. Dicunt enim *tollere, agere, ferre, dare in crucem:* quæ omnia elationis sunt, aut molitionis. Item in ipsis fontibus, *excurrere, adscendere, salire in crucem:* quæ videntur convenire non nisi in erectam. Imo interdum jacentem. Pro illa acta vetera de Pionio martyre: *Ultro se vestimentis spoliavit, & in cœlum suspiciens, ac Deo gratias agens, super lignum seipsum extendit, militique tradidit, ut clavis configeretur.* Satis clare: atque etiam mox clarius: *Eum igitur ligno fixum erexerunt.* Dici nihil potest, quin fixio hic in jacente facta fuerit, quæ post erecta. Et ratio etiam aliqua suadet. Nonne enim facilius hominem sic affigere supinum, & inclinatum: quam tollere in erectam pendulum, labentem, fortasse & reluctantem videtur? *Lips. ibid. c.* 7. Hæc de Pionio relatio non docet usurpatam in jacente *cruce* fixionem. *Super lignum seipsum extendit,* cum staticulo insedit ultro, ac manus ad

cornua

cornua antennæ figendas curavit. Et *eum ligno fixum erexerunt*, videlicet crucifixum applicuerunt arrectario palo. Non etiam quod palum erexerint deinde, ut quidem Lipſius putat. Ratio ejuſdem nihil perſuadet. Facillimum erat hominem in ſtaticulo ſedentem, ac expaſſas manus præbentem clavis figere. Eo difficilius hoc videri poterat Lipſio, quod ſtaticulum ignorat. *Kipping. Antiq. Roman.* II. 8. §. 8. Aſtringebatur clavis. Senec. de vit. beat. c. 19. *Cum refigere ſe crucibus conentur, in quas unuſquiſque veſtrum clavos ſuos ipſe adigit.* Meminit & Apollo in oraculo quodam de Chriſto apud Lactant. IV. 13.

Clavisque & palis mortem exantlavit acerbam.

Etiam funibus. Auſon. Eyd. VI. 60.

Devinctum poſt terga manus, ſubſtrictaque plantis
Vincula mœrentem.

Et communi ligandi verbo in hac re Artemid. II. 58. *Crucifigi* in *ſomnis viro cœlibi nuptias diſignat, ob ligaturam.* Lipſ. ibid. c. 8. Illis manus primum figebantur, inde pedes. Lucian. Dial. quo Prometheus figitur. *Crucifigatur, extenſus ambas manus ab hac parte in adverſum.* Atque initium a manu dextra. Lucianus ibidem: *Sed præbe dextram: tu autem Vulcane, adſtringe, & confige, & malleum fortiter demitte. Da & alteram, quo illa etiam recte adſtringatur.* Tum itum ad pedes. Sed ambigas, manuſne fuerint toti moli ferendæ? Apparet enim corpus omne, præſertim ſi quis pedes inflecteret, pependiſſe e manibus ſolis. Ego ita arbitror. Quidni. Duræ, & nervoſæ illæ partes, & lentæ frangi. Fortaſſe nec in media ſemper manus vola clavi fixi, ſed ſuperius paullo qua cum brachio coit, id eſt, circa carpum. Plautus facit ſuſpicari, qui Moſt. II. I. 13. diſerte ſcribit *brachia offigi*, non manus. Sed puto equidem amplius. Si corpus gravius, aut manus tenuior: adminiculum ſæpe fuiſſe funes. Illos quoque additos, & circa humerum, aut pectus medium ad *crucem* adſtrictos. *Lipſ. ibid. c.* 10. Hilar. de Trinit. X. *Penduli in cruce corporis pœnæ, & colligantium funium violenta vincula.* Funes etiam poſcit Chriſti vaticinium in Petri mortem. Joh. c. 21. n. 18. *Extendes manus tuas & alius te cinget.* Cinctio iſta vinculorum in cruce eſt. Tertull. in Scorpiac. c. 15. *Tunc Petrus ab altero cingitur, cum cruci adſtringitur.* Lipſ. ibid. c. 8. Not. p. 209. Niquet. Hiſtor. tit. cruc. I. 8. 7. Peribat morte lenta, & quidam diu in *crucibus* vixerunt, ut ingenitum ſcilicet robur erat, aut vires. Bomilcar apud Juſtin. XXII. 7. 9. *patibulo ſuffixus in foro medio, magno animo crudelitatem civium tulit: adeo ut de ſumma cruce, veluti de tribunali, in Pœnorum ſcelera concionaretur.* Andreas *in cruce ſuſpenſus, in ea populum docens, biduo ſupervixit.* Martyrol. 30. Novemb. Victorinus ſub Nerva *juſſus ſuſpendi capite deorſum, ita per triduum vixit.* Martyrol. 5. Septemb. Timotheus & Maura *in cruce novem diebus vivi pendentes, ac ſeipſos in fide corroborantes martyrium conſumpſerunt.* Martyrol. 3. Maji. Et quidem a ſtillante paullatim ſanguine, quem demittebant fixi. Vel a fame. Euſeb. VIII. 8. *Servati ſunt vivi, donec in ipſis patibulis fame morerentur.* Vel ab avibus & feris laniati. Prudent. περὶ ϛεφ. XI. 65.

— crux illum tollat in auras,
Viventesque oculos offerat alitibus.

Horat. Epiſt. I. 16. 48.

Non hominem occidi, non paſces in cruce corvos.

Et hoc in ſententia judiciali aliquando exprimebatur. Actis Martyrum. *Claudius, Aſterius, Neon, cruci affigantur, & corpora eorum avibus laceranda relinquantur.* Et, quia *cruces* non ſemper fuerunt peraltæ, a canibus & lupis. Apul. Metam. VI. p. 203. *Et patibuli cruciatum, cum canes & vultures intima protrahunt viſcera.* Catull. CVI. I.

Si Comini arbitrio populi tua cana ſenectus
Spurcata impuris moribus intereat:
Non equidem dubito, quin prima inimica bonorum
Lingua exſecta avido ſit data vulturio.
Effoſſos oculos voret atro gutture corvus,
Inteſtina canes, cætera membra lupi.

Interdum lanceis transverberabatur ad fatum accelerandum. Quod fuit in Marcelliano & Marco; *quibus ad ſtipitem ligatis in pedibus eorum affixi ſunt clavi: cumque tranſiſſet unus dies & nox, juſſit Fabianus judex lanceis per latera verberari.* Martyrol. 18. Junii. Etiam ad explorandum. Quod in noſtro Domino: cui miles jam mortuo lancea latus aperuit, ſcilicet periculum an bona fide obiiſſet. *Lipſ. ibid. c.* 12. *&* 13. Non ideo; verum ut animam agenti (quomodo putabat ille) vitam omnino eriperet, ac finiret dolores. *Kipping. ibid.* §. 14. Fumo etiam necabatur. Cicer. Frat. I. 11. *Quid opus fuit ejuſmodi literis, quas ad ipſum miſiſti? Illum crucem ſibi conſtituere, ex qua tu eum ante detraxiſſes: te curaturum, fumo ut comburatur.* Quinti verba, & minæ eo ſpectant, ut homo in *cruce* fixus fumo uſtuletur. Alexander etiam Imperator quempiam, qui fumum vendiderat, quaſi compari pœna affecturus apud Lamprid. c. 36. *ad ſtipitem ligari præcepit, & fumo appoſito, quem ex ſtipulis & humidis lignis fieri juſſerat, necavit præcone dicente: fumo punitur, qui fumum vendidit.* Lipſ. ibid. III. 10. Niquet. Hiſtor. tit. cruc. c. 17. Argol. in Panvin. de Lud. circ. II. I. Rhodig. Ant. Lect. XXVI. 21. Salmaſ. in Lampridium. Kipping. ibid. II. 7. §. 14. Et igne uſtulabatur. V. infr. in *Flamma.* Mortuus non deponebatur, ſed tabo diffluebat, & a ſole ac pluvia corrumpebatur. Val. Max. VI. 9. *E qua putres ejus,* Polycratis, *artus, & tabido cruore manantia membra, atque illam lævam, cui Neptunus annulum manu piſcatoris reſtituerat, ſitu marcidam Samos lætis oculis aſpexit.* Hanc in *cruce* putrefactionem intellexit Theodorus Cyrenæus, cum tyranno minanti eam reſpondit apud Cicer. Tuſc. Quæſt. I. 43. & Val. Max. VI. 2. *Sua nihil intereſſe, humi, an in ſublimi putreſceret.* Et *crux* ipſa ſuffixorum ſepulcrum. Senec. Contr. VIII. 4. *Suffixorum corpora crucibus in ſuam ſepulturam defluunt.* Plaut. Mil. II. 4. 19.

— ſcio crucem mihi futuram ſepulcrum.
Ibi mei majores ſunt ſiti, pater, avus, proavus, abavus.

Gonſal. in Petron. p. 278. Et, ne quis deponeret, a milite cuſtode aſſervabatur. V. infr. in *Cuſtos ſuſpendioſorum.*

CRUCIATUS, quibus articuli, aut membra diſſolvuntur, olim fuere prohibiti: & antiquitus non, ut nunc, rei quæſtionis habendæ gratia torquebantur. §. quia verit. Auth. ut nulli jud. ſeu novella 134. *Pancіroll. Notit. Dignit. Imp. Orient. c.* 12.

CRUMATA vocabantur teſtulæ & oſſicula, & crotali uſum præſtabant. Mart. VI. 71. I.

Edere laſcivos ad Bætica crumata geſtus,
Et Gaditanis ludere docta modis.

Scalig. in Copam p. 255. Voſſ. Lex. Etymol. fuerunt itaque Hiſpanis maxime in uſu, præcipue iis, qui Bæticam provinciam Gadeſque incolebant. Mart. V. 80. 26.

Nec de Gadibus improbis puellæ
Vibrabunt ſine fine prurientes
Laſcivos docili tremore lumbos.

Hiſpani, & maxime Gaditani etiamnum iis utuntur in ſaltationibus, & *caſtagnetas* vocant, ab iiſque ad nos eorum pervenit uſus. Nec tamen Græcis incognita erant. Ariſtoph. Ran. Act. V. ſc. 2. n. 49.

Ubinam eſt illa, quæ oſtreis, id eſt, crumatis, *pulſabat.*

Ad ſaltationes his inſtrumentis comitatas alludit Juven. Sat. XI. 162.

Forſitan exſpectes, ut Gaditana canoro
Incipiat prurire choro, plauſuque probatæ
Ad terram tremulo deſcendant clune puellæ.

Eoque ſimpliciter *teſtas* vocat n. 169.

— audiat ille
Teſtarum crepitus cum verbis, nudum olido ſtans
Fornice mancipium quibus abſtinet.

Spon. Miſc. Erud. Antiq. Sect. I. artic. 6. tab. 44. Lampe de Cymbal. vet. I. 7: II. 20. Scalig. l. l.

CRUMENA quid ſit, docet Non. II. 76. *Bulga eſt folliculus omnis, quem & crumenam veteres appellarunt: &*

eſt ſacculus ad brachium pendens. Nec ſolum ad brachium, ſed & de collo in tergum dependere ſolebat. Plaut. Aſin. III. 3. 67.

Hic pone, hic iſtam colloca crumenam in collo plane.

Pone hic adverbium eſt. Pſeud. I. 2. 37.

I præ puere: ne quis crumenam pertundat, cautio eſt.

Nam a tergo ſolum periculum erat. *Voſſ. Lex. Etymol.* Imo & in humeris portabatur. Hinc locutiones: *ex humeris bulgam detrahere.* Hoc dictum eſt a gravitate & pondere æris, quia appendere ſeu ponderare pecuniam, magis ſolebant quam numerare. *Putean. reliq. conviv. priſc. Theſ. Ant. Rom. Græv. Tom.* XII. *p.* 256. *F.*

CRUPELLARIUS dicebatur Gallorum gladiator cataphractus. Tacit. Annal. III. 43. 4. *Adduntur e ſervitiis gladiaturæ deſtinati, quibus more gentico continuum ferri tegimen: crupellarios vocant, inferendis ictibus inhabiles, accipiendis impenetrabiles.* Rhodig. Lect. Ant. XI. II. Du Freſne Gloſſar. Voſſ. Lex. Etymol. Alex. Gen. VI. 22. & ad illum Tiraquellus. Mod. de Lud. Vet. II. 21. Lyd. Agoniſt. ſacr. c. 10. Cenſeam ita dictos Gallis, quaſi qui ob gravitatem armorum reperent, non irent, *Crupelaers*, ſive prorepos. Tacitus videtur deſcribere myrmillones, qui & Galli, & toti erant in armis. *Lipſ. Saturn.* II. 10.

CRUPEZIA, male *cupezia* Alex. Gen. Dier. V. 18. quia hoc nullibi legitur, erant calcei tibicinum. Pollux. X. 33. *Crupezia, tibicinum calceamentum.* VII. 22. *Crupezia eſt calceamentum ligneum, ad chori auſpicationem factum. Crupeziphori autem Bœoti exiſtunt.* In theatris qui pede pulpitum percutiebant, ut ab omnibus melius crepitus ille intelligeretur, ligneas ſoleas ſub pedibus habebant, interdum & ferreas, ut clarior eſſet ſonus. Factum id, ut cæteris ad canendum præirent, & modum ſignumque canendi darent. Et talis in veterum choris meſochorus dicebatur. Una cum tibiarum incentione hoc ſignum calceolo ferreo, vel ligneo datum eſt ſaltantibus pantomimis, ut geſtum facilius moderarentur ad hunc ſtrepitum compoſitum, uti Lucianus in Ajace furente de pantomimo ſaltante prodit. Non raro autem hoc a tibicinibus ipſis factum eſt, qui ad chorum ſimul flabant, & terram pede plaudebant, quemadmodum fidem facit Lucianus de Laconicis choris, & hujuſcemodi tibicine: *Et tibicen in medio ſedet, ſimul flans, & terram pede plaudens.* Hujuſcemodi lignea ſandalia Latinos appellaſſe ſcabella ſuſpicantur eruditi. V. inf. in *Scabella.* Bartholin. de Tib. Vet. III. 4. Spon. Miſc. Erud. Antiq. Sect. I. artic. 6. tab. 45. Rhodig. Ant. Lect. IX. 7. Balduin. de Calc. c. 5. Tiraquell. in Alexandrum.

CRURA quotidie lavare ſolebant veteres. Senec. Epiſt. 86. *Imo, ſi ſcias, non quotidie lavabatur. Nam, ut ajunt qui priſcos mores Urbis tradiderunt, brachia & crura quotidie abluebant, quæ ſcilicet ſordes opere collegerant: cæterum toti nundinis lavabantur.* Baccius de therm. vet. c. 12.

CRURIFRAGIUM, σκελοκοπία, in priſcis gloſſis. Alibi *crurifrangium* recte etiam ſcribitur. Nam *tago* & *tango*: *frago* & *frango* dixerunt. Diviſit elegantiæ gratia Apul. Metam. IX. p. 291. *Uxor diras in eum devotiones deprecata, & crurum ejus fragium abominata.* Ubi *adominata* pro vero magis & pro ſenſu. Res antiqua jam Plauti & ante ævo. Ita ille Aſin. II. 4. 68.

—— crura hercle diffringentur,
Ni iſtum impudicum percies.

Non pertinebat ad crucem, nec in cruce *crura fracta.* Induxit vulgum qui hoc credidit, quod in ſacra hiſtoria latronibus duobus *crura fracta* leguntur. Sed hoc pro moribus tantum Judæorum. Lactant. IV. 26. *Suffixus itaque Chriſtus cum ſpiritum depoſuiſſet, neceſſarium carnifices non putaverunt oſſa ejus ſuffringere, ſicut eorum mos ferebat.* Lipſ. de Cruc. II. 14. Peculiare fuit ſervis. Senec. de Ira III. 32. *Quid properamus ſervulum infelicem verberare ſtatim, crura protinus frangere?* Suet. Aug. c. 67. n. 6. *Thallo a manu, quod pro epiſtola prodita denarios quingentos accepiſſet, crura effregit.* Tib. c. 44. n. 4. *Utrique mox, quod mutuo flagitium exprobraſſent, crura fregiſſe.* Lipſ. l. l. Caſaub. in Suetonii Auguſtum. Sed ita, ut liberi non fuerint immunes, ſive in crimine, ſive potius per ſævitiam vindicantis. Ita Mario Gratidiano *cui vicatim populus ſtatuas poſuerat, cui thure, & vino Romanus populus ſupplicabat,* L. Cornelius Sulla *perfringi crura, erui oculos, amputari manus juſſit.* Senec. ibid. c. 18. Et Spendiani milites rebelles in Africa, cum Pœnorum optimates cepiſſent, *admutilantes, & crura conterentes, adhuc vivos projecerunt in foveam aliquam* apud Polyb. I. 86. Et in martyres plurifariam ſic ſævitum. Modus ſupplicii fuit, ut incus cum malleo, vel vecte ferreo inferretur, ac tibias incudi imponerent validis ictibus ſic frangendas. *Lipſ. l. l. Laurent. de Rebuſp. c.* 7. *Sichterm. Diſſert. de Pœn. milit. c.* 11. Sublatum hoc ſupplicium a Conſtantino. Vict. Aur. Cæſar. c. 41. n. 4. *Conſtantinus vetus teterrimumque ſupplicium patibulorum, & cruribus ſuffringendis primum removit.* Caſſiod. Hiſt. Trip. I. 9. *Durant. Var. Lect.* II. 15. *Lipſ. ibid.* II. 14: III. 14.

CRUSTA qualis ſit panis, docet Iſidor. XX. 2. *Cruſtula diminutivum eſt a cruſta: panis oleo conſperſus, in medio concavus & tortus: hæc & torta panis.* Sed verba hæc mihi ſuſpecta ſunt. Quid enim *torta panis?* cur non *tortus panis?* an quia pars quaſi panis, quæ ſic appellatur, quomodo & *cruſta* pars eſt? Si hoc, cur de pane integro exponitur. Puto mutila eſſe verba, interceſſiſſeque nonnulla poſt *diminutivum eſt a cruſta.* Utique quæ de pane concavo & torto ſcribit, magis videntur quadrare in ſpiram: cum concavitatem iſtam intelligere non poſſim, niſi quæ fit pane forma teſtis tracto, & compoſito in orbem, unaque parte leviter contorto, quod genus eleganter Sueci **Kringel**, tanquam flexum quid in orbem appellant. Hoc autem plane ſpira eſt, ut docet Cato de Re Ruſt. c. 77. Sane ſpira placentæ genus apud veteres, ut ex Catone diſcimus, cum torta genus ſit panis, ſi fide dignus Iſidorus. At τὸ *panis* apud Iſidorum additum ex gloſſemate videtur, aut ſic laxe accipiendum, quomodo Diogenes placentam appellaſſe *panem probe confectum* dicitur. Niſi potius illud *panis* additum dicendum, ut innueret eſſe tortam aliam, non *panis*, ſed placentæ, quæ ſpira diceretur; nec forma, ſed conficiendi ratione differat a torta. Atque adeo torta dicta ſit Latine a torquendo, quæ a σπεῖρα imitatione Græca ſpiræ nomen habuit; a ςρεπτὸς venerit vox ſcriblitarum, quæ & ipſæ & veteribus non eo modo ſicut hodie figura orbiculari plena, ſed ad inſtar circuli in medio cavi facti videntur. *Scheffer. de Antiq. torquib. c.* 1. *Nonn. de Re cibar.* I. 8.

Cruſtæ ſunt vaſorum ornamenta. Cicer. Verr. IV. 23. *Cybiratæ fratres vocantur, pauca improbant, quæ probarant, iis cruſtæ, aut emblemata detrahuntur.* Inter *cruſtas & emblemata* videtur interfuiſſe, quod *cruſtæ* tectoria quædam erant, & tanquam bracteæ quædam illitæ, & laminæ inductæ inauratæque: emblemata pretioſiora erant, & operis exquiſitioris, exemptiliaque erant, cum illigata eſſent, vel affixa: *cruſtæ* autem etſi revelli poterant, tamen firmius inhærebant. *Turneb. Adv.* VIII. 10. *Salmaſ. Exerc. Pliman. p.* 736. *b. D. Stuck. Antiq. Conviv.* III. 12. *Du Freſne Gloſſar. Kobierzyck. de Lux. Roman.* II. 10.

Cruſtæ erant ejuſmodi *veſtes, in quibus alio admixtus colori puri rubor muricis inardeſcit. Græco nomine Latini cruſtas vocant. His veſtibus ſcenicæ & mimæ noverint abſtinendum.* Cod. l. 11. de ſcenicis. *Meurſ. Gloſſar. Græcob. Du Freſne Gloſſar. Salmaſ. in Trebell. Claud. c.* 17. *Ruben. de Re veſt.* I. 18. Videntur appellatæ, quod ut *cruſtati* parietes dicuntur, qui ſubinde *cruſtis* marmoreis exornantur: ita ejuſmodi veſtes aſſutis in *cruſtarum* modum ſegmentis, vel limbis diſtinguerentur. *Du Freſne l. l.* In illis ſtamen erat coloris cujuſlibet; trama vero, ſive ſubtemen, quod pectine ſolidatur, & cum ſtamine connectitur, purpureo colore tinctum. *Cruſtæ* igitur veſtes ſunt κρυςαὶ: nam σπαθᾷν, & κερκίζειν, & κρέειν τὴν κρόκην idem. *Salmaſ. l. l.*

Cruſtæ ſunt lapides politi, marmoreæve tabulæ, aliis inductæ, unde *cruſtæ* appellantur; nam *cruſta* quicquid alienum inducitur. Petron. de mutat. Reip. n. 11.

Numida

Numidæ crustas, nova vellera Seres.

Sidon. Epist. IX. 7. *Veluti cum crystallinas crustas, aut onychinas non impacto digitus ungue perlabitur.* Dracont. Hexaëmero.

Flammantes viridesque tulit Babylonia crustas.

Tabulæ marmoreæ cæmentitio, aut alioquin lapideo parieti inducebantur, unde *crustatus paries* Sidon. c. 22. n. 147.

Sectilibus paries tabulis crustatus ad aurea
Tecta venit, fulvo nimis ..' condenda metallo.

crustata domus Lucan. X. 114.

Nec summis crustata domus, sectisque nitebat
Marmoribus.

Barth. Adv. XXXVI. 15: IX. 7. Et pavimentis, quorum instar pellis, sive cutis elegantis & levis intra se continebant ossa, musculos, nervos, venas, arterias: ut *crustæ* panis superiori, quæ sub hemisphærio suo, ut sic dicam, continet micas, molliores quidem, non tamen ideo viliores panis partes. Unde etiam veteres hanc pavimentorum partem vocarunt *summam crustam*: hancque inducere vocarunt *incrustare*, quo verbo ad omne genus polituræ utuntur, quas vocant expolitiones, incrustationes, tectorias: ceu quis diceret inductiones aut emblemata, quæ applicantur ac inseruntur replendis, cooperiendis, poliendisve murorum & structurarum vacuis spatiolis. *Berg. de ... Milit.* II. *Sect.* 19. §. 1.

CRUSTUARIUS dicitur artifex, qui *crustas* ex argento cælatas argenteis scyphis inducebat. *Salmas. Exercit. Plinian. p.* 737. *b. D. Kobierzyck. de lux. Roman.* II. 19.

CRUSTULARIUS dicitur artifex panis, de quo supra. Senec. Epist. 56. *Jam libarii varias exclamationes, & botularium, & crustularium. . . .* Arnob. II. 70. *Quid fullones, lanarios, phrygiones, coquos, panifices, crustularios.* Ita leg. pro *panchristiarios.* Turneb. Adv. XIII. 14. Wouwer. in Min. Felic. p. 116.

CRUSTUMERIUM fuit oppidum Sabinorum trans Anienem, urbemque Fidenas. Dionys. XI. p. 705. *Qui in Sabinis militabant, nocte circiter media motis copiis, ex hostico in suum agrum se receperunt, donec pervenere Crustumerium, quod oppidum non procul Urbe distat.* Ab Albanis conditum tradit Dionys. II. p. 104. *Erat Crustumerium ab Albanis multis seculis, ante quam Roma, conditum.* Cuidam Siculo urbis originem adscribit Serv. Æneid. VII. 631. *Cassius Hemina tradidit Siculum quendam nomine uxoris suæ Clytemnestræ condidisse Clytemnestrum, mox corrupto nomine Crustumerium dictum.* Videtur oppidum hoc conditum ante bellum Trojanum a Siculis hujus regionis incolis, quos postea pepulerunt Aborigines atque Pelasgi. *Cluver. Ital. Ant.* II. 9. 2. a Romulo Romana colonia facta est a. Urbis 4. Dionys. II. p. 103. *His confectis Rex contra Crustumerinos educit exercitum. Eos & acie & murali pugna victos, quamvis repugnassent fortiter, nihilo tractavit durius: sed hanc quoque urbem Romanorum fecit coloniam.* Panvin. Imp. Roman. c. 11. Sigon. de Ant. jur. Ital. II. 5.

CRUSTUMINA tribus. V. illam infr. in *Tribus.*

CRUX receptissima significatione, & peculiariter notat cruciatum, & interitum in ligno: similitudine quadam suspensionem aut fixionem in alia paratura: puta in monte, aut petra. Sic Tertull. adv. Marcion. I. 1. sunt *cruces Caucasorum*; alludenti ad Promethea illic affixum, quem ipsum Lucianus describit, & appellat σταυρωθέντα. Sic & de Andromeda, quæ in scopulo vincta, & ceto exposita Manil. V. 552.

Et cruce virginea moritura puella pependit.

Lips. de Cruc. I. 2. Ejus sævitia & fœditas fuit magna: Cicer. Verr. V. 64. *crudelissimum teterrimumque* appellavit: & Nonnus in Johann. c. 19. *damnatissimum quoddam fatum.* Quin etiam Icti, nomine *summi supplicii*, velut ob eminentiam, designant istud. Paull. Sent. V. tit. 21. *Summo supplicio, id est, cruce afficiuntur.* Ulpian. l. 8. ad leg. Corn. fals. *Si liberi sunt, ad bestias dari: si servi, supremo supplicio affici.* *Summi supplicii* Paull. ibid. tit. 17. recenset *tria genera: crucem, crematonem, decollationem.* *Crux* præit: & cum causa, si infamiam, magnitudinem, & præsertim diuturnitatem pœnarum in ea attendis. Dicta hæc ipsa *extrema pœna.* Apul. Metam. X. p. 327. *Certum extremæ pœnæ, quæ more majorum in eum competit.* Lips. ibid. II. 1. Ex dictis atrocitatem colligas licet. Ad hæc manus & pedes iis in locis perfodiebantur, in quibus sensus est acerrimus. Quæ etiam augetur diuturnitate doloris; cum enim manus & pedes membra sint a corde remotissima, fiebat, ut in *crucem* actus vitam in multas horas, atque etiam dies aliquando extraxerit. V. supr. in *Cruciarius.* Etiam infamia: Hæc ex eo satis apparet, quod nonnisi vilissimo, ac sceleratissimo hominum generi consuevit irrogari: quam ob causam dicta est *arbor infelix, infame lignum, cruciatus servilis.* Ferrar. de plaus. & acclam. VII. 19. Fiebat ex obvio, & prompto aliquo ligno, sæpiuscule ex quercu, cujus lignum fixioni & laturæ aptum. Sil. Ital. I. 153.

—— erecto suffixum robore mœstis
Ostentabat ovans populis sine funere Regem.

n. 165.

Quem postquam diro suspensum robore vidit.

II. 343.

—— vidi cum robore pendens
Hesperiam cruce sublimis spectaret ab alta.

Lips. ibid. III. 13. Nicquet. Histor. titul. cruc. c. 3. §. 5. Fuit supplicium ex consuetudine Judæorum, ea observata differentia, ut Romani facinorosos clavis per manus, ac pedes adactis suffixerint, Judæi funibus alligaverint. Probare conamur I. quia Moses jubente Deo Hebræorum primates ex arboribus suspendit Numer. c. 25. n. 4. II. quia Reges Canaanitarum Jos. c. 8. n. 29. & c. 10. n. 26. & posteri Saulis 2 Sam. c. 21. n. 9. suspenduntur in ligno. III. quia Paullus illud Deut. c. 21. n. 22. applicat ad Christum crucifixum Gal. c. 3. n. 13. *Sigon. de Repub. Hebræor.* VI. 8. *Baron. Annal. Tom.* 1. *n.* 94. *p.* 221. *& ad Martyrol. Roman. p.* 2?0. *Lips. de Cruc.* I. 11 *Gretser. de Cruc.* I. 19. *Lanssel. Cain. in Casaub. in Baron. Disjunct. c.* 15. Respondeo ad I. Hebræi, quos suspendebant, eos primum jugulabant, sive humi prostratos nervo præfocarent, uti hodiernum Turci, Mauri & Indi facere consueverunt: sive lapidibus obruerent, inde cadavera ad lignum pendula ostentui exponebantur, eratque hujusmodi suspensio non tam supplicium, quam supplicii consequens. Nec verum est, quod primates suspenderit Moses. Verba sonant: *Assume omnes principes populi, & suspende illos Domino.* Debebat convocare principes, atque illis præsentibus judicium ferre contra eos, qui peccaverant. Pronomen *illos* referri debet ad populum, id est, qui e populo deliquerant, non vero ad *principes*, ut recte monent Vatablus & Grotius l. l. ad II. Reges Canaanitarum, & posteri Saulis suspensi dicuntur eodem, quo dictum modo. Nec enim vera erat strangulatio, multo minus crucifixio, sed cadavera ostentui exponebantur e patibulo. ad III. Paulus applicat hoc per modum analogiæ, quandoquidem suspensio de ligno est generale aliquid, & potest accommodari furcæ, *cruci*, patibulo, palis acutis, quomodo etiam Senec. Epist. 7. dicit, *latrones suspendi*, id est, crucifigi. Et illos, quos Saraceni palis infurcarunt per sessum adactis, *crucifixos* esse scribit Elmacin. Arab. Hist. II. & III. *Kipping. Antiq. Roman.* II. 8. §. 3. Et, qui fusius hunc errorem refellit, *Casaub. Exercit. in Baron. Annal. Eccles.* XVI. *n.* 77. Ponebatur plerumque juxta vias. Exempla enim exempla esse desinunt; nisi aliorum animum oculosque in se vertant. Quintil. Decl. 275. *Quoties noxios crucifigimus, celeberrimæ eliguntur viæ, ubi plurimi intueri, plurimi commoveri hoc metu possint.* Ita Alexander Severus *eunuchum in crucem tolli jussit per eam viam, qua erat servis suis ad suburbana imperatoria iter frequentissimum* apud Lamprid. c. 23. Quin etiam oppida certa loca habuisse videntur huic rei attributa. Sic Mamertini *more atque instituto crucem figere ... in via Pompeja* apud Cicer. Verr. V. 66. Sic

Sic Romæ juxta Urbem Tacit. Annal. xv. 60. 2. agnoſcit *locum ſervilibus pœnis ſepoſitum.* Eadem de cauſa ſæpe ponebatur in monte: ut Servatoris noſtri in Calvariæ, Polycratis *in excelſiſſimo Mycalenſis montis vertice.* Val. Max. vi. 9. 5. ext. *Lipſ. l. l.* Quin ipſa ſæpe alta, præſertim in noxio aliquo inſigni. Juſtin. xviii. 7. 15. *Atque ita eum,* Cartalonem, *cum ornatu ſuo in altiſſimam crucem in conſpectu urbis ſuffigi juſſit* pater. Idem Pœni in Regulo apud Silium Italicum jam laudatum. Huc pertinet irriſio Galbæ apud Suet. c. 9. c. 4. *Cui imploranti leges, & civem Romanum ſe teſtificanti, mutari, multoque præter cæteras altiorem, & dealbatam ſtatui crucem juſſit.* Lipſ. l. l. Bernegg. in Juſtinum. Pitiſc. in Suetonium. Vulgares non erant admodum altæ: quia I. eam inſcendebant facinoroſi opera levi, cum in ſtaticulo ſederent. II. ut morerentur, haſtis confodiebantur, aut laniabantur a canibus. III. totam crucem ſæpius ipſi portabant ad locum ſupplicii. IV. poterant in ea hærere, & proxime adſtantes compellare, ut perciperent eloquia, uti D. Jeſus alloquitur matrem Joh. c. 19. n. 25. V. titulus ad caput cruciarii affixus poterat legi ab omnibus: id quod eſſe non potuit, ſi *cruces* nimium attollerentur. *Kipping. ibid.* §. 13. Modus figendi erat varius. Ad furcam ligati tollebantur in eam. V. infr. in *Furca.* Alii pedibus ſublatis in caput ſuſpendebantur. Senec. ad Marc. c. 20. *Capite quidam converſos in terram ſuſpendere.* Euſeb. viii. 8. *Atque alii iterum crucifixi, quidam more in maleficiis recepto: quidam etiam deterius, inverſa figura, & in caput pendentes.* Alii obliqui ſuper *crucem* ponebantur. Plutarch. Artox. p. 1019. E. *Cutem vivo detrahi, & corpus quidem obliquum jacenſque tribus crucibus infigi.* Lipſ. ibid. c. 8. 9. Uſitata fuit, reliquas enim gentes huc non facientes lubentes mittimus, Græcis. Certe Alexander Macedo Glaucum medicum crucifixit apud Plutarch. p. 704. E. Etiam Xantippus Athenienſis Artayctam Perſam, de quo Herod. ix. p. 634. Et Romanis. *His vetus veterrimumque ſupplicium patibulorum,* ut Aurel. Vict. de Cæſar. c. 41. n. 4. Si Liv. i. 26. fides, ſtatim ſub primis Regibus uſurpatum: & exemplum in Horatio, cui id ſub Tullo parabatur. Etſi Cicero videtur diſſentire, & horridum illud carmen ad Tarquinium Superbum auctorem referre pro C. Rabir. c. 4. *I lictor,* inquit, *colliga manus, quæ non modo hujus libertatis manſuetudiniſque non ſunt, ſed ne Romuli quidem, aut Numæ, ſed Tarquinii, ſuperbiſſimi ac crudeliſſimi Regis iſta ſunt cruciatus carmina, caput obnubito, arbori infelici ſuſpendito.* Quæ tamen aut populariter, & ad cauſam Cicero dixerit; aut hoc ſentiens, non ab auctore illa Tarquinio fuiſſe, ſed illo maxime digna, & apud eum crebra. Utrum horum eſt, in libera republica ſtatim in uſu *cruces.* Dionyſ. Halic. v. p. 317. *Et illico alii quidem e domibus extracti, alii e foris abducti, omnes in crucem acti ſunt.* Lipſ. ibid. i. 11. Apud hos ſupplicium fuit ſervorum. Juven. Sat. vi. 219.

Pone crucem ſervo.

Petron. c. 86. *Nec dii ſinant, ut amplexus meos in crucem mittam.* Ita enim venuſte ſervum cruciarium appellat, qua facie ſermonis ſcelus pro ſceleſto. Servus ipſe apud Plautum ſupr. in *Cruciarius.* Hinc nomine *ſervilis ſupplicii crux* capienda. Tacit. Hiſt. iv. 11. 7. *Aſiaticus, is enim libertus, malam potentiam ſervili ſupplicio expiavit.* Hirt. Bell. Hiſp. c. 20. *Prehenſi ſervi tres, & unus e legione vernacula. Servi ſunt in crucem ſublati, militi cervices abſciſſæ.* Cicer. Attic. xiv. 15. *O mirificum Dolabellam meum: magnam ἀναθεώρησιν res habet: de ſaxo, in crucem.* nimirum ſervos in *crucem* actos ſignificans, liberos de ſaxo præcipitatos. *Lipſ. ibid. c.* 12. *Sigon. de Judic.* iii. 16. *Caſtal. Colum. triumph. Theſ. Ant. Rom. Græv. Tom.* iv. *p.* 1945. *B. Gonſal. in Petronium. Hotman. Antiq. Roman.* v. *p.* 757. *C. Sichterman. de Pœn. milit. c.* 8. Cauſa tamen non quævis; ſed I. in genere omnis machina contra dominicam ſalutem. Paull. Sent. v. tit. 21. *Si ſervi de domini ſalute conſuluerint,* Mathematicos intellige, *ſummo ſupplicio, id eſt, cruce afficiuntur.* II. Delatio domini. Pertinax apud Capitol. c. 9. *Eos, qui calumniis appetiti per ſervos fuerant, damnatis ſervis delatoribus, liberavit, in crucem ſublatis talibus ſervis.* Sic Macrino jam principe apud Herod. v. 2. 4. *Sycophantæ, aut ſervi, quicunque dominos detulerant, in crucem ſunt acti.* III. Fuga, ſed, ut opinor, diuturna, aut repetita. Cicer. pro Dejot. c. 9. *Quæ crux huic fugitivo poteſt ſatis ſupplicii afferre?* Val. Max. ii. 12. *Cruce digniſſimi fugitivi.* Quin Scipio apud eundem transfugas Romanos, *tanquam patriæ fugitivos, crucibus affixit.* Lipſ. & Sichterman. l. l. Pignor. de Serv. p. 37. Faber Semeſtr. ii. 8. Donat. Dilucid. in Tacit. p. 202. Et plebejorum, qui juxta ſervos, & liberorum viliorum. In iis crimina *cruciaria.* I. Latrocinium. Senec. Epiſt. 7. *Latrocinium fecit aliquis. quid ergo meruit? ut ſuſpendatur.* Petron. c. 71. *Imperator provinciæ juſſit latrones crucibus affigi.* Apul. Metam. iii. p. 79. *Latronem iſtum, miſerorum pignorum meorum peremptorem, cruci affigatis.* II. Sicariatus. Paull. Sent. v. tit. 23. *Inhoneſtiores,* ſicarios, *pœna capitis vindicari placuit, humiliores vero in crucem tolluntur.* III. Crimen falſi. Firmic. Math. vi. 26. *Facient in crimine falſi comprehenſos in crucem tolli.* IV. Furtum, ſed non Romæ. Lamprid. Alex. c. 28. *Cum quæreretur a Regibus, quid apud eos fures paterentur? illi reſponderunt, crucem.* Lipſ. ibid. c. 13. Imo hoſtium, præſertim apud Reges; nam hi ex libidine ita ſævierunt in illos. Alexander Magnus *duo millia Tyriorum,* capta *crucifixit.* Curt. iv. 4. 17. Titus in obſidione illa exitiali *quingenos & plures in ſingulos dies crucibus affixit: & ob multitudinem terra crucibus, & cruces corporibus deerant.* Joſeph. Excid. ii. 3. Nec non Chriſtianorum ſub tyrannis, qui in hos *crucem* crebro adhibuerunt, atque eos numeroſos. Lego in Martyrol. 22 Junii uno tempore, uno loco, *ad millia decem ſic interfecta.* Et non minus feminarum, a quibus hoc ſupplicium non abſtinuerunt. Et Tiberius ob adulteratam in Iſidis templo Paullinam *& ſacerdotes crucifixit, & Idam,* ancillæ nomen, *quæ corruptelæ cauſa fuerat.* Joſeph. Ant. Jud. xviii. 4. E Chriſtianis Eulalia, *ungulas flammaſque perpeſſa, demum cruci affixa martyrii coronam accepit.* Martyrol. 12 Maji. *Lipſ. ibid. c.* 15. Supplicium hoc interventu triumviri per carnificem ſumptum eſt. Val. Max. viii. 4. 2. *Fannii ſervus Alexander, cum in ſummam veniſſet ſuſpicionem C. Flavii equitis Romani occiſi, ſepties tortus pernegavit ſe culpæ affinem eſſe; ſed perinde atque confeſſus, & a judicibus damnatus, & a L. Calpurnio triumviro in crucem actus eſt.* Opera vero carnificis triumvirum id feciſſe crediderim, ſiquidem Cicero pro Rabir. perduell. reo c. 3. gloriatur, *ſe carnificem de foro, crucem de campo ſuſtuliſſe.* De verberatione teſtatur idem de Divin. i. 26. *Servus, per circum cum virgis cæderetur, furcam ferens ductus eſt.* Verberatio vero fiebat per lictorem. Unde illa verba ſollennia: *I lictor, colliga manus, arbori infelici ſuſpendito.* Erant autem *crux,* patibulum, & arbori infelici ſuſpenſio idem. *Sigon. de Judic.* iii. 16. Ex humanis, aut certe Romanis rebus ſuſtulit Conſtantinus. Caſſiod. Hiſt. Trip. i. 9. *Supplicium crucis, quod primitus apud Romanos erat in uſu, lege prohibuit.* Aurel. Victor ſupr. in *Crurifragium.* Atque efficaciter etiam ſuſtulit: nec poſtea reperies reductam. Auguſtin. Quæſt. in Vet. Teſt. *Antea homines cruci figebantur; quod poſtea edicto prohibitum manet.* Scholiaſt. Juven. Sat. xiv. 78. *Cadaveris, id eſt, hominum: nam antiqui crucibus figebant.* Non ergo ejus ævo. Suſtulit vero ſub imperii extrema. Illo enim imperante mentio adhuc *crucium* apud Firmicum, qui ejus regno ſcripſit viii. 20. & in cod. Theod. ix. 5. *Lipſ. ibid.* iii. 14. *Hotman. ibid. D.* Et ſub Conſtantino cœpit honorari. Cauſa & origo a victoria contra tyrannum. Zonar. in Conſtantino: *Ambigenti, & animo anxio ob iſta, figura ei crucis media die, ſtellis effícta, apparuit in cœlo, & ſcriptura circa eam Romanis literis. In hoc vince. Igitur ex auro ſtatim ſubitario opere efformans crucem, juxta ſpeciem quæ apparuiſſet, & hanc jubens prægredi exercitum, cum Maxentianis prœlium commiſit & ſuperavit.* Itaque ſtatim militaribus ſignis inſeruit. Prudent. contr. Symm. i. 463.

Agnoſcas, Regina, lubens mea ſigna neceſſe eſt,
In quibus effigies crucis aut gemmata refulget,
Aut longis ſolido ex auro præfertur in haſtis.

Et maxime labaro, quod inter ea primum. Prudent. n. 487.

Christus purpureum gemmanti textus in auro
Signabat labarum, clypeorum insignia Christus
Scripserat.

Quomodo Christus? quia & nomen ejus in ipso velo expressum, & *crux* nihilominus in hasta. Euseb. de vit. Constant. I. 25. *Sublimis hasta auro circumvestita, cornu transversum habebat effictum in forma crucis. Supra vero, in ipso culmine omnium, corona e lapidibus pretiosis & auro contexta infigebatur: juxta quam salutaris appellationis symbolum, duæ literæ Christi nomen exprimentes per primos duntaxat characteres, litera Græcanica P. scilicet decussata & scissa per medium ipso X.* Nec in illis solum; sed etiam militum armis, clypeis, & galeis. Euseb. ibid. IV. 21. *Jam vero in armis ipsorum militum salutaris tropæi signum jussit exstare:* ita ut Christi quidem ipsum nomen literis & notis, quibus in labaro, clypeis inscriberetur, galeis autem imponeretur superne *crux* ipsa. Ita Prudent. n. 488.

— clypeorum insignia Christus
Scripserat: ardebat summis crux addita cristis.

Et in suum caput, & ad diadema Imperator transtulit, hicne, an alius. Lego quidem in Epist. Hieron. ad Lætam: *Regum purpuras, & ardentes diadematum gemmas patibuli Salvatoris pictura condecorat.* Lips. ibid. c. 15. & 16. Aring. Rom. Subterr. VI. 14. §. 6.

Crux simplex vocatur, cum in uno simplicique ligno fit I. Affixio, quando ad arborem, sive stipitem alligabant figebantve hominem, ut in Cupidine crucifixo Ausonii, quem sic describit n. 56.

Eligitur mœsto myrtus notissima luco
Invidiosa deum pœnis: cruciaverat illic,
Spreta olim, memorem Veneris Proserpina Adonim.
Hujus in excelso suspensum stipite Amorem,
Devinctum post terga manus, substrictaque plantis
Vincula mærentem, nullo moderamine pœnæ
Affigunt.

Tertull. Apolog. c. 8. de Tiberio, *qui Saturni sacerdotes in eisdem arboribus templi sui obumbratricibus scelerum votivis crucibus exposuit.* Qui etiam de stipite ibid. c. 16. *Quanto distinguitur a crucis stipite Pallas Attica, vel Ceres Farrea,* sive Faria, vel Pharia, quæ in Ægypto, *quæ sine effigie, rudi palo & informi ligno prostant.* II. Infixio, quando nudum hominem erecto, acutoque stipiti infigebant. Senec. ad Marc. c. 20. *Video istic cruces nec unius generis, sed aliter ab aliis fabricatas. Alii per obscœna stipitem egerunt.* Epist. 14. sed mox laudandus. Hesych. in Σκόλοψιν. *Sudificationem dixeris, quasi assationem. Nam antiquitus maleficos sudi infigebant, acuto ligno penetrantes spinam & dorsum, sicuti assos in verubus pisces.* Hoc genus ἀνασκινδυλεύεσθαι dictum Græcis, quasi diffindere & dissecare. Hesychius: ἀνασκινδυλεύεσθαι, ἀνασκολοπισθῆναι. *Lips. de Cruc.* I. 5. *& 6. Cerd. Adv. sacror. c.* 90. *n.* 1. *Laurent. de Rebusp. c:* 7. *Kipping. Antiq. Roman.* II. 8. §. 8. Ista nescio an Mæcenati etiam descripta: cujus versus legimus apud Senec. Epist. 101,

Vita dum superest, bene est.
Hanc mihi, vel acuta
Si sedeam cruce, sustine.

Vult miser, & adsuspirat vivere, etiam inter tormenta, & in ista maxime cruciante *cruce*, quam signanter dicit *acutam.* Sed ait etiam *sedere:* bene. Nam ille profecto habitus hominis ab infero in superum sic transfixi. *Lips. ibid. c.* 6. Sed ambigue profero, quia etsi Mæcenatis verba nobis faciunt, vix tamen Senecæ, qui velut interpretans subdit: *suffigas licet, & acutam sessuro crucem subdas: est tanti vulnus suum premere, & patibulo pendere districtum.* Atque *pendere*, & *patibulo* quidem, vix est ut conveniat in nostram acutam. *Lips. not. ad l. l.* Qui frustra est. Convenit optime, quando patibulum usurpat de unico ligno etiam, in quo homo quomodocunque expansus vitam dolorosam trahit, moriturus tunc cum supplicii exactor jusserit. Et quare non dicatur apte *pendere*? Nam velut sedendo pendet cruciarius, ac nervose ita Senecæ allubuit dicere, magnifice dicere assueto. Porro quod Dilher. de Crucifix. Jesu Christi p. 57. & Calixt. in prælect. de cruce p. 4. Meibom. Mæcen. c. 24. §. 15. interpretantur acutam *crucem* de illo, qui crucifixus insidet staticulo prominenti a *crucis* arrectario stipite, istud inconveniens omnino est, ac repugnat literæ manifestæ. Sedebant in acuta *cruce*, qui palo adacto per sessum ita inhærebant fixi, ut ne in terram proruerent. Hanc eandem indigitat Arnob. II. p. 52. verbis illis, *ne velut trabalibus clavis affixi corporibus hæreatis.* Trabales clavos de palis acutis ab imo corporis usque ad summum in noxiorum corporibus adactos interpretantur Cruq. in Horat. Od. I. 35. 18. & Elmenhorst. in Arnob. p. 69. Describit Senec. Epist. 14. *Cogita hoc loco carcerem, & cruces, & eculeos, & uncum; & adactum per medium hominem, qui per os emergat, stipitem.* Notanter, *qui per os emergat.* Inde Lipsius pingit, ut cuspis ferrata, transadacta cruciario per sessum, emineat sursum per os. Corrigit Fontan. Respons. de cruce §. 4. *non ex ore quidem, ut pingitur apud Lipsium, sed ex humero.* Atqui Lipsium tuentur manifesta verba Senecæ, & fieri potest, ut alibi per os, alibi per humeros extusa cuspis infigeret palo miserum. *Kipping. l. l.* V. & infr. in *Staticulum.*

Crux compacta est, quæ manu facta, idque e duplici ligno. Ita LXX. Interpretes libro Josuæ quo vulgo est *lignum*, & Chaldæo paraphraste *crux*, ipsi verterunt ξύλον δίδυμον, bene sane ad hanc formam. Hæc est plena, & vera *crux*, in qua brachia etiam explicantur, atque ideo *patibulum* non semel dicta. Hujus species triplex. I. Decussata, in qua duo ligna directa, & æquabilia inter se obliquantur. Decussare hoc enim Romani dixerunt. Hieron. in Jerem. XXXI. *Decussare est per medium secare, veluti si duæ regulæ concurrant ad speciem literæ X. quæ figura est crucis.* Isidor. I. 3. *X. litera, & in figura crucem, & in numero decem demonstrat.* Lips. de Cruc. I. 7. Aring. Rom. Subterr. VI. 28. §. 2. Laurent. de Rebusp. c. 7. II. Commissa, cum ligno erecto brevius alterum superne, & in ipso capite committitur, sic ut nihil exstet. Ea forma examussim in T litera, quam uno ore omnes cum *cruce* componunt. Lucianus ubi Tau accusatur: *Hujus enim corporis filum tyrannos ajunt secutos ejusque speciem imitatos, simili deinde figura ligna fabricasse, & homines in iis fixisse.* Palam est *crucem* intelligi. Tertull. adv. Marcion. III. 22. *Ipsa enim litera Græcorum Tau, nostra autem T. species crucis.* Nos Belgæ hodie bacillos in hanc formam, quos ægrorum brachiis sustentaculum subjicimus, vocamus ipsa Latina voce *crucquas.* III. Immissa, cum ligno erecto transversum alterum injungitur, atque immittitur, sed sic, ut ipsum secet. Ita eminentia hic semper aliqua, & capitellum, aliter quam in commissa. Etiam anguli hic, sive fines quaterni; illic terni. Justinus signanter in primis deformat adversus Tryphonem p. 318. D. *Unicornis cornua alteri rei aut figuræ haud quisquam similia dixerit aut ostenderit, quam illi quæ crucem refert. Rectum enim est unum lignum, a quo est suprema pars in cornu sublata, cui alterum lignum aptatum est: & utrumque tanquam cornua illi uni cornu conjuncta, extrema apparent: & illud in medio defixum, & ipsum tanquam cornu eminet, in quo requiescunt, & innituntur crucifixi:* Lips. ibid. c. 8. 9. Cerda Adv. sacror. c. 90. n. 2. Laurent. de Rebusp. c. 7. Ξύλον δίδυμον pro cruce etiam posuit incertus scriptor apud Suidam in Δίδυμον & Ἴλλυσον. *Inveniens Illustum corruptorem, suspendit in gemino ligno*, id est, in *cruce:* etsi Suidas interpretatur *furcam, ut Romani appellant.* Lips. Not. ad c. 7. Ego censeo verissimam esse expositionem Suidæ. Et in auctore, quem Suidas laudat, de *cruce* nullo pacto accipi potest. Ratio est manifesta & certa: nam illum auctorem fuisse aliquem e recentioribus, puta Procopium, aut Simocattum, aut alium etiam fortasse natu juniorem, evincit nomen proprium Illustus, quod a melioribus Hellenismi seculis abhorret, & ex Illustris Latino vocabulo, non infrequente apud illius ætatis Græcos, videtur corruptum.

ruptum. Vixit ſcriptor ille poſt Conſtantinum Magnum: & non poteſt eſſe dubium, quin *δίδυμον ξύλον*, quod ait adhibitum fuiſſe ad ſupplicium corruptoris ſit furca. *Crux* enim eſſe non poteſt; cujus uſus in ſuppliciis a Conſtantino fuerat ante ſublatus. Quare etiamſi auctor *σταυρὸν* ſcripſiſſet, neceſſario tamen de furca ejus verba eſſent exponenda, quum de *cruce* non queant. Exſtat & aliud fragmentum apud Suidam, ubi *δίδυμον ξύλον* ſimili modo accipitur, ex eodem, ut videtur, ſcriptore; *quos vivos e lignis geminis ſuſpendebant*. Ubi nota præpoſitionem *ex*, quæ furcæ, vel ſimili patibulo optime congruit, non antiquæ *cruci*. Et rurſus: *Furca, geminum lignum apud Romanos.* Apparet ex his, valde uſu tritum apud Græcos ejus ætatis fuiſſe, ut furcam appellarent *ξύλον δίδυμον*, quando hic grammaticus in ipſa expoſitione Romanæ dictionis ſic loquitur. Eleganter vero ita appellatur furca, quæ ex unico, ita dicam, ſcapo dividitur in duo cornua, & lignum, quod erat ſimplex, fit duplex. Propterea etiam *δίκρανον* furcam appellarunt, quaſi geminum caput habentem. V. infr. in *Furca*. Caſaub. Exercit. in Baron. Annal. Eccleſ. XVI. n. 77. Kuſter in Suidam. Compactæ hæ tribus partibus conſtabant, arrectario ligno, vel ſtipite, qui erecta ſtatione in terram defigebatur, & crucile dictus eſt: ligno transverſario, quod patibulum, & antenna vocabatur, & diſpeſſis brachiis cruciarii alligabatur, cum traduceretur per ora populi, & a lorariis cæderetur palam. *Alius te cinget* eſt Joh. c. 21. n. 18. Cinctio illa eſt vinculorum religatio ad cornu furcæ. Theophyl. l. l. *Significat extenſionem in cruce, & vincula.* Tertull. Scorpiac. c. 15. *Tunc Petrus ab alio cingitur, cum cruci adſtringitur.* Nam deinde clavis etiam figebantur in crucile adducti, quo modo pedes in congrua parte ſtipitis non vinciebantur tantum; ſed quoque clavis configebantur. Lucan. VI. 543.

—— laqueum, nodoſque nocentes
Ore ſuo rupit.

Laqueus, nodique nocentes ſunt vincula, quibus nocentes religabantur ad *crucem*. n. 547.

Inſertum manibus chalybem.

Notantur clavi ferrei. Tertia erat ſedile, id eſt, lignum ſeſſile, ſive ſtaticulum. V. illud infr. in *Staticulum*. Quarta pars a nonnullis adfertur ſuppedaneum. V. illud infr. in *Suppedaneum*. Kipping. Antiq. Roman. II. 8. §. 8.

CRY.

CRYPTA, Græce *κρύπτη*, Latinis familiare, & crebro uſurpatum, Græcis inſolens. *Bald. Lex. Vitruv. Voſſ. Lex. Etymol.* Dicitur foſſa teſtudinata ſubterranea, aut locus concavus, & ſcrobs, ubi triticum conditur. Vitruv. VI. 8. *Qui fructibus ruſticis ſerviunt, in eorum veſtibulis tabernæ, in ædibus cryptæ, horrea, apothecæ, cæteraque quæ ad fructus ſervandos magis, quam ad elegantiæ decorem poſſunt eſſe, ita ſunt facienda.* Varr. R. R. I. 57. V. illum infr. in *Siri*. Philand. ad Vitruvium. Stewech. ad Veget. III. 3. Univerſe ita dicitur fornix ſubterranea. Juven. Sat. V. 106.

Et ſolitus mediæ cryptam penetrare Suburræ.

Suet. Cal. c. 58. n. 2. *Cum in crypta, per quam tranſeundum erat, pueri nobiles ex Aſia, ad edendas in ſcena operas evocati præpararentur, ut eos inſpiceret, hortareturque, reſtitit.* Voſſ. l. l.

Crypta Apollinis ante ædem in ipſo Palatino olim viſa eſt in quadrum formata, ad ſimilitudinem Romæ quadratæ Romuli, quæ recipiebat inſtrumenta illa, quæ ſolebant boni ominis gratia in Urbe condenda ab Hetruſcis adhiberi, ut Feſto credimus. *Borrich. Antiq. Urb. Fac. c. 12. n. 1.*

Cryptæ arenaria dicebatur ſpecus, ex quo arena rubra per architectorum miniſteria egerebatur, neceſſaria ædificiorum rudenationi. Nam cum ad Urbem illam urbium ſtruendam conſervandamque pæne immenſi ſimilis arenæ cumuli requirerentur, quæ calci intrita, id quod Romæ adhuc ſollenne, jungendis laterculis & intermediis murorum hiatibus implendis deſerviret, aliunde terra illa commode advehi non poterat, quam ex vicino Urbi agro, in quo accommodatiſſimam ſtruendis muris terram reperiri Vitruvius agnoſcit. Super arenarium *cryptæ* Laurentii ædem extra portam Laurentii, olim Tiburtinam dictam, in campo Verano, qui illic aperitur, fundatam ſcribit Anaſtaſius Bibliothecarius: *Conſtantinus Auguſtus*, inquit ille, *fecit baſilicam B. Laurentio martyri in via Tiburtina, in agro Verano ſuper arenarium cryptæ.* Sed cur in tectis cuniculis agendis ſe laſſarent operarii, cum laboris minus exantlaretur in ſcrobibus ſubdialibus? Cæterum neceſſitas jubebat tectos eſſe, ne pluvio cœlo interrumperentur labores, ne cavernæ implerentur aqua pluvia; præcipue vero, quia conveniens illa ædificiis terra non in ſummo cortice hæret, ſed habet ſuas quaſdam venas, nunc ſe mergentes in profundum, nunc iterum verſus auras ſurgentes, quas ſequi ligone neceſſe eſt, haud aliter atque in fodinis metallorum. *Borrich. Ant. Urb. Fac. c. 7. n. 6.*

Crypta Balbi in nona Urbis regione, qui circus Flaminius eſt dictus. Cornelius Balbus minor hortante Auguſto theatrum, & *cryptam* condidit. Erat hæc ſubterraneus locus concameratus, ſeu in fornicem verſus, & amplus, qui per multa millia paſſuum excurrebat, per quem aqua excurrebat. Similes adhuc viſuntur, & una per mediam Auguſtam Taurinorum Secuſium uſque extenditur, alta pedes quindecim, lata quatuor. *Panciroll. Deſcr. Urbis Theſ. Antiq. Roman. Græv. Tom. III. p. 358. C.*

Crypta Cumana eſt, quam Agrippa aperuiſſe dicitur. *Bergier. de viis militar. II. Sect. 16 §. 15.*

Crypta Nepotiana in vico fuit Patricio ſub Eſquiliis, afflictis Chriſtianis aſylum. Tempore enim quo ab Imperatoribus Romanis in Chriſtianos ferro & excogitatiſſimo quoque tormentorum apparatu ſævitum eſt, afflictum hoc genus in ſubterraneis ædium ſuarum cellis vitam occulte tranſegit. *Borrich. Ant. Urb. Fac. c. 7. n. 4. & 7. Nardin. Rom. Vet.* IV. 3. Sacros cœtus & ſynaxes peregit. Acta Stephani Papæ: *Tunc itaque B. Stephanus, ut altera die in crypta Nepotiana omnes congregantur, & facto conventiculo in eadem crypta, inventi ſunt promiſcui ſexus viri & mulieres numero centum octo, quos eadem die in nomine Domini noſtri Jeſu Chriſti ſacri baptiſmatis myſteriis conſecravit.* Acta Laurentii: *Exiens inde audivit, quod in vico Patricio multi congregati eſſent Chriſtiani in crypta Nepotiana; & veniens ibi B. Laurentius, detulit ſecum ea, quæ neceſſaria erant ſanctis, & invenit animas ſexaginta tres promiſcui ſexus. . . . .* Forte *Nepotiana* pro *Novatiana* dicta fuit. Eo enim loco celeberrimæ Novati thermæ exſtabant, quæ inferendis poſtmodum corporibus defunctorum uſui concinnatæ fuerunt. *Aring. Rom. Subterr.* IV. 42. §. 2.

Cryptæ hiſtrionibus exercendis & parandis loca dicebantur. Suet. Caligula laudatus in *crypta*. Fuit hæc *crypta* Balbi, de qua ſupra. *Nardin. Rom. Vet.* VI. 7. Sed ego ad illam pertinere non puto. *Panciroll. Deſcr. Urb. Theſ. Ant. Roman. Græv. Tom. III. p. 358. D.*

Cryptæ ſacella ſubterranea & fornicata etiam dicuntur. Petron. c. 16. *Quartillæ ſacra ante cryptam turbaſtis*, quæ c. 17. *ſacellum Priapi* videtur dici. Priapi enim quædam ſacra in aperto, ac propatulo loco peragi ſolita, & *ante cryptam* videlicet. *Gonſal. in Petronium.*

Cryptæ ſepulcra quoque dicebantur. In martyrologiis crebro martyrum, nempe quia eſſent ſpecus ſubterranei. *Voſſ. Lex. Etymol. Du Freſne Gloſſario.* Apud Romanos quoque, ſi qui defunctorum ſuorum cadavera non cremarunt, in *cryptis* ea locisque ſubterraneis ſepeliverunt. Damaſus de vitis Pontificum ſæpius meminit priorum Romæ Epiſcoporum in *crypta* ſepultorum in cœmeterio Callixti. Hodie quoque procerum monumenta, & ſi qui alii gentilia ſepulcra habent, *cryptæ* veræ ſunt, ſpecus nempe defoſſi, & ſubterranei fornices, in quibus aut terra obruta ſunt corpora, aut marmoreis, & plumbeis, atque etiam ligneis arcis condita. *Salmaſ. Exerc. Plinian. p. 850. a. D. Aring. Rom. Subterr. I. 1. §. 9. Faes in Gyrald. de Var. ſepul. ru. c. 2.*

CRYPTOPORTICUS est subterranea *porticus*, antiquis in deliciis ad æstum vitandum. Plin. Epist. v. 6. 30. *Subest cryptoporticus, subterraneæ similis; æstate incluso frigore riget.* Sidon. Epist. II. 2. *Quæ, etsi non hippodromus, saltem cryptoporticus, meo mihi jure vocitabitur.* Qui *crypticum arcum* vocat Epist. I. 5. *Pontes, quos antiquitas a fundamentis ad usque aggerem calcabili silice crustatum crypticis arcubus fornicavit.* Bald. Lex. Vitruv. Voss. Lex. Etymol. Savar. in Sidon. II. 2. Grapald. de partib. dom. I. I. 8.

CRYSTALLUM aliud est nativum, quod in jugis Apennini sæpe reperitur, & magni pretii est, si magnum & amplum: aliud factitium, quod est minimi pretii. Frigore concrescere & esse glaciem censet Plin. XXXVII. 2. *Contraria huic causa crystallum facit, gelu vehementiore concreto. Non alibi certe reperitur, quam ubi maxime hibernæ nives rigent: glaciemque esse certum est: unde & nomen Græci dedere.* Et Græcis dicitur quasi κρυόσταλλος, a κρύος, hoc est, frigus, & στέλλομαι pro συστέλλομαι, quia est ἀπὸ τοῦ κρύους συστελλόμενον ὕδωρ, aqua frigore concreta. Rem ipsam dicit Hesychius: *Crystallus est aqua concreta frigore.* Et Papin. Sylv. I. 2. 126.

Raraque longævis nivibus crystalla gelari.

Buleng. de Conv. IV. 12. Salmas. Exerc. Plinian. p. 144. b. E. Bruyer. de Re cibar. III. 9. Bays. de Vascul. Thes. Antiq. Græcar. Gronov. Tom. IX. p. 693. F. Scalig. Exercit. Exot. 119. §. 1. Συστέλλομαι dure hac significatione usurpatur. Nec *crystallus* est glacies, id est, aqua cœlestis, gelu vehementiore concreta: sed magis succus frigore densatus. Etenim si esset aqua gelu concreta, in frigidissimis quibusque regionibus, in quibus non rivi modo, sed etiam maximi amnes, iique ad vada glaciantur, plurima fieret, ac solis calore liquesceret rursus: nec glacies, quæ multis annis, imo seculis, perpetuo frigore induruit, in altissimis Alpibus, mutatur in *crystallum*: nam ut lapidis modo dura fiat, ubi deciderit, etiam ipsa tandem solis liquescit calore. Igitur *crystallus* est succus lapidescens, quem frigus intra terram conglutinavit: quocirca ex marmorum saxorumve canalibus effoditur. Non igitur *crystallus* dicitur, quia glacies est, sed a similitudine glaciei. *Agricol. de nat. fossil.* VI. 7. *Voss. Lex. Etymol.*

CUB.

CUBÆ dicebantur Sabina lingua militum lecticæ castrenses. V. illas infr. in *Culcitra*. Schel. in Polyb. Thes. Ant. Rom. Græv. Tom. X. p. 1236. E.

CUBICULARIUS erat servus, qui *cubiculum* domini observabat, & dominum tuebatur. Quo fit, ut Alfen. I. 203. de verb. signif. *cubicularios* numeret *inter eos, qui ad patrisfamilias corpus tuendum præpositi destinatique essent.* Quintil. Decl. 328. *An vero parum justas habebam sæviendi causas adversus cubicularium? dominum suum non defenderat, non servaverat, nesciebat quis dominum suum occidisset.* Hac ex causa *excubias* vocat Tacit. Annal. VI. 14. *Sane consilium occuluit, telum inter ignaros paravit, num excubias transiret, cubiculi fores recluderet, lumen inferret, cædem patraret omnibus inscius?* Nec aliud Cæsarem movet apud Suet. c. 4. n. 2. cum in prædones incidisset, ut cæteris comitum servorumque dimissis detineret medicum & *cubicularios*, scilicet illis carere poterat, his non poterat. Admissionalium vicem apud privatos fungebatur. Cicer. Attic. VI. 2. *Aditus ad me minime provinciales: nihil per cubicularium, ante lucem inambulabam domi, ut olim candidatus.* In palatio præpositum fuisse *cubiculo* perhonestum munus fuit. Hi gratiosi apud dominum maximis quibusque muneribus præficiebantur. Hinc Tyrii & Sidonii, quibus infensus erat Herodes, Blasto, qui erat super *cubiculum* Regis, deprecatore usi sunt. Actor. c. 12. n. 12. Heliconem libertum præfectum *cubiculo* Caji obsequio & muneribus conati sibi devincire apud Philon. de legatione. *Ex nutu cubiculariorum omnia semper fecerat Commodus* apud Lamprid. c. 15. Armigerorum opera aliquando impleverunt. Ammian. XXVII. 10. *Post abruptum periculum, cui adeo proximus fuit, ut galeam ejus cubicularius ferens auro lapillisque distinctam, cum ipso tegmine penitus introiret.* Quin & copiarum ductores fuerunt. Anastas. in Virgilio: *Eodem tempore misit Imperator Justinianus Narsetem eunuchum, & cubicularium suum in Italiam. . . .* Pignor. de Serv. p. 478. Popm. de Serv. p. 33. Guther. de Offic. Dom. Aug. III. 19. Buleng. de Imp. Rom. III. 13.

CUBICULUM, *ubi cubabant, vocitabant* veteres. Varr. de Ling. Lat. IV. 33. *Ciaccon. de Tricl. p.* 1. Lectum & *cubiculi* tegumenta senes gravioris morbi vim præsentientes lunæ voverunt. Isidor. Scholast. c. 3. Epigr. 1. *Tomas. de donar. c.* 36.

Cubiculum statum putarem dici, in quo Imperator cognoscens quid decernebat; dictumque illud a stato die. V. illum infr. in *Dies*. Statum *cubiculum* nobis est selle de l'audience, ou chambrè du conseil, sacri auditorii *cubiculum*. Nisi quis malit pro ordinario accipere; quod minus probo. Scio statos dici posse, ut statutos; seu ordinarios. Inscriptio:

D. M.
M. AURELIO. AUG. LIB. ONESIMO.
CUBICUL. ET. A. LOCIS. CUBICULI. STATI.

Guther. de Offic. Dom. Aug. III. 29.

Cubiculum fuit etiam pegma, quod Principes Romani ludos spectantes in orchestra sibi exstruxerunt. Suet. Ner. c. 12. n. 6. *Icarus primo statim conatu juxta cubiculum ejus decidit.* Qui suggestum dixit Jul. c. 76. n. 2. *Recepit suggestum in orchestra.* Utroque modo nominat Plin. Paneg. c. 51. n. 4. *Per omne spatium una facies, omnia continua & paria, nec magis proprius spectandi Cæsaris suggestus, quam propria quæ spectet. Licebit ergo civibus tuis invicem contueri, dabitur non cubiculum Principis, sed ipsum Principem cernere.* Cœpit cum nascente principatu. *Suggestus* vocatur, quia instar tribunalis sublime fuit. *Cubiculum* a forma, quia solet exstrui in modum parvi *cubiculi*. Translatum ab Asia Romam. Mos principum virorum fuit, ut cum vel ad spectandos ludos, vel aliam ob causam propalam sederent, papilionibus magnificis uterentur, quos Græci οὐρανίσκους vocant. Plutarch. Phocion. p. 757. B. *Polyperchon, posito aureo papilione,* θεὶς τὸν χρυσοῦν οὐρανίσκον, *collocatisque sub eo Rege & amicis.* Dicitur οὐρανίσκος, quia cameratum, & testudinis specie fornicatum ipsum solium obtegebat, uti cœlum terram tegit. Unde οὐρανὸν vocat Tzetzes in Chiliadibus de Chosroe: *In regia cœlum habuit* Osroes, *artificiose elaboratum, unde tonitrua, fulmina, pluviæque machinatione quadam erumperent ad stuporem omnium, cum legati exterarum gentium ad mensas accumberent.* Buleng. de Imper. II. 29. Circ. c. 35. Lips. Amphith. c. 11. Casaub. & Pitisc. in Suetonii Neronem. Thys. de Amphith. p. 201.

CUBITUS est pars brachii, a flexu ad digiti medii extremitatem. Hic cujusvis hominis, parvi, magni, quarta pars est staturæ, seu altitudinis sui corporis. *Meibom. de fabric. trirem. Thes. Antiq. Roman. Græv. Tom.* XII. *p.* 580. *C. Panciroll. Var. Lect.* I. 65. *Hennin. ad Bergier. de viis Milit.* III. 10. §. 3. *E.* In *cubitum* erigebantur ex somno quodam turbulento repente excitati. Petron. c. 92. *Erectus igitur in cubitum hac fere oratione contumacem vexavi.* Ovid. Metam. XI. 621.

Excussit tandem sibi se, cubitoque levatus.

Et morbo impliciti aliquid dicturi. Nep. XXV. 21. 5. *Hos ut venisse vidit, in cubitum nixus: quantum, inquit. . . .* Curt. III. 6. 9. *Quo viso Alexander levato corpore in cubitum.* Bourdelot. in Petronium. Pitisc. in Curtium. *Cubito* se emungebant salsamentarii. Cicer. ad Herenn. IV. 54. *Ut si salsamentarii filio dicas: quiesce tu, cujus pater cubito se emungere solebat.* Suet. Horat. n. 1. *Horatius patre salsamentario, quum illi quidam in altercatione exprobrasset; quoties ego vidi patrem tuum cubito emungentem?* Laert. Vit. Philos. IV. n. 46. *Pater quidem meus libertus fuit, cubito se tergens; significabat autem illum succidiam, & lardum vendere.* Plutarch. Sympos. II. 1. *Qui enim salsamentarium te appellat, is palam convicium facit.* Menag. in Laertium. Brod. Misc. VI. 8. Buleng. de Conviv. IV. 1. Pitisc. in

Suetonium. dexter si salierit, utilitatem enuntiat, servo difficilem libertatem, virgini vituperationem, viduæ injuriam: sin autem sinister, damnum ab aliqua persona significat, servo felicitatem, virgini ignominiam, viduæ injuriam, cæteris aliis bonam locutionem. *Niphus de Augur.* I. 9.

CUBUS, Græce κύβος, effertur tam de tessera quæ jacitur, quam de puncto ipso, & nota insculpta, numerum jactorum reddente, ac præcipue unione, qui ὄνος quoque asini nomine dicitur. Priore modo accipitur illud e tragœdia:

Feliciter semper cadunt cubi Jovis.

Posteriore Euripidis illud in Myrmidonibus, ubi tesseris ludentes heroas facit:

Duas Achilles uniones jacit & quatuor.

Junius Anim. II. 4.

CUC.

CUCULLAM a *cucullo* secernit Auctor vitæ Deicoli c. 2. tamen *cucullam* æque dicere liceat cum Hieronymo in Hilarione, de quo ait: *Omnes divitias ei derelinquens, Evangelium scilicet, & tunicam sacceam, cucullam, & palliolum.* Mox etiam addit, jussisse Hilarionem, *se sepeliri, sicut vestitus erat, in tunica cilicina, & cuculla.* Paullin. carm. XIII. ad Cytherium de homine Dei Martinianum naufragum excipiente:

Donumque tunicæ, quæ sodalem ornaverat,
Geminat cucullæ munere.

Ennod. Epist. IX. 17. *cucullæ* ad se transmissæ, tanquam religionem profitenti, meminit. *Raynaud. de pil. & cæt. cap. tegm. Sect.* XV. *Savar. in Sidon. Epist.* VII. 17. *Voss. de vit. serm.* III. 7. Scotorum doctissimus non illepide in genus hoc hominum ludit, quod sexus ignoratione barbare, ac præpostere *cucullam* appellent, & sic velut naturam invertant. Sed, ut arbitror, istis Latinitatis osoribus *cuculla* est contracte vestis *cucullata*, sive habens *cucullum*, qualis Benedictinorum. *Ferrar. de re Vest.* II. 1. 22. Quem hoc non sine malitia, aut ignoratione videre dicit *Grang. ad Juven. Sat.* VI. 118.

CUCULLIO idem qui *cucullus*. Lamprid. Heliog. c. 33. *Tectus cuculione mulionico, ne agnosceretur.* Capitol. Ver. c. 4. *Ut vagaretur nocte per tabernas ac lupanaria, obtecto capite cucullione vulgari viatorio.* Ferrar. de re vest. II. 1. 21. Raynaud. de pil. & cæt. cap. tegm. Sect. XV. Voss. Lex. Etymol.

CUCULLUS proprie est involucrum chartaceum, quo a pharmacopolis, aliisque institoribus thus, piper, & alia odoramenta teguntur. Mart. III. 2.

Cujus vis fieri, libelle, munus?
Festina tibi vindicem parare:
Ne nigram cito raptus in culinam
Cordyllas madida tegas papyro:
Vel thuris, piperisque cucullus.

Eorum forma etiam hodie oblonga & in acutum involuta. Sed, quid si dicamus, *cuculli* papyracei nomen posterius esse, ac hoc a forma vestis nomen accepisse? Certe parum refert, hoc, an illud dicamus. *Voss. Lex. Etymol. Ferrar. de re vest.* II. 1. 22. *Rader. in Martialem. Raynaud. de pil. & cæt. cap. tegm. Sect.* XV.

Cucullus est pars vestis a tergo pendentis, qua caput tegitur, pluviæ, vel tempestatis causa. Mart. X. 76.

Pullo Mævius alget in cucullo.

Refert conum inversum, planeque chartaceis *cucullis* similes sunt, ut ex palliis Hispanicis, & *bardocucullis* apparet. Ferrar. de Re Vest. II. 1. 22. Erat vestis servorum. Colum. I. 8. *Cultam vestitamque familiam magis utiliter, quam delicate habeat; munitam diligenter a vento, frigore, pluviaque, quæ cuncta prohibentur pellibus manicatis, centonibus confectis, vel sagis cucullis.* Malim *cucullatis*. Sed non tantum illorum, ut credidit Fab. Semestr. II. 10. forte persuasus, quia vilissimum fuit tegmen: & juxta cum illo Lips. Elect. I. 25. Raynaud. de pil. & cæt. cap. tegm. Sect. XV. Verum etiam ingenuorum. Nam Mævius, de quo Martialis jam laudatus, ingenuus erat. Et erat homo liber, qui nulla ratione poterat basiatores effugere, de quo Mart. XI. 98.

Non te cucullis asseret caput tectum.

Et Mannejus, de quo Mart. V. 14. 6. non modo ingenuus erat, sed etiam pro equite se gerebat.

Illic cucullo prospicit caput tectus,
Oculoque ludos spectat indecens uno.

Ferrar. de re vest. I. 3. 24. II. 1. 22. Et tandem monachorum, in quorum usum inductum est gestare *cucullum*: ut I. docerentur simplicitatem, & mores quasi modo genitorum infantium, quia *cucullus* est etiam tegmen capitis infantilis. Cassian. de hab. monach. c. 4. *Cucullis perparvis, usque ad cervicis, humerorumque demissis confinia, quibus tantum capita contegant, indesinenter diebus utuntur ac noctibus: scilicet, ut innocentiam, & simplicitatem parvulorum jugiter custodire, etiam ipsius velaminis imitatione commoneantur.* Niceph. IX. 14. *Caput integumento, quod cucullum appellare solent, operiebant; quo ostenderent, se vitam perinde simplicem ac sinceram degere, ac pueros lacte nutritos, quorum caput, quod in membris obtinet principatum, ejusmodi tiaris obvolvitur, uti tum tegatur ab æstu & frigore, tum undique foveatur.* II. significaretur humilitas status eorum, & conditio servilis, quia humile & crassum vestis genus fuit. Religiosi enim respectu Dei gloriosam serviunt servitutem, & humilem profitentur subjectionem. *Raynaud. l. l.* Veterum oblongi fuerunt, & in acumen desinentes. Nunc apud omnes non eadem est forma, aliis acuminata, aliis rotunda. Mirorque tantum otii viris gravibus, & vanitatis contemptum professis superesse, ut longis, atque aculeatis commentationibus disputaverint, Francisci *cucullus* acuminatusne fuerit, an rotundus. *Ferrar. ibid.* II. 1. 22. *Raynaud. l. l.* Sumebatur cum lacerna, vel pluviæ arcendæ, cum nondum penulæ in usu intra Urbem essent, vel latendi causa. Juven. Sat. VI. 330.

Illa jubet juvenem sumpto properare cucullo.

ne scilicet dignosceretur in itinere, cum matronæ fucum factum properaret. Propterea noctu sumebatur in discursationibus, & ad dissimulandam personam. Juven. ibid. n. 118.

Sumere nocturnos meretrix Augusta cucullos.

Capitolinus laudatus supr. in *Cucullio*. Unde & *nocturnalem cucullum* vocat Sidon. Epist. VII. 16. Ita tamen, ut a lacerna separari potuerit. Mart. XIV. 132.

Si possem, totas cuperem misisse lacernas:
Nunc tantum capiti munera mitto tuo.

Ferrar. ibid. II. 1. 20. & 21. Savar. in Sidonium.

CUCUMA est genus ædificii, tugurii pauperis. *Barrient. Sylv. Annot. c.* 14. Pro genere verberis posuit Martian. ad l. Corn. de Sicar. *Si clava percusserit, aut cucuma, in rixa, quamvis ferro percusserit, tamen occidendi animo leniendam pœnam ejus.* Nebrissensis. Ego ferreum baculum esse existimo. *Bud. ad dict. l.* Sunt, qui habenalia putent ornamenta ex ære orbiculata e medio bulla protuberante, unde vulgo forsan borchias vocant. *Rhodig. Ant. Lect.* XXI. 31. Nullum horum. Est vasis coquinarii genus, quod ita a cucumeris oblonga forma & amplo ventre appellatur, factum ex ære aut terra ad calefaciendum aquam. Mart. X. 79. 4.

—— cucumam fecit Otacilius.

Petron. c. 96. *Frangitur ergo cervix cucumæ, ignemque modo convalescentem exstinguit.* Voss. Lex. Etymol. & de vit. serm. III. 7. Vocabulum est rarum inventu, & locis tantum laudatis invenitur. *Politian. Misc. c.* 30. Imo & his. Petron. c. 95. *Incincta quadrato pallio cucumam ingentem foco apposuit.* Ambros. Serm. 90. *Dii tui aut ænei sunt, ex quibus cucumæ melius fiunt ad usum hominum.* Sæpius legas apud Marcellum Empiricum libris de medicamentis. Et

cucu-

cucumella, diminutivum eſt a *cucuma*, recenſetur inter vaſorum genera ab Alphen. I. 17. ff. ſi ſervit. vindic. *Et Sejus in eo ſylvam ſeviſſet, in qua labra. . . & cucumellas poſitas haberet.* Voſſ. l. l. Rader. ad Martialem. Licet. de Lucern. VI. 61. Cenal. de pond. & menſ. rat. Theſ. Ant. Roman. Græv. Tom. XI. p. 1474. C.

CUD.

CUDO. ſignificat & galerum, vel pileum, & pedule. Nam *cudo* eſt πῖλ☉ a *cudendo*. *Cudere* autem eſt ferire & tundere. Hinc quod tundendo & feriendo ex pilis coactis, & conciliatis, quaſi *cuderentur*, dicti *cudones*. *Cudonem* tamen de pelliceo galero dixit Sil. Ital. VIII. 494.

> —— *capiti cudone ferino*
> *Sat cautum.*

XVI. 59.

> —— *cudone comantes*
> *Disjecit crines.*

Salmaſ. Capitol. Pertin. c. 8. Turneb. Adv. I. 13. Lipſ. Milit. Rom. III. Dialog. I. Kipping. Antiq. Roman. IV. 2. §. 4.

CUL.

CULCITÆ herba, pluma, aut tomento farciebantur. Varr. de Ling. Lat. IV. 35. *Poſteaquam tranſierunt ad culcitas, quod in eas acus, aut tomentum, aliudque quid ſternebant.* Erant tricliniares. Juven. Sat. V. 17.

> *Tertia ne vacuo ceſſaret culcita lecto.*
> *Una ſimus ait.*

Ciaccon. de tricl. p. 14. Bacc. de Conviv. antiq. I. 10. Erant cubiculares. Hæ lectis imponuntur, *culcitis* inſtragula, quibus incubant homines operimentis obducti. *Turneb. Adv.* VII. 22. Arietum ictibus opponi ſolebant. Veget. IV. 23. *Adverſum arietes, vel falces ſunt plura remedia. Aliquanti centones & culcitas fuſtibus calcant, & illis opponunt locis, qua cædit aries, ut impetus machinæ materia molliore fractus non deſtruat murum.* Iſid. XVIII. 11. *Contra impulſum arietis remedium eſt ſaccus paleis plenus, & in eum locum demiſſus, quo aries percutit. Laxo enim ſaccorum ſinu ictus arietis illiſus mollitur. Duriora enim mollioribus facilius cedunt.* Scribit hoc quoque Leo Imperator de bellic. appar. c. 15. n. 48. *Stewech. ad Vegetium.* In caſtris non licuit illis uti. Scipio enim, auctore Appiano, ad Numantiam, cum habere *culcitas* vetuiſſet, ipſe, quo exemplo firmaret diſciplinam, fœnea *culcita* uſus eſt. Igitur ſuper fœno, vel ſtramento ſomnum capiebant milites. Sed & priſcorum Romanorum requies & ſomnus, teſte Plinio, in ſtramentis. Hinc lecticæ. Varr. de Ling. Lat. IV. 35. *Lectica, quod legebant, unde eam facerent, ſtramenta atque herbas, ut etiam nunc fit in caſtris.* Et ſegeſtria. Varr. l. l. *E ſegete ſegeſtria appellabantur, ut etiam nunc in caſtris.* Lecticæ autem hæ lingua Sabina *cubæ* dicebantur, Græce χαμευνάδες. *Schel. in Polyb. Theſ. Ant. Rom. Græv. Tom.* X. *p.* 1236. *D.*

CULIGNA erat *vas potorium. Cato culignam, inquit, in fœno Græco ponito, ut bene oleat. Culigna, vas vinarium.* Feſtus. Cato de re ruſt. c. 132. *Jovi Dapali culignam vini, quantumvis, polluceto.* Gloſſarium. *Culigna*, σκεῦ☉ οἴνου. Apud Feſtum leg. κυλίχνην. *Voſſ. Lex. Etymol. Scalig. & Dacer. ad Feſtum. Turneb. Adv.* VII. 19.

CULINA eſt locus parandi & coquendi cibos. Varr. de re Ruſt. I. 13. *In primis, culina videnda ut ſit admota: quod ibi hyeme antelucanis temporibus aliquot res conficiuntur, cibus paratur ac capitur.* Colum. de re Ruſt. I. 6. *Ac in ruſtica parte alta & magna culina ponetur, ut & contignatio careat incendii periculo, & in ea commode familiares omni anni tempore morari queant.* Serv. Æneid. I. 730. *culinas* ſcribit fuiſſe in illa ædium parte, quæ atrium dicebatur, unde a fumi nigrore nomen factum eſſe atrio. *Stuck. de Ant. Conv.* II. 13. *Urſin. Append. ad Ciaccon. de tricl. p.* 349. *Baccius de vin. & Conv.* IV. *p.* 163. *Stuck. de Sacrif. p.* 153.

Culina eſt quoque cloaca, privatum, ſella familiarica, ἀφεδρών, ἀπόπατ☉. Gloſſæ Iſidori: Culina, *latrina, ſeceſſum.* Gloſſarium; *culina*, ἀπόπατ☉. Item: *Conclavis & culina*, ἀφεδρών, ἀπόπατ☉. *Scalig. & Dacer. in Feſtum. Erhard. Symbol. in Petron. p.* 529. *Savar. in Sidon. Epiſt.* VIII. 11.

Culina vocabatur etiam pars rogi, in qua epulæ funebres cremabantur. Feſtus: *Culina vocatur locus, in quo epulæ in funere comburuntur.* Catal. c. 4. n. 35.

> *Neque in culinam, & uncta compitalia*
> *Dapeſque ducis ſordidas.*

Ἴπνας vocat Ariſtoph. IV. 1. 86.

> *Ego in culinis*, ἐν ταῖσιν ἴπναις, *pugnis aptabar probe.*

Guther. de Jur. Man. I. 25. Scalig. in Catalecta & Feſtum. Buleng. de Imperat. Roman. III. 6. Velſer. Rer. Aug. Vind. IV. p. 239. Meurſ. de Funer. c. 35. Faes ad Gyrald. de Var. ſepel. rit. c. 6.

Culinæ fuerunt loca ſuburbana inopum ſepulturæ deſtinata. Aggen. Urbic. de contr. agror. ad Frontin. p. 60. *Sunt in ſuburbanis locis loca publica inopum deſtinata funeribus, quæ loca culinas appellant.* Kirchman. de Fun. Rom. II. 24. Moreſtell. Pomp. Feral. V. 5. Mag. Miſc. II. 19. Philand in Vitruv. VI. 6. Velſer. Rer. Aug. Vind. IV. p. 240. Meurſ. de Funer. c. 42. Borremanſ. Var. Lect. c. 14.

CULLEUS eſt ſaccus de corio factus, prout exponit Anianus vetus interpres ad l. unicam C. de patricid. Eſt & in gloſſis B. Germani: *Culleus*, ἀσκὸς βόει☉, λάρναξ. *Laurent. de Rebuſp. c.* 7. *Voſſ. Lex. Etymol.* In illum conjiciebatur patricida mari, vel flumine mergendus. Iſidor. Hiſpal. in gloſſis: *Tunica ex ſparto in modum crumenæ facta, quæ linebatur a populo.* L. publico, id eſt, carnifice, *pice, & bitumine, in qua includebantur patricidæ cum ſimia, ſerpente & gallo, inſecta mittebatur in mare, & contendentibus inter ſe animantibus, homo majoribus pœnis afficiebatur.* Signantiſſime Anianus jam laudatus: *Si quis patrem, matrem, ſororem, filium, filiam, vel alios propinquos occiderit, remoto omni alio genere tormentorum, facto de coriis ſacco, qui culleus nominatur, in quo cum miſſus fuerit, cum ipſo etiam ſerpentes claudantur, & ſi mare vicinum non fuerit, in quolibet gurgite projiciantur, ut talis pœna damnatus nullo tempore obtineat ſepulturam.* Cauſam indicat Zonar. Annal. II. p. 16. *Marcus culleo inſutus, & ſubmerſus eſt. Id ſupplicii genus poſt in patricidis obſervatum, ut neque terra, neque aqua, neque ſol eorum morte inquinaretur.* Et ad hunc ſenſum de Scylla; quæ Niſum patrem prodiderat, Ovid. Metam. VIII. 97.

> *Dii te ſubmoveant, o noſtri infamia ſecli,*
> *Orbe ſuo, tellusque tibi, pontusque negetur.*

Et aliam Doſitheus grammaticus in ſentent. & epiſt. Adriani Imperatoris III. *Fuit lex quædam hujuſmodi omnibus hominibus, uti qui patricidium feciſſet, publice in culleum miſſus inſueretur, cum vipera, & ſimia, & gallo, & cane impius homo impiis animalibus, & in plauſtrum junctum nigris bobus deportaretur ad mare, & in profundum mitteretur. Oſtenderunt enim exemplum pœnæ, ut magis timeant tam crudele opus facere.* Demſter. Paralip. ad Roſin. Antiq. Rom. VIII. 24. Fab. Semeſt. II. 7. Sigon. de Judic. II. 31. Scalig. in Feſtum. Politian. Miſcell. c. 20. Cenal. de pond. ac menſur. rat. Theſ. Ant. Roman. Græv. Tom. XI. p. 1472. D. Pætus de Rom. & Græcor. menſur. III. Theſ. Græv. ibid. p. 1645. F. Laurent. l. l. Gyrald. de Var. ſepel. rit. c. II. & Faes in illum. Iſidorus non eſt audiendus. Imperite nimis confundit *culleum* cum tunica. Ille quod certum eſt, corium fuit, & ἀσκὸς vel βόει☉, vel ὄνει☉, in quem patricidæ inſuebantur. Tunicæ, ut ex ipſius deſcriptione apparet, ab eis induebantur qui erant igne cremandi. V. infr. in *Tunica moleſta.* Caſaub. in Suet. Aug. c. 33. Scalig. l. l. Iſidorum tamen ſequuntur Iſonis

Magiſtri gloſſæ in Prudent. Periſteph. II. 457. ubi ſequentia: Sparteus. *De ſparto follis, id eſt, de palma, unde & ſportulana. Et Romani parricidas cum gallo, & ſimia, & ſerpente in culleum, id eſt, in tergum bovis undique conſutum in mare præcipitabant.* Et mox: culleus *faſciola adjuta intrinſecus. Culleus tunica ex ſparto. Spartus, eſt frutex ſine foliis ab aſperitate vocatus. Culleus, ſaccus, in quo rei incluſi mittebantur in mare.* Almelov. in Iſidorum. Et Iſidorus non agit de tunica illa, quæ parata incendiis: ſed de *culleo* ipſo, qui patricidæ quaſi tunica eſt, lita pice, & bitumine, non ad incendium, ſed ut in aqua duraret. Bene autem & hoc Iſidorus: *in modum crumenæ.* Hinc enim *culleus aſcopera* dicitur apud Suet. Ner. c. 45. n. 3. a ſpecie, figuraque peræ, ſive marſupii. Nam & Suidæ *ἀσκοπήρα, τὸ μαρσίπιον, ἤ τοι τὸ σακκοπάθειον. Marcil. ad Leg.* XII. *tabul. p.* 290. *Cren. Animadv. Philol. & hiſtor. Tom.* XI. *p.* 249. V. etiam *Turneb. Adv.* XXVIII. 5. *Rittersh. ad Leg.* XII. *tab. Claſſ.* II. *c.* II.

Culleus eſt etiam maxima liquidorum menſura. Fannius:

Eſt & bis decies, quem conficit amphora noſtris,
Culleus: hac nulla eſt major menſura liquoris.

Capit itaque viginti amphoras. De vinea Rhemmii Palæmonis, qui hic Fannius eſt, Plin. XIV. 4. *Quando & poſtea ſæpenumero ſeptenos culleos ſingula jugera, hoc eſt, amphoras centenas quadragenas muſti dedere.* Quas amphoras ſi partiaris ſeptenario, ſepties viginti emergent. *Cenal. de pond. ac menſur. rat. Theſ. Ant. Rom. Græv. Tom.* XI. *p.* 1471. *F. Pætus de Roman. & Græcor. menſur.* III. *Theſ. Ant. Rom. Græv. ibid. p.* 1628. *E.* 1645. *D. Bud. de aſſe p.* 604. *Voſſ. Lex. Etymol.* De his inter inſtrumenta ad vinum transferendum meminit Ulpian. l. quæſitum de fundo inſtruc. *Sed & ea, quæ exportandorum fructuum cauſa parantur, inſtrumenta eſſe conſtat, veluti vehicula, & naves, & cuppæ, & cullei.* Et Scæv. l. ult. in fin. de pignorat. act. *Titus pecuniam mutuam a C. Sejo ſub pignore culleorum accepit. Iſtos culleos cum Sejus in horreo haberet, miſſus ex officio annonæ centurio culleos ad annonam ſuſtulit.* Vino puro, aut aqua plenus pura pendet libras mille ſexcentas. *Pætus ibid. p.* 1647. *C.* Forma utri formæ ſimilis fuit, licet ſpecie major. Nec plures, ut aliqui exiſtimaverunt, ſed ſinguli ſingulis vehiculis, ſingulo boum jugo trahebantur, quod licet colligere ex Cat. de re ruſt. c. 12. *Pætus ibid. p.* 1646. *A.*

CULTELLARE eſt apud agrimenſores agrum inæqualem & clivoſum ad planitiem redigere & exæquare. *Salmaſ. Exerc. Plinian. p.* 485. *b. G.* 576. *b. C.* Ridiculum eſt cogitare menſorem, qui iſthæc faciat. Agrum *cultellare* dicitur potius menſor, cum inæqualem metiens non depreſſi & exſurgentis ſoli ductum ſequitur, ſed poſthabita omni inæqualitate planum animo proponit, preſſum animo & mente conſummans, eminentius vero velut *cultello* reſcindens. Frontin. de limit. agror. p. 43. *Cultellandi ratio quæ ſit ſæpe quæritur, cum preſſi ſoli ſpatium,* nam ita lego, *conſummamus, & illam clivorum inæqualitatem planam eſſe cogitamus, dum menſuræ lateribus inſervimus.* Boeth. Geometr. IV. *Cultellamus agrum eminentiorem, & a planitie recidimus æqualitatem.* Sed neceſſario legendum: *ad planitiem recidimus inæqualitatem.* A planitie enim quomodo æqualitas reſecari poteſt? *Goeſ. rei agrar. ind. Voſſ. Lex. Etymol.*

CULTER aratorius eſt vomer, qui rectus terram in arando ſecat & ſcindit. Plin. XVIII. 18. *Culter vocatur prædenſam, priuſquam proſcindatur, terram ſecans, futuriſque ſulcis veſtigia præſcribens inciſuris, quas reſupinus in arando mordeat vomer.* Ergo reſupinus vomer terram in arando mordebat. At *culter* rectus inciſuris eam notabat. Hinc illa locutio *in cultrum collocare* exponenda de iis; quæ recto ſitu ad perpendiculum poſita ſunt. At nos vomerem, qui planus, ac reſupinus terram ſcindit, vocamus *cultrum.* Videtur & media Latinitas omnem vomerem ſic appellaſſe, a qua nos accepimus. *Salmaſ. Exerc. Plinian. p.* 576. *b. B. Voſſ. Lex. Etymol.*

Culter gladiatorius eſt, quo in arena gladiator utitur. *Cultri* gladiatorii veram ſpeciem oſtendit Romæ marmor antiquum in ædibus Sabellorum. *Cultro* gladiatorum quantum tribuerit veterum ſuperſtitio, oſtendit de morbi comitialis curatione ubi ſcribit, Scribon. compoſ. 13. *Hoc remedium qui monſtravit, dixit ad rem pertinere, occidi hinnulum cultro, quo gladiator jugulatus ſit.* At quorſum ille? *Quoſdam gladiatoris jugulati calido ſanguine poto tali morbo ſe liberarunt,* ut ſcribit Celſ. III. 23. Sanguis gladiatorum a jugi exercitio ſaluberrimus: ideoque iis, qui bonis ſuccis præditi, accenſet Galen. de atra bile c. 4. Aurel. celer. paſſ. c. de epilepſia. *Qui caduco morbo vexabantur, gladiatoris jugulati ſanguinem adhuc calidum ex plaga manantem ſorbebant, ut remedium ſui mali præſtantiſſimum.* Hoc tamen graviſſime deteſtatur Plin. XXVIII. I. *Rhod. in Scribonium. Tomaſ. de Donar. c.* 39. *Lipſ. Sat.* II. 22. *Dalechamp. in Plinium.*

Culter ſacrorum. Hunc vagina incluſum victimarius lateri alligabat, & eo ad ſecandas hoſtias utebatur. Eo minores hoſtiæ mactabantur. Ovid. Metam. XV. 134.

—— percuſſaque ſanguine cultros
Inficit.

La Chauſſe Inſign. Pontif. Max. tab. V. Et mola conſperſum a fronte victimæ ad caudam uſque obliquum ducebat vagina promptum. Prud. Apoth. n. 532.

Jamque inſertato reſerabant viſcera cultro.

Senec. Thyeſt. IV. I. 688.

Tangensve ſalſa victimam culter mola.

Lucan. I. 610.

—— obliquoque molas inducere cultro.

Hoc victimam vel jugulabant, vel excoriabant, vel diſſecabant. *Saubert. de Sacrif. c.* 18.

Culter venatorius eſt telum venabulo brevius. Magnitudinem & uſum ejus indicat Mart. XIV. 31.

Si dejecta geres longo venabula roſtro:
Hic brevis in grandem cominus ibit aprum.

Barth. Adv. X. 20: XXIII. 22. Vlit. in Grat. Cyneget. n. 341. Erat, pauperis, ut venabulum divitis. *Turneb. Adv.* IX. 23. Inde Suet. Aug. c. 19. n. 4. *Lixa cultro venatorio cinctus.* Nam & hoc majorem militiæ partem olim fuiſſe armatam non obſcurum ex Tacit. Annal. III. 43. 3. *Quadraginta millia fuere, quinta ſui parte legionariis armis, ceteri cum venabulis & cultris, quæque alia venatoribus tela ſunt.* Inde brevior enſis hodie Gallis *conſteau.* Ad antiquorum autem *cultrum* proxime accedere puto Germanorum enſem venatorium, qui vulgo weidmeſſer appellatur. Cujuſmodi & magnatum coci apud eoſdem geſtant. Sicne Plaut. Aul. III. 2. 2.

EUC. *Ad tres viros jam ego deferam tuum nomen.*
CO. *Quamobrem?* EUC. *Quia cultrum habes.* CO.
Cocum decet.

Is nempe fuit exilior, quum facile occuleretur, ut memorat Suet. Claud. c. 13. n. 3. *Reperti & equeſtris ordinis in publico cum dolone, ac venatorio cultro præſtolantes, alter ut egreſſum theatro, alter ut ſacrificantem apud Martis ædem adoriretur.* Rhod. in Scribon. comp. 13. Lipſ. Sat. II. 3. Fuller. Miſc. ſacror. I. 17.

CULTRARIUS eſt victimarius, qui & popa, victimarum immolator, quia victimas *cultro* feriebat. *Stuck. Ant. Conv.* III. 3. *de ſacrif. p.* 109. & 164. *Guther. de jur. Pontif.* II. 14. *Alex. Gen. Dier.* IV. 17. & ad illum *Tiraquellus.* V. infr. in *Popa.*

CULULLUS erat genus calicis e vili materia: quo ceu familiari poculo veros amicos explorari debere monet Horat. Poet. n. 434.

—— Reges dicuntur multis urgere culullis,
Et torquere mero.

Baccius de vin. & Conviv. IV. p. 169. Proprie eſt calix fictilis, quo Pontifices & virgines Veſtales utebantur. *Acro in Horat. l. l.* Vereor ne *culullos* pro capedunculis acceperit.

ceperit. Eſt per diminutionem elatum, a *culleo* deductum. Etſi enim *culleus* primam producit, tamen; ut aſſolet, in diminutione corripit, ut mamma, mamilla. *Turneb. Adv.* IX. 13. *Voſſ. Lex. Etymol.*

CUM.

CUMBA, quam nominant Vulcanii gloſſæ Arabico-Latinæ. *Lembus, navicula brevis, dicta & capulus, & cumba, & lintris.* Dicemus infra *cymbam*, uſitata Latinis ſcribendi conſuetudine, qua υ Græcorum in *u* ſuum vertunt. *Scheffer, Mil. Nav.* II. 2.

CUMERA, ſive, *cumerum* quale vas fuerit. V. ſupr. in *Camillus.*

CUN.

CUNÆ ſunt lectuli illi mobiles, ſive vaſcula, & alvei, in quibus pueri faſciis involuti cubant. Habebant formam ſcaphæ: unde & Græci σκάφην dixerunt. *Salmaſ. in Vopiſc. Aurel. c.* 4. *Voſſ. Lex. Etymol.* Forma variæ. Modo clypeus, modo cribrum & vannum, alias navigioli forma, eaque vel tecta ſpinis, vel aperta; nonnunquam verſatilibus fulcris huc illuc moti infantes, vel angulis penſilibus ad ſomnum compoſiti & voluptatem, etiam grandiores ex gymnaſticorum præcepto. Puerorum *cunæ* ad latera; medicorum vero etiam ſurſum deorſumque duci potuerunt. Magnatibus ſegmentatæ, non tam vermiculata pictura, quam ſtragulis purpureis, quibus flores acceſſerant, & pelvis excrementis puerilibus recipiendis deſtinata. *Barthol. de puerp. p.* 103.

CUNABULA, vel *incunabula* ſunt vincula, vel faſciæ, quibus colligantur infantes in *cunis* poſiti. Aperte illa ab his diſtinguit Plaut. Truc. V. 13.

Faſciis opus eſt, pulvinis, cunis, incunabulis.

Amph. V. 1. 52.

Neque eum quiſquam colligare quivit in cunabulis.

Salmaſ. in Vopiſc. Aurel. c. 4. Voſſ. Lex. Etym. Turneb. Adv. X. 10. Vetus interpres Perſii in Sat. II. *Aviæ, & matertera, quæ ſtatim puerum a cunabulis ſolutum votis ſuis diis commendant.* Sed ſi *incunabula* erant faſciæ, Plautus idem repetiiſſet; *faſciis, incunabulis.* Credibile igitur eſt *cunabula* fuiſſe faſcias, inſtitas, ſive vincula, quibus infantes, jam faſciis involuti ligabantur in *cunis*, ut hodie fit, ne inde exciderent. *Ferrar. Elect.* II. 20. Hinc pro educatione, & primis rudimentis utraque vox ſumitur. Stat. Achill. I. 38.

— quid enim cunabula parvo
Pelion, & torvi commiſimus antra magiſtri?

id eſt, cur paſſa ſum filiolum educari, ſeu prima rudimenta accipere apud Chironem. Suet. Veſp. c. 2. n. 2. *Princeps locum incunabulorum aſſidue frequentavit*, id eſt, educationis. Cicer. ad Attic. III. 15. *Ego in montes patrios, & ad incunabula noſtra pergam.* Bernart. in Statium. Pitiſc. in Suetonium.

Cunabula dicebantur etiam tæniæ, quibus mortui a capite ad pedes vinciebantur. Incertus auctor de Orthographia: *Cunabula ſunt panni infantiæ: ſed Johannes Conſtantinopolitanus Epiſcopus ſcribit Lazarum in monumento cunabulis involutum.* Salmaſ. in Vopiſc. Aurel. c. 4.

CUNARIA, & *cunarius* erant ancilla quæ, & ſervus qui *cunas* movebat. Mart. XI. 40.

Cunarum fueras motor Charideme mearum.

Inſcriptio apud Gruter. p. 311.

D. M.
TEIÆ. TREPTÆ. SO
ROR. PIISSIMÆ. CUNA
RIÆ. RUFINÆ. V. V.
GLYPTUS FRATER. QUI
ET. FELIX. VIVOS. VIVÆ
POSUIT.

Barthol. de puerp. p. 103. *Pignor. de Serv. p.* 380.

CUNCTATOR ab obtrectatoribus dictus eſt Q. Fabius Maximus, quod Hannibalem mora fregit. Plutarch. in Fabio p. 175. A. *Sed quum hoſtes intelligeret, & paucos eſſe, & difficultate laborare ſtipendii, cunctandum cenſuit Romanis, nec pugnandum cum homine, qui exercitum haberet multis ad ipſum duratum præliis.* Liv. XXII. 15. *Fabius, quanquam probe ſcit, non in caſtris modo ſuis, ſed jam etiam Romæ infamem ſuam cunctationem eſſe, obſtinatus tamen eodem conſiliorum tenore æſtatis reliquum extraxit.* Alex. Gen. Dier. I. 9. & ad illum Tiraquellus. Sigon. de nomin. Roman. c. 5. Glandorp. Onom. Roman. p. 322.

CUNEUS dicitur organum illud mechanicum, quo ligna finduntur, cujus pars in aciem deſinit, quæ in tumulum indita, ictu mallei lignum aperitur. Virg. Georg. I. 144.

Nam primi cuneis ſcindebant fiſſile lignum.

Bald. Lex. Vitruv.

Cuneus eſt lignum craſſius, quod quondam, ut & hodie carinæ affigitur, quo minus, ſi in ſaxa incurrat navis, atteratur, rimaſque contrahat. Ovid. Metam. XI. 514. V. illum ſupr. in *Cera.* Græci χέλευσμα nuncupant. Pollux. I. 9. 3. *Quod extremæ carinæ, ne atteratur, conglutinatur, cheleuſma eſt.* Scheffer. de milit. nav. I. 6.

Cuneus quid ſit in militia, docet Veget. III. 19. *Cuneus dicitur multitudo peditum, quæ juncta acie, primo anguſtior, deinde latior procedit, & adverſariorum ordines rumpit: quia a pluribus in unum locum tela mittuntur, quam rem milites nominant caput porcinum.* Μεταφορικῶς ſic vocatur, quia ut *cuneus* fabrorum inferiori parte acutus eſt, ſuperiori amplus, ſic acies hujuſmodi in fronte anguſta, poſt trigoni forma paullatim ſe pandat. *Voſſ. Lex. Etymol. Voſſ. in Gell.* X. 9. *& Rom. Illuſtr.* III. *p.* 97. *Stewech. in Vegetium. Cluver. German. Antiq.* I. 50. *Bald. Lex. Vitruv. Laurent. Polym.* IV. *Synopſ.* I. §. 8. Veget. I. 26. *In trigonum, quem vocant, acies mutanda eſt.* Ἔμβολον, ſive roſtrum dixere Græci. Illorum Scholia: Ἔμβολον παρατάξεως ὄνομα: ἐςὶ δὲ τὸ τοῦ ἡμισυ τοῦ ῥόμβου. *Roſtrum inſtructionis nomen: eſt autem dimidia pars rhombi.* Dixere & caput porcinum. Sed V. hoc ſupr. in *Caput.* Lipſ. de Milit. Roman. IV. Dial. 7.

Cuneus eſt etiam ſcamnorum ſeries, ut in Athenæo, digeſta. Sidonius laudatus ſupr. in *Armarium.* Lipſ. de Biblioth. c. 9. Thyſ. Antiq. Roman. p. 380.

Cuneus in theatro, gloſſis θεάτρου κερκὶς, θεάτρου φυλὴ, eſt ordo ſedilium a figura dictus. *Cunei* enim excurrebant ab anguſto ſpatio ad ambitum extimum, & ſtrictiores erant, quo propius accedebant ad caveam, in altum vero magis magisque diffundebantur. Juven. Sat. VI. 61.

— cuneis an habent ſpectacula totis,
Quod ſecurus ames.

Suet. Aug c. 44. n. 5. *Prætextatis aſſignavit cuneum ſuum.* Hinc *theatrum cuneatum.* Auſon. de urb. IV. 5.

Circus, & incluſi moles cuneata theatri.

Et *excuneati* dicuntur, quibus in *cuneis* theatralibus ſedendi non eſt locus. Apulej. Flor. p. 799. *Serus adveniens amicis ſuis annuit, locum ſeſſui impertiunt: extimus quiſque excuneati queruntur.* Voſſ. Lex. Etymol. Lipſ. de Amphith. c. 13. Bald. Lexic. Vitruv. Scalig. Poet. I. 21. Ferret. Muſ. Lapid. IV. memor. 21. Salmaſ. Exercit. Plinian. p. 645. b. D. Buleng. de theatr. I. 19. Bellor. veſtig. vet. Rom. tab. 18. Tiraquell. in Alex. V. 16. Caſal. de Com. & trag. c. 1. Thyſ. de Amphith. p. 204. Pitiſc. in Suetonium.

CUNICULARIUS eſt, qui ſub terris *cuniculos* ducit. Veget. II. 11. *Hæc erat cura præcipua, ut quicquid exercitui neceſſarium videbatur, nunquam deeſſet in caſtris: uſque eo, ut etiam cunicularios haberent, qui ad morem Beſſorum, ducto ſub terris cuniculo, muriſque intra fundamenta perfoſſis, improviſi emergerent ad urbes hoſtium capiendas.* Stewech. in Veget. IV. 24. Rhodig. Antiq. Lect. XXI. 14.

CUNICULUS eſt meatus ſubterraneus, cui ex eo nomen, quod miles eum fodiat animalis hujus imitatione.

Mart.

Mart. XIII. 60.

Gaudet in effossis habitare cuniculus antris,
Monstravit tacitas hostibus ille vias.

Festus: *Cuniculum, id est, foramen sub terra occultum, aut ab animali, quod simile est lepori, appellatur, quod subterfossa terra latere est solitum, aut a cuneorum similitudine, qui omnem materiam intrant findentes.* Idem Veget. IV. 24. *Voss. Lex. Etymol. Stewech. in Vegetium. Bruyer. de Re cibar.* XIII. 25. Hoc aggeres evertebantur, aut consumebantur. Thucyd. II. p. 150. C. *Cuniculum ex urbe cum duxissent, & signis destinassent sub aggerem ipsum, terram ad se introrsus identidem subtrahebant, & diu latuere eos qui erant foris: cum ii assidue injicientes, minus tamen attollerent, subducto scilicet inferius aggere, & in locum vacuefactum assidue subsidente.* Cæs. de Bell. Gall. VII. 22. *Bituriges aggerem cuniculis subtrahebant: eo scientius, quod apud eos magnæ sunt ferrariæ, atque omne genus cuniculorum notum, atque usitatum est.* Nec subtrahebant solum, sed incendebant. Cæs. ibid. n. 24. *Est animadversum fumare aggerem, quem cuniculo hostes incenderant.* Id quomodo factum distincte tradidit Joseph. de Bell. Judaic. III. 12. *Lips. Poliorc.* V. 6. *Thys. de Oppugn. urb.* V. *p.* 192. *Laurent. Polymath.* IV. 2. 10.

CUNINA erat dea, *quæ infantes in cunis tuetur, ac fascinum summovet.* Lactant. de Fals. relig. I. 20. Inscriptio apud Gruter. p. 96.

CUNINÆ. FELICI
SACR
CLAUDIA. HELPIS
D. D.

Barthol. de puerp. p. 106. *Gyrald. Syntagm. Deor.* I. *p.* 48. C. *Tomas. de Donar. c.* 10. *Lipen. de stren.* I. §. 6. *Alsar. de invid. & fasc. Thes. Ant. Roman. Græv. Tom.* XII. *p.* 897. C. *Turneb. Adv.* IX. 28. *Stuck. de sacrif. p.* 45. *Meurs. de Puerp. c.* 5. *Laurent. de Natal. c.* 2. *Kipping. Antiq. Roman.* I. I. §. 10. *Blond. Triumph. Rom.* I. *p.* 12. *F.* Hæc lacte placabatur. Varro de lib. educ. apud Non. II. 756. *Hisce Manibus lacte fit, non vino, Cunina propter cunas.* Turneb. Adv. XV. 4. Voss. Lex. Etymol. in Cunæ. Lomej. de lustrat. gentil. c. 25. Barthol. l. l.

CUP.

CUPA est vas ligneum transportando vino, rotundum. Herodian. IV. 8. 9. *Esse permultas in agris illis desertis inanes cupas, forma rotunda, quibus videlicet incolæ quondam ad vinum importandum utebantur.* Ab inferiore parte latius patebat, angustius a superiore, ut describit Hero. Varr. apud Non. II. 113. *Cupas vinarias sirpare noli.* Sesquiulysse: *Alteram viam deformasse Carneadem virtutis se cupis acris aceti.* Casaub. & Donat. in Capitol. Maximin. c. 22. Voss. Lex. Etymol. Buleng. de Conviv. IV. 16. His utebantur ad pontium fabricam. Lucan. IV. 420.

Namque ratem vacuæ sustentant undique cupæ:
Quarum porrectis series constricta catenis,
Ordinibus geminis obliquas excipit alnos.

Capitol. Maximin. c. 22. *Ponte ex cupis facto, Maximinus fluvium transivit.* Herodian. VIII. 4. 9. *In magna lignorum ac navigiorum penuria, quibus inter se junctis pontem fabricaretur, nuntiarunt quidam e fabris. . . . ea cum essent ad navium similitudinem concava, devincta mox inter sese, scapharum more innatura videbantur.* Casaub. Salmas. & Donat. in Capitol. l. l. Stewech. in Veget. III. 7. Scheffer. de mil. nav. Addend. p. 320.

Cupa ab altera parte aperta, erat species navis. Hesych. κύπαι εἶδός τι νεώς. Et in glossis veteribus *cupa* exponitur γαυλὸς, quod Græcis Latinisque certum navigii genus significat. *Casaub. & Donat. in Capitol. Maximin. c.* 22. *Turneb. Adv.* XXV. 5.

CUPEDIA sunt cibi lautiores, ciborum deliciæ, & gulæ irritamenta. Plaut. Stich. V. I. 32.

Melius dicit! nihil moror cupedia.

Festus: *Cupes & cupedia antiqui lautiores cibos nominabant.* Donat. Dilucid. p. 956. Stuck. Ant. Conviv. II. 8. Baccius de vin. & Conviv. IV. p. 160.

CUPEDIARIUS, sive *cupedinarius* est, qui *cupedias* vendit. Terent. Eun. II. 2. 25.

Concurrunt læti mi obviam cupedinarii omnes.

Lamprid. Heliog. c. 30. *Pinxit se ut cupediarium.* Stuck. Ant. Conviv. II. 8. Voss. Lex. Etymol. Salmas. & Donat. in Lampridium. Buleng. de Conviv. IV. I.

CUPELLA est vas admodum exiguum, quo bibitur, quod Græci γευσρίδιον dicunt. Glossæ: *Cupellam*, γευσρίδιον. Mutatis in suas affines literis *gobellam*, vel *gobellum* appellamus. *Salmas. in Capitol. Maximin. c.* 22. *Buleng. de Conviv.* IV. II. *Voss. Lex. Etymol.*

CUPIENNIA gens. V. illam infr. in *Gens.*

CUPPA est scyphus, aut patera, in qua bibitur, Græcis dicitur κύββα. Hesychius: κύββα, ποτήριον. Nævius: *Qui duas cuppas mero plenas exhausit.* Salmas. & Donat. in Capitol. Maximin. c. 22. Voss. Lex. Etymol.

CUPRESSUS arbor recto caudice in insignem altitudinem crescit, præsertim in Creta. Sed & Phocas scribit, in Libano crescere *cupressos.* Ex illa navibus malos faciebant. Ezech. c. 23. n. 5. *Cupressum de Libano tulerunt, ut facerent tibi malum.* Ita vertunt Prophetæ verba LXX. Interpretes: κυπάρισσον ἐκ τοῦ Λιβάνου εἰλήφθεισαν, τοῦ ποιῆσαι σοι ἱςόν. *Meibom. de fabr. trirem. Thes. Ant. Rom. Græv. Tom.* XII. *p.* 647. *A.* & integras naves construebant. V. supr. in *Naves.* mortuorum domibus apponebatur: Et domus funestæ faciebat indicium. Plin. XVI. 33. *Cupressus funebri signo ad domos posita.* Serv. in Æneid. III. 64. *Moris Romani fuerat ramum cupressi ante domum funestam poni, nè quisquam pontifex per ignorantiam pollueretur ingressus.* Hinc atra dicitur Virg. Æneid. V. 64. feralis Ovid. Trist. III. 13. 21. Virg. Æneid. VI. 216. funebris Horat. Epod. V. 18. invisa Horat. Od. II. 14. 23 Notat idem Servius ab Atheniensibus tractum morem: *nam apud Atticos*, inquit, *funestæ domus cupressi fronde velantur.* Rationem dant, Festus: *Cupressi mortuorum domibus ponebantur ideo, quia hujus generis arbor excisa non renascitur, sicut ex mortuo nihil jam est sperandum: quam ob causam in tutela Ditis patris esse putabatur.* Plinius apud Servium, qui nondum editus est: *Romani moris fuit, propter ceremonias sacrorum, quibus populus Romanus obstrictus erat, ut potissimum cupressus, quæ excisa renasci non solet, in vestibulo mortui poneretur, ne quis imprudens funestam domum rem divinam facturus introeat, & quasi attaminatus suscepta peragere non possit.* Novum autem hunc morem fuisse, neque tam vetustum, quam putat Servius, vel ex eo apparet, quod peregrina erat arbor, seroque Romam advecta fuit, non multum ante Catonis ætatem. Divitum tantum, non etiam omnium ædibus præponi solere auctor Lucan. III. 442.

Et non plebejos luctus testata cupressus.

Cujus rei nullam aliam causam puto, quam raritatem arboris, quod initio pauci in agris, aut intra urbanas villas eam arborem instituebant. *Scaliger in Festum. Morestell. Pomp. Feral.* I. 20. *Ursat. de not. Roman. Thes. Ant. Rom. Græv. Tom.* XI. *p.* 647. *E. Sagittar. de Jan. vet. c.* 31. *Kirchm. de Fun. Rom.* I. 14. *Curt. de cult. hort.* V. 11. *Gyrald. Syntagm. Deor.* I. *p.* 193. *E. Hotman. Antiq. Roman.* III. I. *p.* 387. *B. Clasen. Theol. gentil.* I. 10. §. 23. *Kipping. Antiq. Roman.* IV. 6. 4. *Blond. Rom. triumph.* II. *p.* 39. *Caroli Antiq. Roman.* IV. 12. *Meurs. Arbor. sacr.* I. 10. *Ursin. Arbor. Biblic.* VII. 5. *Minos ad Alciat. Emblem.* 198. *Casaub. in Theoph. Charact. p.* 353. *Pythag. symb. interpr. p.* 667. *A. Barth. Adv.* XXXVI. 15: XXI. 9. *Thys. in Gell.* X. 15. *Junius Anim.* I. 20. *Casal. de prof. Roman. ritib. c.* 26. *de Urb. ac Imper. Roman. splend. part.* 2. *c.* 21. *Aring. Rom. Subterr.* I. 28. II: VI. 42. *Saubert. de Sacrif. c.* 16. Circumdabat universam pyram. V. infr. in *Pyra.* Ratio hæc est futilis, & plane commentitia. Petrus enim Martyr ab Angleria Legat. Babyl. II. p. 388. *Mihi Cretenses affirmarunt, quod apud eos cupressi incisæ renascdntur.*

Feralis igitur habita *cupressus*, quia arca *cupressina* in immensis illis diluvii fluctibus luctuosum, & diuturnum fuerat veluti sepulcrum universi generis humani, omniumque animalium in sicco degentium. Hanc ego causam veram, aut saltem probabilem existimo, & superstitiosa illa gentium observatione, una cum sub obscura diluvii memoria, posteris per manus traditam. *Fuller. Misc. sacror.* IV. 5.

CUR.

CURA id est, cursus publicus. Notitia: *Præfectus classis Ravennatium cum curis ejus de civitate, Ravenna.* Intelligit veredarios, quibus ad classem necessaria ex civitate Ravennæ celeriter extrahebantur. *Curas* etiam cursum publicum vocat Constant. l. 1. C. de Offic. mag. Offic. *Ad curas agendas, & cursum illi exeant, quos ordo militiæ vocat:* l. 2. C. de curiosis: *Agentes in rebus in curis agendis, & evectionibus publici cursus inspiciendis, nostrorum memores præceptorum esse credimus.* Panciroll. Notit. Dign. Imp. Occid. c. 88.

Cura epistolarum inter officia Præfecti prætorio recensetur. A Cassiodoro *epistolarum canonicarum cura* dicitur, atque etiam inter officia Præfecti urbi numeratur Variar. XI. 23. *Guther. de Offic. dom. Aug.* II. 15. Sæpe enim ob occurrentes necessitates epistolas Principi, vel alis scribere Præfecti cogebantur, aut causa evectionum, ubi alicui equis publicis currendi facultatem dabant, vel ubi quis munere officii functus cum honorariis epistolis mittebatur, quæ testimoniales vocabantur l. 2. C. de desertoribus. l. ult. C. de professor. vel ubi ad annonam, tributave publica spectantia, aut alia ad Rempublicam pertinentia ordinabant. Cassiodorus epistolas canonicas vocat ad canonem tributorum pertinentes. Qui harum *curam* habebant, *Epistolares* sunt vocati. *Panciroll. Notit. Dignit. Imp. Orient. c.* 17. Cui non credo. Nam *cura* illa a Cassiodoro *epistolarum canonicarum* fuit: & canones inferuntur, aut ærario, aut arcæ, sive mensæ præfectoriæ, ex qua emolumenta sollennia & pensiones præbentur. Satis curarum hic habuit, cui proprium nomen inditum est ab iis *curis*, & quem *Epistolarem* nullo alio auctore agnoscere debeo. *Guther. l. l.*

Cura mensariorum ad Præfectum Urbi pertinebit. Ulpian. de præfect. urbi: *Præterea curare debebit Præfectus Urbi, ut nummularii probe se agant circa omne negotium suum, & temperent his quæ sunt prohibita.* Salmas. in Capitol. Anton. Philos. c. 9.

Cura palatii in aulis Imperatorum & militia Palatina e re dicebatur, quod omnium fabricarum Principis curam gereret, ut doceret formula apud Cassiod. Var. VII. 5. *Casaub. in Trebell. Pollion. Claud. c.* 14.

Cura prætorii in majorum magistratuum comitatu dicebatur, quod illa omnia curaret, quæ ad prætorium ejus magistratus, cui fuerat attributus, pertinerent. Trebell. Poll. Claud. c. 14. *Curam prætorii unum.* Casaub. in Pollionem.

CURATOR alvei & riparum Tiberis est inventus ab Augusto. Suet. c. 37. n. 1. *Quo plures partem administrandæ Reipublicæ caperent, nova officia excogitavit: curam operum publicorum, viarum, aquarum, alvei Tiberis, frumenti populo dividundi.* Utile hoc officium fuit, quia ripas publicorum fluminum reficere, munireque expedit l. 1. §. 1. ff. de rip. muniend. dandaque est opera, ne in illis aliquid fiat, per quod navigatio, aut usus publicus impediatur: sic & alveum Tiberis purgare, ut aqua facilius currat, Reipublicæ interest. Hic *curator*, ut nobiliore titulo splenderet, postmodum comes riparum, atque alvei Tiberis est appellatus. *Panciroll. Notit. Dignit. Imp. Occid. c.* 7. Non solum fluvium coercebat, &, ut esset sine sordibus ac impedimento curabat: verum etiam terminos statuebat, quousque habitare in ripa, vel ædificare liceret. Ei muneri, aut singuli præerant, ut sub Trajano T. Julius Ferox, sub Adriano A. Messius Rusticus: aut præerant plures, ut sub Vespasiano C. Calpetanus, Rantius Quirinalis, Valerius Cestus. Inscriptio Romæ:

C. VIBIUS C. F. RUFUS
SEX. SOTIDIUS SEX. F. STRABO
LIBUSCI D.
C. CALPETANUS CESTA
CIUS RUFUS.
M. CLAUDIUS M. F. MARCELLUS
L. VISELLIUS C. F. VARRO
CURATOR RIPARUM ET ALVEI TI
BERIS EX S. C. TERMIN.

Ex qua etiam docemur, *curatores alvei & riparum Tiberis* non esse primum ab Augusto institutos, ut Suetonius scribit: hic enim ex *S. C.* terminus positus. In aliis omnibus in initio legitur, EX AUCTORITATE IMP. *Fabric. Descr. Urb. Rom. c.* 16. *Panvin. de Civit. Rom. c.* 63. Inscriptio Romæ:

EX. AUCTORITATE
IMP. CÆSARIS. DIVI TRAJANI....
MESSIUS. RUSTICUS. CURATOR
ALVEI. ET. RIPARUM TIBERIS. ET
CLOACARUM. URBIS. R. R. RESTITUIT
SECUNDUM. PRÆCEDENTEM
TERMINATIONEM. PROXIM. CIPP.
PED. CXV. S.

Marlian. Topogr. Urb. Rom. V. 13.

Curator annonæ olim creabatur a decurionibus, cum victus causa, velut civitati perquam necessaria, in primis esset procuranda. Hic ejus sollicitudinem habebat, & pecuniam publicam ad hunc usum, emendumque frumentum reponebat: & hoc æquo pretio inter egentes dividebatur. Papinianus Justus l. ult. §. item rescript. 5. de admin. rer. ad civ. pertinent. *Pecuniam ad annonam destinatam distractis rebus curator exigere debet.* Nec modo frumenti, sed & olei emendi curam habebat. Hos Græci σιτώνας καὶ ἐλαιεμπόρους: vel, ut in Pandectis Florentinis legitur, ἐλαιῶνας appellant. Hi officium apparitorum habebant, cui præerat centurio vel emendi condendique frumenti curam habens, & si culleis ad usum frumenti defuissent, eos etiam invitis civibus auferebat. V. *Scævolam* supr. in *Culleus.* Unde annonæ *curatores* aliquam ditionem & officium habuisse constat, quod de præfecto annonæ Romæ intelligo, qui etsi antea magistratus non esset l. 2. §. hæc omnia ff. de orig. jur. postea tamen aucta ejus auctoritate, in negotiatores annonæ, tritici, hordei, vel similium jus dixit l. ult. ff. quod cum eo qui in alien. pot. quod & ad aliarum civitatum *curatores* est trahendum. Munus erat personale, in quo nulla propriæ pecuniæ impensa facta est, personæ tantum laborem *curatores* sustinebant. Arcad. l. si §. qui. annon. de muner. & honor. *Qui annonam suscipit, vel exigit, vel erogat, & exactores pecuniæ pro capitibus, personalis muneris sollicitudinem sustinent.* Panciroll. de magistrat. municip. c. 12.

Curator aquarum observare debebat, ne quis sine literis Cæsaris, id est, ne quis aquam publicam non impetratam, & ne quis amplius quam impetratum fuerit, duceret. Frontin. de aquæd. II. Thes. Antiq. Rom. Græv. Tom. IV. p. 1660. A. Primus post ædilitatem, quam gessit, consularis, operum suorum & munerum velut perpetuus *curator* fuit M. Agrippa. Inde instituti *curatores* aquarum: & illis duæ ad instaurandam datæ familiæ. V. illas supra in *Consularis aquarum. Ministeria utriusque familiæ discrevimus*, inquit Frontinus, *ut pateret, quid esset in utraque familia, dictaremus, & quid quaque die egisset, actis comprehenderetur.* Donat. de Urb. Rom. III. 18. Marlian. Topogr. Urb. Rom. IV. 10. Lips. de magn. Rom. IV. 10. Burmann. de vectig. Dissert. 12. Blond. Instaur. Rom. II. §. 101.

Curator bonorum debitoris creabatur, si Respublica jussu præsidis illorum possessionem obtinuisset. Paull. l. Lucius. 46. §. Sempronii de admin. tutor. *Sempronii, qui ex pollicitatione debitor patriæ suæ exstiterat, bona Respublica*

 jussu

jussu præsidis possedit; quorum bonorum magistratus Reipublicæ tres curatores constituerunt, qui apud Græcos ἐπιμεληταὶ vocantur. Panciroll. de magistr. municip. c. 14.

Curator cloacarum. V. illum supr. in *Cloaca.*

Curator frumenti erat, qui frumento comparando erat præpositus. Festus: *Qui rei frumentariæ præpositi sunt, curatores dicuntur.* Ræxard. Var. III. 17. Imo dispensando, & distribuendo. Augustus annonæ curam sibi oblatam cum *invitus suscepisset, jussit singulis annis duos viros, qui ante quinquennium præturam gessissent, frumento dividundo constitui.* Ita eodem anno instituta *cura* frumenti dividundi. Intelligi hoc novum munus voluit Suet. Aug. c. 37. n. 1. V. illum supr. in *Curator alvei Tiberis.* Lips. Elect. 1. 8. Stewech. in Veget. IV. 7. Quare non emundo & dividundo? Exstant enim veteres denarii, in quorum parte altera Cereris effigies cum his verbis: PISO. CÆPIO. Q. in altera vero duo viri interspicas. Asscriptum, AD FRU. EMU. EX. S. C. *Torrent in Suetonium.* Videtur alio nomine dictus *curator minutiæ.* Sic interpretor in lapide veteri, ubi sculptum. CURATOR. AQUARUM. ET. MINUTIÆ. *Casaub. in Augustin.* Male confunditur cum præfecto annonæ, quia hoc inferior, & sub ejus dispositione erat. *Burmann. de Vectig. Disser. c.* 8.

Curator Kalendarii erat civis, qui præficiebatur isti negotiationi, qua singulæ civitates pecuniam, quam præter prædia habebant publicam, & cum opus esset, & in usus publicos convertebant, & sæpe, ne otiosa esset, fœnori dabant. Personale in civitate erat munus, & inter honores non habebatur. Arcad. l. ult. §. 2. de munic. & honor. *Kalendarii curatio, & quæstura in aliqua civitate inter honores non habetur, sed personale munus est.* Inscriptio hæc Pisis in ædibus Ronciorrorum in grandiori saxo servatur:

D. M.
MEITIA. JANUARIA. HIC. ADQ. CON
B. M.
QUINTUS. OBSEQUENTIUS. SEVERINUS
AUG. PISIS. CUR. KAL. FLORENTINORUM
SIBI. POSTERISQ. SUIS

Panciroll. de Magistr. municip. c. 14. *Noris. Cenot. Pisan. Diss.* 1. *p.* 37. *Lipen. de stren. c.* 4. §. 14. *Reines. Epist.* 23. *Ursat. de not. Roman. Thes. Ant. Roman. Grav. Tom.* XI. *p.* 654. *F. Buleng. de Imp. Rom.* VII. 16.

Curator locorum publicorum judicandorum erat, qui controversias de ædificiis & locis, an privati, an publici juris essent, quæ incidebant, dirimebat. Vetus lapis:

T. QUINCTIUS. CRISPINUS. VALERIANUS.
C. CALPETANUS. STATIUS. RUFUS.
C. PONTIUS. PELIGNUS
C. PETRONIUS. UMBRINUS.
M. CRASSUS. FRUGI.
CURATORES
LOCOR. PUBLICOR. JUDICAND.
EX. S. C. CAUSA. COGNITA.
EX. PRIVATO. IN. PUBLIC. RESTITUER.

Suet. Aug. c. 32. n. 4. *Loca in Urbe publica juris ambigui possessoribus adjudicavit.* Casaub. in Suetonium. Burmann. Diss. de vectig. 12. Panvin. de Civit. Rom. c. 63.

Curator ludorum inter dignitates fuit. Tacit Annal. XI. 35. 6. *Sulpitius Rufus ludi procurator.* XIII. 22. 1. *Cura ludorum, qui a Cæsare parabantur, Arruntio Stellæ permittitur.* Suet. Cal. c. 27. n. 7. *Curatorem munerum ac venationum occidit.* Lapis Tiburtinus: CURATOR. MUNERIS. PUBLICI. GLADIATORII. *Fab. Agon.* I. 18. *Lips. in Tacitum. Saturn.* I. 14. *Buleng. de Imp.* V. 19. *Circ. c.* 40. *Tomas. de tess. Hospit. c.* 3. *Argol. in Panvin. de lud. Circ.* II. 8.

Curator monumenti gerebat tutelam, vel curam præcipue, quæ impensas monumenti sequeretur. Vetus lapis apud Gruter. p. 686. 12.

V. · F.
T. VETTIUS. T. L.
HERMES
SEPLASIARIUS
MATER GENUIT, MATER RECEPIT. HI HORTI. ITA. UTI. OPT. MAXIMIQ. SUNT. CINERIBUS. SERVIANT. MEIS. NAM. CURATORES. SUBSTITUAM. QUI. VESCANTUR. EX. HORTORUM. HORUM. REDITU. NATALI. MEO. . . . .

Hæc *cura* singulis quandoque annis certis personis, quas testator elegisset, mandabatur, ut constat ex inscriptione, quæ adferetur infr. in *Mausoleum.* Guther. de jur. man. II. 31.

Curator operum publicorum non infrequens est in antiquis monumentis lapideis titulus, & nonnunquam *curator sartorum tectorum operum publicorum.* Censorum hoc antea fuit officium, ut sæpe monet Livius, & Festus in produit: *Ut est in lege censoria, porticum sartam, tectamque habeto.* Sed pereunte censura simul cum libertate, in plures διακονίας ἐπιμελείας divisus is est magistratus, factique sunt *curatores* plures pro una censura. Suet. Aug. c. 37. n. 1. V. illum supr. in *Curator alvei Tiberis.* Casaub. in Suetonium. Panciroll. Notit. Dignit. Imp. Occid. c. 14. Argol. in Panvin. de lud. Circ. II. 2. Buleng. de Imp. Rom. V. 39. Inscriptio Romæ, in villa Borghesiorum:

HIEROCLI
AUG. LIB. DISI
OPERUM
PUBLICORUM
EROS. VICARIUS.

Alia Romæ:

M. SULPICIUS. LEPIDUS
CN. OCTAVIUS. CELSUS
CURAT. OP. PUBL. D. S. I. P. C.

Reines. Inscript. Clariss. IX. *n.* 54. *Guther. de Offic. Dom. Aug.* II. 12. Operum vero publicorum appellatione comprehendebantur prætoria, basilicæ, templa, theatra, aquæductus, thermæ, mœnia, portæ, pontes. . . . . *Reines. & Panciroll. l. l.*

Curator Pontificum ærarii dicebatur, qui curam habebat pecuniæ Pontificum. Ærarium Pontificum certas possessionum sacrarum pecunias proprie continebat, quæ ex illorum prædiis & reditibus cogebantur. Hic sacra illa prædia locabat, pecuniam tractabat & conquirebat, rationemque conficiebat accepti & expensi. Mediolani:

Q. INGENUS. MAXIMIANUS
SCRIB. PUBLICUS. PONTIF
ET. CURATOR. ÆRARII.

Guther. de vet. jur. Pont. II. 12.

Curator regionum ab Augusto *magistratus* est appellatus. Suet. Aug. c. 30. n. 1. *Spatium Urbis in regiones vicosque divisit, instituitque, ut illas annui magistratus sortito tuerentur.* Romæ quælibet regio binos habuit *curatores.* Victor & Rufus. Hi præcipue *curabant*, ne quis in sua regione indebite vectigalibus, aut alias injuste oneraretur. Capitol. Anton. Phil. c. 11. *Dedit curatoribus regionum, aut viarum potestatem, ut vel punirent, vel ad præfectum Urbi puniendos remitterent eos, qui ultra vectigalia quicquam ab aliquo exegissent.* Hi veste prætoria & duobus lictoribus in vicis, quibus præerant, certis diebus utebantur, ut tradit Dio infr. in *Curator vicorum.* Alexander Imperator hos singulos in quaque regione esse voluit. Lamprid. c. 33. *Fecit Romæ curatores Urbis quatuordecim.* Hi lites regionum curabant, sed postea ad duos sunt reversi. *Panciroll. Descr. Urbis Romæ Thes. Antiq. Rom. Grav. Tom.* III. *p.* 327. *A. Nardin. Rom. Vet.* III. 4.

Curator Reipublicæ, qui non fisci, aut Principis pecuniam, sed ipsius civitatis res administrabat, a decurionibus creabatur. Alio nomine *Logista* dicebatur, Gordianus A. in l. 5. C. de mod. multa. *Curator Reipublicæ, qui Græco vocabulo Logista nuncupatur*, quia, auctore Suida in λογιςα, rerum civitatis arbiter erat, & æstimator, seu cen-

censor: vel potius, quia, cum res civitatis administraret, supputandi rationem tenere debebat. Ejus enim præcipua *cura* erat prædiorum civitatis reditus colligere. Arcadius Ictus: *Sed & curatores, qui ad colligendos civitatum publicos reditus eligi solent personali munere subiguntur.* Paniroll. de magist. munic. c. 11.

Curator statuarum dicebatur, qui statuas custodiebat, & in fures vindicabat. Ejus munus comitiva Romana appellabatur. Cassiod. Var. VII. 13. *Si clausis domibus ac munitis insidiari solet nequissimum votum, quanta magis in Romana civitate videtur illici, qui in plateis pretiosum reperit, quod posset auferri? Nam quidem populus copiosissimus statuarum, greges etiam abundantissimi equorum, tali sunt cautela servandi, quali & cura videntur affici. . . . . Quare per indictionem illam comitivæ Romanæ cum privilegiis & justis commodis suis tibi concedimus dignitatem, ut fideli studio, magnoque nisu quæras improbas manus.* Figrell. de Stat. Roman. c. 5.

Curator tribuum erat perinde ac in vicis vicorum magistri, qui tribuum commoda procurabat. Varr. de Ling. Lat. V. 9. *Omnes Quirites pedites, armatos, privatosque, curatores omnium tribuum, si quis pro se, sive altero dari rationem volet, voca inlicium huc ad me.* Panvin. de Civit. Rom. c. 58.

Curator viarum vocabatur, qui Romæ sternendis reparandisque viis erat præfectus. Cum enim ædiles, qui ad hoc a censoribus erant creati, aliis negotiis occupati, huic muneri sufficere non possent, ex S. C. quatuor viri viarum curandarum sunt creati l. 2. §. deinde cum esset. . . . de origine juris: Et cum ne hi sufficerent, duabus tribusve viis singuli *curatores* sunt præfecti. Hic magistratus cum incertus esset, & ad tempus, prout res exigebat, constitutus, eum ordinarium Cæsar Augustus fecit. V. Suet. supr. in *Curator alvei Tiberis.* Panciroll. de magistr. munic. c. 19. Lips. in Tacit. Annal. III. Excurs. E. Burmann. Diss. de vect. c. 12. Ursat. de Not. Roman. Thes. Antiq. Roman. Græv. Tom. XI. p. 895. E. Buleng. de Imp. V. 17. Bergier. de viis Milit. I. Sect. 5. §. 4. Brisson. Antiq. IV. 12. Nicol. de Sigl. vet. c. 29. §. 2. Summa illorum fuit dignitas. Summis enim in Republica honoribus eos legimus functos. & tanto quatuor viris *curandarum* in Urbe viarum eminentiores, quanto viæ extra Urbem fuerunt majoris operis, longioris spatii, sumptuosioris impendii, quam stratura viarum intra Urbem. Imo nemini mandabatur hæc, quin mox eam *curatori* gratularentur amici, tanquam fœcundam laudis & rei præclare gerendæ provinciam. Quam gaudet, cum hæc sparta Tertullo esset ornanda, Plin. Epist. V. 15. 1. *Recesseram in municipium, cum mihi nuntiatum est, Cornutum Tertullum accepisse Æmiliæ viæ curam. Exprimere non possum, quanto sim gaudio affectus & ipsius & meo nomine.* Inter primos fuit Julius Cæsar apud Plutarch. p. 709. E. *qui Appiæ viæ curator constitutus, præter publicam, magnam quoque a se pecuniam eidem impendit, qua ex re majorem erga se populi favorem concitavit, ut certatim novos magistratus, quibus honores quærerent, quibus delatis ei gratias agerent.* Populo enim semper hæc opera sunt acceptissima. Cic. Attic. I. 1. *Thermus curator est viæ Flaminiæ: quæ cum erit absoluta, sane facile eum Cæsari consulem addiderim.* Bergier. I. 1. §. 1. 2. 3. Et C. Marcius Figulus, eo anno, quo *curator* viæ Flaminiæ erat, consulatum petiit, quem iniit cum L. Cæsare an. 690. C. Julius Cæsar viæ Appiæ curator biennio antequam consul cum Bibulo an. 694. Statim restituebat, si viæ aliquod detrimentum accepissent ab inundatione aquarum, vel alio quovis casu. Id magnum honorem attulit. Nam ipsorum nomina lapidibus incisa, & maxima laude deprædicata loco isti restituto præfigebantur, ut quilibet in seros quoque usque annos munificentiam ex illis inscriptionibus colligere posset. Et, ne nimis prolixi essent, per siglas animi sensa exprimebant. Inscriptio:

IMP. CÆSAR. AUG.
M. AURELIUS. ANTONINUS
PIUS. FELIX. AUG.
PARTH. MAX. BRITANN. MAX.
P. M. P. P. COS. III. DES. IV.
VIAM. INUNDATIONE AQUÆ
INTERRUPTAM INSTITUIT.

Si propriis sumptibus in integrum restituisset, has siglas in lapidibus excisis addebat: D. S. P. vel D. S. P. F. vel D. S. P. F. C. id est, *de sua pecunia, de sua pecunia fecit, de sua pecunia faciendum curavit.* Nicol. ibid. §. 3. 4. 5.

Curator vicorum differt a *curatore* viarum: I. Illos namque vernacula lingua vocaret commissaires des quartiers, si postremam vocem sumpseris pro continuata ædium urbanarum serie viis comprehensa. Et illis variis de causis præerant præfecti *curatores*, præcipue ad incendia: unde & iisdem quædam servitia publica addita. Hanc curam gesserunt *curatores* vicorum in Urbe, viarum per regiones Italiæ. II. Ille ex vulgo & plebe legebatur, hic ex gentium majorum civibus primariis. III. Ille demum creatus est anno ab U. C. 747. Tiberio & Pisone consulibus: hic sub Augusto Imperatore perpetuus & ordinarius magistratus. Dio LV. p. 554. A. *Curatores aut magistri vicorum plebeji sunt constituti: quibus veste, quam magistratus gerunt, ac lictoribus binis, in iis locis, in quibus præessent, uti certis diebus concessum: ac servitia, quæ ante cum ædilibus in usum incendiorum exstinguendorum fuerant, addita; urbsque tota in regiones divisa fuit quatuordecim, quibus sorte divisis hi vicorum curatores præessent.* Bergier. de viis Milit. I. Sect. 5. §. 6. & 7.

Curator Urbis cum præfecto Urbis jus dicebat. Illum instituit Alexander Severus. Lamprid. c. 33. *Fecit Romæ curatores Urbis quatuordecim; sed ex consularibus viris. Exconsulibus viros* legit Salmasius, hoc est, consulares viros: nam viri ex consulibus sunt consulares, *quos audire negotia urbana cum præfecto Urbis jussit.* Faber Semest. I. 5.

CURIÆ significatio est triplex: nam & locum significat, & cœtum quendam civium, qui inde *curiales* dicti, & jus quo *curiales* ipsi donati sunt. *Curias* Romulus instituit, ut essent partes tribuum: singulas enim tribus in decem *curias* dispertivit, unde triginta fuerunt. Sigon. de ant. jur. civ. Rom. I. 3. Prevot. de Magistrat. Roman. c. 1. Hotman. Antiq. Roman. II. 3. Pigh. Annal. I. p. 15. Qui quoniam Urbis pomœrio Palatinum tantum montem comprehenderat, *curiasque* omnes intra Urbem construxerat, hinc factum est, ut omnes triginta *curiæ* primis temporibus in Palatio fuerint: post autem, cum ad populi, qui jam creverat, frequentiam capiendam vix satis amplæ viderentur, novæ totidem ampliores aliæ ædificatæ sunt, in quas ex veteribus sacra sunt evocata: quatuor autem fuerunt, ex quibus per religiones sacra evocari non potuerunt, Foriensis, Veliensis, Rapta & Velitia. Quod ex Festo cognoscitur. Præterea Sauciæ meminit Liv. IX. 38. *Atque ei legem curiatam de imperio ferenti triste omen diem diffidit, quod Sauciæ curiæ fuit principium, duabus insignis cladibus, captæ urbis, & Caudinæ pacis.* Romuli autem divisio aliqua ex parte retenta est, aliqua etiam immutata. Nam triginta *curiarum* numerus idem perpetuo mansit: *curiæ* vero tribuum partes non semper fuerunt. Nam aucto tribuum numero, *curiarum* tamen non est amplificatus. Præterea cum tribus quatuor factæ essent urbanæ, reliquæ vero rusticæ XXXI. a partibus agri nominatæ, tamen nullæ *curiæ* in agro sunt constitutæ. Itaque *curiæ* tantum in Urbe ædes fuerunt, in quibus, qui Urbem colerent, sigillatim in sua quisque sacra facerent. *Sigon. l. l. Panvin. de Civit. Rom. c. 8. Manut. de comit. c. 3.* Hæ forsan unum fuere ædificium in triginta sacella, sive aulas distinctum. Triginta namque distincta inter se, eaque ampla, & accurrentis ad sacra faciunda populi capacia, nimisquam grande in eo monte spatium occupassent. Dionysius his verbis: *Sacra sua Romulus cuique curiæ partitus est, assignatis in singulas diis & dæmonibus, quos perpetuo colerent, sumptusque in hæc attribuit ex ærario publico: quæ quoties celebrarentur, aderant curiæ suis vicibus, epulumque diebus festis præbebatur curialibus, id est, iis, qui erant ejusdem curiæ, in aula cuique curiæ propria.* Nardin. Rom. Vet. II. 1. Borrich. ant. Urb. fac. c. 2. §. 1.

verum est, cum locus significatur. Cum vero civium Romanorum cœtus significatur, falsum est, Urbis tantum, non etiam agri Romani habitatores *curiis* fuisse comprehensos. Dionys. IV. p. 218. *Diem indicit comitiis, quibus agrestium quoque multitudinem universam interesse voluit. Coit curiatim populus, & distribuuntur per singulas curias calculi.* Et cum exacti sunt Reges, undique ex agro Romano convenisse docet idem ibid. p. 266. ferendis illis *curiatis* legibus, quas Brutus adversus Reges ferebat, ac de tota Reipublicæ constitutione. Certe municipia, coloniæ, præfecturæ, quæ postea augescente civitate cives etiam Romanos complectebantur, ut neque Urbem, neque agrum Romanum incolebant, ita *curiis* non comprehendebantur; sed tribubus tantum & classibus. *Gruch. ad poster. Sigonii disput. refut. c. 6.* Junoni Mensali templum fuit erectum, quo *curiæ* omnes ad sacra facienda convenirent: ex agro autem sua cuique *curiæ*, sicut antea, pars attributa, duabus tantum partibus exceptis, una, quæ tum in publicos usus, tum ipsi Regi sumptum subministraret. Illud scitu dignum est *curiam*, & civium partem, & simul templum fuisse, quo ad rem divinam iretur: ac videntur sacella quædam fuisse in prima tribuum divisione a Romulo, captis auguriis, in Palatio constituta: quo in loco, religionis causa perpetuo mansisse significat Tacitus. *Manut. de Civit. Rom. Thes. Ant. Rom. Græv. Tom. I. p. 7. D.* Nominatas a Sabinarum mulierum, quæ raptæ erant, nominibus scribit Liv. I. 13. *Ex bello tam tristi læta repente pax, cariores Sabinas viris ac parentibus, & ante omnes Romulo ipsi fecit. Itaque quum populum in curias triginta divideret, nomina earum curiis imposuit.* Festus: *Hisque singulis curiis nomina curiarum virginum imposita esse dicuntur, quas virgines quondam Romani de Sabinis rapuerunt.* Sed hos refellunt Dionys. II. p. 112. & Plutarch. in Rom. p. 30. *Sunt qui scribant eas & aliis donis multis magnisque remuneratas a Regibus, & triginta curias illarum accepisse nomina, quod totidem in legatione fuissent. Sed Terentius Varro hac parte dissentit a reliquis, asserens jam ante nomina curiis a Romulo fuisse imposita, cum primum distribueret multitudinem; partim a ducibus, partim a veteribus patriis desumpta: nec in legationem profectas triginta: sed demptis tribus triginta supra quingentas: nec putat verisimile, Reges hunc honorem tantæ mulierum catervæ ademptum paucis duntaxat voluisse conferre.* Sigon. & Panvin. l. l. Manut. de Civ. Rom. Thes. Ant. Rom. Græv. p. 6. B. de Comit. c. 3. Nardin. Rom. Vet. II. 1. Quod plures *curiæ* statuissent, id jussum populi dicebatur. Dionys. II. p. 87. *Populus ferebat suffragium, non universus confuse, sed per curias vocatus. Quodque pluribus visum esset curiis, id ad patres referebatur.* Populus enim, postquam is, qui habiturus esset comitia, suam rogationem exposuisset, in suas quisque *curias* discedebat, quæ deinde eo ordine suffragium dicerent, quo forte exibant. Quodque plures ex triginta *curiis* jusserant, id ratum habebatur. Ac si primo vocatæ consentirent, statim ac sexdecim ex illis suffragium dixerant, finis erat comitiorum. Quia tum certum esset a pluribus *curiis* id jussum esse, quod sexdecim jussissent. Sin dissentirent, eo usque vocabatur, dum sexdecim *curiæ* consensissent. *Panvin. l. l. Manut. de Comit. c. 10.* In has omnes, qui civitate donati in Urbem migrabant, per *curias* dividebantur. *Panvin. l. l.* Divisio hæc, quanquam non exacte, ad usque Augusti tempora duravit. Colligitur hoc e festo Fornacalium, quod stultorum ferias appellavere: quo cum quisque in sua deberet *curia* sacra facere, multique, cujus essent *curiæ* non reminiscerentur, supplebant hoc, Quirino in Quirinalibus sacrificantes, quæ his proxima. Ovid. Fast. II. 527. & Festus. V. illos infr. in *Feriæ stultorum*. Nardin. & Borrich. l. l.

Curia Calabra. De illa Macrob. Sat. I. 15. Sed V. illum infr. in *Kalendæ*. Donat. de Urb. Rom. II. 9. Ursat. de not. Roman. Thes. Ant. Roman. Græv. Tom. XI. p. 591. C. Gyrald. de ann. & mens. oper. Tom. II. p. 790. G. Stuck. de sacrif. p. 19. Laurent. Var. sacr. gentil. c. I. Fuit in altero Capitolini montis vertice, cui peculiare arcis nomen fuit. Juxta Manlii domum, & ubi Galli saxum Tarpejum conscendere annisi sunt, exstitisse indicat Virg. Æneid. VIII. 652. V. illum supr. in *Anser.* & infr. in *Domus Manlii.* Ubi Servius: *Curiam calabram dicit, quam Romulus texerat culmis; ad quam calabatur, id est, vocabatur senatus, vocabatur & populus a Rege sacrificulo, ut, quoniam adhuc fasti non erant, ludorum & sacrificiorum prænoscerent dies.* Verum convocationem populi in Capitolium, & pronuntiationem nonarum distinctius exponit Macrobius jam laudatus. *Nardin. Rom. Vet.* V. 16. *Marlian. Topogr. Urb. Rom.* II. 2. *Borrich. Ant. Urb. Fac. c.* 10. §. 9. *Zamosc. de Senat. Rom.* II. 6. *Faunus Antiq. Urb. Rom.* II. 5. *Pigh. Annal. Rom.* I. *p.* 15. *Broukh. in Tibull.* II. 5. 26. Quoniam vero ex illa ortus lunæ observabatur, loco editissimo locata est prope templum Capitolini Jovis. Hic enim plagæ inter meridiem & occidentem oppositus semitam errantium siderum, & aspectum egregie contemplandum dabat. *Donat. l. l.* Ego & hoc addiderim, loco eam maxime apto constructam, & eminentissimo, ad pronuntiandas in plebem nonas, illuc, ut ex hisce Macrobii verbis, *juxta curiam calabram*, liquet, convocatam. *Nardin. l. l.* Fuit templum Lunæ Junonis. Varro de Ling. Lat. V. 4. *Quinque Kalo Juno novella: septem Kalo Juno novella.* In hoc minor pontifex singulis Kalendis teste Macrobio laudato Junoni, hinc Kalendari dictæ, sacra faciebat. *Nardin. ibid. c.* 14. Fuit Pontificum, & in glossario vetere vocatur ἱερῶν βυλὴ. *Guther. de vet. jur. Pontif.* I. 27.

Curia Hostilia posita fuit inter basilicam Porciam, & *curiam* veterem, sicut indicat titulus, ibi in ruinis repertus, hujusmodi: IN CURIA HOSTILIA. Eam *sub veteribus Hostilium Regem ædificavisse* asserit Varr. de Ling. Lat. IV. 32. *Marlian. Topogr. Urb. Rom.* III. 6. *Faunus Antiq. Urb. Rom.* II. 16. Alteram collocavit, ubi postea templum Pacis fuit: alteram, ubi nunc Johannis & Paulli est ædes. Liv. I. 29. *Tullus Rex in Cœlio monte templum ordini ab se aucto curiam fecit: quæ Hostilia usque ad patrum nostrorum ætatem appellata est: & quo frequentius habitaretur, eandem sedem regiæ cepit.* Marlian. ibid. IV. 9. Blond. Instaur. Rom. I. §. 77. Et his fidem habebimus, donec auctoritates diversum pervicerint. *Borrich. Ant. Urb. Fac. c.* 4. §. 1. Post Rostra positam, a monte Cœlio ingenti porrectam fuisse substructione versus forum; inde vero Rostra a foro versus montem Cœlium procurrisse Blondus existimavit; duplici *curia* Hostilia in hunc errorem inductus, quarum altera in foro, altera ab eodem Hostilio in Cœlio in commodum Albanorum condita fuit. Fulvius vero & Marlianus, aliique, & ipsi maximo in errore versantur, cum eam illic sitam fuisse putant, ubi postea a Vespasiano dedicatum est templum Pacis. Nec juvat eos marmoris fragmentum illud inscriptum. Nam si illic fuit, in foro esse non potuit. Atqui in foro illud auctores collocant. Marmor illud certum indicium dare non potest; quippe quod facile eo aliunde transferri potuerit: quodque, etiamsi ipsius *curiæ* nomen indicet, non tamen illic eam loci fuisse significet, ubi ipse lapis repertus est. Donatus simpliciter eam in medio fuisse foro ait, & ante se Rostra habuisse. Nos exactius locum designamus, nimirum inter granarium, quod illic vestigiis veteris ædificii superstructum est: & tres, quæ ibidem in proximo, columnas, ad ecclesiam Mariæ liberatricis. Per gradus aliquam multos adibatur. Liv. I. 48. *Ætate & viribus validior medium arripit Servium: elatumque e curia, in inferiorem partem per gradus dejicit.* A Sylla restituta conflagravit, quum P. Clodii corpus in foro cremaretur. Ascon. Cicer. p. 183. *Populus, duce Sexto Clodio scriba, corpus P. Clodii in curiam intulit, cremavitque subselliis, & tribunalibus, & mensis, & codicibus librariorum: quo igne & ipsa quoque curia flagravit, & item Porcia basilica, quæ erat ei juncta, ambusta est.* Idem Dio XL. p. 143. C. qui p. 144. A. narrat Syllæ commissam restituendæ curam de integro: qui utrum eam instauraverit, ac postea rursus diruerit, ut in ejus loco felicitatis ædem reponeret: an vero instaurationem illam distulerit, ut pro ea ædem illam, quam dixi, felicitatis dedicaret, explicare

re,to

certo nequeo. *Nardin. Rom. Vet.* v. 2. Quo auctore Blondus, Marlianus & Borrichius dicant, *curiam* Hostiliam secundam ab Hostilio traductis in Urbem Albanis exstructam fuisse, ubi nunc ecclesia Johannis & Pauli est, juxta me nescire fateor cum ignarissimis. *Nardin. ibid.* III. 7.

Curia Julia fuit prope comitium, & in locum Hostiliæ successit. *Zamosc. de senat. Rom.* II. 6. Interveniente brevi post Julii cæde peracta non est: populus tamen voluit ut fieret, & eam Augustus postea dedicavit. Dio XLIV. p. 244. E. *Concessum Cæsari, ut novam curiam ædificaret. Nam curia Hostilia licet refecta fuerit, denuo destructa erat sub prætextu, quod ibi templum Felicitatis ædificare instituissent: quod Lepidus magister equitum absolvit; sed reapse, ne in eo loco nomen Syllæ servaretur, & nova curia Julia vocaretur.* Hanc triumviri postea extruxerunt. Dio XLVII. p. 338. A. *Curiam, Juliam ab eo dictam ex decreto prius facto triumviri ædificaverunt propter comitium.* Et post bella Actiaca dedicavit Augustus. Dio LI. p. 459. D. *Deinde curiam Juliam in honorem patris sui factam dedicavit.* Nardin. Rom. Vet. v. 2. Pitisc. in Suet. Cal. c. 60. n. 3.

Curia Marcelli fuit in porticibus Octaviæ in nona Urbis regione, quæ Circus Flaminius inscribitur. Hanc in honorem Marcelli & memoriam dedicavit Octavia Marcelli mater. *Borrich. Ant. Urb. fac.* c. II. §. I.

Curia Octaviæ fuit extra portam Carmentalem, ubi regio nona inchoabat, ad sinistram. Plin. XXXVI. 5. *Similiter in curia Octaviæ quæritur de Cupidine fulmen tenente.* Nardin. Rom. Vet. VI. 2. Marlian. Topogr. urb. Rom. III. 11. Zamosc. de Senat. Rom. II. 6.

Curia Pompeji proxima ejus fuit theatro. Dio XLIV. p. 247. E. *Habituros se auxilium gladiatorum, quos multos in Pompeji theatro, a quo non procul curia aberat, tanquam ad spectaculum exhibendum adornaverant.* Donat. de Urb. Rom. III. 8. Faunus Antiq. Urb. Rom. IV. 25. Verum a quo latere non exprimitur. Appian. Bell. Civ. II. p. 500. *ante theatrum* dicit: sed ante scenam sita fuisse non potuit, quia illic porticus erat: unde ante caveam percommodum ei locum fuisse verisimile est. *Nardin. Rom. Vet.* VI. 3.

Curia Saliorum fuit in decima Urbis regione, quæ Palatium. *Donat. de Urb. Rom.* III. 3. Cicer. de Divin. I. 17. *Cum situs esset in curia Saliorum, quæ est in Palatio, eaque deflagravisset, lituus inventus est integer.* Marlian. Topogr. Urb. Rom. II. 21. Faunus Antiq. Urb. Rom. II. 22. Panvin. Descr. Urb. Rom. Thes. Ant. Rom. Græv. Tom. III. p. 305. B. designavit *curiam* Saliorum & sacrarium. Mihi probabile est eandem *curiam* fuisse sacrarium. *Donat. ibid.* c. 15. Nec habeo quod Donato regeram: nisi forte plura in eo ædificio conclavia fuere, quorum aliquod condendis instrumentis sacris destinatum sit: aliud conventui inservierit, eorumve vestiarium fuerit, aut alicui alii usui dicatum: ut inde *curiæ* nomen acceperit. *Nardin. Rom. Vet.* VI. 12.

Curia vetus, quæ a Victore in decima ponitur regione, a Romulo ædificata fuit: argumento est, quod locus, quo statuitur, extra quadratam Romuli urbem est, quæ a Romulo posita est, est intra eandem: unde fit ut credam, hanc veterem appellatam, si quidem vetus appellata est, aliarum comparatione, quæ postea excitatæ sunt. *Marlian. Topogr. Urb. Rom.* IV. 14. Intelligit, puto, Hostiliam, quæ templum fuit. V. Livium supr. in *Curia Hostilia.* Hoc significat & Poeta Æneid. VII. 174.

— *hoc illis curia templum.*

quam centum columnis suffultam describit, & vult esse basilicam. Sed illam in secunda regione ponit Victor. Quare hæc ab Augusto in Palatio facta significare videtur, quam & Servius in supra scriptum carmen sentit. *Panciroll. Descr. Urb. Rom. Thes. Ant. Roman. Græv. Tom.* III. p. 364. E. Eadem mihi videtur atque *curiæ veteres* memoratæ Tacit. Annal. XII. 24. 3. Forsan Victoris ævo destructæ fuerunt, sic ut una tantum superfuerit. *Nardin. Rom. Vet.* VI. 12.

Curiæ novæ fuerunt ad portam Capenam intra mœnia. *Nardin. Rom. Vet.* III. 2. Festus: *Novæ curiæ proxime compitum Fabricii ædificatæ sunt, quod parum amplæ erant veteres a Romulo factæ, ubi is populum & sacra in partes triginta distribuerat, ut in iis sacra curarent: quæ cum ex veteribus in novas evocarentur, quatuor curiarum per religiones evocari non potuerunt. Itaque Foriensis, Raptæ, Veliensis, Velitiæ res divinæ fiunt in veteribus curiis.* Nardin. ibid. II. I. Borrich. Ant. Urb. Fac. c. 2. §. I. Pigh. Annal. Rom. I. p. 15.

Curiæ veteres fuerunt in Carinarum parte, ubi nunc ad ecclesiam Petri ad vincula. *Blond. Instaur. Rom.* II. 32. & 60. Qui *curiarum* sedem mutavit. Fuerunt enim ad arcum Constantini sub imo Palatio. Quid fuerint, V. docentem Varronem supr. in *Curia.* Eo loci fuisse indicat Tacit. Annal. XII. 24. 3. ubi scribit: *Inde certis spatiis interjecti lapides, per ima montis Palatini ad aram C..., mox ad Curias veteres, tum ad sacellum Larium, forumque Romanum.* Describit conversiones flexumque Urbis fundatæ a Romulo. Inchoat enim ad aram Herculis in foro boario, prope ædem nunc Anastasiæ: tum deducit ad aram Consi, quæ erat in circo maximo fere contra templum Gregorii: mox, inquit, ad *curias veteres*, tempe ad arcum Constantini, tum *ad sacellum Larium, forumque Romanum*, in angulo hortorum Farnesiorum contra ædem Cosmæ & Damiani. *Donat. de Urb. Rom.* III. 6: II. 16. *Lips. in Tacitum. Nardin. Rom. Vet.* II. I: VI. 12. *Pigh. Annal.* I. p. 15.

CURIALES, sive decuriones in unaquaque urbe erant civitatis principes, & quasi senatores. *Salmas. in Vopisc. Aurelian.* c. 33. *Buleng. de Imp. Rom.* VII. 3. Isidor. IX. 4. *Curiales iidem & decuriones. Et dicti curiales, quia curiæ munera procurant & exsequuntur.* Chiment. de hon. bisell. c. 37. Turneb. Adv. XXX. 31. De eo quod agendum erat, unus ex duumviris proponebat, & ubi res difficilior occurrebat, nominatim *curialium* sententias, a digniori semper incipiens, inquirebat. *Panciroll. de magistr. municip.* c. 5. Quicquid a *curialibus* fiebat, in fasta redigebatur, atque ob id decretum vocatum fuit. Zeno l. fi. C. de præd. decur. sine decr. non alien. loquens de prædiorum *curialium* alienatione. *Non ex tabella,* inquit, *decretum recitari decernimus.* Panciroll. ibid. c. 4.

Curiales dicebantur quoque membra uniuscujusque *curiæ*, pro quibus *curiones* sacra faciebant, seu curabant. Dionys. II. p. 124. *Unum sacrorum ministrorum ordinem assignavit curionibus, quos dixi publice pro suis curialibus rem divinam facere.* In inscriptione Vettius Agorius Prætextatus vocatur *curialis*. Hunc tamen existimo fuisse *curialem* non simplicem, sed sacerdotem *curialem*: & si non maximus *curio*, certe inter majores. Videmus enim ex ista inscriptione, quæ apud Gruter. 305. 4. exhibetur, *curiones* minores, atque adeo per consequens etiam majores fuisse. Illa autem inscriptio habet:

DIS. MANIBUS. SACRUM
C. CÆSIO. Ͻ. L. TERNIOS
EX. PRIMA. ADMISSION
EX. QUATUOR. DECURIS
CURIO. MINOR
CÆSIA. C. L. THEORIS
PATRONO
ET. SIBI

Van Dale Dissert. I. c. 7.

Curiales dicebantur etiam servi *curiarum*, qui etiam post desitam *curiatorum* comitiorum sollennitatem ea comitia convocare solebant. Non alios intellexit Terent. Phorm. V. 6. 10.

Curialis vernula est, qui me vocat.

Nisi, quod verius puto, *curialem* dixerit ab eo, quod Græci censebant servos ex tribu, populo, & *curia* dominorum. *Scalig. in Festum in Curiales.*

CURIALIA sacra. V. illa infr. in *Sacra.*

CURIATA comitia. V. illa supr. in *Comitia.*

Curiata lex. V. illam infr. in *Lex.*

Curiata tribus. V. illam infr. in *Tribus.*

CURIATIA gens. V. illam infr. in *Gens.*

CURIO fuit cognomen Scriboniorum, primus ſic vel eximie vocalis, vel inſigniter macilentus fuit. Nam & præcones *curiones* dicti ſunt: & Plautus velut ad gentile cognomentum alludens, agnum *curionem* dixit macilentum tanquam *curis* emaciatum & confectum Aul. III. 6. 27.

ME. *Volo ego ex te ſcire qui ſit agnus curio.*
EU. *Qui oſſa atque pellis totus eſt, ita cura macet.*

Nec tamen abnuerim, ſacerdotium potuiſſe hanc appellationem tradere, quemadmodum qui primus Libonum *Curio* dictus eſt, *curionatum* maximum adminiſtravit. *Glandorp. Onomaſt. Rom. p.* 769. *Urſat. de not. Roman. Theſ. Ant. Rom. Græv. Tom.* XI. *p.* 587. *C. Tiraquell. in Alex. Gen. Dier.* I. 9. Poteſt hoc intelligi ex Liv. XXXIII. 28. *C. Scribonius curio maximus multos pecuarios ad populi judicium adduxit.* Ex hac familia C. *Curio* conſul, qui de Macedonia triumphavit, & C. *Curio* filius tribunus plebis auctor civilis belli fuit, ad quem ſunt epiſtolæ Ciceronis lib. II. *Sigon. de nom. Roman. c.* 5.

Curio maximus cognominabatur princeps Romanorum *curionum*, cujus auctoritate *curiæ*, omnesque *curiones* reguntur: quemadmodum in collegio pontificum is maximus dicitur, qui præeſt. V. Ovid. ſupr. in *Curia.* De *curione* maximo, qui per ſuffragia creabatur, cum loqueretur Liv. XXVII. 8. dicit *comitia curionis maximi creandi cauſa excitaviſſe vetus certamen*, videlicet competitorum. *Beroal. Annot. c.* 50. *Lipſ. Elect.* I. 10. *Bud. in Pandect. p.* 262. *D. Panvin. de civit. Roman. c.* 20. *Gruch. de Comit.* III. 2. *Prevot. de Magiſtrat. Roman. c.* 1. *Laurent. Var. ſacr. gentil. c.* 1. *Van Dale Diſſert.* I. *c.* 7. *Kipping Antiq. Roman.* I. 12. §. 16. Hujus forte reſpectu alii minores dicti apud Gruter. Inſcript. p. 305. n. 4. V. illam ſupr. in *Curiales.* Cuper. in Lactant. de mortib. perſecut. c. 36.

Curiones erant curatores ſacrorum; quilibet enim *curio* cuilibet *curiæ* præpoſitus ſacra curiæ miniſtrabat. Dionyſ. II. p. 124. *Primam ſacrorum munerum inſtitutionem Romulus tradidit triginta curionibus, qui publica pro ſuis curialibus ſacra facerent.* Donat. de Urb. Rom. III. 6. Bergier. de viis milit. V. Sect. 8. §. 3. Argol. in Panvin. de lud. circ. II. 6. Gyrald. Synt. Deor. XVII. p. 481. G. Panvin. de civit. Roman. c. 20. Prevot. de Magiſtrat. Roman. c. 1. Kipping Antiq. Roman. I. 12. §. 16.

Curiones dicebantur etiam præcones in ſpectaculis, qui juſſa principis, vel populi edicebant. Plin. Epiſt. IV. 7. 2. *Scripſit publice, ut e curionibus eligeretur vocaliſſimus aliquis ex ipſis, qui legeret eum populo.* Mart. Præf. II. *Video, quare tragœdi epiſtolam accipiant, quibus pro ſe loqui non licet: epigrammata curione non egent, & contenta ſunt ſua, id eſt, mala lingua.* Pro ſeipſis enim loqui poſſunt, & vicaria illis opera non eſt opus. *Turneb. Adv.* XXV. 8. *Beroal. Annot. c.* 50. *Briſſon. de Formul.* V. *p.* 489. *Scalig. in Feſtum in Curiales. Buleng. de Circ. c.* 18. *de theatr.* I. 54. *Urſat. de not. Roman. Theſ. Ant. Roman. Græv. Tom.* XI. *p.* 654. *C.*

CURIONIA ſacra. V. illa infr. in *Sacra.*

CURIOSI olim iidem cum frumentariis, poſtea ex corpore agentium in rebus ad curſum regendum ſumpti ſunt, ſublatis ſcilicet frumentariis, non curſum tantum publicum procurabant, ſed vectigalium etiam exigendorum curam gerebant. V. Tertull. ſupr. in *Beneficiarius.* Reos etiam perſequebantur, exhibebant, & in carcerem compingebant. V. legem primam C. de *curioſis.* Suidas in vita Johannis Chryſoſtomi: *Tractus a curioſo in mediam civitatem.* Salmaſ. in Spartian. Adrian. c. 11. Argol. in Panvin. de lud. Circ. II. 3. Panciroll. de magiſtr. munic. c. 18. Guther. de Offic. Dom. Aug. II. 3: III. 13. Buleng. de Imp. Rom. VI. 33. Sunt etiam dicti *curagendarii* l. 1. C. h. t. & *exploratores* l. 3. C. de C. P. quia omnia, quæ geri in Republica videbant, ad principis ſui notitiam deferre debebant l. 4. C. de cur. Sub Conſtantino M. dirigebantur ex Memorialibus quoque & Palatinis aliis l. 2. C. de priv. cor. qui in ſacr. Pal. Mil. poſtea ſub Conſtantio miſſi tantum ex agentibus in rebus l. 2. pr. C. de Cur. *Curæ & curſus* ipſis paſſim in LL. adſcribuntur: a quo poſteriore Græce dicti φροντισαὶ ἢ δρόμυ, a priore Tertulliano de fuga πολυπράγμονες. Submoti tandem ob frequentes deprædationum querelas, paſſim C. h. t. ab Honorio Imperatore ex Africa l. 11. & ex Dalmatiæ littoribus atque inſulis l. 12. eod. tit. *Hennin. in Bergier. de viis Milit.* IV. 8. §. 11.

CURRICULA circi ſeptem V. infr. in *Meta.*

CURRODREPANUS eſt ſpecies currus falcati: in quo I. nulla eſt ſella ubi auriga conſiſtat, verum equo inſidet. II. totum illud ſpatium, ubi ſella eſſe debebat, cultris eſt munitum. Vetus auctor. *Poſterior ſupra currum pars cultris in ordinem exſtantibus communitur.* III. Falces quoque nullæ demiſſæ in terram; neque a jugo, neque ab axe. Quæ a capitibus axis prominent, eæ mobiles, ut adducto fune erigi, ac ſic currus agi poſſit abſque damno, remiſſo vero explicari. *Falces acutiſſimæ*, inquit auctor, *axibus ejuſdem currus aptantur. in lateribus ſuis anſulas habentes, quibus innexi funes pro arbitrio duorum equitum laxati quidem explicant, repreſſi autem erigunt falces.* Hujus generis inventio eſt nova, & excogitata contra Parthos. Idem auctor de rebus bellicis. *Hujuſmodi pugnacis vehiculi genus reperit Parthicæ pugnæ neceſſitas.* Scheffer. de re vehic. II. 15.

CURRUS apud Latinos idem quod vehiculum, quod apud Græcos ὄχημα. Gloſſæ: Ὄχημα, *vehiculum, currus.* Philoxenus: Currus, ὄχημα. Et Cicero, quod habetur apud Platonem in Timæo: Ἐμβιβάσας ὡς εἰς ὄχημα, reddidit in libro de Univerſo: *Quaſi in currum univerſitatis impoſuit.* Scheffer. de re vehic. I. 1. Et eſt omnium carrorum, quibus volubiles erant rotæ, atque ad currendum agiles, quibuſque uſi ſunt veteres in curſibus, & bellicis negotiis, in curſibus tabellariorum, in rebus ruſticis, in villis, atque aliis neceſſitatibus expediundis. *Ligor. de Vehic. c.* 12. Erichthonius omnium princeps *currum* equis junctis docuit quadrigis ſolaribus perſimilem compingere. Qua ſane admiratione eſt inter cœlitum tralatus imagines ſub Heniochi nomenclatura inſignis. Manil. I. 362.

Heniochus ſtudio mundumque & nomen adeptus,
Quem primum curru volitantem Jupiter alto
Quadrijugis conſpexit equis, cœloque ſacravit.

V. Hygin. Poet. Aſtron. II. 13. *Rhodig. Ant. Lect.* XXI. 31. Virg. Georg. III. 113.

Primus Erichthonius currus, & quatuor auſus
Jungere equos.

Ariſtid. Panathen. Palladem Athenis primam *currum* prodidiſſe ait. Alii Triptolemum a Cerere *curru* vectum per totum orbem ajunt ſementi docendæ. Heſychius Barcæos primos *currum* junxiſſe a Neptuno doctos. Hygin. Aſtron. Poet. II. 14. ſcribit Triptolemum primum omnium rotam unam *currui* adjunxiſſe. Theon Arati Scholiaſtes Trochilum Callitheæ ſacerdotis Junonis filium primum quadrigas junxiſſe ſcribit. *Buleng. de Circ. c.* 4. *Currum* inter cætera Regum inſignia refert Theodoret. ſerm. X. *Regiæ dignitati addita eſt ſpecies per purpuram, coronam, thronum, currum, ſatellites.* Romani ſerius hoc inſtituerunt, inſtituerunt tamen, ut vehiculo veherentur Imperatores, quanquam ſic, ut ſua uterentur libertate, ſi equis vehi mallent. *Nero nunquam carrucis minus mille feciſſe iter traditur* apud Suet. c. 30. n. 10. Et Heliogabalus Lamprid. c. 3. *Habuit gemmata vehicula & aurata.* V. ſup. in *Carpentum.* Quos captos habebant ex hoſtibus, in poſtibus ſuſpenſos conſecrare diis ſolebant. Virg. Æneid. VII. 183.

Multaque præterea ſacris in poſtibus arma
Captivi pendent currus, curvæque ſecures.

Quinimo *currum* captorum ſimulacris ædes ſacras adornabant. Plutarch. Romul. p. 33. A. *Inter cæteram prædam ex Camerio æneum attulit currum, atque eum in templo Vulcani dedicavit.* In Græco eſt χαλκοῦν τέθριππον, quod ſignificat *currum* cum adjunctis equis quatuor. Non igi-

tur

tur verus ille *currus* fuit, ſed ex ære ad ſimilitudinem veri formatus una cum equis. *Scheffer. de re vehic.* I. 18. Per Urbem *curru* vehebatur præfectus prætorio, præconibus eum imperii patrem acclamantibus l. 1. C. de quæſtor. Novell. 70. Caſſiod. Var. VI. 4. *Carpento veheris per nobilem plebem, publica te vota comitantur, favores gratiſſimi conſona tecum voce præcedunt.* Panciroll. Notit. Dignit. Imp. Orient. c. 25. *Curru* ad curiam vectus eſt L. Metellus Pontifex II. Coſ. Dict. Mag. equit. XVvir LL. ag. dand. quod a condito ævo nulli alii contigit: ut docet epigramma Cæcilii ejus, qui Aſdrubalem vicit, quod legitur in antiquitatibus Urbis. *Strein. de gent. & fam. Roman. in Cæcilia.*

Currus arcuatus erat carpentum tectum ſuperne, & cameræ in modum. Talia hæc fuiſſe nummi hodie dicunt, qui plures exſtant: neque a thenſa nimis diverſum fuit. Id quoque enim vehiculum ſacrorum. Hoc ad ſacra flamines vehebantur. Liv. I. 21. *Ad Fidei ſacrarium flamines bigis, curru arcuato, vehi juſſit.* Lipſ. de Veſtal. c. 11. Saubert. de ſacrif. c. 12.

Currus falcatus qui dicitur Curt. IV. 13. 33: XIV. 14. vocatur *currus falcifer* Lucret. III. 3. 643: V. 1299. *covinus falcifer* Sil. Ital. XVII. 406. *quadriga falcata* Liv. XXXVII. 41. Curt. IV. 9. 4. Veget. III. 24. ἅρματα δρεπανηφόρα Diodor. II. 5: XVII. 53. Phil. vit. Moſ. I. p. 628. & Heſychio, τέθριππον δρεπανηφόρον Plutarch. Lucull. p 496. B. & Suidæ. Deſcribunt, ſed non eodem modo Diodor. XVII. 53. Xenoph. Pæd. Cyr. VI. p. 105. Liv. XXXVII. 41. Suidas. Auctor incertus libelli de rebus bellicis, Curt. IV. 15. 4. Illo, ſed perperam, primos uſos fuiſſe Macedonas, ſcribit Heſychius. Nam illo Cyrum uſum fuiſſe narrat Xenoph. Pæd. Cyr. VI. p. 153. A. *Appoſuit etiam falces ferreas duarum ulnarum longitudine ad axes, ex altera rotarum parte, & alias infra ſub axem reſpicientes in terram.* In prælia Cyrum primum induxiſſe putant Briſſon. de regn. Perſ. III. p. 309. & Demſter. Paral. ad Roſin. Ant. Rom. X. 10. Sed adverſus Bactrianos Ninus apud Diodor. II. 5. adverſus Iſraelitas Cananæi Joſ. XVII. 16. Jud. I. 19.: IV. 13. Joſeph. Ant. Jud. V. 6. jam adhibuerant. *Stewech. in Veget.* III. 24. *Scheffer. de re vehic.* II. 15. *Hug. de Milit. equeſt.* I. 6. *Dilher. Diſput.* I. *p.* 129. *Lyd. de Milit.* III. 10. *Thyſ. in Gell.* V. 5. *Ptiſc. in Curtium.* In horum deſcriptione apud Curt. IV. 9. 5. occurrunt verba difficillima, niſi a proprietate vocum multum recedamus, & intelligamus non tam quod dixit, quam quod dicere voluit. Ita enim ille: *Et inter radios rotarum plura ſpicula eminebant in adverſum; aliæ deinde falces ſummis rotarum orbibus hærebant, & aliæ in terram demiſſæ, quidquid obvium concitatis equis fuiſſet, amputaturæ. Inter radios,* ſi proprie loquamur, nihil poteſt *eminere*, quod motum *currus* non ſufflaminet. Præterea, quid ſibi vult *in adverſum?* An poterant *eminere ſpicula*, nec tamen *in adverſum* eſſe directa? Deinde quid ſunt *ſummi rotarum orbes?* Eſtne ſumma pars apſidis, vel canthi? Sic videtur. Sed in rotæ cantho neque pars ſumma eſt, neque infima, dum rota movetur, quia vicibus omnes canthi partes ſunt ſummæ & infimæ. Sic tamen intellexit rem Curtius, ut ſequentia oſtendunt: *& aliæ in terram demiſſæ.* Sed quomodo ex cantho rotæ potuerunt *demitti* falces *in terram*, quæ ejus motum non impedirent? Igitur vere judicavit Scheffer. de Re vehic. II. 15. hanc deſcriptionem eſſe impeditiſſimam; qui recte etiam oſtendit, neque Stewechium, nene Raderum potuiſſe pingere *currus* ex deſcriptione Curtii. Sed omnino videtur deſcriptionem *currus* falcati, ad poſteriorem partem quod attinet, non ſatis intellexiſſe Curtius, undecunque eam ſumpſerit. Oportuit dicere non *inter radios eminuiſſe ſpicula*, ſed ex cantho, & apſide rotæ; deinde ex ſummo axe geminas emiſſas falces, unam directam juxta longitudinem axis, aliam ex axe transverſim ad terram demiſſam. Falces, & ſpicula e rotis, vel axe eminentia, & falx deorſum ex axe dimiſſas non modo erant ad ſecanda, lacerandaque obvia quæcumque ſtarent; ſed etiam ad eos, qui in tumultu, *curruum* impreſſione creato, hinc atque inde non procul cecidiſſe poterant, etiam jacentes abſcindendos. Ut appareat hanc fuiſſe falcatorum *curruum* formam, aut ſimilem, duorum ſcriptorum, Latini alterius, alterius Græci verbis deſcribemus. Sic de iis loquitur Liv. XXXVII. 41. *Falcatæ quadrigæ in hunc maxime modum erant. Cuſpides circa temonem ab jugo decem cubita exſtantes velut cornua habebant, quibus quicquid obvium daretur transfigerent; & in extremis jugis binæ circa eminebant falces, altera æquata jugo, altera in terram devexa; illa ut quicquid ab latere objiceretur abſcinderet, hæc ut prolapſos, ſubeunteſque contingeret.* Pro hiſce quatuor *falcibus* Curtius habet *ternos gladios*, minus quam *falces* timendos. Cætera ita deſcribit: *Item ab axibus rotarum utrimque binæ, eodem modo diverſæ, deligabantur falces.* Hoc voluit Curtius his verbis: *aliæ deinde falces in ſummis* ..... Sed quæ abſurda ſunt, niſi ex Livio intelligantur. Et Diodor. XVII. 53. *Ex ſingulis juxta equum utrumque funalem ſpicula jugo affixa, trium ſpithamarum longitudine, prominebant, acie in adverſam hoſtium faciem converſa.* Hæc reſpondent priori parti deſcriptionis Curtianæ, ſequentia vero poſteriori. *In inflexionibus vero axium,* hoc eſt, ſub ipſo *curru*, quo loco axes *currum* ſuſtinent, *alia duo ſpicula hærebant in rectum, quæ eodem modo habebant aciem faciei hoſtium obverſam ac priora, ſed longiora, ac latiora erant. Aptatæ etiam erant horum imitus falces,* hoc eſt, ſummis axibus. Crediderim hæc, aut ſimilia, a Curtio non ſatis intellecta, præbuiſſe ei deſcriptionis abſurdæ occaſionem, qua de re videndus etiam Schefferus, qui tamen fruſtra nititur emendare Curtium, mutato *orbibus* in *apſibus*. Cleric. Art. Crit. p. 3. Sect. 3. c. 4. §. 1--4. Lectionum varietas in MStis hic reperitur. Schefferus pro *orbibus* maluit *axibus*, forſan haud male. Facile etiam potuit vocula quædam excidiſſe, quæ, ſi ſuperfuiſſet, ſenſum nobis exhiberet planum, & facilem. Certe foret liquidus ſatis, ſi legeremus: *aliæ deinde falces ſummis rotarum orbibus hærebant æquatæ, aliæ in terram. . . .* Sic certe apud Livium modo laudatum. Briſſon. de Regn. Perſ. III. p. 309. ſola diſtinctione juvat Curtium. Legit enim, vel citat: *& inter radios rotarum plura ſpicula eminebant. In adverſum aliæ deinde falces. . . .* Ego vero illud *in adverſum*, hic ex proximo repetendum putem, tanquam omiſſum per ellipſin, ne idem bis dicatur. Et ſic horum verborum ſine ulla mutatione ſenſus erit oportunus. Scilicet, falces utræque hærebant ſummis rotarum orbibus; ſed aliæ itidem, ut illa ſpicula inter radios eminentia, *in adverſum*, hoc eſt, recta prominentes ex loco, ub hærebant, ſeu directæ protenus inde in oppoſitos iſti loco hoſtes; aliæ ex eo loco in terram flexæ. Certe iſthæc diſtinctio, vel oppoſitio inter *alias*, & *alias falces* intelligi omnino, & ita ex his verbis elici debet, vel locus non eſt integer ſatis. Quod ſi illud *in adverſum* loco movere, & poſt *falces* reponere per codices liceret, omnia forent plana, ac perſpicua. Curtium oportuiſſe dicere *ſpicula eminuiſſe ex cantho & apſide rotæ* vult vir doctiſſimus. Et in illo ſequitur Schefferum, qui itidem in his hæret, & figuram rotæ ex Curtiana deſcriptione exhibet nihilo meliorem, quam eſt illa Raderi ad Curtium, aut Stewechii ad Vegetium, quas ipſe rejicit. Pinxit iſthic ſpicula ex cantho eminentia, & neſcio quæ alia ex modiolo inter radios ſurgentia in altum, quæ nullum profecto habere poterant uſum. At vere, & proprie *inter radios eminere in adverſum potuerunt ſpicula*, quæ tamen motum rotæ non impedirent: ſcilicet, ſi fixa fuerunt in poſteriore parte ipſius modioli, quæ eſt inter *currum*, & orbem rotæ, poſt radios. Iſthic fixa, & inter radios eminentia, ſimul utique cum modiolo, & ipſa rota, ac radiis circumagebantur, atque ita motum *currus* minime ſufflaminabant, & tamen ſimul, quicquid gyro ſuo erat obvium, graviter vulnerabant. Sed & ſcire lubens velim, quo modo V. C. intellexerit Diodorum, cujus deſcriptionem Curtianæ parti poſteriori reſpondere ipſe fatetur. Illum ego malim vertere: *Inde ubi axes ex curru demittuntur in rotam, eminebant alia duo ſpicula in adverſum.* Sed de verſione nunc non litigabimus. Quæro tantum, quo modo ἐξέκειτο ἐπ' εὐθείας, *eminuerint in rectum* ex eo loco, ubi axes

ex curru flectuntur in rotam, nisi per radios rotæ. Nec enim credo virum λογικώτατον hanc descriptionem Diodori ita accepisse, ut fecit Schefferus, qui spicula ista infra *currum*, inter duas rotas, demittit ex axe ipso in terram: sine ullo usu, aut facultate vulnerandi quenquam, nisi forte proprios equos *currum* trahentes, ut liquebit cuilibet rem consideranti ex figuris ab illo ex Diodoro, & Xenophonte æque infeliciter & absurde effictis. Et videtur sane etiam Clericus non satis rem considerasse, siquidem credit *hæc* Diodori, *aut similia, non satis a Curtio intellecta, præbuisse ei descriptionis absurdæ occasionem*, quum tamen illa Diodori potius a Scheffero, quem laudat contra Curtium, sint male intellecta, & ex Curtio rectius explicari debeant. Neque enim aliter commode satis accipere possumus hæc *spicula eminentia in rectum ex inflexionibus axium*, quam ut *per*, aut *inter radios eminuerint in adversum*, ut ait Curtius, & quidem ex posteriore parte modioli, ubi axes utrimque se demittunt, ut per eam partem in rotas, seu earum integrum modiolum immittantur. Fuerunt enim hæc spicula Diodori transversa, seu ex lateribus curruum eminentia in directum, ne quis ea putet ex axibus sub curru eminuisse juxta temonem inter, & ultra equos. Nam dicuntur similia prioribus, quæ ut[illegible] ex jugo in transversum eminebant, habebantque *o[illegible] in adversos hostes aciem*, per totam scilicet longitu[illegible] eminentis spiculi, tanquam si gladius esset. Ita [illegible], longiora quidem, & latiora erant, sed habe[illegible] *[illegible]uram, sed eandem tamen prioribus*, quæ transversa erant, & quorum p[illegible] frontibus obversa erat acuta, atque ideo findebant potius, quam forabant. Cæterum rogat [illegible] porro quid in Curtio *[illegible] velit in adversum? An potuere eminere spicula, nec tamen in adversum esse directa?* Immo vero potuerant flecti, aut demitti in terram, ut falces, quæ sequuntur. Sed & idem sibi vult apud Curtium *in adversum*, quod apud Diodorum ἐπ' εὐθείας, *in rectum*. Deinde pergit, *quid sunt summi rotarum orbes. An summa pars canthi? Sed in rotæ cantho neque summa pars est, neque infima, dum rota movetur, quia vicibus omnes canthi partes sunt summa, & infimæ.* Magni sane momenti objectio! Quasi scilicet necessario describatur *currus*, ut est in motu, & cursu, neutiquam vero, ut quiescens se spectandum, aut considerandum præbet. Quidni enim *summi rotarum orbes* interpretemur hic extremi, æque ac hoc eodem in loco, *ex summo temone* eminere dicuntur hastæ, quod quid est aliud quam ex *extremo* temone? Similiter Ovid. Metam. II. 107. *aurea summæ curvatura rotæ.* Hinc porro *in terram demissæ* quædam fuerunt falces. Sed *quomodo*, rogat, *ex cantho rotæ potuerunt demitti falces in terram, quæ ejus motum non impedirent.* Neque ullius momenti hæc est objectio. Nam non ait Curtius, falces extra extremos rotarum orbes emissas, quo pacto sane rotæ circumagi non possent. Sed si concipiamus rem, ut oportet, fuerunt hæ falces a summis, & extremis rotarum orbibus demissæ introrsus, h. e. ut prominerent quidem longe ultra axem, sed intra circulum rotæ, quando certe motum rotæ non impediebant. Aliud poterat contra hanc phrasin opponi; dicendum scilicet auctori fuisse, potius *in axem*, quam *in terram*, demissas falces, quia prout rota volvebatur, illæ ipsæ falces modo poterant videri demissæ versus terram, modo ab terra surgentes in altum, semper autem quasi tendentes in axem. Et hac una de causa non refragarer valde illis, qui cum Scheffero malint has falces demittere ex *summis rotarum*, non *orbibus*, sed *axibus*, Ita enim non circumagerentur cum rota, nec variam acciperent formam, sed eandem, sive in adversum directæ, sive in terram demissæ, retinerent semper. Sed videtur Curtius descriptam nobis dedisse rotam, prout quiescens, summa sui parte maxime conspiciendam se præbet, atque adeo considerasse eam ab illa potissimum parte, qua recte exposita, etiam inferior pars facile intelligebatur, quippe quæ erat eadem, nisi quod falces, quæ ab superiori parte videbantur demissæ, ab inferiori viderentur surgere. Accedit, quod Suidas diserte Dario contra Alexandrum tribuit falcatas quadrigas, easque tales, ut in ipsa rotarum orbe undiquaque hærerent falces: *erant in orbem rotarum undique fixæ, vel nexæ, are falces.* Fuerunt ergo falces hæ, non in axibus, sed in ipsis rotis, earumque orbibus fixæ, ut apud Curtium; sed & eum rotis circumagebantur, atque ideo *modo pedes, modo manus, modo arma* cum humeris *infestabant, trahebantque.* Sic Suidas, cum quo conferri velim de varietate vulnerum Diodor. XVII. p. 534. Ita vero commonstratum est, nihil vere *sibi repugnans* reperiri in toto hoc loco, nihil in quo cogitare debeamus, & *intelligere, non tam quod dixit, quam quod docere voluit Curtius*, ut ait vir doctissimus. *Perizon. Curt. Vindic. p. 164--174.*

Currus perfectus, τέλειον ἅρμα Triclin. Scholiast. Pind. Olymp. II. 92. in ludis vocabatur, qui adultis & validis equis instructus duodecim vicibus currebat circum. Duodecimo enim curriculo confecto apud Græcos victoriam obtineri docet Pind. ibid. n. 90.

Inque Isthmo, communes gratiæ flores quadrigarum
Duodecim cursus conficientium
Deduxerunt.

Eum vero, qui tenellis equis constaret, *poledri* nos dicimus πώλους, intelligimus octo tantum cucurrisse. Ubi τέλειον ἅρμα, & πωλικὸν interpretamur adultorum, & juvenculorum equorum: πῶλοι enim οἱ νέοι ἵπποι. Glossa Græco-Barbara. Præterea altera glossa videtur *currum* imperfectum appellare ἁμαξόπωλον. Ἁμαξόπωλον τὸ μικρὸν ἁμάξιον. *Argol. in Panvin. de lud. Circ.* I. 14. Illo *tribunis plebis per circum vehi non permissum.* Tacit. Annal. I. 15. 4. ad distinctionem prætorum & consulum, qui *curru* vehebantur. Juven. Sat. X. 36.

Quid, si vidisses prætorem curribus altis
Exstantem.

XI. 192.

—— similisque triumpho
Præda caballorum prætor sedet.

Argol. ibid. II. 16.

Currus solis ab equis alatis trahi fingebatur, ut velocissimus ejus cursus, quo circulum anni percurrit, hoc symbolo indicaretur. Ovid. Fast. III. 415.

Sextus ubi oceano clivosum scandit olympum,
Phœbus, & alatis æthera carpit equis.

Bellor. Descr. Sepulcr. Nason. tab. XXXV.

Currus triumphalis erat quadrijugus. Flor. I. 5. *Inde quod aureo curru, quatuor equis triumphatur.* Albinov. ad Liviam n. 332.

—— quadrijugis aureus ibit equis.

Tali invectum fuisse Romulum scribit Dionys. II. p. 102. ubi victoriam illius de Cæninensibus & triumphum describit: *Ipse pompam extremus claudebat, ut regiam dignitatem tueretur; quadrigis invectus.* Quod tamen negat Plutarch. Romul. p. 27. D. *Romulum fallitur Dionysius quando usum dicit curru. Siquidem Tarquinium Demarati filium proditum memoriæ est, Regum primum eam in speciem & fastum evexisse triumphum. Poplicolam scribunt alii primum curru triumphantem invectum.* Scheffer. de re Vehic. II. 13. Non fuit vehiculum quadratum, quem miror in Triumpho majore, edito Antverpiæ per Gerhardum de Jode, triumphanti dari, cum rotis quatuor, & in supremo sella, cui insideat. Nihil habet veri tota hæc pictura. Erat vehiculum rotundum. Zonar. Tom. II. p. 31. *Currus non erat similis ei, cujus usus est in certaminibus ludicris, nec cujus usus in bello, sed rotunda figura instar turriculæ constructus.* Quod tamen de toto *curru* non est intelligendum; verum de capsa, sive illa parte quam conscendunt occupantque qui vehuntur. Ea fuit rotunda & clausa in ambitum. *Scheffer. l. l. Turneb. Adv.* II. 16. *Demster. in Rosin. Antiq.* X. 29. *Casal. de Urb. ac Imper. Roman. splend. part.* 2. *c.* I. *Nicol. de Triumph. c.* 20. §. 2. *Panvin. de triumph. Thes. Antiq. Roman. Græv. Tom.* IX. *p.* 1360. *B.* & in illum *Maderus.* Rotas habebat duas, & triumphans in illo stabat. Ita manifeste nummi docent. Et præter illos Ovid. Pont. III. 4. 35.

Illa ducis facies in curru ſtantis eburno.

Juven. Sat. VIII. 3.

—— & ſtantes in curribus Æmilianos.

Hinc Severus *Parthicum ſibi deferentibus patribus triumphum recuſavit, quod conſiſtere in curru affectus articulari morbo non poſſet*, ut ait Spartian. c. 16. *Scheffer. l. l.* Ejus auriga nullus alius eſſe ſolebat quam ipſe triumphans. Clare Val. Max. IV. 4. 5. *Quæ manus* Attilii Calatini, *arantium boum nuper juga rexerant, triumphalis currus habenas retinuerunt.* Demſter. l. l. Ante Cæſarum ætatem erat auratus. Liv. X. 7. *Jovis Opt. Max. ornatu decoratus, curru aurato per Urbem vectus in Capitolium aſcendit.* Prop. I. 16. 3.

Cujus inaurati celebrarunt limina currus.

Aurei, quibus ante Imperatores uſos ſcribunt triumphantes Eutrop. IV. 8. & Flor. I. 5. 6. inaurati ſunt intelligendi. *Scheffer. l. l.* Sub Imperatoribus videtur fuiſſe aureus. Horat. Epod. IX. 21.

Io triumphe, tu moraris aureos
Currus, & intactas boves.

Philoſtr. Dion. *Trajanus Imperator in vico illum ponens in aureum currum, in quo Imperatores bellicas pompas transvehunt. . . .* Turneb. Nicol. & Scheffer. l. l. Et eburneus, id eſt, eburneis ſigillis cultus, & ornatus, in illo ipſo auro, ut ſuſpicor. Albinov. ibid. 333.

Regalique habitu, curruque ſuperbus eburno,
Fronde triumphali tempora vinctus erit.

Ovidius ſupr. jam laudatus. *Scheffer. Caſal. & Nicol. l. l.* Ut victoriæ aliquas notas ſpectaret populus, ſanguine reſpergebatur. Senec. de Clem. I. 26. *Nullum ornamentum Principis faſtigio dignius, pulcriuſque eſt, quam illa corona ob cives ſervatos. Non hoſtilia arma detracta victis, non currus barbarorum ſanguine cruenti.* Demſter. l. l. Quatuor ducebatur equis. V. illos infr. in *Equi triumphales.* Poſtea leonibus. V. illos infr. in *Leo.* Et elephantis. V. infr. in *Elephantus.* Illum dum conſcendebat, ita precabatur. *Dii. nutu. &. imperio. quorum. nata. &. aucta. eſt. res. Romana. eandem. placati. propitiatique. ſervate.* Roſin. Antiq. Roman. X. 29. Nicol. de Triump. §. 12. § 4.

CURSOR fuit dictus L. Papirius, a velocitate *curſus.* Sigon. de nomin. Roman. c. 5. Quatuor dictaturis, magiſteriis equitum duobus, conſulatibus ſeptem, tribunatibus militaribus tribus, cenſuris duabus, & triumphis quinque honorati. I. L. Papirius cenſor cum C. Julio Julo, & eo mortuo cum M. Cornelio Maluginenſi anno 361. II. L. Craſſus tribunus militum bis fuit a. 366. & 368. III. Sp. Fuſius, quem patrem L. *Curſoris* quinquies conſulis eſſe ſuſpicantur. Quod non rejicio. Is enim SP. F. L. N. teſte Verrio fuit. Idem Dictator bis, ter triumphalis, & magiſter equitum fuit. IV. L. Papirius L. F. SP. N. *Curſor* magiſter equitum fuiſſe dicitur L. Cornelio Lentulo Dictatori rei gerundæ cauſa a. 433. & conſul poſt 27. annos cum Sp. Carvilio Maximo de Samnitibus triumphum egit idib. Februar. a. 460. *Auguſtin. de Famil. Roman. in Papiria. Glandorp. Onomaſt. Roman. p.* 658.

Curſores ſervi, quibus non diſſimiles ſunt, quos adhuc noſtra ætas habet, qui Gallico vocabulo a milliaribus leucis vulgo *laquais* appellantur. Paull. I. 99. §. 5. ff. de legat. 3. *Si alii vernæ, alii curſores legati ſunt: ſiquidem & vernæ & curſores ſint, curſoribus cedent.* Illorum fuit I. præcedere & præcurrere. Mart. III. 36. 13.

Nec feriatus ibat ante carrucam,
Sed tuta fœno curſor ova portabat.

Petron. c. 28. *Præcedentibus phaleratis curſoribus quatuor.* II. prænuntiare. Tacit. Agric. c. 43. n. 5. *Supremo quidem die momenta deficientis, per diſpoſitos curſores nuntiata conſtabat.* Suet. Tit. c. 9. n. 2. *Confeſtim ad alterius matrem, quæ procul aberat, curſores ſuos miſit; qui anxiæ filium ſalvum nuntiarent.* III. epiſtolas perferre. Suet. Ner. c. 49. n. 2. *Inter moras perlatos a curſore Phaontis codicillos præripuit.* IV. turbam ſummovere. Senec. Epiſt. 123. *Omnes jam ſic peregrinantur, ut illos Numidarum præcurrat equitatus, ut agmen curſorum antecedat. Turpe eſt, nullos eſſe, qui occurrentes via dejiciant, qui honeſtum hominem venire magno pulvere oſtendant.* Pignor. de ſerv. p. 288. Popm. de oper. ſerv. p. 86. Buleng. de imp. Rom. VI. 27. Laz. Comment. Reip. Rom. XII. 5. Moll. in Long. Paſtor. p. 96. Gonſal. in Petronium. Pitiſc. in Suetonium.

Curſores pedites, cum curſus equitum finem ceperat, in circum inducebantur. Dionyſ. VII. p. 480. *Peractis equeſtribus curriculis inducebantur qui ſuis ipſorum corporibus decertarent, curſores. . . .* Plin. VII. 20. *Nunc quidem in circo quoſdam curſores centum ſexaginta millia paſſuum tolerare non ignoramus.* Buleng. de circo c. 26. *Curſus* certamen Romæ in circo eadem ratione inſtitutum erat, qua equorum & curruum. Nam ex quatuor *curſoribus* unus ex ſingula factione ſumebatur, qui circum metas circi currerent, & ille qui primus omnium certa curricula confeciſſet, palmam obtinebat: ut is qui apud Græcos primus ſtadii metam attigiſſet, *curſus* victor erat, & præmia victoribus dari ſolita accipiebat. *Panvin. de lud. circ.* II. I. & ad illum *Argolus.* Nudi *currebant.* Iſidorus ex opinione veterum ethnicorum XVIII. 40. *Pedites nudi currunt, quia & hominis, & ſeculi nullæ reliquiæ ſunt.* De illis, quod nudi ſint ſoliti veſtium onere, faſtuque omni depoſito contendere, Paull. Hebr. c. 12. n. 1. etſi μεταφορικῶς loquitur, attamen ſatis evidenter, ac perſpicue indicat, iſta proferens. *Abjecto omni pondere. . . . propoſitum nobis ſtadium decurramus.* Faber Agoniſt. II. 3. & 34. Reperio Orſippum quendam Lacedæmonium circa trigeſimam ſecundam Olympiadem primum inſtituiſſe *curſum* Olympicum, & quidem nudum. Unde & locus, & ipſum certamen dicta ſunt γυμνάσια, quaſi nudalia. Et quia nudi prodibant ad certamen, utebantur ſubligaculo, zona, ſive cingulo lumbari. Et hic mos lege firmatus manavit ab illo, cujus memini, Orſippo Lacedæmonio. Is enim ſoluto ſuo ſubligaculo in mœrorem prolapſus eſt. Inde & mos, & lex apud priſcos, qua cautum, ut περιζώματα, quæ διαζώσματα ſunt Clem. Alex. Pædag. III. 5 [illegible]ntur velandis pudendis. *Paſchal. de Coron.* VI. 12. *Faber. ibid. c.* 2. Qui mos etiam Romæ duravit uſque ad Imperatoris Auguſti, & Dionyſii Halicarnaſſei, qui ſub Auguſto floruit, tempora. Ita enim Dionyſ. VII. p. 475. *Nudi cætera, pudenda tantum tecti ſubligaribus campeſtribus: qui mos Romæ manſit ad mea uſque tempora, ſicut olim fuit in Græcia: in qua nunc antiquatus eſt, orto a Lacedæmoniis initio.* Faber ibid. c. 4. inungi etiam ſolebant. Stat. Theb. VI. 573.

Ipſe tamen formæ laudem aſpernatur, & arces
Mirantes: tunc Palladios non inſcius hauſtus
Incubuit, pinguique cutem fuſcatur olivo.
Hoc Idas, hoc more Dymas, aliique niteſcunt.

n. 583.

Proximus & forma, nec multum ſegnior Idas
Curſibus, atque ævo juxta prior. . . .

Faber ibid. c. 3. Armis undiquaque inſtructi. Fidem facit Heliod. IV. p. 161. *Locum curſus ſortiebatur: & induta tota armatura ſtetit ad carceres, ſtudio currendi anhelans.* Pauſan. Eliac. I. p. 155. *Jam vero gravioris armaturæ peditum curſus in ſtadium cum plauſu receptus eſt quinta & ſexageſima olympiade.* Et Apoſtol. Epheſ. c. 6. n. 13. deſcribit Chriſtianam armaturam, qua ſpirituales *curſores* armatos eſſe docet, ab his, non a militibus ducta ſimilitudine. *Lyd. Agoniſt. ſacr. c.* 9. *&* 10. *Faber Paralip. ad Agoniſt. Theſ. Antiq. Roman. Græv. Tom.* VIII. *p.* 2263. *C.* Clypeum manibus interdum ferebant. Pauſan. Lacon. p. 95. *At cum ſcuto currere peractis jam prope ludis, nondum invaluerat.* Eliac. I. p. 155. *Qui cum ſcutis decurrerunt, eos primus devicit Demaratus.* Et de Demarati ſtatua II. p. 187. mox laudandus. Illis concuſſis ſtrepitum quendam ediderint. Pindar. Iſthm. I. 31.

Fulget vero manifeſta virtus
Inque nudis ſtadiis illis, inque ſcutiſtrepis armatis curſibus.

Unde Paulus, cum ſpirituales ſuos *curſores* inſtruit, vult, ut ante omnia *ſcutum fidei arripiant* Eph. c. 6. n. 16. Unde

illud ortum videtur, quod interdum clypeis donati fuerint in *curſus* certamine victores. Sic Æneas clypeo Niſum donat apud Virg. Æneid. v. 359.

Et clypeum efferri juſſit Didymaonis artes,
Nep[illegible] ni ſacro Danais de poſte refixum,
H[illegible] juvenem egregium præſtanti munere donat.

Lyd. [illegible] c. 10. Faber. l. l. Calceis quibuſdam muniti, quos ἐνδρομίδας vocat Pollux III. 30. 9. *Endromides. Sic autem curſorum calceamenta vocantur.* Et κνημῖδας Pauſan. Eliac. II. p. 187. *Statua ejus clypeum, more noſtri temporis militum, præ ſe tenet: galea caput, crura ocreis armata ſunt.* Et Paullus *curſorem* ſuum Chriſtianum vult *pedes habere calceatos præparatione Evangelii* ad Epheſ. c. 6. n. 15. *Lyd. ibid. c.* 11. *Faber l. l.* Caput galea armati. Pauſanias modo laudatus. Et Paullus ſcite admodum ſpirituali *curſori* commendat *galeam ſalutis* Eph. c. 6. n. 17. *Lyd. ibid. c.* 12. *Faber l. l.*

CURSORIA appellabatur navis expeditior. Sidon. Epiſt. I. 5. *Ticini curſoriam, ſic navigio nomen, aſcendi.* Scheffer. de milit. naval. addend. p. 325. Savar. in Sidonium. Hennin. in Bergier. IV. ſect. 44. n. 7.

CURSU exercitati ad militiam, & militaria officia perquam apti ſunt. Unde non Græci tantum, ſed Romani quoque juvenes ad *curſum* aſſuefacere ſoliti ſunt, certe in ludis circenſibus, qui apud Romanos quædam veluti effigies ludorum Græcorum, & præſertim Olympicorum erant, *curſu* certabant, quem *currendo* certa ſtadia in campo, ad metam deſtinatam uſque, peragebant. Quæ omnia ita ordinarunt veteres, ut, quemadmodum Veget. I. 9. explicat, *cum majori impetu in hoſtem procurrerent, ut loca opportuna celeriter, cum uſus advenerit, occupare, vel adverſariis idem facere volentibus, præoccupare diſcerent, ut ad explorandum alacriter pergerent, alacrius redirent, ut fugientium terga facilius comprehenderent:* & qui alii fuerunt, atque ad hunc diem uſque, militaris *curſus* ſunt. *Strauch. Olymp. agon.* §. 12. *Lyd. de Re milit.* V. 2.

Curſus, ſive certamen curule fuit præcipuum ſpectaculorum ab antiquis in circo maximo fieri conſuetorum. Illud Romæ primus invenit Romulus, cui Tarquinius certum locum aſſignans, circum maximum condidit, & *curſus* ludicros in varia certamina equeſtria, & curulia, equorum, bigarum, trigarum, & quadrigarum diſtincto, exornatoque, ſecundum partem gymnicam, ſive athleticam adjunxit. *Initio*, inquit Servius, *propter equorum inopiam, legimus veteres in agitandis circenſium lu[illegible]ris, diverſis uſos eſſe a[illegible]malibus: poſtea equis tantum, qui curribus adjuncti equitabant.* Ex quibus primum locum obtinent bigæ, t[illegible] g[illegible], qu[illegible]. *Panvin. de Lud. Circenſ.* I. 9. V. etiam infr. in *Decurſio.*

Curſus clabicularis, clabularis, clabularius, clavularis ἐξύμωρος, celer, & velox *curſus*, cujus poteſtatem nemo habuit, excepto præfecto prætorio I. 62. C. de curſ. publ. De Tauro præfecto prætorio Ammian. XXI. 9. cum adventum Juliani Imperatoris fugeret, illum *mature diſceſſiſſe, vectumque mutatione celeri curſus publici:* quod interpretor, *clabulari curſu.* Ob tres tamen cauſas clabularis *curſus* permiſſus eſt: ſi tranſirent milites, ſi legati, ſi arma transferrentur. Quibus ex cauſis ſoli præfecti prætorio evectiones faciunt, & ex arca eorum ſumitur, quod animalium locatoribus pro mercede dari ſolet. Quare cum Petulantes numeri in Gallia motus adverſus Julianum principem excitarent, *eos ad orientem proficiſci cum familia præcepit, clabularis curſus facultate permiſſa.* Ammian. XX. 4. *Guther. de offic. dom. Auguſt.* III. 15. *Valeſ. in Ammianum.*

Curſus publicus, vehicularis, ſive veredarius etiam fiſcalis dictus eſt, quia a privatis ad fiſcum eſt traductus. Spartian. Adrian. c. 7. *Statim curſum fiſcalem inſtituit, ne magiſtratus hoc onere gravarentur.* Caſaub. & Donat. ad Spartianum. Turneb. Adv. XXIX. 12. Rhodig. Ant. Lect. XXI. 24. Scheffer. de Re Vehic. II. 30. Hennin. ad Bergier. de viis milit. IV. Sect. 4. n. 2. Sed hic loquendi modus prorſus eſt inuſitatus & novus. Et ratio, quæ ſequitur, huic expoſitioni plane repugnat: ſubjunxit enim, ideo curſum publicum ad fiſcum traduxiſſe, *ne magiſtratus hoc onere gravarentur.* Si magiſtratus hic capimus, qui in provincias ibant, aut per provincias ſuas iter faciebant, quid illorum interfuit, ad fiſcum potius pertinuiſſe *curſum* publicum quam ad privatos? nam ſi privati ante Adrianum *curſum* illum magiſtratibus exhibebant, non magis tunc onere gravati fuerunt, quam cum eum ad fiſcum Adrianus tranſtulit: ſive enim privati, ſive fiſcus, *curſum* publicum præſtabat, immunes itaque ab illo onere magiſtratus, quid opus igitur fuit, fiſcalem eum facere, ne magiſtratus gravarentur? Sane non poteſt aliter hic locus exponi, quam Adrianum primum inſtituiſſe publicum *curſum*, cum ante ipſum non eſſet: idquo in gratiam magiſtratuum, ne in provincias euntes impenſis ſuis iter facerent: nam *curſum fiſcalem* hic vocat Spartianus, quem alii *curſum publicum.* Atqui illum primum Auguſtum inſtituiſſe ſcribit Suet. c. 49. n. 7. *Quo celerius ac ſub manum annuntiari cognoſcique poſſet, quid in quaque provincia gereretur, juvenes primo modicis intervallis, per militares vias, dehinc vehicula diſpoſuit.* Qui tamen ita vehicularium *curſum* videtur inſtituiſſe, ut quid in provinciis gereretur, cognoſcere celerius poſſet, non ut etiam magiſtratibus, aliisque paſſim hominibus exhiberetur: quod poſtea factum ex hoc inſtituto Adriani. Aurel. Vict. Cæſ. c. 13. n. 5. hoc tribuit Trajano ſub eadem ratione, qua Suetonius Auguſto: *Simul noſcendis ocyus quæ ubique e republica gerebantur, admota media publici curſus.* Falſi igitur Spartianus & Aurelius Victor. Conſtat tamen, ante Adrianum magiſtratibus, cum in ſuas ibant provincias, non patuiſſe copiam *publici curſus*, ſed ſuis ſumptibus ire & redire ſolitos: nec enim alii vehicularium illum *curſum* uſurpabant, quam qui ex provinciis ad Principem deſtinabantur, aut qui a Principe in provincias mittebantur, aliquid annuntiaturi. Atque ita quidem verum erit, quod ad magiſtratus, Adrianum inſtituiſſe *curſum fiſcalem*, ne hoc onere gravarentur. Quod ſi *fiſcalem* ita accipimus, cujus præſtatio fiſco incumberet, dicendum erit, quis poſtea Princeps, ne fiſcalis eſſet, fecerit: nam apud Spartianum in Severo c. 14. habemus, eum, ut ſe gratioſum provincialibus præberet, a privatis ad fiſcum onus illud tranſtuliſſe. Denique ſi *fiſcalem* hoc ſenſu ſumamus, non alio ſenſu fuerit capienda *rheda fiſcalis* apud Severum Sulpitium III. de vita Martini: *per aggerem publicum plena militantibus viris fiſcalis rheda veniebat.* Atqui nemo poſſit ignorare temporibus Sulpitii *curſum publicum* non fiſco, ſed provincialibus oneroſum fuiſſe, qui eum tolerabant, ut lex Juliani loquitur. *Fiſcalis* igitur *rheda*, & *fiſcalis curſus*, non quod eum fiſcus exhibere teneretur, ſed quod res *fiſcales* eo tranſveherentur; ut aurum & argentum ſacrarum largitionum, cum ad comitatum Principis deſtinabantur veſtes & aliæ ſpecies, quæ *fiſcales* dicebantur: vel *fiſcalis* ſimpliciter eſt δημόσιος, ut contra τὸ δημόσιον fiſcum appellarunt. *Salmaſ. in Spartian. Adrian. c.* 7. *Guther. de offic. dom. Aug.* III. 14. *Panciroll. Notit. Dignit. Imp. orient. c.* 6. *Hugo de prim. ſcrib. orig. c.* 14. *Bergier. de viis milit.* IV. *Sect.* 4. §. 5. 6. *Spanhem. Diſſert.* IX. *de præſt. & uſu numiſm. p.* 106. . . . *Stewech. in Veget.* I. 3: II. 25. *Laz. Comment. Reip. Roman.* II. 14. Illius origo paullo altius arceſſenda eſt. Magiſtratus olim Romani ad exercitus & provincias profecturi, mulis, tabernaculis, aliisque inſtrumentis itineris e publico inſtruebantur. Soli legati, qui repente aliquo mittebantur, ſingula jumenta per oppida, qua iter faciendum erat, exigebant. Primus L. Poſtumius conſul anno ab U. C. 581. iturus ad Campaniam ad agrum publicum a privato terminandum, Præneſtinis infenſus, cum publicum ſibi hoſpitium, tum jumenta parata, quum inde exiret, imperavit. Inde ſimilis continuo & major etiam licentia uſurpata a ſequentibus Imperatoribus. Liv. XLII. 1. ubi ſuperiora commemoraſſet, *jus velut probato exemplo magiſtratibus fecit graviorum in dies talis generis imperiorum.* Prima ergo origo impenſis ſociorum ac privatorum: quanquam a principio tenues eſſent & extraordinariæ, occaſione ſubitarum legationum,

dein sola libidine ac licentia magistratuum niterentur. Ab Augusto postea, quo celerius nosceret statum provinciarum, vehicula per publicas vias disposita; atque ita inductus *vehicularis cursus*, hinc inde ad Principem, aut a Principe commeantium; quam eandem moris hujus caussam & originem secus Trajano tribuit Victor. Mansit illa vehiculatio sub sequentibus Cæsaribus, sed variis subinde mutationibus obnoxia; dum eadem a privatis ad fiscum translata: aut ejus onere sublevatæ certæ tantum provinciæ, aut plures leges identidem latæ, quibus ejusmodi vehiculationis commodis & incommodis consultum; cautum de provisu, cura, alimentis animalium publicorum; & restricta vel ampliata iisdem utendi licentia. Insignis de *cursu publico* locus est apud Procop. Arcan. hist. c. 30. ubi docet eum ab Imperatoribus institutum, cum aut hostium, aut aliorum seditiones nuntiarent id genus *cursores*, tum ut annua vectigalia portarent. In via unius diei octo circiter stabula, ad minimum quinque; in singulis stabulis equos quadraginta dispositos exstitisse, unde *cursu* diurno decem dierum viam metiri poterant *cursores*; inde autem privatorum commoda ob promercales fructus, quos alendis equis & stabulariis vendebant quæstoribus: sublatum autem passim illum *cursum* a Justiniano, aut imminutum, ut in Ægypto & oriente reliquo excepta in Persidem via, stabulorum numerum; eumque insuper ab equis ad asinos redactum. *Spanhem. ibid. p.* 801.

CURTIA gens. V. illam infr. in *Gens.*

CURVUS fuit cognomen Fulviorum. V. infr. in *Gens.*

CUS.

CUSONES linarli dicuntur, qui lina *cudunt*. In codice Theodosiano pro *cusores* perperam scriptum est *casores*. Pancirolli de corpor. artif. §. 33. Du Fresne Glossar.

CUSTODIA castrorum alia est diurna, alia nocturna. Distingui etiam solet a diversitate loci, in quo agitur, cum alia interiora castra tueatur, alia exteriora: & rursus hæc vel intra castra in vallo, portis, turribus, vel extra castra, ibique vel longius, vel propius. Differunt etiam genere militum: quædam enim equitum, quædam peditum, quædam legionum, quædam auxiliorum, quædam gravis, quædam levis armaturæ. Denique numero diversæ sunt, cum partim a singulis, paucisque excubiis, sive *τετράδίοις*, partim a totis manipulis; aut cohortibus obeantur, quæ hodie *corpora custodiarum* appellamus. *Schel. in Polyb. Thes. Antiq. Roman. Græv. Tom.* x. *p.* 1180. *D.*

Custodia apud magistratus quæ habebatur erat hujus generis. Reus interdum consuli, prætori, ædili, interdum & senatori, etiam non e magistratu committebatur. Tacit. Annal. VI. 3. 4. *Et quia incusabatur, facile toleraturus exsilium, delecta Lesbo insula nobili, & amœna, retrahitur in Urbem, custoditurque domibus magistratuum.* Sed nonnisi in reis illustrioribus usurpatum: eaque *custodia libera* dicta est. Sallust. Bell. Catil. p. 37. *Senatus decrevit, ut abdicato magistratu Lentulus itemque cateri in liberis custodiis haberentur: itaque Lentulus P. Lentulo Spintheri, qui tum ædilis erat, Cethegus Q. Cornificio, Statilius C. Cæsari, Ceparius Cn. Terentio senatori traduntur.* Plerumque senatoribus. Hieron. adv. Vigilantium: *Sint ergo non tetro aliquo carcere, sed amœna & libera custodia, tanquam patres quidam ordinis senatorii.* Lips. in Tacit. Annal. VI. n. 9. Brisson. de Formul. V. p. 474. Sigon. de Judic. II. 3. Rævard. Var. III. 12. Laurent. var. sacr. gentil. c. 15.

Custodia militaris frequentissima, & Romæ, & in provinciis, ejusque modus, ut is qui in noxa esset, catenam manui dextræ alligatam haberet, quæ eadem militis sinistram vinciret *custodiæ* ejus præfecti. Senec. de tranquil. I. 10. *Eadem custodia universos circumdedit, alligatique etiam sunt qui alligaverunt. Nisi tu forte leviorem in sinistra catenam putas.* Epist. 5. *Eadem catena & custodiam, & militem copulat.* Athen. V. 11. *Manius autem Aquilius consularis, qui de Siculis triumphavit, colligatum secum habens longa catena Bastarnem quendam quinque cubitorum pedes ab equite trahitur.* Addo, duos milites sæpe uni reo datos majori custodiæ. Actor. c. 12. n. 6. *Dormiebat inter duos milites, duabus alligatus catenis.* Ut nempe inter duos milites custodes alligaretur hic dextræ militis unius, qui ad sinistram, illic sinistræ militis alterius, qui ad dextram. Erant longiusculæ, ut ambulare & incedere pariter non incommode possent. Domitianus apud Suet. c. 14. n. 7. *Nec nisi secreto atque solus plerasque custodias, receptis quidem in manu catenis audiebat.* Augustin. in Psalm. 128. *Ligantur duo, & mittuntur ad judicem, latro & colligatus: ille sceleratus, iste innocens, una catena ligantur, & longe sunt a se se.* Athenæus modo laudatus. Observandum quoque non gregarium solum militem, sed & tribunum aut centurionem captivis interdum custodem datum. Suet. Tib. c. 22. n. 2. *Hunc tribunus militum, custos appositus, occidit.* Act. c. 27. n. 1. *Tradidit Paullum vinctum centurioni nomine Julio.* Laxior autem & liberior nonnunquam fuit captivitas custodiæ catenis vinctæ, etiam sub milite custode. Act. c. 28. n. 16. *Permissum est Paullo, ut haberet cor in cum milite qui custodiebat illum.* Lips. in Tacit. Annal. III. Excurs. B. Lyd. de re milit. IV. 4. Brisson. de Formul. V. p. 473. Sigon. de Judic. II. 2. Laurent. var. sacr. gentil. c. 15. Rævard. Conject. I. 4. Scalig. in Manil. V. p. 418. Kipping. Antiq. Roman. II. 7. §. 13. Schill Nomencl. Philol. p. 372.

Custodia apud vades dicebatur, cum eorum periculo reus fidejussoribus tradebatur. Tacit. Annal. V. 8. 2. *Neque aliud periclitantibus auxilii, quam in fratrum constantia fuit, qui vades exstitere.* Ulpian. l. 1. de cust. reor. *De custodia reorum æstimare proconsul solet, utrum in carcerem recipienda sit persona, an militi tradenda; an fidejussoribus committenda.* Lips. in Tacit. Annal. VI. n. 9. Brisson. de Form. V. p. 472. Rævard. Var. III. 12.

CUSTOS accusatoribus apponebatur, qui observaret ex eo die; quo delatus erat reus, usque in caussæ diem, quid illi agerent, qua via molirentur accusationem, quibus modis instituerent, dolumne, corruptelam, ambitum admiscerent. Plutarchus in Catone Uticensi. *Pollet. For. Rom.* II. 4.

Custos armorum dicebatur in militia navali, qui in navalibus curam gerebat instrumentorum navalium. Inscriptio vetus Ravennæ, ubi quondam fuerunt navalia.

C. JUL. PRISCI.
VIX. ANN. VI. M. X. D. VIII.
JULIUS. GERMANUS.
ARMORUM. CUSTOS.

Arma sunt instrumenta nautica. Cæs. Bell. Gall. III. 14. *Naves eorum omni genere armorum ornatissimæ.* Scheffer. de milit. nav. Addend. p. 333. Et in terrestri. Vetus inscriptio: V. F. C. VIRIUS. SABINUS. VETERANUS. ARMORUM. CUSTOS. LEG. XIV. GEM. MART. VICT. D. M. Non enim licebat arma cuiquam domi habere l. 1. ad l. Jul. de vi publ. *Rævard. Conject.* I. 9. V. & supr. in *Arma.*

Custos cadaveris, qui ad defuncti jam collocati pernoctabat cadaver. V. illum supr. in *Cadaver.*

Custos canis est ostiorum. Theophr. Char. c. 5. *Vocato etiam cane, & ejus rostro manu prehenso; hic, inquit, & agrum, & domum, quique in ea sunt omnes custodit.* Colum. VII. 12. *Canis falso dicitur mutus custos: nam quis hominum clarius, aut tanta vociferatione bestiam, vel furem prædicat, quam iste latratu? quis famulus amantior domini? quis fidelior comes? quis custos incorruptior?* Sagittar. de jan. vet. c. 21.

Custos capsæ. V. illum supr. in *Capsarius.*

Custos in comitiis præter id quod observabat, ne quid fraudis committeretur in sortitionibus & suffragiis dicendis, describebat etiam cujusque centuriæ educta e cista suffragia, ut inde appareret, quæ esset illius centuriæ sententia. *Gruch. de Comit. Roman.* I. 3. *Turneb. Adv.* XXI. 15: XXV. 4. *Hotman. Antiq. Roman.* II. 12. *Panvin. de Civit. Roman. c.* 69. Nam quomodo Cato fraudem animadvertere potuit, quæ comitiis ædilitiis ad dejiciendum M. Favonium fiebat, nisi pro amico Favonio Cato *custos* fuisset?

Aut quomodo collegæ C. Gracchi multa suffragia maligne occultare potuerunt ad dejiciendum tribunatu Gracchum, nisi præter rogatorem alii essent, qui se interponerent numerandis sententiis? *Gruch. ibid.* II. 4. Horum numerus cum tabellarum numero, quæ singulis committebantur, fere convenisse mihi videtur. Veluti in legibus ferendis duæ tantum dabantur tabellæ populo: itaque describendo numero suffragiorum binis tantum *custodibus* opus erat. In magistratuum comitiis tot dabantur tabellæ, quot erant candidati: describendis ergo suffragiis non multo pluribus erat *custodibus* opus, quam quot erant candidati, ut suus cuique candidato *custos* esset. Sane ex his intelligi potest, prærogativæ centuriæ alium *custodem* dari solitum, quam aliis jure vocatis centuriis. Neque enim diceret Cicero, se primum *custodem* fuisse in comitiis L. Pisonis: si solus *custos* fuisset a Pisone rogatus: nec primam tabulam sibi datam affirmaret, si solus ipse in tabula unica descripturus erat omnia suffragia, quæ consulem crearent Pisonem. Itaque ego c. . ilimo, singulos candidatos unum habuisse *custodem*, quem prærogativæ præficerent: eumque virum aliquem gravem, ac sibi amicissimum: ob id scilicet, quod in prærogativa plurimum erat momenti. Præter *custodem* autem prærogativæ, reliquarum centuriarum describendi suffragiis alium *custodem* præfecisse: adeo, ut totis comitiis quisque candidatus duos modo *custodes* præfecerit. Nam, ut numerum *custodum* non faciamus cum numero tribuum convenientem, sicut rogatores & diribitores; hinc adducor, quod *custodes* a candidatis præficiebantur, ut supra probavimus: quare si quando accidisset, ut essent duodecim, v. g. competitores, necesse erit, ut duodecies multiplicetur numerus tribuum, aut ita quadringentos & viginti facerent *custodes*; idque præter eos, qui prærogativæ *custodes* essent. Nam prærogativæ qui præfecti erant, hoc munus totis comitiis non præstabant, sed aliis centuriis alii *custodes* adhibebantur; ut demonstravimus. Multo minus verisimile est, omnibus centuriis alios semper atque alios custodes attributos. Cum enim oporteat tot esse *custodes*, quot erant tabellæ diversæ, quarum numerus describendus erat, si singulis centuriis novi semper *custodes* attribuerentur, tanto major fieret numerus *custodum*, quanto major erat numerus centuriarum quam tribuum. *Gruch. ibid.* I. 4.

Custos in conviviis apponebatur, qui observaret, ne quis gemmas ex poculis avelleret. Juven. Sat. v. 37.

— *ipse capaces*
Heliadum crustas, & inæquales beryllo
Virro tenet phialas; tibi non committitur aurum.
Vel, si quando datur, custos affixus ibidem,
Qui numeret gemmas, unguesque observet acutos.

Mart. XIV. 8. V. illum infr. in *Pocula*. Meurs. de lux. Roman. c. 8. Grang. in Juvenalem.

Custos cubiculi dicebatur janitor. Juven. Sat. v. 346.

Pone seram, cohibe: sed quis custodiet ipsos
Custodes?

Apul. Metam. IV. p. 284. *Barbarus iste servulum suum Myrmecen secretum commonet, suæque dominæ custodiam omnem permittit.* Ovid. Heroid. III. 17.

Sæpe ego decepto volui custode reverti,
Sed me, qui timidam prenderet, hostis erat.

Pignor. de serv. p. 485. Sagittar. de jan. vet. c. XVI. §. 24. Stuck. Ant. Conviv. II. 30.

Custos lateris sacri vocabatur præfectus prætorii, quia prætorium observabat, & latus Principis tegebat. Mart. VI. 76. I.

Ille sacri lateris custos, Martisque togati.

Herod. II. I. 2. *Custodientes regiam aulam.* V. 4. 16. *Satellites, corporis custodes, & prætoriani.* Faber Semest. I. I.

Custos monumenti vocabatur, qui ea, quæ ad *custodiam* monumenti pertinebant, servabat. Prop. III. 14. 22.

Afferet huc unguenta mihi, sertisque sepulcrum,
Ornabit custos ad mea busta sedens.

Ejus officium erat fores claudere, aperire, a furibus cavere, floribus ac corollis sepulcrum ornare. *Guther. de jur. man.* II. 31. *Gonsal. in Petron. p.* 276. *Kipping. Antiq. Roman.* IV. 6. 15.

Custos officiorum forte idem qui officialis, id est, minister, apparitor. Inscriptio Romæ:

AURELIUS. DIONYSIUS.
TITI. . ET. . VIVI. SIBI.
LIBERTIS. LIBERTABUSQUE
POSTERISQUE. FECERE. AURELIUS.
D. . . IUS. CUSTOS. OFFICIORUM.

Spon. Misc. Erudit. Ant. Sect. 17. *p.* 212.

Custos pueris ingenuorum & principum semper dabatur. Plaut. Capt. III. 5. 50.

Cui, hero minori, *me custodem addiderat herus major,*

Merc. I. I. 89.

— *qui olim a puero parvulo*
Mihi pædagogus fuerat, quasi uti mihi foret
Custos.

Cerda in Æneid. V. 446.

Custos puerperæ. V. illum supr. in *Pilumnus*.

Custos regiones suas intranti, tanquam arbiter actionum ejus dabatur a Romanis. Hinc acris querela Germanorum ad Ubios hac de re apud Tacit. Hist. IV. 64. 3. *Nam ad hunc diem flumina, ac terras, & quodammodo cœlum ipsum clauserunt Romani, ut colloquia congressusque nostros arcerent; vel, quod contumeliosius est viris ad arma natis, inermes ac prope nudi sub custode & pretio coiremus.* Quibus Agrippinenses respondent c. 65. n. 6. *Sint transitus incustoditi, sed diurni & inermes.* De Hermunduris idem Germ. c. 41. n. 2. *Passim, & sine custode transeunt.* . . . Lips. in Taciti Germaniam. Cluver. Germ. Antiq. I. 13.

Custos suspendiosis a magistratu addebatur, qui videret, ne cadavera ad sepulturam detraherentur. Plutarch. in Cleom. p. 823. E. *Paucis post diebus ii qui Cleomenis cruci affixum corpus custodiebant.* Petron. c. 71. *Miles, qui crucem asservabat, ne quis corpora ad sepulturam detraheret.* c. 72. *Itaque cruciarii unius parentes, ut viderunt laxatam custodiam, detraxere nocte pendentem, supremoque mandaverunt officio.* Lips. de cruce II. 16. Faber Semest. II. 2. Kirchman. Append. ad libr. de Funer. c. 14. Gonsal. in Petronium. Kipping. Antiq. Rom. II. 8. §. II. Lydius de Re Milit. V. 4. Buleng. de Venat. circi c. 36.

Custos tabularum vocabatur, apud quem litis instrumentum, tabulæ inquisitionum, testificationum, reliquorumque scriptorum, quibus litium articuli confirmandi erant, in capsis deponebantur custodienda. Cicer. Verr. II. 44. *Qui tabulas tenet? qui monet, qui scribit? qui proximus est?* quod etiam pertinuerit ad *custodes* non tantum monere, verum etiam capsas depositas custodire, cavereque ne qui agant prævaricentur, aut colludant cum adversario. Ascon. in Cicer. p. 36. *Custodes, & subscriptores non solum chartarum causa, neque juvandi accusatoris adhiberi solent, sed etiam ut non facile corrumpantur.* Pollet. For. Rom. II. 4.

Custos tironibus in militiam admittendis olim dabatur. Virg. Æneid. V. 446.

Custodem ad sese, comitemque impubis Juli,
Epitydem vocat.

Ubi Servius: *Secundum Tullium, qui dicit ad militiam euntibus dari solitos custodes, a quibus primo anno regantur: unde ait de Pallante* VIII. 515.

— *sub te tolerare magistro*
Militiam, & grave Martis opus.

Cicer. pro Cœl. c. 5. *Eademque erat, si statim mereri stipendia cœperamus, castrensis ratio ac militaris, qua in ætate, nisi qui seipse sua gravitate & castimonia, & cum disciplina domestica, tum etiam naturali quodam bono defendere: quoquo modo a suis custoditus esset.* . . . . Turneb. Adv. XXVI. 22. Cerda in Virgilium.

Custos in vineis opus qui faciebant, apponebatur. Pallad. II. 10. *In quo erit diligentia, ne crudum solum fraude occulta fossor includat. Quam rem subinde custos virga exploret.* Cato de re Rust. c. 33. *Vinarios custodesque recte relinquito.* Barth. Adv. XXXVIII. 4.

Custos virginibus, ne vel a petulantibus, & luxuriosis hominibus, aut alio quovis modo virginitatis flore privarentur, addebatur. Heliod. Æthiop. VII. p. 316. *Denique in furorem illam insciis omnibus in posterum egisset amor, nisi quædam anus, nomine Cybele, custos cubilis, & rerum Venerearum Arsaces ministra, incurrisset in thalamum.* Tib. I. 3. 83.

At tu casta, precor, maneas, sanctique pudoris
Assideat custos sedula semper anus.

Prop. I. 11. 15.

Ut solet amota labi custode puella.

Almelov. Ant. e sacr. prof. spec. p. 66.

Custos & observator vota nuncupantibus, qui attenderet, adhibebatur & apponebatur. Senec. de Clem. I. 19. *Quid pulcrius est, quam vivere optantibus cunctis, & vota non sub custode nuncupantibus?* Brisson. de Formul. I. p. 107. Van Dale Disse . I. c. 8. Lips. in Senecam.

Custos uxoribus a maritis, & amicis ab amatoribus apponebatur. De maritis Tib. I. 7. 9.

Ipse miser docui, quo posset ludere pacto
Custodes.

De amatoribus Prop. II. 5. 29.

Quos igitur tibi custodes, quæ limina ponam?

IV. I. 145.

Non mille excubiæ, nec te signata juvabunt
Limina: persuasæ fallere rima sat est.

Lips. in Tacit. Annal. XI. n. 133. Pollet. For. Rom. II. 4. Schill Nomencl. Philol. p. 380. Veteres diviserunt ædes in androna, & gynæceum. Græci exteriorem ædium partem viris dederunt, interiorem feminis. Romani contra exteriorem feminis, interiorem viris. De Græcis Homer. Iliad. X. 440.

Sed hæc telam texebat in abdito domus altæ.

Et *gynæcea virginum ad extremam contignationem ædium* confert Eurip. Phœniss. n. 89. De Romanis Arnob. II. p. 91. *Matresfamiliæ vestræ in atriis domorum operantur, industrias testificantes suas.* Hinc Romano more Virg. Æneid. IX. 947.

—— hic Dardanio Anchisæ
Armiger ante fuit, fidusque ad limina custos.

Fidelis vero hæc custodia in asservandis feminis. *Cerda in Virgilium.*

CYA.

CYATHISSARE dicebantur, qui pocula miscebant. Plaut. Men. II. 2. 28.

Non scis, qui ego sim, qui tibi sæpissime
Cyathisso, apud nos quando potas.

Quod Cæsari exprobratum fuisse a C. Memmio testatur Suet. c. 49. n. 5. *Sed & C. Memmius etiam ad cyathum & vinum Nicomedi stetisse objecit.* Pætus de Roman. ac Græcor. mensur. III. Thes. Ant. Roman. Græv. Tom. X. p. 1642. E.

CYATHUS est duodecima pars sextarii, quem Romani in duodecim uncias dividebant, mensura tanti liquoris, quantum quis uno haustu levissime exhauriat. *Ciaccon. de tricl. p. 71. Baccius de vin. & convv. IV. p. 169. Bud. de asse* V. *p.* 549. *Cenal. de pond. ac mens. rat. Thes. Ant. Rom. Græv. Tom.* XI. *p.* 1452. *E. Pætus de Roman. ac Græcor. mens.* III. *Thes. Græv. ibid. p.* 1642. *F. Buleng. de imp. Rom.* VI. 65. *Bruyer. de Re cibar.* III. 9. Ex horum numero pocula appellabant his nominibus, quibus assis partes appellantur, nempe sextantes, quadrantes, trientes, quincunces, semisses, septunces. . . . pro calicibus, seu poculis, quæ duos, tres, quatuor, & sic deinceps continerent. *Pætus & Ciaccon. l. l.* Quem numerum plerumque ex numero literarum, quæ ad exprimendum nomina suorum deorum, dominorum, & amasiarum concurrebant, formabant. Mart. I. 72. I. V. supr. in *Bibere.* Ministrantes hunc manu tenebant, ut quod quisque posceret, metiri possent. Hinc puer, qui ad cyathum erat, apud Plaut. Pers. V. 2. 16.

At tibi ego hoc continuo cyatho oculum excutiam tuum.

Ciaccon. l. l. Commendatur Augusti frugalitas, qui tametsi aliquando minus, nunquam tamen amplius quam duodecim *cyathos* uno convivio solebat ebibere. Sexies enim bibebat, calice qui duorum *cyathorum* capax esset. Suet. c. 77. n. 3. *Quoties largissime se invitaret, senos sextantes non excessit.* Pætus & Cænal. l. l.

CYB.

CYBÆA est navis oneraria rotunda, ut cupæ nomen ostendit. Hesychius. Κύπαι εἶδός τι νεώς. Cicer. Verr. V. 17. *Navem cybæam maximam, triremis instar, pulcerrimam atque ornatissimam, palam ædificatam sumptu publico....* Turneb. Adv. XXII. 12: XXV. 5. Gyrald. de navig. c. 18. Bayf. de re naval. Thes. Ant. Græc. Gronov. Tom. XI. p. 596. F. 598. E. 600. A.

CYBELE uxor Saturni a gentibus existimata. Vehebatur curru, quia ipsa credebatur terra, ut ait Servius, quæ pendet in aere. Ideo rotis sustineri dicebatur, quia mundus rotatur & volubilis est, & eidem subjugabantur leones, ut ostenderetur, maternam pietatem omnia posse superare. *Gyrald. Synt. Deor.* IV. *p.* 138. *B.* In tabula mea pedem sinistrum rostro navis imponit, forte ut denotet globum terrestrem ex aqua & terra compositum esse, terræque extremitates maritimis undis alluit. *la Chausse de deor. simulacr. tab.* V. Repræsentatur vulgo cum corona turrita. Quum secundo bello Punico maxime vigente ex carminibus Sibyllinis decemviri sacris faciundis ad senatum retulissent, hostem pelli Italia, vincique posse, si mater Idea Pessinunte Romam advecta esset, statim senatus legatos in Asiam ad Regem Attalum misit. Is legatos comiter acceptos Pessinuntem in Phrygiam deduxit, sacrumque iis lapidem, quem matrem deum incolæ esse dicebant, tradidit, ac deportari Romam jussit. Qui Romæ a viro optimo Scipione Nasica susceptus in ædem Victoriæ, quæ est in Palatio, eum pertulere pridie Idus Aprilis, isque dies festus fuit. Populus frequens dona deæ in palatium tulit, lectisterniumque & ludi fuere, Megalesia appellata. Hæc Liv. XXIX. 11. *Panvin. de Civit. Roman. c.* 38. *Nardin. Rom. Vet.* VI. 14. Sacra Isidis eadem prorsus cum sacris Cybeles Romæ fuerunt. *Ouzel. ad Min. Fel. p.* 167. *Sauberi. de Sacrif. c.* 16. Qui dum hoc statuunt absurde hallucinantur. Nam ab illo tempore, quo in Urbem arcessita est *Cybele*, quod accurate descriptum a Livio modo vidimus, nunquam ejus mysteria, aut ex Urbe eliminata fuisse traduntur: tempus vero receptæ Isiacæ superstitionis, postmodum non semel in crimen vocatæ, divinare vix possumus. At nonne Isidis Romæ cultæ & sacra diversa a sacris *Cybeles* satis superque evincit Osiris ibidem cultus? habemus autem id diserte ab Apulejo assertum, qui se denuo initiatum in Osiridis mysteria memorat postremis Metamorphoseon paginis. *Bacchin. de Sistr. Thes. Ant. Roman. Græv. Tom.* VI. *p.* 414. *B.* 416. *A.* Inter infernales deas habita fuit. Hoc persuasum paganis, ut probat Celsi philosophi commentum, quod profert Orig. cont. Celsum II. ubi dicitur Ægyptium quendam apud inferos cum *Cybele* dea alea lusisse. Et vetus epitaphium, quod in lapide exaratum videtur Romæ, cujus hi sunt primi versus:

Qui colitis Cybelen, & qui Phryga plangitis Attin,
Dum vacat, & tacita Dindyma nocte silent.
Flete meos cineres, non est alienus in illis
Hector, & hoc tumulo Mygdonis umbra tegor.

Et hinc forte formula usurpata, *post mortem Cybelen iratam sibi & infestam sentire.* Vetus lapis:

LOCUM. SEPUL. AC
CEPI. ANTE. ÆDES. DEÆ
MAGNÆ. CYBELES. QUAM
IRATAM. MORTE. SENSI.

Qui etiam posset dicere, quia *Cybele* est terra mater, se terra conditum iratam eam & gravem sentire. Quo faciunt veteres formulæ in piis votis: SIT TIBI TERRA LEVIS. in exsecrationibus: SIT TIBI TERRA GRAVIS. *Boxhorn. Quæst. Roman. c.* 3. V. etiam de *Cybele* scribentem *Voss. de Idolol.* I. 20.

Cybele Berecynthia dicitur. Virg. Æneid. VI. 784.

—— qualis Berecynthia mater
Invehitur curru Phrygias turrita per urbes.

Ubi Servius: *Berecynthus est castellum Phrygiæ juxta Sangarium fluvium, ubi mater deûm colebatur.* Gyrald. Synt. Deor. IV. p. 146. F.

Cybele Dindymene dicitur. Horat. Od. I. 16. 5.

Non Dindymene, non adytis quatit . . .

quia Dindymi domina. Catull. XXXV. 13.

Nam quo tempore legis inchoatam
Dindymi dominam.

Gyrald. Synt. Deor. IV. p. 138. G.

Cybele Enthea dicitur. Mart. V. 43. 5.

Quem sectus ululat matris Entheæ Gallus.

Et *dea fanatica* ob eandem causam ab Orpheo Hymn. 24. 13. *Gyrald. Synt. Deor.* IV. *p.* 141. *A.*

Cybele Idæa mater dicitur. Lucret. II. 610.

Hanc variæ gentes antiquo more sacrorum
Idæam vocitant matrem.

ab Ida monte, in quo culta fuit *Gyrald. Synt. Deor.* IV. *p.* 145. *C.*

Cybele Magna mater, & mater deûm dicitur. Lucret. II. 598.

Quare magna deûm mater, materque ferarum,
Et nostri genitrix hac dicta est corporis una.

Hanc Orpheus, teste Diodor. III. p. 137. A. terram dixit divitias & opes largientem: vel, quod remedia multis non modo pecorum, sed & hominum, in primis puerorum morbis excogitarit, quod idem Diodorus prodit. Serv. Æneid. XII. 118. matrem deûm appellari putat, quod sit ex iis deis, qui ἄζωναι dicuntur; id est, qui cœli certas non habent partes, sed ubique generatim ab omnibus coluntur: *ut mater*, inquit, *deûm, cujus potestas in omnibus zonis est, & communis ejus est potestas.* Gyrald. Synt. Deor. IV. p. 140. F. Stat. Catull. LXIII. 91.

Cybele Mygdonia mater dicitur. Val. Flacc. III. 47.

Mygdoniæ Pan jussa ferens sævissima matris.

vel a Mygdonia Phrygiæ, ubi colebatur: vel a Mygdono, de quo Diod. V. p. 230. C. *Inde cum Mygdono transcendisse in Europam.* Gyrald. Synt. Deor. IV. p. 148. A.

Cybele Pesinuntia dea dicitur, quia, ut narrant Herodian. I. II. 3. & Ammian. XXII. 9. ejus simulacrum de cœlo demissum in quendam Phrygiæ agrum, cui a casu hujus simulacri nomen factum est Pesinunti, ἀπὸ τοῦ πεσεῖν, quod nos cadere dicimus. *Gyrald. Synt. Deor.* IV. *pag.* 149. *D.*

Cybele Phrygia dea dicitur, quia in Phrygia culta. V. supr. in *Cybele Berecynthia.*

Cybele turrita, turrigera, & πυργοφόρος dea dicitur. Prop. IV. 12. 52.

Claudia turritæ rara ministra deæ.

III. 15. 35.

Vertice turrigero juxta dea magna Cybelle. . .

Paull. Silentiar. Anthol. VII. 45. 2.

Rheæ turrigeræ simulacrum intuens.

non quod primas turres urbibus dederit, ut Ovid. Fast. IV. 219. V. illum supr. in *Corona muralis*: quam quod in ejusdem tutela, ac præsidio urbes agere crederentur: quæ vulgo sculpuntur simili capitis insigni munitæ. Virg. Æneid. X. 252.

Alma parens Idæa deûm, cui Dindyma cordi,
Turrigeræque urbes.

Lucret. II. 606. V. illum supr. in *Corona muralis.* Spanhem. de Vest. & Prytan. Græc. Ant. Rom. Græv. Tom. V. p. 661. C. Gyrald. Synt. Deor. IV. 147. E.

CYBIUM est salsamenti frustum quadratum. Refert *cubum*, sive tesseram. Festus: *Cybium dictum, quia ejus medium æque patet in omnes partes, quod genus a geometris κύβος dicitur: unde etiam tessellæ quadratæ, κύβος.* Parabatur ex pisce pelamide. Unde πηλαμίδας & κύβους, eadem vocat Icesius apud Athen. III. p. 118. B. Plin. IX. 15. *Pelamides in apolectos particulatim confectæ in genera cybiorum dispartiuntur.* Mart. V. 79. 5.

Divisis cybium latebit ovis.

Voss. Lex. Etymol. Nonn. de re cib. III. 42. Salmas. Exerc. Plin. p. 941. b. B. Buleng. de Conviv. II. 63. Voss. de Idol. IV. 41. Calcagn. de calcul. p. 299. F. Rader. in Martialem. Scalig. in Festum. Pitisc. in Suet. Vesp. c. 19. n. 5.

Cybium est etiam piscis genus. Festus in Cybium: *Hinc & κύβιον est genus piscis.* Plin. XXXII. 11. *Cybium, ita vocatur pelamis, quæ post quadraginta dies a Ponto in Mæotim revertitur.* Uterque est deceptus, quod pelamis in *cybia* secaretur, ut apud Athenæum Icesius refert. *Salmas. Exerc. Plin. p.* 941. *b. B.* De pisce tamen loquitur, & utrique favet Mart. XI. 32. 14.

Et caudam cybii, brevesque manas.

Rader. in Martialem. Harduin. in Plinium.

CYC.

CYCLAS fuit vestis muliebris. Vopisc. Saturn. c. 9. *Cyclade uxoria militibus circumstantibus amictus.* Joseph. Ant. Jud. XIX. I. *Atque hac faciebat, cum ipsum non puderet in quibusdam a se institutis sacris uti amictu muliebri, cincinnisque, & alio ornatu, quo sexum mentiretur.* Ille amictus fuit *cyclas.* Suet. Cal. c. 52. n. 2. *In publicum processit aliquando cycladatus.* Circularis fuit figuræ, & limbum habuit in circuitu ad oram extremam adsutum. Limbum enim Græci κύκλον vocant: & circulum, aut orbem. Græce κύκλον dici monet Cicer. N. D. II. 18. Ἐγκύκλιον ἱμάτιον dicitur Suidæ, quod haberet πορφύραν κύκλῳ, sive quod ἐν κύκλῳ πορφύρα παράκειται, ut dicit Hesychius. Auro texta fuit, in indicat Ambrosius in passione Agnetis. Hinc Prop. IV. 7. 36.

Hæc nunc aurata cyclade signat humum.

Alex. Gen. V. 18. & ad illum Tiraquellus. Salmas. ad Vopiscum, & Lampridium, & in Tertull. de pall. p. 110. Donat. Dilucid. p. 981. Calcagn. Epist. Quæst. III. I. Voss. Lex. Etymol. Pitisc. in Suetonium.

CYCLOPEA erat quædam species choreæ, qua *Cyclopem* imitabantur cæcum, puto, & salientem. Treb. Poll. in Gallien. c. 8. *Cyclopea luserunt omnes apenarii.* Horat. Sat. I. 5. 62.

Campanum in morbum, in faciem permulta jocatus
Pastorem saltaret, uti Cyclopa rogabat.

Argol. in Panvin. de lud. Circ. II. 3. Varia olim & multiplex *Cyclopis* historia in fabularum & saltationum argumentis: ut ἔρως γαλατείας, κύκλωπος μέθη, ejusdem τύφλωσις & cætera. Vopisc. Carin. c. 19. dixit etiam *cyclopea* ludere: *Exhibuit & ludum Sarmaticum: exhibuit & cyclopea.* Hunc lusum in Pseudolog. p. 446. expressit Lucianus: *At in Italia papæ. Heroicum illud, Cyclops vocatus es, quod aliquando etiam ad veterem ornatum, juxta ipsa Homeri poemata, versibus mandare tu quoque turpitudinem illam affectasses. Ac ipse quidem jacebas ebrius jam poculum habens in manu, coire gestiens Polyphemus: adolescens autem mercede conductus rectum habens vectem, egregie acutum, quasi Ulysses quidam te invadebat, ut oculum erueturus. Tu vero Cyclops*

clops ille diducto ore, &, quam latissime licebat, hians, sustinebas tibi maxillam ab illo excæcari. Salmas. in Trebellium.

CYCNUS erat secundi auspicii loco in auguriis. Vetus poeta Æmilius apud Isidor. XII. 7.

Cycnus in auspiciis semper lætissimus ales,
Hunc optant nautæ, quia nunquam mergitur undis.

Virg. Æneid. I. 397.

Aspice bis senos lætantes agmine cycnos.

Ubi reducem classem Æneæ Veneris vaticinio nuntiat. *Cycnorum* enim hilaritas non modo nautis, sed & quibusque peregrinantibus felicium eventuum gratiam spondet, nisi fortioris superetur adventu. Stat. Theb. III. 525.

—— innumeri statuerunt agmina cycni.

n. 529.

Nam sese immoti gyro, atque in pace silentes,
Ceu muris, valloque tenent: sed fortior ecce
Adventat per inane cohors: septem ordine fulvo
Armigeros summi Jovis exsultante caterva
Intuor. . . .

Salisber. de nug. curial. I. 13. Buleng. de aug. & ausp. c. 4. & 6. Niphus de aug. I. 10. Tomas. de donar. c. 25. Apollini fuit dicatus. Apul. Florid. p. 829. *Utrumque colorem Apollo suis alitibus condonavit: candidum olori, nigrum corvo.* Aleand. Tab. Heliac. explic. Thes. Ant. Roman. Græv. Tom. V. p. 712. A. Turneb. Adv. X. 22. Ingruente fatali momento voce, cantuque præcipue præstare *cycnum*, auctor est Ælian. Var. hist. I. 14. *audisse quandoque se canentem cycnum.* Rhodig. Antiq. Lect. IX. 5. Taubman. & Pontan. in Virg. Ecl. IX. 36. Etiam Themist. Orat. VI. p. 164. *quemadmodum cycni ante mortem in dei hujus honorem canunt, cujus famuli, atque interpretes habentur.* Platon. in Phæd. p. 64. *Illi quidem quando se brevi sentiunt morituros, tunc magis admodum dulciusque canunt, quam antea consueverint. . .* Cantum hunc fabulosum esse docet Lucian. de Electr. p. 371. *Cygni quando vobis dulce illud melos accinunt? . . . . Tum ridentes nautæ, tu homo, inquiunt, non desines falsa hodie de regione nostra, & de fluvio dicere? Nos qui semper navigamus, & fere a pueris nauticam in Eridano exercemus, paucos quidem cycnos in fluvii paludibus nonnunquam cernimus, qui inamœna, debilique voce crocitant: ita ut corvi, & graculi præ illis sint sirenes. Cæterum illos dulce, quemadmodum dicis, canentes ne in somnis quidem audivimus. Itaque demiramur, undenam ista de nobis conficta ad vos venerint.* Rhodiginus errat, & ex sequentibus error convincitur. Addit enim Ælianus: ἴσως δ' οὐδεὶς ἄλλ@. Apponenda itaque negatio, quæ in Tigurina editione ad marginem adscribitur, hoc modo: Ἐγὼ δὲ ᾄδοντος κύκνου οὐκ ἤκουσα. *Petav. in Themist. Orat. VI. p.* 578. *Scheffer. in Ælianum.* Controversos auctores conciliare satagit *Alb. Gentil. Lect. Virg. c.* 17.

CYL.

CYLIBANTHUS fuit mensa vinaria rotunda. Varr. de ling. Lat. IV. 26. *Mensam vinariam rotundam nominabant cylibanthum, ut etiam nunc in castris.* Panci oll. Notit. Dignit. imp. orient. c. 92. Ursin. append. ad Ciaccon. de tricl. p. 297. Rhodig. Ant. Lect. VII. 12. Tiraquell. in Alex. I. 19. Stuck. de Ant. Conviv. II. 16. Buleng. de Imper. Roman. II. 34. Turneb. Adv. XXII. 9.

CYLINDRUS erat lapis grandior, prægravis, teres, & in longum circum circa rotundatus in modum columnæ, aut qualis fere est lapidea tudicula olearia; aut velut palangæ illæ ligneæ, aut lapideæ, quibus agricolæ agros avenarios supervolvunt, ut eos coæquent, & ad falcem commodiores reddant. Vitruv. X. 6. *Quemadmodum in palæstris cylindri exæquant ambulationes.* Virg. Georg. I. 178.

Area cum primis ingenti æquanda cylindro.

Voss. Lex. Etymol. Bergier. de viis milit. II. Sect. 15. §. 2. Philand. in Vitruvium. Thys. in Gell. VI. 2.

Cylindrus erat surculus, qui in terram inserebatur, quo bellatores sternebant, & solebant deterrere. Veget. IV. 8 *Intercisi ex validissimis arboribus cylindri, quas taleas vocant, ut sint volubiles levigantur: quæ per pronum labentia subito impetu bellatores sternunt, eosque solent deterrere.* Ammian. XXXI. 15. *Nonnulli scalas vehendo, ascensusque innumeros ex omni latere parantes, sub oneribus ipsis obruebantur, contusis per pronum saxis, & columnarum fragmentis & cylindris.* Lips. Poliorc. V. Dial. 4. Stewech. in Vegetium. Thys. de Oppugn. urb. V. p. 191.

Cylindrus est lapis pretiosior, sive gemma pendula ex auro, in quo margaritæ erant inclusæ. Tertull. de hab. mul. c. 7. V. illum infr. in *Domus septem Parthorum.* Paull. I. 32. §. ult. ff. de aur. & arg. *Cum quædam ornamentum margaritarum ex cylindris triginta quatuor legasset.* Differt a gemma, non materia, sed forma. Plin. XXXVII. 5. *Cylindros ex iis facere malunt quam gemmas, quoniam est longissima commendatio in longitudine.* Voss. Lex. Etymol. Scheffer. de torquib. antiq. c. 10.

CYM.

CYMBA est parva navicula, in medio latior. Non. XIII. 14. *Tum conscendo cymbam interibi lucis piscatoriam.* Illam *Phœnices invenerunt.* Plin. VII. 56. Cicer. de Offic. III. 14. *Ad cœnam tempore venit Canius: opipare a Pythio apparatum convivium, cymbarum ante oculos multitudo: pro se quisque quod ceperat afferebat: ante pedes Pythii pisces abjiciebantur. Tum Canius: quæso, inquit, quid est hoc Pythi, tantumne piscium, tantumne cymbarum?* Gyrald. de navig. c. 18. Bayf. de re naval. Thes. Ant. Græc. Gronov. Tom. XI. p. 601. B. Dolet. de re naval. Thes. Gronov. ibid. p. 678. D. Calcagn. de re naut. c. 1. & 11. Scheffer. de variet. nav. Thes. Gronov. ibid. p. 775. E. de re naval. I. 3: II. 2. Laz. Comment. Reip. Rom. VI. 8. Binis regebatur remis. Prop. III. 2. 21.

Non est ingenii cymba gravanda tui;
Alter remus aquas, alter tibi radat arenas.

Aliquando est navigium, parte aliqua funiculo alligatum, cujus ad utramque fluminis alicujus ripam pertinentis tractu flumen transmittitur. Ovid. Amor. III. 6. 3.

Nec tibi sunt pontes, nec quæ sine remigis ictu
Concava trajecto cymba rudente vehat.

Scheffer. de variet. nav. ibid. D. *Cymbæ* minutæ majori egent gubernaculo, quam quævis maximæ naves, cum enim non altæ aquam subeant, nec multas propellant undas, utique etiam imbecillis est aquarum relabentium affluxus, quapropter regi vix possunt, nisi enorme habeant gubernaculum. *Voss. de trirem. construct. Thes. Ant. Rom. Græv. Tom.* XII. *p.* 732. *C.*

CYMBALISTRIA erat mulier, quæ *cymbala* quatiebat. Pro analogia illas hoc nomine vocamus. Vidimus sæpius Romæ in scalpturis Bacchanalium sacrorum, Petron. c. 23. *Intrans cymbalistria, & concrepans æra, omnes excitavit. . . . Adjuvit hilaritatem comessantis cymbalistria.* Pignor. de serv. p. 166. Lampe de Cymbal. Vet. II. 18.

CYMBALUM erat instrumentum musicum. Paull. I. Corinth. c. 13. n. 1. *Essem cymbalum tinniens.* Omnes fere sacri & profani scriptores *cymbala* in plurali efferunt. Materia fuit ex ære. Arnob. VII. p. 237. *Etiamne æris tinnitibus, quassationibus cymbalorum?* Et ἁπλῶς *æra* dicuntur. Prop. IV. 7. 61.

Qua numerosa fides, quaque æra rotunda Cybelles.

Spon. Misc. Erud. antiq. Sect. I. art. 6. tab. 40. Pignor. de Serv. p. 164. Ursin. Append. ad Ciaccon. de Triclin. p. 374. Gonsal. in Petron. p. 74. Lampe de Cymbal. Vet. II. 4. Hujus instituti causa I. æris præ omnibus reliquis metallis apud vetustissimas gentes frequentia. II. elegantissimus æris conflicti, atque pulsati sonitus, longeque raucum quid, atque inamœnum sonante ferro jucundior. V. Plutarch. Sympos. VIII. 3. III. quia æri medicatum quid, atque divinum inest ex fide antiquorum. V. supr. in *Æs.*

Lam.

Lampe de Cymbal. Vet. II. 4. Erant cava. Catull. LXIII. 29.

Leve tympanum remugit, cava cymbala recrepant.

Convincit illud Clem. Alex. Protrept. p. 11. B. *Ex cymbalo bibi, & tympano edi.* Duæ erant ſcutellæ, quæ aſſimilantur labiis. Fulgent. Mythol. I. 14. *Duo labia velut cymbala verborum commoda modulantia.* Utraque palma, ſive manu ad illa opus erat. Phornutus depingens Comum deum. *Nam dextra contractis digitis ſubjectam ſiniſtram ad clavum plectit, ut manus cymbalorum more percuſſæ conſonæ fiant.* Et quia æris eſt tinnire, tinnire dicebantur. Paullus jam laudatus. Et tinnitus ciere, qui illa quatiebant. Virg. Georg. IV. 64.

Tinnituſque cie, & matris quate cymbala circum.

Catull. LXIV. 262.

Aut tereti tenues tinnitus ære ciebant.

Gonſal. in Petron. p. 74. Formam deſcribunt Serv. ad Virgil. l. l. *Quæ in ejus tutela ſunt, ideo quod ſimilia ſunt hemicyclis cœli, quibus cingitur terra, quæ eſt mater deorum:* & propius Scribon. Larg. comp. 55. *Item mentaſtrum, vel radicem κοτυληδόνος, quæ herba ſimilia folia cymbalis habet.* Turneb. Adv. XXVI. 33. Gonſal. l. l. Rhod. in Scribonium. Pignor. ibid. p. 163. Ruben. de Re veſt. II. 17. Lampe de Cymb. Vet. II. 1. & 2. Unde patet errare eos, qui ſcribunt *cymbala* antiquorum haud abſimilia fuiſſe *cymbalo* Italico & Hiſpanico, quod *eſt inſtrumentum*, ut deſcribit Cajetan. in 1 Corinth. 13. *quo puellæ utuntur choreas ducentes, geſtando ſiniſtra manu cymbalum, & dextra percutiendo illud: ejus ſonus proprie eſt tinnitus multorum circulorum æreorum, qui in circumferentia lignea cymbali filis ferreis ſuſtentantur.* Tympanum antiquorum ea forma erat. Falluntur etiam ii, qui putant ſonum edidiſſe malleo partem convexam pulſante, & concavam ad aerem allidente; nec enim malleolo percutiebantur, ſed inter ſe collidebantur. Greg. Nyſſen. c. 9. in Pſalmos: *Hoc enim oſtendit cymbali cum cymbalo colliſio.* Auguſtin. in Pſalm. CXXX. *Cymbala invicem ſe tangunt ut ſonent, ideo a quibuſdam labiis noſtris comparata ſunt.* Ruben. de Re veſt. II. 17. Lampe ibid. c. 6. Manubria illorum in marmoribus triplicia mihi occurrerunt. Genus I. fuit, quæ in convexitate acuminabantur, atque ita tota manu comprehenſa concutiebantur. Hoc incommodum viſum, quia obfuit ſummæ in fligendis *cymbalis* celeritati, atque agilitati. II. illorum, quæ anſata erant, atque ita ſolo pollice contineri poterant. Et illa frequentiſſime occurrunt. III. illorum, quæ conſtabant ex forma quadam conſimili cruci. Et illud minus erat commodum, quin imo minus uſitatum. *Lampe ibid. c. 3.* Muſicum quendam ſonum, atque concinnum *cymbalis* qui efficere volebant, ea, cum eſſent bina, in concavitate ſecum invicem conſligebant. Stat. Theb. VIII. 221.

—— gemina æra ſonant, Idææque terga,
Et moderata ſonum vario ſpiramine buxus.

Gemina nempe, ut confligantur. Ovid. Faſt. IV. 183.

Ibunt ſemimares, & inania tympana tundent;
Æraque tinnitus ære repulſa dabunt.

Lampe ibid. c. 5. Ita conflicta ſingularem ſonum, eumque acutum, atque argutum edebant. Ille ſonus tinnitus, & *cymbala* tinnire dicebantur. V. infr. in *Tinnire.* In Italiam Bacchum tranſtuliſſe dicit Prop. III. 16. 1.

Plauſus ab umbroſo, qua ludit pontus Averno
Humida Bajarum ſtagna tepentis aquæ,
Qua jacet & Trojæ tubicen Miſenus arena,
Et ſonat Herculeo ſtructa labore via.
Hic ubi mortales dextra cum quæreret urbes,
Cymbala Thebano concrepuere deo.

Sed ejus auctoritati parum tribuendum puto. Sed convenientius mihi videtur ſtatuere cum Cabiris in Italiam veniſſe. Hi ex Aſia profugi in Etruria conſederunt. Et in illa *cymbala* pulſata eſſe maniſeſtiſſimus teſtis Liv. XXXIX. 8. *Græcus ignobilis in Etruriam primo venit nulla cum arte earum, quas multas ad animorum corporumque cultum nobis eruditiſſima omnium gens invexit, ſed ſacrificulus, & vates: nec is, qui aperta religione propalam, & quæſtum, & diſciplinam profitendo, animos horrore imbueret, ſed occultorum antiſtitis ſacrorum initia erant.* Ecquis non deprehendit rude veſtigium Cabirorum, quanquam in eo ſit error, quod ex Græcia profectum dicat, qui e Phœnicia, ſeu Samothrace appulerat. Pergit idem de ſacris Etruriæ: *Multa dolo, pleraque per vim audebantur. Occulebat vim, quod præ ululatibus tympanorum, & cymbalorum ſtrepitu nulla vox quiritantium inter ſtupra & cædes exaudiri poterat.* Ex hac gente Etruſca Romam fluxere *cymbala*, in quam ab omni ævo omnium idololatriarum horrendæ ſpecies, tanquam in commune aſylum confluxere. Apertiſſime Liv. c. 9. *Hujus mali labes ex Etruria Romam, velut contagione morbi penetravit.* *Cymbala* ipſa nominat c. 10. *Eos deducere in locum, qui circumſonet ululatibus, cantuque ſymphoniæ, & cymbalorum, & tympanorum, ne vox quiritantis, quum per vim ſtuprum inferatur, exaudiri poſſit.* Atque ita etiam capio iſtud c. 15. *Bacchanalia tota jam pridem Italia, & nunc per Urbem etiam multis locis eſſe non fama accepiſſe vos, ſed crepitibus etiam ululatibuſque nocturnis, qui perſonant tota Urbe certum habeo.* Subſtitiſſe tamen adhuc tum temporis intra Bacchanalia *cymbalorum* uſum puto, deinde vero cum receptatione ſaltatorum in Urbem ampliora incrementa corripuiſſe. Iſtud autem ſub Auguſto factum eſſe vel Luciano teſti credes, qui ita de Saltat. p. 799. *Verum in præſentia mihi caput orationis illud eſt, ut nunc uſitatam ſaltationem laudem, planumque faciam, quantum cum voluptatis, tum utilitatis in ſe complectatur, & ut non olim cœpit tantum elegantiæ incrementum capere, ſed potiſſimum Auguſti temporibus. Quippe priores illæ tanquam radices, & fundamenta ſaltationes fuere.* Lampe ibid. c. 21. Delicatis interim atque amatricibus puellulis non infrequens fuit *cymbala* movere. Gallus IV. 7.

Virgo fuit, ſpecies dedit æri candida nomen,
Candida, diverſis ſat bene compta comis.
Huic ego per totum vidi ſplendentia corpus
Cymbala, multiplices edere pulſa ſonos.

Lampe ibid. c. 22. Uſurpabantur in Cybeles ceremoniis. Apul. Metam. VIII. p. 265. *Inibi vir principalis. . . . tinnitu cymbalorum, & ſonitu tympanorum. . . . excitus percurrit obviam, deamque votivo excipiens hoſpitio, nos omnes intra conſeptum domus ampliſſimæ conſtituit: numenque ſumma veneratione atque hoſtiis optimis placare conſtituit.* Unde Cybele vulgo in marmoribus cum *cymbalis* depingitur. *Spon. & Rhod. l. l. Pignor. Matris deum init. p. 2.*

CYMBIUM erat *poculi genus a ſimilitudine navis, quæ dicitur cymba, appellatum.* Feſtus. *Ut ipſius nominis figura indicat, diminutive a cymba dictum: quod & apud Græcos, & apud nos ab illis trahentes navigii genus eſt. Poculum ergo procerum & navi ſimile.* Virg. Æneid. III. 66.

Inferimus tepido ſpumantia cymbia lacte.

Macrob. Sat. V. 21. *Tiraquell. in Alex.* III. 10. *Rhodig. Ant. Lect.* III. 23. *Saubert. de Sacrif. c. 17. Cenal. de Pond. ac menſ. rat. Theſ. Antiq. Roman. Græv. Tom.* XI. *p.* 1475. *A. Buleng. de Conviv.* IV. 11. *Bruyer. de Re cibar.* III. 9. *Cerda in Virgilium. Crinit. de Honeſt. Diſcipl.* XIX. 11. *Muſon. Philoſ. de Lux. Græc. c. 2.*

CYP.

CYPRIUS vicus. V. illum infr. in *Vicus.*

CYPRUS inſula in Pamphylio mari ſita. De hac ita Marcell. XIV. 8. *Cyprum inſulam procul a continenti diſcretam & portuoſam, inter municipia crebra, urbes duæ faciunt claram Salamis & Paphus: altera Jovis delubris, altera Veneris templo inſignis. Tanta autem tamque multiplici fertilitate abundat rerum omnium, ut nullius externi indigens adminiculi, indigenis viribus a fundamento ipſo carinæ ad ſupremos uſque carbaſos ædificet onerariam navem, omnibuſque armamentis inſtructam mari committat. Nec pudet dicere, avide magis hanc inſulam Romanum populum invaſiſſe quam juſte. Ptolemæo enim Rege fœderato nobis & ſocio, ob ærarii noſtri anguſtias,*

ſtias, juſſo ſine ulla culpa proſcribi, ideoque hauſto veneno voluntaria morte deleto, & tributaria facta eſt, velut hoſtiles ejus exuviæ claſſi impoſitæ, in Urbem adductæ ſunt per Catonem. Ob penuriam ergo ærarii Romani a P. Clodio tribuno plebis lege lata eſt publicata, & mortuo Ptolemæo ejus & Ægypti Rege a M. Catone in provinciæ formam redacta, primuſque eam C. Sextilius Rufus quæſtor jure prætorio adminiſtravit, deinde Ciliciæ attributa a proconſule eſt adminiſtrata. *Panciroll. Notit. dignit. Imper. Orient. c.* 110. *Panvin. de Imper. Roman. c.* 14. *Sigon. de Ant. jur. Provinc.* II. 14. *Vinding. Hellen Theſ. Antiq. Græcar. Gronov. Tom.* XI. *p.* 527. *B. Meurſ. ibid.* II. 13.

D.

D pro L. ſæpe priſci utebantur. Feſtus in Dacrymas: *Dacrymas pro lacrymas Livius ſæpe poſuit, nimirum quod Græci appellant δάκρυα. Item dautia quæ lautia dicimus.* In melicæ: *Melicæ gallinæ, quod in Media id genus corporis ampliſſimi fiat, L. litera pro D. ſubſtituta.* Turneb. Adv. III. 4. Fruter. Veriſ. II. 21. Lipen. de Stren. c. I. §. 17. Gyrald. Deor. Synt. X. p. 331. D. Salmaſ. Exercit. Plinian. p. 903. b. F. 153. a. C. Sciopp. Veriſ. III. 8.

D. pro P. priſci uſurpaverunt. Dionyſ. Halicarn. I. p. 55. *In eo poſitæ ſunt Trojanorum deorum imagines, cum inſcriptione, Denates, quæ Penates ſignificat. Videntur enim mihi illi priſci ante inventum P. uſurpaſſe pro eo D. literam.* Donat. de vet. Rom. III. 3. Nardin Rom. Vet. V. 4.

D. & R. invicem permutabantur. Inde præs, prædis declinatur pro præs præris. *Salmaſ. de mod. uſur. c.* 16. *p.* 737. *Auctor Miſc. defenſ. pro Salmaſ. ad jus Attic. & Rom. p.* 426.

D. pro T. interdum veteres utebantur. Quintil. I. 4. *Quare minus mirum, ſi in vetuſtis Urbis noſtræ, & celebribus templis legantur Alexanter & Caſſantra.* Sic legimus aliquando quodannis pro quotannis. In cenotaphio Lucii Cæſaris: *Lignorumque. acervos. ejus. rei. gratia. quodannis. ibi. conſtituatur.* In Inſcriptione poſita Tiberio imperante legitur etiam quodannis Et adque pro atque in Inſcriptione Urſi Togati reperta Romæ: *folio multo adque unguento marcido onerate amantes.* Turrig. in illam Theſ. Ant. Rom. Græv. Tom. XII. p. 402. A. Politian. Epiſt. IV. 9. Noriſ. Cenot. Piſan. §. 2.

D. pro X. in veteribus libris aliquoties ponitur. *D.* enim eſt prima litera numeri decem, qui X. notatur. *Ciaccon. de triclin. p.* 23.

D. pro Z. ſcribimus ſcribendi more olim uſitato. Sic oridia pro oryza in excerptis Viridarii ex Apicio quæ manu ſcripta habemus: *Amula bis de oridia propter ſpiſſitudinem ſuperfundes.* Et *trapedia* pro trapezia apud Var. Auctor. de limit. p. 248. *Alii autem tetrametra, quibus conſtant menſulæ, quæ trapedia vocantur.* Salmaſ. in Capitol. Anton. Pium c. 9. Pignor. de ſerv. p. 492. Gyrald. Deor. Synt. VIII. p. 277. E.

D. voci in vocalem deſinenti, ut hiatus vitaretur, veteres addebant. Quintil. I. 7. *Ut Latinis veteribus D plurimis in verbis ultimam adjectam: quod manifeſtum etiam eſt ex columna roſtrata, quæ eſt C. Duillio in foro poſita.* In ejus baſi prædad. altod. marid. reperias. Catul. VIII. 19.

At tu Catulled obſtinatus obdura.

Horat. Od. III. 14. 11.

—— maled ominatis
Parcite verbis.

Muret. V. L. XV. 19. Schott. Obſ. II. 7. & 16. Palmer. Spic. I. p. 619. Ciaccon. Columm. Roſtr. Theſ. Ant. Roman. Græv. Tom. IV. p. 1815. B.

D. in numeris digerendis notat quingenta. Priſcian. de Figur. numer. p. 1345. edit. Putſch. *Græcos Latini in pleriſque imitati ſunt. Nam per I. unum notant illos ſecuti. Quinquè per V. quia quinta eſt vocalis. A. E. I. O. V. Decem per X. quia decima eſt conſonans apud Græcos.* Β. Γ. Δ. Ζ. Θ. Κ. Λ. Μ. Ν. Ξ. *vel quod poſt V. apud Latinos ſequitur. Quinquaginta per L. quia apud antiquos Græcos L. pro N. quæ nota eſt quinquaginta, ponebant. Centum per principalem nominis literam C. Quingena per ſequentem literam conſonantem. Nam poſt C. D. ſequitur.* Scalig. de cauſ. Ling. Lat. c. 41. Ego in vetuſtiſſimo libro inveni millenariam notam iſtiuſmodi imagine depictam ▷◁. & illam rectam & ſinceram arbitror: eſt enim deformata ex X. quæ prima litera eſt in Xiliade, ut in litera prima ex mille. Hujus igitur dimidium eſt Δ. quæ triangulari forma D. literam repræſentat, omninoque puto ſequentes annos in hac forma aliquid immutaſſe, ac cum olim pingeretur ▷, ut literam delta exhiberet, latera ejus inverſa fuiſſe. *Nann. Miſcell.* X. 4. At ego contendo, non a Græcis, ſed ab agricolarum teſſeris numerarias notas uſu receptas, hancque vetuſtiſſimam, etiam ante repertas literas, rerum demonſtrandarum rationem fuiſſe. Unica crena ſurculo impreſſa unitatem notaverunt: deinde duas lineas hac ſpecie. V. ab inferiore parte conjunxerunt, ut quinque ſignificarent, rurſuſque totidem transverſas X. quibus denarius numerus repræſentaretur. Iidem unam deinde transverſam cum dimidia inciderunt, quæ quinquaginta ſignificaret, fuitque diu hæc nota literæ longæ, quam L. vocamus. Cum vero ad centenarium perveniſſent, eum denarii nota inciſa connexaque illi priore ex parte unitate effinxerunt, hoc modo. IX. Quingenta deſignare volentes quinquagenariam notam ab inferiore parte linea ducta jungebant: mille vero eadem ratione, qua centum, taleæ imprimebant, niſi quod ambæ transverſæ lineolæ utrinque unitatibus claudebantur, hac forma. IXI. quam recentiores expolivere, & quibuſdam amotis, ut ita dicam, fibulis, M. fecere. *Alciat. Parerg.* X. *c. ult.*

D. Decium qui interpretarentur, multos eſſe animadverti. Quem notum quidem errorem, ſed errorem tamen tollo. Nam præterquam quod Decius eſt gentis nomen, Græcorum etiam monumenta ſatis indicant, quoties in libris Latinis, aut aliis ejuſmodi monumentis *D.* loco prænominis ſcriptum eſt, Decimum eſſe exponendum, quia Δέκιμον plerumque habent, non Δέκιον. *Sigon. de nom. Roman. c.* 3. *Emend.* II. 24. *Robort. Annot.* I. 33. *Urſat. de not. Roman. Theſ. Antiq. Roman. Græv. Tom.* XI. *p.* 671. *D.*

DA.

DA verbum precationibus plerumque adhibebatur. Plaut. Pœn. V. 4. 16.

Da diem hunc ſoſpitem, quæſo, rebus meis agundis.

Lucan. IX. 997.

—— date felices in cætera curſus.

Imo iterabatur. Perſ. Sat. II. 45.

—— da fortunare penates,
Da pecus, & gregibus fœtum.

Briſſon. Form. I. p. 73. Saubert. de Sacrif. c. 13.

DAC.

DACIA vetus ultra Danubium ab hac, de qua Notitia, differt: a ſeptentrione enim a Sarmatis monte Carpato: ab occaſu Iazigibus, & amne Tibiſſo dividebatur: a meridie, & oriente Danubium habebat. Ea regio nunc Valachia & Tranſilvania vocatur: eam tres gentes hodie incolunt, ait Æneas Sylvius de Europa c. 2. Teutones, Siculi & Valachi. Hi Flacci prius dicti a Flacco, qui eo coloniam deduxit, poſtea corrupto vocabulo Valachi pro Flaccis nuncupari. *Dacos* primum ultra Danubium per Lentulum Auguſtus repulit. Trajanus vero Decebalo eorum Rege victo *Daciam* provinciam fecit, & in eam co-

lonias juris Italici deduxit, ab Ulpian. l. 1. §. ult. ff. de censib. relatas. Auctores Dion, Sext. Rufus, Eutropius, & Orosius. In circuitu habebat decies centena millia passuum. Sex. Rufus. Sub Gallieno principe amissa, per Aurelianum est recepta, sed destituta, translatisque inde in mediam Mœsiam illius incolis, & Romanorum coloniis, eam regionem *Daciam* appellavit, quæ duas Mœsias dividit, & est in dextra Danubio mare influenti, cum antea fuerit in læva, inquit P. Diaconus. Idem affirmat Sex. Rufus loquens de *Dacia* sub Gallieno amissa: *Per Aurelianum*, ait, *translatis exinde Romanis, duæ Daciæ in Mœsiæ regionibus Dardaniæ factæ sunt.* Vopisc. Aurelian. c. 39. *Cum vastatum Illyricum & Mœsiam deperditam videret, provinciam trans Danubium Daciam a Trajano constitutam sublato exercitu ac provincialibus reliquit, desperans eam posse retineri: abductosque ex ea populos in Mœsia collocavit, appellavitque suam Daciam, quæ nunc duas Mœsias dividit.* De hac intelligit Notitia, prior enim nunquam amplius est recepta: ut etiam testatur Oros. VII. 22. *Nam Dacia trans Danubium in perpetuum aufertur.* Et *Daciam* Ripensem citra Danubium usque ad Savum appellavit: & ita Valentinianus vocat Tautomedi *Daciæ* Ripensis duci scribens l. 13. C. de op. publ. Interiorem vero *Daciam* mediterraneam dixit l. 4. C. de metall. nov. 11. Auctor est Jornandes de regn. & temp. succ. *Dacos*, inquit, *sub imperio suo Trajanus, Decebalo eorum Rege devicto, adjecit, ac terras ultra Danubium, quæ habent mille millia passuum, in provinciam redegit. Sed Gallienus eos, dum regnaret, amisit. Aurelianusque Imperator evocatis inde legionibus in Mœsia collocavit, ibique aliquam partem Daciam mediterraneam, Daciamque Ripensem constituit, & Dardaniam junxit.* Tempore Notitiæ *Dacia* ab Attalo Hunnorum Rege, Martiano & Valentiniano imperantibus devastata fuit. P. Diaconus & Justin. novell. 2. Sed a Leone recepta fuisse videtur, cum de ejus ducis, & utriusque Mœsiæ, ac Scythiæ officiis disponat, l. ult. ad fin. C. de divers. offic. Justinianus certe omnibus cis Danubium Romano imperio adjectis pristinos limites restituit d. novell. *Panciroll. Notit. Dignit. Imp. Orient. c. 139. & 155. Panvin. Imp. Roman. c. 19.*

DACICUS est dictus Imperator Trajanus, victo Decebalo, *Dacorum* Rege. Dio LXVIII. p. 774. B. *Triumpho ob victoriam acto, acceptoque Dacici cognomine, in theatro gladiatores commisit, quibus delectabatur.* Ursat. de not. Roman. Thes. Ant. Rom. Græv. Tom. XI. p. 658. C. Nummum etiam Troadenses Trajano cum effigie percusserunt, & nomen *Dacici* in illo ob *Daciam* imperio Romano acquisitam gratulantibus percussum indicat. *Vaillant. Numism. Imper. 1. p. 149.*

DACTYLIOTHECAS integras templis ut sacrarent, opinor natum ex consuetudine, qua insano luxu delectati veteres, ut etiam gemmis digitos oneraverint, ejus expertes deos esse noluerunt, & illorum simulacris gemmas induerunt. Plin. XXXVII. 1. *Gemmas plures, quod peregrino appellant nomine dactyliothecam, primus omnium habuit Romæ privignus Syllæ Scaurus. Diuque nulla alia fuit, donec Pompejus Magnus eam quæ Mithridatis Regis fuerat, inter dona in Capitolio dicaret, ut M. Varro, aliique ejusdem ætatis auctores confirmant, multum prælatam Scauri. Hoc exemplo Cæsar Dictator sex dactyliothecas in æde Veneris Genitricis consecravit: Marcellus Octavia genitus in Palatina Apollinis æde unam.* Rycq. de Capit. Rom. c. 22. Bud. de asse III. p. 364. Donat. de Urb. Rom. III. 2.

DAL.

DALMATÆ præstiterunt cæteris gentibus, quas Illyricum est complexum. *Dalmatas* a Liburnis discrevit flumen Titius. Subacti sunt post Labeates, quorum caput erat Delminium. His crimini datum erat, quod Illyricos Romanorum socios divexassent. Ergo a C. Marcio Figulo Consule anno 507. usque ad Naronem fluvium fusi, Delminiumque compulsi sunt: a P. Vero Nasica Consule, Delminio ipso incenso, in potestatem adducti. Sequutum est inde alterum cum *Dalmatis* bellum. Scribit enim Appian. Bell. civ. V. p. 761. anno 626. L. Metellum consulem adversus *Dalmatas* nulla eorum culpa, triumphandi tantum libidine profectum, ab iis amice exceptum, Salone eorum oppido hibernasse, &, deportato exercitu, sine causa de iis triumphasse. Cui vix possum assentiri, cum apud Livium scriptum inveniam, *Dalmatas* a L. Metello armis subactos, & apud Ascon. in Cicer. p. 107. L. Metellum ædem Castoris de manubiis *Dalmatarum* exstruxisse, atque subactis iis cognomen *Dalmatici* invenisse: multam *Dalmatiæ* partem C. Cosconium proconsulem, Salone capta, subegisse prodit Eutrop. VI. 4. Deinde cum *Dalmatis* Cæsar bellis civilibus perfunctus bellum gessit; siquidem P. Vatinium misit, qui tributa imposuit, & obsides pacis accepit: quo tempore illa ad Vatinium scripsit Cicer. Fam. V. 11. *Dalmatis dii malefaciant, qui tibi molesti sunt.* Et cum, Cæsare mortuo, *Dalmatæ* se quicquam daturos negarent, atque Vatinium ipsum arma parantem acie superassent, Octavianus triumvir Japudibus cismontanis, qui defecerant, receptis, cum transmontanos nondum populo Romano subjectos, Metulo eorum urbe expugnata, in potestatem redegisset, postero anno in *Dalmatas* Taulantiis proximos, qui post Vatinium victum tributum per decennium non dederant, arma convertit, atque eos ægre, præsertim accepto vulnere, & magnis aliis affectus incommodis, tandem subegit, ut prodidit Dio XLIX. p. 414. D. *Sigon. de ant. jur. prov. 1. 7. Panvin. Imp. Rom. c. 14.*

DALMATIA a monte Sardonio versus septemtrionem ad mare Adriaticum, & meridiem contra Apuliam protenditur: ab occasu habet Liburniam, ab oriente Macedoniam, a qua Drilone fluvio divisa antiquum nomen retinet. *Panciroll. Notit. Dignit. Imp. Orient. c. 63.*

DALMATICA est appellata vestis, in *Dalmatia* primum confecta, & illinc Romam allata. Isid. XIX. 22. *Dalmatica vestis primum in Dalmatia provincia Græciæ texta est.* Alcuinus Offic. divin. *Dalmatica ob hoc dicitur, quod in Dalmatia sit reperta.* Ferrar. de re vest. 1. 3. 9. Cerda Adv. sacr. c. 36. §. 13. Du Fresne Glossar. Figura erat chlamydi persimilis: unde dicitur tunicula, quales dicuntur Italis diaconorum tunicæ, & non differebat a toga, & quidem triumphali: & illa Reges sunt usi. Ammian. XIV. 9. *Post hæc indumentum regale quærebatur, & ministris fucandæ purpuræ tortis, confessisque pectoralem tuniculam sine manicis textam, Maras quidam nomine inductus est, ut appellant Christiani, diaconus.* Unde *Dalmaticatus in publico processit* Commodus apud Lamprid. c. 9. Et *Dalmaticatus in publico post cœnam sæpe visus est* Heliogabalus apud Lamprid. c. 26. *Baron. in Martyrol. ad d. prid. Kalend. Junii. Cerda & Du Fresne l. l. Calcagn. Quæst. Epist.* III. 1. Ammianus non dicit *Dalmaticam* similem fuisse chlamydi figura. Nam trunca fuit, & sine manicis, de qua ille, *Dalmatica* manuleata. Sed scribit tantum purpura infectam. Et tantum a chlamyde distabat, quantum a pallio tunica. Diaconorum vestes proprie *Dalmaticæ* non sunt, sed potius colobia, qualesque veterum tunicæ, quarum manicæ ad manus non pertingebant, & ideo tuniculæ appellantur: nec sunt istæ talares, ut omnes tunc *Dalmaticæ*. Et quid palmata toga cum *Dalmatica*? quid Ausonio cum Ammiano? quid Regibus cum diaconis? Palmata fuit toga apud Ausonium, literis non inscribi solita, sed variis figuris intexi. Verba Gratiani sunt, cum trabeam mitteret: *Palmatam tibi misi, in qua D. Constantius parens noster intextus est.* Quæ verba Ausonius ipsa trabea pluris æstimat. *Hæc plane*, inquit, *hæc est picta, ut dicitur vestis, non magis auro suo, quam tuis verbis.* Non quod ipsa verba inscripta essent, ut credidit Baronius. Sequitur enim: *Constantius in argumento vestis intexitur. Gratianus in muneris honore sentitur.* Tuniculam Ammianus appellat *regale indumentum*, non a forma, sed quod esset tota purpurea, qui tunc color solis Principibus reservatus. Principes *dalmaticatos* in publico conspectos pro magno dedecore posuit Lampridius: & non fuisse notatos, quod *dalmaticati* essent, sed quod in solis *dalmaticis*: quod existimat Kerkoetius,

tius, ne refutandus quidem est. Nec fuit colobium. A quo fuit diversa. V. supr. in *Colobium*. Ferrar. de re vest. l. l. Et tamen Epiphanii ætate nullum discrimen inter utrumque videtur fuisse, quia pro eadem veste ponit Hæres. 1. 15. *Quod dalmaticas aut colobia appellare possumus.* Unde Nicet. Choniat. Thes. Orth. 1. 38. *Dalmaticis, quæ nunc colobia dicuntur.* Salmas. in Tertull. de Pall. p. 85. Ferrar. de re vest. l. l. & Anal. c. 25. Fuit vero tunica manuleata, quæ in colobii locum successit in Ecclesia, quæ, ubi primum ex malis, & in arcto positis temporibus, quibus adolescentiam laboriosam & exercitam habuerat, cœpit emergere, multum de pristina severitate remisit, atque ab aurea illa simplicitate degeneravit. Pro paupertate quippe divitiæ magno agmine intrarunt, & divitiarum comes individuus luxus. Tum magnifice ac sumptuose templa ædificari cœpta sunt, atque auro argentoque ornari. Exinde ministros quoque, nisi mundule, ac nitide vestitos talibus templis inservire indecens visum est. *Salmas. ibid. p.* 78. Et vestis, quæ olim fuerat mollium & delicatorum, postea gravissimorum sanctissimorumque episcoporum fuit gestamen. *Casaub. in Lampr. Commodum & Cerda l. l.* Silvester Papa *dalmaticas* illis assignavit, ut afferunt Breviarium Romanum in Silvestro, & Hugo de S. Victore Erud. Theol. 1. 33. quia nuditas brachiorum culpabatur. *Pignor. de Serv. p.* 105. Alcuinus supra laudatus: *Usus dalmaticarum a B. Silvestro Papa institutus est; nam antea colobiis utebantur. Colobium vero est vestis sine manicis. Cum ergo nuditas brachiorum culparetur a B. Silvestro, dalmaticarum repertus est usus.* Et Walafridus Strabo de reb. Ecclesiast. c. 24. *Et Silvester ordinavit, ut diaconi dalmaticis in ecclesia uterentur. Et primo quidem sacerdotes dalmaticis ante casularum usum induebantur: postea vero cum casulis uti cœpissent, dalmaticas diaconis concesserunt.* Idem addit a Romano pontifice earum usum aliis Episcopis permissum, aliis interdictum: sua vero ætate omnes pæne Episcopos, & nonnullos presbyterorum sub casulis *dalmaticas* gestasse. *Ferrar. ibid.* 1. 1. 39: 3. 9. Sed longe ante Silvestrum Episcopi etiam illis usi leguntur, si verum dicit auctor vitæ Cypriani his verbis: *Cum se dalmatica exspoliasset, ad lineam stetit.* Salmas. ibid. p. 84. Guther. de Offic. Dom. Aug. 11. 14. Eutychianus Pontifex auctore Damaso v. 1. constituit, *ut quicunque fidelium martyrem sepeliret sine dalmatica, aut colobio purpurato nullatenus sepeliret.* Kirchman. de Fun. Rom. 1. 10. Morestell. Pomp. Feral. 1. 16.

DAM.

DAMARUM, quem vocamus lusus, Belgice **dammen**/ nihil, aut parum distat a ludo veterum, quem *διαγραμμισμὸν* vocabant: nisi quod hic sexaginta calculis albis nigrisque constabat, qui de loco in locum trahebantur; ille vero triginta tantum calculis luditur, quindecim albis, & quindecim rubeis. *Souter. Palam.* 1.20. *Senfileb. de alea c.* 8. *n.* 6.

DAMASCUS a *Damasco* servo Abrahæ est condita, & olim *Ara* dicta, ut testatur Hieron. in Esaj. c. 17. & Zophon. c. 2. *Panciroll. Notit. Dignit. Imp. Orient. c.* 147. Metropolis fuit totius Phœniciæ Libanensis, & *quondam in omni Syria tenuit principatum, ut nunc Saracenorum metropolis perhibetur, unde & Rex eorum Nauvias famosam in ea sibi gentique suæ basilicam dedicavit, Christianis in circuitu civibus Baptistæ Johannis ecclesiam frequentantibus.* Hieron. de loc. Hebr. in Act. Apost. *Panciroll. ibid. c.* 108. *&* 113. Totius orientis oculus appellabatur. Nummus Volusiani coloniam nominat: ΚΟΛ. ΔΑΜΑΣ. ΜΗΤΡΟ. ΙΕΡΑ. ΚΟΛ. Item in alio nummo: ΚΟΛ. ΔΑΜΑΣΚΟΥ ΜΗΤΡΟΠΟΛΕΩΣ ΙΕΡΑ. ΚΟΛ. *Panciroll. ibid. c.* 63.

DAMIA dicta fuit Bona dea. Festus: *Dea quoque ipsa δαμία appellabatur.* Panvin. de Civit. Rom. c. 37. Alex. Gen. vi. 8. Stuck. de Sacrif. p. 16.

DAMIATRIX appellabatur sacerdos Bonæ deæ. Festus: *Sacerdos ejus δαμίας appellabatur.* Legendum est *damiatrix.* Ita sane in antiquitus excusis legitur. *Scalig. in Festum. Alex. Gen. Dier.* vi. 8. *Panvin. de civit. Rom. c.* 37. *Guther. de vet. jur. Pont.* iv. 8.

DAMIUM dicebatur *sacrificium, quod fiebat in operto in honorem Bonæ deæ, a contrarietate, quod minime esset δημόσιον, id est, publicum.* Paullus apud Festum. *Stuck. de Sacrif. p.* 16. *Panvin. de Civit. Rom. c.* 37. *Turneb. in Cicer. de Leg.* 11. *Gyrald. Deor. Synt.* iv. *p.* 147. *A.* *Δάμιον* Doricum est, ac Tarentinum, pro *δήμιον*, hoc est, *δημόσιον*, sive publicum. Causam, cur publicum diceretur, non satis perspexerunt Paullus, nec qui illum sequuntur. Credunt illi, publicum dici, quasi minime publicum, eo quod viro nulli liceret ei interesse. Vera nominis ratio est, quod pro populo fieret. Cicer. Haruspic. resp. c. 17. *Sacrificium Bonæ deæ per virgines Vestales pro populo, seu pro salute populi Romani fiebat, & in ea domo, in qua erat imperium.* Attic. 1. 11. *P. Clodium Appii filium, te credo audisse, cum veste muliebri deprehensum, cum apud Cæsarem pro populo fieret.* Unde de hoc sacrificio Juven. Sat. ix. 117.

Pro populo faciens quantum Lausella bibebat.

Ejus origo Græca est. Athenis enim in consuetudine positum fuit, ut quotannis in domo ejus, qui eo anno Rex erat, fieret ab uxore Regis. Demosth. Orat. adv. Neæram. Romæ a consule, quia consules quasi annui quidam Reges erant, aut eo absente, aut cœlibe, aliave causa obstante apud prætorem fiebat. Dio xxxvii. p. 50. A. Ejusmodi vero sacra, quæ publico sumptu pro populo fiebant, publica appellabantur. Festus. *Voss. de Idolol.* 11. 16. *Instit. Orat.* iv. 13. §. 10. *Lex. Etymol. Merul. de Sacrif.* c. 1. §. 5. *Meurs. Græc. Feriat. in Δάμεια. Jonston. de Fer. Græcor.* 11. 3. *Muret. Var. Lect.* ix. 11. *Brisson. de Form.* 1. *p.* 19. *Scalig. in Festum. Saubert. de Sacrif. c.* 8. *Coler. in Alex. Gen.* vi. 8. *Kipping. Antiq. Roman.* 1. 10. §. 12. *Rosin. Antiq. Roman.* iv. 9.

DAMNATA dicitur ea, quæ non provocavit: Cæterum, si provocavit, nondum *damnata* videtur. Idem est, etsi ab eo, qui jus *damnandi* non habuit, *damnata* sit. *Damnata* enim tum videtur, cum *damnatio* tenuit. Ulpian. l. 2. §. ult. de pœnis. *Eum accipiemus damnatum, qui non provocabit. Cæterum, si provocet, nondum damnatus videtur. Sed etsi ab eo, qui jus damnandi non habuit, rei capitalis quis damnatus sit, eadem causa erit. Damnatus enim ille est, ubi damnatio tenuit.* Publico plane judicio *damnata* non videtur, quæ calumniæ prævaricationisve nomine, ex causa publici judici sit *condemnata*, licet infamiæ notetur. In calumniatores enim nulla publica quæstio constituta est. Nam etsi lege Remmia eis pœna irrogata sit; non tamen in publicorum judiciorum legibus lex ea numeratur. Igitur, si ob publici judicii accusationem per calumniam institutam, sive ob privatum judicium per calumniam motum, ut calumniatrix mulier *damnata* sit, senatusconsulto non continetur. Publico judicio itaque reos postulare mulieribus licebit, si suam, suorumque injuriam exsequantur, vel læsæ majestatis, aut annonæ fraudatæ accusationem perferant. His enim ex causis ad accusationem publici judicii admittuntur: quam si destituisse arguantur, ob eamque rem *damnatæ* sint, a senatorum nuptiis non arcebuntur, quod prævaricationis crimen in hac specie judicium publicum non sit. *Brisson. de jur. connub. Thes. Antiq. Roman. Græv. Tom.* viii. *p.* 1064. *B.*

DAMNATI lege Cornelia prohibebantur manumittere. V. infr. in *Manumittere.* Imagines in pompis funebribus non præferebantur. Tacit. Annal. iii. 76. 4. V. illum infr. in *Imagines.* in funere Juniæ, quæ C. Cassii uxor, M. Bruti soror. Tacit. 11. 32. 2. *Cotta Messallinus, ne imago Libonis exsequias posterorum comitaretur, censuit.* Figrel. de Stat. illustr. Roman. c. 37. In diem decimum pœna differebatur. Dio lvii. p. 617. A. Suet. Tib. c. 75. n. 2. Tacit. Annal. iii. 51. 3. *Tiberius senatusconsultum fieri jussit, ne quis a senatu damnatus intra decimum diem necaretur, neve sententia contra eum lata ante id tempus publicaretur: quo videlicet absens etiam de eorum sententia cognoscere, & ferre judicium posset.* Senec. de tranq. c. 14. *Credisne illum decem medios usque ad supplicium*

plicium dies sine ulla sollicitudine exegisse? Postea etiam in diem trigesimum. Cod. IX. 47. 20. *Si vindicari in aliquos severius contra nostram consuetudinem pro causæ intuitu jusserimus, volumus statim eos aut subire pœnam, aut excipere sententiam: sed per dies triginta super statum eorum sors & fortuna suspensa sit.* Cujac Observ. v. 9: xx. 32. Pollet. For. Rom. v. 18. Savar. in Sidon. Epist. I. 7. Lips. & Ryck. in Tacitum. Pitisc. in Suetonium. Manus post tergum religabantur. Plutarch. Philopœm. p. 367. C. *Tandem cum caput attolleret, atque oculos aperiret, conferti superfusi, manibus post tergum illigatis abduxerunt eum.* Homer. Iliad. Φ. 30.

Ligavit post tergum manus.

Suet. Vit. c. 16. n. 2. *Donec religatis post tergum manibus tractus est.* Pitisc. in Suetonium. Cervici laqueus injiciebatur. Nicet. Choniat. IV. *Deinde collo funi inserto a præcone circumducitur.* Suet. Vit. c. 17. n. 2. *Injecto cervicibus laqueo tractus est.* Cuper. Observ. I. 12. Pitisc. in Suet. Calig. c. 35. n. 5. Capilli reducebantur in occipitium, ut ab omni populo possent adspici. In ignominia enim & supplicio natura os oculosque submittimus. Plin. Paneg. c. 34. n. 3. *Nihil gratius, nihil seculo dignius, quam quod contigit desuper intueri delatorum supina ora, retortasque cervices.* Pollet. For. Rom. v. 18. Lips. in Plinium. Cuper. & Pitisc. l. l. Puniebantur extra portam Mætiam. V. illam infr. in *Porta.* & in loco, cui nomen Sestertium. V. illum infr. in *Sestertium.* Sed qui existimationis alicujus erant, ut aliquod in morte solatium haberent, & ne supplicii irrogatio cognatorum animos ad ultionem meditandam fortius incenderet, in carcere per lictores puniebantur supplicio decreto securi, vel reste. Docet Senec. Declam. IX. 2. *Kipping. Antiq. Roman.* II. 6. §. 3. V. supr. in *Carcer.* Sepultura prohibebantur. Suet. Vesp. c. 2. n. 8. *Pœnæ conjuratorum addendum censuit, ut insepulti projicerentur.* Qua pœna maxima & horrenda difficillimis Mariana factione temporibus affecti sunt proscripti, quos sepelire non licebat, sed canibus & alitibus dilacerandi objiciebantur. Appian. Bell. Civ. I. *Guther. de jur. Man.* I. 10. Maxime perduelliones & crimini majestatis affines. Ulpian. Dig. XLVIII. 24. I. *Hodie autem eorum, in quos animadvertitur, corpora non aliter sepeliuntur, quam si fuerit petitum & permissum; & nonnunquam non permittitur, maxime majestatis causa damnatorum.* Sic Tiberius Gracchus, *hostis judicatus, ultimo supplicio affectus, sepulturæ honore spoliatus est* apud Valer. Max. IV. 7. I. *Fab. Semestr.* II. 9. *Meurs. de Funer.* c. 42. *Pitisc. in Suetonium.* Si quis ex alio, quam perduellionis, aut parricidii crimine, aut aliud quam crucis supplicium perpessi forent: eorum cadavera punitorum ad sepulturam propinqui a magistratibus non iniquis plerumque impetrabant. Cicer. Verr. v. 45. *Illorum liberi si fuerint securi percussi, ac necati, corpora feris objicientur. Hoc si luctuosum est parenti, redimat pretio sepeliendi potestatem. Onasum Segestanum, hominem nobilem, dicere audistis, se ob sepulturam Heraclii navarchi pecuniam Timarchidi dinumerasse.* Ictorum etiam, ac posteriorum quoque Imperatorum temporibus durasse morem illum, ut animadversorum cadavera non modo cognatis, sed quibuslibet petentibus darentur: ex illo Pandectarum titulo, qui de cadaveribus punitorum est, aperte constat: & ex Diocletiani, & Maximiani rescripto l. 11. C. de relig. & sumpt. fun. *Obnoxios criminum digno supplicio subjectos sepulturæ tradi non vetamus.* Faber l. l. Nicol. de Sépulcr. III. 5. §. 6.

Damnati ad bestias, ut dicuntur Modestin. l. ad bestias 31. ff. de pœnis dicebantur, qui ex sententia bestiis objiciebantur. Ulpian. Digest. XLVII. 13. 6. *Sacrilegii pœnam debebit proconsul pro qualitate personæ, proque rei conditione, & temporis, & ætatis, & sexus, vel severius, vel clementius statuere; & scio, multos & ad bestias damnasse sacrilegos, nonnullos etiam vivos exussisse, alios vero in furca suspendisse; sed moderanda pœna est usque ad bestiarum damnationem.* Non leve fuit supplicium. Discimus ex eo, quod Claudius *legitimam pœnam prætergressus, in majori fraude convictos ad bestias condemnavit.* Suet. c. 14. n. 6. Sed & ex eo quod sine missione ad bestias damnarentur, nisi Principis auctoritas accederet. Modestin. l. l. *Ad bestias damnatos favore populi præsides dimittere non debent, nisi eorum opera exhibenda sit Romano spectaculo ob artem & virtutem noxiorum.* Unde inter pœnas capitales *ad bestias damnationem* numerat Callistr. Dig. XLVIII. 19. 28. §. 13. *Buleng. de venat. Circ. c.* 33. *Pitisc. in Suetonium. Panciroll. de reb. deperd. & inv. p.* 694. Nulla pœna frequentior in Christianis. Tertull. Apolog. c. 35. *Nec ulli magis depostulatores Christianorum, quam vulgus: clamare enim solebat populus, Christiani ad leonem.* Brisson. de Form. v. p. 487. Hotman. Antiq. Roman. v. p. 759. B. Cerda Adv. sacr. c. 128. n. 44. Buleng. l. l. Aliud erat *ad bestias damnari*, aliud bestiis objici. Qui enim *ad bestias damnatus* esset, si feram confecisset, & certamine pœnam luisset, crimine solutus erat: at ei qui feris objiciebatur, nulla erat missio. *Buleng. l. l.* V. supr. in *Bestiis objici*, & *Bestiarius.*

Damnati ad gladium, & ad ludum gladiatorium erant diversi. Harum pœnarum differentiam tradit Ulpian. Fragm. tit. de abigeator. *Est autem differentia inter eos qui ad gladium, & eos qui ad ludum damnantur. Nam ad gladium damnati confestim consumuntur, vel certe intra annum consumi debent. Hoc enim mandatis continetur. Enimvero qui in ludum damnantur, non utique consumuntur, sed etiam pileum & rudem accipere possunt post intervallum. Siquidem post quinquennium pileum, post triennium autem rudem induere ei permittitur.* Brisson. de Form. v. p. 486. Hotman. Antiq. Roman. v. p. 759. D. Lips. Saturn. II. 3.

Damnati ad opus, ad metallum, ad munitiones viarum, ad purgationes cloacarum dicebantur, qui damnabantur ad fossam ducendam, ad metallum fodiendum, ad vias muniendas, ad cloacas purgandas. Suet. Ner. c. 31. n. 13. *Scelere convictos non nisi ad opus damnari præceperat.* Herod. II. p. 161. *Quoties Ægyptiorum quisquam aliquid deliquisset, neminem voluisse morte afficere: sed pro delicti magnitudine quemque damnare ad aggerendam certam mensuram aggerum intra urbem.* Suet. Cal. c. 27. n. 4. *Multos ad metalla, aut ad viarum munitiones condemnavit.* Ulpian. Dig. XLVIII. 19. §. 6. *Inter eos autem, in metallum, & eos, qui in opus metalli damnantur, differentia in vinculis est: quod qui in metallum damnantur, gravioribus vinculis premuntur: qui in opus metalli, levioribus: quodque refugæ ex opere metalli in metallum dantur, ex metallo gravius coercentur.* Inventum hoc est Ægypti Regum. Diodor. III. p. 150. *Reges Ægypti ob maleficia damnatos in aurifodinas compingunt. . . .* Plin. Epist. x. 41. 2. *Solent ejusmodi ad balineum, ad purgationes cloacarum, item munitiones viarum, & vicorum dari.* Fab. Semestr. II. 4. Brisson. de Form. v. p. 486. Hotman. Antiq. Roman. v. p. 758. D. Pitisc. in Suetonium. V. & infr. in *Metallum.*

Damnati ad transtra, triremes, sive remos fuerunt servi gravioribus Reipublicæ temporibus, cum pecunia in ærario non esset, qua civibus stipendia darent. Liv. XXXIV. 6. *Non milites in supplementum, non socios navales ad classem tuendam, non pecuniam in ærario habemus. . . . servos ad remum ex censu constituto, cum stipendio nostro dabamus.* Antequam eos remigationi adhiberent, libertate donabant. Suet. Aug. c. 16. n. 1. *Ad viginti servorum millibus manumissis, & ad remum datis.* Panciroll. de reb. deperd. & inv. p. 706. Pollet. For. Rom. v. 19. Scheffer. de milit. nav. II. 4. Pitisc. in Suetonium.

DAMNUM injuria datum a furto & rapina fuit diversum, quod illa lucri faciendi causa tantum, hoc *damni* inferendi causa factum est: illa non sine dolo, hoc per imprudentiam admissum. *Sigon. de judic.* I. 5.

DAN.

DANACE, *δανάκης*, erat nummus barbaricus, obolo major. Hunc ori mortuorum inferebant, ut esset, unde portorium solverent Acherusiam trajecturi. Auctor Etymol. *Δανάκης numismatis barbarici nomen est, obolo plus, quod mortuis in ore ponebant.* Suidas. *Δανάκης, hoc numismatis*

smatis est genus, quod olim mortuis dabant pro Acherusiæ trajectione: est vero Acherusia palus apud inferos, quam trajiciunt mortui, prædictum nummum dantes portitori. Junius de Pictur. II. 8. §. 13. Guther. de jur. man. I. 16. Rhodig. Ant. Lect. x. 2. Laz. Comm. Reip. Rom. II. 13: III. 18. Meurs. de Fun. c. 5. Cuper. Numism. ant. p. 235. Clasen, Theol. gentil. II. 2. 5.

DANISTA erat præpositus mutuis pecuniis dandis, fœnerandis, accipiendis. *Pignor. de Serv. p.* 334.

DANUBIUS. V. illum infr. in *Ister*.

DAP.

DAPES sunt omnes opipari & sumptuosi apparatus. Liv. Andron. apud Priscian. VII.

Quæ hæc daps est, quis festus dies?

Glossæ: *Dapes*, πολυτελῆ δεῖπνα. Et inde *daptice*, sumptuose: *dapticum*, magnificum, sumptuosum: *dapsilis*, magnificus. *Scalig. in Festum in Daps. Voss. Lex. Etymol. Meyen in Virg. Æneid.* VI. 225. *Ursin. Observ. c.* 6. *Pontan. in Virg. Georg.* IV. 132. *Saubert. de sacrif. c.* 26. *Stuck. Ant. Conv.* I. 33. *Guther. de vet. jur. pont.* III. 14: IV. 3. Diis opiparæ dicatæ erant, cum tamen nihil quicquam cibi, potionisque sumere potuerint falsa numina, sed sacerdotes illorum gulosi & ebriosi idolis apposita devorabant. *Tomas. de donar. c.* 5. Etiam in rogo funebri comburebantur. Virg. Æneid. VI. 224. V. illum infr. in *Thus*. Kirchman. de Fun. III. 5.

DAPIFER est servus, qui cibos jam coctos infert, & mensæ apponit. Hæc dictio apud nullum antiquum auctorem, quod sciam, reperitur. *Stuck. Ant. Conviv.* II. 21. Sed apud Blesens. serm. 47. *Dapifer mensæ Christi.* Et Cellens. Epist. I. 5. *Comes, sive dapifer Regis Theobaldus*, Scimus tamen principem unum imperii ex Electoribus *dapiferi* munus obtinere. *Cerd. Adv. sacr. c.* 44. *n.* 20: 180. *n.* 3.

DAR.

DARDANARIUS est propola, in veteri glossario σιτοκάπηλος, παντοπώλης, παντομετάβολος. Vexant annonam, & supprimunt coemptas merces, ut carius vendant. Ulpian. l. 6. de extraord. crim. *Annonam attemptare & vexare vel maxime dardanarii solent, quorum avaritiæ obviam est itum tam mandatis quam constitutionibus. Mandatis denique ita cavetur: præterea debebis custodire, ne dardanarii ullius mercis sint, ne aut ab his, qui coemptas merces supprimunt, aut a locupletioribus, qui fructus suos æquis pretiis vendere nollent, dum minus uberes proventus exspectant, ne annona oneretur. Pœna in hos varie statuitur: nam plerumque, si negotiantes sunt, negotiatione tantum eis interdicitur, interdum & relegari solent, humiliores ad opus publicum dari.* Guther. de Offic. dom. Aug. I. 33. Broid. ad Pollet. For. Rom. I. I. Schott. Observ. III. 5. Cujac. Observ. x. 19. Schill Nomencl. Philol. p. 382. Crediderim vocatos fuisse ab ea opinione, qua veteres putabant magnam inesse vim magiæ: ut & ejus vi messes alio traduci posse censerent excantatis segetibus: quod eorum tanquam maleficiis & venenis magicis crederent annonam averti in ipsorum horrea: & in metiendo mensuram imminui, ejusque modo subtrahi: aut quod ad contumeliam & probrum magis eos increparent, *dardanarios* vocantes, cum esset odiosissimum magiæ & infame vocabulum. *Dardanus* certe magus fuit. Tertull. de anim. c. 57. *Ut istis jam vocabulis utar, quibus auctrix opinionum istarum magica sonat: ostentantes & Typhon, & Dardanus.* . . . Apul. Apol. p. 544. *Ego ille sim Phrynondas. . . . vel ipse Dardanus, vel quicunque alius post Zoroastrem & Hostanem inter magos celebratus est.* Artes *Dardaniæ* sunt magicæ. Colum. x. 357.

Aut, si nulla valet medicina repellere pestem,
Dardaniæ veniant artes.

Turneb. Adv. IX. 17: XXI. 4. Junius Catal. architect. p. 72. Stuck. Ant. Conviv. II. 12. Brod. Misc. IV. 10. Bruyer. de Re cibar. IV. 12.

DARDANIA provincia Mœsiæ superiori contigua est l. 4. C. de metall. ad meridiem inter Sardonium & Orbelum montes velut hemicyclo inclusa, nunc Rassia, & Servia, seu Segoria dicitur. Hodie Turcæ est subjecta. *Pancироll. Notit. dignit. imp. orient. c.* 139. *occid. c.* 79.

DARE actionem dicitur judex, quando actorem ad intendendam actionem admittit. Cicer. Verr. II. 27. *Si quis eum pulsasset, edixit sese judicium injuriarum non daturum: quicquid ab eo peteretur, judicem de [illegible] daturum: ipsi autem nullius actionem rei sese daturum.* [illegible] in Pandect. p. 35. B. Pollet. For. Roman. III. 2.

Dare in antecessum est solvere antequam deberi incipiat, aut peti possit: quod nos *ante manum dari* dicere consuevimus. Eo genere dicendi utuntur ICti, & Senec. de ben. IV. 32. *Ego quid cui debeam, scio: aliis post [illegible] reponо, aliis in antecessum*, id est, antequam debeam, solvo. *Turneb. Adv.* XII. 9: XXX. 3. *Lips. in Senecam.*

Dare nihil, *diminuere* nihil de fortunis suis libertis olim licuit. *Senatusconsultum enim factum, ut Feceniæ Hispalæ datio, diminutio, gentis enuptio, tutoris optio item esset, quasi ei vir testamento dedisset: utique ei ingenuo nubere liceret.* Liv. XXXIX. 19. Nam etsi ante vivo patrono libertina adolescentem Æbutium sua munificentia sustentabat, clam tamen patrono, & ignaro, contraque jus libertinæ conditionis ista faciebat. Hoc certe constat, mortuo patrono jus ei fuisse testandi, tutore a prætore & tribuno petito, in cujus manu esset, & quo auctore testamentum faceret. Decretum igitur dicit Livius fuisse SCto, ut ei jus esset *dandi & diminuendi*, quod est, de suo peculio largiendi & diminuendarum fortunarum: quod non fuisse videtur concessum libertinis vivo patrono. Itaque quanquam ejus patronus fato concesserat, vel quia senatus id ignorabat, vel quia mulierem omni jure conditionis libertinæ liberatam, defunctamque beneficio suo volebat, dationem & diminutionem ei tribuit. Addit, datam etiam ei *gentis enuptionem*, quod interpretor, non ut ei jus esset extra libertinum ordinem nubendi: sed ut aliis quam libertis sui patroni, aut gentis, & qui patronus ejus erat: id est, quam libertis gentis illius hominis, cujus erat liberta, nubere jus esset. *Turneb. Adv.* XXX. 25. *Dationis & diminutionis* verbum sine alterius partis adminiculo intelligi non potest. Sunt enim ex eorum natura, quæ Græci dicunt τῶν πρός τι. Et jungunt sibi illa propter quæ intelliguntur. *Dationis* enim verbum generale est. Nam dicitur *dotis datio, legum datio, datio in adoptionem, in fidem, in solutum.* Ut *diminutio* est *capitis, dotis, corporis, legationis, patrimonii*, quæ omnia speciali lege non indigebant. Livii locus est scrupulosus, & difficilis, ex cujus angustiis, tanquam e saxosis cotibus, enavigare conabor. Hispala primum munificentia P. Æbutium amatorem sustinebat, quæ eo processerat, consuetudine capta, ut post patroni mortem, quia in nullius manu erat, tutore a tribunis & prætore petito, cum testamentum faceret, unum Æbutium instituerit hæredem. Veteri jure feminæ, post duodecimum annum ætatis, testamenta facere possunt, tutore auctore, donec in tutela sunt. Ulpian. lib. regul. tit. de testam. Quod si mulier testamentum fecisset, quæ se capite nunquam minuisset: non videbatur *ex edicto prætoris secundum tabulas possessio dari.* Cicer. Topic. c. II. Capite autem minui dicebatur, quæ viri convenisset in manum. Quæ igitur nunquam se capite minuisset, id est, quæ in manum viri minime convenisset, si non tutoris auctoritate testamentum faceret, nihil agebat. Tutoris enim auctoritas necessaria fuit ad testamenti factionem, aut si mulier lege, aut judicio ageret, si se obligaret, si civile negotium gereret. Quare cum *doti Valeriam pecuniam suam omnem dixisse* argueret mariti patronus, respondet Cicer. pro Flacc. c. 35. *nihil istorum explicari posse, nisi ostenderet, illam in tutela Flacci non fuisse. Si fuit*, inquit, *quæcunque sine hoc auctore est dicta dos, nulla est.* Ex iis certum, quod cum SCto tutoris optio Hispalæ data est, frustra illi liberam bonorum suorum facultatem tributam viri doctissimi puta-

putaverunt. Si enim poteſtas alienandi permiſſa eſt, cur poſtea tutoris optio data, & auctoritas imaginaria adjecta? Ut igitur Sti mentem aſſequi poſſimus, puto Livii lectionem diſtinguendam, ut eſt in Codice veteri, qui primus Mediolani excuſus eſt typis ad fidem MSC. an. 1480. & habet interpunctam lectionem: *utique Fecenia Hiſpala datio, diminutio gentis, enuptio.* Enuptionis verbum per ſe plenum eſt. Patricia enim enubere dicebatur, quæ plebejo nupſiſſet. Recte igitur dictio illa *gentis* ad *dationem & diminutionem* refertur. *Dare gentem* dicimus, ut *dare civitatem, dare connubium.* Libertini patrem habuiſſe non putabantur, cum ſervilis cognatio nulla eſſet, gens nulla, nulla ſacra. Nec vero ſervi ſolum, ſed etiam libertini ab iis oriundi gentem non habuerunt: verum ii ſoli quorum parentes nemini ſervierunt. Hiſpalæ ergo *data gens*, id eſt, jus gentilitatis conceſſum, quaſi ab ingenuis eſſet oriunda, majoreſque nunquam ſervitutem ſerviviſſent, aut capite minuti eſſent, patremque & avum illa ciere poſſet. Si Vindicio ſervo indicii præmium libertas, & civitas data apud Liv. II. 5. Hiſpalæ libertinæ ingenuitas concedi potuit jure ſingulari, ut deſineret eſſe libertina. Quod igitur ſub Principibus aureorum annulorum jus, & natalium reſtitutio dicebatur, ſtante Republica *gentis datio* erat. Cujus diminutio fuit gentis mutatio, quæ diminutio capitis minima appellatur. Hæc fiebat aut adoptione, aut in manum conventione. Gens adoptione amittebatur, ſi plebejus patricium adoptaſſet, hic enim e patriciis exibat. Ex quo *minuere gentem* apud Cicer. pro dom. c. 14. eſt de gentis dignitate aliquid detrahere. Ut cum gentem patriciam populus Romanus Hiſpalæ dediſſet, permiſit illi ut plebejo ſe in adoptionem dare poſſet, quod ſingulare jus aliud fuit. Cujac. ad reg. Ulpian. tit. de adopt. docet feminas ſui juris legibus Romanis non arrogari, ea fretus ratione, quod nullam cum feminis comitiorum communionem fuiſſe credat. Hiſpalæ exemplum hanc opinionem evertit, cui repugnat textus Ulpiani, quem notis ſuis illuſtravit. Nam *feminæ quidem non arrogant* (emendavit Cujacius *non arrogantur*) *quia liberos in poteſtate non habent.* Ratio legis perſpicua, quæ minus apta eſſet, ſi legeretur, *non arrogantur.* Nec enim feminæ non arrogarentur, quia liberos in poteſtate non habent, alioqui omnes, qui arrogarentur, liberos deberent in poteſtate habere, quod dici non poteſt. Ut nulla lege vetitum, quin feminæ poſſent arrogari. Etenim quod illæ ſub Principibus reſcripto arrogabantur l. nam & feminæ ff. de adopt. non probat ſtante Republica id curiatis comitiis fieri non potuiſſe. Sic Livia conjux Auguſti de gente Claudia in Liviam primum, mox in Juliam adoptionibus tranſivit. Capitis diminutio, quæ conventione in manum contingebat, ſacra quidem mulieris perimebat, ſed nihil derogabat genti, niſi enuptio ſecuta eſſet. Diviſio populi Romani ita a Romulo facta eſt, ut ingenui patricii eſſent, aut plebeji, quorum diverſa gens eſſet. Qui ex duobus ingenuis ortus erat; gentem habebat. Ingenui enim non dicebantur priſcis temporibus libertinorum filii, qui libertini ipſi vocabantur. Suet. Claud. c. 24. n. 4. Sed ex his procreati ingenuorum ſibi nomen vindicabant. Libertini vero plebis jura ſimul cum civitatis adeptione impetrabant. At patricia jura, niſi lege nominatim ad populum lata, nemo potuit adipiſci. Libertini tamen patricii patronorum gentiles vocabantur. Quorum nomina aſſumebant. Hi ut inter patricios numerarentur, lege curiata opus fuit, quæ vere gentem daret. Gens illa minuebatur enuptione, quæ proprie patriciarum fuit. Nam ſi plebeja patricio, aut libertina ingenuo nuptiis juncta eſſet, gentem illæ non minuebant, ſed augebant. Si vero patricia plebejo, enupſiſſe dicebatur, hoc eſt, genti derogaſſe. Hanc enuptionem patriciarum ſolum fuiſſe, ideoque Hiſpalam lege curiata patriciam factam, & gentem habuiſſe, ex Livio facile eſt comprobare. Nam apud auctores alios vix invenire eſt enuptionis verbum. In multis tamen locis reponendum eſt, ut in oratione D. Marci F. oratione ff. de rit. nupt. qua cavetur, *ut ſi ſenatoris filia libertino nupſiſſet, nec nuptiæ eſſent.* L. audacter *enupſiſſet.* Tacit. Annal. VI. 27. 2. dicit *denubere.* *Quod Julia Druſi filia. . . . denupſit in domum Rubellii Blandi.* Sic *Pythagoræ Neronem denupſiſſe* idem ſcribit ibid. XV. 37. 4. Gentis igitur *datio* enuptione probatur, nec enim Hiſpala enupſiſſet, ſi libertina, & plebeja remanſiſſet. *Guther. de vet. jur. pontif.* II. 7. Imo verba illa generalia *datio. . . . &* *diminutio. . . .* ſignificant generaliter, ſed ex ſubjecta materia, quid anguſtius velint, haud difficulter colligitur, neque alia indigent temperatione, quam ut in re certa, & minus late patenti adhibeantur. Notum eſt *dare* in genere ICtis eſſe per traditionem dominium transferre l. 75. §. ult. ff. de V. O. Non poſſumus autem transferre dominium, niſi quod ipſi habemus, niſi earum rerum, quæ ſunt noſtræ. Cui ergo permittitur in genere *datio*, ei conceditur, ut eorum, quæ ſunt ejus, nemine vi juris, aut poteſtatis, aut patronatus intercedente, dominum facere alium traditione liceat: præſertim ſi conſtet ejus antea conditionem, ſtatumve illum fuiſſe, ut hanc facultatem liberam ſatis non habuerit. Quare neque de alia re, quam de bonis, ſive peculio Hiſpalæ exaudiri poteſt illa *datio*, neque *diminutio* cujus ſit, jam ignorari neceſſe eſt; tradendo enim alteri *minuimus* noſtra; atque ea vox illuſtrandæ, & dilatandæ prioris cauſa additur. At inprimis huic interpretationi obſtare putat Gutherius, quod *tutoris optio* eidem Hiſpalæ detur. . . . Atqui nunquam fuit propoſitum ſenatui Hiſpalam eximere numero mulierum, aut talia ei jura dare, qualia viris tantum civibus, neque omnibus, nedum ſequiori ſexui conveniebant. Cato apud Liv. XXXIV. *majores*, ait, *nullam ne privatam quidem rem agere feminas ſine auctore voluiſſe:* idcirco illis, quæ in manu parentum, aut virorum non eſſent, tutoris auctoritas erat in his rebus, *ſi lege, aut judicio agerent, ſi ſe obligarent, ſi civile negotium gererent.* Ulpian. Inſt. tit. XI. Non igitur propterea negandum eſt *dationem diminutionem* ſuorum bonorum datam eſſe mulieri, quia tutor ad *dandum diminuendum* adhibitus eſt. Neque enim intelligitur ei facultas alia permiſſa, quam quæ legibus Romanis ingenuæ feminæ, quæ nullius in manu erat, competebat. Itaque totum hoc opponitur libertinæ conditioni, quibus ſuperſtite patrono id conceſſum omnibus non fuiſſe, minus autem mulieri, recte ſentit Turnebus. Nam & poſt edictum prætoris, quo jus patronorum in libertos temperamentum accepit, patrono remanſit actio operarum, & alimentorum, & ſocietatis bonorum nomine, ſi id in pœnam ingrati animi pepigiſſet patronus (ſatis autem credibile eſt, quemque, ut maxime potuit, in futurum ſibi caviſſe) & morientium ſine liberis ab inteſtato patronus hæres erat, contraque teſtamentum, quo liberi hæredes inſtituti non eſſent, bonorum poſſeſſionem a prætore accipiebat. Neque obeſt, quod mortuo patrono, nec in manu ullius erat Hiſpala, & tutore ab tribunis, ac prætore petito jam teſtamentum fecerat. Nam hoc caſu non abolebatur macula libertinæ conditionis: eoque cautum eſt hoc Sto, ut quod ante jus erat acquiſitum Hiſpalæ per mortem patroni, cum maneret libertini ordinis, id jam ei competeret jure privilegii, quo ingenuis æquabatur, tanquam mulieri, quæ mortuo viro in nullius poteſtate eſſet. Gutherius vocem *gentis* aptat *dationi, diminutioni, & dationem gentis* interpretatur gentilitatem, quaſi eſſet ab ingenuis oriunda: concedi ingenuitatem illi, ut deſineret libertina. . . . Principio advertendum Latini ſermonis conſuetudinem non ferre, ut dicamus, *gentis dationem eſſe alicui*, hoc ſignificatu, gentem datam eſſe alicui: non ſecus ac factionem teſtamenti eſſe alicui, non poteſt explicari, factum ei teſtamentum eſſe. Sed ut hoc eſt, poteſtatem alicui eſſe teſtamenti faciundi, ita illud Latine foret poteſtatem alicui *dandæ gentis* eſſe. Quæ poteſtas, aut facultas non dabatur ſingulari lege, ſed erat omnium civium Romanorum, imo liberorum hominum: neque admodum bene hæc phraſis de muliere enuntiatur. Abſurdum eſt dictu, libertæ decreto ſenatus *dari gentem* etiam Latino ſenſu: nam eo ipſo, quod manumiſſa erat, habebat gentem patroni: ſed *gentem dare* eſſe dare ingenuitatem, eſſe deinde in patricios referre, multo minus poteſt probari. Abſurdum

eſt

eſt etiam, cum dicitur *datio gentis*, voce poſteriore ſignificari ingenuitatem, cum intelligitur eadem ad ſequens *diminutio*, gentem patriciam denotari. Inauditum prorſus eſt feminas in patres relatas, aut decreto ſenatus gentem patriciam accepiſſe. Quæ vero eſt illa gens patricia? Feceniane an Hiſpala? an in Claudiam, Fabiam, Corneliam, aut ſimilem tranſiit? Adoptione in Liviam, mox Juliam familiam tranſiit uxor Auguſti. Arrogari, ut vere Cujacius, non poterant feminæ. Itaque recte emendavit Ulpianum. Totum hoc capitulum conceptum eſt de illis qui adoptantur, non de illis qui adoptant. Locum non habere, quod eſt vulgo, *arrogant*, perſpicuum eſt ex §. 8. *Feminæ neutro modo poſſunt adoptare, quoniam nec naturales liberos in poteſtate habent.* Sic fuit jure antiquo, nec inficiante Juſtiniano. Quum hoc tam mox docturus eſſet Ulpianus, quam bene monuiſſet ante paucos verſus de arrogatione? Nam ſi audias: *per populum Romanum feminæ non arrogant*, intelliges utique, poſſe igitur adoptare. Ergo illudit ſibi Gutherius verba Ulpiani ſic recitando. . . . Non enim eſt ea ratio iſtorum, de quibus dubitatur, verborum Ulpiani, neque hic in Ulpiani contextu inſeritur, ſed inferius, ubi neutro modo poſſe adoptare feminas ſemel dicit. Minime quoque conveniens eſt, ut libertæ, quæ corpore quæſtum fecerat, gens patricia decernatur. Fruſtra inducitur verbo *enuptionis*, quia eſt apud Livium *enubere e patribus.* Quid enim opus eſt hanc poteſtatem dare, quum poſt legem Canulejam de connubio patrum & plebis cuivis patriciarum virginum liceret voluntate parentum, aut quorum in poteſtate erant, plebejo nubere? quem nodum facit ipſe ſibi, nec tamen ſolvit Gutherius. Ita quidve ſolvi ait, ut eſt colligatum, ex regula juris: patriciam factam lege curiata Hiſpalam, eadem lege ex patriciis exire permitti illi debuiſſe. Ergo quæ gentes poſt acceptam Canulejam legem in patres ſunt lectæ, ex iis feminam, niſi nova lectione, enubere non quiviſſe putandum eſt: lectione enim facti erant patricii omnes illius gentis: ergo & lectione enubendum habuit virgo, quia ita quid ſolvitur, ut eſt colligatum. Ridicula hæc ſunt, & plena joci. Cui novus ordo datur, ei utique commune jus omnium ejus ordinis ſimul acquiritur. Sed & privilegia ſtricte ait interpretanda: nempe, ne extendantur ultra conceſſum favorem: interim quemlibet favori pro ſe introducto poſſe renuntiare, nota regula eſt. M. Annæus in excerptis: *Quidquid honoris nomine datur, in utramque partem licet: alioquin deſinit præmium eſſe, cui neceſſitas injungitur.* Gens libertorum non erat alia quam patroni, a quo nomen accipiebant, & ejuſdem gentis novam familiam humiliorem ordiebantur. Sic Tullius Tiro, ſic Pompeja Macrina deſcendens a Theophane liberto M. Pompeji, ſic plures alii. In his mirum non eſt moribus introductum fuiſſe, ut ex auctoritate patroni ejuſdem gentis liberti ducerent uxores, libertæ nuberent, æque ab eodem patrono illi manumiſſas, hæ manumiſſis. V. exemplum Catonis, & Salonii ſcribæ ejus liberti apud Plutarch. p. 350. F. Qui ne de liberis quidem, quos in poteſtate habebant, inſcio patrono conſulerent, ii de ſe maritandis illum auctorem ſpernere eſſent auſi? Nec leve argumentum ejus rei præbet Tacit. Annal. VI. 18. 3. Ubi quum Pompejam Macrinam, & maritum ejus Argolicum, ſocerum Laconem, patrem item fratresque appellaſſet, ſubjungit n. 4. *Datum erat crimini, quod Theophanem proavum eorum Cn. Magnus inter intimos habuiſſet.* Communis omnium proavus Theophanes, quia ex eadem gente perſonæ junctæ connubiis. Recte ergo Turnebus *gentis enuptionem* explicuit. Et ea propter additur inſuper: *utique ei ingenuo nubere liceret:* quod ſcilicet verbis illis non erat ſatis expreſſum. In oratione D. Marci audacter legit *enupſiſſet.* Vero, audacter. Nam *enubere alicui* non facile uſquam inveniet: ſed *enubere ex gente, ex ordine ſuo.* Fruſtra etiam legem curiatam de Hiſpalæ patriciatu latam fingit: nam quia Livius refert conſules cum tribunis plebis egiſſe, ut ad plebem ferrent; credibilius utique eſt tributis comitiis de præmiis utriuſque indicis actum, & plebiſcitum ex auctoritate ſenatus factum. Superat omnem admirationem, quod libertos patriciorum, quia accepto nomine gentiles patronorum dicebantur, patricios tradit factos, & ut numerarentur pulcri illi liberti, lege curiata opus fuiſſe, quæ vere gentem daret. Hæc piget refutare. *Gronov. ad Liv.* XXXIX. 19.

DAT.

DATATIM ludere erat pila ludere, propterea quod *dabatur:* viciſſim & alternis ludere. Unde quidam *datores* dicebantur in luſu pilæ, qui pilam *dabant:* alii autem factores, qui faciebant, id eſt, feriebant, & ludebant, quique in factiones erant diviſi, id eſt, ut dicimus, in conſuetudine in partes. Plaut. Curc. II. 3. 17.

Tum iſti qui ludunt datatim ſervi ſcurrarum in via:
Et datores, & factores omnes ſubdam ſub ſolum.

In corona enim alius alii dat pilam, ſed ſæpe fallit. Nam cum geſtu ſimulat ſe alicui facere, jacit alteri, qui ſecurus eſt in choro. Id Lucanus vocat:

— non ſperato fugientem reddere geſtu.

Paneg. ad Piſon. n. 184. Inde tranſlatio Ennii de muliere, quæ ſui copiam faciebat, cum etiam alioqui mulieres impudicæ *dare* dicerentur, apud Iſidor. I. 25.

— quaſi in choro pila
Ludens datatim dat ſe, & communem facit.
Alium tenet, alii nutat, alibi manus
Eſt occupata.

Nonius exodio apud Non. Marc. II. 213. *In molis non ludunt raptim pila, datatim morſo.* Lepide indicat ſervos ſolere inter molendum de polenta rapere, & invicem alium alii dare. *Turneb. Adv.* VII. 4. *Calcagn. de teſſer.* p. 296. *Brod. Miſcel.* IX. 24. *Palmer. Spic.* VII. p. 707. *Car.l. Ant q. Roman.* IV. 9. *Kipping. Antiq. Rom.* IV. 3. 2. *Ramirez. Hypomnem. ad Mart.* IV. 9. 7. *Erhard. Symbol. in Petron.* p. 592. *Columm. in Ennium* p. 310.

DATORUM ludus ſolet vocari ludus teſſerarum. Auſon. Profeſſ. Burdig. I. 29. V. ſupr. in *Calculi.*

DAUNII fuerunt pars Apuliæ. Plin. III. 11. *Hæc Apulia Dauniorum, in qua oppidum Salapia, Sipontum, Uria, amnis Cerbalus Dauniorum finis. Dauniorum præter [illegible] coloniæ Luceria, Venuſia, oppida Canuſium, Arpi.* Sigon. de Ant. jur. Ital. I. 13.

DEA.

DEÆ matres paſſim occurrunt in lapidibus antiquis. Diana matris cognomento ornatur in columna ænea, quæ Cluniæ in Hiſpania exſtat:

TEMPLUM. DIANÆ.
MATRI. D. D. APU
LEJUS. ARCHITEC
TUS. SUBTRUXIT.

Nimirum Diana mater eſt, quatenus Lucina, & parturientium dicitur opitulatrix. Luxemburgi in ara quadrata:

MATRI. ET PATRIBUS.

Et virgines. Diana virgo dicitur in hoc monumento apud Gruter. p. 4. n. 14.

VIR. DIANÆ SACR.
PRO SALUTE
IMP. CÆSARIS L. SEPTIMI
SEVERI PERTINACIS.

Diana virgo eſt, quatenus virgines ipſi ante nuptias ſacratæ, quod de Diana Munichia & Brauronia Harpocration teſtatur. Dii autem deæque virgines appellatæ, qui quæque vel matrimonium in cœlo non contraxerant, vel virginalis ætatis curam habebant. Quemadmodum matres & patres vocabantur, quæ quique vel primi dearum deorumque parentes, vel nuptias cum aliis numinibus inierunt,

rant, vel matres patresque familiarum peculiari ope & favore tueri, atque sustentare credebantur. *Boxhorn. ad Plutarch. Quæst. Roman.* 73. Earum maxima pars effingebatur sedens, in nummis antiquis, præsertim in illis, quos vel turbata, vel recuperata Imperatorum suppeditavit valetudo. *Falconer. de pyram. C. Cestii Epul. Diss. Thes. Antiq. Roman. Græv. Tom.* IV. *p.* 1471. *C. Selden. de diis Syr. p.* 258.

DEALBATORES a Paterno in Codice Theodosiano omittuntur. Ab albinis, vel albariis differre possunt, quod illi parietes, isti vasa figulina, vel quid aliud *dealbant*. Panciroll. de corpor. artif. §. 32.

DEAURATORES dicebantur, qui statuas, vasa, arma, aliave opera auro integebant. Ita in codice Theodosiano nominantur. Plutarch. de glor. Athen. p. 348. E. *Una eant Tragi histriones, & Nicostrati, & Callipidæ, & Menisci, & Theodori, & Poli, tragœdiæ, tanquam sumptuosæ mulieris, comptores, & gestatores, aut potius tanquam statuarum incrustatores, deauratores, & tinctores.* Figrell. de stat. illustr. Roman. c. 16. Panciroll. de corpor. artif. §. 12.

DEB.

DEBITORUM, si ex publico solvantur, habita est ratio, qua *neque tenuiores propter imbecillitatem circumveniantur, neque locupletibus ad sua vel tenenda, vel recuperanda obsit invidia*, ut loquitur Cicer. Offic. II. 24. Hujus auctores quidam in senatu sunt T. Largio & Q. Clœlio Coss. apud Dionys. v. p. 333. & secutus postea Manlius, auctore Liv. VI. 14. diversa tamen ratione. Illi, *quo & pauperum fides gratia servaretur, & creditores jus suum consequantur*, quod addit Dionysius. Hic, quo in speciem quidem justo, *quid enim justius, quam ut populus vivat ærario suo.* Ut ex mente plebis Flor. III. 13. re vera autem callidissimo consilio plebem, ut qui sciret rem esse ipsi haud ingratam, sibi obnoxiam redderet. *Scheffer. Agripp. Liber. c.* 7.

DEBITORES cum solvendo non essent, ut trahi a creditoribus, atque ad operas in servitute præstandas cogi possent, erat jus jam inde a condita Urbe, ut opinor, vel lege, vel more constitutum. Hac licentia abusi multi in terga etiam miserorum crudelissime sævierunt. Et hinc plebis in montem sacrum secessio anno post Reges exactos 16. nata est. Liv. II. 23. Dionys. VI. p. 361. *Magno natu quidam in forum venit: Sabino bello ait se militantem, quia propter populationes agri non fructu modo caruerit; sed villa incensa fuerit, direpta omnia, pecora abjecta, tributum iniquo suo tempore imperatum, æs alienum fecisse: id cumulatum usuris primo se agro paterno, avitoque exuisse, deinde fortunis aliis, postremo velut tabem pervenisse ad corpus: ductum se ab creditore non in servitium, sed in ergastulum, & carnificinam esse: inde ostentare tergum fœdum recentibus vestigiis verberum. Ad hæc visa, auditaque clamor ingens oritur: non jam foro se tumultus continet, sed passim totam Urbem pervadit: nexi, vincti, solutique se in publicum proripiunt.* Atque hæc fere ante, quam tabulæ scriberentur. *Sigon. de ant. jur. civ. Roman.* I. 6. Tunc enim confessi æris alieni judicatis justi dies triginta dati sunt conquirendæ pecuniæ causa. Gell. XX. 1. *Æris confessi, rebusque jure judicatis triginta dies justi sunto.* V. illos infr. in *Dies.* Ubi addit Cæcilius, nisi æs alienum illis diebus dissolvissent, ad prætorem vocari solitos, qui creditoribus eos addicebat: tum nervo, atque compedibus vinciebantur: deinde eos pacisci fas erat; nisi pacti forent, in vinculis sexaginta dies habebantur: in quibus diebus tribus nundinis continuis ad prætorem in comitium perducebantur, quantæque pecuniæ essent judicati, prædicabatur, ut si quis eos eximere vellet, quod nobilissimi quique facere solebant, tantam pecuniam solveret. Hinc ille jocus apud Nævium, ut refert Cicer. de Orat. II. 63. *Videtur*, inquit, *esse misericors ille, qui judicatum duci videt, percunctaturque ita: quanti addictus? cumque illi responsum esset, mille nummum: si addidisset, tantummodo, ducas licet, esset illud genus ridiculi præter exspectationem, sed quia addidit, nihil addo, ducas licet, addito ambiguo altero genere ridiculi, fuit, ut mihi quidem videtur, falsissimus.* Ambiguum erat, *nihil addo*: quoniam ad adjectionem referri poterat, qua quis in licitatione utitur; & ad ea, quæ agebat, hoc est, nihil verborum addo, nihilque amplius a me exspectes, eum libere ducito. Tertiis nundinis, ut Gellius scribit, capite pœnas dabant, aut trans Tiberim peregre venum ibant. Capitalis pœna acerbissima fuit, ut si plures essent creditores, addicti corpus inter se secarent. Qua pœnæ immanitate effectum est, ut Cæcilius dicebat, ne unquam aliquis eam subiret. *Namque addici & vinciri multos*, inquit, *vidimus, quia vinculorum pœnam deterrimi homines contemnunt. Dissectum esse antiquitus neminem equidem neque legi, neque audivi.* Quintil. III. 6. *Sunt quædam non laudabilia natura, sed jure concessa, ut in* XII. *tabulis debitoris corpus inter creditores dividi licuit, quam legem mos publicus repudiavit.* Tertull. Apolog. c. 4. *Judicatos in partes secari a creditoribus leges erant, consensu tamen publico crudelitas postea erasa est, & in pudoris notam capitalis pœna conversa est, bonorum adhibita proscriptione.* August. ad leg. XII. tab. §. 38. Scheffer. Agripp. Liber. c. 7. Rabir. de hast. & auct. orig. Thes. Antiq. Roman. Græv. Tom. III. p. (25.) B. Sigon. l. l. Infames, ut qui fidem creditori præstitam non servassent, redditos esse docent legati Manlii apud Sallust. Bell. Cat. p. 26. quando coram Rege Q. Marcio sic loquuntur. *Violentia atque crudelitate fæneratorum plerique patria, sed omnes fama atque fortunis expertes sumus.* Liv. VI. 34. *Fama & corpore judicati atque addicti creditoribus satisfaciebant.* Summa autem ejus infamiæ in duobus maxime consistebat, quod & fidem apud honestiores amitterent, & exciderent gratia patronorum, nec deinceps digni haberentur, qui eos clientium more salutarent, prosequerentur in viis, & id genus alia officia præstarent. Appius hoc declarat in Orat. apud Dionys. IV. p. 386. *Nulli eorum, qui me defraudarunt, nexum, aut infamiam conciliavi, sed omnes per me liberi sunt, omnes gratiam habent ut clientes & amici, atque in maxime necessariis censeri volunt.* Scheffer. l. l. Si foro cesserint, bona distrahi, & portio creditoribus, quæ ex redacto fieret, solvi, pretiumque omnibus pro portione præstari solebat. Julian. l. 5. ff. de curat. bon. dand. *Si debitor foro cesserit, & creditores privato consilio coierint, & elegerint unum, per quem bona distrahantur, & portio ipsius, quæ ex redactu solveretur: mox exstiterit alius, qui se creditorem dicat: nullam quidem actionem adversus curatorem habebit: sed bona debitoris una cum curatore vendere poterit: ita ut quæ a curatore, & a creditore ex bonis contrahantur, omnibus pro portione præstentur.* Quod & Seneca significat de Ben. IV. 39. *Pecuniæ etiam male creditæ actio est. Et appellare creditorem ad diem possum, & si foro cesserit, portionem feram.* Brisson. de Form. VI. p. 540. *Debitores* plerique ad columnas, in quibus Principum statuæ positæ erant, velut ad salutis quendam portum confugiebant, ubi tanquam in fide publica positi, adversum dominorum sævitiam tuti essent. Cicer. pro Sext. c. 8. *Olimne Scyllæo illo æris alieni freto, ad columnam adhæresceret, in tribunatus portum confugerat?* Voluit Cicero, propter æris alieni magnitudinem, quod contraxerat gurges, ac vorago patrimonii, cuique solvendo nec plurium exhaustæ fortunæ essent satis, non solum ut olim ad Principum columnas, veluti perfugium quoddam adversus creditores, verumetiam ad Clodii tribunatum, in ejusdem fidem hostem confugisse. Ulpian. l. eum qui ff. de privil. credit. *Eum*, ait, *qui circa columnas se occultat, ut creditorem evitet, latitare placet*, sentiens, etsi statuæ, & columnæ illæ obæratorum corpora a creditorum injuria vindicent, non tamen a debitore pignora auferri esse impedimento. Huc pertinet illa tribunorum plebis historia, cujus meminit Val. Max. VI. 5. 4. *Rabir. de Hast. ac auct. orig. Thes. Antiq. Roman. Græv. Tom.* III. *p.* (21.) *B.* Hoc falsum est, nec ullius auctoritate veteris scriptoris firmari potest. In Cicerone est ἀλληγορικὸν, & hoc vult, ne ære alieno pressus ad columnam Mæniam in jus vocaretur, & ibi damnatus a judicibus periret, perinde ac navis in freto

Siculo perit, cum ad ſcopulum impingit, & adhæreſcit, tribunatum petiit plebis. Quamdiu enim tribunus plebis erat, in jus vocari non poterat. Quod locus productus Valerii Maximi de L. Cotta tribuno plebis, qui ſuis creditoribus ſatisfacere nolebat, tribunatu plebis, ad quem confugerat, non ad columnas Principis declarat. Multo minus de his Principum columnis loquitur Ulpianus. Sunt enim hæ columnæ, quibus ſe occultare ſolebant *debitores*, non ſolæ Principum baſes, ſed quævis aliæ columnæ, quarum erat in foro magnus numerus, poſt quas latitabant, dum creditorem ſibi occurſurum, aut viderent, aut vererentur. *Græv. Theſ. Antiq. Roman. Tom.* III. *Præfat.* * * I. *verſ.* Hunc poſt ſtatuas latitandi morem Ambroſ. de Tobia c. 7. *Ille*, inquit, *greſſus debitoris ſi[illegible]ulos numerat, aucupat deflexus. Iſte continuo poſt columnas caput obumbrat.* Additur etiam in l. Fulcinius. §, illud ſciendum ff. quib. ex cauſ. in poſſeſſ. *eum latitare videri, qui in eodem foro agit, ſi circa ſtationes ſe occultet.* Auſim legere *ſtatuas.* Ita enim Sidon. Epiſt. I. 11. *Principe poſt diem viſo, in forum ex more deſcendo: quod ubi viſum eſt, illico expavit, ut aut ille, nil fortiter auſa ſeditio. Alii tamen mihi plus quam deceret ad genua provolvi, alii ne ſalutarent, fugere poſt ſtatuas, occuli poſt columnas.* Cujac. Obſerv. I. 13. Alciat. Parerg. IV. 27. Savar. in Sidonium. Nec, ſublata de nexis lege decemvirali, omnino creditoribus addici deſierunt. Fuit enim in uſu addictio quædam voluntaria, qua ſe in voluntariam ſervitutem tamdiu addici patiebantur, donec ſuis creditoribus ſatisfeciſſent. Id teſtatus eſt Varr. de Ling. Lat. VI. 5. *Liber homo, qui ſuas operas pro pecunia quam debeat, dat, dum ſolveret, nexus vocatur, ut ab ære obæratus.* De hujuſmodi addictis Diocletianus l. 12. C. de oblig. & act. *Ob æs alienum ſervire liberos creditoribus jura compelli non patiuntur.* Inviti ergo creditoribus ſervire non coguntur, ſed recte inviti in carcerem detrahuntur l. 1. C. qui bon. ced. poſſ. Et ſic pœnam carceris voluntaria ſervitute effugere, ſi vellent, poterant. *Revard. Var.* IV. 18. V. & ſupr. in *Addictus.*

DEBITORES chirographarii: V. illos ſupr. in *Chirographum.*

DEC.

DECANATUS erat decem virorum ſocietas. Ita habet gloſſa in rubr. tit. Cod. de Decanis. *Urſat. de not. Roman. Theſ. Ant. Rom. Græv. Tom.* XI. *p.* 667. *E.*

DECANUS erat, qui *decem* præerat, etiam in militia, ipſe ſcilicet undecimus, & caput contubernii. Veget. II. 8. *Erant decani denis militibus præpoſiti, qui nunc caput contubernii vocantur.* Panciroll. Notit. dignit. imp. orient. c. 20. Stewech. in Veget. II. 6. Ouzel. in Minut. Felic. p. 3. Du Freſne Gloſſar.

Decanus lecticariorum in lapidibus libertorum domus Auguſtæ. Hic inter lecticarios ſervos fuit primus, id eſt, antiquior, adhuc dum etiam Romæ *il decano de palafrenieri* dictus. Ni potius ille fuerit, qui decem lecticariis præerat. *Urſati de not. Rom. Theſ. Ant. Rom. Græv. Tom.* XI. *p.* 667. *D.* Romæ, ubi magna erat populi frequentia, plurimi, qui humandis mortuis operam darent, fuerunt inſtituti lecticarii a portandis lectis nominati. Et hi *decani* vocabantur l. 4. ad Novellam 43. *Panciroll. Deſcr. Urb. Rom. Theſ. Antiq. Rom. Græv. Tom.* III. *p.* 376. *D.* forte quod in decades eſſent diviſi. A Conſtantino ſunt inventi, ut gratuitam exportandis defunctis operam præſtarent, eamque ob cauſam majori Eccleſiæ Conſtantinopolis 950. ergaſteria donavit, alia 150. Anaſtaſius cum quibuſdam aliis reditibus addidit, quæ numerum 1001. ergaſteriorum efficiebant, ex quorum penſionibus ſumptus funerum fiebant. Novell. 59. §. 1. Leonis Novell. 12. A defenſore Eccleſiæ ex ergaſteriorum penſione alebantur. Hi ferebant cadaver, ſepulcrum exſtruebant, & in aliis hujuſmodi laborabant, unde κοπιαταὶ, id eſt, laborantes vocantur in d. Novell. 59. §. 2. Nullum tamen ipſis certum locum Conſtantinopoli deſtinatum fuiſſe invenio, ſed, ut facile inveniri poſſent, credendum eſt eos in certo loco congregatos manſiſſe, quemadmodum Romæ: ubi in unis caſtris degebant in XIV. Urbis regione, quæ *caſtra lecticariorum* appellabantur. *Panciroll. Notit. dignit. imp. orient. c.* 28. *Imp. occid. c.* 5. *Du Freſne Gloſſar.*

DECARGYRUM, δεκάργυρον, monetæ majoris ſpecies, eademque cum ea, quæ *majorina* dicta, ex l. 2. C. ſi quis pecun. conflav. Sic autem ap[illegible], quod decem argenteis minutioribus æſtimaretur, proindeque ſexta argenti libræ pars eſſet: quippe, ut eſt in l. 1. C. eod. C. de expenſ. lud. *Argenti libra una in argenteos ſexaginta dividebatur.* Du Freſne Gloſſar. Freher. de re monet. vet. Rom. I. 2.

DECEMBER a Romulo triginta dierum conſtitutus, ex ordinatione Numæ unum amiſit; at a Cæſare non ſolum ad priſtinum numerum reſtitutus, ſed ad unum & triginta etiam extentus. Nonas ſemper quinto menſis die, & Idus tertio & decimo retinuit. *Viola de Roman. temp. rat. Theſ. Ant. Rom. Græv. Tom.* VIII. *p.* 197. *C.* Ab adulatoribus Commodi Imperatoris *A[illegible]onius* eſt di[illegible]. Lamprid. Comm. c. 11. *Pro De[illegible] ex ſigno ipſius adulatores vocabant. [illegible] ex amore concubinæ ſuæ Marciæ, [illegible] in Amazone dil[i]gebat: propter quam & ipſe A[illegible] arenam Romanam procedere voluit.* V. infr. in *Novem[b]er.* In tutela fuit Veſtæ. *Alex. Gen. Dier.* III. 24. *Rhodig. Ant. Lect.* XXV. 30. *Stuck. de ſacrif. p.* 26. *Do[illegible]. D[illegible]. p.* 637. *Struv. Ant. Rom. c.* 8. *p.* 349. S[illegible] fuiſſe ſcribunt Plutarch. Quæſt. Rom. 34. *[illegible] a Romanis eſt conſecratus.* & Macrob. Sat. I. 7. *Ut December ſacrum Saturni vocabulum poſſideret.* Tiraquell. in Alexandrum. Hoc parentavit Decius Junius Brutus, & tamen majorum inſtituta non neglexit. V. ſupr. in *Brutus Decius.* Illo alea alias legibus vetita ludere licebat. Mart. IV. 14. 7.

Dum blanda vagus alea December
Incertis ſonat hinc & hinc fritillis.

Senſtleben de Alea c. 1. §. 4. Lipen. de ſtren. c. 4. §. 69. Et fere totus genialis erat & feſtivus: unde *acceptus geniis*, id eſt, genialis, quoniam in illo indulgebatur genio, hoc eſt, voluptatibus, dicitur Ovid. Faſt. III. 50.

Acceptus geniis illa December habet.

Juven. Sat. VII. 96.

Tunc par ingenio pretium: tunc [illegible] multis
Pallere, & vinum toto neſcire Decembri.

Senec. Epiſt. 18. *December eſt menſis, quo civitas maxime deſudat, jus publicæ luxuriæ datur, ingenti apparatu ſonant omnia.* Stuck. Ant. Convív. I. 33. Grang. in Juvenalem. Lipen. l. l. Faber Semeſt. I. 14.

DECEMJUGIS vocabatur [illegible], quem *decem* equi juncti trahebant. Suet. Ner. c. 24. [illegible] *[illegible]gavit quoque plurifariam: Olympiis vero etiam [illegible]jugem.* Auctor vetus Olympiadum collectionis vo[illegible] δεκάπωλον. Quem Neronis tempore uſurpari cœptum vero ſimile eſt, ita tamen, ut non ordinarius, ſed extraordinarius fuerit, & ex provocati[illegible] certantium inter ſe junctus. Ordinariorum [illegible] fuit ſejugis. Iſidor. XVIII. 36. *Se[illegible], maximus currus, curru Jovi, propter quod maximum deorum [illegible] credunt.* Novum fuiſſe, nec viſum antea, τὸ *etiam* oſtendit apud Suetonium. Romam circenſes non viderunt *decemjugem*, nec per Neronem quidem exhibitum, quia nominatim Suetonius hoc factum ait Olympiis. *Scheffer. de re vehic.* II. 14. *Panvin. de lud. Circ.* 19. *Hugo de milit. equeſt.* I. 6. *Buleng. de Circ. c.* 50. *Pitiſc. in Suetonium.*

DECEMPEDA eſt lignum, quo latifundia metiuntur, & in partes dividunt, oblongum pedibus decem, δεκάπους Platoni. Cicer. Phil. XIV. 4. *Quam jam peritus metator & callidus decempeda ſua Saxa diviſerat.* Mil. c. 27. *Qui cum architectis & decempedis villas multorum, hortoſque peragravit.* Stewech. in Veget. III. 8. Alex. Gen. Dier. II. 13. Bud. in Pandect. p. 126. A. Briſſon. de Form. VI. p. 518. Lipſ. de mil. Rom. V. 12. Ejus meminit Horat.

Od. II. 15. 14. V. illum infr. in *Porticus Neronis*. Apud quem an groma fuerit, fusius examinat *Salmas. Exercit. [illegible] p. 480. b. E.* ... Centurioni delinquenti hastæ bell. [illegible] *[illegible]empedam*, quæ fuerit pertica, vel contus, ge[illegible] ignominiam dedit Augustus. Suet. c. 25. n. 5. *Donat. Dilucid. p. 311.*

DECEMPEDATOR est mensor, qui *decempeda* utitur. Cicer. Philip. XIII. 18. L. *Antonius æquissimus agri publici & privati decempedator.* Salmas. Exercit. Plinian. p. 48. a. B. Donat. Dilucid. p. 312. Stewech. in Veget. III. 8. Bud. in Pandect. p. 126. B.

DECEMPRIMI erant decurionum *decem* primarii, δεκαπρώτυς vocant. Hi in provinciis tributi modum in capita & agros definiebant, & exigebant pro ea forma, quæ ab Imperatore, & præfecto prætorio ad rectores provinciarum missa esset, & quod deerat, de suo sarcire cogebantur, ob quæ onera ipsis ruri habitare non licebat l. unic. C. Si curialis relicta civitate ruri habitare maluerit. Id autem imprimis operam dabant, ne tenuiores opprimerentur l. 1. l. 3. §. decaprotos. l. final. §. mixta ff. de mun[illegible] honor. l. nec protostasiæ C. de muner. patrim. Cic[illegible] pro Sext. Rosc. c. 9. *Decretum sit decurionum, ut decemprimi statim proficiscantur ad Syllam.* Buleng. de Vectig. c. 93. Sigon. de ant. jur. Ital. II. 8. Panciroll. de magistr. munic. c. 1. & 4. Guther. de Offic. Dom. Aug. I. 15. Chiment. de hon. bisell. c. 6. & 37. Velser. rer. Au[illegible] p. 95. Reines. Epist. 394. Turneb. Adv. VIII. 22. [illegible] in Pandect. p. 270. C. p. 275. I. Noris. Cenot. Pi[illegible] I. c. 3. Rhodig. Ant. Lect. XXII. 14. Barthol. Auct[illegible] c. 39.

DECEM TABERNÆ fuerunt in valle Agathæ ædi subjecta, ut ex inscriptione marmoris ibidem effossi didicimus. *Marlian. Topogr. Urb. Rom.* IV. 10. *Nardin. Vet. Rom.* IV. 6. Ego puto illum locum esse, quem Martianus *regionem taberniolam* vocatam esse asserit, & Varro *viam taberniolarum* appellat. *Panciroll. Descr. Urb. Rom. Thes. Ant. Rom. Græv. Tom.* III. *p.* 346. *D.*

DECEMVIRI, agrorum divisio cum Romæ facienda esset, agris dandis, attribuendis, judicandis creati sunt anno ab U. C. 552. Cn. Cornelio, P. Ælio coss. Liv. XXXI. 4. *Patres decreverunt, ut M. Junius prætor urbanus, si ei videretur, decemviros agro Samniti, Apuloque, quod ejus publicum populi Romani esset, metiendo, dividendoque crearet.* XLII. 4. *Eodem anno*, n. ab U. C. 579. L. Postumio Albino, M. Popillio Lænate coss. *quum agri Ligustini & Gallici, quod bello captum erat, aliquantum vacaret, senatus[illegible], ut is ager viritim divideretur. Decemviros [illegible] rem ex senatusconsulto creavit A. Atilius prætor urb[illegible] Æmilium Lepidum, C. Cassium, T. Æbutium [illegible], C. Tremellium, P. Cornelium Cethegum, Q. & L. Appulejos, M. Cæcilium, C. Salonium, C. Munatium. Di[illegible]t dena jugera in singulos, sociis nominis Latini terna.* Sigon. de ant. jur. Ital. II. 2. Laz. Comm. Reip. Rom. III. 8. Ursat. de not. Rom. Thes. Ant. Rom. Græv. Tom. XI. p. 1007. E.

Decemviri legibus ferendis, & Reipublicæ administrandæ creati sunt anno ab U. C. 302. hac de causa. Plebs de nimio consulum imperio querebatur, qui jus non e certis legibus, sed arbitrio suo dicerent. Petitis igitur e Græcia legibus, senatusconsulto, & plebiscito confirmatum est, ut omnibus magistratibus abrogatis *decemviri* cum summo imperio crearentur. Liv. III. 33. *Anno trecentesimo altero, quam condita Roma erat, iterum mutatur forma civitatis, ab consulibus ad decemviros translato imperio. Minus insignis, quia non diuturna mutatio fuit: læta enim principia magistratus ejus nimis luxuriavere. Decemviri creati sunt Ap. Claudius, T. Genutius, P. Sestius, L. Veturius, C. Julius, A. Manlius, Sev. Sulpicius, P. Curatius, T. Romilius, Sp. Postumius. Claudio & Genutio, quia designati consules [illegible] annum fuerant, pro honore honor redditus: & [illegible] consulum prioris anni, quod eam rem collega invito [illegible]. His proximis legati tres habiti, qui Athenas ierant: simul ut pro legatione tam longinqua præmio esset honos: simul peritos legum peregrinarum ad condenda nova jura usui fore credebant.* Eadem Dionys. X. p. 629: & Pompon. I. II. §. 24. de orig. jur. *Manut. de Leg. c.* 2. *& 5. Hotom. de magistrat. Roman. I. Thes. Ant. Rom. Græv. Tom.* II. 1869. *D. Panvin. de civit. Rom. c.* 70. *Fast.* I. *p.* 83. *Blond. Triumph. Rom.* IV. *p.* 87. *A. Pigh. Annal. Rom.* I. *p.* 154. *Flocc. de Potest. Roman.* II. 14. Quæcunque in XII. tabulas scripserunt, de Solonis fere legibus translata sunt. Multa de jure divino sancita esse necesse est: siquidem ita diligenter, & ita copiose scriptæ sunt, inspectis prius & sapientissimi Solonis legibus, & aliarum Græciæ civitatum institutis ac moribus. Supplementa illarum a Faliscis collegisse Romanos apud Servium Honoratum scriptum est: cujus in commentariis a Cretensibus etiam aliquid sumptum animadvertimus. *Majores*, inquit, *nostri sedentes epulabantur: quem morem habuerunt a Laconibus & Cretensibus, ut Varro docet in libris de gente populi Romani, in quibus docet, quid a quaque traxerit gente per imitationem.* Manut. l. l. Pigh. ibid. p. 146. Extraordinario jure & leges ferre, & senatum habere potuerunt. *August. de Leg. c.* 7. Legum tamen ferendarum potestas eis ita permissa est, modo ne lex Icilia de Aventino, aliæque sacratæ leges abrogarentur. *Augustin. in lege Icilia.* Cum duodenis fascibus prodibant. Liv. III. 36. *Initio magistratus primum honoris diem denuntiatione ingentis terroris insignem fecere: nam quum ita priores decemviri servassent, ut unus fasces haberet, & hoc insigne regium in orbem, suam cujusque vicem per omnes iret, subito omnes cum duodecim fascibus prodiere. Centum & viginti lictores forum impleverant, & fascibus secures illigatas præferebant: nec attinuisse demi securim, quum sine provocatione creati essent, interpretabantur.* Augustin. in lege Valeria. Horum potestas cum in tyrannidem conversa esset, & ipsi non vellent magistratus cæteros sufficere, Appii Claudii luxuria effecit, ut Virginius filiam occideret, & in montem Aventinum ex Algido exercitus signa transferret, quo plebs quoque urbana se contulit. Pompon. l. 2. §. 24. de orig. jur. *Et cum placuisset leges quoque ferri, latum est ad populum, uti omnes magistratu se abdicarent: quo decemviri constituti anno uno cum magistratum prorogarent sibi, & cum injuriose tractarent, neque vellent deinceps sufficere magistratibus, ut ipsi, & factio sua perpetuo Rempublicam occupatam retineret: nimia atque aspera dominatione eo rem perduxerunt, ut exercitus a Republica secederet.* Augustin. in lege Horatia. Flocc. l. l.

Decemviri sacrorum dicti, quo ab aliis *decemviris* discernerentur. *Expulsis Regibus Sibyllinorum curam civitas suscepit*, & duumviris abrogatis, *clarissimos viros custodes eorum creavit: qui per totum vitæ tempus fungerentur eo munere, liberi ab omnibus militaribus, atque civilibus muniis: & publice illis addidit alios, sine quibus Sibyllinos libros ab illis inspici non sivit.* Dionys. IV. p. 260. memor perfidiæ Attilianæ memoratæ infr. in *Duumviri Sibyllini.* Fueruntque hi ex patribus tantum per 141. annos, usque ad annum II. Olymp. 103. seu ab U. C. 386. ante D. Jesum 365. quo tempore C. Licinius Calvus & L. Sextius Lateranus tribuni plebis ad populum pertulerunt, ut deinceps sacrorum Sibyllinorum custodes *decemviri* non tantum ex ordine patrum, sed partim ex patribus, ut hactenus, partim ex plebe constituerentur. Id quod obtinuerunt. Liv. VI. 42. *De decemviris ex parte de plebe creandis Sextius & Licinius tribuni decimum refecti legem pertulere. Creati quinque patrum, quinque plebis.* Schmid. de Sibyll. D. 2. Taffin. de lud. secul. c. 5. Pompon. Læt. de sacerdot. c. 13. Manut. de Leg. c. 5. *α.* Cum gravis pestilentia esset exorta. Illorum muneris erat I. Inspicere libros Sibyllinos. Liv. VII. 27. *Pestilentia civitatem adorta coegit senatum imperare decemviris, ut libros Sibyllinos inspicerent: eorumque monitu lectisternium fuit.* β. Cum tetra prodigia nuntiata essent. Liv. XXI. 62. *Ob cætera prodigia libros adire decemviri jussi.* XXXI. 12. *Nihilominus decemviros adire libros de eo portento jusserunt.* Brisson. de Form. II. p. 204. Keuchen. in Frontin. de aquæduct. Thes. Ant. Rom. Græv. Tom. IV. p. 1637. D. Laz. Comm. Reip. Rom. III. 8. II. Curare ludos Apollinares. Liv. x. 8. *Decemviros sacris faciundis, carminum Sibyllæ ac sacrorum hujus populi*

puli interpretes, antistites eosdem Apollinaris sacrificii, ceremoniarumque aliarum plebejos videmus. III. Edicere supplicationem. Liv. xxxvii. 3. *Supplicatio earum religionum causa fuit: quibus diis decemviri ex libris fieret, ediderunt.* Guther. de vet. jur. Pont. I. 12. Laz. l. l. Illorum numerus ad quinque quando auctus sit. V. infr. in *Quindecemviri.*

Decemviri stlitibus, ita enim veteres pro litibus, judicandis quo tempore creati fuerint, non reperio. *Hotom. de magistr.* I. *Thes. Ant. Roman. Græv. Tom.* II. *p.* 1869. *E.* Creati sunt circa annum ab U. C. 467. Q. Marcio, P. Cornelio Coss. I. quod Pompon. I. 2. §. 29. ff. de orig. jur. testatur, *decemviros* litibus judicandis creatos esse, quo triumviri capitales sunt instituti: *Deinde cum esset necessarius magistratus, qui hastæ præesset: decemviri in litibus judicandis sunt constituti. Eodem tempore & triumviri capitales.* Illi vero circa eum annum, ut ex Flor. Epit. xi. constat: *Tunc vero triumviri capitales primum creati sunt.* II. Ratio scribendi hoc evincit, quod *decemviri stlitibus judicandis* dicantur prisco more, qui stlocum, stlatum, stlembum, stlitem, pro locum, latum, lembum, litem dicebant, ut scribit Festus. *Ræyard. Protribun. c.* 19. Qui nugas agit, dum ait, creatos esse anno ab U. C. 467. quod dicat Pomponius *eodem tempore triumviros capitales esse institutos, qui creati sunt eo anno.* Id sane a me negatur, cum manifestum sit, centumviros post annum 512. creatos esse, iisque præfectos *decemviros* litibus judicandis. V. supr. in *Centumviri.* Nec ratio scribendi hoc evincit, quia contra illum, Rævardum, pugnant non modo vetustissima legum Romanarum fragmenta post annum ab U. C. 513. latarum, sed veterum quoque poetarum scripta, Ennii, Pacuvii, Nævii, Accii, Lucilii, Plauti, in quibus sane non minus antiqua verba, & tunc temporis in ore totius populi Romani reperiuntur, & cuique obvia sunt. *Siccam. de centumv. judic.* I. 9. Non erant magistratus. *Gruch. de com. Rom.* II. 2. Omnino fuerunt. Affirmant enim Dio LIV. p. 540. B. *Absente adhuc ab Urbe Augusto SCtum factum est, ut XXviri ex equitibus constituerentur, quorum deinde nullus in senatum est allectus, nisi quem etiam alium magistratum, cujus ratione senator posset fieri, gessisset,* Pomponius supra productus. *Siccam. l. l. Sigon. de judi c.* I. 8. *Masson. Ovid. Vit. p.* 65. Post quæsturam hoc munus obierunt. Suet. Aug. c. 36. *Auctor fuit, ut centumviralem hastam, quam quæstura functi consueverant cogere, decemviri cogerent.* Indicat etiam vetus inscriptio hujusmodi: SCÆVA. QUÆSTOR. DECEMVIR. STLITIBUS JUDICANDIS. TR. PL. *Zamosc. de senat.* I. 15. *Sigon. l. l.* Ex numero & corpore centumvirorum sorte deligebantur. *Gruch. l. l. Buleng. de Imp. Rom.* v. 26. *Pollet. Hist. For. Rom.* III. 14. *Bud. in Pandect. p.* 40. *Beroald. Torrent. & Sabell. ad Suetonium.* Imo fuerunt sejuncti ab illis, nec illorum pars. Probat hoc Dio jam laudatus. Præterea judicarunt de causis diversis ab illis, de quibus cognoscebant centumviri. *Donat. Dilucid. p.* 366. *Siccam. l. l.* Centumviros cogebant. Suetonius modo laudatus. Quod aperte etiam Plin. Epist. v. 21. 2. *Sedebant judices, id est haud dubie centumviri, decemviri venerant.* Augustin. de leg. in Æbutia de centumviris. Siccam. l.l. Judicia exercebant. Cicer. Orat. c. 46. *Plane duumvirorum judicium, aut triumvirorum capitalium, aut decemvirorum stlitibus judicandis dico nunquam.* Nec illud solum, verum etiam sollennibus cognitionum diebus prætori de quacunque graviori causa cognituro non tanquam assessores, aut consiliarii, sed judices aderant. Ulpian. I. 16. ff. de manum. vind. Credibile est, illos non modo a prætore in consilium vocatos, verum etiam propria quasi jurisdictione judicasse. Magistratus enim esse affirmavit Pomponius & in libro de Oratore confimavit Cicero jam laudati. Judicarunt I. de libertate. Cicer. Cæc. c. 33. *Cum Arretinæ mulieris libertatem defenderem, & Cotta decemviris religionem injecisset, decemviri prima actione non judicaverunt.* Dom. c. 29. *Si Decemviri sacramentum in libertatem injustum judicassent, tamen quotiescunque vellet quis, hoc in genere solo, rem judicatam referre posse voluerunt.* II. de causis præjudicialibus, id est, cum de statu & conditione civis Romani quærebatur: veluti, utrum aliquis liber sit, an servus; libertus, an ingenuus; filius, an non filius; utrum aliqua prægnans sit viro, an non; uxor illius fuerit, an non fuerit, & similibus. α. quemadmodum centumviri non de simplicis facti, sed intricati juris controversiis hæreditariis, tanquam majores judices, judicabant: ita *decemviros* litibus judicandis, de præjudicialibus causis, quæ in juris disputatione versabantur, judicasse verisimile est. β. Præjudicia aperte ab actionibus privatis distinguuntur l. 35. §. 2. ff. de procurat. Quod si præjudicium non sit privata actio, publica est; quod si publica, non a privatis judicibus disceptari potuit, sed a majoribus judicibus, quales *decemviri* erant. *Siccam. ibid. c.* 10. *Sigon. de judic.* I. 28. In centumvirali judicio hoc muneris obiisse existimo, ut in illo præstarent, quod judex quæstionis in publicis. *Sigon. de priv. judic. c.* 26. Ego quæ sentio dicam. Lite ordinata, & actione subscripta, prætor urbanus *decemvirorum* magistro (erat enim magister *decemvirorum* inter eos primæ auctoritatis, quod ex hac veteri inscriptione manifestum est, C. FABIUS RUMINALIS MAG. XVIRUM) diem denuntiabat, quo centumvirale judicium esset exercendum, ille collegas convocabat, hastas promebat. Considente prætore cum centumviris, illi singulis tribunalibus adsidebant, capita conferre jubebant, suffragia colligebant, testes cum judicibus audiebant, omnia denique peragebant, quæ in judicio centumvirali erant peragenda, centumviris oratoribus aures præbentibus. *Siccam. l. l. Sigon de judic.* I. 28. Et hæc non in foro, sed in basilicis, id est, in aulis, quæ ejus officii causa constructæ erant, quarum illustres fuere Porcia & Julia. *Sigon. l. l. Siccam. ibid.* II. 4. Hastam adhibuerunt, ut nos jam docuerunt Suetonius & Pomponius. Ea sive sit prætoria, sive *decemviralis*, sive centumviralis, parum refert. Mihi una, eademque omnium videtur, nempe prætoria, quam *decemviri* & centumviri posuerint, ut judicium prætorium esse demonstraretur. *Sigon. ibid. c.* 8. & 29. Nusquam hastæ *decemviralis* mentio fit, nisi apud auctorem carminis ad Pison. n. 41.

Seu trepidos ad jura decem citat hasta virorum.

Ubi sane non vult *decemviros* propria jurisdictione hastam habuisse, sed eam qua centumviros cogerent: ut sequenti n. ipse interpretatur.

Et firmare jubet centeno judice causas.

Siccam. ibid. II. 3.

DECENNALIA erant ludi, qui Romæ ab Imperatoribus *decimo* quolibet anno elapso celebrabantur. Illorum hæc origo, hæc ratio fuit. Cæsar Augustus, cum Romanis rebus post motus & turbas maximas a se compositis & constitutis *decennio* præfuisset, sive tædio valetudinis diuturnæ, curisque, ac laboribus imperii fractus de reddenda Republica serio cogitaret, quod affirmare videtur Suet. Aug. c. 28. n. 6. sive hoc tantum præ se ferret ob causas a Dione expositas, convocato senatu rationem administrati imperii sic reddidit, ut tamen, quasi decernente eodem, in proximum quinquennium potestatem constituendæ Reipublicæ retineret. Verum hoc elapso, rursus aliud quinquennium, post decennium, ac eo finito, aliud iterum decretum est; ita ut continuatis *decenniis* per totam vitam imperii summam obtinuerit. Cujus exemplum quodammodo secuti successores, etsi non ad certum tempus, sed per omne vitæ spatium imperium delatum sibi haberent, singulis tamen *decenniis* festum pro ejus renovatione agebant. Hæc fere Dio LIII. p. 506. E. Id primo gestum Augusto VII. Agrippa III. coss. Sequentes igitur Augusti singulis *decenniis* celebrarunt has πανηγύρεις, ob id δεκαετηρίδας dictas Xiphilino, quibus vota diis solvebantur, initio cujusque *decennii* sollenniter postmodum suscipi consueta: militibus donativum, & annonæ populo circenses exhibebantur. *Columb. in Lactant. de mort. persec. c.* 17. *Laz. Comm. Reip. Rom.* x. 7. *Buleng. de Imp. Rom.* III. 1. *Ursat. de not. Rom. Thes. Antiq. Roman. Græv. Tom.* XI. *p.* 667. *B. Taffin. de lud. secul. c.* 13. *Hospin. de orig.*

fiſt. p. 265. *a. Donat. Dilucid. p.* 993. *Mod. de Lud. & Spect. vet.* II. 25. *Volaterr. Comment. Urban.* XXIX. *p.* 1094. *E. Pagi Diſſert. Hypat.* II. 2. Et, quem videre nondum contigit, *Noriſ. Diſſert. de votis decennalibus.*

DECERIS, δεκήρις, fuit navis, dicta, quod in ſingulis remis denos haberet remigum ordines. Suet. Cal. c. 37. n. 3. *Fabricavit & deceres Liburnicas.* Meibom. Fabric. nav. Theſ. Antiq. Rom. Græv. Tom. XII. p. 570. D. Opel. in Meibom. ibid. p. 695. D. Voſſ. de Trirem. conſtr. ibid. p. 727. A. Turneb. Adv. XXII. 31.

DECIANUS eſt cognomen Plautiæ gentis. C. Plautius P. F. P. N. *Decianus* Hypſæus conſul fuit anno ab U. C. 424. *Deciani* cognomen oſtendit, hunc adoptione ex *Decus* ad Plautios perveniſſe: ſed cum prænomine a patre diſtinguatur; hic enim Cajus, ille Publius dicitur: ſuſpicor *Deciani* cognomen fuiſſe hæreditarium, & patrem potius, qui eodem prænomine eſt cum avo, adoptatum fuiſſe. *Auguſtin. de famil. Roman. in Plautia.*

DECIMARI legiones dicuntur, quando decimus quiſque ſupplicio afficitur. Liv. II. 59. *Cætera multitudo ſorte decimus quiſque ad ſupplicium lecti.* Capitol. Macrin. c. 12. *Cum ſeditiones militares pateretur, milites ſæpius decimavit, aliquando etiam centeſimavit: quod verbum proprium ipſius eſt, quum ſe clementem diceret, quando eos centeſimaret, qui digni eſſent decimatione, atque viceſimatione.* Modum tradit Polyb. VI. 36. *Tribunus advocata concione deſertores in medium producit, eoſque atroci oratione increpat: qua demum finita, modo quinque ſortitur, modo octo, modo viginti; atque ut verbo omnem obſervationem complectar, id ſemper agit, ut pro numero noxiorum decimus quiſque ſemper eorum capiatur.* Finem Cicer. Clu. c. 46. *Statuerunt itaque majores noſtri, ut ſi a multis eſſet flagitium rei militaris admiſſum, ſortitione in quoſdam animadverteretur: ut metus videlicet ad omnes, pœna ad paucos perveniret. . . . . Miles, qui locum non tenuit, qui hoſtium impetum, vimque pertimuit, poteſt idem poſtea & miles eſſe melior, & vir bonus, & civis utilis. Quare, ne in bello, propter hoſtium metum, delinqueret, amplior ei mortis & ſupplicii metus eſt a majoribus conſtitutus: ne autem nimium multi pœnam capitis ſubirent, idcirco illa ſortitio comparata eſt.* Sigon. de Ant. Jur. Civ. Rom. I. 15. Lipſ. de Milit. Rom. V. 18. Laurent. de Rebuſp. c. 7. Sichterman. de Pœn. milit. c. 5. Faber Semeſtr. I. 18. Maurit. de Sortit. c. 33. §. 3. Stewech. in Veget. III. 4. Patric. rei Milit. Rom. part. XI ſect. 8. Choul. Caſtram. Rom. p. 54. Bud. in Pandect. p. 93. H. I. 2. Comment. Reip. Rom. IV. 8. Brod. Miſc. I. 9. Donat. Dilucid. p. 8. Robort. de pœn. milit. Miſc. Erud. Italic. Tom. I. p. 672. Pitiſc. in Suet. Aug. c. 24. n. 5. Cal. c 48. n. 2. Schill Nom. Philol. p. 388. Supplicium vetuſtum, & etiamſi ejus auctor ignoretur, poſt exactos tamen Reges ſtatim ab Appio adhibitum. Livius modo laudatus. Proprium inde Romanis: unde *lex patria* vocatur a Dionyſ. IX. p. 606. *Ex alia multitudine cujuſque decuriæ vir unus, quem ſors deſignaſſet, ante cæteros periit. Ea Romanis patria quædam punitio eſt in eos, qui ordines reliquerunt, aut ſigna deſeruerunt.* Appian. de Bell. civil. II. p. 457. *Utar lege patria, & nonæ legionis, quoniam ea ſeditionem maxime cœpit, decimum quemque ſorte ad mortem ducam.* Plutarchus mox laudandus. Decimum dico: nec fallent verba Polybii jam allata: quæ non volunt quintum, aut octavum interfectum; ſed pro numero delinquentium ex iis tot & tot interdum occiſos. Pone quinque decurias peccaſſe: quinque punientur; pone octo, octo; viginti, viginti: atque hic eſt ſenſus. *Lipſ. & Sichterman. l. l.* Hoc ſupplicium diu ad tempus intermiſſum M. Craſſus iterum adhibuit, & in uſum revocavit, ſicque ad poſteriora tranſmiſit tempora. Plutarch. in Craſſ. p. 548. E. *Quingentos primos, a quibus initium fugæ ortum fuerat, decimavit: quod patrium ſupplicii genus longo intervallo reduxit in exercitu.* Sichterman. l. l. Qui & ibidem de ſupplicii æquitate diſputat.

DECIMUS prænomen eſt, ab ordine naſcendi, ut refert Varr. de anal. II. ortum, ita ut qui *decimo* loco natus eſſet, is *Decimus* diceretur. Non omnes, qui *decimo* die eſſent nati, *Decimi* appellabantur. Et non ſolum hi, qui ita nati, ſed alii plerique ita appellati ſunt: & multi præterea ita nati, neque tamen ſic vocitati. Dicendum ergo, eum qui primus hoc prænomine appellatus eſt, ea fortaſſe ratione dictum. Cæteros, quod ab eo, aut alio ejuſdem prænominis originem ducerent, aut amicitiæ, aut differentiæ, aut eadem nonnunquam cauſa, poſtea ſic nominatos. *Panvin. de nom. Roman. Theſ. Ant. Rom. Græv. Tom.* II. *p.* 2026. *B. Sigon. de nom. Roman. c.* 3.

DECOCTA erat aqua calida, quæ cum aromatis, aliiſque dulcioribus rebus *coquebatur.* Juven. Sat. V. 50.

Frigidior Geticis petitur decocta pruinis.

Mart. XIV. 106.

Spoletina bibis, vel Marſis condita cellis,
Quo tibi decoctæ nobile frigus aquæ.

Cruda aqua inflat, & terreſtres quaſdam partes retinet: unde bibentibus laborioſa efficitur. Alexis apud Athen. III. p. 122.

Incoctæ aquæ crudum bibas ſi poculum,
Laborioſa fit, & gravis.

Decoctione flatus evaporant, & terreſtres partes ignea vi diſcedunt. Aqua poſt *decoctionem* magis alget, & ut conclamatiſſimi fontis algorem exprimeret, *decoctam*, id eſt, frigidam vocat Sidon. Epiſt. II. 2. *Jam ſi tibi ex illo conclamatiſſimo fontium decocta referatur, videbis in calicibus perfuſis repente nivalium maculas, & fruſta nebularum, & illam lucem lubricam poculorum, quadam quaſi pinguedine ſubiti algoris hebetatam.* Neronis fuit inventum. Plin. XXXI. 3. *Neronis Principis inventum eſt decoquere aquam, vitroque demiſſam in nives refrigerare. Ita voluptas frigoris contingit ſine vitiis nivis. Omnem utique decoctam utiliorem eſſe convenit: item calefactam magis refrigerari, ſubtiliſſimo invento.* Suet. Ner. c. 48. n. 5. *Aquam ex ſubjecta lacuna poturus manu hauſit: & hæc eſt, inquit, Neronis decocta.* Butius de Pot. antiq. c. 16. Rhodig. Ant. Lect. XXVII. 6. Stuck. Ant. Conviv. III. 6. Nonn. de re cib. IV. 5. Humelberg. in Apic. de re coq. c. 42. Savar. in Sidonium, Grang. in Juvenalem. Baccius de Conviv. antiq. IV. p. 173. Pitiſc. in Suetonium.

DECOCTORES bonorum ſuorum dicuntur, qui bona ſua dilapidant, & comedunt. Spartian. Adrian. c. 18. *Decoctores bonorum ſuorum, ſi ſuæ auctoritatis eſſent;* id eſt, ſi ſui juris eſſent: poteſt vero & ille, qui ſuæ non ſit auctoritatis, *decoquere*, ut filiusfamilias, & pupillus, *catomidiari in amphitheatro, & dimitti juſſit.* Salmaſ. in Spartianum. Laurent. de Natalit. c. 1. Ex Solonis lege infamia damnabantur, referente Laert. I. 55. Erat lex hujuſmodi: *Similiter infamis eſto, qui patrimonium abligurierit.* Donat. in Spartianum. In quibuſdam etiam Græciæ urbibus mos fuit, *decoctores* in forum inducere, & ſedere juſſis cophinum capiti imponere ludibrii cauſa: idque vocabant κοφινῶσαι. *Caſaub. in Spartianum. Laurent. de Oſcul. c.* 2. L. Roſcius Otho a primis XIV. ordinibus excluſit, & certa attribuit loca iis, qui non ſua culpa decoxiſſent: voluntarios vero, qui ganea, quive alea, aut luxu rem feciſſent deteriorem, quique ſe ære obligaſſent, Athenienſium ſecutus morem, toto theatro abſtinere juſſit. Cicer. Phil. II. 18. *Teneſne memoria, te prætextatum decoxiſſe? patris, inquam, iſta culpa eſt, concedo: illud tamen audaciæ tuæ, quod ſediſti in* XIV. *cum eſſet lege Roſcia decoctoribus certus locus conſtitutus; quamvis quis fortunæ vitio, non ſuo decoxiſſet.* Quo reſpicit Juven. Sat. III. 153.

— exeat, inquit,
Si pudor eſt, & de pulvino ſurgat equeſtri,
Cujus res legi non ſufficit, & ſedeant hic
Lenonum pueri, quocunque in fornice nati,
Hic plaudat nitidi præconis filius inter
Pinnirapi cultos juvenes, juveneſque laniſtæ.
Sic libitum vano, qui nos diſtinxit, Othoni.

Scalig. Poet. I. 21. Manut. de Leg. c. 3. Alex. Gen. Dier. V. 16. & ad illum Tiraquellus. Maſſon. Horat. Vit. p. 113.

DECOLLATIO ſub Imperatoribus an cœperit, & an

an ſecuri fuerit honeſtior. V. infr. in *Gladius*. *Decollandorum* habitum deſcribunt Lat. Pacat. Paneg. Theod. c. 41. *Poplitem flectere, cervicem extendere ad plagam fortaſſe non unam.* Senec. de Ira I. 16. *Damnatus extra vallum deductus eſt, & jam cervicem porrigebat.* Id fiebat imitatione profundæ antiquitatis. Ita enim Xenoph. de Cyri exped. II. p. 293. A. *Poſt aliorum prætorum cædem damnatus a Rege interiit. Non ut Clearchus aliique duces, capite a cervicibus ablato, quod pulcerrimum mortis genus eſſe cenſetur, ſed annum totum variis contumeliis cruciatibusque affectus, ut ſceleratus quiſpiam, tandem obiit* Menon Theſſalus. Imo & facilius & mollius, quia abſque cruciatibus & tormentis. Ideo *bona mors* vocatur Lactant. de mort. perſec. c. 22. *In cauſa capitis animadverſio gladii admodum paucis quaſi beneficium deferebatur, qui ob merita vetera impetraverant bonam mortem.* Cuper. & Baluz. in Lactantium. Quamvis poſſit etiam nonnunquam habere ſuos cruciatus & dolores; quando miles, vel *ſector collorum*, ut Cicer. Sext. Roſc. c. 29. loquitur, plures ictus infert. Pacatus ſupra laudatus. Hinc pecuniam dabant lictoribus damnatorum proximi, ut ictu uno, levandi cruciatus gratia, ipſis caput auferrent, ut conſtat ex Cicer. Verr. V. 45. Ex quo etiam diſcimus, populum tela ſumpſiſſe in carnificem, ſi plures ictus damnato infligeret; imo poſtea lege, vel conſuetudine ſancitum eſt, ut poſt tertium ictum ferire amplius non auderet, ſi fides habenda eſt Hiſt. paſſ. Cæciliæ, Valeriani, Tiburtii, aliorum p. 26. *Quam cum ſpiculator tertio ictu percuſſiſſet, caput ejus amputare non potuit, ſic autem ſeminecem eam cruentus carnifex dereliquit: nam apud veteres lex erat ei impoſita, ut, ſi in tribus percuſſionibus non decollaretur, amplius percutere non auderet.* Cuper. l. l.

DECRETUM ordinis vocabatur, cum ſoli ſummates ſententiam dixiſſent, ſicut ſoli illuſtres inter Romæ ſenatores l. fin. in fi. ff. de ſenator. quibus dictis cæteri decuriones diſceſſionem faciebant, & ad eam partem quiſque ſe conferebat, quam ſequebatur: & quod majori parti placuiſſet, in tabulas referebatur: & hoc *decretum* vocabatur. Zeno l. fi. C. de præd. decur. ſine decr. non alien. *Non ex tabella decretum recitari decernimus.* Panciroll. de magiſtr. munic. c. 4.

Decretum Pontificium dicebatur, quicquid pro ſua poteſtate Pontifices ſtatuebant, quod in religionibus & ceremoniis vim legis obtinebat. *Decretum* proprie *δόγμα*, non *ψήφισμα* dixerunt. Nam quæ Pontifices *decernebant*, ſenatus ut plurimum ſua auctoritate confirmabat. *Guther. de vet. jur. Pont.* I. 24.

Decretum præſidis erat ſententia ſine judicum conſilio ſingulis de rebus interpoſita. *Decernere* autem dicebatur prætor, cum manumitti, emancipari apud ſe permittebat, cum poſſeſſionem ex edicto dabat, cum tutorem dicebat, cum bona addicebat, & omnino, cum ipſe ſine judice rem & cognoſcebat, & de ea pro ſuo judicio ſtatuebat. Talem præſidis fuiſſe cognitionem, & ut ſine judice ſtatueret, & judicibus rem ſtatuendam permitteret, oſtendit Calliſtratus aperte, cum inquit: *Quoties Princeps ad præſides provinciarum remittit negotia per reſcriptiones, veluti: Eum, qui provinciæ præeſt, adire poteris vel cum hac adjectione: is æſtimabit, quid ſit ſuarum partium: is æſtimare debet, utrum ipſe cognoſcat, an judicem dare debeat.* Illud vero Latino ſermone pronuntiabatur. Itaque ob eam cauſam interpretes habebant, ut Verres A. Valentinum in Sicilia, ut Cicero in Verrem V. ſcripſit. *Sigon de ant. jur. Prov.* II. 5.

Decretum Principis Theophilo inſtit. de jur. nat. gent. & civil. vocatur *ἀπόφασις*, & ſententia ab illo pronuntiata inter duas partes, de quarum ipſe cauſa cognoſcit. Dicitur etiam *decretum* cognitio & ſententia magiſtratus: ſed in hoc differt a Principe, ut idem Theophilus notat, quod Principis *decretum*, & eam ipſam, & aliam ſimilem cauſam quocunque tempore exactam dirimit: magiſtratus autem *decretum* eam tantum, de qua agitur, ac ne interdum eam quidem, ſi appellatio interceſſerit. *Guther. de Offic. dom. Aug.* I. 20. Et hoc, quia Princeps Romanus pro more ſuo omnia Latine ſcribebat, Latine tantum interponebatur. Hoc olim jure cautum erat. Tryphon. l. 48. ff. de re judicat. *Decreta a prætoribus Latine interponi debent.* Sed Græce ferri poſſe Imperatores Græci poſtmodum ſanxerunt l. judices 12. C. de ſentent. & interloc. omn. judic. *Judices tam Latina quam Græca lingua ſententias proferre poſſunt.* Panciroll. Notit. dignit. imp. occid. c. 45.

Decretum ſenatus, ſunt verba Feſti, *a ſenatusconſulto Ælius Gallus ſic diſtinguit, ut id dicat particulam quandam eſſe ſenatusconſulti, ut cum provincia alicui decernitur, quod tamen ipſum ſenatusconſulti eſt.* Ego autem exiſtimo, in uno ſenatusconſulto multa interdum fuiſſe capita, & unumquodque caput *decreti* nomine appellatum, neque ſolum *decreti*, ſed etiam conſulti: ut in illo ſenatusconſulto, de quo Cœlius ad Ciceronem Fam. VIII. 8. ſatis manifeſte patet. Sed tamen hanc diſtinctionem nondum obſervavi. Neminem enim video ita locutum, ut diceret, *in illo ſenatusconſulti decreto:* quin pro ipſo ſenatusconſulto *decretum* ſæpiſſime uſurpatum invenio. Neque ratio repugnat. Nihil enim eſt aliud ſenatusconſultum, niſi id, quod ſenatus *decernit*. Itaque & *decretum*, & ſenatusconſultum de eadem re Cicero vocat pro Sext. c. 14. *Quis, inquit, unquam conſul ſenatum ipſius decretis parere prohibuit?* at in Piſon. c. 8. *Omitto illud, conſulem edicere, ut ſenatus ſenatusconſulto ne obtemperet.* Eſt autem hæc differentia: quod, etſi pro ſenatusconſulto, non tamen pro quovis ſenatusconſulto ponitur *decretum*, ſed pro eo tantum, quod aut unius hominis cauſa factum ſit, aut, ſi ad plures pertineat, minime tamen ad univerſam rempublicam ſpectet. Et ut ſenatusconſultum ſæpius de communi, quam de privata re dicitur: ſic *decretum* ſæpius de privata, quam de communi nunquam, ſemper de privata. Nunquam enim invenias, ſenatusconſulto *decretum* de ambitu factum eſt, aut de judiciis, aut de creditis pecuniis, quæ generatim ad omnes pertinent, ſed ſenatusconſultum: *decretum* autem videas dici vel de uno tantum, ut in orat. Cicer. poſt red. in ſen. c. 1. *Immenſum quiddam eſt, atque infinitum, quod huic ordini debemus, a quo ſæpe magnificentiſſimis decretis ſumus honeſtati.* vel de duobus, ut in Suet. Cæſ. c. 16. n. 1. *Donec ambo adminiſtratione Reipublicæ decreto patrum ſummoverentur.* vel ita de pluribus, ut particulare ſit, ut de Buthrotia civitate Cicer. Attic. XVI. 18. *Decreta conſulum de Cæſaris actis.* Erant enim acta Cæſaris, beneficia aut in hunc & illum hominem collata, aut in hanc & illam civitatem. Fiebat autem utrumque per diſceſſionem ſenatorum: &, quod pluribus viſum erat, id aut ſenatusconſultum, aut *decretum* dicebatur, diverſo nomine, non quod diverſe fierent, ſed quod diverſa eſſet, cujus cauſa fieret: cum ſenatusconſultum modo de publica, modo etiam de privata, *decretum* autem de publica nunquam, ſed de privata ſemper fieret. Differunt etiam in hoc, quod, quemadmodum ſenatusconſultum, ſi res, de qua fit, ſpectatur, latius eſt quam *decretum*; ſic ſi a quibus fiat, conſideratur, anguſtius quodammodo videtur, quam *decretum*. Fit enim a ſenatu tantum ſenatusconſultum: at *decretum* & a ſenatu, & ab alio ordine, neque ſolum a paucis, ſed etiam ab uno. A ſenatu, ut ſupra ex Ciceronis loco allato patet. Ab alio ordine. Cicer. Attic. IX. 18. *Cæſar volet augurum decreta facere.* pro Sext. Roſc. c. 9. *Decurionum decretum ſtatim fit. . . . & Pontificum decreta* ſæpe legimus. Ab uno. Cicer. Phil. I. 1. *Ne qua tabula poſt Idus Martias ullius decreti Cæſaris, aut beneficii figeretur. Decretum prætoris* millies invenimus: & apud ICtos *Imperatoris decretum, Principis decretum, judicis decretum.* Manut. de ſenat. Rom. c. 10.

DECUMÆ, ita veteres pro *decimæ*, divites Herculi, aut alicui deo bonorum omnium *decumas* pollicentes, non viſcerationem modo, ſed & largitiones populo faciebant. Plaut. Stich. I. 3. 81.

Uti decumam partem Herculi polluceam.

Plutarch. Syll. p. 474. A. *Patrimonii ſui univerſi conſecrans Sylla Herculi decimam præbuit ſplendidum epulum populo.* Buleng. de venat. circ. c. 24. Vectig. c. 8. Tomaſ. de donar. c. 4. Loenſ. Miſcell. VI. 1.

Decumæ frumenti proprie *decimam* fructuum partem ſignificant, a quibus Cicer. Verr. III. c. 43. *ager vectigalis populi Romani ex parte decima* dicitur. Tacit. Germ. c. 29. n. 5. *decumates agros* vocat. *Buleng. de Vectig. c.* 9. *Turneb. Adv.* I. 5. *Guther. de offic. dom. Aug.* III. 17. *Sigon. de Ant. jur. civ. Rom.* I. 16. *Hotman. Antiq. Roman.* II. 15. *Laurent. de Rebuſp. c.* 3. *Thyſ. de Magnit. Roman.* II. *p.* 251. De origine Appian. Bell. Civ. I. p. 353. *Romani nunc hos, nunc illos Italiæ populos ſuperando, ac ſubjiciendo, partem agri iis auferebant, atque oppida & colonos condebant; aut ſi oppida oportune jam condita, hos inducebant. Agri igitur quod cultum erat, colonis fere aſſignabant; quod incultum, ut multa per bellum, id aliis cupientibus elocabant, parte decima fructuum ſibi retenta in agris ſativis; in plantariis, aut arboretis, quinta.* Qui quamquam de Italia dicat, tamen & producere ad provincias licet, quas multas ita habitas, ex aliis ſcriptorum locis liquet. *Lipſ. de magnit. Rom.* II. 2. *Bergier. de viis milit.* I. *Sect.* 12. §. 4. *Franckenſtein de Ærar. pop. Rom. c.* 3. Et illas fuſius denarrat *Burman. Diſſert. de vectig. c.* 2. Eæ interdum infra modum a cenſoribus definiebantur. In Sicilia enim ſingula jugera ſingula medimna ſolvebant. Cicer. Verr. III. In provinciis autem populi Romani non eadem ſemper ratio, modusque *decimarum* ſervatus eſt. Aſiæ enim certum non erat impoſitum ſtipendium, ſed pro anni copia, vel inopia, uberius, aut anguſtius vectigal exigebatur. Appian. Bell. civ. V. p. 673. *Vectigal vobis non ex cenſu impoſuimus, ut tributum periculi expers colligamus, ſed ut partes fructuum conferretis conſtituimus, ut & rebus veſtris adverſis communicemus.* Buleng. l. l.

Decumæ hæreditatum loco viceſimæ, ut ſolverentur, Caracallus inſtituit. Dio Excerpt. LXXVII. p. 754. *Præter vectigalia cum alia, quæ ab ipſo primum reperta ſunt, tum vectigalia decumæ, quam pro viceſima conſtituit, tum eorum, qui manumitterentur.* Hoc vectigal ut omnes, qui in imperio Romano erant, ſolverent, omnes civitate donavit. Dio l. l. *Cujus rei cauſa etiam omnibus, qui in orbe Romano erant, civitatem dedit, ſpecie quidem ipſa eis honorem tribuens, ſed revera ut fiſcum ſuum augeret, quippe cum peregrini pleraque horum vectigalium non penderent.* V. plura ſupr. in *Conſtitutio Antoniana.* Brevi eſt abolitum. Macrinus enim Caracalli ſucceſſor *ea, quæ Caracallus circa hæreditates & manumiſſiones ceſſare juſſit.* Dio LXXVIII. p. 893. E. Et apud Paullum, qui non ſub Caracalla ſolum, ſed adhuc ſub Alexandro Severo inter optimos juris auctores aſſedit, recept. ſentent. IV. 6. caput de vigeſima, hæreditatum nempe, etiamnum legitur. *Valeſ. in Dion. Spanhem. Exercit. ad Anton. Conſtit.* II. §. 7. *Burmann. Diſſert. de vectig. c.* II.

Decumæ manumiſſionum loco viceſimæ, etiam a Caracallo inſtitutæ ſunt. Dio laudatus in *Decumæ hæreditatum.* Burmann. Diſſert. de vectig. c. 10.

Decumæ vini & olei quoque erant. Cicer. Verr. III. 7. *L. Octavio & C. Cotta coſſ. ſenatus permiſit, ut vini decumas, & frugum minutarum quas ante te quæſtores in Sicilia vendere conſueſſent, Romæ venderent, legemque his rebus, quæ ipſis videretur, edicerent.* Hinc Longimanus *vinarii tituli debita flagitaſſe* legitur apud Symm. Epiſt. VII. 95. *Buleng. de vectig. c.* 8. *Guther. de Offic. dom. Aug.* III. 17. *Burman. Diſſert. de Vectig. c.* 3.

DECUMANI dicebantur publicani, qui *decumas* ab aratoribus exigendas conduxerant. Aſconius. V. illum infr. in *Manceps.* De his eſt frequens mentio apud Cicer. Verr. V. *Sigon. de Ant. jur. civ. Roman.* II. 4. *Burmann. Diſſert. de Vectig. c.* 9. *Voſſ. Lex. Etymol. Guther. de Offic. dom. Aug.* III. 17. *Panvin. Deſcr. Urb. Rom. Theſ. Ant. Rom. Græv. Tom.* III. *p.* 262. *E.*

DECURIA quamquam proprie decadem ſignificet, tamen ſæpius pro albo quodam, & libello, ubi in varios, ſed tamen certos numeros militum & judicum nomina referebantur: catalogos, matriculas, & rotulas vocamus, & *decuriatos* milites, id eſt, relatos in numeros, immatriculatos. Cicer. pro dom. c. 5. *Cum deſperatis ducibus decuriatos & deſcriptos haberes exercitus perditorum.* Pollet. For. Rom. III. 8. Donat. Dilucid. p. 337.

Decuria Curiatia dicebatur, quæ ſacris publicis apparebat, in qua lictores, apparitores, calatores *decuriabantur* & deſcribebantur. *Decuria*, δεκανία, φρατρία, ut denum hominum claſſes antiqui *decurias* appellarunt. Curiatia autem *decuria* a curialibus dicta, qui curiarum ſervi, quo nomine poſteriores Romani omnes ſervos curiones appellaverunt, quos antiqui calatores. Tacit. Annal. XIII. 27. 2. *Hinc plerumque tribus, decurias, miniſteria magiſtratibus & ſacerdotibus.* . . . De ſcribis & lictoribus Tacitus eſt intelligendus. Vetus lapis:

L. ANTONIO
EPI TYNCHANO
LICTORI DEC. CURIA
TIÆ. QUÆ. SACRIS
PUBLICIS. APPARET

Guther. de vet. jur. pontif. II. 14.

Decuriæ judicum ſpectant ad illorum numerum, non ideo dictæ, quod X. continerent; ſed quia *decuriare* eſt deſcribere, & in ordinem redigere. Cicero laudatus in *Decuria*, & pro Sext. c. 15. *Cum vicatim ſervi ejus conſcriberentur & decuriarentur. Decuriam ſenatoriam* Cicero loquens de judicibus appellat Verr. II. 32. *Hunc hominem judicum numero habebimus, hic alteram decuriam ſenatoriam judex obtinebit.* Aſcon. Verr. II. *Neceſſe fuerat eos primum de curia* L. *ex decuria ſenatoria deſcribi.* Patet ergo, cum judicaret ſenatus, *decuriam* ſenatoriam factam judicum. Et nimirum CCC. illi ſenatores, de quibus Plutarchus in Gracchis, qui judicabant, fuit hæc *decuria* ſenatoria. Jam vero alii CCC. equites, additi per legem Gracchi, ut Plutarchus ſcribit, fuit *decuria* equitum. Ita etiam cum per legem Cottæ additi ſunt tribuni ærarii, illa tertia *decuria* fuit. Hanc Cæſar ſuſtulit. Suet. c. 41. n. 5. *Judicia ad duo genera judicum redegit, equeſtris ordinis & ſenatorii. Tribunos ærarii, quod erat tertium, ſuſtulit.* Poſt mortem Julii Antonius legem tulit de alaudis & centurionibus; ſed non eſt perlata; quia hoſtis eſt judicatus. Ideo Cicer. Phil. I. 8. ait: *Lex eſt promulgata de tertia decuria judicum.* Nam hæc fuiſſet tertia, ut ante erat tribunorum ærariorum, quam ſuſtulerat Cæſar. *Quartam* Auguſtus *addidit ex inferiore cenſu, quæ ducenariorum vocaretur, & judicaret de levioribus ſummis.* Suet. c. 32. n. 7. Quartam hanc addidiſſe Suetonius dicit. Credibile enim eſt illam tertiam tribunorum ærariorum poſtea fuiſſe reſtitutam. Quod tamen non memini me apud ullum legiſſe. Conjectura tantum ducor. Qui numerus contineretur ſingulis *decuriis*, docet Plin. XXXIII. I. *Vixque ſingula millia in ſingulis decuriis inventa ſunt.* Quintam *adjecit Cajus princeps, tantumque natus eſt faſtus, ut quæ ſub D. Auguſto impleri non potuerant decuriæ, non capiant eum ordinem, paſſimque ad ornamenta ea etiam ſervitute liberati tranſiliant: quod antea nunquam erat factum, quoniam in ferreo annulo equites judiceſque intelligebantur.* Plin. XXXII. I. Sextam, etiamſi multi peterent, noluit Galba Imperator addere. Suet. c. 14. n. 8. *Judicibus ſextam decuriam addi petentibus negavit.* Robort. de judic. Theſ. Antiq. Roman. Græv. Tom. III. p. (13.) B. Turneb. Adv. XXIX. 16. Donat. Dilucid. p. 337. Pollet. For. Rom. III. 9.

Decuriæ ſcribarum. In illas diſtinguebantur, ordinis videlicet ſui ſervandi gratia, quia, in civitate plena populo; & variis poteſtatibus parente, ingens eorum erat numerus. Cicer. Verr. III. 79. *Noli hos,* ſcribas, *colligere, qui nummulis corrogatis de nepotum donis, de ſcenicorum corollariis, cum decuriam emerunt, ex primo ordine exploſorum in ſecundum ordinem civitatis ſe veniſſe dicunt.* Ubi obſervandum, ſcribas interdum pretio *decurias* emiſſe: Ideo dicebantur *ſcriptum comparaſſe.* Suet. Horat. vit. n. 2. Erant plerumque liberti, & hujuſmodi *decurias* ſibi comparabant, ut ad equeſtrem dignitatem pervenirent. Scholiaſt. Juven. Sat. V. 3: *Sarmentus natione Thuſcus, e domo Marci Favonii, incertum libertus, an ſervus, eo fiducia venit, ut pro equite Romano ageret: decuriam quoque quæſtoriam compararet.* Ita Horatius, cum libertino genere natus eſſet,

finita

finita militia, quæ male successerat, scriptum quæstorium emit, ut pro equite Romano se posset gerere, apud Suet. l. l. *Valeſ. in Ammian.* XXVIII. 6. *Barth. Adv.* L. I. *Pitiſc. in Suetonium. Urſat. de not. Roman. Theſ. Antiq. Roman. Græv. Tom.* XI. *p.* 788. *B.*

DECURIONES in coloniis ac municipiis erant qui Romæ senatores, Romani senatus simulacrum, *ad imitationem Urbis dominantis*, ut loquitur Justin. Nov. 38. οἱ πολιτευόμενοι Græcis; proprius suæ patriæ senatus, quomodo appellat Auson. Eidyll. X. 401.

> —— *quos curia ſummos*
> *Municipum vidit proceres, propriumque ſenatus.*

ac ut hic ex senatoribus, ita in illis ex *decurionibus* eligebantur magistratus. Eratque id in illis *decurionum* decretum, quod Romæ senatusconsultum. Cicer. Sext. c. 4. *Huic apud me P. Sextio maximas gratias egit; & hoc tempore iidem homines, nomine commutato, coloni, decurionesque fortiſſimi, atque optimi viri, beneficium Q. Sextii teſtimonio declarant, periculumque decreto ſuo deprecantur. Recita quæſo, P. Sexti, quid decreverint Capuæ decuriones.* Quibus significat, conventum Capuæ *decuriones* post deductam a Cæsare consule coloniam esse appellatam. Hinc Suet. Aug. c. 101. n. 1. *Corpus decuriones municipiorum & coloniarum a Nola Bovillas uſque deportarunt.* Et in multis veteribus lapidibus adhuc invenimus DEC. COL. quod valet, *decurio coloniæ.* Sigon. de Antiq. jur. Ital. II. 4. & 8. Voss. Lex. Etymol. Brisson. Ant select. IV. 13. Manut. de Civit. Rom. Thes. Antiq. Roman. Græv. Tom. I. p. 16. C. Salmas. in Spartian. Adrian. c. 1. Aurelian. c. 33. Figrell. de stat. Rom. c. 9. Reines. Epist. 31. Petit. Var. III. 6. Panciroll. Notit. Dignit. Imp. Orient. c. 4. Chiment. de hon. bisell. c. 37. Quare municipiorum & coloniarum senatores vocantur. Theodos. Imper. I. 33. de decur. vetat *decurionem (& ſic dici oportet) curiæ ſenatorem plumbatarum ictibus ſubdi.* Tacit. Annal. XIII. 48. I. *Iiſdem conſulibus auditæ Puteolanorum legationes, quas diverſas ſenatorius ordo plebſque ad ſenatum miſerant.* Noris. Cenot. Pisan. Diss. I. c. 3. Figrel. de stat. illustr. Roman. c. 9. Numerum in unaquaque colonia a Triumviris, qui eandem deducebant, constitutum colligo ex Cicer. Agrar. II. dicente lege Rulli de deducenda colonia Capua, *centum decuriones* ibidem decretos. Postea *decurionibus* accensebantur illi, quibus centum millium nummum, nempe duorum millium ac quingentorum scutatorum facultates erant. Plin. Epist. I. 19. *Eſſe autem*, inquit, *tibi centum millium cenſum ſatis indicat, quod apud nos*, videlicet Comi, *decurio es.* Qui ultra viginti quinque jugera possidebat, inter *decuriones* censebatur l. 33. de decur. C. Curialibus provinciæ Mysiæ conceditur, *ut quos e plebe idoneos habent, ad decurionatus munia devocent*, hoc est, eos e plebe cives, *quos ad decurionum ſubeunda munera ſplendidior fortuna ſubvexit.* Ibid. l. 53. *Noris l. l. Sigon. ibid.* II. 4. In illis legendis summa cura adhibebatur. Cicer. Fam. VI. 18. *Quæſivi e Balbo, quid eſſet in lege; reſcripſit, eos, qui facerent præconium, vetari eſſe in decurionibus; qui feciſſent, non vetari. Quare bono animo ſint tui familiares: neque enim erat ferendum, cum qui hodie haruſpicinam facerent, in ſenatu Romæ legerentur, eos, qui aliquando præconium feciſſent, in municipiis decuriones eſſe non licere.* Sigon. ibid. II. 8. Allegebantur non nisi pro certo modo census, seu facultatum, præcepto lege municipali. Illum tradidit Plinius jam laudatus. *Alciat. l.* 239. *de verb. ſign. §. decuriones. Sigon. ibid.* II. 4. *Reineſ. l. l.* Cum in ordinem reciperentur, binos denarios, vel hujusmodi certam quantitatem singulis collegis distribuebant: & quoties aliqua statua, ædiculave dedicaretur, aliquid eo nomine recipiebant. Ea pecunia sportula appellabatur. Et ideo jure est cautum, minores quinque & viginti annis *decuriones* factos sportulas accipere posse, licet suffragium ferre nequeant. l. Spurii ff. de decurionibus. *Alciat. l. l.* Illorum honores onera erant. Theophyl. in XV. Marci: *Decurio honor erat, aut potius civile onus, quo affecti fori annonam curabant, & ſæpe periculum obibant, ſi annona gravior eſſet.* Inter onera illorum erant circenses & spectacula l. 1. de muner. & honor. ff. l. 20. C. de decurionibus. Ad eas populi voluptates instruendas excitantur primates civium l. 1. de spect. Dio Orat. 38. *Omnibus civitatibus, ſed magnis præcipue divitibus decurionibus opus eſt, ut legitimos iſtos ſumptus ſuppeditent.* Sed & tributa *decurionibus* oneri fuere. Salvian. IV. p. 62. *Reſpublica Romana, vel jam mortua, vel certe extremum agens ſpiritum, in ea parte, qua adhuc vivere videtur, tributorum vinculis, quaſi prædonum manibus, ſtrangulata moritur. Omnes enim diſtributionum formæ a decurionibus fiebant, ita ut ſi quid deeſſet, de ſuo ſupplerent.* l. 1. C. de privilegiis domus Augustæ. Unde nemo fere nisi invitus *decurionum* albo se adscribi patiebatur. Synes. Epist. 93. *Quod autem in decurionibus & meum fratrem vis numerare, nec deles familiam ex improbis illis libris.* Erant etiam potius servi, quam nervi Reipublicæ, cum nec res quidem suas sine decreto vendere, nec aliam vitæ sortem optare possent. *Buleng. de Imp. Rom.* VII. 5. Illos præsidi provinciæ plectere non permittebatur. Recipere tantum in carcerem, vinctosque custodire, & Principi de illorum pœna scribere licebat l. 1. in fi. prin. ff. quand. appell. sit. l. 2. fi. 1. ff. de bon. cor. eratque hoc adeo diserte mandatis Principalibus, quæ præsidibus dabantur, cautum l. divi. §. pen. & ult. ff. de pœn. ut si id admisisse *decuriones* viderentur, propter quod relegandi extra provinciam in insulam essent, Imperatori scriberetur. *Briſſon. de Adult. in* §. 7.

Decurio ballistariorum dicebatur, vel qui equitibus ballistas gerentibus præerat, vel ultimo ævo, qui præpositus erat militibus illis, qui tormenta bellica ballistas appellata custodiebant, ac simul regebant. *Urſat. de not. Roman. Theſ. Ant. Rom. Græv. Tom.* XI. *p.* 659. *C.*

Decurio cubiculariorum, de quo Suet. Dom. c. 17. n. 3. *Saucium ac repugnantem adorti. . . . & Saturius decurio cubiculariorum*, idem forte est, qui *decurio* Larium. Nam cubiculares dii sunt Lares. Uterque cubiculares imagines curabant. Juvat opinionem meam, quod *decurio* cubiculariorum non longe est a puero illo, cui cura Larium. Quamvis *decurio* pro eo, qui denis cubiculariis præerat, accipi potest, qui cubiculo sacro adsidebant: ut fuit præpositus sacri cubiculi. Fuerunt *decuriones* Palatii, ut illos vocat Ammian. XX. 4. *Aliquis*, inquit, *Palatii decurio, qui ordo eſt dignitatis, ſigna Petulantium ingreſſus & Celtarum.* Honor. l. 1. C. de silent. *Decuriones*, ait, *Palatii noſtri, poſt emenſum fideliter obſequium, electionem habeant.* Guther. de vet. jur. Pontif. III. 10. dom. Aug. III. 29. Panciroll. Notit. Dignit. imp. orient. c. 62.

Decurio ostiariorum dicebatur præfectus in aula, ubi plurimi ostiarii. Talis iste Titus Flavius Augusti libertus Acraba, qui sibi & Hadriæ Acrabillæ filiæ suæ, nec non & Provinciæ alteri filiæ monumentum fieri curaverat. Inscriptio Romæ:

T. FLAVIUS AUG. L. ACRABA
DECURIO OSTIARIORUM
FECIT SIBI ET
HADRIÆ ACRABILLÆ. . . .

Spon. Miſc. Erud. Antiq. ſect. VI. *p.* 214.

Decurio pontificum præerat *decuriæ* curiatiæ. Hunc invenio in antiquis Inscriptionibus. Mediolani:

D. M.
C. VALERI
PETRONIANI
DECUR. PONTIF. SACERD
IUVEN. MED. CAUSIDIC

Guther. de vet. jur. Pontif. II. 14.

DECURSIO in circo Romæ hæc fuit. Cum pompa ducta esset, primum certamen quadrigarum fuit, & Bigarum, & singulatorum, quod & Olympiæ factum. Romæ item trigæ illæ Heroici temporis actæ sunt, quod genus apud Græcos exolevit. Duos enim equos junctos, quomodo bigæ junguntur, tertius funarius loro devinctus consequitur. Alterum in Græcia, cum diis prisco more faciunt, nostro seculo tenet, ut aliqui se injiciant,

&

& interserant in currus, ut confecto equestri certamine, pedibus ipsi currant. Cum enim curule certamen finem ceperit, desilientes e curribus ii qui vehuntur prope aurigas, quos poetæ sessores, & parabatas dicunt, Athenienses apobatas, stadium corripiunt, cursuque pedites contendunt. Cum autem cursus equitum finem ceperit; in circum cursores pedites, & athletæ inducuntur. Dionys. VII. p. 479. *Bulenger. de Circo c. 26.*

Decursio funebris dicebatur, quia in funeribus clarorum virorum, suis instructi armis, & tanquam in procinctu, gradu militari, & exercitatione quadam ludicra, milites atque adeo omnes qui exsequias venerant, sollenni ritu rogum ter ambiebant, & hoc modo affectum suum erga defunctum ostendebant. Homer. Iliad. XXIII. 13.

Hi autem ter circa cadaver pulcre crinitos egerunt equos
Lu[illegible].

Virg. Æneid. XI. 188.

Ter circum accensos cincti fulgentibus armis
Decurrere rogos: ter mœstum funeris ignem
Lustravere in equis, ululatusque ore dedere.

Decurrebant sinistro ordine, & versis insignibus. Stat. Theb. VI. 213.

Tunc septem numero turmas (centenus ubique
Urget eques) versis ducunt insignibus ipsi
Grajugenæ Reges: lustrantque ex more sinistro
[illegible] laeves [illegible]clinant pulvere flammas:
[illegible] telis
Tela sonant: quater horrendum pepulere fragorem
Arma, quater mollem famularum brachia planctum.

Recte *orbe sinistro.* Nam cursus in lævum erat luctus indicium. Interdum projectis armis. Lucan. VIII. 734.

—— totus ut ignem
Projectis mœrens exercitus ambiat armis.

Idque fiebat tuba sonante. Val. Flacc. III. 346.

Inde ter armatos Minyis referentibus orbes
Concussi tremuere rogi, ter inhorruit æther
Luctificum clangente tuba.

Frequentissimum hoc Romanis. De funere Syllæ Appian. Bell. civ. I. p. 418. Augusti Dio LVI. p. 598. B. Drusi Tacit. Annal. II. 7. 3. Suet. Claud. c. I. n. 7. & aliorum. *Kirchm. de fun. Roman.* III. 3. *Turneb. Adv.* V. 8. *Constant. Land. Misc. in numm. vet. Misc. Ital.* I. *p.* 454. *Laz. Comm. Reip. Roman.* IV. 7. *Lips. in Tacit. Annal.* II. 7. *n.* 29. *Vignol. Dissert. de Column. Anton. Pii c.* 9. *Nicol. de Sepulcr. Hebræor.* II. 3. 5. *Gorall. in Albinov. de Morte Drusi n.* 461. *Bernart. in Stat. Theb.* VI. 217. *Guther. de jur. man.* II. 3. *Stewech. in Veget.* II. 22. *Argol. in Onuph. de lud. circ.* II. 9. *Lomejer. de lustrat. c.* 31. *Pitisc. in Suetonium.*

Decursio militaris & exercitii haud longe ab ambulatione est, & fit in armis, & sub signis. Senec. Epist. 18. *Miles in media pace decurrit sine ullo hoste.* Suet. Ner. c. 7. n. 6. *Indictaque decursione prætorianis, scutum sua manu prætulit.* Instituta fuit ab Augusto. Veget. I. 27. V. illum supr. in *Ambulatum.* Qui tamen addit: *Equites quoque divisi per turmas, armatique similiter tantum itineris peragebant, ita ut ad equestrem meditationem interdum sequerentur, interdum cederent, & recursu quodam impetus repararent.* Eidem III. 4. *campicursio* vocatur: *Campicursionem, ut ipsi appellant, inspectionemque armorum assidue faciunt.* Suet. Galb. c. 6. n. 7. *campestris decursio* dicitur: *Ipse campestrem decursionem scuto moderatus, etiam ad essedum Imperatoris per viginti passuum millia cucurrit.* Finem pandit Veget. I. 9. *Ad cursum præcipue adsuefaciendi sunt milites, ut majore impetu in hostem procurrant; ut loca opportuna celeriter occupent; ut ad explorandum alacriter pergant; ut fugientium terga facilius comprehendant.* Lips. de milit. Rom. V. Dial. 14. in Tacit. Ann. II. n. 57. Spanhem. in Juliani Orat. I. p. 109. Laz. Comment. Reip. Rom. IV. 7. Demster. Paral. ad Rosin. Ant. Rom. V. 25. Pitisc. in Suetonii Neronem. Thys. Rom. Illustr. V. p. 140.

DECUSSIS nummus erat argenteus, septima pars unciæ. Vitruv. III. 1. pro decade accipit: *Platoni placuit denarium numerum esse ea re perfectum, quod ex singularibus rebus, quæ monades apud Græcos dicuntur, perficitur decussis.* Bud. de asse I. p. 12. Cenal. de pond. ac mens. rat. Thesaur. Ant. Rom. Græv. XI. p. 1534. C. Lipen. de Stren. c. 3. §. 26. Voss. Lex. Etymol. Idem qui denarius. Primitus fuit æreus. V. infr. in *Denarius.* Hotman. Antiq. Roman. IV. I. 13.

Decussis est etiam linea transversa; ducta ad acutos angulos obtusos imagine quadam literæ X. Plin. XVIII. 34. *Ducantur deinde aliæ duæ lineæ in decusses obliquæ.* Hinc *decussare*, in formam decadis, seu denarii numeri secare. Cic. Tim. c. 7. *Hanc omnem conjunctionem duplicem in longitudinem diffidit, mediæque accommodans, mediam quasi decussavit.* Colum. III. 13. *Nam duas regulas ejus latitudinis, qua pastinator sulcum facturus est, in speciem Græcæ literæ decussavimus.* Vos. Lex. Etymol. Baldus Lex. Vitruv. Bud. de asse I. p. 13. Rhodig. Ant. Lect. XXII. 14. Panciroll. Notit. Dignit. Imp. Orient. c. 54.

DED.

DEDICARE est aliquid publice splendidum ac magnificum primo fabricæ usu exhibere ex iis, quorum gratia perfecta est; ut in theatro dramata, paria gladiatorum, ferarumque venationes in amphitheatro, cursus in circo. navales pugnas in naumachia. De Tito Suet. c. 7. n. 11. *Amphitheatro dedicato. . . munus edidit apparatissimum largissimumque.* Ita Nero, qua variis conviviis, qua publicis ludis, sparsisque in populum muneribus domum suam *dedicasse* dicitur apud Suet. c. 31. n. 10. *Donat. de urb. Rom.* III. 7. Illi, qui templum *dedicasset*, tributum est ut nomen ejus templi fastigio inscriberetur. De Horatio Dionys. V. p. 304. Templi Capitolini *dedicationem atque inscriptionem absente collega occupavit alter consul M. Horatius.* Deinde Catuli honori concessum legitur, ut *nomen ejus in Capitolino fastigio fulgeret:* ut de illo Val. Max. VI. 9. §. 5. Et Tacit. Hist. III. 72. 6. *Curam victor Sylla suscepit; neque tamen dedicavit: hoc solum ejus felicitati negatum. Lutatii Catuli nomen inter tot Cæsarum opera usque ad Vitellium mansit.* Rycq. de Capit. c. 11. *Dedicationi* præerat, vel ipse Princeps, vel cui *dedicandi* dedisset potestatem. Principem dico, in quem lege regia potestas populi translata est. Stante enim Republica a populo lege curiata, tributis comitiis lata, præfici debebat, qui *dedicaret.* Cicer. Attic. IV. 2. *Si neque populi jussu, neque scitu qui se dedicasse diceret, nominatim ei rei præfectus esset: neque populi jussu, aut plebis scitu, id facere jussus esset: videri posse sine religione eam partem areæ domino restitui.* Pontificum commentaria habent *L. Cassium censorem, cum de signo Concordiæ dedicando ad collegium retulisset, et M. Æmilium pontificem maximum pro collegio respondisse, nisi eum populus Romanus nominatim præfecisset, atque ejus jussu faceret: non videri ea recte posse dedicari.* Et *senatus consecratam aram tollendam ex auctoritate pontificum censuit, neque ullum est passus ex ea dedicatione literarum exstare monumentum.* Cicer. pro dom. c. 53. . . . formula nota est ex Cicer. ibid. c. 52. *Ades, ades, Luculle, Servili, dum dedico templum Jovi, ut mihi præeatis, postemque teneatis. Nam pontifices & præibant verba, & postem tenebant.* Pontifex, qui verba præibat, dabat operam, ut illa nec præpedita, nec balbutiente lingua pronuntiaret. Ne si verbo aberrasset, quasi minus rite facta, instauraretur. Quæ res tenuit Metellum pontificem hominem *adeo inexplanatæ linguæ, ut multis mensibus tortus credatur, dum meditaretur in ædificanda æde Opiferæ dicere.* Plin. XI. 37. *Postis templi ibi erat, ubi templi aditus est & valva. Ambulationis postes nemo unquam tenuit in dedicando.* Cicer. ibid. c. 46. *Figrel. de Stat. Roman. c.* 29. *Laurent. var. sacr. gentil. c.* 5. *Blond. Triumph. Rom.* I. *p.* 16. *E. Guther. de vet. jur. Pont.* III. 11. Apud quem, ut etiam Brisson. de Form. I. p. 115. *dedicationis* legem descriptam, & hujus a tabula differentiam annotatam invenies. *Dedicare* sub ascia. V. illud supr. in *Ascia.*

DEDITIONIS formula erat: *Rex interrogavit, estisne*

vos legati oratoresque missi a populo Collatino, ut vos, populumque Collatinum dederetis? sumus. Estne populus Collatinus in sua potestate? Est. Deditisne vos, populum Collatinum, urbem, agros, aquam, terminos, delubra, utensilia, divina, humanaque omnia, in meam, populique Romani ditionem? Dedimus. At ego recipio. Liv. I. 38. Plaut. Amph. I. I. 70.

Convenit: victi utri sint eo prœlio
Urbem, agrum, aras, focos, seseque uti dederent.

104.

Dedunt se, divina, humanaque omnia,
In deditionem, atque in arbitratum cuncti Thebano populo.

Brisson. de Form. IV. p. 354. Stewech. in Veget. IV. 13. Augustin. de leg. in Ælia Sentia. Sigon. de ant. jur. Ital. I. I. Hotman. Antiq. Roman. II. 16. Caroli Antiq. Roman. III. II. Loon. de manum. II. 8. 2. *Deditionem* facientes veste sordida fere induebantur. Hirt. de bell. Alex. c. 32. *Omnis multitudo oppidanorum, armis projectis, munitionibusque suis relictis, veste ea sumpta, qua supplices dominantes deprecari consueverunt.* Stewech. l. l. Arma tradere jubebantur. Cæs. de bell. Gall. II. 32. *Se magis consuetudine sua, quam merito eorum, civitatem conservaturum, si prius quam aries murum attigisset, se dedidissent: sed deditionis nullam esse conditionem, nisi armis traditis.* Brisson. & Carol. l. l. Clypeum abjiciebant, aut convertebant, aut capiti imponebant. De his Appian. bell. civ. II. p. 454. *Imposuerunt clypeos capitibus, quod est symbolum seipsos dedentium.* De conversione clypei Ammian. XXVI. 9. *Eumque secuti complures, jam pila quatientes & gladios, ad Imperatorem transeunt cum vexillis, scuta perversa gestantes, quod defectionis signum est apertissimum.* Ruben. Diss. de gemm. Tiber. Thes. Antiq. Rom. Græv. Tom. XI. p. 1338. B. Vales. in Ammianum.

DEDITITIUS libertus est, ut docet Gajus §. 3. Instit. de jur. person. *qui post admissa crimina suppliciis subditus, & publice pro criminibus cæsus est: aut in cujus facie, vel corpore quæcunque indicia, aut igne, aut ferro impressa sunt, ut deleri non possint. Hic si manumissus fuerit, dedititius appellatur.* Addit nonnulla alia Ulpian. §. II. tit. I. fragment. *Dedititiorum numero sunt, qui pœnæ causa vincti sunt a domino: quibus vestigia scripta fuerunt: qui propter noxam torti nocentesque inventi sunt: quive traditi sunt, ut ferro, aut cum bestiis depugnarent: vel in custodiam conjecti fuerunt: deinde quoque modo manumissi sunt: idque lex Ælia Sentia facit.* Omnium libertorum vilissimi erant, & eorum jus minimum, nec ulla ratione ad civitatem Romanam perduci poterant. Gajus l. l. *Dedititii nulla ratione possunt ad civium Romanorum libertorum beneficium pervenire.* Suet. c. 40. n. 8. *Hoc quoque adjecit,* Augustus, *ne vinctus unquam, tortusve ullo libertatis genere civitatem adipisceretur.* Ideo *vanum nomen* eorum libertatem esse ait Justin. lege unica C. de dedit. libert. toll. Hos plane sustulit Justinian. §. 3. de libertin. *Et dedititios quidem per constitutionem nostram expulimus.* Decisio illa Justinianea extat C. VII. tit. 5. *Dedititia conditio nullo modo in posterum Rempublicam nostram molestare concedatur, sed sit penitus deleta.* Loon. de manum. II. 8. §. I. 2. 3. Augustin. de leg. in Ælia Sentia. Pith. Subces. II. 9. Polit. Misc. c. 84. Donat. Dilucid. p. 416. Mercer. in Alex. dies gen. IV. 10. Cujac. Observ. IV. 5.

Dedititii peregrini quinam fuerint dicti, docet Theophil. Instit. I. tit. 5. *Nam quondam peregrinorum aliqui quum Romanis vectigal penderent, infestis adversus Romanos animis, arma in eos sumpsere: quos collata acie, & dato congressu Romani vicerunt. Etenim cum impetum eorum fortitudinemque sustinere non possent, abjectis armis sese dediderunt. At Romani cum his humane agentes, vitam quidem his concessere, sed hujus appellationis ignominia affectis, ut quia se dedidissent, dedititii vocarentur.* Polit. Misc. c. 84. Loon. de manum. II. 8. I. Iniquissima fœderis conditione usi sunt, adeo ut non in fœdere, sed in deditione esse dicerentur. Liv. VIII. 2. *Campanorum aliam conditionem esse, qui non fœdere, sed per deditionem in fidem venissent. Itaque Campanos, seu velint, seu nolint, quieturos: fœdere Latino nihil esse, quo bellare, cum quibus ipsi velint, prohibeantur.* Sigon. de ant. jur. Ital. I. I.

DEDITUS hostibus non remanebat civis. Cic. de Orat. I. 40. *Sic C. Mancinum propter invidiam Numantini fœderis pater patratus cum Numantinis dedidisset, eumque illi non recepissent, posteaque Mancinus domum revenisset, neque in senatum ire dubitasset, P. Rutilius M. F. tribunus plebis de senatu jussit educi, quod eum civem negaret esse. quia memoriæ sic esset proditum, quem pater suus, aut populus vendidisset, aut pater patratus dedidisset, ei nullum esse postliminium.* Pompon. D. §. 17. ff. de legation. ita. *Eum, qui legatum pulsasset, Q. Mucius dedi hostibus, quorum erant legati, solitus est respondere: quem hostes si non recepissent, quæsitum est, an civis Romanus remaneret? quibusdam existimantibus, remanere, aliis contra: quia quem populus jussisset dedi, ex civitate expulisse videretur; sicut faceret, cum aqua & igni interdiceret: in qua sententia videtur P. Mucius fuisse. Id autem maxime quæsitum est in Hostilio Mancino, quem Numantini sibi deditum non receperunt: de quo tamen lex postea lata est, ut esset civis Romanus, & præturam quoque gessisse dicitur.* Sigon. de Ant. Jur. Civ. Rom. I. 6.

Deditus noxæ homo liber ejusdem plane conditionis fuit cum *ἀγωγίμῳ* Græcorum, ex judicati causa addictus, & vinciendus, donec judicatum solvisset, ei, cui erat condemnatus, quasi in privatum carcerem datus. *Ἀγώγιμοι* Græcorum noxæ dedebantur ob damnum sarciendum ei cui noxam commiserant. Quod jure Romano licuit. Idque apparet Instit. IV. tit. 8. Papin. coll. leg. Mos. tit. de atroc. injur. *Per hominem liberum noxæ deditum, si tantum acquisitum sit, quantum damnum dedit, manumitti cogendus est a prætore, qui noxæ deditum accepit, sed fiduciæ judicio non tenetur.* Salmas. de mod. usur. c. 17. & 18.

DEDUCTIO juvenum in forum eloquentiam auspicaturorum erat sollennis. V. illam infr. in *Tyrones*, & *Tyrocinium*.

Deductio navium fiebat in hunc modum: Summi ducis imperio nautæ ingrediebantur navalia, in quibus subductæ stabant triremes, & eas manibus trahebant in aquam. Virg. Æneid. IV. 397.

Tum vero Teucri incumbunt, & littore celsas
Deducunt toto naves.

Val. Flacc. I. 184.

At ducis imperiis Minyæ, monituque frequentes
Puppem humeris subeunt, & tento poplite proni
Decurrunt.

Puppem subeunt, quia puppis solebat stare in littore. Virg. Æneid. III. 277. *Stant littore puppes.* Et illam propellebant in mare, quod Græcis est *τὴν πρύμναν κινεῖν*, *puppim movere.* Quo facilius hoc fieret, adhibebantur vectes. Homer. Odyss. Λ. 261.

Vectibus sane hanc deduxit in mare vastum.

& cylindri, lignaque teretia, & rotunda, palanges dicta, quæ subjecta navibus, ut per ea volutatæ facilius agerentur. Archimedes Syracusius machinam excogitavit, qua pauci navim omni instrumento plenam obiter in mare poterant *deducere*, ut testis est Plutarch. in Marcel. p. 306. A. De ea re sic canit Sil. Ital. XIV. 352.

—— puppes etiam, constructaque saxa
Feminea traxisse ferunt contra ardua dextra.

Helicem appellat Athen. V. p. 207. A. Atque hujusmodi *deductio* fuit, cum in propinquo naves essent. Sin vero longius petendæ, & per ingens terræ spatium, plaustris vehebantur, quibus pelles, & cruda coria erant subjecta. Liv. XXV. II. *Contracta extemplo undique plaustra, junctaque inter se, & machinæ ad subducendas naves admotæ, munitumque iter,* coriis videlicet, pecorumque tergoribus, *quo faciliora plaustra, minorque moles in transitu esset. Jumenta inde, & homines contracti, & opus impigre cœptum, paucosque post dies classis instructa, ac parata circumvehitur arcem.* Clare Sil. Ital. XII. 441.

Inclusas igitur quibus haud errare dabatur
Arce superposita, claustris maris extulit astu,

Perque adverſa tulit portatus in arva carinas.
Lubrica roboreis aderant ſubſtramina plauſtris,
Atque recens cæſi tergo prolapſa juvenci
Æquoream rota ducebat per gramina puppim.

Suet. Cal. c. 47. n. 2. *Triremes Romam deduci curavit magna ex parte itinere terreſtri*; quod vix alio, quam hoc, potuit modo fieri. *Scheffer. de Milit. nav.* III. 3. *Potter. Archæol. Græc.* III. 20.

Deductio teſtatoris, qua legatarium ſacris liberabat, eique conſulebat, ne tantundem caperet, quantum omnes hæredes, ſacriſque hoc modo obligabatur, dicebatur, quando *deducebat* aliquid in teſtamento, id eſt, detrahebat aliquid ex legato. Quod ſi nihil *deduxiſſet*, ex partitionis capite centum nummi debebantur. Fr. Balduinus in ſuis ad Scævolam commentariis, quæ eſſet illa *deductio* ignorari credidit, cum tamen a M. Tullio explicetur. Nec intellexit, quomodo legatarius partiarius ſacris liberaretur, ſi minus caperet quam omnes hæredes. Putat legatarium pro parte acquirere, pro parte repudiare legatum potuiſſe, quod juri civili l. legatarius ff. 38. de leg. I. contrarium omnino eſt, quod Scævola optime ſciebat. *Guther. de vet. jur. Pontif.* II. 6. De *deductione*, in qua contra Balduinum inſoleſcit, nihil habeo dicere: manifeſto enim corrupta ſunt verba Cicer. de Leg. II. 20. neque poteſt inde quicquam bene colligi, antequam corrigantur. Cogitabam: *Atque etiam dat hoc Scævola caput partitionis, ut ſi in teſtamento deducta ſacra non ſint, ipſique minus ceperint, quam omnibus hæredibus relinquatur, ſacris ne alligentur.* Sed hoc eſt in tenebris. *Gronov. de Pecun. Vet.* IV. 7.

DEDUCTORES diſtincti erant a ſalutatoribus. Cicer. de petit. conſul. c. 9. *Jam deductorum officium, quo majus eſt, quam ſalutatorum, hoc gratius tibi eſſe ſignificato atque oſtendito; & quoad ejus fieri poterit, certis temporibus deſcendito. Magnam affert opinionem, magnam dignitatem, quotidiana in deducendo frequentia.* Tantiſper exſpectabant, dum patronum, cui uni ſerviebant, domo exeuntem in forum deducerent: illum, ſi pedibus iret, comitabantur, ante ſellam, ſi ea portaretur, ambulabant; & inde anteambulones dicebantur. Mart. II. 18. 5.

Sum comes ipſe tuus, tumidique anteambulo Regis.

Sigon. de Judic. II. 30. Pignor. de ſerv. p. 246. Faber Semeſt. I. 20. Claud. de ſalutat. c. 7.

DEF.

DEFENSIONEM patroni aggrediebantur accuſatione perfecta, eo die, qui erat ex lege a prætore conceſſus. Cicer. Cluent. c. 21. *Citatur reus, agitur cauſa, paucis verbis accuſat, ut de re judicata, Canutius: incipit reſpondere Capaſius.* Cæterum ut accuſatores crimina inferenda, ſic patroni diluenda partitis inter ſe muneribus ſuſceperunt: & quoniam tres erant *defenſionis* arces, aut factum negare, aut nomen facti, aut jure factum probare; ſi, quod firmius videbatur, factum negaſſent, ferme teſtes non dabant, aut qui producti erant, refutabant. Aſcon. in Cicer. p. 78. *Teſtes tabulæque facti dari ſolent: itaque ab accuſatore dantur: non facti non dantur teſtes: ergo nihil proſunt a parte defenſoris. Quid ergo facit pro defenſore? Oratio ſcilicet: cujus poteſtatem Hortenſius non habuit tacente accuſatore.* Cicer. Font. c. I. *Flagito teſtes: plus ego in hac cauſa laboris conſumo in poſcendis teſtibus, quam cæteri defenſores in refutandis.* Accidit tamen nonnunquam, ut præcedat iniquitate judicis, aut accidentium maleficio, ut in cauſa Quintiana Cicero queritur *c. 2.* reum priore loco cauſam dicere, & antequam accuſatoris criminationem audiverit, hac eleganti allegoria: *Ita fit, ut ego, qui tela depellere, & vulneribus mederi debeam, tum id facere cogar, cum etiam telum adverſarius nullum jecerit: illis autem id tempus impugnandi detur, cum & vitandi illorum impetus poteſtas adempta nobis erit: & ſi qua in re, id quod parati ſunt facere, falſum crimen; quaſi venenatum aliquod telum jecerint, medicinæ faciendæ locus non erit.* Pollet. For. Rom. IV. 11.

Defenſio conjuncta dicebatur, ſi reus exceptionem adjeciſſet. *Sigon. de judic.* I. 21. V. illam. infr. in *Exceptio*.

Defenſio pura dicebatur, ſi reus nihil ad inficiationem addidiſſet. *Sigon. de judic.* I. 21.

DEFENSOR civitatis erat primus poſt duumviros in urbe, a Juſtiniano Nov. 15. d. §. ſed hoc jure Inſtit. de Attil. tut. & Theophilo l. I. §. I. ff. de mun. & hon. Græce ἔκδικος appellatur. Hermogen. l. numerum. §. I. perſonalia ff. d. t. *ſyndicum* interpretatur. *Defenſio civitatis*, inquit, *id eſt, ut ſyndicus fiat, munus eſt perſonale.* Et Arcad. l. 2. C. de defenſ. civit. *Defenſores*, ait, *quos Græci ſyndicos appellant, pro republica agebant, & conveniebantur.* Oecum. in Act. Apoſt. X. in Aſia *agoræos* dictos fuiſſe ſcribit. Hi quandam antiquorum tribunorum plebis imaginem referebant. Ex decurionibus creari non poterant. Valentin. l. unic. C. de Offic. jurid. Alexand. *Defenſores*, inquit, *civitatum idoneis perſonis huic officio deputentur.* Ob id *defenſor plebis* nominatur l. 4. C. eod. tit. & in auth. eod. in princ. Nam in primis plebem ipſam, ac totam etiam civitatem ab injuriis & oneribus *defendere* tenebatur, prout ejus nomen indicabat. Ex nobilioribus & ditioribus urbis civibus a decurionibus unus poſt alium *defenſores* eligebantur, ita ut ſinguli in orbem ſua vice officio fungerentur. Ad eligendos civitatis antiſtites, clerici, curiales, aliique nobiliores conveniebant, & eorum judicio orthodoxus nominabatur *defenſor*, a præfecto prætorio comprobabatur. Theodoſ. A. l. defenſores. . . . 8. C. eod. & §. inſeri auth. eod. Electus primum jurabat, ſe omnia ſecundum jura acturum §. jusjur. auth. eod. deinde a præfecto prætorio confirmabatur, cui pro codicillis confirmationis civitas, ſi ex majoribus erat, quatuor ſolidos ſolvebat, ſi ex minoribus, tres. Pecuniarias cauſas inter ruſticos judicabat. Valentin. l. 3. C. eod. *Proſpectum eſt, ut innocens & quieta ruſticitas peculiaris patrocinii, id eſt, defenſoris locorum beneficio perfruatur, & apud eum in pecuniariis cauſis litigandi habeat facultatem.* Pauperum, aliarumque vilium perſonarum in civitate lites dirimebat. Chryſoſt. & Oecum. in Act. Apoſt. XX. *Agorei ſunt genus vilium judicum in Aſia, qui pauperes & viles judicabant.* Aliorum etiam civium cauſam uſque ad quinquaginta aureos cognoſcebant l. I. C. eod. Leviora crimina audire, & punire, ſed gravius delinquentem tantum in carcerem detrudere poterant. l. defenſores 7. C. eod. §. audientium. Apud eoſdem teſtamenta, donationeſque inſinuabantur, & judiciorum acta fiebant l. penult. 5. eod. §. nulla. Olim integro quinquennio magiſtratu fungebantur l. in defenſoribus 4. C. eod. ſed poſtea ſtatutum eſt, ut ſolo biennio in eo officio permanerent, quo finito alii honeſtiores cives ſinguli ordine ſuo biennio hoc munus ſubibant §. quæ agitur in d. auth. Hodie hi non ſunt in uſu: illis tamen quarundam urbium ſyndicos, aut minores judices, qui uſque ad certam ſummam cognoſcunt, comparare poſſimus. *Panciroll. de magiſtr. municip. c. 9. Buleng. de Imp. Rom.* VII. 12. *Bud. in Pandect. p.* 243. *K. Cujac. Obſerv.* III. 14. *Trelier. de jurejur. c.* 3. Deferre jusjurandum non poterat, niſi aut in rem ſuam datus eſſet, aut ſuper hoc mandatum haberet l. jusjurand. & ad pecun. §. defenſor. *Trelier. l. l.*

Defenſores ad oppida *defendenda* recenſentur inter auxilia Palatina, quæ ſub diſpoſitione viri illuſtris magiſtri militum præſentalis in Notitia dignitatum imperii orientis. Hos *defenſores mœnium* appellat Ammian. XX. 7. *Quibus adire propius auſis, defenſores mœnium properarunt.* c. 11. *Defenſores niſi vigilaſſent, in audaciam ruere præcipitem.* Conſtant. Porphyrog. de thematibus dicit *defenſores* eos eſſe, qui currentes poſt hoſtes ſequuntur, ipſi non currunt, ſed ordine ſimul progredientes, eos, qui hoſtes ſequebantur, excipiunt, & *defendunt*, ſi forte in fugam vertantur, & inde nomen habuerunt. *Panciroll. Notit. dignit. Imper. Orient.* c. 40. *Turneb. Adv.* XXIV. 16.

Defenſores reorum dicebantur, *aut patronus, aut advocatus, aut procurator, aut cognitor.* Aſcon. in Cicer. p. 20. *Sigon. de judic.* II. 10. *Briſſon. de Form.* V. *p.* 391. Ut accuſatori teſtimonia, ſic *defenſori* argumenta aptiora fuerunt,

quæ

quæ rhetores in verisimilia & signa distribuerunt: cujus rei clarissimum exemplum Miloniana suppeditabit. Quod si de nomine facti, aut de jure controversia fuit, tum aut subtilibus definitionibus, aut eruditis de jure, sive absoluto, sive assumptivo disputationibus negotium confecerunt. *Sigon. ibid. c.* 18.

DEFECISSET si quis corde, faciem ejus aqua respergere solebant veteres. Plaut. Curc. II. 3. 32.

> PH. *Viden' ut expalluit? datin' isti sellam ut assidat cito.*
>
> *Et aqualem cum aqua? properatin' ocyus?* CU. *Animo male est.*
>
> PH. *Vin' aquam?*

Heliodor. Æthiop. II. p. 69. *Donec tandem Cnemon, scaturiginem quandam repurgans, cum confluentem illico aquulam cavis manibus hausisset, faciem ipsorum conspersit, & nares subinde attrectans, ut ad sese redirent, effecit.* Herald. Adv. I. 9. Bourdelot. in Heliodorum. Taubman. in Plautum.

DEFIGERE est ad res magicas translatum. Quicunque in aliquo actu quocunque genere magicæ artis prohibetur facere quod vult, aut a naturali functione aliqua impeditur, *defixus* intelligitur, quamvis id fiat simplicium herbarum, aut verborum potestate, nullo adhibito nodo, aut ligatura. *Defixio* proprie est πῆξις. In hac locum habuit ἀνάγκη. Quippe qui ἀναγκάζεται haud magis suæ spontis est, aut arbitrio suo utitur, quam si *defixus*, aut constrictus esset vinculis. Πηκτὸν ἀνάγκην dixit Orpheus τὴν πῆξιν, aut καταδεσμὸν magicum. Paull. Sent. V. 23. *Qui sacra impia nocturnave, ut quem obcantarent, defigerent, obligarent, fecerint.* Plin. XXVIII. 2. *Defigi quidem diris deprecationibus nemo non metuit. Defigere diris* aliquem, incantationibus, maleficis herbis, & aliis veneficiis sagæ dicebantur, hoc est, πῆξαι καὶ καταδεσμεῖν. Græci quoque antiquissimi verbis δεδέσθαι & καταδεδέσθαι hoc sensu usi sunt. Harpocration: καταδεδέσθαι *pro veneficio defixum esse, & venenis vinctum teneri. Dinarchus in accusatione adversus Pytheam.* Salmas. Exercit. Plin. p. 238. b. C. 766. a. B. *Defixiones* hominum exitium portendebant. Tertull. de spectac. c. 2. *Homicidium ferro, veneno, magicis defixionibus perficitur.* Earum ritus, ubi de scelere Pisonis & Plancinæ in Germanicum, expressit Tacit. Annal. II. 69. 3. *Reperiebantur solo ac parietibus erutæ humanorum corporum reliquiæ, carmina, & devotiones, & nomen Germanici plumbeis tabulis insculptum, semusti cineres, ac tabe obliti, aliaque maleficia, queis creditur animas numinibus infernis sacrari.* Guther. de vet. jur. Pont. IV. 10. Salmas. Exerc. Plin. p. 768. C. Cujac. Observ. XXI. 22. Laurent. Var. sacr. gentil. c. 14.

DEFRUTARIUM est ahenum prægrande, quo mustum coquitur, ad sapam, aut *defrutum* facienda. Colum. XII. 20. *Harum rerum singulæ libræ in defrutarium, quod ceperit musti amphoras nonaginta, cum jam deferbuerit, & expurgatum erit, adjici debent.* Bud. de asse v. p. 609.

DEFRUTUM *vocatur mustum quam dulcissimi saporis ad tertias decoctum.* Colum: XII. 21. Ad dimidiam partem coqui præcepit Plin. XIV. 9. *Quod ubi factum ad dimidiam est, defrutum vocamus.* Nonn. de re cib. IV. 13. Thys. in Gell. IV. 13. Baccius de therm. vet. c. 35. Buleng. de conviv. III. 18. Beroal. in Serv. §. 54. Gripald. de part. dom. c. 3. §. 3. Meibom. de Cervis. vet. c. 9. Hummelb. in Apic. de Art. coquin. I. 19.

DEFUNCTOS in foro Romano, per quod pompa omnis ducebatur, ut vulgaris & ordinaria, in exsequiarum prosecutione deflebant veteres. Tacit. Annal. III. 5. 3. *Defletum in foro.* Guther. de jur. man. I. 24. Illis aram ponebant. V. illam supr. in *Ara.* Et cum illis arma, ornamenta, & quæcunque, dum superessent, habuerant cariora, in rogum conjiciebant. V. supr. in *Arma.*

DEG.

DEGLABRARE est *glabrum* reddere, aut calvum facere, sive id novacula fiat, sive vulsura. Tertull. de pall. c. 3. *Mercurium autumant forte palpati arietis mollitie delectatum deglabrasse oviculam.* apud quem ita lego pro *deglubasse.* Non enim Mercurius opus habebat, ut arietem lana exueret, illum excoriare. Hoc alienum fuit ab eo, quem gregum præsidem existimabant, ut indicat Pausan. Corinth. I. p. 46. *Et boni pastoris est, tondere pecus, non deglubere.* Suet. Tib. c. 32. n. 6. Vellebantur antiquitus oves ante inventam tonsuram. Varr. de Ling. Lat. IV. 8. *Pastores Palatini ex ovibus ante tonsuram inventam vellere lanam sunt soliti.* de re rust. II. 11. *Ex quorum vocabulo animadverti licet, prius lanæ vulsuram quam tonsuram inventam.* Aleand. tab. Heliac. Explic. Thes. Antiq. Roman. Græv. Tom. V. p. 743. B. Junius in Tertullianum.

DEL.

DELATORES fuerunt assidui Principibus, qui non modo crimina majestatis, sed & quævis alia objicerent, modo inde rediret ad fiscum, aut ærarium aliquid. Suet. Dom. c. 12. n. 2. *Nihil pensi habuit, quin prædaretur omni modo. Bona vivorum, ac mortuorum usquequaque, quolibet, & accusatore, & crimine corripiebantur: satis erat objici qualecunque factum, dictumque adversus majestatem Principis. Confiscabantur alienissimæ hæreditates, vel existente uno qui diceret audisse se ex defuncto cum viveret, hæredem sibi Cæsarem esse.* Tib. c. 61. n. 7. *Nemini delatorum fides abrogata. Omne crimen pro capitali receptum, etiam paucorum simpliciumque verborum.* Pollet. For. Rom. IV. 2. Illis olim præmia constituebantur, quorum dulcedine ad accusandum pelliciebantur. Tacit. Annal. IV. 30. 3. *Quia Cornutus sua manu ceciderat, actum de præmiis accusatorum abolendis. . . . Sic delatores, genus hominum publico exitio repertum, & pœnis quidem nunquam satis coercitum, per præmia eliciebantur.* VI. 47. 2. *Lælius Balbus Acutiam P. Vitellii quondam uxorem majestatis postulaverat: qua damnata, cum præmium accusatori decerneretur.* Brisson. Ant. Select. III. 17. Pollet. l. l. Hæc partim legibus ipsis, ex quibus crimen intendebatur, definita erant: partim æstimatione, & arbitrio ejus, qui de crimine cognovisset, constituebantur. Veluti lege Cornelia ad SCtum Silanianum pertinente ff. de SCto Silan. l. lege Cornelia, de præmio accusatorum, qui servos ante quæstionem de familia habitam fuga elapsos conquisissent, & renuntiassent, hoc cavebatur, ut in singulos servos, quos convicissent, quinque aureos ex bonis occisi aut si inde redigi ea quantitas non posset, ex publico acciperent. In eo SCto, quod a Front. de aquæd. II. refertur, præmium accusatori constituitur dimidia pars ejus, quo condemnabitur is, qui in SCtum commiserit. A Caligula octava bonorum confiscatorum decreta erat. Joseph. Ant. Jud. XIX. I. *Quod delatoribus octava confiscatorum bonorum pars decreta esset.* Nero ad quartas eorum quæ delata essent, redegit: quod inter præclara illius gesta retulit Suet. c. 10. n. 2. Præmia delatorum Papiæ legis ad quartas redegit, id est, ut non nisi quartam quartæ præmiorum antea constitutorum partis auferrent, cum antea quidam criminum publicorum, quadruplatores inde nominati, partem quartam de proscriptorum, quos detulerant, bonis consequebantur. *Brisson. l. l. Guther. de Offic. dom. Aug.* III. 31. *Cujac. Observ.* XIX. 3. *Stephan. de Jurisdict. vet. Græcor. c.* 12. *Demster. Paralip. ad Rosin. Antiq. Roman.* IX. 31. Hoc quæstu cum multi vitam tolerarent, temporumque licentia ad calumnias abuterentur, exsilio, gravioribusque aliis pœnis id genus hominum a Tito, Domitiano, Trajano, affectum est. Suet. Tit. c. 8. n. 14. *Inter adversa temporum & delatores, mandatoresque erant ex licentia veteri. Hos assidue in foro flagellis ac fustibus cæsos, ac novissime traductos per amphitheatri arenam partim subjici, ac venire imperavit: partim in asperrimas insularum avehi.* Dom. c. 9. n. 9. *Fiscales calumnias magna calumniantium pœna repressit; ferebaturque vox ejus: Princeps, qui delatores non castigat, irritat.* Quo nomine illi gratulatur Mart. de Spectac. 4. De Trajano Plin. Paneg. c. 34. n. 1. *Vidimus delatorum agmen inductum, quasi grassatorum, quasi latronum; non solitudinem illi, non iter, sed templum, sed forum insederant: nulla jam testamenta secura, nullus status certus, non orbitas, non liberi proderant. Auxerat hoc malum*

lam Principum avaritia. Excidiſti inteſtinum malum. Contigit deſuper intueri delatorum ſupina ora, retortaſque cervices. Congeſti ſunt in navigia raptim conquiſita, ac tempeſtatibus deditis: abirent, fugerentque vaſtatas delationibus terras. Briſſon. Pollet. & Guther. l. l. Lipſ. not. ad de cruce II. 11. Donat. Dilucid. p. 935.

DELECTUS habendi poteſtas conſulibus poſt exactos Reges conceſſa fuit. Non dico penes ſolos conſules ſemper hoc jus fuiſſe, quoniam ſæpe contingebat, ut illorum loco Dictatores, & tribuni militares cum conſulari poteſtate, nec non in provinciis proconſules, prætores, proprætores, & ſi qua alia erant magiſtratuum nomina, hanc poteſtatem exercerent. Tantum hic loquor de ordinaria belli gerendi poteſtate apud Romanos, quam conſules tempore Scipionis, non vero ante id tempus, habebant, eoque me ducunt verba ipſa Polybii, *eligunt, edicunt, jubent*, quibus tempus præſens denotatur. *Patric. rei milit. Rom. p. 1. ſ. 1.* Polyb. VI. 17. *Quando conſules ſunt conſcripturi milites, diem populo edicunt, qua die Romanos omnes militaris ætatis ſiſtere ſe oporteat: atque id faciunt quotannis.* Liv. III. 11. *Conſules poſitis ſellis delectum habebant.* Dionyſ. VIII. p. 554. *Conſules in ſubjecto campo curules ſellas poſuerunt, ubi & delectum habuerunt.* Sedebant enim in curulibus ſellis, ſpecie magiſtratus. Qui & hoc ut novum notat. Nam ſolebant in Capitolio, ſive in ejus area, ut opinor. Sed in loco tamen auguſto & ſacro: & quare? niſi ut ante oculos religio & Jupiter opt. max. obnoxios magis omnes fractioreſque redderet ad parendum; nam ſæpe hic controverſiæ & turbæ. Polyb. l. l. *Cum igitur dies adeſt, & militaris omnis juventus in Urbe, & mox in Capitolio congregata.* Liv. XXVI. 31. *Ita dimiſſis Siculis, & ipſe in Capitolium ad delectum diſceſſit.* In Campo *delectum* habitum, tanquam novum notat Dionyſ. VIII. p. 554. ſed eo factum, quo tribunitiæ interceſſiones vitarentur, quibus ibi non erat locus. *Lipſ. de Milit. Rom. I. Dial. 3. Laurent. Polym. IV. Synopſ. 1. §. 4. Thyſ. Rom. Illuſtr. 1. p. 46.* Dies edicebatur, ut monuit Dionyſius, ſcripto, cum ordinaria res fuit: præconis voce, cum aliquid ſubitum, & ſcriptum videbatur tardum. Scriptum ingerit Dionyſius: *diem proſcripſerunt.* Liv. VI. 28. *Juniores Romam ad edictum ſine detrectatione convenere.* Etiam ſub ipſum conventus diem ſigno ex arce ſublato. Arnob. II. p. 91. *Cum paratis bella, ſignum monſtratis ex arce.* Virg. Æneid. VIII. 1.

Ut belli ſignum Laurenti Turnus ab arce
Extulit.

Dionyſ. VIII. p. 548. *Propoſuerunt belli ſigna* conſules, *& copias urbanas conſcripſerunt.* Lipſ. Laurent. & Patric. l. l. Stewech. in Veget. 1. 6. Briſſon. de Form. IV. p. 340. Kipping. Antiq. Roman. III. §. 2. In eos, qui ſe non ſiſtebant, ſevere animadvertebatur. Non enim, qui aberant, fallere poterant conſules, quia omnes qui moriebantur, vel naſcebantur, in tabulas publicas referebantur. *Patric. l. l.* Ut proditores libertatis in ſervitutem redigebantur, qui ſe non ſiſtebant. l. qui cum uno §. gravius. ff. de re Milit. *Qui ad delectum olim non reſpondebant, ut proditores libertatis in ſervitutem redigebantur. Sed mutato ſtatu militiæ receſſum a capitis pœna eſt: quia plerumque voluntario milite numeri ſupplentur.* Duaren. Diſput. 1. 4. Stewech. l. l. Citabantur deinde nominatim ac ſingillatim. Cicer. de Divin. I. 45. *Itemque in luſtranda colonia, ab eo, qui eam deduceret; & cum Imperator exercitum, cenſor populum luſtraret, bonis nominibus, qui hoſtias ducerent, eligebantur: quod idem in delectu conſules obſervant, ut primus miles fiat bono nomine.* Ciceronem explicat Feſtus in Lacus Lucrinus: *Ominis boni gratia in delectu, cenſuve primi nominantur Valerius, Salvius, Statorius.* Ex eo ſcilicet auſpicantes valentem, ſalvam, & ſtantem fore Rempublicam, quia putabant, nomina illorum bonum aliquem portendere eventum. *Lipſ. in Tacit. Hiſt. IV. n. 85. Lyd. de Re Milit. I. 2. Sigon. de Ant. jur. civ. Roman. I. 15. Laurent. Briſſon. Thyſ. & Kipping. l. l.* Citati reſpondebant ad nomina. Liv. III. 41. *Silentio patrum edicitur delectus. Juniores, cum ſine provocatione imperium eſſet, ad nomina reſponderunt.* Briſſon. l. l. Valtrin. de Re milit. Roman. IV. 1. Ad illa qui non reſpondebant, mulctabantur. Minoris multæ ratio in hoc genere fuit, ut inquit Varro apud Gell. XI. 1. *M. Terentio, quando citatus neque reſpondit, neque excuſatus eſt, ego ei ovem unam mulctam dico.* Majoris hæc, de qua Val. Max. VI. 3. 4. *M. Curius coſ. cum ſubitum delectum edicere coactus eſſet, & juniorum nemo reſpondiſſet, conjectis in ſortem omnibus, Polliæ, quæ proxima exierat, primum nomen urna extractum citari juſſit, neque eo reſpondente, bona adoleſcentis haſtæ ſubjecit.* Sigon. & Laurent. l. l. Lipſ. ibid. Dial. IV. Interdum tamen excuſationes erant, morbus ſonticus, ſacrificium anniverſarium, alia. Gell. XVI. 4. *His additis exceptionibus; niſi harumce quæ cauſa erit, funus familiare, feriæve denicales, quæ non ejus rei cauſa in eum diem collatæ ſint, quo is eo die minus ibi eſſet, morbus ſonticus, auſpiciumve, quod ſine piaculo præterire non liceat, ſacrificiumve anniverſarium, quod recte fieri non poſſet, niſi ipſus eo die ibi ſit, vis hoſtisve ſtatus condictusve dies cum hoſte.* Valtrin. l. l. Hanſen. de jurejur. vet. c. 23. Schel. ad Polyb. Theſ. Antiq. Roman. Græv. Tom. X. p. 1170. F.

DELEGARE debitorem eſt alium pro ſe qui ſolvat, ſubſtituere. Senec. de Ben. IV. 11. *Debitores nobis deos delegat, precaturque illi pro ſe gratiam referant.* Symmach. Epiſt. X. 27. *Ago gratias & meam vicem, quia ſolvendo par non ſum, cœleſtibus delego virtutibus.* Turneb. Adv. XII. 9. Lipſ. in Senecam. Donat. Dilucid. p. 769. Sigon. de judic. I. 5. Buleng. de Imp. Rom. VI. 79. Fiebat hoc per ſtipulationem l. delegare ff. de novation. eoque modo liberatio contingebat. Senec. ibid. VI. 5. *Nam & pecuniam dicimur reddidiſſe, quamvis non intervenerint nummi; ſed delegatione & verbis perfecta ſolutio ſit.* Nam qui vice ſua alium reum dabat, curabat ut ille creditori ſtipulanti ſponderet l. ſi Titius. ff. eo tit. In qua conventionis ſpecie ludit Senec. Epiſt. 18. *Prius, inquis, redde quod debes: delegabo tibi Epicurum: ab illo fiet numeratio.* Briſſon. de Form. VI. p. 579.

DELEGATIONES tributorum per ſingulos annos, menſe Julio & Auguſto, apud præfectum prætorio uniuscujusque diœceſeos, atque apud acta manifeſtari oportebat. Novell. Jul. 130. Dirigebantur judicibus ſingularum provinciarum initio cujusque indictionis. Judices provinciæ eas proponere debebant in civitatibus, intra menſem Septembrem. Sunt vero deſcriptiones, quibus exigendorum tributorum, & annonarum modus continetur. Hæ manant a Principe, inſinuantur apud acta præfecti prætorii, ac mittuntur in ſingulas provincias. *Guther. de Offic. Dom. Aug. II. 14. Panciroll. Notit. Dignit. Imp. Orient. c. 5.*

DELIBAMENTA dicuntur, quæ deorſum *libantur.* Priſci ut alio genere hoſtiarum rem divinam inferis quam ſuperis faciebant: ita quoque *libamentis* aliis utebantur: quæ quod diis inferis funderent, & tanquam inferias deorſum *libarent:* ideo *delibamenta* vocabant: & cum ea funderent, ſe defundere dicebant. Val. Max. II. 6. 8. *Tum defuſis Mercurio delibamentis, & invocato numine ejus, ut ſe placido itinere in meliorem ſedis inferna deduceret partem.* Turneb. Adv. XIX. 10. Laurent. Var. ſacr. gentil. c. 16.

DELIBATUM eſt ejus, quod cœnæ erat paratum, ſed cujus particulam quandam decerptam diis obtulerant. Lactant. de mort. perſec. c. 37. *Et hoc primus invenerat, ut nihil prorſus menſæ apponeretur niſi delibatum.* Solebant cibos etiam *libare.* Sil. Ital. VII. 182.

Diſtinxit dulces epulas, nulloque cruore
Polluta caſtus menſa Cerealia dona
Attulit, ac primum Veſtæ deterſit honorem
Undique, & in mediam jecit libamina flammam.

Quod Dionyſ. IV. p. 207. dicit *cœnarum primitias libare.* Bauldri in Lactantium.

DELICIÆ dicebantur pueri urbani, & procaces, & *garrulitate amabiles*, ut dicuntur Suet. Aug. c. 83. n. 2. Stat. Sylv. V. 5. 66. V. illum ſupr. in *Alexandrini.* Talis fuit, quem habuit Auguſtus, Sarmentus. Plutarch. Anton. p. 943. E. *Sarmentus puerulus inter Cæſaris ludicros fuit, quos Romani delicias vocant.* Pignor. de Serv. p. 192. Kobierzyk. de lux. Rom. II. 4. Et τὰ παιδικά. Virg. Ecl. II. 1.

For-

Formoſum paſtor Corydon ardebat Alexin;
Delicias domini.

Inde Aſiaticum libertum *in deliciis habuit*, id eſt, cum illo rem habuit, illum iniit Vitellius apud Suet. c. 12. n. 2. Et *delicias* facere eſt libidini indulgere. Catull. LXXIV. 1.

Si quis delicias diceret, aut faceret.

XLV. 23.

Uno in Septimio fidelis Acme
Facit delicias, libidineſque.

Delectari enim eſt verbum, quod pertinet ad rem Veneream. Apul. Met. IX. p. 227. *Puer adhuc adulteros delectans.* Pitiſc. in Suetonium. Vocantur etiam *delicati*, & meretrices *delicatæ*. Spartian. Adrian. c. 4. *Corrupiſſe eum Trajani, curaſſe delicatos.* Vetus inſcriptio: TRIÆ EPHROSYNÆ RUFINÆ V. V. DELICATÆ. Suet. Veſp. c. 3. n. 1. *Flaviam Domitillam duxit uxorem, delicatam olim.* Caſaub. in Spartianum. Lipſ. Epiſt. Quæſt. 1. 15. Pitiſc. in Suetonium.

DELPHAX, δέλφαξ, eſt parvus porcus. V. infr. in *Sacrificium nuptiale.*

DELPHINES columnis ſuperpoſiti erant in ſpina circi, tanquam Neptuno debiti. Hos poſuit, ſeu potius reſtitutos repoſuit Agrippa in ædilitate ſua. Dio XLIX. p. 417. A. *In circo cum videret errare homines propter multitudinem metarum, delphinas & ovata opera poſuit, quibus curſuum circuitiones & converſiones oſtenderentur.* Donat. de Urb. Rom. III. 14. Buleng. de circ. c. 19. Panvin. de lud. circ. 1. 17. & ad illum Argolus. Caſal. de Urb. ac Imper. Roman. ſplend. part. 2. c. 3. De illis etiam Tertull. de ſpectac. c. 8. *Singula circi ornamenta ſingula templa ſunt. Ova honori Caſtorum adſcribunt, qui illos ovo editos credendo de cygno Jove non erubeſcunt: delphinos Neptuno vovent.* Qui quo pacto gyros decurrentium indicare potuerint, non capio. Fortean in faſtigio metarum conſtituti fuerunt, vel in re aliqua volubili, ut ſunt apluſtria: qui prout huc illuc verſi fuere, qua parte circi currus exire, aut quo procurrere deberent, ſignificaverunt. Id ſibi extrema verba Dionis velle videntur. *Nardin. Rom. Vet.* VII. 2. Erant illis cymbala ex ore pendentia ut plurimum, quorum ſono dabatur ſignum, ut eodem momento excurrerent, eodemque ſpatio. Vitruv. X. 13. Quod genus ab Olympia deſumptum auguror, ubi *delphini* locum habuere, ſicuti docet Pauſan. Eliac. II. p. 198. *In regula ſummi roſtri delphinus æneus prominet.* Sunt in circo poſiti, vel ut Neptuni famuli domino ſuo ac deo attributi. Hygin. in Delphino: *Qui Neptuno ſimulacra faciunt, delphinum aut in manu, aut ſub pede ejus conſtituunt.* Vel ob miram celeritatem, de qua Ariſtot. de hiſt. anim. IX. 48. & ex illo Ælian. de anim. XII. 12. *Delphinus non modo aquatilium beſtiarum, ſed etiam terrenarum omnium eſt velociſſimus, & ad ſaliendum præſtantiſſimus; navium enim malos tranſilit.* Buleng. l. l. Cur *delphines* apponerentur, qui explicaret, nondum reperi. Cum quatuor eſſent circi factiones, a tunicæ coloribus diſtinctæ, veneta, praſina, alba, & ruſſata: duæ tamen præcipuæ, & ſcriptoribus celebres, veneta & praſina: nam altera venetæ, altera praſinæ adhærebat. Cum ergo duæ illæ factiones in circo de victoria bigis, & quadrigis certarent, ut intelligeretur quænam prius ſepties metam flecteret, & ſeptem illa curricula conficeret, neceſſe fuit, utriuſque factionis curricula, & ſpatia denotari, ac numerari, ut inquam intelligeretur, quot quæque ſpatia confeciſſet, ne vel errore, vel fraude plura curricula numerarentur. Non enim ova utrique factioni curriculorum numerum notare poterunt: unde etiam *delphines* appoſiti. Cumque venetæ factionis agitatores eſſent rei maritimæ ſtudioſi, praſinæ autem reliquus populus, continentis incola, ut agricolæ, mercatores, & reliqui: factum inde eſt, ut venetæ aurigationis nota, & inſigne, atque index *delphin* eſſet: praſinæ autem, id eſt, terreſtris ſtudii ovum, ſive lignea ovalis machina. *Ferrar. Elect.* II. 15. Hoc caret ratione, & auctoritate veterum ſcriptorum. Emittebantur quatuor agitatores ex carceribus uno eodemque momento. Cum primum ſpatium confeciſſent, ut ab ultima meta reflecterent, erigebatur una ſala ovo & *delphino* inſignis; cum ſecundum, altera; cum tertium, tertia, & ſic deinceps uſque ad ſeptimum, quo finiebantur omnia curricula, & unus erat miſſus confectus, nulla ratione habita Praſinæ, Venetæ, ruſſatæ, aut albæ factionis. Qui ex illis quatuor aurigis primus ſeptimo pedatu, cum ſeptem *delphini* ſtarent erecti, venerat ad primas metas, quæ Murciæ dicebantur, unde ſe addiderant in ſpatia, victor erat, ſive eſſet praſinus, ſive albatus, & compos præmii. Id inde conſtabat, quod præ cæteris exiſteret ad metas Murcias. Non opus erat numerare ova pro praſino, nec *delphinos* pro Veneto agitatore. Quidnam erigebatur pro ruſſatis, & albis, ſi ova pro praſinis, & *delphini* pro Venetis tantum excitarentur? Sit ita, has factiones maxime fuiſſe æſtimatas, & cæteris prælatas, non tamen negligebantur albatæ, & ruſſatæ. Æque cum aliis ſortiebantur oſtia, æque vincebant, ut ex antiquis inſcriptionibus liquet. Alioqui fruſtra circenſium factionum domini illas aluiſſent. Quo ſigno ergo iſtorum curricula numerabantur, ſi ova, & *delphini* tantum ad ſpatia praſinorum, & venetorum deſignanda collocarentur? *Græv. Theſ. Antiq. Roman. Tom.* IX. *Præfat.* * 4. *verſ.*

DELPHINUS, δελφὶς, bellicum eſt inſtrumentum, pertinens ad pugnas navales. Fuit maſſa ponderis ingentis, e ferro, vel plumbo, in *delphini* fortaſſis effigiem formata, quam ex antenna, ſive malo navis pendentem, funibuſque & rotulis religatam, in hoſtiles naves dejiciebant, eaſque ita vel mergebant in aquam, vel perforabant. Scholiaſt. Ariſtoph. II. 3. 7. & ex eo Suidas: *Delphinus eſt ferreum inſtrumentum, aut plumbeum, in delphini effigiem formatum. Hoc in antenna mali prælium commiſſuri ſuſpendunt, dejiciuntque in navem hoſtilem, eamque ſubmergunt.* Scheffer. de milit. nav. II. 5. Gyrald. de navig. c. 12. Salmaſ. Exerc. Plin. p. 402. b. F. Rhodig. Ant. Lect. VIII. 6. Calcagn. de De-naut. c. 14.

DELUBRUM differebat a templo. V. infr. in *Templum.* Frequentius ponitur pro templo, de cujus ſpecie Varro rer. div. VIII. apud Macrob. Sat. III. 4. eo modo conſtituto, *ut præter ædem ſit area aſſumpta deum cauſa*, id eſt, ſpatia relinquantur juxta aras, miniſterii cauſa, ad ſacrificia peragenda. Talia Romæ fuere plurima, ut Apollinis, Jovis Statoris, Junonis Soſpitæ, Minervæ. *Guther. de vet. jure pont.* II. 3. *Cuper. in Lactant. de mort. perſec. c.* II. *Gyrald. Deor. Synt.* XVII. *p.* 474. *E. Rhodig. Ant. Lect.* XII. 11. *Stuck. de ſacrif. p.* 84. *Oizel. in Gell.* XIII. 24. *Min. Fel. p.* 54. *Laurent. Sacr. var. gentil. c.* 7. *&* 16. *Blond. Triumph. Rom.* I. *p.* 19. *A. Demſter. Paralip. ad Roſin. Antiq. Roman.* II. 2. *Rycq. de Capit. c.* 13. *&* 37. *Struv. Ant. Rom. c.* 11. *p.* 508. *Schill. Nom. Phil. p.* 390. *Saubert. de ſacrif. c.* 14. *Voſſ. Lex. Etymol. Merul. de ſacrif.* c. 7. §. 3. In iis gladios & arma ſuſpendebant veteres. Suet. Vit. c. 8. n. 2. *Strictum divi Julii gladium tenens, detractum delubro Martis.* Horat. Od. III. 5. 18.

— *ſigna ego Punicis*
Affixa delubris, & arma
Militibus ſine cæde, dixit,
Direpta vidi.

Torrent. & Beroald. in Suetonium.

Delubrum Apollinis fuit in circo Flaminio in porticu Octaviæ. *Panvin. Deſcr. Urb. Rom. Theſ. Ant. Rom. Græv. Tom.* III. *p.* 301. *C.* Plin. XXXVI. 5. *Ad Octaviæ porticum Apollo Philiſci Rhodii in delubro ſuo.* Theatro Marcelli proximum fuiſſe probat Fabretti Inſcript. p. 455. ex Kalendarii fragmento, quo legitur

APOLLINI. LATON.
AD THEATR. MARC.

Maſſon Ovid. vit. p. 101.

Delubrum Cn. Domitii fuit in Urbis regione IX. cum ſignis Neptuni, Thetidos, Achillis, Nereidum, & Tritonum, quæ opera Scopæ. *Panvin. Deſcr. Urb. Rom. Theſ. Antiq. Roman. Græv. Tom.* III. *p.* 301. *C.* Plin. XXXVI. 5. *In maxima dignatione Cn. Domitii delubro in circo Flaminio*

Neptunus ipſe, & Thetis, & Achilles. . . . Nardin. Rom. Vet. VI. 2.

Delubrum Jovis Statoris fuit in circo Flaminio. Macrob. Sat. III. 4. *Delubrum ait alios exiſtimare, in quo præter ædem ſit area aſſumpta deûm cauſa, ut eſt in circo Flaminio Jovis Statoris.* Forſan illud Cn. Domitii Jovi Statori dedicatum fuit. Verum a Victore recentiore, id eſt, deſcriptore ejus, qui forſan illa Macrobii legerat, veluti diverſa recenſentur. *Nardin. Rom. Vet.* VI. 2. In capite Viæ ſacræ ponitur a Plutarch. in Cicer. p. 868. D. *At progreſſus Cicero ſenatum Steſii in Jovis ædem coegit, quem Statorem Romani vocant, ea eſt in capite Viæ ſacræ.* Argol. in Panvin. de lud. Circ. I. 18.

Delubrum Junonis Soſpitæ in decima fuit Urbis regione, ædi matris deum conterminum. Publius Victor. Fuit dicatum Kalendis Februarii. Ovid. Faſt. II. 55.

> *Principio menſis Phrygiæ contermina matri*
> *Sc[illegible] ita delubris dicitur aucta novis.*
> *N[illegible] ubi ſunt, illis, quæris, ſacrata Kalendis,*
> *T[illegible]la deæ? longo procubuere die.*

Ortel. Deor. & dear. capit. I. 18.

Delubrum Larum fuit in regione octava, quæ forum Romanum. Rufus. *Panvin. Deſcr. Urb. Rom. Theſ. Antiq. Rom. Græv. Tom.* III. *p.* 297. *D. Nardin. Rom. Vet.* V. 10.

D[illegible]brum Martis Gradivi. V. illud infr. in *Templum.*

Delubrum Minervæ cognomento captæ fuit in infimo clivo Cœlii montis, fortaſſe non longe ab æde Gregorii. Ovid. Faſt. III. 837. V. illum infr. in *Minerva.* Donat. de Urb. Rom. III. 12.

Delubrum in Palatio ſtatuit Plin. XXXVI. 5. quod videlicet, ut placet Servio, ſub uno tecto plurima complexum eſt numina. *Romæ,* inquit, *ejus opera ſunt, Latona in Palatii delubro.* . . . . Donat. de Urb. Rom. III. 2.

Delubrum Veneris fuit in Via ſacra, quod inter ſingularia & admiratione digna loca memorat Marcellinus. *Tomaſ. de donar. c.* 16.

Delubrum Veſtæ fuit in Capitolio. Tacit. Annal. XV. 41. 1. *Numæ regia, & delubrum Veſtæ cum penatibus populi Romani exuſta.* Tomaſ. de donar. c. 8. Barth. Adv. XXI. 4.

DEM.

DEMARCHUS, δήμαρχος, vocabatur ordinarius magiſtratus Neapoleos. Neapolis erat urbs Græca, idcirco Græco vocabulo ejus magiſtratus appellabatur. Strabo, poſtquam Neapolin dixiſſet urbem eſſe Græcam, dicit V. p. 170. *Argumento rei ſunt nomina magiſtratuum principio Græca, poſterioribus temporibus Campana Græcis permixta.* Spartian. Adrian. c. 19. *Apud Neapolin demarchus, in patria ſua quinquennalis.* Turneb. Adv. XXIX. 12. Salmaſ. in Spartianum. Tiraquel. in Alex. IV. 23.

DEMENSUM eſt frumentum, ſive cibarium ſervile in ſingulos *menſes.* Plaut. Stich. I. 2. 3.

> *Quot Kalendis petere demenſum cibum.*

Quot Kalendis eſt quot menſibus, id eſt ſingulis menſibus. Terent. Phorm. I. 1. 9.

> *Quod ille unciatim vix de demenſo ſuo,*
> *Suum defrudans genium, comparſit miſer.*

Ubi Donatus: *Servi quaternos modios accipiebant frumenti in menſem, & id demenſum dicebatur.* Bud. de aſſe V. p. 592. Brod. Miſc. II. 15. Pætus de Rom. & Græc. menſ. III. Theſ. Antiq. Rom. Græv. Tom. XI. p. 1630. E. Donati codex forte vitioſus eſt, dum quatuor modios ſingulis menſibus ſervos accepiſſe in illo legitur. Quinque enim modios acceperunt. Senec. Epiſt. 80. *Servus eſt, quinque modios accipit, & quinque denarios.* Salluſt. Hiſt. III. in Orat. M. Lepid. *Qua tamen quinis modiis libertatem omnium æſtimavere.* Lipſ. Elect. I. 8. Schott. Obſerv. II. 34. Stuck. Ant. Conv. I. 22. Loon. de manum. III. 5. 8. Popm. de oper. ſerv. p. 23. Hoc dabatur illis per diſpenſatores. V. infr. in *Diſpenſator.*

DEN.

DENARIUS eſt nomen vere adjectivum, & ſignificat nummum *denarium.* Gronov. de ſeſtert. I. 1. & 4. Eratque ex præcipuis nummorum argenteorum generibus. Ab uno latere urbis Romæ galeatum caput cum numeri nota X habebat. Ita dicebatur, quod pro decem aſſibus in ſolutionem cedebat, quoad, perpetuis bellis exhauſto ærario, placuit ſexdecim aſſibus permutari, quod contigit, quum Hannibal perpetuos ſexdecim annos totam Italiam crudeliſſime vexabat. Plin. XXXIII. 3. *Poſtea Annibale urgente, Q. Fabio Maximo Dictatore, aſſes unciales facti: placuitque denarium* XVI. *aſſibus permutari.* Qui quanquam ex decem in ſexdecim aſſes permutatus eſſet, antiquum tamen *denarii* nomen, & notam X. retinuit. *Panvin. Imp. Rom. c.* 22. *Panciroll. Notit. dignit. imp. Orient. c.* 75. *Salmaſ. de mod. uſur. c.* 6. *&* 7. *Manut. de legib. c.* 17. *Auguſt. de legib. in Papiria. Lipen. de ſtren. c.* 3. *§.* 32. *Sperling. de numm. non cuſ. c.* 31. *Urſin. de Fam. Roman. in Titinia. Licet. de lucern.* VI. 82. *Malvaſ. Marm. Felſin. ſect.* 3. *c.* 4. *Rhodig. Ant. Lect.* X. 2. *Calcagn. Equitat. p.* 578. *Schott. Obſerv.* I. 15. *Hotman. Antiq. Roman.* IV. 1. 13. Continebat quatuor nummos ſeſtertios. *Gronov. ibid. c.* 4. *Salmaſ. l. l.* Par erat drachmæ. Plin. XXI. 34. *Drachma Attica denarii argentei habet pondus.* Qui & paſſim, ubi apud Græcos auctores drachmis definiri pondera invenit, modo drachmas retinet, modo *denarios* ſubjicit. Plutarchus in Fabio Maximo poſt cladem ad Thraſimenum lacum ludos magnos votos factosque impenſa in eos ludos dicit *ſeſtertia trecenta triginta tria, denarios trecentos triginta tres trientem.* Quam ſummam mox ad Græcam pecuniam revocans ait conficere ὀκτὼ μυριάδας δραχμῶν, καὶ δραχμὰς τρισχιλίας πεντακοσίας ὀγδοήκοντα τρεῖς καὶ δύο ὀβολούς. *Gronov. ibid.* I. 4: II. 6. *&* 7. IV. 2. *Bud. de aſſe* II. *p.* 209. III. *p.* 281. *Manut. Quæſ. Epiſt.* II. 7. *Salmaſ. de mod. uſur. c.* 2. *Licet. de lucern.* IV. 41. *Turneb. Adv.* XXIV. 17. *Panvin. l. l. Sperling. ibid. c.* 6. *&* 18. *Savot. de numm. antiq.* III. 3. *Hotman. ibid.* IV. 2. 4. *Camerar. de Re numm. Theſ. Antiq. Græcar. Gronov.* IX. *p.* 1421. *B.* 1425. *C. Porcius de Re pecun. antiq. c.* 2. *&* 3. *Snell. de Re numm. Theſ. Gronov. ibid. p.* 1579. *D.* Non quod drachma Attica tantum idem omnino valeret quod *denarius,* ſed quia nullum nummi genus Græci habuere, quod *denario* Romano magis convenire poſſet. Nam quum *denarius* Romanus penderet argenti ſiliquas XXIV. duodeviginti ſiliquæ drachmam conficiebant: tres itaque *denarii* pendebant drachmas quatuor. *Panvin. l. l. Cenal. de pond. & menſ. rat. Theſ. Ant. Rom. Græv. Tom.* XI. *p.* 1490. *F.* 1491. *F.* Probat, quod ſcriptum legimus apud Tacit. Annal. I. 17. 4. queſtos milites *infructuoſam* nimium illis fuiſſe *militiam,* quod ſcilicet *denis in diem aſſibus anima æſtimaretur & corpus. Denarium* itaque poſtulabant in diem ſibi dari, aucto nimirum ſtipendio. Alioqui quid attineret *denarium* pro drachma petere, niſi auctior eſſet ipſius ſupra drachmam indicatura? *Cenal. ibid. p.* 1602. *B. Ferrett. in Tacitum.* Qui vero XVI. aſſibus, tandem XII. æſtimari cœpit: in eoque ſtetit Auguſti, & ſequentium aliquot Principum ævo. Hoc argumento. Menſtruum militum ſtipendium erat aureus, qui vicenis quinis valebat *denariis;* diurnum vero decem aſſes. Quod ſi igitur *denarius* denis tantum aſſibus valuiſſet, aureus non ſuffeciſſet ad ſtipendium menſtruum: ſin autem ſedenos aſſes exæquaſſet, milites, quibus deni tantum in diem aſſes dabantur, minus aureo in menſem accepiſſent. Sed ſi in denario duodenos aſſes numeres, aureus continens quinque & viginti *denarios* valuit trecentis aſſibus, qui modum ſtipendii menſtrui, ſive triginta dierum, datis nempe militi denis in diem aſſibus, æquant. Idem probatur auctoritate Polyb. II. ubi de valore dimidii aſſis agit. Eum valuiſſe ait quarta parte oboli, quo conceſſo, quoniam *denarius,* ſive drachma ſex obolos continebat, & dimidius as quartam oboli partem valore æquabat: obolus integer valuit binis aſſibus, ſecundum quam analogiam ſex oboli, qui *denarium*

con-

conficiunt, duodenis assibus valuerunt. *Lipf. in Tacit. Annal.* I. *Excurf. F. Elect.* I. 2. *Savot. ibid. c.* 20. Quæ refellere conantur *Contaren. de milit. Rom. ftip. Thef. Ant. Rom. Græv. Tom.* X. *p.* 1519. *F.* & *Putean. de ftipend. milit. c.* 14. Conficit in Gallia folidos 6. denarios 2. Turonenfes, & quatuor quinarias partes alterius: In Germania communiter quindecim cruciatos, minus vigefima quinta parte unius: In Britannia folidos quinque fterlinorum, denarios 9. Turonenfes, & quatuor quinarias partes alterius: In Flandria 6 ftauros, & paullo plus denariis 8. Turonenfibus: In Hifpania maravilios fere 65. *Sardus de numm. Thef. Ant. Rom. Græv. Tom.* XI. *p.* 1722. *D.*

Denarius æreus videtur dici affis æreus Macrob. Saturn. I. 7. fub finem feculi quarti qui fcripfit: *Æs ita fuiffe fignatum hodieque intelligitur in aleæ lufu: cum pueri denarios in fublime jactantes, capita aut navia lufu tefte vetuftatis exclamant.* Loquitur de affibus æreis, quorum prima facies Jani bifrontis caput exhibet, altera proram navis: quem affem hic *denarium* vocavit, in argento enim *denarii* non fignabantur fub ifta figura. *Sperling. de numm. non cuf. c.* 6. *Denarius* nunquam æreus fuit apud Romanos, nec drachma apud Græcos: fed ante argentum fignatum decuffis, ut centuffis, æreus fuit. *Bud. de Affe* V. *p.* 634. Hunc alii ad unum omnes fequuti funt. Sed non animadvertit vir doctiffimus, *decuffim* & *denarium* promifcue olim appellatum. Itaque receptam hanc opinionem auctoritate veterum refellemus. Macrobius modo laudatus. Qui verbis illis perfpicue oftendit, quamvis *denarius*, quo tum utebantur, effet argenteus, & bigarum nota infignitus, tamen veteri feculo æreum fuiffe, & æreæ pecuniæ figuram illam duplicem habuiffe. Plutarch. in Camill. p. 135. B. *Affarium erat nummus, & is nummus æreus decuplatus ex eo dicebatur denarium.* Sed nemo apertius, quam Vopifc. in Aurelian. c. 9. *Ipfi ad fumptus aureos Antonianos diurnos binos, argenteos Philippeos minutulos quinquagenos, æris denarios centum.* Hotman. Antiq. Roman. IV. I. 13.

Denarius aureus invenitur apud Petron. c. 33. *Pro calculis albis ac nigris aureos argenteosque habebat denarios. Denarii* aurei vocantur, qui folido pondere *denarios* argenteos magnitudine referebant. Apertius deinde: *Jam fcio, unde acceperit denarios mille aureos* Solidos nimirum indicat. Nec Petronius ita locutus effet, fi tempore Neronis vixiffet, quando *denarii* nomen argento folum tribuebant, auro nunquam. Alias *denarius* aureus fcriptoribus dici cœpit nummus, qui decem folidos aureos continebat fub una forma, ut Heliogabali *formæ denariæ* apud Lampr. Alex. Sev. c. 39. vocatæ funt decem folidorum nummi, nobis 30. uncialium thalerorum. *Sperling. de numm. non cuf. c.* 6. *Hotman. Antiq. Roman.* IV. 3. I.

Denarius bigatus & quadrigatus V. illos infr. in *Nummus.*

DENDROPHORI dicebantur, qui arbores cædunt, ferunt & torrent. *Alciat. de verb. fign. p.* 155. *b.* 205. *b.* Qui materiam ad bellicas machinas advehebant. *Turneb. Adv.* XXIX. 16. Qui ligni materiam, quæ per noftra plurimum flumina in Adriaticum & Venetias affidue convectantur, traducendam redimunt, quos a ratibus ex ea materia contextis, ratiarios vocant: exercitores ratium ab Ulpiano dicuntur. *Pier. Valerian. Ant. Bellun. Serm.* I. Eft potius nomen religionis, vel fuperftitionis. Cod. Theod. de paganis & templis l. 20. *Omnia loca, quæ Frediani, quæ Dendrophori, quæ fingula quæque nomina, & profeffiones gentilitiæ tenuerunt epulis, vel fumptibus deputata, fas eft hoc errore fubmoto compendia domus noftræ fublevare.* Dicti autem, qui in honorem alicujus dei, ut Bacchi, vel matris deum, vel Silvani, arbores ftirpitus excifas per urbem humeris ferrent. Artemid. II. 42. *Choream deo, Baccho, ducere, aut thyrfum, aut arbufculam geftare, omnibus malum eft, exceptis fervis.* Vetus auctor poematis nondum editi:

Egregios proceres currum fervare Cybellæ,
Quem traheret conducta manus Megalenfibus actis,
Arboris excifæ truncum portare per urbem,
Attin caftratum fubito prædicere folent.

In choro Bacchico Bacchæ folebant θυρσοφορεῖν, Silvanus δενδροφορεῖν. Hinc vetus faxum.

SILVANO. DENDROPHORO. SACRUM
M. POELICIUS. HILARUS. MARGAR.
Q. Q. P. P. CUM. LIBERIS. MAGNO.
ET. HERMONIANO. DEN-
DROPHORIS.

Virg. Georg. I. 20. V. illum infr. in *Silvanus.* Salmaf. in Spartian. Anton. Caracall. c. 9. Urfat. de not. Rom. Thef. Ant. Rom. Græv. Tom. XI. p. 632. F. Du Frefne Gloffar. Stuck. Ant. Conviv. I. 31. Voff. de Idolol. I. 20. Spon. Mifc. Erud. Ant. Sect. II. art. II. p. 56. Cujac. Obferv. VII. 30. Græv. Præfat. Thef. Antiq. Roman. Tom. I. p. * * * * 3.

DENS auguribus fi tremuerit, difcordiam, & quandoque etiam bonum enuntiat. *Niphus de augur.* I. 9. In *dentibus* expurgandis magnam curam veteres collocarunt, adeo ut fi proprii effent vitiati, alios eburneos emerent. Mart. V. 4. 5. I.

Thais habet nigros, niveos Lecania, dentes.
Quæ ratio eft? emptos hæc habet, illa fuos.

XII. 23. I.

Dentibus, atque comis, nec te pudet, uteris emptis.
Quid facies, oculus, Lælia, non emitur.

Ideo fricabant & lavabant quotidie. Plin. Epift. VIII. 18. *Ac ne in lectulo quidem, nifi ab aliis movebatur, quin etiam, fœdum, mifcrandumque dictu, lavandos, fricandosque dentes præbebat.* Solitum hoc fieri, vel fpina argentea. Petron. c. 33. *Deinde fpina argentea dentes perfodit.* Vel lentifco. V. illum infr. in *Lentifcus.* Et, ut nitidiores fierent, quotidie urina, aut aliis rebus putidiffimis levigabant. V. infr. in *Pumicare.* Auro, fi per infirmitatem, vel aliqua caufa decidiffent, vel evulfi fuiffent, incruftabant. Mart. I. 73. 3.

Sic dentata tibi videtur Ægle
Emptis offibus, Indicoque cornu.

Hinc undecima lex XII. tabb. apud Cicer. de leg. II. 24. *Neve aurum addito: aft, cui auro dentes vincti erunt, im cum illo fepelire & urere fine fraude efto.* Ferret. Muf. Lapid. IV. Memor. 9. Salmuth ad Panciroll. de reb. inv. & deperd. p. 735. Kirchm. de Fun. Rom. III. 24. Rittersh. in Leg. XII. tab. Claff. I. c. 12. Hotman. Antiq. Roman. III. I. p. 396. C. Aprinos honori numinum liminibus affigebant venatores. Symm. Epift. V. 66. *Tomaf. de donar. c.* 31. *Dentibus* per pruritum, & amoris fuavitatem colluctando coeuntium alter alterum morfitat. Tib. I. 7. 13.

Tum fuccos herbafque dedi, queis livor abiret,
Quem facit impreffo mutua dente Venus.

I. 9. 37.

Et dare anhelanti pugnantibus humida linguis
Ofcula, & in collo figere dente notas.

Ach. Tat. II. p. 147. *Illa artificiofe ofculatur, majoreque condita fuavitate bafia præbet: non folum enim labris fuaviari fat habet, fed etiam dentibus confligit, & circum bafiantis ora depafcitur, ac bafia ipfa mandit. In ipfo autem venerei complexus calore voluptate, quafi œftro, concitata, & bafians mordet, & infanit.* Hinc labella mordere de coeuntibus dicitur apud Catull. VIII. 18.

Quem bafiabis? cui labella mordebis?

Cicer. Verr. V. 13. *Ex mulierum morfu veftigia libidinis atque nequitiæ.* Et Plaut. Pfeud. I. I. 6.

Teneris labellis molles morfiunculæ.

Et morfum collum apud Prop. III. 6. 21.

In morfo æquales videant mea vulnera collo,
Me doceat livor mecum habuiffe meam.

Kemp. de ofcul. Differt. XIII. §. 13. Pafferat. in Propertium. Taubman. in Plautum. Lambin. in Horat. Od. p. 51. Broukh. in Tibull. I. 7. 14.

Dens de clavibus etiam dicebatur. Communes claves, id est, βαλανάγραι, unico tantum *dente* præditæ erant, qui in βάλανον infigebatur ad eam extrahendam. Tib. I. 2. 18.

Seu reserat fixo dente puella fores.

Claves Laconicæ cum tribus erant *dentibus*. Aristoph. Θεσμοφ. p. 789.

Licet viri enim jam claviculas
Ipsi gestent occultas, callidissimas, ac maxime malignas,
Laconicas quasdam tres habentes claviculas.

De his Aratus, quem Germanicus ita vertit:

Qualis ferratos obicit clavicula dentes.

Salmas. Exerc. Plinian. p. 651. E. Turneb. Adv. XVI. 4.

DENTATUS dictus est, qui cum *dentibus* natus est. Plin. VII. 16. *Quosdam & cum dentibus nasci accepimus, sicut M. Curium, qui ob id Dentatus cognominatus est.* Glandorp. Onom. Rom. p. 289. Sigon. de nom. Rom. Thes. Antiq. Rom. Græv. Tom. II. p. 1981. C. Ursat. de not. Rom. Thes. Ant. Rom. Græv. Tom. XI. p. 837. D.

DENTER fuit prænomen Romulii præfecti Urbi sub Romulo. Tacit. Annal. VI. II. 2. *Ferunt ab Romulo Dentrem Romulium impositum.* Aliquot annis post in Cæciliorum & Liviorum cognomen transiit. *Panvin. de nom. Rom. Thes. Ant. Rom. Græv. Tom. II. p. 2026. B.* L. Cæcilius *Denter* prætor anno ab U. C. 572. Siciliam provinciam tenuit. Liv. XXXIX. 56. *Prætores inde facti L. Cæcilius Denter....* M. Cæcilius *Denter* inter quinque legatos ad Macedoniæ & Ægypti Reges missus fuit. Liv. XLII. 6. *Per idem tempus quinque legati ad Regem missi, qui res in Macedonia adspicerent. Alexandriam iidem ad Ptolemæum renovandæ amicitiæ causa proficisci jussi. Legati erant hi. . . . M. Cæcilius Denter.* Glandorp. Onom. Roman. p. 172. C. Livius *Denter* incertis suspicionibus magister equitum fingitur C. Claudio Crassino Regillensi Dictatori comitiorum habendorum causa anno 405. Hujus nepos M. Livius *Denter* consul fuit anno 451. cum M. Aimilio Paullo. Hic etiam ornatur a quibusdam magisterio equitum post annos sedecim Q. Hortensio Dictatore seditionis sedandæ causa. *Augustin. de Fam. Roman. in Livia. Glandorp. ibid. p. 542.*

DENUNTIARE est citare ad diem, qua dicendum est testimonium, quod facere poterant, præter ipsos judices, & accusatores. Plin. Epist. VI. 5. 2. *Addidit etiam, petendum a consulibus, ut referrent, sub exemplo legis ambitus, de lege repetundarum, an placeret in futurum ad eam legem adjici, ut, sicut accusatoribus inquirendi, testibusque denuntiandi potestas ex ea lege esset, ita reis quoque fieret. Denuntiandi testibus*, id est, die dicta ad judicium evocandi testationis gratia. Probus in literis antiquis: D. T. D. D. P. F. id est, duntaxat testibus decem denuntiandi potestatem faciam. Hinc *denuntiationes* pro vadimoniis & citationibus. Cicer. pro Flacc. c. 6. *Adjunxit illa, ut eos, qui domo exire nolebant, testimonii denuntiatione deterreret, qui domi stare non poterant, largo & liberali viatico commoveret.* Pollet. For. Rom. IV. 13. Absentibus quomodo *denuntiatio* facta fuerit. V. infr. in *Evocatio.*

DENUNTIATORES Romæ in qualibet Urbis regione habebantur, ut patet ex basi prægrandi in Capitolio, sub porticu Conservatorum, a Grutero exhibita p. 250. & 251. *Denuntiatorum* munus erat, deficientibus accusatoribus, gravia facinora *denuntiare*, ne impunita manerent, qui Patavii etiamnum, in quolibet vico, vulgo capi dicento, constituti. *Ursat. de not. Rom. Thes. Ant. Rom. Græv. Tom.* XI. *p. 669. C. Nardin. Rom. Vet.* III. 4.

DEO.

DEOSCULATIO pro adoratione ponitur. Hieron. ad Pammach. Apol. in Rufin. scribit, se καταφιλήσατε Psalmi II. *deosculamini* vertisse adorate: *quia*, inquit, *qui adorant, solent deosculari manum & capita demittere, quod beatus Job se elementis fecisse negabat, dicens: si vidi solem, cum fulgeret, & osculatus sum manum meam ore meo. Et Hebræi juxta linguæ suæ proprietatem deosculationem pro veneratione ponunt.* Panciroll. Notit. dignit. imp. orient. c. 104. Rhodig. Ant. Lect. IV. 3: X. 8. V. supr. in *Adorare.*

DEP.

DEPALMATIO species levioris injuriæ habetur ex XII. tabb. Gell. XX. I. *Quidam pro delectamento habebat os hominis liberi manus suæ palma verberare: eum servus sequebatur, crumenam plenam assium portitans: & quemcunque depalmaverat, numerari statim secundum duodecim tabulas viginti & quinque asses jubebat.* Ouzel. in Gellium.

DEPESTA fuit vas vinarium, quod a Sabinis diebus festis in deorum mensa ponebatur. Varr. de ling. Lat. IV. 26. *Item dicta depesta etiam nunc in diebus sacris Sabinis vasa vinaria in mensa deorum posita. Apud antiquos scriptores Græcos inveni appellari poculi genus δεπέσκαν. Quare vel inde radices in agrum Sabinum Romanum sunt profectæ.* Stuck. Ant. Conviv. II. 27. de sacrif. p. 81. & 203. Turneb. Adv. XXII. 30. Alex. Gen. dier. III. 10. *Ex quibus licet æstimare, inter pocula & vasa potui destinata censeri quam Varro dicit depestam.* Forte utrobique legendum est *depastrum.* Est enim δέπαστρον apud Athen. XI. 5. poculi genus, vel etiam *depastum*, sive δέπαστον. Est enim Græcis δέπας, poculum. *Tiraquell. in Alexandrum.*

DEPILATRICES, παρατιλτρίαι, erant mulieres, quæ obibant munus capilli digitis trahendi. Fiebat hoc per volsellas. *Jun. de com. c. 2.* V. illas infr. in *Volsella.*

DEPONERE est sequestris committere. Vulgo dicimus consignare in manu tertii. *Depositarii* tamen nomen videtur καθολικώτερον quam sequestris, qui litigiosorum tantum est *depositarius.* Cæterum in ambitus negotio, ubi controversi non sunt nummi, etiam usurpatur, ut aliud significet, quam etymologiæ nomen indicet, ut in possessione, quæ etiam est mobilium, & aliquando ἀσωματῶν, cum tamen sonet etymon ad ea pertinere, in quibus pedem figimus & *ponimus.* Pollet. For. Rom. V. 9.

DEPONTANI *appellabantur senes, qui sexagenarii de ponte dejiciebantur. Exploratissimum illud est causæ, quo tempore primum per pontem cœperunt comitiis suffragia ferre, juniores conclamaverunt, ut de ponte dejicerentur sexagenarii, qui jam nullo publico munere fungerentur, ut ipsi potius sibi, quam illi, deligerent Imperatorem. Cujus sententiæ est etiam Sinnius Capito. Vanam autem de ponte Tiberino opinionem*, de qua multa retulerat, *confirmavit Afranius in Repudiato.* Festus in *Sexagenarios.* Nonius XII. 22. *Sexagenarios per pontem mittendos male diu popularitas intellexit, cum Varro de vit. pop. Rom.* II. *honestam causam religiosamque patefecerit. Cum in quintum gradum pervenerant, atque habebant sexaginta annos, tum denique erant a publicis negotiis liberi atque otiosi. Ideo in proverbium quidam putant venisse, ut diceretur sexagenarios de ponte dejici oportere, id est, quod suffragium non ferant, quod per pontem ferebant.* Victor. Var. Lect. XVIII. 7. Manut. de leg. c. 37. August. de leg. c. 14. & in Maria. Erasm. Adag. p. 617. Pier. Hierogl. XVII. I. Schill Nom. Phil. p. 393. Pollet. For. Rom. V. 8. & ad illum Broidæus. Sigon. de Ant. jur. Civ. Roman. I. 17. Beroal. Annot. c. 5. Turneb. in Cicer. de Leg. p. 219.

DEPORTATIO dicitur quasi circumfinitio, cum ei, qui damnatus est, certo spatio circumscribitur pœnæ pendendæ locus. Nunc *confinitos* lingua vulgi appellat. Areopagita epistolam ad Johannem Euangelistam sic inscribit: *Johanni Theologo, Apostolo & Euangelistæ deportato ad Pathmum.* Deinde significationem hujus verbi expressit: *Merito istos incusans, qui vos injuria hac afficientes, arbitrantur se solem Euangelii circumscribere*, περιορίζειν τοῦ Εὐαγγελίου τὸν ἥλιον, id est, qui te *deportatione* circumseptum arbitrantur reliquo orbe disclusum iri. *Bud. in Pandect. p. 249. H.* Nomen hoc reor natum esse ex eo, quod senatus censuit milites eos, qui ex Cannensi acie fugerant, ex Italia in Siciliam *deportandos* esse, nec ante inde *reportandos*, quam Pœnus Italia depulsus esset. Ex ea re nomen *deportationis* primum natum arbitror: cum eorum militum more in insulas pœnæ nomine rei amandabantur.

Turneb. Adv. xx. 16. *Schill Nomencl. Philol. p.* 394. Ante Auguſtum nulla fuit, ſed ſublata aquæ & ignis interdictione ſucceſſit: cum tamen veteres eædem leges valerent. Itaque & in lege Cornelia de ſicariis & veneficiis, quam tulit L. Sylla Reipublicæ temporibus, *deportationem* tamen Martianus nominat. *Manut. de Leg. c.* 23. *Stephan. de Juriſdict. vet. Græcor. c.* 12. Spectans ſui temporis conſuetudinem, & nominavit non eam, quam in lege ſua ſcripſerat Sylla, pœnam, nimirum aquæ & ignis interdictionem, ſed eam, qua tunc, ſublata aquæ & ignis interdictione, lege Cornelia damnati plectebantur. *Manut. ibid. c.* 25. Servo infligi nulla Ictorum aut Imperatorum auctoritate comprobari poteſt: quinetiam *deportatione* damnatos ex capitali crimine honeſtiores homines, ut puta decuriones & principales civitatum, Icti docent. *Fab. Semeſt.* II. 5.

DEPORTATUS differt a relegato. I. quia *deportatum* non ſequuntur bona, niſi palam ei fuerint conceſſa, relegatum ſequuntur, niſi fuerint adempta alio modo. II. quia *deportato* ſolent aſſignari inſulæ, quæ ſunt aſperrimæ, quæque ſunt paullo minus ſummo ſupplicio comparandæ, cum relegato humanius tranſigitur. *Barth. Adv.* XXXIX. 14. *Rhodig. Ant. Lect.* XXVII. 15. *Guther. de jur. man.* I. 10. *Crinit. de Honeſt. Diſcipl.* XXII. 5. *Laurent. de Rebuſp. c.* 7. *Schill Nomencl. Philol. p.* 394. Ubi *deportandus* reus videbatur, præſides provinciarum, quia jus *deportandi* non habebant l. 2. §. 1. ff. de pœnis, duntaxat annotabant, *in inſulam deportandum:* & ſententiam proferebant hujuſmodi, *Imperatori ſcribendum, ut deportaretur.* Comprobata ſententia præſidis, inſulam imperator aſſignabat l. 1. ff. quan. appell. ſit. Ulpian. l. inter ff. de interdict. & relegat. *Briſſon. de Formul.* v. *p.* 486. Ad *deportatos*, qui inſulis concludi, & quaſi aqua & igni interdicti civitate arceri ſolebant, pertinet conſtitutio Auguſti, de qua Dio LVI. p. 587. D. *Edixit, ne quis eorum, quibus aqua & igni eſſet interdictum, in continenti, aut inſula ulla, niſi quæ quinquaginta millia paſſuum ab continente diſtaret, excepta Co, Rhodo, Sardinia & Lesbo degeret: neque aliquo trajicere, aut plures naves, quam unam onerariam, mille amphoras capientem, & duas actuarias, neve ſervos, aut libertos ſuper viginti haberet, ne plus quingentis millibus nummum poſſideret.* Briſſon. Ant. Select. III. 6. Libertatem ex jure Quiritium, id eſt, civitatem, amittebat, non tamen illam, quæ eſt ex jure gentium. Etſi neque teſtamentum facere, neque hæreditatem capere, neque omnino earum rerum, de quibus jure civili ſtatutum eſt, habere ullam liceat; jus enim in eo ſuum amittit, & quodam modo partem priſtinæ libertatis, ſiquidem amittit ea quæ juris civilis ſunt: quæ vero jus gentium complectitur, ea retinet omnia, adeoque libertatem, quia in ſervitutem non eſt redactus. *Manut. de Leg. c.* 19. *Briſſon. de rit. nupt. Theſ. Antiq. Roman. Græv. Tom.* VIII. *p.* 1019. *D. Fab. Semeſt.* II. 13. *Teſtamentum* tamen *ejus qui deportatur, non ſtatim fit irritum; ſed cum Princeps factum comprobaverit.* Ulpian l. ſi quis filio §. ejus qui ff. de injuſt. rup. non enim antea civitatem videtur amiſiſſe. Ulpian. l. 1. §. deportatos ff. de legat. 3. *Deportatos eos accipere debemus, quibus Princeps inſulas annotavit, vel de quibus deportandis ſcripſit. Ceterum priusquam factum præſidis comprobet, nondum amiſiſſe quis civitatem videtur.* Proinde ſi ante deceſſit, civis videtur deceſſiſſe, & teſtamentum, quod ante reliquerat, quam ſententiam pateretur, valebit. *Guther. ibid. c.* 9. *Briſſon. de Formul. & Fab. l. l.*

DEPOSITUM fuit modus diſtrahendæ obligationis, qui ſolutionis inſtar, ut & hodie, ſe habebat, cum oblata pecunia conſignata *deponebatur*; quo facto, confeſtim, uti nunc etiam, debitor liberabatur, ut l. tutor. pro pupillo ff. de admin. tut. *Sigon. de judic.* I. 5. *Long. de Annul. c.* II. *Deponebantur* vero ſignatæ res interdum apud acta, vel officium l. ſi fidejuſſor. in fine ff. qui ſatisd. cog. interdum etiam in cimeliarchio l. litibus de agric. & cenſit. XI. C. l. ult. C. de bo. auct. jud. poſſ. vel alio publico loco l. acceptam C. de uſur. aliquando etiam apud virum aliquem bonum judicis arbitratu l. ult. ff. de tab. exhib. Ut plurimum autem apud ædem aliquam ſacram l. ſi reus ff. de procur. & Cicer. Attic. v. 21. *Græcis poſtulantibus ut in fano deponerent, non conceſſi.* Quod ex antiquis moribus fluxiſſe puto, quibus conſignatæ pecuniæ ſacro commendari ſolebant, quaſi tutiore loco eſſe non poſſint. Exempla ſuppeditat Cicer. de Leg. II. 16. *Alexander in Cilicia depoſuiſſe apud Solos in delubro pecuniam dicitur: & Athenienſis Cliſthenes Junoni Samiæ, civis egregius, cum rebus timeret ſuis, filiarum dotes credidit.* Et Herodian. I. 14. 4. ſcribit in illo incendio, quo Pacis templum Romæ conflagravit, magnam factam pecuniarum, quæ illic *depoſitæ* erant, jacturam. *Long. l. l. Donat. dilucid. p.* 784. In *depoſito* hoc interdum nominatim agebatur, ut res *depoſitæ*, vel nummi periculo eſſent ejus, apud quem deponebantur l. 1. §. ſæpe ff. depoſ. Neratius etiam in l. & Ariſtoni ff. manda. potuiſſe rem hanc conditione deponi, *ut periculo ejus eſſet, qui depoſitum ſuſcepiſſet.* Ulpian. l. ſi ut certo §. nunc videndum ff. commoda. *Aut ſi hoc ab initio convenit, ut & culpam & periculum præſtet is penes quem deponitur.* Ejus leges aliquot ſubjiciam. Ulpian. l. 1. §. ſi depoſuero ff. depoſ. *Si depoſuero apud te, ut poſt mortem tuam reddas.* Pompon. l. ſi in Aſia ff. eo. *Si in Aſia depoſitum fuerit, ut Romæ reddatur.* Paull. l. Publia ff. eo. *Publia Mævia cum proficiſceretur ad maritum ſuum, arcam cluſam cum veſte & inſtrumentis commendavit Gajæ Sejæ: & dixit ei, cum ſalva venero, reſtitues mihi: certe ſi aliquid mihi humanum contigerit, filio meo, quem ex alio marito ſuſcepi.* Briſſon. de Formul. VI. p. 528.

DEPOSITUS dicebatur deſperatus. Ovid. Triſt. III. 3. 39.

Nec mea conſueto langueſcent corpora lecto?
Depoſitum nec me qui fleat ullus erit?

Pont. II. 2. 47.

Jam prope depoſitus: certe jam frigidus æger,
Servatus per te, ſi modo ſervor, ero.

Hæc *Hartung. locor. memor. Dec.* III. 8. §. 29. *Herald. in Arnob.* v. *p.* 203. *Schill. Nomencl. Philol. p.* 194. V. infr. in *Deſperati.*

DEPUTATI armorum fabri fuerunt, qui carbones accendendo, aut ligna ferendo, vel hujuſmodi alia agendo, armis fabricandis inſerviebant. Novell. 85. *Solos eos arma fabricari volumus, qui in publicas fabricas allecti ſunt, aut armorum officinas. Eos autem, qui arma fabricantur, nemini idiotæ, & privato arma vendere. Sed neque eos, qui numeris adſcripti ſunt, armorum fabros, ſeu deputatos, qui de publico annonas accipiunt, concedimus fabricari, aut vendere alicui arma.* Baſil. Ecl. 57. *Sed neque eos, qui numeris allecti ſunt, quos armorum fabros & deputatos vocant.* Buleng. de Imp. Rom. VI. 71. Panciroll. Notit. dign. Imp. Orient. c. 65. A quibus alii erant fabricenſes, deputati, qui a Juliano ſtatuti numerorum dicuntur, qui numeri cujuſque militum arma procurabant, nec operabantur in fabricis, ſed ſolam diligentiam habebant armorum militum in numero conſtitutorum periculo quinque inter eos primatum. *Guther. de Offic. Dom. Aug.* III. 12.

Deputati ſacræ veſtis erant, qui eas manibus componebant, & aptabant l. ſcriniis. §. deputati. C. de palatin. ſacrar. largit. *Panciroll. Notit. dignit. Imp. Orient. c.* 65. *Buleng. de Imp. Rom.* VI 71.

Deputati ſcholæ agentium in rebus erant, qui ipſis agentibus velut miniſtri inſerviebant, & eos currentes comitabantur. *Panciroll. Notit. dignit. Imp. Orient. c.* 65. *Guther. de Offic. dom. Aug.* III. 10.

Deputati etiam dicebantur ſelecti alacres ex ſingulis ordinibus aliquot viri minus locupletes, qui vulneratos ex acie reportabant & reficiebant. Leo conſtitut. 3. *Deputati dicebantur olim, qui nunc dicuntur ſcribones, qui ſequentes aciem vulneratos in prælio recipiunt, ut medici, & curant.* Buleng. de Imp. Rom. VI. 71. Salmaſ. de Re milit. Rom. c. 14. Turneb. Adv. XXIV. 16.

DER.

DERTONA urbs eſt Liguriæ. Vulgo nunc vocatur *Tortona*. Colonia fuit Romanorum, ut teſtantur Vellej. I. 15. 4. & Plin. III. 5. In lapide antiquo vocatur *Julia Dertona*, quia a Julio Cæſare eſt deducta. *Sigon. de Ant. Jur. Ital.* III. 4. *Cluver. Ital. Ant.* I. 10. 14.

DES.

DESCENDERE in cauſam eſt cauſæ ſubſcribere, ſive adjungere, ut nunc dicunt. Cicer. Attic. VIII. 1. *Quo minus mirere, ſi invitus in eam cauſam deſcendo, in qua neque pacis, neque victoriæ ratio quæſita ſit unquam: ſed ſemper flagitioſæ, & calamitoſæ fugæ.* per tranſlationem de partibus Pompejanis loquens. *Bud. in Pandect. p.* 209. *G.* 37. *A.*

DESERTOR *vocatur, qui per prolixum tempus vagatus reducitur.* Modeſtin. l. deſertorem ff. de re milit. *Delictum deſertionis gravius eſt, ut in fugitivis* l. qui cum uno §. edicta ff. eod. tit. *Deſertor etiam habetur, quiſquis belli tempore abeſt a ſignis.* l. 1. C. de deſertoribus. Teſtis quoque Appianus de bell. Pun. pro *deſertoribus* lege caſtrenſi habitos, quotquot ulterius ſecederent, quam unde ſignorum cantus audiri poſſet: & quicquid tales committerent, exercitui imputatum. Qui in pace *deſerunt*, ſi equites ſunt, gradu pelluntur: ſi pedites, militiam mutant; in bello idem admiſſum, capite punitur l. non omnes ff. de re milit. In puniendis autem *d ſertoribus* ratio etiam habita ordinis, ſtipendiorum, gradus militiæ, loci, vel muneris deſerti, & anteactæ vitæ: tum etiam ejus, ſi cum altero, vel cum pluribus quis *deſeruerit*, tum quo in loco apprehenſus ſit eadem l. non omnes. *Deſertori* dum abeſt, ſtipendia non currunt l. cum allegaris C. de re milit. nec donativa l. prima C. eodem & l. cauſa ff. de re milit. Utrumque autem accipere, hoc eſt, ſtipendia & donativa medii temporis poſſunt, cum in eorum reſtitutione principalis liberalitas ſpecialiter hoc indulget l. qui excubias ff. de re milit. Si in *deſertione* vita fungantur, cedunt illa fiſco l. 4. C. de re milit. *Stewech. in Veget.* II. 6. *Salmuth in Panciroll. de reb. inv. & deperd. p.* 573. *Lipſ. de milit. Rom.* IV. *dial.* 4: V. *dial.* 19. Quo modo differat ab emanſore V. infr. in *Emanſor.*

DESIGNARI dicebantur, qui gerendis magiſtratibus deſtinabantur. Gratian. Imper. Epiſt. ad Auſonium in ejus gratiarum actione p. 243. *Cum de conſulibus in annum creandis ſolum mecum volutarem, ut me noſti; atque ut facere debui, ut velle te ſcivi, conſilium meum ad Deum retuli. Ejus auctoritati obſecutus, te conſulem deſignavi, & declaravi, & priorem nuncupavi.* Auſonius illi reſpondet: *Cujus orationis ordo lucidior? quæ doctrina tam diligens propriis comitiorum verbis loqui, nec vocabulis moris antiqui nomina peregrina miſcere?* p. 244. *Quis hæc verba te docuit? ego tam propria & tam Latina neſcivi, deſignavi, & declaravi, & nuncupavi.* Plin. Epiſt. VI. 27. *Rogas ut cogitem, quid deſignatus conſul in honorem Principis cenſeas.* Buchner. in Plinium. Pitiſc. in Suet. Jul. c. 9. n. 1. Schill Nomencl. Philol. p. 401. Etiam pontifices tributis facti comitiis, antequam curiatis confirmarentur, vel a collégio cooptarentur, & ſacerdotium inirent. Vetus lapis:

SACRATA. DOMUS. AUGUSTO
M. CLODIUS. PONTIFEX. DESIG.

Guther. de vet. jur. Pont. I. 9. Magiſtratus *deſignabantur*, cum creati renuntiabantur, tuncque ἀναδεικνύμενοι & μέλλοντες dicuntur. Prius enim *deſignabantur* magiſtratus, & poſt aliquot menſes magiſtratum inibant. *Bud. in Pandect. p.* 276. *B.* 98. *K. Urſat. de not. Roman. Theſ. Ant. Rom. Græv. Tom.* XI. *p.* 537. *B. Peverot. de Magiſtrat. Roman. c.* 5. Conſules primi omnium in ſenatu ſententiam rogabantur. Salluſt. bell. Catil. p. 39. *Tum D. Junius Silanus primus ſententiam rogatus, quod eo tempore conſul deſignatus erat, de his, qui in cuſtodiis tenebantur.* Turneb. Adv. III. 4.

DESIGNATOR decimæ per provincias præerat decimæ per provincias procurandæ. Cognoſcitur hoc ex hac nota: DESIG. X. P. P. Ex horum forte numero erant illi, quos Auguſtus per orbem diviſit, civium & civitatum prædiis deſcribendis. Dio LVI. p. 588. E. *Tributum ex ædibus, agriſque conferri juſſit; neque tamen definivit a quibus, aut quemadmodum perſolvi vellet; ſed aliquot homines miſit in diverſas partes orbis, a quibus prædia privatorum hominum, atque adeo ipſarum civitatum deſcriberentur.* Urſat. de not. Roman. Theſ. Ant. Rom. Græv. Tom. XI. p. 670. D. F.

Deſignator funeris erat, qui ordinem proceſſuris, aut ſeſſuris locum *deſignabat* pro conditione cujusque, & in ordinem redigebat, ſi qui reluctari vellent. Donat. Adelph. I. 2. 7. *Deſignare eſt rem novam facere. Deſignatores dicti, qui ludis funebribus præſunt: credo ob eam cauſam, quod ipſis ludis multa fiant nova & ſpectanda: ſimul etiam turba retineatur, quæ fiunt aut in ſpectaculis aut ludibus.... Quemadmodum deſignatores, qui ludis funebribus multitudinem retinent.* In illum finem illis lictores addebantur. Horat. Epiſt. I. 7. 6.

— cum ficus prima colorque
Deſignatorem decorat lictoribus atris.

Quintil. Declam. VI. *Lacrymas ipſas noviſſime perdo, inanis domi Libitina plangitur, deriſus deſignator redit, refertur rogus.* Junius in Tertull. de ſpectac. c. 10. Kirchman. de fun. Roman. IV. 9. Panvin. de civit. Rom. c. 44. Moreſt. Pomp. fer. VIII. 19. Panciroll. de magiſtr. munic. c. 25. Guther. de vet. jur. Pont. I. 6. Pollet. For. Rom. III. 14. Urſat. de not. Roman. Theſ. Ant. Rom. Græv. Tom. XI. p. 670. D. Argol. in Panvin. de lud. circ. II. 2. Ferret. Muſ. lapid. I. memor. 26. Donat. Dilucid. p. 733. Nann. Miſc. IV. 21. Beroal. Annot. c. 16. Fab. Agon. I. 23. Torrent. & Berſmann. in Horatium. Lipſ. de amphith. c. 15. in Senec. de Benef. VI. 28. Meurſ. de Fun. c. 33. Gronov. Muſ. Alexandr. Theſ. Antiq. Græcar. Gronov. VIII. p. 2749. B. Gyrald. de var. ſepel. rit. c. 10. & 15. & Faes in illum. Kipping. Ant. Rom. IV. 6. 4. Internoſcebatur ſigno ficus, arboris funereæ. Patet hoc ex loco Horat. Epod. XVI. 46.

Suamque pulla ficus ornat arborem.

& altero modo producto. *Junius, Kirchmann. & Moreſt. l. l.* Quærebat victum ex copia funerum. Senec. de Benef. VI. 38. *An tu Arruntium, & Aterium, & cæteros, qui captandorum teſtamentorum artem profeſſi ſunt, non putas eadem vota habere, quæ deſignatores & Libitinarios. Illi tamen quorum mortes optant neſciunt, hi familiariſſimum quemque mori cupiunt.* Meurſ. l. l.

Deſignator ludorum & ſpectaculorum erat, qui loca ſedendi unicuique demonſtrabat, & populum ſerius venientem locabat. Græce ἀποδεικτὴς vocabatur. Plaut. Pœn. prol. n. 19.

Neu deſignator præter os obambulet,
Neu ſeſſum ducat, dum hiſtrio in ſcena ſiet.

Hi noſtris ceremoniarum magiſtris ſimiles ſunt. Horum munus, ordinibus ſua loca adnotare, pellere occupatores ab alienis. Et id dicebant theatrali verbo excitare, aut ſuſcitare. V. infr. in *Excitati.* Urſat. de Not. Roman. Theſ. Antiq. Roman. Græv. Tom. XI. p. 670. D. Bud. in Pandect. p. 99. A. Buleng. de Circ. c. 33. & 44. Theat. I. 54. Donat. Dilucid. p. 734. Fab. Agon. I. 23. Guther. de jur. Man. I. 14. Lipſ. de amphith. c. 15. Gronov. Muſ. Alexandr. Theſ. Ant. Græcar. Gronov. Tom. VIII. p. 2749. B. Thyſ. de Amphith. p. 206. Coraſ. Miſcel. Jur. IV. 24. 20. Schill Nomencl. Philol. p. 395. V. de hac hujus vocis ſignificatione in utramque partem diſputantem *Loenſ. Miſcell.* III. 25. Internoſcebatur ſigno virgæ. Plaut. Pœn. prol. n. 18.

Nec lictor verbum, aut virga muttiant,
Neu deſignator. . . . .

Junius

Junius de ſpectac. c. 10. Kirchman. de fun. Rom. IV. 9.

DESPERATI *dicebantur ægri, qui affecti & ſine ſpe deponuntur. Conſuetudo autem erat apud veteres, ut deſperati ante januam collocarentur, vel ut extremum ſpiritum redderent terræ, vel ut poſſent a tranſeuntibus forte curari, qui aliquando ſimili laboraverant morbo.* Iſidor. X. Serv. Æneid. XII. *Kirchman. de fun. Roman.* I. 12.

DESPONDERE Latini, & Græci ἐγγυᾷν dicebant, cum pater, aut frater ex eodem patre, aut avus paternus puellam elocabant. *Salmaſ. de Mod. uſur. c.* 4. Verbum eſt commune, & *deſpondere* etiam dicuntur invicem inter ſe, qui conveniunt de futuris nuptiis inter ſe l. ſi quis tutor. §. quamvis ff. de rit. nupt. l. cum hic ſtatus. §. ult. de Donat. int. vir. & uxor. *Cujac. Obſerv* XVI. 33.

DESULTOR dicebatur, qui duos equos abſque ephippiis agitabat, & ex altero in alterum ſubinde *deſiliebat*. Liv. XXIII. 29. *Nec omnes Numidæ in dextro locati cornu, ſed quibus deſultorum in modum, binos trahentibus equos inter acerrimam ſæpe pugnam in recentem equum ex feſſo armatis tranſultare mos erat: tanta velocitas ipſis, tamque docile equorum genus eſt.* Bud. in Pandect. p. 97. F. Alex. Gen. dier. VI. 22. Stewech. in Veget. I. 18. Turneb. Adv. XVIII. 26. Scheffer. de re Veh. II. 11. Buleng. de Circ. c. 58. de equis c. 12. Guther. de jur. Man. I. 20. Donat. Dilucid. p. 228. Hugo de Milit. Equeſt. III. 4. Mauſſac. in Harpocrat. p. 28. Valeſ. in Mauſſac. not. p. 94. A veteri magiſtro redditur ζεύξιππος, μεταβάτης, id eſt, combinator. Caſſiod. III. 51. *Equi deſultorii, per quos circenſium miniſtri miſſos denuntiant exituros, Luciferi præcurſorias velocitates imitantur.* Hygin. fab. 80. *Unde etiam Romani ſervant inſtitutum, cum deſultorem mittunt, unus duos equos habet, pileum in capite, equo in equum tranſilit.* Recte ergo combinatores ſunt *deſultores*. Gloſſæ: Combinare, ζευγνύειν. Juncti enim erant equi: ab equorum alterutro in alterum corpus tranſmittebant. Præmiſſio illa combinatorum, ſive *deſultorum* dicebatur προϊππεία τῶν ζευξίππων, vel τὰ προϊππικά. *Scalig. in Manil. p.* 353. Horum primus uſus a barbaris gentibus, quibus in bellis equorum mutatio probata. Tales effingunt Scythas Ammian. XXII. & Ælianus de aciebus inſtruendis. Indos Herod. VII. Numidas Strab. & Livius ſupra laudatus. Uſus in curulibus illis & circenbus ſtadiis. Nam ut quadrigæ quatuor equorum curſum ſignificabant, ita *deſultores* uno tantummodo equo utebantur. Liv. XLIV. 9. *Semel quadrigis, ſemel deſultore miſſo.* Artemid. I. 58. *equum deſultorium*, κέλητα, *agitare*. Demſter. Paral. Ant. Rom. Roſin. V. 25. Qui errat I. dum κέλητα vertit *deſultorium*, qui potius eſt ſingularis, ſive ſingulator. II. dum *deſultori* unum modo tribuit equum, qui minimum habuit duos. *Scheffer. l. l.*

DET.

DETERGERE remos eſt illos inter concurſus, eruptiones, circumventioneſque aliarum navium in tranſcurſu confringere, atque ita inutiles reddere. Sil. Ital. XIV. 282.

> *Aſt aliæ laceræ,* (alii *latere*) *atque incuſſu roboris ictu*
> *Detergent remos.*

Liv. XXXVI. 44. *Duæ regiæ unam circumſtant, & primum ab utroque latere remos detergunt.* XXXVII. 24. *Momento temporis, & navium virtus, & uſus rei maritimæ terrorem omnem Rhodiis dempſit. Nam & in altum celeriter evectæ naves, locum poſt ſe quæque venienti ad terram dedere, & ſi qua concurreret roſtro cum hoſtium navi, aut proram lacerabat, aut remos detergebat, aut libero inter ordines diſcurſu prætervecta, in puppim impetum dabat.* Græcis dicebatur ἀναικόπτειν κώπας, vel παρασύρειν τοὺς ταρσούς. *Scheffer. de Milit. nav.* III. 6. *Mod. Epiſt. Novant.* 90.

DETERSOR menſarum ſervis de triclinio accenſebatur. Horat. Sat. II. 8. 11. V. illum infr. in *Gauſape*. Cui rei ſpongia apta fuit. Mart. XIV. 144. 1. V. illum infr. in *Spongia*. Hinc paraſito factum nomen peniculi apud Plaut. Men. I. 1. *quia menſam*, inquit ipſe, *quando edo, detergeo.* Popm. de Oper. ſerv. p. 140. V. infr. in *Peniculus*.

DETERSORIUM vulgare erat farina fabacea, quod dixere lomentum, & ex lupinorum farina ſmegma: quibus equidem Galeni, Plinii, & Dioſcoridis auctoritate utendum in ſtuphis pro hoc noſtri ſeculi mediocritate conſuluerim. Ad *detergendam* in balneis cutem vario antiqui utebantur *deterſoriorum* genere, quæ ſmegmata cum Græcis dixere, communiter vero erant nitrum & aphronitrum, ejus ſpuma tenuior, & quod a mollitie dicebant aphrolitrum, quaſi urna continendum. *Baccius de therm. vet. c.* 16.

DETESTATIO hoſtium dicebatur, quia hoſtes diris inſequi mos fuit, ex lege ſacrorum, illiſque, repetitis exſecrationibus, mala imprecari. *Deteſtatio* illa ἀρὰ ἢ καταρὰ, & devoti καταρώμενοι, qui probris & conviciis deteſtabiles & exſecrandi erant, quos nec ad ſacra, nec ad libamina, nec ad larem domeſticum, quocunque perveniſſent, admittere cuiquam fas erat juſto & pio. *Guther. de vet. pontif.* IV. 22.

Deteſtatio ſacrorum in rebus ſoli dicebatur, quod manumiſſio in re mobili. Gell. XV. 27. *Iiſdem comitiis, quæ calata appellari diximus, & ſacrorum deteſtatio, & teſtamenta fieri ſolebant.* Ego intelligo eſſe omnem conſecrationem, quam publice in concione populi fieri oportebat. Nam *deteſtari ſacra* eſt populo denuntiare, quod quiſque conſecrari cupit. *Gruch. de comit.* III. 2. *Panvin. de Civit. Roman. c.* 8. *Guther. de vet. jur. pont.* II. 6. Non ſana ſunt, quæ de *ſacrorum deteſtatione* afferunt, quaſi & illa fuerit ratio perimendorum ſacrorum, quæ facta fuerit comitiis curiatis. Nam, inquiunt, *deteſtari* ſacra eſt populo denuntiare, quod quiſque conſecrari cupit, injuſſu vero populi non licere vi legis Papyriæ & Carbonianæ quicquam conſecrare. Sed contrarium verum eſt. Etenim Paull. l. 39. de verb. ſign. dicit *deteſtari eſſe abſenti denuntiare*, & *deteſtari* ſacra eſſe abſenti denuntiare ſacra hæc eſſe hæredi ſcilicet, aut legato partionario facienda, ſi velit adire hæreditatem, vel capere legatum. Et l. 238. §. 1. *deteſtari* accipitur etiam pro abſenti *denuntiare cum teſtatione*. Servius Sulpitius quoque libros ſcripſit de ſacris *deteſtandis*, ex quibus ſecundum laudat Gell. VI. 12. *Græv. Proleg. ad Antiq. Roman. Tom.* V. *p.* 5. *& Tom.* I. *p.* 18.

DEV.

DEVERRINUS qualis fuerit deus. V. infr. in *Pilumnus*.

DEVINCTIO erat ſpecies excantationis, vergebat ad obligationem, vel nexum, qui κατάδεσμος, quæ pudicos animos ad libidinem deflecteret. Tale eſt carmen Virg. Ecl. VIII. 77.

> *Necte tribus nodis ternos Amarylli colores,*
> *Necte Amarylli modo, & Veneris, dic, vincula, necto.*

Guther. de vet. jur. pont. IV. 10.

DEUNX ſignat undecim *uncias*. Juven. Sat. I. 40.

> *Unciolam Proculejus habet; ſed Gillo deuncem.*

Non inſcite, ut arbitror. Totum enim aſſem dividit, & ex duodecim unciis alteri unicam, alteri undecim *uncias* patrimonii tribuit. *Alex. Gen. dier.* I. 1. Quia ad aſſem ſolidum deficeretur *uncia*. Græcis Siculis dicitur ἐνδεκάγκιον, vel ἐνδέκας. *De* in compoſitionibus tam verborum, quam nominum tollit rem cui præponitur, vel in contrarium vertit. Ut *demagis* pro minus, *devirginare* virginitatem tollere, *demens* ſine mente, *depygis* mulier quæ pygam non habet, *dextans* ſubaudiendo as minus ſextante. Et recte Varr. de ling. Lat. IV. 36. *A duodecim*, hoc eſt, ab aſſe, *una dempta uncia deunx, dextans dempto ſextante.* Salmaſ. de mod. uſur. c. 6.

Deunx calix fuit undecim *unciarum* ebrioſorum & intemperantium. Mart. XII. 28. 1.

> *Poto ego ſextantes, tu potas, Cinna, deunces;*
> *Et quereris, quod non, Cinna, bibamus idem.*

VI. 78. 6.

Miſceri ſibi protinus deunces.
Sed crebros jubet.

Stuck. Ant. Conviv. III. 13. Bud. de aſſe v. 561. Baccius de vin. & Conviv. IV. p. 172.

Deunx ſemuncia ſextula viginti octo millia: eæque notæ vicies octies iterumque octies multiplicatæ efficiunt aſſes triginta quinque. Deſunt ad aſſem conſtituendum binæ ſextulæ: Ii ſunt octingenti pedes. Septunx autem iſte cum binis ſextulis ſupra viginti octo aſſes excurrens exſiſtit ex tribus *unciis*, quas ſingula millia ſupra aſſem repræſentant: vicies enim octies ter ſunt octoginta quatuor, quot *uncias* habent ſeptem aſſes. *Gronov. de pec. Vet.* III. 11.

Deunx ſicilicus denarii ſunt quindecim aſſes. Undecim enim *unciæ* cujusvis aſſis *deunx*, quadrans *unciæ* ſicilicus. *Gronov. de pecun. Vet.* III. 10.

Deunx ſicilicus jugeri ſunt viginti ſeptem millia pedum: nam *deunx* 26400. p. ſicilicus ſexcenti. Octo autem & viginti *deunces*, viginti quinque aſſes bes; octo & viginti ſicilici, ſeptem *unciæ*; octo *deunces* ſeptem aſſes triens, octo ſicilici ſextans: qui conjuncti reddunt aſſes triginta tres dodrantem. *Gronov. de pec. Vet.* III. 11

DEVOVERE exercitus hoſtiles, & urbes quas oppugnabant, poſtquam evocata eſſent numina, moris erat Romanis. *Devotionis* talis formulam habemus apud Macrob. Sat. III. 9. *Dis. pater. Vejovis. manes. ſive. vos. quo. alio. nomine. fas. eſt. nominare. ut. omnes. illam. urbem. Karthaginem. exercitumque. quem. ego. me. ſentio. dicere. fuga. formidine. terroreque. compleatis. quique. adverſum. legiones. exercitumque. noſtrum. arma. telaque. ferent. uti. vos. eum. exercitum. eos. hoſtes. eoſque. homines. urbes. agroſque. eorum. &. qui. in. his. locis. regionibuſque. agris. urbibusve. habitant. abducatis. lumine. ſupero. privetis. exercitumque. hoſtium. urbes. agroſque. eorum. quos. me. ſentio. dicere. uti. vos. eas. urbes. agroſque. capita. ætateſque eorum. devotas. conſecrataſque. habeatis. illis. legibus, quibus. quandoque. ſunt. maxime. hoſtes. devoti. eoſque. ego. vicarios. pro. me. fide. magiſtratuque. meo. pro. popluo. Romano. exercitibus. legionibuſque. noſtris. do. devoveo. ut. me. meamque. fidem. imperiumque. legiones. exercitumque. noſtrum. qui. in. his. rebus. gerundis. ſunt. bene. ſalvos. ſiritis. eſſe. Si. hæc. ita. faxitis. ut. ego. ſciam. ſentiam. intelligamque. tunc. quiſquis. hoc. votum. faxit. ubi. ubi. faxit. recte. factum. eſto. ovibus. atris. tribus. tellus. mater. teque. Jupiter. obteſtor. cum Tellurem dicit, manibus terram tangit: cum Jovem dicit, manus ad cœlum tollit: cum votum recipere dicit, manibus pectus tangit dictator imperatorque qui ſoli devovere poſſunt.* Lydius de re milit. IV. 2. Struv. Ant. Roman. cap. 4. p. 229. Vix dubium eſt, quin ille mos petitus ſit a *devotione* nationum, urbiumque Cananæarum, ſi pacem oblatam recuſarent, & poteſtati Iſraelitarum ſeſe ſubjicere nollent. Unde ob pertinaciam refragandi deletas fuiſſe animadvertimus Joſ. c. 11. n. 20. *Devotionem* fere ejuſmodi fuiſſe conjicio, quam petiit rex Balac fieri per Balaamum pſeudoprophetam Num. c. 22. n. 11. *Lydius l. l.* Hoſtes quos judicabant publicos poſteriori tempore ſolebant diis inferis devovere. Hoc Maximino & filio a ſenatu accidit. Capitol. Gordian. c. 11. *Tunc clamavit ſenatus: Dii vobis gratias. Liberati ab hoſtibus ſumus, ſi penitus liberemur. Maximinum hoſtem omnes judicamus. Maximinum cum filio diis inferis devovemus.* Struv. ibid. p. 224. & 230.

DEVOTUS pro alterius ſalute vocabatur, qui pro aliorum ſalute morti tradebatur, & is a Græcis dictus eſt ἀντίψυχος, tanquam animam pro anima tradens, ut ait Ariſtides in ſacris orationibus: *quando dilecta anima pro anima, corpus pro corpore contribuitur.* Tomaſ. de Donar. c. 4. Sic *devotos* pro patria & populo Romano Quiritium legimus. Primum exemplum reperimus ſub adventum Gallorum Senonum in urbem Romam. Liv. v. 41. *Sunt, qui, M. Fabio pontifice maximo præfante carmen, devoviſſe eos ſe pro patria, Quiritibusque Romani tradant.* Sic & *M. Curtius, juvenis bello egregius, templa deorum immortalium, quæ foro imminent, Capitoliumque intuens, & manus nunc in patentes terræ hiatus ad deos manes porrigens, ſe devovit, equo deinde quam poterat maxime exornato inſidens, armatus ſe in ſpecum immiſit* apud Liv. VII. 6. Ipſi conſules pro populo Romano ſe *devoverunt.* Liv. VIII. 9. *In hac trepidatione Decius conſul M. Valerium magna voce inclamat: Deorum, inquit, ope, Valeri opus eſt: agedum pontifex publicus populi Romani præi verba, quibus me pro legionibus devoveam: Pontifex eum togam prætextam ſumere juſſit, & velato capite manu ſubter togam ad mentum exſerta, ſuper telum ſubjectum pedibus ſtantem ſic dicere: Jane, Jupiter, Mars pater, Quirine, Bellona, Lares, Divi Novenſiles, Dii Indigetes, Divi, quorum eſt poteſtas noſtrorum, hoſtiumque; Diique manes, vos precor, veneror, veniam peto, feroque, uti populo Romano Quiritium vim, victoriamque proſperetis: hoſteſque populi Romani Quiritium terrore, formidine, morteque afficiatis. Sicut verbis nuncupavi, ita pro Republica Quiritium, exercitu, legionibus, auxiliis populi Romani Quiritium, legiones, auxiliaque hoſtium mecum Diis manibus Tellurique devoveo. Ipſe incinctus cinctu Gabino armatus in equum inſiluit, ac ſe in medios hoſtes immiſit.* Differebat hæc *devotio* ab illa, qua quos hoſtes publicos judicabant, *devovebant*, de qua ſupra, quod eſſet voluntaria, & pro Romana Republica fieret: quare & vota pro hiſce fiebant, & dona frugeſque ſuper talem a multitudine virorum ac mulierum congeſta, quod Curtio factum Liv. VII. 6. ſcribit; hæc patriæ hoſtibus fiebat, & cum conſecratione conveniebat. *Struv. Ant. Rom. c. 4. p. 228. Guther. de vet. jur. Pont.* IV. 15. *Kipping. Ant. Rom.* III. 4. §. 5. *Hotoman. de Form. Theſ. Ant. Roman. Græv. Tom.* II. *p.* 1313. *C. Schill. Nomencl. Philol. p.* 402. *Gyrald. Synt. Deor.* XVII. *p.* 506. *F. Tomaſ. l. l.* Et ex hoc ritu originem duxit, ut deinceps ſe pro Auguſtorum ſalute *devoverent* privati. De Sexto Pacuvio enim ait Dio LIII. p. 510. quod ſe in pleno ſenatu Auguſto Cæſari Hiſpanorum more *devoverit, & aliis exemplum dederit ſimile faciendi.* Et ex illo more tractum eſt, ut addit Caſſius, quod Imperatores ſibi propitios reddere volentes, iiſdem ſe dicant eſſe *devotos.* Ita Caligula aliquem qui ſe pro ſalute ipſius *devoverat cunctantem pueris tradidit verbenatum, infulatumque, qui votum repoſcentes per vicos agerent, quoad præcipitaretur ex aggere.* Hæc adulatio occurrit in inſcriptionibus apud Gruter. p. 272. his verbis: DEVOTUS NUMINI MAJESTATIQUE EJUS, & per haſce literas initiales exprimebatur D. N. M. Q. E. *Struv. ibid. p.* 230. *Guther. & Tomaſ. l. l.*

Devotus artibus magicis dicebatur, qui malefica arte defixus veneris munus implere non poteſt. Tib. I. 6. 3.

Sæpe aliam tenui: ſed jam quum gaudia adirem,
Admonuit dominæ, deſeruitque Venus.
Tunc me diſcedens devotum femina dixit.

I. 9. 19.

Num te carminibus, num te pallentibus herbis
Devovit tacito tempore noctis anus?

Apulejus in herbario de herba leontopodio: *Si quis devotus, defixuſque in nuptiis ſuis fuerit, ſic eum reſolves.* Salmaſ. Exerc. Plin. p. 766. b. D. Broukh. in Tibull. I. 6. 5. Tomaſ. l. l. Et quovis modo faſcinatus. Quare *devotiones* & veneficia ſæpius conjunguntur. Tacit. Annal. III. 13. 4. *Poſtremo Germanicum devotionibus & veneno peremiſſe.* IV. 15. 2. *Veneficia in principem & devotiones objectabat.* Struv. Ant. Rom. c. 4. p. 224.

Devotus etiam dicebatur, qui ſe numini perpetuo colendo dedicat. Inſcriptio Romæ:

DECRETUM

. . . .

ITEM. DEDICATIONE. STATUARUM.
CÆSARUM. ET. AUGUSTARUM.
MULSUM. ET. CRUSTULA. PECUNIA.
NOSTRA. DEVOTIS. OMNIBUS. ET.
POPULO. DEDIMUS.

Guther. de vet. jur. Pont. IV. 15.

DEU.

DEUS proprie non habet nomen, ſi illud, quo *Deus* eſt,

eſt, & dicitur, conceperis, unde interroganti quondam Moſi de nomine *Dei*, cujus imperata facturus erat, a *Deo* ipſo reſponſum eſt Exod. c. 3. n. 14. *Ego ſum qui ſum.* Minuc. Fel. Octav. *Ne nomen Deo quæras, Deus nomen eſt illi, vocabulis opus eſt, cum per ſingulos propriis appellationum inſignibus multitudo dirimenda eſt: Deo, qui ſolus eſt, totum vocabulum proprium eſt.* Et Triſmegiſtus *Deum* appellat *innominatum* apud Lactant. 1. 6. *Hic ſcripſit libros, & quidem multos, ad cognitionem divinarum rerum pertinentes, in quibus majeſtatem ſummi, ac ſingularis Dei aſſerit: iiſdemque nominibus appellat, quibus nos, Deum, & Patrem. Ac ne quis nomen ejus requireret, ἀνώνυμον eſſe dixit; eo quod nominis proprietate non egeat. Ipſius hæc verba ſunt.* Ὁ δὲ θεὸς εἷς, ὁ δὲ εἷς ὀνόματος οὐ προσδέεται, ἔστι γὰρ ὁ ὢν ἀνώνυμος. *Deo igitur nomen non eſt, quia ſolus eſt: nec opus eſt proprio vocabulo; niſi cum diſcrimen exigit multitudo, unamquamque perſonam ſua nota & appellatione deſignet. Deo autem, quia ſemper unus eſt, proprium nomen eſt Deus.* Berthald. de ara c. 10. §. 2. Almelov. Antiq. e ſacr. prof. p. 110. Non eſt itaque quod miramur, quod de vero *Deo* tam anxiam adhibuerunt curam, cum noluerint effari, quis urbis Romæ *deus*, quod ei præfuerit nomen, idque ſacrorum lege caviſſe, quam promulgatam cum Valerius Seranus quidam tribunus transgreſſus eſſet, in crucem ſublatus eſt. Serv. Æneid. I. 280. *Perite: non ait Romam, ſed Romanos. Urbis enim illius verum nomen nemo vel in ſacris enuntiat. Denique tribunus plebis quidam, ut ait Varro, hoc nomen auſus enuntiare, in crucem levatus eſt.* Almelov. l. l. Qui in vetere *deorum* cultu ad *deos* accedebant, vivo flumine ſe abluebant. V. ſupr. in *Abluebant.* Qui *deos* invocabant, nominibus ipſos appellabant, timentes ne apud eos offenderent, ſi forte non ſuo, nec grato illis nomine vocaſſent, ſæpe veniam errati ſui petebant, totosque ſe ad eorum voluntatem referebant: in arbitrio ipſorum ponentes, ut e multis id nomen adſciſcerent, quo magis delectarentur, ſuæque inſcitiæ ignoſcerent. Catull. XXXIV. 21.

Sis quocunque tibi placet
Sancta nomine.

Euripides, quem laudat Clemens Strom. V. p. 581. C.

Jupiter, ſive mavis Dis vocari.

Serv. Æneid. IV. 577. Pontifices ſic precabantur: *Jupiter optime, maxime, ſive quo alio nomine te appellari volueris.* Et cum ambigerent, dicebant *quiſquis*. Ovid. Met. I. 32.

Sic ubi diſpoſitam, quiſquis fuit ille deorum.

Virg. Æneid. IV. 576.

—— ſequimur te ſancte deorum,
Quiſquis es.

Victor. Var. Lect. XIII. 2. Saubert. de Sacrif. c. 13. Lomej. de Luſtrat. c. 4. Kipping. Antiq. Roman. I. 9. §. 10. Cerda in Æneid. I. 331: IV. 576. Schill Nomencl. Philol. p. 424. Eſſe omnibus quaſi inſculptum eſt. Cicer. de Legib. I. 8. *Nec de hominibus ulla gens eſt, neque tam immanſueta, neque tam ferrea, quæ non etiam ignoret, qualem habere deceat, tamen habendum ſciat:* quippe *eſt juris naturæ erga deum religio.* Ut idem de leg. II. Et, ut auctor eſt Ariſtot. Ethic. V. *Cultus dei a natura inductus, etſi modus colendi ſit a lege.* Ob quam cauſam reſpondet David Pſalm. 4. n. 7. dicentibus: *quis oſtendet nobis bona?* reſpondet, inquam, *ſignatum eſt ſuper nos lumen vultus tui Domine.* Inſinuans animæ noſtræ propriam ineſſe naturam rationalem, a cujus lumine ea, quæ facienda, quæveque ſequenda ſunt, doceamur, potiſſimum præcipua, inter quæ ſingulari notione nobis ineſt divini numinis cultus. *Moreſtell. de diverſ. dier. apud Roman. dial.* V. Et eſſe unum, in tanta deorum multitudine, plerumque vel ab invitis gentibus confeſſionem veritas expreſſit. Et ejus nomen plerumque in quotidianis ſermonibus eis in buccam veniebat. Tertull. de teſtim. anim. c. 2. *Nam te quoque palam, & tota libertate, qua non licet nobis, domi ac foris audimus ita pronuntiare, quod Deus dederit, & ſi Deus voluerit.* Et mox: *Etiam quod penes Deum bonitatis & benignitatis omnis benedictio inter nos ſummum ſit diſciplinæ, & converſationis ſacramentum, Benedicat te Deus, tam facile pronuntias, quam Chriſtiano neceſſe eſt.* Lactant. II. 1. *Cum vero ipſorum cultores ſæpe videamus Deum ſummum & confiteri, & prædicare.* Gentilis Calliſtratus l. non intelligitur ff. de jur. fiſ. teſtamento ita caviſſe quendam proponit: *Vos rogo, ut in eo, quod a vobis peto, fidem præſtetis, perque Deum, ut faciatis, rogo.* Briſſon. de formul. I. p. 80. *Deos* ſuos præ nimia impatientia, quod ab illis adſpectu carorum ſuorum eſſent privati, conviciis inceſſebant, & querelis onerabant veteres. Sil. Ital. XIII. 391.

—— pietas irata ſiniſtris
Cœlicolis furit, atque odit ſolatia luctus.

Stat. Sylv. V. I. 22.

—— injuſtos rabidis pulſare querelis
Cœlicolas ſolamen erat.

Moreſtell. Pomp. Funebr. II. 36. Kirchman. de Funer. II. 12. eoſdemque lapidibus impetebant. V. infr. in *Templum.* Non colebantur Romæ, niſi qui SCto adſciti eſſent. Tertull. Apolog. c. 5. *Vetus erat decretum, ne qui deus ab Imperatore conſecraretur, niſi a ſenatu probatus, ut M. Æmilius de deo ſuo Alburno.* Et *ne carmen Sibyllinum ullum licebat populo enuntiare niſi id ſenatus decreviſſet.* Dio XXXIX. p. 98. D. Maxima enim pars juris divini ampliſſimi ordinis fidei, voluntati, poteſtati permiſſa erat. Hinc in ſenatus diſciplina cautum fuiſſe ex Varronis ſcriptis, & multis exemplis antiquis cognovimus, ne prius *de rebus humanis, quam de religione ad ſenatum referretur.* Zamoſc. de ſenat. Rom. II. 21. Sigon. de ant. jur. civ. Roman. I. 8. Struv. Antiq. Roman. c. 1. p. 60. Et ſæpius ſub arboribus. Plin. XII. 1. V. illum ſupr. in *Arbores.* Senec. Epiſt. 41. *Si tibi occurrit vetuſtis arboribus, & ſolitam altitudinem egreſſis frequens lucus, & conſpectum cœli denſitate ramorum aliorum alios protegentium ſubmovens: illa proceritas ſylvæ, & ſecretum loci, & admiratio umbræ, in aperto tam denſæ, atque continuæ fidem tibi numinis facit.* V. Stat. Papin. Theb. IV. 419. . . & ad illum Lactantium. *Almelov. Antiq. e ſacr. profan. p.* 21. qui multis originem & cauſas hujus ritus deſcribit *p.* 12. . . . 20. Dicebantur habitare in templis. Arnob. VI. p. 191. *Templum, inquit, hoc Martis eſt, hoc Junonis & Veneris, hoc Herculis, Apollinis, Ditis: quid eſt aliud dicere, quam domus hæc Martis, hæc Junonis & Veneris, Apollo hic habitat, in hac manet Hercules, illa Summanus. Ita non prima, & maxima contumelia eſt, habitationibus deos habere diſtrictos?* Templa enim quaſi deorum ſunt domicilia, & idcirco ſacræ ædes. Sic ναὸς dicitur παρὰ τὸ ναίειν, quia deus, cui conſtructum eſt templum, in eo creditur ναίειν, *habitare.* Recte igitur Heſychius: *Templum, domus: illic deus adoratur.* Quare ἱερὸς δόμος & ἁγνὸς paſſim apud veteres poetas: θεῶν οἶκος ſæpe apud Herodotum. Cicer. de Nat. deor. II. 27. *Concinneque, ut multa, Timæus, qui, cum in hiſtoria dixiſſet, qua nocte natus Alexander eſſet, eadem Dianæ Epheſiæ templum deflagraviſſe, adjunxit, minime id eſſe mirandum, quod Diana, cum in partu Olympiadis adeſſe voluiſſet, abfuiſſet domo.* Herald. in Arnobium & Adverſ. II. 9. Evocabantur, cum obſiderent urbem hoſtium, eamque jam capi poſſe confiderent; quod aut aliter capi poſſe non crederent: aut etiam ſi poſſet, nefas exiſtimarent, *deos* habere captivos. Plinius infr. in *Dei tutelares.* Carmen, quo evocabantur, refert Macrob. Sat. III. 9. *Si deus, ſi dea es, cui populus, civitasque Carthaginenſis eſt in tutela, teque maxime ille, qui urbis hujus, populique tutelam recepiſti, precor, veneror que, veniamque a vobis peto, ut vos populum civitatemque Carthaginenſium deſeratis, loca, templa, ſacra, urbemque eorum relinquatis, abſque his abeatis: eique populo, civitatique metum, formidinem, oblivionem injiciatis, proditique Romam ad me meosque veniatis; noſtraque vobis loca, templa, ſacra, urbs acceptior, probatiorque ſit: mihi quoque, populoque Romano, militibusque meis præpoſiti ſitis, ut ſciamus, intelligamusque. Si ita feceritis, voveo vobis templa, ludosque facturum.* Et civitatem, quæ mox in hoſtium poteſtatem erat ventura, dicebantur deſerere. Æſchyl. ἑπτὰ ἐπὶ Θήβαις n. 222.

Et: *Oratis, ut turris hostium repellat hastam?*
Chor. *Ergo hæc a diis erant.* Et: *Attamen deos*
Capta urbe excedere sermo est.

Virg. Æneid. II. 351.

Excessere omnes adytis, arisque relictis,
Dii, quibus imperium hoc steterat.

Muret. Var. Lect. v. 18. Tomas. de donar. c. 3. Gyrald. Synt. deor. xvii. p. 506. D. Mod. Epist. iii. 8. Stewech. in Veget. ii. 7. Berthald. de ara c. 9. Boxhorn. Quæst. Rom. c. 1. Junius de pict. ii. 8. Juret. in Prudent. p. 105. Lomej. de lustrat. c. 4. Brisson. de Form. i. p. 63. Bud. in Pandect. p. 52. D. Alex. Gen. Dier. vi. 4. Struv. Ant. Rom. c. 4. p. 232. Demster. Paral. ad Ant. Rom. Rosin. iii. 33. Valtrin. de Re milit. Rom. v. 5. Laurent. Polym. ii. Differt. 18. Var. sacr. gentil. c. 16. Kipping. Antiq. Roman. iii. 4. §. 6. Rader. & Pitisc. in Curt. iv. 3. 21. Ne vero illam desererent, illorum simulacra catenis devinciebantur. Curt. iv. 3. 21. *Quum unus e civibus concioni indicasset, oblatam esse per somnum sibi speciem Apollinis, quem eximia religione colerent, urbem deserentis. Quanquam auctor levis erat, tamen ad deteriora credenda proni metu aurea catena devinxere simulacrum, aræque Herculis, cujus numini urbem dicaverant, inseruere vinculum, quasi illo deo Apollinem retenturi.* Plutarch. Quæst. Rom. 60. *Tyrii vincula injicere simulacris dicuntur.* Boxhorn. in Plutarchum. Rader. Freinshem. & Pitisc. in Curtium. Rebus feliciter gestis redire credebantur. Sil. Ital. viii. 235.

—— *placavimus iras*
Cælicolum, redeunt divi.

Boxhorn. ibid. 4. 1. Habitu corporis majores quam homines esse credebantur. Ita Curtio Rufo *oblata est species muliebris ultra modum humanum.* Tacit. Annal. xi. 21. §. 2. id est, ut *humana grandior, pulcriorque.* Plin. Epist. vii. 27. Drusum *species barbaræ mulieris humana amplior victorem tendere ultra sermone Latino prohibuit.* Suet. Claud. c. 1. n. 4. Dio lv. p. 548. C. *Turneb. Adv.* xxx. 39. *Lips. in Tacitum. Rader. in Æneid.* ii. 772. *Lomej. de Lustrat. c.* 19. *Columm. in Annal. Ennii p.* 36. *Kipping. Antiq. Roman.* i. 7. §. 11. *Pitisc. in Suetonium.* Sexus utriusque credebatur. V. infr. in *Sive dea.....* Salutabantur, dum officia, quæ hominibus tribuebant, ad *deos* veteres transtulerunt. Cato de re rust. c. 2. *Paterfamilias, ubi ad villam venit, ubi Larem familiarem salutavit.* Plin. vii. 53. *At Pompejus in Capitolio cum deos salutasset.* Terent. Phorm. ii. 1. 80.

At ego deos penates hinc salutatum domum devertar.

Et quidem summo mane. Quo ut potentiores salutare, sic etiam istos instituerunt. Cic. pro Sext. Rosc. c. 20. *Quod si luce quoque canes latrent in Capitolio, cum deos salutatum aliqui venerint.* Apul. Met. xi. p. 383. *Rebus jam rite consummatis, inchoatæ lucis salutationibus, religiosi primam nuntiantes horam, perstrepunt.* Hinc illorum *salutationes matutinæ* apud Senec. Epist. 95. *Vetemus salutationibus matutinis fungi.* & apud Apul. Met. xi. p. 392. *Et illico deæ matutinis perfectis salutationibus.* Brisson. de Formul. i. p. 33. Lips. ad Senecam. Claud. de salutat. c. 8. Interim dum fores templi aperirentur, ad illas, donec intromitterentur, salutatores consistebant. Senec. l. l. *Vetemus foribus assidere templorum, humana ambitio istis officiis capitur.* Et stantes deos salutabant, non de geniculis. Mart. xii. 78. 1.

Multis dum precibus Jovem salutat,
Stans summos resupinus usque in ungues.

Brisson. de Formul. l. l. Capite operto. Plaut. Curc. iii. 19.

Quis hic est, qui operto capite Æsculapium
Salutat?

Schegk. Præmess. c. 10. Brisson. ibid. p. 36. Circumagentes corpus dextroversum. V. supr. in *Circumvertere.* Procumbentes. Suet. Vit. c. 2. n. 10. *Circumvertensque se, deinde procumbens.* Liv. xxx. 16. *Qui ubi in castra Romana, & prætorium pervenerunt, more adorantium procubuerunt.* Rationem prodidit Plutarch. Num. p. 70. A. *Considere ab adoratione omen esse dictitant ratarum precum, & felicitatis in posterum durabilis. Ajunt etiam hanc requiem dispertitionem esse negotiorum, quasi actionibus explicatis prioribus considant coram diis, ut auspicentur ab iisdem alias.* Brisson. ibid. p. 38. Pitisc. in Suetonium. Manum ori admoventes, sive dextram ad osculum referentes. Apul. Met. iv. p. 132. *Admoventes oribus suis dextram, primore digito in erectum pollicem residente, ut ipsam prorsus deam Venerem religiosis adorationibus venerabantur.* Plinius laudatus supr. in *Circumvertere.* Brisson. l. l. Rhodig. Ant. Lect. x. 8. Struv. Ant. Rom. c. 2. p. 201. Palmer. Spicil. x. p. 781. Etiam a viatoribus ad locum quendam appellentibus. Stat. Theb. iv. 808.

—— *salutatus cum Leucada pandit Apollo.*

Ubi vetus scholiastes: *Dii præsides locorum salutabantur ab eo appellentibus.* Stat. Sylv. iii. 2. 23.

Prima salutavit Capreas, & margine dextro
Sparsit Tyrrhenæ Mareotica vina Minervæ.

Symm. Epist. iii. 55. *Jam portum nostrum complurium prima classis salutat.* Barth. in Statium. Claud. l. l.

Deus pro fortuna sæpissime ponitur. Virg. Æneid. v. 467.

Cede deo, dixitque, & prælia voce diremit.

i. 406.

—— *ponuntque ferocia Pœni*
Corda, volente deo.

Græcis ὁ Θεὸς. Ex dæmonum enim concursu τύχη, nempe fortuna fiebat, ex Platonicorum sententia. Hinc illud Ovid. Met. iii. 372.

Vota suos habuere Deos.

fortunatum nempe eventum. *Argol. in Panvin. de lud. circ.* ii. 1.

Deus signum appellabatur, *quod in extis fuit. Hoc si integrum apparuisset, propitium numen ostendebat: si dimidiatum, & mutilum, iratum, aut non præsens.* Lactant. in Stat. Theb. v. 175.

—— *& in nullis spirat deus integer extis.*

Cicer. Divin. i. 51. *Non placet Stoicis singulis jecorum fissis interesse deum.* Buleng. de sort. c. 6.

Deus Viduus extra Urbem colebatur, ne scilicet in eum inciderent pontifices, sicque polluti sacrificare non possent. Quis fuerit, docet Cyprian. de vanitate idolorum: *In tantum vero deorum vocabula apud Romanos finguntur: ut sit & apud illos Viduus deus, qui anima corpus viduet, qui quasi feralis & funebris intra muros non habetur, sed foris collocatur.* Kirchman. de Funer. Roman. ii. 21. Voss. de Idolol. ix. 29. Noris. Differt. in Cenot. Pisan. iii. 4. Morestell. Pomp. Feral. iii. 11.

Dii adscriptitii dici possunt, qui ex hominibus in deorum numerum transferebantur, & minorum gentium appellabantur. Hos Græci παρεγγεγραμμένους, & μετοίκους vocitabant. *Gyrald. Synt. deor.* i. *p.* 18. *C. Rhodig. Ant. Lect.* xxii. 2. *Bud. in Pandect. p.* 53. B.

Dii æterni existimabantur, cum ex eo, quod semper eorum maneret forma: tum vero vel maxime, quod tantis viribus præditi nulla vi superari possent. Hoc significat Lucret. v. 1176.

Et manet omnino, quod tantis viribus auctos
Non temere ulla vi convinci posse putabant. . . .

Turneb. Adv. xxx. 22.

Dii aligeri quidam esse credebantur. Porphyrius: *Musis alas addiderunt, & Sirenibus, & præterea Victoriæ, Iridi, Amori, & Mercurio.* Hos ridet Plin. ii. 7. *Alios aligeros esse puerilium prope deliramentorum est.* Turneb. Adv. xxvii. 5.

Dii ambigui fuerunt similes ignotis. Iis aram positam olim in ingenioso illo Poliphili somnio lib. i. reperio hoc modo:

D.
AMBIG.
D. D.

Berthald. de ara c. 10.

Dii anculi servorum fuerunt. V. illos supr. in *Anculi.*

Dii animales *appellantur quod de animis fiant. Labeo ait in libris, qui appellantur de diis, quibus origo animalis est, esse quædam sacra, quibus animæ humanæ vertantur in deos.* Hi autem sunt *dii penates & lares.* Serv. Æneid. III. *Voss. de Idolol.* I. II. *Herald. in Arnob.* III. *p.* 154.

Dii aquatiles junguntur Neptuno. Littorales dicuntur Catull. IV. 22. De illis Inscriptio apud Reinesium.

NEPTUNO ET
DIS. AQUATILIB.

Tales erant Tritones, Neptuni ministri, Najades, & Nereides. *Struv. Synt. Ant. Rom. c.* I. *p.* 165.

Dii averrunci, qui mala averruncabant, & depellentes, quia illa depellebant, dicebantur. Persius mox laudandus. Græcis ἀτρόπαιοι, ἀλεξίκακοι, λύσιοι, φύξοι, δαίμονες vocabantur. De illis Varr. de ling. Lat. VI. 5. *A vertendo averruncare: ut deus, qui iis rebus præest, averruncus. Itaque ab eo precari solent ut pericula avertat.* Preces, quas ad illos concipere solebant, refert Cato de re rust. c. 140. *Te precor, quæsoque, ut sies volens propitius mihi familiæque nostræ, uti tu morbos visos invisosque; viduertatem, vastitudinemque, calamitates, intemperantiasque prohibessis, defendas, averruncesque.* Schott. Nod. Cicer. IV. 12. Guther. de vet. jur. pont. IV. 14. Turneb. Adv. XVIII. 4. Gyrald. Synt. deor. I. p. 25. G. Ab aliquo periculo servati, solebant illis agnam mactare. Hujus rei exempla apud Latinos Poetas exstant, Plautum, Horatium. Græcorum fuisse consuetudinem eandem ex Persio intelligimus v. 167.

Euge puer sapias, diis depellentibus agnam
Percute.

Quia non dubitandum est, e Menandro tractum esse quod hic legitur in Persio. *Casaub. in Persium.*

Dii boni, quia largi dicebantur. Horat. Od. IV. 2. 38.

Quo nihil majus, meliusve terris
Fata donavere, bonique divi.

Testimonio est illa exclamatio, DII BONI, quam vulgi sermone tritam prope innumeri Terentii, Ciceronis, aliorumque loci confirmant. *Brisson. Form.* I. *p.* 45. *Bonos*, ut Labeo ait, *obsequiis lætis atque jucundis propitiabant: qualia sunt, ut ipse ait, ludi, convivia, lectisternia.* Augustin. de Civ. Dei II. II. *Buleng. de venat. Circ. c.* 7.

Dii breves sunt patellarii & minorum gentium. Brevis est parvus. Ita *scopulum brevem* dicit Ovid. Met. IX. 227. *Breve oppidum Calabriæ* Serv. Æneid. III. 551. *Breves deos* dicit Fulgent. Exposit. serm. ant. §. 14. *Tutuli: Varro in Pontificalibus ait tutulos sacerdotes dici brevium deorum.* Boxhorn. in Plutarch. Quæst. Rom. 73. *Fortunam brevem.* V. infr. in *Fortuna.*

Dii certi vocantur, de quibus dubitari nullo modo potest, cujusmodi sunt Luna, Cœlum, Terra. . . . . Varro de rebus divinis & humanis apud August. de Civit. Dei VII. 17. *Berthald. de ara c.* 10. *Gyrald. Synt. deor.* I. *p.* 17. *D. Heller. de Deo Ignot. Atheniens.* §. 8.

Dii cœlestes ab aliis, maxime selectis, distinguuntur a Vitruv. I. 8. Alio nomine dii magni vocantur. *Struv. Ant. Rom.* I. *p.* 65. Inscriptio Bononiæ:

DIIS OMNIBUS COELESTIBUS. . . .

Plato ἐρφικὰς Θεογονίας καὶ Μυσαγωγίαν acceptam ab Ægyptiis & Phœnicibus secutus, ordines deorum, quos finxit paganorum cœca generalitas, Νοητὰς, Νοερὰς, Ὑπερκοσμίες, Ἐγκοσμίες ita digerit, ut omnium primum supremumque Cœlum statuat cum Rhea, tum ex his natos, Jovem, Neptunum, Plutonem. Hi patris imperio inter se diviso,

Jupiter astra, fretum Neptunus, tartara Pluto,
Regna paterna tenent, tres tria, quisque suum.

Reines. Inscript. Class. I. n. 2.

Dii communes, qui dicuntur Virg. Æneid. XII. 118.

In medioque focos, & diis communibus aras.

sunt, quorum simulacra in gramineis aris posituri erant: ut eorum interventu, & religione sanciretur fœdus. Vocantur communes, quod eorum sacramento & religione communiter utraque pars fœdus esset percussura, & eorum numinibus statura. Communes itaque Trojanis & Latinis in fœdere jungendo. *Turneb. Adv.* XXIII. 14. *Berthald. de ara c.* 6. *Salmas. in Vopisc. Tacit. c.* II. Sic Hercules dictus communis Æneid. VIII. 275. quia cultus ab Trojanis & Arcadibus. Communes *dii* apud Prop. I. II. 16.

—— communes nec meminisse deos.

id est, *deos*, quos & puella, & ipse amator colerent. *Cerda in Æneid.* XII. 118. Ad quem locum Servius: *Dii communes sunt, ut alii dicunt, Mars, Bellona, Victoria: quia hi in bello utrique parti favere possunt. Ut autem altioris scientiæ hominibus placet, dii communes sunt, qui ἄζωνοι vocantur, id est, qui cœli certas non habent partes, sed generaliter a cunctis coluntur: ubique enim eos esse manifestum est: ut mater deum, cujus potestas in omnibus zonis est. Alii communes deos volunt Solem, Lunam, Plutonem, Martem. Hi enim apud omnes homines inveniuntur, & sunt in omnibus terris. Prior tamen sensus, & simplex, & magis aptus negotio.* Gyrald. Synt. Deor. I. p. 22. A. Aut, si mavis *deos* communes appellare eos, quibus veluti in commune una eademque ara erigebatur. Communium ararum meminit Æschylus in Supplicibus:

Omnium vero Regum communes aras
Colite sancte ac pure, ut vinculum columbarum.

Berthald. ibid. c. 13.

Dii Consentes erant urbani & rustici. Varr. de re Rust. I. I. *Invocabo* XII. *deos consentes, non tamen eos urbanos, quorum imagines ad forum auratæ stant, sex mares, & sex feminæ totidem; sed illos* XII. *deos, qui maxime agricolarum duces sunt:* quique ab eo ibi declarantur Jupiter & Tellus; Sol & Luna; Rubigo ac Flora; Minerva & Venus; Lympha & bonus Eventus; Ceres & Liber. *Ursat. de not. Roman. Thes. Ant. Rom. Græv. Tom.* XI. *p. p.* 643. *B. Gyrald. Synt. deor.* I. *p.* 18. *Demster. Paralip. ad Rosin. Antiq. Roman.* II. 3. Dicebantur quasi immortalitati ejus consentientes, & majestatis supremæ assessores. Ab Ennio comprehensi sunt hoc disticho, quod referunt Apul. de deo Socrat. p. 667. & Martian. Capell. de nupt. philol. & Mercur. I. 15.

Juno, Vesta, Minerva, Ceres, Diana, Venus, Mars,
Mercurius, Jovis, Neptunus, Vulcanus, Apollo.

Singulos singulorum mensium tutelæ præficit Manil. II. 433. Ex illis consessus *deorum* constituitur. Et in inscriptionibus dicitur consessus *deorum* dearumque apud Gruter. p. 2. n. II. consentium *deorum* apud eundem p. 3. n. I. 2. Illis tamen semper Jovis præmittitur nomen: ut

I. O. M.
CETERISQ.
DIS CONSENTIBUS.

Inde etiam cœlestes dicuntur. V. suis locis. *Struv. Ant. Rom.* I. *p.* 65. *Rycq. de Capitol. c.* 39. *Gyrald. l. l. Voss. de Idolol.* I. 14. *Ferret. Mus. lapid.* III. *mem r.* 54. *Bud. in Pandect. p.* 53. *B. Stuck. de sacrif. p.* 27. *Salmas. in Spartian. Adrian. c.* 14. *Lampr. Alex. Sev. c.* 63. *Casal. Ant. Profan. c.* I. *Argol. in Panvin. de lud. circ.* II. I. *Laurent. var. sacr. gentil. c.* 2.

Dii conservatores erant, quibus vota sollenniter nuncupata ostendit Inscriptio Salodiana:

DIIS NN
CONSERVATORIBUS
PRO SALUTE
ARIÆ SUÆ
N. NONIUS
MACRINI CONSECR.

Tomas.

Tomaſ. de donar. c. 15.

Dii fortes erant Mars, Hercules, Minerva. *His ædes Dorica fiebant. Propter virtutem enim his diis ſine deliciis ædificia conſtitui decet.* Vitruv. I. 2. *Guther. de vet. jur. pont.* III, 6. *Philand. in Vitruv.* IV. 3.

Dii geniales dicuntur *aqua, terra, ignis, aer: ea enim ſunt ſemina rerum, quæ Græcorum alii ϛοιχεῖα, alii σπέρματα vocant. Duodecim quoque ſigna, lunam, & ſolem inter hos deos computabant. Dicti a gerendo, quia plurimum poſſe putabantur, quos poſtea gerulos appellarunt.* Feſtus. *Scaliger in Feſtum. Toll. Diſſert. de ſiſtris Theſ. Ant. Rom. Græv. Tom.* VI. *p.* 416. *C. Columm. in Ennium p.* 37.

Dii genitàles, qui Ennio dicuntur apud Serv. Æneid. VI.

Romulus in cœlo cum diis genitalibus ævum
Degit.

& Auſon. Iliad. Perioch. IV.

Jupiter interea cum diis genitalibus una
Concilium cogit ſuperum de rebus Achivis.

quinam ſint, & cur ita vocentur, quæritur. Quibuſdam videntur eſſe dii geniti, id eſt, indigetes, qui homines fuerunt. Nam genitale, quod & genitabile dicitur, non tantum actionis eſt, ut genitales cauſæ: ſed & perpeſſionis interdum. Lucret. apud Varr. de Ling. Lat. IV. 3.

Ætheris & terræ genitabile quærere tempus.

id eſt, quo genitus eſt æther, quo genita terrá. Atque hoc verbum videtur ab Ennio quodammodo novatum. Cicer. de Orat. III. 38. *Sed ſæpe vel ſine conjunctione verba novantur, ut ille Ennius dii genitales. Deos* tamen genitales eſſe puto æternos omnium rerum parentes & auctores. *Turneb. Adv.* IX. 26. Movet me, quod αἰειγενέτας ab Homero deos dictos reperio: hanc vocem grammaticis modo *deorum* immortalium æternitati, modo perpetuæ eorum procreationi attribuentibus: quam poſteriorem ſignificationem poetas ſecutos eſſe exiſtimo. *Turneb. ibid.* XX. 24. Sunt etiam qui putent genitales intelligi, qui innata eorum fœcunditate res omnes, quæ gignuntur, pariant, atque propagent. Turnebus putat hoc verbum novatum eſſe ab Ennio: indeque Ciceronis locum, qui ſic vulgo habetur: *ut ille ſenſus diſertus indigenitalis*, putat eſſe legendum, *ut ille Ennius, dii genitales.* Sed Lambini lectio antiquæ ſcripturæ ſimilior, & ad veritatem propenſior; ſic enim habet, *ut illud ſenis diſerti, dii genitales.* Recte nimirum pro ſene diſerto ſignificans Ennium. Intelligit vero Ennius Jovem, Martem, & Venerem, a quibus Romulus originem duxerat. *Columm. in Ennium p.* 36.

Dii ignoti, Græcis θεοὶ ἄγνωϛοι vocantur. Pauſan. Eliac. I. p. 162. *Adjacet ei ignotorum deorum ara.* Illis aræ Epimenidis Cretenſis ſuaſione erectæ fuerunt. Diog. Laert. Epimen. I. c. 110. Horum meminit Lucas Act. c. 17. n. 23. & Inſcriptio ſupr. in *Ara.* Gyrald. Synt. deor. I. p. 17. D. Tomaſ. de Donar. c. 3. Berthald. de Ara c. 10. n. 2.

Dii incerti dicebantur, vel quorum certa ratio reddi nequit, ut ait Varr. rer. div. & hum. II. vel quorum ſacra & templa Romanorum opinio nondum admiſerat: vel quorum nomina, quia ſcilicet ea vulgare nefas erat, non audiverant, vel denique quia de eorum divinitate non ſatis conſtabat, ut eſt apud Auguſtin. de civ. Dei III. 12. Ovid. Met. I. 194.

Quos quoniam cœli nondum dignamur honore;
Quas dedimus, certe terras habitare ſinamus.

Ignoti autem non erant iidem cum incertis; nam de incertorum divinitate ambigebatur quidem, ſed tamen eorum nomina non ignorabantur, ſicut ignotorum. Tales quoque Lucianus appellans μετοικὺς θεὺς καὶ ἀμφιβόλυς ait Hippolytum eſſe, & Corybantes, & Atym, & Sabbatium. Judæi etiam incertum *deum*, quem tamen certum & verum ea gens, cæteris tantum illud boni plane ignorantibus agnovit & adoravit, coluerunt, ut vult Lucan. II. 592.

— *& dedita ſacris*
Incerti Judæa dei.

Berthald. de ara c. 10. §. 1. Heller. de Deo ignot. Athenienſ. §. 8.

Dii Indigetes. V. illos infr. in *Indigetes.*

Dii irati. Hos ſe habere profitebantur pagani, cum aut res ex voto non ſuccederent, aut præter & contra votum evenirent. Et ita in veteri monumento, quod exſtat Celejæ:

KAL. ÆLIONIN. DI. IR.
ET. BAL. ET. INO. COS.
CELI JÆ
AUG
P. ÆLIUS. P. F.
COS. PRO. SE
ET. SUIS
V. S. L. M.

Impios dixit illa magicarum artium inſimulàta apud Tacit. Annal. XVI. 31. 2. *Nullos impios deos, nec aliud infelicibus precibus invocavi.* Numina maligna Juven. Sat. X. 111.

Magnaque numinibus vota exaudita malignis.

Boxhorn. Quæſt. Rom. c. 3.

Dii inferi, quibus infernus eſt locus habitationis, ut Pluto, Proſerpina. *Struv. Ant. Rom. c.* 1. *p.* 70. Crediti ſunt veteribus implacabiles, quantum ad communem omnibus mortis neceſſitatem. De illis Virg. Georg. IV. 470.

Neſciaque humanis precibus manſueſcere corda.

Sunt aris & templis honorati & culti: ut & nunc apud Indos aræ paſſim dæmonibus erectæ ſunt, ne noceant. *Berthald. de ara c.* 8. *n.* 3. Quomodo a ſuperis diſtinguantur. V. infr. in *Dii ſuperi.*

Dii littorales erant Glaucus & Panopea & Inous Melicerta apud Virg. Georg. I. 437. His veteres vovebant, ſe, tranquillo curſu ſi uterentur, in littore vota ſoluturos. Virg. Æneid. V. 235.

Dii, quibus imperium pelagi, quorum æquora curro,
Vobis lætus ego hoc candentem in littore taurum
Conſtituam ante aras voti reus.

Catull. IV. 22.

Neque ulla vota littoralibus deis
Sibi eſſe facta.

quia videlicet ſemper eſt uſus felici navigatione. Lucill.

Inoque, Glaucoque, & Nereo, dein Melicertæ,
Et Samothracum diis, æquoreoque Jovi,
Servatus dicat e pelagi Lucillius undis.
Hoc crines, aliud namque habet ille nihil.

Turneb. Adv. XXV. 21. Cerda in Virgilium. Gevart. in Stat. Sylv. III. 106. Helleſpontiacum Priapum & Actium Apollinem apud Catullum intelligit *Loenſ. Miſc.* III. 15.

Dii magici ſunt inferi, Pluto, Proſerpina, Hecate, quibus immolabantur hoſtiæ furvæ. Tib. I. I. 62.

Concidit ad magicos hoſtia pulla deos.

Turneb. Adv. XVI. 4.

Dii magni ſunt, qui maximum imperium, & numen habent, publiceque coluntur, ut Jupiter, Juno. Arnob. I. p. 10. *Hoc ergo dii magni norunt, perpetiuntur, & ſentiunt.* Multi cenſent eoſdem cum penatibus: ſed ab illis diverſos facit Virg. Æneid. III. 12.

Cum ſociis, natoque, penatibus & magnis diis.

Et penates *dii* penetrales videntur fuiſſe, diique familiæ. *Turneb. Adv.* XV. 21. Et Macrob. Sat. III. 4. perperam confundit, cum nihil ſuadeat, ut hoc credamus; imo Poeta diſſuadeat, qui inaniter eandem rem bis diceret. Ergo magni *dii* ſunt Jupiter, Neptunus, Apollo, Vulcanus, Juno, aliique hujuſmodi. Virg. Æneid. II. 622.

Apparent diræ facies, inimicaque Trojæ
Numina magna deûm.

Et mox commemorat Neptunum, Junonem, Palladem, alioſque hujuſmodi. *Cerda in Æneid.* III. 12. *Feith Antiq. Homer.* I. 1. Magni *dii* tribus modis dicuntur. I. cum omnes *dii* ornantur hoc epitheto. Catull. XIV. 12.

Dii magni, horribilem & ſacrum libellum!

Ovid. Amor. III. 6.

Credo etiam magnos, quo ſum tam turpiter uſus,
Muneris oblati pœnituiſſe deos.

II. cum *dii* majorum gentium intelliguntur, ut illi duodecim Ennianis duobus verſiculis ſupr. laudatis in *Dii conſentes* incluſi, de quibus Virgilius jam productus. III. cum divipotes ſignificantur, δυνατοὶ Θεοί. Varr. de Ling. Lat. IV. 10. *Ops & Saturnus, id eſt, cœlum & terra, dii magni.* Paſſerat. in Prop. II. 34. p. 397. D.

Dii mali. Hos Romani *ſanguine, cædibus, triſtibus ſupplicationibus propitiabant*, ut ait Labeo apud Auguſtin. de Civ. Dei II. 11. *Buleng. de venat. Circi c.* 7.

Dii marini a Græcis vocantur θαλάσσιοι θεοί, vel ἐνάλιοι. Ingens eorum turba fuit: quorum princeps Neptunus, & eo antiquiores, Nereus & Oceanus. Fingebantur cani & ſenes, propter maris ſpumas; ipſique colore cœruleo, qui color eſt pelagi: eorum nonnulli in piſcem deſinebant, ut Glaucus, & Triton, aliique. *Gyrald. Synt. deor.* V. *p.* 167. *E.* In imis pumicibus, & ſpeluncis, antriſque maris habitare putabantur. Manil. V. 429.

—— *ipſumque ſub antris*
Nerea, & æquoreas conantur viſere nymphas.

Turneb. Adv. XVIII. 32.

Dii medii erant Juno, Diana, Liber. Vitruv. I. 2. *Junoni, Dianæ, Libero patri, ceteriſque diis, qui eadem ſunt ſimilitudine, ſi ædes Ionicæ conſtituerentur, habita erit ratio mediocritatis, quod & ab ſevero more Doricorum, & a teneritate Corinthiorum, temperabitur earum inſtitutio proprietatis.* Guther. de vet. jure Pont. III. 6. Philand in Vitruv IV. 3.

Dii medioxumi, Græcis χθόνιοι dicuntur. Plaut. Ciſt. II. 1. 36.

Atque ita me dii deæque, ſuperi, atque medioxumi.

Habebant ſedem in medio aere, qualem locum indigetibus aſſignat Lucan. IX. 6.

Quaque patet terras inter, lunæque meatus,
Semidei manes habitant, quos ignea virtus
Innocuos vitæ patientes ætheris imi
Fecit, & æternos animam collegit in orbes.

Struv. Ant. Rom. c. 1. p. 69. Guther. de jur. man. I. 15. Savar. in Sidon. Epiſt. IX. 3. Hanſen. de jurejur. vet. c. 10. Taubm. in Plautum. Gyrald. Synt. deor. XV. p. 437. L. Lomej. de Luſtrat. c. 4. Rhodig. Ant. Lect. II. 3. Laurent. Var. ſacr. gentil. c. 2.

Dii miniani fuerunt dicti, quod eorum ſimulacra minio antiqua conſuetudine eſſent depicta & oblita. Varro apud Non. IV. 395. *Deos ad minianos admirantes, quod ſereno lumine tonuiſſet, oculis cœli rimari plagas.* Minio *deorum* ſimulacra illini ſolita prodit Plin. XXXIII. 7. V. illum infr. in *Jupiter Minianus.* Turneb. Adv. XXIX. 28.

Dii municipales in municipiis colebantur. Italiæ enim urbes, antequam in eaſdem Romani coloni deducerentur, particularia quædam numina colebant, eorumque ſacris proprii pontifices operabantur. Tertull. Apolog. c. 14. *Romanas, ut opinor, provincias edidi; nec tamen Romanos deos earum, quia Romæ non magis coluntur, quam qui per ipſam quoque Italiam municipali conſecratione cenſentur: Cruſtummenſium Belventinus, Narnienſium Viridianus, Aſculanorum Ancharia, Volſinenſium Nurſia, Ocriculanorum Valentia, Sutrinorum Nortia, Faliſcorum in honore eſt pater Curis.* Noriſ. Cenot. Piſan. Diſſert. I. c. 5. Rhodig. Ant. Lect. XXII. 3.

Dii natalitii erant præcipue Jupiter & Juno. Acceſſit & Neptunus, humore ſuo nativitatem promovens. Pauſan. Lacon. p. 97. *Non procul a theatro Lacedæmoniorum ædes eſt Neptuni natalitii.* Barthol. de puerp. vet. p. 53. Tomaſ. de donar. c. 9.

Dii nixii dicebantur nixuum in puerperio adjutores, &, ſi partus difficilior eſſet, invocabantur. Feſtus: *Nixii dii appellantur tria ſigna in Capitolio ante ſellam Minervæ genibus nixa, velut præſidentes parientium nixibus. Quæ ſigna ſunt qui memoriæ pro[illegible], [illegible] Rege Syriæ, ſuperato M. Acilium ſubtracta a populo Romano a[illegible], atque ubi ſunt, poſuiſſe.* Barthol. de puerp. vet. p. 2[illegible]. Turneb. Adv. VII. 8. Tomaſ. de Donar. c. 14. Gyrald. Synt. deor. I. p. 49. G. Stuck. de Sacrif. p. 4[illegible]. Struv. Ant. Rom. I. p. 155. Rycq. de Capit. c. 24. Meurſ. de Puerp. c. 1.

Dii novenſiles a Sabinis Romam ſunt deducti. Varr. de Ling. Lat. IV. 10. atque iis a Tatio Rege ex voto ædes dicatæ fuerunt: quibus hæc indigitamenta hæc adſcribit Varro: Herculem, Veſtam, Salutem, Fortunam, Fortem, Fidem: quæ voces quanquam Sabinorum linguam ſapere videantur, ad Romanæ tamen linguæ ſpeciem adornatæ ſunt. Originem vocabuli nonnulli putant, quod hæc numina nuper, vel noviſſime in apotheoſin, id eſt, deorum numerum, recepta ſunt: atque hinc novenſiles, quaſi nuper ſalientes dicti: alii non novenſiles, ſed novenſides, quaſi novandis rebus præſides, dicendos cenſent. Eorum meminit Livius ſupr. in *Devotus.* Calcagn. Epiſt. Quæſt. I. 29. Gyrald. Synt. deor. I. p. 20. G. Voſſ. Lex. Etymol. Chiment. de hon. biſell. c. 8. Saubert. de ſacrif. c. 5. Struv. Ant. Rom. c. 1. p. 68. Guther. de Jur. man. I. 15. Salmaſ. in Spartian. Adrian. c. 14.

Dii nuptiales erant indicio Plutarch. Quæſt. Roman. 2. quinque: Jupiter, Juno, Venus, Suada, vel Suadela, Diana, vel Lucina. Quibus ſuperſtitioſa antiquitas alios complures addidit nomine ridiculos, diverſis nuptiarum ritibus. Nuptialibus vota faciebant, ut fortunatum conjugium redderent. *Turneb. Adv.* XIX. 16. *Tomaſ. de donar. c.* 13. *Potter. Archæol. Græc.* IV. 11.

Dii ὁμωχέται καὶ σύνναοι dicebantur duo pluresve, qui conſors habebant delubrum. Romæ in domo civis privati:

ΔΙΙ ΗΛΙΩΙ
ΜΕΓΑΛΩΙ
ϹΑΡΑΠΙΔΙ
ΚΑΙ ΤΟΙϹ ϹΥΝΝΑ
ΟΙϹ ΘΕΟΙϹ.

Eadem ratione Carthagine conjuncta templa habuerunt Ceres & Bacchus, quia victui humano præbent neceſſaria: iiſque adjunctus Phœbus, prudentiæ deus, qui admoneret, deorum muneribus eſſe moderate, & ſapienter utendum. *Fabric. deſcr. urb. Romæ c.* 9.

Dii Palici qui dicti, *apud nullum penitus auctorem Latinum, quod ſciam, reperi. De Græcorum penitiſſimis literis hanc hiſtoriam eruit Virg. Æneid.* IX. 584.

Eductum Martis luco Symetia circum
Flumina, pinguis ubi & placabilis ara Dianæ.

Nam ut Symetus fluvius in Sicilia eſt; ita & dii Palici in Sicilia coluntur: quos primus omnium Æſchylus tragicus vir utique Siculus in literas dedit. Interpretationem quoque nominis eorum expreſſit verſibus ſuis. Hiſtoria hæc eſt. In Sicilia Symetus fluvius eſt: juxta hunc Nympha Thalia, quam Æthnam vocant Lactant. in Theb. XII. 156. & Servius, *compreſſu Jovis gravida, metu Junonis optavit ut ſibi terra dehiſceret: factum eſt: ſed ubi venit tempus maturitatis infantum, quos alvo illa geſtaverat, recluſa terra eſt, & duo infantes de alvo Thaliæ progreſſi emerſerunt; appellatique ſunt Palici ἀπὸ τοῦ πάλιν ἱκέσθαι; quoniam prius in terram merſi, denuo inde reverſi ſunt.* Macrob. Sat. V. 19. Serv. in Virgilium, Lactant. in Statium. *Berthald. de Ara c.* 20. *n.* 1. *Gyrald. Synt. deor.* I. *p.* 71. *G. Pinedo in Stephanum. Cerda & Pontan. in Virgilium. Barthius in Statium.*

Dii patellarii dicebantur, quibus in patella libabatur, non magna ſacrificia fiebant. Tales erant in larario domeſtici penates & lares. Varr. apud Non. XV. 6. *Oportet bonum civem legibus parere, & deos colere, in patellam dare μικρὸν κρέας.* Plaut. Ciſt. II. 1. 46.

Dii me omnes magni minutique & patellarii.

Turneb. Adv. VI. 7. Tomaſ. de donar. c. 8. Taubm. in Plaut. Curc. I. 2. 31. & l. l. Laurent. Var. ſacr. gentil. c. 14. & 19. Rhodig. Ant. Lect. II. 3. Stuck. Ant. Conviv. II. 37. III. 2. Voſſ. Lex. Etymol. in Patina. V. & infr. in *Patella*.

Dii patrii, qui & Græce θεοὶ πάτριοι dicuntur, ſunt qui in patria noſtra coluntur: ſunt & πατρῷοι, qui a patribus noſtris culti ſunt, quorumque per manus a patribus religionem accepimus. Virg. Æneid. II. 702.

Dii patrii ſervate domum, ſervate nepotem.

Poſteriore ſenſu intelligeret Xenophon, de Ænea qui ita ſcribit: *Servavit Æneas paternos & maternos deos.* Turneb. Adv. XVII. 4. Cerda in Virgilium. Familiæ & generis præſides. Ita apud Cicer. Verr. I. 3. ſunt illi, qui pietati præſunt patrum in liberos, & liberorum in parentes, cum ſcribit: *Rapiunt eum ad ſupplicium dii patrii, quod iſte inventus eſt, qui e complexu parentum abreptos filios ad necem duceret.* Turneb. ibid. VI. 4. Cerda l. l. Sunt ipſi penates.

Dii pellucidi & perflabiles dicuntur ab Epicuro apud Cicer. de Div. II. 40. quod ſoliditatem eis non attribuebat, nec concretionem, nec corpus: ſed pellucidam quandam levitatem, & lineamentorum quandam adumbratam effigiem. Nam quæ pellucida ſunt & perflabilia, ut aer, nihil firmum, nihil ſolidum, nihil concretum habent. *Turneb. Adv.* V. 18.

Dii penates. V. illos infr. in *Penates*.

Dii peregrini dicebantur, quos ex aliarum gentium inſtitutis amplectebantur Romani. Quod vetitum primis temporibus legibus regiis. Poſtea parce, tandem tamen, accreſcente imperio Romano, & publice, & privatim omnino uſitatum. Partim, ut omnium gentium *deos* demererent, omnium victores futuri. Unde Cæcilius apud Minuc. Felicem: *Dum captis in manibus hoſtibus adhuc ferociente victoria numina victa venerantur, dumque undique hoſpites deos quærunt, & ſuos faciunt: dum aras exſtruunt etiam ignotis numinibus & manibus, ſic dum univerſarum gentium ſacra ſuſcipiunt, etiam regna meruerunt.* Partim ob confluxum populi ex univerſo orbe terrarum. Cum enim ſua quiſque ſacra coleret, interfuit publicæ ſecuritatis, & quietis, ut ex magiſtratus auctoritate peregrina ſacra publice etiam colenda & obſervanda admitterentur. *Boxhorn. Quæſt. Rom.* 10. *Gyrald. Synt. deor.* I. *p.* 17. *G. Struv. Ant. Rom. c.* I. p. 183.

Dii phæcaſiani ſunt phæcaſiis calceati. Juven. Sat. III. 218.

Phæcaſianorum vetera ornamenta deorum.

Turneb. Adv. X. 27. *Grang. in Juvenalem.*

Dii populares dicebantur ex ſelectorum numero, quia populo magis noti, & conſtituebant numerum octonarium: atque erant Janus, Saturnus, Genius, Sol, Orcus, Liber, Tellus, Luna. *Struv. Ant. Rom. c.* I. *p.* 66. *Kipping. Ant. Rom.* I. I.

Dii privati dicebantur, quorum honori a certis tantum familiis ſtato tempore ſacrificia inſtituebantur. Liv. V. 52. *Hos omnes deos, publicos, privatosque, Quirites, deſerturi eſtis?* Struv. Ant. Rom. c. I. p. 70.

Dii prodigiales dicebantur prodigiorum depulſores. V. illos infr. in *Jupiter prodigialis*.

Dii prodromei, θεοὶ προδρομέες, in præſtructionibus ædificiorum colebantur, de quibus mentio eſt apud Pauſan. Attic. p. 40. *Oſtenduntur foci deorum προδρομέων.* A Domitio veſtibulares, a Romulo præſtructores appellantur: quibus cum Alcathous murum condere inciperet, ſacra feciſſe dicit. *Gyrald. Synt. deor.* I. *p.* 21. *G.*

Dii proprii apud paganos habebantur. Teſtatur id inſcriptio hæc, quæ apud Iſaram fluvium ſpectatur, ubi Mars conſervator corporis Mercurialis Auguſti dicitur:

MARTI. AUG.
CONSERVATORI
CORPORIS. SUI
MERCURIALIS. AUG.
N. V. EX. JUSSU
NUMINIS. IPSIUS.
SIGILLUM. MARMOREUM
POSUIT.

Ex qua inſcriptione id præterea licet obſervare, *diis* propriis indita cognomina ab iis, qui eos ſibi peculiari modo favere perſuadebant. Sic Junones Juliæ, & Sextiliæ in marmore Romano vocantur. *Boxhorn. in Plutarch. Quæſt. Roman.* 73. In his nihil ſani. Monumentum hoc a Mercuriale, qui fuit Auguſti noſtri verna, ſic enim interpretanda ſunt hæc verba AUG. N. V. dedicatum eſt Marti Auguſto, ſic enim ſæpe vocatur in inſcriptionibus, vide p. 57. n. 3. 4. 5. 6. 7. 8. & plures alias. Mercurialis fuit nomen hujus vernæ, quod etiam occurrit in marmore p. 1042. n. 5.

T. FLAVIUS. VITALIS
FEC. SIBI
ET. POSTERIS EJUS
LIB. LIBERTABUSQUE
QUORUM NOMINA. I. S. S.
POSTERISQUE. EORUM
MERCURIALI
HILARI
CINNAMO
SATURNINO
CRESCENTI.

Mars ille Auguſtus vocatur a Mercuriale conſervator ſui corporis, quia illi adſcribebat ſalutem corporis ſui, magno periculo liberatus, ſive per corpus intelligere mavis collegium vernarum Auguſti, ut *corpus cuſtodiariorum* p. 48. n. 1. Lapis, quem innuit Boxhornius, de Junonibus dum ſcribit, Burdegalæ inventus eſt apud Gruter. p. 25. n. 11.

JUNONIBUS. JULIÆ
ET SEXTILIÆ

Sed Junones non ſunt Sextilia & Julia, ſed earum Junonibus hic lapis eſt conſecratus, hoc eſt, illarum geniis. Mulieribus enim Junones tribui, ut viris genios, quis paullo humanior nunc ignorat? Sulpitia ad Junonem apud Tibullum. V. illum infr. in *Juno*. Reineſ. Epiſt. ad Rupert. 69. p. 654. Græv. Theſ. Antiq. Roman. Tom. V. Proleg. * * * 2. verſ.

Dii publici dicebantur, qui publice templis, aris, & pulvinaribus celebrabantur. Livius jam laudatus in *Dii privati*. Licet etiam publici Romanis κατ' ἐξοχὴν dicti fuerint Jupiter & Fortuna, quia horum nutu ſuum conſervari, atque promoveri imperium ſibi perſuadebant. *Struv. Antiq. Rom. c.* I. *p.* 70. *Saubert. de ſacrif. c.* 5.

Dii Regales dicebantur regnorum præſides, Regum proprii & principes. Juſtin. XI. 15. *Precari ſuperûm, inferûmque numina, & regales deos, ut illi terrarum omnium victori contingat imperium.* Θεοὶ βασίλειοι dicuntur Græcis apud Plutarch, Alex. p. 682. D. *Guther. de vet. jur. pont.* IV. 20. *Bongarſ. ad Juſtinum.*

Dii ruſticani dicebantur, qui vel frugibus, vel hominibus ſæpe præerant, numina infeſta, culta tamen, ne damna inferrent, quorum præſes eſt Pan, a cujus imperio pendent Fauni, Satyri, Sileni, Nymphæ, Tritoneſque. *Struv. Ant. Rom. c.* I. *p.* 69.

Dii ſelecti erant octo illi, qui duodecim conſentibus fuerunt additi, præcipui & ſummates, & habebant juxta cum illis ampliorem poteſtatem, & celebriores, inque majori habebantur cultu & veneratione. Illos & populares vocabant. *Gyrald. Synt. deor.* I. *p.* 20. *C. Voſſ. de Idolat.* I. 14. *Struv. Ant. c.* I. *p.* 66.

Dii ſemidei fuerunt, quos Græci ἡμιθέες vocabant, quos anima cœleſti ſub hominum effigie in totius mundi commodum creatos credidit antiquitas. Arnob. II. p. 97. *Nonne literas auditis commemorantes veſtras, fuiſſe homines olim ſemideos, heroas, cum immanibus corporibus atque vaſtis!* Erant diſtincti ab heroibus, iiſdemque majores erant,

teſte

teste Labeone apud Augustin. de civ. Dei II. 14. *Hunc Platonem Labeo inter semideos commemorandum putavit: sicut Herculem, sicut Romulum. Semideos autem heroibus anteponit, sed utrosque inter numina collocat.* Struv. Ant Rom. c. 1. p. 66. Gyrald. Synt. deor. 1. p. 19. C. Laurent. var. sacr. gentil. c. 2.

Dii semitales erant proprii illorum, qui iter faciebant. Virgil. Parod. Catul. de Sabino n. 20.

Neque ulla vota semitalibus deis
Sibi esse facta.

Tales fuere inprimis Mercurius, & Trivia, sive Hecate, sive Diana. Julian. Imp. Epist. 20. *Ducet autem te publicus cursus uno vehiculo & parippo. Quod si est praeterea optandum aliquid, Enodiam tibi amicam, Enodiumque arcessivimus.* Voss. de Idolol. VIII. 11. Scalig. in Virgilium. Hennin. in Bergier. de viis milit. IV. sect. 43. §. 1.

Dii Semones fuerunt dicti, *quos nec cœlo adscribebant ob meriti paupertatem, sicut sunt Priapus, Hippona, Vertumnus; nec terrenos eos deputare volebant pro gratiæ veneratione: sicut Varro in Mystagogorum libro ait: Semoneque inferius derelicto, deum depennato attollam orationis eloquio.* Fulgent. Expos. serm. antiq. n. 11. *Gyrald. Synt. deor.* 1. *p.* 20. *D. Struv. Ant. Rom. c.* 1. *p.* 68. *Lips. Ant. Lect.* II. 18. *Rhodig. Ant. Lect.* II. 3.

Dii superi, οὐράνιοι. Plautus supr. laudatus in *Dii inferni.* Differebant ab inferis I. Ararum numero: duæ quidem *diis* inferis ponebantur, superis tres ex pontificali disciplina, ut cum *duo altaria Phœbo* dicat Virg. Ecl. V. 66. disciplinæ hujus peritus, infernam Apollinis indicat potestatem, ut Grammaticus notat. II. Sacrificandi modo. Sacrificantes inferis aqua tantum aspergebantur, superis abluebantur. Macrob. Sat. III. 1. *Constat diis superis sacra facturum corporis ablutione purgari: cum vero inferis litandum est, satis actum videtur, si adspersio sola contingat.* De sacris igitur superorum Virg. Æneid. II. 719.

— *donec me flumine vivo*
Abluero.

At Dido cum sacra diis inferis instituit, ait apud Virg. Æneid. IV. 634.

Annam cara mihi nutrix huc siste sororem:
Dic corpus properet fluviali spargere lympha.

Superis sacrificantes thure & vino ter præfabantur: inferis lacte bis præfabantur. Virg. Ecl. V. 67.

Pocula bina, novo spumantia lacte quotannis.

Inferis pari numero furvæ hostiæ immolabantur: superis nigrantes nunquam, superis ut plurimum candidæ & impares. V. infr. in *Victima.* Quod ad hostiæ *deûm* superûm explorationem dicebant vina fundere supina manu: illud erat inferis vina vergere, ἐπικλίνεσθαι. V. infr. in *Vergo.* Superis libari vino licebat, inferis non licebat. Superis libabant solum: inferis sacrificantes etiam vasa in ignem conjiciebant. Virg. Æneid. VI. 224.

— *congesta cremantur*
Thurea dona, dapes, fuso crateres olivo.

Superis libare, inferis delibare se dicebant. Val. Max. II. 1. Inferos demissis ad terram manibus submissiori voce invocabant. Virg. Æneid. III. 176.

— *tendoque supinas*
Ad cœlum cum voce manus, & munera libo
Intemerata focis.

Libat focis, id est, congesta cremantur, supina manu, & supina voce. At superos elata ad cœlum precabantur, & pro qualitate numinum, interdum ima, interdum summa respiciebant orantes. Serv. Æneid. III, & IV. Superi diurna sacra, inferi nocturna semper sibi retinuerunt. Serv. Æneid. IV. Nam quæ inter noctem superis fiunt, diebus adjiciuntur, non noctibus. Superis mactatæ solum victimæ: inferis homines etiam immolati. *Guther. de vet. jur. pont.* IV. 8.

Dii terminales dicebantur, qui arvorum fines distinguebant. Erant interdum lapides. Lucret. V. 1197.

Nec pietas ulla est velatum sæpe videri
Vertier ad lapidem.

V. infr. in *Lapis terminus.* Interdum arbores, sive stipites. Et hos *arbores terminales* vocat Paull. Sent. V. 22. Et Icti l. 1. §. 3. ff. de termino moto indiscriminatim *arbores lapidesve terminales.* Hinc Ovid. Fast. II. 641. V. illum infr. in *Terminus.* Tib. I. 1. 17.

Nam veneror, seu stipes habet desertus in agris,
Seu vetus in trivio florea serta lapis.

Defigendorum ritum describit Sicul. Flacc. de condit. agror. p. 5. V. illum infr. in *Lapis terminus.*

Dii tributarii dicebantur, quibus populus ultro stipem inferret, ut tributum a cive Romano conferebatur, tributumque Imperatori. Tertullian. Apolog. c. 13. *Dii qui magis tributarii magis sancti. Imo quo magis sancti magis tributarii. Majestas quæstoria efficitur; circuit cauponas religio mendicans; exigitis mercedem pro solo templi, pro aditu sacri; non licet deos nosse gratis, venales sunt.* Guther. de vet. jur. Pont. III. 7.

Dii tutelares dicebantur a tutela, quam ab iisdem exspectabant. *Saubert. de sacrif. c.* 5. *Struv. Ant. Rom. c.* 1. *p.* 70. Nominatim non invocabantur, & erant ignoti, ne si noscerentur, ab hostibus evocarentur. Macrob. Sat. III. 9. *Romani deum, in cujus tutela urbs Roma est, & ipsius urbis Latinum nomen ignotum esse voluerunt.* Plin. XXVIII. 2. *Verrius Flaccus auctores ponit, quibus credat, in oppugnationibus ante omnia solitum a Romanis sacerdotibus evocari deum, cujus in tutela id oppidum esset: promittique illi eundem, aut ampliorem locum apud Romanos, cultumve. Durat in Pontificum disciplina id sacrum, constatque ideo occultatum, in cujus dei tutela Roma esset, ne qui hostium simili modo agerent.* Berthald. de ara. c. 10. Brisson. de Formul. 1. p. 50. Boxhorn. Quæst. Roman. 1.

Dii vectigales populi Romani non fuerunt. Illos sic vocat Tertullian. Apolog. c. 13. *Publicos æque publico jure fœdatis, quos in hastario vectigales habetis: si Capitolium, si olitorium forum petitur, sub eadem voce præconis, sub eadem hasta, sub eadem annotatione quæstoris divinitas addicta conducitur.* Quod illorum agri publicanis locarentur, ni lege censoria essent excepti. Cicer. Agrar. II. 21. *Vectigalia locare licebat nunquam nisi Romæ.* Quæ à civibus Romanis non exigebantur nisi portorii nomine, vel decumarum, vel scripturæ, vel salis, vel vicesimæ. Quare *dii* vectigales dicti, ut agri vectigales; qui & ipsi plerique ex hostibus capti vectigalibus subjiciebantur, ut illorum statuæ & imagines ex hostibus captæ, nullam amplius religionem, nullam venerationem habebant, venalesque jure haberi poterant, ut prophanæ. Nam cum loca essent capta ex hostibus, omnia desinebant religiosa, vel sacra esse, meritoque in fiscum cogebantur. Hygin. 11. *Guther. de vet. jur. Pont.* III. 7.

Dii vernaculi *Romanorum fuerunt Romulus, Picus, Tiberinus, & Consus, & Pilumnus, & Picumnus.* Minuc. Fel. p. 201. *Sigon. de antiq. jur. civ. Roman.* 1. 8. *Struv. Ant. Roman. c.* 1. *p.* 70.

Dii viales præerant viis. Hos invocare solebant, qui peregre proficiscebantur, & ad viam se accingebant. *Tomas. de tesser. hospit. c.* 6. *Bergier. de viis milit.* IV. *sect.* 43. §. 1. Erantque Mercurius, Apollo, Bacchus, aut Hercules, quorum capita aut imagines Græci & Romani imponebant certis quibusdam columnis, aut, ut rectius dicam, stelis, & quasi parastatis, quas in viis publicis, tam more Romano munitis, quam immunitis dedicabant. *Bergier. l. l.* Illis Cererem, Dianam, Priapum, Vium, & Fortunam reducem addit *Hennin. ad Bergier. l. l.* Hos unguento delinire solebant gentiles. Apul. Florid. p. 704. *Neque enim justius religiosam moram viatori objecerit, aut ara floribus redimita, aut spelunca frondibus, aut quercus cornibus onerata, aut fagus pellibus coronata, vel etiam colliculus sepimine consecratus, vel truncus libamine humigatus, vel lapis unguine delibutus.* Minuc. Fel. p. 15. *Ut tam luculento die in lapides eum patiaris impingere, effigiatos sane, & unctos, & coronatos* Ouzel. in Minucium.

DEX.

DEXTRA *eſt fidei ſacra.* Servius. V. illum ſupr. in *Corpus.* Iſidor. XI. 1. *Dextra pignus pacis datur, ipſa fidei teſtis atque ſalutis adhibetur; & hoc eſt illud apud Tullium, fidem publicam juſſu ſenatus dedi, id eſt, dextram.* Unde in fide porrectam ait Plin. XI. 45. *Ineſt & aliis partibus quædam religio: ſicut dextra oſculis averſa appetitur; in fide porrigitur.* Almelov. ant. e ſacr. proph. p. 105. Junius Anim. IV. 12. Pinell. Addit. ad Argol. in Panvin. de lud. Circ. II. 1. Rhodig. Ant. Lect. IX. 22. Hanſen. de jurej. vet. c. 10. Kemp. de oſcul. Diſſert. XVII. §. 2. Salmuth in Panciroll. de Reb. deperd. & inv. p. 592. Minos in Alciat. Emblem. 9. In nummis etiam duplicis *dextræ*, illiusque implicatæ ſymbolo fides & concordia ſignantur. Et Ovid. Heroid. II. 31.

Jura, fides, ubi nunc, commiſſaque dextera dextræ.

Tacit. Annal. XII. 47. 3. *Mos eſt Regibus, quoties in ſocietatem coeunt, implicare dextras.* Neque hoc ſummum apud Romanos ſolum, ſed apud barbaros quoque pignus fidei, & ſecuritatis. Joſeph. Antiq. Judaic. XVIII. 12. *Et dextram dedit,* inquit, *tanquam maximum confidentiæ argumentum apud omnes illos barbaros; neque enim fidem fallet quiſquam ex iis, data ſemel dextra, neque fidem habere dubitabit, tale ſecuritatis pignus ab iis nactus, a quibus injuriam ſibi metuere poterat.* Ut non mirum *renovari dextras* pro fidei, aut fœderis redintegratione uſurpaſſe Regem Regum apud Germanicum. Tacit. Annal. II. 58. 1. aut a Numa fidei ſollenne inſtitutum, cui flamines manu ad digitos uſque involuta rem divinam facerent apud Liv. I. 21. *Spanhem. de præſt. num. Diſſert.* I. 104: II. 270. Et hinc promanavit mos ille, ut ad abſentes legiones & exercitus, tanquam præſens hoſpitii & concordiæ teſſera *dextræ* mitterentur. Tacit. Hiſt. I. 54. 2. *Miſerat civitas Lingonum vetere inſtituto dona legionibus, dextras hoſpitii inſigne.* II. 8. 4. *Centurionem Siſennam dextras concordiæ inſignia, Syriaci exercitus nomine ad prætorianos ferentem variis artibus aggreſſus eſt.* Quæ illuſtrant nummi, in quibus duæ *dextræ* junctæ, cum hac inſcriptione, CONCORDIA, aut FIDES EXERCITUUM; aut ſimiles *dextræ* impoſitæ perticis ſignorum militarium. *Spanhem. l. l. Schott. in Senec. Controv. p.* 659. Cujus rei cauſam Varro Callimachum ſecutus eſſe ait apud Serv. ad Virg. Æneid. I. 412. quod omnis veterum auctoritas *dextræ* manus virtute conſtaret; aut quod ex religione denarii numeri, moris fuit veterioris, ut juſtiſſimi quique fidei comparandæ gratia *dextras* jungerent. *Hanſen. & Kemp. l. l.* Elata in militaribus allocutionibus aſſenſus & approbationis erat ſignum. Lucan. I. 386.

— His cunctæ ſimul aſſenſere cohortes,
Elatasque alte, quæcunque ad bella vocaret,
Promiſere manus.

Appoſito ſane ſigno: ſiquidem manibus peragendum plerumque erat, ad quod incitabantur. *Lipſ. de milit. Rom.* IV. 9. *Salmuth ad Panciroll. de Reb. deperd. & invent. p.* 592. *Pier. Hierogl.* XXXV. 23. *Thyſ. Rom. Illuſtr.* IV. *p.* 99. Pro lætis, fauſtis, auſpicatis ponuntur. Horat. Sat. II. 1. 18.

— niſi dextro tempore Flacci
Verba per attentam non ibunt Cæſaris aurem.

Virg. Æneid. VIII. 302.

Et nos, & tua dexter adi pede ſacra ſecundo.

Buleng. de augur. & auſp. c. 2. Bellus de part. templ. augur. c. 10. dare alicui eſt victoriam cedere, ſequi, & ſubmittere. Paullinus, vel Proſper:

An dextram, pacis palmam, dare te pudet hoſti.

Clemens de vita Petri, verbis Apoſtoli: *Pax erit omnibus vobis, qui parati eritis dextras dare veritati Dei.* Barth. Adv. XXXII. 14. Morientis tangebant, qui ſe illi juramento volebant adſtringere, ſe exſecuturos ea, quæ vellet. Tacit. Annal. II. 71. 5. *Non hoc præcipuum amicorum munus eſt, proſequi defunctum ignavo queſtu, ſed quæ voluerit meminiſſe, quæ mandaverit exſequi.* n. 8. *Juravere amici, dextram morientis contingentes, ſpiritum antequam ultionem amiſſuros.* Struv. Ant. Rom. c. 7. p. 320. Cruceus in Statii Sylv. p. 53.

DEXTRALE dictum eſt, quod *dextras* plerumque ornaverit. Unde *dextræ* in manuſcriptis quibusdam Iſidor. XIX. 31. communes virorum & feminarum. Quo diſcrimine ſeparatur a brachiali. V. ſup. in *Brachiale.* Bartholin. de armill. vet. §. 1. Corrigendus eſt Iſidorus l. l. ad hunc modum: *Dextrale eſt commune virorum & mulierum, quia utriusque ſexus dextræ ſunt.* Hodie legitur, *dextras eſſe communes*, quod ferri non poteſt. Falſi ſunt qui ex illo corruptiſſimo loco Iſidori *dextras* pro dextrocheriis nobis obtrudunt. *Salmaſ. in Capitolin. Maximin. c.* 6. *Ruben. Elect.* I. 38.

DEXTRATIO eſt motus, vel converſio, quæ a ſiniſtra fit ad dextram. Solin. c. 45. *Excuſſo auriga, quem Ratumannum nominabant, relicto certamine ad Capitolium quadriga proſiluit, nec ante ſubſtitit, quam Tarpejum Jovem terna dextratione luſtraret. Quod adorantes faciebant.* Plinius. V. illum ſupr. in *Circumvertere.* In hac circumactione corporis quæ ad dextram fit, dextra pro centro eſt, & dexter gyrus interior, propiorque centro, ſiniſter vero exterior. *Dextratione ædem luſtrare* nihil aliud eſt, quam dextro interiore gyro eam circumire. Ita etiam aras circumibant. Ariſtoph. Pac. p. 696.

Aramque luſtrans dextrovorſum extemplo obi.

Dextrationem in circenſibus curriculis Scaliger exteriorem flexum eſſe autumat in Manil. V. 82. Quid velit neſcio. Nam ſiniſtratione metæ circumibantur, non *dextratione.* Metam quidem ad ſiniſtram habebant agitatores, quam cum ſpatioſo nimis orbe circumflecterent, per *dextros orbes ire* dicebantur, & *dextros abire.* Virg. Æneid. V. 162.

Quo tantum mihi dexter abis?

Nam ſiniſter orbis & interior ad metam, dexter exterior & longius a meta. Manil. V. 80.

- - - in obliquum currus agitare malignos,
Obſtantemque mora totum percludere circum,
Vel medium turbæ, nunc dextros ire per orbes,
Fidentem campo, nunc meta currere acuta.

Ars erat obliquos currus opponere ſequentibus, & circum quaſi percludere. Qui exteriori orbe, ac longiore circuitu metam circumflectebant, dextri quidem abire, & per dextros orbes ire dicebantur, non tamen hæc *dextratio*, quæ tum fit, cum dexter orbis interior agitur. *Salmaſ. Plinian. Exerc. p.* 655. *a. D. Turneb. Adv.* XVIII. 35. Non eſt, quod neget Salmaſius, ſe Scaligeri mentem aſſequi poſſe. Exterior circulatio in circo eſt quadrigæ curſus exterior, qui ad euripum admovetur. Interior circulatio currus circenſis eſt decurſio interior, quæ metas radebat. Exterior itaque longior eſt & dexterior. Interior brevior eſt, quæ ſiniſterior merito cenſebatur. Ovid. Amor. III. 2. 11.

Et modo lora dabo, modo verbere terga notabo,
Nunc ſtringam metas interiore rota.

id eſt, breviorem curſum ducam. Et contra ex eodem n. 69.

Me miſerum! metam ſpatioſo circuit orbe.
Quid facis? admoto proximus axe ſubit.
Quid facis infelix? perdis bona vota puellæ.
Tende precor valida lora ſiniſtra manu.

n. ad lævum & breviorem curſum. Lucan. VIII. 199.

Æquora ſenſerunt motus, aliterque ſecante
Jam pelagus roſtro, nec idem ſpectante carina.
Mutavere ſonum: nec ſic moderator equorum
Dexteriore rota lævum cum circuit orbem.

Hunc Lucani axem admoveri vult metæ Ovidius, & Lucanus circumiri *dexteriore rota.* Hoc eſt, ita metam ſtringere, ut tantiſper hærere videatur una cum læva rota, dum dextra incitatius circumagitur, fuſis dexterorum equorum habenis, contractis ſiniſtrorum. *Bellus de part. templ. augur. c.* 8. V. etiam infr. in *Locus ſiniſter.*

DEXTROCHERIUM est vox Græcis, postea Latinis quoque usurpata. Capitolin. Maximin. c. 6. *Pollice ita vasto, ut uxoris dextrocherio uteretur pro annulo. Dextrocherium* & *dextrale* sunt idem. Isidor. in glossis: *Dextralia, brachilia.* Arculphus tamen de locis sacris brachialia & *dextrocheria*, ut diversa posuit: *Ornata virgis ferreis, pendentes, brachialia, dextrocheria.* Salmas. in Capitolinum. Bartholin. de armill. §. 1. Voss. de vit. serm. III. 1. & 8. Ruben. Elect. I. 38. Blond. Triumph. Rom. IX. pag. 198. H.

DIA.

DIABATHRA *genus solearum Græcanicarum.* Festus. Nevius apud Varr. de ling. Lat. VI. 3. *Diabathra in pedibus habebat, & erat amictus epicocro.* Muliebria erant calceamenta. Inde *diabathrarii diabathrorum* confectores. Plaut. Aul. III. 5. 39.

Sedentarii sutores, diabathrarii.

Turneb. Adv. XXIII. 17. Ferrar. de re vest. III. 21.

DIADEMA. Illud describit Curopal. de Offic. aul. Constantinop. p. 100 *Erat texile aureum, cum lapillis & margaritis, positum ad Imperatoris frontem, & post retroductum, cerebrum versus, quamobrem etiam dicitur diadema.* Raynaud. de pil. & cæt. cap. tegm. sect. 9. Pertinet huc illud Lucian. dial. Diogen. & Alex. p. 291. *Dum vitta candida caput revinctum haberes.* Manifeste διάδημα περιφράζει. Idem confirmat locus Plutarch. Coriol. p. 218. F. ubi scribit, unum ex Metellis *Diademati* cognomen invenisse, *quod diu in publico versaretur fronte, in qua ulcus habebat, obligata.* Voss. Lex. Etymol. Brisson. de regn. Pers. I. 33. Paschal de coron. IX. 3. Erat insigne ornamentum capitis Regum. Tacit. Annal. VI. 42. 6. *Surena patrio more Tiridaten insigni regio evinxit.* 43. 2. *Et si qui alii delectum capiendo diademati diem haud celebraverant.* Surenæ enim gentilibus erat jus, novo Regi primum *diadema* imponere, ut in Crasso notat Plutarchus. Et quidem fascia quædam, qua caput circumligabant. Unde Monima Milesia, quum a capite *diadema* abstraxisset, collo aptavit, sesque suspendit. Et cum corporis gravitate laqueus ille confractus esset: *o impurate*, dixit, *panne, neque in tam tristi mihi ministerio profuisti?* Bayf. de re vest. c. 20. Brisson. & Paschal. l. l. Est inventum Liberi patris. Plin. VII. 56. *Emere, ac vendere instituit Liber pater. Idem diadema Regum insigne invenit.* Paschal. ibid. c. 2. Brisson. l. l. Coloris fuit candidi. Plin. VIII. 21. *Cyrenaica hunc basiliscum generat provincia, duodecim non amplius digitorum magnitudine, candida in capite macula, ut quodam diademate insignem.* XI. 16. *In fronte macula quodam diademate candicans.* Val. Max. VI. 2. V. illum supr. in *Color albus.* Tacitus mox laudandus. *Lips. in Tacit. Annal.* VI. *n.* 99. *Paschal. ibid. c.* 3. *Raynaud. l. l.* In orbes sinuatum erat. Tacit. Annal. VI. 37. 2. *Nuntiavere accolæ, Euphratem nulla imbrium vi sponte in immensum attolli: simul albentibus spumis, in modum diadematis, sinuare orbes.* Sane Saporem Persarum Regem *aureum capitis arietini figmentum, interstinctum lapillis pro diademate, gestasse* refert Ammian. XIX. 1. *Brisson. l. l.* Etiam in necessitate imposuisse capiti erat crimen læsæ majestatis, & morte luendum; ut contigit illi nautæ, qui desiliens in mare, ut Alexandri *diadema*, in aquas prolapsum, educeret, cum illius conservandi gratia suo capiti inter natandum illud imposuisset: ita præmio luculento ob receptum *diadema* donatus est, ut mox sit capite minutus. Arrian. VII. *Raynaud. l. l.* Romæ *diademate* usus est Caligula. Suet. c. 22. n. 3. *Nec multum abfuit, quin statim diadema sumeret, speciemque principatus in regni formam converteret.* Aurelianus. Aurel. Vict. Epit. c. 35. n. 5. *Iste primus apud Romanos diadema capiti innexuit, gemmisque, & aurata omni veste usus est, quod adhuc fere incognitum Romanis moribus videtur.* Alex. Gen. dier. I. 28. & ad illum Tiraquellus. Quid si Julio Cæsari ejus rei originem tribuas, cujus statuæ *diadema* impositum, ipse etiam Lupercalibus corona aurea devinctus. Dio XLIV. p. 245. D. *Postquam enim Lupercalibus in regiam venit, & in tribunali [illegible] ornatus, & aurea corona splendidus in [illegible], & ipsum Antonius Regem cum collegis [illegible] diademate revinxit.* Buleng. de Imper. Roman. II. 3.

DIADUMENUS fuit dictus Imperator Antoninus, quia pileatus e matris utero prodierat. [illegible] membrana, qua fœtus in materno utero [illegible] χορίον, seu secundina appellatur; [illegible] ciminis forma; tertia ἀμνίον [illegible]. [illegible] interdum duas posteriores faciem ac caput [illegible] volvere, ut galeatum videatur. Lamprid. c. 4. *[illegible] pileo insigniri naturali, quod obstetrices [illegible] tis credulis vendunt, siquidem can[illegible] at iste puer pileum non habuit, sed diadema [illegible] ut rumpi non potuerit, venis intercedentibus [illegible] tarii.* Raynaud. de pil. & cæt. cap. tegm. [illegible]

DIÆTA erat cœnatio, sive locus, [illegible]. Suet. Claud. c. 10. n. 2. *In diætam, cui [illegible] maeum, recesserat.* Sidon. Epist. II. 2. [illegible] *diætam, sive in cœnatiunculam transitus.* Voss. Lex. Etym. [illegible] Ursin. Append. ad Ciaccon. de triclin. p. 219. Pi[illegible] de serv. p. 487. Velser. de zet. & zetar. apud illum [illegible] 573. Buleng. de Conviv. I. 26. & 27. Turneb. Adv. IX. 17. Savar: in Sidonium. Pitisc. in Suetonium. [illegible] in Petron. p. 458. Postell. de Republ. Athen. Thes. Antiq. Græcar. Gronov. Tom. V. p. 1330. D.

Diæta dicebatur quoque cubile, in quo navicularius, hoc est, navigii magister conquiescit. Petron. c. 75. *[illegible] dimus murmur insolitum, & sub diæta magistri [illegible] exire belluæ gemitum.* De navi Hieronis Ath. [illegible] 7. C. *Diætæ erant numero tri[illegible] rum diæta lecti quindecim [illegible].* Douz. [illegible] in Petron. c. 10. Gonsal. in Petron. p. 295. Scheffer. de milit. nav. I. 6.

Diætæ Mammeæ fuerunt in Palatio, ab Alexandro Severo nomine matris insignitæ. Lamprid. Alex. c. 26. *[illegible] matrem Mammeam unice pius fuit, ita ut Romæ in Palatio faceret diætas nominis Mammeæ, [illegible] Mammam [illegible].* D[illegible] de Urb. Rom. III. 2. [illegible] ant. Urb. Fac. [illegible]

Diæta pellicum, gynæceum, & domicilium fœminarum cum porticu, [illegible] Plutarch. Poplic. p. 105. B. *[illegible] Capitolii magnificentiam admiratus, [illegible] in Domitiani domo porticum, vel basilicam, vel [illegible], vel pellicum diætam.* An est aula Adonidis, quæ in [illegible] vestigio cernitur undique exornata [illegible] me, hortulisque, & areis oblongis ab utroque latere septa. *Bellor. fragm. vest. Rom. tab.* XI.

DIÆTARII dicebantur, quibus *diætæ* [illegible] erat commissa. Ulpian. l. 2. ff. nautæ. *Sunt [illegible] vibus, qui custodiæ gratia navibus præponuntur, ut ναυφύλακες, & diætarii.* Douz. Præcid. Petron. II. 10. Gonsal. in Petron. p. 295. Wouwer. in Petron. p. 458. Edit. Erhard. Forte ταμίαι & quæstores, qui potus & cibi, reique annonariæ habebant curam. Opinor. Nam [illegible] legis obstat, quæ nauclerum, vel navicularium ex delicto *diætarii* obligat, tanquam magistrum, & eum, qui hunc navi præposuit. Et verborum ordo docet: eccur enim naviculario, seu magistro navis, & proretæ postponeretur. Longe melius Dionysius Gothofredus, qui exposuit eum, qui annonam navis administrat. Fr. [illegible] nus novos nobis, anteaque nunquam cognitos facit *[illegible] rios*, qui cibum ceu (ita lego) mercedem in dies recipiunt, & custodiæ causa uno aut altero tantum die navi præponuntur. *Scheffer. de milit. nav.* IV. 7. Mihi sunt, qui in *diætis* mensas ornare, & [illegible]. Ulpian. l. quæsitum ff. de fund. instruct. *[illegible] topiarii, diætarii, domi tantum deservientes, co[illegible].* Postell. de Republ. Athen. Thes. Antiq. Græcar. Gronov. Tom. V. p. 1330. D.

DIALIA dicebantur [illegible] *[illegible] valetudine, aut munere publico [illegible] sacra facere [illegible].* [illegible] III. [illegible] Ita illa enim peragebant, [illegible] nullus esset inauguratus. Sic duobus &

ſeptuaginta annis poſt Cornelii Merulæ *dialis* cædem, cum nemo ſuffectus eſſet, pontifices ut flamines religionem curaverunt. *Guther. de jur. pont.* I. 30. *Struv. Ant. Roman. c.* 12. *p.* 611. *Dialia* etiam Athenienſes celebrarunt in Feſtis Jovis Melichii. Et in illis non veras victimas, ſed commode effictas obtulerunt. Thucyd. I. p. 83. A. *Alex. Gen. dier.* III. 12. *& ad illum Tiraquellus. Lomej. de luſtrat. c.* 17.

DIANA dicitur & virgo, & mater. V. ſupr. in *Dea*. Ejus dies natalitii magna feſtivitate ſexto die menſis Aprilis colebantur. *Tomaſ. de donar. c.* 9. Erat dea nuptialis. V. ſupr. in *Dei nuptiales*. Partubus mulierum favere credebatur. *In partu*, inquit Tertull. de anim. c. 39. *Lucina & Diana ejulatur.* Ea de cauſa teſte Macrob. Sat. VII. 16. *quia proprium eſt munus ejus diſtendere rimas corporis, & meatibus viam dare, quod accelerando partui ſalutare eſt.* Unde *dux naſcentium, mortalium corporum auctor & conditrix* vocatur ab eodem Somn. Scip. I. 11. Porphyr. apud Euſeb. Præp. Euang. III. 3. *Ac partui quidem tametſi virgo Diana præeſt, quod novilunio vis quædam inſit, quæ pariendi facultatem afferat.* Idcoque facem ardentem manu gerit, qua veteres novilunii virtutem ſignificabant, teſte Euſeb. l. l. *la Chauſſe de deor. ſimul. tab.* XII. *Kipping. Antiq. Roman.* I. I. §. 16. *Demſter. Paralip. ad Roſin. Antiq. Roman.* II. 7. Et conjuges ejus auxilium exſpectabant. Inſcriptio ad lacum Nemorenſem effoſſa anno 1554.

DIANÆ
NEMORESI VESTÆ
SACRUM. DICT.
IMP. NERVÆ. TRAJANO AUG....
EJUS. VOTUM. LIBENS. SOLVERUNT

Tomaſ. ibid. c. 15. Præfuit venationi, unde Horat. Od. III. 22. I. vocatur

Montium cuſtos, nemorumque virgo:

Et ſæpe a poetis venatrix & jaculatrix dicta eſt. Et Ovidius *Dianam* feras inſectantem deſcribit Amor. III. 2. 31.

Talia pinguntur ſuccinctæ crura Dianæ,
Cum ſequitur fortes fortior ipſa feras.

Scribit Xenophon de Venat. p. 972. D. canes & venationem inventum deorum Apollinis & Dianæ. *la Chauſſe de inſigni. pont. max. tab.* XVIII. *Taffin. de lud. ſecul. c.* 8. §. 8. *Turneb. Adv.* VII. 26. *Kipping.* & *Demſter. l. l.* Ideo alte fuit ſuccincta, & veſtis ſinus fluentes nodo ſupra genu collectos habuit. Prudent. περὶ στεφ. X. 281.

Tum, quod Dianam molle ſuccinctam vident,
Venantis arcum pertimeſcunt virginis.

Turneb. ibid. XXVIII. 16. Gyll. de Boſpor. Thracic. II. 12. Ejus currum duæ cervæ trahebant. Claud. in Stilich. conſul. II. 285.

Dixit, & extemplo frondoſa fertur ab Alpe
Trans pelagus, cervi currum ſubiere jugales.

Depicta venabulum manu tenebat, cum cervo juxta illam, & oſtendebatur cervicida, ſignificando quod in venationibus vi cervos occideret: eamque ob cauſam a Græcis Ἐλαφηβόλος nuncupata. Plutarch. de ſolert. anim. p. 966. A. & illi conſecrabant cervorum cornua, quæ templis Dianæ affixerunt apud Plutarch. quæſt. Rom. 2. ut illam venationum deam innuerent. Et illi ordinarie adjungebant pharetram, arcum, & ſagittas, cum cane venatico: abſque quibus venatio haud bene perfici poteſt. *Choull. de relig. vet. Roman. p.* 71. 72. V. & infr. in *Venatio*. Venatores ſæpe numero faces ſpicatas accenſas illi ferebant, & canes ſuos morbo, aut ſcabie affectos infulis velatos ei ſiſtebant, omneque inſtrumentum venatorium ante eam collocabant. Grat. Cyneg. n. 484.

Spicataſque faces ſacrum ad nemora alta Dianæ
Siſtimus, & ſolito catuli velantur honore:
Ipſaque per flores medio in diſcrimine luci
Stravere arma, ſacris & pace vacantia feſta.

Feriis ſuis, quæ Idibus Auguſti celebrabantur, emeritos canes, quietoſque a venatione, & immunes habere credebatur, & ipſa etiam feriari. Stat. Sylv. III. I. 57.

- - - ipſa coronat
Emeritos Diana canes, & ſpicula tergit,
Et tutas ſinit ire feras.

Turneb. Adv. VII. 26. Kipping. Antiq. Roman. I. 10. §. 5. Roſin. Antiq. Roman. IV. 12. Venatores ante venationem illam invocabant, & prædæ partem vovebant: finita vero venatione prædæ caput, vel pedes, vel exuvias arbori in lucis, unde ea profecta erant, ſuſpendebant. Apul. Met. VI. p. 175. *Videt dona ſpecioſa, & lacinias auro literatas, ramis arborum, poſtibuſque ſuffixas; quæ cum gratia nomen deæ, cui fuerant dicata, teſtabantur.* Prop. II. 15. 19.

Incipiam captare feras, & reddere pinu
Cornua, & audaces ipſe movebo feras.

Schott. Obſerv. I. 12. Et ludo gladiatorio, atque ipſi etiam amphitheatro æque atque Mars, in quo ludi gladiatorii perinde atque venationes exhibebantur. Unde Claudianus ſolam Dianam invocat, ut amphitheatrali pompæ faveat, de conſul. Manl. n. 292.

I Triviæ ſupplex, non aſpernata rogantem
Amphitheatrali faveat Latonia pompæ.

Taffin. ibid. §. 7. Quod tamen non venatrici, ſed Tauricæ ſingulariter attributum eſt. V. infr. in *Diana Taurica*. Buleng. de venat. circ. c. 7. Puellæ & pueri erant in ejus fide. Catull. XXXIV. I.

Dianæ ſumus in fide
Puellæ, & pueri integri.

quod ope ejus, quæ Lucina vocatur, vitam hauſerint: & Artemis dicitur, quod ſanos reddat. Puellæ etiam ritu Athenienſium initiabantur *Dianæ*, & ἀρκτεύειν dicebantur. *Turneb. Adv.* XIV. 8. Athenis ante nuptias *Dianæ* initiatæ ſacra faciebant, cum propter interfectam *Dianæ* urſam reſpondiſſet oraculum, non ante placari deam poſſe, quam ei virgines Athenienſes, antequam nuberent, dicarentur. Pollux. V. 12. 2. *Et populus Atticus virgines ἀρκτεύεσθαι dixit.* Luiſin. Parerg. I. 35.

Diana Aricina nuncupata eſt a nemore Aricino, non multum a Roma diſtante. Suet. Cal. c. 35. n. 7. *Nemorenſi regi, quod multos jam annos potiretur ſacerdotio, validiorem adverſarium ſubornavit.* Quod ideo ab ipſo dictum, quod, ut ait Strab. V. p. 165. qui ibi primus hoſtiam mactabat ſacerdos, rex appellabatur: ſervi de honore certabant fugitivi: ſinguliſque annis ei qui tenuerat ſacerdotium, certandum erat cum aliis, victor ſuccedebat, & hi appellabantur reges Nemorenſes. Pauſan. Corinth. p. 69. V. illum infr. in *Templum*. Lucan. VI. 74.

Parva Mycenææ quantum ſacrata Dianæ
Diſtat ab excelſa nemoralis Aricia Roma.

Cum ſacrum nemoralis *Dianæ* inſtaret, id eſt Idus Sextiles, ab Urbe facibus accenſis in nemus Aricinum diſcurrebatur. Prop. II. 23. 39. & Ovid. Faſt. III. 269. V. illos ſupr. in *Aricia*. Gyrald. Synt. deor. XII. p. 370. G. Turneb. Adv. XI 4. Pitiſc. in Suetonium.

Diana Aventina eſt cognominata, quod in Aventino monte Romæ in primis coleretur. Prop. IV. 9. I.

Phyllis Aventinæ quædam eſt vicina Dianæ.

Aventinenſis appellatur a Val. Max. VII. 3. I. *Quis Aventinenſi Dianæ immolaſſet.* Gyrald. Synt. deor. VII. p. 374. G.

Diana conſervatrix in Sicilia colebatur. Rex Agathocles nummum excudit in ejus honorem. In hoc conſpicitur hinc *Diana* conſervatrix, cum characteribus Græcis dicentibus ΣΩΤΕΙΡΑ: inde fulmen illi attributum ſicut Veſtæ, cum hac inſcriptione, ΒΑΣΙΛΕΩΣ ΑΓΑΘΟΚΛΕΩΣ. *Choul. de relig. vet. Rom. p.* 81.

Diana Dictynna, cujus crebra tam Græcis quam Romanis ſcriptoribus eſt mentio. Tib. I. 4. 21.

Perque ſuas impune ſinit Dictynna ſagittas.

Stat. Theb. IX. 632.

Per te maternos, mitis Dictynna, labores.

Ubi Lactantius: *Dictynna ob id dicta Diana Britomartis filia, virgo Cretensis Dianæ dicata, a retibus piscatorum, quæ Græce δίκτυα nominantur, a quibus hujus corpus inventum extractum est. Insula tamen Creta pestilentia laboravit, quam evadere penitus nequivissent, nisi templum Dianæ instituissent, eamque Dictynnam vocassent a retibus.* Gyrald. Synt. deor. XII. p. 365. G. Spanhem. in Callim. Hymn. in Dian. n. 198. Demster. Paralip. ad Rosin. Antiq. Roman. II. 7.

Diana Ephesia pingitur cum multis mammis, velut alma mater, quæ uberibus suis alit genus humanum. Hieron. in Epist. ad Ephes. *Erat Ephesi templum Dianæ, & ejusdem in ipso Multimammia, id est, multarum mammarum effigies, quia cultores ejus decepti putabant eam omnium viventium nutricem.* Coronam turritam gerit in capite, quia eadem credebatur Isis, Ceres, & Cybele, sive Terra, quæ urbibus exculta est. Codin. de Orig. Constant. *Et quoniam cujusque urbis sedes terra est, fingitur turrita, quasi urbes gestaret.* Macrob. Sat. I. 20. Isidem ad instar *Dianæ* Ephesiæ describit: *Isis cuncta religione celebratur, quæ est vel terra, vel natura rerum subjacens soli, Hinc est, quod continuatis uberibus corpus deæ omne densetur: quia vel terræ, vel naturæ rerum halitu nutritur universitas.* la Chausse de deor. simul. tab. XI.

Diana Facelina vocatur Sil. Ital. XIV. 261.

Mille Thoanteæ sedes Facelina divæ.

Fascellis Hygino apud Serv. Æneid. II. 116. *Simulacrum sustulit, absconditumque fasce lignorum, unde & Fascellis dicitur, Ariciam detulit.* Argol. Epist. ad Tomas. de donar. c. 2.

Diana inferna dicitur Stat. Sylv. V. 3. 270.

Detulit infernæ vates longæva Dianæ.

propter Hecatem, quæ etiam *Diana* est & Proserpina: unde Virg. Æneid. IV. 511.

Tergeminamque Hecatem, tria virginis ora Dianæ.

Turneb. Adv. XXII. 11. De eadem Prudent. contr. Symm. I. 365.

Denique cum Luna est, sublustri splendet amictu.
Cum succincta jacit calamos, Latonia virgo est:
Cum subnixa sedet solio, Plutonia conjux.

Barth. in Statium.

Diana Lucina. V. illam infr. in *Juno Lucina.*

Diana Taurica. De illa Serv. Æneid. II. 116. *Cum Græci ad Aulidem venissent, Agamemnon Dianæ cervum occidit ignarus: unde irata dea flatus ventorum removit: quamobrem cum nec navigare possent, & pestilentia laborarent, oracula consulta dixerunt, Agamemnonio sanguine Dianam esse placandam. Ergo cum ab Ulysse per nuptiarum simulationem adducta Iphigenia in eo esset ut immolaretur, numinis miseratione sublata est, cerva supposita, & translata ad Tauricam regionem, regi Thoanti tradita, & sacerdos facta Dianæ.* Gyrald. Synt. deor. XII. p. 369. E. Scythica etiam dicta est, Tauri enim populi in Scythia fuerant, unde est ablata: Lucan. III. 86.

Qua sublime nemus, Scythicæ qua regna Dianæ.

Solin. c. 8. *Ariciæ Orestes oraculo monitus, simulacrum Scythicæ Dianæ de Taurica extulerat, quod priusquam Argos peteret, consecravit.* Gyrald. ibid. p. 371. D. Hæc amphitheatri fuit præses. Tertull. de spect. c. 12. *Martem & Dianam utriusque ludi*, gladiatorii & venatorii, *præsides novimus.* Cassiod. Epist. V. 42. *Spectaculum tantum fabricis clarum, sed actione deterrimum, in honorem Scythicæ Dianæ repertum, quæ sanguinis effusione gaudebat.* Lips. de amphith. c. 4. Buleng. de ven. circ. c. 7. Taffin. de lud. secul. c. 8. §. 7. Argol. Epist. ad Tomas. de Donar. c. 2.

Diana Triformis nominatur, quia trium potestatum numen est. Virgilius jam productus supr. in *Diana inferna.* Est Luna in cœlo, Diana super terram, Proserpina in inferno. *Choul. relig. vet. Rom. p.* 84. *Holsteen. comm. in Nymphæum Thes. Ant. Rom. Græv. Tom.* IV. *p.* 1802. *D. Turneb. Adv.* XXVII. 5. *Ortel. Deor. & dear. capit.* I. 26. Cleomedes de mund. II. ideo *triformem* dictam scribit, quod tres sint lunæ effigies, falcata, bissexta & plena. Et ideo Horat. Od. III. 22. 3.

Ter vocata audis, adimisque letho
Diva triformis.

Gyrald. Synt. deor. XII. p. 367. C.

Diana Trivia dicta est, quod in triviis coleretur. Varr. de Ling. Lat. VI. 2. *Diana ab eo Trivia est dicta, quod in trivio fere ponitur in oppidis Græcis: vel quod luna dicitur esse, quæ in cœlo tribus viis movetur, in altitudinem, & latitudinem, & longitudinem.* Græci τριόδον & τριοδῖτιν eadem ratione vocant. Ex nostris quidam Triviam appellatam tradunt, quod in cœlo, in terra, & apud inferos ejus sit potestas. Phurnut. c. 34. τριοδῖτιν καὶ τῶν τριόδων ἐπόπτιν cognominatam ait, a triplici ejus mutatione, dum per cœli signa graditur. *Gyrald. Synt. deor.* XII. *p.* 367. *B. Ortel. Deor. & dear. capit.* I. 26.

DIANIUM est locus *Dianæ* consecratus. Cato Orig. II. *Lucum Dianium in nemore Aricino Egerius Lebius Tusculanus dedicavit Dictator Latinus.* Festus: *Dianius, locus Dianæ sacratus.* L. *Dianium.* Liv. I. 48. *Cum se domum reciperet, pervenissetque ad summum Cyprium vicum, ubi Dianium nuper fuit.* Inscriptio Romæ:

C. JULIANUS
CÆLIUS. ANT
F.
. . . .
DIANIUM. D. D.

Guther. de vet. jur. pont. III. 4.

DIANIUS collis dictus est Aventinus, a Dianæ in eo veneratione. *Borrich. Ant. Urb. Fac. c.* 15. §. 1. V. supr. in *Aventinus.*

DIAPASMATA sunt odores sicci, sive in pulverem triti, ut corporibus inspergantur ad sudores coercendos. Plin. XIII. 2. *Siccis odoribus constant, quæ diapasmata vocantur.* XXI. 18. *Diapasmata inde fiunt ad sudores coercendos, ita ut a balneis marescant corpora.* Sive in pastillis mixti, ad fœtorem oris, & animæ depellendum. Mart. I. 88. 1.

Ne gravis hesterno fragres, Fescennia, vino,
Pastillos Cosmi luxuriosa voras.
Ista linunt dentes jentacula: sed nihil obstat,
Extremo ructus cum venit a barathro.
Quid quod olet gravius mixtum diapasmate virus,
Atque duplex animæ longius exit odor.

Harduin. in Plin. XIII. 2. Baccius de therm. vet. c. 10. Bud. in Pandect. p. 174. H. Salmas. Exerc. Plinian. p. 745. b. D. 752. a., F. Voss. Lex. Etymol.

DIARIUM est liber, quo singulorum dierum acta annotantur, Græcis ἐφημερὶς. Gell. V. 18. *Quum non per annos, sed per dies singulos res gestæ scribuntur, ea historia Græco vocabulo ἐφημερὶς dicitur, cujus Latinum interpretamentum scriptum est in libro Sempronii Asellionis primo. . . . . Eorum quasi qui diarium scribunt, quam Græci ἐφημερίδα vocant.* Voss. Lex. Etymol. in Dies. Bud. in Pandect. p. 89. A. 104. F. 203. E. Gassend. Kalend. Roman. Procem. Guther. de Offic. Dom. Aug. III. 35. Pigh. Annal. Rom. II. p. 378. Schill Nomencl. Philol. p. 408. Obbrecht. in Prologum in Dictym Cretensem.

DIATRETARII sunt, qui vasa aurea, argenteaque cælant, id est, signa & imagines imprimunt. Ulpian. l. si servus. §. si calicem. ff. ad leg. Aquil. *Si calicem diatretum faciendum dedisti, si quidem imperitia fregit, damni injuria tenebitur.* Poslet & de his intelligi, qui pocula ad signa infigenda excavant & perforant. *Panciroll. de Corp. artif.* §. 16. *Notit. dignit. Imp. Orient. c.* 27. *Buleng. de Conviv.* IV. 11. *de Imp. Rom.* VI. 67. *Rhodig. Antiq. Lect.* XXVII. 27.

DIATRETUM. V. illud supr. in *Calix.*

DIATRIBA appellatur rei literariæ gymnasium, quia in gymnasiis philosophi versabantur. *Panciroll. de magistr. munic. c.* 22. Hoc dilucet ex Gell. I. 26. *Interrogavi eum dia-*

diatriba. Sed & ab Cimone Athenis primum *diatribas* substructas, quæ vocarentur eleutheriæ, id est, liberales, καὶ γλαφυραὶ Plutarchus scribit. *Rhodig. Ant. Lect.* xxx. 20.

DIAULION dicebatur in scena, ubi tacentibus omnibus intus concinebat tibicen. *Rhodig. Ant. Lect.* ix. 7. *Barthol. de tib. c.* 10.

DIAULODROMI dicebantur cursores, qui cum ad metam pervenissent, flectentes rursus recurrebant, unde cursum inierant. Aristot. de generat. ii. *Ut natura recurrente, & revoluta ad principium unde iverat.* Τῆς φύσεως διαυλοδρομούσης. Cum reversuri ad carceres essent, unde cursum instituerant, ad metas paullulum morabantur, ut interquiescerent. *Buleng. de Circ. c.* 31. *Argol. ad Panvin. de lud. Circ.* ii. 1. *Cenal. de pond. ac mensur. rat. Thes. Ant. Rom. Græv. Tom.* xi. *p.* 1484. *E.*

DIAULON esse volunt geminum cursus ad eandem stadii partem retracti spatium. Panvin. de lud. Circ. ii. 1. scribit, Suidam meminisse cujusdam generis cursus, quod δίαυλον, hoc est, *per duo stadia* vocat. Fugit eum ratio. Verba Suidæ sic habent: *Diaulus qui duplicem cursum habet in decursu, ut impleat stadium, & recursu.* Buleng. de Circ. c. 31. Strauch. Olymp. Agon. §. 12. Cursui simplici additus est Olymp. 14. Pausan. Eliac. i. p. 155. *Olympiade vero* 14. *additus est diaulos, e quo, accepta ex oleastro corona, victor decessit Hypenus Pisæus.* Strauch. l. l.

DIAULUS est mensura duorum stadiorum. Schol. Aristoph. in Avib. *Diaulus est distadium, seu mensura cubitorum ducentorum.* Argol. ad Panvin. de lud. Circ. ii. 1. Pinell. Addit. ad Argolum. Cenal. de pond. ac mens. rat. Thes. Antiq. Roman. Græv. Tom. xi. p. 1484. E. Lyd. Agon. sacr. Proleg. p. 12.

DIB.

DIBAPHUS non modo purpura fuit, sed purpura bis tincta. V. plura supr. in *Augures.*

DIC.

DIC erat formula rogandarum sententiarum. Cic. Attic. vii. 3. *Illud ipsum quod ais, quid fiet, cum erit dictum, Dic Marce Tulli.* vii. 1. *Sed illa quæ tum agentur, cum venero, ne ratio absentis habeatur, ut exercitum dimittas, Dic Marce Tulli.* Brisson. de formul. ii. p. 168.

DICA, Græce δίκη, est causa, actio juris. In veteri Terentii glossario exponitur schedula. *Voss. Lex. Etymol.* Scribere *dicam* dicit Plaut. Aulul. iv. 10. 30.

Jam quidem Hercle ad prætorem te rapiam, & scribam dicam.

pro aliquem in jus vocare. Respicit vero potius ad antiquiorem, aut Græcum morem, quam quod Romani juris ordinem autumet. Habet tamen imitatorem Terent. Phorm. i. 2. 77.

Ego te cognatum dicam, & tibi scribam dicam.

Barth. Adv. iv. 15. In illis fabulis poetæ mores, studia, & instituta Græcorum imitantur: ac proinde, quæ ad eas pertinent, quo Græca magis videantur, Græcis ponunt vocabulis. Ipse Cicer. Verr. ii. 15. *Scribitur Heraclio dica*, propter Siculos, qui Græce loquebantur. Hoc autem genere dicendi in foro Romano usus non erat. *Turneb. Adv.* xxvii. 4: xix. 14. *Dica* ergo Græcorum more scribi tum dicebatur, cum lis intendebatur, id est, judicium postulabatur. Sortiri vero *dicas* erat judices ipsos ex lege sortiri, non autem, ut Budæus existimavit, litem intendere. Hæc autem omnia ex judicio Heraclii hominis Siculi cognoscuntur, de quo Cicer. l. l. *Sigon. de Ant. Jur. Prov.* ii. 5. V. plura infr. in *Sortiri.*

Dica dicebatur etiam ratio, sive causa expensarum. Terent. Phorm. iv. 3. 65.

Sexcentas perinde potius scribito dicas.

Nann. Misc. ii. 18. 63.

DICATISSIMUS erat verbum devotionis, quo antiqui Imperatores prosequebantur, ut *numini ejus dicatissimus* persæpe habent monumenta, iisdem ab ipsorum aliquo ministro posita & dicata. *Ursat. de not. Rom. Thes. Antiq. Rom. Græv. Tom.* xi. *p.* 673. *C.*

ΔΙΚΕΡΑΤΙΟΝ vocantur duo soles, tributum pro reficiendis Urbis muris. Cedren. in Leon. Iconom. *Cum vidisset Imperator mœnia Urbis prolapsa, dixit, vos cives non potestis mœnia Urbis restituere, sed imperavimus dispensatoribus & magistris thematum, ut peterent in canonem ad numismum milliaresium unum, quod in palatium inferretur ad mœnia reparanda. Unde mos invaluit, ut administratoribus bini soles, τὰ δικεράτια penderentur.* Manasses id institutum, aut innovatum esse ait a Nicephoro: *Nicephorus imposuit grave onus Byzantiis, ut renovarentur urbis muri qui consenuerant, quod duas siliquas, δικεράτιον, vocant mancipes hujus tributi.* Harmenop. in legg. Georg. *ceratium unum duodecim soles esse* vult. *Buleng. de vectig. c.* 58.

DICERE in publico qui aliquid volebant, semper ex edito loco, ut sunt aræ, & margines, sive crepidines viarum, quasi suggestu, vel tribunali pronuntiabant, ut ab omnibus facilius audirentur & gestus percipi possent. Lucan. v. 16.

Lentulus e celsa sublimis sede profatur.

Sidon. carm. xvi. n. 125.

Seu te conspicuis gradibus venerabilis aræ
Concionaturum plebs sedula circumsistit.

Hinc adscendere in concionem apud Cicer. de Fin. ii. 22. *Quid mereri velis jam, cum magistratum inieris, & in concionem adscenderis.* Et in oratione, quæ scripta est contra concionem Q. Metelli apud Gell. xviii. 7. *Escendi in concionem: concursus est populi factus.* Nam qui de plano, vel area circumfusam concionem alloqueretur, nec videri facile, nec audiri ab omnibus posset. Sic milites allocuturis Imperatoribus cespititia tribunalia in castris exstruebantur. V. infr. in *Tribunal.* Circulatores, & scurræ qui in triviis, & quadriviis plebem congregabant, pro suggestu, vel tribunali, quaslibet obvias aras occupare soliti erant, ut inde quæ vellent ad multitudinem circumfusam dicerent. Lucian. Pseudomant. p. 755. *Mane cum nudus in forum prosiluisset, nisi quod subligari, eoque inaurato circum pudenda tectus erat, cumque falcem illam ferret, solutamque comam simul quateret, eorum more, qui a Cybele deorum matre afflati conveniunt, conscensa sublimi ara concionabatur.* Inscensa ara fumorum ille venditor populum alloquitur. *Salmas. in Tertull. de Pall. p.* 426. *Bourdelot. in Heliodor.* i. *p.* 29.

DICROTÆ, & *dicrota*, feminino ac neutro genere dicuntur, non modo Latinis, sed & Græcis, quæ & δίκροτα, hoc est, biremes, licet id quidam inficientur, dictæ, a duplici videlicet remorum ordine: sint licet inter eruditos, qui eas naves interpretentur, quæ duobus gubernaculis a prora pariter & puppi regantur. Cicer. Attic. v. 11. *Dicrota Mityleneorum habebam.* xvi. 4. *Ipse Domitius bona plane habet dicrota.* Hirt. de bell. Alex. c. 47. *Capit ex eo prœlio penterem unam, triremes duas, dicrotas octo.* Gyrald. de navig. c. 18. Dolet. de re nav. Thes. Antiq. Græc. Gronov. Tom. xi. p. 679. E. Meibom. Fabric. Thes. Antiq. Roman. Græv. Tom. xii. p. 570. C. Opel. ad Meibomium ibid. 695. D. Brod. Misc. ix. 21. A duobus gubernaculis dictas fuisse scribit. *Rhodig. Ant. Lect.* xxix. 17.

DICTATA proprie sunt artis gladiatoriæ præcepta, sive quæ lanistæ discipulis suis dare solent. Suet. Jul. c. 26. n. 8. *Ut disciplinam singulorum susciperent, ipsique dictata exercentibus darent.* Tertull. ad Martyr. c. 1. *Nec tantus ego sum, ut vos alloquar. Sed tamen & gladiatores perfectissimos non tantum magistri, & præpositi sui, sed etiam idiotæ & supervacui quique adhortantur de longinquo: ut sæpe de ipso populo dictata suggesta profuerint.* Non inepte, *dictata:* quia revera præcepta sua armorum commisere etiam scripto. Juven. Sat. xi. 8.

Scripturus leges, & regia verba lanistæ.

Lips.

Lips. Sat. I. 15. Rutgers. Var. Lect. II. 16. Pitisc. in Suetonium.

DICTATOR vocabatur olim magister populi. V. infr. in *Magister*. Et prætor maximus. V. infr. in *Prætor*. Hæ vero voces præstantiam imperii præferunt, & dignitatis. *Lips. de Magistrat. Roman. c. 17. August. de Famil. in Cassia. Panvin. in Fast. I. p. 70. Hotoman. de Magistr. Rom. I. Thes. Ant. Rom. Græv. Tom. II. p. 1870. A.* Res & nomen sumtpa ab Albanis. Suadent hoc Liv I. 23. & Spartian. Adrian. c. 19. & affirmat Licinius Macer apud Dionys. V. p. 337. Dionysius vero p. 336. & 337. a Græcis esse exemplum mavult, apud quos non dissimili in re Αἰσυμνῆται. *Lips. l. l. Panvin. ibid. p. 72.* Dicebatur a Consule, qui captatis auspiciis, oriente nocte, silentio illum dicebat. Liv. IV. 13. *Precatus tandem deos immortales Cincinnatus, ne senectus sua in tam trepidis rebus damno, dedecorive Reipublicæ esset; Dictator a consule dicitur.* IX. 38. *Profecti legati ad Fabium consulem, consul demissis in terram oculis, tacitus ab incertis, quidnam esset acturus, legatis recessit. Nocte deinde silentio, ut mos est, L. Papirium Dictatorem dixit.* Unde Plutarch. Marcell. p. 312. E. *Dictator non a populo, aut a patribus creari potest, sed alter consulum, quem vult, Dictatorem dicit.* Gruch. de comit. Rom. I. 2. Pigh. Annal. Rom. I. p. 82. Blond. Triumph. Rom. III. p. 57. A. Perizon. Animadv. Histor. c. I. p. 23. Sigon. de Ant. jur. civ. Rom. I. 20. Stewech. in Veget. I. 3. Panvin. & Lips. l. l. An vero a consule duntaxat, controversum fuisse, quo tempore a tribunis militum consulari potestate Respublica gubernabatur, docet Liv. IV. 31. ubi a Vejentibus prælio victos ob discordiam tribunorum militum Romanos refert an. 327. & trepida tum civitate *dictatorem* propterea dictum M. Æmilium III. a tribuno militum A. Cornelio Cosso. Sufficere namque judicabant augures consulari potestate eum magistratum esse, qui *dictatorem* diceret. Verba Livii sunt hæc. *Mœsta civitas fuit, vinci insueta, odisse tribunos, poscere dictatorem: in eo verti spes civitatis. Et quum ibi quoque religio obstaret, ne non posset nisi ab consule dici dictator, augures consulti, eam religionem exemere. A. Cornelius dictatorem Mamercum Æmilium dixit: & ipse ab eo magister equitum est dictus.* Aliquando tamen ex senatus voluntate ad populum est latum, ut, quem vellet, *dictatorem* juberet, qui deinde a consule diceretur, quemadmodum an. 543. contigit. Tum enim populi jussu, penes quem comitiorum habendorum jus erat, M. Marcellus consul *dictatorem* comitiorum habendorum causa dixit Q. Fulvium Flaccum, qui ex eodem plebiscito P. Licinium Crassum sibi magistrum equitum dixit, ut auctor est Liv. XXVII. 5. Hoc priscis temporibus in usu fuisse verisimile non est, quamdiu nulla a *dictatore* ad populum erat provocatio. Ipso enim creato dissolvebatur, elanguebatque mox aliorum vis magistratuum omnium, cessabat provocatio, in ipso solo cuncta imperii summi potestas permanebat, nec usquam nisi in cura parendi cuiquam auxilium erat. Tum etiam optima lege creatus dicebatur. *Pigh. Annal. Rom. l. l. & Panvin. ibid. p. 71.* V. etiam infr. in *Lex.* T. Lartio Flavio iterum, Q. Cœlio coss. lex lata est de *Dictatore* sine provocatione creando, & ut de consularibus legeretur, adeoque de patriciis: consules enim tunc, & per annos deinde multos patricii fuerunt: nec prius de patriciis legi *Dictator* desiit, quam creati duo consules patricii desierunt: non enim consul patricius *Dictatorem* quenquam de plebe dixisset. Itaque, qui primus de plebe *Dictator* fuit, C. Marcius Rutilus, is a M. Popilio Lænate consule plebejo dictus est: cum ita casus tulisset, ut adversus Etrusci belli terrorem *Dictator* dicendus esset, nec nisi a consule plebejo dici posset: quia consul alter patricius M. Fabius Ambustus bello retineretur. Ita communicata plebi *dictatura* anno ab U. C. CCCIC. *Manut. de Legeb. c. 5.* Creandi causam explicat Cicer. de Leg. III. 3. *Ast quando duellum gravius, discordiæve civium escunt, Dictator esto, ne amplius sex menses, si senatus creverit: idem juris, quod duo consules, teneto. Isque ave sinistra dictus, populi magister esto.* Ejus imperium exponit Dionysius supr. productus: *Iste primus creatus est, qui solus bellum pacemque & omnia negotia administraret.* Pompon. de orig. jur. l. 2. §. 10. *Populo deinde aucto cum crebro orirentur bella, & quædam acriora a finitimis inferrentur, interdum re exigente placuit majoris potestatis magistratum constitui. Itaque Dictatores proditi sunt, a quibus nec provocandi jus fuit, & quibus etiam capitis animadversio data est. Hunc magistratum quoniam summam potestatem habebat, non erat fas ultra sextum mensem retinere.* Præter superiores causas invenio creatum etiam fuisse clavi in pestilentia figendi causa, comitiorum habendorum, quæstionis exercendæ, ludorum faciendorum, senatus legendi, feriarum Latinarum, ut passim apud Livium legimus. *Hotoman. Stewech. Panvin. Lips. & Blond. l. l. Guther. de Offic. Aug. Dom. II. 2. Volaterr. Comment. Urban. XXIX. p. 1099. A. Pigh. ibid. p. 84.* Potestas hujus magistratus erat ampla, vel potius eximia. De pace enim, belloque agere, exercitus scribere, educere, dimittere, omniaque negotia gerere libere, & pro arbitrio poterat, adeo ut nihil horum vel ad senatum referret. Notant Dionys. VII. p. 462. & Polyb. III. 87. Itaque non solum jus omne duorum consulum translatum in unum. Cicer. de Legib. III. 3. *Unus idem juris, quod duo consules, teneto.* Qua de causa etiam διϋπατον, quasi *duplicem consulem* Græci eum dicunt. Sed hoc amplius, creato eo omnes magistratus præter tribunos plebis imperio se abdicabant, & relinquebatur velut frenum Reipublicæ in manu unius. Plutarch. Quæst. Rom. 80. Polyb. l. l. Dionys. XI. p. 701. Quin bona illi civitatemque adimere jus: animadvertere in vitam & caput civium, idque sine ulla provocatione. Dionys. VIII. Ad quod singulare jus exprimendum 24. fasces illi præferebantur, & totidem secures, etiam in Urbe: ut nihil mirer a Liv. VIII. scriptum: *edictum dictatoris pro numine semper observatum.* Lips. Hotoman. Panvin. l. l. Duo vero *Dictatores* esse non poterant. Ac ne *Dictator* sine magistro equitum. Dion. l. l. *Hotoman. l. l.* Hoc tamen semel bello Punico II. post cladem Cannensem senatus legendi causa contigisse, ac demum occupata Republica a C. Cæsare neglectum fuisse cognoscimus. *Pigh. ibid. p. 83. Panvin. ibid. p. 72.* Neque *extra agrum Romanum, hoc est, Italiam dici potuit*, ut scribit Liv. XXVII. 5. *Hotoman. l. l.* Sed hæc tamen tanta vis merito terminis quibusdam circumscripta, ne exorbitaret. I. semestre duntaxat illud imperium esse voluerunt; ne in tyrannidem spatio, aut consuetudine iret. Dionys. V. p. 331. *Ei semestre spatium definitum: quo exacto consules Reipublicæ gubernacula reciperent.* p. 334. *Unum virum habere semestrem potestatem rerum omnium, ampliorem quam sit consulum.* Dio XXXV. p. 16. B. *Dictatorem majores nostri dixerunt, & imperium illi non ultra sextum mensem dederunt.* Cicer. de Legib. III. 3. supra laudatus. Et quod quibusdam prorogatum in annum reperiatur, ob necessitatem Reipublicæ factum scito, & præter morem: ut in Camillo, L. Papyrio, Fabio Maximo. Nam Sylla, & postea Cæsar, qui *dictaturam* perpetuam invasere, leges, & instituta Reipublicæ palam sprevere. *Lips. & Panvin. l. l. Rosin. Antiq. Roman.* VII. 17. II. Locis etiam inclusa; nec permissum *dictatori* cum imperio extra Italiam ire: scilicet, ne procul ab oculis civium & senatus res facilius innovaret. Dio clare notat XXXVI. p. 16. C. *Itaque licet vobis dictatorem creare, modo ne extra Italiam sit cum imperio.* Idque semel duntaxat veteri Republica violatum in Attilio Collatino, qui primus *Dictator* exercitum extra Italiam duxit. Observat Liv. Epit. XIX. *Lips. l. l.* III. Equum adscendere ei vetitum. Veteri enim lege, quam nominat Plutarch. Fab. p. 175. E. sancitum erat, ne equo posset uti, idque vel ob eam causam, quod, cum plus inesse roboris in pedestribus copiis putaretur, propterea in legione permanere, nec locum deserere deberet Imperator: vel quod, cum ad alia omnia *Dictatoris* esset singularis potestas, in hoc uno voluerunt eum populo inferiorem videri. Senatus tamen petenti Fabio Maximo Verrucosso contra veterem legem concessit, ut equo vehi posset: datumque id hominis virtuti, ac tempori, cum cæsis ad Cannas Romanis, in uno Fabio, *Dictatore* creato, melioris fortunæ spes reposita videretur. *Manut. Pigh. Panvin.*

vin. Lipſ. Roſin. l. l. Fuit primum in Urbe creatus anno 12. vel 9. ab exactis Regibus, cum 40. Latinorum urbes contra Romanos conſpiraſſent, concitante Octavio Mamilio Tuſculano Tarquinii Superbi genero, apud quem ipſe tum exſulabat. *Prevot. de Magiſtrat. Roman. c.* 8. *Pigh. Annal. Roman.* 1. *p.* 80. *Flocc. de Poteſt. Roman.* 1. 8. *Lætus de Magiſtr. Roman. c.* 16. *Lipſ. l. l.* Aliter tamen *Gruch. ibid.* III. 2. Liv. II. 18. *In hac tantarum exſpectatione rerum ſolicita civitate, Dictatoris primum creandi mentio orta, ſed nec quo anno, nec quibus conſulibus nec quis primum Dictator creatus ſit, ſatis conſtat. Apud veterrimos tamen auctores T. Lartium Dictatorem primum creatum invenio. Conſulares legere, ita lex jubebat de Dictatore creando lata. Eo magis adducor, ut credam Lartium, qui conſularis erat, potius quam Manium Valerium, M. Filium, Voleſi nepotem, qui nondum conſul fuerat, moderatorem magiſtrum conſulibus appoſitum.* Hunc tamen primum fuiſſe docet Feſtus in Optima lex. ... V. illum infr. in *Lex.* Sigon. in Livium, Panvin. l. l. De provocatione tamen, non perpetuum fuiſſe, ſuadere videtur apud Feſtum *optima lex.* Data eſt illa coſſ. L. Valerio & M. Horatio, qui nova lege ſanxere: *Ne quis ullum magiſtratum ſine provocatione crearet: qui creaſſet, eum jus faſque eſſet occidi.* Liv. III. 55. *Manut. Lipſ. l. l. Panvin. ibid. p.* 71. *Dacer. ad Feſtum. Dictatura* cxx. annis ante L. Syllam intermiſſa fuit. Quadringentis vero, & eo amplius, a primo *Dictatore*, ipſe Sylla ſe *Dictatorem* in tempus, non certum, ut antea, ſed incertum creari juſſit: quem ſecutus C. Cæſar *Dictaturam* perpetuam accepit. Eam deinde M. Antonius coſ. SCto ſuſtulit. Cicer. Phil. I. I. *Dictaturam, quæ vim jam regiæ poteſtatis obſederat, funditus ex Republica ſuſtulit.* Appianus. V. illum infr. in *Lex Antonia.* Auguſtin. de Legib. in Horatia. Pigh. Annal. Rom. I. p. 82. Lipſ. l. l.

Dictator convivii dicebatur ejus magiſter, ſive arbiter. Dicebatur ipſa tantum coronæ impoſitione. Plaut. Perſ. v. I. 18.

Do hanc tibi florentem florenti, tu eris ſic dictatrix nobis.

Urſin. append. ad Ciaccon. de tricl. p. 339. Barth. Adv. LVIII. 15. Buleng. de conviv. I. 40.

DICTERIUM eſt verbum ſcenicum, quo in exordiis fabularum hiſtriones utebantur ad captandam attentionem populi. Varro ὄνος λύρας apud Non. II. 249.

Et orthophallica attulit pſalteria,
Quibus ſonant in Græcia dicteria,
Qui fabularum collocant exordia.

Scalig. in Manil. p. 360. Voſſ. Lex. Etymol. V. & infr. in *Exodia.*

DID.

DIDIA gens. V. illam infr. in *Gens.*

DIE.

DIES. Nomina *diebus* a ſeptem errantibus ſtellis, quas Græci planetas vocant, antiquitus ſunt indita. Dio XXXVII. p. 37. D. *Quod his ſeptem ſtellis, qui planetes vocantur, dies aſſignari receptum eſt, inventum quidem putatur Ægyptiorum. Sed in omnes tamen homines haud ita pridem, ut ſic dixerim, vulgari cœptum eſt. Cæterum Græci veteres, quantum equidem ſciam, nullo prorſus eam rem pacto cognitam habuerunt. Quoniam vero cum nationibus aliis, tum Romanis vel maxime, ſic mos pervulgatus hic eſt, ut quaſi jam patrius videatur, pauca ſuper iis ediſſeram. ...* Auſon. Eclogar. 5. I. Euſeb. Emiſſen. de Paſcha homil. II. Beda de Rat. temp. c. 4. Iſidor. v. 30. *Politian. Miſcell. c.* 8. *Briſſon. de Spectac. Theſ. Antiq. Græcar. Gronov. Tom.* VIII. *p.* 2363. *C. Haguelon. Calendar. Triling. Theſ. Antiq. Gronov. Tom.* IX. *p.* 1037. *A.* Ante ejus horam primam non licebat agere cum populo, hoc eſt ante lucem, ante auroram. Dio XXXIX. p. 120. C. *Niſi Sergius Galba tunc prætor ſuffragia quibuſdam ſub auroram (etſi lege cautum erat, ne quid cum populo ante primam horam ageretur) dediſſet.* Manut. de Legib. c. 41. *Diem* dicere eſt denuntiare, te certo die aliquem de crimine accuſaturum. Quicunque enim magiſtratus alterum reum ad populum facere cogitabat, in roſtra aſcendebat, ac concione advocata palam teſtabatur, ſe certa, quam nominabat, *die*, de certo, quod nominabat, crimine, certum, quem nominabat, hominem accuſaturum eſſe, ac proinde ei, ut ad audiendam ſui accuſationem adeſſet, denuntiabat. Liv. XXXVII. 57. *Gracchus & Rutilius tribuni plebis M. Acilio Glabrioni diem dixerunt, quod pecuniæ regiæ, prædæque aliquantum captæ in Antiochi caſtris, neque in triumpho tuliſſet, neque in ærarium detuliſſet.* Sigon. de judic. III. 7. *Diem* diffindere eſt rem differre, & in aliud tempus rejicere, &, ut nos, in craſtinum continuatam remittere. Liv. IX. 38. *Papirius Dictator Junium Bubulcum magiſtrum equitum dixit, atque ei legem curiatam de imperio ferenti triſte omen diem diffidit.* Gell. XIV. 2. *Juſſi igitur diem diffindi.* Sic ſæpius ICti. *Politian. Miſcell. c.* 41. *Bud. in Pandect. p.* 92. *B. Gothofr. in* XII. *tabulas. Oizel. in Gellium. Sigon. de Judic.* I. 28. *Cujac. Obſerv.* XII. 18. *Ravard. in Leg.* XII. *tab. c.* 5. *Balduin. in Leg.* XII. *tab. c.* 10. *Marcil. in Leg.* XII. *tab. c.* 4. *Rittersh. in Leg.* XII. *tab. Claſſ.* III. *p.* 3. *c.* 4. *Prevot. de Magiſtrat. Roman. c.* 7. *Hotman. Antiq. Roman.* III. 3. *p.* 478. *D. Diem* eximere eſt longa oratione cenſendi tempus conſumere. Gell. IV. 10. *Cato rem, quam conſulebatur, quoniam non e republica videbatur, perfici nolebat, ejus rei gratia ducendæ longa oratione utebatur, eximebatque dicendo diem.* Hoc *diem* extrahere dicit Val. Max. II. 10. 7. *Ut cum invito C. Cæſare conſule adverſus publicanos dicendo in curia diem extraheret.* Et *diem* tollere Cicer. de leg. III. 18. *Nec eſt unquam longa oratione utendum, niſi aut peccante ſenatu, quod fit ambitione ſæpiſſime, nullo magiſtratu adjuvante, tolli diem utile eſt.* Bud. in Pandect. p. 60. C. Thyſ. in Gellium. Pollet. For. Rom. I. 8. Manut. de Sen. Rom. c. 9. *Diem* præferre eſt illum antevertere, ſive anticipare. Modeſtin. l. ſi a debitore. ff. ad l. Cornel. de falſo: *Si a debitore prælato die, pignoris obligatio mentiatur, falſi crimine locus eſt.* Ubi *præferre* eſt anticipare, ut vetuſtior eſſe obligatio videatur. Ulpian. l. I. §. editiones: *Editiones ſine die, & conſule fieri debent, ne quid excogitetur e die, & conſule, & prælato die fiat.* id eſt, ne *præferendi diei*, & generaliter ne falſi committendi anſa inde falſariis præbeatur. Quod & de tabularum teſtamenti editione traditur l. 2. §. diem ff. quemadmodum teſtam. aper. Poſſet enim adverſarius quoque *die* cognito, & conſule, ut Conſtantinus exprimit Epit. I. I. tit. 4. μεταγενέστερον ἔγγραφον ἀνατρεπτικὸν conficere, quo ſcilicet quaſi poſteriore prius rumperetur. Liv. XXXIX. 5. *Triumphare menſe Januario ſtatuerat, ſed prætulit triumphi diem.* Triumphavit ante diem x. Kalend. Januar. *Cujac.* Obſerv. III. 7. *Diem* proferre, & differre differunt. Proferre eſt *diem* dictam prorogare. Differre eſt rem in aliud tempus conferre: nulla cum *dies* ante prodicta fuiſſet. Et hoc ſenſu Paull. l. unius. §. 9. ff. de quæſtion. *Adeo ut propterea & differantur, & proferantur cuſtodiæ.* Cujac. ibid. VII. 16. Calculis, & lapillis notabantur: felices candidis, infelices nigris. V. infr. in *Dies atri.*

Dies æquales, a Græcis ἰσημεριναὶ, a noſtris æquinoctiales appellantur, quibus horæ, tam diurnæ, quam nocturnæ pares ſunt. Et profecto Ariſtoteles nihil aliud *diem* eſſe dixit, quam ſolis excurſum ab oriente in occaſum. Quum vero excurſus ille quotidie evariet: fiantque *dies* nunc breviores, nunc productiores: prout ſol aut a nobis declinat ad tropicum capricorni, aut a tropico capricorni ad nos revertitur: certe duo ſunt tantum *dies* toto vertente anno nocti æquales, & ex eo æquinoctiales vocati: alter vernus in capite arietis, alter autumnalis in capite libræ. *Calcagn. de verbor. ſignif. p.* 339. *F.*

Dies agonales dicuntur, *per quos rex ſacrorum in regia arietem immolat, dicti ab agone, eo quod interrogatur princeps civitatis, & princeps gregis immolatur.* Varr. de ling. Lat. v. 3. *Donat. de urb. Rom.* III. 14. *Panvin. de lud. circ.* I. 19. *Buleng. de circ. c.* 5.

Dies Allienſis, quo ad Alliam Cremeramque exercitus Romanus fuſus eſt, infamis eſt habitus. Cicer. Attic. IX. 5. *Non majores noſtri funeſtiorem diem eſſe voluerunt Allienſis pugnæ,*

pugnæ, quam Urbis captæ, quod hoc malum ex illo. Festus: *Alliensis dies dicebatur apud Romanos obscœnissimi ominis, ab Allia fluvio scilicet, ubi Romanus fusus a Gallis exercitus est.* Siccam. in Fast. Kalend. Roman. c. 5. Noris. Cenot. Pisan. Dissert. III. 3.

Dies atri dicuntur, *quos nunc nefastos, vel posteros vocant. Afran. Fratr. Septembris heri Kalendæ, hodie atri dies.* Non. I. 40. Veteres felicia omnia albo, & contra infausta & ominosa atro colore notabant: & *dies* felices albos, inauspicatos nigros appellabant: hosque carbone, illos creta signabant. Pers. Sat. V. 107.

Quæque sequenda forent, quæque evitanda vicissim,
Illa prius creta, mox hæc carbone notasti?

Qui imitatur Horat. Sat. II. 2. 246.

—— Sani creta, an carbone notandi.

Mart. XII. 34. 5.

Et si calculus omnis huc & illuc
Diversus, bicolorque digeratur:
Vincet candida turba nigriorem.

Quem morem a Scythis translatum ferunt, qui vesperi, priusquam dormirent, calculum in pharetram mittebant candidum, si forte *dies* is citra molestiam abiisset; atrum, si secus. Demum, ubi quis vita decederet, ejus pharetram proferebant, in qua si plures candidos calculos repe-rissent, felicem; si plures nigros, infelicem vixisse pronuntiabant: atque hinc vitæ summam æstimabant. Plin. VII. 40. *Vana*, inquit, *mortalitas, & ad circumscribendam se ipsam ingeniosa, computat more Thraciæ gentis, quæ calculos colore distinctos pro experimento cujusque diei in urnam condit, ac supremo die separatos dinumerat, atque ita de unoquoque pronuntiat.* Candida, ut Pythagorici tradunt, ad naturam boni spectant, ut atra ad naturam mali. *Siccam. in Fast. Kalend. Roman. c. 5. Morest. Philom. V. 20. Gyrald. de ann. & mens. part. II. p. 806. D. Erasm. in Adag. p. 57. b. Manut. de Vet. dier. rat. apud Rosin. Antiq. Roman. IV. 9. Maurit. de Sortit. c. II. §. 3. Torrent. in Horat. Od. I. 36.* 10. Illo mortuis parentare nefas est habitum. Macrob. I. 16. *Sed & Fabius Maximus Servilianus pontifex lib. XII. negat oportere atro die parentare: quia tunc quoque Janum Jovemque præfari necesse est, quos nominare atro die non oportet.* Morest. Pomp. Feral. IX. 3. Kirchm. de Fun. Rom. IV. I. Guther. de Jur. Man. II. 12. Cajanum cenotaphium hanc opinionem falsitatis convincit. In eodem legitur decretum fuisse a coloniis Pisanis ob mortem Caji justitium sumi: *diemque eum, quo die C. Cæsar obit, qui dies est ante diem IX. Kal. Mart. pro Alliensi lugubrem memoriæ prodi.... caverique ne quod sacrificium publicum, neve quæ supplicationes, nive convivia publica postea in eum diem, eove die qui dies erit ante diem IX. Kal. Mart. fiant, concipiantur, indicanturve.* Igitur ille *dies* erat in perpetuum futurus ater, ac Alliensi similis. Ac statim ibidem decretum legitur: *Utique eo die, quod annis publice manibus ejus per magistratus, eosve qui Pisis jure dicundo præerunt, eodem loco, eodemque modo, quo L. Cæsari parentari institutum est, parentetur.* Noris. Cenot. Pisan. Dissert. III. 6.

Dies auspicalis; quo quicunque munus, aut magistratum caperent, ejus primo die leviter aliquid delibabant, auspicii saltem causa. Panegyristes: *Illum tamen primum consulatus tui auspicalem diem tacitus præterire nullo modo possum: quo tu solus omnium consecutus es, ut quod tempus antea incipiendis tantummodo rebus aptum esse videbatur, tunc primum potuerit sufficere peragendis, unoque sol curriculo & officia te consulis inchoantem videret, & Imperatoris implentem.* Lips. in Tacit. Annal. IV. n. 96. Schill. Nomencl. Philol. p. 416.

Dies civilis vocatur *tempus, quod fit uno cœli circuitu, quo verus dies & nox continetur: ut cum dicimus, aliquem triginta tantum dies vixisse: relinquitur enim etiam noctes intelligi.* Censor. de die nat. c. 10. Civilem sacerdotes, & quidem in sacris, auspiciisque usurpabant. Plin. II. 77. *Sacerdotes Romani, & qui diem definivere civilem, a media nocte in mediam.* Dividebatur in quatuor & viginti horas. *Putean. reliq. conv. prisc. Thes. Ant. Rom. Græv. Tom. XII. p. 252. C. Cujac. Observ. XV. 32. Haguelon. Calendar. triling. Thes. Antiq. Græcar. Gronov. Tom. IX. p. 1038. E. Laurent. de Ann. mens. & dieb. c. 2.* Et Paull. l. more 8. ff. de feriis: *More Romano dies a media nocte incipit, & sequentis noctis media parte finitur.* Rationes dat Plutarch. Quæst. Rom. 83. *Salmuth. in Panciroll. de Reb. deperd.* [illegible] *p. 750.* Hetruscos imitati sunt, cum sic diem ordin[illegible]tur. *Barg. de obel. Ant. Rom. Græv. Tom. IX. p. 1922. D.*

Dies cognitionales, sive cognitionum sunt, quibus prætor cum consilio de controversiis decretum interponit, qui & dies decreti appellantur. Ulpian. l. 73. ff. de judic. *Quod si is qui edictum peremptorium impetravit, a[illegible] de cognitionis, is vero adversus quem impetratum est, [illegible]it, tum circumducendum erit indictum peremptorium, neque causa cognoscetur, neque secundum præsentem pronuntiabitur.* l. 2. §. ult. ff. de bonor. possess. *Si causa cognita bonorum possessio detur, non alibi dabitur quam pro tribunali, neque decretum de plano interponi, neque causa cognita bonorum possessio alibi quam pro tribunali dari potest.* Siccam. de centumv. judic. II. I. Sigon. de judic. I. 9. Ræward. Protribun. c. 9. His diebus prætor aut exercebat consilium, aut præbebat consilium, aut indicebat conventum. Exercebat consilium, cum decemviris, quinque senatoribus, totidemque equitibus Romanis in consilium adhibitis, de causis cognosceret. Ulpian. l. 2. ff. de offic. ejus cui mand. jurisd. *Mandata jurisdictione a præside consilium non potest exercere is, cui mandatur.* Præbebat consilium, cum minori manumittere volenti, & aliis omnibus, qui quid sine consilii sententia prohibentur facere, quique in integrum desiderant restitui, consilium præberet l. 4. §. 2. ff. de manum. vind. *Minor annis viginti lege Ælia Sentia manumittere sine consilio prohibetur.* Indicebat conventum, cum quæstio inter partes non simplicis facti, sed controversi juris incideret. Senec. de Ben. III. 7. *De quibusdam etiam imperitus judex dimittere tabellam potest, ubi fecisse aut non fecisse probandum est, ubi prolatis cautionibus controversia tollitur, ubi inter disputantes ratio jus dicit. Ubi vero animi conjectura capienda est, ubi id de quo sola sapientia discernit, in controversiam incidit, non potest ad h[illegible] judex ex ordine selectorum, quem census in album, [illegible] equestris hereditas misit.* Siccam. & Ræward. l. l.

Dies comitiales non fuerunt illi, in quos pro arbitrio comitia magistratus edicerent; sed certi quidam fuerunt jam inde a Numæ instituto, quibus solis cum populo agi posset. Macrob. I. 16. *Comitiales sunt, quibus cum populo agi licet. Et fastis quidem lege agi potest, cum populo non potest: comitialibus utrumque potest.* Erant igitur illi dies in fastis populi Romani descripti, quibus comitia haberi possent. Hoc enim idem est, atque cum populo agere. Nam rogari populi suffragia nisi comitiis non possunt. *Gruch. de comit. Roman. I. 6. Manut. de comit. Rom. c. 8. de senat. Rom. c. 5. Zamosc. de senat. Rom. c. 7. Ursat. de not. Rom. Thes. Ant. Rom. Græv. Tom. XI. p. 586. C. Augustin. ad leg. XII. tab. §. 35. Laurent. de Ann. mens. dieb. c. I. Perion. de Græcor. & Roman. magistrat. Thes. Antiq. Græcar. Gronov. Tom. VI. p. 2803. A. Gyrald. de ann. & mens. oper. Tom. II. p. 805. C.* De his Ovid. Fast. I. 53.

Est quoque quo populum jus est includere septis.

Hos antiqui per C. literam notabant, ut est videre in fastis antiquorum. *Gyrald. ibid. D.*

Dies comperendini dicebantur, quibus vadimonium liceret dicere, & reum comperendinari, vadibus, ut arbitror, datis. Macrob. Sat. I. 16. *Comperendini dies fuerunt, quibus vadimonia dicere, & judicia addicere licebat.* Gruch. de comit. Roman. I. 6. Augustin. ad leg. XII. tab. §. 35. Siccam. in Fast. Kal. Roman. c. 5. Ræward. Protribun. c. 9. Laurent. de Ann. mens. dieb. c. I.

Dies continui. V. illos infr. in *Dies utiles.*

Dies exempti possunt dici nefasti, quod eximantur, & subtrahantur rebus agendis. Græci ἐξαιρεσίμους vocant, sed in alia ratione. Cicer. Verr. II. 52. *Est consuetudo Siculorum, cæterorumque Græcorum, quod suos dies, mensesque*

congruere volunt cum solis, lunæque ratione, ut nonnunquam, si quid discrepet, eximant unum aliquem diem, aut summum biduum ex mense, quos illi dies ἐξαιρεσίμους dies nominant. Si ergo aliquos eximimus dies, cur non exemptiles, exemptos, aut exhæresimos vocabimus? Plin. Epist. v. 21. *Dimittuntur centumviri, eximitur dies.* Pollet. For. Rom. I. 8. Laurent. de Ann. mens. dieb. c. 1.

Dies fasti vulgo litigabiles dicuntur, similes præliaribus, quibus contendere, & manum conserere cum adversario in foro licet. Macrob. Sat. I. 16. *Dies fasti sunt, quibus licet fari prætori tria verba sollennia, do, dico, addico.* Pollet. For. Rom. I. 9. Gruch. de comit. Roman. I. 6. Augustin. ad leg. XII. tab. §. 35. Panvin. in Fast. I. 4. Numa *nefastos dies, fastosque fecit: quia aliquando nihil cum populo agi utile futurum erat.* Liv. I. 19. Eos postea in altera duarum tabularum, quas, ut totum Romanum jus absolvi posset, decem tabulis Athenis relatis, Ap. Claudius decemvir ex SCto addiderat, a decemviris legum scribendarum inclusos fuisse existimo, ductus auctoritate Cicer. ad Attic. VI. 1. Omnibus autem aliis tabulis in album propositis, ut dies agendi peterentur a paucis, a pontificibus occultatam multo tempore istam tabulam ferunt, ita ut posset agi nec ne, pauci scirent, quum fasti *dies* vulgo non haberentur. Centum autem & circiter quinquaginta annis exactis post decemviros, Cn. Flavius M. filius libertino patre genitus Ap. Cæci scriba, qui forte pontifex erat, fastosque *dies* apud se habebat, ejusdem Claudii hortatu *dies* ipsos fastos ex diu occultatis tabulis excepit, & consultando assidue sagaci ingenio, eos singulis diebus ediscendos populo proposuit, publicavitque; ipsos enim (ut dixi) populus Romanus a paucis principum quotidie petebat. *Panvin. ibid. p. 4. & 5.* Erant autem triplices, aut priore parte fasti, posteriore nefasti: aut priore nefasti, posteriore fasti: aut priore & posteriore nefasti, media fasti. Fasti priores erant, quorum pars anterior fastus erat, posterior nefastus erat, ita ut iis ante meridiem lege agere liceret, post meridiem non liceret, qui *F. P.* in Fastis notati erant: ut Vinalia mense Augusto notata sunt. Fasti posteriores, quorum pars posterior fastus, prior nefastus, ita ut iis ante meridiem lege agere non liceret, post meridiem postque sacra peracta liceret. Festus in schedis: *N. P. nota designari solent, qui nefasti priores sunt, quorum pars posterior fas. His servi liberati sunt, delectus habentur, exercitus scribuntur, & in provincias ire licet, sacra quoque instituta fiunt, & vota nuncupata solvi, & ædes sacrari solent.* Siccam. in Fast. Kalend. Roman. c. 2. Manut. de vet. dier. rat. Thes. Ant. Roman. Græv. Tom. I. p. 948. D.

Dies feriati erant, cum forum Romanum judiciis vacaret, resque prolatæ dicebantur. Tacit. Annal. II. 35. 1. *Res eo anno prolatas haud referrem, ni pretium foret Cn. Pisonis & Asinii Galli super eo negotio diversas sententias nosse.* Plaut. Capt. I. 1. 17.

> *Prolatis rebus parasiti venatici*
> *Sumus.*

Siccam. de centumv. judic. II. 1.

Dies festi *diis dicati sunt. Illis insunt sacrificia, epulæ, ludi, feriæ.* Macrob. Sat. I. 16. *Gruch. de Comit. Roman. I. 6. Augustin. de Leg. c. 9. & ad Leg.* XII. *tab.* §. 35. *Laurent. de Ann. mens. dieb. c. 1.*

Dies intercalares quinam sint, & dicantur. V. infr. in *Intercalare.*

Dies intercisi erant *deorum, hominumque communes. Numa ut in menses annum, ita in dies mensem quemque distribuit; diesque omnes aut festos, aut profestos, aut intercisos vocavit.* Macrob. Sat. I. 16. Varr. de ling. Lat. v. 4. *Intercisi dies sunt, per quos mane & vesperi est nefas, medio tempore inter hostiam cæsam & exta porrecta fas: a quo quod fas intercedit, intercisi dies: aut quod tum intercisum, nefas.* Broid. ad Pollet. For. Rom. I. 8. Augustin. de Leg. c. 9. & ad Leg. XII. tab. §. 35. Gyrald. de ann. & mens. Oper. tom. II. p. 802. Ursat. de not. Roman. Thes. Ant. Rom. Græv. Tom. XI. p. 694. E. Ciaccon. in vet. Kalend. Roman. Thes. Antiq. Roman. Græv. Tom. VIII. p. 15. C. Laurent. de Ann. mens. dieb. c. 1. Cujusmodi similes habemus in nostra religione, ut matutini festi, pomeridiani profesti. Ovid. Fast. I. 51.

> *Neu toto perstare die sua jura putaris,*
> *Qui jam fastus erit, mane nefastus erat.*
> *Nam simul exta Deo data sunt, licet omnia fari,*
> *Verbaque honoratus libera prætor habet.*

Pollet. For. Rom. I. 8.

Dies judiciarii, quos in foro Romano observabant, erant, quibus judicia exerceri poterant, & prætor sui copiam pro tribunali faciebat. Eorum alii erant postulatorii, alii cognitionales. V. illos suis locis. *Siccam. de centumv. judic.* II. 1.

Dies justi erant, quibus vis in reos delatos, aut judicatos sistebatur, & sententiæ exsecutio, solutionisque coactio suspendebatur, & differebatur in diem trigesimum. Ita dies adventus Augusti, de quo Suet. c. 57. n. 7. *Observatum est, ne quoties introiret Urbem, supplicium de quoquam sumeretur*, recte justi vocarentur, quod illis vis & exsecutio juris differatur, & sistatur: ut in civilibus ii etiam *dies*, qui dantur reis, & gravi ære alieno obæratis a Principe causa cognita, & extra ordinem, in dilationibus solutionum, atterminationes & respirationes vulgus vocat, & qui a die missionis in possessionem ex contumacia triginta dies dantur, usque ad proscriptionem. *Pollet. For. Rom.* I. 8. *Augustin. ad Leg.* XII. *tab.* §. 38. *Rittersh. in Leg.* XII. *tab. Class.* III. *p. 3. c. 11. Ouzel. in Gell.* XV. 13. Istam vocis, quam diximus, esse notionem verba legis arguunt apud Gellium: *Confessi æris, de quo facta confessio est, in* XII. *tabulis scriptum est, his verbis: æris confessi debitique judicatis triginta dies justi sunto*, id est, sunto dies triginta illis justi, in quibus in jus vocari non possint, sed jura pro illis stent ac sileant. Atque sic quidem privatis dati justi *dies*. Publice etiam alii sic dicti sunt, per quos in tota urbe juris erant feriæ, nimirum triginta *dies*, quibus exercitus imperabatur, & vexillum in arce ponebatur. Macrobius. V. illum infr. in *dies præliares*. Salmas. de mod. usur. c. 18. Siccam. in Fast. Kalend. Roman. c. 5. Ouzel. Augustin. l. l.

Dies legatorum dicitur cedere. V. supr. in *Cedere*.

Dies lustrici *infantium appellantur, puellarum octavus, puerorum nonus, quia his lustrantur; atque eis nomina imponuntur.* Festus. Macrob. Sat. I. 16. *Est dies lustricus, quo infantes lustrantur, & nomen accipiunt: sed is maribus nonus, octavus est feminis.* Quare diem post septimam sumpserint, & quare femellas citius quam masculos lustraverint, pluribus docet Plutarch. Quæst. Rom. 102. M. Antoninus Imperator mutasse videtur, ac tricesimum diem præfinisse. Capitolinus. V. illum infr. in *Liberi*. Ubi tamen alii legunt *intra tertium diem*. Nescio an satis bene. A Græcis hoc manavit ad Romanos; sed apud illos dies decimus erat præfinitus. Aristoph. in Avib. p. 585. n. 3. Edit. Aurel.

> *Non ergo decimam nunc sacrificabo & hanc ego?*
> *Et nomen illi velut puero dedi.*

Ubi Schol. *Notum, quod nomina infantibus imposuerunt decima.* Eurip. in Electr. IV. 1124.

> *Et partionem audisti, opinor, tu meam*
> *Pro me sacrifica (ego ipsa ritum nescio)*
> *Decima puelli luce, sicut mos habet.*

Suidas in Δεκάτην ἑστιᾶσαι: *Mos erat, cum pueri nati essent Atticis civibus, decima noctium a natali convocari paternos maternosque cognatos, & amicorum proximos, atque iis præsentibus nomina pueris dare & diis sacrificare, denique qui convenissent convivari.* Die septimo, quod miramur, scribit Aristot. Hist. Anim. VII. *Plerique puerorum moriuntur ante diem septimum: ideoque & nomina tunc imponunt, tanquam de salute jam magis fidentes.* Sed licet *tunc* accipere non ita stricte, nempe circa, & post septimum diem. Nec in Truc. II. 4. 69. quasi ex more Græciæ dum scribit, nos movebit Plautus:

> *Quin diis sacrificare hodie pro puero volo.*
> *Quinto die quod fieri oportet.*

Nam illa sunt amphidromia Græcorum, quinto die usita-

ta.

ta. At hæc nostra sunt *nominalia* ab illis diversa. *Franckenstein de Ærar. pop. Rom. c.* 12. Ritus illis usitatos describit Pers. II. 31--39. *Ruben. Elect.* I. 5. *Faber Semestr.* I. 6. *Meurs. de Puerp. c.* 6. *Barthol. de Puerp. p.* 136. *&* 149. *Buleng. de Imp. Rom.* III. 18. *Scalig. in Festum. Casaub. in Persium. Moll. in Long. Past: p.* 7. *Laurent. Polym.* I. 11. *de Natalit. c.* 2. *Var. sacr. gentil. c.* 17. *Choul. de baln. p.* 96. *Gyrald. Synt. deor.* I. 50. *G.* XVII. *p.* 492. *C. de Ann. & mens. Oper. Tom.* II. *p.* 809. *E. Laz. Comm. Reip. Rom.* XI. I. *Stuck. Ant. Conv.* I. 16. *de Sacrif. p.* 45. *Auctor Misc. def. pro Salmas. ad jus Attic. & Rom. p.* 163. *Crinit. de Honest. Discipl.* III. 4. *Clasen. Theol. natur.* I. 10. 13. *Castellan. de Fest. Græcor. Thes. Antiq. Græcar. Gronov. Tom.* VII. *p.* 614. *D. Blond. Triumph. Rom.* VIII. *p.* 163. *C. Junius in Tertull. de Idolol. c.* 16. *Lomej. de Lustrat. c.* 27. *Castal. de Ant. puer. prænom. Thes. Ant. Rom. Græv. Tom.* II. *p.* 2063. *A. Sigon. de nomin. Rom. Thes. Ant. ibid. p.* 1962. *B. Panvin. de nomin. Roman. Thes. ibid. p.* 2034. *F. Donat. & Pitisc. in Suet. Ner. c.* 6.

Dies Merkedonii. V. illos infr. in *Merkedonius.*

Dies natales privatorum, Imperatorum, amicorum erant sollennes. V. infr. in *Natales.*

Dies naturalis *est tempus ab exoriente sole ad solis occasum. Cujus contrarium est tempus, nox, ab occasu solis ad ortum.* Censor. de die nat. c. 10. Naturalem in actionibus negotiisque domesticis ac forensibus vulgus usurpabat. Plin. II. 77. *Ipsum diem alii aliter observavere. Vulgus omne a luce ad tenebras.* Dividebatur in duodecim horas. Censorin. l. l. *In horas duodecim divisum esse diem, noctemque in totidem, vulgo notum est.* Putean. reliq. prisc. conviv. Thes. Ant. Rom. Græv. Tom. XII. p. 252. C. Struv. Ant. Rom. c. 8. p. 360. Salmuth. in Panciroll. de reb. deperd. & inv. p. 750. Haguelon. Calend. Triling. Thes. Ant. Græcar. Gronov. Tom. IX. p. 1038. E. Laurent. de Ann. mens. & dieb. c. 2. Causam rei reddit Galen. lib. de cujusque animi peccatorum notitia atque medela. Loquitur autem in hanc sententiam agens de diei horarum numero duodenario: *Porro*, inquit, *numerum hunc tanquam omnium utilissimum delegerunt. Dimidium enim continet & duplum, & quartum, & sextum, & duodecimum, quæ nullus alius post ipsum numerus, usque ad vigesimum quartum continere videtur. Hunc etenim tanquam longiorem repudiarunt, & duodenarium numerum tanquam commodiorem judicantes in tot particulas totius diei tempus diviserunt. Hanc autem partitionem ex usu esse alii multi, & Romani ipsi experientia comprobantes atque utentes ostendunt. Siquidem hæreditatem omnem, cum testamentum condunt, in duodecim portiones distribuunt, & ponderum, ac mensurarum, quibus in vita opus est, plurimas in duodecim partes dividunt.* Sane quod de mictu duodenario animalis cujusdam in Ægypto Serapidi dicati, ab Hermete Trismegisto observato traditur, unde *dies* in duodecim horas sit divisa, horæque ab urina sint dictæ, fabulam olet. *Mag. Misc.* I. 15. *Boxhorn. Quæst. Rom.* 47.

Dies nefasti vocantur *fastorum contrarii, per quos nefas fari prætorem: do, dico, addico. Itaque non potest agi. Necesse est aliquo eorum uti verbo, cum lege quid peragitur. Quod si tum imprudens id verbum emisit, aut quem manumisit, ille nihilominus est liber, sed vitio: ut magistratus vitio creatus, nihilo secius magistratus. Prætor, qui tum fatus est, si imprudens fecit, piaculari hostia facta piatur, si prudens dixit, Quintus Mucius abnegabat eum expiari, & ut impium non posse dicebat.* Varr. de Ling. Lat. V. 4. & 7. His senatum haberi nullis legibus vetitum fuit. Cicer. Brut. Epist. 2. *A. d.* V. *Eid. April. literæ mihi in senatu redditæ sunt a Lentulo nostro.* Fratr. II. 8. *A. d.* III. *Eid. Maji SCtum factum est in Afranii sententiam.* Qui dies nefasti, & in Fastis litera *N.* notati sunt. Neque lege tamen, neque cum populo agi licebat. Lege, quod fastis; cum populo, quod comitialibus essent contrarii: causas tamen agere, & conciones habere licuit. Hi omnes litera N in Fastis notati sunt. *Siccam. in Fast. Kalend. Roman. c.* 2. *Morest. Philom.* V. *Dial.* 15. *Augustin. ad Leg.* XII. *tab.* §. 35. *Gyrald. de ann. & mens. Oper. Tom.* II. *p.* 804. *D. Sigon. de judic.* I. 7. *Perion. de Græcor. & Roman. magistrat.* III. *Thes. Antiq. Græcar. Gronov. Tom.* VI. *p.* 2816. *F. Multitudo imperitorum prave & perperam nefastos appellant tristi omine infames.* Gell. IV. 9. Cum sint illi, quibus silentium fori, & justitium erat. Ovid. Fast. I. 47.

> *Ille nefastus erit, per quem tria verba silentur,*
> *Fastus erit, per quem lege licebit agi.*

Est enim vocabulum forense, & amplectitur omnia dierum genera, quibus justitio fori indicto prætor jurisdictionem non exercebat. Itaque dies faustissimi & festissimi, ut natalis Urbis, Cæsaris, sacrorumque ludorum, quia illis prætori os velut occlusum erat, ne proferret tria illa sollennia verba, quibus totum mysterium suæ jurisdictionis absolvitur, nefasti erant. *Pollet. For. Rom.* I. 8. Omnis itaque ater *dies* est nefastus, sed non omnis nefastus ater, cum *dies* festus etiam sit nefastus, quo jus non dicebatur. *Thys. in Gellium. Siccam. ibid. c.* 5.

Dies pandiculares dicebantur, qui supplicationum feriis præcipue communes, ideoque communicarii appellabantur, quando diis omnibus sacrificabatur, ut in multa pace. Festus: *Pandicularis dicebatur dies, idem & communicarius, in quo omnibus diis communiter sacrificabatur.* Guther. de Jure Pontif. III. 15. Siccam. in Fast. Kalend. Roman. c. 4. Rhodig. Ant. Lect. XII. I. Struv. Antiq. Rom. c. 9. p. 381. & 385. Laurent. Var. sacr. gentil. c. 13.

Dies postridiani omnes, hoc est, postridie Kalendas, Nonas & Idus inter atros, religiosos & infaustos numerabantur. Macrob. Sat. I. 16. *Dies postridianos ad omnia majores nostri cavendos putarunt, quos etiam atros, velut infausta appellatione damnarunt.* Gell. V. 17. *Complures alii senatores dixerunt recordari, quoties belli gerendi gratia res divina postridie Kalendas, Nonas, Idus a magistratu populi Romani facta esset, ejus belli proximo deinceps prælio rempublicam male gestam esse.* Siccam. in Fast. Kal. Roman. c. 5. Noris. Cenot. Pisan. Dissert. III. 3. Salmas. in Vopisc. Tacit. c. 11. Gyrald. de Ann. & mens. Oper. Tom. II. p. 806. C.

Dies postulatorii erant, quibus prætor pro tribunali postulationibus vacabat. Ulpian. l. 2. ff. Quis ordin. *In bonorum possessione, quæ pro tribunali datur, illud quæritur, si se dedit quidem pro tribunali prætor, sed postulationibus non dedit.* Illis in jus vocabant, & vadimonium dicebant, causaque apud prætorem dicebatur. Cicer. pro Quint. c. 6. *Postulat a Burrieno prætore Nævius, ut ex edicto bona possidere liceat.* c. 8. *A. Cn. Dolobella prætore postulat, ut sibi Quintius judicatum solvi satisdet.* Postulabant etiam in jure, ut de suspectis tutoribus cognosceretur. Ulpian. l. I. ff. de obligat. & act. *Hæc clausula & frequens & pernecessaria est: quotidie enim suspecti tutores postulantur.* Prima etiam litis intentione, an auctores fierent. Quando te in jure *conspicio, postulo an fias auctor.* Siccam. de centumv. judic. II. I.

Dies præliares *ab justis non segregaverim, si quidem justi sunt continui triginta dies, quibus exercitus imperato vexillum russi coloris in arce positum est. Præliares autem omnes, quibus fas est res repetere, vel hostem lacessere.* Macrob. Sat. I. 16. *Præliares dies appellantur, quibus fas est bello hostem lacessere, erant enim feriæ quædam publicæ, quibus nefas fuit id facere.* Festus. *Salmas. de mod. usur. c.* 18. *Siccam. in Fast. Kal. Roman. c.* 5. *Pollet. For. Rom.* I. 9. *Augustin. ad Leg.* XII. *tab.* §. 35. *Gruch. de comit. Roman.* I. 6. *Gutberl. de Saliis c.* 15. *Struv. Ant. Rom. c.* 8. *p.* 375. *Laurent. de Ann. mens. dieb. c.* I. *Kipping. Ant. Roman.* III. §. 2.

Diis profesti dicebantur omnes præter festos. Dividebantur in *dies fastos, comitiales, comperendinos, statos, præliares.* Macrob. Sat. I. 16. *Manut. de comit. Roman. c.* 8. *Gruch. de comit. Roman.* I. 6. *Augustin. de Leg. c.* 9. *& in Leg.* XII. *tab.* §. 35. *Struv. Antiq. Rom. c.* 8. *p.* 370. *Laurent. de Ann. mens. dieb. c.* I.

Dies prolusionis erat, quo veluti ostentabatur, quod diebus circensibus, & festis fieri magno apparatu debebat. Symmach. Epist. II. *De canibus, quos prolusionis die ita Roma mirata est, ut ferreis caveis putaret advectos.* Argol. ad Panvin. de lud. Circ. II. 2.

Dies religiosi *dicebantur infames, vel infausti* Nigidio comm. gramm. XI. Non. IV. p. 387. Religiosi, quod reli-

gione alicujus rei non faciendæ obligati erant. Feſtus: *Dies religioſi, quibus, niſi quod neceſſe eſt, nefas habetur facere, quales ſunt ſex & triginta atri qui appellantur, & Allienſis, atque ii quibus mundus patet. Eſſe, Gallus Ælius, quod homini ita facere non liceat, ut, ſi id faciat, contra deorum voluntatem videatur facere. quo in genere ſunt hæc: In ædem Bonæ deæ virum introire, adverſus myſtica legem ad populum ferre, die nefaſto apud prætorem lege agere.* Religioſi & infauſti etiam erant, quibus mundus patebat. Macrob. Sat. 1. 16. Feſtus. V. illos infr. in *Mundus*. Quemadmodum & ille *dies*, quo penus Veſtæ patebat. Feſtus. V. illum infr. in *Penus*. Ii erant poſtridie Veſtalia, poſtridie Matronalia, & poſtridie Iduum Junii. *Siccam. in Faſt. Kal. Roman. c.* 5. *Manut. de Legib. c.* 40.

Dies ſanguinis dicebatur, quo Bellonarii fanatici miſſione ſanguinis ſui deam placabant IX. Kal. April. Treb. Claud. c. 4. *Nam cum eſſet nuntiatum* IX. *Kal. April. ipſo in ſacrario Matris ſanguinis die Claudium Imperatorem factum.* Ad illum alludit Tertull. carm. ad ſenat. n. 18.

Sed quia coguntur ſaltem ſemel eſſe pudici,
Mente fremunt, lacerant corpus, funduntque cruorem,
Quale ſacrum eſt vero, quod fertur nomine ſanguis?

Salmaſ. in Trebellium & Lamprid. Commod. c. 9. Struv. Ant. Rom. c. 9. p. 422. Lipſ. Epiſt. miſcel. 75. Lomej. de Luſtrat. c. 26. Turneb. Adv. XXX. 21.

Dies Saturni viæ non fauſtus erat. Illo eſt prohibitus Tibullus inſtitutum iter exſequi 1. 3. 18.

Aut ego ſum cauſatus aves, aut omina dira,
Saturni aut ſacram me tenuiſſe diem.

Superſtitio inde nata, quod Saturni ſidus triſte & maleficum. *Lipſ. Saturn.* 1. 5. *Donſ. Præſid. c.* 2.

Dies ſeſſionum dicuntur, quibus pro tribunali expediuntur ea, quæ cauſæ cognitionem deſiderant. Ulpian. l. 2. §. dies. ff. quis ordo in bonor. poſſeſſ. *Dies bonorum poſſeſſionis utiles eſſe, palam eſt, ſed non ſeſſionum numerabuntur.* Nam ſedere proprie dicitur, cum pro tribunali jus reddit præfectus. Marcell. l. 7. §. Divus. ff. de in integr. reſtit. *Confeſtim pro tribunali te ſedente adiit.* . . . . . Et ſedes pro foro tribunali præfecti prætorio frequentius accipitur. *Guther. de Offic. dom. Aug.* II. 16. *Sigon. de judic.* 1. 19. *Brod. Coroll. ad Pollet. For. Rom.* 1. 9. *Cujac. Obſerv.* II. 18. *Ravard. Protribun. c.* 1.

Dies ſtati dicebantur, qui judicii cauſa cum peregrinis interponebantur, ut in XII. tab. apud Cicer. de Offic. 1. 12. *Aut ſtatus dies cum hoſte*, & Plaut. Curcul. 1. 1. 5.

Si ſtatus condictus cum hoſte intercedit dies.

Hoſtes olim peregrini appellabantur. Stati appellabantur, ut opinor, quod ſiſteret ſe quis in judicio: nam Feſtus ait: *Status vocatur judicii cauſa conſtitutus.* Auguſtin. ad Leg. XII. §. 35. Urſin. ad leg. & Scta Theſ. Ant. Rom. Græv. Tom. II. p. 1354. F. Balduin. in Leg. XII. tab. c. 43. Marcil. in Leg. XII. tab. c. 2. Rittersh. in Leg. XII. tab. Claſſ. III. p. 3. c. 2. Laurent. de Ann. menſ. dieb. c. 1. Sigon. de judic. 1. 27. Gyrald. de ann. & menſ. oper. Tom. II. p. 805. E. Struv. Ant. Rom. c. 8. p. 375. Status proprie erat is, quem ſtatuerat prætor: condictus is, quem litigantes, ſive rei ſibi invicem denuntiarunt in jure; nam *condictum eſt, quod quaſi in communi eſt dictum*, ut exponit Feſtus. *Marcil. l. l.*

Dies utiles, qui a Græcis interpretibus ὡρισμένοι dicuntur, hi ſunt, quibus experiundi juris ſui poteſtas eſt l. 1. de diverſ. temp. præſcript. l. miles §. quædam. ff. de adult. coerc. 1. jure C. eod. tit. His adverſi ſunt *dies* continui. Sunt & ſeſſionum *dies*, qui continuis etiam adverſi ſunt, non tamen ſemper ſunt utiles: nam ſæpe fit, uti *die* ſeſſionum experiundi quis poteſtatem non habeat. Contra, *dies* utiles plerumque ſunt, quamvis ſeſſionum non ſint, utputa, ſi talis ſit res, quæ de plano, & feriato *die* poſſit expediri. Ex his apparet, quid inter annum utilem, & annum continuum interſit. Nam utilis annus is eſt, qui conſtat ex *diebus* utilibus. Continuus ex continuis 365. Annum utilem ſuſtulit Juſtinianus in cauſis reſtitutionum, & pro eo continuum quadriennium ſubſtituit. Quo fit, uti non poſſit quis hodie eam, cujus tutor, vel curator fuerit, intra nonum & vigeſimum annum uxorem ducere, cum tamen olim non niſi intra ſextum & vigeſimum annum hæc prohibitio conſiſteret l. qui pupillam. ff. de adult. coerc. l. non eſt ff. de rit. nupt. id eſt, intra quintum & vigeſimum annum ætatis, & utilem annum unum l. ſi patris C. de interd. matrim. l. filius. §. ſi quis eo tempore ff. de liber. & poteſt. Sublatus etiam ante in eis reſtitutionum cauſis fuerat utilis annus a Conſtantino l. 2. C. Th. de in int. reſtit. ſed introducta locorum differentia, is pro eo Romæ quinquennium, in Italia quadriennium, in provinciis triennium continuum ſubſtituerat. Quæ differentia locorum ab Juſtiniano ſublata, & omnibus in locis quadriennium continuum definitum eſt l. ult. C. de temp. in integ. reſtit. Suſtulit etiam alia in re Juſtinianus annum utilem. Actiones perſonales in Italia præſcriptione anni utilis ſummovebantur. Hæc præſcriptio a Juſtiniano tollitur l. 1. C. de annal. except. in aliis rebus, quod ſciam, anni, dies, menſes utiles non ſunt ſublati: videntur tamen expuncti a poſterioribus Imperatoribus, eo ſcilicet, quod valde difficilis, & lubrica eſſet eorum computatio: & ideo triginta dies repetendo reo præfiniti, qui utiles dicuntur l. 3. §. ult. ff. de accuſat. l. aut privatim. ff. ad Turpilianum, qui ab Auguſto præfiniti, & obſervati ſunt: & indicat Suet. Tranq. c. 32. n. 6. Hi ab Conſtantino Græco interprete συναπταὶ ἡμέραι appellantur. Epitom. 1. 1. appellatur annus, qui utilis dicitur l. in eum C. de furt. *Cujac. Obſerv.* II. 18.

DIESPITER Romanis dictus eſt Jupiter, quaſi *diei pater*. Jupiter enim eſt auctor lucis, & Lucetium Salii in ſuis carminibus cecinerunt, & Cretenſes Δία τὴν ἡμέραν vocarunt. *Viola de temp. Rom. rat. Theſ. Ant. Rom. Græv. Tom.* VIII. *p.* 187. *E.* Ditem patrem Lactantius & Iſidorus appellant. Ille 1. 14. *Pluton, Latine Dieſpiter.* Hic VIII. II. *Pluton Græce, Latine Dieſpiter, vel Ditis pater.* Panciroll. Deſcr. Urb. Rom. Theſ. Tom. III. p. 367. C.

DIF.

DIFFARREATIO *erat genus ſacrificii, quo inter virum, & mulierem fiebat diſſolutio.* Feſtus. Gloſſæ Iſidori. *Diffarreatio, diſſolutio inter virum & feminam.* Alex. Gen. II. 5. Gyrald. de ſacrif. Synt. deor. XVII. p. 509. G. Sigon. de ant. jur. civ. Rom. 1. 9. Stuck. de ſacrif. p. 73. Rævard. in Leg. XII. tab. c. 21. Roſin. Antiq. Roman. v. 38.

DIFFUNDERE dicuntur, qui poſt vindemiam e torculari, vel lacu, in cados & amphoras vinum ad aſſervandum in apothecis infundibulo *fundunt*, & diſtribuunt. Horat. Epiſt. 1. 5. 4.

Vina bibes iterum Tauro diffuſa.

Juven. Sat. v. 30.

Ipſe capillato diffuſum conſule potat.

Quid hoc ſit, diſcimus ex Proculo l. 6. & 15. ff. de trit. & vin. leg. *Illud verum eſſe puto, cui vinum cum vaſis legatum erit, ei amphoras & cados, in quibus vina diffuſa ſervamus, legata eſſe. Vinum enim in amphoras, & cados hac mente diffundimus, ut in his ſit donec uſus cauſa comprobetur, & ſcilicet cum his amphoris & cadis id vendimus. In dolia autem alia mente conjicimus, ſcilicet ut ex his poſtea vel in amphoras, & cados diffundamus, vel ſine ipſis doliis veneat.* Turneb. Adv. 1. 1. Lambin. & Torrent. in Horatium. Britann. Calderin. & Grang. in Juvenalem. Hoc eſt, ut mihi videtur, vernacule **vezgieten/ of kelderen.** *Cruq. in Horatium.*

DIFFUSORES olearii dicebantur, qui in vaſa olearia oleum *infundebant*: erantque auctorati in municipiis, ut in his regionibus *diffuſores* vinarii, & cerevifiarii. In veteri inſcriptione: EQ. R. DIFFUS. OLEARIO. EX BÆTICA. id eſt, Equiti Romano diffuſori oleario. *Scalig. in Manil. p.* 39.

DIG.

DIGESTA duplici F F ſcribuntur. V. infr. in *F. F.*

DIGITALIA ſunt chirothecæ, quæ ſingulos digitos exprimunt. V. illa ſupr. in *Chirotheca.*

DIGITI erant *Minervæ conſecrati.* Serv. Æneid. III. 607. *Tomaſ. de Donar. c. 23. Jun. Anim. IV. 12. Gyrald. Dial. II. Feith Antiq. Homer. I. 2.* Amputabantur detrectantibus militiam. V. infr. in *Militia.* Illorum unus ante ἐκφορὰν defuncto præcidebatur. V. infr. in *Oſſilegium.* Metati erant tribus annulis inſigniti. Ammian. XXVIII. 4. *Receptis annulis, quos, ne violentur humoribus, famulo tradiderat, digitis ut metatis abiit.* Quolibet enim *digiti* articulo annulum delicati apponebant. V. ſupr. in *Annulus.* Argol. in Panvin. de lud. Circ. I. 14.

Digitis primoribus thus aræ injiciebant gentiles. Prudent. περὶ ς. III. 122.

Si modicum ſalis eminulis
Thuris & exiguum digitis
Tangere, virgo, benigna velis
Pœna gravior procul afuerit.

Lactant. I. 20. ethnicos ſcribit colere *thure ac ſummis digitis, quæ ſenſibus intimis colere deberent.* Et V. 20. ſe nihil in eorum ſuperſtitionibus animadvertere, *quam ritum ad ſummos digitos pertinentem.* Duorum *digitorum* meminit Hieronym. ad Heliodorum, trium Lactant. V. 18. & Ovid. Faſt. II. 573. V. illos infr. in *Thus.* Cuper. Apoth. p. 75. Briſſon. de Formul. I. p. 26. Numerare ſolebant veteres. Ovid. Faſt. III. 123.

Seu quia tot digiti, per quos numerare ſolemus.

Pont. II. 3. 17.

At reditus jam quiſque ſuos amat, & ſibi quid ſit
Utile, ſollicitis ſupputat articulis.

Plin. XXXIV. 7. *Præterea Janus Geminus a Numa Rege dicatus, qui pacis bellique argumento colitur, digitis ita figuratis, ut trecentorum quinquaginta quinque dierum nota per ſignificationem anni, temporis & ævi ſe deum indicaret.* Hunc numerandi modum & rationem fuſius tradunt *Beda de temp. rat. Theſ. Antiq. Roman. Græv. Tom. XI. p. 1701. A. . . . Pier. Hieroglyph. XXXVII. I. Rhodig. Ant. Lect. XXIII. II. & 12. Gyrald. Dialog. II. Wouwer. Polymath. c. 7. §. I. Senſtleb. de alea vet. c. 18. §. 3. Nicol. de Sigl. Vet. c. 15. §. 2 — 5. Savar. in Sidon. Epiſt. IX. 9. Colv. in Apulej. p. 266. Stuck. de ſacrif. p. 25. Voſſ. de Idolol. II. 16. Calcagn. Equitat. p. 583. Lipen. de Stren. c. 4. §. 25. Demſter. Paral. in Antiq. Roſin. II. 3. Laurent. de Profeſſ. . . . c. 3.*

Digito monſtrari glorioſum erat. Perſ. Sat. I. 28.

At pulcrum eſt digito monſtrari, & dicier hic eſt.

Horat. Od. IV. 3. 22.

Quod monſtror digito prætereuntium
Romanæ fidicen lyræ.

Plin. Epiſt. IX. 23. 4. *Cui Rufinus, demonſtrans me, vides hunc? multa deinde de ſtudiis noſtris. Et ille, PLINIUS EST, inquit. Verum fatebor, capio magnum laboris mei fructum. An, ſi Demoſthenes jure lætatus eſt, quod illum anus Attica ita demonſtravit:* οὗτος ἐστὶ Δημοσθένης! *Ego celebritate nominis mei gaudere non debeo?* Briſſon. de Formul. VIII. p. 736. Sublato licitationes fiebant. Cicer. Verr. I. 54. *Accurrunt tamen ad tempus tutores: digitum tollit Junius patruus.* Ambroſ. Epiſt. II. I. *Sed non ille ſolum liber, qui dominum licitatorem non pertulit, aut tollentem digitum non vidit.* Vet. comm. Horat. Sat. II. 8. 26. *Alluſit ad morem licitationis. Erat enim Nomentanus decumanus, & Porcius publicanus. Publicani autem ſublato digito licitationem vectigalium faciebant.* Briſſon. ibid. VI. p. 522. Calder. Obſerv. III. 4. Mod. Epiſt. 105. Eraſm. Adag. p. 189. Scalig. in Manil. p. 378. Rader. in Mart. V. 64.

Digitorum crepitu matella poſcebatur. Petron. c. 27. *Trimalcio digitos concrepuit, ad quod ſignum matellam ſpado ludenti ſuppoſuit.* Mart. III. 82. 15.

Digiti crepantis ſigna novit Eunuchus,
Et delicatæ ſuſcitator urinæ
Domini bibentis ebrium regit penem.

XIV. 119.

Dum poſcor crepitu digitorum, & verna moratur;
O quoties pellex culcita facta mea eſt.

Brod. Miſcell. X. 25. Pignor. de ſerv. p. 134. Anonym. & Pithœus in Petronium. Eraſm. Adag. p. 344. a. Rhodig. Antiq. Lect. XXIII. 12. Broukh. in Tibullum mox laudandum. Laurent. de Prand. c. 5. Rader. in Mart. VI. 89. I. & alii ſervi ad miniſteria ſua excitabantur. Velius Longus de Orthogr. *Nam & digitorum ſono pueros ad reſpondendum ciemus.* Tib. I. 2. 32.

Et vocet ad digiti me taciturna ſonum.

Gonſal. in Petronium. Pignor. l. l. Turneb. Adv. XXIX. 30. ſilentium imperabatur. V. infr. in *Silentium.*

Digitum exſerebant, & precariam vitam poſcebant victi gladiatores. Perſ. Sat. V. 119.

Nil tibi conceſſit ratio, digitum exſere, peccas.

Ubi Schol. *Digito ſublato oſtende victum te eſſe a vitiis. Tractum a gladiatoribus, qui victi oſtenſione digiti veniam a populo poſtulabant.* Mart. V. 64.

Nam mea jam digitum ſuſtulit hoſpitibus.

Thulemar. in Freher. Cecropiſtrom. Theſ. Antiq. Rom. Græv. Tom. IX. p. 1158. Lipſ. Sat. II. 21. Savar. in Sidonium.

Ad *Digitum* pugnare dicebantur gladiatores. Mart. de Spectac. 29. 5.

Lex erat, ad digitum poſita concurrere palma:
Quod licuit, lances, donaque ſæpe dedit.

Ubi quid ſit *ad digitum concurrere*, ambigo: annon ita propinquos, junctosque pugnare, ut *digitus* modo intereſſet. *Lipſ. Saturn. II. 21. Ad digitum pugnare* dicebant pro *digitis pugnare*, quod uno verbo micare. Quintil. VIII. 5. *Contra eandem ſororem gladiatoris, cujus modo feci mentionem, ad digitum pugnavi.* Ita in vetuſtiſſimo, & optimo codice legebatur, quem olim a Bongarſio habui, τῷ πάνυ. Vulgo editur: *at digito pugnavi.* Martialis verſum de micatione etiam intelligendum putavi. *Salmaſ. ad Vopiſc. Carin. c. 19.* Pugnæ talis, qualem vult Lipſius, nuſquam mentio, nec, qualis fuerit, poteſt intelligi. Athletæ, & pugiles ſic certant, non gladiatores. Et Salmaſius nobis minime perſuadet. Non enim micatione *digitorum* in certamine gladiatorio palma paratur, ſed robore, uſu, & arte armorum. Nihil eſt autem *ad digitum pugnare*, quam hac conditione pugnare, ut paria non ceſſent a digladiando, quam alteruter ſuccubuerit, & *erecto digito* declaret, & fateatur, ſe victum eſſe. Cur vero hoc dicitur, *ad digitum pugnare?* Muneratores ſolebant, antequam committebantur gladiatores, conditiones ferre, & proponere, aut editis libellis, aut certis ſignis, & ſymbolis, unde cognoſcebatur, quibus legibus certandum eſſet. Ad quod exemplum legitur in paſſione Perpetuæ & Felicitatis: *Hic Ægyptius ſi hanc vicerit, occidet illam gladio: & ſi hunc vicerit, accipiet ramum iſtum.* Hæc licet per quietem viderit Perpetua, reſpiciebat tamen communem amphitheatralem conſuetudinem, & quæ vulgariter ſolebant fieri. In hoc munere, de quo Martialis, ut ſcirent gladiatores, qua lege concurrendum eſſet, ejus legis ſignum propoſuiſſe videtur Domitianus in amphitheatro manum *erecto digito* palmam tenentem, quo ſignificabatur, neminem debere palmam auferre, niſi cujus adverſarius ſe ſuccubuiſſe *erecto digito* indicaſſet, ſe victum eſſe. Id ſatis clare colligitur ex n. I.

Cum traheret Priſcus, traheret certamina Verus,
Eſſet & æqualis Mars utriuſque diu,
Miſſio ſæpe viris magno clamore petita eſt:
Sed Cæſar legi paruit ipſe ſua.

Quamvis populus magno clamore peteret, cum diu Mars communis fuiſſet, & certaſſent ambiguo eventu Priſcus & Verus, mittendos eſſe ambos, qui tam ſtrenue pugnaſſent per tam longum temporis ſpatium, ut neuter poſſet alterum vincere, Cæſar noluit violare legem ſuam, qua ſigno propoſito præceperat pugnandum eſſe *ad digitum.* Hinc cum invictus uterque perſtaret, ingenioſo commento victoriam uterque conſecutus eſt n. 6.

Pugna

Pugnavere pares, ſuccubuere pares.

Uterque ſuccumbens tandem *digitum* ſuſtulit, quo teſtabatur ſe eſſe victos, cum tamen neuter viciſſet ſuum æmulum. Ita utrique data fuit palma tanquam victori. *Græv. Theſ. Antiq. Roman. Tom.* IX. *Præfat.* * * 3. *verſ. Tom.* VI. *Præfat.* * *. Poſſis etiam explicare, hanc fuiſſe legem illius ſpectaculi; tamdiu pugnandum fuiſſe utrique gladiatori, quamdiu Cæſar *digitum* haberet erectum, & hoc eſſe *ad digitum* pugnare. *Græv. ibid. Tom.* VI. *Præfat.* * * *verſ.* V. etiam *Scriver. Ramirez. Rader. ad Martialem, Barth. ad Grat. Cyneget. p.* 44. . . . . *Ferrar. Elect.* II. 19.

Digitus annularis eſt minimo proximus. Gell. X. 10. *Veteres Græcos annulum habuiſſe in digito accepimus ſiniſtræ manus, qui minimo eſt proximus. Romanos quoque homines ajunt ſic plerumque annulis uſitatos.* Et inde δακτυλιώτης. Vocatur Medicinalis. Macrob. Sat. VII. 13. *Annulum in digito, qui minimo vicinus eſt, quem etiam medicinalem vocant, geſtandum eſſe perſuaſit.* Medicus. Cicer. ad Herenn. III. 20. *Et reum ad lectum ejus ſtatuemus; medico teſticulos arietinos tenentem.* Porphyr. in Horatium: *Hoc ideo, quia certis nominibus ſinguli digiti appellabantur, & ſunt hæc nomina: pollex, index, famoſus, medicus, minimus.* Cur in hoc *digito* annulum geſtandum cenſuerint veteres, docet Macrob. l. l. *Electus in ipſa læva manu digitus minimo proximus, quaſi aptior ceteris, cui commendaretur annuli pretioſitas. Nam pollex nec in ſiniſtra ceſſat, nec minus quam tota manus in officio eſt: unde apud Græcos ἀντίχειρ vocatur, quaſi manus altera. Pollici vero vicinus nudus, & ſine tuitione alterius appoſiti videbatur: nam pollex ita inferior eſt, ut vix radicem ejus excedat. Medium & minimum vitaverunt ut ineptos, alterum magnitudine, brevitate alterum: & electus eſt, qui ab utroque clauditur, & minus officii gerit, & ideo ſervando annulo magis accommodatus eſt.* Kirchman. de Annul. c. 4. Long. de Annul. c. 5. Politian. Miſc. c. 62. Gyrald. Dialog. II. Pier. Hierogl. XXXVI. 18. Murmell. in Perſ. Sat. II. 33. Alex. Gen. Dier. IV. 26. Schill Nomencl. Philol. p. 725.

Digitus index vocatur Plin. XXVIII. 2. *Ungues reſecari nundinis Romanis tacenti, atque a digito indice, multorum pecuniæ religioſum eſt.* Vocatur etiam ſalutaris. Suet. Aug. c. 80. n. 3. *Dextræ manus digitum ſalutarem imbecillum interdum ſentiebat.* quod illo ori admoto ſilentium multis de cauſis ſalutare ſuaſerint veteres. Apul. Met. I. p. 15. *At ille digitum a pollice proximum ori ſuo admovens, & in ſtuporem attonitus, tace, tace, inquit.* Beroal. in Suetonium. Alex. Gen. Dier. IV. 26. & ad illum Tiraquellus. Long. de annul. c. 5. Kornmann. de annul. I. 15. Saubert. de ſacrif. c. 12. Gyrald. dial. II. Pier. Hierogl. XXXVI. 12. 13. Schill Nomencl. Philol. p. 722. Murmell. in Perſ. Sat. II. 33. Rectius credo, quod eo ori admoto ſe invicem ſalutarent, ſive illi ac pollici contractis in unum oſculo impreſſo, ſalutem precarentur. Huic ſi annulus fuiſſet inditus, impedimentum eſſe potuiſſet capiendo gladio. *Ferrar. Elect.* I. 21.

Digitus medius ſupremi fuit contemptus, & ignominiæ index. Unde & verpus, & infamis, & impudicus dictus eſt. Perſius, & Martialis. V. illos ſupr. in *Annulus.* Et cum aliquem vellent contumelioſe irridere, & per ſummam contumeliam notare, hunc, cæteris contractis, porrigebant, & in eum, quem ludebant, intendebant. Laert. VI. 34. *Hoſpitibus aliquando Demoſthenem videre cupientibus, medio porrecto digito, hic, ait, nobis eſt ille Athenienſium orator.* Suet. Cal. c. 56. n. 4. *Quem,* Caſſium Chæream, *Cajus ſeniorem jam, ut mollem, & effeminatum denotare omni probro conſuerat. . . . & oſculandam manum offerre formatam, commotamque in obſcœnum modum.* Fiebat etiam hæc ſanna interpoſito, ſeu inſerto pollice inter medium & indicem, ita ut pollex ipſe inſertus emineret & appareret, reliquis digitis in pugnum contractis, brachioque in eum, cui illudebatur, intento. *Ferrar. de acclam. & plauſ.* II. 22. *Alex. Gen. dier.* IV. 26. *Murmell. in Perſ. Sat.* II. 33. *Menag. in Laertium.* Hunc ab annulis excipit Plin. XXXIII. I. V. illum ſupr. in *Annulus.* Plinius tamen ſcribit XXVIII. 6. ſingultum & ſternutationem ſedari, *ſi quis annulum e ſiniſtra in longiſſimum dextræ digitum transferat.* Quod utrum verum ſit, naturalium rerum indagatores viderint. *Kirchman. de annul. c.* 4. *Alex. Gen.* IV. 26. *Gorl. Dactyl. p.* 7. Hic ſi ſalierit, invidias & nugas ominatur, Saturni enim digitus eſt, aliis autem gloriam advenire præſagit, ſervo ſubjugationem, virgini morbum, viduæ utilitatem. *Niph. de augur.* I. 9.

Digitus minimus, quia omnibus minor eſt, minus officii habet: quodque ejus ope minime indigemus, propterea dici autumant: cui etiam auriculari nomen eſt, quod illius ope aurium ſordes, quæque in his incommoda ſunt, adimimus & levamus: tarditatique aurium, aut ſi quid in eis putidi fuerit, vel purulenti, ſuccurrimus. *Alex. Gen.* IV. 26. etiam annulo onerabatur. Plin. XXXIII. I. *Sunt, qui tres uni minimo congerant: alii vero & huic unum tantum, quo ſignantem ſignent.* Petron. c. 32. *Habebat in minimo digito ſiniſtræ manus annulum grandem ſubauratum.* Kirchman. de annul. c. 4. Hic ſi ſalierit, majoris fidei dignitatem enuntiat, quoniam Mercurii, ut dicunt, *digitus* eſt, aliis ſterilitatem, ſervo calumniam, virgini ignominiam, viduæ injuriam. *Niph. de augur.* I. 9.

Digitus pollex. V. illum infr. in *Pollex.*

Digitus menſuræ quoque nomen eſt, & quidem minor, κατ᾽ ἐξοχὴν mathematicis *digitus,* longitudine quater diametrum tranſverſum grani hordei complectens. Major, alias pollex, latitudine digiti unius cum ejus una tertia. Germanis **ein zoll**, quia hic duodecimam partem pedis conſtituit, ideo uncia etiam dicitur. *Pancıroll. V. L.* I. 65. *Covarruv. Var. Reſ. tom.* 2. *lib.* II. *c.* 20. *n.* 5. *Frontin. de aquæd.* I. *Theſ. Ant. Rom. Græv. Tom.* IV. *p.* 1645. *C. Cenal. de pond. ac menſ. rat. Theſ. ibid. Tom.* XI. *p.* 1479. *E. Sperling. de numm. non cuſ. c.* 24. *Barth. Adv.* I. 16. *Briſſon. de formul.* VI. *p.* 552.

DIGNORARE eſt ſignare, notas inurere. Feſtus: *Dignorant, ſigna imponunt, ut fieri ſolet in pecoribus.* Gloſſ. *Dignorat,* διαγινώσκει. Virg. Georg. III. 158.

Continuoque notas & nomina gentis inurunt.

Signabant animalia, ut poſſet ipſa dominus recognoſcere. *Argol. in Panvin. de lud. circ.* I. 13. *Scalig. Conject. in Varron. p.* 107. *Auſon. Lect.* I. 23. *Cerda & Pontan. in Virgilium. Nicol. de Sigl. vet. c.* 49. §. 2.

DIL.

DILORIS dicebatur veſtis, quæ *duo lora* attexta habebat. Non dicitur a numero filorum, quæ lora non ſunt: nec ab intexturæ genere. Lora enim in hoc genere tunicarum ſunt ſegmenta veſtibus attexi ſolita. Segmenta dixi: nam Latini hac voce intelligunt lora aurata, vel faſcias auratas veſtibus, & præcipue muliebribus prætexi conſuetas, & eas maxime, quibus ſumma ora veſtis prætexebatur. Juven. Sat. II. 124.

Segmenta, & longos habitus, & flammea ſumit.

VIII. 207.

Credamus tunicæ, de faucibus aurea cum ſe
Porrigit.

Veſtis erat muliebris, quam Gracchus induerat, & ſegmentata, ſive quæ ſegmentis, hoc eſt, aureis faſciis, ad guttur erat ornata. Segmenta erant mulierum, & ex auro. V. infra in *Segmentum.* Salmaſ. in Vopiſc. Aurelian. c. 46. Bonoſ. c. 15. Turneb. Adv. IX. II. Rhodig. Ant. Lect. XVI. 10. Cerda Adv. c. CXII. n. 5.

DILUCULUM, ante Solis ortum aurora, quia parva diei lux: quod tum dies luceſcere incipiat. Cicer. pro Sext. Roſc. c. I. *Et cum poſt horam primam noctis occiſus eſſet, primo diluculo nuntius hic Ameriam venit. Prima luce* vocat Liv. XXV. 9: XXXVII. 5. *Moreſtell. Philom.* IV. 4. *Struv. Ant. Rom. c.* 8. *p.* 362.

DILUDIA dicuntur tempora, quæ gladiatoribus conceduntur inter dies munerum, quibus pugnatur. *Scholiaſt. ad Horat. Epiſt.* I. 19. 47. Mihi ſunt, cum medii ludi alio genere ſpectaculi interrumpuntur, & quaſi diffinduntur. Ita enim mos, ut in media ſæpe comœdia, aut tra-

gœdia

gœdia venationem, aut paria aliquot gladiatorum poscerent, tædii levandi. Horat. Epist. II. I. 185.

Si discordet eques, media inter carmina poscunt
Aut ursum, aut pugiles.

Dio LX. p. 680. D. Circenses diffissos ait venatione & athletis interpositis: *Ursi circensibus interpositi, & athletæ certarunt, & pueri Asiatici pyrrhicam saltarunt.* Lips. Sat. I. 19. Turneb. Adv. XXII. 5. Schill Nom. Phil. p. 426. Thys. de Gladiat. p. 222.

DIM.

DIMACHÆ sunt dicti *equitum genus, ex inventione Alexandri, armorum apparatu instructi leviore, quam qui est peditum gravis armaturæ, graviore vero quam qui est equitum: exercitati in utramque, & equestrem, & pedestrem pugnam: ut & in locis equitatus aptis equis utantur: & ut ne, si in loca devenirent iniqua, & minus apta, omnino ad pugnam inepti essent, idemque experirentur, quod Lydis quandoque accidit. Equum autem apprehendebat, ac custodiebat famulus aliquis, qui in solum eum usum una sequebatur. Ita qui ex equo descenderat, confestim inter pedites armatos pugnabat.* Pollux I. 10. 6. Hesychius: *Dimachæ dicuntur* ἀμιπποι, q. d. pedes simul & eques, *qui tum quidem pedites, tum vero ex equis pugnant.* Curt. V. 13. 8. *Trecentos, quos dimachas appellant, adjungit: dorso hi graviora arma portabant, cæterum equis vehebantur; cum res locusque posceret, pedestris acies erat.* Non absimiles ab isto genere sunt equites, qui hodie in militia nostra **dragonders** vocantur, bombardas gestantes oblongas ex humeris dependentes. *Arcer. Ælian. Tact. p. 156. Turneb. Adv.* XIX. 32. *Brod. Misc.* II. 23. *Alard. Val. Flacc.* VI. 160. *Croph. Ant. Maced.* III. 2. *Rhodig. Ant. Lect.* XXI. 31. *Alex. Gen.* VI. 22. *& ad illum Tiraquellus. Hugo de Milit. Equest.* III. 4. *Borrich. Ant. Urb. fac. c. 9. §. 2.*

DIMACHÆRUS fuit gladiator in Artemid. II. 23. quem colligas facile duobus gladiis pugnasse. *Lips. Sat.* II. 13. *Thys. de Gladiat. p. 227. Laurent. Polym.* IV. 9.

DIMIXI sunt lychni ænei in thermis pensiles, Græca forma, duorum angulorum & luminum. *Baccius de therm. vet. c. 13.*

DIO.

DIOCLETIANUS Imperator scribæ filius est creditus. Eutrop. IX. 19. *Diocletianum Imperatorem creavit, Dalmatia oriundum, virum obscurissime natum: adeo ut a plerisque scribæ filius, a nonnullis Anulini senatoris libertinus fuisse credatur.* Panciroll. Notit. dignit. imp. orient. c. 11. Quando Imperator creatus est, fuit, ut quidam dixerunt, Comes domesticorum. *Panciroll. ibid. c. 90.* Primus se ut deum adorari jussit, & gemmas vestibus, calceamentisque inseri, cum ante eum omnes Imperatores in modum judicum sollicitarentur, & chlamyde tantum purpurea a privato habitu discernerentur. *Prosper. Chronic. Thes. Ant. Rom. Græv. Tom.* XI. *p.* 301. *B. Laurent. var. sacr. gentil. c.* 10. Thermas, quas struxit, V. infr. in *Thermæ*. Constantino IV. & Licinio IV. coss. haud procul a Salonis in villa sua Spalato mortuus est III. Non. Decemb. *Fast. Idat. Thes. Ant. ibid. p. 261. D. Prosper. ibid. p. 302. E.* Cum Imperium deposuisset, privato divini honores decreti sunt. Eutrop. IX. 28. *Solus omnium post conditum Romanum imperium, ex tanto fastigio sponte ad privatæ vitæ statum civilitatemque ut remearet. Contigit igitur ei quod nulli post natos homines, ut cum privatus obisset, inter divos tamen referretur.* Guther. de jur. man. II. 6.

DION Cassius historicus, cujus pars Romanarum historiarum exstat, & epitome Cæsarum a Xiphilino conscripta, Aproniani fuit filius, qui consul sub Commodo Imperatore fuit cum M. Atilio Metilio Bradua II. an. ab U. C. 943. Ipse bis consul fuit: secundum consulatum cum Alexandro Imperatore III. egit an. ab U. C. 981. Prioris consulatus tempus ignoratur. Hic ex Nicæa Bithyniæ originem duxit, præfectus Ægypti fuit, & postea Dalmatiæ & Pannoniarum. Alter *Dion* consul fuit cum C. Junio Tiberiano an. ab U.C. 1042. sub Diocletiano & Maximiano Imperatoribus, quem putant historici filium, vel nepotem fuisse. *Augustin. de famil. Roman. in Cassia.*

DIONYSIA sunt eadem quæ Brumalia. V. illa supr. in *Brumalia*.

DIOTA erat amphora, ex eo nominata, quod utrimque ferri posset, cum utrinque sit ansata, unde ἀμφορεὺς & ἀμφιφορεὺς a Græcis appellatur, & explicatur ἀγγεῖον κεραμεοῦν ἀμφοτέρωθεν φερόμενον, ὅ ἐςι δίωτον. Horat. Od. I. 9. 7.

Deprome quadrimum Sabina
O thaliarche merum diota.

Turneb. Adv. XI. 28. Schill. Nomencl. Philol. p. 430. Non tamen amphora idem quod *diota*. Amphora vas aliquod ansatum, & quidem capacius esse videtur, qualis cadus. At *diota* poculi genus est. Horatius tamen pro amphora videtur accepisse. *Torrent. ad Horatium.* Dicitur Sabina, non quod eo vinum Sabinum depromi velit. Hoc enim vilius habebatur, veluti crudum & austerum. Horat. Od. I. 20. I.

Vile potabis modicis Sabinum
Cantharis.

Sed quod vasa illa vino servando apta in Sabinis fierent. *Torrent. l. l. Jun. Catal. archit. mechan. p. 193.*

DIP.

DIPHTHERA erat vestis servilis. Apud Aristoph. Vesp. p. 460. B. conqueruntur urbani senes, Philocleonem herum a servis suis domi clausum sub custodia teneri, oblitis munerum, quæ ab eo acceperant. Neque eos subit memoria διφθερῶν, καὶ ἐξωμίδων, quas ipsis emerat. Quidam veteres grammatici vestem ex corio, sive pellibus interpretati sunt, quæ propria pastorum & agricolarum. Aristoph. Nub. I. I. 73.

Ubi grandior eris, capellas agito e Phelleo,
Ut & pater tuus, scorteam vestem indutus.

διφθέραν ἐνημμένος. Ubi Scholiastes interpretatur περιβόλαιον ποιμενικὸν ἐκ δέρματος: non quod pallium vulgare fuit, fusum, ac longum; quis enim credat, pastores atque agricolas eo involutos opus fecisse? sed brevius indumentum, sagum scilicet ex pellibus, quod ἐξώμιδι injiceretur, inde περιβόλαιον. Quod autem viliorum tegmen esset, propterea chlamydi, ut & ῥάκος, & tribonium opponebatur. Lucian. Timon. p. 68. *Pro molli chlamyde hanc diphtheram tibi paupertas circumponit.* Ibi enim Timon ad inopiam redactus ἐναψάμενος διφθέραν terram exercet. Idem a Jove p. 70. ὑποδίφθερος, & a Mercurio p. 73. διφθερίας dicitur, id est, *sago ex pellibus confecto amictus.* Polluci tamen VII. 15. *diphthera* dicitur *tunica stricta*, ἐπίκρανον ἔχων, *habens cucullum.* Potuit quidem & tunica ex corio confici, unde & *diphthera* appellari: proprie tamen de sago, sive veste exteriori sumebatur. *Ferrar. de re vest.* II. 4. 21. *Calcagn. de verb. & rer. sign. p. 365: m. Rhodig. Ant. Lect.* XVI. 10. *Tiraquell. in Alexand.* V. 18.

DIPLE est *nota, quam scriptores nostri apponunt in libris Ecclesiasticorum virorum ad separanda, vel demonstranda testimonia sanctarum scripturarum.* Isidor. I. 20. Cicer. ad Attic. VIII. 2. in optime scriptis libris: *Animadvertito illum locum, ubi erit* διπλῆ, *videbis de Cneo nostro ipse Vibullus quid existimet.* Augustin. de leg. in leg. Julia de vi publ. Licet. de lucern. VI. 48.

DIPLOMATA formabantur in modum tabellarum duplicium, & significabant tabellas quasdam duplices, sive codicillos. Macrob. Sat. I. 23. *Consulunt hunc deum & absentes diplomatibus consignatis. . . . primum misit signatos codicillos, ad quos sibi rescribi vellet.* Suet. Aug. c. 50. n. I. *In diplomatibus, libellisque, & epistolis consignandis initio sphinge usus est.* Bud. in Pandect. p. 231. C. Casaub & Pitisc. ad Suetonium. Significant literas indices ac testes concessi

ab eo, qui Reipublicæ præest, beneficii. Docet hoc Suet. Ner. c. 12. n. 4. *Quibus post editam operam diplomata civitatis Romanæ singulis obtulit.* Cal. c. 38. n. 3. *Prolata divorum Julii & Augusti diplomata deflebat.* Casaub. & Pitisc. l. l. Buleng. de Imp. Rom. III. 12. Quæ domi transigebant, ea fere per *diplomata* annulo obsignata perficiebant præsides. Cicer. in Pison. c. 37. *Mitto diplomata tota in provincia passim data.* Plin. Epist. x. 121. *Usque in hoc tempus, domine, nemini diplomata commodavi.* Ex quo divinitus illa sunt præcepta de annulo Q. fratri I. I. *Sit annulus tuus non ut vas aliquod, sed tanquam ipse tu; non minister alienæ voluntatis, sed testis tuæ.* Sigon. de ant. jur. prov. II. 5.

Diplomata etiam vocabantur codicilli, quod duplicata charta scriberentur, quibus usus cursus publici impetrabatur. *Panciroll. Notit. dignit. imp. orient. c. 6. Laz. Comment. Reip. Rom.* II. 4. Erant potius chartulæ, vel tesseræ, signo principali obsignatæ. *Bud. in Pandect. p. 231. H.* Signa itaque munita sigillo Imperatoris, vel, absente illo, ejus, qui proximam ab eo tenebat potestatem; Plutarchus enim mox laudandus σφραγῖδα memorat in eis, & διπλώματα σεσημασμένα vocat: quod aperte ostendit, signum in eis ab impresso ceræ annulo fuisse: quod exhibere debebat is, qui vehicula obtinere volebat, ex quo constaret, esse ipsum de hoc genere, cui vehicula præstanda. Instituerat vehicula Augustus loco *juvenum, qui annuntiarent, quid in provincia quaque gereretur, per militares vias; quia commodius visum est, ut qui a loco perferrent literas, interrogari quoque, si quid res exigeret, possent.* Suet. c. 49. n. 7. Instituerat quoque hæc vehicula præberi a privatis, quos ad id compellerent magistratus municipales. Plutarch. in Galb. p. 1056. C. *Nymphidius non mediocriter indoluit, cum servi publici a consulibus destinati essent, qui Scta ad Imperatorem ferrent, quibus ipsis diplomata, quæ dicuntur, dari solent, ut iis statim agnitis civitatum magistratus tabellariorum cursum accelerent in commutatione vehiculorum datis deductoribus.* Plin. Epist. x. 14. *Rex Sauromates scripsit mihi, esse quædam, quæ deberes quam maturissime scire: qua ex causa festinationem tabellarii, quem ad te cum epistolis misit, diplomate adjuvi.* Scheffer. de Re vehic. I. 18: II. 30. Columb. in Lactant. de Mort. persecut. c. 24. Synthemata vocat Hieron. Epist. ad Julianum: *Jam demisso*, inquit, *synthemate equus publicus sternebatur, & nobilem juvenem punicea indutum tunica balteus ambiebat.* Columb. & Bud. l. l.

DIPTYCHA erant tabellæ plicatiles, quæ duabus constabant paginis. Suidas. Latini etiam duplices dixere. Prima tabella, τὸ πρῶτον πτυχίον, primum folium. *Salmas. in Vopisc. Firm. c. 3. in Tertull. de pall. p.* 371. *Chiflet. Anast. Childer. Reg. c. 13. Cerd. Adv.* CXLVIII. 6 *Buleng. de Imp. Rom.* III. 12. *Cujac. Observ.* IV. 27. Materia non una: vilior, buxus: pretiosior, citrus, ebur. *Diptychis* porro illita cera stylo exarabatur. Non solebant magni momenti scripta iis mandari, sed res, quæ haberent usum familiarem, & pœne quotidianum, cujusmodi erant epistolia, magistratuum adnuntiationes, & id genus alia. *Wilthem. comm. ad diptych. Leodiens. apud Pignor. de serv. p.* 221. Ex ebore factorum meminerunt Valentinianus, Theodosius, & Arcadius A. A. A. l. I. C. de exp. lud. *Illud etiam constitutione solidamus, ut, exceptis consulibus ordinariis, nulli prorsus alteri auream sportulam, & diptycha ex ebore dandi facultas sit: cum publica celebrantur officia, sit sportulis nummus argenteus, alia materia diptychis.* Auro circumdatorum Symm. Epist. II. 80. V. illum infr. in *Editor.* Pignor. ibid. p. 322. De illis etiam multa *Du Fresne Glossario. & Juret. ad Symmachum.*

Diptychum fuit etiam superior consularis amictus oblongus consulis Anastasii. Sed quinam fuerit, divinandum est. Neque enim est toga, vel trabea, quæ rotunda erat clausa & fusior: non chlamys, quæ in summo fibula nectebatur: non pænula, quæ pariter clausa: non pallium, non aliud demum vestimentum Romanum. Etiam ipse injectus, ac modus amiciendi plane notabilis: cum vestis illa in superiore parte, a sinistro humero sub dextrum brachium recurrat: pars autem inferior a dextro latere ad sinistrum brachium extensa eidem juxta manum imponatur. Ex omni vestium genere proxime ad chlamydem accedit, & fortasse etiam fibula ad summam oram adnexa est, sed ea rejecta in humerum vestis parte inferiore obtegitur. Cur autem pro toga chlamys eo tempore a consulibus sumpta sit, quærant doctiores, dummodo constet, togam Romanam nullo pacto esse potuisse. *Ferrar. Anal. de re vest. c.* 19.

DIR.

DIRÆ in cœlo, in inferno, & in terra quomodo distinguantur. V. infr. in *Furiæ. Diras* describit Virg. Æneid. XII. 846.

> *Dicuntur geminæ pestes, cognomine diræ,*
> *Quas & tartaream nox intempesta Megæram*
> *Uno eodemque tulit partu.*

Dirarum obtestationem neglexit Crassus. Cicer. de Divin. I. 16. *M. Crasso quid acciderit, videmus, dirarum obnuntiatione neglecta. Etenim diræ, sicut cætera auspicia, ut omina, ut signa, non causas afferunt, cur quid eveniat, sed nuntiant eventura, nisi provideris. Diras* observabant aruspices, ut & signa, quæ ex igne existebant. Stat. Theb. IV. 468.

> *—— atque ipse sonantia flammis*
> *Virgulta, & tristes crepuisse ut sensit acervos*
> *Tiresias, illi nam plurimus ardor anhelat*
> *Ante genas, impletque cavos vapor igneus orbes;*
> *Exclamat, tremuere rogi, & vox impulit ignem.*

De illis Plin. XXVIII. 2. *Utraque memoria insigni, quoties ipsæ diræ obstrepentes nocuerint, quotiesve precatio erraverit, sic repente extis adimi capita, vel corda, aut geminari victima stante.* Buleng. de sort. c. 6.

DIRECTARIUS est, qui in alienas ædes *dirigit* furandi gratia. Glossæ: *Directarius*, ὁ εἰς τὰς ἀλλοτρίας ἕνεκεν τοῦ κλέψαι εἰσερχόμενος. Habent hoc ab Ulpian. qui de offic. proc. IX. *directarios* ita exponebat, *hoc est, hos qui in aliena cœnacula se dirigunt, furandi animo.* Potuisset etiam dicere, *qui in aliena cœnacula dirigunt.* Nam *dirigere* absolutum pro ire, & penetrare se. *Salmas. in Vopisc. Prob. c. 19. in Tertull. de pall. p. 206. Exerc. Plinian. p.* 839. *A. Turneb. Adv.* IX. 17. *Crinit. de honest. discipl.* XVII. 8. *Bud. in Pandect. p.* 213. *F. Rhodig. Ant. Lect.* XXV. 20. *Augustin. de Leg. in Cornelia de injuriis. Cujac. Observ.* X. 27.

DIRIBITORES erant in comitiis centuriatis, qui tabellas populo per centurias ministrabant. Fuisse, qui tabellas populo darent, potest intelligi ex Cicer. ad Attic. I. 14. *Piso autem consul lator rogationis, idem erat dissuasor: operæ Clodianæ pontes occuparant: tabellæ ministrabantur: ita ut nulla daretur, uti rogas.* Apud Suetonium tamen legitur Cæs. c. 80. n. 5. *Post remotos Cæsetium & Marullum tribunos reperta sunt proximis comitiis complura suffragia consules eos declarantium.* Unde intelligitur, quosdam interdum alias tabellas in cistam conjicere solitos, quam quæ ministrabantur: quas necesse erat domo secum afferre. Verum id in Cæsaris invidiam factum constat. Et ut earum tabellarum ratio non habebatur, ita raro eveniebat. Appellabantur hi a *diribendis*, hoc est, distribuendis tabellis. Unde etiam in judiciis reperimus *diribitas* tabellas, cum singulis judicibus erant datæ. Cicer. in Pison. c. 40. *An ego exspectem, dum de te quinque & septuaginta tabellæ diribeantur?* Frat. III. 4. *Cato diribitis tabellis de circulo se subduxit.* Horum meminit Cicer. post red. in sen. c. 11. *Quando illa dignitate rogatores, diribitores, custodesque vidistis.* Et distributores vocat in Pison. c. 15. *Hoc certe video, quod indicant tabulæ publicæ, vos rogatores, vos distributores, vos custodes fuisse.* Gruch. de Comit. I. 3. Manut. de Leg. c. 37. Turneb. Adv. XXI. 15. Rhodig. Ant. Lect. VII. 6. Buleng. de Imp. Rom. I. 3. Schott. Observ. I. 4. Hotman. Antiq. Roman. II. 11. & 12. Maurit. de Sortit. c. 28. §. 6: c. 12. §. 7. Non fuit perpetuum, ut senatores primarii in comitiis hoc munere fungerentur: sed si quando

do vellent comitia omni non modo fraude carere, ſed etiam ſuo miniſterio cohoneſtari, vel quia magna res ageretur, vel quia id honori alicujus tribuerent. Intelligitur hoc ex Cicer. in Piſon. c. 15. modo laudato. Fuiſſe etiam fere munera juvenum, & eorum, qui adhuc honoribus functi non erant, ſignificat; dum ætatis & honoris excuſationem allegari dicit: *Et quod in honoribus veſtrorum propinquorum non facitis vel ætatis excuſatione, vel honoris, id in ſalute mea nullo rogante vos veſtra ſponte feciſtis.* Gruch. & Manut. l. l. Etiam diviſores vocatos fuiſſe non dubitamus. Erant itaque diviſores, ſeu *diribitores*, qui in largitionibus pecunias annonæve genus aliquod ſeu agros populo Romano dividebant per ejusdem tribus ſingulas viritim. *Donat. dilucid. p.* 649. Ego cum Budæo in Pandect. p. 236. G. diverſos exiſtimo. Adducor hoc argumento, quod magiſtri curiarum, quorum meminit Plaut. Aul. I. 2. 29. iidem erant diviſores, ut Aſcon. in Cicer. p. 51. unde apparet multo ante fuiſſe diviſores quam lex tabellaria lata eſſet, poſtquam cœperunt eſſe *diribitores*. Cumque vile, ac ſordidum eſſet munus diviſorum, non ſit mihi veriſimile, graviſſimos ſenatores interdum hoc munus fungi voluiſſe: & tamen ex dictis conſtat interdum illos *diribitorum* munus gerere ſolitos. Ut omittam, infimæ conditionis hominibus, quales erant diviſores, tabellas ſuffragiorum committere neque tutum, neque æquum fuiſſe: præſertim, cum illi ipſi eſſent, qui corrumpenda ſuffragia ſuſcipiebant. Cicer. pro Planc. c. 19. *Quam tibi commodum eſt, unam tribum delige tu: doce id, quod debes, per quem ſequeſtrem, quo diviſore corrupta ſit.* Gruch. l. l. Tot *diribitores* non facio, quot tabellæ ſingulis miniſtrabantur, ita ut quisque ſui generis tabellam populo daret. In prætorum enim comitiis, v. g. accidere poterat, ut vel viginti eſſent competitores. Hic ſi vicenos *diribitores* facias totidem competitorum tabellis miniſtrandis, quomodo in anguſtis pontibus tot homines conſtitiſſe probari poterit? præſertim cum anguſtia pontium manifeſto oſtendat ad paucos capiendos inſtitutos fuiſſe. His accedit, quod ſi in ſingulis vicenos *diribitores* ponas, concedasque trigintaquinque pontes fuiſſe pro numero totidem tribuum, efficiatur, ut *diribitorum* omnis numerus ſeptingentorum minimum eſſet: quod ſane non eſt veriſimile. Præſtat ergo ut dicamus, ad ſingulos pontes unum fuiſſe *diribitorem*, qui populo centuriatim ex ſuis tribubus advenienti tabellas vel plures, vel pauciores, pro numero candidatorum divideret. Sed quoniam unicuique de populo dandæ erant tot tabellæ, quot erant candidati, neceſſe eſt, ut non alias pro aliis daret *diribitor* in tam magna multitudine tabellarum, rationem aliquam inventam fuiſſe, qua in *diribendis* tabellis hac in parte nihil peccaretur. Atqui ſi diviſas haberet *diribitor* tabellas quas cui daret, præter quod longum fuiſſet in tam magno cumulo ſeligere, difficile etiam fuiſſet non peccari. Verius igitur eſt, ut dicamus omnes tabellas, quas ſingulis daret, adhuc junctas fuiſſe cum *diribitor* eas dabat: qui autem ſuffragium erat laturus, poſtea ſibi ex ea charta in qua ſcriptæ erant, ſcindebat quas vellet in ciſtam mittere. Neque enim ulla commodior ratio inveniri poteſt ad *diribendas* cito & abſque ullo peccato tabellas. Hæc ſi ita ſint, ſequitur non plures fuiſſe *diribitores* conſtituendos, quam quot erant pontes: qui ſi cum tribuum numero convenirent, tot erant omnino *diribitores*, quot tribus. Hac enim ratione ſufficiet ſuus cuique tribui *diribitor*. Ad quod munus ſeligebantur ab iis, qui comitia erant habituri, boni aliqui viri, in quibus nulla eſſet fraudis ſuſpicio. Fuiſſe autem delectum ejus, qui haberet comitia, vel inde poteſt intelligi, quod reperimus, in *diribendis* tabellis fraudem factam, ſi quando is, qui haberet comitia, nollet populo libera committere ſuffragia. Veluti Piſo conſul nolebat legem quæ adverſus Clodium ferebatur, a populo juberi: in *diribendis* tabellis fraus admiſſa eſt. Nullam enim dabant *diribitores* tabellam; *uti rogas*. Gruch. ibid. c. 4.

Diribitores dicebantur etiam miniſtri, qui partes ciborum ſingulis convivis æquales dabant. Apul. Met. II. p. 53. *Diribitores pluſculi, ſplendide amicti, fercula copioſa.* Panem forſan *diribebant*: & videntur mutuati appellationem a *diribitoribus* comitialibus, & judiciariis. *Pignor. de ſerv. p.* 122. *Buleng. de Conviv.* II. 1: IV. 3. *Caſal. de Urb. ac Imper. Roman. ſplend. part.* 2. *cap.* 19. *Demſter. Paral. ad Ant. Rom. Roſin.* V. 29. *Cerda Adv. c.* CLXXXV. *n.* 42. Neſcio an eos ipſos, an potius, qui fercula puerorum manibus allata commode diſponerent, & collocarent, ut ille jocatur, ſub ſignis. Utra certe in verbo veteri *diribendi* eſt notio. *Lipſ. Sat.* II. 2.

DIRIBITORIUM fuit domus ampliſſima, opus M. Agrippæ, ab Auguſto publici juris factum. Dio LV. p. 533. D. *Diribitorium ipſe Auguſtus publici juris fecit. Erat domus omnium earum, quæ unquam uno culmine fuiſſent, maxima: nunc omni ejus tecto diruto, quia rurſus inter ſe committi non potuit, aperto faſtigio conſpicitur. Illam imperfectam Agrippa reliquerat, tunc vero ad finem perductum fuit opus.* Amplitudinis ejus indicium quoque poteſt colligi e Plin. XVI. 40. qui de ſuperſtite ejus trabe loquens ait: *Fuit memoria noſtra & in porticibus ſeptorum a M. Agrippa relicta æque miraculi cauſa, quæ diribitorio ſuperfuerat viginti pedibus brevior, ſesquipedali craſſitudine.* Suet. Claud. c. 18. n. 2. *Cum Æmiliana pertinacius arderent, in diribitorio duabus noctibus manſit.* Nardin. Rom. Vet. IV. 10. Donat. de Urb. Rom. III. 16. Pitiſc. in Suetonium. Situm fuit apud Septa in circo Flaminio. Victor. *Panvin Deſcr. Urb. Rom. Theſ. Antiq. Rom. Græv. Tom.* III. *p.* 303. *P. Merul. Coſmogr.* II. 4. *p.* 782. *Donat. l. l.* & *Torrent. Ad Suetonium.* Septa an non Agrippina potius, quam vetera fuerint, dubito, quoniam nomen Agrippæ mox apud Plinium ſequitur. Non ignoro ſimplicius & facilius ea de veteribus accipi poſſe, quibus tum vicinius fuerit neceſſe eſt, adeoque in alio campi latere, ubi nunc collegium Romanum eſt, aut certe non procul inde remotum. *Nardin. l. l.* Ad *diribitorum* munus ſerviebat. *Torrent. in Suetonium.* Non eſt rationi conſonum, ædificium ingens, & culmine omnium maximum in uſum tantum *diribitorum*, qui pro numero tribuum tantum quinque & tiginta fuerunt, fuiſſe conſtructum. Ego venio in eam ſententiam, ſcilicet fuiſſe locum, in quo populo Romano Imperatorum & virorum principum congiaria, epulæ, viſcerationesve diſtribuerentur. *Donat. Dilucid. p.* 648. Quid ſi diceremus fuiſſe locum, in quo exercitus recenſuerint, & militibus ſtipendia numeraverint. Certe militare logiſterium, locum non diſſimilem, fortaſſe ab eo, quod & Plinius *diribitorium*, Suetonius vocari tradit Strab. XVI. Et hoc volunt *Rhodig. Ant. Lect.* VII. 6. *Hermol. Barbar. in Plinium. Voſſ. Lex. Etymol. Calcagn. Epiſt. Quæſt.* I. 27. *Broid. Coroll. ad Pollet. For. Rom.* I. 2. *Marlian. Topogr. Urb. Rom.* V. 2. *Donat. Nardin. Borrich. l. l.* Scenici etiam ludi, ut in theatro, præſertim ſole æſtivo, propter loci laxitatem in eo ſunt facti. Dio LIX. p. 645. B. *Tunc primum ſenatoribus pulvinaria ſubdita, uſusque pileorum Theſſalicorum conceſſus in theatris, ne ſolis ardore laborarent; qui ſicubi eſſet vehementior, diribitorio foris & tabulatis inſtructo uſi ſunt.* Donat. & Nardin. l. l. V. ſupr. in *Campus Agrippæ*.

DIS.

DISCALCEATI in circum, ſi nimius ardor eſſet; cum ad aucupandum frigus, tum ad delicias ibant Romani. Dio LIX. p. 645. B. *Licebat iis qui vellent diſcalceati ſpectare, qui mos jam olim tenuerat, & judicia exercere per æſtatem, quod ab Auguſto in celebritatibus æſtivis ſervatum erat, ſed a Tiberio plane omiſſum.* Ἀνυποδήτυς cave intelligas nudis plane pedibus, ſed more Græco ſoleatis, aut crepidatis. *Buleng. de circo c.* 46. Luctum funebrem teſtabantur. V. infr. in *Nudipedalia*.

DISCEDERE in alia omnia. V. illud ſupr. in *Alia omnia*.

DISCEPTATORES ſunt proprie privatarum litium cognitores; ſola cognitione, & ſententia contenti, ab imperio omni alieni. Quintil. XI. 1. *Nec eodem modo publica judicia, & arbitrorum diſceptationes aguntur: nam ut orantem*

tem pro capite ſolicitudo deceat, & cura, & omnes ad amplificandam orationem quaſi machinæ : ita in parvis rebus judiciisque vana ſunt eadem : rideaturque merito, qui apud diſceptatorem de re leviſſima ſedens dicturus, utatur illa Ciceronis confeſſione, non modo ſe animo commoveri, ſed etiam corpore ipſo perhorreſcere. Liv. I. 50. *Tarquinius monitus proximis ut purgaret ſe, quod id temporis veniſſet, diſceptatorem ait ſe ſumptum inter patrem & filium, cura reconciliandi eos in gratiam moratum eſſe*, id eſt, arbitrum diſſidii, & domeſticum compoſitorem. Quanquam *diſceptare* etiam in publicis uſurpetur. Hinc *diſceptatio* pro ſumma quæſtione nata ex ratione & firmamento, quam judicationem vocant, dicta. Cicer. Partit. c. 30. *Rationum & firmamentorum contentio adducit in anguſtum diſceptationem.* Pro Cæcin. c. 2. *Quarendum etiam magis videtur, ideo quod omnia judicia, aut diſtrahendarum controverſiarum, aut puniendorum maleficiorum cauſa reperta ſunt, quorum alterum levius eſt, propterea quod diſceptatore perſæpe domeſtico dijudicetur.* Pollet. For. Rom. III. 12.

DISCERNICULUM dicta eſt acus diſcriminalis. Lucill. apud Non. I. 155.

Euplocamo digitis, diſcerniculumque capillo.

Varr. de Ling. Lat. IV. §. 29. *Diſcerniculum, quo diſcernitur capillus.* Nonius: *Diſcerniculum, acus, quæ capillos mulierum ante frontem dividit.* Barthol. de Inaur. vet. p. 40. Pignor. de ſerv. p. 405. Salmaſ. Exerc. Plin. p. 534. a. D. Oizel. in Gell. XVII. 15. Jun. de Com. c. 7.

DISCESSIO, pronuntiatis enim differentibus opinionibus ſenatorum in ſingulas *diſcedebatur*, ut quam plures probarent, cognoſceretur, dicebatur *fieri in ſententias.* Hirt. de bell. Gall. VIII. 53. *Sententiis dictis, diſceſſionem faciente Marcello, qui ſibi omnem dignitatem ex Cæſaris invidia quærebat, ſenatus frequens in alia omnia tranſiit.* Cicer. Phil. VI. 1. *Itaque hæc ſententia ſic per triduum valuit, ut, quanquam diſceſſio facta non eſſet, tamen præter paucos omnes mihi aſſenſuri viderentur.* Hæc conſuetudo, & ratio introducta fuit, & excogitata, ut qui ante dixerant, ſi poſt ab alio melius quidpiam cenſeri animadvertiſſent, in ejus ſententiam poſſent pedibus ire. Ita apud Salluſt. Bell. Catil. p. 39. Silanus conſul deſignatus, cum primum ſuum expoſuiſſet conſilium, *poſtea permotus oratione Cæſaris, pedibus in ſententiam Tiberii Neronis iturum ſe dixerat.* Zamoſc. de Senat. Rom. II. 11. Briſſon. de Formul. II. p. 184. Bud. in Pandect. p. 57. B. F. Broid. Coroll. ad Pollet. For. Rom. V. 8. Hotman. Antiq. Roman. II. 10. Blond. Triumph. Rom. IV. p. 84. F.

DISCINCTI pro imbellibus, effeminatis, & militiæ inhabilibus apud auctores reperiuntur. Serv. Æneid. I. 214. *Accinctos induſtrios dicimus, ut Horat. Sat. I. 5. 5.*

— Altius ac nos
Præcinctis.

Sic contra negligentes diſcinctos vocamus, ut Virg. Æneid. VIII. 724.

— diſcinctos Mulciber Afros.

Ferrar. de Re veſt. I. 3. 7. Oizel. in Minuc. Felic. p. 190. Schel. in Polyb. Theſ. Antiq. Roman. Græv. Tom. X. p. 1239. C. Salmuth in Panciroll. de Reb. deperd. & invent. p. 340. Stuck. Ant. Conv. II. 29. Pigh. Annal. Rom. I. p. 5. In caſtris non ſine nota verſabantur : quinimo hoc grande ſcelus, morteque piandum militaris diſciplinæ ſeveri cenſores credebant, ſi quis ambulaſſet, aut vallum ſubiſſet *diſcinctus.* Tacit. Ann. XI. 18. 5. *Ferunt militem, quia vallum non accinctus : atque alium, quia pugione tantum accinctus foderet, morte punitos.* Etiam ignominiæ militaris fuit genus, ut *diſcincti* vel ſtare, vel opus facere milites cogerentur. V. infr. in *Milites.* Et victi jugum tranſire cogerentur. V. infr. in *Jugum.* Ita etiam qui exauctorabantur *diſcingi* conſueverunt. Herodian. II. 13. 17. *Porro militibus meis ita præcipio, recingant vos, ac veſtimentis exutos militaribus, nudoſque dimittant.* Briſſon. Ant. Select. II. 7. Lipſ. de Milit. Rom. V. Dial. 18. Kobierzyck. de lux. Rom. I. 10. Et pro luxu perditis ac diſſolutis, metaphorice ſcilicet, a veſte demiſſa & laxa, qua inambulare ii conſueverunt, qui fruges tantum conſumere nati. Horat. Epod. I. 34.

Diſcinctus perdam ut nepos.

Perſ. Sat. III. 31.

Non pudet ad morem diſcincti vivere Nattæ.

Cornut. *Diſcinctum dicit negligentem & perditum : vel diſcinctum, obeſum, & ventricoſum luxuria, quia cingi non poſſit.* Recte profecto, non parva namque antiquis cura, quo pacto *cingerentur* juvenes. Refert Strab. IV. p. 137. de zonæ apud Gallos menſura, qua adoleſcentes cingi opus erat. *Exercent ſe, ne fiant pingues & ventricoſi, ſi quis autem juvenum zonæ præſcriptam menſuram excedat, multari.* Verum apud Romanos quid fœdius quam *diſcinctum* quempiam in publico conſpici? Hinc illud de Julio Cæſare Syllæ vaticinium apud Suet. c. 45. n. 5. *Caverent ſibi a puero male cincto.* Kobierzyck. & Ferrar. l. l. Turneb. Adv. XI. 23. Demſter. Antiq. Roman. X. p. 715. Meibom. Mæcen. c. 19. Gorall. in Albinov. in obit. Mæcen. n. 21.

DISCUS fuit lapis gravis, quem exercentes ſe projiciebant, &, cum ferreus erat; maſſam vocabant. Euſtath. Homer. Iliad. II. 774. Huic atteſtari viſus eſt Mart. XIV. 164.

Splendida cum volitant Spartani pondera diſci,
Eſte procul pueri, ſit ſemel ille nocens.

Et in Onomaſticis, quod fuerit lapis gravis, explicatur. Δίσκος βαρὺς λίθος. Et *ſaxeum diſcum* dicit Pindar. Iſthmic. I. 33.

O! qualiter manibus, jaculantes haſtis,
Et ſaxeis quando diſcis, emiſerunt!

Iſtos ſaxeos *diſcos* ἀποτομάδας dici conſueviſſe notat Scholiaſtes, addita nominis hac ratione, quia olim victori tantum ἀπετέμνετο telluris in patria, quantum ſpatium jaciendo emetiri poterat. *Stranch. Olympic. agon.* §. 16. Alii, quibus ego aſſentior, crediderunt *diſcum* fuiſſe laminam quandam trium, vel quatuor digitorum craſſitudine, longiorem paullo plus pede, alias lapideam, alias ferream, æneam quoque ex ſepulcro Marci Mannii Philopatris athletæ in via Salaria poſito ſe vidiſſe teſtatus eſt Ligorius, cujuſmodi majorem partem, ne, dum ex alto rueret, frangeretur, fuiſſe puto planam, quaſi lentis ſpeciem referentem, quam in aerem projiciebant, ſed modo a jaculorum miſſione diverſo, ſiquidem in mittendis jaculis brachia pandebant, mox prorſum impellebant : contra in *diſco* manu ad pectus adducta, atque extrorſum & deorſum adducta, rotationis inſtar illum in aerem ejaculabantur, ut perbelle explicat Prop. III. 12. 10.

Miſſile nunc diſci pondus in orbe rotat.

Quod figuram lenti ſimilem habuerit, præter Dioſcoridem lenticulam δίσκον nuncupantem comprobat *diſcoboli* marmorea ſtatua, quæ hodie Romæ in ædibus Johannis Baptiſtæ Victorii ſervatur, in cujus manu *diſcum* poſitum videre licet. Quod item oſtendit alterius *diſcoboli* brachium lapideum hodie in magni Tuſciæ ducis ædibus Pittis vocatis ſervatum, ex quibus ſimiliter *diſcum* ejaculandi modum intelligere licet. Harum ſtatuarum ſimiles alias duas *diſcobolorum* fuiſſe veriſimile eſt : quarum unam ex ære Myronem finxiſſe a Quintil. II. 13. celebratam, aliam Tauriſcum pictorem pinxiſſe refert Plin. XXXV. 11. Hanc formam *diſci* una cum prædictis teſtimoniis ſi vidiſſet, ac mature examinaſſet Guilielmus Choulus, nunquam certe affirmare auſus eſſet, *diſcum* pilam rotundam in medio perforatam fuiſſe : niſi bonus ille vir nomine pilæ quamlibet rem orbiculatam præter Latinæ linguæ uſum intellexerit. Atque hoc dico, quoniam Cyprianus in libro de ſpectaculis *diſcum* vocat orbem æneum, & in Marci Aurelii Imperatoris nummis quibuſdam Apolloniæ Illirii excuſis, hujuſmodi *diſcobolorum* luſus repræſentatur, in quo *diſcum* quadram quandam orbiculatam, & in medio perforatam fuiſſe apparet. Ut hinc conjiciam, non unam *diſcorum* formam exſtitiſſe, qua ſive in ſacrificiis, ſive in gymnaſiis uterentur. Illud attamen prætereundum

non est, in *disco* jaculando artem quandam, ut Pindari interpres ostendit, necessariam exstitisse: alioqui jaculatores laude frustrati deridebantur, & sæpe damna insignia spectatoribus afferebant, quod a Phœbo actum fuit, quem *disco* Hyacinthum interfecisse fabulantur. *Mercur. Gymnast.* II. 12. *Fab. Agonist.* I. 5: II. 2. *Victor. Var. Lect.* XXIX. I. *Panvin. de lud. circ.* II. I. *& in illum Argolus. Turneb. Adv.* VII. 9. *Paschal. de Coron.* VI. 24. *Alex. Gen.* III. 21. *Lyd. de re milit.* V. 2. *Barth. Adv.* XXXV. 2. *Rhodig. Ant. Lection.* XXIV. 12. *Stuck. Ant. Conviv.* III. 22. *Scalig. Poët.* I. 22. *Schill Nom. Phil. p.* 428. *Potter. Archæol. Græc.* II. 21. *Kipping. Antiq. Roman.* II. 6. §. 6. *Grapald. de part. dom.* II. 2. *Souter. de Aleat.* III. 3. *Demster. Paral. ad Antiq. Roman. Rosin.* V. I. Innotuit etiam Latinis scriptoribus. Ita enim de eodem Ovid. Met. X. 176.

Corpora veste levant, & succo pinguis olivi
Splendescunt, latique ineunt certamina disci.
Quem prius aerias libratum Phœbus in auras
Misit, & oppositas disjecit pondere nubes.
Recidit in solidam longo post tempore terram
Pondus, & exhibuit junctam cum viribus artem.

Strauch. l. l. V. etiam supr. in *Circulus*.

Discus vocabatur etiam quadra rotunda, qua epulæ in mensas ferebantur. Apul. II. p. 58. *Cœnarumque reliquiis discus ornatus.* Sic legimus caput Johannis Baptistæ saltatrici in *disco* oblatum esse. Unde δισκοφόροι appellati sunt, qui quadris ferendis destinantur. Et ab Hieronymo dictus est discophorus, qui Danieli prandium portavit. *Mercur. de art. Gymnast.* II. 12. *Donat. Dilucid p.* 1014. *la Chausse Insign. Pont. Max. tab.* XIV. *Saubert. de sacrif. c.* 17. *Grapald. de part. dom.* II. 3. 16. 22. *&* 26. *Strauch. Olymp. agon.* §. 16. *Hummelb. & Lister in Apic. de Art. Coquin.* II. 5.

DISCUSSOR dicebatur, qui rationes exigebat, rerum momenta excutiebat. Coripp. I.

Nec non magnanimus meritis, & nomine Magnus,
Mente placens dominis, sacris rationibus aptus,
Rectorum Latii discussor providus orbis.

hoc est, eorum hominum inspector & examinator, qui mittebantur in Italiam, quæ tum etiam sub Justiniani legatis erat. Idem enim officium *discussoris*, quod inspectoris. Sic Cod. XI. cum titulus inscriptus sit de censitoribus, peræquatoribus, & inspectoribus, sub eadem rubrica etiam de *discussoribus* agitur tit. 7. Corippi autem iste Magnus plura simul officia gerebat: nam & rationalem illum fuisse dicit simul & *discussorem*, quæ munia alioquin erant distincta. Imperator Arcadius cum Theodosio & Valentiniano c. 7. C. Instit. Quorum appellationes non recipiuntur: *ante sententiæ tempus, & ordinem eventus, nec a discussore, nec a rationali appellare liceat.* Ejus officium quoque fuit censuum exactio & dinumeratio. Juvenc. I.

— novus, capitum discussio, census.

Bernard. de consider. IV. 9. *De pretio escarum, & numero panum cum ministris quotidiana discussio est, raro admodum cum presbyteris celebratur collatio de peccatis populorum.* Barth. Adv. XI. 20. Du Fresne Glossario. Cerda Adv. c. 167. §. 13. Buleng. de Imp. Rom. III. 29. de vectig. c. 96. Si in provinciis de *discussoris*, aut rationalis sententia appellatio ad comitem privatarum translata esset, & negotii mediocritas, aut regionum longinquitas, ad illius judicium litigatores venire non pateretur; comes judici provinciæ, quem ipse probabat, negotium delegabat l. 45. C. de appellat: comes autem privatarum ante sententiæ tempus, & ordinem eventus a *discussore*, vel rationali appellationem recipere non debet. Legem V. supra. *Guther. de offic. dom. Aug.* III. 25.

DISOMUM vas est duorum corporum capax, quod pertinet ad jus sepulcrorum. Inscriptio.

P. ÆLIUS. VENERIANUS
HOC. VAS. DISOMUM. SIBI. ET
FELICITATI. SUÆ. POSUIT.

Guther. de jur. vet. pont. I. 24.

DISPENSATOR, Græcis οἰκονόμος dictus, erat, qui familiæ rationes *dispensabat*, & pecuniæ administrationem habebat. Cicer. Hort. apud Non. III. 18. *Quid tu, inquam, soles, cum rationem ad dispensatorem accipis, si æra singula probasti, summam, quæ ex his confecta sit, non probare?* Fuerunt etiam in familia Palatina. Suet. Aug. c. 67. n. 4. *Diomedem dispensatorem, a quo simul ambulante, incurrenti repente fero apro per metum objectus est, maluit timiditatis arguere, quam noxæ.* Imo & in provinciis. Plin. XXXIII. 11. *Nostra ætas fortior fuit Claudii principatu: servus ejus Drusillanus nomine Rotundus, dispensator Hispaniæ citerioris.* Pignor. de serv. p. 307. 545. Nerius Anal. I. 14. Alciat. de verb. sign. p. 204. Ursat. de not. Rom. Thes. Ant. Rom. Græv. Tom. XI. p. 564. E. Spon. Misc. Erud. Ant. Sect. VI. p. 212. Popm. de oper. servor. p. 26. Stuck. Ant. Conviv. II. 21. Salmas. in Lampr. Antonin. Diad. c. 4. Donat. Dilucid. p. 463. Rævard. Var. V. 20. Vignol. Inscript. Select. p. 276. Rosin. Ant. Roman. V. 26. Kipping. Antiq. Roman. IV. I. §. I. Grapald. de part. dom. II. 4. I. Torrent. & Pitisc. in Suetonium.

DISPOSITIONES Principum sunt διατάγματα, διατάξεις, constitutiones, sanctiones pragmaticæ, edicta, promotiones ad honores, mandata, consuetudines, liberalitates, privilegia, & quicquid Princeps, nulli juris ordini adstrictus constituebat. Justinian. l. 13. C. de prox. sacr. scrin. *Comperimus divinitus pridem fuisse dispositum, viros devotos adjutores tuæ magnitudinis certo esse numero. . . . qui præter prædictam dispositionem in præsenti exuberant.* l. 15. C. eod. *Certæ quidem dispositiones sunt nostri numinis, quas super adjutoribus viri illustris pro tempore quæstoris sacri palatii dedimus: quarum prima quidem ad supplicationem eorundem adjutorum emissa est: altera vero per sacram pragmaticam sanctionem facta est.* Guther. de offic. dom. Aug. III. 6.

DISTEGUM fuit ædificium duas habens contignationes: at speciatim, ubi ejus mentio est in inscriptionibus, quæ diis manibus dicantur, fuit, ni fallor, monumentum duas cameras habens, una alteri imposita. *Distigum* autem pro *digestum* videtur sculptum. Inscriptio Romæ:

L. SEMPRONIUS. L L PERIPHEMUS
L. SEMPRONIUS L L AMPHIONEUS....
DISTIGUM FECERUNT C. F.

Spon. Misc. Erud. Ant. Sect. IX. *p.* 291. *Buleng. de theat.* I. 22. *Rhodig. Ant. Lect.* XVIII. II. *Ursat. de not. Rom. Thes. Ant. Rom. Græv. Tom.* XI. *p.* 537. *C.* Erant in regiis διστεγίαι: quanquam privatis quoque in ædibus invenimus διστεγίας: e quibus πορνοβοσκοί, & aniculæ mulieres prospectabant captantes negotiorum suorum occasiones. *Scalig. Poet.* I. 21.

DIV.

DIVALIA erant feriæ divæ Angeronæ, cui pontifices in sacello Volupiæ sacrum faciebant. Dicebantur etiam Angeronalia. *Kalendar. Roman. Explic. Thes. Ant. Rom. Græv. Tom.* VIII. *p.* 12. *B. Ciaccon. in vet. Kalend. Roman. Thes. ibid. p.* 18. *C. Siccam. in Fast. Kalend. Rom. c.* 18. *Ursat. de not. Rom. Thes. Ant. Rom. Græv. Tom.* XI. *p.* 675. *A. Struv. Ant. Rom. c.* 8. *p.* 359.

DIVERSORIUM est locus, ad quem viatores *divertunt*. Cicer. Fam. VI. 19. *Nam & villa, & amœnitas illa commorationis est, non diversorii.* de Senect. c. 23. *Ex vita ista discedo, tanquam ex hospitio, non tanquam ex domo. Commorandi enim natura nobis diversorium, non habitandi dedit.* *Diversari* est manere apud aliquem hospitii jure, vel alio modo: & *diversor* is, qui *diversatur*. Cicer. de Invent. II. 4. *Caupo non multo post clamat, hominem esse occisum, & cum quibusdam diversoribus illum, qui ante exierat, consequitur.* Aliquando inter tabernam & *diversorium* erat differentia: aliquando confunduntur. Nam & tabernæ plerumque viatores & adventores excipiunt: *diversoria*

vinum vendunt civibus. Quin Latini pariter cauponas & *diverſoria* pro iiſdem habent. *Diverſorias tabernas*, quas copæ exercerent, appellat Suet. Ner. c. 27. n. 4. *Diſpoſitæ per littora & ripas diverſoriæ tabernæ parabantur, inſignes ganeæ, & matronarum inſtitorio copas imitantium, atque hinc inde hortantium, ut appelleret.* Tomaſ. de teſſ. hoſpit. c. 29. Stuck. Ant. Conviv. I. 28.

DIVERTICULUM eſt, ubi incipit ſemita, quæ te digredientem a publica via in alicujus villam deducit. Gloſſæ: *diverticulum*, καταγώγιον. Suet. Ner. c. 48. n. 4. *Ut ad diverticulum ventum eſt.* Ter. Eun. IV. 2. 7.

Ubi ad ipſum veni diverticulum, conſtiti.

Ubi Donatus: *Diverticulum eſt, ubi iter de via flectitur. Et proprie diverticula dicuntur in via domicilia, ad quæ de itinere divertendum ſit.* Nann. Miſcell. I. 19. Barth. in Rutil. II. 61. Pitiſc. in Suetonium. Schill Nomencl. Philol. p. 429.

DIVES eſt Craſſi cognomen, a fortuna ductum. *Sigon. de nomin. Roman. c. 5.*

DIVI ut Imperatores Romani vivi dicerentur, quamvis ſuperſtitionibus colerentur, non tamen ſunt aſſecuti. Imo plerique eorum, ne poſt mortem quidem *divi* ſunt facti: & quidem vitiis deteſtabiles in communi odio mortalium omnibus exſecrationibus & conviciis merito lacerati ſunt. Qui vero meritis ac virtute habebantur inſignes, ii poſt mortem ac ſepulturam in *Divorum* numerum relati. Quamvis & improbis interdum id tribuerit vanitas ſucceſſorum, ut Commodo Severus. Sic enim conciliata populi benevolentia firmabat imperium. Tacit. Annal. I. II. I. *Sepultura more perfecta templum & cœleſtes religiones decernuntur.* Paterc. II. 126. I. *Sacravit parentem ſuum Cæſar*, Tiberius, *non imperio, ſed religione; non appellavit eum, ſed fecit Deum.* Tacit. Annal. XV. 74. 4. *Reperio in commentariis ſenatus, Cerialem Anicium conſulem deſignatum pro ſententia dixiſſe, ut templum divo Neroni*, qui tum vivebat, *quam maturrime publica pecunia poneretur. Quod quidem ille decernebat tanquam mortale faſtigium egreſſo, & venerationem hominum merito: quod ad omina olim ſui exitus verteretur. Nam deûm honor Principi non ante habetur, quam agere inter homines deſierit.* Auguſtus & Domitianus, dum viverent, *divi* ſunt appellati. Ille a Prop. III. 3. I.

Arma deus Cæſar dites meditatur ad Indos.

Hic a Mart. V. 8. I.

Edictum domini, deique noſtri.

Sed Auguſtum poetarum vanitas, & populorum adulatio, Domitianum ejuſdem arrogantia tumorque ita nominavit. Et ipſe ſe *dominum & deum dixit in formali, quam dictavit, epiſtola* apud Suet. c. 13. n. 4. Quod reliqui deinceps proſecuti ſunt. Hic tamen poſt mortem *divus* non fuit. *Donat. de Urb. Rom.* III. 4. *Boſ. Pontificat. max. c. 2. n. 14. Stewech. in Veget. Prol. II. Borrich. Ant. Urb. fac. c. 6. n. 6. Vignol. Diſſert. de Columm. Anton. Pii c. 5. Divi*, id eſt Julii Cæſaris in *divorum* numerum relati filius dicitur Auguſtus in Inſcript. obeliſc. Auguſti. *Divus* Julii prænomen. Præponitur enim nomini, quemadmodum Lucii, Marci & Titi filius dicitur, quæ ſunt prænomina. Is ſane honos habitus eſt reliquis fere omnibus Imperatoribus, eorumque liberis, uxoribus, & parentibus, vel a ſucceſſoribus, vel a S. P. Q. R. *Caſtal. in obeliſc. inſcript. Theſ. Ant. Rom. Græv. Tom.* IV. *p.* 1862. *C.*

DIVIDERE ſententiam explicat Aſcon. in Cicer. p. 196. *Cum aliquis in dicenda ſententia duas, pluresve res complectitur, eæ ſi non omnes probantur, poſtulatur ut dividat, id eſt, ut de rebus ſingulis referatur. Non eſt ei, qui hoc poſtulat, oratione longa utendum, ac ne conſurgendum quidem utique eſt: multi enim ſedentes hoc unum verbum pronuntiant, divide: quod cum auditum eſt, liberum eſt ei, qui facit orationem, dividere.* Hoc commento in cauſa Milonis uſus eſt T. Munatius Plancus tribunus plebis. Nam cum Q. Hortenſius in ſua ſententia dixiſſet, ut de Milone veteribus legibus extra ordinem quæreretur, Plancus, qui quæri ſane extra ordinem vellet, veteribus autem legibus nollet, ſed novam ideo fieri cuperet, ut adverſus Milonem plus invidiæ concitareretur, qui flagitium nova lege vindicandum patraſſet, Q. Fuſium ſenatorem, Clodianarum partium ſtudioſum induxit, ut *diviſionem* ab Hortenſio poſtularet. Futurum enim id, quod evenit, intelligebat, ut, *diviſa* ſententia, caput illud de veteribus legibus irritum fieret, nimirum cum ipſe, qui tribunus plebis erat, interceſſiſſet, ex Sčto fieri vetuiſſet: nam, quatenus de extraordinaria quæſtione Hortenſius dixerat, aſſenſus eſt. Hoc illud eſt, quod ſignificat his verbis Cicer. Mil. c. 6. *Diviſa ſententia eſt, poſtulante neſcio quo, ſic reliqua auctoritas ſenatus, empta interceſſione, ſublata eſt:* cum intelligat, ſenatus voluntatem fuiſſe, ut in Hortenſii ſententiam Sčtum fieret, ſed *diviſione* ſententiæ factum eſſe, ut, quod ad quæſtionem extraordinariam attinebat, id quidem non mutaretur: quod autem de veteribus legibus reliquum erat, quam vocat *reliquam ſenatus auctoritatem*, quia ſenatus, ut in capite de extraordinaria quæſtione, ſic in hoc de veteribus legibus ſimul cum Hortenſio ſentiebat, id mercenaria Plancii interceſſione tolleretur. *Manut. de Sen. Rom. c. 9. Bud. in Pandect. p. 65. A. Briſſon. de Formul.* II. *p.* 182. *Zamoſc. de Senat. Rom.* II. II. *Blond. Triumph. Rom.* IV. *p.* 84. *F.*

DIVIDICULA *antiqui dicebant, quæ nunc ſunt caſtella, ex quibus a rivo communi aquam quiſque in ſuum fundum ducit.* Feſtus. *Marlian. Topogr. Urb. Rom.* IV. 10. *Keuchen. in Frontin. de aquæduct. Theſ. Antiq. Roman. Græv. Tom.* IV. *p.* 1644. *D.* V. & ſupr. in *Caſtellum.*

DIVINATIO alia eſt naturalis, alia artificiaria. Naturalis eſt ipſa avis, quæ volatu, aut voce, aut guſtatu ex inſperato nobis ſuapte natura aliquid boni, aut mali futuri prædicit. De hac Virg. Ecl. IX. 14.

Quod niſi me quacunque novas incidere lites
Ante ſiniſtra cava monuiſſet ab ilice cornix,
Nec tuus hic Mœris, nec viveret ipſe Menalcas.

Artificiaria eſt interpretatio auguris, qua naturalem in ſuam ſignificationem interpretatur: unde Cicer. de leg. II. 8. *ſacerdotum genera duo eſſe* dicit; *unum, quod præſit ceremoniis & ſacris: alterum quod interpretatur fatidicorum & vatum effata incognita.* Niphus de augur. I. I. Cicer. de Divin. I. 6. *Duo ſunt divinandi genera: quorum alterum artis eſt, alterum naturæ. Quæ eſt autem gens, aut quæ civitas, quæ non aut extis pecudum, aut monſtra, aut fulgura interpretantium, aut augurum, aut aſtrologorum, aut ſortium (ea enim fere artis ſunt) aut ſomniorum, aut vaticinationum (hæc enim duo naturalia putantur) prædictione moveatur?* II. 6. *Quid exiſtimandum eſt de conjectura eorum, qui extis, aut avibus, aut oſtentis, aut oraculis, aut ſomniis futura præſentiunt? Nondum dico, quam hæc ſigna nulla ſint, fiſſum jecoris, corvi cantus, volatus aquilæ, ſtellæ trajectio, voces furentium, ſortes, ſomnia.* Sex igitur erant *divinationum* ſpecies: I. per exta, ex aruſpicum diſciplina. II. per aves, ex augurali ſcientia. III. ex ſideribus, per aſtrologos. IV. per ſortes. V. per ſomnia. VI. per vaticinationes Sibyllarum & oracula. *Struv. Ant. Rom. c. 6. p.* 260. *Feith. Antiq. Homer.* I. 16.

Divinatio ex lucernis, forſitan etiam ſacris, ad πυρομαντέιαν ſpectat, Apul. Met. II. p. 47. *Cum eſſet jam veſpera, lucernam intuens, Pamphile, quam largus, inquit, imber aderit craſtino. Et percontanti marito, qui comperiſſet iſtud, reſpondit, ſibi lucernam prædicere. Quod dictum ipſius Milo riſu ſecutus, grandem, inquit, iſtam lucernam Sibyllam paſcimus, quæ cuncta cœli negotia, & ſolem ipſum de ſpecula candelabri contuetur. Ad hæc ego ſubjiciens: ſunt, ajo, prima hujuſcemodi divinationis experimenta: nec mirum, licet modicum iſtum igniculum, & manibus humanis laboratum, memorem tamen illius majoris & cœleſtis ignis, velut ſui parentis, quid eſſet editurus in ætheris vertice, divino præſagio & ipſum ſcire, & nobis enuntiare.* Hujuſmodi lucernam & laurum ſacrificuli & vates præferebant, ut eo ornatu auguſtiores eſſent. Senec. de vit. beat. c. 29. *Cum aliqua genibus per viam repens ululat, laurumque linteatus ſenex, & medio lucernam die præferens, conclamat iratum aliquem deo-*

rum, concurritis, & auditis, divinum esse eum, invicem mutuum alentes stuporem affirmatis. Saubert. de sacrif. c. 16. Lips. Elect. I. 3.

Divinatio dicebatur etiam judicium, quod fiebat, uter deberet nomen deferre, quando duo, aut plures non solum in causa repetundarum, sed etiam ambitus, & aliorum criminum accusationem sibi deposcerent. Ascon. præfat. in Divin. Cicer. p. 3. *Divinatio dicta est, quia non de facto, sed de futuro quæritur, uter debeat accusare. Alii putant divinationem dici, quod injurati judices in hac causa sedeant, & quod velint præsentire de utroque possint. Alii, quod res agatur sine testibus, & sine tabulis, & his remotis argumenta sola sequantur judices, & quasi divinent.* Gell. II. 4. *Cum de constituendo accusatore quæritur, judiciumque super ea re redditum, cuinam potissimum ex duobus, pluribusve accusatio, subscriptiove in reum permittatur, ea res atque judicum cognitio divinatio appellatur. Bassus, divinatio, inquit, judicium appellatur, quoniam divinare judicem quodammodo oporteat, quam sententiam sese ferre par sit.* & quæ sequuntur. Quale autem hoc judicium fuerit, facile ipsa Ciceronis in Verrem *Divinatio*, in qua cum Cæcilio disputat, potest docere. *Sigon. de judic.* II. 9. *Brisson. ad leg. Jul. de adult. p.* 174. *Guther. de jur. man.* III. 25. *Pollet. For. Rom.* IV. 2.

DIVISIONES dicebantur sportulæ, pecuniæ, oleum, crustum, vinum, aliaque id genus nec absimilia, quæ testatores collegiis, & sodalitatibus negotiatorum & artificum, item decurionibus, populoque interdum, die natali, parentaliorumque tempore singulis annis dari testamento cavebant. Marcian. l. cum quidem. ff. de ann. leg. *Cum quidam decurionibus divisiones dari voluisset die natalis sui: divi Severus & Antoninus rescripserunt, non esse verisimile, testatorem de uno anno sensisse: sed de perpetuo legato.* Paull. l. civitatibus ff. de legat. I. *Civitatibus legari potest etiam quod ad honorem ornatumque civitatis pertinet, ad honorem puta, quod ad munus edendum, venationem, ludos scenicos, ludos circenses, aut quod ad divisionem singulorum civium, vel epulum relictum fuerit. Hoc amplius quod in alimenta ætatis infirmæ, puta senioribus, vel pueris, puellisque fuerit relictum.* Mag. Misc. II. 2. Guther. de jur. man. II. 10. de jur. pont. III. 17. Panciroll. de magistr. municip. c. 3. Struv. Ant. Roman. c. 9. p. 452.

DIVISORES vocabantur, qui pecuniam inter tribus viritim *dividebant*, & ad suffragia largitionibus corrumpenda solebant comparari hujus operis velut redemptores. Hi certo quodam pretio accepto a candidatis, aut vero ab amicis, qui se sequestres, & interpretes in eorum causa interponebant, corrumpenda plebis suffragia suscipiebant. Cicer. Verr. Procem. c. 8. *Unum illud ex hominibus certis, ex quibus omnia comperi, reperiebam: divisores omnium tribuum noctu ad istum vocatos. Ex quibus quidam, qui se omnia mea causa debere arbitrabatur, eadem illa nocte ad me venit, demonstrat qua iste oratione usus esset: commemorasse istum, quam liberaliter eos tractasset, etiam antea cum ipse præturam petiisset, & proximis consularibus prætoriisque comitiis: deinde esse pollicitum, quantum vellent pecuniæ, si me ædilitate dejecissent. . . . Inventum tamen esse fortem amicum ex eadem familia Q. Verrem, Romilia, ex optima divisorum disciplina, qui sestertium quingentis millibus depositis, id se perfecturum polliceretur.* Magistros curiarum vocat Plaut. Aul. I. 2. 29. V. illum infr. in *Magister*. Nomen criminis non fuisse asserit Ascon. in Cicer. p. 51. sed tamen pro sordido, ac vili ministerio semper est habitum. Unde probri loco sæpe nepotibus objectum, si majores *divisores* fuissent. Ita Octaviano objecerunt nonnulli apud Suet. c. 3. n. I. *patrem argentarium, atque etiam inter divisores, operasque campestres proditum.* Et C. Herennio tribuno plebis objicit Cicer. Attic. I. 17. *patrem divisorem: tribulis tuus est, & Sextus pater ejus nummos vobis dividere solebat.* Nec mirum. Tribulium in suffragiis ferendis corruptores erant. Cicero laudatus supr. in *Diribitores*. Imo fures dicebantur. Cicer. Verr. III. 69. *Tu ejusmodi evasisti, non in hominis luxuriosi, sed tantum in furis, ac divisoris disciplina educatus.* Gruch. de Comit. I. 3. Pollet. For. Rom. V. 9. Beroal. Annot. c. 88. Rævard. Var. Lect. II. 16. Sigon. de judic. II. 30. Bud. in Pandect. p. 236. E. Prevot. de Magistrat. Roman. c. 5. Pitisc. in Suetonium.

DIVITIÆ Romanorum fuerunt immensæ. Illas integris capitibus describunt *Meurs. de Lux. Roman. c.* I. & *Kobierzyck. de Lux. Roman.* I. 2.

DIVORTIUM *inter virum & uxorem fieri dicitur.* Modestin. Dig. L. 101. Permissum fuit in XII. tabulis. Cicer. Anton. II. 28. *Frugi factus est, mimam illam suam suas res sibi habere dixit ex* XII. *tabulis, claves ademit, exegit.* Et Cajus ad leg. Jul. de adult. *Si ex lege repudium non sit missum, & idcirco mulier adhuc nupta videatur, tamen si quis eam uxorem duxerit, adulter non erit.* *Divortii* & repudii formulas prodidit Cajus ff. XXIV. 2. 2. I. *In repudiis, id est, renuntiatione comprobata sunt hæc verba: tuas res tibi habeto. In sponsalibus quoque discutiendis placuit renuntiationem intervenire oportere. In qua re hæc verba probata sunt: conditione tua non utar.* Renuntiatio ejusmodi fuit, ut aut vir uxori, aut uxor marito, vel præsenti, vel absenti nuntium remitteret. Cicer. de Orat. I. 40. *Cum paterfamilias uxorem prægnantem in provincia reliquisset, Romæque alteram duxisset, neque nuntium priori remisisset.* Top. c. 4. *Si viri culpa factum est divortium, & si mulier nuntium remisit, pro liberis manere nihil oportet.* Nemo ante annum DXX. *divortium* cum uxore fecisse perhibetur. Qui primus fecit, is fuit Spurius Carvilius Ruga; qui M. Pomponio, C. Papirio: vel, ut aliis placet, M. Atilio, P. Valerio coss. uxori nuntium nova de causa remisit; quod eam sterilem esse diceret, seque quærendorum liberorum causa uxorem habere jurasset. Dionys. II. p. 96. *Constat per* DXX. *annos Romæ nullum accidisse divortium. Olympiade demum* CXXXVII. *primus dicitur uxorem dimisisse Sp. Carvilius, vir non obscurus, coactus a censoribus jurare, liberorum causa se conjugem non retinere: erat enim sterilis: qui ob hoc factum, quamvis necessitate compulsus, in perpetuum exosus fuit populo.* Eadem fere apud Gell. IV. 3. Val. Max. II. I. 4. leguntur, licet in anno constituendo dissentiant. Exeunti reddebatur, quicquid in domum mariti secum attulerat. Cajus modo laudatus. Cicero laudatus supr. in *Clavis*. Plaut. Amphit. III. 2. 47.

Valeas, tibi habeas res tuas, reddas meas.

Et claves adimebantur. V. supr. in *Clavis*. Sigon. de anti jur. civ. Rom. I. 9. Mag. Misc. II. 15. Hotoman. de rit. nupt. c. I. Antiq. Roman. III. 3. p. 421. G. Blond. Triumph. Rom. VIII. p. 162. H. Alex. Gen. IV. 8. & ad illum Tiraquellus. Rhodig. Ant. Lect. XXVIII. 16. Thys. in Gellium. Demster. Paral. in Ant. Rom. Rosin. V. 38. Fab. Semest. II. 23. Cujac. Observ. I. 39. Rittersh. in Leg. XII. tab. Class. III. p. I. c. 8. Pigh. Annal. Rom. II. p. 95. Pitisc. in Suet. Jul. c. I. n. I. Lege Julia nullum ratum est nisi septem civibus Romanis puberibus adhibitis præter libertum ejus, qui *divortium* faciet l. 9. ff. de divort. quod ita quidem excipiunt, libertos omnes repelli a testimonio, cum is profecto tantum, qui libellum fert divortii, repellatur, de quo Juven. Sat. VI. 146.

Collige sarcinulas, dicet libertus, & exi.

Libertus hic non erat idoneus testis, cum sequester, & internuntius fuerit *divortii*: quod & in executore litis, & patrono eadem ratione servatur l. ult. de test. *Cujac. Observ.* VIII. 26. *Rittersh. l. l. Laurent. de Sponsal. c.* 2. Hunc libellum mittebant non modo mariti, sed & patres impudicitia offensi. Suet. Tib. c. II. n. 9. *Comperit deinde Juliam uxorem ob libidines, atque adulteria damnatam, repudiumque ei suo nomine ex auctoritate Augusti remissum. . . .* Ac multo vehementius, crudeliusque Caligula, qui, ut est apud Suet. c. 36. n. 6. *quibusdam, absentium maritorum nomine, repudium ipse misit.* Demster. l. l. Inter Flaminem & Flaminicam nunquam interveniebat. Festus: *Flameo amicitur nubens ominis boni causa, quod eo assidue utebatur Flaminica, id est, Flaminis uxor, cui non licebat facere divortium.* Gell. X. 15. *Matrimonium Flaminis nisi morte dirimi non est jus.*

Boxhorn. Quæſt. Roman. 26. Vertran. in Tacit. Annal. IV. 16. 6.

DIUS *fidius* fuit deus Sabinorum, tribus diverſis appellatus nominibus, Sanci, Sangi & Sabi: præſes, ſeu tutelaris deus fidei: per quem jurari ſolitum, *Medius fidius.* Fidei tutelam ei commiſſam fuiſſe, ac jurisjurandi probat Vincent. Cartar. de imag. deor. antiq. ex antiquo marmore inſculpto in feneſtræ modum, cui tres erant effigies dimidia corporis parte ſuperiore inciſæ, quarum dexterior hominis imaginem referebat togati, cum literis HONOR ad latus: ſiniſterior mulieris erat eodem veſtitu pacifico, ſeu ſtolata, lauro coronata, & literis adſcriptis VERITAS. Hæ duæ effigies dextras jungebant: inter quas puellus erat venuſta ac liberali forma, additis ſupra caput literis DEUS FIDIUS. Supra puelli caput inſculptus AMOR legitur, & ſuperius hic titulus toti emblemati adſcriptus: FIDEI SIMULACRUM. Traductus fuit a Tatio Romam. Dionyſ. II. p. 113. *Porcius Cato ait Sancum iſtum fuiſſe regionis genium, & a nonnullis Dium Fidium, Δία πίςιον, appellari.* De ejus nominibus Ovid. Faſt. VI. 213. V. illum infr. in *Hercules Sanctus.* Donat. de Urb. Rom. IV. 6. Borrich. Ant. Urb. ſac. c. 8. n. 1. Briſſon. de Form. VIII. p. 707. Turneb. Adv. XX. 36. Hanſen. de Jurejur. vet. c. 4. Minos in Alciat. Emblem. 9. Gyrald. Synt. deor. II. p. 86. A. Pigh. Annal. Rom. I. p. 453. Crinit. de Honeſt. Diſcipl. XXI. 6. Voſſ. Lex. Etymol. Schill Nomencl. Philol. p. 737.

DIX.

DIXERUNT *ſolebat pronuntiare præco, ab utraque parte oratione conſumpta, ut in conſilium dimitterentur* judices. Aſcon. in Cicer. p. 65. *Pollet. For. Rom.* V. 8. *Briſſon. de Formul. p.* 479. *Sigon. de judic.* II. 22. *Hotom. de Form. Theſ. Ant. Rom. Græv. Tom.* II. *p.* 1913. *E. Blond. Triumph. Rom.* IV. *p.* 106. *E.*

DIXI *ut dicerent ad ultimum, oratores, cum ſatis viſum eſſet fluxiſſe verborum, neceſſitatem ſibi finiendæ orationis imponebant.* Aſcon. in Cicer. p. 65. Donat. Terent. Phorm. II. 3. 90. *Dixi ſolent dicere perorata cauſa.* Hec. IV. 3. 6. *Hoc verbum in fine additum ſuperiora confirmat: & eſt proprium his, qui peroraverunt cauſam.* Briſſon. de Formul. V. p. 479. Sigon. de judic. II. 22. Pollet. For. Rom. I. 12. & ad illum Broidæus. Bud. in Pandect. p. 33. H. Palmer. Spicil. X. p. 775. Blond. Triumph. Rom. IV. p. 106. E. Laurent. de Rebuſpubl. c. 5.

DO.

DO, DICO, ADDICO, tria verba ſunt prætorum. Varro & Ovidius laudati ſupr. in *Dies nefaſti.* Continent juris dicundi munus. *Dabant* bonorum poſſeſſionem ex legibus, ex edicto ſuo, ex SCtis. Sic Val. Max. VII. 7. 5. *Egregia eſt quoque C. Calpurnii Piſonis prætoris urbani conſtitutio. Cum enim ad eum Terentius ex octo filiis, quos in adoleſcentiam produxerat, ab uno in adoptionem dato exhæredatum ſe querelam detuliſſet: bonorum adoleſcentis poſſeſſionem ei dedit, hæredesque lege agere non paſſus eſt.* Cic. Fam. VII. 21. *Si bonorum Turpiliæ poſſeſſionem Q. Cæpio prætor ex edicto ſuo mihi dedit. Dabant* judicium recuperatorium, itemque arbitros, cum privati poſtulabant. Cicer. Verr. II. 12. *Prætor improbus, cui nemo intercedere poteſt, judicem det, quem velit.* Plaut. Bacch. II. 3. 36.

Poſtquam quidem prætor recuperatores dedit....

Livius. V. illum infr. in *Recuperatores.* Hinc ſollennis formula apud Probum ſingularibus his literis P. I. A. V. P. V. D. quam explicat Briſſon. de Form. V. p. 368. *Prætor judicem arbitrumve poſtulo, ut des. Dicebant* viam in formulis, *iſtam viam dico. Dicebant* tutorem ex lege Atilia. *Dicebant* ſententiam quibuſdam in cauſis majoribus, ut in liberalibus, in popularibus, in exſecutionibus ſententiarum, in appellationibus, & aliis præterea nonnullis. *Dicebant* etiam interdicendo cum de poſſeſſione, interdum etiam cum de proprietate ageretur: quod ex Pandect. XLIII. cuivis facile eſt cognoſcere. *Dicebant* præterea indicendo, veluti cum ferias indicebant. Suet. Claud. c. 22. n. 2. *Obſervavit ſedulo, ut quoties terra in Urbe moviſſet, ferias advocata concione prætor indiceret. Addicebant*, cum in jure ceſſio fiebat, in emancipatione, in adoptione. Ut enim præco addicebat rem venditam: ſic prætores *addicebant* bona, poſſeſſiones, res, quæ petebantur, imo aliquando ipſos homines in ſervitutem creditoribus ſuis. Unde frequentiſſima mentio apud veteres *addictorum* propter æs alienum. Quod bona, & poſſeſſiones ſub hoc vocabulo vel maxime intelligantur, patet ex Cicer. Verr. Procem. c. 4. *Cujus prætura urbana ædium ſacrarum, publicorumque operum depopulatio, ſimul in jure dicendo bonorum, poſſeſſionumque contra inſtituta addictio, & condonatio.* Probant hoc leges veteres: *Quicunque magiſtratus in ea colonia juredicundo præerit: ejus magiſtratus de ea re juriſdictio, judicisque datio, addictio eſto.* Hotoman. de magiſtr. Roman. I. Theſ. Ant. Rom. Græv. Tom. II. p. 1877. A. Sigon. de judic. I. 7. Pollet. For. Rom. III. 2. & 3. Siccam. de Judic. centum. I. 13. Rævard. Protribun. c. 11. Lycklama de Magiſtrat. c. 6. Pigh. Annal. Rom. I. p. 265.

DOC.

DOCTOR librarius eſt, qui artem libros componendi & conſuendi aliquem *docet.* Inſcriptio Romæ in ædibus Hippolyti Vitelleſci:

CN. POMPEJUS
PHRIXUS
DOCTOR
LIBRARIUS DE
SACRA VIA
FECIT SIBI

Reineſ. Inſcript. Claſſ. XI. *n.* 123. *Spon. Miſc. Erud. Ant. Sect.* VII. *p.* 256.

Doctor ſagittarius forte, qui milites in ſagittandi arte edocebat. Inſcriptio Romæ.

D. M.
T. FLAVIO EXPEDITO
DOCTORI SAGITTAR
FLAVIA EUPHROSINE
ET ATTICA FILIÆ
PATRI B. M.

Spon. Miſc. Erud. Ant. Sect. VII. *p.* 256.

Doctores artium *liberalium, quo libentius & ipſi Urbem incolerent, civitate donavit* Julius Cæſar. Suet. c. 42. n. 2. *Donat. Dilucid. p.* 413. Διδασκάλους appellaverunt *poetas dithyramborum, comœdiarum, aut tragœdiarum. Antiphon in oratione de choreuta: nactus ſum, inquit, Pantaclem poetam, διδάσκαλον: qualem fuiſſe eum declaravit Ariſtoteles in Didaſcaliis. Frequens hoc nomen hac ſignificatione in veteri comœdia.* Harpocrat. in Διδάσκαλος. *Buleng. de Theat.* I. 5.

Doctores vocabulo honeſtiori, & invidendo laniſtæ dicebantur. Val. Max. II. 3. 2. *Ex ludo Cn. Aurelii Scauri doctoribus gladiatorum arceſſitis.* Lipſ. Saturn. I. 15.

DOD.

DODRA vocabatur Romanorum potio, quæ ex novem diverſis rebus parabatur. Auſon. Epigram. LXXXVI.

Dodra vocor, quæ cauſa? novem ſpecies gero; quæ ſunt?
Jus, aqua, mel, vinum, panis, piper, herba, oleum, ſal.

Ita vocatur, quod ex novem diverſis rebus conſtaret, ſive ex *dodrante,* quæ continet novem uncias, quæ tres libræ partes conſtituunt. Idem auctor clare docet Epigram. LXXXV.

Dodra ex dodrante eſt: ſic collige, jus, aqua, vinum,
Sal, oleum, panis, mel, piper, herba, novem.

Non-

Nonnus de re Cib. IV. 18. Voss. Lex. Etymol. in Dodrans.

DODRANS a de & quadrans. Deest enim quadrans, quo minus sit as. Suet. Jul. c. 83. n. 3. *Novissimo testamento C. Octavium hæredem instituit ex dodrante*, id est, novem illi dedit hæreditatis partes, sive tres quartas. As enim pro tota hæreditate accipitur & *dodrans* pro novem ejus partibus. *Alex. Gen.* I. I. *Bud. in Pandect. de asse p.* 126.

Dodrans vocatur quoque mensura tripalmaris digitorum duodenûm, Græco vocabulo σπιθαμή, Germ. Ein spann *Covarruv. Var. res. Tom.* 2. *lib.* 11. *c.* 20. *n.* 5. *Bud. in Pandect. de asse* I. *p.* 16. 20. *Hennin. in Bergier. de viis Milit.* III. *Sect.* 10. §. 3.

DOG.

DOGA est dolium magnum, in quo vinum recenter vindemiatum colligebatur. Vopisc. Aurelian. c. 48. *Facta erat ratio dogæ.* In antiquo Lexico legitur: *doga.* βῦτις: *dogarius*, βυτλοποιός. *Turneb. Adv.* XVIII. 19. *Casaub. & Salmas. in Vopiscum.* Impressio Vopisci Germanica habet, *dochæ.* Δόχαι Græcis, quæ capacitati alicujus parata sunt, & capacitates ipsæ, vel mensuræ dictæ: quinimo δοχεῖον vas, seu receptaculum significat. *Donat. in Vopiscum. Nicol. de Sigl. Vet. c.* 45. §. I. Si hanc significationem sequamur, & *cupposæ dochæ* conjunctim legamus, erit sensus, factam rationem capacitatis cuparum, quibus contineri posset vinum perceptum ex vitibus plantatis, jussu Aureliani, & consertis in locis illis prius incultis, sicuti navium, quibus Romam veheretur, & operum, quæ ad id munus necessaria essent, ut vinum populo Romano sine pretio divideretur. Si autem vocem *dochæ* a cupparum dictione sejungamus, *docham* interpretabimur dolia, seu vasa alia grandia in terram defodi solita, quibus vinum primum reconderetur. *Nicol. l. l.*

Doga etiam canalis est, quo aqua rejicitur. Gregorius Turonensis: *Tertio vero vocata virorum multitudine fossas in circuitu fieri jussit, ne forte dogis occultis lymphæ deducerentur in fontem.* Nos etiam hodieque *dogas* vocamus fontium conceptacula. Vulgo *doyes.* Græci quoque *δοχὰς* dixerunt. Hesychius: Ἐυρίπους, *δοχὰς ὑδάτων.* Et sane *doga* a *δοχή.* χ in g. *Salmas. in Vopisc. Aurelian.* c. 48.

DOL.

DOLABRA est instrumentum fabri lignarii, quo ligna *dolantur*, seu expoliuntur. *Stuck. de sacrif. p.* 166.

Dolabra est instrumentum in militia ad urbes expugnandas in subruendis muris. Tacit. Hist. III. 20. 5. *Conversus ad singulos, num secures, dolabrasque, & cætera expugnandis urbibus secum attulissent? rogitabat.* Liv. IX. 37. *Dolabræ calonibus dividuntur ad vallum proruendum, fossasque implendas.* Brisson. Ant. Select. II. 8. Stewech. in Veget. IV. 15. Rhodig. Ant. Lect. XIX. 2. Lips. Poliorc. I. Dial. 9. Thys. de Oppug. Urb. I. p. 163. Distincta erat a securi, licet forma sit securis, sed unica, & simplici acie, parte altera in mucronem acuminata. *Laurent. Polym.* IV. *Synops.* 2. *Lips. & Thys. l. l.*

Dolabra est instrumentum in re rustica ad præfractas stirpes, summasque radices, quibus ager arbusto consitus, implicatur, refodiendas. Colum. II. 2. *Nec minus dolabra, quam vomere bubulcus utatur, & præfractas stirpes, summasque radices, quibus ager arbusto consitus implicatur, omnes refodiat, ac persequatur.* Brisson. Ant. Select. II. 8. Stuck. de sacrif. p. 166. Rhodig. Ant. Lect. XIX. 2.

Dolabra erat instrumentum in sacris, quo hostias percussas & jugulatas deglubebant. Festus meminit *dolabræ pontificalis.* V. illum infr. in *Scena.* Saubert. de sacrif. c. 17. Choul. de relig. vet. Roman. p. 262. Laurent. Var. sacr. gentil. c. 14.

DOLIARIUS, sive *dolearis* servus. Marmor vetus.

A. TERENTIUS. M. L. CHRYSOGONUS
SER. DOLEAR
H. S. E.

Hujusmodi servos cum cellæ vinariæ typo exhibet antiquum marmor, quod anno MDCI effossum est Augustæ Vindelicorum. *Pignor. de serv. p.* 550.

DOLICHODROMUS dicebatur, qui leucam cursu absolvisset, aut qui sex decursis stadiis, idem spatium recurrendo absolvisset. *Cenal. de pond. ac mens. rat. Thes. Antiq Roman. Græv. Tom.* XI. *p.* 1485. *E. Bergier. de viis Milit.* III. *Sect.* XII. §. 4. *Argol. in Panvin. de lud. Circ.* II. 11. *Bud. in Pandect. p.* 96. *C. Lyd. Agon. sacr. Proleg. p.* 12.

DOLICHOS erat mensura duodecim stadiorum, qua ratione continet sesquimilliare, hoc est, passus mille quingentos. Sunt qui hoc spatio leucam circumscribant: cui tamen alii duo milliaria tribuunt. *Cenal. de pond. ac mens. rat. Thes. Antiq. Roman. Græv. Tom.* XI. *p.* 1485. *E. Bud. in Pandect. p.* 126. *D. Mercur. de art. Gymnast.* II. 10. *Rhodig. Ant. Lect.* XIII. 30. *Fab. Agon.* I. 32. *Scalig. Poet.* I. 22. *Fasold. de Fest. Græcor. Thes. Antiq. Græcar. Gronov. Tom.* VII. *p.* 533. *F.*

DOLIOLA fuerunt locus singularis in Foro Romano prope Cloacam, in quem despuere nefas erat. Varr. de Ling. Lat. IV. 32. *Est locus, qui vocatur Doliola ad cloacam maximam, ubi non licet despuere, a doliolis sub terra. Eorum duæ traditæ historiæ, quod alii esse ajunt ossa cadaverum, alii Numæ Pompilii religiosa quædam post mortem ejus infossa.* Nardin. Rom. Vet. V. 7. Guther. de jur. man. I. 6. Marlian. Topogr. Urb. Rom. III. 5. Panvin. Descript. Urb. Rom. Thes. Antiq. Roman. Græv. Tom. III. p. 297. D. Panciroll. Descript. Urb. Rom. Thes. Græv. p. 372. B. Donat. de Urb. Rom. II. 20. Boissard. Topogr. Urb. Rom. Tom. I. p. 31.

Doliola fuerunt alia in sacello, forsan in Quirinali, ubi Flaminem Quirinalem habitasse verosimile est: in quæ *dolia* itidem despuere nefas habitum. Liv. V. 40. *Flamen interim Quirinalis, virginesque Vestales, omissa rerum suarum cura, quæ sacrorum secum ferenda, quæ quia vires ad omnia ferenda deerant, relinquenda essent consultantes, quisve ea locus fideli asservaturus custodia esset; optimum ducunt, condita in doliolis sacello proximo ædibus flaminis Quirinalis, ubi nunc despui religio est, defodere.* Nardin. Rom. Vet. V. 7. Panciroll. Descript. Urb. Rom. Thes. Antiq. Roman. Græv. Tom. III. p. 372. B.

DOLIOLUM est mons in regione XIII. quæ Aventinus dicta, admirabilis e fragmentis vasorum figulinorum, testarumque, unde ei hodieque Testacei nomen est, comportatis enatus: olim etiam quam nunc major, quum mea ego ætate ingentem illic numerum curruum olim viderim, qui terram inde ablatam in explendas, æquandasque lutosas in vicinia vias deferebant. Causam nominis veram jam diximus: multæ enim illic figlinæ fuere, translatis eo ab Tarquinio forsan Prisco figulis, cum circum faceret, quod flumen in proximo esset ad cocta inde vasa devehenda. Et in hoc omnes consentiunt veteres scriptores, ex eorum fragmentis huc abjectis montem illum surrexisse. Illa enim vulgaris fabula de tributis Urbi, provinciis, & urbibus subjectis in vasis figulinis apportatis nimium anilis est. *Nardin. Rom. Vet.* VII. 9. *Borrich. Ant. Urb. Fac. c.* 15. *n.* 4.

DOLIUM an sit in vasis vinariis; quod Javolenus ait, præsertim si vinum habeat l. vinaria 206. de verb. sign. Trebatius a Proculo reprehensus negat l. vinum 15. ff. de tritic. vin. & oleo leg. Cujacius solerter & ingeniose explicat Observ. II. 36. *Salmuth ad Panciroll. de reb. deperd. & inv. p.* 143. *Dolia fundo legato continebantur*, Pompon. l. cum fundus 21. non quævis, quæ in cellis quidem defixa erant, non tamen ita, ut solo suo, aut lateribus fundo hæreant, sed ut tota, & integra erui inde possint; verum ea, quibus terra ita adgesta est, vel quæ ita fundo adhærent, ut perpetuo ibi sint, & sine ruina ædificii avelli nequeant. *Nicol. de Sigl. Vet. c.* 45. §. 2. Mense Septembri picabant veteres. Colum. XI. 2. *Antequam fructum cogere incipiat, cuncta præparanda erunt superiore, si fieri poterit, mense. Sin minus, certe ut ante quindecim dies dolia partim picata, partim defricata, & diligenter lota mari-*

 na,

na, vel aqua ſalſa, & recte ſiccata. Pallad. in Septembri tit. II. *In dolus picandis hic modus erit, ut dolium ducentorum congiorum* XII. *libris picetur.* Urſin. ad Kalend. ruſtic. Rom. Theſ. Antiq. Roman. Græv. Tom. VIII. p. 25. F. Ligneorum uſus hodie apud omnes Italos pertranſivit, ſublatis in totum teſtaceis, cum ſua picandi difficultate, & tranſportandi periculo, & quod omnium maximum videtur, cum pæne illa incredibili moleſtia hauriendi vinum per ipſorum vaſorum ora, tam in diffundendo, id eſt, de uno in aliud vas tranſportando, ut docet Ictus Proculus l. vinum de tritico legato, & Colum. XII. 18–30. quam in depromendo & deguſtando, ut prædicti auctores, & Plin. XIV. 14. demonſtrant: de quo & Terent. Heaut. III. I. 51.

Relevi dolia omnia, omnes ſerias.

Pætus de Rom. & Græc. menſ. IV. Theſ. Græv. Tom. XI. p. 1654. F. *Dolia* ſaxis farcire, & ſic cum pondere & impetu in homines & in machinas immittere, præſertim per declive, ſolebant veteres. In Dione LVI. p. 580. D. ſcribitur, cum Tiberius, juſſu Auguſti in Dalmatia res gereret, atque oppidum aliquod in rupe aſſideret, *Dalmatarum alios... arcas ſive dolia rotunda facta more gentis, & lapidibus referta dimiſiſſe.* Heron Mechanicus c. I. *Columnas, rotas, currus quadrirotos ponderibus onuſtos, vaſa textilia lapidibus, aut terra madefacta repleta, cujuſmodi ſunt ea, quæ ex tabulis figura circuli compoſita, vinum, oleum, & tales liquores ſuſcipiunt.* Ammian. XX. II. *Et viminea crates, cum procederent confidenter, eſſentque parietibus contiguæ, dolia inſuper cadebant, molæ, & columnarum fragmenta: quorum nimiis ponderibus obruebantur pugnatores.* Lipſ. Poliorc. V. Dial. 4. Thyſ. de Oppugn. Urb. V. p. 190.

DOLO *eſt flagellum, intra cujus ferrum latet pugio. Aut ſecundum Varronem ingens contus cum ferro breviſſimo.* Serv. Æneid. VII. 664. Hinc Alphen. ff. ad leg. Aquil. *Ille flagello, quod in manu habebat, in quo dolon inerat, verberare tabernarium cœpit.* Heſychius: *Dolones, gladioli in ligno latentes.* Suet. Claud. c. 13. n. 3. *Reperti & equeſtris ordinis duo in publico cum dolone.* Alex. Gen. IV. 15. & ad illum Tiraquellus. Buleng. de theatr. I. 55. Laz. Comm. reipubl. Rom. VIII. 18. Salmuth in Panciroll. de reb. deperd. & inv. p. 31. Bud. in Pandect. p. 119. F. Bayſ. de re nav. Theſ. Ant. Græcar. Gronov. Tom. XI. p. 618. A. Gyrald. de navig. c. 14. Donat. Dilucid. p. 57. Beroal. & Pitiſc. in Suetonium.

Dolo ſignificat quoque armamenta, ſive ornamenta navalia. Liv. XXXVI. 44. *Quibus ut æquaret lævum cornu, dolonibus erectis altum petere intendit.* XXXVII. 30. *Poſtquam prætoriam navem Polyxenidæ relictis ſociis vela dantem videre: raptim dolonibus capeſſunt fugam.* Tiraquell. ad Alex. Gen. IV. 15. Beroal. in Suet. Claud. c. 13. n. 3. Qui genus deſcribunt. ſed non ſpeciem, aut ſpecificam differentiam, ſicuti ſi quis hominem diceret eſſe animal. Cogitabam ego *dolones* dictas a Livio antennas illas, quibus minora vela brevioribus funiculis alligantur, trochleiſque in altum eriguntur, vel deprimuntur, & inferius relaxantur, *Donat. Dilucid. p.* 58. Si hæc interpretatio non arriſerit, aliam ſubjicimus ex Suida deſumptam, qui interpretatur *dolones* minuſcula navium vela. Namque cum Livius dux Romanæ claſſis vela contraxiſſet, maloſque inclinaſſet, armamenta compoſuiſſet, operiens hoſtilem claſſem ad pugnam, tamen ut æquaret lævum cornu, *dolonibus* erectis altum petere intendit, fefellitque hoſtes, qui nihil tale facturum eum exiſtimaverant, ſed ſolum in pugna paratum ſtaturum crediderant. *Donat. l. l. Bayſ. de re nav. Theſ. Ant. Græcar. Gronov. Tom.* XI. *p.* 618. *A. Dolet. Theſ. ibid. p.* 683. *A. Gyrald. de navig. c.* 14. *Calcagn. de re naut. c.* 14. *Salmuth ad Panciroll. de Reb. deperd. & inv. p.* 30. *Bud. in Pandect. p.* 119. *F. Scheffer. de re nav.* II. 5. *Kipping. Diſſert. de Expedit. Marit.* §. I.

DOLUS malus cur dicatur a prætore, docet Ulpian. ad edictum XI. l. I. §. non fuit, de dolo malo: *Non fuit autem contentus prætor dolum dicere, ſed adjecit malum: quoniam veteres dolum etiam bonum dicebant, & pro ſolertia hoc nomen accipiebant, maxime ſi adverſus hoſtem latronemve quis machinetur.*

Dolus, an virtus quis in hoſte requirat?

inquit Virg. Æneid. II. 390. *Auguſtin. ad leg.* XII. *tab.* §. 53. .... a venditione aberit, venditionibus ſolebat adjici: quod etiamſi adjectum non fuiſſet, præſtari tamen debebat. l. ſi cum fundum §. I. ff. I. de contrah. empt. *Exiſtimo te in exigendo non ſolum bonam fidem, ſed etiam diligentiam præſtare debere: id eſt, non ſolum ut a te dolus malus abſit, ſed etiam ut culpa, Fere aliqui ſolent hæc verba adjicere, dolus malus a venditore aberit, qui etiamſi adjectum non eſt, abeſſe debet.* Ambroſ. Offic. III. 10. *Quid autem loquar de contractibus ceteris, ac maxime de coemptione prædiorum, vel transactionibus, atque pactis. Nonne honeſtatis formulæ ſunt, dolum malum abeſſe, eumque cujus dolus deprehenſus fuerit, dupli pœnæ obnoxium fore.* Briſſon. de Formul. VI. p. 507. Urſat. de not. Rom. Theſ. Antiq. Roman. Græv. Tom. XI. p. 677. D.

DOM.

DOMESTICI dicuntur omnes adjutores, ſive miniſtri legitime conſtituti, tum in palatio, tum in foro. In palatio *domeſticus* menſæ, comes *domeſticorum*, magnus *domeſticus*, ſcholarum *domeſticus*, murorum, vel regionum *domeſticus*. In foro *domeſtici* judicum miniſtri C. de aſſeſſ. & miniſtr. *Buleng. de Imp. Rom.* IV. 38: VIII. 19. Hi privatis negotiis vacabant, & a publicis actibus arcebantur. *Nam ſi neceſſitatibus publicis convicti ſint ſe commiſcuiſſe, ad poteſtatis majoris examen deducuntur, ut competens in eos vindicta promatur.* l. 4. C. de aſſeſſ. *Poſt finitam magiſtratuum adminiſtrationem dies quinquaginta in provinciis reſidere,* l. 3. C. eod. ut ſi quid peccaſſent, pro modo delicti plecterentur. Illi publicis illorum uſibus deſerviunt, & in exſecutione tributorum comitibus obſequebantur. Caſſiod. Var. IX. 13. *Guther. de Offic. dom. Aug.* II. 15. Multa *Du Freſne Gloſſario.*

DOMIDUCUS, cum domum ducenda erat, quæ nubebat, colebatur. Auguſtin. de Civit. Dei VI. 9. *Sed domum eſt ducenda quæ nubit, adhibetur Domiducus.* Erat hic, cujus numine putabatur virgo matrona eſſe, & patriæ poteſtatis jugo ſoluto in mariti jus migrare. *Tomaſ. de donar. c.* 13. *Gyrald. Synt. deor.* I. 56. *D. Voſſ. de Idolol.* II. 26. *Struv. Ant. Rom. c.* I. *p.* 158. *Stuck. de Sacrif. p.* 46. *Laurent. de Sponſal. c.* I. *Blond. Triumph. Rom.* I. *v.* II. *E.*

DOMINÆ dicebantur deæ. Venus apud Petron. c. 45. *Timidiſſimo murmure votum feci: & domina, inquam, Venus.* Juno apud Virg. Æneid. III. 438.

Junoni cane vota lubens, dominamque potentem
Supplicibus ſupera donis.

Cybele apud Virg. Æneid. III. 113.

Et vincti currum dominæ ſubiere leones.

Ubi Servius: *Sane dominam proprie matrem deûm dici Varro & ceteri affirmant. Nam & ibi Proſerpina ideo a Virgilio domina appellata, quod ipſa terra eſſe credatur, ſicut & mater deûm.* Iſis: Inſcriptio Bononienſis apud Gruter. p. 84. n. 2.

DOMINÆ.
ISIDI. VICTRICI.

Briſſon. de Formul. I. *p.* 45. *Donat. Dilucid. p.* 454. *Guther. de jur. pont.* II. 3. *Broukh. in Prop.* II. 4. 17. Filiæfamilias. Auguſtin. Conf. IX. 8. *Ancilla, cum qua ſolebat accedere ad cuppam, litigans cum domina minore, ut fit, ſola, cum ſola.* Cerda Adv. c. 173. n. 10. Uxores. Epict. Enchir. c. 62. *Mulieres ſtatim ab anno decimo quarto a viris dominæ vocantur.* Ubi Simplicius. *Pleraque mortales uxoribus a prima ætate adulantur, & honorem habent, eaſque dominas vocant, ſolius concubitus cauſa.* Uxor viro fortunarum ſocia eſt, & ut domus ille *dominus*, ita hæc *domina* eſt. Hoc ſibi vult vetus illud verbum: *ubi tu Cajus, ego Caja.* Hinc

ſocia

ſocia rei humanæ, atque divinæ domus, id eſt, religionis & ſacrorum *ſuſcipitur* Cod. IX. 32. 4. *Atque hæc ſocietas vitæ quodammodo dominam eam facere* ſtatuitur a Nerva & Caſſio. Virg. Æneid. VI. 397.

Hi Dominam Ditis thalamo deducere adorti.

Suet. Claud. c. 39. n. 2. *Cur domina non veniret, requiſivit.* Ad Virgilium dicit Servius: *De Græco tractum eſt, quia uxorem δέσποιναν dicunt.* Rittersh. in Oppian. p. 3. Panciroll. Var. Lect. I. 76. Lyd. Serm. conviv. p. III. Hotoman. de rit. nupt. c. 23. Forner. Select. I. II. Tiraquell. in v. leg. connub. Gloſſ. I. p. 5. n. II. 12. 13. Barth. in Calpurn. III. 50. Lipſ. in Tacit. Annal. II. Excurſ. P. Cujac. Obſerv. III. 18. Ræyard. de Div. reg. jur. XXX. Almelov. Ant. ſacr. prof. p. 47. Torrent. & Pitiſc. in Suetonium. Guther. de offic. dom. Aug. III. 9. Menag. Amœn. jur. c. 25. Gentil. Parerg. II. 23.

DOMINI *noſtri* epitheton, quod paſſim in lapidibus, & nummis legitur, vota, dedicationes, ſeu opera publica, & monumenta viventium Principum indicat. *Bellor. in fragm. veſt. vet. Rom. Theſ. Ant. Rom. Græv. Tom.* IV. *p.* (8.)

Domini appellabantur Dii. Jupiter apud Apul. Metam. VI. p. 192. *Tunc Jupiter prehenſa Cupidinis buccula, manuque ad os ſuum relata: licet tu, inquit, domine fili. . . .* Ovid. Heroid. IV. II.

Quicquid Amor juſſit, non eſt contemnere tutum.
Regnat, & in dominos jus habet ille deos.

Inſcriptio Cilbini in Tranſſylvania apud Gruter. p. 506. n. I.

I. O. M. JUNONI. MI
NERVÆ. ET. ÆSCU-
LAPIO. DOMINO. . . .

Broukh. in Prop. II. 4. 17. Fratres a fratribus blandientibus. Senec. Epiſt. 104. *Illud mihi in ore erat domini mei Gallionis.* Loquitur de fratre Junio Gallione. *Lipſ. in Tacit. Annal.* II. *Excurſ. P. & in Senecam.* Mariti ab uxoribus. Virg. Æneid. IV. 214.

— ac dominum Æneam in regna recepit.

Ubi Servius: *Eſt de jure, quaſi per coemptionem. Vel dominum maritum, ut dominam uxorem.* & Nonius IV. 125. *Dominus, maritus.* Cyprian. de bon. pudicit. *Virginitas quid aliud eſt quam ſoluta libertas: maritum non habet dominum.* Reineſ. Inſcript. Claſſ. XIV. n. 146.

D. M.
L. VIRGINIO. VIRGINIANO
A. MILITIIS. DOMINO
MARITO. SANCTISSIMO
GAUNIA. TARSIS
F.CIT. ET. SIBI.

Panciroll. Var. Lect. I. 76. *Guther. de offic. dom. Aug.* III. 9. *Cerda Adv. c.* 136. *n.* 8. *Donat. Dilucid. p.* 86. *Menag. Amœn. jur. c.* 25. *Lipſ. in Tacit. Ann.* II. *Excurſ. P. Gentil. Parerg.* II. 23. *Cujac. Obſerv.* III. 18. *Almelov. Ant. ſacr. prof. p.* 47. *Claud. de ſalutat. p.* 41. Obvii, quorum nomina vel ignorabant, vel non meminerant. Senec. Epiſt. 3. *Quomodo obvios, ſi nomen non occurrit, dominos ſalutamus.* Quo referendum epigramma Mart. I. 113.

Cum te non noſſem, dominum, regemque vocabam.

Lipſ. in Tacit. Annal. II. Excurſ. P. Torrent. in Suet. Auguſt. c. 53. Scriver. & Rader. in Martialem. Briſſon. de Formul. VIII. p. 744. Pædagogi ab alumnis. Manil. V. 450.

Componet teneros etiam qui nutriet annos,
Et dominum dominus prætextæ lege ſequatur.

Stat. Sylv. II. I. 50.

— heu lactea colla;
Brachiaque, & nunquam domini ſine pondere cervix.

Claud. Diatr. de nutric. & pædag. p. 223. Parentes a liberis. Mart. I. 82. I.

E ſervo ſcis te genitum, blandeque fateris,
Cum dicis dominum, Soſibiane, patrem.

Quamvis Auguſtus *dominum ſe appellari, ne a liberis quidem, aut nepotibus ſuis, vel ſerio, vel joco paſſus ſit: atque hujuſmodi blanditias etiam inter ipſos prohibuerit.* Suet. c. 53. n. 2. *Barth. Adv.* XXXVI. 21. *Lipſ. in Tacit. Annal.* II. *Excurſ. P. Pitiſc. in Suetonium.* Servi ab heris ludendo; Martialis ſupra laudatus. & V. 59. I.

Cum voco te dominum, noli tibi Cinna placere:
Sæpe etiam ſervum ſic reſaluto meum.

Lipſ. in Tacit. Annal. II. Excurſ. P. Scriver. & Rader. in Martialem. Torrent. in Suet. Auguſt. c. 53. Superiores dignitate ab inferioribus, ut apud veteres Atticos τίμιοι. Τίμιος eſt *dominus.* Theoph. Eth. Char. c. 10. *Tu vir honeſte epulare hilariter*, εὐωχοῦ τίμιε. Eurip. Suppl. II. 552.

— ab infortunato
Honore afficitur, qui eſt in ſecundis rebus.

Et in Hecuba ait idem poeta, pleroſque homines inſoleſcere: alium propter opes; alium, quod *dominus vulgo ſalutetur*, ἐν πολίταις τίμιον κεκλημένον. Poſtea Romanos imitati ſunt Græci, & ſeſe invicem ſalutarunt δεσπότας καὶ κυρίους. *Caſaub. in Theophraſtum. Gentil. Parerg.* II. 23. *Claud. de ſalutat. vet. p.* 54.

DOMINIA dicuntur convivia hilariora; quæ a *domino*, præbitore convivii nomen acceperunt. Gell. II. 24. *Qui ludis Megalenſibus antiquo ritu mutitarent, id eſt, mutua inter ſe dominia agitarent.* Thyſ. in Gellium.

DOMINIUM dicebatur vel naturale, ſive bonitarium, quod in bonis appellat Ulpian. Fragm. tit. I. §. 16. his verbis: *In bonis tantum alicujus ſervus eſt, velut hoc modo, ſi civis Romanus a cive Romano ſervum emerit, iſque traditus ei ſit, neque tamen mancipatus ei, neque in jure ceſſus, neque ab eo anno poſſeſſus ſit. Nam quamdiu horum quid factum fuerit, is ſervus in bonis quidem emptoris eſt, ex jure Quiritium autem venditoris eſt.* Vel legitimum, ſive ex jure Quiritium. Theophilus. *Eſt itaque, ut dicunt, naturale dominium, & legitimum dominium. Et naturale quidem dicitur in bonis, & dominus bonitarius. Legitimum vero ex jure Quiritium.* Quod ut acquiratur, ſex fere res requiruntur. Varro de re ruſt. II. 10. *In emptionibus dominium legitimum ſex fere res perficiunt: ſi hæreditatem juſtam adiit: ſi ut debuit, mancipio ab eo accepit a quo jure civili potuit: aut ſi in jure ceſſit cui potuit cedere, & id ubi oportuit: aut ſi uſucepit: aut ſi e præda ſub corona emit: tumve cum in bonis ſectioneve cujus publice venit.* Ex hoc jure oriebatur formula: *Hunc hominem ex jure Quiritium meum eſſe ajo.* Et illa apud Cicer. in Verrem: *Si patet fundum Capenatem, quo de agitur, ex jure Quiritium P. Servilii eſſe.* Qui utrumque *dominium* habebat, jure pleno *dominus* dicebatur. Theophilus. Hanc *dominiorum* ſubtiliorem diſtinctionem ſuſtulit Juſtinian. l. unic. C. de nud. jur. Quir. toll. *Loon. de manum.* I. 4. 6. & 7. *Auguſtin. de leg. in Junia Norbana.* Conſtituto poſſeſſore, lis de *dominio* intendebatur poſſeſſori ab eo, qui poſſeſſione excluſus eſſet, aut qui omnino expers poſſeſſionis eſſet. Siquidem, ut ſcriptum eſt ff. de petit. hæred. *tenetur petitione hæreditatis, qui vel jus pro poſſeſſore poſſidet, vel rem hæreditariam, licet minimam. Dominium* petebatur eadem ratione, iiſque prope verborum formulis, quibus poſſeſſio. Cæterum petitor cum poſſeſſore egit ita, ut primum an auctor eſſet, id eſt, an talis eſſet, unde jus ſuum repetere poſſet, ſtatueret, deinde vindicaret, tum ſatisdare juberet, tum ſponſione provocaret. V. ſingula ſuis locis. *Sigon. de judic.* I. 21.

DOMINO immiti ex legibus Antonini in ſervos ſævire non licebat, licet illi antea in illos poteſtas fuerit vitæ & necis. Cajus l. I. ff. de his qui ſui vel alieni jur. ſunt: *Igitur in poteſtate ſunt ſervi dominorum, quæ quidem poteſtas juris gentium eſt: nam apud omnes peræque gentes animadvertere poſſumus, dominis in ſervos vitæ neciſque poteſtatem fuiſſe. Sed hoc tempore nullis hominibus, qui ſub imperio Romano ſunt, licet ſupra modum, & ſine cauſa legibus cognita, in ſervos ſuos ſævire: nam ex conſtitutione divi Antonini, qui*

ſine cauſa ſervum occiderit, non minus puniri jubetur, quam qui alienum ſervum occiderit. Argol. in Panvin. de lud. circ. II. 3.

Dominus factionum dicebatur, qui, cum quatuor eſſent factiones, ſuæ quisque factioni præerat, ac circi jura tuebatur. Suet. Ner. c. 5. n. 6. *Querentibus dominis factionum.* Lampr. Comm. c. 16. *Circenſes multos addidit ex libidine potius quam religione, & ut dominos factionum ditaret.* Dicitur alias magiſter. Inſcriptio, quæ exſtat Lanuvii. M. AURELIO. LIBERO. PATRI. ET MAGISTRO. ET SOCIO. DOMINO. ET. AGITATORI FACTIONIS PRASINÆ. AURELIUS CÆCILIUS PLANETA PROTOGENES OB III. PALMAR. HOC DONUM VOVIT. NATIONE AFR. Et conditor. Inſcriptio, quæ exſtat Romæ:

D. M.
C. POMPEJO. EUSCENO
CONDITORI. FACTIONIS. RUSSATÆ
PATRONO. B. M.
OPTIMO. ET
PIENTISSIMO
LIBERTI. ET HÆREDES. FECERUNT
DE SUO.

Panvin. de lud. circ. I. II. *& ad illum Argolus. Buleng. de circ. c.* 43. *Gonſal. in Petron. p.* 110. *Torrent. & Pitiſc. in Suetonium.*

DOMITIA gens. V. illam infr. in *Gens.*

Domitia Longina fuit uxor Domitiani Imperatoris, quam *Ælio Lamiæ nuptam ille in matrimonium abduxit.* Suet. c. I. n. 7. & Xiphil. LXVI. p. 746. A. Et licet ob adulterium cum Paride ſaltatore commiſſum repudiatam ſcribat Xiphil. LXVII. p. 759. E. tamen *intra breve tempus impatiens diſcidii, quaſi efflagitante populo reduxit.* Suet. c. 3. n. 2. *Panciroll. Deſcr. Urb. Rom. Theſ. Ant. Rom. Græv. Tom.* III. *p.* 374. *E.*

DOMITIANUS Tito frater ſucceſſit XII. a dictatore Cæſare, qui Idibus Septembris primo die imperii ſui, ut ex antiquis nummis liquet, omnia Imperatorum inſignia, & titulos ſuſcepit, & præſertim tribuniciam poteſtatem, quam patre, fratreque vivis nunquam adipiſci potuerat: atque in ſequentem annum ſe VIII. conſulem deſignavit. Nam ſeptem antea conſulatus geſſerat, duos ordinarios, reliquos ſuffectos. Exſtant per ſingulos ejus imperii annos nummi, ex quibus ejus titulos formavi, ut hoc anno: IMP. CÆS. DOMITIANUS. AUG. P. M. TR. P. COS. VII. DES. VIII. P. P. Xiphil. LXVII. p. 760. C. *Domitianus conſulem ſe in decem annos perpetuos, cenſoremque, dum viveret, primus, ſolusque ex privatis civibus, & Imperatoribus deſignavit.* Panvin. Faſt. II. p. 210. Plures arcus exſtruxit per omnes Urbis regiones, & inſignem via Appia, de quo Statius ſupr. in *Arcus.* Buleng. de Triumph. c. 2. quatuor factionibus antiquis duas novas addidit, quia ex ea circi parte, ubi carceres erant, ſex oſtia erant, & quatuor tantum ex iis pro carceribus uſi ſunt veteres, quum non niſi quatuor currentium eſſent, quæ vel metis proximiores, vel ad curſum aptiores eſſe videbantur, ne duo quæ ſupererant oſtia, vacua eſſent. *Panvin. de lud. circ.* I. 6. Circum maximum *ex lapidibus naumachiæ, deuſtis utrimque lapidibus exſtruxit.* Suet. c. 5. n. 3. *Panvin. ibid. c.* 7. Feminas pugnaces, quia addictus Palladi, cujus natalem prope Tritoniam paludem virgines ludicris armatis inter ſe decertantium ſimilitudine colludebant, in arena expoſuit. *Argol. in Panvin. de lud. circ.* II. 2. Ad ornatum circi *& ſtadium, & odeum, & naumachiam excitavit.* Suet. l. l. *Buleng. de circ. c.* 4. *Sportulas publicas ſuſtulit, revocata cœnarum rectarum conſuetudine.* Suet. c. 7. n. 2. *Buleng. de conviv.* I. 10. Ante meridiem cibis ſe explevit, ut eos annotaret, quos ad prandium vocabat, cum interim cibis abſtinens appoſitis comedentes ſpectaret. *Buleng. ibid. c.* 23. In ſtrenas quo animo fuerit, obſcurum eſt, niſi pro ingenii ſævitia priorem prædationem in uſum revocaſſe credendum eſt, utpote qui bonis per luxum cito abſumptis nova vectigalia, novos cenſus, novas exactiones commentus, nihil eorum intermiſit, quæ ad corradendam pecuniam faciebant. Mirum, ſi ſtrenas non revocaſſet, quibus magnam argenti ſummam priores Imperatores coacervarant. *Lipen. de Stren. c.* 2. *ſec. æt.* §. 6. Eunuchos fieri prohibet: mathematicos, philoſophos Romana urbe pellit: plurimos ſenatorum in exſilium mittit: de Dacis & Germanis triumphat: Dominum ſe & Deum appellari jubet: vites in Urbe ſeri prohibet: aureas & argenteas ſtatuas ſibi in Capitolio poni jubet: Chriſtianos perſequitur. *Proſper. Chronic. Theſ. Ant. Rom. Græv. Tom.* XI. *p.* 288. Domitiam Paridis amore captam repudiavit. V. ſupr. in *Domitia.* Buleng. de theat. I. 51. *Occiſus eſt in palatio anno ætatis ſuæ* XXXV. Proſper. Chronic. ibid. p. 289. B. Euſeb. Chron. ad an. 2112. & Caſſiod. ad an. 851. vel XIV. *Kal. Octobr. an.* 849. *ætat.* 45. *imperii* 15. *& die* 5. ut tradunt Suet. c. 17. n. 5. Eutrop. VII. 17. Aur. Vict. Epit. c. II. n. 12. Xiphil. ibid. p. 768. B. *Panvin. ibid. p.* 213. Sepultus in templo ſuæ gentis. V. infr. in *Templum.*

DOMITIUS habebatur deus, ut in domo eſſet nova nupta. Auguſtin. de civ. Dei VI. 9. *Ut in domo ſit, adhibetur deus Domitius.* Stuck. de ſacrif. p. 47. Tomaſ. de donar. c. 13. Laurent. de Sponſal. c. I. Blond. Triumph. Rom. I. p. II. E.

DOMUS fabrica a Veſta perhibetur reperta. Diodor. V. p. 232. B. *Dicitur Veſta domuum exſtruendarum rationem reperiſſe; ob idque beneficium eadem a cunctis ferme hominibus in omnibus ædibus dicari, honoribus ibidem & ſacrificiis culta.* Enarrator Pindar. Olymp. I. p. 130. *Quæ ab initio domum reperit, erat Veſta, quæ Saturni erat filia: a qua domum* ἑϛίαν *dicimus.* Spanhem. de Veſt. & Prytan. §. 3. Prius in cavernis, atque antris homines habitarant, ferarum more. Lucret. V. 956.

Sed nemora, atque cavos monteis, ſylvasque colebant,
Et frutices inter condebant ſqualida membra,
Verbera ventorum vitare, imbresque coacti.

Illa latibula Ovidius *domos* vocat, ſed ita, ut ipſe ſe corrigere videatur Metam. I. 121.

Tum primum ſubiere domos: domus antra fuerunt,
Et denſi frutices, & vinctæ cortice virgæ.

Tibull. II. I. 39.

Illi compoſitis primum docuere tigillis
Exiguam viridi fronde operire domum.

Ubi veterem lectionem *caſam* non invitus amplector. Eſt enim *domus* appellatio ſplendidior, quam quæ conveniat ſpelæis, atque etiam tuguriis ruſticanis. *Broukh. in Tibullum.* Lateritia paullulum lapidibus ſuffundata veteres *domo* habitabant, ut humorem effugerent, aut ſabulum jaciebant a pariete, qui cryptas *domi* non habebant. *Buleng. de conviv.* III. 23. *Domum* ædificabant olim, qui uxorem ducebant: ex quo credo natum illud Heſiod. Oper. n. 403.

Domum quidem prius, deinde uxorem.

Et apud Theocrit. Eidyll. XXVIII. 36. quæ a Satyriſco mulier efficitur, & loco uxoris habenda eſt, eum interrogat, *domumne* ſibi ſit ædificaturus, idque ipſi pollicetur. Apud Homer. Iliad. II. 701. cum anno nondum vertente ad Ilium uxore ducta profectus eſſet Proteſilaus, ſcribitur: ἡ δόμος ἡμιτελής. Et a Valer. Flacc. Homeri imitatione VI. 688.

—— conjux miſeranda Caico
Linquitur, & primo domus imperfecta cubili.

Catull. LXVIII. 38.

Conjugis ut quondam flagrans advenit amore
Proteſilaeam Laodamia domum,
Inceptam fruſtra, nondum cum ſanguine ſacro
Hoſtia cæleſtes pacificaſſet heros.

Turneb. Adv. XXI. 17. Lampert. Alard. in Valerium. Potter. Archæol. Græc. IV. II. Feith Antiq. Homer. II. 14. Romani habebant *domos* valde laxas & patentes. Val. Max. IV. 4. 7. *Anguſtas ſe habitare nunc putat, cujus domus*

mus tantum patet, quantum Cincinnati rura patuerunt. Unde illas urbibus comparant Apul. de deo Socrat. p. 699. *Igitur illas ædificiorum species, in quas patrimonia sua profuderunt, amœnissimas, & exstructissimas, & ornatissimas deprehendas: villas æmulas urbium conditas, domos vice templorum exornatas.* Seneca suum, vetusque ævum disparans Epist. 91. *Non habebant domos instar urbium:* quasi dicat, at nos habemus. de Benef. VII. 10. ubi agnoscit, & increpat *ædificia privata laxitatem magnarum urbium vincentia.* Quæ non nescivit Olympiod. in Biblioth. Phot. p. 114. *Quæque magnarum domuum omnia in se ipsa habet, quæcunque mediocris urbs possit continere: nempe circum, fora, templa, fontes, balnea diversa: Ideo & poeta dixit:*

Una domus urbs est: urbs oppida plurima claudit.

Mart. XII. 50. 1.

Daphnonas, platanonas, & aerias cyparissos,
Et non unius balnea solus habes
Et tua centenis stat porticus alta columnis,
Calcatusque tuo sub pede lucet onyx.
Pulvereumque fugax hippodromon ungula plaudit,
Et pereuntis aquæ fluctus ubique sonat.

Sunt ipsa, quæ Olympiodorus dixit, exceptis *foris*, quæ intelligas fuisse hypæthra quædam, & subdivalia inter illas porticus statuis alioque ornatu, in fori faciem. Quid si revera ibi judicia, & forenses conventus? Fuere, & clientium, libertorum, servorum suorum causas domi cognoscebant. Horat. Od. III. 5. 52.

Quam si clientum longa negotia
Dijudicata lite relinqueret,
Tendens Venafranos in agros,
Aut Lacedæmonium Tarentum.

Vitruv. VI. 8. *Præterea bibliothecas, pinacothecas, basilicas* ad judicia, *non dissimili modo quam publicorum operum magnificentia comparatas, quod in domibus eorum sæpius & publica consilia, & privata judicia, arbitriaque conficiuntur.* Et eleganter instructas. Communiter Senec. Epist. 115. *Nos delectant ingentium maculæ columnarum: sive ex Ægyptiis arenis, sive ex Africæ solitudinibus advectæ, porticum aliquam, vel capacem populi cœnationem ferunt. Miramur parietes tenui marmore inductos: cum sciamus quale sit, quod abscondi-tur: oculis nostris imponimus. Et cum auro tecta perfundimus, quid aliud quam mendacio gaudemus? scimus enim sub illo auro fœda ligna latitare.* In hisce I. est columnarum dispositio. *In una cœnatione, quam Callistus Cæsaris Claudii libertorum potentia notus sibi exædificaverat, ampliores triginta se vidisse* notat Plin. XXXVI. 7. easque e sudine lapide Germanico, cui ingens tunc pretium, & novitas. Et *in atrio Scauri maximas collocatas* XXXVI. 2. V. illum infr. in *Domus Scauri.* II. parietes marmore inducti: quod genus *incrustationes*, Græci μαρμαρώσεις dicunt. V. infr. in *Incrustare.* III. Auro tecta perfundi. Significat laquearia inaurari tota solere, quod passim scriptores, & tradunt, & damnant. V. infr. in *Lacunar.* Lips. de Magnit. Roman. III. 14. Thys. de Magnit. Roman. III. p. 308. Kobierzyck. de Luxu Roman. II. 8. Meurs. de Luxu Roman. c. 12. Captivarum navium rostris exornabant. Cicero ad Antonium Phil. II. 28. *An tu illa vestibula, rostra, spolia cum adspexisti, domum tuam te introire putabas?* Scheffer. de milit. nav. IV. 2. Ex *domibus* prius conductis Kalendis Julii in *domos* recens conductas demigrabant. V. infr. in *Kalendis.* *Domus* expiandæ foribus infaustas & nocturnas aves, vespertiliones, & ferales bubones affigebant. Apul. Met. III. p. 93. *Quid, quod istas nocturnas aves, cum penetraverint larem quempiam, sollicite prehensas foribus videmus affigi, ut quod infaustis volatibus familiæ minantur exitium, suis luant cruciatibus.* Schott. Observ. I. 12. Est etiam juris axioma, quod nemo invitus de *domo* sua extrahi debeat ad jus, etiamsi magistratus jubeat. Cajus l. 18. ff. de in jus vocando: *Plerique putaverunt, nullum de domo sua in jus vocari licere: quia domus tutissimum cuique refugium, atque receptaculum sit: eumque, qui inde in jus vocaret, vim inferre videri.* Et Paullus subjicit l. 19. *Satisque pœnæ subire eum, si non defendatur, & latitet, certum est, quod mittitur adversarius in possessionem bonorum ejus.* Magna autem est domicilii cujusque prærogativa, tanquam templi, sacrariique privati. Habent enim singulorum *domus* quæque suos lares, penates, genios. Hincque est, quod prisci illi, si quando se ad bellum accenderent, hoc primum sibi proponerent, esse pro aris & focis pugnandum, ut eos ad arma impellere, non tam amor patriæ, fortunarum tutela, patrimonii, possessionumque conservatio, quam quædam erga deos publice consecratos, & suos lares religio concepta videretur. *Pollet. For. Rom.* V. 3. *Cujac. Observ.* VII. 15. *Rævard. de Div. reg. jur.* II. *Protrib. c.* 3. Edictum tamen denuntiabatur ei, qui *domi* suæ erat, vel si *domo* abesset, ad *domum* præconis voce, libello ædibus affixo: quod & aliis in causis frequenter fiebat l. vim. §. nuptæ ff. ad l. Juliam de adult. l. 13. ff. de excus. l. 5. §. 1. ff. quod vi aut clam. *Cujac.* & *Rævard. l. l.* V. infr. in *Evocatio.* Municipes in provinciis sic *domo* separabantur, & dignoscebantur, quemadmodum tribu in Urbe cives Romani. Id in Vitellio non obscure docuit Suet. c. 2. n. 1. *Ceterum P. Vitellius domo Nuceria.* Sidon. Epist. I. 11. *Ceterum si requisities: qui genus, unde domo? non eminentius* [illegible]. Inscriptio: D. M. C. JULII. FILETIONIS. DOMO. AFRICA. . . . Sunt & aliæ inscriptiones, quibus idem loquendi genus exprimitur, *domibus* ita distinctis: DOMO ARRETIO: DOMO ATESTÆ: DOMO ROMA: DOMO BOLDINIA: DOMO VERONA: DOMO VIENNA: DOMO CELEIÆ: DOMO CARTHAGINE: DOMO ANTIOCHIA SYRIA. *Rævard. de div. reg. jur.* CXXIII. Eorum, qui nefarii sceleris, criminisque horrendi erant rei publicabantur, evertebantur, & complanabantur. Cicer. pro Dom. c. 38. *Sp. Melii regnum appetentis domus est compl*[illegible]. *Ecquid aliud æquum accidisse Melio populus Rom*[illegible]*? Spurii Cassii domus ob eandem causam evers*[illegible] *loco ædes posita Telluris. In Vacci pr*[illegible] *ci, quæ publicata est, & eversa, ut illius f*[illegible]*, & nomine loci notaretur. M. Flaccus, quia cum C. Gr*[illegible] *contra salutem Reipubl*[illegible]*.* Rævard. Var. I. 7. De *domo* solvere quid sit V. supr. in *Arca.* *Domo* interdicebant illis, quibus amicitiam renuntiabant. Tacit. Annal. VI. 29. 3. *Sed Cæsar missis ad sen*[illegible] *literis disseruit, morem fuisse majoribus, quoties dirimerent amicitias, interdicere domo, eumque finem gratiæ ponere.* Ita *T. Quintio Crispino Romano palam omnibus,* [illegible]*, renuntiat hospitium B*[illegible] *Campanus* apud Liv. XXV. 18. Et *Cornelio Gallo ob ingratum, & malevolum animum domo interdixit* Augustus apud Suet. c. 66. n. 3. *Lips. in Tacit. Annal.* II. *Excurs. L. Pitisc. in Suetonium.* In amicorum *domus* secedebant, ut ibi convalescerent. Suet. Aug. c. 72. n. 4. V. illum infr. in *Domus Mæcenatis.* Plin. Epist. VII. 16. 2. *Ego in villas ejus sæpe secessi, ille in domo mea sæpe convaluit.* Lego etiam de Ptolemæo Lagi filio simile quid: notat enim Plutarch. Apophth. 28. *Ptolemæus Lagi crebro apud amicos cœnabat, & dormiebat.* Mira consuetudo. *Casaub. in Suetonium. Meibom. Mæcen.* c. 18. §. 3. Quomodo differat ab insula. V. infr. in *Insula.*

Domus Æliorum fuit in Exquiliis, sive quinta Urbis regione, eodem quo monumenta Mariana sunt loco. Val. IX. 4. 8. *Sexdecim eodem tempore Ælii fuerunt, quibus una domuncula fuerat, eodem loci, quo nunc sunt Mariana monumenta.* Marlian. Topogr. Urb. Rom. IV. 15. Donat. de Urb. Rom. I. 25. Nardin. Rom. Vet. IV. 2. Faunus Ant. Urb. Rom. IV. 3.

Domus P. Africani fuit apud ædem nunc D. Georgii, ubi deinde T. Sempronius basilicam fecit. Liv. XLIV. 16. V. illum supr. in *Basilica Sempronia.* Marlian. Topogr. Urb. Rom. III. 13. Donat. de Urb. Rom. II. 27. Faunus Ant. Urb. Rom. III. 7.

Domus M. Valerii Amerimni, equitis Romani, fuit in vico Jugario, ut ex ejus filii epitaphio didicimus. *Marlian. Topogr. Urb. Rom.* II. 13.

Domus Anci Martii fuit in ſumma via ſacra ad radices Palatini, ubi poſtea templum laribus ſurrexit. *Borrich. Ant. Urb. Fac. c. 6. §. 5.*

Domus Aniciorum, ſaltem fratrum illorum trium, quorum duo ſimul conſules fuere ſub Honorio, fuit in inſula Tiberiana. Claud. in Probin. & Olybr. conſul. n. 126.

Eſt in Romuleo procumbens inſula Tibri,
Qua medius geminas interfluit alveus urbes
Dividuas ſulcante freto, pariterque minantes
Ardua turrigeræ ſurgunt in culmina ripæ.
Hic ſtetit, & ſubitum proſpexit ab aggere votum
Unanimes fratres, juncto ſtipante ſenatu
Ire forum, ſtrictasque procul radiare ſecures
Atque uno bijuges tolli de lumine faſces.

Nardin. Rom. Vet. VII. 12.

Domus Annæi Senecæ fuit in Palatino Cœlium verſus, ſupra balneum. *Panvin. Deſcript. Urb. Rom. c. 11.*

Domus Aquilæ, & Priſcillæ, de gente Hebræa Chriſtianorum, & Petri hoſpitum, olim fuit, ubi S. Priſcæ templum nunc eſt in Aventino, ſive decima tertia Urbis regione. Illi ibidem & aram conſecraſſe dicuntur, diu poſt illa in honore habitam. Tandem eccleſia illic S. S. Trinitati dedicata eſt, addito cognomine Aquilæ, & Priſcillæ. *Nardin. Rom. Vet.* VII. 8.

Domus C. Aquilii Equitis Romani illius, quem juris civilis ſcientia clariſſimum fecit, in montis Viminalis dorſo fuit poſita. Plin. XVII. Procem. *Craſſo domus magnifica: ſed aliquanto præſtantior in eodem palatio Q. Catuli, qui Cimbros cum C. Mario fudit. Multo vero pulcerrima conſenſu omnium ætate ea in colle Viminali C. Aquilii Equitis Romani.* Marlian. Topogr. Urb. Rom. IV. 21. Panciroll. Deſcript. Urb. Rom. Theſ. Antiq. Roman. Græv. Tom. III. p. 343. B. Fabric. Deſcript. Urb. Rom. c. 11. Donat. de Urb. Rom. I. 25: III. 11. Faunus Antiq. Urb. Rom. IV. 6. Blond. Inſtaur. Rom. II. §. 27.

Domus Attici Pomponii fuit in monte Quirinali, ubi nunc S. Vitalis templum. *Fabric. Deſcript. Urb. Rom. c. 11. Marlian. Topogr. Urb. Rom.* IV. 23. *Faunus Antiq. Urb. Rom.* IV. 9. Hoc minus exploratum exiſtimo. Nam Nepos c. 13. n. 2. *Domum habuit in colle Quirinali Tamphilanam, ab avunculo hereditate relictam: cujus amœnitas non ædificio, ſed ſylva conſtabat.* Victor numerat inter Quirini templum & Malum Punicum, qui locus non longe fuit ab æde nunc Suſannæ. Itaque cum eſſet amœna *domus*, & cincta nemore, remotiorem a foro, & Urbis frequentia probabile eſt, prope quatuor nunc fontes ſitam fuiſſe. *Donat. de Urb. Rom.* III. 15. *Turneb. in Cicer. de Leg.* I. *p.* 12. *Boſius in Nepotem.*

Domus Attici Veſtini conſulis fuit prope Forum Romanum, quem, detecta conjuratione multorum Nero quamvis innoxium occidit. Tacit. Annal. XV. 69. I. *Quia Veſtinus imminentes foro ædes, decoraque ſervitia, & pari ætate habet.* Donat. de Urb. Rom. II. 27.

Domus Auguſti, in qua natus eſt, fuit ſita in monte Palatino ad capita bubula. Suet. c. 5. n. 1. *Natus eſt Auguſtus regione Palatii ad capita bubula.* In qua poſtea habitavit, fuit ſita in Palatio. Suet. c. 72. n. 2. *Poſtea in Palatio, ſed nihilominus ædibus modicis Hortenſianis, & neque laxitate, neque cultu conſpicuis, ut in quibus porticus eſſent breves Albanarum columnarum, & ſine marmore ullo, aut inſigni pavimento conclavia, ac per annos amplius quadraginta eodem cubiculo hyeme atque æſtate manſit.* Nardin. Rom. Vet. VI. 13. Borrich. Ant. Urb. Rom. Fac. c. 12. n. 2. Donat. de Urb. Rom. I. 52: III. 2. Panciroll. Deſcript. Urb. Rom. Theſ. Ant. Rom. Græv. Tom. III. p. 364. B. Marlian. Topogr. Urb. Rom. II. 20. Boiſſard. Topogr. Urb. Rom. Tom. I. p. 30. Faunus Antiq. Urb. Rom. II. 22.

Domus Balbini Imperatoris fuit in Carinis. Capitol. c. 16. *Domus Balbini etiam nunc Romæ oſtenditur in Carinis magna, & potens, & ab ejus familia hucusque poſſeſſa.* Marlian. Topogr. Urb. Rom. IV. 14. Donat. de Urb. Rom. III. 8. Faunus Antiq. Urb. Rom. IV. 1.

Domus Bruti fuit foro proxima. Salluſt. Bello Catil. p. 33. *Ille eos in domum D. Bruti perducit, quod foro propinqua erat.* Donat. de Urb. Rom. II. 27.

Domus Cæſaris Dictatoris primo fuit in Subura, poſt pontificatum maximum in ſacra via. Suet. c. 46. n. 1. *Habitavit primo in Subura modicis ædibus: poſt autem pontificatum maximum in ſacra via, domo publica.* Hanc a Julia nepte nimis profuſe exſtructam, Auguſtus, qui, ut ait Suet. c. 72. n. 6. *ampla & operoſa prætoria gravabatur*, ad ſolum diruit: ibique porticum Liviæ excitavit. *Marlian. Topogr. Urb. Rom.* III. 7: IV. 20. *Blond. Inſtaur. Rom.* III. §. 61. Docent Fulvius & Marlianus fuiſſe, ubi templum Pacis poſtea conditum eſt, ejusque reliquiæ cernuntur. Ajunt enim *domum* Cæſaris fuiſſe everſam, ibique conditam porticum Liviam, tum Pacis templum. Quod inculcant etiam interpretes Ovid. Faſt. VI. 639.

Diſce tamen, veniens ætas, ubi Livia nunc eſt
Porticus, immenſæ tecta fuere domus.
Hæc æquata ſolo eſt nullo ſub crimine regni,
Sed quia luxuria viſa nocere ſua eſt.
Suſtinuit tantas operum ſubvertere moles,
Totque ſuas heres perdere Cæſar opes.

Sed neutrum veritati conſentaneum eſt. Apud Suetonium ſermo eſt de villis elegantioribus, earumque ſumptuoſis ædificiis, quæ *ad ſolum diruerit* Auguſtus. Declarant hoc ſequentia: *Sua vero quamvis modica, Domus* autem Cæſaris, poſt Lepidi obitum, Auguſto non hæreditate, ut ait Ovidius de domo everſa, obvenerat, neque enim haberi ſic poterat, ſed quia Lepidi ſucceſſor in pontificatu, in *domum* publicam tranſiturus erat, poſt obitum ejusdem Auguſti ad alium item pontificem tranſituram. Qui tamen ea uti noluit teſte Dione. V. illum infr. in *Domus regis ſacrificuli.* Qui etiam alterius ædem fuiſſe, in cujus area exſtructa eſt Livia porticus LIV. p. 537. C. *Vedius Pollio Auguſto magnam hæreditatis partem, & Pauſilypum villam inter Neapolim & Puteolos jacentem: juſſitque, ut is populo aliquod ſplendidum opus faceret. Ædes Pollionis funditus evertit Auguſtus: porticuque ibi circumducta, non Pollionis, ſed Liviæ nomen inſcripſit.* Quod ergo hujus *domum* propter eximiam crudelitatem & luxum Auguſtus diruere voluerit, ſcripſit Ovid. n. 642. modo laudatus. Nam ædes diruebantur eorum, qui Romæ regnare voluiſſent, ut Sp. Melii, Sp. Caſſii, M. Manlii.

Sed quia luxuria viſa nocere ſua eſt.

Sed neque hæc *domus* fuit ubi poſtea templum Pacis. Nam cum Livia porticus in ejus area exſtructa fuerit; hanc poſt conditum templum diu ſuperſtitem, & ſimul exſtare Roma ſpectavit. Itaque Plinius, qui *Pacis templum pulcerrimum operum* appellavit XXXVI. 15. inquit XIV. I. *Una vitis Romæ in Liviæ porticibus ſubdiales inambulationes umbroſis pergulis opacat.* In eadem Trajanum civibus aures dediſſe aliquot annis poſt Veſpaſianum templi Pacis conditorem teſtatur Dion. Et Mart. de Spect. II. 9.

Claudia diffuſas ubi porticus explicat umbras,
Ultima pars aulæ deficientis erat.

Quo tempore, cum hæc poeta ſcriberet, Veſpaſianus ſua opera perfecerat. Fuit itaque *domus* Cæſaris ad radicem Palatini, ubi Veſtæ templum, & ædes Veſtalium erant; atque adeo ſacra via media inter hanc *domum* & templum Pacis fuit producta. *Donat. de Urb. Rom.* II. 21.

Domus Caji Cæſaris *cinxit totam Urbem.* Plin. XXXVI. 15. *Donat. de Urb. Rom.* I. 26. *Bud. de aſſe.* III. *p.* 361.

Domus Calvi oratoris & poetæ fuit prope forum Romanum, ſupra ſcalas annularias. Eam primum habitavit Auguſtus Cæſar. Suet. c. 72. n. 2. *Fabric. Deſcript. Urb. Rom. c.* 11.

Domus Caſſii fuit extra templum Telluris. Dionyſ. VIII. p. 546. *Poſt Caſſii mortem domus ejus everſa fuit, & hucusque ſubdialis dimittitur. Is locus extra Telluris ædem eſt: quam poſtea exſtruxit civitas ſecundum eam viam, qua itur ad Carinas.* Marlian. Topogr. Urb. Rom. III. 10. Faunus Antiq. Urb. Rom. II. 25.

Domus Catilinæ fuit juxta baſilicam Opimii. *Marlian. Topogr. Urb. Rom.* II. 17. *Faunus Antiq. Rom.* II. 18. De

illa

illa Suet. Gramm. c. 17. n. 3. *Docuitque Verrius Flaccus in atrio Catilinæ domus, quæ pars Palatii tunc erat*, id eſt, *domus* Auguſtæ. *Donat. de Urb. Rom.* III. 3. *Nardin. Rom. Vet.* VI. 13.

Domus Q. Catuli in colle Viminali cenſetur a P. Victore, & ab antiquariis: & inter illos a Blond. Inſtaur. Rom. II. §. 27. Sed illos hallucinari conſtat verbis Plinii jam laudatis ſupr. in *Domus C. Aquilii.* Marlian. Topogr. Urb. II. 20. Donat. de Urb. Rom. I. 25: III. 3. Docet vero Plinius conceptis verbis in monte fuiſſe Palatino: in quo regione decima numerat etiam P. Victor. *Donat. ibid. c.* 11. *Faunus Antiq. Urb. Rom.* IV. 6. In hac taurus ex ære fuit Cimbris ereptus, ſub quo jurare ſoliti. Plutarch. in Mario. p. 419. A. *Inducias poſtulantibus conceſſis ſub ænei tauri juramento dimiſerunt. Hunc captum poſt pugnam tropæi loco in domum Catuli delatum ferunt.* Fuit & in eadem conclave rotundum cum hemiſphærio, quicum aviarium comparat Varr. de Re Ruſt III. 5. *Inter eas piſcinas tantummodo acceſſus ſemita in tholum, qui eſt ultra rotundus columnatus, ut eſt in æde Catuli, ſi pro parietibus feceris columnas.* Niſi forte Varro illic de templo quodam a Catulo conſtructo loquitur: quemadmodum e voce *æde*, & forma rotunda ſuſpicari licet. *Nardin. Rom. Vet.* VI. 15.

Domus Chilonis inter illuſtres regionis XII. numeratur. Cujus fuerit, non conſtat. Forte Magii Chilonis fuit, ſolo ſcelerato facinore ſuo nobilis. De eo Val. Max. IX. 11. *Conſternatum etiam Magii Chilonis amentia pectus, qui M. Marcello datum a Cæſare ſpiritum ſua manu eripuit. Urbem enim a Mitylenis, quo ſe contulerat, repetentem in Athenienſium portu pugione confodit.* Id ipſum Sulpitius quoque perſcribit Ciceroni Fam. IV. 12. Hinc forſan *domus* ejus poſteris nota, & illius ſitus. Panciroll. Deſcript. Urb. Rom. Theſ. Ant. Rom. Græv. Tom. III. p. 370. C. Qui *Cilonis* legendum putat, & Fabium Cilonem intelligi, qui ab Aurel. Vict. Epit. c. 20. n. 6. inter eos numeratur, quos Severus Imperator ditaverit. Primæ lectioni uterque codex Victoris patrocinatur, quibuſcum & Notitia facit: nec Rufum diſſenſiſſe inde ſuſpicari liquet. Panvinii ſententia firmatur, quod Severus Ciloni illi eximiam *domum* dono dederit, quæ ſine dubio illic ſita fuit, ubi & cætera ejus Imperatoris fuerunt ædificia. Quod ſi vero tot concordium ſcriptorum correctio nimis audax videtur, in Sex: Aurelio vitium eſſe ſtatuendum erit, quod eo facilius admittendum, quia Caſſiodoro in Chronicis amicus ille Severi inter conſules ſub illo Imperatore factos non Cilo, ſed Chilo, & Libo legatur. *Nardin. Rom. Vet.* VII. 6. *Borrich. Ant. Urb. Fac. c.* 14. §. 3.

Domus Ciceronis fuit ad radices Palatii, juxta templum Jovis Statoris. Plutarch. in Cicer. p. 868. D. *In ædem proximam Jovis Statoris ſenatum vocavit.* A Lucio Craſſo eſt empta. *Marlian. Topogr. Urb. Rom.* III. 20. Miror ab illo illic collocari. Fuit enim in edito & ſummo colle, *in conſpectu totius Urbis*, teſte ipſo Cicer. pro dom. c. 37. non autem in valle infima, ut videri vix poſſet. Ita de porticu, quam incenſa domo inibi erexerat Clodius ibid. c. 39. *Hanc vero in Palatio, atque in pulcerrimo Urbis loco porticum eſſe patiemini?* Quod ſi objiciant Plutarchum ſcribentem in vita Cicer. p. 864. F. *Habitavit juxta Palatium*, Græce habet, περὶ τὸ Παλάτιον. Quæ præpoſitio cum accuſandi caſu etiam *in* ſignificat: & verius interpres vertiſſet *in Palatio*, ut ait Cicero. Nec empta fuit de L. Craſſo. Hic enim orator fuit, qui ante deceſſerat. Sed de P. Craſſo. Salluſt. in Ciceron. c. 2. *Cum in ea domo habitares, quæ P. Craſſi viri conſularis fuit.* Deinde in *domo* L. Craſſi ſex loti arbores fuerunt, quæ, teſte Plin. XVII. 1. *duraverunt ad Neronis principis incendia*, quibus cremavit Urbem annis poſt 180. *cultu virides juveneſque, ni princeps ille acceleraſſet etiam arborum mortem.* At *domus* Ciceronis Clodiano incendio penitus corrupta, omniaque in eo conſumpta, & ſolo æquata ſunt, ſuperſtructa porticu Libertatis. De ejus emptione ipſe ad Sextium Fam. V. 6. *Scripſeras velle te bene evenire, quod de Craſſo domum emiſſem. Emi eam ipſam millibus nummum* 35. Et Gell. XII. 12. *Cum emere vellet Cicero in Palatio domum, & pecuniam in præſens non haberet, a P. Sylla, qui tum reus erat, mutua H. S. vicies tacite accepit.* Fuerat ante M. Livii Druſi, qui tribunus, cum de danda Italicis populis civitate leges ferret, occiſus eſt. Vellej. II. 14. *Cum ædificaret* Druſus *domum in Palatio eo in loco, ubi eſt, quæ quondam Ciceronis* (Craſſum omiſit, qui ante Ciceronem poſſedit) *mox Cenſorini fuit, nunc Statilii Siſennæ eſt.* Donat. de Urb. Rom. III. 3. Nardin. Rom. Vet. VI. 15. Borrich. Ant. Urb. Fac. c. 12. §. 3. Boiſſard. Topogr. Urb. Rom. Tom. I. p. 30. Faunus Antiq. Urb. Rom. II. 20.

Domus Q. Ciceronis fuit in Carinis. Cicer. Q. Fratr. II. 3. *Domum tuam in Carinis mundi habitatores Lamiæ conduxerunt.* Hanc avitam eſſe aſſerit S. Rufus. *Marlian. Topogr. Urb. Rom.* IV. 14. *Faunus Antiq. Urb. Rom.* IV. 1. Et altera in Palatino monte. Cicer. Attic. IV. 2. *Expulſi ſunt fabri de area noſtra. Diſturbata porticus Catuli, quæ ex S. C. conſulum locatione reficiebatur, & ad tectum pæne pervenerat. Q. fratris domus primo fracta conjectu lapidum ex area noſtra, deinde inflammata juſſu Clodii.* Marlian. & Faunus l. l. Donat. de Urb. Rom. III. 3.

Domus Claudii Centimali ſtetit in Cœlio. Cicer. de Offic. III. 16. *Cum in arce augurium augures acturi eſſent, juſſiſſentque Titum Claudium Centimalum, qui ædes in Cœlio monte habebat, demoliri eas, quarum altitudo officeret auſpiciis. Claudius proſcripſit, inſulam vendidit.* Ex quo intelligitur, *domum* in parte Cœlii fuiſſe, quæ procurrit verſus Palatium Capitolio propinquior; & magna altitudine ſublatam, quæ captantibus auguria e Capitolii arce editiſſima officeret. Addit Val. Max. VIII. 2. *ipſum judicio fuiſſe damnatum, coactumque pretium ejus Calphurnio Lanario reſtituere, cui eam, cognito demolitionem ejus jam decretam, vendiderat.* Marlian. Topogr. Urb. Rom. IV. 12. Donat. de Urb. Rom. III. 12. Nardin. Rom. Vet. III. 7. Borrich. Ant. Urb. Fac. IV. 3. Faunus Antiq. Urb. Rom. III. 16.

Domus Claudii Clypti hymnologi fuit in Cœlio monte, quemadmodum in ejus epitaphio legimus. *Marlian. Topogr. Urb. Rom.* IV. 12.

Domus P. Clodii, Ciceronis inimici fuit in Palatio. De illa Plin. XXXVI. 15. *P. Clodius, quem Milo occidit, ſeſtertium centies & quadragies octies domo habitaverit: quod equidem non ſecus ac regum inſaniam miror.* Proxima Ciceronis. Cicer. de Aruſp. reſp. c. 15. *Itaque nequis meorum imprudens introſpicere poſſit tuam domum, ac te ſacra illa tua facientem videre, tollam altius tectum, non ut eo te deſpiciam; ſed tu ne aſpicias Urbem eam, quam delere voluiſti.* Donat. de Urb. Rom. III. 3: VI. 15. Hinc liquet interiore altioreque loco Palatii ſitam fuiſſe; ut ita ei in Urbem editiore tecti ſtructura proſpectus eriperetur. Hanc antea M. Scauri fuiſſe docet Aſcon. in Cicer. p. 176. fortean eam ipſam, quam M. Scaurus in via habuit, quæ a Sacra via ad circum tendebat, in qua & Jovis Statoris ædes fuit, vicina ædibus Ciceronis. *Nardin. Rom. Vet.* VI. 15.

Domus Corneliorum fuit in monte Quirinali e regione thermarum Conſtantini Imperatoris, qua parte mons Urbem planam deſpicit. *Marlian. Topogr. Urb. Rom.* IV. 22. *Faunus Antiq. Urb. Rom.* IV. 8. *Blond. Inſtaur. Rom.* I. §. 97.

Domus Cornificii in regione fuit duodecima. Victor. L. Cornificius intelligitur, qui hortatu Auguſti ædem Dianæ Romæ condidit, ut auctor eſt Suet. Aug. c. 29. n. 13. *Panciroll. Deſcr. Urb. Rom. Theſ. Ant. Rom. Græv. Tom.* III. *p.* 370. *D. Nardin. Rom. Vet.* VII. 6. *Domus* fuit perampla, gradus habuit, atrium, ſeu veſtibulum cum porticibus. Fuit proxima Minervæ delubro in planitie, quæ a circo maximo tendit ad thermas Antonianas. *Bellor. in Fragm. veſt. vet. Rom. tab.* 1.

Domus Corvina fuit ſub Capitolio, ubi nunc macellum Corvorum appellatum, prope ſepulcrum C. Poblicii. *Marlian. Topogr. Urb. Rom.* V. 2. *Boiſſard. Topogr. Urb. Rom. Tom.* I. *p.* 43.

Domus L. Craſſi oratoris magnifica fuit in Palatino. Plinius. V. illum ſupr. in *Domus C. Aquilii.* Marlian. Topogr. Urb. Rom. II. 20. Donat. de Urb. Rom. III. 11.

Faunus

Faunus Antiq. Urb. Rom. IV. 6. Præter sex lotos arbores ibi consitas, V. illas supr. in *Domus M. Ciceronis*, *columnas quatuor Hymettii marmoris*, *ædilitatis gratia ad scenam ornandam advectas in ejus atrio statuerat*, *cum in publico nondum essent ulla marmorea*, ideoque a Cn. Domitio una cen[illegible]uram gerente graviter reprehensus, eademque de causa C[illegible]ius *Venus Palatina* a Bruto dictus est. *Fabric. Descr. Urb. Rom. c.* II. *Donat. ibid.* I. 25. *Nardin. Rom. Vet.* VI. 15.

Domus M. Crassi cognomento Divitis fuit in Viminali. De ea Pers. Sat. II. 36.

— *nunc Crassi mittit in ædes.*

Fabric. Descr. Urb. Rom. c. II. De illo scribit Plutarchus p. 543. E. *nihil ipse ædificavit*, *nisi propriam domum.* Sed ubi fuerit, non tradit. *Donat. de Urb. Rom.* III. II.

Domus Dionis in Palatio ponitur. Fuit credo Cassii Cocceji cognominati ex Nicea civitate Bithyniæ nobilis historiographi, Africæ proconsulis, qui & Dalmatiæ & Pannoniæ præses, & consul sub Diocletiano fuit. *Panciroll. Descr. Urb. Rom. Thes. Ant. Rom. Græv. Tom.* III. *p.* 364. *D.* Ita legitur in Notitia. Apud Victorem Dionysii. At cujus? Nomen Græcum hoc, & forsan alicujus artificis, aut artium professoris percelebris. Dionysii geographi meminit Plin. VI. 27. medici XXXII. 27: XX. 3. & II. Fuit & pictor, nec non alius statuarius, multique eo nomine alii; cujus eam fuisse ex his quis dixerit? *Nardin. Rom. Vet.* VI. 15.

Domus Ennii poetæ fuit in monte Aventino. Euseb. C[illegible]. *Qui a Catone quæstore Romam translatus habitavit in m[illegible]e Aventino parco admodum sumptu*, *& unius ancillæ ministerio.* Panvin. Descr. Urb. Rom. Thes. Ant. Rom. Græv. Tom. III. p. 310. F. Fabric. Descr. Urb. Rom. c. II. Nardin. Rom. Vet. VII. 9. Borrich. Ant. Urb. Fac. c. 15. §. 3.

Domus Faberii scribæ fuit in monte Aventino. Vitruv. VII. 9. *Tum etiam Faberius scriba*, *cum in Aventino volu[illegible]e domum e[illegible]nter expolitam peristyliis*, *parietes omnes induxit minio.* Nardin. Rom. Vet. VII. 9. Borrich. Ant. Urb. Fac. c. 15. §. 3. Panvin. Descr. Urb. Rom. Thes. Ant. Rom. Græv. Tom. III. p. 310. F.

Domus Faustuli juxta ficum fuit ruminalem. *Faunus Antiq. Urb. Rom.* II. 18.

Domus M. Flacci fuit in Palatio prope domui Ciceronis. Hac eversa Q. Catulus porticum exstruxit. *Marlian. Topogr. Urb. Rom.* II. 20. Val. Max. VI. 3. §. I. *Cæterum Flacciana area cum diu penatibus vacua mansisset*, *a Q. Catulo Cimbricis spoliis adornata est.* Disjecta deinde a Clodio una cum Ciceronis ædibus, quibus vicina fuit, & a senatu restituta, iterum a Clodio dissipata est. Cicer. Attic. IV. 3. *Armatis hominibus a. d.* III. *Non. Nov. expulsi sunt fabri de area nostra*; *disturbata porticus Catuli*, *quæ ex S. C. consulum locatione reficiebatur*, *& ad tectum pene pervenerat.* Redintegratam deinde rursus, sicut & Ciceronis *domum* perquam probabile est. *Nardin. Rom. Vet.* VI. 15.

Domus Flaminis Dialis fuit in colle Palatino. Dio LIV. p. 538. A. *Ignisque ab ea ad Vestæ usque grassatus*, *ita ut sacra a Vestalibus in Palatium sint translata*, *& in domo Flaminis Dialis posita.* Donat. de Urb. Rom. III. 3.

Domus Flaviorum supra altam semitam fuit loco, quem *malum punicum* veteres vocabant. Ibi Domitianum natum scribit Suet. c. I. n. I. quemadmodum *eam domum postea in templum gentis Flaviæ convertit.* Faunus Antiq. Urb. Rom. IV. 9.

Domus Galli in monte fuit Aventino. *Borrich. Ant. Urb. Fac. c.* 15. §. 3.

Domus Gordiani Imperatoris non procul a dextra viæ Prænestinæ. Capitol. Gordian. jun. c. 32. *Domus Gordianorum etiam nunc exstat*, *via Prænestina*, *ducentas columnas uno peristylo habens.* Marlian. Topogr. Urb. Rom. IV. 15. Faunus Antiq. Urb. Rom. IV. 3. Qui non placent, & frustra adducitur Capitolini locus mutilatus. Ille enim sic habet: *Domus Gordianorum etiam nunc exstat*, *quam iste Gordianus pulcerrime exornavit.* Hanc ante dixerat in Gordiano majore fuisse Cn. Pompeji, nempe in Carinis, & Philippo principe ad fiscum Cæsareum devenisse. Quæ sequuntur, villam, non domum in Urbe describunt. *Ex villa*, inquit, *eorum via Prænestina*, *ducentas columnas uno peristylo habens. . . Cætera huic operi convenientia*, *& thermæ*, *quales præter Urbem*, *ut tunc*, *nusquam in orbe terrarum.* Quæ postrema verba villam semovent Urbe. *Donat. de Urb. Rom.* III. 9. *Ursin. not. ad Marlianum.*

Domus Hadriani privata in regione, ut credimus, fuit duodecima. Ejus meminit Capitol. in Marco c. 5. *Jussusque in Hadriani privatam domum migrare invitus de maternis hortis recessit.* Victoris sufficere debet auctoritas: tum quod Hadrianus Bonæ deæ ædem ex summo Aventino in planitiem transtulit, non procul eum a privata domo sua ædem hanc posuisse verisimile est. Sic ut hæc *domus* Subsaxana dici potuerit. *Nardin. Rom. Vet.* VII. 6.

Domus Hortensii in Palatio fuit, quam secundam possedit Augustus, non procul ab æde nunc Anastasiæ. *Fabric. Descript. Urb. Rom. c.* II. Describit illam Suetonius supr. in *Domus Augusti*. Donat. de Urb. Rom. III. I.

Domus Hostilii Tulli, tertii Romanorum Regis fuit in Cœlio ad ædem beatorum Johannis & Paulli. *Donat. de Urb. Rom.* III. 12.

Domus Junii senatoris in Cœlio fuit posita. Tacit. Annal. IV. 64. 4. *Adduntur sententiæ*, *ut mons Cœlius in posterum Augustus appellaretur*: *quando cunctis conflagrantibus sola Tiberii effigies in domo Junii senatoris inviolata mansisset.* Marlian. Topogr. Urb. Rom. IV. 12. Borrich. Ant. Urb. Fac. c. 4. §. 3. Faunus Antiq. Urb. Rom. III. 16.

Domus Lampadii, Romanæ urbis præfecti, fuit in sexta Urbis regione, pæne quo loco olim stabat pila Naris. Hanc plebs infima, ut est sæpe furori propior, facibus & malleolis concremare instituerat. *Borrich. Ant. Urb. Fac. c.* 8. §. 4.

Domus Laterani, Plautii nempe illius Laterani, qui unus de præcipuis fuit conjurationis in Neronem auctoribus, constanterque mortem oppetiit, uti Tacit. Annal. XV. 60. I. enarrat, sedes postea Pontificum fuit, Silvestro Papæ a Constantino donata, postquam ibi in proximo Ecclesiam S. Johannis ædificasset, quæ Basilica Constantini nominata fuit. Sita fuit in Cœlio monte. Capitol. Marc. Anton. c. I. *Natus est Marcus Romæ in monte Cœlio*, *in hortis*: *educatus est in eo loco*, *in quo natus est*, *& in domo avi sui Veri juxta ædes Lateranı.* De domo hac Laterani jussu Neronis obsessa loquitur Juven. Sat. X. 15.

— *jussuque Neronis*
Longinum, *& magnos Senecæ prædivitis hortos*
Clausit, *& egregias Lateranorum obsidet ædes*
Tota cohors.

Quod epitheton *egregias* indicium est, ætate quoque Juvenalis splendidas illas, & valde conspicuas ædes fuisse: unde & a Nerone fisco addictas, & ab Imperatoribus deinceps possessas usque ad Constantinum non vane a plerisque omnibus asseritur. *Nardin. Rom. Vet.* III. 7. *Faunus Antiq. Urb. Rom.* III. 14. *Donat. de Urb. Rom.* III. 12.

Domus M. Lepidi. Hac pulcrior nulla Romæ fuit anno ab U. C. 676. *Intra annos triginta quinque centesimum locum non obtinuit* teste Plin. XXXVI. 15. nempe ad annum ab U. C. 711. & primum Augusti consulatum. *Lepidus* enim *primus omnium limina ex Numidico marmore* in illa *posuit. Fuitque consul anno Urbis 666.* Plin. ibid. c. 6. Sed ab illo erratum est decem annis. *Donat. de Urb. Rom.* I. 25.

Domus L. Licinii Suræ III. consulis fuit in monte Aventino. *Panvin. Descr. Urb. Rom. Thes. Antiq. Roman. Græv. Tom.* III. *p.* 310. *F.* Palatinum versus. Mart. VI. 64. 12.

Quique videt propius magni certamina circi,
Laudat Aventinæ vicinus Sura Dianæ.

Fabric. Descr. Urb. Rom. c. II.

Domus Livii Drusi in monte Palatino fuit, empta est postea a Cicerone. V. illam supr. in *Domus M. Ciceronis.* Nardin. Rom. Vet. VI. 15.

Domus Lucii ab Attico in Annalibus refertur, sed locus non

non adjicitur. Fuit autem ea, quæ Antiochi Regis filio obsidi fuit publice ædificata, ut est apud Asconium. *Fabric. Descript. Urb. Rom. c.* 11.

Domus Mæcenatis. Hujus mentio est apud Suet. Aug. c. 72. n. 4. *Æger in domo Mæcenatis cubabat.* Et apud Horat. Epod. IX. 3.

Tecum sub alta, sic Jovi gratum, domo
Beate Mæcenas bibam.

Ejusdem, & in ea supellectilis luxum conscripsit Senec. Epist. 114. *Ubi luxuriam late felicitas fudit, cultus primum corporum esse diligentior incipit; deinde supellectili laboratur; deinde in ipsas domus impenditur cura, ut in laxitatem ruris excurrant, ut parietes advectis trans maria marmoribus fulgeant, ut tecta varientur auro, ut lacunaribus pavimentorum respondeat nitor.* In illa habuit *quingentos tripodas de ligno cedrino, pedibus eburneis, similes & pares inter se, super quibus epulabatur.* Dio LXI. p. 694. B. *Meibom. Mæcen. c.* 28. §. 1--6. V. etiam infr. in *Horti Mæcenatiani.* An eadem quæ turris. V. infr. in *Turris Mæcenatiana.*

Domus Mamurræ Formiani, fuit in monte Cœlio. Plin. XXXVI. 6. *Primum Romæ parietes crusta marmoris operuisse totius domus suæ in Cœlio monte Cornelius Nepos tradidit Mamurram Formiis natum, equitem Romanum, præfectum fabrorum C. Cæsaris in Gallia. Neque indignatio sit tali auctore inventa re. Hic namque est Mamurra Catulli Veronensis carminibus proscissus, quem, ut res est, domus ipsius clarius, quam Catullus dixit habere, quicquid habuisset Comata Gallia. Namque adjecit idem Nepos, eum primum totis ædibus nullam nisi e marmore columnam habuisse, omnes solidas e Carystio aut Lunensi.* Marlian. Topogr. Urb. Rom. IV. 11. Donat. de Urb. Rom. I. 26. Nardin. Rom. Vet. III. 7.

Domus M. Manilii Jurisconsulti celebris, & prudentis oratoris fuit in Carinis. Cicer. Parad. 6. c. 3. *M. Manilius patrum nostrorum memoria pauper fuit. Habuit enim ædiculas in Carinis.* Fabric. Descr. Urb. Rom. c. 11.

Domus Manlii Capitolini fuit in arce, ubi postea templum Junonis Monetæ, & antea Tatius Rex habitaverat. Ovid. Fast. VI. 183.

Arce quoque in summa Junoni templa Monetæ
Ex voto memorant facta, Camille, tuo.
Ante domus Manli fuerat, qui Gallica quondam
A Capitolino reppulit arma Jove.

Et poetica fide Manlium pro templo, quod in Arce positum, stetisse in altiore collis jugo, cum potius domi fuerit in proximo sitæ, dicit Virg. Æneid. VIII. 652.

In summo custos Tarpejæ Manlius arcis
Stabat pro templo, & Capitolia celsa tenebat,
Romuleoque recens horrebat regia culmo.

Fuit ergo non procul a saxo, sed propinquior templo. Cum enim non maneret in custodia Manlius, ut reliqui vigiles, e *domo* sua anseres strepentes, & Gallos sensit cum silentio subeuntes. Ex quibus demum deducitur, templum quoque Jovis Manlianæ *domui* propinquum ad rupem, & in Arce fuisse exstructum. *Donat. de Urb. Rom.* II. 3. *Marlian. Topogr. Urb. Rom.* II. 5. *Borrich. Ant. Urb. Fac. c.* 10. §. 9.

Domus Marcellæ matronæ Romanæ, divino cultui devotæ, fuit in Aventino monte. Hieron. Epist. 154. ad Desiderium: *Quod si exemplaria libuerit mutuari, vel a Sancta Marcella, quæ manet in Aventino, vel . . . . accipere poteris.* Nardin. Rom. Vet. VIII. 9. Borrich. Ant. Urb. Fac. c. 15. §. 3.

Domus Marii fuit prope Forum Romanum. Plutarch. in Mario p. 423. F *Domum exstruxit propter Forum, vel, ut ipse dicebat, ne clientibus suis esset longius ire grave: vel quod ea re crederet fore, ut plures alii domum suam celebrarent.* Donat. de Urb. Rom. II. 27.

Domus Martialis fuit in regione septima Viæ latæ, proxima & vicina pilæ Tiburtinæ. Mart. V. 23. 3.

Nam Tiburtinæ sum proximus accola pilæ,
Qua videt antiquum rustica Flora Jovem.

In primo clivo fuit inter aream & descensum: unde in subjacentem campum Martium, laurosque in eo Vipsanas largissimus ei prospectus fuit, ut ipse testatur I. 178.

At mea Vipsanas spectant cœnacula laurus.

Locus ipse, ubi Martialis habitabat, vulgo Pyrum appellabatur. Ipse Epigr. I. 118. 5.

Non est, quod puerum, Luperce, vexes:
Longum est, si velit ad Pyrum venire,
Et scalis habito tribus, sed altis.

Vicinus ei fuit fons aquæ Martiæ, & illam in usum *domus* suæ a Domitiano petit IX. 19.

Sicca domus queritur nullo se rore foveri:
Cum mihi vicino Martia fonte sonet.
Quam dederis nostris, Auguste, penatibus undam,
Castalis hæc nobis, aut Jovis imber erit.

Nardin. Rom. Vet. IV. 9. Donat. de Urb. Rom. III. 15: Fabric. Descript. Urb. Rom. c. 11. Panvin. Descript. Urb. Rom. Thes. Antiq. Rom. Græv. Tom. III. p. 295. A. Marlian. Topogr. Urb. Rom. IV. 25. Faunus Antiq. Urb. Rom. IV. 10. V. & infr. in *Porticus Vipsania.*

Domus Maximi de multis, quas possedit, una in Aventino fuit. Martialis. V. illum infr. in *Vicus patricius.* Nardin. Rom. Vet. VII. 9. Borrich. Ant. Urb. Fac. c. 15. §. 3.

Domus Melii fuit in ea parte Argileti, quæ a dextra occurrit a porta Carmentali ad Velabrum, & non longe ab æde nunc D. Johannis decollati. *Marlian. Topogr. Urb. Rom.* III. 13. V. sup. in *Æquimelium.*

Domus Merulana in regione fuit tertia. Gregor. Epist. II. 58. *Ecclesiam positam juxta domum Merulanam regione tertia*, quæ vel illic loci fuit, ubi nunc Ecclesia S. Matthæi est in Merulana nuncupata: vel saltem in vicinia. Et hic quorundam Antiquariorum error observandus est, qui Merulanam non *domus* alicujus, sed ingentis fuisse regionis appellationem opinati sunt, corruptamque e voce Mariana. Opinatur hoc Marlian. Topogr. Urb. Rom. IV. 15. *Nardin. Rom. Vet.* III. 10. *Donat. de Urb. Rom.* III. 10.

Domus Microscopi Novii conjuncta fuit domui Martialis. Mart. I. 77.

Vicinus meus est, manuque tangi
De nostris Novius potest fenestris.

Nardin. Rom. Vet. IV. 9.

Domus Milonis fuit in clivo Capitolino. Cicer. Milon. c. 24. *ubi domus in clivo Capitolino scutis referta* legitur. Hanc non secus ac cæteras, quæ in clivo Capitolino fuisse referuntur, in eodem, quo templa, solo sub Capitolii sitas fuisse substructionibus verosimile est: neque enim certi quid de iis produci potest. *Nardin. Rom. Vet.* V. 11. *Donat. de Urb. Rom.* II. 27.

Domus Nævii. V. illam infr. in *Sylva.*

Domus Neronis fuit inter Palatium, & hortos Mæcenatis Esquilinos. Tacit. Annal. XV. 39. 1. *Non ante Urbem ingressus est, quam domus ejus, qua Palatium & Mæcenatis hortos continuaverat, ignis propinquaret.* Suet. Ner. c. 31. n. 2. *Domum a Palatio Esquilias usque fecit.* Cum domino stetit; bis a Nerone ædificata, bis conflagravit. Semel communi totius Urbis incendio, quod ipse parricida furiarum tædis agitatus excitavit. Iterum ab ejus obitu, cum aliis ædificiis locum dedit. Ejus tanta fuit laxitas, ut Roma pæne fieret *domus* Principis, quæ nihilominus humani generis capax relinquebatur. Transitoria & postea aurea dicta est a Nerone. Suetonius: *Quam primo transitoriam, mox incendio absumptam, restitutamque auream nominavit.* Cum enim ædibus Augustalibus juncta, ad quas e Sacra via ascendebatur, inde *domus* versus Esquilias laxaretur in planitie, ubi arcus Titi, & S. Mariæ cognomento Novæ templum est, Sacram ipsam viam cum aliis vicis sibi subjectam inclusit, atrioque recepit, sic ut omnes illuc transire & libere commeare possent. *Donat. de Urb. Rom.* III. 5: I. 27. *Marlian. Topogr. Urb. Rom.* IV. 18. *Nardin. Rom. Vet.* III. 13. *Voss. de magn. Rom. Vet. c.* 5. *Casal. de Urb. ac Imper. Roman. splend. part.* I. *c.* 6. *Faunus Antiq. Urb. Rom.* III. 12. *Blond. Illustr. Rom.* III. §. 44. Partes singulas sub suis vide elementis.

Domus Numæ, vulgo Regia, fuit proxima templo Vestæ in Sacra via. Ascon. Cicer. Mil. p. 200. *Facit & lo-*

cus pugna: nam in Sacra via traditur commissa, in qua est Regia. Ovid. Trist. III. I. V. illum infr. in *Via sacra.* Donat. de Urb. Rom. II. 12. Altera fuit in colle Quirinali. Plutarch. in Numa p. 69. C. *Cum Regiam haberet* [illegible] *alteram habuit in colle Quirinali, cujus ad-*[illegible] *ostendunt.* Crediderim, hanc fuisse prope qua[illegible] fontes, proximam Capitolio veteri, quod idem dedicavit. Sicut enim Rex ille, ut rebus suis religionem obtenderet, ædificato Vestæ templo *domum* illi, quæ Regia vulgo dicta est, attexuit: ita probabile est, alteram in Quirinali prope delubrum a se conditum ædificasse. *Donat. ibid.* III. 15.

Domus Ovidii fuit juncta Capitolio. Ovid. Trist. I. 3. 29.

> *Hanc ego suspiciens, & adhuc Capitolia cernens;*
> *Quæ nostro frustra juncta fuere lari.*
> *Numina vicinis habitantia sedibus, inquam,*
> *Jamque oculis nunquam templa videnda meis.*

Eam in vico Jugario fuisse, prope ædem Mariæ de consolatione hodie nuncupatæ, quidam tradunt. *Marlian. Topogr. Urb. Rom.* II. 14. *Donat. de Urb. Rom.* II. 27. *Boissard. Topogr. Urb. Rom. Tom.* I. *p.* 14.

Domus septem Parthorum, quæ in regione duodecima agnoscitur, videtur a Severo Imperatore donata hospitibus Parthis, qui ejus principatu post bellum cum illis gestum in Urbem advenerant vestium sumptuosissimo apparatu superbientes. Hos gemmis onustos illis temporibus se vidisse scribit Tertull. de hab. mulieb. c. 7. *Gemmarum nobilitatem vidimus Romæ de fastidio Parthorum, & Medorum, cæterorumque Gentilium suorum coram matronis erubescentem, nisi quod nec ad ostensionem fere habentur. Latent in cingulis smaragdi, & cylindros vaginæ suæ* [illegible]*, & in peronibus uniones emergere de luto cupiunt. Denique tantum gemmarum habent, quod gemmatum esse non debet, si non compareat, aut ideo compareat, ut neglectum esse ostendatur. Sed & parietes Tyriis, & hyacinthinis, & illis regiis velis, quæ vos operose resoluta transfiguratis, pro pictura abutuntur.* Has Romæ speciosas Severus videtur ædificasse. Aurel. Vict. Epit. c. 20. n. 6. *Ad largiendum liberalis in amicos, in inimicos pariter vehemens, quippe qui Lateranum Chilonem, Æmilianum Bassum, cæterosque alios ditaret, ædibus quoque memoratu dignis, quarum præcipuas videmus, Parthorum quæ dicuntur, & Laterani.* Panciroll. Descript. Urb. Rom. Thes. Antiq. Rom. Græv. Tom. III. p. 369. F. Nardin. Rom. Vet. VII. 6. Borrich. Ant. Urb. Fac. c. 13. §. 3.

Domus Paulli cujusdam fuit in illa Esquiliarum parte, ad quam per clivum Suburranum adscendebatur. Mart. V. 23. I.

> *Mane domi nisi te merui, voluique videre,*
> *Sint mihi, Paulle, tua longius Esquiliæ.*

Nardin. Rom. Vet. III. 10.

Domus Pedonis, poetæ nobilis, an causidici, fuit in Esquiliis, vicina Plinianæ. Mart. I. 19. 10.

> *Illic parva domus tui Pedonis*
> *Calata est Aquilæ minore penna.*

Donat. de Urb. Rom. III. 10. Nardin. Rom. Vet. III. 10.

Domus Persii etiam in Esquiliis fuit, ut Cornutus prodidit. *Nardin. Rom. Vet.* IV. 3. *Borrich. Ant. Urb. Fac. c.* 7. §. 5. *Donat. de Urb. Rom.* III. 10.

Domus Philippi a Victore ponitur in regione secunda. Cujus ille fuerit, dubium est. Romæ fuit L. Philippus orator, de quo plura Cicer. in Bruto c. 45. qui etiam consul fuit. Alius fuit M. Philippus Augusti vitricus, a quo ædem Herculis conditam scribit Suet. Aug. c. 29. Fuit & Philippus Imperator, & alius sub Commodo præfectus Ægypti, D. Eugeniæ pater, de quo plura metaphrastes 25. & ultimus sub Honorio & Theodosio præfectus prætorio Illyrici l. 6. omni C. de sacr. Eccles. De primo intelligi puto. *Panciroll. Descr. Urb. Rom. Thes. Antiq. Roman. Græv. Tom.* III. *p.* 328. *F.* Et ego de illo Philippo Imperatore, qui post Gordianum imperavit. *Donat. de Urb. Rom.* III. 12. Causidici in regione quarta, in Carinis. Horat. Epist. I. 7. 46.

> *Strenuus & fortis, causisque Philippus agendis*
> *Clarus, ab officiis octavam circiter horam*
> *Dum redit, atque foro nimium distare Carinas*
> *Jam grandis natu queritur. . . . .*

Fabric. Descr. Urb. Rom. c. 11.

Domus Phyllidis fuit in monte Aventino ad Dianæ templum, aut in proximo. Prop. IV. 9. I.

> *Phyllis Aventinæ quædam est vicina Dianæ.*

Nardin. Rom. Vet. VII. 8. Faunus Antiq. Urb. Rom. III. I.

Domus Pilati, si vulgari famæ fidem habemus, ibi fuit, ubi prope pontem senatorium altissimæ conspiciuntur ruinæ. Sed revera si quis eas contempletur attentius, cognoscet illic fuisse lavacra, sive sudatoria Laconica: quod ex caminorum canalibus frequentibus, qui undequaque inserti sunt, facile judicatur. *Boissard. Topogr. Urb. Rom. Tom.* I. *p.* 12.

Domus Pincii senatoris fuit in colle hortulorum. *Marlian. Topogr. Urb. Rom.* V. 26. *Panvin. Descr. Urb. Rom. Thes. Antiq. Rom. Græv. Tom.* III. *p.* 278. *D. Donat. de Urb. Rom.* I. 19. *Boissard. Topogr. Urb. Rom. Tom.* I. *p.* 56.

Domus Plinii junioris fuit in Esquiliis. Epist. III. 21. 5. *Alloquitur Musam, ut domum meam in Esquiliis quærat.* Et ad eam per Suburram accessum ostendit Mart. X. 19. I.

> *Non rusticulum nimis libellum,*
> *Facundo mea Plinio Thalia*
> *I perfer: brevis est labor. Peractæ*
> *Illic Orphea protinus videbis*
> *Altum vincere tramitem Suburræ.*

Fuit igitur in illa Esquiliarum parte, quæ inter ædem Clementis & Petri & Marcellini editior est. *Panvin. Descr. Urb. Rom. Thes. Antiq. Rom. Græv. Tom.* III. *p.* 291. *D.* Qui in regione erravit. Fuit enim in tertia regione, in ea Esquiliarum parte, quæ versus Suburram veterem reflexa non hujus quintæ regionis fuit, sed illius tertiæ. *Nardin. Rom. Vet.* III. 10: IV. 3. *Donat. de Urb. Rom.* III. 10. *Fabric. Descr. Urb. Rom. c.* 11.

Domus Pompeji ab Antiquariis statuitur in regione nona juxta ejus theatrum. Plutarchus, quo nituntur, hæc habet p. 640. D. *Atque Pompejus ipse usque ad tertium triumphum mediocriter & simpliciter habitavit. Post populo Romano eximium illud, & celebratum theatrum exstruxit,* ὥσπερ ἐφόλκιόν τι παρετεκτήνατο λαμπροτέραν οἰκίαν ἐκείνης. Quod interpres sic vertit: *& juxta velut appendicem ædificavit domum priore splendidiorem.* Sed vox *juxta* omnino redundat, & abhorrentem a Plutarchi mente sensum efficit. Quem tamen interpres eruit a verbo παρετεκτήνατο, quasi παρατεκταίνομαι significet solum *juxta & prope ædificare*; cum idem quod simplex τεκταίνομαι sit. Dicendum ergo: *Post autem cum Romanis splendidum illud & celebre theatrum erexisset, veluti appendicem quandam ædificavit domum priore splendidiorem.* Et appendix in ædificationem, non in locum cadit. Pompejus enim post theatrum ædificavit *domum*, sed non theatro proximam; verum illam eandem, quam ante habebat, amplificavit. Erat autem illi *domus* in Carinis paullum ultra amphitheatrum in quarta regione, ut ait P. Victor. Et Suet. Tib. c. 15. n. I: *Statim e Carinis, ac Pompejana domo Esquilias in hortos Mæcenatianos transmigravit.* Hanc post Pompeji mortem Antonius possedit. Dio XLVIII. p. 380. B. *Carinæ loci nomen est Romæ, quo in loco Pompejus Magnus ædes habuerat, quam tum temporis Antonius possidebat.* Lenæum Pompeji libertum grammaticam ad Telluris ædem docuisse tradit Suet. Illust. Gramm. c. 15. n. I. *Docuitque in Carinis ad Telluris ædem, in qua regione Pompejorum domus fuerat.* Unde *domus* Pompeji vicina fuisse colligitur ædi Telluris, & hæc Carinis. Tandem Gordiani senioris fuisse refert Capitol. c. 2. *Ipse consul ditissimus, ac potentissimus Romæ Pompejanam domum possedit.* Qui & rostratam fuisse docet c. 3. *Exstat sylva ejus memorabilis, quæ picta est in domo rostrata Cn. Pompeji, quæ ipsius, & patris ejus, & proavi fuit, quam Philippi temporibus*

bus vester fiscus invasit. Forsan rostris navium de piratis captarum instructa fuit, quos insigni victoria Pompejus domuerat. Non diu post Gordianum occisum in imperantium ea pervenit potestatem. *Donat. de Urb. Rom.* III. 8. *Nardin. Rom. Vet.* III. 14: VI. 3. *Marlian. Topogr. Urb. Rom.* IV. 14. *Faunus Antiq. Urb. Rom.* IV. 1.

Domus Pontificis Maximi fuit in quarta Urbis regione, vicina *domui* Regis sacrificuli. Hanc publicam esse oportebat, nam diversa fuisse munera constat, sicut apud Dionem inter ἀρχιερέα & βασιλέα τῶν ἱερέων discrimen est. Dionem V. infr. in *Domus Regis sacrificuli.* Ante *domum* Pontificis Maximi sacellum quoddam instar tumuli decori ac venusti ex consulto senatus instructum prominebat auctore Plutarcho. *Borrich. Ant. Urb. Fac. c.* 6. §. 4. *Nardin. Rom. Vet.* III. 12. V. & infr. in *Regia pontificum.*

Domus Principum virorum eo situ, venerationis credo, & celebritatis causa, positas, ac collocatas fuisse, ut aditus ad eas per deorum templa existeret. Senec. ad Polyb. c. 35. *Ibit* fortuna *violentior per omnia, sicut semper est solita, eas quoque domos ausa injuriæ causa intrare, in quas per templa aditur.* Suet. Calig. c. 22. n. 5. *Partem Palatii ad forum usque promovit, atque æde Castoris & Pollucis in vestibulum transfigurata, consistens sæpe inter fratres deos medium se adorandum adeuntibus exhibebat.* Atque hinc liquet, cur Mart. Præfat. octava ad Domitianum Cæsarem scripserit, de eodem opere suo disserens: *Meminerit non nisi religiosa purificatione lustratus accedere ad templa debere. Ad templa*, id est, ad aulam, seu palatium Imperatoris, ad quæ ingressuris non nisi per ipsa deorum templa pateret aditus. Hinc lego apud Tibull. III. 3. 3.

Non, ut marmorei prodirem e limine templi.

Vidi calamo exaratum, aliosque prælo excusos, in quibus sic diserte scriptum. *Douza Præcid. pro Tibull. c.* 11. Hoc verum Claudio imperante, quum jam valde adolevisset mos fœdissimus adulandi, non primis Augusti temporibus. *Broukh. in Tibullum.*

Domus Proculi in Palatino fuit monte. De illa scribit Mart. I. 71. 11.

Protinus a læva clari sub fronte penates,
Atriaque excelsæ sunt adeunda domus.

Donat. de Urb. Rom. III. 3.

Domus Propertii fuit in Esquiliis. Docet hoc ipse III. 21. 24. V. illum infr. in *Libelli.* Fabric. Descr. Urb. Rom. c. 11. Donat. de Urb. Rom. III. 10. Nardin. Rom. Vet. IV. 3.

Domus Publicolæ Valerii fuit sub Velia, ubi postea ædes Victoriæ. L. Higinus in libro priore de viris claris, & ex eo Ascon. in Cicer. Pison. p. 164. *P. Valerio Volesi filio Publicolæ ædes publicas sub Velia, ubi postea fuit ædes Victoriæ, ex lege, quam ipse tulit, populum concessisse.* Plutarch. Public. p. 26. *Domumque multo illa priore celsiorem ædificavit, ubi nunc fanum, quod vicum publicum dicunt.* Quod fanum quin idem sit, atque ædes Victoriæ ab Higinio memorata, nullus dubitem. Etsi hæc *domus* sub Velia fuit, Velia vero forum prospexit, necessario sequitur *domum* illam non longe a Jovis Statoris abfuisse templo, portaque Palatii. Festus: *Romana porta instituta est a Romulo in infimo clivo Victoriæ.* Pecunia publica fuit facta, & janua in ea, quæ peculiari privilegio contra aliarum morem foras aperiretur. Asconius: *Valerio Maximo inter alios honores domus quoque publice ædificata est in Palatio: cujus exitus, quo magis insignis esset, in publicum versus declinaretur, hoc est, extra privatum aperiretur.* Nardin. Rom. Vet. V. 5. Boissard. Topogr. Urb. Rom. Tom. I. p. 30. Faunus Antiq. Urb. Rom. II. 21.

Domus Regis sacrificuli fuit in Sacra via. Festus: *Itaque ne eatenus quidem, ut vulgus opinatur, Sacra appellanda est a regia ad domum Regis sacrificuli, sed etiam a Regis domo ad sacellum Streniæ, & rursus a regia usque ad arcem.* Fuit publica, & facti illius Regis usibus dicata, non secus atque illa Pontificis maximi. Facile vero inducar, ut credam vicinas illas inter se fuisse: sic & vicinam illis fuisse publicam virginum Vestalium *domum*, cui postea alia Regis sacrificuli ab Augusto conjuncta fuit, e Dione discimus, qui lib. LIV. p. 541. A. *cum esset*, inquit, *creatus Pontifex Maximus, neque domum publicam accepit; sed cum omnino publicam esse Pontifici Maximo habitationem oporteret, suarum ædium partem ipse publicam esse jussit, ac Regis sacrificuli domum virginibus Vestalibus dedit, quoniam earum ædibus contigua erat.* Diversi enim fuerunt ἀρχιερεὺς, & βασιλεὺς τῶν ἱερέων. Dionis hæc est sententia: Augustum, cum Pontifex Maximus factus esset, partemque eapropter suarum ædium publicam fecisset, *domum* Regis sacrificuli contiguis Vestalibus donasse, quia illi Pontificis Maximi *domus* vicina adhærebat: quod etiamsi expressis verbis non dicat, ipse tamen hoc sensu suggerit. *Nardin. Rom. Vet.* III. 12.

Domus Romuli quænam & ubi fuerit, Mars sic admonet apud Ovid. Fast. III. 183.

Quæ fuerit nostri, si quæris, regia nati,
Aspice de canna straminibusque domum.

Donat. de Urb. Rom. I. 24. Faunus Antiq. Urb. Rom. II. 5.

Domus Sabini fuit ad malum Punicum, in qua natum esse Domitianum testatur Suet. Domit. c. 1. n. 1. & consentit hic titulus ibidem repertus, & adhuc jacens:

INTER DUOS
PARIETES
AMBITUS PRIVAT.
FLAVI SABINI.

Marlian. Topogr. Urb. Rom. IV. 23.

Domus Sallustii fuit in Quirinali, cujus ruinas supra hortos ejusdem in valle subjecta exstare ajunt. Qui de vita ipsius scripserunt, prope Minervæ ædem, quæ hodie Mariæ sacra est, volunt habitavisse. Quod si ita est, hæc prima fuit: altera, post præturam Africanam ab ipso culta. *Fabric. Descr. Urb. Rom. c.* 11. *Marlian. Topogr. Urb. Rom.* IV. 23. *Nardin. Rom. Vet.* IV. 7. *Boissard. Topogr. Urb. Rom. Tom.* I. *p.* 48.

Domus Scauri, qui Syllam vitricum habuit, fuit in Palatino. Ascon. in Cicer. p. 176. *Demonstrasse vobis memini, hanc domum in ea parte Palatii esse, quæ, cum ab Sacra via discesseris, & in proximum vicum, qui est ab sinistra parte, prodieris, posita est.* Habuit atrium, cujus columnas miræ magnitudinis fuisse scribit Plin. XXXVI. 2. admiratusque legem sumptuariam, & censores tantam impensam dissimulanter tulisse, sic persequitur: *Etiam ne tacuerunt maximas earum, atque adeo duodequadragenum pedum Lucullei marmoris in atrio Scauri collocari: nec clam occulteque id factum est: satisdari sibi damni infecti egit redemptor cloacarum, cum in Palatium extraherentur.* Marlian. Topogr. Urb. Rom. II. 17. Donat. de Urb. Rom. III. 3. Faunus Antiq. Urb. Rom. II. 18.

Domus Scipionis Nasicæ fuit in Sacra via. Hæc publica illi illic fuit data, ut facilius ab omnibus posset conspici. *Borrich. Ant. Urb. Fac. c.* 6. §. 4.

Domus Servii Tullii Regis a Victore & Rufo statuitur in Esquiliis, editiori loco fundata, qua se olim colliculus Cispius attollebat, paullo supra templum Laurentio in Fonte hodie dedicatum; ideo structa in edito, ut in subjectum vicum patricium evidens pateret despectus. Festus. V. illum infr. in *Vicus patricius.* Borrich. Ant. Urb. Fac. c. 7. §. 4. Marlian. Topogr. Urb. Rom. IV. 18. Faunus Antiq. Urb. Rom. II. 20: IV. 2. Licet patricios in vicum patricium coegerit ob dictam a Festo causam Servius Rex, nunquid tamen ibi habitavit, qui supra Virbium clivum, quod fatentur, domum habuit. Quod etiam testatur Solin. c. 2. Virbius autem clivus aut idem est, quo nunc ascenditur ad Petri ad vincula, aut exiguo intervallo ab eo distans. Cum autem *domus* Servii Regis supra clivum esset, infertur etiam non procul ab eodem templo Petri sitam, ubi nunc minimorum Cœnobitarum *domus* & horti sunt. *Donat. de Urb. Rom.* III. 9.

Domus Spurii Cassii fuit in Carinis, vicina templo Telluris. A populo est diruta ob regni affectati suspicionem. *Borrich. Ant. Urb. Fac. c.* 6. §. 7.

Domus Stellæ consulis fuit in prima Suburra, id est, in regione Urbis tertia ubi caput erat Suburræ, scilicet ad amphitheatrum Titi. Mart. XII. 3. 9.

Vel si malueris prima gradiere Suburra;
Atria sunt illic consulis alta mei.

Donat. de Urb. Rom. III. 10. Nardin. Rom. Vet. III. 9. Borrich. Ant. Urb. Fac. V. 1. Fabric. Descr. Urb. Rom. c. 11.

Domus Suræ, ut puto, non procul abfuit a templo S. Priscæ in Aventino, sive Urbis regione decima tertia. Ejus meminit Mart. VI. 64. 12.

Quique videt propius magni certamina circi,
Laudat Aventinæ vicinus Sura Dianæ.

Ille forte fuit Sura Licinius, ter consul, primum sub Nerva, secundum & tertium sub Trajano; ut est apud Cassiodorum in Chronico, & apud Fastorum scriptores. *Nardin. Rom. Vet.* VII. 8.

Domus Symmachi fuit in monte Cœlio. Ipse mentionem fecit Epist. VII. 18. *Proxime in Formiano sinu regressus in Larem Cœlium, domo jam diu te abesse comperi.* Nardin. Rom. Vet. III. 7. Borrich. Ant. Urb. Fac. c. 4. §. 3. Fuit & alia trans Tiberim, a populo exusta. Ammian. XXVII. 3. *Quo instante urbs sacratissima otio copiisque abundantius solito fruebatur, & ambitioso ponte exsultat, atque firmissimo, quem condidit ipse, & magna civium lætitia dedicavit, ingratorum, ut res docuit, apertissimo, qui consumptis aliquot annis domum ejus in Transtiberino tractu pulcerrimam incenderunt.* Nardin. ibid. VII. 11. Borrich. ibid. c. 16. §. 2.

Domus Tarquinii quinti Romanorum Regis fuit prope Jovis Statoris templum, juxta palatium. Liv. I. 42. *Ex superiore parte ædium per fenestras in novam viam versas: habitabat enim Rex ad Jovis Statoris.* Donat. de Urb. Rom. III. 3. Faunus Antiq. Urb. Rom. II. 9. V. & infr. in *Via Sacra.*

Domus Tarquinii Superbi posita fuit ante templum Jovis Statoris. Plin. XXXIV. 6. *Annius fecialis, posuit sibi statuam equestrem, quæ fuerit contra Jovis Statoris ædem, in vestibulo Superbi domus.* Marlian. Topogr. Urb. Rom. II. 11.

Domus Tatii in octava Urbis regione fuit, in arce, ut scribit Solin. c. 1. *Marlian. Topogr. Urb. Rom.* II. 5. *Borrich. Ant. Urb. Fac. c.* 10. §. 9.

Domus Teïæ meretricis inter duos Tarpeji montis lucos fuit. Prop. IV. 9. 3.

Altera Tarpejos est inter Teïa lucos,
Candida, sed potæ non satis unus erit.

Hanc autem non inter asyli lucos habitasse crediderim, quum nemo privatus unquam in Intermontio, & præsertim in ejus parte illa, ubi asylum fuit, habitasse legatur: verum potius inter illos duos lucos, quibus Cicero ædem Monetæ convestitam fuisse dicit. *Nardin. Rom. Vet.* V. 16.

Domus Tetricorum, qui duo ex triginta tyrannis fuerunt, fuit in monte Cœlio. Trebell. in Tetric. jun. c. 25. *Domus Tetricorum hodieque exstat in monte Cœlio inter duos lucos contra Isium Metellinum pulcerrima, in qua Aurelianus pictus est, utrique prætextam tribuens, & senatoriam dignitatem accipiens. Quam cum dedicasset, Aurelianum ipsum dicuntur duo Tetrici adhibuisse convivio.* Marlian. Topogr. Urb. Rom. IV. 12. Donat. de Urb. Rom. III. 12. Faunus Antiq. Urb. Rom. III. 16. Blond. Illustr. Rom. I. §. 77.

Domus Tiberii Neronis, Tiberii Cæsaris patris, fuit in Palatio. Suet. c. 5. n. 2. *Natus est Romæ in Palatio decimo sexto Kalend. Decembr. M. Æmilio Lepido iterum & Munatio Planco Coss. post bellum Philippense.* Nardin. Rom. Vet. VI. 15.

Domus Tiberii Imperatoris fuit in Palatio. Hanc *domui* Augustæ addidit Tiberius, eaque opus hoc locupletavit veluti postico, cum facies anterior Palatinæ ædis & vestibulum respiceret Sacram viam, & locum, ubi hodie rudera templi Pacis conspiciuntur. Hæc circum maximum & Aventinum spectavit. Tacit. Hist. I. 27. 3. Galba sacrificante pro æde Apollinis, Otho, qui in eum conjuraverat, *digressus per Tiberianam domum in Velabrum, inde ad milliarium aureum sub ædem Saturni* perrexit. Plutarch. Galb. p. 1064. C. *Per Tiberii domum, quam vocant, descendit in forum.* Suet. Oth. c. 6. n. 4. *Quasi venalem domum inspecturus abscessit proripuitque se postica parte Palatii ad constitutum. posticam partem Palatii* appellat, quam alii domum Tiberianam. In hac habitavit Antoninus Pius. Capitol. c. 10. *Cum Apollonium, quem Chalcide acciverat, ad Tiberianam domum, in qua habitabat, vocasset.* Donat. de Urb. Rom. III. 2. Borrich. Ant. Urb. Fac. c. 12. §. 2. Nardin. Rom. Vet. VI. 13. Faunus Antiq. Urb. Rom. II. 22.

Domus Titi fuit prope thermas, eumque locum, quem septem Salas vulgus vocitat. Ex eo constat, quod ibi Laocoontis statua est reperta, quam in eadem collocatam asserit Plin. XXXVI. 5. V. illum infr. in *Statua.* Habuit atrium, in quo Polycletus Sicyonius fecit duos pueros talis nudos ludentes, qui vocabantur astragalizontes: quo opere auctore Plin. XXXIV. 8. nihil fuit absolutius. *Marlian. Topogr. Urb. Rom.* IV. 14. V. infr. in *Statua Laocoontis.*

Domus triumphales fuerunt, quæ publico sumptu Imperatoribus fiebant, qualis P. Valerio Publicolæ data: de qua Plin. XXXVI. 15. *Subit vero cogitatio, quota portio harum fuerint areæ illæ, quas invictis Imperatoribus decernebant publice ad exædificandas domos: summusque illarum honos erat, sicut in Q. Valerio Publicola, qui primus consul fuit cum L. Bruto, post tot merita, & fratre ejus, qui bis in eodem magistratu Sabinos devicerat, adjici decreto, ut domus eorum fores extra aperirentur, & janua in publicum rejiceretur.* Et Dionys. V. p. 307. *Respublica decrevit, ut simul triumpharent ambo consules: privatim etiam alteri consuli Valerio aream ad ædificandum donavit in præcipua parte palatii, sumptusque in ædificium præbuit ex ærario: hujus domus ad quam stat taurus æreus; valvæ solæ inter omnes Urbis publicas & privatas ædes, dum aperitur janua, revolvuntur in viam publicam.* Bulenger. de Triumph. c. 36.

Domus Vectiliana fuit in monte Cœlio. Lamprid. Comm. c. 16. *De Palatio ipse ad Cœlium montem in Vectilianas ædes migravit, negans se in Palatio posse dormire.* De illa Capitol. Pertin. c. 5. *Ad Palatium Pertinax profectus, quod tunc vacuum erat, quia Commodus in Vectilianis occisus est.* Nardin. Rom. Vet. III. 7. Borrich. Ant. Urb. Fac. c. 4. §. 3.

Domus Vedii Pollionis. V. illam supr. in *Domus Cæsaris.*

Domus Virgilii fuit in Esquiliis apud hortos Mæcenatis. Donat. in ejus vita: *Habuit Romæ domum in Esquiliis, juxta hortos Mæcenatis.* Marlian. Topogr. Urb. Rom. IV. 19. Nardin. Rom. Vet. IV. 2. Borrich. Antiq. Urb. Fac. c. 7. §. 3. Fabric. Descr. Urb. Rom. c. 11. Donat. de Urb. Rom. III. 10. Blond. Instaur. Rom. I. §. 101.

Domus Vitellii, seu uxoris ejus fuit in Aventino. Tacit. Hist. III. 70. 2. *Cur enim e rostris fratris domum imminentem foro, & irritandis hominum oculis, quam Aventinum & penates uxoris petisset?* Nardin. Rom. Vet. VII. 9. Borrich. Ant. Urb. Fac. c. 15. §. 3. Panvin. Descr. Urb. Rom. Thes. Antiq. Rom. Græv. Tom. III. p. 310. E. Donat. de Urb. Rom. III. 13. Faunus Antiq. Urb. Rom. III. 2.

Domus Ulpiorum, alias privata Trajani fuit in Aventino. Est mentio ejus in antiqua basi, quæ ibidem sub æde Priscæ versus arcum maximum inventa est:

HERCULI
CONSERVATORI
DOMUS ULPIORUM
SACRUM
M. ULPIUS. . . .
VERECUNDUS

Panvin. Descr. Urb. Rom. Thes. Ant. Rom. Græv. Tom. III. *p.* 310. *E.*

Domus Umbricii fuit in Aventino. Juvenalis, qui

amici

amici sui migrationem ex Urbe Cumas describit, Sat. III. 84.

Usque adeo nihil est, quod nostra infantia cœlum
Hausit Aventini bacca nutrita Sabina?

Nardin. Rom. Vet. VII. 9. Borrich. Ant. Urb. Fac. c. 15. §. 3.

Domus, & *domus æterna* appellatur sepulcrum. Tib. III. 2. 22.

Atque in marmorea ponere sicca domo.

Pedo Consol. ad Liviam n. 74.

Claudite jam Parcæ nimium reserata sepulcra,
Claudite; plus justo jam domus ista patet.

Constant. C. de sepulcr. viol. *Qui sepulcra violant, domos, ut ita dixerim, defunctorum.* Diod. Sic. I. p. 33. B. *Ægyptii defunctorum sepulcra domos æternas, ἀϊδίους οἴκους, appellant, quod infinitum apud inferos ævum peragant.* In inscriptionibus. Hispali.

DIDIA. T. F. FABIA
MATER. IN. MEO. DOLORE
IN. HOC. SEPULCRO
NOMEN. IN. HIS. INSCRIPSI. MEUM
HIC. EST. DOMUS. MEA
CUM. MEIS.

Polæ in Illyrico.

MANILIA. PAULLA
DE. PATRIMONIO. SUO
SIBI. ET
AURELIO. PAULLINO
COMPARI. SUO
DOMUM. ÆTERNAM. P.

Guther. de jur. man. II. 20. *Kirchmann. de Fun. Rom.* III. 10. *Rutgers. Venus. Lect. c.* 2. *Ferret. Mus. Lapid.* I. 34. & 39: II. 30. 48. & 52: III. 20. *Becman. Orig. L. L. in sepulcrum. Bergier. de viis Milit.* II. *Sect.* 35. §. 5. & *Henin. ad illum. Quensted. de Sepult. Vet. c.* 9. *Demster. Paral. ad Rosin. Antiq. Roman.* IV. 17. *Broukh. in Tibullum.* Nec mirum *domum* dici, in qua in æternum manere cadavera hominum putabant, cum *domos* vocitarent, quæ diversoria potius dici debuerunt. Diodor. I. p. 33. A. *Vivorum quidem habitacula vocant diversoria, cum in iis per breve tempus habitemus; mortuorum vero sepulcra domos æternas vocant, cum in inferis per infinitum tempus agamus.* Gorall. in Pedonem.

Domus funesta dicebatur illa, in qua erat mortuus. Servius nondum editus: *Ne quis imprudens funestam domum, rem divinam facturus, introeat, & quasi attaminatus suscepta peragere non posset.* Kirchman. de Funer. I. 14.

DON.

DONA communi nomine dicebantur, quæ diis offerebantur. Nonius XII. 32. *Dona consuetudine hac habentur, quæ aut propitiandis diis dantur, aut hominibus pro benefactis redduntur.* Quare & Virgilius dixit Æneid. IV. 453. *dona aris imponere.* XII. 215. *cumulare altaria donis.* III. 484. *onerare donis templa.* In illis utebantur sollenni verborum formula: *accipe libens.* Tib. IV. 5. 9. V. illum infr. in *Genius.* Senec. Agam. n. 384.

—— generis nostri
Jupiter auctor, cape dona libens.

Singula autem dari debebant manu dextra. Nam dici solebat in sacris, *da, quod debes, de manu dextra aris.* Serv. Æneid. VIII. 106. *Struv. Ant. Roman. c.* 5. *p.* 237. *c.* 10. *p.* 488. *c.* 11. *p.* 545. *Brisson. de Form.* I. *p.* 30. & 33. *Donum* est deorum, munus hominum. *Donat. in Terent. Eun.* V. 8. 27. *Fronto de nominum verborumque differentiis.* Sed illa distinctio parum firma est. Vellem paullo diligentius inspexissent Nonium Marcellum. Et munera dicuntur, quæ diis offeruntur. Ovid. Art. Amand. III. 653.

Munera, crede mihi, placant hominesque deosque:
Placatur donis Jupiter ipse datis.

Tomas. de Donar. c. 1. Brisson. de Form. I. p. 30. Lipen. Stren. Hist. c. 1. §. 10. Ut nec illa subtilior juris, qua inter *dona* & munera, velut inter genus & speciem distinguunt. Ulpian. de verb. sign. §. 194. *Inter donum & munus hoc interest, quod inter genus & speciem. Nam genus esse donum Labeo a donando dictum dicit, munus speciem: nam munus esse donum cum causa, ut natalitium, nuptalitium.* Lipen. l. l. Ex ritu priscæ superstitionis, præcipue Græcorum, ante fana in oleastris Romani solebant suspendere, & affigere. Virg. Æn. XII. 766.

Forte sacer Fauni foliis oleaster amaris
Hic steterat, nautis olim venerabile lignum,
Servati ex undis ubi figere dona solebant
Laurenti divo, & votas suspendere vestes.

Oleastri vivacitas tanta est, ut si multis configatur clavis, nihil tamen lædatur. Aristoph. Plut. IV. 3. 93.

Seu oleastro affigam isti.

Ad eam consuetudinem respiciens dixit Theoph. Hist. Plant. V. 4. *Quod etiam in oleastro, qui Megaris in foro stabat, evenisse accepimus. . . . In hoc perscisso repertæ sunt ocreæ, & alia quædam Attici ritus, quæ exstant in oleastro, ea parte qua sunt appensa primum, atque in cavitatem impressa.* Turneb. Adv. VIII. 16. Tomas. de Donar. c. 7. Cerda & Pontan. in Virgilium. Bodæus a Stapel in Theophrastum. Struv. Antiq. Roman. c. 5. p. 241. Etiam templorum parietibus, vel columnis. Liv. XL. 51. M. Æmilius Lepidus *ædem Jovis in Capitolio, columnasque circa poliendas albo locavit, & ab his columnis, quæ incommode opposita videbantur, signa amovit: clypeaque de columnis, & signa militaria affixa omnis generis dempsit.* Imo & tholis. Virg. Æneid. IX. 407.

Dona tulit, si qua ipse meis venatibus auxi,
Suspendive tholo, aut sacra ad fastigia fixi.

Struv. ibid. p. 238. Tomas. de Donar. c. 6. Demster. Paralip. ad Rosin. Antiq. Roman. II. 2.

Dona militaria erant phaleræ & torques. Suet. Aug. c. 25. n. 3. *Dona militaria aliquanto facilius, phaleras & torques dabat.* & coronæ. Tacit. Annal. II. 9. 4. *Facius aucta stipendia, torquem & coronam, aliaque militaria dona memorat.* Armillæ & hastæ. Val. Max. III. 2. 24. *Totius civitatis oculos in se numerosa donorum pompa convertentem. Præferebantur enim aureæ coronæ octo, civicæ quatuordecim, murales tres, obsidionalis una, torques centum octoginta tres, armillæ centum sexaginta, hastæ octodecim, phaleræ viginti quinque.* Paschal. de Coron. VII. 1. Stewech. in Veget. II. 7. Lips. in Tacit. Annal. I. n. 181. Panvin. de Triumph. Thes. Antiq. Roman. Græv. Tom. IX. p. 1356. A. Brisson. de Form. IV. p. 350. Robortel. de Comm. & præm. Milit. Thes. Ant. Rom. Græv. Tom. X. p. 1480. B. Buleng. de Triumph. c. 12. In circo Flaminio ab ducibus triumphaturis distribuebantur. *Nardin. Rom. Vet.* I. 10. *Borrich. Ant. Urb. Fac. c.* 1. §. 9. Dum efferebatur cadaver, in oblongis perticis, sive hastis præferebantur. *Morest. Pomp. Feral.* II. 19.

Dona natalitia dicebantur, quæ puerperis, dum in lecto jacebant, dabantur. Puto hoc fuisse dictum cimelium. Plaut. Truc. II. 4. 71.

Non audes aliquod mihi munus dare cimelium?

Alciat. Parerg. IX. 7. Salmuth in Panciroll. de Reb. Inv. & deperd. p. 744. Lipen. de Stren. I. §. 19. Et quæ infantibus recens natis offerebantur. Terent. Phorm. I. 1. 13.

Ferietur alio munere, ubi hera pepererit:
Porro autem alio, ubi erit puero natalis dies:
Ubi initiabunt: omne hoc mater auferet:
Puer causa erit mittundi.

Salmuth. ibid. pag. 745. Lipen. l. l. Fabric. in Terentium.

Dona nuptialia. V. infr. in *Munus.*

Dona uxoria dicebantur, quæ die natali, aut anni principio uxoribus mittebantur. Hæc valere docet Pompon.

l. ſed ſi vir. §. 8. ff. de Donat. Int. vir. & uxor. *Si vir uxori munus immodicum Kalendis Martiis, aut natali die dediſſet, donatio eſt. Kalendis Martiis* ait; quia hæ feminis ſollennes erant, in quibus munera iis miſſitari ſolebant. Unde & femineæ dictæ Juven. Sat. IX. 54.

Munera femineis tractas ſecreta Kalendis.

Plaut. Mil. Glor. III. 1. 97.

Da mihi, quod Kalendis mittam, Martiæ cum venerint.

Sic & Tibullus ſolicitus eſt, quodnam Neæræ, ſperatæ ſuæ, Kalendis Martiis, quæ novum inchoabant annum, munus mittat, dum ita canit. III. 1. 1.

Martis Romani feſtæ venere Kalendæ,
Exoriens noſtris hic fuit annus avis:
Et vaga nunc certa diſcurrunt undique pompa
Perque vias Urbis munera, perque domos.
Dicite Pierides, quonam donetur honore
Seu mea, ſeu fallor, cara Neæra tamen.

Mittebantur vero umbella viridis, magna ſuccini copia, & alia *dona*. Juven. ibid. n. 51.

En cui tu viridem umbellam, cui ſuccina mittas
Grandia, natalis quoties redit, aut medium ver
Incipit, & ſtrata poſitus longaque cathedra. . . .

Panciroll. de Reb. deperd. & inv. p. 741. & ad illum Salmuth p. 745.

DONARIA ſunt, quæ vel uſibus ſacris conveniunt, vel ornamento, & honori divorum in templis locantur. Juſtinianus Imperator Inſtit. §. 8. de rer. diviſ. *Donaria ſunt ea, quæ ad miniſteria Dei dedicata ſunt.* Coripp. IV. n. 11.

Et ſua placandis nectunt donaria divis.

Lucan. IX. 517.

Non illic Libycæ poſuerunt ditia gentes
Templa, nec eois ſplendent donaria gemmis.

Græcis ἀναθήματα dicuntur. Id nominis obtinuerunt, quod parietibus affigi ſolerent. Erantque vel publica, vel privata. Unde Artemid. Oneir. c. 2. κοινὰ πόλεως ἀναθήματα, communia urbis donaria publicis operibus accenſet. Mea itaque ſententia [illegible] genus commune *donarium* eſt, quicquid vel ex voto [illegible], vel ex liberalitate diis offerebatur. *Tomaſin. de Donar. c. 1. Demſter. Paralip. ad Roſin. Antiq. Roman.* II. 2. Erant velut argumenta caſuum præteritorum: & ideo in tabellis ſuſpendebantur. V. infr. in *Tabella*. Vel in tholis ædium ſacrarum. V. ſupr. in *Dona*. Demſter. l. l. De horum materia nihil certi conſtitui poteſt, cum procul dubio eam fortuna, & conditio mortalium variaverit. Veriſimile tamen eſt, ea magna ex parte fuiſſe teſtacea, quemadmodum hodie apud plebejos cerea. Quod perſuadet ingens eorum numerus, quæ noſtra memoria conſpiciuntur effoſſa Nemi in fundo nobilium Marchionum Frangipanorum, atque ex Præneſtinis, ubi olim Fortunæ templum erat: vel etiam figlina, qualem locum Romæ fuiſſe, ubi libri, & ſigilla venibant, tradit Turneb. Adv. XXIII. 28. cujuſmodi etiam quippiam de murteto, loco Veneris cultu celebrato, ſcribit Julian. Aurel. de cognom. deor. II. 4. de templo Dianæ Nemorenſis ad nos perſcripſit Joh. Argolus. *Tomaſ. ibid. c. 2. Struv. Ant. Rom. c. 5. p. 237.* Apollini Delphico dicata initio fuerunt ænea, poſt a Gelone, & Hierone Syracuſarum tyrannis aurea argenteaque omnia inſtituta. Notat hoc Nicol. Leonicus Var. Hiſt. II. 96. *Tomaſ. ibid. c. 23.* Ubi ſuffixerint ea veteres, V. ſupr. in *Dona*. A ſummo pontifice aliquando ſubmovebantur, aliquando concinnius diſponebantur, ne incompoſita multitudine templis deformitatem adderent. Liv. XL. 51. V. illum ſupr. in *Dona*. Idem Cæſarem Auguſtum ex S. C. feciſſe ſcribit Dio LI. p. 459. D. ut veteribus ornamentis, quaſi contaminata ea eſſent, detractis ex Ægyptiaca præda meliora & ſpecioſiora reponeret. Abominanda quoque neceſſitatis amariſſimæ lege refigebantur. Val. Max. VII. 6. 1. *Cannenſis clades adeo Urbem noſtram vehementer confudit, ut M. Junii opera dictatura Rempublicam adminiſtrantis ſpolia hoſtium affixa templis, Deorum numini conſecrata, inſtrumenta militiæ futura convellerentur, ac prætextati pueri arma induerent.* Virg. Æneid. V. 359.

Et clypeum efferri juſſit, Didymaonis artes,
Neptuni ſacro Danais de poſte refixum.

Tomaſ. ibid. c. 6. Illis modum poſuit Claudius Imperator, quum omnia opera eorum eſſent plena. Dio LX. *Tomaſ. ibid. c. 26.*

Donaria ad convivium alia ferebantur a convivis, alia a convivatore. Convivis poſt refectionem tradebantur domum ferenda, quæ apophoreta Græcis appellata, quod nempe domum deferrentur. V. illa ſupr. in *Apophoreta*, & *Convivium*. Convivarum vero vel ad ipſum convivium ſpectabant, eaque ſymbola, collecta, comeſſalia; vel convivatori, aut menſæ miniſtris, ac famulis offerebantur. Convivatori a convivis *dona* nonnunquam exhibita, eſt apud Xenoph. de Exped. Cyr. VII. p. 404. D. ubi ſplendidiſſimum Regis Thracum epulum deſcribitur. Mos Thracum ibidem fertur, ut a Rege invitati pro facultate dona offerant varia: aurea pocula ſcilicet, tapetes, equos, pueros, veſtimenta ad conjugis uſum, aliaque ex arbitrio. Moris eſt in hunc diem in Italia, Germania, aliiſque cultioribus provinciis, convivas ancillis, atque famulis peculiolæ quidpiam relinquere. *Tomaſ. de Donar. c. 17.*

Donaria ſunt etiam loca, in quibus *dona* reponuntur. Virg. Georg. III. 533.

Imparibus ductos alta ad donaria currus.

Ubi Servius: *Donaria proprie loca ſunt, in quibus dona reponuntur deorum. Abuſive templa. Nam & ita pulvinaria pro templis ponimus, quum ſint proprie lectuli, qui ſterni in templis ſupervenientibus pleriſque conſuerunt.* Gell. II. 10. *Et alia quædam religioſa e donariis conſecratis.* Apul. Met. IX. p. 277. *Cantharoque, & ipſo ſimulacro, quod gerebam apud fani donarium redditis, & conſecratis.* Unde & C. Fronto: *Donum, quod diis datur. Inde ubi dona ponuntur, donarium.* Valla Eleg. I. 6. immerito Servium reprehendit, dum ſcribit: *Donaria non locus repoſitorius donorum, ſed ipſa dona, licet Servius dicat: ubi dona oblata ſunt.* Tomaſ. de Donar. I. 1. Rycq. de Capitol. c. 21. Guther. de vet. jur. Pont. III. 9. Thyſ. in Gellium, Beroald. & Florid. in Apulejum. Struv. Ant. Rom. c. 5. p. 237. c. 11. p. 546. Laurent. var. ſacr. gentil. c. 6.

DONATIO propter nuptias opponitur doti. Dos eſt, quæ datur marito uxoris nomine. *Donatio* propter nuptias, quæ propter dotem datur uxori mariti nomine. Dos eſt *donatio* propter nuptias uxoris. *Donatio* propter nuptias eſt dos mariti: atque ideo, quæ donantur propter nuptias, ἀντίφερνα vocantur. V. illa ſupr. in Ἀντίφερνα. Porro eodem jure eſt dos, ac *donatio* propter nuptias, eadem utraque pacta recipit, eadem utriuſque quantitas ex Novel. 97. Quibus ex caſibus ſi in perſona mariti exiſtant, maritus lucratur dotem, vel aliquam partem ex ea; eiſdem ſi in perſona uxoris exiſtant, tantundem uxor lucratur ex *donatione* propter nuptias. *Cujac. Obſerv.* V. 4.

Donationes inter virum & uxorem fuerunt prohibitæ, ne mutuo & tam honeſto amore invicem ſe ſpoliarent conjuges, *donationibus* non temperantes; ſed profuſa erga ſe facilitate abutentes l. 1. d. 1. quippe cum majores conjugalem amorem ſolis animis æſtimarint, & famæ etiam conjunctorum conſuluerint, ne concordia pretio, quemadmodum meretricii amores, conciliari videretur; neve melior in paupertatem incideret, & deterior ditior fieret l. 3. ff. eodem: ſi quidem gratuitum & ſpontaneum ut eſſet totum hoc amare & redamare, non autem mercenarium, veteres voluerunt: quibus etiam abſurdum viſum eſt, propter individuam ſocietatem quicquam inter conjuges reperiri, quod commune non eſſet, ut eſt apud Plutarch. Quæſt. Rom. 7. Ex indulgentia tamen Antonini Imperatoris ut Cajus ait, permiſſa illa, quam dicimus honoris cauſa: ut ecce, ſi uxor viro laticlavii petendi gratia donet, vel ut equeſtris ordinis fiat. Id ipſum ante Cajum etiam Ulpianus tradidit tit. 7. Inſtitution. ubi principalibus

libus conſtitutionibus conceſſum eſſe ait mulieri in hoc donare viro ſuo, ut is ab Imperatore lato clavo, vel equo publico honoretur. *Salmuth ad Pancıroll. de reb. inv. & deperd. p.* 329. *Briſſon. de rit. nupt. Theſ. Ant. Rom. Græv. Tom.* VIII. *p.* 1023. *A. Lipen. de Stren.* I. 19. Erant *donationes* vectigali obnoxiæ. Auguſtus enim, ut dicit Dio LV. p. 565. E. conſtituit *viceſimam & in hæreditatibus, & dona* [illegible] *nibus, quas morientes quibuſdam, exceptis proxime agnatis & pauperibus, relinquebant.* De legatis tamen, & *donationibus*, quas hic mortis cauſa accipere neceſſe eſt, dubitat Balduinus, & Dionem imperitiæ legum Romanarum accuſat, & vult immunia legata, & *donationes* fuiſſe a viceſima; quia auctores nunquam meminerint viceſimæ legatorum, vel *donationum*. Contrarium tamen verum eſſe putamus, & viceſimam legatis & *donationibus* fuiſſe impoſitam; V. infr. in *Legatu.* Burman. Diſſert. de Vectig. c. 11.

Donationes ſcenicæ dicebantur, quæ ſcenicis præter certam mercedem lege definitam, aut pacto convento, loco antiquarum coronarum, quæ viles admodum erant, donabantur. Fiebant etiam in auro. Spartian. Marc. c. 11. *Temperavit etiam ſcenicas donationes, jubens, ut quinos aureos ſcenici acciperent: ita tamen, ut nullus editor decem aureos egrederetur.* Alexander Severus, cum admodum parcus eſſet in ſcenicorum *donationibus*, nunquam aureos, nunquam argenteos illis donabat, & vix quidem æreos nummos, quos *pecuniæ* nomine intelligit Lamprid. c. 33. *Scenicis nunquam aurum, nunquam argentum, vix pecuniam donavit. Donationes* iſtæ Marci lege circumſcriptæ editores ſpectabant; Imperatores vero ſolebant in theatro ſcenicis placentibus donare. Suet. Galb. c. 12. n. 7. *Cano choraulæ mire placenti denarios quinque donavit, prolatos manu ſua e peculiaribus loculis ſuis.* Caſaub. & Salmaſ. in Lampridium, Herald. in Arnob. IV. p. 183.

DONATIVUM erat ſtipendium non debitum militi, ſed ultra ſtipendium, mera liberalitate donatum, ut ob victoriam, aut adoptionem Cæſaris, aut auſpicia imperii. Caſſiod. Var. IV. 14. *Qui enim debent ad fiſcum celerius eſſe devoti? quando amplius de noſtra humanitate recipiunt, quam ſtipendii jure præſtetur.* Dabatur, ut apparet, & auctoratis in ipſo tyrocinio, ut militaturis. Hieronymus: *Ecce donativum, quod militaturus acceperas, hoſtilia caſtra ſuſpirant.* Dabatur annue; ideoque certum in locum milites convocabantur. Caſſiod. Var. V. 27. *Devotio tua millenarios provinciæ Piceni & Samnii ſine aliqua dilatione commoneat, ut eos qui annis ſingulis noſtræ manſuetudinis præmia conſequuntur, pro accipiendo donativo ad comitatum faciat incunctanter occurrere.* Statum porro huic rei diem fuiſſe diſcimus ex Paulli Diaconi XI. *Cum veniſſet tempus, quo imperialis milites dona ſolent accipere, hoc enim agitur plerumque die Kalendarum Januariarum, & natali Principum, & urbium regiarum, exquiſivit quatenus eos ſimpliciter ex priſca conſuetudine fallere potuiſſet.* Turneb. Adv. XIX. 21: XXV. 18. Alex. Gen. Dier. V. 24. & in illum Tiraquellus, Kobierzyk. de lux. Rom. I. 3. Laz. Comm. Reip. Rom. IV. 9. Buleng. de Imper. Rom. II. 11. Bud. in Pandect. p. 258. H. Rhodig. Lect. Ant. XXVII. 27. Ubi milites dimidiam ejus partem depoſuerint. V. infr. in *Pecunia.*

DOR.

DORSO eſt cognomentum Fabiorum. *Sigon. de cognom. Roman. c.* 5. Is eſt antiquiſſimus *Dorſinum*, qui capta Urbe ex Capitolio in collem Quirinalem ritu Gabino accinctus ad ſtatum ſacrificium Fabiorum acceſſit: & inde in Capitolium reverſus eſt anno ab U. C. 363. Is C. Fabius *Dorſo* appellatus eſt. Ejus gentis duos tantum conſulares invenio, M. Fabium, qui conſul fuit anno ab U. C. 408. cum Ser. Sulpicio Camerino: & C. Fabium illius fortaſſe filium, qui an. 480. conſul fuit cum C. Claudio Canino iterum. *Auguſtin. de Famil. Roman. in Fabia.*

DORSUALIA vocabant pelles, & operimenta, quibus mulorum, boumque & equorum terga inſternebantur. Treb. Poll. Gallien. c. 8. *Proceſſerunt etiam altrinſecus centeni albi boves, cornibus auro jugatis, & dorſualibus ſericis diſcoloribus præfulgentes.* Quæ *ſaga fuco tincta* vocat Capitol. Ver. c. 5. *Volucrem equum ſagis fuco tinctis coopertum in Tiberianam ad ſe adduci jubebat.* Salmaſ. in Capitolinum. Grapald. de part. dom. I. 8. §. 21. Hugo de Milit. Equeſt. I. 4.

DORYPHORI erant protectores & corporis cuſtodes tanta dignatione, ut qui *doryphori* Imperatoris fuiſſent, ſæpe exercitibus præficerentur. Ipſi etiam magiſtri militiæ, & duces exercituum habuere ſuos *doryphoros*, qui honeſtiori numero fuere quam hypaſpiſtæ. Nemo autem inter *doryphoros* principis aut ducis accenſebatur, qui ſingulari ſacramento fidem ſuam Imperatori, & imperio non obſtringeret. Procop. Vandal. II. *Moris erat Romanis omnibus ab antiquo neminem ducis alicujus doryphorum conſtitui, qui non prius ſanctiſſimum ſacramentum dediſſet fidei ſuæ, & benevolentiæ erga ducem, maxime erga Imperatorem.* Buleng. de Imp. Rom. III. 38.

DOS.

DOS omnis aut datur, aut dicitur, aut promittitur. Datur hoc modo: is qui dabat, hæc fere, aut ſimilia verba proferebat: *dos eſt tibi decem talenta*; & ſponſus reſpondebat: *accipio.* Eum morem expreſſit Terent. Andr. V. 4. 47.

— CH. *Dos Pamphile eſt*
Decem talenta;

& reſpondet Pamphilus: *Accipio.* Quod interpretans Donatus, ſic ſcripſit: *Ille niſi dixiſſet accipio; dos non eſſet; datio enim ab acceptatione confirmatur: nec poteſt videri datum id quod non ſit acceptum. Dotis* dictio erat quædam obligationis ſpecies, quæ nulla præcedente interrogatione contrahebatur. *Et non ſolum in hac obligatione ipſa mulier poterat obligari, ſed & pater ejus, & debitor mulieris. Hæ* [illegible] *tres perſonæ nulla interrogatione præcedente dictione dotis legitime obligabantur*, auctore Cajo Inſtit. lib. poſt. & Ulpian. tit. 6. [illegible] Apul. Apol. p. 562. *Cur ego Pudentillæ animum flecterem? quod ex ea commodum caperem, uti dotem mihi modicam potius quam amplam diceret? Dotis* promiſſio cum *dotis* dictione nihil quicquam commune habebat. Qui enim pro muliere ſponſo *dotem* promittebant, *hi communi jure obligari ſolent*, hoc eſt, *ut interrogati reſponderent, & ſtipulationem præmitterent*, auctore Cajo. Docet hoc de *dotis* promiſſione diſſerens Plaut. Trin. V. 2. 38.

Iſthac lege filiam tuam ſponden' mihi uxorem dari?
CH. *Spondeo.*

Dos data, dicta, aut promiſſa inſtrumento quodam comprehendebatur, ne ſi quando ſolutum eſſet matrimonium, ignoraretur, quid *dotis* nomine apud virum mulier haberet. Apul. Apol. p. 545. ſic de dotalibus tabulis loquitur. *Nihil verbis opus eſt, cum multo diſertius ipſæ tabulæ loquantur. . . Præter hæc, ea conditione factam conventionem, ſi nullis ex me ſuſceptis liberis vita demigraſſet, ut dos omnis apud filios ejus Pontianum & Pudentem maneret: ſin vero uno, unave ſuperſtite diem ſuum obiiſſet: uti tum dividua pars dotis poſteriori filio, reliqua prioribus cederet. Hæc ut dico, tabulis ipſis docebo.* Ræward. de auctor. prudent. c. 4. Savar. in Sidon. Epiſt. I. 11. Demſter. Paralip. ad Roſin. Antiq. Roman. V. 37. Eſt vero *pecunia nuptiarum cauſa data.* Varr. de Ling. Lat. IV. 36. Neque tamen omnis *dos* pecuniarum nomine continetur, quanquam Ariſtæn. Epiſt. I. 6. *Et brevi paratis nummis in dotem tuam opus erit patri.* Aliquanto expreſſius Acro ad Horat. Od. III 24. 21. *Dos eſt donum puellarum nubentium.* Ulpian. l. 3. ff. de jur. dot. *Dotis appellatio non refertur ad ea matrimonia, quæ conſiſtere non poſſunt; neque enim dos ſine matrimonio eſſe poteſt: ubicunque igitur matrimonii nomen non eſt, nec dos eſt.* Quibus verbis officium, munus, atque ipſam veluti *dotis* conferendæ originem indicavit, ut & cum matrimonio ſit, & ſine

ſine eo illa eſſe non poſſit, hoc eſt, *ut onera matrimonii qui ſuſtinet, dotem percipiat.* Scævola apud Paull. l. 46. ff. famil. erciſc. Conſentanea ſunt, quæ ſcripſit Papinian. l. 6. ff. de caſtr. pecul. *Dos matrimonio cohærens, oneribus ejus, ac liberis communibus, qui ſunt in avi familia, confertur.* Itaque ſi nulla matrimonii onera fuiſſent, id eſt, nulli liberi communes, *dos* divortio facto, ad uxorem redibat, vel ea mortua ſine prole, ad eum, unde profecta fuerat, ut difficillimum ſit judicare, quis proprie dominus *dotis* dici poſſit. Non me latet ſæpiſſime ad maritum eam delatam. Pſeudocornut. ad Perſ. Sat. II. 14. *Nerius morte conjugum locupletatus, fœnerator eſt factus notiſſimus, dos enim a cive Romano data, non patrio dicta nomine, ſi repudium non intervenerit, poſt mortem uxoris ad maritum pertinet.* Mart. X. 43. 1.

Septima jam Phileros tibi conditur uxor in agro,
Nulli plus Phileros, quam tibi reddit ager.

Et ſi forte in adulterio maritus uxorem deprehendiſſet, *dote* eam poterat multare. Acro ad Horat. Sat. I. 2. 128. *Antea adulteræ dotem tantum perdebant.* Ipſe Satyricus:

Janua frangatur, latret canis, undique magno
Pulſa domus ſtrepitu reſonet, vel pallida lecto
Deſiliat mulier, miſeram ſe conſcia clamet,
Cruribus hæc metuat, doti deprenſa.

De *dotis* ſumma non levis eſt quæſtio inter magnos viros. Lipſ. ad Tacit. Annal. II. Cujac. ad Novell. 22. Muſambert. id eſt, Marcil. in Commonitoriis, contendunt ſummam *dotis* præſtitutæ eſſe *decies.* Ramireſ. ad Martialem in hypomnematis, & Mercer. ad Ariſtænetum contra nituntur, *dotis* dictæ nullam certam ſummam fuiſſe, ſed ætatem, familiam, conditionem, natalia inſpici debere. Ego tamen ſenatoriam, ut plerumque, *dotem* puto potuiſſe præfiniri. Cur enim cenſus potius, quam *dos* certus foret? & tamen quin cenſus certiſſimus eſſet, nullus eſt, qui inficias ibit? Hæc quæ fuerit, omnino non eſt exploratum, frequentius *decies.* Scholiaſt. Juven. Sat. X. 335. *Centena dabuntur, dos ſcilicet ſecundum morem.* Senec. ad Helv. c. 12. *Beatioreſve iſtos putas, quarum pantomimæ decies ſeſtertio nubunt, quam Scipionem, cujus liberi a ſenatu, tutore ſuo, in dotem æs grave acceperunt?* Papinian. l. 6. ff. de uſur. & fruct. *De fiſco ideo numerari decies centena nomine dotis juſſit,* hoc eſt, decies centena ſeſtertiorum nummûm, ut exponit Ant. Auguſt. Emend. II. 6 *Demſter. Paral. ad Ant. Rom. Roſin.* V. 37. *Laurent. de Sponſal. c.* I. *Briſſon. de Form.* VI. *p.* 544. *Hotomann. Diſput. de Aureo Juſtinianeo. Turneb. Adv.* XVIII. 30. Filiæ nothæ an a patre debeatur, & ad quem, ſi ei conſtituta eſt, ſoluto matrimonio revertatur, V. infr. in *Spurius.* Civium, qui de Republica bene erant meriti, filiæ *dotem* ex ærario publico acceperunt. V. infr. in *Filia.*

Dos adventitia eſt, ut Julianus ait, ſi quis certam quantitatem patri donaverit, ut hanc pro filio daret. *Rhodig. Ant. Lect.* XXVIII. 24. *Demſter. Paral. ad Ant. Rom. Roſin.* V. 37.

Dos inofficioſa dicitur eſſe, cum in fraudem legis Papiæ amplius dodrante marito ſecundo datur, exſtantibus liberis ex priore matrimonio. l. 2. de inoffic. dot. C. Theod. *Auguſtin. de Legib. in Papia Poppæa.*

Dos profectitia dicitur ICtis, quæ a patre, vel parente profecta eſt de bonis ejus. *Rhodig. Ant. Lect.* XXVIII. 24. *Demſter. Paral. ad Antiq. Rom. Roſin.* V. 37.

Dos receptitia eſt, quam ſibi ſoluto matrimonio extraneus contra communis juris regulam reddi ſtipulatur. Cajus l. mortis cauſa 31. §. 2. ſed & *dos* ff. de mort. cauſ. donat. *Sed & dos, quam quis in mortem mulieris a marito ſtipulatur, capitur ſane mortis cauſa: cujus generis dotes receptitiæ vocantur.* Hotoman. de rit. nupt. c. 8. Demſter. Paral. ad Ant. Rom. Roſin. V. 37.

DOSSENUS eſt cognomentum gentis Rubriæ, in nummis æreis & argenteis. Hoc in hanc gentem manaſſe putat Urſinus a *doſſo*, quod pro *dorſo* antiqui dixerunt. Unde *Doſſeni* forte illi, qui amplo erant *doſſo.* Urſat. de Not. Roman. Theſ. Antiq. Roman. Græv. Tom. XI. p. 836. D.

DRA.

DRACHMA an, & quatenus denario par fuerit. V. ſupr. in *Denarius.*

DRACO erat vas fiſtulatum in myliario, tubæ inſtar, ære tenui, per declive myliario circumdatum, ut aqua, dum ad os *draconis* conglomerati ſpecie pluries eundem ignem ambiret, per tantum flueret ſpatii, quantum acquirendo colori ſatis eſſet. *Baccius de Therm. c.* 9.

Draco erat etiam inter militiæ Romanæ ſigna. Erant ſimulacra verorum *draconum*, ea arte expreſſa, ad terrorem hoſtibus inferendum. Ammian. XVI. 10. *Alios purpureis ſubteminibus texti circumdedere dracones, haſtarum aureis gemmatiſque ſummitatibus illigati, hiatu vaſto perſlabiles, & ideo velut ira perciti ſibilantes, caudarumque volumina relinquentes in ventum.* c. 12. *Quo agnito per purpureum ſignum draconis, ſummitati haſtæ longioris aptatum, velut ſenectutis pandentis exuvias, ſtetit unius turmæ tribunus.* De illis Claud. in Rufin. II. 365.

Manſueſcunt varii vento ceſſante dracones.

Stewech. in Veget. I. 23. Caſaub. in Vopiſc. Aurelian. c. 28. Pier. Hierogl. XV. 16. Licet. de Lucern. VI. 20. Laz. Comm. Reip. Rom. VII. 7. Illorum originem Apollini tribuit Iſidor. XVIII. 3. *Draconum ſigna ab Apolline morte Pythonis ſerpentis inchoata.* De Græcis quod addit falſum eſt. Aſſyriis tribuit Curopal. de Offic. Conſtantini: *Cyrus, ut Medorum principatum adeptus eſt, Aſſyriis bellum intulit, & ab iis cepit tunicæ genus, & draconis vexillum.* Indis ſcriptor incertus apud Suidam: *Indi, gens barbara, quibus in bello erant ſigna in quosque mille equites draco, extenſus in pertica. Ejus caput ex argento factum erat, dentibus reſtrictis & nudis minace rictu: reliquum corpus ſericeo textu, longitudine, & craſſitudine, & varietate coloris in verum draconem.* Scythis innominatus ſcriptor apud Suidam: *Signa Scythica, quæ ferunt in bello, ſunt vela vel textilia colore variegata, quæ in ſpeciem maxime ſerpentium aſſimilata ſunt, & ſuſpenſa e mediocribus haſtis.* Et quia illorum pars, aut confines ſunt Daci, quid mirer eos quoque vulgo uſurpaſſe? Imo non alia ſigna habent in columna Trajani, bello illo Dacico. Ab illis ipſis Romani ſumpſerunt, ut fit, imitatione. Placuit enim ille terror, quem moti in aere faciunt, & viſum bello aptius quam Romana illa ſigna. Ab iis origo vel hoc argumento, quod ante Trojani ævum eos in Romanis legibus non legas. Niſi quis tamen a Perſis magis petat, cum inter ſpolia a Zenobia capta & traducta, etiam *Perſicos dracones* legamus apud Vopiſc. Aurelian. c. 28. Deinceps crebri in Romana hiſtoria. Veget. II. 13. *Dracones per ſingulas cohortes a draconariis feruntur ad prælium.* Si per ſingulas cohortes, ſane multi. Proprii quidam & peculiares Principis fuerunt, qui toti e purpura in ejus comitatu. V. Ammianum. Non fuerunt depicti, aut acu texti in velo; ſed corpora tota, & ſolida e pannis & ſubtemine facta. Moveor ita cenſere e Trajani columna, in qua palam ſic exſtant: corpora dico, non imagines. Moveor & Suidæ verbis, ubi longitudo & profunditas iis datur. Eo inclinant nos Ammiani verba: *hiatu vaſto perflatiles, & ideo velut ira perciti ſibilantes.* Lipſ. de Milit. Rom. IV. Dial. 5. Borrich. Ant. Urb. Fac. c. 9. §. 2. Lyd. Synt. de re Milit. III. 7. Choul. de Caſtram. Roman. p. 16. Hugo de Milit. Equeſt. II. 4. Caſal. de Urb. ac Imper. Roman. ſplend. part. 2. c. 9. Thyſ. Rom. Illuſtr. IV. p. 93. Schill Nomencl. Philol. p. 1040. Non formabantur ex metallo, ut aquila, ſed vel picti, vel intertexti, & *in linteo*, ut Tertull. Apolog. c. 16. *depicti.* Claud. Honor. Conſul. III. 138.

Hi volucres tollunt aquilas, hi picta draconum
Colla levant, multusque tumet per nubila ſerpens
Iratus ſtimulante noto.

Sidon. Carm. V. n. 409.

—— *textilis anguis*
Discurrit per utramque aciem, cui guttur adactis
Turgescit zephyris.

Demster. Paralip. in Rosin. Antiq. Roman. x. 29.

DRACONARII sunt dicti milites a signo, in quo *draconis* effecti imago. *Alex. ab Alex. Gen. Dier.* IV. 2. Imo signiferi κατ' ἐξοχὴν hoc nomine appellabantur. Veget. II. 7. *Signiferi, qui signa portant: quos nunc draconarios vocant.* Stewech, in Veget. I. 23. Pier. Hierogl. XV. 16. Ursat. de Not. Roman. Thes. Antiq. Rom. Græv. Tom. XI. p. 560. A. Guther. de Offic. dom. Aug. II. 14. Casal. de Urb. ac Imper. Roman. splend. part. 2. c. 9. Thys. Rom. Illustr. IV. 93. Sollenniter torquem habuerunt. Ammian. XX. 4. *Maurus nomine quidam, postea Comes, tunc hastatus, abstractum sibi torquem, quo ut draconarius utebatur, capiti Juliani imposuit.* Hinc apud Prudent. περὶ στεφ. I. 64. Hemetrio & Chelidonio, qui ambo *draconarii* fuerunt, cum ducerentur ad supplicium, torques exuuntur.

Ite, signorum magistri: & vos tribuni absistite,
Aureos auferte torques.

Scheffer. de Torquib. Antiq. c. 8.

DRAMA est genus orationis, cujus phrasi personæ loquentes introducuntur. Hieron. super Cantica. *Drama interdum actus comicorum significat. De hac dictione scriptum legimus illud in Ecclesiastico officio: Ante thorum hujus virginis, frequentate nobis dulcia cantica dramatis.* Cenal. de Pond. ac mens. rat. Tom. IV. Thes. Antiq Rom. Græv. Tom. XI. p. 1523. A. De voce, inventione, objecto, & fine multa *Voss. Instit. poet.* II. 2.

DRO.

DROMONARII erant remiges cursoriarum navium, quæ δρόμωνες, expediti cursus navigia. Cassiod. Var. IV. 15. *Comperimus, dromonarios viginti & unum de constituto numero mortis incommodo fuisse subtractos.* Buleng. de Imp. Rom. VI. 7. Guther. de Offic. dom. Aug. III. 14. Bergier. de viis Milit. IV. Sect. 44. §. 7. & ad illum Henninius.

DROMONES *sunt longæ naves.* Isidor. XIX. 1. *Cursoriam* vertit Sidon. Epist. I. 5. *Ticini cursoriam, sic navigio nomen, ascendi.* Erat opportuna ad rem frumentariam convehendam. Cassiod. Var. V. 16. *Decrevimus mille dromones fabricandos assumere: qui & frumenta publica possint convehere, & adversis navibus, si necesse fuerit, obviare.* Gyrald. de Navig. c. 18. Scheffer. de Milit. nav. II. 2. Bergier. de viis Milit. IV. Sect. 44. §. 7. & ad illum Henninius. Savaro in Sidonium. Forner. in Cassiod. IV. 15. Buleng. de Imp. Rom. VI. 7. Du Fresne Glossario.

DROPAX est genus unguenti, ex auripigmento, & viva calce concinnatum, ad exurendam depascendamque genitalem pilorum materiam. Paris pantomimus, qui Domitiano fuit in deliciis, aliique excogitarunt, & a medicorum filiis peti possunt. De illo Mart. III. 74. 1.

Psilothro faciemque lavas, & dropace calvam,
Nunquid tonsorem Gargiliane times?

X. 65. 8.

Levis dropace tu quotidiano:
Hirsutis ego cruribus, genisque.

Junius de Coma c. 2. Mercur. de Art. Gymnast. IV. 9.

DRU.

DRUIDÆ fuerunt sacerdotes Gallorum. Plin. XXX. 1. *Tiberii Cæsaris principatus sustulit Druidas eorum*, Gallorum. Suet. Claud. c. 25. n. 14. *Druidarum religionem apud Gallos penitus abolevit.* Et Britannorum, sive *ex Gallia oceanum transgressa, & ad naturæ inane perfecta* fuerit, ut commemorat Plinius: sive *in Britannia reperta, atque inde in Galliam translata esse existimetur* illorum *disciplina*, ut vult Cæs. B. G. VI. 13. 11. Certe apud Britannos Gallorum *sacra deprehendi, superstitionum persuasione*, dicit Tacit. Agric. c. 11. n. 5. *Voss. de Idolol.* I. 35. *Pitisc. in Suetonium.* Gestarunt torques. Strab. IV. p. 136. de ipsis: *Gestant aureos circum colla torques.* Scheffer. de Ant. torq. c. 9. Vita hominis, etiam innocentis, deorum iram placari credebant. Cæs. B. G. VI. 15. *Natio est omnium Gallorum admodum dedita religionibus, atque ob eam causam, qui sunt affecti gravioribus morbis, quique in prælis, periculisque versantur; aut pro victimis homines immolant, aut se immolaturos vovent, administrisque ad ea sacrificia Druidibus utuntur, quod pro vita hominis nisi vita hominis reddatur, non posse deorum immortalium numen placari arbitrabantur, publiceque ejusdem generis habent instituta sacrificia. Alii immani magnitudine simulacra habent, quorum contexta viminibus membra vivis hominibus complent, quibus succensis, circumventi flamma exanimantur homines. Supplicia eorum, qui in furto, aut latrocinio, aut aliqua noxa sint comprehensi, gratiora diis immortalibus esse arbitrantur. Sed cum ejus generis copia deficit, etiam ad innocentium supplicia descendunt.* Tomas. de Donar. c. 40. Hos sustulisse Tiberium Plinius, Claudium Suetonius supra dixerunt. Sed Tiberium in Urbe tantum, Claudium in Gallia sustulisse putant Lips. in Tacit. Annal. XII. n. 102. & Vossius jam laudatus. Attamen illorum adhuc meminerunt Tacit. Annal. XIV. 30. Lamprid. Alex. Sev. c. 60. & Vopis. Aurel. c. 44. nisi, ut monuit Pith. Adv. I. 3. solum morem ἀνθρωποθυσίας, non universam gentem Claudium sustulisse credamus. *Sagittar. de Jan. Vet. c.* 1. §. 12. De *Druidibus* etiam scripserunt *Cluver. Germ. Ant.* I. 24. *Gesner. Mithrid. p.* 21. & 38. *Waser. ad illum p.* 106. *Pufendorf. de Druid. c.* 2. *Saubert. de Sacrif. c.* 7. *Bodin. Meth. Histor. c.* 7. *Merul. Cosmog.* II. 3. 11. *Reines. Inscript.* I. 51. *Pius Annot. post. c.* 62.

DRUNGARII, vel potius *Druncarii*, ut tradit Leo in libro de Apparatibus bellicis c. 3. n. 42. olim dicti fuerunt chiliarchi, qui militibus mille præerant. *Drungarius* itaque, vel *Druncarius* erat caput *Drunci*; olim tribunus, nunc colonellus, aut regimenti præfectus. *Leunclav. Pandect. Hist. Turc. c.* 173. *Scheffer. de Milit. Nav.* IV. 5. *Stewech. in Veget.* III. 16. *Cerda Adv. Sacr. c.* 176. §. 4. *Buleng. de Imp. Rom.* IX. 34. *Turneb. Adv.* XXIV. 25. *Meurs. Glossar. Græco-barb. Du Fresne Glossario. Voss. Lex. Etymol.*

DRUNGUS erat militum multitudo cuneatim rostratimque pugnantium, fronte scilicet in angustum desinente. Vopisc. in Prob. c. 19. *Omnium gentium drungos usque ad quinquagenos homines ante triumphum duxit.* Ita militum cuneum vocaverunt, quia & caput porcinum appellabant. Vegetius ubique globos interpretatur. III. 19. *Aut a vagantibus globis, quos vocant drungos.* c. 16. *Scire debet dux, contra quos drungos, hoc est, globos hostium, quos equites oporteat poni.* Salmas. & Casaub. in Vopiscum, Meurs. Glossar. Græco-barb. Du Fresne Glossario. Stewech. in Vegetium.

DRUSUS fuit ante cognomen Liviorum. Is enim Livius, qui eo primum cognomine usus est, *hostium duce Drauso comminus trucidato, sibi posterisque suis cognomen invenit.* Suet. Tib. c. 3. n. 5. Appellatus autem est Livius *Drusus.* Postea cum Tiberius Neroque Claudii Liviæ filii, Augustique privigni in Liviorum gentem insertî essent, *Drusi* cognomen Claudiis quoque communicatum est, appellatusque est Tiberii Cæsaris frater Nero Claudius *Drusus.* Prænominis postea munere fungi cœpit in *Druso* Tiberii Augusti filio, Augusti nepote, quem *Drusum* Julium Cæsarem appellat Dio LVII. Ita etiam appellatus est *Drusus* Cæsar Germanici Cæsaris filius, qui post patris mortem, cum Tiberio criminante hostis a senatu judicatus esset, cum fratre Nerone occisus est. *Panvin. de Nomin. Roman. Thes. Antiq. Roman. Græv. Tom.* II. *p.* 2026. *E. Sigon. de Nomin. Roman. c.* 5. *Ursat. de not. Roman. Thes. Antiq. Rom. Græv. Tom.* XI. *p.* 683. *E.*

Drusus M. Livius, ut Flor. c. 70. & 71. scribit, optimatium partes tuebatur, qui, cum senatus moleste ferret judicia equitibus lege Sempronia data, ea ad senatores transferre conabatur, plebem spe largitionis corrumpens: socios quoque & Italicos populos spe civitatis Romanæ concitavit: leges per vim agrarias, & frumentarias tulit, item judicialem, ut æquarentur senatores equitibus in judiciis. Sed cum promissa civitas sociis non præstaretur,

atque bellum ſociale pararetur, Livius *Druſus* etiam ſenatui inviſus factus fuit, quaſi illius belli auctor: qua de cauſa domi ſuæ interfectus, incertum a quo, inventus eſt. Ejus etiam leges ſublatæ ſunt, quaſi contra auſpicia, & legem Cæciliam & Didiam latæ eſſent, quæ trinundinum obſervari jubebant. Cicer. pro dom. c. 16. *Decrevit ſenatus, M. Druſi legibus, quæ contra legem Cæciliam & Didiam latæ eſſent, populum non teneri.* Auguſtin. de Legib. in Livia.

Druſus Tiberii frater fuit augur. Quod apparet ex lituo, qui illi in nummo tribuitur, & *clariſſimum inſigne auguratus* vocatur Cicer. Div. I. 17. quamvis hiſtoria de hoc ejusdem honore minime loquatur. Sed Dio. LIV. p. 544. & Suet. Claud. c. 1. n. 5. quæſturam, præturam urbanam, triumphales honores, ovationem, conſulatum, & proconſulare imperium tantummodo referant. *Fabrett. de Aquæduct. Diſſ.* 1. *Theſ. Ant. Græv. Tom.* IV. *p.* 1703. *B.* Sepultus eſt in campo Martio. Suet. Claud. c. 1. n. 6. *Nardin. Rom. Vet.* VI. 7.

Druſus Tiberius Claudius. V. illum ſupr. in *Claudius.*

DUC.

DUCATUS eſt ipſius ducis dignitas. Suet. Ner. c. 35. n. 14. *Quia ferebatur ducatus & imperia ludere.* Panciroll. Notit. dign. Imp. Orient. c. 150. Stewech. in Veget. I. 13. *Ducatus* ludere dicebantur pueri. V. infr. in *Ludere.*

DUCENARII in militaribus erant in ſchola Agentium in rebus. Et *ducenarii* vox, in monumentis militum, armatæ militiæ nomen eſt: *ſi quidem primus haſtatus duas centurias, id eſt, ducentos homines ducebat in acie ſecunda, quem nunc ducenarium vocant.* Veget. II. 8. *Urſat. de not. Roman. Theſ. Antiq. Roman. Græv. Tom.* XI. *p.* 687. *C. Gutber. de Offic. dom. Aug.* II. 15. *Salmaſ. Capitol. Pertin. c.* 2. *Panciroll. Notit. dign. Imp. Orient. c.* 64. *Buleng. de Imp. Rom.* VI. 50.

Ducenarii dicebantur etiam, qui *ducenam* gerebant, vel *ducentis* ſcholaribus præerant, ad hanc dignitatem ſemper ordine, ac ſucceſſione evecti, ut patet l. 1. 3. & 4. C. de agentibus in rebus. *Urſat. de not. Rom. Theſ. Antiq. Rom. Græv. Tom.* XI. *p.* 687. *D.*

Ducenarii dicebantur quoque, qui *ducenteſimam* exigebant, quæ vectigal erat ad inſtar centeſimæ, & quinquageſimæ, de quibus mentio habetur l. 1. C. de exact. tribut. *Ducenarii, & centenarii, ſive ſexagenarii non prius debent aliquem ex debitoribus convenire. . . .* Urſat. de not. Roman. Theſ. Antiq. Rom. Græv. Tom. XI. p. 687. D. Turneb. Adv. XXIX. 16. Buleng. de Imp. Rom. VI. 50.

Ducenarii judices erant, qui *ducenta* ſeſtertia in cenſu habebant, id eſt, cenſum equeſtrem dimidiatum, quinque millium coronatorum; cum ſolidus eſſet quadringentorum, id eſt, decem millium. Suet. Aug. c. 33. n. 7. V. illum ſupr. in *Decuria.* Bud. de aſſe III. p. 275. in Pandect. p. 268. H. Poller. For. Rom. III. 9. Turneb. Adv. XXIX. 16. Urſat. de not. Roman. Theſ. Antiq. Roman. Græv. Tom. XI. p. 687. E. Buleng. de Imp. Rom. VI. 50.

DUCENTESIMA erat vectigal, quod erat aurei ſemiſſis in centenarium. Primus inſtituit Tiberius. Tacit. Annal. II. 42. 7. *Regnum in provinciam redactum eſt, fructibusque ejus levari poſſe centeſimæ vectigal profeſſus Cæſar, ducenteſimam in poſterum ſtatuit.* Remiſit autem Caligula. Et hoc ex nummis æneis ejusdem Imperatoris conſtat, in quorum averſa parte tres hæ literæ exſtant. R. CC. *Urſin. & Vertran. ad Tacitum. Urſat. de not. Roman. Theſ. Antiq. Rom. Græv. Tom.* XI. *p.* 943. *B. Laz. Comment. Reip. Rom.* II. 13. *Buleng. de Imp. Rom.* VI. 50.

DUCI dicebantur addicti. Creditores enim debitores, qui æri alieno non eſſent ſolvendo, domum *ducebant.* Unde in legibus XII. tabularum: *Aſt quei endo jus addicit, ſecum ducito.* Schott. Nod. Cicer. II. 14. Salmaſ. de mod. uſur. c. 18.

Duci in auctionibus, ſubhaſtatione, emptionibusque uſitata olim fuit formula. Notum hoc eſt e Jureconſultis, cum dicerent: *ducas licet.* Schott. Nod. Cicer. II. 14.

Duci dicebatur funus. Juven. Sat. I. 146.

Ducitur iratis plaudendum funus amicis.

Prop. II. 1. 58.

Ex hac ducentur funera noſtra domo.

Dicebantur exſequiæ. Quintil. Decl. X. *Satiare miſera, ſatiare ſaltem memoria diei illius, quo exſequias duximus.* Funus enim locis laudatis nihil aliud quam exſequiæ, & funeralis pompa. Etiam abſolute. Perſ. Sat. II. 14.

— *Nerio jam tertia ducitur uxor.*

Serv. Georg. IV. 256. *Funera ducunt, cum exſequiali ſcilicet pompa. Ducere funerum. Perſius.* Kirchm. de Fun. Rom. II. 1. Paſſerat. in Propertium. Grang. in Juvenalem. Faes in Gyrald. de Var. ſepel. rit. 5.

Ductu dicebatur Imperator geſſiſſe bellum, cui ipſe interfuit. Suet. Aug. c. 21. n. 1. *Domuit partim ductu Cantabriam.* Curt. VI. 3. 2. *Quorum alia ductu meo perdomui.* Lipſ. Mil. Rom. II. Dial. 12. Pichen. in Tacit. Annal. II. 41. Briſſon. de Form. IV. p. 353. Demſter. Paral. ad Ant. Rom. Roſin. II. 16. Valeſ. in Ammian. XVI. 12. Notat hæc vox operam, adminiſtrationem, exſequutionem, qualis Imperatori, aut Duci exercitus incumbit. *Boſius diſſert. de compar. eloq. civil.* §. 17.

DUE.

DUELLA eſt pars tertia unciæ: tres enim ex eis unciam conſtituunt: dicta a *duabus* conjunctis ſextulis, conſtans ex ſcripulis octo: de qua Fannius:

Sextula cum dupla eſt, veteres dixere duellam.

Pætus de Rom. & Græc. Pond. V. Theſ. Ant. Rom. Græv. Tom. XI. p. 1665. A. Bud. de Aſſe I. p. 15.

DUI.

C. DUILLIUS conſul de Pœnis primus apud Romanos triumphum navalem egit anno ab U. C. 494. Liv. Epit. 17. *C. Duillius conſul adverſus claſſem Pœnorum proſpere pugnavit, primusque omnium Romanorum ducum navalis victoriæ duxit triumphum. Ob quam cauſam & perpetuus quoque honos habitus eſt, ut revertenti a cœna, tibicine canente, funale præferretur.* Flor. II. 1. *Duillius victor ad Liparas, merſa & fugata hoſtium claſſe, primum illum maritimum egit triumphum, cujus quod gaudium fuit? Quum Duillius Imperator non contentus unius diei triumpho, per vitam omnem, ubi a cœna rediret, prælucere funalia, & præcinere ſibi tibias juſſit, quaſi quotidie triumpharet.* Quæ totidem fere verbis repetunt Cicer. de Senect. c. 13. Val. Max. III. 6. 4. Aur. Vict. de Vir. illuſtr. c. 38. n. 4. Sil. Ital. VI. 667. *Barthol. de Tib. c.* 4. *Nicol. de Triumph. c.* 16. §. 2. Illi ob navalem hanc victoriam ſtatua cum columna roſtrata in Foro Romano decreta fuit. Plin. XXXIII. 1. Quintil. I. 7. Ejus baſi inſcriptio, antiqua illa ſcribendi ratione, inciſa erat, quam ſuperioribus annis in Capitolinis Urbis ruinis repertam, quantum licuit, ex auctoritate veterum ſcriptorum, ſuppleverunt Ant. Auguſtinus, Carolus Sigonius, & Fulvius Urſinus, & inſigni commentario explicavit Petrus Ciacconius. *Panvin. de Triumph. c.* 2. *Auguſtin. de Legib. in Decia. Caſtal. de Columm. triumph. Theſ. Ant. Rom. Græv. Tom.* IV. *p.* 1942. *F.* Antea vocabatur *Bilius.* V. ſupr. in *B.*

DUL.

DULCIARIUS dicitur, qui placentas, vel *dulcia* conficit. Gloſſæ: Πλακουντάριος, *dulciarii, placentarii.* Græci γλυκαντῆρας dixerunt. Lamprid. Heliogab. c. 27. *Dulciarios & lactarios tales habuit, ut quæcunque coqui de diverſis edulibus exhibuiſſent, vel ſtructores, vel pomarii, illi modo de dulciariis, modo de lactariis exhiberent.* Apul. Met. X. p. 339. *Piſtor dulciarius, qui panes & mellita concinnabat edulia.*

tdulia. Salmaſ. in Lamprid. Heliogab. c. 27. & 32. Wouwer. in Min. Felic. p. 116. Stewech. in Veget. I. 6. Buleng. de Conviv. I. 9; II. 50. Bud. in Pandect. p. 130. Laz. Comm. Reip. Rom. II. 15. Rhodig. Ant. Lect. XXVI. 31: XXVIII. 8: XXX. 10.

DULCIUM & *dulcia* dicebantur placentæ, vel liba. Lamprid. Heliogab. c. 32. *Alia de dulciis.* Scholiaſt. Juven. Sat. VI. 631. *Dulcia, placenta veneno plena.* III. 188. *Dulcium malum, quod ſtomachum indigeſtum præſtat.* Hinc *dulciarium opus*, & *dulciamen*, quod Græci γλύκασμα. Nam γλυκάσματα Græcis placentæ. Moſchopulus: πόπανα γλυκάσματα. *Salmaſ. in Vopiſc. Tacit. c. 5. & Lampridium. Buleng. de Conviv.* II. 39. *Bruyer. de Re cibar.* VI. 7. Kalendis Januariis pauperiores ſtrenæ loco ſibi invicem mittebant. Mart. VIII. 33. 11.

Hoc linitur luto Jani caryota Kalendis,
Quam fert cum parvo ſordidus aſſe cliens.

XIII. 27. 1.

Aurea porrigitur Jani caryota Kalendis,
Sed tamen hoc munus pauperis eſſe ſolet.

In omen futuræ ſuavitatis ineuntis anni, & ut dulces dies anni a dulcibus rebus auſpicarentur. Ovid. Faſt. I. 185.

Quid vult palma ſibi, rugoſaque carica, dixi,
Et data ſub niveo condita mella cado?
Omen, ait, cauſa eſt: ut te ſapor ille ſequatur,
Et peragat cœptum dulcis ut annus iter.

Hoſpin. de Orig. Feſt. Ethn. p. 92. Lipen. de Stren. c. 3. §. 15. Struv. Ant. Rom. c. 9. p. 412.

DUM.

DUMIA gens. V. illam infr. in *Gens.*
Duma tribus. V. illam infr. in *Tribus.*

DUP.

DUPLARII dicuntur in antiquis inſcriptionibus. Romæ.

Q. VÆSIO. Q. F. PAL. NIGERIANO
MIL. COH. V. PR. 7. VERI MILIT.
LEG. X. GEMIN. DUPLAR.....
T. ÆLIUS. T. F. POP. HEDISCUS
MIL. DUPLAR. ARMATUR. VIXIT.....

& *duplicarii* Liv. II. 59. *Ad hoc centuriones, duplicariosque, qui reliquerant ordines, virgis cæſos ſecuri percuſſit.* Varr. de Ling. Lat. IV. 16. *Duplicarii dicti, quibus ob virtutem duplicia cibaria ut darentur, inſtitutum.* Et in inſcriptione veteri infr. in *Seſquiplares.* & διδραχμοπολῖται Polluc. IV. 23. quod duos denarios virtutis nimirum cauſa mererent, cum unus eſſet ſtipendium militis diurnum. Veget. II. 7. *Armaturæ duplares, quæ binas conſequuntur annonas.* & Varro jam laudatus. *Lipſ. de Milit. Rom.* V. *Dial.* 16. *Stewech. in Vegetium. Salmaſ. de re milit. Roman. c.* 19. *de mod. uſur. c.* 8. *Faber Semeſt.* I. 19. *Schel. in Polyb. Ant. Rom. Græv. Tom.* X. *p.* 1203. *D.* 1217. *F.* 1221. *B. in Hygin. ibid. p.* 1080. *E. Spon. Miſc. Erud. Ant. Sect.* VII. *p.* 297. *Rutgerſ. Var. Lect.* V. 20. *Cuper. Obſerv.* I. 8. *Reineſ. Inſcript. Claſſ.* I. *n.* 25: VIII. *n.* 78. *Turneb. Adv.* XXI. 28. *Urſat. de not. Roman. Theſ. Ant. Rom. Græv. Tom.* XI. *p.* 688. *D. Guther. de offic. dom. Aug.* II. 12. *Hugo de Milit. equeſt.* II. 6.

DUPONDII appellantur auditores primi anni in edicto Juſtiniani, quo juris auctoritas confirmatur. Quamobrem in controverſiam venit. Ego, ut aliorum ſententias omittam, ſic eos appellatos exiſtimo ridicule, quod non eſſent magni pretii, ſed duorum aſſium: ut ſi triobolares, aut diobolares auditores diceremus. Nam *dupondius* duos aſſes ſignificat, vel quatuor & viginti uncias, vel ſedecim ſeſcuncias, ac pro pecunia parva ponitur. Cicer. pro P. Quint. c. 16. *Si dupondius tuus ageretur, Sext. Nævi, ſi in parvula re captionis aliquid vererere.* Turneb. Adv. VIII. 19. Pollet. For. Rom. III. 13. Alciat. de verbor. ſignif. IV. p. 79.

DUPONDIUS dicebatur olim, quod geminis aſſibus conſtaret; quanquam & as diminutus eſſet a libra & ſeptuncem & ſemunciam. Re tamen mutata nomen immotum permanſit. *Cenal. de Pond. ac menſ. rat. Theſ. Ant. Rom. Græv. Tom.* XI. *p.* 1519. *A. Freher. de re monet. Rom.* I. 1. *Salmaſ. in Lamprid. Alex. Sev. c.* 39. *de mod. uſur. c.* 6. *Gronov. de Pecun. Vet.* III. 11. *Bud. de Aſſe* I. *p.* 12. *in Pandect. p.* 292. *H. Barth. Adv.* XXI. 6. *Rhodig. Ant. Lect.* IV. 7. *Snell. de re numm. Theſ. Ant. Græc. Gronov. Tom.* IX. *p.* 1559. *C. Hotman. Antiq. Roman.* IV. 2.

DUU.

DUUMVIRI dicti ſunt a numero *duorum*, & exemplo *duorum* Romanorum conſulum creati ſunt. Non *duumviros*, ſed *duumvirum* in ſingulari dicit Theodoſ. l. duumvirum 13. C. de magiſtr. munic. *Duumvirum impune non licet extollere poteſtatem faſcium extra metas territorii propriæ civitatis.* Quia etſi duo erant, unum tantum magiſtratum adminiſtrabant, ſeu unius judicis vicem ſuſtinebant l. magiſtratu 25. ff. ad mun. aut quia ſicut conſules ſinguli alternis duodecim faſcibus utebantur, ita *duumviri* alternatim duos faſces præmittebant. *Panciroll. de magiſtr. munic. c.* 8. *Chimentell. de Hon. biſell. c.* 5. Campani, ut narrat Cicer. Agrar. II. 34. eorum faſtum deſcribens, *prætores ſe appellari volebant, cum cæteris in coloniis duumviri appellarentur.* Velſer. Rer. Vindel. V. p. 271. Panciroll. l. l. Conſules fuiſſe appellatos diu eſt cum fruſtra requiſivi. In Auſonio nihil ad eam rem præſidii reperiri potuit, etſi retineatur edita lectio omnium codicum fide nixa; quæ ſane nihil abſurdi importat, ſi Poetam loqui cogites, qui *duumvirum* appellare potuit *conſulem*; ſicut paſtorem alius magiſtrum, cerdonem alius ex hoc licentioſo genere ſutorum regulam, eoque trajectionem a Velſerio tentatam non neceſſariam eſſe ſemper judicavi. *Reineſ. Epiſt.* 31. *Var. Lect.* III. 16. Nimis el te Auſonius, ſi ſe Burdigalæ *duumvirum* electum verbis iſtis intelligi voluit de Urbib. XIII. 39.

Diligo Burdigalam: Romam colo: civis in hac ſum,
Conſul in ambabus.

Mihi perplacet:

— conſul in hac ſum,
Civis in ambabus.

Eſt enim ad veritatem expeditius, & proximo confirmatur hemiſtichio:

— cunæ hic, ibi ſella curulis.

Velſer. ibid. p. 272. In hujus ſententiam, qui alioquin ſua auctoritate me frangit, gradior, ſed non curro; loripes ſum, & Mulciberi aſſecla. Scio namque, præſertim de coloniis, quod omni cultu uſque ad ambitionem imitari, ac ſpirare ſtudebant Urbem parentem, cujus ex utero incolæ traduces ad alias inhabitandas terras mittebantur. Hinc decuriones, alter veluti ſenatus, ac ſimulacrum quoddam ampliſſimi ordinis in Urbe. Ex hoc corpore lecti *duumviri*, quot Romæ conſules. Quod ſi iſti *duumviri* conſilio, auctoritate, prudentia totidem quaſi conſules in ea republica præerant; quid vetat, ut ambitioſa aliqua civitas eodem nomine conſulari *duumviros* nuncupaſſet? En Burdigala apud Auſonium modo laudatum. Velſerus πρωθυστερολογίας uſus remedio mutavit. Ore poetico locutum Auſonium cenſuit Reineſius. Ego nihil vatem redarguo. Atqui obſtat, inquis, conſularis apicis auguſtiſſimum decus, quod una Roma, domina, mater, & princeps cæterarum ſibi adſciverat, tanquam peculium ſuum, quod nulla ſibi e viliori civitatum grege civitas uſurparet. Sed placet interrogare: nonne dictaturæ nomen, ſcio eſſe extraordinarium, longe auguſtius, atque excellentius conſulari? nonne poteſtas ſanctior, major, formidabilior? nonne hic unus magiſtratus periculoſiſſimis, ac difficillimis Reipublicæ temporibus, ubi primum

affulſit, cæteri honores connivebant, ut exorto ſole minora ſidera ſepeliuntur? & tamen permittimus Lanuvio, tenui alioquin oppido, ut magiſtratum ſuum vocet Dictatorem, neque ullius ἀκυρολογίας arguimus, quod ita vocarit Cicer. pro Mil. c. 10. Vocavit autem, quia is populus Lanuvinus, vel uſu antiquo, vel ambitione, vel alio reſpectu ita appellari maluit. Ita Adrianus apud Spartian. c. 19. *Per Latina oppida Dictator, & Ædilis, & Duumvir fuit.* Pro varia nempe populorum conſuetudine, qua magiſtratum ſuum hic *Dictatorem* vocabant, hic *Ædilem*, hic *Duumvirum*; non quod Adrianus eodem in loco omnes illos honores ſuſtulerit. Juriſconſultis itidem *conſules* pro *duumviris*, ut in l. cum quidam 30. de acquir. hæred. *Divus Pius reſcripſit conſulibus.* Conſules, hoc eſt, magiſtratus, aut *duumviri* alicujus civitatis, qui de incerto jure, ut ſæpe factum, imperatorium culmen conſulebant. Vocem *conſulibus* in *conſulentibus* reformat Hotoman. Obſerv. VII. c. ult. Sed non movendum conſulem hunc municipalem agnoſcens mecum cenſet Scipio Gentilis de J. dictione II. 5. *Chimentell. l. l.* Summus decurionum & civitatis hic erat magiſtratus, niſi alia alicujus loci fuiſſet conſuetudo. Ulpian. l. 1. ff. de albo ſcrib. *Scribantur decuriones eo ordine, quo quiſque eorum maximo honore in municipio functus eſt, ut puta, qui duumviratum geſſerunt, ſi hic honor præcellat.* Nec alii quam decuriones *duumviri* creari poterant. Paull. l. honores 7. §. is qui ff. de decret. *Is, qui non ſit decurio, duumviratu, vel aliis honoribus fungi non poteſt, quia decurionum honoribus plebeji fungi prohibentur.* Nec ex omnibus decurionibus, ſed ex potioribus tantum eligebantur. Paull. l. l. *Honores, & munera, non ordinationi*, id eſt, inferioribus, ſicut in *ordinem redigi* dicuntur, qui deprimuntur, *ſed potioribus quibuſcumque injungenda ſunt.* Panciroll. l. l. Chimentell. ibid. c. 4. Eadem forma in eligendis, quæ in creandis decurionibus, obſervabatur, hoc excepto, quod tribus ante, aut pluribus menſibus, quam magiſtratum inirent, nominabantur: ut ſi forte juſtam recuſandi honoris cauſam habuiſſent, alii eorum loco congruo tempore ſubſtitui poſſent l. 1. C. de magiſtr. munic. l. 28. C. de decur. Kalendis vero Martiis magiſtratum nominabant, inquit Conſtantius d. l. 28. C. de decur. ut ſplendidiorum honorum, munerumque principia primo tempore curentur. *Panciroll. l. l. Buleng. de Imp. Rom.* VII. 7. Antiquitus lictores duo cum bacillis anteibant. Cicer. Agrar. II. 34. *Anteibant lictores, non cum bacillis, ſed ut hic prætoribus anteeunt cum faſcibus duobus.* & Apul. Met. I. p. 33. *Et lixas & virgas, & habitum prorſus magiſtratui convenientem in te video.* Qui poſtea aucta ambitione in faſces crevere. Arcadius cum collegis l. 53. C. de decurion. tit. 31. *Duumvirum impune non liceat extollere poteſtatem faſcium, extra metas territorii propriæ civitatis.* Velſer. Chimentell. Panciroll. l. l. & Auguſtin. ad leg. XII. tabul. §. 44. Noriſ. Cenot. Piſ. Diſſ. I. 3. Gentil. d. l. 53. faſces ad jus ludorum, aut editionis tranſtulit. Hoc ego non probo. Si namque verba Imperatorum expendo, ubi *poteſtatem faſcium* vocant, ac *territorii* mentionem injiciunt, ſpectaſſe eos auctoritatem, atque jus in *duumviris*, non inanem, aut ludicrum ſplendorem, facile adducor ut ſentiam. *Chimentell. l. l.* Non ad juriſdictionem, hanc enim non habebant, ſed notionem tantum, verum ad alias res pertinebant. *Reineſ. l. l. Guther. de Offic. dom. Aug.* I. 5. Hoc non tam purum eſt, atque illime, quin aliter alii judicent. Præit Paullus, ac turbam ſubmovet, ut juriſdictionem vindicet *duumviris* l. 26. ff. de municip. *Ea, quæ magis imperii ſunt, quam juriſdictionis, magiſtratus municipalis facere non poteſt.* Ergo ea, quæ puræ ſunt juriſdictionis, aut quæ magis ſunt juriſdictionis, quam imperii, omnino faciet. Sic *municipalis juriſdictio* l. incola 29. ff. de municip. Hanc quoque opinionem affirmat Cujac. ad l. 1. 2. 3. 4. de juriſdictione. Illigerus ad Donell. XVII. 7. Gothofr. ad l. 4. de damno infecto, ſpecimina afferens juriſdictionis; præſertim ad certam quantitatem, de quo Paull. Sent. V. Item pignoris capionem, legis actionem, ſervorum caſtigationem, & curatoris dationem, de quibus Cujac. ad d. l. 53. C. de decurion. Buleng. de Imp. Rom. VII. 9. Gentilis eidem favet *duumvirali* juriſdictioni de J. dictione I. 7: II. 6. Adi & Berter. Pithan. I. 10. Vizzan. de mand. Princip. c. 1. Paſſim quoque in lapidibus II. III. IV. vir juri dicundo. Panciroll. l. l. Sic Ædilis juridic. quod patet Gruterianum indicem percurrentibus. *Chimentell. ibid. c.* 5. Purpura quoque, id eſt, limbo purpureo circumdata toga utebantur. Liv. XXXIV. 7. *Magiſtratibus in coloniis, municipiiſque toga prætextæ habendæ jus eſt: nec id ut vivi ſolum habeant tantum inſigne, ſed etiam ut cum eo crementur mortui.* Noriſ. & Panciroll. l. l. Tunicam albam geſtabant. Juven. Sat. III. 178.

—— clari velamen honoris
Sufficiunt tunicæ ſummis ædilibus albæ.

Creati olim populo munus gladiatorium edebant, id eſt, aliquot paria gladiatorum ad certamen committebant, ut conſtat ex Apul. Met. X. p. 335. *Thyaſus gradatim permenſis honoribus quinquennali magiſtratui fuerat deſtinatus, & ut ſplendori capeſſendorum reſponderet faſcium, munus gladiatorium triduanis ſpectaculis pollicitus, latius munificentiam ſuam protendebat.* Cum inibant magiſtratum, ſoliti ſunt decurionibus ſingulos, vel binos denarios elargiri. Plin. Trajan. Epiſt. 82. *Qui ineunt magiſtratum, ſolent totam bulen, atque etiam ex plebe non exiguum numerum vocare, binosque denarios, vel ſingulos dare.* Panciroll. l. l. Buleng. de Imp. Rom. VII. 9. Annuum fuiſſe patet ex l. 1. quemadm. mun. civ. & l. 16. de decurion. C. De Africæ *duumviris* legimus in geſtis de purgatione Felicis Epiſcopi tom. 1. Concil. Labei p. 1451. *Magiſtratus, ſuppleto anno, omnes actus ſuos domum ſuam tulit.* De Hiſpanis in Synodo Eliberitana can. 56. *Magiſtratum uno anno, quo agit duumviratum, prohibendum placuit, ut ſe ab Eccleſia prohibeat.* Id moris erat quarto ſeculo æræ Chriſtianæ. Cæterum obſervo ex inſcriptione Capuana apud Pighium Annal. Roman. ad annum ab U. C. 719. initio imperii Auguſti nondum colonici magiſtratus tempus fixum, ac certum fuiſſe; nam ibidem nominantur *duumviri* modo EX K. SEPT. ad K. FEBR. & EX K. FEBR. ad K. JUL. Poſtea ex K. JAN. ad K. JAN. Denique EX K. JAN. ad K. JUL. ut *duumviratus* quinquemeſtris, ſemeſtris, ac etiam annuus gereretur. *Noriſ. l. l.*

Duumviri capitales dicebantur, qui de perduellionis crimine judicabant. Liv. I. 26. *Duumviros, qui Horatio perduellionem judicent ſecundum legem facio. Lex horrendi carminis erat: Duumviri perduellionem judicent. Si a duumviris provocarit, provocatione certato: ſi vincent, capite obnubito: infelici arbori reſte ſuſpendito. Verberato, vel intra pomœrium, vel extra pomœrium.* Duravit hic mos ſemper ſtante Republica. Itaque C. Rabirius a Julio Cæſare, & L. Cæſare *duumviris* perduellionis damnatus eſt, ſed ad populum provocavit, ut omnibus eſt notum ex Suet. Jul. c. 12. n. 1. Dion. XXXVII. p. 41. & ex Oratione Ciceronis pro eo. *Hotoman. de magiſtr. Roman.* in *Theſ. Ant. Roman. Græv. Tom.* II. *p.* 1870. *F. Sigon. de Judic.* III. 4. & 15. *Manut. de Leg. c.* 4. *Laz. Comment. Reip. Rom.* III. 2. *Flocc. de Poteſt. Roman.* II. 5. *Læt. de Magiſtr. Roman. c.* 6.

Duumviri navales erant magiſtratus extraordinarii, quales alii atque alii creabantur, ut quæcunque negotia occurrebant, quæ extraordinariam curationem requirere videbantur. Liv. IX. 30. *Et duo imperia eo anno dari cœpta per populum; utraque pertinentia ad rem militarem. . . . alterum ut duumviros navales claſſis ornandæ, reficiendæque cauſa idem populus juberet. Lator hujus plebiſciti fuit M. Decius tribunus plebis.* Hunc vero non fuiſſe ordinarium magiſtratum, inde poteſt colligi, quod Liv. XL. 18: XLI. 1. cum rurſus hujus magiſtratus meminit, certam cauſam creationis aſſignat: nec ſimul creari facit cum ordinariis magiſtratibus, ſed prout neceſſitas requirebat. Cum enim ita ſcribit XL. 26. *Duumviri navales creati C. Matienus & C. Lucretius.* Verba antecedentia oſtendunt ſubito eos creatos, poſtquam nuntiatum eſt a Liguribus obſideri L. Æmylium. At ſi ordinarius magiſtratus fuiſſet, non ita pro neceſſitate ſubito crearetur; ſed jam ſuperiore anno creatum cum reliquis magiſtratibus ordinariis oportuiſſet. Et

XLI. 1. quia fecerat mentionem C. Furii *duumviri* navalis, propterea, ut caufam hujus magiftratus reddat, ftatim fubjicit: *Adverfus Illyriorum claffem creati duumviri navales erant, qui tuendam viginti navibus mari fuperiore Anconam, velut cardinem haberent.* Quia vero illic *duumvirum* navalem appellat L. Cornelium Dolabellam, eo anno, quo erant Coff. M. Manlius & M. Junius Brutus: qui etiam biennio ante, Coff. A. Pofthumio, & C. Calphurnio, in eo magiftratu erat, ut ait Liv. XL. 42. hinc profecto argumentum duci poteft, non fuiffe eum ordinarium magiftratum, cujus imperium effet plus quam annuum. Quod autem tributis comitiis crearentur, ex communi illa ratione oftendi poteft, quod inter minores magiftratus hi effent. *Gruch. de Comit. Roman.* II. 2. *Scheffer. de Milit. nav.* II. 4: IV. 5. *Buleng. de Imp. Rom.* V. 57. *Auguftin. de Legib. in Decia. Laz. Comment. Reip. Rom.* II [illegible] 2. *Flocc. de Poteft. Roman* II. 21.

Duumviri quinquennales in marmoribus qui vocantur, hoc judicandi genere, de quo fupr. in *Duumviri*, quandoque quinquennio fungebantur. Tergefti: L. VALERIO PAPIRIO PAPINIANO VII. VIR. I. D. Q. Q. PRÆF. ET TERGESTE FLAM. HADR. PONT. AUGUR. COLLEGIUM FABRUM. PATRONO MERENTI. Quo L. Papirius *duumvir* quinquennalis, id eft, integro quinquennio judicaffe fignificatur. Idem Corinthi obfervatum fuiffe tradit Apulejus laudatus in *Duumviri.* Panciroll. de magiftr. munic. c. 8. Plin. Epift. II. 1. *Veritus, ne forte inter quinquennios crearetur, qui minuendis publicis fumptibus judicio fenatus conftituebantur.* Buleng. de Imp. Rom. v. 28. Quinquennales ego coloniarum cenfores interpretor. Parum caute confunduntur cum fummis *duumviris.* Diftinguit clare C. Hedii lapis: II. VIR. II. VIR. QUINQ. Rurfus alii a quatuorviris. C. Vefidieni ifte: IIII. VIR. JUR. DIC. IIII. VIR. QUINQ. A. Quintilii alter: IIII. VIR. JURE. DIC. IIII. VIR. QUINQ. In quibus quinquennales tum duumviros, tum quatuorviros obfervo. Cenfores, cenfumque in coloniis fuiffe, vel ex S. C. de XII. coloniis, quæ Quintis Fabio & Fulvio coff. abnuiffent milites dare, quod exftat apud Liv. XXIX. 15. in promptu eft: *Cenfum in iis coloniis agi ex formula Romanis cenforibus data: dari autem placere eandem, quam populo Romano: deferrique Romam ab juratis cenforibus coloniarum, priufquam magiftratu abirent.* In civitatibus Bithynicis *fenatum a cenforibus lectum* fcripfit Plin. Epift. x. 83. Marmor apud Smet. p. 85. n. 2. CENSITOR. CIVIUM. ROMANORUM. COLONIÆ. VICTRICENSIS. Apud Occon. Infcr. p. 23. n. 2. CENS. ET. DUUMVIRATU. BENE. ET. E. R. P. ACTO. Accedat lex Conftantini, qua medicis & profefforibus immunitatem tribuit C. lib. 13. tit. 3. l. 1. *Si quis eos vexaverit, centum millia nummorum ærario inferat, a magiftratibus, vel quinquennalibus exactus.* Magiftratuum nomine fummos, id eft II. viros quinquennalium cenfores, ad quos cenfus ratione immunitatis cognitio & tuitio pertineat, omnino complectitur. *Velfer. Rer. Aug. Vind.* p 272. *Reinef. Var. Lect.* III. 16. *Chimentell. de Hon. Bifell.* c. 7. *Laz. Comm. Reip. Rom.* III. 2.

Duumviri facri, five ædis locandæ, faciundæ, dedicandæ, non quidem facerdotes erant, fed qui hæc peragerent, potiffimum ex facerdotibus legebantur. Nam ubi ædes aliquo cafu vota erat, ftatim qui locarent, dedicarent, *duumviri*, populi comitiis tributis, lege Papiria renuntiabantur. Liv. VII. 28. *Senatus duumviros ad eandem ædem*, Junonis *Monetæ, pro amplitudine P. R. faciendam juffit.* XXII. 33. *Ædem Concordiæ, quam per feditionem militarem biennio ante L. Manlius prætor in Gallia voviffet, locatam ad id tempus non effe: itaque duumviri ad eam rem creati a M. Æmilio prætore Urbis Cn. Pupius & Cæfo Quintius Flaminius ædem in arce faciendam locaverunt.* Panvin. de Civ. Rom. c. 40. Et quidem factum, cum magiftratus ille, qui voverat, non amplius fupereffet. Exemplum in æde Jovis adducit Liv. XXXV. 41. *quam L. Furius Purpureo prætor Gallico bello voverat, dedicavit Q. Marcius Ralla duumvir.* Qua re & fæpius filii voventium *duumviri* creati funt. Sic *Caftoris ædem votam Latino bello, Poftumio dictatore, filius ejus duumvir ad id ipfum creatus dedicavit.* Liv. II. 42. *Struv. Ant. Roman.* c. 12. p. 635. *Guther. de jur. Pont.* III. 12. *Laz. Comment. Reip. Rom.* III. 2.

Duumviri Sibyllini curabant facra librorum Sibyllinorum. *Sigon. de Antiq. jur. civ. Roman.* I. 19. *Cafal. de Urb. ac Imper. Roman. fplend. part.* 3. c. 2. *Laurent. Var. facr. gentil.* c. 1. *Volaterr. Comment. Urban.* XXIX. p. 1104. C. Dionyf. IV. p. 259. *Tarquinius duos e civibus viros illuftres elegit, additis duobus miniftris publicis, quibus iftorum librorum cuftodiam tradidit. Horum duumvirorum alterum M. Attilium*, Tullium vocat Val Max. III. 1. 13. *quem non bona fide rem gerere, in bubulum culeum infutum projecit in mare*, five, ut inquit Valerius, *quia librum* Sibyllinum, *fecreta civilium facrorum continentem, cuftodiæ fuæ commiffum, corruptus, Petronio Sabino defcribendum dediffet.* Panvin. de Civit. Roman. c. 35. Schmid. de Sibyll. D. 1. Taffin. de Lud. fecul. c. 5. A quo fuerint inftituti, inter auctores controvertitur. A Rege Tarquinio Prifco inftitutos fuiffe fcribunt Lactant. I. 6. & Serv. Æneid. VI. 36. quos fequitur Rofin. Ant. Rom. III. 24. eo quod Sibylla Romam venit, ut narrat Solin. c. 8. Olympiade quinquagefima, qua tota Tarquinius Prifcus regnavit juxta Eufebii Chronicon. A Rege Tarquinio Superbo inftitutos tenent Dionyf. Halicarn. l. l. Gell. I. 19. Solin. c. 8. Plin. XIII. 13. Pompon. Læt. de Sacerd. c. 13. quos fequitur Alex. Gen. Dier. III. 16. Tiraquellus ejus illuftrator utramque proponit fententiam, atque indecifam rem relinquit. Ego fententiæ pofteriori fubfcribendum puto, ob auctoritatem eorum qui illam tradunt, funtque Lactantio & Servio longe anteferendi. Maxime, cum nullum fundamentum fit, quo eos tueri nititur Rofinus, afferens ex Solino eam Sibyllam tempore Tarquinii Prifci Romæ fuiffe, cujus libri affervabantur a *duumviris.* Potuit enim ea Sibylla Romam venire tempore Tarquinii Prifci, & libros fuos nondum compofuiffe, fed Romæ tempore Tarquinii Prifci, & Servii eos Romæ, aut alibi confcribere, ac tum demum regnante Tarquinio Superbo Romam redire, & libros fuos venales exponere. Alterutrum feciffe fentit Solinus: qui etfi ejus adventum Romæ collocet Olympiade quinquagefima, tamen fcribit libros fuos venales Tarquinio Superbo expofuiffe, atque ab eodem clare fentit fuiffe creatos. Manferunt ufque ad annum U. C. 288. quo tempore C. Licinius & C. Sextius tribuni plebis effecere, ut illis octo adderentur. Atque ita ex patribus quinque, ex plebe quinque creari cœperunt. Livius. V. illum fupr. in *Decemviri facrorum.* Taffin. de an. fecul. & lud. fecul. c. 5.

DUX.

DUX fignificabat olim Imperatorem, quem Cicer. de Orat. I. 48. vocat *belli gerendi adminiftratorem.* Diferte Liv. IV. 20. *Nec ducem novimus, nifi cujus aufpicio bellum geritur.* Suprema *ducis* auctoritas, & poteftas dicebatur *imperium, fine quo exercitus haberi, bellum geri, res militaris adminiftrari non poteft*, ut cum Cicerone loquamur. Dignitas autem hæc & auctoritas initio folum fuit penes confules & prætores: verum poftquam Imperatores imperii fedem tranftulerunt Conftantinopolim, in provinciis remotioribus, & quæ limitum loco erant, conftituti funt præfides, five rectores, validis cum præfidiis. Hi, quod rei militari præeffent dicti funt *duces*, ut apparet ex Caffiodori formula *ducatus* Rhætiarum Var. VII. 4. ubi ait: *Multum his creditur, quibus confinales populi deputantur.* Et deinde: *Ducatum tibi credimus Rhætiarum, ut milites in pace regas, & cum eis fines noftros folenni alacritate circumeas.* Hinc leguntur in Notit. Imp. Orient. p. 89. *Duces Thebaidos, Palæftinæ, Arabiæ, Phœnices, Syriæ & Eufratenfis, Ofrhoenæ, Mefopotamiæ, Scythiæ, Mœfiæ Secundæ, Mœfiæ Primæ, Daciæ Ripenfis.* Occident. p. 165. *Provinciæ Mauritaniæ Cæfarienfis, Tripolitanæ, Pannoniæ Secundæ Riparienfis five Saviæ, Provinciæ Valeriæ Ripenfis, Pannoniæ Primæ &*

Norici Ripensis, Rhætiæ Primæ & Secundæ, Provinciæ Sequanicæ, Tractus Armoricani, & Nervicani, Belgicæ Secundæ, Germaniæ Primæ, Britanniarum, Moguntiacensis, qui subinde nomine, non munere mutato, secundum Imperatorum arbitria & lubitum dicebantur, & fiebant consulares, sive proconsulares, aut proprætores. *Etiam duces appellabantur, qui quolibet in loco prætorum vicem obtinebant*, ut narrat Zosim. II. 32. *Bergier. de viis Milit.* IV. *Sect.* 17. §. 4. Hos *duces* & illorum insignia in Notitia Imperii fusius describunt *Pancirollus, & Guther. de Offic. dom. Aug.* I. 4. Torque, velut nota dignitatis, ac officii, utebantur *duces* militares apud Romanos. Curopalates: *Gestabant quondam duces torques, quæ honorem ipsorum demonstrabant.* Marcellin. XXIX. 26. *Tigavias venire jusserat cum tribunis, quorum unus torquem pro diademate capiti imposuit Firmi.* Imponit torquem suum tribunus, ex quo gestasse apparet. *Scheffer. de Ant. torquib. c.* 8. Priusquam Urbem egrederentur *duces* ad bellum abituri, munus gladiatorium & venatus dabant. Unde ille mos sit tractus, breviter dicit Capitol. Max. & Balb. c. 8. *Multi dicunt, apud veteres hanc devotionem contra hostes factam, ut civium sanguine litato specie pugnarum se Nemesis, id est, vis quædam fortunæ, satiaret. Alii hoc literis tradunt, quod verisimilius credo, ituros ad bellum Romanos debuisse pugnas videre, & vulnera, & ferrum, & nudas inter se cohortes, ne dimicantes in bello armatos hostes timerent, aut vulnera & sanguinem perhorrescerent.* Stewech. in Veget. I. 6. Sardus de mor. gent. III. 3. Martis templum ingrediebantur, & primo ancilia, mox hastam simulacri ipsius commovebant, dicendo: Mars vigila. Serv. Æneid. VIII. 3. *Stewech. l. l.* Eorum uxores, aut propinqui vota in portis Urbis suspendere, id est, suspensa tabella voto se obligare interdum solebant, reditum optantes & ominantes: sed iis reducibus vota solvebant, quæ suspensa tabella susceperant, illi portæ, per quam redierant. Prop. IV. 3. 17.

Omnibus heu portis pendent mea noxia vota.

n. 71.

Armaque cum tulero portæ votiva Capenæ,
Subscribam: salvo grata puella viro.

Turneb. Adv. XXIII. 6. Stewech. l. l. Passerat: in Propertium. Vestem mutabant. Cæs. Bell. Gall. VII. 88. 1. *Accelerat Cæsar, ut prælio intersit. cujus adventu ex colore vestitus cognito, quo insigni in præliis uti consueverat.* Veget. III. 5. *Vel certe mutata, qua utitur veste.* Stewech. in Vegetium. Ex devictis regnis, & provinciis nomina sibi sumebant. P. Cornelius Scipio primus a devicta provincia nomen retulit, & ab Africa Africanus dictus est. Liv. XXX. 45. *Africanum cognomen militaris prius favor, an popularis aura celebraverit, an sicuti Felicis Sullæ, Magnique Pompeji patrum memoria, cœptum ab assentatione familiari sit, parum compertum habeo. Primus certe hic Imperator nomine victæ ab se gentis est nobilitatus. Exemplo deinde hujus, nequaquam victoria pares, insignes imaginum titulos, claraque cognomina familiæ fecere.* Et L. Scipio Asiaticus, L. Æmilius Paullus Macedonicus, & Metellorum alter Macedonicus, alter Numidicus appellari meruerunt. Hunc honorem multo majorem quoque sibi fecere Romani principes, qui non solum Germanici, Parthici, Dacici. . . . appellari gaudebant; sed ipsas quoque provincias subjugatas nomen suum ferre voluerunt. Et hoc est cur in Notitia imperii, in Britannia quinque provincias constituerunt: *Britanniam primam, Britanniam secundam, Flaviam, Maximinam, & quinto Valentinam*, seu potius *Valentinianam*, dictam, quod Theodosius Valentiniani Imperatoris ductor missus in Britanniam, Valentini cujusdam, qui in exsilium missus, in illa seditionem excitaverat, seditionem sedavit. Statim enim ea pars Britanniæ *arbitrio Principis velut ovantis* nomen mutavit. Ammian. XXVIII. 3. Item ab expugnatis oppidis *duces* cognomen mutuati sunt. Sic a captis Coriolis Coriolanus. Testes Dionys. Halicarn. VI. p. 414. Val. Max. IV. 3. Eo respexit Cicer. Fam. II. 10. *Oppugnavi quinque & viginti diebus aggeribus, vineis, turribus oppidum Pindenessum munitissimum tantis operibus, ut mihi ad summam gloriam nihil desit, nisi nomen oppidi.* Stewech. in Veget. prolog. IV. p. 388. Funus publicum, ταφὴ δημοσία, aliquando *duci* exercitus a militibus indicebatur. Dionys. XI. *cui ludi funebres additi pro castrensi apparatu.* Liv. XXVIII. 21. *Guther. de jur. man.* I. 5. Defuncti arma diis, quos coluisset, suffigebantur. Parthenius ille moriturus apud Papin. Theb. IX. 906.

Hæc autem primis tela infelicia castris
Ure, vel ingratæ munus suspende Dianæ.

Tomas. de Donar. c. 21. Hoc jus singulare illi concessum erat, ut *si in bello occidisset, etsi corpus ejus non compareret, tamen lugeretur.* l. exhæredatum. §. si quis ff. de his qui not. infam. *Guther. l. l.* Funus *ducis*, qui occubuisset in acie, milites quantum poterant militaribus studiis celebrabant. Ea pompa fuit, ut armatæ, instructæque legiones in turmas, & centurias cum vexillis militaribus inversis, aut abjectis militiæ insignibus comitentur: phalerasque equis detrahant, ensium mucrones, & lancearum cuspides humi dejectos ferant, & rogum lustrent. *Alex. Gen. Dier.* III. 7. Tacit. Annal. III. 2. 2. *Igitur tribunorum, centurionumque humeris cineres portabantur: præcedebant incompta signa, versi fasces: atque ubi colonias transgrederentur, atrata plebs, trabeati equites, pro opibus loci, vestem, odores, aliaque funerum solennia cremabant.* Tiraquell. in Alexandrum, Lips. in Tacitum.

DYN.

DYNASTÆ sunt homines in civitate primarii & potentes, eam gubernantes. Unde nunquam in singulari nomine *dynastam* apud scriptores observamus, sed semper in plurali, quia magistratus erat non unius, sed plurium. *Donat. Dilucid. p.* 574. Hoc vel ex Nepote mox laudando promptum est refellere. *Dynastes* enim est regulus, & certi loci, tractusque dominus. Tales ferme hodie comites, barones, alii. Gradus exprimunt Cicer. Phil. II. 12. *Si cæteri Reges, tetrarchæ, dynastæque fuissent.* Suet. Tib. c. 26. n. 6. *Ne Augusti quidem nomen ullis nisi ad Reges ac dynastas epistolis addidit.* Nep. 17. 7. 3. *Cum maxima munera ei ab Regibus, & dynastis, civitatibusque conferrentur.* Qui & Thyum, quem *dynastem* vocat 14. 2. 2. Regem appellat ibid. 3. 4. Unde & Paphlagoniæ Rex dicitur Athen. IV. p. 144. F. *Bœcler. Ind. in Nepotem. Casaub. Exercit. in Baron.* II. 10. *Tiraquell. in Alex.* IV. 23. *Bud. de Asse* III. *p.* 317.

E.



scribebant olim pro *A.* Ita escendere, estare, espicere, pro ascendere, astare, aspicere. *Palmer. Spicil.* VI. *p.* 711.

E & F in veteribus libris ex scriptura Romana propter figuræ affinitatem sæpius invicem mutabantur. Ita *fructatis* apud Symm. Epist. IV. 18. legitur pro *eructatis*: Et *Frucinal* pro *Erucinal* legitur apud Festum: Nulla fuit Venus frutis, & si ulla, ejus templum non Frutinal diceretur, sed Frutal. Nec templum Romæ Veneris Frutis, sed Erucinæ. Inde L. *Erucinal, templum Veneris Erucinæ.* Salmas. Exercit. Plin. p. 50. a. E. 610. b. F. Lamprid. Alex. Sever. c. 66.

E & I in multis promiscue scripserunt veteres. Quintil. I. 4. *Quid? non E loco I fuit? ut Menerva, leber, & magester, & Dijove & Vejove pro Dijovi & Vejovi.* Et in *ploirume, fuet, dedet, tempestatebus, mereto* quod *E* locum *I* occupat, priscæ vetustatis est indicium. In Duiliana columna *exemet* pro *exemit*, & *cepet* pro *cepit*, aliaque id genus visuntur. *Explan. Ant. Inscript. Thes. Antiq. Roman. Græv. Tom.* IV. *p.* 1837. *D. Gronov. de Pec. Vet.* I. 10. *Fruter. Verif.* I. 16. *Palmer. Spicil.* I. *p.* 616. *V. p.* 694. *Malvas. Marm. Felsin. Sect.* VII. *c.* 12. VIII. *c.* 4. *Turneb. Adv.* III. 5.

E & *O* non raro olim tradebant mutuas operas; & in alternas ſedes ſubibant. In vetuſtis monumentis reperitur *pellictor*, pro pollinctor. Et *pelluctum* quaſi polluctum. Et *vorto* pro verto invenitur. Ita Græci in exoticis non raro mutant *E* in *O*. Ut Ὀρκύνιος δρυμὸς, qui aliis Ἐρκύνιος, *Hercynia ſylva*. Turneb. Adv. XXVIII. 31. Moreſtell. Pomp. Feral. I. 13. Salmaſ. Exercit. Plin. p. 430. b. C. Malvaſ. Marm. Felſin. Sect. VII. c. 12.

E pro *Y* ſæpe mutant Latini. In Pandectis Florentinis legendum *Xeluchia*, id eſt, ξυλοχία. Ita ῥυμυλκὸς, *remulcus*, μαλτύη, *mattea*, ῥυμὸς, *remus*. Salmaſ. Exercit. Plin. p. 54. b. G. 198. a. C. 743. a. C. Malvaſ. Marm. Felſin. Sect. VII. c. 12.

EBO.

EBORA, quæ Liberalitas Julia colonia, nunc *Evora*, urbs Luſitaniæ inſignis. Plin. IV. 22. *Urſat. de not. Rom. Theſ. Ant. Rom. Græv. Tom.* XI. *p.* 782. *C.*

EBORACUM, Britanniæ nunc etiam urbs inſignis, vulgo *York*. Saxum Eboracenſe:

M. VEREC. DIOGENES. IIIII. VIR. COL.
EBOR. IDEMQ. MORT. CIVES. BITURIX.
HÆC. SIBI. VIVUS. FECIT.

Urſat. de not. Rom. Theſ. Ant. Rom. Græv. Tom. XI. *p.* 629. *C.*

EBR.

EBRIA fuit cognomen apud Romanos, non ſecus ac *Helluo*, *Gurges*, & talia. Pomponius Auctorato apud Chariſ. de Anal. Edit. Putſch. p. 37. *Neque ego ſum Memmius, neque Caſſius, neque Mimatius Ebria.* Nec vero mirum feminino modo viro adhæſiſſe, cum pariter reperiantur dicti *Aſellæ*, & non pauca talia. *Barth. Adv.* III. 7.

EBU.

EBUR *quomodo poliretur, Democritus invenit.* Senec. Epiſt. 90. *Menag. in Laert. Vit. Philoſ.* IX. 43. Elegantem uſum præbuit in ſimulacris, quibus effingebant deos, in ſellis ſceptriſque virorum principum, in tabellis, in menſarum etiam pedibus, quæ ſæpius pardos hiantes repræſentaverunt. Unde Juven. Sat. VI. 123.

Grande ebur, & magno ſublimis pardus hiatu.

Nec tamen tam late ejus uſus patet, quam putavit Oppian. de Venat. II. 511. ubi ſic canit:

—— ex cornibus vero
Arcus rotundi, & innumeri fabricantur opera.

Plane etiam fallitur, cum ex *ebore* fieri putat arcus. Quippe materia ejus rigida eſt, non flexilis. *Voſſ. de Idolol.* III. 50. Plin. VIII. 10. *Dentibus ingens pretium, & deorum ſimulacris laudatiſſima ex iis materia.* XII. I. *Ut a diis nato jure luxuriæ, eodem ebore numinum ora ſpectarentur & menſarum pedes.* Kobierżyk. de Lux. Rom. II. 7. Junius de Pict. III. 11. In *ebore* ſcripſiſſe veteres negat Scaliger adverſus Guillandinum: affirmat Salmaſius ad Vopiſci Tacitum. V. illos infr. in *Libri elephantini.*

EBURARIUS, *eborarius*, ſive *faber eburarius* dicebatur, qui lectis, ſellis, aliisque rebus ex *ebore* tornandis, aut ſculpendis incumbebat. Inſcript. Florentiæ in villa Strozzi:

Q. CONSIDIUS EUMOLPUS
FABER EBURAR.

Spon. Miſc. Erud. Ant. Sect. VI. *p.* 222. *Panciroll. de Corp. artif.* §. 27.

EBURNUS cognomen fuit Romanorum, a colore. *Sigon. de Nom. Roman. c.* 5.

ECA.

ECASTOR jusjurandum fuit per *Caſtorem*. Per illum non jurabant viri teſte Gell. XI. 6. idque ſtudioſe obſervatum antiquis: ut retro, nec feminæ per iſtum, id eſt, ædem Pollucis, aut ipſum. Mulierum firmat ritum Donat. Andr. III. 2. 6. Ubi cum dixiſſet Terentius:

Per ecaſtor ſcitus puer eſt natus Pamphilo.

ille addit: *Per Caſtorem*, gloſſema eſt Pollucem, *ornativa ſunt jurandi, apta feminis.* Et Macrobius, ſed uſu non ſtabili: & qui potuit tam varius & mutabilis ſexus? miſcuit ſe tandem huic jurijurando viris, ut ex Sophocle docet Strab. VIII. Cui tamen Plautus obloquitur, apud quem Aſin. V. 2. 14. 19. 27. 30. 38. Artemona per *Caſtorem* jurat, ſui ſexus more; perque eundem paraſitus p. 46. etſi venia facili, utriuſque cauſa. Qua cætera & Plautus, aliique comici ſancte hæc diſcriminant, niſi ubi librariorum ſcæva manus bonos auctores male flagellat, quod vereor, ne ſæpiuſcule in Plauto: unde in eo pro *Ecaſtor* audenter lego *Ædepol*, ubi id dicta antiquitatis ratio perpetua requirit. *Hanſen. de jurejur. vet. c.* 4.

ECC.

ECCERE *eſt jusjurandum, ac ſi dicatur per Cererem, ut ecaſtor, edepol. Alii eccere pro ecce poſitum accipiunt.* Feſtus. Ejus meminit Terent. Phorm. II. 2. 5.

G. *Obſecro te.* Ph. *Si rogabit.* G. *In te ſpes.* P. *Eccere.*

Sed dubium eſt, an legendum ſit *ecce re*, pro ecce res, ſive ecce rem, ut ſit poſitum: an *eccere* ſit adverbium jurisjurandi. Certe in Andria V. 4. ubi habemus:

Ego Critonem video, & certe is eſt.

legendum eſt: *eccere is eſt.* Nann. Miſc. II. 21. Hanſen. de Jurejur. vet. c. 3. Briſſon. de Formul. VIII. p. 707. Veteres gloſſæ: *Eccere*, κατὰ τῆς Δήμητρος. *Scalig. in Feſtum.*

ECCE TIBI VINDICTA erant verba ſollennia prætoris, cum lictori virgam tradebat ſervo percutiendo pro ejuſdem manumiſſione. Cum enim qui ſervum manumittere volebat apud prætorem, eum e manu emiſiſſet, prætor vindicta, id eſt, virga ſervi capiti impoſita ita dicebat: *Dico eum liberum eſſe more Quiritium.* Inde converſus ad lictorem addebat: *Secundum tuam cauſam, ſicuti dixi, Ecce tibi vindicta.* Sigon. de judic. I. 13. Urſat. de not. Roman. Theſ. Ant. Rom. Græv. Tom. XI. p. 701. A.

ECE.

ECETRA fuit Volſcorum urbs clariſſima, ab Antiatum finibus longius diſſita, ultra & Tuſculum & Algidum, inter Coram Volſcorum & Anagniam Hernicorum, qua Volſci Æquis ſimul & Hernicis fuere contermini, in montibus ſcilicet ſita, qui erant in confinio Æquorum Hernicorumque, ſupra Norbam Signiamque verſus ſeptentriones. Dionyſ. X. p. 647. *Ecetra tum clariſſima Volſcorum erat, & optimo loco ſita.* Hujus meminit Liv. III. 10. *Ecce Hernici nuntiant, Ecetræ Antiates colonos palam concilia facere.* Cluver. Ant. Ital. III. 8. 15. Eo colonia deducta eſt anno ab U. C. 258. Significat hoc Dionyſ. VI. p. 366. cum ſcribit, Auruncos poſtulaſſe a ſenatu, ut agro, quem Romani ademerant Volſcis *Ecetranis*, atque in eum colonos deduxerant, qui præſidio gentis eſſent, decederent, alioquin ſe armis eos moturos. *Sigon. de Ant. jur. Ital.* II. 5.

ECH.

ECHINUS erat ornamentum circa manus carpum. *Rhodig. Antiq. Lect.* VIII. 13: XII. 13. *Bartbol. de Armill. vet.* §. 1.

ECL.

ECLOGA eſt breviarium inter legendum excerptum. Sic *ecloga* reperiuntur e Diodoro, e Polybio, e Cteſia, e Theophraſto, e Strabone. Unde & poematia imitata *eclogæ* vocantur, ut Bucolica Maronis e Theocrito. Ac proinde etiam ſine imitatione poematia: quod imitatorum brevitatem & ſimilitudinem habeant. Sed & loci inſignes ἐκλογαὶ vocantur, quod excerpi notarique potiſſimum ſoleant. *Turneb. Adv.* IX. 22. *Guther. de Jur. man.* I. 18. *Muret. Var. Lect.* XIX. 3.

ECLOGARII ſunt homines eruditi, qui ex libro, qui recitatur, κατὰ τάχος excipiunt, quæ maxime obſervatu digna videntur, quæ pro ſuis poſtea venditent. Cicer. Attic. XVI. 2. *Sed notentur eclogariis.* Boſius in Ciceronem. Guther. de Jur. Man. I. 18. Muret. Var. Lect. XIX. 3. Turneb. Adv. IX. 22.

ECLOGIA ſunt carmina celebrandæ defunctorum memoriæ compoſita. Hæc *celebrandæ Marcelli memoriæ compoſita, aliosque ſtudiorum honores rejecit* Octavia Auguſti ſoror. Senec. ad Marc. c. 2. Hoc genus uni C. Lutorio Priſco letale fuit, quem, *cum celebri carmine Germanici ſuprema defleverat, pecunia donatus a Cæſare, corripuit delator; objectans ægro Druſo compoſuiſſe, quod, ſi exſtinctus foret, majore præmio vulgaretur. Id C. Lutorius in domo P. Petronii, ſocru ejus Vitellia coram, multisque illuſtribus feminis, per vaniloquentiam legerat. Ut delator exſtitit, cæteris ad dicendum teſtimonium exterritis, ſola Vitellia nihil ſe audiviſſe aſſeveravit; ſed arguentibus ad perniciem plus fidei fuit: ſententiaque Haterii Agrippæ conſulis deſignati indictum reo ultimum ſupplicium.* Tacit. Annal. III. 49. 1. Ad portam, dum cadaver collocatum, & frequentes ad exſequias convenirent, a poetis & rhetoribus recitari ſolebant, aut ipſi portæ affigebantur, quæ a prætereuntibus legerentur, poſteaque in defuncti honorem vulgarentur. Cicer. de Fin. II. 35. *Non eclogia monumentorum ſignificant hoc velut ad portam? Uno ore, cui plurimæ conſentiunt gentes, populi primarium fuiſſe virum.* Guther. de Jur. Man. I. 18.

Eclogium etiam dictum eſt epitaphium, quale fuit Auguſti, qui cum defunctum Druſum pro concione laudaſſet, *eclogium* tumulo verſibus a ſe compoſitis inſcribi juſſit. Suet. Claud. c. 1. n. 11. *Guther. de Jur. Man.* I. 18.

EDI.

EDICERE non eſt dirimere privatorum controverſias, ſed publicorum jus conſtituere, & jura generalia ſancire. Quicunque ergo jus *edicendi* habent, mero imperio præditi ſunt, cum *edicere* idem ſit quod dare jura. *Edicendi* jus habent prætores, ædiles curules, tribuni plebis, conſules. *Pollet. For. Roman.* III. 2.

EDICTA dicebantur, quæ cum magiſtratus cæteri, ut conſules, ædiles, tribuni, tum potiſſimum prætores *edixerunt*, quos conſulum loco ad jura in Urbe reddenda creatos accepimus. *Sigon. de Ant. jur. civ. Rom.* I. 5. Illorum fuerunt duo genera: I. quo jurisdictionis ſuæ formulam initio magiſtratus proponebant. II. quo pro magiſtratus auctoritate, ut res tuliſſet, quæ viſa eſſent, imperabant. *Sigon. ibid. c.* 20.

Edicta ſua ſingulis de rebus diligenter ſcripta ediderunt præſides Romani in provincias ingreſſi, & ad ea poſtea totam jurisdictionem ſuam accommodarunt. Improbe autem factum judicabatur, ſi quis aliqua de re aliter in provincia, atque in Urbe *edixiſſet*; aut aliquod *edictum* contra leges provinciæ feciſſet; aut contra *edictum* ſuum jus dixiſſet. Nam ni ita eſſet, profecto nunquam Cicero in accuſatione Verris poſuiſſet, quod prætor urbanus de hæreditatibus aliquid ſcripſiſſet in urbano *edicto*, quod poſtea de provinciali dempſiſſet, & quod contra leges Siculis datas *edixiſſet*. Aut certe non ita de ſe ad Attic. V. 21. ſcripſiſſet: *Cum ego in edicto tranſlatitio centeſimas me obſervaturum haberem, cum anatociſmi anniverſario, ille ex ſyngrapha poſtulabat quatuor. quid ais? inquam, poſſumne contra meum edictum?* Sigon. de Ant. jur. prov. II. 5. Hæc provincialia poſtea dicta ſunt, & ad *edicti* prætorii perpetui exemplum mox conſtituta videntur, ut ſimiliter Romani orbis provinciæ fixo ſtabilique jure in poſterum ab earum præſidibus regerentur. Illa vero an ab Hadriano itidem, cujus juſſu fuerint condita, ut cenſuit Dodwell. ad Spartian. Hadrian. p. 335. an vero Marco debeantur, haud licet certo ſtatuere: cum Gajus, qui XXXII. libros ad illud *edictum* provinciale ſcripſiſſe in Juſtinianeo indice dicitur, & e quibus demum libros de eo *edicto* nobis hodie conſtat, ſub Pio & Marco vixerit. *Spanhem. Exercit. ad Conſtitut. Antonin. Imperat.* II. *n.* 11. Etiam, principes, prætores, præſides, aliique magiſtratus majores, & duces belli, cum quid palam jubebant, aut vetabant fieri, id fecerunt *edicto*. Suet. Ner. c. 4. n. 4. *Munus etiam gladiatorium; ſed tanta ſævitia, ut neceſſe fuerit Auguſto clam fruſtra monitum edicto coercere.* Donat. ad Eun. V. 7. 36. *Edictum dicitur prætoris, & imperatoris.* Rævard. de Div. reg. jur. CII.

Edictum ædilium *curulium de venditionibus rerum Labeo ſcribit eſſe tam earum quæ ſoli ſunt, quam earum quæ mobiles ſunt, aut ſe moventes* l. 1. ff. de ædilit. edict. Voluerunt Icti, quicquid eſſet in prædio vitii, ſi venditor ſciret, niſi nominatim dictum eſſet, præſtari. Videntur id idem ædiles etiam voluiſſe. Sed diverſa ratione. Icti enim vi, & poteſtate hujuſmodi clauſulæ, *ex bona fide*, in contractibus bonæ fidei vindicandam eſſe venditorum fraudem cenſuerunt. Cicer. Offic. III. 16. *Igitur ad fidem ſtatuit pertinere, notum eſſe emptori vitium quod noſſet venditor.* Ædiles certam quandam excogitaſſe videntur ſtipulationis ſpeciem, qua facilius, & expeditius vendentium fallaciis occurreretur, deceptisque ſuccurreretur emptoribus, ejusque ſtipulationis meminit Ulpian. l. 31. ff. de evict. Et quia ſtipulationis ea conditio eſt, ut actionem pariat ex ſtipulatu, hinc certe intelligere etiam facile potes ædiles, propriæ cujusdam actionis medio, hujuſmodi fraudem vindicari voluiſſe, quæ fraus non actione quidem, ſed ſola Ictorum interpretatione indiciis bonæ fidei accommodata ante ædilitium *edictum* vindicabatur. Id quod expreſſe demonſtrant *edicti* ædilitii verba l. 1. *Emptori, omnibusque ad quos ea res pertinet, judicium dabimus; ſi quis adverſus ea ſciens dolo malo vendidiſſe dicetur, judicium dabimus.* Moris erat, ut qui ſervum venderet, interpoſita ſtipulatione emptori caveret, ſanum, furtis, noxisque ſolutum, & non eſſe fugitivum l. 2. ff. de rer. permut. l. 11. §. 4. ff. de act. empt. Idque ædiles expreſſo *edicto* voluiſſe, teſtis eſt Donatus, ſic in Heaut. Terentii ſcribens: *Fugitivi proprie ſervi. Unde in edicto ædilium curulium titulus eſt ſervorum fugitivorum: ſi quis fugitivus, errove ſit, noxave ſolutus non ſit.* Si ſervus furtis, noxisque inveniretur non ſolutus, aut inſanus, vel fugitivus, ſimul atque emptori abeſſe cœpiſſet aliquid, eo nomine ex hujuſmodi ſtipulatione actioni locus erat l. 4. ff. de act. empt. eaque actio ab ædilibus impetrabatur, a quibus hujuſmodi ſtipulatio ſolet proponi l. 31. de evict. *Simili modo qui jumenta vendit, promittere ſolet*, inquit Ulpian. l. 11. §. 1. de act. empt. *eſſe, bibere, ut oportet.* Eoque etiam nomine, ſi quæ venditoris deprehenderetur fraus manifeſta, ædiles ab emptoribus adiri ſolent. In hujuſmodi cautionibus interponendi opus fuiſſe videtur induſtria quadam ſingulari. Adeo quidem, ut Icti ab ædilibus propoſita ſtipulationis vulgari quadam formula non contenti, alias excogitarent cautionum formulas, quibus in omni negotio abunde foret emptoribus viſum. *Rævard. Protribun.* c. 10.

Edictum Carbonianum. V. illud infr. in *Sepulcrum hæreditarium.*

Edictum peremptorium prætor edidit in eum litigatorem, qui non venit, cum judex venit, nec morbum excuſavit. De quo ſic Ulpian. ff. de judic. l. 68. *Ad peremptorium judicium hoc ordine venitur, ut primo quis petat poſt abſentiam adverſarii edictum primum, mox alterum, & tertium. Quibus propoſitis tunc peremptorium impetret, quod inde hoc nomen ſumpſit, quod perimeret diſceptationem, hoc eſt, ultra non pateretur adverſarium tergiverſari. In peremptorio*

autem

autem comminatur is, qui edictum dedit, etiam absente diversa parte cogniturum se, & pronuntiaturum. Nonnunquam hoc edictum post tot numero edicta, quæ præcesserint, datur; nonnunquam post unum, vel alterum, nonnunquam statim, quod appellatur unum pro omnibus. Hæc autem æstimare oportet eum, qui jus dicit, & pro conditione causæ, vel personæ, vel temporis, ita ordinem edictorum, vel compendium moderari. Sigon. de Judic. I. 28. Pollet. For. Rom. v. 3. & ad illum Broidæus. Brisson. de Form. v. p. 415.

Edictum prætores urbani Romæ magistratum ineuntes proposuerunt, ex quo jus se dicturos esse professi sunt. *Sigon. de judic. I. 6. Ant. jur. prov. II. 5. Spanhem. Exercit. ad Constitut. Antonin. Imperat. II. §. 12. Pigh. Annal. Rom. I. p. 264.* In illo non solum illa comprehensa sunt, quibus de rebus prætor cogniturus esset, sed etiam de quibus judicium daturus, & quo modo. Cicer. Verr. II. 13. *Edictum hominis cognoscite: si quis perperam judicasset, se cogniturum, cum cognosset animadversurum.* III. 13. *Qui in decumanos octupli judicium daturum edixit, idem habuit in edicto, se in aratorem in quadruplum daturum.* c. 14. *Illa vero præclara clausula edicti, quod omnium controversiarum, quæ essent inter decumanum & aratorem, si uter velit, edicit, se recuperatores daturum.* Sigon. de Ant. jur. Prov. II. 5. Primis temporibus in eum tantum annum hæc *edicta* valuerunt, quo is prætor erat, qui proposuerat. Unde *legem annuam* appellavit Cicer. Verr. I. 109. *Qui plurimum tribuunt edicto, prætoris edictum legem annuam dicunt esse.* Et illi *finem adferre* dicuntur *Kalendæ Januariæ.* Cicero: *Si finem edicto prætoris afferunt Kalendæ Januariæ, an non initium quoque edicti nascitur a Kalendis Januariis? an in eum annum progredi nemo poterit edicto, quo prætor alius futurus est: in illum, quo alius prætor fuit, regredietur.* Verum cum prætores passim ab *edictis* suis propositis recedere in jure dicendo consuessent, C. Cornelius tribunus plebis anno ab U. C. 687. legem tulit, auctore Dione, ut prætores ex *edictis* suis perpetuis jus dicerent: & quod semel Kalendis Januariis *edixissent*, id in toto præturæ suæ tempore observarent. Qua lege, addit Ascon. p. 123. *gratiam ambitiosis prætoribus, qui varie jus dicere assueverant, sublatam esse.* Hoc vero perpetuum dicebatur, quia prætores ex *edictis* ab anni, seu præturæ suæ initio proponi pro more solitis perpetuo jus dicere tenebantur: non vero intra ejusdem anni, quo illi eo magistratu fungebantur, spatium eadem *edicta* variare, vel immutare, aliave eorum loco, unde ii jura civibus darent, proponere. Docent hæc Ciceronis de Verris prætoris urbani actis, seu de iis, quæ ille adversus proprium *edictum*, præter fas omne, & facta jam ea de re Senatusconsulta decreverat verba I. 119. *Et cum edictum totum eorum arbitratu, quamdiu fuit designatus, componeret, qui ab isto jus ad utilitatem suam nundinarentur: hoc vero in magistratu contra edictum illud suum sine ulla religione decernat.* Dein c. 120. *Nam quæso, redite in memoriam, judices, quæ libido istius in jure dicendo fuerit, quæ varietas decretorum.* Mox: *Cum erat ad eum ventum; & in aurem ejus insusurratum, alias revocabat eos, inter quos jam decreverat; decretumque mutabat, alias inter alios contrarium sine ulla religione decernebat, ac proximis paullo ante decreverat.* Spanhem. Exercit. ad Constitut. Antonin. Imperat. II. §. 12. Augustin. de Legib. in Cornelia de *edictis* perpetuis. Noodt de Jurisdict. & Imper. I. 7. Pigh. Annal. Rom. I. p. 264. Postremo sub Hadriano, seu ejus jussu, ac auctoritate conditum est a Salvio Juliano, non vero, juxta Aur. Victor. de Cæs. c. 19. n. 2. & cui suffragium non debuit H. Grot. Spars. ad jus Justinian. p. 84. a Didio Juliano Imperatore, *edictum* illud perpetuum, ex quo, non vero ad annuum amplius prætorum arbitrium, seu juxta nova & incerta eorum *edicta* jus civibus deinceps a prætoribus urbanis diceretur. *Sigon. de Judic. I. 6. Spanhem. l. l. Augustin. de Legib. in Cornelia de edictis perpetuis. Buleng. de Imperat. Rom.* III. 12. *Guther. de Offic. dom. Aug. I. 32. Bud. in Pandect. p. 50. E. Laz. Comment. Reip. Rom.* II. 4.

Edictum a Principe proponendum quæstor dictabat. Vocabantur *edicta*, quæ non ære incisa, sed prætorum exemplo in albo scribebantur. Suidas: *Album fuit murus gypso illitus ad civilia negotia scribenda.* Male. Omnino album tabula fuit, in qua scribebatur. Theoph. Institut. de action. §. pœnales dicit album, *quia literis albis tabula scripta esset.* Per urbes imperii mittebantur, & diebus triginta legenda proponebantur, quemadmodum in Claudii Cæsaris *edicto* observatum fuisse scribit Joseph. Ant. XIX. 5. *Hoc meum edictum*, inquit, *per magistratus civitatibus publicari volo, non minus triginta diebus ita proponendum, ut ab omnibus humi stantibus possit perlegi.* Panciroll. Not. dignit. Imp. Orient. c. 73. Buleng. de Imp. Rom. III. 15.

Edictum repentinum & peculiare, non enim omnia perpetua fuerant, de singulis, ut cujusque postulavit occasio, interponebatur. Res enim frumentaria, tributaria, viaria a præsidibus per *edicta* administrabatur. Cicer. Verr. III. 14. *Apronio affirmante, se plus decuma non daturum, exoritur peculiare edictum repentinum: ne quis frumentum de area tolleret. Edictum repente nascitur, ut ante Kal. Sext. omnes decumas ad aquam deportatas haberent.* Sigon. de Ant. jur. prov. II. 5.

Edictum translatitium dicebatur, quia aut integra *edicta* ex superioribus aliorum *edictis*, aut capita aliquot in sua posteriora transferebant præsides Romani: & interdum nova addebant. Cicer. Verr. I. 44. *In re tam usitata satis est ostendere, omnes antea jus ita dixisse, & hoc vetus edictum, translatitiumque esse.* Fam. III. 8. *Romæ composui edictum, nihil addidi, nisi quod publicani me rogarunt, cum Samum ad me venissent, ut de tuo edicto totidem verba transferrem in meum. Diligentissime scriptum caput est, quod pertinet ad minuendos sumptus civitatum: quo in capite sunt quædam nova salutaria civitatibus.* Spanhem. Exercit. ad Constit. Antonin. Imper. II. §. 12. Sigon. de Judic. I. 6.

Edictum appellabatur etiam citatio, quia secundum *edicti* ritum fiebat. Justinian. A. Nov. 122. seu. §. jubemus in Auth. de litigio: *Jubemus*, ait, *ordinarios judices non solum voce præconis, sed & propositis edictis absentem vocare in judicium, quia vox præconis paucis innotescit.* Panciroll. Notit. Dignit. imp. orient. c. 11. *Edicto* ut plurimum etiam senatores in curiam vocabantur. Tacit. Annal. I. 7. 3. *Ambiguus imperandi, ne edictum quidem quo patres in curiam vocabat, nisi tribunitiæ potestatis præscriptione posuit.* Et qui aberant, revocabantur. Liv. XLIII. 11. *Interim M. Ælio prætori mandatum est, ut edicto senatores omnes ex tota Italia, nisi qui Reipublica causa abessent, Romam revocaret.* Brisson. de Form. II. 164: III. 277.

Edictum etiam est ludorum & spectaculorum. Senec. Epist. 119. *Nemo qui parturienti filiæ obstetricem arcessit, edictum & ludorum ordinem perlegit.* Ad hæc facit locus Senec. de Brev. vit. c. 16. *Itaque ad occupationem aliquam tendunt, & quod interjacet, omne tempus grave est: tam mehercule, quam cum dies muneris edictus est.* *Edicebant* & describebant futurum munus in libellis. Ita vocat Cicer. Phil. II. 38. *Quid de commentariis infinitis? quid de chirographis loquar? quorum etiam imitatores sunt, qui ea tanquam gladiatorum libellos palam venditant.* Lips. Saturn. II. 18.

EDITIO est secunda litis præparatio. Duplex fuit: I. Actionis, sive formulæ, qua actor se usurum minabatur. Fiebat ante vocationem in jus. Nam qui sic testato conventus erat, postulabat, sibi genus, sive formulam ejus actionis, qua petitor se uti velle dicebat, edi, id est, ostendi l. non videtur 33. ff. de judic. quod Ulpianus his demonstrat verbis: *Editio fit, ut sciat reus, utrum cedere, an contendere debeat:* nam cessio apud prætorem fiebat. Itaque actionum *editio* speciem non institutæ, sed futuræ litis demonstrare dicitur l. 3. C. eod. Dicebatur etiam rei judicium. Cicer. pro Quint. c. 20. *Judicium quin acciperet in eadem ipsa verba, quæ Nævius edebat, non recusasse.* Interdum tamen *editio* actionis in jure fiebat, velut in specie d. l. non videtur de judic. atque ita cum vocatione in jus cohærebat, ut vix, ac ne vix quidem ab ea divelli posset: qua de causa videmus in Codice titulum de *edendo* præcedere titulum de in jus vocatione, cum tamen in Pandectis hic illum antecedat. II. nimirum instrumentorum litis fiebat in jure apud prætorem, cum is, qui judicium

poſtulabat, prætori inſtrumenta, quibus intentionem ſuam fundabat, exhibebat, veluti tabulas teſtamenti, chirographum, pacta, ſtipulationes l. 1. §. edenda ff. eod. *Hotman. de Lite ordin. c.* 2. V. etiam ſupr. in *Actor.*

EDITIONES dicuntur ſpectacula & munera. Tacit. Annal. III. 37. 3. Druſus *diem editionibus*, ita lego pro ædificationibus, *noctem conviviis trahebat.* Lipſ. in Tacit. n. 88. Inſcriptio Neapolitana: HIC. OBLITERATO. MUNERIS. SPECTACULO. IMPETRATA. EDITIONE. AB. INDULG. MAX. PRINCIPIS. DIEM. GLADIATORUM. ET. OMNEM. APPARATUM. PECUNIA. SUA EDIDIT. *Thulemar. in Freher. Cecropiſtrom. Theſ. Ant. Rom. Græv. Tom.* IX. *p.* 1156. Illis Imperator ſæpe præſidebat. Suet. Aug. c. 45. n. 6. *Die Kalendarum Januarii, cum mane pro æde Capitolini Jovis paullulum curuli ſella præſediſſet.* Tib. c. 6. n. 7. *Præſedit & Actiacis ludis, & Trojanis Circenſibus.* Non tamen ſemper. Aliis enim, quos honore mactare volebat, ſuas vices interdum mandabat. Ita Claudius ſub Cajo honores auſpicatus, *illius vicem ſpectaculis præſedit.* Suet. c. 7. n. 2. *Buleng de Theatr.* I. 30. *Cuper. Obſerv.* IV. 13. *Chimentell. de Hon. biſell. c.* 32. Harum ſumptus fuere tanti, ut plerisque res ad raſtrum per eam magnificentiam rediret. Lactant. VI. 11. *Munerum editores populari levitate ducti opes vel magnis urbibus ſuffecturas impendebant.* Et appetente *editionum* tempore plerique Urbe abibant ob gravitatem ſumptuum. Sed nihilominus, ſi prætores, aut quæſtores deſignati non adeſſent, quo tempore ludos populo exhibere tenebantur, condemnatione triticaria plectebantur. l. 1. & 2. C. de præt. & quæſt. Fiſcus eorum nomine expendebat ſumptus, quos abſentes poſtea refundere cogebantur. l. 6. ibidem. *Buleng. de Circo c.* 40.

EDITOR is erat, qui ſuis impenſis laniſtas conducebat, ut cruentum ſpectaculum exhiberent. Capitolinus in Antonino: *Abſens populi Romani voluptates per ditiſſimos editores curari vehementer præcepit.* Thulemar. in Freher. Cecropiſtrom. Theſ. Ant. Rom. Græv. Tom. IX. p. 1156. Moris erat, ut libellos proponeret, in quibus dies futuri muneris, item nomina & paria gladiatorum: ſcilicet alliciendæ plebi, & exſpectationi commovendæ. V. illos infr. in *Libelli.* Id vocabant pronuntiare munus. Suet. Jul. c. 26. n. 5. *Munus populo pronuntiavit in filiæ memoriam.* Oſtendere munus. Cicer. Fam. IX. 8. *Etſi munus flagitare, quamvis quis oſtenderit, ne populus quidem ſolet niſi concitatus.* Proponere munus. Suet. Tit. c. 8. n. 5. *Omnes tanta comitate tractavit, ut propoſito gladiatorio munere, non ad ſuum, ſed ad ſpectantium arbitrium editurum ſe profeſſus ſit.* Edicere munus. V. ſupr. in *Edictum.* Lipſ. Saturn. II. 18. Fab. Semeſtr. II. 11. Argol. in Panvin. de Lud. Circ. Theſ. Ant. Rom. Græv. Tom. IX. p. 386. Freher. Cecropiſtrom. Theſ. Antiq. Rom. Græv. Tom. IX. p. 1153. B. & in illum Gunter. Thulemarius. Caſal. de Urb. ac Imper. Roman. ſplend. part. 2. c. 4. Thyſ. de Gladiat. p. 230. Laurent. Polym. IV. Synopſ. 9. Plerique fuerunt privati, tamen dabant non quaſi privati. Per dies enim omnes muneris prætextæ illis jus, lictorum, accenſi: omninoque imaginem quandam gerebant magiſtratus. De prætexta Feſtus: *Prætexta pulla nulli alii licebat uti, quam ei qui funus faciebat.* Cicer. Piſon. c. 4. *Sext. Clodium, qui nunquam antea prætextatus fuerat, ludos facere, & prætextatum volitare paſſus eſt.* Ideo *novo more palliolatus præſedit* Claudius *ob valetudinem gladiatorio munere, quod ſimul cum fratre memoriæ patris edebat,* Suet. c. 2. n. 5. cum debuiſſet prætextatus. Sed palliolum in morbo veſtis. De lictoribus & accenſo Cicer. de Legib. II. 24. *Reliqua ſunt in more, funus ut indicatur, ſi quid ludorum: dominusque funeris utatur accenſo atque lictoribus.* Lipſ. ibid. I. 13. Buleng. de Circo c. 43. Thyſ. de Gladiat. p. 217. Per circum ferebatur bigis, non quadrigis, aut ſejugibus. Symm. Epiſt. VI. 4. *Natali urbis ... ctum conſulem currus quo vehebatur evolvit per ferociam ... rum, quæ triumphum vehebant.* Buleng. l. l. Caſal. de Urb. ac Imper. Roman. ſplend. part. 2. c. 3. Si ludi in multam noctem protraherentur, abeuntibus faces præferri jubebat. Dio LVIII. p. 633. A. de Sejano, qui, ut Tiberium calvum irrideret, per pueros calvos faces præferentes abeuntes deducebat. Epulum ſæpius etiam populo dabant, qui ludos *edebant*, Imperatores. Dio XXXVII. p. 50. D. *Populus etiam, qui ante hæc tempora ludos gladiatorios nulla intercedente requie totos ſpectaverat, tum primum inter actionem ſurrexit, pranſusque eſt. Iſque mos, tum Piſone & Meſſalla conſulibus, cœptus hodieque, quoties Imperator ludos exhibet, obſervatur.* Sidon. Epiſt. I. 11. *Poſtridie juſſit Auguſtus, ut epulo ſuo ludis circenſibus intereſſemus.* Faber Semeſtr. I. 6. Taffin. de Lud. ſecul. Rom. c. 9. §. 7. Savar. in Sidonium, Buleng. ibid. c. 40. Peractis ludis ad amicos abſentes munuſcula mittebant. Symm. Epiſt. II. 80. *Filius noſter Symmachus, peracto munere candidato, offert tibi dona. . . . Quæſo ut ejus nomine diptycha & apophoreta ſuſcipere dignemini, qui apparatui ejus plura & præclara tribuiſtis. Domino & principi noſtro auro circumdatum diptychum miſi. Ceteros amicos eburneis pugillaribus & caniſtellis argenteis honoravi.* V. 54. *Ad te diptychum candidati, & apophoreticum librarum argenti duarum miſimus, approbare cupientes editioni noſtræ te non animo defuiſſe.* Buleng. l. l. Juret. ad Symmachum. E longinquis provinciis aurigas in Italiam terra marique arceſſebant, & ante ſtudioſe erudiebant, quam publice ſpectandos ſe præberent, ut populi ſtudia conciliarent. Symm. Epiſt. VI. 43. *Aurigas noſtros, & aliquot ſcenicos navi impoſitos, & ſecundum præceptum meum miſſos ad Campaniam nuntiavit. Longe ante ludos, & ipſos jungendis equis erudire debemus, & novitate eorum favorem plebis allicere.* Buleng. l. l.

EDU.

EDUCATOR dicebatur, qui in infantibus *educandis* curam impendebat. Juſtinian. Inſtit. I. 6. *Juſtæ autem manumiſſionis cauſæ hæ ſunt, veluti ſi quis patrem, aut matrem, filium, filiamve, aut fratres, ſororeſve naturales, aut pædagogum, aut nutricem, aut educatorem. . . .* Apul. Met. II. p. 38. *Ego ſum Byrrhena illa, cujus forte ſæpicule nomen inter tuos frequentatum educatores retines.* Pignor. de Serv. p. 381.

EDULIA dea præſes exiſtimata eſt *eduliis* infantum. Donat. Phorm. I. 1. 15. *Legitur apud Varronem, initiari pueros Eduliæ, & Poticæ, & Cubæ, divis edendi & potandi, & cubandi, ubi primum a lacte, & a cunis tranſierunt.* Auguſtin. de Civ. Dei IV. 11. *Edulica* dicitur: *In diva Edulica eſcam præbeat.* Sed in antiquis codicibus eſt *Educa*, ut teſtatur ad Auguſtinum Vives. Varron. Caton. vel de lib. educ. *Eduſa* apud Non. II. 310. *Cum pro cibo & potione initiarent pueros, ſacrificabantur ab edulibus Eduſæ, & Potinæ nutrici a potione.* Gyrald. Synt. deor. I. p. 48. F. Pius Annot. prior. c. 3. Stuck. Ant. Conviv. I. 17. Sacrif. p. 45. Almelov. Antiq. ſacr.-proph. p. 49. Barthol. de Puerp. p. 123. Meurſ. de Puerp. c. 5. Laurent. de Natal. c. 1. & 2. Polym. II. Diſſ. 36. Tomaſ. de Donar. c. 10. Blond. Triumph. Rom. I. p. 12. E.

EDULIUM fuit largitio & donatio Principis rerum eſculentarum. Lamprid. Alex. Sev. c. 22. *Quum edulitatem*, vilitatem legunt ad hunc locum Gruterus & Caſaubonus, *populus Romanus ab eo peteret, interrogavit per curionem, quam ſpeciem caram putarent. Illi continuo exclamaverunt, carnem bubulam atque porcinam.* Hæc Macrinus per literas parabat, ut ſcilicet cui F. contingeret, ficus, faſianos, frumentum, & ſimilia mittere ſolitus eſſet: & Heliogabalus *nonnunquam tot picta mantilia in menſam mittebat his edulibus picta quæ apponerentur, quot miſſus eſſet habiturus, ita ut de acu, aut de textili pictura exhiberentur.* Lamprid. c. 27. *Urſat. de not. Roman. Theſ. Ant. Rom. Græv. Tom.* XI. *p.* 690. *F. Argol. in Panvin. de Lud. circ. Theſ. ibid. Tom.* IX. *p.* 182.

EFF.

EFFARI & *effata* ſunt verba auguralia, ab auguribus enim loca ſacra inaugurabantur. Varr. de Ling. Lat. V. 7. *Effata dicuntur, quod augures finem auſpiciorum cœleſtium* extra

extra Urbem agris fiunt effati. Hinc effari templa dicuntur ab auguribus. Festus: *Minora templa fiunt ab auguribus, cum loca aliqua tabulis aut linteis sepiuntur, ne uno amplius ostio pateant, certis verbis definita. Itaque templum est locus ita effatus, aut ita septus, ut ex una parte pateat, angulosque habeat affixos ad terram.* Brisson. de Form. I. p. 122. Guther. de Jur. Pontif. III. 2. Laurent. Polym. III. Synops. 2. Var. sacr. gentil. c. 5. Hospinian. de Templ. I. 5. Scalig. in Festum.

EFFERRI & *ferri* arbores dicuntur, cum auspicato Jovis fulguri arbor capitur & consecratur. Inscriptio: *Quod vi tempestatis, ictu fulminis arbores sacri luci deæ Diæ attactæ arduerint, earumque arborum eruendarum, ferendarum. . . .* Talis *capillor* dicebatur. Serv. Æneid. X. 423. *Tua quercus: in tuis ripis creata. Sane superius de speciebus stativi auguris dictum est, in quibus capillorem esse diximus, quod hoc tangit. Capillor autem dicitur, cum auspicato arbor capitur & consecratur Jovis fulguri.* Guther. de jur. man. I. 3.

EFFIGIES tum animalium, tum deorum, aliquando erat tutela navis. De animalibus Tacit. Annal. VI. 34. 4. *Nec quisquam ariete sacrificaverit, credito vexisse Phryxum: sive id animal, seu navis insigne fuit.* Festus in Europa: *Alii eam a prædonibus raptam, & nave, cujus tutela effigiem tauri habuerit, in eam regionem esse delatam.* Lactant. I. 11. *Navis tutelam habuit in aquilam figuratam.* Laurent. Polym. I. Diss. 3. De diis Stat. Theb. VIII. 270.

— inscriptaque deus qui naviget alno.

Minerva. Ovid. Trist. I. 9. V. illum infr. in *Tutela.* Val. Flacc. VIII. 202.

Puppe procul summa vigilis post regna magistri,
Hæserat auratæ genibus Medea Minervæ.

Apolline Virg. Æneid. X. 170.

— huic totum insignibus armis
Agmen, & aurato fulgebat Apolline puppis.

Laurent. l. l. Lampert. in Valerium Flaccum. Cerda in Virgilium.

Effigies hominum carorum defunctorum, I. si cadaver non esset, ut in peregre functis, aut diu functis, aut putidum decore proponi non posset, cerea ejus loco ostendebatur. De Augusto, qui Nolæ obierat, Dio LVI. p. 591. D. *Lectus erat ex auro & ebore, purpureis, auratisque stragulis: in cujus ima parte cadaver arca inclusum latebat: effigies autem ejus cerea triumphali habitu supra apparebat.* De Pertinace, qui dudum obierat, Dio LXXIV. p. 841. B. *In lecto posita erat effigies Pertinacis cerea, ornatu triumphali.* De Germanico, qui Antiochiæ obierat, quia Tiberius parcus visus in ejus reliquiis honorandis, Tacit. Annal. III. 5. 7. *Ubi illa veterum instituta? prapositam toro effigiem?* Lips. in Tacit. §. 13. Laurent. Polym. III. Synops. 9. Figrell. de Stat. Rom. c. 11. Meurs. de Fun. c. 19. Kirchm. de Fun. Rom. II. 7. In cubiculis colebatur. Hygin. Fab. 104. *Laodamia fecit simulacrum æreum simile Protesilai conjugis, & in thalamis posuit, sub simulatione sacrorum, & eum colere cœpit.* Devon. de Bell. Troj. V.

Hemonis absentem suspirat mæsta maritum,
Et non sensuros vultus premit, oscula figens
Cerea.

Suet. Cal. c. 7. n. 1. *Cujus effigiem Augustus in cubiculo suo positam, quotiescunque intraret, exosculabatur.* II. Vivorum, sed absentium in cubiculis ponebatur, ut conspectu eorum nihilominus fruerentur amantes. Sil. Ital. VIII. 88.

— mox turbida anhelum
Retulit in thalamos cursum, subitoque tremore
Substitit, & sacrum timuit tetigisse cubile.
Inde amens, nunc sideream, Julique tuamque
Effigiem fovet amplexu, nunc tota repente
Ad vultus conversa tuos, ab imagine pendet.

Barth. Adv. IV. 22. Scirpeas in Tiberim statis diebus dejiciebant Vestales. V. illas supr. in *Argei.* & infr. in *Pons sublicius.* Scriptoris melioris notæ libris quandoque præfigebatur. Mart. XIV. 186.

Quam brevis immensum cœpit membrana Maronem?
Ipsius vultus prima tabella gerit.

Sic de pugillaribus suis ipse loquitur. I. 2. 3.

Hos eme, quos arctat brevibus membrana tabellis.

De pugillaribus plane videtur loqui, cum addit, n. 4.

— me manus una capit.

Junius de Pictur. II. 8. Rader. in Martialem. Urbium devictarum triumphantibus præferebantur. V. infr. in *Oppidum.* Etiam suas aliorumque certis diis dedicabant. Hujus moris vestigium est in hoc lapide:

P. VEIDIUS. P. F. POLLIO
CÆSAREM. IMP. CÆSARI. AUG.
ET COLONIÆ. BENEVENTANÆ.

Pollio enim ibi non aliud quam *effigiem* Cæsaris Imperatoris dedicat, consecratque Augusto & coloniæ suæ. Tacit. Annal. III. 64. 2. *Cum haud procul theatro Marcelli effigiem divo Augusto Julia dicaret.* Dionys. II. p. 116. etiam scribit, *Romulum ex manubiis Vulcano dedicasse quadrigas aureas, simulque suam effigiem.* Hic mos etiam in Græcia obtinuit. Diogenes in vita Platonis: *Mithridates Rodobati filius Persa Musis statuam Platonis dicavit.* Lips. in Tacit. §. 150. Figrel. de Stat. Rom. c. 29.

EGE.

EGERIA dea dicta est *quod alvo conceptum egereret.* Quare illi *sacrificabant prægnantes.* Festus. *Turneb. Adv.* III. 5. *Barthol. de Puerp. p.* 18. *Tomas. de Donar. c.* 14. *Struv. Ant. Rom. c.* 1. *p.* 156. *Stuck. de Sacrif. p.* 45.

Egeria nympha fuit, quam finxit Numa Pompilius, qui *pro continenda imperita multitudine cum deorum metum injiciendum esset ratus, sibi cum illa congressus nocturnos esse simulabat, cujus monitu, quæ acceptissima diis essent, sacra institueret, & sacerdotes præficeret.* Liv. I. 19. Val. Max. I. 2. 1. *Numa Pompilius, ut populum Romanum sacris obligaret, volebat videri sibi cum dea Egeria congressus esse nocturnos: ejusque monitu accepta diis immortalibus sacra instituere.* Eam autem teste Dionys. IV. p. 122. Musarum unam fuisse contendebant veteres. *Struv. Ant. Rom. c.* 2. *p.* 178. *Clasen. Theol. gentil.* III. 3. 1. *Vener. de Orac. ant. c.* 2. *Boxhorn. Quæst. Rom. Plutarch.* 34. *Panvin. de Civ. Rom. c.* 10. De ejus cum Rege Numa colloquio scribit Ennius Annal. I.

Ollei respondet suavis sonus Egeriai.

Turneb. in Cicer. de Leg. I. 14. Columm. in Ennium p. 40. Pro cœlo coluit vallem Aricinam. Virg. Æneid. VII. 162.

— insignem quem mater Aricia misit
Eductum Egeriæ lucis.

& Camœnarum lucum. Juven. Sat. III. 16. V. illum infr. in *Lucus.* Kipping Antiq. Roman. I. 4. §. 3. In illa, inter ornamenta palatii Farnesiani locata, apparet partim crine soluto vatis quoddam instar, partim scribentis species, sive illa fata dicam, sive Romanis injungenda sacra, prout ea deinceps ipse Rex pontifici suo exscripta exsignataque attribuisse dicitur ab Livio, indigitamenta Pompiliana aliis dicta. Scribit volumine explicato in genu, non pluteo, aut quocunque alio mensæ auxilio ad fulciendum subjecto, sive ut inde nemoris destituti, & plane non instructi umbram spectator supponat, seu ut veterum perinde, ac nostrorum modo ad subita se parantium, nunc ita in usu etiam frequentantium in eo consuetudinem commemoret. Quippe veteres sic genubus magis adsuefacti fuerunt. V. infr. in *Lectica lucubratoria.* Refert de Numa Plutarch. p. 61. F. solitum eum a prima adolescentia usum Urbis, atque frequentiam hominum fugere, in loca se abdita; & sola recipientem, quæ plerumque diis sacra habebantur: & hinc natam famam, opinionemque hominum, cum *Egeria* illum nympha consuesse. *Nardin. Rom. Vet.* III. 3.

Egeria fons. V. illum infr. in *Fons.*

EGERIUS fuit prænomen in gente Tarquinia a Prifci Regis fratris filio ufurpatum, qui cum poft patris Aruntis mortem natus, teftamento præteritus ab avo Damarato fuiffet, ab egeftate, qua premebatur, *Egerius* Tarquinius vocatus eft. Dionyf. III. p. 187. Liv. I. 34. *Aruns Tarquinius, patre Arunte, & avo Damarato defunctis natus poftumus, nec patrimonium ullum, nec avitorum bonorum hereditariam partem confecutus erat: ob id cognominatus Egerius; quod pauperes & inopes ita Romani nominent.* Panvin. de Nomin. Roman. Thef. Ant. Rom. Græv. Tom. II. p. 2027. A. Strein. de Gent. & Famil. Roman. in Tarquinia. Sigon. de Nomin. Roman. c. 5. Urfat. de Not. Roman. Thef. Ant. Rom. Græv. Tom. XI. p. 825. B.

EGESTA, *Ægefta, Segefta,* difcordant enim in hujus urbis nomine fcriptores; fed horum difcordiam ita Feftus componit: *Segefta,* inquit, *quæ nunc appellatur, oppidum in Sicilia eft, quod videtur Æneas condidiffe, præpofito ibi Egefto, qui eam Egeftam nominavit; fed præpofita eft ei S litera, ne obfcœno nomine appellaretur.* Defcribitur a Cicer. Verr. IV. 33. *Segefta eft oppidum pervetus in Sicilia, quod ab Ænea fugiente a Troja, atque in hæc loca veniente, conditum effe demonftrant. Itaque Segeftani non folum perpetua focietate, atque amicitia; verum etiam cognatione fe cum populo Romano conjunctos effe arbitrantur. . . .* Ciaccon. Columnrofir. Thef. Ant. Rom. Græv. Tom. IV. p. 1815. D. Vinding. Hellen. Thef. Ant. Græc. Gronov. Tom. XI. p. 560. D. Salmaf. Exercit. Plin. p. 78. b. G. Turneb. Adv. XXVI. 17.

EGN.

EGNATIA gens.
EGNATULLIA gens. } V. illas infr. in *Gens.*

EGR.

EGREGIATUS fuit in imperio Romano titulus honorarius, conceffus ut plurimum iis, qui in palatio militaverant, aut quibus provinciæ commiffæ erant primipilaribus poft emeritam militiam, & Cæfarianis, ut eft in Cod. Th. l. de honor. codicill. l. 3. de cohortat. l. 1. de Cæfarian. l. 5. de decurion. Ex quibus colligitur dignitate Perfectiffimatu inferiorem fuiffe. Non dabatur fordidis aut vilibus. Conftant. l. 1. C. de murileg. *Monetariis,* ait, *nec dignitas perfectiffimatus tribuitur, nec ducenæ, vel centenæ, vel egregiatus.* Du Frefne Gloffar. Panciroll. Notit. Dignit. Imp. orient. c. 4. Buleng. de Imp. Rom. II. 18. Guther. de Offic. dom. Aug. I. 4.

EGREGII qui olim in imperio Romano fuerint, elici poteft ex Caffiod. Var. I. 4. *Pater candidati fub Valentiniano Principe geffit tribuni & notarii laudabiliter dignitatem. Honor, qui tum dabatur egregiis, cum ad imperiale fecretum tales conftet eligi, in quibus reprehenfionis vitium nequeat inveniri.* Lactant. V. 13. *Nemo egregius, nifi qui bonus, & innocens fuerit: nemo clariffimus, nifi qui opera mifericordiæ largiter fecerit: nemo perfectiffimus, nifi qui omnes gradus virtutis impleverit.* Cerda Adv. c. 186. §. 15. Panciroll. Notit. dignit. Imp. Orient. c. 4. Buleng. de Imp. Rom. II. 18. In primis erant fcriniarii Principis, qui poftea tribuni & notarii palatii creabantur. Caffiodorus modo laudatus. Quarundam etiam provinciarum adminiftratores *egregii* dicebantur. Conftant. l. 5. C. de decurion. *Eos quibus provinciæ commiffæ funt, quique merito ampliffimarum adminiftrationum honorem perfectiffimatus, vel egregiatus adepti funt, frui oportet dignitate indulta.* Privilegia illorum erant, *non poffe torqueri, nec plebejorum fuppliciis puniri* l. 11. C. de quæftion. *Panciroll. & Buleng. l. l.*

EI.

EI diphthongum pro *I* prifca Romanorum fcriptura adhibuit, aut loco *I* promifcue ufurpavit. In nummis veterum legas paffim *leibertas, eidus, preimus, Serveilius, Opeimius, plebei.* Quod & paffim occurrit in antiquis marmoribus, & vetuftis inprimis plebifcitorum, ac legum formulis. *Spanhem. de præft. numm. Differt.* II. *p.* 80.

EJU.

EJURATIO *fignificat id, quod defideretur, non poffe præftari.* Feftus. *Bonam copiam ejurare* eft jurare fe non habere, unde creditoribus fatisfacias; five æs alienum exfolvere non poffe. Cicer. Fam. IX. 16. *Tu, quod mihi bonam copiam ejures, nihil eft.* Varr. de Ling. Lat. VI. 5. *Omnes, qui bonam copiam ejurarent . . . . Judicem ejurare eft facramento rejicere.* Cicer. de Orat. II. 70. *P. Mucium judicem ejuro: iniquus eft. Parentes ejurare* eft non agnofcere, nec pro talibus habere. Senec. de Ben. VI. 4. *Quid? non tam duri quidam, & fcelerati patres funt, ut illos averfari, & ejurare jus fasque fit?* Hanfen. de Jurejur. Vet. c. 5. Salmaf. de mod. ufur. c. 18. Gronov. in Script. Ecclef. c. 6. Pith. Subc. II. 8. Stuck. de Sacrif. p. 135. Struv. Ant. Rom. c. 7. p. 326. Lipf. in Senecam. Dacer. in Feftum. Manut. in Ciceronem.

ELÆ.

ELÆOTHESIUM dicebatur olei repofitorium, cella, ubi unguenta affervabantur, five locus, ubi ceromate, id eft, cerato oleo perfundebantur athletæ. Vitruv. V. 11. *Ad finiftram ephebei elæothefium.* Philand. in Vitruvium. Bald. Lex. Vitruv. Mercur. de Art. Gymnaft. I. 11. Panvin. de Lud. Circ. II. 1. & ad illum Argolus. Baccius de Therm. Vet. c. 6. Urfin. Append. ad Ciaccon. de Triclin. p. 136. Laurent. Polym. IV. Synopf. 9.

ELE.

ELECTRUM eft auri quoddam genus non adeo coctum aut purum. Vocatum hoc *electrum*, eo quod, ut docet Plin. XXXIII. 4. in eo auro quinta argenti portio ineffet, quod modo naturale effe, modo cura effici ait, & fi quintam argenti portionem excedat, incudibus non refiftere tradit. Ex mifcella enim argenti, auri fulvus color aliquantum pallefcit, & colorem adipifcitur, qualem in ambra, quod *electrum* etiam vocatum obfervamus, cujus gummi, *electri* inquam maxima copia in feptemtrionalibus reperitur partibus, & ad nos in varias fpecies animalium, aliarumque rerum etiam efformatum, & in frufta etiam ingentia afferri non femel vidimus, in quibus mufcæ, apes, & lacertulæ, aliaque fimilia animalcula continebantur interclufa. *Donat. Dilucid. p.* 742. *Lipen. de Stren. c.* 3. §. 45. *Savot. de numm.* II. 9. *Stuck. Ant. Conv.* III. 12. *Camerar. de Re num. Thef. Ant. Græcar. Gronov. Tom.* IX. *p.* 1417. *E. Brod. Mifc.* VI. 23. *Sabin. Lect. Subcif.* I. 16. *Barth. Adv.* V. 17. *Junius de Pictur.* III. II. *Cerda Adv. c.* 106. §. 25. *Panciroll. de reb. invent. & perd. p.* 228. Suidas tamen refert, fieri quoque ex auro cum vitrea quadam & lapidea confufione: idque illuftri fplendore nitere ait. *Camerar. l. l. Salmuth. ad Panciroll. p.* 232. *Ejus natura eft, ad lucernarum lumina clarius fplendere. Venena etiam, quod nativum eft, deprehendit gemina ratione. Nam & difcurrunt in calicibus arcus cœleftibus fimiles, & igneum ftridorem edunt.* Plin. l. l. Quia vero ex auro & argento mixtum eft, & tertiam quandam fpeciem conftituit: recte ab Ulpiano refponfum eft, auri appellatione non contineri l. 4. ff. de legat. 1. Quia enim ab auri & argenti habitu receffit: ideo nec auri poteft, nec argenti nomine comprehendi. Hoc optime declarat Tertull. adv. Hermog. c. 25. *Nam & teftam,* inquit, *licet ex argilla confectam, jam non argillam vocabo, fed teftam: & electrum, licet ex auro & argento fœderatum, nec argentum tamen, nec aurum appellabo, fed electrum: a cujus habitu quod divertit, pariter & a vocatu ejus recedit, appellationis, ficut & conditionis proprietate.* Salmuth & Savot. l. l. Ræward. Var. I. 19. Scalig. in Manil. p. 415.

per ELEMENTA jurare folebant veteres. Virg. Æneid. XII. 197.

Hæc eadem, Ænea, terram, mare, fidera, juro.

Horat.

Horat. Od. II. 8. 9.

Expedit matris cineres opertos
Fallere, & toto taciturna noctis
Signa cum cœlo.

Unde Servator noster Matth. c. 5. n. 34. *Ego vero dico vobis, ne jurate omnino : neque per cœlum, quia thronus Dei est : neque per terram, quia scabellum est pedum ejus.* Stuck. de Sacrif. p. 141. Herald. Adv. II. 13.

ELENCHI appellabantur inaures, inprimis eæ, in quibus proceriores margaritæ ad modum pyræ quasi ex aliquo capite protrahebantur in turbinatam, fastigiatamque pyramidem. Plin. IX. 35. *Elenchos appellant fastigiata longitudine alabastrorum figura in pleniorem orbem desinentes, hos digitis suspendere, ac binos, & ternos auribus feminarum gloria est.* Juven. Sat. VI. 456.

Nil non permittit mulier sibi, turpe putat nil,
Cum virides gemmas collo circumdedit, & cum
Auribus extentis magnos commisit elenchos.

Scholiastes : *Uniones margaritas oblongas, magnarum gemmarum elenchos.* Bartholin. de Inaur. c. 1. & 2. Pignor. de Serv. p. 410. Cerda Adv. c. 175. §. 2. Grapald. de Part. dom. VI. 19. Etiam oblongæ & rotundæ, uti sunt tituli, sive columellæ, quas Græci στήλας appellant. Hæ hoc nomine ad mulieres transierunt, quia *elenchus* pro titulo dicitur, quo quis convictus veluti probabatur. Ille autem idem erat cum titulo, vel elogio, quo fama alicujus, sive bona, sive mala traducebatur, sed præcipue mala. Et hoc στηλογραφίαν Græci vocant. *Salmas. de mod. usur. c. 15. Bartholin. l. l.*

ELEPHANTOS *Italia primum vidit Pyrrhi Regis bello, & boves Lucas appellavit, in Lucanis visos anno Urbis* 472. Plin. VIII. 6. *Panvin. de Lud. Circ.* II. 3. *Pinell. Additam. p.* 555. *Ciaccon. Columm. rostr. Thes. Ant. Rom. Græv. Tom.* IV. *p.* 1819. *F. Rhodig. Ant. Lect.* XIII. 18. In triumphis M. Curii Dentati III. Consulis, & L. Cornelii Lentuli, quos de Pyrrho Rege, Samnitibus, & Lucanis egerunt, septem annis ad superiorem numerum additis. *Panvin. & Rhodig. l. l. Stewech. in Veget.* III. 24. *Buleng. de Triumph. c.* 21. & 26. *Demster. Paral. ad Antiq. Rosin.* X. 29. Cujus tamen exempla refellunt *Scheffer. de Re vehicul.* I. 9. & *Nicol. de Triumph.* §. 20. §. 6. Eadem *plurimos anno* 502. *victoria L. Metelli pontificis in Sicilia de Pœnis captos. Centum quadraginta duo fuere transvecti ratibus.* Plinius. *Augustin. de Famil. Roman. & Strein. de Gentib. & Famil. Roman. in Cæcilia. & Stewech. l. l.* Romani has bestias in bellum primum eduxerunt bello Philippico P. Sulpitio Galba, C. Aurelio Cotta Coss. id est, anno Urbis 553. Liv. XXXI. 36. *Ante prima signa locatis elephantis, quo auxilio tum primum Romani, quia captos aliquot bello Punico habebant, usi sunt.* Stewech. l. l. Hugo de Milit. equest. I. 5. Sunt quibus placeat, *elephantos* olim eundem usum præbuisse in bellis, & eundem locum tenuisse acie, quem nunc obtinent vulgares bombardæ. Certe & ante aciem collocabantur, ad proturbandos, & perrumpendos hostilis exercitus ordines. *Salmas. de Re milit. Roman. c.* 13. Interdum tamen illis post exercitus terga ordo datus est : pugnaque incepta iisdem illico via per ordines patefacta, ut de subito visu suo, & hostes, & equos pariter perterrefacerent, Appiano teste de bello Hispaniensi. Interdum ipsis equitum turmis immiscebantur. Hirtius de bello Africano. *Stewech. l. l.* In circum introducti sunt L. Cæcilio. C. F. Metello Pontifice maximo, & C. Furio C. F. Pacilo Coss. anno ab U. C. 502. Plin. VIII. 6. *Pugnaverunt centum quadraginta duo. Verrius eos pugnasse in circo, interfectosque jaculis tradit. L. Piso inductos duntaxat in circum, atque ut contemptus eorum incresceret, ab operariis hastas præpilatas habentibus, per circum totum actos.* Fenestella apud Plin. VIII. 7. tradit Romæ primos omnium pugnasse in circo Claudii Pulcri ædilitate curuli Marco Antonio, A. Postumio Coss. an. U. C. 655. Ascon. in Cicer. p. 166. scribit, Pompejum Magnum *ludis, quibus theatrum a se factum dedicavit, elephantorum pugnam primum omnium in circo dedisse*; quod verosimile non est: nam ex probatissimis Verrii, Pisonisque Annalibus, ante Pompejum Magnum eos in circo exhibitos fuisse ad pugnam constat. *Panvin. de Lud. circens.* II. 3. *Buleng. de venat. circi c.* 11. & 28. *Fab. Agon.* I. 29. *Pigh. Annal. Rom.* III. *p.* 180. *Blond. Triumph. Rom.* II. *p.* 49. *A.* Pugnarunt etiam in arena cum equitibus & peditibus ad veri prælii formam inter se commissi. Suet. Jul. c. 39. n. 7. *Venationes edidit per dies quinque, ac novissime pugna divisa in duas acies, quingenis peditibus, & elephantis vicenis, tricenis equitibus hinc inde commissis.* Plin. VIII. 7. *Pugnavere & Cæsari Dictatori tertio consulatu ejus viginti contra pedites quingentos : iterum totidem turriti cum sexagenis propugnatoribus, eodem, quo priores numero peditum, & pari equitum ex adverso dimicante : postea singuli, principibus Claudio & Nerone, in consummatione gladiatorum.* Buleng. de venat. Circi c. 28. Funambuli etiam dati sunt tempore Neronis. Suet. Ner. c. 11. n. 5. *Notissimus eques Romanus elephanto supersedens per catadromum decucurrit.* Xiphil. LXI. p. 697. D. *Quo tempore elephas introductus in theatrum, in summum ejus fornicem conscendit, atque inde vehens hominem in fune decurrit.* Galbæ. Suet. c. 6. n. 1. *Prætor commissione ludorum Floralium, novum spectaculi genus, elephantos funambulos dedit. Elephantos* per funem incedendi artem addiscere testatur Plin. VIII. 2. *Postea & per funes incessere.* c. 3. *Mirum maxime, & adversis quidem funibus, sed regredi magis utique pronis.* Buleng. de Theatr. I. 41. Venat. circi c. 21. Pitisc. in Suetonium. Quod *elephantorum* ludicrum cum olim non satis assequerer, illustris Gombewillæus Parisinus ex antiquo numismate significavit, *elephantos*, quod in uno funiculo divaricata nescirent colligere crura, duabus chordis parallelis incedentes duxisse choreas. *Borrich. Ant. Urb. Fac. c.* 7. §. 5. *Spanhem. Dissert.* III. *de Præst. & usu numism. p.* 126. Ornabantur torquibus, & monilibus. Locus memorabilis est de *elephanto* Alexandri Soli dicato apud Philostr. de vit. Apollon. II. 6. *Esse illi torques aureos circa dentes, seu cornua libeat appellare, & in torquibus literas Græcas insculptas hæc verba referre : Alexander Jovis filius, Ajacem Soli, hoc enim Ajacis nomen ipse Elephanto imposuit.* Scheffer. de Torquib. antiq. c. 13. Lychnum, ceu facem, proboscide gestant, in præclaris aliquot nummis Antiochi Dionysiis ministerio haud alieno a reliqua hujus animalis industria, & de qua inter alios Manil. IV. 236.

Cumque elephante loqui, tantamque aptare loquendo
Artibus humanis varia ad spectacula molem.

Certe spectaculo minus admirando, quam eosdem videre funambulos, ut modo dictum, in theatris Romanorum; aut alias pila ludentes; aut in munere gladiatorio Germanici, sollennibus epulis admotos, earundem promuscidum opera, ut moderatos convivas, cibum ac potum decenter sibi ministrantes. Nota res ex Seneca, Suetonio, Æliano, aliisque. Sed quod magis appositum, ut vel inde pateat, unde morem illum horum λυχνοφόρων *elephantum* acceperit Julius Cæsar, de quo Suet. c. 37. n. 3. *Adscendit ad lumina quadraginta elephantis dextra atque sinistra lychnuchos gestantibus.* Dio XLIII. p. 224. E. *Multis elephantis faces ferentibus deductus est.* Spanhem. l. l. Ex ære in Sacra via fuerunt. Cassiod. Var. X. 30. *Relationis vestræ tempore comperimus in via Sacra elephantes æneos vicina omnimodis ruina titubare. . . .* forte ad ima clivi, qua ad Palatium tendebatur. Solebant hi cum curribus poni triumphalibus in honorem Imperatorum. Ita SCTO a Capitol. Maximin. c. 25. allato *Maximo, Balbino, & Gordiano statuæ cum elephantis decernuntur.* Et *quadrigæ elephantorum Gordiano decretæ sunt, utpote qui Persas vicisset* Gordiano tertio c. 27. Et illo vetustior Suet. Claud. c. 11. n. 5. *tradit illum Aviæ Liviæ divinos honores, & circensi pompa currum elephantorum Augusteo similem decernendum* curasse. *Nardin. Rom. Vet.* III. 12. Illis successu temporis triumphatores sunt usi. Sic in pompa Regis Syriæ Antiochi apud Athen. V. 5. habemus currum *elephantorum* : & in alia Ptolemæi Philadephi apud eundem paullo post Calixenus Rhodius commemorat. Apud Romanos hoc primus instituit Pompejus. Plin. VIII. 2. *Romæ juncti primum subiere currum*

Pompeji Magni Africano triumpho: quod prius India victa triumphante Libero patre memoratur. Demſter. Paral. ad Roſin. Antiq. x. 29. Nicol. de Triumph. c. 20. §. 6.

Elephantus Herbarius, de quo Victor regione octava, fuit ſtatua *elephanti* ab Auguſto poſita, cum munuſculis ab olitoribus ei porrectis. Vel ſtatua fuit pilæ impoſita, ſeu baſi, quæ loco illi foret pro inſigni. Verum utralibet fuerit, ſaltem eo in loco poſita fuit, ubi olera vendi ſolita. *Nardin. Rom. Vet.* v. 16.

Elephantus ſignum etiam fuit militare. Appian. Bell. civil. II. *Exercitus Cæſaris ita animo confirmatus eſt, ut quinta legio popoſcerit opponi elephantis, eosque egregie vicerit, ac nunc etiam ea de cauſa elephantos in ſigna huic legioni conſtituuntur.* Ita tamen, ut in clypeis, ſignisque manipulorum fuerit. Non enim amotam aquilam opinor. *Lipſ. de Milit. Rom.* IV. *Dial.* 5.

ELEUTHEROCILICES fuerunt populi αὐτόνομοι in Aſia ſub Romanorum imperio libera adhuc Urbe. Quod nomen illis ad ſua uſque tempora a Myrina Amazone, a qua liberi iidem ſunt relicti, hæſiſſe tradit Diodor. III. p. 188. *Quos quia ſponte ſe fidei ipſius permitterent, liberos eſſe juſſit: eamque ob cauſam etiamnum Eleutherocilices appellantur.* Eos autem ita dictos ab ea Ciliciæ parte, quam qui incolerent, ſua ætate Ἐλευθερῖται ſunt appellati, notat Stephanus. Cicer. Attic. v. 20. *Nos Pindeniſſum, quod oppidum munitiſſimum Eleutherocilicum omnium memoria in armis fuit, cinximus. . . .* Spanhem. Exercit. ad Conſtitut. Antonin. Imper. II. §. 14. de præſtant. numiſm. diſſert. IX. p. 784. Robortell. de Provinc. Roman. Theſ. Ant. Rom. Græv. Tom. III. p. (3) F.

LLI.

ELICATORES ſunt dicti ab aqua *licienda*, ſive *eliciendi* quo verbo *eliciendi* in hac ipſa re utitur l. 3. C. de Aquæduct. Sunt iidem qui Aquileges. V. illos ſupr. in *Aquilex.* Chimentell. de Hon. biſell. c. 39.

ELICES ſunt dicti ſulci aquarii majores. Feſtus: *Elices ſulci aquarii, per quos aqua collecta educitur e liris.* Salmaſ. Exercit. Pliniam. pag. 512. a. A. in Vopiſc. Prob. c. 21.

ELL.

ELLYCHNIUM asbeſtinum, amiantumve non in omnibus lucernis, quæ diu arſiſſe compertæ ſunt, inventum eſt; imo vero nullus eſt, qui uſquam in repertis hujuſmodi lucernis tale quid offenderit; quum earum inventores, & poſſeſſores nihil omnino de hac re obſervatum memoriæ mandaverint. Si enim lucernæ iſtæ *ellychnio* præditæ fuerunt incombuſtibili ex lapide amianto asbeſtove, cur non obſervaviſſent; obſervatumque id prodidiſſent lucernarum detectores? cur in iisdem ſervatis adusque tempora noſtra *ellychnium* id non haberent, cuſtodirentque ſedulo illarum poſſeſſores? *Licet. de Lucern. Antiq.* II. 39. Nulla unquam reperta fuiſſe, admodum levis eſt conjectura. Hoc enim accidere potuit, quia igne, aut ætate conſumpta fuerint. Quanquam Vives non pauca a ſe viſa teſtatus eſt. Quod ſi fuerit *ellychnium*, putat ex amianto, aut lino asbeſto confectum. Utrumque expendamus. Non enim lucernas caruiſſe *ellychnio* illud evincit, quod quamvis caphura, naphta, & id genus materia ſine *ellychnio* ardeant, præterquam quod conſumta materia ignis exſtinguitur, intelligi non poteſt, quo pacto accendi, & extra lucernam ardere ignis potuerit, niſi aliquo filamento conceptus, quod eſſet olei vehiculum. Niſi quis dicat, lucernæ ſepulcro abditam flammam cœco lumine torpuiſſe. Deinde ad quid exiguum iſtud foramen lucernarum omnium roſtro adſtitutum, niſi immittendæ papyro, & exſerendo lumini? Quod vero *ellychnium* iſtud ex amianto, & lino asbeſto fuerit, difficultate non caret. Nam ſi *ellychnium* incombuſtibile fuit, nihil opus oleo futurum: ſemel enim concepta flamma, cum filamentum exſtingui non poſſet, perpetuo arſiſſet. Sed næ iſti lini asbeſti naturam parum intelligere videntur. Quod inde appellatum, quod igne confici, & conſumi non poſſit. V. ſupr. in *Asbeſtinum.* Ferrar. de vet. lucern. ſepulcr. Theſ. Antiq. Roman. Græv. Tom. XII. p. 1016. E.

ELO.

ELOGIUM, quod jam pridem obtinuit, vel *ellogium*, ἐλλόγιον, quam vocem Romani uſu fecerunt ſuam; nam *elogium* plane nihil aliud quam ἐλλόγιον, titulus, cauſæ brevis explicatio, præfatio: Suet. Cal. c. 24. n. 10. *Tres gladios, in necem ſuam præparatos Marti ultori, addito elogio, conſecravit:* ſive quæpiam ſimplex ſententiæ expoſitio. Cicer. Sen. c. 20. *Solonis eſſe elogium, quo ſe negat velle ſuam mortem dolore amicorum, lamentisque vacare.* Caſaub. in Suet. Jul. c. 48. Voſſ. Lex. Etymol.

Elogium agitatorum in baſi in veteribus inſcriptionibus ita conceptum eſt; vicit ſejuge, ſeptejuge, bigas, trigas, uno anno, alieno principio, duobus introjugis. Diocles præcedens cum introjugis tribus. Diocles ſeptem equis in ſe junctis nunquam ante hoc numero ſpectato equorum certamine, ſine flagello, aliis certaminibus vicit, inter ſingulares vicit. *Elogia* illa vocantur tituli in veteribus inſcriptionibus, novis actionibus, & nunquam ante titulis ſcriptis. Ponebantur in circo. Illis victorum memoria conſecrabatur. *Buleng. de Circo* c. 54.

Elogium dicitur etiam inſcriptio monumentalis. Cic. Fin. II. 35. *Nonne elogia monumentorum id ſignificant:* Memoria enim & inſcriptio nominis cum ſumma rerum geſtarum in prima, & obvia, ſeu adverſa parte tumuli ponebatur. Virg. Cul. n. 410.

His tumulus ſuper inſeritur: tum fronte locatur
Elogium.

Salmaſ. Exercit. Plin. p. 858. b. A. Taubman. in Virgilium. Voſſ. Lex. Etymol.

Elogium meretricis cellulæ inſcriptus eſt titulus, quo & proſtitutæ nomen, & quantum uno concubitu mereret, deſignabatur. Tertull. de Spect. c. 17. *Ipſa etiam proſtibula, publicæ libidinis hoſtia, in ſcena proferuntur. . . . . locus, ſtipes, elogium, etiam quibus opus non eſt, prædicantur.* Briſſon. de Jur. connub. Theſ. Antiq. Rom. Græv. Tom. VIII. p. 1068. B. E.

Elogium pecuniæ expenſæ cauſam continens brevis eſt ſcriptio, ſive præfatio ſummæ, quæ in rationes refertur. Exemplum & formula eſt in illo Veſpaſiani infr. in *Rationes privatæ.* Et illo ex rationibus Periclis, exagitato a comicis. Ἐις τὸ δέον ἠνάλωσα τοσῦτον. Hinc ἐλλογίζεσθαι inferre rationibus cum indicatione cauſæ. Latine *imputare.* Paullus dixit καταλογίζεσθαι. Gloſſar. *Imputat*, ἐλλογεῖ. *Caſaub. in Suet. Jul.* c. 47.

Elogium puniendorum etiam dicebatur titulus, & malorum facinorum index. Marcian. ff. XLVIII. 3. *Idem de irenarchis præceptum eſt, quia non omnes ex fide bona elogia ſcribere compertum eſt.* Suet. Cal. c. 27. n. 2. *Nullius inſpecto elogio.* Turneb. Adv. XVIII. 5. Barth. Adv. IV. 18. Cerda Adv. c. 106. §. 2. 160. §. 2. Nerius Anal. I. 32. Hugo de prim. ſcrib. orig. c. 31. Caſaub. in Suetonium. Hoc offerebatur Principi, qui jam pœnæ addictos a judicibus vel revocabat a pœna, vel pœnæ permittebat. Ammian. XIV. 5. *Ideoque fertur, neminem aliquando ob hæc, vel ſimilia pœnæ addictum, oblato de more elogio, revocari juſſiſſe* Imp. Conſtantium. Sulpic. Sever. Hiſt. ſacr. II. extr. *Euodius Priſcillianum gemino judicio auditum, convictumque maleficii. . . . nocentem pronuntiavit, redegitque ad cuſtodiam, donec ad Principem referret. Geſtis ad palatium delatis cenſuit Imperator, Priſcillianum, ſociosque ejus capitis damnari oportere.* Et Princeps *ſolebat annotare, quinam mortis ſupplicium commeruiſſent,* ut ille apud Ælian. Var. Hiſt. XIV. 43. V. illum ſupr. in *Annotare.* Perizon. in Ælianum. Valeſ. in Ammianum.

ELU.

ELUDERE dicuntur gladiatores adverſarium, tum cujus petitionem vel gladio, vel rudo objecta vitant, aut motu

motu cito declinant. Manil. v. 163.

Ille cito motu rigidos eludere cæstus.

Turneb. Adv. xxviii. 15. Lipſ. Saturn. ii. 20. Cerda in Virg. Æneid. v. 438. Caſal. de Urb. ac Imper. Roman. ſplend. part. 2. c. 4. Chamillard. in Prudent. contr. Symm. 1. 656. Thyſ. de Gladiat. p. 233. tum quem vicerunt. Terent. Eun. i. 1. 10.

Periſti: eludet, ubi te victum ſenſerit.

Ubi Donatus. *Eludere proprie gladiatorum eſt, cum vicerint.* Cicer. Cat. i. c. 1. *Quamdiu furor iſte tuus eludet. Eludere eſt finem ludo imponere.* Argol. in Panvin. de Lud. Circ. i. 15.

ELUGERE dicitur, qui tempus moribus, aut legibus præfinitum ſumptis lugubribus complet. Liv. xxxiv. 7. *Quid cum eluxerunt, ſumunt?* Paull. x. ad edictum. *Quæ virum eluget, intra id tempus ſponſam fuiſſe non notet.* Ulpian. viii. ad edictum. *Prætor ad id tempus ſe retulit, quo vir elugeretur: qui ſolet elugeri propter turbationem ſanguinis.* Kirchman. de Fun. iv. 10. Guther. de Jur. man. iii. 28. Noriſ. Cenot. Piſ. Diſſ. iii. 2. Ræward. Var. i. 20.

EMA.

EMANCIPATIO fuit liberorum e patria poteſtate dimiſſio. Legis actionibus comprehenſam, & apud prætorem factam eſſe teſtis eſt Modeſtin. ff. de Juriſdict. *Magiſtratus*, inquit, *apud quem legis actio eſt, & emancipare filios ſuos, & in adoptionem dare poteſt.* Paullus: *Apud magiſtratus municipales, ſi habent legis actionem, emancipari, & manumitti poteſt.* Cæterum in *emancipationem* & vindicatio, & mancipatio incidit. Qualis hæc fuerit venditio V. ſupr. in per *Æs & libram.* Qui ergo naturalis pater filium *emancipare* volebat, is ſecundum poſtulationem die cognitionis filium ſuum fiduciario patri *emancipabat*, hac verborum formula utens, quæ vindicationem ſimul & mancipationem complectebatur: *Hunc hominem ex jure Quiritium meum eſſe ajo, quoniam emptus eſt mihi hoc ære, æneaque libra.* Naturalis vero pater reſpondebat: *Hunc filium meum tibi mancipo.* Et accepto pretio in jure cedebat, quo facto prætor addicebat. Quoniam vero ex lege filius a patre venumdatus usque ad tertiam mancipationem in poteſtatem patris redibat, propterea ſecunda inde mancipatio, & in jure ceſſio adhibebatur: cumque iterum filius in poteſtatem patris rediſſet, tum tertia adhibebatur hoc modo: *Ego vero hunc filium meum tibi mancipo ea conditione, ut mihi remancipes, ut inter bonos bene agi oportet, ne propter te, tuamque fidem frauder.* Ac tertium accepto pretio cedebat, & prætor tertium addicebat. Qua re perfecta tum demum filius e poteſtate patris egreſſus putabatur. Unde fiduciarius pater, qui dominus ejus erat factus, eundem naturali patri ſine fraude remancipabat: naturalis vero filium, quem quaſi ſervum coemerat, manumittebat: atque ita liber ille, id eſt, ſui juris factus erat, ut Cajus ſcripſit. *Sigon. de Judic. i. 11. Ant. jur. civ. Rom. i. 10. Ræward. Protribun. c. 5. Nann. Miſc. x. 5. Fab. Semeſtr. ii. 23. Gronov. de Pecun. Vet. c. 7. Auguſtin. ad leg. xii. tabul. §. 6. Hotom. de Form. Theſ. Antiq. Rom. Græv. Tom. ii. p. 1914. D.*

EMANSIONIS in militia cauſæ an juſtæ eſſent, ſolebat diligenter examinari. Arrius Menand. ff. de Re milit. *Examinantur cauſa ſemper emanſionis, cur, & ubi fuerit, & quid egerit: & datur venia valetudini, affectioni parentum & affinium, & ſi ſervum fugientem perſecutus eſt, vel ſi qua hujuſmodi cauſa.* Paull. i. 14. ff. de Re milit. . . . *habetur tamen ratio dierum, quibus reverſus eſt, item temporis navigationis, vel itineris, & ſi ſe probet valetudine impeditum, vel a latronibus detentum, ſimilive caſu moram paſſum, dum non tardius a loco profectum ſe probet, quam ut occurrere poſſet, intra commeatum reſtituendus eſt.* Schel. in Polyb. Theſ. Ant. Rom. Græv. Tom. x. p. 1171. C.

EMANSOREM inter, & deſertorem non eſt ea differentia, quod hic reducatur, ille revertatur. Nam & qui revertitur quandoque pro deſertore habetur l. qui commeatus ff. de Re milit. & qui reducitur pro *emanſore* l. qui cum uno §. edicta ff. eod. Differentia tantum eſt in tempore l. aut facta. §. tempus ff. de pœn. l. 3. §. ſi ad decem ff. de Re milit. *Emanſor* eſt qui diu abfuit, deſertor, qui perdiu, ſive prolixo tempore l. 3. §. emanſor. ff. eod. Diu, aut perdiu noli accipere pro decennio, aut vicennio, aut tricennio. Nam & qui quinquennio abſuit, pro deſertore habetur l. milites §. ult. ff. eod. Sed temporis obſervatione judici relicta, hoc ſatis eſt notari, tempore ſolo diſcerni *emanſorem* a deſertore, quod deſertor perdiuturno tempore abſit, *emanſor* non ita prolixe. *Cujac. Obſerv. vi. 26.*

EMB.

EMBLEMA eſt ornamentum exemptile, quod ad placitum vaſis argenteis, aureisve tolli, & reponi poteſt. Talia ſunt ſigilla, variaque, ut floſculorum, ſic & alia rerum aliarum ſimulacra affabre cælata, vel depicta. Dicitur de veſte & de vaſe. Hæc vox cum peregrina eſſet, & Romanis auribus non ſatis nota, Tiberio Cæſari minime placuit, ut Principi, qui patriam linguam præferret externæ. Suet. c. 71. n. 1. *In quodam decreto patrum, cum emblema recitaretur, commutandam cenſuit vocem, & pro peregrina noſtratem requirendam: aut ſi non reperiretur, vel pluribus, & per ambitum verborum rem enuntiandam.* Dio lvii. p. 612. B. *Statilio Tauro, L. Libone conſulibus Tiberius edixit, ne quis aureo vaſe, niſi ad ſacra uteretur: dubitantibus nonnullis, an argenteis etiam, quæ aureis emblematis cælata eſſent, interdixiſſet; facturus hac quoque de re edictum, emblematum vocabulum quia Græcum eſſet, in eo poni prohibuit: quanquam Latinum id, quo id interpretaretur, non haberet.* Qui fruſtra commutandam cenſuit hanc vocem. Eſt enim ſatis trita. Ea Lucillius apud Cicer. Orat. c. 44. de Orat. iii. 43. & de clar. Orat. c. 79. eſt uſus.

Quam lepide lexeis compoſitæ? ut teſſerulæ omnes
Arte pavimento, atque emblemate vermiculato.

Ipſe Cicer. Verr. iv. 21. *Te, cum inſpiciendum, thuribulum, popoſciſſes, avulſo emblemate, remiſiſſe.* c. 23. *Quæ probarant, iis cruſtæ, aut emblemata detrahuntur.* Bergier. de viis Milit. ii. Sect. 21. §. 12. Salmaſ. Exerc. Plin. p. 736. b. F. 737. b. D. 789. b. F. in Vopiſc. Aurelian. c. 46. Firm. c. 3. Rhodig. Ant. Lect. xii. 19. Voſſ. Lex. Etymol. Bud. de Aſſe p. 355. in Pandect. p. 120. H. Turneb. Adv. viii. 10. Junius de Pictur. iii. 1. Pitiſc. in Suetonium. Grapald. de Part. dom. ii. 1. 3. Minos in Alciati Emblem. p. 62. *Emblematibus*, & ſignis diverſis, quæ ſæpiſſime ſtudia defuncti, quæ vivus exercuerat, ſepulcra ornabant veteres. Cicer. Tuſc. Quæſt. v. 23. in Archimedis mathematici ſepulcro poſitam fuiſſe ſphæram cum cylindro narrat: *Ego autem cum omnia colluſtrarem oculis, animadverti columellam non multum e dumis eminentem, in qua inerat ſphæræ figura & cylindri.* Moreſtell. de Pomp. Funeb. viii. 13. Latine inſertam Publio Syro hoc carmine,

Frugalitas inſerta eſt rumoris boni.

dici contendit Scalig. in Manil. p. 411. & ex Scaligero Caſaub. ad Suetonium: negant Salmaſ. in Vopiſc. Aurel. c. 46. p. 574. & Exercit. Plin. p. 789. b. D. E. F. Voſſ. & Pitiſc. l. l.

EMBOLIMUS annus. } V. illos in *Menſis.*
Embolimus menſis. }

EMBOLUM fuit roſtrum in navibus, ſive trabs prominentior ære munita. Scholiaſt. Pind. Olymp. 7. 35. *Embola ſunt navium roſtra.* Græcis χαλκώματα νεῶν, ut eſt apud Diodor. xx. & naves χαλκέμβολοι. Petron. c. 30. *Quorum imam partem, quaſi embolum navis æneum, finiebat.* Locus erat in prora. Suidas: *Embolum æneum firmum circa proram.* Proprie erat ad carinam. Pollux i. 9. *Ejus, carinæ, juxta proram terminus eſt, quod proembolum vocatur, quod autem ſub ea parte, embolum dicitur.* V. infr. in *Roſtra.* Scheffer. de Milit. Nav. ii. 5. Calcagn. de Re naut. c. 14. Epiſt. Quæſt. i. 13.

EME.

EME.

EMERITI vocabantur, qui *emeritum* accipiebant. Vocabantur etiam veterani. Martian. l. deferri ff. de jure fisci: *Veterani sacris constitutionibus delatores esse prohibentur, propter honorem utique emeritæ militiæ.* Stewech. in Veget. II. 3. Putean. de Stip. milit. c. 17. Isidor. IX. 3. *Emeriti dicuntur veterani, solutique milites, qui jam in usu prælii non sunt, quia mereri militare dicitur, a stipendiis scilicet, quæ merentur. Iidem & veterani dicuntur, quia jam in usu prælii non sunt, sed post multos militiæ labores quietis suffragium consequuntur.* Valtrin. de Re milit. Rom. VI. 5.

EMERITUM dicebatur pecunia, sive præmium militare, quod dabatur illis, qui stipendia explevissent. Loco enim agri placuit pecuniam dari. Dio LIV. p. 539. C. *Anni militiæ civibus determinabantur, quantumque ii pecuniæ emeriti, quam iis pro agro, quem nunquam non petebant, essent accepturi.* Percennius novas militiæ leges præscribens apud Tacit. Annal. I. 17. 6. *Ut singulos denarios mererent, sextus decimus stipendii annus finem adferret, ne ultra sub vexillis tenerentur, sed iisdem in castris præmium pecunia solveretur.* Franckenstein de Ærar. pop. Rom. c. 6. Putean. de Stipend. milit. c. 17. Quibus ambigo an assentiar, quia præter agros & pecuniam recipere solebant. Testes historici, Tacitus inprimis, apud quem non semel & pecuniæ, & agrorum est mentio. *Lips. in Tacit. Annal. l. Excurs. G. Stewech. in Veget.* II. 20. Nec pecunia illa dicebatur *emeritum*; nam Arrius Menander mox laudandus distinguit *præmia & emeritum.* Aliud enim præmia, aliud *emerita*; nam præmia ultra *emerita* dabantur. Modestinus, & Arrius statim laudandi. *Torrent. & Babelon. in Suet. Aug. c. 24. n. 5.* Ego malim hoc vocabulum ad stipendia *emeritis* data restringere, ut alia sint a commodis. *Franckenstein l. l.* Et ego suspicor *emeritum* fuisse in agris, præmium in pecunia. *Stewech. l. l.* Dicebatur *emeritum*, quia scilicet *emeritis* debebatur. Modestin. Dig. XLIV. 16. 3. §. 12. *Si expleto tempore militiæ redeat, ut veteranus restituetur, & emerita accipiet.* §. 8. *Qui militiæ tempus in desertione implevit, emerito privatur.* Arrius Menand. ibid. 5. §. 7. *Si post multum tempus redit, qui ab hostibus captus est, præmia & emeritum capit.* Suet. Aug. c. 24. n. 5. *commoda emeritorum præmiorum.* Vit. c. 15. n. 3. *justæ militiæ commoda.* Aug. c. 49. n. 5. *commoda missionum* & Cal. c. 44 n. 4. *Commoda emeritæ militiæ* vocantur. Lips. & Putean. l. l. Quantum hoc fuerit, docet Dio LV. p. 563. Et ubi ab Augusto prætorianis assignata scribit *quinque millia drachmarum*, sive Romano numero *viginti millia nummum*: reliquis militibus *tria millia drachmarum*, sive *duodecim millia nummum.* Istis quidem, si sedecim stipendia implessent: his, si viginti. Hæc tria millia drachmarum ad mille quingentas a Caligula recisa sunt. Suet. c. 44. n. 2. *Commoda emeritæ militiæ ad sex millium summam recidit.* Putean. l. l.

EMI.

EMISSARIUM est locus in hortis, aut pratis, quo aquam, quæ irrigasset terram, *emittebant.* Cicer. Fam. XVI. 18. *Helico nequissimus sestertia ducenta dabat, nullo emissario.* Suet. Claud. c. 20. n. 2. *Perfecit emissarium Fucini lacus.* c. 32. n. 2. *Convivatus est super emissarium Fucini lacus.* Baldus Lex. Vitruv. Pitisc. in Suetonium.

Emissarium, sive exsiccationem Fucini lacus, qui hodie *Lago di Marso*, aut *de Celæno* dicitur, *ab Augusto, precantibus assidue Marsis*, qui in Latio eum accolunt, *negatum* scribit Suet. Claud. c. 20. n. 2. V. infr. in *Lacus.* Claudius Augusto audacior molitus est lacus exsiccationem per *emissarium*, & sic agros culturæ reddere. *Aggressus est*, ut ait Suet. ibid. n. 4. hoc opus *non minus compendii spe, quam gloriæ, cum quidam privato sumptu emissuros se repromitterent, si sibi siccati agri concederentur.* Deinde & gloriosum erat, opus Augusto ne quidem tentatum perficere. Itaque, ut pergit Suet. ibid. n. 5. *per tria passuum millia partim effosso monte, partim exciso, canalem absolvit ægre: & post undecim annos, quamvis continuis triginta hominum millibus sine intermissione operantibus.* Atque ita, ut loquar cum Horat. de Art. poet. n. 65.

Regis opus, sterilisque diu palus, aptaque remis
Vicinas urbes alit, & grave sentit aratrum.

Merito *Regis opus*, cui perficiendo regia magnanimitas, & regifici sumptus expetuntur. De hoc *emissario* Plin. XXXVI. 15. *Ejusdem*, Claudii, *inter maxime memoranda equidem duxerim, quamvis destitutum successoris odio*, absolutum tamen dixit Suetonius modo laudatus. *Bergier. de viis milit.* I. *Sect.* 16. §. 3. IV. *Sect.* 46. §. 3. & 4. *Cluver. Ital. Ant.* II. 15. §. 3.

EMISSARIUS est, qui ab alio *emissus*, & subornatus est alterius vexandi gratia, aut arcana aliorum cognoscendi causa. Cicer. Fam. VII. 2. *Persuaserat nonnullis invidis meis, se in me emissarium semper fore.* Suet. Galb. c. 15. n. 4. *Solos ex omnibus Neronis emissariis vel maleficentissimos incolumes præstitit.* Pollet. For. Rom. IV. 4. Cerda Adv. c. 84. n. 5. Pitisc. in Suetonium.

EMISSIONES equorum in circo judicabantur a spectatoribus togæ excussione. Ovid. Amor. III. 2. 71.

Favimus ignavo: sed eum revocate, Quirites,
Et date jactatis undique signa togis.
En revocant: at, ne turbet toga mota capillos,
In nostros abdas te licet usque sinus.

Frustra enim interdum agitatores. Arnob. VII. p. 245. *Qui cantherios frustra, & sine ulla ratione exeuntes spectatum proficiscantur.* Et in epitaphio C. Appuleji Dioclis legitur: *frustra exiit*, hoc est, cursus justus non fuit, vel quia equorum *emissiones* legitimæ non fuere, vel quod aliquod æquum impedimentum in currendo ei accidit. *Panvin. de Lud. circens.* I. 14. & *ad illum Argolus.*

EMP.

EMPORIUM, ἐμπόριον, est locus, quo conveniunt mercatores. *Forum nundinarium* vocatur Plin. VIII. 51. *Emporii* vocem retinent Cicer. Attic. V. 2. *Cum per emporium Puteolanorum iter facerem.* & Plin. V. 9. *Coptos Indicarum Arabicarumque mercium Nilo proximum emporium.* Voss. Lex. Etymol. Tholos. Synt. jur. XXXV. 3. §. 1. & 2.

Emporium variarum mercium nono quovis die, præsertim edulium, mellis, & pomorum fuit ante ævum Neronis in tertia Urbis regione, ad locum Metæ sudantis, ubi forum postea Vespasiani visum. *Borrich. Ant. Urb. Fac. c.* 5. §. 1.

Emporium pro rebus venalibus, quæ in Urbem importabantur, navali additum fuit ante portam Trigeminam in decima tertia Urbis regione. Liv. XLI. 26. *Censores extra portam Trigeminam emporium lapide straverunt, stipitibusque sepserunt, & porticum Æmiliam reficiendam curarunt, gradibusque ascensum a Tiberi in emporium fecerunt.* Donat. de Urbe Roma III. 13. Marlian. Topogr. Urb. Rom. IV. 1. Borrich. Ant. Urb. Fac. c. 5. §. 1: c. 15. §. 3. Nardin. Rom. Vet. VII. 9. Aurelianus urbanis inclusit mœnibus. V. infr. in *Navalia.*

EMPTIO, & venditio erat contractus bonæ fidei, inter quos jure civili licebat, nudo consensu factus de re certa certo pretio in perpetuum domini jure obtinenda. *Sigon. de Judic.* I. 5. Voce *emptionis* omnem dominii acquirendi modum intelligebant. Varr. de Re Rust. II. 10. *In emptionibus dominum sex fere res legitimum perficiunt: si hæreditatem justam adiit; si, ut debuit, mancipio ab eo accepit, a quo jure civili potuit; aut si in jure cessit, qui potuit cedere, & id ubi oportuit; aut si usu cepit; aut si e præda sub corona emit; tumve cum in bonis, sectioneve cujus publice venit.* Quod si quo horum modorum esset partum, nihil a litibus fore periculi intellexit, quod a jure civili præstaretur. Quod eo magis credo, quia docet etiam Pompon. I. de statu liberis, *emptionis* verbo legem XII. tabularum alienationem omnem esse complexam. *Sigon. de Ant. jur. civ. Rom.* I. 11. *Augustin. ad leg.* XII. *Tabul.* §. 5. Nullam obligationem firmiorem existimabant. Et Justinianus scribit Instit. II.

Venditæ res & traditæ non aliter emptori acquiruntur, quam si is venditori pretium solverit, vel alio modo ei satisfecerit, veluti expromissore, aut pignore dato. Quod quamquam cavetur, inquit, *ex lege* XII. *Tabularum, tamen recte dicitur, & jure gentium, id est, jure naturali, id effici.* Idem III. Instit. de empt. & vend. in prin. & p. item pretium scribit *emptionem* & venditionem contrahi simul atque de pretio convenerit. *Augustin. ibid.* §. 27. Permutatione peragebatur mercium. Paull. Dig. XVIII. I. I. *Origo emendi vendendique a permutationibus cœpit. Olim enim non ita erat nummus: neque aliud merx, aliud pretium vocabatur, sed unusquisque secundum necessitatem temporum, ac rerum, utilibus inutilia permutabat. . . Sed an sine nummis venditio dici hodie possit dubitatur: veluti si ego togam dedi, ut tunicam acciperem. Sabinus & Cassius esse emptionem & venditionem putant. Nerva & Proculus permutationem, non emptionem esse ajunt. Sabinus Homero teste utitur, qui exercitum Græcorum ære, ferro, hominibusque vinum emere refert Iliad. H.* 472.

> *Hinc Græci comati vinum emebant*
> *Alii quidem ære, alii autem splendido ferro,*
> *Alii vero pellibus, alii autem ipsis vaccis,*
> *Alii autem mancipiis.*

Sed hi versus permutationem significare videntur. Plin. XXXIII. I. *Quantum feliciore ævo, cum res ipsæ permutabantur inter se, sicut & Trojanis temporibus Homero credi convenit. Ita enim, ut opinor, commercia victus gratia inventa. Alios coriis boum, alios ferro captivisque rebus emptitasse tradit.* In prisco codice, quem probo, non *emptitasse*, sed *mutasse* scriptum est. Virg. Georg. III. 307.

> —— *quamvis Milesia magno*
> *Vellera mutentur Tyrios incocta rubores.*

Ubi Servius: *Mutentur, comparentur. Nam apud majores omne mercimonium in permutatione constabat, quod & Cajus Homerico confirmat exemplo.* Pius Annot. post. c. 152. Casal. de Prof. Roman. rit. c. 17. Cerda in Virgilium. Spanhem. in Julian. Orat. I. p. 138. Salmas. Exerc. Plin. p. 175. a. C. Muret. in Catull. XII. 18. Feith Antiq. Homer. II. 10. Schill Nomencl. Philol. p. 904. *Emptionis* & venditionis prædiorum negotia apud argentarios Romæ conficiebantur, & tabulis eorum inscribebantur, quæ non tantum ad probandum contractum, sed etiam constituendam obligationem vim habebant. *Joach. Stephan. de Jurisd. vet. Græc. c.* 14. Specie *emptionis* lites alienas ad se transferebant, qui, insatiabili quæstus cupiditate flagrantes, delinquentes deferebant. Hoc vitium Romam post penitus irrepsit, ut non sine justa causa Imperatores eam *emptionem* vexationis & calumniæ, quæ ἐργολαβία honesto juris prætextu dicebatur, atque sub pactione quotæ litis fiebat, foro exterminarint l. litem C. de procurat. *Joach. Stephan. ibid. c.* 12.

EMPTOR bonorum creditoris vocabatur is, qui emerat, & actiones omnes a debitore in bonorum *emptorem* transferebantur, & conveniebatur non aliter ac bonorum possessor, siquidem uterque successor prætorius erat. *Sigon. de Judic.* I. 18.

Emptor familiæ dicebatur, qui cum per æs & libram testamentum fiebat, adhibitis quinque testibus, qui, ut inquit Festus, classici dicuntur, & libripende, per imaginariam quandam mancipationem, certa juris sollennitate hæreditatem emebat, nuncupato interea in hunc modum testamento. Tabulas tenens testator, hæc, inquit, uti his tabulis, cerisque scripta sunt, ita do, ita lego, ita testor, itaque vos Quirites testimonium præbetote. Suet. Ner. c. 4. n. I. *Ex hoc Domitius nascitur, quem emptorem familiæ in testamento Augusti fuisse mox vulgo notatum est.* Dicis causa adhibebatur *emptor* familiæ, non ipse hæres, sed ut testator vivens quodammodo bona sua alienasse videretur, quæ demum post mortem ejus hæres acciperet. *Ræuard. de Auctor. prud. c.* II. *Calcagn. Equitat. p.* 577. *Augustin. ad Leg.* XII. *Tabul.* §. 27. *Brisson. de Form.* VII. p. 585. *Beroal. & Torrent. in Suetonium.*

Emptor fiduciarius in ejusmodi venditione, quæ sub conditione resolvitur, quodammodo etiam est pigneratitius creditor. Nam quasi pignoris nomine rem venditam possidet, donec sibi redditum sit pretium, si pretium illud vice pecuniæ mutuæ datum fuit *emptori*. Fidem etiam ejus quadamtenus secutus est *emptor*, qui fiduciam habuit rem sibi ab eo redditum iri, nec quasi *emptam* servaturum. *Salmas. de Mod. usur. c.* 14.

EN.

EN pro *in* scripserunt veteres. Columna rostrata testimonio est. In illa legitur: EN SICELIAD. & ENQUE EODEM MACESTRATOD. Et Kalendarium marmoreum, quod ex antiquis ruinis effossum in Farnesiana bibliotheca Romæ asservatur, in quo dies aliquot ita notantur, EN, quos *intercisos* interpretor ex Varrone, Macrobio, & hoc lapide; non *endotercisos*, ut quibusdam doctissimis alioqui viris placuisse video. *Ciaccon. Columm. rostr. Thes. Ant. Roman. Græv. Tom.* IV. p. 1814. *F.*

ENC.

ENCÆNIA sunt celebritates, sive feriæ, quæ novo operi facto, dicandoque consecratæ sunt. Suidas: *Encænia, festum, quo factum est aliquid novi.* Augustin. in Johann. XLVIII. ‡. interpretatur *festum dedicationis templi.* Paull. Diacon. in Justinian. XVI. *Facta sunt encænia apud Constantinopolim, & recondita sunt lipsana Andreæ & Lucæ Apostolorum, & transiit Menas Episcopus cum sanctis lipsanis sedens in carruca aurea Imperatoria, lapidibus insignita, tenens thecas S. Apostolorum in genibus suis, & ita encænia celebravit.* Pinell. Additam. ad Argol. in Panvin. de lud. circ. II. 15. Cerda Adv. c. 36. n. I. Buleng. de Imp. Rom. III. 2. Quintil. VII. 2. *Scitum & venustum est: neminem non aliquando cœpisse peccare, nec per encænia ducendum scelus primum.* Hic latet nescio quid argutum & eruditum, quod e verbi proprietate puto eruendum. *Encænia*, celebritates & feriæ dictæ, publice, palamque magno hominum conventu agitabantur, & celebrabantur: at vero maleficia, & scelera clam perpetrantur: nihilque in his æque ac conscios, & testes oculos homines reformidant: ea certe per *encænia* non ducunt, nec publicant. *Turneb. Adv.* XII. II. De *encæniis* etiam *Gyrald. Synt. Deor.* XVII. *p.* 502. *D. Rhodig. Ant. Lect.* XXII. 14. *Stuck. Ant. Conviv.* I. 33. *Bud. in Pandect. p.* 205. *C. Laurent. Polym.* IV. *Synops.* 6.

ENCARPUS est florum, frondiumque, & pomorum implexus, atque contextus, coronario luxu foliis flores & fructus intercursantibus, & loro, sive fascia circumcinctis & advolutis. His columnarum frontes ornabantur. Vitruv. IV. I. *Et cymatiis, & encarpis pro crinibus dispositis frontes ornaverunt.* Turneb. Adv. XI. 4. Salmas. in Capitol. Gordian. c. 3. Philand. in Vitruvium.

ENCAUSTICA pictura fuit antiquis in usu, per ignem fiebat. Hodie aut incognita est, aut saltem inusitata. Mentionem facit, sed modum non describit Plin. XXXV. II. *Ceris pingere*, ait, *ac picturam inurere, quis primus excogitaverit, non constat. Quidam Aristidis inventum putant, postea consummatum a Praxitele. Sed aliquanto vetustiores encausticæ picturæ exstitere, ut Polygnoti, & Nicanoris, & Arcesilai Pariorum. Lysippus quoque Æginæ picturæ suæ inscripsit* ΕΝΕΚΑΥΣΕ, *quod profecto non fecisset, nisi encaustica inventa. Pamphilus quoque Apellis præceptor non pinxisse tantum encaustica, sed etiam docuisse traditur Pausiam Sicyonium, primum in hoc genere nobilem.* Qui se putant in artis hujus deperditæ penetralia evasisse, ajunt duos fuisse modos pingendi ceris, ope ignis. I. fuisse in cera indurata, & certis aliis rebus admixta, & in formam tabularum complanata: in hujus superficie, quæ unius tantum erat coloris, & velut area futuræ picturæ, scalptas fuisse pro lubitu figuras: in scalptos hosce sulcos, sive liras postea esse insertas alias ceras diversorum colorum, veluti in opere lithostroto, aut musivo, eo artificio, atque industria, ut nullæ juncturæ, nullæ rimæ, nullæ insertiones, & applicationes ab acuto spectantis oculo

lo potuerint animadverti. Hanc autem singularem dotem in ista picturæ specie nobilem fuisse, & excellentem, quod ea longe melius, quam ulli penicilli coloribus dilutis, exhibuerit, & expresserit velut vivam, & veræ certantem carnem humanam. II. fuisse, cum non cereæ illæ tabulæ, sed ex ebore fierent, quæ aream quasi præberent futuræ picturæ: in his graphio, aut stylo, quem cestrum vocabant, scalptas fuisse liras, lineasve figurarum exhibendarum: deinde artificiose habita ratione luminis, atque umbræ, item splendoris, atque differentiæ colorum variandorum, candorem eboris illis inserviisse, ut picturis suis lumen, & quasi exstantiam, sive eminentiam; ceras vero variorum colorum, ut umbram scienter iisdem picturis conciliarent, nec non splendorem, qui est fulgens nitor ille inter lumen & umbram, quam Græci τόνον vocant, atque item elegantem, & gratam varietatem colorum, quam Græci ἁρμογὴν vocant, quæ est insensilis ille transitus ab alio colore ad alium, adderent. Quatuor hasce in arte pictoria res, nostris pictoribus notatas sub nominibus vernaculis *Jour, Lumiere, Relief; Ombre, Umbrages; Lustre, Eclat; Variation de couleurs, Passée insensible d'une couleur en une autre*; Plin. xxxv. 5. *Tandem se ars ipsa distinxit, & invenit lumen, atque umbram, differentia colorum alterna vice sese excitante: deinde adjectus est splendor: alius hic, quam lumen: quem, quia inter hoc & umbram esset, appellaverunt* τόνον: *commissuras*, (alii *commixturas*) *vero colorum & transitus* ἁρμογὴν. *Bergier. de viis milit.* v. *Sect.* 12. §. 6. *Panciroll. Notit. Dign. Imp. Orient. c.* 105. *de reb. deperd. & inv. p.* 15. & ad illum *Salmuth. p.* 17. *Salmas. in Vopisc. Aurelian. c.* 46. *Exercit. Plinian. p.* 164. *a. B. Gauric. de Sculpt. c.* 11. *Demontios. de Pictur. Antiq.* 11. *Thes. Ant. Grac. Gronov. Tom.* IX. *p.* 800. *B. Buleng. de Pictur. & Plast.* I. 6. & 7. *Voss. de Idolol.* IV. 91. *Rhodig.* XXIX. 24. *Cuper. Harpocr. p.* 136. & apud illum *Le Moine Epist. de Melanoph. p.* 257. *Scheffer. de Milit. nav.* II. 6. *Junius Catal. artif. p.* 128. 146. *Pignor. de Serv. p.* 356.

ENCAUSTO quodam singulari aureis bullis manu sua Imperator subscribebat. Nam Leo Imperator l. 6. C. de diversis rescriptis diserte vetat, sacra rescripta alio colore, quam purpurea inscriptione lustrari, & cocti muricis, tritique conchylii ardore ea signari præcipit, atque hujus sacri *encausti* confessionem privatis sub gravi pœna interdicit. Etsi autem quale hoc *encaustum* Græci appellant σεβασμία κεραία, σεβασμίας καὶ θεοειδεῖς κεραίας, fuerit, liquido nobis non constat; tamen ex illa Leonis lege patet, imperialia rescripta purpureis literis, & *encausto* muriceo insigniri consuevisse. *Kirchman. de Annul. c.* 8. *Longus de Annul. c.* 9. *Panciroll. Notit. Dign. Imp. Orient. c.* 105. *Borremans. Var. Lect. c.* 4.

END.

ENDROMIS. Hoc genere vestis ἐν δρόμῳ, id est, in cursu, & palæstra utebantur. *Bayf. de Re Vest. c.* 13. ut sudorem per cursum conciliatum illa abstergerent. *Salmuth ad Panciroll. de reb. deperd. & inv. p.* 167. Non quod cursui apta esset, quid enim currenti magis incommodum? sed quod post cursum, & quodlibet certamen usui esset, ne frigus madidos sudore artus penetraret. *Mercer. ad Tertull. de Pall. c.* 4. *Ferrar. de Re Vest.* II. I. II. Fuit villosa, pinguis, crassa, & soloci filo contexta. Verba Tertull. l. l. sunt de Cleomacho, qui ex pugile turpiore palæstra intercutitus factus erat: *Utique sicut vestigia castuum vitia occupavit, ita endromidis solocem aliqua multitia synthesi extrusit.* Ubi synthesi lineæ, mollique pallio *endromida* hirsutam, pinguemque, & soloci filo contextam opponit. Ferrar. l. l. Athletarum fuit peculiaris. Mart. IV. 19. 1.

Hanc tibi Sequanicæ pinguem textricis alumnam,
Quæ Lacedæmonium barbara nomen habet:
Sordida: sed gelido non aspernanda Decembri
Dona, peregrinam mittimus endromida.
Seu lentum ceroma teris, tepidumve trigona;
Sive harpasta manu pulverulenta rapis.
Plumea seu laxi partiris pondera follis:
Sive levem cursu vincere quæris Atham.
Ne madidos intret penetrabile frigus in artus,
Neve gravis subita te premat Iris aqua:
Ridebis ventos hoc munere tectus & imbres.
Non sic in Tyria sindone tutus eris.

Alibi pauperis munus idem esse ait, sed non usum pauperis, cum a divitibus in gymnasiis adhiberentur. Sumptam autem præcipue ad pellendum frigus, docet Juven. Sat. III. 102.

— igniculum brumæ si tempore poscas,
Accipit endromidem.

Idem cum mulieres perstringit, quæ cum viris in palæstra exercebantur, ait Sat. VI. 246.

Endromidas Tyrias, & femineum ceroma
Quis nescit?

Ubi non recte *Tyrias* molliores explicari videmus. Nam omnes omnino *endromides* pingues, crassæque erant, quippe arcendo frigori. Sed divites, ut saltem colore distinguerentur, eas absurdo luxu purpura suebant. *Ferrar. & Bayf. l. l. Salmas. in Tertull. de Pall. p.* 310. *Spanhem. in Callim. hymn. in Dian. n.* 16. Græci, quod mireris, non de vestis genere, sed de calceis interpretantur, Dianæ, & venatoribus vindicant. V. quia non Græcas. sed Græco-Romanas antiquitates denarramus, *Spanhem. & Salmas. l. l.*

ENG.

ENGYTHECA, ἐγγυθήκη, fuit machina ænea, quæ amphoras, & pocula sustinebat. Athen. V. p. 210. *Engythecam æneam fuisse his verbis monstrat. Anno, inquit, superiore, cum refici vellem, ærariæ officinæ tradidi: est enim minime simplex, ac nuda; verum Satyrorum sigillis ornata, bubulisque capitibus. Lebetibus fuit subditum fulcrum.* De *engytheca* Plin. XVIII. 35. *Nec non & in conviviis, mensisque nostris, vasa, quibus esculentum additur, sudorem repositoriis liquentia, diras tempestates prænuntiant.* Argol. in Panvin. de Lud. circens. II. 2. Junius de Pictur. II. 8. Buleng. de Conviv. IV. 17.

ENS.

ENSIS V. illum infr. in *Gladius*.

ENU.

ENUBERE est extra ordinem, aut genus, aut gentem *nubere*. Et *patribus enubere* est plebejo nubere. Liv. X. 23. V. illum infr. in *Pudicitia*. Turneb. Adv. XXX. 25. Guther. de vet. jur. Pont. II. 7. Gronov. in Liv. XXXIX. 19. V. supr. in *Dare*.

EPA.

EPACTÆ, Græce ἐπάκται, sive ἐπαγόμεναι, scilicet ἡμέραι, sunt dies introductæ, sive dies intercalares; & hoc nomine appellantur apud Græcos, Romanos, & nos hodie undecim dies illi, qui in anno solari plures sunt, quam in lunari. Solaris enim annus est dierum 365. Lunaris vero 354. Belgæ illos vocant **den sleutel des jaers**. Illarum usus est vetus & novus. Vetus, qui obtinuit in anno Pompiliano, ubi ex illis componebantur Merkedonii & 90. dies. Novus, qui obtinet in anno Juliano; non ab ipso Julio institutus. sed nuperus, & a Christiano inventus. Hæc fusius exsequuntur *Muncker. de Intercal.* III. 16. *Gyrald. de Ann. & mens. Oper. Tom.* II. *p.* 793. *G. Laurent. Polym.* III. *Synops.* 16. *Gaza de Mens. Attic. c.* 14. & 15. *Perrell. de Rat. epactar. c.* 1—4. *Hagvelon. Kalend. Triling. Thes. Antiq. Græcar. Gronov. Tom.* IX. *p.* 1032. *B. Laurent. de ann. & mens. c.* 1.

EPH.

EPHAPTIS, ἐφαπτὶς, erat *involucrum quoddam puniceum, purpureumve, quod manibus circumvolvebant milites, vel venatores.* Pollux IV. 18. 2. *Buleng. de Theatr.* I. 55. *Scal. Poet.* I. 16. *Laurent. Polym.* III. 5. Ulitius ad Nemesianum arbitratur fuisse insigne histrionum, quo persona bellica, vel venantis agnoscebatur, quale hodie fere milites in brachio etiam alligant. Scalig. Conject. ad Varr. p. 10. interpretatur chlamydem, quam brachiis circumvolvebant milites, cum scuto carerent. Sed hos refellit ipse Pollux. Illum, ne dicam morem talem apud neminem veterum reperiri, quia non brachium, sed *manus* nominat. Hunc, quia chlamydis, vel chlænæ jam meminerat, nec de iis tanquam de re parvula, ut indicat συρρεμματιόν τι, loqui censendus est. Puto ego ἐφαπτίδας esse chirothecas, non tales, qualibus hodie politiores, vel rustici utuntur; sed fascias & lintea, quibus tota manus, & forte singuli digiti seorsum involvebantur. Tradit hoc Musonius apud Stob. Serm. I. *Quare minime honestum est vestitu nimio perire corpus, aut fasciis involvere, aut manus, pedesque circumligatis pannis ac linteis quibusdam molles ac languidos reddere, cum morbo non sunt implicati.* Ut enim apud Pollucem συρρεμμάτιον, ita apud Stobæum περίδεσις, sive *circumligatio* occurrit; utque pedes fasciis, quas pedules, & περιειλήματα ποδῶν vocant, involverunt, ita aliis manus, & forte digitos singulos. *Cuper. Apoth. Hom.* p. 181.

EPHEBEUM erat locus in palæstra, in quo puberes exercebantur. Vitruv. V. 11. *Ephebeum in medio. Hoc autem est exedra amplissima cum sedibus, quæ tertia parte longior sit quam lata.* Philand. in Vitruvium. Baldus Lex. Vitruv. Panvin. de Lud. Circens. II. 1. & ad illum Argolus. Bud. in Pandect. p. 96. F. Laurent. Polym. I. Synops. 38. IV. Synops. 8. Imo erudiebantur, & studendi gratia sedebant. Quia vero veteribus pauci erant libri: disputando magis, quam scribendo se exercebant. Eratque locus ille instar capituli Monachorum, quod in monasteriis solet cog.: cujus in locum scholæ nostræ successerunt. *Pancroll. de Reb. deperd. & inv.* p. 159. *Choul. de Antiq. Exercitat.* Philandrum tamen, & qui illum sunt secuti hac in re melius sensisse existimo. Utrum vero apud Romanos, qui cum viris ante decimum sextum annum pueros commercium ullum habere vetabant, hoc verum fuerit, affirmare non auderem. Neque tamen negare possumus pueros exerceri in palæstra consuevisse. V. infr. in *Palæstra.* Mercur. Art. Gymnast. I. 8. Debemus hæc potius accipere de ganea quadam, imo etiam de lustro fortasse, ac lupanari, quo res turpes a juvenibus feminis, maribusque exoletis, atque adeo a viris, aut semiviris, ne dicam a senibus quoque nonnullis, & lurcoribus, & juvenilem lasciviam exercentibus, illo scilicet palæstræ genere, quod κλινοπάλην nuncupabant. Nam Eustathius refert ad Iliad. Υ. fol. 1205. lin. 20. ἡβητήρια καλεῖσθαι τὰ συμπόσια apud Athen. x. non longe ab initio: & adjicit hoc amplius, isto ἡβητηρίων nomine turpe ... [illegible] illud significari diversorium, in quo res illæ simul veneris ... patrantur, quis modo dixi. Cui consentaneum, quod a Suida etiam adnotatur. Ἡβηδὸν *apud Herodotum sumitur pro, cum ignominia, & intemperantia, petulanter, turpiter, intemperanter & ignominiose, ut puberes plerique vivere solent.* Faber Agonist. III. 27.

EPHEMERIS est diurna actorum scriptura. V. supr. in *Diurnum.*

EPHIPPIA sunt stragula, quibus equi sternuntur, vel sellæ equis ad insidendum impositæ. Non. II. 312. *Ephippium tegmen equi ad mollem vecturam paratum.* Horat. Epist. I. 14. 43.

Optat ephippia bos piger.

Fuerunt priscis incognita, ut ex equestribus statuis, tum ex ære fusis, tum ex lapide factis, addo etiam numismata, colligere licet. Varro Cato, vel de lib. educ. apud Non. l. l. *Mihi puero modica una fuit tunica & toga, sine fasciis calciamentum, equus sine ephippio.* Quod tamen non in perpetuum fuisse arbitror, ut Neronis denique ævo Equites in transvehendo ea usurparint. Dio LXIII. p. 721. B. *Ferunt Equites Romanos Neronis temporibus, dum quotannis recenserentur, primum ephippiis usos fuisse.* Quin Cæsar, cum Germanos ostendit iis caruisse, hoc quoque addocet, Romanos habuisse, quos eo nomine ut molles illi contemnebant, de Bell. Gall. IV. 2 *Nihil*, inquit, *illorum moribus turpius aut inertius habetur, quam ephippiis uti. Itaque ad quemvis numerum ephippiatorum equitum quamvis pauci adire audent.* Lips. Milit. Rom. III. Dial. 7. Brod. Misc. IV. 16. Laurent. Polym. IV. Synops. 2. Camerar. Hippocom. Thes. Antiq. Græcar. Gronov. Tom. XI. p. 821. B. Hugo de Milit. Equest. I. 4. Potter. Archæol. Græc. III. 3. Illorum loco pelles. . . . equis insternebant. V. infr. in *Equus.*

EPI.

EPIBATES quivis conscensor ex vi Græci verbi dici potest. Hinc *epibateria* scansoriæ machinæ. Usu tamen venit, ut ea vox de conscensoribus navium dicatur, qui vel peregrinationis, vel negotiationis causa, sua, vel aliena navi utuntur. *Bal. Lex. Vitruv. Schel. in Hygin. Thes. Ant. Rom. Græv. Tom.* x. *p.* 1096. *C. Rhodig. Ant. Lect.* XXI. 30. *Bud. in Pandect. p.* 135. *A.* Etiam de navalibus militibus, & propugnatoribus classiariis, sicut apud Græcos, ita etiam Latinos. Suidas: *Epibatas vocant militantes in triremibus.* Etymolog. Sylburgii: *Epibatæ dicuntur, qui quidem non remigant, sed pugnant.* Vitruv. II. 8. *Artemisia cum esset id renuntiatum, in eo portu abstrusam classem, celatis remigibus, & epibatis comparatis, reliquos cives in muro esse jussit.* Sed hos milites [illegible] vocat: *Expositis militibus & remigibus, classem Rhodiorum inanem abduxit in altum. . . . Ita Artemisia, in navibus Rhodiorum suis militibus ... impositis ... [illegible].* Forte, quoniam in pugna tabulata, sive catastromata conscendere consueverant, & inde adversus hostes pugnare. Ita enim Thucyd. VII. Τοξόται καὶ ἀκοντισταὶ ἐπιβήσονται. Non tamen omnibus in locis justos milites significant. Quod ex eo manifestum, quia subito armatos, leviumque militum loco habitos reperimus. Nam si justi fuissent milites, quid armatura ista opus erat? At ita Hirt. Bell. Afric. c. 20. *Cæsar interim remigum, epibatarumque partem ex classe Gallorum Rhodiorumque armare, & in castra evocare, uti si posset eadem ratione, qua adversarii, levis armatura interjecta inter equites suos interponere ut.* Thucyd. VII. p. 486. A. *Gylippus e suorum nautarum epibatarumque numero, quos armaverat, sumptis per ... Syracusis.* Qui tamen remiges non fuerunt. Patet inde, quia ut diverti ab ipsis poneatur. Videntur itaque ex nautis *epibatæ* dicti, qui, cum necessitas requireret, vice militum pugnabant. Hinc enim Suidas l. l. adjicit: καὶ μὴ κωπηλατοῦντας μὲν, ἐπιτηδείως δὲ πρὸς τὸ μάχεσθαι. Quorum verborum hic videntur sensus. Omnes quidem milites *epibatæ* vocato, et præter hos etiam μὴ κωπηλατοῦντες μὲν, hoc est, qui non quidem remiges, nautæ tamen essent, & ad pugnam prælium que adhiberi possent. *Scheffer. de Milit. nav.* II. 3. *Cyrill. de Navig.* c. 19. *Pius Annot. post.* c. 82. *Bud. in Pandect. p.* 106. *C.* 135. *A. Schel. & Bald. l. l. Laz. Comm. Resp. Rom.* x. 14.

EPICEDIUM, ἐπικήδειον, est carmen funebre, quod dicebatur in exsequiis, cum justa persolverentur. Ut epitaphium, quod ad tumulum. *Scalig. Poet.* I. 50. Docet hanc differentiam Serv. Ecl. V. 20. *Epicedium est, quod dicitur cadavere nondum sepulto: ut n.* 20.

Exstinctum nymphæ crudeli funere Daphnin. . . .

Epitaphium autem post completam sepulturam dicitur, ut n. 44.

Daphnis ego in sylvis, hinc usque ad sidera, notus.

Scalig. ibid. III. 121. Voss. Lex. Etymol. Guther. de jure man. I. 18. V. etiam infr. in *Titulus.*

EPICOMBIA dicuntur missilia, quæ per aliquem senatorii

natorii ordinis in populum ſparguntur, die quo Imperator exit e templo. Sunt faſciculi ſegmentis linteis alligata habentes numiſmata aurea Imperatoria tria, totidem argentea, aut plura, & obolos æreos totidem. Sparguntur hujuſmodi faſciculi circà decies mille in areis, quæ ſunt ante veſtibulum templi, aut in Auguſtali, ſtante eo, qui projicit ſuper Auguſtalis gradus. Georg. Pachymer. Hiſt. IX. Michael Palæologus Andronici filius die Conſtantini Magni coronatur: *jaciuntur ſoliti faſciculi numiſmata alligata habentes.* Buleng. de Imperat. Rom. II. 1. & 11.

EPIDROMUS *eſt velum ſecundæ magnitudinis, quod ſuſpenditur in puppi.* Iſidor. XIX. 3. Heſychius: *Epidromus eſt velum, in puppe ſublatum.* Scheffer. de Milit. Nav. II. 5. Gyrald. de Navig. c. 14. Kipping. Diſſert. de Exped. marit. §. 1.

EPIMENION fuit demenſum ſervorum, quod dabatur illis in ſingulos menſes. Gloſſæ nondum editæ: *'Επιμήνια, cibaria.* Juven. Sat. VII. 120.

— aut veteres Maurorum epimenia, bulbi.

Et *navem cibariorum* τὸ πλοῖον τῶν ἐπιμηνίων vocat Arrian. in Epictet. II. 7. quam quotmenſibus Gratillæ miſſura erat mulier quædam. *Salmaſ. de Mod. uſur. c. 4. Voſſ. Lex. Etymol.*

EPIMETRON, ſive *interpretium* dicitur augmentum illud, quod capiebant ſuſceptores ultra vectigal, quod a provincialibus exigebant. Non enim eandem quantitatem frumenti, vini. . . . poterant ſuſceptores Romæ reddere, quam in provinciis receperant, quia vel naturalem diminutionem patiebantur illæ ſpecies, vel corrumpebatur pars aliqua, hinc neceſſarium damnum illis eveniebat; quapropter Imperatores conſtituerunt, ut illis aliquid *epimetri* nomine daretur. Non vero una & eadem quantitas erat *epimetri*, ſed pro ratione provinciarum, vel ſpecierum differentia, major vel minor erat; in remotioribus provinciis plus *epimetri* nomine dabatur quam in propinquioribus. l. 9. C. de ſuſcept. Lucania dabat decimæ ſemiſſem carnis porcinæ l. 4. C. de ſuar. pro vino & lardo exigebatur vigeſima, pro frumento quinquageſima, pro hordeo quadrageſima d. l. 9. & l. 15. C. de ſuſcept. Aridarum frugum, quia eæ facilius tranſportantur, *epimetron* erat centeſima l. 3. 14. & 15. C. eod. Non autem totum *epimetron* ſuſceptores tuliſſe, ſed dimidium cum annotatoribus communicare debuiſſe l. 3. C. de ſuſcept. At *epimetro* immunes erant quædam provinciæ, quarum vectigalia ad certum pretium redacta erant, & qui non ipſas ſpecies, ſed earum loco pecuniam ſuſceptoribus dabant. Caſſiod. Var. II. 39. *Redactum eſt ad pretium, ubi pati non poterant detrimentum, quod nec itineribus imminuitur, nec laboribus ſauciatur.* Burman. Diſſert. de vectig. c. 9.

EPINICIA, ἐπινίκια, quaſi dicas *poſtvictorialia*, erant, quæ in certaminibus victori canebantur. Suet. Ner. c. 43. n. 4. *Sequenti die lætum inter lætos cantaturum epinicia, quæ jam nunc ſibi componi oporteret.* Scalig. Poet. II. 13. Faber Agoniſt. II. 13. Stuck. Ant. Conviv. I. 21. Bud. in Pandect. p. 210. C. Laz. Comm. Reſp. Rom. X. 15. Laurent. Polym. IV. Synopſ. 17. Cerda Adv. c. 169. n. 20. Mod. de Lud. & Spect. II. 22. Faſold. de Feſt. Græcor. Decad. Decim. Feſt. 3. Meurſ. Græc. Feriat. III. Theſ. Antiq. Græcar. Gronov. Tom. VII. p. 769. F. Jonſton. de Feſt. Græcor. c. 7. §. 27. Originem ab Apolline habere fabulantur gentiles: cum enim Jupiter armis fugaſſet Saturnum e regno, Apollo lauro coronatur, ac purpurea toga ornatus, carmine ad citharam victoriam celebrarit Jovis; deoſque omnes, qui convivio intererant, oblectarit mirum in modum. Eo reſpexit Tibull. II. 5. 7.

Sed nitidus, pulcerque veni, nunc indue veſtem
Sepoſitam, longas nunc bene pecte comas.
Qualem te memorant, Saturno Rege fugato,
Victori laudes concinuiſſe Jovi.

Voſſ. Inſtit Orator. III. 7. 12.

EPIRHEDIUM ſignificat currum. De hoc Quintil. I. 5. *Junguntur ex duobus peregrinis, ut epirhedium. Nam cum ſit præpoſitio ἐπὶ Græca, rheda Gallicum, nec Græcus tamen, nec Gallus utitur compoſito; Romani ſuum ex alieno utroque fecerunt.* Juven. Sat. VIII. 66.

— trito ducunt epirhedia collo
Segnipedes, dignique molam verſare Nepotis.

Coraſ. Miſcell. III. 20. 5. Fuit vehiculum, quod Latini arceram appellarunt. Arcera enim ab ad & carrus. Id erit *epirhedium*, ſpuria & hibrida voce. *Scalig. in verb. Etymol. quas ſubjungit Conjectaneis.* Eſt genus carri quadrati, a rheda & Græco proverbio factum. *Voſſ. in Gloſſis.* Non amplector ſententiam Coraſii. Si enim currus fuit, quid ita nomen habet a *rheda?* Currus rotas duas habet, *rheda* quatuor. Non Scaligeri. Si enim arcera a carru, nil commune habet cum *epirhedio*, quod auctore Quintiliano eſt a *rheda*. Quare aliud *epirhedium*, aliud arcera. Arceræ clauſæ fuerunt tabulis. Non ſic *epirhedia*; Scholiaſtes enim Juvenalis explicat per plauſtra. De quorum genere ſi fuerunt, non potuerunt eſſe clauſa. Non Voſſii. Plauſtrum ſane non eſt quadratum, ſed bene longum. Et quid eſt *quadratus carrus?* Sine dubio his verbis reſpexit ad arcam, quæ arceram conſtituebat. Hæc quia fuiſſe quadrata viſa eſt, cum ſit iſta ſpecies arcarum vulgo, ideo *quadratum carrum* dixit. Fuit vero vehiculum Romanis ſolis uſitatum, de genere plauſtrorum, a *rheda* nominatum, & *rhedæ* non abſimile, ſed *rheda* fortaſſe minuta. Dictum, ſicut ab epiſtola eſt epiſtolium. Habuit adjunctos equos, verum inertes ignavoſque, quos *ſegnipedes* appellat, & cum aſinis comparat Juvenalis. Uſus quis fuerit, non licet divinare. Illud liquet, genus tardum fuiſſe, nec adhibitum ad curſum, verum onera. Ideo *ſegnipedum* in eis locus, qui alias debuiſſent eſſe celeres. Sed *& colla trita* in illis Juvenalis notat, quod ſine dubio a difficultate laboris in commovenda gravi mole. *Scheffer. de Re vehic.* II. 32.

EPIRUS ab Acrocerauniis montibus Illyrico, Macedoniæve finitimis uſque ad ſinum Ambracium pertinens populos habuit Chaonas, Moloſſos, Theſprotos, Amphilochos, & Athamanes. Chaones, & Theſproti, & Moloſſi, vetera nomina, Romanis rem in *Epiro* gerentibus amiſerant, atque uno fere *Epirotarum* nomine omnes ſignabantur. Bello Perſei Macedonico ad Perſeum defecerunt: Illorum prædam cum ſenatus exercitui dediſſet, L. Paullus Imperator, omni viro, atque argento tacita denuntiatione uno die ex ſeptuaginta oppidis extracto, urbes ipſas diripi, muroſque dirui juſſit, præda vendita eſt omnium; de ea ſumma militi numeratum eſt. Liv. XLV. 34. *Sigon. de Ant. jur. prov.* I. 9.

EPISCENIUM dicitur, quod ſupra *ſcenam* exſtruitur, id eſt, columnationis, ſive contignationis ordines. Vitruv. VII. 5. *Præterea ſupra eam*, ſcenam, *nihilominus epiſcenium.* Philand. in Vitruvium. Gyrald. de Poet. hiſtor. dial. VI. p. 334. B. Heſychio ἐπισκήνιον τὸ ἐπὶ τῇ σκηνῇ καταγώγιον, *pars quæ ad ſuperiorem ſcenam ducit, vel quæ ipſi ſcenæ ſuperadditur.* Bald. Lex. Vitruv. Buleng. de Theatr. Præf.

EPISTOLÆ differunt a codicillis. Senec. Epiſt. 55. *Video te, mi Lucili, cum maxime audio: adeo tecum ſum, ut dubitem, an incipiam non epiſtolas, ſed codicillos tibi ſcribere.* Ex quibus colligunt omnes, & præcipue Lipſius in ſua Inſtitut. Epiſtol. c. 2. codicillos inter præſentes, *epiſtolas* inter abſentes intercedere. Erat & *epiſtola* brevior codicillis. Senec. Epiſt. 45. *Epiſtola non debet ſiniſtram manum legentis implere.* Laurent. Polym. I. 20. *Epiſtolarum* uſus fuit, ut prius ſcriberetur nomen eorum, ad quos deſtinabantur, niſi major minori ſcripſiſſet. Unde præſides ſuum nomen inferioribus præmittebant, quemadmodum memorat Ambroſ. in II. ad Corinthios. *Panciroll. Notit. Dignit. Imp. Orient. c. 96.* Imo in nominibus olim receptum, ut in ipſa fronte *epiſtolæ* bina ſemper ponerent, ſuum & alienum: illo præpoſito, etiam ad digniorem. Cum cauſa, quoniam prima legentis cogitatio, & deſiderium eſt ſcire a quo miſſa. Etiam hoc ſervatum, ut nomina nuda, nec blandientia, aut laudantia verba ſibi, alterive tribuerent. Excipio, ſi quis in imperio, aut magiſtratu: tum enim verbo additum; P. Servilius Rul-

lus tribunus plebis xvir. Cn. Pompejo proconfuli. At epitheta nulla: nifi ad unice caros, aut domefticos, quos interdum *humaniffimos*, *optimos*, *fuaviffimos*, *fuas animas* appellabant, & receptiffimo verbo *fuos*. Quod poftremum interdum etiam ad leviter notos ufurpabant; fed labens ætas paffim, & omnibus dedit: adeo ut Imperatorem ipfum fane quam familiariter *fuum* falutet Plinius in magni operis præfatione. Ab hac mente Mart. xiv. 11.

Seu leviter noto, feu caro miffa fodali,
Omnes ifta folet charta vocare fuos.

Et in Plinii junioris epiftolis vix aliter legas: ficut & Pandectarum aliquot locis. *Lipf. l. l. Nicol. de Siglis Vet.* c. 35. §. 3. Certum fuit initium, certa claufula. Initium fuit Platoni antiquiffimum, χαίρειν, *gaudere*; vel εὖ πράττειν, *bene agere*, ut patet ex ejus ad Dionyfium III. aliisque pluribus exemplis quæ collegit Lucian. de Salutat. p. 496. haud dubie ex colloquiorum more, quo in occurfu ftatim falutamus. Græcis χαίρειν precari in ufu fuit, aut εὖ διάγειν, aut εὖ πράττειν. Horatius non præter folitum Græcus expreffit ifta Epift. I. 8. 1.

Celfo gaudere, & bene rem gerere Albinovano
Mufa rogata refert.

Omittebant hoc interdum, & præfertim Reges, quafi per majeftatem. Pertinere etiam ad præloquium videbatur vetus ordiendi formula S. V. B. E. E. V. quæ in privatis literis frequens, in publicis perpetuus, etiam pofteriore ævo. Concipi folet & his notis S. V. G. E. V. id eft, *fi vales gaudeo, ego valeo*. Hirt. de Bell. Hifpan. c. 26. *Lipf.* & *Nicol. l. l.* Hanc formulam Pythagoras & Archytas mutarunt in ὑγιαίνειν. Cleon primus pro initio fcripfit χαίρειν, auctore Luciano ibid. p. 497. quemadmodum Latine utramque formulam expreffit Horatius modo laudatus. Jam vulgo *falvere*, & *falutem plurimam dicere*; item *fuo*, vel *fuis* dicimus tefte Martiale jam allato. *Menag. in Diogen. Laert.* III. §. 61. *Hugo de prim. fcrib. orig.* c. 13. *Lipf. Inftit. Epiftol.* c. 3. *Claude de Salutat.* c. 9. Claufula Græcis eft *Pax*; quæ item adhibita omnibus fere rebus finiendis. Aufon. Eidyl. XII. 163.

Totum opus hoc fparfum crinis velut Antiphilæ. Pax.

Hanc tamen præpoftere aliam fecit fcribendo in extrema epiftola χαίρειν Ptolemæus Lagi ad Seleucum. Hugo l. l. In claufula hæc quinque follennia fere infunt. I. Valedictio, quæ inferta pariter ex fermonis ritu, quo abeuntes alter alteri bene precamur. Expreffa antiquis fimplici verbo vale. Ovid. Trift. v. 13. 33.

Accipe, quo femper finitur epiftola verbo,
Atque meis diftent ut tua fata, vale.

Lipf. ibid. c. 4. Hugo & Claude l. l. Interdum *have*, *falve*, nec indecore cum adjectiuncula *mi anime*, *mi fuaviffime*. Aut alio verbo ad argumentum apto: *vale & veni*. II. Loci adjectio, quæ neceffaria inter abfentes: nifi de eo plane conftet. Itaque Ciceroni crebro omiffa. *Lipf. l. l.* III. Temporis, in quo dies femper, annos plurimum, horas interdum notatas invenies. De Augufto Suet. c. 50. n. 1. *Ad epiftolas omnes etiam horarum momenta nec diei modo, fed & noctis, quibus data fignificarentur, addebat.* Lipf. & Hugo l. l. Unde *datum* a barbaris ufurpari cœptum vice claufulæ illius Ciceronianæ A. D. id eft, ad diem, vel ante diem. V. illam fupr. in *A. D.* Hugo l. l. IV. Subfcriptio, quæ prifcis ignota, nifi forte in literis ad Imperatores: quibus fubfcriptum per fpeciem honoris, & obfequii, *devotos fe effe*. Nos tamen ufurpamus, nec damno apud grandes, aut ignotos: apud familiares vacuum videatur, imo vile. V. Subfcriptio, quæ nobis inter legitima, veteribus raro fortaffe ufurpata. *Lipf. l. l.* Illas obfignaverunt creta. V. fupr. in *Creta*: & deinde cera. V. fupr. in *Cera*: & lino obligaverunt, eoque foluto folverunt. V. infr. in *Linum*. Ab amicis miffas ofculabantur, & ad oculos admovebant. Julianus in Epiftolis. *Ut accepi tuas literas, ofculabar, & ad oculos admovebam, & arcte tenebam, quafi veritus, ne tuæ imaginis fpecies mihi per oblivionem evolaret in legendis tuis literis.* Buleng. de Imperat. Roman. III. 15. Laurent. Polym. II. 37. Per *epiftolam* Latinorum manumiffionem effe factam V. infr. in *Latini*. Per O, an per U fcribendum fit V. infr. in *Scævula*.

Epiftola adventoria dicitur, quæ adventanti amico mittitur obvia. Mart. Præf. XII. *Et ftudui paucifimis diebus, ut familiariffimas mihi aures tuas exciperem adventoria fua.* Rhodig. Ant. Lect. XXIX. 3. Hugo de prim. fcrib. orig. c. 13.

Epiftola evocatoria. Sidon. Epift. VIII 12. *Sed fi epiftolam fpernis evocatoriam.* Hæc Trigetium Burdigalam invitabat & *evocabat*. Frequentius *evocatoria* vocatur fine adjectione paffim in jure. Quibus addes quod ait Jornand. de reb. Getic. fub finem: *Theodoricum fuæ genti Regem audiens ordinatum Imperator Zeno grave fufcepit, eique evocatoria deftinata, ad fe in urbem venire præcepit.* Formulas exhibet Caffiod. v. 28. *Et ideo tam defiderio veftro fatisfacientes, quam quod vos neceffarios effe credidimus, juffis præfentibus evocamus.* Savar. & Sirmond. in Sidonium. Hennin. in Bergier. de viis milit. IV. Sect. 15. §. 9.

Epiftola formalis vocatur, qua Imperator aliquid edicebat, & publice imperabat, aut publice ad aliquos fcribebat: ut ex ejus ftylo, & forma, & exemplari fimiles fcriberentur. Habebant enim eam formam, quam inftrumenta & edicta publica habent. Suet. Dom. c. 13. n. 4. *Cum procuratorum fuorum nomine formalem dictaret epiftolam.* Turneb. Adv. v. 8. Savar. in Sidon. VI. 8. Buleng. de Imperat. Rom. III. 12. Hugo de prim. fcribend. orig. c. 13. Guther. de Offic. dom. Aug. I. 33. Marcil. in Suetonium. Lipf. de Inftitut. Epiftol. c. 4.

Epiftola Principis Theophilo definitur *refcriptum ejus ad relationem magiftratus, de re quapiam ancipiti emiffum* Inftit. de jur. nat. gent. & civil. Sed hoc non eft perpetuum. Nam refcripta funt refponfa Principis, ad relationes magiftratuum, aut preces, & defideria fupplicantium, libello ab iis dato. At *epiftolæ* proprie funt literæ Principis, quæ illius mentem aperiunt fine fupplici libello, aut relatione. Quod infcriptio legis Honorii & Theodofii indicat l. fin. C. de his qui accuf. non poffunt. *Imperatores Honorius & Theodofius A. A. Confulibus, prætoribus, tribunis plebis, fenatui S. D.* Guther. de Offic. Dom. Aug. I. 33. Harum cura demandabatur illarum præfectis. Sæpe enim ob occurrentes neceffitates *epiftolas* Principi, vel aliis fcribere præfecti cogebantur, aut caufa evectionum, ubi alicui equis publicis currendi facultatem dabant, vel ubi quis munere officii functus, cum honorariis *epiftolis* mittebatur, quæ teftimoniales vocabantur l. 2. C. defertor. l. ult. C. de profeffor. vel ubi ad annonam, tributave publica fpectantia, aut alia ad Rempublicam pertinentia ordinabant. Caffiod. Var. XI. 23. *epiftolas canonicas* nominat ad canonem tributorum pertinentes. Qui harum curam habebant, *Epiftolares* funt vocati. Hi introducta ad præfectum caufarum appellatione, gefta coram priore judice accipiebant, & fequentia acta fcribebant. l. ult. §. in his C. de temp. appell. *Pancirol. Notit. Dignit. Imp. Orient.* c. 17. *Buleng. de Imp. Rom.* IV. 14. *Guther. ibid.* III. 4.

EPISTOMIUM, ἐπιστόμιον, eft æramentum, quo ora falientium obturantur, & laxantur, cum opus eft, dum manu ducitur vertibulum illud pertufum, quod admittit, vel arcet aquam, prout hoc aut illo modo verfatur. Hoc ad hauriendum ad quotidianum ufum vinum in hypogeis utimur, fontem appellantes. Vitruv. x. 13. *Singulis canalibus fingula epiftomia inclufa funt, manubriis ferreis collocata, quæ manibus cum torquentur, ex arca* (alii *ex ara*) *patefaciunt naves in canales.* Bud. in Pandect. p. 164. K. Bald. Lex. Vitruv. Cerda Adv. c. 67. c. 7. Grapal. de Part. dom. II. 3. §. 7. Rhodig. Ant. Lect. XXX. 18. Philand. in Vitruvium.

EPISTYLIUM. *Supercolumnium* diceres Latine. Eft velut magna trabs perpetua, e lapide, aut materiario opere, a columna ad columnam pertinens, & fecundum longitudinem fuam duobus cephaliis hinc & inde impofita, uti fi duo homines fupra fua capita ferrent trabem, aut lignum. Vitruv. III. 3. *Epiftyliorum ratio fic eft habenda.*

Plin. XXXV. 14. *Patris ædes Jovis & Herculis, quamvis lapideas columnas, & epistylia circumdarent.* Bergier. de viis militar. V. Sect. 10. §. 6. Salmas. Exercit. Plin. p. 575. a. G. Bald. Lexic. Vitruv. Argol. in Panvin. de Lud. Circens. I. 27. Grapald. de Part. dom. I. 8.

EPITAPHIUM est carmen, quod dicebatur ad tumulum. V. supr. in *Epicedium.*

Epitaphium est etiam elogium, quod tumulo inscribitur. *Scalig. Poet.* III. 121. Differebat a titulo. V. infr. in *Titulus.* Ad characteres spectabiliores reddendos minio interdum notabatur. Plin. XXXIII. 7. *In voluminibus quoque scripturæ usurpatur, clarioresque literas, vel in auro, vel in marmore, etiam in sepulcris facit.* Niquet. Histor. tit. cruc. I. 7.

EPITHALAMIUM est carmen, quo nuptiæ celebrantur; θάλαμος est cubiculum nuptiale primo suo significatu. *Scalig. Poet.* III. 100. *Cresoll. Theatr. rhet.* III. 9. *Voss. Lex. Etymol. Laurent. Polym.* IV. 17. *Robortell. ad Epithalam. Catulli.* Ad ostium cubiculi canendum erat, ut durabile esset conjugium. *Barth. Adv.* XXXV. 8.

ἙΠΤΑΛΟΦΟΣ a Græcis, *septicollis* a Fabio Pictore, *septemgemina* a Statio Sylv. IV. 1. 6. dicitur Roma. Et Prop. III. 9. 56.

Septem urbs alta jugis, toti quæ præsidet orbi.

Hos colles Virgilius in Georgicis, & in Epithalamio Ausonius, propter sedes regias aliquando in iis constitutas septem arces nominarunt. *Fabric. Descr. Urb. Rom. c.* 3. *Rycq. de Capitol. c.* 1.

EPO.

EPONA. V. illam infr. in *Hippona.*

EPOREDIA est nunc etiam urbs subalpinæ Galliæ, in finibus Salassorum, ad Durium fluvium. Vulgo *Jurea.* Sita est in ipsis faucibus Salassorum vallis; inter duo altissima juga in edito vertice condita. *Ursat. de Not. Roman. Thes. Ant. Rom. Græv. Tom.* XI. *p.* 888. *D. Cluver. Germ. Ant.* I. 13. 5. Anno ab U. C. 633. Mario VI. & Flacco Coss. *Eporediam* colonia deducta est ad cohibendas Salassorum hostium incursiones. Strab. IV. p. 142. *Postremo Cæsar Augustus eos funditus sustulit, & universos sub corona vendidit in Eporediam coloniam translatos. Quæ colonia Romanorum in hoc fuerat condita, ut præsidio esset contra Salassos.* Sigon. de Ant. jur. Ital. III. 6.

EPOTIDES, ἐπωτίδες, dicebantur projecturæ navium, velut aures, prominentia tigna; sive trabes, tabulæque crassiores ab utroque proræ latere prominentes, ad eludendos rostrorum ictus. Schol. Thucyd. VII. p. 508. D. *Epotides ligna sunt, ab utraque proræ parte prominentia.* Quod docet Thucydidis locus, quem mox afferemus. Falsus est Etymologus, quando in puppi ponit: *Sunt, autem,* inquit, *qui puppis ajunt esse summitatem, cui affiguntur epotides.* Nescio, annon circa rostrum fuerint. Ita certe ex Strabone in mentem venit, qui sic de Hispania III. *Promontorium Artemidorus navi assimilat, & ad figuram accedere tres insulas, quarum rostri vicem una gerat, reliquæ epotidarum.* Apud Latinos an fuerint in usu hactenus non nihil dubitavi. Sane neque nummi, neque marmora effigiem ipsarum exhibent, nisi quis Valentiniani nummum quemdam simile quid habere putet. Excogitasse videntur Corinthii, postea Syracusani imitati esse. Thucyd. VII. p. 509. D. *Instruxerant classem Syracusani cum aliis rebus: & proris imposuerunt crassas epotidas, iisque tigna junxerunt, & intus, & extra, quæ usque ad navium latera spatio fero senum cubitorum pertingerent, ad majorem eorum firmitudinem, quomodo & Corinthii adversus naves, quæ ad Naupactum erant, suarum proris instructi pugnaverant.* Scheffer. de Milit. Nav. II. 5. Voss. de Trirem. & Liburn. Constr. Thes. Ant. Rom. Græv. Tom. XII. p. 721. D. Gyrald. de Navig. c. II. Bayf. de Re nav. Thes. Ant. Græc. Gronov. Tom. XI. p. 621. D.

EPP.

EPPIA gens. V. illam infr. in *Gens.*

EPR.

EPRIA gens. V. illam infr. in *Gens.*

EPU.

EPULÆ sunt cibi sollennes, & proprie publicum convivium in propatulo civibus exhibitum. *Laurent. Polym.* IV. *Synops.* VI. *de conviv. Vet: c.* 4. *Morestell. Philom.* V. *Dial.* 6.

Epulæ adjiciales. V. illas supr. in *Cœna.*

Epulæ Albanæ, quæ in monte Albano celebrabantur. Mart. XII. 48. 11.

Non Albana mihi sit comessatio tanti,
Nec Capitolinæ, Pontificumque dapes.

Siccam. in Fast. Kalend. Rom. c. 4. In monte Albano datæ fuerint in Quinquatriis Palladi institutis. Stat. Sylv. IV. 2. 63.

Qui mihi felices epulas, mensæque dedisti
Sacra tuæ, talis longo post tempore venit
Lux mihi, Trojanæ qualis sub collibus Albæ
Cum modo Germanas acies, modo Daca sonantem
Prælia, Palladio tua me manus induit auro.

Rader. ad Martialem.

Epulæ Capitolinæ, quæ in Capitolio celebrabantur. Mart. supr. in *Epulæ Albanæ.*

Epulæ funebres. V. illas supr in *Cœna funebris.*

Epulæ geniales dicebantur quæ a novo marito apparabantur. Illis tibia interveniebat. Thalassio Romanis, non secus atque Græcis Hymenæus inclamabatur. Nova nupta laudabatur. *Laurent. de Sponsal. & nupt. c.* 1.

Epulæ militares in ducis alicujus, alteriusque personæ principis electione, aut in bello, vel ante prælium, vel post prælium majore solito cibi potusque abundantia atque lætitia celebrabantur. I. Hoc semper fuisse moris legimus, ut qui vel Imperatores appellati, vel aliud aliquod honorificum munus militare erant adepti, militibus, vel suæ erga illos benevolentiæ, atque gratitudinis pro accepto beneficio testificandæ, vel animos illorum sibi magis magisque conciliandi gratia, magnificum aliquod, splendidumque *epulum* exhiberent. Exempla passim apud auctores occurrunt. II. Ante prælium præsertim periculosius, quod imminere videbatur, operam Imperatores dederunt, ut milites prius *epulis* paullo liberalioribus atque copiosioribus corroborarentur, atque animarentur, quo majoribus nimirum viribus, animorumque alacritate pugnam capesserent. Hinc & a Latinis *prandium militare dictum*, ut Treb. Poll. in Gallien. c. 2. testatur, quod ad bellum *milites paret, a cinctis iniri* solitum. III. Finito prælio rursus opus est, militum, qui superstites remanserunt, corporis, animique vires largioribus, lautioribusque epulis refici, & restaurari, quo ad pugnam, si ita necessitas postularit, denuo capessendam, atque redintegrandam sufficere possint. Id ipsum Homerus sub Ulyssis persona Achillem alloquentis docet hunc in modum Iliad. XIX. 229.

Quotquot vero e bello odioso reliqui fuerint,
Meminisse potus & cibi, ut adhuc magis
Viris cum hostibus pugnemus indesinenter usque.

Stuck. Ant. Conviv. I. 21. Faber Agonist. II. 19.

Epulæ natalitiæ. V. illas supr. in *Cœna.*

Epulæ nundinariæ erant quoque inter nundinarum sollennia, ut notare est in lege 69. ff. pro socio: *Cum societas ad emendum coiretur, & conveniret, ut unus reliquis nundinarias præstaret, eosque ad negotium admitteret, si eas eis non solverit, & pro socio, & ex vendito cum eo agendum est.* Huc etiam coquus nundinalis referendus est, apud Plaut.

Aul.

Aul. II. 4. 45. *Putean. de Nundin. Roman. c.* 28. *Struv. Ant. Rom. c.* 9. *p.* 448.

Epulæ Pontificales.
Epulæ Saliares. } V. illas supr. in *Cœna.*
Epulæ triumphales.

EPULARES dicebantur, qui ad sacras *epulas* admittebantur, quod iis tantum fas erat, qui caste pureque accedebant. *Siccam. ad Fast. Kalend. Roman. c.* 4.

EPULONES erant sacerdotes, qui *epulis*, ludis, ac sacrificiis *epularibus* præfecti erant. Festus: *Epulonos dicebant antiqui, quos nunc Epulones dicimus. Epulum indicendi Jovi, cæterisque diis potestatem habebant.* Aring. Rom. Subterr. II. I. 6. Gyrald. Synt. Deor. XVII. p. 481. D. Siccam. in Fast. Kalend. Rom. c. 4. Morestell. Philom. v. 6. Sigon. de Ant. jur. civ. Rom. I. 19. Clasen. Theol. Gentil. III. I. §. 12. Stuck. Antiq. Conviv. I. 23. Kipping. Antiq. Roman. I. 12. 8. Blond. Triumph. Rom. I. 20. G. Peculiare illorum munus erat, curare ut ejusmodi *epulæ* ab aliquo ipsis testamenti tabulis decretæ operi demandarentur. Si forte enim quandoque legatarii id præstare diu neglexissent, eorundem bona, ac jura pariter collegio *Epulonum* ex legum præscripto cedebant. *Blond. ibid.* II. *p.* 33. *Boissard. Antiq. Roman. Tom.* II. *p.* 14. *Aring. l. l.* Vario fuerunt numero. Quando primum instituti sunt Coss. L. Furio Purpureone, & M. Claudio Marcello, anno Urbis 558. tres creati sunt. Liv. XXXIII. 42. *Romæ eo primum anno Triumviri epulones facti sunt C. Licinius Lucullus, T. Romulejus, qui legem de creandis his tulerat, & P. Porcius Leeca. His Triumviris, item ut Pontifici, lege datum togæ prætextæ habendæ jus.* Cicer. de Orat. III. 19. *Pontifices veteres propter sacrificiorum multitudinem tres viros epulones esse voluerunt, cum essent ipsi a Numa, ut etiam illud ludorum epulare sacrificium facerent, instituti.* At postea Septemviri fuerunt. Gell. I. 12. *Item cujus pater Flamen, & Augur, aut Quindecimvir sacris faciundis, aut Septemvir epulonum.* Ut autem Ciceronis ætate cum numerum fuisse credam, ex eo colligo, quod hujus sacerdotii mentionem facit Lucan. I. 602.

Septemvirque epulis festus, Titiique sodales.

Ut enim rationem temporis habeat Lucanus, necesse est initio belli civilis, cujus prodigia illic scribuntur, fuisse *Septemviros epulones.* At si tempore belli civilis inter Cæsarem & Pompejum erant *Septemviri epulones*, nemo autem legatur ad sacerdotum numerum centum & eo amplius annorum spatio adjecisse præter Syllam Dictatorem, relinquitur ut Syllæ instituto *Septemviri epulones* esse cœperint, qui ad illud usque tempus fuerant *Triumviri.* Nam non ita multo tempore ante Syllæ dictaturam adhuc *Triumviros epulones* fuisse colligi potest ex Cicer. l. l. Lucius enim Crassus illic loquitur de *Triumviris epulonibus*, quem constat non multo ante Syllæ dictaturam mortem obiisse. De illorum munere Cicer. de Arusp. resp. c. 10. *Ludos minus diligenter factos pollutosque: quos ludos? Te appello Lentule: tus sacerdotii sunt thensæ, curricula, præcentio, ludi, libationes, epulæque ludorum publicorum: Vosque Pontifices, ad quos epulones Jovis Opt. Max. si quid est prætermissum aut commissum, adferunt, quorum de sententia illa eadem revocata atque instaurata celebrantur.* Gruch. de Comit. Roman. II. 2. Hospinian. Fest. Ethnic. p. 224. Ursat. de Not. Rom. Thes. Antiq. Rom. Græv. Tom. XI. p. 695. D. Volaterr. Philol. XXIX. p. 1104. D. Panvin. de Civit. Rom. c. 39. Struv. Ant. Rom. c. 12. p. 606. Choul. Relig. vet. Roman. p. 214. Taffin. de ann. secul. c. II. §. 7. Pigh. Annal. Rom. II. p. 260. Laurent. Var. sac. gentil. c. I. Rosin. Antiq. Roman. III. 18. Læt. de Sacerdot. c. 14. Kipping. Aring. Gyrald. Clasen. & Morestell. l. l. Illorum collegium unum fuisse ex summis negat *Gutherius*, affirmant *Cuperus & Norisius.* V. illos supr. in *Collegium.*

EPULUM ut instrueretur, opus erat obsonatoribus, macellariis, coquis, τραπεζοκόμοις, mensæ præfectis, architriclinis, structoribus, scissoribus, & aliis, de quibus suis locis. *Buleng. de Conviv.* I. 18. Instituebatur ludorum causa, quod *ludorum sacrificium epulare* vocat Cicer. de Orat. III. 19. *epulum ludorum causa* Liv. XXXIII. 42. *Struv. Ant. Roman. c.* 9. *p.* 396. Quæres, cum ludi toto die perdurarent, & quandoque diebus tribus continuati dicantur, unde *epulas* haberent spectatores. Editores *epulum* populo dabant, dispositis tabernis, quæ prope circum erant. Dio XXXV. Καὶ ὁ δῆμος ἄπαυστὶ μέχρι τότε τὰς ὁπλομαχίας θεώμενος, καὶ ἄριστον εἵλετο. Scribit quoque Dio XXXVII. p. 50. D. antiquos Romanos sine cibo per totum diem in circo perdurasse, sed mox anno ab U. C. 693. Pisone & Messalla Coss. provisum, ut cibum in meridie caperent, & ludi quiescerent. Prandebant, sive recta, sive sportulis datis. Rectam dedit J. Cæsar, dispositis per vicinas tabernas cibis, teste Plutarcho. Sportularum meminit Arrianus in Epictetum. Suet. Claud. c. 34. n. 6. *Dimisso ad prandium populo spectaculis præsidebat.* Argol. in Panvin. de Lud. Circens. II. 16. Buleng. de Circo c. 41. & 56. Pitisc. in Suetonium. Dabatur quoque in statuarum dedicatione. Dio LVII. p. 610. A. *Statuam quondam Augusto Livia dedicare, ac propterea Patricios & Equites cum eorum uxoribus convivio accipere statuerat. Sed Tiberius ipse epulum viris, illa tantum mulieribus, eo jubente, prabuit.* Inscriptio apud Gruter. p. 414. n. 2. OB. DEDICATIONEM. STATUÆ. DECURIONIBUS. ET. SEVIRIS. ET. JUVENIBUS. SPORTULAS. ET. POPULO. EPULUM. ET. OLEUM. EADEM. DIE. DEDIT. *Figrell. de Stat. Rom. c.* 30. *Struv. ibid. c.* 11. *p.* 543.

Epulum Herculis nobilissimum & celeberrimum fuit. Nævius apud Priscian. IX. Apud quem sic lego: *Qui decumas partes, quantum alieni fuit, polluxit, tibia publicando epulo, Herculi decumat.* Nam hujusmodi *epulum* tibia publicabatur, ut Jovis. Herculi votivum *epulum* tanto sumptu fiebat, ut Herculanarum decimarum, & polluctorum impensas tabularii supputarent. Hinc Plaut. Most. I. I. 23. *pollucibiliter obsonare* est omnem rem intempestivis conviviis deperdere. *Guther. de vet. jur. Pontif.* IV. 23. *Laurent. var. sacr. Gentil. c.* 14.

Epulum Jovis non alibi quam in Capitolio celebrabatur. Martialem V. supr. in *Epulæ Albanæ.* In sacrificiis enim sollennibus non dies magis stati, quam loci sunt, in quibus fiant. Illo *epulo ipse in lectulum, Juno & Minerva in sellas ad cœnam invitabantur. Quod genus severitatis ætas nostra diligentius in Capitolio, quam in domibus suis servat.* Val. Max. II. I. 2. Populo denuntiabatur a sacerdotibus pridie quam celebraretur. Arnob. VII. p. 238. *Jovis epulum cras est. Jupiter enim cœnat, magnisque implendus est dapibus, jamdudum media gestiens, & anniversaria interjectione jejunus.* Kalendarium Rusticum: MENS. NOVEMB. JOVIS. EPULUM. Hoc *Epulones* indicebant. V. supr. in *Epulones.* Guther. de vet. jur. Pontif. IV. 23. Ursat. de Not. Roman. Thes. Ant. Rom. Græv. Tom. XI. p. 695. B. Hospinian. Fest. Ethnic. p. 223. Siccam. in Fast. Kalend. Roman. c. 4. Rader. in Mart. XII. 48. 11. Elmenhorst. in Arnobium. Rosin. Ant. Rom. IV. 15. Faber Semest. I. 6. V. & supr. in *Cœna dialis.*

Epulum triumphale. V. illud supr. in *Cœna triumphalis.*

EQU.

EQUÆ, ut velociores, ad certamen curule præferebantur. Ælian. V. H. VI. 36. *Equæ ad rem curulem aptiores esse creduntur.* Plin. X. 63. *Vicisse Olympia prægnantem Echeratus Thessali equam.* Hinc Horat. Od. II. 16. 35.

— tibi tollit hinnitum
Apta quadrigis equa.

Serv. Georg. I. 59. *Epirus creat equas optimas, quæ apud Elidem palmas merentur in Jovis Olympici curuli certamine. Nec mireris equas currere. Nam, ut dicit Plinius, velociores sunt, ideo quod in cursu urinam faciunt.* Scheffer. de Re vehic. I. 12. Circa Olyssiponem & Tagum sine ulla admissura a solo favonio concipiunt. Varr. de Re rust. II. 7. *In Lusitania ad oceanum in ea regione, ubi est oppidum Olyssippo, monte sacro, quædam e vento concipiunt equæ.* Sil. Ital. XVI. 364.

Nullis

Nullus erat pater, ad zephyri nova flamina campis
Vectonum eductum genitrix effuderat Harpe.

De *equabus* Lusitaniæ Virg. Georg. III. 273.

Ore omnes versæ in zephyrum stant rupibus altis.

Buleng. de Circo c. 5. Wouwer. Polym. c. 10. Mod. Epist. 130.

Equi cernens quatuor satyros a Victore collocatur in octava Urbis regione, quæ Forum Romanum dicitur. Marmoreæ erant effigies, vel æneæ. Forte hi sunt quatuor satyri, quorum auctor ignoratur, descripti a Plin. XXXVI. 5. *Multa*, inquit, *in eadem schola sine auctoribus placent, satyri quatuor, ex quibus unus Liberum patrem palla velatum Veneri præfert. Alter Liberum similiter. Tertius ploratum infantis cohibet. Quartus cratere alterius sitim sedat.* Panciroll. Descr. Urb. Rom. Thes. Antiq. Roman. Græv. Tom. III. p. 356. C.

EQUARIUS vocabatur medicus *equorum*. V. illum infr. in *Mulomedici*.

EQUESTRIA, ἱππικῶς, supple loca, erant subsellia, in quibus *equites* sedebant, & ludos spectabant. Senec. de Ben. VII. 12. *Equestria omnium equitum Romanorum sunt, in illis tamen locus meus fit proprius, quem occupavi. Habeo in equestribus locum, non ut vendam, non ut locem, non ut habitem; in hoc tantum, ut spectem. Propterea non mentiar, si dicam me habere in equestribus locum: sed cum in theatrum veni, si plena sunt equestria, & jure locum habeo illic, quia sedere mihi licet: & non habeo, quia ab his, cum quibus jus mihi loci est commune, occupatus est.* Suet. Cal. c. 26. n. 8. *Ut equestria ab infimo quoque occuparentur.* Lips. de Amph. c. 14. Chimentell. de Hon. Bisell. c. 34. Buleng. de Circo c. 33. Turneb. Adv. IV. 19: XVIII. 33. Voss. Lex. Etymol. in cavea. Demster. Paralip. ad Rosin. Antiq. Rom. V. 10. Pitisc. in Suetonium. Thys. de Amphith. p. 285. Equitibus attribuit L. Roscius Otho. V. infr. in *Equites*.

EQUIRIA dicebantur *ab equorum cursu. Eo enim die currunt equi in campo Martio.* Varro de Ling. Lat. V. 3. A Romulo in honorem Martis instituta erant. Festus: *Equiria ludi, quos Romulus Marti instituit per equorum cursum, qui in campo Martio exercebantur.* Celebrabantur III. Kal. Mart. Ovid. Fast. II. 857.

Jamque duæ restant noctes de mense secundo,
Marsque citos junctis curribus urget equos.
Ex vero positum permansit Equiria nomen:
Quæ deus in campo prospicit ipse suo.

& prid. Id. Mart. Ovid. Fast. III. 517.

Sex ubi sustulerit, totidem demerserit orbes,
Purpureum rapido qui vehit axe diem;
Altera gramineo spectabis Equiria campo,
Quem Tiberis curvis in latus urget aquis.

Marlian. Topogr. Urb. Rom. V. 3. Panciroll. Descr. Urb. Rom. Thes. Ant. Rom. Græv. Tom. III. p. 359. E. Perion. de Græc. & Roman. Magistrat. III. Thes. Antiq. Græcar. Gronov. Tom. VI. p. 2810. A. 2811. A. Hospinian. de Orig. Fest. Ethnic. p. 110. Buleng. de circo c. 1. Nardin. Rom. Vet. VI. 1. Struv. Ant. Rom. c. 9. p. 406. Gyrald. Synt. deor. XVII. p. 494. B. Alex. Gen. Dier. V. 26. & ad illum Tiraquellus. Schil. Nom. Philol. p. 468. Hugo de Milit. Equest. III. 1. Faunus Antiq. Urb. Rom. IV. 21. Pigh. Annal. Rom. II. p. 42. Volaterr. Comment. Urb. XXX. p. 1093. E. Blond. Instaur. Rom. II. §. 33. Triumph. Rom. II. p. 36. A. Valdequam mirum mihi, fateor, hoc accidit, in tanta rerum affluentia, magnificentiaque publica, in herba, & gramine prati fuisse spectata, nec partem illi aliquam campi peculiarem fuisse attributam, præsertim cum & alii circi minoris usus, & frequentiæ, majorique intervallo ab Urbis parte cultissima disjuncti, muris circumdati fuerint. Quare quemadmodum Septa, aut sicut theatrum, & stadium, a Cæsare in Campo Martio e ligno fabricata sunt, ita & hæc suo fuisse inclusa spatio crediderim. Nec alium *Equiriis* situm, quam aream Navoniam tribuerim, quæ quidem gramine obsita, sed suis inclusa limitibus fuisse videtur, donec ab Alexandro Severo in circi formam speciemque conversa est. Contra absurda magis illorum opinio videtur, qui alium sibi ad *Equiria* celebranda circum somniavere, nempe illic locorum, ubi nunc ædes B. V. Aquiriæ est: quo usque graminea pars campi Martii non provenit. *Nardin. l. l. Borrich. Ant. Urb. Fac. c. 11. §. 6.* Cœlius præstabat usum campi Martii, ad *Equiria* celebranda, si quando Tiberis planitiem inundando altiora requirere jubebat loca. Ovid. Fast. III. 521.

Qui tamen ejecta si forte tenebitur unda,
Cœlius excipiet pulverulentus equos.

Festus: *Martialis campus in Cœlio monte dicitur, quod in eo Equiria solebant fieri, si quando aquæ Tiberis campum Martium inundassent.* Nardin. ibid. III. 7. Tiraquell. Hospinian. Buleng. l. l. Priora fuere, ut equitatus lustraretur: altera, ut numerus integraretur, si licet augurari. *Buleng. l. l.*

EQUITANDI artem addiscebant Romani equis ligneis, hyeme quidem sub tecto, æstate vero in campo positis, super quos, Vegetio teste, juniores primo inermes, dum consuetudine proficerent; deinde armati cogebantur ascendere. Qua in re maxima cura adhibebatur, ut non solum a dextris, sed etiam a sinistris partibus, & insilire, & desilire condiscerent; evaginatos etiam gladios, vel hastas tenentes. Vitio autem fuisse datum adolescenti Romano, qui nesciret *equitare*, significat cum stomacho quodam scribens Horat. Od. III. 24. 54.

—— *nescit equo rudis*
Hærere ingenuus puer.

Valtrin. de Re milit. Rom. I. 4. Hugo de Milit. Equest. III. 1.

EQUITARE in arundine ludus est, cujus meminit Horat. Sat. II. 2. 248.

Ludere par impar, equitare in arundine longa.

Val. Max. VIII. 8. *Socrates non erubuit tunc, cum interposita arundine cruribus suis cum parvulis filiolis ludens ab Alcibiade visus est.* Plutarch. Apophth. Lacon. p. 213. E. de Agesilao. *Quia colludebat cum filiolis, arundinem quasi equum inscendens.* Buleng. de Lud. vet. c. 28.

EQUITES peditibus opponuntur, ut in acie. V. infr. in *Equites & equester ordo.* Hos in legione Romulus ipse legionis auctor instituit trecentos, denis *equitibus* opulentissimis, quibusque ac nobilissimis ex singulis triginta curiis delectis, quos in tres centurias descriptos, Ramnensium, Tatiensium & Lucerum nomine distinxit. Liv. I. 36. De illis Plinius infr. in *Trossuli.* Valtrin. de Re milit. III. 4. Perperam prisci confundunt hos cum legionariis, cum illi similiores fuerint ei *equitum* generi, quos Adriani ætas singulares Imperatoris vocabat, aut prætorianos, posterior vero domesticos & protectores. Ab ea confusione ortum est quod Plinius scriptum reliquit. Non enim ejusdem generis fuerunt, qui sub Romulo, Regibusque Celeres appellati sunt, cum legionariis, quos aliquando Flexutes a flectendis equis, & Trossulos ab oppido dictos fuisse constat. Illi privati ac domestici Romuli, Regumque *equites* fuerunt ad custodiam corporis eorum instituti, & alia quæ vellent ministeria obeunda. Liv. I. 16. *Trecentos armatos ad custodiam corporis, quos Celeres appellavit, non solum in bello, sed etiam in pace habuit.* Dionys. II. p. 86. *Senatu deinde ex centum senioribus constituto, videns sibi & juvenum manu opus futurum, cujus ministerio & ad corporis tutelam, & ad necessaria munia peragenda uteretur, CCC. viros robustissimos, ex nobilissimis familiis delectos circa se habuit, commendatos curiarum suffragiis, quemadmodum senatores antea, denos per singulas curias. His in universum fuit nomen & nunc Celeres. Qui in Urbe sibi quasi corporis custodes armati apparerent, & ministratorum vice mandata ejus exsequerentur, in bello autem protectorum munus, & propugnatorum sustinerent.* Salmas. de Re milit. Roman. c. 20. Numerus pro numero legionum variavit: singulis enim trecenti dabantur. *Schel. ad Polyb. Thes. Ant. Rom. Græv. Tom. X. p. 1207. D. Salmas. l. l.* Imo crevit magis magisque nume-

numerus prolabente jam antiqua disciplina, & honore legionum, donec seculis sequentibus omne robur exercitus ad *equitem* recidit. *Schel. ad Hygin. Thes. Ant. ibid. p.* 1079. *B.*

Equites, qui publico *equo* merebant, a Romulo in denas partes divisos esse scribit Ovid. Fast. III. 127.

Inde pares centum denos secrevit in orbes
Romulus: hastatos instituitque decem.
Et totidem princeps, totidem pilanus habebat
Corpora: legitimo quique merebat equo.

Sed falsum est a Romulo institutos ejusmodi *equites* legionarios, qui equo publico donabantur, eoque merebant legionibus adjuncti & inserti. Verisimile est a Servio eos institutos legionarios *equites*, cum constet primum illum ex Regibus non solum pedites, sed etiam *equites* ex censu legisse, qui mos duravit usque ad Marium. Is ergo Servius *equites* elegit ex illis qui maximum censum haberent, quique generis essent illustrioris, quos in octodecim centurias distribuit, eosque adjunxit primis octoginta legionariorum centuriis. *Digessit*, inquit Dionys. IV. p. 222. *in octodecim centurias, easque primis illis legionariorum* LXXX. *centuriis attribuit.* Salmas. de Re milit. c. 20. Antiquitus, ut docet Polyb. VI. 18. *equites* legionis post pedites legi solebant, suo autem tempore ante delectum peditum. Ratio etiam eligendi diversa fuit utriusque militiæ: olim solebant probari, utitur enim verbo δοκιμάζεσθαι Polybius; sed ejus tempore ex censu eligi solebant, ἐκλογῆς γενομένης πλουτίνδην. Notat etiam discrimen e numero, quod antiquo tempore scriberentur ducenti *equites* in quater millia peditum, quo numero constabat legio, sua vero ætate fierent trecenti in singulas legiones. Ponit enim differentiam in modo delectus. Qualis ea fuerit, non deprehendes ex hac Casauboni versione: *Mox equites olim quidem posteriore loco moris erat deligere, & quaternis peditum millibus adjungere ducentos. Nunc priore loco eos centuriant, e censu jam ante per censores electos, atque illorum trecentos unicuique legioni assignant.* Si ætate Polybii e censu eligebantur, annon etiam moris idem olim fuit? Certe vel a temporibus Servii Regis, qui primus ex censu peditum *equitumque* legendorum morem instituit, ea consuetudo deligendi *equites* servata est apud Romanos. Præterea in posteriore hoc delectu *centuriatos e censu equites jam ante per censorem electos*, magis convenire videtur priori instituto legendi *equitis*, quo δοκιμάζεσθαι eos dixit Polybius. Ac isto genere posteriore scribit, a censore simpliciter lectos fuisse πλουτίνδην, id est, pro habitu pecuniarum. Ita interpretanda sunt Polybii verba: Olim post peditum delectum *equites* legebantur, quia facilis admodum fuit eorum tunc electio. Ex numero quippe eorum, qui jam in *equestri* ordine erant recensiti pro copia census, eos probatos deligebant, qui *equo* mererent & legionibus assignarentur. Ideo utitur verbo δοκιμάζειν, quia spectatæ virtutis, ac probatæ vitæ ex *equestri* ordine, & ex omni *equitum* numero eos eligebant, qui æra *equestria* facerent, & *equo* publico mererent, & legionibus adscriberentur. Ex octodecim centuriis, in quas ex censu *equites* descriptos diximus, certi deligebantur postquam pedites legionarii lecti fuerant, qui *equites* legionarii essent. Hi ultimo loco solebant legi, quia nullo negotio ex ea multitudine, cui census *equestris* erat, magis idoneos deligebant, quibus *equos* publicos assignarent, & militares. Polybii ætate aliter delectus *equitum* fiebat. Ex plebe enim ipsa eos eligebat, qui censum haberent *equestrem*, ut *equites* fierent, & *equi* publici iis assignarentur, atque in legione militarent. Consuetudo videtur inducta tempore belli Punici II. Exhausto quippe frequentibus adversis præliis *equestri* ordine, in delectu eorum faciendo, cum *equites* scriberentur legionarii, ex civibus legebantur, qui censum habere possent *equestrem.* Et quia operosior erat hæc electio, ideo antequam pedites conscriberentur, *equitum* hujusmodi ex censu scribendorum electioni vacabat censor. *Salmas. ibid. c.* 21. *Patric. Rei milit. Rom. part.* II. *sect.* 3. Armatura, si Polyb. VI. 23. credimus, non eadem semper fuit. Antiquissimis enim temporibus loricas non habuerunt; sed ἐν περιζώμασι, id est, *succincti*, ut ille ait, præliabantur. Qua re consequebantur id quidem, ut ad descendendum ex *equis*, insiliendumque leves & expediti essent; sed in congressibus præliisque maxime vulneribus erant expositi, cum fere nudi pugnarent. Hastæ erant tenues & graciles. Scuta ex corio bubalo fiebant. Galeæ faciem non tegebant. Ideo cum hanc inutilem esse sensissent, aliam a Græcis mutuati sunt. Quo autem tempore id cœperit, scriptores reticent. Quocunque autem modo se res habeat, *equites* Romani Græcorum exemplo loricam, scutum firmum, hastasque robustas acceperunt. *Valtrin. de Re milit.* III. 12. *Patric. part.* VII. *sect.* 3. *&* 4. *Laurent. Polym.* IV. *Synops.* 2. *Thys. Rom. Illustr.* III. *p.* 85. Pro rerum & locorum opportunitate nunc ante aciem, nunc in acie, nunc peditum cornua cinxere. Liv. III. 22. *Fabius non permistam unam civium sociorumque, sed trium populorum tres separatim acies circa vallum hostium instruxit: equites item sua cuique parti post principia collocat.* IV. 18. *Dictator dextro cornu, sinistro Capitolinus intulit signa: ante mediam aciem cum equitatu magister equitum processit. . . . M. Valerius dextro, P. Decius ab lævo cornu ad equites in cornibus positos evehuntur.* Valtrin. ibid. V. 2. Lips. de Milit. Roman. IV. 2. Thys. ibid. V. p. 89. Interdum a tergo ponebantur, spatiis relictis inter manipulos, aut legiones, qua possent cum impetu emitti. Id fiebat fallendo hosti, & ut improvisa res esset. Liv. XXIX. 2. *Hispani inter cornua, & mediam aciem intervalla patentia satis late fecerunt, qua equitatum, ubi tempus esset, emitterent. Et Romani more suo exercitum instruxissent, id modo hostium imitati sunt, ut inter legiones & ipsi* [illegible] *relinquerent vias.* Lips. & Thys. l. l. Nunc præcedebant, nunc subsequebantur agmen. Præmittebantur quidem, cum in hostem iretur in locis planis & apertis, ut late explorarent hostem, pabulatione, frumentatione, & aquatione prohiberent, exciperent excedentes ex itinere, carperent, ac male haberent agmen, morarentur iter, opus castrorum tardarent. Cæs. Bell. Civ. I. 63. *Relinquebatur Cæsari nihil, nisi ut equitatu agmen adversariorum male haberet & carperet. . . . Equites ab eo missi flumen transeunt; & cum de tertia vigilia Petrejus atque Afranius castra movissent, repente sese ad novissimum agmen ostendunt, & magna multitudine circumfusa, morari, atque iter impedire incipiunt.* c. 78. *Cæsar equitatu præmisso, qui novissimum agmen carperet, atque impediret, ipse cum legionibus subsequitur. Nullum intercedebat tempus, quin extremi cum equitibus præliarentur.* Hæc cum sequeretur Afranium & Petrejum Cæsar. At cum recederet a Pompejo, post prælium Dyrrhachinum, ipse in novissimo agmine *equites* habuit, Pompejus, qui sequebatur, in primo. Cæs. ibid. c. 75. *Pompejus exercitum e castris eduxit, equitatumque præmisit ad novissimum agmen demorandum. . . . equitatus consecutus novissimos prælio detinebat.* Schel. ad Hygin. Thes. Antiq. Rom. Græv. p. 1259. B. Centenum pedum spatio a tribunorum tabernaculis intermisso, utriusque legionis oppositi inter se, atque adversi tendebant; sic tamen, ut inter ipsos via similiter pedum quinquagenum relinqueretur. Longitudo tabernaculorum *equitum* eadem fuit, quæ ipsius viæ, pedum videlicet centenum, usque ad ipsum vallum: altitudo quoque ferme æqualis, ita ut quadratam figuram referrent. *Valtrin. ibid.* IV. 5. Bello Vejenti stipendium merere cœperunt. Liv. V. 7. *Tum primum equis merere cœperunt.* Solebant vero in stipendiis fere accipere triplex, quod pedes accipiebat simplum, centurio duplum. Quod inde originem habuerit, quia simplum *equiti* daretur pro *equo*, alterum simplum pro servo, tertium in sumptum ipsius. *Gronov. de Pecun. Vet.* III. 2. *Strein. de Gent. & Fam. Rom. in Gent Julia. Valtrin. ibid.* III. 15. *Salmas. l. l. Bud. de Asse p.* 392. 696. *Laurent. Polym.* IV. *Synops.* 3. *Stewech. in Veget.* II. 18. *Lips. de Milit. Rom.* I. *dial.* 5. Illorum custodiam quamvis Polybius nullam agnoscat, veteri tamen Republica tam nocturnam, quam diurnam observo, sed aliam diurnam, aliam nocturnam. Ex instituto enim Pauli Æmilii etiam meridie mutabant propter fatigationem hominum & *equorum.* Livius: *Antea arma omnes & frenatis equis equites*

diem totum perstabant. Id cum æstivis diebus urente assiduo sole fieret, tot horarum æstu ac languore ipsos equosque fessos hostes integri sæpe adorti vel pauci plures vexabant. Itaque ex matutina statione ad meridiem decedi, & in postmeridiem succedere alios jussit. De matutina & pomeridiana statione loquitur: at nihil de nocturna. Nec de nocturna quicquam legi: non quod nullæ essent, sed quod de nocte extra castra huc illuc commeantes, late explorarent, aut etiam in excubias dividerentur, non autem grandiori aliquo corpore certa loca tuerentur, ut interdiu, quas vulgo vocant stationes. Excubabant de nocte, si qua fides Vegetio infr. in *Excubiæ*, quaterni ex singulis turmis, & per quaterniones, utique illis temporibus: at qui interdiu, totæ, aut plures fere turmæ. Illi circuibant castra, aut pro castris in excubiis stabant: hi certo loco constituebantur. Illi non ad pugnandum, sed ad explorandum positi: hi suum locum mordicus tueri debebant. *Schel. ibid. p.* 1188. *E.* Romani, ut dignissimi, in medio locati, & liberrimos habent egressus. Tuti hic: & quanquam in acie alia dispositio, tamen recepit tunc inter pedites, quia in castris nullus eorum usus. Horum podismus e Polyblo notus est area pedum 1000. ad passus si redigas, sunt 400. Hoc in omnibus manipulis æqualiter, & turmis. Spatium satis grande 30. equitibus, 30. equis; nec enim unus plus uno militari equo, opinor, habuit: non tamen prægrande, cogitanti calones totidem: fortasse & decurionibus ipsis aliqui honestiores comites, aut ministri: item jumenta, aut muli ad sarcinas, hordeum, frumentum. Nec enim ipsi equites onusti, aut eorum insessorii equi. *Lips. de Milit. Roman.* v. *dial.* 4. *Thys. Rom. Illustr.* v. *p.* 114. *Schel. ibid. p.* 1153. *C.* 1259. *F.* Viris quoque lautioribus persuaserat luxuria, ut Afros quosdam, & Numidas *equites* alerent, qui si aliquo extra Urbem eundum foret, iter præcurrerent, & agmen sequentis heri ducerent. Senec. Epist. 123. *Omnes jam sic peregrinantur, ut illos Numidarum præcurrat equitatus, ut agmen cursorum antecedat.* Mart. x. 13. 1.

Cum cathedralitios portet tibi rhæda ministros,
Et Libys in longo pulvere sudet eques.

Imperatoribus ipsis id etiam fuit in usu. Suet. Ner. c. 30. n. 10. *Iter fecisse traditur phalerata cum Mazacum turba.* Mazaces enim sunt Afri. *Lips. in Tacit. Hist.* II. *n.* 33. *Kobierzyck. de Lux. Roman.* II. 2. *Turneb. Adv.* XXIV. 6. XXVII. 8. *Thys. Rom. Illustr.* III. *p.* 86. *Pignor. de Serv. p.* 289. Præmia equestria fuerunt cornicula, armillæ, torques, pecunia, catellæ, fibulæ, phaleræ, hastæ, coronæ, equi, promotiones, statuæ equestres. V. singula suis locis. Pœna quoque ad disciplinam, ut calcari ad cursum equus, incitatur. Pœnam ignominiæ opposuit Suet. Aug. c. 39. n. 1. *Unumquemque equitum rationem vitæ reddere coegit, atque ex improbatis alios pœna, alios ignominia notavit.* Ego pœnam dividere malim in ignominiam & supplicium: nam ignominia quoque pœna est. Ignominiæ sunt I. traditio pugillarium. Suet. ibid. n. 2. *Lenissimum genus admonitionis fuit, traditio coram pugillarium, quos taciti, & ibidem statim legerent:* & iisdem lectis erubescerent, vitii, & erroris comperti. II. Notatio. Suet. ibid. n. 3. *Notavit aliquos, quod pecunias levioribus usuris mutuati graviori fœnore collocassent.* Plerumque enim publicani olim fuere. III. Erasio ex albo. Suet. Domit. c. 8. n. 10. *Equitem Romanum ob reductam in matrimonium uxorem, cui dimissæ adulterii crimen intenderat, erasit judicum albo.* Nam & judicia *equitibus* concessa olim fuerunt. IV. Confractio hastæ. Ammian. XXV. *Cum Tertiacos equites, quod legiones deseruissent in prælio adversus Persas, Julianus accusatos punire statuisset. . . . ademptis signis, hastisque confractis, omnes eos, qui fugisse arguebantur, inter impedimenta, & sarcinas, & captivos iter agere imposuit.* V. Mutatio militiæ. Val. Max. II. 7. 9. *Turmas equitum, ademptis equis, in funditorum alas transcripsit.* n. 15. *Decreverunt, ut ex iis, qui equo meruerant, peditum numero militarent.* VI. Relegatio. Liv. XXIV. 18. *Ut ii omnes, quos censores notassent, pedibus mererent, mitterenturque in Siciliam ad Cannensis exercitus reliquias.* XXV. 5. *Cannensis reliquiæ cladis hic exercitus erat, relegatus in Siciliam.* Ammianus modo laudatus. VII. Equo publico spoliari, ære dirui, ærarium fieri. Liv. XXVII. 13. *Illis omnibus adempti equi, qui Cannensium legionum equites in Sicilia erant. Addiderunt acerbitati etiam tempus, ne præterita stipendia procederent iis, qui equo publico meruerant, sed dena stipendia equis privatis facerent. Magnum etiam numerum eorum conquisierant, qui equo merere deberent, & omnes ærarios fecerunt.* Quinam ære diruti, & ærarii fuerint dicti. V. supr. suis locis. VIII. Discinctum, nudisque pedibus ad castrorum principia stare, non posse intra castra tendere, aut e pellibus prætorium habere. Val. Max. II. 7. 9. *Calpurnius Piso consul C. Titium equitum præfectum, quia arma cum suis tradidisset, his ignominiæ generibus affecit. Jussit eum toga laciniis abscissis amictum, discinctaque tunica indutum, nudis pedibus a mane in noctem usque ad principia per omne tempus militiæ adesse. Interdixit etiam ei convictum hominum, usumque balnearum.* c. 15. *Decreverunt, ne quis eorum intra castra tenderet, neve locum extra assignatum vallo, aut fossa cingeret, neve tentorium ex pellibus haberet.* Ignominia redimi, & vitium virtute deleri potuit. Frontin. IV. 1. 22. *Domitius Corbulo duas alas extra vallum jussit tendere, donec assiduo labore, & prosperis excursionibus redimerent ignominiam.* §. 19. *Appii Claudii sententia senatus eos, qui a Pyrrho Rege Epirotarum capti, & postea remissi erant, equites ad peditem redegit, pedites ad levem armaturam, omnibus extra vallum jussit tendere, donec bina hostium spolia singuli referrent.* Supplicia sunt virgis, & securi percuti. Illis percussi *equites*, etiam magistri *equitum*, & Imperatorum filii, si mererentur. Liv. VIII. 32. *Tunc Papirius* dictator *spoliari magistrum equitum* Q. Fabium Maximum Rullianum, *ac virgas, & secures expediri jussit.* Et luisset Fabius, nisi populi precibus eum Papirius donasset. c. 7. *Manlius consulis filius, occiso Geminio Metio provocatore, ignarus fati futurique: ut omnes, inquit, pater tuo sanguine ortum vere ferrent, provocatus equestria hæc spolia capta ex hoste cæso porto.* At pater Manlium *deligatum ad palum* securi subjecit. Sunt & alia pœnarum genera credo *equiti* irrogata, & forte eadem omnia quæ peccanti pediti. V. illa infr. in *Milites*. Hugo de Milit. Equest. v. 1. Sichterman. de Pœn. milit. c. 15. Hugo traditionem pugillarium inter pœnas recenset militares. Suetonius tamen loquitur de equitibus, qui publicani erant; minime vero de equitibus sensu militari. *Sichterman. l. l.* Illorum vexilla V. infr. in *Vexillum*.

Equites alarii. V. illos supra in *Alarii*. Habebant *equites* alares gregarii unum tantum equum, duplicarii & sesquiplarii binos, decuriones ternos. Prisco illo, & vere *equitum equitatu* gregarii quoque non plures uno *equo* habuerunt: unus enim publicus dabatur, & in hunc e publico stipendium. *Schel. in Hygin. Thes. Ant. Rom. Græv. Tom.* x. *p.* 1081. *A.*

Equites Augustani, quos, ut laudes suas canerent, elegit Nero. Tacit. Annal. XIV. 15. 5. *Tunc primum conscripti sunt equites Romani, cognomento Augustanorum, ætate, ac robore conspicui, & pars ingenio procaces, alii in spe potentiæ. Hi dies, ac noctes plausibus personare. Formam principis vocemque deûm vocabulis appellantes, quasi per virtutem clari, honoratique agere.* Quinque millia fuerunt numero. Dio LXI. p. 699. B. *Nam & peculiare quoddam militum ad quinque millia corpus instituerat, qui Augustales nominati, incipiebant eum laudibus extollere: post hos cæteri omnes inviti, excepto Thrasea, acclamare cogebantur.* Paullo aliter Suet. c. 20. n. 6. *Adolescentes equestris ordinis, & quinque amplius millia e plebe robustissimæ juventutis undique elegit, qui divisi in factiones plausuum genera condiscerent, operamque navarent cantanti sibi.* Hugo de Milit. Equest. v. 1. Vertran. in Tacitum. Pitisc. in Suetonium.

Equites prætoriani. V. illos infr. in *Prætoriani*.

Equites promoti sunt forte dicti, quia ad vexillationem Palatinam non nisi per quosdam alios gradus promoti ascendebant, quod in aliis non ita semper observabatur: ipsi vero inter se sibi gradatim succedebant. Veget. II. 3. *Legionum nomen in exercitu manet hodie, sed per negligentiam supe-*

ſuperiorum temporum robur infractum eſt, cum virtutis præmia occuparet ambitio, & per gratiam promoverentur milites, qui promoveri conſueverant per laborem. c. 21. *Quaſi enim in orbem quendam per diverſas cohortes, & diverſas ſcholas milites promoventur, ita ut ex prima cohorte ad gradum quempiam promotus, vadat ad decimam cohortem; & rurſus ab ea creſcentibus ſtipendiis, cum majore gradu per alias recurrat ad primam. Ideoque primipili centurio poſtquam in orbes omnes cohortes per diverſas adminiſtraverit ſcholas, in prima cohorte ad hanc pervenit palmam, in qua ex omni legione infinita commoda conſequitur:* Inde ad *equeſtrem* militiam tranſibat. Et ſubjicit: *Ita legionarii equites cohortes ſuas contubernali affectione venerantur.* Panciroll. Notit. Dignit. imp. Orient. c. 34. Laz. Comm. Reip. Rom. VI. 4. Hugo de Milit. Equeſt. V. 1.

Equites ſaccularii fuerunt vocati, qui pro Cinna contra Syllam ſteterant. Aſcon. in Cicer. p. 149. *Equeſter ordo pro Cinnanis partibus contra Syllam ſteterat, multasque pecunias abſtulerat: ex quo ſacculari ſunt appellati: multique ob ejus rei invidiam poſt Syllanam victoriam erant interfecti.* Gentil. Orig. p. 251.

Equites ſingulares inſtituit Octavianus, ſi qua fides inſcriptionibus: in quibus frequentiſſime occurrunt. In quibuſdam appellantur *equites ſingulares:* in aliis *equites ſingulares Imperatoris noſtri, equites ſingulares Cæſaris, Auguſti, Auguſti noſtri.* V. Gruterum. *Alæ ſingularium* meminit etiam Tacit. Hiſt. IV. 70. 3. *Acceſſit ala ſingularium excita olim a Vitellio.* Fuit hæc ſingularis quædam, ut ipſum nomen ſatis oſtendit, *equitum* manus, cujus ut evocatorum, & primipilarium, alias major, alias minor numerus, quare Hyginus diſtincte trecentis, quadringentis quinquaginta, ſexcentis, octingentis, & nongentis ſuum in caſtris aſſignat locum. *Schel. in Hygin. Theſ. Ant. Rom. Græv. Tom. X. p.* 1059. *A. Reineſ. Inſcript. Claſſ.* I. *n.* 16: VIII. n. 2. Forte ſingulares ſunt dicti, quia inter eos nullus gradus præterquam eorum præfecti reperiebatur, & erant ſinguli: vel quod eſſent ſingulares & optimi. *Panciroll. Deſcr. Urb. Rom. Theſ. Ant. Rom. Græv. Tom.* III. *p.* 392. *B.* Videntur dicti, non quod inter eos nulli ſunt gradus, ſed quod ſingulariter ſit mandatum iis munus cuſtodiendi Imperatorem, aut quod lecti ſunt ab Imperatoribus ſingulari cura propter virtutis & roboris opinionem. Nam ante Imperatorum tempora nulla fit mentio *equitum* ſingularium. *Græv. ibid. Proleg.* * * 4. Erant ad cuſtodiam Auguſti ſelecti, ſimiles iis trecentis, quos ſibi corporis cuſtodes ſelegerat Romulus, ut notat Salmaſ. de Re milit. c. 20. Illos Adrianus & ſequentium Imperatorum ætas *ſingulares Imperatoris*, aut *prætorianos* vocabat, poſterior vero *domeſticos*, & *protectores.* Spon. Miſc. Erud. Antiq. Sect. VII. p. 257.

Equites, & *equeſter* ordo Romæ duobus modis eſt acceptus: uno, quo *equites* ſenatoribus in civitate; altero, quo peditibus in acie opponuntur. Utraque diviſio a Romulo in Rempublicam illata eſt. Idem enim, cum legionem conſtituiſſet ex tribus peditum millibus, legioni *equites* trecentos adjecit, auctore Plutarch. p. 24. D. Hos autem *equites* nihil aliud fuiſſe apparet, quam tres illas centurias ab eodem conſcriptas Ramnenſium, Tatienſium, & Lucerum, quas poſt auctas ſub iisdem nominibus a Priſco Rege, & ſex factas Liv. I. 36. & Dionyſ. III. p. 203. prodidere. Itaque huc intuens dixit Val. Max. III. 4. 2. *Numerum ſenatus amplificavit, equeſtrem ordinem uberiorem reliquit.* Quaſi vero Priſcus *equitum*, qui ſenatui opponuntur, non qui peditatui, numerum auxerit, cum inter utrumque genus plurimum interfuerit. Nam ſenator merere equo potuit, ſenator autem *eques* eſſe Romanus, ubi in ſenatum erat adſcitus, deſiit. Neque tamen nego, quin & hoc, & illud *equitum* genus bella frequentarit, ſed hoc dico, longe alia decora illorum *equitum*, quam horum, & militia, & domi fuiſſe. Unde autem diſtinguerentur, in magna vetuſtatis obſcuritate quæramus. Mihi quidem veterum, quos poſt nominabo, auctoritate ita perſuaſum eſt, *equites* alios equo publico meruiſſe; alios privato: illos autem in civitate ſenatoribus, hos in exercitu peditibus reſpondiſſe; utrosque autem, aut Regum, aut conſulum, aut cenſorum, aut denique eorum, qui cenſendi jus haberent, arbitrio fuiſſe ſubjectos. Video hoc Cicer. de Leg. III. 3. docuiſſe, cum ita ſcrivit: *Cenſores pecunias, ævitates, ordines partiunto: equitum, peditumque prolem deſcribunto. Ordines* enim cum dixit, ſenatum, plebem, & *equites* equo publico intellexit; cum *peditum, equitumque prolem*, qui privato equo, quique pedibus ſtipendia facerent, ſignificavit. De utroque genere Liv. V. 7. cum narraſſet de clade Vejenti, & metu Senatus hoc nuntio accepto, ſubjicit: *Cum repente quibus cenſus equeſter erat, equi publici non erant aſſignati, ſenatum adeunt, & equis ſe ſuis ſtipendia facturos promittunt.* Fuiſſe autem *equites* aliquot, qui *equites equo publico* dicerentur, teſtis eſt Cicer. Phil. VI. 5. *Altera ſtatua eſt equitum Romanorum, qui item adſcribunt: PATRONO, quem unquam patronum iſte ordo adoptavit? ſi quendam, me debuit.* Quibus verbis nos admonet, ordinem illum equeſtrem, quem ipſe in conſulatu ſuo in gratiam cum ſenatu reduxerat, ex iis *equitibus* fuiſſe, qui equo publico & fuerunt, & dicti ſunt. Quos *equites Romanos militares* appellavit Aſcon. in Cicer. p. 19. Unde equum publicum, cum de hoc ordine verba faceret Plin. XXXIII. 1. *Annuli plane medium ordinem, tertiumque, plebi, & patribus inſeruere: & quod antea militares equi nomen dederant, hoc nunc pecunia judices tribuunt.* Item: *Equitum nomen ſubſtitit in turmis equorum publicorum.* Intelligit enim *equites* primum ab equis publicis, poſt a cenſu judices dictos. Non omnes autem, qui equo mererent, ex hoc ordine fuiſſe, oſtendit Cicer. Phil. I. 8. ubi in legem Antonii, qua centuriones in tertiam judicum decuriam conjiciebat, ita diſputat: *At quæ eſt iſta decuria judicum? centurionum, inquit: quid? iſti ordini judicatus lege Julia, etiam ante Pompeja, Aurelia non patebat? cenſus præfiniebatur, inquit. Non centurioni quidem ſolum, ſed etiam equiti Romano. Itaque viri fortiſſimi, atque honeſtiſſimi, qui ordines duxerunt, res & judicant, & judicaverunt. Non quæro, inquit, iſtos: quicunque ordinem duxit, judicet. Atqui ſi ferretis, quicunque equo meruiſſet, quod eſt laudatius, nemini probaretis: in judice enim ſpectari & fortuna debet, & dignitas.* Qui ſatis perſpicue demonſtrat, non quicunque equo mereret, equeſtrem ordinem explevisse: nam equeſter ordo alteram judicum decuriam obtinebat: cui tertiam centurionum cum addere Antonius vellet, inquit Cicero: *Atqui ſi ferretis, ut quicunque equo meruiſſet, nemini probaretis.* Quod hercle non dixiſſet, ſi quicunque equo mereret, judicia obtinuiſſet. Oſtendit idem Val. Max. II. 9. 7. qui bello Punico II. *quadringentos juvenes equeſtris ordinis equis publicis ſpoliatos* ſcribit, cum tamen qui equo mererent, iis temporibus innumeri eſſent. *Sigon. de Antiq. jur. civ. Roman.* II. 3. *Manut. de Civit. Rom. Theſ. Antiq. Roman. Græv. Tom.* I. *p.* 5. *E. Urſat. de Not. Rom. Theſ. Antiq. Roman. Græv. Tom.* XI. *p.* 697. *B. Schill. Nomencl. Philol. p.* 464. *Lipſ. de Milit. Rom.* I. *Dial.* 5. *Strein. de Gent. & Famil. Roman. in Licinia.* Duplex ab ipſis Reipublicæ Romanæ temporibus hoc *equitum* genus fuiſſe falſiſſimum eſt. Si illæ tres *equitum* centuriæ a Romulo lectæ, quæ legioni adjicerentur, quæque ſubinde creſcente Urbe creverunt, & a ſucceſſoribus Romuli fuerunt auctæ, *equites* tantum fuerunt, qui in acie peditatui opponerentur, non qui in Urbe *ordinis equeſtris* numero eſſent, ſenatuique opponerentur, unde quæſo eſt ille *ordo equeſtris:* a quo, & ex quo genere hominum, & quando fuit is inſtitutus? In Romuli rebus geſtis nullorum *equitum*, quos delegerit, meminit quisquam, quam illarum trium centuriarum. Ait quidem Sigonius, utriusque *equitis* diviſionem inſtitutam a Romulo fuiſſe; ſed cum Tatienſes, Ramnes, & Luceres ab *equeſtri ordine* removet, nullam oſtendit hujus ordinis originem. Fundamentum hujus ſententiæ unicum eſt, *equites* alios fuiſſe, qui meruerint equo publico, hos *equeſtris ordinis* homines eſſe; alios, qui equo privato meruerint, qui in exercitu peditibus reſponderint, & qui diverſi fuerint ab *equeſtri ordine.* Nihil in his eſt veri, ſi accipias, ut accepit Sigonius. Reſpublica Romana a Romuli tempore usque ad Marium nullos alios novit *equites*, qui pedi-

tibus

tibus legionariis in acie responderent, quam qui in Urbe senatui opponebantur, nimirum qui merebant equo publico, sive erant *ordinis equestris* viri. Tres illæ centuriæ Tatiensium, Ramnetum, & Lucerum a Romulo lectæ, fuerunt *equestris ordinis* origo; hi, & illorum posteri fuerunt *equites* ex civibus Romanis, qui in castris peditatui Romano, in Urbe senatui opponebantur. Nullus in triginta *turmis equestribus* alius merebat civis, quam qui esset *equestris ordinis*, nisi forte temporibus iniquissimis, cum necessitas Reipublicæ non pateretur leges, & instituta tueri. Reliqui omnes cives merebant pedibus in legione. Quis mortalium ex Cicer. de Leg. III. 3. illam sententiam colligat, nisi qui hanc opinionem imbiberit, quam sibi persuasit Sigonius? Nihil aliud illa præ se ferunt, quam censores cujuslibet patrimonium, & ætatem descripsisse, & secundum facultates retulisse cives in classes, & ordines, ut, qui censum *equestrem* haberet, si nihil aliud obstaret, in *equestrem* ordinem, qui senatorium censum haberet, in senatorium ordinem adscriberetur, utque præterea tam *equestris ordinis*, quam cæterorum civium liberi utriusque sexus, quot & qua essent ætate, in tabulas referrentur censorias. Si aliorum *equitum* fuit illa proles, quam *equestris ordinis*, cujus ordinis fuit proles peditum? Nam censores plebem quoque in suum ordinem descripserunt, hoc est, tertium. Alii ergo deberent esse pedites, quorum proles in censum referebatur, quam plebs Romana. Sed hæc absurda sunt. Livii locus non stabilire, sed evertere sententiam Sigonii mihi videtur planissime. Censet enim non fuisse *equestris ordinis* homines, sed qui dicti fuerint *equites* equo privato. Primo enim *equitum equo privato* quis meminit? Non, quia sunt *equites equo publico*, consequitur fuisse quoque *equites equo privato*. Sane in nullo antiquo monumento, quod ad nos pervenit salvum ex illo rei literariæ naufragio, ullum vestigium est, aut memoria *equitis equo privato*. Dein est hic extraordinarius plane, & fortuitus quidam casus, cum extremis Reipublicæ temporibus illi, qui censum equestrem habebant, sed nondum a censoribus essent in *equestrem ordinem* relati, sponte suam offerrent operam, quam navaturi erant Reipublicæ sine ære *equestri*, quod merebant *equites* equo publico, reliqua plebs horum exemplo commota, quæ non habebat censum equestrem, æque gratuitam Reipublicæ operam deferebat, ac illi fecerant, qui dicuntur in Epitome hujus libri *suis equis meruisse*, ut legendum quoque in ipso Livio, quia nondum equus publicus illis erat assignatus. Si fuisset talis ordo in Republica, qui suis equis meruerit, cur hoc tanquam singulare quid notasset Livius, illo tempore fuisse, qui *equestrem* censum habebant, qui sine stipendio equis suis Reipublicæ volebant præsto esse? Cur ii tantum, qui *equestrem* censum habent, profitentur nomina? Nimirum quia etsi nondum adscripti fuerant *equestri ordini*, spes tamen erat, ut proximo lustro ei adscriberentur a censoribus: interea in *turmis equestribus*, quæ illa clade imminutæ erant, idem volebant Reipublicæ præstare officium suis equis, quod præstabant *equites* equo publico. Equidem si turmæ *equestres*, quæ in acie opponebantur militi legionario, non fuerunt *equites* equo publico, cur dicit hic Livius, eos, quibus *census equester erat, equi publici non erant assignati, senatum adeunt, equis se suis stipendia facturos promittunt?* quia publicos nondum habebant. Si turmæ *equestres* potuissent suppleri hominibus, qui suo equo militarent, inepte scripsisset Livius, *quibus census equester erat, equi publici non erant assignati.* Sufficisset, quibus census *equester* erat, senatum adeunt, equis se stipendia facturos promittunt, scilicet gratis. Ex loco Cicer. Phil. I. 8. putat Sigonius perspicuum esse, non quicunque equo meruisset, *equestrem* ordinem explevisse, sic loquitur, quia *equester* ordo alteram judicum obtinuerit decuriam, cui tertiam centurionum addere voluerit Antonius. Non probo. Num omnes, qui *equestris* erant ordinis, quia secunda judicum decuria ex *equite* conscribebatur, in illam legebantur? Poterant legi, sicut omnes qui senatorium, omnes qui *equestrem* censum habebant, poterant in illos ordines adscisci, non tamen, nisi cum censoribus probarentur, in illos legebantur; id quod multo magis observabatur in judicibus, quia, ut ipse Cicero hic liquido declarat, non tantum spectari debebat in judice legendo fortuna, sed & dignitas, hoc est, non tantum *equestris* ordo, sed in judicibus ex eo legendis gravitas, justitia, fides, quas virtutes in judice requiri testatur in oratione pro Milone Cicero. Non omnes vero *equestris ordinis* fuisse judices ex judiciariis legibus nemini potest obscurum esse. Itaque apud Ciceronem *quicunque equo meruisset*, nihil aliud significare, quam quicunque equo publico meruisset, non tantum ex iis elucet, quæ attulimus, sed & inde, quod nulli judices fuerint lecti unquam ex aliis *equitibus*, si vel fuissent *equites* equo privato, quos tamen nullos fuisse supra docuimus, quam ex *equestris ordinis* viris. Ex hoc loco Ciceronis igitur effici nullo modo potest in Republica Romana fuisse alios *equites*, qui fuerint *equestris ordinis*, alios, qui in acie oppositi fuerint pediti: multo minus ex loco Valerii Maximi. Illis temporibus quidem innumeri erant, qui equo merebant. Sed nihil inde. Cum singulis legionibus adderentur triginta turmæ legionariæ, ex legionibus duabus quadraginta turmas delectas ad rem illam, ad quam delegati erant, explicandam, quam cum male sua, credo, culpa gessissent, fuisse spoliatas equis publicis. Equidem ad Marii tempora semper hoc fuit observatum, ut turmæ triginta, quæ singulis legionibus apponebantur, non nisi essent *equites* equo publico, nisi forte cum summum Reipublicæ discrimen id exigeret, nonnunquam nonnulli suis mererent equis, qui censum haberent *equestrem*, quamvis nondum essent lecti in *equestrem ordinem*. Post Marium rei *equestris* magna facta fuit immutatio. Nam loco triginta turmarum, quæ ex Romanis *equitibus* ante Marii tempora conflabantur, post conscribebantur *equites* ex Italia, & provinciis, qui addebantur legionibus loco pristinarum triginta turmarum. Dicebantur autem *alæ*, nunquam *turmæ*. Plerumque ala non erat tricenaria, ut triginta turmæ legionariæ, sed vel quingenaria, vel sexcenaria, vel milliaria. Hinc in C. Cæsaris exercitu in Gallia bellantis pauci fuerunt *equites* Romani; qui erant, ii distinguebantur ab *equitatu*, quem ille habebat ex Gallis, & Germanis, aliisque gentibus. *Equites* enim Romani jungebantur aut evocatis, aut tribunis, aut aliis præficiebantur administrationibus bellicis, sive quod bellis civilibus valde attritus esset *equestris ordo*, ut tot legionibus, quibus tum res gerebatur, non sufficeret; præcipue cum Romæ præessent alii judiciis, alii vectigalia conducerent, aut quod illius ordinis dignitas ita crevisset, ut inter gregarios *equites* legionarios merere plerique gravarentur. Etiam Lips. l. l. duplices Romanos *equites* fuisse censet, non tamen Sigonii secutus rationem. Sed alios fuisse equo publico, alios sine eo. Illos fuisse vetustissimos, & prope solos *equites* dictos, eosque dici a Plinio, quem modo laudavimus, *militares*. Et equos publicos contendit fuisse militares. Sed si soli equi publici dicti sunt militares, quomodo dicebantur illorum equi, qui merebant nonnunquam equis suis ut Vejente bello; nonne illorum equi fuerunt etiam equi militares? Verum hæc non est mens Plinii, qui, cum hæc scriberet, suam respiciebat ætatem, qua *equestris ordinis* viri non merebant in turmis legionariis, ut olim, quibus propterea equus publicus erat assignatus, & æs *equestre* ad illum alendum, & hic equus publicus, quem militarem dicit, erat tunc insigne *ordinis equestris*. Suo vero tempore non requiri ait Plinius equum publicum, sed tantum censum *equestrem*, quem qui habebat, donabatur annulo aureo, hoc est, adscribebatur *equestri ordini*. Pecuniæ tantum, sive censui *equestri* tribuebatur *equestris ordinis* dignitas, retinebantque hoc tantum *equestris ordinis* insigne *equites* Romani sui temporis annulum nimirum aureum, altero vero, equis militaribus, dudum carebant. Nam sub Imperatoribus non legebantur turmæ triginta legionariæ, ut olim, ex *equestri ordine*, sed ex Italicis & provincialibus alæ, ut vidimus paullo ante. Qui quadrigena possidebat *equestri ordini* adscribebatur, quanquam nunquam militiæ nomen esset daturus, ut Ovidius, qui, ut ipse prodidit, habebat equum publi-

publicum, nunquam tamen militavit. Sic enim de se scripsit Trist. IV. 1. 71.

Aspera militiæ juvenis certamina fugi,
Nec nisi lusura movimus arma manu.

Nec aliter intelligendus Asconius supra allatus. Per *equites* enim, ex quibus olim triginta turmæ, quæ singulæ legioni solebant addi, legebantur in delectu, quod suo tempore exoleverat, cum nullæ essent turmæ legionariæ, nec equites militares gregarii, ex equestri ordine lecti, aut valde rari. Hinc Plin. l. l. prioribus statim subjicit: *Equitum nomen subsistebat in turmis equorum*, olim scilicet, non suo tempore, quo dudum nullæ turmæ fuerant *equestris ordinis*. Lipsius putat mutatum esse bello Vejenti, ut soli *equites* equo publico fuerint militares. Illo enim bello, & deinceps fuisse in legionariis turmis multos, qui equis suis militarint. Cave credas. Quomodo locus Livii sit intelligendus, egregie, dum ad illum scripsit, ostendit Schel. in Polyb. c. 4. *Non curæ pretium*, inquit ille, *his diu inhærere. Plana est sententia: Tunc primum suis equis merere equites cœperunt. Id videas ex Epitome, ubi clare est: Equites tum primum equis suis merere cœperunt. Et, nisi fallor, ita reliquerat Livius. De re certe dubitari non potest. Ante eam diem non nisi publico equo meruerant, tum primum suis equis militaverunt: ante dena millia ad emendum publicum equum acceperant, tunc ipsi equum emere cœperunt, pro quo certus numerus æris assignatus.* Sed quinam fuerunt *equites* equo publico, *quorum apud Tullium, & in inscriptionibus antiquis*, Imperatorum tempore scriptis, sæpe fit mentio? Erant *equites* Romani, qui equum publicum habebant, ut olim, non ut militarent ut antiquis temporibus, cum nullus alius *equitatus* esset Romanus, quam ex *equestri ordine* conscriptus, sed ut esset tantum insigne honoris, & *equestris ordinis*. Equo publico donabantur multi a censoribus, aut Imperatoribus, qui censorum personam sustinebant nonnunquam, cum lustrum conderent; hi in *equitum* transvectione recognoscebantur. Inprimis sub Imperatoribus nonnulli, sive milites, sive alii, sive quod rebus præclare gestis hunc honorem essent meriti, sive gratia Imperatorum, eorumve, qui illos Imperatoribus commendarunt, donabantur equo publico, ut alii ornamentis senatoriis. Sic Imperator Adrianus M. Antonino *honorem equi publici sexenni dedit*, teste Capitol. c. 4. & in inscriptione antiqua apud Gruterum honestatur equo publico puer septennis. Equus publicus tum erat tantum monumentum honoris, quo erant affecti, & insigne *ordinis equestris*, in quem erant allecti. Hominum ex *equestri ordine*, sive *equitum* equo publico tempore Ciceronis alii publicum conducebant, alii judices legebantur, sed nulli in delectu, quem consules agebant, legionarii legebantur *equites*, ut priscis temporibus. Nullæ certe ex illis *equitibus* equo publico sub Imperatoribus conscribebantur legionariæ turmæ, nec est credibile tum temporis tantæ dignitatis viros peregrini generis alis, quæ tum temporis loco turmarum legionibus adjiciebantur, fuisse admixtos. Præficiebantur vero Romani *equites* aut alis, aut cohortibus, aut tribuni legionibus præerant, quæ *equestres militiæ* dicuntur Suet. Claud. c. 25. n. 1. & Plin. Epist. VII. 25. 2. Erant autem curationes militares, quibus tum præficiebantur *equites* Romani, aut in Ægyptum, aliasque Cæsareas provincias legati Imperatorum mittebantur. Sub Republica virtutis præmium erat, cum *equiti* Romano equi publici alendi gratia fieret a censore; sed erat quoque ignavorum pœna publico equo spoliari a censore. Præmium, credo, fortium virorum, cum onere levabantur alendi equum publicum; nam cum levarentur hoc honore, levabantur simul munere merendi equo in turma. Hoc docet Liv. XXXIX. 19. *Sctum factum, ut tribuni plebis referrent, ut P. Æbutio, cujus pater equo publico meruerat, emerita stipendia essent, ne invitus militaret, neve censor ei equum publicum assignaret.* Vides fuisse beneficium, si *equestris ordinis* viro non assignaretur equus publicus, caussam vero fuisse, ne invitus militaret. Quicunque enim illis temporibus equum publicum habebant, cogebantur decem stipendia facere. Insignis etiam de hac re locus est apud Plutarch. in Pompej. p. 630. A. *Gratissimum vero spectaculum populo se ipse* Pompejus *præbuit, tum militiæ vacationem postularet. Mos est equitibus Romanis, ubi legitimum tempus stipendiorum impleverunt, ut equum in forum ad censores adducant, enumeratisque singulis ducibus & imperatoribus, sub quibus meruerunt, ac reddita militiæ ratione, petant vacationem.* Hoc fecisse videntur reddito equo publico. Nam hæc erat causa, cur equum Pompejus ad censores in forum deducebat, ut ex sequentibus patet. Si cui ante confecta stipendia hæc vacatio dabatur propter insigne aliquod meritum, id utique beneficium, & jus quoddam præcipuum, quo liberabantur merendi necessitate. Pœna vero *equitum*, qui male rem gesserant, erat ademptio equi publici; quia cui adimebatur equus publicus, removebatur ex *equestri ordine*, amittebatque illius ordinis dignitatem. Cognosces hoc ex Suetonii Caligula. Is inquit c. 16. n. 5. *equites Romanos severe, curioseque, nec sine moderatione recognovit: palam adempto equo quibus aut probri aliquid, aut ignominiæ inesset: eorum, qui minore culpa tenerentur, nominibus modo in recitatione prætcritis.* Græv. Præfat. ad Thes. Antiq. Roman. Tom. I. * * 3. vers. Illorum duplex fuit genus, illorum nempe, qui a proavis hæredes *equestris ordinis* erant, & eorum, qui fortunæ seu militiæ munere fiebant *equites*. Hanc distinctionem Ovidius vel solus docet Trist. IV. 10. 7.

—— Usque a proavis vetus ordinis hæres,
Non modo fortunæ munere factus eques.

Amor. III. 8. 9.

E[illegible]ce recens dives, parto per vulnera censu,
Præfertur nobis sanguine factus eques.

15. 5.

Si quid id est, usque a proavis vetus ordinis hæres,
Non modo militiæ turbine factus eques.

Masson. Horat. vit. p. 114. Priores vid[e]ntur dicti *illustres*. Tacit. Annal. IV. 58. 1. *E[illegible]* *Curtius Atticus*. XI. 4. 1. *Per[illegible]* *Romanos illustres: speciosi*. Pat[illegible] II. 59. 2. *[illegible] C. O[illegible]vius, ut non patricia, ita admodum speciosa equestri genitus familia*. 88. 2. *splendidi*. *Tunc Urbis custodiæ præpositus C. Mæcenas, equestri, sed splendido genere natus.* Plin. Epist. VI. 15. 1. *Passienus Paullus, splendidus eques Romanus: insignes*. Tacit. Annal. XI. 5. 2. *Samius insignis eques Romanus*. Lips. in Tacit. Annal. XI. 12. 15. Ruben. de Re vest. I. 14. Masson. l. l. Suspicor ego sic dictos, qui non quidem senatores, sed & censum habebant, & spem senatoriæ dignitatis: imo etiam ordinis ejus insigne, id est, latum clavum. *Lips. l. l.* Cui non assentior, dum scribit splendidos *equites* vocari eos solum, qui laticlaviam adepti erant. Omnes enim illi, qui ex antiqua familia equestri orti erant, *equites splendidi* vocantur. Ita modo Paterculus de Mæcenate. *Ruben. l. l.* Cæteris, saltem *modo factis*, præcelluerunt. Indicavit hoc Ovidius satis clare. Istius etiam præcellentiæ jure prima in XIV. theatri gradibus subsellia ex lege Roscia videntur occupavisse. Licet suspicari eo respexisse Horatium, cum illum, in quem scribit, *magnum* vocat *equitem*: eum nempe exagitans, quod se tanquam *illustrem*. . . . *equitem* gereret, ac adeo in primis gradibus sederet, *Othone contempto*, hoc est, contra quam ferebat Roscii Othonis lex. Versus Horat. Epod. IV. 15.

Sedilibusque magnus in primis eques
Othone contempto sedet.

Masson. ibid. p. 115. Ovid. vit. p. 68. Non temere, aut omnes, sed cum delectu, & examine etiam morum, ad *equum* publicum rescribebantur. In excerptis glossarii veteris legi: *Dicente quodam esse sibi substantiam equestris dignitatis, sed cum equum publicum peteret, prætermissum se esse, securum crimine, quod ipsi concitaverunt: Hadrianus dixit, qui equum publicum petit, emendatus esse debet, cætera autem vitæ tuæ ipse probabis.* Lips. l. l. Illos olim dabat censor, judex scilicet morum. Liv. XXXIX. 19. *Ne* P. E-

butius, *invitus militaret, neve censor ei equum publicum assignaret.* Atque ille ipse censor, cum jam haberent, recognoscebat, & si quid vitii in iis, adimebat. Erat moris, ut *equites* ad tribunal censorum venirent, manu ducentes unusquisque suum equum, si retinere iis permittebant censores, sinebant illos abire; sin aliter, ut diximus, equum illis adimebant, illumque vendi jubebant. Liv. XXXIX. 44. *In equitatu recognoscendo L. Scipioni Asiageni ademptus est equus.* XXIV. 18. *His, superioribusque illis equi adempti, qui publicum equum habebant.* Pers. III. 29.

Censoremve tuum vel quod trabeate salutas.

Comment. *Cognitio equitum Romanorum censoribus erat subjecta, quæ nunc consulum est officii.* Miror de consulibus, nec exemplum legi. Principes ipsos id usurpasse inferioribus temporibus satis clarum. Suet. Cal. c. 16. n. 5. *Equites Romanos severe curioseque recognovit, palam adempto equo, quibus aut probri, aut ignominiæ aliquid inesset.* Lipf. l. l. Manut. de Civit. Rom. Thes. Ant. Rom. Græv. Tom. I. p. 29. B. 34. D. Rævard. Var. II. 15. Lycklama de Magistrat. c. 8. Masson Ovid. vit. p. 121. Fiebat hæc a censoribus singulis lustris, postea ab Imperatoribus passim tempore non certo. Idque non aliud fuit quam censura quædam in *equites equosque* publicos, & quasi examen. *Lips. in Tacit. Annal.* II. *n.* 215. *Hugo de Milit. Equest.* II. 5. Ad quod faciebat etiam ipsa transvectio, quæ a recognitione alia erat, & istorum *equitum* propria pompa, a Q. Fabio Rulliano instituta. Liv. IX. 46. *Ab eodem institutum dicitur, ut equites Idibus Quintilibus transveherentur.* Val. Max. II. 2. *Trabeatos equites Idibus Julis Q. Fabius transvehi jussit.* Aurel. Vict. c. 32. n. 3. *Q. Fabius Rullianus primus instituit, ut equites Romani Idibus Quintilibus ab æde Honoris*, Martis mox dicet Dionysius; sed Honoris ædes extra Collinam portam fuit, non longe ab ea Martis, *albis equis*, rescribo *alti*, quis enim credat tot unius coloris fuisse? Nec aliud vult quam sublimes & conspicuos in *equis* fuisse, *insidentes in Capitolium transirent.* Pompam describit Dionys. VI. p. 351. *Pugnæ ad Regillum plura monumenta sunt, sed ante omnia insigne, pompa & transvectio equitum Romanorum, qui publicum equum habent. Ii per centurias & turmas divisi, ordine equis insidentes vehuntur omnes quasi e pugna venientes, ramis oleæ coronati, & purpureas palmatas togas induti, quas trabeas dicunt. Incipiunt ab æde quadam Martis extra Urbem sita, transeuntesque cum alia loca Urbis, tum forum & ædem Castorum prætereunt, interdum ad quinque virorum millia, gerentes præmia & dona militaria, quæcunque a ducibus in bello acceperint.* Primores civium præibant & ducebant. Et hi *magni auctores*, de quibus Val. Max. l. l. *Equestris ordinis juventus omnibus annis bis Urbem spectaculo sui sub magnis auctoribus celebrabat, die Lupercalium, & equitum probatione.* Qui *probationem* dixit, quia, ut tetigi, in ea examen & discussio vitæ. Suet. Aug. c. 38. n. 3. *Augustus equitum turmas frequenter recognovit, post longam intercapedinem reducto more transvectionis. Sed neque detrahi quemquam in transvehendo ab accusatore passus est, & senio, vel aliqua corporis labe insignibus permisit, præmisso in ordine equo, ad respondendum, quoties citarentur, pedibus venire.* Vides accusatos, citatos, imo & detractos ignominiose, quod tamen Augustus ultra interdixit. Si sine culpa, abibant, & *equum traducebant:* si aliter, sistebant, & jubebantur *vendere equum.* Sollennia hæc verba. Val. Max. IV. 1. *Traduc equum sacerdos, & lucrifac censoriam notam.* Liv. XXIX. 37. *Claudius Livium vendere equum jussit.* Lips. de Milit. Rom. & in Tacit. l. l. Manut. ibid. p. 33. A. Rævard. Var. Lect. II. 15. Coras. Misc. Jur. I. 11. Bud. in Pandect. p. 90. Hugo de Milit. Equestr. II. 5. Junius Fastor. Thes. Ant. Rom. Græv. Tom. VIII. p. 245. C. Laurent. Polym. IV. Synops. I. §. 4. Demster. Paral. ad Rosin. Ant. Rom. I. 17. Ursat. de Not. Rom. Thes. Ant. Rom. Græv. Tom. XI. p. 696. D. Pigh. Annal. Rom. I. p. 87. Thys. Rom. Illustr. I. p. 49. Alex. ab Alex. Gen. dier. III. 28. & ad illum Tiraquellus. Pitisc. in Suetonium. Cicero primus in illo suo nunquam satis laudando consulatu a plebe separavit, & tertium ordinem in Rempublicam induxit. Atque ab illo tempore, ut scribit Plinius jam laudatus, tertium hoc corpus in Republica factum est. *Streinn. l. l.* Discernebantur a senatu clavo angusto. V. supr. in *Clavus angustus:* a plebe annulo aureo. V. supr. in *Annulus aureus.* Sigon. de Ant. Jur. civ. Rom. II. 4. Illorum etiam propria erat trabea. Hoc modo docuerunt nos, ubi de *equitum* transvectione loquuntur, Dionysius, & Valerius Maximus. Ideo *trabeata agmina* ipsi *equites* Stat. Sylv. IV. 2. 32.

Hic tum Romuleos proceres, trabeataque Cæsar
Agmina mille simul jussit discumbere mensis.

V. 2. 17.

— non sanguine cretus
Turmali, trabeaque Remi.

quia erant trabeati exemplo Regum. Et in funere Germanici *trabeati equites* apud Tacit. Annal. III. 2. 2. Qui hanc vestem sumpserunt non doloris indicium, cum contra ea uterentur in diebus sollennibus, & lætis, ut in transvectione teste Dionysio jam laudato; sed ordinis, ad discriminandum, inquam, in coloniis *equitem* a plebe, & splendorem funeri conciliandum. *Lips. in Tacitum. Hugo de Milit. Equest.* V. 1. *Ferrar. de Re vest.* I. 2. 5. *Bayf. de Re vest. c.* 10. *Laz. Comm. Reip. Rom.* VIII. 5. Illis L. Roscius Otho primus in theatro quatuordecim gradus attribuit anno U. C. 686. Liv. Epit. 99. *L. Roscius tribunus plebis legem tulit, ut equitibus Romanis in theatro quatuordecim gradus proximi assignarentur.* Cicer. Phil. II. 18. *Sedisti in quatuordecim ordinibus, cum lege Roscia decoctoribus certus locus esset constitutus, quamvis fortunæ vitio, non suo decoxissent.* Verum illa lex sæpe neglecta, sæpe restituta ab Imperatoribus. Ideo frequenter in jus vocati, qui in quatuordecim sederent, sæpe excitati a lictoribus. Lex fuit, ne sedeat in quatuordecim ordinibus, qui ludicram artem exercuerat, qui se prætori in hortis ostenderat, neque in scenam erat productus. Si accusabitur theatrali lege, si excitatus fuerit de spectaculis, aget injuriarum. Eam prolapsam restituit Domitianus, plebe promiscue loca *equitum* occupante. Mart. V. 8.

Edictum domini, deique nostri,
Quo subsellia certiora fiunt,
Et puros eques ordines recepit
Dum laudat modo Phasis in theatro
Illas purpureas & arrogantes
Jussit surgere Lectius lacernas.

Buleng. de Circo. c. 35. Manut. de Leg. c. 3. Augustin. de Legib. in Julia theatralis. Pitisc. in Suet. Aug. c. 40. n. 2. Plerique fuerunt publicani. Plin. XXXIII. 2. *Judicum appellatione separari equestrem ordinem, primi omnium instituere Gracchi, discordi popularitate in contumeliam senatus: mox ea debellata auctoritas nominis vario seditionum eventu circa publicanos substitit, & aliquando tertiæ vires publicani fuerunt. M. Cicero demum stabilivit equestre nomen in consulatu suo, ei senatum concilians, ex eo ordine se profectum celebrans, & ejus vires peculiari popularitate quærens.* Cicer. Planc. c. 9. V. illum infr. in *Publicani.* Non tamen omnes. Cujus rei argumento est id, quod exstat apud Nepotem de Attico equite Romano c. 5. n. 3. *Ad hastam publicam nunquam accessit, nullius rei neque præs, neque manceps factus est.* & apud Varron. de Re rust. I. *Offendi ibi C. Agrium equitem Romanum, & P. Agrasium publicanum.* Sigon. ibid. c. 4. Judices dicti sunt a judicando. *Augustin. de Legib. c.* 7. Judicia primis temporibus penes solos senatores quidem fuerunt, usque ad annum Urbis 630. Sed illo lex Sempronia lata est, ut judicia in *equestrem* ordinem transferrentur. Et illa ratio duravit ad annum usque 647. quo lege Servilia latum est, ut *equestria* judicia cum ordine senatorio ita communicarentur, ut minor tamen numerus senatorum esset, quod quidem usque ad annum 662. observatum est, quo Livia lege sancitum est, ut æqua ex parte judicia penes senatum, & *equestrem* ordinem essent:

usque

usque dum Plautia lex ferretur anno 664. quæ nonnullos etiam ex plebe una cum ſenatoribus & *equitibus* admiſit. Poſt anno 673. lege Cornelia lata judicia *equeſtri* adempta ad ſolum ordinem ſenatorium redierunt. Hoc usque ad legem Aureliam uſurpatum fuit, quæ anno 683. ſanxit, uti cum ſenatoribus, & *equites*, & tribuni ærarii judicarent. Sed hos Julius Cæſar ſuſtulit, judiciaque ad ſolos *equites* & ſenatores iterum revocavit. *Hotoman. de Senat. & Sct.* II. 2. *Manut. de Legib. c.* 15. *Auguſtin. de Legib. in Sempronia. Sigon. de Ant. jur. civ. Roman.* II. 18. *Judic.* II. 6. *Siccama de Centumv. Judic.* I. 5. *Pollet. For. Rom.* III. 8. *& 9. Zamoſc. de Senat. Rom.* I. 15. *Robort. de Judic. Theſ. Ant. Roman. Græv. Tom.* III. *p.* 12. 13. *Bud. in Pandect. p.* 263. *H. Barth. Adv.* XVI. 3. *Vitell. cont. Merul. c.* 21. *Cujac. Obſ.* XXI. 31. Rebus Imperatorum vitio prolapſis quadrigarii fuerunt. Suet. Aug. c. 43. n. 4. *In circo aurigas, curſoresque & confectores ferarum, & nonnunquam ex nobiliſſima juventute produxit.* Aſcon. in Cicer. p. 148. *Dicit eum in victoria quadrigarium, quod cum Sylla poſt victoriam circenſes faceret, ita ut honeſti homines quadrigas agitarent, fuit inter eos C. Antonius.* Buleng. de Circo c. 50. Magiſtratus aut non capiebant. Cic. pro Clu. c. 55. *Converte te nunc ad equeſtrem ordinem, atque in cæteros ordines: eaſdem ... conditiones, quas ſenatores, non perferent. Putant enim minus ... ltos ſibi laqueos legum, & conditionum, ac judiciorum propoſitos eſſe oportere, qui in ſummum locum civitatis aut non potuerunt aſcendere, aut non petiverunt.* Suet. Aug. c. 2. n. 3. *A quibus duplex Octaviorum familia defluxit. Cneus, & deinceps ab eo reliqui omnes functi ſunt honoribus ſummis. At Cajus ejusque poſteri, ſeu fortuna, ſeu voluntate, in equeſtri ordine conſtitere.* Aut illo capto *equites* eſſe deſinebant. Nero quidem & Salinator cenſores, & Pompejus Magnus conſul in illis magiſtratibus *equum* publicum habuerunt. Liv. XXIX. 37. *Equitum cenſus actus eſt, & forte ambo cenſores equum publicum habebant.* Val. Max. II. 9. 6. *Claudius Nero Liviusque Salinator cum equitum centurias recognoſcerent, & ipſi propter robur ætatis etiamnum eorum eſſent e numero, alter alterum equum vendere juſſit.* Pompejum narrat Plutarch. p. 630. B. cum primum conſul eſſet, ad cenſores Catulum & Gellium *equum* manu ducentem veniſſe, atque ab iis ex ordine interrogatum, legitima a ſe omnia ſtipendia ſe Imperatore confecta, reſpondiſſe. Sed facile evenire potuit, ut aut propter robur ætatis poſt captos magiſtratus *equum* publicum tenuerint, & tamen ſenatores fuerint: ſiquidem ut invenio apud Suet. Aug. c. 38. n. 4. Auguſtus *reddendi equi gratiam fecit eis, qui majores annorum quinque & quadraginta retinere eum nollent.* Aut, quod malim, in ſenatum illi quidem, ſed jure magiſtratus, non lectione cenſoria venerint: nam Salinatorem diſerte ſcribit Livius a cenſoribus L. Veturio, P. Licinio *in ſenatum venire coactum, ſed tum aut verbo aſſenſum, aut pedibus in aliorum ſententiam eſſe profectum.* Et recte. Neque enim legiſſe eum potuerunt, cum nullo ſenatu lecto abdicarint. Pompejum autem perſpicuum eſt conſulem factum, cum adhuc eques Romanus eſſet, id eſt, ut inquit Dio, cum nondum ſenator eſſet: neque vero quanquam quæſturam geſſerat, legi in ſenatum ante conſulatum potuit; cum per annos ſeptemdecim nulli cenſores fuiſſent, qui ſenatum legerent, neque ante Dictatore Sylla legi propter ætatem potuiſſet. Fuiſſe autem hoc moris ſcribit Iſidorus, *ut quamvis quis ſenatoria origine eſſet, tamen usque ad legitimos annos eques Romanus eſſet, deinde ordinem ſenatorium iniret.* Itaque & Pompejus hic Magnus Pompeji Strabonis, viri conſularis, ac triumphalis filius, *eques* tamen Romanus fuit: atque *equeſtris* ordinis homines ſæpe ſenatorum filios fuiſſe apud Livium animadvertimus: & Cicer. Verr. IV. 20. Cn. Calidii *equitis* Romani filium ſenatorem & judicem nominat. *Sigon. l. l. Græv. Præfat. in Theſ. Ant. Rom. Tom.* I. * * 3. *verſ.*

EQUULEUS, ſive *eculeus* fuit tormenti genus, quo ad extorquendam de ſervis veritatem utebantur antiqui. Cicer. pro Dejot. c. I. *Cum more majorum de ſervo in dominum ne tormentis quidem quæri liceat, in qua quæſtione dolor veram vocem elicere poſſit etiam ab invito, exortus eſt ſervus, qui, quem in equuleo appellare non poſſet, eum ... ſolutus.* Milon. c. 21. *Facti in equuleo quæſtio eſt, juris in judicio.* Tranſlatum eſt inde ad cruciandos homines, & acerbiore ſupplicio afficiendos, quod in Chriſtianis martyribus patuit. Nec differunt inter ſe ſcriptores, ... ejus duntaxat perfecta definitione ac forma explicanda. *Gallon. de Martyr. cruc. c.* 3. *p.* 130. *Sigon. de Judic.* III. 17. Nihil aliud fuiſſe quam laminam ferri ignitam, q... homines torqueri conſueviſſent, legitur in Calepini Lexico in voce *Equuleus.* Sed per Deum immortalem quid potuit dici inſulſius? Quid laminæ ignitæ cum parvo equo, ſive pullo equino commune. Deceptum eo fuiſſe arbitror, quod Valerius Maximus & Quintilianus, V. illos infr. in *Fidiculæ.* ubi de *equuleo* mentionem faciunt, & laminæ ignitæ candentisque meminerint. *Mag. de Equul. c.* 6. & ad illum *Jungermannus & Gallon. de cruciat. martyr. p.* 132. *Laurent. de Rebuſp. c.* 7. Fuit cataſta lignea, cochleata, ad intendendum ac remittendum apta, atque ad torquendos homines inſtituta. Tormenti vero genus erat hujuſmodi: Ubi cataſtæ huic brachia, pedesque ejus, qui torquendus erat, nervis quibusdam, quæ fidiculæ dicebantur, alligaverant, tum cataſta intenta, atque in altum erecta, ut ex eo, quaſi ex cruce quadam miſer ille penderet: primum compagem ipſam oſſium illius dividebant, deinde candentibus ejusdem corpori laminis admotis, atque biſulcis ungulis ferreis lateribus laniatis doloris acerbitatem augebant. *Sigon. de Judic.* III. 17. *Donat. Dilucid. p.* 842. *Laurent. l. l.* Sigonius permiſcet *equuleum* cum cataſta, nec non & cum genere illo compedum, quo rei in carcere poſiti, injectis ad quartum, vel quintum foramen pedibus, ad jugem cruciatum ſic vincti detinebantur. *Gallon. de Cruciat. mart. p.* 161. & 164. *Baron. in Martyrol. ad* 22. *Januarii.* Fiſt id ... genus, quam noſtri hodie funem appellant. Quod deprehendimus ex auctoritate Senecæ Epiſt. 67. *Podagra diſtortus, aut equuleo longior factus.* Volaterr. Comm. Urban. XXXI. I. In hoc homines brachiis poſt terga revinctis, funique per trochleam tranſducto alligatis ſuſtolluntur, & mox pendentes ſtatim demittuntur; ut his brachia ponderis vi, qua humeris junguntur, facile luxentur, cruciatu mehercle magno. Sed Seneca illi non parum adverſatur; nam de neſcio quo homine loquitur. Et qui hodie vulgato cruciatus genere fune torquentur, quomodo longiores fiunt? quo pacto conjiciuntur in aliquod vas, aut inſtrumentum capax? Sic enim loqui conſuevere auctores Latini: *conjectus in dolium ferreis clavis præfixum, conjectus in arcam, conjectus in lebetem.* Ut qui detruduntur in locum aliquem ſimiliter capacem: *conjectus in carcerem, conjectus in fornacem, conjectus in latrinam.* quæ loca conjectum excipere & continere poſſint. In vulgato autem tormento funis pendet e trochlea, cui alligantur manus torquendi: & nihil eſt quod torquendum excipiat. *Mag. ibid. c.* 3. *Laurent. l. l.* Mirandulæ cum eſſemus, ſpectavimus tormenti genus ex aſſeribus compacti in morem adamantis acuminati effigiatum. Huc tanquam in equum conjiciebantur rei nudi, ita ut acumen premeret partem, quæ honeſte nominari nequit, diſtentis per pondera manibus pedibusque quo graviores inſiderent. *Equuleum* vocavere. Eorum ego ſententiæ accedo. *Seghet. apud Magium ibid. p.* 43. *Brod. Miſc.* II. 9. *Panciroll. Notit. Dignit. Imp. Orient. c.* 12. Stipes erat, cui velut *equo* imponebantur, ac varie torquebantur, cruciabantur, & diſtendebantur. De Romani martyrio cum ſcripſiſſet Prudent. περὶ στεφ. X. 108.

Incenſus his Aſclepiades juſſerat
Eviſcerandum corpus equuleo eminus
Pendere, & uncis vinculisque creſcere.

ſubjicit n. 114.

Jubet amoveri noxialem ſtipitem.

Turneb. Adv. IV. 3: XV. 16. Hotman. Antiq. Roman. V. p. 762. E. Huic ſententiæ ſuffragari videtur, tormenti genus noſtris temporibus, quod jure a ſimilitudine *equuleum* appellare licet. Namque quatuor ſtipites ita adne-

ctunt,

ctunt, ut quatuor *equorum* crura videantur in infima parte, quæ solo hæret, exterius extensos, in superna vero ita compaginatos, ut hinc inde asseribus circumvestiti in supremis in lineam rectam desinant, quæ acuminatam, angularem, peracutam formam efficit: hanc autem ferrea lamina circumducunt, cui reos tanquam sessores imponunt, pedibus gravibus ponderibus annexis, quæ tamen humum non contingant, & manibus retro ligatis. *Donat. l. l.* Ego crediderim fuisse ligneum scamnum, sive ligneam arcam pedibus quatuor ligneis consistentem, fundoque carentem, quæ utrimque capiebat tympana, & funes, quibus manus, pedesque sontium, & torquendorum obligarentur, & protraherentur, non sine magno dolore totius corporis. Quamobrem Senec. l. l. inquit: *In equuleo longior factus est.* Quare manifestum hoc pacto ossibus e compage motis, solutisque corpus productum fuisse. In hoc pendere solebant, qua suspensi aere in vacuo, corpore eo pacto extenso, non e simplici fune ad perpendiculum, ut alii censent. *Mag. l. l.* Fuit potius machina lignea ad veri *equi* similitudinem fabricata, cum duabus striatis rotulis in extremis, excavatisque ejus partibus inditis, quæ, cum erat aliquis in ea torquendus, per axiculos ductoriis funiculis trajectis, versabatur: quocirca fiebat, ut illis illigatus varie excruciaretur, atque distenderetur. Consueverunt veteres hoc modo *equuleum* construere. Præparabant stipitem rectum, longitudinis, latitudinisque convenientis: in cujus extremis partibus excavatis, duas striatas rotulas, quæ per axiculos verti possent, indebant: tum deinde, ut ex omni parte elevatus remaneret e terra, desumebant quatuor ligna eo paullo arctiora, atque minora, quæ deinceps clavis ferreis non longe ab ultimis stipitis partibus affigentes, fabricabant machinam quatuor quasi pedibus veri equi instar insistentem. Huic torquendus supinus imponebatur, pedibus vinctis, & manibus post tergum religatis: deinde tortores per machinulam ad *equulei* pedes fixam, rotis corpus extendebant, a capite, & a pedibus machinam vertentes. Aliquando laxatis funiculis incurvum, ac pendulum ab *equuleo* cadere sinebant. *Gallon. ibid. p.* 133. Quod machina illa tortoria instar *equi*, sive *equulei* fabricata esset, cum Magio de Equuleo c. 12. & Pamelio ad Epistolam Cypriani martyris 33. sentit Gallonius adducto vel uno testimonio Pomponii apud Non. II. 284.

Et ubi insilui in cochleatum equuleum,
Ibi tollutim tortor.

Sed quod supinos jacuisse credit, quia Hieron. ad Innoc. Epist. 49 ait: *Cum equuleus corpus extenderet, oculis, quos tantum tortor alligare non poterat, suspexit ad cælum.* Et Senec. Epist. 66. *Hoc nobis persuadere conaris, nihil interesse, utrum aliquis in gaudio sit, an in equuleo jaceat.* Id nequaquam fieri potuisse videtur, sed cum in *equuleum* insiluissent, more equitantium, dispessis cruribus insedisse, & cum retro brachia convellerentur, nonnisi curvos stetisse. Apud Senecam non *jaceat*, sed taceat legendum esse Muretus indicavit. Nam fuisse manus post tergum religatas ipse fatetur ex Euseb. Hist. VIII. 2. *Quidam enim primum manibus a tergo colligatis ligno appensi, & machinis quibusdam membra eorum universa distenta, distractaque.* Quod laxatis funiculis noxii incurvatis corporibus sub *equulei* machinam cadere sinerentur, probat ex Ammian. XXVI. 10. *Innocentes tortoribus exposuit multos, & sub equuleo cepit incurvos.* XXVIII. 1. *Quanquam incurvus sub equuleo staret, erecta tamen facie cælum versus.* Sed hæc indicant potius stetisse in *equuleo* incurvos, cum funes intenti essent, & non cum laxarentur. Nam intentio illa, qua brachia retro sursum trahebantur, cogebat incurvos stare, qui *equuleo* insidebant, cum & pedes rotulis deorsum revellerentur, ut in tormento funis ductarii videmus. Itaque vix capio, quomodo apud Ammianum *incurvus* ille sub *equuleo erecta facie cælum versus* esse posset: nisi intelligit cervicem modice deflexam: major in eo difficultas est, & quidem non una, quomodo aliquis *equuleo* insidens, sive inequitans, dicatur *stare sub equuleo:* deinde, quod sæpe in actis martyrum occurrit, *appendi*, vel *suspendi in equuleo: Adduxit in conspectum suum equuleum, & jussit suspendi in eo Crescentianum.* Et de S. Thelica. *Qui cum pendendo in equuleo extensus, se Christianum esse pronuntiaret.* Quibus inductus Caracciolus existimat, *equuleum* fuisse unum tantum stipitem erectum, & cochleatum, ad quem manibus, pedibusque revinctum hominis corpus, sursum, ac deorsum, eodem tempore, tortoris arbitrio distendebatur. Nam Prudent. Peristeph. x. 491.

Miserum putatis, quod retortus pendeo,
Extentus ulnis.

Et v. 109. infr. laudandus. Euseb. Hist. VIII. 2. modo laudatus. Paullin. de S. Martino; *porrecti robore ligni.* In actis martyrum: *in equuleo suspensi, in equuleum levatus.* Ex quibus etiam apparet, manibus a tergo ligatis, id est, non hinc inde distractis, sed retro vinctis appensos, ut junctis pedibus inferne distenderentur. Acta tergeminorum fratrum apud Adonem XIII. Januarii: *Ligatis manibus susum, ac pedibus jusum.* Si in *equuleo* reus supinus jacuisset, scilicet in trabe oblonga quatuor pedibus suffulta, ut vult Gallonius, quomodo sursum, ac deorsum distrahi potuisset? Multo minus si in catasta, quæ est opinio Sigonii, nam catastam ipsam fuisse erectam, qui fieri potuit, cum tabulatum, sive pegma esset? Itaque Caraccioli opinio probabilior videtur, fuisse erectum stipitem, ita enim intelligimus, quo modo homines in *equuleo* suspenderentur, id est, in erecto stipite: quomodo *starent sub equuleo incurvi* apud Ammianum; nam cum essent brachia retro alligata, ut in tormento trochleæ, sive funis tortorii, reductis, ac revulsis brachiis, homo rectus stare non poterat. Obstat modo vox *equulei:* nulla enim erecti stipitis cum *equuleo* similitudo. Nam quod ait Caracciolus, *equuleum* per *C*, non per *Q* scribendum esse, utroque modo scriptum scimus: quod vero subjicit, *eculeum* dictum, quia *culeum*, id est, corium, sive pellem valide ea machina extenderet, ineptum est: nunquam enim *culeus* pro hominis pelle, sed pro utre, hoc est, facco ex corio accipitur: nec pellis modo, sed totum corpus extendebatur. Obstat etiam illud veteris poetæ:

Cum in cochleatum equuleum insilui.

quod de equo proprium, *ibi tollutim tortor*, non volubiliter torqueor, ut Nonius explicat, sed succutior, id est, modo in altum tollor, modo contrario nisu deprimor, quod faciunt, qui equo succussatori resident, Itali *trottare* a *quadrupedare*, ut in Originibus diximus. Hæc omnia credere nos cogunt, aut non unam *equulei* formam apud veteres fuisse: aut ita compactum, ut ex duplici ligno constarent, stipite scilicet erecto, & altero ligno ad medium apposito, eoque quatuor pedibus innixo, cui torquendus insidens, illinc brachiis sursum, hinc pedibus deorsum extenderetur, & pars illa, qua sedemus, acuto transversi stipitis dorso diffinderetur. Prudent Peristeph. x. 108.

Incensus his Asclepiades jusserat
Eviscerandum corpus equuleo eminus
Pendere, & uncis, vinculisque crescere.
Apparitores sed furenti suggerunt
Illum vetusta nobilem prosapia,
Meritisque multis esse primum civium,
Jubet amoveri noxialem stipitem,
Plebeja clarum pœna ne damnet virum.

Apud Paullinum *robora sursum porrecti ligni*, certe est stipes erectus, ex quo pendens *incurvus sub equuleo stare* dicitur Ammian. XXVIII. 1. sicut *sub equuleo multos capit incurvos* apud eund. XXVI. 10. Nam *equuleo* insidentis brachia sursum trahi non poterant, nisi retro stipes erectus fuisset, cui imposita trochlea, per quam funi retro vincta brachia sursum trahebantur, sicut altera machina infra *equuleum* posita pedes deorsum revellebantur. Nam quod Pamelius in notis ad Epistolam Cypriani martyris 33. existimat reos in *equuleum* conjectos ex Cicer. Tusc. Quæst.

V. 5.

v. 5. næ ille non *equuleum*, ſed equum Trojanum comminiſcitur. Non ibi Cicero de reo loquitur, qui in *equuleum* conjiceretur. Verba ejus ſunt. *Nam etiam in tormentis recte, honeſte, laudabiliter, & ob eam rem bene vivi potest: hæc etiam in equuleum conjiciuntur, quo vita non adſpirat beata.* Hoc eſt, iſta durant etiam in *equuleo*, ſi mittantur in *equuleum*, perſeverant. Quomodo enim in equum conjectus extendi potuiſſet, niſi ut in tauro Perilli igne ſubjecto torquebatur. *Conjici* igitur idem eſt, quod eodem hoc numero Cicero ait, *ire in equuleum*, & *imponi in equuleum.* Quomodo *in equuleum conjectus* inſilire in eum dici poterat? Quam dirum autem, & crudele tormenti genus illud eſſet, præter illa Prudent. Periſteph. v. 109.

Vinctum retortis brachiis
Surſum, ac deorſum extendite,
Compago donec oſſium
Divulſa membratim crepet.

x. 493.

Compago nervis quod ſonat crepantibus.

vel teſtis eſt unus Sil. Ital. i. 175. ubi *equuleo* tortum Regis Hiſpanorum ſervum deſcribens, ait:

—— ferum viſu, dictuque: per artem
Sævitiæ, extenti, quantum tormenta jubebant,
Creverunt artus, atque omni ſanguine rupto
Oſſa liquefactis fumarunt fervida membris.

Ferrār. Elect. i. 5. Valeſ. in Ammianum, Græv. Theſ. Antiq. Roman. Tom. 11. Præf. * * * * * *

EQUUS primus a Neptuno e terra excitatus dicitur. Virg. Georg. i. 12.

—— tuque o cui prima frementem
Fudit equum magno tellus percuſſa tridenti.

Quare Pamphos vetus poeta vocat Neptunum *equorum datorem* apud Pauſan. Ἀχαικ. p. 227. Et qui per Neptunum jurabant, equorum jubas attingere ſoliti erant. Homer. Iliad. xxiii. 584.

En age equos tangens Neptunia numina jura,
Fraude meas nulla prudens tardare jugales.

Eum alii Arionem, quidam Scythium, nonnulli Schironem dictum volunt, ut Servius docet. Quidam in Arcadia, nonnulli in Theſſalia: unde & ab Arcadibus dictus eſt ἵππιος Ποσειδῶν apud Pauſan. Ἀρκαδ. p. 257. Primum in Theſſalia *equum* exſtitiſſe a Neptuno editum docet Lucan. vi. 396.

Primus ab æquorea percuſſis cuſpide ſaxis
Theſſalicus ſonipes bellis feralibus omen
Exiluit, primus chalybem frenosque momordit,
Spumavitque novis Lapithæ domitoris habenis.

Buleng. de Equis c. 4. Ortel. Deor. & Dear. cap. c. 11. Jun. Emblem. i. Potter. Archæol. Græc. iii. 2. Quia primus *equos* domuit, & *equeſtris* rei ſcientiam tradidit. Diodor. v. p. 233. A. *La Chauſſe de an. ant. Lucern. tabul.* ix. *Ortel. l. l.* Ills currum Panathenæorum feſto primus Erichthonius junxiſſe memoratur. Virg. Georg. iii. 113.

Primus Erichthonius currus, & quatuor auſus
Jungere equos, rapidisque rotis inſiſtere victor.

Ubi Servius: *Varro in libro, qui Mirabilium inſcribitur, Erichthonium tradit primum quatuor junxiſſe equos ludis, qui Panathenaici appellantur.* Procidum quendam Cecropis ætate id feciſſe tradit Ado in Chronico: *Hac etiam ætate primus Procidus quadrigam junxit: eodemque tempore Cecrops Athenas condidit.* L. *Trochilus.* Is enim facto hoc commemoratur a Theone in Aratum: *Mythologi dicunt, aurigam eſſe imaginem ſeu Bellerophontis, ſive Trochili, filii Callitheæ, primæ Argis ſacerdotis, qui primus currum equis junxit.* Meurſ. de Regib. Athen. ii. 1. Buleng. l. l. Stewech. in Veget. ii. 34. Illo vehi Bellerophontem docuiſſe ferunt. Vixit Bellerophon ante CHRISTUM anno circiter 1360. Hoc videtur illi tribui, quod celeritatem *equi* ad itinera conficienda primus obſervarit, & ad uſus adhibuerit humanos. Quanquam ne hoc quidem forte ipſi aliter concedi poſſit, quam quatenus oſtenderit apud ſuos. Nam alias de Seſanchoſe, quem & Seſoſtrem appellant, Ægyptiorum Rege Dicearchus: *Ajunt eum primum inveniſſe, quomodo conſcendere homo equum poſſit.* Vixit Seſoſtris circa annum mundi 2475. Unde liquet Bellerophontem eum anteceſſiſſe annis quaſi centum atque quindecim, cum Bellerophontis ætas incidat in annum mundi 2590. *Scheffer. de Re vehic.* i. 8. In illos ut allevarentur, interdum haſta innitebantur. De Cornelio Coſſo Liv. iv. 19. *Quem cum equo ictum dejeciſſet, confeſtim & ipſe haſta innixus ſe in pedes excipit.* Equos etiam quidam inſueverunt ad flectenda crura, & ſeſe dimittendum. De *equo* miræ fidei in herum, quem in pugna Cannenſi graviter læſum in dorſum voluit ſuſcipere, Sil. Ital. x. 465.

Inde inclinatus collum, ſubmiſſus & armos
De more, inflexis præbebat ſcandere terga
Cruribus.

Digniores & molliores habebant qui manu tolleret, & adjutaret. Stratores Latinis dicebantur. V. illos infr. in *Strator.* & ἀναβολεῖς Græcis. V. illos ſupr. in Ἀναβολεύς. Inſtrumentum portatile juxta *equum* apponebant, & eo velut gradu attollebantur. Euſtath. Odyſſ. A. n. 155. *Anaboleus dicitur illud ferrum, cui pedes imponunt quidam, ut inſcendant commodius.* Fit hodie interdum in curribus. In illos inſiliebant, ut ruſticuli noſtri nullo niſu ſe in *equos* ſubjiciunt. Et id ſaltu quodam factum docet Virg. Æneid. xii. 288.

—— corpora ſaltu
Subjiciunt in equos.

Inde ſalitio in equum ligneum Romæ. V. infr. in *Equi lignei.* Lipſ. de Milit. Rom. iii. Dial. 7. Potter. Archæol. Græc. iii. 3. Hugo de Milit. Equeſt. i. 4. In lateribus viarum quoque illi, qui vias militares ſternebant, collocabant altiores quoſdam lapides, & tanquam quædam puſilla ſuggeſta excitabant: ex quibus parvo negotio quilibet, tenui etiam corporis firmitate, poterat ſe conjicere in dorſum *equi.* Ita C. Gracchus plures vias, cum ſtuderet cunctorum Italiæ populorum animum ſibi conciliare, ſtravit. Et cum ipſas commodas feciſſet atque ornaſſet, curavit etiam, ut lapidibus certa menſura poſitis, & columellis quibuſdam notarentur millia paſſuum, & aliis itidem propinquioribus lapidibus effecit, ut qui *equo* veherentur, poſſent in eum facile aſcendere. Plutarchus in Gracchis p. 838. A. *Victor. Var. Lect.* xxxvii. 15. *Hugo & Potter. l. l.* Alii equos condocefaciebant ſeſe ſubmittere ad faciliorem inſcenſum. Pollux i. 11. *Inſtituendus etiam equus, ut ſe ſubmittat, ut facilius eques conſcendere poſſit.* De equo Cloetii Equitis Romani Sil. Ital. x. 465.

Inde inclinatus collum, ſubmiſſus & armos
De more, inflexis præbebat ſcandere terga
Cruribus.

Hugo & Potter. l. l. Thyſ. Rom. Illuſtr. iii. p. 84. Conſualibus immunes erant ab opere apud Romanos. V. ſupr. in *Conſualia.* Illyrii *quaternos jaciebant nono quoque anno in mare, quia Neptunus tridentis ictu terra equum exciverat.* Feſtus in Hippius. *Argol. in Panvin. de Lud. Circenſ.* i. 3. *Tomaſ. de Donar. c.* 32. Nimis efflictim illos deperibant nonnulli. Verus Imperator *Volucri equo* Praſino aureum ſimulacrum fecerat, quod ſecum portabat. *Illi paſſas uvas & nucleos in vicem hordei in præſepe ponebat, ſagis fuco tinctis coopertum in Tiberianam ad ſe adduci jubebat. Mortuo ſepulcrum fecit in Vaticano.* Capitol. c. 6. Credibile ad circum Neronis proxime. Adrianus *equos & canes ſic amavit, ut eis ſepulcra conſtitueret.* Spartian. c. 20. Auguſtus ipſe *equo fecit ſepulcrum, de quo Germanici Cæſaris eſt carmen.* Plin. viii. 42. Caligula *Incitato equo, cujus cauſa pridie circenſes, ne inquietaretur, viciniæ ſilentium per milites indicere ſolebat, præter equile marmoreum, & præſepe eburneum, præterque purpurea tegumenta, ac monile e gemmis, domum etiam & familiam, & ſupellectilem dedit, quo lautius nomine ejus invitati acciperentur: conſulatum traditur deſtinaſſe.* Suet. c. 55. n. 8. Buleng. de circo c. 60. Guther. de jur. man. ii. 37. Aring. Rom.

Subterr. II. 3. 19. Borrich. Ant. Urb. Fac. c. 16. §. 3. Kirchman. Append. Fun. Rom. c. 6. *Equis* pelles insternebant prisci Romani illos conscensuri, ex nobilioribus quidem rariores quasdam, ut e lynce, tigride. Alii centunculos insternebant, aut viliores pannos: honestiores vestem pretiosam magis, aut tapetem. Magistratibus, & qui cum imperio erant, jus fuit purpura, aut cocco insternere: atque hi consulares, & imperatorii *equi*. Thys. Rom. Illustr. III. p. 85. Ejus effigiem in signis prætulerunt Romani. Plin. X. 4. *Erat & antea prima, cum quatuor aliis, lupi, minotauri, equi, apri, quæ singulos ordines anteibant.* I. Quia per hujusmodi animantis speciem, cum bello intersit, plurimumque valeat, Martis commoditatem designare voluerunt. II. Quia hoc animal præsagit pugnam, & gloriæ, atque victoriæ cupidum est. III. Quia armatos vehit. IV. Quia velox est, ut Martem decet, ac impetu, & furore maxime plenum. *Salmuth in Panciroll. de Reb. deperd. & inv. p.* 589. *Lips. de Milit. Rom.* IV. *Dial.* 5. Erat inter præmia *equestria*. Pedestris cursus præmium, haud dubie ad equestrem respectans, *equum* proponit Virg. Æneid. V. 310.

Primus equum phaleris insignem victor habeto.

Rursum Niso, si vicerit, Ascanius promittit *equum* Turni Æneid. IX. 269.

Vidisti, quo Turnus equo, quibus ibat in armis
Aureus? ipsum illum clypeum, cristasque rubentes
Excipiam sorti, jam nunc tua præmia, Nise.

Hugo de Milit. Equest. V. 1. De *equis* curandis scripsit *Joachimus Camerarius.*

Equus æneus Constantini fuit in Foro Romano. Additur Genio populi Romani aureo. A Ruso & Victore omittitur. *Panciroll. Descr. Urb. Rom. Thes. Ant. Rom. Græv. Tom.* III. *p.* 351. *D. Marlian Topogr. Urb.* III. 5.

Equus æneus Domitiani fuit prope eam columnam, quæ unica stat in medio foro, auro superfusus. Stat. Sylv. I. 1. 1.

Quæ superimposito moles gemmata colosso
Stat Latium complexa forum.

Cujus sub altero pede erat Rheni fluminis Germaniæ simulacrum, de qua provincia Domitianus triumphaverat. Stat. n. 51.

Ænea captivi crinem tegit ungula Rheni.

Marlian. Topogr. Urb. Rom. III. 2. Boissard. Topogr. Urb. Rom. Tom. 1. p. 28. Faunus Antiq. Urb. Rom. II. 13. Nicol. de Triumph. c. 18. §. 2.

Equus æneus Tiridatis Romæ factus, in regione septima, sive Lata via collocatus est, quia illo vectus est in Italiam ad accipiendum regnum Parthorum a Nerone, cujus manu enim ut hoc reciperet, cum Corbulone copiarum Romanarum præfecto pacem inierat. *Panciroll. Descr. Urb. Rom. Thes. Ant. Rom. Græv. Tom.* III. *p.* 349. *D.* Fuerunt ex Antiquariis, qui ingentes duos illos *equos* marmoreos, qui in Quirinali ante palatium Papale conspiciuntur, fuisse Tiridatis existimavere. Sed hi ab illis fuerunt diversi; fuerunt enim Tiridatis ænei. Nisi forte in eo Rufus corruptus sit, quod minime probabile est. Non enim alii in Urbe ænei *equi* fuerunt, qui Rufi descriptorem movere potuerint, ut *æneos* pro *marmoreis* poneret. Quare eos vel diffractos, fusosque fuisse dicendum est, vel inter innumeras alias statuas, ac monumenta Urbis ænea a Constantio nepote Heraclii Imperatoris Constantinopolitani asportatos. Pancirollus *equum Tiridatis* hic singulari numero recensens eo ipso satis ostendit, quam parum accuratus in urbis Romæ describendis fuerit rebus notabilibus. Victor vero & Rufus, cum *equi* scripsere, currum quoque a Nerone Tiridati de more positum indicare videntur. *Nardin. Rom. Vet.* IV. 10. *Donat. de Urb. Rom.* III. 15. *Borrich. Ant. Urb. Fac. c.* 9. §. 2.

Equus avertarius est ille, qui impedimenta, sive manticam portat, quæ nobis *la malle, valize:* unde *malier* nobis pro *equo avertario*. Bergier. de viis milit. IV. Sect. 15, §. 6. & ad illum Henninius.

Equus Cæsaris Dictatoris *traditur priores pedes humanis similes habuisse. Hac effigie locatus est ante Veneris Genitricis ædem.* Plin. VIII. 42. Suet. Cæs. c. 61. Solin. c. 45. in medio ejus foro positam, statuæ ejus ex ære inauratæ, quæ etiam pro illa æde, persimilis. *Donat. de Urb. Rom.* II. 21. *Marlian. Topogr. Urb. Rom.* III. 5. & 9. *Faunus Ant. Urb. Rom.* II. 23.

Equus October, quem dum Idibus Decembribus immolatum esse dicit Plutarch. Quæst. Rom. 96. valde errat. Immolabatur enim Octobribus ab illis hoc nomine dictus. Festus: *October equus appellatur, qui in campo Martio mense Octobri immolatur quotannis Marti, bigarum victricium dexterior, de cujus non levis contentio solebat esse inter Suburanenses & Sacravienses, ut hi in regiæ parte, illi ad turrim Mamiliam id figerent; ejusdemque cauda tanta celeritate perfertur in regiam, ut ex ea sanguis destillet in focum, participandæ rei divinæ gratia; quem hostiæ loco quidam Marti bellico deo sacrari dicunt, non, ut vulgus putat, quia velut supplicium de eo sumatur, quod Romani Ilio sunt oriundi, & Trojani ita effigie in equi sunt capti.* Boxhorn. in Plutarchum. Buleng. de Equis c. 3. Junius Fast. Thes. Antiq. Roman. Græv. VIII. p. 252. E. Struv. Ant. Rom. c. 9. p. 407. Stuck. Sacrif. p. 97. Alex. Gen. Dier. III. 18. Salmuth in Pancirol. de Reb. deperd. & inv. p. 590. Rosin. Ant. Rom. IV. 14. Siccam. in Fast. Kalend. c. 16. Nardin. Rom. vet. III. 6. & 12. Petav. in Juliani Orat. V. p. 19. edit. Lips. Argol. in Onuphr. de Lud. Circ. I. 13. Lomej. de Lustrit. c. 23. Ortel. Deor. & dear. cap. 1. fig. 15. Borrich. Ant. Urb. Fac. c. 6. §. 1.

Equus publicus quis fuerit, parum compertum est. Varr. de Ling. Lat. VII. 38. *mille assarium* vocat. Quibus verbis stipendium fortasse aliquod vel alendi, vel emendi equi causa de publico constitutum significat. *Sigon. de Antiq. jur. civ. Roman.* II. 3. Dicebatur, qui sumptu publico alebatur: ut si quid subiti negotii incidisset, mutatis celeriter *equis*, quo vellet Imperator, aut Respublica, quemque nuntium mittere posset. Ulpian. l. 2. de in jus voc. *Vocari in jus non potest, qui equo publico in causa publica transvehitur.* Ulpiani enim tempore *equo* publico *equites* non sunt usi, sed proprio ex sua, aut stipendiaria pecunia comparato, & eo quidem duplici, ut cum fatigato alter recens, expeditusque succederet. *Coras. Misc. jur. civ.* I. 11. *Panciroll. Notit. Dign. Imp. Orient. c.* 6. Minime: Ulpianus enim de transvectione equitum. V. illam supr. in *Equites.* in censu publico loquitur. *Cujac. Obs.* XIII. 29. *Hotoman. Obs.* III. 21. *Gothofr. & Bud. ad Ulpianum.* Verum ideo nominabatur publicus, quia de publico dabatur a censore ei, qui erat equestri loco natus, quique haberet censum equestrem, si censoribus placeret, ut mereret in turmis legionariis Romanorum equitum, cuique ad alendum illum *equum* erat assignatum stipendium. Liv. V. 7. *Quum repente, quibus census equester erat, equi publici non erant assignati, consilio prius inter se habito, senatum adeunt; factaque dicendi potestate, equis se suis stipendia facturos promittunt.* Putean. de Stipend. Milit. c. 5. Ursat. de not. Rom. Thes. Antiq. Roman. Græv. Tom. XI. p. 699. D. Græv. Thes. Antiq. Roman. Tom. 1. Præfat. * * * * Ob aliquod flagitium, quod maximæ erat ignominiæ, adimebatur. Ademptionis exemplum refert Gell. IV. 20. *Censores P. Scipio Nasica & M. Popillius quum equitum censum agerent, equum nimis strigosum, & male habitum, sed equitem ejus uberrimum & habitissimum viderunt. Et cur, inquiunt, ita est, ut tu sis quam equus curatior? quoniam, inquit, ego me curo; equum Statius servus meus. Visum est parum reverens esse responsum, relatusque in ærarios, ut mos est.* Putean. & Ursat. l. l. Sigon. de Ant. jur. civ. Rom. II. 3. Emend. II. 18. Hunc *militarem* vocant Asconius & Plinius. Ille in Cicer. p. 19. *Per equites Romanos militares arbitrio creandorum sacerdotum senatus.* Hic supr. in *Equites.* Sigon. l. l. *Equus* publicus sæpe occurrit in veteribus monumentis pro eo ipso, qui *equo* publico meret. Ut in veteri inscriptione: *Judici decuriæ quintæ, equo publico per Trajanum, duumviro municipii Consaburonensium.* In aliis multis inscriptionibus id occurrit, ut quis *equus publicus*

dicatur

dicatur qui *equo publico* donatus est. *Equus publicus* mira, sed tamen Romanis solita locutione pro *equite*, qui *equum* habet *publicum*. Sic ordo pro ordinis ductore. Unde primi ordines, & principes ordinis pro principalibus & primis ordinum ductoribus. *Salmas. de Milit. Rom. c.* 21. Ubi *equo publico* legitur, subaudiendum *honorato*, vel *donato*: quod confirmat inscriptio dei Noctulii, quæ Brixiæ.

DEO NOCTULIO
P. VIRLIUS. P. F. FAB. ASSIA
NUS EQUO PUBLICO
SACERDOS. . . . .

In illa necessario subaudiendum *honoratus*, alioquin eodem casu fuisset scribendum *Equus publicus*. Frequentissime ablativo absoluto utebantur: v. g. cum Cæsares tribunitia potestate I. & II. dicebantur, hoc est, exornati vel donati. Apud Reines. Inscript. Class. XIII. n. 65. legitur inscriptio:

C. CADISIUS. Q. F. VETUR. CA
LENUS. EQ. PUBLICUS
FECIT. SIBI. ET. MATRI. . . .

Si lapis sit correctus, fatendum id locutionis genus, equidem raro, aliquando tamen fuisse usurpatum. *Spon. Misc. Erud. Antiq. Sect.* VII. *p.* 259.

Equus sagmarius est jumentum dorsuarium & clitellarium. Suidas: *Sagmaria jumenta sunt, quæ sarcinas & impedimenta gestant, & res necessarias ferunt.* Lampr. Heliog. c. 4. *Quæ equo sagmario vehetur.* Turneb. Adv. XXX. 16. Græcæ vocis formatio Latina, ut in multis. Recens Hellenismus retinuit, & dixit τζαγμάριος. *Salmas. in Lampridium. Popma de Instrum. fundi c.* 4. *Scheffer. de Re vehic.* II. 2.

Equus sellaris, quo homo vehitur. Græcis est φορεὺς ἵππος, vel κέλης: nam Eustathius explicat κέλης ἵππος σελλάριος, qui ἁπλῶς *equus* nominatur: ut in vita Hilarii: *Quod ubi vir comperit, protinus & ipse pedibus iter ingressus, urbem Romam sine equo, sine sagmario intravit.* Salmas. in Lampr. Heliog. c. 4.

Equus Trajani in ipsius foro fuit locatus. Ejus imaginem in Trajani numismatis signatam vidimus, cum hac inscriptione: S. P. Q. R. OPTIMO PRINCIPI. *Marlian. Topogr. Urb. Rom.* V. 1.

Equi agminales vocabantur, quia turmatim incedebant. l. 3. & 6. C. de cursu publico. *Panciroll. Notit. Dign. Imp. Orient.* I. 6. *Bergier. de viis Milit.* IV. *Sect.* 12. §. 4. Uterque errat. α. *Equi* agminales exacti fuerunt a provincialibus, & quidem ex possessionibus, seu patrimoniis, adeoque inter munera patrimonii fuerunt. β. & quidem exacti ἐκ πλαγίας ὁδοῦ, *ubi a publico itinere militari aliqua via divertendum erat*, scilicet in via publica, in qua cursus publicus non erat d. l. 3. ergo γ. agminales ac paraveredi παραπάλλως in d. l. 3. & 6. sive iidem dicti sunt δ. agminales, vel, ut volunt Bud. ad l. 18. §. 21. π. de mun. & hon. & Guther. de Offic. dom. Aug. III. 14. quod agmini exercitus transmittendo, & convehendis impedimentis præbiti: vel potius, quod agmina quædam equorum in civitatibus, seu prope civitates ad eum finem a provincialibus haberentur, ἵπποι φόρβαδες, Suidæ ἀγελαῖοι: nam d. l. 3. publici agminales, eorumque, præbitione, seu usurpatione mala provincialibus inferri dicuntur. *Hennin. ad Bergierum.*

Equi circenses parabantur ludis circensibus. De quibus Varr. de Re rust. II. 7. scribens alios ad militiam, alios ad cursum laudat, & alios militibus, alios quadrigariis idoneos esse ait sic: *Itaque peritus belli alios equos eligit atque alit, ac docet, aliter quadrigarius, ac desultor.* Horat. Od. II. 16. 35.

— *tibi tollit hinnitum*
Apta quadrigis equa.

Quadrigarios circenses vocat Festus. Veget. art. veter. II. 59. *Animalium dorsa ut laboris plurimum sentiunt, ita diligentius sunt curanda: exceptis enim iis, qui deputati sunt circo, reliquorum mulorum, equorum, asinorumque genus, sub sellis seu sygmis solo tergo præstant officium.* Panvin. de Lud. circ. I. 13. & ad illum Argolus. Erant publici. Cod. lib. II. tit. 40. l. 2. 3. *Qui equos circenses in suos usus converterit, unius libræ auri multam ferat.* Fuerunt & quædam provinciæ, quæ vectigales *equos*, ac quadrigas populo Romano penderent, quod vectigal non redimebant modo equites, sed & senatores. Ascon. in Cicer. p. 152. *Antonius redemptas habebat ab ærario vectigales quadrigas, quam redemptionem senatori habere licebat per legem.* Interdum tamen & ut plurimum ab editoribus dabantur, interdum quadrigarii ipsi habuerunt proprios, quos ad cursum probe instituerant. *Buleng. de Circo c.* 51. Cursu confecto sudore oblitos halantesque spiritu mox requieto, ac sedato aquæ aspersione reficiebant. Stat. Sylv. IV. 4. 31.

— *& Eleis auriga laboribus actos*
Alpheo permulcet equos.

Buleng. de Circo. c. 31. Feith. Antiq. Homer. IV. 10. Ulpian. l. 4. ff. de his qui not. infam. *Ut qui aquam equis spargunt non habeantur ignominiosi.* Quibus verbis plerique nodum in scirpo quærentes involucri aliquid contineri existimant, quod nobis antiquitatis ignoratio obscurum reddat. Ego vero, quod & ipsa verba palam sonant, eos significari credo, qui circensibus deservientes *equos* cursu incalescentes frigida perfundebant, quo paullulum refocillati alacrius cursum repeterent. Festus: *Nasiterna est genus vasis aquarii ansati, & patentis, quale est, quo equi perfundi solent.* Brisson. Select. Antiq. I. 10. Erasm. Adag. p. 342. Coras. Misc. jur. civ. IV. 24. 19. Scalig. in Festum. Salmuth in Panciroll. de Reb. deperd. & inv. p. 96. & oleo inungebant, ut hoc pacto vegetiores & nitidiores apparerent. Homer. Iliad. Ψ. 281.

— *qui ipsis admodum sæpe humidum oleum*
Jubis superfudit, quum lavisset aqua pura.

Buleng. & Feith. l. l. Ætate, aut alia ulla ratione debilibus ex horreis fiscalibus Imperatorum jussu attributa est alimonia: ut ex Valentiani, Valentis & Gratiani rescripto l. 1. C. de equis curul. intelligimus, in fabis puta, vel similibus, quorum l. 2. mentionem facit. Hoc non tam sobolis reparandæ ad dominici gregis conservationem pertinuit, quam ad ipsam pietatis cujusdam in bruta etiam animalia naturalis rationem, ac veluti remunerationem, & vetustarum victoriarum præmium. Imperatorum hæc verba sunt: *Palmatis atque Hermogenis equis, quos in curulis certaminis sorte, vel contentionis incertum vel annorum series, vel diversa ratio debiles fecit, ex horreis fiscalibus alimoniam præberi decrevimus.* Fab. Agonist. II. 28. Buleng. ibid. c. 55.

Equi cursuales dicuntur l. 64. C. de curs. publ. & apud Cassiodor. Var. IV. 47. *Legatorum nostrorum suggestione comperimus, cursuales equos frequenti usurpatione fatigari, & equi cursus publico destinati* l. 1. C. de curs. publ. infr. laudanda. *Bergier. de viis milit.* IV. *Sect.* 10. §. 2: 12. §. 2. & ad illum *Henninius.* *Pro cursu equorum provincialium & pabula, & pecuniam sollenni ratione conferebant* l. 19. C. l. 64. C. de curs. publ. l. 9. C. de ann. & trib. Postea, ut videtur, adæratio pabuli fuit introducta in provincialium levamentum, & cursus publici emolumentum. Sed quoniam deinde hinc duo iterum incommoda emergebant, ut provinciales iniquo adærationis pretio valde gravarentur, & ut mancipes eorumque apparitores, sive muliones, non bene haberent animalia, nec justa iis pabula, quasi nimis cara præberent, & sic privati lucelli causa eadem vexarent animalia, utrique malo Honorius obicem posuit l. 18. C. & l. 60. C. de curs. publ. *Bergier. de viis milit.* IV. *Sect.* 13. §. 11. & ad illum *Henninius.* Hos non fustibus, sed tantum virga, aut flagro admonere licebat, ne cursui publico per sævitiam cogentium redderentur inutiles. l. 2. C. de curs. publ. *Quoniam plerique nodosis & validissimis fustibus inter ipsa primordia currendi animalia publica cogunt, quicquid habent virium absumere, placet, ut omnino nullus in agitando fuste utatur, sed aut virga, aut certe flagro, cujus in cuspide infixus brevis aculeus, pigrescentes artus innocuo titillo poterit admonere, non ut exigat tantum, quantum vires valere non possunt. Qui contra hanc fecerit sanctionem,*

nem, promotus regradationis humilitate plectetur, munifex pœnam deportationis excipiet. l. 1. *Equos qui publico cursui deputati sunt, non lignis, vel fustibus, sed flagello tantummodo agitari decernimus: pœna non defutura contra eum qui aliter fecerit.* Bergier. de viis milit. IV. Sect. 12. §. 4. Panciroll. Notit. Dign. Imp. Orient. c. 6.

Equi desultorii fuerunt Olympiade XXXIII. primum propositi. *Lauremb. Græc. Ant. Thes. Ant. Græc. Gronov. Tom. IV. p. 43. B.* Lucifero & Hespero sacros fuisse perhibet Cassiodorus Epist. III. 51. Erant igitur *equi* duo, sine ephippiis adjuncti, dicti, quod ex his facile desiliant desultores. Suet. Jul. c. 39. n. 5. *Quadrigas, bigasque, & equos desultorios agitaverunt nobilissimi juvenes.* Varro supr. *in Equi circenses.* Erant etiam in exercitibus, qui equitibus singulis præsto erant, exercitatis ita militibus, ut uno de via fesso, desilire possent in recentem. Liv. XXIII. 29. V. illum supr. in *Desultor.* Panvin. de Lud. Circens. I. 9. & ad illum Argolus. Demster. Paral. ad Rosin. Antiq. Rom. V. 24. Hugo de Milit. Equest. III. 4. Buleng. de Circo c. 12. Bud. in Pandect. p. 97. Salmas. ad Vopisc. Carin. c. 19. p. 845. a. Auctor misc. def. pro Salmas. ad jus Attic. & Rom. p. 699. Rhodig. Ant. Lect. XXI. 30. Kipping. Antiq. Roman. II. 6. §. 5.

Equi fluviatiles describuntur Diodor. I. p. 22. *Equus fluviatilis est quadrupes bisulcus, seu ungula scissa, dentes exsertos majores habet dentibus aprorum, aures, caudam, vocem equo similem.* Buleng. de Equis c. 2. Ægypto in provinciæ formam redacta, Cleopatræ morte, Augustus Cæsar ludos edidit multis diebus, & *equus* fluviatilis in theatrum est inductus. Dio LI. p. 460. A. *Buleng. de Venat. Circi c. 19.*

Equi funales dicti sunt, quia in illis insidebant ante currum triumphi, qui faces, seu funalia gestarent, siquidem lumina aliquando in apparatu triumphi juxta triumphantem deferri solebant. *Donat. Dilucid. p. 562.* Nihil magis ridiculum. Vocabantur enim hoc nomine, quod funibus alligati forent ad latus jugalium. Hos ideo Græci σειραφόρους, σειραίους, παρηόρους, & παρασείρους vocabant. In quadriga duo erant *equi* jugales, funales totidem, funales, qui loro alligabantur; non enim veteres, ut nunc fit, binos *equos* ligabant, verum quatuor æquata fronte. Sil. Ital. XVI. 379.

— pacis de more putares
Æquata fronte, & concordi currere freno.

In his medii erant ζύγιοι, qui jugo subjiciebantur: latera ipsorum stipabant duo alii, funales dicti. *Argol. in Panvin. de Lud. circens. I. 16. Mader. in Panvin. de Triumph. Thes. Antiq. Roman. Græv. Tom. IX. p. 1372. D. Salmas. Exercit. Plin. p. 730. B. Scheffer. de Re vehic. I. 12. Rutgers. Var. Lect. I. 10. Laz. Comm. Reip. Rom. X. 14. Buleng. de Circo c. 59. Popm. de Instrum. fund. c. 4. Turneb. Adv. XIV. 17. Torrent. in Suet. Tib. c. 6.* Græci & Latini pariter dexteriorem & sinisteriorem funalem usurparunt. Suet. Tib. c. 6. n. 6. *Actiaco triumpho currum Augusti comitatus est sinisteriore funali equo, cum Marcellus Octaviæ filius dexteriore veheretur.* Ausonio Epitaph. 35. mox afferendo simpliciter sunt dextri & lævi. Funales erant digniores, & præsertim sinister; nam cum circa metam eundum esset, interior ad metam erat sinister, atque ille pæne totum cursus ordinem sustinebat. Hoc modo interpretandus Ausonius, qui laudat *equum* Bosphorum:

Pegasus hinc dexter currat sibi, lævus Arion
Funis, & ad quartum det tibi Castor equus.

Ubi *equus funis* est *equus funalis.* Si igitur quartus est Castoris *equus*, huic sinister erit Arion jugalis: sinister, qui ad Cyllarum, & propterea lævus a poeta dicitur, & sic alter jugalis Pegasus erit, dexter jugalis Phosphoro, atque ita Phosporus erit lorarius, seu funalis sinister in digniori loco. *Argol. l. l. Salmas. ibid. p. 631. a. C.* Potest esse dubium de funali sinistro. Manifeste namque Hesychius prærogativam illam dextro tribuit. Verba Hesychii: Σειροφόρος, οἰωνὸς ἡγεμονικός. Dicit, hoc vocabulum Græcum, quod Latinis etiam funalis, omen alias, vel ducem denotare. Et paullo ante: *Seirophorum, principale, translatum vero ab equis funalibus dextris.* Scheffer. l. l. Hoc in bellicis, & aliis, si forte, curribus locum habuerit, in agonisticis & circensibus secus obtinuisse videtur. Hoc ratio adducta plane postulat, & evincunt testimonia Silii Ital. XV. 355--361. Stat. Theb. VI. 444. *Salmas. ibid. E.* Ego cur in his, non in illis hoc obtinuerit, causam nullam video. Neque enim dubium, quin circenses ludi velut umbra esse præliorum cum quadrigis debuerint. At in pugnis ludicris, quantum licet, res ad veritatem comparatur. Testimonia Silii & Statii diversum non evincunt. *Scheffer. l. l.* In triga tertius funalis loramento adnexus adjungebatur duobus *equis* bigarum in morem junctis. Stat. Theb. VI. 461.

Nominibusque ciet Pholoen Admetus, & Irim,
Funalemque Thoen.

Panvin. de Lud. Circens. I. 9. & ad illum Argolus.

Equi jugales dicebantur medii, quod essent in medio funalium constituti. Jugales, quia jugo alligabantur. Schol. Aristoph. Nebul. I. I. 122. & ex illo Suidas: *Jugales sunt, qui jugo subjiciuntur, id est, medius dexterior, & medius sinisterior, & omnino qui non est funalis, dicitur jugalis.* Salmas. Exerc. Plin. p. 630. b. A. Argol. in Panvin. de Lud. Circens. I. 16. Pinell. Additam. ad Argol. I. 12. Buleng. de Circo c. 59. Mader. in Panvin. de Triumph. Thes. Antiq. Rom. Græv. Tom. IX. p. 1372. D. Scheffer. de Re vehic. I. 12. Popm. de Instrum. Fund. c. 4.

Equi lignei in campo Martio erant constituti, ut juniores in illos insilirent, & ex illis desilirent. . . . . Veget. I. 18. *Non tantum autem a tyronibus, sed etiam a stipendiariis militibus salitio equorum districte est semper exacta. Equi lignei hyeme sub tecto, æstate ponebantur in campo, super hos juniores primo inermes, dum consuetudine proficerent, demum armati cogebantur ascendere. Tantaque cura erat, ut non solum a dextris, sed etiam a sinistris, & insilire, & desilire condiscerent, evaginatos etiam gladios, vel contos tenentes. Hoc enim assidua meditatione faciebant, scilicet, ut in tumultu prælii sine mora ascenderent, qui tam studiose exercebantur in pace.* Necessarium hoc illi ævo, quod adjumenta ad scandendum in *equos* nulla habuit. *Lips. de Milit. Roman. V. Dial. 14. Hugo de Milit. Equest. I. 4. Thys. Rom. Illustr. III. p. 84: V. p. 141. Potter. Archæol. Græc. III. 3.*

Equi pares dicebantur *equi* duo, quibus desultores usi. Nam pares pro duobus usurpantur. Festus: *Paribus equis, id est, duobus, Romani utebantur in prælio, ut sudante altero transirent in alterum.* Unde pararii apud Senec. de Benef. II. 23. qui paribus *equis* vehuntur. Dicebantur ἅμιπποι. Hesychius: *Hamippos vocant equos pares conjunctos, sine jugo tamen.* Suidas: *Hamippi dicuntur, & desultores, qui duobus equis junctis, sella, & ephippiis carentibus vehuntur, qui transiliunt ab alio in alium cum res vocat.* In hamippis auriga in altero *equo* sedebat, in paribus *equis* miles. Desidente Republica combinatos *equos* vocarunt, qui & in circi prolusione adhibiti. Chrysost. de Circo: *Ne te prolusio paribus in equis, προἵππικα κομβινεύματα, delectet, ne ante judicium, legitimumque certamen in discrimen venias, si paribus equis currere vis, κομβινεύειν. Buleng. de Circo c. 58.*

Equi quadrijuges sunt quatuor *equi* juncti modo dicendo infr. in *Equi sejuges.* Quod cognoscimus ex curru solis, de quo sic Ovid. Met. II. 167.

— tritumque relinquunt
Quadrijuges spatium, nec, quo prius, ordine currunt.

Scheffer. de Re vehicul. I. 12.

Equi sejuges sunt *equi* sex, juxta se continua serie collocati, non ante se bini & bini. Festus: *Juges, ejusdem jugi, pares: unde & conjuges, & sejuges.* Quomodo intelligendus quoque Isidor. XVII. 36. *Quadrigæ, & bigæ, trigæ, & sejugæ ab equorum numero, & jugo dictæ.* Vult a jugo dictas, non quod jugum unum habeant, sed quod inter se jugentur. Hoc enim proprie jugare, a quo differt jungere. Jugantur enim animalia, cum vel sub unum mittuntur jugum, vel æquali fronte, velut sub jugo uno, con-

conſtituuntur. Junguntur autem quando quovis modo firmantur ad vehiculum. Græci pæne ad eundem modum *ζευγνύναι*, vel *συζευγνύναι ἵππους* dixerunt, ut Latini *equos jungere*, quemadmodum conſtat ex Homer. Odyſſ. ψ. 244.

- - - οὐδ' ἔα ἵππους
Ζεύγνυσθ' ὠκύποδας.

& Ælian. II. 27. *Ζεύξας τὸ ἅρμα.* Uſurparunt autem hoc etiam, cum junguntur æqua fronte. Pollux. X. 12. *Zeugos dicitur, quicquid junctum eſt, etiamſi ſit trium quatuorve jumentorum.* Scheffer. de Re Vehic. I. 12. Panvin. de Lud. Circenſ. I. 9. & ad illum Argolus. Ab Auguſto primum inductos conſtat. *Argol. l. l.* Unde hoc conſtet, ego ſane ignoro, nec legere me recordor. Verum ſuſpicor deceptum Argolum a Plinio non ſatis diligenter inſpecto. Sic habet XXXIV. 5. *Serum hoc, & in his nonniſi a D. Auguſto ſejuges, ſicut & elephanti.* Hic quia ſejuges dicuntur ab Auguſto, ipſe de ſejugibus in ludis circenſibus accepit. Atqui totum illud caput agit de ſtatuis, & inter cætera de curulibus etiam, quas ponebant apud Græcos Romanosque. Unde verba proxime præcedentia ſic habent. *Sed illi,* Græci, *celetas tantum dicabant in ſacris victores. Poſtea vero & qui bigis, vel quadrigis viciſſent. Unde & noſtris currus in his, qui triumphaviſſent. Serum hoc, & in his nonniſi a D. Auguſto ſejuges.* Sententia eſt, fuiſſe receptum apud Græcos primum, ut ſtatuas equeſtres dedicarent illi, qui victores extitiſſent in ludis ſacris celete. Poſtea factum, ut dicarent quoque bigas, vel quadrigas ſculptas marmore, vel fuſas ære, qui viciſſent iſto genere. Inde conſuetudinem veniſſe Romam, ut & qui triumphaſſent, dedicarent ſtatuas triumphales, quadrigas puta: ſed hoc factum ſero, & adhuc ſerius, ut triumphales ſejuges. Hoc enim primum auctorem habere D. Auguſtum. Nulla mentio ludicri Circenſis, aut quod ſejuges in eis miſerit Auguſtus. Et ſi ſollenne fuit, ut currerent Jovi, etiam ante Auguſtum longo tempore fuiſſe notas neceſſe eſt. *Scheffer. ibid.* II. 14.

Equi ſingulares dicuntur, qui ſingillatim currebant. Caſtori & Polluci ab antiquis dicati fuerunt. Dicti ſunt ſingulatores. Senec. de Benef. II. 23. *Pararii in beneficiis, & ſingulatores.* Buleng. de Circo c. 57. Fuere etiam ſingulatores Principum, qui nempe Principibus iter ingredientibus uno equo celeres aſſiſterent, tanquam prodromi. Vetus inſcriptio: *Publico Ælio Decimino. B. M. Mil a. XIIX. equiti ſingulatori Auguſti.* Altera: *M. Ulpio viatori, equiti ſingulatori Auguſti.* Argol. in Panvin. de Lud. Circenſ. I. 9. Dicebatur κέλης. V. ſupr. in *Celes.*

Equi triumphales erant numero quatuor. Ovid. de Art. I. 214.

Quatuor in niveis aureus ibit equis.

Coloris erant albi. Et fuit de colore obſervatum ſtatim ab initio triumphorum, ipſoque Romulo, ſi ſequimur Prop. IV. I. 32.

Quatuor hinc albos Romulus egit equos.

Verum hæc de Romuli triumpho fidei ancipitis eſt narratio. Magis credendum Livio, qui Camillum ita ſcribit triumphaſſe V. 23. *Maxime conſpectus ipſe eſt, curru equis albis juncto Urbem invectus: parumque id non civile modo, ſed humanum etiam viſum. Jovis Soliſque equis æquiparari Dictatorem in religionem etiam trahebant, triumphuſque ob eam unam maxime rem clarior, quam gratior fuit.* Demſter. Paralip. in Roſin. Antiq. Roman. X. 29. Bochart. Hierozoic. I. 2. 7. Broukh. in Tibull. I. 8. 8. Sed odium tam memorabile in virum de Republica optime meritum ſine cauſa ortum eſſe non potuit. Non fuit autem, quam prodit Livius, cauſa, ſi & ante ipſum illa triumphantium fuit conſuetudo. Adde, quod hoc ipſum tradiderit Plutarch. in Camill. p. 132. D. Quanquam aſſequi non poſſim, quod ne poſtea quidem ſcribat quenquam iſtoc uſurpaſſe: *Quatuor equos albos adjunxit ad currum, eoque Romam eſt ingreſſus, quod nemo Imperatorum, neque ante, neque poſt ipſum fecit.* Servius profecto tradit velut rem ſollennem Æneid. IV. 543. *Qui triumphat,* inquit, *albis equis utitur quatuor.* Verum poteſt Servius ad ſua reſpexiſſe tempora, quomodo fortaſſe fecerunt & cæteri, qui de quadrigis albis loquuntur. Et Cæſarum ætatem reſpexerunt, qua primum invaluerit uſus *equorum* alborum in curribus triumphalibus. Ante illorum tempora ignoratur, an quadrigæ albæ triumphantium fuerint. Sed nec vetuſtiores, qui triumphos deſcripſerunt, albos equos memorant. Dionyſ. VIII. p. 535. de Siccio. *Invectus eſt in Urbem curru cum equis aureis frenis inſignibus.* Nudos non albos vocat *equos.* Plutarch. de L. Paullo Æmilio p. 273. D. *Poſt ipſe invectus eſt curru egregie ornato. Equos* nullos albos memorat. *Scheffer. de Re vehic.* II. 13. *Buleng. de Triumph. c.* 21. *Nicol. de Triump. c.* 20. §. 4. *Kipping. Diſſert. de Victor.* §. 4.

ERC.

ERCTUM citum. V. illud infr. in *Familiæ erciſcundæ.*

ERE.

ERECTORES ovorum, & delphinorum fuerunt miniſtri in circenſibus ludis, qui nimirum curricula numerabant. *Panvin. de Lud. Circenſ.* I. 15.

ERG.

ERGASTULARIUS fuit dictus *ergaſtuli* præfectus. Colum. I. 8. *Ut ergaſtulariis magis obnoxii perpetiendis injuriis.* . . . . Lipſ. Elect. II. 15.

ERGASTULUM ad carceris formam in villis locus fuit ſubterraneus, depreſſus, ſedibus & anguſtis feneſtris diſtinctus. In illo vincti ſervi detinebantur ad agrum colendum, ad molendum, ad lapidem cædendum, ad aquam hauriendam, & quicquid tale. *Ergaſtulorum* uſus Gracchorum ævo increbruit. Romani enim, devicta Italia, ceperant jure belli haud parum ſuburbani, & longinqui agri. Eum univerſum partim ſub haſta vendidere, partim tenuioribus civibus utendum locavere, exiguo aliquo tributo impoſito, ſive penſione. Hoc velut præmium iis militiæ, & ſanguinis: placuitque res omnibus præter divites, qui paullatim egenos pellere, & ad ſe trahere cœperunt finitimos quiſque agros. Donec Stolonis lex paulliſper eos coercuit, definito quingentorum jugerum modo, ſupra quem haud fas poſſidere. Sed coercuit certe paulliſper, rupit enim mox hoc frenum cupiditas, & ſuppreſſa avaritia, non oppreſſa caput extulit altius, agroſque omnes pretio, fraude, vi, a pluribus traxit ad paucos. Hinc illa divitum latifundia: hinc pauperum ab agris exſilia; hinc inductio *ergaſtulorum.* Unde enim pauci illi tot agris colendis? Plutarch. in Gracch. p. 827. D. *Paullo poſt, cum vicini illi divites per ſuppoſitas perſonas transferrent conductiones agrorum in ſeſe, & denique palam jam etiam & ſuo nomine detinerent: expulſi pauperes, neque ad militiæ munus alacres ſe præbebant, neque ad educandos liberos. Ita ut mox Italiam univerſam infrequentem & vacuam liberorum capitum eſſe contigerit, & ergaſtulis compleri barbarorum: per quos divites agros ſuos colebant, civibus exactis.* Carcerem appellat hunc locum Juven. XIV. 24.

Quem mire afficiunt inſcripta ergaſtula, carcer
Ruſticus.

Et eidem æquiparat Liv. VII. 4. de T. Manlii filio: *Quem pater in opus ſervile, prope in carcerem, atque in ergaſtulum dederit. Ergaſtulum* quindecim conſtituebant, ſi credimus Apul. Apol. p. 482. *Quindecim liberi homines populus eſt: totidem ſervi familia: totidem vincti ergaſtulum.* Lipſ. Elect. II. 15. Briſſon. Antiq. Select. II. 9. Pignor. de Serv. p. 520. Voſſ. Lex. Etymol. Mauſſac. in Harpocrat. p. 33. Diu manſere, & quidem ad principatum uſque Hadriani, qui ſalubriter ſuſtulit. Spartian. c. 18. *Ergaſtula ſervorum & libertorum tulit.* Ita enim ſæpe illi ſcriptores Cæſarei ferendi verbo uſi, pro auferendi. Etſi parum plene fortaſſe aut firmiter: & iterum ſuſtuliſſe videtur Theodoſius

Imperator ex Cedreno & hiſtoria Eccleſiaſtica. Ideo ſilentium de iis apud Ictos priſcos. *Lipſ. & Mauſſac. l. l.* Ab his ego ſentire nequeo. Nam qui in opus publicum, aut in metallum damnantur, ut abigeatores, incendiarii, plagiarii, aliique, nonne in *ergaſtulum* damnantur? opus enim publicum, & metallum *ergaſtuli* nomine ſignabatur. Operis autem publici, & in metallum damnationis frequens eſt apud Ictos mentio, ut in libris Digeſtorum videre eſt. Sed dicat fortaſſe aliquis, *ergaſtula* publica non ſuſtuliſſe Hadrianum, ſed tantum privata. Non enim metus ex publicis, ne homines liberi, præter eos, quos hæc pœna conſtrinxerat, in ea per vim conjicerentur: & ſervi, qui hac pœna afficiebantur, ex dominorum juſſu, non in publica: ſed in privata mittebantur. Et hoc ego conceſſerim. Et puto male ſentire viros doctos, qui de publicis etiam Hadriani conſtitutionem explicant. Hadriani enim multa reſcripta & conſtitutiones in libris Digeſtorum reperiuntur, quæ mentionem habent operis publici, & metalli pœnæ. *Salmaſ. in Spartian. Hadrian. c.* 18.

ERGASTULUS dicebatur ille, qui in pœna & noxa. Lucill. xv. *Non ergaſtulus unus. Et alius:* laudat enim alium aliquem auctorem, etſi innominatum. *Judicem oppoſuit, ut nemo ſententiam libere quaſi ergaſtulus poſſit dicere.* Straba enim mens, ut ſæpe, Nonio v. §. 102. dum cuſtodem pœnalis loci *ergaſtulum* interpretatur. Homines erant ſervi, qui in *ergaſtula* detruſi, iique tum noxii, tum innoxii. Noxii, puta, ſi qui ex ſervis contumaci ingenio, fugitivi, mali & malitioſi, crebri in delicto. Hos dominus ex more damnabat in hanc pœnam, temere, ut ſolet, ſæpe, & per iram. Senec. de Ira III. 32. *Magnam rem ſine dubio fecerimus, ſi ſervulum infelicem in ergaſtulum miſerimus.* Interpres vetus ad Horat. Sat. II. 7. 118. *Quaſi octo ſervos herus miſerit in ergaſtulum agri Sabini.* Juven. Sat. VIII. 179.

Quid facias talem ſortitus Pontice ſervum?
Nempe in Lucanos, aut Thuſca ergaſtula mittas.

Innoxii, puta, ſi qui viles ſervi, captivi, barbari, corpore tantum boni: & quibus cerebrum omne in manu. Hos emebant vulgo in hunc tantum finem. Docuit hoc Plutarch. ſupr. in *Ergaſtulum.* Ingenui etiam interdum & liberi per vim, ſive fraudem. Suet. Aug. c. 32. n. 2. *Rapti per agros viatores ſine diſcrimine, liberi ſervique, ergaſtulis poſſeſſorum ſupprimebantur.* Tib. c. 8. n. 4. *Curam ſuſtinuit repurgandorum tota Italia ergaſtulorum, quorum domini in invidiam venerant, quaſi exceptos ſupprimerent non ſolum viatores, ſed & quos ſacramenti metus ad hujuſmodi latebras compuliſſet.* Lipſ. Elect. II. 15. Perpetim vincti habebantur, cuſtodiæ ſcilicet cauſa, & in ferro. Colum. I. 8. *Utrumque maxime ſervari debet, ut & quem paterfamilias tali pœna multaverit, villicus, niſi ejusdem permiſſu, compedibus non eximat; & quem ipſe ſua ſponte vinxerit, antequam ſciat dominus, non reſolvat.* Unde ἁπλῶς vincti appellantur. Sen. de Ben. VII. 10. *Vaſta ſpatia terrarum colenda per vinctos.* de Brev. vit. c. 12. *Qui vinctorum ſuorum greges in ætatum & colorum paria diducit?* Lipſ. l. l. Briſſon. Antiq. Select. II. 9. Erant etiam inſcripti, id eſt, ſtigmatiæ, ſive literis, notisque, in facie puncti, ut eſſent noſcibiles. Mart. VIII. 75. 9. V. illum infr. in *Inſcripti.* Et Juvenalis ſupr. in *Ergaſtulum.* Lipſ. l. l. Salmaſ. in Spartian. Adrian. c. 18. & ſemiraſi, & capitis altera pars erat illis capillata, altera nuda, per ignominiam, & per riſum. Apul. Metam. IX. p. 280. *Frontes literati, & capillum ſemiraſi.* Lipſ. l. l.

ERI.

ERICIUS fuit munitio militaris, infeſtis undique horrens telis, ut aculeis echinus. *Turneb. Adv.* IV. 8. Transverſariæ ad portas trabes, aculeis confixæ, eæque verſatiles. Cæſ. Bell Civ. III. 67. *Erat objectus portis ericius. Hic paullisper eſt pugnatum, quum irrumpere noſtri conarentur, illi caſtra defenderent. Sed tamen noſtri virtute vicerunt: exciſoque ericio, primo in majora caſtra irruperunt.* Lipſ. Poliorc. v. Dial. 4. Thyſ. de Oppugn. Urb. v. p. 191. Tela, palive, aut humi, aut in aliqua materia defigebantur, non valde remota a terra: ut illis impetus hoſtium tardaretur, quod illac penetrare nequirent. *Victor. Var. Lect.* XXIV. I.

ERIPERE vocabant in circo, quando primus nimio ſpatio metam evitaviſſet, & qui tum ſequebatur auriga, inter metam & priorem breviori ſpatio delatus, ex ſecundo primus efficiebatur. *Panvin. de Lud. Circenſ.* I. 14. In veteri inſcriptione poſitum eſt, *ſucceſſit, & vicit.* Quod ita accipiendum eſt, tanquam ſi dictum eſſet, ſecundo oſtio miſſus eſt, & vicit. Nam de primo oſtio miſſis dicebatur, *occupavit, & vicit.* Tertio oſtio miſſus, ut proximus ferebatur ſecundo, ita proxime ſequentem, & inſtantem tergo ſuſtinebat quartum. Tam ab eo itaque cavendum habebat, ne præverteretur, quam ſtudendum, ut ſecundo, & primo primatum *eriperet.* Hic non poterat ad palmam pervenire, niſi prægreſſis campum *eriperet.* Nec enim ſecundo tantum oſtio miſſum præcedere, ut palma potiretur, debebat, ſed etiam primo. Nihil erat ſucceſſiſſe ſecundo, quia magis obſtabat primus. Nam etiamſi ſecundus primatum *eriperet* primo, non tamen fuit neceſſe, ut tertius in locum ſucceſſerit ſecundi. Quippe primus, qui in locum ſecundi reciderat, adhuc reſtabat ſuperandus iſti tertio. De eo igitur, qui tertio oſtio exibat, dicebatur artis circenſis vocabulo, *eripuit, & vicit.* Præmium ſiquidem *eripiendum* veluti erat primo & ſecundo loco egreſſis, ſi quidem palmam conſequi vellet. Sic enim loquebantur circenſes. In deſcriptione circenſis ſpectaculi, quod Scipio edebat in Africa, ubi ſtudioſe vocabulis omnibus artis circenſis uſus eſt, Sil. Ital. XVI. 389.

Tene, Aſtur, certante feret quiſquam æquore palmam
Erepto?

Erepto æquore eſt erepto campo, ſeu ſpatio in circo, ut te antecedat, & ferat palmam. Sic optimum equum, in quo omnis ſpes victoriæ ei poſita erat, alloquitur auriga. *Salmaſ. Exercit. Plin. p.* 635. *E. Græv. Theſ. Ant. Rom. Tom.* IX. *Præfat.* * * 2. *verſ.*

ERO.

EROGATOR nuncupabatur, qui pecuniam & ſolatium militibus de manu in manum dabat. C. l. 16. de erog. milit. annon. *Erogator publicum ſolatium manu ſua ſine ullo dolo & fraude ſingulis militibus enumeret.* Urſat. de Not. Rom. Theſ. Antiq. Roman. Græv. Tom. XI. p. 699. C. Stewech. in Veget. IV. 7: III. 3.

ESO.

ESOPIA dicebantur ſedes, quæ in augurali & ſaliari carmine *ſeſopia* ſunt. V. infr. in *Seſopia.*

ESS.

ESSEDARII ſunt, qui ex *eſſedo* pugnant. Sunt inter gladiatores ſollennes. Philarg. ad Georg. III. 204. *Hinc & gladiatores eſſedarii dicuntur, qui curru certant.* Fuit duplex, ut ille vult, gladiatorum genus, unum quod certabat ſine curru, aliud, quod cum curru. Quando curru certabant, dicebantur non gladiatores ſimpliciter, ſed cum addito, *gladiatores eſſedarii.* Suet. Cal. c. 35. n. 8. *Cum quodam die muneris eſſedario Poro ob proſperam pugnam ſervum ſuum manumittenti ſtudioſius plauſum eſſet, proripuit ſe ex ſpectaculis indignabundus & clamitans, dominum gentium populum ex re leviſſima plus gladiatori tribuentem, quam conſecratis principibus, aut præſenti ſibi.* Simpliciter tamen ſic appellatos diſcimus ex Petron. Fragm. p. 8. *Proceſſit ſtatim ſciſſor, & ad ſymphoniam geſticulatus ita laceravit obſonium, ut putares eſſedarium hydraule cantante pugnare.* Cur *eſſedarium?* quia ſolus pugnare cum pluribus conſuevit. Iſta namque ratio ſimilitudinis. Videbatur ſciſſor verſari inter obſonia, & aliud poſt aliud aggredi, ac lacerare, ſicut

ut

ut *eſſedarius* ſolebat certantes ſecum in arena pedites; & ſicut ita mulier *eſſedaria*, de qua ſtatim, nanos adoriri debebat. *Scheffer. de Re Vehic.* II. 23. *Lipſ. Saturn.* II. 12. *Caſal. de Urb. ac Imper. Roman. ſplend. part.* 2. *c.* 4. *Laurent. Polymath.* IV. 9. *Thyſ. de Gladiat. p.* 227. Fuerunt inter legitimos gladiatores: quanquam mixtim, opinor, modo e curru, modo pedites præliati ſint. Senec. Epiſt. 29. *Non poſſum, inquit, tibi dicere. Neſcio enim quid de gradu faciat. Tanquam de eſſedario interrogaretur.* Horum ſententiam eſſe puto: *eſſedarios* ſolitos etiam pedites pugnare, de curru ſubito delapſos. Neſcio, igitur, ajebat, cujuſmodi hic *eſſedarius*, quem nunquam de gradu, & inceſſu pugnantem vidi. *Lipſ. l. l. & in Senecam. Caſal. l. l.* Hoc verba Senecæ non docent. Non enim inter ſe, quod exiſtimavit Lipſius, & in pictura expreſſit adjecta, ſed cum aliis, peditibus videlicet, videntur pugnaſſe. Hinc Petron. Fragm. p. 17. unicam nominat mulierem *eſſedariam*, cui oppoſitos fuiſſe nanos joci cauſa puto. Verba clara ſunt: *Jam nanos aliquot habet, & mulierem eſſedariam,* qui ſcilicet prælium inter ſe committant, nani pedites, & mulier ex *eſſedo:* ſic enim conveniens fuerat, ut una plures poſſet æquare. Locum Senecæ puto aliter accipiendum. Nempe, cum Græcinus quæreretur, quid ſentiret de virtute philoſophi, de quo ibi ſermo, reſpondiſſe ipſum ait Seneca, tanquam quæreretur de virtute *eſſedarii,* de qua non poſſit conſtare, cum de gradu pugnare non ſoleat. Virtus vera militis apparet ex certamine, quod fit collato gradu. Qui ſic pugnat, *certare de gradu* dicitur, quomodo qui vincitur certamine hujuſmodi, *de gradu dejici.* Contra non certat de gradu, qui non eodem gradu conſiſtit, ſed diſcurrit, & modo pugnat ab hac, modo ab illa parte. Tales fuerunt *eſſedarii.* Unde Cicer. Fam. VII. 6. *Caveto, ne ab eſſedariis decipiaris.* Quia horum fuit proprium, non tam virtute contendere, quam arte, ac conſilio, ſimulare impetum in hoc loco, aggredi in alio celeriter circumductis equis, mox fugam præ ſe ferre, tum *eſſedum* convertere, ac nec opinantes adoriri. Hoc reſpiciebat Græcinus, & ideo de virtute philoſophi, de qua quærebatur, nihil ſe reſpondere poſſe dixit. Habuerunt ſuos aurigas. Servos eos fuiſſe vero conſentaneum, cum ipſi *eſſedarii* gladiatores aliquando eſſent liberi. Liber fuit, qui deſcribitur Suet. Cal. c. 35. n. 8. quando ipſe *ob proſperam pugnam ſervum ſuum manumiſit.* Non fuit liber, cui Claudius, *cum pro eo quatuor deprecarentur filii, magno omnium favore indulſit rudem* apud Suet. c. 21. n. 11. In ipſis aurigis magnum ad victoriam obtinendam momentum fuit, quia *eſſedarius* prior aurigam illum ſuum poſt & propter pugnam proſperam manumiſit: cujus rei nullam quidem eo tempore idoneam ſatis habuiſſe cauſam videtur aliam, quam quod victoriæ illius cauſa non poſtrema ſervus fuerit per doctam aurigationem. *Scheffer. l. l.*

ESSEDUM fuit vehiculum Belgarum. Virg. Georg. III. 204.

> *Belgica vel molli melius fert eſſeda collo.*

Ubi Servius: *Belgica eſſeda, Gallicana vehicula. Nam Belgæ civitas eſt Galliæ, in qua hujuſmodi vehiculi repertus eſt uſus.* Et Belgica intelligi debent, quando Gallica vocantur. Philarg. ad Virgilium: *Eſſeda vehiculi genus, vel currus, quo ſoliti ſunt pugnare Galli.* Comment. Cruq. ad Horat. Epiſt. II. 1. 192. *Eſſeda, vehicula ſunt Gallica.* Galli de Belgis ſunt intelligendi. *Eſſeda Britanna* dixit Prop. II. 1. 86.

> *Eſſeda cælatis ſiſte Britanna jugis.*

Quia hoc genus mutuati ſunt a Belgis: *Eſſedorum* non ut rei novæ, ſed ut notæ pridemque receptæ mentionem facit Cicer. Attic. VI. 1. *Hic Vedius venit mihi obviam cum duobus eſſedis.* Scripta eſt hæc epiſtola ante Cæſaris in Britanniam expeditionem. Inde ſequitur, *eſſedas* Romanis non modo notas, ſed & uſurpatas fuiſſe, priuſquam eis nota eſſet Britannia. Militares falcibus videntur fuiſſe armatæ. Ita enim Jornand. Rer. Goth. c. 2. *Bellum gerunt bigis, curribusque falcatis, quos more vulgari eſſedas vocant.* Non tamen ſemper. Cæſar ſane, qui cum cura *eſſedas* deſcribit de Bell. Gall. IV. 33. V. illum ſupr. in *Britanni.* nullam falcium facit mentionem: Non militares falcibus caruerunt. Ad quid enim falces in eis conducerent? Non militares ſellas habuerunt clauſas. Mulieres enim etiam *eſſedis* vehebantur. Has notum eſt libenter uſas ſellis clauſis. Iis caruerunt militares. Cæſar enim pugnatores ait *ex eſſedis deſilire, per temonem incurrere, in jugo inſiſtere, & inde ſe in currus citiſſime recipere,* quod vix videtur potuiſſe ſella clauſa. Rotas habuerunt duas. Nominantur enim currus, duas vero rotas habere proprium curruum extitit. Ducebantur ab equis. Cæſar. V. illum ſupr. in *Britanni.* Equorum numerus videtur fuiſſe binarius. *Bigas* hanc ob cauſam, ut opinor, nominavit Jornandes modo laudatus. Et a mulibus. Docet hoc epigramma Claudiani de mulabus Gallicis, quas in *eſſedo* commemorat. Ambulabant jumenta non æqua fronte omnia, ut in quadrigis, niſi forſitan *eſſedæ* militares, neque bina & bina, verum pro ſe ſingula. Docet Claudian. ibid. n. 5.

> *Quamvis quæque ſibi longis diſcurrat habenis.*

Ubi *diſcurrere ſibi quæque* dicitur, quæ currit pro ſe, nulli alii a latere aſſociata. Illorum uſus I. ad militiam fuit & prælia. Iis pugnaverunt Galli. Philarg. jam laudatus. Britanni. Cæſ. de Bell. Gall. IV. 24. Britanni *conſilio Romanorum cognito, præmiſſo equitatu, & eſſedariis, quo plerumque genere in præliis uti conſueverunt, reliquis copiis ſubſecuti ſunt.* II. In pace ad itinera. Cicero jam adductus. Sidon. Epiſt. II. 10. 22.

> *Hinc agger ſonat, hinc Arar reſultat,*
> *Hinc ſeſe pedes atque eques reflectit,*
> *Stridentum & moderator eſſedorum.*

Et illis utebantur viri etiam in dignitate conſtituti. Suet. Cal. c. 51. n. 4. *Cum* Cajus *trans Rhenum inter anguſtias, denſumque agmen iter eſſedo faceret.* Galb. c. 18. n. 2. *Cum per omne iter victimæ cæderentur, taurus ſecuris ictu conſternatus eſſedum ejus invaſit.* III. ad onera deportanda. Sidon. Epiſt. IV. 18. *Nulla eſſeda ſubvehendis oneribus attrahebantur.* Claudiani etiam epigramma allatum videtur innuere, quaſi onera interdum aliqua iiſdem deportarint. IV. ad ſpectacula triumphalia. Horat. Epiſt. II. 1. 191. V. illum infr. in *Pilentum.* & gladiatoria. Mart. I. 105. 8. ubi agit de ſpectaculo.

> *Turpes eſſeda quod trahunt biſontes.*

Et *eſſedarii* fuerint inter gladiatores. V. ſupr. in *Eſſedarii.* Scheffer. de Re vehic. II. 23. Taffin. de Ann. ſecul. c. 16. §. 16. Barth. Adv. X. 17: XXXV. 18. Tiraquell. in Alex. Gen. Dier. II. 30. Bud. in Pandect. p. 266. F. Jun. Catal. Architect. p. 38. Voſſ. Lex. Etymol. de vit. ſerm. I. 2. Savar. in Sidonium. Ligor. de vehic. c. 13. Bochart. Chan. I. 42. Cerda ad Virgilium. Coraſ. Miſcell. jur. civ. III. 20. Hugo de Milit. Equeſt. I. 6. Blond. Triumph. Rom. IX. p. 200. G. Broukh. in Propertium.

ETH.

ETHOLOGI ſunt mimi morum imitatores. Suidas: *Ethologus, qui in theatro mores perſonarum effingit: morum ac perſonarum effictor, & affectionum repræſentator.* Cicer. de Orat. II. 59. *Mimorum eſt ethologorum, ſi nimia eſt imitatio, ſicut obſcœnitas.* Quintil. Inſt. Orat. VI. 3. *Ethos uno verbo Latine dici non poteſt: hoc enim omnes mentis habitus continentur.* Buleng. de Theatr. I. 48. Bud. in Pandect. p. 94. C. Gyrald. de Comœd. Theſ. Antiq. Græc. Gronov. VIII. p. 1480. D.

ETHOPOEA eſt *imitatio morum alienorum.* Quintil. Inſt. Orat. IX. 2. *Imitatio morum propoſitæ perſonæ.* Suidas. Illam depingit Cicer. de Orat. II. 59. *Eſt autem hæc hujus generis virtus, ut ita facta demonſtres, ut mores ejus, de quo narres, ut ſermo, ut vultus omnes exprimantur, ut iis, qui audiunt, tum geri illa fierique videantur.* Senec. Epiſt. II. *Artifices ſcenici, qui imitantur affectus, qui metum & trepidationem exprimunt, qui triſtitiam repræſentant, hoc indi-*

cio imitantur verecundiam : dejiciunt vultum, verba ſubmittunt, figunt in terram oculos, & deprimunt. Buleng. de Theatr. I. 48. Bud. in Pandect. p. 94. D.

ETR.

ETRUSCOS Polyb. II. 16. a Piſis oppido Romam uſque perducit, id eſt, ut ego interpretor, inter Arnum, Tiberimque flumina concludit. Ex quo patet, eos, qui a Macra amne *Etruriæ* initia ducunt, quanquam recte, non tamen ad Romanæ Reipublicæ tempora apte inſtituere: qua florente Luca etiam inter Ligures eſt numerata. Et ita Arretium quoque primum in mediterraneis oppidum *Etruriæ* collocat. Unde C. Flaminium conſulem Annibali ex Gallia in *Etruriam* irrumpenti ad Arretium ait occurriſſe. Non quod omnino ab Arretino agro tum *Etruria* principium ceperit, ſiquidem Fæſulæ ante occurrunt, quam Arretium; ſed quod ille firmius eſſe oppidum Arretium ad Annibalis impetum excipiendum exiſtimarit. Neque vero a Fæſulis initium videtur habuiſſe *Etruria*, ſed a Piſtorio: cum ſcribat Salluſt. de Bell. Catil. p. 51. *Catilinam exercitum in agrum Piſtorienſem abduxiſſe, ac ſub ipſis radicibus montis conſediſſe, qua illi erat deſcenſus in Galliam properanti.* Ejus partes tres ab antiquis factæ ſunt. I. Maritima a Tiberi ad Arnum. II. Ciſciminia omnem regionem cis Ciminium montem continet, quæ eſt inter Tiberim, regionem maritimam, & Ciminia juga. III. Tranſciminia a Ciminiis jugis ad Piſtorium pertinuit. Illorum commune quondam conſilium fuit ad fanum Volturnæ: quo in loco duodecim *Etruriæ* tum principes populi de ſumma rerum conſultare, ac de bello, paceque ſtatuere ſoliti ſunt. Cum illis acie primus decertavit Romulus, & deinde ſæpe rebellantes omnes prope, qui ſecuti ſunt, Reges devicerunt, Tullus, Ancus, reliqui. Ultimum cum illis bellum geſſerunt Q. Fabricius Luſcinus, Q. Marcius Philippus & T. Coruncanus: quorum illos de *Etruſcis*, hunc de Vulſinienſibus & Vulcientibus triumphaſſe, ſcriptum eſt in fragmentis tabularum Capitolinarum: Victoriam Coruncani comprobat etiam Zonaras, qui eum triennio poſt in conſulatu rem cum *Etruſcis* geſſiſſe, & fœdus percuſſiſſe ſcribit. *Sigon. de Ant. jur. Ital.* I. 9.

EUA.

EUANDER fuit filius Mercurii & Themidis nymphæ, quæ & Carmenta dicebatur, ſexaginta annis ante bellum Iliacum, Fauno in Aboriginibus regnante, ex urbe Arcadiæ Palanto, domeſticis ſeditionibus, & inteſtinis diſcordiis pulſus venit in Italiam ad novas ſedes quærendas. A Rege Aboriginum Fauno jure cognationis benigne & hilariter ſuſceptus, locoque & agris, ubi nunc Roma eſt, aſſignatis, Palatinum montem prope Tiberim, condito parvo oppido, hortatu Carmentæ munivit, Palantium ab Urbe, ex qua oriundus erat, appellans; quod poſtea corrupta voce Palatium nominatum eſt. *Panvin. Deſcr. Urb. Rom. Theſ. Antiq. Rom. Græv. Tom.* III. *p.* 209. *B. Nicol. de Rit. Bacchan. c.* 14. *Landin. in Virg. Æneid.* VIII. 344. Conſtat hoc ex Dionyſ. I. 24. Aurel. Victor. c. 5. n. 1...4. Quin & ab eodem Græcum Ῥώμης nomen Urbi inditum fama fert, quæ Latinis Valentia eſt. Conditam, aut ſaltem habitatam fuiſſe ab *Euandro* dubitare vix licet: imo ab *Euandro* urbem primum conditam, poſt deſertam, deinde a Romulo reſtitutam, quæque prius Palatii nomen obtinebat, Romam ab eodem nuncupatam, vero quam maxime ſimile eſt. *Nardin. Rom. Vet.* I. I. *Borrich. Ant. Urb Fac. c.* I. §. 2. Reliqua *Euandri* regni quinque fuerunt monumenta: quorum I. Specus Caci. II. Templum ab ipſo Victoriæ dedicatum in monte Palatino. III. Ara maxima ab Hercule ſibi ipſi ſtructa. IV. Arca Carmentæ matris Euandri. V. Altare Jovis inventoris. *Nardin. l. l.*

EUC.

EUCLABRIS dicebatur menſa, quam mactata victima Flamen, aut Sacerdos inſtrui faciebat. Et hinc vaſa ſacrificiis inſervientia nominabantur *Euclabria*. Super illam collocabant victimam diſſectam, ut diligenter in inteſtina inquirerent. *Choul. de Relig. vet. Roman. p.* 261.

EVE.

EVECTIONES ſunt codicilli, quibus facultas equis publicis currendi conceditur l. evectiones. l. judicibus de curſ. public. *Bergier. de viis milit.* IV. *Sect.* 15. §. 1. *Panciroll. Notit. Dignit. Imp. Orient. c.* 72. *Guther. de Offic. dom. Aug.* II. 3: III. 15. *Salmaſ. in Capitol. Pertin. c.* 1. *Buleng. de Imp. Rom.* VI. 29. *Bud. in Pandect. p.* 231. I. Vocantur etiam combinæ. V. illas ſupr. in *Combinæ.* diplomata. V. illa ſupr. in *Diplomata.* & tractoriæ. V. illas infr. in *Tractoriæ.* Has ut haberent, antequam iter inirent, illi ipſi qui curſu publico utebantur, erat opus. Non enim pro ſua auctoritate, aut voluntate, ac lubitu curſum publicum uſurpare poterant. In ſingulis civitatum, mutationum, manſionum ſtationibus dabant illas inſpiciendas, alioquin vel in prima ſtatione detinendi. l. 8. C. T. de curſ. public. *Evectiones ab omnibus poſtulentur, quacunque conſpicui fuerint dignitate: non enim debet eſſe unquam efficax uſurpatio, quæ poſſit animalibus publici curſus inferre perniciem. Quod ſi quis putaverit eſſe reſiſtendum, & ſine evectione iter facere detegitur, ubi repertus fuerit, eundem juſſimus detineri, ac de ejus nomine ad prudentiam tuam* (Lex hæc ſcripta eſt ad Taurum PF. P.) *& ad Muſonium clariſſimum virum comitem, & magiſtrum officiorum referri.* Hinc Capitol. Pertin. c. 1. *Dein præfectus cohortis in Syria profectus, T. Aurelio Imperatore, a præſide Syriæ, quod ſine diplomatibus curſum uſurpaverat, pedibus ab Antiochia ad legationem ſuam iter facere coactus eſt.* In illis continebatur certus equorum curſualium, quibus uti liceret, numerus; dieſque certus, intra quem uti liceret, quo elapſo irriti erant dati & impetrati codicilli. Qui *evectionem* obtinuerat, eam præſidi provinciæ, per quam tranſiturus erat, oſtendere tenebatur, & ille ſubnotabat, ſeu ſubſcribebat. l. 22. C. de curſ. publ. *Cunctos judices laudanda tua ſinceritas monebit, ut minime quoſque tranſire patiantur, antequam ſeriem evectionis aſpexerint, & congrua ſubnotatione dimiſerint. Sane cujuſcunque fuerit dignitatis, qui noſtra interdicta calcaverit, retentetur, dum ſuper ipſius nomine ad manſuetudinem noſtram querela dirigatur, cui vindicta non erit.* Panciroll. & Bergier. l. l. Sine illis illi ſolum inter civiles magiſtratus, & deinde Imperatorum, ſive domus Auguſtæ miniſtros Palatinos utriuſque militiæ curſum publicum uſurpare poterant, qui ipſi aliis illas concedendi jus habebant. Tales ante Conſtantini M. tempora fuerunt proconſules, proprætores, præſides, judices, duces, vicarii, aliique. Verum Conſtantinus, eumque ſecuti Imperatores his abſtulerunt utramque poteſtatem, tam uſurpandi ſine *evectionibus* curſus publici, quam concedendi aliis *evectiones*: eamque ſibi, ſuæque auctoritati retinuerunt, & tantum præfectis prætorio, ac magiſtris officiorum l. 9. C. de curſ. public. *Judicibus faciendæ evectionis copiam denegamus: cum id tantum noſtro numini, & tuæ ſedi,* Florus erat PR. P. cui ſcribebatur, *nec non viro illuſtri magiſtro officiorum ſit reſervandum.* Bergier. ibid. Sect. 16. §. 1. & ad illum Henninius.

EVERRIATOR dicebatur, qui luſtrabat domos funeſtas. Feſtus: *Everriator vocatur, qui accepta jure hæreditate, juſta facere defuncto debet, quæ ſi non fecerit, ſeu quid in ea turbaverit, ſuo capite luat. Exverræ ſunt purgatio quædam domus, ex qua mortuus ad ſepulturam efferebatur, quæ fit per everriatorem, certo genere ſcoparum adhibito, ab extra verrendo dictarum.* Kirchman. de Fun. Rom. IV. I. Moreſtell. Pomp. Feral. VIII. 18. Lomej. de Luſtrat. c. 13. Laurent. Polym. III. Synopſ. 13. Meurſ. de Fun. c. 37. Blond. Rom. triumph. II. p. 39. B. Schill Nomencl. Phil. p. 470.

EUG.

EUGE ſpectatores, quaſi animum pugnantibus addituri, ſolebant acclamare pugnis decertantibus. Laert. de vit. Philoſoph. II. 37. *Tum vero ille hercle nobis pugnis decertantibus unusquisque veſtrum acclamat, euge Socrates, euge Xantippe.* Quam eandem formulam ſimili in re hodie etiam videmus uſurpari. *Ferrar. de Acclamat.* VII. 16. Et auditores poemata recitantibus. Perſ. Sat. I. 49.

Euge tuum, & belle: nam belle hoc excute totum.

Schott. Obſerv. I. 16. Creſoll. Theatr. Rhetor. III. 20. §. Voſſ. de Imitat. 5. 8. §. 2.

EUN.

EUNUCHI curabant & cuſtodiebant matronarum thalamos. Claudian. XVIII. 98.

—— cumque omnibus unica virtus
Eſſet in eunuchis, thalamos ſervare pudicos.

n. 419.

Militia eunuchi nunquam prægreſſa cubile.

Inde *eunuchi* dicti; qui τὴν εὐνὴν, id eſt, lectum matronarum cuſtodiunt; vel, quod bonæ ſint mentis, εὔνες, & a Venereis ſemotæ. Pectebant dominæ crines, & geſtabant aquam lavanti. Claudian. ibid. n. 105.

—— conſulque futurus
Pectebat dominæ crines, & ſæpe lavanti
Nudus in argento lympham geſtabat alumnæ.

Faciebant ventulum dominæ dormienti. Claudian. ibid. n. 108. V. illum infr. in *Flabellum*. Erat enim in more poſitum Romæ, ut cum matronæ ſomnum meridianum caperent, adeſſet aliquis ſervorum, qui ventulum faceret æſtus pellendi, & muſcarum abigendarum gratia. Terent. Eun. III. 5. 47. V. illum infr. in *Flabellum*. Cingebant latus incedentibus per urbem cum flabellis, & umbellis. V. infr. in *Flabellum*. Maritalem lectum ſæpius corrumpebant & violabant. Juven. Sat. VI. 366.

Sunt quos eunuchi imbelles, ac mollia ſemper
Oſcula delectent, & deſperatio barbæ:
Et quod abortivo non eſt opus.

Et ut ad ardentem Cupidinis flammam exſtinguendam forent idonei, adultiori ætate caſtrabantur. Juven. ibid. n. 371.

Ergo ſpectatos, ac juſſos creſcere primum
Teſticulos, poſtquam cœperunt eſſe bilibres,
Tonſoris damno tantum rapit Heliodorus.

Kobierzyck. de Lux. Roman. II. 3. Sacri cubiculi miniſtri erant. Viri docti putant dictos fuiſſe a cubiculo cuſtodiendo, quod ἔχειν ſignificat etiam cuſtodire. Auctor Etymologici tradit denominatos ἀπὸ τοῦ τὴν εὐνὴν ἔχειν, καὶ ἐπιμελεῖσθαι καὶ φυλάσσειν. Εὐνὴ generaliter pro omni loco, in quo quis commoratur. Unde præpoſitus *eunuchorum* præpoſitus cubiculi vocatur a Zonar. in Conſtantio: τῶν βασιλικῶν εὐνούχων πρωτεύων. Et quia plures cubiculo Principis adhærebant, ex conſuetudine omnes cubicularii *eunuchi* dicti. Euagr. Hiſt. Eccleſ. IV. 22. *Ex his ut plurimum eligebantur miniſtri imperialis cubiculi, quos vulgo eunuchos vocant.* Guther. de Offic. dom. Aug. III. 29. In aulis Principum ad tantum potentiæ ſunt evecti, ut pro ipſorum libidine, non Imperatoris tantum palatia, verum etiam univerſi orbis regimen adminiſtraretur. Heliogabalus etiam *mancipium eunuchorum* a Lampridio appellatur, eos namque in conſiliis turpibus habebat & promovebat. Hanc inſolentiam Gordianus tertius coercuit. Capitol. c. 24. *Evaſiſſe nos gravem temporum maculam, qua per ſpadones, & per illos, qui tibi amici videbantur, erant autem vehementes inimici, omnia vendebantur, voluptati nobis eſt, & eo magis, quo tibi gratior emendatio eſt.* Kobierzyck. l. l. *Eunuchos* fieri vetuit Domitianus. Suet. c. 7. n. 5. *Caſtrari mares vetuit.* Philoſtr. Apollon. VI. 17. *Per ea tempora Domitianus Imperator legem tulerat, ne quis homines faceret eunuchos.* Hinc Mart. VI. 3. 5.

Plus debet tibi Roma; quod pudica eſt.

Buleng. de Imperat. Rom. II. 5. Pitiſc. in Suetonium. Illorum occurſus habebatur inauſpicatiſſimus. Chryſoſtomus: *Veluti iſte primus mihi occurrit exeunti, omnino mihi mala infinita evenient.* Claudian. n. 121.

—— cum pallida nudis
Oſſibus horrorem dominis præberet imago,
Decolor & macies occurſu læderet omnes,
Aut pueris latura metus, aut tædia menſis,
Aut crimen famulis, aut procedentibus omen.

Buleng. de Omin. c. 1. Brod. Miſcell. IV. 1. Laurent. Polym. IV. Synopſ. 21. V. & infr. in *Spado*.

EVO.

EVOCATI dicebantur ii, qui ex civibus, e ſociis; ex equite, ex pedite ſumebantur, ſed rogatione & precibus. Erant veterani, gnari, prudentesque militiæ, qui expletis ſtipendiis ſponte in gratiam conſulum, aut ducum militiam ſumebant. Dio XLV. p. 276. B. *Evocatorum manus, quos aliquis anacletos Græce, quaſi revocatos, quod defuncti militia iterum ad eam revocentur, dixerit.* Lipſ. de Milit. Rom. I. 8. Turneb. Adv. I. 9. Valtrin. de Re milit. II. 5. Urſat. de Not. Rom. Theſ. Antiq. Roman. Græv. Tom. XI. p. 701. C. Spon. Miſcell. Erud. Antiq. Sect. VII. p. 259. Stewech. in Veget. II. 3. Laurent. Polym. IV. Synopſ. 1. §. 4. Sigon. de Antiq. jur. civ. Rom. I. 15. Schel. in Polyb. Theſ. Græv. Tom. X. p. 1168. C. Patric. de Re milit. Rom. p. VIII. Sect. 3. Hugo de Milit. equeſt. III. 4. Thyſ. Rom. Illuſtr. I. p. 51. Cujac. Obſerv. VII. 10. Kipping. Diſſert. de Victor. §. 7. Faber. Semeſtr. I. 15. Non tantum in caſtris metabantur prope conſulem, id eſt, 325. pedes tantum ab eo remoti, quanta erat nimirum latitudo arcarum; ſed etiam cum agmen duceretur, nec non in pugna & luſtratione exercitus, vel quandocunque uſus, & neceſſitas poſtulabat, conſuli & quæſtori præſto erant. *Patric. ibid. p. IX. Sect. 27.*

Evocati etiam dicebantur *equeſtris ordinis juvenes, qui manente annulorum aureorum uſu, excubias circa cubiculum Galbæ vice militum agerent.* Suet. Galb. c. 10. n. 4. Hi ſunt illi, opinor, qui *Evocati Auguſti* dicti. Hygin. de Limit. p. 209. *Nuper ecce quidam evocatus Auguſti, vir militaris diſciplinæ.* Schel. in Hygin. Theſ. Antiq. Roman. Græv. Tom. X. p. 1058. B. Hugo de Milit. Equeſt. III. 4. Lipſ. de Magn. Rom. I. 4. Thyſ. de Magn. Rom. I. p. 242.

EVOCATIO deorum ex urbibus obſidendis qui olim facta ſit. V. ſupr. in *Dii*.

Evocatio militiæ erat genus, cum *ad diverſa loca diverſi mittebantur propter cogendos exercitus.* Serv. Æneid. VIII. 1. V. illum infr. in *Militia*. Conquiſitores illi vocantur Hirt. de Bell. Alex. c. 2. *Nam in omnes partes, per quas fines Ægyptii, regnumque pertinet, legatos, conquiſitoresque, delectus habendi cauſa miſerant.* Stewech. in Veget. I. 6. Tiraquell. in Alex. Gen. Dier. VI. 22. Turneb. Adv. XXVI. 22. Briſſon. de Form. IV. p. 341. Guther. de vet. jur. Pont. I. 14. Sigon. de Antiq. jur. civ. Rom. I. 15. Bud. in Pandect. p. 139. A. Laz. Comm. Reip. Rom. IV. 7. Demſter. Paralip. ad Roſin. Antiq. Roman. X. 3.

Evocatio mortuorum, ſive manium fiebat ad ſepulcrum. Horat. Epod. V. 15.

Canidia brevibus implicata viperis
Crines, & incomptum caput
Jubet ſepulcris caprificos erutas. . .

XVII. 47.

Nec in ſepulcris pauperum prudens anus
Novendiales diſſipare pulveres.

Solebant *advocari Mercurius carminum vector, & illex animi Venus, & Luna noctium conſcia, & manium potens Trivia.* Apul. Apol. p. 459. Qui omnes *veris ſuis nominibus*

ciebantur. Lactant. II. 7. Tempus observabatur, dum silens esset luna. Horat. Epod. V. 51.

Nox & Diana, quæ silentium regis,
Arcana cum fiunt sacra.

Quod vocat Virg. Æneid. II. 255.

—— tacitæ per amica silentia lunæ.

Dicebatur *luna silens* tempus illud novilunii, quo otiosa agit luna, & non lucet, exinde silere dicebatur. *Guther. de vet. jur. Pont.* IV. 9. *Struv. Antiq. Rom. c.* 6. *p.* 306. *Laurent. Var. sacr. gentil. c.* 14.

Evocatio. qua reum, actore postulationum die prætoris auxilium implorante, prætor, audita & cognita causa, ad sui defensionem *evocari* jubebat, fiebat nonnunquam solis denuntiationibus, interdum literis, interdum etiam edictis l. 26. ff. de fideic. lib. Sic, ni fallor, ut si latitans denuntiationibus *evocari* posset, nec literis, nec edictis opus esset: sin minus, interdum literis, interdum edictis *evocaretur* l. 5. de pœn. Literis quidem, si Roma abesset: edictis vero, si sic in Urbe latitaret, ut aditum ad se nullum præstaret. Has tres species ab invicem esse discernendas semper existimavi, ut si aditum ad se lictori is, qui latitabat, præstaret, vel e publico conspiceretur, sollenni testatione domum ejus denuntiaretur, quæ denuntiatio detestatio dicebatur l. 19. ff. de in jus voc. Quod si in Urbe non esset reus, literas a prætore impetrabat actor ad illius loci magistratus, in quo frustrationis causa adversarius latitabat l. 1. & 4. ff. de req. reis. Cicer. Verr. I. 10. *Verres simulac tetigit provinciam, statim Messanam literas dedit, Dionem evocavit.* Attic. X. 13. Attende πράξιν πολιτικῶ. *Evocavit literis e municipiis denos, & quatuorviri venerunt ad ejus villam mane.* Solebat etiam, si nec denuntiationibus, nec literis is, qui latitabat, evocari posset, jussu, & auctoritate prætoris edictum, hoc est, libellum ad ipsas rei latitantis ædes non sine denuntiatione, & sollenni vicinorum, aliorumve proborum civium testatione actor proponere, sive, ut utar Vinuleji verbis, *tabulas ad rei latitantis januam figere*, quibus latitantem in jus evocabat, ut ita admonitus defensor sui existeret l. 4. §. toties ff. de damn. inf. l. 5. ff. 1. quod vi aut clam. Nec sane, ut aliquis contumax ediceretur, satis erat uno edicto non paruisse, sed *eum demum contumacem esse* respondit Hermogen. l. 53. de reb. judic. *qui tribus edictis propositis præsentiam sui facere contemnit.* Et id ad tres etiam denuntiationes, & ad tres etiam literas referri posse indicat ipsemet Ictus; addit enim: *Et pro tribus edictis, literis, vel denuntiationibus, unicum interdum edictum prætorem proposuisse*: illudque, *quod perimeret disceptationem*, hoc est, quod ultra reum non pateretur tergiversari, inde *peremptorium* appellatum existimavit Ulpian. l. 70. ff. de judic. V. illud supr. in *Edictum.* Illudque a reliquis edictis quomodo discerni soleat, ex eo facile intelligi potest, quod in manuscripto quodam de verbis juris antiquissimo libello, quem habeo, sic scriptum est: *Si judex in edicto adjiciat, si die præscripto non veneris, quasi contumax condemnaberis: tunc judicium peremptorium emittitur.* Et post hujusmodi edictum impetratum, cum dies ejus supervenisset, tunc absens in jure citari debebat, & sive responderet, sive non responderet, causa agebatur. *Ræsvard. Protribun. c.* 3.

EVOLUTIO apud Polyb. VI. 38. in significatione sua militari accepta, sive de hastatis, sive de aliis intelligatur, vix ullum admittit sensum. Ælian. Tactic. c. 27. duos *evolutionis* modos ponit, unum per versum, alterum per juga; sive, ut nos diceremus, per altitudinem, & per frontem: additque, utriusque tres esse species. *Evolutionem*, quæ dicitur chorea, vel Persica, vel Cretica, dicit fieri ad hunc modum; ut phalanx quidem eundem locum retineat, singuli vero armati pro locis, quæ prius tenebant, alia occupent, & lochagus in locum tergiductoris se transferat, eoque frons agminis convertatur, ubi antea tergum erat. Hac ratione fiebat, ut fronte in eum locum translata, ubi antea tergum erat, secundus occuparet locum penultimi, tertius antepenultimi, & hi vicissim loca priorum. Macedonica erat, cum lochagus se converteret, & reliqui ad scutum deflectentes, ipsum præterirent, & a tergo ejus consisterent, ita ut ipse quidem eodem remanens loco, frontem ad eam partem converteret, a qua antea fuerat aversus. Hæc hostibus pone imminentibus fugæ speciem præbebat. Huic contraria erat Laconica, qua tergiduce se convertente, reliqui etiam se convertebant, & succedentes cum lochago tergum agminis fronte mutabant: unde hæc persecutionis speciem hostibus pone imminentibus exhibebat. De *evolutionibus* per juga, sive frontem, non aliud tradit, quam eas tum fieri, cum ad intermedias phalangum sectiones cornua quis velit statuere, & vice versa sectúræ proximos in locum cornuum, ut partes mediæ corroborentur; ac dextræ quidem similiter sinistræ, ac sinistræ dexteris. Hoc qua ratione fiat, c. 28. exponit, dicens, si quis tagma aliquod, quod est justum quadratum sedecim hominibus per singula latera constans, *evolvere* velit, id fieri, vel ut agmen eodem loco maneat, vel transeat in locum agminis dextri vel sinistri. Quomodo id autem fiat, deinde non docet. Polyb. VI. 38. *hastatorum evolutionem* factam aliquando esse tradit. Sed illa non videtur ad ullum dictorum modorum referri posse. Quoniam hastati pone prima impedimenta incedentes, cum hostis a dextra subito appareret, omnes ad hastam inclinabant, relictisque a tergo impedimentis, hosti obviam procedebant. Idemque cum principes & triarii utriusque legionis, nec non socii in alis facerent, instruebatur acies, quatuordecim manipulos in fronte habens. Nulla hic ergo *evolutio* per versum, sive secundum altitudinem locum habebat, quoniam neque *chorea* fiebat, in qua universum quidem agmen eodem maneret loco, tergiductor vero in lochagi, & hic vicissim in illius locum transiret: multo minus *Macedonica*, in qua lochagus relicta fronte ad tergum agminis se conferret: neque *Laconica*, quoniam hostes erant a fronte. Atque hæc non de solis hastatis, sed etiam omnibus aliis ordinibus intelligenda sunt. Quod si autem dicamus, hastatis, qui tunc extremum in sinistro cornu locum obtinebant, *evolutionem* per jugum facientibus, secundum manipulum ad latus exterius magis deflexisse, factoque eo alios in eodem cornu magis se dilatasse, videtur *evolutio* hæc, de qua Polybius loquitur, aliquem locum habere posse. Non tamen referri potest ad ullam speciem harum trium, quæ ab Æliano referuntur. Porro in cornu dextro hastati non erant primi, ut in sinistro, sed triarii sociorum; qui cum pariter sese dilatarent, non solos hastatos, sed etiam triarios ultimos *evolutionem* fecisse Polybius dicere debuisset. Sic ut ultima triphalangia sociorum contrario modo disposita esset, atque tres præcedentes, in quibus semper primi erant hastati, secundi principes, & tertii triarii, prout Polybius ordine eorum mentionem fecit; in illa vero primi essent triarii, secundi principes, & ultimi hastati. Quod si hoc modo rem sese habuisse dicamus, sensum aliquem locus Polybii habebit. *Patric. de Re milit. Rom. part.* XIII. *Sect.* 9. *Lips. de Milit. Rom.* V. *Dial.* 12.

EUR.

EURIPUS dicitur proprie pars illa maris Euboici, quæ sexies reciprocat aquarum æstum, ut scribit Antiphilus Byzantius Floril. I. 36.

Euboici sinus o mare reciprocans,
Aqua erratilis, propriis fluctibus contraria
Die ac nocte facta ter infida, & fallax,
Quantum fluctum fœnore acceptum in naves mittis?

septies reciprocare ajunt Seneca Herc. Oet. III. 779.

Euripus undas flectit instabiles vagus,
Septemque cursus flectit, & totidem refert.

Plin. II. 97. *Euripi in Eubœa septies die, ac nocte reciprocantis.* Strab. IX. p. 278. *Euripum septies quavis die, ac nocte mutari ajunt.* Numerum non definit Liv. XXVIII. 6. *Fretum Euripi non septies die, sicut fama fert, temporibus statis reciprocat: sed temere in modum venti, nunc huc, nunc illuc, verso mari, velut monte præcipiti devolutus torrens rapitur: ita*

nec

nec nocte, nec die quies navibus datur. Buleng. de Circo c. 21. Brod. Miſc. v. 6. Laz. Græc. Antiq. II. 2. Voſſ. Lex. Etymol. Bernart. in Stat. Theb. VII. 334.

Euripus eſt aquæductus apertus, & grandis, quem vulgo canalem aquæ dicimus. Heſychius: Εὔριπος, δοχὴ τῶν ὑδάτων. Δοχὰς ὑδάτων exponit, quas Latini dogas inde dixere. Et hoc proprie irrigare, cum riguis, ſive rivis aqua inducitur: eriguare cum deducitur. *Keuchen. in Frontin. de Aquæd.* II. *Theſ. Antiq. Rom. Græv. Tom.* IV. *p.* 1656. *F. Salmaſi Exercit. Plin. p.* 638. *b. A.* 639. *a. G. Brod. Miſc.* v. 6. *Voſſ. Lex. Etymol. Bernart. in Stat. Theb.* VII. 334.

Euripus, ſeu foſſa denum pedum altitudinis & latitudinis, ſive palmarum noſtrarum XIII. & tertiæ erat inter porticus, & trium laterum vacuum ſpatium, ſive arenam. Auctor Cæſar Julius fuit. Suet. c. 39. n. 5. *Circenſibus ſpatio circi ab utraque parte producto, & in gyrum Euripo addito.* In eo crocodili, aliaque animalia aquatilia occiſa. Plinius, ubi de Scauro ait, *Euripum* ipſum ad tempus excavaſſe, addit in illo & illos exhibuiſſe VIII. 26. *Primus hippopotamum & quinque crocodilos Romæ adilitatis ſuæ ludis M. Æmilius Scaurus temporario Euripo oſtendit.* Et editæ pugnæ navales. Sed hi ludi navales fuerunt ſoli navium procurſus, non autem navalia certamina. Plin. VIII. 7. *Pompeji altero conſulatu, dedicatione templi Veneris Victricis, pugnavere in circo viginti, aut, ut quidam tradunt, ſeptemdecim elephanti. Univerſi eruptionem tentaverunt, non ſine vexatione populi, circumdati clathris ferreis. Qua de cauſa Cæſar Dictator, ſimile ſpectaculum editurus, euripis arenam circumdedit.* Nardin. Rom. Vet. VII. 2. Donat. de Urb. Rom. III. 14. Buleng. de Circo c. 21. Salmaſ. Exercit. Plin. p. 639. Laurent. Polym. IV. Synopſ. 9. Panvin. de Lud. Circenſ. I. 6. Rittersh. in Oppian. p. 144. Borrich. Ant. Urb. Fac. c. 13. §. 2. Fab. Epiſt. I. 14. Moll Long. Paſtor. p. 4. Caſal. de Urb. ac Imp. Rom. ſplend. part. 2. c. 3. Voſſ. Lex. Etymol. Heliogabalus vino implevit, ut in eo certamen navale ederet. Lamprid. c. 23. *Fertur in euripis vino plenis navales circenſes exhibuiſſe.* Donat. & Buleng. l. l. Lampridius nihil certi de circi *Euripo* exprimit; verum ſimpliciter de *Euripis*, qui & alibi excavari potuere. Cæſaris *Euripus* non diu duraſſe videtur; *Nero Cæſar ſuſtulit, equiti loca addens.* Plin. l. l. Videtur tamen Caſſiod. Var. III. 51. ſignificare, *Euripos* in ſua uſque tempora perduraſſe: *Euripus*, inquit, *maris vitrei reddit imaginem; unde illic delphini æquorei aquas interfluunt.* Verum utrum alius de novo factus ſit; an vero non tam circum ſui temporis, quam priſcum ſub primis Imperatoribus deſcripſerit, alieno dijudicandum arbitrio relinquo. Tandem aquam *Euripis* immiſſam, ſtagnantem deinde, & quæ finitis ludis rurſum exhauſta ſit, exiſtimo: non autem aquam vivam, fluentemque, ad quam inducendam aquæductu, vel tubulis, non ſine ingenti ſumptu, opus fuiſſet. *Nardin. l. l.*

EUT.

EUTRAPELUS fuit cognomen Volumniorum. Unde Cicero ad Volumnium Fam. VII. 32. Εὐτραπελία *tuarum literarum fecit, ut intelligerem, tuas eſſe.* Sigon. de Nom. Theſ. Antiq. Roman. Græv. Tom. II. p. 1975. C. Glandorp. Onom. Rom. p. 922.

EX.

EX animi tui ſententia erat popularis, & vulgaris formula jurisjurandi: qua prout ſe res haberet, jurare profitebantur. Cicer. de Offic. III. 29. *Quod ex animi tui ſententia juraris, ſicut verbis concipitur more noſtro.* Liv. XXII. 53. *Ex mei animi ſententia juro; ut ego Rempublicam P. R. non deſeram.* Quid hoc ſit, aperit Quintil. v. 8. *Sententiam veteres, quod animo ſenſiſſent, vocaverunt. Id cum eſt apud oratores frequentiſſimum, tum etiam in uſu quotidiano quaſdam reliquias habet: nam & juraturi ex animi noſtri ſententia, & gratulantes ex ſententia, dicimus.* Noſtro verbo, ex conſcientia, ſincera fide, ut l. 3. §. ejuſdem ff. de teſtibus. *Hanſen. de jurej. vet. c.* 13. *Gronov Obſerv.* IV. 14. *Briſſon. de Form.* VII. *p.* 711. *Lipſ. Var. Lect.* I. 1. *Hotom. de Form. Theſ. Antiq. Roman. Græv. Tom.* II. *p.* 1917. *D. Cujac. Obſerv.* I. 21. Illam etiam cenſores præmittebant in jurejurando exigendo, cum luſtrum conderent; & curam rei uxoriæ veteri inſtituto apud Romanos haberent, & caverent, ne quis civis Romanus cœlebs, & ſine uxore eſſet. Cicer. de Orat. II. 64. *Ridicule etiam illud L. Porcius Naſica cenſori Catoni cum ille, Ex tui animi ſententia, tu uxorem habes? non hercle, inquit, ex animi mei ſententia. Lipſ. l. l.* Gell. IV. 20. *Cenſor agebat de uxoribus ſollenne jusjurandum. Verba hæc erant ita concepta: & tu ex animi tui ſententia uxorem habes? Sollenne jusjurandum* vocat Gellius juramentum, quod annis ſingulis a maritatis civibus Romanis ſingulis, de uxoribus, earumque moribus exigebatur. Sic accipi poſſe auctor eſt Tacit. Annal. XVI. 22. 1. *Quin & illa objectabat, principio anni vitare Thraſeam ſollenne jusjurandum.* Eoque ſenſu *ſollennia munera*, & *ſollennia patronorum onera* dixerunt Icti l. 2. §. pen. de admin. tut. l. 2. de veter. *Revard. Var.* IV. 13. *Turneb. in joc. Cicer. p.* 40.

Ex conſule, quæſtore, prætore . . . eundem eſſe, qui ſine præpoſitionis adjectione conſul, quæſtor, prætor, Myſingerum Inſtitutionum initio ſequens putat Alciat. Diſpunct. IV. 3. Ego vero ejuſmodi appellationes perinde valere, ac ſi conſularem, quæſtorium, prætorium dicerem, quo modo olim, qui conſulatum, quæſturam, præturam geſſerant, vocabantur. Nam cum Imperatores jus conſularitatis, quæſtoriatus, prætoriatus quibuſdam dare cœpiſſent, qui nunquam illos magiſtratus geſſiſſent, cœperunt ii, qui vere fuerunt in magiſtratu, non jam amplius conſulares, quæſtorios, prætorios ſe vocare: ita enim vocabantur etiam, quibus hoc Principali tantum beneficio tributum erat: ſed *ex* conſule, quæſtore, prætore. Scribendum autem, atque efferendum ſexto caſu, ut *ex* cubiculariis, archiatris, protectoriis. Non eſt autem unica dictio, aucta præpoſitione, per omnes caſus variabilis; ſed duæ orationis partes ſejunctæ: quaſi dixeris, non eſſe conſulem, quæſtorem, prætorem; ſed *ex* conſule, quæſtore, prætore, id eſt, *ex* conſulis, quæſtoris, prætoris honore, & imperio abiiſſe. Et l. unica C. de quæſtoribus, ubi legitur: *ex quæſturæ honore, ex* non pertinet ad proximam vocem quæſturæ; ſed ad alteram longius diſſitam, ut ſit: ex honore quæſturæ. Ita in actione prima Synodi Chalcedonenſis recenſentur quinque *ex* conſulibus, id eſt, conſulares: quos ſi conſules interpretaris, uno eodemque tempore ſex conſules ordinarii, ne ſuffectos putes, extitiſſe videbuntur. Nam Imperator Flavius Marcianus conſulatum eo ipſo anno gerebat. Non poſſe autem hæc per caſus flecti, ſed prælatæ præpoſitioni ſexto caſu tantum ſervire, argumento eſt lapis apud Glorierios, punctis, notato literarum, quæ deſiderantur, numero ſuppletus: EX. VICARIO. ASIE. EX. PRÆFECTO. PRÆTORIO. EX. PRÆFECTO. UR. *Caſtal. Var. Lect. Miſcell. Ital. Erud. Tom.* I. *p.* 35. *Cerda Adverſ. Sacr. c.* 142. *n.* 1. *Stewech. ad Veget.* II. 9. *Crinit. de Honeſt. diſcipl.* X. 12. *Salmaſ. in Lampr. Comm. c.* 7. *Alex. Sev. c.* 33. *Capitol. Maxim. c.* 10. *Gord. c.* 7. *&* 22. *Vopiſc. Prob. c.* 13.

Ex jure manum conſertum quid ſit, docet Gell. XX. 10. . . . *Verba ſunt ex antiquis actionibus, quæ, quum lege agitur, & vindiciæ contenduntur, dici nunc quoque apud prætorem ſolent. Ennius:*

Non ex jure manu conſertum, ſed mage ferro
Rem repetunt, regnumque petunt, vadunt ſolida vi.

Manum conſerere eſt, de qua re diſceptatur, in re præſenti, ſive ager, ſive quid aliud eſt, cum adverſario ſimul manu prendere, & in ea re omnibus rebus vindicare. Vindicia, id eſt, correptio manus in re, atque in loco præſenti, apud prætorem ex duodecim tabulis fiebat, in quibus ita ſcriptum eſt: SI. QUI. IN. JURE. MANUM. CONSERUNT. Sed poſtquam prætores propagatis Italiæ finibus, datis juriſdictionibus,

bus, negotiis occupati, proficisci vindiciarum dicendarum causa in longinquas res gravabantur: institutum est, contra XII. *tabulas, tacito consensu, ut litigantes non in jure apud prætorem manum consererent, sed ex jure manum consertum vocarent; id est, alter alterum ex jure ad conserendam manum in rem, de qua ageretur, vocaret: atque profecti simul in agrum, de quo litigabatur, terræ aliquid ex eo, uti unam glebam, in jus in Urbem ad prætorem deferrent: & in ea gleba, tanquam in toto agro vindicarent.* Bud. in Pandect. p. 27. I. Pollet. For. Rom. v. 4. Brisson. de Form. v. p. 375. Oisel. in Gellium. Ursat. de Not. Rom. Thes. Ant. Rom. Græv. Tom. XI. p. 692. F. Sigon. de Judic. I. 21. Rævard. in Leg. XII. tab. §. 6. de Div. reg. jur. CVIII. Marcil. in Leg. XII. tab. c. 11. Hotoman. Antiq. Roman. III. p. 481. Rittersh. in Leg. XII. tab. Class. III. p. 3. c. 8. Column. in Ennium p. 80.

Ex statione est idem ni fallor qui stationarius, miles, apparitor, ministerve publicus, qui magistratui, seu præsidi ministrabat ad quadragesimæ Galliarum exactionem. Inscriptio Romæ ad Laurentii:

DIS MAN
PEDIA EPICTESIS
PLACIDO CÆSARIS
EX STATIONE XXXX GALLIARUM
FECIT ET SIBI ET SUIS LIBERTIS
LIBERTABUSQUE POSTERISQUE EORUM.

Spon. Miscell. Erud. Antiq. Sect. VI. *p.* 217.

EXA.

EXACTOR erat nomen servi apud Romanos. Antiquum elogium, quod extabat Romæ in museo Carpensi:

SEX. POMPEJUS FAUSTUS
SEX. POMPEI. EXACTOR.

Ejus officium describit Scævol. I. 41. de fideicom. libert. *Stichus arcarius probante domino nomina fecit, & rationes a domino scriptas exhibuit, nec postea nomen ullum fecit: quæro an sit qui minus solvendo fuerint debitores, quibus alii exactores erant applicati, nondum videatur conditioni satisfactum?* Pignor. de Serv. p. 334. Lips. in Tacit. Annal. III. n. 32.

Exactor operum dominicorum dicitur in epitaphio, quod Romæ visitur:

M. AURELIUS. AUGG. N. N.
LIB. EPAPHRODITUS
EXACTOR OPERUM. DOM. N. N.

Plin. Epist. IX. 37. 3. *Medendi una ratio, si non nummo, sed partibus locem, ac deinde ex meis aliquos exactores operi, custodes fructibus ponam.* Lips. in Tacit. Ann. III. n. 32. Pignor. de Serv. p. 335. Fabric. Descr. Urb. Rom. c. 12.

Exactor pecuniarum fiscalium, ut vocatur Firmico Astron. III. 11. erat, qui annuas fiscariorum præstationes repetebat. Novell. 30. *Comitiana præerat vectigalibus.* XIII. *erant πράκτορες, exactores vectigalium. Curialis apparitor, optio actuarius, publici debiti exactor, & compulsor esse potest.* Buleng. de Vectig. c. 3. de Imp. Rom. VI. 51. Vocabatur etiam compulsor. V. in *Compulsor.* Spanhem. de Præst. numism. Dissert. IX. p. 813. Ursat. de Not. Roman. Thes. Ant. Rom. Græv. Tom. XI. p. 702. A.

Exactor supplicii dicitur præpositus ad exigendum perficiendumque, & quasi custos. Liv. II. 5. *Qui spectator erat amovendus, eum ipsum fortuna exactorem supplicii dedit.* Tacit. Ann. XI. 3. *Denuntiat centurionibus, & tribuno, qui aderant, exsequi cædem: custos & exactor e libertis Euodus datus.* Lips. in Tacit. Annal. III. n. 32.

EXAGIUM est genus ponderis. Vetus Inscriptio: *Sub exagio potius pecora vendere, quam digitis concludentibus tradere.* Glossæ: Ἐξάγιον, *pensatio.* Novell. Theod. & Valent. tit. 23. *De ponderibus quoque, ut fraus omnis amputetur penitus, a nobis aguntur exagia.* Buleng. de Vectig. c. 75. Cerda Advers. c. 121. §. 47. Senftleb. de Alea c. 18. §. 1. Scalig. de Re numm. Thes. Antiq. Græc. Gronov. IX. p. 1525. C.

EXARCHUS, ἔξαρχος. Gloss. Græc-Lat. Ἔξαρχοι, *proceres, principes. Exarchi* Italiæ, vel Ravennæ, qui ab Imperatoribus Constantinopolitanis in Italiam cum imperio mittebantur. *Du Fresne Glossario. Buleng. de Imp. Rom.* VIII. 84. *Panciroll. Notit. Dignit. Imp. Occid. c.* 1.

EXARMARI dicitur causa, cum a subornatis testibus expugnatur, debilitatur, infirmatur. Plin. Epist. III. 9. 29. *Ex testibus quidam, sive iratus, quod evocatus esset invitus, sive subornatus ab aliquo reorum, ut accusationem exarmaret.* Pollet. For. Rom. IV. 14. Bud. in Pandect. p. 135. C. Μεταφορικῶς. *Exarmare* ea forma dicitur, qua excalceare, id est, armis despoliare: a Græcis ἀφοπλίζω dicitur. *Exarmare* navem est navem armamentis spoliare, ut malo, rostro, antenna, carchesio, clavo, pede, ancora, & reliquis. *Exarmare* feras est dentes, ungues, vel alia noxia membra adimere, vel etiam tutamina, quibus vim propulsare nata sunt. Lamprid. in Heliog. c. 21. *Habuit & leones, & leopardos exarmatos in deliciis, quos edoctos per mansuetarios subito ad secundam & tertiam mensam jubebat accumbere, ignorantibus cunctis, quod exarmati essent, ad pavorem & ridiculum excitandum.* Bud. l. l.

EXAUCTORATIO interdum differt a missione, cum quis sine ignominia *exauctoratur.* Tacit. Annal. I. 36. 4. *Missionem dari vicena stipendia meritis, exauctorari qui sena dena fecissent.* Missio enim datur iis, qui penitus dimittuntur. *Exauctorantur*, qui solvuntur stipendio, nec tamen dimittuntur, sed habentur sub vexillo, non sub aquila, aut signis legionis: neque jam legionarii sunt, retinentur tamen, donec emerita solvantur, aut agri assignentur. Sed & qui sub signis habebantur, a legionariis distinguuntur, & subsignani vocantur: quia non sunt sub aquila. Tacit. Hist. I. 70. 5. *Pennino itinere subsignanum militem traduxit.* Turneb. Adv. III. 3. Bud. in Pandect. p. 93. D. Lips. in Tacit. Ann. I. n. 106. de Milit. Rom. v. Dial. 19. Laurent. Polym. IV. Synops. 3. Stewech. in Veget. II. 3. Thys. Rom. Illustr. v. p. 154. Valtrin. de Re milit. Rom. VI. 6. Interdum plena, & ignominiosa missio significatur. Et illa fuit, cum detractis insignibus militaribus inter infames aliquem Imperator efficiebat Ulpiano teste mox laudando. Et *exauctoratus* dicitur, qui *militia remotus castris ejicitur* l. 39. pr. ff. de liber. caus. Lamprid. Alex. Sever. c. 52. *Severitatis tantæ fuit in milites, ut sæpe legiones integras exauctoraverit*, id est, cum ignominia dimiserit. *Exauctoratas legiones* ab Augusto dicit Suet. c. 24. n. 4. Ubi sacramento tantum fuisse solutos scias, sine ignominiæ mentione, verum ademptis emeritis & præmiis, quæ finita militia dari solita. Quæ tertia a prioribus diversa *exauctorationis* est significatio. *Sichterman. de Pœn. militar. c.* 13. *Valtrin. ibid. c.* 8. *Robort. de Pœn. milit. Thes. Ant. Rom. Græv. Tom.* X. *p.* 1483. *A.* Formulam *exauctorationis* tradit Lampr. in Alex. c. 52. *Quirites discedite, atque arma deponite.* Arma enim primum, deinde sagulum deponere jubebantur. Lampridius: *Mirando exemplo depositis armis, depositis etiam sagulis militaribus omnes non ad castra, sed ad diversoria varia recesserunt.* Suet. Vit. c. 10. n. 2. *Quicquid prætorianarum cohortium fuit uno exauctoravit edicto, jussas tribunis tradere arma.* Et *exauctorare* per insignia militaria detrahere exponit Ulpian. ff. de iis qui not. infam. tit. 2. l. 2. *Sed & si eum exauctoraverit, id est, insignia militaria detraxerit, inter infames efficit, licet non addidisset, ignominia causa se eum exauctorasse.* Schott. Observ. III. 23. Pitisc. in Suet. Aug. c. 24. n. 4. Et calceos. Tertullian. de Coron. milit. c. 1. *Speculatoriam*, inquit, *morosissimam pedibus absolvit.* id est, caligam militarem deponit. *Balduin. de Calc. c.* 24. *Ferrar. de Re vest.* II. 3. 14.

EXAUGURARE est omni religione liberare, auguriis profanum reddere. Liv. I. 55. *Inter principia condendi hujus operis, movisse numen ad indicandam tanti imperii molem traditur deos: nam quum omnium sacellorum exaugurationes*

tiones admitterent aves, in Termini fano non addixere: idque omen, augiriumque ita acceptum est, non motam Termini sedem, unumque eum deorum non evocatum sacratis sibi finibus, firma stabiliaque cuncta portendere. Turneb. Adv. xxx. 31. Laurent. Polym. III. Synops. 2. Struv. Antiq. Rom. c. 11. p. 509. & 519. Guther. de vet. jur. pontif. II. 3. Rævard. Conject. II. 17.

EXC.

EXCALCEATI obierunt cursores & tabellarii sua munia, quia corrigiarum abruptio properantes non minus moretur, quam ipsamet calceamenta, quæ pedum quasi vincula sunt, & impedimenta. Sic enim eos magis expeditos atque agiles fuisse, par est credere. Et ita sane censuit Musonius philosophus apud Stob. Serm. I. p. 18. *Ac discalceatum incedere præstantius est quam calceari: propemodum enim dixerim, calceatum esse perinde esse ac colligatum & vinctum esse. Cæterum immunitas calceorum multum facilitatis, & agilitatis præbet pedibus, si exercitati fuerint. Unde tabellarios videre est non uti calceamentis in viis: atque ex athletis cursores non posse servare celeritatem, si opus sit ipsos currere in calceis.* Suet. Vesp. c. 8. n. 8. *Classiarios, qui ab Ostia & Puteolis Romam pedibus per vices commeant, petentes constitui aliquid sibi calcearii nomine; quasi parum esset, sine responsione abegisse, jussit post hæc excalceatos cursitare. Et ex eo ita cursitant.* Balduin. de Calc. c. 21. Byn. de Calc. Hebr. I. 5. §. 4. Sagittar. Nudip. c. 1. §. 8. Laurent. Polym. I. Dissert. 6. Pitisc. in Suetonium. Et incedere non dubitarunt viri etiam maximi, ut Phocio apud Athenienses. Plutarch. c. 6. *Rari, aut militiæ nudus semper, & absque calceis incedebat, nisi frigus vehementissimum, & intolerabile incidisset; ita ut per jocum etiam milites intensum gelu significari amicto Phocione dicerent.* Cato Uticensis apud Romanos. Plutarch. c. 9. *Sæpe nudis pedibus, & sine tunica post prandium in publicum prodiit, non gloriæ venandæ studio, sed assuefaciens se, ne cujus ipsum rei, nisi turpis, puderet.* Bergier. de viis milit. IV. Sect. 11. §. 6. Demster. Paral. ad Ant. Rom. Rosin. V. 36.

EXCEDERE erat verbum arenæ. Et *excedere* dicebatur gladiator, qui vitabat petitionem adversarii. Cicer. Catil. I. 6. *Parva quadam declinatione, &, ut ajunt, corpore excessi tuas petitiones ita conjectas, ut vitari non posse viderentur.* Lips. Saturn. II. 20. Cerda in Virg. Æneid. V. 438. Casal. de Urb. ac Imper. Roman. splend. part. 2. c. 4. Chamillard. in Prudent. contr. Symm. I. 656. Thys. de Gladiat. p. 233.

EXCEPTIO succedit actioni, dicta est quasi quædam exclusio, quæ interponi actioni cujusque rei solet, ad excludendum id, quod ad intentionem condemnationemve deductum est: vel, ut Paull. tit. de except. conditio est, quæ modo eximit reum a damnatione. *Pollet. For. Rom.* I. 12: v. 4. Non omnem actoris intentionem excludebat, ut inficiatio, sed ejus partem. His verbis concipiebatur: *extra quam si*, vel *nisi si*, ut si reus dixisset: *Imo hæreditas mea est, non tua, nisi testamento prodatur, quo tibi relicta appareat*, aut aliquid tale. Cicer. de Inv. Rhet. II. 20. *Lex est: in judicio privato præjudicium ne fiat publico. Cum ad vim quotidianam faciendam quidam armati venissent, armati contra præsto fuerunt: & cuidam equiti armato quidam ex armatis resistenti gladio manum præciderunt. Agit is, cui manus præcisa est, injuriarum. Postulat is, quicum agitur, a prætore exceptionem, extra quam si in eum capitis præjudicium fiat*, id est, non excludit totam actionem injuriarum, sed ex ea tantum parte, si in reum capitis præjudicium fiat. *Sigon. de Judic.* I. 21. *Brisson. de Form.* v. *p.* 402.... Sunt vero *exceptiones* aut temporales & dilatoriæ, quæ fere translationes a Rhetoribus dicuntur: aut perpetuæ & peremptoriæ, qualis est doli mali, rei judicatæ, pacti conventi perpetui, solutionis, & si quid contra leges, senatusve consultum factum esse dicitur. *Pollet. ibid.* v. 4.

EXCEPTORES erant, qui acta judiciorum scribebant in causis appellationum coram præfecto prætorio. Anastas. l. in sacris scriniis 12. §. modum insuper sportularum C. de proxim. sacr. scrin. *Jubemus*, inquit, *pro editione actorum exceptoribus dimidiam solidi partem dari.* Loquitur de scriniariis Palatinis, quos vult *exceptoribus*, qui acta scripserunt, tenues sportulas solvere. Non integris dictionibus solum acta judiciorum coarctabantur, sed ut celerius expedirentur, notis scribebantur. Modestin. l. inter eos §. 1. ex quib. caus. maj. *Eos*, inquit, *qui notis scribunt acta præsidum, Reipublicæ causa non abesse certum est.* Metaphrast. XXVI. Februarii in v. Porphyrio Episcopo: *Cornelius*, ait, *Diaconus sciens notis scribere, quibus utuntur in judicio, notabat omnia, quæ dicebantur, & opponebantur.* Cum vero causa examinabatur, *exceptores* acta, quæ scripserant, præfectis, aut præsidibus recitabant, ut apparet ex actis cujusdam judicii relatis ab Augustin. contr. Cresconium v. 29. *Panciroll. Notit. Dignit. Imp. Orient. c.* 19. *&* 86. *de Magistr. munic. c.* 9. *Buleng. de Imp. Rom.* IV. 20. *Cerda Advers. c.* 186. §. 20. *Guther. de Offic. Dom. Aug.* II. 14: III. 7. *Bud. in Pandect. p.* 105. *C. Laz. Comm. Reip. Rom.* I. 4. *Demster. Paralip. ad Rosin. Antiq. Roman.* VII. 48.

EXCITARI dicebatur in theatro, qui loco sibi non debito surgere jubebatur. Mart. V. 14. 1. V. illum infr. in *Via in spectaculis.* Quintil. III. 6. *Si excitatus fuerit de spectaculis, aget injuriarum.* Suet. Aug. c. 14. n. 2. *Cum spectaculo ludorum gregarium militem in* XIV. *ordinibus sedentem excitari per apparitorem jussisset.* In eodem verbo pulcre lusit Diogenes apud Laert. VI. 48. *Citharœdum quendam, quo cantante omnes discedebant, eumque relinquebant, salutavit, salve galle. Illo quærente, quid ita? quia, inquit, cantans omnes excitas.* Lips. de Amphith. c. 15. Beroald. & Pitisc. in Suetonium. Thys. de Amphith. p. 207.

EXCORRECTOR dicebatur, qui *corrector* esse desierat. *Ursat. de Not. Roman. Thes. Ant. Rom. Græv. Tom.* XI. *p.* 703. *E.*

EXCUBIA una, ut hodieque fit, erat totum νυχθήμερον. Polyb. VI. 33. eundem manipulum de nocte atque interdiu custodiæ prætorii apponit. Clarius idem ostendit in *excubiis* tribunorum; cum enim tres manipulos cuique tribuno assignet, per quos in orbem eat munus hoc præbendi duas *excubias* tam de die, quam de nocte, adjicit non grave esse, quia quarto quoque die ad manipulum redeat. Ergo nox & dies pro una vice habebantur. Præterea velites, quorum est nocturna munimentorum custodia, totum diem ait propter vallum in *excubiis* manere. Livius de castris Punicis: *Ibi quia sub lucem lignatum & pabulatum quidam dilapsi fuerant, neglecta magis omnia & soluta invenere, arma tantum in stationibus posita, milites inermes aut humi sedentes, accubantesque, aut obambulantes ante vallum, portasque.* Apparet, nec *excubias*, nec stationes diurno tempore cessavisse, locum tantum aliquatenus mutatum & rationem. Qui enim nocturnis vigiliis, & stationibus vallum pæne expleverunt, in sequente luce accubuerunt juxta vallum. Qui in portis noctu stationem habuerunt, illi proxima die pro portis inveniebantur. Illud tamen adhuc quærimus: quot tum ex suis (rariores haud dubie) sed quot in statione posuerint, & quoties illæ mutatæ fuerint? At illæ quas singuli manipuli ex suo numero ordinant, vigiliæ videntur esse, nec per diem in statione manere. Minime enim necessaria tum tanta stationum frequentia, per tota castra, & Polybius horum non meminit, nisi in nocturnis custodiis. Vegetius etiam illas, quas de singulis centuriis sumit, ad noctis tempus restringit III. 8. *De singulis centuriis quaterni equites, & quaterni pedites excubitum noctibus faciunt.* Et Hyginus ex quaque centuria, *in singulas vigilias vult ire*, id est, proprie in custodiam noctis. *Schel. in Polyb. Thes. Ant. Rom. Græv. Tom.* X. *p.* 1188. *B.* Equitum custodiam V. etiam supr. in *Equites.* Quatuor *excubiæ* sunt sedecim homines. *Excubia* enim una quatuor homines erant, unde & τετράδιον appellatur, ut apud Lucam Actor. c. 12. n. 4. Ubi Petrus ab Herode in custodiam conjectus τέσσαρσι τετραδίοις στρατιωτῶν servandus datur, hoc est, quatuor *excubiis*, sive sedecim militibus, quot Hyginus ex singulis centuriis quotidie

vult excubare. *Schel. ibid. p.* 1034. *E. Lips. de Milit. Rom.* v. *dial.* 8.

EXCUBIÆ *diurnæ sunt, vigiliæ nocturnæ.* Isidor. IX. 3. Serv. Virg. Æneid. IX. 159. *Laurent. Polym.* IV. *Synops.* 3. Sed hi falluntur. Nam sive originem vocis spectamus, ducitur ab *excubando*, id est, extra papiliones & locum assignatum *cubando.* Illorum hoc proprie est, quorum in statione, aut vigiliis vices nondum advenerunt, aut jam præterierunt: uno enim vigilum vigilante, & sub armis stante, tres reliqui juxta *cubant.* sive usum respicimus, non crebrius pro diurna statione, quam pro vigiliis accipitur. *Schel. in Polyb. Thes. Ant. Rom. Græv. Tom.* x. *p.* 1180. *F.* Unicuique ordini, sive manipulo triariorum, principum, hastatorum a militibus, qui in eo metabantur, & ex suo numero disponebantur, docente Polyb. VI. 33. præstabantur. Reliquæ ab ipso Imperatore ordinabantur, & in tres partes dividebantur, & assignabatur earum I. quæstori, ipsiusque apparatibus. II. duobus legatis, qui in militia secundum ab Imperatore locum tenentes singulis legionibus præerant. III. custodiæ valli, quæ mandabatur velitibus, tota die in *excubiis* ibi manentibus, quod & de nocte intelligendum, quoniam Polybius hic agit de vigiliis, sive *excubiis* nocturnis. *Patric. rer. milit. Rom. part.* x. *sect.* 16. *Excubitores* de loco & tempore stationum sortiri voluerunt veteres, tum æquitatis causa, tum etiam securitatis: æquitatis, quia loca alia aliis periculosiora, nec omnes horæ noctis vigilantibus æque molestæ & graves: securitatis, quia contra proditiones & fraudem hostilem prodest, neminem ante noctem scire, qua hora, & qua parte castrorum vigilias obiturus sit. In castris tamen Romanorum *excubiis*, quæ interiora servabant castra, suus certusque locus fuit assignatus. Ad prætorium semper unus per vices *excubabat* manipulus: ad scamnum tribunorum certæ semper ex illis manipulis, quibus ea sors obvenerat, vigiliæ: singuli præterea manipuli juxta sedem suam singulas ponebant. De solo itaque ordine vigiliarum hi sortem trahere potuerunt, & traxisse probat illud Silii Italici VII. 155.

—— jamque excubias sortitus iniquas,
Tertius abrupta vigil iret ad arma quiete.

At eos, quibus portarum, & exteriorum castrorum tutela committebatur, etiam loca quæ tenerent, & ibi necessarium magis; sorte divisisse ostendunt. Virg. Georg. IV. 165.

Sunt quibus ad portam cecidit custodia sorti.

Val. F[illegible]

Jamque [illegible] nec [illegible] ducem, nec pone moratur
Excubias sortita manus.

Stationes igitur externa castra tenentes, de loco, & tempore vigiliarum; *excubiæ* vero, utique interiores, de ordine tantum sortem trahebant. Quibus autem prima *excubia* sorti cecidisset, ii ab optione suo, priusquam *excubitum* irent, ad tribunum deducebantur, accipiebantque tesseram, id est, exiguas tabellas pro *excubitoribus* omnibus, notis diversis insignitas. *Schel. ibid. p.* 1186. *B. Maurit. de Sortit. c.* 31. §. 3. *Lips. de Milit. Roman.* v. 8. *Thys. Rom. Illustr.* v. *p.* 124. Alii igitur primas, alii secundas, alii tertias, alii quartas *excubias*, ordine ita exigente, agebant. Polyb. l. l. *E singulis quaternionibus eorum qui ad custodias sunt destinati, ille qui primus in statione est futurus, ad tribunum vespere deducitur ab agminis coactore cujusque signi. Tribunus omnibus his pro singulis excubiis parvulas e ligno tessellas tradit oppido exiguas, quæ nota quadam sunt insignitæ.* Patric. ibid. sect. 17. Initium buccina indicabat, uti hodie in castris tympanum, & in castellis sonus campanæ. Cura illud dandi incumbebat primo centurioni triariorum, sive primipilo primi ordinis. Polybius. *Patric. ibid. Sect.* 20. *Schel. ibid. p.* 1187. *A.*

Excubiæ Latinis nonnunquam diligentem custodiam quamlibet denotant. Claud. de Bell. Gild. n. 296.

—— vix hæc amentia nostris
Excubiis, nedum puero rectore, quiesset.

Illis etiam muniebantur Regum thalami. Virg. Cir. n. 210.

Jamque adeo dulci devinctus lumina somno
Nisus erat: vigilumque procul custodia primis
Excubias foribus studio jactabat inani.

Unde ductum in virgineis quoque cubiculis ancillas quoque peculiares collocatas, quæ rosam illam custodirent, quæ semel tantum carpitur. Mart. Capell. II. *Quam cum prædicta disponentem rimatim ab ostio speculabunda cognosceret, aliam ejus ancillam cui Agryphia vocabulum est, atque intra cubiculum præbebat excubias, adorta est increpare.* Barth. Adv. XXI. 15.

EXCUBITORES servos, qui nocturnas ad limen habebant custodias, præter janitores habebant potentiores. Isidor. IX. 3. *Excubitores dicuntur, pro eo, quod excubias semper agunt. Sunt enim ex numero militum, & in porticibus excubant propter regalem custodiam.* Quintil. Decl. I. *Dicitur cæcus sine rectore, sine duce, per inane longum, per tot offensa limina, per excubantes servulos errasse cum ferro: cubiculum deinde patris intrasse.* Cohortes habebant in vestibulo palatii ad majorem sui securitatem Imperatores Romani. Suet. Ner. c. 8. n. 1. *Septemdecim natus annos, ut de Claudio palam factum est, inter horam sextam septimamque processit ad excubitores.* Oth. c. 6. n. 1. *Obstitit respectus cohortis, quæ tunc excubabat.* Coripp. I.

Excubiæ primum quæ summa palatia servant,
Imperium felix Dominis intrantibus optant,
Et cunctos aditus armato milite vallant.

Illas, si quando foris cœnarent, in aliena domo suum officium facturas, habebant comites. Suet. Oth. c. 4. n. 3. *Quoties cœna Principem acciperet, aureos excubanti cohorti viritim dividere.* Et illis qui præerat, vocabatur tribunus *excubitor.* Suet. Claud. c. 42. n. 6. *Excubitori tribuno signum de more poscenti non temere aliud dedit.* . . . Ner. c. 9. n. 4. *Primo imperii die signum excubanti tribuno dedit.* Sagittar. de Jan. Vet. c. 17. §. 1--4. Buleng. de Imper. Roman. III. 36.

EXCULCATORES videntur dicti a jaculis *exculcandis*, id est, emittendis. Nam *exculcare* ita significat ἐκβάλλειν. Ut inculcare est ἐμβάλλειν. Nisi si forte potius ab excurrendo sic appellatos placeat. Nam & *proculcatores* Ammian. XXVII. 10. dixit, qui sunt procursatores. Nempe a *calcare*, quod est iter terere ac facere. Græci recentiores τακτικῶν scriptores σκούλκας & σκουλκάτωρας appellant, & pro exploratoribus eam vocem usurpant. Quod inde est, quia levibus militibus ad explorandum utebantur, & ad hoc sæpe præmitti & præcurrere solebant, ut constat ex Joseph. Ἁλωσ. III. 8. Inde verbum σκουλκεύειν pro explorare. Pro excubitoribus etiam hos *exculcatores*, sive *sculcatores* posuere, quia munus hoc etiam fuit velitum, excubias ante castra agere circa vallum, ut apud Polybium legimus. *Salmas. de Re milit. Roman. c.* 9. *Vales. in Ammianum.* Ab *exculcandis* glandibus dictos puto; fuerunt enim, qui missilia, & lapides, & glandes exculcabant & ejiciebant. *Turneb. Adv.* XXVIII. 12. Quod falsum. Non enim funditores erant, sed jaculatores. Rarius quippe funditorum, vel sagittariorum opera utebantur ad explorandum & excubandum pro castris, frequentius jaculatorum, ut olim velitum, quos jaculatores fuisse constat. A funditoribus & sagittariis etiam distinguit Veget. II. 17. *Ferentarii autem, armaturæ, exculcatores, sagittarii, funditores, hoc est, levis armaturæ, adversarios provocabant ante aciem procedentes.* Erant itaque levis armaturæ pedites, & jaculatores. Hos enim *exculcatores* sua ætate dictos scribit Veget. II. 15. *Post hos erant ferentarii, & levis armatura, quos nunc exculcatores, & armaturas dicimus.* Salmas. l. l. Panciroll. Notit. Dignit. Imp. occid. c. 21.

EXE.

EXEDRA invenitur apud Ulpian. l. 33. ad edictum l. si vero plures §. interdum ff. de his qui dejec. vel effud. ubi ita scribitur. *Interdum tamen, quo sine captione actoris fiat, oportebit prætorem æquitate motum potius dare actionem in eum, ex cujus cubiculo, vel exedra dejectum est: licet plures*

in eodem cubiculo habitent. Homo quisquam insigniter impudens, (est ille Accursius) asserit *exedram* fuisse genus fenestræ, qualem in nostris ædibus hodie conspicimus. Ego animadverto, cubiculum designari columnis fultum, & epistyliis pluribus, excisis spatiis, quibus prospectus in viam erat, aliquando sub dio, aliquando sub tecto. *Alex. Gen. Dier.* v. 11. Erat potius locus amplus, & ad considendum aptus. Græca enim origine a sessione dictam patet. Vitruv. v. 11. illam describit: *Constituuntur autem in tribus porticibus exedræ spatiosæ, habentes sedes, in quibus philosophi, rhetores, reliquique qui studiis delectantur, sedentes disputare possint.* Cicer. de Fin. v. 2. *Hoc autem tempore etsi multa in omni parte Athenarum sunt in ipsis locis indicia summorum virorum: tamen illa moveor exedra: modo enim fuit Carneades, quem videre videor. Est enim nota imago, a sedeque ipsa tanta ingenii magnitudine orbata desiderari illam vocem puto.* Bud. in Pandect. p. 119. H. Struv. Ant. Roman. c. 11. p. 518. Ursat. de Not. Rom. Thes. Ant. Rom. Græv. Tom. xi. p. 909. B. Chimentell. de Hon. bisell. c. 23. Panvin. de Lud. Circens. ii. 1. & ad illum Argolus. Tiraquell. in Alexandrum. Laurent. Polym. iv. Synops. 9. Baccius de Therm. Vet. c. 6. Neocor. Mus. Alexandr. Thes. Antiq. Græcar. Gronov. Tom. viii. p. 2774. B. Domus nostræ non habent *exedras*. Si tamen locus quispiam seligeretur amœnus, pulcer, isque cathedris ornaretur, & in eo ad colloquendum confabulandumque pomeridianis horis amici convenirent, quis negaret appellari debere, & esse *exedram*. Quasdam autem, vernas forte & æstivas, apertas fuisse docemur testimonio Vitruv. vii. 9. *Apertis vero locis, id est, peristylus, aut exedris, aut cæteris ejusmodi locis, quo sol & luna possit splendores & radios demittere, denigratur.* Bald. Lex. Vitruv.

EXERCENTIBUS se in campo, qui exercitationi militum erat deputatus, sagittariis, funditoribus, ac reliquis militibus, si aliquem intempestive transeuntem læderent, actio legis Aquiliæ denegabatur: at contra qui data opera in eum jaculabatur. Aquilia tenebatur. Auctor est Ulpian. lib. 18. ad edictum hodie, l. 9. ff. ad legem Aquiliam. Idem sanxit Justinian. Instit. ad legem Aquiliam §. Injuria autem: *Itaque si quis dum jaculis ludit, vel exercitatur, transeuntem servum tuum trajecerit, distinguitur. Nam si id a milite in eo campo, ubi solitum est exercitari, admissum est, nulla culpa ejus intelligitur: si alius tale quid admiserit, culpæ reus est. Idem juris est de milite, si in alio loco, quam qui ad exercitandum militibus destinatus est, id admiserit.* Stewech. in Veget. ii. 23.

EXERCITATIONE & labore militari bellicam virtutem, ne otio miles languesceret, aluerunt Romani: & milites in pace, umbratili certamine ad belli labores, veraque pericula duraverunt. Senec. Epist. 18. *Miles in media pace decurrit sine ullo hoste, vallum jacit, & supervacuo labore lassatur, ut sufficere necessario possit.* Itaque militares copiæ non ab armis, robore, præliisve, sed ab una *exercitatione* nomen invenerunt, ut Varr. de Ling. Lat. iv. 16. & Cicer. Tusc. Quæst. ii. 16. tradiderunt. Simul enim adolescentes laboris patientes erant, id est, simul atque virilem togam sumpsissent, in campum Martium deducebantur, ibique ad omnem belli disciplinam *exercebantur*. Tantique *exercitationem* veteres fecerunt, ut in ea una posita esse omnia arbitrarentur. Hinc illa Cicer. l. l. *Quid exercitatio legionum? quid? ille cursus, concursus, clamor, quanti laboris est? ex hoc ille animus in præliis paratus ad vulnera: adduc pari animo inexercitatum militem, mulier videbitur. Cur? tantum interest inter novum, & veterem exercitum, quantum experti sumus. Ætas tyronum plerumque melior: sed ferre laborem, contemnere vulnus consuetudo docet.* Valtrin. de Re milit. Roman. i. 4. Hac miles victoriam meditatur, tantoque ideo promptius assequetur, quanto diligentius meditatus fuerit. Sic castris positis perpetuo paratus & promptus erit ad dimicandum. Virg. Georg. iii. 346.

Non secus ac patriis acer Romanus in armis
Injusto sub fasce viam dum carpit, & hostem
Ante exspectatum positis stat in agmine castris.

Ramus de Milit. Jul. Cæs. Thes. Ant. Rom. Græv. Tom. x. p. 1563. B. Et hac fiet, ut nihil magis optet, quam prælium, nihil seditionis moveat. Hujus negligentia aliquando maximam totius exercitus perturbationem evitare non potuit, de qua Cæs. de Bell. Gall. i. 39. *Ramus ibid.* p. 1561. *D. Stewech. in Veget.* i. 19.

EXERCITOR navis est, *ad quem obventiones, & reditus omnes perveniunt: sive is dominus navis sit, sive a domino navem per aversionem conduxit, vel ad tempus, vel in perpetuum.* Ulpian. §. Exercitorem ff. de *exercitoria* actione. *Sigon. de Judic.* i. 17. *Brisson. de Form.* vi. p. 541. *Laz. Comm. Reip. Rom.* iv. 1.

Exercitor dicitur etiam gymnasta, sive magister athletarum. Plaut. Trin. iv. 3. 8.

— *huic, quisquis est,*
Gurgulio est exercitor: is hunc hominem cursuram docet.

Hoc enim ab athletis est desumptum. Quia in brevitate illa proscenii currebat servulus & recurrebat, sed lento & mimico cursu: senex ludit, &, hunc hominem, inquit, tardus aliquis gurgulio ad cursum exercuit: ita currit, nec procurrit. Eadem allusione ibid. ii. 1. 3.

Magister mihi exercitor animus hic est.

Lips. Epist. i. 15. Douza ad Plautum. Goldast. Epist. Philol. 73.

EXERCITUS appellabatur justa militum manus, sive incesserit, sive castris locatis vallum circumductum habuerit, sive præsidio loci posito pro mœnibus excubuerit, sive denique acie constructa ad prælium ductus sit. Erant in illo non solum varia genera militum ducumque; verum etiam non unum genus militiæ semper inerat, potissimum vero ex peditatu & equitatu consistebat: ac sicubi opus erat, & locus admittebat, classem conjunctam habebat. Habebat acies, ordines, principia, & globos militares, in quibus ordine certo milites consistebant. *Laz. Comm. Reip. Rom.* iv. 2. lustrabatur. V. infr. in *Lustratio.* sub pellibus habebatur. V. infr. in *Pellis.* *Exercitum* imperandi jus non erat pontificibus. Gell. xv. 17. *Centuriata comitia intra pomœrium fieri nefas esse; quia exercitum extra urbem imperari oporteat; intra Urbem imperari jus non sit: propterea centuriata comitia in campo Martio haberi, exercitumque imperari præsidii causa solitum: quoniam populus esset in suffragiis ferendis occupatus.* Qui non dicit, ab eo, qui comitia habebat, imperari *exercitum* oportuisse; sed hoc tantum, *imperari exercitum præsidii causa solitum, quoniam populus esset in suffragiis ferendis occupatus.* Potuit ergo præsidii causa imperari *exercitus* aut a consulibus, aut a prætoribus, aut a tribunis militum, atque interim a pontificibus comitia haberi. *Gruch. de Comit. Roman.* i. 3. Quasi vero pontifex solum haberet comitia sacerdotii causa, & consul iisdem comitiis *exercitum* præsidii causa imperaret. Ego adduci non possum, ut credam, eadem comitia quasi ex parte dimidia, hoc est, partim a consule, partim a pontifice maximo inita fuisse. Gellius loquitur de pontifice maximo, qui centuriatis Regis sacrorum comitiis præerat? quid hoc ad consulem? Bellum nonnisi centuriatis comitiis indicebatur. Centuriata comitia magistratuum, legum, & judiciorum, in trinundinum promulgabantur: at Regis sacrorum nullo interjecto temporis spatio per cornicinem calabantur. Tum si vis repentina hostium ingruisset, in rebus trepidis pontifex *exercitum* imperabat, hoc est, populum rogabat, ut vellet juberet arma præsidii causa capi. Rationem Gellius hanc reddit: *quia populus esset in suffragiis ferendis occupatus.* q. d. bellum omnium ordinum consensu potuisse apparari, cum de re alia populus rogaretur non exspectato trinundino ob præsentem hostium metum. *Guther. de vet. jur. pont.* i. 14. De Rege sacrorum nihil tale invenio. Et puto Interregem cum Rege sacrorum ab eo confundi. De comitiis pontificum centuriatis Gellium loqui apparet falsum esse, & verba sunt accipienda in genere de comitiis centuriatis. Falsum quoque est, quod de pontificis jure fingit in rebus trepidis. Nec imperare *exercitum* est rogare, an vellent juberent Quirites arma præsidii causa capi, &

bellum

bellum indicere: ſed *mittere accenſum circum muros, ut vocet inlicium Quirites*, ut loquitur Varr. de Ling. Lat. v. §. 9. hoc eſt, populum Romanum convocet ad comitia centuriata. Eſt ergo convocare populum diſpoſitum per centurias, & ſub ſignis partem in campum Martium ducere ad ſuffragia ferenda, partem præſidii cauſa locare in Janiculo. Dicitur autem populus urbanus *exercitus* ea de cauſa, quod diſtributio populi in centurias, ſecus ac in curias, ſeu tribus, proprie ſpectet rem militarem, ut cuique centuriarum claſſi certa arma per Servium Tullium auctorem centuriarum aſſignata erant. Dein non quidem omnes centuriæ, ſed tamen bona pars cum armis in arce, dum cæteri ſuffragia inirent, excubarent. De qua parte enuntiatam poſtea quaſi κατ' ἐξοχὴν hanc phraſin apparet ex loco Gellii. Ideo centuriata comitia appellat militaria Arnobius. Hunc pontifex comitiorum ergo potuit im-[illegible]re, quia qui centuriata habuit comitia, quæ pontifex Regis ſacrorum cauſa habere potuit, eidem etiam jus [illegible] [illegible]rum imperandi. *Gronov. Obſerv.* I. I. *Boſ. de Pont. max. c.* 5. §. 5. *Oizel. in Gellium.*

EXERTI dicebantur, qui habebant humerum & brachium dextrum nudatum. V. illos ſupr. in *Cincti.*

EXH.

EXHÆREDARE filium nominatim, vel *heredem* inſtituere neceſſe olim fuit ei, qui filium in poteſtate habebat: filias vero, aut nepotes, ac reliquos liberos per virilem ſexum deſcendentes licebat inter cæteros *exhæredare*: vel ſi ſilentio fuiſſent præteriti, jus accreſcendi eis ad certam portionem præſtabatur. Qua de re etſi Juſtinian. l. maximum vitium. §. ſcimus C. de li. præ. ſcribat filiam præteritam ad ſemiſſem olim ex jure accreſcendi fuiſſe vocatam; tamen ut Theophilus ſcribit, & Cajus Inſtit. II. & Paull. Sent. III. notant, ſi *hæredes* ſcripti ſui *hæredes* ſint, ut puta filiæ fratres, in eam partem vocabitur, quam eſſet ab inteſtato habitura. Sin autem extranei *hæredes* ſint, ipſa ſemiſſem conſequebatur. De nepotibus nihil Cajus & Paullus ſcribunt, propterea quod hi lege Vellea ne rumpant, ſi ſui *hæredes* ſunt, inſtituendi, aut *exhæredandi* ſunt nominatim. De poſtumis quid ſtatuendum ſit, V. infr. in *Poſtumus.* Auguſtin. de Legib. in Junia Vellea. Briſſon. de Form. VII. p. 604. Siccam. de Centumv. judic. II. 5. Illis nullum remedium vel civili, vel prætorio jure relictum erat, quo ad bona inhumani patris teſtamento ejus ſollenniter facto, & ſubſiſtente pervenirent, deque ea re tandem maximæ querelæ ad populum ferrentur, populus Romanus, ad quem ſumma erat provocatio, per centumviros, qui erant legitimus P. R. conventus extra ordinem juſſit ſubvenire, *non enim erat conſentiendum parentibus, qui injuriam adverſus liberos ſuos teſtamento inducunt* l. 4. ff. de inoff. teſtam. Cujus æquitatem conſiderantes conſules, prætores, atque ipſi principes, adeo ſuis legibus, edictis, & decretis confirmarunt hanc querelam, ut tandem in ordinariam juriſdictionem abierit. *Siccam. l. l.*

EXHÆREDATIO liberorum non ſine magna fiebat cauſa. Cicer. pro Sext. Roſc. c. 19. *Exhæredare pater filium cogitabat. Mitto quærere, qua de cauſa: quæro, qui ſcias: tametſi te dicere, atque enumerare cauſas omnes oportebat. Et id erat certi accuſatoris officium, qui tanti ſceleris argueret, explicare omnia vitia, atque peccata filii, quibus incenſus parens potuerit animum inducere, ut naturam ipſam vinceret, ut amorem illum penitus inſitum ejiceret ex animo, ut denique patrem eſſe ſeſe oblivîſceretur: quæ ſine magnis hujuſce peccatis accidere potuiſſe non arbitror.* Senec. de Clem. I. 14. *Numquid aliquis ſanus filium a prima offenſa exhæredat? niſi magnæ & multæ injuriæ patientiam evicerint, niſi plus eſt quod timet, quam quod damnat, non accedit ad decretorium ſtylum. Multa ante tentat, quibus dubiam indolem, & pejore loco jam poſitam revocet: ſimul deplorata eſt, ultima experitur.* Briſſon. de Form. VII. p. 606.

EXI.

EXIRE in re gladiatoria erat verbum vitandi, & cavendi. Dicebatur enim gladiator adverſarii petitiones *exire*. Manil. v. 163.

Ille cito motu rigidos eludere cæſtus;
Nunc exire levis miſſas, nunc mittere palmas.

Eo alludunt Virg. Æneid. v. 138.

Corpore tela modo, atque oculis vigilantibus exit.

Lucret. v. 1329.

Nam tranſverſa feros exibant dentis adactus
Jumenta.

Lipſ. Saturn. II. 20. Cerda in Virgilium. Fayus in Lucretium. Caſal. de Urb. ac Imper. Roman. ſplend. part. 2. c. 4. Chamillard. in Prudent. contr. Symmach. I. 656. Thyſ. de Gladiator. p. 233.

Exire dicebantur, quorum nomina ſortibus inſcripta, & in urnam demiſſa, inde extrahebantur. V. infr. in *Sortes convivales.*

EXO.

EXODIA dicebantur modi tibicinum, quibus receptui canebatur. Suidas: Ἐξόδιοι νόμοι, *tibiarum modi ac ſoni, ad quos chori & tibicines exibant.* In Atellanis vocabantur diverbia, quod tragœdis ſcena egreſſis ad recreandum ſpectatorem e priſtina modeſtia ſubjiciebantur. Juven. Sat. VI. 7.

Urbicus exodio riſum movet Atellanæ.

Scholiaſt. Juven. Sat. III. 175. *Exodiarius apud veteres in fine ludorum intrabat, quod ridiculus foret; ut quicquid lacrymarum, atque triſtitiæ coegiſſent ex tragicis affectibus, hujus ſpectandi riſus detergeret.* Liv. VII. 2. *Poſtquam lege hac fabularum ab riſu, ac ſoluto joco res avocabatur, & ludus in artem paullatim averterat, juventus hiſtrionibus fabellarum actu relicto, ipſa inter ſe more antiquo ridicula intexta verſibus jactare cœpit, quæ inde exodia poſtea appellata, conſertaque fabellis potiſſimum Atellanis ſunt: quod genus ludorum ab Oſcis acceptum tenuit juventus.* Turneb. Adv. III. 17: X. 27: XIV. 17. Buleng. de Theatr. I. 9. Scal. Poet. I. 10. Caſaub. de Roman. Satyr. II. I. Valeſ. in Ammian. XXVIII. 4. Blond. Triumph. Rom. II. p. 47. B. Pitiſc. in Suet. Tib. c. 45. n. 2. Turrig. ad Urſi Tog. inſcr. Theſ. Ant. Rom. Græv. Tom. XII. p. 403. B. Demſter. Paral. Ant. Rom. Roſin. v. 9. *Exodia* dicebantur dicteria, ſi erant in fine fabulæ, ut ἐισόδια, ſi ante fabulam, & ἔμβολα, ſi in media fabula interponerentur. Firmic. VI. 31. exitus fabularum vocat: *Cum effeminati corporis mollitie cinædos efficient, & qui veterum fabularum exitus in ſcenis ſæpe ſaltantes imitentur.* Scalig. in Manil. p. 360. Horum nihil verum eſſe poteſt. Nam *exodia* Atellanarum alia ratione dicta, nec in fine fabularum introducebantur, & res erat prorſus a fabula ſeparata: & fallitur ille vetus ſcholiaſtes, qui *exodiarios in fine ludorum intraſſe* ſcripſit: Cum illa ſcriberet, reſpiciebat ad nominis rationem; nam *exodium* eſt finis, vel exitus. Non minus errat, dum apud Firmicum *exitus fabularum* pro *exodiis*, quæ in fine fabularum ponerentur, accipit. Quis enim non videt Firmicum de pantomimis loqui, qui veteres hiſtorias ſaltando exprimebant? nam *exitus fabularum* pro fabulis poſuit Firmicus, ac de mimis qui pote accipi? Recte autem pantomimos, & hiſtriones, fabularumque veterum ſaltatores cum cinædis effeminati corporis junxit: nam illi ipſi ſaltatores effeminato, fluxoque erant corpore, & magnam partem cinædi. Tertull. Apolog. c. 15. de pantomimis. *Quid quod imago dei veſtri ignominioſiſſimum caput, & famoſum veſtit? quod corpus impurum & ad illam artem effeminatione productum Minervam aliquam, vel Herculem repræſentat?* de Spectac. c. 23. *Quid de pantomimo, qui etiam muliebribus curatur?* Hinc ſpectari licet, quam bene cinædos & pantomimos ſimul poſuerit Firmicus, & eandem illis conſtellationem aſſignaverit.

verit. De mimis res alia est. *Salmaſ. in Vopiſc. Aurelian. c.42. Voſſ. de Inſtit. Poet. II.35. §. 2. & ex Salmaſio Cren. in Caſaubonum.*

EXOMIS erat vestis stricta, & angusta, ex qua humeri exerebantur; sive nudi conspiciebantur. Partim fuit tunica, partim pallium. Hesychius: *Exomis tunica pariter & pallium. Utriusque enim usum præbebat: & tunica quidem, quod cingeretur: pallium autem, quod altera pars injiceretur, sive circumponeretur. Quare & Comici de exodio aliquando dicunt quod indueretur, aliquando quod superinduer etur.* Quod non aliter intelligi potest, quam quod alam quandam, sive manicam latiorem haberet, quæ more pallii injici, ac circumponi posset. Talis enim *exomis*. Pollux VII. 13. *Exomis, tunica unicam manicam habens.* Hesychius: *Tunica servorum atque operariorum, quæ alteram tantum alam adsutam habet.* Tunica quin fuerit, dubitari non potest, quia corpus, non secus ac vulgaris, totum complectitur. Sed ab illa distinguitur, quod prorsus manicis carebat, ut etiam humeros renudaret, quales antiquissimorum Romanorum tunicas describit Gell. VII. 12. *Viri Romani primo quidem sine tunicis toga sola amicti fuerunt: postea substrictas & breves tunicas citra humerum desinentes habebant, quod genus Græci dicunt ἐξωμίδας. Cuper. Apoth. Homer. p. 150. Ferrar. de Re vest. I. 3. 8: II. 4. 22. Gyrald. de Poet. histor. dial. VI. p. 336. E. Faber Semest.* I. 15. Fuit servorum, non tamen solorum. Apud Aristophanem enim Lysistr. p. 879. cives senes ajunt:

Sed exomidem exuamus, ut virum decet.

Et Ælian. Var. Hist. IX. 34. *Diogenes cum venisset Olympiam, & Rhodios quosdam adolescentes videret pretiosis vestibus amictos inquit, hic est fastus. Deinde cum incidisset in Lacedæmonios in vili ac sordida exomide. Hic, inquit, alius est fastus.* Quare Suidas interpretatur *tunicam ingenuorum, quæ brachia non tegeret, esset tamen vile indumentum.* Et Gellius ab antiquissimo tempore a Romanis gestatas modo dixit. Porro comicum vestimentum fuit, Festus: *Exomides sunt comici vestitus exertis humeris.* Pollux IV. 18. *Vestis præterea comica, exomis, tunica alba, non insignita, sutura carens a lævo latere.* Scilicet servorum. Postquam ea vestis in desuetudinem abiit, antiquus servorum habitus in scena retentus est. *Ferrar. ibid.* II. 4. 22.

EXOPRASIA fuit tributum pro iis rebus, quæ exportarentur, & foris venderentur. *Buleng. de Vectig. c.* 88.

EXOSTRA erat sedes sublicis elata, strata longuriis, super quibus sella. Destinabatur locus is ad ea recitanda, quæ secreto parata essent in ædibus, qualia in Oedipode Sophoclis, Plauti Amphitruone, Casina, & aliis. *Scalig. Poet.* I. 21. *Stewech. in Veget.* IV. 21. Cicer. de Prov. Cons. c. 6. *Itaque ille alter quibuscum jam in exostra helluatur, antea post siparium solebat.* Eadem dicebatur ἐγκύκλημα. *Turneb. Adv.* XX. 21.

Exostra erat etiam machina militaris oppugnatoria. Veget. IV. 21. *Exostra dicitur pons, qui de turri in murum repente protruditur.* Turneb. Adv. XX. 21. Stewech. in Vegetium.

EXP.

EXPEDITI absolute dicuntur levis armaturæ milites. Liv. XXII. 16. *Successit tamen Pœnus cum expeditis equitibusque.* Et c. 21. *Adversus eos tribus millibus cum expeditis auxiliis a Scipione missis*, id est, bevium armorum auxiliis. Fuit hoc proprium nomen velitum, ac levis armaturæ. Festus in v. Advelitatio: *Velites dicuntur expediti milites.* Salmas. de Re milit. Roman. c. 17. Schel. in Hygin. Thes. Ant. Rom. Græv. Tom. X. p. 1053. F.

EXPEDITIONIS dies ut publico edicto indicaretur, mos fuit sub Principibus Romanis. De Alexandro Severo hæc Lamprid. c. 45. *Itinerum dies publice proponebantur, ita ut edictum penderet ante menses duos, in quo scriptum esset: Illa die, illa hora ab urbe sum exiturus, & si dii voluerint, in prima mansione mansurus: per ordinem mansiones, deinde stativæ, deinde ubi annona esset accipienda: & quidem eo usque quamdiu ad fines barbaricos veniretur.* Stewech. in Veget. I. 6.

EXPENSA in rationibus dicuntur, quia Romani olim *appendere*, seu ponderare pecuniam magis solebant, quam numerare. *Putean. Reliq. conviv. prisc. Thes. Antiq. Roman. Græv. Tom.* XII. p. 256. *F.* De illis ante, quam bellum inchoetur, cogitandum est. Veget. III. 3. *Ante igitur quam inchoetur bellum, de copiis expensisque solers debet esse tractatus, ut pabula, frumentum, cæteræque annonariæ species, quas a provincialibus consuetudo deposcit, maturius exigantur. Quod si tributa deficiunt, prorogato auro comparanda sunt omnia.* Frustra enim disciplinam militarem suis proponat; verbera, crucem frustra minitetur, cui non suppetat, unde stipendia militibus, aut annonam solvat. Nam, ut censuit Rex Ostrogothorum Theodoricus apud Cassiod. Var. IV. 13. *disciplinam non potest servare jejunus exercitus, dum quod deest, semper præsumat armatus. Necessitas moderamen non diligit: nec potest imperari multis, quod nequeunt custodire paucissimi.* Stewech. in Vegetium.

EXPENSILATIO dicebatur, quia creditor in tabulis suis scribebat nomen debitoris, cui *expensam* crediti summam ferebat, quam dedisset mutuam. Ascon. in Cicer. p. 97. *Expensum ferre est scribere, te pecuniam dedisse.* Qui pecuniam, quam mutuo dabant, domo numerabant, & ex arca sua, nomen illius, cui eam dederant, in tabulis suis perscribebant, & summam debiti. Gell. XIV. 2. *Is clamitabat probari apud me debere pecuniam datam consuetis modis, expensilatione. . . . .* Salmas. de Mod. usur. c. 11. Ouzel. in Gellium.

EXPIATIO multum differt a propitiatione manium; quamvis ἱλάσκεσθαι *expiare* significet, & propitiare, atque ἵλεως propitius dicatur. Propitiamus vel leviter iratos, aut offensos deos. Plauti amantes in Pœn. I. 2. 120.

AG. *Quo te agis?* AD. *egone? in Veneris.* AG. *quid eo? ut Venerem propitiem.*
AG. *Ehon' irata est? propitia hercle est, vel ego pro illa spondeo.*

At *expiatio* crimen obtinet, a qua *piacula* sunt sacra, quibus fraus, scelus, aut cædes purgarentur. Serv. Æneid. IV. 636: VI. 153. Sed quoniam *expiatio* omnis ad propitiationem refertur, utraque eodem plerumque verbo denotatur. Sic *busta piare* pro manes propitiare, placare dixit Prop. IV. 7. 34. *Guther. de Jur. man.* II. 14. *Struv. Ant. Rom. c.* 4. *p.* 205. *Stuck. de Sacrif. p.* 225. In *expiationibus*, & devotionibus spargebantur sive lauri, sive olivæ ramo, θαλλῷ. Atticis peculiariter, uti vocatur Theocr. Eidyll. XXIV. 96. Hoc vocabulum est Latio datum apud Virg. Cir. n. 376.

Pergit Amyclæo spargens altaria thallo
Regis Iolchiacis animum defigere votis.

Et *thalli* vocem non aliter accipio apud Apul. Met. XI. p. 381. *Exin gaudio delibuti populares, thallos, verbenas, corollas ferentes.* Virg. Æneid VI. 229.

Idem ter socios pura circumtulit unda
Spargens rore levi, & ramo felicis olivæ.

Ovid. Fast. V. 677.

Uda fit hinc laurus, lauro sparguntur ab uda
Omnia quæ dominos sunt habitura novos.
Spargit & ipse suos lauro rorante capillos.

Et sulphur adolebatur. V. infr. in *Sulphur.* Kipping. Antiq. Roman. I. 11. §. 19. Voss. Lex. Etymol. Scalig. in Cirin. Cerda in Virgilium.

EXPILATOREM inter & furem est differentia: nam *expilator* est fur atrocior, & improbior: idem etiam dicitur esse raptor. Sed & hic nonnihil ab *expilatore* distat; nam *expilatores* specialiter dicuntur, qui obvium quemque noctu corripiunt, & vestimento exuunt, ut habet l. aut facta de pœn. quo loco *expilationes* discernuntur a furtis, & atrociores esse dicuntur, quia nocturni sunt fures. *Cujac. Observ.* XV. 31.

EXPLICIT completo libro veteres ſolebant ſubjicere, ſignificare volentes perventum eſſe ad finem voluminis, quod plane *explicatum* eſſet, & evolutum. Hieron. Epiſt. ad Marcellam. V. illum infr. in *Feliciter*. Baluz. in Salvian. de Gubern. Dei I. p. 25.

EXPLODERE, Græcis πλεγροκοπεῖν, dicitur a pedum *ſupploſione*, quia, cum olim ligneum eſſet theatrum, calcibus pluteos tundebant. *Scalig Poet.* I. 21. *Laurent. Polym.* II. *Diſſert.* 12.

EXPLORATORES ſunt milites in exercitu, qui conſilia, & actiones hoſtium inveſtigant. Herodian. VIII. I. *Speculatores atque exploratores exercitus narrant Maximino vacua relicta in urbe, aufugiſſe omnes incolas.* c. 3. *Nuntiant exploratores maximam Italiæ urbem Aquilejam portas occluſiſſe.* Hi publice nutriebantur. Procop. de Bell. Perſico. I. *Exploratores antiquitus, tam apud Romanos, quam apud Perſas, lex eſt publice ali, qui clam adverſus hoſtes ire conſueverunt, ut illorum facta diligenter veſtigata ducibus renuntient.* Panciroll. Notit. Dignit. Imp. Orient. c. 154. occid. c. 87. Ab adverſariis venientes capitis pœnam ſubeunt. Menand. l. omne ff. de re milit. *Exploratores, qui ſecreta nuntiaverunt hoſtibus, proditores ſunt, & capitis pœnas luunt.* Appian. Punic. p. 21. *Ille caſtra ſua movit, ter remiſſis in Romana exploratoribus: hos comprehenſos Scipio, præter caſtrenſem morem, non interfecit: ſed juſſos circumire, ut armamentaria, machinasque, & decurrentem exercitum inſpicerent, dimiſit incolumes ad Hannibalem, ut eum edocerent de ſingulis.* Stewech. in Veget. III. 5.

EXPOSITIO infantum omnium fere gentium fuit, ſed & Græcorum plerorumque, exceptis Thebanis, apud quos lege vetitum infantes *exponere*. Lacedæmonii diſciplina cæteris rigidiores ab hac *exponendi* conſuetudine non abhorruerunt. Nam maximi natu tribules, id eſt, qui ejusdem erant tribus, allatum ad ſe infantem vel probabant, ſi tollendus videretur: vel improbabant, ſi *exponendus*. Crag. de Republ. Lacedæm. III. 2. Noodt Jul. Paull. c. I. Stephan. de vet. Græcor. juriſd. c. 13. A Græcis ad Romanos tranſiit. Illi, ſtatim atque natum in lucem edidiſſet puerpera, humi ponebant; & quem alere voluiſſent, de terra tollebant; quem alere noluiſſent, tanquam ſuppoſititium extra ædes *exponendum* curabant, aut in ripam, aut ad littus, in vaſculo de papyro facto & bitumine illito, vel cantharo. *Laurent. de Natal. & Conviv.* c. 2. *Polym.* II. *Diſſert.* 36. *Demſter. ad Roſin. Antiq. Roman.* I. I. *Ouzel. Minuc. Felic.* p. 306. *Noodt ibid.* c. 2. & 5. Inſtrumentum, quo Moſes *expoſitus*, navigioli formam expreſſiſſe videtur. *Fiſcella ſcirpea* nominatur Exod. c. 2. n. 3. in vulgatis Bibliis. Joſephus & Clemens ſcirpos interpretantur, cum ex papyro vas conſtructum dicant, quia iis in locis abundat. Unde etiam vulgatus legit Eſaj. c. 18. n. 2. *Qui mittit in mare legatis, & in vaſis papyri ſuper aquas.* Hocque genus navigiolorum Nilo familiare meminit Lucan. IV. 135.

— ſic cum tenet omnia Nilus,
Conſeritur bibula Memphitis cymba papyro.

Barthol. de puerp. vet. p. 85. Cantharo exponi ſolitos docent Ariſtoph. Ran. v. I. 71. Et Terent. Andr. IV. 4. 30. V. illos ſupr. in *Cantharus*. Non nudi exponebantur, qui mos Græciæ, ſed aliquid ſibi matres detrahebant, corporique ipſorum imponebant. Inde autem poſtea, ut comici, tragicique fabulantur, aliquando illi agnoſcebantur. *Laurent & Barthol. l. l.* Locus puero exponendo dicatus plerumque concurſu hominum frequentabatur, quo magis obvii inventu, & faciliores aſportatu eſſent, ſi quis eos forte educare non gravaretur. Et in deſertis collocati pro occiſis erant. Græci exponebant ad compita; Romani & Ægyptii ad fluvios. Illi quoque ad lacum Velabrenſem, ubi puerorum fiebat commutatio; & ad columnam lactariam, denique ad cloacas. *Barthol. ibid. p.* 88. Primi palam prohibuerunt Imperatores Valentinianus, Valens, & Gratianus l. 2. C. de infant. expoſ. *Unusquisque ſobolem ſuam nutriat: quodſi exponendam putaverit, animadverſioni, quæ conſtituta eſt, ſubjacebit. Sed nec dominis, vel patronis repetendi aditum relinquimus, ſi ab ipſis expoſitos quodammodo ad mortem voluntas miſericordiæ amica collegerit: nec enim ſuum quis dicere poterit, quem pereuntem contempſit.* Quænam hic *animadverſio conſtituta*, diſputat *Noodt ibid.* c. 6.

EXPRÆTOR an, & quis fuerit dictus. V. ſupr. in *Ex.*

EXPROMISSOR alius eſt ab adpromiſſore. Hic enim ſimul cum promittendi reo obligatur. *Expromiſſor* vero ſolus, quia in rei principalis locum ſucceſſit, pro quo animo promiſit. *Salmaſ. de Mod. uſur.* c. 16.

EXPULSIM ludere dicebantur luſores, quando jacta pila ſe invicem, ne eam poſſint rapere, *expellunt*. Varro apud Nonium. V. illum infr. in *Follis*. Hoc *pilam geminare volantem* vocat Lucan. Paneg. ad Piſon. n. 182. id eſt, reddere, dum ipſa adhuc volat, nec decidit. *Caroli Antiq. Roman.* IV. 9. *Demſter. Paralip. ad Antiq. Roman. Roſin.* V. I. *Turneb. Adv.* VII. 4. *Mercur. de Art. gymnaſt.* II. 5. *Kipping. Antiq. Roman.* IV. 4. I. *Ramirez. Hypomnem. ad Mart.* IV. 19. 7. *Erhard. Symb. in Petron. p.* 592.

EXPUNCTI dicebantur milites, ſi quando exauctorarentur. Plaut. Curc. IV. 4. 29.

Miles pulcre centuriatus eſt expuncto in manipulo.

Uti præſcriptis punctis in albo ſignabantur, quibus ſtipendia procedebant. Ferme perpetuus fuit mos veterum: ut iis, quæ ſibi conſtabant, puncta adſcriberent. *Calcagn. de Verb. ſignif. p.* 371. Et explicat vetus Schol. in Perſ. II. 13. *Expungere tractum a militibus, qui expuncti dicuntur, dum foras a militia emittuntur.* Lipſ. Anal. Milit. Rom. p. 261. Caſaub. in Perſium. *Expuncti* etiam dicebantur favore privati, vel repulſi. Veteres enim *punctis* ſuffragia ſolebant notare. Et *punctum* pro ſuffragio & favore accipitur. Unde de iis, quibus cuncta feliciter proveniunt, in proverbium abiit illud Horat. de Art. Poet. n. 343.

Omne tulit punctum, qui miſcuit utile dulci.

Calcagn. l. l. Eraſm. Adag. p. 58. a. Guther. de Offic. dom. Auguſt. III. I.

EXQ.

EXQUÆSTOR an, & quis fuerit dictus. V. ſupr. in *Ex.*

EXQUILIÆ majores fuerunt, quam totum eſt illud, quod hodiernis includitur, ſpatium. Illud quippe ne totos quidem ſeptem amplectitur colles, cum major horum extra muros exſulet portio. *Voſſ. de Magnit. Rom. Vet.* c. 4. *Panciroll. Deſcr. Urb. Rom. Theſ. Antiq. Rom. Græv. Tom.* III. *p.* 341. *B. Nardin. Rom. Vet.* II. 2. Solin. c. I. *Servius Tullius Exquiliis ſupra clivum Urbium, Tarquinius Superbus, & ipſe Exquiliis ſupra clivum Pullium ad Fagutalem lacum habitarunt.* Panvin. Deſcript. Urb. Rom. Theſ. Græv. ibid. p. 276. C. In illis ſupplicium de fontibus ſumptum eſt. Tacit. Annal. II. 32. 5. *In P. Martium conſules extra portam Exquilinam, cum claſſicum canere juſſiſſent, more priſco advertere.* Suet. Claud. c. 25. 9. *Civitatem Romanam uſurpantes in campo Exquilino ſecuri percuſſit.* & Horat. Epod. v. 99. V. illum ſupr. in *Capite*. Et pauperum, viliorumque mancipiorum cadavera ſunt combuſta, aut projecta. Ille locus peculiari nomine vocabatur Seſtertium. *Kirchman. de Fun. Rom.* II. 24. *Bergier. de viis Milit.* II. *Sect.* 38. §. 4. *Sect.* 24. §. 4. *Lipſ. Tacit. Annal.* XV. *n.* 129. *Nardin. Rom. Vet.* IV. 2. *Borrich. Antiq. Urb. Fac.* c. 7. §. 3. *Hoſpin. de Orig. templ.* III. I. De publico iſto, & communi plebejorum loco Auguſtus aliquot jugera Mæcenati conceſſit, qui ibi hortos cœpit colere. Horat. Sat. I. 8. 6. V. illum infr. in *Puticulæ*.

EXQUILINA porta. V. illam infr. in *Porta*.

Exquilina tribus. V. illam infr. in *Tribus*.

Exquilina via. V. illam infr. in *Via*.

EXQUILINUS mons hos habet fines. Ab amphitheatro ſecundum Carinas orientem verſus valle profunda primum, deinde modica dividitur a Cœlio, complexus & aliud exigui collis velut additamentum, qui templo Sanctæ crucis cognomento in Hieruſalem nobilitatus eſt. Quan-

Quanquam hic æque ad Cœlium, *Exquilinum*, in finibus utriusque situs, putatur pertinere. Inde perpetuo tractu mœnibus cingitur, & ultra portam S. Laurentii, qua patet in planitiem, propter aggerem olim Tarquinii conversus ad septemtrionem jungitur Viminali: mox ab eodem secernitur tenui vallicula in ipsis hortis Perettinis, quæ profundior in Vico olim Patricio, & Suburra, mox redit ad amphitheatrum. *Donat. de Urb. Rom.* III. 9. *Fabric. Descr. Urb. Rom. Thes. Antiq. Roman. Græv. Tom.* III. *p.* 341. *D. Panvin. Descr. Urb. Rom. Thes. Ant. Rom. Græv. ibid. p.* 276. *E. Borrich. Antiq. Urb. Fac. c.* 7. §. 1. *Nardin. Rom. Vet.* II. 2. Septem olim colliculis, seu clivis attollebatur, hodieque conspicuis, quorum quatuor Oppii montis cacumina dicebantur, quod mons Oppius pars magna esset *Exquiliarum.* Borrich. & Nardin. l. l. Urbi a Tullo Hostilio est adjectus, ut vult Liv. I. 44. *Inde deinceps* Urbem *auget Exquiliis: ibique ipse, ut loco dignitas fieret, habitat.* A Servio Tullio, ut scribit Dionys. IV. p. 218. *Urbi duos colles Viminalem & Exquilinum addidit* Servius, *singulos justa oppidi magnitudine: atque ibi loca civibus late carentibus ad ædificandum distribuit: ipse quoque Exquiliis domum statuit, loco regionis ejus commodissimo.* Hanc in auctoribus diversitatem peperit, quod aliqui Reges primi adjecerint, aut habitarint: reliqui ædificiis, aliisve rebus ornarint, atque auxerint. *Fabric. & Panciroll. l. l. Manut. de Civit. Rom. Thes. Antiq. Roman. Græv. Tom.* I. *p.* 8. *C. D.* Nunc mons S. Petri ad vincula, vel S. Mariæ majoris ab eorundem templis appellatur. *Panvin. ibid. p.* 277. *A.* Gallieno Imperatori carus fuit summopere, & ibi posuit aram, & in eodem admirabilem colossum voluit collocare. *Donat. ibid. c.* 23. *Bellor. Fragm. vest. vet. Rom. Tab.* 3.

EXS.

EXSECUTIO dicebatur fieri duobus modis. Magistratus enim suas, judicumque a se datorum sententias duobus modis *exsequebantur.* Interdum enim judicem, arbitrumve in eam rem dabant l. a. divo §. si post. & §. sed si emptor & §. sic quoque judices ff. de re judic. l. si prætor. ff. de judic. Idque recte atque ordine fiebat. Nonnunquam vero viatorem, apparitoremve vice arbitri ad judicati, vel decreti sui, vel præcepti *exsecutionem* dabant l. ult. ff. de judic. Eaque extra ordinem fieri dicebatur, quemadmodum demonstrat l. si pignora ff. de evict. his verbis: *Si pignora veneant per apparitores prætoris extra ordinem sententiam exsequentes.* Brisson. Select. Antiq. IV. 2. Pollet. For. Rom. V. 18.

EXSEQUIÆ sunt officium funebre, quod in funere *exsequimur*, &, ut Cicer. pro Mil. c. 32. vocat, *celebritas supremi diei*, quæ ab amicis, atque etiam aliis, quibus id muneris est impositum, præstatur. *Stuck. Ant. Conviv.* I. 26. Honestiorum per præconem indici solebant. Formulam indictionis V. infr. in *Formula.* Romanis mos fuit, cum amicos ad illas convocarent, proclamare defunctos neque vi, neque cæde, vel veneno diem suum obiisse: quia *carnificis* etiam *loco habebatur, qui se vulnerasset, & moreretur.* Festus in *Carnificis.* Guther. de Jur. man. I. 9. Dicebantur duci. V. supr. in *Duci.* Ad has, si defunctus de Republica bene meritus fuisset, non solum cognati & amici, verum etiam tota adeo civitas confluebat. Aderant magistratus, senatores, equites, atque adeo omnis populus, ut hac ratione suam erga defunctum benevolentiam testarentur: &, si fieri posset, de dolore, luctuque superstitum liberorum, & propinquorum in se transferrent particulam, vel aliorum animis solatii aliquid quasi aspergerent. De Hierone Liv. XXIV. 4. *Funus fit regium, magis amore civium & caritate, quam cura suorum celebre.* In reliquis pauci comparebant præter cognatos. Horum enim propria funeris cura. Plin. XXXV. 2. *Semper defuncto aliquo totus aderat familiæ ejus, qui unquam fuerat, populus.* Dionys. XI. p. 714. *Virginius cum veram causam Antonium celasset, & se cujusdam cognati necessarii mortem audisse simularet, cujus funus & sepultura sibi ex lege esset curanda, dimissus est.* Ignoti hominis *exsequias* iri vitio dabatur. Senec. de Tranq. vit. c. 12. *Quorundam quasi ad incendium currentium misereberis: usque eo impellunt obvios, & se, aliosque præcipitant: cum interim cucurrerint, aut salutaturi aliquem non resalutaturum, aut funus ignoti hominis prosecuturi.* Et Athenis lege prohibitum erat in aliorum funus accedere. Cicer. de Legib. II. 26. *Sublata etiam erat celebritas virorum ac mulierum, quo lamentatio minueretur. Habet enim luctum concursus hominum: quocirca Pittacus omnino accedere quemquam vetat in funus aliorum.* Kirchman. de Funer. Roman. II. 10. Morestell. Pomp. Feral. II. 3. 4.

EXSEQUIUM fuit cœna funebris. V. illud infr. in *Silicernium.*

EXSIBILANTES, sive in theatro, sive in auditoriis, solebant pedes supplodere, & ipsa sedilia calcaneis verberare. Quam rem Græci una voce πτερνοκοπεῖν expresserunt. Pollux II. 4. *Posterior pedis pars calcaneum dicitur, unde πτερνοκοπεῖν derivatur, quod est, calcaneo sedilia in theatris percutere, ut aliquem exsibilent.* IV. 19. *De theatro usitate dicitur, sedilia talis pulsare, quod πτερνοκοπεῖν appellaverunt. Hoc autem aliquem explodentes faciebant; unde & explodere, & exsibilare dicitur.* Feriar. de Acclam. & plaus. II. 15.

EXSILITIO quodammodo cursui assimilatur. De illa hanc sententiam tulit Oribas. VI. illam *diuturnis capitis morbis accommodari, thoracem adjuvare: materiam, quæ ad partes superiores rapitur, ad inferiora reclinare: cruribus imbecillis, sese non alentibus, excarnibus, stupidis, atque tremulis præsidium afferre.* Hanc etiam intellexisse opinor Suetonium, qui c. 83. n. 1. Augustum ambulare solitum, *ut in extremis spatiis subsultim decurreret*, scribit, quasi sic infirmitati coxendicum, femoris, & cruris sinistri, quibus afflictabatur, sæpe occurreret. *Mercur. Gymnast.* V. 8.

EXSILIUM est commutatio loci pœnæ causa. Hi enim qui aliquid deliquerant, patria abire jubebantur, iisque aliæ sedes adsignabantur. Hinc proverbium Græcum de exsulibus γῆν πρὸ γῆς, *terram pro terra.* Sichterman de Pœn. Milit. c. 10. In nulla lege est nominatum, sed aquæ & ignis interdictio nominabatur. V. supr. in *Aqua & igni interdicere.* Cicer. pro Cæcin. c. 34. *Exsilium, non supplicium est, sed perfugium portusque supplicii, nam qui volunt pœnam aliquam subterfugere, aut calamitatem, eo solum vertunt, hoc est, sedem, ac locum mutant: Itaque nulla in lege nostra reperietur, ut apud cæteras civitates, maleficium ullum exsilio esse multatum; sed cum homines vincula, neces, ignominiasque vitant, quæ sunt legibus constituta, confugiunt, quasi ad aram, in exsilium. Qui si in civitate legis vim subire vellent, non prius civitatem, quam vitam, amitterent: quia nolunt, non adimitur iis civitas, sed ab iis relinquitur, atque deponitur.* Reo in exsilium profecto, causa nihilominus peragebatur, & sententiæ ferebantur, ipse tamen reus, quod ad corpus attinet, aut ad præsentem ignominiam, sibi jam caverat: leviora ducebat reliqua, sive sibi absenti aqua & igni interdiceretur, sive bona publicarentur, sive aliqua infamiæ nota incuteretur. *Manut. de Leg. Rom. c.* 19. *Sigon. de Judic.* II. 13. *Bud. in Pandect. p.* 141. *I.* Ejus genera fuerunt duo, voluntarium & legitimum: & voluntarii rursus duo genera. I. cum reus ante latas a judicibus sententias in *exsilium* abibat, vel, ut legis pœnam vitaret, vel quia, cum se damnatum iri perspicue videret, sponte vellet eam pœnam subire, quam paullo post leges sine dubio illaturæ viderentur. II. cum reus post damnationem, quia multam a judicibus dictam solvere non posset, ex urbe discedebat. Quod ut putem, & legibus, ad effugiendam multæ solutionem, fuisse permissum adducor verbis Cicer. pro Cæcin. c. 33. *In colonias Latinas sæpe nostri cives aut sua voluntate, aut legis multa profecti sunt: quam multam si sufferre voluissent, tamen manere in civitate potuissent.* Legitimum erat, cum reus, non illo quidem verbo, re tamen ipsa in *exsilium* mittebatur. Vetus enim consuetudo fuit, inducta legibus, more confirmata, quæ non modo in Republica, sed Imperatorum quoque ætate, multisque post seculis viguit: ut si quis *exsilii* pœna dignus videretur, ei nulla *exsilii* facta mentione, tecto, aqua, igni interdiceretur. Ita earum rerum, quæ maxime sunt

ad vitam sustentandam necessariæ, usu privatus, cum uno aeris alimento contentus esse non posset, abire cogebatur. Cicer. pro domo c. 10. *Qui erant rerum capitalium damnati, non prius hanc civitatem amittebant, quam erant in eam recepti, quo vertendi, hoc est, mutandi soli causa venerant: id autem ut esset faciendum, non ademptione civitatis, sed tecti, & aquæ, & ignis interdictione faciebant.* Manut. l. l. Bud. ibid. p. 246. G. Laurent. Polym. IV. Synops. c. 22. de Rebuspubl. c. 7. Faber Semestr. II. 5. Sichterman l. l. Legitimum gravius fuit voluntario. I. quod eos, quibus aqua & igni interdictum est, recipi tecto intra spatium interdictum. V. hoc supr. in *Aqua & igni interdicere*, leges vetent; quod iis non contigit, qui sua sponte in *exsilium* profugerunt. II. quod, ut ego arbitror, aliquanto turpius est *exsulare* ejectum legibus, quam *exsulare* non ejectum: qui vero sua voluntate discedit, non is civitate pellitur, sed eam ipse deserit, ac relinquit. III. quod, quibus interdicitur, ii senatores postea non sunt, & eos legi suo loco a censore in senatum leges prohibent: quibus vero non interdicitur, ii etiamsi Urbe carent, senatores tamen sunt. Cicer. pro dom. c. 31. *Ne tum quidem, cum aberam, negare poteras esse me senatorem; ubi enim tuleras, ut mihi aqua & ignis interdiceretur? quod Gracchus de P. Popilio, Saturninus de Metello tulit, homines seditiosissimi de optimis, ac fortissimis civibus, non ut esset interdictum, quod ferri non poterant tulerunt, sed ut interdiceretur. Ubi ca[illegible]ti, ne meo me loco censor in senatum legeret? quod de om[illegible]s, etiam quibus damnatis interdictum est, scriptum est in le[illegible].* Manut. l. l.

EXSULES appellantur omnes, quibus aqua & igni interdicebatur, quoniam *exsilii* causa solum vertere cogebantur. *Sigon. de Judic.* II. 3. Non vere proprieque libertate carent. Etsi enim neque testamentum facere, neque hæreditatem capere, neque omnino earum rerum, de quibus jure civili statutum est, habere ullam liceat. Jus quidem in eo *exsul* suum amisit, & quodammodo partem pristinæ libertatis: (siquidem amittit ea, quæ juris civilis sunt: quæ vero jus gentium complectitur, ea retinet omnia) libertatem tamen ipsam, qui redactus in servitutem non sit, adhuc retinet. *Manut. de Legib. c.* 19. Illis *exsilii* locus non definiebatur; sed ipsi, cum Romæ esse non liceret, eas urbes, ut jucundas, aut quietas, aut commodas, aut sibi fortasse benevolas ad habitandum legerunt. Polyb. VI. 12. *Capite damnatis egredi palam ex Urbe licuisse: quod si tribuum una, quæ scilicet ad damnationem deesset, suffragium de reo nondum tulisset, fac[illegible] reo esse datam exsilii suo sibi a[illegible] delige[illegible]: exsulibus autem commorari tuto licebat, [illegible]ellent [illegible] fœderata, ut Neapoli, Præneste, Tibure, [illegible] in urbibus, quibus hoc jure fœdus intercedit cum Ro[illegible].* [illegible] l. l. Spanhem. Exercit. ad Constitut. Anton. [illegible] I. §. 5. Gentil. Parerg. II. 13. Immensas habebant interdum opes. *M. Piso exuta dignitate, & accepto [illegible] sestertio, in decem annos relegatur* apud Tacit. Annal. III. 17. 9. Quis non obstupescat huic *exsuli*, centum viginti quinque millia Philippicorum pro viatico fuisse? Testis idem Tacit. Annal. XII. 22. 3. de Lollia Paullina, cui publicatis bonis cedenti Italia *quinquagies sestertium ex opibus immensis relictum est.* Non immerito [illegible] Seneca pro[illegible] 12. *Eo temporum [illegible] est [illegible] viaticum exsulum sit, quam olim patrimo[illegible].* Sed horum liberius evaganti opulentiæ frenum injecit Augustus edicto, ne quis eorum servos, aut libertos supra viginti haberet; neu plus quingentis millibus nummum, id est, viginti quinque millibus carolinorum. Auctor Dio LVI. in actis ab U. C. 765. *Meurs. de Lux. Rom. c.* 1. *Kobierzyck. de Lux. Rom.* 1. 2.

EXT.

EXTA vetus Scholiastes Martiani Capellæ notat vitalia fuisse septem, linguam, cor, hepar, lienem, pulmonem, & duos renes, quæ *singula inspiciebant aruspices, ut ex unoquoque non minus atque de omnibus prædictiones facerent.* Artemid. Oneirocr. III. 67. *Victimarii singula signa rimantur, & sciunt ad quid singula conveniant, & tamen pronuntiata, ac sententias nihil magis ex uno quoque quam ex omnibus faciunt, ac proferunt.* Buleng. de Sortib. c. 7. Quæ si sana, integra, vivida, & vegeta erant, omen erat bonum; malum vero, cum morbida, pallida, languida, livida erant, aut cum prorsus abessent. Quæ interdum aberant, vel dæmonum ope subtracta, vel, ut Casaub. in Athen. IX. 6. poparum & victimariorum fraude ablata compendii causa, ut victimas succidaneas procurarent. Lucan. I. 617.

> *Atque iram superûm raptis quæsivit in extis.*
> *Terruit ipse color vatem: nam pallida tetris*
> *Viscera tincta notis, gelidoque infecta cruore*
> *Plurimus asperso variabat sanguine livor.*

Kipping Antiq. Roman. I. 12. §. 14. Antiquitus non nisi plene cocta diis reddebantur, post etiam semicocta & semicruda. Arnob. II. p. 91. *Cum Romulo Pompilioque regnantibus percocta plane, ac madida diis cremarentur exta: nonne Rege sub Tullo cœpistis & leviter animata porricere prisca observatione contempta.* Omnibus paratis ignis accendebatur ex lignis lectis, & cuilibet deo sacris, quare & *sanctos ignes* Virg. Æneid. III. 405. *pium ignem* Ovid. Trist. V. 6. 4. vocant. *Exta* vero lancibus imposita inserebant aris, & offerebant diis. Virg. Æneid. XII. 214.

> *In flammam jugulant pecudes, & viscera vivis*
> *Eripiunt, cumulantque oneratis lancibus aras.*

Georg. II. 194. V. illum infr. in *Reddi.* Hoc vero *exta diis dare* dicunt Liv. XXIII. 24. Cato de Re Rust. c. 134. Varr. de Re Rust. I. 29. *imponere* Virg. Æneid. VI. 253. Sil. Ital. IV. 769. *reddere* Virg. Georg. II. 194. Tacit. Hist. IV. 53. Suet. Aug. c. 1. n. 3. *porricere* Macrob. Sat. III. 2. *Struv. Ant. Rom. c.* 10. *p.* 477. *Brisson. de Form.* I. *p.* 27. *Guther. de vet. jur. Pont.* IV. 2. *Buleng. ibid. c.* 6. *Stuck. de Sacrif. p.* 196. Notis quibusdam signari a diis, varieque moveri, & quasi animari credebant. Tibull. II. 5. 13.

> *Tuque regis sortes, per te præsentit aruspex*
> *Lubrica signavit cum deus exta notis.*

Stat. Theb. V. 176.

> *—— & in nullis spirat deus integer extis.*

Arnob. modo laudatus. Auspicatum enim erat, si *exta* leviter trepidarent. Zeno Veron. de Jona: *Non aris fœtentibus funestos excitant ignes, non thura cremant, non merum profundunt, non pecudum inexspectata morte rapti jecoris spirantes consulunt fibras.* Virg. Æneid. IV. 63.

> *—— pecudumque reclusis*
> *Pectoribus inhians, spirantia consulit exta.*

Lomej. de Lustrat. c. 14. Bulen. l. l. Illa aruspices aperiebant, inspiciebant, rimabantur. Auctor Priapej. 32. n. 5.

> *Cujus viscera non aperta Thuscus*
> *Per pellem poterit videre aruspex.*

Græci intimas victimarum partes dicunt τραχηλίζεσθαι. Ita Paull. Heb. c. 4. n. 13. cum earum præcordia reteguntur, quia dissectionis initium fiebat a cervice, quæ τράχηλος proprie dicitur. Huc respicere videtur, Propheta Habac. c. 3. n. 13. ubi de interitu, mactatione, & quasi concisione hostium verba faciens, ait: *Confregisti caput e domo improbi usque ad collum nudando fundamentum maxime.* Hunc morem *exta* scrutandi, ac per sectionem rimandi a Judaicis sacerdotibus mutuati sunt gentiles. *Lyd. Agonist. sacr. c.* 17. Et quidem Romani hoc fissiculare appellabant. Apul. de Deo Socrat. p. 674. *Vel somniis conformandis, vel extis fissiculandis.* Glossæ Isidori: *Fissiculator: augur naturas in extis animantium quærens.* Scalig. in Priap. p. 193. Elmenhorst. in Indic. Apul. Florid. in Apulejum. Buleng. de Sort. c. 5. Lyd. l. l. Dicebantur reddi. V. infr. in *Reddi.*

Exta adjutoria *dicuntur, quæ certum aliquid indicant, aut ab incendio, aut a veneno, aliquâ re certum instare periculum*

culum portendunt, aut finium deminutionem. Festus in *Muta.* Scalig. in Festum. Buleng. de Sort. c. 7.

Exta arguta dicuntur, quæ conspicuas & illustres habent notas. *Buleng. de Sort. c. 7. Stuck. de Sacrif. p.* 191. *Saubert. de Sacrif. c.* 20.

Exta aulicoqua dicuntur, quæ in ollis coquebantur, & elixabantur. Festus: *Aulas antiqui dicebant, quas nos dicimus ollas: quia nullam literam geminabant. Itaque aulicoqua exta, quæ in aulis coquebantur, dicebant; id est elixa.* Stuck. de Sacrif. p. 195. V. infr. in *Extar.*

Exta bona dicuntur splendida, bene colorata, integra, plena, solida, & absque ulla labe, macula & vitio: quod propitios deos, prosperosque & secundos eventus, lucra, hæreditates, commoda denuntiabant. Cicer. de Div. I. 39. *Quid enim habet aruspex, cur pulmo incisus etiam in bonis extis dirimat tempus?* Contra ea *non bona*, quæ sunt pallida, tabida, livida, marcida, exilia, vitiosa, aut quæ omnibus partibus suis non constabant, & quibus aliquid deerat, quæve aliqua labe, & tetris notis aspersa, sua sede mota, & naturali situ minime posita erant. Cicer. de Divin. II. 17. *Aut tanta inter eos dissensio, sæpe etiam inter proximos, ut Apollinis exta bona sint, Dianæ non bona.* Brisson. de Form. I. p. 22. Caroli Antiq. Roman. I. 11.

Exta clivia dicuntur, quæ aliquid prohibent. *Saubert. de Sacrif. c.* 20. *Stuck. de Sacrif. p.* 191. V. Festum supr. in *Auspicium clive.*

Exta lustralia dicuntur præpinguia, eo quod lustralis, id est, quinquennalis bos dicitur esse perfectæ ætatis. De illis Stat. Theb. I. 505.

Electa cervice greges lustraliaque exta.

Stuck. de Sacrif. p. 191. Buleng. de Sort. c. 6. Beroald. in Suet. Aug. c. 1. n. 2. Rectius ita: *Lustralia*, id est καθαρτικά, quod cum sacra omnia lustrarent, purgarentque homines, extorum usu hoc inprimis consequerentur, & sacrificiorum participes essent, a quibus impii arcebantur. *Kipping Antiq. Roman.* I. 11. §. 11.

Exta muta dicuntur, in quibus nulla erant signa. Paullus Festi: *Muta exta appellabant, in quibus nihil divi[...] animadvertebatur.* Buleng. de Sort. c. 7. Saubert. de Sacrif. c. 20. Stuck. de Sacrif. p. 191. Alex. Gen. Dier. v. 23. Brisson. de Form. I. p. 24. Festi schedæ præter lacunas. Sic tamen recte vestigia sequi videor. *Muta dicuntur omnia, quæ nihil habent nisi vocem, sive mugitum absque intellectu: inde etiam mutas dicimus literas, quæ ita pro[nun]tiantur, ut cui potius conveniant, sono cognosci non possit.* Dacer. ad Festum.

Exta profecta. V. illa infr. in *Profecta.*

Exta regalia dicuntur, *quæ potentibus insperatum honorem pollicentur; privatis & humilioribus hæreditates; filiofamiliæ dominationem.* Festus. *Saubert. de Sacrif. c.* 20. *Buleng. de Sort. c.* 7. *Stuck. de Sacrif. p.* 191. *Brisson. de Form.* I. *p.* 24. *Alex. Gen. Dier.* v. 23.

Exta tristia dicuntur, quæ sacrificantibus tristia portendebant. V. Paullum supr. in *Auspicium piaculare.* Curt. VII. 7. 22. *Erigyo Aristander occurrerat, tristia exta fuisse significans.* Si jecur lividum esset, aut vitiosum, vel in coquendo distabuit, aut sanies purulenta offlueret, caputve fibrarum pustulas haberet. Lucan. I. 619.... 633. Senec. Oedip. II. 355... Tristia dicuntur, quia deos iratos portendebant. Plutarch. Camill. p. 132. F. *Aruspices in victimis obnuntiaverunt portendi deorum iram.* Vocabantur etiam pestifera & piacularia. *Alex. Gen. Dier.* v. 23. *Brisson. de Form.* I. *p.* 22.

EXTAR dicitur olla, in qua *exta* coquebantur. Lexicon antiquum: *Extar est olla, ubi exta coquebantur.* Non enim semper verubus assignabantur. Varro. *Hæ sunt quarum in sacrificiis exta in olla, non in veru coquuntur.* Olla *extaris* dicitur Plauto Rud. I. 2. 46.

— semper petunt
Aquam hinc, aut ignem, aut vascula, aut cultrum, aut veru,
Aut aulam extarem.

Turneb. Adv. XXII. 2. Saubert. de Sacrif. c. 17. Taubman. in Plautum. Voss. Lex. Etymol. Auctor misc. def. pro Salmas. in jus Attic. & Rom. p. 222.

Extar fuit θεατρικὸν ἀργύρεον, vas ipsum, quo sedilia in theatro spargebantur. Hoc vocabulo Latino illud nuncupat Charisius. *Nimbum* appellat Mart. IX. 39. 5.

Lubrica Corycio quamvis sint pulpita nimbo.

Fabric. Descr. Urb. Rom. c. 12.

EXTEMPLO erat verbum sacrorum. Sacrificio enim patrato a præcone pronuntiabatur. Quo significabatur, ut exirent ex templo. Quod quia cito fiebat, inde pro cito & propere sumi cœptum est. Varr. de Ling. Lat. VI. 2. *Extemplo est continuo: quod omne templum debet circum septum, nec plus quum unum templum habere.* Serv. Æneid. I. 96: VI. 210. *Extemplo, illico, statim. Et est [...] sermo. Templum enim dicitur locus manu designatus [...] cre, post quem factum illico captantur auguria.* Scalig. Conject. Varron. p. 106. Buleng. de Augur. c. 12.

EXTERIOR quis in deambulationibus dicatur. V. infr. in *Locus sinister.*

EXTISPICES appellantur aruspices, qui, postquam hostia immolata est, *extis inspectis*, futura prædicunt. *Laurent. Var. Sacr. gentil. c.* 1. *Polym.* III. *Synops.* I. Cicer. de Div. II. 11. *Artificiosæ divinationis illa fere genera ponebas, extispicum.* [...] Hi ex *extis* judicabant, in quibus, dum adhuc palpitantia, observabant, an situ naturali posita, sana, integra, & vegeta, vel aucta; an vero tabefacta, morbida, pallida, ulcerosa, languida, livida, quibus dein portendebant. Ovid. Met. XV. 136.

Protinus ereptas viventi pectore fibras
Inspiciunt, mentesque deûm scrutantur in illis.

Senec. Thyest. IV. 755.

Erepta vivis exta pectoribus tremunt,
Spirantque venæ, corque adhuc pavidum salit;
At ille fibras tractat, ac fata inspicit;
Et adhuc calentes viscerum venas notat.

Maxime observabant, an *aut absit aliquid, aut supersit.* Cicer. de Divin. I. 52: II. 15. *Caput enim jecoris [...] parte [...] diligentissime considerant: si vero id non [...], nihil putant accidere potuisse tristius.* Cicer. ibid. II. 13. Quippe infelicissimum erat, si aliqua pars abesset, atque *exta peremptoria* dicebantur. *Repente enim extis adimi capita, vel corda, aut geminari victima stante putabant.* Plin. XXVIII. 2. Atque tunc *exta sine capite esse* dicuntur. Cicer. ibid. II. 15. Vel cæsum caput in *extis* reperiri dicebatur. Ovid. Met. XV. 813.

Victima nulla litat [...]
Fibra monet, cæsumque caput reperitur in extis.

Lætum e contrario habebatur omen, si jecur duplicatum. Sueton. Aug. c. 95. n. 2. *Immolanti omnium [...] jecinora replicata intrinsecus ab ima fibra paruerunt.* [...] Ant. Rom. c. 6. p. 289. Stuck. de Sacrif. p. 192. Buleng. de Sort. c. 7.

EXTISPICII, licet pervetusta apud Græcos sit divinatio ex inspectione viscerum, nullum apud Homerum extat exemplum. Notare [...] videtur nomine ἱερῆος, quem cum μάντεσι conjungit Iliad. I. 62.

Sed [a]ge aliquem vatem, μάντιν, interrogemus, vel sacerdotem, ἱερῆα.

Et ita interpretatur Eustath. Iliad. XXIV. 221.

Sed qui vates sunt aruspices, vel sacerdotes.

Ait enim ex veterum sententia duo genera μαντέων constitui; θυοσκόους, qui ex suffitu divinarentur, & ἱερέας, qui ex visceribus, ac *extis* futura præviderent, quos alio nomine ἱεροσκόπους refert vocari. *Feith Antiq. Homer.* I. 17. Ciceronis ætate valde fuit celebratum. Cicer. de Divin. I. 10. *Quid fissum in extis, quid fibra valeat, accipio: quæ causa [...], nescio. Atque horum quidem plena vita est: extis enim omnes fere utuntur.* c. 16. *Nam, ut nunc extis: quamquam id ipsum aliquanto minus, quam olim; sic tum avibus magnæ res impertiri solebant.* Maxime cultum ab Etruscis. Cicer. ibid. c. 42. *Etrusci, quod religione imbuti studiosius, & crebrius*

brius hostias immolabant, extorum cognitioni se maxime dediderunt: & ex hominum, pecudumve conceptu, & satu, ostentorum exercitatissimi interpretes fuerunt. Stuck. de Sacrif. p. 193. Van Dale de Divin. Idolol. c. 2. Et sine illo vix bellum commissum. Dionys. III. p. 140. *Bellum cunctando trahebat, quod videret exta de pugnæ exitu consulta nihil fausti portendere.* p. 142. *Cumque exta super pugnam consulerem, & diversa signa difficiliora esse animadverterem.* Liv. VIII. 9. *Romani consules priusquam educerent in aciem, immolaverunt. Decio caput jecinoris a familiari parte cæsum aruspex dicitur o[illegible].* Struv. Antiq. Rom. 6. p. 201. Stuck. de Sacrif. l. l.

EXTRAORDINARII in militia notant electos & eximios. Polyb. VI. 24. *Præfecti primus ex omnibus sociis aptissimos eligunt ad proprium usum consulum, tam equites, quam pedites, quos vocant extraordinarios. Id valet interpretatum, electi.* Suidas hunc locum aspexit: *Extraordinarios, Romanus sermo: significat autem electos.* Quanti isti fuerint, partite dicit Polybius: *Equites,* inquit, *tertia pars:* id est, e sexcentis ducenti. Tot enim in cornu uno sociorum fuerunt. Horum equitum mentio certa in Liv. XL. 31. *Flaccus luce prima C. Scribonium præfectum socium ad vallum hostium cum equitibus extraordinariis sinistræ alæ mittit.* Pedites, inquit, *pars quinta,* nempe totius cornu. Id autem legionem plurimum *æquabat.* Erg[illegible]e quater mille ducentis essent in extraordinariis octingenti quadraginta. Quid si major numerus sociorum, ut sæpe, crescebant & isti, sed ad modum dictum. Et horum meminit Liv. XXXIV. 47. *Cohors extraordinaria missa a consule ad tuendum quæstorium.* Lips. de Milit. Roman. II. 7. Patric. de Re milit. Roman. part. IX. sect. 32.

EXV.

EXVERRÆ dicebantur genus illud februi, quo funesta familia expiabatur, certo scoparum genere. V. Festum supr. in *Everriator.* Nimirum ut omnis contactus immundus, qui a funere oriri poterat, ultima vice exigeretur foras. *Kipping. Antiq. Rom.* IX. 6. 7. *Voss. de Idolol.* I. 11. *Saubert. de Sacrif. c.* 5. *Morestell. Pomp. Feral.* VIII. 18. *Kirchm. de Fun. Rom.* IV. 1. *Meurs. de Fun. c.* 15. *Laurent. Polym.* III. *Synops.* 13. *Schill Nomencl. Philol. p.* 487.

EXU.

EXUVIÆ dicuntur vestes. Virg. Ecl. VIII. 91.

Has olim exuvias mihi perfidus ille reliquit.

Tertull. de Pall. c. 4. *Tunc certissime pallium super omnes exuvias & peplos angusta vestis deduxit oculos.* Erant communes deorum & dearum. Festus: *Tensa vehiculum argenteum, quo exuviæ deorum ludicris circensibus in circum ad pulvinar vehebantur.* Jovis *exuviarum* meminit Suet. Aug. c. 94. n. 9. *Cum fulmine, & sceptro, exuviisque Jovis Opt. Max.* Erant illæ toga picta, & tunica palmata. Juven. Sat. X. 38.

In tunica Jovis, & pictæ Sarrana ferentem
Ex humeris aulæa togæ.

Salmas. ad Tertullianum. Donat. de Urb. Rom. II. 7. Junius de Pictur. II. 8. §. 9. Rycq. de Capit. c. 19. Pitisc. in Suetonium. *Exuviis* hostium sepulcra sua ornabant. Lactant. Stat. Thebaid. XII. 64. *Exuviis enim hostium exstruebatur Regibus mortuis pyra, quem ritum sepulturæ hodie quoque barbari servare dicuntur, quem strabas dicunt lingua sua.* Kirchman. de Fun. Rom. III. 18. Ferarum captarum..... Dianæ suspendebant venatores. Stat. Sylv. I. 4. 32.

---- tamen accipit omnis
Exuvias Diana tholo, captivaque tela
Bellipotens.

Tomasin. de Donar. c. 6.

F.



F pro E sæpe in antiquis libris scriptum deprehenditur. V. supr. in *E.*

F pro H Latinis acceptum esse docent exempla, quæ a Festo pluria producuntur in Fedum: *Fedum antiqui dicebant pro hædo, folus pro olere, fostim pro hoste, fostiam pro hostia.* Schegk. Præm. 3. Dacer. in Festum. Id ad ultima quoque tempora traductum docet nos Latinitati inter omnes hodie proxima ex corruptis lingua Hispanica, quæ plurima Latinis per *F* pronuntiata per *H* nunc quoque exprimit, mordicus videlicet retinens, quod a Latina pronuntiatione acceperat. Quod *formosum* dicunt Latini, id *Hermoso* est Hispanis: quod *facere, hazer:* quod *fabulari, hablar:* quod *favus,* illis *havo.* Et infinitus talium numerus. *Barth. Adv.* XLI. 17.

F pro PH crebro est usurpatum. Patet hoc ex nummis; Numeriani, TRIUMFUS QUAD. Honorii, TRIUMFATOR GENTT. BARBAR. Helenæ Juliani Cæsaris conjugis, cujus epigraphe ISIS FARIA. Domitiani, JOVI JUVENI TRIUMFATORI. Constantis Imperatoris, OB VICTORIAM TRIUMFALEM. Nec aliam vulgo scripturam præferunt nummi Phocæ Imperatoris, nisi DN. FOCAS. *Spanhem. de usu & præst. num. Dissert.* II. *p.* 81. *Voss. Lex. Etymol.*

F & V. sæpe mutantur. Sic pro *grafare* factum *gravare,* & pro *grafatores* vulgo *gravatores* dicimus. *Salmas. Exercit. Plinian. p.* 775. *a. C.*

F siglam postremam, in calce inscriptionis sitam, liceat interpretari *Filia,* seu *Filii.* Ita in hoc marmore parentibus a liberis inscripto:

M. MARCIO
LEBINTHO
ET MARCIÆ FUSCÆ
C. CLODIUS ZOSIMUS
ET MARCIA MYRTALE F

Quod nimirum tales fuerint C. Clodius Zosimus & Marcia Myrtale, seu saltem hæc postrema dicti Clodii fortasse uxor, lapidem hunc ponentes, seu ponens M. Marcio Lebintho patri, & Marciæ Fuscæ matri. Quanquam enim peculiaris hæc expositio communi aliorum adversetur, tenentium *F,* in fine præsertim collocatam, importare *Fecit;* non est quin *Filium,* seu *Filios* etiam quandoque sonet, præcipue si qui fuerint qui inscripserunt. *Malvas. Marm. Felsin. Sect.* VII. *c.* 12.

FF duplici libri Digestorum ævo Germanorum Cæsarum in omnium Ictorum libris signati fuisse reperiuntur. Ratio hæc est. Pompejus primum consul cœpit magnam legum copiam, & indigestam coarctare, & in ordinem collocare, sed obtrectatorum metu non perseveravit, deinde M. Crassus, mox C. Cæsar: quod Justinianus perfecit, & ordinavit: & ideo geminatum *ff* significat Digestis, id est, fieri fecit, id est, in ordinem, brevitatem, id est, ordinatam, reduxit. *Scoppa Collect.* I. 9. Ego me ejus opinionis esse dico, PP veteris Romanæ scripturæ, quo geminato numerus dualitatis in vocabulo Pandectarum significabatur olim, primum minoribus *pp* scriptum esse, deinde concrevisse in alterum illum characterem, qui ductu facilior sit, & minus laboriosus. *Barth. Adv.* II. 17. V. *Argol. in Panvin. de Lud. Circens.* I. 17.

FAB.

FABA, & pisum coctionis causa seritur. Fit enim ex istis jus densum pultaceum, quod Gallice dicitur une purée de pois. *Buling. de Conviv.* II. 24. Inter legumina, inquit Plin. XVIII. 12. *maximus honos fabæ: quippe ex qua tenta-*

tentatus ſit etiam panis. Faba multiplex uſus omnium quadrupedum generi, præcipue homini. Frumento etiam miſcetur apud pleraſque gentes, & maxime panico ſolida, aut delicatius fracta. Et Iſidor. xvii. 4. *Faba, Græca etymologia, a veſcendo vocabulum ſumpſit, quaſi faga. Φάγειν enim Græce comedere dicitur, primum enim homines hoc legumine uſi ſunt.* Pythagoræ tamen decreto damnata, quod ſenſus hebetare, & inſomnia facere crediderit, vel quod mortuorum animæ in ea ſint. Alii a Pythagora damnatam tradunt, quod omnes animas affinitatem habere credebat, quocunque tandem tranſmigrarent. Ideo Pythagoræ cognata dicitur Horat. Sat. ii. 6. 63.

O quando faba Pythagoræ cognata, ſimulque
Uncta ſatis pingui ponentur oluſcula lardo.

Ubi Acron. *Pythagoras philoſophus ab omnibus animalibus abſtinens, etiam a fabis abſtinuit: quod viridis in pyxide ærea ſervata vertitur in ſanguinem, unde fertur maluiſſe eum latrones incurrere, quam per fabæ ſegetem tranſire, cum aliunde refugium non haberet. Fabam quoque animal eſſe dicebat, quod cocta ſanguinis humorem ex ſe emitteret.* Ariſtoxenus vero apud Gell. iv. 11. nullo ſæpius legumento Pythagoram dicit uſum quam *fabis*, quoniam is cibus, & ſenſim ſubduceret alvum & levigaret. Sed creditur ſymbolum ejus κυάμων ἀπέχεσθαι non de *fabis* intelligendum, ſed de rebus Venereis intelligendum, nam in æquivoco tota vis eſt, κύαμος enim & *fabam*, & teſticulum ſignificat. Tamen ante Pythagoram Amphiaraus primus a *fabis* abſtinuit, vaticinationis, quæ fit per ſomnum, gratia, ut auctor eſt Didymus apud Conſtantin. Cæſ. de Agric. ii. Is enim cibus teſte Cicer. de Divin. i. 30. *tranquillitatem mentis quærentibus eſt contrarius.* Orphei etiam verſus a Didymo, qui Pythagora vetuſtior, laudatur.

Eſſe fabas ſimile ac caput abſumpſiſſe parentum.

Clem. Alexand. Strom. iii. p. 435. E. dicit, Pythagoram *fabarum* eſum interdixiſſe, quod mulieres ſteriles redderet; Theophraſtum vero de cauſis plantarum prodere, *fabarum* ſiliquas, ſi ponantur ad radices arborum, quæ nuper ſunt plantatæ, ipſas exſiccare, quin & gallinas domeſticas, quæ illas aſſidue edunt, effici ſteriles. *Minos de Symbol. p. 29. Nonn. de Re cib. i. 9. Gyrald. Pythag. Symbol. c. 9. Eraſm. Adag. p. 745. a. Stuck. Ant. Conv.* ii. 8. *Windet. de funct. vit. ſtat. c. 5. Lomej. de Luſtrat. c. 24. Torrent. in Horatium. Bruyer. de Re cibar.* vii. 2. In cibis autem inter omnia legumina gratiam peculiarem obtinent, & menſis expetitæ, præſertim virides, nec admodum adultæ. Vim habent detergendi, adeo ut lomentum ejus, ſeu farina ſordes e cute, & lentes faciei egregie detergeat, alvum etiam movent, præſertim virides, quod humidius alimentum præbeat. Unde *fabarum* eſum fabris ferrariis, quibus ob ignis vim aſſiduam alvus induratur, familiarem eſſe dicit Mart. x. 48. 16.

Et faba fabrorum, prototomique rudes.

Nonn. l. l. In epulis funeralibus primum locum obtinent. Varr. de vit. pop. Rom. i. apud Non. ii. 513. *Quibus temporibus in ſacris fabam jactant noctu, ac dicunt ſe lemures domo extra januam ejicere.* Ex Varrone Feſtus: *Faba & lemuralibus jacitur larvis, & parentalibus adhibetur ſacrificiis, & in flore ejus luctus literæ apparere videntur.* Plinius mox laudandus. Ritum graphice depingit Ovid. Faſt. v. 435.

Terque manus puras fontana proluit unda,
Vertitur, & nigras accipit ore fabas.
Averſusque jacit: ſed dum jacit, hæc ego mitto;
His, inquit, redimo meque meosque fabis.
Hoc novies dixit, nec reſpicit: umbra putatur
Colligere, & nullo terga vidente ſequi.

Meurſ. de Fun. c. 35. Kirchm. de Fun. Rom. iv. 7. Dacer. in Feſtum. Guther. de Jur. man. ii. 12. Moreſtell. Pomp. Fer. ix. 2. Stuck. de Sacrif. p. 74. Alex. Gen. Dier. iii. 12. & ad illum Tiraquellus & Colerus. Gyrald. Synt. Deor. xvii. p. 535. R. Ferrar. Elect. ii. 24. Windet. Nonn. Lomej. l. l. *Fabam nec tangere, nec nominare Diali flamini licet, quod ea putatur ad mortuos pertinere.* Feſtus. Idem Plin. l. l. *Quin & priſco ritu fabacia ſuæ religionis diis in ſacro eſt, prævalens pulmentari cibo, & hebetare ſenſus exiſtimata, inſomnia quoque facere. Ob hæc Pythagorica ſententia damnata: ut alii tradidere, quoniam mortuorum animæ ſint in ea. Qua de cauſa parentando utique aſſumitur. Varro & ob hæc Flaminem ea non veſci tradit.* Ab Ægyptiis id videntur habuiſſe Romani; nam, ut Herod. ii. p. 116. *Ægyptii a fabis abſtinent. Sacerdotes vero illas ne adſpicere ſuſtinent, arbitrantes haud mundum id edulium.* Nonn. Meurſ. Kirchm. Moreſtell. l. l. Ludis Floralibus a magiſtratibus jactabatur, vel in circo ab ædilibus. *Buleng. de Circo c. 56.*

Faba Ægyptia, ſeu Pontica folium habet petaſi inſtar magnum, caulem cubitalem. Dioſcor. ii. 12. *Buleng. de Conviv.* ii. 56. *Bruyer. de Re cibar.* vii. 2. Ejus triplicem utilitatem facit Athen. iii. 72. I. eſt floris ad coronamenta. II. ciborum maturo fructu ad epulas. III. radicis ad edendum ex juſculo. *Buleng. ibid. c. 59.*

Faba freſa dicitur, quæ ſine cortice coquitur, ut concha cum cortice. *Buleng. de Conviv.* ii. 56. *Nonn. de Re cib.* i. 9.

Faba refriva *dicitur, ut ait Cincius, quæ ad ſacrificium referri ſolet domum ex ſegete auſpicii cauſa, quaſi revocet domum. Data enim eſt & tritico ad rem divinam faciendam. Ælius dubitat, an ea ſit, quæ prolata in ſegetem, domum referatur, an quæ refrigatur, quod eſt torreatur. Sed opinionem Cincii adjuvat, quod in ſacrificiis publicis, cum puls fabata diis datur, nominatur refriva.* Feſtus. Plin. xviii. 12. *In eadem,* faba, *peculiaris religio. Namque fabam utique e frugibus referre mos eſt auſpicii cauſa, quæ ideo refriva appellatur.* Scalig. in Feſtum. Voſſ. Lex. Etymol. Siccam. in Faſt. Kalend. Roman. c. 12. Stuck. de Sacrif. p. 74.

FABARIÆ Kalendæ. V. illas infr. in *Kalendæ.*

FABATARIUM eſt vas ampliſſimum, in quo *fabatum*, id eſt, granum *fabæ* reponitur. Lamprid. Heliog. c. 20. *Barbas mullorum tantas jubebat exhiberi, ut pro naſturtiis. . . . exhiberet plenis fabatariis.* Buleng. de Conviv. ii. 25. *Fabatum* enim vocabatur *fabæ* granum. Gloſſæ: *Fabatum*, φάβατος κόκκος. *Salmaſ. in Lampridium.* Ego intelligo vas, aut patellam, in qua puls *fabata* ponebatur, & Laribus offerebatur. *Turneb. Adv.* xxiv. 4. *Caſaub. in Lampridium.*

FABIA gens. V. illam infr. in *Gens.*

Fabia lex. V. illam infr. in *Lex.*

Fabia tribus. V. illam infr. in *Tribus.*

FABII, a *Fabio* Herculis filio orti. Plutarch. in Fabio p. 174. *Ex nympha memorant, alii ex muliere indigena, quæ cum Hercule juxta Tiberim amnem concubuerat, Fabium natum, virum qui numeroſam Romæ, & claram propagavit gentem Fabiorum.* Sil. Ital. ii. 3.

— Fabius, Tirynthia proles.

vi. 633.

— cum regia virgo
Hoſpite victa ſacro Fabium de crimine læta
Procreat, & magni commiſcet ſeminis ortus
Arcas in Herculeos mater ventura nepotes.

Juven. Sat. viii. 14.

Natus in Herculeo Fabius Lare.

Idem Feſtus in Fovii. *Sigon. de Nom. Roman. c. 4. Panvin. de Nom. Roman. Theſ. Ant. Rom. Græv. Tom.* ii. *p.* 2000. *E.* Illorum familia Herculi olim peculiariter ſacrata fuit. *Boxhorn. Quæſt. Rom.* 23. Videntur in patricios relati, quo tempore Romulus patricios legit ex Sabinis iis, quos cum eorum Rege T. Tatio in civitatem advocavit. *Sigon. de Ant. jur. civ. Rom.* i. 7.

FABRATERIA eſt oppidum Volſcorum. Vulgo nunc vocatur *Falvatera*, & *Falvaterra.* L. Papirio Curſore iterum & L. Plantio Venoce conſulibus, anno ab U. C. 424. *Fabraterni* miſſis Romam legatis ſeſe in fidem populi Romani dediderunt, ut a Samnitium armis defenderentur. Liv. viii. 19. *Cluver. Ital. ant.* iii. 8. 21. Colonia eſt fa-

cta

cta Cassio Longino & Sextio Calvino consulibus. Vellej. I. 15. 4. anno ab U. C. 628. *Sigon. de Ant. jur. Ital.* II. 5. *Cluver. l. l.*

FABRI argentarii, aut vascularii vocantur a Ictis l. penult. in princ. de aur. & arg. leg. l. ult. de act. & oblig. qui vasa argentea fabricant. *Panciroll. de Corpor. artif.* §. 14.

Fabri carpentarii nominantur a Papiniano tit. 4. uti & in lege Salica. *Si quis majorem, inferiorem, scantionem, mariscalcum, stratorem, fabrum ferrarium, aurificem, sive carpentarium.* . . . Ubi quid aurifici commune sit cum carpentario ego sane non video: nisi dicamus *carpenta* & vehicula auro & argento consuevisse exornari, ut luculento testimonio confirmat Plin. xxxiv. 17. *Pignor. de Serv. p.* 567. *Panciroll. de Corpor. artif.* §. 30. *Stewech. ad Veget.* II. 11.

Fabri ferrarii & lignarii seorsum olim in legionibus non erant: sed ipsi milites, aut aliqui inter eos longo usu sic docti, & mixti fortassis aliqui ex professo tales. At tempore Veget. II. 11. & supra, quæque jam *legio habebat fabros lignarios, structores, carpentarios, ferrarios. . . . ad hybernorum ædificia fabricanda; ad machinas, turres ligneas, cæteraque quibus vel expugnabantur adversariorum civitates, vel defendunter propriæ, præparatos; qui vehicula, cæteraque genera tormentorum, vel nova facerent, vel quassata repararent.* Lips. de Milit. Rom. v. dial. 13. Inscriptio via Labicana.

DIS MANIBUS SACRUM.
C. ANCHARIUS C. L. EUTYCHUS FABER
FERRARIUS LEG. XX. GEMINÆ
L. ANCHARIUS C. F. PHILOSTORGUS
FABER LIGNAR. MACHIN. BELL.

Reines. Inscript. Class. VIII. *n.* 65. Apud Vegetium *fabros tignarios* legi melius promiserim. *Turneb. Adv.* XXIV. 12. Et ita emendabat Modius. In quo illi adstipulantur apud me libri M. S. N. H. & tres Susii. *Tignarios* agnovit Cicer. de Clar. Orat. c. 73. *Ego me Phidiam esse mallem, quam vel optimum tignarium.* Et illorum meminit inscriptio vetus.

SABINÆ
AUGUST
MAGISTRI QUINQUENNALES.
COLLEGI. FABRIUM. TIGNAR. . . .

Stewech. ad Vegetium.

Fabri navales utriclarii dicebantur, qui vasa navalia & utriculares tibias faciebant. Inscriptio apud Gruter. p. 448. n. 5.

D M.
G. PASQUI. OPTATI. LIB. PAR
DALÆ. IIIIII. AUG. COL
JUL. PAT. AR. PATRONI
EJUSDEM. CORPORIS. ITEM. PATRON
FABROR. NAVAL. UTRICLAR. . . . .

Ursat. de Not. Roman. Thes. Antiq. Rom. Græv. Tom. XI. *p.* 710. *B.*

FABRICÆ erant officinæ armorum. Ita *fabricas* appellat Cæs. de Bell. Civ. I. 34. *Armorum officinas in urbe instituerant.* In illis *omnia armorum genera formabantur.* Veget. II. 11. *Stewech: in Vegetium.* Non tamen omnia in singulis, paucis exceptis, fiebant, sed certa in diversis. Græce ὁπλοποιΐαι dicebantur. Quindecim institutæ erant in orientali imperio, videlicet quinque in oriente, tres in Ponto, una in Asia, duæ in Thraciis, & quatuor in Illyrico, omnes in oppidis locatæ, quæ non longe a limitibus imperii, militibusve erant: Clibanaria, in qua arma pro tegendis cataphractis parabantur Antiochiæ, Cæsareæ Cappadociæ, Nicomediæ: Hastaria, in qua hastæ fiebant, Irenopolitana: Scutaria, in qua scuta & arma protegendi corporis gratia, ut thoraces, ocreæ, cassides, & similia fabricabantur, Ædessæ, Antiochiæ, Damasci, Hadrianopoli Hæmimonti, Horreomargensis, Marcianopoli, Naissatensis, Nicomediæ, Ratiarensis, Sardensis, Thessalonicensis. *Panciroll. Notit. Dignit. Imp. Orient. c.* 67—71. *Bergier. de viis Milit.* IV. *Sect.* 21. §. 2. *Stewech. l. l. Lyd. de Re milit.* III. 4. In occidentali noyendecim, sex in Italia, octo in Galliis, quinque in Illyrico. Armorum Salonitana, ubi armorum nomine non gladii ut alias continentur, sed cassides, cataphractæ pectus tegentes, ocreæ, manicæ ferreæ, & similia; Arcuaria Ticinensis; Balistriria Triberorum: loricaria Augustodunensis, & Mantuana: Sagittaria Concordiensis, & Matisconensis: Scutaria, Acincensis, Cornutensis, Cremonensis, Lauriacensis, Sirmiensis, Suessionensis, Triberorum, Veronensis: Spataria, Ambianensis, Lucensis, Remensis. *Panciroll. Notit. Dign. Imp. occident. c.* 30. 31. 32. *Guther. de Offic. dom. Aug.* III. 12. *Bergier. ibid.* §. 9. *Stewech. & Lyd. l. l. Laz. Comment. Reip. Roman.* IV. 6.

FABRICENSES dicebantur *fabri*, qui in certis Imperii locis arma *fabricabant* l. 1. & tot. tit. C. de Fabricensibus. Nulli enim ea aut emere, aut vendere, sicuti nec alibi facere licebat §. 1. Authen. de armis l. cotem ff. de publica. *Fabricata* & perfecta in publicum armamentarium deferebant. d. l. 1. de Fabricensibus. Creabantur *Fabricenses* idonei viri, & probati, qui curiales non fuissent, nec ulli oneri civitatis obnoxii. Quare prius testibus de hac re examinatis, & actis apud præsidem provinciæ, vel civitatis defensorem conscriptis, qui a curia liberi apparebant, in *Fabricensium* collegium cooptabantur, & ex publico salarium accipiebant l. 4. C. de Fabricensibus. Formulam de armorum factoribus creandis recitat Cassiod. Varr. VII. 18. Semel vero *Fabricenses* facti, nec ipsi, nec eorum liberi, *fabricam* armorum deserere poterant, sed inviti, cui semel erant adscripti, *fabricæ* obnoxii permanebant. Et ideo ut ubique dignosci possent, nota, seu stigma eorum brachiis, quemadmodum & tyronibus, imprimebatur. l. 3. l. jure l. ult. C. eod. tit. de Fabricensibus. Arcadius A. *Stigmata*, inquit, *hoc est, notæ publicæ fabricensium brachiis ad imitationem tyronum infligantur, ut hoc saltem modo latitantes possint agnosci.* Immunes ab hospitibus recipiendis erant l. Fabricensium C. de metat. judicemque solum magistrum officiorum habebant l. pen. C. de Fabricensibus. Ejus enim cura arma *fabricabantur*, & ad diversa loca transferebantur l. ult. C. eod. tit. Aliquo ex *Fabricensibus* decoquente, aut fugiente pro eo cæteri tenebantur, & ideo bona sine legitimo hærede defuncti ad corpus *Fabricensium* pertinebant. Novell. Theodos. 13. *Panciroll. Notit. Dignit. Imp. Orient. c.* 67. *Bergier. de viis Milit.* IV. *Sect.* 21. §. 3. 4. 6. 7. *Guther. de Offic. Dom. Aug.* III. 12. *Laz. Comment. Reip. Rom.* IV. 6.

FABRINIA gens. } V. illas infr. in *Gens.*
FABRITIA gens. }

FABULINUS erat deus, quem præfecerant infantibus fari incipientibus. Invocabatur ab illis cum fari inciperent. Nonius XII. 56. *Sic cum primo fari incipiebant, sacrificabant divo Fabulino.* Tomas. de Donar. c. 10. Barthol. de Puerp. p. 121. Meurs. de Puerp. c. 5. Pollet. Hist. For. Rom. I. 10. Gyrald. Synt. deor. I. p. 49. B. Stuck. de Sacrif. p. 44. Alex. Gen. dier. VI. 26. Laurent. de Natal. c. 1. Kipping. Antiq. Roman. l. 1. §. 10.

FAC.

FACERE unico verbo dicebant veteres, quod est rem divinam religionibus exhibere. Virg. Ecl. III. 77.

Cum faciam vitula pro frugibus, ipse venito.

Quod Macrob. Sat. III. 2. παραφράζει. *Cum faciam rem divinam vitula, cum vitulam pro frugibus sacravero.* Varro infr. in *Flamen dialis.* Guther. de vet. jur. Pontif. IV. 6. Bosius de Pont. Max. Rom. vet. c. 1. Brisson. de Form. I. p. 18. Verbo ποιεῖν eo significatu usi sunt non solum prophani scriptores, sed etiam veteris fœderis interpretes Græci. 4. Reg. 18. n. 23. *Ego quoque parabo,* καὶ ἐγὼ ποιήσω τὸν βοῦν, *& ignem non imponam.* Psalm. 66. n. 15. *Parabo boves cum hircis,* ποιήσω σοι βόας μετὰ χιμάρων. *Bosius l. l.*

FACIEM, qui summo mane surgebant, abluebant. V. supr. in *Abluebant.* totam mulieres continebant inclusam monstrosæ cuidam larvæ, quam in publicum proditur in ipso domus limine detrahebant, ut sic ad primum sui aspectum omnium ora, oculosque converterent. Juven. Sat. VI. 461.

Interea fœda aspectu, ridendaque multo
Pane tumet facies, aut pinguia Poppæana
Sp[illegible], & hinc miseri viscantur labra mariti.

n. 471. V. illum infr. in *Panis madidus.* Tertull. de Vel. Virg. c. 12. *Jam & consilium formæ a speculo petunt, & faciem morosiorem lavacro macerant, forsitan & aliquo eam medicamento interpolant.* In publico aliquo tectorio abscondebant, ut V. infr. in *Feminæ.* Lacte asinino macerabant, quo candidior videretur. Plin. XXVIII. 12. *Cutem in facie erugari, ac tenerescere, & candorem custodire lacte asinino putant.* Dio LXII. p. 714. E. Poppæa Sabina *quingentas asinas, quæ proxime peperissent, quotidie mulgebat, ut ipsarum lacte lavaretur. Formam enim & nitorem corporis magno studio curabat.* Quam ob causam *faciem pinguia Poppæana spirantem* dixit Juvenalis modo laudatus. Et ad illum Scholiastes: *Poppæa uxor Neronis adeo diligens in excolenda forma fuit, ut eam quinquaginta asinæ sequerentur missam in exsilium, quarum lacte candorem corporis provocabat.* De illa Juven. ibid. n. 468.

—— atque illo lacte fovetur,
Propter quod secum comites educit asellas,
Exsul Hyperboreum si dimittatur ad axem.

Pigmento decolorabant, & adscititia venustate adulteratæ oculos spectantium decipiebant. Tertull. de Cult. femin. c. 5. *Cutem medicaminibus ungunt, genas rubore maculant, oculos fuligine collinunt.* Ovid. Art. An. III. 199.

Scitis & inducta candorem quærere cera:
Sanguine quæ vero non rubet, arte rubet.

Viri etiam, ne cœlestes injuriæ teneram cutem læderent, ac deturparent, ejusmodi medicamentis oblinebant, tum suam. Suet. Oth. c. 12. n. 4. *Faciem quotidie rasitare, ac pane madido linere consueverat.* Et illi insultat Juven. Sat. II. 104.

Nimirum summi ducis est occidere Galbam,
Et curare cutem, summi constantia civis:
Bebriaci campo spolium affectare palati,
Et pressum in facie digitis extendere panem.

tum pædagogiorum. Senec. Epist. 123. *Omnium pædagogia oblita facie vehuntur, ne sol, ne frigus teneram cutem lædat: turpe est neminem esse in comitatu puerorum, cujus sana facies medicamentum desideret.* Kobierzyck. de Lux. Roman. I. 7. Mariscott. de Pers. & Larv. c. 8. Casaub. in Spart. Adrian. c. 4. & in Suet. Othon. c. 12. n. 4. Aqua adspergebant veteres, si cui cor defecisset. V. supr. in *Defecisset.* Defuncti ut unusquisque & ex vestibus, & ornatu facile posset dignoscere, qui sua morte obierant, vel *facie* erant non plane deformi, illorum cadavera palam ferebantur. Non raro etiam *faciem* solebant fucare, præsertim feminarum puellarum, ut mortuæ apparerent venustiores. Id constat ex eo, quod tradit Dio LXI. p. 692. E. Britannici corpus gypso oblitum a Nerone fuisse, ne livor appareret e veneno. *Morestell. Pomp. Feral.* II. 10. *Guther. de Jur. man.* I. 15.

FACINOROSI non quidem ad ultimum supplicium, quod meruerant, sed ad viarum publicarum opus, per omnem suæ vitæ ætatem, ob scelera & crimina, condemnabantur, quemadmodum qui ad metalla, & in Gallia ad remos damnantur. Anysis Ægypti Rex, ut tradit Herod. II. p. 63. quoties Ægyptiorum quisquam aliquid deliquisset, neminem voluit ultimo affici supplicio, sed pro sui quemque delicti magnitudine damnari ad aggerundam certam mensuram aggerum intra urbem, unde quisque nocentium erat oriundus; atque ita urbes sublimiores sunt effectæ. Licet autem hi ad opus viarum per judices Romanos condemnati non fuerint honestioris, sed vilioris ordinis. Caligula tamen, teste Suet. c. 27. n. 4. *Multos honesti ordinis, deformatos prius stigmatum notis,* ut quæ servis solebant ob scelera inuri, *ad metalla, & [illegible] rum, aut ad be[illegible] condemnavit.* N[illegible] quoque, ut idem testatur c. 31. n. 12. præter alia opera, *[illegible] quoque ab Averno O[illegible], [illegible] vit*, & ho[illegible] *erat custo[illegible] deportari: [illegible] nisi ad opus damnari præcepit.* Bergier. de viis Milit. I. Sect. 10. §. 11. Si meruerant vita multari, delictum eorum, vel proclamabatur a præcone tunc, cum per vicos trahebantur ad supplicium. Lampridius. V. illum in *Funus.* Vel ligneæ tabulæ albæ inscriptum nigris literis illis præferebatur, aut collo appendebatur. V. infr. in *Tit[illegible].*

FACTIO *& factiosus honesta vocabula erant, unde adhuc factiones histrionum & quadrigariorum dicuntur.* Festus. Harum duæ initio fuerunt, a coloribus vestium, quibus, dum cursitarent, induebantur, nomina sortitæ: alba scilicet, & rubea, sive russata; qui quum certatim pedibus, sive curribus insidentes currerent, & populo Romano magno oblectamento erant, & sacra Circensia [illegible]. Postea ex duabus quatuor factæ sunt: prasina, russata, veneta, alba. Tertull. de Spect. c. 9. V. illum supr. in *Colores factionum* Panvin. de Lud. Circ. I. 10. Buleng. de Circo c. 48. Borrich. Ant. Urb. Fac. c. 11. §. 2. Panciroll. Descr. Urb. Rom. Thes. Antiq. Roman. Græv. Tom. III. p. 357. D. Thulemar. in Freher. Cecropistrom. Thes. Ant. Rom. Græv. IX. p. 1157. Mercur. Gymnast. III. 9. Casal. de Urb. ac Imper. Roman. splend. part. 2. c. 3. Quæque suum in circo stabulum habuit. Caligula ob ingens aurigandi studium sæpe ibi morabatur. Suet. c. 55. n. 6. *Prasinæ factioni ita addictus, & deditus: ut cœnaret in stabulo assidue, & maneret.* Et stabula quatuor factionum memorantur a Sexto Rufo & P. Victore de Regionibus Urbis. *Borrich. l. l.* Hisce Domitianus duas adhuc addidit, panni videlicet purpurei & aurati. Suet. c. 7. n. 3. *Duas circensibus gregum factiones aurati purpureique panni ad quatuor pristinas addidit.* Mart. XIV. 55.

Prof[illegible]es nihil hoc, cadas licet us[illegible],
Si tibi purpureo de grege currit e[illegible].

Panvin. & Argol. in Panvin. de Lud. Circens. I. 10. Thulemar. & Borrich. l. l. Sed aurati & argentei panni *factiones* addidisse dicit Xiphil. LXVII. p. 760. D. V. illum supr. in *Color argenteus.* Quid si autem πορφυρῶν apud illum reponere auderemus. Certe unius syllabæ mutatione res confieret. Si id religioni habemus, dicendum est, insignem fuisse errorem, aut supinitatem Xiphilini in ex[illegible]ibendo. Nam argenteus color albus est, atque jam ante [illegible]tio albata. *Ruben. Elect.* II. 17.

F[illegible]tio alba, seu albata vo[illegible], quod vestibus albis amicti ejus factionis auri[illegible] cursitarent. D[illegible] VIII. 42. *C[illegible] ludorum circ[illegible] [illegible], peri[illegible].* Panvin. de Lud. Circens. I. 10. Panciroll. Descript. Urb. Rom. Thes. Antiq. Rom. Græv. Tom. III. p. 35[illegible]. D. Kipping. Antiq. Roman. II. 6. 4. Marmorea tabula Romæ in domo Ce[illegible]norum de hac *[illegible]tione* ita sonat allegante Gruter. Inscript. p. 339. C. APULEIUS. DIOCLES. AGITATOR. ANNORUM. XXII. MENS. VII. D. XXIII. AGITAVIT. CURRUM. IN. FACTIONE. ALBATA. *Thulemar. in Freher. Cecropistrom. Thes. Antiq. Rom. Græv. Tom. IX. p.* 1157. *Panvin. l. l.*

Factio prasina vocabatur, quod vestibus prasini coloris amicti ejus factionis aurigæ cursitarent. Prasinus autem color est viridis ad similitudinem porri. Nam πράσον Latine porrum dicitur. Hinc vestes e viridi lana prasinæ dicuntur. Mart. X. 29. 4. V. illum supr. in *Color prasinus.* Petron. c. 28. *In aditu ipso stabat ostiarius prasinatus.* De *factione* prasina Suetonius supr. in *Factio* laudatus. Et Ner. c. 22. n. 1. *Quondam tractum prasinum agitatorem inter condiscipulos querens, objurgante magistro, de Hectore se loqui ementitus est.* Juven. Sat. XI. 195. V. illum supr. in *Color prasinus.* Panvin. de lud. Circens. I. 10. Buleng. de Circo c. 48. Panciroll. Descript. Urb. Rom. Thes. Antiq. Rom.

Græv. Tom. III. p. 357. D. Kipping. Antiq. Roman. II. 6. §. 4.

Factio rosea, sive rubea, sive russata appellabatur, e rubei coloris vestimentis nomen sortita. Russus enim, sive russatus, sive roseus appellationes sunt rubei coloris. Russati aurigæ mentio est apud Plin. VII. 53. supr. in *Color russeus*. Coccinam hanc *factionem* vocat Mart. XIV. 131.

Si veneto, prasinove faves, qui coccina sumis,
Ne fias ista transfuga veste, vide.

Panvin. de Lud. Circens. I. 10. Panciroll. Descript. Urb. Rom. Thes. Antiq. Roman. Græv. Tom. III. p. 357. D. Kipping. Antiq. Roman. II. 6. §. 4.

Factio veneta dicebatur, a veneto, id est, cœruleo colore, qui teste Veget. IV. 37. est fluctibus marinis similis. Suet. Vit. c. 13. n. 5. *Quosdam de plebe ob id ipsum, quod venetæ factioni clare maledixerant contemptu sui, & nova spe id ausos opinatus, occidit.* Panvin. de Lud. Circens. I. 10. Buleng. de Circo c. 48. Panciroll. Descript. Urb. Rom. Thes. Antiq. Roman. Græv. Tom. III. p. 357. D. Kipping. Antiq. Roman. II. 6. §. 4.

Factiones uti in circo, sic etiam in amphitheatro. Vilissimæ enim animæ addictæ his ludis, & velut consecratæ, in partes diducebantur, & magno studio huic generi gladiatorum favebant, aut illi. Hic enim in Thracum armaturam pronus, alius in Myrmillonum, aut secutorum. Antoninus Imperator. Sed V. illum infr. in *Parmularius*. Lips. Saturn. II. 24. Thys. de Gladiat. p. 236.

FACTORES sunt fabri lignarii, qui dolia & cupas *faciunt*. Pallad. I. 6. *Doliorum, cuparumque factores necessario habendi sunt.* Barth. Adv. XXXIX. 8.

Factores sunt, qui oleum *faciunt*, id est, ut rite in cellam veniat, omnia procurant. Sunt alii a legulis. Cato de Re Rust. c. 65. *Leguli volunt, uti olea caduca quam plurima sit, quo plus legatur. Factores ut in tabulato diu sit, ut fracida sit, quo facilius efficiant.* Bart. Adv. XXXIX. 8. Pignor. de Serv. p. 549. Popm. de Instrum. fundi c. 3.

Factores in pilæ lusu sunt, qui *faciebant*, id est, qui feriebant, & ludebant, quique in *factiones* erant divisi, id est, ut dicimus in consuetudine, in partes. Plaut. Curc. II. 3. 18.

Et datores, & factores omnes subdam sub solum.

Turneb. Adv. VII. 4: XIV. 22. Scalig. in Manilium p. 117.

FAD.

FADIA gens. V. illam infr. in *Gens*.

FÆC.

FÆCIUM inunctio pro persona olim fuit usitata. Scholiast. Aristoph. Νεφελ. dicens. Poetas, *ne noti essent, fæcibus unctos, poemata per vicos cantitasse plaustris insidentes.* Ex quo in temporis ratione nonnihil hallucinatus est Sidon. Carm. IX. 232. dicens:

Pictum fæcibus Æschylon secutus.

Ejus enim jam ætate decentiores aliæ personæ videbantur: licet tali tinctura vultus contentus Aristophanes post Æschylum, quasi personatus in scenam prodierit, Cleonis personam acturus. *Mariscott. de Pers. & Larv. c. 7.*

FÆS.

FÆSULÆ est urbs inter primas Etruriæ antiqua. Reliquiæ cum Episcopali sede etiam nunc imminent in Apennini collibus. Hodie vocatur *Fiesole*. Ejus memoria extat apud Polyb. II. 22. *Ipsi occulta profectione Fæsulam tendunt.* Liv. XXII. 3. *Læva relicto hoste Fæsulas petens, medio Etruriæ agro prædatum profectus.* . . . . . Cluver. Ital. Ant. II. 3. 8. Colonia Romanorum postea est facta, colonis eo a Sylla deductis. Cicer. Cat. II. 9. *Hi sunt homines ex iis colonis, quos Fæsulis Sylla constituit.* Sigon. de Ant. jur. Ital. III. 4. Cluver. l. l.

FAG.

FAGUTAL fuit *sacellum Jovis, in quo fuit fagus arbor, quæ Jovi sacra habebatur.* Festus. *Fagutal a fago, inde etiam quod ibi sacellum Jovis Fagutalis.* Varr. de Ling. Lat. IV. 32. Fertur fuisse, qua parte Exquilinus spectat extremum Viminalem, imminetque Suburræ, olim Oppius dictus. Varro ibid. c. 4. *Oppius mons princeps lucum Exquilinum, lucum fagutalem habet.* Donat. de Urb. Rom. III. 10. Gyrald. Synt. deor. II. p. 88. C. Stuck. de Sacrif. p. 86. Fabric. Descr. Urb. Rom. c. 3. Alex. Gen. dier. II. 18: VI. 11. Spon. Misc. Erud. Antiq. Sect. III. p. 73. Rosin. Antiq. Roman. II. 5.

FAL.

FALCIDIA lex. V. illam infr. in *Lex*.

FALCO fuit cognomen Pompejis & Valeriis commune. Festus: & Serv. Æneid. X. 145. *Falcones dicuntur, quorum digiti pollices in pedibus intro sunt curvati, a similitudine falcis.* Gloss. vet. *Falcones*, δάκτυλοι ποδῶν ἔσω βλέποντες. *Alex. Gen. dier. I. 9. Junius de Pictur. III. 9. Ursat. de Not. Rom. Thes. Antiq. Rom. Græv. Tom. XI. p. 900. F.*

FALERINA tribus. } V. illas infra. in *Tribus*.
FALERNA tribus. }

FALISCI erant genus farciminis, infarcto ventre, vel intestinis optimis carnibus, concisis cum pipere & sale. Stat. Sylv. IV. 9. 35.

Non lucanica, non graves falisci.

Mart. IV. 46. 8.

Et lucanica, ventre cum falisco.

Baccius de vin. & conviv. IV. p. 162. Nonn. de Re cibar. II. 14. Domit. in Statium. Voss. Lex. Etymol.

FALLUS erat *lignum oblongum, in cujus vertice fascinum scorteum fuit.* Suidas. Dionysiis *fallus* gerebatur pone virgines canephoras, & *fallicum* canebatur. Plutarchus in Alexandro. *Fallica sunt carmina, quæ ad fallum canuntur.* Suidas. *Buleng. de Theatr. I. 1.*

FALSARIORUM semper ubique maxima extitit copia, qui *falsa* testimonia componerent, *falsosque* testes adhiberent, qui ea suis gemmis ac sigillis signarent illo inscio, quem testatorem *falso* prædicabant. Hi a Romanis deprehensi, & convicti in exsilium mittebantur. Ad quod respexit Ovid. de Pont. II. 6. 69.

Nec mea subjecta convicta est gemma tabella
Mendacem linis imposuisse notam.

Long. de Annul. p. 114. Interdum manus amputabantur. V. infr. in *Pars*.

FALX arboraria est, qua arbores putamus. Cato de Re rust. c. 10. *Falces arborarias quinque.* Varr. de Re rust. I. 22. *Dicuntur ab eodem scriptore opus esse arborariæ tres.* Turneb. Adv. VII. 23.

Falx lumaria, *qua secamus lumeta, cum in agris serpunt spinæ: quas quod a terra agricolæ solvunt, id est, luunt, lumecta dicuntur.* Varr. de Ling. Lat. IV. 31. Festus. *Luma genus est herbæ, vel potius spinæ.* Turneb. Adv. XXX. 23. Scalig. in Festum.

Falx rustaria est, ut aliqui interpretantur, rusticaria, vel ruralis. Varr. de Re rust. I. 22. *Dicuntur ab eodem scriptore opus esse falces rustariæ decem.* Cato de Re rust. c. 11. *Falculas rustarias decem.* Et ita ego modo dici fingebam, modo a rusco ruscarias somniabam. Dici enim non potest, quam mihi molesta vox ista fuerit. Et vanus ineptusque semper ariolus eram. Nunc ad veram tandem evasisse conjecturam videor. Cum enim apud Festum reperiam. *Rustum ex rubus*, haud dubie *falces* rustarias interpretabor, quibus ruri secantur rubi, qui per agros serpunt. *Turneb. Adv.* VIII. 23: XXIII. 26. *Dacer. in Festum. Popm. de instrum. fundi c. 8.*

Falx sirpicula est, qua sirpabantur & alligabantur dolia veterum, quæ fictilia erant, tum cum erant fracta. Varr. de Ling. Lat. IV. 31. *Sirpiculæ vocatæ a sirpando, id est, ab alligando. Sic sirpata dolia quassa cum alligata dicta. His utuntur in vinea alligando fasces, incisos fustes, faculas.* Turneb. Adv. VII. 23.

Falx stramentaria est, qua post messem stantia in segete stramenta desecamus. Cato de Re rust. c. 10. *Falces stramentarias sex.* Turneb. Advers. VII. 22.

Falx vindemiæ etiam est instrumentum. *Falces*, & cætera vindemiæ instrumenta partim argentea, partim aurea in Dionysii templo suspendebant veteres. Philostr. vit. Apollon. II. 4. *Tomasin. de Donar. c.* 27.

Falx in militia terrestri erat *trabs, quæ adunco præfigebatur ferro, & de muro extrahebat lapides.* Veget. IV. 14. Hinc Cæs. de Bell. Gall. VII. 86. *Falcibus vallum, & loricam rescindunt.* Cui etiam *falces murales* dicuntur ibid. III. 14. *Falces præacutæ, insertæ, affixæque longuriis, non absimili forma muralium falcium.* Has laqueis injectis deflectebant. Cæs. ibid. VII. 22. *Nam & laqueis falces avertebant, quas quum destinaverant, tormentis introrsus reducebant.* Valtrin. de Re milit. Rom. V. 6. Stewech. in Veget. IV. 23. Sigon. Emend. I. 11. Erat etiam in militia navali teli genus *falx* longurio inserta. Liv. XXVIII. 45. *Secures quoque sunt polliciti, rutra, falces, alveolos, quantum in quadraginta longas naves opus esset.* Ejus usus ad præcidendos funes antennarum hostilium, quo navibus aufugere nequeant. Veget. IV. 46. *Falx dicitur acutissimum ferrum, curvatum ad similitudinem falcis, quod contis longioribus inditum, calatorios funes, quibus antenna suspenditur, repente præcidit: collapsisque velis liburnam pigriorem, & inutilem reddit.* Cæsar pergit l. l. *His, quum funes, qui antennas ad malos destinabant, comprehensi, adductique erant, navigio remis incitato prærumpebantur: quibus abscissis antennæ necessario concidebant.* Scheffer. de Milit. nav. II. 7.

FAM.

FAMILIA est *cœtus famulorum.* Ulpian. l. 1. ff. de vi & vi arm. & *familiæ appellatione omnes, qui in servitio sunt, continentur.* Ulpian. l. 25. ff. de ædil. edict. Gloss. *Familia, οἰκετία.* Varro de Re rust. I. 16. *Si ab fundo longius absunt oppida aut vici, fabros parent, quos habeant in villa: sic necessarios artifices, ne de fundo familia ab opere discedat.* Phædr. IV. 21. 23.

— veste, nummis, familia
Hominem exornavit.

III. 19. 1.

Æsopus domino cum solus esset familia.

Familiam, inquit Cicer. pro Cæcin. c. 19. *intelligimus, quæ constat ex servis pluribus: quum unus homo familia non sit.* Erat enim minimum quindecim capitum. Apulejus laudatus supr. in *Ergastulum.* Et *familiares* vocantur servi. Senec. Epist. 47. *Ne illud quidem videtis, quam omnem invidiam majores nostri dominis, omnem contumeliam servis detraxerint. Dominum patrem familiæ appellarunt, servos, quod etiam in mimis adhuc durat, familiares.* Voss. Lex. Etymol. Pignor. de Serv. p. 41. Morestell. de Feriis Roman. Dial. 18. Keuchen. in Frontin. de Aquæd. Thes. Ant. Roman. Græv. Tom. IV. p. 1657. E.

Familia dicebatur etiam curatoribus aquarum data, tum publica, quam Agrippa: tum privata, quam Claudius constituerat. V. supr. in *Consularis aquarum.*

Familia dicebantur quoque gladiatores, qui sub uno lanista agebant. Senec. de Ben. VI. 12. *Quo lanista, qui familiam suam summa cura exercet, atque ornat.* Suet. Aug. c. 42. n. 4. *Cum venalitias, & lanistarum familias Urbe expulisset.* In lapide prisco: MUNUS FAMILIÆ GLADIATORIÆ. Eum dicebant *familiæ* præesse. Cicer. pro Sull. c. 19. *At præfuit familiæ Cornelius. Jam si in paranda familia suspicio est nulla; quod præfuit, nihil ad rem pertinet.* Nam hunc Cornelium scilicet fuisse pro lanista. *Lips. Saturn.* I. 15. *Thulemar. in Freher. Cecropistrom. Thes. Ant. Rom. Græv. Tom.* IX. *p.* 1155. *Thys. de Gladiat. p.* 220. Hinc natum proverbium, *ducere familiam*: quod idem censeo, ac *familiæ* præesse. Sumptum est ab hac ipsa lanistarum præfectura. Estque Ciceroni familiare. Cicer. Phil. V. 8. *Lucius quidem frater, ut qui peregre depugnavit, familiam ducit.* Fam. VII. 5. *Accedit etiam, quod familiam ducit in jure civili, singularis memoria, summa scientia.* Lips. & Thys. l. l. Muret. Var. Lect. IV. 17. Hinc ducebantur quoque doctores, magistri, & dictata dare. V. singula suis locis.

Familiæ appellatio est quoque translata ad eos, qui ex eadem sunt cognatione, ut [illegible] C[illegible]larum, Scipionum. Festus: *Familia antea in liberis hominibus dicebatur, quorum dux & princeps generis vocabatur pater familiæ. Unde familiæ nobilium Pompiliorum, Valeriorum, Corneliorum: & familiares ex eadem familia: postea hoc nomine etiam famuli appellari cœperunt, permutata I cum V litera.* Voss. Lexic. Etymol. Morestell. de Feriis Roman. Dial. 18. A gente quomodo differat V. inf. in *Gens.* Illarum conditio fuit varia. I. Si genus spectabimus, aliæ fuerant patriciæ, aliæ plebejæ. Romulus enim, ut scribit Dionys. II. p. 83. Urbe condita totum populum in duas partes distribuit; unam eorum, qui inter cæteros aut genere, aut virtute, aut divitiis excellebant; alteram eorum qui his omnibus rebus inferiores erant: atque illos quidem patres, hos vero plebejos nominavit. Patres vel ab ætate, quasi senes, unde senatores; vel quod filios, vel quod patres haberent: plebeji non haberent; vel denique Atheniensium exemplo, qui summo loco natos, εὐπατρίδας; obscuro, ἀγροίκους vocarunt, appellavit. Ut autem patriciis sacra, judicia, magistratus, senatum, & totius Reipublicæ administrationem commisit; sic plebejos, his omnibus muneribus vacuos, quæstuosis artibus operam dare voluit. Itaque P. Decius plebejus in hanc sententiam apud patres ita est locutus apud Liv. X. 8. *Semper ista audita sunt eadem; penes vos auspicia esse, vos solos gentem habere, vos solos justum imperium domi militiæque.* Et Appius Claudius patricius apud Liv. VI. 41. V. illum supr. in *Auspicia.* Animadversione dignum est, eum plebejum fuisse, qui civitate Romana donabatur; patricium autem neminem, nisi nominatim vel a Regibus, vel a populo, vel denique ab Imperatore factus esset, fuisse. Cur autem ejusdem gentis ac nominis *familia* altera patricia, altera plebeja fuerit, quales plerasque fuisse reperimus, causas reddimus I. quod non ab eodem ambæ fonte fluerent, ut si quis *familiam* M. Tullii Longi, qui patricius anno post Reges exactos decimo consul cum Ser. Sulpicio fuit, quæ a Ser. Tullio Rege duceretur, diversam esse a M. Tullii Ciceronis oratoris *familia* dixerit, qui plebejus fuit; quam a Tullio Attio Volscorum Rege, qui multo post Ser. Tullium vixit, manasse quibusdam placuit. II. quod ex patricia aliqua gente alii ad plebem se contulerint, alii in patriciatu remanserint; ex plebeja vero alii a plebe ad patres transierint. Siquidem scribit Suet. c. 2. n. 1. gentem Octaviam in patricias transductam, procedente tempore ad plebem se contulisse, ac rursus per D. Julium in patriciatum rediisse. Et Cicer. Brut. c. 16. *Transitiones a plebe sunt, cum homines humiliores in alienum ejusdem nominis infunduntur genus; ut si ego me a M'. Tullio esse dicerem, qui patricius cum Ser. Sulpicio consul fuit.* III. ab adoptione, ut cum plebejus a patricio, aut contra patricius a plebejo adoptaretur. Necesse enim erat eum conditionem sequi adoptantis. Ita M. Brutus plebejus a Q. Cæpione patricio adoptatus, & Q. Cæpio Brutus dictus; & P. Scipio patricius a Q. Metello plebejo adoptatus, & Q. Metellus Scipio dictus, patriciam Brutorum, & plebejam Scipionum *familiam* reddiderunt. IV. a libertate. Liberti enim assequuntur illi quidem nomen domini gentilicium; at conditionem, si patricius sit, non assequuntur. Unde Horatius Flaccus plebejus, cum & Horatii patricii sint. V. a civitate. Nam qui civitatem beneficio alicujus patricii impetrabant, ii nomen ejus tantum adipiscebantur, in plebe autem remanebant. II. Si honores spectabimus, partim nobiles, partim novæ fuerunt. Nobiles patricii dicti sunt, quibus primum honores ii, ex quibus nobilitas comparatur, in Republica patuerunt: post autem plebeji etiam, ubi primum ad curules honores pervenerunt, nobiles dici cœpti sunt: neque enim ex genere nobilitas, sed ex imaginibus paratur: siquidem ii nobiles dicti, qui majorum suorum imagines haberent. Quid sit

imago, & imaginem ſui ponere, V. infr. in *Imago*. Novi dicti ſunt, qui nulla majorum commendatione ipſi primi ad magiſtratus curules pervenerunt. Appian. Bell. civ. II. p. 428. *Novos homines vocant eos, qui non majorum gloria, ſed ſuapte virtute inclaruerunt.* Itaque Cicer. in Rull. II. I. *Me hominem novum conſulem feciſtis.* II. 36. *Quemadmodum cum petebam, nulli me vobis auctores generis mei commendarunt: ſic, ſi quid deliquero, nullæ ſunt imagines, quæ me a vobis deprecentur.* in Piſon. c. I. *Obrepſiſti ad honores commendatione fumoſarum imaginum.* Sigon. de Nom. Roman. c. 6. Panvin. de Nom. Roman. Theſ. Ant. Rom. Græv. Tom. II. p. 2008. C. 2018. B. Manut. de Civit. Theſ. Ant. Rom. Græv. Tom. I. p. I. E. Robortell. de Famil. Roman. Miſc. Erud. Ital. Tom. I. p. 640. Strein. de Gent. & fam. Rom. in Claudia plebeja. Rævard. Var. V. I.

Familia Acilia plebeja, ſed nobilis conſulatibus quinque, & triumpho uno ante Imperatores fuit, neque poſtea minus floruit. Vigente Republica ejus ſtirpes duæ, Glabrionum & Balborum. V. illas ſuis locis. Conſulares ambæ fuerunt. *Auguſtin. de Famil. Roman. in Acilia. Streinn. de Gentib. Roman. in Acilia.*

Familia Ælia, ſive Ailia, plebeja, ſed non ignobilis multis ex conſularibus viris, & duobus cenſoriis, ac duobus, qui magiſtri equitum fuerunt. Antiquiores cognomento Paiti, ſive Pæti dicti, deinde Cati, Tuberones, Ligures, Lamiæ vigente libertate. Poſtea ex eadem Imperatores fuerunt P. Ælius Hadrianus, T. Ælius Antoninus Pius, L. Ælius Aurelius Commodus. V. illos ſuis locis. *Auguſtin. de Famil. Roman. in Ælia. Glandorp. Onomaſt. Roman. p.* II. *Strein. & Urſin. de Famil. Roman. in Ælia.*

Familia Æmilia, ſive Aimilia patricia clariſſima fuit, ab ipſis initiis libertatis Reipublicæ Romanæ ad Auguſti tempora multis illuſtribus viris domi militiæque decorata, pontificatu maximo, dictaturis, triumphis, principatibus ſenatus, cenſuris, conſulatibus, magiſteriis equitum, & tribunatibus militum conſulari poteſtate, & triumviratu Reipublicæ conſtituendæ, ita ſæpe, ut paucæ eam numero vincant, exornata eſt. Dividitur in quinque præcipuas ſtirpes, quæ cognominibus diſtinguuntur, Mamercinorum, Barbularum, Paullorum, Paporum, Lepidorum. *Auguſtin. de Famil. Roman. in Æmilia. Streinn. de Gentib. Roman. in Æmilia. Moreſtell. de Feriis Roman. Dial.* 20. *Malvaſ. Marm. Felſin. Sect.* VII. *c.* 8. *Glandorp. Onomaſt. Roman. p.* 20. *Panvin. de Nom. Roman. Theſ. Ant. Rom. Græv. Tom.* II. *p.* 2002. *B. Patin. Fam Rom. p.* 7.

Familia Antonia in duas gentes diviſa, patriciorum, & plebejorum, paucos habuit, qui magiſtratus majores, & honores fuerunt adepti. Patricii duo Merendæ cognomento dicti, quorum alter T. Antonius decemvir legibus ſcribendis fuit anno Urbis 303. Alter Q. Antonius, hujus, ut creditur, filius tribunus militum fuit conſulari poteſtate anno 331. Secutus eſt magiſter equitum M. Antonius, P. Cornelio Rufino Dictatore anno 419. quem ſuperioribus patriciis connumeraſſem, niſi me cognominis defectus, & prænomen Marci retardaret, & quod jam tum plebeji magiſtri equitum fierent, poſt C. Licinium Calvum, qui primus e plebe fuit anno 385. Plebeji poſt hunc ſex, conſulatus obtinuerunt ſeptem, cenſuras duas, triumphos duos, ovationem unam, magiſterium equitum unum, triumviratus Reipublicæ conſtituendæ duos. *Familiæ* princeps florente Republica fuit M. Antonius. V. illum, ejusque filium & nepotes ſupr. in *Antonius*. Auguſtin. de Famil. Roman. in Antonia. Streinn. de Gentib. Roman. in Antonia. Panvin. de Nom. Roman. Theſ. Ant. Rom. Græv. Tom. II. p. 2002. B. Urſin. de Famil. Roman. in Antonia. Glandorp. Onomaſt. Roman. p. 65.

Familia Aquilia duplex, patriciorum, & plebejorum, paucos habuit conſulares, & triumphales, aut aliis maximis honoribus uſos. Patriciorum vetuſtiſſima memoria eſt. M. Aquilium duumvirum ſacris faciundis a Tarquinio Superbo inſui culeo juſſum ob libros Sibyllinos evulgatos ſcribit Dionyſ. IV. 260. Poſt hanc Aquiliorum, & filiorum L. Junii Bruti primi conſulis conjuratio, ut Reges reſtituerentur. Dionyſ. V. p. 281. Primus conſul C. Aquilius Tuſcus anno 256. Ovans de Hernicis in Urbem rediit. Poſt centum uno minus anno L. Aquilius Corvus tribunus militum fuit conſulari poteſtate cum aliis quinque patriciis. Plebeji tres conſulares, & triumphales fuerunt. Primus C. Florus M. F. G. N. conſul fuit, & de Pœroeis triumphavit IV. Non. Octobr. anno 494. Poſt hunc M. Aquilius M. F. M. N. fuit conſul anno 624. & triumphavit ex Aſia III. Non. Novemb. anno 627. Hujus filius M. Aquilius conſul fuit anno 651. Ovans rediit proconſul de ſervis fugitivis ex Sicilia poſt biennium. Poſtea ſenatu a cenſoribus motus iterum prætor fuit Cicerone conſule, & a ſenatu abdicare coactus ob conjurationem Catilinæ occiſus eſt. Addendus eſt his C. Aquilius Gallus Ictus, qui prætorius fuit. Tempore Auguſtorum invenio M. Aquilium C. F. Julianum, qui conſul fuit anno 791. Q. Aquilium Sabinum, qui bis conſul fuit ſub Caracalla anno 986. & 988. Aquilium Orfitum, qui conſul fuit anno. . . . *Auguſtin. Urſin. & Patin. de Famil. Roman. in Aquilia. Glandorp. Onomaſt. Roman. p.* III.

Familia Attilia duplex, patriciorum, qui Longi dicti ſunt; & plebejorum, qui Reguli, & Serrani, & Calatini, & Bulbi ſunt appellati. V. illos ſuis locis. *Auguſtin. & Patin. de Famil. Roman. in Attilia. Glandorp. Onomaſt. Roman. p.* 133. *Ferret. Muſ. Lapid.* IV. *memor.* 39.

Familia Aurelia, prius Auſelia dicta, & plebeja, tribus cognominibus diſtincta eſt: Cottarum, Oreſtarum, Scaurorum. Cottæ ab anno Urbis 500. ad 700. ſeptem habuit conſulares, quorum unus bis fuit conſul, duo cenſores, unus magiſter equitum, unus triumphalis. Oreſtæ eiſdem temporibus tres conſulares; unus etiam triumphalis. Scaurus unus conſularis. Hæc florente Republica. Poſtea multis Imperatoribus illuſtris reddita eſt. Nam propter adoptionem Hadriani T. Aurelius Antoninus, qui poſtea Pius appellatus eſt, T. Aurelius Antoninus dictus, & quos ipſe adoptavit, M. Annius & L. Cejonius Aurelii Antonini appellati ſunt, & poſt eos Commodus M. F. item Caracalla Septimii Severi filius, & Elagabalus M. Aurelii Antonini dicti ſunt. Severus quoque Alexander, Valerianus, Claudius, Aurelianus, Probus, Carus, Carinus, Numerianus, Diocletianus, Maximianus, Conſtantius, Severus, Maxentius, Conſtantinus & Licinius Aurelii fuerunt appellati. Oreſtas, Cottas, & Scauros V. ſuis locis. *Auguſtin. & Patin. de Famil. Roman. in Aurelia. Glandorp. Onomaſt. Roman. p.* 142. *Sigon. de Nom. Roman. c.* 4. *Panvin. de Nom. Roman. Theſ. Ant. Rom. Græv. Tom.* II. *p.* 2005. *A.*

Familia Cæſarum ante Auguſtum quatuor dictaturas, cenſuram, ſex triumphos, pontificatum maximum, conſulatus novem obtinuit. Cæſarum I. Sext. Julius. S. F. L. N. conſul fuit anno 596. II. Sext. Cæſar C. F. S. N. a Verrio appellatur. Conſul fuit anno 662. III. L. Cæſar L. F. S. N. ſuperioris frater patruelis conſul fuit anno primo belli Marſici. Cenſor fuit anno proximo poſt conſulatum. Biennio poſt occiſus eſt cum C. Cæſare Strabone, qui ædilis curulis fuit, quæſtor trib. milit. bis, decemvir agris dandis, attribuendis, judicandis, & pontifex. IV. Hujus filius L. Cæſar conſul fuit anno 689. Semper optimarum partium fuit, nulla propinquitatis C. Cæſaris, vel M. Antonii habita ratione. Qua de cauſa proſcriptus eſt a triumviris, conſervatus a ſorore invito filio ejus Antonio. Hujus filius fuit alter L. Cæſar, qui cum mandatis de pace miſſus eſt ad Cæſarem initio belli civilis. V. C. Julius C. F. C. N. Cæſar. Fuit pontifex maximus. Et pontificatus initium fuit idem ille annus conjurationis Catilinæ, in qua conſenſiſſe inſimulatus eſt. Quadriennio poſt conſul fuit anno 694. Poſt conſulatum decem annos Gallias tenuit, poſtea cum exercitu adverſus Cn. Pompejum, & conſules Romam venit. Dictator a M. Lepido prætore urbano dictus eſt anno 704. Iterum conſul anno proximo quo anno victo Pompejo II. dictator Reipublicæ conſtituendæ. III. conſul anno 707. Fuit

& III. dictator anno proximo. IV. consul sine collega. Eodem anno IV. dictaturam iniit, quæ ei postea perpetua concessa est. In tertio consulatu quater triumphum egit, I. de Gallis & Germanis. II. de Pharnace Ponti Rege ex Asia. III. ex Ægypto de Rege Ptolemæo. IV. de Juba Mauritaniæ Rege ex Africa. In quarto consulatu quintum egit ex Hispania. Anno 709. dictator IV. vel potius perpetuus consul. V. occisus est Eidibus Martiis. In quarta dictatura ovans ex monte Albano VII. Kal. Februar. reversus est. V. etiam supr. in *Cæsar Julius*. Augustin. de Famil. Roman. in Julia.

Familia Calpurnia, origine Sabina, plebeja fuit, multosque habuit consulares viros, censorios tres, triumphalem unum. Tribus cognominibus distinguitur, Pisonum, Bestiarum, Bibulorum. V. illos suis locis. *Augustin. de Famil. Roman. in Calpurnia. Panvin. de Nom. Roman. Thes. Ant. Rom. Græv. Tom.* II. *p.*2005. *D. Glandorp. Onomast. Roman. p.* 187.

Familia Cassia duplex, patriciorum, & plebejorum. Patricius unus consularis, cujus cognomen varie scribunt: alii Vitellinum, alii Viscellinum, alii Bicellinum. Ter consul fuit, bis triumphavit, primus magister equitum fuit. Consul fuit anno 251. & triumphavit de Sabinis. Quadriennio post magister equitum primus factus est. Iterum consul fuit anno nono post alterum consulatum. Tertio consul fuit septennio post factus agrariam legem primus tulit, & de Volscis & Hernicis triumphavit. Ex lege agraria tyrannidis affectatæ crimine offensi senatores post consulatum damnarunt, eo interempto domus diruta est, in solo ædes Telluris facta est. A patre de consilio propinquorum damnatum, & interemptum fuisse aliqui historici prodiderunt, & peculium Cereri consecratum. Plebeji septem consulatus totidem, censuras duas ante Cæsarem Dictatorem obtinuerunt. Cognomen omnibus Longinus, uno Varo excepto, & altero Longino Ravilla dicto. *Augustin. Ursin. & Patin. de Famil. Roman. in Cassia. Glandorp. Onomast. Roman. p.* 202. *Malvas. Marm. Felsin. Sect.* V. *c.* 17. *Ursat. de Not. Rom. Thes. Ant. Rom. Græv. Tom.* XI. *p.* 593. *D.*

Familia Deciorum fuit Romæ clarissima & amplissima, cum propter res domi militiæque præclare fortiterque gestas, tum vero propter singularem erga patriam pietatem & amorem. Nam Q. Decius, parens hujus *familiæ*, qui primus e Deciis consul fuit, Codri Atheniensium Regis exemplo, devovit se, & voluntariam mortem pro patria oppetiit: cujus mors ita gloriosa fuit, ut eandem concupisceret filius, & amplissimis perfunctus honoribus, & quartum tum consul. Nepos haud ipse majorum suorum virtute indignus, & quidem certe laudem, quæ in hac *familia* floruit, cupidissime est persecutus, dissimili tamen ratione: neque enim se devovit, ut quidam existimant, sed consul in prælio contra Pyrrhum fortiter pugnans cecidit. Plebeja fuit. Juven. Sat. VIII. 254.

Plebejæ Deciorum animæ, plebeja fuerunt
Nomina: pro totis legionibus attamen, & pro
Omnibus auxiliis, atque omni plebe Latina
Sufficiunt diis infernis, terræque parenti.

Augustin. & Strein. de Famil. Roman. in Deciorum. Glandorp. Onomast. Roman. p. 295.

Familia Julorum duodecim majoribus honoribus usos habuit, qui decemviratum legibus scribendis, dictaturam, censuram, magisterium equitum, consulatus VII. tribunatus militares consulari potestate IX. consecuti sunt. Julorum I. C. Julus L. F. consul fuit anno 264. II. hujus filius fuisse creditur C. Julus C. F. L. N. qui consul fuit post septem annos. Decemvir fuit legibus scribendis anno 302. legatus occisus est anno deinde XIII. III. fuit Vopiscus Julius Julus, qui fuit consul anno 286. Hic fortasse superioris frater fuit. IV. C. Julus consul fuit anno 306. Hic fortasse decemviri filius fuit. II. consul post annos duodecim. V. L. Julus, qui Vopisci filius fuisse creditur, tribunus militum fuit anno 315. Fuit etiam magister equitum. Anno proximo consul n. 323. VI. Sext. Julus post sex annos tribunus militum fuit: hujus parentes ignoramus. VII. C. Julus L. F. Vopisci N. tribunus militum fuit anno 345. & triennio post iterum. Censor mortuus est anno 361. VIII. Hujus frater fuit L. Julus, qui tribunatum militum gessit anno 352. & iterum post quadriennium. IX. Ante hunc alter L. Julus eundem magistratum gessit biennio ante priorem superioris tribunatum. Ejus parentes ignoramus. X. eodem nomine appellatus est. Tribunus militum fuit anno 365. XI. ejusdem nominis similem tribunatum gessit anno 374. XII. C. Julius Julus dictator rei gerundæ causa in castris dictus est anno 401. *Augustin. de Famil. Rom. in Julia.*

Familia Livia, quamvis plebeja, olim admodum floruit, octo consulatibus, censuris duabus, triumphis tribus, dictatura, ac magisterio equitum hone[illegible]. S[illegible]et. Tib. c. 3. n. 3. Sed cum ejus verba cum [illegible] tis con[illegible]laribus, qui hodie circumferuntur, contuli, a[illegible]e ejusdem Imperatoris tempora septem consulatus, magisteria equitum duo invenio. Quo fit, ut existimem, alterum magistrum equitum, non magistrum, sed consulem in illis fastis, quos Suetonius secutus est, proditum fuisse. Liviorum cognomina fuerunt Denter, Salinator, Drusus, Libo, Æmilianus, Claudianus. V. illos suis locis. *Augustin. & Strein. de Famil. Rom. in Livia. Glandorp. Onomast. p.* 542.

Familia Lucretia patricia cum Tarquiniis Regibus propinquitate conjuncta, & ab eis propter injurias desciscens vindicandæ libertati causam præbuit, & exactis Regibus intra 130. annos septem viri consulatus sex, tribunatus consulari potestate totidem, triumphos duos in ea obtinuerunt. Omnes cognomine Tricipitini, uno excepto Flavo, V. illos suis locis, sunt appellati. Plebejæ sine cognomine fuerunt P. Lucretius præfectus Urbis anno 294. Sp. Lucretius ædilis plebis creatus prætor anno 548. Ei Ariminum, sive Gallia provincia obtigit. Alter Sp. Lucretius prætor. Ei Hispania ulterior provincia obtigit a. 581. Anno proximo C. Lucretius Gallus prætor etiam fuit. Paullo ante idem, sive alter C. Lucretius duumvir navalis fuit anno 572. Ante hæc tempora anno primo belli Punici II. duo quæstores Romani a veniente in Ligures Hannibale intercepti sunt C. Fulvius & L. Lucretius. Et cum cognomine Vespillonis & Ofellæ. V. illos suis locis. *Augustin. & Strein. de Famil. Roman. in Lucretia. Glandorp. Onomast. Roman. p.* 556. *Vaillant. Numism. p.* 69.

Familia Lutatia plebeja nobilissima fuit, viris clarissimis atque ornatissimis illustris. Consulatus quinque, censuras duas, triumphos tres, & principatum senatus quinque tantum viri consecuti sunt. Omnes Catuli cognomine, uno excepto Cercone nuncupati. V. illos suis lo[illegible]s. *Augustin. Famil. Roman. in Lutatia. Ursin. & Patin. Fam. Rom. in Lutatia. Vaillant. Numism.* I. *p.* 11.

Familia Pinciorum circa Constantini tempora nobilissima admodum in Urbe fuit, ut pleraque testantur elogia hinc inde per Urbem posita, quæ ejus gentis viris, & feminis honorificentissimis titulis dicata sunt. *Panvin. Descr. Urb. Rom. Thes. Antiq. Roman. Græv. Tom.* III. *p.* 278. *D.*

Familia funesta dicebatur, quamdiu justa defuncto non fecisset hæres, auctore Varr. de Ling. Lat. IV. Cajus l. 28. ff. de stipul. serv. *Quod ejus familia funesta facta ex tempore mortis intelligatur.* Rævard. de Div. reg. jur. CXXXVIII. Guther. de jur. man. I. 7.

Familiæ emptor. V. illum supr. in *Emptor.*

Familiæ erciscundæ titulus est Digest. X. 2. Hac in voce mirabilis est admissa corruptio, cujus auctor fortasse ipse Tribonianus, quum antiquum verbum non caperet, quo usi ICti. Hæc actio *familiæ* erciscundæ ex lege XII. tabularum constituta fuit cohæredibus, & consortibus a communione discedere volentibus, qua inter eos res hæreditariæ dividerentur. Qui igitur a consortio hercti non citi, id est, hæreditatis non divisæ, ferctum enim & herctum appellabant bona & hæreditatem, discedere volebant, & herctum citum habere, id est, hæreditatem divisam, ea

actione experiebantur *familiæ* ercıscundæ. Tota hæreditas eo judicio dividi petebatur, non sola *familia*. Icti veteres *familiæ* nomine non hæreditatem universam intellexere, sed eam tantum, quæ in numero servorum consistit. V. supr. in *Familia*. Neutiquam mihi fit verisimile solius *familiæ* appellatione eam actionem constituisse XII. tabulas, quæ universæ hæreditatis, ac totius patrimonii divisionem spectabat. *Familiam* a pecunia aperte distinguit Gell. I. 9. *Quod quisque familiæ pecuniæve habebat, in medium dabat.* Sæpe occurrit *familia* & pecunia junctim posita ad [illegible] hominis divitias. Atque hæc ita distinguuntur in XII. tabulis: *Paterfamilias ut ei super familia, pecuniave sua legasset, ita jus esto.* *Familiæ*, & pecuniæ nominibus universa bona comprehendebantur. Nam eorum divitiæ in pecore consistebant. Gell. XIX. 1. *Græcus quispiam dives ex Asia, magno, ut videbamus, cultu paratuque rerum & familiæ.* Phædr. IV. 21. 23. laudatus supr. in *Familia*. Ercisci, quod pro dividere positum putant in ea locutione, nihili verbum est, & cœlo ignotum Latino in ea significatione. Nugas agit Paullus Festi abbreviator, dum erctum citum explicat his verbis: *Erctum a coercendo dictum, unde & ercıscunda, & ercisci. Citum autem a ciendo vocatum.* Imo erctum significat patrimonium: citum divisum. Inde hercto non cito, bonis hæreditatis non divisis. Hinc actio illa XII. tabularum ita concepta fuisse videtur: *Familiæ, hercti, ciundæ*, id est, *familiæ*, & [illegible] quorum bonorum, quæ hercti nomine comprehenduntur, dividundorum. Hoc, cum Tribonianus non caperet, mutavit in *familiæ* ercıscundæ, & putavit id esse [illegible] dividundæ. Ab eo Philox: Gloss. ercıscundæ exponit διαιρέσεως. Forte etiam in XII. tabulis scriptum fuit: *Familiæ ercti* [illegible]. Nam cisco idem est quod cio, pro divido: & ciscunda pro ciunda, dividenda. Glossæ: *cienda*, διαιρούμενα. [illegible] *mas. Exercit. Plinian. p.* 891. *b. D. Victor. Var. Lect.* XXXV. 1. *Cujac. Observ.* IX. 36. *Ravard. de Div. reg. jur.* LXXXV. *Rittersh. in Leg.* XII. *tab. Class.* III. *p.* 2. *c.* 24.

FAN.

FANNIA lex. V. illam infr. in *Lex*.

FANUM differt a templo, quod sit area templi & solum, templum ædificium. *Turneb. Adv.* III. 9. *Guther. de Vet. jur. Pontif.* II. 3. Est locus templo effatus, jam consecratus. Liv. X. 37. *In ea pugna Jovis Statoris ædem votam, ut Romulus ante voverat. Fanum tantum, id est, locus templo effatus, jam sacratus fuerat.* Primis temporibus *fanum* Romæ nullum. Cum adolesceret Urbs religionibus dedita, & paupertatis onera levaret votis, *fana* fuere plurima. Proprie tamen *fanum* est locus sacer sine ædificio, ἱερόν, ut colligimus ex Cicer. Attic. XII. 35. *Fanum fieri volo, neque hoc mihi erui potest, sepulcri similitudinem effugere non tam propter pœnam legis studeo, quam propter ἀποθέωσιν, quod poteram, si in villa facerem. In agro ubicunque fecero, mihi videor assequi posse, ut posteritas habeat religionem.* Guther. l. l. Laurent. Var. sacr. gentil. c. 7. Buleng. de Templ. Ethnic. Thes. Antiq. Græcar. Gronov. Tom. VII. p. 51. C. *Fana* sistere quid sit docet Festus: *Sistere fana, cum in urbe condenda dicitur, significat loca in oppido futurorum fanorum constituere, quod Antistius Labeo ait in Comment.* XV. *Juris pontificii, fana sistere esse lectisternia certis locis & diis habere.* Duobus itaque modis dicitur *fana sistere*. I. cum in oppidis condendis loca statuuntur, decernuntur, definiuntur *fanis*, quæ illic construenda erant. Tacit. Annal. IV. 37. *Cum D. Augustus sibi, atque urbi Romæ templum apud Pergamum sisti non prohibuisset.* Hist. IV. 53. *Templum iisdem vestigiis sisteretur.* II. lectisternia certis locis, & diis habere. Et eadem forma, qua sellisternium, quoque lectisternium haberi dicitur. Epitomator Paullus extulit: *lectisternium certis in fano locis componere*, loca accipiens de partibus ejusdem *fani*, non de locis Urbis, quod ego magis opinabar. *Fana* itaque sistit, qui certa statuit, ac decernit *fana*, ubi supplicationis gratia lectisternia habeantur, sive componantur numinibus. *Chimentell. de Honor. bisell.* c. 31. *Voss. Lex. Etymol. Bellus de Part. templ. augur.* I. §. 3. *Struv. Antiq. Roman.* c. 11. *p.* 509. *Turneb. & Guther. l. l.* *Fana* exaugurare quid sit. V. supr. in *Exaugurare*. Cui *fani* cura commissa erat, is *magister fani* vocabatur. Capuæ:

Q. PETICIO. M. F. FAL
MAG. FANI. DIANÆ.

Guther. l. l.

Fanum Carmentæ fuit in infima parte montis Capitolini versus Tiberim, ubi prius habitaculum fuerat Carmentæ. Solin. c. 1. *Pars infima Capitolini montis habitaculum Carmentæ fuit, ubi & Carmentale fanum est, a quo Carmentalis portæ nomen est.* Ejus meminit Gell. XVIII. 7. *Domitio Favorinus noster cum forte apud fanum Carmentis obviam venisset.* Ouzel. in Gellium. Et Dionys. I. 25. *Aram erectam contemplatus sum Carmentæ ad portam Carmentalem sub Capitolio.* Ibi nunc reliquiæ ædiculæ Catharinæ hodie cernuntur. Hoc *fanum* mulieres Romanæ ei deæ ædificarunt, gratiam referentes, quod vehicula, quibus S. C. privatæ fuerant, ipsis essent restituta. *Marlian. Topogr. Urb. Rom.* III. 12.

Fanum Dominarum Albæ Juliæ legitur:

MESTRIUS. MARIINUS
PICTOR. CONSTITUIT
PRO. SALUTE. SUA. ET
SUORUM
FANUM. DOMINARUM

Dominas hic pro deabus dictas nemo ambiget. Sic *vota solvere* Jovi domino dixit poeta. Dominæ autem sunt Parcæ, quæ vitæ dominari credebantur, quibus pro salute sua, & filiorum Pictor *fanum* constituit. *Guther. de vet. jure pont.* II. 3.

Fanum Febris fuit in monte Palatino. Val. Max. II. 5. *Febrem ad minus nocendum templis colebant, quorum adhuc unum in Palatio, alterum in area Marianorum monumentorum, tertium in summa parte Vici Longi extat.* Cicer. de Nat. Deor. III. 25. *Qui tantus error fuit, ut perniciosis etiam rebus non modo nomen deorum tribueretur, sed etiam sacra constituerentur. Febris enim fanum in Palatio consecratum videmus.* Marlian. Topogr. Urbis Rom. II. 21. Elmenhorst. in Minuc. Felic. p. 233. Jun. Anim. III. 1. Laurent. Var. sacr. Gentil. c. 6. Fulv. Ant. Roman. I. p. 65: II. p. 101. Struv. Rom. c. 1. p. 168. Nardin. Rom. Vet. VI. 14. Borrich. Ant. Urb. Fac. c. 12. §. 3.

Fanum Herculis fuit ad portam Capenam. Mart. III. 47.

Capena grandi porta qua pluit gutta,
Et qua pusilli fervet Herculis fanum.

Nardin. Rom. Vet. III. 3.

Fanum Rediculi ad portam Capenam in via Appia ad secundum ab Urbe lapidem a Romanis ædificatum fuisse, ibique Hannibalem castra metatum, indeque tempestatibus revocatum legimus. Puto ego illud fuisse in eo colliculo, qui cis ædem Sebastiani mœnibus Urbis subjectus est. Ita Festus: *Rediculi fanum extra portam Capenam Cornificius ait fuisse: qui Rediculus propterea appellatus est, quia accedens ad Urbem Hannibal ex eo loco redierit quibusdam visis perterritus.* Nardin. Rom. Vet. III. 3. Aring. Rom. Subterr. III. 10. 13. Gyrald. Synt. Deor. I. p. 60. F. Alex. Gen. II. 4. Struv. Ant. Rom. I. p. 162.

Fanum Vaticani dei in monte fuit Vaticano. *Blond. Instaur. Rom.* I. §. 44. *Aring. Rom. Subterr.* II. 3. 9.

Fanum Veneris Murciæ religiose sub monte Vaticano colebatur. Festus: *Murciæ deæ sacellum erat sub monte Aventino, qui antea Murcus vocabatur.* In veteribus monumentis Danielis nostri idem scriptum reperi: *Vallis ipsa ideo Murcia dicta est, quod fanum Veneris Verticordiæ ibi fuerit, circa quod nemus murtetis consitum fuisset.* Scalig. in Festum. Aring. Rom. Subterr. III. 1. 5.

FAR.

FAR *primus antiquis Latio cibus.* Plin. XVIII. 8. *torrere, ut auctor eſt Hemina, Numa inſtituit.* Plinius mox laudandus. *Laurent. Var. Sacr. Gentil. c. 1.* Illo pro frumento utebantur veteres. Gell. XX. 1. ex LL. XII. tabularum: *Qui em vinctum habebit, libras farris in dies dato.* Horat. Sat. I. 5. 68.

— cui ſatis una
Farris libra foret, gracili ſic, tamque puſillo?

Auguſtin. in Leg. XII. tabb. §. 38. Buleng. de Conviv. II. 57. Ouzel. in Gellium. Ab illo in quovis ſacrificio factum eſt initium. Dionyſ. II. p. 95. *Romani exiſtimantes far eſſe omnium frugum præſtantiſſimum & antiquiſſimum, ab hoc in omni ſacrificio, in quo victima crematur igne, initium faciunt.* Rhodig. Ant. Lect, XXVIII. 17. Laurent. l. l. Ad ſacrificia non eſt purum niſi toſtum. Plin. XVIII. 2. *Numa inſtituit deos fruge colere, & mola ſalſa ſupplicare, atque, ut auctor eſt Hemina, far torrere, quoniam toſtum cibo ſalubrius eſſet. Id uno modo conſecutum ſtatuendo non eſſe purum ad rem divinam, niſi toſtum.* Briſſon. de Form. I. p. 7. Laurent. ibid. c. 22. *Farre* etiam nuptiæ fiebant. V. ſupr. in *Confarreatio.*

FARCIMINA dicuntur inteſtina carne minutatim conciſa referta. Replentur variis rebus, carne fruſtulatim, minutatimque inciſa, ſanguine, adipe ſuillo, aromatibus, ſale, & rebus aliis. Apic. de Art. coquin. II. 5. *Humelberg. in illum.*

FARINA fabacea nihil utilius eſt in balneis pro familiari deterſorio; vel per ſe indita cuti, vel & aceto, teſte Dioſcoride, pilos renaſcentes graciliores reddit, & adoleſcentes facit tardius pubeſcere; tollit maculas, ac lentigines, & æquat cicatrices, & rugas carnis. *Baccius de Therm. Vet. c. 16. & 24.*

FARRATA eſt genus edulii. Juven. Sat. XI. 109.

Ponebant igitur Tuſco farrata catino.

Ubi vetus Interpres: *Cibus ex farre, qui cibus primus antiquorum fuit.* Apud Spartian. Anton. Get. c. 5. ubi pro *farta* ſic lego, quia Palatinus *farrata* ſcriptum habet pro *farta*, & confirmat editio Mediolanenſis, quæ habet *farata*, eſt genus placentæ ex *farre*, vel *farre* conſperſæ. Sic & *farreum libi genus ex farre* apud Feſtum. Erit tamen fortaſſe, qui putabit *farratam* genus fuiſſe pultis ex *farre.* Et ſane videor pultis *farrata* alicubi mentionem legiſſe. *Salmaſ. in Spartianum.*

FARTULEIA gens. V. infr. in *Gens.*

FARTORES erant ſervi, quibus in *farciendis* animantibus veteres utebantur. Colum. VIII. 7. *Pinguem quoque facere gallinam quamvis fartoris, non ruſtici, ſit officium.* Barth. Adv. VIII. 4. Turneb. Adv. XXIV. 23.

Fartores etiam dicuntur, qui *farcimina* conficiunt. Plaut. Truc. I. 2. 11.

— de noſtro ſæpe edunt, quod
Fartores faciunt.

Turneb. Adv. II. 29.

Fartores erant quoque ſervi, qui ob frequentes ſalutationes & prenſationes domino aderant. *Pignor. de Serv. p.* 282. Feſtus: *Fartores nomenclatores; quidam velut inſtruerent nomina ſalutatorum in aurem candidati.* Panciroll. Notit. Dign. Imp. occid. c. 3.

FAS.

FASCES erant bacilli aliquot teretes loro colligati in modum *faſcis*, quorum exemplar frequens in lapidibus & nummis. Fiebant ex ulmo. Plaut. Aſin. III. 2. 28.

Ubi ſæpe ad languorem tua duritia dederis octo
Validos lictores ulmeis affectos lentis virgis.

II. 3. 74.

Ipſos, qui tibi ſubvectabant rure huc virgas ulmeas.

vel ex betula. Plin. XVI. 18. *Betula arbor eſt Gallica, mirabili candore, atque tenuitate, terribilis magiſtratuum virgis.* Quod tamen neſcio, an univerſe id accipiendum, an ex verbis ejus, de Gallia tantum. Italiæ ſane communior ulmus. *Faſcium* inventum Vetuloniæ Etruriæ urbi adſcribit Sil. Ital. VIII. 484.

Mæoniæque decus quondam Vetulonia gentis,
Biſſenos hæc prima dedit præcedere faſces,
Et junxit totidem tacito terrore ſecures.

Lipſ. Elect. I. 23. Dionyſ. V. p. 195. ſcribit Etruſcorum legatos Tarquinio Priſco attuliſſe duodecim ſecures, ut quidam, inquit, ſcripſerunt, ex ſingulis urbibus ferentes. Erat enim Etruriæ mos Regi ſecuiim, & virgarum *faſcem* lictorem præferre. Quod ſi duodecim illis Etruriæ regulis unum eſſe ducem exercitus placuiſſet, illi duodecim *faſces* dabant: idque ait alios ad Romulum referre, ſed fieri potuiſſe, ut Romulus Tuſcorum morem ſecutus ſit. Tarquinium tamen ſcribit ad ſenatum retuliſſe, an illis inſignibus eum uti paterentur: illis permittentibus, lictores duodecim cum ſecuribus & virgis jus dicenti præſto erant, & euntem præcedebant. *Auguſtin. de Legib. in Julia. Lycklama de Magiſtrat. c. 7.* Illos ante magiſtratum ferebant lictores in humeris inclinatos. Ea enim ſpecie in nummo Bruti cernuntur. Et de illis Hegeſipp. Excid. V. *Habent & ſacerdotia ſuos faſces, qui elevantur non humeris, ſed moribus, & attolluntur non virgarum proceritate, ſed fidei altitudine.* Ubi clare de *humeris.* Etſi aliter ſurrectos non negem. In ea geſtatione mos, ut ſi per viam majori alicui magiſtratui occurrerent, ſtatim ſubmitterent *faſces*, &, honoris habendi cauſa, inclinarent. Ortus mos, ut videtur, a Valerio Poplicola, qui primus ſummiſſis *faſcibus* in concionem aſcendit. Liv. II. 7. *Gratum id multitudini ſpectaculum fuit; ſummiſſa ſibi eſſe imperii ſigna: confeſſionemque factam, populi quam conſulis majeſtatem, vimque majorem eſſe. Summiſſis faſcibus*, id eſt, in terram depreſſis, & ante pedes quodammodo dejectis. Errant, qui in Livio interpretantur *faſces* depoſitos & lictores abire juſſos. Signanter enim Plutarch. in Poplic. p. 102. D. *Ipſos etiam faſces ad concionem accedens depreſſit, & inclinavit.* Ab hoc ritu natum proverbium: *ſubmittere faſces*, id eſt, cedere, & fateri ſe minorem, uſurpatum præter alios Cicer. in Brut. c. 6. *Cum tibi ætas noſtra jam cederet, faſceſque ſummitteret.* Lipſ. l. l. Rhodig. Ant. Lect. XII. 7. Braſſic. in Adagiis. Alex. Gen. dier. I. 27. Bud. in Pandect. p. 89. F. Regibus exactis illis poteſtate regia uſi ſunt conſules. De illis Liv. II. 1. V. illum ſupr. in *Conſul.* Panvin. de Civit. Rom. c. 55. Pigh. Annal. Rom. I. p. 65. Rhodig. & Auguſtin. l. l. Bini igitur conſules duodecim *faſces* habebant. Unde Liv. VIII. 22. *Æmilius, cujus tum faſces erant, collegam dictatorem dixit.* id eſt, qui ea die imperium habebat. Alternis enim diebus imperabant conſules cum ambo aderant. *Bud. l. l.* Viciſſitudo hæc *faſcium* habendorum non in dies ſingulos, ut Budæo placet, ſed in menſes mutabatur, ut ex Gellio ſtatim laudando apparebit. Quod etiam ait Dionyſ. V. p. 278. *Eoque menſe*, inquit, *alterum collegam miniſtri duodecim ſine ſecuribus cum bacillis præcederent.* Suet. in Jul. c. 20. n. 2. auctor eſt, *C. Cæſarem conſulem antiquum retuliſſe morem, ut quo menſe faſces non haberet, accenſus ante eum iret, lictores pone ſequerentur.* Auguſtin. l. l. Habebat vero illos priori menſe conſul ætate major, ſequenti ejus collega. Plutarch. ibid. p. 103. D. *Cui*, Lucretio Lucretiæ patri, *majori natu priorem locum concedens tradidit faſces. Inde hæc prærogativa hucuſque grandioribus ætate eſt conſervata.* Val. Max. IV. 1. 1. *Ad quem*, Lucretium, *quia major natu erat, priores faſces transferri juſſit.* De hac viciſſitudine Gell. II. 15. *Capite ſeptimo legis Juliæ priori ex conſulibus faſces ſumendi poteſtas fit; non qui plures annos natus eſt, ſed qui plures liberos, quam collega, aut in ſua poteſtate habet, aut bello amiſit. Sed ſi par utrique numerus liberorum eſt; maritus, aut qui in numero maritorum eſt, præfertur. Si vero ambo & mariti, & patres totidem liberorum ſunt: tum ille priſtinus honor inſtauratur; & qui major natu eſt, priores*

faſces

faſces ſumit. Super his autem qui aut cœlibes ambo ſunt, aut parem numerum filiorum habent, aut mariti ſunt, & liberos non habent, nihil ſcriptum in lege de ætate eſt. Solitos tamen audio, qui lege potiores eſſent, faſces primi menſis collegis concedere, aut longe ætate prioribus, aut nobilioribus multo, aut ſecundum conſulatum ineuntibus. Auguſtin. Panvin. Pigh. l. l. Caroli Antiq. Roman. II. 11. Lipſ. de Magiſtrat. Roman. c. 9. Lycklama de Magiſtrat. c. 7. Pitiſc. in Suetonium. Cautum quoque fuit, ne, ſi ambo *faſces* cum ſecuribus haberent, terror duplicaretur, ut alter conſul *faſces* duodecim ſecuribus alligatos, alter vero virgarum *faſces* tantum cum lictoribus haberet. *Panvin. l. l.* Hoc eſt falſiſſimum. I. P. Valerius Poplicola *ſecures avulſit faſcibus ... reliquit conſulibus, ut tantum extra Urbem ſecuribus uterentur, intra mœnia contenti ſolis faſcium inſigniis.* Dionyſ. v. p. 292. II. viciſſim quot menſibus alter conſulum habebat *faſces*, alter tantum apparitorem, ut ex Suet. Jul. c. 20. n. 2. patet. *Græv. Theſ. Ant. Rom. Tom. I. Præfat * * * * Caroli l. l.* Decemviri omnes cum duodenis prodeunt apud Liv. III. 36. *Initio magiſtratus primum honoris diem denuntiatione ingentis terroris inſignem fecere. Nam quum ita priores decemviri ſervaſſent, ut unus faſces haberet, & hoc inſigne regium in orbem, ſuam quisque vicem per omnes iret, ſubito omnes cum duodenis faſcibus prodiere. Centum viginti lictores forum impleverant, & faſcibus ſecures illigatas præferebant: nec attinuiſſe demi ſecurim, quum ſine provocatione creati eſſent, interpretabantur.* Auguſtin. de Legib. in Valeria. Duumviri municipales *faſcibus* utebantur inſtar conſulum. V. ſupr. in *Duumviri.* Prætoribus ſex præferebantur. V. ſupr. in *Conſul.* Ut & proconſulibus. Ulpian. l. proconſules ff. de offic. proconſulis. *Proconſules non amplius, quam ſex faſcibus utuntur.* Auguſtin. de Leg. in Julia. *Faſces* laureati erant inſignia Imperatorum poſt relatam ab aliquo magno hoſte victoriam. Meminit Cicer. de Divin. I. 28. *C. Marium cum faſcibus laureatis quærere ex te.* Cæſ. de Bell. civ. III. 71. *Sed neque in literis quæ ſcribere eſt ſolitus, neque in faſcibus inſignia lauri prætulit.* Tacit. Annal. XIII. 9. 5. *Ob res a Quadrato & Corbulone proſpere geſtas laurum faſcibus imperatoriis addi.* Laz. Comment. Reip. Rom. IX. 2. & 20. Demſter. Antiq. Roman. X. 29. Mader. in Panvin. de Triumph. Theſ. Ant. Rom. Græv. Tom. IX. p. 1353. C. Rader. in Mart. VII. 6. 6. Nicol. de Triumph. c. 9. §. 2. etiam in Urbe, ſi nullum gereret ordinarium magiſtratum. Origo rei ab Auguſto, cujus honori ſenatus decrevit an. ab U. C. 734. uti conſulari poteſtate ſemper eſſet, *faſcibusque* duodecim uteretur. Dio LIV. p. 527. E. *Ut conſularem poteſtatem, quamdiu viveret, haberet; ut ſemper, & ubique faſces ei duodecim præferrentur.* Eumque morem tenuerunt Principes ſecuti. Poſt adulationem poſtea irrupit, ut omnium Principum *faſces*, & ſemper laureati eſſent: eaque nota maxime diſtinctus a vulgo Princeps. De Gordiano Herod. VII. 6. 2. *Sequebatur ipſum principalis pompa omnis. . . . virgæ item laureatæ, quo inſigni principes a privatis dignoſcuntur.* Capitol. Maximin. c. 14. *Inde Carthaginem venit cum pompa regali, & protectoribus, & faſcibus laureatis.* Quando id cœperit ignoro. Paullatim quidem non ſolum laureati admiſſi *faſces*, ſed & aurati. Claud. in Honor. VI. conſul. n. 645.

— deſuetaque cingit
Regius auratis fora faſcibus Ulpia lictor.

Lipſ. in Tacit. n. 26. Colligati ferebantur. Plutarch. Quæſt. Roman. 81. *Id ſigno fuit, iram magiſtratus non debere eſſe in proclivi, & ſolutam; & faſcium ſolutionem, quæ paullatim fit, moram aliquam iræ injicere, & cunctationem, & nonnunquam facere, ut ſententia de ſupplicio exigendo mutetur.* Pollet. For. Rom. V. 13. Magiſtratuum poſtibus ſuffigebantur. Aurel. Vict. de Vir. Illuſtr. c. 20. n. 1. *Quarum plebeja cum ſororem ſalutaret, cujus vir tribunus militum conſulari poteſtate erat, faſces lictorios foribus appoſitos indecenter expavit.* Claudian. de conſ. Olybr. & Probin. n. 231.

Unanimes fratres cuncto ſtipante ſenatu
Ire forum, ſtrictasque procul radiare ſecures,
Atque uno bijuges tolli de limine faſces.

Petron. c. 30. *In poſtibus triclinii faſces erant cum ſecuribus fixi.* Sagittar. de Jan. vet. c. 33. §. 2. In funere principum præcedebant. Polyb. VI. 51. *Faſces & ſecures, ac reliqua principatibus conſueta, ſecundum dignitatem cujusque præcedunt, qua dum in vivis eſſet, in Republica eminuit.* Et quidem verſi. Tacit. Annal. III. 2. 2. V. illum ſupr. in *Dux.* Albinov. de fun. Druſi n. 141.

Quos primum vidi faſces, in funere vidi,
Et vidi verſos, indiciumque mali.

Kirchman. de Fun. Roman. II. 7. Moreſtell. Pomp. Feral. II. 20. Nicol. de Luct. Græc. c. 11. Lipſ. in Tacitum.

FASCIÆ ædificiorum Ionicis, Corinthiis, & compoſiti ordinis epiſtyliis eminentiæ ſunt illæ, quæ inſtar tæniarum gradatim diſpoſitæ, epiſtyliorum frontes ornant. Vitruv. III. 3. *Reliqua pars* epiſtylii *præter cymatium dividenda eſt in partes duodecim, & earum trium prima faſcia eſt candida.* Tuſcanicum & Doricum Vitruvius ſine *faſciis* exhibet. Palladius & Bartocius veteres, ut profitentur, imitati duabus ornant. Referunt autem ſpeciem adpactarum, ornamenti & utilitatis gratia, regularum. *Philand. in Vitruvium. Bald. Lex. Vitruv.*

Faſciæ crinales ſunt vittæ, mulieribus etiam hodie in uſu ad capillos colligandos, compeſcendosque. Varr. de Ling. Lat. IV. 29. *Faſciola, qua capillum in capite colligarent.* Mulieres capillos ita colligentes eos in orbem volvebant. Juven. Sat. VI. 495.

— altera lævum
Extendit, pectitque comas, & volvit in orbem.

Quam rem etiamnum antiquæ nobis ſtatuæ oſtendunt. *Mag. Var. Lect.* III. 3. V. etiam inf. in *Nimbus.*

Faſciæ crurales fuerunt longæ quædam vittæ laneæ, aut etiam lineæ, quibus antiqui ad contegenda conveſtiendaque crura utebantur, eas complicando volumine rotundo, & ſimplici, intextoque nonnunquam, & alterno: quod expreſſum conſpexi in ſtatua, quanquam non admodum vetuſta, in quodam angulo palatii divi Marci Venetiis. Vel etiam, quibus tibialia laxiora ſocculosque comprimerent, retinerentque ne diffluerent, ac dilaberentur. Hac figura viſuntur in antiquis ſtatuis, leoninis quibusdam capitibus ad cruris medium fere, quousque pertinebant, inſignita. *Mag. Var. Lect.* III. 3. Romæ nonniſi ab ægrotis, aut delicatis, & mollitie laborantibus ſumebantur. Quintil. XI. 3. *Palliolum, & faſcias, quibus crura veſtiuntur, & focalia, & aurium ligamenta ſola excuſare poteſt valetudo.* Horat. Sat. II. 3. 247.

— ponas inſignia morbi
Faſciolas, cubital, focalia.

Nec ulceris excuſatio, quam prætendebat Pompejus, admittebatur a viris prudentibus, ſed incurrebat ille in reprehenſionem, ferens tibiales *faſcias* præter morem aliorum civium. Et in illo inſolentia rei augebatur colore; quia *faſcias* cretatas gerebat, hoc eſt, candida creta dealbatas. Cicer. Attic. II. 3. *Et enim mihi ejus caligæ, vel faſciæ cretatæ non placebant.* De creta illa Plin. XXXV. 17. Hic color regius erat in *faſciis*, quod regium diadema non niſi candida *faſcia* eſſet. Hinc candida *faſcia* in regni ſuſpicionem objicitur Pompejo apud Valerium Maximum ſupr. in *Color albus. Nigron. de Calig.* c. 2. §. 13. *Salmaſ. & Donat. in Lampr. Alex. Sever. c.* 40. *Brod. Miſc.* X. 17. *Demſter. Paral. ad Ant. Rom. Roſin.* V. 35. *Caſaub. ad Suet. Aug. c.* 82. *n.* 1. *Gudius in Phædr.* V. 7. 36. *Ferrar. Elect.* II. 2.

Faſciæ cubiculares erant, quas habebant ad uſum lecti cubicularis. Cicer. de Divin. II. 65. *Defert ad conjectorem quidam, ſomniaſſe ſe, ovum pendere ex faſcia lecti ſui cubicularis.* Donat. Dilucid. p. 980.

Faſciæ humerales dici poſſunt vittæ illæ, quas cirris dependentibus in ſiniſtro humero ſuſpenſas in antiquitatis monumentis habent fere omnes, tam conviviorum, quam

ſacrificiorum miniſtri. Credo pallia appellata, quando ex lana, non ex lino erant. Sic pallia linteis opponit Petron. c. 28. *Jam Trimalcio unguento perfuſus tergebatur non linteis, ſed palliis ex molliſſima lana factis.* Byzantini etiam Imperatores humeralem *faſciam*, ſive lorum portabant, ſed ex ſerico & auro, ac gemmis diſtinctum. Ita in donatione Conſtantini: *Deinde diadema, videlicet coronam capitis noſtri, ſimulque Phrygium, nec non & ſuperhumerale, videlicet lorum, quod imperiale ſolet circumdare collum.* Lorum hoc erat *faſcia* auro atque gemmis diſtincta, quæ utrique humero impoſita, deinde in pectore crucis ſignum exprimebat, ut analabus antiquorum monachorum, & ſtola noſtrorum ſacerdotum. *Ruben. de Re veſt.* I. 13.

Faſciæ mammillares ſunt, quibus mulieres olim utebantur ad mammas cohibendas. Iſidor. XIX. 33. *Faſcia eſt qua tegitur pectus, & papillæ comprimuntur, atque criſpante cingulo anguſtius pectus arctatur.* Ovid. Rem. Amor. n. 337.

— omne papillæ
Pectus habent tumidæ; faſcia nulla tegat.

Mart. XIV. 134. 1.

Faſcia creſcentes dominæ compeſce papillas.

Donat. Dilucid. p. 980. Laurent. in Phædr. v. 7. 36. Demſter. Paral. ad Roſin. Antiq. Roman. v. 35.

Faſciæ medicinales erant, quarum uſus antiquis in medicinæ uſu. Conſtat ex Oribaſii libro, quem de *Faſciis* conſcripſit, & paſſim apud medicinæ ſcriptores omnes. Cicer. Brut. c. 60. *Cn. Octavius, qui defunctus erat, faſciis, & multis medicamentis propter dolorem artuum delibutus.* Spart. Anton. Pio c. 13. *Quum eſſet longus, & ſenex, incurvatusque tiliaceis tabulis in pectore poſitis faſciabatur.* Donat. Dilucid. p. 980.

Faſciæ pectorales virorum fuerunt breves & anguſtæ tuniculæ, pectus & dorſum tegentes, quales noſtræ interulæ, & ſubuculæ, quæ ex lana, goſſypio, & ſerico conficiuntur, licet illæ manicis caruerint. Surſum verſus texebantur. Iſidor. Peluſiot. Epiſt. 74. *Apud quos vel maxime indumentum ejuſmodi ſolet fieri, & arte quadam texi, pectinem retrorſum impellendo, ut fit in faſciis pectoralibus.* Ferrar. Anal. de Re veſt. c. 13.

Faſciæ pedules ut vocantur Ulpian. l. 25. §. faſciæ de aur. & arg. . . . *Faſciæ crurales, pedulesque, & impilia loco veſtium ſunt.* erant quædem ſegmenta, vel panni ex lanea veſte deciſi, vel etiam ex coactilicia, quibus involvebantur pedes atque integebantur, ad eundem plane modum, quo crura ipſa *faſciis* illis, quæ crurales inde ſunt appellatæ. Habebantur ſub pedibus, & infra calceos. Fronto *pedule* interpretatur, *quod ſub pedibus præſtaret utilitatem.* Abſolute dicuntur *faſciæ.* Lamprid. Alex. Sever. c. 40. *Faſciis ſemper uſus eſt.* Varro apud Nonium ſupr. in *Ephippia* laudatus. *Salmaſ. in Lampridium. Demſter. ad Antiq. Rom. Roſin.* v. 35. *Laurent. in Phædr.* v. 7. 36. *Alciat. Præterm.* I. *p.* 119. *C. Caſaub. in Suet. Aug. c.* 82. *n.* 1. *Byn. de Calc. Hebr. c.* 3. §. 17. *Salmuth in Panciroll. de Reb. deperd. & inv. p.* 336. *Turneb. Adv.* XVIII. 23. *Cujac. Obſer.* X. 17.

Faſciæ pueriles ſunt panni & involucra, quibus infantes in cunis colligantur. Plaut. Truc. v. 13.

Faſciis opus eſt.

Vopiſc. Aurelian. c 4. *Quod vinctum faſciola Aurelianum aquila de cunis levaverit.* Erant modo albæ, modo purpureæ pro varia puerorum fortuna. Capitol. Clod. Alb. c. 5. *Acceſſit omen, quod cum pueri ejus familiæ ruſſulis faſciolis illigarentur, quod forte lotæ atque udæ eſſent ruſſulæ faſciolæ, purpurea matris illigatus eſt faſcia.* Barthol. de Puerp. p. 98. Salmaſ. in Vopiſcum. Donat. Dilucid. p. 980.

Faſciæ in veſtibus erant inſtitæ purpuræ, vel conchylii, quæ veſtibus aſſui e panno ſolebant. Suet. Cal. c. 17. n. 5. *Pueris ac feminis faſcias purpuræ, ac conchylii diſtribuit.* Propterea feminis dantur & pueris, quos ſcimus fuiſſe prætextatos. *Caſaub. in Suetonium.*

FASCINUM ut plurimum oriri exiſtimabant veteres ab invidia iis, quibus invidebatur, damnoſa, pernicioſa ac peſtifera; ſolo enim obtutu, & aſpectu invido, atque maligno invidos hominibus, & maxime pueris, nocuiſſe uſu didicerant: natura namque ingenitum eſt, ut quæ unicuique maxime diſplicent, ea e medio tollere procuret: iccirco eam multis modis placare, atque exſtinguere ſtudebant. Comperio autem uſos eſſe ad hoc I. ridiculo aliquo ſpectatoribus objecto. Ejus exemplum eſt mentula, ſeu ſimilis res aliqua turpicula, quam de collo puerorum ad *faſcinum*, & *faſcinantium* invidiam repellendam ſuſpendebant: Varr. de Ling. Lat. VI. *Pueris turpicula res in collo ſuſpenditur, ne quid obſit bonæ ſcævæ cauſa.* Quocirca & *faſcinum* mentulam ſignificat. Horat. Epod. VIII. 18.

Minuſve languet faſcinum.

Ubi Porphyrio: *Faſcinum pro virili parte poſuit, quoniam faſcinandis rebus hac membri deformitas apponi ſolet.* Priap. Carm. 27. n. 3.

Pædicaberis faſcino pedali.

Fabri etiam ferrarii ante fornaculam ſolebant ridicularia quædam appendere, invidiæ avertendæ gratia. Et in remedio erant Satyrica ſigna: etiam ſatyrion invidiam depellebat. Quæ enim turpia erant & ridicula ad avertendam illam peſtem accommodata credebantur, obtutu, & aſpectu invidentium ex obſcoenitate, & miraculo turpitudinis avocatis, ut refert Plutarchus. Hujuſmodi amuleta dicebantur baſcania: eſt autem baſcanus, qui oculorum acie μαίνει, id eſt, pernecat, corrumpitque viſa. II. Fortunæ ſecundæ occultatione. Catull. v. 9.

Dein cum multa millia fecerimus,
Conturbabimus illa ne ſciamus,
Aut ne quis malus invidere poſſit.

Hunc invidiæ livorem evitabimus, ſi nec venditemus, nec ambitioſe nimis jactemus, minimeque cæteris non præferamus. Inter omnia namque æqualitas maxime conciliat amicitiam, & tuetur; oſtentatio autem ubique invidioſa. Qui ſe nimis exponunt, perpetuos habent perſecutores eos, qui ſe in eodem bonorum genere optant eſſe quam clariſſimos. Ab hoc invidiæ genere diverſum minime videtur, quod de Hadriano Imperatore legitur, qui non alia de cauſa magnos quoſdam viros, & architectos primi nominis perdidiſſe dicitur, niſi hac una, quod in his ſtudiis, in quibus ipſe primum ſe eſſe volebat, non poterat pati quempiam præſtare. Quo ambitu cum & Nero laboraret, Lucanum tradunt non tam ab eo fuiſſe necatum, quod conjurationis fuiſſet particeps, quam quod in poeticæ ſtudiis multum ſibi nomen vendicaſſet. III. caſu aliquo adverſo ſponte ſuſcepto atque contracto. Hujus exemplum extat de Polycrate apud Herod. III. p. 202. A. cui nihil acciderat, quod nollet, niſi quod annulum, quo delectabatur, in mare ſua voluntate de Amaſis conſilio abjecerat, ut deorum invidiam extingueret. *Faſcinus* autem teneris magis quam puberibus nocebat. Virg. Ecl. III. 103.

Neſcio quis teneros oculus mihi faſcinat agnos.

Iccirco Cuninam, quæ dea erat, puerorum cunis additam ferunt, ut ab illis *faſcinum* arceret. Lactant. I. 20. V. illum ſupr. in *Cunina.* Triumphantium etiam mos fuit, ut in bulla, quam in triumphis præ ſe geſtabant, includerent remedia, quæ adverſus invidiam pollere credebant. Putabant ſimiliter, ut qui ter deſpueret in ſinum, *faſcinum* poſſet avertere. Theocr. Eidyll. VI. 39. V. illum infr. in *Spuere.* Præterea & Feſcennini verſus ad hoc fuere reperti. V. illos infr. in *Feſcennini verſus.* Alſar. de Invid. & Faſc. vet. Theſ. Antiq. Roman. Græv. Tom. XII. p. 894. C. Rhodig. Ant. Lect. IV. 6. Turneb. Adv. IX. 28. Gyrald. Var. Crit. Dialog. 7. 1. Barthol. de Puerper. p. 159. Tomaſ. de Donar. c. 10. Voſſ. Lex. Etymol. Laurent. Var. ſacr. gentil. c. 8.

FASCINUS erat deus *faſcini* depulſor. Hujus rei cauſa curribus triumphantium ſubjiciebatur, ut *faſcinum* in auctores rejiceret, eoſdemque *faſcinum* recipere, & invidiam juberet. Plin. XXIV. 4. *Et Faſcinus Imperatorum quo-*

que, non ſolum infantium cuſtos, qui deus inter ſacra Romana a Veſtalibus colitur, & currus triumphantium, ſub his pendens, defendit medicus invidiæ, jubetque eosdem recipere. Turneb. Adv. IX. 28. Alſar. de Invid. & Faſc, vet. Theſ. Ant. Rom. Græv. Tom. XII. p. 894. C. V. Plinium fuſius explicitum infr. in *Triumphantes.*

FASELARES ſunt faſeli qui ſumebantur cum garo & aceto irritandæ gulæ pro antecœna, apud Galen. de facult. aliment. II. Lamprid. Ant. Heliog. c. 20. *Ut pro faſelaribus exhiberet.* . . . . Buleng. de Conviv. II. 25. & 63. Salmaſ. in Lampridium.

FASTI appellati ſunt marmoreæ tabulæ, quibus virtutum præmia, honores & triumphos dico, generoſæ poſteritati exemplo æternitati conſecrare, & ſacra deorum anniverſaria ſtatis diebus, certisque ceremoniis, pure, ſančteque colere docebatur populus Romanus. Fuere majores, & minores. Majores rurſum conſulares, & triumphales. Val. Max. VII. 3. 2. *Quod tam vafre telluri impreſſum oſculum Urbi libertatem, Bruto proximum in Faſtis locum tribuit.* Cic. Fam. V. 12. *Etenim ordo ipſe annalium mediocriter delectat quaſi enumeratione Faſtorum.* Auſon. Epigr. de Faſtis: I. I.

Ignota æternæ ne ſint tibi tempora Romæ,
Regibus, & patrum ducta ſub imperiis,
Digeſſi Faſtos, & nomina præpetis ævi,
Sparſa jacent Latiam ſi qua per hiſtoriam.

Originem hiſce aſſero ex Annalibus Maximi n. Pontificis. V. illos ſupr. in *Annalium cura.* Majores improprie a minoribus appellatione ſumpta *Faſti* nomitati ſunt. Nam ut illi *faſtos* nefaſtosque dies, ſacra, epulas, ludos, ferias, ita hi conſulatus, dictaturas, bella, victorias, aliaque continebant. Quamobrem Iſidor. V. 18. *Faſtos* hoſce non a *faſtis* diebus, ſed a *faſcibus* dictos exiſtimat. *Siccam. in Faſt. Kalend. Roman. c.* I. Annis circiter 410. a quarto anno regni Numæ ad annum ab U. C. 550. P. Sulpicio Averrione, P. Sempronio Sopho conſulibus penes ſolos pontifices ſacri omnis, humanique juris ſcientia, & auctoritas delituit, quo anno C. Flavius Cn. F. Appii Cæci pontificis maximi ſcriba, *Faſt sque* apud ſe habens, dierum diſcrimina ex occultis pontificum tabulis memoria excepit, paullatimque ediſcens populo publicavit. Liv. IX. 46. *Eodem anno C. Flavius Cn. F. ſcriba, patre libertino humili fortuna ortus, cæterum callidus vir, & facundus, ædilis curulis fuit. Civile jus repoſitum in penetralibus pontificum evulgavit, faſtosque circa forum in albo propoſuit, ut, quando lege agi poſſet, ſciretur.* Quæ res adeo grata fertur fuiſſe populo, ut infimæ ſortis homo C. Pætilio & L. Domitio, quorum patres conſules fuerant, repulſam paſſis, cum Q. Aurelio Præneſtino ædilis creatus ſit. *Siccam. l. l. Auguſtin. ad Leg.* XII. *tabul.* §. 35. *Marlian. Topogr. Urb. Rom.* V. 9. *Panvin. Faſt.* I. *p.* 5. Imo libri, in quibus nuda nomina magiſtratuum continebantur, qui ſingulis annis fuere, ſive conſules, vel cenſores, aut dictatores, perinde ac ſunt qui in tabulis Capitolinis inciſi fuerunt, & ii qui ex hortulis Colotianis in aream domus Gentilis Delphinii tranſportati ſunt: item municipales, qui a Petro Appiano. De quo *Faſtorum* genere frequens apud veteres ſcriptores eſt mentio. De his Liv. IX. 18. *Paginas in annalibus magiſtratuum, faſtiſque percurrere licet, conſulum, dictatorumque, quorum nec virtutis, nec fortunæ ullo die populum Romanum pænituit.* IV. 3. laudatus ſupr. in *Annales.* De his Val. Max. VI. 2. *Cujus* Marii *ſeptem in faſtis conſulatus leguntur.* Panvin. l. l.

Faſti conſulares ſunt majores. Illis conſulum & dictatorum, qui in annos ſingulos magiſtratum geſſere, nomina, bella, victoriæ, Reipublicæ mutationes, ludi ſeculares, aliique memorandi caſus notabantur, duplici fini: annorum notationi, & rerum geſtarum memoriæ. *Siccam. in Faſt. Kalend. Roman. c.* I. De his Cicer. pro Sext. c. 14. *Iidem conſules, ſi appellandi ſint conſules, quos nemo eſt, qui non modo ex memoria, ſed etiam ex faſtis evellendos putet.* Fam. V. 12. *Etenim ordo ipſe annalium mediocriter nos delectat, quaſi enumeratione faſtorum.* Panvin. l. l. Horum conditor vixit imperante Conſtantio Conſtantini filio: lunaribus enim illius ætatis ſizygiis pares calculos poſuit juxta normam cycli, quo Latina eccleſia ad neomenias paſchales utebatur. *Noris. Diſſert. ad Faſt. Conſul. Theſ. Antiq. Rom. Græv. Tom.* XI. *p.* 381. *C.* In illis contexendis ſola conſulum cognomina recitat, & plurima quidem, quæ ex marmoreis Capitolinis tantum lapidibus intelliguntur. Non pauca prioris ſæculi cognomina erratis characteribus exprimuntur, ac non ſemel idem cognomen variata orthographia exaratur. Præterea annos, quibus abdicatis conſulibus, decemviri, vel tribuni militares conſulari poteſtate, tres aut quatuor, & poſtea etiam ſex *faſtis* prænotantur, hic duorum tantum tribunorum cognominibus deſignat. Imo cum anno ab U. C. 378. ac proximo quadriennio nulli curules magiſtratus creati fuiſſent; ſed L. Sextius Lateranus ac C. Licinius Stolo tribuni plebis rem Romanam ſuperbe & impotenter adminiſtraverint, hic iisdem annis ficta quædam nomina præfigit, quæ inter ann. 380. ſcribit: Baccho ſolo, quod nusquam in Romana gente cognomen auditum. Et nullus dubito, quin nonnulla in eosdem *faſtos* aliena manu, eaque ignava potius, quam maligna, infarta fuerint. Commendantur tamen eo præcipue, quod annos quorumcunque conſulum triplici nota deſignant: nempe feria, & ætate lunæ in Kalendis Januarii, quæ duo ſingulis conſulatibus, aut binis tribunis militaribus adjiciuntur, ac præterea charactere annorum omnium biſſextilium, quos præpoſita litera B ac conſulibus majori Romano, eoque rubro charactere deſcriptis indicat; quamvis anni biſſextiles apud Romanos ab U. C. 709. annum tunc luxatum emendante Cæſare initium habuerint; quos tamen per annos Julianos prolepticos a primis usque conſulibus longiori ſerie deduxit. *Noriſ. ibid.* 363. *C.*

Faſti Kalendares appellati, quod a Kalendis ad Kalendas toto anno ſacra, feriasque ſtatas contineant, ſunt minores illi. Illis, ut Feſtus ait, *totius anni ſit deſcriptio.* Et, ut Verrius, *ſunt libri, quibus dierum totius anni continetur computatio.* Sacras has tabulas contaminavit veſana ſuperbia, & fœdiſſimæ populi in Imperatores adulationes: perrupitque in deorum conſortium principum ambitio, nec contenti iis, quæ maxima inter homines dari poſſunt, ſedem inter deos, atque annua ſacra occuparunt. Primus M. Antonius, quod objicit illi Cicer. Phil. II. 34. *in Faſtis ad Lupercalia adſcribi juſſit: C. Cæſari, dictatori perpetuo M. Antonium conſulem populi juſſu regnum detuliſſe.* Idem commiſit Cicero in honoribus Bruto Cæſaris interfectori deferendis Epiſt. ad Brut. 14. *Ego enim D. Bruto liberato, cum lætiſſimus ille civitati dies illuxiſſet, idemque caſu Bruti natalis eſſet, decrevi, ut in Faſtis ad eum diem Bruti nomen aſſcriberetur.* Pari adulatione *Faſtis* aſſcriptum fuit: *Hoc die Cæſar pontifex maximus factus eſt.* Item: *Hoc die Cæſar Alexandriam recepit:* Item: *Victor Cæſar.* Item: *Hoc die Cæſar Hiſpalim vicit.* Item: *Auguſti natalis in circo Auguſtalium.* De his Tacit. Annal. I. 15. 3. *Inter quæ tribuni plebis petivere, ut proprio ſumptu ederent ludos, qui de nomine Auguſti Faſtis additi Auguſtales vocarentur.* Et ſi quæ his in dies accreſcente adulatione acceſſerunt. Fuerunt duplices, Ruſtici & urbani. *Siccam. in Faſt. Kalend. Rom. c.* I.

Faſti pontificum diverſi ſunt ab annalibus. Ad illos nemo præter pontifices admittebatur. Incenſa Urbe pleroſque periiſſe ſcribit Liv. VI. I. Hinc queritur tribunus plebis apud eundem IV. 3. *Si non ad Faſtos, non ad commentarios pontificum admittimur; ne ea quidem ſcimus, quæ omnes peregrini etiam ſciunt.* Boſius Exerc. Hiſt. de Pont. Max. Rom. Vet. c. 4. Erant nihil aliud quam dierum cognitio, quibus fari, aut non fari liceret. Gloſſ. vet. *Faſtus,* ἡμερολόγιον. Diſtincti etiam erant a ceremoniarum libris, qui abſtruſum & reconditum jus pontificum, & occultum genus literarum continebant. Tota enim juris pontificalis diſpoſitio magnam religionem, ceremoniamque declarabat, quarum ſecreta *Faſtis* non committebantur, quos Cn. Flavius ſurripuit. Illi enim legis continebant actiones, non ſacrorum diſciplinam. *Guther. de vet. jur. pontif.* I. 22.

Fasti rustici Kalendares sunt dierum, festorumque notatio, quos rustici in agris observabant. Illi enim cum agrorum cultu, vineisque pangendis continue essent occupati, frequentissimis illis festorum sollennitatibus vacare non poterant. Quamobrem Kalendas, nonas, eidus, nundinas, atque unum aut duo ad summum festa singulis mensibus celebrabant, & quæ ad agriculturæ rationem maxime faciunt, signa zodiaci, dierum longitudinem, tutelares mensium deos, quidquid singulis mensibus fieri oporteret, notabant. *Siccam. in Fast. Kalend. Roman. c.* I.

Fasti triumphales sunt majores. Illis ducum & imperatorum triumphi de populis & gentibus bello victis a S. P. Q. R. decreti, actique, adjectis anno, mense, & die, perscripti fuere, & consularibus additi. *Siccam. in Fast. Kalend. Roman. c.* I. Illos a Pighio restitutos exhibet *Grav. Thes. Ant. Roman. Tom.* XI. *p.* 219. Exhibet quoque *Modius de Triumph. vet.* I. 26.

Fasti urbani Kalendares erant, de quibus supr. in *Fasti Kalendares* diximus, quos Romæ atque alibi in oppidis observabant, quos non uno loco, sed singulis fere Urbis regionibus, & curiis, imo ab illustribus viris in atriis privatis propositos fuisse, ut in vastissima urbe, & totius orbis emporio ubique sacrorum observatio in oculos hominum incurreret, probant diversa harum tabularum fragmenta variis in locis effossa. *Siccam. in Fast. Kalend. Roman. c.* I.

FASTIGIUM Latinis est cujusque rei summa pars, ædificiorum maxime Virg. Æneid. I. 442.

— & fastigia suspicit urbis.

Videtur idem Latio esse, quod Græciæ ἄκρον. Vocabulum architectis est peculiare & proprium, & illo eam templorum potissimum partem notant, quæ in aciem desinens tympano, corona, & acroteriis constat. Hinc translatio: *fastigium operi imponere.* Bald. Lex. Vitruv. Vulgari, & communi notione erat tectum in utramque partem proclinatum ad stillicidia deducenda, quod trichoron vocant Spart. Pescen. Nig. c. 12. *Domus ejus hodie visitur in campo Jovis, quæ appellatur Pescenniana, in qua simulacrum ejus in trichoro constituit.* & Stat. Sylv. I. 3. 58.

— partitis distantia tecta trichoris.

Nam pluribus *fastigiis*, id est, trichoris tecta plerumque fiebant. Cicer. Frat. III. I. *Absolutum offendi in ædibus tuis tectum: quod supra conclavia non placuerat tibi esse multorum fastigiorum.* Salmas. in Spartianum. Erat marmoreum. De Cetronio ædificatore Juven. Sat. XIV. 88.

Nunc Prænestinis in montibus alta parabat
Culmina villarum, Græcis, longeque petitis
Marmoribus.

Kobierzyck. de Lux. Roman. II. 7. Interdum est ornamentum *fastigii*, & quodammodo *fastigii fastigium*. Talia ornamenta addebantur *fastigiis* templorum, quibus privatorum ædificiorum culmina habentia quoque tecti formam, quæ ἀετὸς & ἀέτωμα dicebatur, carebant, ut statuæ, victoriæ, & alia deorum simulacra. Ἀκρωτήρια dicuntur Græcis. Hesychius: *Fastigia, ἀκρωτήρια, templorum signa superne illis imposita.* Et illa *fastigia*, quia vocem, qua exprimerent, non habuerunt, vocant Latini. Qua de causa & vocem Græcam retinet, & a *fastigio* distinguit Vitruv. III. 3. *Membra omnia, quæ supra capitula columnarum sunt futura, id est, epistylia, zophori, coronæ, tympana, fastigia, acroteria.* Et hæc *fastigiorum* ornamenta *signa fictilia, aut ærea inaurata* vocat III. 2. *Ipsarum ædium species sunt barycæ, barycephalæ, humiles, latæ, ornantque signis fictilibus, aut æreis inauratis earum fastigia.* Eodem modo, quo ornari solebant deorum templa, ornaverunt Cæsaris, cui multa ut deo decreta erant, ædium *fastigium*. De illo Suet. Cæs. c. 81. n. 8. *Calpurnia uxor imaginata est, collabi fastigium domus.* Hoc Plutarch. Cæs. p. 738. A. narrans idem Calpurniæ somnium vocat ἀκρωτήριον quasi *fastigii fastigium*, & domus *fastigio* impositum: *Nam quum Cæsaris ædibus velut ad ornamentum, & amplitudinem ex S. C. esset adjunctum ἀκρωτήριον, id per quietem imaginata collabi Calpurnia videbatur lamentari & lacrymari.* Salmas. Exerc. Plin. p. 853. b. E. & in Spartianum. Victor. Var. Lect. XVII. 18. Rhodig. Ant. Lect. XXI. 33. Scheffer. in Obseq. c. 127. Buleng. de Donar. pontif. c. 16. Pitisc. in Suetonium.

FAT.

FATUORUM etiam insania magnopere delectabantur, & ex inordinato mente dejectorum sermone, futilique lingua suam capiebant voluptatem. Senec. Epist. 50. *Harpasten uxoris meæ fatuam scio hereditarium onus in domo mea remansisse; ipse enim aversissimus ab istis prodigiis sum. Si quando fatuo delectari volo, non est longe quærendus, me video. Hæc fatua subito desiit videre. Incredibilem tibi narro rem, sed veram, nescit se esse cæcam, subinde pædagogum suum rogat, ut migret, ait domum tenebrosam esse.* Kobierzyck. de Lux. Roman. II. 4.

FATUM fere vocant plerique antiquorum necessitatem quæ omnes constringit, quia vivimus ut moriamur, imo vivimus & morimur simul, non tam mortales quam morientes. Statum enim unicuique vitæ terminum esse nemo nescire potest. Quem, ubi advenerit, amplecti debemus, nec datum est evitare. Quod simul & immotum, & adamantinis, ut loquitur Plato, constrictum vinculis, & mutari tamen pagani credidere. Nec duo illa se mutuo hic subvertunt, si ex eorum sententia loquamur. *Fatum* mutari potest, & tamen est *fatum*. *Fatum* manet, cum mutatur, & cum non mutatur. Cum non mutatur, manet quod fuit, cum mutatur *fatum*, fit quod antea non erat. Adeo ut duplex fuerit *fatum*, alterum, quod nunquam mutandum, alterum, quod poterat exorari. Sic *dii faciles* dicti apud Juven. Sat. X. 7.

Evertere domos totas optantibus ipsis
Dii faciles.

Leves Hecubæ apud Senec. Troad. Act. I. n. I.

Quicunque regno fidit, & magna potens
Dominatur aula, nec leves metuit deos.

Leves, *faciles*, quod, aut revera mutarent *fatum*, aut mortalibus mutare viderentur. Quod de vitæ termino creditum vulgo fuit. Locus illustris est in Apul. Met. XI. p. 366. *Quod si sedulis obsequiis & religiosis ministeriis, & tenacibus castimoniis numen nostrum promerueris; scias, ultra statuta fato tuo spatia vitam quoque tibi prorogare mihi tantum licere.* Creditum igitur olim vitæ terminum, quanquam fixum semel, ita mutari posse, ut aut majori, aut breviori temporis spatio includeretur. Et ea mens Furiæ in monumento sepulcrali, quod Romæ in horto secretiore monasterii Sebastiani marito bene de se merito posuit, cum *fato suo se addi* vult, hoc est, citius quam decretum est, mori, ut tanto celerius ad maritum suum posset pervenire. *Boxhorn. Quæst. Rom.* 9. Cicer. Phil. I. 4. scribit: *multa impendere videntur præter naturam præterque fatum:* & nihil diversum *naturæ & fati* nomine significat, sed unum idemque declarat. Itaque mors naturalis, mors est fatalis, cum ætate quis confecta extrema senectute moritur. Quæ enim mors immatura gladio infertur, nec fatalis est, nec naturalis. Ita morti naturali & fatali opponit mortem vulnere illatam, vel pœna irrogatam Cicer. pro Coel. c. 32. *Nolite judices aut hunc jam natura ipsa occidentem velle maturius exstingui vulnere vestro quam suo fato.* Turneb. Adv. XIII. 9. Gell. XIII. I. ubi quærit, utrum *natura & fatum* idem valeant: *præter naturam* violentam mortem designari recte censet: at *præter fatum* non sui operis, & temporis esse profitetur. Animadvertit Ciceronem duobus verbis unam & eandem rem nusquam explicare; sed cum *naturam* a *fato* separasset, variam utriusque verbi significationem demonstrare. Nam quæ in faciendo fine vitæ violenta sunt, non videntur Gellio a *fato* venire, & quod *fatum* atque *naturam* dixit Cicero, id multo ante Demosthenem *fatalem*, & *spontis suæ mortem* appellasse. Serv. Æneid. IV. 653. *Tribus modis humana omnis vita continetur. Natura, cui ultra centum & viginti solstitiales annos con-*

concessum non est diuturniore frui luce. Fato, cui nonaginta anni, hoc est, tres Saturni cursus exitium creant, nisi forte aliarum stellarum benignitate tertium ejus superet cursum. Fortuna, id est casu, qui ad omnia pertinet, quæ extrinsecus accidunt, ut ad ruinam, incendia, naufragia, venena, vim, fatique diem occupatum. Quod optime in Didone Virg. Æneid. IV. 653.

Vixi, & quem dederat cursum Fortuna peregi.

Hic enim non ad *naturam* & *fatum* mortem retulit n. 696.

—— *quia nec fato, merita nec morte peribat.*

Sed ad Fortunam, quam violentæ mortis agnoscit auctorem. Quare mors illa, quæ præter naturam accidit, Fortunæ tribuitur: casui, quæ præter *fatum*. At natura & *fatum* ei, qui morbo finitur θανάτῳ ἰδίῳ, aut qui morte sua defungitur. Suet. Jul. c. 89. n. 1. quod est sua die mori, vel sua morte. Natura longior vita mortalibus conceditur: *fato* brevior, ad quod mors omnis acerba etiamnum refertur, non ad naturam. *Guther. de Jur. man.* I. I. Prospera *fata* pueris nuper editis cum voto concepta, tabulisque obsignata ipsorum capitibus subjiciebantur. Declarat hoc, easque impietatis plenas scribit Chrysost. ad Galat. & Senec. Epist. 60. *Execrationes parentum* appellat. *Tomas. de Donar. c.* 10.

FAU.

FAUCIA tribus. V. illam infr. in *Tribus*.

FAVERET ut linguis, pontifice, & magistratu præmonitis, monebatur & populus a præcone. Horat. Od. III. I. 2.

Favete linguis: carmina non prius
Audita Musarum sacerdos
Virginibus, puerisque canto.

Favere linguis erat I. silere. Senec. de vit. beat. c. 26. *Hoc verbum*, favete linguis, *non, ut plerique existimant, a favore trahitur, sed imperatur silentium, ut rite peragi possit sacrum, nulla mala voce obstrepente.* II. bona verba dicere, ac prophanis, & male ominatis parcere. Festus: *Faventia bonam ominationem significat. Nam præcones clamantes populum sacrificiis favere jubebant. Favere enim est bona fari. At veteres poetæ pro silere usi sunt favere.* Ovid. Fast. I. 71.

Prospera lux oritur: linguis, animisque favete,
Nunc dicenda bono sunt bona verba die.

Brisson. de Form. I. p. 8. Guther. de Vet. jur. pontif. IV. 2. Turneb. in Cicer. de Leg. II. p. 99. Adv. V. 19. Ursat. de Not. Roman. Thes. Ant. Rom. Græv. Tom. XI. p. 719. F. Kipping. Antiq. Roman. I. 9. §. 2. Casaub. in Theophr. Charact. p. 380. Castal. Observ. Decad. II. 10. Broukh. in Tibull. II. I. I.

FAVISSÆ erant *cellæ quædam & cisternæ in Capitolio, quæ in area sub terra essent, ubi reponi solerent signa vetera, quæ ex eo templo collapsa essent, & alia quædam de religiose donariis consecratis.* Gell. II. 10. Adeo reverentes rerum sacrarum Romani erant, ut quicquid in eo templo ætate frangeretur, collaberetur, aut satisceret, non corrumperent, cremarentve, aut in alios usus converterent; verum ea omnia, ad instar cadaverum, in puteis illis areæ, seu vestibuli, subterraneis terræ mandarent, atque sepelirent. *Nardin. Rom. Vet.* V. 15. *Borrich. Ant. Urb. Fac. c.* 10. §. 8. *Marlian. Topogr. Urb. Rom.* II. 7. *Gyrald. Synt. deor.* XVII. *p.* 475. *B. Salmas. Exerc. Plin. p.* 852. *a. B. Faunus Antiq. Urb. Rom.* II. 6. *Laurent. Var. sacr. gentil. c.* 5. & 10.

FAUNA, sive *Fatua*, eadem quæ Bona dea. V. illam supr. *in Bona dea.*

FAUNALIA dicuntur *Fauni* festa, quæ anniversario pervigilio Nonis Decembribus celebrabantur in sylvis, ac pratis. *Jun. Fastor. Thes. Ant. Rom. Græv. Tom.* VIII. *p.* 256. *E. Rosin. Antiq. Roman.* IV. 16. *Kipping Antiq. Roman.* I. 10. §. 15. *Gyrald. Synt. deor.* XVII. *p.* 494. *G.* De hœdo & vino illi res divina fiebat. Horat. Od. III. 18. 5.

Si tener pleno cadit hœdus anno,
Larga nec desunt Veneris sodali
Vina cratera, vetus ara multo
Fumat odore.

n. 10.

Cum tibi nonæ redeunt Decembres.

Gyrald. ibid. p. 550. E. Erant bina: priora sub initium veris, idibus Februariis. Ovid. Fast. II. 193.

Idibus agrestis fumant altaria Fauni,
Hic ubi discretas insula rumpit aquas.

id est, in insula Tiberina. Altera brumæ initio, nonis Decembribus. Horatius modo laudatus. *Brouck. in Prop.* II. 15. 14.

FAUNUS apud Latinos regnabat quondam, vates futurorum præscius, & torvus aliquis planetarius, ab excessu pro deo cultus, ἐπιχώριος δαίμων, ait Dionys. Antiq. Roman. I. p. 24. *Kippink. Antiq. Roman.* I. 4. §. 4. *Gyrald. Synt. deor.* XV. *p.* 444. *C.* Huic deo capripedi e naufragii discrimine erepti, aut ex ipso naufragio servati, dona & vestimenta vovebant, & ad oleastrum suspendebant. Virg. Æneid. XII. 766.

Forte sacer Fauni foliis oleaster amaris
Hic steterat, nautis olim venerabile lignum:
Servati ex undis ubi figere dona solebant
Laurenti divo, & votas suspendere vestes.

Tomas. de Donar. c. 7.

FAVOR & *favere* sunt verba theatrorum & circi. Illa non tacitam & occultam populi spectantis benevolentiam significant; sed quæ voce etiam, ac gestu exprimeretur. Et una *favoris* voce faustæ omnes spectaculorum acclamationes; & plausus comprehendebantur. Senec. Epist. 29. *Si te videro celebrem secundis vocibus vulgi, si intrante te clamor, plausus, & pantomimica ornamenta obstrepuerint, si tota civitate feminæque pueri laudaverint: quidni ego tui miserear, cum sciam quæ via ad istum favorem ferat?* Plin. Epist. IX. 6. 2. *Nunc favent panno, pannum amant: & si in ipso cursu, medioque certamine, hic color illuc, ille huc transferatur, studium, favorque transibit, & repente agitatores illos, equos illos, quos procul noscitant, quorum clamant nomina, relinquent.* Universum *favendi* morem pulcerrime expressit Ovid. Amor. III. 2. 65. . . 76. *Ferrar. de vet. acclam. & plaus.* II. 4. *Salmas. in Vopisc. Aurel. c.* 48. *Casaub. in Lampr. Comm. c.* 15. *Spart. Pescenn. c.* 2. *Broukh. in Tibull.* II. 5. 110.

FAUSTUS utrum prænominis an cognominis munere in *Fausto* Sulla, Sullæ Felicis dictatoris filio functum sit, incertum: pluribus tamen rationibus cognomen crediderim. Nam ferunt id eo tempore filio Cornelio imposuisse, quo ipse Felix appellatus est: caruisset ergo per tot annos prænomine Sulla junior, cum longe ante natus esset, quam pater Felix appellaretur. Quare eum L. Cornelium Sullam Faustum vocatum fuisse existimo. Ascon. in Cicer. p. 170. *Faustus Sulla tum quæstor, filius Sullæ Felicis.* p. 177. *Frater ejus Faustus Cornelius Sullæ filius.* Panvin. de Nomin. Roman. Thes. Ant. Rom. Græv. Tom. II. p. 2017. B. Sigon. de Nomin. Roman. c. 5. Ursat. de Not. Roman. Thes. Ant. Rom. Græv. Tom. XI. p. 130. B. Spanhem. de præst. num. Dissert. VI. p. 530. Robortell. Anim. I. 24. Prænomen tamen esse contendit *Sigon. Emend.* II. 29.

FAUTOR pedarius. V. illum infr. in *Pedarius.*

FAX.

FAX funerum erat, & sepulcrorum lucerna. Plin. VI. 37. *E quibus, scirpis, detracto cortice, candelæ luminibus, & funeribus serviunt.* Cortex ille nihil aliud quam similitudo Ægyptiæ papyri, qua utebantur fortasse homines tenuiores. Et ex Plinio Isidor. XI. 2: XX. 10. *Funus dictum a funibus accensis, quos ante feretrum papyris cera circumdatis ferebant.* Consuetudo hæc a more efferendi mortuos noctu permansit, ut etiam in illis, quæ interdiu ducebantur,

tur, funeribus *faces* adhiberentur. Serv. Æneid. VI. 224. *Per noctem autem urebantur: unde permansit, ut mortuos faces antecedant.* Tacit. Annal. III. 4. 1. *Dies, quo reliquiæ Augusti tumulo inferebantur, modo per silentium vastus, modo ploratibus inquies. Plena Urbis itinera, collucentes per campum Martis faces.* Kirchm. de Fun. Roman. II. 3. Ferrar. de Vet. lucern. sepulcr. Thes. Ant. Roman. Græv. Tom. XII. p. 1000. D. Morestell. Pomp. Feral. II. 21. Noris. Cenot. Pisan. Diss. III. c. 6. Casal. de Urb. ac Imper. Roman. splend. part. 2, c. 21. de Proph. Roman. rit. c. 26. Meurs. de Funer. c. 24. Lips. in Tacit. Annal. III. Excurs. A. Demster. Paral. ad Rosin. Antiq. Roman. V. 37. Clasen. Theol. Gentil. I. 10. §. 24. Et in parentalibus etiam annuis accendebatur. V. infr. in *Sepulcrum.*

Fax iter de nocte ingredientibus præferebatur. Ovid. Fast. IV. 167.

Semustamque facem vigilata nocte viator
Ponet, & ad solitum rusticus ibit opus.

Met. I. 493.

Ut facibus sepes ardent, quas forte viator
Vel nimis admovit, vel jam sub luce reliquit.

Varr. de Re Rust. I. 14. *Naturale sepimentum prætereuntis lascivi non metuet facem ardentem.* Peculiares in usum viatorum solebant incidi e ligno querno, vel iligno, quæ γράβια vocabant. *Turneb. Adv.* III. 22. *Casaub. & Pitisc. in Suet. Jul. c.* 31. *n.* 2. *Barth. in Stat. Theb.* XII. 241. *Pignor. de Serv. p.* 258. *Schil Nom. Philol. p.* 154.

Fax, sive hastula, non adusta, sed urens, e picea, tæda, larice, & si quod tale genus, & quibus in usum luminis domi etiam usi, etsi hæ paullo robustiores, aut grandiores, in militia erat obvium & populare telum. Virg. Æneid. I. 154.

Jamque faces, & saxa volant: furor arma ministrat.

Lucan. VII. 511.

— *inde sagittæ,*
Inde faces & saxa volant.

Lips. Poliorc. IV. dial. 4. V. dial. 5. Thys. de Oppugn. urb. V. p. 191. Laurent. Polym. IV. Synops. II. §. 9. In navali erat insigne, quo de nocte prætoria navis a cæteris distinguebatur, cum apud Græcos, tum apud Latinos. De Græcis Diodor. XX. *Gubernatoribus dein enuntiavit, ut in facem mtenti prætoriam sequantur.* De Romanis Appian. Bell. Civ. II. p. 483. ubi Cæsar nuntiat gubernatoribus, *ut nocte sequantur ignem prætoriæ suæ, interdiu vero ejus signum.* Prætoriæ ignem, ait, sive *facem:* unde patet hanc solam aliquam ejusmodi habuisse; alioquin enim nequivisset ab aliis discerni. Et confirmat Flor. IV. 8. 5. cum de Sexto Pompejo, paulo ante 350. navium domino scribit, cum sex septemve fugisse, extincto *prætoriæ navis lumine*, non & cæterarum navium luminibus. *Scheffer. de Milit. nav.* III. 1.

Fax prima vocatur crepusculum. Macrob. Sat. I. 3. *Ab hoc tempore prima fax dicitur.* Lumina tum accendebantur. Qua ratione *prima lumina* dixit Horat. Sat. II. 7. 33. *Morestell. Philomus. dial.* 9.

Facibus quinque nova nupta ad genialem lectum admittebatur. *Alex. Gen. dier.* II. 5. Illæ *faces* parabantur ad deducendam virginem ad maritum, potius quam ad deducendam illam ad lectum: nec fortasse tot fuit opus, ut illa cubitum duceretur. *Mercer. ad Alexandrum.* Illas adhibitas, quod non nisi ubi contenebrasset, in mariti domum duceretur: & potissimum quinque usurpatas, ut numerum individuis nuptiis convenientem scribit Plutarch. Quæst. Rom. 2. *Sigon. de Ant. Jur. civ. Roman.* I. 9. *Blond. Triumph. Rom.* VIII. *p.* 161. *C. Demster. Paral. ad Rosin. Antiq. Roman.* V. 37. Fiebant ex spina alba, ut Pompejus scribit. Ideoque Catull. carm. LXI. n. 14.

Pelle humum pedibus, manu
Spineam quate tædam.

Eaque ratione *spinam nuptiarum facibus auspicatissimam* dixit Plin. XVI. 18. Non desunt tamen, qui nuptiales *faces* ex pinu confici solitas omni asseveratione contendant, & *pineam* apud Catullum legendum censeant. Moventur versibus Ovid. Fast. II. 557. quo loci a conjugio per aliquot dies abstinendum hac periphrasi suadet.

Dum tamen hæc fiunt, viduæ cessate puellæ,
Exspectat puros pinea tæda dies.

Quanquam illic, absque ullo versus vitio, recte *spinea tæda* legi posset. Sed proferam alios locos, qui eandem immutationem non ferant. Varro II. de vit. pop. Rom. apud Nonium. *Cum a nova nupta ignis in face adferretur, foco ædilis sumptus*, sic enim lego, *fax ex pino ablata esset, ut eam puer ingenuus adferret.* Virg. Cir. n. 439.

Pronuba nec castos incendet pinus amores.

Senec. Med. I. 111.

Multifidam jam tempus erat succendere pinum,
Excute sollennem digitis marcentibus ignem.

Rursus idem Varro apud Charisium Sosipatrum, *In Asia, ait, fax ex spina alba profertur, quod purgationis causa adhibetur.* Sane spinæ albæ ad maleficia depellenda vim inesse antiquitas credidit. Ovid. Fast. VI. 129.

Sic fatus, spinam, qua tristes pellere posset
A foribus noxas, hæc erat alba, dedit.

n. 165.

Virgaque Janalis de spina ponitur alba,
Qua lumen thalamo parva fenestra dabat.
Post illud neque aves cunas violasse feruntur;
Et rediit puero, qui fuit ante, color.

Verum quid prohibet, ex variis arborum generibus *faces* nuptiarum confici solitas dicere? Plinius enim *l. l.* spinum quidem *facibus nuptiarum auspicatissimum fuisse* scribit; suis tamen temporibus *carpinum & corylum facibus familiarissimas* fuisse subjicit. *Brisson. de Ru. nupt. Thes. Ant. Rom. Græv. Tom.* VIII. *p.* 1034. *B. Salmas. Exerc. Plin. p.* 370. *G. Beroal. in Apul.* IV. *p.* 512. *Turneb. Adv.* XXI. 29. *Scalig. Poet.* III. 100. *Lacerd. Virg. Æneid.* VII. 397. *Tiraquell. in Alexandrum. Delr. in Senec. Med.* I. 37. *Licet. de Lucern. sepulcr. Thes. Ant. Rom. Græv.* XII. 1000. *D. Erhard. in Petron. p.* 588. *Casal. de Prof. Rom. rit. c.* 22. *Hotman. de Rit. nupt. c.* 16. *Demster. Paral. ad Antiq. Rom.* V. 37. *Bartholin. de Cruc. c.* 4. *Laurent. de Sponsal. c.* 1. *Feith Antiq. Homer.* II. 14. *Fuscus, Landus, Muretus, Robortell., Marcilius in Catullum.* Sunt fateor hæc veri maxime similia, sed non lubet ea plenius excutere, dum non videam hic magis ad malorum depulsionem, quam luminis usum esse attendendum. *Facem* autem luminis gratia esse adhibitam nemo non scit; adeoque jam dico hanc ex pinu constitisse, quamvis non negem, eam non ex aliis arboribus factam fuisse. Nam ipsam originem si evolvas accuratius, conveniet eum tæda, id est, *facem* illam & tædam vocare solebant, ex arbore tæda luminis causa in sacrum usum invectam. Sic enim Ovid. Heroid. XII. 34.

Ardet ut ad magnos pinea tæda deos.

Dein Lexicon Græco-Latinum vetus *πεύκη, larix, pinus, tæda* exponit: & Glossarium vetus Latino-Græcum: *tæda, δαΐς, πεύκη, καὶ λαμπάς.* Quæ si conferas loca, evidenter satis comperies, tædam, seu *facem* nuptialem ex pinu, vel saltem arbore tæda, quæ species tædæ est, fuisse confectam. Consentit nobiscum Plin. XVI. 10. *In Europa*, inquiens, *sex genera cognatarum arborum ferunt. Ex iis pinus atque pinaster.* . . . Deinde causam reddit, quare eligi potius tæda debuerit: *Sextum genus est tæda proprie dicta, abundantior succo, quam reliqua, parcior liquidiorque quam picea, flammis ac lumini sacrorum etiam grata.* Almelov. Conject. p. 145. Ex pino arbore factas etiam volunt *Alex. l. l. & Coler. ad illum & Ursin. Arbor. Biblic. c.* 7. §. 4.

FEB.

FEBREM pro dea habebant Romani. *Lipen. Stren. c.* I. §. 7. *Borrich. Ant. Urb. fac. c.* 10. §. 8. Quia nullus hoc morbo vitæ humanæ infensior, aut frequentior est. Et

hinc nunc *divæ*, nunc *sanctæ*, nunc *magnæ* cognomen ei a veteribus est inditum. Apud Transylvanos in saxo est:

FEBRI. DIVÆ. FEBRI
SANCTÆ. FEBRI. MAGNÆ
CAMILLA. AMATA. PRO
FILIO. MALE AFFECTO. P

Ara illi posita. V. illam supr. in *Ara Febris.* Fanum illi structum. V. illud supr. in *Fanum Febris.* Tomas. de Donar. c. 35. Struv. Ant. Rom. I. p. 169.

FEBRUA *appellabantur quæcunque purgamenti causa in quibusque sacrificiis adhibebantur. Id vero quod purgabatur, dicebatur februatum.* Festus. Ovid. Fast. II. 19.

Februa Romani dixere piamina patres:
Nunc quoque dant verbo plurima signa fidem.

Varro, qui laudatur infr. in *Februarius.* Ursat. de Not. Roman. Thes. Ant. Rom. Græv. Tom. XI. p. 714. C. p. 843. B. Lambec in Kalend. vet. Thes. Ant. Rom. Græv. Tom. VIII. p. 105. E. Morestell. de Mens. Dial. III. Gyrald. Synt. deor. XVII. p. 535. A. de Ann. & mens. p. 775. D. Stuck. Ant. Conviv. I. 26. de Sacrif. p. 226. Brisson. de Form. I. p. 31. Struv. Ant. Roman. c. 8. p. 345. Blond. Triumph. Rom. II. p. 35. A. *Februa*, sive purgamina, hoc est, quæ ad flagitiorum expiationes pertinerent, paucis antequam spectacula ederentur diebus, Imperator ipse, sive consules & XV. Viri sacris faciundis in Capitolio, & Palatio, ante Apollinis Palatini, & Jovis Capitolini templa, pro suggestu considentes distribuebant. Hæc erant tædæ, sulphur, & bitumen. Ea vero liberi tantum capiebant. Servi enim his sollennibus sacris omnino exclusi erant. Hoc in antiquo Domitiani nummo, qui est apud Maffeum, intelligitur, in cujus altera parte est ipsius imago, cum hac stelographia: IMP. CÆS. DOMIT. AUG. GERM. COS. XIIII. A tergo hæc sunt: inprimis vir, quem Imperatorem esse verisimile est, pro amplo suggestu læva, ante templi cujusdam porticum, quæ quatuor columnis Corinthiis sustinetur, sedens, distribuensque ejusmodi piamina manu dextra, atque ante pedes habens duo vasa, sub cujus tribunali hoc scriptum est: SUF. P. D. hoc est, suffimenta populo data. Ante quem a parte dextra sunt duo præterea homines, alter parvus prope illum manus attollens, aliquid a sedente principe accepturus, perinde ac pueri solent facere: alter grandior retro accipiens hæc suffimenta, seu piamina de manu principis sedentis: & circumscriptum est: PONT. MAX. TR. POT. VIII. CENSOR. P. P. P. LUD. SÆC. FEC. *Panvin. Lud. Secul. Thes. Ant. Roman. Græv. Tom. IX. p. 1086. B.* Fuit etiam ritus antiquorum, ut *februa* omnia in profluentem abjicerent, nec respicerent. Hoc perite tangit Virg. Ecl. VIII. 101.

Fer cineres Amarylli foras, rivoque fluenti
Transque caput jace, ne respexeris.

Guther. de Jur. man. II. 7.

FEBRUARIUS. Illius diebus pro impetranda quiete mortuorum populus circa sepulcra, piaculis, & sacrificiis manes placabat, cereis & facibus circa tumulos accensis. Macrob. Sat. I. 13. *Lustrari eo mense civitatem necesse erat; quo statuit, ut justa diis manibus solverentur.* Struv. Ant. Rom. c. 8. p. 345. Lalamant. de Ann. Rom. Thes. Antiq. Rom. Græv. Tom VIII p. 275. A. Kirchm. de Fun. Rom. IV. 1. Ideo καθάρσιον, id est, *expiatorium* vocat Plutarch. Romul. p. 31. A. Num. p. 72. E. Et *ob sacra, quibus manes placabantur, & vita functis inferiæ multis diebus dabantur, a Romanis sic vocatum Juba tradit* apud Athen. III. p. 98. B. *Ferrar. de vet. lucern. sepulcr. Thes. Antiq. Rom. Græv. Tom. III. p. 999. F. Morestell. de Mensib. Dial. 3. & Junius de Ann. & Mens. c. 4. Thys. Exercit. Misc. 22.* Hoc vero mense *Februario* institutum I. quia hybernum tempus, quando longæ sunt noctes, antiqui voluerunt eligere. Sacrificia autem illa, quæ inferis fiunt, de nocte fieri solebant. II. quia fine potius anni, quam alio mense sacra illa facere voluerunt. Quo magis auspicato annus inciperet. Unde & Brutus mutato anno ultimum anni mensem Decembrem potius elegit. V. Cicer. supr. in *December.* Thys. l. l. Numæ vocatur mensis. Sidon. Epist. II. 14. *Jani Numæque ninguidos menses in otio fuliginoso, seu tunicata quiete transmittere.* IX. 16. *Quam duodecimum nostrum, quem Numæ mensem vos nuncupatis.* . . . quia Numa illum instituit. Aurel. Vict. de Vir. Illustr. c. 3. n. 1. *Annum in duodecim menses distribuit, additis Januario & Februario.* Junius l. l. Savaro in Sidonium. Antiquitus fuit sub tutela Neptuni. *Panvin. de Lud. Circ. I. 2. Junius l. l.* Solis: c. 1. ait, *deputatam esse diis inferis propter dies pares.* Ita ferme & Plutarchus τοῖς χθονίοις sacrum prædicans. *Junius l. l.* Ultimus erat mensis anni atque duodecimus. Cicer. de Leg. II. 21. *Februario autem mense, qui tunc extremus anni mensis erat, mortuis parentari voluerunt.* Sidonius modo laudatus. *Struv. Antiq. Roman. c. 8. p. 345.* A quo secundo loco sit constitutus, est incertum. Id enim a Numa minime factum esse inde patet, quod utique postquam institutus est iste mensis, aliquandiu postremus esse debuerit. Mutationem illam situs *Februarii* decemviris tribuit Ovid. Fast. II. 47.

Sed tamen, antiqui ne nescius ordinis erres,
Primus, ut est, Jani mensis & ante fuit.
Qui sequitur Janum, veteris fuit ultimus anni:
Tu quoque sacrorum, Termine, finis eras.
Primus erat Jani mensis, quia Janua prima est:
Qui sacer est imis manibus, imus erat.
Postmodo creduntur spatio distantia longe
Tempora bis quini continuasse viri.

Erga aliquot seculis novissimus mensis fuit: unde & in eodem intercalatum est. *Petav. de Vet. Ann. Roman. c. 73. Hotman. Antiq. Roman. III. 1. p. 384. D.* Qui hoc suo dixerit periculo. Ovidius enim dicit *creduntur.* Et bene, nuspiam enim legitur, decemviros Januarium & Februarium conjunxisse. Ipseque Ovidius ea de re dubitat. Si tempora distinxerimus, potuerit Numa, qui per annos 43. & quidem in summa pace imperavit, *Februarium* initio quidem ultimo loco posuisse, deinde autem secutis temporibus secundo loco collocasse. Plutarch. Num. p. 72. E videtur statuere, Numam duorum mensium non additionem, sed tantum transpositionem instituisse, dum scribit: *mensium sive additorum, sive transpositorum, alter Februarius, quasi lustralis quidem dictus est.* Et hæc transpositio videtur facta diversis temporibus. Fuit enim tempus, quo Januarius fuerit mensis penultimus, & *Februarius* ultimus; aliud item tempus, quo Januarius fuerit primus, & *Februarius* ultimus; aliud denique tempus, quo Januarius fuerit primus, & *Februarius* secundus. Et tria hæc diversa tempora esse potuerunt sub uno eodemque Numa, qui correxit intercalationem anni, ita ut tertio quolibet octennio non 90, sed 66. dies intercalarentur, etiam ordinem mensium, bis terve postea, aliter atque aliter corrigere potuit. Unde minimum ter Numæ hoc institutum esse scribit in Eclogario suo Ausonius: VIII. 1.

Primis Romanas ordiris Jane Kalendas:
Februa vicino mense Numa instituit.

IX. 1.

Jane nove, primo qui das tua tempora mensi:
Jane bifrons, spectans tempora bina simul.
Post superum cultus, vicino Februa mense,
Dat Numa cognatis manibus inferias.

X. 7.

Unus erit tantum duodetriginta deorum:
Quem Numa præposito voluit succedere Jano.

Respicit enim Kalendarii Pompiliani, ab ipsomet Numa postliminio factam mutationem & correctionem. *Muncker. de Intercal.* III. 9. 1--6. Illo quolibet quadriennio inserebatur dies, & ideo *intercalarius* vocabatur. Liv. XXXVII. 59. *Triumphavit mense intercalario pridie Kalendas Martias.* Viola de Vet. & Nov. Roman. temp. rat. Thes. Antiq. Roman. Græv. Tom. VIII. p. 177. D. & Junius l. l. Inserebatur ille inter 23 & 24. diem, & nunquam pauciores viginti tribus illum antecedebant. Et nihilominus perpetuo constabat diebus 28. *Petav. ibid. c. 72. §. 4. Scalig.*

de

de Emend. temp. I. *p.* 14. Illud enim biduum pro uno die habebatur. V. ſupr. in *Biſſextum*. *Retinuit octo & viginti dies: quaſi inferis & deminutio, & par numerus conveniret.* Macrob. Sat. I. 13. *Siccam. de Ann. Romul. & Num. Theſ.* 8. *Viola ibid. p.* 176. *E. Gaſſend. Kalend. Roman. c.* 2. Habuit pauciores dies comitiales, quam omnes reliqui menſes; nam ut Aſcon. in Cicer. p. 94. *hoc menſe frequens ſenatus poſtulatis provinciarum, legationibus audiendis dabatur.* De quo Cicer. Fam. I. 4. *Senatus haberi ante Kalendas Februarias per legem Pupiam non poteſt, neque menſe Februario toto, niſi perfectis, aut rejectis legationibus.* Quo in loco de Januario tantum ſancitum lege Pupia. Sed de *Februario* lex Gabinia ſanxit. Cicer. Fratr. II. 12. *Comitialibus diebus, qui Quirinalia ſequuntur, Appius interpretatur, non impediri ſe lege Pupia, quo minus habeat ſenatum: & quod Gabinia ſanctum ſit, etiam cogi, ex Kalendis Februariis usque ad Kalendas Martias legatis ſenatum quotidie dari.* Manut. de Sen. Rom. c. 5. Pollet. For. Rom. IV. 9. Hotman. Antiq. Roman. III. I. p. 385. E. *Februario* menſe, quo parentalia celebrabantur, nuptiæ infauſtæ, & ominoſæ habebantur. Ovid. Faſt. II. 555.

Poſtea præteriti tumulis redduntur honores,
Prodigiisque venit, funeribusque modus.
Dum tamen hæc fiunt, viduæ ceſſate puellæ,
Exſpectet puros pinea tæda dies.
Nec tibi quæ cupidæ matura videbere matri,
Comat virgineas haſta recurva comas.
Conde tuas hymenææ faces, & ab ignibus atris
Aufer, habent alias mœſta ſepulcra faces.

Pomponii tamen nuptias prid. Id. *Februar.* celebratas indicat Cicer. ad Fratr. II. 2. *Briſſon. de rit. nupt. p.* 13. *&* 48. *Hotoman. de Vet. rit. nupt. c.* 13. *Laurent. de Sponſal. & nupt. c.* I.

FEC.

FECIALES *fidei publicæ inter populos præerant. Per hos enim fiebat, ut juſtum conciperetur bellum, & ut fœdere fides conſtitueretur. Ex his mittebant, antequam conciperetur, qui res repeterent: & per hos etiam nunc fit fœdus.* Varr. de Ling. Lat. IV. 15. *Argol. in Panvin. de Lud. Circenſ.* II. 2. *Urſat. de Not. Roman. Theſ. Antiq. Rom. Græv. Tom.* XI. *p.* 714. *E. Gyrald. Synt. Deor.* XVII. *p.* 480. *E. Caſal. de Urb. ac Imper. Roman. ſplend. part.* 3. *c.* 2. *Pigh. Annal. Rom.* I. *p.* 30. *Claſen. Theol. gentil.* III. I. §. 16. *Laurent. Polym.* IV. *Synopſ.* I. §. 2. *Caroli Antiq. Roman.* III. I. *Flocc. de Poteſt. Roman.* I. 9. *Blond. Triumph. Rom.* IV. *p.* 86. *G. Lat. de Sacerdot. c.* 9. *Volaterr. Comment. Urban.* XXIX. *p.* 1105. *A. Kipping. Antiq. Roman.* I. 12. §. 15. *Roſin. Antiq. Roman.* III. 21. Non erant ſenatores. Liv. XXXI. 8. *Conſuli a patribus commiſſum eſt, ut, quem videretur, ex iis, qui extra ſenatum eſſent, legatum mitteret ad bellum Regi indicendum.* Atque etiam Imperatores nonnunquam ſibi legaſſe in equeſtri adhuc ordine conſtitutos certum eſt. Scribit enim Cornelius Nepos, Atticum equitem Romanum, ne quidem cum Cicerone voluiſſe ire in Aſiam, cum apud eum legati locum obtinere poſſet. *Zamoſc. de Sen. Rom.* I. 15. Ex familiis tamen nobiliſſimis eligebantur. Dionyſ. II. p. 131. *Septima ſacrarum legum pars dicata erat collegio fecialium, quod Græci εἰρηνοδίκας dicerent. Hi ſunt ſelecti ex præſtantiſſimis familiis viri, funguntur que per omnem vitam eo ſacerdotio.* Viginti numero fuiſſe videtur indicare Varro de vit. pop. Rom. III. apud Nonium: *Si cujus legati violati eſſent, qui id feciſſent, quamvis nobiles eſſent, ut dederentur civitati ſtatuerunt, fecialesque viginti, qui de his rebus cognoſcerent, judicarent, ſtatuerent, conſtituerunt.* Valtrin. de Re milit. Roman. I. 8. Ouzel. in Gell. XVI. 4. Pigh. Annal. Roman. I. p. 30. Sertor Reſius Æquicolarum Rex primus jus *feciale* excogitavit. Valer. X. Romanis primus conſtituit Numa, ſive ab Æquicolis, ſive ab Ardeatibus aſſumptum. Nam Romæ ante Numam collegium *fecialium* non fuit. Id inſtituit, quum indicturus eſſet bellum Fidenatibus ob latrocinia quædam, & excurſiones in agros Romanos factas, ſcireque prius vellet, utrum ſecum convenire ſine bello vellent. Dionyſ. l. l. *Panvin. de Civit. Rom. c.* 32. *Valtrin. l. l.* A collegis, ut cæterorum collegiorum ſacerdotes deinde ſubrogabantur. Poſt legem Domitiam populi ſuffragiis creatos fuiſſe pro certo aſſerere non auſim, cum id nusquam me legiſſe meminerim. Ut tamen credam eos populi tributis comitiis creatos fuiſſe, adducor, quod penes collegium viginti *fecialium* erat publicæ religionis pars una non minus neceſſaria, quam quæ erat penes augures, pontifices, XV viros S. F. & VII viros epulonum. Unde fit, ut pari ratione credam, ante legem Domitiam cooptari per collegas ſolitos, ſicut illi cooptabantur, præſertim cum nusquam reperiamus, vel a pontificibus eos creatos, ſicut flamines, vel a magiſt[illegible]bus, poſt primam eorum a Numa creationem. Quod ſi ante legem Domitiam cooptari a collegio concedamus, neceſſe eſt, ut hac lege ſuffragiis populi creari cœperint. Habere partem religionis publicæ, a reliquis ſacerdotibus ſeparatam, patet ex Cicerone, apud quem de Leg. II. 9. ſeorſum hæc lex ponitur: *Fœderum, pacis, belli, induciarum oratores, feciales judices ſunto.* Fuiſſe eorum collegium cognoſcitur ex Liv. XXXVI. 3. *Conſul inde M. [illegible] ex S. C. ad collegium fecialium retulit, ipſine utique Regi A[illegible]cho indiceretur bellum.* Gruch. de Comit. Roman. II. 2. Panvin. l. l. Illorum uſum apud Livium non videmus ante Hoſtilii tempora. Ita ille in Hoſtilii rebus I. 24. *Fecialis Regem Tullum ita rogavit.* Aurel. Vict. de vir. illuſtr. c. 5. n. 4. ſcribit *Ancum Marcium jus feciale, quo legati ad res repetundas mitterentur, ab Æquicolis tr[illegible] Rheſum primum excogitaſſe.* Demſter. Paral. ad R[illegible] Ant. Roman. III. 21. Gyrald. Flocc. Valtrin. & O[illegible]. l. l. Capita velabantur lana. Liv. I. 32. *Legatus, ubi ad fines eorum venit, unde res repetuntur, capite velato, filum [illegible] velamen eſt.* Et *lana*, non *lino* legendum apud Virg. Æneid. XII. 120.

Velati lana. ——

Sic enim vetus conſuetudo notabitur. Ex lino fit potius muliebre veſtimentum, quam virile. Idcirco res bellicas gerentibus haud convenit. *Boxhorn. Quæſt. Rom.* 30. Et cingebantur verbena. Virg. l. l.

—— *& verbena tempora cincti.*

Plin. XXII. 2. *Auctores imperii Romani conditoresque immenſum quiddam & hinc ſumpſere, quoniam non ali[illegible] in remediis publicis fuere, & in ſacris, legation[illegible]næ. Certe utroque nomine idem ſignificatur, ho[illegible] eſt, gramen ex arce cum ſua terra evulſum: ac ſemper & le[illegible], cum ad hoſtes, clarigatumque mitterentur, id eſt, res r[illegible] repetimus, unus utique verbenarius vocabatur.* S[illegible] Virgilium: *Verbena proprie eſt herba ſacra, [illegible] Capitolii, qua coronabantur feciales, & pater patratus, fœdera facturi, & bella indicturi.* Lipen. de Stren. c. 3. §. 13. Marlian. Topogr. Urb. Rom. II. 6. Voſſ. Lex. Etymol. Tiraquell. in Alex. V. 27. Curt. de Cult. hort. V. I. Loenſ. Miſc. IX. 7. Guiland. Papyr. Membr. XVI. §. 20. Salmuth ad Panciroll. de Reb. deperd. & inv. p. 655. Boxhorn. Kipping. & Demſter. l. l. Munera, ut tradit Dionyſ. l. l. erant cuſtodire, ne Romani bellum fœderatæ civitati injuſtum inferrent; in his qui fœdera rumpere cœpiſſent, ad eos legatos ire, & juſta primum ratione repetere, atque ſi poſtulatis, qui læſerant, non obtemperarent, iis bellum indicere, ſimili ratione, ſi læſos ſe eſſe a Romanis ſocii aliqui aſſeverantes æqua poſtularent, ea cognoſcere, comprehenſosque ſontes læſis deditios tradere. Injurias quoque legatis factas judicare, & quæ pia ſunt in fœderibus cuſtodire, pacem facere, atque factam, ſi non ex legibus ſacris facta videatur, irritam habere, Imperatorum iniqua facta, quæcunque circa jusjurandum & ſponſiones fierent, cognoſcere & expiare. Quum bellum indicere juſtum & pium eſſe judicarent, unus quidem *fecialium*, quem reliquis ſuffragiis prætulerint, ornatus veſte, & geſtaminibus ſacris, ut inter alios conſpicuus, manifeſtusque ſit, ad eorum urbem qui læſerint, proficiſcitur, & attingens fines Jovem deosque alios invocat teſtans, quod

ad repetendum jus pro Romanis proficiſcitur. Poſtea juratus quod ad urbem vadit, quæ prius injuſte egerit, & execrationes maximas ſibi ipſi ac Romæ imprecatus ſi mentiatur, intra fines pergit, deinde cuicunque primum occurrit hunc obteſtatus, ſive civis is fuerit, ſive ruſticus, easdemque imprecationes apponens ad urbem vadit; deinde antequam urbem ineat, janitorem ipſum, ſive alium, quem primum obvium in porta habuerit, eodem modo teſtatus, in forum progreditur, illicque adſtans, qua cauſa venerit, cum primoribus diſſerit, jusjurandum, ut prius, & imprecationes apponens. Si illi tempus ad conſultandum petant, decem eis dierum cum dederit, iterum redit, & uſque ad tertiam petitionem exſpectat. Elapſis triginta diebus, ſi juſta civitas non exhibeat, diis cœleſtibus, manibusque invocatis abit, hoc tantum dicto, quod de eis conſultabit per otium S. P. Q. R. Pronuntiat deinde in ſenatu cum aliis adſtans *fecialibus* peractum eſſe ab ipſis, quantum fuerit ex legibus ſacris pium, & ſi decernere bellum velint, non amplius religione prohiberi. Cincius porro de re militari III. apud Gell. XVI. 4. *fecialem populi Romani bellum indicentem hoſtibus, telumque in agrum eorum jacientem, his verbis uti ſcripſit: Quod populus Hermundulus, hominesque populi Hermunduli, adverſus populum Romanum bellum fecere, deliquereque, quodque populus Romanus cum populo Hermundulo, hominibusque Hermundulis bellum juſſit, ob rem eam ego, populusque Romanus, populo Hermundulo, hominibusque Hermundulis bellum indico, facioque.* Panvin. de Lud. Circenſ. II. 2. & Gyrald. Synt. Deor. XII. p. 480. Struv. Ant. Rom. c. 12. p. 635. Hotom. de Formul. Theſ. Antiq. Rom. Græv. Tom. II. p. 1910. E. Flocc. l. l.

FEL.

FEL nubentes ſacra Junoni facientes cum reliquis victimarum extis non porrigebant, ſed demptum, & avulſum abjiciebant; myſtice ſignificantes, omnem bilem, & amaritudinem a nuptiis abeſſe oportere. Plutarch. de Præcept. conjug. p. 141. E. *Briſſon. de Rit. nupt. Theſ. Antiq. Rom. Græv. Tom. VIII. p. 1029. E. Caſal. de Rit. nupt. c. 1.*

FELICITAS, quam Græci εὐδαιμονίαν vocant, etiam antiquis dea eſt exiſtimata. Ejus ſymbolum apud antiquos fuit in numiſmatibus femina in ſolio ſedens, dextera caduceum, ſiniſtra grande cornucopiæ tenens, cum hac inſcriptione: FELICITAS PUBLICA. *Urſat. de Not. Rom. Theſ. Antiq. Rom. Græv. Tom. XI. p. 715. B. Gyrald. Synt. Deor. 1. p. 37. F. Ortel. Deor. & dear. capit. 11. 48.*

FELICITER fuit vox familiaris in ludis amphitheatralibus. Suet. Galb. c. 7. n. 2. *Præſedit nonnunquam ſpectaculis in Caji vicem, acclamante populo feliciter partim patruo Imperatoris, partim Germanici fratri.* Plutarch. Galb. p. 1061. *Cum ederetur aliquando ſpectaculum, & tribuni militum, ac turmarum ductores ſollenne illud Romanorum, feliciter, Galbæ Imperatori precarentur.* Flor. III. 3. 20. *Frequens in ſpectaculo rumor, victoriæ Cimbricæ feliciter.* Taffin. de Lud. ſecul. c. 9. §. 8. Ferrar. de Acclam. & Plauſ. II. 2. Briſſon. de Form. VIII. p. 719. Gruter. Suſpic. VI. 10. Pitiſc. in Suetonium.

Feliciter etiam acclamatio in ſponſalibus uſitata. Appian. Bell. Civ. V. p. 709. *Quoniam Marcellus nuper obierat, maritus Octaviæ, ſororis Cæſaris, poſtulaverunt pacis auctores, ut frater eum collocaret cum Antonio: moxque deſponſa, dictum feliciter: conſequentibus fauſtis acclamationibus totius exercitus utrique bene precantis.* Juven. Sat. II. 119. V. illum infr. in *Tabulæ nuptiales.* Suet. Dom. c. 13. n. 2. *Acclamari etiam epulari die libenter audiit, Domino & Dominæ feliciter.* Ferrar. de Acclam. & Plauſ. VI. 12. & 13. Briſſon. de Form. VIII. p. 719. Muret. Var. Lect. IX. 8 Demſter. Paralip. ad Roſin. Antiq. Roman. V. 37.

Feliciter vocem completo libro antiqui ſolebant ſubjicere, & ſtatim ſcriptionem continuare. Hieronym. ad Marcell. *Scire debemus apud Hebræos in fine librorum unum e tribus ſolere ſubnecti, ut aut amen* אמן *ſcribant, aut ſela* סלה, *aut ſalom* שלום, *quod exprimit pacem, unde & Salomon pacificus dicitur: ut ſolemus nos completis opuſculis ad diſtinctionem rei alterius ſequentis medium interponere Explicit, aut Feliciter, aut aliquid ejuſmodi.* Sæpe invenimus antiquis in membranis diverſos libros, interdum etiam diverſorum auctorum opera, ſine ullo ſpatio continuata, altera tamen harum dictionum interpoſita. Librarii vero vocem illam modo appingunt fini prioris libri, modo ſequentis initio. Apud Pollion. Claud. c. 1. ſcripſerat librarius: *Divus Claudius. Feliciter.* Editum: *Feliciter ventum eſt ad principem Claudium.* Sic invenimus in regio: *Antoninus Pius. Feliciter.* Caſaub. in Pollionem.

FELIX cognomen eſt. *Sigon. de Nom. Rom. c. 5.* In Cornelia gente Syllæ adhæſiſſe probant ejuſdem denarii; ut pateat vere adſertum ab Appian. Bell. Civ. 1. p. 410. illam *Felicis* appellationem Syllæ ab adulatoribus tributam, poſtea eidem in cognomen vertiſſe, & ſtatuam equeſtrem pro roſtris S. C. illi cum hoc nomine erectam. Frequens poſtea apud Romanos evaſit, unde paſſim in marmoribus *Felices*; & maxime mulierum, *Felicitas*, etiam diminutiva, *Feliciſſima*, *Felicula*. Scilicet boni ominis loco habita apud veteres olim fauſta id genus nomina. *Spanhem. de Præſt. Num. Diſſert. VI. p. 530.* Syllæ exemplo a Cæſaribus eſt admiſſum. Commodo peculiari ſenatus decreto eſt conceſſum. Lampr. c. 8. *Inter hæc Commodus, quum occidiſſet Perennem, appellatus eſt Felix. Inter plurimas cædes multorum civium, quaſi quidam novus Sylla. . . .* Spanhem. ibid. Diſſert. VIII. p. 725.

FEM.

FEMINÆ non admittebantur per Italiam ad ſacra Herculis. Rationem prodidit Macrob. Sat. 1. 12. *Mulieres in Italia ſacro Herculis non licet intereſſe; quia Herculi, cum boves Geryonis per agros Italiæ duceret ſitienti reſpondit mulier, aquam ſe non poſſe præſtare, quod feminarum deæ celebraretur dies, nec ex eo apparatu viris guſtare fas eſſet. Propter quod Hercules facturus ſacrum deteſtatus eſt præſentiam feminarum, & Potitio ac Pinario ſacrorum cuſtodibus juſſit, ne mulierem intereſſe permitterent.* Borrich. Ant. Urb. Fac. c. 13. §. 3. Briſſon. de Form. 1. p. 7. Nec comitiis intereſſe, nec ſuffragia ferre, neque foro, aut concionibus immiſceri poterant. Gell. V. 19. *Cum feminis nulla comitiorum communio eſt.* Val. Max. III. 8. 6. *Quid feminæ cum concione? ſi patrius mos ſervetur, nihil.* Alex. Gen. dier. IV. 3. Tiraquell. ad Alexandrum & Leg. connub. l. 10. n. 31. An a caſtris exſulaverint V. infr. in *Milites*. A ludis funebribus prohibebantur. Videtur hoc innuere Plutarch. Quæſt. Rom. 14. Tradit enim *Sempronium ideo libellum repudii uxori miſiſſe, quod ludis funebribus interfuiſſet.* Quidam ob ſpretum mariti imperium hoc factum putant: ſed verius eſt funebre pugilum ſpectaculum fuiſſe, a quo ſexus muliebris omnino ſummovebatur. Suet. Aug. c. 44. n. 8. *Athletarum ſpectaculo muliebrem ſexum omnem adeo ſummovit, ut pontificalibus ludis pugilum par poſtulatum diſtulerit in ſequentis diei matutinum tempus: edixeritque, mulieres ante horam quintam venire in theatrum non placere.* Guther. de Jur. man. II. 9. Promiſcue cum viris non intrabant in balneas, niſi per abuſum. Hinc tot privatarum balnearum numerus. Et quædam videntur publicæ fuiſſe muliebres, ut Agrippinæ Auguſtæ Neronis matris. Olympiadis item balneæ in Suburra. Et quas trans Tiberim, quaſi extra conſpectum hominum habuiſſe Ampelidem & Priſcilianam ex P. Victore cognoſcimus. *Baccius de Therm. Vet. c. 12.* Gratis lavabantur. V. infr. in *Quadrans*. Sedentes veſcebantur. Val. Max. II. 2. *Feminæ cubantibus viris ſedentes cœnitabant.* Chimentel. de Honor. biſell. c. 29. Falconer. Diſſert. de Pyram. Ceſt. Epul. Theſ. Antiq. Roman. Græv. Tom. IV. p. 1472. A. Buleng. de Conviv. 1. 31. Poſtea tamen accubuerunt. Suet. Cal. c. 24. n. 1. *Pleno convivio ſingulas* ſorores *infra ſe viciſſim collocabat, uxore ſupra cubante.* Cicer. Fam. IX. 26. *Infra Eutrapelum Cytheris accubuit.* Ovid. Amor. 1. 4. 15.

Cum premet ille torum, vultu comes ipſa modeſto
Ibis, ut accumbas.

Ciaccon. de Triclin. p. 5. Lipſ. in Tacit. Annal. XI. n. 10. Buleng. l. l. Pitiſc. in Suetonium. Et quidem in ſinu virorum. De puella cum viro cœnatura Ovid. Amor. I. 4. 6.

Alteriusque ſinus apte ſubjecta fovebis?
Injiciet collo, cum volet, ille manum?

n. 35.

Nec premat indignis ſinito tua colla lacertis,
Mite nec in rigido pectore pone caput.

Id vocabant interiorem jacere. Scipio in orat. contra Gallum apud Gell. VII. 12. *Qui in conviviis adoleſcentulus cum amatore, cum chirodota tunica interior accubuerit.* Nec ab alia cauſa Dolobella Cæſarem dicit *ſpondam interiorem regiæ lecticæ.* Pueri enim meritorii non aliter jacebant apud amatores. Et infra jacere. Suetonius & Cicero modo laudati. *Lipſ. l. l. Ciaccon. ibid. p.* 50. Aſiaticæ latum clavum videntur portaſſe. Nam Eſaj. c. 3. n. 21. inter cultum muliebrem τὰ μεσοπόρφυρα recenſet ſecundum LXX. verſionem. Romanæ, etiamſi ſenatorum uxores, aut filiæ eſſent, non portarunt. Nec hoc uſquam apud ſcriptores invenio. Imo Imperatores Valentinianus & Valens l. 18. C. Theod. de præt. & quæſt. aperte *feminis* lati clavi uſum adimunt: *Etſi, injuſtum enim,* verba legis ſunt, *atque dedecus videtur, mulieres ad laticlavum & inſignia procedere....* Ruben. de Re Veſt. I. 16. Sed adimitur id, quod aliquando in uſu fuit, non quod nunquam factum eſt. Non ergo *feminis* ademptum jus laticlavi, quod nunquam in uſu, ſed *injuſtum, atque dedecus mulieris*, latum clavum, & prætoris inſignia geſtare dixerunt Imperatores. *Ferrar. Anal. de Re veſt. c.* 22. Nupturæ lege Julia dabatur tutor a prætore urbano ad dotem dandam, ducendam, promittendamve, ſi legitimum tutorem pupilla non habebat. Et non tantum nupturæ, verum etiam ei quæ jam nupta eſt. Ulpian. l. non tantum 7. ff. de tutor. & curat. *Non tantum ad dotem dandam nupturæ curatorem dari oportet: verum etiam ei quoque, quæ jam nupta eſt.* Ut enim Mart. Capell. de Nupt. Philol. IX. ſcribit: *Etiam matrimonio copulato dotem dare viro feminis nullis legibus prohibetur.* Et Paull. Sent. II. 21. *Dos,* ait, *aut antecedit, aut ſequitur matrimonium. Et ideo, vel ante nuptias, vel poſt, dari poteſt.* Itaque *& ad dotem augendam, & mutandæ quoque dotis gratia curator dari poteſt.* Plane in nuptiis contrahendis tutoris curatoriſve conſenſus non exigitur, eoque ſpreto pupilla pro arbitrio ſuo recte nubit. Et ita Severus & Antoninus reſcripſerunt l. ſciendum eſt. ff. de rit. nupt. in hæc verba: *Ad officium curatoris adminiſtratio rerum pupillæ pertinet: nubere autem arbitrio ſuo poteſt.* Verum ei ad dotem conſtituendam tutor lege Julia dabatur. *Briſſon. de Jur. connub. Theſ. Ant. Rom. Græv. Tom.* VIII. *p.* 1073. *E.* In perpetua erant tutela. Ulpian. tit. XI. fragm. *Tutores conſtituuntur tam maſculis, quam feminis: ſed maſculis quidem impuberibus duntaxat, propter ætatis infirmitatem: feminis autem tam impuberibus quam puberibus, & propter ſexus infirmitatem, & propter forenſium rerum ignorantiam.* Quamobrem Auguſtum memoriæ proditum eſt ſummi beneficii loco & jure ſingulari Liviæ uxori & Octaviæ ſorori conceſſiſſe *ſua ſine tutore adminiſtrare.* Hæc Dio XLIX. p. 414. C. *Briſſon. ibid. p.* 1020. *E. Kobierzyck. de Lux. Roman.* II. 3. *Fab. Semeſtr.* II. 23. Et ſine tutorum auctoritate non poterant in manum convenire. Hoc Cicero pro Flacco dilucide oſtendit. Et idem pro Cluent. c. 5. *Nubit genero ſocrus. nullis auſpicibus. nullis auctoribus.* Quod autem ea *tutela legitima* dicitur a Cicer. Attic. I. 4. indicio eſt lege XII. tabularum introductam. Id quod verum puto, & ex Athenienſium legibus hoc caput a decemviris deſcriptum, quandoquidem & apud illos mulieres tutorum, quos κυρίους vocabant, poteſtate continerentur. *Bud. Comm. Ling. Græc. p.* 23. *Briſſon. ibid. p.* 1021. *E.* V. & infr. in *Tutela mulierum.* In familiam, & ſacra mariti tranſibant. *Siccam. in Faſt. Kalend. Rom. c.* 4. In manum conveniendo cum capite fortunas quoque ſuas in familiam, ac domum mariti transferebant. Cicer. Top. in loc. ab effect. ſcribit: *Cum mulier viro in manum conveniebat, omnia quæ ejus fuerant, viri fiebant dotis nomine.* Unde Boethius, uxore defuncta, quæ in manum conveniſſet, bona ejus ad virum pertinuiſſe bene colligit. *Briſſon. ibid. p.* 1022. *A. Hotman. Antiq. Roman.* III. 3. *p.* 416. Erant olim abſtemiæ per initia. Tertull. Apolog. c. 6. *Cum mulieres uſque adeo vino abſtinerentur, ut matronam ob reſignatos cellæ vinariæ loculos ſui inedia necarint; ſub Romulo vero quæ vinum attigerat, impune a Mecenio marito trucidata ſit. Idcirco & oſcula propinquis offerre etiam neceſſitas erat, ut ſpiritu judicarentur.* Ratio fuit, ne in aliquod dedecus prolaberentur. Val. Max. II. 1. 5. *Vini uſus olim Romanis feminis ignotus fuit, ne ſcilicet in aliquod dedecus prolaberentur: quia proximus a Libero patre intemperantiæ gradus ad inconceſſam venerem eſſe conſuevit.* Et, ut Dionyſ. II. p. 96. *Ebrietas initium eſt ſtupri: ſtuprum vero, ſeu violata pudicitia vecordiæ eſt principium.* Quomodo, & a quibus punitæ fuerint convictæ V. infr. in *Jus maritale.* Non tamen prorſus abſtemiæ fuere, ſed tantum a temeto. Suffragatur Athen. X. p. 440. E. *Apud Romanos vinum mulieribus interdictum eſt: iis tantum paſſum vinum licuit bibere, quod ex uva paſſa fit, guſtu ſimile vino dulci Ægoſthenenſi, aut Cretico, hoc ſcilicet, cum urget valde, ſitim leniunt. Vinum autem ſi quæ biberit, id celare non poteſt, primum quidem quod cellam vinariam non committunt mulieri; deinde quod eam oſculentur tum ſui, tum mariti cognati ad conſobrinos uſque, & id quotidie ubi ſtatim illam aſpexerint, quia vinum non temetum, ſed paſſum dulce permittitur mulieribus; dulce vero non inebriat.* Plin. XIV. 13. *Cato, ideo propinquos feminis oſculum dare, ut ſcirent, an temetum olerent. Hoc tum nomen vino erat.* Caſaub. in Athen. X. 11. Buleng. de Conviv. Proluſ. III. Heindreich Maſſil. II. Theſ. Antiq. Græcar. Gronov. Tom. VI. p. 2962. E. Sigon. de Ant. jur. civ. Rom. I. 9. Bruyer. de Re cibar. III. 7. Rittersh. in Leg. XII. tab. Claſſ. III. p. 1. c. 7. Hotman. ibid. p. 420. A. Feith. Antiq. Homer. III. 2. Laurent. de Prand. & cœn. c. 14. Schill Nomencl. Philol. p. 1122. Et ideo claves cellæ vinariæ non habebant. V. ſupr. in *Clavis.* Citius ſunt aptæ ad generandum quam mares: quod in illis calor naturalis, qui generationis cauſa eſt, prius complementum ſuum habeat, ſive effectum. Rationem inquirens primo calori naturali tribuit Macrob. VII. 7. *Nec hoc tacebo, quod cum calor ſemper generationis cauſa ſit, feminæ ideo celerius quam pueri ſiunt idoneæ ad generandum, quia calent amplius.* Deinde frigiditati earundem: *Quod cito admoventur generationi, non nimii caloris, ſed naturæ infirmioris eſt: ut exilia poma celerius matureſcunt, robuſta ſerius. Sed ſi vis intelligere in generatione veram rationem caloris: conſidera viros longe diutius perſeverare in generando, quam mulieres in pariendo. Et hæc tibi ſit indubitata probatio in utroque ſexu, vel frigoris, vel caloris. Nam vis eadem in frigidiore corpore celerius exſtinguitur, in calidiore diutius perſeverat.* Putean. Reliq. conviv. priſc. Theſ. Ant. Rom. Græv. Tom. XII. p. 268. C. Prægnantes Opigenæ cereas imagines offerebant, auxilium in partu deprecantes. *Jun. Faſt. Theſ. Ant. Rom. Græv. Tom.* VIII. *p.* 246. *B.* Lanam faciebant. V. infr. in *Lana.* Sacerdotio fungebantur. Conſtat ex marmore, quod Romæ repertum.

P. POSTHUMIÆ. P. F. PAULLÆ.
SACERDOS. D. JULI. AUGUST.

Item in Hiſpania alicubi:

LUCR. L. F. CAMPANA
FLAMINIA. PERPETUA
DOMUS. AUGUST.

Tacit. Annal. XIII. 2. 5. agens de Agrippinæ honoribus: *Decreti & a ſenatu duo lictores, flaminium Claudiale.* Hoc dicitur a Tacito, quaſi Agrippina Claudii fuiſſet flaminica, exemplo Liviæ, quæ Auguſti ſacerdos fuit, ut conſtat ex Vellej. II. 75. 3. *Livia,* inquit, . . . *Romanorum eminentiſſima, quam poſtea conjugem Auguſti vidimus, quam tranſgreſſi ad deos ſacerdotem ac filiam.* Lipſ. in Tacit. n. 8. Berthald. de Ara c. 15. §. 3. c. 30. §. 6. Falconer. ad Inſcript. Athlet. Theſ. Ant. Græc. Gronov. Tom. VIII. p.

2310. A. In ſupplicationibus, quæ avertendæ deorum iræ cauſa habebantur, aut cum hoſtili aliquo nuntio perculſa civitas ad deos, & vota confugiebat, templorum limina paſſis crinibus verrebant. Lucan. II. 30.

> —— *hæ pectora duro*
> *Afflixere ſolo: lacerasque in limine ſacro*
> *Attonitæ fudere comas.*

hoc eſt, quod ait Artemid. II. 34. σαρῶν τὰ πρὸς τῶν νεῶν. Sic enim ille II. 34. *Abſtergere deorum ſimulacra, aut luſtrare, aut ungere, aut verrere limina templorum, & baſes ſimulacrorum.* Liv. III. 7. *Stratæ paſſim matres crinibus templa verrentes veniam irarum cœleſtium, finemque peſti expoſcunt.* Lipſ. Elect. II. 6. Herald. in Arnob. I. p. 47. Sagittar. de Jan. vet. c. 35. §. 8. Briſſon. de Form. I. p. Velato capite in publicum procedebant. Id adſtruunt exempla non vulgarium modo mulierum, ſed etiam Auguſtarum, Liviæ, Marciæ, Fauſtinæ, quas nummi antiqui capite obducto repræſentant, addito lemmate PUDICITIA. Poppæam item Sabinam Neronis oonjugem tradit Tacit. Annal. 45. 4. non niſi *velatam, quia ſic decebat*, & infrequenter in publicum prodiiſſe. Quid quod Val. Max. VI. 3. 10. ſcribit C. Sulpitium Gallum *uxorem dimiſiſſe, quod eam capite aperto foris verſatam cognoverat.* Raynaud. de Pil. & cæt. cap. tegm. Sect. V. Aring. Rom. Subterr. IV. 37. §. 31. Tiraquell. in IV. Leg. connub. Gloſſ. I. p. 4. n. 21. Kirchm. de Fun. Roman. II. 16. Mercede conducebantur ad lamentabile carmen accommodatum ad deplorandum & collaudandum mortuum. V. infr. in *Præfica*. Priſcis temporibus in luctu utebantur veſtibus atris. Dionyſ. VIII. p. 530. *Romanorum matronæ, ut mos eſt illis in luctu domeſtico, & neceſſariorum funeribus, depoſito auro, & purpura, cæteroque ornatu atratæ ipſum per annum integrum luxerunt.* Suidas in Μάρκιος: *Matronæ auro & reliquo ornatu depoſito, pulliſque veſtibus indutæ, per integrum annum eum luxerunt.* Riciniis, V. illa infr. in *Ricinium*, poſitis ſumebant togas pullas, quibuſcum in funus prodirent. Et illæ deinceps veſtes in luctu. Varr. apud Non. XVI. §. 13. *Ut dum ſupra terram eſſet, ricinus lugerent: funere ipſo, ut pullis pallis amictæ.* Hæ togæ etiam anthracinæ vocabantur. Varr. ibid. §. 14. *Propinquæ adoleſcentulæ etiam anthracinis, proximæ amiculo nigello, capillo demiſſo ſequerentur lectum.* Sub Imperatoribus albis. V. ſupr. in *Color albus.* Quamdiu maritum luxerint V. infr. in *Luctus.* Tutelam adminiſtrare non poterant. V. infr. in *Tutores.* Præ nimio amore in maritorum rogos ſe abjiciebant. Senec. Declam. II. 2. *Quædam ſe maritorum rogis ardentibus miſcuerunt.* Ideo etiam plerumque cuſtodiebantur, ne ſe rogo præ animi impotentia injicerent. Quintil. Decl. X. *Scitis ipſi, quo exſequiarum die extracta ſit, quamdiu filium tenuerit allambentibus flammis.* Kirchm. ibid. III. 4. Moreſtell. ibid. VII. 5. Nobiliores, & quarum filii magiſtratus curules geſſiſſent, in honoratiore veſte efferebantur. Prop. IV. 12. 61.

> *Et tamen emerui generoſos veſtis honores.*

Scaliger in Propertium. Kirchman. ibid. I. 10. Meurſ. de Fun. c. 20. Scheffer. de Re vehic. I. 18. Guther. de Jur. man. I. 24. Id ſi vel maxime verum foret, nihil tamen faceret ad hanc noſtram, quæ admodum adoleſcens diem ſuum obiit, deque ſuis filiis, ut de pueris, loquitur n. 71.

> *Fungere maternis vicibus, pater, illa meorum*
> *Omnis erit collo turba ferenda tuo.*

n. 83.

> *Conjugium, pueri, laudate & ferte paternum.*

& matrem Scriboniam Auguſti uxorem etiam tum habebat n. 55.

> *Nec te dulce caput, mater Scribonia, læſi.*

& ſeipſam *immatura morte* raptam profitetur n. 17. quod factum non fuiſſet, ſi filios habuiſſet prætorios, & conſulares. *Veſtis honores* itaque ad fœcunditatem refero. Inducit epithetum *generoſos*. Illarum enim nomina, quæ tres peperiſſent liberos in tabulas publicas referebantur, ut *multorum liberorum procreatorum præmia* conſequerentur. Dio LV. p. 549. D. In quibus, opinor, veſtis honoratior, quæ fœcundis matronis vel lege, vel more, & non iis, quæ nunquam pepererant, in funere concedebatur. *Beroal. & Broukh. in Propertium. Turneb. Adv.* XXIII. 7. *Bebot. Apophor.* I. 14. Poſt mortem etiam laudabantur, juſſu legis, de qua Plutarch. de virtut. mul. p. 242. E. *Romanam legem maxime probo, qua mulieres itidem, ut viros publice poſt mortem meritis laudibus affici jubet.* Honoris hujus *feminis* a ſenatu decreti cauſam indicat Liv. V. 50. *Cum in publico deeſſet aurum, ex quo ſumma pactæ mercedis Gallis conficeret, a matronis collatum acceperunt. Matronis gratiæ actæ, honosque additus, ut earum, ſicut virorum poſt mortem ſollennis laudatio eſſet.* Indicat, quamvis paullo aliter, Plutarch. in Camill. p. 133. B. Inde *matrem Popilliam* Catulus apud Cicer. de Orat. II. 11. *Juliam Cæſaris filiam, Pompeji uxorem* nonnulli apud Dion. XXXIX. p. 120. *Druſillam Caji ſororem* maritus Lepidus apud Dion. LIX. p. 648. *Liviam Auguſtam* C. Cæſar pronepos apud Tacit. Annal. I. 5. 6. & Suet. Cal. c. 10. n. 3. *Poppæam Sabinam* maritus Nero apud Tacit. Annal. XVI. 6. 4. *aviam Juliam* Auguſtus apud Suet. c. 8. n. 1. *Juliam amitam, & uxorem Corneliam* C. Julius Cæſar apud Suet. c. 6. n. 1. & Plutarch. Cæſ. p. 907. C. laudarunt. *Kirchm. ibid.* II. 19. *Meurſ. de Fun. c.* 39. *Guther. de Jur. man.* I. 25. *Rittersh. in* XII. *tabb. claſſ.* I. *c.* 15. *Faes ad Gyrald. de Sepult. c.* 6. *Turneb. in Cicer. joc. p.* 9. *Pitiſc. in Suetonii Julium. Moreſtell. Pomp. Feral.* III. 6. Olim promiſcue cum viris in circo ſpectabant. Sed hoc vetuit Auguſtus. Suet. c. 44. n. 6. *Feminis ne gladiatores quidem, quos promiſcue ſpectari ſollenne olim erat, niſi ex ſuperiore loco ſpectare conceſſit*; I. ſumma cavea. Calpurn. VII. 26.

> *Venimus ad ſedes, ubi pulla ſordida veſte*
> *Inter femineas ſpectabat turba cathedras.*

Ibi *feminas* ſpectaſſe oſtendit Cynthia apud Prop. IV. 9. 24.

> *Nec cum laſcivum ſternet arena forum,*
> *Colla cave inflectas ad ſummum obliqua theatrum.*

Lipſ. Amphith. c. 14. Elect. I. 19. Buleng. de Venat. circ. c. 34. Voſſ. Lex. in Cavea. Barth. in Calpurnium. Pitiſc. in Suetonium. Sub Domitiano in arena pugnaverunt. Suet. c. 4. n. 2. *Nec virorum modo, ſed & feminarum pugnas commiſit.* Tacit. Annal. XV. 32. 3. *Feminarum illuſtrium, ſenatorumque plures per arenam fœdati ſunt.* Stat. Sylv. I. 6. 53.

> *Stat ſexus rudis, inſciuſque ferri,*
> *Et pugnas capit improbus viriles.*
> *Credas ad Tanain, ferumque Phaſin,*
> *Thermodontiacas calere turmas.*

Sub Severo illis arena interdicta eſt. Xiphil. LXXV. p. 858. B. *Per illud tempus factum eſt mulierum certamen, in quo coacta convenerat tanta multitudo athletarum, ut miraremur omnes, quemadmodum eos ſtadium caperet. In hoc certamine cum mulieres poſt agreſtes ſaltationes ita pugnaſſent, ut etiam in cæteras matronas illuſtres ab iis deſumpta ſcommata jacerentur; prohibitum fuit, ne amplius ulla mulier, undecunque orta, more gladiatorio certaret.* Alex. Gen. dier. VI. 19. & ad illum Tiraquellus. Lipſ. Saturn. II. 4. in Tacit. Annal. XV. 32. n. 49. Laz. Comm. Reip. Rom. X. 13. Fab. Semeſtr. II. 10. Scriver. in Mart. de Spect. p. 9. Onuph. de Lud. circenſ. II. 1. & ad illum Argolus. Pitiſc. in Suetonium. Buleng. de Venat. circ. c. 37. Thulemar. in Freher. Cecropiſtrom. Theſ. Ant. Rom. Græv. Tom. IX. p. 1155. Et apud veteres aurigæ fuerunt. Nauſichaa apud Homer. Odyſſ. II. 81.

> *Hæc cepit ſcuticam, formaque inſignis habenas.*
> *Utque irent, mulos percuſſit.*

Cynthia apud Prop. IV. 8. 21.

> *Spectaculum ipſa ſedens primo temone pependit,*
> *Auſa per impuros frena movere lacus.*

Argol. in Onuphr. ibid. I. 11. Beroal. in Propertium. Repudio non erubeſcebant Senecæ temporibus. Ita enim ille de Ben. III. 16. *Nunquid jam ulla repudio erubeſcit, poſtquam illuſtres quædam, ac nobiles feminæ non conſulum numero, ſed maritorum annos ſuos computant? & exeunt matrimonii cauſa, nubunt repudii.* Faber. Semeſt. II. 23. Adulterii commiſſi convictæ cogebantur togatæ, ſive virili toga indutæ in publicum procedere. V. infr. in *Toga.* Decalvabantur. *Faber. ibid.* III. 21. *Raynaud. ibid. Sect.* III. Statim domo exigebantur. Paull. Sent. II. tit. 27. *Eum qui deprehenſam in adulterio uxorem non ſtatim dimiſit, reum lenocinii poſtulari placuit.* Aut enim lenonem eſſe, aut plane ferreum neceſſe eſt, cui ſcienti prudentique ſine dolore tanta injuria infertur. Atque ita Claudium Gorgum, cum deprehenſam in adulterio uxorem retinuiſſe detectus eſſet, ſine accuſatore lenocinio damnatum refert Ulpian. l. 2. §. unde ff. de adult. Nec reprehenſione caruiſſe illam tribuni militum patientiam ait Plin. Epiſt. VI. 31. qui poſt delatum adulterium uxorem retinuerat, quaſi contentus æmulum removiſſe. *Briſſon. ad Leg. Jul. de adult. p.* 183. Propter hanc infamiæ notam, & vitæ turpitudinem teſtimonium dicere non poterant: & lege Julia de vi nominatim cavebatur, ut ne ad teſtimonii fidem admitterentur. *Briſſon. de Jur. connub. Theſ. Græv. ibid. p.* 1066. *B. Long. de Annul. p.* 102. A marito non reducebantur. Et narrat Suet. Domit. c. 8. n. 10. Domitianum *judicum albo equitem Romanum ob reductam in matrimonium uxorem, cui dimiſſæ adulterii crimen intenderat, eraſiſſe.* Briſſon. ad Leg. Jul. p. 182. Ab ingenuo, etiam inferioris ordinis homine non ducebantur. Et qui adulterii damnatam ſciens uxorem duxerit, lege Julia pro adultero punitur. Ulpian. l. mariti 29. princ. ff. ad leg. Jul. de adult. *Mariti lenocinium lex coercuit, qui deprehenſam uxorem in adulterio retinuit, adulterumque dimiſit: debuit enim uxori quoque iraſci, quæ matrimonium ejus violavit: tunc autem puniendus eſt maritus* Briſſon. de Jur. connub. Theſ. Græv. ibid. p. 1065. A. 1066. & 1070. C. ad Leg. Jul. p. 182. Imo a marito occidebantur. V. infr. in *Jus maritale.* Ab hoſtibus interdum obſides imperabantur. Suet. Aug. c. 21. n. 5. *A quibuſdam novum genus obſidum feminas exigere tentavit: quod negligere marium pignora ſentiebat.* Qui quare *novum?* Romani enim virgines obſides Porſenæ olim dederunt: interque eas Clœliam. Tacit. Germ. c. 8. n. 2. *Adeo ut efficacius obligentur animi civitatum, quibus inter obſides puellæ quoque nobiles imperantur* Athen. XIII. p. 605. D. id primum inventum Cleonymo Spartano vult, parum vere. *Mihi,* inquit ille, *juxta naturam feciſſe Cleonymus Spartanus videtur, qui primus mortalium* (magis recte, ſi primus Græcorum dixiſſet) *obſides a Metapontinis feminas virgines accepit nobiliſſimas, & pulcerrimas.* Ubi diſcis Metapontinos, imo credo cæteros Italiæ populos, habuiſſe antiquos hunc morem. *Lipſ. in Tacit. n.* 29. V. plura infr. in *Mulieres.* & *Uxores.*

FEN.

FENESTELLA eſt cognomen Valeriorum. Obſervavimus in hoc nummo Auguſti, cujus inſcriptio: *Cæſarea Auguſta, Lucio Caſſio. Cajo Valerio Feneſtella, duumviris.* Vaillant: Numiſm. I. p. 17.

FENESTRALIS porta V. illam infr. in *Porta.*

FER.

FERÆ diſtinguuntur a beſtiis in lapide Neap. apud S. Johannem majorem: *Venatione paſſ. denis beſtiis, & quatuor feris.* Argol. in Panvin. de Lud. Circenſ. II. 8. Capiebantur aut indagine canum. Tib. IV. 3. 7.

—— claudam denſos indagine colles,
Et demum celeri ferrea vincla cani.

Tædis & foſſis. Claud. Stilich. Conſul. II. 339.

Non illos tædæ ardentes, non ſtrata ſuperne
Lapſuro virgulta ſolo, non vocibus hœdi
Pendentis ſtimulata fames, non foſſa fefellit.

Aut ſi eques a tergo inſtans in lineas & retia compelleret. Senec. de Clem. I. 12. *Si feras lineis & pennis clauſas contineas, eaſdem a tergo eques inceſſat, tentabunt fugam per ipſam formidinem.* Aut ſi formido ipſa e pennis conſerta terriculo eſſet, & in inſidias ageret. V. infr. in *Formido.* Odore, & colore terrebantur. Grat. n. 79.

—— a vulture dirus avaro
Turbat odor ſylvas.

Aut ſubſidebant irruentibus feris, eaſque venabulo excipiebant: ſed non cum feras ad venationem captarent. Auſon. Epiſt. III. 28.

—— cervos
Circumdas maculis, aut multa indagine pennæ,
Aut ſpumantis apri curſum clamoribus urges,
Subſidiſque fero.

Buleng. de Venat. Circ. c. 16. Argol. l. l. Ex ultimo orbe conquirebantur; urſi ex Caledonia, & Pannonia; leones, & tigres ex Aphrica; crocotæ, & rhinocerotes ex India; crocodili ex Ægypto advehebantur. Unde ex Cod. II. tit. 45. *Ab Imperatore cautum legimus, ne beſtiæ, quæ ad comitatum ab omnibus limitum ducibus tranſmittuntur, plusquam ſeptem dies intra ſingulas civitates retinerentur.* Caſal. de Urb. ac Imper. Roman. ſplend. part. 2. c. 5. Ad venationes emere ſine principis permiſſu nemo poterat. Symmach. Epiſt. VII. 122. *Adde ſi placet, quod a me poſtulatum tenes, ut aliarum Libycarum mihi emptio ſacra auctoritate præſtetur.* Cod. Theodoſ. I. de ven. ferar. *Quamquam occidendi feras, non venandi, venundandique licentia deferimus.* Et gratulatur de leopardis, qui ſibi ſacris literis conceſſi erant, Symmmach. Epiſt. VII. 59. *Sacras mihi literas Julius agens in rebus exhibuit leopardorum munificentiam exhibentes. Idem tuam deſideratam nobis paginam ſimul tradidit. Principe igitur loco ſalutationis tibi ſolvo reverentiam. Dehinc poſtulo, ut pro me gratias agas votivæ largitatis auctori. . . . .* Buleng. de Venat. Circi c. 18. de Circo c. 60. Caſaub. Gordian. c. 4. Caſal. l. l. Captæ Romam transvehebantur plauſtris. Symmach. Epiſt. IV. 56. *Plures de Dalmatia urſos in apparatum domus noſtræ proxime venturos fides aſſerit nuntiorum: quorum ſubvectionem diſpoſitis vehiculis etiam privatim debemus inſtruere.* Aut ratibus. Utrumque genus attigit Claud. Stilich. Conſul. II. 325.

---- ratibus pars ibat onuſtis
Per freta, per fluvios: exſanguis dextera torpet
Remigis, & propriam metuebat navita mercem.
Per terram pars ducta rotis, longoque morantur
Ordine plauſtra vias, montanis plena triumphis,
Et fera ſollicitis vehitur captiva juvencis.

Senatores nullum portorium pro advectione *ferarum* pendebant, ab aliis vectigal quinquageſimæ exigebatur. Symmach. Epiſt. V. 66. *Buleng. de Venat. Circ. c.* 18. *Caſal. l. l.* Omne genus *ferarum* in circum & amphitheatrum induci moris erat, alias ſpectandi cauſa, ut phœnices & crocodilos: alias pugnæ, ut leones, tigres; alias voluptatis, ut lepores, damas; alias herbaticas, manſuetas alias, crudivoras, ſolidungulas, dentatas, cornigeras. Claud. ibid. n. 316.

---- ſed luxuriantis arenæ
Delicias, Pompam nemorum, quodcumque tremendum
Dentibus, aut inſigne jubis, aut nobile cornu,
Aut rigidum ſetis capitur, decus omne timorque
Sylvarum, non cauta latent, non mole reſiſtunt.

Buleng. ibid. c. 19. Laz. Comm. Reip. Rom. X. 5. Caſal. l. l. Partim in cavis ſubterraneis recondebantur ſub ipſos ludos, partim deponebantur in caveis ſub interiore porticu, e qua portulæ & aditus plures pertinent in arenam. Liv. XLI. 27. *Cenſores locaverunt carceres in circo, & ova ad metas curriculis numerandas, & * dam, & metas trans * & caveas ferreas pe * intromitterentur.* Per has beſtiæ intromittebantur in arenam. Nec de aliis caveis Stat. Sylv. II. 5. 11.

 ---- ſtat

---- stat cardine aperto
Infelix cavea, & clausis circum undique portis,
Hoc licuisse nefas pavidi timuere leones.

Ubi nota & portas. Certe etiam portæ in circo ad bestias emittendas apud Plaut. Perf. III. 3. 30.

Ubi quid credideris, citius extemplo a foro
Fugiunt, quam ex porta ludis cum emissus est lepus.

Ostia videtur Varro appellasse de Re Rust. III. 5. *Ostium habere debet humile & angustum, & potissimum ejus generis, quod cochleam appellant, ut solet esse in cavea, in qua*, potius *e qua*, nisi caveam pro amphitheatro ceperit, *tauri pugnare solent*. Lipf. de Amphith. c. 9. Ex illa emittebantur vel singulæ. Cassiod. Var. v. 42. *Ille in tenuem regulam venire suspensus invitat exitiabilem feram.* Mart. VIII. 55.

Tantus in Ausonia fremuit modo terror arena,
Quis non esse gregem crederet? unus erat.

Vel simul plures. Vopisc. Prob. c. 19. *Edidit alia die in amphitheatro una missione centum jubatos leones.* Plin. VIII. 16. *Leonum simul plurium pugnam Romæ princeps dedit Q. Scævola.* Buleng. ibid. c. 17. Egredientium impetus magnus erat. Vopisc. l. l. *Neque erat bestiarum impetus ille, qui esse e caveis egredientibus solet.* Lipf. & Buleng. l. l. Iterumque in eas immittebantur post pugnam. Senec. de Ira II. 12. *Curriculi motus, rotarumque versata facies leones redigit in caveam.* Lipf. l. l. *Feras*, quibus aliqua in re usi erant, velut de se bene meritas, libertate remunerabantur, & in agros, sylvasque demittebant. V. supr. in *Bestias*.

FERALIA erant festa publica, quibus ferebant epulas ad sepulcra. Festus: *Feralia diis manibus sacrata festa a ferendis epulis vel feriendis pecudibus.* Varr. de Ling. Lat. v. 3. *Feralia ab inferis & ferendo, quod ferunt tunc epulas ad sepulcrum, quibus jus ibi parentare.* Originem horum Æneæ tribuit Ovidius, postquam illa descripserat, Fast. II. 543.

Hunc morem Æneas pietatis idoneus auctor
Attulit in terras, juste Latine, tuas.
Ille patris genio sollennia dona ferebat,
Hinc populi ritus edidicere novos.

Harum status ac sollemmis fuit mensis Februarius. V. supr. in *Februarius*. Dies ejusdem mensis decimus nonus, hoc est, xi. Kal. Martii, ut videre est cum ex veteri Kalendario Romano, tum ex Ovid. Fast. II. 567.

Non tamen hoc ultra, quam quum de mense supersunt
Luciferi quot habent carmina nostra pedes.
Hanc quia justa ferunt dixere Feralia lucem,
Ultima placandis manibus illa dies.

Atqui Elegiacos versus constare undecim pedibus vel pueris notum est. *Kirchm. de Fun. Roman.* IV. 1. *Ursat. de Not. Rom. Thes. Antiq. Rom. Græv. Tom.* XI. *p.* 715. *D. Gyrald. Synt. Deor.* XVII. *p.* 493. *G. Stuck. Antiq. Conviv.* 1. 26. *de Sacrif. p.* 163. *Alex. Gen.* III. 12. *Castellan. de Fest. Græc. Thes. Ant. Græcar. Gronov. Tom.* VII. *p.* 683. *B. Quensted. de Sepult. Vet. c.* 13. *Faes in Gyrald. de Var. sepel. rit. c.* 1. *Kipping. Antiq. Roman.* 1. 10. §. 10. *Hospin. de Orig. Fest. p.* 106. *Rosin. Antiq. Roman.* IV. 6.

FERCULUM dicitur Latine cibus, qui apponitur. *Ferculum*, teste Nonio, *est missus cibi, ita dictus, quod mensæ inferatur.* Stuck. Ant. Conviv. III. 1. Demster. Antiq. Roman. Rosin. v. 29. Qui unde hoc habeant, non satis scire possum. Apud Nonium profecto ipsum nihil tale invenias. Quare suspicor secutos Calepinum, qui similiter: *Ferculum, teste Nonio, missus cibi, ita dictus, quod ad mensam inferatur.* Sed confundit Calepinus Nonium cum Fulgentio. Deinde *missum cibi* vocat, quod Fulgentio est *missus carnium*. Postremo *missum cibi* putat ipsum cibum. Ac ne videatur sine auctoritate hoc facere, subdit Juven. Sat. I. 94.

---- quis fercula septem
Secreto cœnavit avus?

Nempe quia hic cœnari *fercula* dicuntur, utique significare cibos arbitratus est. Sed non observavit, poetam figura receptissima posuisse pro cibis *fercula*, quæ in *ferculis* apponebantur. Quomodo & mensas usurpavit alicubi in hac significatione, atque alii fecerunt. Nam & *tenuem mensam* Horat. Od. II. 16. 14. & *opimam mensam* Sil. Ital. XI. 282. ita usurparunt. Quare *fercula* non magis erunt cibi dapesque quam mensæ, si quid proprie significarint, quæras. *Scheffer. de Re vehic.* II. 3. *Nicol. de Triumph. c.* 22. §. 1. Erat vero tabula lignea latior, qua vasa plura ciborum una vice imposita inferri mensis solebant. Non enim mensis imponebant lances elegantiores; sed machinulis quibusdam venusto artificio elaboratis imponebant. Petron. c. 35. *Laudationem ferculum est insecutum, plane non pro exspectatione magnum, novitas tamen omnium convertit oculos. Rotundum enim repositorium duodecim habebat signa in orbe disposita, superque proprium convenientemque materiæ structor imposuerat cibum.* Habemus hic *ferculum*, nec nisi unicum, in eo tamen cibos duodecim, suis comprehensos patinis, pro signis duodecim, quibus *ferculum* fuit pictum. Ergo *ferculum* non fuit unius cibi, vel patinæ, sed plurium. Et *trina fercula* apud Suet. Aug. c. 74. n. 5. non sunt tres patinæ, sed *tria fercula*, singula patinarum plurium, per tres missus non cœnæ quotidianæ, sed convivio illata. *Scheffer. l. l. Buleng. de Conviv.* II. 4. *Argol. in Panvin. de Lud. Circens.* II. 2. *Pitisc. in Suetonium.* In sollennibus conviviis coronabatur. Et vero auctore Athen. v. p. 195. in iis ludis, quos apud Daphnen Antiochus edidit, fuerunt convivia, in quibus exhibiti sunt, vivi anseres, lepores, damæ cum aureis coronis. Qui *ferculorum* luxus quandoque dispositus fuit per nomina signorum cœlestium. Quippe singulis signis impositus fuit cibus, unicuique convenientissimus, in quibus fuit *ferculum*, cui nomen corona. Petron. l. l. *Super arietem cicer arietinum, super taurum bubale frustum, super geminos testiculos & renes, super cancrum coronam.* Ultimorum verborum interpretatio sumi debet ex Arato, ubi agit de ortu cancri:

Jam simul ut supero se toto lumine cancer
Extulit, extemplo cedit delapsa corona,
Et loca convisit cauda tenus infera piscis
Dimidiam retinens stellis distincta corona
Partem etiam supera, atque alia de parte repulsa est.

Ubi Scholiastes ait, cum cancer inibi est, ut exoriatur, mediam partem *coronæ* videre est super terram: alteram partem occasus occupat, & obscurat, *corona* descendente in occasum. Ergo *corona* præit cancro. Ad cujus rei imitationem structor convivii inter illa fercula, quæ imitabantur duodecim signa zodiaci, *coronam* collocavit super cancrum, nempe servato in ferculis ordine cœlesti. *Paschal. de Coron.* II. 4. *Gonsal. in Petronium. Mader. de Coron. Thes. Antiq. Rom. Græv. Tom.* VIII. *p.* 1414. *C.*

Ferculum habebant etiam in funeribus. I. quidem illo deportati peregre defunctorum cineres, si fuissent in auctoritate summa constituti. Suet. Cal. c. 15. n. 3. *Matris, fratrisque cineres per splendidissimum quemque equestris ordinis, medio ac frequenti die duobus ferculis Mausoleo intulit.* Scheffer. de Re vehic. II. 3. Sic appellat *pompatius*, ut cum Tertull. de Spect. c. 7. loquar, *instrumentum*, in quo cineres erant cum inferrentur in Mausoleum, ob similitudinem aliquam *ferculorum* triumphalium. Vocem *tropæum* non multo aliter usurpat Jul. c. 84. n. 1. *Casaub. in Suetonium.* Sed *ferculum* dici, cui quid insit, hactenus non puto lectum esse. Et vocabulum non signat rem, quæ aliam contineat, vel concludat, verum in qua alia gestetur. Cineres non *ferculis* includebantur, sed urnis. Schol. Lycophr. *Mos erat, peregre mortuos cremare, cineremque ipsorum urnis inclusos in patriam perferre.* Et matris fratrisque cineres Cajus in *fercula* non *condidit, sed in urnas* apud Suet. n. 2. Et patet urnas istas collocatas super *fercula* fuisse, atque illatas Mausoleo. Dio quidem etiam LIX. p. 642. A. putat hoc factum more triumphantis. Sed quomodo hæc ad triumphum possint referri non video, quoniam omnia pietate singulari fieri Cajus credi voluit. Magis est, ut credamus imitatum eos, qui deducere pom-

pam circenſem ſolebant. Nam & illi ſplendidiſſime veſtiti thenſas comitabantur. Nec fuit pæne idem cum tropæo in funere Julii. Nam tropæum notat perticam, cum transverſo baculo in ſummo, defixam ad lecti caput, quali in pertica etiam ſpolia hoſtilia ſuſpendi ſolebant. Sed *fercula* Caji fuerunt pulpita exſtructa. Deinde illud ſuſpenſam habuit veſtem, in qua fuit occiſus. At *fercula* Caji urnas non ſuſpenſas, verum impoſitas. *Scheffer. l. l.* II. Idem erat quod pheretrum. Pro pheretro *ferculum* capit Stat. Theb. VI. 126.

Portant inferias, arſuraque fercula.

Argol. in Panvin. de Lud. Circenſ. II. 2. Sed ille ſine dubio eſt falſus. Nam intelliguntur munera præferri ſolita, ut appellat Suet. Jul. c. 84. n. 2. Hæc enim ſimul cum mortuo cremabantur injecta igni, non pheretra. Ideo *arſura fercula* dixit ipſe Statius. Qui & munera illa dicit impoſita *ferculis* peculiaribus, quo conſpectiora, ſplendidioraque omnia evaderent. III. quo cibi in tumulis defunctorum diis manibus apponebantur. Plin. X. 10. *Notatum in his rapaciſſimam & famelicam ſemper alitem nihil eſculenti rapere unquam ex funerum ferculis.* Scheffer. l. l. V. hos cibos ſupr. in *Feralia.*

Ferculum ludorum quoque fuit ſacrorum. Erat, ut volunt Grammatici, pulpitum vehiculi, cui ſimulacra imponebantur, ut thenſa ipſum vehiculum ſacrum. Cic. Verr. V. 72. *Omnes dii, qui vehiculis thenſarum ſollennes cœtus ludorum initis.* Suet. Jul. c. 76. n. 2. *Thenſam & ferculum in circenſi pompa.* Torrent. ad Suetonium. Taffin. de Lud. ſecul. c. 15. §. 14. Quos ego vellem nominaſſe aliquem Grammaticorum, qui *ferculum* dixerit eſſe pulpitum vehiculi, quod vocatur thenſa; nam hactenus invenio neminem. Hoc quidem ſcio, pulpitum exponere, ſed thenſæ pulpitum vocare, id vero penitus ignoro. Torrentius, quia pulpitum vocari vidit, ipſe de thenſæ pulpito conjecit. Non profecto ita Acro, qui pulpitum expoſuit. *Fercula*, inquit, *ſunt pulpita, in quibus deorum ſimulacra reponebantur, quia in pompa circenſi hujuſmodi ſimulacra deorum ferebantur.* Vocat pulpita, ſed thenſarum nullam facit mentionem: imo in iis deorum ſimulacra dicit *lata*, quod non convenit, ſi ea pulpita in vehiculis repoſita fuere. Quod enim eſt in vehiculo, non tam fertur, quam ducitur, aut vehitur. Denique a thenſis ſeparat diſertim Suet. l. l. *Scheffer. de Re vehic.* II. 3. *Stuck. Ant. Conviv.* IV. 1.

Ferculum triumphale I. quo ſuſpenſas hoſtium a ſe devictorum veſtes & exſuvias geſtabant, præſertim quas dux detraxiſſet duci, & opima ſpolia vocabant. Liv. I. 10. *Romulus ſpolia ducis hoſtium cæſi ſuſpenſa, fabricato ad id apte ferculo gerens, in Capitolium aſcendit.* Quale fuerit, docet Plutarch. in Rom. p. 27. B. Liquet hinc, fabrefactum ex ſtipite ſimplici, cui in capite appoſitum transverſe lignum brevius, figura crucis. Livius *ferculum* vocavit, quoniam inferebat. Ferebat, ut opinor, erecta, ſed paulliſper tamen reclinata in dextrum humerum. Plutarch. l. l. *Captum ferculum, dextroque applicatum humero, ac ſubrectum gerens inceſſit.* Unde diſcimus, geſtaſſe *ferculum* non in dorſo, ſed in humero, nec tamen demiſſum jacensque, ſicut haſtæ geſtantur, ſed erectum. Nempe arma ſpoliaque impoſuerat, quæ obhærere aliter nequibant. Quia tamen propter pondus manu libera geſtari moleſtum ac difficile conſtabat, ideo applicatum humero habebat. Scheffer. de Re vehic. II. 3. Stuck. Ant. Conviv. IV. 1. Nicol. de Triumph. c. 22. §. 1. II. quo ſigna, atque alia in pompa triumphali geſtabantur. Suet. Jul. c. 37. n. 4. *Pontico triumpho inter pompæ fercula trium verborum prætulit titulum: veni, vidi, vici.* Scheffer. l. l. Barth. Adv. XXXV. 22. in Stat. Theb. VI. 126. Nicol. ibid. §. 2. Buleng. de Conviv. II. 4. Omnes illas res, quæ præferebantur, *apparatum* triumphi appellat Paterc. II. 56. 2. *Cæſar quinque egit triumphos. Gallici apparatus ex citro, Pontici ex acantho, Alexandrini teſtudine, Africani ebore, Hiſpanienſis argento raſili conſtitit.* De *ferculis* acceperunt viri docti. Torrent. ad Suet. Jul. c. 37. n. 1. ubi hæc adducit verba: *De triumphi ferculis, diverſa factis materia loquitur,* ait. Sed *ferculum* proprie loquendo non eſt *apparatus*; verum id, quo apparatus geſtabatur. Ideo *ferculum* ſemper ex eodem fuit genere, ligno ſcilicet, non ita apparatus. Pro apparatu Suetonius dixit inſtrumentum. *Triumphum*, ait de Cæſare, *egit diverſo quemque apparatu, & inſtrumento.* Inſtrumentum triumphi, atque apparatum velut eandem rem poſuit, & illos titulos, imagines rerum diverſarum, & id genus intellexit. Habuit enim Cæſaris triumphus præter titulos etiam imagines, quales dixi. Quintil. VI. 3. *Cum in triumpho Cæſaris eborea oppida eſſent tranſlata, & poſt paucos dies Fabii maximi lignea, thecas eſſe oppidorum Cæſaris dixit.* Hic oppida eborea ſunt in inſtrumento, atque apparatu Cæſaris, ut Suetonius vocavit. Fabius & ipſe habuit in triumpho ſuo, verum lignea, quod fuit uſitatius, frequentiusque. Hæc ergo oppida, & tituli, & imagines, & alia id genus geſtata in triumpho, non nudis manibus, ſed impoſita ferculis, quo eſſent conſpectiora. Neque iſta inter ſe confundenda. Aſcon. Verr. I. p. 85. *Ferculis ſigna ante triumphantem vehi per pompam ſolebant.* Per ſigna ſimulacra oppidorum, arcium, & ſimilium, præcipue vero illo in loco ſtatuas, & ſimulacra deorum hoſti erepta intelligit, quod ipſe Ciceronis locus manifeſte docet. Non autem dicit *fercula*, ſeu ſigna vecta, verum *ſigna vecta ferculis*, quia illis *ferculis* imponebantur. Neque res inanimæ impoſitæ ſolummodo, ſed ipſi vivi homines, clariores maxime, ac nobiliores ex captivis. Jole, quæ loquitur de iis, qui matura morte captivitatem evaſerunt, apud Senec. Herc. Oet. l. 109.

Non captiva dabit brachia vinculis,
Nec pompæ veniet nobile ferculum.

Reſpexit & philoſophus de vit. beat. c. 25. *In alienum imponar ferculum, exornaturus victoris ſuperbi, ac feri pompam.* Videnturque hi oſtentati cum catenis, & appoſitis, erectisque ex ipſorum ſpoliis tropæis. Hoc memorat Ovid. Triſt. III. 4. 103.

Scuta, ſed & galeæ gemmis radientur & auro,
Stentque ſuper vinctos trunca tropæa viros.

Fercula illa, quibus portabantur tituli, fuerunt ſimilia ſuperioribus, illis, inquam, quibus Romulus eſt uſus. Poterant imagines aliquæ, aliaque minutiora, præſertim ex ligno fabrefacta ſic geſtari. At de iis, quibus impoſitæ ſtatuæ gravioris materiæ, ipſique vivi homines, quis poſſit credere. Videtur aliud docere Joſephus, quando loquens de hoc genere non *ferculis*, ſed pegmatis impoſitos eſſe ait. Verba ejus ſunt de triumpho Veſpaſiani de Belli Jud. VII. 24. *Stupori erat pegmatum, quæ portabantur, fabricatio tam magna, ut occurrentes timerent, ne, qui ſubierant, geſtare haud valerent, nam quædam in tabulatum tertium excreverant. Erat autem per ſingula pegmata dux, ita ut captus fuerat, ordinatus.* In Græco eſt, ὃν τρόπον ἐλήφθη, quod ſignificare puto, poſitum fuiſſe ibi habitu captivi, injectis catenis, ſicuti fiebat, quando capiebantur: hocque reſpicere id ipſum, quod de captivorum habitu in *ferculis* ſuperius notavi. Docet autem iſtis verbis, pegmata fuiſſe, quibus duces vivi fuerunt impoſiti, hoc eſt tabulata lata, ſtructaque in altum. Fuiſſeque non ſimplicia, ſed habuiſſe plura tabulata, alia ſuper alia. Denique cum eſſent magna ponderoſaque, geſtata quidem ab hominibus, ſed bene multis, quod in altero genere minime fiebat. Quomodo lata fuerint hæc pegmata, id non declarat. Veriſimile, hoc factum humeris ſubjectis, ſuppoſitisque aſſeribus validis. Niſi quod extare tamen facerent ſupra humeros & ipſa capita. Et hæc poſſunt nominari *fercula*. Ratio enim vocabuli non repugnat. Et in re ſimillima Seneca uterque ac Ovidius modo laudati *fercula* nominarunt. *Scheffer. l. l. Nicol. ibid.* §. 2.

FERENTARII fuit commune nomen levis armaturæ. Fuiſſe genus equitum tradit Varr. de Ling. Lat. VI. 3. *Ferentarii equites hi dicti, qui ea modo habebant arma, quæ ferrentur, ut jaculum.* Non loricas habebant, non galeas, non parmas, ſed ea tantum arma quæ *ferrentur*. Ut equites fuere *ferentarii*, quos & ἀκροβολιστὰς ἱππεῖς vocant Ta-

ctici, & leviter armati, qui differebant ab equitibus gravius armatis, qui ea omnia arma habebant, quibus corpus tegitur ac defenditur; non sola quæ *feruntur*, ita & pedites. *Ferentarios* dixit Salluſt. Bell. Catil. p. 54. de levi armatura peditum, non quod ulli ejus ætate in militia noti eſſent; ſed quia veterum verborum affectator hos etiam inter alia a Catone furatus eſt *Ferentarios*. Salmaſ. de Re milit. c. 14. Lipſ. Anal. ad Milit. Roman. p. 271. Valtrin. de Re milit. Roman. III. 3. Panciroll. Notit. Dign. Imp. Orient. c. 33. Alex. Gen. VI. 22. & ad illum Tiraquellus Laz. Comm. Reip. Rom. IV. 15. *Ferentarios* Feſtus interpretatur *auxiliares a ferendo auxilio* dictos. Ex quo patet eum putaſſe proprie appellatos levium armorum pedites, qui ab externis miſſi eſſent. Hi externi *ferentarii* in illo bello Punico ſæpe uſurpati a Romanis fuere. *Salmaſ. ibid. c.* 16.

FERENTINA porta. V. illam infr. in *Porta*.

FERENTINUM eſt urbs Latii in Hernicorum finibus. Vulgo nunc *Ferentino*, & corruptius *Fiorentino* dictum. Colonia huc deducta eſt Romanorum in conſulatu L. Cornelii Merulæ, & Q. Minucii Thermi anno ab U. C. 559. Liv. XXXV. 9. *Eodem anno coloniam Latinam in agrum Ferentinum triumviri deduxerunt Cn. Manlius Volſo, L. Apuſtius Fullo, P. Ælius Tubero.* Cluver. Ital. Ant. III. 6. 6. Urſat. de Not. Roman. Theſ. Antiq. Roman. Græv. Tom. XI. p. 768. E. Panvin. Deſcr. Urb. Rom. Theſ. Ant. Rom. Græv. Tom. III. p. 251. A. Donat. de Urb. Rom. I. 21. Poſſumus ſuſpicari ante legem Juliam civitate donatum, ac municipium factum fuiſſe. Siquidem C. Gracchus, in ea oratione, quam de legibus habuit promulgatis inter municipia Italiæ retulit, atque municipes ipſos a magiſtratibus Romanis verberatos, tanquam cives Romanos eſt conqueſtus. V. Gell. X. 3. *Sigon. de Ant. jur. Ital.* II. 9. *Cluver. l. l.*

FERETRUM, ſive Græce *pheretrum*. Erat lignea machina, qua exportabantur cadavera, non quidem ipſa funeris capſa, ſed cui impoſita ea portabatur. *Bartſ. Adv.* LIX. 12. Fiebat e cupreſſo. Stat. Theb. VI. 54.

Triſtibus interea ramis, teneraque cupreſſo
Damnatus flammæ thorus, & puerile feretrum
Texitur.

Vel etiam e quercu, & fuit cratis inſtar. Virg. Æneid. XI. 64.

Haud ſegnes alii crates, & molle feretrum
Arbuteis texunt virgis, & vimine querno.

Texi dixit modo etiam Statius. *Meurſ. de Fun. c.* 20. *Kirchm. de Fun. Foman.* II. 9. *Moreſtell. Pomp. Feral.* II. 9. 2. *Voſſ. Lex. Etymol. Nicol. de Luct. Græcor. c.* 7. §. 6. *de Sepulcr. Hebræor. c.* 2. §. 4. *Quenſted. de Sepult. c.* 6. *Gejer. de Luct. Hebræor. c.* 5. *Ramirez. Hypomnem. in Martial. p.* 265.

FERI, *feri* fuit vox militum in prœlio ſeſe adhortantium: ut ſcribit Plutarch. in Marcello p. [illegible]2. B. *Nam nunc etiam in conflictibus, quum hoſtibus inſtant, ad feriendum crebro adhortantur ſe mutuo.* Valtrin. de Re milit. Roman. V. 3.

FERIÆ dicebantur ἀργίαι, αἱ σχολαὶ, in quibus otium & ceſſatio operum, aut judiciorum. *Guther. de Jur. pontif* III. 14. Illis opere abſtinebant, & ut abſtinerent, monebantur. Feſtus: V. illum infr. in *Præclamitatores*. Serv. Georg. I. 268. V. illum ſupr. in *Calator*. Macrob. Sat. I. 16. *Affirmabant ſacerdotes pollui ferias, ſi indictis, conceptiſque opus aliquod fieret.* Briſſon. de Form. I. p. 118. Scalig. in Feſtum. Pollet. For. Rom. V. 13. Rævard. Var. V. 19. Caroli Antiq. Roman. I. 6. Kipping. Antiq. Roman. I. 10. §. 2. Umbro tamen negabat *eum pollui, qui opus, vel ad deos pertinens, ſacrorum cauſa feciſſet vel aliquid ad urgentem vitæ utilitatem reſpiciens actitaſſet.* Scævola *conſultus quid feriis agi liceret, reſpondit, quod prætermiſſum noceret, ſi bos in ſpecum cecidiſſet, eumque paterfamilias adhibitis operis liberaſſet, non eſt viſus ferias polluiſſe: nec ille, qui trabem tecti fractam fulciendo ab imminenti vindicavit ruina.* Macrob. l. l. Nec aliter Virg. Georg. I. 268.

Quippe etiam feſtis quædam exercere diebus
Fas & jura ſinunt. Rivos deducere nulla
Religio vetuit, ſegeti prætendere ſepem
Inſidias avibus moliri, incendere vepres,
Balantumque gregem fluvio merſare ſalubri.

Kipping. l. l. Litibus & jurgiis, ut abſtinerent, per præconem edicebatur. V. infr. in *Lis*. Non tantum a cæde, ſed etiam a quacunque læſione. Macrob. Sat. I. 15. *Ferias vim cuiquam fieri piaculare eſt: ideo tunc vitantur nuptiæ, in quibus vis fieri virginibus videtur. Sed Verrium Flaccum juris pontificii peritiſſimum dicere ſolitum refert Varro, quia feriis tergere veteres foſſas liceret; novas facere jus non eſſet: ideo magis viduis quam virginibus idoneas eſſe ferias ad nubendum.* Lipen. de Stren. prim. æt. c. 2. §. 25. Broid. Coroll. ad Pollet. For. Rom. I. 8.

Feriæ compitales. V. illas infr. in *Ludi compitales*.

Feriæ conceptivæ *ſunt, quæ quotannis a magiſtratibus, vel a ſacerdotibus concipiuntur in dies certos, vel etiam incertos.* Macrob. Sat. I. 16. Feſtus. *Auguſtin. de Leg. in Hortenſia. Guther. de jur. Pontif.* III. 15. *Perion. de Græc. & Rom. magiſtr. Theſ. Antiq. Græc. Gronov. Tom.* VI. *p.* 2804. *B. Bud. in Pandect. p.* 42. *G. Volaterr. Rer. Urban.* XXIX. *p.* 1086. *A. Blond. Triumph. Rom.* II. *p.* 38. *F.*

Feriæ denicales *ſunt privatæ ſacrorum propriorum.* Feſtus in Privatæ. Hiſce familia funere polluta certis quibuſdam ceremoniis purgabatur. Feſtus: *Denicales feriæ celebrantur, cum hominis mortui cauſa familia purgabatur. Græci enim νέκυν mortuum dicunt.* Meurſ. de Fun. c. 37. Kirchm. de Fun. Roman. IV. 1. Moreſtell. Pomp. Feral. VIII. 18. Guther. de Jur. man. I. 8. & 14: II. 7. Tiraquell. in Alex. Gen. III. 7. Crag. de Repub. Laced. III. tab. I. Inſtit. 7. Cicer. de Legib. II. 22. *Nec vero tam denicales, quæ a nece appellatæ ſunt, quia reſidentur mortui, quam cæterorum cœleſtium quieti dies, feriæ nominantur.* His mulos jungere non licebat. Colum. II. 22. *Apud pontifices legimus, feriis tantum denicalibus mulos jungere non licere, cæteris licere.* Meurſ. l. l. Briſſon. de Spectac. & Fer. Theſ. Ant. Græc. Gronov. Tom. VIII. p. 2427. B.

Feriæ imperativæ eæ ſunt, quæ non conceptivæ erant, ſed nova aliqua ex cauſa conſtituebantur, veluti ob bellum bene geſtum, vel ob prodigia. Magiſtratus majores illas indicere ſolebant ſenatus auctoritate. Macrob. Sat. I. 16. *Feriæ imperativæ ſunt, quas conſules, vel prætores pro arbitrio poteſtatis indicunt.* Hæ aliquando in quinquaginta dies decretæ, qui dierum cumulus hominis dignitati tribuebatur. Harum conſtituendarum cauſa dictatorem quandoque ſenatui dici placuit: *quandoque edicto imperare, ut cum terra moviſſet. In quo illud fuit obſervatum ex decreto pontificum, ut dei nomen, cui ſervari ferias oporteret, uti ſolet, ſtatuere, & edicere quieſcerent; ne alium pro alio nominando falſa religione populum alligarent. Eas ferias ſi quis polluiſſet, piaculoque ob hanc rem opus eſſet, hoſtiam SI DEO, SI DEÆ immolabat.* Gell. II. 28. *Guther. de Jur. pont.* III. 15. *Auguſtin. de Leg. in Hortenſia. Broid. Coroll. ad Pollet. For. Rom.* I. 8. *Volaterr. Rer. Urban.* XXIX. *p.* 1086. *A. Blond. Triumph. Rom.* II. *p.* 38. *F.*

Feriæ Latinæ dicebantur, quæ quotannis in Albano monte a tribus minus quinquaginta Latinis civitatibus, Romaniſque magiſtratibus quatriduano ſacrificio Jovi Latiali celebrabantur: unde ſacrificium Latiar dicebatur. Illas inſtituit Tarquinius Superbus. Dionyſ. IV. p. 250. *Conferunt in eas populi ſacrorum participes, quidam agnos, quidam caſeos, quidam lactis certum modum quidam conſimile liborum genus. Communis omnium victima eſt taurus unus, de quo cuique populo ſua certa portio tribuitur.* VI. p. 415. *Feriis Latinis dies tertius eſt additus, cum prius duo tantum eſſent, primus conſecratus a Rege Tarquinio, quo tempore devicit Etruriam; alter a populo additus, quando pulſis Regibus libertatem adeptus eſt: tunc vero tertius acceſſit ob plebis, quæ ſeceſſerat, reditum.* Ob patrum & plebis concordiam quartus eſt additus. Plutarch. in Camill. p. 151. F. *Adjectus inſuper Latinis dies unus, ut quaternis diebus agerentur.* Illarum *tempore, quo publicæ quondam induciæ inter Romanum populum Latinoſque firmatæ ſunt, inchoari bellum non decebat.*

Macrob.

Macrob. Sat. I. 16. *Hotoman. de Magistr. Roman.* I. *Thes. Ant. Rom. Græv. Tom.* II. *p.* 1873. *A. Pollet. For. Roman.* I. 8. *Bud. in Pandect. p.* 42. *G. Valtrin. de Re milit.* I. 7. *Perion. de Græcor. & Roman. magistr.* III. *Thes. Ant. Græc. Gronov. Tom.* VI. *p.* 2804. *B. Laz. Comm. Reip. Rom.* X. 3. *Pigh. Annal.* I. *p.* 52. *Buleng. de Imp. Rom.* V. 15. *de Prodig.* IV. 52. *Panvin. Fast.* I. *p.* 114. *Ursat. de Not. Rom. Thes. Ant. Rom. Græv. Tom.* XI. *p.* 715. *F. Guther. de Jur. Pont.* III. 15. *Gyrald. Synt. deor.* II. *p.* 83. *C.* XVII. *p.* 492. *G. Mod. de Lud. & Spect.* II. 20. *Pitisc. in Suet. Jul. c.* 79. *n.* 2.

Feriæ messium sunt, cum fruges in horrea conduntur. Stat. Sylv. IV. 4. 40.

— messesque reversæ
Dimisere forum, nec jam tibi turba reorum
Vestibulo, querulique rogant exire clientes,
Cessat centeni moderatrix judicis hasta.

Incipiebant ab VIII. Kal. Julii ad Kal. Augusti. *Siccam. de Centumv. judic.* II. I. Ita eas Imperator Theodosius l. ut in die Domin. C. de Feriis. certis finibus temporumque intervallis circumscripsit. Sed videtur vim intulisse naturæ, & eadem ubique eodem tempore ab ea exegisse, cum aliæ regiones aliud ingenium soli habeant. Et ut quæque regio vel soli vicinior est, vel ab eodem remotior, ita sibi mandatorum, creditorumque vel citius, vel tardius usuras cum sorte repræsentet. Paullus vero l. præsides 2. ff. de Feriis. *Præsides provinciarum ex consuetudine cujusque loci solent messis vindemiarumque tempus statuere.* Pollet. For. Rom. I. 8. Brisson. de Spect. & fer. Thes. Ant. Græc. Gronov. Tom. VIII. p. 2427. C.

Feriæ novendiales fieri solebant I. cum prodigium aliquod accidisset, quod per novem dies continuos, sacro, quod inde novendiale dicebatur, expiabant. Institutæ sunt a Rege Tullo. Liv. I. 31. *Romanis ab eodem prodigio novendiale sacrum publice susceptum est. Mansit sollenne, ut quandoque idem prodigium nuntiaretur, feriæ per novem dies agerentur.* Kirchm. de Fun. Roman. IV. I. Dacer. ad Festum. II. cum defunctis, erant enim hæ privatæ alicujus familiæ sacra, parentabant. Glossæ: *Novendialia,* ἔννατα ἐπὶ νεκρῷ ἀγόμενα. August. in Genesin: *Nescio utrum inveniatur alicui sanctorum in scripturis celebratum esse luctum novem dies, quod apud Latinos Novendial appellant.* Dictæ sunt quod nono post mortem die completis ad tumulum sollennibus funeri finis fieret. Porphyr. ad Horat. Epod. XVII. *Novendiale sacrificium est, quod mortuo fit nona die quam sepultus est.* Kirchm. & Dacer. l. l. Tomas. de Donar. c. 3. Quensted. de Sepult. vet. c. 13. Turneb. Adv. XXIV. 27. Lips. in Tacit. Annal. VI. n. 19. Guther. de Jur. man. I. 15. Gyrald. Synt. deor. XVII. p. 488. C. Rhodig. Antiq. Lect. XVII. 21. Schill Nomencl. Philol. p. 806.

Feriæ repentinæ sunt, quæ ob res prospere gestas a solo Imperatore indicuntur, & imperiales vocantur. l. sed & si §. si feriæ ff. & quibus caus. maj. *Siccam. de Judic. centumv.* II. I. *Guther. de Vet. jur. pontif.* III. 16. *Pollet. For. Rom.* I. 8. *Broid. in Polletum.*

Feriæ sementinæ *sunt, quæ a pontificibus edicebantur, & appellabantur a semente, quod sationis causa susceptæ.* Varr. de Ling. Lat. V. 3. *Fuerunt institutæ, quasi ex iis fruges grandescere possint.* Festus. Sacra in æde Telluris fiebant Telluri & Cereri. Varr. de Re rust. I. 2. *Sementinis feriis in ædem Telluris veneram.* Fusius Ovid. Fast. I. 657. . . . *Perion. de Græc. & Roman. magistr.* III. *Thes. Ant. Græc. Gronov.* VI. 2804. *B. Stuck. Ant. Conviv.* I. 23. *Struv. Ant. Rom. c.* 9. *p.* 445. *Pollet. For. Rom.* I. 8. *Blond. Triumph. Rom.* II. *p.* 38. *G.*

Feriæ stativæ *sunt universi populi communes certis, & constitutis diebus, ac mensibus, & in fastis statis observationibus annotatæ.* Macrob. Sat. I. 16. *August. de Legib. in Hortensia. Guther. de Jur. Pontif.* III. 14. *Valtrin. de Re milit. Roman.* I. 7. *Perion. de Græcor. & Roman. magistrat.* III. *Thes. Ant. Græcar. Gronov. Tom.* VI. *p.* 2804. *A. Volaterr. Rer. Urban.* XXIX. *p.* 1086. *A. Kipping Antiq. Roman.* I. 10. §. 12. *Rosin. Antiq. Roman.* IV. 5. *Blond. Triumph. Rom.* II. *p.* 38. *F.*

Feriæ stultorum *appellabantur Quirinalia, qui erat dies festus Quirini, quod eo die Quirino sacrificant i[illegible] die aut non pot[illegible] rem divinam facere, aut [illegible] suorum fornacalium sacrorum diem, commissum p[illegible] expiabant moræ, atque quod suis non fecerant, quibus permittebatur feriis sacrum faciebant.* Ex Scaligeri emendatione Festus. Ovid. Fast. II. 513.

Lux quoque cur eadem stultorum f[illegible]
Accipe: parva quidem causa, [illegible]

n. 527.

Curio legitimis nunc fornacalia verbis
Maximus indicit; nec stat [illegible]
Inque foro, multa circum[illegible] tabella,
Signatur certa curia [illegible] mora.
Stul[t]aque pars populi, quæ sit sua curia, nescit:
Sed facit extrema sacra relata die.

Plutarch. Quæst. Rom. 88. *Ursat. de N[illegible] Thes. Ant. Rom. Græv. Tom.* XI. *p.* 940. *F.* [illegible] I. *Lipen. de Stren. c.* 4. §. 68. *Alex.* [illegible] III. 12. [illegible] *de Lustrat. c.* 30. *Perion. de M[illegible]. Rom. & Græc.* III. *Thes. Ant. Græc. Gronov. Tom.* VI. [illegible] 2809. *D. Volaterr. Rer. Urban.* XXIX. *p.* 1086. *A. Blond. Triumph.* [illegible] II. *p.* 38. *G.*

Feriæ vindemiales sunt, quæ maturis uvis celebrabantur. Minuc. Fel. p. 10. *Sane & ad vindemiam feriæ judiciariam curam relaxaverant.* Celebrabantur a X. Kalend. Septemb. ad Idus Octobris. *Siccam. de centumv. jud.* II. I. *Pollet. For. Roman.* I. 8. [illegible] *nucium Felicem.* V. supr. in [illegible].

FERONIA dea, culta in plerisque locis Italiæ, sed in primis prope Terracinam. Dionys. II. p. 113. V. illum infr. in *Sabini.* Ejus meminit Virg. Æneid. VII. 800.

Et viridi gaudens Feronia luco.

Serv. Æneid. VIII. 564. V. illum infr. in [illegible]. Unde *& libertinæ pro facultatibus suis conferebant,* [illegible] *roniæ donum daretur.* Liv. [illegible] I. *G.* [illegible] I. *p.* 71. *F.* III. 126. *C. Ursat. de N[illegible] Roman.* [illegible] *Roman. Græv. Tom.* XI *p.* 720. [illegible] 2. [illegible] *nes. Inscript. Class.* I. *n.* 31. *Ortel. Deor.* [illegible]. 20.

FERRI dicuntur arbores. V. sup. in [illegible].

FERRUM, cum fundi non posset [illegible] redebant in pulverem, eumque ignitum injiciebant obsessi in obsessores murum conscendentes. S[ui]das in [illegible]. *Liquida omnia, & fusilia in h[ost]es, ex superiore loco, [illegible] mittebantur. Inter alia vero, ferri p[illegible] igne candentem reddiderant,* [illegible] *effundere.* Lips. Poliorc. V. 2. Thys. de Oppug[illegible] p. 190.

FERTORIUM, sive sella fertor[ia], ut φορεῖον Græc[is], quodcunque est gestatorium ægris commodum, a[c] præcipue lecticula, in qua ad medicum olim [illegible] portabantur. Cæl. Aurel. Tard. pass. I. I. *Adh[illegible] pro viribus [illegible] fertorio.* c. 5. [illegible] *primo ex lectulo pendenti, tum etiam fertoria sella.* [illegible] de Hon. bisell. c. 24. Mercur. d. Art. [illegible] III. II. Barth. Adv. XXIII. 3. Pignor. de S[illegible] p. 2[illegible]8.

FERTUM, sive [illegible] est libi optimi genus. Festus: *Fertum genus libi [illegible], quod crebrius ad [sa]cra ferebatur; nec sine strue, altero genere libi: quæ [illegible], [illegible].* C[a]to de Re rust. c. 135. *Fertum [illegible]. Jupiter te hoc fercto obmovendo bonas preces precor.* Pers. Sat. II. 48.

Et tamen hic extis, & opimo vincere ferto
Intendit.

Voss. Lex. Etymol. Guther. de jur. pontif. IV. 3. Jur. man. II. 24. Pius Annot. post. c. 147. Turneb. Adv. XXVIII. 28. Lomej. de Lustrat. c. 13. Salmas. Exerc. Plin. p. 891. C. Stuck. de Sacrif. p. 75.

FERULA per se levissima, tamen acerbum doloris sensum generat. Aristot. Probl. Sect. IX. c. 8. quærit, cur ictus *ferulæ* vehementiorem doloris sensum efficiat, quam rerum duriorum, & respondet, quod *in ictu ferulæ semper*

cernus

geminæ percussiones contingant. Itaque ad ipsos quoque homines verberandos assumebatur, ut ostendit Apollonius Tyaneus apud Philostr. VIII. 2. Et in vit. sophist. I. Gorgiæ dictum satis significat, qui reprimens Chærephontis hominis impudentissimi temeritatem, proposita quæstione insolescentis: *Scio*, inquit, *terram in tales homines edere ferulas.* In scholis frequens earum usus: & pœnam intulisse gravem, & acerbam produnt testimonia. Mart. X. 62. 10. *tristes ferulæ* dicuntur, quod fletum adolescentibus, doloremque cierent. Iis utentem Orbilium Grammaticum vocat *sævientem* Hieron. Apol. in Ruffinum: *Memini*, inquit, *me ad Orbilium sævientem de aviæ sinu tractum esse captivum.* Et alterum cognominem eandem ob causam *plagosum* nominavit Horat. Epist. II. 1. 70. Tumidas *ferulis* manus fieri consuevisse testis optimus rem expertus ait Fulgent. Mythol. Præf. I. *Scholaribus rudimentis tumidas ferulis gestaveram palmas.* Itaque jam pœnæ securus, & gaudens opinor id Juven. Sat. I. 15.

Et nos ergò manum ferulæ subduximus.

Aliæ etiam corporis partes iisdem pulsabantur. Apul. Met. p. 296. *Altissime sublato puero, ferula nates ejus obverberans. . . .* Cresol. Theatr. Rhet. V. 6. De hoc proverbio etiam *Erasm. Adag. p. 439. Tiraquell. in Alex.* II. 25. *Savar. in Sidon. Epist.* II. 10. *Grang. in Juvenalem. Pitisc. in Suet. Cal. c.* 20. *n.* 4.

Ferula nominabatur etiam rudis lanistæ, qua secernebatur & cognoscebatur, quia *ferula* erat. Dio LXXII. p. 826. C. *Pugnabat cum eo lanista quispiam, vel etiam gladiator, ferulas habens.* Ubi Commodo velut discipulo gladium ligneum tribuit, magistro *ferulam.* Seneca ab hoc more ludit in Satyra Menippæa: *Eum proximo munere, inter novos auctoratos, ferulis vapulare placet.* Nam novi auctorati, novitii gladiatores: quos *ferula* aberrantes lanista cædebat, veluti legitimus magister. *Lips. Saturn.* I. 15.

FES.

FESCENNINA, sive *Fescennini* versus in urbe *Fescennina*, primo inventi & acclamati, allati sunt. Serv. Æneid. VII. 695. *Fescenninum oppidum est Campaniæ, ubi nuptialia inventa sunt carmina.* *Fascinum* arcere putabantur. Festus: *Fescennini versus, qui canebantur in nuptiis, ex urbe Fescennina dicuntur allati, sive ideo dicti, quia fascinum putabantur arcere.* Hæc *Ferrar. de Acclam. & Plaus.* VI. 23. *Brisson. de Rit. nupt. Thes. Ant. Rom. Græv. Tom.* VIII. *p.* 1047. *D. Buleng. de Theat.* I. 9. *Gyrald. de Poet. dial.* I. *Oper. Tom.* II. *p.* 48. *F. Laurent. de Sponsal. & nupt. c.* I. *Casal. de Rit. nupt. c.* I. *de Urb. ac Imper. Roman. splend. part.* 2. *c.* 16. *Salmuth in Panciroll. de Reb. deperd. & invent. p.* 689. *Merul. Cosmogr.* II. 4. 21. *Kipping. Antiq. Rom.* IV. 2. §. 3. *Blond. Triumph. Rom.* VIII. *p.* 161. *B. Schill Nomencl. Philol. p.* 511. Temere compositi & rudes nascentis adhuc Romanæ poeseos primordia fuere. Illos casci illi homines in conventibus suis, ac festis sollennibus post fruges conditas, & labores rusticos exactos, sacrificiis operati, ut animum relaxarent, & sese jucunditati traderent, genio indulgentes inter epulas usurpabant, per ludum & jocum inter se jocularia dicta obscœnitate, & opprobriis referta jacientes. Horat. Epist. II. 1. 139.

Agricolæ prisci, fortes, parvoque beati
Condita post frumenta, levantes tempore festo
Corpus, & ipsum animum spe finis dura ferentem,
Cum sociis operum, & pueris, & conjuge fida
Tellurem porco, Sylvanum lacte piabant,
Floribus & vino genium memorem brevis ævi
Fescennina per hunc inventa licentia morem
Versibus alternis opprobria rustica ludit.

Dacer. ad Festum: Ferrar. ibid. c. 22. Etiam vindemiatores dicacibus conviciis vel lacessebant prætereuntes, vel a prætereuntibus provocati se ulciscebantur. Horat. Sat. I. 7. 28.

Tum Prænestinus salso, multumque fluenti
Expressa arbusto regerit convicia durus
Vindemiator & invictus, cui sæpe viator
Cessisset, magna compellans voce cucullum.

Initio itaque in quoslibet identidem *Fescennini* versus jactabantur. Haud absurde hoc colligitur ex Horatio. Testificatur etiam Macrob. Saturn. II. 4. *Fescenninos versus Augustum scripsisse in Pollionem.* Hinc ad nuptiales penetrarunt thalamos. *Ferrar. l. l.* Prodiderunt hoc Catull. c. LXI. n. 127.

Nec diu taceat procax
Fescennina locutio.

Senec. Contr. VII. 6. *Inter nuptiales Fescenninos in crucem generi nostri jocabantur.* Plin. XV. 22. V. illum infr. in *Nux.* Ferrar. ibid. c. 21. Erant plenissimi dictis jocosis. Hinc dicuntur joci. Claudian. Epithal. Honor. & Mar. n. 31.

Permissisque jocis turba licentior
Exultet tetricis libera legibus.

Seneca modo laudatus. Sales & convicia. Lucan. II. 369.

Non soliti lusere sales, nec more Sabino
Excepit tristis convicia festa maritus.

Procaces. Modo prolatus Catullus. Imo obscœni. Ovid. Fast. III. 675.

Nunc mihi cur cantent, superest, obscœna puellæ,
Dicere: nam coeunt, certaque probra canunt.

Varro Agathone apud Non. IV. 330. *Pueri obscœnis verbis novæ nuptæ aures returant.* Ferrar. ibid. c. 24. Pier. Hierogl. XL. 42. Jun. Adag. p. 318. Schott. in Senecæ controversias. Brisson. Casal. & Laurent. l. l. Jactabantur a pueris. Festus: in Prætextum: *Alii quod nubentibus depositis prætextis a multitudine puerorum obscœna clamentur.* Varro modo laudatus. Et puellis. Ovidius jam allatus, tunc maxime cum ad virum ducebatur sponsa. Hieron. Epist. ad Demetriad. hoc confirmat. Nam inibi nnptiales aliquot ordine percurrens, cum novæ nuptæ ad maritum deductionem nominasset, *Fescenninos* illico commemorat: *Quam habitura pronubam? quo deducenda comitatu? stridor Punicæ linguæ procacia tibi Fescennina cantabit.* Ferrar. ibid. c. 26. Acclamabantur vero ad omnino avertendum & depellendum *fascinum*, quod habebant etiam laudes, quibus novam nuptam solebant ornare. Ita Julia Manlio nupta laudatur a Catullo in carmine nuptiali. n. 86.

Flere desine, non tibi
Arunculejæ periculum est,
Ne qua femina pulcrior
Clarum ab Oceano diem
Viderit venientem.
Talis in vario solet
Divitis domini hortulo
Stare flos hyacinthinus.

Et subjicitur n. 127.

Nec diu taceat procax
Fescennina locutio.

Ferrar. ibid. c. 25. Laurent. l. l.

FESTRA erat ostium minusculum in sacrario Capitolii. Macrob. Sat. III. 12. *Antonius Gnipho in eo volumine, quo disputat quid sit festra: quod est ostium minusculum in sacrario: quo verbo etiam Ennius usus est.* Rycq. de Capitol. c. 44. Struv. Ant. Rom. c. II. p. 516.

FESTUCA dicebatur virga prætoris, quæ manumittendis a lictore imponebatur: a Græcis κάρφος nuncupatur. Plaut. Mil. IV. 1. 15.

Ean' ingenua, an festuca facta e serva libera est?

Pers. Sat. V. 175.

Non in festuca lictor quam jactat ineptus.

Politian. Miscell. c. 98. Voss. Lex. Etymol. Taubm. in Plautum. Casaub. in Persium. Rævard. Var. IV. 9. Faber. de Magistr. Roman. p. 196. Ouzel. in Gell. XX. 10. Vocabatur etiam vindicta. V. illam infr. in *Vindicta.*

FESTUM ancillarum, ob liberatam ipsarum ingenio ab hoste patriam, Nonis Juliis a senatu institutum. *Tomas. de Donar. c.* 38. V. illud infr. in *Juno Caprotina.*

Festum

Festum Cybeles hoc modo celebrabrant ejus sacerdotes. Primo ejus die, qui erat a. d. IX. Kal. April. Galli comam jactantes crebris ictibus lacertos cruentabant; atque is dies sanguinis dicebatur. Proximus magna omnium lætitia celebrabatur, eoque Hilaria dictus. Tertio quiescebant. Quarto, qui erat a. d. VI. Kal. April. simulacrum ejus carpento impositum Almonis aqua abluebant. Hic lavatio, ille requietio dicebatur. Kalendarium Romanum Constantini ævo exaratum. XI. *arbor intrat.* X. *tubilustrium.* IX. *Kal. April. sanguin.* VIII. *Hilaria.* VII. *requietio.* VI. *lavatio.* Quem locum illustrat Julian. Orat. V. p. 168. C. *Sacram arborem succidi illo ipso die ferunt, quo sol supremam æquinoctiorum apsidem attigit: altero die tubarum clangore perstrepunt: tertio sacra & arcana dei Galli messis putatur. Secundum hæc, ut ajunt, Hilaria, festique dies succedunt.* Sacra hæc arbor erat pinus. V. singula suis locis. *Vales. in Ammian.* XXIII. 3.

Festum Fortunæ muliebris Kal. Decembr. celebratum est ob sublatum eo die bellum. *Jun. Fast. Thes. Antiq. Roman. Græv. Tom.* VIII. *p.* 256. *D.*

Festum Jani Kalendis Januarii vicatim celebrabatur. Erat moris, ut civis, qui vestimento pretiosiori, quod fumebant *festorum* tempore, destitueretur ad cohonestandum *festum*, aut Urbe illo die abesset, aut domi inclusus lateret. Ad hæc, lætitiæ declarandæ causa, ponebant illo die multos super ædes lychnos, crebras accendebant ante fores pyras, multas agebant pantomimi ad populum oblectandum comœdias, & ludos histriones. Pervigilium quoque indicebatur in templis. Omnes eo die liberabantur, qui æris alieni causa in nervo erant, dissolutis ex ærario publico debitis. Mensæ illo die ponebantur convivis ad januam, cum maxima epularum abundantia, ut plura essent, quæ supererant, quam quæ absumebantur. Ac ne quid deesset, quo minus omnium rationibus provideretur, omnes illo die pauperes investigabantur, ut in summa rerum omnium copia viverent. Erat enim lex veterum, ut nemini fas esset publice *festum* agere, nisi omnibus prius vici sui pauperibus prospexisset. Putabant enim Romani, si illum diem genialiter agerent, Janum temporalium deum ab omni ipsos penuria liberaturum, Janum deum gratissimum esse dictitantes, qui exiguum sibi impensum cumulatissime remuneraretur. Itaque frequentes die Jani *festo*, non tamen omnium promiscuæ indicebantur supplicationes, sed seorsim senatores, flamines, censores, plebeji, matronæ, virgines vestales; at omnes legati, peregrini cum captivis supplicatum ibant. Mos autem erat Romæ, ut illo die togam Imperator insigne imperii indueret, & quotquot e captivis manu illam poterant tangere, liberabantur, venia facinorosis data, & exsulibus exsilio remisso. Nunquam enim principes Romani *festum* illud celebrabant, quin singulare aliquod clementiæ, aut munificentiæ specimen ederent. *Lipen. de Stren. c. 2. sec. at.* §. 18. *Perion. de Magistr. Græc. & Rom.* III. *Thes. Antiq. Græcar. Gronov. Tom.* VI. *p.* 2807. *C.*

Festum Vestæ erat a. d. V. Iduum Junii. Illo passim convivia agitabantur, asini floribus coronati, & velut monilia e panibus minutis constricta ferentes, per Urbem circumducebantur, molæ sertis impositis ornabantur. Ovid. Fast. VI. 307. V. illum infr. in *Mola asinaria.* Kipping. Antiq. Roman. I. 10. §. 5. Hospin. de Fest. p. 180. Rosin. Antiq. Roman. IV. 10. Hering. de Molendin. q. 2. §. 28.

Festum vindemiale non aliud esse mihi persuasum, quam sacra Liberi, quæ C. Cæsar primus Romæ celebravit. Autumno adulto celebrabatur. Tacit Annal. XI. 31. 4. *Messallina non alias solutior luxu, adulto autumno, simulacrum vindemiæ per domum celebrat.* id est, mense Octobri. Ita etiam signatum eo mense in horologio veteri: VINDEMIÆ SACRUM LIBERO. Etsi Athenienses mense Novembri celebrasse in Philostrati IV. legi. De ipsa re Serv. Ecl. V. 30. *Hoc aperte ad Cæsarem pertinet, quem constat primum sacra Liberi patris transtulisse Romam.* Ideo nummus percussus Cæsari, in cujus parte C. VIBIUS. RUFUS. & impressa ara, cui persona histrionia imposita, item thyrsus, & tigris adjuncta ad memoriam non dubie hujus rei. Lamprid. Heliog. c. 11. *Cum ad vindemiam vocasset amicos nobiles, & ad corbes sedisset, gravissimum quemque percontari cœpit, an esset promptus in Venerem: posteaquam senes vidit erubescere, contulit se ad juvenes: a quibus cum audiret ætati congrua, gaudere cœpit, & dicere vere liberam,* emendo *Liberi*: in eo enim lusum, quasi in ea libertas vindemialis digna vere Libero deo, *vindemiam esse, quam sic celebrarent. Ferunt multi ab ipso primum repertum, ut in vindemiarum festi multa in dominos jocularia & audientibus dominis dicerentur.* Videtur ritus postea imperii fuisse, ut Princeps extra urbem dies aliquot lasciviret, & vacaret huic vindemiali *festo*. Paull. Diacon. de Gest. Longobard. III. 6. *Procedente itaque Tiberio ad villam, ut juxta ritum imperialem triginta dies ad vindemiam jocundaretur. Magnam coronam* dictum esse suspicor ex Tertull. de Coron. Milit. c. 7. *Sed & alias Liberum principem coronæ plane laureæ etiam vulgus agnoscit, cum dies in illum sollennes magnam appellat coronam.* Lips. in Tacit. n. 125.

Festum Virtutis & Honoris quo die olim cultum sit, nec veterum scripto, nec marmorum tabulis expressum inveni. De hoc ita scribit Dio LIV. p. 533. C. *Festum, quod Virtuti & Honori celebrabatur, in eum diem, quo hodie agitur, transtulit.* Verum quo die olim celebratum, & in quem diem translatum sit, non addit. *Siccam. in Fast. Thes. Antiq. Rom. Græv. Tom.* VIII. *p.* 70. *F.*

FIB.

FIBRÆ *dicuntur rei cujusque extremitates: sicut Cicer. in Pison. c.* 11. *Fibræ cincinnorum madentes. & Tusc. Quæst.* III. 6. *Non solum ramos miseriarum amputare, sed omnes radicum fibras evellere. Unde & jocineris extremæ partes fibræ a nonnullis appellantur.* Serv. Georg. I. 120. Illas observabant extispices. Ovid. Trist. I. 10. 13.

Hæc mihi non ovium fibræ, tonitrusve sinistri,
Linguave servatæ pennave dixit avis.

Buleng. de Sort. c. 6. Brisson. de Form. I. p. 20. Ferrar. de Re vest. II. I. 19. Voss. Lexic. Etymol.

FIBULA architectonica est ferramentum, quo tigna conjunguntur. Quod comprobasse videntur, qui *confibulam* quoque ferrum dicunt, quo lapides quadrati, & tigna inter se conjunguntur. Inde *confibulare* apud Isidorum in Glossis. *Rhod. de Acia c.* 4. *Casal. de Urb. ac Imper. Roman. splend. part. 2. c. 11. de Insign. & Fib. c.* 4. talea, & velut lignea, sic appellem, ancora immissa ad ligandum. *Lips. Poliorc.* II. 5. vinculum, & velut clavus, quo vel tigna inter se, vel arbores connectuntur. *Turneb. Adv.* VIII. 6. *Philand. in Vitruv.* I. 5. Utrum quadratum quoddam ex firmissima materia vinculum, quo bina tigna cum media trabe revinciuntur? an adminiculum ejusmodi, cui in cruce tau Gallici transversum lignum innititur. *Ramus de Milit. Cæsar. Thes. Ant. Rom. Græv. Tom.* X. *p.* 1553. *B.* Illarum meminerunt Cæs. de Bell. Gall. IV. 17. *Hæc*, tigna bina, *bipedalibus trabibus immissis, quantum eorum tignorum junctura distabat, binis utrimque fibulis ab extrema parte distinebantur: quibus disclusis, atque in contrariam partem revinctis tanta erat operis firmitudo, atque ea rerum natura, ut quo major vis aquæ se incitavisset, hoc arctius illigata tenerentur.* Vitruv. I. 5. *Uti utræque muri frontes inter se, quemadmodum fibulis, his taleis colligatæ.* Lips. & Rhod. l. l.

Fibula chirurgica. Hanc verbosius explicant *Rhod. de Acia c.* 7—13. & *Boxhorn. in Plutarch. Quæst. Roman.* 75.

Fibula gymnastica, sive theatralis, quæ cantoribus & comœdis inserviebat, ut illorum virilia conservandæ vocis gratia coercerentur, illique a Venere arcerentur, fuit annulus, sive circulus æreus, vel argenteus, quo trajiciebatur cuticula, eam partem operiens, quam exerceri nolebant. Non quidem, ut falso creditum est quibusdam, totum membrum, unde procreamur, transfigebat, sed tantum cutem glandis velamen. Cels. VII. 25. *Infibulare*

quoque adoleſcentulos, interdum vocis, interdum valetudinis cauſa quidam cenſuerunt; ejusque hæc ratio eſt: cutis, quæ ſuper glandem eſt, extenditur, notatur utrinque a lateribus atramento, qua perforetur, deinde remittitur. . . . Tum qua notæ ſunt cuti, acu filum ducente tranſuitur, ejusque fili capita inter ſe deligantur, quotidieque id movetur, donec circa foramina cicatriculæ fiant; ubi hæc confirmata exempto filo fibula inditur, quæ quo levior, eo melior eſt. Hinc Mart. VII. 81.

Menophili penem tam grandis fibula veſtit,
Ut ſit comœdis omnibus una ſatis.

Pueros hoc modo cuſtoditos, ne pubeſcens ætas in virilitatem præcipitaretur, docet Plin. XXXIII. 12. *Jam vero & pædagogia ad tranſitum virilitatis cuſtodiuntur argento.* Quare Romanæ matronæ cantorum concubitus ſummopere appetebant, & magno redimebant. Juven. Sat. VI. 73.

Solvitur his magno comœdi fibula, ſunt quæ
Chryſogonum cantare vetent.

Hi namque homines, cum majori pretio gratificarentur matronis, quam vocem venderent, patiebantur ſe *refibulari*, etiamſi vox deterior fieret. Mart. XIV. 215.

Dic mihi ſimpliciter comœdis & citharœdis
Fibula quid præſtet? carius ut coeant.

Non fuit itaque theca, & vagina ænea, qua virorum partes texerint, licet dicat Mart. XI. 76. 1.

Theca tectus ænea lavatur
Tecum Cælia ſervus.

n. 8.

Servo Cælia fibulam remitte.

Et VII. 81. 5.

Dum ludit media populo ſectante palæſtra,
Delapſa eſt miſero fibula, verpus erat.

Nam apud illum eſt ſubligaculum, & potius *fibulæ* ipſius tutamen, cujus uſus non ad cuſtodiendam vocem: qui enim fieri poterat, ſi tam facile removebatur, & ſponte cadebat? ſed honeſtatis cauſa adhibebatur, præcipue a Judæis, ad celandam præciſionem, qui tamen non *infibulati*, nec enim poterant, cum pellicula carerent, quæ trajiciebatur; ſed quia ferme, qui *infibulati* erant, etiam thecam hujuſmodi, & alutam geſtabant, ſive ut laterent, ſive ne nimio motu, atque incuſſu annulus cutem læderet, ſive aliam ob cauſam. Propterea improprie Martialis *fibulam* appellavit, quæ *fibula* non erat, certe nullus in ea *fibulæ* uſus, qui erat Venerem arcere: atque hujuſmodi theca, ſive vagina ex aluta, & removeri facile poterat, & ſponte labebatur. Cum præterea Celſus ſupra dixerit, *fibulam meliorem quo levior*: at hæc quæ ad celandum inventa adeo gravis, ut *Judæum pondus*, quo recutitorum inguina tegebantur, appellaverit Mart. VII. 43. 1.

Inguina ſuccinctus nigra tibi ſervus aluta
Stat, quoties calidis tota foveris aquis.
Sed meus, ut de me taceam, Lecania, ſervus
Judæum nulla ſub cute pondus habet.

Ferrar. de Re veſt. II. 1. 18. Caſal. de Urb. ac Imper. Roman. ſplend. part. 2. c. 11. de Inſign. & Fib. c. 4. Buleng. de Theat. II. 6. de La Chauſſe de Teſſer. tab. VII. Pignor. de Serv. p. 153. Rhod. de Acia c. 6. Voſſ. Lex. Etymol. Dalechamp. in Plin. XXXIII. 12.

Fibula veſtiaria, Græcis περόνη, & πόρπη, monente Didym. in Odyſſ. Σ. 292. proprie eſt ornamentum cinguli, qua per annulum pars cinguli retinetur, ad veſtem ſubligandam. Accuratius forſan Iſidor. xix. 31. *Quod pectus feminarum ornat, vel pallium virorum in humeris, cingulum in lumbis firmat.* Similiter vetuſtiſſimum anonymi in bibliotheca Ambroſiana MSC. *Fibulæ ſunt, quibus pectus feminarum ornatur; a viris in humeris, ceu cingulum in lumbis, portantur.* Jure in humeris. Etſi enim plerumque in dextro, nonnunquam tamen in altero hærebant, modo vetuſtioribus ſtatuis fidendum. Et ita Pollux VII. 13. *Tunica aperta fibulis circa humeros connectebatur.* Eo fere modo puer, qui Mercurium in ſcena referebat, *ephebica chlamyda ſiniſtrum tegebat humerum.* Apul. Met. x. p. 345. Rem aperuit Sophocl. Trachin. n. 933.

Hæc cum dixiſſet, mox celeri manu
Veſtem ſuam ſolvit, qua aurea
Mamillas coercebat fibula, totumque nudavit
Latus, ac ſiniſtrum humerum.

Ælian. Var. I. 18. *Tunicarum eam partem, quæ eſt ab humeris usque ad manus, non conſuebant; ſed continuis fibulis aureis, & argenteis conſtrinxere.* Hæ usque ad infimam utriusque partis oram plerumque nodis, ac *fibulis* conſtringebantur: imo veſtis reliqua in pectore. Claud. in Eutrop. II. 183.

— poſt terga reductas
Uberibus propior mordebat fibula veſtes.

Rhod. de Acia c. 5. Caſal. de Urb. ac Imper. Roman. ſplend. part. 2. c. 11. In antiquis monumentis fere orbicularia figura apparent in medio ad inſtar bullarum protuberantes, ut ſcilicet in interiori parte duobus uncinulis utraque veſtis pars necteretur. Sive duo ſemicirculi, aut virgulæ incurvæ veſtimentis hinc inde aptarentur, quæ committerentur, & injecta acu jungerentur. *Ferrar. de Re veſt.* II. 17. Conſpiciuntur etiam forma quadrangulæ, equi, hinnuli, avis, delphini, cochleæ, & anguium ſpecie. *Caſal. de Inſign. & tib. c. 4.* Superius annexa in ſinum fundebat togam *fibula*, inſtar veli vento inflati. Inferius, & in extrema parte grandiorem habet acum, cum æreo, aut aureo filo: quo efficiebatur, ut illa absque ulla difficultate quaſi fluctuans vagaretur, ipſius præſertim acus cuſpide in canalicula, quæ in altera *fibulæ* parte erat, impreſſa. Facta erat potiſſimum in eum finem, ut togam ſupra dexterum humerum connecteret: in quo duæ illius partes ſubjectam acum in dicta canalicula ſtringebant. Nec enim adſuta panno *fibula*, ſed duas togæ partes adſtringendo, non vero transfigendo ſubnectebat. Quapropter ſupra *fibulam* nodus quidam conſpiciebatur ex toga, quæ cum venuſtate & elegantia dilatabatur. *Panciroll. de Reb. deperd. & inv. p. 312. Demſter. Paral. ad Roſin. Ant. Rom.* V. 31. *de La Chauſſe de Teſſer. tab.* VII. *Rhod. & Caſal. l. l. Pignor. de Serv. p. 152.* Fiebat ex ferro, orichalco, argento, auro, aut quovis metallo: infimæ ſortis hominibus propria erat ferrea, ænea. Feſtus: *Infibulati ſacrificabant Flamines propter uſum æris antiquiſſimum æreis fibulis.* Mediocris fortunæ milites manipulares in baltheis, aut phaleris argentea utebantur, donec Aurelianus iis aureas indulgeret. Vopiſc. Aurelian. c. 46. Ditioribus poſtea Leonis Auguſti decreto concedebatur aurea: Principibus frequentior. Ita Didoni Æneid. IV. 139.

Aurea purpuream ſubnectit fibula veſtem.

Quin & gemmis diſtinctæ fuerunt. Virg. Æneid. V. 312.

— lato quam circumamplectitur auro
Baltheus, & tereti ſubnectit fibula gemma.

Claud. de Rapt. Proſerp. II. 40.

Collectæ tereti nodantur jaſpide gemmæ.

Panciroll. ibid. p. 314. Caſal. Demſter. & Rod. l. l. Aureæ & gemmeæ originem ex veterum ſacris proceſſiſſe ſatis probabile eſt; nempe ſupremo ſacerdoti dilecti populi tali magnificentia ſub myſterii velo adornatam imperabat Dominus: quod Reges deinde fuerunt imitati, penes quos diu ſacrorum jus manſit, ac poſtea Imperatores ac primates, donec tandem creſcente in dies luxu ſingularis *fibularum* uſus in communem tranſiret. Continebat quoque capillitium. Lucian. dial. de Domo: *Aliqua fibula, vel tænia comam diffluentem colligans.* De hac forte Virg. Æneid. X. 137.

— fuſos cervix cui lactea crines
Accipit, & molli ſubnectit circulus auro.

Caſal. & Rhod. l. l. Feminarum mundo annumerabantur. Prudentius illum denarrans Pſychom. n. 448.

— *crina-*

— crinalis acus, redimicula, vittæ,
Fibula, flammeolum, strophium, diadema, monile.

Plin. xii. 19. *Revehunt vitrea, & ahena, vestes, fibulasque cum armillis & monilibus. Ergo negotiatio illa feminarum maxime fide constat.* xxxiii. 1. *Fabricam etiam deûm fibulas, & alia muliebris ornatus.* Demster. Rhod. & Casal. l. l. In virtutis præmium, & benefactorum gloriam tribuebantur, vel tribunis. Plin. xxxiii. 3. *Sed in militia quoque in tantum adolevit hæc luxuria, ut M. Bruti in Philippicis campis reperiantur frementes, fibulas tribunitias ex auro geri.* vel pueris, quos ad virtutem erigere, & incitare volebant. Liv. xxvii. 19. *Puerum annulo aureo, tunica laticlavia, Hispano sagulo, & aurea fibula ornatum donat.* Demster. l. l. Casaub. ad Vopisc. Aurelian. c. 46. De *fibulis* tribunitiis V. *Ferrar. ibid. c.* 16. Erat inter præmia equestria. Liv. xxxix. 31. *Quintius alter prætor suos equites catellis, ac fibulis donavit.* Hugo de Milit. Equest. v. 1.

FIC.

FICANA via. V. illam infr. in *Via.*

FICEDULA recensetur inter saluberrimas aves: utitur enim saluberrimo alimento. Mart. xiii. 48.

Cum me ficus alat, cum pascar dulcibus uvis,
Cur potius nomen non dedit uva mihi.

Unde etiam autumno sunt longe suaviores, & obesiores, ubi ficus sunt maturæ. Athen. ii. 65. B. *Συκαλὶς vocatur ficedula, quia capitur, cum fici sunt maturi,* ut hunc locum supplet Casaub. Anim. ii. 24. Erant deliciæ hominum gulæ natorum. Juven. Sat. xiv. 7.

— qui radere tubera terræ,
Boletum condire, & eodem jure natantes
Mergere ficedulas didicit nebulone parente.

Et illis non solis clunibus, ut reliqua avitia, sed totæ placebant. Gell. xv. 8. *Præfecti popinæ negant ullam avem, præter ficedulam, totam comesse oportere. Cæterarum avium, atque altilium, nisi tantum apponatur, ut a clunicul is inferiori parte saturi fiant, convivium putant inopia sordere; superiorem partem avium, atque altilium, qui edunt, eos palatum non habere.* Condituram illius exhibet Trimalcio apud. Petron. c. 33. *Persecutus putamen manu, pinguissimam ficedulam inveni piperato vitellio piperatam.* Castellan. de Esu carn. iv. 16. Kobierzyck. de Lux. Roman. ii. 11. Bochart. Hieroz. ii. i. 14. Bruyer. de Re cibar. xv. 44. Nonn. de Re cibar. ii. 31. Buleng. de Conviv. ii. 8. Bellon. de Nat. avium vii. 17. Gesner. de Avib. iii. 5. Gonsal. in Petronium. Grang. in Juvenalem. Pitisc. in Suet. Tib. c. 42. n. 6.

FICELIÆ fuit locus in monte Quirinali, in quo habitavit Nepos vicinus Martialis apud illum vi. 27. 1.

Bis vicine Nepos; nam tu quoque proxima Floræ
Incolis, & veteres tu quoque Ficelias.

Donat. de Urb. Rom. iii. 15. Sed Martialis agit de duplici vicinia: quod in uno loco vicove fieri, factumque fuisse vix verisimile est. Quare prima vicinia fuit domus ad Floræ circum: & quoniam unicam tantum se domum in Urbe habere, & unum exiguum urbanum Domitiano indicat ix. 19. 1.

Est mihi, sitque; precor, longum te præside, Cæsar,
Rus minimum; parvi sunt & in Urbe lares.

Altera non alia esse potuit quam in *Ficeliis*, ruris illius suburbani. Sic ut in *Ficeliis*, qui locus ubi fuerit ignoratur, Nepos & Martialis vicina habuerint prædia, in Urbe vero domos. *Nardin. Rom. Vet.* iv. 9.

FICTILIA non tantum in pauperiorum ædibus, sed etiam in opulentiorum conviviis olim usurpabantur. Tib. i. 1. 31.

Fictilia antiquus primus sibi fecit agrestis
Pocula, de facili composuitque luto.

Val. Max. iv. 3. 7. *Cui consulatum gerenti, cum Ætolorum gens omnis ejus vasa argentea, magno pondere, & exquisita arte fabricata per legatos misisset, qui superiori tempore gratulandi causa ad eum profecti retulerant, fictilia se in ejus mensa vasa vidisse, monitos ne continentiæ quasi paupertati succurrendum putarent, cum suis sarcinis abire jussit.* Auson. Epigr. viii. 1.

Fama est fictilibus cœnasse Agathoclea Regem,
Atque abacum Samio sæpe onerasse luto.

adeoque etiam in deorum immortalium fanis, ac sacrificiis sollennibus. Senec. Epist. 95. *Tuberonis ligneos lectulos, & cum in publicum sternerentur, hædinasque pro stragulis pelles, & ante ipsius Jovis cellam: proposita convivis vasa fictilia, quid aliud est, quam paupertatem in Capitolio consecrare. . . . Omnium illorum aurum argentumque fractum est, & millies conflatum, at omnibus seculis Tuberonis fictilia durabunt.* Cicer. Parad. 1. *Quid autem Numa Pompilius? minusque gratas diis immortalibus capedines, ac fictiles urnas fuisse, quam delicatas aliorum patinas arbitramur.* Dionys. ii. p. 93. *Libationes etiam vidi non argenteis, aureisve infusas vasis, sed culignis, & gutturnis testaceis.* Demster. Paral. ad Rosin. Antiq. Rom. v. 30. Buleng. de Conviv. iv. 11. Stuck. Ant. Conviv. iii. 12. Marlian. Topogr. Urb. Rom. iv. 1. Brod. Misc. v. 19. Ursin. Append. ad Ciaccon. de Triclin. p. 361. Baccius de Conviv. iv. p. 168. Brouckh. in Tibullum Torno etiam accurabantur. Plin. xxxv. 12. *Aut quæ rota fiunt, etiam fictilibus doliis, ad vina excogitatis. . . .* Mart. xiv. 102. 2.

Et Surrentinæ leve toreuma rotæ.

Buleng. ibid. c. 16. Rader. in Martialem. Et a tenuissima subtilitate laudantur. Plin. l. l. *Hodieque in templo* Capitolino *ostenduntur amphoræ duæ propter tenuitatem consecratæ, discipuli magistrique certamine, uter tenuiorem humum duceret.* Kobierzyck. de Lux. Roman. ii. 10. Pice liquida illinebant, ne liquorem infusum æstate exsudarent: hinc vasa picata, testæ picatæ apud scriptores celebratæ. *Laurent. de Fistul. c.* 3. V. infr. in *Pix.*

FICTOR est, qui ex argilla statuas & signa facit, Græce *πλάστης*. Varr. de Ling. Lat. vi. 3. *Fictores dicti a fingendis libis.* Hinc Cassius Parmensis apud Suet. Aug. c. 4. n. 5. Hanc finxit *manibus collybo decoloratis Nerulonensis mensarius.* Salmas. Exercit. Plinian. p. 737. b. E. Casaub. in Suetonium. De *Fictoribus* pontificum, illorumque discipulis, inscriptio reperitur, quæ illos enumerat inter sacrorum ministros:

T. STATILIUS. CALOBÆRUS. NOMENCL. CUM. STATILIO. DIONYSIO. TRIB. XVI. FLAVIÆ. ET. STATILIO. MYRONE. DISSIGNATORE. SCANAR. FILIIS. ET. STATILIO. DIONYSIO. DISCIPULO. FICTORUM. PONTIFICUM.

Hi sacrorum ministri ingenio nobis *fingendi* sunt, utemurque artifice Servio, qui Æneid. iv. 512. docet in sacris aliquando simulata pro veris accipi. Unde cum de animalibus, quæ difficile inveniuntur, sacrificandum est, de pane, vel cera fiebant, & pro veris accipiebantur. Sic Virg. l. l.

Sparserat & latices simulatos fontis Averni.

Quæ simulatio tenuioris fortunæ hominibus concessa est. Illi enim cum nullum animal sacrificare possent, taurum e farina fingebant. Et *Tauri verbenæque in commentario sacrorum significant ficta farinacea* apud Festum. Et hinc *fictores* pontificum dicti, qui de pane, vel cera simulatas hostias faciebant. *Guther. de vet. jur. Pontif.* ii. 14. *Dacer. in Festum.*

Ficus Navia dicebatur, quam Tarquinius Priscus in Comitio posuit eopse loco, ubi Accius Navius, miraculum cotis novacula sectæ exhibuit. Festus: *Et ficum ab eo satam ibi esse intra id spatium loci, qui contentus sine sacro sit, eamque, si quando arescere contigisset, subseri, sumique ex ea surculos jussisse: quo facto tantos intra temporis tractus, cum alię in eo loco complures ficus enatæ essent, atque eæ avulsæ de-*

inde de sacro illo loco radicitus removerentur omnes; quæ inibi tunc temporis erant, ficum præter unam illam, ejectas fuisse admonitu fatali, ac jussu in primis aruspicum; & divinis etiam responsis promittentibus, quamdiu ea viveret, libertatem populi Romani incolumem mansuram: ideoque coli, & subseri ex illo tempore cœptam. Dionys. III. p. 104. miraculum hoc in foro factum refert, ubi ejus tribunal erat: eumque locum puteum fuisse appellatum, statuamque a Rege Accio in foro positam. Ad hoc respondetur, miraculum illud in foro accidisse, sed juxta comitium, cui Tarquinii tribunal vel conjunctum, vel vicinum fuit. Hinc Accio statua posita est in gradibus comitii, qui in forum porrigebantur: atque ita *ficus* juxta Dionysium in foro fuisse posita dici potuit. Etiam in foro simul & in comitio fuisse dici commode potuit, si ea in fori planitie ad murum comitii sata fuit. Plin. xv. 18. *Ficus* arbor in foro ipso ac comitio Romæ nata, sacra fulguribus ibi conditis. *Nardin. Rom. Vet.* v. 3.

Ficus Ruminalis fuit arbos vetustissima in Palatino, sub qua Romulus & Remus infantes expositi, juxta Liv. I. 4. secundum Varronem vero flumine exundante eo delati, a lupa educati feruntur. Victor in regione fori ita eam recenset: *Ficus Ruminalis in comitio, ubi & Lupercal.* Serv. Æneid. VIII. 90. *Ficus Ruminalis, ad quam ejecti sunt Romulus & Remus, quæ fuit, ubi nunc est Lupercal in circo.* L. in comitio: *hac enim labebatur Tiberis.* Tacit. Annal. XIII. 58. I. *Eodem anno Ruminalem arborem in comitio, quæ super octingentos & quadraginta annos Remi Romulique infantiam texerat, mortuis ramalibus, & arescente trunco deminutam prodigii loco habitum est.* Festus ad curiam eam modo posuit. E quibus conficitur in comitio fuisse prope curiam, ut & ad Germalum, & Lupercal; quamquam hæc duo diversæ regiones fuerunt. Quare crassi erroris hinc Pomponius Lætus convincitur, qui eam prope rotundam ecclesiam S. Theodori collocat, contra Lupercal, sub Capitolio. Omittemus & aliorum somnia, verum ejus situm ex ædificiorum positu reliquorum ostendisse contenti, secundum quem comitium, uti verisimile est, ampliore spatio, quam curia, ad latus australe post curiam aliquantulum loci habuit, quo loco *ficum* Ruminalem fuisse ne dubitandum quidem videtur. Quod si autem illic, (ubi duas illas vias, quæ tres regiones IV. VIII. & X. dispescebant, compitum fuisse diximus, seu plateam decussatam) in angulo quartæ regionis Vulcanale fuit, & in angulo decimæ, sive boreali palatii Lupercal; in altero ex duobus angulis octavæ regionis post curiam, & e regione Lupercalis *ficus* Ruminalis fuerit necesse est: qui locus hodie designari potest, ab æde S. Mariæ Liberatricis occupatus, aut saltem in proximo. Atque ita *ficus* illa non supra antrum Lupercalis fuit, sed e regione, antro isti & infantibus umbram præbens: eaque de causa a Romanis lupæ illic effigies posita fuit duos gemellos lactantis. Liv. X. 23. *Eodem anno Cn. & Q. Ogulnii ædiles curules ad ficum Ruminalem simulacra infantium conditorum Urbis sub uberibus lupæ posuerunt.* Nardin. Rom. Vet. v. 3. Marlian. Topogr. Urb. Rom. III. 7: II. 12. Donat. de Urb. Rom. II. 18. Faunus Antiq. Urb. Rom. II. 18. Columna in Ennium p. 15. a. f. Hanc Romani colebant maxima veneratione; haud secus ac Samii viticem, quæ multis seculis ab eis in Junonis templo custodita fuit: quoniam sub ea Junonem editam fuisse perhibebant. Plin. xv. 18. *C l tur ficus arbor in foro ipso, ac comitio Romano nata, sacra fulguribus ibi conditis, magisque ob memoriam ejus, quæ nutrix fuit Romuli, ac Remi conditoris, Ruminalis appellata; quoniam sub ea inventa est lupa infantibus præbens rumen: ita vocabant mammam.* Addidimus huic loco vocem *Ruminalis*, quæ in Plinii exemplaribus videtur deesse. *Columna l. l.* Eandem esse cum *ficu* Navia contendit *Scalig. ad Festum*; sed pluribus negat *Salmas. Exercit. Plin. p.* 800. *a. E.* Dissertationes illorum fusiores hæc charta non admittit, & ad integros fontes lectorem ablegare satius esse duximus, quam illos in compendium contrahere.

Ficus Velabrensis in Velabro a P. Merula statuitur. De illa Mart. XI. 53. 9.

Altera non deerunt tenui versata favilla;
Et Velabrensi massa recocta ficu.

Ubi quum de massa *ficubus* recocta Poeta loquatur; non de arbore, sed de fructu potius illud accipiam, qui illic venditus. Verum præferenda alia lectio: *recocta foco.* Et admittenda Panvinii expositio, de caseo ibi fumo indurato. Sed & de massa, quæ illic recocta & vendita fuerit, accipi potest. *Nardin. Rom. Vet.* VII. 4.

FID.

FIDELIA est vas Samium ad usus plurimos. Plaut. Aul. IV. 2. 15.

Mulsi congialem plenam tibi faciam fideliam.

Buleng. de Conviv. IV. 16. Nostri *filletam* appellant. Pers. Sat. III. 74.

—— nec invideas, quod multa fidelia putet
In locuplete penu.

Cenal. de Pond. & mens. rat. Thes. Antiq. Rom. Græv. Tom. XI. p. 1475. B. Solebat cum pipere, perna, & orca mænæ, & ejusmodi tenuibus munusculis, quæ addit Satyricus patronis, & causidicis avarioribus donari. *Casaub. ad Persium.*

FIDENÆ *stadiis quadraginta in agro Sabino a Roma fuit dissita, urbs magna & populosa. Illam Albani condiderunt, eodem quo Nomentum & Crustumium tempore, tribus fratribus colonias deducentibus; quorum natu maximus Fidenarum fuit conditor. Hanc Romulus Romanam fecit coloniam.* Dionys. Ant. Rom. II. p. 116. *Missis ad eam incolendam duobus millibus quingentis civibus Idibus Aprilis.* Plutarch. Romul. p. 32. E. *Sigon. de Ant. jur. Ital.* II. 5. *Cluver. Ital. Ant.* II. 9.

FIDENAS fuit cognomen L. Sergii, qui ab urbe *Fidenis* sic dictus est. Liv. IV. 17. *L. Sergius Fidenas; a bello credo, quod deinde gessit, appellatus. Hic enim primus cis Anienem cum Rege Vejentium secundo prœlio conflixit, nec incruentam victoriam retulit.* Sigon. de Nom. Rom. c. 5. Glandorp. Onomast. p. 789.

FIDENATES sæpe victos postremo Mam. Æmilius Mamercinus dictator III. anno Urbis 328. delevit. Liv. IV. 31. *Uni Fidenatium populo rebellare placuit, & tanquam nisi ab scelere bellum ordiri nefas esset, sicut legatorum antea, ita tunc novorum colonorum cæde imbutis armis, Vejentibus sese conjungunt.* In eos dictator exercitu abducto, castra & urbem eorum cepit, atque diripuit. *Panvin. Imper. Roman. c.* 3.

FIDES dea a Romanis est culta. Cicer. de Nat. Deor. II. 23. *Tum res ipsa, in qua inest vis major aliqua, sic appellatur, ut ea ipsa vis nominetur deus, ut Fides, quam in Capitolio dedicatam videmus proxime a M. Æmilio Scauro, ante autem ab Attilio Calatino erat Fides consecrata.* Sine cæde, ferro & sanguine res *Fidei* fiebat. Sacerdotum manus velabantur panno, quia *Fides* tecta esse debet & velata, & ob secretum *Fidei*. Apul. Met. III. p. 96. *Sed proh Jupiter, & secreta Fidei numina.* Sil. Ital. II. 486.

Justitiæ consors, tacitumque in pectore numen.

Ipsa alba veste vestiebatur, quia recta & candida esse debet. Horat. Od. I. 35. 21. V. illum supr. in *Color albus.* Ostendebatur interdum in denariis, duabus junctis manibus, interdum imagunculis duabus dextram dextræ jungentibus. Ad quod allusit Virg. Æneid. VIII. 150.

Accipe, daque fidem.

Ortel. Deor. & dear. cap. II. 49. Laurent. Var. sacr. gentil. c. 23. Panvin. de Lud. Circens. I. 3. & ad illum Argolus. Gyrald. Synt. deor. I. p. 29. D. Struv. Ant. Rom. c. I. p. 143.

Fides Attica est incorruptissima in Diogeniani collectaneis. Athenis enim erat templum *Fidei* deæ, cujus meminit Plaut. Aul. III. 6. 46.

Nunc hoc mihi factum est optimum, ut te auferam,
Aulam in Fidei fanum: ibi abstrudam probe.

Clare Vell. II. 23. 4. *Si quis hoc rebellandi tempus, quo Athenæ a Sulla captæ ſunt, imputat Athenienſibus, nimirum veri vetuſtatisque ignarus eſt: adeo enim certa Athenienſium in Romanos fides fuit, ut ſemper, & in omni re, quicquid ſincera fide peteretur, id Romani Attica fide fieri prædicarent.* Hanſen. de Jurejur. vet. c. 14.

Fides erat etiam inſigne navis. Inſcriptio:

D. M.
C. SENIO. SEVERO. MANIPULARIO
EX. III. FIDE. NATIONE. BESSUS

Hanſen. de Jurejur. vet. c. 1.

FIDEICOMMISSA appellabantur, quæ *Fidei* hæredis, ut ea redderet, committebantur: ut ſiquid ei teſtator datum vellet, cui per leges capere non licebat. Itaque non jubebatur hæres, ſed rogabatur. Horum duo genera, unum quo res ſingulæ, veluti veſtis, aut fundus relinquebantur; alterum, quo univerſæ, ut hæreditas transferebantur: ut *L. Titius hæres eſto. Peto abs te L. Titi, ut meam hæreditatem C. Sejo reſtituas.* Sigon. de Judic. I. 4. *Fideicommiſſorum* originem tradit Juſtinian. Inſtit. II. 23. §. 1. *Sciendum*, inquit, *eſt omnia fideicommiſſa primis temporibus infirma fuiſſe, quia nemo invitus cogebatur præſtare id, de quo rogatus erat. Quibus enim non poterant hæreditatem, vel legata relinquere, ſi relinquebant, Fidei committebant eorum, qui capere ex teſtamento poterant hæreditatem.* Quæ verba ita interpretatur Theophilus, ut ea de peregrinis intelligat. Eveniſſe enim nonnunquam ait, ut civis Romanus parentes, aut cognatos peregrinos haberet, qui cum ex teſtamento neque hæreditatem, neque legata conſequi poſſent, rogabantur hæredes, qui teſtamenti factionem haberent, ut his legata, aut hæreditatem reſtituerent. *Auguſtin. de Legib. in Junia Norbana. Falconer. Diſſert. de pyram. C. Ceſt. Epul. Theſ. Antiq. Rom. Græv. Tom.* IV. *p.* 1478. *F.* Relinquebantur his verbis: *jubeo, rogo, volo, mando, Fidei committo.* Juſtinian. l. 2. C. commun. de legat: *Omne*, inquit, *verbum ſignificans teſtatoris legitimum ſenſum, legare, vel Fidei committere volentis, utile atque validum eſt, ſive directis verbis, quale eſt JUBEO forte, ſive precariis utatur teſtator*, ROGO, VOLO, MANDO, FIDEI COMMITTO. *Briſſon. de Form.* VII. *p.* 669.

Fideicommiſſa tacita ſunt, cum alicujus fides eligitur, quæ quod in teſtamento relictum eſt, alteri qui capiendi jus non habet, reſtituturum ſe teſtatori promiſit: Vel quoties quis neque teſtamento, neque codicillis rogatur, ſed domeſtica cautione, aut chirographo obligatus, ad præſtandum ei, qui capere non poteſt, ſeſe obligat l. 1. & 3. ff. de jur. fiſc. & l. in tacit. 103. ff. de legat. & fideic. 1. Sic in jure dicitur, *tacitam fidem accommodare; tacitam pecuniam apud ſe habere, quæ refundi debeat: & mutuam pecuniam tacitam accipere.* Guther. de Offic. Dom. Aug. III. 25. Briſſon. de Form. VII. p. 674. Sigon. de Judic. I. 4.

FIDEICOMMISSARIUS dicebatur prætor, qui de *fideicommiſſis* jus dicebat. Pompon. l. 2. §. 32. ff. de Orig. Jur. *Poſt deinde Claudius duos prætores adjecit, qui de fideicommiſſis jus dicerent.* Suetonius autem Claud. c. 23. n. 2. *Juriſdictionem de fideicommiſſis quotannis, & tantum in Urbe delegari magiſtratibus ſolitam in perpetuum, atque etiam per provincias poteſtatibus demandavit.* Sed hæc explicare eſt facile ex verbis Fabii, qui ſic ſcribit III. 6. *Non debes apud prætorem petere fideicommiſſum, ſed apud conſules: major enim prætoria cognitione ſumma eſt.* Ulpian. Inſtit. tit. 25. *Fideicommiſſa non per formulam petuntur, ut legata: ſed cognitio eſt Romæ quidem conſulum, aut prætoris, qui fideicommiſſarius vocatur: in provinciis vero præſidum provinciarum.* Hotoman. de Magiſtr. Roman. I. Theſ. Ant. Rom. Græv. Tom. II. p. 1878. F. Falconer. Diſſert. de Pyram. C. Ceſt. Epul. Theſ. Antiq. Rom. Græv. Tom. IV. p. 1479. A. Briſſon. de Form. V. p. 413. Pitiſc. in Suetonium.

FIDEJUSSIO pertinebat ad ſtipulationem, & ut aliam obligationem confirmaret, erat inſtituta. *Fidejuſſionis* formula erat: *Centum a me Titio tua fide credita eſſe jubes? jubeo.* Omni obligationum generi adhibebatur. *Sigon. de Judic.* I. 5. *Salmaſ. de Mod. uſur. c.* 16. *Briſſon. de Form.* VI. *p.* 579.

FIDEJUSSOR erat, qui *fide*, aut periculo ſuo ſuadebat, ut id, de quo ageretur, fieret, quoniam ejus eventum præſtaret. Jubebat autem ſua *fide*, qui auctor, ac ſuaſor, ut alteri quid crederetur. *Sigon. de Judic.* I. 5. *Salmaſ. de Mod. uſur. c.* 16. Dabatur a magiſtratibus municipalibus. Papin. l. 2. §. ult. ff. de adminiſtr. *Pro magiſtratu fidejuſſor interrogatus pignora quoque ſpecialiter dedit.* Briſſon. de Form. VI. p. 579. Plerumque ita interrogabatur: *quantam pecuniam credidero*, vel, *quod credidero, fide tua eſſe jubes?* Papin. l. ſi debitori §. ult. ff. de fidejuſſor: *Si filius in cauſa peculiari ita fidejuſſorem acceperit: quantam pecuniam credidero, fide tua eſſe jubes?* Javolen. l. ſi ita ff. de acceptilat. *Quod ego decem credidi, de ea pecunia mille modios tritici fide tua eſſe jubes?* Briſſon. ibid. p. 578.

FIDIBUS canendi tres fuerunt modi. I. Cum *fides* primum pulſarent, deinde canerent. II. Cum voce & *fidibus* ſimul canerent. Tib. III. 4. 70.

Et ſimiles chordis reddere voce ſonos.

Virgilio hoc eſt *obloqui numeris* Æneid. VI. 646.

Obloquitur numeris ſeptem diſcrimina vocum.

Ubi Servius: *Chordarum laudem eſſe verbis obloqui* III. Prius ſimul voce, & *fidibus* canere, poſt ſola voce. Tib. III. 4. 39.

Hanc primum veniens plectro modulatus eburno,
Felices cantus ore ſonante dedit.
Sed poſtquam fuerant digiti cum voce locuti,
Edidit hac triſti dulcia verba modo.

Virg. Æneid. VI. 647.

Jamque eadem digitis, jam pectine pulſat eburno.

Buleng. de Theatr. II. 39.

FIDICINES & *fidicinæ* olim conviviis adhibebantur. Ammian. XXX. 1. *Cumque apponerentur exquiſitæ cupediæ, & ædes pulſu nervorum, & articulato, flatilique ſonitu reſonarent, jam vino incaleſcente.* Petron. in Fragmentis.

Memphitides puellæ,
Sacris deum paratæ.
Tinctus colore noctis
Manu puer loquaci
Trementibus labellis.

Buleng. de Conviv. III. 30.

FIDICULÆ idem ſunt cum equuleo. *Mag. de Equul. c.* 2. *&* 12. Certum eſt ferme cum equuleo a ſcriptoribus conjungi. Val. Max. III. 3. 5. ext. *In Theodoro quoque Hieronymus Tyrannus tortorum manus fruſtra fatigavit; rupit enim verbera, fidiculas laxavit; ſolvit equuleum, laminasque exſtinxit, priusquam efficeret ut tyrannicidii conſcios indicaret.* Quintil. Declam. ult. *Ideo enim equuleum movebam artifex ſenex, tenebam fidiculas ratione ſævitiæ, ut leniter ſedibus ſuis remota compage, per ſingulos artus membra laxaret.* Quare Magius idem fuiſſe *fidiculas* & equuleum credidit. *Ferrar. Elect.* I. 6. Dicebantur nervi quidam, quibus brachia & pedes ejus, qui torquendus erat, alligabantur, & cataſta intenta compages oſſium divellebatur. *Sigon. de Judic.* III. 17. *Hotman. Antiq. Roman.* V. *p.* 762. *G.* Quibus noxios *fidiculis* torqueri idem eſt, ac eosdem *fidiculis* equuleo alligatos intendendo, eorundem ſingulas oſſium commiſſuras ſummo cum dolore diſtrahere. In hanc ſententiam ſcripſiſſe videtur Valla Eleg. I. 5. dum ait: *fidiculas eſſe inſtrumentum ex duobus obliquatis lignis compactum, ita dictum, vel ab extorquenda fide, vel a nerveis funibus, quibus torquendi alligantur.* Sed ſi ea, quæ de hiſce in notis ad Romanum martyrium XI. Kalend. Februar. conſcripta, atque firmiſſimis argumentis ſunt comprobata, attento animo intuebimur, illos erraſſe ſine dubitatione intelligemus. Fuerunt potius ungulæ ferreæ, quibus damnati diſcruciabantur. Iſidor. V. 27. *Ungulæ dictæ, quod effodiant: hæ & fidiculæ, quia iis vel in equuleo torquentur, ut fides inveniatur.* Cum itaque *fidiculis*, æque ac ungulis, latera homi-

nis in equuleo extensi *finderentur*, easdem ungulas ea de causa *fidiculas* appellatas esse nobis par est credere, quod nimirum reorum latera & ipsa *finderent*, Prudent. Περὶ Στεφ. x. 549.

—— vertat ictum carnifex
In os loquentis; inque maxillas manum,
Sulcosque acutos, & fidiculas transferat.

Ungulas intellexisse Asclepiadem judicem, docetur n. 556.

Implet jubentis dicta lictor improbus,
Charaxat ambas ungulis scribentibus
Genas, cruentis & secat faciem notis:
Hirsuta barbis solvitur carptim cutis,
Et mentum adusque vultus omnis finditur.

Suet. Tib. c. 62. n. 3. scribens: *Excogitaverat inter genera cruciatus, etiam, ut longa meri potione per fallaciam oneratos, repente veretris deligatis, fidicularum simul, urinæque tormento distenderet*, intelligit remotissimum tormenti genus ab eo, quod in martyrum rebus gestis, aliisque laudatis auctoribus per *fidiculas* testatum apparet. *Gallon. de Martyr. cruc. c. 3. p. m.* 150. *Durant. Var. Lect.* I. 15. *Cerda Adv. c.* 71. §. 9. *Laurent. de Torment. c.* 7. *Aring. Rom. Subter.* II. 4. §. 14. & 15. *Scalig. in Manil. p.* 399. Hæc non indicant, *fidiculas* fuisse ungulas. Sed quia, antequam ungulæ membrum aliquod lacerarent, prius illud *fidiculis*, sive nerveis funiculis arctissime ligabatur, ut intumescens pars illa sævius laceraretur, ut fit in sanguinis emissione, cum brachium prius arctissimo nodo constringitur. Eodem modo lictor jussus ungulis faciem lacerare, in eam *fidiculas* transfert, quibus genæ constrictæ intumescerent: deinde sic turgidas, & inflatas ungulis secat, & charaxat, id est, per faciem sulcos recte, & transverse ducens, ut olim stylo in tabulis ceratis, hodie calamo, scripta delentur, sive, ut vulgo loquimur, cancellantur. *Ferrar. l. l.* Aliud tormenti genus an apud Suetonium fuerit, lector eruditus judicabit. Certe ungulas non designari, hoc clarum. Et cur Suetonius in alia χρήσει illud nomen sumeret, quam Valerius Maximus, quam Quintilianus? Isidori vero auctoritas sola an nos debeat adigere, ut *fidiculas* fuisse ungulas ferreas credamus, nescio. *Jungerm. in Magium p.* 100. Non ergo est dubium *fidiculas* fuisse nervos, sive funiculos, ut iis in equuleo brachia, pedesque religati extenderentur, & convellerentur, ut censet Sigonius: sive, quod verosimilius est, crassioribus quidem funibus hominem in equuleo extensum, & distractum, nam *fides*, & funiculi facile disrupti fuissent: sed brachiorum, pedumque ac genuum juncturas *fidiculis* arctissime colligatas, cum ut nodi ipsius tormento vinctus cruciaretur, tum membra ipsa compressione tumescentia atrocius ungulis foderentur, & cruciarentur. *Ferrar. l. l. Minos in Alciat. Emblem.* 13.

FIDIUS. V. illum supr. in *Dius Fidius.*

FIDUCIA erat species mancipationis, ut Boetius ait; nempe, *quoties cui res aliqua mancipabatur cum eo, ut eam mancipanti remanciparet: veluti, si quis tempus dubium timens amico potentiori fundum mancipasset, ut sibi, cum tempus, quod suspectum esset, præterisset, redderet. Hæc mancipatio fiduciaria nominata, quod restituendi fides interponeretur.* Liv. XXXII. 38. *Optimum ratus Corinthum Nabidi Lacedæmoniorum tyranno velut fiduciariam dare, ut victori sibi restitueret; si quid adversi accidisset, ipse haberet.* Itaque *fiducia* videtur fuisse contractus, quo fidem alicujus secuti rem ei aliquam dicis causa mancipabant, ita dictus, quod nulla alia re, quam fide, ac probitate emptoris freti eam venditionem celebrabant. In ejus vero formula hæc verba fuere sollennia: *Ut inter bonos viros bene agi oportet: &, uti ne propter te, fidemve tuam captus, fraudatusve sim.* Sigon. de Judic. I. 5. Bud. in Pandect. p. 25. E. Rævard. Protribun. c. 5. Auctor misc. def. pro Salmas. ad jus Attic. & Rom. p. 292.

FIG.

FIGULIENSIS Via. V. illam infr. in *Via.*

FIGULINA, vel *figlina* apud Latinos, plastica apud Græcos generali vocabulo dicitur ars terræ argillosæ in duritiam excoquendæ. Dividitur in duo genera opificii; quorum alterum est, cum opus conjicitur in protypum, seu proplasma; alterum, cum opus fingitur ad rotam figularem. *Bergier. de viis milit.* II. *Sect.* 20. §. 1. Hadriani tempore civitates fuerunt, quæ quotannis Imperatori pro tributo, vel ad operum publicorum instaurationem, certam coctorum laterum quantitatem conferre debuerint: & commodi sui gratia Romæ plures *figulinas* habuerunt, ubi tegulas, lateresque coquebant in hunc usum, eosque lateres nomine artificum notabant, ut *ex figulina canonis operis doliaris*: ut ex his colligendo huic tributo, & operibus præfecti inita ratione colligere possent, num hi suum hujus illiusve anni tributum contulissent, aut quantum ad illius adhuc deesset supplementum. Quod ut facilius in tanta *figlinarum* multitudine, & rei tam vilis ad explendum tributum copia, possent rescíscere injunctum singulis, numerum officinarum adnotabant, ut ex *figulina* I. II. III. & sic porro. Ita in inscriptione apud Gruterum.

EX FIG. SEX. AT. SILV. F. VI.

numerus senarius, qui extremus, *figulinam sextam* indicat. Civitas, civitatesve, quibus id oneris impositum, quæ fuerint, si quis conjecturæ locus, ex Hetruria fuisse existimem; ubi teste Plin. XXXV. 12. prima omnium Italorum ex argilla vasa fingi cœpta, quum hanc illuc artem Eucarus & Eugrammus Corintho intulissent Demarati Corinthii in fuga comites. *Falconer. Epist. ad Datum Thes. Ant. Rom. Græv. Tom.* IV. *p.* 1491. *C.* Ab antiquis temporibus, & in hanc usque diem in Vaticani montis campis perseverant, in quibus ex argilla, & creta, quæ proximo e monte eruitur, vasa artificum manu fiebant. Has videtur Plinius intellexisse, cum dicit XXXV. 12. *Vitellium ducentis sestertiis patinam condidisse, cui fornax in campis ædificata fuit.* Hinc quandoque *fragiles* ejusdem *montis patellæ* nuncupantur. Juven. Sat. VI. 344.

Et Vaticano fragiles de monte patellæ.

Vaticani quoque cadi notantur. Mart. I. 19. I.

Quid te Tucca juvat vetulo miscere falerno
In Vaticanis condita musta cadis.

Aring. Rom. Subterr. II. 3. 12. Juxta Tiberim pariter exstabant. V. infr. in *Mons Testaceus.*

FIGULUS, qui Græce dicitur κεραμεὺς ex creta amphoras & dolia, quibus exportabantur fructus; & in villæ ædificationem tegulas & imbrices; aliaque vasa, quæ mercis gratia venirent, parabat. *Pancirell. de Corpor. artif.* §. 22. *Pignor. de Serv. p.* 534. Cum autem horum ars esset valde necessaria, *Numa Pompilius Rex septimum figulorum collegium instituit.* Plin. XXXV. 12. *Panciroll. l. l. Marlian. Topogr. Urb. Rom.* IV. I. Illis *salinum cum sale in mensa ponere religioni habebatur, quod quondam in Esquilina regione figulo, cum fornax plena vasorum coqueretur, atque ille proxime eam convivatus, super modum potus, somno esset oppressus cum convivis suis, præteriens quidam petulans ostio patente ex mensa salinum conjecit in fornacem, atque ita incendio excitato figulus cum suis concrematus est.* Festus. *Ursin. Append. ad Ciaccon. de Triclin: p.* 276.

Figulus est cognomen Marciorum. *Figulos* consulares duos invenio, ambos eodem prænomine. Prior C. Marcius C. F. Q. N. Consul an. 591. E Gallia rediit, & abdicavit se consulatu, quod vitio factus esse diceretur. Iterum consul sexto anno postea fuit cum Cn. Lentulo Lupo. Cum Delmatis varie pugnavit. Victoria tandem potitus est. C. *Figulum* prætorem fuisse invenio an. 484. eum hunc ipsum fuisse arbitror, & classi præfectum. Hujus filius C. Figulus Ictus, cum in petitione consulatus repulsam tulisset, postridie fertur consulentibus dixisse: *vos consulere scitis, consulem facere nescitis.* Alter consularis C. *Figu-*

Figulus C. F. a Dione appellatur, Icti, ut arbitror, filius, aut nepos. Consul fuit cum L. Julio Cæsare an. 689. Ante hos T. Marcius *Figulus* an. 524. nuntiavit senatui palmam enatam in impluvio suo. *August. & Strein. de Famil. in Marcia. Glandorp. Onomast. Roman. p.* 584.

Figulus fuit etiam cognomen P. Nigidii, viri prætorii, astrologi & medici. Hoc adeptus est, quod interroganti, cur gemini dispari conditione nascerentur, proposuit commentum de rota *figulari*, quæ brevi temporis momento maxima spatia revoluta percurrat. Hujus responsi meminit August. de Civ. Dei v. 3. *Sigon. de Nom. Roman. c.* 5. *Glandorp. Onomast. Roman. p.* 625.

FIL.

FILIA adoptivæ sororis duci, vel constante adhuc adoptione, licito jure poterat, quod ea cognata non esset; siquidem per adoptionem contrahitur solum cognatio, cum agnatorum jus adjunctum habet l. 2. §. patrui ff. de suis & legit. Et Claudius Imperator Neronem a se in locum filii adoptatum cum filia sua Octavia matrimonio junxit, ut refert Dio LX. p. 687. A. verum ne frater sororem ducere videretur, adoptionis commento necessitudinis species dissoluta est. Inde Junoni Octavia a Seneca comparatur in tragœdia ejusdem nominis Act. 1. n. 219.

—— tu quoque terris
Altera Juno, soror Augusti,
Conjuxque, graves vince dolores.

Fratris, sororisve duci non poterat C. de nupt. §. fratris. Institut. de nuptiis; tametsi talium conjugiorum usum invexit Claudius Imperator Agrippinæ Germanici fratris sui *filiæ* amore incensus, ut publici juris velamento ejus matrimonii a se cum ea contrahendi turpitudo tegeretur. Tacit. Annal. XII. 7. 2. *Claudius senatum ingressus decretum postulat, quo justæ inter patruos, fratrumve filias nuptiæ etiam in posterum statuerentur.* Sueton. Claud. c. 26. n. 10. *Illecebris Agrippinæ, Germanici fratris sui filiæ, per jus osculi, & blanditiarum occasiones pellectus in amorem, subornavit proximo senatu, qui censeret cogendum se ad ducendam eam uxorem, quasi Reipublicæ maxime interesset: dandamque ceteris veniam talium conjugiorum, quæ ad id tempus incesta habebantur: ac vix uno interposito die confecit nuptias.* Verum Imperator Nerva vetuit, ne fratrum *filiæ* ducerentur, ne tam mali exempli nuptiæ in posterum frequentarentur. Xiphil. LXVIII. p. 770. C. *Casal. de Rit. nupt. c.* 2. *Filiæ* nothæ an dos debeatur, V. infr. in *Spurius*. Crinibus passis, & apertis capitibus in parentum funus prodibant, cum filii illos velatis capitibus efferrent. Plutarch. Quæst. Rom. c. 14. respondet: *An quia filiis veneranda sunt patres tanquam dii, filiabus autem lugendi ut mortui, lex utrique parti suum decoro conveniens assignavit officium? An quia luctui maxime convenit, quod est alienum a consuetudine? solent autem mulieres fere tectis, mares nudis capitibus in publicum progredi.* Kirchm. de Fun. Roman. II. 16. Guther. de Jur. man. I. 23. Si duæ, pluresve essent in familia, quomodo distinguantur. V. infr. in *Sorores*. Non mulieribus, sed viris præceptoribus erudiendas, & instituendas Romani solebant tradere. Eum morem, ubi differit de *mercedibus, quæ ut liberalibus artibus instituerentur pupillæ nomine præceptoribus dantur*, docet nos Julian. l. 4. ff. ubi pupill. educ. Mart. IV. 49. 1.

Quid tibi nobiscum est ludi scelerate magister?
Invisum pueris, virginibusque caput.

Suet. Gramm. c. 16. n. 1. *Q. Cæcilius cum filiam patroni nuptam M. Agrippæ doceret. . . .* Vetus Inscriptio: PUDENS. M. LEPIDI. LIBERTUS. GRAMMATICUS. PROCURATOR. ERAM. LEPIDÆ. MORESQUE. REGEBAM. DUM. VIXI. MANSIT. CÆSARIS. ILLA. NURUS. *Ræward. Conject.* II. 19. Civium, qui optime de Republica meruissent, *filiæ* dotem suam ex ærario accipiebant, quod contingebat iis, si parentes nihil reliquissent. Senec. Nat. Quæst. I. 17. *An tu existimas, ex auro nitidum habuisse Scipionis filias speculum, cum illis dos fuisset æs grave? O paupertas felix, quæ tanto titulo locum fecit! Non fecisset illis senatus dotem, si habuissent.* ad Helv. c. 13. *Beatioresne illos putas, quorum pantomimæ decies sestertio nubunt, quam Scipionem, cujus liberi a senatu tutore suo in dotem æs grave acceperunt?* Apul. Apol. p. 435. *Quod si modo judices de ista causa sederent C. Fabricius, Cn. Scipio, Manius Curius, quorum filiæ ob paupertatem de publico dotibus donatæ ad maritos ierunt, portantes gloriam domesticam pecuniam publicam.* Caroli Antiq. Roman. II. 4. Demster. in Rosin. Antiq. Roman. VII. 31.

FILII sacrorum dicebantur pontifices. Inscriptio Romæ:

I. O. M. H. AUG
SACR
GENIO. FORINARUM
ET. CULTORIBUS. HUJUS
LOCI. TERENTIA. NICE
CUM. FONTEJO. ONESIMO. FILIO
SACRORUM. SIGNUM. ET. BASIM
VOTO. SUSCEPTO. DE. SUO. POSUIT

Dicebantur *filii* sacrorum, quorum cum pater sacerdotium gessisset, ii in illius locum succedebant. Serv. in Æneid. II. *Aut cujus majores sacerdotes fuissent, quibus in sacris quoque succedebatur.* De Thiamide hoc idem Heliod. I. p. 60. *Ego, ut scitis, cum essem filius Memphitici antistitis privatus dignitate sacerdotii, quam frater natu minor post patris obitum mihi contra leges eripuit.* Guther. de Jur. Pontif. I. 7. Male. Verborum hic ordo est; *cum Fontejo Onesimo filio posuit signum, & basin sacrorum*, subaudi *causa*. Patres sacrorum noti sunt ex Tertulliano, & inscriptionibus, sed *filios* sacrorum ignorarunt tam Græci, & Latini, quam aliæ, ut reor, gentes. In Græca vero:

ΑΝΕΚΚΛΗΤΟϹ ΞΥϹΤΑΡΧΗΣ ΔΙΑ ΒΙΟΥ Ο ΥΟΣ.

nullum video *filium* sacrorum, sed M. Aurelium Asclepiadem reperio *filium* Demetrii Hermapolitæ Alexandrini, uti etiam clarissime patet ex insigni illo marmore Farnesiano, quod in Grutero est primum p. 314. eidem Aurelio Asclepiadi dedicatum. Fuisse apud nonnullas gentes sacerdotia, in quibus *filii* successerint parentibus, nemo ignorat, sed ii non dicebantur sacrorum, sed sacerdotum, aut prophetarum *filii*. Græv. Thes. Antiq. Roman. Tom. V. * * 2. vers.

Filii senatorum erant equites. Hoc moris fuisse scribit Isidorus: *ut quamvis quis senatoria origine esset, tamen usque ad legitimos annos eques Romanus esset: deinde ordinem senatorium iniret.* Itaque & Pompejus Magnus Pompeji Strabonis viri consularis, ac triumphalis *filius* eques tamen Romanus fuit. Atque equestris ordinis homines sæpe senatorum *filios* apud Livium fuisse animadvertimus. *Sigon. de Ant. jur. civ. Rom.* II. 3. *Zamosc. de Senat. Rom.* I. 7. Prætextati cum patribus in senatum veniebant. Docet hoc historia de Papirio Prætextato scripta a Catone in invectiva ad milites contra Galbam, quam a clade totius orationis, & cæterorum autoris ejusdem librorum eripuit Gell. I. 23. Sed addit ob intemperiem matris Papirii, & aliarum mulierum factum esse, ut senatus decerneret, ne ingrederentur in posterum. Institutum hoc Augustus revocavit, *& liberis senatorum, quo Reipublicæ celerius assuescerent, protinus virilem togam, latumque clavum induere, & curiæ interesse permisit* teste Suet. c. 38. n. 2. *Zamosc. de Senat. Roman.* II. 2.

*Filius*familias ex consensu patris testamenti factionem non habebat, ne faciendo testamento emancipatus videretur, cum solummodo penes illos sit faciendi testamenti potestas, qui sui juris sunt. Idem tamen causa mortis permissu patris donabat, quod donationes, venditiones, aliaque hujusmodi etiam servis, nedum *filiisfamilias*, ex consensu dominorum indulgeri soleant, eo quod hujusmodi actus nullum certum signum emancipationis ostendant, sed quasi procuratoriam administrationem præ se ferant. *Nann. Miscell.* X. 5. Non tantum semel, sed tertio, a patre vendi poterat non tantum cœlebs, sed etiam

nuptiis

nuptiis copulatus. Venditus enim a patre, si benignitate fortunæ libertatem recuperasset, iterum redigebatur sub patris potestatem. A quo denuo venditus, atque iterum sui juris factus, quasi duabus venditionibus nihil actum esset, tertio subjiciebatur patris sui dominio, a quo si tum quoque venalis habitus fuisset, & ab emptore tertio emeruisset libertatem, tum denique asserebatur a patris tyrannide. Dionys. II. p. 97. *Neque vero hac licentia contentus Romulus, potestatem etiam filiorum vendendorum patribus usque ad tertiam auctionem concessit: quæ potestas multo major est, quam domini in servum. Nam servus a domino venundatus recepta libertate liber est, filius iterum atque iterum in potestatem patris revertitur: post tertiam vero venditionem, si se in libertatem vindicavit, e patris potestate egreditur.* Numa Pompilius, ut addit Dionys. p. 98. hanc ad legem Romuli exceptionem adjecit: *Si pater filio concesserit uxorem ducere, quacum sacra & bona juxta leges communicet, patri posthac nullum jus fore vendendi filium.* Idem Justinian. in titulis. *Filius ter mancipatur, ter manumissus sui juris fit. Idem enim lex jubet* XII. *tabularum his verbis: si pater filium ter venundavit, filius a patre liber esto.* Sigon. de Ant. jur. civ. Rom. I. 10. Nann. l. l. Duravit ista immanitas usque ad tempora Theodosii, qui primus istiusmodi venditiones irritas esse voluit, quod in codice Theodosiano clare deprehenditur. Cæterum in ultima venditione licebat patri stipulari a filio tertiam partem bonorum, quæ emancipatus acquisiturus esset. Atque illud tam sævum jus Justinianus mitigavit, non sustulit, permittens patri pacisci dimidiam partem ad usumfructum, proprietatis jure exstincto Instit. II. 9. *Nann. l. l.* tanquam votivus diis offerebatur. Claud. Conf. Honor. IV. 158.

Uberibus sanctis, immortalique deorum
Crescis adoratus gremio.

Deorum habitu vestiebatur, ut tutelam deorum mereretur. Ita puer ille apud Herodianum, qui libellum, in quo cædes præscribebantur a Commodo, revelavit, Amoris habitu comparuit. *Tomas. de Donar. c.* 10. Si peregre diem suum clausisset; ut raptus, more Cereris a parentibus quasi quærebatur, humique mandabatur. Tradunt enim Varro & Verrius Flaccus apud Serv. Æneid. XI. 143. *Si filiusfamilias extra Urbem decessisset, libertos, amicosque obviam processisse, & sub noctem corpus in Urbem illatum in Cereris, facibus quoniam,* id est, postea, *prælucentibus, ad cujus exsequias nemo rogabatur.* Ritus hic obscuritatem forte aliquam habet, cujus ego hanc rationem puto, quod Proserpinam raptam cum lampadibus Ceres mater luctu perdita quæsiisse narratur. Hæc enim, ut Claud. de Rapt. Proserp. III. 441.

—— pleno rimatur lumine campos,
Inclinatque faces.

Guther. de Jur. Man. I. 7. Luci claro parenti oculos claudere prohibebatur; sed hoc velis lecti obductis faciebat, magna pietatis ratione, quæ liberorum oculos a parentum funere quantum potuit avertebat. De hoc liberorum officio, quod ab omnibus illis simul peragebatur, Mart. X. 63.

Quinque dedit pueros, totidem mihi Juno puellas,
Clauserunt omnes lumina nostra manus.

Guther. ibid. c. 12. Kirchm. de Fun. Rom. I. 6. Meurs. de Fun. c. 3. Schott. in Senec. Contr. p. 640. Illum velato capite efferebat. V. supr. in *Filia.* Elatum pro Rostris laudabat. V. infr. in *Laudatio.*

Fliorum illegitimorum duo principaliter genera jure nostro tradita leguntur. Alterum eorum, qui patrem, matremve alienigenas habuissent, id est, non cives Romanos; nam cum inter exteros, & cives Romanos justum connubii jus non esset, si qui inde nascebantur liberi, sub potestate patris non erant, sed illegitimi censebantur. Cicer. Topic. c. 4. *Si mulier cum fuisset nupta cum eo, cum quo connubium non esset, nuntium remisit, quoniam qui nati sunt, patrem non sequuntur, pro liberis manere nihil oportet.* Liv. XLIII. 3. *Alia novi generis hominum ex Hispania legatio venit ex militibus Romanis, & ex Hispanis mulieribus, cum quibus connubium non esset, natos se memorantes supra quatuor millia hominum, orabant, ut sibi oppidum, in quo habitarent, daretur. Senatus decrevit Latinam eam coloniam esse, libertinorumque appellari.* Hoc in numero & plerique nati ex servis comprehendi possunt. Alterum illorum, qui de Romanis quidem civibus nati erant, parentes tamen eorum secundum legum præcepta non coierunt. Id variis de causis poterat contingere, seu quia cum ea muliere juncti essent, cum qua non licebat, seu quia citra matrimonii consensum, seu quia iis non servatis quæ necessaria erant, seu aliis, atque aliis modis, qui infiniti sunt. Gloss. §. illud in fin. Instit. de nupt. Generaliter ergo constituendum erit, ubicumque patrum conjunctio aut uxoria, aut concubinaria non fuit, illegitimos semper *filios* oriri, quocunque dein alio modo fuerint concepti. Et hæc ipsa copulatio, quæ tales illegitime natos edit, lato nomine fornicatio dici jure nostro videtur c. lex. 36. q. 1. sicuti & ipsi late illegitimi appellantur. Veruntamen quoniam hic concubitus, unde tales illegitimi procreantur, varii esse possunt, propterea & variæ illegitimorum species in jure traduntur, prout multiplices illecebræ eæ esse solent, quæ parentes ad eam illicitam conjunctionem ineundam deducere potuerunt. Sunt enim spurii, vulgo concepti, varii, manzeres, incestuosi, nefarii, adulterini, sacrilegi, nothi, hybridæ, & bastardi, omnes inter illegitimos enumerati. *Palæot. de Noth. & Spur. c.* 3. §. 5. *c.* 16. §. 1. & 2. *Heuter. de Liber. homin. nativ. c.* 7. §. 3. V. singulos suis locis. Naturales sunt medii inter legitimos, & illegitimos, eoque nomine, quod illis nudum a legibus relictum est, etiam nunc appellantur, dicunturque, quasi secundum jus naturale editi, nullo juris adminiculo muniti §. natura. Auth. quib. mod. nat. Sed dicat fortasse quis, cur non ii legitimi vocantur, si sola natura dictante juxta primævum statum orti sunt? arg. c. si 32. q. 4. Ego arbitror a legibus quid plus in matrimonio præter naturalem procreandi appetitum consideratum fuisse l. si adversus C. de crim. expil. hær. nempe arctius quoddam vinculum, quo conjuges inter se animo, & corpore perpetuo colligarentur, rerumque omnium inter se socii redderentur. Auth. quib. mod. nat. leg. in princ. Verbum ipsum, ut ICtis quam maxime in usu, ita apud bonos, & Latinos auctores alio potius sensu usurpatum. Cicer. Phil. III. 6. *Cujus naturalis pater, si vita suppeditasset, consul factus esset.* Suet. Tib. c. 52. n. 1. *Filiorum neque naturalem Drusum, neque adoptivum Germanicum patria caritate dilexit.* Quo modo & ICti elegantissime quandoque usi sunt l. 1. in prin. de bon. poss. cont. tab. & Instit. de nupt. §. sed hodie. *Palæot. ibid. C.* §. 1. & 2. *c.* 18. §. 1. & 2. *Heuter. ibid. c.* 6. *n.* 5.

FIM.

FIMBRIÆ in extrema vestimentorum parte fila fuerunt, floccique dependentes, quas nos *frangias* appellamus; item ipsa vestium extremitas, minutim concisa capitibus in acutum desinentibus ad instar pinnarum, quos ideo *merlos* dicimus. Cicer. in Pison. c. 11. *Madentes cincinnorum fimbriæ.* Capilli enim ferro vibrati, & in cincinnos torti, in extremitate cum solvuntur, *fimbrias* referunt. Ammian. XIV. 6. *Ut longiores fimbriæ tunicæ perspicua luceant varietate.* . . . . Suet. Jul. c. 45. n. 5. V. illum supr. in *Clavus latus.* Juven. Sat. VIII. 207.

Credamus tunicæ, de faucibus aurea cum se
Porrigat.

Potentiores, & nobiliores in *tunicis* aurea segmenta gestarunt; & ideo ait poeta Gracchum in arena pugnantem esse nobilissimum credamus tunicæ ad fauces ornatæ. Non vestibus modo, sed & stragulis, mappisque addebantur. Inter signa letalia recenset Plin. VII. 51. *Fimbriarum curam, & stragulæ vestis plicaturas.* Trimalcionem discumbere commodum incipientem describit Petron. c. 32. *Pallio coccino adrasum incluserat caput, circaque onerosas veste cer-*

vices

vices laticlaviam immiſerat mappam fimbriis hinc atque illinc dependentibus. Ferrar. de Re veſt. II. I. 19: I. 3. 15. Salmaſ. in Capitol. Pertin. c. 8.

FIN.

FINES templares dicuntur, qui in quadrifinio poſiti poſſeſſionibus *finem* faciebant. Var. auct. de Limit. p. 295. *Fines templares ſic quæri debent: ut ſi in quadrifinio eſt poſitus, & quatuor poſſeſſionibus finem faciet, quatuor aras quæris, & ædis quatuor ingreſſus habet.* . . . . Guther. de Vet. Jur. Pontif. III. 5.

FINITORES dicuntur agrimenſores agrorum; quia *finium* agrorum rectores. *Urſat. de Not. Rom. Theſ. Antiq. Rom. Græv. Tom.* XI. *p.* 724. *B.*

FIS.

FISCELLA eſt fiſcina, aut corbis, e funiculis, aut viminibus reticulatim plexa, qua occludebant ora bovibus, ne inter arandum herbas, aut pabulum poſſent invadere. Cato de Re Ruſt. c. 54. *Fiſcellas habere oportet, ne herbam ſectentur boves, cum arabunt.* Scheffer. de Re Vehic. I. 13. Voſſ. Lex Etymol.

Fiſcella eſt quoque *vas vimineum, gracile forma, ubi caſeus exprimitur.* Papias in Gloſſario. Sæpe ita utitur Columella. Τάλαρος Græcis dicitur talis *fiſcella*, qualis caſeis ſiccandis utilis. Pollux VII. 33. 10. Τάλαρος, τυροκομεῖα. *Fiſcella, caſeorum inſtrumenta. Sic enim appellatur fiſcella, in qua caſeus recens coagulatur.* Barth. Adv. XXXVI. 23. Popm. de Inſtrum. fund. p. 34. Gebhard. Tib. II. 3. 15.

FISCUS quid ſit, docet Aſcon. in Cicer. p. 50. *Fiſci, fiſcinæ, fiſcellæ, ſpartea ſunt utenſilia ad majoris ſummæ pecunias capiendas. Unde quia major eſt ſumma pecuniæ publicæ, quam privatæ, ut pro cenſu privato loculos, & arcam, & ſacellos dicimus, ſic pro publico theſauro ærario dicitur fiſcus.* Ærarium & *fiſcus* ſic olim diſtinguebantur, ut ærarium populi, *fiſcus* principis diceretur. Plin. Pan. c. 36. n. 3. *At non eadem fortaſſe ſeveritate fiſcum, qua ærarium cohibes: imo tanto majore, quanto plus tibi licere de tuo, quam de publico credis.* Tacit. Annal. VI. 2. I. *Bona Sejani ablata ærario, ut in fiſcum cogerentur.* Suet. Aug. c. 102. n. 7. *Quantum pecuniæ in ærario & fiſcis, & vectigaliorum reſiduis.* Donat. Dilucid. p. 130. Demſter. Paral. ad Ant. Rom. Roſin. VII. 36. Rittersh. in Salvian. p. 64. Guther. de vet. jur. pontif. II. 12. Rævard. Var. IV. 4. Volaterr. Comment. Urban. XXIX. p. 1100. F. Franckenſtein de Ærar. pop. Rom. c. 2. Coraſ. Miſc. jur. civ. VI. 19. Bud. in Pandect. p. 81. I. Laz. Comm. Reip. Rom. II. 10. Rhodig. Ant. Lect. X. 2. XXIX. 6. Cellar. in Plinium. Pitiſc. in Suet. Aug. c. 15. n. 3. Sed hoc ſucceſſu temporis immutatum eſt, & promiſcue uſurpatum. Spartian. Adrian. c. 7. *Damnatorum bona in fiſcum privatum redigi vetuit, omni ſumma in ærario publico recepta.* Sic Dio, aliique ſcriptores Græci τὸ βασιλικὸν τῷ δημοσίῳ opponunt, privatum nempe ærarium publico. Gloſſæ: Ταμεῖον, *fiſcus: ærarium.* Caſaub. & Salmaſ. in Spartianum, Cujac. Obſerv. XXI. II Guther. de Offic. dom. Aug. III. 31. Coraſ. Franckenſtein & Donat. l. l.

Fiſcus Judaicus erat tributum, quod Judæi omnes, qui in imperio Romano erant, debebant ſolvere: Dio LXVI. p. 748. C. *Ex eo conſtitutum eſt, ut Judæi, qui patrios ritus ſervare vellent, didrachmum quotannis Jovi Capitolino inferrent.* De illo Appian. Syr. p. 119. *Quamobrem graviora ſunt Judæis tributa, quæ in ſingula capita, quam quæ pro cenſu conferunt.* Et Suet. Dom. c. 12. n. 5. *Præter cæteros Judaicus fiſcus acerbiſſime actus eſt: ad quem deferebantur, qui vel improfeſſi Judaicam intra Urbem viverent vitam, vel diſſimulata origine impoſita genti tributa non pependiſſent.* Turneb. Adv. XXII. 16. Baron. ad ann. a D. Chriſto 94. Franckenſtein de Ærar. pop. Rom. c. 10. Caſaub. & Pitiſc. in Suetonium.

Fiſcus Pontificum erat proprie illa pecunia, quæ pœnæ nomine arcæ Pontificum inferebatur. Vetus lapis:

AVIDIA. MAXIMA
DOMUM ÆTERNAM. V. S. P.
SI. QUIS. ALIUD. CORPUS
SUPERPOS. DET. FISCO. P.
CCC. M. N.

Hunc intelligit Hadrianus in reſcripto l. 3. §. 5. ff. de ſepul. viol. *D. Hadrianus pœnam ſtatuit quadraginta aureorum in eos, qui in civitate ſepeliunt, quam fiſco inferri juſſit.* Guther. de vet. jur. pontif. II. 12.

FISSICULATIO veteribus dicta eſt apertio viſcerum & extiſpicina. V. illam ſupr. in *Exta.* Ut credo, *fiſſiculare* idem eſt ac *fiſſuris* exta diſtinguere, nempe ante extiſpicium. *Florid. in Apulejum.*

FISSUM jecoris dicitur, cum in duo capita jecur finditur, quorum aliud domeſticum, & vitale: aliud hoſtile, per lineam quandam, quæ jecur & fibras interſecat. Cicer. de Divin. I. 10. *Quid fiſſum in extis, quid fibra valeat.* de Nat. deor. III. 6. *Quis invenit fiſſum jecoris?* de Divin. II. 13. *Fiſſum familiare & vitale tractant.* Buleng. de Sort. c. 7. Briſſon. de Form. I. p. 21. Salmaſ. Exerc. Plin. p. 91. a. G. Rhodig. Ant. Lect. IV. 17. Turneb. Adv. V. 18. Delrio in Senec. Oedip. II. 363.

FISTUCA eſt inſtrumentum ligneum, anſatum, & ferratum, quod vel ſuſpenſum funibus, trochleiſque a tignis demittitur ſupra directos palos, ut crebris ictibus inculcentur & figantur: vel anſis manibus comprehenſum extollitur, ut pali ſublicæque ea machina adigantur. Cæſ. de Bell. Gall. IV. 17. 4. *Hæc cum machinationibus immiſſa in flumen defixerat, fiſtucisque adegerat.* Etiam pavitores *fiſtuca* utuntur, cum locus, aut omnis, aut ex parte congeſtitius fuerit. Vitruv. VII. I. *Sin autem omnis, aut ex parte congeſtitius fuerit, fiſtucationibus cum magna cura ſolidetur.* Barbar. ad Vitruv. III. 3. Philand. ibid. & X. 3. Bud. in Pandect. p. 149. E. Bergier. de viis Milit. II. 15. 3. & ad illum Henninius. Guther. de jur. man. III. 15. Baldus Lex. Vitruv.

FISTULA proprie dicitur, per quam aqua fuſa educitur. Ulpian. l. 47. ff. de Contrah. empt. *Si aquæductus debeatur prædio: & jus aquæ tranſit ad emptorem: etiam ſi nihil dictum ſit: ſicut & ipſæ fiſtulæ, per quas aqua ducitur.* l. 49. *Et quanquam jus aquæ non ſequatur, quod amiſſum eſt: attamen fiſtulæ & canales, dum ſibi ſequuntur, quaſi pars ædium ad emptorem perveniunt.* Laurent. de Præcon. & Fiſt. c. 3. V. & ſupr. in *Caſtellum.* Talem foſſores, cum cloacas repurgarent, repererunt non longe a Pantheo Agrippæ, & in ea fuſilibus literis erat inſcriptum: TEMPLO MATIDIÆ. Inventa eſt illa in latere ſiniſteriore templi, & in dextero immanis alia e plumbo inventa eſt, quinquaginta palmos ſub terra defoſſa, lato, hiantique, qualis majorum bombardarum extrinſecus ſolet eſſe, tubo, nec omni ex parte tereti, ac rotundo, ſed paullum acuminato, ut latius, qua fluebat in imo aqua, ſpatium eſſet. *Donat. de Urb. Rom* III. 18.

Fiſtula, inſtrumentum muſicum, differt a calamo. Calami enim plane rudes, & agreſtes fuere, in *fiſtula* paullo amplius artis fuit. Virg. Ecl. II. 36.

Eſt mihi diſparibus ſeptem compacta cicutis
Fiſtula.

Theocr. Eidyll. V. 5.

Quando poſſediſti fiſtulam? quid? annon cum Corydone
Tibi ſatis fuit culmo, quæ tua tibia eſt, ſibilare?

Quæ ita vertit Virg. Ecl. III. 25.

—— aut unquam tibi fiſtula cera
Juncta fuit? non tu in triviis indocte ſolebas
Stridenti miſerum ſtipula diſperdere carmen?

Buleng. de Theatr. II. 23. Differt a tibia. *Fiſtulam* Pan invenit, ut ſtatim dicetur, tibiam Minerva. Differentia deſumitur ex modo, ſive arte, qua ex utraque ſonus elicitur. Tibia unica arundine conſtabat, ſed pluribus in locis perforata, ideoque opus fuit apto digitorum regimine,

mine, ut reliquis omnibus clauſis, per unum aliquod, pro libitu, foramen emiſſus rediret inflatus ſpiritus. Sed in *fiſtula*, quam plures arundines componebant, & omnes ſine ullo foramine, niſi quod ex ore ſpiritum exciperet, debuit idem efficere ea ſolum arundine inflata, quam ſonum reddere poſtulavit ratio harmoniæ, mox aliis eodem modo oris ſpiritu impletis. Quod ſane ingens artificium arguit, veteres eadem celeritate, atque dexteritate potuiſſe diſtantia tubulorum ora labiis percurrere, & ſpiritu implere in *fiſtula*, ac in tibiæ foramina digitis obturata levi eorum motu aperire, vel claudere. Tatius de Amor. Clitoph. & Leucipp. VIII. p. 476. *Barthol. de Tib. vet.* III. 6. *Cerda in Virg. Ecl.* II. 30. *Laurent. de Fiſtul. c.* 3. *Buleng. l. l.* Quod qua ratione, quave celeritate veteres potuerint, mihi haud ſatis conſtat. *Scalig. Poet.* I. 4. Nihilominus certum eſt *fiſtulæ* modulamen non alia lege conſtitiſſe, quam tali oris labiorumque per omnes arundines curſu, atque recurſu, quem quam prompte exſecuti ſint teſtatur Claud. Epithal. Pallad. & Celer. n. 34.

—— platano namque ille ſub alta
Fuſus inæquales cera texebat avenas,
Mænaliosque modos, & paſtoralia labris
Murmura tentabat relegens, orisque recurſu
Diſſimilem tenui variabat arundine ventum.

Materia fuit maxime arundinea. Calpurn. Ecl. I. 17.

Nec tibi deſuerit mea fiſtula: quam mihi nuper
Matura docilis compegit arundine Lydon.

Aut e cicutis petita. Calpurn. Ecl. IV. 21.

---- levibus quem ſæpe cicutis
Ludere conantem vetuiſti fronte paterna.

Ad hanc *fiſtulæ* materiam alludit Sidon. Carm. II. 15.

Alta cicuticines liquerunt Mænala Panes.

Nec minus ad *fiſtulam* uſitatus fuit ſtipes avenaceus. Val. Flacc. IV. 384.

Cum ſubito Arcadio ſonuit cava fiſtula ritu;
Imperiumque patris celerans Cyllenius ales
Advenit: & leni modulatur carmen avena.

Barthol. l. l. *Fiſtula* unius calami σῦριγξ μονοκάλαμος, Heſychio ἴυγξ appellatur. Etenim ab initio ſingulares fuere tubuli, mox bini cohærentes. Qui numerus poſtremo crevit ad ſeptenos uſque, magnitudine omnes inter ſe impares, ſed proportione certa. In ſummo qua inflabantur, æquales erant, inæquales, ſed æqualiter, qua exit ſpiritus. Ovid. Met. II. 682.

---- diſpar ſeptenis fiſtula cannis,

Virgilius modo laudatus. *Bartholin. Scalig. Laurent. l. l. Turneb. Adv.* XII. 7. *Stat. Obſerv.* I. 6. Connexionis modum ſecundum æqualem exceſſum diſpoſitis calamis, & rationem concentus, qui ex illa proportione ſequebatur, omnibus aliis melius illuſtrat Ach. Tatius ibid. p. 474. *Fiſtula*, inquit, *pluribus e tibiis compacta eſt: quæ ſingulæ ex ſingulis arundinibus conſtant. Atque arundines ipſæ omnes, perinde ac tibia una ſonum edunt: inter ſeque ita collocatæ ſunt, ut altera alteri ordinatim adhæreat. Facies anterior poſteriori ſimilis habetur. Quoniam autem arundinum aliam alia excedit, illud ſcire oportet, altero ex capite quanto primam ſecunda ſuperat, tanto ſecundam a tertia ſuperari, cæteraſque deinceps proportionem eandem ſequi. Ex altero autem capite æquales illas inter ſe omnes eſſe: quæ omnium media eſt, ea longiore dimidio minor eſt. Eo autem ordine diſpoſitæ arundines fuerunt, ut æqualis effici concentus poſſet. Nam cum acutiſſimus ſonus in ſublime admodum feratur, graviſſimus autem contra deprimatur, amboque extremas arundines, alter alteram ſcilicet ſortiti ſint, interjacentes alias, quæ vocum intervalla moderarentur, conſtitui neceſſe fuit. Illæ enim ſonos impares, ſed tamen pro rata portione diſtinctos nactæ, acutaque cum gravitate temperantes in cauſa ſunt, ut extremæ inter ſe congruant ſic, ut æqualis demum concentus efficiatur.* Barthol. l. l. Cera calami jungebantur. V. ſupr. in *Cera*. *Inventam quidam putant a Mercurio: alii a Fauno, quem Græci vocant Pana. Nonnulli ab Idi paſtore Agrigentino ex Sicilia.* Ideo Fauno ſuſpenſa. V. infr. in *Paſtores*. Pendebat paſtoribus de collo. Virg. Æneid. III. 661.

Solamenque mali de collo fiſtula pendet.

Manil. V. 116.

Paſtoremque ſuum generant, cui fiſtula collo
Hæreat.

Turneb. Adv. XXVIII. 15. Laurent. l. l. Inter paſtores videtur moris fuiſſe, ut *fiſtulam* ſuam, qua canere ſoliti fuerant, alicui ex maxime familiaribus, atque amiciſſimis in morte dono darent. Corydon ſe a moriente Damæta *fiſtulam* accepiſſe jactat apud Virg. Ecl. II. 37.

Fiſtula, Damætas dono mihi quam dedit olim,
Et dixit moriens, te nunc habet iſta ſecundum.

Long. Paſtor. I. p. 24. *Dono tibi & fiſtulam illam, qua contendens multos ſuperavi bubulcos, ac caprarios. Tu vero pro hiſce etiamnum ſuperſtitem oſculo dignare, mortuumque deplora.* Propterea forſan, quia magno in pretio ſemper atque ſemper magiſtris pecorum fuit, quaque præ cæteris maxime rudior illa ætas, utpote Panis ſui præſidis invento, delectabatur. *Moll. in Longum p.* 29. *b.*

Fiſtulæ in imo, & ſummo amphitheatro erant diſpoſitæ, ea arte, & fine, ut odoratum quemdam humorem ejacularentur leviter, & inſpergerent in ſedentes. V. illas ſupr. in *Crocus*.

FLA.

FLABELLUM ventulo faciendo antiquis fuit in uſu. Terent. Eun. III. 5. 47.

Cape hoc flabellum, & ventulum huic ſic facito.

Lecti veterum non erant vulgo, ut noſtri, pannis oppanſis clauſi: ideo moris fuit ditioribus, ut quando meridianum ſomnum maxime captarent, aſtans aliquis ventulum faceret: ſimul refrigerandi cauſa, & muſcarum, ac culicum abigendorum. Nonnus ſæpe in Dionyſiacis. Elegantiorum erant pavonina. Prop. II. 18. 59.

Et modo pavonis caudæ flabella ſuperbi.

Mart. XIV. 67. V. illum infr. in *Muſca*. & Claud. in Eutrop. I. 108. mox laudandus. Ut plurimum erant e pannis inter ſe colligatis in unum faſciculum: Quare Eurip. Oreſt. n. 438. appellat *faſcem plumeum bene compactum*, & notat morem eſſe barbaricum a Phrygia ad Græcos allatum. *Caſaub. in Suet. Auguſt. c.* 82. *n.* 2. *Urſin. Append. ad Ciaccon. de Triclin. p.* 274. *Bochart. Hieroz.* II. 2. 16. *Pignor. de Serv. p.* 422. *Laurent. de Præcon. & Fiſtul. c.* 4. Æſtivo tempore etiam in circo adhibebatur. Ovid. Amor. III. 2. 37.

Vis tamen interea tenues arceſſere ventos,
Quos faciant noſtra mota flabella manu.

Et de circo loquens de Art. amand. I. 161.

Profuit & tenues ventos moviſſe flabello.

Hoc, prout quis alicui factioni favebat, colorem aſſumebat. Juven. Sat. IX. 50.

En, cui tu viridem umbellam.

Argol. in Panvin. de Lud. Circenſ. II. 16. Etiam virginibus mollioribus per urbem incedentibus ſervi cum *flabellis*, & umbellis latus cingebant, ne ſol teneram cutem læderet. Dionyſ. VII. p. 424. *In ludum ſaltatorium, & ad tibicines, aliosque muſicarum illecebrarum artifices comitabantur eos pædagogæ mulieres cum umbellis, & flabellis.* Claud. ibid. n. 463.

---- flabella peroſi
Aſpirant trabeis: jam non umbracula geſtant
Virginibus. Latias auſi vibrare ſecures.

Cauſaub. l. l. Adhibebatur etiam in tricliniis, & illo pueri muſcas abigebant. V. infr. in *Muſca*. Sed vilis menſarum uſus non fuit diuturnus; ſed habitus deinceps ſuus pavonibus honos prior. Claud. in Eutrop. I. 108.

Et cum se rapida fessam projecerat æstu;
Patricius roseis pavonum ventilat alis.

Brouckh. in Propertium. Lindenbr. in Ammianum.

FLACCUS fuit cognomen usitatissimum apud Romanos, & commune Avianis, Aviliis, Calpurniis, Flaviis, Fulviis, Turiis, Horatiis, Hordeoniis, Pomponiis, & Verriis. *Glandorp. Cognom. Indic. Ursat. de Not. Roman. Thes. Antiq. Rom. Grav. Tom.* XI. *p.* 720. *C.* Plin. XI. 37. *Aures homini tantum immobiles. Ab iis Flaccorum cognomina.* Sigon. de Nom. Roman. c. 5. *Flaccorum* I. fuit M. Fulvius Q. F. M. N. consul anno primo belli Punici I. post Urbem conditam 489. cum Appio Claudio Codice. Triumphum egit de Vulsinensibus Kal. Nov. Magister equitum T. Coruncanio dictatore an. 507. II. hujus filius Q. Fulvius M. F. Q. N. quater consul, dictator, censor, magister equitum, & triumphalis princeps hujus gentis fuit. Primum consulatum egit nono post superioris dictaturam anno cum L. Cornelio Lentulo Caudino, in eo de Liguribus triumphavit. Censor cum T. Manlio Torquato an. 522. Vitio tamen facti abdicarunt. Iterum consul post septem annos cum eodem Torquato II. etiam consule. Magister equitum an. 540. dictatore C. Claudio Centhone comitiorum causa. His comitiis consul III. designatus est cum Appio Claudio Pulcro. Dictator comitiorum causa biennio post consulatum, & his comitiis IV. consul designatur cum Q. Fabio Maximo Verrucosso V. consule. III. Hujus tres filii fuisse dicuntur Q. & L. *Flacci*, tertius datus est in adoptionem L. Manlio Acidino. Duo fratres tum primum consules eodem anno fuerunt Q. Fulvius Q. F. M. N. *Flaccus*, & L. Manlius L. F. L. N. Acidinus Fulvianus an. 574. Ambo ante consulatum triumpharunt, Fulvius anno proximo consul designatus, proprætore ex Hispania citeriore, Fulvianus an. 568. proprætore ex eadem provincia rediit ovans. Iterum in consulatu Fulvius de Liguribus triumphavit. Censor postea an. 579. cum A. Postumio Albino. IV. Q. *Flaccus* Cn. F. M. N. qui consul suffectus fuit in locum C. Calpurnii Pisonis vitrici sui, qui in magistratu mortuus est an. 573. V. Ser. *Flaccus*, cujus parentes ignoramus, consul fuit cum Q. Calpurnio Pisone an. 618. triumphum de Vardeis egit ex Illyrico. VI. C. *Flaccus* anno proximo fuit collega P. Scipionis Africani Æmiliani in secundo consulatu. Hujus etiam parentes ignorantur. VII. M. *Flaccus* M. F. Q. N. consul an. 628. cum M. Plautio Hupsaeo. Biennio post proconsul de Liguribus, Vocontieis, Salluvieisque triumphavit. Cum M. *Flacco* prætore filio, alioque prætextato an. 632. occisus est cum C. Graccho tribuno plebis a L. Opimio consule. *Strein. & August. de Famil. Roman. in Fulvia. Glandorp. Onomast. Roman. pag.* 352.

FLAGELLATIO erat gravior fustigatione. Macer l. in servorum ff. de pœnis. V. illum infr. in *Verbera*. Guther. de vet. jur. pont. II. 2. Salmas. in Lamprid. Alex. Sever. c. 51. Adhibebatur ante fixionem, & raro in crucem dati, nisi sic purpurati. Liv. XXXIV. 26. *Multi occisi, multi capti, alii verberati crucibus affixi.* Joseph. Excid. V. 32. *Flagellati & præcruciati ante mortem omne genus verberibus, crucifigebantur.* Curt. VII. 7. 28. *Quos omnes verberibus affectos sub ipsis radicibus petræ crucibus jussit affigi.* Lips. de Cruc. II. 2. Lyd. Flor. Spars. ad pass. D. Jesu p. 140. & 174. Laurent. de Rebuspubl. c. 5. Pitisc. in Curtium. Non tamen uno semper loco, aut tempore. Aut enim ante deductionem utebantur, idque domi, aut in prætorio, quod in Servatore factum: aut in ipsa deductione, per viam, quod moris fuit magis prisci. Si domi, ligabant interdum ad columnam. Artemidorus, ubi somnium narrat servi, qui visus sibi est ab hero *deglubi & turpiter tangi*, addit: *columnæ alligatus, multas accepit plagas.* Euseb. Hist. Eccl. VIII. 10. *Alii ad columnas vultibus in se adversis adstringebantur*, qui de *flagellatione* sentit. Et hoc de Servatore nostro, cum ritus quoque prisci attestatione, Prudent. Enchir. 41. 1.

Vinctus in his dominus stetit ædibus, atque columnæ
Annexus tergum dedit, ut servile, flagellis.

Hieron. Epist. ad Eustoch. *Ostendebatur illi*, Paullæ, *columna, ecclesiæ porticum sustinens infecta cruore Domini, ad quam vinctus dicitur, & flagellatus.* Lips. ibid. c. 4. sub furca cæsi per viam ducebantur Liv. II. 36. *Servum quidam paterfamiliæ, nondum commisso spectaculo, sub furca cæsum medio egerat circo.* Cicer. de Divin. I. 26. *Servus per circum, cum virgis cæderetur, furcam ferens ductus est.* Dionysius. V. illum infr. in *Furca*. Nomen patrisfamiliæ etiam exprimit Lactant. II. 8. *Antonius Maximus*, potius *Autronius* ex Macrob. Sat. I. 10. *diverberatum servum sub furca medio circo ad supplicium egerat.* Lips. ibid. III. 3. Laurent. de Torment. c. 7.

FLAGELLORUM nomine etiam virgæ intelliguntur, & virgarum *flagella*. Nam in arboribus & vitibus etiam *flagella* vocantur exiles, & tenues virgæ, quæ in summitate lasciviunt. *Salmas. in Lamprid. Alex. Sever. c.* 51. Cruci affigendi interdum virgis, interdum *flagellis* cædebantur. Discrimen esse scimus, & quia virgæ honestiores, inhonestissimo huic supplicio attributa *flagella*. Cicer. pro Rab. perd. c. 3. *Porcia lex virgas ab omnium civium corpore amovit; hic misericors flagella retulit.* Quomodo retulit? una cum cruce scilicet, cui hæc adjuncta. Itaque proprie servorum. Ab hac nota servilem conditionem Menæ approbat Horat. Epod. IV. 11.

Sectus flagellis hic triumviralibus
Præconis ad fastidium.

Significat a triumviris cæsum *flagris* publice, idque sub præconis voce. V. Macrum infr. in *Verbera*. Erant hæc aspera, adeo ut Ulpian. l. 8. de pœnis scripserit, *ministrorum immanitate multos sub ejusmodi flagellis interisse.* Unde *horribile flagellum* dicit Horat. Sat. I. 3. 119.

Nec scutica dignum, horribili sectere flagello.

Eo magis, cum ea insitis talis, aut ossiculis exasperabant; Eustathius: *Flagra talaria, quæ talis insertis, involutisque confecta sunt.* Apulejus agnoscit, & scite appellat Met. VIII. p. 264. *pecuinis ossibus catenatum.* Idem Gallis matris deûm adscribit ibid. p. 261. *Arrepto flagro, quod semiviris illis proprium gestamen est, contortis tæniis lanosi velleris prolixe fimbriatum, & multijugis talis ovium tessellatum, indidem sese multimodis commulcant ictibus.* Lips. de Cruc. II. 2. Barthol. de Cruc. c. 12. *Flagello* in circo equos accendebant agitatores. Homer. Iliad. Ψ.

Illi autem omnes super equos flagella sustulerunt,
Et loris cædebant voce animantes cum impetu,
Illi autem velociter per campum currebant.

Videres eos pronos, & anhelantes in ipsa juga pendere; aut in axes ipsos referri, ut cursum equorum adjuvent, Sidon. c. XXIII. n. 350.

Instant verberibus simul regentes,
Jamque & pectora prona de covino
Extensi rapiuntur, & jugales
Trans armos feriunt vacante tergo,
Nec cernas cito cernuos magistros,
Temones mage sufferunt in axes.

Qui sine *flagello* agerent equos & vincerent, eorum illustrior victoria fuit. In veteri lapide Diocles cum sine *flagello* vicisset, inter miliarios agitatores primum locum obtinuit. *Buleng. de Circ. c.* 27.

FLAMEN erat nomen sacerdotis, qui alicui deo peculiariter consecratus, ei uni singillatim sacra faciebat, a quo & nomen obtinebat. *Panvin. de Civit. Rom. c.* 22. *de La Chausse de Insign. Pont. max. tab.* 1. *Clasen. de Theol. gent.* III. 1. §. 15. *Noris. Cenot. Pisan. Dissert.* 1. *c.* 4. *Turneb. in Cicer. de Leg.* II. *p.* 100. *Kipping. Antiq. Roman.* I. 12. §. 6. Romulo primam creationem tribuit Plutarch. in Numa p. 64. C. *Jovis Martisque sacerdotibus* a Romulo *institutis tertium ipse Romuli addidit, quem flaminem Quirinalem appellant.* Sed Plutarchus sæpe reperitur lapsus in Romana historia. Numæ Liv. I. 20. *Tum sacerdotibus creandis animum adjecit. . . . . Ne sacra regiæ vicis desererentur, flaminem Jovi assiduum sacerdotem creavit: insignique eum veste, & curuli regia sella adornavit: huic duos flamines adjecit:*

cit: Marti unum, alterum Quirino. Dionyſ. II. p. 124. *Secundam ſacrorum miniſteriorum curam Numa illis tradidit, qui a geſtatione pileorum & infularum flamines vocati ſunt.* Aur. Vict. c. 3. n. 1. *Numa flamines tres, Dialem, Martialem, Quirinalem inſtituit.* Lactant. I. 22. *Itaque flamines inſtituit.* Merul. de Sacerdot. Roman. II. 9. Anna Dacer in Aurelium. Creabantur a populo comitiis curiatis, ut docet Gell. XV. 27. Et illis creati inaugurabantur a pontifice Maximo, cujus dicto omnes ſuberant. Val. Max. VI. 9. *C. Valerius Flaccus a P. Licinio pontifice maximo flamen captus.* Flor. Epit. 19. *L. Cæcilius Metellus pontifex maximus A. Poſtumium conſulem, quoniam & idem flamen Martialis erat, quum ille ad bellum gerendum proficiſci vellet, in Urbe tenuit, nec paſſus eſt a ſacris recedere.* Liv. XXXVII. 51. *Priuſquam in provincias prætores irent, certamen inter P. Licinium pontificem maximum fuit & Q. Fabium Pictorem flaminem Quirinalem. . . . Religio ad extremum vicit, & dicto audiens eſſe flamen pontifici juſſus.* Cum inauguraretur, dicebatur capi. Valerius Maximus modo laudatus. Inaugurabantur, id eſt, certis quibusdam, ac ſollennibus captatis auguriis creabantur, ducebantur capti a patribus, velut ab hoſtibus. *Panvin. & Merul. l. l. Gruch. de Comit.* I. 2. *Blond. Triumph. Rom.* II. *p.* 30. *H.* Et ab auguribus. Docet hoc Macrob. Sat. II. 9. Apud eum inter commenſales in cœna Lentuli *flaminis* Martialis numeratur *L. Julius Cæſar augur, qui eum inauguravit.* Idem Cicer. Phil. II. 43. *Cur non inaugurare? ſume diem: vide, qui te inauguret: collegæ ſumus; nemo negabit.* Noriſ. Cenot. Piſan. Diſſert. I. c. 4. Non quidem erant pontifices, ita tamen erant adſcripti in collegium pontificum, ut ſi quando de re aliqua apud pontifices ageretur, ipſi una judices ſederent ejus rei, de qua ad collegium pontificum relatum eſſet. Quod poteſt intelligi ex Cicer. pro Domo: quæ cum habita ſit apud pontifices, ad quorum collegium rejectum erat de domo a Clodio conſecrata judicium: in ea tamen oratione *flamines* judices ſediſſe oſtendit, cum ait c. 49. *Diſcite orationem pontifices, & vos flamines, etiam tu Rex, diſce ab homine gentili tuo, quamquam ille gentem iſtam reliquit.* Panvin. l. l. Gruch. de Comit. I. 2. Quum a Numa tres principio tantum inſtituti fuiſſent, Dialis, Martialis, & Quirinalis; poſtea proceſſu temporis XII. alii Romæ additi ſunt, & ad XV. numerum aucti. Feſtus: *Maximæ dignationis flamen Dialis eſt inter XV. flamines.* Poſt conſtitutos XII. *flamines* orta eſt inter eos majorum, minorumque, vel patriciorum, & plebejorum diſtinctio. Tres enim primi a Numa inſtituti majores, & patricii appellati ſunt: XII. poſteriores minores, & plebeji. Feſtus: *Majores flamines appellabuntur patricii generis, minores vero plebeji.* Nam tres primi ſemper ex patriciis cooptati ſunt, ut docet Cicero pro Domo c. 14. in qua oratione regem ſacrorum, *flamines*, ſalios, interregem, & ex dimidia parte reliquos ſacerdotes non niſi ex patribus creari poſſe tradit. Cæterum quanquam *flamines* XV. eſſent, qui nomine convenirent, collegæ tamen non erant, neque eorum quoddam collegium vocabatur. Siquidem *flamen* unius tantum dei ſacerdos erat, habebatque ſua quisque ſacra, quæ per ſe quisque procuraret, & ad alios omnino nihil attineret. Cicer. de Leg. II. 8. *Divisque aliis ſacerdotes, omnibus pontifices, ſingulis flamines ſunto.* Varr. de Ling. Lat. IV. 15. *Horum ſinguli cognomina habent ab eo deo, cui ſacra faciunt.* Ita erant perpetui, ut tamen ob certas quasdam cauſas ſacerdotio privari poſſent; dicebanturque *flaminio* abire, aliique ſubrogabantur. Quod ſi nullis illarum cauſis coacti fuiſſent ſacerdotium deponere, id, dum vivebant, retinere ſolebant. Unde Val. Max. I. 1. 4. *P. Cælius, M. Cornelius Cethegus, & C. Claudius propter exta parum curioſe admota aris deorum immortalium, variis temporibus, bellisque diverſis flaminio abire juſſi ſunt, coactique etiam. At Sulpicio inter ſacrificandum apex e capite prolapſus, eidem ſacerdotium abſtulit.* Guther. de vet. jur. pontif. I. 6. Panvin. Gyrald. Struv. & Merul. l. l. Utebantur læna purpurea. V. illam infr. in *Læna.* Et pileo, qui vocabatur apex. V. illum ſupr. in *Apex.* lauro vinciebantur. V. infr. in *Laurus.*

Flamen Auguſti legitur in inſcriptionibus:

NERONI. CÆSARI
GERMANICI. F
TI. AUGUSTI. N. DIVI. AUG
PRON. FLAMINI. AUGUSTALI

Item:

M. ARTORIUS. M. F. PAL. PRISCUS.
VICASIUS. SABIDIANUS. TRIB. COH.
XV. VOLUNT. C. R. TR. LEG. VII.
CLAUD. PIÆ. FID. PRÆF. ALÆ. I.
PANN. PRÆF. MONTIS. BERENICI-
DIS. FLAM. DIVI. AUG. . . . .

Panvin. de Civit. Rom. c. 27.

Flamen Cæſaris fuit M. Antonius. A Cæſare hic mos originem habuit. Et illi etiam adhuc viventi eſt decretus. Suet. Jul. c. 74. n. 2. *Ampliora humano faſtigio decerni ſibi paſſus eſt: flaminem. . . .* Dio XLIV. p. 243. C. *Sacerdotio ejus Antonium, quaſi flaminem Dialem aliquem, præfecerunt.* Hoc objicit Antonio Cicer. Phil. II. 43. *Quem is majorem honorem conſecutus erat, quam ut haberet pulvinar, ſimulacrum, faſtigium, flaminem? Eſt ergo flamen ut Jovi, ut Marti, ut Quirino, ſic divo Julio M. Antonius?* Panvin. de Civit. Rom. c. 27. Laz. Comm. Reip. Rom. III. 13. Pitiſc. in Suetonium. Cæſare ſuperſtite, eodemque forte vetante, non fuit inauguratus. Cicer. l. l. *Quid igitur ceſſas? cur non inaugurare? ſume diem: vide qui te inauguret.* Eodem occiſo, invidiæ forte metu, ſeu quod ſtultitiæ proximum ducebat trucidati hominis *flaminem* eſſe, inaugurationem omiſit. Cicer. Phil. XIII. 19. *Deceptum patrem a me Cæſarem audes affirmare? Tu, tu, inquam, illum occidiſti Lupercalibus, cujus homo ingratiſſimus flaminium cur reliquiſti?* Poſtea *in gratiam Cæſaris* Octaviani *ejus ſacerdos factus* eſt anno ab U. C. 714. ſi vera narrat Plutarch. in Antonio. *Noriſ. Cenot. Piſan. Diſſert.* I. *c.* 4.

Flamen Carmentalis Carmentæ Euandri matris ſacra curabat. Cicer. Brut. c. 14. *M. Popillius quum conſul eſſet, eodemque tempore ſacrificium publicum cum læna faceret, quod erat flamen Carmentalis. . . .* Erat plebejus. Teſtimonio eſt hic Lænas, qui ex plebe conſul lectus fuerat, quum *flamen* Carmentalis eſſet. *Panvin. de Civit. Rom. c.* 25. *Struv. Ant. Rom. c.* 12. *p.* 608. *Merul. de Sacerd. c.* 2. §. 9. *Laurent. Var. ſacr. gentil. c.* 1.

Flamen Claudii legitur in vetuſta inſcriptione:

. . . . . FLAMEN. DIVI. CLAUDI
DEDIT. IDEMQUE. DEDICAVIT

Panvin. de Civit. Rom. c. 27. *Pancirol. Deſcr. Urb. Rom. Theſ. Antiq. Roman. Græv. Tom.* III. *p.* 328. *E.*

Flamen deorum omnium in auctoribus non legitur: ſed tamen in antiquis inſcriptionibus municipiorum, ut in hac:

PATRON. COL. FLAMINI. DIVOR. OMNIUM.

& in iſta:

II. VIR. QUINQ. FLAM. DIVOR. OMNIUM.

& in illa:

II. VIRO. QUINQ. DIVOR. OMNIUM.

Turneb. Adv. XI. 16. *Panvin. de Civit. Rom. c.* 26.

Flamen Dialis Jovis ſacra curabat. Erat maximæ dignationis inter omnes. V. Feſtum ſupr. in *Flamen.* Inſtitutus fuit vel a Numa Livio auctore I. 20, vel a Romulo ipſo Plutarcho auctore in Numa p. 64. C. *Panvin. de Civit. Rom. c.* 23. *de La Chauſſe de Inſign. Pont. Max. & Flam. Dial. Tab.* I. *Laurent. Var. ſacr. gentil. c.* 1. *Flocc. de Poteſt. Roman.* I. 5. *Merul. de Sacerd. Roman. c.* 2. §. 9. *Blond. Triumph. Rom.* II. *p.* 30. *H. p.* 31. *A.* Jovi erat aſſiduus ſacerdos. Illum Numa inſigni veſte, & regia ſella adornavit. Hanc dignitatem C. Flaccus alter *flamen* Dialis reſtituit poſt per multos annos diminutam, ut ſcilicet in ſenatum introiret cum prætexta & ſella curuli. Liv. XXVII. 9. V. illum infr. in *Senatus.* Manut. de Senat. Rom. c. 1. Guther. de vet. jur. Pontif. I. 32. In ejus ſacris cautum erat, *ut unguium, & capilli ſegmina ſubter arborem felicem*

terra

terra operirentur. Gell. N. A. x. 15. Et ſic de *flaminum* ſacris notatum:

Capillum dialis, niſi qui liber homo eſt, non detondeto.
Unguium dialis, & capilli ſegmina, ſubter arborem felicem terra integunto.

Crinit. de Honeſt. diſcipl. xx. 6. Lapſus eſt Ant. Auguſt. de Numiſm. Ant. Dial. x. qui Dialem cum duobus majoribus cæteris *flaminibus* majorem pontificem putat. Nam Dialis pontificum collegio ne quidem adſcriptus erat; ſed Martialis tantum & Quirinalis, qui tamen pontifices non erant majores. Dialem collegio pontificum non fuiſſe attributum, intelligitur ex Cicer. pro Domo. Nam inter ſacerdotes, qui de illius domo judicarunt, cum Martiali & Quirinali ſediſſe non dicitur. Rationem repeto a Fabio Pictore apud Gell. x. 15. *quod quotidie feriatus erat.* Guther. l. l. Qui rem plane ignoravit.... A Cicerone *flamen* Dialis inter judices pontifices non recitatur, quia nullus per ea tempora erat *flamen* Dialis. Etenim cauſa Ciceronis anno ab U. C. 697. agitabatur. Hoc anno nemo erat *flamen* Dialis. Anno enim ab U. C. 667. L. Cornelius Merula *flamen* Dialis conſul ſuffectus eſt in locum Cinnæ, qui conſulatu, urbeque ejectus fuerat, eodem anno Cinna cum victore exercitu in Urbem ingreſſo, ſibimet ipſe venas ſecuit, ſcripta prius tabella, teſtatus ſe id feciſſe depoſito apice; *flaminem* enim apicatum mori nefas habebatur. At poſt Merulam nemo *flamen* Dialis inauguratus eſt ad annum uſque ab U. C. 744. Tacit. Annal. III. 58. 3. *Duobus & ſeptuaginta annis poſt Cornelii Merulæ cædem neminem ſuffectum.* Qui etiam alterum errat ſcribens Diales magiſtratus Romæ non cepiſſe, quod quotidianis feriis impediti jus dicere non poſſent. Nam Servius Maluginenſis apud Tacit. Annal. III. 58. 3. teſtatus eſt: *Sæpe pontifices dialia ſacra feciſſe, ſi flamen valetudine, aut munere publico impediretur.* Itaque & Diales munere publico fungebantur. Liv. XXXIX. 45. *Prætores ita ſortiri juſſi, uti flamini Diali utique altera juris dicendi Romæ provincia eſſet.* Is fuit C. Valerius *flamen* Dialis anno ab U. C. 571. prætor electus. Denique Merula, ac Maluginenſis, aliique conſules, quos Gellius tacito nomine recitat, conſulatum geſſere. *Noriſ. Cenot. Piſan. Diſſert.* I. *c.* 5. Illi equo vehi non licebat. Gell. x. 15. *Equo Dialem flaminem vehi religio eſt.* Feſtus: *Equo vehi flamini Diali non licebat, ne ſi longius digrederetur, ſacra negligerentur.* Aliam habet rationem Plin. XXVIII. 9. *Damnatur equinum tantum inter venena, ideo flamini ſacrorum equum tangere non licet, cum Romæ publicis ſacris equus etiam immoletur.* Ouzel. in Gellium. Panvin. Flocc. & Guther. l. l. Struv. Ant. Rom. c. 12. p. 609. Gyrald. Synt. Deor. XVII. p. 478. E. Claſſem procinctam extra pomœrium, id eſt, exercitum armatum videre nefas erat. Idcirco rarenter creatus eſt conſul, cum bella conſulibus mandabantur. Gell. l. l. *Panvin. & Struv. l. l.* Nec Italia egredi, nec ab Urbe abeſſe licebat. Tacit. Annal. III. 58. 1. *Non licere Dialibus egredi Italia.* Liv. v. 52. *Flamini Diali noctem unam manere extra Urbem nefas eſt.* Lipſ. in Tacit. n. 129. Gyrald. l. l. Guther. de Jur. man. III. 25. Struv. ibid. p. 610. Laz. Comment. Reip. Rom. III. 13. Erat inter eos qui non jurabant. Gell. l. l. *Jurare Dialem fas nunquam eſt.* Liv. XXXI. 50. *C. Valerius Flaccus, quem præſentem creaverant, quia flamen Dialis erat, jurare in leges non poterat: magiſtratum autem plus quinque dies, niſi qui juraſſet in leges, non licebat gerere. Petente Flacco, ut legibus ſolveretur, ſenatus decrevit, ut ſi ædilis qui pro ſe juraret, arbitratu conſulum daret: conſules, ſi eis videretur, cum tribunis plebis agerent, ut ad plebem ferrent. Datus, qui juraret pro fratre, L. Valerius Flaccus prætor deſignatus: tribuni ad plebem tulerunt, plebesque ſcivit, ut perinde eſſet, ac ſi ipſe ædilis juraſſet.* Rationes dat Plutarch. Quæſt. Rom. 43. *Sive quod tormentum liberis ſit jusjurandum, oportet autem flaminem ſacerdotem a tormentis, qua corpus, qua animum immunem eſſe: ſive quod haud conveniat ei, cui ſacra, id eſt, maxima credimus, in minimis fidem non habere.* . . . . . . Hanſen. de Jurejur. vet. c. 30. Turneb. Adv. XXVII. 7. Stuck. de Sacrif. p. 139. Guther. l. l. Ouzel. in Gellium. Struv. ibid. p. 611. Fab. de Magiſtr. Roman. p. 205. Blond. Triumph. Rom. I. p. 16. H. Annulis ſolidis non licebat uti, ſed tantum cavis & perviis. Feſtus in Edera: *Sed ne annulum quidem gerere flamini Diali licebat ſolidum.* Gell. x. 15. *Flamini Diali annulo uti, niſi pervio, caſſoque fas non eſt.* Kirchm. de Annul c. 3. Dacer. in Feſtum. Panvin. l. l. Ignem ex illius domo efferre non licebat, niſi rei divinæ cauſa. Gellius: *Ignem e flaminia, id eſt, flaminis Dialis domo, niſi in ſacrum efferri jus non eſt.* Feſtus: *Ignem ex domo Flaminia efferri non licebat, niſi divinæ rei gratia.* Panvin. Guther. & Dacer. l. l. Funebres tibias audire non licebat. Feſtus: *Funebres tibiæ dicuntur, cum quibus in funere canitur, quas audire flamini Diali putabant illicitum.* Ejus enim honori videtur habitum, ut tibiæ removerentur, ſi quando venirent exſequias. *Funus* namque *exſequi non erat religio.* Gell. l. l. licet illas raro itaſſe vero non ſit abſimile. *Kirchm. de Fun. Rom.* II. 5. *Mag. Var. Lect.* I. 13. *Moreſt. Pomp. Feral.* III. 11. *Boxhorn. Quæſt. Rom.* 35. *Caſaub. in Theoph. Charact. p.* 352. Nec ingredi locum, in quo buſtum erat, vel mortuum attingere. Gell. x. 15. Erant enim Romani in ea opinione, ut exiſtimarint, quicquid diis ſuperis ſacrum eſſet, id vel ſolo aſpectu, aut contactu rei funeſtæ contaminari. *Kirchm. ibid. c.* 21. *Ouzel. in Gellium. Moreſt. l. l.* Et opus feriis facientem videre religioſum erat. V. ſupr. in *Feriæ.* Ejus miniſtri debebant eſſe patrimi atque matrimi. Feſtus: *Flaminius camillus puer dicebatur ingenuus, patrimus & matrimus qui flamini Diali ad ſacrificia præminiſtrabat.* Et *Flaminia dicebatur ſacerdotula, quæ flaminicæ Diali præminiſtrabat, eaque patrima & matrima erat, id eſt, patrem, matremque adhuc vivos habebat.* Hoc ideo placuit, ut oſtenderetur in ſacris perfecta omnia, & nihil in iis deſiderari oportere. Perfectiores autem videntur, quibus parentes ſuperſunt, quam qui pupilli. Imo qui pupillum dicit, mortuum aliquem ſubintelligit. De quo inter ſacra cogitare *flamini* non licebat. *Boxhorn. l. l.* Auſpicabatur vindemiam, &, ut juſſerat vinum legere, agna Jovi faciebat, inter cujus cæſa & porrecta *flamen* proſus vinum legebat. *Guther. l. l. Palmer. Spicil.* x. *p.* 772. *Jun. Faſt. Theſ. Ant. Rom. Græv. Tom.* VIII. *p.* 248. *F.*

Flamen Falacer *a divo patre Falacre dictus eſt.* Varro de Ling. Lat. IV. §. 15. Quis autem is deus fuerit, nondum inveni. *Panvin. de Civit. Rom. c.* 25. *Laurent. Var. ſacr. gentil. c.* 1. Crediderim deum fuiſſe, qui loco cuidam, qui falacer, aut falacrinus vocabatur, præerat. Sunt enim cognomines, & gentiles locorum dii: ut Clitumnus, & fontis, & dei fontis præſidis nomen erat. Falacrinus autem locus recenſetur ab Antonino in Itinerario Italiæ non procul Roma. Quiſpiam fortaſſe etiam exſtimet a phalis circi nomen habuiſſe: ſed alterum credibilius videtur. *Turneb. Adv.* VI. 5.

Flamen Floralis dictus eſt a Flora. V. illam infr. in *Flora.* De illo Varr. de Ling. Lat. VI. §. 3. *Sunt, in quibus flaminum cognominibus latent origines, ut qui ſunt in verſibus plerique, Volturnalis, Palatualis, Furinalis, Floralis, Falacer, Pomonalis. Obſcura eſt eorum origo.* Panvin. de Civit. Rom. c. 25. Laurent. Var. ſacr. gentil. c. 1.

Flamen Furinalis *dictus eſt a Furina, cujus etiam in feſtis Furinales feriæ ſunt.* Varr. de Ling. Lat. IV. §. 14. V. illam infr. in *Furina.* Panvin. de Civit. Rom. c. 25. Turneb. Adv. VI. 5. Alex. Gen. dier. VI. 12.

Flamen Hadrianalis, ut multi putant, fuit Antoninus Pius. De Hadriano ab Antonino Pio conſecrato, & *flamine* illi inſtituto Spartian. c. 27. *Hadrianus rogante Antonino divus a ſenatu appellatus eſt, qui templum ei pro ſepulcro apud Puteolos conſtituit, & quinquennale certamen, & flamines, & ſodales.* De *flamine* Hadrianali meminit Inſcriptio:

. . . .

SODAL. HADRIANAL
PR. URB. TRIB. PLEBSQ. PROV
CRETÆ. TRIB. LEG. XI. CL
X. VIR. STLITIBUS JUDICANDIS

MEDIOLANENSIS
PATRONO

Panvin. de Civit. Rom. c.27.

Flamen Martialis a Numa secundus institutus fuit, ut Dionys. II. p. 124. & Liv. I. 20. tradunt; vel a Romulo, ut Plutarchus, quod Romuli conditoris Urbis Mars pater creditus sit. V. illos supr. in *Flamen.* Hic patricius, & major *flamen* erat. De quo Varr. de Ling. Lat. IV. §. 15. *Flamines singuli cognomina habent ab eo deo, cujus sacra faciunt, sed partim sunt aperta, ut Martialis, Volcanalis.* Inscriptio:

P. CORNELIUS. P. F. DOLABELLA.
C. JUNIUS. C. F. SILANUS. FLAMEN.
MARTIAL. COS. EX. S. C. FACIUND.
CURAVERUNT. IDEM. QUE. PROBAVERUNT.

Hi consules, ut ex fastis liquet, sub Augusti imperio fuerunt. Ne autem quis hac inscriptione in dubium verteret, quod de *flaminibus* majoribus dixi, ipsos semper ex patriciis lectos fuisse, animadversione dignum, gentem Juniam plebejam quidem ante dictatorem Cæsarem fuisse, ideoque hoc sacerdotio exclusos. Verum post Cæsaris dictatoris tempora, a quo Junia gens cum plerisque aliis in patricias allecta est, tam hoc sacerdotium, quam cætera, quæ plebejis antea prohibita erant, obtinere potuit, ut sub Augusto hunc Junium obtinuisse videmus. *Panvin. de Civit. Rom. c.24. Merul. de Sacerd. c. 2. §. 9. Tiraquell. in Alex.* VI. 12. *Laurent. Var. sacr. gentil. c.* 1. Huic antiquitus Italia egredi non erat concessum. Val. Max. I. I. 2. *Metellus pontifex maximus Postumium consulem, eundemque flaminem Martialem, ad bellum gerendum Africam petentem, ne a sacris discederet, multa indicta, Urbem egredi passus non est: religionique summum imperium cessit.* Liv. Epit. XIX. *Cæcilius Metellus pontifex maximus A. Postumium consulem, quoniam & idem flamen Martialis erat, in Urbe tenuit, nec passus est a sacris recedere.* Sed hæc cum ævo mutarunt. *Lips. in Tacit.* III. 71. *n.* 130.

Flamen Palatualis, ut Varr. de Ling. Lat. VI. §. 3. & Festo dicitur, erat *constitutus ad sacrificandum ei deæ, in cujus tutela palatium esse putabant*, quam Varro Palatuam vocat, de quo nihil præterea memoria dignum inveni. *Panvin. de Civit. Rom. c. 25. Turneb. Adv.* VI. 5. *Alex. Gen. Dier.* VI. 12. *Laurent. Var. sacr. gentil. c.* 1. *Blond. Triumph. Rom.* II. *p.* 31. *A.*

Flamen Pomonalis denominatur a Pomona *pomorum patrona.* Varr. de Ling. Lat. VI. §. 3. Minimi habitus est inter XV. *flamines.* Festus: *Minimi habetur Pomonalis, quod Pomona levissimo fructus agrorum præsidet, id est, pomis.* Panvin. de Civit. Rom. c. 26. Laurent. Var. sacr. gentil. c. 1. Blond. Triumph. Rom. II. p. 31. A.

Flamen Quirinalis fuit major, & patricius, a Numa in Romuli honorem institutus. V. supr. in *Flamen.* quod Romulus Quirinus appellatus parens, & Urbis conditor fuisset. De hoc frequens mentio est apud Livium, Varronem, & Festum. *Panvin. de Civit. Rom. c. 25. Merul. de Sacerd. c.* 2. §. 9 *Laurent. Var. sacr. gentil. c.* 1. Et huic antiquitus Italia egredi non licebat. Liv. XXXVII. 51. *Priusquam in provincias prætores irent, certamen inter P. Licinium pontificem maximum fuit, & Q. Fabium Pictorem flaminem Quirinalem, quale patrum memoria inter L. Metellum, & Postumium Albinum fuerat. Religio ad postremum vicit & dicto audiens esse flamen pontifici jussus.* Lips. in Tacit. Annal. III. 71. n. 130.

Flamen Virbialis erat consecratus deo Virbio, id est, Hippolyto. Ejus nullus, quod sciam, antiquus scriptor meminit. Mentionem extare vidi Romæ in antiqua inscriptione, quæ modo non est ad manus. *Panvin. de Civit. Rom. c.* 25. *Laurent. Var. sacr. gentil. c.* 1.

Flamen Volcanalis fuit Volcano consecratus. Fuit minor & plebejus. De illo Varro. V. illum supr. in *Flamen Martialis.* Panvin. de Civit. Rom. c. 25. Laurent. Var. sacr. gentil. c. 1.

Flamen Volturnalis apud solum, quod sciam, legitur Varronem. V. illum supr. in *Flamen Floralis.* Panvin. de Civit. Rom. c. 25. Laurent. Var. sac. gentil. c. 1. Fuit *flamen* Volturni fluvii. *Turneb. Adv.* VI. 5.

Flamines fuerunt etiam in municipiis, quia municipalis reipublicæ forma Romanæ pæne similis videtur fuisse. Lanuvini meminit Cicer. pro Mil. c. 10. *Interim cum sciret Clodius iter sollenne, legitimum, necessarium ante diem* XIII. *Kalend. Feb. Miloni esse Lanuvium ad flaminem prodendum, quod erat dictator Lanuvii Milo.* Sigon. de Ant. jur. Ital. II. 8. Et aliorum inscriptiones V. illas supr. in *Flamen deorum omnium.* Panvin. de Civit. Rom. c. 26. Erant ex ordine decurionum, nec prius sacerdotio ornari poterant, quam municipalia munera obivissent. l. 77. C. de decurion. Hinc *flamen* Augustalis Pisanus in cenotaphio nuncupatur *princeps coloniæ nostræ*; nempe primus inter colonos. Brutum appellat Cicer. Fam. III. 11. *principem jam pridem juventutis, celeriter, ut spero, civitatis.* Censor. de Die Nat. c. 4. Q. Cærelium commendans; ait: *Tu tamen officiis municipalibus functus, honore sacerdotii in principibus tuæ civitatis conspicuus. . . . .* quibus plane honorum titulis noster municipalis *flamen* insignitur. Creabantur in municipiis a decurionibus; unde in saxo Comensi p.438.7. laudatur L. Minucius Exoratus:

FLAMEN. DIVI. TITI. AUG
VESPASIANI
CONSENSU. DECURION

Nominatos a decurionibus magistratus prodebat, Cicero modo laudatus. His sacerdotium hoc pro certo quodam tempore deferebatur. Patet hoc ex l. 21. de decurion. qua statuit Constantinus curiales *post flaminii honorem, & magistratus, vel sacerdotii decursa insignia,* non posse cogi fieri præpositos mansionum. In antiquis saxis legitur: *Flamini* II. *Flamini iterum* p.489. 10. & p.321. 10.

C. SEMPRONIO. SPERATO. FLAMINI. DIVORUM AUGG. PROVINCIÆ. BÆTICÆ IMP. NERVA. TRAJANO. CÆSARI. AUG. GERM. III VICERIO. ALARIANO. ET. L. MARTIO. POSTUMO. COSS. HIC PROVINCIÆ. BÆTICÆ. CONSENSU. FLAMINIS. MUNUS. EST. CONSEQUUT. PERACTO. HONORE. FLAMIN. . . .

Habetur hic alter *flamen* provinciæ divorum Augustorum, a provincialibus pro certo tantum tempore nominatus. *Noris. Cenot. Pisan. Dissert.* I. *c.* 4.

FLAMINALES dicebantur, viri *flaminii* honore functi, vel, ut lex loquitur in *Flamines* laudata, *post flaminii decursa insignia:* ut consulares, qui consulatum pridem consecuti. Lapis Tarraconæ p. 478. 2.

C. VALERIO. ARABINO
FLAVIANI. F. BERGIDOF
OMNIB. HON. IN. R. P
SUA FUNC. SACERDOTI
ROMÆ. ET. AUG. P. H. C
OB. CURAM. TABULARI
CENSUALIS. FIDELITER
ADMINIST. STATUAM
INTER. FLAMINALES
VIROS. POSITAM. EX
ORNANDUM. UNIVER
CENSUER

Guther. de vet. jur. pont. I. 32.

FLAMINICA vocabatur uxor flaminis. Docet Inscriptio apud Gruter. p. 322. n. 2.

AUL. SEMPR. ASPRENATI
FLAMINI. DIALI
CONJUGI. OPTIMO
BENE. MERENTI
HECALE. FLAMINICA

Festus:

Festus: *Flammeo vestimento flaminica utebatur, id est Dialis uxor, & Jovis sacerdos, cui telum fulminis eodem erat colore.* De hac *lata lex erat, ut sacrorum causa in potestate viri esset, cetera promiscuo feminarum jure ageret.* Tacit. Annal. IV. 16. 6. *Struv. Ant. Roman. c. 12. p. 611. Merul. de Sacerd. Roman. c. 2. §. 9.* Quoties tonitrua audisset, feriari necessum erat. Macrob. Saturn. I. 16. *Flaminica, quoties tonitrua audisset, feriata erat, donec placasset deos.* Alex. Gen. VI. 12. & ad illum Tiraquellus. Siccam. in Fast. Kalendar. c. 4. A viro divertere non licebat. Gell. X. 15. *Uxorem si amisit flamen, flaminio decedit: matrimonium flaminis nisi morte dirimi non est jus.* Plutarch. Quæst. Rom. 49. *An quia cœlibe miserior est qui uxorem amittit? qui enim uxorem duxit, ejus domus perfecta est: qui ductam amisit, ejus non imperfecta modo, sed & mutilata est familia. Aut quia in plerisque sacris rebus obeundis uxor ei adest, neque ea absente peragi eas fas est.* Et *flaminica* viri unius uxor eligebatur, & ipse unius vir uxoris. Tertull. Exhort. ad castit. c. 13. *Certe flaminica nonnisi univira est, quæ & flaminis lex est.* de Monogam. c. 17. *Pontifex maximus, & flaminica nubunt semel.* Alex. & ad illum Tiraquell. l. l. Gyrald. Synt. deor. XVII. p. 479. A. Induebatur pallio, flammeo colore tincto. Gell. X. 15. *Venenato operitur.* Serv. Æneid. VI. 36. *Veteri ceremoniarum jure preceptum est, Flaminica venenato operta sit. Operta autem cum dicitur, pallium significatur. Venenatum autem infectum.* In omni sacrificatione utebatur virga ex malo Punico incurvata, quæ arculum vocabatur Hanc intelligit Gell. X. 15. *In rica surculum ex arbore felici habet.* V. supr. in *Arculum.* Scalas nisi Græcas ascendere ei plus tribus gradibus religiosum est, ut de illa Gell. l. l. Ad cujus interpretationem facit fragmentum Servii: *Apud veteres flaminicam scalas plus tribus gradibus nisi Græcas scandere non licebat, ne ulla pars pedum ejus, crurumve subter conspiceretur. Eoque nec pluribus gradibus, sed tribus, ut in ascensu duplices nisus non paterentur extolli vestem, aut nudari crura: nam & ideo Græcæ scalæ dicuntur, quia ita fabricantur, ut omni ex parte compagine tabularum clausæ sint, ne aspectum ad partem aliquam corporis admittant.* Scalig. Fest. in Inarculum, Thys. in Gellium. Nunquam pectendo comere capillum ei fas erat. Hoc de seipsa testatur apud Ovid. Fast. VI. 229.

Non mihi dentosa crinem depectere buxo,
Non ungues ferro subsecuisse licet.

Gell. l. l. *Atque etiam, quum it ad Argeos, neque comit caput, neque capillum depectit.* Jun. de Coma c. 7. Thys. in Gellium.

FLAMINIA dicitur *ædes flaminis Dialis.* Festus. Ovid. Fast. II. 27.

Ipse ego flaminia poscentem februa vidi:
Februa poscenti pinea virga data est.

Flaminia, ex ædibus *flaminis.* Ita legimus apud Ovidium pro eo, quod hodie *Flaminiam.* Scalig. in Festum.

Flaminia dicebatur *sacerdotula, quæ flaminicæ Diali præministrabat, eaque patrimes & matrimes erat, id est, patrem, matremque adhuc vivos habebat.* Festus. *Panvin. de Civit. Rom. c. 22. & 42. Struv. Ant. Rom. c. 12. p. 612. Merul. de Sacerd. Roman. c. 2. §. 9.*

Flaminia prata. V. illa infr. in *Prata.*

Flaminia via. V. illam infr. in *Via.*

FLAMINII dicti sunt *flaminum* ministri. *Panvin. de Civit. Rom. c. 22. Gyrald. Synt. deor.* XVII. *p. 479. A. Argol. in Panvin. de Lud. Circens.* II. 2. *Sigon. de Nom Roman. c. 4. Laurent. Var. sacr. gentil. c. 1. Merul. de Sacerd. Roman. c. 2. §. 9.* In pompa circensi nono loco succedebant. *Panvin. l. l.*

FLAMINIUS fuit cognomen Quinctiorum & Claudiorum. *Sigon. de Nom. Roman. c. 5.*

Flaminius circus. V. illum supr. in *Circus.*

Flaminius lictor. V. illum infr. in *Lictor.*

FLAMMA apparens nullo non in portento boni, faustique augurii erat. Hoc antiquorum infinita propemodum testantur monumenta. Nam qui caput arsisse Servio Tullio dormienti dicunt, futuram itidem hominis humiliter alioqui nati celebritatem id indicasse, veluti Tanaquilis Thuscæ interpretatio fuit, haud ægre consentiunt. Virg. Æneid. II. 680. cadente jam Troja, in summa rerum desperatione, verticem Ascanii correptum *flammis*, ut dejecti omnium animi in spem optimam erigerentur, causam fuisse dicit. *Pier. Valerian. de Fulmin. significat. Thes. Ant. Rom. Græc. Tom. V. p. 610. F. Niphus de Augur.* I. 10. E prætoria navi sublata signum profectionis erat noctu proficiscentibus. Virg. Æneid. III. 519.

Postquam cuncta videt cœlo constare sereno,
Dat clarum e puppi signum, nos castra movemus.

Ubi Servius: *Faculam elevat.* Ita Agamemnon profectionem & discessum narrans apud Senec. III. 327.

Signum recursus regia ut fulsit rate,
Et clara lentum remigem emovit tuba,
Aurata primas prora secavit vias.

Scheffer. de Milit. nav. III. 3. Illa cruci affixi ustulabantur, & necabantur. Acta vetera de Pionio: *Confixus clavis in cruce, aggestis lignis, flamma combustus est.* Euseb. Hist. Eccl. IV. 15. *Cum pararent eum*, Polycarpum Smyrnæorum antistitem, *cruci suffigere, dixit: relinquite me sic; qui enim dedit exspectare ignem, dabit etiam sine vestra clavorum firmitate solutum manere in rogo.* Non ergo injuria scripsit Tertull. Apolog. c. 50. *Licet nunc sarmentitios, & semaxios appelletis, quod ad stipitem dimidii axis revincti, sarmentorum ambitu exurimur.* Significat enim adeo crebrum in majores nostros supplicium illud fuisse, ut in illudium, conviciumque venerit, & Christiani vulgo semaxii, a stipite, cui adstringebantur: & sarmentitii, a sarmentis, quibus urebantur, sint dicti. *Lips. de Cruce* III. 10.

FLAMMEARII dicebantur, qui *flammeo*, sive rubro colore vestes tingebant. Festus. *Flammearii, infectores flammei coloris.* Plaut. Aul. III. 5. 36.

Flammearii, violarii, carinarii.

Ferrar. de Re Vest. I. 3. 21. Rhodig. Ant. Lect. XXIX. 23. Stewech. in Veget. II. 1. Taubm. in Plautum. Voss. Lex. Etymol. in Flammeum.

FLAMMEUM non fuit amictus longus, qui ad pedes demissus in humerum rejiciebatur; sed velum, quo sponsæ caput nubebaaur. *Ferrar. Anal. de Re vest. c. 24.* Non. XIV. 31. *Flammeum vestis, vel tegmen, quo capita matronæ tegunt.* Unde Tacit. Annal. XV. 37. 4. & 5. propudiosas Neronis cum Pythagora pocillatore, ut viro, nuptias referens, cum reliqua omnia in nuptiali pompa adhiberi solita, tum nominatim ait: *inditum Imperatori flammeum.* Et Quintil. Decl. 306. vetulam nubentem alloquens. *Operis*, inquit, *flammeo canos.* E contrario Hieron. Epitaph. Paullæ, ut virginem notaret consecrandam, ait: *Neptis Christi flammeo reservatur.* Illo *boni ominis causa amiciebatur nubens, quod eo assidue utebatur flaminica, id est, flaminis uxor, cui non licebat facere divortium.* Festus. Erat *flammei*, id est, lutei coloris. Plin. XXI. 8. *Lutei coloris honorem antiquissimum in nuptialibus flammeis totum feminis concessum.* Ut si quid in facie virginis animadverteretur pudoris, is e velo color, non e genis emicare videretur. Lucan. II. 361.

Non timidum nuptæ leviter tectura pudorem
Lutea demissos velarunt flammea vultus.

Unde sanguineum dicitur Schol. Juven. VI. 225. *Flammeum est genus amiculi, quo se cooperiunt mulieres die nuptiarum. Est enim sanguineum, propter ruborem custodiendum.* Raynaud. de Pil. & cæt. cap. tegm. Sect. VI. Alex. Gen. Dier. II. 5. Pier. Hierogl. XL. 21. Brisson. de Rit. nupt. Thes. Ant. Rom. Græv. Tom. VIII. p. 1031. E. Salmuth ad Panciroll. de Reb. deperd. & inv. p. 683. Lyd. Serm. conviv. I. p. 82. Salden. Ot. Theol. I. 6. 7. Pius Annot. post. c. 80. Boxhorn. Quæst. Roman. 26. Tiraquell. & Mercer. in Alexandrum. Sched. de diis Germ. II. 5. Casal. de Rit. nupt. c. 1. de Urb. ac Imper. Roman. splend. part. 2. c. 16. Demster. Paralip. ad Rosin. Antiq. V. 37 Langbæn. in Longin. de Sublimit. Sect. IV. n. 10. §. 29. Voss. Lex. Etymol. Bernart. in Stat. Theb. II. 341. Stewech. in Veget. II. 1. Barth. Adv. XXII. 9. Salmas. Exerc.

plin

Plin. p. 190. a. A. 812. b. B. Carol. Antiq. Roman. IV. 3. Laurent. de Sponsal. & nupt. c. 1. Pitisc. in Suet. Ner. c. 28. n. 3. Kipping Antiq. Roman. IV. 2. §. 3.

FLAMULÆ posteriori ævo fuerunt vexilla dicta e purpura, & auro mixta. Veget. II. 1. *Equitum alæ, quod protegunt acies, quæ nunc vexillationes vocantur, quia velis, hoc est, flamulis, utuntur.* Cedrenus: *Vexillationes, Romanorum, copiæ. Vexilla passim panni, seu vela, e purpura & auro, in quadratam formam effecta. Hæc adaptantes longis hastis, circum Principes in orbem euntes, eos tegunt. Sunt autem illa quæ nunc flamulæ dicuntur.* Ille idem de Arabibus: *Chartam conscriptam, pacis testem, super flamula suspendentes.* Suidas: *Saurion, genus signi, vel flamulæ.* Lipf. de Milit. Roman. IV. 5. Thys. Rom. Illustr. IV. p. 93.

FLATOR dicitur *tibicen.* Festus. Hujus enim officium in *flando* exstitit. Glossarium: *Flat flator*, φυσᾷ αὐλητής. Et veteres glossæ: Αὐλητὴς, *flator*, *tibicinator.* Arnob. II. p. 69. *Tibia, calamoque flantes.* pro tibicinibus. Sic *tibias inflare* dixere Latini, ubi usus tibiarum exprimendus fuit. Tertull. adv. Marcion. II. *Nec tu si in tibiam flaveris, hominem tibiam feceris, quanquam de anima tua flaveris.* Apul. Met. VI. p. 195. *Ut tibias inflaret satyrus.* Barthol. de Tib. vet. I. 7: III. 1. Tomas. de Donar. c. 26. Scalig. in Festum. Elmenhorst. & Herald. in Arnobium.

Flator etiam dicitur, qui ad ignem excitandum folles commovet, quibus ventus attrahitur atque emittitur. Virg. Æneid. VIII. 449.

— alii ventosis follibus auras
Accipiunt, redduntque.

Guther. de Offic. dom. Aug. III. 19.

Flatores æris, argenti, auri fuerunt magistratus, qui curam cudendæ monetæ habebant. Pompon. l. 3. ff. de orig. jur. *Eodem tempore constituti sunt triumviri monetales, æris, argenti, auri flatores.* Inde nummus æreus perantiquus apud Bernardinum Sandrium. C. PLOTIUS. IIIVIR. A. A. A. F. F. quem sic explicat: auro, argento, ære, flando, feriundo. Eædem notæ fuerunt in nummo æneo Augusti: S. C. M. SALVIUS. OTHO IIIVIR A. A. A. F. F. *Land. Miscell. in vet. numism. Miscell. Ital. Tom. I. p. 384. Crinit. de Hon. discipl.* XVII. 7. Nummos *flare* est illos fingere, fundere, formare. Ulpian. l. 9. ff. ad leg. Corn. de falf. *Quive argenteos nummos adulterinos flaverit*, & *flaturarios* homines pecuniæ formandæ operatos Imperatores vocant l. 6. C. de falf. monet. *Freher. de Re monet. vet.* I. 1. Miror triumviros monetales dictos *flatores.* .... Quid enim? Num liberti *flatores* in re monetaria magistratum populi Romani suffragio gesserunt? Hoc plane absurdum est. Quare audacter affirmo Pomponium ita scripsisse: *Triumviri monetales, æris, argenti, auri F. F. LATOR.* quod est *flandi feriundi latores:* & ex literarum vicinitate literam *F* literæ *F* verbo *latores* junxerunt: imperitia librariorum scriptum *flatores.* Guther. de Offic. dom. Aug. III. 19.

FLATURARIUS in genere dicebatur, qui *flando* aliquid conficiebat. Glossæ veteres: χωνευτὴς, *conflator.* Meminit ejuscemodi *flaturarii* inscriptio, quæ Romæ visitur ad D. Bartholomæum in insula Tiberina. Gruter. Inscr. p. 638. n. 5.

D. M.
SETLIÆ. NICES. . . .
C. SETLIUS. ONESIMUS
FLATURAR. DE. VIA. SAC
CONJUGI. B. M. F.

Meibom. Mæcen. c. 21. §. 4.

Flaturarius vocabatur etiam auri argentique monetarius. Inscriptio Romæ in vinea Cardinalis Carpensis:

DIS. MANIBUS
M. ULPIUS. AUG. LIB. SYMPHORUS
FLATURARIUS. AURI. ET. ARGENTI.
MONETAR. . .

Meminit Constantinus Imperator C. Theod. l. 6. de falf. mont. *Meibom. Mæcen. c. 21. §. 5.*

Flaturarius sigilliarius dicebatur, qui & annulos conflabat ex auro, argentove, aut metallo alio, & iisdem simul gemmas includebat, aut signa gemmis, vel metallo incidebat, & insculpebat, Græcis δακτυλιογράφος. Gruter. Inscript. p. 638. n. 6.

C. JUNIO. THALATIONI
C. MÆCENATIS. LIBERTO
FLATURARIO
SIGILLIARIO

Hieron. in Hierem. c. 24. *artificem, & inclusorem auri, atque gemmarum* vocat. August. de Civ. Dei XXI. 4. *artificem, & insignitorem gemmarum.* Talem fuisse Mnesarcham Pythagoræ patrem tradunt Laert. VIII. 1. Apul. Florid. p. 792. Tzetzes Chiliad. XI. 369. Suidas. *Kirchman. de Annul. c. 11. Meibom. Mæcen. c. 21. §. 6.*

FLAVIA gens. V. illam infr. in *Gens.*

Flavia Julia est urbs in Callaicarum & Bracarum confinio sita, & nunc *Chiaves* vocata. *Flaviam* dictam conjectare licet, cum scilicet *universæ Hispaniæ Vespasianus Imperator Augustus, jactatus procellis Reipublicæ Latii jus tribuit* teste Plin. III. 3. *Ursat. de Not. Roman. Thes. Ant. Rom. Græv. Tom. XI. p. 666. B.*

Flavia lex. V. illam infr. in *Lex.*

Flavia tribus. V. illam infr. in *Tribus.*

FLAVII sunt dicti Imperatores Constantinopolitani a *Flavio* Constantino, ut a C. Cæsare Cæsares Imperatores Romani. Constantinus enim Imperator, qui *Flavius* est appellatus, novi cujusdam imperii auctor fuit. Constantinopolim novam Romam voluit appellari. Et ita in orbe Romano duæ duorum imperiorum diversæ fuerunt sedes: una dicebatut Roma vetus, altera Roma nova. Et quia hæc duo imperia fere perpetuo conjuncta fuerunt, hinc factum videri potest, ut Imperatores, qui Cæsares solum antea dicebantur, tandem non Cæsares duntaxat, sed etiam *Flavii* appellarentur: Cæsares quidem respectu imperii Romani, cujus caput & princeps fuit C. Julius Cæsar: *Flavii* vero Constantinopolitani imperii ratione, cujus *Flavius* Constantinus prima jecerat fundamenta. Et quia Justinianus utrumque imperium simul obtinuit, hac etiam ratione factum est, ut ille non *Cæsar*, non *Flavius* solum, sed tam *Flavius*, quam Cæsar his verbis appellaretur: *Imperator Cæsar Flavius Justinianus*, quemadmodum ex triumphalibus titulis constat, qui procemio Institutionum præfixi sunt. *Ravard. Conject.* III. 17.

FLE.

FLEXIO ad metam a Tzetze & Callisthene καμπὴ & καμπτηρία, a Chrysostomo κάμπτος, a Pacuvio καμπτὴρ, a Cicer. pro Coel. c. 31. *flexus* dicitur. Ars omnis, & industria aurigæ in eo fuit, ut tuto, scienter, prompte, sinisteriore gyro metam circumageret, in quo periculum fuit, ne vel allisæ ad metam rotæ effringerentur, si propius in sinistrum flecteret; vel ne dexterior longius a meta ad podium recederet. Utrumque hoc peccatum in aurigis notat Sidon. carm. 23. n. 394.

Hic compendia flexuosa metæ
Unus dum premit, incitatus a te
Elatas semel impetu quadrigas
Juncto non valuit plicare gyro:
Quem tu, quod sine lege præteriret
Transisti remanens, ab arte restans.
Alter dum popularitate gaudet,
Dexter sub cuneis nimis cucurrit.

Virg. Æneid. V. 129.

Hic viridem Æneas frondenti ex ilice metam
Constituit signum nautis pater, unde reverti
Possent, & longos ubi circumflectere cursus.

Ars sub finem septeni spatii maxime spectabatur. Sidon. ibid. n. 370.

Tu

Tu conamine duplicatus ipso
Stringis quadrijugos, & arte summa
In gyrum bene septimum reservas.

Buleng. de Circo c. 29. Fab. Agon. I. 28. Savar. in Sidonium.

FLEXUMINES. V. illos infr. in *Trossuli.*

FLO.

FLORA dea florentibus frumentis præposita. Fabula varie narratur. Quidam in æedituam Herculis & scortum referunt. Alii in Larentiam. Lactant. I. 20. *Flora cum magnas opes ex arte meretricia quæsivisset, populum Romanum scripsit hæredem, certamque pecuniam reliquit, cujus ex annuo fœnore suus natalis dies celebraretur editione ludorum, quos appellabant Floralia. Quod quia senatus flagitiosum videbatur, ab ipso nomine argumentum sumi placuit, ut pudendæ rei dignitas quædam adderetur, deam finxerunt esse, quæ floribus præesset, eamque oportere placari, ut fruges cum arboribus, aut vitibus, bene, prospereque florescerent. Eum colorem secutus in Fastis poeta, non ignobilem nympham narravit, quæ Chloris vocitata: eamque Zephyro nuptam, quasi dotis loco id muneris accepisset a marito, ut haberet omnium florum potestatem.* Gyrald. Synt. deor. I. p. 41. F. Lipen. de Stren. c. I. §. 7. Panciroll. Descr. Urb. Rom. Thes. Ant. Rom. Græv. Tom. III. p. 343. E. Argol. ad Panvin. de Lud. Circens. I. 21. Nardin. Rom. Vet. VI. 8. Marlian. Topogr. Urb. Rom. IV. 25. Panvin. de Civit. Rom. c. 25. Ortel. Deor. & dear. capit. II. 59. Kipping. Antiq. Roman. I. 4. §. 3. Rosin. Antiq. Roman. II. 20. Vellem Lactantius addidisset, suamne de ista conjecturam adduxisset; an alios sit secutus auctores. Sane non arbitror, ullam fuisse ejus nominis meretricem, quæ sua legarit populo Romano. Siquidem *Floræ* sacra jam Romuli temporibus a Tatio Rege sunt inducta. Varr. de Ling. Lat. IV. 10. *Dicimus Fortunam, Fortem, Fidem, Lares. Ea re Sabinorum linguam olent: quæ Tatii Regis voto sunt Romæ dedicata. Nam, ut annales dicunt, vovit Opi, Floræque....* Hinc patet, *Floram* jam ante cultam esse a Sabinis: alioqui non ei se voto obstrinxisset Tatius Rex cum Romanis pugnaturus. Idem evincere est altero Varronis loco, quem produximus supr. in *Flamen Floralis.* Voss. de Idolol. I. 12. Ouzel. ad Minuc. Felic. p. 233. Græv. Thes. Antiq. Roman. Tom. I. Præfat. * * * 4. vers.

FLORALIA, sive ludi *Florales* non ideo tum temporis fuerunt, quia jam Romuli & Numæ temporibus *Floræ* sacra, & flamines erant. Hi demum celebrati sunt anno ab U. C. 513. C. Claudio Centhone, & M. Sempronio Tuditano Coss. idque non ex *Floræ*, vel meretricis cujusquam hæreditate, sed ex pecunia multaticia eorum, qui peculatus damnati erant, quia publicum populi Romani agrum occupaverant, ut narrat Ovid. Fast. V. 279. . . : Ac firmant nummi argentei, quos cudere ejus anni ædiles plebis, L. & M. Poblicii Malleoli. In iis cernere est caput genii populi Romani tanquam indicis; & figuram arietis, vel ovis, ut signum multæ, vel peculatus; Inscriptio est. M. POBLICIUS MALLEOLUS. Hæc quidem *Floralium* fuerunt exordia. Annua ut essent, decretum demum anno ab U. C. 58?. L. Postumio Albino, & M. Popillio Lænate Coss. Occasio erat hujuscemodi. Magna sæpius fuerat verni temporis intemperies, indeque rata plurium annorum sterilitas. Placitum igitur senatui, ut *Floræ* instituerentur ludi annui; quo favore deæ, tanto jam honore auctioris, deinde arbores, plantæque omnes melius florescerent. Ovid. ibid. n. 327.

Convenere patres, & si bene floreat annus
Numinibus nostris annua festa vovent.
Annuimus votis: consul cum consule Lænas
Postumio ludos persoluere mihi.

Voss. de Idolol. I. 12. Ouzel. ad Minuc. Felic. p. 234. Pigh. Annal. Rom. II. p. 360. Celebrabantur IV. Kal. Maj. *cum omni lascivia. Nam præter verborum licentiam, quibus obscœnitas omnis effunditur, exuuntur etiam vestibus populo flagitante meretrices, quæ tunc mimorum funguntur officio, & in conspectu populi, usque ad satietatem impudicorum hominum cum pudendis motibus detinentur.* Lactant. I. 12. Quæ quare major, & liberior in his fuerit ludis, docet Ovid. ibid. n. 331. . . . . *Hos* M. Porcio Catone *spectante populus, ut mimæ nudarentur, erubuit postulare: q*[illegible] *Favonio amicissimo sibi una sedente* [illegible] *ne præsentia sua spectaculi consuetudinem* [illegible]. Val. Max. II. 10. [illegible] Epist. 97. *B*[illegible] *Rom.* II. *p.* 36. *G. Panciroll. Descr. Urb. Rom.* [illegible] *Roman. Græv. Tom.* III. *p.* 343. *A. Argol. in Panvin.* [illegible] *Lud. Circens.* I. 21. *Buleng. de Theatr.* I. 49. [illegible] *Roman. Thes. Ant. Rom. Græv. Tom.* XI. *p.* 722. *E. Lipen. de Stren. c.* I. §. 7. *Bud. in Pandect. p.* 171. *F. Brisson. de Form.* I. *p.* 56. *Gyrald. Synt. deor.* I. *p.* 42. *B. Stuck. Ant. Conviv.* I. 33. *Laz. Comm. Reip. Rom.* X. 10. *Tomas. de Donar. c.* 29. *Ortel. Deor. & dear. cap.* II. 59. *Laurent. de Adulter. c.* 3. *Polym.* IV. *Synops.* 6. *Volaterr. Rer. Urban.* XXIX. *p.* 1055. *L. Kipping. Ant. Rom.* II. 6. §. 13. *Rosin. Antiq. Roman.* IV. 8. & 15. *Pigh. ibid. p.* 71. Cum primum mense Aprili celebrarentur, postea in Majum translata sunt, quod ostendit Ovidius laudatus supr. in *Circus Floræ.* Rosin. l. l. Improvide. Ovidius de illa translatione ne verbum quidem facit, sed exordium illorum Aprili, finem Majo constanter assignat. Duplicia fuisse vult Nardinus, sed & ille errat. V. supr. in *Circus Floræ.* Borrich. Antiq. Urb. Fac. c. 7. §. 4. V. etiam supr. in *Circus Floræ.*

FLORES. Illis spargebantur, qui honore aliquo insigni mactari meruerant. Flor. II. 7. 14. *Quid* [illegible] *in consulem profuderunt?* Sic apud Herodian. IV. 15. Alexandrini *florum sparsionibus Imperatorem* Caracallam *honorabant.* Ovid. Trist. IV. 2. 49.

Quaque ibis, manibus circumplaudere tuorum,
Undique jactato flore tegente vias.

Barth. Adv. XXXIV. 9. Lips. in Tacit. Annal. XIV. n. 156. Freinshem. in Florum. Alex. Gen. VI. 6. Figrel. de Stat. Roman. c. 35. Et defuncti in feretro dum efferrentur. Plin. XXI. 3. *Scipio in tribunatu erat plebi admodum gratus, dignusque Africanorum familia. Nec erat in bonis funeris impensa. Asses ergo contulit populus, ac funus elocavit, quaque preferebatur, flores e prospectu omni sparsit.* Dionys. XI. p. 719. *Ædibus exsiliebant & mulieres, & virgines, casum illum lugentes, atque flores, & coronas in lectum jaciebant,* sive ut hac *florum* sparsione in memoriam sibi revocarent ævi hujus brevitatem, & *quæ spectatissime floreant, celerrime marcescere,* ut ait Plin. XXI. 1. sive ut defunctis animabus honorem habitum [illegible]. *Kirchm. de Fun. Roman.* I. 11. *Freinshem. in Florum.* Et eorum tumuli. Suet. Ner. c. 57. n. 2. *Non defuerunt, qui per longum tempus vernis, æstivisque floribus tumulum ejus ornarent.* Lucian. in Nigrino: *Quidam etiam cippos suos floribus coronari jubent, stolidi etiam post mortem manentes.* Epitaphium Eutichetis aurigæ;

Sparge precor flores supra mea busta viator:
Favisti vivo forsitan ipse mihi.

Kirchm. ibid. IV. 3. Morestell. Pomp. Feral. VIII. 14. Elmenhorst. & Ouzel. in Minuc. Felic. p. 109. Malvas. Marm. Felsin. Sect. X. c. I. Barth. Adv. IV. 18. Aring. Rom. Subterr. I. 25. §. 11. Paschal. de Coron. IV. 5. Noris. Cenot. Pisan. Dissert. III. 6. Passerat. in Prop. p. 507. b. Casal. de Urb. ac Imper. Roman. splend. part. 2. c. 21. Faes in Gyrald. de Var. sepel. rit. c. I. & 5. Kipping. Antiq. Roman. IV. 6. 15. Blond. Triumph. Rom. II. p. 43. B. Bernegg. in Flor. II. 7. 15. Bellor. Descript. Sepulcr. Nason. tab. 35. Et quidem quotannis. Inscriptio, quæ est Ravennæ.

UT. QUOTANNIS. ROSAS. AD. MONIMENTUM. EJUS. DEFERANT. ET. IBI. EPULENTUR. DUNTAXAT. IN. V. ID. JULIAS.

Lapis Patavii in idem testis esse potest:

M. MANILIUS. SURUS. P. F. IIIVIR. CAP. ET. POMPONIA. GN. F.

MARTIALI. CONCORDIA.
INCOMPARABILES. S. V. P. HAC. F.
SINE. ULLA. PENA. UT. SUPERSTES.
ROSIS. S. JACIENTES. QUOTAN.
KL. EXORNET.

Faes in Gyrald. de Var. sepel. rit. c. 1. *Brisson. de Form.* VII. *p.* 704. *Kirchman. l. l.* Imo per totum annum. Capitol. in M. Anton. Philos. c. 3. *Tantum honoris magistris suis detulit, ut sepulcra eorum aditu, hostiis, floribus semper honoraret.* Hoc Mæcenati pollicetur Albinov. n. 143.

Semper serta tibi dabimus, tibi semper odores.

Gorall. in Albinovanum. Nec non imagines. Tacit. Annal. XIV. 61. 1. *Octaviæ imagines gestant humeris, spargunt floribus.* Hist. II. 55. 2. *Populus cum lauru, & floribus Galbæ imagines circum templa tulit, congestis in modum tumuli coronis.* Figrell. & Bernegg. l. l.

FLU.

In FLUMEN mergere sontes fuit supplicii genus Romanis parum in usu. Unde *novum genus leti* dicitur Liv. I. 5. Augustus tamen apud Suet. c. 67. n. 7. *pædagogum, ministrosque Caji filii, per occasionem valetudinis, mortisque ejus, superbe, avareque in provincia grassantes, oneratos gravi pondere cervicibus, præcipitavit in flumen.* Notum tamen Græcis, Macedonibus, Syris, Germanis. *Kipping. Antiq. Roman.* II. 7. §. 7. *Pitisc. in Suetonium & Curt.* X. 4. 1. §. 1. Fiebat crate superne injecta. V. supr. in *Crates.* Dicebatur reddi.. V. infr. in *Reddi.*

FLUMENTANA porta. V. illam infr. in *Porta.*

FLUONIA dea. V. illam infr. in *Juno.*

FOC.

FOCALIA erant operimenta colli, & faucium. Quintil. XI. 3. V. illum supr. in *Fasciæ crurales.* Senec. Nat. Quæst. IV. 13. V. illum infr. in *Palliolum.* Turneb. Adv. VII. 10.

FOCARIA ad culinam pertinebat. Pompon. l. 15. ff. de instruct. vel instrum. leg. *His verbis Servius respondit, focariam, mercesque, quæ in his tabernis essent, legatas videri. Focus* enim in culinis. V. infr. in *Focus. Focariam* etiam concubinam interpretari possemus, non male. Conjecturam possumus confirmare ex Varrone. Is enim de pastoritia concubina scribens inquit de Re rust. II. 10. *Sed eas mulieres esse oportet firmas, non turpes, quæ in opere, ut in multis regionibus, non cedant viris: ut in Illyrico passim videre licet, quod vel pascere pecus, vel ad focum afferre ligna, ac cibum coquere, vel ad casas instrumentum servare possunt.* Pignor. de Serv. p. 514. Turneb. Adv. VIII. 9.

FOCARIUS etiam ad culinam pertinebat. Ligna enim cædebat, & ignes alebat. Ulpian. l. 1. §. 5. ff. naut. caup. *Cæterum, si qui opera mediastini fungitur, non continuerit: utputa focarii. . . .* Pignor. de Serv. p. 96. & 514. Kipping. Antiq. Roman. IV. 1. §. 1. Hering. de Molend. q. 4. §. 56.

FOCULUS, qui in mensam cum obsoniis inferebatur, ne quid intepesceret, fuit inter vasa coquinaria. Aristoph. Acharn. IV. 1. 28.

—— famuli efferte huc illicet
Foculum mihi.

Buleng. de Conviv. IV. 9. Senec. Epist. 78. *Quia non circa cœnationem ejus tumultus coquorum est, ipsos cum obsoniis focos transferentium. Hoc enim jam luxuria commenta est. Ne quid intepescat cibus, ne quid palato jam calloso parum ferveat, cœnam culina persequitur.* Buleng. ibid. Prolus. 11. Laurent. de Fistul. & tintinnab. c. 4. Turneb. Adv. VII. 22.

FOCUS erat in coquinis. Arnob. IV. p. 130. *Et quid, quæso, ut faciat præsidatum focorum, deus iste sortitus est? per humani generis coquinas currit, inspiciens, & explorans, quibusnam lignorum generibus ardor in foculis excitetur.* Pignor. de Serv. p. 514. Erat sacer Laribus. Unde *focum* olim dixerunt *foculare*, quasi Laris focum. *Tomas. de Donar. c.* 8. *Laurent. Var. sacr. gentil. c.* 6. Quibus in illo seponebant ollas peculiares olerum, quas Laribus sacras tangere nefas erat, tanta superstitione colebantur. Prudent. Περὶ Στ. X. 261.

Fuliginosi thure placantur Lares,
Et respuuntur consecrata olusculæ;
Aut unde major esse majestas focis,
Quam nata in hortis sarculatis creditur:
Si numen ollis, numen & porris inest.

Barth. Adv. XLI. 21. In luctu non instruebatur. Juven. Sat. III. 214.

Tunc gemimus casus urbis, tunc odimus ignem.

Ubi vetus interpres: *Nec focum in domo nostra fieri patimur, quod & lugentes observare solent.* Apul. Met. II. p. 58. *Abi fatue, qui in domo funesta cœnas & partes requiris, in qua tot jugis jam diebus ne fumus quidem visus est ullus.* Ejus rei hæc ratio est. Ut ipsi ornatum ponebant; ita ædes quoque suas ponere voluerunt: nam ignem veteres magnum earum ornamentum censebant. Hinc illud Homeri Epigram. XIII. 5.

At lucente domus multo est angustior igne.

Atque tum *focus noxius* dicebatur. Quintil. Declam. XII. *Redite in domus vestras, videbitis noxios focos, & ignes tabe cadaverum exstinctos.* Huc alluditur a Poetis, cum optant *focum perennem*, ut Mart. X. 47. 4. aut *focum pervigilem*, ut Stat. Sylv. IV. 5. 13. aut *ignem assiduum*, ut Tibull. I. 1. 6. Quo significant, velle se a diis, ne exstinguere *focum* unquam debeant, id est, ut vivant sine funere domestico, a luctu. *Meurs. de Fun. c.* 49. *Kirchm. de Fun. Roman.* IV. 11. *Morestell. Pomp. Feral.* IX. 7. *Florid. in Apulejum.*

FOED.

FOEDUS differt a pactione. V. infr. in *Pactio*; & a sponsione. V. infr. in *Sponsio.* est pactio quædam civitatis, non ex Imperatoris arbitrio, sed jussu populi, aut senatus auctoritate firmata; neque ad tempus, sed in perpetuum; neque per sponsores, datis obsidibus, sed per fecialem publicum populi Romani nuntium, sollenni precatione adhibita: *per quem populum fiat, quo minus dictis legibus stetur, ut eum Jupiter ita feriat, quemadmodum a fecialibus porcus feriatur.* Quod potest cognosci ex formula *fœderum* feriendorum nobis tradita a Liv. I. 24. Porcus enim, sive porca a *fœdus* ferientibus silice percutiebatur. V. infr. in *Porca.* Quamvis & alia *fœderis* feriendi ratio fuerit illata, ut sæpe non porcus feriretur, sed lapis abjiceretur. Polyb. III. 25. *Romani Jovem lapidem jurarunt ex veteri quodam ritu. Mos autem jurandi Jovem lapidem est hic. Fecialis lapidem tenens ita ait: si sine dolo malo ago, bonis afficiar: si sciens fallo, cæteris omnibus salvis in suis civitatibus, legibus, laribus, delubris, sepulcris, solus ego concidam, ut lapis e manibus meis decidet: nec plura locutus manu lapidem abjicit.* Sigon. de Ant. jur. Ital. I. 1. Stuck. Ant. Conviv. I. 30. Brisson. de Form. IV. p. 356. Valtrin. de Milit. Rom. VI. 11. Hotom. de Form. Thes. Ant. Rom. Græv. Tom. II. p. 1917. F. Etiam invaluit ille mos, ut aræ & sacra in fidei pignus tangerentur. Virg. Æneid. XII. 201.

Tango aras, mediosque ignes, & numina testor,
Nulla dies pacem hanc Italis, nec fœdera rumpet,
Quo res cunque cadent.

Berthald. de Ara c. XIII. n. 2. Et *fœderis* pacta a patre patrato, qui illi feriundo præerat, jurejurando firmarentur. Ejus formula inter Romanos & Albanos legitur apud Liv. I. 24. *Fecialis M. Valerius patrem patratum Sp. Fusium fecit; verbena caput capillosque tangens (pater patratus ad jusjurandum patrandum, id est, sanciendum fit) fœdus multis verbis peragit. Legibus deinde recitatis: audi Jupiter. . . . populus Romanus prior non deficiet. Si prior deficit publico consilio,*

ſilio, dolo malo, tu illo die Jupiter populum Romanum ſic ferito, ut ego porcum hunc hodie feriam. Sua item carmina Albani, ſuumque jusjurandum per ſuum dictatorem, ſuosque ſacerdotes peregerunt. Et dextræ jungerentur. Virg. Æneid. I. 518.

Lætitiaque metuque avidi conjungere dextras.

Stat. Theb. I. 470.

Jam pariter coeunt amborum in pignora dextræ.

Hanſen. de Jurejur. vet. c. 10. Sollenne fuit Romanis, ut tantum ante meridiem illa inirent, & confirmarent. Quem ritum boni ominis cauſa inſtitutum crediderim. Quemadmodum ad id plerumque Romani in agendis rebus attendebant. *Boxhorn. Quæſt. Roman. c.* 44. *Stuck. l. l.* Ad ſecuritatem in templis deponerentur. Ita *fœdus* Smyrnæorum & Magnetum, ad majeſtatem Seleuci Aſiæ regis tutius conſervandam, columnis ſingulis inciſum, & in fano Veneris Stratonicidis, alibique, apud utramque Rempublicam ex pacto ſacratum. *Tomaſ. de Donar. c.* 24. Scelerato ſanciendo ſanguis humanus adhibebatur. V. infr. in *Sanguis.* Illis ſceptrum adhibebatur. V. infr. in *Sceptrum.*

FOEN.

FOENERATORES ſtabant ad Janum. Acro ad Horat. Sat. II. 3. 18. *Jani ſtatuæ tres erant; ad unam illarum ſolebant convenire creditores, & fœneratores, alii ad reddendum, alii ad locandum fœnus.* Epiſt. I. 1. 11. *Duo jani ante baſilicam Paulli ſteterunt, ubi locus erat fœneratorum. Janus dicebatur locus, in quo ſolebant convenire fœneratores.* Fuere hi ad arcum Fabianum, adeoque non longe a Puteali Libonis, & baſilica Paulli. Hinc de uſurarum debitoribus Ovid. de Rem. Amor. II. 561.

Qui puteal, Janumque timet, celereſque Kalendas.

Nardin. Rom. Vet. V. 7. Land. Miſc. in vet. numiſm. Miſc. Ital. Erud. Tom. I. p. 365. V. & infr. in *Tabernæ novæ.* Quando debita exegerint. V. infr. in *Kalendæ.*

FOENILIA *extra villam facienda videntur, ut ab ignis periculo villæ ſint tutiores.* Vitruv. VI. 9. Idem jubet Pallad. I. 32. *Fœni, palearum, ligni, cannarum repoſitiones nihil refert, in qua parte fiant, dummodo ſiccæ ſint, atque perflabiles, & longe removeantur a villa propter caſum ſurripientis incendii.* Et hoc legibus locationum conſueverat aliquando exprimi. Ulpian. l. 11. §. 4. *Inter conductorem & locatorem convenerat, ne in villa urbana fœnum componeretur.* Pignor. de Serv. p. 553.

FOENISECA *fœnum* ſecat. Colum. II. 18. *Tum fœniſecam meſſorem oportet inducere.* Ejus inſigne fuit corona e *fœno.* Ovid. Met. XIV. 646.

Tempora ſæpe gerens fœno religata recenti,
Deſectum poterat gramen verſare videri.

Prop. IV. 2. 25.

Da falcem, & torto frontem mihi comprime fœno:
Jurabis noſtra gramina ſecta manu.

Pignor. de Serv. p. 554. Popm. de Inſtrum. fund. p. 12. Cum enim iſtis, quæ vulgo ferimus, carerent capitiis & pileis: ſed vel nudo capite eſſent, vel caput cucullo veſtis operirent, idcirco in magno æſtu qui *fœnum* ſecabant, adverſus ardorem ſolis caput torto *fœno* tegebant. *Turneb. Adv.* XXIII. 6.

FOENUM alligare cornibus cornupetarum boum ſolebant veteres: ut obviam prodeuntes cavendum ſibi admonerentur. Quo reſpexit Horat. Sat. I. 4. 34.

Fœnum habet in cornu: longum fuge.

Et M. Craſſus ob animi impotentiam, & ferocitatem *fœnum* in cornu habere dictus eſt. Nam cum Sicinius, *qui plurimum negotii ſui temporis magiſtratibus, atque ducibus populi exhibuit, rogaretur, quid unum non laceſſeret Craſſum, ſed hunc omitteret, reſpondit: fœnum habet in cornu.* Plutarch. in Craſſ. p. 547. C. Qui etiam addit: *ſolent Romani bobus cornu petentibus, quo obvii ſibi caverent, cornu fœno circumligare.* Eraſm. Adag. p. 584. b. Salmuth. in Panciroll. de Reb. deperd. & inv. p. 372. Torrent. in Horatium.

Fœnum cordum dictum eſt, quod ſero naſceretur, aut matureſceret. *Auguſtin. de Legib. in Mucia.* V. ſupr. in *Cordus.*

Fœnum Græcum irritandæ gulæ pro antecœna fuit. *Buleng. de Conviv.* II. 63. Illo callide in Romanos uſus eſt Joſeph. de Bell. Jud. III. 10. Cum enim Jotapata, cui præerat, acriter oppugnaretur, & pontibus per aggerem admotis, in eo eſſet, ut tranſſcenderent: *fœno Græco elixo juſſit tabulas pontium inſpergi, & ſuperfundi: qua re illi lapſantes, & caſabundi; incerto veſtigio vacillabant, adeo ut nec regredi poſſent, aliique ſuper ipſos pontes reſupini caderent, alii in aggeres delaberentur.* Lipſ. Poliorc. V. Dial. 3. Laurent. Polym. IV. Syn. 2. §. 10. Thyſ. de Oppugn. Urb. V. p. 190.

FOENUS eſt res ipſa, quæ mutuo data eſt ſub uſuris, æs alienum ſub uſura contractum. Si aliquando uſuram pecuniæ creditæ ſignificat, hoc fit improprie. *Salmaſ. de Uſur. c.* 2. Si *fœnus* eſſet uſura proprie, nunquam pro mutuo ipſo *fœnebri* uſurpatum eſſet: ut nec uſuram usquam legimus pro mutuo uſurario uſurpatam. *Salmaſ. ibid. c.* 5. Sed hoc argumentum fallax eſt, & improbum. Neque enim neceſſe eſt, quæ una parte conveniunt, ea per omnia convenire. Ut amnes duo, jugis propinquis ſcaturientes, eſt ubi coeant & miſceantur, eſt ubi divortiis in remotiſſima diſcedant: ſic his vocabulis junctum & commune eſt, quod ambo ſignificant acceſſionem crediti: *fœnus* interim abit ab uſura, eaque latius patet, quum ſub ipſo credito ſub uſuris, ſive ſorte ponitur; uſura exſpatiatur a fœnore, eoque latius patet, quum etiam ex mora, cauſisque ex aliis quam ex credito accreſcens explicat. *Fœnus* itaque pro uſura juxta proprie, juxta antique dicitur. Cujus rei ratio ut appareat, ſic procedendum eſt. Ποινὴ, vel ποῖνος, φοῖνος, φοῖνος, *fœnor, fœnoris, & fœner fœneris*, & tandem *fœnus fœnoris*, vel *fœneris*, eſt, quod rependitur. Quod autem rependitur, vel tantundem eſt, quanti expenſum; vel uberius expenſo, ampliusque; vel minus, & in anteceſſum datum, ut lætior exſpectet, ſuſtineatque, a quo accepimus, donec omne poſſit exſolvi. Ut ille apud Virg. Ecl. VII. 35.

Nunc te marmoreum pro tempore fecimus: at tu,
Si fetura gregem ſuppleverit, aureus eſto.

Hinc igitur *fœnus* & ſors eſt ſpe uſurarum data, ubi opus eſt, alio vocabulo, vel appoſito, vel intellecto uſuras ſignificante; & ſors eſt ſimul cum uſuris; & uſura ſola, ubi opus eſt, alio vicino, vel intellecto vocabulo ſignificante ſortem. *Gronov. Mantiſſ. pecun. Vet. c.* 1. *Noodt de Fœnor. & uſur.* I. 3. Abolitum eſt lege Genuccia. Liv. VII. 42. *Præter hæc invenio apud quosdam, L. Genucium, tribunum plebis tuliſſe ad populum, ne fœnerari liceret.* Hoc reſpexit Appian. Bell. Civ. I. p. 382. *Dum quidam acerbius uſuras exigunt, contra quam cautum eſſet antiquis legibus. Videntur enim priſci illi Romani, ſicut & Græci abhorruiſſe a fœnere. Et vetitam poſtremo uſuram* dixit Tacit. Annal. VI. 16. 2. Gronov. de Centeſ. uſur. Ἀντεξην. III. §. 25. Cato de Re ruſt. præf. *Eſt interdum præſtare mercaturis rem quærere, ni tam periculoſum ſiet; & item fœnerari, ſi tam honeſtum ſiet. Majores enim noſtri ſic habuerunt, & ita in legibus poſuerunt; furem dupli condemnari, fœneratorem quadrupli. Quanto pejorem civem exiſtimarint fœneratorem quam furem, hinc licet exiſtimari.* Ejusdem reſponſum laudatur a Cicer. de Offic. II. 25. Nam cum quæreretur ab eo, an maxime in re familiari expediret *fœnerari*, reſpondit: an hominem occidere? nihil intereſſe exiſtimabat hominem gladio, aut fœnove occidere. *Auguſtin. de Legib. in Genucia. Sigon. l. l. Gronov. de Pecun. vet.* III. 14. V. & infr. in *Uſura.* Et in *fœnus* invehuntur prætes hos, Ariſtoteles, Seneca, Lactantius, Ambroſius, Auguſtinus, Chryſoſtomus, & juris Canonici auctores, ejusdemque interpretes apud *Noodt ibid. c.* 4. Sed humanæ conjunctioni non adverſari, ſed convenire docet *idem ibid. c.* 6. & adverſariorum argumenta refutat

ibid. c. 7--12. Ratio, quare permiserint decemviri aliquod *fœnus*, hæc est: quia vix videtur sine eo consistere posse civilis societas, & communicatio officiorum, & commerciorum. Nam quotusquisque reperitur, qui detracta spe lucri, & accessionis ex *fœnore*, mutuam alteri pecuniam dare velit. *Rutersh. in Leg.* XII. *tab. Class.* III. *p.* 2. *c.* 29. De vetanda versura rogationem tulisse Genucium, nihil est fortasse quod vetet credi; sed legem illam observatam diu fuisse non est credibile. *Salmas. de Mod. usur. c.* 7.

Fœnus assarium. V. illud supr. in *Asses usuræ*, & infr. in *Usura centesima.*

Fœnus semunciarium. } V. illa infr. in *Usura centesima.*
Fœnus unciarium.

FOL.

FOLIS, sive *follis* est pecunia minuta Græcis ac Latinis, qui dicitur in Euangelio quadrans, χοδράντης, Arabibus φόλις, Græcis ὀβολὸς χαλκός. *Foles* ærei primo, deinde argentei. Κεράτια Græci vocant *foles*, unde *δικεράτιον*, *duo foles*, tributum pro reficiendis Urbis muris. Cedren. in Leon. Iconom. *Cum vidisset Imperator mœnia Urbis prolapsa, dixit, vos cives non potestis mœnia Urbis restituere, sed imperavimus dispensatoribus, & magistris thematum, ut peterent in canonem ad nummum miliaresium unum, quod in palatium inferretur ad mœnia reparanda. Unde mos invaluit, ut administratoribus bini foles penderentur.* Æstimatio illorum est diversa apud auctores, quia alii erant ærei, alii argentei. *Buleng. de Vectig. c.* 58. *Salmas. ad Spartian. Adrian. c.* 3. *Casaub. & Salmas. ad Lamprid. Heliog. c.* 22. *Scalig. de Re numm. ant. Thes. Ant. Græc. Gronov. Tom.* IX. *p.* 1526. *C. Gronov. de Pecun. vet.* II. 6: IV. 16. *Panciroll. Notit. Dignit. Imp. Orient. c.* 30. *Savott. de Numm. Ant.* III. 16. *Hotman. Antiq. Roman.* IV. 2. 32. *Petav. in Epiphan. de Mensur. & ponder. p.* 433.

Folis etiam erat tributum a Constantino magno impositum, quod pro facultatibus solvebant viri clarissimi. Zosim. II. *Descripsit facultates clarissimorum vectigali imposito, quem folem vocavit.* Buleng. de Vectig. c. 58. Et de illo plurima Petav. in Epiphan de Mensur. & ponder. pag. 432.

FOLLIS erat pila magna ex aluta confecta, soloque vento repleta. Quæ, si major erat, brachiis impellebatur, & simpliciter interdum pila nuncupabatur. Varro apud Non. II. 281. *Purgatum scio, quoniam videbis Romæ in foro ante januas pueros pila expulsim ludere.* Prop. III. 12. 5.

Cum pila veloces fallit per brachia jactus.

Interdum pilâ velox. Horat. Sat. II. 2. 11.

—— seu pila velox
Molliter austerum studio fallente laborem. . . . .

Si vero minor, pugnis ejiciebatur, atque *follis pugillaris* vocabatur. Plaut. Rud. III. 4. 16.

—— extempho hercle ego te follem pugillatorium
Faciam.

Interdum hanc eandem pilam *folliculum* appellatam credo, sicuti a Suetonio Aug. c. 83. n. 1. quem hoc pilæ ludo valde delectatum narrat. Mart. IV. 19. 7. *plumea* dixit *pondera follis.* V. illum supr. in *Endromis.* non quod pluma repleretur, sed ob *follis* levitatem, cujus gratia neque pueri, neque senes alioqui imbecilles inter ludendum vel nimium quid defatigabantur. Et propterea idem XIV. 47.

Ite procul juvenes, mitis mihi convenit ætas:
Folle decet pueros ludere, folle senes.

In pulverulento solo hæc exercitatio fiebat, & nullis lapidibus, aut lateribus strato, ne laberentur pedibus ludentes: &, si forte lapsi essent, ex casu damnum non paterentur. Quanquam etiam fieri potuit, ut pavimento luderent, sed pulvere humili & exiguo illud aspergeretur, ita ut pilam resilire non impediret, atque ludentium pedes magis firmarentur. Mart. XII. 84. 1.

Effugere e thermis, & circa balnea non est
Menogenen, omni tu licet arte velis.
Captabit tepidum dextra lævaque trigonem,
Imputet exceptas ut tibi sæpe pilas.
Colliget, & referet lapsum de pulvere follem.

Mercur. de Art. gymnast. II. 5. Mag. Miscell. I. 11. Buleng. de Lud. vet. c 9. Souter. Palam. III. 4. Voss. Lex. Etymol. in Follis. Grapald. de Part. dom. II. 4. 6. Argol. in Panvin. de Lud. Circens. II. 1. Laurent. Polym. IV. Synops. 8.

Follis etiam pulvillus dicebatur, qui sedentibus subjiciebatur, non tomento, aut pluma inferciebatur, sed vento implebatur. Lamprid. Heliog. c. 25. *Multis vilioribus amicis folles pro accubitis sternebat, eosque reflabat prandentibus illis, ita ut plerumque subito sub mensis invenirentur prandentes.* Casaub. ad Lampridium. Chimentell. de Hon. bisell. c. 28. Rhodig. Ant. Lect. XXVIII. 8. Ursin. Append. ad Ciaccon. de Triclin. p. 236. Grapald. de Part. dom. II. 6. 4.

Follis saccus quoque dicebatur. Veget. II. 20. *Denique decem folles, hoc est, decem sacci per cohortes singulas ponebantur, in quibus hæc ratio condebatur.* Glossar. vet. Πήρα, *mantica, follis.* Et de bene nummato Juven. Sat. XIV. 281.

—— & tenso folle reverti
Inde domum possis.

Ubi vetus interpres: *ut pleno sacculo revertaris.* Et *follitim ductitare* Plaut. Epid. III. 2. 15. est bene nummatum deludere, tantasque a *follibus* pecunias exhaurire, quantæ vel prodigo amanti satis esse possunt. *Voss. Lex. Etymol. Stewech. in Vegetium. Guther. de Jur. man.* III. 10. *Schel. in Hygin. Thes. Ant. Rom. Græv. Tom.* X. *p.* 1179. *A. Colv. in Apulej. p.* 59. *Gronov. de Pec. vet.* IV. 16.

Follis suscitabulum etiam est ignis, sive instrumentum, quo spiritu interveniente ignis suscitatur. Virg. Æneid. VIII. 449. V. illum supr. in *Flator.* Hoc utuntur argentariæ, & ferrariæ officinæ: utuntur & coqui, sed parvulo, ne opus sit ignem buccis insufflare. Primus Anacharsis Scytha philosophus *folles* ignis suscitatores invenit. Strab. VII. p. 209. *Grapald. de Part. dom.* II. 4. 6.

FON.

FONTES erant in ambulacris. Suet. Aug. c. 82. n. 2. *Æstate apertis cubiculi foribus, ac sæpe in peristylio saliente aqua cubabat.* Quod mirum in peristyliis salientes aquæ, & lymphæ artificiosis *fontibus* evocatæ, cum & in cubiculis easdem habuerint. Stat. Sylv. I. 3. 37.

Mirer an emissas per cuncta cubilia lymphas?

Senec. Epist. 100. *Desit sane varietas marmorum, & concisura aquarum cubiculis interfluentium.* Imo *fontes* ubique in ædibus. Mart. XII. 50. 6.

Et pereuntis aquæ fluxus ubique sonat.

Kobierzyck. de Lux. Roman. II. 8. Meurs. de Lux. Rom. c. 12. Lips. in Senecam. Gevart. & Bernart. in Statium. Illorum capita erant sacra. Senec. Epist. 41. *Magnorum fluminum capita veneramur: subita ex abdito vasto eruptio aras habet: coluntur aquarum calentium fontes, & stagna quædam vel opacitas, vel immensa altitudo sacravit.* Nec tantum Romani *fontibus*, & fluviis divinitatem aliquam assignaverunt; sed & Græci. De illis nota res est veteri proverbio apud Eurip. Med. n. 410.

Sursum versus fluminum sacrorum
Vadunt fontes.

Et Callim. Hymn. in Apoll. n. 112.

Fonte e sacro parvus latex, eximius flos.

Keuchen. in Frontin. Thes. Ant. Rom. Græv. Tom. IV. p. 1633. E. Spanhem. in Callimachum. Siccam. in Fast. Kalend. Roman. c. 16. Lipen. de stren. quart. æt. §. 24. Chiflet. Font. Aq. Virg. Thes. Ant. Rom. Græv. Tom. IV. p. 1790. B. Genii singulis tribuebantur. Lapis antiquus apud Gentilem Delphinium Romæ:

GENIO.

GENIO. NOMINIS. FONTIS.
SER. MON. CHRYSEROS. CÆSA
RIS. NOSTRI. LIB. GANGALA.

Siccam. l. l. pro diis, & quidem primis, & maximis habebantur. Aristid. Hymn. in Neptun. T. I. p. 34. *Tum quod veteres fluvios, & fontes pro diis maximis, & primis habuerint, atque etiam latices.* Spanhem. l. l. Illis hædum immolabant. Horat. Od. III. 13. 1.

O fons Blandusiæ, splendidior vitro,
Dulci digne mero, non sine floribus
Cras donaberis hœdo,
Cui frons turgida cornibus.

Huc facit arula marmorea quadrata Cyaneis undis ad portam Capenam, cujus epigramma me Romæ legisse apud doctum ac nobilem Delphinium memini. In aræ dorso hœdi caput erat insculptum, eo quod esset nymphis fontanis sacra. *Pigh. Annal. Roman. Charact.* VII. *p.* 4. *Bronckh. in Prop.* II. 15. 14. Epigramma habet Gruter. Inscript. p. 93. n. 11. *Broukh. l. l.* Varia apponebantur simulacra I. propter religionem. Ejus causa Apuli & Siculi Herculem, quia aquas exstincta hydra purgavit, apposuerunt: unde & thermæ Himeræ urbis in Sicilia, & Oetæ montis, & Pylarum in Thessalia in tutela Herculis fuerunt. M. Agrippa Romæ non Herculem, sed hydram ipsam ad lacum Servilium posuit. Festus. II. propter ornatum. Illorum & publicis in locis, & in nobilium ædibus adhuc plurima cernuntur. Usitatissimum fuit, deos fluminum apponere, qui formantur jacere semirecti, urnisque brachio suppositis amnes tanquam e *fonte* emittere, velati plerumque ferto arundineo, & tecti carbaso, quæ est vestis fluxa, & ampla, umbilico tenus, superiore corporis parte nudi. Talis cernitur Tiberis in domo Cæsia: talis Arnus in hortis Pontificiis: & duo colossi marmorei in area Capitolina Nili & Tigris, vel Naris & Anienis, vel Acheloi & Istri. Alter cubito innititur sphyngi monstro, alter tigri animali: barba alter prolixa, alter modice resecta. Talis est colossus Rheni, prope forum Romanum jacens, quem alii Niphatis fluvii esse putant. Talis in scuto Turni apud Virg. Æneid. VII. 792.

Amnem cælata fundens pater Inachus urna.

In domo Chisiorum, extra portam Septimiam, ante deum aquarum cubantem nuda mulier stans, dextramque mamillam manu comprimens, aquam in subjectum labrum immittit. Reperiuntur frequenter nymphæ dormientes, quæ amphoris, & crateribus innituntur. Vidi monumentum antiqui operis Romæ, in capite viæ latæ, in domo privata: erat autem Nais sinu aperto supina jacens, & ventre ad pubem nudo, capite incubans amphoræ. Recentis operis in agro Neapolitano, in villa Leucopetrea, Arethusa nuda adjacet *fonti*, in nympheo conchyliato. De simili Nympha epigramma in hortulo Colotii:

Hujus Nympha loci, sacri custodia fontis,
Dormio, dum blandæ sentio murmur aquæ.
Parce meum, quisquis tangis cava marmora, somnum
Rumpere: sive bibas, sive lavere, tace.

Fabric. Descr. Urb. Rom. c. 15. Illos lavando turbare religiosum erat. Tacit. Annal. XIV. 22. 7. *Nero fontem aquæ Martiæ ad Urbem deductæ nando incesserat: videbaturque potus sacros, & ceremoniam loci corpore loto polluisse.* Lipf. in Tacit. n. 73. Siccam. & Keuchen. l. l.

Fons Albudinus legitur apud Frontin. de Aquæd. 1. Thes. Antiq. Rom. Græv. Tom. IV. p. 1641. B. *Accipit & eum fontem, qui vocatur Albudinus, tantæ bonitatis, ut Marciæ adjutorio, quoties opus esset, ita sufficeret, ut adjectione sui nihil ex qualitate ejus mutaret.* & Suet. Claud. c. 20. n. 3. *Claudiæ aquæ gelidos, & uberes fontes, quorum alteri Cæruleo, alteri Curtio & Albudino nomen est.* Binominis enim fuit Curtius, ut etiam *Albudinus* vocaretur. Plin. XXXVI. 15. duos tantum, Curtium, & Cæruleum commemorat. *Influxere Curtius atque Cæruleus fontes.* Sicut & hæc Inscriptio: IMP. CÆSAR. VESPASIANUS. PONT. MAX. TRIB. POT. II. IMP. III. DESIG. IIII. P. P. AQUAS. CURTIAM. ET. CÆRULEAM. PERDUCTAS. A. DIVO. CLAUDIO. ET. POSTEA. INTERMISSAS. DILAPSASQUE. PER. ANNOS. NOVEM. SUA. PECUNIA. URBI. RESTITUIT. *Torrent. in Suetonium. Keuchen. in Frontinum.*

Fons Egeriæ Nymphæ credebatur esse ad radices Aventini non longe a Tiberi. De eo Ovid. Fast. III. 273.

Defluit incerto lapidosus murmure rivus;
Sæpe, sed exiguis haustibus inde bibi.
Egeria est, quæ præbet aquas, dea grata Camœnis,
Illa Numæ conjux, consiliumque fuit.

Donat. de Urb. Rom. III. 13. Erat dicatus Camœnis. Liv. I. 19. *Lucus erat, quem medium ex opaca specu fons perenni rigabat aqua: quo quia se persæpe Numa sine arbitris, velut ad congressum deæ, inferebat, Camœnis eum lucum consecravit.* Hunc vulgo nunc *Caffarellam* appellant, qui secundo ab Urbe lapide distat. *Nardin. Rom. Vet.* III. 3. *Aring. Rom. Subterr.* III. 20. §. 12. Illi præerant Vestales. Suidas: *Numa virgines Vestales ignis, & aquæ curam habere demandavit.* Hanc enim non opinor aliam, quam quod *fonti* Camœnarum præesset, exque eo solo aquam ad sacra peterent. Plutarch. Num. p. 68. D. Ait, *Numam prata, & campum, ubi plurimum cum Egeria versatus esset, Camœnis consecrasse: fontem autem, qui locum irrigat, aquam sacram virginibus Vestæ attribuisse, ut ex eo quotidie haurientes purificarent, & aspergerent sacram ædem.* Sacer habitus, in deos relatus, delubrum postea accepit. Juven. Sat. III. 13.

Nunc sacri fontis nemus, & delubra locantur
Judæis.

Symmach. Epist. I. 14. *Præterea etiam Camœnarum religio, & sacri fontis annectitur.* Lipf. de Vest. c. 10. Argol. apud Tomaf. de Donar. c. 2.

Fons Lollianus fuit in Urbis regione duodecima, sive Piscina publica. *Panvin. Thes. Ant. Rom. Græv. Tom.* III. *p.* 308. *B.* De illo extat vetus Inscriptio:

APPIO. ANNIO. BRADUA
T. VIBIO. BARO. COS.
MAGISTRI. FONTIS. LOLLIANI
M. VULPIUS. FELIX. . . .

Verum cur huic illum potius quam alii alicui regioni attribuerit, argumentum nullum reperio. *Nardin. Rom. vet.* VII. 6.

Fons Mercurii fuit ad portam Capenam, quo expiationis gratia veniebant mercatores. Ovid. Fast. V. 673.

Est aqua Mercurii portæ vicina Capenæ:
Si juvat expertis credere; numen habet.
Huc venit incinctus tunica mercator. . . .

Donat. de Urb. Rom. III. 14. Kipping. Antiq. Roman. I. 10. §. 8.

Fons olei ex templo classis Ravennatis in regione Transtiberina tempore Augusti ex terra exundavit, & per totum diem largissimo rivo fluxit, significans ex gentibus gratiam Christi. *Marlian. Topogr. Urbis Rom.* V. 19. *Donat. de Urb. Rom.* III. 21.

FONTEJA gens. V. illam infr. in *Gens.*

FONTINALIA dicuntur a *fonte, quod is dies feriæ ejus. Ab eo autem tum, & in fontes coronas jaciunt, & puteos coronant.* Varro de Ling. Lat. V. 3. Scalig. Conj. in Varron. p. 77. addit: ejus scilicet *fontis*, cujus delubrum fuit juxta portam Capenam: Unde & ipsa *fontinalis* dicta est. Festus: *Fontinalia, fontium sacra, unde & Romæ fontinalis porta.* Colebantur tertio Idus Octobris, qui dies quidem mensis tertius decimus, eratque nefastus primo. *Urfat. de Not. Rom. Thes. Antiq. Roman. Græv. Tom.* XI. *p.* 724. *Lomej. de Lustrat. c.* 30. *Guther. de Jur. man.* I. 3. *Ciaccon. in Vet. Rom. Kalend. Thes. Ant. Rom. Græv. Tom.* VIII. *p.* 18. *B. Siccam. in Fast. Kalend. Rom. Thes. ibid. p.* 77. *B. Turneb. Adv.* XXV. 16. *Gyrald. Synt. deor.* XVII. *p.* 496. *F. Stuck. de Sacrif. p.* 36. *Laurent. var. sacr. gent. c.* 22. *Polymat.*

lymat. II. *Diſſert.* II. *Perion. de Roman. & Græcor. magiſtr.* III. *Theſ. Antiq. Græcar. Gronov. Tom.* VI. *p.* 2814. *B. Broukh. in Prop.* II. 15. 14.

FOR.

FORARIA appellatur mulier, quæ res fructuum villæ venales, poma, nuces, agnum, hœdum, pullaſtros, pipiones defert in forum. Idque per Etruriam ſervat nomen. *Blond. Triumph. Rom.* IX. *p.* 182. *A.*

FORCEPS eſt inſtrumentum, ſive ferrum, quo capimus, ſive prehendimus prunas. Hac a Cynira primo inventa fabri ferrarii calida verſare conſueverunt. Virg. Æneid. VIII. 453.

— verſantque tenaci forcipe maſſam.

Grapald. de Part. dom. II. 5. 4. Voſſ. Lex. Etymol. Cerda in Virgilium. Turneb. Adv. VII. 22.

Forceps eſt ὀδοντάγρα, ſive inſtrumentum, quo chirurgi dentes evellunt. Soſip. Chariſ. Inſtit. Gramm. I. p. 74. b. edit. Putſch. *Lucill.* XIX. *etiam medicorum forcipes eſſe dixit.*

— ſcalprorum forcipumque
Millia viginti.

Idem paullo poſt:

— & uncis
Forcipibus dentes evelleret.

Voſſ. Lex. Etymol.

Forceps eſt tonſorum, qui barbam & capillos ſecant. Sidon. Epiſt. I. 2. *Barba hirtis concava temporibus, quam in ſubdita vultus parte ſurgentem ſtirpitus tonſor aſſiduus genas adusque forcipibus evellit.* IV. 14. *Barba intra rugarum latebras, merſis ad cutem ſecta forcipibus.* Voſſ. Lex. Etymol. Savaro ad Sidonium. Jun. de Coma c. 7.

Forceps eſt inſtrumentum ferreum, aut ligneum potius, ad modum *forcipum*, quas vulgo tenalias vocamus, Græci καρκίνας appellant. His umbo togæ committebatur, ut ſtructuram rugarum conſtringerent, & in loco ſuo ſervarent. Tertull. de Pall. c. 5. *Umbonis figmentum cuſtodibus forcipibus adſignat.* Has inferius *cruces* appellat: *etiam cum reponitur, nulli cruci in poſterum demandatur. Forcipes* enim illæ, quibus figmentum umbonis conſtringendum mandabatur, ad inſtar vulgarium *forcipum*, cum aperiebantur, crucis figuram referebant. *Salmaſ. in Tertull. p.* 381. *&* 407.

Forceps etiam inſtrumentum erat pœnale, & deſtinatum ſuppliciis. Harum aliæ erant ad incidendum, aliæ ad comprimendum compoſitæ. Meminit Syneſ. Epiſt. 58. cum agit de Andronici præſidis feritate, aitque *naſi forcipe auribus apprehendendis, & labiis obtorquendis parato inſtrumento. . . . .* Aliæ erant dentatæ, quæ quidem tribus ferreis aculeis cutem martyris perforabant, cum ſtringerentur, quæ crudeliter nimis membra carpentes vellebant. *Baron. in Martyrol. Rom. d.* 26. *Junii. Aring. Rom. Subterr.* I. 29. §. 5. *Laurent. de Torment. c.* 7. *Polym.* III. *Synt.* 10.

Forceps, quæ *forfex* Gell. X. 9. in militia figura idem eſt. Dicitur, cum contraria cuneo acies inſtruitur, latioribus primis & apertis, ac paullatim deſinentibus in anguſtum. Uſus erat cuneum ſolvere, & atterere. Veget. II. 19. *Contra quod ordinatio ponitur: quam forficem vocant. Nam ex militibus lectiſſimis confertis in V literam hic ordo componitur: & illum cuneum excipit, atque ex utraque parte concludit.* Cato de Re milit. apud Feſtum in Serra præliari. *Sive forte opus ſit. . . . aut forcipe uti.* Ammian. XVI. 11. *Cogitatum eſt, ſoliciteque præſtructum, ut ſævientes ultra ſolitum Alemanni vagantesque effuſi, multitudine geminata noſtrorum, forcipis ſpecie, truſi in anguſtias cæderentur.* Lipſ. de Milit. Rom. IV. Dial. 7. Laurent. Polym. IV. Synt. I. Valtrin. de Re milit. Roman. V. 2. Thyſ. Rom. Illuſtr. IV. p. 97. Gronov. in Ammianum.

FORCTES quinam olim fuerint dicti. V. infr. in *Sanates.*

FORCULUS erat deus, qui *foribus* præſidebat, quaſi *foriculus.* Tertull. de Idolol. c. 15. *Certi eſſe debemus, etiam oſtiorum deos apud Romanos, Cardeam a cardinibus appellatam, & Forculum a foribus, & Limentinum a limine, & ipſum Janum a janua.* Auguſt. de Civit. Dei VI. 8. *Cur Forculus, qui foribus præeſt, & Limentinus, qui limini, dii ſunt maſculi, atque inter hos Cardea femina eſt, quæ cardinem ſervat?* V. eundem & ſupr. in *Cardea.* Sagittar. de Jan. vet. c. 4. n. 23. Lipen. de Stren. c. 2. ſecund. æt. §. 23. Tomaſ. de Donar. c. 8. & 29. Gyrald. Synt. deor. I. p. 55. D. Laurent. Var. ſacr. gentil. c. 7. Polym. II. Diſſert. 14. Voſſ. Lex. Etymol. in Fores. Blond. Triumph. Rom. I. p. 13. B.

FORDICIDIA *dicta ſunt a fordis cædendis. Bos forda, quæ fert in ventre, quod ea die publice immolabantur boves prægnantes in curiis complures.* Varr. de Ling. Lat. V. 3. Celebrabantur decimo ſeptimo Kal. Maji, qui decimus quintus Aprilis. Ovidius. V. illum infr. in *Sacrificium Telluris.* Eratque dies iſte Nefaſtus primo. *Urſat. de Not. Rom. Theſ. Ant. Rom. Græv. Tom.* XI. *p.* 724. *E. Alex. Gen.* III. 12. *Perion. de Græcor. & Roman. Magiſtr.* III. *Theſ. Antiq. Græcar. Gronov.* VI. *p.* 2812. *D. Stuck. de Sacrif. gentil. p.* 163. *Voſſ. Lex. Etymol. Lomej. de Luſtrat. gentil. c.* 30.

FORENSIA dicebantur veſtimenta, quæ in *foro*, ſive *foris* adhibebantur. Habebant enim veteres veſtem aliam domeſticam, aliam *forenſem.* Lamprid. Alex. Sev. c. 42. *Veſtes forenſes binas, domeſticas ſingulas.* Ammian. XXXI. 2. *Nec alia illis domeſtica veſtis eſt, alia forenſis.* Fuerunt vero *forenſia* toga, lacerna, penula. Non. I. 3. *Toga, ſicut in conſuetudine habetur, veſtimentum eſt, quo in foro utimur.* Unde ςολὴ ἀγοραῖος, *ſtola forenſis* dicitur Dion. LXI. p. 692. B. *Ut ob eam cauſam equos victores, inſignes, & jam ſenio confectos ſtola forenſi, non ſecus ac homines, ornaret.* Et illis uſus eſt Auguſtus apud Suet. c. 73. n. 4. *Forenſia autem, & calceos nunquam non intra cubiculum habuit, ad ſubitos, repentinosque caſus parata.* Ferrar. de Re Veſt. I. I. 28. Gatak. in M. Antonin. I. §. 7. Demſter. Parap. ad Antiq. Roſin. V. 32. Pitiſc. in Suetonium. Veſtis hæc Auguſti non fuit cubicularis, ut videtur velle Ruben. de Re Veſt. I. 17. ubi docet Marcum Antoninum Imperatorem l. l. in veſte cubiculari domi non ambulaſſe, quod illi tamen exemplo Auguſti licitum fuiſſet; ſed, ut diximus, habuit Auguſtus ſemper *forenſia*, id eſt, togam, & calceos ad ſubitos, & repentinos caſus, ut ſcilicet ea indueret, quoties honoratiores excipiendi erant, &, ſi egrediendum eſſet, nonniſi cum toga conſpiceretur. Sed putavit Rubenius, Auguſtum *forenſia* indutum, quia ea habuit intra cubiculum, & ideo *forenſia* eſſe veſtem cubicularem, magno errore. Nam contra, quod habuerit ad ſubitos, & repentinos caſus, ſatis arguit, non ea induiſſe, niſi cum occaſio poſtularet, ne improviſo alicujus adventu in veſte cubiculari deprehenderetur. *Ferrar. Anal. de Re veſt. c.* 23.

FORFEX *eſt ſartorum* inſtrumentum. Beda de Orthographia, *quo pannos incidunt.* Serv. Virg. Æneid. VIII. 453. *Voſſ. Lex. Etymol.*

Forfex fuit etiam ferrum uncatum duplex, quod immiſſum ponderi tenebat illud, ut per funes poſſet erigi in altum. Vitruv. X. 2. *Ad rechamum imum ferrei forfices religantur, quorum dentes in ſaxa ferrata accommodantur.* Scheffer. de Re vehic. I. 13.

FORES, numerus plurativus quamquam maxime in uſu eſt, tamen in ſingulari reperitur. Terent. Adelph. II. 3. II.

Sed quidnam foris crepuit?

Ubi Donatus; *Foris ſingularis numeri, nominativi caſus.* Plautus ſæpiſſime. *Sagittar. de Jan. vet. c.* 3. §. 18. Quo modo olim aperirentur, & quare crepuiſſe dicerentur. V. ſupr. in *Crepuiſſe.* Domuum privatarum, ut & templorum fuerunt æratæ. Camillo crimini objicit Sp. Carvilius quæſtor, quod ærata oſtia haberet in domo. Magnificarum variis ſculpturis præſtantium artificum exornabantur. In templis id uſurpatum ſcio, cur non & in privatis ædificiis?

ficiis? Et certe ausim dejerare Romanum hunc luxum in mente fuisse, cum valvarum cælaturam depingeret, Ovidio regiam Solis describenti Met. II. 4.

—— radiabant limine valvæ.
Materiam superabat opus: nam Mulciber illis
Æquora cælarat medias cingentia terras.

Capitolii Romani cælatas nobis sistit Claud. de Sext. Cons. Honor. n. 45.

—— juvat intra tecta Tonantis
Cernere Tarpeja pendentes rupe gigantes,
Cælatasque fores.

Hebeno cooperiebantur. Lucan. X. 117.

---- hebenus Mareotica vastos
Non operit postes, sed stat pro robore vili
Auxilium.

Testudinum Indicarum putaminibus sectis affabre variegabantur. Virg. Georg. II. 463.

Nec varios inhiant pulcra testudine postes.

Lucan. ibid. n. 121.

Et suffixa manu foribus testudinis Indæ
Terga sedent, crebro maculas distincta smaragdo.

Kobierzyck. de Lux. Roman. II. 7. Sagittar. ibid. c. 26. §. 4. 5. Cum pulsabantur, sciscitabantur aliquando non solum qui esset, qui pulsaret, sed quot essent, maxime noctu. Petron. c. 52. *Et jam plena nox erat, quum Eumolpus ostium pulsat. Interrogo ego, quot estis?* Laurent. de Fistul. & tintinnab. c. 4. Polym. I. Dissert. 25. Sagittar. ibid. c. 16. §. 33. Ab illis excludebantur, quos aversabatur dominus ædium. Suet. Oth. c. 3. n. 3. *Creditur* Otho *non modo missos ad arcessendam* Poppæam Sabinam *non recepisse, sed ipsum etiam* Neronem *exclusisse pro foribus adstantem, miscentemque frustra minas & preces, ac depositum reddentem.* Senec. Epist. 47. *Stare ante limen Callisti dominum suum vidi, & illi qui impegerat illi titulum, qui inter rejicula mancipia produxerat, aliis intrantibus exclusi.* Interdum excluso ipsi janua impingebatur. Lucian. Dial. meretr. *Ipsum quidem advenientem exclusit, illisa utique illi janua.* Sagittar. ibid. c. 36. n. 5. Interdum arundine, sive virga a janitore rejiciebantur. V. infr. in *Janitor.* Interdum testis & tegulis in illos de tecto dejectis repellebantur. Lucill. XXVII. apud Non. IV. 142.

---- has e fenestris in caput
Dejiciam, qui prope ad ostium aspiraverint.

Juven. Sat. III. 269.

Quod spatium tectis sublimibus? unde cerebrum
Testa ferit, quoties rimosa, & curta fenestris
Vasa cadunt.

Gell. IV. 14. *A. Hostilius Mancinus ædilis curulis fuit. Is Mamiliæ meretrici diem ad populum dixit, quod de tabulato ejus noctu lapide ictus esset, vulnusque ex lapide ostendebat. Mamilia ad tribunos plebis provocavit: apud eos dixit comessatorem Mancinum ad ædes suas venisse: eum sibi fas recipere non fuisse in æde sua; sed quum vi irrumperet, lapidibus depulsum. Tribuni decreverunt: ædilem ex eo loco jure dejectum, quo cum coronario eum venire non decuisset.* Broukh. in Propertium, Douza in Lucilium. In illis statuæ collocabantur non solum ad religionem & tutelam, verum etiam ad fascinum avertendum. Plin. XIX. 4. *Quam rem comitata est & religio quædam: hortosque & fores tantum contra invidentium effascinationes dicari videmus. In remedio Satyrica signa.* Turneb. Adv. IX. 28. Laurent. Var. sacr. gentil. c. 8. Interdiu non claudebantur. Plaut. Most. II. 2. 14.

Sed, quid hoc, occlusa janua est interdiu?

Laurent. de Fistul. & Polym. l. I. Exterior nimirum, in quam de vicis gradus fiebat, & quæ etiamnum a nostris exterior dicitur; interior vero, erant enim duæ, semper erat clausa: illa nunquam, nisi aut noctu, aut cum vacuæ essent ædes. *Operar. in Plautum.* Peregre falso mortui renuntiati, reversique per illas non admittebantur, sed per impluvium. Lege Plutarch. Quæst. Rom. V. Causa potissima tantæ religionis hæc, quia post ostium, & postes Lares, & Penates collocati, ut felix, & faustus egressus esset. *Laurent. Polym. II. Dissert. 14. Var. sacr. gentil. c. 7.* Feriis frondibus & lucernis ornabantur. Tertull. de Idolol. c. 15. *Plures jam invenies ethnicorum fores sine lucernis & laureis quam Christianorum.* Juven. Sat. XII. 91.

Cuncta nitent, longos erexit janua ramos,
Et matutinis operitur festa lucernis.

Pers. Sat. V. 180.

Herodis venere dies, unctaque fenestra
Dispositæ pinguem nebulam vomuere lucernæ.

Turneb. Adv. XXII. 12. Lips. Elect. I. 3. in Tacit. Annal. III. n. 21. Casaub. in Persium. Sagittar. ibid. c. 32. §. 2 — 5. Kipping. Ant. Rom. I. 10. §. 4. V. infr. in *Nuptiæ.* Amicarum coronabantur ab amatoribus. Athen. XV. p. 670. D. *Coronant valvas illorum quos amant honoris causa, perinde ac templi cujusdam dei vestibulum, non quidem illis quos amant, sed Amori deo coronas dicantes; aut, quod illum, quem amant, imaginem putant Amoris dei, ædesque hujus delubrum, eorum limini, quos amant, coronas appendunt.* Cum enim ante illas satis diu excubuissent, *corollas*, quas in capite gestabant, in limine dissipatas relinquebant, aut fores iisdem decorabant. Lucret. IV. 1170.

At lacrymans exclusus amator limina sæpe
Floribus & sertis operit, postesque superbos
Ungit amaracino, & foribus miser oscula figit.

De quo more Ovid. Amor. I. 6. 67.

At tu, non lætis detracta corona capillis,
Dura super tota limina nocte jace.
Tu dominæ, cum te projectam mane videbit,
Temporis absumpti tam male testis eris.

Paschal. de Coron. II. 5. Mader. de Coron. Thes. Antiq. Roman. Græv. Tom. VIII. p. 1415. F. Sagittar. ibid. c. 37. n. 12. 13. II. disertorum hominum, qui sæpe adversarium vicissent, palma. Hoc disco e loco Luciani Rhet. præc. p. 324. ubi malus rhetor & sæpe victus, nihilominus palma sibi fores ornari gloriatur. *Ut plurimum,* inquit, *succumbo, fores tamen viridi coronantur palma. His enim illecebris erga infelices utor.* III. Imperatorum Romanorum quercu & lauru. V. supr. in *Corona quercica.* IV. mariti a sponsa introducta laneis vittis. Plutarch. Quæst. Rom. c. 31. *Mariti januam lana coronat.* Lucan. II. 355.

Infulaque in geminos discurrit candida postes.

Per *infulam candidam* videtur intelligere laneam maritæ, qua postes *coronabat*, vittam. Plin. XXIX. 2. *Lanis auctoritatem veteres Romani etiam religiosam habuere, postes a nubentibus ea cingi jubentes.* Sagittar. ibid. c. 30. n. 18. Dalechamp. & Harduin. in Plinium. V. publice lætantium. Senec. Epist. 68. *Quid tu existimas ea tantum optabilia esse, quæ per voluptatem & otium veniunt, quæ excipiuntur foribus ornatis?* Tertull. Apolog. c. 35. *Cur die læto non laurea postes adumbramus?* Lips. Elect. I. 3. VI. oratorum & causidicorum, qui partam in foro victoriam appensa palma testati, suæ hoc pacto gloriæ velificari voluerunt. V. supr. in *Corona quercica.* VII. revertentium ex longinquo itinere. Illorum enim domus hoc *festo ornatu* reddebatur illustrior. Signanter hoc dico. Nam eadem hæc verba usurpavit Tacitus, quando redeuntis Pisonis domum, quin & ipsum Pisonem hoc nomine in invidiam adductum memorat. Verba sunt hæc Annal. III. 9. 3. *Fuit inter irritamenta invidiæ domus foro imminens, festo ornatu.* Juven. Sat. XII. 91. qui ob Catulli reditum, qui peregre [illegible] maxima in mari pericula expertus erat, sacra fac[illegible] januam quoque *coronatam* cupit:

Cun[illegible] nitent: longos erexit janua ramos.

Sagittar. ibid. n. 21. VIII. Triumphantium lauru, tanq[illegible] hæc species fidem faceret, in illis ædibus habitare caput l[illegible]reatum. Hoc docet Senec. ad Polyb. c. 35. *Eas quo domos fortunæ ausa injuria causa intrare, in quas per temp[illegible]*

[illegible]

aditur, & atram Laureatis foribus inducere vestem. Si modo de priscis viris triumphalibus, non de Principibus loquitur. *Paschal. ibid.* VIII. 12. Templorum subito sine manu hominum sponte apertæ auspicium infaustum faciebant. Ita & Josephus templi *fores* æneas ante excidium patuisse Hierosolymis ait, quæ vix a viginti valentibus viris claudi poterant. Cicer. de Divin. I. 34. *Ante Leuctricum prælium Thebis in templo Herculis valvæ clausæ repagulis subito se ipsæ aperuerunt.* Xiphil. LXIII. p. 726. C. *Nero nihil movebatur pro[illegible], neque olli[illegible] quod a [illegible] fore, & Mausolei Augustalis, [illegible] portæ apertæ fuerant.* Buleng. de Prodig. c. 48. Sagittar. ibid. c. 35. §. 15.

FORI sunt armariola, capsulæ, plutei, in quibus libri reponuntur. Suet. Aug. c. 31. n. 1. *Hos condidit duobus forulis auratis.* Juven. Sat. III. 219.

Hic libros dabit & forulos.

Dolet. de Re nav. Thes. Ant. Græc. Gronov. Tom. XI. p. 681. E. Voss. Lex. Etymol. Grang. in Juvenalem. Pitisc. in Suetonium.

Fori dicebantur gradus, loca, aut subsellia in circo, in quibus sedebant spectatores. Liv. I. 35. *Tum primum circo, qui nunc maximus dicitur, designatus locus est: loca divisa patribus, equitibusque, ubi spectacula sibi quisque facerent: fori appellati.* Chimentel. de Hon. bisell. c. 22. Dolet. de Re nav. Thes. Ant. Græc. Gronov. Tom. XI. p. 681. E. Buleng. de Theat. I. 29. Panvin. de Lud. Circens. I. 5. Rosin. Antiq. Roman. V. 19. Mansuros & stabiles fecit Tarquinius Superbus. Liv. I. 56. *Quæ posthac & ad alia, ut specie minora, sic laboris aliquanto majoris traducebatur opera: foros in circo faciendos.* Fortuiti enim erant, & subitario opere illi Prisci. Et pecunia publica usus est Superbus. *Argol. ad Panvinium. Blond. Instaur. Rom.* III. §. 19. Ante Tarquinium Priscum stantes spectabant ludos Romani in tabulatis, quæ furcis suspendebantur, ut liquet ex Dionys. III. p. 200. Sed circo structo, *foros* sibi quisque faciebat opere tumultuario, in quibus sederet, ita tamen ut patribus & equitibus sua tribuisset loca, in quibus sibi quisque spectacula pararet. Livius modo laudatus. Hos *foros* tectis exornavit Tarquinius Superbus, cum ante hunc fuissent sub dio, ut testatur Dionys. IV. p. 246. qui illos vocat παστάδας ὑποστέγους. Hæc circi facies permansit usque ad tempora Julii Cæsaris, quem primum triplicibus porticibus circum instruxisse docuerunt nos homines docti ex antiquis monumentis. *Græv. Thes. Antiq. Roman. Præfat. Tom.* IX. *. 4.

Fori etiam erant tabulata navium, vel locus in navi aptior, qui iter navem perambulantibus præbet. Erant foris, hoc est, non in carina, aut alvo navis, ubi, velut domi, immunes essent a pluviis, & ventis: sed sub Jove frigido. Cicer. de Senect. c. 6. *Similes sunt, ut si qui gubernatorem in navigando agere nihil dicant, cum alii malos scandant, alii per foros cursent, alii sentinam exhauriant. . . . .* Voss. Lex. Etymol. Dolet. de Re nav. Thes. Ant. Græc. Gronov. Tom. XI. p. 681. E. Argol. in Panvin. de Lud. Circens. 5. Gyrald. de Navig. c. 11. Scheffer. de Milit. nav. I. 4. Salmas. Exerc. Plin. p. 646. a. B. 786. a. C. in Vopisc. Procul. c. 12. Laz. Comm. Reip. Rom. X. 5.

FORICA, veteribus glossis ἀφεδρών, locus in foro, exonerandi ventris causa paratus. Hinc *forire*, ἀποσκευάζειν, ventris onus deponere. Juven. Sat. III. 38.

Conducunt foricas, & cur non omnia? cum sint
Quales ex humili magna ad fastigia rerum
Extollit, quoties voluit fortuna jocari.

Ubi vet. Interpr. *Foricas, stercora, hoc est, vectigal; forire enim est ventrem deonerare.* Alii, inquit, *tabernas dicunt foro vicinas: alii vectigal vinarium, quod ex Africa in Urbem vehebatur: alii domos publico sumptu ædificatas ad locandum, quarum conductores lucra cupiebant.* Cujac. Observ. XXVII. 34. Lips. de Magn. Rom. II. 6. Guther. de Offic. dom. Aug. III. 31. Voss. Lex. Etymol. Grapald. de Part. dom. II. 6. 24. Lyd. de Re milit. V. 1.

FORICARII sunt *foricarum* conductores. Paull. l. 17. §. Fiscus ff. de usuris. *Fiscus ex suis contractibus usuras non dat, sed ipse accipit: ut solet a foricariis, qui tardius pecuniam inferunt.* Lips. de Magn. Roman. II. 6. Buleng. de Vectig. c. 45. Guther. de Offic. dom. Aug. III. 31. Cujac. Observ. XXII. 34. Casaub. in Suet. Vesp. c. 8. Burman. Dissert. de Vectig. c. 12. Thys. de Magn. Rom. II. p. 258.

FORINA dea est mihi prorsus ignota. In Romanorum tamen notis legitur: FORINAR. ROM. DD. *Forinarum Romæ dearum.* Ut tamen de notis, & essentia Inscriptionis eruditiores judicium adducant, saxum ecce collectum p. 333. n. 1.

P. POETELLIUS. P. L
SYRUS
LANISTA. AD. AR. FORIN
AR. ROM. DD. VIX
ANN. XLIIX
H. S. E.

Ursat. de Not. Roman. Thes. Antiq. Rom. Græv. Tom. XI. *p.* 725. *B.*

FORMA est delineatio, & exemplar futuri operis. Cicer. ad Attic. VI. 3. *Formam mihi totius Reipublicæ, si jam es Romæ, aut cum eris, velim mittas.* Famil. II. 8. *Cum formam Reipublicæ viderim, quale ædificium futurum sit, scire possim.* Turneb. in Cicer. Acad. Quæst. I. p. 25.

Forma in actis scribendis hæc observabatur: in primis necessaria erat scriptura C. quoniam contra, de prob. l. comparationes C. de fide instrument. in qua nomen contrahentis, vel testantis, vel aliud agentis ponendum erat, tempusque actus gesti, denique ipse actus totus, vel contractus ordine describendus l. nulli C. de episc. & cleric. l. donatio C. de donat. Hæc omnia coram judice agenda erant, aut saltem legenda. *Pancroll. Notit. Dignit. imp. orient. c.* 14.

Forma aquæductuum erat canalis constructus ex firmis lateribus. Tribus enim modis aqua in Urbem ducebatur, *fistulis plumbeis, aut tubulis fictilibus, vel structilibus canalibus.* Vitruv. VIII. 7. Canales ligneos addit Pallad. IX. II. *Cum ducenda, inquit, est aqua, ducitur aut forma structili, aut canalibus ligneis, aut fictilibus tubis. Forma* igitur erat meatus structilis, seu ex lateritio opere fabricatus, per quem aqua ducebatur l. 1. C. de aquæd. Hæc olim præaltis fornicibus *formam* sustinentibus utrinque muro inclusa per colles Romanos discurrebat, cujus etiam nunc veteres exstant reliquiæ. Palladius quam *formam structilem* dixerat, postea simpliciter *formam* vocat. *Panciroll. Notit. dignit. imp. occid. c. 6. Buleng. de Imp. Rom.* V. 20. *Burman. de Vectig. Dissert. c.* 12.

Forma epistolæ est, qua aliquid a principe, vel a præfecto prætoris constituitur. *Formam* a præfecto prætorio datam vocat Severus Alexander l. 2. C. de Offic. præf. præt. Illyric. *Formam a præfecto prætorio datam, etsi generalis sit, minime legibus, vel constitutionibus contraria. . . . servari æquum est.* Guther. de Offic. dom. Aug. II. 2.

Forma etiam vocatur mustricola sutoris. Horat. Sat. II. 3. 106.

Si scalpra, & formas non sutor. . . .

Turneb. in Cicer. Acad. Quæst. I. p. 26.

Forma Trajana fuit aquæductus grandis subterraneus, cujus in martyrum actis admodum frequens mentio habetur: præcipue in actis martyrii S. Antonini: *Eadem hora jussit Vitellius Antoninum capitis subire sententiam, qui ductus via Aurelia juxta formam Trajanam decollatus est* XI. *Kal. Septembr.* Et Julii senatoris: *Dehinc jussu Vitellii Antoninus ductus est a carnificibus via Aurelia juxta formam Trajanam, & capite plexus.* V. & supr. in *Aqua Trajana.* Aring. Rom. Subterr. II. II. 5. Nardin. Rom. Vet. VIII. 4. Fabrett. Dissert. 1. de Aquæd. Thes. Antiq. Rom. Græv. Tom. IV. p. 1705. A.

Forma regia dicimus esse eum, quem decoro adspectu significare volumus, quandoquidem Reges fere omnes pulcritudine præditi conspiciuntur. Tacit. Hist. I. 7. 5. *Ipsa ætas*

etas Galbæ & irrisui, & fastidio erat assuetis juventæ Neronis, & Imperatores forma, ac decore corporis, ut est mos vulgi, comparantibus. De Smerdie Thracio adolescente regali *forma* ac liberali adspectu Max. Tyr. Dissert. x. p. 98. *Smerdies natione Thrax, formæ elegantissimæ, planeque regiæ puer. . . .* Themist. Orat. v. p. 149. *Nascitur Rex & inter homines, sed tamen raro, & post longa annorum intervalla, tunc scilicet, cum animi pulcritudo cum corporis excellentia conjungitur, ac commiscetur. Atque is certè magnus est Rex, cujus est forma, & species integra, omnique ex parte absoluta, & perfecta.* Curt. vi. 5. 29. *Quippe hominibus barbaris in corporum majestate veneratio est; magnorumque operum non alios capaces putant, quam quos eximia specie donare natura dignata est.* Rhodig. Antiq. Lect. xxiv. 9. Realin. Annot. c. 14. Muret. Var. Lect. iii. 2. Column. in Ennium p. 19.

FORMIANUM vinum. V. infr. in *Vinum.*

FORMICÆ olim augurium fecerunt. Nam Midæ, cujus imperio Phrygia fuit subjecta, puero dormienti *formicæ* grana tritici in os congesserunt: parentibus deinde ejus, quorsum prodigium tenderet, explorantibus, augures responderunt, omnium illum mortalium futurum ditissimum. Nec prædictio vana exstitit: nam Midas cunctorum pæne Regum opes abundantia pecuniæ antecessit, infantiæque incunabula utili deorum munere donata, onustus auro, atque argento gazis pensavit. Cicer. de Divin. i. 36. *Midæ illi Phrygio, cum puer esset, dormienti formicæ in os tritici grana congesserunt. Divitissimum fore prædictum est, quod evenit.* Ita Suet. Ner. c. 46. n. 2. *Vidit per quietem se pennatarum formicarum multitudine oppleri.* Tib. c. 72. n. 3. *Erat ei in oblectamentis serpens draco, quem ex consuetudine sua cibaturus cum consumptum a formicis invenisset.* Niphus de Augur. i. 10. Buleng. de Prod. c. 39. Potter. Archæol. Græc. ii. 15.

FORMIDO in venatione vocabatur linea vario plumarum nexu discolor, qua terrentur apri, vulpes, lupi, ursi, sed potissimum cervi. In ea alternus textus plumarum, sed vulturis, & cygni præcipue laudatur; sed & interdum sandice fucabatur. Virg. Georg. iii. 372.

Puniceæve agitant timidos formidine pennæ.

Lucan. iv. 437.

---- sic dum pavidos formidine cervos
Claudat odoratæ metuentes aera pennæ.

Linea etiam dicitur. Nemes. Cyneget. n. 303.

Linea quin etiam magnos circumdare saltus
Quæ posset, volucresque metu concludere prædas
Digerat innexas non una ex alite pinnas. . . .

Et *rubens pinna.* Senec. de Ira ii. 12. *Sic itaque ira metuitur, quomodo a feris rubens pinna.* Turneb. Adv. v. 5. Voss. Lex. Etymol. Buleng. de Venat. c. 2. Cerda in Virgilium. Lips. in Senecam. Colv. in Apulej. p. 258. Schill Nomencl. Philol. p. 522. Demster. Paralip. ad Rosin. Antiq. Roman. ii. 7. Rhodig. Lect. Antiq. xvi. 11. *Metus* eadem significatione usurpatur. Grat. Cyneget. n. 85.

Hic magis in cervos valuit metus.

n. 88.

---- si qua metus eludat bellua falsos.

Manil. iv. 182.

Et pacare metu sylvas.

Nemesianus modo laudatus. *Huet. in Manilium. Vlit. in Grat. n. 85.* V. etiam *Vlitium in Nemesianum.*

FORMULÆ, quæ & actiones dicebantur, erant sollennium verborum conceptiones, quibus eadem in re populus Romanus uti consueverat. Vulgus hodie *stylum, formulariumve* appellat. *Hotom. de Formul. Ant.* iii. *Thes. Ant. Rom. Græv. Tom.* ii. *p.* 1909. *A. Turneb. Adv.* xiv. 11. *Bud. in Pandect. p.* 36. *K.* Hisce privatim agendarum legis actiones præscribebant. Cicer. pro Mur. c. 13. *Gloria militaris vestris formulis atque actionibus anteponenda est.* Sigon. de Judic. i. 9. Omnium actionum erant perscriptæ in albo prætoris. Quintil. xii. 3. *Quorum alii se ad album, ac rubricas contulerunt.* Plaut. Pers. i. 2. 21.

Si id fiat, ne isti faxim nusquam appareant,
Qui hic albo pariete aliena oppugnant bona.

Ad eas litigatores stricte agebant. Cicer. pro Quint. Rosc. c. 8. *Sunt jura, sunt formulæ de omnibus rebus constitutæ, ne quis aut in genere injuriæ, aut ratione actionis errare possit. Expressæ sunt enim ex uniuscujusque damno, dolore, incommodo, calamitate, injuria publicæ a prætore formulæ, ad quas privata lis accommodatur.* Ea qui cadebat, causa cadebat. Senec. Epist. 49. *Quid enim aliud agitis, cum eum quem interrogatis, scientes in fraudem inducitis, quam ut formula cecidisse videatur? Sed quemadmodum illum prætor, sic hos philosophia in integrum restituit.* Quatuor vero ex causis *formula* quis cecidisse videbatur. Quintil. iii. 8. *In omnibus fere causis, in quibus cecidisse quis formula dicitur, hæ sunt quæstiones: an huic, an cum hoc, an hac lege, an apud hunc, an hoc tempore liceat agere.* Iis judices dati adstricti erant, quas prætor præscripserat, nec latum unguem habet discedere. Quintil. iii. 11. *Privata quoque judicia sæpe unum judicem multis, & diversis formulis solent habere.* Siccam. de Centumv. judic. i. 4. Pollet. For. Rom. v. 4. Sigon. de Judic. i. 21. Guther. de Offic. dom. Aug. iii. 1.

Formula abdicationis erat, *cum filium meum pecunias a sociis accepisse mihi probatum sit, & Republica, & domo mea indignum judico, proinusque e conspectu meo abire jubeo.* Val. Max. v. 8. *Hotom. de Form. Thes. Ant. Rom. Græv. Tom.* ii. *p.* 1909. *C.*

Formula absolvendi erat, *secundum illum litem do.* Cicer. pro Quint. Rosc. c. 1. *Quo minus secundum eos lis detur, non recusamus.* Senec. Controv. vii. *Centumviri dixerunt, dare ipsos secundum adversarium Albutii, si juraret.* Sigon. de Judic. i. 29. Pitisc. in Suet. Claud. c. 15. n. 4. Vel, *non videtur fecisse.* Cicer. Attic. iv. 5. *Drusus, Scaurus non fecisse videntur,* id est, absolvuntur. *Hotom. de Form. Thes. Antiq. Roman. Græv. Tom.* ii. *p.* 1909. *C. Sigon. de Judic.* ii. 22.

Formula acceptilationis Aquilianæ erat, *quicquid te mihi ex quacunque causa dare facere oportet, vel oportebit, præsens, in diemve, aut sub conditione: quarumque rerum mihi tecum actio, quæve adversus te petitio, vel adversus te persecutio est, eritve: quodve tu mecum habes, tenes, possides, quanti quæque earum rerum res erit, tantam pecuniam dari stipulatus est A. Agerius: spopondit Numerius Negidius. Quod Numerius Negidius A. Agerio promisit, spopondive, id haberetne a se acceptum, Numerius Negidius A. Agerium rogavit: A. Agerius Numerio Negidio acceptum fecit.* Justinian. Instit. iii. tit. quibus modis toll. oblig. Dig. xlvi. de Acceptil. *Hotom. de Form. Thes. Antiq. Roman. Græv. Tom.* ii. *p.* 1909. *C. D.*

Formula acclamandi patronis causarum *erat, euge, belle, o hominem literatum,* φεῦ σόφος, ut probat Fab. ad Senec. Contr. ix. & confirmat Tertull. adv. Valent. c. 8. *In scholis Carthaginensibus fuit quidam rigidissimus rhetor Latinus, Phosphorus nomine: cum virum fortem peroraret: Venio, inquit, ad vos, optimi cives, de prælio cum victoria mea, cum felicitate vestra, ampliatus, gloriosus, fortunatus, maximus, triumphalis, & scholastici statim familiæ Phosphori* φεῦ *acclamant.* Siccam. de Centumv. judic. i. 13.

Formula actionis arbitrariæ erat, *quantum æquius melius.* Cicer. pro Quint. Rosc. c. 4. V. illum supr. in *Arbitrium.*

Formula actionis bonæ fidei erat I. *ex bona fide,* quæ contractibus bonæ fidei accommodabatur. II. *ut inter bonos bene agier oportet, & sine fraudatione,* quæ in fiduciis usurpabatur. III. *quantum æquius, melius,* quæ rei uxoriæ erat propria. Cicer. Offic. iii. 15. *Dolus malus legibus erat vindicatus, ut tutela* xii. *tabulis, circumscriptio adolescentium lege Lætoria, & sine lege, judiciis, in quibus additur, Ex fide bona: reliquorum autem judiciorum hæc verba maxime excellunt, in arbitrio rei uxoriæ; melius æquius: in fiducia; ut inter bonos bene agier oportet.* Sigon. de Judic. i. 21. Turneb. Adv. xxv. 23.

Formula actionis furti adjuti erat, *ope, conſilio tuo furtum factum eſſe ajo.* Cicer. de Nat. deor. III. 30. *Hotom. de Form. Theſ. Antiq. Roman Græv. Tom.* II. *p.* 1909. *E.*

Formula actionis in perſonam erat, *ajo te mihi dare facere oportere.* Juſtin. Inſtit. §. Sic itaque de Action. *Sic itaque diſcretis actionibus certum eſt, non poſſe actorem ſuam rem ita ab aliquo petere, ſi apparet eum dare oportere.* Hotom. de Form. Theſ. Antiq. Roman. Græv. Tom. II. p. 1909. D. Urſat. de Not. Roman. Theſ. Ant. Rom. Græv. Tom. XI. p. 561. B.

Formula actionis in rem. Petitor: *Fundus, qui eſt in agro, qui Sabinus vocatur, meus eſt: eum ego ex jure Quiritium meum eſſe ajo: inde ibi ego te ex jure manu conſertum voco.* Is unde petitur: *Unde tu me ex jure manu conſertum vocaſti, inde ibi ego te revoco.* Prætor: *Utrisque ſuperſtitibus iſtam viam dico: inite viam.* Idem: *Redite viam.* Petitor: *Quando te in jure conſpicio, poſtulo anne ſies auctor.* Is unde petitur: *Auctor, ſed anne tu dicis, qua cauſa vindicaveris.* Cicer. pro Mur. c. 12. *Hotom. de Form. Theſ. Antiq. Roman. Græv. Tom.* II. *p.* 1909. *E.*

Formula addictionis in diem erat, *ille fundus centum eſto tibi emptus: niſi ſi quis intra Kal. Januar. proximas meliorem conditionem fecerit, quo res a domino abeat.* l. 1. ff. de in diem addict. *Hotom. de Form. Theſ. Antiq. Roman. Græv. Tom.* II. *p.* 1910. *B.*

Formula agendi in rebus corpore vacantibus, ut in uſufructu erat, *ajo uſumfructum fundi tui, qui eſt in agro Sabino, eſſe meum: ajo, jus eundi agendi per fundum tuum eſſe meum: ajo, jus ex fundo tuo aquam ducendi, vel jus adverſus ædes tuas altius tollendi eſſe meum.* Hoc autem proprium in his fuit, quod non ſolum affirmanter intendi potuit, ſed etiam neganter, hoc modo: *Ajo, uſumfructum fundi mei non eſſe tuum: ajo, jus eundi agendi per fundum meum non eſſe tuum.* Sigon. de Judic. I. 21.

Formula agentium in judicio actoris & rei erat, cum reus prior ita agebat: *ubi tu es, qui me vadatus es? ubi tu es, qui me citaſti? ecce ego me tibi ſiſto, tu contra & te mihi ſiſte.* Procedente actore rogabat, *quid ais?* reſpondebat actor, *ajo, e. g. fundum, quem poſſides, meum eſſe: ajo, te mihi dare, facere oportere,* prout natura actionis poſtulabat, quam ille intendere volebat. Docet hoc Plaut. Curc. I. 3. 5.

Ubi tu es, qui me convadatus Veneriis vadimoniis?
Ubi tu es, qui me libello Venerio citaviſti? ecce me.
Siſto ego tibi me, & mihi contra itidem te ut ſiſtas ſuadeo.

Sigon. de Judic. I. 21.

Formula ampliationis erat, *amplius cognoſcendum.* V. illam ſupr. in *Amplius.*

Formula annalis diviſionis legatæ, vel pro anniverſario celebrando, vel pro alicujus ſtatuæ dedicatione, erat, *decurionibus denarios tredecim, Auguſtalibus duodecim, populo undecim.* Urſat. de Not. Roman. Theſ. Ant. Rom. Græv. Tom. XI. p. 668. C.

Formula anquiſitionis quænam fuerit, V. ſupr. in *Anquiſitio.*

Formula anteſtantis quænam fuerit, V. ſupr. in *Anteſtari.*

Formula arbitrii ante latam ſententiam erat, *arbitror, te hoc modo actori ſatisfacere debere.* Sigon. de Judic. I. 29.

Formula arrogationis erat: *velitis jubeatis Quirites, uti Lucius Valerius Lucio Titio tam jure legeque filius ſibi ſies, quam ſi ex eo patre matreque familias ejus natus eſſet: utique ei vitæ necisque in eum poteſtas ſiet, uti pariendo filio eſt: hoc ita, ut dixi, ita vos Quirites rogo.* Gell. V. 19. Ubi ſuſpicor legendum pro *pariendo*, *patriendo*, ut ſit *endo* pro *in*, vetuſte. *Hotom. de Form. Theſ. Antiq. Roman. Græv. Tom.* II. *p.* 1910. *D.*

Formula aſſerendi in libertatem erat: *hunc ego hominem ex jure Quiritium liberali cauſa aſſero manu.* Ter. Adelph. II. 1. 38.

SA. *quid ſi ego tibi illam nolo vendere,*
Coges me? ÆS. *minime.* SA. *namque id metui.* ÆS. *neque vendundam cenſeo*
Quæ libera eſt: nam ego liberali illam aſſero cauſa manu.

Sigon. de Judic. I. 21. Hotom. de Form. Theſ. Antiq. Roman. Græv. Tom. II. p. 1910. D. V. ſupr. in *Cauſa liberalis.*

Formula aurei annuli in concione donandi erat: *Quandoquidem tu in prælio, in bello, in re militari mihi nunquam defuiſti, omnibusque in periculis mecum verſatus es, ob haſce res hoc aureo annulo te dono.* Hæc fere ex Cicer. Verr. III. 80. Hotom. de Form. Theſ. Antiq. Roman. Græv. Tom. II. p. 1910. D.

Formula belli indicendi quænam fuerit, V. ſupr. in *Fecialis.*

Formula carminis in ducendis nuptis quænam fuerit, V. infr. in *Hymen.*

Formula cautionis de dolo malo erat: *uti ne propter fidem tuam captus, fraudatusve ſiem.* Cicer. de Offic. III. 17. Hotom. de Form. Theſ. Antiq. Roman. Græv. Tom. II. p. 1911. D.

Formula ceſſionis in jure quæ nam fuerit, V. ſupr. in *Ceſſio.*

Formula coemptionis in matrimonio quænam fuerit, V. ſupr. in *Coemptio..*

Formula conlucandi luci erat: *ſi deus, ſi dea es, cujus illud ſacrum eſt, uti tibi jus ſiet porco piaculo facere, illiuſce ſacri coercendi ergo. Harumce rerum ergo, ſive ego, ſive quis juſſu meo fecerit, uti id recte factum ſiet. Ejus rei ergo te hoc porco piaculo immolando bonas preces precor, uti ſies volens propitius mihi, domo, familiæque meæ, liberisque meis.* Hotom. de Form. Theſ. Antiq. Roman. Græv. Tom. II. p. 1912. A.

Formula conſilii dimittendi erat; *ilicet*, id eſt, *ire licet.* V. infr. in *Ilicet.*

Formula conſponſorum in judicio quænam fuerit, V. ſupr. in *Conſponſores.*

Formula conteſtandæ litis quænam fuerit, V. ſupr. in *Conteſtari.*

Formula cretionis in hæreditatibus quænam fuerit, V. ſupr. in *Cretio.*

Formula dedicationis ſpoliorum & templi erat; *Jupiter Feretri, hæc tibi Victor Romulus Rex arma fero, templumque iis regionibus, quas modo animo metatus ſum, dedico ſedem opimis ſpoliis, quæ Regibus, ducibusque hoſtium cæſis, me auctorem ſequentes poſteri ferent.* Liv. I. 10. *Hotom. de Form. Theſ. Antiq. Roman. Græv. Tom.* II. *p.* 1912. *D.*

Formula deditionis quænam fuerit, V. ſupr. in *Deditio.*

Formula deferendi nominis quænam fuerit, V. infr. in *Nomen.*

Formula devotionis deſcribitur a Liv. VIII. 9. V. illum ſupr. in *Devotus.*

Formula dicendæ diei videtur hæc fuiſſe: *Ap. Claudi, huc ad me Nonis Septembris adeſto, ut te accuſari audias, quod vindicias contra libertatem dederis.* Sigon. de Judic. III. 7.

Formula dimittendi funeris erat: *ilicet.* Serv. in Virg. Æneid. VI. 226. *Populi corona tamdiu ſtabat reſpondens fletibus præficæ, id eſt, principis planctuum, quamdiu conſumpto cadavere, & collectis cineribus diceretur noviſſimum verbum ilicet, quod ire licet ſignificat. Unde eſt,*

— *dixitque noviſſima verba.*

Hotom. de Form. Theſ. Antiq. Roman. Græv. Tom. II. p. 1313. D. Kirchm. de Fun. Rom. III. 9.

Formula dimittendi ſenatus erat: *nihil vos moramur patres conſcripti.* Capitolin. Anton. Philoſ. c. 10. V. illum ſupr. in *Comitia.* Hotom. de Form. Theſ. Antiq. Roman. Græv. Tom. II. p. 1313. F. Zamoſc. de Senat. Rom. II. 11. Caroli Antiq. Roman. II. 9. Caſaub. in Capitolinum.

Formula dimittendorum manium erat, *vale.* Serv. Æneid. VI. 231. *Vale dicebatur poſt tumuli peracta ſollennia.* III. 68. *Eſt hoc loco, quod dicimus more ſollenni, vale.* II. 789. *Recedentis ſignificatio eſt: unde & mortuis dicitur, ut* XI. 97.

--- *ſalve*

— *salve æternum mihi maxime Palla,*
Æternumque vale.

Hotom. de Form. Thes. Antiq. Roman. Græv. Tom. II. p. 1313. D. Kirchm. de Fun. Rom. III. 8.

Formula discessionis permittendæ quænam fuerit, V. supr. in *Alia omnia.*

Formula divortii quænam fuerit, V. supr. in *Divortium.*

Formula donationis causa mortis erat: *illum agrum, aut illam domum me malo habere, quam te: te, quam heredem meum.* Anian. Paulli interpres Sent. II. 23. *Hotom. de Form. Thes. Antiq. Roman. Græv. Tom. II. p. 1914. B.*

Formula duumvirorum de perduellione judicantium exstat apud Liv. I. 26. *Duumviri perduellionem judicent. Si a duumviris provocarit, provocatione certato: si vincent, caput obnubito: infelici arbori suspendito: verberato, vel intra pomœrium, vel extra pomœrium.* Hotoman. de Form. Thes. Antiq. Roman. Græv. Tom. II. p. 1914. B.

Formula edicti censorum erat, *nobis non placet.* Gell. XV. II. *Cn. Domitius Ænobarbus, & L. Licinius Crassus censores de coercendis rhetoribus Latinis ita edixerunt. . . . Quapropter & iis, qui eos ludos habent, & iis, qui eo venire consueverunt, visum est faciendum, ut ostenderemus nostram sententiam, nobis non placere.* Hotom. de Form. Thes. Antiq. Roman. Græv. Tom. II. p. 1914. C. Brisson. de Form. II. p. 195.

Formula edicti, quo debitor latitans evocabatur, erat: *qui fraudationis causa latitaverit, si boni viri arbitratu non defendetur, ejus bona possideri, vendique jubebo.* Sigon. de Judic. I. 18.

Formula edicti, quo senatus vocabatur, erat: *senatores, quibusque in senatu sententiam dicere licet.* Clausula hæc invenitur apud Livium, Festum, & Gellium. At ab initio statim post magistratus annuos institutos citabantur hoc modo: *qui patres, quique conscripti essent*, teste Liv. II. 1. *Zamosc. de Sen. Rom.* II. 4. *Brisson. de Form.* II. *p.* 164.

Formula emancipationis quænam fuerit, V. supr. in *Emancipatio.*

Formula evocationis deorum quænam fuerit, V. supr. in *Dii.*

Formula exceptionis erat: *extraquam.* l. 1. §. Labeo. ff. de flu. *Extraquam si quid ita factum sit, uti lege fieri licuit.* aut *si* l. 2. §. ult. de dol. except. *Si in ea re nihil metus causa factum est.* Hotom. de Form. Thes. Antiq. Roman. Græv. Tom. II. p. 1914. F.

Formula exercitus evocandi erat: *qui vult salvam Rempublicam, me sequatur.* Si enim *esset tumultus, qui fuerat ducturus exercitum, ibat ad Capitolium: & exinde proferens duo vexilla, unum roseum, quo pedites evocabat, alterum cæruleum, quo equites, dicebat. . . . . .* Serv. Æneid. VIII. 1. Cicer. pro C. Rabir. perduell. reo c. 7. *Fit SCtum, ut C. Marius, L. Valerius coss. operam darent, ut imperium populi Romani majestasque conservaretur: qui Rempublicam salvam esse vellent, arma capere, & se sequi jubent.* Hotom. de Form. Thes. Antiq. Roman. Græv. Tom. II. p. 1915. A.

Formula exsecrationis legitur apud Liv. XXII. 51. præeunte verba P. Scipione: *Si sciens fallo ex animi mei sententia, tum me Jupiter Opt. Max. domum familiamque meam pessimo letho afficiat.* Schel. in Hygin. Thes. Antiq. Roman. Græv. Tom. X. p. 1173. D. & apud Sall. Bell. Catil. p. 19. Catilina, *cum ad jusjurandum populares sceleris sui adigeret*, dicitur *humani corporis sanguinem vino permixtum in pateris circumtulisse: inde, cum post exsecrationem omnes degustavissent, sicut in sollennibus sacris fieri consuevit, aperuisse consilium suum.* Gyrald. Synt. deor. I. p. 507. D. Broid. Corollar. ad Pollet. For. Rom. IV. 14.

Formula ferendi judicem adversario erat: *se illi judicem ferre: ni vindicias in servitutem ab libertate dederit.* Rogabat autem eum, ut eo contentus esset, & non alium posceret, his verbis, de quibus Festus: *Si alium procas, nive alium procas. Est enim poscere procare, quod dicitur in judice collocando.* Sigon. de Judic. I. 23.

Formula fidejubendi erat: *Centum quæ mihi Cajus debet, eadem mihi dare spondes? spondeo. Stichum aut decem fide tua jubes? jubeo. Quantam pecuniam credidero, fide tua esse jubes? jubeo. Si reus quadraginta non solverit, fide tua esse jubes? jubeo.* Ex tract. de fidejuss. in Pandect. *Hotom. de Form. Thes. Antiq. Roman. Græv. Tom.* II. *p.* 1915. *B.* V. supr. in *Fidejussio.*

Formula fiduciæ quænam fuerit, V. supr. in *Formula actionis.*

Formula fœderis peragendi quænam fuerit, V. supr. in *Fecialis & Fœdus.*

Formula hæredis instituendi erat: *Titius heres est, Titium heredem esse jubeo.* Illa autem institutio, *heredem instituo, heredem facio*, plerisque improbata est. Ulpian. Instit. c. 21. Substituendi: *Titius heres esto, cernitoque in diebus proximis centum, quibus scieris, poterisque. Nisi ita creveris, exheres esto: tunc Mævius heres esto, cernitoque in diebus. . . . .* Ulpian. Instit. c. 22. *Hotom. de Form. Thes. Antiq. Roman. Græv. Tom.* II. *p.* 1915. *C.*

Formula impunitatis, quæ omnibus plane legibus adscribebatur, ut si quid contra alias leges, ejus legis ergo, quæ promulgabatur, factum esset, nihil subsisteret, erat: *si quid sacri, sanctique est, quod jus non sit rogari, ejus hac lege nihil rogatur.* Brisson. de Form. II. . . . . Ursat. de Not. Rom. Thes. Antiq. Roman. Græv. Tom. XI. p. 967. A.

Formula indicendi Compitalia quænam fuerit, V. supr. in *Feriæ Compitales.*

Formula indicendi funeris quænam fuerit, V. infr. in *Funus indictivum.*

Formula inlicii vocandi erat: *quod bonum, fortunatum, felixque, salutareque siet populo Romano Quiritium, reique publicæ populi Romani Quiritium, mihique, collegæque meo, fidei, magistratuique nostro: omnes Quirites, pedites, armatos, privatosque, curatores omnium tribuum, si quis pro se, sive pro altero dari rationem volet, voca inlicium huc ad me.* Varro de Ling. Lat. V. 9. Hotom. de Form. Thes. Antiq. Roman. Græv. Tom. II. p. 1916. D.

Formula intentionis in actione de calumnia. V. illam supr. in *Actio de calumnia.*

Formula intentionis in actione exercitoria. V. illam supr. in *Actio exercitoria.*

Formula intentionis in actione de dote. V. illam supr. in *Actio de dote.*

Formula intentionis in actione de furto. V. illam supr. in *Actio de furto.*

Formula intentionis in actione institoria. V. illam supr. in *Actio institoria.*

Formula intentionis in actione quod jussu. V. illam supr. in *Actio quod jussu.*

Formula intentionis in actione quod metus causa gestum est. V. illam supr. in *Actio de eo quod metus. . . .*

Formula intentionis in actione de pauperie. V. illam supr. in *Actio de pauperie.*

Formula intentionis in actione de peculio. V. illam supr. in *Actio de Peculio.*

Formula intentionis in actione de rapina. V. illam supr. in *Actio de rapina.*

Formula intentionis in actione de servo corrupto. V. illam supr. in *Actio de servo corrupto.*

Formula intentionis in actione tributoria erat: *ajo, Mævium peculiares Stichi sui servi merces ex edicto non distribuisse, & quanto minus tributum sit quam debuerit, tantum mihi dare oportere.* Sigon. de Judic. I. 21.

Formula intentionis in actione de ventre cognoscendo, V. illam supr. in *Actio de ventre cognoscendo.*

Formula intentionis in ambitu erat: *ajo, te in petendo consulatu pecuniam dedisse tribubus, prandia, locum gladiatoribus contra legem Tulliam, atque pœnam quæ lege continetur, a te repeto.* Sigon. de Judic. II. 10.

Formula intentionis in contentione ex contractu erat *ajo, te mihi mutui, aut commodati, aut depositi, aut aliorum contractuum nomine dare centum oportere.* Ille, unde petebatur, aut inficiabatur, aut excipiebat. Inficiabatur ita dicens: *nego me tibi dare centum eo nomine debere.* Excipiebat

piebat partem actionis excludens, ita: *nego me tibi ex stipulatu centum dare debere, nisi quod metu, aut dolo, aut errore adductus spopondi: aut, ni minor annis* XXV. *siem.* Plaut. Rud. v. 3. 22.

GR. *si vidulam*
Istum redegissem in potestatem ejus, juratus dare
Mihi talentum magnum argenti. LA. *Cedo qui cum habeam judicem,*
Ni dolo malo instipulatus sis, nive etiam dum siem
Quinque & viginti natus annos.

Sigon. de Judic I. 21.

Formula intentionis in crimine repetundarum erat: *ajo, te in prætura spoliasse Siculos contra legem Corneliam, atque eo nomine sestertium millies a te repeto.* Cicer. Divin. c. 5. *Sicilia tota, si una voce loqueretur, hoc diceret: quod auri, quod argenti, quod ornamentorum in meis urbibus, sedibus, delubris fuit, quod jus in unaquaque re beneficio senatus, populique Romani habui, id tu mihi C. Verres eripuisti, atque abstulisti: quo nomine abs te sestertium millies ex lege repeto.* Sigon. de Judic. II. 10.

Formula intentionis in noxali actione. V. illam supr. in *Actio noxalis.*

Formula intentionis in actione damni lege Aquilia. V. illam supr. in *Actio damni.*

Formula intentionis in actione de in rem verso quænam fuerit. V. supr. in *Actio de in rem verso.*

Formula intentionis in peculatu erat: *ajo, te pecuniam publicam, cum quæstor esses, avertisse, & falsas rationes ad ærarium retulisse: atque eo nomine sestertium quingenties a te repeto.* Sigon. de Judic. II. 10.

Formula intercessionis tribunitiæ erat: *veto.* Liv. VI. 35. *Bene habet, inquit Sextius, quandoquidem tantum intercessionem pollere placet, isto ipso telo tutabimur plebejos. Agedum comitia indicite patres tribunis militum creandis. Faxo juvet vox ista, Veto.* Hotom. de Form. III. Thes. Antiq. Rom. Græv. Tom. II. p. 1916. E. Brisson. de Form. III. p. 263. Pitisc. in Suet. Tib. c. 2. n. 10.

Formula interdicti de bonis prodigi erat: *quando tu bona paterna, avitaque nequitia tua disperdis, liberosque tuos ad egestatem perducis, ob eam rem tibi ea re, commercioque interdico.* Hotom. de Form. Thes. Antiq. Roman. Græv. Tom. II. p. 1916. E.

Formula interrogandi testis erat: *quæro de te, arbitrerisne?* Liv. IV. 40. *Sexte Tempani, quæro de te, arbitrerisne, C. Sempronium consulem in tempore pugnam misisse?* Ipsi testes respondebant jurati, respondentesque dicebant: *arbitror.* Cicer. pro Font. c. 9. *Primum illud verbum consideratissimum nostræ consuetudinis, arbitror, quo nos etiam tunc utimur, cum ea dicimus jurati, quæ comperta habemus, quæ ipsi vidimus, ex toto testimonio sustulit.* Sigon. de Judic. II. 15. Pollet. For. Rom. IV. 13. Brisson. de Form. V. p. 477.

Formula interrogandi, qua censores in jurejurando de uxoribus utebantur, quænam fuerit. V. supr. in *Ex animi sententia.*

Formula judicii in actionibus arbitrariis erat: *esto arbiter, & si paret, Mævium metu coegisse Servilium, ut centum daret, aut dolo malo iniquis ponderibus usum, ut eum fraudaret, aut eidem stipulanti spopondisse, se centum tritici modios Bononiæ daturum, neque arbitrio judicis ei satisfaciat, tum quantum Servilius in litem juraverit, tanti damnato. Si paret, Mævium vestem, quam Servilius exhiberi postulat, habere, neque is arbitrio judicis eam exhibeat, tum quanti in litem Servilius jurarit, tanti damnato.* Sigon. de Judic. I. 24.

Formula judicii in actionibus bonæ fidei erat: *si paret, Mævium Servilio domum aut vendidisse, aut locasse, tum quantum Mævium Servilio ob eam rem dare ex fide bona oportet, tanti damnetur. Si paret, Mævium Servilio domum mancipasse ea lege, ut remanciparet, ut inter bonos viros bene agier oportet, tum quantum Servilium Mæviæ dare ob eam rem ex fide bona oportet, tantum damnato. Si paret, Terentiam Tullio præter dotem alia dedisse, tum quantum æquius melius videbitur, Tulliam damnato.* Sigon. de Judic. I. 24.

Formula judicii in actionibus, in quibus cum dominis agitur causa servitutis, erat: *si paret, Servilium Sticho Mævii servo jussu Mævii centum credidisse, neque Mævius Servilio satisfaciat, tum Mævius damnetur. Si paret, Mævium Sticho, quem Servilius in navi, quam exercet, magistrum præfecerat, centum aureos ejus rei causa, cui præfectus erat, credidisse, neque Servilius Mævio satisfecerit, tum Servilius damnetur. Si paret, Mævium peculiares Stichi servi sui merces ex edicto non distribuisse, tum quanto minus tributum sit, quam debuerit, tanti damnetur. Si paret, Servilium Sticho Mævii servo centum credidisse, ut Mævii domum labentem fulciret, tum Mævius quatenus & in rem versum, & in peculio Stichi esse constabit, damnetur. Si paret, Stichum Mævii servum Servilio noxam nocuisse, tum Mævius aut solvere, aut Stichum noxæ Servilio dedere, damnetur. Si paret, ursum Mævii, aut vulnus Servilio intulisse, aut vestem lacerasse, tum Mævius, aut quanti æquum esse videatur, aut duplum, quanti vestis est, damnetur.* Sigon. de Judic. I. 24.

Formula judicii in actionibus mistis erat: *C. Aquilli, judex esto: itaque familiam herciscitor, ut quod cuique ex heredibus adjudicandum esse videbitur, quodque Servilium Mævio dare, facere oportet, judices.* Item: *judex esto: itaque res communes Servilii & Mævii dividito, ut quod cuique adjudicandum videtur, quodque Servilium Mævio dare, facere oportet, judices.* Item: *Judex esto: itaque fines agrorum dirigito, ut quod cuique adjudicandum esse videbitur, quodque Servilium Mævio dare, facere oportet, judices.* Sigon. de Judic. I. 24.

Formula judicii in actionibus, in quibus pars petitur, erat: *si paret, Mævium Lucio Servilii filio centum mutuo dedisse, tum Lucius pater, quantum ex filii peculio facere poterit, damnetur: si paret, Terentiam Tullio centum nomine dotis dedisse, tum Tullius, quantum facere poterit, damnetur.* Sigon. de Judic. I. 24.

Formula judicii in actionibus pœnalibus erat: *Judex esto: si paret, Mævium centum Servilio abstulisse, & manifesto deprehensum esse, Mævium in quadringentos damnato: si paret Mævium Servilio vestem eripuisse, atque ejus rei nomine eum in quadruplum Servilio dare oportere, Mævium in quadruplum damnato: si paret, Mævium Stichum servum Servilii interfecisse, factumque illud inficiatum esse, Mævium in duplum, quanti ea res eo anno plurimi fuerit, damnato.* Sigon. de Judic. I. 24.

Formula judicii in causa libertatis, & ventris erat: *si paret, Servilium liberum, aut ingenuum esse, liberum, aut ingenuum pronuntiato: si paret, Stichum servum, aut libertum Mævii esse, servum, aut libertum pronuntiato.* Sigon. de Judic. I. 24.

Formula judicii in condictione erat: *si paret, Servilium Mævio mutui, aut depositi nomine centum dare oportere, neque eos restituerit, Servilium damnato: si paret, Servilium domum, aut navim ædificare, aut vestem polire ex stipulatu oportere, neque satisfecerit, eum damnato: si paret, Mævium Servilio mercedem, de qua inter eos convenerat, ob polita ejus vestimenta dare oportere, neque dederit, eum damnato: si paret, vestem, quam Stichus Mævio furto abstulit, Mævii esse, neque Stichus eam restituerit, Stichum damnato.* Sigon. de Judic. I. 24.

Formula judicii recuperatorii erat: *si pareret.* Cicer. pro Quint. Rosc. c. 4. *Si pareret* H. S. 1ↃↃↃ. *dari oportere.* Hotom. de Form. Thes. Antiq. Rom. Græv. Tom. II. p. 1917. A. Pollet. For. Rom. III. 15.

Formula judicii in vindicatione rei corpus habentis erat: *C. Aquilli, judex esto: si paret, fundum Capenatem, de quo Servilius agit cum Catulo, Servilii esse ex jure Quiritium, neque is Servilio a Catulo restituatur, tum Catulum damnato.* Hinc reprehendit Verrem Cicero, qui in hæc verba judicem dedit: *C. Octavi, judex esto: si paret, fundum Capenatem ex jure Quiritium P. Servilii esse, neque is fundus Q. Catulo restituatur cum debuisset dicere, neque is fundus Servilio restituatur.* Quod si exceptio intercederet, addebat: *Extra quam si testamentum prodatur, quo apparet, Catuli esse.*

Sæpe

Sæpe tamen prætor reo iniquus exceptionem addere noluit: qua de caufa tribuni plebis appellari poterant. Cicer. Acad. IV. 30. *Poftulat, ut excipiantur hæc inexplicabilia, tribunum aliquem cenfeo adeant, a me iftam exceptionem nunquam impetrabunt.* Corpore vacantis erat: *fi paret, ufumfructum fundi Servilii effe Mævii, neque Servilius eum uti frui finat, tum Servilium damnato: fi paret, jus eundi, agendi per fundum effe Mævii, neque Servilius eum ire, agere finat, tum Servilium damnato: fi paret, jus ex fundo Servilii aquam ducendi, vel jus verfus ædes Servilii altius tollendi effe Mævii, neque Servilius aquam ducere, aut altius tollere finat, tum Servilium damnato.* Sigon. de Judic. I. 24.

Formula, qua judicium dabatur & poftulabatur, erat: *fi pateret*, aut *fi appareret*: ut, *dabat ifte judicium, fi pateret, jugera ejufmodi fundi effe plura, quam colonus effet profeffus, tum Xeno damnaretur.* Cicer. Verr. III. 22. Item: *quærebant, in quæ verba recuperatores daret: refpondebat, fi pateret, adverfus edictum feciffe.* Cicer. Verr. III. 28. *Sigon. de Ant. jur. civ. Rom.* II. 5.

Formula judicum, cum caufam non intellexiffent, erat: *fibi non liquere*: atque inde fecunda actio inftituebatur. Gell. XIV. 2. *Ut abfolverem, inducere in animum non quivi; & propterea juravi mihi non liquere, atque ita judicato illo folutus fum.* Cicer. pro Clu. c. 28. *Homines fapientes ex veteri illa judiciorum difciplina, qui neque abfolvere hominem nocentiffimum poffent: neque eum, de quo orta effet fufpicio, pecunia oppugnatum re incognita condemnare nollent, non liquere dicebant.* Sigon. de Judic. I. 29. Oizel. in Gellium.

Formula jurisjurandi. V. illam fup. in *Ex animi tui fententia.* Per Jovem lapidem traditur a Fefto: *Lapidem filicem tenebant juraturi per Jovem, hæc verba dicentes: fi fciens fallo, tum me Diefpiter falva Urbe, atque bonis ejiciat, uti ego hunc lapidem.* Polybius fupr. in *Fœdus.* Militaris traditur a Gell. XVI. 4. *In magiftratu C. Lælii C. filii confulis, L. Cornelii P. filii confulis in exercitu, decemque millia paffuum prope, furtum non facies dolo malo, folus, neque cum pluribus, pluris nummi argentei in dies fingulos. Extraque haftam, haftile, lignum, napum, pabulum, utrem, follem, faculam, fi quid ibi inveneris, fuftulerifve quod tuum non erit, quod pluris nummi argentei erit, uti tu ad C. Lælium C. filium confulem, L. ve Cornelium P. filium confulem, five quem ad utrum eorum jus erit, proferes: aut profitebere in triduo proximo, quicquid inveneris, fuftulerifve fine dolo malo, aut domino fuo, cujum id cenfebis effe, reddes, uti quod recte factum effe voles.* Hotom. de Form. Thef. Ant. Rom. Græv. Tom. II. p. 1917. F. Briffon. de Form. II. p. 338. Stewech. in Veget. II. 4. Donat. Dilucid. p. 752. . . .

Formula Kalendarum indicendarum quænam fuerit. V. infr. in *Kalendæ.*

Formula legati teftamentarii I. per vindicationem erat: *do, lego, capito, fumito, five habeto.* II. per damnationem: *hæres meus damnas efto dare: dato, facito, hæredem meum dare jubeo.* III. finendi modo: *hæres meus damnas efto finere, Lucium Titium fumere illam rem, fibique habere.* IV. per præceptionem: *Lucius Titius illam rem præcipito.* Ulpian. Inftitut. c. 24. *Hotom. de Form. Thef. Antiq. Roman. Græv. Tom.* II. *p.* 1918. *F.*

Formula legis ferendæ erat: *velitis jubeatis Quirites.* Cicer. pro Dom. c. 40. *fi quid jus non fuit rogari, ejus ea lege nihilum rogatum.* Cicer. Cæc. c. 33. *Confules populum jure rogaverunt, populusque jure fcivit.* Cicer. Phil. I. 10. jubendæ, vel antiquandæ: *uti rogas, vel antiquo.* V. fupr. in *A* & infr. in *V.* fanciendæ: *ne per faturam abrogari, derogarive jus efto.* Feftus. Hotom. de Form. Thef. Antiq. Roman. Græv. Tom. II. p. 1918. D.

Formula libandi diis vini quænam fuerit, V. infr. in *Formula facrificii porcæ.*

Formula literarum ab Imperatoribus ad fenatum incolumi exercitu mittendarum erat: *fi vos & liberi veftri valetis, bene eft: ego & exercitus valemus.* Cicero perfæpe in Epiftolis. *Hotom. de Form. Thef. Antiq. Roman. Græv. Tom.* II. *p.* 1919. *A.*

Formula luftrandi agri erat: *Mars pater te precor, quæfoque, uti fies volens, propitius mihi, domo, familiæque noftræ; cujus rei ergo agrum, terram, fundumque meum fuovetaurilia circumagi juffi: uti tu morbos vifos, invifosque, viduertatem, vaftitudinemque, calamitates, intemperiasque prohibeffis, defendas, averruncesque: utique tu fruges, frumenta, vineta, virgultaque grandire, beneque evenire finis, paftores, pecuaque falva fervaffis, duisque bonam falutem, valetudinemque, mihi, domo, familiæque noftræ. Harumce rerum ergo, fundi, terræ, agrique mei luftrandi, luftrique faciendi ergo, ficuti dixi, macte hifce fuovetaurilibus lactentibus immolandis efto. Mars pater, ejufdem rei ergo, macte hifce fuovetaurilibus lactentibus efto. Item cultro facito ftruem, & fertum uti adfit; inde obmoveto. Ubi porcum immolabis, agnum, vitulumque, fic oportet. Ejusque rei ergo macte hifce fuovetaurilibus immolandis efto: nominare vetat Martem, neque agnum, vitulumque. Si minus in omnes litabit, fic verba concipito: Mars pater, fi quid tibi in illifce fuovetaurilibus lactentibus, neque fatisfactum eft, te hifce fuovetaurilibus piaculo. Si uno, duobusque dubitaverit, fic verba concipito: Mars pater, quod tibi illoc porco neque fatisfactum eft, te hoc porco piaculo.* Cato de Re ruft. c. 142. *Hotom. de Form. Thef. Antiq. Rom. Græv. Tom.* II. *p.* 1919. *B.*

Formula mancipandi. V. illam fupr. in *Emancipatio.*

Formula manumittendi. V. illam fupr. in *Formula afferendi in libertatem.*

Formula miffionis ignominiofæ. V. illam infr. in *Miffio ignominiofa.*

Formula multæ in judicio erat: *ego ei unam ovem multam dico.* Gell. XI. 1. *M. Terentius quando citatus, neque refpondit, neque excufatus eft, ego ei unam ovem multam dico.* Hotom. Thef. Antiq. Roman. Græv. Tom. II. pag. 1920. A.

Formula poftulandi judicem a prætore erat: *judicem, arbitrumve poftulo, uti des in diem tertium, five perendinum.* Cicer. pro Mur. c. 12. *Illud mihi mirum videri folet, tot homines, tam ingeniofos, per tot annos etiam nunc ftatuere non potuiffe, utrum diem tertium, an perendinum, judicem, an arbitrum, rem an litem dicere oporteret.* Sigon. de Judic. I. 23.

Formula poftulantis vindicias quænam fuerit, V. infr. in *Vindiciæ.*

Formula poftumos inftituendi erat: *filius meus hæres efto: fi filius meus me vivo moriatur, tunc fi mihi quis ex eo nepos, five quæ neptis poft mortem meam in decem menfibus proximis, quibus filius meus moreretur, natus, nata erit, hæredes funto.* Scævol. l. Gallis 29. ff. de liber. & poftum. *Hotom. de Form. Thef. Antiq. Roman. Græv. Tom.* II. *p.* 1921. *C.*

Formula præconii in facrificiis fuit *hoc age.* V illam fupr. in *Age hoc.* Et *favete linguis.* V. illam fupr. in *Faveret.*

Formula præconis in fenatusconfulto per difceffionem quænam fuerit. V. fupr. in *Alia omnia.*

Formula præfandi in omnibus rebus erat: *quod bonum fauftum, felix, fortunatumque fit.* Cicer. de Divin. I. 45. *Hotom. de Form. Thef. Antiq. Roman. Græv. Tom.* II. *p.* 1921. *C.*

Formula precationis, qua in pompæ principio Romani Imperatores triumphantes in Vaticano utebantur, erat: *Dii nutu, & imperio quorum nata & aucta eft res Romana, eandem placati, propitiatique fervate.* In fine vero Capitolium afcendentes, hæc: *gratias tibi Jupiter optume maxume, tibique Junoni Reginæ, & cæteris hujus cuftodibus, habitatoribusque arcis dis lubens, lætusque ago, re Romana in hanc diem, & horam, per manus, quod voluiftis, meas fervata, bene geftaque: eandem & fervate, ut facitis, fovete, protegite propitiati, fupplex oro.* Macrob. Sat. I. *Hotom. de Form. Thef. Antiq. Roman. Græv. Tom.* II. *p.* 1921. *A.*

Formula precationis confularis in confule renuntiando erat: *quod mihi, magiftratuique meo, populo, plebique Romanæ feliciter eveniret, L. Murenam confulem renuntiavi.* Cicer. pro Mur. c. 1. *Hotom. de Form. Thef. Antiq. Rom. Græv. Tom.* II. *p.* 1921. *B.*

Formula pronuntiandæ condemnationis erat: *videtur feciffe, aut, non jure videtur feciffe.* Feftus: *Patraviffe videri, pronuntiat magiftratus, cum de confilii fententia aliquem capi-*

tis condemnaturus eſt. In illa non ſolum crimen commiſſum, ſed etiam pœna ſumenda comprehendebatur : e. g. *videtur vim feciſſe, atque eo nomine aqua & igni illi interdico. Videtur provinciam ſpoliaſſe, atque eo nomine litem ei æſtimandam eſſe.* Siquidem ſic ſcribit Pompon. ff. de Interdictis: *Iis, qui relegantur, dies excedendi dari a præſidibus ſolet: etenim moris eſt, ita pronuntiari: illum provincia illa relego.* Fieri etiam potuit, ut de pœna reticuerit, & ad legem rem rejecerit. Martian. ff. ad S. C. Turpil. *Si pronuntiavit, calumniatus es, condemnavit eum: & quamvis de pœna nihil ſubjecerit, tamen legis poteſtas adverſus eum exercebitur.* Sigon. de Judic. II. 22.

Formula provinciæ quænam dicta fuerit. V. infr. in *Jus provinciale.*

Formula quærendi, an poſſeſſor auctor ſit, erat: *quando te in jure conſpicio, poſtulo anne fies auctor?* Cicer. pro Cæc. c. 19. *Actio eſt in actorem præſentem: quando te in jure conſpicio, poſtulo anne fies auctor?* Caj. ff. de rei vindicat: *Qui petitorio judicio utitur, ne fruſtra experiatur, requirere debet, an is, cum quo inſtituit actionem, poſſeſſor ſit, vel dolo deſiit poſſidere.* Sigon. de Judic. I. 21.

Formula Regis ab Interrege rogandi erat: *quod bonum, fauſtum, felixque ſit, Quirites, Regem create: ita patribus viſum eſt: patres deinde, ſi dignum, qui ſecundus a Romulo numeretur, crearitis, auctores fient.* Liv. I. 17. Inaugurandi: *Jupiter pater, ſi eſt fas, hunc Numam Pompilium, cujus ego caput teneo, Regem Romæ eſſe, uti tu ſigna nobis certa adclaraſſis, inter eos fines, quos feci.* Liv. I. 18. *Hotom. de Form. Theſ. Antiq. Roman. Græv. Tom. II. p. 1921. D.*

Formula rei dimittendi erat: *nihil moror.* Liv. IV. 42. *Non videbit, inquit, plebs Romana ſordidatos tribunos ſuos. C. Sempronium nihil moror.* Sigon. de Judic. III. 13.

Formula rei uxoriæ quænam fuerit. V. ſupr. in *Formula actionis bonæ fidei.*

Formula relegandi erat: *illum provincia illa, inſulisque ejus relego: excedereque debebit intra illum diem.* Ulpian. I. 7. §. his qui ff. de interd. & releg. *Hotom. de Form. Theſ. Antiq. Roman. Græv. Tom. II. p. 1921. D.*

Formula replicationis erat: *aut, ſi mihi mandatum eſt, ut a te peterem* l. Itaque 48. de procurat. *aut ſi res judicata non ſit* l. 24. de except. rei jud. *aut ſi damnatione interpoſita ſecundum decretum vendiderit* l. conſilio 7. ff. de curat. fur. *Hotom. de Form. Theſ. Antiq. Roman. Græv. Tom. II. p. 1921. E.*

Formula repudii quænam fuerit. V. illam infr. in *Repudium.*

Formula rogandi judicis erat: *quæ ſalva fide facere poſſit.* Cicer. de Offic. III. 10. *Hotom. de Form. Theſ. Antiq. Roman. Græv. Tom. II. p. 1921. E.*

Formula rogationis de tribunitio magiſtratu erat: *ſi tribunos plebis decem rogabo, ſi quos minus hodie decem tribunos plebis fecerint: hi tum, quos ſibi collegas cooptaſſint, ita illi legitimi eadem lege tribuni plebei ſint, ut illi, quos hodie tribunos plebei feceritis.* Liv. III. 64. *Hotom. de Form. Theſ. Antiq. Roman. Græv. Tom. II. p. 1922. A.*

Formula ſacrificii porcæ præcidaneæ ante meſſem deſcribitur a Caton. de Re Ruſt. c. 135. *Priusquam meſſem facies, porcam præcidaneam hoc modo fieri oportet. Cereri porca præcidanea, porcam feminam priusquam haſce fruges condantur, far, triticum, ordeum, fabam, ſemen rapicium, thure, vino, Jano, Jovi, Junoni præfato. Priusquam porcum feminam immolabis, Jano ſtruem commoveto ſic: Jane pater te hac ſtrue commovenda bonas preces precor, ut ſies volens propitius mihi, liberisque meis, domo, familiæque meæ. Ferctum Jovi moveto, & mactato ſic: Jupiter te hoc fercto commovendo bonas preces precor, uti ſies volens propitius mihi, liberisque meis, domo familiæque meæ, mactus hoc fercto. Poſtea Jano vinum dato ſic: Jane pater, uti te ſtrue commovenda bonas preces bene precatus ſum, ejusdemque rei ergo macte vino inferio eſto. Poſteà Jovi ſic: Jupiter macte fercto eſto, macte vino inferio eſto. Poſtea porcam præcidaneam immolato. Ubi exta proſecta erunt, Jano ſtruem commoveto, mactatoque item uti prius obmoveris. Jovi ferctum obmoveto, mactatoque uti prius feceras. Item Jano vinum dato, & Jovi vinum dato, ita ut prius datum ob ſtruem commovendam, & ferctum libandum: poſtea Cereri exta, & vinum dato.* Hotom. de Form. Theſ. Antiq. Roman. Græv. Tom. II. p. 1922. C. Briſſon. de Form. I. 32.

Formula ſalutationis matutinæ erat: *ave*, veſpertinæ: *ſalve.* Dio LXIX. p. 796. V. illum ſupr. in *Ave.* Patris patriæ: *quod bonum fauſtumque ſit tibi, domuique tuæ, Cæſar Auguſte, ſenatus te conſentiens cum populo Romano conſalutat patriæ patrem.* Suet. Aug. c. 58. n. 2. in epiſtolis: Senec. Epiſt. 15. *Mos antiquus fuit usque ad meam ſervatus ætatem, primis epiſtolæ verbis adjicere: ſi vales, bene eſt. Recte & nos dicimus, ſi philoſopharis, bene eſt.* Plin. Epiſt. I. 11. *Vel ſolum illud ſcribe, unde priores incipere ſolebant: ſi vales, bene eſt, ego valeo.* V. ſupr. in *Epiſtola.* Hotom. de Form. Theſ. Antiq. Roman. Græv. Tom. II. p. 1922. A. Lipſ. ad Senecam.

Formula Sᴄti conſulibus quid mandantis erat; *ſi eis videatur.* Donat. in Adelph. III. 5. 1. *Sic honorifice additur verbo, ne, quod imperativo modo pronuntiatur, ſuperbum ſit. Deductum eſt autem a SCti formula. Ubi enim aliquid ſenatus conſulibus injungit, addit: ſi eis videatur.* Juſtin. XXXI. 1. 6. *Senatus ſcripſit Flaminino, ſi ei videatur, ſicuti Macedoniam a Philippo, ita Græciam a Nabide liberet.* Cicer. Phil. IX. 7. *Utique C. Panſa, A. Hircius coſſ. alter, ambove, ſi eis videbitur, quæſtoribus urbanis imperent.* Hotom. de Form. Theſ. Antiq. Roman. Græv. Tom. II. p. 1922. E. de Senat. & SCtis II. 8. Briſſon. de Form. II. p. 218. Zamoſc. de Senat. Rom. II. 12. Scribendi: *quid de ea re fieri placeret, de ea re ita cenſuerunt.* Cicero perſæpe. Hotom. de Form. ibid. F. Briſſon. ibid. pag. 169. Summi: *videant*, aut *dent operam conſules, ne quid Reſpublica detrimenti accipiat.* Hoc in atrocioribus negotiis, & aliqua impendente procella, imo vero cum in maximum periculum, extremumque pæne diſcrimen adducta videbatur Reſpublica, decerni conſueverat. Et eſt ultimæ neceſſitatis ſemper habita. Liv. III. 4. *Tantumque terrorem incuſſere patribus, ut, quæ forma SCti ultimæ ſemper neceſſitatis habita eſt, Poſtumio alteri conſulum negotium daretur, videret ne quid detrimenti Reſpublica caperet.* Salluſt. de Bell. Catil. p. 23. V. illum ſupr. in *Conſul.* Quo uno verſiculo ſatis armatos eos ſemper fuiſſe, etiam nullis armis datis, ſcribit Cicer. pro Mil. c. 26. *Quamquam quis hoc credat, Cn. Pompejum juris publici, moris majorum, rei denique publicæ peritiſſimum, cum ſenatus ei commiſerit, ut videret, ne quid Reſpublica detrimenti caperet, (quo uno verſiculo ſatis armati ſemper conſules fuerunt, etiam nullis armis datis) hunc exercitu, hunc delectu dato, judicium exſpectaturum fuiſſe in ejus conſiliis vindicandis, qui vel judicia ipſa tolleret?* Lipſ. de Magiſtrat. Roman. c. 9 Bud. in Pandect. p. 85. D. Turneb. Adv. XXX. 15. Briſſon. de Form. II. p. 211. Hotom. de Form. Theſ. Antiq. Roman. Græv. Tom. II. p. 1922. E. Caroli Antiq. Roman. II. 9.

Formula ſententiæ in actione injuriarum erat: aut *jure feciſſe*, aut *non jure feciſſe* videri. Hoc eſt apud Juſtin. tit. de injur. *Injuria eſt ἀδικία, iniquitas. Itaque cum prætor, vel judex, non jure, contra quem pronuntiat, injuriam accepiſſe dicitur.* Hinc nota illa vox Cincinnati dictatoris apud Liv. IV. 15. *ſe Melium jure cæſum pronuntiare.* Scipionis apud Val. Max. VI. 2. 3. *ſibi Gracchum jure occiſum videri.* Briſſon. de Form. V. p. 483. Sigon. de Judic. I. 29.

Formula ſententiæ in cauſa exhæredationis erat: *videtur cauſas habuiſſe te exhæredandi.* Plin. Epiſt. V. 1. 6. *Ego ex conſilii ſententia, videtur, inquam, Curiane, mater tua juſtas habuiſſe cauſas iraſcendi tibi.* Sigon. de Judic. I. 29. Briſſon. de Form. VII. p. 605.

Formula ſententiæ in cauſa de libertate, & de ventre cognoſcendo erat: *ſibi videri hominem, aut liberum, aut ingenuum, aut ſervum, aut libertum, aut filium ejus eſſe, aut non.* Sic Ulpian. ff. de liber. cauſ. *Pronuntiare debebunt judices, ſervum illius non videri.* Sigon. de Judic. I. 29.

Formula ſententiæ in perduellionis damnatum ferendæ erat: *I lictor, colliga manus, caput obnubito, infelici arbori ſuſpendito.* Cicer. pro Rab. c. 4. Liv. I. 26. Hotom.

tom. de Form. Thes. Antiq. Roman. Græv. Tom. II. p. 1923. A.

Formula sententiæ in privatis litibus pronuntiandæ erat: *si quid mei judicii est.* Cicer. de Fin. II. 12. *Privatarum litium judices sumus. Nihil enim possumus judicare, nisi quod est nostri judicii. In quo frustra judices solent, cum sententiam pronuntiant, addere: si quid mei judicii est.* Hotom. de Form. Thes. Antiq. Roman. Græv. Tom. II. p. 1923. B.

Formula sententiæ, si reus judicis arbitrio non pareret, erat: *quantum ei debes, redde. Divisioni vestræ stari placet: pro ea parte, quam solvisti creditoribus, accipe.* Pompon. ff. de arbitris. *Sigon. de Judic.* I. 29.

Formula servum petendi. V. illam infr. in *Vindicatio.*

Formula sponsione in judicio adversarium provocandi erat: *ni ita esset.* Hac facta reus petitorem vicissim provocabat hoc modo: *quando negas, hunc servum meum esse, sacramento te quingenario provoco. Spondesne quingentos, si meus sit?* id est, si meum esse probavero. Cui reus, *spondeo, si tuus sit.* Et si sponsionem recusasset, litem amisisset. Inde restipulans rogabat: *& tu spondesne quingentos, ni tuus sit:* id est, si probavero, tuum non esse. Cui petitor: *spondeo, ni meus sit.* Atque hoc nisi fecisset, litem amisisset. *Sigon. de Judic.* I. 21. *Brisson. de Form.* V. *p.* 369.

Formula sponsionis erat: *quod a Flavio abstulero, partem dimidiam inde Roscio me soluturum spondeo.* Cicer. pro Q. Rosc. c. 18. In arbitrio: *ni vir bonus sit.* Cicer. Offic. III. 19. In judicio: *ni te Apronius in decumis socium esse dicat.* Cicer. Verr. III. 57. *Hotom. de Form. Thes. Antiq. Roman. Græv. Tom.* II. *p.* 1923. *D.*

Formula stipulandi erat: *spondes? spondeo: promittis? promitto: fidejubes? fidejubeo: dabis? dabo: facies? faciam.* Justin. §. 1. de verb. oblig. *Hotom. de Form. Thes. Antiq. Roman. Græv. Tom.* II. *p.* 1923. *D.*

Formula stipulationis in emptione boum, aut juvencorum traditur a Varr. de Re Rust. II. 5. *Eos cum emimus domitos, stipulamur sic: illosce boves sanos, noxisque præstari? Cum emimus indomitos, sic: illosce juvencos sanos recte, deque pecore sano esse, noxisque præstari spondesne?* caprarum a Varr. de Re rust. II. 3. *Illas capras hodie recte esse, & bibere posse, habereque recte licere, hæc spondesne?* ovium a Varr. de Re rust. II. 2. *Cum emptor dixit, tanti mihi sunt emptæ? & ille respondit, sunt, & expromisit nummos, emptor stipulatur prisca formula sic: illasce oves, qua de re agitur, sanas recte esse, uti pecus ovillum, quod recte sanum est extra luscam, surdam, minam, id est, ventre glabro; neque de pecore morboso esse, habereque recte licere: hac sic recte fieri spondes?* Hotom. de Form. Thes. Antiq. Roman. Græv. Tom. II. p. 1923. E. Brisson. de Form. VI. p. 491. Rævard. Protribun. c. 10.

Formula suffragii, cum rogatio accipiebatur, erat: *uti rogas, jubes.* Liv. XXXI. 8. *Ab hac oratione in suffragium missi, uti rogarat, bellum jusserunt.* XXXVIII. 54. *Remittentibus ergo his intercessionem, omnes tribus, uti rogasset, jusserunt.* Et XXXIII. 25. V. illum infr. in *Tribus.* Brisson. de Form. II. p. 133. An hæc *formula* semper a Livio expressa sit, & ubicunque exstat, *uti rogarat, uti rogasset* scribendum, *uti rogas*, inter se disputant *Sigonius* & *Gronovius ad Liv.* XXXI. 8.

Formula tabularum nuptialium erat: *liberorum quærendorum, vel suscipiendorum, vel procreandorum causa.* Ennius in Ctesiphonte apud Festum in Quæso:

Ducit me uxorem liberorum sibi quæsendum causa.

Suet. Jul. c. 52. n. 5. *Uti uxores liberorum quærendorum causa duceret.* Tacit. Annal. XI. 27. 2. *Adhibitis qui obsignarent, velut suscipiendorum liberorum causa convenisse.* August. de Civ. Dei XIV. 18. *Quid concubitus conjugalis, qui secundum matrimonialium tabularum præscripta, procreandorum sit causa liberorum.* Et hic est verus conjugii finis. Et femina nubit, ut mater fiat. Et hinc matrimonium omnis causa dictum. Apud Athenienses *legitima conjunctio ad seminandos liberos dicitur fieri.* Isidor. Pelus. Epist. III. 243. Menander etiam pulcre apud Clement. Alex. Strom. II. p. 421. A.

Ad seminandos liberos tibi trado
Meam filiam.

Brisson. de Form. VI. p. 542. Lips. in Tacit. n. 107. Merul. in Ennium. Pitisc. in Suetonium.

Formula templi concipiendi traditur a Varr. de Ling. Lat. VI. 2. *Concipitur templum verbis, non iisdem usquequaque. In arce ita: testaque meta sunto, quoad ego eas relinquam, nuncupavero. Olla ver arbor, quicquid est, quod me sentio dixisse, templum tectumque ferto in dextrum. Interea concretione, conspicione, cortumione, utique ea rectissime sensi.* Brisson. de Form. I. p. 222. Hotom. de Form. Thes. Antiq. Rom. Græv. Tom. II. p. 1924. A.

Formula testamenti nuncupati erat, ut traditur ab Ulpian. Instit. c. 20. *hæc uti in his tabulis, cerisve scripta sunt, ita do, ita lego, ita testor. Itaque vos Quirites, testimonium præbetote.* Hotom. de Form. Thes. Antiq. Roman. Græv. Tom. II. p. 1923. F. Sigon. de Antiq. jur. civ. Rom. I. 12.

Formula Vestalis capiundæ erat: *capio te Amata.* Gell. I. 12. *Sacerdotem Vestalem, quæ sacra faciat, quæ jus siet sacerdotem Vestalem facere, pro populo Romano Quiritium, uti quæ optima lege fiat, ita te Amata capio.* Hotom. de Form. Thes. Antiq. Rom. Græv. Tom. II. p. 1924. C. Brisson. de Form. I. p. 118.

Formula voti concipiendi traditur a Liv. V. 21. *Tuo ductu, Pythice Apollo, tuoque numine instinctus pergo ad delendam urbem Vejos: tibique hinc decimam partem prædæ voveo: te simul, Juno Regina, quæ nunc Vejos colis, precor, ut nos victores in nostram, tuamque mox futuram urbem sequare: ubi te dignum amplitudine tua templum accipias.* Hotom. de Form. p. 1924. E. Brisson de Form. I. p. 96. De vere sacro ab eodem XXII. 10. *Velitis, jubeatisne hoc sic fieri, si res populi Romani Quiritium ad quinquennium proximum, sicut velim eam, servata salva erit hisce duellis, datum donum duit populus Romanus Quiritium, quod duellum populo Romano cum Carthaginiensi est, quæque duella cum Gallis sunt, qui cis Alpes sunt: quod ver attulerit ex suillo, ovillo, caprino, bovillo grege, quæque profana erunt, Jovi fieri, ex qua die senatus populusque jusserit. Qui faciet, quando volet, quaque lege volet, facito: quomodo faxit, probe factum esto. Si id moritur, quod fieri oportebit, profanum esto; neque scelus esto, si quis rumpet, occidetve insciens, ne fraus esto. Si quis clepsit, ne populo scelus esto, neve cui cleptum erit. Si atro die faxit insciens, probe factum esto. Si ante id ea senatus populusque jusserit fieri ac faxit, eo populus solutus, liber esto.* Hotom. de Form. Thes. Antiq. Rom. Græv. Tom. II. p. 1924. C. Brisson. de Form. I. p. 97. Lomej. de Lustrat. c. 6.

FORMULARII dicti sunt advocati, quod *formulas* actionum componere solerent. Val. Max. VI. 2. 12. *Aulus Cæsellius vir juris civilis scientia clarus, quam periculose contumax! Nullius enim aut gratia, aut auctoritate compelli potuit, ut de aliqua earum rerum, quas triumviri dederant, formulam componeret. Formularios* illos vocat Quintil. XII. 3. *Formularii, vel, ut Cicero ait, leguleji quidam esse maluerunt.* Guther. de Offic. dom. Aug III. 1. Turneb. Adv. IV. 5. Bud. in Pandect. p. 36. K. Pollet. For. Rom. II. 2.

FORNACALIA erant sacra, quæ pro universo populo farris torrendi gratia celebrabantur. Festus: *Fornacalia feriæ institutæ sunt farris torrendi gratia: quod ad fornacem, quæ in pistrinis erat, sacrificium fieri solebat. Fornacalia sacra erant, cum far in fornaculis torrebant.* Illa instituit Numa Pompilius. Plin. XVIII. 2. *Is,* Numa, *& Fornacalia instituit, farris torrendi ferias.* Et indixit curio maximus. V. Ovidium supr. in *Feriæ stultorum.* Alex. Gen. III. 12. Siccam. in Fast. Kalend. Rom. c. 4. Lipen. de Stren. c. 4. §. 70. Bud. in Pandect. p. 117. K. Perion. de Magistrat. Græcor. & Roman. III. Thes. Antiq. Græc. Gronov. Tom. VI. p. 2809. C. Laurent. var. sacr. gentil. c. 1. & 14. Stuck. de Sacrif. p. 148. Gyrald. Synt. deor. I. p. 41. B. XVII. p. 493. F. Voss. de Idolol. II. 61. & Lex. Etymol. Struv. Ant. Rom. c. 9. p. 430. Hospin. de Orig. Fest. p. 106. Rosin. Ant. Rom. IV. 6. Popm. de Oper. Serv. p. 142.

FORNACARIUS, sive *fornacator* erat servus, qui *fornacem* balnei, & caminum succendebat. Paull. l. 14. ff. de Instruct. vel instrum. legat. *Continetur autem & fornacator.* Turneb. Adv. VIII. 9. Baccius de Therm. vet. c. 9. Pignor. de Serv. p. 534. Guther. de vet. jur. Pontif. III. 4. Panciroll. Notit. dignit. imp. occid. c. 12. Mercur. de Art. Gym. I. 12. Popm. de Oper. Serv. p. 142. Hering. de Molend. q. 4. §. 56. *Fornacarium* tamen & *fornacatorem* diversos, ac separatos esse tentari potest. *Faber. Semestr.* II. 12. Erat enim *fornacarius* idem qui pistrinarius, vel pistor. *Bud. in Pandect. p.* 117. *K. Voss. Lex. Etymol.* Ego tamen nihil hac de re statuo. *Gyrald. Synt. deor.* I. *p.* 41. *C.*

FORNAX est dea existimata, quoniam ante triticum, & ejus usum farra *fornacibus* torrebantur. Ovid. Fast. II. 525.

Facta dea est fornax: læti Fornace coloni
Orant, ut fruges temperet illa suas.

Lactant. I. 20. *Quis non rideat Fornacem deam, vel potius doctos viros celebrandis Fornacalibus operari?* Gyrald. Synt. deor. I. p. 41. A. Voss. de Idolol. II. 61. & Lex Etymol. Lipen. de Stren. I. 8. Stuek. de Sacrif. p. 35. Struv. Ant. Rom. c. I. p. 152.

FORNICARIA dicta est meretrix, quæ sub *fornice* prostare solet. Isidor. X. Glossæ veteres: *Fornicaria, πορνὴ ἀπὸ καμάρας, ἢ ἵςανται Voss. Lex. Etymol. Brisson. de Jur. connub. Thes. Antiq. Roman. Græv. Tom.* VIII. *pag.* 1067. *A.*

FORNIX vocabatur tectum, si esset simile hemicylindro, hoc est, rotundum & oblongum, ad modum navis. *Voss. Lex. Etymol.*

Fornix arcus triumphalis quare fuerit dictus. V. supr. in *Arcus triumphales.* Exstruebatur in memoriam rerum a triumphalibus viris gestarum, quasi monumentum victoriæ. Cicer. de Orat. II. 66. *Etiam illa ridentur, quæ minuendi, aut augendi causa ad incredibilem admirationem efferuntur: velut tu Crasse in concione, ita sibiipsi magnum videri Memmium, ut in forum descendens, caput ad fornicem Fabii demitteret.* Bud. in Pandect. p. 194. F.

Fornix Fabianus *est arcus juxta regiam, in Sacra via, a Fabio censore constructus, qui a devictis Allobrogibus Allobrox cognominatus est, ibique statua ejus posita propterea est.* Ascon. in Cicer. p. 49. V. supr. in *Arcus Fabianus.*

Fornix Septimii, quamvis semiustus, ac dirutus ad hanc usque ætatem ad Capitolii radices initio fori e regione templi D. Mariæ est. Is fuit Septimii Severi, quem cæteris omnibus Romanis pulcritudine longe præstitisse commemorant. *Faunus Antiq. Urb. Rom.* II. 11: III. 7. V. illum supr. in *Arcus.*

Fornix Stertinii a Stertinio est positus in foro Boario. Liv. XXXIII. 12. *L. Stertinius ex ulteriore Hispania; ne tentata quidem triumphi spe quinquaginta millia pondo argenti in ærarium tulit, & de manubiis duos fornices in foro Boario ante Fortunæ ædem, & matris Matutæ, unum in maximo circo fecit, & his fornicibus signa aurata imposuit* 263. Castal. de Column. triumph. Thes. Antiq. Rom. Græv. Tom. IV. p. 1945. C. Marlian. Topogr. Urb. Rom. III. 18. Faunus Antiq. Urb. Rom. III. 8.

FORS FORTUNA differt a *Fortuna.* Donat. Phorm. V. 6. I. ubi Terentius ipse, *o Fortuna! o Fors Fortuna! Fortuna dicta est incerta res: Fors Fortuna, eventus Fortunæ bonus.* Et *aliud Fortuna est, aliud Fors Fortuna: nam Fors Fortuna est, cujus diem festum colunt, qui sine arte aliqua vivunt: hujus ædes trans Tiberim est.* Ut in antiquis fastis, & apud Ovid. Fast. VI. 773.

Quam cito venerunt Fortunæ Fortis honores!
Post septem luces Junius actus erit.
Ite, deam læti Fortem celebrate Quirites:
In Tiberis ripa munera Regis habet.

Ortel. Deor. & dear. cap. Fig. XLII. Struv. Ant. Rom. c. I. p. 136. Perizon. Triad. Dissert. III. p. 244. VIII. Kal. Quint. ejus festum celebrabatur. Varro, qui in festis denarrandis mensium ordinem servat de Ling. Lat. V. 3. & Servium Tullium auctorem facit his verbis: *Dies Fortis Fortunæ appellatus ab Servio Tullio Rege, quod is fanum Fortis Fortunæ secundum Tiberim extra urbem Romam dedicavit Junio mense.* Perion de Græc. & Rom. magistr. III. Thes. Ant. Græc. Gronov. Tom. VI. p. 2813. B.

FORTUNA & fatum in suarum rerum eventu a sapientioribus inter paganos plerumque statuebantur. Fatum deorum, *fortuna* hominum respectu. Quicquid accidebat, a diis semel & certo decretum fati lege necessario fieri non ignorabant. Sed cum homines extra cœli & deorum consortium positi, & futurorum ignari sæpe præter exspectationem, & contra votum eventa experirentur, casum & *fortunam* comminisci, atque huc omnia referre necesse habuerunt. Sic fatum in iis, & *fortunam* in hominibus simul conjunxit Juven. Sat. X, 349.

Nam pro jucundis aptissima quæque dabunt dii,
Carior est illis homo quam sibi. Nos animorum
Impulsu, & cæca, magnaque cupidine ducti
Conjugium petimus, partumque uxoris: at illis
Notum, qui pueri, qualisque futura sit uxor.

Ex fato conjugia diis nota, hominibus ignota, & proinde apud eos *fortuna.* Idem ibid. n. 366.

— nos te,
Nos facimus fortuna deam, cœloque locamus.

Fortuna in cœlo dea non est, sed fit in terris. Fit autem ex ignorantia mortalium, qui nec bona, nec mala sua ante eventum certo possunt explorare, & propterea fingunt, quod non est, quasi ex eo sit, quod est. *Boxhorn. Quæst. Rom.* 4. *Gyrald. Synt. deor.* XVI. *p.* 456. Inter communes, sive publicos deos habebatur. Unde & omnipotens, & publica appellatur in Inscriptionibus antiquis, quod illa non aliter, atque Jupiter ipse, nihil a providentia sua, curaque alienum habeat. *Boxhorn. ibid. q.* I. Ejus statuam Bupalus sculptor primus omnium Smyrnæis fecit, polum capite sustinentis, manuque Amaltheæ cornu ad declarandum illius bona. Clavus eidem tribuitur, vel ad significandam ejus firmitatem, vel ad exprimendam vim, & potentiam necessitatis, quæ *fortunam* sæpissime comitatur juxta Hor. Od. I. 35. 17.

Te semper anteit sæva necessitas,
Clavos trabales, & cuneos manu
Gestans aena.

Isidor. VIII. 11. *Fortunam a fortuitis nomen habere dicunt, quasi deam quandam res humanas variis casibus & fortuitis illudentem.* Ejus vesanos cultores irridet Plin. II. 7. hæc de illa referens: *Toto quippe mundo, & locis omnibus, omnibusque horis, omnium vocibus fortuna sola invocatur, una nominatur, una accusatur, una agitur rea, una cogitatur, sola laudatur, sola arguitur, & cum conviciis colitur, volubilis, a plerisque vero & cæca etiam existimata, vaga, incerta, inconstans, varia, indignorum fautrix.* Unde improba vocatur Juven. Sat. VI. 605.

— stat fortuna improba noctu
Arridens nudis infantibus.

La Chausse de Deor. simul. tab. XXI. De *fortuna*, ejusque attributis multa Lactant. III. 29. Habebat interdum modium in capite abundantiæ symbolum, dextra navis gubernaculum, cui delphinus, & serpens superpositi sunt, sinistra cornucopiæ sustinebat. Serpens gubernaculo superpositus designat prudentiam ad stabilitatem *fortunæ* requiri. Delphino innuitur eandem navigationi præesse, & utrumque elementum ejus nutu gubernari: unde *hominum hera* vocatur. Plaut. Merc. V. 21.

Divum, atque hominum quæ spectatrix, atque hera eadem es hominibus.

La Chausse ibid. tab. XXII. Versabatur rota. Tibull. I. 6. 32.

Versatur celeri Fors levis orbe rotæ.

Cicer. in Pison. c. 10. *Cum collegæ tui domus cantu & cymbalis personaret, cumque ipse nudus in convivio saltaret: in quo ne tum quidem, cum illum suum saltatorium versaret orbem,*

bem, *Fortunæ rotam pertimescebat.* Claud. de Bell. Get. n. 631.

Sed dea, quæ nimiis obstat Rhamnusia votis,
Ingemuit, flexitque rotam.

Guilielm. Verif. II. 17. Gebhard. & Broukh. in Tibullum. Differt a casu, sed quomodo V. supr. in *Casus*. Et quænam mors illi tribuatur V. supr. in *Fatum*. Pari jure quo genius colebatur mortalibus, tanquam quæ *opes*, & *humanarum rerum regimen obtineat*, ut est apud Lactant. III. 29. Ut Principis genius, ita & *fortuna* colebatur. Hinc illa apud Conseranos:

FORTU
NÆ. AUG
M. FAL
JUSTUS
EX
VOTO

Ei majorum effigies appendebant. Colligimus hoc ex veteri fragmento marmoreo, in quo hoc carmen heroicum:

Tu. quæ. Tarpejo. coleris. vicina. tonantis
Votorum. vindex. semper. fortuna. meorum
Accipe. quæ. pietas. ponit. tibi. dona. merenti
Effigiem. nostri. conservatura. parentis.

Tomas. de Donar. c. 8. Imperatores in bellum ituri *fortunam*, ut sibi esset propitia, a qua potissimum incertos Martis eventus dependere opinabantur, hostiis & votis deprecabantur. Hinc Demosthenes in bellum iturus suo clypeo inscripsit: Ἀγαθῇ τύχῃ. Et Cæsaris symbolum erat, *virtute duce, comite fortuna.* Inscriptio:

I. O. M.
ET. FORTUNÆ. SECUNDÆ
CÆS.

Tomas. ibid. c. 21. Non enim tantum peritia, verum *fortunæ* quoque adminiculum ad victoriam requiritur: & victoriæ *fortuna* conjungitur. Est enim, ut Pindar. Isthm. IV. 52.

Incertitudo fortunæ
Etiam pugnantium.

Et veluti Principum genius Principes comitabatur. V. infr. in *Fortuna aurea.* Ob varietatem, atque instabilitatem Principibus maxime timenda. *Argol. in Panvin. de Lud. Circens.* I. 17.

Fortuna Antiatina dicebatur, quæ Antii colebatur. Suet. Cal. c. 57. n. 6. *Monuerunt & fortunæ Antiatinæ, ut a Cassio caveret.* Antii cultam fuisse docet Hor. Od. I. 35. 1.

O diva, gratum quæ regis Antium.

Ejus simulacrorum mentionem facit Macrob. Sat. I. 23. *Ut videmus apud Antium promoveri simulacra fortunarum ad danda responsa.* Gyrald. Synt. deor. XVI. p. 467. E. Buleng. de Sort. c. 1. Ortel. deor. & dear. cap. 11. fig. 43. Struv. Ant. Rom. c. 6. p. 299.

Fortuna, aurea nuncupata, in cubiculis Imperatorum haberi solebat. Hæc morituro Imperatore præsente transferebatur ad successorem. Capitol. Anton. Pio c. 12. *Tertia die quum se gravari videret, M. Antonino Rempublicam, & filiam præsentibus præfectis commendavit, fortunamque auream, quæ in cubiculo Principum poni solebat, transferri ad eum jussit.* Quæ repetuntur M. Anton. Phil. c. 7. *Regia* vocatur Spartian. Sever. c. 23. *Fortunam deinde regiam, quæ comitari principes, & in cubiculis poni solebat, geminare statuerat, ut sacratissimum simulacrum utrique relinqueret filiorum.* Argol. in Panvin. de Lud. Circens. c. 17. Gyrald. Synt. deor. p. 459. B. Laurent. de Natal. & conviv. c. 1. Demster. Paralip. ad Rosin. Antiq. Roman. II. 16.

Fortuna barbata colebatur, ut cultorum suorum malas speciosius vestiret; a quibus autem sperneretur, glabros redderet. August. de Civ. Dei. VI. 1. *Nec a fortuna barbata boni aliquid post hanc vitam esse sperandum.* Et *multi fortunæ barbatæ supplices ad nullam, vel deformem barbam pervenire potuerunt: & si qui eam pro barba impetranda venerabantur, a barbatis ejus contemptoribus irridentur.* Saubert. de Sacrif. c. 7. Blond. Triumph. Rom. I. p. 12. G. In inscriptione antiqua *fortunæ barbatæ* mentio fit: & sub barbati viri, dii enim erant utriusque sexus, dextra temonem tenentis habitu sculpitur:

FORTUNÆ BARBATÆ
SACR.
L. AURELIUS MARCELLIANUS
AUG. LIBERTUS EXCERPTOR
V. S. L. M.

Spon. Ignot. deor. ar. Thes. Ant. Græc. Gronov. Tom. VII. *p.* 266. *C.*

Fortuna bona Romæ in Capitolio culta fuit. Plin. XXXVI. 5. *Praxitelis simulacrum fortunæ bonæ in Capitolio.* Cicer. Verr. IV. 3. *Verres nullum horum reliquit, neque aliud ullum tamen, præter unum pervetus ligneum, fortunam bonam.* Græce vocatur Ἐυτύχη, Cebeti in tabula ἀγαθὴ τύχη. Dicta est etiam prospera, secunda, læta. *Gyrald. Synt. deor.* XVI. *p.* 458. *F. Tiraquell. in Alex. Gen.* I. 13.

Fortuna brevis. Hujus, quod quidem sciam, mentio non exstat, nisi apud Plutarch. Quæst. Rom. 73. qui tamen parvam sic perperam interpretatur. Aliud enim est parvam *fortunam* dicere, aliud brevem. Per brevem instabilitas *fortunæ*, & facilis ejus mutatio denotatur. Nisi etiam per brevem Servius Tullius voluerit significare, non nimis late exserendam, sed intra justos limites, qui commode regi possunt, constringendam esse imperii *fortunam*. Boxhorn. in Plutarchum.

Fortuna cæca dicebatur malos fovere, & extollere. *La Chausse de Deor. simul. Tab.* XX. Dicta est Latinis. Cicer. Phil. XIII. 5. *Obsecro vos P. C. quis vestrum hæc non videt, quod fortuna ipsa, quæ dicitur cæca, videt?* de Amic. c. 15. *Non solum ipsa fortuna cæca est, sed eos etiam plerumque efficit cæcos, quos complexa est.* Græcis. Hinc Cebes: τύχη non solum τυφλὴ, id est, *cæca, sed & insana, ac surda.* Gyrald. Synt. deor. XVI. p. 460. G.

Fortuna calva legitur, quam sub tecto nominare religio non sinit. *Alex. Gen.* I. 13. A quibus calva dicta sit nescio, nec, quare ita dicenda sit: nisi si quis contendat, ut occasionem, ita & *fortunam* esse: ut, si quæpiam bona offeratur, protinus sit arripienda, ne continuo effluat, atque prætervolet, *nequicquam mox amissam quæras*, ut dicebat L. Martius apud Liv. XXV. 38. *Tiraquell. in Alexandrum.*

Fortuna conservatrix eruitur e cippo utrinque insculpto, & inscripto, cum imagine mulieris cornucopiæ in sinistra tenentis, dextra vero temonem habentis, Romæ sic, NUM. DOM. AUG. in domo Marcelli Capisuci;

SACRUM FORTUNÆ CONSER
VATRICI HORREOR.
GALBIANORUM
M. LORINUS FORTUNATUS MAGISTER
S. P. D. D.

Gyrald. Synt. deor. XVI. *p.* 468. *B. Vaillant Numism.* I. *p.* 160. *Tomas. de Donar. c.* 21.

Fortuna convertens dicitur, quod homines ludificatur, quodque per omnia humana agitat, ac parvis momentis magnas facit mutationes, in eodemque vestigio nunquam diu stat. A Græcis τύχη ἔυριπος dicta est. *Alex. Gen.* I. 13.

Fortuna dubia cognominata etiam est. Hujus vicus in Aventino, sive in XIII. Urbis regione, uti P. Victor tradit. *Gyrald. Synt. deor.* XVI. *p.* 460. *D.*

Fortuna equestris cognominata, & in Urbe culta fuit. V. infr. in *Templum Fortunæ.*

Fortuna hujus diei statuitur a Victore in reg. X. sive Palatio. Ejus meminit Cicer. de Leg. II. 11. *Consecrata sit vel fortuna hujusce diei, nam valet in omnes dies.* Et de illa Plin. XXXIV. 8. *Fuit & alius Pythagoras Samius, initio pictor, cujus signa ad ædem fortunæ hujusce diei seminuda.* Origi-

nem hic cultus ſuam habet a Q. Catulo, qui in bello cum Ambronibus voluit *ſacra facere fortunæ ejus diei* apud Plutarch. Mario p. 420. *Struv. Ant. Rom. c.* I. *p.* 137. *Turneb. Adv.* XVI. 12. *Roſin. Antiq. Rom.* II. 16. *Gyrald. Synt. deor.* XVI. *p.* 463. *E.* V. infr. in *Templum.*

Fortuna mala colebatur in Exquiliis. Plin. II. 7. *Alex. Gen.* I. 13. *Gyrald. Synt. Deor.* XVI. *p.* 462. *G.*

Fortuna mammoſa in duodecima regione a Victore ſtatuitur. Fuerit ſtatua feminea, unde vico nomen, vel amplitudine, vel numero mammarum inſignis; qualem ex marmore Terræ matri magnæ affingunt, & vel XXX. uberibus tumentem. *Borrich. Ant. Urb. Fac. c.* 14. §. 3. *Nardin. Rom. Vet.* VII. 6. *Gyrald. Synt. deor.* XVI. *p.* 467. *D. Pancirol. Deſcr. Urb. Rom. Theſ. Antiq. Rom. Græv. Tom.* III. *p.* 369. *B.*

Fortuna maſcula. V. illam ſupr. in *Ædes Fortunæ.*

Fortuna muliebris dicebatur inde, quod C. Marcius Coriolanus, cum exſul Romanis bellum intuliſſet, nec armis ei reſiſti poſſet, mulierum tandem, matris præſertim Veturiæ, & Volumniæ uxoris precibus, atque lacrymis ceſſit. In cujus rei memoriam matronæ a ſenatu petiere, ut illo ipſo in loco, quo preces fudiſſent, templum *fortunæ* muliebri ædificaretur: quod & a S. P. Q. R. decretum, area publica pecunia empta, deæque conſecrata; & in ea templum, & ara ex præſcripto pontificum condita, ſumptibus ſimul decretis ex publico, quibus ſacrum fieret anniverſarium, cui præeſſet matrona, quam ipſæ deligerent ad id miniſterium. Liv. II. 40. Plutarch. de Fort. Rom. p. 318. F. Dionyſ. Halic. VIII. p. 526. *Struv. Ant. Rom. c.* I. *p.* 135. *Gyrald. Synt. deor.* XVI. *p.* 466. *G. Alex. Gen.* I. 13. *Roſin. Antiq. Rom.* II. 16.

Fortuna obſequens cognominata eſt quaſi indulgens, vel clemens. Obſequi apud ſcriptores eſt indulgere, clementem, tractabilem, & propitium ſe præbere. Eo reſpexit Plaut. Aſin. III. 3. 126.

> AR. *quem te autem nominem deum*? LE. *Fortunam, atque obſequentem.*

Merito *fortunæ obſequentis* nomen ſibi adſcribi mandat ſervulus, qui herilis ſui filii amoribus fovendis viginti argenti minas alicunde exterebraverat. *Ryq. de Capit. Rom. c.* 43. *Lipſ. Ant. Lect.* V. 13. *Gruter. Suſpic.* IV. 10. *Roſin. Antiq. Roman.* II. 16. *& ad illum Demſterus.* In inſcriptionibus antiquis legi hanc epigraphen, & adhuc legi Comi: *Fortunæ obſequenti Ord. Comenſ. voto pro ſalute civium ſuſcepto.* Gyrald. Synt. deor. XVI. p. 467. C.

Fortuna parva fuerit, quod per eam ex maximis anguſtiis ad maxima quævis eluctamur. Plutarch. Quæſt. Rom. 73. *Quod initio humilis & obſcurus, matre natus captiva, fortunæ beneficio ad regnum Romæ evectus fuit.* Boxhorn. ad Plutarchum. Alex. Gen. I. 13. Roſin. Antiq. Roman. II. 16.

Fortuna Præneſtina colebatur in urbe Præneſte. Cicer. de Div. II. 41. *Carneadem Clitomachus ſcribit dicere ſolitum, nuſquam ſe fortunatiorem quam Præneſte vidiſſe fortunam.* Legitur & hodie antiquum epigramma de *fortuna*, quæ Præneſtæ dicata fuerit, cujus primos verſus V. ſupr. in *Fortuna.* De illa Lucan. II. 193.

> —— *vidit fortuna colonos*
> *Præneſtina ſuos cunctos ſimul enſe reciſos.*

Suet. Domit. c. 15. n. 5. *Præneſtina fortuna toto imperii ſpatio annum novum commendanti lætam eandemque ſemper dare ſortem aſſueta, extremo triſtiſſimam reddidit.* Gyrald. Synt. deor. XVI. p. 459. C. Buleng. de Sort. c. 1. Demſter. Paralip. ad Roſin. Antiq. Roman. II. 16. Pitiſc. in Suetonium.

Fortuna primigenia dicta, quod omnium prima culta, atque inſtituta fuerit apud Romanos. Primigenius idem quod primogenitus, πρωτογένητος, καὶ πρωτοτόκος. Sic primigenia ſemina dixit Varr. de Re ruſt. I. 40. Quamquam & exinde nomen accepiſſe potuerit, quod primum natis opitulari, eosque ad magna provehere crederetur. Quod ab hiſtoria Servii Tullii non abludit, cui in cunis jacenti exorta circum caput flamma illuſtrem *fortunam,* atque regnum ipſum portendit. Et Cicer. de Leg. II. 11. primigeniam *fortunam* a gignendo dicit nominatam. Nec aliter primigenia Jovis pueri fortuna in lapide Præneſte effoſſo:

FORTUNÆ
JOVIS. PUERI
PRIMIGENIÆ
D. D.
EX. SORTE. COMPOS
FACTUS
NOTHUS. RUPICANÆ
L. F. PLOTILLÆ

Nemo enim ignorat, quantis cum periculis Jupiter, & in nativitate ſua, cum pater Saturnus eum devorare ſtatuiſſet, & in educatione fuerit collocatus, & quomodo *forte fortuna* evaſerit. Credebant autem Romani primigeniæ *fortunæ* numen ad promovendas dignitates, & res magnas obtinendas plurimum conferre. Inſcriptio, quæ exſtat Præneſtæ:

D. FORTUNÆ. PRIMIGENIÆ
C. VALERIO. C. F. MENDOLU
TIO. MARTIANO. VI. VIR. AUG
DEC. OMNIBUS. HONORIBUS
CURIIS. MUNERIBUS. FUNCTO
VALERIA. SATURNINA. PATRI
L. D. D. D.

Boxhorn. Quæſt. Rom. 4. *Ryq. de Capit. Rom. c.* 43. *Gyrald. Synt. deor. p.* 462. *F. Tiraq. de Primig. Præf. n.* 76. *Struv. Ant. Rom. c.* I. *p.* 136. *Barthol. de Puerp. p.* 46. *Urſat. de Not. Roman. Theſ. Ant. Rom. Græv. Tom.* XI. *p.* 726. *A.*

Fortuna privata, ſive propria in Palatio quoque culta fuit. Ejus meminit Plutarch. Quæſt. Rom. 73. *Gyrald. Synt. deor.* XVI. *p.* 460. *E.*

Fortuna publica Romæ eſt culta in Valle Quirini, quæ inter Exquilias fuit, & Quirinalem collem. Ejus meminit Ovid. Faſt. IV. 375.

> *Qui dicet, quondam ſacrata eſt colle Quirini*
> *Hac fortuna die publica; verus erit.*

Gyrald. Synt. deor. XVI. p. 462. A. Ryq. de Capitol. c. 43.

Fortuna redux a Romanis cognominabatur, quod Domitianus a bello Sarmatico ſalvus in Urbem eſſet reverſus. Mart. VIII. 65. 1.

> *Hic ubi fortunæ reducis fulgentia late*
> *Templa nitent, felix area nuper erat.*

Claud. Honor. Conſ. VI. 1.

> *Aurea fortunæ reduci ſi templa priores*
> *Ob reditum vovere ducum, num dignius unquam*
> *Hæc dea pro meritis amplas ſibi poſceret ædes.*

Multa exſtant numiſmata diverſorum Cæſarum, in quibus & imago; & inſcriptio REDUCIS FORTUNÆ. *Gyrald. Synt. deor.* XVI. *p.* 463. *D. Tiraquell. ad Alex. Gen.* I. 13. *Rader. ad Martialem. Guther. de vet. jur. Pontif.* III. 16. *Struv. Ant. Rom. c.* I. *p.* 137. *Tomaſ. de Donar. c.* 20. *Demſter. Paralip. ad Roſin. Antiq. Roman.* II. 16. Recenſenda eſt inter deas viales. In nummis, gemmis, monumentis, inſcriptionibus ſæpe occurrit, modo cum gubernaculo, ſeu clavo, modo cum rota. *Hennin. ad Bergier. de viis milit.* IV. *Sect.* 43. §. 1. Inde in quodam inedito epigrammate vocatur venuſte *fortuna redux viatorum conſervatrix:*

FORTUNÆ. REDUC. VIATOR
CONSERVATRIC. SACR.
SEX. PERCILIUS. SEXT. FIL
PRISCUS. MAGISTER
VICI. NOVANI. FABRICI
EX. V. S.

Græv. Theſ. Antiq. Roman. Tom. X. *Præfat.* * * 4. *verſ.*

Fortuna reſpiciens fuit, me judice, ædicula vici, qui eodem nomine apud Victorem regione X. inſignitus exſtat: ſive etiam ſtatua in publico eodem in vico poſita.

Nardin.

Nardin. Rom. Vet. VI. 14. Dicitur reſpiciens, quia præterita reſpicit. *Pancirol. Deſcr. Urb. Rom. Theſ. Antiq. Rom. Græv. Tom.* III. *p.* 365. *A.* Peſſime. Dicitur, quia benigna, ſecunda, propitia. Hoc multis in tanta literarum luce velle probare putidum eſſet. *Græv. ibid. Proleg.* * * 3. *verſ.* quia nos reſpicit, ut opem ferat. Ad *fortunam* reſpicientem venuſte ſic alluſit Plaut. Capt. IV. 2. 54.

> HE. *Reſpice.* ER. *Fortuna quod tibi nec facit, nec faciet,*
> *Hoc me jubes.*

Turneb. in Cicer. de Leg. II. p. 117.

Fortuna ſtata etiam nuncupata eſt. Cognoſcitur ex hac inſcriptione, quæ Romæ legitur: GERMANICO CÆSARE. C. FONTEJO. CAPITONE COSS. K. JAN. STATÆ FORTUNÆ. AUG. SACR. . . . *Gyrald. Synt. deor.* XVI. *p.* 468. *D.*

Fortuna videns, eadem quæ Iſis, bonis omnibus ſalutaris, eorumque præmiatrix. Apul. Met. XI. p. 377. *Intutelam jam receptus es Fortunæ, ſed videntis, quæ ſuæ lucis ſplendore cæteros etiam deos illuminat.* La Chauſſe de Simul. deor. Tab. XX.

Fortuna virgo, παρθένος appellata Plutarch. Quæſt. Rom. 73. fuerit, quæ virginibus favere credebatur. Varro apud Non. II. 926. *Et a quibuſdam dicitur eſſe virginis Fortunæ ſimulacrum, ab eo, quod duabus undulatis togis eſt opertum.* Virginenſis vocatur Auguſt. de Civit. Dei IV. II. *Ipſe in Jugatino deo conjuges jungat: & quum virgini uxori zona ſolvitur, ipſe invocetur, & virtutes ejus, & dea virginenſis vocetur.* Virginalis Arnob. II. p. 91. *Puellarum togulas Fortunam defertis ad virginalem.* Quemadmodum milites arma ſua diis militaribus ſuſpendebant, ſic *Fortunæ* virginali virginalis ornatus puellæ, quæ ad mulierum nomen ibat. *Herald. in Arnobium. Boxhorn. in Plutarchum. Gyrald. Synt. deor.* XVI. *p.* 460. *E. Struv. Ant. Rom. c.* I. *p.* 137.

Fortuna virilis. Ei ſacra fiebant Kalend. April. Faſt. IV. 145.

> *Diſcite, nunc quare Fortunæ thura virili*
> *Detis eo, gelida qui locus humet aqua.*
> *Accipit ille locus poſito velamine cunctas,*
> *Et vitium nudi corporis omne videt.*
> *Ut tegat hoc, celetque viros Fortuna virilis*
> *Præſtat, & hoc parvo thure rogata facit.*

Perion. de Græcor. & Roman. magiſtr. III. Theſ. Ant. Græc. Gronov. Tom. VI. p. 2811. F. Gyrald. Synt. deor. XVI. p. 462. C. Perizon. Triad. Diſſert. III. p. 241. Demſter. Paralip. ad Roſin. Antiq. Roman. IV. 8.

Fortuna viſcata, ἰξευτηρία appellatur Plutarch. Quæſt. Rom. c. 73. *Viſcatæ nomen etſi ridiculum eſt, tamen tralatione contemplandam Fortunæ naturam exhibet, eminus ad ſe trahentis, & tangentia retinentis.* Plutarch. de Fortun. Roman. p. 322. E. *Tiraquell. in Alex.* I. 13. *Gyrald. Synt. deor.* XVI. *p.* 462. *B.* Videtur, quæ conſtans, & perpetua, nec facile mutatur. Gloſſar. vet. *Viſcoſus, viſco plenus, tenax.* Boxhorn. in Plutarchum.

FORULI ſunt capſulæ, quibus libri reponuntur. Suet. Aug. c. 31. n. 1. *Hos condidit duobus forulis auratis.* Juven. Sat. III. 219.

> *Hic dabit & forulos.*

Lipſ. de Biblioth. c. 9. Pitiſc. in Suetonium. Grang. in Juvenalem.

FORUM inter & aream quodnam fuerit diſcrimen. V. ſupr. in *Area.* quodnam inter. . . . & conciliabulum. V. ſupr. in *Conciliabulum.* Cum baſilica interdum confunditur. V. ſupr. in *Baſilica.* Nulla fuit unquam in priſca vetuſtate tam exigua civitas, uti nec hodie nulla reperitur, quæ non aliquod habeat rerum venalium *forum*, ſive aream, quo plebs urbana, ruſticaque convenire ſoleat. Apud antiquos eo in loco jus quoque dici ſolitum conſtat, priusquam in eum finem baſilicæ ſtrui cœptæ. Hinc *fori* nomen omnibus deinde tribunalibus, & locis, ubi jus dicitur, datum: atque ita hodieque *forum Seculare, forum Eccleſiaſticum, forum internum, ſive conſcientiæ, forum externum, res fori,* & ſimilia in frequentiſſimo uſu ſunt, notæque ſignificationis. Quare Romam primam, quæ Quadrata dicta, ſuum quoque in Palatino habuiſſe *forum* nullus dubito, tametſi de eo ne γρῦ quidem apud ſcriptores antiquos inveniam: quoniam prolatis brevi poſt tempore civitatis mœnibus aduſque Capitolium & ulterius, cum Tatius in Urbem cum Sabinis ſuis commigraret, novum e veſtigio, & commodius *forum* inſtitutum eſt in ea valle, quæ inter utrumque montem interjacet: quod & ſtetit, dum Romanum ſtetit imperium, & κατ' ἐξοχὴν *forum*, vel *forum Romanum* appellatum eſt. *Nardin. Rom. Vet.* V. 2. Inter ſpatioſiſſima, & magnificentiſſima urbis Romæ opera *fora* recenſentur. Erant autem areæ quadratæ laxæ, & ſpatioſæ, cinctæ undique porticibus fornicatis, uti ſunt Lutetiæ in area regia, vulgo la place royale; ſed Romæ olim longe majoribus, & magnificentioris architecturæ. *Bergier. de Viis milit.* V. *ſect.* 8. §. 7. *Lipſ. de Magnit. Roman.* III. 7. *Thyſ. de Magnit. Roman.* III. *p.* 293. Duorum generum erant Romæ, & in univerſum ſeptendecim numerant deſcriptores Urbis. Erant civilia, erant venalia: illa, in quibus res, & lites agebantur; hæc, in quibus merces, aut ſpecies certæ venales, ut ſuarium, piſcatorium. . . . In utriſque & cœtus, ac circuli, ad ſermones hominum erant, ut ſolet in vacuis: ſed magis in civilibus illis. Hæc olim fuerunt tria, Romanum, Julium, Auguſtum. Ad hunc numerum Senec. de Ira II. 9. *Quibus trina non ſufficiunt fora.* Mart. III. 38. 3.

> *Atque erit in triplici par mihi nemo foro.*

Etſi idem Martialis quartum etiam vidit. Nam Domitianus inchoavit *forum* quod tranſitorium vocabant, & poſtea Nerva abſolvit, ab eo Nervæ etiam dictum. Quintum denique addidit Trajanus, ab ipſo ſic appellatum. *Lipſ. & Thyſ. l. l.*

Forum Agonium commune eſt omnium mercium. V. ſupr. in *Campus Agonius.* Fabric. Deſcr. Urb. Rom. c. 7.

Forum Ahenobarbi fuit in regione nona Urbis, ſive Circo Flaminio. *Panvin. Deſcript. Urb. Theſ. Ant. Rom. Græv. Tom.* III. *p.* 303. *B.* Fuit, ut puto, Cn. Domitius Ahenobarbus, qui cum L. Craſſo Oratore primo conſul, poſtea cenſor fuit anno ab U. C. 662. *Panciroll. Deſcr. Urb. Theſ. ibid. p.* 380. *C.*

Forum Antoninum. Ejus idoneus index eſt columna Antonina. V. illam ſupr. in *Columna*, licet alia nulla ejus exſtet notitia: area namque hanc caruiſſe nemo ſibi perſuaderi patietur. In *foro* Antiquarii templum ponunt, & porticum, ac baſilicam cum palatio. De templo res extra controverſiam eſt, cum illud a Victore illic collocetur. Forſan & alia plura fuere. Nam Capitolinus templum illic etiam a M. Aurelio conſtructum refert M. Anton. Philoſ. c. 18. *Templum,* inquit, *ei conſtructum; dati ſacerdotes Antoniani, & ſodales, & flamines.* Porticibus undiquaque, & baſilica, rebus magnificentiæ ſeculi iſtius familiaribus, exornatum fuiſſe pro certo mihi affirmare poſſe videor. Quod de palatio ajunt, de eo nihil comperti me habere fateor. *Nardin. Rom. Vet.* VI. 9. *Boiſſard. Topogr. Urb. Rom. Tom.* I. *p.* 52.

Forum Archemorium, ſive Archimonium recenſetur a Victore in regione ſeptima Viæ latæ. Fuit ad ædem S. Nicolai de Archimoniis. *Marlian. Topogr. Urb. Rom.* IV. 25. *Donat. de Rom. Vet.* II. 27. *Nardin. Rom. Vet.* IV. 9.

Forum Auguſti fuit poſt eccleſiam S. Martinæ ad latus ferme S. Hadriani: ita ut via, quæ hodie inter utramque intercedit, recta ad *forum* Nervæ ducens, forte antiqua illa fuerit, aut ei ſaltem proxima, per quam e *foro* Romano in *forum* Auguſti tranſibatur: & inde ulterius in *forum* Nervæ, quod etiamnunc ex illo proſpectatur. Ita cum eadem eſſet omnium latitudo, & alterum alteri cohæreret, unum quaſi trium membrorum, ſeu partium, *forum* eſſe videbatur. Fuit anguſtum & pulcerrimum, & inter egregia Auguſti opera numeratum a Suetonio, qui etiam faciendi cauſam tradit Aug. c. 29. n. 4. *Cauſa faciendi fuit hominum, & judiciorum multitudo, quæ videbatur non ſufficientibus duobus etiam tertio indigere. Itaque fe-*

ſtimantibus, necdum perfecta Martis æde publicatum eſt, cautumque, ut ſeparatim in eo publica judicia, & ſortitiones judicum fierent. Ideo autem *anguſtius fecit*, quia non auſus eſt extorquere *poſſeſſoribus proximas domos.* Duæ in eo fuere porticus, ab duobus ſine dubio lateribus, quia in tertio fuit templum Martis, & in quarto baſilica, in quibus ducum Romanorum ſtatuæ poſitæ. Suet. c. 31. n. 8. *Et ſtatuas omnium triumphali effigie in utraque fori ſui porticu dedicavit, profeſſus edicto, commentum id ſe, ut ad illorum velut exemplar & ipſe dum viveret, & inſequentium ætatum principes exigerentur a civibus.* Inter quatuor maxime admiranda Urbis ædificia recenſet Plin. xxxvi. 15. & vii. 53. mentionem *Apollinis ex ebore* facit, qui inter *fori* illius ornamenta fuit: *Ante Apollinem eboreum, qui eſt in foro Auguſti.* Et in parte ejus conſpectiſſima Auguſtum duas tabulas dedicaſſe, quarum altera bellum, altera triumphum exhibebat, ſcribit xxxiv. 4. *Super omnes Auguſtus in foro ſuo celeberrima in parte poſuit duas tabulas, quæ belli pictam faciem habent & triumphum.* Nardin. Rom. Vet. v. 9. Donat. de Vet. Rom. ii. 22. Borrich. Ant. Urb. Fac. c. 10. n. 5. Marlian. Topogr. Urb. Rom. iii. 9. Fabric. Deſcr. Urb. Rom. c. 7. Lipſ. de Magn. Rom. iii. 7. Boiſſard. Topogr. Urb. Rom. Tom. i. p. 28. [illegible] de Urb. ac Imper. Roman. ſplend. part. i. [illegible] 6. Faunus Antiq. Urb. Rom. ii. 23. Thyſ. de Magnit. Roman. iii. p. 295.

Forum Boarium dictum eſt, quod effigies bovis ærei in ejus medio fuerit poſita. Tacit. Ann. xii. 24. 2. *A foro boario, ubi æreum tauri ſimulacrum conſpicimus.* Ovidius mox laudandus. Vel quod ibi boves venditæ. Feſtus: *Boarium forum Romæ dicebatur; quod ibi venderentur boves.* Liv. xxi. 62. *In foro Boario bovem in tertiam contignationem ſua ſponte eſcendiſſe, atque inde tumultu habitatorum tertium ſeſe dejeciſſe.* Sic ut hujuſce rei cauſa bos ille æreus Ægineticus, velut inſigne, in hocce *foro* poſitus ſit. De illo Plin. xxxiv. 2. *Bos æreus inde captus in foro Boario eſt Romæ. Hic eſt exemplar Æginetici æris.* Adjunctum fuit Velabro, & fuit, ubi nunc eſt ædes S. Georgii in Velabro, quæ & ad vellus aureum appellata fuit: imo aliquam Velabri partem cepit. Ovid. Faſt. vi. 477.

Pontibus & magno juncta eſt celeberrima circo
Area, quæ poſito de bove nomen habet.

Quæ verba fines *fori* circumſcribunt. Circus enim maximus longitudinem vallis inter Palatinum & Aventinum occupavit. A quo ad Tiberim, ſecundum Aventini radices area producta, & ad templum S. Georgii converſa, inde rediens ad circum, ſpatium definiet Boarii *fori.* Livius: *Incendio a foro Boario orto diem noctemque ædificia in Tiberim verſa arſere.* Quare fluvio jungebatur. *Donat. de Urb. Rom. ii. 15. & 25. Nardin. Rom. Vet. v. 10. Fabric. Deſcr. Urb. Rom. c. 7. Marlian. Topogr. Urb. Rom. iii. 14. Boiſſard. Topogr. Urb. Rom. Tom. i. p. 14. Faunus Antiq. Urb. Rom. iii. 7. Blond. Inſtaur. Rom. ii. §. 55. Triumph. Rom. i. p. 22. F.*

Forum Cæſaris occurrebat a ſiniſtris deſcendenti e Capitolio in *forum* Romanum. Quum Romanum imperium in vaſtiſſimam molem, amplitudinemque excreſceret, vetus Urbis *forum* nimis anguſtum eſſe cœpit, & cum abſque ingenti templorum, aliorumque ædificiorum ruina, quibus incluſum erat, proferri, ampliarique non poſſet, Cæſar hoc in proximo fecit, eique tantum non conjunxit, non quidem rerum venalium, ſed ad lites, aut negotia convenientium. Et in eo magnificum templum Veneri genitrici poſuit, cum celeberrima illius deæ ſtatua ab Cleopatra tranſmiſſa: ad cujus latus Cleopatræ quoque effigiem ſtatuit, quæ hodieque juxta viſitur. Appian. de Bell. Civ. ii. p. 492. V. illud infr. in *Templum Veneris.* Hoc *Romano pulcrius* prædicat Dio xliii. p. 224. D. Illud etiam privatus, & proconſul adhuc Galliæ concepit, atque adeo cœpit. Nam locum & aream emit, ac purgavit: magno ſane, & ipſum pretium dignum notari putavit Suet. c. 26. n. 4. *Forum inchoavit de manubiis, cujus area ſuper H S. millies conſtitit.* Ea ſumma eſt nobis vicies quinquies centenum millium. Idem Plin. xxxvi. 15. *Pyramidos Regum miramur opera, cum ſolum tantum foro exſtruendo HS. millies Cæſar dictator emerit.* Dictatorem nominat Plinius, ut hominem deſignaret, & diſcerneret, non ut emptionis tempus. *Lipſ. de Magnit. Roman. iii. 7. Thyſ. de Magnit. Roman. iii. p. 294.* Situs ejus a nonnullis inter ædem S. Laurentii in Miranda, & templum Pacis includitur: verum quibus id fecerint adducti rationibus, ignorare me fateor. Nam non modo templum Pacis, ſed & S. Laurentii in Miranda, aliaque adhuc plura ædificia, hac S. Laurentii æde *foro* Romano, & Capitolio viciniora quartæ regionis fuere: hoc vero *forum* a Victore & Rufo in octava collocatur. Tum *forum* Nervæ, quod poſt ædem S. Hadriani viſitur, itidem quartæ regionis fuit. Ergo minime veriſimile eſt, anguſtam veluti quandam tæniam, octavæ regionis inter ædem S. Laurentii & *forum* Nervæ verſus templum Pacis penetraſſe. Accedit huc, quod Cæſar illud nimis longe a *foro* magno disjunxiſſet: unde nec Ovidius Jani templum duobus *foris* conjunctum dixiſſet. Quare iterum dicendum eſt, inter ædem S. Laurentii & Hadriani viam fuiſſe in Carinas ducentem, quæ duas regiones diviſerit, & per quam aditus in *forum* Cæſaris patuerit: quod poſt illud ſpatium poſitum, quod in utramque illam eccleſiam intercedit, jure merito unum quaſi cum *foro* magno *forum* eſſe dici potuerit, cui etiam a latere fuit. Atque ita S. Hadriani ædes rectiſſime in tribus *foris* eſſe apud Anaſtaſium pluribus locis legitur. In medio ante templum Veneris Cæſaris ſtatua equeſtris ex ære fuit. V. illam infr. in *Statua.* Inter tabulas nobiliores fuit illic Ajax, & Medea ante Veneris templum ſuſpenſæ. Plin. xxxv. 4. Inter cæteras vero, quibus ornatum fuit, ſtatuas una quoque fuit Cæſaris armati loricata, ab aliis ipſi poſita. Plin. xxxiv. 5. *Nardin. Rom. Vet. v. 9. Donat. de Urb. Rom. ii. 21. Marlian. Topogr. Urb. Rom. iii. 9. Fabric. Deſcr. Urb. Rom. c. 7. Pancirol. Deſcr. Urb. Rom. Theſ. Ant. Rom. Græv. Tom. iii. p. 352. C. Borrich. Ant. Urb. Fac. c. 10. §. 5. Boiſſard. Topogr. Urb. Rom. Tom. i. p. 28. Faunus Antiq. Urb. Rom.* ii. 23.

Forum in caſtris quæſtorio adſitum rebus venalibus ſerviit, & conventibus, & legationibus etiam audiendis. Suidas: *Paullum ultra tabernaculum prætorii locus oſtenſus fuit velut forum, qui gnoma appellabatur. Illic autem legationes, & nuntii, & alia adminiſtrabantur.* Sed neſcio tamen, annon de loco, & *foro* quæſtorio hoc accipi verius ſit, quoniam ad eum veniebant, & deducebantur primo legati. Ita ſane in Hygino ſcriptum: *In quæſtorio maxime legati hoſtium, & obſides, & ſiqua præda facta fuerit in quæſtione* (forte *quæſtorio*) *ponitur.* Quod autem Suidas ait gnomam appellari, mihi inauditum eſt: doceat qui novit. *Lipſ. de Milit. Rom. v. dial. 3. Thyſ. Rom. Illuſtr. v. p. 110.*

Forum Cupedinis eſt forum piſcatorium, ut cognoſcimus ex Apuleji variis locis. *Scalig. in Feſtum in Cupes.* Ita Apul. Met. i. p. 32. *Ut prius aliquid nobis cibatui proſpicerem, forum Cupedinis peto, inque eo piſcatum opiparem expoſitum video.* Cum enim *forum* Cupedinis ſit, in quo lautitiæ venderentur; primum autem in illis gradum piſces obtinebant, ideo hoc *forum* piſcatorium putabat. Sed poterant piſces in *foro* Cupedinis vendi quidem, ut aliæ res lautæ: tamen piſcarium *forum* aliud fuit a *foro* Cupedinis; locis enim diſtincta fuere teſte Varr. de Ling. Lat. iv. 32. *Secundum Tiberim ad Junium forum piſcarium vocant: ideo ait Plautus, apud piſcarium, ubi variæ res; ad Corneta forum Cupedinis.* Rufus & Victor in diverſis Urbis regionibus hæc *fora* collocant. *Forum* enim piſcarium in viii. Urbis regione, *forum* vero Cupedinis in iv. regione erat, nam Corneta erant inter viam Sacram, & Macellum, & ibi *forum* Cupedinis. Victor etiam, ubi xvii. *fora* numerat, Cupedinis & piſcarium, tanquam diverſa, nominat. Poſtea tamen obliterata fuerunt hæc *fori* nomina, & unicum Macelli nomen remanſit. Varro l. l. *Hæc omnia poſtquam contracta in unum locum, quæ ad victum pertinebant: & ædificatus locus appellatum Macellum, ut quidam ſcribunt, quod ibi fuerit ortus: alii quod ibi domus fuerit, cui*

cogno-

cognomen fuerit Macellus, qua ibi publice dirута, e qua ædificatum hoc, quod vocabatur ab eo Macellum. Nonn. de Re cibar. III. 6. Nardin. Rom. Vet. III. 13. Borrich. Ant. Urb. Fac. c. 6. n. 7. Donat. de Urb. Rom. II. 27. Fabric. Descr. Urb. Rom. c. 7. Marlian. Topogr. Urb. Rom. III. 16. Salmas. in Lamprid. Heliogab. c. 30.

Forum, Nervæ quod dicitur, excitavit Domitianus; sed occiso, antequam absolveret, Domitiano, Nerva successor perfecit, ac dedicavit. Suet. Domit. c. 5. n. 2. *Excitavit forum, quod nunc Nervæ vocatur.* Fuit post *forum* Augusti, & remotius a *foro* Romano. Quædam adhuc vestigia in via publica ejus *fori* superesse probabile est. Hæc duæ sunt columnæ insculptæ marmoreo parieti egregii operis adjunctæ: eodemque in loco superioribus annis columnæ majores imposito epistylio fastigioque extabant, adjecto titulo: IMP. NERVA CÆSAR. *Donat. de Rom. Vet.* II. 23. *Lips. de Magn. Rom.* III. 7. *Marlian. Topogr. Urb. Rom.* III. 9. *Fabric. Descr. Urb. Rom. c.* 7. *Boissard. Topogr. Urb. Rom. Tom.* I. *p.* 42. *Faunus Antiq. Urb. Rom.* II. 23. *Thys. de Magnit. Roman.* III. *p.* 295. *Blond. Instaur. Rom.* III. §. 53. Ad radices Quirinalis fuisse communis omnium opinio est, sub palatio quondam Comitum, nunc Grillorum: ubi ingens antiqui ædificii pars residua visitur pro majore sui portione in ecclesiam S. Basilio sacram conversa, & monasterium Neophytarum. Quin *forum* hoc fuerit, dubitare nos non sinit inscriptio hæc vetus, quæ paucis abhinc annis ibidem extabat, a Fauno publicata:

IMP. NERVA. CÆSAR. AUG. PONT.
MAX. TRIB. POT. II. IMP. II. PROCOS.

Nardin. Rom. Vet. III. 14. *Borrich. Ant. Urb. Fac. c.* 6. *n.* 7. Fuisse ornatissimum tria persuadent I. quia ædificavit Domitianus quadam videlicet æmulatione Cæsaris & Augusti, nec ille opera fecit nisi eximia & egregia. II. præter templum Jani ædem Palladis ibi exstruxit, quam velut sibi propitiam præcipue colebat. De Jano Stat. Sylv. IV. I. 13.

Janus agit, quem tu vicina pace ligatum
Omnia jussisti componere bella, novique
In leges jurare fori.

De templo Palladis Aur. Vict. Cæs. c. 12. n. 2. *Dedicato foro, quod appellatur pervium, quo ædes Minervæ eminentior consurgit & magnificentior.* III. Accessit singularis cura Alexandri Cæsaris apud Lamprid. c. 28. *Statuas colossas, vel pedestres nudas, vel equestres divis Imperatoribus, in foro divi Nervæ, quod transitorium dicitur, locavit omnibus cum titulis, & columnis æreis, quæ gestorum ordinem continerent exemplo Augusti, qui summorum virorum statuas in foro suo e marmore collocavit, additis gestis.* Non omittendum, quod, cum alia tria *fora* judiciis dedicata essent, in *foro* Nervæ rei aliquando suppliciis mulctati sunt. De Vetronio Turino, qui acceptis muneribus multa petentibus nomine Imperatoris falso promiserat, Lamprid. Alex. c. 36. *In foro transitorio ad stipitem illum ligari præcepit* Alexander, *& fumo apposito, quem ex stipulis atque humidis lignis fieri jusserat, necavit, præcone dicente, fumo punitur, qui vendidit fumum.* Donat. l. l. Transitorium traxit nomen, quod ab eo in Romanum *forum*, Augusti, & Cæsaris esset transitus. *Marlian. & Fabric. l. l.* Sic & *forum* Augusti, & Cæsaris, & alia transitoria dicerentur, nam & ab his transitus erat. Sed inde traxit, quia Jani templum habebat, cui quatuor inerant portæ, sive arcus. Jani autem ejusmodi quadrilateri transitiones dicebantur, quod semper transeuntibus paterent. Nam Nerva Janum quadrifrontem ex humiliori delubro suum in *forum* transtulit. Mart. x. 28. 3.

Pervius exiguos habitabas ante penates,
Plurima qua medium Roma terebat iter.
Nunc tua Cæsareis cinguntur limina donis,
Et fora tot numeras, Jane, quot ora geris.

Lips. & Donat. l. l. At templum Jani, quod illic fuit, revera claudi potuit, idque quatuor portis, longe aliter ac Jani, qui in compitis erant, patentibus, & apertis semper fornicibus. Testatur Mart. x. 28. 7.

At tu sancte pater, tanto pro munere g. . . .s,
Ferrea perpetua claustra tuere sera.

Imo potius a basilica sua, quippe per quam in aliam transiretur viam. Transitus hic etiamnum in arcu illo apparet, qui superest; ubi non porta cernitur, sed arcus ad transitum apertus: cui etiam arcui Noe, corrupte pro Nervæ, nunc nomen est. *Nardin. Lips. Thys. & Borrich. l. l.* Jani portæ frequentissime quidem patebant in commodum transeuntium, nec nisi pacato Romano orbe, quod rarum oppido, claudebantur. Sed vero ita, ut ne quidem semiapertæ relinquerentur, quod ex marmoribus, & antiquis numismatis liquidum est. Memini me non tantum Romæ in hodierno Capitolio, sed & Florentiæ in vetusto marmore cœmeterii D. Mariæ a Flore portas templi Jani ita patentes vidisse, ut armatus quidam, forsan Mars ipse, in rima semiclusarum valvarum altera manu gladium vibret, crumenam ostendat altera; sed ita, ut vix nisi ipse solus ob strictiorem locum simul possit transire; unde augurari facile est, similem Janum non potuisse publicum transitum permittere *Borrich. l. l.* Palladium etiam dictum, quia Minerva etiam ibi, familiare Principi numen. Mart. I. 2. 8.

Limina post Pacis, Palladiumque forum.

Lips. & Thys. l. l. & Panvin. Descr. Urb. Rom. Thes. Ant. Rom. Græv. Tom. III. p. 289. D. Sed I. Martialis illud epigramma scripsit, cum primo libros suos evulgare cœpit; non omnes simul, sed, ut quemque absolverat, in lucem editos, circa initia, ut arbitror, imperii Domitiani. Hic autem, cum quindecim annis imperarit, tunc fortasse *forum* nondum inchoaverat, quod imperfectum tanto post moriens reliquit, aut certe minimam ejus partem erexerat. Cur ergo nondum exstructo jam cognomen inditum? II. Cur *forum* Nervæ, seu Palladium conjungitur cum templo Pacis, cum intercederet *forum* Cæsaris inter utrumque, aut etiam Augusti? hæc ergo primum adferri debuerant. Itaque vel Martialis de alio ædificio Urbis scripsit, vel poetice, quod potius dixerim, adulatorio, & suo more locutus, nomen inchoato vix *foro* dedit, & solum Flaviæ gentis ædificia, quamvis sejuncta recensuit, ut Domitiano assentaretur. *Donat. l. l.* Distantiam quod attinet, non ea mihi tanta videtur, aut magni momenti. Nam ut hodieque in Pantanis retro templum Pacis multæ viæ rectæ sunt ad id forum tendentes, ita & olim aliqua fuisse illic potuit, in qua librarius ille, apud quem liber Martialis venalis esset, degeret. Quod ad tempus attinet, non video causam ullam, cur aliud excogitaretur ædificium, aut cur Martialis adulationis arguatur a vero alienæ. Est enim hoc epigramma unum de iis, quæ multis post annis cæteris addita sunt. Id liquet ex n. I. 2. 3. in quibus plurium librorum mentionem facit. Solebat autem quotannis singulos dare libros epigrammatum, quandoque nullum, ut ipse indicat x. 70. I.

Quod mihi vix unus toto liber exeat anno,
Desidiæ tibi sum, docte Potite, reus.

Quin & initio integro quadriennio, vel quinquennio, nullum edidisse videri possit librum: tum vero quatuor, vel quinque conjunctim: vel saltem editos jam antea post emendando, secundum hoc prioribus epigramma adjecisse, quo & sequentium librorum meminit. *Nardin. l. l.*

Forum olitorium, in quo olera vendebantur, fuit extra portam Carmentalem, ubi area Montanara nunc est. Ascon. in Cicer. p. 150. *Illam demonstrat, quæ est extra portam Carmentalem, inter forum olitorium, & circum Flaminium.* Marlian. Topogr. Urb. Rom. III. 12. Fabric. Descr. Urb. Rom. c. 7. Boissard. Topogr. Urb. Rom. Tom. I. p. 13. Faunus Antiq. Urb. Rom. III. 6. Verum si theatrum Marcelli, & per consequens area quoque Montanara in regione IX. fuit, *forum* illic olitorium esse nequit, & simul adscribi regioni XI. Ergo extra muros illud fuisse censeo, sed inter theatrum Marcelli, Tiberim,

rim, & portam Flumentanam, id eſt, in aliqua ſpatii ejus parte, quod eſt inter pontem IV. capitum, palatium Sabellorum, & S. Mariæ in porticu. Varr. de Ling. Lat. IV. 32. *Forum olitorium, hoc eſt, antiquum macellum, ubi olerum copia.* In illo, ut & in Capitolio fiebant ſubhaſtationes, auctionesque bonorum. Tertull. Apolog. c. 13. *Sic Capitolium, ſic olitorium forum petitur, ſub eadem voce præconis, ſub eadem haſta, ſub eadem annotatione quæſtoris divinitas addicta conducitur.* Nardin. Rom. vet. VII. 4. Donat. de Rom. vet. I. 9: II. 26. Borrich. Ant. Urb. Fac. c. 13. §. 4.

Forum piſcarium dicebatur, ubi præter piſces varia vendebantur. A boario exitus erat in piſcarium, & hoc olitorio propinquum, fuit ſecundum Tiberim. Varro ſupr. in *Forum Cupedinis.* Spatium *fori* ſeipſum demonſtrat. Nam cum boarium ad pontem nunc S. Mariæ pertingeret, inde ſecundum Tiberim protendebatur uſque ad mœnia a Capitolio ad Tiberim deducta juxta templum S. Nicolai in carcere, quæ ætate Auguſti vix apparebant. *Donat. de Rom. Vet.* II. 26. *Marlian. Topogr. Urb. Rom.* III. 16. *Fabric. Deſcr. urb. Rom. c.* 7. Inter utrumque Velabrum ſtatui convenit, niſi Victori & Rufo hic conſentientibus refragari voluerimus, qui illud in hac regione poſuere. Nam Velabrum majus in undecima fuit. Apud Varronem, qui ſupr. in *Forum Cupedinis* proximum Tiberi fuiſſe dixit, nonnulli legunt *ad Junonium*, pro *ad Junium*; alii vero *ad Janum*, hoc pacto *forum* hoc proxime olitorium collocantes, in quo templum Jani fuit. Nec alia quidem id faciunt de cauſa, quam ut de duobus *foris* confirment verba Ovid. Faſt. I. 257.

—— cur ſtas ſacratus in uno
Hic, ubi juncta foris templa duobus habes?

Quæ quidem nec cum ſitu loci, nec cum diviſione regionum conveniunt. Quod ad Varronem attinet, mendum in ejus verbis manifeſtum eſt; & hinc obſcura ſententia. Fortean illa emendatio *ad Junonium* melior eſt; nam Junonis ædicula a Rufo regioni XI. attributa eſt, cui & *forum* piſcarium adſcripſit. Verum his maturiori aliorum judicio relictis, ſi *forum* piſcarium inter utrumque Velabrum fuiſſe ſtatuendum eſt, haud procul a Tiberi abfuiſſe potuit: forte & non longe a S. Eligii, & S. Johannis decollati ædibus abfuit. *Nardin. Rom. Vet.* V. 10: VII. 4.

Forum piſtorium dicebatur, ubi panem piſtores vendebant. Erat in Aventino, ſive XIII. regione. *Panciroll. Deſcr. Urb. Rom. Theſ. Ant. Rom. Græv. Tom.* III. *p.* 373. *A.* Et quidem illa Aventini parte, qua horrea Galbæ fuiſſe leguntur. In hac regione Victor collocat. Et in præruptis editiſve collis nullus *foro* commodus locus eſt: tum & belle piſtoribus cum horreis convenit, unde paratum frumentum ad coquendum. Lubet ſuſpicari, *forum* hoc non diu ante a Domitiano inchoatum, a Trajano perfectum eſſe, ſub quo collegium piſtorum primum inſtitutum videtur. Aurel. Vict. de Cæſ. c. 13. n. 5. *Romæ a Domitiano cœpta fora, atque alia multa magnifice coluit, ornavitque: & annonæ perpetuæ mire conſultum reperto, firmatoque piſtorum collegio.* Nardin. Rom. vet. VII. 9. Borrich. Ant. Urb. Fac. c. 15. §. 4. Unum fuit inter Capitolium & Palatium, juxta ædem Veſtæ: alterum in Aventino. Hodie tria ſunt: unum prope S. Mariam rotundam, alterum in vico Judæorum, tertium apud S. Laurentium in Damaſo. *Fabric. Deſcr. Urb. Rom. c.* 7.

Forum Romanum accipitur κατ' ἐξοχὴν, ut poetæ nomine apud Græcos Homerus. Ovid. de Pont. I. 8. 65.

Te modo campus habet, denſa modo porticus umbra,
Nunc, in quo ponis tempora rara, forum.

Romanum dictum eſt a dignitate Urbis, quod præ cæteris eſſet ornatiſſimum, propter ædificia: & frequentiſſimum, propter judicia. Prop. IV. 4. 13.

Atque ubi nunc terris dicuntur jura ſubactis,
Stabant Romano pila Sabina foro.

Etiam Latium. Ovid Triſt. IV. 4. 5.

Cujus in ingenio eſt patriæ facundia linguæ,
Qua prior in Latio non fuit ulla foro.

Vetus, reſpectu ad poſteriora. Herodian. IV. 2. 8. *Perque viam ſacram in vetus forum deferunt.* Ad extremum, magnum, quia, ut videtur, ſpatio reliqua ſuperavit. Ovid. Faſt. III. 704.

Et tenet in magno templa dicata foro.

Fabric. Deſcr. Urb. Rom. c. 7. Lipſ. de Magnit. Rom. III. 7. Donat. de Urb. Rom. II. 20. Nardin. Rom. Vet. V. 2. Thyſ. de Magnit. Roman. III. p. 294. Fuit olim extra pomœrium. Dionyſ. II. p. 113. *Facto fœdere iidem* Romulus & Tatius, *planitiem Capitolio ſubjectam, excelſa ſylva, & ſtagno, quod propter loci cavitatem erat aquarum e vicinis montibus manantium receptaculum, terra congeſta repleto, in hujus, quod nunc eſt, fori uſum verterunt.* Donat. ibid. I. 10. Panciroll. Deſcr. Urb. Rom. Theſ. Ant. Rom. Græv. Tom. III. p. 351. A. Quis ejus ambitus, quod ſpatium quaquaverſum fuerit, ea de re plurimum inter eruditos controvertitur. Fulvius hinc ita ſe expedit; Inter Capitolinum & Palatinum fuiſſe ſatis conſtat. Et idem Lipſius, & Thyſius. Fabricius; Incipit a Capitolii radicibus, ubi nunc Septimii arcus eſt, & ſecundum longitudinem ad S. Mariam novam, ubi Titi arcus, protenditur: ſecundum latitudinem a Palatini radicibus ad viam Sacram, Saturni ædem. Marlian. Topogr. Urb. Rom. III. I. exiſtimat, *forum* omnem, qua patet, campum Vaccinum occupaſſe ad arcum Titi: quæ tamen laxitas cum ipſi nimia videatur, ante Auguſti ait principatum ultra primas non fuiſſe promotum radices Palatini: verum quum Suetonius tradat Auguſtum *forum* ampliaſſe, Auguſti opus illud cenſet, protenſionem ſcilicet illam ad arcum Titi. Et invenit in eo non modo aſſentientem ſibi Faunum, ſed & peculiari libro ea de re edito patrocinantem. Præcipuum utriuſque argumentum a Valerio Poplicola dependet, quem in colle *foro* imminente, Velia appellato, habitaſſe ſcribit Dionyſ. V. p. 292. quæ Palatini montis pars ex ſententia Marliani, & plerorumque Antiquariorum ſupra arcum Titi fuit. At ſi ætate poplicolæ Velia, ſive ea pars collis, quæ ſupra arcum Titi eſt, *foro* imminebat, ut Dionyſius, & eo apertius Plutarch. Poplic. p. 102. B. Auguſtus *forum* couſque non ampliavit. Nec Suetonius dicit, Auguſtum ampliaſſe *forum*, verum novum ei addidiſſe contiguum, quum magnum & Cæſaris negotiis, & multitudini hominum non ſufficerent. *Forum* vetus nunquam ad templum Pacis, & ædem SS. Coſmi & Damiani, imo nec ad eccleſias S. Mariæ Liberatricis, & S. Laurentii in Miranda pertigiſſe, oſtendunt cum illa ipſa duo templa priora, quæ in *foro* non fuere, ſed in via Sacra, imo quæ & alterius fuerunt regionis, tum & ſitus ſoli eorundem templorum olim depreſſiſſimus, ac rurſus ad S. Mariæ ædem editus; ac tandem cætera, quæ eo ſpatio continentur loca, quæ quartæ regionis ſunt. Templum Pacis Faunus ſupra curiam conſtructum aſſerit, ac ſi non in alia plane regione fuiſſet, neque nomen diverſæ a *foro* dediſſet regioni. Curia enim in *fori* regione, imo in ipſo *foro* fuit. Quid? poſt templum Pacis conditum curia non amplius extabat? Atqui Victor hujus, & illius ſeorſim meminit. Baronius in Apologia, qua notas in Martyrologium editas defendit ad XIV. Martii, ubi Hugonio reſpondet ad objecta de antiquo carcere Tulliano, *forum* ad S. Nicolai ædem in carcere fuiſſe cenſet. Verum præter illa, quæ ipſe ei regeſſit Hugonius, & quæ oppoſuit ei Donat. de Rom. Vet. II. 19. infr. in *Tullianum*, hoc ego tantum addam; ſi euſque *Forum* ſe extenderit, locum nullum relictum, nec vico Tuſco, nec Jugario, nec Viæ novæ, nec Velabro, ſepulcro Accæ, ſacello Aji, regiæ Tarquinii Priſci, baſilicæ Semproniæ, multiſque ædificiis aliis, quæ inter *forum*, & ædem illam fuere intermedia. Donatus in ea fuiſſe valle probat, quæ inter oppoſitas ſibi Palatini & Capitolini montis radices olim interjacebat; in cujus ſententiam pedibus ire non erubeſco. Ut autem limites ejus exacte cognoſcamus, obſervandum. Illud primis Urbis initiis

initiis factum, quum vixdum a Palatino ad Capitolinum ipsa se extenderet. Illi vero populo, exiguo adhuc tum temporis, vasto *fori* spatio opus non erat: nec tamen unquam ampliatum legitur: templumque Vestæ, & Saturni, nec non regia Numæ, cæteraque ædificia antiquissima, certo nunquam aucti, verum unius semper, ac perpetui spatii indicia sunt. Huic porro *fori* mediocritati vestigia ejus hodieque conveniunt. Nam ad ima Palatini veteres horrei muri, quod ad ædem S. Mariæ Liberatricis est, tresque vicinæ illis columnæ, quarum epistylia ædificium hoc magis ad ipsum fuisse *forum* conversum indicant: nec non ad ima Capitolii arcus Severi, unicaque illa, quæ adhuc superest, columna a latere, nimis quam manifesti latitudinis *fori* veteris termini sunt: quæ sane non modo non major, verum contra illa aliquanto ipsa valle minor esse debuit necessario. Latitudinem longitudo tertia circiter parte superasse videtur. Ita enim Vitruvius Romæ cuncta instituta v. 1. in principio docet. Ducto igitur initio ab æde S. Hadriani, quod veterum aliquod ejusdem *fori* ædificiorum fuisse verisimile est, usque ad ædem Consolationis, longitudinem ejus tertia parte auctiorem, quam latitudo fuit porrigendo, fieri tamen nequit, ut ipsam illam ædem Consolationis attingat, uti nonnulli affirmavere: forte nec ultra ædiculam S. Mariæ Gratianam pervenit, aut, si hanc transiit, exiguo id fecerit spatio. Atque ita ædes S. Mariæ Liberatricis in medio circiter *foro* est, qua in longitudinem porrectum fuit: cujus rei non leve argumentum est vetus illius ecclesiæ nomen, quo S. Sylvestri in lacu esse dicebatur: qui non Juturnæ lacus fuit, ut Fulvio visum, quique in angulo *fori* fuit, sed Curtius, quem in medio *foro* fuisse docebitur infr. in *Lacus Curtius.* Nardin. l. l. Aream *fori* porticus claudebant. Cinxit illis Tarquinius Priscus. Liv. 1. 35. *Ab eodem Rege & circa forum privatis ædificanda divisa sunt loca; porticus, tabernæque factæ.* Dio LXXIV. p. 841. B. *Nosque senatores, uxoresque nostræ accessimus in forum funebri vestitu: illæ in porticibus, nos sub dio sedebamus.* Tabernæ fere argentariæ erant. Liv. XXVI. 11. *Tabernas argentarias, quæ circa forum Romanum tunc erant, jussit venire.* Et in illo ludi literarii, in quibus pueri & puellæ literas discerent, fuerunt. Liv. III. 44. V. illum infr. in *Ludus.* Spectacula quoque gladiatorum edita sunt. Ovid. de Art. amand. 1. 163.

Hos aditus circusque novo præbebit amori
Sparsaque sollicito tristis arena foro.
Illa sæpe puer Veneris pugnavit arena,
Et qui spectavit vulnera, vulnus habet.

Suet. Jul. c. 39. n. 2. *Munere in foro depugnavit Furius Leptinus.* Et illud *signis, ac tabulis pictis, partim ab amicis, partim e Græcia commodatis* ornabant, qui ludos edebant, *in scenæ speciem, quia adhuc theatra non fuerunt.* Ascon. in Cicer. p. 86. *Donat. & Nardin. l. l.* Ejus ornamenta singillatim recensere, multæ, & curiosæ esset curæ. Audi Strab. v. p. 163. *At idem si in forum vetus deinde progressus, alia aliis hærentia, & consequentia videat, basilicas, porticus, templa; tum Capitolium ipsum, & in eo templa; tum Palatium, & Liviæ ambulacra: is facile priorum obliviscatur, & omnium quæ viderat extra Urbem.* Sed & Statius quædam recensuit in Equo Domitiani. Ille enim ex ære colossum illum, & se insessorem constituit in hoc *foro* n. 1.

Quæ superimposito moles geminata colosso
Stat Latium complexa forum.

Lips. l. l. V. & supr. in *Comitium.*

Forum Sallustii fuit in monte Quirinali, quo in loco ædes nunc S. Susannæ. Hoc *forum* Sallustius emit post Africanam præturam. *Marlian. Topogr. Urb. Rom.* IV. 23. *Fabric. Descr. Urb. Rom. c. 7. Donat. de Urb. Rom.* II. 27. *Faunus Antiq. Urb. Rom.* IV. 10.

Forum suarium fuit ad radices Quirinalis, prope clivum qui ducit ad Caballos marmoreos. De eo cognominatum templum S. Nicolai de Porcilibus. In eo sues vendebantur. *Marlian. Topog. Urb. Rom.* v. 2. *Fabric. Descr. Urb. Rom. c. 7. Panciról. Notit. dignit. imp. occident. c.* 11. *Faunus Antiq. Urb. Rom.* IV. 17. *Donat. de Urb. Rom.* II. 27. Huic præerat tribunus, curans, ne quid inordinate in eo fieret: & sues justo pretio, & sine fraude, ac morbo venderentur. De hoc mentio est in hoc vetusto epigrammate.

DOMINO. NOSTRO
FL. CLAUDIO. CONSTANTINO
FORTISSIMO. AC
BEATISSIMO CÆSARI
FL. URSACIUS. V. P
TRIBUNUS. COHORTI
UM. URBANARUM
X. XI. ET. XII. ET FORI
SUARII

Panvin. Descr. Urb. Rom. Thes. Ant. Rom. Græv. Tom. III. *p.* 294. *E. Panciroll. Descr. Urb. Rom. Thes. ibid. p.* 349. *F. & Notit. dignit. l. l.*

Forum Trajani, & Ulpium fuit *foro* Nervæ proximum. Ejus cochlis columna in medio olim posita hodieque index est. Hoc Apollodoro insigni architecto Trajanus post bellum Dacicum ædificavit, complanata Quirinalis montis parte, & æquata vallibus, ut docet inscriptio in columnæ basi. Fuit inter cætera Cæsarum opera maxime admirandum. Cassiod. Var. VII. 6. *Trajani forum vel sub assiduitate videre miraculum est.* Marcellin. XVI. 6. *Cum ad Trajani forum venisset* Constantius, *singularem sub omni cœlo structuram, ut opinamur etiam numinum assensione mirabilem, hærebat attonitus per giganteos contextus circumferens mentem, nec relatu effabiles, nec rursus mortalibus appetendos.* Atrium columnis, epistyliis, coronis cingebatur. Quidam columnas crassitudine, ac celsitate cochlidi ferme æquant. In fastigiis statuæ æneæ inauratæ fuerunt. Gell. XIII. 23. *In fastigiis fori Trajani simulacra sunt sita circum undique inaurata equorum, atque signorum militarium: subscriptumque est, Ex manubiis.* Ex præda nimirum ex bello Dacico redacta. In illo judicia fuisse acta testatur Gellius: *Phavorinus, cum in area fori* Trajani *ambularet, & amicum suum consulem opperiretur, causas pro tribunali cognoscentem.* Donat. de Rom. Vet. II. 24. Marlian. Topogr. Urb. Rom. v. 1. Lips. de Magn. Rom. III. 7. Fabric. Descr. Urb. Rom. c. 7. Panciroll. Descr. Urb. Rom. Thes. Ant. Rom. Græv. Tom. III. p. 353. A. Nardin. Rom. Vet. v. 9. Borrich. Ant. Urb. Fac. c. 10. §. 5. Boissard. Topogr. Urb. Rom. Tom. I. p. 42. Faunus Antiq. Urb. Rom. II. 24. Bergier. de Viis milit. v. sect. 8. §. 7. Thys. de Magnit. Roman. III. p. 296. Blond. Illustr. Rom. III. §. 48.

Forum Vespasiani etiam nominat Symmach. Epist. x. 78. *Et cum ad forum Vespasiani, tam ego, quam vir spectabilis vicarius perurgente populo fuissemus ingressi, ut quietem utriusque partis multitudini persuaderemus.* Verum quodnam ab eo Imperatore factum *forum* fuit? aut quæ area in Urbe *forum* ejus appellari potuit? Certe mea quidem sententia non alia, quam quæ ante amphitheatrum in extrema Sacra via extra omnem controversiam fuerit, cujus amplitudinem residuum metæ sudantis, quod illic hodieque conspicitur, aliquo modo patefacit. Ad ejus latus Vespasianus ingens illud amphitheatrum exstruxerit. *Nardin. Rom. Vet.* III. 9.

Forum vinarium. V. illud infr. in *Rationalis vinorum.*

Forum, sive *forus* dicitur etiam tabula lusoria, sive alveus. Senec. Polyb. c. 36. *Sed in Albano suo tesseris, ac foro acerbissimi funeris elevabat mala.* Suet. Aug. c. 71. n. 6. *Forum aleatorium calfecimus.* Manil. v. 427.

—— nec non lascivit amores
In varios, ponitque forum, se datque Lyæo.

Salmas. in Vopisc. Procul. c. 13. Exerc. Plin. p. 646. a. G. Gronov. de Pecun. Vet. IV. 3. & in Senecam.

Forum quoniam & juris, & nundinationis sedes fuit, factum est, ut multa Italiæ oppida, aut quia juris, aut quia negotiorum domicilia fuerunt instituta, id nominis invenerint. Hoc probatur exemplo Regii Lepidi, Galliæ citerioris oppidi, quod ita dictum prodit Festus, quia

ibi *forum habuerit Lepidus.* Regium autem cum dicebant, quid aliud, quam basilicam intelligebant, id est, locum, in quo jus, ut Romæ in basilicis, dicebatur? *Sigon. de Ant. jur. Ital.* II. 15.

Forum Appii ab Appio, ut appellatum, sic etiam constitutum est. At a quo Appio, nihil præter conjecturam afferre possum. Me ad hanc opinionem diuturna, ac diligens Romanæ observatio antiquitatis adduxit, ut credam, ejusmodi pleraque *fora*, aut a censoribus, aut a prætoribus Romanis condita esse: censoribus, cum vias in Italia sternerent; prætoribus, cum bellum gererent, aut provincias obtinerent. Cur enim cum in Appia via Appii *Forum* teste Antonino inveniam, aut aliter possum existimare, aut non ab eodem, a quo via strata est, *Forum* esse instructum putare? Viam autem Appiam Appius Claudius Cæcus censor, quod inter omnes constat, a porta Capena usque ad oppidum Capuæ munivit anno ab U. C. 441. *Sigon. de Ant. jur. Ital.* II. 15. *Leand. Albert. Descript. Ital. p.* 218.

Forum Aurelii in via Aurelia teste Antonino invenio. Illud, loquor ut opinor, constituit C. Aurelius Cotta censor. *Sigon. de Ant. jur. Ital.* II. 15.

Forum Cassii in via Cassia oppidum fuit Etruriæ. Plures Cassii fuerunt censores. Ab uno illorum hoc *Forum* conditum esse consentaneum est. *Sigon. de Ant. jur. Ital.* II. 15. *Leand. Albert. Descript. Ital. p.* 121. Fuit recta via inter Vicum atque Viterbium, medio fere itinere inter utrumque, haud dubie in monte Cimino, ubi etiam vestigia antiqui oppidi observantur. *Cluver. Ital. Antiq.* II. 3. 61.

Forum Claudii in via Claudia oppidum fuit Etruriæ. Aliquot Claudii fuerunt censores. A quodam illorum & hoc *Forum* conditum esse consentaneum est. *Sigon. de Ant. jur. Ital.* II. 15. *Leand. Albert. Descript. Ital. p.* 117. *Cluver. Ital. Antiq.* I. 13. 6.

Forum Cornelii in Lingonibus a Cornelio Sylla constitutum est. Prudent. Περὶ Στεφ. IX. 1.

Sylla Forum statuit Cornelius: hoc Itali urbem
Vocitant ab ipso conditoris nomine.

Conditum existimo bello civili, tum cum Sylla Carbonem, exercitu ejus ad Faventiam cæso, Italia expulit. *Sigon. de Ant. jur. Ital.* II. 15.

Forum Fulvii in Liguribus ab aliquo eorum Fulviorum, qui cum iis populis bellum gesserunt, esse constitutum facile opinione mihi patiar persuaderi. *Sigon. de Ant. jur. Ital.* II. 15.

Forum Julii in Carnis, & in Gallia Narbonensi a C. Julio Cæsare conditum crediderim, tum cum Galliam citeriorem, & ulteriorem pro consule obtinuit. Neque enim eos audire possum, qui hæc Cæsaris esse Augusti monumenta putant. Quorum ab auctoritate cur discedam, id est causæ, quod *Forum* Julium Narbonense in Epistolis Planci, multo antequam Cæsar Augustus imperio potiretur, invenio celebrari. Adde quod quæ Augustus monumenta reliquit, ea non Julii, sed Augusti nomine signavit, nulla alia de causa, nisi ut ea a patris Julii monumentis secerneret. Cæsar autem duobus in extremis provinciæ suæ finibus duo *fora* videtur constituisse, unum in ulteriore Gallia, alterum in citeriore. Cur hoc autem ipse, vel cæteri Romani factitarint, equidem honestam quandam laudis, & gloriæ cupiditatem mihi videor afferri posse, qua præter cæteras gentes populus Romanus semper flagravit. Ut qui armis, atque assidua bellorum contentione gentes omnes devicerant, iidem in terris non solum nobilissima victoriæ monumenta posteris proderent, sed suo etiam, per quos egregii aliquid gestum esset, nomine libenter ad æternitatem ornarent. Hinc viæ, hinc aquæ, hinc thermæ, hinc arcus, hinc fornices extiterunt. Quæ qui curarunt, ac construxerunt, eximio quodam immortalitatis amore, ac studio ducti suo nomine insignita in perpetuum esse voluerunt. Quod idem de *Foris* etiam conditis videtur esse judicandum: quæ a principio ad usum, vel juris, vel nundinarum instituta, post incolarum numero aucta, tectis frequentata, oppidi formam accepisse, ac *fori* tamen nomen, pristino jure amisso, ac meliore alio parto, videntur usurpasse. *Sigon. de Ant. jur. Ital.* II. 15. *Cluver. Ital. Antiq.* I. 20. §. 29.

FOS.

FOSSA castrorum exterius vallo erat producta: producta inquam, & sic ab ipsa re dicebant. Tibul. IV. 1. 83.

Qua deceat tutam castris producere fossam.

Veget. III. 8. *Tunc opere tumultuario fossa producitur.* Cæs. de Bell. civ. I. 27. *Fossas transversas viis producit.* Erat lata plurimum octo pedes, & totidem alta. Joseph. de Bell. Judaic. III. 3. *Fossa exterius circumjicitur profunda quatuor cubitis, lata æqualiter.* Cubitum accipio majorem, & duorum pedum: etsi nec sic modus *fossæ* nimis amplus. Nec abs re fortasse in Josepho legi δεκάπηχυς, qui essent quindecim pedes: ut in Cæsare plus semel lego. Imo etiam alii adaugent, &c. etsi rebus labentibus, ac post Josephum. Veget. III. 8. *Milites gladio cincti fossam aperiunt, latam aut novem, aut undecim, aut tredecim pedibus: vel si major adversariorum vis metuitur, pedibus decem & septem, vel novem. Imparem enim numerum servari moris est.* Lips. de Milit. Roman. V. 5. Thys. Rom. Illustr. V. p. 117. duplex est: vel fastigata. Hygin. de Castramet. *Fastigata dicitur, quæ a summa latitudine lateribus devexis in angustiam ad solum conjuncta pervenit.* Cæs. de Bell. Gall. VII. 73. *Scrobes trium in altitudinem pedum fodiebantur, paullatim angustiore ad infimum fastigio.* c. 72. *Fossam pedes viginti latam directis lateribus duxit, ut ejus solum tantundem pateret, quantum summa labra distabant. Summa labra* vocat Cæsar, quam Hyginus *summam latitudinem:* & infra *ripam. Labra summa fluminis* in fragmento Sisennæ apud Nonium pro ripis, quas & Græci, & Hebræi suo idiomate per translationem sic appellant. *Summæ latitudini* opponitur *solum.* Vel Punica. Hyginus: *Punica dicitur, quæ latere exteriori ad perpendiculum dirigitur, contrarium devexum fit, quemadmodum in fastigata.* Quæ sit *ripa ad perpendiculum directa*, jam docuit nos *Cæsar: Directo latere, cujus solum tantummodo pateat, quantum summum labrum.* Sed utrumque fere latus ad perpendiculum dirigit Hirt. de Bell. Gall. VIII. 9. *Fossam duplicem, pedum quinum denum, lateribus directis.* Quam speciem Hyginus prætermisit, fortassis, quia improbat, exteriorem tantum ripam latere directo, interiorem fastigatam fieri jubens, haud dubie propter incumbens onus, pondusque valli, ne ripa decidat. Quare Punica dicatur, non observavi: fortassis, quod in fossis, aut ædificiis Pænorum tale aliquid. *Schel. in Hygin. Thes. Ant. Rom. Græv. Tom.* X. *p.* 1115. *B.*

Fossæ Clœliæ fuerunt extra Urbem in via Latina. Liv. II. 39. *Ad fossas Cluilias quinque ab Urbe millia passuum castris positis, populatur inde agrum Romanum.* Plutarch. Coriol. p. 227. E. *Et ad Clœlias fossas quadringentis ab Urbe stadiis castra locavit.* Nardin. Rom. Vet. III. 3. Sigon. de Ant. jure civ. Rom. I. 2.

Fossæ navigabiles, ut vias novas aquaticas aperirent, non solum in Italia, sed & in provinciis compluribus a Romanis Imperatoribus, eorumve legatis fieri solebant. Talem in Germania inferiori fecit Drusus. Suet. Claud. c. 1. n. 3. Drusus *Oceanum septemtrionalem primus Romanorum ducum navigavit: transque Rhenum fossas novi & immensi operis fecit, quæ nunc adhuc Drusinæ vocantur.* De illa, sed in singulari numero Tacit. Ann. II. 8. 1. *Jamque classis advenerat, cum præmisso commeatu, & distributis in legiones, ac socios navibus, fossam, cui Drusianæ nomen, ingressus* Drusus Germanicus, *precatusque Drusum patrem, ut se eadem ausum libens, placatusque, exemplo, ac memoria consiliorum, atque operum juvaret.* Fecit Corbulo, inferioris Germaniæ sub Claudio legatus. Tacit. Annal. XI. 20. 2. Corbulo, *ut miles otium exueret, inter Mosam Rhenumque, trium & viginti millium spatio, fossam produxit, qua incerta Oceani vitarentur.* Bergier. de Viis milit. IV. sect 46. §. 6. Cluver. de Trib. Rheni alv. c. 6. & 25. Germ. Ant. III. 17. Jun. Batav. c. 8.

Fossa Quiritium dicebatur, quam, quia intervallum, quod inter Aventinum & Janiculum fuit, non adeo magnum ſpatium occupabat, firmandæ Urbi addidit Ancus Martius. Liv. I. 33. *Quiritium quoque fossa, haud parvum munimentum a planioribus aditu locis, Anci Regis opus est.* Nardin. Rom. Vet. I. 4. Marlian. Topogr. Urb. Rom. I. 4.

Fossa etiam vocabatur ſulcus aratro factus, ſive a fundatore Urbis deſignatus. Varro de Ling. Lat. IV. 32. V. illum infr. in *Urbs.* Ovid. Faſt. IV. 839.

Neve quis aut muros, aut factam vomere fossam
Transeat, audentem talia dede neci.

Donat. de Urb. Rom. I. 2.

FOSSOR dictus eſt ſervus, cujus opus erat *fodere.* Ideoque *invisam terram fossori* canit Horat. Od. III. 18. 15. In compedibus faciebat ſuum opus. Juven. Sat. XI. 79.

Ipse focis brevibus ponebat oluscula, quæ nunc
Squalidus in magna fastidit compede fossor.

Pignor. de Serv. p. 520.

FOV.

FOVEA etiam ſylvatica venatio peragebatur. Lucret. V. 1249.

Nam fovea atque igni prius est venarier ortum
Quam sepire plagis saltum, canibusque ciere.

Foveas intellige aſſeribus, virgultis, aut paleis tectas, in quas prædæ ſpes feras trahit. Buleng. de Venat. c. 2.

FRA.

FRACES ſunt carnes, & reliquiæ olearum fractarum, & trapeto contuſarum. Plin. XV. 6. *Idem & in amurca, & fracibus: hæ sunt carnes, & inde faces.* Turneb. XXVIII. 7. Bergier. de viis milit. II. Sect. 14. §. 7. Vlit. in Grat. Cyneget. n. 474. Ut inter coagmenta materies ab gelicidiis ne laboraret, *fracibus* quotannis ante hyemem ſaturabatur. Vitruv. VII. I. *Ut inter coagmenta materies ab gelicidiis ne laboret, fracibus quotannis ante hyemem saturetur: ita non patietur in se recipere gelicidii pruinam.* Bergier. l. l.

FRAMEA erat genus teli. Juven. Sat. XIII. 79.

Et Martis frameam, & Cyrrhæi spicula vatis.

Germanis deberi docet locus Tacit. de Mor. German. c. 6. n. 2. *Rari gladiis, aut majoribus lanceis utuntur. Hastas, vel ipsorum vocabulo, frameas gerunt, angusto, & brevi ferro; sed ita acri, & ad usum habili, ut eodem telo, prout ratio poscit, vel cominus, vel eminus pugnent.* Ejus meminit Gell. X. 25. *Voss. de vit. serm. I. 3. & Lex. Etymol. Thys. in Gellium. Chiflet. Thes. Sepulcr. c. 14.* Cominus pugnabant haſta collecta, eminus protenſa. Dio XXXVIII. p. 91. B. in prælio Arioviſti cum Cæſare ejuſmodi prælongas Marcomannorum haſtas appellat κοντούς. Idem teli genus hodieque frequens eſt apud omnes fere Europæos in uſu: vocaturque vulgari vocabulo Germanis noſtris ein langer ſpieß / id eſt, haſta longa. Hiſpani, Itali, Galli, & Angli, ſua quique dialecto *picam longam* indigetant: qua, ut olim priſci Germani, nunc etiam omnes, *prout ratio poscit, vel cominus, vel eminus pugnant.* Hodie peditum duntaxat eſt telum, apud priſcos Germanos etiam equitum fuit. Tacitus: *Et eques equidem scuto, frameaque contentus est, pedites & missilia spargunt.* Germanis etiamnum ſutorium, ac ſartorium inſtrumentum, quo corium, vel veſtis perforatur, eodem vocabulo dicitur variantibus dialectis, friem / pfriem / priem, preem. *Cluver. Germ. Ant.* I. 44. Quænam hujus teli forma fuerit, aut quomodo hodie nominetur, non ſatis conſtat. Forte fuerit telum cum capulo, & ferro oblongo, brevi tamen, ſi ad gladium conferas, dolo nimirum, vel dolcho, ut vulgo vocant, oblongus, non lato, ſed anguſto ferro. Conjiciunt aliqui ſtylum ferreum, qui in eandem vaginam peculiari loculo cum cultellis inſeri ſolet, quem vulgo vocant ein pfriem / a *framea*, cujus formam referat, magnitudine tamen differat, ſic nominari. *Gesner. Mithrid.* p. 36. *vs.* V. etiam *Lips. in Tacit. n.* 26.

FRANCI a Trojanis deſcendere feruntur, qui deleto Ilio, duce Priamo Priami Regis ſororis filio per pontum Euxinum in Mæotidem paludem, & Scythiam venerunt. Æneas Sylvius de Europa c. 38. & Sabell Ennead. III. 10. Demum Romano imperio ſubjecti, ipſi tributa uſque ad Valentinianum penderunt. Eo imperante, cum Alani limites Romani imperii turbarent, immunitas per decennium edicto eſt illis promiſſa, qui Alanos fudiſſent. Eo allecti Sicambri, qui tum ita vocabantur, ſumptis armis prælio Alanos deleverunt. Quare immunitate in decennium accepta, mutato nomine *Franci*, id eſt, immunes ſunt appellati. Exacto decennio, cum Imperator ſolita tributa repeteret, *Franci* libertate effrenes facti parere detrectarunt. Commiſſo ob id prælio *Franci* profligati in Germaniam ſe receperunt, ac prope Turingiam conſederunt. Sed hoc vanum eſſe non dubito, nam Gallieno & Probo imperantibus, ut in illis auctor eſt Pollio, *Franci* vocabantur. Nazarius quoque in Conſtantini Panegyrico ita eos appellat, unde ſub Valentiniano hoc nomen accipere non potuerunt. His addendum Sicambros nunquam Valentiniano paruiſſe, ut eos immunes facere debuerit. Quare *Francos* ipſorum lingua velut libere agentes dictos fuiſſe exiſtimo. *Franci* Faramundo Rege creato, & tranſmiſſo Rheno tandem Galliam occuparunt, & a ſe *Franciam* nominarunt. *Panciroll. Notit. Dignit. Imp. Orient.* c. 147. *Panvin. Imp. Rom.* c. 28. *Hendreich. Massil. Sect.* 4. V. tamen *Barth. Adv.* XLVI. I. *Cluver. Germ. Ant.* I. 3: III. 20. *Turneb. Adv.* XXIV. 37.

Franci aurei primum ſunt cuſi, hodie argentei, trientes coronatorum, viginti ſolidos continentes. Sed & olim duplices, *Francs a pied, Francs a cheval.* Freher. de Re monet. German. II. 3.

FRATER erat inter laſciva, & ἐρωτικά. Puellæ eos, quibuſcum ſolitæ eſſent, &, ut proprie loquar, quibus dare conſueviſſent, *fratres* vocabant: & contra amatores ſuam comparem, cum qua caput limarent, ſororem. Tibull. III. I. 23.

Hæc tibi vir quondam, nunc frater, casta Neæra
Mittit, & accipias munera parva rogat.

Qui hoc dicit: hæc tibi mittit Tibullus ille olim futurus tibi legitimus vir, nunc tantum amator & *frater.* Et Gyton pullipremonis *frater* dicitur, qui illi officium præſtabat, & noctu pro culcitella erat. Patet id ex nequiſſimæ mulierculæ arguta epiſtola apud Petron. c. 89. *Si vis sanus esse, Gytona roga: recipies, inquam, nervos tuos, si triduo sine fratre dormieris.* Lipſ. Lect. Var. II. I. Antiq. III. p. 159. Elmenhorſt. Wouwer. & Ouzel. in Min. Fel. p. 81. Scriver. in Mart. p. 246. V. tamen Broukh. in Tibullum.

Fratres arvales dicti ſunt *fratres*, quod primi Accæ eſſent liberi: *arvales*, quod pro arvorum fertilitate facerent. Gell. VI. 7. *Acca Larentia Romuli fuit nutrix. Ea mulier ex duodecim filiis maribus unum morte amisit. In illius locum Romulus Accæ Larentiæ sese filium dedit: seque & ceteros ejus filios fratres arvales appellavit. Ex eo tempore collegium mansit fratrum arvalium numero duodecim. Cujus sacerdotii insigne est spicea corona & albæ infulæ.* Plin. XVIII. 2. *Arvorum sacerdotes Romulus in primis instituit, seque duodecimum fratrem appellavit inter illos, ab Acca Larentia nutrice sua, spicea corona, quæ vitta alba colligaretur, in sacerdotio ei pro religiosissimo insigni data, quæ prima apud Romanos fuit corona: honosque is non nisi vita finitur, & exsules etiam captosque comitatur.* Gyrald. Synt. deor. XVII. p. 479. D. Struv. Ant. Rom. c. 12. p. 607. Argol. in Panvin. in Lud. Circ. II. 2. Guther. de Jur. man. I. 3. Claſen. Theol. Gentil. III. I. 15. Laurent. Var. ſacr. gentil. c. I. Stuck. de Sacrif. p. 100. Turneb. Adv. XXI. I. Saubert. de Sacrif. c. 6. Alex. Gen. I. 26. Caſal. de Urb. ac Imper. Rom. ſplend. part. 3. c. 2. Flocc. de Poteſt. Roman. I, 3. Læt. de Sacerdot. c. 4. Volaterr. Rer. Urban. XXIX. p. 1087. A. Blond. Triumph. Rom. I. p. 22. H.

Fratres vocabantur comites & rectores provinciarum. Cassiod. Var. vi. 21. *Quid de te æstimatum sit, datur adverti, cui tot videntur nobiles potuisse postponi. Additur, quod a Principe frater vocaris, ut nobilitate pretiosi nominis a vilitate criminum tollereris.* Impp. Theodosius & Valentin. Nov. de patrim. rei domin. ad comit. sacr. largit. *Marcelline frater amantissime.* Brisson. de Form. iii. p. 315. Ursat. de Not. Roman. Thes. Antiq. Rom. Græv. Tom. xi. p. 727. E.

Fratres κατ' ἐξοχὴν, aut *fratres dei* dicebantur Castores. Quomodo eosdem τὼ Θεὼ Græci, Lacones τὼ σιὼ dixerunt. Ovid. de Pont. ii. 2. 85. V. illum infr. in *Templum Cæsaris.* Fast. i. 707.

Fratribus illa deis fratres de gente deorum
Circa Juturnæ composuere latus.

Albinov. de morte Drusi n. 290.

Cur adeo fratres, heu sine fratre! deos?

Suet. Calig. c. 22. n. 5. *Æde Castoris & Pollucis in vestibulum transfigurata consistens sæpe inter fratres deos. . . .* Heins. & ex Heinsio Goral. ad Albinovanum.

Fratres patrueles vocantur, qui ex duobus fratribus sunt geniti. Cicer. Planc. c. 11. *Non minus ille declararet, quam hic illius frater-patruelis.* Liv. xxix. 30. *Optimum ratus cum fratre patruele gratiam reconciliare.* Hotom. de Rit. nupt. c. 9. Pitisc. in Suet. Jul. c. 29. n. 2.

Fratres se vicissim appellare solent Reges, æqualitatem quandam imperii significantes. Inter illos enim naturale quoddam consanguinitatis vinculum intercedit. *Hinc Rex Regum Sapor Constantio Cæsari fratri suo salutem* dicit apud Ammian. xvii. 5. Maximianus dicitur *frater* Diocletiani apud Lactant. de Mortib. persecut. c. 8. Galerius Maximianus *frater* Constantii apud Trebel. Pollion. in Claud. c. 10. *Vales. in Ammianum. Baluz. & Cuper. in Lactantium.*

FRATRIA dicitur *fratris* uxor. Quanquam Non. xix. 6. *Fratriæ appellantur fratrum inter se uxores.* Quod si verum est, mendum esse apud Modestinum videtur, ubi sic legitur. *Duorum fratrum uxores janitrices dicuntur, apud Græcos εἰνάτορες.* Corrigendumque, *fratriæ.* l. 4. §. 6. in fin. ff. de rit. nupt. *Fratrissam* autem *fratris* uxorem Canonistæ appellant 35. q. 5. c. quod autem. Cicer. pro Clu. c. 11. *Cum esset gravida Auria fratris uxor.* Hotom. de Rit. nupt. c. 10.

FRAUDATIONIS causa latitat, qui hoc animo latitat, ut creditores fraudet. ideo l. 7. §. sed & is qui ff. quibus ex caus. in possess. *Sed & is qui fraudationis causa latitat, non tamen propter creditores, & si hæc latitatio creditores fraudet, in ea tamen erit causa, ne hinc possideri bona ejus possint: quia non hoc animo latitat, ut fraudet creditores. Animus enim latitantis quæritur, quo animo latitet, ut fraudet, an alia ex causa.* Ursat. de Not. Rom. Thes. Ant. Rom. Græv. Tom. xi. p. 712. F.

FRE.

FRENA sunt arma, quibus continentur, & reguntur equi. Ea putant Pelethronium invenisse. Plin. vii. 56. *Frenos, & strata equorum Pelethronium ajunt invenisse.* Unde Pelethronios Lapithas, gentem totam, hujus rei auctorem facit Virg. Georg. iii. 115.

Frena Pelethronii Lapithæ, gyrosque dedere.

Alii Minervæ hoc putant deberi. Schol. Pindar. Olym. xiii. 56. *Alii ajunt, propter captum freno Pegasum, quod Minerva Bellerophonti dedit, sacrum & templum Hellotias Minervæ ab ipso institutum.* Primis temporibus sine dubio fuere simplicissima, ex nudo ferro, quod inserebatur ori equorum. Ferramentum vero illud, quod inserebatur ori, non habebat præter unum articulum in medio, beneficio duarum ansularum mutuo se tenentium. Usus erat, ut haberent in obsequio jugales, quod Horat. Od. i. 8. 7. *temperare ora frenis.* Pertinebat huc, ut pro ratione negotii lora cum *frenis* vel attraherent, vel remitterent, & vel in hanc, vel in illam partem flecterent. Primum dicebant *frenos inhibere.* Liv. i. 48. *succutere.* Valer. Max. ix. 11. *ducere & retro tendere.* Ovid. Met. xv. Græcis hoc est ἀνακρούειν καὶ ἀπὸ χαλινοῦ καταβιάζεσθαι τὸν ἵππον. Secundum dicebant *frena dare.* Liv. xxxiv. 2. *immittere.* Virg. Æneid. i. *effundere.* Virg. Æneid. v. 888. *laxare.* Lucan. viii. Græcis hoc est ἐνδιδόναι τὸν χαλινόν. Medium ex his est *frena tenere.* Auctor Dial. de corr. caus. eloq. c. 31. *Scheffer. de Re Vehic.* i. 13. *Hugo de Milit. Equest.* i. 3. *Potter. Archæol.* iii. 3. Loco *frenorum* olim virga utebantur. V. infr. in *Virga.*

FRI.

FRICTIONIS, quam ἀνάτριψιν Græci appellant, maximus & frequentissimus usus apud veteres fuit, ut ex Hippocratis, Galeni, & aliorum medicorum libris constat. Hæc exercitationem & antecedebat, & consequebatur. Quæ fiebat ante exercitationem, κατασκευαστική, id est, *præparatoria,* seu *præcursoria:* quæ post, ἀποθεραπευτική, Latine *curatoria* dicta est. Desuetudine abolita est *frictio,* quæ antiquitus senibus, & sedentariam vitam degentibus, exercitiis vicaria erat, etiam nunc utilitatem allatura esset maximam, si in nostros mores revocaretur. *Stuck. Ant. Conviv.* ii. 24. *Fab. Agon.* iii. 15.

FRIGIDA nimis sunt noxia. Hippocr. Sect. v. aphor. 18. *Frigidum inimicum ossibus, dentibus, nervis, cerebro, spinali medullæ, calidum vero amicum.* Aphor. 26. *Frigida velut nix pectori inimica. Frigidum frequentiori usu convulsiones, tetanos, nigrores, & rigores febriles affert.* Cels. i. 3. A labore sudanti adversissima *frigidæ* potio. Dioscor. vi. 33. *Aqua frigida abunde pota, aut meracum vinum liberalius potum, præsertim a balneo, aut cursu, aut vehementi exercitatione strangulatus, & dolores infert.* Potionem *frigidæ* in conviviis veteres Christiani adhibuerunt. Nazianz. adversus Julianum Orat. iii. *Ferunt quosdam, cum convivium ad consuetam frigidæ potationem processisset, ad frigidæ poculum sublatis in altum oculis Christum cum crucis signo appellasse.* Hinc illucescit locus Matth. c. 10. n. 42. *Et quicunque potum dederit uni ex minimis istis calicem aquæ frigidæ.* Butius de Pot. Ant. c. 21.

FRIGIDARIUM aderat a *frigida* lavatione ob eos fabricatum, qui statim ob egressum tepidarii, aut caldarii *frigido* aere frui optabant: neque enim ulla ibi aquæ vasa reperiebantur, ut possent æstate plures convenire. In hac parte fieri potuit, ut loturi exsuerentur quoque, tum quia apodyterium communis pro exercitatoribus spoliandis locus non parum distabat, adeo ut loturos, si ibi vestimenta deposuissent, nudos per ephebæum, *frigidam* lavationem, & reliqua loca transire necessum esset: tum quia probabile est in ephebæo homines sæpius inveniri consuesse, a quibus loturos haud quaque nudos conspici honestum erat: ex quo ad hæc omnia evitanda facile est in *frigidario* sese exsuisse, eo magis quod Varro atque Plinius testati sunt, tam in urbibus, quam ruri apodyterium quoque fuisse balnei partem. *Mercur. Gymn.* i. 10. *Demster. Paralip. ad Rosin. Antiq. Roman.* i. 14.

FRITILLUS non est ipsa tabula lusoria, ut videntur velle Polyd. Virg. ii. 13. dum scribit: *Est & aliud ludi genus, quo calculis in tabula lusoria, id est, fritillis, & alveolis luditur.* Et Jun. Anim. ii. 4. cum inquit: *Diagrammismus tesserarii ludi genus, quo calculis sexaginta albis pariter & atris in fritilli alveo ludebatur.* Tabula enim lata & spatiosa esse consuevit. *Fritillus* parvus erat. Juven. Sat. xiv. 5.

Parvoque eadem movet arma fritillo.

Beroal. Annot. c. 22. Senftleb. de Alea vet. c. 11. §. 25. & 18. Sed vasculum quoddam buxeum, ad similitudinem turris, intus gradatim excavatum, per quod agitati & concussi tali in graduum supercilia offendentes volutabantur, & ita incerto quasi jactu mittebantur in alveolum, vel tabulam, minusque fallebantur reliqui collusores. Tali, qui per hoc quasi infundibulum ludebantur, διάσειστοι

Græcis

Græcis dicuntur, id eſt, agitati & concuſſi, ex eo nimirùm, quod mota prius agitataque manu per *fritillum* jacerentur in alveum luſorium. Schol. ad Juvenalem. *Fritillus, pyxis cornea, qui φιμὸς Græce dicitur. Apud antiquos in cornu mittebant teſſeras, moventesque fundebant: aut fritillum pyrgum dixit.* Senec. Apocol. p. 857.

—— concuſſo magna paraſtis lucra fritillo.

V. illum etiam infr. in *Teſſera.* Fiebat interdum e cornu. V. Juvenalis Scholiaſten. Interdum e buxo. Auſon. Profeſſ. I. 14.

Alternis vicibus quos præcipitante rotatu
Fundunt excuſſi per cava buxa gradus.

Interdum ex ære, aut tali materia: qua de cauſa *reſonans* appellatur Senecæ laudato infr. in *Teſſera.* Forma erat rotunda, & in turriculæ formam cavata, id eſt, ſupra laxior, inferius anguſtior, infundibuli in morem. In interiore excavata parte gradatim erat teres, quo magis magisque in gradus hoſce impingentes teſſeræ agitarentur, & concitarentur, jactusque ipſe magis redderetur dubius. De his gradibus Auſonius, & Sidon. Epiſt. VIII. 12. *Hic tabula calculis ſtrata bicoloribus, hic teſſera frequens eboratis reſultatura pyrgorum*, id eſt, *fritilli gradibus exſpectat.* De fallacia, cujus vitandæ cauſa *fritillus* eſt inventus, Mart. XIV. 16.

Quærit compoſitos manus improba mittere talos?
Si per me miſit, nil niſi vota facit.

Senftleb. ibid. §. 15. Caſaub. ad Theoph. Charact. p. 168. Turneb. Adv. VI. 3. Barth. Adv. XXXV. 10. Souter. Palam. I. 3. Barthol. de Unicorn. c. 34. Tomaſ. de Teſſer. Hoſpit. c. 16. Alexand. Gen. III. 21. & ad illum Tiraquellus. Demſter. ad Roſin. Ant. Rom. V. I. Voſſ. Lex. Etymol. Suſpicor, teſſeris injectis ſubtus claudi conſueviſſe, donec ſæpius circumactæ, remoto obſtaculo, tandem bona fide emitterentur. *Barth. l. l.* Non opus erat claudere, vel rotare *fritillum*, injecti enim in *fritillum* tali, teſſeræve adeo gradibus concuſſæ rotabantur interius, ut nullo exteriore motu, vel rotatu indigerent, nec poſſibile eſſet hac ratione ad compoſitum alterius proſilire. Inde & Acron in Horat. Sat. II. 7. 17. *Pyrgus, pyxis ſine fundo.* A pyrgo diverſum faciunt Turnebus & Salmaſius. V. infr. in *Pyrgus.* De *fritilli* uſu in Saturnalibus menſe Decembri Mart. IV. 14. 7.

Dum blanda vagus alea December
Incertis ſonat hinc & hinc fritillis.

Lambec. in Kalend. Vet. Theſ. Ant. Rom. Græv. Tom. VIII. p. 111. A.

FRO.

FRONDATOR eſt arbuſti putator. Ovid. Met. XIV. 649.

Falce data frondator erat, vitisque putator.
Induerat ſcalas, lecturum poma putares.

Frondatoris operam *frondationes* appellat Colum. V. 5. *Pignor. de Serv. p. 553. Turneb. Adv.* I. 26.

FRONDIBUS feſtis non tantum deorum aræ antiquitus ornabantur. V. ſupr. in *Ara:* & ſed etiam templorum veſtibula. Cujus rei illuſtre exemplum in publico Trojanorum ob receſſum Græcorum poſt decennalem obſidionem gaudio, quod ſollennibus deorum feſtis fieri conſueverat, apud Virg. Æneid. II. 249.

Nos delubra deûm miſeri, quibus ultimus eſſet
Ille dies, feſta velamus fronde per urbem.

Jovis eſculo, aut quercu, Apollinis lauro, Minervæ olea, Veneris myrto, Herculis populo, Bacchi hedera, pampino & ficu, Panos pinu, Plutonis & Sylvani cupreſſo, ſingulorum denique ſacris ſibi ac dicatis arboribus aræ coronabantur. *Alex. Gen.* IV. 17. *Berthald. de Ara c.* 3. §. 4. *Cerda in Virgilium.* Erant etiam *frondes* vetuſtiſſimus hominum cibus ante glandes repertas. Ovid. Faſt. IV. 395.

Panis erat primis virides mortalibus herbæ;
Quas tellus nullo ſollicitante dabat.
Et modo carpebant vivax e ceſpite gramen;
Nunc epulæ tenera fronde cacumen erant.

Senec. de Ira III. 20. *Suſtinebant famem primo tenerrimis frondium, & arborum cacumina.* Ariſtoph. Acharn. II. 5. 57.

—— pro pane abſumere malvæ
Gramina: pro maza raphanorum foliis exilibus uti.

Ælian. Var. hiſt. XIII. 26. *Diogenes ſummas foliorum extremitates manducabat.* Scheffer. & Perizon. in Ælianum.

FRONS *eſt Genio conſecrata.* Servius Æneid. III. 607. V. illum ſupr. in *Corpus. Gyrald. Synt. deor.* I. *p.* 16. *B. Feith. Antiq. Homer.* I. 2. *Stuck. Ant. Conviv.* II. 32. *de Sacrif. p.* 43. *Briſſon. de Form.* I. *p.* 38. *Jun. Anim.* IV. 12. *Tomaſ. de Teſſer. hoſpit. c.* 21. *Berthald. de Ara c.* 17. §. 5. Tenuis antiquis temporibus in eximia pulcritudinis laude poſita fuit. Horatius & Petronius infr. in *Nimbus.* Quibus latior aliquanto, & ſpatioſior modus *frontis* obtigerat, crines a vertice collectos ad ſupercilia uſque adducebant; & arctiorem ſibi, & breviorem *frontem* concinnabant. Lucian. in Amor. p. 902. *Curioſius quidem compoſitæ illæ, & ad ſupercilia uſque attractæ comæ, breve interſtitium frontis relinquunt.* Limbis inſuper, id eſt, tæniis ac faſciolis quibuſdam luxuriantem *frontis* habitum adſtringebant, comprimebant, modisque omnibus coarctabant. Arnob. II. p. 72. *Ut imminuerent frontes limbis.* Douza Comment. in Horat. c. 2. Append. c. 1. Gonſal. in Petron. p. 365. Maſſon. de Horat. Effig. p. 6. Herald. in Arnob. p. 102. Servorum *frontem*, ſi quid gravius deliquiſſent, pœnæ nomine, aut literis, aut aliis quibuſdam notis, per ignominiam inurebant veteres. V. infr. in *Inſcriptio.*

Frons eſt aciei illa pars, *quæ adverſus hoſtem ſpectat.* Veget. de Re milit. III. 14. *Valtrin. de Re milit. Rom.* V. 2. Recta, ſive *recto fronte*, ut Cato apud Feſtum, dicebatur, cum æqualiter, utroque cornu, & ſimul concurrebant. Tibull. IV. 1. 102.

Seu ſit opus quadratum acies conſiſtat in agmen,
Rectus ut æquatis decurrat frontibus ordo.

Veget. de Re milit. III. 20. *Una depugnatio eſt fronte longa, quadrato exercitu, ſicut etiam nunc & prope ſemper ſolet prœlium fieri.* Obliqua vero, cum cornu ante cornu promovebatur. Græci Tactici: *Obliqua phalanx, quæ alterum cornu, utrumcunque prædictum fuerit, juxta hoſtes magis admovet, & eo prœlium facit, alterum autem abjungit.* Veget. l. l. *Secunda depugnatio eſt obliqua, plurimum melior. Hujus talis eſt modus: cum inſtructæ acies ad congreſſum veniunt, tunc tu ſiniſtram alam tuam*, cornu intelligit, & mox ita vocat, *a dextra adverſarii longius ſeparabis, ne vel miſſilia ad eam, vel ſagittæ perveniant: dextram autem alam tuam ſiniſtræ illius alæ junge, & ibi primum inchoa prœlium.* Lipſ. de Milit. Rom. IV. Dial. 6. *Frontis* æqualitas in exercitu quadrato minime eo impeditur, quod in plures partes diviſa ſit, aut pluribus intervallis diſtincta. Hoc enim tantum requiritur, ut *frons* æqualis ſit, ne quos ſinus, aut ne quas curvaturas habeat, ne pars aliqua in anteriora ſe exporrigat, dum altera recedit, aut etiam immota manet. Talis eſt aliquis depugnandi modus, ſed non is eſt, qui æquata *fronte* longiſſime extendit aciem. *Salmaſ. de Milit. Rom. c.* 10.

Frons navis dicitur prora. Schol. Thucyd. II. *Frons navis eſt prora.* Ideo fortaſſe, quod vel cujusque rei pars anterior ſic appellari poſſit: vel revera nonnunquam *frontem*, vel effigiem animalium prætulerit. *Scheffer. Milit. Nav.* I. 6. In *frontem* directæ dicebantur naves, quæ proris, ſive roſtris ſtatuebantur verſus hoſtem. Liv. XXXVII. 23. *Servantes ordinem in frontem dirigere jubet.* Et: *In frontem directas habebant naves*, hoc eſt, ut ipſe explicat, *inſtructas & paratas ad concurrendum.* Et: *Cæteri, quia in frontem dirigere juſſi erant, non ſequebantur*, hoc eſt, quia jam ad excipiendos impetus hoſtiles parati erant, ſequi non poterant. Græcis hoc eſt ἀντιπρώρους ἱστάναι. *Scheffer. ibid.* III. 5.

In fronte, in agrum tot pedes, erat formula in vetuſtis

sepulcrorum inscriptionibus frequentior. Horat. Sat. I. 8. II. V. illum inf. in *Puticulæ*. Vet. interp. *In fronte, in latitudine: in agrum, in longitudinem.* Totus locus religione non tenebatur, qui sepulturæ destinatus erat, sed *quatenus corpus humatum est* teste Celso l. 2. ff. de Relig. & sumpt. Atque ideo ne religio occuparet totum solum, in quo monumentum erat ædificatum, definiri plerumque solebat modus, spatiumque loci religiosi ut sciretur, quid puri loci relinqueretur. Ejus rei ergo hæc formula cippo inscribebatur. *Kirchm. de Fun. Roman.* III. 21. *Malvas. Marm. Felsin. Sect.* V. *c.* 13. *&* 16. *Ursat. de Not. Roman. Thes. Ant. Rom. Græv. Tom.* XI. *p.* 820. *B. Rader. in Mart.* I. 93. *Gyrald. de var. sepel. ritu c.* 5. *& Faes in illum. Nicol. de Sepulcr.* III. 15. 6.

FRONTALIA sunt ornamenta equorum. Hæc caput equi hinc inde vinciunt, & additis bullis, interdum auratis, gemmisque venustant. Plin. XXXVII. 42. de coclyde gemma: *Quandoque tantæ magnitudinis fecere, ut equis Regum in oriente frontalia, atque pro phaleris pensilia facerent.* Grapald. de Part. dom. I. 8. 15.

FRONTINI, qui Stratagematum libros collegit, an ejusdem sit libellus Aquæductuum, non sine causa dubitari potest. Purior enim, & emendatior in illis videtur sermo. *Ruben. Elect.* II. 35. Floruit sub Nerva. Ipse in Præfation.: *Sitque mihi nunc ab Nerva Augusto aquarum injunctum officium.* Et de illo Ælian. Procem. lib. de Instr. acieb. *At posteaquam cum deo patre tuo Nerva super eo contuli, ac Formiis transactis aliquot diebus apud Frontinum e clarissimis consularibus virum, quique peritiæ bellicæ laudem asportavit, collatis cum eo quoque sermonibus comperi, non minore illum studio teneri disciplinæ Græcis usitatæ: cœpi non amplius, quod de conscribendis Tacticis conceperam, vilipendere: autumans haud tantum in ea studii, operæque positum iri a Frontino, siquidem videretur Romanorum instructione deterius quid, minusve continere.* Et ideo quid obstet, quod minus idem Scriptor Strategicus & aquarum Præfectus fuerit, qui libellum hunc de Aquæductibus urbem Romam influentibus edidit, obscure video. Certo certius est, Æliano alloquio ad Adrianum non alius *Frontini* meminisse, quam consularis illius Stratagematum auctoris, quorum libri superstites etiamnum exstant, & quos idem optimo Principi Trajano dicavit. Secus ac Stewechio visum, qui alios de militari disciplina libros eidem dedicatos opinatur in Veget. II. 3. Nam Nervæ, ac Trajani temporibus præcipue in pretio fuit. Nec alius *Frontini* mentionem apud antiquos puto, quam unius ejusdemque nostri, qui Stratagematum nimirum, Aquarumque libellos congessit, & cujus etiamnum Fragmenta exstant de Qualitatibus agrorum & Limitibus. Falluntur etiam illi, qui ulterius disquirendum contendunt, an urbanus ille prætor, cujus Tacit. Hist. IV. 39. I. meminit ad Vespasiani II. & Titi consulatum, qui incidit in annum Urbis 823. idem cum nostro *Frontino* sit. *Keuchen. in Frontini præfationem.*

FRONTO cognomen, Glandorpio teste in cognominum Indice, fuit commune Æterninis, Aufidiis, Corneliis, Juliis gentibus Romanis. Addit & Cajis. Verum cum Cajus fere semper prænomen, non autem nomen gentilicium noverim, in gentibus tantum, quæ a nitore Romano alienæ sunt, admitto. *Ursat. de Not. Roman. Thes. Antiq. Roman. Græv. Tom.* XI. *p.* 728. *B.*

FRU.

FRUGI appellatus est L. Calpurnius Piso ob mores. Cicer. Font. c. 13. *Quæ in oratione* C. Gracchi *permulta in L. Pisonem turpia, ac famosa dicuntur. At in quem virum? qui tanta virtute, atque integritate fuit, ut etiam illis optimis temporibus, cum hominem invenire nequam neminem posses, solus tamen Frugi nominaretur.* Unde Ascon. in Cicer. p. 255. *Non puto vos ignorare, hunc Pisonem ex ea familia esse, quæ Frugi appellata sit: & ideo dicit* Cicero, *aspernari eum moribus nomen.* Tiraquell. in Alex. Gen. I. 9. Augustin. de Famil. Roman. in Calpurnia. Sigon. de Nom. Roman. c. 5. Ursat. de Not. Roman. Thes. Antiq. Rom. Græv. Tom. XI. p. 728. E.

FRUGUM primitias Cereri deæ *frugum* offerebant Græci & Romani. Plin. XVIII. 2. *Numa Pompilius deos fruge coli instituit.* Stuck. de Sacrif. p. 73. Tomas. de Donar. c. 26. In XII. tabulis vetabantur excantari, id est, de agro in agrum traduci. Verba legis hæc sunt: *Queh. nox. frucem. aratro. quæsitam. fortim. pavesit. secuesitve. sei. pobes. siet. Cereri. sacer. estod. impobes. prætoris. arbitratu. verberatos. noxiam. duplione. sarcito.* Hujus legis meminit Plin. XXVIII. 2. *Quid? non & legum ipsarum in duodecim tabulis verba sunt, qui fruges excantassit.* Meminit, & qua ratione *fruges* soleant excantari, docet Apul. Apol. p. 481. *Magia ista res est delegata legibus, jam inde antiquitus* XII. *tabulis propter incredundas frugum illecebras interdicta. Igitur & occulta non minus, quam tetra, & horribilis, plerumque noctibus vigilata, & tenebris abstrusa, & arbitris solitaria, & carminibus murmurata: cui non modo servorum, verum etiam liberorum pauci adhibentur.* Reorum pœnam prodiderunt Serv. in Virg. Ecl. VIII. 99. & Plin. XVIII. 3. *Frugem quidem aratro quæsitam furtim nocte pavisse, puberi* XII. *tabulis capitale erat, suspensumque Cereri necari jubebant; gravius quidem quam in homicidio convictum: impubem prætoris arbitratu verberari, noxamve, duplionemve decerni. Voluerunt, eum qui fruges excantasset, Cereri esse sacrum.* Ursin. ad Leges & Scta Thes. Antiq. Roman. Græv. Tom. II. p. 1356. B. Augustin. ad Leg. XII. Tab. §. 31. Rittersh. in Leg. XII. Tab. Class. II. c. 34. Crinit. de Honest. discipl. X. 7. Florid. in Apulejum. Decemviros reprehendit Senec. Nat. Quæst. IV. 7. *Apud nos in* XII. *tabulis cavetur, ne quis alienos fructus excantassit. Rudis adhuc antiquitas credebat, & attrahi imbres cantibus, & repelli: quorum nihil posse fieri tam palam est, ut hujus rei causa nullius philosophi schola intranda sit.* Rævard. in Leg. XII. tab. c. 23. Hotman. Antiq. Roman. III. 2. p. 406. B. Broukh. in Prop. III. 49. Dalechamp. in Plinium. Et incendi. Cajus l. 9. ff. de Incendio, quæ desumpta ex ejus l. 4. ad leg. duod. tab. *Qui ædes, acervumve frumenti juxta domum positum sciens, prudensque dolo malo combusserit, vinctus, verberatus igni necator. Si vero casu, id est, negligentia, noxiam sarcito: aut si minus idoneus sit, levius castigator.* Reperio etiam incendiarios bestiis objectos, si humiliore loco fuerint. Sin autem in aliquo gradu dignitatis, vel capite punitos, vel in insulam deportatos. Testatur hoc Ulpian. l. 12. ff. de pœnis. *Rittersh. in Leg.* XII. *tab. Class.* II. *c.* 14. *August. ad Leg.* XII. *tab.* §. 31. *Ursin. ad Leg. & Senatusconf. Thes. Antiq. Roman. Græv. Tom.* II. *p.* 1355. *Rævard. & Hotman. l. l.* Pro *frugum* copia & ubertate invocabant duodecim deos, qui nominantur supr. in *Dii Consentes*; ut averterent morbum, mortem, labem, nebulam, impetiginem. Flora petitur, ut *fruges* cum arboribus, ac vitibus bene, prospereque deflorescerent. Lactantius. V. illum supr. in *Flora*. A Cerere rogatum, *ut culmo surgeret alto*, teste Horat. Sat. II. 2. 124. deos agrestes, ut observat Tib. I. I. 16.

— io messes, & bona vina date,
Adsitis divi.

II. I. 17.

Dii patrii, purgamus agros, purgamus agrestres,
Vos mala de nostris pellite limitibus.

Caroli Antiq. Roman. I. 5.

FRUMENTARIA porta. V. illam infr. in Porta.

Frumentaria res curabatur a prætoribus, sive præsidibus provinciarum. Ab illis per edicta administrabatur. V. Cicer. supr. in *Edictum repentinum*. *Frumentum* in provinciis aliud vendebatur, aliud emebatur, aliud in cellam prætoris æstimabatur, aliud imperabatur, aliud honoris causa accipiebatur. V. singula infr. *suis locis.* Et hæc omnia prætor curabat. *Sigon. de Ant. jur. prov.* II. 5. Ejus duris subvectionibus ne laboraret exercitus, præsidiis opportunis in locis positis, aut, ut sequens ætas loquebatur, prætenturis & stationibus agrariis solicite providebatur. His vias militares securas ab incursionibus hostilibus præstabant.

ſtabant. Iisdem præſidiis commercia, alterum inopiæ ſubſidium, in caſtra alliciebant. Antiquum valde inſtitutum, cujus primos inventores Cares fuiſſe auctor eſt Ælianus de Animalibus. Apud Græcos jam ab antiquo in uſu fuiſſe ex Homero patet: ἀγορὰν vocant, & ἀγορὰν πολέμου. Ad quæ leges non paucæ in jure, & apud hiſtoricos exſtant. Mercatores tendunt ſub vallo ad portam decumanam apud Cæſ. de Bell. Gall. VI. 36. Ejus inopia veteri quidem republica exercitus Romani raro laboraverunt, ſuppeditante Republica *frumentum*, & veſtes, & ducibus plerumque magna ratione longinqua bella tractantibus. Sed Julium Cæſarem in Galliis, & bellis civilibus, in illa celeritate incredibili bellandi, aliquoties re *frumentaria* anguſte legimus uſum, ut etiam aliquoties exercitus *frumento* carens, pecore, *ſecundo*, ut vocat, *ſubſidio*, aliiſque remediis inopiam tutatus ſit. Tantam etiam pabuli in caſtris ſuis inopiam notat Cæſ. de Bell. Civ. III. 58. ut foliis *ex arboribus ſtrictis, & teneris arundinum radicibus contuſis equos aluerint.* Sed certans plerumque cum egeſtate patientia militum omnia ſuperavit. *Non illis, hordeum cum daretur, non legumina recuſabant: pecus vero, cujus rei ſumma erat ex Epiro copia, magno in honore habebant,* inquit de Bell. Civ. III. 47. Lucan. VI. 110.

— cernit miſerabile vulgus
In pecudum cecidiſſe cibos, & carpere dumos,
Et morſu ſpoliare nemus, letumque minantes
Vellere ab ignotis dubias radicibus herbas.

Pompejus etiam in bello civili arctis aliquoties commeatibus uſus eſt. Quam rem non tam imprudentiæ ſummorum Imperatorum adſcripſerim, quibus nulla facile ætas rei militaris tulit peritiores, quam licentiæ bellorum civilium, quæ diſciplinam caſtrenſem, & illa ſubſidia, quæ integra Republica præſtari ſolebant, corrupit. *Schel. in Polyb. c.* VIII. *Theſ. Antiq. Roman. Græv. Tom.* X. *pag.* 1228. *B.*

FRUMENTARIA largitio. V. illam infr. in *Largitio.*

Frumentaria lex. V. illam infr. in *Lex.*

Frumentaria provincia. V. illam infr. in *Provincia.*

Frumentaria teſſera. V. illam infr. in *Teſſera.*

FRUMENTARII dicebantur, qui appoſiti horreis, quæ Romæ, in quavis regione Urbis plura erant, ad capiendum *frumentum* publicum, admetiebantur populo: ſic tamen, ut quisque, opinor, ad horrea iret ſuæ regionis. Lucillius apud Non. I. 66.

Frumentarius eſt, modium hic ſecum, atque rutellum
Unum habet.

Paull. de Excuſ. tutor. ait: *Frumentarios menſores excuſari a tutela.* Horreis itidem, quæ erant in provinciis, & ex illis *frumentum* admetiebantur militibus. Imo erant & legionibus, quod nos docent antiquæ inſcriptiones, in quibus *frumentarii* hujus vel illius legionis leguntur. Hi exactum a provincialibus convehebant ad horrea publica, & caſtra. *Lipſ. Elect.* I. 8. *Laurent. de Conviv. c.* 7. *Schel. in Polyb. c.* VIII. *Theſ. Antiq. Rom. Græv. Tom.* X. *p.* 1227. *C. Urſat. de Not. Rom. Theſ. Tom.* XI. *p.* 727. *C.*

Frumentarii etiam ſunt dicti, qui ultro citroque curſitabant per provincias, per domos ad *frumenta* conquirenda, præſtimanda, & convehenda. *Frumenti* mercatores dictos *frumentarios* docet Plaut. Pſeud. I. 2. 54.

Tecum ago, quæ amica es frumentariis,
Quibus cunctis montes maximi, ac acervi frumenti ſunt domi.

[illegible]. Elect. I. 8. Urſat. de Not. Rom. Theſ. Ant. Rom. Græv. Tom. XI. p. 727. C. Laurent. de Conviv. c. 7.

Frumentarii, quorum nomen & officium ſub Imperatoribus natum, & tunc primum cognitum in ordinaria militia, dicti ſunt exploratores Principum a *frumentariis* negotiatoribus: ſicut enim hi *frumenta* perquirebant, ita illi inveſtigabant, quæ in provinciis fierent, & Principi nuntiabant, ejusque mandata ad quoscunque perferebant. Erant itaque milites, & ſingulis quidem legionibus certo numero adſcripti. Unde in veteribus inſcriptionibus, *frumentarius legionis illius & illius* occurrit non raro. Videntur originem habuiſſe a prima publici curſus inſtitutione, quam ad hoc introduxit Auguſtus, ut omnia minima maxima, quæ in provinciis gererentur, ſibi mature, ac celeriter annuntiari poſſent. V. ſupr. in *Curſ*[illegible]. Spartian. in Adrian. c. 11. *Erat curioſus non ſo*[illegible] *ſuæ, ſed etiam amicorum, ita ut per frumentarios* [illegible] *exploraret.* Lamprid. in Comm. c. 4. *P*[illegible] *pretorio Anterum eductum e palatio ſacrorum* [illegible]*ſa, & redeuntem in hortos ſuos, per frumentarios occiderunt.* Capitol. Macrin. c. 12. *Cum quidam milites ancillæ hoſpitis pudorem* [illegible] *eſſent, atque per quendam frumentarium ille* [illegible]*, adduci eos juſſit.* Salmaſ. in Spartianum. P[illegible]. Notit. Dignit. imp. orientis c. 65. Turneb. Adv. XXV. 17. [illegible] 12. Schel. in Polyb. c. VIII. Theſ. Antiq. Rom. Græv. Tom. X. p. 1227. C. Urſat. de Not. Rom. Theſ. Tom. XI. p. 727. C. Nardin. Rom. Vet. VI. 10. Malvaſ. Marm. Felſin. Sect. V. c. 23.

FRUMENTATIO fuit antiquiſſima apud Romanos, & fere ſemper conciliandæ plebi. Eſt ſtatim poſt Reges ejectos adhibita. Liv. II. 9. *Blandimenta plebi per id tem*[illegible] *ab ſenatu data. Annonæ in primis ha*[illegible] *mentum comparandum miſſi* [illegible] um Marcium [illegible] *plebis primum* [illegible]. Et idem fecit non multo poſt in cæde Mæ[illegible]tius: de quo Liv. IV. 16. *L. Minutius bo*[illegible] *am Trigeminam eſt donatus, ne plebe quidem invita, qui* [illegible] *bus in modios æſtimatum plebi divi*[illegible] I. 8. de Magnit. Roman. II. 10. Thyſ. de Magnit. Roman. II. p. 264. Duorum [illegible] initiorum unum, Livianum falſum, dubium & incertum eſſe alterum, Marcianum autumo. Tertius locus L. Minutio Augurino videtur deberi, quem tradit Liv. IV. 13. fame Urbem premente præfectum annonæ extra ordinem creatum, in eo magiſtratu *frumentum* aſſibus in modios æſtimatum plebi diviſiſſe. Sp. Mælius id coemerat privata pecunia ad largitiones faciendas, ut delinita hoc munere plebe, regnum, quod affectabat, facilius occuparet. Sed eo oppreſſo, necdum maturis conſiliis, una cum reliquis bonis fuerat publicatum. De eadem re Plin. XVIII. 3. *Minutius Augurinus, qui Sp. Mælium coarguerat, farris pretium trinis nundinis ad aſſem redegit.* Quod ita accipio, ut L. Minutius *frumentum* Mælianum aſſibus in modios venale proponendo, adeo pretium ejus imminuerit, ut brevi tantidem in foro proſtaret. Incurrit hæc Augurini *frumentatio* in annum ab U. C. 314. *Contaren. de Frumentat. Roman. c.* I. De numero *frumentantium*, ſive *frumentum* de publico accipientium certum aliquid ſub Imperatoribus reperio, non ante. Clodii lege an omnes cives acceperint, an certo numero incluſa ea liberalitas fuerit, ignoro. Julius Cæſar ſane dictator numerum definivit, quem expreſſit Suet. c. 41. n. 6. *Ex viginti, trecentisque millibus accipientium frumentum ad centum quinquaginta retraxit.* Dio XLIII. p. 224. D. *Cumque numerus eorum, qui ex publico frumentum accipiebant, non legitime, ſed eo modo, quo in ſedit*[illegible] *aſſolet, excreviſſet, rece*[illegible] *eos,* [illegible] *expunxit.* Auguſtus auxit illorum numerum, [illegible] ad millia ducenta. Dio LV. p. 554. E. [illegible] *nem eorum, qui frumentum ex publico* [illegible]*, ad* [illegible] *num ducenta millia redegit.* De ſe in breviario rerum geſtarum Auguſtus ipſe: *Conſul. tertium. decimum. ſexagenos. denari*[illegible] *plebi. quæ. tum. frumentum. publicum. acceperat. dedi. ea. millia. hominum. paullo. plura. quam. duce*[illegible]. Auguſtum ſecutus Tiberius videtur ad eum numerum aliquid addidiſſe. Tacit. Annal. VI. 13. I. [illegible] *gravitate annonæ juxta ſeditionem ventum.* ... [illegible] *bus e provinciis, & quanto majorem, qua*[illegible] *rei frumentariæ copiam advectaret.* Si Tiberi[illegible] auxit numerum *frumenti*; ergo & *frumentantium.* Credo idem feciſſe alios Imperatores. *Lipſ. l. l.*

FRUMENTUM late patet, triticum, milium, far, hordeum complectitur, uno verbo, omnes fruges, quæ

 le[illegible]

legumina non sunt. Plin. XVIII. 7. *Frugum sunt duo prima genera: frumenta, ut triticum, hordeum: & legumina, ut faba, cicer.* Contaren. de Frumentat. Roman. c. 1. Apud Græcos & Romanos olim in area silicibus triturabatur. Duæ erant rationes molendi. Indicat eas Lucret. I. 880.

Conveniebat enim fruges quoque sæpe minutas,
Robore cum saxi franguntur, mittere signum
Sanguinis, aut aliquid nostri quo corpora aluntur
Cum lapidi lapidem terimus, manare cruorem.

Una cum suspensa mola fruges frangimus, ut in faba fresa, & in polenta crassiuscula, quam Græci κριμνὸν vocant, & ex eo Aristoph. Nebul. III. 3. 5. quæ crassa sunt. Et Virg. Æneid. I. 183.

Et torrere parant flammis, & frangere saxo.

quod est utcunque molere atque adeo molere. Aliquando non suspenduntur molæ, sed lapis lapidem terit, id est, mola molam, cum tenuior farina, & minutior elicitur. *Turneb. Adv.* V. 24. *Cerda in Virgilium.* Datum est itaque civibus tenuioribus. Senec. de Ben. IV. 27. *Frumentum publicum tam fur, quam perjurus, & adulter accipiunt: & sine delectu morum, quisquis civis est.* Nec ingenuis solum, sed etiam libertis. Pers. Sat. V. 73.

Libertate opus est: non hac, qua, ut quisque Velina
Publius emeruit scabrosum tesserula far
Possidet.

Emeruit, id est, ex servo factus est liber. Simul, inquit, ac liber factus est: possidet tesserulam frumenti. Scholiastes: *Romæ erat consuetudo, ut qui ex manumissione cives efficiebantur, in numero civium Romanorum frumentum publicum acciperent.* Lips. Elect. I. 8. & de Magn. Rom. II. 10. Contaren. l. l. Pueris. Plin. Paneg. c. 26. n. 3. *Tu ne rogari quidem sustinuisti, & quanquam lætissimum oculis tuis esset conspectu Romanæ sobolis impleri, omnes tamen antequam te viderent, adirentve, recipi, incidi jussisti: ut jam inde ab infantia parentem publicum munere educationis experirentur.* Spartian. Hadrian. c. 7. V. illum infr. in *Pueri alimentarii.* Capitol. Anton. Phil. c. 7. *Ob hanc conjunctionem pueros & puellas novorum hominum*, fortassis novem annorum, *frumentariæ perceptioni adscribi præceperunt.* Lips. l. l. Nobilibus, & magistratibus functis. Cicer. Tusc. Quæst. III. 20. *Piso ille Frugi semper contra legem frumentariam dixerat. Is lege lata consularis ad frumentum accipiendum venerat. Animadverterat Gracchus in concione Pisonem stantem. Quærit audiente populo Romano, qui sibi constet, cum ea lege frumentum petat, quam dissuaserat.* Senatoribus. Spartian. Hadrian. c. 7. *Senatoribus, qui non vitio suo decoxerant, patrimonium pro liberorum modo senatoriæ professionis explevit, ita ut plerisque in diem vitæ suæ dimensum sine dilatione præstiterit.* Aratoribus & negotiantibus. Suet. Aug. c. 42. n. 5. *Atque ita post hanc rem*, locutus fuerat n. 4. de *frumentatione* publica, *ita temperavit, ut non minorem aratorum, ac negotiantium, quam populi rationem deduceret.* Postremo militibus. Suet. Ner. c. 10. n. 4. Nero *prætorianis cohortibus constituit frumentum menstruum gratuitum.* Tacit. Annal. XV. 72. 1. *Quibus perpetratis Nero. . . . addidit sine pretio frumentum, quo ante ex modo annonæ utebantur.* Contaren. l. l. Militibus dabatur potius quam panis. I. Quia domi antiquitus *frumentum*, non panem plebi distribuebant. Et fuit ea olim frugalitas & continentia, ut frequentior apud eos pultis, quam panis usus esset. II. Quia ad portandum habilius, & commodius, & pane levius. *Lex* enim *certa naturæ est*, ait Plin. XVIII. 7. *ut in quocunque genere pani militari tertia portio ad grani pondus accedat.* III. Quia disciplinæ interest, adsuescere militem obvio, & cum primis parabili cibo, qualis puls & panis subcineritius: nec circumspicere doctas pistorum manus, aliaque desidiæ adjumenta, per quæ luxus castra intrare, & disciplinam solvere solet. *Schel. ad Polyb. c. 7. Thes. Ant. Rom. Græv. Tom. X. p. 1218. D.* Ejus distributio fuit penes ædiles. V. supr. in *Ædiles.* Sed non diuturna iis hæc cura, successitque præfectus annonæ. V. illum infr. in *Præfectus.* Sub quo mensores frumentarii erant constituti. V. illos infr. in *Mensores.* Distribuebatur per tesseras. V. illas infr. in *Tesseræ.* Lips. & Thys. l. l. Tesseris acceptis ibant ad horrea. Hæc Romæ ad capiendum *frumentum* publicum in quaque regione Urbis complura. Numerum ex P. Victore inivi ad trecenta & novem. Cognomina etiam plerisque addita ab auctore, horrea Aniceti, Varganteji, Galbiana, Domitiani, Sejani: quæ in descriptione Urbis reperies, & in spectionibus antiquis. V. illa infr. in *Horrea.* Olim dabatur *frumentum:* postea cœpit panis. V. infr. in *Panis civilis.* Tempus distribuendi fuit principium cujusque mensis. Jam inde a Graccho, ut opinor, quia largitio ejus menstrua fuit: & Appian. de Bell. civil. I. p. 362. diserte ait, definiisse enim σιτηρέσιον ἔμμηνον. Ex Suida colligimus id solitum fieri sub ipsas nonas, ὡς ἀνὰ τὰς νόνας διδομένας. Mutare eam consuetudinem tentavit Augustus, sed destitit propter adversam populi voluntatem. Suet. c. 40. n. 3. *Ne plebs frumentationum causa frequentius a negotiis avocaretur, ter in annum quaternûm mensium tesseras dare destinavit: sed desideranti consuetudinem veterem concessit rursus, ut sui cujusque mensis acciperet.* Vis tanta *frumenti* e provinciis, e Sicilia, Sardinia, & præsertim Africa atque Ægypto in Urbem convehebatur. V. infr. in *Provinciæ frumentariæ.* Certo die dabatur, & cum cura ne is laberetur. Cæs. de Bell. Gall. I. 16. *Diem instare, quo die frumentum militibus metiri oporteret.* VII. 32. *Post diem septimum sese reversurum confirmat; quam ad diem ei legioni, quæ in præsidio relinquebatur, deberi frumentum sciebat.* Lips. de Milit. Roman. V. 16. Elect. I. 8. Thys. Rom. Illustr. V. p. 144. Interdum levi pretio, interdum etiam sine pretio distribuebatur sub primis Imperatoribus. Suet. Aug. c. 41. n. 6. *Frumentum in annonæ difficultatibus sæpe levissimo, interdum nullo pretio viritim admensus est.* Sub veteri republica clementi pretio dabatur: nusquam enim de gravitate annonæ milites legas queri. *Schel. ibid. p. 1223. A. Buleng. de Vectig. c. 36. Contaren. ibid. c. 2.* Quantum, & quoties dimensum fuerit, docet Polyb. VI. 37. *Admetiuntur peditibus tritici partes circiter duas medimni Attici: equitibus vero hordei in mensem septenos medimnos, tritici vero binos.* Medimnus Atticus juxta Suidam sex modiorum Romanorum est, in modio Romano octo chœnices, chœnix justa mensura homini in diem alendo habebatur. Duæ itaque partes medimni, duo & triginta chœnices, quatuor modii sunt legitimum in mensem *frumentum*, unde & *menstruum* appellabatur. Livius supr. in *Cibaria.* Schel. ibid. p. 1220. A. Lips. & Thys. l. l. Quando aliquo pretio dabatur, illud constitutum de stipendio deducebat quæstor. Polyb. VI. 37. *Hoc sociis gratis donatur: Romanis, sive frumentum, sive vestis tribuatur, aut etiam si quibus armis opus habuerint, horum omnium certa pretia quæstor de stipendio deducit.* Patric. Rei milit. Rom. part. XII. Sect. 2. Schel. ibid. p. 1222. C. Hoc probare peculiare munus fuit tribunorum. Docet hoc lex 12. ff. de re milit. Et præsidum. Valentinianus & Valens l. 2. C. de condit. in publ. horr. Anthemio præsidi: *Cum ad quamlibet urbem mansionemve accesseris, protinus horrea te inspicere volumus, ut devotissimis militibus deputatæ, & incorruptæ species præbeantur.* Imo ipsorum Principum. Ab hac providentia & cura Hadrianum laudat inter cætera Spartian. c. 11. *Laborabat præterea, ut condita militaria diligenter agnosceret, reditus quoque provinciales solerter explorans, ut si alicubi quicquam deesset, expleret.* Lamprid. Alex. Sev. c. 15. *Annonam militum diligenter inspexit.* Atque adeo in morem abiit, ut de annona in horreis recondenda Principi aliquid offerretur, ut probaret ipse, & videret, an bonum, & incorruptum esset *frumentum. Probam* vocabant. Ammian. XXI. 16. *Eique vehiculis insidenti, ut Principibus solet, annonæ militaris offerebantur indicia: ut ipsi nominant, proba.* Schel. ibid. c. 8. p. 1227. E. Salmas. in Spartian. Adrian. c. 11. Vales. in Ammianum. Humeris inter arma portabant milites. V. supr. in *Cibaria.* Ambigas, an & vendere licuerit. Nam inter probra corrupti exercitus recenset Sallust. Bell. Jug. p. 101. *Frumentum publice datum vendere, panem in dies mercari.* Et notum est factum Galbæ apud Suet. Galb. c. 7. n. 4. qui *militi, qui per expeditionem an-*

nona arctiſſima reſiduum cibariorum tritici modium centum denariis vendidiſſe arguebatur, vetuit, ſimul atque indigere cibo cœpiſſet, a quoquam opem ferri, atque is fame extabuit. Ambigas, inquam, an omnem omnino frumenti emptionem & venditionem condemnent : an tantum quod de demenſo ſuo, quibus ipſis ad vitam ſuſtentandam erat opus, vendiderint, ac luxus cauſa pro *frumento* mercati ſint panem: & in Galbæ milite, quod ſimiliter de *frumento* ſuo tam immani pretio modium vendiderit. *Schel. ibid. c. 7. p.* 1221. *D. Lipſ. l. l.* Duplicariis duplex dabatur. At cui bono hæc munificentia. An virtutis cauſa? Sed an cum virtute creſcit voracitas, & poſt egregia facinora alterum tantum jam capit venter? Poſſem reſpondere cum Xenophonte, qui Regi Lacedæmoniorum duplicia data ſcribit cibaria, non quo plus cæteris voraret, ſed honoris cauſa, quo partem cibariorum ſuorum cui vellet poſſet largiri. Sed apud Romanos commodo etiam, non tantum honori, ea res fuit. Duplicarii immunes erant, vel principales: ſervum habebant, cui alendo *frumenti* pars altera. *Schel. ibid. C.* Sub Imperatoribus paſſim ſuppeditabatur. V. infr. in *Provinciæ frumentariæ.*

Frumentum æſtimatum erat, quod æſtimabat magiſtratus in cellam ſuam in uſum familiæ, cum interdum pro *frumento* pecuniam acciperet. Aſcon. in Cicer. p. 95. *Licebat magiſtratibus in uſus ſuos frumentum accipere ſi vellent, aut pro frumento pretium : quæ æſtimatio dicebatur : in qua re avariſſimi quique infinitam pecuniam contrahebant, iniquum pretium ſociis imperando.* p. 29. Sicilia *dabat æſtimatum, quod decretum prætor in cellam, hoc eſt, in uſus cellæ æſtimare ſolebat, cum interdum pro frumento pecuniam ſumeret.* Buleng. de Vectig. c. 9. Sigon. de Ant. jur. prov. I. I. Burmann. Diſſert. de Vectig. c. 2. Guther. de Offic. dom. Aug. II. 9. Laurent. de Rebuſpubl. c. 3. In poteſtate prætoris ſita erat æſtimatio. Cicer. Verr. III. 81. *Cum ex SCto & ex legibus frumentum ei in cellam ſumere liceret : idque frumentum ita ſenatus æſtimaſſet, quaternis H. S. tritici modium, binis hordei : iſte numero ad ſummam tritici adjecto, tritici modios ſingulos cum aratoribus ternis æſtimavit.* Sigon. ibid. II. 5.

Frumentum decumanum erat decuma, quam quiſque arator ſine pretio dare cogebatur. Aſcon. in Cicer. p. 29. *Sicilia dabat decumanum frumentum, quod ab aratoribus exigebatur ſine pretio.* Quæ ſumma pro copia, vel inopia *frumenti* in ſingulos annos erat incerta. *Laurent. de Rebuſpubl. c. 3. Buleng. de Vectig. c. 9.*

Frumentum emptum erat, quod aratores vendere accepto ex SCto pretio cogebantur ad alendum Romæ populum. Aſcon. in Cicer. p. 29. *Sicilia frumentum emptum dabat, pro quo ex SCto pecunia ſolvebatur.* Cicer. Divin. c. 10. *Emptum eſt ex SCto frumentum ab Siculis, prætore Verre, pro quo frumento pecunia omnis ſoluta non eſt. Grave eſt hoc crimen in Verrem. . . . Mancipes a civitatibus pro frumento pecuniam exegerunt.* Hoc duplex erat I. Decumanum, quod ex alteris item decimis pretio perſoluto aliquando accipiebatur. Liv. XXXVI. 2. *Eidem prætori mandatum, ut duas decumas frumenti exigeret.* II. Imperatum, quod præter duas decumas æqualiter omnibus civitatibus pretio item ſoluto imperabatur. Aſcon. in Ciceronem. *Decumæ in Sicilia lege, & conſuetudine trahuntur : alteræ novis inſtitutis propter annonæ rationem imperantur.* Buleng. de Vectig. c. 9. Sigon. de Ant. jur. Prov. I. I. Laurent. de Rebuſpubl. c. 3. Burman. Diſſ. de Vectig. c. 2. Hujus emendi & imperandi auctoritas prætoris tota fuit. Cicer. Verr. III. 70. *Frumentum emere in Sicilia debuit Verres ex SCto, & ex lege Terentia, & Caſſia, frumentaria. Emundi duo genera fuerunt : unum cæterarum decumarum : alterum, quod præterea civitatibus æqualiter eſſet diſtributum. Illius, decumani tantum, quantum ex primis decumis fuiſſet : hujus imperati tritici modium octoginta millia : pretium autem conſtitutum decumano in modios ſingulos ſeſtertii terni, imperato ſeſtertii quaterni. Ita in frumentum imperatum ſeſtertium bis & tricies in annos ſingulos Verri decernebatur, quod aratoribus ſolveret : in alteras decumas ferme ad nonagies.* Sigon. ibid. II. 5. Buleng. & Burmann. l. l.

Frumentum honorarium erat, quod honoris cauſa ſponte, & ſine metu prætori dabatur a provincialibus. Cicer. in Piſon. c. 35. *Qui modus tibi fuit frumenti æſtimandi, qui honorarii? ſiquidem poteſt vi & metu extortum honorarium nominari.* Buleng. de Vectig. c. 9. Burmann. de Vectig. c. 2. Sigon. de Ant. jur. prov. II. 5.

FUC.

FUCINUS lacus. V. illum infr. in *Lacus.*

FUCUS eſt herba marina rubens, qua lana inficitur. Plin. XXVI. 10. *Præcipue vero liberat eo malo phycos thalaſſio, id eſt, fucus marinus, lactucæ ſimilis, qui conchylia ſufficiuntur. . . . Tria autem genera ejus ; latum, & alterum longius quadantenus rubens ; tertium criſpis foliis, quo in Creta veſtes tinguntur.* Virg. Georg. IV. 39.

Spiramenta linunt, fucoque, & floribus oras.

Ubi Servius: *Genus eſt herbæ, quo tinguntur veſtes.* Quadantenus rubebat *fucus*, eoque viliorum lana tingebatur. Sed quia ad purpuræ colorem accedebat, ſive mentiebatur, inde mentitus ille color pro fraude accipi cœpit. Hinc *facere fucum mulieri* apud Terent. Eun. III. 4. 41. quod *fraudem, & inſidias, ſub quibus occultatur veritas,* Donatus interpretatur. *Sine fuco* apud Cicer. Attic. I. I. eſt ſimpliciter & aperte. Quintil. II. 15. *Mangonum, qui colorem fuco, & verum robur inani ſagina mentiuntur.* Inde unguenta, & medicamina, quibus nativum ruborem feminæ mentiuntur, *fucus* dictus eſt. *Ferrar. de Re veſt. II. I. 24. Guther. de Offic. dom. Aug. III. 21. Salmaſ. Exerc. Plin. p. 804. a. F. . . .*

FUF.

FUFIA gens. V. illam infr. in *Gens.*

FUG.

FUGÆ ſervorum cognitio, vel præſidis, & proconſulis in provincia, vel præfecti vigilum Romæ fuit. Labeo l. I. ff. de ſerv. fugit. *Tamdiu autem cuſtodiuntur, quamdiu ad præfectum vigilum, vel ad præſidem deducantur, eorumque nomina, & notæ, cujus ſe quis eſſe dicat, ad magiſtratus deferantur.* Pignor. de Serv. p. 24.

FUGITIVARIUS erat apud antiquos *fugitivorum* ſervorum reprehenſor, qui eam operam profitebatur, ut fugitivos inveſtigatos reduceret. Flor. III. 19. 7. *Itaque qui per fugitivarios retrahi debuiſſent, prætorios duces profugos prœlio ipſi ſequebantur.* Metaphoricωs quodammodo hoc verbo utitur Varr. de Re ruſt. III. 14. *Idoneus ſub dio ſumendus eſt locus cochleis, quem totum circum aqua claudas, ne quas ibi ad partum poſueris, non liberos earum, ſed ipſas quæras. Aqua inquam finienda, ne fugitivarius ſit parandus,* id eſt, φυγαδοθήρας, id eſt, ne ſi locus *fugæ* pateat cochleis, cogaris poſtea tanquam *fugitivos* ſervos, ſic cochleas *fugitivas* perſequi, & uti miniſterio reprehenſorum. Ferunt piratas hodie *fugitivariis* canibus uti ad reprehenſionem remigum vinctorum, qui ad ſcalmum damnati aufugerunt. *Fugitivarius* ea forma dicitur, qua thunnarius, & anataria aquila anatum inſectatrix, & leporaria, a necandis anatibus & leporibus inditis nominibus. *Bud. in Pandect. p. 177. E. Pignor. de Serv. p. 19. Cujac. Obſerv. V. 8.*

FUGITIVUS in poteſtate domini ſpe poſtliminii, & recuperationis manebat. Apul. Met. VI. p. 178. *Legibus, quæ ſervos alienos profugos invitis dominis vetant ſuſcipi, prohibeor.* Argol. in Panvin. de Lud. circ. II. 3. Et dicitur retrahi, qui e *fuga* reducitur domum ad herum. Salluſt. Bell. Catil. p. 32. *In his erat Fulvius ſenatoris filius, quem retractum ex itinere parens necari juſſit.* Tranſlatio ab illis ſumpta inſignis eſt. Varr. de Ling. Lat. IV. *Quare illa, quæ jam majoribus noſtris ademit oblivio, fugitiva ſi ſedulitas Mucii & Bruti retrahere nequit, non ſi non potuero indagare, ero eo tardior.* Et illa de Re ruſtica, de qua ſupr. in *Fugitivarius.* Etiam Terent. Heaut. IV. 2. 11.

Re-

Retraham ad me illud fugitivum argentum.

Turneb. Adv. xxiv. 29. Illos per amicos, vel per *fugitivarios* conquiſitos, ſtigmatibus notabant. V. ſupr. in *Inſcriptio.* vel trudebant in cuſtodiam publicam ad tempus, vel in piſtrinum, vel interficiebant. Cicer. Fratr. I. 2. *Cum eum fugitivum poſtea eſſe ex Æſopi literis cognoſceret, hominem comprehendit, & in cuſtodiam Epheſi tradidit; ſed in publicam, vel in piſtrinum, non ſatis ex literis ejus intelligere potuimus.* Pignor. de Serv. p. 19. Etiam illis pedes amputabant interdum. V. infr. in *Pars.*

FUL.

FULCRA *ſunt ornamenta lectorum, reclinatoria vulgus appellat.* Iſidor. xix. 26. Eam vocem apud vulgus invaluiſſe monet Iſidorus, cum alioquin *fulcrum* diceretur. *Chimentell. de Honor. biſell. c.* 30. Tricliniarium ſunt imus lectus. Suet. Claud. c. 32. n. 3. *Adhibebat omni cœnæ & liberos ſuos cum pueris puellisque nobilibus, qui more veteri ad fulcra lectorum ſedentes veſcerentur.* Aug. c. 64. n. 7. *Neque cœnavit una, niſi ut in imo lecto aſſiderent.* Chimentell. ibid. c. 29. Sunt alias illorum ſuſtentacula. Varr. de Ling. Lat vii. V. illum infr. in *Lectus.* Dicuntur pedes. Ter. Adelph. iv. 2. 46. V. illum infr. in *Lectus.* Quæ idem ſunt Plin. xxxiv. 2. *Et ideo cura officinis tricliniorum pedibus fulcrisque.* Pitiſc. ad Suet. Claudium. Vulgari artificio apud Græcos, & Romanos in ſphingium & gryphum ſpeciem deformari ſolebant. Calliſth. Rhod. apud Athen. v. *Ruben. Diſſ. de Gemm. Tiber. Theſ. Ant. Rom. Græv. Tom.* xi. *p.* 1334. *F.* Concharum putaminibus recentiorum luxuries cooperiebat. Frons, vel altior pars erat ex ære, & interdum gerebat formam aſinini capitis vite, ſeu ſerto pampineo coronati. Juven. Sat. xi. 93.

Nemo inter curas, & ſeria duxit habendum,
Qualis in Oceani fluctu teſtudo nataret,
Clarum Trojugenis factura, & nobile lucrum:
Sed nudo latere, & parvis frons ærea lectis
Vile coronati caput oſtendebat aſelli.

Hygin. Fab. 274. *Antiqui noſtri in lectis tricliniaribus, in fulcris capita aſinorum vite alligata habuerunt.* Ex inſtituto Carbilii Pollionis. Plin. ix. 11. V. illum infr. in *Teſtudo.* Lipſ. in Senec. de Ben. vii. 9. Grang. in Juvenalem.

FULCRARIUS poteſt appellari opifex, qui ſpondas, & *fulcra* lectorum fabricatur, & pueriles turbines, & rhombos muliebres, quibus fila agglomerantur. *Bud. in Pandect. p.* 177. I.

FULGETRAM, & *fulgetrum* dixerunt veteres. *Fulgetræ* feriunt oculos. Plin. ii. 54. *Fulgetrum prius cerni, quam tonitrum audiri certum eſt, cum ſimul fiant. Nec mirum, quoniam lux ſono velocior, ſed ſonitum profecti eſſe fulminis, non illati: etiam vim ſpiritum ocyorem fulmine. Ideo quati prius omnia, & afflari quam percuti, nec quenquam tangi, qui prius viderit fulmen, aut tonitru audierit.* Buleng. de Terr. mot. & fulm. c. 4. *Fulgetras poppyſmis adorare conſenſus gentium eſt.* Plin. xxviii. 2. *Guther. de Jur. man.* I. 2.

FULGORA erat dea, quam colebant, ne fulmina fierent. Auguſtin. de Civit. Dei vi. 10. *Quædam ſunt viduæ, ut fulgora.* Moreſtell. de Fer. Roman. Dial. xxi. Buleng. de Terr. mot. & fulm. c. 6.

FULGUR exiſtit, cum *anhelitus terræ, qui frigidi ſunt, in nubem ſe induerint, ejusque tenuiſſimam quamque partem cœperint dividere, atque diſrumpere, idque crebrius facere, & vehementius, tum & fulgura & tonitrua exiſtere.* Cicer. de Divin. ii. 19. *Buleng. de Terr. mot. & fulm. c.* 2. Pro fulmine ſæpe ponitur. Feſtus: *Fulgur, fulguritum, id eſt, fulmine ictum, qui locus ſtatim putabatur religioſus, quod eum ſibi deus dicaſſe videretur.* Buleng. ibid. c. 11. Caſaub. in Perſ. p. 190. Et tamen differt a *fulmine:* quia *fulmen* eſt ignis a nube vibratus, *fulgur* ignis nube incluſus: unde domum *fulmine* accenſam dicimus, non *fulgure.* Eſt enim *fulgur* nihil aliud quam ſplendor ipſius *fulminis, fulmen* ipſum telum. Lucret. vi. 83.

Sunt tempeſtates, & fulmina clara canenda,

Stat. Theb. iv. 674.

—— quæque ipſe micantia ſenſi
Fulgura.

Ajunt naturalium cauſarum ſcrutatores, *fulgura* ex nubium colliſione generari, in morem ſilicum duriorum, quos cum comploſeris ſibi, medius ex his ignis extritus elabitur, atque ita cum *fulgure* pariter, & tonitrua mugire, tonitruum ſcilicet ſonitu indicante, & *fulgura* excuſſi luminis claritate. *Moreſtell. de Fer. Roman. Dial.* xxi.

Fulgur cœleſte dicitur, cujus ictus ſemper eſt obliquus. Plin. ii. 52. *Omnia a ſuperiore cœlo decidentia obliquos habent ictus.* Lucan. I. 15.

Qualiter expreſſum ventis per nubila fulmen
Ætheris impulſi ſonitu, mundique fragore
Emicuit, rupitque diem, populosque paventes
Terruit, obliqua præſtinguens lumina flamma.

Buleng. de Terr. mot. & Fulm. c. 12.

Fulgur conditum dicitur, cum ara ſuperimpoſita eſſet. Inſcriptio Nemauſi p. 132. 8.

FULGUR CONDITUM DIVOM

Feſtus Fragm. in Scribonianum: *Fulgur conditum, quod cum ſcitur, nefas eſt integi, ſemper foramine ibi aperto cœlum patet.* Ara illa ſuperimpoſita puteal, vel capitium, quale fuit Scribonii Libonis in veteribus nummis. Gloſſ. vet. περιςέμιον ἱερȢ φραγμὸς, ἱερὸς τόπος περικεκλεισμένος. Operculum Ulpiano l. 13. §. fin. & l. 14. ff. de act. empt. vocatur. *Guther. de Jur. man.* I. 4. *Buleng. de Terr. mot. & Fulm.* c. 11.

Fulgur dium quodnam fuerit dictum docet Feſtus: *Dium fulgur appellabant diurnum, quod putabant Jovis.* Huic diurna fulmina tribuebant; quod diei eſſet pater. Gloſſæ: Κεραυνοβόλιον ἡμερινὸν, *fulgur dium.* Buleng. de Terr. mot. & Fulm. c. 11. Briſſon. de Form. I. p. 127. Guther. de Jur. man. I. 2.

Fulgur peremptale deſcribit Feſtus: *Peremptalia fulgura Gracchus ait vocari, quæ ſuperiora fulgura, ut portenta, vi ſua perimant duobus modis, prioribus tollendis, aut majore manubia, ut tertia ſecundæ, ſecunda primæ cedat.* Buleng. de Terr. mot. & Fulm. c. 6. Briſſon. de Form. I. p. 127. Guther. de Jur. man. I. 2. Pier. Valer. de Fulm. ſignif. Theſ. Ant. Rom. Græv. Tom. v. p. 602. D. Crinit. de Honeſt. Diſcipl. ii. 5.

Fulgur peſtiferum hiſce deſcribit Feſtus: *Peſtiferum fulgur dicitur, quo mors, exſiliumve ſignificari ſolent.* Buleng. de Terr. motu & fulm. c. 6. Guther. de Jur. man. I. I. Crinit. de Honeſt. Diſcipl. ii. 5.

Fulgur poſtulare, ſive poſtulatorium quodnam fuerit, legitur apud Feſtum: *Poſtularia fulgura, quæ votorum, aut ſacrificiorum ſpretam religionem deſignant* eorum emendationem exigentia. *Buleng. de Terr. mot. & fulm. c.* 6. *Guther. de Jur. man.* I. I. *Pier. Valer. de Fulm. ſignif. Theſ. Ant. Rom. Græv. Tom.* v. *p.* 607. *F. Crinit. de Honeſt. Diſcipl.* ii. 5.

Fulgur provorſum *appellatur, quod ignoratur, noctu, an interdiu ſit factum.* Feſtus: *Buleng. de Terr. mot. & fulm.* c. 6. *Guther. de Jur. man.* I. I. Cur incertum *fulgur* provorſum dicatur, non ſat video, cum provorſum, ſive prorſus nihil aliud ſit quam ἀντώπιον. Unice amplector Meurſii conjecturam, qui putat legendum controverſum. Neque dubium eſt, quin controverſa *fulgura* recte dicta ſint, de quibus controverſia eſſet, quo tempore cecidiſſent, ſive diluculo, ſive crepuſculo, quæ tempora dieine an nocti annumerari debeant, in incerto eſt. *Not. in Feſtum.*

Fulgur renovativum vocatur Feſto, *cum ex aliquo fulgure functio,* fortaſſe ſignificatio, *fieri cœpit, ſi factum eſt ſimile fulgur, quod idem ſignificat.* Buleng. de Terr. mot. & fulm. c. 6. Guther. de Jur. man. I. I.

Fulgur ſummanum dicebatur nocturnum. Feſtus. *Nocturnum fulgur putabant eſſe Summani,* quia tenebrarum eſt pater.

pater. Gloſſ. Κεραυνοβόλιον ἀπὸ πρωὶ νυκτερινὸν, *fulgur ſummanum.* Buleng. de Terr. mot. & fulm. c. 11.

FULGURATOR dicebatur haruſpex. Non. 1. 319. *Fulguratoris, ut extiſpicis, & haruſpicis, ita hi fulgurum inſpectores. Cato de moribus Claudii Neronis: Haruſpicem fulguratorem ſi quis adducat.* Guther. de Jur. man. 1. 2. Buleng. de Terr. mot. & fulm. c. 7.

FULGURITA dicebantur loca fulmine icta. Talia ſtatim fiebant religioſa. V. Feſtum ſupr. in *Fulgur.* Hoc Cæſarem Auguſtum impulit, ut aream in palatio a ſe emptam conſecrarit, & Apollini dedicarit. Dio XLIX. p. 401. C. *Guther. de Jur. man.* 1. 4.

FULGURITOS igni cremare anitquitus fuit religio. Plin. II. 54. *Hominem ita exanimatum cremari fas non eſt: condi terra religio tradit.* Et Tertullianus. *Qui de cœlo tangitur, ſalvus eſt, ut nullo igne cineреſcat.* Sepeliebantur eo ipſo in loco, ubi fulmen eos occiderat. Artemid. II. 8. *Fulguriti non transferuntur in alium locum, ſed ubicunque fulmine occupati, ibi & ſepeliuntur.* Quo pertinet Scholaſtica illa lex Quintil. Declam 264. *Quo quis loco fulmine ictus fuerit, eodem ſepeliatur.* Excipio locum publicum: nam quos *fulgur* intra Urbem exanimaſſet, puta in templo, theatro, circo, via. . . . illi alibi humabantur. Feſtus: *Statua eſt Ladii ejus, qui quondam fulmine ictus in circo, ſepultus eſt in Janiculo.* Humabantur, ſed ſine ullis juſtis, & *funerum* ſollennibus. V. infr. in *Genua, & Juſta.* Ad funebre *illorum* officium cura aruſpicum accedebat. Senec. de Clem. 1. 7. *Ecquis Regum erit tutus, cujus non membra aruſpices colligant? Quod ſi dii placabiles, & æqui, delicta potentium non ſtatim fulminibus proſequuntur.* . . . Quin imo ſi Cornuto Perſii gloſſatori fidem arbitrari velimus, non, ut alii, terra defodiebantur, ſed in planitie terræ humabantur. Sic enim ille ad Sat. II. 27. *Jaces,* inquit, *quia fulminati ſupra terram poſiti mandantur ſepulturæ.* Interdum tamen & ſuper terram intra bidentalis conſeptum relinquebantur, ut ſpectarentur. Plutarch. Sympoſ. IV. 2. *Fulmine ictorum corpora non putiſcunt. Multi enim neque cremant ea, neque terra obruunt, ſed ſinunt ita jacere, ſepientes illum locum, ut ſpectando ſint mortui iſti non putiſcentes.* Kirchman. de Fun. Roman. 1. 3. Buleng. de Terr. mot. & fulm. c. 11. Valeſ. in Ammian. XXIII. 5. Meurſ. de Fun. c. 38. Guther. de Jur. man. 1. 2.

FULLO fuit cognomen Apuſtiorum. Liv. XXXI. 4. *Plebeji ludi ter toti inſtaurati ab ædilibus plebis L. Apuſtio Fullone, & Q. Minucio Rufo.* Inde jocus apud Macrob. Sat. II. 2. *Fauſtus Sullæ filius, cum ſoror ejus eodem tempore duos haberet mœchos, Fulvium fullonis filium, & Pompejum Maculam: miror, inquit, ſororem meam maculam habere, cum fullonem habeat.* Sigon. de Nom. Roman. c. 5. Glandorp. Onom. Roman. p. 111. Voſſ. Lex. Etymol.

Fullo eſt artifex, qui lavat, curat, politque veſtimenta. Juſtin. §. item ſi fullo Inſtit. de oblig. quæ ex delict. naſc. §. 1. Inſtit. mand. *Si fulloni polienda curandave dederit veſtimenta, nulla mercede conſtituta, mandati competit actio.* Præcipue vero pannos lavando maculas emundabant. Unde jocus Fauſti ex Macrobio modo allatus. Poliebant vero interpolando, & renovando veſtimenta, quæ interpola vocabantur l. Labeo ff. de contr empt. l. præcipiunt de ædil. edict. Plures olim in civitatibus erant *fullones.* Hodie pauci hanc artem exercent. *Panciroll. de corp. artif.* §. 29. *Braun. de veſt. Sacerd. Hebr.* I. 11. 4: 16. 11. *Stuck. Antiq. Conviv.* II. 26. *Guther. de Offic. dom. Aug.* III. 30. *Cujac. Obſerv.* XI. 8. *Kipping. Antiq. Roman.* IV. 5. 8. De *fullonibus* etiam Pollux VII. 11. Ubi eadem ratio in lavandis veſtibus ac Romæ fuiſſe apparet. Nam & pedum inſultu preſſas, & coactas, & adhibitam cretam præcipue cymoliam, ſulphurque iiſdem dealbandis, demum carduorum ſpinis pexas, ac politas legimus. Unde proprie κναφεὺς, κναφεῖον, κναφικοὶ, κνάψαι. *Ferrar. de Re veſt.* II. 4. 13. Ulpian. l. 1. §. 1. ff. de trib. act. negotiatoribus accenſet. Varr. de Re ruſt. 1. 16. adſcripſit ruſticæ familiæ. Nec male, quia & ruri eorum uſus eſt, & ex artificio negotium prodit. *Pignor. de Serv. p.* 358.

FULLONIA gens. V. illam infr. in *Gens.*

FULLONICA vocatur ars *fullonis* l. 3. in princ. ff. de aq. arcend. l. ſi cujus §. ult. de uſufr. *Panciroll. de Corp. artif.* §. 29. Plaut. Aſin. V. 2. 57.

Si non didiciſti fullonicam.

Voſſ. Lex. Etymol. Illam *invenit Nicias Megarenſis.* Plin. VII. 56. *Hering. de Molend. q.* 6. §. 17.

Fullonica, ſive *fullonicæ* inter prædia meritoria numerantur ab Ulpian. l. 13. §. ult. ff. de uſufr. quia inſtitui ſolent circa fontem, rivumve privatum, ut l. 2. in princ. ff. de aqua & aq. pluv. arc. aut circa flumen publicum, & locari *fullonibus*, aut lanariis mercede certa, quoties uſus eſt eluere veſtes, aut pannos alienos. *Cujac. Obſerv.* XXIII. 2.

FULMEN apud Suidam eſt *incendium violentum, quod nubibus alliſis, aut perruptis in terram cadit. Alii ajunt turbinem ac vertiginem ignis aëris eſſe violenter delati. Non occidit autem fulmen, ſed adurit.* Melius Ariſtot. de Mund. c. 4. *Qui exhalationum alteram ſiccam ait in fumum conformatam, quæ e terra manet, alteram humidam roſcidam ab humida natura profectam: ex hac nebulas, rores, & gelu omne genus, nubes, pluvias, nives, grandines: a ſicca ventos, flatus, tonitrua, fulgura, turbines, fulmina exiſtere.* Cum Ariſtotele ſentit Senec. Quæſt. nat. II. 54. *Buleng. de Terr. mot. & fulm. c.* 2. & 5. *Pier. Valerian. de Fulm. Signif. Theſ. Ant. Rom. Græv. Tom.* V. *p.* 597. *D.* Odore ſulphuris eſt. Senec. Quæſt. nat. II. 53. *Quocunque decidit fulmen, ibi odorem ſulphuris eſſe certum eſt.* Plin. XXXV. 15. *Fulmina, & fulgura quoque ſulphuris odorem habent, & lux ipſa eorum ſulphurea eſt.* Ideo *fulmen* vocat *ſulphur ſacrum* Perſ. Sat. II. 25.

Sulphure diſcutitur ſacro.

Caſaub. in Perſium. Buleng. l. l. Vocatur *ignis Jovis*, quoniam proprie a Jove mitti putabatur. Ovid. Triſt. 1. 3. 11.

Non aliter ſtupui, quam qui Jovis ignibus ictus
Vivit.

Virg. Æneid. 1. 46.

Ipſa Jovis rapidum jaculata e nubibus ignem.

Buleng. ibid. c. 6. Ad illa elicienda ex mentibus divinis Jovi Elicio aram Numa in Aventino dicavit. Liv. 1. 20. V. illum ſupr. in *Ara.* Plin. XXVIII. 2. *Tullum Hoſtilium Regem ex Numæ libros eodem, quo illum, ſacrificio Jovem cœlo devocare conatum, quoniam parum rite quædam feciſſet, fulmine ictum.* II. 53. *Extat Annalium memoria, ſacris quibusdam, & precationibus vel cogi fulmina, vel impetrari. Vetus fama Hetruriæ eſt, impetratum Volſiniis, & urbe, & agris depopulatis ſubeunte monſtro, quod vocavere voltam. Evocatum & a Porſenna ſuo Rege. Et ante eum a Numa ſæpius hoc factitatum.* Buleng. ibid. c. 14. Procurari jubebantur. Liv. XXII. 26. *Aliquot homines de cœlo tacti, exanimatique fuerunt. Ea prodigia ex libris procurata.* XXVIII. 11. *Tarracinæ Jovis ædem, Satrici Matris matutæ de cœlo tactam. Et ædes Cæſaris, Salutis, Quirini de cœlo tacta. Prodigia conſules hoſtiis majoribus juſſi procurare.* Buleng. ibid. c. 14. id eſt, avertere, expiare, id facere, ut Jupiter voluntati ſuæ ſatisfactum videns avertat noxiam vim tempeſtatis iracundæ. Arnob. V. p. 134. *Numam illum Regem, cum procurandi fulminis ſcientiam non haberet, eſſetque illi cupido noſcendi, Egeriæ monitu, caſtos duodecim juvenes apud aquas celaſſe cum vinculis.* Et ſic procurationem explicat ipſe p. 156. Jovi adfictis verbis: *Illo ritus genere meas iras placabitis: & ſi quando per fulgura ſignificavero aliquid imminere, facite hoc & illud, ut quod fieri ſtatui, inane fiat, & vacuum, & ſacrorum vi evaneſcat.* Barth. Adv. LV. 13. Rittersh. in Phædr. III. 3. 8. Crinit. de Honeſt. diſcipl. II. 5. Pitiſc. in Suet. Galb. c. 4. n. 5. Illo immortalem gloriam, & excelſam nominis magnitudinem ſignificari putabant. Hinc Apelles, quum Alexandri Regis ſui effigiem pingeret, *fulmen* in ejus manu poſuit, ut ex hoc nominis amplitudinem, ex rebus ab eo geſtis, in immenſum propagatam, immortalemque ejus gloriam indicaret. *Pier. ibid. p.* 690. *A.* In Italia magna, & crebra fieri contingit,

tingit; propterea quod mollior aer mitiore hyeme, & æstate nimbosa semper quoddammodo vernat, vel autumnat. Sed in Scythia propter rigorem aëris, qui regionem immunem a *fulminum* casu præstat, talia non accidunt. Densatus enim aer nubium crassiore corio spissatur, omnisque terrarum exhalatio rigens, ac gelida, quicquid acceperit ignei vaporis exstinguit. In Ægypto propter ardorem nimium fieri non possunt, aut quam rarissime, quia calidi, siccique halitus terræ raras admodum, tenuesque, & infirmas densantur in nubes. *Pier. ibid. p.* 598. *A.* Omen victoriæ esse putarunt. Nonnus in Dionys. p. 606.

—— ubi signa victoriæ
Firmarunt fulmina ex aere cadentia
Reliquiæ cœlestis ignis.

Aristid. Hier. v. a dextra gloriam significare docet. Romanis felix sinistrum fuit. Dionys. II. p. 80, Romulo *post vota fulgur trajecit a sinistra ad dexteram, quod Romani auspicatum putant.* Plin. II. 54. *Cum a prima cœli parte venerint, & in eandem concesserint, summa felicitas portenditur.* Buleng. ibid. c. 8. Sed comitiorum solum vitium est. V. supr. in *Comitia.* Et cum illa haberentur, & tonuisset, obnuntiatione ipsa dicebantur vitiari. *Gruch. de Comit.* I. 4. *Guther. de Vet. jur. pont.* I. 11: III. 2. Ad clypeorum quorundam ornatum, aut quo legionis insigne esset, in illis figuratum & expressum. Val. Flacc. VI. 53.

Cuncta phalanx, insigne Jovis, cœlataque gestat
Tegmina, dispersos trifidis ardoribus ignes:
Nec primus radios, miles Romane, corusci
Fulminis, & rutilas scutis diffuderis alas.

Unde Dio. LV. p. 564. B. legiones describens, *duodecimæ fulminatricis* meminit, & tale clypeorum insigne innuere videri potest, tanquam viros fortes, & *fulmina* belli continentis. *Lyd. de Re milit.* III. 5. *Alard. in Valerium.*

Fulmen atterraneum *est, quod in incluso fit.* Senec. Nat. Quæst. II. 49. *Buleng. de Terr. mot. & fulm. c.* 7. *Brisson. de Form.* I. 127. *Pier. Valer. de Fulm. signif. Thes. Antiq. Rom. Græv. Tom.* V. *p.* 598. *F.*

Fulmen attestatum est, quod significatione sua comprobat, quod priora portendebant. Senec. Nat. Quæst. II. 49. *Attestata sunt, quæ prioribus consentiunt.* Festus: *Attestata dicebantur, quæ iterato fiebant, videlicet significationem priorum attestantia.* Buleng. de Terr. mot. & fulm. c. 7. Brisson. de Form. I. p. 127. Pier. Valer. de Fulm. signif. Thes. Ant. Rom. Græv. Tom. V. p. 602. D.

Fulmen auxiliare *est, quod advocatum, seu advocantium bono venit.* Senec. Nat. Quæst. II. 49. *Buleng. de Terr. mot. & fulm. c.* 7. *Brisson. de Form.* I. *p.* 127.

Fulmen brutum, quia brutum antiqui grave dicebant, ex Hetruscorum disciplina dicebatur, quod sponte fiebat. Plin. II. 43. *Sed hæc omnia sunt fortuita. Hinc bruta fulmina, & vana, ut quæ nulla veniant ratione naturæ.* Buleng. de Terr. mot. & fulm. c. 7. Pier. Valer. de Fulm. signif. Thes. Ant. Rom. Græv. Tom. V. p. 598. F. Guther. de Jur. man. I. 2.

Fulmen caducum est inexspectatum. Horat. Od. III. 4. 43.

Titanas, immanemque turbam
Fulmine sustulerit caduco.

Caduciter, præcipitanter, ante justum tempus. Non. II. 172. *Caduciter, præcipitanter. Varro: At frigidos nimbos aqua ista caduciter ruentes.* Barth. Adv. VII. 19.

Fulmen clarum est illud, quod dolia exhaurit intactis operimentis, nulloque alio vestigio relicto. Comburit hoc nonnunquam, alias illustrat tantum. Hoc fœtum in utero illæsa matre aliquando exanimavit, corpora intactis vestibus combussit, aurum in loculis, & argentea vasa in capsulis liquefecit, loculis, capsisque integris permanentibus. Hoc interdum penetrat, hoc frangit, hoc discutit, hoc longe, lateque pervagatur, hoc auspicatissimæ prænuntiationis signum apud hujusmodi superstitionis interpretes habitum semper. De illo Nævius:

Suave suo sonitu clare fulguravit Jupiter.

Pier. Valer. de Fulm. signif. Thes. Antiq. Rom. Græv. Tom. V. p. 600. E. Guther. de Jur. man. I. 2. Jun. Anim. V. 16.

Fulmen consiliare est, quod aut agendum aliquid suadet, aut si res in procinctu sit, ut ab incepto desistamus. Senec. Nat. Quæst. II. 39. *Consiliarium ante rem fit, sed post cogitationem: cum aliquid in animo versantibus, aut suadetur fulminis ictu, aut dissuadetur.* Ammian. XXIII. 5. *Post minacem tonitruum crebritatem, & fulgurum Jovianus nomine miles de cœlo tactus cum duobus equis concidit, quos potu satiatos a flumine reducebat. Eoque viso harum rerum interpretes arcessiti interrogatique, etiam id vetare procinctum fidentius affirmabant, fulmen consiliarium esse monstrantes: ita enim appellantur, quæ dissuadent aliquid fieri, vel suadent. Ideoque hoc nimis cavendum, quod miluem celsi nominis cum bellatoriis jumentis exstinxit: & hoc modo contacta loca nec intueri, nec calcari debere fulgurales pronuntiant libri.* Divinæ quodam auctoritatis interventu videtur imperare. Cujusmodi observatio frequentissima fuit in Romanis comitiis habendis. Ut nihil unquam etiam Reipublicæ commodum, etiam utile, etiam necessarium aggredi, vel, si aggressi fuissent, prosequi auderent objectu *fulminum*, sed illico omnia intermittebantur. *Pier. Valer. de Fulm. signif. Thes. Antiq. Rom. Græv. Tom.* V. *p.* 602. *C. Argol. in Panvin. de Lud. Circ.* II. 2. *Guther. de Jur. man.* I. 2. *Brisson. de Form.* I. *p.* 127. *Lindenbr. & Vales. in Ammianum. Jun. Anim.* V. 16.

Fulmen deprecaneum *est, quod speciem periculi sine periculo affert.* Senec. Nat. Quæst. II. 49. *Buleng. de Terr. mot. & fulm.* c. 7.

Fulmen fallax *est, quod per speciem alicujus boni nocet. Dat consulatum, malo futurum gerentibus: & hæreditatem, cujus compendium magno sit luendum incommodo.* Senec. Nat. Quæst. II. 49. *Buleng. de Terr. mot. & fulm.* c. 7. *Brisson. de Form.* I. *p.* 127.

Fulmen familiare dicebatur in vitam fatidicum, quod primum fieret familiam suam cuique indepto. Plin. II. 52. *Vocant & familiaria in totam vitam fatidica, quæ prima fiunt familiam suam cuique indepto. Cæterum existimant non ultra decem annos portendere privata, præterquam aut matrimonio primo facta, aut natali die: publica non ultra tricesimum annum, præterquam in deductione oppidorum.* Voss. de Idolol. III. 8. Pier. Valer. de Fulm. signif. Thes. Antiq. Roman. Græv. Tom. V. p. 602. Brisson. de Form. p. 127. Guther. de Jur. man. I. 2. Crinit. de Honest. Discipl. II. 5.

Fulmen finitum dicebatur, quod ad diem aliquid portendebat. Senec. Nat. Quæst. II. 47. *Finita ad diem utique respondent.* Pier. Valer. de Fulm. signif. Antiq. Roman. Græv. Tom. V. p. 602. D.

Fulmen fumidum non urit, sed infuscat, idque detrimentum aliquod obnuntiare formidabant veteres, quia nigra, pullaque omnia infernis potestatibus dicata sunt. His olim, quum in tenebris iter erat, non ut prodessent, sed ne nocerent, sacra fieri solita. *Pier. Valer. de Fulm. signif. Thes. Antiq. Roman. Græv. Tom.* V. *p.* 600. *E. Jun. Anim.* V. 16.

Fulmen hospitale quale fuerit, explicat Senec. Nat. Quæst. II. 49. *Hospitalia, quæ sacrificiis ad nos Jovem arcessunt, &, ut verbo molliori utar, invitant.* Tomas. Tess. hospit. c. 6. Buleng. de Terr. mot. & fulm. c. 7. Brisson. de Form. I. p. 127. Pier. Valer. de Fulm. signif. Thes. Ant. Rom. Græv. Tom. V. p. 599. C.

Fulmen infernum dicitur, *cum e terra exsiliunt ignes.* Senec. Nat. Quæst. II. 49. *Buleng. de Terr. mot. & fulm.* c. 7. Et plurimum brumali tempore. Hæc sæva, & exsecrabilia arbitrabatur Etruria, quia neque generalia essent, neque a sideribus venirent, sed a proxima, atque turbidiore natura, ea tamen multa Saturni sidere proficisci subtiliter conjectati sunt, sicuti quæ adurunt a Marte. *Pier. Valer. de Fulm. signif. Thes. Ant. Rom. Græv. Tom.* V. *p.* 598. *E.*

Fulmen monitorium vocatur, *quod monet: sed nescio quare non idem sit, quod consiliarium. Nam & qui monet, consilium dat: sed habet aliquam distinctionem. Ideoque separatur*

ratur a consiliario: quia illud suadet, dissuadetque, hoc solum impendentis periculi evitationem continet. Ut cum timemus ignem, aut fraudem a proximis, aut insidias a servis. Etiamnum tamen aliam distinctionem utriusque video. Consiliarium est, quod cogitanti factum est: monitorium, quod nihil cogitanti. Habet autem utraque res suam proprietatem. Suadetur deliberantibus, at ultro monentur. Senec. Nat. Quæst. II. 39. *Buleng. de Terr. mot. & fulm. c. 7. Brisson. de Form. I. p. 127.*

Fulmen nuptiale dici posset, quia nuptias portendere putabatur. Virg. Æneid. IV. 166.

> —— *prima & tellus, & pronuba Juno*
> *Dant signum, fulsere ignes, & conscius æther*
> *Connubii, summoque ulularunt vertice nymphæ.*

Claud. de Rapt. Proserp. II. 228.

> —— *ni Jupiter æthere vulso*
> *Pacificas rubri tersisset fulminis alas*
> *Confessus socerum: nimbis Hymenæus hiulcis*
> *Intonat, & testes firmant connubia flammæ.*

Buleng. de Terr. mot. & fulm. c. 15.

Fulmen obrutum vocatur, *quo jam prius percussa, nec procurata feriuntur.* Senec. Nat. Quæst. II. 49. *Buleng. de Terr. mot. & fulm. c. 7. Brisson. de Form. I. p. 127.*

Fulmen ostentatorium vocatur, quo terror incutitur. Lucret. V. 1218.

> —— *cui non conrepunt membra pavore,*
> *Fulminis horribili cum plaga torrida tellus*
> *Contremit, & magnum percurrunt murmura cœlum?*

Buleng. de Terr. mot. & fulm. c. 7.

Fulmen peremptale }
Fulmen postulatorium } V. supr. in *Fulgur.*

Fulmen prænuntium, quod alii *auctoritatis*, alii *inductorium*, nuncupant, est, quot aliquot ante annis aliquid alicui, vel publicæ, vel privatæ personæ eventurum præmonstrat. De hoc quæritur, an perempturum sit fatum, an aperturum potius alia fata quæ lateant. *Pier. Valer. de Fulm. signif. Thes. Antiq. Rom. Græv. Tom. V. p. 602. C.*

Fulmen regale vocatur, *cujus vi tangitur vel comitium, vel principalia urbis liberæ loca: cujus significatio regnum civitati minatur.* Senec. Nat. Quæst. II. 49. Vopisc. Prob. c. 23. *Quum imago Probi in Veronensi ita fulmine icta esset, ut ejus prætexta colores mutaret, aruspices responderunt, hujus familiæ posteros tantæ in senatu claritudinis fore, ut omnes summis honoribus fungerentur.* Buleng. de Terr. mot. & fulm. c. 7. & 17.

Fulmen siccum illud est, quod non adurit, neque colorem in rebus tactis vitiat, interdum levi quodam perstringit afflatu. Id genus etiam ventaneum appellaverunt, & posteritati magnarum rerum auspicia facere crediderunt. De hoc Anchises apud Virg. Æneid. II. 648.

> —— *ex quo me divum pater atque hominum Rex*
> *Fulminis afflavit ventis, & contigit igni.*

Pier. Valer. de Fulm. signif. Thes. Antiq. Roman. Græv. Tom. V. p. 600. D. Jun. Anim. V. 16.

Fulmen status, quod & sanctum appellatur, est, quod jam actum, transactumque sit, quum jam nihil minus interim exspectatur, divino accedente consensu, ratum firmumque futurum approbat. Senec. Nat. Quæst. II. 39. *Status est, ubi quietis, nec agentibus quidquam, nec cogitantibus quidem fulmen intervenit.* Pier. Valer. de Fulm. signif. Thes. Antiq. Roman. Græv. Tom. V. p. 602. F. Jun. Anim. V. 16.

FULMENTA est illud corium, quo calcei veteres, ac detriti suffulciuntur; seu quod substernitur calceis, cum reficiuntur, & nos Itali vocamus *taccone.* Lucill. apud Non. III. 98.

> *Sufficit huic: clavis fulmentas quatuor addit.*

Plaut. Trin. III. 2, 92.

> —— *quid ego nunc agam?*
> *Nisi ut sarcinam constringam, & clypeum ad dorsum accommodem:*
> *Fulmentas jubeam appingi soccis.*

Nigron. de Calig. c. 4. §. 9.

Fulmenta nuncupabantur etiam columnæ, quibus ædes *fulciuntur.* Sidon. Epist. II. 10.

> *Fulmentis Aquitanicis superba.*

id est, columnis e marmore Aquitanico in jugis Pyrenæis cæso. *Sirmond. & Savar. in Sidonium. Nigron. de Calig. c. 4. §. 9.*

FULVIA gens. }
FULVIANA gens. } V. illas infr. in *Gens.*

FUM.

FUMO cruci suffixi necabantur. V. supr. in *Cruciarius.* vinum vetustescebat. V. infr. in *Vinum.* Ejus motum observabant veteres. Scrutabantur enim, quas vertigines faceret, quantum se attolleret, & quo motu, recto ne an obliquo, vel in orbes contorto, ac complicato, agglomeratione quadam in tortiles spiras. Ovid. Trist. V. 6.

> *Aspice ut aura tumens fumos e thure coortos*
> *In partes Italas, & loca dextra ferat.*
> *Sensus inest igitur nebulis, quas exigit ignis:*
> *Consilium fugiunt cætera pœne meum.*
> *Consilio commune sacrum cum fiat in ara*
> *Fratribus, alterna qui periere manu:*
> *Ipsa sibi discors, tanquam mandetur ab illis,*
> *Scinditur in partes atra favilla duas.*

Lomej. de Lustrat. c. 14.

FUN.

FUNALIA erant cerea. Val. Max. III. 6. 4. *C. Duilius, quotiescunque epulaturus erat, ad funale cereum a cœna domum reverti est solitus.* V. infr. in *Triumphus.* supr. in *Duilius.* Fab. Agon. II. 10. Etiam in sacris ethnicis quondam sunt usurpata. Virg. Æneid. VIII. 281.

> *Jamque sacerdotes, primusque Potitius ibant,*
> *Pellibus in morem cincti, flammasque gerebant,*
> *Instaurant epulas, & mensæ Graja secundæ*
> *Dona ferunt, cumulantque oneratis lancibus aras.*

Laz. Comm. Reip. Rom. XI. 3.

FUNAMBULI inter eos, qui miracula patrarent, non postremum tenuerunt locum. Longa exercitatione docti, & agilitate corporis subnixi suspenso vestigio in *funibus* currebant. Tertull. de Pudic. c. 10. *Age tu funambule, qui tenuissimum filum pendente vestigio ingrederis.* Justin. ad Zenam. *Sursum, deorsumque per funem ire.* Niceph. Gregor. Hist. Rom. VIII. p. 244. B. *Deinde clausis oculis, assumpto in humeros puero, per aerem quasi ingrediebatur ab altero fune in alterum.* Artis enim fuit suspendere, & librare vestigia, ne in alteram partem flecterent: quod ut tutius fieret, pondera manibus apprehensa exæquabant, ut pari libramento ingrederentur. Gregor. Nazianz: in Apolog. *Ut iis, qui in ligno alto & suspenso ambulant, non tutum est in hanc vel illam partem propendere vel leviter; securitatem autem affert iis æquale libramentum.* Casal. de Trag. & com. c. 2. de Urb. ac Imper. Roman. splend. part. 2. c. 7. Buleng. de Theat. I. 41. Pignor. de Serv. p. 354. Mercur. Gymnast. III. 5. Barth. Adv. V. 19. Salmas. in Vopisc. Carin. c. 19. Pitisc. in Suet. Galb. c. 6. n. 1.

FUNDA fuit funiculus quidam, qui duobus capitibus manu capiebatur, altero cum ansula ne exiret, altero sine, ut dimitti posset, atque in medio latior erat, ut ibi lapis contineretur, quem, circumacto valide funiculo, & ab uno capite dimisso, vehementer projiciebant *funditores.* Quam projectionis formam duabus de causis a Phœnicibus, quos Plin. VII. 56. *fundæ* inventores fecit, repertam credo. I. ut minus manibus & lapidum asperorum attrectatione nocumentum accederet. II. ut longinquius, & majore impetu lapides projicerentur. Unde Davidem ad posternendum Goliathum *funda* uti voluisse existimo, quoniam adversus robustissimum gigantem maxima vi, &

maximo armorum impetu opus esse cognoverat. Hoc genus certaminis apud Balearium insularum populos usque adeo celebrabatur, ut matres filios suos aliis avibus vesci non paterentur, nisi quas *funda* sibi ipsis comparassent. Veget. I. 16. Unde *fundam Balearem* dixit Virg. Georg. I. 309.

Stuppea torquentem Balearis verbera fundæ.

Ovid. Met. II. 727.

Non secus exarsit, quam cum Balearica plumbum
Funda jacit: volat illud, & incandescit eundo.

Mercur. Gymnast. II. 12. Lips. Poliorc. IV. Dial. 2. Turneb. Adv. XXX. 32. Lyd. de Re milit. Rom. III. 9. Brod. Miscell. IV. 27. Valtrin. de Re milit Rom. III. 12. Stewech. in Veget. I. 16. Pigh. Annal. Rom. III. p. 73. Potter. Archæol. Græc. III. 4. Laz. Comm. Reip. Rom. IV. 15. Thys. de Oppugn. urb. IV. p. 182. Kipping Antiq. Roman. III. 2. §. 5. V. infr. in *Lapis*.

Funda etiam *stupea*, *aut ferrea pendebat ex uncis ferreis scorpionis*. Ammian. XXIV. 4. *Post machinam scorpionis architectus forte adsistens, reverberato lapide, quem artifex titubanter aptaverat fundæ, obliso pectore sauciatus profudit animam.* Similis casus a Suida narratur: *Rotundus lapis a machina in ejus architectum exsiluit, eique ambos oculos excussit. Funda* itaque ibi. Et ideo ipsas ballistas, sive monangone scripsit Heron a nonnullis *fundas* vocari. Et Græci commode utuntur verbo σφενδονᾷν. Zonar. in Constantino. Quin & ipsum instrumentum totum σφενδόνη dicta. Gloss. *Ballistra*, *σφενδόνη, μάγγανον πολεμικόν*. Gunther. Ligur. IX.

—— lapides agitata minores
Funda rotat, magnos Balearica machina muris
Incutit, & duro muntmina verberat ictu.

Lips. Poliorc. III. Dial. 3. Barth. Adv. XLVI. 23. Laurent. Polym. IV. Synops. II. §. 9.

Funda est genus retis. V. infr. in *Jaculum*.

Funda vocatur quoque pala, sive pars annuli, cui gemma inseritur. Plin. XXXVII. 8. *Quamobrem præstantiores funda clauduntur.* Græci σφενδόνην appellant, quæ vox significat *fundam*. Salmas. Exerc. Plin. p. 289. G. Kirchm. de Annul. c. 3.

Fundæ Achaïcæ *non simplex habena, ut Balearicæ, atque aliarum gentium, sed triplex scutale crebris suturis duratum, ne glans volutetur in jactu fluxa habena, sed librata cum sederit, veluti nervo emissa excutiatur.* Liv. XXXVIII. 29. Qui monet primum, laudatos istos funditores *Ægio*, *Patris*, *Dymis accitos*, id est, ex Achaïa, quæ gens hac laude clara. Suidas illustret, & illustretur. *Achaicum telum de iis, qui perite, & feliciter jaculantur: quoniam optimum inter omnia, aptissimumque ad obsidiones est tale hoc telum: dico telum funditorum ex Achaia.* Lips. Poliorc. IV. dial. 3. Laurent. Polym. IV. Synops. II. §. 9. Thys. de Oppug. Urb. IV. p. 183. V. & infr. in *Scutale*.

Fundæ dicuntur etiam crumenæ, zonæ, sive loculi, quod instar *fundæ* reticulatæ essent. Macrob. Sat. II. 4. *Quidam Græcus solebat Augusto descendenti a palatio aliquod epigramma in ejus laudem porrigere. Id cum frustra sæpe fecisset, rursusque eum idem facturum vidisset Augustus, sua manu in charta exaravit Græcum epigramma: pergenti deinde ad se obviam dedit. Ille legendo laudare, mirari tam voce, quam vultu, cumque accessisset ad sellam, demissa in pauperem fundam manu, paucos denarios protulit, quos Principi daret, adjecto: per tuam fortunam, Auguste, si plus haberem, plus dedissem. Fundæ*, sive loculi pauperum, zona vero opulentiorum fuisse videntur. *Ferrar. Elect.* II. 2. *Gentil. Parerg.* I. 22. *Cujac. Observ.* X. 26. *Voss. Lex. Etymol.*

FUNDANIA gens. V. illam infr. in *Gens*.

FUNDERE *est supina manu libare: quod fit in sacris supernis.* Virg. Æneid. IV. 60.

Ipsa tenens dextra pateram pulcerrima Dido
Candentis vaccæ media inter cornua fundit.

Serv. Æneid. VI. 244. V. illum infr. in *Vergo*. Stuck. de Sacrif. p. 149. Laurent. Polym. IV. Synops. 7. Var. sacr. gent. c. 19. Struv. Ant. Rom. c. 10. p. 486.

FUNEBRES ludi. V. illos infr. in *Ludi*.

Funebres tibiæ. V. illas infr. in *Tibia*.

FUNERA dicebatur mulier, quæ reliquias in sinu legebat, cum flamma quievisset. Serv. ad Æneid. IX. 487. *Funera, id est, funerea. Nam apud majores funereas dicebant eas, ad quas funus pertinebat, ut sororem, matrem.* Senec. ad Helvid. c. 11. *In eundem sinum ex quo tres nepotes emiseras, ossa trium nepotum recepisti.* Plutarch. Phoc. p. 759. A. *Mulier Megarica* Phocionis *ossa in sinu collegit*. Tib. I. 3. 5.

—— non hic mihi mater,
Quæ legat in mœstos ossa perusta sinus.

Kirchm. de Fun. Roman. III. 6. Guther. de Jur. man. I. 27. Meurs. de Fun. c. 23. Voss. Lex. Etymol. Herald. Advers. I. 7. Kipping. Antiq. Roman. IV. 6. I. Lips. in Senecam. Faes in Gyrald. de Var. sepel. rit. c. 12. Cerda in Virg. Æneid. XI. 212.

FUNES fiunt ex cannabe, lino, sparto: junco ait Plinius Græcos esse usos ad *funes*, nomini credamus χοῖνος, quo herbam eam appellant. Ex palmæ quoque foliis in oriente validos *funes* fieri, eosque in humore utiliores, moxque & ex philyra, manifestum est. Sed & ex arborum corticibus, scribit Theophr. Hist. Plant. IV. fiunt, ut ex ceraso detracto cortice, ex vite, & tilia. *Gyrald. de Navig.* c. 15. Fiebant etiam olim, si *funes* & nervorum copia deesset, ex muliebri capillo. Veget. III. 9. *Indubitatum est, crines feminarum in ejusmodi tormentis non minorem habere virtutem, Romanæ scilicet necessitatis experimento.* Capitol. in Maxim. Jun. c. 7. *Prætereundum ne illud quidem est, quod tanta fide Aquilejenses contra Maximinum pro senatu fuerunt, ut funes de capillis mulierum facerent, quum deessent nervi ad sagittas emittendas, quod aliquando Romæ dicitur factum.* De illis, qui Salonis erant obsessi Cæs. Bell. Civil. III. 9. *Præsectis omnium mulierum crinibus tormenta effecerunt*, non quod ex illis tormenta constarent, sed quod balistarum *funes* inde conficerent. Ctesibius de machinis bellicis hanc rationem conficiendorum, quos Græcos *tonos* appellare scribit, sic explicat. *Tonus & ex capillis fit muliebribus, illi enim cum sint tenues, & longi, multoque oleo nutriti, cum plectuntur, magnam firmitatem accipiunt, ut non differant a nervorum robore.* Casaub. in Capitolinum, Stewech. in Vegetium. Brant. Ursin. & Goduin. in Cæsarem. Bernegg. in Flor. II. 15. 10. Lips. Poliorc. III. 3. Toll. in Appian. de Bello Punic. p. 94.

Funes antarii dicuntur, qui in summa trochlea religantur, ducendi & reducendi ponderis gratia, ut facile in sua sede lapides collocentur. Vitruv. X. 3. *Antarii funes ante laxi collocentur, retinacula supra scapulas machinæ longe disponantur: & si non erit, ubi religentur, pali resupinati defodiantur, & circum fistucatione solidentur, quo funes alligentur.* Πρότονοι *funes* ejusmodi a Græcis nautis dicebantur. Homer. Odys. M. 409.

Mali rudentes, προτόνους, fregit venti procella.

Bald. Lex. Vitruv. Guther. de Jur. man. III. 15. Scheffer. de Milit. Nav. II. 5.

Funes lorei in torculari erant ad premendum. Illos quinque poscit Cato de Re rust. c. 12. ut singulis prelis suus sit, ut sua succula. *Turneb. Adv.* VIII. 6.

Funes subductarii in torculari subducunt, & tollunt prelum ope succulæ additis polyspastis. Et illos quinque poscit Cato de Re rust. c. 12. *Turneb. Adv.* VIII. 6.

FUNUS facere dicebatur dominus *funeris*, ad quem tota cura pertinebat. Festus: *Prætexta pulla nulli alii licebat uti, quam ei qui funus faciebat.* Etiam qui ossa componebat. Cicer. de Leg. II. 24. *Homini mortuo ne ossa legito, quo post funus faciat.* Et eleganter Plaut. Men. III. 2. 27.

Fecisti funus absenti me prandio.

Meurs. de Fun. c. 16. & 27. *Funus* facere, justa facere, & exsequi *funus* diversa sunt l. 2. in fin. & 3. ff. de in jus vocand. Nam qui *funus* indictum pompa funebri præcedente ducit, facit *funus*: qui sacrificio, quod *humanum* Festus appellat, rite peracto, glebam objicit, justa facit:

& qui denique cadaver proſequuntur, eos exſequi *funus*, exſequiasque frequentare dixerunt veteres. Qui *funus* faciebat, *funus* ducebat l. 14. §. 2. ff. de religioſ. *Si cui funeris ſui curam teſtator mandaverit, & ille, accepta pecunia, funus non duxerit.* . . . . Qui *funus* ſequebantur, exſequi *funus*, exſequiasque frequentare dicebantur. Sic de flamine diali Gell. x. 15. *Mortuum nunquam attingit, funus tamen exſequi non eſt religio.* Suet. Tib. c. 32. n. 3. *Quorundam illuſtrium exſequias usque ad rogum frequentavit.* Deniqui qui in ſepulcrum objicit glebam, eum juſta facere dicet Feſtus infr. in *Porca præcidanea.* Rævard. de Div. reg. jur. cxxxviii. Qui exſequias frequentabant, *funus* proſequi etiam dicebantur. V. infr. in *Proſequi.* Nefas aſpicere pontifici. Senec. Marc. c. 15. V. illum infr. in *Pontifex Maximus.* Et cenſori, cum luſtrum ſuum conderet. Dio liv. p. 541. C. V. & illum infr. in *Pontifex Maximus.* Tangere vero Imperatori. Suidas in Auguſto: *Auguſto Cæſare mortuo Tiberius & Druſus ducebant funus, cadaver nequaquam attingentes. Non enim licebat Imperatoribus.* Meurſ. ibid. c. 14. Lipſ. in Senecam. Kirchm. ibid. c. 21. Locare dicebatur de iis, qui certo aliquo pretio cum libitinariis ſolebant contrahere, ut omnem *funeris* apparatum ſuis ſumptibus præſtarent. Plin. vi. 52. *Romæ Corfidium materteræ ſuæ maritum funere locato revixiſſe, & locatorem funeris ab eo elatum.* Senec. de Tranquill. c. 11. *Dum illi hæres publicum funus eſurienti locat.* Kirchm. ibid. 1. 9. Publicum prætor, privatum quisque dominus curabat. Val. Max. v. 2. 10. *M. Cornuto prætore funus Hirtii & Panſæ juſſu ſenatus locante, qui tunc libitinam exercebant, tum rerum ſuarum uſum, tum miniſterium gratuitum polliciti ſunt.* Meurſ. ibid. c. 16. Dicebatur duci V. ſupr. in *Duci.* Ducebat *funeris* præſes, cui hæc cura teſtamento delegabatur, vel illam ultro ſuſcipiebat, ut M. Antonius in Julii Cæſaris *funere.* In hunc Cicer. Phil. ii. 36. *Tu funeri tyranni illius ſceleratiſſimi præfuiſti, tua illa pulcra laudatio, tua miſeratio, tua cohortatio. Tu, tu illas faces incendiſti, & eas, quibus ſemiuſtum latus illius eſt.* . . . Guther. de Jur. man. 1. 23. Caſal. de Urb. ac Imper. Roman. ſplend. part. 2. c. 21. de Prof. Roman. rit. c. 26. Quo die, qua hora, & a quibus elatum fuerit. V. ſupr. in *Cadaver.* Præcedebant mimi, ſive ſicinniſtæ, præficæ, ludii & hiſtriones, liberti orcini. V. ſingulos *ſuis locis.* Imagines, & honorum inſignia. V. infr. in *Imago.* Etiam triumphi, ſi viri triumphales eſſent. Lucan. viii. 733.

Præferat ut veteres feralis pompa triumphos.

Meurſ. ibid. c. 19. Qui & quo habitu proſecuti fuerint. V. ſupr. in *Exſequiæ.* Per forum ducebatur. V. ſupr. in *Cadaver.* Ad tubam, ſive ad tibiam. V. infr. in *Tibia.* Et pro Roſtris collocatum laudabatur. V. infr. in *Laudatio funebris.* Ibique interim quieſcebat: tum ad rogum efferebatur & in illo cremabatur. V. infr. in *Pyra.* quod erat *funus commovere*, de loco in locum tranſmittere. Varr. apud Non. ii. 703. *Funere familiari commoto, avito, ac patrio more precabamur.* Guther. ibid. c. 22. Et extra urbem ſepeliebatur. V. infr. in *Sepulcrum.* In illis nudis pedibus an inceſſerint. V. infr. in *Nudipedalia.* Ejus ſumptus in antiqua Roma modum non exceſſit. De Menenio Agrippa Val. Max. iv. 4 *Niſi a populo, collatis in capita ſextantibus, funeratus eſſet.* . . . Incertum, quot illo ævo capita in populo: ſed ſtatuamus centum millia fuiſſe, aut præter propter, contulerit hæc multitudo in ſextantibus circiter ſexcentos florenos. Eadem fere tempeſtate, id eſt, decennio ante, Valerium Poplicolam publico *funere* efferendum populus ſtatuit collato a ſingulis quadrante. Plutarch. in ejus vita p. 109. C. *Populus decrevit, ut publico funere efferretur, quadrantem ſingulis conferentibus.* Ecce, quadrantem unusquisque tribuit, id eſt, circiter octingentos quinquaginta Carolinos univerſi. At deinde, ut imperium Urbis crevit, ita civium quoque opes, & cum iis item luxus. Hujus exempla per ſaturam collegerunt *Meurſ. de Fun. c. 44. de Luxu Roman. c. 16. Quenſted. de Sepult. vet. c. 14. Guther. de jur. man.* iii. 19. Unius hominis cadaveri ambitioſe multiplicabantur *funera*, & idem pluribus lectis efferebatur. Hoc enim glorioſum ſibi putabant. Serv. Æneid. vi. 861. V. illum infr. in *Lectus funebris.* Sed cum hoc ineptum, & nimis ſumptuoſum eſſe putarent decemviri, lege lata id prohibuerunt. Veſtigia legis exſtant apud Cicer. de Leg. ii. 24. *Credo, quod erat factitatum, ut uni plura fierent, lectique plures ſternerentur, id quoque ne fieret, lege ſanctum eſt.* Rittersh. ad Leg. xii. tab. Claſſ. 1. c. 11. Modum & rationem hæredibus præſcribebant veteres. Senec. de Brev. vit. c. 20. *Quidam diſponunt etiam illa quæ ultra vitam ſunt, moles magnas ſepulcrorum, & operum publicorum dedicationes, & ad rogum munera, & ambitioſas exſequias.* Nep. 25. 22. 4. *Elatus eſt* Pomponius Atticus *in lecticula, uti ipſe præſcripſerat, ſine ulla pompa funeris.* Tacit. Annal. xv. 64. 5. *Exin balneo illatus, & vapore ejus exanimatus, ſine ullo funeris ſollenni crematur* Annæus Seneca. *Ita codicillis præſcripſerat, cum ſupremis ſuis conſuleret.* Etiam Imperatores: Auguſtus apud Suet. c. 102. n. 7. *Uno volumine mandata de funere ſuo complexus eſt.* Otho apud Suet. c. 11. n. 5. *Codicillos exaravit* Otho *ad Meſſalinam Neronis, quam matrimonio deſtinaverat, commendans reliquias ſuas, & memoriam.* Kirchm. de Fun. Rom. 1. 4. Moreſtell. Pomp. Feral ii. 30. 2. Briſſon. de Form. vii. p. 671. Propter pollutionem a *funere* contractam ter aqua ſe abluebant. V. ſupr. in *Abluebant.*

Funus acerbum eſt eorum, qui intra tyrocinii diem, & ante ſumptam togam virilem moriebantur. Senec. Epiſt. 123. *Quantulum enim a funere abſunt, & quidem acerbo, qui ad faces & cereos vivunt. Immaturas exſequias* vocat de Tranquill. c. 11. *Toties præter limen immaturas exſequias fax, cereusque præceſſit.* Juven. Sat. xi. 44.

Non præmaturi cineres, non funus acerbum
Luxuriæ; ſed morte magis metuenda ſenectus.

Quanquam Julianus Archiepiſcopus Toletanus *acerbum* ab immaturis hoc modo diſtinguit, ut illa ſint infantum duntaxat, hæc vero juvenum. Sic enim προγνωσ: vel de orig. hum. mort. 1. 51. *Tria ſunt genera mortis, acerba, immatura, naturalis. Acerba infantum, immatura juvenum, naturalis ſenum.* Græcis ἄωροι θάνατοι, vel ὀμφακίαι νεκροὶ dicuntur. *Kirchm. de Fun. Rom.* 1. 4. Eodem modo diſtinguit etiam ad Juvenalem *Grangæus.* Immaturum, tanquam magis luctuoſum, citius efferebant, ut parentum oculis ſubtraherent. Tacit. Annal. xiii. 17. 3. *Feſtinationem exſequiarum edicto Cæſar defendit, id a majoribus inſtitutum referens, ſubtrahere oculis acerba funera, neque laudationibus, aut pompa detinere.* Meurſ. de Fun. c. 8. Lipſ. in Senec. de Brev. vit. c. 20. in Tacit. n. 50. Ad cereos immixtis tamen facibus, efferebatur. V. ſupr. in *Cereus.*

Funus cenſorium fuit uſitatum majoribus. Illo ceremoniis omnibus, & pompa ampliſſima efferebantur non niſi viri magni, & optime de Republica meriti. Novo tamen homini Lucilio Longo pecunia publica patres decrevere apud Tacit. Annal. iv. 15. 3. Sed in Tiberii favorem, cui Lucilius omnium triſtium, lætorumque ſocius, unusque e ſenatoribus Rhodii ſeceſſus comes. Sic dictum opinor, quaſi in nimiam pompam, ut in opus cenſorium animadvertere cenſoribus licuiſſet, niſi juſſus prætoris adfuiſſet. *Vertran. in Tacitum.* Nimis velim ad manus mihi laurus ſit, quam mordeam: ita præcordia mihi ſaliunt ad riſum. Alii idem putant publicum, cenſorium, indictivum. Non audio. Arbitror ego *funus* publicum, & indictivum eadem: nec aliud eſſe, quam cum denuntiatur, & indicitur publicitus per præconem. Cenſorium partem ejus eſſe: id eſt, ut omne cenſorium publicum ſit, qui enim aliter honoratum eſſe poteſt? at non omne publicum cenſorium. Ut inter magiſtratus honoratiſſimi cenſores, isque cumulus quaſi reliquarum dignitatum: ſic inter *funera* illud primo loco. Capitol. Pertin. c. 15. *Funus imaginarium ei, & cenſorium ductum eſt.* Tacit. Hiſt. iv. 47. 2. *Funus cenſorium Flavio Sabino ductum.* Annal. xiii. 2. 5. *Decretum Claudio cenſorium funus.* Hoc eximium fuit, quod omnia in eo purpurea fuerint, veſtes ſtragulaque: in aliis tantum purpurea prætexta. Non obſcure annuere mihi videtur Polyb. vi. 51. *Ubi autem præclarus aliquis ex domeſticis*

obiit, instituant funeris apparatum, & circumfusi qui similes magnitudine ac statura videntur, vestes capiunt: si consul aut prætor fuit, purpura prætextas: si censor, purpureas: si triumphalis, auro intextas. E quibus suspicere distinctum censorium a triumphali fuisse, & hoc dignius. Mihi ita non videtur. I. quia nemo Latinorum triumphale nominat. II. quia censorium reperio principibus ipsis ductum, ut Claudio, ut Pertinaci, quos constat honestissimo affectos. III. quia illa ipsa ornamenta, quæ triumphali tribuit Polybius, reperire est in isto. V. Xiphilinum in *Severo.* Lips. in Tacit. Annal. IV. n. 43. Meurs. de Fun. c. 17. Kirchm. de Fun. I. 4. Guther. de Jur. man. II. I. Casaub. in Pertinacem. *Imperatorium* in Ælio vero c. 6. *Sepultus est imperatorio funere. Regium* in Opil. Macrin. c. 5. *Mandavit collegæ, ut Antoninum honorabiliter sepeliret ducto funere regio.* dicit Capitolinus. Quæ appellationes isti seculo magis conveniebant. *Kirchm. Casaub. & Guther. l. l.*

Funus collativum pertinebat ad honorem, aut ad necessitatem cum honore conjunctam. Hoc factum est I. Populi studio. Populus Romanus in Menenii Agrippæ, & Valerii Poplicolæ funus sextantes & quadrantes contulit. V. supr. in *Funus.* Et *Scipioni, qui Serapio cognominabatur, cum funeris impensa non esset in bonis, asses populus contulit, ac funus elocavit, quaque præferebatur, flores e prospectu omni sparsit.* Plin. XXI. 3. II. Senatus jussu. Et locabatur a quæstore, prætore, consule. Quæstores eos impensa publica extulerunt, quibus ad honorem sepulturæ nullæ facultates essent, ut Syphacem & Perseum captivos Reges. Sed celebrior ea impensa fuit, quæ ad honorem sepulturæ solum facta, atque iis concedi solita, qui magistratus, aut legati pro patria sanguinem profudissent: aut externi in legatione Romæ mortem obiissent. Prætor M. Cornutus *funus* Hirtii & Pansæ coss. jussu senatus locavit, cui libitinarii sestertio nummo exsequiarum apparatum tribuerunt caritate patriæ hac in re conducti, cujus ea vis est, ut sordidos homines, quæstuique addictos ad honestatem, liberalitatemque perpulerit. Consulibus Hirtio & Pansæ antea S&to mandata est Servii Sulpitii cura: cujus S&ti formam, honore ipso *funeris* ampliorem profert Cicer. Phil. IX. 6. *Guther. de Jur. man.* II. I.

Funus commune tacitum etiam vocabatur. Auson. Parent. X. 5.

Tu gremio in proavi funus commune locatus.

V. infr. in *Funus tacitum.* Kirchm. de Fun. Rom. I. 4.

Funus familiare erat, quod soli familiares deducebant. Nam cives primarii & nobiles, quorum magna esset familia, ea contenti nullos alios vocabant. Vocabantur autem etiam amici de meliore nota, quod illos amicitia quasi inseruisset familiæ, & vocabantur a liberto, pridie elationis. Varr. de Re Rust. I. 69. *Cum hæc diceret Stolo, venit libertus æditumi ad nos flens, & rogat, ut ignoscamus, quod simus retenti, & ut ei in funus postridie prodeamus.* Meurs. de Fun. c. 17.

Funus imaginarium vocatur, quod Pertinaci ductum est. V. Capitol. supr. in *Funus censorium.* Non est cenotaphium, ut videtur velle *Laz. Comm. Reip. Rom.* III. 18. nam hæc facta peregre tantum mortuis. Quid igitur? Dicam. In elatione principum virorum nonnullis etiam suæ imagines ponebantur. Nam multi, etsi censorio quidem *funere* efferrentur, non tamen habebant honorem imaginis collocandæ. Itaque censorium *funus* simpliciter legas apud Tacitum laudatum supr. in *funus censorium.* Imago ecce præterea posita. Tacit. Annal. IV. 15. 3. *Quanquam novo homini* Lucilio Longo *censorium funus, effigiem apud forum Augusti, publica pecunia patres decrevere.* Atque hoc imaginarium vocat Capitolinus, scriptor ejus ævi, quo non parum linguæ Romanæ decor cum imperio quoque suo declinabat. *Meurs. de Fun. c.* 17. *Guther. de Jur. man.* II. 2. & 18. *Kirchm. de Fun. Rom.* IV. 13. *Ferret. Mus. Lapid.* I. *Memor.* 26. *Boissard. Antiq. Roman. Tom.* II. *p.* II. Longe aliter capiendum esse, & Tacitum, & Capitolinum facile intelliget, qui rem paullo intentius examinaverit. Non enim Taciti locus probat, eodem tempore & *funus* ductum Lucilio, & effigiem in foro Augusti positam; sed honores a patribus decretos tantummodo recenset, qui simulne, an diversis temporibus redderentur, hinc quomodo cognosci queat, non video. Multo minus inde imaginarium *funus* dici posse liquet; esset illud nimis improprium; imaginarium enim idem est, quod assimilatum, non verum: cum videlicet aliquid fit ad veri speciem; sic *imaginarius Rex* Flor. II. 14. 4. *imaginarium jus* Flor. III. II. 5. *imaginaria militia* Suet. Claud. c. 25. n. I. *imaginaria venditio*, & *imaginarium prælium* I&tis dicuntur. Quapropter ita sentiendum est Pertinacis corpus antea quidem sepultum fuisse sub Juliano, sed Severum, postquam imperio admotus esset, denuo imaginaria quadam pompa exsequias illius iterasse, & consecrationem peregisse. Id ipsum clare docet Capitol. c. 14. *Julianus successor illius corpus ejus, quanto potuit honore, funeratus est, quum id in palatio reperisset.* Et c. 15. supr. in *Funus censorium.* Id innuit etiam Xiphil. LXXIV. p. 841. A. *Huic funus, etsi dudum obierat, ita factum est.* Figrel. de stat. Roman. c. II.

Funus immaturum. V. illud supr. in *Funus acerbum.*

Funus Imperatorium. V. illud supr. in *Funus censorium.*

Funus indictivum erat, ad quod per præconem convocabantur, qui exsequias irent. Festus: *Funus indictivum, ad quod per præconem evocabantur.* Cicer. de Leg. II. 24. *Reliqua sunt in more, funus ut indicatur, si quid ludorum.* Suet. Jul. c. 84. n. I. *Funere indicto rogus exstructus est.* Kirchm. de Fun. Rom. I. 4. Meurs. de Fun. c. 17. Noris. Diss. in Cen. Pis. III. I. Laz. Comm. Reip. Rom. III. 18. Ferret. Mus. Lapid. I. memor. 26. Boissard. Antiq. Roman. II. p. II. Erat amplissimum, & præter alium sumptuosum apparatum quoque ludis celebratum. Festus: *Indictiva funera sunt, quibus adhibentur non ludi modo, sed etiam desultores, quæ sunt amplissima.* Cicero modo laudatus. *Lips. Saturn.* I. 8. *Buleng. de Circo c.* 36. *Turneb. in Cicer. de Leg.* II. *p.* 164. *Kirchm. l. l.* Et hoc in tenuiorum etiam civium elatione factum. Animadvertere possumus ex Varr. de Ling. Lat. IV. 33. *Ex ædibus efferri indictivo funere præco etiam eos dicit, qui e tabernis efferuntur.* Nam in tabernis habitabant homines non sane primarii. Et ut alii ad magnificentiam, ac pompam faciebant, ita hi ex necessitate, ut honeste saltem *funus* efferretur: alii civium præcipuos curabant vocari, hi tantum vicinos. *Meurs. l. l. Guther. de Jur. man.* I. 20. Indictionis sollennia verba exhibent Terent. Phorm. V. 8. 38.

Exsequias Chremeti, quibus est commodum, ire jam tempus est.

Festus in Quirites: *Quiris singulare usurpatur nomen, ut indicio est præco, qui in funeribus indictivis ita pronuntiare solet: ollus Quiris leto datus est.* Plane ut in familiari; neque quicquam differentiæ, quam quod libertus ibi vocabat, hic præco indicebat. *Meurs. & Kirchm. l. l. Brisson. de Form.* VIII. *p.* 721. *Laurent. de Fun. c.* I. *Morestell. Pomp. Feral.* II. I. *Pitisc. in Suetonium.* V. & infr. in *Præco.*

Funus lacerum, & tumultuarium dicebatur illorum, qui non cito, aut non toti urebantur. Tales *nec numero, nec honore* combusti dicuntur Virg. Æneid. XI. 208. qui confuso lignorum acervo lento igni dabantur. *Numero* enim est cito. Plaut. Pœn. V. 4. 102.

Cur numero estis mortui?

id est, cur tam cito: Sic *rogo tumultuario levi cespite semiambustus est Caligula* apud Suet. c. 59. n. 2. *Guther. de Jur. man.* I. 24.

Funus larvatum dicebatur, quando facies ruina ædium detrita, vel alio casu mutila larvis velabatur. Clarum hoc ex Epitaphio veteri duorum conjugali prima nuptiarum nocte in toro conjugali ruina ædium oppressorum, quod Romæ adhuc conspicitur, cujus hæc sunt verba ultima: *Cari parentes luctu nec lacrymis misera ac larvata nostra defleatis funera, ne reddatis infeliciora.* Camerar. Oper. Subcis. I. 96. Kornman. de Mirac. mort. part. VII. c. 31. Kirchman. de Fun. Rom. II. 9. Quensted. de Sepult. c. 6. Morestell. Pomp. Feral. II. 10.

Funus

Funus militare arbitror dictum, quod non populus, ſed milites deducebant. Liv. III. 43. *Romam ferri protinus Sicciam placebat, ni decemviri funus militare ei publica impenſa facere maturaſſent.* Deducebatur incomptis ſignis. Tacit. Annal. III. 2: 2. *Tribunorum, centurionumque humeris cineres* Germanici *portabantur, præcedebant incompta ſigna.* Iisque verſis. Stat. Theb. VI. 214.

—— tum mæſta phalanx, Teucrique ſequuntur
Tyrrhenique duces, & verſis Arcades armis.

Ut & reliquis armis. Virg. Æneid. XI. 92.

—— verſis ducunt inſignibus ipſi
Grajugenæ Reges.

Servius: *Lugentium more mucronem, non cuſpidem haſtæ contra terram tenentes: ſcuta etiam invertentes, propter numina illic depicta, ne eorum ſimulacra cadaveris polluerentur aſpectu.* Efferebantur quoque arma ipſorum defunctorum, & producebatur equus inornatus ſine phaleris. Virg. ibid. n. 89.

Poſt bellator equus poſitis inſignibus Æthon
It lacrymans, guttisque humectat grandibus ora.

Et obtinuit hic mos multo quoque poſt, ſub Imperatoribus, etiam in non militari. Chryſoſt. ad Antiochen. Hom. III. *Divite aliquo mortuo non ſervos ſolos, & ancillas, ſed & equos neceſſarii ſacco amicientes, & agaſonibus tradentes ad ſepulcrum ſequi jubent.* Sane etiam hodie in magnatum exſequiis videmus uſitatum. Quandoque etiam flammæ, ad teſtandum luctum, arma ſua injiciebant milites, puta ſi Imperator deceſſiſſet. Suet. Jul. c. 84. n. 6. *Injecere flammæ & veteranorum militum legionarii arma ſua, quibus exculti funus celebrabant.* Meurſ. de Fun. c. 17. Lipſ. in Tacitum. Nicol. de Luct. Græcor. c. 11.

Funus plebejum tacitum etiam vocabatur. Prop. II. 10. 25.

—— adſint
Plebeji parvæ funeris exſequiæ.

V. infr. in *Funus tacitum.* Kirchm. de Fun. Rom. I. 4.

Funus publicum dicebatur ejus, quem ſenatus de ærario publico, & collecta populi ſtipe ſepeliret. Tacit. Ann. VI. 11. 5. *Piſo viginti per annos pariter probatus, publico funere ex decreto ſenatus celebratus eſt.* Suet. Vit. c. 3. n. 2. *Defunctum ſenatus publico funere honoravit.* Et ita Publicolam ſupr. in *Funus.* Lucilium Longum ſupr. in *Funus imaginarium* efferendum ſenatus decrevit. Ducebat ſenatus, & ad exſequias aderat univerſus populus. Quintil. Decl. 329. *Corpus illud omnibus, ſibique ipſi damnatum, publicis ſcilicet exſequiis efferemus? Hoc agite, ducatur ingens funeris pompa, eat primus ſenatus, & ordo ille ſanctiſſimus, quanquam recepta modo libertate lætus, vultus tamen habitusque ad mæſtitiam transferat: dum maxima multitudo quæque, dum univerſus denique populus luſtret atque ambiat rogum.* Et reverſus domum unusquisque, ut eſſet liberis tanquam incentivum ad virtutem, commemorabat, dicebatque, hæc præmia habere virtutem. Docet hoc Quintil. l. l. *Tum domum reverſi narremus liberis noſtris: hæc virtus habet præmia.* Meurſ. de Fun. 17. Lipſius in Tacitum arbitratur publicum & indictivum idem eſſe, quod idem eſt ac ſi diceret publicum a privato nihil differre. Indictiva enim plurima mere privata ſunt, licet per præconem populus evocaretur. Publica quidem indictiva fuerunt omnia: ſed non omnia indictiva publica. *Funus* unicuique privato indicere licuit. V. ſupr. in *Funus indictivum.* Guther. de Jur. man. I. 20. Ego publicum nunc idem cum indictivo fuiſſe exiſtimo, nunc tantum ejus partem. Idem eſt, cum omnem amplioris, ac ſplendidioris *funeris* apparatum denotat, quo ditiores potiſſimum, ac primores civitatis ſepeliebantur. De hoc Apul. Met. II. p. 61. *Ecce jam ultimum defletus, atque conclamatus proceſſerat mortuus, rituque patrio, utpote unus de optimatibus, pompa funeris publici ductabatur per forum.* Pars autem eſt, cum vel juſtitium indicitur, ac publicus luctus, vel ſumptus fiunt e publico. Utrumque quidem publicitus per præconem fuiſſe indictum arbitror: ſed alterum non niſi decreto ſenatus, alterum vero etiam privata interdum domini *funeris* auctoritate, puta, ſi quid ludorum, quos ditiores plerique poſt mortem ſuam ſibi fieri teſtamento ſolebant cavere. Atque hos omnes publicis impenſis *funeratos*, aut ob eorum mortem juſtitium indici ſolitum non fit mihi veroſimile; qui ſcio hujuſmodi *funere* efferri, habitum ſemper fuiſſe pro eximio aliquo honore, quem ſenatus, aut Imperatores viris illuſtribus, & bene de ſe, aut Republica meritis ſolebant decernere. Id quod δημοσίᾳ ταφῇ τιμᾷν, vel δημοσίᾳ θάπτειν, & *publico funere honorare* ſcriptores appellant. Dio LVIII. p. 633. D. XLVIII. p. 376. Suetonius ſupra laudatus. *Kirchm. de Fun. Rom.* I. 4.

Funus regium. V. illud ſupr. in *Funus cenſorium.*

Funus ſimpludiareum *eſt, cui adhibentur D. T. ludi corbitoresque: quidam dixerunt eſſe, cui neutrum genus intereſſet ludiorum.* Feſtus. *Kirchm. de Fun. Rom.* I. 4. *Guther. de Jur. man.* I. 4. *Ferret. Muſ. Lapid.* I. *memor.* 26. *Turneb. in Cicer. de Leg.* II. *p.* 164. *Meurſ. de Funere c.* 33. *Dempſter. Paralip. ad Roſin. Antiq. Roman.* V. 24. Dictum quaſi ſimpliludiarium. Indictivo enim duo adhibebantur, ludi & deſultores, ſimpludiareo ludi tantum. *Scalig. Lect. Auſon.* I. 28. *& in Feſtum.*

Funus tacitum dicebatur, quod fiebat ſine pompa, ſine deſignatore, ſine ludis, præcone, & indictione. Senec. de Tranquill. c. 1. *Vis tu nunc id agere, ne te poſteri taceant? morti natus es: minus moleſtiarum habet funus tacitum.* Ovid. Triſt. I. 3. 22.

Formaque non taciti funeris inſtar erat.

Aliis nominibus appellatur vulgare, commune, plebejum, tranſlatitium. *Kirchm. de Fun. Rom.* I. 4. *Meurſ. de Fun. c.* 17. *Lipſ. in Tacit. Annal.* IV. *n.* 43. *Guther. de Jur. man.* I 19. *Ferret. Muſ. Lapid.* I. *Memor.* 26.

Funus tranſlatitium tacitum etiam vocabatur. Suet. Ner. c. 33. n. 10. *Poſtero die raptim inter maximos imbres* Britannicum *tranſlatitio extulit funere.* V. ſupr. in *Funus tacitum.* Kirchm. de Fun. Rom. I. 4. Laz. Comm. Reip. Rom. III. 18. Guther. de Jur. man. I. 19. Boiſſard. Ant. Rom. Tom. II. p. 11.

Funus triumphale nemo Latinorum nominat, niſi forte Senec. ad Marc. c. 3. ubi Druſo *funus triumpho ſimillimum fuiſſe ductum* affirmat. *Kirchman. de Fun. Rom.* I. 4. De illo nihil ſe legiſſe teſtatur, vel idem cum cenſorio facit Lipſius. V. illum ſupr. in *Funus cenſorium.* Ego illuſtrabo, & me operæ pretium facturum, remque genuinæ antiquitatis admiratoribus gratam exiſtimo. Cernebantur igitur in omnia fere, quæ in vero triumpho. Ferebantur Regum ſociorum dona, & imagines devictarum urbium. Auctor conſol. ad Liviam n. 461.

Decurſusque virûm notos mihi, donaque Regum,
Cunctaque per titulos oppida lecta ſuos.

Comitabantur milites, tamque pedites, quam equites *funus* celebrabant n. 217.

Armataque rogum celebrant de more cohortes:
Et pedes exſequias reddit, equesque duci.

Aderat ipſa Ducis imago lauro, inſtar triumphantis, cincta n. 458.

Cingor Apollinea victricia tempora lauro,
Et ſenſi exſequias funeris ipſe mei.

n. 205.

Auctorisque ſui præfertur imagine mæſta,
Quæ victrix templis debita laurus erat.

Adeo ut vere Seneca jam laudatus Druſo *funus triumpho ſimillimum* ductum fuiſſe affirmet; quod nequaquam tale ob concurſus, & frequentiam, ut cenſet vir doctiſſimus, ſed quia triumphi decora, & ornamenta adhibebantur. Nam & Auguſti imago triumphali currui inſiſtebat. Dio LVI. p. 591. E. *Imago autem ejus cerea habitu triumphali conſpiciebatur: hanc a palatio deducebant conſules deſignati: altera aurea ex curia; tertia in curru triumphali ducebatur.* Non ignoro virum eundem vertere *pompali*, & intelligere carpentum, quo per pompam circenſem dii transvehebantur; ſed nullus dubito, quia Auguſto etiam triumphale

funus ductum sit. Ut enim ex Dione patet, omnium populorum, quos subegerat, imagines proprias vestes indutæ gerebantur, & quod telum acerrimum est, triumphali porta *funus* elatum. Dio ibid. p. 598. A. *Feretrum iidem, qui ante, sublatum triumphali porta ex Secto extulerunt.* Cuper. Observ. IV. 3.

Funus vulgare tacitum etiam vocabatur. Capitol. Anton. Phil. c. 13. *Tantaque clementia fuit, ut & sumptu publico vulgaria funera juberet fieri.* V. supr. in *Funus tacitum.* Kirchman. de Fun. Rom. I. 4. Guther. de Jur. man. I. 19.

FUR.

FUR Lavernæ deæ sua vota faciebat, ut instituta sua *furandi*, ac mentiendi fortunaret. Plaut. Cornicul. II. 8.

Mihi Laverna in furtis celebrassis manus.

Horat. Epist. I. 16. 60.

— pulcra Laverna
Da mihi fallere.

Acro in Horatium. Non. II. 509. *Tomas. de Donar. c. 42.* Ejus odio, quo magis pluribus actionibus teneretur, effectum. Justin. §. sic itaque Instit. de actionibus scribit, ut extra pœnam dupli, aut quadrupli, rei recipiendæ nomine etiam teneretur actione hac: *si paret, eum dare oportere:* quamvis esset etiam adversus eum in rem actio, *per quam rem suam esse petebat dominus.* Brisson. de Form. V. p. 453. Fugientem qui insequebantur, clamabant: *prehende furem.* Petron. c. 98. *Aniculæ eandem viam tentant, & per aliquot vicos secutæ fugientem, prehende furem, clamant.* Brisson. ibid. VIII. p. 720. Douza Præcid. in Petron. I. 8. In illos ad columnam Meniam triumviri capitales solebant animadvertere. V. supr. in *Columna.* Pollet. For. Rom. V. 14. Nardin. Rom. Vet. V. 7. *Furem noctu deprehensum lex* XII. *tabularum permittit occidere, ut tamen id ipsum cum clamore testificetur. Interdiu autem deprehensum ita permittit occidere, si is se telo defendat; ut tamen æque cum clamore testificetur.* Cajus ad edict. provinc. VII. l. itaque si servum ad leg. Aquil. XIII. l. si pignore p. furem. de furto. Cicer. pro Mil. c. 3. *Quod si* XII. *tabulæ nocturnum furem quoquo modo, diurnum autem, si se telo defenderit, interfici impune voluerunt.* Verba legis sunt apud Macrob. Sat. I. 4. *Si nox furtum factum sit, si im aliquis occisit, jure cæsus esto.* August. ad Leg. XII. tab. §. 29. Thys. Collat. Attic. & Roman. leg. Thes. Antiq. Græc. Gronov. Tom. V. p. 1393. C. Cujac. Observ. XIV. 15. Manus etiam illis præscindebantur. V. infr. in *Manus.*

Fur balnearius vocabatur, qui vestimenta eorum, qui lavatum ierant, surripiebat. Catull. XXXIII. 1.

O furum optime balneariorum.

Tertull. de Fug. c. 13. V. illum supr. in *Beneficiarius.* Erant hi inter servos. Et illorum *furtum* par sacrilegio; erant enim ἱερὰ θερμὰ λοῦτρα, ut loquitur Aristot. Probl. XXIV. 19. Difficile fuit horum insidiis resistere. Plaut. Rud. II. 3. 51.

— qui it lavatum
In balineas, ibi cum sedulo sua vestimenta servat,
Tamen surripiuntur: quippe qui, quem illorum observet, falsus est:
Fur facile, quem observet, videt: custos, qui fur sit, nescit.

Graviore pœna solebant affici, quia e publico loco, quam qui e privata domo aliquid tollerent. Aristot. Probl. XXIX. Hi namque re surrepta æstimata dupli condemnabantur: illi vero morte plectebantur. *Victor. Var. Lect.* VII. 17. *Demster. Paral. ad Rosin. Ant. Rom.* I. 14. *Ursin. Append. ad Ciaccon. de Triclin. p. 158. Matth. de Crimin. ad Dig.* XLVII. II. I. *Freher. Parerg.* II. 12. *Voss. Lex. Etymol. Dorleans in Tacit. p. 47. Wouwer. in Petron. p. 409. Rhod. in Scrib. Larg. p. 103. Beroal. in Apul. Met.* IV. *p. 439. Muret. in Catullum. Thys. de Rep. Athen. Thes. Ant. Græc. Gronov. Tom.* V. *p. 1372. A.*

FURCA est lignum plaustri, quo sustentatur temo. Plutarch. in Coriol. p. 225. C. *Lignum plaustri, quo adhæret temo.* Argol. in Panvin. de Lud. Circens. II. 2. Est illud in temone, quod Græci στήριγμα vocant. Plutarch. l. l. *Quod Græci hypostaten, & sterigma, id Romani furcam appellant.* Lignum erat bifidum. Plutarch. Quæst. Rom. 69. *Lignum duplex, quod curribus subjici solet.* Quod ait de curribus est valde obscurum, & nescio, an integrum. Quomodo enim lignum potest intelligi currui subjectum? An scribendum: ὃ τοῖς ἄξοσι ὑφιστᾶσιν? *lignum quod axibus rotarum subjiciunt.* Certe est illud bifidum lignum, quod priorem axem tenet, atque huc illuc flectit in itinere simul cum temone. Solent enim hodieque temoni utrinque adjungi ligna, quæ ab una parte coeunt, ab altera distant maxime literæ V. figura, quandoque temo ipse ab una parte *furcæ* specie dividitur. Στήριγμα appellant Plutarchus in Quæstionibus Romanis. *Lignum illud quidem nos steringem, Romani vero furcam appellant.* Et Hesychius. *Steringes sunt fulcra: quidam sic appellant illud bifidum, quod subdi solet jugo vehiculis τῆς ἁμάξης ζυγῷ.* Lips. de Cruc. III. 3. putat ῥυμῷ legendum. Ego nihil muto, plane enim per τὸ δίκρουν intellexisse integrum temonem arbitror, qui subdi jugo, & ad id loro alligari consuevit. Vocat autem δίκρουν Hesychius temonem, quoniam in *furcam* desinebat, non quod *furca* ipsa subdita fuit jugo. *Furca* enim pertinebat ad axem, non ad jugum. Nam quod Plutarchus ait, *furcam* illam sustentasse temonem, aliud est. Verba ejus sunt ista in Coriolano l. l. *Habebatur punitio servi, qui peccaverat, acerba, si lignum plaustri, quo sustentant temonem, circa viciniam portaret: ita enim punitum quum domestici & vicini vidissent, nullam habebant deinceps ei fidem; appellabantque eum furciferum.* Ex eo quod *furciferum* appellatum ait, manifestum, non de ligno alio sermonem esse, quam quod *furca* est Latinis. Hoc dicit sustentasse temonem, quia tenebat eum rectum inter equos, prolapsurum alias in terram, sicut hodieque fieri in vehiculis videmus. Nempe in extremo *furcæ*, ubi ligna duo maxime distant, addi lignum aliud transversum solet, quod subjectum mediæ arbori, axem posteriorem priori adjungenti, tenet *furcam*, & cum ea temonem, ne possint procidere. Atque istoc quidem voluit Plutarchus illis verbis. *Scheffer. de Re vehic.* I. 4. *Turneb. Adv.* IV. 1. *Hotman. Antiq. Roman.* V. *p. 757. A.* Servis non tam supplicii, quam ignominiæ causa ferenda imponebatur. Donat. in Terent. Andr. III. 5. 12. *Furciferi dicuntur, qui ob leve delictum cogebantur a dominis, ignominiæ magis, quam supplicii causa, circa vicinos furcam in collo ferre, subligatis ad eam manibus, & prædicare peccatum suum, simulque summonere cæteros, ne quid simile admittant.* Plutarchus modo laudatus. *Hotman. l. l.*

Furca instrumentum fuit bellicum in scalas usurpatum. Liv. XXVIII. 3. *Et jam qui erexerant ad murum scalas, furcis ad id ipsum factis detrudebantur.* Certum fuisse *furcæ* genus ostendit, oblongioris, credo, aut in pertica longiore. Scriptor in Suida: *Præparatæ & furcæ erant ad impediendam scalarum, ita appellant, admotionem.* Dupliciter igitur *furcæ* utiles, ad scalas ipsas rejiciendas, & resupinandas, sed & homines ipsos. *Lips. Poliorc.* V. *Dial.* I. *Thys. de Oppugn. Urb.* V. *p. 189. Laurent. Polymath.* IV. 2. 10.

Furca supplicii etiam fuit genus. Fuit vetus, est nova. De veteri ex antiquitatis tenebris elicio. I. potuisse esse facie, qua nostrum hodie patibulum: atque id ipsum reliquias, & exemplar esse a pœna prisca. *Per humeros, per pectus isse* mox dicet Dionysius: hoc in isto, si collo imponas. Obstat tamen huic, quod diserte ajunt *lignum duplex, biceps geminum.* Nam certe hoc triplex lignum est: etsi ista quoque forma *furca* olim dicta. II. Lignum fuisse geminum, quod a tergo per humeros, & ante per pectus, hominem medium includeret; atque ita rectum ad expansas utrasque manus iret. Forma, quam ingerere, & suadere videtur Dionys. VII. p. 473. *Vir Romanus haud ignobilis, quis ille fuerit* V. supr. in *Flagellatio. servum suum ad mortis supplicium tradens conservis aliis ducendum, ut conspicua, & illustris pœna hominis ejus fieret, per forum verberibus affectum trahere ipsos jussit, etsi quis alius in Urbe locus cele-*

celebris. Qui autem ducebant eum ad pœnam, manus ejus ambas extendentes, & ad lignum alligantes, quod circa pectus & humeros ad manuum volam pertingeret, sequebantur flagris cædentes sic nudum. Quid tamen hic simile *furcæ*? Quomodo in utroque isto ligno homo suspensus? Nam anterius illud incommodaverit, imo ad guttur strangulaverit. III. *Furcam* veram esse *furcam*, quam hodieque dicimus, & quam indicat Varr. de Ling. Lat. IV. 24. ubi vallum ἐτυμολογεῖ: *quod singula ibi extrema bacilla furcillata figuram habeant literæ* V. Pro hac sententia sunt I. quod *furca* δίκρανος in bonis priscisque glossis. Item *furcifer*, δικρανοφόρος. Atqui δικράνους Hesychius describit *eas, quæ ab uno initio, & capite in duo desinunt, tanquam duos fines habentes.* Est plane figura Varroniana, & literæ jam dictæ. II. quod in curribus hodie, qua temo cum axe coit, *furca* est sustentando illi, aut fulciendo. Qua mente Sidon. Carm. 22. n. 23.

Vite capistratas cogebat ad esseda tigres,
Intrabat duplicem qua temo racemifer arcum.

III. cum descriptione Dionysii mihi convenire videtur examussim. Da *furcam* istam paullatim divaricantem; ab humeris per pectus, & inde manus veniat; est illud ipsum lignum quod descripsit. Quo, nisi huc, referas Plauti carbonarium Cas. II. 8. 1.

— ego remittam ad te virum
Cum furca in urbem, tanquam carbonarium.

Ecce, qui lignarios fasces, aut carbonum saccellos hodieque ferunt, *furcam* jungunt, cujus caput cum exstantia aliqua bacillorum a tergo est; longiores duo fines diversi per pectus descendunt, & manu utraque, quasi ad contranixum, sustentantur. Atqui inquies, manus hic non in alto expansæ. Fateor, non in alto, expansæ tamen: & cum funibus traherentur, ligatis ad extremas manus, etiam protendebantur, & tollebantur. Quin alius locus Plauti, qui videatur ab hac modesta expansione, si attendis. Nam in Milite servus quispiam in ostio stabat, mulierculam redituram exspectans, & ne qua elaberetur. Ad eum servus alter II. 4. 6.

Credo tibi eundum esse actutum extra portam,
Dispessis manibus, patibulum cum habebis.

Si placet sententia prima, in trunco abscisso, in paxillo infixo, imo in fissura superne facta, potuit firmiter appendi. Si altera, tum sic censeo, ductos quidem cum duplici ligno ad crucem, sed non cum utroque in eam actos. Quod ante pectus, depositum putem: manus fixas in altero, atque id ipsum in trunco, paxillo, fissura, ut prius, firmatum. At si tertia sedeat, facilis suspensio, sive in ipsa *furca* defixa in terram simpliciter; sive cum ea in altiorem arborem, aut lignum sint sublati. Nova inferioris ævi est inventum. Ea est instrumentum e ligno triplici, forma jugi veteris, cui appensos homines laqueo strangulamus. Hodie quoque usum, & speciem hanc habet in pleraque Europa. Non & priscis cognita? Non arbitramur. Credo cœpisse, cum crux desiit, & vicariam illi factam. Isidori ævo non nomen hoc, & usum habuit. *Patibulum vulgo*, inquit v. 27. *furca dicitur, quasi ferens caput. Suspensum enim, & strangulatum hæc exanimat.* In libris legum, quas Tribonianus, atque ejus adjuvæ collegerunt, satis frequens hoc nomen, &, ut opinor, significatione novitia: quia sublato crucis supplicio, quidni etiam *furca* vetus? *Lips. de Cruce* III. 4-- 7. *Laurent. de Torment. c.* 7. *Cujac. ad Paull. Sent.* V. *tit.* 17. *Observ.* XVI. 1. *Hotman. Antiq. Roman.* V. *p.* 757. *B. Fab. Semestr.* II. 7. Figuras exhibet *Lipsius.* V. & infr. in *Patibulum*, & supr. in *Crux.*

Furcæ sepulcrales erant instrumenta, quibus alto sub rogi cinere calente rimabantur antiqui defunctorum concrematorum ossa semicombusta, intra paratas urnas recondenda. Tibull. I. 3. 5.

— non hic mihi mater,
Quæ legat in mœstos ossa perusta sinus.

Maternus tenerior affectus dilectissimi filii, priusquam in urnas ossa legens in sinu condebat, quousque reperisset omnia. Virg. Æneid. XI. 211.

Mœrentes altum cinerem, & confusa ruebant
Ossa focis, tepidoque onerabant aggere terræ.

Licet. de Lucern. VI. 5.

FURFANIA gens. } V. illas infr. in *Gens.*
FURIA gens. }

Furia lex. V. illam infr. in *Lex.*

FURIÆ sunt *deæ speculatrices, credo, & vindices facinorum, & scelerum.* Cicer. de Nat. Deor. III. 18. Erant autem *in terris Furiæ, in cœlo Diræ, apud inferos Eumenides.* Serv. Æneid. IV. 610. Græcis Erynnies, Plutonis ministræ, anguibus crinitæ, semper virgines; tres numero, Alecto, Tisiphone, & Megæra: quia trium animi perturbationum, iræ, cupiditatis, libidinis præsides. *Borrich. ant. Urb. Fac. c.* 16. §. 1. *Gyrald. Synt. deor.* VI. *p.* 209. *B. Struv. Ant. Rom. c.* 1. *p.* 182.

FURINA fuit dea antiquissima, *cujus honos apud antiquos. Nam ei sacra instituta annua, & flamen attributus: nunc vix nomen notum paucis.* Varr. de Ling. Lat. V. 3. Quænam fuerit illa, etiam antiquis obscurum. Cicer. de Nat. Deor. III. 18. interpretatur Furinam. *Cur non Eumenides? quæ si deæ sunt, quarum & Athenis fanum est, & apud nos, ut ego interpretor, lucus Furinæ.* Borrich. Antiq. Urb. Fac. c. 16. §. 1. Gyrald. Synt. deor. I. p. 52. G. VI. p. 213. D. Struv. Ant. Rom. I. p. 161. Siccam. in Fast. Kalend. Roman. c. 13. Ursat. de Not. Rom. Thes. Ant. Rom. Græv. Tom. XI. p. 725. B. Turneb. Adv. VI. 5. Stuck. de Sacrif. p. 42. Nardin. Rom. Vet. VII. 11.

FURINALIA sunt dicta *a Furina, quod ei deæ feriæ publicæ dies is.* Varr. de Ling. Lat. V. 3. Festus: *Furinalia, L. Furinalia, sacra Furinæ, quam deam dicebant.* Conveniunt hisce illa Kalendarii Maffejani ad XXIV. Julii. FURR. NP. LUDI. id est, *Furinalia nefastus primo, ludi.* Nardin. Rom. Vet. VII. 11. Ursat. de Not. Rom. Thes. Antiq. Rom. Græv. Tom. XI. p. 725. B. Siccam. in Fast. Kalend. Rom. c. 13. Stuck. de Sacrif. p. 42. Struv. Antiq. Rom. c. 8. p. 353. Gyrald. Synt. deor. I. p. 52. G. Perion. de Græcor. & Roman. Magistrat. III. Thes. Ant. Græc. Gronov. Tom. VI. p. 2813. F. Rosin. Antiq. Roman. IV. 11.

FURIOSUS erat in tutela agnatorum, & gentilium. Justinian. Instit. de cur. fur. *Furiosi quoque & prodigi licet majores viginti quinque annis sint, tamen in curatione sunt agnatorum ex lege* XII. *tabularum.* Cicero. V. illum infr. in *Gentiles.* Addit Justinianus, postea prætores, vel præfectum Urbi Romæ, præsides in provinciis solitos esse ex inquisitione curatores dare. *August. ad Leg.* XII. *tabul.* §. 11. *de Legib. in Lætoria. Rittersh. in leg.* XII. *tab. Class.* III. *p.* 1. *c.* 14. Dicebatur ille, qui mente quidem omnino captus non erat, sed cui mens ita commota erat, ita conturbata, ut accepta *furia*, familiari quadam rabie videretur exagitari, interdum tamen non sine dilucidis sanæ mentis intervallis, eosque Cajus *mente insanos* appellat. *Revard. Conject.* III. 18. *Rittersh. l. l.*

FURNUS est locus, in quo panes a pistoribus immissi decoquuntur, cujus os patens *præfurnium.* Plaut. Epid. I. 2. 16.

Malim istiusmodi mihi amicos furno mersos. . . .

Vetustum hunc *furnorum* usum, ac priscis Romanis familiarem notant Horat. Epist. I. 11. 12.

— nec qui
Frigus collegit, furnos & balnea laudat.

Juven. Sat. VII. 3.

--- cum jam celebres, notique Poetæ
Balneolum Gabiis, Romæ conducere furnos
Tentarent.

Quis primus repererit, liceat indagare. Seneca quidem Epist. 90. ostendit antiquos ex *farina aqua sparsa, & assidua tractatione perdomita, panem finxisse:* eumque ipsum *primo calido cinere, & fervente testa percoxisse: deinde furnos paullatim repertos, & alia genera, quorum fervor serviret arbitrio.* In individuo inventio Anno cuidam Ægyptio ad-

scribi-

scribitur, ut auctor est Suidas in *Αὐν@*. Rem utique vetustam esse argumento est vel solus locus Gen. c. 15. n. 16. ubi *furnus* fumans inducitur. *Hering. de Molendin. quæst.* 2.

FURTUM erat contrectatio fraudulenta lucri faciendi gratia, vel ipsius rei, vel etiam usus ejus, possessionisve, quod lege naturali prohibitum erat committere. Idque duplex: manifestum, & nec manifestum. Manifestum, cum res in manibus *furis*, antequam destinatum in locum ferretur, deprehensa erat. Nec manifestum, cum *fur* in faciendo quidem deprehensus non erat, sed cum *furtum* fecisse negari non poterat. De manifesto in XII. tabulis: *Qui noctu furtum faxit, aut interdiu telo se defenderit, eum domino cum clamore testificanti occidere jus esto. Si neque noctu, neque se telo defendens prehendatur, virgis cæsus ei cui furtum fecit, addicitor, servus verberibus affectus de saxo dejicitor, impubes arbitratu prætoris verberator.* Nec manifesto ex lege XII. tabularum proposita pœna erat dupli: & prætoris edicto quadrupli. *Sigon. de Judic.* I. 5. *Schel. in Polyb. c.* I. *Thes. Antiq. Rom. Græv. Tom.* X. *p.* 1178. *D. Rhodg. Ant. Lect.* X. 6. *Augustin. ad Leg.* XII. *tabb.* §. 29. *Faber Semest.* I. 22. *Rævard. ad Leg.* XII. *tabb. c.* 26. *Rittersh. ad Leg.* XII. *tab.* §. 3. *Class.* III. *p.* 2. *c.* 30. *Caroli Antiq. Rom.* III. 9. *Thys. Rom. Illustr.* V. *p.* 142. *Kipping. Antiq. Rom.* XII. 4. I. Ratio diversitatis pœnarum hæc est: quia in manifesto *furto* major versatur impudentia, atque improbitas; majori autem delicto major debetur pœna. Pœnam autem dupli *furto* nec manifesto per legem XII. tab. fuisse propositam patet tum ex Gell. XI. 18. *Furtis omnibus, quæ nec manifesta appellantur, pœnam imposuerunt dupli.* tum ex Caton. de Re rust. procem. *Majores nostri sic habuerunt, & ita in legibus posiverant, furem dupli condemnari.* Quadrupli pœna *furto* manifesto, non ex XII. tab. sed ex jure prætorio. §. 2. Instit. de perpet. & tempor. action. *Furti manifesti actio, quamvis ex ipsius prætoris jurisdictione proficiscatur, tamen perpetuo datur. Non omnes actiones, quæ in aliquem aut ipso jure competunt, aut a prætore dantur, & in heredem æque competunt, aut dari solent. Est enim certissima juris regula, ex maleficiis pœnales actiones in hæredem rei non competere, veluti furti. . . .* Deinde nocturnum, & diurnum. Exstat hæc divisio in lege divina Exod. c. 22. n. 2. 3. & in XII. tab. Verba legis de *furto* nocturno XII. tab. hæc fuerunt, quantum colligimus ex Macrob. Saturn. I. 6. *Si nox*, id est, noctu, sive nocte, quod Græcis est *νύκτωρ*, *furtum faxit, & im*, quod veteres dicebant pro eum, *aliquis occisit, jure cæsus esto.* Alterius capitis de *furto* diurno verba quidem ipsa non exstant: sententia ex variis collecta auctoribus hæc refertur: *ut si quis luce furtum faceret, seque telo defenderet, domino cum clamore testificanti, eum occidere jus esset.* Rittersh. l. l. Hotman. Antiq. Roman. III. 3. p. 461. A. *Furtum se dolo malo in castris non facturos, cum scriberentur, jurare* debebant milites, ut docet Cincius de Re milit. apud Gell. XVI. 4. Quæ pœna, si quis in hac culpa, non docet. Polyb. VI. 35. *Fuste percutitur, qui furto aliquid abstulit e castris.* Non hic quadrupli, aut alia mitior pœna? nulla, sed abscissa omnia, ut in cætero delicto militari. Exempla etiam posteriore ævo reperio. Suet. Tib. c. 60. n. 3. *Is militem prætorianum, ob surreptum e viridario pavonem, capite punivit.* Spartian. Pescenn. c. 10. Pescennus Niger *ob unius gallinacei direptionem, decem commanipulones, qui raptum ab uno comederant, securi percuti jussit.* Lips. de Milit. Rom. V. Dial. 15. Oisel. in Gellium. Sichterman. de Pœn. milit. c. 3. Per lancem & licium non fiebat, sed perquirebatur & concipiebatur. Leges XII. tabb. *Furta per lancem liciumque concepta, sicut manifesta, vindicantor.* Gell. XI. 18. *Ea quoque furta, quæ per lancem liciumque concepta essent, proinde ac si manifesta forent, vindicaverunt. Sed nunc a lege decemvirali illa discessum est.* De hoc Festus: *Lance & licio dicebatur apud antiquos, quia qui furtum ibat quærere in domo aliena, licio cinctus intrabat, lancemque ante oculos tenebat propter matrum familiæ, aut virginum præsentiam.* Cum quis sibi *furtum* esse factum querebatur, remque *furtivam* in ædes Titii a *fure* deportatam esse, si eam forte ibi reperiret, & comprehenderet, nec Titius eum ingressu prohiberet, *furtum* conceptum dicebatur. Quod si vel in atrio eam non reperiret, sed in interioribus ædibus depositam collocatamque diceret, ut in gynæconitide, ubi mulieres manebant, quo non admitteretur: aut postremo, ne in atrium quidem ingressum Titius permitteret: lex concedebat ei, qui *furtivam* rem quærebat, ut se accingeret licio, quo expeditior ad quærendum esset: & lancem oculis opponeret, ne aut mulieribus aut virginibus, quæ in gynecæo essent, videretur: ab iis enim alienos viros cerni veteres nolebant. *Turneb. Adv.* XXX. 23. *Augustin. ad Leg.* XII. *tabb.* §. 29. *Scalig. ad Festum. Oisel. in Gellium. Barth. Adv.* VIII. 5. *Rhodig. Ant. Lect.* X. 6. *Cujac. Observ.* XXIII. 19. *Rævard. in Leg.* XII. *tab. c.* 27. Certe hic erravit, sive Paullus sit, qui nobis hunc morem conscripsit, neque enim qui licio cinctus erat, idem & lancem habebat ob oculos, qui enim *furtum* quærere potuisset? Quærere *furtum* per lancem & licium dicebatur rei furtivæ dominus, cum adhibito servo publico, qui licio cingebatur, ædes intrabat, quæ sibi *furti* suspectæ erant, ipse lancem habens ob oculos, ne cum in gynecæum intraret, corrumpendi feminas potius, quam *furti* quærendi causa videretur ingressus. *Dacer. ad Festum, Pith. Subc.* I. 2. Hunc morem Romani ab Atheniensibus accepere. Apud quos qui res furtivas quærebant, nudi cinticulo, quod licium vocarunt Romani, amicti ædes suspectas intrabant, cum prius deos essent contestati, se inveniendi spe quærere. Plato de Leg. XII. Inde Aristoph. Nub. I. 6. 42.

Depone vestem. Quid peccavi?
Nihil, verum nudos intrare lex jubet.
Atqui nihil furaturus ego quidem introeo.

Rationem dicit Scholiastes esse hanc, *ne quid forte vestibus conditum inferrent, dominoque ædium falsum crimen objectare possent.* Oisel in Gellium, Scalig. & Dacer. in Festum.

FUS.

FUSTIBALUS est vox novitii ævi, nescio an res ipsa. Appellant ita fundam *fusti* alligatam, quo incusso lapidem scite, & robuste emittunt. Veget. III. 14. *Fustibalus fustis est longus pedibus quatuor, cui per medium ligatur funda de corio, & utraque manu impulsus, prope ad instar onagri dirigit saxa.* Hoc genus veteribus fuit in usu, & librile appellabatur. V. infr. in *Librilia*. Lips. Poliorc. IV. dial. 3. Laurent. Polym. IV. 2. §. 9. Thys. de Oppugn. urb. IV. p. 184.

FUSTIUM admonitio, quæ differt a *fustuario*, sive *fustigatione*, inter corporis coercitiones enumeratur ab Ulpiano, & Callistrato l. 6. & 7. ff. de Pœnis, militibus ac paganis simul inflicta, quæque eos officii tantum commonefaciebat, & ne simile quid, aut pejus posthac committerent, erudiebat, unde *κατ' ἐξοχὴν* animadversio dicta est, quod animadvertendi tantum gratia fieret; cum condemnati *fustuario* ad mortem usque cædi solerent. V. Polybium infr. in *Fustuarium*. Ideoque percutere in *fustigatione*, ut docet Voss. ad Paterc. II. 78. nihil aliud quam *φονεύειν*, & percussores *φονεῖς*. *Sichterman. Dissert. de Pœn. milit. c.* 2. *&* 12.

FUSTUARIUM, sive *fustigatio*, *ξυλοκοπία*, quod criminis noxii *fuste* percuterentur, nunquam flagellis, aut flagris, quod servorum proprium supplicium fuit. Callistr. l. 38. §. 11. de Pœnis. *Non omnes fustibus cædi solent, sed hi duntaxat, qui liberi sunt.* Sichterman. Dissert. de Pœn. milit. c. 2. Fuit pœna vigiliis, aut circuitioni neglectæ. Describit Polyb. VI. 35. *Fustem capiens tribunus condemnatum leviter tangit & delibat. Quo facto, omnes qui in castris sunt, ferientes alius fustibus, alius lapidibus, plerosque in ipsis castris occidunt. Quod si quis evaserit, nec sic salvus erit: quomodo enim? cui nec in patriam reditus, nec quisquam e necessariis tecto eum receperit. Itaque planissime pereunt, quos ea calamitas attigit.* Hic lictores non sunt administri, aut carnifex, sed tribunus signum modo dat, & objicit multitudini militari. An quia honestior illa mors? an quia tristior, & magis in animos penetrabat id exemplum? Profecto enim triste, commilitonum, & commanipularium mani-

manibus interfici. Servatum postea, & bello Hispaniensi *miles, qui fratrem suum in castris jugulasset, interceptus est a nostris, & fusti percussus.* ut tradit Hirt. de Bell. Hispan. c. 27. Et Dolabella sub Tiberio *decimum quemque ignominiose cohortis fuste percussit* apud Tacit. Annal. III. 21. 1. *Lips. de Milit. Rom.* V. *Dial.* 18. *Thys. Rom. Illustr.* V. *p.* 150. *Valtrin. de Re milit. Rom.* VI. 8. *Patric. Rei milit. Rom. part.* XI. *sect.* 1. *Robortell. de Pœn. milit. Thes. Antiq. Rom. Græv. Tom.* X. *p.* 1483. *E. Sigon. de Antiq. jur. civ. Rom.* I. 15. *Gatak. Miscell. Postum. c.* 46. *Turneb. Adv.* XXVIII. 34. *Rhodig. Lect. Ant.* X. 5. *Laz. Comm. Reip. Rom.* IV. 8. *Laurent. de Polym.* IV. *Synops.* 3. *de Rebusp. c.* 7. *Stewech. in Veget.* I. 26. Si ex nostrorum militum ingenio judicare licet, nullam hanc tristitiæ rationem esse puto, licet ita Lipsio visum. Quis enim, qui morum militarium non plane ignarus est, nescit? milites nostros summo sibi honori ducere, cum mortem meruerint, si sclopetis a commilitonibus interficiantur, **harquebuzeren** / & in ea calamitate illis solatii, & unicum tristitiæ lenimentum hoc mortis genus esse; cum ex adverso sibi, suisque turpissimum putent, si a carnifice morti tradantur, & inde magnam justamque tristitiæ causam nostris moribus habeant. *Sichterman. Differt. de Pœn. milit. c.* 2. Delictorum, & criminum, ob quæ infligebatur, erant quatuor genera. Horum I. est furtum, cum nempe quis e castris aliquid furatus esset. Hoc se non facturos, dum conscriberentur, jurabant milites. V. supr. in *Furtum.* II. perjurium, ob duas causas, damnum nempe, quod decepto ex perjurio oriebatur, & ob temeratam fidem, quæ diis obstricta erat. III. Si quis juvenis in flore ætatis, incipiebant enim Romani militare anno ætatis decimo octavo, corpore suo abusus esset. Hoc tamen non solebant omnes Imperatores punire, quoniam frater Flaminii scortum secum habuisse, & suo exemplo fenestram aliis ad libidinem, & licentiam aperuisse legitur. Temporibus vero posterioribus crimen hoc prorsus impunitum esse cœpit. IV. si quis ob crimen aliquod, quod per se quidem capitale non erat, jam ante ter damnatus esset. Is enim, si quarto reus esset ejusdem criminis, *fuste* percutiebatur, quasi qui ob summam ad delinquendum proclivitatem vita esset indignus. Recensentur hæc a Polyb. l. l. *Fuste percutitur is, qui aliquid e castris fuerit furatus, item qui falsum testimonium dixerit, nec non si quis in flore ætatis male usus corpore fuerit deprehensus, adhæc is, cui ter eandem ob causam mulcta fuerit irrogata.* Patric. ibid. sect. 3. Voss. in Paterc. II. 78. Sichterman. ibid. c. 3. Caroli Antiq. Roman. III. 9. Lips. & Thys. l. l. *Et hæc ut crimina puniunt*, addit ille. *Ignaviæ vero, & flagitio militari vertunt hujusmodi delicta: si qui præmii adipiscendi causa forte aliquod facinus suum ad tribunos falso retulerint. Similiter si qui in statione constituti locum ubi locati fuerant, formidinis ergo deseruerint: itemque si quis in ipso prælio armorum aliquam partem captus metu abjecerit.* V. singula suis locis. *Sichterman. ibid. c.* 4. *Lips. l. l.* Sed unde, inquies, genus hoc castigationis? Tarquinium Superbum primum apud Romanos introduxisse scribit Eutrop. II. Et illi adstipulatur Suidas in voce Σύπερβος. *Stewech. l. l. & Gothofr. ad l.* 7. *ff. de pœnis.* A quibus hæc Superbo adscribi miror. Græcus enim Lexicographus supplicia ab illo excogitata enumerans, nullam *fustium* mentionem facit, sed μάστιγας, id est, flagella invenisse scribit, quæ cum ita a *fustibus* fuerunt diversa, ut nunquam ingenuo, & militari corpori admota sint: non satis intellecta voce Græca, hæc tradidisse, vel *fustes* a flagellis in *fustuario* inaccurate distinxisse viros doctissimos non temere credo affirmaverim. Sileo quod in laudato Eutropii loco nihil de *fustibus*, ejusque auctore Tarquinio Superbo reperias. Quanto rectius secuti essent viri docti auctoritatem Isidor. V. 27. qui præter lautumias, tormenta, metalla, exsilia, *fustes* quoque Tarquinium adinvenisse scribit. Sed monendum de Romanis tantum Isidorum loqui, cum dubitandum non sit, multis seculis ante Superbum, & ante inventam ferri fabricandi artem, sicuti *fustibus*, & clavis, cum armis destituerentur primi terrarum incolæ, eos bella gessisse legimus: sic sceleratorum hominum impietatem, ferri inopia, *fustibus* coercuisse, quod adeo invaluit, ut invento jam ferro, cum alia instrumenta in promptu essent, in nonnullis tamen pœnis exigendis, *fustibus* præ ferro uti maluerint subsequentium temporum homines. *Sichterman. ibid. c.* 2.

FUSUS est instrumentum filandi, sive lanificium in telas attenuandi. *Hos ne mulieres per itinera ambulantes torqueant, aut omnino detectos ferant, quoniam id adversetur omnium spei, præcipueque frugum, pagana lege in plerisque Italiæ prædiis cavetur.* Plin. XXVIII. 2. *Laurent. de Spons. & nupt. c.* 1. Argenteus mulierum sepulcris appensus. Ditmar. II. p. 25. de filia Othonis Magni Imp. Conradi Franconiæ ducis uxore: *In Ecclesia Christi martyris Albani in Moguntia flebiliter est sepulta, cujus fusum argenteum in ejus memoria ibidem est suspensum.* Ita olim Tanaquilæ, Tarquinii Prisci uxori, statuam posuere Romani, lanam, fusum, & colum tenentem, in probitatis, & virtutis muliebris argumentum. Plin. VIII. 48. *Lanam cum colo, & fuso Tanaquilis, quæ eadem Caja Cæcilia vocata est, in templo Sangi durasse, prodente se, auctor est M. Varro.* Plutarch. Quæst. Rom. 30. *Cui Cajæ in Sancti templo statua priscis temporibus posita fuit cum sandaliis & fuso: quæ domi actæ vitæ, industriæque sunt signa.* Du Fresne Glossario.

G.



nova est consonans. V. supr. in *C.* Dausq. Orthog. I. 5. hanc rationem delumbatam esse dicit, *Nam*, inquit, *cum C scriberetur, nondum adinvento G, credibile cuiquam est C sonuisse sonore ipsius G? Non opinor, non enim erat; quonam igitur ore exprimerent?* Miror contendere de veterum pronuntiatione cum Quintiliano, aliisque vetustissimis Latinæ linguæ magistris. Litera C non eodem sono in omnibus vocibus efferebatur; nam in quibusdam sonum *G* præferebat. Hinc Sp. Carbilius Carbilii libertus paullo post initium sexti seculi parvo apice inferiorem partem C signans, teste Plutarch. Quæst. Rom. 53. literam *G* præformavit, qua postea Latini usi sunt in iis verbis perscribendis, quæ diverso sono a cæteris, in quibus erat C efferebantur. In prænominibus Caji & Cneji eadem vetus litera C remansit, quæ tamen uti antiquitus *G* sonum habebat. Equidem Cajum cum sono *G* Gajum pronuntiatum Quintilianus testatur. Cur vero literam *G* non adhibebant, nisi ob reverentiam vetustissimi prænominis C litera designati? *Noris. Cenot. Pisan. Differt.* IV. *c.* 5. *Ciaccon. Columm. Rostr. Thes. Ant. Rom. Græv. Tom.* IV. *p.* 1817. *D.* Alii nimis crasse, alii quasi zeta proferunt, quum medio quodam sono sit efferenda. *Calcagn. Rhet. Comp. Oper. p.* 442.

G est litera numeralis, quæ 400 denotat: unde versus:

G quadringentos demonstrativa tenebit.

Seu, ut habet Ugutio,

Ergo quater centum G nunc caudata. . . .

Eidem literæ, si linea recta superaddatur, quadringenta millia significat. *Du Fresne Glossario.*

G in pluribus rescriptis, & diversis titulis singulariter scripta invenitur, ut in lege 10. 12. 18. 19. 20. 24. 27. C. de rei vendic. quæ sunt Diocletiani: in lege 3. C. ne filius pro patre: *Jure manifesto cautum est. G. V. Kal. Maji.* In lege etiam 1. & 4. C. de usufr. & habitat: P. P. G. Id. Mart. quæ sunt Severi & Alexandri. In illis *Gesta* significare existimo. Meam opinionem tuetur, quod ex lege Honorii ad Julianum proconsulem Africæ l. fin. C. de re judic. l. 55. C. de hæret. *Gesta, quæ sunt translata in publica monumenta, perpetuam habent firmitatem.* Gesta ergo, quæ in publico lata sunt, faciunt fidem, quia ex his fides constat, ut v. g. cum de rei vendicatione

 agitur,

agitur, in qua *G* scripta est, ad Gesta recurrendum est. Quare in omnibus his rescriptis, quibus litera *G* apponitur, quod statutum est ex veteribus monumentis, census auctoritate, instrumentis, contractibus, quibus Gestorum fides constare videtur, significatur. *PP. G* proposita gesta dicuntur, cum nulla instrumenta proferuntur, sed nuda gestorum narratio, quæ apud Judicem probari debet. *Guther. de Offic. dom. Aug.* I. 36. *Ursat. de Not. Rom. Thes. Ant. Rom. Græv. Tom.* XI. *p.* 730. *E.* 912. *B.*

G & B sæpe confunduntur, ut galbuli, valguli. Et quos hodie blerellos vocamus, haud scio, an ita dicti sint quasi glerelli. *Salmas. Exerc. Plin. p.* 223. *F.* 899. *a. D.* V. & supr. in *B.*

G pro C plerumque usurpant antiqui librarii etiam Latino more, ut Gallæci pro Callaïcis. Et inde proclivis lapsus apud Solin. c. 20. de Carmania Germaniam facere. *Salmas. Exerc. Plin. p.* 170. *b. B. Capitol. Pertin. c.* 9. *Vaillant Numism.* I. *p.* 27.

G & I sæpe invicem mutabantur. Ita a sagis, quibus muniebantur, sagones appellavit posterior ætas, vel corrupta voce saiones. Hoc in lingua Gallica frequens est in iis vocabulis, quæ ex Latino sunt deflexa. Nam & sagum saie dicimus, & togam soie, & dogam doie, & similia sexcenta. In veteribus etiam libris non raro reperitur. In vetustissimo Flori libro toiam pro toga scriptum reperi. Et Ilycias pro Glycias hodieque legitur apud Suetonium. *Salmas. in Spartian. Adrian. c.* 11. *Exerc. Plin. p.* 153. *a. C.*

G loco ῥῶ inversi pingebatur. V. supr. in *Coppatiæ.*

Γ in σ frequenter Latini vertebant in his vocibus, quas ex Græco mutuabantur. Miser dixerunt ex Græco *μυγερὸς.* *Salmas. Exerc. Plin. p.* 23. *a. G.*

GAB.

GABALUS crux dicebatur. Varr. apud Non. II. 373. *Nos barbari, quod nocentes in gabalum suffigimus homines, vos non barbari noxios absolvitis.* Lips. de Cruce I. 2. Casaub. in Capitol. Opil. Macrin. c. 11. Cerd. Adv. c. XL. n. I. CLXVI. n. 74. Voss. Lex. Etymol. Inde *gabalus* dicitur homo cruce dignus: sicut apud Lucillium carcer, qui propter scelera habitat in carcere. Macrin. apud Capitol. l. l.

Si talem Grajum retulissent fata poetam,
Qualis Latinus gabalus iste fuit.

Casaub. l. l.

GABATA est genus lancis. Mart. VII. 47. 3.

Transcurrunt gabatæ, volantque lances.

XI. 32. 18.

Sic implet gabatas, parapsidasque.

Baccius de vin. & conviv. p. 155. Buleng. de Conviv. IV. 10. Du Fresne Glossario. Cerd. Adv. XXXVI. 4. Rader. & Calder. in Martialem: Voss. Lex. Etymol. *Gabatarum* nomen nostra retinet lingua: sed, ut assolet, lacessitum, & diminutum: nam *gatas* vocamus media expuncta. *Turneb. Adv.* XXV. 24.

GABELLE est vectigal in Gallia salinarium. Hæc vox Italica indictionem omnem, & præstationem pro rebus mobilibus, aut se moventibus significat. *Buleng. de Vectig. c.* 96. *Du Fresne Glossario.*

GABII Tibure ab urbe Roma viæ dimidio propius abfuerunt, nimirum citra Præneste, in via ipsa Prænestina, procul ab Urbe stadiis centum, ut inquit Dionys. IV. p. 252. *Sigon. de Ant. civ. Rom.* I. 2. De *Gabiorum* situ multa *Kircher. Lat. vet. & nov. Part.* IV. *c.* I. *Cluver. Ital. Ant.* III. 4. §. 33. *Leand. Ital. p.* 235.

GABINA porta. V. illam infr. in *Porta.*

Gabina via. V. illam infr. in *Via.*

GABINIA lex. V. illam infr. in *Lex.*

GABINUS cinctus. V. illum supr. in *Cinctus.*

GABIUSA porta. V. illam infr. in *Porta.*

GAD.

GADES est Bæticæ Hispaniæ notissima urbs. Vulgo *Cadix.* Ursat. de Not. Rom. Thes. Ant. Rom. Græv. Tom. XI. p. 870. F. Insulam & urbem in insula Oceano circumfusa condiderunt Tyrii. Paterc. I. 2. 6. *Ea tempestate & Tyria classis, plurimum pollens mari, in ultimo Hispaniæ tractu, in extremo nostri orbis termino insulam circumfusam Oceano, perexiguo a continenti divisam freto, Gades condidit.* Salmas. in Tertull. de Pall. p. 171. Exerc. Plin. p. 204. b. F. Cluver. Introd. Geogr. II. 7.

cum GADITANIS bello Punico II. L. Martius, qui post Scipiones interfectos rem Romanam labentem sustinuit, fœdus fecit, *ea lege, ut Gaditani majestatem populi Romani comiter conservarent:* & ad eos præfectus est missus. Liv. XXXII. 3. *Gaditanis petentibus remissum, ne præfectus Gades mitteretur, adversus quod iis in fidem populi Romani venientibus cum L. Martio convenisset.* Fœdus inde multis post annis Q. Catulo cos: a senatu est renovatum; ut in Balbi defensione Cicero posuit. Secuta sunt Cæsaris inde in eam civitatem beneficia, in prætura, & dictatura. Quorum illud in eadem oratione Cicero posuit his verbis. c. 19. *Omitto quantis ornamentis populum Gaditanum C. Cæsar, cum in Hispania prætor esset, affecerit, controversias sedarit, jura ipsorum permissu statuerit.* Alterum fuit ejusmodi, ut Afranio, & Petrejo deletis civitatem Romanam eis communicarit, eamque largitionem post populus Romanus ratam esse jusserit, teste Dion. XLI. p. 164. D. *Sigon. de Ant. jur. prov.* I. 5.

GÆS.

GÆSUM, vel *gesum* in classibus Servianis non nominatur, & vox, ac telum peregrina videntur. Ab Hispanis Romanos petiisse vult Athen. VI. p. 273. F. *Ab Samnitibus scuti usum, ab Hispanis gæsorum.* At alii magis dixerint a Gallis. Non. XVIII. 19. *Gæsa, tela Galliarum.* Et de iis Virg. Æneid. VIII. 662.

- - - duo quisque Alpina coruscat
Gæsa manu.

De Virdumaro, eorum Rege Prop. IV. II. 42.

Nobilis e tectis fundere gæsa rotis.

Sic lego pro *rectis.* Claudianus etiam quasi propriis insignibus Galliam ornans de laud. Stilich. II. 241.

Gallia crine ferox, evinctaque torque decoro,
Binaque gesa tenens.

Quale autem fuit? Suidas ita: *Gesi telum, vel contus, longe feriens, ut Q. Crito in Geticis scripsit.* Et grandius fuisse jaculum etiam Festus indicat: *Gesum, grave jaculum.* Lips. Poliorc. IV. 4. Hugo de Milit. equest. II. 4. Laurent. Polym. IV. Synops. II. §. 9. Thys. de Oppugn. urb. IV. p. 185. Demster. Paralip. in Rosin. Antiq. Roman. X. 10. Vlit. in Grat. Cyneget. p. 141. Cerd. Adv. c. CXLI. §. 54. Cluver. Germ. Ant. I. 44. Voss. Lex. Etymol. Fruter. Veris. II. 22. Rhodig. Ant. Lect. XXI. 18. Laz. Comm. Reip. Rom. VIII. 17. Gæsa, & pila non eadem fuerunt arma, quod asserit Kipping. Antiq. Roman. III. 3. §. 2. Liv. XXVIII. 45. de apparatu bellico Scipionis in Africam trajecturi agens, Aretinos narrat ei inter alia multa dedisse, *pila, gæsa, hastas longas,* Quare existimo, *gæsa* quidem levium; pila vero gravis armaturæ militum fuisse. Liv. VIII. 8. in hastatorum manipulo leves vicenos milites locat, & addit: *Leves autem, qui hastam tantum, gesaque gererent, vocabantur. Gesa* nempe bina. Varro apud Nonium l. l. *Qui gladiis cincti sine scuto cum binis gesis essent.* Patric. Rei Rom. mil. part. IV. sect. 3. Lips. l. l.

GAJ.

GAJANIUM, quod in campo Vaticano ponit Victor, in Notitia *Gajanum* vocatur. Pancirollus accipit de

de obelisco Caji, qui olim in circo ejus fuit; nunc autem aream D. Petri exornat. *Nardin. Rom. Vet.* VII. 13.

GAJUS prænomen fuit. Aliquando tamen pro nomine gentilitio est usurpatum. V. supr. in *Cajus*.

GAL.

GALATEA fuit dea marina, appellata, vel quod tranquillitatem in mari pariat, vel mare ipsum significet, cum albedine spumei liquoris candescit. Eustath. Iliad. Σ. p. 1131. 4. *Praterea autem quemadmodum Thetis comparatur propagationi tempestatis; sic Galatea tranquillitati. Quæ etiam propter undarum lacteum colorem habentes spumas sic appellatur.* De illa Mart. Spect. XXVIII. 3.

- - - vidit in undis
Et Thetis ignotas, & Galatea feras.

Argol. in Panvin. de Lud. Circens. II. 11.

GALATIA est a Gallis dicta, qui olim in auxilium a Rege Bythiniæ vocati in Asiam trajecerunt, & victoria potiti regnum cum eo diviserunt, sicque Græcis admixti, primo Gallo-Græci, postea *Galatæ* sunt appellati. Sext. Rufus: *Gallo-Græciam*, inquit, *id est, Galatiam, quod Antiocho contra Romanos auxilium præbuissent, invasimus. Gn. Manlius*, ita enim ex Livio, Floro, & Appiano, non *Mummius*, legendum est, *proconsul Galatas prosecutus est, & confugientes partim in Olympum, partim in Ancyram*, ita pro *Megaram* legendum, *de arduis eos in plana detrusit, & victos in perpetuam pacem redegit. Postea Galatiam Dejotarus tetraches; nobis permittentibus tenuit. Ad extremum sub Octaviano Cæsare Galatia in formam provinciæ redacta est. Eam primus M. Lollius Paullinus administravit.* Hæc provincia ab ortu Cappadociam: ob occasu Sangarim fluvium, & Bithyniam: a meridie Pamphyliam: a septentrione Pontum habet. Gomoritas a Gomor prius dictos auctor est Joseph. Ant. Jud. I. 7. Theodosius duas *Galatias* fecit, primam & secundam salutarem dictam, ut auctor est Stephanus de Urbibus. Prima consularem habebat, secunda præsidem, quod confirmat Notitia, Novell. 8. Sed primam Vicarius postea administravit, quem Justinianus depositum restituit. Hujus metropolis Ancyra fuit. Comes *Galatiæ* primæ pro codicillis magistratus solvebat, quantum majores Rectores provinciarum. Præses autem secundæ, quantum alii præsides. *Panciroll. Notit. Dign. imp. orient. c.* 128. *Volaterr. Comm. Urban.* x. *p.* 355. *C.*

GALBA fuit cognomen Sulpiciorum. Suet. Galb. c. 3. n. 1. *Qui primus Sulpiciorum cognomen Galbæ tulit.* . . . Ursat. de not. Rom. Thes. Ant. Rom. Græv. Tom. XI. p. 901. F. Rhodig. Ant. Lect. XXIV. 5. Sigon. de Nom. Rom. c. 5.

Galba Sergius Sulpicius Imperator, quod sub Augusti mortem an. ab U. C. 767. ipsis Kal. Jan. ephebis transscriptus virilem togam sumpsisset, ex eoque die omen futuri imperii cepisset, citra dubium etiam Imperator factus sollennia strenarum ejus diei celebrasset, si quietus esse potuisset. Sed militum cum prætorianorum, tum Germanorum tumultu impeditus, magis ultionem, quam remunerationem: stipendia, quam munera cogitabat, cæteroquin paratus, si quietus mansisset, strenarum sollennia suo & Crispini consulatu agitare. *Lipen. de Stren. c.* 2. *art. sec.* §. 7. *Neroni successit, nullo gradu contingens Cæsarum domum; sed haud dubie nobilissimus, magnaque & vetere prosapia* patricia Sulpicia ortus. Suet. c. 2. n. 1. Ei, occiso Nerone, absenti adhuc in Hispania, quam legatus consularis obtinebat, cuncta Principibus solita senatus decrevit, ut ex hujus antiqui nummi inscriptione constat: SER. GALBA. IMP. CÆSAR. AUG. P. M. TR. P. COS. *Panvin. Fast.* II. *p.* 204. *Pigh. Annal. Rom.* III. *p.* 606. In via Aurelia est sepultus. Suet. c. 20. n. 9. *Sero tandem dispensator Argius in privatis ejus hortis Aureliæ viæ sepulturæ dedit.* Morestell. Pomp. Feral. IV. 5.

GALBANI mores sunt molliores, & effeminatiores. Mart. I. 97. 9.

Galbanos habet mores.

Turneb. Adv. XVII. 8. Lips. Elect. I. 13. Rader. in Martialem. Rhodig. Antiq. Lect. XXIV. 5. Voss. Lex. Etymol. Forte etiam ad *Galbam* imperatorem fœdum allusit, de quo Suet. c. 22. *Rader. h. l.* Quid sint, non satis scio. Et aliquid latere debet. Est quidem hic color feminarum. Juven. Sat. II. 97.

Cærulea indutus scutulata, & galbana rasa.

Sed cur non potius mores Tyrios, & amethystinos dixit, qui colores pretiosiores, & feminis magis convenientes? cum galbeus color eorundem interpretatione vilis fuerit, herbaceus scilicet, & ideo exigui pretii. Nec dici possunt instar Galbæ Imperatoris. Quis enim hoc crimine Galbam notavit? cum potius nimius illi rigor, & severitas objecta sit. Nam quod in mares pronior fuerit, nihil ad mollitiem, nec id unius Galbæ vitium. *Ferrar. de Re vest.* II. I. 23.

GALBEUM est ornamenti genus. V. supr. in *Calbei*.

GALBULA, seu galgala, Græcis dicta ἴκτερος. Quidam charadrium esse volunt, aut συκοφάγον, ficedulæ non absimilem. Plin. XXX. 2. icterum, & galgulam vocat. Mart. XIII. 68. 1.

Galbula decipitur calamis, & retibus ales,
Turget adhuc viridi cum rudis uva mero.

Buleng. de Conviv. II. 12.

GALEA inter arma ordinaria, capiti tegendo apta, primum locum sibi vindicat. *Lyd. de Re milit.* III. 5. *Feith Ant. Homer.* IV. 8. *Kipping. Antiq. Roman.* IV. 2. §. 4. Differt a casside. Abjungit manifesto Tacit. Germ. c. 6. n. 4. *Vix uni, alterive cassis aut galea.* Discernit Isidor. XVIII. 14. quod *cassis de lamina est, galea de corio.* Ipsa vox quoque præfert, quia est proprie ἀπὸ τῆς γαλέης, a fele, aut mustela: etsi a galero maluit petere Varr. de Ling. Lat. IV. 24. *Lips. de Milit. Rom.* III. I. *Scalig. Conj. Varr. p.* 51. *Laurent. Polym.* IV. *Synops.* II. §. II. *Thys. Rom. Illustr.* III. *p.* 69. Hæc tamen vocabula confundunt auctores, & cassidem sæpius *galeam* appellant. Gallorum *galeas* describit Diodor. V. p. 213. B. *Æneis utuntur galeis, cum magnis appendicibus, ad prolixam ostentationem factis.* Cluver. Ant. Germ. I. 44. Illam *Lacedæmonii invenerunt.* Plin. VII. 56. *Meurs. Misc. Lacon.* II. I. *Stewech. in Veget.* I. 20. Vetustissimis temporibus fiebant e pellibus mutorum animantium. Inde dixerunt κυνέην, si foret e pelle canina; λυκέην, si e lupina. Apud Homer. Iliad. K. 335. ἰκτιδέην κυνέην legas pro *galea* ex pelle mustelæ. Postea vero pro pelliceis introductæ sunt æneæ, ac ferreæ. Et tamen figuram muti animantis, aut capitis saltem in ea expresserunt. *Voss. de Idolol.* I. 28: III. 70. *Feith Antiq. Homer.* IV. 8. *Caroli Antiq. Roman.* III. 6. *Thys. l. l.* Factas ex ære docent Diodorus modo laudatus; Homerus & Virgilius mox laudandi: ex ferro Plutarch. in Camill. p. 150. D. *Fabricatus est* militibus suis *galeas plerasque totas ferreas, & leves in ambitu, ut gladii aut laberentur in iis, aut frangerentur.* Lips. ibid. c. 5. Valtrin. de Re milit. Rom. III. 12. Cluver. & Lyd. l. l. Forma fuit diversa. Illam exhibent *Choul. de Castramet. vet. Rom. p.* 79. & 80. & *Lyd. l. l.* Non tantum verticem, & occiput, sed & interdum faciem oculis tenus obtegebat. Sæpe enim vultum militis abscondi, quam retegi necesse est, ne ullus ibi deprehendatur pavor, aut pallor. De milite Marcelli post pestilentiam Sil. Ital. XIV. 636.

- - - tenuata jacendo
Et maciem galeis abscondunt ora, malusque
Ne sit spes hosti, velatur casside pallor.

Barth. Adv. XXII. 14. Paschal. de Coron. X. 14. Lyd. l. l. Interdum aperta erat, & habebat aspectum per quædam intervalla patentia, laminis extrorsum, & arcuatim projectis. Id quod cui rei inventum dicam, nisi quia ductoris est conjicere oculos in omnes partes, ut quicquid facto opus est imperare possit. Equidem existimo, hac ipsa de causa *galeam* majorum potestatum ita constitui, ut sit recta, hoc est, non vergens in hoc illudve latus, sed

recto intuitu, ac in omnia pariter libero prospectu. Hujus recta apertæ, quæ eadem est summi ducis propria, exemplum exstat apud Stat. Theb. XI. 524.

Hæc pugnæ facies: coeunt sine more, sine arte,
Tantum animis iraque atque ignescentia cernunt
Per galeas odia, & vultus rimantur acerbo
Lumine.

Hic duo Thebani fratres de regno contendentes infestis animis, armisque concurrunt. Et utrinque *galea* usque eo est aperta, ut ejus sit rectus in hostem aspectus. *Paschal. & Lips. l. l. Kipping. ibid.* III. 3. §. 3. Præfixa vulgo ad terrorem habebat animalium cornua. Herodot. VII. p. 466. C. *Thraces, qui Asiam incolunt, in capitibus habebant æreas galeas, & super illas ex ære factas aures bovis & cornua, impositis etiam cristis.* De Gallis Diodor. l. l. *Aliis cornua affixa sunt, aliis avium, aut quadrupedum formas expressas habent.* Spanhem. Diss. de Præst. num. V. p. 367. V. etiam supr. in *Cornicula* & *Cornua.* Et additas habebat cristas. V. supr. in *Cristæ.* Et postquam ferreæ sunt inventæ, pelles his superinducebantur. De Apulorum duce Allio, in exercitu Romano, contra Annibalem Sil. Ital. IV. 560.

Huic horret thorax Samnitis pellibus ursæ,
Et galea annosi vallatur dentibus apri.

De consule Romano in *galea* Gallica V. 132.

Ære, atque æquorei tergo flavente juvenci
Cassis erat munita viro.

Et pellis, quæ caput feræ contexerat, capiti hominis imponebatur una cum dentibus; ita ut superior pars rictus, sive hiatus integra primorem frontem ac tempora, inferior fissa aures, atque posteriores maxillas contegeret: reliqua pellis humeros, atque tergum velabat, quam inter pugnandum lævo brachio obvolvebant. Virg. Æneid. XI. 679.

Cui pellis latos humeros erepta juvenco
Pugnatori operit: caput ingens oris hiatus
Et malæ texere lupi cum dentibus albis.

Cluver. l. l. Mag. Misc. III. 7. Cerda ad Virgilium. Stewech. in Veget. I. 20: II. 16. Erat militibus pro forensi, aut urbana sitella, vel urna. Et in illam sortes dejiciebantur. Virg. Æneid. V. 490.

- - - dejectamque ærea sortem
Accepit galea.

n. 498.

Extremus, galeaque ima subsedit Acestes.

Homer. Iliad. VII. 176.

Sortem injecerunt in galeam Agamemnonis Atridæ.

III. 316.

Sortes in ærea galea quassarunt, ducturi.

Et eo respicit Stat. Theb. VI. 389.

Et jam sortitus Protheus versarat ahena.

Turneb. Adv. XXVIII. 16. Bernart. in Statium. Cerd. in Virgilium. Maurit. de Sortit. c. 12. §. 6. Et pro poculo. *Galea poculum militis est.* Lactant. Theb. III. 663. Apoll. Rhod. III. 1347.

- - - is e fluvii flumine
Ipsa haurit galea aquam, unde sitim restinguat.

Curt. V. 13. 24. *Dum galea haustam aquam sorbet.* Prop. III. 10. 8. V. illum infr. in *Lacerna.* Demster. Paral. ad Rosin. Ant. Rom. X. 12. Schel. in Hygin. p. 259. Passerat. & Broukh. in Propertium. Meibom. & Gorall. in Albinov. in obit. Mæcen. n. 57. Pitisc. in Curtium.

Galea appellabatur etiam galerus ex mulierum crinibus, ut Græce περικεφάλαια. Hesychius: *Galea ex crinibus facta.* V. infr. in *Galerus.*

Galea fuit insigne, quod habuerunt naves bello paratæ. Consueverunt enim antiqui in summis navium malis *galeæ* nescio quid simile addere, unde quidam vulgo hodie *galeas* triremes vocari arbitrati sunt. *Gyrald. de Navig.* c. 12. De hoc tamen dubitari potest. Certe prius apud Græcos, postea demum apud Latinos *galearum* mentionem factam inveniet, quisquis animum diligentius ad id advertet. Nam & Leo *galearum* meminit in Tacticis, cum non nisi longo post id nomen apud Latinos reperiatur. Quid? quod de re ipsa ex nullo idoneo auctore satis constet; neque prisca monumenta id testentur: ut proinde nulla, præter communia, signa hasce naves habuisse existimari queat. *Scheffer. de Milit. nav.* III. 1.

a *Galea* tutela, & παράσημον, quod in rostris erat, navigia vocantur, ut fuit illud, quo se in Pontum vectum scribit Ovid. Trist. I. 9. 1.

Est mihi, sitque precor flavæ tutela Minervæ
Navis, & a picta casside nomen habet.

Du Fresne Glossario. Salmas. Exerc. Plin. p. 803. b. A. Cerda Adv. c. CXX. §. 77. Quantæ florentibus Venetorum rebus horum Liburnicæ, seu *galeæ* fuerint, vel exinde conjicias, quod in illorum commentariis nauticis memorentur etiam naves, quæ a mille agerentur remigibus. Sed & constratæ erant, & castellis munitæ. Harum vestigia in hodiernis etiam supersunt *galeassis*, quæ & ipsæ constratæ sunt, & castella sustinent lignea, ut minime dubitandum, quin ut *galea* est Liburnica aperta, ita *galeassa* tecta & constrata sit Liburnica. *Voss. de Trirem. & Liburn. constr. Thes. Antiq. Rom. Græv. Tom.* XII. *p.* 727. *E.*

Galea venatoria legitur apud Nep. XIV. 3. 2. *Ipse agresti, duplicique amiculo circumdatus, hirtaque tunica, gerens in capite galeam venatoriam.* Et quidni ista usi isti, quibus e cæde ferarum copia? *Lips. de Milit. Rom.* III. 1. *Thys. Rom. Illustr.* III. *p.* 70.

GALEARII, sive *galiarii* recentioribus dicti sunt, qui veteribus calones. Erant servi militum, proprie sic dicti, quod *galeam* portarent. Veget. III. 6. *Denique ex ipsis calonibus, quos galearios vocant, idoneos, ac peritos usu legebant.* Salmas. in Spartian. in Adrian. c. 13. Laz. Comm. Reip. Rom. IV. 13. Stewech. in Veget. I. 10. Pignor. de Serv. p. 244.

GALEOLA fuit vasis genus. Varr. de vit. pop. Rom. I. apud Non. XV. 34. *Ubi erat vinum in mensa positum, aut galeola.* Buleng. de Conviv. IV. 16. Pitisc. in Curt. V. 13. 24.

GALERIA tribus. V. illam infr. in *Tribus.*

GALERICULUM, sive *galericulus* est capillamentum adscititium, adhibitum olim I. ad calvitiem tegendam. Calvi enim coma adscititia imponebant oculis spectatorum, ne turpitudine nudi capitis offenderentur. Hoc ab Othone Imperatore factum. Suet. c. 12. n. 3. *Galericulo capiti propter raritatem capillorum adaptato, & annexo, ut nemo dignosceret.* Hunc morem de more facete risit Mart. XII. 45.

Hœdina tibi pelle contegenti
Nudæ tempora, verticemque calvæ;
Festive tibi, Phœbe, dixit ille,
Qui dixit, caput esse calceatum.

Quod enim *galericulus* hic ex pellibus & coriis pararetur, æque ac calcei, non inficete caput a calvo Phœbo calceari jocatur. Apud Rufum Avien. c. X.

Calvus eques capiti solitus religare capillos,
Atque alias nitido vertice ferre comas.

Ridiculum populo conspiciente, caput exhibuit ab adversis boreæ spiraminibus:

Nam mox dejecto nituit frons nuda galero,
Discolor apposita quæ fuit ante coma.

II. Ad dissimulandam personam in discursationibus etiam nocturnis. Suet. Cal. c. 11. n. 1. *Quin ganeas, atque adulteria capillamento celatus, & veste longa noctibus obiret.* III. ad capillos defendendos ab inquinatione, vel, ut adhibeam vocem Plaut. Trin. III. 2. 67. *collutulatione* per unguenta, juxta illud Mart. XIV. 50.

Ne lutet immundum nitidos ceroma capillos,
Hac poteris madidas condere pelle comas.

Raynaud.

Raynaud. de pil. & cæt. cap. tegm. sect. 3. Braun. de vest. sacerd. Heb. I. 9. Voss. Lex. Etymol. & de vit. serm. II. 15. Ferrar. de Re vest. II. I. 20. Rhodig. Antiq. Lect. XVIII. 10. Salmas. in Tertull. de Pall. p. 354. Turneb. Adv. I. 17. Tiraquell. in leg. Connub. III. Gloss. I. p. 3. n. 27. Jun. de Coma c. 7. Casaub. in Suet. Oth. c. 12.

GALERUS fuit pileus a *galea* similitudine dictus. Hunc Mercurio adscribit Claud. de Rapt. Pros. I. 78.

Somniferam quatiens virgam, tectusque galero.

Et præter illum Albric. de Deor. imag. c. 6. *Galerum quoque, seu umbellam capite portabat.* Qui etiam refert, *ex dimidia parte album, nigrum ex altera dimidia fuisse:* id quod diem ex adventu, noctem ex discessu Solis procreatam designare poterat. *Aleand. Tab. Heliac. explic. Thes. Antiq. Rom. Græv. Tom.* V. *p.* 718. *B.*

Galerus etiam dicebatur galea militum. Virg. Æneid. VII. 688.

---- fulvosque lupi de pelle galeros.

Lips. de Mil. Rom. III. I.

Galerus quoque vocatur rotundus comarum suggestus, vel crinium adtextorum compositio in modum *galeri* facta. Hoc feminæ, & matronæ præcipue caput velabant. V. Tertullianum supr. in *Capillamentum.* Hujusmodi crinium fictitiorum concumulationem *galerum* vocat Juven. Sat. VI. 120.

Sed nigrum flavo caput abscondente galero
Intravit calidum veteri centone lupanar.

Schol. *Crine supposito rotundo muliebri capitis tegumento in modum galeæ facto, quo utebantur meretrices flavo; nigro nam crine matronæ utebantur.* Ergo non solæ matronæ hujusmodi *galeris* crinium utebantur, sed etiam meretrices. Ad discerniculum vero matronæ nigros, meretrices flavos sumebant. Serv. Æneid. IV. 698. *Matronis*, inquit, *nunquam flava coma dabatur, sed nigra.* Laudat deinde versus Juvenalis jam allatos. *Salmas. in Tertull. de Pall. p.* 352. *Ferrar. de Re Vest.* II. I. 20.

GALILÆA est *pars Phœniciæ. Galilææ duæ sunt, una gentium vicina finibus Tyriorum in tribu Nephtalim, ubi & Salomon viginti quinque civitates donavit Hiram Regi Tyri; altera circa Tiberiadem, & stagnum Genezaret in tribu Zabulon.* Hieron. in Acta Apostol. *Panciroll. Notit. Dignit. imp. orient. c.* 108.

GALLECIA, nunc *Gallicia*, vocata est provincia Hispaniæ ultra Buriam fluvium usque ad Noriam promontorium, quod nunc est caput S. Mariæ finis terræ. Ejus metropolis est Flavium Brigantinum, hodie Compostella nuncupatum. Quidam volunt hanc olim vocatam Bracchariam Augustam. *Panciroll. Notit. Dignit. imp. occid. c.* 66. *&* 88.

GALLI sagis villosis solebant uti, quas lænas appellabant. Strab. IV. p. 135. *Lanea vero hirta, villoso pilo, ex qua saga pexa crebra contexunt, quas lænas appellant.* Bays. de Re vest. c. 15. Loco tunicæ gestabant vestes scissas ac manuleatas usque ad pudenda, ut tradit Strab. IV. p. 135. *Loco tunicarum utuntur veste fissili manicata usque ad pudenda, & nates demissa.* Ideo autem hæc aperta, & manuleata vestimenta gerebant, quod, cum bracati essent, inferiora corporis velabantur. *Ferrar. de Re vest.* II. 3. 9. Caput apertum, & sine tegmine habebant. Comatos enim quidni credam ea parte intectos? Ni fuissent, & pleræque imo Europæ gentes, non pileum apud Parthos demum, ut novum, quæsisset Mart. X. 72. I.

Frustra blanditiæ venitis ad me,
Ad Parthos procul ite pileatos.

Lips. de Amphith. c. 19. Torques fere illorum proprium fuit gestamen. Suidas in Τορκουάτος: *Usitatus vulgo apud Gallos ornatus torques fuere.* Strab. IV. p. 136. *Gestant aureos circum colla torques.* Virg. Æneid. VIII. 659.

Aurea cæsaries illis, atque aurea vestis,
Virgatis lucent sagulis: tum lactea colla
Auro innectuntur.

Plin. XXXIII. I. *Gallos cum auro pugnare solitos Torquatus indicio est.* Aurum non intelligit aliud, quam torques. Unde Torquati cognomentum. Plane, sicut Græci aliquando χρυσὸν usurparunt. *Scheffer. de Torquib. Antiq. c.* 12. Religionibus admodum fuerunt addicti. Cæs. de Bell. Gall. VI. 16. *Deum maxime Mercurium colunt. Hujus sunt plurima simulacra. Hunc omnium artium inventorem ferunt: hunc viarum, atque itinerum ducem: hunc ad quæstus pecuniæ, mercaturasque habere vim maximam arbitrantur. Post hunc Apollinem, & Martem, & Jovem, & Minervam. De his eandem fere quam reliquæ gentes habent opinionem: Apollinem morbos depellere: Minervam opera, atque artificiorum initia transdere: Jovem imperium cœlestium tenere: Martem bella regere. Huic, quum prælio dimicare constituerunt, ea quæ bello ceperunt, plerumque devovent: quæ superaverint animalia capta immolant.* Visitur adhucdum Nemausi, quæ urbs est non longe a Massilia distans, inter alia venerandæ antiquitatis monumenta, templum Dianæ, vel, ut alii opinantur, Vestæ olim sacrum. *Hendreich Massil. sect.* 2. *Clasen. Theol. Gent.* I. 7. Literarum usum, ac cultum Massilienses transtulerunt ad *Gallos*, qui præter literas, ac doctrinam, etiam linguam Græcam tam feliciter didicere, ut non tantum in publicis, privatisque rationibus Græcis uterentur literis; sed & in suum Gallo-Romanum sermonem frequentissimos induxerint Hellenismos, quasi non Græcia in *Galliam*, sed *Gallia* in Græciam migrasse videretur, ut Strabo scribit. Hinc legimus Caligulam, cum tertium Lugduni consulatum gereret, certamen ibidem oratorium in lingua Græca, & Latina ad Augusti aram instituisse. *Hendreich. l. l. Cluver. Germ. Ant.* I. 14. Victoria parta captivos suos diis immolare, & [illegible] hostium capita, nec non spolia sanguine illorum perfusa spectaculi gratia pro portis oppidorum affigere solebant; cujus exinde consuetudinis adhucdum circa feras occisas vestigia quædam apud illos permanent, dum nobiles trunca bestiarum capita, quas vel ipsi, vel majores eorum interfecerunt, foribus, vel porticibus affixa ostendunt. *Hendreich. ibid. sect.* 3. *Tomas. de Donar. c.* 40. Multis seculis vitis ignari fuerunt, primumque vino illecta juventus *Gallorum*, quæ nova illis voluptas erat, sedibus excitata suis in Italiam profecta est. Multis postea annis *Gallia* Narbonensis, populi Romani provincia facta, vitem primum habere cœpit. Julioque Cæsare res in *Gallia* gerente, aliis in *Galliæ* regionibus nullus fere vitis palmes erat. Tremellius quidem, qui Cæsare res in *Gallia* gerente exercitum duxit, cum apud Varronem ait, aliquot regiones se intus ad Rhenum accessisse, ubi nec vitis, nec olea, nec poma nascerentur, significat illic non modo vinum pressum non esse, sed ne stirpem quidem ullam vitis reperiri, quæ etiam sine cultu nasci posset. Non multo post Julium Cæsarem in Arvernis & Sequanis consitæ sunt. Domitianus postea Imperator, *ne quis in Italia novellaret: utque in provinciis vineta succiderentur*, edixerat apud Suet. c. 7. n. 6. Hoc salubre edictum non tamen exsequi perseveravit, partim adductus minacibus libellis, qui cum his versibus sparsi erant:

Κἢν μή φάγῃς ἐπὶ ῥίζαν, ὅμως ἔτι καρποφορήσω
Ὅσσον ἐπισπεῖσαι Καίσαρι θυομένῳ.

Qui sunt Eueni poetæ Anthol. I. 6. I. & sic vertuntur translati in Fastos ab Ovid. I. 357.

Rode caper vitem, tamen hinc cum stabis ad aram
In tua quod spargi cornua possit, erit.

partim legatione Scopeliani Sophistæ, quem hac de re Asia publice miserat apud Philostr. de vit. sophist. p. 521. A. partim cavillatione impostoris Thyanei, qui a Domitiano *eunucham redde tellurem* cavillabatur apud eundem Apollon. VI. 17. Existimo tamen nonnullis provinciis non multo post vineas ademptas esse. Alioquin Aur. Vict. Cæs. c. 37. n. 3. & Vopisc. Prob. c. 18. non scriberent, Probum Imperatorem *Gallis omnibus, & Hispanis, & Britannis permisisse, ut vites haberent, vinumque conficerent.* Imperante Juliano parabate cœlum Parisinum jam vitem ferebat, ut scribit ipse in Misopogone: sed, ut opinor, raram, nec

ex qua vinum fieret. Id intelligi ex eo poteſt, quod Ammianus, qui ſub eo militavit, *Gallos* vini quidem avidos eſſe ſcribit xv. 12. multiplices tamen ad vini ſimilitudinem potus adulterare. Ut conjectura ſit, tum quoque minus frequentem vini uſum in *Gallia* fuiſſe. Poſtea tandem per *Gallias* omnes, excepta parte Belgicæ, vitis vulgata eſt. *Turneb. de Vino Theſ. Ant. Græc. Gronov. Tom.* IX. *p.* 528. *A. Meibom. de Cerviſ. Vet. c.* 1. Illorum bella fuſius denarrat *Sigon. de Ant. Jur. Ital.* I. 24. In Italia eam partem tenebant, ubi Mediolanum eſt, usque ad Rubiconem amnem. Sext. Ruf. c. 9. Vario eventu cum his pugnatum, & diu a capta Urbe, & ante ad Aliam, usque ad ætatem Marii, qui illos depulit Italia. Poſtea a Cajo Cæſare victi tributarii ſunt facti. *Robort. de Prov. Rom. Theſ. Antiq. Rom. Græv. Tom.* III. *(p.* 6.*) C.* Et *ſingulis menſibus tributum erat illis pendendum*, ut inquit Dio LIV. p. 535. D. *Noriſ. Diſſert. in Cenot. Piſan.* II. Et quia populi Romano imperio ſubjecti vario tributorum genere dominium iis, quibus orbis terrarum, terminis circumſcriptum agnoſcere, & venerari cogebantur, tributum in equis ſolvebant. *Falconer. Epiſt. ad Datum Theſ. Antiq. Rom. Græv. Tom.* IV. *p.* 1490. *D.* Cenſum quoque deferre coacti ſunt ab Auguſto. Extat hac de re inſigne teſtimonium Claudii Imperatoris in oratione de civitate Romana *Gallis* danda, cujus ære quondam inciſæ extat fragmentum Gruteri p. 502. Hæc ibi Imperator de *Gallis* ait: *Illi patri meo Druſo Germaniam ſubigenti tutam quiete ſua, ſecuramque a tergo pacem præſtiterunt; & quidem cum ad cenſus novo tum opere, & inadſueto Galliis ad bellum avocatus eſſet.* Druſus ann. ab U. C. 742. in Germanos primum movit, qui Romanorum fines irruperant, quia *videbant Gallos jugum ſervitutis gravatim ferre.* Dio LIV. p. 543. E. Tunc enim primum *Galli novo tum opere, & inadſueto* cenſum profiteri ab Auguſto juſſi fuerant, quamvis ſupra annum quadrageſimum in provinciæ formam redacti fuiſſent. *Noriſ. l. l.* Senones *Gallos* V. infr. in *Senones.*

GALLIA omnis dupliciter ab antiquis dividitur. I. Sunt, quos C. Cæſar de Bell. Gall. I. 1. ſequitur, qui ejus tres partes faciunt, Aquitaniam, quæ ab occaſu Pyrenæis montibus, ab ortu Garumna fluvio definitur; Celticam, quæ Romanis proprie *Gallia* eſt, & Garumna flumine, ac Rheno, itemque Oceano, & Alpibus, iis, unde Rhenus, & Rhodanus decurrunt, continetur; & Belgicam, ad oceanum, & Rheni exitum ſitam, in extrema *Galliæ* ora, Germanis finitimam. II. Auguſtus rerum potitus de eadem re fecit alio modo: ut qui quatuor in partes *Galliam* diſpertiverit. Nam tribus ſuperioribus *Galliæ* partibus quartam Narbonenſem adjecit, ei Celticæ quadam ex parte attributa. Celticæ autem reliqua aſſignavit Lugduno urbi, quam Celticæ partem, non ut ante Celticam, ſed Lugdunenſem ex urbis nomine dici voluit. Strab. IV. p. 122. *Auguſtus Cæſar, diviſa in quatuor partes Gallia, Celtas Narbonenſis provinciæ fecit, Aquitanos eosdem, quos & pater illius, auctos tamen additis decem populis, ex iis, qui inter Garumnam, & Ligerim fluvium incolunt. Reliquam Galliæ partem bipartito diviſam, unam usque ad ſuperiores Rheni partes Lugduno, alteram Belgis aſſignavit.* Ferrar. de Orig. Rom. Theſ. Antiq. Rom. Græv. Tom. I. p. (22.) E. Dividitur quoque vel a regione, vel ab hominum cultu. A regione ſic: *Gallia* vel tranſalpina eſt, quæ ulterior etiam dicitur; vel ciſalpina, quæ citerior. Utraque dividitur in duas: tranſalpina in Narbonenſem, & comatam; ciſalpina in tranſpadanam & ciſpadanam. A cultu ſic: *Gallia* vel comata eſt, vel bracata, vel togata. Comata eſt omnis tranſalpina, præter Narbonenſem; bracata, quæ poſtea Narbonenſis dicta, togata ciſalpina omnis. *Manut. Quæſt. Epiſt.* II. 2. *Cluver. Germ. Ant.* II. 1.

Gallia Belgica univerſa non eſt Belgium. Cæſar enim de Bell. Gall. V. 24. quatuor *legiones, exercitum in hybernis collocaturus*, in Belgica collocavit: *unam in Morinos ducendam C. Fabio legato dedit; alteram in Nervios Q. Ciceroni; tertiam in Eſſuos L. Roſcio; quartam in Rhemis cum T. Labieno in confinio Trevirorum hyemare juſſit.* Separatim autem, ſive privatim alias *tres in Belgio ſe collocaſſe* affirmat. Quod ſi Belgium idem fuiſſet, quod Belgica, cur tres iſtas legiones magis in Belgio ſe locaſſe memoraret, quam quatuor reliquas? Certe in eadem regione, in eodemque regionis nomine omnes pariter collocatæ fuiſſent: nec opus habuiſſet hac diſtinctione. Belgium vero vix decimam partem Belgicæ implet. Licet oppidum non fuerit, ut Glareano viſum. Qui inopiam enim levaſſet Cæſar, ſi tres legiones in unum compuliſſet oppidum? Sed regio, natio, ſive populus. Hæc enim in commentariis ſuis ubique hoc vocabulo appellat Cæſar. Belgium itaque Bellovaci incoluerunt, & Bellovacorum ſedes appellata fuit Belgium. Quod probat, & ubi iſti fuerint Bellovaci, pluribus docet *Cluver. Germ. Ant.* II. 2. V. etiam ſupr. in *Belgica.*

Gallia Bracata a genere veſtium dicebatur. Hæc fuit pars Tranſalpinæ, quæ poſtea Narbonenſis nominata. Plin. III. 4. *Narbonenſis provincia appellatur pars Galliarum, quæ interno mari alluitur, Bracata ante dicta, amne Varo ab Italia diſcreta, Alpiumque ſaluberrimis Romano imperio jugis. A reliqua vero Gallia latere ſeptentrionali montibus Gebenna, & Jura.* Mel. II. 3. *Pars Galliæ noſtro mari appoſita, fuit aliquando Bracata, nunc Narbonenſis.* Et Cicer. pro Font. c. 11. *ſagatos, bracatosque* vocat Gallos, qui Fontejum accuſabant, cum Narbonenſi *Galliæ*, quod ipſa declarat oratio, Fontejus præfuiſſet. Quo patet, licet ea *Galliæ* pars nomen mutaverit, Narbonenſis dicta, quæ Bracata fuerat, ipſas tamen bracas non eſſe depoſitas. *Manut. Quæſt. Epiſt.* II. 2. *Sigon. de Ant. jur. prov.* I. 6. *Cluver. Germ. Ant.* II. 1. *Pancıroll. Notit. Dignit. imp. orient. c.* 40.

Gallia Celtica tertia pars eſt *Galliæ*. *Galliæ* Celticæ ſoli *Galliæ* appellatio apud Romanos proprie & ſtricte fuit data. Docet hoc Cæſ. de Bell. Gall. I. 1. ubi ait: *Tertiam* partem incolunt, *qui ipſorum lingua Celtæ, noſtra Galli appellantur.* II. 3. *Galliam* pro Celtica ponit, ubi ait: *Rhemi, qui proximi Galliæ ex Belgis ſunt.* Sic intelligendus eſt etiam Strab. IV. p. 131. cum ait: *Ut ſimpliciter dicam, Aquitani a natione Gallica corporis habitu & lingua differunt, magis Hiſpanis ſimiles.* Lugdunenſis eadem dicitur. Plin. IV. 17. *Ab eo ad Garumnam Celtica, eademque Lugdunenſis.* Sub Conſtantino M. diviſa eſt in quatuor provincias, quas per *Gallias* intelligit auctor Itinerarii p. 104. *De Aquitania in Gallias.* Lugdunenſem primam, cujus metropolis Lugdunum: ſecundam, quæ habet metropolim Rhotomagum: tertiam, cui metropolis eſt Turonum: & quartam, ſive Senoniam, in qua metropolis eſt civitas Senonum. *Bergier. de viis milit.* III. *ſect.* 40. § 1. & 4. De finibus multa *Cluver. Germ. Ant.* II. 1.

Gallia Ciſalpina pro diverſo tempore diverſa habuit nomina. Ab ultima ſeculorum memoria, quæ de rebus Italicis extat, ea pars, quæ a Tiberi ad Alpes patet, tota & omnis fuit Umbrorum & Hetruſcorum. Verum *Gallorum* Tranſalpinorum magna vis penetratis Alpibus, & ejectis Hetruſcis hac ſedium ſuarum parte, eidem terræ, partique occupatæ dederunt *Galliæ* nomen. Hæc porrigebatur ad Rubiconem uſque, exiguum fluvium, qui in mare Hadriaticum effunditur, & diu limes inter *Galliam*, & Italiam fuit. Nam ad ætatem uſque Julii Cæſaris hanc Italiæ partem pro *Gallia* habuerunt. Conſtat enim ex Julii Cæſaris vita, & rebus, quod, cum illi S. P. Q. R. ſæpius, & in plures annos decreviſſet provinciam *Galliarum*, æque Ciſalpinam, ac Tranſalpinam adminiſtrarit; exercitusque in utraque duxerit ſalvis Reipublicæ legibus, quod idem in Italia per eas leges non licebat. Neque enim prius Rubiconem exercitu armatus tranſiit, quam jacta, ut ipſe ajebat, alea, & bellum civile patriæ illaturus. *Bergier. de viis milit.* III. *ſect.* 30. §. 2. *Caſtillion. Gall. Inſubr. ant. ſed. Miſc. Erud. Ital. Tom.* II. *p.* 459. *Manut. Quæſ. Epiſt.* II. 2. *Emm. Græc. vet.* VIII. *Theſ. Ant. Græc. Gronov. Tom.* IV. *p.* 185. *B.* V. etiam infr. in *Italia.* Citerior etiam dicta eſt ob ſitum Alpium. Etiam Togata, & Italica, hodieque Longobardia, vel Lingobardia. *Cluver. & Caſtillion. l. l. Pitiſc. in Suet. Jul. c.* 22. *n.* 2. Puto provinciam eſſe factam eo tempore, cum M. Marcellus,

lus, is qui consul quinquies fuit, primusque Hannibalem acie vicit, Virdumarum *Gallorum* Regem singulari certamine occidit, deque *Gallis* Insubribus triumphavit anno 531. Patet enim provinciam esse factam, quia coloniæ plures annis sequentibus eo deductæ. *Manut. de Leg. c.* 10. *Panvin. Imp. Rom. c.* 4.

Gallia comata vocabatur, *quod Galli isti comam gerebant promississimam, eaque a reliquis dignoscebantur.* Dio XLVI. p. 326. C. Erat omnis Transalpina præter Narbonensem. Comatam *Galliam* a Cæsare perdomitam appellavit Catull. c. XXIX. n. 3.

Quis hoc potest videre? quis potest pati?
Mamurram habere, quod comata Gallia
Habebat omnis.

Lucan. I. 442.

Et nunc tonse Ligur, quondam per colla decora
Crinibus effusis toti prælate comatæ.

Manut. Quæs. Epist. II. 2. Jun. de Com. c. 3. Dalechamp. in Plin. IV. 17. Cluver. Germ. Ant. II. I. Nunc Francia dicitur. *Bud. in Pandect. p.* 86. I. Narbonensem adepti provinciam Romani facile post aliquot annos comatam ad imperium adjunxerunt, ductu, atque imperio C. Cæsaris, qui cum Narbonensem consul obtinuisset, ejus a reliquis *Gallis* ex S. C. defendendæ prætextu reliquas omnes *Galliæ* partes perpetuo novem annorum imperio subegit, in provinciamque redegit: cum ab Helvetiis incepisset, quos neque per provinciam armatos iter facere, neque per Æduorum sociorum agrum in Santones, qui non longe a Tolosatibus habitabant, ire permisisset, atque ab Helvetiis ad Belgas, & Aquitanos, reliquosque Celtas, novis semper, ut ipse scribit, aut conjurationis, aut defectionis, aut hostibus dati, aut sibi negati auxilii criminibus objectis, & ad singulos eorum populos, inter se, ut nominibus, sic imperiis discrepantes arma circumtulisset. Quibus semel, atque iterum, ut res tulit, in potestatem adductis, totam comatam *Galliam* præter socias, ac bene meritas civitates provinciam fecit. Quod his verbis breviter prodidit Suet. c. 25. n. 1. *Cæsar omnem Galliam, quæ a saltu Pyrenæo, Alpibusque, & monte Gebenna, fluminibus Rheno, & Rhodano continetur, patetque circuitu ad bis & tricies centum millia passuum, præter socias, ac bene meritas civitates in provinciæ formam redegit: eique quadringenties in singulos annos stipendii nomine imposuit.* Sigon. de Ant. jur. Prov. I. 6.

Gallia Narbonensis, antea Bracata dicta, V. supr. in *Gallia Bracata*, vocitata est a Narbone Tectosagum oppido. Bello Allobrogico, de quo supr. in *Allobroges*, in provinciæ formam est redacta, atque, ut quotannis in eam prætores mitterentur, institutum. Hoc Pompon. de orig. jur. §. 32. referre videtur. Et ex sequentium annorum historia patet. Tum maxime ex Critognati Arverni oratione apud Cæs. de Bell. Gall. VII. 77. *Quod si ea, quæ in longinquis regionibus geruntur, ignoratis, respicite finitimam Galliam, quæ in provinciam redacta, jure, & legibus commutatis, securibus subjecta, perpetua premitur servitute.* Panvin. Imp. Rom. c. 14. Sigon. de Ant Jur. prov. I. 6. Laurent. de Rebuspubl. c. 3. Quanquam reliqua quoque *Gallia* a C. Cæsare in provinciæ formam est redacta: quia tamen Narbonensis prius provincia facta est; ideo *Provinciæ*, quod hodie quoque retinet, ex Latina enim voce detorta dixerunt Galli *Provence*, semper est appellata. *Manut. Quæs. Epist.* II. 2. *Bergier. de viis milit.* III. *sect.* 38. §. 1. In hanc Salyes, Cavares, Vocontii, Allobroges, & Volcæ tum Aricomici, tum Tectosages erant inclusi, ita ut Narbo, & Tolosa Tectosagum, & Nemausus Aricomicorum intra eam fuerint; unde Cæsar provinciales Volcas Aricomicos, & Tolosates dixit. In re vectigali, ut comatæ stipendiarium, sic Narbonensi agrarium est impositum. Cicer. pro Font. c. 1. *M. Fontejus provinciæ Galliæ præfuit, quæ constat ex iis generibus hominum, & civitatum, qui modo ab nostris Imperatoribus subacti, modo bello domiti, modo triumphis ac monumentis notati, modo ab senatu agris, urbibusque mulctati sunt.* Sigon. l. l.

Gallia togata dicta, vel quia ei provinciæ Romana toga sit concessa. Unde Mart. III. I. 2.

Gallia Romanæ nomine dicta togæ.

Vel, quod *reliquis esset pacatior.* Dio XLVI. p. 326. C. Hoc nomen tulit primum ea regio, quam Senones tenuerant. Eam nimirum *Galliam* primum togatæ nomine ornarunt, quæ primum imperio populi Romani paruit, ac cives, moresque Romanos cum usu togæ Romanæ primá accepit: inde Bojis, qui finitimi fuerant Senonibus exturbatis hoc nomen communicatum puto, postquam etiam ad hos victus, cultusque Romanus est translatus. Siquidem Ptolemæus *Galliam* togatam a Placentia Ravennam perducit. Quo fortasse quoque respexit Festus, cum scripsit: *Boicum agrum dici, qui fuit Bojorum Gallorum: esse autem citra Alpes in Gallia, quæ togata dicitur.* Sigon. de Ant. jur. Ital. I. 24. Panciroll. Notit. Dign. imp. occid. c. 58.

Gallia Transalpina adjuncta fuit Hispaniæ. Hanc a Pyrenæis montibus ad Alpes, & flumen Rhenum pertinentem a septentrione Oceanus, a meridie mare mediterraneum alluit. *Sigon. de Ant. Jur. prov.* I 6. *Bergier. de viis milit.* III. *Sect.* 36. §. 1. Hanc Baptista Spagnolus Mantuanus describit his versibus.

Gallia terreni pars est non infima mundi,
Sed longe, lateque patens, Hispanica tangit
Oppida ab occasu; sese conjungit ab ortu
Italiæ; nostro hinc pelago, qua respicit austrum,
Clauditur; oceano, geminas ubi respicit ursas;
Unde venit boreas, hibernaque frigora surgunt,
Et vada Teutonici tangit vastissima Rheni.

Comprehendit regnum Franciæ, Belgicam, Lotharingiam, Germaniam superiorem & inferiorem, quæ nobis cis Rhenum est, Rhætos & Helvetios, quos Cæs. de Bell. Gall. I. 1. accenset *Gallis*, quamvis hodie censeantur, & origine, & lingua Germani. *Bergier. de viis milit.* III. *sect.* 36. §. 1.

GALLICÆ sunt calceamenta Gallorum. Hoc ipsarum appellatio clare prædicat. Crepidæ, ut supra dictum, pedibus calceandis ita serviebant, ut superiorem illorum partem nudam relinquerent. Et *gallicas* olim caruisse superioribus pedum integumentis est credibile: Et in eo potissimum assignari potest earum cum crepidis similitudo, ut hinc non temere Cicer. Phil. II. 30. *gallicas* pro crepidis usurpasse ostendamus, cum Antonio *gallicarum & lacernæ* usum, tanquam Græcanicum, aut certe exoticum exprobravit. Et T. Castritium discipulis suis probro vertisse refert Gell. XIII. 21: quod *feriato die conspicerentur lacernis induti, & gallicis calceati.* Si enim calceorum ad instar contectæ fuissent, non erat, cur earum, ut & crepidarum, usus, tanquam exoticus, & effeminatus exprobraretur. Differebant a crepidis. Nam *gallicarum* quidem soleas olim, ut & nunc, e ligno fuisse arbitramur. Crepidarum vero duplici triplicive corio simul compacto constitisse. *Balduin. de Calc. c.* 14. *Oizel. in Gellium. Ferrar. de Revest.* II. I. 1: 2. 3. *Tiraquell. in Alex.* V. 18. *Verbum esse novum, non diu ante ætatem M. Ciceronis usurpari cæptum* dicit Gellius. Eundem calceum sub *gallicæ*, & caligæ nomine usitatum fuisse affirmat *Nigron. de Calig. c.* 2. §. 18. 19. 20. negat *Salmas. in Pollion. Gallien. c.* 16.

GALLICINIUM, aliter *galli* cantus, est tempus noctis, quo *galli* canere incipiunt. Censor. de Die nat. c. 24. Apul. Met. VIII. p. 232. *Noctis gallicinio venit quidam juvenis ex proxima civitate.* Hoc a Græcis ἀλεκτρυοφωνία vocatur; vel, ut scribit Pollux I. 7. 8. περὶ ἀλεκτρυόνων ᾠδάς, ἀλεκτρυόνων ᾀδόντων. *Morestell. de diei civil. partib. Dial.* III. *Gyrald. de ann. & mens. Tom.* II. *p.* 796. *F. Struv. Ant. Rom.* VIII. *p.* 362.

GALLINÆ olim in cibis frequentes fuerunt. Poetæ, dum convivia describunt, earum mentionem crebro faciunt. Juven. Sat. V. 123.

— nec minimo sane discrimine refert,
Quo gestu lepores, & quo gallina secetur.

Et Sat. XI. 134. ubi luxum reprehendit sui ævi hominum,

qui ſtomacho erant adeo ſuperbo, ut cibos faſtidirent non impoſitos menſis citreis, quæ pede eburneo fulcirentur; cum tamen, niſi quis palato deſipiat, non ſint minus ſuaves, etiamſi ſplendor ille abſit, & apparatus, nec in vilioribus menſis:

—— ulla unquam obſonia fiant
Rancidula, aut ideo pejor gallina ſecetur.

Horatius autem Sat. II. 4. 17. ejus meminit tanquam familiaris ferculi, quod superveniente præter exſpectationem hoſpite, ad imperatas epulas adhiberi poteſt; modumque docet, quo teneritas ei ſubito concilietur.

Si veſpertinus ſubito te oppreſſerit hoſpes,
Ne gallina malum reſponſet dura palato,
Doctus eris, vivam muſto merſare Falerno.

Caſtellan. de Carn. eſu IV. 6. Bruyer. de Re cibar. XV. 21. Buleng. de Conviv. II. 11. Ut palato gratiores eſſent, inſtituerunt veteres illas ſaginare, quam laudem Delo, inſulæ tribuunt. Plin. X. 50. *Galinas ſaginare Deliaci cœperunt, unde peſtis exorta, opimas aves, & ſuopte corpore unctas devorandi.* Modum ſaginandi oſtendit Mart. XIII. 62.

Paſcitur & dulci facilis gallina farina,
Paſcitur & tenebris, ingenioſa gula eſt.

Non omnes ad ſaginam aptas fartores cenſent. Plinius: *Feminæ quidem ad ſaginam non omnes eliguntur, nec niſi in cervice pingui cute; poſtea culinarum artes, ut clunes ſpectentur, ut dividantur in tergora, ut a pede uno dilatatæ repoſitoria occupent.* Priſcorum certe cœnis interdictæ fuere altiles. Plinius: *Hoc primum antiquis cœnarum interdictis exceptum invenio jam lege C. Fannii Coſ. undecim annis ante tertium Punicum bellum, ne quid volucrum poneretur præter unam gallinam, quæ non eſſet altilis: quod deinde caput tranſlatum per omnes leges ambulavit. Inventumque diverticulum eſt, in fraudem earum gallinaceos quoque paſcendi lacte madidis cibis: multo ita gratiores approbantur.* Nonn. de Re cib. II. 19. Kobierzyck. de Lux. Rom. II. 11. Bruyer. de Re cibar. III. 2: XV. 22. Caſtellan. & Buleng. l. l. Etiam immolabantur. Alex. Gen. III. 12. & Stuck. Sacrif. p. 70. *Hæ ad rem divinam luteo roſtro, & pedibus, puræ non ſunt: nigræ vero, & imparibus digitis idoneæ.* Videntur accepiſſe ex Plinio, qui hoc tamen non dicit, X. 56. *Gallinarum generoſitas ſpectatur criſta erecta, interdum & gemina pennis nigris, ore rubicundo, digitis imparibus. Ad rem divinam, luteo roſtro, pedibusque puræ non videntur: ad opertanea ſacra nigræ.* Saubert. de Sacrif. c. 23. Tiraquell. in Alexandum. Et quidem Æſculapio. Feſtus in inſula Æſculapio facta: *Huic, Æſculapio, gallinæ immolabantur.* Eratque ſalubritatis indicium: propterea quod id ſacrificii genus ideo ferunt inſtitutum, quod harum caro leviſſimæ ſit digeſtionis, ac perinde languentibus commoda. Hujus rei locupletiſſimum teſtimonium apud Angelum Colotium deprehendimus: magnam quippe pedum gallinaceorum copiam proximis diebus defoſſam juxta cippum, in quo Romæ Æſculapii ſtatua erecta erat, loco qui hodie vivarium appellatur: quis enim tanto numero pedes ejuſmodi eo congeſſiſſet, niſi ſacrificiorum reliquias ibidem relinquere mos fuiſſet. *Pier. Hierogl.* XXIV. 15.

Gallinæ Africanæ, vel Numidicæ, *Gallis* poulles de Guine, dicuntur, quarum olim Romæ magna gratia, hodierna die raro inveniuntur. Varrone mox laudando teſte erant *grandes, variæ, & gibberæ. Gallinas* corpore vix excedunt; ſed longiora illis crura, plumis variis, quaſi guttis diſtinguuntur. Mart. III. 58. 15.

Et picta perdix, Numidicæque guttatæ.

Sunt enim pennæ earum nigræ, albis guttis conſperſæ, tanta elegantia, ut ſpectatores ad ſe rapiat. *Nonn. de Re cib.* II. 25. Dicuntur meleagrides Varr. de Re ruſt. III. 9. *Gallinæ Africanæ ſunt grandes, variæ, & gibberæ, quas με-[illegible] Græci.* Buleng. de C[illegible] IV. II. 14. Columella di[illegible] meleagridibus VIII. 2. *[illegible] eſt, quam [illegible] dicunt, [illegible], niſi quod r[illegible] galeam, & criſtam capite gerat, quæ utraque ſunt in mel[illegible]ride cœrulea.* Et Suetonius inter hoſtias, quas Caligula, cum ſibi divinam majeſtatem aſſereret, numini ſuo offerri juſſit, recenſet c. 22. n. 9. *Numidicas, & meleagridas.* Scalig. in Varronem. Caſtellan. de Carn. eſu IV. 6. Nonn. l. l.

ad *Gallinas* albas dicta fuit villa Cæſarum in regione ſexta, ſive Alta ſemita. Denominationis cauſam referunt Suet. Galb. c. 1. n. 2. *Liviæ olim poſt Auguſti ſtatim nuptias Vejentanum reviſenti prætervolans aquila galllinam albam ramulum lauri roſtro tenentem, ita ut rapuerat, dimiſit in gremium. Cumque nutriri alitem, pangique ramulum placuiſſet, tanta pullorum ſoboles provenit, ut hodie quoque ea villa ad gallinas vocetur.* Plin. XV. 30. *Liviæ Druſillæ, cum pacta eſſet illa Cæſari, gallinam conſpicui candoris, ſedenti aquila ex alto abjecit in gremium illæſam. Conſervari alitem, & ſobolem juſſere aruſpices. Quod factum eſt in villa Cæſarum fluvio Tiberi impoſita juxta nonum lapidem Flaminia via, quæ ob id vocatur ad Gallinas.* Panciroll. Deſcr. Urb. Rom. Theſ. Antiq. Rom. Græv. Tom. III. p. 346. E. Marlian. Topogr. Urb. Rom. V. 23. Aring. Rom. Subt. IV. 38. §. 4. Cluver. Ital. Ant. II. 3. §. 39.

GALLINARIUM eſt locus parietibus incluſus ad paſcendas *gallinas*. Colum. VIII. 3. *Gallinaria conſtitui debent parte villæ, quæ hybernum ſpectat orientem.* Stuck. Ant. Conviv. II. 10.

GALLINARIUS dicitur, qui *gallinas* curat. Varr. de Re ruſt. III. 9. *Inter duas oſtium ſit, qua gallinarius, curator earum ire poſſit.* Pignor. de Serv. p. 558.

GALLUS Cornelius fuit præfectus Ægypti. Suet. Aug. c. 66. n. 2. *Cornelium Gallum ad præfecturam Ægypti ex infima fortuna provexit.* Seipſum interfecit. Euſeb. ad a. 1990. *Cornelius Gallus quadrageſimo ætatis ſuæ anno propria ſe manu interfecit.* Cauſa fuit vel linguæ petulantia. Ovid. Triſt. II. 223.

Nec fuit opprobrio celebraſſe Lycorida Gallo:
Sed linguam nimio non tenuiſſe mero.

Dio LIII. p. 512. C. *Cornelius Gallus ad libidinem ex honore ſe præcipitavit, & multa flagitioſe agebat: ſtatuas ſibi ipſi per univerſam propemodum Ægyptum poſuit, & ſua acta pyramidibus inſcripſit.* Unde *ob ingratum & malevolum animum domo, & provinciis ſuis illi* Auguſtum *interdixiſſe* ſcribit Suetonius. Vel furtum, cujus illum inſimulatum vult Ammian. XVII. 4. *Cornelius Gallus, Octaviano res tenente Romanas, Ægypti procurator, exhauſit civitatem plurimis interceptis: reverſusque, cum furtorum arceſſeretur, & populatæ provinciæ, ſtricto incubuit ferro. Is eſt, ſi recte exiſtimo, Gallus poeta, quem flens quodammodo in poſtrema Bucolicorum parte Virgilius carmine leni decantat.* Argol. in Panvin. de Lud. Circ. I. 17. Pitiſc. in Suetonium.

Gallus dicitur fluvius Phrygiæ, cujus aquam qui guſtaſſent, reddebantur inſani. Feſtus ſtatim laudandus. Ovid. Faſt. IV. 363.

Inter, ait, viridem Cybelem, altasque Celænas
Amnis it, inſanus nomine Gallus aqua.
Qui bibit inde, furit: procul hinc diſcedite, queis eſt
Cura bonæ mentis: qui bibit inde, furit.

Panvin. de Civit. Rom. c. 38. Gyrald. Synt. deor. IV. p. 142. D.

Gallus etiam dicebatur ſacerdos matris deûm, ſive Cybeles. Cauſa nominis obſcura. Hieron. in Oſeæ IV. ait *Gallos matris deûm eſſe ex gente Gallorum, qui a Romanis ob ignominiam illius nationis vindice animo effeminantur*, quum vero a Græcis hoc antea, ut tunc, fuerit factitatum, hæc Hieronymi fuit oblivio. *Valla Eleg.* V. 6. *Voſſ. de Idolol.* I. 20. Longe veroſimilius, qui nomen iis imponunt a *Gallo*, flumine Phrygiæ. Feſtus: *Galli, qui vocantur, matris magnæ comites, dicti ſunt a flumine, cui nomen eſt Gallo: quia qui eo biberint, in hoc furere incipiant, ut ſe privent virilitatis parte. Alii putant ideo eos ſibi genitalia incidere, quia violaverint nomen patris, matrisve, ne poſſint ipſi fieri parentes.* Et favet Ovidius modo laudatus. Vel potius a viro nomine *Gallo*, qui primus forte Cybeles ſacerdos fuit. Sane apud Stephanum legas: *Et Gallum, & Attin abſcidiſſe genitalia. Ac Gallum veniſſe ad Tyriam fluvium, atque iſtic habitaſſe,*

&

& vocaſſe eum Gallum. Ab illo enim eos, quibus præciſum veretrum, Gallos appellant. Voſſ. l. l. Panvin. de Civit. Rom. c. 38. Gyrald. Synt. deor. IV. p. 141. E. Saubert. de Sacrif. c. 6. Argol. in Panvin. de Lud. Circ. II. 2. Lampe de Cymbal. Vet. II. 16. Caſal. de Urb. ac Imper. Rom. ſplend. part. 3. c. 2. Mauſſac. in Harpocrat. p. 85. Semetipſos caſtrabant, unde proverbium: *Gallos quid exſecas?* Hoc in honorem evirati Attinis fuit inſtitutum. Nulli enim in magnæ matris ſacerdotibus locus fuit, niſi qui, ejus inſtar, fuiſſet eviratus. Tatian. adv. gent. p. 147. *Rhea, quam in Phrygiis montibus Cybelen vocant, exſectionem virilium lege inſtituit propter adamatum ſibi Attin.* Eviratos fuiſſe teſtantur Prudent. Periſt. X. 1066.

Aſt hic metenda dedicat genitalia,
Numen reciſo mitigans ab inguine,
Offert pudendum ſemivir donum deæ:
Illam revulſa maſculini germinis
Vena, effluenti paſcit auctam ſanguine.

& Auguſt. de Civit. Dei VII. 26. *At vero iſta magna deorum mater etiam Romanis templis caſtratos intulit: atque iſtam ſævitiam, moremque ſervavit: credita vires adjuvare Romanorum, exſecando virilia virorum.* Voſſ. & Lampe l. l. Flocc. de Poteſt. Roman. I. 12. Læt. de Sacerdot. c. 12. Blond. Triumph. Rom. I. p. 21. B. Illorum tunicæ erant clavis variatæ. Schol. Juven. Sat. VIII. 207. *Galli in ſacris utuntur tunica in modum organi, utrimque decreſcentibus virgulis purpureis.* Apul. Met. VIII. p. 260. *Quidam tunicas albas in modum lanceolarum, quaquaverſus fluente purpura depictas, cingulo ſubligati.* Ruben. de Re veſt. I. 3. Sacerdotum nomine quidem, joco magis quam ſerio, veniunt apud Apul. Met. IX. p. 273. *Vaticinationiſque crebris mercedibus ſuffarcinati puſſimi illi ſacerdotes.* Plin. XXXV. 12. ſacerdotes vocat: *Samia teſta matris deum ſacerdotes, qui Galli vocantur, virilitatem amputant.* Non tamen fuerunt ſacerdotes, ſaltem ſacra matri deorum facientes. Apulejus enim Met. VIII. p. 255. *Gallum* Philebum *vocat unum de triviali popularium fece, qui per plateas, & oppida cymbalis, & crotalis perſonantes, deamque Syriam circumferentes mendicare compellunt.* Hinc ſcurræ magnæ matris, decipiendiſque mulierculis maxime apti, circumvagabantur per pagos, vicos, ac fora, atque ita ex circumforaneorum numero erant. Plutarch. de Pyth. orac. p. 407. B. *Maximam poeſi infamiam paraverunt agyrtæ illi, ac circumforanei, & ſcurræ magnæ matris, & Serapidis, ſceleſti ac vagi.* Hos & in Dionyſio juniore repræſentat Athenæus, cum de ipſo ita loquitur XII. p. 541. E. *Dionyſius ſub extremum ætatis tempus, matri deum ſtipem emendicando cogens, ac tympana pulſans cum morte vitam commutavit.* De illis quoque multa Clem. Alexand. Protrept. p. 49. B. Nulla auctoritate publica nixi fuerunt; ſed vates ſponte currentes:

Et inertes, & inſani, & quibus egeſtas imperabat.

Ut de ipſis in Telamone Ennius. Plin. XI. 49. eos ſimpliciter *matris deum gallos* vocat. *Gallos* etiam a ſacerdotibus, ut minoris ordinis, ac dignitatis clare diſtinguit, & cum tibicinibus. . . . conjungit Lucian. de dea Syr. p. 679. *Sacerdotes autem ipſis multi admittuntur, quorum alii hoſtias mactant, alii libamina ferunt, alii vocantur igniferi, alii aræ miniſtri. Mea autem ætate plures etiam quam trecenti ad victimam venire ſolebant. Veſtis ipſis tota eſt candida, pileumque in capite geſtant. Summus ſacerdos, ἀρχιερεὺς, quotannis alius ſurrogatur: qui ſolus purpuream veſtem gerit, & aurea tiara redimitur. Alia, NB. eſt hominum ſacrorum multitudo, tibicinum videlicet, & fiſtulatorum, &* GALLORUM. *Van Dale Diſſert.* I. 11.

Gallus gallinaceus fuit in augurali diſciplina victoriæ ſignum: propterea quod avis illa victa ſilere ſoleat, canere victrix. Hinc Lacedæmonii, ut eſt apud Plutarchum, cum hoſtem viribus profligaſſent, *gallum* immolabant. Ferunt Socratem Iphicrati duci animos adjeciſſe, cum gallinaceos coram gallina pinnis, & roſtro dimicantes ei præmonſtraſſet. Quod de cantu diximus, refert Cicer. de Div. II. 26. ex Calliſthene Leuctricæ calamitatis tempore, quæ Lacedæmonios propemodum oppreſſit, cum apud Thebaidem Trophonio res divina fieret, *gallos* gallinaceos in eo loco ſic aſſidue canere cœpiſſe, ut nihil intermitterent: tum augures dixiſſe, Thebanorum eſſe victoriam. *Moreſtell. de Fer. Roman. Dial.* XIV. Præprimis vigil eſt: unde *gallos* aliqui ἀλέκτορας, quaſi ἀπὸ λέκτρας, id eſt, a lectis mane avocantes dictos autumant; ob quam etiam cauſam imaginem ejus veteribus ſapientiſſimis templorum turribus, vel turrium ſacrarum verticibus imponere placuit, ut Eccleſiæ miniſtros ſubmonerent, imitarentur proprietates quaſdam hujus avis, quas confert Franz. Hiſt. Anim. II. 10. *Saubert. de Sacrif. c.* 3; Sacer fuit Marti ob pugnacitatem. Ariſtoph. Avib. p. 580.

Avis a nobis genere Perſico
Martis pullus, o pulle domine.

Auſon. Eidyll. XI. 26.

- - - ter clara inſtantis Eoi
Signa canit ſerus deprenſo Marte ſatelles.

Demſter. Paral. ad Roſin. Ant. Rom. III. 10. Pier. Hierogl. XXIV. 22. Salmuth in Panciroll. de Reb. deperd. & inv. p. 651. Stuck. de Sacrif. p. 70. Saubert. ibid. c. 23. Mercurio ob vigilantiam. A prima enim mediæ noctis inclinatione ſolet, ut ait Lucret. IV. 714.

- - - noctem explaudentibus alis
Auroram clara conſuetus voce vocare.

& matutino crepuſculo, matutinis aſtris Deum itidem laudantibus quotidie commodulatur. Et ideo excubiarum, & vigiliarum ſignum fuit. *Pier. ibid. c.* 20. *Saubert. l. l. Aleand. Tab. Hel. Explic. Theſ. Ant. Rom. Græv. Tom.* V. *p.* 718. *A.* Et ob eandem Nocti deæ, & nocturno tempore ſacrificabatur. Ovid. Faſt. I. 455.

Nocte deæ Nocti criſtatus cæditur ales,
Quod tepidum vigili provocat ore diem.

Stuck. & Saubert. l. l. Ut & Laribus, quod pervigil domum cuſtodiat. Juven. Sat. XIII. 233.

- - - Laribus criſtam promittere galli.

Saubert. l. l. Nec non & Æſculapio, ſive ob eandem vigilantiam: ſive quod divinæ beneficentiæ, morborum omnium curatrici, diem, hoc eſt, vitæ lumen ſe debere veteres teſtarentur. Ad pedes Æſculapii *gallus* ſedet in onyche, quem habet Choul. p. 114. Ultima Socratis poſt cicutæ potum, & pedes, & tibias, & ventriculum rigentis ad amicum Critonem vox fuit: *O Crito, Æſculapio gallum debemus.* Rhodig. Ant. Lect. XVI. 12. Pier. Hierogl. XXIV. 18. Saubert. l. l. Illorum pugnantium ſpectaculum quotannis publice exhibebatur Athenis. Ælian. Var. hiſt. II. 28. *Poſt devictos Perſas Athenienſes legem poſuerunt, ut galli gallinacei quotannis uno die publice in theatro certarent.* Pergami. Plin. X. 21. *Pergami omnibus annis ſpectaculum gallorum publice editur, ceu gladiatorum.* Romæ. Herodian. III. 10. 5. *Inter ſe fratres,* filii Severi, *diſſidebant, puerili primum certamine, edendis coturnicum pugnis, gallinaceorumque conflictibus exorta diſcordia.* Buleng. de venat. circ. c. 25. Barth. Adv. II. 22. Scheffer. in Ælianum. Rhodig. Ant. Lect. XVI. 13. Pier. ibid. c. 25. *Gallos* publice extulit Poliarchus. Ælian. Var. Hiſt. VIII. 4. *Poliarchum ferunt ad eam mollitiem perveniſſe, ut canes etiam & gallos, ſi quibus delectatus fuiſſet, mortuos efferret publice, & amicos ſuos convocaret ad funus, ſplendideque eos ſepeliret, atque erigeret in illorum monumentis columnas, quibus epitaphia eorum inſculperet.* Kirchm. Append. Fun. Rom. c. 6. Guther. de Jur. man. II. 37.

GAN.

GANEUM dicitur *taberna meretricum. Ganea* & proſtibula ut in theatro, ſic & in circo fuerunt. Vetus poeta:

Deliciæ populi, magno notiſſima circo
Quintia.

Lamprid. Heliog. c. 26. *Omnes de circo, de theatro, de ſtadio, & omnibus locis, & balneis meretrices collegit.* Inter

ſcorta quoque in fornicibus ſpectaculorum pueri ſteterunt, publicæ libidini expoſiti, donec ſub Conſtantino Imperatore turpitudo deleta eſt. Certe ad omnia pæne gymnaſia, & ſpectacula erant popinæ, & *ganea* utrique veneri, maſculæ, & femineæ. *Buleng. de Circo c. 56. Salmaſ. in Lamprid. Alex. Sev. c. 24. Fabric. Deſcript. Urb. Rom. c. 12.*

GAR.

GARUM fuit liquor, quo nullus olim, præter unguenta, majori in pretio apud Romanos fuit. Cujus ita uſus intercidit, ut quid olim fuerit, pæne ignoretur. Sanies fuit cruenta ex inteſtinis piſcium. Suidas: *Garum nihil aliud eſt præter putredinem.* Plin. XXXI. 7. *Aliud etiamnum liquoris exquiſiti genus, quod garon vocavere, inteſtinis piſcium, cæteriſque quæ abjicienda eſſent, ſale maceratis; ut ſit illa putreſcentium ſanies.* Seneca infra laudandus. Fiebat ex piſce olim *garo.* Plin. l. l. *Hoc olim conficiebatur ex piſce, quem Græci garum vocabant.* poſtea ſcombro. Plin. ibid. c. 8. *Nunc e ſcombro piſce laudatiſſimum in Carthaginis Spartariæ cetariis.* Mart. XIII. 102. 1.

Exſpirantis adhuc ſcombri de ſanguine primo
Accipe faſtoſum, munera cara, garum.

103. 1.

Antipolitani fateor ſum filia thynni:
Eſſem ſi ſcombri, non tibi miſſa forem.

Buleng. de Conviv. II. 25. Mag. Miſc. II. 9. Schott. Obſ. III. 7. Panciroll. de Reb. deperd. & inv. p. 508. Voſſ. de Idolol. IV. 25. Nonn. de Re cib. III. 14. Laurent. de Prand. c. 6. Scalig. Lect. Auſon. II. 28. Bruyer. de Re cibar. X. 17. Ex piſcibus marinis fit optimum; quod in eorum inteſtinis & viſceribus ſal facillime tabeſcat, & commiſceatur; quod omni tempore & loco, ob ſanguinem eorum frigidum, condiantur piſces omnigeni; quod eorum ſanguis inter alia ex oleo quodam liquidiore fiat; quod ſepticæ cujuſdam naturæ ſint piſces, maxime inſecta marina, ideo ad ſtomachum recreandum aptiora, atque utiliora. Recte Plin. XXXI. 8. *Alex tandem pervenit ad cruſtacea, quales cammari, locuſtæ, cancri:* nempe quod ex iis longe præſtantiſſimum *garum* conficeretur. *Liſter in Apic. de Art. coquin.* VII. 6. Quanto in pretio fuerit jam indicavit Martialis, qui *faſtoſum* vocavit, muriæ viliori id opponens. *Singulis millibus nummum permutantibus congios pæne binos,* inquit Plin. l. l. Laurent. & Schott. l. l; Manut. Quæſt. Epiſt. I. 4.

Garum ſociorum dicitur Senec. Epiſt. 85. *Quid illud ſociorum garum, pretioſam malorum piſcium ſaniem, non credis urere ſalſa tabe præcordia.* Plin. IX. 17. *M. Apicius, ad omne luxus ingenium mirus, in ſociorum garo, nam ea res quoque nomen invenit, necari eos præcellens putavit.* Auſon. Epiſt. 21. *Scis me id nomen muriæ, quod in uſu vulgi eſt, nec ſolere, nec poſſe dicere: quum ſcientiſſimi veterum, & Græca vocabula faſtidientes, Latinum in gari appellatione non habeant. Sed quocunque nomine loquar, liquor iſte ſociorum vocatur.* Lemma Mart. XIII. 102. *Garum ſociorum.* Voſſ. de Idolol. IV. 26. Nonn. de Re cib. III. 44. Jun. Anim. VI. 17. Schott. Obſ. III. 7. Torrent. in Horat. Sat. II. 8. 46. Cur *ſociorum* appellatum ſit, controverſum. Ego *Aſotiorum* appellandum contendo, & puto hoc valere aſotorum, & illud cognomen apud Plinium, Senecam, Martialem, Auſonium corruptum eſſe, quaſi hoc heluonum eſſet proprium, & præcipue delicatis in uſu eſſet. *Lang. Epiſt. medic.* I. 59. Qui eſt in errore manifeſto. Legit enim ſic contra omnes libros, nec mihi unquam perſuadebit, mendum in tot auctorum libros irrepſiſſe. Nec ſatis juſta hæc appellationis cauſa. Quodvis enim *garum* aſotis, gulæque mancipiis gratum. Sunt, qui *Soſiorum* reſcribunt: quaſi id nomen impoſitum ſit a Soſiorum apud Romanos familia, quæ eo liquamine aut frequentius uſa, aut primum Romam attulerit: quemadmodum vina Opimiana dicta, quæ a Lucio Opimio, Q. Fabio coſſ. anno 632. diffuſa ſunt. Plin. XIV. 14. Vellej. II. 117. Gentiana herba a Gentio Illyriorum Rege nomen invenit. Plin. XXV. 7. Sed eos eadem auctoritate refellimus. Dixerunt itaque laudati auctores *garum* ſociorum, quia a ſociis populi Romani apportaretur: quales Hiſpani. Mart. XIII. 40. 2.

Heſperius ſcombri temperet ora liquor.

Nimirum Carthagine nova, ſeu Spartaria fiebat. Plinius in *Garum.* Poſſet etiam *ſociorum* dici, quaſi ſodalium, ſive cœtus ſocialis, qui gulæ cauſa conveniſſet. Sed magis placet, quod priori loco dicebamus. *Voſſ. Schott. Nonn. l. l. Wuell. contr. Merul. c.* 10. *Liſter. in Apic. de Art. coquin.* VII. 7. Legimus apud Apul. Met. X. p. 333. *piſces exotico jure perfuſos, an garo* appellatione Græca? tanquam condimento exotico ex peregrinis regionibus allato. *Liſter l. l.* Poſterius tamen placet *Torrent. l. l.*

GASTRA appellabatur ipſum navis pavimentum. *Calcagn. de Re naut. c.* 13.

Gaſtra vocabantur amphoræ, in quas de die veſicam exonerabant, qui per publicum incedebant. Per angiportus erant collocatæ. Petron. c. 39. *Quum hora pæne tota, per omnes ſcrupos, gaſtrorumque eminentium fragmenta traxiſſemus pedes.* Buleng. de Vectig. c. 45.

GAU.

GAVIA lex. V. illam infra in *Lex.*

GAULUS erat genus navigii. Inter naves recenſetur a Gell. X. 25. Feſtus: *Gaulus genus navigii pæne rotundum.* Erat navis oneraria. Schol. Ariſtoph. Avib. p. 570. *Gaulus, navis oneraria.* Uſurparunt maxime Phœnices. Heſych. *Gauli navigia Phœnicia.* Callimachus Sidoniis tribuit, Phœnicum præcipuis. Fragm. Bentl. 217. Γαῦλος, *navicula Sidonia me ex Cypro huc deportavit.* Navigium piraticum fuiſſe dicit Etymologicum. *Dicitur & triremis gaulus, quia multa ferre poteſt, ut ait Herod.* III. *Eſt autem ſpecies navigii piratici, quod & Liburna dicitur, quia eſt capax & concava.* Triremis hic dicitur, non quaſi cum tribus fuerit ordinibus, ſed quia triremem ſequebatur, & ad eam pertinebat, ut *ſcapha.* Oſtendit Herodotus ipſe, cujus hæc ſunt verba: *Confeſtim duas triremes, ſimulque cum ipſis ingentem gaulum impleverunt varia multiplicique præda.* Scheffer. de Milit. nav. II. 2: IV. 1. Gyrald. de Navig. c. 18. Bayf. de Re nav. Theſ. Ant. Græc. Gronov. Tom. XI. p. 600. D. Dolet. Comment. Ling. Lat. II. Theſ. Gronov. ibid. p. 675. F. Calcagn. de Re nav. c. 11. Voſſ. Lex. Etymol.

Gaulus vocabatur etiam poculi quoddam genus. Theocr. Eidyll. V. 58.

Statuam vero octo quidem gaulos Pani lactis.

Plaut. Rud. V. 2. 32.

Præterea ſinus, epichyſis, cantharus, gaulus.

Navigio, de quo modo, vaſculum hoc ſimile. *Voſſ. Lex. Etymol. Gyrald. de Navig. c.* 18. *Dolet. Theſ. Ant. Græc. Gronov. Tom.* XI. *p.* 675. *F.*

GAUSAPA, *gauſape*, & *gauſapum*, nam hæc tria Grammatici agnoſcunt, fuit veſtimentum ex pingui, ac denſa lana compactum, tunica, lacerna, penula, ex una tantum parte villoſum: nam quod utrinque villos habebat, ex eo amphimallum Græce eſt dictum. Ut falli neceſſe ſit, qui *gauſape* amphimallum verterunt, quos Plin. VIII. 49. redarguit, qui *gauſapina* ante ætatem ſuam in uſu fuiſſe docet, amphimalla memoria ſua inducta. *Ferrar. de Re veſt.* II. 1. 6. Nec lanea modo veſtimenta, ſed etiam linea, quæ villos habuere, *gauſapa* dicta, atque tegendis menſis adhibita, quæ & mantilia. Mart. XIV. 138.

Nobilius villoſa tegant tibi lintea citrum,
Orbibus in noſtris circulus eſſe poteſt.

Quod autem menſæ tum rotundæ erant, ita & mantile, ſive *gauſape* pariter rotundum fuit. Ad cujus diſtinctionem, *gauſape*, quod lectis pro ſtragulo injiciebatur, *gauſape quadratum* dicitur. Mart. XIV. 152.

Lodices mittet docti tibi terra Catulli:
Nos Helicaonia de regione ſumus.

Lodices,

Lodices, hoc eſt, ſtragula leviora mittet tibi Verona, denſa ac villoſa *gauſapa* Patavium ſuppeditabit. Talis enim lana Patavina. Mart. xiv. 143.

Vellera cum ſumant Patavina multa trilices,
Et pingues tunicas ſerra ſecare poteſt.

Strab. v. p. 151. *Lanam mediam inter aſperam, & mollem producit Patavina regio, ex qua fiunt pretioſi tapetes, gauſapa, aliaque id genus, vel ex una tantum parte, vel utrinque villoſa.* *Gauſapa* ſcilicet quadrata ſternendis lectis. Apud divites erant ſtragula *gauſapina* purpurea. Mart. xiv. 147.

Stragula purpureis lucent villoſa tapetis,
Quid prodeſt, ſi te congelat uxor anus?

Vocat cubicularia, ut diſtinguat a tricliniaribus, quæ ferme leviora, licet & ipſa purpurea. *Ferrar. ibid. c.* 7. Menſas etiam *gauſape* tergebant. Lucillius

Purpureo terſit tunc lautus gauſape menſas.

Horat. Sat. ii. 8. 10. V. illum infr. in *Miniſtri.* Ferrar. l. l. Buleng. de Conviv. i. 38. Torrent. ad Horatium. Erat veſtis peregrina, imo & barbarica, nec niſi ſub Auguſto Romæ cognita. Gloſſæ Veteres: *Gauſapa, βαρβαρικὸν πάλλιον.* Meſſala de ſtatuis Antonii: *Armenii Regis ſpolia, gauſapa.* Perſ. Sat. vi. 46.

Jam chlamydes Regum, jam lutea gauſapa captis.

Ferrar. ibid. c. 8. Qui in gymnaſiis exercebantur, itemque balneis, ii fere lodicula, aut *gauſapina* leviter obvoluti erant, & circa verendas maxime partes. Hinc Trimalcio apud Petron. c. 28. poſt balneum *lectica imponitur, coccinea gauſapa involutus.* Senec. Epiſt. 53. *Memor artificii mei veteris, mitto me in mare, quomodo pſychrolutam decet, gauſapatus.* *Gauſapa* autem hic ad manum, quia & nautis eorum uſus. *Lipſ. in Senecam.* Sed *gauſapa* in gymnaſiis, & balneis, nec lodiculæ fuere, nec leviter tegebant, neque verendas modo partes; ſed arcendo frigori totum corpus villoſæ, ac craſſæ involvebant. Neque Seneca in mare deſcenſurus *gauſapam* ſumpſit a nautis. Quare enim ſumeret? Navigabat Seneca, & quidem ob frigus *gauſapa* involutus. Exorta tempeſtate cum maris cœcos volventis fluctus jactationem ferre non poſſet, gubernatorem coegit, ut ſe in aliquo littore exponeret, neque exſpectavit, ut navis ripæ appelleret, ſed moræ impatiens ſe in aquam demiſit, tanta feſtinatione, ut ne veſtimenta quidem deponeret, ſed, ut erat *gauſapatus*, in mare deſiliit. Pſychrolutam autem, qui in balneis frigida magis Laconum more delectaretur, quam calida, recte docti interpretantur. Quod igitur frigida delectaretur, deſcendit in mare, cum exſpectare littus potuiſſet, & quidem *gauſapatus*, quod brevis aqua eſſet, nec *gauſapam* madefacere poſſet. Nam in balneis nudi erant, præcipue cum in piſcinam deſcenderent, in qua natabant. At hic crura modo, pedesque vadis merſerat. Sequitur enim: *dum per aſpera erepo.* Erat namque littus importuoſum, & aſperis cautibus inæquale, ut non tam ire, quam repere cogeretur. Petronius de lacerna, aut *gauſapa* ſimpliciter intelligendus. *Ferrar. l. l.*

GEG.

GEGANIA gens. V. illam infr. in *Gens.*
Gegania tribus. V. illam infr. in *Tribus.*

GEL.

GELASIANI in theatris dicuntur ridiculi ſanniones, qui diſtorto ore rident, ut rideantur. Sidon. carm. xxiii. n. 301.

Mimos, ſchœnobatas, gelaſianos.

Hos deſcribit Claud. Manl. Theod. conſul. vi. 312.

Qui lætus riſum ſalibus moviſſe facetus,
Qui nutu, manibusque loquax. . . .

dicuntur ridiculi Mart. iii. 41. 15.

Mimos ridiculi Philiſtionis.

Demoſth. Olynth. ii. p. 17. Μίμοι γελοίων. Ubi Ulpianus: *Neceſſario addidit* γελοίων. *Non enim omnis imitatio ridicula eſt, ſed eſt & ſtudioſa. Etenim tragœdia eſt imitatio morum, & affectuum. Et comœdia imitatio, & mimi Sophronis.* Euripides:

Hominum plerique ridiculi cauſa
Exercent charites mordaces: Ego vero
Odi ridiculos, ſi qui ſane erga bonos
Effrenata habent ora.

Argol. & Pinell. in Panvin. de Lud. circ. ii. 19. Buleng. de Theat. i. 42. V. & infr. in *Silli.*

GELLIA gens. V. illam infr. in *Gens.*

GELLIUS. V. illum ſupr. in *Aulus Gellius.*

GELU, ac frigus non minus odores, quam ſapores ſopit; odor enim ab exhalatione oritur, quem frigiditas cohibet, quæ ſimiliter guſtum obtundit, ne ſaporem perſentiat. *Vini natura ad frigus ſtupet.* Plin. xiv. 21. Hippocr. de Affect. *debilius effici ſcribit, ut odore, & ſapore quodammodo deſtitutum reſtet.* *Gelida* lympha nobiles, ac perfectas vini partes confundit: odoremque, & ſaporem, & quicquid pulcri, aut boni habet, detrahit. Hinc in Sarnenſi apud Campanos flumine rubrum vinum ad refrigerandum appoſitum breviſſimi temporis ſpatio ſaporem omnem, ſimulque & colorem amittit. Nos experimento vidimus vinum album, & rubeum, ſub dio ſpuer nivem frigidiſſimo nivali tempore in vaſe locatum totaliter in *gelu* fuiſſe converſum nullius ſaporis, ſpiritum vero in imo detruſum reperimus. *Butius de Pot. Antiq. c.* 23.

GEM.

ad GEMELLAS in aqua Appia dicebatur locus, qui erat intra ſpeciem veterem, ubi jungebatur cum ramo Auguſtæ. Altitudo aquæ erat pedum quinque, latitudo unius & dodrantis, quæ efficiebat quinarias 1825. amplius quam in commentariis, quinariis 983. Erogabat quinarias 704. minus quam in commentariis adſcribebatur, quinariis 138. Et adhuc minus quam ad *gemellas* menſura reſponderet quinariis 1121. Intercidebat autem aliquantum ex ductus vitio, qui cum eſſet depreſſior, non facile manationes oſtendebat. *Marlian. Topogr. Urb. Rom.* v. 26. *Nardin. Rom. Vet.* iii. 3.

Gemellos ſi peperiſſet mulier, habebatur ſignum, & benevolentiæ deorum, & pietatis, pudicitiæque puerperæ. Plaut. Amph. v. 1. 32.

—— BR. *At ego faciam, tu idem ut aliter prædices*
Amphitruo; piam, & pudicam eſſe tuam uxorem ut ſcias:
De ea re ſigna, atque argumenta paucis verbis eloquar.
Omnium primum Alcumena geminos peperit filios.
AM. *Ain' tu geminos?* BR. *Geminos.* AM. *Dii me ſervant.*

Tacit. Annal. ii. 84. 1. *Soror Germanici Livia, nupta Druſo, duos virilis ſexus ſimul enixa eſt: quod rarum, lætumque etiam modicis penatibus, tanto gaudio principem affecit. . . .* Meurſ. de Puerp. c. 2.

GEMINÆ cognomen inditum eſt legionibus ab Auguſto, ſecutisque Imperatoribus, quando ſcilicet, aut omnino illis diſſipatis, ac inter cæteras diſpoſitis, denuo remittebantur, & conjungebantur. Dio lv. p. 564. C. *Urſat. de Not. Rom. Theſ. Antiq. Rom. Græv. Tom.* xi. *p.* 822. *C.*

GEMINUS eſt cognomen Serviliorum. Hoc primum tulerunt P. & Q. Servilii fratres. Cicer. Acad. Quæſt. ii. 18. *Fac antiquos illos Servilios, qui gemini fuerunt, tam ſimiles, quam dicuntur.* Sigon. de Nom. Rom. c. 5. Glandorp. Onomaſt. Rom. p. 795.

GEMMA ornabantur baltei & vaginæ. Tertull. de Hab. mulieb. c. 7. V. illum ſupr. in *Domus ſeptem Parthorum.* Cerd. Adv. c. 125. §. 13. Kobierzyck. de Lux. Roman. ii. 1. Equi. Claud. Epigr. xxiii. 7.

—— *Virides ſpumis perfunde ſmaragdos,*
Luxurient tumido gemmata monilia collo.

xx. 7.

Sanguineo virides morsu vexare smaragdos.

Buleng. de Equis c. 15. Parietes divitum. Hieron. Epist. 13. V. illum infr. in *Paries.* Socci ipsi. Plin. IX. 35. *Quin & pedibus, nec crepidarum tantum obstragulis, sed totis socculis addunt* margaritas. *Cerda l. l.* Etiam *gemma*, sive latronibus ludebant *gemmeis*, hoc est, vitreis. Mart. XII. 40. 3.

Pedis, dissimulo: gemma vis ludere, vincor.

Calculi enim vitrei in latronum lusu dicti sunt *gemmei.* Mart. XIV. 20. 2. V. illum supr. in *Calculi.* Vitrea *gemma*, & vitreum idem. Quidquid ex vitro erat, vitreum vocabant, & *gemmam vitream.* Et vitreas *gemmas* opponit veris Pollio Gallien. c. 12. *Quum quidam gemmas vitreas pro veris vendidisset.* Salmas. in Pollionem. Plerumque unica fibulæ vicem præstabat. Claud. Rapt. Proserp. II. 40.

—— *viridique angustat jaspide pectus.*

Vopisc. Carin. c. 17. *Habuit gemmas in calceis, nisi gemma fibula*, ut optimus Palatinus pro vulgari *gemmata*, *usus non est. Balteum etiam sæpe gemmatum.* Salmas. in Vopiscum. Quo modo differat a margaritis V. infr. in *Margarita.*

GEMMARE vites eleganter veteres dixerunt, cum ad nodos sarmentorum instar *gemmarum* erumpunt. Ennius apud Charis. I.

—— *purpureis gemmavit pampinus uvis.*

Virg. Georg. II. 333.

—— *nec metuit surgentes pampinus austros,*
Sed trudit gemmas.

Hac translatione utitur Cicer. de Orat. c. 24. *Nam gemmare vites etiam rustici dicunt. Quod enim declarari vix verbo proprio potest, id translato cum dictum est, illustrat id, quod intelligi volumus, ejus rei, quam alieno verbo posuimus, similitudo.* Quintil. VIII. 6. *Necessitate rustici dicunt gemmam in vitibus.* Dicitur etiam oculus. Philo L. quod Deus sit immutabilis p. 299. A. *Et in palmitibus oculi, sicut rustici vocant, connivent tanquam animalium.* Utramque vocem commiscet Plin. XVII. 22. *Alii vetant gemmantem vineam per singulos rores confodi: decuti enim oculos.* Column. in Ennium. Cerda in Virgilium.

GEMONIÆ fuerunt diritate supplicii diu infames. Suet. Tib. c. 53. n. 6. *Imputavit etiam, quod non laqueo strangulatam in Gemonias abjecerit.* Ubi subauditur vox *scalæ*, quam addit Val. Max. VI. 3. 3. *Corpus contumelia carceris, & detestanda Gemoniarum scalarum nota fœdavit.* Vocem *gradus* addit Plin. VIII. 40. *Unius ex his canem nec a carcere abigi potuisse, nec a corpore recessisse abjecti in gradibus Gemoniis mœstos edentem ululatus.* Pitisc. in Suetonium. In illas unco impacto corpora trahebantur. Suet. Tib. c. 61. n. 12. *Nemo punitorum non & in Gemonias abjectus, uncoque tractus.* Vit. c. 17. n. 2. *Tandem apud Gemonias excarnificatus, atque confectus est, & inde unco tractus in Tiberim.* Juven. Sat. X. 66.

—— *Sejanus ducitur unco*
Spectandus: gaudent omnes.

Fab. Semestr. II. 9. Pollet. For. Rom. V. 14. Grang. in Juvenalem, Loens. Misc. Epiph. III. 5. Kipping. Antiq. Roman. II. 6. §. 11. Pitisc. in Suet. Tib. c. 54. n. 3. Gradus, vel scalæ dicebantur, quod surrectus foret locus, & gradibus quibusdam conscenderetur. Proinde ἀναβαθμὸς appellat etiam Dio LVIII. p. 621. B. *corpus* Sejani *in scalas* Gemonias *projectum, ac post in flumen missum.* Rhodig. Loens. & Laurent. de Torment. c. 7. Quasi in summum damnati abjicerentur. Mihi verisimilius est in aliis etiam gradibus fuisse depositos, ideoque paullo latioribus. Quod indicant numerosæ sub aliquot Principibus cædes. Dio LVIII. p. 630. D. *Hoc modo multi viri morte affecti, multæ mulieres aliæ in carcere, aliæ ad tribunal protractæ captivarum instar, & earum quoque in Gemonias projecta corpora.* Donat. l. l. Ego magis puto, instar putei excavatum fuisse locum, in quem gradibus descenderetur. Alioqui, quomodo Sejani servi, ut mox dicet Dio, publica euntes via, quæ est ad carcerem, a multitudine oppressi, præcipites decidissent mortui, nisi locus declivis fuisset. *Loens. l. l.* Fuerunt in Aventino, sive regione Urbis decima tertia. Victor. *Panvin. Descr. Urb. Rom. Thes. Ant. Rom. Græv. Tom.* III. *p.* 309. *B. Marlian. Topogr. Urb. Rom.* IV. 4. *Merul. Cosmogr.* II. 4. *Boissard. Topogr. Urb. Rom. Tom.* I. *p.* 15. *Faunus Antiq. Urb. Rom.* III. 1. juxta Junonis Argivæ templum, quod Camillus ex voto dedicavit, Vejis captis: quod addunt *Loens. & Laurent. l. l.* Illarum sedem incertam facit Dio LVIII. p. 624. C. ubi de Sejano: *Cumque in Capitolio sacrificasset, ac deinde in Forum descenderet, servi ejus stipatores, cum propter turbam eum sequi non possent, in viam, quæ ad carcerem ducit, diverterunt, ac per scalas Gemonias lapsi deciderunt.* Hæ igitur non in præcipiti clivo Aventini ad Tiberim, sed in crepidine Capitolii, aut prope carcerem fuerunt. Neque dicas, in codice Græco *Gemonias* non legi, sed κατὰ τῶν ἀναβαθμῶν. Quid enim hi gradus aliud, nisi *Gemoniæ* sunt? Ita Dio de Sejano jam supra. Sed illum in *Gemonias* fuisse protractum constat. Equidem quid Dio loco illo sibi velit, nisi *Gemonias* velit Capitolio adhærentes, non intelligo. Qui tamen utrumque velit, auctores habet, quibus id tueatur. *Donat. & Loens. l. l.* Hunc unum carcerem agnovit Roma primis seculis, Ecclesiasticis postea Mamertinum nuncupatum. *Borrich. l. l.* V. & infr. in *Tullianum.*

GEN.

GENAS *Ennius palpebras putat, cum dicit hoc versu:*

Pandite sulti' genas, & corde relinquite somnum.

Alii eas partes putant genas dici, quæ sunt sub oculis. Pacuvius genas putat esse, qua barba primum oritur, hoc versu:

Nunc primum opacat flore lanugo genas.

Festus. *Genas radere est* illas *unguibus scindere.* Festus. Illas *in luctibus homines lacerant.* Artemid. I. 30. Hoc mulieribus potissimum erat peculiare. Serv. Æneid. III. *Varro dicit mulieres in exsequiis, & luctu ideo solitas ora lacerare, ut sanguine ostenso inferis satisfaciant.* Quem morem Atheniensibus suis jam ante Solon, & Romanis decemviri severe interdixerunt. In XII. tab. scriptum memorat Cicer. de Leg. II. 23. *Mulieres genas ne radunto.* Plin. XI. 37. *Infra oculos malæ homini tantum, quas prisci genas vocabant, XII. tab. interdicto radi a feminis eas.* August. & Ursin. ad Leg. XII. tab. §. 44. Ferret. Mus. Lapid. IV. memor. 9. Pinell. Addit. ad Panvin. de Lud. Circ. p. 546. E. Fab. Semestr. II. 9. Crag. de Rep. Laced. III. 1. 9. Alex. Gen. VI. 10. Sched. de Diis German. p. 467. Pfeiffer. Ant. Græc. p. 757. Nicol. de Luct. Græc. c. 11. Calder. Observ. III. 8. Salmuth in Panciroll. de Reb. deperd. & inv. p. 729. Kirchm. de Fun. Roman. II. 11. Morestell. Pomp. Feral. VI. 11. §. 1. 2. Rævard. in Leg. XII. tab. c. 15. Rittersh. in Leg. XII. tab. Class. I. c. 6. Hotman. Antiq. Roman. III. 1. p. 390. B. Cerda in Virg. Æneid. XII. 606. Non audiendus Servius, qui legem hanc ita concipit l. l. *Mulier faciem ne carpito.* Non enim *faciem*, sed *genas*: nec *carpito*, sed *radito*, vel potius *radunto* numero plurium in legibus fuisse ex dictis liquet. Lævorsum hanc legem accepit Junius de Coma c. 2. existimans τὸ *radere* hic idem esse quod forficula resecare, quemadmodum barbæ solent. Diserte enim ideo dicit, ideo vetitam hanc muliebrium *genarum* rasuram, ut ne diuturno radendi usu succrescentibus pilis a natura non datis feminæ sub ementito virilis oris honore fallerent. Atqui non id Solon, non decemviri voluere: sed *genarum* lacerationes intellexere, quæ unguibus fiebant. *Kirchm. Morestell. & Rittersh. l. l.* Etiam illud est ridiculum, quod putat Junius, mulieres in exsequiis, & luctu ideo solitas ora lacerare, ut ostenso sanguine inferis satisfacerent, id est, manes placarent, atque ita imaginem quandam restituerent prisci moris, quo solebat ante rogos effundi humanus sanguis, vel captivorum, vel gladiatorum. Sed cur *genas* potius, quam aliam quampiam corporis partem radebant, ac laniabant? An propter cognatam quandam propensionem commiserationis, quæ est in *genis*, sicut & in genubus, & oculis. *Rittersh. l. l.*

GENETHLIACI dicebantur, qui ex natali constellatione

latione omina captabant, & prædictiones faciebant. Gell. XIV. 1. *Adversum istos, qui sese Chaldæos, seu genethliacos appellant, ac de motu, deque positu stellarum dicere posse quæ futura sunt, profitentur, audivimus quondam Favorinum philosophum Romæ Græce disserentem egregia atque illustri oratione.* Hanc fusiorem Gellius exhibet. *Barthol. de Puerp. p. 52. Bald. Lex. Vitruv.* Illorum vanitatem quinam damnaverint & riserint, docet *Lindenbr. in Censorin. de Die nat. c. 13.*

GENITA mana erat dea, cui pro nascentibus vota fiebant, ne domi quis bonus nasceretur, hoc est, imbellis, cui ideo canis immolatus. *Thom. Bartholin. de Puerp. p. 14.* Plin. XXIX. 4. *Catulos lactentes adeo puros existimabant ad cibum, ut etiam placandis numinibus, hostiarum vice uterentur iis. Genitæ Manæ,* sic lego pro *genito mane, catulo res divina fit, & in cœnis deûm etiam ponitur catulina.* Plutarch. Quæst. Rom. 51. hunc morem explicat. *Cur Genitæ manæ canem immolant, votoque petunt, ne quis domi natorum bonus fiat? an quod hæc dea ortui, ac partui præest, interitui obnoxiorum, ac fluxorum corporum; ut igitur Græci Hecatæ, sic Romani Genitæ canem immolant pro domi nascentibus. Votum autem, quid si non ad homines pertinet domi nascentes, sed ad canes? ut hos optent non bonos, aut placidos, sed iracundos fieri, & terribiles.* Lips. Elect. II. 8. Nonn. de Re cib. II. 7. Casp. Barthol. l. l. Gyrald. Synt. deor. IV. p. 144. F. Laurent. Var. sacr. gentil. c. 24. Harduin. in Plinium.

GENIUS est *deus, cujus in tutela, ut quisque natus est, vivit.* Censorin. de Die nat. c. 3. *Ferunt enim theologi, in lucem editis hominibus cunctis, salva firmitate fatali, hujusmodi quædam velut actus rectura numina sociari. Id oracula, & auctores docuere præclari: inter quos est etiam Menander Comicus, apud quem hi senarii duo leguntur:*

Adest autem viro cuilibet dæmon bonus,
Ut primum quisque nascitur, vitæ arcanus ductor.

μυςαγωγὸς ϐ βίυ. Ammian. XXI. 14. Unde & in tabula Cebetis mox januæ adstare fingitur. Hinc Aufustius apud Festum: *Genius est deorum filius, & parens hominum, ex quo homines gignuntur: & propterea genius meus nominatur, qui me genuit.* August. de Civ. Dei VII. 13. *Quid est Genius? deus est, qui præpositus est, ac vim habet omnium rerum gignendarum.* Feith Antiq. Homer. I. 2. Ortel. Deor. & dear. cap. II. fig. 38. Lindenbr. in Censorinum. Struv. Ant. Rom. c. 1. p. 109. Gyrald. Synt. deor. XV. p. 435. E. Stuck. de Sacrif. p. 31. Casaub. in Pers. p. 48. Tomas. de Donar. c. 8. Kipping. Antiq. Roman. I. 2. §. 3. Seminudus cum cornu copiæ in sinistra, & calatho in capite, dextera pateram, vel simpulum tenens, stans ante aram verbenis ornatam, quasi sacrificans, modo puerili, modo juvenili, modo senili forma conspiciebatur. Uti Ammian. XXV. 2. Juliano Imperatori obscura nocte in Galliis *genium* publicum cum cornu copiæ, velato capite apparuisse ait: quali figura & in nummo Adriani cum inscriptione *genio populi Romani* apparet. *Struv. ibid. p. 110. Gyrald. ibid. G. Taffin. de Ann. secul. c. 13. Choul. de Relig. vet. Rom. p. 134. Pancirell. Descr. Urb. Rom. Thes. Ant. Rom. Græv. Tom. III. p. 351. E.* Serpentis etiam imagine interdum effingebatur. Pers. Sat. I. 113.

Pinge duos angues.

Gyrald. & Ortel. l. l. Meurs. in Lycophr. n. 1473. Rosin. Ant. Rom. II. 14. Demster. in Rosin. Ant. Rom. l. l. Ortel. Deor. & dear. cap. II. 38. Unde Virgilius post descriptionem elegantem, atque accuratam serpentis subjungit Æneid. V. 95.

Incertus geniumve loci, famulumne parentis
Esse putet.

Neque id sine causa ambigebat Æneas, nam ut ad hunc locum notat Servius, nullus locus caret *genio*, qui per anguem plerumque ostenditur. Casaub. ad Persium ex Aristophane in Pluto notat, duos angues pingi solitos ad denotandum locum sacrum diis. Quod tradit Isidor. XII. 4. *Angues apud gentiles pro geniis locorum erant habiti semper: Unde & Pers. l. l.* Non est tamen existimandum, angues fuisse imagines *geniorum*; sed tantum eos significasse. Sicut columba non est imago Spiritus Sancti; sed eum significat, tanquam ejus symbolum, ac signum. *Taffin. l. l.* Erat deus tutelaris virorum, ut Juno dea tutelaris mulierum. Philarg. in Virg. Ecl. IV. 63.

Nec deus hunc mensa, dea nec dignata cubili est.

Deus, id est, genius, seu vitæ præses, cui mensam antiquitas sacravit: dea, id est, Juno, in cujus tutela lecti geniales, puerperia muliebria, & partus [illegible]. Plin. II. 7. *Major* [illegible] *intelligi potest, cum* [illegible] *Junones, Geniosque adoptant* [illegible] *ulis enim vel Genium, vel* [illegible]. Licet & virorum Junonem fuisse [illegible]dem videri possit ex Juven. Sat. II. 98.

Et per [illegible] *ministro.*

Sed Saty[illegible] molli [illegible] loquitur: ideo recte, quod mulieri conveniebat, ei attribuit. *Politian. Misc. c. 89. Demster. Paral. ad Ro*[illegible] *Rom. II. 6.* [illegible] *l. l. Laurent. de Natalit. c. 2. Turneb. Adv. III. 22.* [illegible] *de Jur. Pontif. III. 16. Hansen. de Jurejur. vet. c. 16. Berthald. de Ara c. 17. §. 5.* Colebatur natali die, unde dictus *deus natalis*. Tibull. IV. 5. 19.

At tu natalis, quoniam deus omnia sentis,
Annue.

Laurent. l. l. Principibus rerum dominis *genios* peculiares assignabat Romana superstitio, felicitatis eorum præstites sacrosanctos, & non violabiles: non secus atque aliæ etiam ante & post eos gentes, primoribus & Imperatoribus suis numina inesse videri volebant. Ideoque per Principis *genium* jurabant. Tertull. Apolog. c. 32. de Christianis. *Sed & juramus sicut non per genios Cæsarum, ita per salutem eorum, quæ est augustior omnibus geniis.* Apul. Met. IX. p. 311. *Co*[illegible]*, commilitones, ibi, nec usquam, illum delite*[illegible] *antes genium Principis* [illegible]. Et hoc servare summa illis erat religio. Tertull. ibid. c. 27. *Majore formidine, & c*[illegible] *Cæsarem observatis, quam ipsum de Olympo Jovem: citius denique apud vos per omnes deos, quam per unum genium Cæsaris pejeratur.* Qui vero pejeraverat, fustibus castigabatur. Ulpian. l. si duo. §. si quis. ff. de Jurejur. *Si quis juraverit in re pecuniaria per genium Principis dare se non oportere, vel intra tempus certum se soluturum, nec solverit, Imperator noster cum patre rescripsit, fustibus eum castigatum dimittere.* Barth. Adv. LII. 12. Wouwer. & Elmenhorst. in Min. Felic. p. 284. Taffin. ibid. §. 10. Caroli Antiq. Roman. I. 7. Lips. in Tacit. Annal. I. n. 242. Demster. Berthald. Ortel. & Hansen. l. l. Erant etiam *genii* regnorum. Claud. Epist. II. 43.

Vel genius regni, vel pietatis amor.

Prudent. contr. Symm. II. 74.

Aut fatum, aut genium, cujus moderamine regnent.

locorum. Festus: *Alii genium esse putarunt uniuscujusque loci deum.* Virgilius & Isidorus supra laudati. Inscriptio vetus:

JOVI OPTIMO MAXIMO, ET GENIO LOCI.

Dionysius Halicarnasseus infra laudandus. Civitatum. Arnob. I. p. 15. *Et illi cati, sapientes, prudentissimi vobis videntur, nec reprehensionis ullius, qui civitatum genios.... re*[illegible]. Prudent. ibid. n. 369.

Sed solers orator ait; fataliter urbem
Sortitam, quonam genio proprium exigat ævum:
Cunctis nam populis, seu mœnibus inditur, inquit,
Aut fatum, aut genius, nostrarum more animarum.

Clem. Alex. Proptr. p. 26. A. *Si sunt itaque dæmones ligu*[illegible]*tores, & scelerati, possunt etiam aperte inveniri in civitatibus dæmones indigenæ, qui honores sibi vindicant.* Portarum, domorum, imo stabulorum. Prudent. ibid. n. 444.

Quanquam cur genium Romæ mihi fingitis unum?
Cum portis, domibus, thermis, stabulis soleatis
Assignare suos genios.

Turneb.

Turneb. Adv. XIII. 12. Elmenhorst. & Herald. in Arnobium. Meurs. Taffin. Demster. Struv. l. l. Hinc cum locum aliquem ingrederentur primum, aut postliminio in eum redirent, solebant eum religiose salutare in honorem *genii*, quem ei præesse credebant. Ovid. Met. III. 24.

Cadmus agit grates, peregrinæque oscula terræ
Figit, & ignotos montes, agrosque salutat.

Symm. Epist. V. 72. *Octavo demum die multa reluctatus itineris difficultate, larem patrium salutavi.* Plaut. Bacch. II. I. I.

Herilis patria salve! quam ego biennio,
Postquam hinc in Ephesum abii, conspicio lubens.

Et in aliam regionem discessuri, illi sacrificabant, atque id appellabant θύειν τὰ ἀποβατήρια. Stephan. in Βυθρωτός. *Fabulantur nomen impositum fuisse ab Heleno, ex Troja in Italiam navigante, & sacrificante apobateria in Epiro. Sacrificium hoc erat bos femina.* Etiam vale dicebant. Dionys. VIII. p. 513. *Vos quoque dii penates, & lares patrii, geniique hujus loci præsides, valete.* Meurs. Taffin. & Elmenhorst. l. l. Statuarum. Stat. Sylv. I. I. 57.

—— insessaque pondere tanto
Subter anhelat humus: nec ferro, aut ære laborat,
Sed genio.

Quasi non ponderi statuæ, sed Domitiani *genio*, quem continebat statua, terra cederet. Pers. Sat. VI. 48.

Dis igitur, genioque ducis centum paria, ob res
Egregie gestas, induco.

Cur *genio*? intellige statuæ, quæ numen & *genium* habere credebantur. *Parrhas. Epist.* 57. *Saubert. de Sacrif. c.* 5. *Figrel. de Stat. Roman. c.* 31. Et deorum quoque. Hinc *genius Jovialis* apud Arnob. III. p. 123. Et per *genium Jovis* jurabant apud Min. Felic. p. 283. Et priscus lapis apud Gruter. p. 23. n. 6.

GENIO
JOVI STYGIO SANCTO SACRUM

Sic in lapidibus reperimus *genium* Martis, Plutonis, Jucunditatis, & Floræ. *Struv. l. l.* Sacrificia illi non minus quam aliis diis oblata, & libatum illi interdum mola salsa. Calpurn. Ecl. V. 25.

- - - tu cespite vivo
Pone focum, geniumque loci, Faunumque, Laremque
Salso farre voca.

Senec. Epist. 114. *Genium festo vix suo testem, pertenuis ceræ fila, & crepacem mola focum, mater aut uxor investiunt.* Vocat *focum crepacem*, eo quod mola salsa in foco crepitum ob salem edere soleat. *Taffin. & Demster. l. l.* Offerebantur etiam liba. Ovid. Trist. III. 13. 18.

Libaque dum pro te genitale notantia tempus.

Tibull. I. 8. 54.

Libaque & Mopsopiæ dulcia mella feram.

Taffin. l. l. Berthald. ibid. §. 3. Libabatur illi vinum. Tibull. ibid. n. 50.

Huc ades, & centum ludos, geniumque choreis
Concelebra, & multo tempora funde mero.

II. 2. 5.

Ipse suos adsit genius visurus honores,
Cui decorent sanctas mollia serta comas.
Illius e puro distillent tempora nardo,
Atque satur libo sit, madeatque mero.

Taffin. Demster. Struv. & Ortel. l. l. Adolebatur thus. Plaut. Aul. Prol. n. 23.

Huic filia una est: ea mihi quotidie
Aut thure, aut vino, aut aliqui semper supplicat.

Tib. IV. 5. 9.

Magne geni, cape thura libens.

Ovidius, ut genio faciat, thus petit Trist. V. 5. 11.

Da mihi thura, puer, pingues facientia flammas,
Quodque pio fusum stridat in igne merum.

Afferebantur flores & coronæ, quibus ornaretur. Horat. Epist. II. I. 143.

Tellurem porco, Sylvanum lacte piabant,
Floribus & vino genium.

Tibullus modo laudatus. *Taffin. Demster. Gyrald. & Struv. l. l.* Adhibebantur etiam varii ludi, & tripudia, tempore, quo *genio* sacra fiebant. Prop. III. 8. 23.

Tibia nocturnis succumbat rauca choreis.

Tibullus supra allatus. Lumina quoque accendi solita. Habetur hoc ex lege nullus 12. C. de pagan. sacrif. quam sic lego: *Nullus omnino, ex qualibet genere, ordine, & cœtu secretiore piaculo, Larem igne, mero Genium, Penates odore veneratus, accendat lumina, imponat thura, serta suspendat.* Cerei etiam meminit Seneca jam prolatus. *Taffin. l. l. Lindenbr. ibid. c.* 2. Hostia illi non faciendum antiqui putarunt. Causam Varro explicat apud Censor. ibid. c. 2. *Hic forsitan quis quærat, quid causæ sit, ut merum fundendum genio, non hostiam faciundam putaverit? quod scilicet, ut Varro testatur in eo libro, cui titulus est Atticus, & est de numeris, id moris, institutique majores nostri tenuerunt, ut, cum die natali munus annale genio solverent, manum a cæde, ac sanguine abstinerent, ne die, qua ipsi lucem accepissent, aliis demerent.* Gyrald. & Struv. l. l. Casaub. ad Pers. p. 175. Berthald. de Ara c. 17. §. 3. Hic mos Horatii tempore jam desiisse dicendus est, cum diserte scribat Odar. III. 17. 14.

—— cras genium mero
Curabis, & porco bimestri.

Qui de *genio* non loquitur per metaphoram, quo modo laute epulantes *genium curare* dicuntur; sed de porco, in honorem *genii* tutelaris dei, die natali immolato: nam ideo natalitii lardi, quod ex porco *genio* immolato convivis apponebatur, meminit Juven. Sat. XI. 84. V. illum infr. in *Porcus.* Et agni mactati meminerit Horat. Od. IV. 11. 7:

—— ara castis
Vincta verbenis, avet immolato
Spargier agno.

Taffin. Berthald. Kipping. & Lindenbr. l. l. Ignis, qui hostiæ comburendæ accendebatur, fuit ex platani, ut arbitror, ramis, quoniam veteres ad ignem sacrificiorum adhibebant ex iis potissimum arboribus, quæ diis, quibus rem divinam faciebant, erant dicatæ; jam vero platanum dictam *genio* innuit Ovid. Met. X. 95. dum *platanum genialem* vocat. Plin. XII. I. *Spado Thessalicus prædives, & merito is dici posset Dionysius, transtulit id genus.* MSS. habent *ingeniis.* Ego substituo *in genios.* Nam inde ratio peti potest, cur Dionysius ille merito vocari possit, quoniam transferendo illas arbores in cultum *geniorum* effecit, ut sub illis vino, ac voluptati, cujus deus est Bacchus, qui Dionysius etiam dicitur, indulgeretur in *genii* cultum. *Taffin. ibid.* §. 8. Sacrificantes albam vestem induebant. Colligitur ex Ovidio, qui diem natalem, quo *genio* sacrificabant, alloquens sic canit Trist. III. 13. 11.

Scilicet exspectas solitum tibi moris honorem,
Pendeat ex humeris vestis ut alba meis:

V. 5. 7.

Quæque semel toto vestis mihi sumitur anno,
Sumatur fatis discolor alba meis.

Taffin. ibid. §. 6. Postquam *genio* veteres sacra fecerant, convivia inter sese celebrabrant. Unde Censorin. l. l. notat, quod sacro *genio facto neminem oportebat ante gustare, quam eum, qui fecerit.* In honorem enim *genii* natalitia fiebant convivia. Unde illa proverbia, & locutiones, *genio vacare, indulgere*, pro epulari: & contra *genium defraudare* pro victu parco uti. Prosternebant se veteres *genium* colentes. Prop. IV. 9. 22.

—— geniumque meum prostratus adorat.

Credo, sese ita prostrasse, ut fronte terram tangerent, ex eo quod frons *genio* sacra fuerit. V. supr. in *Frons.* Taffin. ibid. §. 9. Cultus *genio* die natali impendi solebat, eo quod crederent Romani die illo *genios*, omnia, quæ peterentur, concedere. Tibull. II. 2. 9.

Annuat

Annuat & , Cerinthe, tibi quæcunque rogabis:
En age, quid cessas? annuit ille, roga.

Taffin. ibid. §. 11. Per *genios* Platonici non nisi vim mentis, & promptitudinem animi, qui in singulis est, voluerunt denotare. *Genios* suos non videre illi dicebantur, qui sive ob organa corporis non recte se habentia, sive ob studium deliciarum, & voluptatum, sive ob pertinacem quandam negligentiam, obtundebant nonnihil ardorem animi, ejusque magnos impetus sufflaminabant. Videre contra *genium* suum illi dicebantur, qui cogitatione pulcerrimarum rerum distenti, divina tantum, & cœlestia sectabantur, res humanas recte curabant, atque ita ingenii, & virtutum suarum venerationem cum stupore omnibus merito imponebant. *Genis* cum his familiaritatem, qualis inter amicos esse solet, inire, & præcepta sapientiæ ipsis continuo dictare credebantur. Ita ajunt, Socratem, divinum mortalem, *genium* suum vidisse, non oculis humanis, quibus quomodo viderit, quod videri non poterat; sed dum magnitudine animi, & usu rerum, cæteros mortales, tanquam ignavos, tanquam seipsos ignorantes longissime post se reliquit, de corpore securus fuit; & vim ingenii rerum cœlestium feriæ contemplationi impendit. *Boxhorn. Quæst. Rom.* 34.

Genius Curiaticus dictus est, quod ad placandos Curiatiorum manes, sacra illi facta sunt Horatiæ genti deinde tradita. Horatius enim cum populi judicio absolutus esset, Tullus Rex accitis Pontificibus deos; & *genios* placari jussit. Dionys. III. p. 159. juvenemque his lustrationibus expiari, quas fortuitæ cædi leges præscripserant. Pontifices positis duabus aris: altera Junoni sororum inspectrici, altera patrio cuidam deo, seu genio, pro δαίμον© Ἰανȣ̃ lego Γενιȣ̃, quod δαίμον© nomen satis indicat, quem ab interemptis homicidæ consobrinis Curiatium cognominaverunt: sacrisque quibusdam super eas factis inter cætera piamenta, quibus tum usi sunt, postremo sub jugum miserunt Horatium. *Guther. de Jur. man.* II. 14.

Genius populi Romani aureus statua fuit in regione octava *genii* tutelaris illi similis, qui in aversa parte numinorum quorundam Trajani, & Hadriani conspicitur, cum inscriptione GEN. P. R. quam Trajanus forsitan, aut Hadrianus posuerit. *Nardin. Rom. Vet.* v. 16. *Panciroll. Descr. Urb. Rom. Thes. Antiq. Roman. Græv. Tom.* III. *p.* 351. *F.*

GENS differt a genere. V. infr. in *Genus.* differt a familia, quod *gens* ad nomen, *familia* ad cognomen refertur. Itaque illa tanquam totum continere videtur, hæc quodammodo partem. Exempli gratia. Valerii omnes unius esse *gentis* dicuntur, quia uno nomine continentur omnes. At vero partes hujus *gentis* sunt plures, quæ ex cognominum varietate distinctæ sunt; eæque familiæ nominantur. Ut in gente Valeria Maximi, Messallæ, Flacci, Lævini, Faltones, Poplicolæ, Potiti. In Cornelia Cossi, Malugimenses, Scipiones, Lentuli, Dolabellæ, Sullæ, Cinnæ, In Fabia Ambusti, Maximi, Buteones, Pictores, Dorsones, Licini. In Æmilia Mamercini, Lepidi, Paulli, Scauri, Barbulæ. Itemque in cæteris. At vero Valerii omnes unius sunt *gentis*, itemque Fabii, Cornelii, atque Æmilii. Itaque recte Festus *gentem* definit eam, *quæ ex multis familiis conficeretur.* Liv. IX. 29. *Potitia gens servos publicos ministeris delegandi causa sollennia sacri ejus* Herculis *docuerat, Cum duodecim familiæ ea tempestate Potitiorum essent. . . . . omnes intra annum cum stirpe exstincti.* Suet. Jul. c. 6. n. 1. *Cujus gentis familia est nostra.* Aug. c. 1. n. 1. *Gens Octavia a Tarquinio Prisco Rege inter Romanas gentes allecta, mox a Serv. Tullio in patricias transducta. Primus ex hac magistratum cepit C. Rufus. Is quæstorius Cnæum & Cajum procreavit, a quibus duplex Octaviorum familia defluxit.* Panvin. de Nom. Rom. Thes. Antiq. Roman. Græv. Tom. II. p. 1998. B. Sigon. de Num. Rom. c. 4. Emend. II. 17. in Liv. IV. 1. Spanhem. de usu num. Differt. VI. p. 499. Voss. de Anal. I. 7. Strein. de Gent. & Fam. Rom. Præfat. Dicebatur primum de patriciis, quod soli ipsi eam haberent; post ad plebejos etiam est translata, qui duobus, ut patricii, essent ingenuis orti. *Sigon. de Nom. Rom. c. 6. Panvin. de Nom. Rom. Thes.* [illegible] *Rom. Græv. Tom.* II. *p.* 2009. *B. Ravard. Var.* V. 1. Illarum aliæ fuerunt patriciæ, aliæ plebejæ: aliæ nobiles, aliæ novæ. V. supr. in *Familia.*

Gens Aburia fuit plebeja. Unus, quod sciam, Livius mentionem facit M. Aburii XXXIX. 4. qui fuerit tribunus plebis sub Æmilio tum consule, hoc est, anno ab U. C. 566. Et XLI. 14. qui fuerit prætor Cn. Cornelio Scipione Hispalo, Q. Petillio Spurino consulibus anno ab U. C. 577. Videtur tamen duplex fuisse: alia plebeja, ex qua fuit primus ille tribunus plebis, alia patricia, ex qua fuit ille prætor, quia nemo prætor fuit nisi ex nobilitate. C. Aburii XLII. 15. qui legatus ad Massanissam & Carthaginenses missus fuerit P. Licinio Crasso, C. Cassio Longino consulibus anno ab U. C. 582. Sed nullum adjicit cognomen, sive Geminus illud sit, sive Gemellus, aut aliud, quod tribus literis GEM. in nummis expressum est. *Ursin. de Fam. Rom. Thes. Ant. Rom. Græv. Tom.* VII. *p.* 1277. *E. Patin. Fam. Rom. p.* 1. *Glandorp. Onom. Rom. p.* 2.

Gens Accoleja fuit plebeja. Ejus, ut arbitror, nulla extat mentio nisi in duabus antiquis inscriptionibus. Una, in qua *ordo corporat.* descriptus est, *qui pecuniam ad ampliand. templum contuler: Imp. Cæsare T. Ælio Hadriano Antonino Aug. Pio P. P.* III. *M. Ælio Aurelio Cæsare* coss. in quo quidem ordine nominatur P. Acculejus quidam Eubemer., qui P. Accoleji hujus, qui in denario quodam notatus est, pronepotis libertus fuisse credi potest. Altera, in qua nomina eorum incisa sunt, qui ad ponendam statuam Vespasiano Imp. pecuniam contulerunt L. Annio Basso, C. Cæcina Pæto coss. Inter eos enim numeratur L. Acculejus quidam Abascantus. Acculejus autem in veteribus monumentis pro Acculejus eadem ratione scriptum est, qua Agricula, Poplicula, pro Agricola, Poplicola. *Ursin. de Fam. Rom. Thes. Ant. Rom. Græv. Tom.* VII. *p.* 1277. *E. Patin. Fam. Rom. p.* 2.

Gens Acilia fuit plebeja. V. illam supr. in *Familia Acilia.* Multis scriptorum locis corrupte Atilia pro Acilia scriptum reperitur. Nomen traxisse opinor a Græco verbo ἀκέομαι, id est sano. *Ursin. de Fam. Rom. Thes. Ant. Rom. Græv. Tom.* VII. *p.* 1278. *E. Patin. Fam. Rom. p.* 3. *Vaillant Numism.* I. *p.* 31. *Glandorp. Onom. Rom. p.* 6.

Gens Æbutia fuit patricia. Ejus frequens mentio apud Livium. Ex ea T. Æbutius Elua consul fuit anno ab U. C. 254. Idem narratur a Livio Magister equitum sub Posthumio Dictatore, in illustri ad Regillum lacum pugna, contra Mamilium Latinorum ducem duello conflixisse anno ab U. C. 257. Post hunc Posthumius Æbutius Elua Cornicen consulatum gessit anno ab U. C. 311. Eodem anno M. Æbutius Elua triumvir coloniæ deducendæ lectus est. A. Servilius Dictator Magistrum equitum Posthumium Eluam dixit anno ab U. C. 317. Nocturnæ & promiscuæ Baccharum libidines per indicem P. Æbutium detectæ sunt anno ab U. C. 567. T. Æbutius Carus triumvir coloniæ deducendæ lectus est anno ab U. C. 570. *Patin. Fam. Rom. p.* 5. *Strein. de Gent. Rom. in Æbutia. Panvin. de Nom. Rom. Thes. Ant. Rom. Græv. Tom.* II. *p.* 2012. *A. Vaillant Numism. p.* 6. *&* 69.

Gens Ælia, sive Atlia, eadem est cum Allia. Hoc ex Capitolinis monumentis satis aperte intelligimus. Fuit plebeja, sed antiqua, maximisque gestis magistratibus nobilis. *Augustin. Ursin. & Patin. de Famil. Rom. in Ælia.* Pompon. de Orig. jur. patriciam appellat. Verum sicut aliis in locis parum firmamenti tota illa disputatio Pomponii habet, sic in hoc loco cum Ælium Tuberonem §. 46. patricium fuisse scribit, perspicue falsum tradit. Nam ut hoc omittam, quod sane hac in re solet plurimum valere, tribunos plebis ex Æliis complures fuisse, illud certe satis magno argumento nobis esse debet, quod cum Consulum alter e plebe, alter ex patriciis crearetur, Ælii cum patriciis semper, nunquam cum plebejis comparati sint. Qui enim primus Æliorum consulatum est adeptus, collegam Sulpicium habuit, secundus Fabium, tertius Servilium, quartus Valerium, usque ad annum 581, quo

quidem duo primum e plebe coss. creati sunt C. Popillius, & P. Ælius. *Strein. de Gent. Rom. in Ælia.* Illorum alii Pæti sunt, alii Lamiæ, Tuberones, Ligures, Cati. *Ferret. Mus. Lapid.* I. *Mem.* 36: III. *Memor.* 4. *Strein. & Augustin. l. l. Glandorp. Onom. Rom. p.* 10.

Gens Æmilia. V. illam supr. in *Familia Æmilia.*

Gens Æternia, sive Ateria consularis fuit. Ejus cognomen Fontinalis. *Panvin. de Nom. Rom. Thes. Ant. Rom. Grav. Tom.* II. *p.* 2012. *A.*

Gens Afrania patriciane, an plebeja fuerit, ex scriptoribus, apud quos ejus frequens est mentio, colligi non potest. Plebejam tamen fuisse suspicamur, ex eo quod Q. Cæcilius Metellus Celer, qui consulatum anno ab U. C. 693. gessit, patricius cum fuerit, ejus collegam L. Afranium plebejum fuisse necesse sit. *Ursin. & Patin. Fam. Rom. in Afrania. Glandorp. Onom. Rom. p.* 42.

Gens Alitia, de qua altum apud historicos est silentium. Publium Alitium exhibet nummus quidam M. Antonii, qui fuerit duumvir cum L. Menio. *Vaillant Numism.* I. *p.* 7.

Gens Allia. V. illam supr. in *Gens Ælia.*

Gens Alliaria, de qua etiam altum apud historicos est silentium. C. Alliarium exhibet nummus quidam Augusti, qui fuerit duumvir cum T. Verrio. *Vaillant Numism.* I. *p.* 16.

Gens Alliena inter plebejas numerata fuit. Constat ex eo, quod Allienus is qui legem de terminis tulit, plebejus fuit. Nomen ab Allia deductum est, ut a Nasidia, Cluvia, Satria, Nasidienam, Cluvienam, Satrienam credendum est. *Gentis* mentio extat in hac inscriptione:

ALLIENÆ. T. F
BERENICÆ
C. VETTIUS. POLUS
UXORI
SANCTISSIM. ET
C. VETTIUS. POLUS
MATRI
PIISSIMÆ. PATR
COL. FABR. ET. CENT.
L. D. D. D.

Ursin. & Patin. Fam. Rom. in Alliena. Glandorp. Onom. Rom. p. 48.

Gens Alusitia, de qua apud historicos nulla est mentio. Publium Alusitium exhibet nummus quidam Augusti, qui fuerit duumvir cum C. Julio. *Vaillant Numism.* I. *p.* 30.

Gens Anicia, etsi Romæ plebeja, non tantum extitit consularis, sed ad imperii culmen evecta fuit, ut abunde ex Justinianis Imperatoribus constat. In nummo argenteo occurrit Lucius Anicius Lucii filius. *Ursat. de Not. Rom. Thes. Ant. Rom. Grav. Tom.* XI. *p.* 799. *C. Glandorp. Onom. Rom. p.* 53.

Gens Annia fuit plebeja. Ita multi ex antiquis scriptoribus ejus meminerunt, ut eorum locis indicandis supersedendum sit. *Ursin. & Patin. Fam. Rom. in Gens Annia. Vaillant Numism.* I. *p.* 113. *Glandorp. Onom. Rom. p.* 56. Tali tamen nobilitate, tantis dignitatibus emicat, ut vel selectis ab Romulo, in nascentis Urbis primordiis, centum familiis, e quibus creati fuere primi senatores, seu ab iis descendentibus, nihil invidendum habuerit. Consulares non raro fasces, instrumenta pontificalia, coronas, hastasque militares, torques, ac phaleras, quandoque statuas ipsis decretas ostendunt Gruterianæ Inscriptiones. Antiqua numismata Annios imperiali majestate coruscantes nobis repræsentant, non tantum M. Aurelium Verum, Annium Verum antea dictum, & Lucium Annium Verum, ejus propinquum, in imperio socium sibi adscitum; sed prius L. Ælium Cæsarem Annii Veri filium, Pescennium Nigrum ex Annio Fusco progenitum, ac postremo M. Annium Florianum, quem Tacito fratre fatis erepto, *arripuisse imperium, non senatus auctoritate, sed suo motu, quasi hereditarium esset*, ait Vopisc. c. I. *Malvas. Marm. Felsin. Sect.* V. *c.* 19.

Gens Antestia eadem est cum Antistia. Intelligitur manifeste ex veteribus inscriptionibus. Exemplum extat Romæ hujusmodi:

L. ANTESTIUS. CN. FILIUS. HOR. SARCULO. SALIUS. ALBANUS. ANTESTIA. L. L. PLUTIA. FUFIA. P. F. TERTIA. SOROR. L. ANTESTIUS. L. L. QUINCTIO. L. ANTISTIUS. L. L. RUFUS. L. ANTISTIUS. L. Ɔ. L. THAMYRUS. L. ANTISTIUS. L. Ɔ. L. ANTHUS. L. ANTISTIUS. L. L. EROS. CAPPADOXS.

Antistiæ gentis plebejæ Rheginorum, & Veterum familiæ fuere, de quibus frequens est mentio, cum apud Latinos, tum apud Græcos rerum Romanarum scriptores. Antistiorum Veterum, & consularium, & sacerdotum meminit Paterc. II. 43. 4. *Ursin. & Patin. Fam. Rom. in Antestia. Vaillant Numism.* I. *p.* 22. *Ursat. de Not. Rom. Thes. Ant. Rom. Græv. Tom.* XI. *p.* 799. *D. Glandorp. Onom. Rom. p.* 61.

Gens Antia Antio est profecta. Videntur dii Penates in eadem expressi hoc arguere. Ut illi idem acciderit, quod de Britanniæ incolis e Belgio oriundis observat Cæs. de Bell. Gall. V. 12. *qui omnes fere iis nominibus civitatum appellantur, quibus orti ex civitatibus eo pervenerunt, & bello illato ibi remanserunt.* Spanhem. Differt. de usu numism. VI. p. 535. Ex ea fuit C. Antius Restio, qui per eadem tempora vixit fere, quibus M. Cicero floruit, & legem sumptuariam tulit. V. illam infr. in *Lex Antia.* Hunc incredibili quadam servi pietate servatum, cum a triumviris proscriptus esset, scribit Macrob. Sat. I. 11. *Patin. Fam. Rom. p.* 18.

Gens Antonia. V. illam supr. in *Antonius & Familia Antonia.*

Gens Apronia, ut arbitror, fuit plebeja. Ejus est mentio apud Valer. Max. VII. 8. & Ascon. in Milon. p. 206. in qua meminit L. Apronii, qui Sext. Clodium accusavit, quod eo auctore corpus Clodii in curiam illatum fuerat: item Cn. Apronii Cn. F. qui M. Saufejum M. F. accusavit, quem defendit Cicero. Fuit & Apronius Galus sub Augusto triumvir A. A. A. F. F. *Ursin. & Patin. Fam. Rom. in Apronia. Ferret. Mus. Lapid.* II. *Memor.* 57. *Glandorp. Onom. Rom. p.* 108.

Gens Aquilia. V. illam supr. in *Familia Aquilia.*

Gens Arria fuit plebeja. Suspicor ex his, quæ de Q. Arrio scripta sunt a Cicer. Brut. c. 69. *Quod idem faciebat Q. Arrius, qui fuit M. Crassi quasi secundarius. Infimo loco natus, & honores, & pecuniam, & gratiam consecutus, etiam in patronorum, sine doctrina, sine ingenio, aliquem numerum pervenerat.* M. autem Arrius Secundus, cujus extat nummus, incertum mihi, fuerit ne is, cujus præturæ meminit Ascon. in argumento Divinationis p. I. quem tamen Quintum prænominatum fuisse ex Cicer. Verr. IV. 20. colligo: an is, qui Syriæ præfectus fuit, in quem extat nobile epigramma Catull. LXXXIV. *Ursin. & Patin. Fam. Rom. in Arria. Ferret. Mus. Lapid.* IV. *Memor.* 3. *Vaillant Numism.* I. *p.* 24. *&* 73. *Malvas. Marm. Felsin. Sect.* VI. *c.* 3. *Glandorp. Onom. Rom. p.* 116. Clarissimam apud nos reddidit Arria illa Patavina illustrissima femina, Cæcinæ Pæti viri clarissimi uxor, quam mirifice extollit Plin. Epist. III. 16. Gentilitium vero hoc nomen quandoque pro cognomine usurpatum observo in lapidibus, in quibus non tantum lego:

L. CORNELIUS ARRIUS.

sed etiam

Q. TAMUDIUS. Q. F. ARRIUS.

Ursat. de Not. Rom. Thes. Antiq. Roman. Grav. Tom. XI. *p.* 559. *C.* Arriam hanc sic laudibus effert Mart. I. 14.

Casta suo gladium cum traderet Arria Pæto,
Quem de visceribus traxerat ipsa suis:

Si

Si qua fides, vulnus, quod feci, non dolet, inquit,
Sed quod tu facies, hoc mihi, Pæte, dolet.

Malvas. l. l.

Gens Arruntia, etsi inter plebejas eam recenseat Panvin. de Nom. Rom. Thes. Antiq. Rom. Græv. Tom. II. p. 2013. A. non contemnendæ fuit conditionis. Siquidem consulibus claruisse colligitur e Fast. II. e quo deducitur L. Arruntium L. F. L. N. cum M. Claudio M. F. M. N. Marcello Æternino anno ab U. C. 732. & L. Arruntium L. F. L. N. Arruntii viri consularis filium cum M. Æmilio L. F. Lepido anno ab U. C. 759. consulatum gessisse. *Malvas. Marm. Felsin. Sect.* VIII. c. 11. *Glandorp. Onom. Rom. p.* 120.

Gens Asinia ab asino dicta est. A quadrupedibus multas *gentes* nominatas esse dicet Plutarchus infr. in *Gens Porcia.* Sigon. de Nom. Rom. c. 4. Plebeja fuit. *Ursin. & Patin. Fam. Rom. in Asinia. Ferret. Mus. Lapid.* II. *Memor.* 31. *Glandorp. Onom. Rom. p.* 122. Ex ea fuit C. Asinius Gallus orator & poeta, qui hujus tabellæ nummos æreos signavit, filius Asinii Pollionis, qui consul fuit cum C. Marcio Censorino anno ab U. C. 719. *Patin. l. l.*

Gens Atia dicta est ab Ati Trojano, de quo Virg. Æneid. v. 568.

Alter Atis, genus unde Atii duxere Latini,
Parvus Atis, pueroque puer dilectus Iulo.

Hoc in Augusti, qui ex Atia matre natus est, gratiam dictum a Virgilio fuisse opinor, neque enim ulla vetus Atiorum mentio est. Atii plebeji fuerunt, neque præturæ gradum excessere, cognominaque Varri, Paulli & Balbi tulerunt. *Panvin. de Nom. Rom. Thes. Antiq. Roman. Græv. Tom.* II. *p.* 2002. *C. Patin. Fam. Rom. in Atia.*

Gens Atilia. V. illam supr. in *Familia Atilia.*

Gens Aurelia. V. illam supr. in *Familia Aurelia.*

Gens Axsia fuit plebeja. Ejus mentionem faciunt M. Varr. Rei Rust. III. 2. & Cicer. Attic. I. 7. in qua nominat Axium quendam, qui erat, ut opinor, fœnerator. Axsius Naso quidam nominatur in denariis. Axsius autem pro Axius, ut maxsumus pro maxumus, Alexsandrea pro Alexandrea, antiqua fuit scribendi ratio. Plebejam fuisse inde colligitur, quod quidam Axsius Naso tribunus plebis legitur in fragmento lapidis Tiburtini, quod est apud me ita inscriptum:

---- SPRENAS
---- SIUS. NASO. TR. PL
---- CILIUS. CORNUTUS
---- TIUS. CATULUS
---- NIUS. STOLO ----
TORES. LOCORUM. PUBLICORUM
DICANDORUM. EX. S. C. EX. PRIVATO
IN. PUBLICUM. RESTITUERUNT

Ursin. & Patin. Fam. Roman. in Axsia.

Gens Bæbia fuit plebeja. Frequens ejus est mentio cum apud antiquos rerum Romanarum scriptores, tum in veteribus lapidum monumentis:

L. BÆBIO. L. F
GAL. AVITO
PRÆF. FABR. TRIB
MIL. LEG. X. GEM. PROC
IMP. CÆSARIS. VESPASIANI. . . .

Et

L. BÆBIUS. L. F
GAL. JUNCINUS
PRÆF. FABR. PRÆF
COH. IIII. RÆTORUM. . . .

Ursin. & Patin. Fam. Rom. in Bæbia. Glandorp. Onom. Rom. p. 159.

Gens Cæcilia fuit plebeja. Princeps & parens hujus gentis, ut opinor, L. Cæcilius, qui cum C. Servilio Gemino Tacci consul fuit, & in magistratu a Senonibus est occisus. Nemo enim de Cæciliis ante hunc curulem magistratum gessit. Cognominibus Metelli, Macedonici, Calvi, Dentricis, Balearici, Dalmatici, Vittati, Caprarii, Nepotis, Celeris, Cretici, Pii, Numidici, Scipionis, & Silani distincta. Nobilis admodum Romæ fuit. Pontificatus maximos quatuor, dictaturas duas, principatus senatus tres, censuras septem, triumphos novem, consulatus viginti, magisteria equitum duo intra annos ducentos & quinquaginta adepta est, quibus honoribus functi viri undeviginti. *Ursin. Strein. August. Patin. Fam. Rom. in Cæcilia. Panvin. de Nom. Rom. Thes. Antiq. Rom. Græv. Tom.* II. *p.* 2002. *V. Malvas. Marm. Felsin. Sect.* VIII. *c.* 6. *Vaillant Numism.* I. *p.* 3. *&* 84. *Sert. Miscell. c.* 3. *Glandorp. Onom. Rom. p.* 167.

Gens Cæcina dicitur, ut Perperna. Ejus in duabus inscriptionibus extat mentio: una, in qua Neronis temporibus C. Cæcina Largus nominatur: altera, in qua Vespasiano imperante C. Cæcina Pætus consul fuit cum L. Annio Basso. *Ursin. & Patin. Fam. Rom. in Cæcina. Glandorp. Onom. Rom. p.* 175.

Gens Cæsia patricia, an plebeja, incertum. Ejus frequens extat mentio in veteribus, cum lapidum, tum scriptorum monumentis. L. Cæsii meminit Cicer. Quint. I. 2. *Nunc ad te ... epistolas, quas ... de L. Cæsio.* M. Cæsii Verr. III. 13. *Et decimas ... M. Cæsio decumano ...* Ursin. & Patin. Fam. Rom. in Cæsia. Glandorp. Onom. Rom. p. 182. Ferret. Mus. Lapid. I. Memor. 11. Memor. 40. De ista commentarium Bononiæ edidit *Johannes Baptista Fontejus.*

Gens Calenia, & Calinia una, ac eadem fuit, etsi una pro altera quandoque usurpata, ob facilem lapidicidarum non tantum, sed & ipsorum passim obloquentium consuetudinem permutandi *E* in *I. Gentis* hujus nihil reperitur apud auctores. Gruterus unum hoc inter cæteros milites locavit p. 301.

T. CALINIUS MARCELLUS

Sicut unam de Caleniis retulit hanc epigraphen 935. 3.

C. CALENIO. P. FILIO
ET. PATRONO
C. CALENIUS. DEMETRIUS
ET
CALENIUS. PRIMUS
ET
CALENIA. FUSCA
B. M. . . .

Malvas. Marm. Felsin. Sect. VIII. *c.* 5.

Gens Calidia patricia fuit. Hoc ex scriptoribus, qui ejus meminerunt, intelligimus. *Ursin. & Patin. Fam. Rom. in Calidia. Glandorp. Onom. Rom. p.* 185. M. Calidii meminit Cæsar de Bell. Civ. I. 2. *Ut M. Calidius, qui censebat, ut Pompejus in suas provincias proficisceretur, ne qua esset armorum causa.* Hic prætor fuit anno ab U. C. 696. P. Lentulo, Q. Metello Coss. ejusque præturæ mentionem facit Cicer. Orat. post red. in sen. c. 9. Et hunc ut disertum oratorem laudat Brut. c. 79. *Sed de M. Calidio dicamus aliquid, qui non fuit orator unus e multis: potius inter multos prope singularis fuit.* Patin. l. l.

Gens Calpurnia & nominis, & generis originem a Calpo Numæ Regis filio accepit. Plutarch. Num. p. 73. & Festus. Ostendit hoc etiam Ovid. ad Pison. n. 14.

— nam quid memorare necesse est
Ut domus a Calpo nomen Calpurnia ducat?

Cum igitur antiquissima hujus sit gentis & regia origo, a patribus ad plebem descivisse Calpurnios, ut plerosque alios, existimare licet. *Ursin. Patin. Strein. Fam. Rom. in Calpurnia. Ferret. Mus. Lapid.* II. *memor.* 38. V. supr. in *Familia Calpurnia.*

Gens Caninia, sive ut est in antiquis lapidibus, Kaninia, quatuor habuit familias, quarum in antiquis monumentis extat memoria: Rebilos, quorum meminit Liv. XLIII. 28. Regulos, qui reperiuntur apud Cæs. de Bell. Gall. VII. 83. Gallos, qui habentur in antiquis denariis. Labeones, qui in Arniensi tribu censebantur, ut ex hac inscriptione intelligimus:

C. CANINIUS. C. F
ARN. LABEO. PATER. . . .

Urſin. & Patin. Fam. Rom. in Caninia. Ferret. Muſ. Lapid. III. *Memor.* 15. *Noriſ. Cenot. Piſan. Diſſert.* II. *c.* 6. *Vaillant Numiſm.* I. *p.* 18. *Glandorp. Onom. Rom. p.* 196.

Gens Cariſia a nullo veterum ſcriptorum, quod ego ſciam, nominatur præterquam a Dione, qui LIII. p. 514. C. & LIV. p. 523. D. facit mentionem T. Cariſii, fratris, ut opinor, P. Cariſii, quorum utriusque nomina extant in antiquis denariis. *Urſin. & Patin. Fam. Rom. in Cariſia.*

Gens Caſſia. V. illam ſupr. in *Familia Caſſia.*

Gens Cerellia Romæ honeſto fuit loco. Docet hoc incidenter Spartian. Sever. c. 13. ubi memorat *nobiles ſine cauſæ dictione occidiſſe* inter tot alios, *Cerellios, Macrinum & Fauſtinianum & Julianum*, & ſubdit: *horum igitur tantorum, ac tam illuſtrium virorum, nam multi in his conſulares, multi prætorii, omnes certe ſummi viri fuere, interfector.* . . . . Malvaſ. Marm. Felſin. Sect. VI. c. I. Glandorp. Onom. Rom. p. 216.

Gens Ceſtia fuit plebeja. Colligitur hoc ex antiqua hac inſcriptione:

C. CESTIUS. L. F. POP. EPULO. PR.
TR. PL. VII. VIR. EPULONUM. OPUS.
ABSOLUTUM. EX. TESTAMENTO.
DIEBUS. CCCXXX. ARBITRATU.
PONTI. L. F. CLA. MLLÆ. HÆRE-
DIS. ET. POTHI. L.

Cicer. pro Flacc. c. 13. & Appian. Bell. civ. IV. faciunt Ceſtii cujusdam mentionem. C. autem Ceſtius, qui in inſcriptione notatus eſt, poteſt is eſſe, cujus meminit Tacit. Hiſt. v. 10. 1. Quia vero L. F. in ea deſcribitur, credi poteſt filius fuiſſe L. Ceſtii, a quo extat cuſus denarius. *Urſin. & Patin. Fam. Rom. in Ceſtia. Falconer. de Pyram. C. Ceſtii Theſ. Antiq. Rom. Græv. Tom.* IV. 1475. & 1477. *Glandorp. Onom. Rom. p.* 218.

Gens Cipia. Hujus, quod ſciam, nullus veterum ſcriptorum facit mentionem. Ego opinor eandem eſſe cum Ciſpia, quæ ſine S. litera, antiquo ſcribendi more, in antiquis quoque lapidibus aliquando reperitur:

M. CISPIUS
M. L. EURYDON
M. CISPIUS. M. M. L
ROMANUS. V A XV. PIE
CISPIA. M. M. BUSCA
M. CISPIUS. FELICIO

&

C. CISPIUS. C. F
SCAPT. SEVERUS. . . .

&

CIPIA. P. F
SECUNDA
FIEREI JUSSIT. . . .

Urſin. Fam. Rom. in Cipia. Glandorp. Onom. Rom. p. 221. Si autem conjecturæ aliquis locus ſit, liceatque Ciceronis locum in oratione poſt reditum in ſenatu ex antiqui libri ſcriptura emendatum explicare, opinor hunc eſſe M. Cipium, qui a Cicerone in oratione pro P. Sextio M. Ciſpius tribunus plebis nominatur. Hic idem tribunus plebis in priori oratione, qui in MSS. eſt Moſpius, emendatur a Manutio M. Cipius, puriorque lectio videtur, ſi pro Moſpius, totidem literis, reponatur M. Cipius, quam una addita litera, quæ in MSC. non ſit, M. Ciſpius corrigatur. *Patin. Fam. Rom. in Cipia.*

Gens Claudia, origine Sabina, duplex fuit, patriciorum, & plebejorum. Patricii minorum gentium fuerunt, utpote poſt adſcriptos Reges adſcripti; in quatuor ſtirpes præcipuas cognominibus diſtinctas dividuntur; Regillenſium, quorum aliqui Craſſini etiam dicuntur, Pulcrorum, Centhonum, & Neronum. Plebeji clariores, Marcelli cognominati ſunt. Unaquæque familia plurimos habuit ornatiſſimos viros, qui Rempublicam Romanam illuſtrarunt, & auxerunt usque ad Neronem Imperatorem. *Genti* originem dedit Actius Clauſus, homo domi ſuæ nobilis, & clarus, qui Regillo a ſeditioſis hominibus pulſus, Romam magna clientum manu profectus eſt: reliquis civitas data, ipſe Actius Clauſus, qui poſtea Appius Claudius eſt dictus, in ſenatum, ac patriciorum ordinem cooptatus, ac mox conſul creatus, facile principem in Republica locum tenuit, clariſſimumque nomen poſteris tradidit. Nam & ampliſſimos honores, complures magiſtratus, triumphos nobiliſſimos aſſecuti, ac optimatium, & patriciorum dignitatis contra vim, & impotentiam imperitæ multitudinis aſſertores unici ſemper fuerunt, excepto duntaxat P. Clodio, qui ob expellendum Urbe Ciceronem, homini plebejo in adoptionem ſe dedit. Ampliſſimam fuiſſe vel hinc intelligere licet, quod ab Appio usque Clauſo nullus in hanc familiam tranſierit. Tacit. Annal. XII. 25. 4. *Annotabant periti nullam adoptionem inter patricios Claudios reperiri, eosque ab Appio Clauſo continuos duraviſſe.* Suet. Claud. c. 39. n. 5. *Aſciturus in nomen familiæ Neronem. . . . identidem divulgavit, neminem unquam per adoptionem familiæ Claudiæ inſertum.* Nec tantum patriciæ, verum etiam plebejæ. Unius enim *gentis*, ac nominis familiæ aliæ patriciæ fuerunt, aliæ plebejæ. Cauſas V. ſupr. in *Familia*. Strein. Auguſtin. Urſin. & Patin. Fam. Rom. in Claudia. Panvin. de Nom. Rom. Theſ. Antiq. Rom. Græv. Tom. II. p. 2005. E. Sigon. de Nom. Rom. c. 4. Moreſtell. de Fer. Rom. Dial. XIX. Robortell. de Fam. Rom. Miſc. Erud. Ital. Tom. I. p. 467. Caſella de Prim. Ital. colon. Miſc. Ital. Tom. III. p. 63. Glandorp. Onom. Rom. p. 222. Ferret. Muſ. Lapid. I. memor. 27: II. memor. 48. Pigh. Annal. Rom. I. p. 293.

Gens Clœlia, ſive Cluilia, eadem enim eſt, a comite Æneæ ejus nominis fluxit. Feſtus: *Clœlia familia a Clœlio Æneæ comite eſt appellata.* Panvin. de Nom. Rom. Theſ. Antiq. Rom. Græv. Tom. II. p. 202. E. Strein. de Gent. Rom. in Clœlia. Sigon. de Nom. Rom. c. 4. Albana fuit. Enumeratur a Dionyſ. III. p. 170. & Liv. I. 30. inter eas Albanorum familias, quas Alba diruta Tullus Hoſtilius in Urbem, & inter patricias adſcivit. Igitur minorum gentium fuit. Conſulatus aliquot, & cenſuram adepta eſt, Siculique præcipue cognomen tulit. *Panvin. l. l.* Patriciam fuiſſe intelligere poſſumus ex eo, quod ſcribit Liv. IV. I. de Canulejo tribuno plebis, qui cum legem promulgaſſet, ut conſul alter ex plebe crearetur, in quo patriciorum dignitas minuebatur, patres, ne ſe invitis lex perferretur, in eam ſententiam iviſſe, cujus auctor fuiſſe C. Claudius dicitur, ut pro conſulibus crearentur tres tribuni militum ex patriciis, totidemque ex plebe, iique conſulari poteſtate ornati Rempublicam gererent, eorum autem finito annuo imperio rurſus ſenatus & plebs conſuleretur, conſulesne an tribunos mallent, qui vero placuiſſent, fierent, quibus rebus decretis, in magno plebejorum, & patriciorum petentium ſtudio, tres ex patriciis tantum creatos eſſe, A. Sempronium Atratinum, T. Clœlium Siculum, L. Atilium Longum anno ab U. C. 360. Siculi cognomen unde traxerit ignoratur: veriſimile tamen eſt, ob aliquod hujus familiæ contra Siculos inſigne factum, ſive quod primum e Sicilia oriunda, Albam poſtea commigravit, id cognomen ſortitam eſſe. *Urſin. & Patin. Famil. Rom. in Clœlia. Glandorp. Onom. Rom. p.* 125.

Gens Clovia, ſive Cluvia, & Cluia, utroque enim modo in antiquis monumentis ſcripta reperitur, quemadmodum Voltejus pro Vultuejus, & Volcanus, & Fluius pro Fluvius, incertum patriciane, an plebeja fuerit, quamvis frequens ejus extet mentio, cum apud ſcriptores, tum in his veterum inſcriptionibus.

L. CLUVIUS. L. L. ÆSCHINUS. FECIT.
SIBI. ET. UXORI. ET. LIBERIS. ET.
LIBERTIS

Θ CLUIA. L. L. FAUSTA. VIX. ANNOS.
XXXV

Θ L.

ɵ L. CLUIUS. L. F. LUPERCUS. VIXIT
ANNOS II
U. L. CLUVIUS. L. F. MAXIMUS
V. L. CLUVIUS. L. L. MUSÆUS
&
MINERVÆ
SACR
C. CLUVIUS. C. F. OUF
PATERNUS
V. S.

Ursin. & Patin. Fam. Rom. in Clovia. Glandorp. Onom. Rom. p. 247.

Gens Cluentia a Cloantho comite Æneæ dicta eſt. Virg. Æneid. v. 122.

Centauro invehitur magna, Scyllaque Cloanthus
Cærulea; genus unde tibi Romane Cluenti.

Hæc gens plebeja, & nullis honoribus clara fuit. *Panvin. de Nom. Rom. Theſ. Ant. Rom. Græv. Tom.* II. *p.* 2002. *F.* V. Servium infr. in *Gens Gegania.*

Gens Cocceja, non ſatis conſtat, patriciane fuerit an plebeja. Ex ea certe Nerva Imperator, qui Domitiano ſucceſſit, ortus. Fuit & inter alios M. Nerva conſul ſuffectus cum C. Vibio Rufino anno ab U. C. 774. de qua mentio extat in antiqua Inſcriptione ad radices Capitolii:

C. VIBIUS. C. F. RUFINUS. M. COCCEJUS
M. F. NERVA. COS. EX. S. C.

Urſin. & *Patin. Fam. Rom. in Cocceja. Bergier. de viis milit.* II. *Sect.* 16. §. 14. *Ferret. Muſ. Lapid.* III. *Memor.* 30. *Glandorp. Onom. Rom. p.* 248.

Gens Cœlia dicta eſt a Vibenna Cœle Etruſco, qui ſe Romam, regnante Romulo, contulit. *Panvin. de Nom. Rom. Theſ. Antiq. Rom. Græv. Tom.* II. *p.* 2006. *A. Sigon. de Nom. Rom. c.* 4. *Vaillant de Numiſm.* I. *p.* 53. *Urſat. de Not. Rom. Theſ. Ant. Rom. Græv. Tom.* XI. *p.* 620. *B.* Poſtea plebeja, & conſularis fuit, Caldi cognomine inſignita. *Urſin. & Patin. Fam. Rom. in Cœlia. Panvin. & Vaillant l. l.* Cur hanc gentem plebejam faciant, ignorare prorſus me fateor, niſi ea aliquando in patriciam & plebejam diviſa fuiſſet. *Urſat. l. l.*

Gens Conſidia plebeja fuit. Q. Conſidii meminerunt Liv. II. 52. & Dionyſ. IX. p. 585. *Q. Conſidius, & Genutius auctores agrariæ legis T. Menenio diem dicunt.* C. Conſidii Cæſ. de Bell. civ. II. 23. *Id oppidum C. Conſidius Longus unius legionis præſidio tuebatur.* Ex ea fuerunt C. Conſidius Pætus, & C. Conſidius Nonianus. *Urſin.* & *Patin. Fam. Rom. in Conſidia. Glandorp. Onom. Rom. p.* 251.

Gens Coponia Tibure orta, & in civitatem Romanam adſcita, plebejane, an patricia fuerit, incertum. T. Coponius, qui primus ex ea *gente* civis Romanus factus eſt, nominatur a Cicer. pro Balb. c. 23. *Quomodo igitur L. Coſſinius Tiburs, pater hujus equitis Romani, optimi, atque ornatiſſimi viri, damnato T. Cœlio, quo modo ex eadem civitate T. Coponius, civis item ſumma virtute, & dignitate, nepotes T. & C. Coponios noſtis, damnato C. Maſſone civis Romanus eſt factus?* Urſin. & Patin. Fam. Rom. in Coponia. Glandorp. Onom. Rom. p. 252.

Gens Cordia. Hujus, niſi pro Cadius Rufus apud Tacit. Annal. XII. 22. 5. ut aliquibus placet, ſcribatur Cordius Rufus, præter unum Ciceronem, haud ſcio an alius veterum ſcriptorum faciat mentionem. Is enim Verr. IV. 20. L. Cordium nominat honeſtum virum, qui teſtimonium in Verrem dixit. *Urſin.* & *Patin. Fam. Rom. in Cordia. Glandorp. Onom. Rom. p.* 253.

Gens Cornelia ampliſſima, omniumque *gentium* nobiliſſima & antiquis eſt habita, & quidem jure ac merito. Sive enim dignitatem ſpectes familiarum, ſive etiam præclara in Rempublicam merita, rerumque geſtarum magnitudinem conſideres, omnes certe omnium *gentium* virtutes, præclariſſimæ hujus *gentis* ſplendore intereunt, & obſcurantur. De origine quidem *gentis* nihil mihi, quamvis diligentiſſime inveſtiganti, occurrit. *Strein. de Gent. Rom. in Cornelia.* Fuit patricia, in alias, atque alias ſtirpes derivata, multos inſignes viros, & omni honorum genere ornatos habuit. Plebeji vix aliquo numero fuerunt. Quod in multis familiis aliter evenit. Præcipui patricii in tres quatuorve ſtirpes dirimi poſſunt: Coſſorum, qui etiam Maluginenſes, & aliqui Rutuli, aut Arvinæ appellantur, & Scipionum, qui etiam alia atque alia cognomina acceperunt, ut Aſinæ, Calvi, Naſicæ, Africani: nec non Lentulorum, qui plura aliis cognomina ſumpſerunt. Adduntur his, qui propter paucos conſulares viros non ita nobiles ſunt: ut Rufini, Sullæ, Dolabellæ, Merulæ, Cethegi. V. ſingulos ſuis locis. *Auguſtin. Urſin.* & *Patin. Fam. Rom. in Cornelia. Panvin. de Nom. Rom. Theſ. Ant. Rom. Græv. Tom.* II. *p.* 2010. *F. Strein. l. l. Glandorp. Onom. Rom. p.* 253. *Ferret. Muſ. Lapid.* V. *Memor.* 14.

Gens Cornuficia plebeja fuit. Ejus ſcriptores multi meminerunt. Ex ea fuit Q. Cornuficius Augur Imperator, Ciceronis in conſulatu competitor, & in auguratu collega, ut ex epiſtolis ad eum ſcriptis intelligimus. *Urſin.* & *Patin. Fam. Rom. in Cornuficia. Glandorp. Onom. Rom. p.* 282. Quia vero Africæ provinciæ, ex qua fuit appellatus Imperator, præerat, Jovis Ammonis, qui in Africa colebatur, imaginem in denario impreſſit, & ab illo nomen meruit. *Patin. l. l. Bartholin. de Unicorn. c.* 2.

Gens Coruncania, quanquam plebeja, nobilis tamen, & Reipublicæ utilis fuit, Cameria, ut Claudius Imperator apud Tacit. Annal. XI. 24. 3. vel ut Cicer. pro Planc. c. 8. Sull. c. 7. tradit, Tuſculo oriunda. *Panvin. de Nom. Rom. Theſ. Antiq. Rom. Græv. Tom.* II. *p.* 2004. *D. Perizon. Anim. Hiſtor. c.* 5. *Pigh. Annal. Rom.* I. *p.* 284. & *p.* 431. Princeps ejus gentis Romæ fuit Ti. Coruncanius Ti. F. Ti. N. primus pontifex maximus e plebe creatus. Conſul cum P. Valerio fuit anno ab U. C. 473. De Vulſinenſibus triumphavit. Cenſor cum C. Claudio anno 485. Dictator comit: habend. U. C. anno 507. *Auguſtin.* & *Strein. de Fam. Rom. in gens Porcia. Panvin.* & *Pigh. l. l.* Polyb. II. 8. meminit præterea C. & L. Coruncaniorum, qui legati ad Teutam Illyriorum Reginam miſſi ſunt, & refert minorem natu a Regina occiſum: quos tamen Plin. XXXIV. 6. P. Junium & Ti. Coruncanium nominat, atque ambos a Regina interfectos, ſtatuas illis in foro tripedaneas ſtatutas ſcribit: quem ſecutus videtur Flor. II. 5. Præter hos nullum apud veteres Coruncanium reperire licet. *Strein.* & *Auguſtin. l. l.*

Gens Coſconia, incertum eſt patriciane an plebeja fuerit. Ejus quidem mentio extat in antiqua inſcriptione, in qua M. Coſconius Epicurus nominatur:

M. COSCONI. EPICURI. FILII. PIISSIMI
QUI. VIX. AN. XIX. M. IIII. D. XXII
CÆTONICUS. ET. PIA. PARENTES
FECERUNT

Urſin. & *Patin. Fam. Rom. in Coſconia. Glandorp. Onom. Rom. p.* 284.

Gens Coſſutia fuit, ex qua Coſſutia equeſtri familia orta fuit, qua Cæſar dimiſſa Corneliam Cinnæ quartum conſulis filiam duxit uxorem. Suet. c. 1. n. 1. Extant nummi Coſſutii cujuſdam, & L. Coſſutii Sabulæ C. F. M. Coſſutii mentio eſt apud Cicer. Verr. III. 22. & Q. Coſſutii in veteri lapide in Sabinis:

DIS. MANIBUS
ÆMILIÆ. SP. F
VIX. ANN. XV
MENSES. VI. D. II
Q. COSSUTIUS. Q. F

Urſin. & *Patin. Fam. Rom. in Coſſutia.*

Gens Creperja, cujus mentionem facit Cicer. Act. in Verr. I. c. 10. ex qua natum ſcribit M. Creperejum equeſtri familia. Crepereji cujuſdam Galli ſub Nerone meminit Tacit. Annal. XIV. 5. 2. *Urſin.* & *Patin. Fam. Rom. in Crepereja.*

Gens Crepuſia, cujus nulla mentio apud eos ſcriptores, quos

quos ego quidem legerim, extat in nummis. Unde suspicari licet plebejam fuisse, ex qua L. Crepusius ædilis plebis fuerit. Ursin. & Patin. Fam. Rom. in Crepusia.

Gens Cupiennia fuit, ex qua ortus C. Cupiennius, ad quem extat Epist. Cicer. ad Attic. XVI. 26. Hujus fortasse filius fuit C. Cupiennius Libo Cumanus, Augusti familiaritate clarus, corporis sui diligentissimus, sectator matronarum concubitus, ut scribit Porphyrio in Horat. Sat. I. 2. 36.

... mirator cunni Cupiennius albi.

Ursin. & Patin. Fam. Rom. in Cupiennia.

Gens Curia. Ex hac fuit M. Curius M. F. M. N. Dentatus tribunus plebis anno ab U. C. 454. Cicero Bruto c. 14. Consul cum P. Cornelio anno 463. Cassiodorus. Bellum Samniticum gessit: omnem eum tractum, qua Nar ambit, fontesque Velini Adriatico tenus mari igne ferroque vastavit. De Samnitibus, Sabinis, Lucanis triumphavit. Flor. III. 15. Censor cum L. Papirio anno 464. Consul II. cum L. Cornelio ann. 478. Valer. VI. 3. Contra Pyrrhum missus cum eo pugnavit, exercitum ejus occidit, ipsum Tarento fugavit, castra cepit, de Rege Pyrrho, & Samnitibus II. triumphavit. Plutarch. in Pyrrho p. 399. B. Cat. maj. p. 337. A. Consul III. cum Ser. Cornelio anno 479. Cassiodorus. *Augustin. & Strein. de Gent. & Fam. Rom. in Gens Porcia. Glandorp. Onom. Rom. p.* 289. L. Curii P. & F. meminit etiam inscriptio Bononiæ reperta ad D. Stephani prope ostium:

L. CURIUS. CURIO. PAT.

P. Curii Blæsi inscriptio, quam exhibet Spon. Misc. Ant. Erud. Sect. II. art. II.

P. CURIO. P. F. QUIR.
BLÆSO. . . .

Malvas. Marm. Felsin. Sect. VII. *c.* 12.

Gens Curiatia fuit plebeja, Alba oriunda, a Tullo Rege in civitatem Romanam adscita. Dionys. III. p. 170. Ejus *gentis* familia fuit Trigeminorum, cujus idem scriptor meminit, ex qua ortus fuit C. Curiatius, cujus extant nummi. *Ursin. & Patin. Fam. Rom. in Curiatia. Panvin. de Nom. Rom. Thes. Ant. Rom. Græv. Tom.* II. *p.* 2004. *A. Alex. Gen.* V. 4.

Gens Curtia patriciane an plebeja fuerit, ex veteribus scriptoribus non satis constat. M. Curtii, a quo lacus Curtius in foro Romano dictus est, meminerunt Dionys. II. p. 108. Liv. VII. 6. Valer. Max. V. 6. P. Curtii Salassi facit mentionem Cicer. Fam. VI. 18. *Ursin. & Patin. Fam. Rom. in Curtia. Panvin. de Nom. Rom. Thes. Ant. Rom. Græv. Tom.* II. *p.* 2005. *B.* 2012. *A. Glandorp. Onom. Rom. p.* 291.

Gens Didia, sive Deidia, ut in quibusdam monumentis legitur, incertum, patriciane, an plebeja fuerit. Plebejam fuisse suspicari possumus ex eo, quod qui Didiam legem sumptuariam tulit, tribunus plebis fortasse fuit. Liv. Epit. 127. facit mentionem Didii Saxæ M. Antonii legati in Syria, qui a Labieno Pompejanarum partium victus est. *Ursin. & Patin. Fam. Rom. in Didia. Glandorp. Onom. Rom. p.* 300.

Gens Domitia plebeja, consulares viros, & censorios aliquot habuit, aliisque honoribus & sacerdotiis usos, qui eam nobilem reddiderunt. In duas divisa stirpes Calvinorum, & Ahenobarborum distinguitur. V. illas suis locis. *Augustin. Strein. Ursin. & Patin. de Gentib. Rom. in Domitia. Ferret. Mus. Lapid.* I. *Memor.* 40: III. *Memor.* 30. *Glandorp. Onom. Rom. p.* 302.

Gens Durmia, ex qua M. Durmius, qui sub Augusto triumvir monetæ cudendæ denarios qui hodie extant, signavit, apud scriptores, quos ego viderim, non reperitur. *Ursin. & Patin. Fam. Rom. in Durmia.*

Gens Egnatia plebeja fuit. C. Egnatii Maxsumi, cujus extant denarii, facit mentionem Cicer. Attic. III. 14. L. Egnatii Rufi Fam. XIII. 43. 45. & 73. Hujus fortasse filius fuit M. Egnatius is, quem in Augustum conspirasse Suet. c. 19. n. 1. Dio LIII. p. 513. B. Vellej. II. 92. 4. commemorant. *Ursin. & Patin. Fam. Rom. in Egnatia. Ferret. Mus. Lapid.* II. *Memor.* 32. *Glandorp. Onom. Rom. p.* 312.

Gens Egnatuleja apud unum, quod sciam, Ciceronem invenitur. Is Phil. III. 3. nominat L. Egnatulejum quendam, filium fortasse C. Egnatuleji, qui victoriatum nummum percussit, quales hodieque cernere est. Extat Cordubæ in Hispania fragmentum quoddam inscriptionis antiquæ, in qua fit mentio C. Egnatulejæ C. F. quæ fortasse Egnatuleji hujus filia fuit. In inscriptione quoque basis statuæ Vespasiano Imperatori dedicatæ, nominatur quidam C. Egnatulejus Laurus. *Ursin. & Patin. Fam. Rom. in Egnatuleja.*

Gens Eppia in tribu Cornelia censebatur & Fabia. Hoc intelligimus ex antiquis inscriptionibus.

Q. EPPIUS. Q. F. COR. RUF
Θ CLODIA. C. L. SILENIO
Θ EPPIA. L. F. PAULLA. VOTE
NNIANA. MATER
EPPIA. M. F. POLLA

&

P. EPPIUS. P. F. FAB
RUFUS. MIL. COHOR
II. PRÆT. T. F. I
ARBITR

Ursin. & Patin. Fam. Rom. in Eppia.

Gens Epria, de qua lapis sepulcralis Labelli in Apulia:

L. EPRIUS CHILO. VIAT. TRIB. PL
PRIM. AC. PI

Ferret. Mus. Lapid. II. 39.

Gens Fabia, si ejus ortum a capite repetimus, ad Aborigines primos Latii populos, & ad Fabium Herculis filium refertur. Hercules enim is, qui Jove natus dicitur, a Græcis ad Romanos, & usque ad oceanum pervagatus, multis *gentibus* & familiis initia, & quasi semina sui generis dedit. Hinc etiam Fabia, gens amplissima, & clarissima, multisque spectata & nobilitata virtutibus, principem suæ *gentis* Fabium Herculis filium nuncupabat. V. supr. in *Fabii.* Strein. de Gent. Rom. in Fabia. Patricia fuit majorum, ut opinor, gentium. Clarissimos habuit viros, & omni honorum genere ornatissimos. Dividitur in sex stirpes, quarum tres frequentes sunt: Vibulanorum, Ambustorum, & Maximorum; tres minus frequentes, Dorsonum, Pictorum, & Buteorum. V. illos suis locis. *Augustin. de Fam. Rom. in Fabia. Panvin. de Nom. Rom. Thes. Ant. Rom. Græv. Tom.* II. *p.* 2001. *A. Ferret. Mus. Lapid.* IV. *Memor.* 17. *Glandorp. Onom. Rom. p.* 319. *Crinit. de Honest. Discipl.* XXI. 13. Hujus usque ad Tiberii Cæsaris principatum mentio est, pontificatu maximo uno, auguratibus aliquot, dictaturis septem, magisteriis equitum quinque, consulatibus octo & quadraginta, decemviratu legum scribendarum, censuris octo, tribunatibus militum consulari potestate decem, senatus principibus quinque, triumphis tredecim, & ovationibus duabus illustris. His honoribus functi sunt viri sex & triginta intra annorum DL intervallum. *Panvin. l. l.*

Gens Fabricia fuit consularis, Luscini cognomento. *Vaillant Numism.* I. *p.* 19. C. Fabricius. C. F. C. N. Luscinus consul fuit cum Q. Aimilio anno ab U. C. 471. Cassiodorus. De Etruscis & Gallis triumphavit. Consul II. cum Q. Aimilio anno 475. Bellum cum Pyrrho gessit. Ad quem cum Pyrrhi medicus nocte venisset, promittens veneno Pyrrhum occisurum, vinctum eum Pyrrho reduci jussit. Cum Brutiis & Lucanis prospere pugnavit, de iis, Tarentinis, & Samnitibus II. triumphavit. Liv. Epit. 13. Flor. I. 18. Gell. III. 8. Censor cum Q. Aimilio anno 478. Gell. XVII. 21. Val. Max. II. 4. *Augustin. de Fam. Rom. p.* 1270. *& Strein. de Fam. Rom. p.* 1127. *Glandorp. Onom. Rom. p.* 331.

Gens Fabrinia, nisi sit erratum ab eo, qui nummos æreos cudit, apud veteres scriptores non reperitur. Neque

vero

vero M. Fabrinius qui fuerit, quove tempore vixerit, invenire adhuc non potui. *Urſin. & Patin. Famil. Rom. in Fabrinia.*

Gens Fadia plebeja fuit. T. Fadius Gallus tribunus plebis anno ab U. C. 696. Prius Ciceronis quæſtor perhibetur. Cn. Fadium duumvirum exhibet quidam Auguſti nummus. *Vaillant Numiſm. p. 19. Malvaſ. Marm. Felſin. Sect. VI. c. 2. Glandorp. Onom. Rom. p. 331.*

Gens Fannia plebeja fuit. Conſtat hoc uno teſtimonio Cicer. ad Attic. XVI. 13. *In præſentia mihi velim ſcribas, quibus cenſoribus C. Fannius M. F. tribunus plebis fuerit: videor mihi audiſſe P. Africano, L. Memmio cenſoribus.* Urſin. & Patin. Fam. Rom. in Fannia. Glandorp. Onom. Rom. p. 332.

Gens Farſuleja invenitur in antiqua inſcriptione Sutrina, in qua:

PONTIFICES. A. COLONIA
CONJUNC. JULIA. SUTRIN
IN. ORD. RELAT....

Inter eos autem numeratur M. Valerius Ferox in locum Farſuleji Rufi. Q. Farſulejus quidam Veſper nominatur in baſi ſtatuæ Veſpaſiani Imperatoris, in qua inciſa ſunt nomina eorum, qui ad eam dedicandam Imperatori ſtatuam pecuniam contulerunt L. Annio Baſſo, C. Cæcina Pæto coſſ. Extat & L. Farſuleji Menſoris mentio in antiquis nummis. *Urſin. & Patin. Fam. Rom. in Farſuleja.*

Gens Fenia eſt parum nota. Fenius Rufus præfectus annonæ apud Tacit. Annal. XIII. 22. 1. deinde prætorii apud Tacit. Annal. XV. 50. 4. Nummus quidam Auguſti exhibet C. Fenium duumvirum. *Vaillant Numiſm. I. p. 25. Glandorp. Onom. Rom. p. 337.*

Gens Flaminia fuit plebeja. Meminit ejus Cicer. Attic. XIV. 14. & 15: XV. 1. & 2. L. autem Flaminius Chilo IIII. vir auro, argento, ære feriundo ſub Cæſare dictatore, ac ejuſdem fortaſſe primus flamen fuit. Hujus flaminis mentio extat in antiquis inſcriptionibus:

M. POBLICIO
M. F. SAB. SEXTIO
CALPURNIANO
EQUO. PUBLICO
FLAM. DIVI. JULI....

&

L. ACUTIO
L. F
FAB. PRIMO
EQUO. PUB
II. VIR. I. D
ÆDIL. Q. ALIM
FLAM. DIVI. JULI
D. D.

Urſin. & Patin. Fam. Rom. in Flaminia.

Gens Flavia fuit plebeja. Ejus frequens eſt mentio apud veteres ſcriptores. *Urſin. & Patin. Fam. Rom. in Flavia. Ferret. Muſ. Lapid. III. Memor. 19. Glandorp. Onom. Rom. p. 339.* Orta eſt ex T. Flavio Petronio, municipe Reatino, in Sabinis centurione, mox argentario, & publicano in Aſia, ex qua genitus eſt Sabinus pater Veſpaſiani Imperatoris. Suet. c. 1. *Panciroll. Deſcr. Urb. Rom. Theſ. Ant. Rom. Græv. Tom. III. p. 346. A.* Nominatur & C. Flavus Hemis in denariis antiquis, Bruti legatus proprætore, cujus meminit Nep. Attic. c. 8. n. 3. *Urſin. & Patin. l. l.* Quamvis in *gentis* Flaviæ denario legam C. FLAV. HEMIS. LEG. PROPR. neutiquam tamen exiſtimare poſſum *Hemis* cognomen eſſe C. Flavii, quod neque ipſum, neque ullum aliud, inde flexum, derivatumque, inter tot Romanorum nomina uſquam inventum iri putem, nedum ut C. Flavii fuerit, notiſſimi hominis, cujus non tantum in Nepote, ſed etiam in Cicerone, Cæſare, Plutarcho, & Appiano frequens occurrit mentio, utpote qui M. Bruti, qui & in altera denarii parte nominatur, *familiaris & neceſſarius* a Nepote vocatur. Cenſeo igitur vel vetuſtate obliteratam, vel forte non animadverſam fuiſſe ab Urſino tranſverſam lineolam, quæ priori parti literæ H ſuperne addita erat, ut ſolent in his veterum nummis diverſæ literæ ſæpe conjungi, atque ita in hoc non C. Flavii aliquod nomen ea voce deſignari, ſed Themidis deæ. Ejus enim effigiem quoque eſſe, quam in eo cernimus, ex adjecta cithara colligo, dijs ſtudiorum, ac præcipue carminum auctoribus, & præſidibus vulgo adjungi ſolita. Sive igitur illam intellexerit C. Flavius, ſive Carmentam potius Euandri matrem, quæ proprio nomine Themis dicta. Plutarchus & Dionyſius laudati ſupr. in *Carmenta.* Themidis nomine Flavius præcipue uſus videri poteſt, quia id ſimul antiquiſſimæ deæ erat nomen, & tunc temporis inprimis Græca lingua vulgo Romani maxime delectabantur, omniaque fere ex illa repetere, ac deducere, ſeu ἐξελληνίσαι ſtudebant. Optima vero ratione hæc quoque adjunctam habet citharam, quippe quæ ἐμμέτρους χρησμοὺς, fata hominum carmine cecinit. Præcipue divam fatidicam & vaticinam declarat præcipue paſſa illa, ac horrida coma, quæ in ejus capite conſpicitur. Quis enim eſt, qui ignoret vatibus, quum a fatidicis ſuis diis inſpirantur, ſparſos, atque arrectos ſemper tribui capillos. Tibull. II. 5. 65.

Jactavit fuſa ſed caput ante coma.

Senec. Oedip. II. 230.

Incipit Lethaa vates ſpargere horrentes comas,
Et pati commota Phœbum.

Imo de hac ipſa Carmenta Ovid. Faſt. I. 503.

Utque erat, immiſſis puppim ſtetit ante capillis.

Perizon. Triad. diſſert. III. p. 248. Multa Flaviorum epitaphia congeſſit *Malvaſ. Marm. Felſin. Sect. VII. c. 7.*

Gens Fonteja fuit plebeja. Hoc intelligimus vel ex eo, quod P. Clodius Ciceronis inimicus, qui ut tribunus plebis fieret, ad plebem traduci volebat, P. Fontejo plebejo homini adoptandum ſe dedit. Cognomen multorum hujus gentis fuit Capito. *Urſin. & Patin. Fam. Rom. in Fonteja. Malvaſ. Marmor. Felſin. Sect. VIII. c. 7. Ferret. Muſ. Lapid. III. 3. Glandorp. Onom. Rom. p. 347.*

Gens Foſſia conſularis. Ejus cognomen Flaccinator. *Panvin. de Nom. Rom. Theſ. Antiq. Roman. Græv. Tom. II. p. 1012. A.*

Gens Fufia fuit plebeja. Erat diviſa in familias Kalenorum, Strigonum, ac Geminorum. Q. Fufius Kalenus fuit tribunus plebis an. 691. D. Junio Silano, L. Licinio Murena coſſ. atque idem conſul cum P. Vatinio an. 706. *Urſin. & Patin. Fam. Rom. in Fufia. Noriſ. Epiſt. Conſul. Theſ. Antiq. Rom. Græv. Tom. XI. p. 402. D.*

Gens Fulvia fuit plebeja. *Auguſtin. Urſin. & Patin. Fam. Rom. in Fulvia. Vaillant Numiſm. I. p. 113. Glandorp. Onom. Rom. p. 351.* Non paucos tamen habuit claros viros omni honorum genere ornatos. In tres familias cognominibus diſcretas dividitur. Nam Curvi, Pætini, & Nobiliores unam, Centumali alteram, tertiam Flacci obtinent. V. ſingulos ſuis locis. Curvos duos, Pætinos tres, Nobiliores quatuor invenio, ſed ſeptem tantum viri omnes fuerunt, quod duo bis numerantur, propterea quod alter, & Curvus, & Pætinus: alter, & Pætinus, & Nobilior appellati ſint. Hi igitur ſeptem totidem conſulatus, cenſuram unam, triumphos ſex, ovationem unam, magiſterium equitum item unum aſſecuti ſunt. *Auguſtin. l. l. Strein. de Gent. & Fam. Rom. Theſ. Ant. Rom. Græv. Tom. VII. p. 1134.*

Gens Fundania plebeja fuit. Liv. XXV. 2. M. Fundani facit mentionem ædilis plebeji. In tabula etiam ænea apud Alexandrum Farneſium Cardinalem, in qua plebiſcitum pro Thermeſibus Majoribus Piſidis perſcriptum eſt, mentio fit C. Fundani C. F. trib. pl. deſ. qui plebem preimus ſcivit. *Urſin. & Patin. Fam. Rom. in Fundania. Glandorp. Onom. Rom. p. 351.*

Gens Furfania invenitur in Inſcriptionibus. Bononiæ in ſuburbano Bernardini Bonſignati:

D. M
FURFANIÆ
Æ. C. F. . . .

Romæ via Nomentana, vinea cinquinia:

DIS.

DIS. MAN. SACR . . . .
M. FURFANIUS. M. F. QUIR. MARCELLUS
M. FURFANIUS. M. F. M. N. VELOX
FURFANIA. VIRGULA. MATER.
. FURFANIUS. LARISCULUS
SABINUS. . . . .

Malvaſ. Marmor. Felſin Sect. VIII. *c.* 5.

Gens Furia patricia fuit, vel unico M. Camillo illuſtris, aliis etiam clariſſimis viris exornata eſt. Dividitur in Fuſorum, ſive Medullinorum, vel Pacilorum, atque in Camillorum ſtirpes frequentiores. Phili quoque & Purpureones ejusdem *gentis* ſunt, ſed pauci ex eis conſulares fuerunt. Hos omnes conſtat Fuſios primum dictos, ut Valeſios, & Auſelios, poſtea Fourios, ſive Furios. Luſit in hoc nomine eleganter Ovidius:

Cur ego non dicam Furia te Furiam?

Sub Tullo Rege Sp. Fuſius pater patratus reperitur Liv. I. 24. teſte, quem ex hac familia fuiſſe certum eſt. Fuſos, & Medullinos, ac Pacilos ſeptemdecim invenio obtinuiſſe pontificatum maximum, conſulatus undecim, tribunatus militares ſeptemdecim, cenſuras duas. Camillos quinque aſſecutos fuiſſe invenio dictaturas ſeptem, triumphos quinque, conſulatus quinque, tribunatus militares ſex, cenſuram, interreges fuiſſe ter. Philos duos totidem conſulatus, cenſuram, & triumphum adeptos eſſe. Purpureonem unum conſulatum, & triumphum conſecutum. *Auguſtin. Urſin. Patin. & Strein. Fam. Rom. in Furia. Glandorp. Onom. Rom. p.* 360.

Gens Gallia inter patriciaſne, an plebejas numeranda ſit, ex ſcriptoribus, elici non poteſt. Cicer. Verr. III. 65. C. Gallium ſenatorem hominem equeſtrem appellat, patrem fortaſſe C. Gallii, cujus extat nummus æneus ab eo ſignatus, cum eſſet triumvir ſub Auguſto. Q. Gallii prætoris anno ab U. C. 688. L. Cotta & L. Torquato coſſ. meminit Cicer. Brut. c. 80. *Urſin. & Patin. Fam. Rom. in Gallia. Glandorp. Onom. Rom. p.* 377.

Gens Gavia fuit inclyta. Cujus etſi perierint imagines, remanſere tamen inſcriptiones, quæ de inclyta hac ſtirpe longe lateque diffuſi fidem faciant. *Malvaſ. Marmor. Fel*[illegible] *c.* 4. *Glandorp. Onom. Rom. p.* 379.

Gens Gegania dicta eſt a Gya comite Æneæ. Serv. Æneid. V. 11[illegible]. *Bene* [illegible] *a Sergeſto Sergia familia* [illegible], *a Cloantho Cluentia, a Gya Gegania, cujus facit men*[illegible] Strein. Fam. Rom. in Gegania. Sigon. de Nom. Rom. c. 4. Panvin. de Nom. Rom. [illegible] Antiq. Roman. Græv. Tom. II. p. 200[illegible]. A. Fuit Albana, & ejus partem Romam cum Romulo commigraſſe crediderim. Nam inter primas virgines Veſtales a Numa factas refertur una Gegania a Plutarch. p. 66. D. Ejus vero altera pars Romam a Tullo Hoſtilio transducta fuit, & inter patricias Alba everſa allecta. Dionyſ. III. p. 170. Liv. I. 30. *Panvin. l. l. Sigon. de Ant. jur. civ. Rom.* I. 7. *Glandorp. Onom. Rom. p.* 380.

Gens Gellia duobus tantum denariis nobis exhibetur. Eorum alter viſus eſt pertinere ad Gellium Cn. Pompeji legatum in bello maritimo contra piratas, cujus meminit Flor. III. 6. 8. Alter ſine dubio ad L. Gellium Poplicolam ſpectat, qui eum ſignavit, cum eſſet Antonii quæſtor pro prætore: poſtea cum M. Cocceio Nerva conſulatum geſſit anno ab U. C. 717. V. Dion. XLVII. p. 341. B. Hujus pater L. Gellius conſul fuit cum Cn. Lentulo Clodiano anno 681. Cicer. in Piſon. c. 3. ad Quirit. poſt redit. c. 7. *Urſin. & Patin. Fam. Rom. in Gellia. Glandorp. Onom. Rom. p.* 380. *Ferret. Muſ. Lapid.* I. *Memor.* 29.

Gens Genucia conſularis fuit. Ejus cognomen Augurinus. *Panvin. de Nom. Rom. Theſ. Antiq. Rom. Græv. Tom.* II. *p.* 2012. *B. Ferret. Muſ. Lapid.* IV. *Memor.* 43. *Glandorp. Onom. Rom. p.* [illegible]

Gens Grania plebeja fuit, nullisque titulis clara, niſi eam illuſtraſſent Q. Granius ille, de quo Cicer. de Orat II. 60. Granius Flaccus, qui ad Cæſarem de Indigitamentis ſcripſit. Cenſor. de Die Nat. c. 3. & Granius Serenus, qui Hadriani Imperatoris legatus animum ipſius a Chriſtianorum avertit ſævitia. Euſeb. Hiſt. Eccleſ. IV. 9. Oroſ. VII. 13. *Urſat. de Not. Rom. Theſ. Ant. Rom. Græv. Tom.* XI. *p.* 605. *F.*

Gens Herennia plebeja fuit, diviſa in Balborum, & Gallorum familias. L. Herennii Balbi meminit Aſcon. in Cicer. p. 184. Galli Aſinius Pollio Epiſt. Cicer. ad Fam. IX. 32. C. Herennii tribuni plebis, qui P. Clodium ad plebem traduxit, mentionem facit Cicer. Attic. I. 15. & 17. *Urſin. & Patin. Fam. Rom. in Herennia.*

Gens Herminia conſularis fuit. Ejus cognomen Eſquilinus. *Panvin. de Nom. Rom. Theſ. Ant. Rom. Græv. Tom.* II. *p.* 2012. *B. Glandorp. Onom. Rom. p.* 396.

Gens Hirtia incertum patriciane an plebeja fuerit. Ejus extat mentio in antiqua hac Inſcriptione:

A. HIRTIUS. A. F. M. LOLLIUS. M. F.
FUNDAMENTA. FORNICIS. FACIUNDA. COERAVERE. EIDEMQUE.
PROBAVERE.

Urſin. & Patin. Fam. Rom. in Hirtia. Glandorp. Onom. Rom. p. 399.

Gens Horatia orta eſt ab Horatiis, qui Curiatios depreſſerunt. Dionyſ. V. p. 150. Neque ſane dubium eſt, quin majorum *gentium* patricii Horatii ſint, ut qui cum Romulo primum in Urbem migrarunt. Dividitur hæc *gens* in Pulvillos, Barbatos, Coclites. *Auguſtin. Strein. Urſin. & Patin. Fam. Rom. in Horatia. Glandorp. Onom. Rom. p.* 401.

Gens Hortenſia fuit plebeja, ut exiſtimat Sebaſtianus Corradus, tum quod Q. Hortenſius dictator legem de plebiſcitis tulerit, tum etiam quod complures Hortenſios tribunatum plebis geſſiſſe in veterum monumentis reperiat. Ego Hortenſios inter patricios refero. Video enim Q. Hortenſium oratorem in Quintiana oratione, & in Verrinis actionibus *nobilem* a Cicerone appellari: quod qua ratione verum ſit, niſi patricium fuiſſe dicamus, conjectura aſſequi certe nullo modo poſſum. Neminem etiam Hortenſiorum, præter Lucium, quem Liv. XLIII. prætorem fuiſſe ſcribit, ante hunc curulem geſſiſſe magiſtratum reperio. Quum igitur conditione nobilis non ſit, origine nobilem eſſe neceſſe eſt: cujuſmodi patricii fuere. Nec vero aut quia dictator Hortenſius legem de plebiſcitis tulit, aut quia tribuni plebis Hortenſii fuerunt, plebeji exiſtimandi ſunt. Ille enim benevolentiam, & voluntates plebis hac ſua lege captabat, quod Poplicolas, Horatios, quod complures alios factitaſſe animadvertimus. Hi vero quod diverſæ eſſent *gentis*, tribuni plebis creati ſunt, ut etiam in Corneliis, Claudiis, Semproniis. Ipſum quidem certe Hortenſium magiſtratum plebejum adeptum, nulli, quod ſciam, veterum tradiderunt. Hoc ſane miror, Ortalum Hortenſii oratoris nepotem ita loqui apud Tacit. Annal. II. 37. 6. *En ſtirps, & progenies tot conſulum, tot dictatorum*, quum unus ex Hortenſiis fuerit dictator, unicus etiam conſul. Hoc nimirum eſt, quod Cicer. in Brut. c. 16. queritur: *Laudationibus hiſtoriam factam eſſe mendoſiorem. Multa enim ſcripta ſunt in eis, quæ facta non ſunt, falſi triumphi, plures conſulatus, genera etiam falſa, & ad plebem tranſitiones, cum homines humiliores in alienum ejuſdem nominis infunderentur genus*, quod ex ſtemmate liquido conſtabit. *Auguſtin. & Strein. de Gent. & Fam. Rom. in Hortenſia. Glandorp. Onom. Rom. p.* 404.

Gens Hoſidia ab Appiano quidem & Dione nominatur, non tamen ex eorum verbis elici quicquam poteſt, unde, plebejane, an patricia fuerit, ſcire poſſumus. Appian. de Bell. civ. IV. p. 613. & Dio XLVII. p. 333. A. faciunt mentionem Hoſidii Getæ, proſcripti a triumviris, & a filio ſervati. *Urſin. & Patin. Fam. Rom. in Hoſidia. Glandorp. Onom. Rom. p.* 406.

Gens Hoſtilia ab Hoſto quodam Hoſtilio Medullino, ut creditur, originem duxit, qui Romulo regnante Romanam civitatem adeptus fuit. Ejus *gentis* familiæ reperiuntur in monumentis Capitolinis Tulli Regis, & Mancinorum. Tubulorum apud Liv. XXVII. 6. & Catonum apud Liv. XXVII. 37. Saſernarum apud Varronem, & in num-

nummis. *Urſin. & Patin. Fam. Rom. in Hoſtilia. Glandorp. Onom. Rom. p.* 407. *Ferret. Muſ. Lapid.* II. *Memor.* 17.

Gens Itia in uno tantum denario reperitur. Eſt ille, ut opinor, a L. Itio ſignatus, ad quem extat Horatii ode I. 29. Cicer. Phil. III. 10. nominat quendam M. Iccium corrupte, pro M. Itium. *Urſin. & Patin. Fam. Rom. in Itia.*

Gens Julia manavit ab Julo. Quis autem is fuerit Julus non ſatis inter auctores conſtat. Alii enim Aſcanium Æneæ filium fuiſſe exiſtimant: alii Aſcanii filium, Æneæ nepotem. Priori ſententiæ accedit Virgilius; quem Servius, Meſſalla, & reliqui ſecuti ſunt. Poſteriorem ſententiam Livius tuetur, & Dionyſius. Qui Virgilium ſequuntur, poſt Æneæ mortem Julum annos octo & triginta in Latio regnaſſe tradunt: reliqui Aſcanio hoc tribuunt, quem etiam Juli patrem faciunt. Nam duos, ut Dionyſius ſcribit, filios habuit Æneas, Aſcanium ex Creuſa natum, & Silvium ex Lavinia Latini Regis filia. Aſcanius patri in regno ſucceſſit, Aſcanio Silvius frater, excluſo Julo Aſcanii filio, Æneæ nepote, tum adoleſcentulo, cui tamen honoris cauſa ſacerdotium ampliſſimum a patruo tributum eſt, quod *gens* Julia quaſi per manus a majoribus acceptum jure ſemper tenuit. Hanc, ut idem ſcribit Tullus Hoſtilius Rex, Alba diruta, Romam traduxit, & inter patres cooptavit. *Strein. de Gent. & Fam. Rom. in Julia. Panvin. de Nom. Rom. Theſ. Ant. Rom. Græv. Tom.* II. *p.* 2001. *E. Urſin. & Patin. Fam. Rom. in Julia. Glandorp. Onom. Rom. p.* 414. *Ferret. Muſ. Lapid.* II. *Memor.* 34. Patricia majorum gentium fuit. Scinditur in duas præcipuas ſtirpes, Julorum, & Cæſarum. V. illas ſupr. in *Familia*. Alia etiam cognomina minus frequentia uſurparunt, ut Mento & Libo. *Auguſtin. Fam. Rom. in Julia.*

Gens Junia nobiliſſima eſt omnium, quæ a Trojanis & Ænea ortæ dicuntur. Oriunda eſt a Junio Æneæ comite, Dionyſ. IV. p. 264. Hæc cum in Urbem una cum Romulo migraſſet, laude, & gloria bellica ſub Regibus floruit, uſque ad L. Brutum, qui regio dominatu populum Romanum liberavit, clariſſimus, ac poſtremus Juniæ *gentis*. Nam, ut Dionyſ. V. p. 292. ſcribit, nullos reliquit liberos ſuperſtites, & qui ſequuntur Bruti, plebeji ſunt, non patricii. Aliter tamen ſenſiſſe videtur Cicero, qui M. Brutum Cæſaris interfectorem L. Bruti gentilem appellat, cum ait Phil. I. 6. *Fuerit ille L. Brutus, qui & ipſe regio dominatu Rempublicam liberavit: & ad ſimilem virtutem, & ſimile factum ſtirpem in prope quingenteſimum annum propagavit.* Tuſc. Quæſt. IV. I. *Quis fuit in Italia temporibus iiſdem, quibus L. Brutus patriam liberavit, præclarus auctor nobilitatis tuæ.* Brut. c. 14. *Quis putet celeritatem ingenii L. Bruto illi, nobilitatis veſtræ principi defuiſſe?* Quod etiam ex ſententia Poſidonii dicit Plutarch. Brut. p. 984. D. qui tertium Junii Bruti filium expertem conjurationis fuiſſe, ab eoque *gentem* Juniam propagatam tradit. Et hos ſequitur Patin. Fam. Rom. in *Junia*. Graviſſima Ciceronis hac in re debet eſſe auctoritas, magna etiam Poſidonii, & Plutarchi. Dionyſii tamen, qui multis ſententiam ſuam argumentis, exquiſitisque rationibus confirmat, meo quidem judicio graviſſima. Neque enim quiſquam ex hac *gente* per annos ducentos poſt Reges exactos magiſtratum curulem geſſit: quod quidem certe in tam clara & nobili familia accidere potuiſſe, nulla ratione ut credam adduci poſſum. Et tribuit hæc Cicero Bruto, homini amiciſſimo, non tam vere, quam ut pulcerrimum illud factum, quod pro libertate Reipublicæ geſſit, laudando extolleret; ac primo L. Brutum, deinde progeniem ejus populum Romanum a Regibus liberaſſe ſignificaret. *Strein. Auguſtin. & Urſin. Fam. Rom. in Junia.* Fuit & altera Junia plebeja, etiam nobilis. In plures ſtirpes propagata tredecim conſulares viros ante Auguſti imperium habuit. Eorum cognomina hæc ſunt: Bruti, Scævæ, Bubulci, Peræ, Pulli, Silani & Penni. *Auguſtin. de Fam. Rom. in Junia. Panvin. de Nom. Rom. Theſ. Ant. Rom. Græv. Tom.* II. *p.* 2003. *B.* Dictatura, magiſteriis equitum quatuor, conſulatibus octodecim, cenſura, triumphisque ſeptem ornata. *Panvin. l. l.*

Gens Labiena plebeja fuit. Ex ea fuit T. Labienus tribunus plebis, qui C. Rabirium a Cæſare ſubornatus perduellionis accuſavit: quod ejus patruus Q. Labienus cum Saturnino occiſus fuerat. Cicer. pro Rabir. c. 7. *Urſin. de Famil. in Labiena.*

Gens Lælia, quæ Romæ conſularis, quamquam plebeja, in qua Sapientem, & Balbum legimus. *Ferret. Muſ. Lapid.* II. 5.

Gens Lartia conſularis fuit. Ejus cognomina Flavus & Rufus. *Panvin. de Nom. Rom. Theſ. Ant. Rom. Græv. Tom.* II. *p.* 2012. *B. Glandorp. Onom. Rom. p.* 519. *Ferret. Muſ. Lapid.* II. *Memor.* 39.

Gens Licinia, & antiquitate generis, & rebus geſtis plebejarum omnium facile princeps. In quatuor conſulares præcipuas cognominibus diſtinctas ſtirpes propagata eſt: Calvorum, Craſſorum, Lucullorum & Murenarum. Sed & Vari, & Getæ, & Nervæ, aliique minus clari extitere. V. ſingulos ſuis locis. *Strein.* [illegible] *Patin. Fam. Rom. in Licinia. Serv.* [illegible] *c.* 3. *Glandorp. Onom. Rom. p.* 522. *Vaillant Numiſm.* I. *p.* I. *&* 23.

Gens Livia. V. illam ſupr. in *Familia Livia.*

Gens Livineja, cujus una tantum Regulorum familia apud ſcriptores reperitur. Nam L. Livinejus T[illegible]pho, qui nominatur a Cicer. Epiſt. Fam. XIII. 60. libertus fuit L. Reguli, cujus exſtant nummi. *Urſin. Fam. Rom. in Livineja.* Opinor in eis Livinejos patrem & filium eodem affectos prænomine, & cognomine deſign[illegible]. L. Reguli patris extat mentio apud Hirt. de Bell. A[illegible] *Deinde eodem die Adrumeto egreſſus, Livin*[illegible] *cum legione relicto, Uticam ire contendit.* Filius triumvir [illegible] cudendæ monetæ cum Siſenna & Pulcro ſub A[illegible], ſed ab eodem poſtea ſenatu motus eſt. Dio LIV. [illegible] C. *Et Livinejus quidem Regulus deletum* [illegible] *ægre ferens, cum filius ipſius, & multi alii, qu*[illegible] *ſtantiorem judicabat, in eo legerentur. . . .* Ta[illegible] XIV. 17. I. *Sub idem tempus, levi contentione atrox* [illegible] *ta inter colonos Nucerinos, Pompejanoſque, gladiatorio ſpectaculo, quod Livinejus Regulus, quem motum ſenatu retuli, edebat.* Patin. Fam. Rom. in Livineja. Glandorp. Onom. Rom. p. 547.

Gens Lollia fuit plebeja: ex ea enim ortus eſt M. Lollius Palicanus tribunus plebis. A[illegible] Divin. p. 19. *Primus Sicinius tribunus plebis, nec multo p*[illegible] *Quintius, & poſtremo Palicanus.* Fuit tribunus plebis anno ab U. C. 681. *Urſin. & Patin. Fam. Rom. in Lollia. Glandorp. Onom. Rom. p.* 548. *Vaillant Numiſm.* I. *p.* 91. Auguſto imperante [illegible] conſularis, quo tempore conſulatum geſſit M. Lollius M. F. Paullinus, illius Lolliæ Paullinæ avus, aliquando Cajo Caligulæ nuptæ, de qua Plin. IX. 35. *Urſat. de Not. Rom. Theſ. Ant. Rom. Græv. Tom.* XI. *p.* 618. *D.* 797. *B.*

Gens Lucilia fuit plebeja. Ejus familiæ pl[illegible] diſtinctæ cognominibus apud ſcriptores reperiuntur. [illegible] nominantur a Cicer. Brut. c. 42. Baſſi Attic. XII. 5. Longi a Tacit. Annal. IV. 15. 2. Capitones Annal. IV. 15. 4. Ruforum nulla, quod ſciam, mentio extat: niſi forte M. Lucilius Rufus, qui in argenteo quodam denario deſcriptus eſt, is fuit, quem Plutarchus in Pom[illegible], cum tribunus plebis eſſet de Pompejo dictatore creando, multum repugnante Catone ad populum tuliſſe. *Urſin. & Patin. Fam. Rom. in Lucilia. Glandorp. Onom. Rom. p.* 551.

Gens [illegible]

Gens L[illegible] XLVI. I. p. 375. B. Is qui ſub Auguſto [illegible], quales hodieque extant, [illegible] & [illegible] præfectus. M. Lurius T[illegible], & M. Lurius [illegible] nominantur in antiqua baſi marmorea, in qua deſcripta ſunt nomina eorum, qui ære conlato ſtatuam Veſpaſiano Imperatori dedicaverunt L. Annio Baſſo, C. Cæcina Pæto coſſ. In inſcriptione etiam baſis ſtatuæ a collegio fabrûm tignariorum Caracallæ Imperatori dedicatæ Lu[illegible] Martialis numeratur inter eos, qui pecuniam ad ponendam eam ſtatuam contulerunt. *Urſin. & Patin. Fam. Rom. in Luria.*

Gens Lutatia. V. illam supr. in *Familia Lutatia.*

Gens Mælia. Ejus cognomen fuit Capitolinus. *Panvin. Descr. Urb. Rom. Thes. Ant. Rom. Græv. Tom.* XI. *p.* 2012. *B.*

Gens Majania in aliquot nummis notata est. Est eadem opinor, cum ea quæ in tabulis Capitolinis modo Mainia, modo Mænia nominatur. Ejus mentio extat in antiqua inscriptione Cæretana:

D. M. SURIÆ. SACRUM
L. MAJANIUS. HOMER. CUM
MAJANIA. HOMERIDE. FIL
U. S. P. L. D. D. D
CURANT. L. MAJANIO. ET
IUL. MAXIM. TAURIN
FRAT

Ursin. & Patin. Fam. Rom. in Majania.

Gens Mamilia plebeja fuit. Originem & nomen a Mamilia Telegoni filia duxit. Cognomen Limetanus & nummi, & historici huic genti tribuunt. *Ursin. & Patin. Fam. Rom. in Amilia. Glandorp. Onom. Rom. p.* 566. *Panvin. de Nom. Rom. Thes. Ant. Rom. Græv. Tom.* XI. *p.* 2001. *D. Sigon. de Nom. Rom. c.* 3. *Alcand. tab. heliac. Explic. Thes. Ant. Rom. Græv. Tom.* V. *p.* 719. *D.*

Gens Manlia patricia fuit, & ab ipsis initiis libertatis ad Cn. Pompeji, & Cæsaris consulatuum tempora multis præclaris viris effloruit. Initio Vulsonis & Capitolini cognomine, postea Imperiossi, & Torquati multi usi fuerunt, unus atque alter Atticus, Acidinus, Fulvianus, Longus appellatus est. *Augustin. Strein. Ursin. & Patin. Fam. Rom. in Manlia. Panvin. de Nom. Rom. Thes. Ant. Rom. Græv. Tom.* XI. *p.* 2012. *B. Glandorp. Onom. Rom. p.* 569.

Gens Marcia duplex fuit, patriciorum, & plebejorum, utraque nobilissima: illa vetustate, atque origine a duobus Romanorum Regibus orta, atque decorata, & Coriolano, clarissimo viro, atque fortissimo illustris: hæc in varias stirpes divisa multis insignibus viris eluxit. Nam & Rutili, & ex his orti Censorini, & Philippi, & Figuli, & Reges, & si qui alii aliis cognominibus distinguuntur, omnes plebeji fuerunt. At patricii, quos majorum gentium dicere possumus, ex Sabinis Romam cum Numa Pompilio Rege migrarunt. Numa Marcius princeps gentis appellatus est, quod Marci filius esset, ut Numa Rex, quod Pomponis esset, Pompilium *gentis* nomen invenit. Hunc præfectum Urbis fuisse, & pontificem maximum sub Numa, & Tullo Hostilio invenio. Ex uxore Pompilia Numæ Regis filia Ancum Martium suscepit. Ita duplex origo Marciorum, aut a Numæ Regis filio, aut ab Anco Rege, & a Numæ filia orationibus, & laudationibus funerum jactabatur. *Augustin. Ursin. & Patin. Fam. Rom. in Marcia. Panvin. de Nom. Rom. Thes. Antiq. Rom. Græv. Tom.* XI. *p.* 2005. *B. Glandorp. Onom. Rom. p.* 5[illegible].

Gens Maria fuit plebeja. Quod constat ex eo, quod C. Marius C. F. qui nullo est usus cognomine, & M. Marius Gratidianus, tribuni plebis cum essent, alter de suffragiis, alter de re nummaria leges tulerunt. *Ursin. & Patin. Fam. Rom. in Maria.* C. Marius fuit municeps Arpinas, humili, atque obscuro loco natus, nulla majorum commendatione amplissimos honores consecutus. Contigit illi, quod haud scio an nemini, ut duabus in ædilitate acceptis repulsis, septies tamen consul summo populi studio crearetur. Vir, quem neque propter dignitatem laudare satis quisquam commode, neque propter crudelitatem abunde vituperare potest. Nemo unquam tanto metu, & periculo Rempublicam liberavit; nemo majori calamitate eandem afflixit. Qui enim gladios Cimbrorum, & Teutonum in Rempublicam districtos a jugulis civium rejecerat: qui faces jam accensas ad Urbis excidium extinxerat: qui Urbem & Italiam ex ore, atque faucibus hostium eripuerat, ipse ille libertatis Romanæ vindex, primus in Rempublicam gladium distrinxit, primus scelerum faces patriæ intulit, vastitate denique Italiam: cædibus, incendio, ruina Urbem replevit. Justas ergo & debitas pœnas Reipublicæ persolvit. Armis Sullanis Urbe ejectus, in Minturnensium paludibus latuit: terra, marique jactatus, in oris Africæ desertissimis jacuit. Filius non ita multis post annis in cuniculis Præneste trucidatus est, & memoria simul, & nominis, & generis interiit. *Augustin. & Strein. Fam. Rom. in Maria. Glandorp. Onom. Rom. p.* 576.

Gens Memmia inter plebejas numerata fuit. Hoc ex veteribus scriptoribus colligimus. *Ursin. & Patin. Fam. Rom. in Memmia.* Oriunda est a Mnestheo comite Æneæ. Virg. Æneid. V. 116.

Velocem Mnestheus agit acri remige Pristin
Mox Italus Mnestheus, genus a quo nomine Memmi.

Prætoria tantum Reguli cognomen tulit. Sub Imperatoribus consulatum est adepta. *Panvin. de Nom. Rom. Thes. Antiq. Roman. Græv. Tom.* XI. *p.* 2003. *C. Glandorp. Onom. Rom. p.* 596. *Ursin. de Famil. Rom. Thes. Ant. Rom. Græv. Tom.* VII. *p.* 1292. *D.*

Gens Menenia fuit consularis. Ejus cognomen Lanatus. *Panvin. de Nom. Rom. Thes. Ant. Rom. Græv. Tom.* XI. *p.* 2012. *B. Glandorp. Onom. Rom. p.* 600.

Gens Mescinia plebeja fuit. Hoc constat ex eo, quod C. Mescinius, quo tribuno plebis anno 696. Cicero ab exilio revocatus est, ex ea fuit natus. L. autem Mescinius Rufus sub Augusto cudendæ monetæ præfectus fuit. Hic est, qui Ciceroni proconsuli in Cilicia quæstor fuit. Cicer. Fam. XIII. 26. *Ursin. & Patin. Fam. Rom. in Mescinia.*

Gens Metilia Albana, Tullo Hostilio Romæ regnante, Alba diruta, civitatem Romanam est adepta: & in senatorium, patriciumque ordinem est allecta. Dionys. III. p. 170. Fuit autem ex hac *gente* familia alia patricia, alia plebeja. In nummis nominatur M. Metilius Tullus quidam. *Ursin. & Patin. Fam. Rom. in Metilia. Panvin. de Nom. Rom. Thes. Ant. Rom. Græv. Tom.* XI. *p.* 2004. *B. Glandorp. Onom. Rom. p.* 603.

Gens Mettia e Lanuvio municipio oriunda fuit. Suspicamur hoc ex eo, quod M. Mettii nummi extent, in quibus Junonem Sospitam, quæ Lanuvii cum hasta, scutulo, calceolis repandis, & pelle caprina colebatur, signavit. De Mettio quodam meminit Cicer. Fam. XV. 26. Et M. Mettii Epaphroditi Grammatici Græci, quem puto libertum fuisse M. Mettii, extat mentio in hac inscriptione:

M. METTIUS
EPAPHRODITUS
GRAMMATICUS. GRÆCUS
M. METTIUS. GERMANUS. FEC

Ursin. & Patin. Fam. Rom. in Mettia. Glandorp. Onom. Rom. p. 6[illegible].

Gens Minatia in tribu Sabatina censebatur. Hoc ex inscriptione, quam Bisentii Etruriæ oppido descripsimus, intelligimus

VIRTUTI. VISENT
SACR
M. MINATI. M. L. SAB. GALLI
II. VIR. I. D. QUINQ. . .

Val. Max. IV. 3. §. 2. nominat Minatium Rufum, qui M. Catonis in Cypriaca expeditione fidissimus comes fuit. *Ursin. & Patin. Fam. Rom. in Minatia.*

Gens Minucia consularis fuit. Ejus duplex familia, patriciorum, & plebejorum. Nam Augurini patricii consulatus quinque, decemviratum legibus scribendis, & pontificatum maximum obtinuerunt. Rufi plebeji consulatus tres, triumphos duos, & magisterium equitum. Thermi plebeji consulares, & triumphales fuerunt. V. singulos suis locis. *Augustin. Ursin. & Patin. Fam. Rom. in Minucia. Panvin. de Nom. Rom. Thes. Ant. Rom. Græv. Tom.* XI. *p.* 2012. *B. Glandorp. Onom. Rom. p.* 605.

Gens Mucia plebeja quidem, & quæ sero ad consulatum per-

pervenerit, tamen clarissimos viros habuit, & tum juris civilis scientia, tum gravitate morum insignes. Consulatus quinque, pontificatus maximos duos, & triumphum obtinuit. Omnes eodem cognomine Scævolæ usi sunt, eo excepto, qui primus id cognomen invenit, quem Cordum a multis, ab Athenodoro Opsigonum appellatum fuisse accepimus. *Augustin. Ursin. & Patin. Fam. Rom. in Mucia. Glandorp. Onom. Rom. p.* 616.

Gens Munatia: ejus Plancorum tantum familia in denariis reperitur, cum Rufi etiam a Cicerone, aliique a scriptoribus nominentur. *Ursin. & Patin. Fam. Rom. in Munatia. Ferret. Mus. Lapid.* 11. *Memor.* 56. *Glandorp. Onom. Rom. p.* 612.

Gens Mussidia e Sabinis, ut arbitror, fuit oriunda. Ejus mentionem facit Cicer. ad Fratr. III. 1. Ubi pro Mussidius librariorum errore est scriptum Messidius. Quamvis Messidius etiam ferri possit, quod id nomen a Messiis deductum sit, ut a Mussiis Mussiditus. In basi statuæ Vespasiani Imperatoris quidam D. Mussidius Januarius notatus est inter eos, qui ad eam ponendam Imperatori statuam pecuniam contulerunt. *Ursin. & Patin. Fam. Rom. in Mussidia.*

Gens Nævia plebeja fuit. Hoc vel ex eo intelligimus, quod ex ea extitit M. Nævius tribunus plebis, qui P. Scipioni diem dixit. Val. Max. III. 8 In nummis reperiuntur ejus familiæ Balborum, & Surdinorum L. Nævii Balbi facit mentionem Liv. XLV. 13. In veteri autem inscriptione, quæ proximis annis in foro Romano reperta, in Capitolium translata fuit, mentio fit L. Nævii. L. F. Spurini prætoris inter cives & peregrinos. *Ursin. & Patin. Fam. Rom. in Nævia. Glandorp. Onom. Rom. p.* 619. *Vaillant de Numism.* 1. *p.* 14.

Gens Nautia a Naute Æneæ comite fuit oriunda. Serv. Æneid. II. 166. *Quum Diomedes raptum Palladium sibi non esse aptum intelligeret, illud Æneæ transeunti obtulit, sed quum se ille capite velato sacrificans convertisset, Nautes quidam simulacrum accepit, quare Minervæ sacra non Julia gens habuit, sed Nautia.* Ita etiam scribit Varro in libro de familiis Trojanis. Majorum gentium patricia fuit. Romæque consulatus sex, tribunatus militum consulari potestate quatuor, & alios honores adepta diu floruit, Rutili cognomine ornata. *Panvin. de Nom. Rom. Thes. Antiq. Rom. Græv. Tom.* II. *p.* 2003. *C. Augustin. Fam. Rom. in Nautia. Glandorp. Onom. Rom. p.* 622.

Gens Neria in tribu Pupinia censebatur, quæ inter rusticas numerabatur, ab agro Pupinio, ut scribit Festus, nuncupata. Horat. Sat. II. 3. 69:

Scribe decem a Nerio.

In hunc versum scribit Porphyrio, Nerium Catienum, ita enim est in vetustissimo libro, juris studiosum fuisse, & ab Horatio ut avarum tangi. Cicer. ad Fratr. II. 3. *Cestius ab judice Cn. Nerio Pupinia de ambitu est postulatus.* Ursin. & Patin. Fam. Rom. in Neria. Glandorp. Onomast. Rom. p. 624.

Gens Nonia fuit plebeja. Ex ea enim ortus est Nonius Balbus tribunus plebis, qui edicto, quod Sosius in Antonii gratiam contra C. Cæsarem fecerat, intercessit. Dio I. p. 419. E. Reperitur in denariis Sex. Nonius Suffenas, qui prætor ludos votivos fecerit. Extat & æreus nummus, in quo Sex. Nonius Quinctilianus notatus est, qui fuit consul anno 760. cum M. Furio Camillo. Dio LV. p. 570. B. *Ursin. & Patin. Fam. Rom. in Nonia. Glandorp. Onomast. Rom. p.* 626.

Gens Norbana inter plebejas numerata fuit. Ex ea C. Norbanus tribunus plebis extitit anno 648. cujus rogatione Q. Servilio Cæpioni procos: imperium abrogatum est. *Ursin. & Patin. Fam. Rom. in Norbana. Glandorp. Onomast. Rom. p.* 628.

Gens Novia, ut videtur, plebeja fuit. L. *Novius* tribunus plebis P. Clodio collegæ plurimum infensus ex Pædiani commentario an. ab U. C. 695. legitur. *Novius* cognomen a novem, seu novenario numero deducitur. *Vaillant Numism. Tom.* 1. *p.* 48.

Gens Numeria a Numerii prænomine denominata [illegible]. Nam Cicer. pro Sext. c. 43. *Numerium, Serranum, [illegible] milium, quisquilias seditionis Clodianæ* nominat. Ad quæ notat Manutius, duos priores fuisse plebis tribunos eo anno, quo patriæ Cicero restitutus est: de quibus Ascon. in Cicer. p. 162. *Duos tribunos; de quibus ipsis sæpe jam diximus, quos de lapide emptos ait, [illegible], & Q. Numerium significat.* Numerii prænominis originem, & usum Romæ indicat Festus: *Numerius prænomen nunquam ante fuisse in patricia familia dicitur, quamvis [illegible], qui unus post sex & trecentos ab Etruscis interfectos superfuit, inductus magnitudine divitiarum uxorem duxit Otacilii Maleventani, ut tum dicebantur, filiam ea conditione, ut qui primus natus esset, prænomine avi materni Numerius appellaretur.* Ursat. de Not. Rom. Thes. Antiq. Roman. Græv. Tom. XI. p. 874. A.

Gens Numicia fuit consularis. Ejus cognomen fuit Priscus. *Panvin. de Nom. Rom. Thes. Ant. Rom. Græv. Tom.* II. *p.* 2012. *B.* Priscus ille consul fuit [illegible] 285. Vel[illegible] alio fallit, A[illegible] oppidum oppugnare non ausus, Cenonem aliud oppidum [illegible] opulentum ab Antiatibus cepit. Liv. II. 63. *Glandorp. Onomast. Rom. p.* 632.

Gens Numitoria fuit plebeja. Constat hoc vel ex uno L. Numitorio, qui tribunus plebis dicitur a Liv. II. 58. & Dionys. XI. p. 726. Cicer. Inv. II. 34. meminit Q. Numitorii cujusdam, qui Pullus cognominatus est. *Ursin. & Patin. Faml. Rom. in Numitoria. Glandorp. Onomast. Rom. p.* 632.

Gens Numonia cognomen Vaalæ videtur accepisse ab aliquo, qui vallo defenso id cognomen primus invenerit. Nam & denarius extat, in quo expressus est, ut videtur, vir quidam pugnans pro vallo. Vaala vero antique scriptum in eo denario pro Vala, ut Feelix pro Felix, & Vaarus pro Varus. Vell. II. 119. 4. facit mentionem ejus, qui fuerit legatus Quintilii Vari in Germania. *At [illegible] Numonius, legatus Vari, cætera quietus ac probus, [illegible] exempli, spoliatum equite peditem relinquens, fuga cum aliis Rhenum petere ingressus est.* Ursin. & Patin. Fam. Rom. in Numonia. Glandorp. Onom. Rom. p. 634.

Gens Octavia Velitris orta Romam a Tarquinio Prisco est translata, in senatumque adscita, a Ser. Tullio patricia est facta. Romæ ad plebem translata consulatus quinque, triumphum unum obtinuit. Iterum a C. Cæsare dictatore patricia facta est, ut sororis suæ nepoti, quem postea testamento adoptavit, gratificaretur. Suet. c. 2. n. 1. Is fuit C. Octavius C. F. C. N. C. PRON. C. ABN. qui postea C. Julius C. F. Cæsar Octavianus Augustus appellatus est. Dicta est ab Octavo prænomine, a numero liberorum, ut ab illis Quinctia, Sextia, & Decia, & Decima familiæ deducuntur. *Augustin. & Strein. Fam. Rom. in Octavia. Ferret. Mus. Lapid.* III. *Memor.* 14. *Glandorp. Onomast. Rom. p.* 633.

Gens Ogulnia fuit plebeja. Ejus mentionem facit Liv. X. 6. & Valer. Max. I. 8. Extant & signati ab Ogulnio nummi. Eum autem opinor esse, qui consul in Fastis descriptus est anno ab U. C. 484. cum C. Fabio Buteone. Dictator cum M. Lætorio Planciano magistro equitum Latinarum feriarum causa. Liv. l. l. Q. & Cn. Ogulnios tribunos plebis nominat, qui anno 453. legem Ogulniam de sacerdotiis tulerunt. Mentio extat quoque in veteri Inscriptione:

N. OGULNIO
APOLLONIO
CONJUGI. CARISSIMO
ET. N. OGULNIO
AMPLIATO. FILIO
PIENTISSIMO
VIX. ANN. VI. MEN. X
DIEB. VI
OGULNIA. GALE
B. M. FECIT

Ursin. & Patin. Fam. Rom. in Ogulnia. Glandorp. Onomast. Rom. p. 639.

Gens Opimja, vel, ut est in argenteis denariis, Opeimia, fuit plebeja. Ejus est frequens mentio apud veteres scriptores. *Ursin. & Patin. Fam. Rom. in Opimia. Glandorp. Onom. Rom. p.* 642.

Gens Oppia fuit plebeja. Ejus mentionem facit Liv. xxxiv. 1. & nominat C. Oppium tribunum plebis, qui legem Oppiam de matronarum habitu tulit anno ab U. C. 540. L. Oppii Salinatoris, qui anno 560. ædilis plebis fuit, meminit Liv. xxxv. 23. *Ursin. & Patin. Fam. Rom. in Oppia. Glandorp. Onomast. Rom. p.* 643. *Ferret. Mus. Lapid.* 1. *Memor.* 21.

Gens Osia, cujus mentio fit in veteri inscriptione:

LUX. PATRIÆ. SUBLIME. DECUS. PR. OSIUS. URBIS MUNDO. FLENTE. JACENS. CONDITUR. HOC. TUMULO

Ferret. Mus. Lapid. III. *Memor.* 37.

Gens Otacilla, Romæ plebeja, consularis tamen, ex qua consul, cognomine Crassus, forte fortuna Marciam Otacillam Philippi Imperatoris uxorem habuit. *Ursat. de Not. Rom. Thes. Antiq. Rom. Græv. Tom.* XI. *p.* 648. *A.*

Gens Pacuvia ex Brundusio Calabriæ Urbe oriunda fuit. Ex illa ortus est M. Pacuvius, Q. Ennii sorore natus. Hic floruit Romæ Scipionis Æmiliani temporibus, vixit magnis laudibus, & in scribendis tragœdiis percelebris fuit, dum cæteros omnes tragicos antecelluit. Ad ultimam senectutem pervenit; multa scripsit, tandem Tarentum se conferens, ibi prope nonagenariam vitam morte finivit. Hoc epitaphium a se compositum autumant multi:

ADOLESCENS. TAMETSI. PROPERAS. HOC. TE. SAXUM. ROGAT. UT. SE. ASPICIAS. DEIN. QUOD. SCRIPTUM. EST. LEGAS. HIC. SUNT. POETÆ. PACUVII. MARCI. SITA. OSSA. HOC. TE. VOLEBAM. NESCIUS. NE. ESSES. VALE. D: M.

Crinit. de Poet. Latin. 1. 5. *Ferret. Mus. Lapid.* II. *Memor.* 23. *Glandorp. Onom. Rom. p.* 653.

Gens Papia fuit plebeja. Ejus mentio extat in antiqua hac inscriptione Casinati:

M. PAPIUS. M. F. L. MATRIUS. L. F. DUOVIRI. I. D. SIGNUM. CONCORDIÆ. EX. S. C. RESTITUENDUM. COERAVERUNT. EIDEMQ. DEDICAVERUNT.

In nummis L. Papius Celsus nominatur. *Ursin. & Patin. Fam. Rom. in Papia. Glandorp. Onom. Rom. p.* 655. *Vaillant Numism.* 1. *p.* 78. *Sigon. de nom. Roman. c.* 3.

Gens Papiria, quam veteres Papisiam vocabant, & patriciorum, & plebejorum fuit. Cicer. Fam. IX. 21. *Sed tamen, mi Pæte, qui tibi venit in mentem negare Papirium quemquam unquam nisi plebejum fuisse? Fuerunt enim patricii minorum gentium: quorum princeps L. Papirius Mugillanus, qui consul cum L. Sempronio Atratino fuit anno post Romam conditam* 312. *Sed tum Papirii dicebamini: post hæc* XIII. *fuerunt sella curuli ante L. Papirium Crassum, qui primus Papisius vocari est desitus. Hunc secutus est Cursor, deinde L. Maso ædilitius: inde multi Masones, deinde Carbones, & Turdi insequuntur: hi plebeji fuerunt.* Patricii ergo fuerunt Mugillani, Crassi, Cursores, Masones. Plebeji consulares Carbones tantum fuerunt, non consulares alii, ut Turdi, Pæti, atque alii minus frequentes. V. singulos suis locis. *Augustin. Ursin. & Patin. Fam. Rom. in Papiria. Glandorp. Onom. Rom. p.* 657. *Panvin. de Nom. Rom. Thes. Antiq. Rom. Græv. Tom.* II. *p.* 2011. *B. Vaillant Numism.* 1. *p.* 36. Patricii multi insignes viri, & qui ab ipsis initiis libertatis ad annum 532. annis trecentis fere clarissimi floruerint. Plebeji Carbones viri seditiosi, & partium minus bonarum habiti sunt extremis temporibus Reipublicæ, quibus jam omnia bellis civilibus, & ambitione, ac dominandi cupiditate flagrabant. Antiquissima Papisiorum memoria est apud Pompon. de Orig. jur. l. 2. §. 2. qui refert Sextum Papisium, aut Publium temporibus Superbi Tarquinii Regis leges regias collegisse, eumque librum jus Papirianum a posteris appellatum. Sed & ab aliis, quo anno Reges exacti sunt, & C. Papisius pontifex Romanus, & Manius Papisius Rex sacrorum primus appellatur, & post annos novem M. Papisium item pontificem Asconius, quem Livius Q. Furium Fusum appellat. Mugillani tres consulatus, & tribunatus militares cum consulari potestate totidem, & censuram consecuti sunt. *Augustin. l. l.*

Gens Petillia plebeja fuit. Ejus frequens est mentio apud scriptores. Liv. VII. 15. facit mentionem C. Petillii Balbi tribuni plebis, qui primus patribus auctoribus de ambitu ad populum tulit. Et XXXVIII. 54. Q. Petillii Spurini tribuni plebis, qui legem Petilliam tulit de peculatu anno 566. M. Æmilio, & C. Flaminio Coss. Horat. Sat. 1. 4. 94. C. Petillii Capitolini, cujus extant denarii. *Ursin. & Patin. Fam. Rom. in Petillia. Glandorp. Onom. Rom. p.* 671.

Gens Petronia plebeja e Sabinis fuit oriunda. Hoc conjicimus, cum ex iis, quæ hodieque supersunt ejus *gentis* denariis, tum ex ejus Petronii cognomine, qui Sabinus appellatur a Val. Max. 1. 1. Idem IV. 7. L. Petronium humili loco natum P. Cœlii beneficio ad equestrem ordinem, & splendida militiæ beneficia pervenisse scribit. C. etiam Petronius consul anno 813. P. hujus Petronii, qui triumvir sub Augusto fuit, filius Sabinus Turpilianus in Fastis descriptus est. Inscriptio Anconitana:

PETRONIÆ
SABINÆ
FILIÆ
L. PETRONII SABINI
P. P. BIS
PROCURATOR. AUG. . . .

Ursin. Patin. Fam. Rom. in Petronia. Ferret. Mus. Lapid. II. *Memor.* 18. *Glandorp. Onom. Rom. p.* 674. *Vaillant Numism.* 1. *p.* 37. 61.

Gens Pinaria patricia fuit. Duxit originem a Pino Numæ Regis filio. Plutarch. in Num. p. 73. F. quamvis Liv. 1. 7. & Dionys. 1. p. 32. a Pinariis, qui Herculi sacra anniversaria faciebant, genus traxisse malunt, quibus assentitur Virg. Æneid. VIII. 270.

Et domus Herculei custos Pinaria sacri.

Hujus autem *gentis* cum plures familiæ fuerint, duarum tantum, quibus cognomina Nattæ & Scarpi, in denariis extat memoria, quorum & in aliis vetustatis monumentis mentio reperitur. *Ursin. Patin. Augustin. & Strein. Fam. Rom. in Pinaria. Glandorp. Onom. Rom. p.* 678. *Panvin. de Nom. Rom. Thes. Antiq. Rom. Græv. Tom.* II. *p.* 2001. *C. Sigon. de Nom. Rom. c.* 4.

Gens Plætoria, sive Lætoria, utroque enim modo apud scriptores reperitur, fuit plebeja. Fuerunt ex ea tribuni, & ædiles plebis, de quibus meminerunt Varr. de Ling. Lat. v. 2. Liv. XXX. 39. Censorin. de Die nat. c. 19. facit mentionem legis Plætoriæ. V. illam infr. in *Lex.* E Sabinis originem duxit. Inscriptio:

L. PLÆTORIO. L. F. CLAUDIA. SADINO. SACERD. ÆSCULAPI. VIX. ANN. LXXV. M. PLÆTORIUS. NUMISIANUS. SABINUS. F. C.

Ursin. & Patin. Fam. Rom. in Plætoria. Glandorp. Onom. Rom. p. 685.

Gens Plancia fuit plebeja. Constat vel ex eo, quod Cn. Plancius, cujus denarii extant, tribunus plebis fuit anno 696. P. Lentulo, Q. Metello coss. ejusque in primis opera M. Cicero ab exsilio revocatus est. Fuit & Macedoniæ quæstor, itemque ædilis. *Ursin. & Patin. Fam. Rom. in Plancia.*

Gens Plautia plebeja quidem fuit, sed consulatibus octo, triumphis duobus, censura, & magisterio equitum ante Augustum ornata. Cognomina hæc habuit: Proculus, Venno, Venox, Decianus, Hypseus, Sylvanus. V. singulos suis locis. *Augustin. Strein. Ursin. & Patin. Fam. Rom. in Plautia. Glandorp. Onom. Rom. p.* 681.

Gens Poblicia, ſive Publicia, utroque enim modo in veteribus monumentis reperitur: & Poblii antea dicti ſunt, qui poſtea Publii: & Poblicii qui deinde Publicii, plebeja fuit. Conſtat ex Liv. XXVII. 22. qui C. Publicii meminit, qui fuit tribunus plebis anno 545. Huic a ſenatu, populoque Romano, ut ipſe, poſterique ejus in Urbe ſepelirentur., conceſſum eſt. Colligimus hoc ex Inſcriptione ſub Capitolio in monumento quadrato ex lapide Tiburtino inciſa:

C. POPLICIO. L. F. BIBULO. ÆD. PL.
HONORIS. VIRTUTISQUE. CAUSSA.
SENATUS. CONSULTO. POPULIQ.
JUSSU. LOCUS. MONUMENTI. QUO.
IPSE. POSTERIQUE. EJUS. INFER-
RENTUR. PUBLICE. DATUS. EST.

Urſin. & Patin. Fam. Rom. in Poblicia. Glandorp. Onom. Rom. p. 728.

Gens Pompeja plebeja, ex qua nemo ante annum ſexcenteſimum duodecimum conſulatum fuerat adeptus, poſtea conſulatus ſex, triumphos quatuor, cenſuram unam conſecuta clariſſima extitit. *Auguſt. Fam. Rom. in Pompeja. Ferret. Muſ. Lapid.* I. *Mem.* 14. *Glandorp. Onom. Rom. p.* 690. *Serv. Miſcell. c.* 3. *Vaillant Numiſm.* I. *p.* 29. Vell. Paterc. II. 21. 5. tres Pompejæ *gentis* familias fuiſſe tradit: ſed quæ hæ ſint, non explicat. Mihi duæ omnino diverſæ occurrunt. I. Ruforum eſt, quorum quidem tres ante bellum civile Sullanum, tres poſt Pompejanum curules geſſiſſe magiſtratus reperio. Neque tamen ignoro, quoſdam ex his Bithynicos appellari. Eos enim, quia ejuſdem plane ſunt ſtirpis, cum cæteris conjunximus. Hujus auctor eſt & princeps Q. Pompejus, is qui rem ad Numantiam male geſſit: unde a Cicer. Brut. c. 25. *homo per ſe cognitus:* pro Mur. c. 7. *homo novus.* Verr. V. 70. *humili, & obſcuro loco natus* dicitur. II. Pompeji Magni eſt, qui propter res in prima ætate præclare, fortiterque geſtas, primus omnium Magni cognomine a Sulla decoratus, omnium certe ſeculorum, & nationum facile princeps, qui fines imperii Romani, ut ſcribit Cicer. Catil. III. 11. non terræ, ſed cœli regionibus terminavit. *Strein. Fam. Rom. in Pompeja.*

Gens Pomponia plebeja fuit. A Numa Pompilii filio duxit originem. Scribit hoc Plutarch. in Num. p. 73. F. & arguunt qui ſuperſunt hujus *gentis* denarii. Nominatur in illis Q. Pomponius Molo, nec non Q. Pomponius Rufus. *Strein. Urſin. & Patin. Fam. Rom. in Pomponia. Glandorp. Onom. Rom. p.* 700. *Vaillant Numiſm.* I. *p.* 103. Romæ ſummos honores eſt adepta. Sunt, qui Pomponios ante Urbem conditam fuiſſe ſcribunt, majorumque *gentium* patricios exiſtimant eos fuiſſe, ex qua *gente* fuit Fauſtulus Romuli educator. Duplex forte etiam Pomponiorum *gens* fuit. *Panvin. de Nom. Rom. Theſ. Ant. Rom. Græv. Tom.* II. *p.* 2005. *D.*

Gens Porcia fuit Tuſculana. A porcis eſt dicta. Plutarch. Poplic. p. 103. B. Romani *facultates ſuas etiamnum a pecudibus peculium nominant: & vetuſtiſſimi nummi bove, vel ove, vel ſue fuerunt ſignati, filiusque ſuis Suilliis, Bubulcis, Caprariis, Porciis nomina indebant.* Tuſculana fuit auctore Tacit. Annal. XI. 24. 3. & Cicer. de Leg. II. 2. V. illum infr. in *Patria.* Eſt autem hic M. Porcius Cato, princeps hujus *gentis*, qui Priſcus primo, deinde, quia multarum rerum uſum haberet, Cato teſte Plutarch. Caton. maj. p. 336. C. appellatus eſt, quod cognomen poſteri retinuerunt. Idem quoque a cenſura ſevere adminiſtrata Cenſorius dictus eſt: & in ſumma ſenectute, quia multa ejus in ſenatu, multa in foro, vel proviſa prudenter, vel acta conſtanter, vel reſponſa acute ferebantur, Sapientis cognomen adeptus eſt. Cicer. Offic. III. 4. Divin. c. 21. *Auguſtin. Strein. Urſin. & Patin. Fam. Rom. in Porcia. Panvin. de Nom. Rom. Theſ. Ant. Rom. Græv. Tom.* II. *p.* 2004. *E. Glandorp. Onom. Rom. p.* 714. *Vaillant. Numiſm.* I. *p.* 19.

Gens Poſtumia patricia Romæ floruit poſt exactos Reges, in plures diviſa familias, quarum nobiliſſima fuit, quæ in denariis fuit, Albinorum. Illud autem in hac gente memoratu maxime dignum, quod ad interitum uſque Reipublicæ nullus in ea plebejus fuerit, ſed in patriciorum ordine conſtanter permanſerit. *Urſin. & Patin. Fam. Rom. in Poſtumia.* Ejus cognomina etiam fuerunt Tubertus, Albus, Regillénſis, Albinus, Magnus, Megellus, Paullulus, & Temſanus. *Panvin. de Nom. Rom. Theſaur. Ant. Rom. Græv. Tom.* II. *p.* 2012. *C. Glandorp. Onom. Rom. p.* 718. *Strein. Fam. Rom. in Poſtumia. Vaillant Numiſm.* I. *p.* 27.

Gens Potitia antiquior, ut ſcribit Liv. I. 7. origine Urbis fuit, a Potitio illo ſene derivata, qui ad tempus adfuit ſacris Herculis dapibus. Patricia hæc majorum *gentium* procul dubio fuit, nullis unquam honoribus, quod ſciam, affecta. Hæc *gens* in duodecim familias diviſa ob Herculis ſacra neglecta omnis interiit circa annum Urbis 445. Liv. l. l. & IX. 29. *Panvin. de Nom. Rom. Theſ. Ant. Rom. Græv. Tom.* II. *p.* 2001. *C. Glandorp. Onom. Rom. p.* 723.

Gens Procilia e Lanuvio municipio fuit oriunda. Videtur hoc poſſe intelligi ex iis, qui ſuperſunt, iſtius *gentis* denariis, in quibus Junonis Soſpitæ, quæ Lanuvii colebatur, ſimulacrum, quale deſcribit Cicer. pro Mur. c. 41. eſt ſignatum. *Urſin. & Patin. Fam. Rom. in Procilia. Glandorp. Onom. Rom. p.* 726.

Gens Quinctia, Alba diruta, Romam a Tullo Rege eſt tranſlata, & inter patricios cooptata. Liv. I. 30. Dionyſ. III. p. 170. apud quem pro Κοιντιλίους, ut eſt in vulgatis libris, corrigendum Κοιντίους. Alterius, quæ fuit plebeja, faciunt mentionem Liv. XXIV. 39. & Cicer. pro Cluent. c. 27. *Urſin. Patin. & Strein. Fam. Rom. in Quinctia. Glandorp. Onom. Rom. p.* 731. *Ferret. Muſ. Lapid.* III. *Memor.* 14. *Panvin. de Nom. Rom. Theſ. Ant. Rom. Græv. Tom.* II. *p.* 2004. *C.*

Gens Quinctilia fuit patricia majorum gentium. Feſtus: *Faviani & Quinctiliani appellantur Luperci a Favio, & Quinctilio præpoſitis ſuis.* Quinctilius igitur primus fuit, unus ex his qui Lupercalia ante Urbem conditam celebrarit, a quo Quinctiliorum *gens* patricia, dictatoriis, & conſularis manavit, Vari cognomine ornata. *Panvin. de Nom. Rom. Theſ. Ant. Rom. Græv. p.* 2001. *D. Glandorp. Onom. Rom. p.* 738. *Strein. Urſin. & Patin. Fam. Rom. in Quinctilia. Ferret. Muſ. Lapid.* V. *Memor.* 21.

Gens Renia apud ſcriptores non invenitur. C. Renius quidam nominatur in veteri nummo. Præterea M. Rhenius Ti. Cæſaris ſervus nominatur in inſcriptione:

M. RHENIUS. LIBER. XYSTUS. TI.
CÆSARIS. SERVUS GERMANIC. A-
POLLONIO. VICARIO. SUO. AMI-
CO. XX. . . .

Urſin. & Patin. Fam. Rom. in Renia.

Gens Roſcia plebeja fuit. Conſtat vel ex eo, quod L. Roſcius Otho, qui tribunus plebis legem theatralem tulit, ex ea ortus fuit. E Lanuvio municipio veniſſe, colligere poſſumus ex antiquis *gentis* denariis. *Urſin. & Patin. Fam. Rom. in Roſcia. Glandorp. Onom. Rom. p.* 746.

Gens Rubria plebeja fuit. Ejus mentionem faciunt Cicer. Brut. c. 45. Plutarch. Gracch. p. 839. A. quo quidem libro nominat Rubrium tribunum plebis, Gracchi in tribunatu collegam, qui rogationem tulit de colonia Carthaginem a Scipione everſam deducenda. Nominantur & alii ab aliis: ac fuit unius familiæ ex hac *gente* cognomen Dorſenus, ſive Doſſenus; doſſum enim antiqui dicebant pro dorſum: alterius Rex. *Urſin. & Patin. Fam. Rom. in Rubria. Glandorp. Onom. Rom. p.* 748. *Ferret. Muſ. Lapid.* IV. *Memor.* 1.

Gens Ruſtia exhibetur in antiqua inſcriptione, cujus exemplum Tiburi deſcripſimus:

C. RUSTIUS. C. F. FLAVOS. ITER
L. OCTAVIUS. L. F. VITULUS
IIII. VIR. D. S. S. . . .
VIAM INTEGENDAM
CURAVER

& in tabula Sutrina, in qua:

PONTIFICES. A COLONIA. CONJUNC
JULIA. SUTRIN. IN. ORD. RELAT

Inter eos enim pontifices deſcriptus eſt L. Ruſtius. L. F. Plutarch. Craſſ. p. 564. C. qui ſub Craſſo contra Parthos militavit. *Urſin. & Patin. Fam. Rom. in Ruſtia.*

Gens Rutilia fuit duplex: patricia, & plebeja. Ejus autem cum plures a ſcriptoribus familiæ nominentur, Flacci tamen, qui in veteri denario nominatur, nullam in veteribus, vel ſcriptorum, vel lapidum monumentis invenire mentionem potui. Rutilii Craſſi meminit Liv. IV. 47. Calvi XLV. 44. Rufi Cicer. pro Planc. c. 21. Lupi Cæſar de Bell. civ. III. 55. Cenſorini Val. Max. IV. 1. 3. *Urſin. & Patin. Fam. Rom. in Rutilia. Glandorp. Onom. Rom. p. 752.*

Gens Salvia, Ferentino oppido, atque ex principibus Etruriæ oriundam quam ſcribit Suet. Oth. c. 1. n. 1. plebeja principio fuit. Ut enim tradit Appian. de Bell. civ. III. p. 598. ex ea natus eſt Salvius is, qui tribunus plebis anno ab U. C. 710. Ciceronis ſententiæ de M. Antonio hoſte judicando interceſſit. Q. autem Salvium, qui in denariis nominatur, opinor eum eſſe, qui a Vell. II. 76. 4. Suet. Aug. c. 66. n. 2. & Dion. XLVIII. p. 376. E. Salvidienus Rufus appellatur: quod conſul deſignatus, & imperator in denario deſcribitur: qui quidem honos ab iiſdem ſcriptoribus uterque ei tributus eſt. Sed cur Salvius pro Salvidienus in denariis nominatus ſit, fateor me neſcire. Nec enim placent ea, quæ de ejus adoptione a quibuſdam, licet antiquitatis bene peritis, allata ſunt: quia a Salvia *gente* Salvidiam, & a Salvidia Salvidienam *gentis* item nomen, non autem adoptionis cognomen, quemadmodum a Naſidia, Cluvia, Titia, Clodia, Naſidienam, Cluvienam, Titienam, Clodienam dictam eſſe, cum ex lapide, tum ex ſcriptorum monumentis conſtet. Sane Salvidienum *gentis* nomen fuiſſe ſexcentis confirmare exemplis poſſumus. De M. Salvio Othone, Othonis Imperatoris avo vide Suet. Oth. c. 1. n. 2. & Tacit. Annal. XII. 52. 1. *Urſin. & Patin. Fam. Rom. in Salvia. Glandorp. Onom. Rom. p. 759.*

Gens Sanquinia, cujus unus, quod ſciam, mentionem facit Tacit. Ann. VI. 4. 4. qui conſul ex Kalendis Martiis ſuffectus fuit an. 781. *Urſin. & Patin. Fam. Rom. in Sanquinia. Glandorp. Onom. Rom. p. 764.*

Gens Satrinia in uno denario, nec alibi, invenitur in monumentis. Quemadmodum vero ab Allio Allienus, a Naſidio Naſidienus, a Salvidio Salvidienus: ita a Satrio Satrienus nomen deductum eſt. *Urſin. & Patin. Fam. Rom. in Satrinia.* De ea in lapidibus. Et cognomentum Pollionis pluribus peculiare ſtetit. *Ferret. Muſ. Lapid.* IV. *Memor.* 6.

Gens Sauſeja. Hujus & in nummis mentio eſt, & apud Ciceronem ſæpe. *Urſin. & Patin. in Sauſeja. Glandorp. Onom. Rom. p. 766.*

Gens Scribonia fuit plebeja. Hoc apud veteres ſcriptores ſatis conſtat. Ejus duæ tantum familiæ, Curionum, ut arbitror, & Libonum in denariis reperiuntur. *Urſin. & Patin. in Scribonia. Glandorp. Onom. Rom. p. 768.*

Gens Sempronia primum patricia, poſtea plebeja facta eſt. In nummis familiæ tres reperiuntur, Atratinorum, qui patricii fuerunt: Gracchorum, qui plebeji: & Pitionum, quos plebejos fuiſſe opinor. *Urſin. Patin. Strein. Fam. Rom. in Sempronia. Glandorp. Onom. Rom. p. 776. Panvin. de Nom. Rom. Theſ. Ant. Rom. Græv. Tom.* 11. *p.* 2012. *C. Ferret. Muſ. Lapid.* III. *Memor.* 10.

Gens Sentia, incertum patriciane an plebeja fuerit. Neque rerum Romanarum ſcriptores aliquem ex hac gente nominant, qui Lucii prænomen habuerit: cum in veteri nummo deſcriptus extet L. Sentius. C. F. C. Sentii Saturnini meminit Vell. II. 77. 3. qui a triumviris Reipublicæ conſtituendæ proſcriptus, II. 105. 2. Auguſti poſtea legatus in Germania fuit, & conſul cum Q. Lucretio Veſpillone an. ab U. C. 734. cujus filius credi poteſt Lucius ille, quem diximus. *Urſin. Patin. Fam. Rom. in Sentia. Glandorp. Onom. Rom. p. 783.*

Gens Sepullia a nullo veterum ſcriptorum memoratur. Ejus memoria, quamvis fuerit ſub Cæſare Dictatore, & triumvirorum temporibus non obſcura, nulla pæne extaret, niſi denarii ſupereſſent: quibus P. Sepullii nomen inſcriptum eſt. Ac licet colligere P. Sepullium Macrum illis temporibus floruiſſe. *Urſin. & Patin. Fam. Rom. in Sepullia.*

Gens Sergia a Sergeſto, comite Æneæ. Virg. Æneid. V. 121.

Sergeſtusque, domus tenet a quo Sergia nomen.

Patricia fuit majorum gentium, ut credo, cognominibus Fidenate, Natta, Silone, Catilina, Ocella, Planco, novem tribunatibus militum conſulari poteſtate, & aliquot conſulatibus decorata. *Panvin. de Nom. Rom. Theſ. Ant. Rom. Græv. Tom.* II. *p.* 2003. *D. Auguſtin. Strein. Urſin. & Patin. Fam. Rom. in Sergia. Ferret. Muſ. Lapid.* II. *Memor.* 13. *Glandorp. Onom. Rom. p.* 789. *Sigon. de Nomin. Rom. c.* 4.

Gens Servilia, vel, ut in nummis notatum extat, Serveilia, Albana fuit, a Tullo Rege, Alba diruta, Romam tranſlata, inque patriciorum ordinem allecta fuit. Liv. I. 30. Dionyſ. III. p. 170. Floruit Romæ ut quæ maxime. Familias habuit quatuor præcipuas. Nam & Priſci Servilii numerantur ab auctoribus, qui Axillas & Ahalas complectuntur: & Cæpiones, & Vatiæ quoque, & Gemini. *Auguſt. Strein. Urſin. & Patin. Fam. Rom. in Servilia. Panvin de Nom. Rom. Theſ. Antiq. Rom. Græv. Tom.* II. *p.* 2004. *C. Ferret. Muſ. Lapid.* II. *Memor.* 19. *Glandorp. Onom. Rom. p.* 792. Dictaturas geſſit, & ipſa magiſteria equitum, conſulatusque complures. *Panvin. l. l.*

Gens Seſtia fuit patricia, nec Seſtiæ plebejæ ulla in denariis eſt mentio. Conſtat ex Liv. III. 33. qui nominat P. Seſtium Capitolinum, patriciæ, ut ipſe inquit, *gentis*, virum qui cum T. Menenio Lanato conſul fuit anno 301. & 302. decemvir conſulari poteſtate legum ferendarum cauſa. *Urſin. & Patin. Fam. Rom. in Seſtia. Panvin. de Nom. Rom. Theſ. Ant. Rom. Græv. Tom.* 11. *p.* 2012. *C.*

Gens Sicinia plebeja fuit. Frequens ejus eſt mentio apud ſcriptores. Extantque ejus hodie nummi. *Urſin. & Patin. Fam. Rom. in Sicinia. Glandorp. Onom. Rom. p.* 804. *Panvin. de Nom. Rom. Theſ. Ant. Rom. Græv. Tom.* 11. *p.* 2012. *C.*

Gens Silia plebeja fuit. Conſtat ex Liv. IV. 54. *Non alias ægrius plebs tulit, tribunitia ſibi comitia non commiſſa: eum dolorem quæſtoriis comitiis ſimul oſtendit, & ulta eſt. Tunc primum plebejis quæſtoribus creatis: ita ut in quatuor creandis uni patricio Cæſoni Fabio Ambuſto relinqueretur locus: tres plebeji, Q. Silius, P. Ælius, P. Pupius clariſſimarum familiarum juvenibus præferrentur.* Urſin. & Patin. Fam. Rom. in Silia. Nobilis tamen, & honorata, maxime circa Auguſti tempora, cum etiam ad conſulatum aſcendit; nam antea quæſturis, & præturis contenta ſubſtitit. *Glandorp. Onom. Rom. p.* 806.

Gens Silvia in tres omnino familias diviſa fuit in veterum annalium monumentis. Quarum I. Æneæ eſt, qui Anchiſe patre natus poſt mortem Latini ſoceri Latinorum regnum obtinuit. Hic duos filios reliquit ſuperſtites, Aſcanium Creuſa matre, Ilio adhuc incolumi, natum, & Silvium Latini Regis ex Lavinia filia nepotem. Æneæ in regno ſucceſſit Aſcanius major natu filius. Aſcanio Silvius frater excluſo Julo Aſcanii filio, quem Julii *gentis* ſuæ auctorem, & familiæ principem nominant. Silvio autem Æneas Silvius ſucceſſit, Æneæ Latinus Silvius, Laviniæ & Melampodis filius, Silvii primi frater uterinus. II. Albæ Silvii traditur ab antiquis. Ex Alba Atis ortus eſt, Ati Capis, Capi Capetus, Capeto Tiberinus, Tiberino Agrippa, cui Romulus filius, Romulo Aventinus in regni hæreditatem ſucceſſit. III. initium ſumpſit, ubi ad Procam Silvium Latinorum regnum tranſlatum eſt, a quo rerum Romanarum auctores hiſtoriam ſuam pæne omnes exordiuntur. Proca filios habuit Numitorem & Amulium. Amulius vi regnum occupavit, quo occiſo Numitor in regnum eſt reſtitutus, avus maternus Romuli & Remi. *Gentem* hanc Silviam appellavimus, non tam

ex

ex consuetudine aliarum *gentium* Romanorum, quam quod antiquitati aliquid hac in re concedendum arbitraremur. Licet enim incertum Romuli & Remi paternum genus sit, maternum tamen ad Latinorum Reges antiqui retulerunt, quos libenter secuti sumus. *Strein. & Augustin. Fam. Rom. in Silvia.*

Gens Spurilia plebeja fuit. Hujus mentionem facit Liv. IV. 42. qui Spurilium tribunum plebis nominat, cum inquit: *Plebs tribunos plebis fecit absentes Sex. Tempanium, Agellium, & Antistium, & Spurilium: quos & pro centurionibus sibi præfecerunt Tempanio auctore equites.* Ursin. & Patin. Fam. Rom. in Spurilia.

Gens Statia plebeja fuit. Hujus meminerunt Liv. II. 52. Cicer. Fratr. I. 2. Dionys. IX. p. 586. Ex ea Murcus ortus est, cujus extat denarius, quique a scriptoribus appellatur L. Statius Murcus. *Ursin. & Patin. Fam. Rom. in Statia. Malvas. Marm. Felsin. Sect.* VII. *c.* I.

Gens Statilia. Hujus aliquot a scriptoribus familiæ nominantur. Ex eis autem Taurorum nova fuit. Intelligimus hoc ex verbis Vell. II. 127. I. *Raro*, inquit, *eminentes viri non magnis adjutoribus ad gubernandam fortunam suam usi sunt: ut duo Scipiones duobus Læliis, quos per omnia æquarunt sibi: ut D. Augustus M. Agrippa: & maxime ab eo, Statilio Tauro: quibus novitas familiæ haud obstitit, quo minus ad multiplices consulatus, triumphosque, & complura eveherentur sacerdotia.* Ursin. & Patin. Fam. Rom. in Statilia. Ferret. Mus. Lapid. I. Memor. 19. Glandorp. Onom. Rom. p. 813.

Gens Sulpicia Camerio oppido oriunda fuit. Conjicere hoc possumus ex Ser. Sulpicii cognomine, qui primus ex ea *gente* Romam venisse creditur, & e patriæ nomine Camerinus dictus esse. Ita enim Claudia *gens* e Sabinis profecta, Sabini cognomen adepta fuit. Nullus autem e *gente* Sulpicia antiquior reperitur eo, qui consul anno ab U. C. 254. cum M. Tullio Longo fuit, quique, ut diximus, primus Camerini cognomine usus est: quamvis Ser. Galba Imperator ex hac *gente* natus, ejus originem ad Jovem retulerit. Fuit autem duplex, sive, ut quibusdam placet, triplex, patriciorum scilicet, plebejorum, & equestrium. Patriciorum Galbæ in antiquis denariis: equestrium Rufi reperiuntur. Illud autem in hac *gente* maxime notandum, Sulpiciam Ruforum familiam duobus simul prænominibus usam fuisse. Itaque in antiquis denariis nominatus L. Servius Rufus: & apud Nep. Attic. 2, I. M. Servius Sulpicius. Sic apud Livium. P. Servius Sulpicius. *Ursin. & Patin. Fam. Rom. in Sulpicia. Glandorp. Onom. Rom. p.* 817. *Ferret. Mus. Lapid.* III. *Memor.* 24. Cameria autem sub Romulo Romana colonia facta fuit. Quare haud absurdum est hanc *gentem* a Romulo in Urbem evocatam, atque inter secundæ lectionis patres relatam, quæ postea Romæ nobilissima fuit, cognominibus Camerino, Cornuto, Petico, Longo, Saverrone, Paterculo, Gallo, Galba, Maximo, Prætextato, & Rufo ornata. Quæ multiplices consulatus, censuras, triumphos, & dictaturas Romæ est consecuta. *Panvin. de Nom. Rom. Thes. Ant. Rom. Græv. Tom.* II. *p.* 2003. *F.*

Gens Tarquinia ex Etruscorum urbe Tarquiniis Romam sub Anco Rege venit, cujus auctor fuit L. Tarquinius Priscus. *Panvin. de Nom. Rom. Thes. Ant. Rom. Græv. Tom.* II. *p.* 2006. *A. Sigon. de Nom. Rom. c.* 4.

Gens Tarquitia patricia fuit. Ejus mentio frequens est, cum in Fastis Capitolinis, in quibus L. Tarquitius Flaccus L. Quinctio dictatore magister equitum anno ab U. C. 295. describitur, tum in antiquis inscriptionibus:

L. TARQUITIO
L. F. POM
ETRUSCO
SULPICIANO
SCRIBÆ. QUÆSTORI
EX TESTAMENTO
D. HS. XX

&

DIS. MANIBUS
L. TARQUITIO. MARCIANO
FILIO. DULCISSIMO. . . .

&

L. TARQUITIUS. TROPHIMUS. ET
TARQUITIA. EUTYCHIA. PARENTES
FILIO. DULCISSIMO. FECERUNT. . . .

Ursin. & Patin. Fam. Rom. in Tarquitia. Glandorp. Onom. Rom. p. 829. *Ferret. Mus. Lapid.* III. *Memor.* 6.

Gens Terentia inter plebejas ab antiquis scriptoribus nominatur: ex ea enim extitit C. Terentius tribunus plebis, qui anno ab U. C. 291. legem tulit, ut quinqueviri crearentur legibus de imperio consulari scribendis, ne ipsi libidinem, ac licentiam suam pro lege haberent. Liv. III. 9. Dionys. X. p. 627. Reperiuntur in antiquis denariis *gentis* hujus familiæ duæ, Lucanorum & Varronum. *Ursin. & Patin. Fam. Rom. in Terentia. Glandorp. Onom. Rom. p.* 831. *Vaillant Numism.* I. *p.* 36. De Terentiis integram dissertationem, quæ Genialium dierum Dec. I. sexta est, scripsit *Johannes Lomejerus.* & Sect. V. c. 8. Marmor. Felsin. *Carolus Cæsar Malvasia.*

Gens Thoria plebeja fuit. Hoc inter omnes fere scriptores constat. L. Thorii Balbi meminit Cicer. de Fin. II. 20. & 22. *Ursin. & Patin. Fam. Rom. in Thoria.*

Gens Titia plebeja fuit. Multi enim ex ea tribuni plebis extiterunt: a quibus latæ sunt leges, quæ de vectigali agrorum, de lusu, de triumviratu quinquennali, de donis & muneribus inscriptæ sub Titiæ *gentis* nomine circumferuntur. Inscriptio antiqua:

CIVIUM. ROMANORUM
QUI. MITYLENIS. NEGOCIANTUR
M. TITIO. L. FILIO. PRO-COS. PRÆF
CLASSIS. COS. DESIG. PATRONO
HONORIS. CAUSA

Ursin. & Patin. Fam. Rom. in Titia. Ferret. Mus. Lapid. II. *Memor.* 31. *Vaillant Numism.* I. *p.* 18.

Gens Titinia habuit familias patricias & plebejas. Patriciæ meminit Liv. V. 12. *Non tamen ultra processum est, quam ut unus ex plebe usurpandi juris causa, P. Licinius Calvus tribunus militum consulari potestate crearetur. ceteri patricii creati P. Manlius, L. Titinius.* . . . Plebejæ idem III. 54. facit mentionem, ubi M. Titinium nominat tribunum plebis creatum anno ab U. C. 303. quo tempore plebs in Aventinum ob facinus Appii Claudii Crassini decemviri secesserat. *Ursin. & Patin. Fam. Rom. in Titinia. Glandorp. Onom. Rom. p.* 843. *Licet. de Lucern.* VI. 82.

Gens Tituria e Sabinis Romam venit. Constat cum ex cognomine, tum ex imagine, quæ est in ejus *gentis* denariis impressa T. Tatii Sabini, quem Romæ annos quinque cum Romulo regnasse, cum ab eo in regni consortium adscitus esset, notum est. Eodem pertinet Sabinarum expressus in denariis raptus, & Tarpeja conjectis scutis a Sabinis necata. Tituriæ autem familiæ mentio fit etiam a Cicer. pro Font. c. 5. Et in inscriptione, quæ reperta Romæ in Aventino monte fuit:

T. TITURIUS. T. F. SABINUS
T. TITURIUS. T. F. PAL. MAMER
CUS. TITURIA. SABINA
TITULUM. FECERUNT.

Ursin. & Patin. Fam. Rom. in Tituria.

Gens Trebania apud scriptores non invenitur. In argenteo quodam nummo, & in alio æreo L. Trebanius est descriptus. Nisi errore ita incisum sit prô L. Trebatius: ut in æreo quodam nummo Fabrini pro Fabrici errore incisum quidam suspicatur. Trebatiæ *gentis* meminerunt cum alii, tum Cicero sæpe. *Ursin. Fam. Rom. in Trebania.*

Gens Tullia inter patricias numerata fuit. Fuerunt plurimæ Tulliæ *gentis* familiæ cognominibus distinctæ. Longorum mentio extat apud Cicer. Bruto. Montanorum apud Cicer. Attic. XII. 52. Cimbrorum apud Senec. Epist.

83.

83. Plutarch. Brut. p. 991. D. Ruforum apud Hirt. Bell. Afric. c. 85. Senecionum apud Tacit. Annal. xv. 50. 1. Memoratur etiam M. Tullius Decula, qui consul fuit cum Cn. Cornelio Dolabella anno ab U. C. 672. Præcipue Ciceronum. V. illos infr. in *Tullius*. Ursin. & Patin. Fam. Rom. in Tullia. Glandorp. Onom. Rom. p. 851. Panvin. de Nom. Rom. Thes. Ant. Rom. Græv. Tom. 11. p. 2011. B.

Gens Turpilia Romana. Veronæ ad D. Proculi hæc extat inscriptio:

TURPILIO. Q. F. POB. Q. TURPILIO.
Q. F. POB. INGO. I D. AVO. MACRO.
FRATRI. TURPILIA. Q. F. SECUNDA

In foro piscario prope macellum:

D. M
M. TURPILI. CASSIANI. FILIUS. PA-
TRI. PIENT.

Ferret. Mus. Lapid. IV. *Memor.* 46.

Gens Valeria e Sabinis oriunda, cum T. Tatio Rege Romam venit. Dionys. II. p. 111. princeps fuit Volusus Valerius, vel, Valesius. Plutarch. Poplic. p. 97. Cum autem multas hæc *gens* habuerit familias patricias, & plebejas, quarum extat mentio apud scriptores, soli in denariis Acisculi, Flacci, Messallæ, & Catulli reperiuntur. Extat & denarius cusus a M. Valerio Barbato M. Antonii triumviri R. P. C. quæstore provinciali. Ita enim interpretor notas illas Q. P. non autem quæstor publicus, ut faciunt alii. *Ursin. & Patin. Fam. Rom. in Valeria. Panvin. de Nom. Rom. Thes. Ant. Rom. Græv. Tom.* 11. *p.* 2004. *F. Glandorp. Onom. Rom. p.* 859. *Strein. de Famil. Rom. in Valesia.* Prima & præcipua est Latinarum *gentium*; cum propter generis antiquitatem, tum etiam propter summam nobilitatem, eximiasque virtutes, quibus facile cæteris antecelluit. Valesia primum, post Valeria dicta est. V. supr. in *Gens Furia & Papiria.* Meminit etiam cujusdam Valesii Val. Max. II. 4. 5. qui Diti patri & Proserpinæ, ara sub terra reperta, sacra primus furvis hostiis fecit: cujus exemplum secutus Valerius Poplicola apud eandem publice nuncupatis votis, cæsisque atris bobus, Diti maribus, Proserpinæ feminis, lectisternioque; ac ludis trinoctio factis, aram terra obruit. Atque hæc quidem Valeriæ *gentis* fuisse sacra gentilitia opinor. Universa vero hæc *gens* in quatuor familias distributa est. In prima Poplicolas, Maximos, Potitos, Corvinos, Messallas collocamus: ea ratione, quia ejusdem sunt stirpis. In secunda Flaccos: in tertia Falcones: in quarta Lævinos constituimus. *Augustin. Fam. Rom. in Valeria.*

Gens Varguteja, incertum patriciane fuerit, an plebeja. Opinor patriciam fuisse. Mentio extat in antiqua inscriptione:

FORTUNÆ. EQ
SACR
M. VARGUNTEJUS
M. F. STELL. APITIUS.
7. COHOR. X. PRÆT. ET
VARGUNTEJA. HILA
RA. L. SUA. SUA. PECUN
V. S. L. M

Ursin. & Patin. Fam. Rom. in Varguteja. Glandorp. Onom. Rom. p. 878.

Gens Vergilia fuit plebeja. Ejus historici faciunt mentionem. Vergilium autem, & Virgilium antiquos scripsisse, quemadmodum Verginium, & Virginium, testimonio nobis sunt veteres inscriptiones, in quibus C. Verginius Martanus, M. Verginius Narciscus, & C. Verginius Rufus consul cum C. Memmio Regulo nominantur. Vetus autem in Claudianum epigramma cum Calvi carmine consentit:

Et vates cui virga dedit memorabile nomen
Laurea.

Est enim in eo epigrammate ita incisum:

Εἰν ἑνὶ Βιργιλίοιο νόον καὶ Μοῦσαν Ὁμήρου
Κλαυδιανὸν Ῥώμη καὶ βασιλεῖς ἔθεσαν.

Ursin. & Patin. Fam. Rom. in Vergilia. Glandorp. Onomast. Rom. p. 890.

Gens Vettia fuit Sabina. Hoc ex T. Tatii Sabini imagine, quæ in ejus *gentis* denario impressa est, intelligere possumus. Opinor autem, cum ipso Tatio tum primum Romam venisse, cum a Romulo in regni consortium adscitus fuit: propterea quod Vettius quidam Interrex Plutarch. in Numa p. 64. A. nominatur, quando Numa Rex creatus fuit. Hujus *gentis* cognomen Judex sæpe apud scriptores depravatum est in Index. *Ursin. & Patin. Fam. Rom. in Vettia. Glandorp. Onom. Rom. p.* 895. *Ferret. Mus. Lapid.* 11. *Memor.* 46.

Gens Veturia fuit patricia. Hoc ex veteribus scriptoribus satis constat. Eam Regibus adhuc regnantibus Romæ domicilium habuisse, vel ex eo intelligi potest, quod Veturius Mamurius, ancilium opifex, sub Numa Rege vixit. *Ursin. & Patin. Fam. Rom. in Veturia. Glandorp. Onom. Rom. p.* 896.

Gens Vibia fuit plebeja. In illa fuerunt Paulli, Pansæ, Postumi, Rufini, alii. *Ferret. Mus. Lapid.* III. *Memor.* 28. *Glandorp. Onom. Rom. p.* 899. In antiquis denariis Vari tantum, & Pansæ reperiuntur. Hujus memoria extat in antiquo lapide, in quo T. Vibius Barus consul notatus est cum Ap. Annio Bradua:

APPIO. ANNIO. BRADUA
TIT. VIBIO. BARO. COS. . . .

A Vibone oppido in Siciliam profecta, atque inde in Romanam civitatem ascita, in Clustumina tribu censeri cœpit, ut apparet ex hac inscriptione:

C. VIBIUS. C. F. CLU
PANSA TR. MIL. BIS
DOMITIÆ. L. F. MAXIMÆ
UXORI. . . .

Ursin. & Patin. Fam. Rom in Vibia.

Gens Vinicia fuit plebeja. Constat vel ex uno L. Vinicio, qui cum C. Vibio Pansa tribunus plebis cum esset, ei S. C. intercessit, quod M. Cælius recitat ad Cicer. Epist. VIII. 8. *Ursin. & Patin. Fam. Rom. in Vinicia. Glandorp. Onom. Rom. p.* 904.

Gens Vipsania. Hujus mentio frequens est in veteribus monumentis, & plures familiæ nominantur ab iis, qui Vipstanam cum ea confundunt, eandem esse cum Vipsania arbitrati. Ejus autem erroris causam dedit mendosus Taciti codex, in quo male Vipsanus legitur lib. x. & alibi, cum Vipstanus scribi debuerit. C. enim Vipstanus Apronianus in veteribus inscriptionibus inter fratres Arvales numeratur eos, qui Neronis Imperatoris tempore fuerunt. M. autem Vipsanius Agrippa, cujus multi supersunt denarii, familia ortus est equestri, ut indicat Nep. Attic. c. 12. n. 1. *Ursin. & Patin. Fam. in Vipsania. Glandorp. Onom. Rom. p.* 905.

Gens Virginia consularis fuit. Ejus cognomina Tricostus, Rutilus, Cœlimontanus. *Panvin. de Nom. Roman. Thes. Antiq. Roman. Græv. Tom.* 11. *p.* 2012. *C. Glandorp. Onom. Rom. p.* 909.

Gens Visellia consularis fuit. In illa vir cognomento Varro. *Ferret. Mus. Lapid.* IV. *Memor.* 18. *Glandorp. Onom. Rom. p.* 911.

Gens Vitellia fuit, ut opinor, patricia majorum *gentium.* Orta est Fauno Aboriginum Rege, & Vitellia, quæ multis locis pro numine colebatur. Suet. Vit. c. 1. n. 3. Ex ea fuerunt M. & M' Vitellii fratres uxoris Collatini primi consulis, a Bruto cum filiis, quod de recipiendis in Urbem Regibus conjurassent, interfecti. Liv. II. 4. Dionys. v. p. 281. qui illos non Vitellios, sed Gellios vocat. *Panvin. de Nom. Rom. Thes. Antiq. Rom. Græv. Tom.* 11. *p.* 1000. *D. Glandorp. Onom. Rom. p.* 913.

Gens Voconia fuit plebeja. Constat vel ex uno Q. Voconio Saxa, qui tribunus plebis legem de mulierum hæ-

redi-

reditatibus tulit, cujus meminit Cicer. Act. II. in Verr. c. 42. & alibi, itemque alii. Ejus mentio extat in antiqua Inscriptione:

D. M
C. VALERIUS. C. F. FLAV
SPECU. . . . . SISCIA
MIL. COH. VIII. PR
7. VOCONI. ⊕. . . .

In tres familias divisa apud scriptores reperitur. Nam præter Saxam Q. Voconius Naso ex ea genus duxit, qui cum Cicerone prætor designatus est anno ab U. C. 686. Fuit & Vitulorum familia, quæ sola in antiquis denariis reperitur. Extat ejus mentio in hac Inscriptione:

MARTI. LEUCETIO
PRO. SALUTE. IMP
DOMINI. N. AUG. PII
Q. VOCONIUS. VITU
LUS. LEG. XXII. P. R
P. F. PONENDUM
CURAVIT

Ursin. & Patin. Fam. Rom. in Voconia. Glandorp. Onom. Rom. p. 920.

Gens Volteja, ita enim antiqui scribebant pro Vulteja, ut Volcanus & voltus pro Vulcanus & vultus, incertum patriciane fuerit an plebeja. De ea extat apud Cicer. Verr. III. 66. in epistola Timarchidis, in qua L. Vultejus quidam nominatur. Vulteji Menæ mentionem facit Horat. Epist. I. 7. 55. *Ursin. & Patin. Fam. Rom. in Volteja.*

Gens Volumnia in patriciam & plebejam distinguitur. Cognomina fuerunt Amintinus, Gallus, Flamma, Violens. *Panvin. de Nom. Rom. Thes. Ant. Roman. Græv. Tom. II. p. 2012. D. Glandorp. Onom. Rom. p. 922. Ferret. Mus. Lapid. II. 12.*

GENTILES sunt, qui ejusdem sunt *gentis*, vel, ut tradit Cicer. Topic. c. 6. *qui inter se eodem sunt nomine.* Quod etiam scribit Festus: *Gentilis dicitur, qui eodem ex genere natus est, & is, qui simili nomine appellatur.* Quum ait, ex eodem genere, eos intelligit, qui ejusdem *gentis* eundem principem habent: simili vero nomine eos, qui quamquam uno *gentis* nomine omnes utuntur, tamen non eundem sui generis auctorem habent, quo modo Cicer. Tusc. Quæst. I. 16. ait se *gentilem* Serv. Tullii Regis: *Pherecydes antiquus sane, fuit enim meo regnante gentili*, quod uterque simili gentilicio nomine uteretur, quum tamen e diverso uterque genere manaret: agnati enim non erant, neque ex eadem familia. Unde ait Brut. c. 16. *Multos usurpasse alienam familiam, cum essent ejusdem nominis & gentis, ut si*, inquit, *me a M'. Tullio patricio esse dicerem, qui consul fuit cum Ser. Sulpicio.* c. 28. *Tuus gentilis Brute M. Pennus.* Fuerunt nam & Pennus, & Brutus ex eadem *gente* & nomine, ambo enim Junii, sed ex diversis familiis, nam alter ex Juniis Brutis, alter ex Juniis Pennis. Quum autem scriptum sit de Invent. II. 50. *Si furiosus existat, agnatorum gentiliumque in eo, pecuniaque ejus potestas esto.* Agnati profecto videntur esse, qui ex eadem familia sunt, quibus deficientibus *gentiles* subeant. Nam etiam Cicer. de Orat. I. 38. dixit *jus stirpis, ac gentilitatis: jura gentilitatum & agnationum.* Et de Leg. I. 7. *Homines deorum agnatione, & gente tenentur*, quum utramque conjunctionem complecti vellet. Plin. XXXIII. 6. quoque *gentiles* nova quadam ratione appellat. Siquidem *servos gentiles esse dominorum* ait, quia eodem prænomine appellantur quo dominus, ut Marcipor, & Quinctipor, id est, Marci, & Quincti puer. *Panvin. de Nom. Rom. Thes. Ant. Rom. Græv. Tom. II. p. 1998. F. Sigon. de Nom. Rom. c. 4. & Emend. II. 20. Spon. Ignot. deor. ar. Thes. Ant. Græc. Gronov. Tom. VII. p. 267. F. Laurent. de Rebuspubl. c. 3. Robortell. de Fam. Rom. Misc. Erud. Ital. Tom. I. p. 638. Bud. in Pandect. p. 278. H. 38. A. Beroald. Annot. c. 76. Scopp. Collect. I. 5. Calcagn. Epist. Quæst. I. 16. Ræyard. ad Leg. XII. tab. c. 13.*

Gentiles dicebantur barbari, qui non erant imperio Romano subjecti, & idololatræ, ut l. a legatis 8. C. de vectig. & commiss. Theodos. A. l. fin. C. de offic. milit. jud. *Duces*, inquit, *militum, & præcipue quibus gentes, quæ maxime cavendæ sunt, appropinquant, in ipsis limitibus commorari præcipimus.* Valentin. l. 1. C. de nupt. Gentil. *Nulli*, inquit, *provincialium cum Barbara sit uxore conjugium, nec ulli Gentilium provincialis femina copuletur.* Panciroll. Notit. Dign. imp. occid. c. 88. Casal. Theol. Gentil. I. 1. 6.

GENTIUS fuit filius Pleurati, Rex Illyriorum. Hunc cum Perseus Rex, Philippi Macedonis filius, magna mercede promissa in belli societatem traxisset, triginta diebus cum regno suo in potestatem adduxit L. Anicius prætor, anno ab U. C. 586. Bellum hoc describit Liv. XLIV. 31. *Sigon. de Ant. Jur. prov. I. 7.*

GENUA flectere fuit, estque apud omnes gentes precantium gestus antiquissimus, & creberrimus. Is ab Hebræis ברך, a Græcis γονυκλισία, a Latinis supplicatio, sive *genuum* flexio, & incurvatio dicitur. Hinc *geniculari* est *genibus* flexis precari: & *geniculatio* est precatio, quæ fit *geniculando*, sive *genu* flectendo, quod verbum utrumque apud Tertullianum sæpe occurrit. *Geniculationis* usus cur tantus semper fuerit, rationem reddens in hanc sententiam loquitur Plin. XI. 45. *Hominis genibus quædam & religio inest observatione gentium. Hæc supplices attingunt: ad hæc manus tendunt, hæc, ut aras, adorant, fortassis, quia inest iis vitalitas. Namque in ipsa genu utriusque commissura dextera, lævaque a priore parte gemina quædam buccarum inanitas inest: qua perfossa, seu jugulo, spiritus fugit.* Stuck. de Sacrif. p. 131. Illa velut misericordiæ symbola supplicantes tangebant, quorum flectendi erant animi. Eustath. Iliad. I. p. 427. *Genua attingebant propter motus & progressionis potentiam. Symbolice itaque eos, quibus fiebant supplices, per genua ad progressum, ea, quæ petebant, sibi præstandi causa, tacitabant. Ut enim, ut illorum, quibus supplicabant, animi inclinarentur, seu flecterentur, cum in genibus potissimum corpus frangatur, atque flectatur. Sciendum quoque est*, addit idem, *quod, licet supplicantes, & caput, & dexteram, & genua apprehendere fuerint soliti: tamen totum supplicationis actum veteres per synechdochen vocabulo γουνάζεσθαι expresserunt: idque propterea, quod supplicantibus genua maxime sint in promptu, cum vel caput ob celerem ejus conversionem, vel dextram, quæ nonnunquam absconditur, non ita facile sit attingere.* Ritus hujus ratio I. quod in *genibus* sit vitalitas, ut modo dixit Plinius. Hinc Theocrit. Idyll. XIV. 70. quibus *genu est viride*, hoc est, qui vigent robore. Cui simile illud Horat. Epod. XIII. 6.

Dumque virent genua.

Sic Homerus corporis vigorem *genuum* vigore, seu robore æstimavit. Et tritum illud in deorum vi ac potestate situm est, θεῶν ἐν γούνασι κεῖται apud Homer. Odyss. Π. 129. A. 267. II. quod *genua* sint misericordiæ consecrata. Servius. V. illum supr. in *Corpus*. Stuck. Ant. Conviv. II. 32. Sacrif. p. 43. Jun. Anim. II. 11: IV. 12. Rhodig. Ant. Lect. XV. 18. Brisson. Form. VIII. p. 739. Hartung. Memor. Dec. I. 8. §. 5. Tomas. de Donar. c. 2. de Hospit. tess. c. 8. Gyrald. Synt. deor. I. p. 16. B. Laurent. Var. sacr. gentil. c. 7. & 10. Feith Ant. Homer. III. 14. Blond. Triumph. Rom. I. p. 18. H. Column. in Ennium p. 296. Et interdum osculabantur. Capitol. Maximin. jun. c. 4. *In salutationibus superbissimus erat, & manum porrigebat, genua sibi osculari patiebatur.* Ammian. XXVIII. 4. *Ex his quidam osculanda capita in modum taurorum minacium obliquantes, adulatoribus offerunt genua suavianda.* Heliodor. X. p. 493. *Tanta proceritate & prisca illa statura homo, ut cum genu Regis oscularetur, propemodum eos, qui in alto loco sedebant, adæquare videretur.* Casaub. in Capitolinum. Feith Ant. Homer. III. 14. Lips. Elect. II. 6. Claud. de Salutat. vet. c. 6. Fulmine ictorum corpora supra *genua* non tollebantur. Humabantur enim sine ullis justis, & funerum sollennibus. Illa prohibuerat casca lex Numæ Pompilii, quam recitat Festus in v. Occisum. Ea sic habet: *Sei hominem fulminis*, ita antiqui nominandi casu dicebant pro fulmen. Lips. Epist. Quæst. I. 11.

occisit, em supra genua ne tollito. Super hac lege variæ sunt doctorum opiniones. Rævard. c. 32. ad leg. 12. tab. existimat velut sceleratos, & impios unco tractos fuisse, non capulo elatos. Qui vero capulo efferebantur, eos non capulo humeris imposito efferri solitos: sed in eam altitudinem a terra capulo levatos, ut supra *genua* duntaxat tollerentur. Marsil. ad Persium efferre explicat. Ad sepulturam tradere, quod idem est. Fruter. Epistola quadam ad Muretum. Et addit, videri sibi morem olim fuisse, qui etiam nunc in quibusdam Galliæ partibus est, ut restibus quibusdam, vel lineis mantilibus feretro circumvolutis, earumque extremitatibus manui obvolutis, funus ultra *genu* sustollerent, sicque in locum communem Mettia porta transferrent. His refutandis tempus non libenter tero: satis est, si dixero esse plane ἀνερματίστους, nec in ullo veteri scriptore hujusmodi elationis volam, aut vestigium extare. Humeris mortuos fuisse elatos dictum supra in *Cadaver.* Omnis error ex phrasi *supra genua tollere* non recte intellecta pullulasse mihi videtur. De hac Casauboni sententiam meo judicio verissimam placet adscribere. Ille de legis sensu a me consultus respondit, se censere, φράσιν esse ἀπὸ μέρους τοῦ παντὸς, hoc est, πάσης τῆς περὶ νεκρὸν ὁσίας, καὶ κηδείας. Proprie enim *supra genua tollere* iis convenisse, qui sedentes cruribus, tibiisque porrectis, supra *genua* positum corpus exanime mundabant, lavabant, ungebant, & vestimenta funebria induebant: quæ certe fieri non poterant, nisi mortuum supra *genua* tollerent. Albinov. ad Liviam n. 95.

At miseranda parens suprema neque oscula fixit,
Frigida nec movit membra tremente sinu.

Arnobius alludens ad funeris ritum V. p. 166. *Ac ne medio in gremio diffluerent, priusquam veste velaret, ac tegeret, lavit utique balsamis atque unxit.* Hanc conjecturam etiam confirmant antiquæ statuæ, quæ passim locorum conspiciuntur. Mulieres sunt impositum *genibus* habentes Christi τοῦ σωτῆρος corpus cruci detractum, idque nudum, πρὸς τὸ ἐνταφιάζειν αὐτό. Et Dionysius Alexandrinus, cujus verba ceremonias in Christianorum funeribus usitatas accurate recensentis extant apud Euseb. VII. 17. *Sanctorum corpora,* inquit ille, *manibus erectis, supinisque excipere, gremio suo reponere, occludere oculos, ora obturare, gestare humeris cadavera, decenter ornare, illis adhærescere, amice complecti, lavare accurate, & linteo involvere non gravati sunt.* Kirchm. de Fun. Rom. I. 3. Meurs. de Fun. c. 38. Guther. de jur. man. I. 2. *Genibus* assueti erant veteres in scribendo. V. inf. in *Lectica lucubratoria* & supr. in *Egeria.* Et deorum genua incerare dicebantur. V. infr. in *Incerare.*

GENUS inter, & stirpem interest, quod inter gentem & familiam. Cicer. de Amic. c. 19. *Qui aliquamdiu propter ignorantiam stirpis, & generis in famulatu fuerunt.* de Orat. I. 38. *Quum Marcelli a liberti filio stirpe, Claudii pa[illegible]dem nominis hereditatem gente ad se rediisse dicerent, no[illegible] causa fuit de toto stirpis, & gentilitatis jure dicendum.* Panvin. de Nom. Rom. Thes. Ant. Rom. Græv. Tom. II. p. 1998. E. Sigon. de Nom. Rom. c. 4. *Genus* differt a gente. Gens *genus* continet, non contra *genus* gentem. *Genus* enim ad civile principium cujusque gentis trahitur, & in linea directa versari duntaxat videtur, sic quidem ut ejus appellatione agnati non comprehendantur. Particula inscriptionis de hortis legatis: EXCEPIT. NE. QUIS. EOS. VENDERET. SED. PER. GENUS. IPSORUM. POSSESSIO. CURRERET. VEL. PER. AGNATOS. VEL. MANUMISSOS. Ex quo loco probari videtur, inter solos ascendentes, & descendentes *generis* appellationem fuisse. Idque notatio nominis confirmat. Cum enim *genus* a genendo, quod veteribus cum gignendo idem est, appellatum sit, quis dubitabit quin hi solum, a quibus nos sumus, & qui a nobis sunt geniti, *generis* comprehendantur appellatione. Gens autem quanquam ad principium etiam cujusque generationis, rectamque cognationis lineam, sive, ut ait Cornelius Fronto, *ad seriem majorum* pertineat; ad agnatos tamen, gentilesque referri nihilominus potest. Hanc *generis gentisque* differentiam ignorasse non videtur Papinianus, qui sic scribit de probat. I. *Quoties quæretur genus an gentem quis haberet, nec ne, eum probare oportet.* Sic *genus* accepisse visus est etiam Symm. Epist. II. *Genus ejus,* inquit, *senatorium est; mens, ac modestia origine sua, ac stirpe nobilior.* Haud dubie *senatorium genus* originem appellans senatoriam. Et quidem tunc id semper verum est, cum proprie quid sit *genus,* inquiritur. Abusivè enim & improprie pro gente *generis* nomen plerumque veteres usurpasse certius est, quam ut doceri necessum sit. *Rævard. Var.* V. I.

GEO.

GEOMETRIA inventa est ab Ægyptiis, *tempore quo Nilus plus æquo crescens confudit terminos possessionum: ad quos innovandos adhibiti sunt philosophi, qui lineis diviserunt agros: inde geometria dicitur, cum non tantum terræ, sed & maris, & cœli, & aeris spatia metiri consueverit.* Serv. Ecl. III. 41. Herodot. II. 145. Strab. XVII. p. 542. Isidor. II. 10. *Aleand. Tab. Heliac. explic. Thes. Ant. Rom. Græv. Tom.* V. *p.* 719. *F. Rhodig. Ant. Lect.* XVIII. 34. *Vaillant Numism.* II. 85. *Volaterr. Comm. Urban.* XXXV. *p.* 1291. *F.* Illorum dæmona nomine Theuth invenisse scribit Plato Phædr. p. 1240. A. *Audivi circa Naucratim Ægypti priscorum quendam fuisse deorum, cui nomen Theuth: hunc primum omnium numerum, & numeri computationem invenisse, geometriamque, & astronomiam. Erat tunc totius Ægypti Rex Thamus, & in eminentissima, amplissimaque civitate, quas Ægyptias Thebas Græci appellant, deumque ipsum Ammonem vocant. Ad hunc Theuth profectus, artes demonstravit suas, dixitque eas distribui deinceps Ægyptiis cæteris oportere.* Rhodig. Ant. Lect. XXII. 15. Senftleb. de Alea c. 3. Buleng. de Lud. vet. c. 1. Hunc puto fuisse Mercurium, qui Hermes vulgo vocatus fuit. *Vives in August. de Civ. Dei* VIII. 26. *Rhodig. & Senftleb. l. l.* Et sane non absurdum fuerit existimare, Mercurium terminalem deum latifundiis metandis præpositum fuisse, nam mensuras invenisse & pondera testatur Diodor. V. p. 236. A. quum præterea *geometriæ* inventio nequaquam ipsi sit invidenda, utpote qui artium repertor dicatur a Cassiod. Var. II. 40. Et *geometria* inter Mercurii administras a Martiano Capella connumeretur. Ejusque inventionem apertis verbis ei tribuit Homeri enarrator, quum ait: *Mercurius Jovis, ac Majæ Atlantiadis filius, dum inter homines ageret, quatuor maxima invenit, literas, musicam, palæstram, & geometriam: propterea illum Græci quadratum effingunt, & in gymnasiis dedicant.* Aleand. l. l.

GER.

GERANON in scena erat machina, qua veluti Memnon ab Aurora, vel Endymion a Luna, rapi videretur, talis scilicet, qualis de tauro Mart. Spect. XVI. 1.

Raptus abit media quod ad æthera taurus arena.

Gyrald. de Poet. dialog. VI. p. 335. A. Edit. Lugd. Rhodig. Ant. Lect. VIII. 8. Scalig. Poet. I. 21.

GERMALUM fuit ima pars montis Palatini, forum versus, in qua Ancus Rex habitavit. *Fabric. Descr. Urb. Rom. c.* 3. *Panvin. Descr. Urb. Rom. Thes. Ant. Rom. Græv. Tom.* III. *p.* 272. *D.* Plutarch. Rom. p. 19. C. *Quem nunc locum Germalum vocant, sed pridem Germano nomen fuerat, quod germanos fratres vocare solent.* Marlian. Topogr. Urb. Rom. II. 17. Donat. de Urb. Rom. I. 6. Borrich. Ant. Urb. Fac. c. 12. §. 1. Salmas. Exerc. Plin. p. 800. b. A. Boissard. Topogr. Urb. Rom. Tom. I. p. 30. Ex Plutarcho Marlianus expiscari sibi visus est, non Lupercal, sed *Germalum* ficui vicinum fuisse. Quare, ut auctorum dissidentium loca conciliet, geminos dicit ad Lupercal expositos, post translatos, nutritosque sub ficu in *Germalo:* ac si tot auctorum loca, Lupercal diserte cum ficu Ruminali eidem loco adscribentia, mera somnia sint. Neque vero Plutarchus hic a cæteris diversus. Quum enim Lu-

percal ſpelunca fuerit, ficus arbor, *Germalus* locus Urbis, ut ipſe indicat Plutarchus, facile mente concipi poſſunt duo infantes in *Germalo* expoſiti, ſub ficu, ad Lupercal. Et quia in eo Lupercal, & templum Romuli, pars illa hortorum Farneſiorum fuit, quæ ædi S. Mariæ Liberatricis imminet, & ad ipſam eccleſiam forte pertigit, cum pars illa montis ruinis necdum, & ruderibus veterum ædificiorum adeo eſſet impedita. *Nardin. Rom. Vet.* VI. 12.

GERMANÆ perſonæ ridiculæ, cum enim contra *Germanos* pugnarent Romani, illique eſſent corpore, & vultu prodigioſo, pro ridiculo ad ſcenam advocabantur. Mart. XIV. 176. cui appoſitum, *Perſona Germanica:*

Sum figuli ludus rufi perſona Batavi:
Quæ tu derides, hæc timet ora puer.

Argol. ad Panvin. de Lud. Circenſ. II. 2.

GERMANI habuerunt aruſpices. Tacit. Germ. c. 10. n. 1. *Auſpicia, ſorteſque ut qui maxime obſervant.* Buleng. de Sort. c. 5. Cluver. Germ. Ant. I. 36. Ex clamore militum in concurſu cum hoſtibus omen victoriæ captabant. V. ſupr. in *Barritus.* Per aſſidua cum Romanis bella, commerciaque quædam ſacrorum ab iis inſtituta, deorumque *Germani* acceperunt nomenclaturas. Cum enim parem gentes omnes amplexæ ſunt religionem, haud difficulter in ſacra, & ceremonias Romanorum *Germani* concedere potuerunt. Quod ſubinde etiam factum. Nam & quidam ex *Germanis* ad ſacerdotia allecti a Romanis. Quod vel unum exemplum Segimundi Segeſtis filii, ſacerdotis creati apud aram Ubiorum, liquido ſatis oſtendit. Tacit. Annal. I. 57. 3. *Addiderat Segeſtes legatis filium, nomine Sigimundum. Sed juvenis conſcientia cunctabatur. Quippe anno, quo Germaniæ deſcivere, ſacerdos apud aram Ubiorum creatus, ruperat vittas, profugus ad rebelles.* Boxhorn. Quæſt. Roman. c. 1. Torquibus utebantur. Videtur quidem obſtare Tacitus, quando de eorum moribus c. 5. n. 4. ait carere auro, argentoque, nec inter cætera illorum ornamenta torques recenſet. Ipſe tamen aliter ibid. c. 15. n. 4. *Gaudent præcipue finitimarum gentium donis, quæ non modo a ſingulis, ſed et publice mittuntur: electi equi, magna arma, phaleræ, torqueſque.* Ita Flor. IV. 12. 25. nominatim memorat in Cheruſcis, Suevis, Sicambris, quæ haud dubie *Germanicæ* fuerunt gentes. *Cheruſci equos, Suevi aurum & argentum, Sicambri captivos elegerant. Victor namque Druſus equos, pecora, torqueſque eorum, ipſoſque, præda diviſit, & vendidit.* Scheffer. de Torquib. c. 12. Cluver. Germ. Ant. I. 16. Caput apertum, & ſine tegmine habebant. Inducit me facile Tacitus, qui cirros eorum, nodoſque commemorat Germ. c. 38. n. 2. Imo de Suevis clare oſtendit n. 4. pugnaſſe eos etiam capite aperto, crinibus religatis in altitudinem quandam & terrorem. *Lipſ. de Amphith. c. 19. Cluver. ibid. c. 16.* Apud priſcos *Germanos* dum igne accenſo corpora defunctorum cremarentur, pro dignitate, proque opibus, quibus quiſque potens erat, amici & affines, quique conjunctiſſimi aderant, quæ cara habebant, & præcipui cultus, cum gemitu, & queſtu miſerabili, in luctus, & graviſſimi doloris ſignum ignibus injiciebant. *Moreſtell. Pomp. Feral.* VII. 6. *Cluver. ibid. c.* 53.

Germani fratres Metellorum tempore eiſdem prænominibus non utebantur. *Auguſtin. de Fam. Rom. in Cæcilii.* Et raro ſummum honoris conſularis faſtigium ſimul tenuerunt, ut Claud. Conſul. Prob. & Olyb. exclamet n. 275.

Omni nobilior luſtro, tibi gloria ſoli
Contigit, exactum nunquam memorata per ævum
Germanos habuiſſe duces.

Sextus enim Anicius Hermogenianus Olybrius, & Sextus Anicius Sext. filius Probinus, nobiliſſimum par fratrum, rara felicitate ſimul conſulatum geſſerunt. Vix duos Fulvios in conſulatu noverat Vell. II. 28. Vix Othonem & Titianum citare poteſt Tacit. Hiſt. I. 77. Vix Julianum atque Paullinum fratres conſules felicitas ſeculi Conſtantiniani ſperaverat. Denique vix crediderim Felicem Gallum & Secundinum, qui anno 511. conſulatum geſſerunt, *germanos*, Severini Boethii filios fuiſſe, quod vult Barth. ad Claud. n. 231. cum Theodoricus Rex, teſtis Barthio major, iſtius Galli natales ex Tranſalpinis Galliis deducat, tergeminis literis ad Anaſtaſium Imperatorem, ad ipſum Felicem, & ad ſenatum Romanum datis apud Caſſiod. Var. II. 1. 2. 3. Fratres tamen Imperatores, & conſules ſimul laudat Barth. ad Claud. n. 276. duos Vitellios, duos Antoninos, duos Conſtantinos: item Arcadium & Honorium fratres. *Lipen. de Stren. c. 2. tert. æt.* §. 28.

GERMANICI cognomen multi aſſumpſere Imperatores poſt Neronem Claudium Druſum: nam & Domitianus, & Trajanus *Germanici* cognominati fuere. Inter cæteros M. Aurelius Antoninus. Dio LXXI. p. 803. B. *Quum Marcomannis in aliquo prælio bene ſucceſſiſſet, ab iiſque Vindex Marci legatus interfectus eſſet, tres ei ſtatuas poſuit [illegible] his vero ſuperatis, Germanicus appellatus eſt. Germanos enim eos, qui in ſuperioribus locis habitabant, appellamus.* Caracalla vero & ipſe apud Spartian. c. 5. *Quum Germanos ſubegiſſet, Germanicum ſe appellavit: vel joco, vel ſerio, ut erat ſtultus, & demens, aſſerens, ſi Lucanos viciſſet, Lucanicum ſe appellandum.* Urſat. de Not. Rom. Theſ. Ant. Rom. Græv. Tom. XI. p. 732. E. Malvaſ. Marm. Felſin. Sect. III. c. 4.

GERULA dicebatur mulier, quæ infantes ulnis *gerebat.* Hieron. ad Lætam. *Nutrix ipſa non ſit temulenta, non laſciva, non garrula, habeat modeſtam gerulam, nutricium gravem.* Pignor. de Serv. p. 378. Bartholin. de Puerp. p. 117.

GERULUS dicebatur, qui dorſo ferebat onera. Suet. Cal. c. 40. n. 5. *Ex gerulorum diurnis quæſtibus pars octava exigebatur.* Colum. X. 310.

At [illegible] plenos [illegible] urbe reportet.

Gloſſ. Ἀχθοφόρος, *gerulus, onera ferens.* Scheffer. de Re Vehic. II. 2. Burmann. Diſſert. de Vectig. c. 12. Beroald. & Caſaub. ad Suetonium. Vocabatur etiam bajulus. V. illum ſupr. in *Bajulus.* Horum *gerulorum* opera præcipue utebantur redemptores operum publicorum. Horat. Epiſt. II. 2. 70.

Feſtinat calidus, mulis, geruliſque redemptor.

Etiam homines lecticis impoſitos portare ſolebant. Senec. de Benef. III. 28. *Quo tandem ab iſtis gerulis raperis, cubile iſtud tuum circumferentibus?* Sub poſterioribus Cæſaribus conſtitutum eſt corpus aliquod, & collegium *gerulorum*, qui dicebantur ſaccarii portus Romæ, qui erant conſtituti ad portandas merces ex portu in horrea, neque licebat cuiquam, per alios, imo ne per ſuos quidem, merces, vel onera transferre in horrea, conſtituta pœna quintæ partis ejus ſpeciei, quæ per alios portata erat, fiſco vindicandæ l. unic. C. de ſaccar. port. Rom. *Burmann. l. l.*

GES.

GESSATÆ dicebantur Galli tranſalpini, qui ad Rhodanum accolebant, a mercede, qua conducti militabant. *Sigon. de Ant. jure Ital.* I. 24. Hi cum Gallis Senonibus Romam quondam præter Capitolium captam incenderunt. *Sigon. ibid. c.* 16.

GESTATIO eſt inter placidiſſimas, atque debiles exercitationes, & propterea non ſolum ſanis, & valetudinariis; verum etiam longis, ac inclinatis morbis, & denique iis, quibus lentæ morborum reliquiæ remanent, nec aliter eliduntur, accommodata eſt. Celſ. II. 15. *Geſtatio quoque longis, & jam inclinatis morbis aptiſſima eſt: utiliſque eſt & his corporibus, quæ jam ex toto febre carent, ſed adhuc exerceri per ſe non poſſunt: & his, quibus lentæ morborum reliquiæ remanent, neque aliter eliduntur. Geſtationem* Gloſſæ Cyrilli explicant γυμνασίαν. *Geſtatio*, γυμνασία, ἰώρα, αἰώρα. *Geſtatur*, γυμνάζεται, αἰωρίζεται. In ſanis ac valetudinariis poteſt calorem naturalem augere, materiæ multitudinem diſcutere, habitum corporis firmare, actiones ſtupidas excitare, ſegnitiem diſſolvere, corporis tur-

turbationem sedare, iis, quos vigiliæ exercent, somnum conciliare, & contra etiam veternosis, ac dissolutis reditum ad se, vigiliasque parare: nam somnum conciliat, excrementa, quæ a capite ad stomachum delabuntur, per halitum digerendo, quæ nimirum partes sunt vigiliarum præcipuæ causæ: sed vigilias postea inducit corporis tenorem ad se revocando, & corroborando. *Mercur. Gymn.* VI. 9.

Gestatio vocabatur etiam locus ipse, & *gestationis* spatium. Plin. Epist. II. 17. *Gestatio buxo, aut rore marino, ubi deficit buxus, ambitur.* Ulpian. l. 23. ff. de usufr. *Et si forte voluptuarium fuerit prædium, viridaria, vel gestationes, vel deambulationes, arboribus infructuosis opacas, atque amœnas habent.* Pignor. de Serv. p. 276. Guther. de vet. jur. pontif. III. 4. Bud in Pandect. p. 115. E.

GESTUS est situs membrorum in statuis. Illi vero exprimi solebant, qui vel animi affectum, vel rarum aliquem eventum significarent, vel artem, quam quis profiteretur, aut aliud quodcunque opus, vel denique fortunam, & conditionem hominum ostenderent. Fiebant potissimum tum manu, unde *gestuosæ manus* dicuntur Gell. I. 5. tum reliquo corpore, vel quibusdam saltem membris, puta, oculis, ore, naribus, humeris, lateribus, cruribus, pedibusque, quæ pro diverso flexu, motuque, aut situ, varios effectus, ut gaudium, iram, contemptum, minas, dolorem, pœnitentiam, spem, vota.... prope quasi voce, & sermone ipso indicabant. *Figrell. de Stat. Rom. c.* 19. qui singula hæc pluribus persequitur.

GET.

GETÆ antiquis temporibus qui dicebantur, recentioribus Gothi sunt appellati. V. illos infra in *Gothi.*

GIL.

GILDO utriusque militiæ magister in Africa fuit circa annum salutis 395. Indicat hoc epistola Theodosii Magni ad eum scripta. Constantinopoli scripta est l. ult. C. ad l. Jul. de adulter. Post cujus mortem tyrannide arrepta a fratre jussu Honorii profligatus, & necatus est, ejusque bona in ærarium Principis relata anno humanæ salutis 401. Illa *Gildonis* patrimonium sunt dicta. Hæc Honorius peregrino comiti, & procuratori divinæ domus per Africam commisit l. 16. C. de bon. proscript. Tandem cum peramplum hoc esset patrimonium, & plures in regiones dispersum, proprius ei datus est procurator, *Gildonis* appellatus, qui rationales, procuratores, & præpositos illi præfecit, propriumque officium velut ipse comes privatarum habebat. *Panciroll. Notit. dignit. imp. occid. c.* 41.

GIN.

GINGRA erat saltatio funebris, quam edebant ad tibiam cognominem. Pollux IV. 14. *Erat & gingra saltatio ad tibiam, dans nomen ipsi cantilenæ.* Meurs. de Saltat. vet. Thes. Ant. Græcar. Gronov. Tom. VIII. p. 1245. E. Scalig. Poet. I. 18. Rhodig. Ant. Lect. V. 4. Barthol. de Tib. I. 6.

GINGRIATOR dicebatur tibicen, a tibiæ genere. Festus: *Gingriator, tibicen.* Barthol. de Tib. I. 6: III. I. Salmas. Exerc. Plin. p. 87. E. Buleng. de Theatr. II. 26.

GINGRINA, sive *gingria* est *genus quoddam tibiarum exiguarum.* Festus. Parvula erat, & tyronibus artis accommodata. Hesychius: *Gingriæ, parvæ tibiæ, quibus primum discunt.* Eustath. Iliad. XVII. p. 1214. ex Xenophonte palmi, seu dodrantis longitudine apud Phœnices fuisse scribit. Ab anserum voce dictam autumat Festus. Qui enim primum discunt, instar anserum strepere potius, quam inflare modulate videntur. In veteribus glossis *gingra* est *vox anseris.* Et apud Festum *gingrire anserum vocis proprium est.* Athen. IV. p. 174. F. hanc nominis originem adsignat, quod eas inflare moris esset in Adoniis. Et Adonis lingua Phœnicum γίγγρης appelletur. Athenæo adstipulatur Pollux IV. 10. *Phœnicum lingua Gingrem Adonin vocat, & ab illo tibiæ nominantur.* Castell. de Fest. Græc. Thes. Ant. Græc. Gronov. Tom. VII. p. 611. B. Barthol. de Tib. vet. I. 6. Kirchm. de Fun. Rom. II. 5. Scalig. in Festum. Salmas. Exerc. Plin. p. 87. D. Buleng. de Venat. Circ. c. 20. Theatr. II. 26. Fasold. de Fest. Græc. c. 4. §. 9. Nicol. de Rit. Bacchan. c. 17. Meurs. F. de Tib. c. 4. Turneb. Advers. XXVIII. 34. Voss. de Idolol. II. 4. de Instit. Poet. III. 12. §. 7. Lexic. Etymol. in Gingrire. Mag. Misc. I. 13.

GLA.

GLABRATOR, sive *glabrarius* vocabatur, qui genitalem pilorum materiam depascebat. Manil. V. 151.

— sterilesque optare lacertos.

Qui volsos intelligit, δεδρωπακισμένες, καὶ πεπιλτωμένες. Mart. IX. 28. 4.

Nullusque vivat in tuo pilus crure.

Intelligit ergo levigatos, pice, ac psilothro curatos. Capitol. Pertin. c. 8. *Vasa Samnitica, calefactandæ resinæ, ac pici devellendis hominibus, ac levigandis.* Etiam, si diis placet, in officio domus Augustæ. Vetus inscriptio: DIOPHANTUS. TI. CÆSARIS. ORNATOR. GLABR. id est, ornator glabrarius. Miratus sum apud Martialem (V. illum supr. in *Dropax*) non solum corpus πιλτεσθαι, sed etiam caput ipsum. *Scalig. in Manilium.*

GLABRIO fuit cognomen Aciliorum. *Sigon. de Nom. Rom. c.* 5. Dicti sunt *Glabriones*, quod *glabri*, & sine pilis essent. Varr. de vit. pop. Rom. I. Huc referri debet illud Plaut. Aul. II. 905.

— tu illum gallum, si sapis,
Glabriorem reddes, quam vulsus ludius.

Strein. de Gent. Rom. in Acilia. I. sub Domitiano consulatum cum M. Ulpio Trajano, qui postea Imperator dictus est, cepit, in eo occisus est anno ab U. C. 853. II. hujus, ut creditur, filius, cum paterno Manii prænomine consul fuit cum C. Bellicio Torquato anno 33. post patrem sub Hadriano Imperatore. III. sub Pio Antonino cum C. Valerio Omello Veriano consul anno ab U. C. 904. IV. bis consul fuit, sed alterius anni tempus ignotum: atque adeo suffectum fuisse credendum est, iterum consul fuit collega Commodi Imperatoris in quinto consulatu anno 1038. V. consul fuit cum M. Valerio Maximo, iterum sub Gallieno & Valeriano Imperatoribus anno 1108. ultimus fuit collega Theodosii junioris in 16 consulatu anno 1139. Christi 437. *Augustin. & Strein. de Gent. & Famil. Roman. in Acilia.*

GLACIEM in scyphos dejiciebant, & potabant veteres. Plin. XIX. 4. *Hi nives, illi glaciem potant, pœnasque montium in voluptatem vertunt.* Senec. Nat. Quæst. IV. 13. *Inde est, quod nec nive contenti sunt, sed glaciem, velut certior illi ex solido rigor sit, exquirunt, ac sæpe repetitis aquis diluunt. Videbis quosdam graciles, & palliolo, focalique circumdatos, pallentes & ægros, non sorbere solum nivem, sed etiam esse, & frusta ejus in scyphos suos dejicere inter ipsam bibendi moram.* Butius de Pot. Ant. c. 18.

GLADIATOR *est, qui in arena populo spectante pugnavit.* Quintil. Declam. 302. *Lips. Saturn.* I. 7. Illorum origo a re funebri. Exemplum ab Etruscis. Ita Damascenus Nicolaus tradit: *Romani*, inquit *a Tyrrhenis morem hunc acceperunt.* Ac fortasse Etrusci ipsi a Græcis. Hermippus certe apud Athen. IV. p. 154. D. *inventores gladiatoriæ pugnæ facit Mantinenses.* Si hoc non potius ad duellum pertineat, quam ad hoc ludicrum. Undecunque exemplum; causa tamen, & origo funus. Tertull. de Spectac. c. 12. V. illum infr. in *Munus.* Serv. Æneid. X. 519. *Moris erat in sepulcris virorum fortium captivos necari: quod postquam crudele visum est, placuit gladiatores ante sepulcra dimicare, qui a busti cineribus bustuarii dicti.* Publice primo in foro boario anno ab U. C. 490. dederunt M. & D. Bruti,

Bruti, causa mortis patris. Val. Max. II. 4. 7. *Gladiatorium munus Romæ datum est in Foro boario, Ap. Claudio, M. Fulvio coss. Dederunt M. & D. Bruti, funebri memoria patris cineres honorando.* Liv. Epit. XVI. *D. Junius Brutus munus gladiatorium in defuncti patris memoriam edidit primus.* Ubi male omissus Marcus. Dati in funere tamen non omni, sed virorum principum, illustriorumque. Non enim dabantur nisi in indictivo. Cicero & Festus supr. in *Funus indictivum.* In honorem Imperatorum, procerumque. Flor. III. 20. 8. *Ille de stipendiario Thrace miles, de milite desertor, inde latro, deinde in honorem virium gladiator. Qui defunctorum quoque prælio ducum funera imperatoris celebravit exsequiis, captivosque circa rogum jussit armis depugnare: quasi plane expiaturus omne præteritum dedecus, si de gladiatore munerator fuisset.* Paullatim vero, ut solet, res increbruit, & vulgo etiam dare cœperunt etiam privati, & plerisque ea cura fuit in testamentis. Cavebant, inquam, post mortem suam tot & tot paria sibi edi. Senec. de Brev. vit. c. 20. *Quidam disponunt etiam illa, quæ ultra vitam sunt, moles magnas sepulcrorum, & operum publicorum dedicationes, [illegible] exsequias.* Modestin. ff. de usu & usufr. l. 16. *[illegible] civitati relictum est: ut ex reditibus quotannis in ea civitate, memoriæ conservandæ defuncti gratia, spectaculum celebretur.* Imo, ditiori aliquo mortuo, populus munus efflagitabat, velut debitum, & ex præscripto legis. Suet. Tib. c. 37. n. 5. *Cum Pollentina plebs funus cujusdam primipilaris non prius ex foro misisset, quam extorta pecunia per vim heredibus ad gladiatorium munus.* . . . . Nec hic mos in virorum saltem funeribus stetit, transiit etiam ad feminarum. Suet. Jul. c. 26. n. 5. *Munus populo, epulumque pronuntiavit in filiæ memoriam.* Dio XL. p. 225. A. *Filiæ suæ & ferarum cædes, & virorum pugnas exhibuit.* Nec dubium, quin Julii exemplum cupide imitatus sit vulgus. In Spartian. Adrian. c. 9. certe lego, *Hadrianum præcipuos honores socrus suæ ludis gladiatoriis impendisse.* Lips. Saturn. I. 8. Kirchm. de Fun. Rom. IV. 8. & 9. Guther. de Jur. man. I. 26. Morestell. Pomp. Feral. VI. 8. 9. & 10. Casal. de Prof. Rom. rit. c. 26. de Urb. ac Imper. Roman. splend. part. 2. c. 4. Pigh. Annal. Rom. II. p. 13. Thys. de Gladiat. p. 212. Blond. Triumph. Rom. II. p. 40. H. Cerda in Virgilium. Scalig. Poet. I. 35. Faber. Sem. II. 10. Ferret. Mus. Lapid. I. Memor. 26. Meurs. de Fun. c. 33. Recepti sunt etiam in convivium. Et in omni lætiori sollenne fuit, in triclinio paria aliquot *gladiatorum* exhibere ad pugnam. Ortus mos a Campanis. Sil. Ital. XI. 51.

Quin etiam exhilarare viris convivia cæde
Mos olim, & miscere epulis spectacula dira
Certantum ferro, sæpe & super ip[illegible]
Pocula, respersis non parco sanguine mensis.

Strab. V. p. 173. *Eo luxus provecti sunt, ut convivas vocarent ad paria gladiatorum, quorum numerum augebant, minuebantve pro dignitate cujusque convivii.* Ab iis avide hauserunt Romani, de quibus Nicolaus Damascenus: *Spectacula gladiatorum non ferias tantum, & in theatris Romani exhibuerunt; sed privatim in conviviis. Quin & ad cœnam sæpe amicos vocare soliti, cum ob alia, tum ut bina aut terna paria gladiatorum viderent: quos vino jam & cibo madidi intro vocabant. Atque ille quidem trucidabatur: isti manibus plausum dabant, tanquam in re læta.* Lips. Saturn. I. 6. Pignor. de Serv. p. 194. Rhodig. Ant. Lect. XI. 10. Dausq. in Silium. Casal. de Prof. Rom. rit. c. 26. & ex Pignorio Ciaccon. de Triclin. p. 85. Dati ab Imperatoribus ad bellum profecturis. Spartian. Sever. c. 14. *Profectus deinde ad bellum Parthicum est, edito gladiatorio munere.* Capitol. Maxim. & Balbin. c. 8. *Unde mos tractus sit, ut proficiscentes ad bellum Imperatores munus gladiatorium & venatus darent, breviter dicendum est. Multi dicunt, apud veteres hanc devotionem contra hostes factam, ut civium sanguine litato specie pugnarum se Nemesis, id est, vis quædam fortunæ satiaret. Alii hoc literis tradunt, quod verisimilius credo, ituros ad bellum Romanos debuisse pugnas videre, & vulnera, & ferrum, & nudos inter se cohortes, ne dimicantes in bello armatos hostes timerent, aut vulnera & sanguinem perhorrescerent.* Lips. ibid. II. 25. Mercur. Gymnast. III. 4. Rhodig. l. l. Casaub. in Spartianum. Valtrin. de Re milit. Rom. IV. 2. Blond. Instaur. Rom. III. §. 11. Buleng. de Venat. Circ. c. 11. Et tandem præbiti sunt voluptatis causa ab omnibus, qui gratiam a populo exambire vellent, aut honorem: cum res placere visa populo, & omne vulgus cupiens harum spectionum. Tangit & carpit Flor. III. 12. 10. *Unde gladiatorii adversus dominos suos exercitus, nisi ad conciliandum plebis favorem [illegible] largitio, quum spectaculis indulget, supplicia quondam hostium artem facit.* Dederunt [illegible]. Muneris enim ædilitii mentio antiquissima Cicer. de Offic. II. 16. Et Cæsar ædilis munus præbuit. Suet. c. 10. n. 2. Editio ea vix cœperit ante sexcentesimum Urbis annum. Livius enim funebria aliquot munera recenset, nulla ædilitia. Mansit ad extrema imperii. Capitol. Gordian. c. 3. *Ædilitatis [illegible] populo Romano munera, id est, per [illegible] de suo exhibuit.* II. Prætores. Plutarch. Brut. p. 98[illegible]. D. Cassium facit eum alloqui: *Ab aliis [illegible] & spectacula, [illegible] populus expectat.* Dio LIV. p. 522. A. *[illegible] imposuit, e publico aliquid [illegible] & interdicens, ne quis a se aliquid amplius [illegible] gladiatores. [illegible]* III. Quæstores institut[illegible] Claudii. Suet. c. 24. n. 5. *[illegible] rum pro stratura [illegible] gladiatorium munus [illegible].* IV. Consules. Cic. de Off. II. 16. *[illegible] munera secundo consulatu.* Suet. Ner. c. 4. n. 4. *[illegible] rit Augusto [illegible].* V. [illegible]fices. Ita [illegible] apud Suet. Aug. c. 44. n. 5. *sacerdotales* apud Plin. Epist. VII. 24. [illegible] VI. Imperatores, ita quidem frequenter, ut hoc eximium censuisse videantur inter munia Principatus. Dabant enim natali suo: dabant Quinquennalibus, Decennalibus, Vicesimalibus: dabant in dedicatione publicorum operum, in victoria & triumpho, & per varias occasiones. *Lips. ibid.* II. 9. *Thys. de Gladiat. p.* 213. Erant vel coacti, vel voluntarii. Illi servi, captivi, ob delictum ad ludum gladii damnati. Hi liberi, qui gloriæ cupiditate aut pretio allecti se addicebant. *Hansen. de [illegible] c. 20. Thulemar. in Freher. Cecropist. [illegible] Antiq. [illegible] Græv. Tom.* IX. *p.* 1155. *Lips. ibid. c.* 5. *[illegible] l. l. Thys. ib. l. p.* 2[illegible]. *Kipping. Antiq. Roman.* II. 6. §. 9. Servi aut vendebantur in ludum, aut damnabantur. De venditione Tertull. de Spectac. c. 12. V. illum laudatum infr. in *Munus.* Suet. Vitell. c. 12. n. 2. *Asiaticum circumforaneo lanistæ vendidit, dilatumque ad finem muneris repente surripuit.* De damnatione passim historiæ, & legum libri: ubi damnati ad gladium leguntur, vel ad gladii ludum. Inter illos tamen discrimen facit Ulpianus supr. laudatus in *Damnati.* Capitol. in Macrin. c. 12. *Servos, qui a domino fugissent, repertos ad gladii ludum dep[illegible].* Captivi aut vendebantur lanistis, aut ab Imperatoribus, postquam in triumpho ducti, dabantur in ludum. Vopisc. in Prob. c. 19. *Edita gladiatorum paria trecenta, Blemyis [illegible], qui per triumphum erant ducti.* . . . De liberis Labienus apud Senec. Controv. X. *[illegible] infantes auferat, [illegible] quod juvenum miserorum simplicitatem circum[illegible] quemque maxime idoneum castris in ludum conjiciunt.* Lips. l. l. Addicebant se jurejurando sollenni interposito, quod vinculum servitutis, jurabantque se omnia passuros ausurosque, quæ legitimum *gladiatorem* pati mos esset. Formula juramenti legitur apud Petron. c. 77. *In verba Eumolpi sacramentum juravimus, uri, vinciri, verberari, ferroque necari: & quicquid aliud Eumolpus jussisset, tanquam legitimi gladiatores domino corpora, animosque [illegible] addicimus.* Horat. Sat. II. 7. 58.

Quid refert, uri, virgis, ferroque necari:
Auctoratus eas? an turpi clausus in arca?

In tria jurabant: ustionem, verbera, necem: quæ patiebantur ex more. Necem, cum cecidissent, & ferrum juberentur recip re: flammam, & verbera, si quando timidius pugnarent, aut fugerent a ferro. Senec. Epist. 7. *Occide, ure, verbera. Quare tam timide incurrit in ferrum? quare parum audacter occidit? quare parum libenter moritur? Plagis aguntur in vulnera, & mutuos ictus nudis, & obviis pectoribus excipiunt.* Lips. Thulemar. Hansen. Kipping. & Thys. l. l. Turneb. Adv. II. 20. Utrumque hoc genus conjunxit Liv. XXVIII. 21. *Gladiatorium spectaculum fuit, non ex eo genere hominum, ex quo la. is comparare mos est, servorum dilectu, ac liberorum, qui venalem sanguinem habent.* Paullatim quoque eo ventum, ut primæ nobilitatis viri operas arenæ locarent: quidam desperatione, & bonis exuti, alii Principibus gratificantes. Senec. Epist. 100. *Aspice illos juvenes, quos ex nobilissimis domibus in arenam luxuria conjecit.* 88. *O quam vellem Catoni nunc occurrere aliquem ex his trossulis in via divitibus, cursores & Numidas, & multum ante se pulveris agentem. Hic sine dubio cultior, comitatiorque quam M. Cato videretur: hic, qui inter illos apparatus delicatus cum maxime dubitat, utrum se ad gladium locet, an ad cultrum.* Ludit in homines inopes sui æris, divites alieni: qui re cum spe consumpta ad extremum deliberant, *gladiatores* fiant, an venatores. Id enim valet, *ad cultrum.* Quin sub Principibus equites polluti arena, & senatores. Origo prima rei a C. Cæsare, opinor: cujus *munere in foro depugnavit Furius Leptinus, stirpe prætoria, & Q. Calpenus, senator quondam, actorque causarum.* Quem secuti certatim alii. Augustus apud Dion. LI. p. 460. A. LIII. p. 518. A. LVI. p. 586. E. & Suet. c. 43. n. 8. Caligula apud Suet. c. 30. n. 4. Domitianus apud Suet. c. 4. n. 2. Licet hoc de Nerone loquens Xiphil. LXI. p. 697. D. dicat fuisse turpissimum & gravissimum: & Scto interdictum fuerit. Dio XLVII. p. 383. A. Suet. Aug. c. 53. n. 8. *Lips. ibid. c. 3. Thulemar. & Casal. l. l.* Imo etiam feminæ. Tacit. Annal. XV. 32. 3. *Feminarum illustrium, senatorumque plures per arenam fœdati sunt.* Suet. Domit. c. 4. n. 2. *Venationes, gladiatoresque, & noctibus ad lychnuchos: nec virorum modo pugnas, sed & feminarum.* Stat. Sylv. I. 6. 53.

Stat sexus rudis, insciusque ferri,
Et pugnas capit improbus viriles.
Credas ad Tanain, ferumque Phasin
Thermodontiacas calere turmas.

Lips. ibid. c. 4. & in Tacitum. Panvin. de Lud. Circens. II. 1. & Argol. ad illum. Laz. Comm. Reip. Rom. X. 13. Fab. Sem. II. 10. Alex. Gen. VI. 19. & ad illum Tiraquellus. Scriver. in Mart. Spect. c. 6. n. 2. Morestell. Pomp. Feral. VI. 10. Casal. & Thulemar. l. l. Et nani, sive pumili. Dio LXVII. p. 763. A. *Pugnas etiam noctu sæpe exhibuit, & interdum nanos, ac feminas inter se commisit.* Stat. n. 57.

His audax subit ordo pumilorum. . . .
Edunt vulnera, conseruntque dextras.

Lips. & Thulemar. l. l. Liberi vocabantur auctorati. V. illos supr. in *Auctorati.* Togati videntur depugnasse. Suet. Claud. c. 34. n. 7. *Induxit unum ex nomenclatoribus suis, sicut erat, togatum.* Tertull. de Pall. c. 6. *Verum & cerdones, & omnis gladiatorum ignominia togata producitur.* Et inter Pertinacis ornamenta *gladiatoria* togam recenset Capitol. c. 8. *Et toga armaque gladiatoria gemmis, auroque composita.* Sed quis credat, togam, cum in honore, & usu fuit, fœdatam ministeriis arenæ? *Lips. ibid. c. 17. Thys. de Gladiat. p. 229.* Imo fusum, & prolixum vestimentum pugnæ adhibitum? Togati itaque spectaculi gratia, & per pompam incedebant, cum, ut Tertullianus loquitur, producebantur. *Salmas. in Tertull. p. 474. Ferrar. de Re vest.* I. 1. 25: II. 1. 21. Unusquisque ex illis in arenam productis insigni aliqua nota erat conspicuus. Scholiast. Juven. in Sat. III. 158. V. illum infr. in *Pinna.* Arma, quibus pugnare solebant. V. supr. in *Arma lusoria, & pugnatoria.* Appellabantur ea antiquis proprie ornamenta. V. infr. in *Ornamenta.* Rudem quoque V. infr. in *Rudis.*

Torquium *gladiatoriorum* mentionem facit Capitol. Pertin. c. 8. *Et macharas Herculaneas, & torques gladiatorios.* Forte innuitur laqueus, vel quid aliud ex fune, quo adversarium capiebant. *Scheffer. de Torquib. c. 8.* Primo domi, & in reliqua familia fuerunt, ibique habiti, alti, & docti. Polybius Fragmento apud Suidam. *Olim & initio apud Romanos nudis viribus gladiatorum certamen constabat: nunc autem plures viæ, & modi reperti.* Etiam splendidiores postea habuere domi eos, aut apud amicos. Suet. Jul. c. 26. n. 5. *Tyrones neque in ludo, neque per lanistas, sed in domibus per equites Romanos, ac etiam per senatores armorum peritos erudiebat.* Quod tamen perrarum, & vulgo ars pugnandi docta, & exercita in ipso ludo. V. illum infr. in *Ludus.* Lips. ibid. I. 14. Et in illo large edebant, bibebant, & dabantur velut in saginam, ea fini, ut domini valentes eos producerent, &, ut Cicer. Phil. II. 25. ait, *cum gladiatoria totius corporis firmitate.* Cyprian. Epist. II ad Donatum. *Paratur gladiatorius ludus, ut libidinem crudelium luminum sanguis oblectet. Impletur in succum cibis fortioribus corpus, & arvina assidui nidoris moles membrorum robusta pinguescit, ut saginatus in pœnam carius pereat.* Inde *gladiatoria sagina.* Tacit Hist. II. 88. 2. *Singulis militibus paratos cibos, tanquam gladiatoriam saginam dividebat.* Et saginæ nomine ludum ipsum intellexit Prop. IV. 8. 25.

Qui dabit immundæ venalia farta saginæ.

Schot. Observ. V. 9. Lips. l. l. Dabantur ad rogum, in foro, in circo, in amphitheatro, in septis, vicatim, & regionatim. Ad rogum olim, in exsequiis: isque antiquissimus locus. Postea non placuit circumducere populum, & omisso rogo ipsi *gladiatores* funebres in foro dati. Hic ergo locus vetus & diuturnus. Vitruv. V. 1. *A majoribus consuetudo tradita est, gladiatoria munera in foro dari.* Ascon. in Cicer. p. 36. *Unde ipsi & posteri ejus spectare munus gladiatorium possent: quod etiam tum in foro dabatur,* Asconii nimirum ætate, id est, Claudii. Quia vero loca sessui, & spectationi in foro parum apta, illud cœpit vilescere. Et structa sunt amphitheatra, huic ludicro destinata, non omisso tamen prorsus foro. Etiam in septis Agrippæ. Suet. Cal. c. 18. n. 1. *Munera gladiatoria partim in amphitheatro Tauri, partim in septis aliquot edidit.* Sed & circus interdum huic rei: sæpe vici & quatuordecim regiones Urbis: quod sub Imperatoribus factitatum observo. *Lips. ibid. c. 17.* Illorum nomina & paria, ut & diem edendorum in libellis ante pugnam editor proponebat. V. supr. in *Editor*, & infr. in *Libelli.* Habitus, & forma pugnantium *gladiatorum*, itemque loci, & muneris totius in tabulis pingebantur. Plin. XXXV. 7. *Pingi gladiatoria munera, atque in publicum exponi cœpta a C. Lucano. Is avo suo triginta paria in foro per triduum dedit, tabulamque pictam in nemore Dianæ posuit.* Horat. Sat. II. 7. 95.

Vel cum Pausiaca torpes insane tabella;
Qui peccas minus atque ego, cum Fulvi, Rutubæque,
Aut Placidejani, contento poplite miror
Prælia, rubrica picta, aut carbone? velut si
Re vera pugnent, feriant, vitentque moventes
Arma viri.

Contento poplite habitum exprimit pugnantium *gladiatorum*, ne ad servum ipsum quis referat. Vopisc. Carin. c. 19. *Memorabile maxime & Carini & Numeriani hoc habuit imperium, quod ludos Romanos novis ornatos spectaculis dederunt, quos in palatio circa porticum stabuli pictos vidimus.* Lips. Saturn. II. 18. Thys. ibid. p. 230. Casaub. in Vopiscum. Lomej. Gen. dier. Decad. I. Dissert. 6. Die ipso ordine deduci in arenam mos fuit, & inibi in arena sollenni quadam pompa circumduci. Quintil. Declam. 9. *Jam dies aderat, jam ad spectaculum supplicii nostri populus convenerat. Jam ostentata per arenam periturorum corpora mortis suæ pompam duxerant.* Ad quam traductionem accommodo illud Capitol. M. Anton. c. 19. *Faustinam quondam, cum gladiatores transire vidisset, unius ex his amore succensam.* Postquam introducti, paria inter se componebantur, sive, ut Græci decenter appellant ζεύγη. Dicebantur comparari, componi, committi. V. singula suis locis. *Lips. ibid. c. 19.*

19. *Thyſ. ibid. p.* 231. Poſt comparationem, gladii & arma, quibus pugnaturi, munerario oſtendebantur: explorandi cauſa, & an ſatis acuti. Suet. Tit. c. 9. n. 3. *Inſequenti die, gladiatorum ſpectaculo, circa ſe ex induſtria collocatis, oblata ſibi ornamenta pugnantium inſpicienda porrexit.* Nam Titus ipſe tum editor. Aur. Vict. Epit. c. 10. n. 10. *petiiſſe eum gladium* dicit, *quaſi ad explorandam aciem.* Dio LXVIII. p. 770. *Collocavit eos in ſpectaculo quodam juxta ſe, ignaros quod proditi eſſent: iisque gladios tradidit, in ſpeciem quidem uti dijudicarent, an ſatis acuti eſſent, quod fieri ſolet. . . .* Lipſ. l. l. & in Tacit. Annal. III. Excurſ. G. Thyſ. l. l. Ipſi pugnæ præmittebatur præluſio. V. illam infr. in *Præludere.* Tubæ cantus erat ſignum commiſſionis, & veræ pugnæ. V. infr. in *Tuba.* Præluſione vero dirempta, & abjectis luſoriis armis, tranſibant ad vera. Atque hoc eſt quod *dimicare ad certum* vocat Tertull. contr. Marc. III. 5. Appellabant id etiam *pugnare verſis armis.* Caper de Orthogr. Auct. vet. Grammat. Edit. Putſch. p. 2245. *Inverſis armis pugnaſſe gladiatores non eſt dicendum, ſed verſis, id eſt, tranſmutatis.* Plaut. Caſ. II. 5. 36.

Neceſſum eſt verſis gladiis depugnarier.

Nec enim aliud in ea armorum verſione eſſe facile perſuadeor verſu Ovid. de Art. III. 589.

Ponite jam gladios hebetes, pugnetur acutis.

Lipſ. l. l. Thyſ. ibid. p. 232. Deinde componebant ſe, & colligebant in arma. Et hanc ex arte poſituram vocabant ſtatum. V. infr. in *Status.* Et in illo petebat alter, vitabat alter. Petebat dico. Ita enim proprie, & ictus ipſi petitiones. V. infr. in *Petere.* Vitandi verba erant exire, excedere, ludere, eludere. V. ſingula ſuis locis. In vitando præcipua cura erat, ut latus tegerent. V. infr. in *Latus.* Stantes quinam fuerint dicti pugnare V. infr. in *Stantes.* Tutela Mars. Tertull. de Spectac. c. 12. *Martem & Dianam utriusque ludi*, gladiatorii, & venatorii, *præſidem novimus.* Vel potius Saturnus. Lactant. VI. 20. *Munera, & quæ vocantur venationes, Saturno attribuerunt.* Auſon. Ecl. XVII. 33.

Et gladiatores funebria prælia notum
Decertaſſe foro: nunc ſibi arena ſuos
Vindicat, extremo cum jam ſub menſe Decembri
Falcigerum placant ſanguine cœligenam.

Hujus tutelæ fuerunt, quia Saturnus non inter ſuperos, ſed inferos deos. Jure ergo Romani, quia *gladiatorum* ſanguine placari manes credebant, eaque prima ludicri cauſa, hoc ſpectaculum dedicarunt crudo, & ſanguineo deo. *Lipſ. ibid. c.* 5. *Laurent. Var. ſacr. gentil. c.* 8. Quinam fuerint dicti ferrum recipere. V. infr. in *Recipere.* Læſi, & mortis metuentes ſummittebant arma. Id ſignum victi, fractique. Senec. de Provid. c. 3. *Quid ego mihi iſtum adverſarium aſſumam? ſtatim arma ſummittet.* Nec tamen ideo liberi. Pendebat mors eorum, vel ſalus a nutu populi. Senec. Epiſt. 37. *Gladiatoribus licet arma ſummittere, miſericordiam populi tentare; tu neque ſummittes arma, nec vitam rogabis. Recto tibi, invictoque moriendum eſt.* Vel ab editoris. Cicer. Tuſc. Quæſt. II. 17. *Mittunt etiam vulneribus confecti ad dominos, qui quærant quid velint. Si iis ſatisfactum non ſit, ſe velle decumbere.* Dio LXXVII. p. 878. E. *Munus Nicomediæ præbuit die ſuo natali, in quo ferum victum quempiam e gladiatoribus ſupplicaſſe Antonino,* qui erat editor, *ut ſervaretur.* Populi ergo in arena præcipuum jus: & ad ejus voluntatem domini plerumque ſe conformabant. Intercedebat pro victis, læſisque. Seneca libro in ſapientem non cadere injuriam c. 16. Et jubebat interfici. Signum, converſus pollex. Juvenalis, Prudentius, Poeta vetus ἀνώνυμος. Si faveret, ſignum, preſſus pollex. Horat. Epiſt. I. 18. 65. V. hos omnes laudatos infr. in *Pollex.* Poſt hæc ſuffragia vulgi, ſi alba quidem, favensque ſententia, miſer ille mittebatur, ſed in eum diem, aut id munus duntaxat, ut cenſeo: ſin funeſta, boni gladiatoris erat decumbere, & libenter, fortiterque recipere ferrum. Id enim imperabatur, *recipe ferrum.* Cicer. pro Sextio. V. illum infr. in *Recipere.* Feritatis erat inauditæ, quod Lactantii ipſius verbis ponam: *Quinetiam,* inquit, *percuſſos, jacentesque repeti jubent, & cadavera ictibus diſſipari: ne quis illos ſimulata morte deludat.* Et ſupereſt alius ad ſævitiam gradus. Nam & manum mittebant in vulnus, & ſanguine velut ſe proluebant. Lamprid. Commod. c. 16. *Nam quum in gladiatoris occiſi vulnus manum miſiſſet, ad caput ſibi deterſit.* Illud prodigio habitum, non quod manum cruentaſſet, hoc enim ex more, ſed quod capiti ſuo admoviſſet: quaſi precatus ſibi, ſuoque capiti eadem. *Lipſ. ibid. c.* 22. *Thyſ. l. l.* Nec defuerunt, qui illorum ſanguinem ex ipſo vulneris hiatu biberent, calidum adhuc, ſpirantemque, contra morbum, fateor, ſed juſta deteſtatione Plin. XXVIII. 1. *cum plagis ne ferarum quidem admoveri ora fas ſit humana.* Lipſ. & Thyſ. l. l. Mercur. Gymn. III. 4. Anna Fabri in Victorem. Non ergo injuria in hanc feralem arenam illata, una cum reliquo apparatu, Libitinæ inſtrumenta, ut eſſet videlicet, quo mortui ſubito efferrentur. Quintil. Declam. 9. *Sonabant clangore ferali tubæ, illatisque Libitinæ thoris ducebatur funus ante mortem.* Plin. XXXVII. 3. ubi de gladiatorio munere Neronis: *Arma, & Libitina, totusque unius diei apparatus e ſuccino.* Ab hac re certa porta in amphitheatro, quæ Libitinenſis dicta. V. illam infr. in *Porta.* Lipſ. & Thyſ. l. l. Quanquam revera Imperatori, cum præſens, ſemper jus liberandi. Quinimo & ſolo ſuperventu ſuo. Ovid. Pont. II. 8. 53.

Cæſaris adventu tota gladiator arena
Exit, & auxilium non leve vultus habet.

Hæc liberatio miſſio dicta. Illius effectus, ut ab imminenti periculo, & in eum diem liberarentur. Mart. XII. 29. 7.

Nuper cum Myrino peteretur miſſio læſo.

Itaque ſine miſſione dare *gladiatores*, & ſine miſſione pugna, non aliud eſt, quam ad certam mortem dari, niſi vincas: jus non eſſe, vulneratos, ſupplicesque liberandi. Liv. XLI. 20. *Deinde ſæpius gladiatores dando, & modo vulneribus tenus, modo ſine miſſione etiam.* Flor. III. 20. 14. *Tandem eruptione facta, dignam viris obiere mortem: &, quod ſub gladiatore duce oportuit, ſine miſſione pugnatum eſt.* Id vetuit Auguſtus. Suet. c. 45. n. 7. *Gladiatores ſine miſſione edi prohibuit.* Reperti enim ſævi ſunt munerarii, qui omnes dabant in certam mortem. Qualem fuiſſe credimus Domitium avum Neronis, de quo jam ſupr. ex Suetonio. *Lipſ. ibid.* II. 21. *Caſal. de Urb. ac Imper. Roman. ſplend. part.* 2. *c.* 4. *Thyſ. de Gladiat. p.* 234. *Laurent. Polym.* IV. 9. *Fab. Sem.* II. 11. *Ptiſc. in Suetonium.* Occiſi unco per arenam trahebantur in ſpoliarium. Lamprid. Comm. c. 18. *Gladiatoris cadaver unco trahatur: gladiatoris cadaver in ſpoliario ponatur.* Et hoc idem cenſeo ſignificare Aur. Vict. Cæſ. n. 8. cum ſcribit: *At ſenatus gladiatoris more funus ferri decrevit.* Lipſ. de Amphith. c. 21. Sanguinem ex vulnere adverſarii bibebant, tanquam iis ad confirmandum animum, & vires efficaciter conferret, & cinerem pro medela potabant, quod retulit Plin. XXVIII. 1: XXXVI. 27. *Mercur. Gymnaſt.* III. 4. *Lipſ. Saturn.* II. 22. *Anna Fabri in Victorem.* Victi exſerebant digitum. V. ſupr. in *Digitus.* Emeriti arma ſua ſuſpendebant ad Herculis ſacra, videlicet ejuſmodi gymnaſiorum deo. Horat. Epiſt. I. 1. 4.

— Vejanius armis
Herculis ad poſtem fixis latet abditus agro.

Lipſ. ibid. c. 23. Turneb. Adv. V. 9: XXVI. 26. Laurent. de Adult. & metr. c. 3. Tomaſ. de Donar. c. 39. Cerda in Virg. Ecl. VII. 24. Victori præmia dabantur. Auguſtin. de Civit. Dei III. 14. *Pugnant etiam gladiatores, vincunt & ipſi: habet præmia laudis & illa crudelitas.* Dabatur palma. Suet. Calig. c. 32. n. 7. *Myrmillonem e ludo rudibus ſecum batuentem, & ſponte proſtratum confodit ferrea ſica, ac more victorum cum palma diſcucurrit.* Cicero, Livius, Lampridius. V. illos laudatos infr. in *Palma.* Etiam pecunia. Suet. Claud. c. 21. n. 10. *Nec ullo ſpectaculi genere communior, aut remiſſior erat, adeo ut oblatos victoribus aureos, prolataque ſiniſtra manu pariter cum vulgo voce, digitisque nume-*

numeraret. Xiphil. LXXII. p. 826. D. *Alii*, gladiatores, *in arenam descendentes exiguum aliquid accipiunt. Commodo e pecuniis gladiatoriis singulis diebus* 300. *sestertia dabantur.* Buleng. de Circo c. 55. Lipſ. Saturn. II. 23, Thyſ. de Gladiat. p. 235. Laurent. Polym. IV. 9. Caſal. l. l. Et veteranis, quaſi magiſterii ſignum: aut etiam novis in aliquo ſtrenuo facto, rudis. V. illam infr. in *Rudis.* Caſal. Lipſ. Thyſ. & Laurent. l. l. Submoti ſunt e toto orbe Romano a Conſtantino anno ab U. C. MLXVII. pæne ſexcentis, poſt inſtituta ea, annis. Sozom. Hiſt. Eccleſ. I. 8. *Apud Romanos tunc primum ſublatum gladiatorum ſpectaculum.* Euſeb. de Vit. Conſtant. IV. 25. *Vetuit gladiatorum cædibus pollui urbes.* Quin etiam nunc inſerta Juſtinianæo codici Conſtantini ipſa lex lib. XI. tit. 43. *Cruenta ſpectacula, in otio civili, & domeſtica quiete non placent. Quapropter omnino gladiatores eſſe prohibemus.* Et cum ſub Conſtantio, & poſtea ſub Theodoſio, ac Valentiniano rurſus irrupiſſent, votum imo & preces pro tollendis ad Honorium interpoſuit Prudent. contr. Symmach. II. 1113.

Quod genus ut ſceleris jam neſciat aurea Roma,
Te precor Auſonii dux auguſtiſſime regni:
Et jam triſte ſacrum jubeas, ut cætera, tolli.

n. 1121.

Arripe dilatam tua, dux, in tempora famam,
Quodque patri intereſt, ſucceſſor laudis habeto.
Ille Urbem vetuit taurorum ſanguine tingi:
Tu mortes miſerorum hominum prohibeto litari.
Nullus in Urbe cadat, cujus ſit pœna voluptas:
Nec ſua virginitas oblectet cædibus ora.
Jam ſolis contenta feris infamis arena,
Nulla cruentatis homicidia ludat in armis.

Et ſuſtulit ſane Honorius occaſione Telemachi cujusdam monachi, qui *gladiatores* Romæ pugnantes pio quodam ardore diducere conatus, a populo lapidibus obrutus fuit. De quo facto Theodoret. Hiſt. Eccleſ. v. 26. & Caſſiod. Tripart. x. 2. *Lipſ. ibid.* I. 12. *Caſal. l. l. Pagi Critic. Hiſtor-Chronol. in Annal. Baron. ad a. D. Jeſu* 357. §. 16.

Gladiator beſtiarius. V. illum ſupr. in *Beſtiarius.*

Gladiatores buſtuarii, quia ad buſta dimicabant, ſunt dicti. Servius laudatus ſupr. in *Gladiator.* Lipſ. Saturn. I. 8. Moreſtell. Pomp. Feral. VI. 8. Guther. de Jur. man. I. 26. Ferret. Muſ. Lapid. I. Memor. 26. Fab. Sem. II. 10. Laz. Comm. Reip. Rom. III. 18. Caſal. de Prof. Rom. rit. c. 26. Donat. Diluc. p. 730. Thyſ. de Gladiat. p 212.

Gladiatores catervarii non ſinguli cum ſingulis, ut moris, ſed confuſi, mixtique pugnabant, & per catervas. Suet. Cal. c. 30. n. 8. *Retiarii tunicati quinque numero gregatim dimicantes.* id eſt, velut catervatim. Dio XLIII. p. 225. C. *Viros quidem inter ſe commiſit, ut moris erat, ſingulos cum ſingulis: ſed tamen etiam majore numero in circo confertos dedit: equites cum equitibus, pedites cum peditibus pugnantes: alios vero confuſe, & permixtim, æquo utrimque numero.* Nec ab alia mente *catervarios pugiles* dicit Suet. Aug. c. 45. n. 5. *Lipſ. Saturn.* II. 16. *Laz. Comm. Reip. Rom.* x. 13. *Laurent. Polymath.* IV. 9. *Thyſ. de Gladiat. p.* 229.

Gladiatores conſummati dicebantur veterani, qui jam artis uſu diuturno occalluiſſent, ſive, ſi placet, rudiarii, rude donati, & emeriti. Plin. VIII. 7. *Poſtea ſinguli Principibus Claudio & Neroni in conſummatione gladiatorum.* Ita *milites conſummatos* dicit Frontin. IV. 3. 12. *C. Curius, cum victis ab eo Sabinis ex SCto ampliaretur ei modus agri, quem conſummati milites accipiebant.* Rhodig. Ant. Lect. XI. 11. Hæc abeunt a mente Plinii. Quem non aliter accipio, quam quaſi dixerit, in fine *gladiatorii* ſpectaculi; ut elephanti additi fuerint, ad concludendos finiendosque ludos: ſi ſinguli elephanti dimicaverint, cum *gladiatores* pugnare deſiiſſent. Poſſis etiam *conſummationem gladiatorum* accipere, cum conjuncti omnes, congregatique pugnant. *Conſummare* pro in ſummam colligere accipitur. Vitruv. I. 1. *Per arithmeticen ſumptus ædificiorum conſummantur, menſurarum rationes explicantur,* id eſt, in aſſem colligitur ſumma ſumptus & ædificationis. Et ita apud Frontinum intelligo *milites conſummatos*, qui in aſſignatione agrorum multi, ut v. g. viceni aut triceni, in ſingulas centurias agri, id eſt, in ducena jugera contribuuntur & conferuntur, & in unam ſummam colliguntur: ut ex eo agrorum modo pro portione accipiant: videlicet dena ſinguli, aut plura, aut pauciora jugera. *Turneb. Adv.* XXX. 33. *Lipſ. Saturn.* II. 16. *Dalechamp. in Plinium. Thyſ. de Gladiat. p.* 229.

Gladiatores crupellares erant toto corpore laminis tecti: ut ſunt hodie in haſtiludiis Germanorum *gladiatores*, qui tornizantes dicuntur, pede congredientes, qui olim mos e Gallia ad Romanos eſt tranſlatus. Tacit. Annal. III. 43. 4. *Quadraginta millia fuere, quinta ſui parte legionariis armis; cæteri cum venabulis & cultris, quæque alia venantibus tela ſunt: adduntur e ſervitiis gladiaturæ deſtinati, quibus more gentico continuum ferri tegmen, crupellarios vocant, inferendis ictibus inhabiles, accipiendis impenetrabiles.* Laz. Comm. Reip. Rom. x. 13. Mod. de Lud. & Spect. veter. II. 12. Non alibi ea vox lecta. Forſitan leg. *Clibanarios.* Lipſ. & Muret. in Tacitum.

Gladiatores cubicularii. De illis Lampr. Comm. c. 5. *In arena rudibus inter cubicularios gladiatores pugnavit lucentibus aliquando mucronibus.* Quos appellet *cubicularios gladiatores*, neſcio. Ex Dione LXXII. p. 826. B. quidem perſpici poteſt, quid velit hic Lampridius. Commodum nempe in arena & inter gladiatores rudibus pugnaſſe: domi vero & inter cubiculares ſuos, quos Græci κοιτωνίτας vocant, lucentibus & acutis gladiis batuiſſe, ita ut & quoſdam interficeret. Expungenda igitur vox *gladiatores*, & ita legendum: *In arena rudibus, inter cubicularios pugnavit. . . .* aut, *inter cubicularios gladiator pugnavit*, hoc eſt, *gladiatoris habitu.* Salmaſ. ad Lampridium. Ego legendum exiſtimo: *inter rudiarios:* nam qui *gladiatores* rude donati erant, hi jam non cogebantur ferro decertare, ſed ſola rude. Quanquam ſi quis *cubicularios* legat, non multum peccat: quod Imperator ille etiam *cubicularios gladiatores* habere potuerit: quanquam conjecturæ meæ non leve ſubſidium accedit ex hiſtoria Dionis, qui eum publice ſine ferro batuiſſe dicit, quod, ut dixi, rudiariorum eſt. *Turneb. Adv.* XXV. 17. Qui hæc dea non favente. Nam *gladiatores cubicularii* ſunt, qui in conviviis depugnabant, convivales *gladiatores.* Lamprid. Heliog. c. 25. *Gladiatores ante convivium pugnantes ſibi frequenter exhibuit.* Lampridium diſtinctione juvo: *In arena rudibus; inter cubicularios gladiatores pugnavit. . . .* Nam & Dio illum in publico ſine ferro, domi gladiis, & ad cædem uſque dimicaſſe commemorat. *Lipſ. Saturn.* I. 6. *Caſaub. in Lampridii Heliogabalum.* In convivium receptos fuiſſe *gladiatores* V. ſupr. in *Gladiator.*

Gladiatores fiſcales ſunt, qui in Cæſaris bonis, & fiſco. Capitol. Gordian. c. 33. *Fuerunt ſub Gordiano Romæ gladiatorum fiſcalium paria mille.* Principes ipſi proprios, & peculiares habebant *gladiatores*, ad inſtruendum ſuas populique voluptates. Illos Cæſaris *gladiatores* dixit Arrian. Diſſert. I. *At in Cæſaris gladiatoribus quidam ſunt, quibus moleſtum eſt non produci, non componi.* Lipſ. Saturn. II. 16. Salmaſ. in Spartian. Adrian. c. 19. Guther. de Offic. Dom. Aug. III. 35. Thyſ. de Gladiat. p. 228. Laurent. Polymath. IV. 9.

Gladiatores hordearii vocabantur, quia antiquitus hordeo victitabant. Plin. XVIII. 7. *Antiquiſſimum in cibis hordeum, ſicut Athenienſium ritu Menandro auctore apparet, & gladiatorum cognomine, qui hordearii vocabantur.* Mercur. Gymnaſt. III. 4. Nonn. de Re cibar. I. 7. Stewech. in Veget. I. 14. Hering. de Molendin. q. 2. 23. Sed mihi anceps adhuc ſententia ejus loci: dicam & lectio. Ideon' evincas hordeum antiquiſſimum in cibo Romano, quia *gladiatores* ab eo dicti? atqui tota *gladiatura* non veteris Romæ inventi. Sed nec credo eo uſos. Male alibilis is panis, flatus genitor, malique coloris. Ideoque ignominiæ cauſa militibus datus qui deliquiſſent. Inter viliſſima genera eum habet Senec. Epiſt. 18. *Non enim jucunda*

res

res aqua & polenta, aut frustum hordeacei panis. Quæ omnia contraria sunt *gladiatoriæ* huic saginæ. Nec tamen Plinii verbis quid faciam habeo sine libris. *Lips. Saturn.* I. 14. *Thys. de Gladiat. p.* 219.

Gladiatores meridiani. V. illos infr. in *Meridiani.*

Gladiatores ordinarii sunt artifices viliores, non legitimi, inexerciti, insuaves. Festus: *Ordinarius homo scurra & improbus, qui assidue in litibus moratur, ob eamque caussam in ordine stat pratorem adeuntium, sive dictus per contrarietatem, quia minime ordine vivit.* Pius Annot. post. c. 190. Ego accipio *gladiaturæ* in primis peritos, suoque apparatu, & ritu instructos, qui digladiaturi producerentur spectatorum voluptati, quique ex constitutione, vel consuetudine exhiberi soliti erant. Sicuti ordinaria sunt Ictis, quum fundus quotannis tantum præstare domino, vel principi debet. Extraordinaria vero, quæ præter morem ex inopinato inducuntur. Senec. de Ira III. 31. *Dedit duodecim fasces, sed non fecit ordinarium consulem.* Ordinarii vero consules opponuntur suffectis. Est & judex, qui ordinarius dicitur. Eum verò intelligunt, qui jure suo, vel Principis beneficio universam jurisdictionem exercere potest. *Rhodig. Ant. Lect.* XI. 10. Et ego lectos, qui legitimo tempore, & apparatu inducuntur. Senec. Epist. 7. *Hoc plerique ordinariis paribus, & postulatitiis præferunt.* Et *ordinarios pugiles* Aug. c. 45. n. 5. dicit Suetonius. *Lips. Saturn.* II. 16. *Thys. de Gladiat. p.* 229. *Laurent. Polymath.* IV. 9.

Gladiatores pegmares vocabantur, qui in pegmate voluptatis causa pugnantes, felici quodam sidere superstites ei spectaculo erant. Suet. Calig. c. 26. n. 9. *Remoto ordinario apparatu. . . . gladiatores pegmares subjiciebat.* Tales *de ruina arena dimisisse* dicitur apud Petron. c. 9. *Buleng. de Theatr.* I. 36. *Ven. circ. c.* 34. *Philand. in Vitruv.* IX. 7. *Argol. in Panvin. de Lud. Circens.* II. 3. *Lips. Saturn.* II 14. *Thys. de Gladiat. p.* 228. *Laurent. Polymath.* IV. 9. *Casaub. Beroal. & Pitisc. in Suetonium.*

Gladiatores piscinenses vocabantur, qui in piscinis exercebantur, atque pugnabant. Erat enim piscina Romæ publica, ad quam natatum, & exercitationis causa veniebant. Suet. Ner. c. 27. n. 2. *Epulas a medio die ad mediam noctem protrahebat, refotus sæpius calidis piscinis, ac tempore æstivo nivatis.* Et huc pertinet Mart. III. 44. 13.

Piscinam peto, non licet natare.

Laz. Comm. Reip. Rom. X. 13. Mod. de Lud. & Spect. vet. II. 21.

Gladiatores postulatitii vocabantur, qui postulante populo, præter ordinarios, & consuetos principis benignitate consueverant. Cæsariani hi erant, & eximii viribus, arte, ornatu: sæpeque postulari a populo solebant, velut muneris auctarium & ornamentum. Seneca laudatus in *Gladiatores ordinarii.* Suet. Dom. c. 4. n. 3. *Quæstoriis muneribus ita semper interfuit, ut populo potestatem faceret bina paria e suo ludo postulandi, quæ novissima aulico apparatu induceret.* Aug. c. 44. n. 8. *Ut pontificalibus ludis pugilum par postulatum distulerit in sequentis diei tempus matutinum. Aulico apparatu* dicit Suetonius, id est, non vulgari, quo alii a lanistis arcessiti, sed aliquanto exquisitiore, ut ex aula Principis producti videri possent. Illum *pompalem* dicit Treb. Poll. Gallien. c. 8. *Gladiatores pompabiliter ornatos, cum auratis vestibus matronarum.* Forte auro ornati fuerunt. Spartian. Adrian. c. 17. *Trecentos noxios cum auratis chlamydibus in arenam misit.* Nominatim enim hunc illumve in pugnam solebant flagitare, sive manu, sive scelere notum. Mart. Spect. XX. 1.

Cum peteret pars hæc Myrinum, pars illa Triumphum:
Promisit pariter Cæsar utraque manu.

Rhodig. Ant. Lect. XI. 10. Lips. Saturn. II. 16. Rader. in Martialem. Pitisc. in Suetonii Augustum. Thys. de Gladiat. p. 229. Laurent. Polymath. IV. 9.

Gladiatores subditicii, vel supposititii dicebantur, qui fesso *gladiatori*, aut victo sufficiebantur, & contendebant cum victore. Mart. V. 25. 8.

Hermes suppositicius sibi ipse.

Græci vocant ἔφεδρον. Plutarch. in Syll. p. 470. C. *At postrema pugna Telesinus Samnis,* καθάπερ ἔφεδρος ἀθλητὴς, *tanquam succenturiatus, suffectusque athleta, defesso jam Syllæ comparatus, haud multum abfuit, quin eum ad portas urbis Romæ funderet, prosterneretque.* Substituebatur autem sæpe unus, alter, tertius. Unde in glossis: Ἔφεδρος, *tertiarius.* Dio. Carac. LXXVII. p. 873. C. *Gladiatorum sanguine inprimus delectabatur: & ex iis Batonem quendam, cum tribus ex ordine eodem die pugnare jussit.* Lactant. VI. 20. *Irascuntur etiam pugnantibus, nisi celeriter alter e duobus occisus est, & tanquam humanum sanguinem sitiant, oderunt moras: alios illis compares dari poscunt recentiores.* Hos sors decidebat. Plin. Epist. VIII. 14. 22. *In spectaculis sors aliquem seponit, ac servat, qui cum victore contendat.* Stat. Sylv. III. 1. 139.

Jam placidæ dant signa tubæ, jam fortibus ardens
Fumat arena sacris.

Lips. Saturn. II. 14. Laurent. Polymath. IV. 9. Thys. de Gladiat. p. 227. Cellar. in Plinium.

Gladiatores victores dicebantur, nescio an γενικῶς, & ab effectu; an cognomine certo, & discernendi causa. Plin. XXXVI. 15. *Raptusque e contrario repente pulpitis, eodem die victores e gladiatoribus suis produxit.* Et in lapide veteri:

HIC. PRIMUS. ET. SOLUS. VI-
CTORES. CAMPANIÆ. PRÆ-
TIIS. ET. ÆSTIM. PARIA.
GLAD. EDIDIT.

Lips. Saturn. II. 16. Thys. de Gladiat. p. 229.

Gladiatores Hoplomachos, Mirmillones, Retiarios, Thraces, Xysticos V. singulos infr. suis locis.

Gladiator etiam vocatur spectaculum, sive munus *gladiatorium.* Cicer. Attic. II. 1. *Quærit ex me, num consuessem Siculis locum gladiatoribus dare?* II. 24. *Ut in foro gladiatoribus Gabinii Pompejum adorirentur.* I. tempore ludorum, quo *gladiatores* a Gabinio exhibebantur. *Lips. Saturn.* I. 7. *Palmer. Spicil.* VII. *Tom.* IV. *Thes. Crit. Gruter. p.* 724. *August. de Leg. in Tullia.*

Gladiator quoque appellatur *gladiorum* confector, is, qui *gladios* facit, μαχαιροποιός. Tarrunt. Patern. l. 6. ff. D. de jur. immun. *Quibusdam aliquam vacationem munerum graviorum conditio tribuit: ut sunt mensores, gladiatores. . . .* Lips. Saturn. I. 7. Panciroll. de Corp. art. §. 35.

GLADIATORIUM est merces *gladiatorum*, quia multi olim ingenui operas suas arenæ certa mercede locabant. Liv. XLIV. 31. *Deinde in custodiam C. Cassio tribuno militum traditus, vix gladiatorio accepto decem talentis ab Rege Rex, ut in eam fortunam recideret.* Sensus enim est, pluris conduci *gladiatorem*, quam quanti in bellum Gentius conjectus est. *Turneb. Adv.* XXIX. 7. *Lips. Saturn.* I. 7.

GLADIUM *invenerunt Curetes.* Diodor. V. p. 231. A. Claud. Eutrop. II. 281.

Curetumque alacres ad tympana suscitat enses.

Rapt. Proserp. II. 269.

Seu tu sanguineis ululantia Dindyma Gallis
Incolis, & strictos Curetum respicis enses.

Pignor. Magn. deum matr. init. Thes. Ant. Græc. Gronov. Tom. VII. p. 513. F. Ex humero suspendebant, & ad latus demittebant. Homer. Iliad. II. 45.

Circum humeros jecit clavis gladium argentatis.

Virg. Æneid. VIII. 459.

Tum lateri, atque humeris Tegeæum subligat ensem.

Nec id Heroum modo seculo, sed obtinuit postea: atque adeo apud Romanos. Claud. in prim. Stilich. consul. II. 91.

Gestatosque patri capulis radiantibus enses.

Lips. in Tacit. Annal. I. §. 157. Cerda in Virgilium. Feith Ant. Hom. IV. 9. Thys. Rom. Illustr. III. p. 76. Ponebant venienti magistratui honorem exhibituri. De congressu Pompeji & Tigranis Plutarch. Pomp. p. 637. A. V. illum

infr. in *Lictor.* Nemini, præter militibus *gladio* moribus Romanis licebat incedere. Et his concessum fuisse existimo eos, qui milites non essent, tali aliquo cinctos prodire visos exarmare, & malo insuper mactare. Petron. c. 82. *Hæc locutus gladio cingor latus, mox in publicum prosilio, furentisque more omnes circumeo porticus. . . Notavit me miles: &, quid tu, inquit, commilito, ex qua legione es, aut cujus centuria? Cum constantissime, & centurionem, & legionem essem ementitus: age ergo, inquit ille, in exercitu vestro phæcasiati milites ambulant? Cum deinde vultu, atque ipsa trepidatione mendacium prodidissem, ponere jussit arma, & malo cavere.* Ejus amissi ignominia magna erat. Apul. Met. IX. p. 310. *Placuit, ut ipse se contubernio absconderet: nam præter propriam contumeliam, militaris etiam sacramenti genium, ob amissam spatham verebatur, ipsi autem, signis nostris enotatis, investigationi, vindictæque sedulam darent operam.* Barth. Adv. LIII. 9. Erat etiam inter insignia prætoris, ad significandam quæstionem. Cyprian. Epist. 11. *Sectis inter ea discordantium rabies, & inter togas pace rupta forum litibus mugit insanum. Hasta illic, & gladius, & carnifex præsto est.* Sigon. de Judic. I. 7. & præfecti prætorio. Ita de Plautiano, qui prætorias cohortes sub Imperatore Severo rexit, Herod. III. 11. 3. *Ensem gestabat, cæteraque omnia supremæ dignitatis insignia.* Dio LXVIII. p. 778. B. *Trajanus Suram Licinium ad præfecturam prætorianam promoturus, gladiumque, quo eum ob dignitatem accingi oportuit, præbiturus vagina eduxit, atque ipsi porrigens: accipe, inquit, hunc gladium, ut si bene imperavero, pro me: sin male, in me utaris.* Et Nymphidius Sabinus sub Galba præfectus prætorio Tigellino collegæ imperat, *ut gladium poneret*, & potestate, cujus *gladius* insigne erat, se abdicaret. *Faber Semestr.* I. 3. Romanorum qualis fuerit, his verbis tradit Polyb. VI. 21. *Una cum scuto ensis pendet, ad dextrum femur, Hispaniensem vocant, mucrone eximio, defertur violenter, eo quod obeliscus ejus firmus, stabilisque existit.* Horat. Epod. VII. 1.

> *Quo, quo scelesti ruitis? aut cur dexteris*
> *Aptantur enses conditi?*

Stewech. in Veget. I. 19. Hoc novum est nostris moribus, & videntur esse quæ resistant. Primum, quomodo facilis ea eductio? quomodo vagina inibi non impedimento ad pugnam? Sed & Joseph. Excid. III. contra de ipsis Romanis: *Pedites utrimque gladium gestant. Longiorem quidem illum ad sinistrum latus: nam qui ad dextrum est, palmi, sive duodecim digitorum mensum non excedit.* Nonne clare longiorem, id est, Hispaniensem istum ad lævam ponit? Et cum eo Sidon. carm. II. 393.

> *—— bullis hostilibus asper*
> *Applicat a leva fulgentem balteus ensem.*

Amplius, sub ipsum Polybii ævum nummos reperio, in quibus sunt sinistri. Hæc cum ita sint, olim dubitavi, ecquid ista Polybii vera satis, aut sana. Nunc minime, & eo descendo, ut mutasse hanc rem censeam, & aliter atque aliter gestasse. Certe, quin Josephi, id est, Flaviorum ævo fuerint sinistri non est ambigendum, cum gladioli, aut parameria introducta. Etsi parum etiam firmiter. Nam ecce in columna Trajani plerosque militum cinctos iterum pro prisco ritu dextros video, idemque in Antonini: etsi Imperator tamen ipse, & tribuni habent fere sinistros. Omnino variavit ea res. Et cur in Romanis ita miremur, quod non in Gallis? Nam ii quoque certo dextros gestarunt, quod Strabo, & Diodorus clare scribunt. Atqui incommoda eductio. Non in Romanis quidem, qui nec longi nimis erant, & ab humero, non a medio cingulo pendebant. *Lips. de Milit. Rom.* III. *Dial.* 3. *Anal. ad Milit. p.* 280. *Lydius de Re milit.* III. 8. *Cluver. Germ. Ant.* I. 44. *Caroli Antiq. Roman.* III. 6. *Thys. Rom. Illustr.* III. *p.* 76. *Kipping Antiq. Roman.* III. 2. I. Ejus traditio imperium in aliquem collatum denotabat. Senec. de Clem. I. 2. *Præstitisti, Cæsar, civitatem incruentam. . . quo majus mirabiliusque est, quod nulli unquam gladius citius commissus est.* Dio XLII. de Antonio Julii Cæsaris equitum magistro scribit, eum *gladio*, quo accingebatur, militum stipantium multitudine, & ipsis inprimis actionibus demonstrasse penes unum esse totam rerum summam. Inferiores a Regibus, & Imperatoribus accipiebant. V. Trajanum Suræ prætorio præficientem modo laudatum. *Lydius l. l. Faber Semest.* I. 3. *Demster. Paralip. ad Rosin. Antiq. Roman.* X. 10. Et depositio regni atque imperii privationem designabat. Plutarch. in Pompej. p. 637. A. Tigranem præmonitum a militibus Pompeji *gladium exuisse, iisque tradidisse* scribit. Tacit. Annal. XV. 31. 1. de Tiridate Parthorum Rege. *Quippe propriis nuntiis a Corbulone petierat, ne quam imaginem servitii Tiridates perferret, neu ferrum traderet.* Modius in Liv. XXXIII. 44. Lydius l. l. Illis suæ olim fuerunt inscriptiones, quæ nomen ejus, qui gestabat, aut Imperatoris, cui militabat, exprimebant. *Ensiculi* literati meminit Plaut. Rud. IV. 4. 112. V. illum supr. in *Crepundia.* Toleti in cœnobio Hieronymianorum asservatur ensis, quem Ægydius de Albornoz Cardinalis & Archiepiscopus Toletanus Roma illuc attulit, in cujus altera facie antiquis characteribus scriptum cernitur: NERONIS CÆSARIS MUCRO. Dehinc recentioribus literis alteri faciei inscriptum: QUO PAULLUS TRUNCATUS CAPITE FUIT. Petrus de Alcocer Histor. Tolet. II. 27. *de Roa Singular.* II. 3. 12. *Lydius l. l.* In Imperatorum oculis ensem nudare non fuit fas cuiquam. Præfectus quidem prætorio, ipsique milites prætorii ferro accincti, sed apud Imperatorem stringere capital fuit. *Buleng. de Imper. Rom.* II. 16. Illo sese invicem salutare mos fuit militum. Lucan. IV. 174.

> *—— tenuere parumper*
> *Ora metu: tantum nutu, motoque salutant*
> *Ense suos.*

Stat. Theb. XII. 400.

> *—— teque ille acie respexit ab ipsa*
> *Ense salutatam, & nutantis vertice coni.*

Claud. de Salutat. c. 9. Loco aliquo publico, aut sacro, ad continuandam famam, & gloriam eorum apud posteros, qui illo rem strenue gesserant, custodiebantur. Sic Martis bellicosissimi quondam Thracum Regis ensis servatus legitur usque ad tempora Attilæ Hunnorum tyranni. Juvencus Calanus in historia ejus: *Processit in Scythiam, Regemque Scytharum sibi tributarium reddidit. Apud quem invenit gladium Martis, qui fingitur deus fuisse bellorum, eo quod truculente bellator Scythas perdomuit, & apud eos regnasse perhibetur. Cujus gladii munere gratulatus, ut erat magnanimus, quasi sibi totius orbis offerretur imperium, Martis gladium præ se, quacunque iter arripuisset, ferens.* Barth. Adv. XIX. 12. Lydius l. l. Destinati alicui facinori, aut per quos memorabile aliquid patratum erat, consecrabantur. Tacit. Annal. XV. 74. 3. *Ipse eum pugionem apud Capitolium sacravit, inscripsitque Jovi vindici.* Dio LXXVII. p. 880. B. *Gladium, quo fratrem interfecerat, deo consecrare est ausus.* Suetonius supr. in *Elogium.* Casaub. in Suet. Calig. c. 24. Lips. in Tacit. §. 160. de Roa Singul. I. 7. I. Reines. Epist. 19. Ryq. de Capitol. c. 28. Lydius l. l. Schill Nomencl. Philol. p. 550. In circo fuit loco metarum. Serv. Georg. III. 18. Æneid. VIII. 636. *Circenses sine ludorum adjectione dicti sunt, vel a circo eundo, vel a circuitu, vel ab ensibus, quod exhibebantur in circuitu ensibus positis. Ubi enim nunc metæ sunt, olim gladii ponebantur.* Nam cum rudis vetustas loca hujusmodi ludis apta nondum ædificasset, eos locis virentibus, atque herbosis, in littore fluminum agebat, in altera parte positis *gladiis*, ita ut enses aliquando, & flumina: vel ubi non erant flumina, enses tantum metarum locum obtinerent. *Panvin. de Lud. Circens.* I. 4. Et illo in reos animadvertebatur. Ulpian. in l. aut damnum ff. de pœn. *Vita adimitur, ut puta, si damnatur aliquis, ut gladio in eum animadvertatur. Sed gladio animadverti oportet, non securi, vel telo.* August. Serm. de Cypriano: *Cum enim Galienus Maximus decretum ex libello recitasset, in Tascium Cyprianum gladio animadverti placet.* Brisson. de Form. V. p. 483. Illumque dederunt statuis, vel strictum in manu, vel appensum. De

stricto

ſtricto *gladio* in manu Junii Bruti Plutarch. Brut. p. 984. A. *M. Brutus genus ſuum ab Junio Bruto deduxit, quem priſci Romani æreum inter Reges in Capitolio poſuerunt, cum enſe ſtricto. Gladio* accinctam Domitiani ſtatuam docet Stat. Sylv. I. I. 43.

> —— *latus enſe quieto*
> *Securum: magnus quantum mucrone minatur*
> *Noctibus hibernis, & ſidera terret Orion.*

Figrel. de Stat. Rom. c. 21. *Gladii* ſupplicium fuit ignotum reipublicæ priſcæ: etiam in militia. Ideo Lucanus VIII. 672. mox laudandus. Cœpit ſub Imperatoribus, ſtatimque in creberrimo uſu. *Lipſ. in Tacit. Annal.* XV. *n.* 146. *Cuper. in Lactant. c.* 22. Eo ſenſu Lucani locus non eſt accipiendus. Nam non voluit poeta, vel crebro, vel raro homines decollatos: ſed ſenſus eſt, quum ætate, qua ſcripſit, eo ars perveniſſet, ut celeriter, & uno ictu res perageretur; aliter olim in morte Pompeji viſum, quum nondum artis eſſet caput enſe rotare, unde diu, ac variis ictibus fuit vexatus. Quod patet ex præcedentibus, colla ponit Pompejus in obliquo tranſtro,

> *Tunc nervos, venaſque ſecat* Septimius, *nodoſaque frangit*
> *Oſſa diu: nondum artis erat caput enſe rotare.*

Sub Imperatoribus perfecte hoc artificium inventum, etiamſi antea jam diu uſitatum; cum hac tamen differentia, ut ſub Imperatoribus demum didicerint artem uno ictu caput amputandi, cum Reipublicæ temporibus cervices tantum inciderentur: unde ſæpiſſime *jugulum præbere*, ex quibus quoque patet Reipublicæ priſcæ ignotum non fuiſſe. *Sichterman. de Pœn. milit. c.* 6. Honeſtior fuit quam pœna ſecuris, ab eaque mente illam Antonini Caracallæ vocem capio apud Spartian. c. 4. & Dion. LXXVII. p. 872. D. cum ſecuri Papinianus occiſus eſſet, *gladio te exſequi oportuit meum juſſum.* Et eleganter Xenoph. de Expedit. Cyri II. p. 293. A. *Poſt aliorum prætorum cædem, damnatus a Rege interiit* Meno Theſſalus. *Non ut Clearchus, aliique duces, capite a cervicibus ablato, quod pulcerrimum mortis genus cenſetur. . .* Liv. VII. 15. *Nec in acie tantum ibi cladis acceptum, quam quod trecentos ſeptem milites Romanos captos Tarquinienſes immolarunt: qua fœditate ſupplicii aliquanto ignominia populi Romani inſignior fuit.* Cur tantæ ignominiæ hoc mortis genus haberetur, modus efficiebat, quem aperit paucis verbis Flor. II. 5. 3. *Legatos quippe noſtros, ob ea quæ deliquerant jure agentes, nec gladio quidem, ſed ut victimas ſecuri percuſſit.* Faber Semeſtr. I. 4. Lipſ. & Cuper. l. l. Caſaub. in Suet. Aug. c. 15. n. 2. Sed a viris doctiſſimis nulla adſertur auctoritas, quæ hanc ſecuris præ *gladio* fœditatem poſſit probare. Caracallæ verba in utramque partem poſſumus accipere, aut quod vel in morte exhibitum honorem Caracalla Papiniano inviderit, aut quod ſupremo illo honore invidiæ flammam aliqua ex parte reſtinguere optaverit. *Valtrin. de Re milit. Roman.* VI. 8. *Sichterman. l. l.* Locus ex Xenophonte adductus, ſi aliunde honeſtas probata fuiſſet, illuſtrare quodammodo potuiſſet, nihil tamen probat, cum hic de Romanis ſermo ſit, auctor vero Græcus de Græcis loquatur. A Livio *fœditatem ſupplicii*, relative ad *gladium*, ut honeſtius ſupplicii genus dictum non mihi liquet; potius, quod D. manibus ſuorum immolati erant, *ignominiam* vocaſſe puto. Flori locus forſan per anticipationem ſcriptus. Sed ſi ex eo ſecuris pœnam turpiorem *gladii* fuiſſe concedamus, neceſſe eſt ut cadat Lipſii ſententia, *Reipublicæ priſcæ gladii ſupplicium fuiſſe ignotum*, nam quomodo ſecuris *gladio* honeſtior dici potuit a Floro, ſi tunc nullus *gladius*, nullumque *gladii* ſupplicium? Omitto, quod ante Imperatores ſæpius *gladio* in milites fuiſſe animadverſum doceat Hirt. de Bell. Afric. & Hiſpan. *Sichterman. l. l.* Sumptum eſt a ſpeculatoribus. V. infr. in *Speculator.* An etiam a tribunis. V. infr. in *Tribunus.* Scuto miſſo *gladiis* ſtrictis interdum pugnabant Romani. Cæſ. de Bell. Gall. I. 25. *Multi ut diu jactato brachio, præoptarent ſcutum manu emittere, & nudo corpore pugnare.* De pugna inter Magnentianos, & Conſtantini exercitum Julianus Imperator Orat. II. p. 59. *Abjectis clypeis diſtrictis enſibus irruere.* Cæſ. de Bell. Gall. I. 52. *Rejectis pilis cominus gladiis pugnatum eſt.* Spanhem. in Julian. Orat. p. 240. b. m.

Gladius Hiſpanienſis vocabatur, quod eum ab Hiſpanis Romani mutuati eſſent: utrinque enim punctim magis quam cæſim feriebant. De Romanis Veget. I. 12. *Præterea non cæſim, ſed punctim ferire diſcebant.* De Hiſpanis Liv. XXII. 46. *Gallis Hiſpaniſque ſcuta ejuſmodi formæ fere erant: diſpares, ac diſſimiles gladii: Gallis prælongi, ac ſine mucronibus: Hiſpano punctim magis quam cæſim aſſueto petere hoſtem, brevitate habiles, & cum mucronibus.* Eadem habet Polyb. III. 114. Illumque deſcribit VI. 21. *Imperant gladium quem vocant Hiſpanienſem, habetque mucronem eximium, & ictum utrinque vehementem, quoniam lamina ejus firma et ſtabilis.* Valtrin. de Re milit. Rom. III. 12. Brod. Miſcell. I. 40. Patric. Rei milit. Rom. part. 5. ſect. 5. Thyſ. Rom. Illuſtr. III. p. 76. Kipping. Antiq. Roman. III. 2. I. Ejus in pugna Manlii illa veteri cum Gallo meminerunt Liv. VII. 10. *Hiſpano cingitur gladio, ad propiorem habili pugnam.* & Gell. IX. 13. *Gladio Hiſpanico cinctus contra Gallum conſiſtit.* Et Hiſpanicum vocant, non quia reipſa talis eſſet, cum Romani nec in Italia ſua domini etiam eſſent; ſed quoniam Manlius eques, depoſita parma, & longiore ſuo *gladio*, qui equitum erat, ſumpſit pedeſtre ſcutum, & *gladium* breviorem, Hiſpanicum poſtea dictum. Ad tempora enim Hannibalis, & belli Punici II. cum ſcilicet Romani vires, & conſtantiam experti militiæ Hiſpanicæ hunc enſem aſſumpſerunt, apud Suidam refert ſcriptor incertus: *Celtiberi paratura gladiorum longe aliis antecellunt: nam & mucronem validum habent, & ictum potentem ex utraque parte. Quare & Romani uſitatos, & patrios gladios deponentes, a temporibus Hannibalis iſtos Hiſpanorum aſſumpſerunt.* Lipſ. de Milit. Rom. III. 3. Thyſ. l. l. Fuit brevis, & duos pedes in lamina non explevit: vi tamen, & firmitate maxima; nam galeas diviſas, corpora detruncata brachiis abſciſſis, aut tota cervice deſecta legimus. Erat ergo forma, & facies *gladii*, qualis fere eſt hodie noſter equeſter: apparet ita in noſtris monumentis priſcis: & ſi in iiſdem etiam acie ſimplici, & ſuperne leviter pandus, ad orientalem & Turcicam formam. *Thyſ. ibid. p.* 77.

GLANS fuit cibus veterum. Plin. Procem. XVI. *Prodita erat mirare glandiferas arbores quoque, quæ prima victum mortalium aluerunt.* Ovid. Faſt. IV. 399.

> *Poſtmodo glans nata eſt: bene erat jam glande reperta:*
> *Duraque magnificas quercus habebat opes.*

Hiis e fago lectis victu primus inſtituit Pelaſgus in terra Arcadica natus. Hæc victus ratio etiam apud poſteros ejus uſurpata fuit, ita ut Pythia, cum Lacedæmonios a terra Arcadica abſtinere juberet, hos proferret verſus:

> *Glandivori opponent ſeſe tibi in Arcade terra.*

Laurenb. Græc. Ant. Theſ. Ant. Græc. Gronov. IV. 45. A. Stuck. Ant. Conv. II. 8. Rhodig. Ant. Lect. XVI. 3. XVIII. 9. Bruyer. de Re cibar. XI. 42. Broukh. in Tibullum mox laudandum. Cœpit contemni, poſtquam Cereris beneficio terra novis frumenti ſeminibus locupletata luxuriavit. Ovid. ibid. n. 401.

> *Prima Ceres homini ad meliora alimenta vocato*
> *Mutavit glandes utiliore cibo.*

Tibull. II. I. 37.

> *Rura cano, rurisque deos: his vita magiſtris*
> *Deſuevit querna pellere glande famem.*

talcque fuit mortalium in *glandiferas* quercus odium, ut inde natum ſit illud, *ſatis quercus.* Menetrej. Symbol. Dian. Epheſ. ſtat. explic. Theſ. Gronov. Tom. VII. p. 376. De *glande* legenda Ulpian. ad edictum LXX. l. un. de gland. leg. ſcripſit. *Ait prætor glandem, quæ ex illius agro in tuum cadat, quo minus illi tertio quoque die legere, auferre liceat, vim fieri veto. Glandis nomine omnes fructus continentur.* Plin. XVI. 5. *Cautum eſt lege* XII. *tabularum, ut glandem in alienum fundum procidentem liceret colligere.* Auguſtin. ad Leg. XII. tab. §. 43. Rævard. ad Leg. XII. tab. c. 28. Rittersh. ad Leg. XII. tab. Claſſ. III. p. 2. c. 9.

G[illegible] e[illegible]im est plumbum i[illegible] modum glandis informatum. Sall[illegible]. [illegible] *fu[illegible]* III. *Rom[illegible]ni pro ingenio quisque, pars e[illegible] gl[illegible] [illegible]s pu[illegible]* c. N[illegible] XVIII. 6 *Glandes* plumb[illegible] [illegible] fundi [illegible] veteres. Prop. IV. 3. 65.

Pl[illegible] [illegible] si [illegible]guntur pondera fundæ.

Ov.d. [illegible]

Ne[illegible] [illegible], quam cum Balearica plumbum
Funda jac[illegible].

Ly[illegible]. de Re milit. III. 1. Lipf. Poliorc. IV. 2. Barth. Adv. XXIII. 20. Qu[illegible] armorum genus fuerit, ignoratur. Sciendum t[illegible]men est, eam corporibus [illegible] potuisse. Liv. XXXVIII. 21. *Iidem cum aculeus [illegible], [illegible] gl[illegible] [illegible] introrsus tenui vulnere in speciem [illegible], & scrutantes quæ vel[illegible]t, telum non sequitur.* Ex quibus verbis apparet, eam habuisse aculeum, quo corpus penetrare posset; vel, si habuit formam *glandis*, vel globi sclopetarii, magna fanc vi op[illegible]tet tormento excussam fuisse. Id vero qua ration[illegible] factum sit, apud nullum scriptorem reperire potui. *Patric. Rei milit. Rom. part.* 5. *sect.* 1.

GLAREA & silex quardoque eandem rem notant, qu[illegible]doque diversas, & contrarias. Licet enim parvuli [illegible] calculi leves, & quasi politi, qui sive integri, sive [illegible] dispersi reperiuntur per terræ superficiem, re[illegible], [illegible]que suæ ingenio sint silices, tamen in viarum materia sæpissime opponuntur silicibus, quorum nomen ob molis suæ parvitatem amittunt, & differentia[illegible] *glareæ* accipiunt. Tib. I. 8. 57. V. illum infr. in *Via Tusculana*. *Siliceos lapides* dicit Procop. de Bell. Goth. I. & intelligit durum, asperumque lapidem, & e rupibus, non illum minutum, & tenuem, quem vulgo vocamus, & qui in *glaream* potius venit. *Glarea* itaque media est inter arenam & silicem, & minus ad terræ naturam accedit q[illegible]am arena, minus etiam ad naturam saxi quam silex: ade[illegible], ut forsan dicere liceat, esse instar arenæ crassioris, & instar minutorum silicum. *Bergier. de viis milit.* II. *Sect.* 3. *Lipf. de Magn. Rom.* III. 10. *Barth. Adv.* III. 4.

GLAUCUS piscis nulla in re apro erat inferior, cœnarum vel præcipuus fundus. Caput erat in honore. Pollux VI. 9. 3. *Glauci cerebrum, quod erat lautum & nobile.* Anaxandrides Comicus:

Qui primus invenit magni pretii exsecta grandia
Glauci ora.

Quod adeo apud omnes notum fuit, ut in parœmiæ locum pæne abierit. Antiphanes:

—— difficilius cœpta deseram
Quam Callimedon glauci abjiciat caput.

Archestratus prædicat optimos Olynthios, & Megarenses, Ennius Surrentinos.

Surrenti fac emas glaucum Cumas apud.

Optimi hy[illegible] no[illegible]erant tempore; nam æstivo latere testatur Ov.d. Halieut. n. 117.

Et nunquam æstivo conspectus sidere glaucus.

Nonn. de Re cibar. III. 28. Buleng. de Conviv. II. 30.

GLE.

GLEBA dicitur *glebalis functio*. C. lib. 6. tit. 2. *Glebam possessionum, non personarum esse perspicimus.* Synef. Epist. *Et an[illegible]quam glebam senatus vectigalem excipiens.* Oblationis genere quodam a senatoribus exigebatur, sicut aurum coronarium a decurionibus, aut argentum a negotiatoribus. Dicitur *glebale* aurum, pensio, descriptio, collatio, præstatio *glebalis*, aurum oblativum, follis senatorius, *gleba* senatoria C. lib. 6. tit. 2. *Buleng. de Vectig.* c. 67.

Glebæ injectio justam, & plenam faciebat sepulturam, & ab illa sepulcrorum vel religio, vel sanctitas statim incipiebat. Cicer. de Leg. II. 22. *Priusquam in os injecta gleb[illegible] est, locus ille, ubi crematum est corpus, nihil habet religionis, injecta gleba tumulis, & humatum est, & gleba vocatur, ac tum denique multa religiosa jura complectitur.* Varr. de Ling. Lat. IV. 4. *Humilior mortuus vocabatur, & familia ante jactam glebam, aut os ad lustrandam familiam exceptum.* Post *glebæ* igitur injectionem tandem humatus dicebatur, ac tum demum sepulcrum fiebat religiosum. *Kirchm. de Fun.* III. 21. *Calcagn. Collect. vetust. p.* 380. *Guther. de Jur. man.* II. 18. *Quensted. de Sepult. c.* 12. *Meurs. de Funer. c.* 43. *Gyrald. de var sepel. rit. c.* 1. *&* 8. *& Faes ad illum.* Qui ritus nescio an fluxerit ab illo altero terram ter plena manu injiciendi fortuito oblatis cadaveribus, si quando ea legitime sepelire non liceret. Græcis pariter ac Romanis eum usitatum reperio. Ælian. Var. Hist. V. 14. *Lex etiam hæc est Attica, si quis in insepultum cadaver hominis incidat, ut omnino ei terram injiciat.* Val. Max. V. 3. 3. ext. *Phocion post obitum nu[illegible]um Atticæ regionis, quæ ossibus ejus injiceretur, glebulam invenit.* Acron in Horat. Od. I. 28. 36. *In sacris hoc genus sepulturæ tradebatur, & etsi non obrueretur, manu plena ter jacta terra cadaveri pro sepultura esset.* Quintil. Declam. V. *Ignotis cadaveribus humum congerimus, & insepultum quodlibet corpus nulla festinatio tam rapida transcurrit, ut non quantulocunque veneretur aggestu.* VI. *Nobis* rerum natura *adversus exanimes genuit non s[illegible] miserationem, quæ cogitationi nostræ subit, sed etiam r[illegible].* *Inde ignotis quoque corporibus transeuntium viatorum collatitia sepultura, inde injecta ab alienis humus.* Observo autem *glebam* illam in os mortui injici consuevisse. Cicero modo laudatus. Et Horatius infr. in *Pulvis*. laudandus. *Meurs. in Lycophr. p.* 191. *Turneb. Adv.* XVI. 22. *Kuhn. in Ælianum. Kirchman. & Faes in Gyrald. l. l.* Quod Romani glebam injicere, id eleganter Phocylides γαῖαν, Moschion κόνιν ἐπιμοιρᾶσθαι dixerunt. *Kirchman. & Faes l. l. Demster. Paralip. in Rosin. Antiq.* V. 39. De hoc pulveris injiciendi more V. etiam infr. in *Pulvis*.

GLESSUS est succinum. Plin. XXXVII. 3. *Certum est gigni in insulis septemtrionalis oceani, & a Germanis appellari glessum: itaque & a nostris unam insularum ob id Glessariam appellatam, Germanico Cæsare ibi classibus rem gerente, Austraviam a barbaris dictam. Nascitur defluente medulla pinei generis arboribus, ut gummi in cerasis, resina in pineis. Erumpit humoris abundantia, densatur rigore, vel tepore autumnali. C[illegible] intumescens æstus rapuit ex insulis, certe in littora expelli[illegible], ita volubile, ut pendere videatur, atque considere in va[illegible]: quod arboris succum esse prisci nostri credidere, ob id succ[illegible]um appellantes.* Braun. de vest. Hebr. II. 14. 4. Buleng. de Conviv. IV. 13.

GLI.

GLIRES admittebantur conviviis veterum. Næv. apud Non. II. 633. *Præcisum, omasum, pernam, callum, glires, glandia.* Mart. III. 58.

Nec venit inanis rusticus salutator
Fert ille ceris cana cum suis mella,
Metamque lactis Sarsinate de sylva,
Somniculosos ille porrigit glires.

Ammian. XXVIII. 4. *Poscuntur etiam in conviviis aliquot trutinæ, ut appositi pisces, & volucres ponderentur, & glires.* Lindenbr. in Ammianum. Casaub. in Lamprid. Heliog. c. 22. Buleng. de Conviv. II. 18. Non quidem damnosum illud, spurcumque animal, quod nobis invitis domus sæpe oberrat, & supellectilem arrodit; sed agreste, quod sylvas incolit. Testatur hoc Plin. VIII. 57. *Qua in re notatum, non congr[illegible]gari, nisi populares ejusdem sylvæ: & si misceantur alienigenæ, amne, vel monte discreti, interire dimicando.* Nonn. de Re cib. II. 11. Hos saginabant veteres. Varr. de Re rust. III. 16. *Hi saginantur in doliis, quæ etiam in villis habent multi. . . . In hoc dolium addunt glandem, aut nuces juglandes, aut castaneam. Quibus in tenebris, cum cumulatum positum est in doliis, fiunt pingues.* Illorum vivarium *glirarium* Varro ibidem nominat. Ejus primus auctor fuit Fulvius Hirpinus. *Hummelb. & Lister. in Apic.* VIII. 9. *Nonn. l. l.* Numerabantur inter ganeatos cibos, adeo ut *censoriæ leges, princepsque M. Scaurus in con-*

sulatus

ſulatu cœnis ademerint. Plin. xxxvi. 1. & l. 1. *Grapald. de Part. dom.* 1. 7. §. 11.

GLO.

GLOBULI erant placentæ. *Muret. Var. Lect.* xvii. 15. *Grapald. de Part. dom.* 11. 3. §. 24. Eorum compoſitionem tradit Cato de Re ruſt. c. 80. *Caſeum cum alica ad eundem modum miſceto: inde quantum voles facere, facito: in ahenum caldum unguen indito: ſingulos, aut binos coquito, verſatoque crebro duabus rudibus, coctos eximito: eos melle ungnito, papaver infriato.* Buleng. de Conviv. 11. 54. Ad illos alludit Petron. c. 1. *Mellitos verborum globulos.* . . . Barth. Adv. xxv. 10.

GLOBUS dicitur manus militum, *quæ a ſua acie ſeparata, vago ſuperventu incurſat inimicos.* Veget. iii. 19. Sed & figura globoſa, & in rotundum videtur fuiſſe. *Lipſ. de Milit. Rom.* iv. *dial.* 7. *Valtrin. de Re milit. Rom.* v. 2. *Panciroll. Notit. dignit. imp. orient. c.* 152. *Thyſ. Rom. Illuſtr.* iv. *p.* 97.

GLOMUS *appellatur in ſacris cruſtulum cybii figura, & oleo coctum.* Feſtus. *Buleng. de Conviv.* iv. 18.

GLOS vocatur ſoror mariti. Feſtus. *Glos, viri ſoror, a Græco γάλως.* Moſteſtin. l. 4. §. 6. ff. de gradib. *Viri ſoror glos dicitur, apud Græcos γάλως.* Nonius etiam fratris uxori hoc nomen tribuit xix. 4. *Glos appellatur mariti ſoror, atque eadem fratris uxor.* Hotoman. de Rit. nuptiar. c. 10.

GLUTINATORES inſerviebant librariis, conglutinandæ papyro operam impendentes. Legebatur Neapoli:

MANNIO. STICHIO
TIBERII. CÆSARIS
GLUTINATORI

In vetere gloſſario *glutinator* eſt κολλητής. Illorum meminit Cicer. Attic. iv. 4. *Etiam velim mihi mittas de tuis librariolis duos aliquos, quibus Tyrannio utebatur glutinatoribus.* Pignor. de Serv. p. 230.

GNA.

GNÆUS. V. ſupr. in *Cnæus.*

GNAPHALIUM, *alii χαμαίζηλον vocant, cujus foliis albis, mollibusque utuntur pro tomento.* Plin. xxvii. 10. Gloſſæ: *tomentum, γνάφαλλον. Salmaſ. Exerc. Plin. p.* 282. *b. B. Rhodig. Ant. Lect.* xvi 17. *Buleng. de Circo c.* 32. *Argol. in Panvin. de Lud. Circenſ.* 1. 5.

GNI.

GNIDUS erat civitas inſignis Cariæ, ſita in promontorio, quod ad littus habebat, & Doris dicebatur. De illa Actor. c. 27. n. 7. *Quum multis diebus tarde navigaremus, vixque perveniſſemus ſecundum Gnidum.* Panciroll. Not. dignit. imp. orient. c. 125.

GNO.

GNOMON eſt umbilicus, ſive ſtylus, qui per umbras horas indicat, & Græco vocabulo γνώμων dicitur. Quæri poteſt, cur ſtylus, horarum oſtenſor, *gnomon* dicatur. Puto primam originem eſſe a verbo γνῶναι, cognoſcere, inde γνώμη, cognitio quædam, ſententiave, & γνώμων, cognitor, index, norma. Primi enim horologiorum inventores, non quidem ſtylum in horologiorum meditullio, umbilicove figebant, ſed normam ita erigebant, quod nunc quoque paſſim, tum Germani, tum Galli faciunt, ut latus unum horizonti, ſeu horologii plano hæreret, alterum ad perpendiculum erigeretur. A norma igitur illa, quam *gnomonem* Græci dicunt, ſtylus ipſe, quamvis norma non ſit, nomen adeptus eſt. *Baldus Lex. Vitruv. Salmaſ. Exercit. Plin. p.* 447. *a. E.* 471. *b. G.* 487. *a. C. Voſſ. Lex. Etymol.* Illum invenit philoſophus Anaximander. Laert. ii. 1. *Gnomonem primus invenit, ſtatuitque in horologio Lacedæmone.* Vel ejus diſcipulus Anaximenes, ſi fides habenda Plin. ii. 76. *Utramque hanc rationem, quam vocant gnomonicen, invenit Anaximenes Mileſius, Anaximandri diſcipulus: primusque horologium, quod appellant ſciothericon, Lacedæmone oſtendit.* Meurſ. Miſcell. Lacon. ii. 19. Salmaſ. ibid. p. 445. b. F. 451. b. C. 457. a. D. 462. b. E. Menag. in Laertium.

GOB.

GOBIO, ſive *gobius*, eſt *piſcis littoralis ex eorum numero, qui parvi perpetuo manent, præſtantiſſimus ad voluptatem, coctionem, diſtributionem, & ſucci bonitatem, ſi in arenoſis littoribus, aut inter ſaxa vivit. Nam qui in fluminum oſtiis, aut ſtagnis marinis verſatur, eſui non eſt commodus.* Galen. de Aliment. facult. iii. Mart. xiii. 88. 1.

In Venetis ſint lauta licet convivia terris,
Principium cœnæ gobius eſſe ſolet.

Honore non eo fuiſſe, quo mullos, & alios pretii ingentis, indicat Juven. Sat. xi. 37.

Nec mullum cupias, cum ſit tibi gobio tantum
In loculis.

Buleng. de Conviv. ii. 35. Voſſ. de Idolol. iv. 24. Rader. in Martialem.

GOE.

GOETIA eſt ſpecies magiæ, qua invocabantur dæmones circa ſepulcra ad evocandos mortuos. Suidas: *Goetia eſt invocatio dæmonum maleficorum, quæ fit circa ſepulcra.* Et, *Goetia ad evocandos mortuos per invocationem.* Dicitur, ut addit Suidas *a lamentis,* ἀπὸ τῶν γόων, *& fletibus, qui circum ſepulcra fiunt.* In Gloſſis γόης eſt *veneficus.* Et apud Heſychium γοητεύει ſignificat *in fraudem illicit, captat deos, corrumpit, conficit medicamenta, excantat.* Pinell. Addit. Argol. ad Panvin. de Lud. Circenſ. ii. 3. Kirchm. de Fun. iii. 13. Rhodig. Ant. Lect. ix. 23. Buleng. de Mag. licit. & vetit. 1. 11. Agripp. de Vanit. ſcient. c. 45.

GOM.

GOMERIATICUM erat vectigal, quod ſolvebatur pro lanarum ſarcinis. Gomeriæ enim ſarcinæ. *Buleng. de Vectig. c.* 86.

GOMPHI *eſt oppidum primum Theſſaliæ venientibus ab Epiro.* Cæſ. de Bell. Civ. iii. 80. Eodem die ſunt oppugnati & expugnati. V. latius de hac oppugnatione diſſerentem Cæſarem. *Ramus de Milit. Jul. Cæſ. Theſ. Antiq. Rom. Græv. Tom.* x. *p.* 1587. *F.*

GOR.

GORDIANI Imperatores tres fuere Maximi Imperatoris ſucceſſores, vel potius ejus tyrannidis vindices. Ex his duos Africanos cognominatos ſcimus, patrem, & filium, pecuniamque eorum nominibus ſignatam, in qua M. ANT. GORDIANUS AFR. conſcriptum eſſe videmus. Seni pater fuit Mettius Marullus, mater Ulpia Gordiana, ex Gracchorum genere patrem, ex Trajani cognatione matrem eſſe dicebat. Uxor Fabia Oreſtilla Antonii proneptis eſſe dicebatur. Ipſe multis voluminibus Antoninorum Auguſtorum res geſtas verſibus, atque ſoluta oratione conſcripſit, ſeque, & liberos ſuos modo Antoninos, modo Antonios appellabat. Conſulatus duos pater geſſit, filius unum, omnes ſuffectorum fuiſſe credimus. Neque enim aliud expreſſum eſt, quam patrem priore conſulatu collegam Antonini Caracallæ, poſteriore Alexandri Imperatoris fuiſſe. Imperium paucis diebus in Africa obtinuerunt, filiusque in prælio occiſus, pater octogenarius ſeipſum laqueo ſuffocavit. Tertius ſenioris Africani ex filia nepos cum D. Cælio Balbino, & M. Clodio Pupieno Max. Auguſtis Cæſar dictus, illis occiſis, & Maximino Aug. ac Julio Maximo Cæſare M. Antonius Gordianus

Augustus appellatus est. Tribunitiam potestatem sexies, consulatum bis obtinuit. *Augustin. de Fam. Rom. in Antonia. Landus in vet. num. Rom. Misc. Explic. Miscell. Ital. Tom.* I. *p.* 490. qui de illorum virtute, æquitate, securitate multa. Imperium tenuere pater & filius non ultra sex menses, nepos per annos sex. Omnes Antonii dicti, non Antonini, ut perperam a quibusdam nominantur. Lamprid. Heliogab. c. 34. *Et quoniam hic ultimus Antoninorum fuit, neque postea hoc nomen in Republica loco Principum frequentatum est, etiam illud addendum est, ne quis error oriatur, quum duos Gordianos narrare cœpero, patrem, ac filium, qui se de Antoninorum genere dici volebant, non nomen in illis primum fuit, sed prænomen: deinde, ut plerisque in libris invenio, Antonii dicti sunt, non Antonini.* Capitol. Gordian. c. 17. *Literis, & moribus clarus fuit præter nobilitatem; quam, ut nonnulli, ab Antoninis, ut plurimi, ab Antoniis duxit.* Ursat. de Not. Rom. Thes. Antiq. Rom. Græv. Tom. XI. p. 772. F. Tres, non quatuor fuisse contra Gallum quendam hos asserentem multis docet in *Historia trium Gordianorum Gisbertus Cuperus.* Senioris divitiæ ex eo innotuere, quod *in omnibus civitatibus Campaniæ, Etruriæ, Umbriæ, Flaminiæ, Piceni de proprio per quatriduum ludos scenicos, & juvenilia edidit.* Quod de illo Capitol. c. 4. *Buleng. de Theat.* I. 10.

GOT.

GOTHI appellabantur temporibus recentioribus, qui antiquis Getæ, quorum qui orientales tenebant, Ostrogothi, qui occiduas Visegothi vocati. *Panvin. Imp. Rom. c.* 28. Spartian. Caracal. c. 10. *Adde etiam Geticus Maximus, quod Getam occiderat fratrem, & Gothi Getæ dicerentur.* Philostorg. Hist. Eccles. II. 5. *Ex iis trans Danubium Scythis, qui ab antiquis quidem Getæ, nunc vero Gothi appellantur.* Hos eosdem esse, qui vetustioribus seculis Scythæ fuerunt dicti, observat etiam Procop. de Bell. Gothic. IV. 5. *Spanhem. in Julian. Orat.* I. *p.* 51. Torques habuerunt. Saxo II. 20. *Dona in præsentes plurima erogavit, & inter cætera torquem aureum ingentis ponderis collo Rolvonis, ad ostendendam ejus claritatem, appendit.* Et, *Rogatus pretiosum torquem, qui virtutis & victoriæ præmium proponebatur, in alterius manus deponere, mox armillas, & torquem, ut erat in navigio collocatus, ingenti excussas jactu, postulanti porrigere statuit.* Firmant hoc ipsi nummi veteres, in quibus videas vultus *Gothorum* cum torquibus. *Scheffer. de Torquib. c.* 12. Apud illos soli sacerdotes, omnibus laicis exclusis, erant pileati. Jornand. de Reb. Gothic. n. 35. *Dicenus Gothus e Gothorum gente elegit nobilissimos, & prudentiores viros, quos Theologiam edoctos fecit sacerdotes, nomen illis pileatorum contradens: quia opertis capitibus tiaris, quos pileos alio nomine nuncupamus, litabant: reliquam vero gentem capillatam dicere jussit; quod nomen Gothi, pro magno suscipientes, adhuc hodie suis cantionibus reminiscuntur.* Raynaud. de Pil. & cæt. cap. tegm. Sect. XIV. Cadavera Principum in quercubus tanquam sacris locis suspendebantur, aut flammis juniperi ligni comburebantur, vel humi cum gladio, & clava condebantur. *Morestell. Pomp. Feral.* x. 4. Hi primi omnium, quos cum aliis barbaris flumina transire ausos Constantinus Imperator primum, dein Julianus Cæsar, tum Valentinianus magnis affecerant cladibus, atque intra suos fines continuerant. Sub Valente bellum cum Romanis diu intermissum hanc ob causam repararunt. Haud multo tempore ante Valentis Imperatoris obitum, *Gothi* trans Istrum constituti, bello civili ob agrorum fines exorto inter se conflictabantur. Post civiles seditiones sedatas Hunni diu in propriis & inaccessis clausi montibus, repentina rabie, & furore perciti, palude Mæotide egressi, relicto patrio solo, *Gothis* bellum intulerunt, in quo Ostrogothis vectigalibus factis, Visegothorum, quos aliquot præliis vicerant, & patriis sedibus, agrisque ejecerant, Transdanubianas regiones sibi ipsis vindicavere. Visegothi natali suo ab Hunnis pulsi, Danubio trajecto, a Valente sine ulla fœderis pactione, & armorum depositione intra imperii Romani limites suscepti sunt. Qui eis Thraciæ partem ad habitandum concessit. Sed per avaritiam Maximi Thraciarum ducis fame ad rebellandum coacti, Thraciæ finibus non contenti, vicinas sibi regiones, & urbes populari cœperunt, ideoque Valens illis bellum indixit. Superatis prima congressione Romanis, *Gothi* per Thraciam diffusi sunt. Valens exercitu adversus eos educto, lacrymabile in Thracia bellum gessit, in quo ad primum *Gothorum* impetum perturbatis Romanorum equitum alis, Romanæ legiones equitum præsidio denudatæ, & a *Gothis* cinctæ, usque ad internecionem cæsæ sunt. Valens quum sagitta saucius fugeret, & ob dolorem nimium sæpe equo laberetur, ad cujusdam villulæ casam deportatus est. Ubi supervenientibus *Gothis*, domo incensa, vivus quoque crematus est anno imperii decimo quarto, vitæ quinquagesimo. Contigit hæc clades VI. Idus Augusti anno Christi 378. Valente VI. & Valentiniano juniore II. Aug. Coss. *Gothi* Valentis cæde superbiores facti, omnem Thraciam igni ferroque vastarunt, Constantinopolim aggressi, eam aliquot mensibus obsederunt. Hunni quoque, qui Visegothos expulerant, & cum iis Ostrogothi, & Alani, audita Romanorum clade, trajecto Istro, Pannoniam, Mœsiam, & Daciam devastabant. Theodosius imperio suscepto, multis prœliis *Gothos* vicit, e Thracia ejecit, & ne parvam Romanorum exercitus manum assiduis bellis consumeret, cum Athanarico Rege Visegothorum pacem fecit: illoque decimo quinto die, postquam Constantinopolin, quo illum evocaverat, advenerat, mortuo, *Gothorum* universa gens Theodosio se dediderunt. Quo defuncto contra fœdus Regem sibi elegerunt Alaricum, qui pace facta magister militiæ ab Imperatore Honorio creatus, atque contra Hunnos, audita Theodosii morte, Istro iterum trajecto, Pannoniam, Mœsiam, & finitimas regiones occupantes missus est. Honorius *Gothorum* timore perterritus, illis sedes, & agros tot laborum pro Romani imperii dignitate tuenda præmium petentibus Gallias concessit. *Gothi* exagitati perfidia Stiliconis illis nihil suspicantibus die sancto Paschali bellum inferentis, cum Stilico, licet Honorii jussu, antequam cœpta perficeret, occisus esset, cœptum iter in Gallias deseruerunt, & Romam citato gradu contenderunt, Urbem IX. Kal. Sept. ceperunt, incenderunt, & populati sunt Varrone & Tertullo coss. anno Christi 411. *Panvin. l. l.*

GOTHICUS fuit appellatus Gratianus Imperator. Saxa hoc monstrant. Ob gravia, & cruenta bella cum Gothis gesta, præcipue descripta ab Ammian. XXXI. 11. 12. *Ursat. de Not. Rom. Thes. Antiq. Roman. Græv. Tom.* XI. *p.* 735. *B.*

GRA.

GRABATUS est lectus vilior, nullis magnificis, aut splendidioribus tapetibus, aut alio apparatu cinctus, aut exornatus. Prudentius junior: *Stabam ego ex una parte grabati, & Leo Abbas ex altera.* Auctor. Moret. n. 5.

Membra levat vili sensim demissa grabato.

Erat talis lectus, qui ab uno homine portari posset. Rusticus Elpidius:

— nam jam qui lapsa movere
Non poterat, duro subjecit colla grabato.

Humilior ordinariis lectis. Cæl. Aurelian. Acut. II. 37. *Jubentes eos quiescere, non solum corporis officio, sed, si fieri poterit, etiam cura animorum, lecto mutato ad grabata ægros transferendo.* Exhibebatur in diversoriis. Notum hoc ex Petron. c. 52. *Ille se ut in grabatum rejecit.* Barth. Adv. XXXV. 8: XLIV. 19. Eratque pauperiorum. Senec. Epist. 18. *Non est quod nunc existimes me ducere te ad modicas cœnas, & pauperum cellas. . . . Grabatus ille verus sit, & sagum, & panis durus, ac sordidus.* 20. *Magnificentior sermo tuus in grabato videbitur panno.* Buleng. de Conviv. I. 28.

GRACCHANUS dictus est Junius historicus ab amicitia C. *Gracchi* tribuni plebis. Plin. XXXIII. 2. *Junius*

qui

qui ab amicitia ejus Gracchanus appellatus est. Sigon. de Nom. Rom. c. 5.

GRACCHUS est cognomen Semproniorum communissimum atque insigne. Eo tamen Novios usos esse etiam in indice cognominum observat Glandorpius. *Ursin. de Not. Rom. Thes. Ant. Rom. Græv. Tom.* XI. *p.* 730. *F.* 980. *D.* A Fuerunt duo fratres, Tiberius & Cajus, tribuni plebis. A civibus suis sunt occisi, quod plerasque leges adversus nobilitatem per vim tulerant, Tiberius a P. Scipione Nasica, Cajus a L. Opimio consule. *Augustin. de Leg. in Sempronia.* V. illorum leges infr. in *Lex Sempronia.*

GRADUS Capitolino templo fuisse exploratum est, quibus in ejus vestibulum ascenderetur. Liv. VIII. 6. *Cum commotus Annius ira se ab vestibulo templi citato gradu proriperet, lapsus per gradus, capite graviter offenso, impactus imo ita est saxo, ut sopiretur.* Donat. de Urb. Rom. II. 5. Centum fuerunt a Foro Romano, quibus superbe adibatur. Tacit. Hist. III. 71. 4. *Et qua Tarpeja rupes centum gradibus aditur.* Quos tamen continuos fuisse non arbitror, & retractiones suas habuisse, ut appellat Vitruv. III. 3. id est, areolas, ubi fessi pedem figerent, & respirarent, quas post singulos septem, aut novem graduum ordines solere interponi architecti notarunt. *Gradus* autem isti haud dubie ad majestatem. *Lips. de Magnit. Rom.* III. 5. Qui centum *gradus* ad Monetæ cum *gradibus* Jovis Capitolini confudisse videtur. Alia tamen omnia ut sentiam, M. Varronis apud Gell. II. 10. verba faciunt: *In memoria mihi est, quod Q. Catulus curator restituendi Capitolii dixit: voluisse se aream Capitolinam deprimere, ut pluribus gradibus in ædem conscenderetur: suggestusque pro fastigii magnitudine altior fieret; sed facere id non quisse, quoniam favissæ impedissent.* His, inquam verbis omnino persuadeor, Capitolini templi *gradus* ad illos Monetæ nequaquam pertinuisse. Nam si hoc concedendum esset, non area Capitolina, sed ipsum Forum deprimendum a Catulo fuisset ad *gradus* elevandos. *Ryq. de Capitol. c.* 12. Hac ratione parum urgeri Lipsium judico. Ille enim non continuatos, sed intermissos, & subinde per intervalla planis areolis retractos constituit, in quibus consisterent ascendentes, ac respirarent. Cur ergo non diceret, *gradus* a Foro ad aream usque Capitolinam fuisse minoribus retractionibus interstinctos: ibi vero, ubi erant favissæ, in plateam laxatos, ut ex ea ad templi vestibulum minores identidem areolas, & præcinctiones haberent? Ut hodieque ad ædem D. Petri Vaticanam exstructos videmus *gradus*. Area enim perampla, & intermedia dividuntur, neque carent retractionibus, qui magis distant a templo. Catulus ergo poterat magis aream Capitolinam deprimere, ut diminutis gradibus, qui ab illa pertinent ad Forum, pluribus ab eadem ascenderetur in templum, nisi favissæ impedissent. Non tamen ad ejus sententiam accedo. Nam apud Tacitum sermo non est de *gradibus* templi Capitolini, vel Junonis Monetæ; sed iis, quibus adiretur Tarpeja rupes ab occidente fluvium versus. Vitelliani enim milites, de quorum pugna historicus, cum Capitolium invasissent, relicto clivo Capitolino, a quo repulsi fuerunt, juxta Asylum, & paullo remotius per *gradus* Tarpejæ rupis ascendere cœperunt, *sed propior*, inquit, *atque acrior per Asylum vis ingruebat*: cum milites per vicinius Asylum irrumpere, quam per centum illos *gradus* remotiores mallent. Si vero templi Capitolini *gradus* inceperunt a Foro, ibi triumphantes duces e curru descendere debuerunt, perque eos cum reliqua comitantium turba in templum ascendere. Nam ad templum Jovis desinebat triumphus, cujus pars *gradus* erant. Atqui triumphantes curru adscendebant in montem Capitolinum e Foro. V. infr. in *Triumphus*, non per ullos *gradus*. Nec hoc docent loca Dionis, quibus XLIII. p. 224. B. Cæsar *gradus in Capitolio genibus ingressus conscendit.* IX. p. 680. B. Claudius *per gradus in Capitolio genibus adscendens, levantibus eum utrinque generis.* Uterque enim more majorum per clivum Capitolinum in arcem curru sunt invecti, sed per *gradus* ab area Capitolina in templum genibus adscenderunt. Hoc innuit ipsa Dionis locutio: *gradus, qui sunt in Capitolio*, id est, in ipso templo Capitolino. Et Hos *Cæsar genibus ingressus ascendit, nulla neque currus, qui ei ex adverso Jovis positus fuerat, neque imaginis orbis terrarum pedibus suis subjectæ, neque inscriptionis ejus habita ratione.* Hæc autem erant in templo Jovis, in quo & *gradus*. Nulli igitur *gradus* a Foro, aliquot ab area Capitolina fuerunt. Centum vero *gradus* Taciti fuerunt ad rupem, saxumque Tarpejum, prope veterem Carmentalem portam, & theatrum Marcelli ad occidentem. *Donat. de Urb. Rom.* II. 5. V. plura infr. in *Rupes Tarpeja.* In renuntiatione magistratuum quinam fuerint. V. infr. in *Magistratus.*

Gradus in compositione capillorum aliter & annuli dicebantur. Inflexio enim ipsa, & crispatio capillorum nexiles annulorum orbes imitabatur. Comæ tamen sic annulatim crispatæ, non etiam confusæ, ac turb[illegible], [illegible] indiscriminatim, temereque implexæ habebantur, [illegible] per *gradus* quosdam positæ, & ordine digestæ, ita [illegible] unaquæque annulorum series sta[illegible] q[illegible] [illegible] servaret, & *gradatim*, alveol[illegible] [illegible]nderet. La[illegible]tini in his exprimendis *ordinem*, *stationem*, *g*[illegible] [illegible] usurpare. Ovid. Art. III. 434. *ponere comas in* [illegible], *& crines in ordine.* Ἕδραν Euripides dixit. Quintil. Inst. Orat. XII. 10. *gradus* & annulos ju[illegible] [illegible]. Manil. V. 147. *Tortos in fluctum ponere crines.* El[illegible] Nam illa crinium per annulos inflexio, & per *gradus* dige[illegible], fluctuum modo extantium, modo subsidentium, & in[illegible]em se propellentium undulatos, intortosque motus plane refert. Ovid. Amor. I. 14. 25. annulum, & nodum tortilem inflexi capilli vocat *sinum*:

Quam se præbuerant ferro patienter, [illegible]
Ut fieret torto nexilis orbe sinus

Salmas. in Capitol. Pertin. c. 12. Rhodig. Ant. L[illegible] XV. 8. Meurs. de Lux. Rom. c. 3. Durant. Var. Lect. II. 5. Torrent. & Pitisc. in Suet. Ner. c. 51. n. 3.

Gradus gladiatorum & militum appellatur status, quo congressuri armis sese componunt. Unde *compo[illegible] ad præliandum gradum* apud Petron. c. [illegible]. Ovid. [illegible] IX. 40.

Digredimur paullum: rur[illegible] ad bella coimus;
Inque gradu stetimus.

Tacit. Annal. I. 64. 2. *Cuncta pariter Romanis adversa; locus uligine profunda, idem ad gradum instabilis.* Nep. Them. c. 5. n. 1. *Xerxes a Themistocle gradu depulsus est*, id est, est victus. Hinc *gradu depelli* metaphorice dicitur, cujus status ita conturbatur, ut si quis in pugna de loco dejicitur apud Cicer. Offic. I. 23. *Fortis, & constantis est, non perturbari in rebus asperis, nec tumultuantem de gradu dejici, ut dicitur.* Et proverbium, *de gradu dejici*, ad perturbationes animi tumultuantis, & a statu rationis quasi discedentis venuste accommodatur. Utitur illo Cicer. Attic. XVI. 15. *Ex quo mihi videtur* στρατύλλαξ *ille* [illegible]. Et *meruerunt gradu cadere*, qui in solida ter[illegible] p[illegible]tes, inque *gradu*, & in statu stantes pulc[illegible]m p[illegible] per vulnera mortem, non pendentes in fluct[illegible]us. Senec. Agam. III. 515. *Gronov. ad Senecam, Lips. Saturn.* II. 20. *Fab. Agon.* I. 11. *Boecl. Ind. Nepot. Thys. de Gladiat. p.* 233. *Lyd. Agon. sacr. c.* 6.

Gradus honorum dicuntur, quibus quis a minoribus incipiens summos tandem capessit. Suet. Claud. c. 4. n. 3. *Quid est, quod dubitemus, [illegible] per e[illegible] articul[illegible] & gradus producendus sit.* Hoc *per omnes honorum gradus efferri.* Cicer. Cat. I. 11. *per omnes honorum gradus provehi.* Auson. Paneg. p. 239. *singulis punctis honorem colligere.* Cicer. Tusc. Quæst. II. 26. dicunt. *Cuper. Obs.* III. 20. *Pitisc. in Suetonium.*

Gradus militum dicuntur, qui alicujus in militia sunt loci, qui inde pelli puniendi dicuntur. ff. de re milit. de militum pœnis: *Pro modo delicti aut castigatur, aut gradu militiæ dejicitur.* Quod *militia moveri* dicitur apud Rufum de pœnis militaribus: *Miles qui militiam suam deserit, aut flagris cæditur, aut mi[illegible] sua movetur.* Et *militiam mutare* apud eundem: *Qui statione sua decesserit in pugna, aut fustibus cæditur, aut militiam suam mutat.* Salmas. in Lamprid. Alex. Sev. c. 51. Valtrin. de Re milit. Rom. VI. 8.

Salmuth in Panciroll. de Reb. deperd. & inv. p. 572.

Gradus portuum dicuntur pontes, & loca, præsertim ad ostem fluminis, ex quibus conscensio in naves fiebat, quem tuto petere navigantes, indeque navigaturi naves solvere sine periculo poterant. In illis erant *gradus*, aut scalæ, quibus in mare descendebatur: unde portus celebres in Asia *Scalas* Europæi mercatores vocant, ubi aquam, & commeatum navibus imponendum accipere navigantes solent. Surita in Itiner. Antonin. p. 652. *Gradus antiquitus vocati videntur pontes, ad littus, aut fluminum ripas constrati, ex quibus naves commodiore ingressu conscenderentur ad navigandum, & ad quos appellerent.* Val. Max. III. 6. 1. *P. Scipio, cum in Sicilia augendo, trajiciendoque in Africam exercitu opportunum quærendo gradum, Carthaginis ruinam animo volveret.* Bergier. de viis Milit. IV. Sect. 48. §. 10. Albert. Descr. Ital. p. 430. Vales. Notit. Gall. in voce Rhodanus.

Gradus in theatris appellabantur loca, in queis spectatores sedebant. Vitruv. V. 6. *Gradus ubi subsellia componantur, ne minus alti sint palmopede & digitis sex. Latitudines eorum, ne plus pedes duos semis, ne minus pedes duos constituantur.* Sed cur tam lati? parum enim ex symmetria & bono loci videtur, duos pedes & semis latos eos facere. Quod verum est, sed latitudinem eam exigit in contextu illa *graduum* ratio sedendi. Pedes enim eorum, qui in superiore *gradu* spectant, innixi inferiori *gradui* proximo, qui ne læderent sedentes alios, neve ipsi læderentur, opus habuere aliqua laxitate. Fortasse etiam ad pone transeundum, si qui surgerent, aut sedentibus jam aliis intrarent. Erant e lapide. Unde illud Aristippi: *cui bono eruditio? huic saltem*, inquit, *ne in theatro lapis sedeat super lapidem.* Quanquam & sæpe e ligno. Sero repertum, ut pulvilli insternerentur senatui: idque primus Caligula instituit. Dio LIX. p. 645. B. *Pulvilli tunc primum senatoribus, ne nudis asseribus insiderent, subjecti.* Postea id equiti concessum. Juven. Sat. III. 151.

— exeat, inquit,
Si pudor est, & de pulvino surgat equestri.

Lips. de Amphith. c. 13. Pith. Adv. II. 17. Bald. Lex. Vitruv. Thys. de Amphith. p. 202. Per initia fuerunt cespititii. Ovid. de Art. I. 105.

In gradibus sedit populus de cespite factis,
Qualibet hirsutas fronde tegente comas.

aut subitarii. Tacit. Annal. XIV. 20. 2. *Quippe erant, qui Cn. Pompejum incusarent, quod mansuram theatri sedem posuisset: nam antea subitariis gradibus, & scena in tempus structa ludos edi solitos: vel si vetustiora repetas, stantem populum spectavisse.* Buleng. de Circo c. 35.

Gradus interiores etiam erant intra porticus, per quos ad spectacula adscendebant. Hi ita flexi, & dispositi apte, ut quantumvis conferta multitudo, statim ingredi ordinate, & sine conflictu potuerit. Ordines hi *graduum*, sive scalarum miro artificio pæne invicem decussabantur: & ad ostiola sua, sive vomitoria singuli ducebant. *Lips. de Amphith. c. 21. Thys. de Amphith. p. 209.*

GRÆCARI est Græcanicis exercitationibus, disci, & pilæ, aliisque *Græcorum* nationi usitatis uti. Horat. Sat. II. II. 10.

— vel si Romana fatigat
Militia assuetum Græcari.

Eas enim militiæ Romanæ opponit, id est, militaribus exercitationibus: mox duas Græcorum subjungit exercitationes n. 11. discum & pilam.

— seu pila velox,
Seu te discus agit.

Turneb. Adv. VII. 9. Souter. de Aleat. III. 12.

Græcari est etiam majoribus poculis poscere, geniumque multo vino expiare. *Græcorum* enim luxum in conviviis Romani sunt imitati, unde mos Romam allatus, ut se hilarius Baccho perluerent. Plaut. Most. I. I. 21.

Dies, noctesque bibite, pergræcamini.

Cicer. Verr. I. 26. *Discumbitur, fit sermo inter eos, & invitatio, ut Græco more biberetur.* Kobierzyk. de Lux. Rom. I. 5. Rhodig. Ant. Lect. XVIII. 6. Stuck. Ant. Conviv. III. 13. Souter. de Aleat. III. 12.

GRÆCI Arcades ex media Peloponneso magna classe ad Italiæ littora transvecti appulerunt: quorum duces Lycaonis filii duo fuerunt Oenotrus & Peucetius. *Ferrar. de Orig. Rom. Thes. Antiq. Rom. Græv. Tom.* I. *(4.) D.* Aliquanto post alia classis *Græca* ad has ipsas Italiæ regiones appulit, ante Trojam captam annis circiter sexaginta, ut rationem ineunt Romani, profecta ex urbe Arcadica Pallantio. Duæ naves fuerunt, non ex communi sententia civitatis in coloniam eo missæ, sed orta in populo seditione, quæ pars infirmior valentiori cesserat, imposita in naves Euandrum ducem secuta, in Italiam sua sponte venerat. V. supr. in *Euander.* Ferrar. ibid. p. *(7.)* C. Paucis annis post Arcadas alia classis *Græca*, duce Hercule, in Italiam renavigavit. Victorem exercitum vir fortissimus ex ultimis terris, hoc est, Argos in Peloponnesum, subacta Hispania, & aliis gentibus, quæ sunt ad occasum, reportabat. Compluribus ex militibus illius, aliæ diuturnæ peregrinationis odio, alii assiduitate laborum defatigati, ab duce impetrata missione, nacti collem idoneum, quem, qui tum vivebant homines, Saturnium, eorum posteri Capitolinum dixere; in eo sedem rerum omnium suarum collocarunt. Ii maximam partem erant Pheneatæ, & Epei ex Elide, qui suis urbibus vastatis, ac direptis ab hostibus belli tempore, quod contra Herculem fecerant, nullo redeundi domum desiderio tenebantur: quibus Trojani aliquot se aggregaverunt e numero eorum, quos, Ilio capto, cum ibi Laomedon regnaret, Hercules captivos in militiam abduxerat. Habuerunt collem Saturnium a principio soli, separatim a cæteris; non autem ita multo post, suis cum sacris, tum legibus, & victu cum Aboriginibus communicatis, in unum convenerunt, pacto fœdere, ut cuncti eodem jure essent, & ejusdem civitatis populares censerentur. *Ferrar. ibid. (F.)* Cum signa, & scalpturas Ægyptias omisissent, brevibus quibusdam dictis plurima comprehendebant: cujusmodi erant oracula, unde Apollo λοξίας, id est, obliquus, & quasi flexuosus est cognominatus: & sapientum præcepta, nosce teipsum, tempori parce, a fabis abstineto, super terram ne navigato, & alia sexcenta, quæ brevissima cum sint, multarum rerum congeriem complecti solent. *Bargæus de Obelisc. Thes. Ant. Rom. Græv. Tom.* IV. *p.* 1913. *C.* Unius etiam, aut plurium syllabarum detractione nomina scribebant. *Tomas. de Donar. c.* 7. Vocibus a vocali incipientibus digamma Æolicum addebant: & Helenam Felenam, Hormias Formias, Hebrim Febrim, Halesum Falesum, ἀνέρα Fανέρα, ἄνακλα Fάναντα, οἶκον Fοῖκον dicebant. Quod Serv. Æneid. VII. 695. & Dionys. I. p. 16. testatur. *Bargæus ibid.* 1916. *B.* Ferarum spectaculum illis in amoribus fuit. Julian. Epist. pro Argivis: *Corinthii*, inquit, *ad agones musicos instituendos aut gymnicos non multa egent pecuniæ ad venationes autem, quæ in theatris sæpe fiunt, ursos emunt, & pardalos, quos sumptus facile ferunt ut opulenti.* Buleng. de Venat. Circ. c. 19. Caput apertum, & sine tegmine habebant. Apud Homerum certe, non causiæ, non pilei usquam mentio: nec celat nos ejus interpres, quin silentium id causam habeat ab hoc ritu. Quin Soranus in vita Hippocratis anxius est, cur imago ejus pileata cernatur: idque alii ad peregrinationes ejus retulere, alii ad alias causas, quas ibi vide. *Lips. de Amphith. c.* 19. Torquibus non videntur usi. Quin imo barbarum gestamen vocant. De Britannis Herodian. III. 14. 13. *Ventrem, atque cervicem ferro incingunt, ornamentum id esse, ac divitiarum argumentum æstimantes, perinde ut aurum cæteri barbari.* Per χρυσὸν torques intelligit, & τὰς λοιπὰς βαρβάρων ait æstimasse, quod opinor non dixisset, si Græcorum ea fuisset consuetudo. Sane Pollux V. 16. in solis mulieribus recenset. Ex quo mihi persuasissimum est, nullum earum, nisi in his, apud Græcos fuisse usum. Quod forte factum odio Persarum Græcis semper imminentium. Nam reliquæ omnes fere in Oriente gentes habuerunt. *Scheffer. de Torquib.*

Torquib. c. 12. Honestiores albis induebantur vestibus. Hic cultus enim erat simplicior, ac naturæ ipsi propior, imo & civilior, cum pullus in luctu sumeretur. Artemid. II. 2. *Alba vestimenta solis sacrificiis conferunt, & servis Græcorum: reliquis turbationes significant, propterea quod hi, qui in turba versantur, albo vestimento utantur. Opificibus autem manuariis cessationem, & otium portendunt: & quanto p[...]siora fuerint vestimenta, tanto plus otii prædicunt. Neque enim operarii, maxime qui mechanicas artes exercent, albis vestibus utuntur.* Ex his licet discere *Græcos* ingenuos vulgo albis vestimentis usos: quod declarat illud, *eos, qui in turba,* sive in foro *versantur, albis vestibus indutos,* id est, omnes vulgo liberos homines. Cæterum alba vestimenta in somnis visa Græcorum servis fausta erant: quia scilicet illis libertatem portendebant, quod ingenui in ea veste conspicerentur. Sed honestiores tantum. Nam opifices, & sellularii, populique fæx, ut apud Romanos, ferme in sordida, nigraque veste erant. Et ideo his hominibus cessationem ab opere portendi ait, quod albis vestibus non uterentur. *Ferrar. de Re Vest.* II. 4. 13. Isidis sacra a Romanis potius quam ab Ægyptiis arcessiverunt, vel religionis forma in deterius abeunte, vel assentationis causa erga Urbem rerum jam demum potitam. Scriptores enim, & numismata, unde Isidem fanis, ac ceremoniis apud *Græcos* cultam esse discimus recentioris sunt ætatis. *Bacchin. de Sistris Thes. Ant. Rom. Græv. Tom.* VI. *p.* 413. Isidis mihi sacra una cum amicitia Regum Ægyptiorum in Urbem migrasse videntur, quo tempore Ptolemæus Philopator senatui P. Q. R. tutelam filii moriens commisit. Jam dudum vero ante *Græcis* usurpata videntur, adscitaque præcipue, quum Ptolemæus Soter in *Græcas* urbes, ac præsertim Rhodiorum civitatem, terræ motu graviter concussam, debilitatamque suam liberalissime effunderet benignitatem. Ut enim *Græculi* ad adulationem semper facti fuere, ita ad Ptolemæi captandam gratiam sacra quoque Ægyptiaca in suas admisisse eos existimo civitates. In Ægialeæ insulæ prope Cretam nummo Serapis, vel Osiris conspicitur: & in altera parte Isis nuda super navigii proram spicas manibus tenens. *Tollius in Bacchin. l. l.* Auspicandi ratio *Græcis* & Romanis non una fuit. V. supr. in *Auspicandi.* Variis artibus potus parare instituerunt, quorum præstantissimum ex uvis expresserunt, quod vinum nuncupatur, ejusque inventum Baccho attribuerunt. *Butius de Potu Antiq. c.* 1. Primi nives potaverunt. Xenoph. de dict. & fact. Socratis II. p. 739. D. *Ut vero voluptuose bibas, vina varia, pretiosaque, ac in æstate circumiens hic & illinc quæritas nivem.* Butius ibid. c. 18. In conviviis sedebant ensibus cincti, quem morem Athenienses primi abjecerunt. *Buleng. de Conviv.* I. 34. Solebant nominare illum, cui poculum tradituri essent. Cicer. Tusc. Quæst. I. 40. *Theramenes* cum vinum bibisset, *propino, inquit, hoc pulcro Critiæ.* Buleng. ibid. III. 19. Sese ungebant. Anacreon Hippocrate antiquior frequenter unguenta commemorat. Apud Athen. XI. Xenophanes longe antiquior Hippocrate unguenta in conviviis adhibita ostendit. *Buleng. ibid. c.* 28. De rebus gravioris negotii consultabant. Homerus:

> —— *da epulum senioribus,*
> *Parebis illi ex multis congregatis, qui melius*
> *Consilium suggesserit.*

Buleng. ibid. c. 36. Ex illis discessuri Jovi Servatori libabant. Suidas: *Mos fuit veteribus post convivium bibere in honorem boni dæmonis. Alii vero dicunt primum poculum sic dici, sed discessuros bibisse in honorem Jovis Servatoris.* Berthald. de Ara c. 30. §. 8. Balnea habuerunt. Illis & ipse Alexander voluptuosissime usus est, ut Strabo est testis. Thucydides optimæ fidei ex primis scriptoribus *Græcis* hunc morem tribuit Laconibus, qui ex Asiaticis didicerint nudi, ac oleo, pulvereque conspersi in luctam descendere, ac postea lavari. *Baccius de Therm. vet. c.* 1. Lenibus, ac tepidis duntaxat balneis, ut narrat Plutarch. in Symposiacis, quasi pro modestia usi sunt. Et Alexander febricitans in balneo dormivit. Mulieres quoque Galatarum pultem cum pueris suis inter lavandum esitare consueverunt. Postea acerrimæ, ac laniantibus similes corpora parari aquæ cœperunt. *Baccius ibid. c.* 10. Eos, ut narrat Firmicus, qui sibi aliquid contulerant, vel qui consilio, aut virtute juverant, divinis appellarunt nominibus: & ideo Cererem, quia attulerat frumenta, & colligendarum frugum tradiderat disciplinam, post mortem ob beneficium, quod ex frugum copia nascebatur, consecrarunt. *Tomas. de Donar. c.* 26. Cadavera non cremabant, sed condebant, sive terræ mandabant, & aggesta humo contumulabant cum funebri veste. Cadaverum sepeliendorum, præcipue bello peremptorum erat illis tanta cura, ut qui illos inhumatos relinquerent, quovis supplicio dignos putarent. Iccirco summos duces, quia cæsos navali pugna in mare dejecerant, gravibus pœnis, & capitis supplicio affecerunt. Cum autem peremptorum corpora assequi nequirent, illorum ossa, & disjecta membra passim strata exquirebant, ut humo tegerent. Adeo ut Nicias cum exercitu iter faciens, ne duorum militum inhumata corpora relinquerent, totum subsistere agmen, donec humarentur, jusserit. Et Cimon Miltiadis filius, ut pater sepulcro conderetur, captivum se præbere non dubitavit. *Morestell. Pomp. Feral.* X. 5. *Licet. de Lucern. sepulcr. Thes. Ant. Rom. Græv. Tom.* XII. *p.* 1013. *D.* Defuncti laudes sollenni oratione, & longe petito procemio prosequebantur. Pericles proditur primus fuisse, qui carmine & laudibus eos, qui in bello Peloponnesiaco pro patria occubuerant, prosecutus fuit. Alii vero Solonem *Græcis* funebrem orationem primum invenisse ferunt. *Alex. Gen. dier.* III. 7. *Morestell. ibid.* III. 7. Ludis, & certaminibus celebrabant. Hujus moris auctores Acastum, & Thesea facit Plin. VII. 56. *Ludos gymnicos in Arcadia Lycaon instituit, funebres Acastus in Iolco, post eum Theseus in Isthmo.* Morestell. ibid. VIII. 19.

GRÆCIA fuit duplex: una intra Isthmum, altera extra Isthmum. V. supr. in *Achaja.* Propter frequentia latrocinia, & crebras incursiones etiam in pace armata degebat: itaque tunicæ, & pallii communis usus ferme exoleverat, cum lineas tunicas, sive loricas passim gestarent, & pro pallio chlamydes. Thucyd. I. p. 4. C. *Ferrar. de Re vest.* II. 4. 7. Quando provincia sit facta V. supr. in *Achaia & Corinthus.*

GRÆCOSTASIS quid fuerit explicat Varr. L. L. IV. 32. Locus scilicet, *ubi nationum sisterent legati, qui ad senatum essent missi.* Conclave fuisse videtur, vel porticus, aut quid aliud simile, ubi legati exterarum gentium, priusquam in senatum introducerentur, resistebant, atque etiam post exposita mandata legationis, interea dum a senatu responsum exspectabant, detinebantur. Fuit *sub dextra* curiæ *a comitio locus substructus,* ut addit Varro. Verum qua parte comitii fuerit, dubito. Nam ab ea, qua Forum respicit, parte fuisse nequit, nam præterquam quod in Foro fuisse nusquam legitur, comitium quoque e Foro expulisset. Quare vel ad illud ejus latus fuit, quod Vulcánali obversum, quod vox *supra* videtur indicare apud Plin. XII. 1. ubi legitur: *In Græcostasi, quæ tunc supra comitium erat.* Vel in illo latere, quod versus viam sacram curiæ objectum fuit. Cæterum ipsa ejus situs ichnographia colligi dimetiendo potest: *Duodecim*, ait, *tabulis ortus tantum & occasus nominantur. Post aliquot annos adjectus est & meridies accenso consulum id pronuntiante, cum a curia inter Rostra, & Græcostasin prospexisset solem. A columna ænea ad carcerem inclinato sidere supremam pronuntiabat.* Sic ut in parallela linea mathematica inter orientem & occidentem solem sita fuerint *Græcostasis, Rostra, columna ænea, & carcer.* Si quis igitur Rostra consideret in angulo comitii occidentali, ubi hoc cum curia desinebat, nimirum ad tres columnas adhuc ibi superstites, *Græcostasis* necessario in orientali comitii angulo collocanda est, qui inter viam sacram fuit, & viam illam, quæ quartam regionem ab octava disterminat: adeo ut *Græcostasis* inter eandem viam, & comitium intermedia fuerit, e regione ferme illius viæ, quæ nunc inter ædes S. Laurentii est, & SS. Cosmi & Damiani. Hoc enim modo sol necessario perpendicu-

lari umbra meridiem deſignavit inter *Græcoſtaſin & Roſtra, columnamque & carcerem.* Bene etiam Varro *ſubſtructum* dixit *locum* hunc: quippe cui ſubſtructio illa ab ea parte, qua in viam ſacram porrigebatur, neceſſaria fuit. *Nardin. Rom. Vet. v. 2. Donat. de Urb. Rom. II. 20. Borrich. Ant. Urb. Rom. c. 10. §. 2. Bellor. Fragm. Veſt. Vet. Rom. Tab.* VII. *Marlian. Topogr. Urb. Rom.* II. 16. *Panciroll. Deſcr. Urb. Rom. Theſ. Antiq. Rom. Græv. Tom.* III. *p* 356. *E. Briſſon. de For.* II. *p.* 238. *Turneb. Adv.* XXII. 18: XXVII. 27. *Pollet. For. Rom.* I. 3. *Zamoſc. de Senat. Rom.* II. 18. *Boiſſard. Topogr. Urb. Rom. Tom.* I. *p.* 30. *Faunus Antiq. Urb. Rom.* II. 18. *Blond. Inſtaur. Rom.* II. §. 64. Capitolinus *Græcoſtadium* vocat & *poſt incendium* ab Antonino Pio *reſtitutum* ſcribit c. 8. *Panciroll. l. l.*

GRALLÆ ſunt perticæ ligneæ, quibus innituntur *grallatores.* Græcis dicuntur κλάπαι, & notiori vocabulo colobathra ab auctoribus Græcis atque etiam Latinis. *Salmaſ. in Spartian. Carac. c.* 4.

GRALLATORES ſunt, qui perticis ſuperſtantes magnis paſſibus gradiuntur. Inde *gradus grallatorius*, qui opponitur teſtudineo apud Plaut. Amph. IV. 4. 52. ut maximus, & celerrimus tardiſſimo. Feſtus: *Grallatores appellabantur pantomimi, qui ut in ſaltatione imitarentur Ægipanas, adjectis perticis furculas habentibus, atque in his ſuperſtantes ad ſimilitudinem cruris ejus generis gradiebantur, utique propter difficultatem conſiſtendi.* Plaut. Pœn. III. 1. 27.

Vinceretis curſu cervas, & grallatorem gradu.

Non. II. 361. *Grallatores ſunt colobatharii Grallæ enim ſunt fuſtes. quibus innituntur. Varro [illegible] muli ſcabunt, Græce ἀγορασμῷ: Grallatores, qui gradiuntur grallis, quæ ſunt perticæ ligneæ ſine animo, ſed ab homine, qui in his ſtat, agitantur.* Salmaſ. Exerc. Plin. p. 294. A. in Spartian. Carac. c. 4. Argol. in Panvin. de Lud. Circenſ. II. 1. Palmer. Spicil. x. Theſ. Crit. Gruter. Tom. I. p. 774. Beroal. Annot. c. 94. Pius Annot. prior. c. 1. Caſal. de Trag. & Com. c. 2. de Urb. ac Imper. Roman. ſplend. part. 2. c. 7.

GRAMMATICA eſt recte ſcribendi loquendique ratio, & ſcientia interpretandi poetas & hiſtoricos. Diomed. II. p. 421. Edit. Putſchian. *Tota grammatica conſiſtit proprie [illegible] poetarum, ſcriptorum, & hiſtoriarum prompta ex[illegible], [illegible] loquendi, [illegible]dique ratione.* Wouwer. Polym. c. 8. *Romæ olim ne in uſu quidem, nedum in honore ullo erat, rudi ſcilicet, ac bellicoſa etiam tum civitate, nedum magnopere liberalibus diſciplinis vacante.* Suet. Gramm. c. 1. n. 1. *Primus, quantum opinamur, ſtudium grammaticæ in Urbem intulit Crates Mallotes, Ariſtarchi æqualis, qui miſſus ad ſenatum ab Attalo Rege inter ſecundum ac tertium bellum Punicum.* Suet. ibid. c. 2. n. 1. hoc eſt, annis poſt Scipionem Barbatum ſupra centum & viginti. Ante id tempus, Grammaticæ regulis nondum conſtitutis, una Romæ loquendi, ſcribendique lex erat populi conſuetudo. *Antiq. Inſcript. Explan. Theſ. Ant. Rom. Græv. Tom.* IV. *p.* 1838. *B. Wouwer. ibid. c.* 4.

GRAMMATICI, modo diſciplina, & aſſiduitate ſcholas tuerentur, ampla emolumenta trahebant. M. Antonius Gnipho de mercedibus non paciſcebatur, eoque plura ex liberalitate diſcentium conſequebatur. Remmius Palæmon ex ſchola quadraginta annua capiebat. Tantidem docendum conduxit Calvinum Eſicium equitem Romanum L. Apulejus. Verrius Flaccus habitationem in palatio, & centena ſeſtertia in annum ab Auguſto meruit. Servi literatores immanibus pretiis ſunt empti, dein manumiſſi. Julius Cæſar addidit honorem, omnes liberalium artium doctores, quo libentius & ipſi Urbem colerent, & cæteri appeterent, civitate donando. *Gronov. de Pecun. Vet.* IV. 11. *Panciroll. de Magiſtrat. municip. c.* 4. Libros conquirebant, & bibliothecas inſtruebant. Suidas auctor Tyrannionem *grammaticum* comparaſſe librorum ultra triginta millia, & Epaphroditum Chæronenſem triginta millia optimorum librorum collegiſſe. Quo pertinet illud Auſonii ad Philomuſum:

Emptis quod libris tibi bibliotheca referta eſt,
Doctum, & grammaticum te Philomuſe putas.

Wouwer. de Polym. c. 16. §. 18. Et ob librorum peritiam bibliothecis præficiebantur. Alexandrinæ bibliothecæ præfuit Demetrius Phalereus, quem Tertull. Apolog. c. 18. *Grammaticorum probatiſſimum* vocat. *Ptolemæorum eruditiſſimus*, inquit, *cum ſtudio bibliothecarum Piſiſtratum æmularetur, ex ſuggeſtu Demetrii Phalerei Grammaticorum probatiſſimi, cui præfecturam mandaverat.* Poſtea Zenodotus *Grammaticus* eidem bibliothecæ præfectus fuit, ut tradit Suidas. Simili modo Auguſtus bibliothecæ Palatinæ delegit criticos, qui librorum quaſi quendam ſenatum legebant, ne qua ineptiſſimorum hominum ſcripta in ea reponerentur. Horum ſæpe meminit Horatius. C. Meliſſum *Grammaticum curam ordinandarum bibliothecarum in Octaviæ porticu ſuſcepiſſe refert* Suet. de Illuſtr. Grammat. c. 21. n. 3. qui & C. Julium Hyginum *Grammaticæ* ſtudiis clarum *Palatinæ bibliothecæ præfuiſſe* ſcribit ibid. c. 20. n. 2. Pompejo item Macro Auguſtum *bibliothecas ordinandas delegaſſe* ſcribit idem Jul. c. 56. n. 11. *Wouweren ibid.* §. 21. Legationes obibant. Suidas: *Dionyſius Alexandrinus, Glauci filius, grammaticus, qui a Nerone usque ad Trajanum docuit, & bibliothecis præfuit. Fuit ab epiſtolis, & a reſponſis, & varias legationes obiit.* Suet. de Illuſtr. Grammat. c. 2. n. 1. Crates Mallotes *per omne ſimul legationis, & valetudinis tempus plures ἀκροάσεις ſubinde fecit.* Pitiſc. ad Suetonium. Statuis donabantur. Suet. ibid. c. 9. n. 7. *Statua ejus Beneventi oſtenditur.* c. 17. n. 4. Verrius Flaccus *ſtatuam habet Præneſte.* Figrel. de Stat. Roman. c. 13.

GRAMMATOPHYLACIUM quid V. ſupr. in *Chartophylacium.*

GRANATA quare hodie dicatur Hiſpania Bætica V. infr. in *Hiſpania.*

GRANARIUM eſt locus deſtinatus reponendis frugum *granis*, & ex tabulis fiebat, ſtipitibus vel in terra defixis, vel ſupra terram collocatis. Perſ. Sat. v. 110.

Jam nunc adſtringas, jam nunc granaria laxes.

Popm. de Inſtrum. fund. §. 15. Blond. Rom. triumph. IX. p. 180. Grapald. de Part. dom. II. 11. §. 1.

GRANIA gens. V. illam ſupr. in *Gens.*

GRAPHIARIUM eſt repoſitorium, loculamentum, ſive receptaculum *graphiorum*, in quo *graphia* reconduntur. *Thecæ graphiariæ* dicuntur Suet. Claud. c. 35. n. 3. Mart. XIV. 21.

Hæc tibi erunt armata ſuo graphiaria ferro.

Id eſt, ſtylis ferreis, ſive *graphiis*, quibus *graphiaria*, dum *graphia* inſtar armorum ſunt, ſunt armata, & inſtructa. *Beroal. Annot. c.* 26. *Pignor. de Serv. p.* 226. *Grapald. de Part. dom.* II. 9. §. 7. *Hugo de Prim. ſcrib. orig. c.* 9. *Rader. in Martialem. La Chauſſe de Teſſer. tab.* IX. *Pitiſc. in Suetonium.*

GRAPHIUM erat ſtylus ferreus, ſive æreus, ab una parte acutus, qua exarabantur in cera literæ: ab altera parte planus, qua inducebatur, quod perperam erat exaratum, & rurſus complanabatur cera. Sympoſ. in ænigmate, cujus lemma *graphium*:

De ſummo planus, ſed non ego planus in imo,
Verſor utrimque manu, diverſo & munere fungor:
Altera pars revocat quicquid pars altera fecit.

Graphia cum pugillaribus circumferebant Romani, qui in Urbe nunquam gladio, aut pugione accingebantur. Itaque in ſubita ira ad hæc, quæ in promptu erant, confugiebant. Ita *Erixonem equitem Romanum, quia filium ſuum flagellis occiderat, populus in foro graphiis confodit.* Senec. de Clem. I. 14. Et *Cæſar Caſſii brachium arreptum graphio trajecit.* Suet. Jul. c. 82. n. 2. *Salmaſ. Exerc. Plin. p.* 735. *b. E. Pignor. de Serv. p.* 224. . . . . *Voſſ. Gramm.* I. 35. *Grapald. de Part. dom.* II. 9. 7. *Calvin. & Lipſ. in Senecam.*

GRATIANUS Euſebio & Hypatio coſſ. ſive anno 359. natus eſt, filius Auguſti Valentiani, die XIV. Kalend. Majas. *Faſti Idat. Theſ. Ant. Rom. Græv. Tom.* XI. *p.* 263. *D.* Sub initium imperii titulo Pontificis Maximi eſt uſus. Sed & poſt annos decem, hoc eſt, anno imperii XIII.

ante

ante obitum IV. eundem titulum inter follennes, & Imperatorios alios ei non semel tribuit Ausonius, præceptor ipsius, & in aula diu versatus. Sic enim in gratiarum actione pro consulatu sibi decreto Imperatorem alloquitur c. 10. *Unus in ore omnium Gratianus, potestate Imperator, virtute victor, Augustus sanctitate, Pontifex religione.* c. 12. *Sic potius, sic vocentur, quæ tu Pontifex maximus deo participatus habuisti.* Bosius de Pontif. Max. Imper. Roman. c. 5. Decem mensibus, quibus maritum defunctum mulier debebat lugere, duos adhuc adjecit. V. infr. in *Luctus.* Sub illo, Valentiniano & Theodosio gentilium res mirum in modum collapsæ sunt, cum quod Eucherio & Syagro coss. id est, anno 381. proscriptioni subjec[illegible] *vetitis sacrificiis diurnis, nocturnisque, velut vesanus, [illegible] crilegus incertorum consultorum emerserit, fanumque sibi, [illegible] templum ad hujusmodi sceleris excusationem assumpserit* l. 7. C. de pagan. tum quod *Gratianus* secuto anno 383. sumptibus sacrificiorum, ac stipendiis sacerdotum ademptis Pontificis maximi titulum respuisset, quod hactenus more majorum, absque labe tamen ipsorum sacrorum, Christiani Imperatores a Constantino Magno ob summam potestatis amplitudinem retinuerant. *Lipen. Stre[illegible]* *et. tert.* §. 9. Unde mox argutum illud in *Gratianum* scomma jactarunt, si *Princeps non vult appellari Pontifex maximus, admodum brevi Maximus Pontifex fiet.* Maximum tyrannum tunc ducem exercitus in Britannia innuentes. Quæ res etiam eventu non caruit. N[illegible] senatores iniquo animo ferentes, potestatem judicandi de rebus ad gentilitiam superstitionem pertinentibus, quæ hactenus penes Pontifices fuerat, tributam esse præfecto Urbis Graccho V.C. candidato Christianæ religionis, Maximo arripiendæ tyrannidis, & necandi *Gratiani,* ejiciendique Valentiniani cum uxore Justina auctores extiterunt. *Lipen. & Bos. l. l.*

GRATULATIO, quæ εὐχαριστία, gratiarum estactio, qua deos venerabantur, vel ob voti solutionem, vel publicam lætitiam, aut bellum prospere gestum: Ob votum, cum redderetur, proprie *gratulatio,* ob liberalitatem primitiæ. In sollennibus ludis vitulationes, ob bellum prospere gestum supplicationes fiebant. Cicer. Verr. IV. 43. *In gratulationibus mentum Herculis osculari solent.* Guther. de Jur. Pont. IV. 16. man. III. 30.

GRAVITATIS vestræ, *gravitatis suæ, gravitatis tuæ* titulis Imperatorum præsides ac rectores decoraverunt. *Gravitatis vestræ* exemplum habetur l. 27. ff. de liberali causa. *Vestræ gravitatis est ex fide personarum, quod utile est pupillo, constituere.* *Gravitatis suæ* mentio est l. 18. C. de pact. *Rector provinciæ pro sua gravitate, ne aliter pro alio exigatur, providebit.* l. 4. C. si advers. rem judic. *Nullum vobis præjudicium fieri præses provinciæ pro sua gravitate curabit.* *Gravitatis tuæ* meminit l. 1. C. de bon. [illegible] x. *Scire debet gravitas tua. . . . .* Ursat. de Not. Roman. Thes. Antiq. Rom. Græv. Tom. XI. p. 731. F.

GRE.

GREX dicitur factio, & *greges* vocabantur multitudo aurigarum cujuscunque factionis, quibus qui singulis præerant, factionum, sive *gregum* præfecti, magistri, domini, & conditores vocabantur. Suet. Ner. c. 22. n. 5. *Ne dominis quidem factionum dignantibus, nisi ad totius diei cursum greges ducere.* Panvin. de Lud. Circens. I. 11.

Greges dominici ut plurimum equorum erant, quos Imperatores ad usus bellicos plurimos in provinciis coemebant, & in sua pascua immittebant: ex quibus si quis furto abigeret, nec redderet sponte, multa libræ auri pro singulis equis puniebatur l. unic. C. de greg. domin. *Burman. Differt. de Vectig.* IV. p. 64.

GRI.

GRIPHI dicuntur ænigmata ab impliciti quodam genere retis: quare & in conviviis, quod eis præcipue uterentur veluti retibus, ad convivas obscuris quæstionibus capiendos *griphos* appellabant. Suidas complectitur utramque significationem. *Griphus rete piscatorium: [illegible] item perplexa oratio, quæ significationem aliquam, sed recon[illegible] ob-scuram in se habet.* Pollux VI. 19. *Grip[illegible] et solertiam: cui quidem qui solvebat, aliquid carn[illegible], qui non solvisset, poculum aquæ salsæ bibe[illegible].* Gyrald. Ænigm. Oper. Tom. II. p. 613. F. L[illegible] n. Buleng. de Conviv. III. 35. Stuck. Ant. C[illegible] III. 17. Voss. Lex. Etymol. Rhodig. Antiq. Lect. [illegible] II. 4. Potter. Archæol. Græc. IV. 20. Thys. in G[illegible] I. 2.

GRO.

GROMA, sive *gruma,* est *mensura quædam, qua [illegible] viæ ad lineam diriguntur, ut est agr[illegible]* N[illegible] n. I. 316. Festus: *Groma [illegible] quo regiones agri cujusque cog[illegible] Græci [illegible] γνώμονα. Voss. Lex. Etymol. Co[illegible] in L[illegible] p. 117.*

G[illegible] erat medius, ubi [illegible] organum [illegible] ut quatuor fa[illegible] normales, & ita divideret castra in quatuor partes, quarum viæ in *grumæ* loco conveniebant. Non. I. 316. *[illegible] in qua directæ quatuor congre[illegible] & con[illegible]* Idem voluit Hygin. Gromatic cum ait *grumam poni in tetrantem.* Idem ait *gromam* fuisse prope prætorium. Fuit enim quasi forum castrense. *Voss. Lex. Etymol. Schel. in Hygin. Thes. Antiq. Rom. Græv.* [illegible] *Salmas. Exerc. Plin.* [illegible] in principiis, & ad principia [illegible] jura, & imperia, indicebantur [illegible] castrensia judicia, fiebat res divina, huc convoca[illegible] ad concionem exercitus, huc turba castrensis, ut ad forum, conveniebat, hic totos dies versabatur, donec principia dimitterentur. Ideo ait Suidas: hic legationes, & nuntios, & omnia administrari. *Schel. & Salmas. l. l.* Forte, quia normas habebat, & perpendicula pendentia, pertica vocatur in fragmento incerti agrimensoris: *Si fuerit ergo vallis, quæ consp[illegible] per [illegible] ad [illegible] sum, ut a se in contrarii [illegible] lum perticæ æqualiter ad perpe[illegible] cultellare d[illegible].* Salmas. ibid. p. 473. a G. 479. a F. b. E. Cui non assentior. Erat sane τεκτονικὸν utrumque instrumentum: sed aliud hæc, aliud illa. Pertica, vel decempeda mensurabant singulas partes, *groma* in tetrante figebatur, & quatuor castrorum portas ostendebat. *Groma* signum erat, pertica mensura. *Groma* dirigebat perticam, pertica a *groma* dirigebatur. *Schel. ibid.* 1068. *a. C.*

GROMATICI dicuntur professores agrimensoriæ artis. Hygin. de Castramet. p. 1022. Edit. Traject. *Professores ejus artis, superscripta causa, gromatici sunt appellati.* Schel. in Hygin. Thes. Ant. Rom. Græv. Tom. X. p. 1026. A. Posterioris ætatis hoc inprimis videntur egisse, ut, contractis copiis, pedaturam quam den[illegible] castris complerent, quo minori labore munitio perfi[illegible], & perfecta paucioribus defensoribus egeret. L[illegible] II. 288.

[illegible]
Densius ut parva disponeret [illegible].

Coronam appellabant, quicquid exterius, vel interius circumdabat. *Schel. ibid. p.* 1071. *D.*

GROSPHUS, γρόσφος, non est pilum, multo minus glans; sed hasta. Eustath. Odyss. III. 626. ambigit de scriptura, *grosphus,* an *groschus* sit scribendum, dicit tamen esse ἀκόντιον, *jaculum.* Et ita Polyb. VI. 20. V. illum infr. in *Hasta militaris.* Lips. de Milit. Rom. III. 1. Patric. Rei milit. Rom. part. 5. sect. 2. Schel. in Polyb. Thes. Ant. Rom. Græv. Tom. X. p. 1270. D.

GRU.

GRUS, quia ejus caro, ut auctor est Galenus, plane dura est, & fibrosa, concoctuque difficilis, non est comedenda,

medenda, nisi post aliquot dies quam jugulata fuit. Quippe mora nonnihil tenerescit, prætertim si appensis ponderibus tendatur, ita ut fibræ disrumpantur. Valentissimæ est materiæ, teste Celso, & si a robusto ventriculo superetur, plurimum alit. Sanguinem tamen generat melancholicum, & justo crassiorem. *Castellan. de Carn. esu* IV. 27. *Nonn. de Re cibar.* II. 33. Placuit tamen gulæ, adeo ut ex Melo insula, una Cycladum, Romam deferretur, unde apud Varr. Sat. περὶ ἐδεσμάτων *grues Melicæ* laudantur. Saginabatur curiose in γεραιοβοσκείῳ. Plutarch. orat. II. de carnium esu: *Alii grues & olores oculis consutis inclusos tenebris saginant, alienis temperamentis, & condimentis gustum novum obsonio suo concinnantes.* Unde etiam in mensarum honore fuit. Horat. Sat. II. 8. 85.

—— deinde secuti
Mazonomo pueri magno discerpta ferentes
Membra gruis, sale multo, non sine farre.

Plin. X. 23. *Cornelius Nepos, qui D. Augusti principatu obiit, cum scriberet turdos paullo ante captos saginari: addidit ciconias magis placere quam grues, cum hæc nunc ales inter primas expetatur, illam nemo velit attigisse.* Nonn. & Castellan. l. l. Buleng. de Conviv. II. 24. Atque adeo in Romanos videtur mihi exclamare Stat. Sylv. IV. 6. 8.

Ah miseri! quos nosse juvat, quis Phasidos ales
Distet ab hyberna Rhodopes grue.

Castellan. l. l.

Grus fuit etiam color in veste feminea. Ovid. Art. III. 182.

Albentesque rosas, Threiciamve gruem.

Ferrar. de Re vest. I. 3. 20.

Grus in theatris machina quædam fuit ex alto delata ad raptum corporis, qua utitur Aurora in Memnone. *Grus* fuit, de qua Mart. Spect. XVI. 1.

Raptus abit media quod ad æthera taurus arena,
Non fuit hoc artis, sed pietatis opus.

Buleng. de Theatr. I. 22.

GRY.

GRYPHUS, sive *gryphs* est, ut scribit Ælian. de Anim. IV. 27. *animal Indicum quadrupes, ut leo, robustissimis unguibus leonum similibus: dorsum pennis induitur nigris, anterior pars corporis rubris, alæ candidis: ore est aquilino, oculis igneis, nidosque in montibus facit. Bactri populi Indis finitimi eos illic auri custodes esse, aurumque effodere, simulque eo ipso nidos construere dicunt. Indi vero auri custodes esse negant, siquidem auri minime egent; sed cum ad illud colligendum homines accesserunt, hos de pullis suis valde timentes pro eis pugnare. Certant etiam cum aliis animalibus, quæ facillime [illegible], at contra elephantos, & leones stare non audent.* La Chausse de æn. antiq. lucern. tab. VI. Menetrej. Dian. Ephes. Stat. Symb. Thes. Ant. Græc. Gronov. Tom. VII. p. 380. A.

GUB.

GUBERNACULUM, πηδάλιον a Græcis dictum, est remus longior, ad puppim religatus, quo cursum navis moderamur. Habuerunt apud priscos quædam naves unum, pleræque duo, aliqua tria etiam, & quatuor *gubernacula.* Unum minimæ habuere, paullo majores duo. Heliod. V. 15. *Alterum gubernaculorum amittunt.* Alterum, inquit, unde duo habuisse apparet. Itaque & Carthaginenses duos rectores singulis navibus præficiebant, inconveniens esse dictitantes *duo quidem gubernacula habere, eum vero qui navigantibus utilissimus esset, & imperium navis teneret, solum, & absque successore, ac socio esse.* Ælian. Var. Hist. IX. 40. Petron. c. 62. *Nunc per puppim, per ipsa gubernacula dilabendum est.* c. 74. *Non arbor erat relicta, non gubernacula. Gubernacula* ubique ait, ut plura habuisse intelligas. Quid? quod Argo navis imaginibus probetur, quarum nulla est, quæ non duo *gubernacula* exhibeat. Tria quædam gentes Indiæ habere solent. Quatuor in ista Philopatoris fuere. Athen. V. p. 204. Qua in parte fuerint, non satis constat. Quæ uno regebantur, id in medio puppis videntur habuisse. Quæ vero duobus, in lateribus, non multum a medio. Docent prisca monumenta, & inprimis Oppian. de Piscat. I. 191.

Lateraque utraque, circaque eos qui in puppi sunt frenos
Gubernaculorum.

Inveniuntur, quæ non in puppi tantum, sed & prora habuere: ut Suionum apud Tacit. Germ. c. 44. n. 2. *Forma navium eo differt, quod utrimque prora paratam semper appulsui frontem agit: nec velis ministrantur, nec remos in ordinem lateribus adjungunt.* Qui etiam meminit Annal. II. 6. 2. *Plures appositis utrimque gubernaculis, converso ut repente remigio hinc, vel illinc appellerent.* Suidas in Δίκροτα: *Sunt & quædam, quæ binis gubernaculis a prora, & puppi instructæ sunt, ut non conversi & in hostes navibus ferrentur, & recederent, & eos tam progressu, quam recessu fallerent.* Quibus verbis & usus hujus rei indicatur. Quia tamen proprie ad puppim pertinebant, ideo credo Suidam naves istiusmodi ἀμφιπρύμνας appellasse, quasi quæ nullas proras, duas puppes tantum habuerunt. In Danubio usurpatas ait fuisse. Ex istis duobus movebant modo hoc, modo illud, prout in hanc, aut istam partem erat navigandum. Theodor. de Provid. Orat. II. *Scheffer. de Milit. nav.* II. 5. *Perizon. in Ælianum. Bochart. Hieroz.* II. 4. 2. *Voss. de Liburn. & trirem. construct. Thes. Antiq. Rom. Græv. Tom.* XII. *p. D. Muncker. in Hygin. Fab.* 14. *Gyrald. de Navig.* c. II. Remis religabatur. Apparet ex Veget. IV. 46. *Secreto incidunt funes, quibus adversariorum ligata sunt gubernacula.* Scheff. l. l. Posidonius existimavit inventum esse exemplo a piscibus sumpto, qui cauda reguntur, & levi ejus in utrumque momento velocitatem suam flectunt. *Gyrald. l. l.*

GUBERNATOR trierarcho, aut pentecontarcho licet esset subjectus, rem administrabat navalem. Imperabat nautis & remigibus. Pollux I. 9. §. 7. *Qui gubernaculis assidet, vocatur gubernator, nautarum princeps.* Inde Liv. XLIII. 8. *Magister sociorum navalium* vocatur. Non tantum dicebatur regere navim, verum & *sedere* ad *gubernacula.* Pollux l. l. Sedere autem significat cum auctoritate, & imperio præesse, ut, quod tu jubeas, alii exsequantur. Sedebat in puppe certo loco, quem Græci, ut Pollux ibid. §. 3. docet, ἔγκλιμα nominaverunt. Videtur is in summitate puppis fuisse. Ita nummi veteres eum exprimunt. Nimirum quo facilius videre posset, quid per totam navim fieret, aliique imperata ejus melius acciperent. Lucian. dial. Char. & Mercur. *Conscende Menippe, vir optime, & primum locum occupa juxta gubernatorem in summo, ut videas omnes.* In illo summa requirebatur scientia, ne quid præpostere juberetur, ne, cum remis utendum esset, tollerentur vela. Hanc Græci τέχνην κυβερνητικὴν nuncupavere. Consistebat maxime in notitia siderum & ventorum, portuum & locorum cognitione, *gubernaculorum*, velorumque administratione justa. Acœtes apud Ovid. Met. III. 592.

Mox ego, ne scopulis hærerem semper iisdem,
Addidici regimen, dextra moderante, carinæ
Flectere, & Oleniæ sidus pluviale capellæ,
Taygetenque, Hyadasque oculis, Arctonque notavi,
Ventorumque domos, & portus puppibus aptos.

Oportebat ipsum præter cætera capere *gubernacula*, vela in ventum dirigere. Senec. Epist. 108. *Non magis mihi potest quisquam talis prodesse præceptor, quam gubernator in tempestate nauseabundus. Tenendum est rapiente fluctu gubernaculum, luctandum cum ipso mari, eripienda sunt vento vela, quid me potest adjuvare rector navigii attonitus & vomitans?* Virg. Æneid. X. 218.

Ipse sedens, clavumque regit, velisque ministrat.

Erant vulgo singuli in singulis navibus. Max. Tyr. Diss. XXIX. *Non vides, ut gubernator navigationem moderetur, ut anima corpus?* In majoribus interdum duó fuisse videntur.

Ita

Ita Memnon apud Photium de Ptolemæi octere, ſive navi octo ordinum: *Qui de foris pugnabant, erant mille ducenti, duos etiam gubernatores habebat.* Ælianus ſupr. in *Gubernaculum.* Scheffer. de Milit. nav. IV. 6. Habebat pallium humeris injectum, adſtrictum nodo in ſiniſtra parte, ut brachium facilius moveret in circumagendo *gubernaculo.* Plaut. Mil. IV. 4. 41.

Facito, ut venias ornatus huc ornatu nauclerico,
Cauſiam habeas ferrugineam, culcitam ob oculos laneam,
Palliolum habeas ferrugineum, nam is colos thalaſſicus eſt,
Id erit connexum in humero lævo, expapillato brachio,
Præcinctus, atque aſſimilato, quaſi gubernator ſies.

Scheffer. ibid. II. 7.

GUR.

GURGES vocatus eſt Q. Fabius Rulliani F. *a devorato patrimonio.* Macrob. Saturn. II. 9. *Sigon. de Nom. Rom. c.* 5.

GUS.

GUSTATIO erat prima pars cœnæ. Petron. c. 22. *Juſſi diſcubuimus, & guſtatione mirifica initiati, vino etiam Falerno inundabamur.* Turneb. Adv. XIX. 7. *Guſtus* dicitur Mart. XI. 53. 5.

Prima tibi dabitur ventri lactuca movendo
Utilis, & porris fila reſecta ſuis.
Et quæ Picenum ſenſerunt frigus olivæ.
Hæc ſatis in guſtu, cætera noſſe cupis.
Mentiar, ut venias, piſces, conchylia, ſumen.

Stuck. Ant. Conviv. III. 1. Buleng. de Conviv. II. 4. Veteres gloſſæ γαρίσμην exponunt, quod garum, vel oxygarum, & alia ſalſamenta in illa cœnæ initiatione apponerentur. Mart. III. 50. 3.

—— adfertur protinus ingens
Inter lactucas, oxygarumque liber.

Guſtationem, & *guſtum* etiam pro jentaculo dicebant. Vetus gloſſarium: *Guſtus*, γεῦμα, γαρίσμη: *guſtare*, βυκκίσαι: *guſtarium*, βυκκίσμη. Utebantur enim ſole, lavabantur frigida, guſtabant, deinde prandebant: alii impranſi totum diem durabant. Plin. Epiſt. VI. 16. *Uſus ille ſole, mox frigida, guſtaverat jacens, ſtudebatque.* Vulgo eſt: *mox frigidam guſtaverat.* Abſurdiſſime. Confirmat noſtram emendationem Plin. Epiſt. III. 5. *Poſt ſolem plerumque frigida lavabatur, deinde guſtabat, dormiebatque minimum, mox quaſi alio die ſtudebat in cœnæ tempus.* Salmaſ. in Vopiſc. Tacit. c. 11.

GUSTATORIUM erat vas eſcarium, cui *guſtatio* imponebatur. *Buleng. de Conviv.* IV. 10.

GUSTUS per omnia elementa quærere dicuntur veteres, quia erant cibi in aqua, in aere, & in terra conquiſiti. Juven. Sat. XI. 14.

Interea guſtus elementa per omnia quærunt
Nunquam animo pretiis obſtantibus.

Romæ etiam ſub Imperatoribus, quum luxus invaluiſſet, cibos interdum per ſingulas literas diſponebant, quod apud Spartianum Geta Commodi frater fecit. Juven. Sat. VII. 184. dixit:

Qui fercula docte diſponit.

Buleng. de Conviv. II. 5. Grang. in Juven. XI. 14.

GUT.

GUTTURIS ſi pars dextera quateretur, bonam locutionem ſignificari affirmabant augures, ſervo, ac libertino lucrum: at ſi ſiniſtra pars, fugam injucunditatis omnibus ſignificari, aliis liberam gloriam, militi nummorum acquiſitionem, virgini injucunditatem, gubernatori navis laudem. *Niphus de Augur.* I. 9.

GUTTURNIUM, ſive *guttus*, eſt vas vinarium, a quo vinum fundebatur in ſimpulum. *Turneb. Adv.* XXII. 30. *Stuck. de Sacrif. p.* 81. & 293. *Oizel. in Gell.* XVII. 8. *Caſal. de Prof. Rom. rit. c.* 15. Ad modum *gutturis*, ſeu colli incurvi guttatim liquorem infundens. *Ceual. de Pond. & menſ. rat. Theſ. Ant. Rom. Græv. Tom.* XI. *p.* 1474. *C.* Erat etiam *vas*, *quo aqua in manus dabatur: ab eo, quod per oris anguſtias guttatim fluat.* Ut ait Feſtus. *S... in Capitol. Maximin. c.* 3. *Grapald. de Part. dom.* II. 3. §. 7. Famuli aqua plenum dextra tenebant, & [illegible] ſuper convivarum manus effundebant. Fabius Pictor: *Aquam manibus dato, pollubrum ſiniſtra manu teneto, dextra vas cum aqua.* Stuck. Ant. Conviv. II. 33.

GUTTUS, ſive *guttum*, erat etiam genus vaſis, quo Romani utebantur ad oleum in balneis guttatim [illegible]dum, quo poſt lavationem in unctuario ab unctore [illegible]bantur. Juven. Sat. III. 261. V. illum infr. in *Str[illegible]* [illegible]maſ. in Capitol. Maximin. c. 3. Grapald. de Part. dom. II. 4. §. 17: I. 10. §. 11. Baccius de Therm. vet. c. 11. de Conviv. Antiq. I. 14. Stuck. Ant. Conviv. II. 25. Saubert. de Sacrif. c. 17. Pignor. de Serv. p. 83. Urſin. Append. ad Ciaccon. de Triclin. p. 149. Oizel. in Gell. XVII. 8. Victor. Var. Lect. XXXVII. 1. Caſal. de Prof. Rom. rit. c. 24. de Urb. ac Imper. Roman. ſplend. part. 2. c. 18. part. 3. c. 1. de Therm. Ant. Græc. Gronov. Tom. IX. p. 640. E. Apul. Flor. p. 777. *ampullam oleariam* dixit. Fiebat ut plurimum e cornu bubulo. Nobiliores e cornu rhinocerotis habebant. V. infr. in *Rhinoceros.* Erat etiam in ſacra ſupellectile, ex fago. Plin. XVI. 38. *Fagis pectines tranſverſi in pulpa. Apud antiquos inde & vaſis honos. Manius Curius juravit ſe ex præda nihil attigiſſe, præter guttum faginum, quo ſacrificaret.* Broukh. in Tibull. I. II. 8.

GYM.

GYMNASIARCHA, ſive *gymnaſiarchus* erat *gymnaſii* præfectus, qui athletarum, & certaminum gymnicorum curam habebat. Heſychius: *Gymnaſiarcha, præfectus xyſti.* Panvin. de Lud. Circenſ. II. 1. Panciroll. de Magiſtr. Munic. c. 22. Grapald. de Part. dom. II. 2. Cicer. Verr. IV. 42. *Demoliendum curavit Demetrius gymnaſiarchus, quod is ei loco præerat.* Ab eo munere philoſophos, rhetores, grammaticos, & medicos immunes eſſe ſcribit Modeſtin. l. ſi duas 6. alias. l. ſed & reprobari §. cum ſimiliter de excuſ. tut. *Panciroll. l. l.* Erant viri in Republica præcipui, qui ſumma cum poteſtate publici *gymnaſii* curam gererent, certum in tempus electi a Republica. Hinc in inſcriptionibus γυμνασιαρχήσαι δὶς, imo τὸ τρίτον, καὶ τέταρτον, καὶ πέμπτον. V. Gruter. p. 327. Mutabantur aliquando etiam per ſingulos menſes, ut liquet ex marmore apud Spon. Itiner. Tom. II. p. 336. 377. & 436. 437. Publicum ergo erat munus, atque hinc ab Ariſtot. Polit. VI. 8. γυμνασιαρχία inter politicos magiſtratus recenſetur. Imo ipſe Imperator Titus γυμνασιαρχῆσαι dicitur apud Gruter. p. 173. Et ſumptuoſum. Unde apud Philon. in Flacc. p. 984. Lampo accuſator Flacci dicitur d[illegible] feciſſe bonorum ſuorum ſatis magnum, quia coactus fuerat *gymnaſiarchæ* munus ſuſcipere. *Perizon. in Ælian.* II. 6. & *Addend. p.* 982. De quibus plura qui volet, evolvat *Perizonii Ælianum*, & *diſſertationem van Dale* de illis, quæ eſt illarum octava.

GYMNASIUM erat publicus in ſeparata Urbis regione locus exſtructus, in quo ungebantur, fricabantur, luctabantur, diſcum jactabant, aut tale quippiam factitabant, ut docet Galen. de tuend. valet. II. Hæc loca ita nuncupata fuerunt, quum exercitatores ibi ut plurimum denudabantur. Γυμνάζεσθαι enim antiquiſſima vox etiam denudari ſignificare videtur. Unde Mart. III. 68. 3.

Gymnaſium, thermæ, ſtadium eſt hac parte, recede,
Exſuimur, nudos parce videre viros.

Et Bardeſenes apud Euſeb. de Præp. Euang. VI. 8. Græcos ait non potuiſſe ulla vi ſiderum prohiberi, quin in *gymnaſiis* nudis exercerentur corporibus. Verum an omnes,

& toti semper denudarentur, qui sanitatis tantum gratia exercerentur, non est ita compertum. Suspicor tamen luctatores, pugiles, atque alios quosdam potuisse denudari; quemadmodum athletis in usu erat, quos tamen subligacula pro pudendis tegendis tam in publicis, quam in privatis certaminibus habuisse ratio decoris exigit. *Mercur. Gymn.* I. 6. *Lyd. Agon. sacr. proleg. p.* 5. Romani Tiberi propinquum constituerunt, ne longius ad deponendas inter exercendum contractas sordes ire cogerentur. *Mercur. ibid. c.* 10. Thucyd. V. p. 398. Lacedæmonios primos corpora in *gymnasio* nudasse, atque oleo perfudisse scribit. Et Cicer. de Orat. II. c. 5. scriptum reliquit: *gymnasia delectationis & exercitationis gratia primum ab Græcis instituta.* Rhodig. Ant. Lect. VII. 26. Faber Agon. I. 2. Spanhem. in Julian. Orat. I. p. 133. Statuis plerumque ornabatur. Sic Verris statua in *gymnasio* Leontinorum apud Cicer. Verr. II. 66. Neronis in *gymnasio* ejus apud Tacit. Annal. XV. 22. 2. constituta legitur. Profecto haud dubie a Græcis more & exemplo. In *gymnasio* Atheniensi, quod Ptolemæjum vocabatur, fuisse Ptolemæi, Jubæ, & Chrysippi statuas tradit Pausan. Attic. p. 15. Et de Berosi statua Plin. VII. 37. *Astrologia*, inquit, *enituit Berosus, cui ob divinas prædictiones Athenienses publice in gymnasio statuam inaurata lingua statuere.* Figrel. de Stat. Rom. c. 24. Laurent. de Professor. c. 1.

[illegible] balneum dicebatur. Joseph. de Bell. Jud. I. 16. Herodes *apud Tripolim, & Damascum, & Ptolemaidem [illegible] alneas, quæ gymnasia dicunt, condidit.* Hoc hinc emanasse arbitror, quia domi, & in umbra, balneis, & unctionibus molliter se curabant. *Rhodig. Ant. Lect.* XXX 19. *Baccius de Therm. vet. c.* 5.

Gymnasium etiam dicitur locus, in quo animus excolitur disputationibus, & commemorationibus de studiis philosophiæ. *Figrel. de stat. Rom. c.* 24. Hoc nomen haudquaquam convenit ludo literario: nusquam enim minus, quam in tam sanctis sodalitatibus nudos agere convenit. *Scalig. Poet. c.* 22. Cicer. de Orat. I. 13. tamen utitur pro philosophorum scholis: *Clamabunt, credo, omnia gymnasia, atque omnes philosophorum scholæ, sua hæc esse omnia propria.* Et juxta cum illo Plin. Epist. I. 22. 6. *Non quidem gymnasia sectatur, aut porticus, nec disputationibus longis aliorum otium suum delectat.* Nec mirum, quando γυμνάσιον non est ἀμέσως a γυμνὸς, sed a γυμνάζω, quod ἁπλῶς significat exercere. Videntur autem scholæ hoc nomine non tam μεταφορικῶς dictæ, quam quod philosophi olim ea ad philosophandum loca elegissent, in quibus in palæstra juventus exercendæ [illegible] erat. Nam *multis seculis ante gymnasia inventa [illegible] garrire cœperunt.* Cicer. de Orat. II. 5. *Vid. Lex. Etymol.* Statuis plerumque decorabantur, Mercurii, quæ Hermæ appellabantur, Minervæ, & inprimis illarum, quæ, quia ex Mercurio, & Minerva junctim constructæ, Hermathenæ dicebantur. De Hermis Cicer. Attic. I. 8. *Signa Megarica, & Hermas, de quibus ad me scripsisti, vehementer expecto. Quicquid ejusdem generis habebis, dignum Academia tibi quod videbitur, ne dubitaris mittere.* De Minerva Juven. Sat. III. 219.

Hic libros dabit, & forulos, mediamque Minervam.

De Hermathena Cicer. Attic. I. 4. V. illum infr. in *Hermathena.* Communis fuit Mercurius & illorum, in quibus corpus exercebant, Minerva singularis & propria iis, in quibus animum excolebant. *Figrel. de Stat. Rom. l. l.*

GYMNASTICA est ars, qua homines exercentur ad sanitatem tuendam, & corpori robur sustinendum. Quare Aristot. Polit. VIII. 3. præcipit adolescentes *gymnasticæ*, & pædotribæ esse tradendos, ita ut fiant exercitatiores, & firmiores. Plato autem de Legib. VII. p. 896. C. *gymnasticæ* nomine exercitationes omnes bellicas contineri docet. *Panvin. de Lud. Circ.* II. 1. *Mercur. Art. Gymnast.* V. 1.

GYMNICA est ars, & doctrina, qua homines cum disciplina exercentur, non sanitatis tantum, & pugnæ, sed victoriarum gratia; imo ipsa pugna, & decertatio. A publica concertantium æmulatione, præmiorumque, quæ victoribus dabantur, spe, originem habuit. Postea ad deorum cultum, hominumque delectationem transiit. Hinc Cicer. pro Mur. c. 19. *Ludis oblectamur, & ducimur*, scripsit: Demum ad exercitium corporis, & sanitatem tuendam, corporisque vires exercendas frequentata est. *Panvin. de Lud. Circens.* II. 1.

GYN.

GYNÆCIARIUS, γυναικειάριος, a *gynæcio* barbare deductum est. *Bud. in Pandect. p.* 243. *C.* erat ille, qui pannos curabat, vel rudes adhuc tergebat, vel forfice incidebat: opus quidem, quod fere a mulieribus fieri solebat. *Coter. de jur. Milit.* I. 33. *Guther. de Offic. dom. Aug.* III. 20. *Pancıroll. Notit. dign. Imp. orient. c.* 75. *Salmuth ad Panciroll. de Reb. deperd. & invent. p.* 326.

GYNÆCIUM est textrinum, sive conclave, id est, locus interior ædium, in quo mulieres degere solent, & opera textoria, & muliebria exercere. Constantin. l. 2. C. de murileg. *Panciroll. Notit. dign. Imp. orient. c.* 75. *Philand. in Vitruv.* VI. 10. *Coter. de jur. Milit.* I. 33. Dicitur ἀπὸ τῆς γυναικὸς, ideo scilicet, quod apud antiquos ejusmodi munera mulieribus magis quam viris demandata fuerint. *Braun. de vest. Heb. Sacerd.* I. 17. §. 33.

Gynæcium est repositorium, & quasi armarium mundi muliebris, sed usu quoque vestiaria res, quæ pro Principis majestate in præcipuis provinciarum civitatibus adservabatur ad usum vel necessitatis, vel splendoris. *Bergier. de viis Milit.* IV. *Sect.* 23. §. 2. Horum vestispici, si non reformidas vocem Plaut. Trin. II. I. 22. dicebantur *procuratores gynæciorum.* Procurabant enim, ne quid in re vestiaria ad usum, splendoremque domesticum Principis desideraretur. Vestes militares, quas Imperatores solebant quotannis militibus distribuere, item navium vela, cum classis instruenda, fieri curabant. *Bergier. ibid.* §. 3. *Panciroll. Notit. dign. imp. orient. c.* 75.

GYP.

GYPSATUS vocabatur servus, cujus pedes creta erant denotati. Tib. II. 6. 21.

Nota loquor: regnum ipse tenet, quem sæpe coegit
Barbara gypsatos ferre catasta pedes.

Ovid. Amor. I. 8. 64.

Despice gypsati crimen inane pedis.

Hinc Plin. XXXV. 17. *Est & vilissima creta, qua circum producere ad victoriæ notam, & pedes venalium trans mare advectorum denotare instituerunt majores.* Et Juven. Sat. I. 111.

Nuper in hanc urbem pedibus qui venerat albis.

Popm. de Oper. serv. p. 176. Mercur. Var. Lect. III. 21. Sagittar. Nudiped. I. §. 27. Brisson. de Form. VI. p. 494. Brod. Miscell. I. 17. Stuck. Ant. Conviv. II. 13. Demster. Paral. Ant. Rosin. V. 36. Cyllæn. in Tibullum. Columna. in Ennii Fragm. de Medea p. 203. Pignor. de Serv. p. 30. Argol. ad Panvin. de Lud. Circens. I. 14.

H.



dimidiatum, hac nota pro adspiratione non raro usurparunt veteres. *Salmas. Exerc. Plin. p.* 489. *b. F.*

H, adspirans nota, in antiqua Romanorum scriptura, sublata. Quintil. Instit. Orat. I. 5. *Diu servatum, ne consonantibus adspiraretur, ut in Graccis, & triumpis.* Ita plane citra omnem adspirationem in nummis reperies eadem nomina, Graccus, triumpus, ac præterea Cilo, Pilippus, Tampilus, Ypsæus, pro Gracchus, trium-

triumphus, Philippus, Tamphilus, Hypsæus, ut vulgo postea receptum. *Spanhem. de Numism. usu & Præst. Differt.* II. *p.* 80. *Pigh. Annal. Rom.* I. *p.* 460. II. *p.* 257.

H in signis militaribus signa notat *hastatorum*, quorum teste Liv. XXXVII. 39. *prima signa, deinde principum erant.* Hinc in denario gentis Valeriæ, ut & in gente Claudia & Cornelia signis legionum adduntur literæ H. P. id est, hastatorum & principum signa. *Spanhem. de Numism. usu & Præst. Differt.* VI. *p.* 558.

H pro F in veteri Romanorum scriptura invenitur. Serv. in Æneid. VII. 695. *Faliscos Halesus condidit. Hi autem immutato H in F Falisci dicti sunt; sicut febris dicitur, quæ antea hebris dicebatur.* Spanhem. de Numism. usu & Præst. Differt. II. p. 60.

HAB.

HABENÆ, quæ & retinacula, frenis annexa sunt lora, manuque tenentur, ut equum in gyros flectere, impellere, & retinere valeamus. Virg. Æneid. XII. 327.

— manibus molitur habenas.

Sil. Ital. VII. 696.

Ferrata calce, atque, effusa largus habena
Cunctantem impellebat equum.

Grapald. de Part. dom. I. 8. §. 15. Torrent. in Horat. Epist. II. 2. 15.

Habena erat funis fundæ. Græcis κῶλον. Suidas: *Cola, fundæ utrimque membra, sive partes.* Liv. XXXVIII. 29. *A pueris ii more quodam gentis, saxis globosis, quibus ferme arenæ immistis strata littora sunt, funda mare apertum in... exercebantur. Itaque longius, certiusque, & validiore ictu quam Balearis funditor, eo telo usi sunt. Et est non simplicis habenæ, ut Balearica, aliarumque gentium funda.* Lips. Poliorc. IV. 3.

Habena dicebatur lorum, sive funis, qui e malo trahebatur. E sparto Hispano texi, & complicari solebat. Quam ob causam nonnulli falso existimaverunt, Varrone reclamante, ab Homero σπάρτα nuncupata, quum tamen σπάρτον Homeri temporibus minime in usu foret: sed Liburni plerasque naves loris suerent, Græci magis cannabi, & stuppa, cæterisque sativis rebus, a quibus σπάρτα appellabant. Hæc lora *habenas* Poetæ vocant. Quibus profecto illud consuetum est, a re equestri ad nauticam, & a nautica rursus ad equestrem jucundas facere translationes: ut plane illud Homericum agnoscatur, qui mentionem faciens νηῶν ὠκυπόρων, subjungit αἵθ' ἁλὸς ἵπποι ἀνδράσι γίνονται. Quod belle imitatum Plautum videmus Rud. I. 5. 10.

Nempe equo ligneo per vias cæruleas
Estis vectæ.

Calcagn. de Re naut. c. 15.

Habena erat lorum, quo sandalia, seu soleæ ad pedem religabantur, circa digitos primores. Soleæ enim non erant concavæ, instar calceorum, sed planæ, & solum πέλμα, sive κάττυμα habebant, quod ad pedem illis religabatur. Turpilius:

Sandalio innexa digitis primoribus.

Pollux VII. 22. *Tyrrhenici, quorum solea lignea, quatuor digitorum latitudinis, lora autem inaurata: erat enim sandalium.* Pollucis ἱμάντας *habenas* reddit Gellius, ubi de soleis loquitur. *Salmas. in Tertull. Pall. p.* 413.

Habena erat lorum, quo servi impuberes pro quæstione cædebantur. Horat. Epist. II. 2. 15.

In scalis latuit metuens pendentis habenæ.

Ubi vetus commentator: *Non latuit*, inquit, *in scalis, sed ordo est, metuens habenæ pendentis in scalis, latuit. Secundum morem Romanum, qui servos suos ad gradus habenis, id est, loris ligatos flagellabant. Idcirco e media domo a gradibus ad timorem servis incutiendum habenæ pendebant.* Ulpian. l. 1. de Sc. Silaniano: *Solet hoc in usu observari, ut impuberes non torqueantur: terreri tantum solent, & habena, vel ferula cædi.* Laurent. de Torment. c. 7. Torrent. & Lambin. in Horatium. Petav. in Themist. Orat. Addend. p. 724.

HABET *hoc* erat inter gladiatores vox propria insultantis adversarii, aut acclamantis vulgi. Virg. Æneid. XII. 294.

— teloque orantem multa trabali
Desuper altus equo graviter ferit, atque ita fatur;
Hoc habet.

Prudent. Psychom. n. 49.

Tunc exarmatæ jugulum meretricis adacto
Transfigit gladio, calidos vomit illa vapores. . . .
Hoc habet, exclamat victrix Regina.

Simpliciter etiam *habet.* Senec. Herc. Oet. IV. 1457.

Habet, peractum est: quas petis pœnas, dedit.

Agam. V. 901.

Habet, peractum est: pendet exigua male
Caput amputatum parte.

Lips. Saturn. II. 21. Turneb. Adv. XVII. 10. Barth. Adv. XLI. 16. Palmer. Spicil. VIII. p. 743. XIV. p. 858. Casal. de Urb. ac. Imper. Roman. splend. part. 2. c. 4. Laurent. Polym. IV. 9. Thys. de Gladiat. p. 233.

HABITATIO quandoque gratis concedebatur. Cujusmodi concessionis formulas duas habemus sub tit. de donat. ff. una est in l. Aquilius. *Quoniam & cum patre meo semper fuisti, & me eloquentia, & diligentia tua meliorem reddidisti: dono, & permitto tibi habitare in illo cœnaculo; eoque uti.* Altera in l. Lucius. *Ille illi salutem. Hospitio illo, quamdiu volueris, utaris, superioribus diætis omnibus, gratuito. Idque te voluntate mea facere hac epistola notum tibi facio.* Brisson. de Form. VI. p. 555. Quandoque legabatur. Quod fiebat his verbis: *Damnas esto hæres Titium sinere in illa domo habitare quoad vivet* l. damnas ff. de usufr. leg. Scævol. l. codicillis ff. eod. tit. *Hoc amplius libertis, libertabusque meis habitationes in domo, quamdiu vivent.* Modestin. l. qui plures ff. eod. tit. *Qui plures habebat libertos, testamento suo dixit, se habitationem relinquere iis, quos codicillis designasset.* Brisson. ibid. VII. p. 640. Interdum ab ædium venditore excipiebatur. Paull. l. si sterilis §. ult. ff. de action. empt. *Qui domum vendebat, excepit sibi habitationem, donec viveret, aut in annos singulos decem.* Ulpian. l. Julianus §. si venditor eod. tit. *Si venditor habitationem exceperit, ut inquilino liceat habitare, & colono, ut perfrui liceat ad certum tempus.* Brisson. ibid. VI. p. 499. Moris etiam erat, eos qui in provinciis domicilium habentes, Romæ, vel in Italia, studiorum, aut alia justa de causa morari volebant, *habitationem* impetrarent rescripto Principis, nec ante discederent, quam id ipsum etiam impetrassent. Hunc morem, ubi de liberis Valeriani cujusdam studiorum causa Romam deductis scribi tradit Cassiod. Var. IV. 6. *Quos illustris magnificentia tua in supra dicta urbe faciat commorari, nec illis liceat ante discedere, nisi hoc secunda discernamus iterum jussione.* Rævard. de Div. reg. jur. CXXIII.

HAD.

HADRIAM in Picenum coloni missi sunt, ut legimus Epit. XI. credo anno, postquam Picentes devicti sunt M. Atilio, L. Julio consulibus. Vomano flumine humectatam tradit Sil. Ital. VIII. 438.

— statque humectata Vomano
Hadria.

Eandem in mediterraneis non longe a Matrino amne collocat Strab. V. p. 166. *Sigon. de Ant. Jur. Ital.* II. 5.

HADRIANUS Imperator. V. illum supr. in *Adrianus.*

HÆR.

HÆREDITARIA sacra. V. illa infr. in *Sacra.*

Hæreditaria sepulcra. V. illa infr. in *Sepulcra.*

HÆ-

HÆREDITARIUM jus. V. infr. in *Jus.*

HÆREDITAS *nihil aliud eſt quam ſucceſſio in univerſum jus quod defunctus habuit.* Cajus l. nihil aliud ff. de verb. ſignif. *Sigon. de Judic.* I. 4. *Calcagn. de verb. ſignif. p.* 351. Omnis, quantacunque eſſet, ſi morientis ſupremo judicio non eſſet diviſa, tum ab ipſo jure in duodecim partes dividebatur: quas quidem omnes in unum collatas aſſem pleraque antiquitas dixit, ſingulas vero disjunctim diviſas uncias appellavit. Itaque ſi te hæredem in uncia inſtituero, in duodecim partes diviſo prius toto aſſe, hoc eſt omni patrimonio, & fortunis meis, unica tantum pars tibi inſtitutionis jure debebitur: cum vero te hæredem in aſſem effecero, ſolidam *hæreditatem*, & integrum patrimonium, nullis diminutis partibus, transferri volo. Ulpian. l. ſervum meum ff. de hæred. inſtit. & Juſtinian. l. hæreditas ff. de hæred. inſtit. *Hæreditas plerumque dividitur in duodecim uncias, quæ aſſis appellatione continetur.* Alex. Gen. I. 1. Mag. Miſcell. I. 15. Pætus de Roman. & Græcor. Menſ. I. Theſ. Antiq. Rom. Græv. Tom. XI. p. 1612. D. Boxhorn. Quæſt. Rom. c. 47. Briſſon. de Form. VI. p. 595. Petebatur ab eo, qui rem *hæreditariam* pro *hærede*, vel pro poſſeſſore poſſidebat. Paull. l. poſtquam ff. de hæred. petit. *Poſtquam legatum a te accepi, hæreditatem peto.* Et *qui ex aſſe, vel ex parte hæres erat, intendebat hæreditatem ſuam eſſe: vel pro parte: ſed hoc ſolum ei officio judicis reſtituebatur, quod adverſarius poſſidebat: aut totum, ſi ex aſſe eſſet hæres, aut pro parte, ex qua hæres erat.* l. licet minimam ff. de hæred. petit. *Hæreditatem, vel hæreditatis partem qui petebat, non ex eo metiebatur, quod poſſeſſor occupabat, ſed ex ſuo jure. Et ideo, ſive ex aſſe hæres eſſet, totam hæreditatem vindicabat, licet reus unam rem poſſideret: ſive ex parte hæres eſſet, partem duntaxat petebat, quamvis adverſarius totam hæreditatem poſſideret* l. 1. §. 1. ff. ſi pars hæred. pet. *Quinimo ſi duo poſſiderent hæreditatem, & duo eſſent, qui ad ſe partes pertinere dicerent, non ſinguli a ſingulis petere contenti eſſe debebant, puta primus a primo, vel ſecundus a ſecundo: ſed ambo a primo, & ambo a ſecundo* §. 2. ibid. *Quod ſi quis ſe ex parte hæredem diceret, cohæres autem ejus poſſideret hæreditatem cum extraneo, cum non plus cohæres haberet ſua parte, a ſolo ex*[illegible] *debebat: isque reſtituere damnabatur quinquna* [illegible]. §. 3. ibid. *Sed & ſi is, qui ſe ex parte dimidia hæredem dicebat, trientem hæreditatis poſſideret, deinde* [illegible] *ſextantem* [illegible] *partem dimidiam a ſingulis petere debebat. Sic fiebat, ut a ſingulis ſextantem conſequeretur, & haberet beſſem: ipſe vero tenebatur ad reſtitutionem ſextantis ex triente, quem poſſidebat.* §. 4. ibid. Briſſon. de Form. V. p. 424. *Hæreditatem* cernere V. ſupr. in *Cernere:* & adire V. ſupr. in *Adire.*

Hæreditas legitima fuit, quæ ab inteſtato ex lege XII. tabularum delata fuit. Quod ſi quis inteſtatus moreretur, lex primum liberis, deinde agnatis *hæreditatem* tribuit. *Sigon. de Judic.* I. 4. *Ant. jur. civ. Rom.* I. 5. In legis hac de re a decemviris latæ verbis referendis variant auctores. Pleniſſima tamen conceptio videtur eſſe, quæ a viris doctiſſimis ex Ulpian. compar. leg. Moſaic. cum jur. civil. Roman. I. 16. reſtituta eſt in hunc modum: *Si inteſtato,* vel, ut alii legunt, *inteſtatus moritur* paterfamilias, *cui ſuus hæres nec eſcit, agnatus proximus familiam habeto: ſi agnatus nec eſcit, gentiles familiam habento.* Ritterſh. in Leg. XII. tab. Claſſ. III. 2. c. 20. Ad illam *is qui in utero fuit ex lege* XII. *tabularum admittitur, ſi fuerit editus. Inde ſolet remorari inſequentes ſibi agnatos, quibus præfertur, ſi fuerit editus.* Ulpian. l. inteſtato p. ult. de ſuis & legi. Qui addit, quod propter eandem legi addi exiſtimo: *Poſt decem menſes mortis natus non admittitur ad legitimam hæreditatem. Si nemo* vero *ſuus hæres, vel eorum, quos inter ſuos hæredes prætor, vel conſtitutiones vocant, exiſtat, qui ſucceſſionem quoquo modo amplectatur, tunc ex lege duodecim tabularum ad agnatum proximum pertinet hæreditas.* Juſtinian. de Legit. agnat. ſucceſſ. in princ. *Auguſtin. ad Leg.* XII. *tab.* §. 24. & 25.

Hæreditas teſtamentaria fuit juſta, & ſollennis teſtatio mentis, ac voluntatis noſtræ de univerſo jure noſtro in aliquem, pluresve poſt mortem noſtram abalienando: atque in hac de *hæreditatibus*, legatis, & fideicommiſſis caverunt, & ſecundos, tertioſve *hæredes* ſubſtituerunt. *Sigon. de Judic.* I. 4. Hæc ad ſolos cives Romanos jure civili pervenire potuit. Etenim qui cives Romani non erant, nec teſtamentum facere, nec teſtamento teſtes intereſſe, neque ex teſtamento quicquam capere poterant. Id quod in libris Ictorum poſitum, graviſſima etiam Ciceronis auctoritate video comprobatum. Is enim Archiam poetam civem Romanum fuiſſe eo argumento oſtendit Orat. c. 5. quod *adiſſet hæreditates civium Romanorum.* Et cum Æbutius negaſſet, Cæcinam Volaterranum *hæredem* Cæſenniæ eſſe poſſe, quod Volaterranis civitas a L. Sylla dictatore eſſet adempta, Cicero illi reſpondit in defenſione Cæcinæ c. 35. Syllam ita tuliſſe de civitate Volaterranorum, *ut non tolleret hæreditates: juſſiſſe autem, ut eſſent eodem jure, quo Ariminenſes, quos conſtaret a civibus Romanis hæreditates capere potuiſſe.* Atque hoc eſt, quod *Quiritium jus legitimum hæreditatum* vocavit pro domo c. 13. *Sigon. de Ant. jur. civ. Roman.* I. 11.

HÆREDIUM eſt *prædium parvulum.* Feſtus. Varr. de Re ruſt. I. 10. *Antiquus noſter ante bellum Punicum pendebat bina jugera, quod a Romulo primum diviſa dicebantur viritim: quæ quod hæredem ſequerentur, hæredium appellarunt.* Plin. XIX. 4. *In duodecim tabulis legum noſtrarum nuſquam nominatur villa, ſemper in ſignificatione ea hortus: in horti vero hæredium.* Colum. Præf. p. 3. *Quintius Cincinnatus ab aratro vocatus ad dictaturam venit: ac rurſus faſcibus depoſitis ad juvencos, & quatuor jugerum avitum hærediolum rediit,* id eſt, εἰς τὸ χωρίδιον τὸ πατρῷον. Auſon. Eidyll. III. 1.

Salve hærediolum, majorum regna meorum,
Quod proavus, quod avus, quod pater excoluit.
Quod mihi jam ſenior, properata morte, relinquit.

Bud. in Pandect. p. 144. E. Voſſ. Lex. Etymol. in Hæres. Grapald. de Part. dom. I. 5. §. 1. Beroald. in Plinium. Boſ. Ind. Nepot. Ernſt. in Nepot. XXIV. I. 1. Sigon. de Ant. jur. Ital. II. 2.

HÆRES proprie dicitur dominus bonorum defuncti, cui legitimo jure, id eſt cognationis id obvenit, quaſi debitum ſit id bonum, non adventitium. Feſtus: *Hæres apud antiquos pro domino ponebatur.* Bud. in Pandect. p. 144. E. Gloſſ. Philox. Hæres, κύριος, κληρονόμος. Plaut. Men. III. 2. 11.

Prandi, potavi, ſcortum accubui, abſtuli
Hanc, cujus hæres nunquam erit poſt hunc diem.

Inde Juſtinian. §. ult. de hæred. qual. & differ. *Pro hærede,* inquit, *gerere eſt pro domino gerere: veteres enim hæredes pro dominis appellabant.* Comment. in Feſtum. Inde *exhæres*, qui deſiit eſſe dominus, & poſſeſſor. Plaut. Moſt. I. 3. 77.

Ut ego exhæredem meis bonis me faciam.

Bacch. IV. 8. 8.

Nive exhæredem fecero vita ſua.

Taubm. Plaut. Men. III. 2. 11. Firmat hanc ſententiam, quod Germanis, & Belgis hodieque **Heer** dominum notat. *Voſſ. Lex. Etymol.* Efficitur tribus modis: I. ſuo nomine, quod ad *ſui hæredis* jus pertinere arbitror. II. per ſe, cum extraneus inſtitutus eſt. III. per alios, ſervos puta, aut filios. Cajus l. 1. ff. de hæred. petit. *Hæreditas ad nos pertinet, aut vetere jure, aut novo. Vetere, e lege duodecim tabularum: vel ex teſtamento, quod jure factum eſt.* Ulpian. §. 2. ibid. *Sive ſuo nomine, ſive per ſe, ſive per alios effecti ſumus.* Cajus ibid. §. 3. *Vel ab inteſtato, forte quod ſui hæredes defuncto ſumus, vel agnati, vel quod manumiſimus defunctum, quodve parens noſter manumiſerit. Novo jure fiunt hæredes omnes, qui ex SCtis, aut ex conſtitutionibus ad hæreditatem vocantur.* Auguſt. ad Leg. XII. tab. §. 23. Nemo inſtitui poterat, niſi ut certo demonſtraretur. l. 9. §. 9. de hæred. inſtit. *Hæres inſtitui, niſi ut certe demonſtretur, nemo poteſt.* Qui *frater non erat, ſi fraterna caritate diligeretur, recte cum nomine ſuo, ſub appellatione fra-*

tris

tris hæres inſtituebatur l. nemo dubitat §. 1. ibid. *Si quis autem hæredis nomen non dixiſſet, ſed indubitabili ſigno eum demonſtraverit, quod pane nihil a nomine diſtat: non tamen eo, quod contumeliæ cauſa ſolet addi, valet inſtitutio.* l. quotiens §. ſi quis ibid. Inſtituebatur vero his verbis, *hic mihi hæres eſto*, cum eſſet coram, qui oſtendebatur l. nemo dubitat ff. de hæred. inſtit. *Nemo dubitat, recte ita hæredem nuncupari poſſe, hic mihi hæres eſto, cum ſit coram, qui oſtenditur.* Etiam recte hiſce: *Titius & Sejus, uterve eorum vivêt, mihi hæres eſto* l. Titius ibid. vel: *uter ex fratribus meis, Titio, & Mævio, Sejam uxorem duxerit, hæres eſto* l. quoties §. ſi quis ita ibid. vel: *cujus nomen codicillis adſcripſero, ille mihi hæres eſto.* Briſſon. de Form. VII. p. 593. Aut ſcribebatur, aut palam nuncupabatur l. ult. ff. de jur. codic. Si nuncupabat, debebat palam, id eſt, ut exaudiri a ſeptem teſtibus poſſet l. hæredes palam ff. qui teſtam. fac. poſſ. Suet. Cal. c. 38. n. 7. *Cum jam & ab ignotis inter familiares, & a parentibus inter liberos palam hæres nuncuparetur.* Cicer. pro Mil. c. 18. *Teſtamentum palam fecerat, & illum hæredem, & me ſcripſerat.* Et is qui meruerat. Plin. Epiſt. II. 3. *Et hic hæreditates, hic legata, quaſi mereatur, accipit.* Mart. VII. 65. 1.

Hæredem Fabius Labienum ex aſſe reliquit:
Plus meruiſſe tamen ſe Labienus ait.

Quintil. Declam. 325. *Quo merito tuo te ſcripſit hæredem? Vox communis eſt. Iiſdem verbis interrogare te poſſum, quid merueras, ut te ſcriberet hæredem.* Interdum ita ſcribebatur, ut intra certum tempus adiret *hæreditatem* l. 75. §. ſi quis hæres ita ff. de adquir. hæred. *Si quis hæres ita ſcriptus fuerit, ut intra certum tempus adeat hæreditatem, & ſi non ita adierit, alius ei ſubſtituatur, prior autem hæres, antequam adiret, deceſſerit: nemo dubitat, quin ſubſtitutus ultimum diem aditionis exſpectare non ſoleat.* Ille hoc verbo *adeo* utebatur. l. 51. eum qui §. filiusfamilias ibid. *Filiusfamilias hæres ſcriptus patrem ſuum certiorem fecerat, videri ſibi ſolvendo eſſe hæreditatem. Pater reſcripſerat, ſibi parum idoneam renuntiari. Itaque debere eum diligentius explorare: & ita adire, ſi idoneam comperiſſet. Filius acceptis literis patris adiit hæreditatem. Dubitatum eſt, an recte adiiſſet. . . . Sed & ſi quis ita dixerit: ſi ſolvendo hæreditas eſt, adeo hæreditatem, nulla aditio eſt.* Briſſon. ibid. p. 603. Pro nullo, aut minimo lucro illam adire recuſabat. Ideo lex Furia, & lex Voconia latæ ſunt, quarum altera certam quantitatem ſingula legata excedere prohibebatur; altera, plus uni legatario relinquere, quam quantum apud *hæredes* maneret, non licebat. *Auguſt. de Leg. in Voconia.* Annuli traditione ſæpius deſignabatur. V. ſupr. in *Annulus.* In nomen, & familiam teſtamento adoptabatur. Suet. Jul. c. 83. n. 4. *C. Octavium hæredem etiam in familiam, nomenque adoptavit.* Qui & idcirco poſt eam diem ſemper Cæſar eſt appellatus, ut in Epiſtolis Bruti ad Ciceronem. Sic T. Pomponius Atticus Q. Cæcilii avunculi teſtamento adoptatus non tantum ex dodrante *hæres* eſt factus, ſed & Q. Cæcilius Atticus eſt appellatus. Varr. de Re ruſt. II. 2. *Atticus, qui tunc T. Pomponius, nunc Q. Cæcilius cognomine eodem.* Suet. Tib. c. 7. n. 4. *Agrippam neptem Cæcilii Attici duxit uxorem.* Et *Q. Cæcilius Q. F. Pomponianus Atticus* dicitur Cicer. Attic. III. 20. Nep. XXV. 5. 2. *Cæcilius moriens teſtamento adoptavit eum, hæredemque fecit ex dodrante, ex qua hæreditate accepit circiter centies LLS.* Politian. Miſc. c. 31. Faber Semeſtr. I. 14. Buleng. de Imp. Rom. II. 1. Auguſtin. Emend. III. 8. Ernſt. in Nepotem. Pitiſc. in Suet. Auguſtum & Tiberium.

Hæres extraneus *appellatur, qui teſtatoris juri ſubjectus non eſt. Itaque liberi quoque noſtri, qui in poteſtate noſtra non ſunt, hæredes a nobis inſtituti, extranei hæredes nobis videntur. Qua de cauſa, & qui hæredes a matre inſtituuntur, eodem numero ſunt: quia feminæ in poteſtate liberos non habent. Servus quoque hæres a domino inſtitutus, & poſt teſtamentum factum ab eo manumiſſus, eodem numero habetur.* Juſtinian. Inſtit. §. 4. de hæred. qualit. Suet. Claud. c. 4. n. 13. Claudium *ne hæredem quidem, niſi inter pene extraneos nuncupavit* Auguſtus. *Pitiſc. in Suetonium.* Lugere debebat ſecundum animi ſui patientiam, non elugere. Luctuosa enim *hæreditas* ea eſt ſolum, quæ liberis, aut parentibus defertur l. fin. C. de inſtit. & ſubſtit. aliorum luctus ſub perſona riſus eſt, ut Mimus docet. *Guther. de Jur. man.* III. 28.

Hæres fiduciarius appellatur, cujus fidei teſtator *hæreditatem* ſuam committit ad tempus, poſt alii reddendam. Javolen. l. 46. §. Sejus Saturninus ff. ad SCtum Trebell. *Sejus Saturninus archigubernus ex claſſe Britannica teſtamento fiduciarium reliquit hæredem Valerium Maximum trierarchum: a quo petiit, ut filio ſuo Sejo Oceano, cum ad annos ſedecim perveniſſet, hæreditatem reſtitueret.* §. 67. *Idem dicendum eſt, & ſi citra conſilium donandi fiduciarius hæres id fecerit.* Urſat. de Not. Rom. Theſ. Ant. Roman. Grævi. Tom. XI. p. 719. B. Salmaſ. de Mod. uſur. c. 14. Bud. in Pandect. p. 24. D. Et *hæreditas* fiduciaria, quæ ſic relicta eſt. Javolen. l. l. *Si Sejus Oceanus, cui fidei commiſſa hæreditas ex teſtamento Seji Saturnini, cum annos ſedecim haberet, a Valerio Maximo fiduciario hærede reſtitui debeat, priuſquam præfinitum tempus ætatis impleret, deceſſit: fiduciaria hæreditas ad eum pertinet, ad quem cætera bona Oceani pertinuerint.* Bud. ibid. p. 25. I. Salmaſ. l. l.

Hæres inſtitutus *dicebatur, qui primo gradu erat ſcriptus.* Modeſtin. l. 1. ff. de vulgar. & pupill. ſubſtit. Vocabatur *hæres primus* l. idem eſt. §. ult. ff. de teſtam. milit. l. quamdiu ff. de adquir. hæred. *primo gradu ſcriptus* l. denique ff. de injuſt. rupt. vel *primo loco* l. ſi non lex. §. ult. ff. de hæred. inſtit. *Briſſon. de Formul.* VII. *p.* 606.

Hæres neceſſarius dicebatur, qui omnino, ſive velit, ſive nolit, tam ab inteſtato, quam ex teſtamento ex lege XII. tabularum *hæres* fit. Juſtinian. Inſtit. de hær. qual. §. 3. *Sui autem, & neceſſarii hæredes ſunt, veluti filius, filia, nepos, neptis ex filio, & deinceps cæteri, qui in poteſtate morientis fuerint. Sed his prætor permittit volentibus abſtinere hæreditate: ut potius parentis, quam ipſorum bona ſimiliter a creditoribus poſſideantur.* Auguſt. de Leg. in Junia Vellea, & ad Leg. XII. tab. §. 23. Etiam dicitur ſervus inſtitutus hæres Juſtinian. ibid. §. 2. itidem *ſic appellatus, quia ſive velit, ſive nolit, omnino poſt mortem teſtatoris protinus liber, & neceſſarius ſit hæres.* Huic *hæreditate* abſtinere volenti prætor, vel proconſul id non permittit. l. 57. §. 2. ff. de acquir. hæred. *Servis autem neceſſariis hæredibus, ſive puberes ſint, ſive impuberes, hoc non permittitur.* Is vero cogitur *hæres* eſſe, ut dominus defunctus ignominia non afficiatur per diſtractionem, & auctionem bonorum ſuorum, quæ infamiæ proxima eſt. Dat hanc rationem Juſtinian. Inſtit. §. 2. quib. ex cauſ. manum. non lic. *Valde enim proſpiciendum erat, ut egentes homines, quibus alius hæres extiturus non eſſet, vel ſervum ſuum neceſſarium hæredem haberent, qui ſatisfacturus eſſet creditoribus: aut hoc eo non faciente, creditores res hæreditarias ſervi nomine vendant, ne injuria defunctus afficiatur.* Qui pro hac ignominia, ad quam ferendam obligatur, libertatem, quæ res eſt inæſtimabilis, conſequitur: & ſibi ipſi acquirit, quicquid poſt patroni mortem acquirit, nec obnoxia facit ſua bona creditoribus, etiamſi patroni bona non ſufficiant. Juſtinian. Inſtit. de hær. qual. §. 2. *Pro hoc tamen incommodo illud ei commodum præſtatur, ut ea, quæ poſt mortem patroni ſui ſibi acquiſierit, ipſi reſerventur. Et quamvis bona defuncti non ſufficiant creditoribus: tamen ex ea cauſa res ejus, quas ſibi acquiſierit, non veneunt.* Si nimirum ſeparationem bonorum ſuorum a bonis patroni petierit, & patroni bonis ſeſe non immiſcuerit l. 1. §. 18. ff. de ſeparation. *Ita ſciendum eſt, neceſſarium hæredem ſervum, cum libertate reſtitutum, impetrare poſſe ſeparationem: ſcilicet, ſi non attigerit bona patroni, in ea cauſa ſit, ut ei, quicquid poſtea acquiſierit, ſeparetur: ſed & ſi quid ei a teſtatore debetur.* Loon. de Manum. ſerv. I. 4. §. 15. 16. 17.

Hæres ſubſtitutus *dicebatur, qui ſecundo, vel tertio gradu erat ſcriptus.* Modeſtin. l. 1. ff. de vulgar. & pupill. ſubſtit. Appellabatur *hæres ſecundus.* Suet. Aug. c. 102. n. 3. *Hæredes inſtituit ſecundos, Druſum Tiberii filium ex triente, & ex partibus reliquis Germanicum.* *ſecundo gradu ſcriptus* l. denique ff. de injuſt. rupt. vel *ſecundo loco ſcriptus*

ptus l. poſtumos. ff. de Sćto Silan. Aut ſi tertio gradu ſcriptus eſſet, *hæres tertius.* Suet. Claud. c. 6. n. 6. *Qui moriens, & in tertiis hæredibus eum ex parte tertia nuncupatum. . . .* Poterat quis plures *hæredum* gradus facere. Marcell. l. ſi plures. ff. de jure delib. *Si plures ſint gradus hæredum inſtitutorum.* Marcian. l. poteſt ff. de vulgari & pupill. *Poteſt quis in teſtamento plures gradus hæredum facere, puta, ſi ille non hæres erit, ille hæres eſto: & deinceps plures: ut noviſſimo loco in ſubſidium vel ſervum neceſſarium hæredem inſtituat.* Marcell. l. Lucius Titius ff. de hæred. inſtit. *Salluſtium & Varronem primo, an ſecundo, vel tertio gradu hæredes inſtituere voluerit.* Subſtitutio, quæ in hunc caſum, *ſi hæres n n erit*, fiebat, vulgaris vocabatur. Cajus Inſtit. II. 4. *Subſtitutio eſt, quæ poſt inſtitutionem a teſtatore fieri ſolet, id eſt, ſecundi hæredis appellatio. Et duæ ſunt: quarum una vulgaris dicitur, alia pupillaris. Vulgaris dicitur, ille mihi hæres eſto, ſive hoc filio, ſive extraneo, quod ſi hæreditatem meam adire nolueris, illum ſubſtituo, ad quem hæreditas mea debeat pervenire.* Vulgari ergo modo, ut loquitur Modeſtin. l. jam hoc jure §. ult. ff. de vulg. hæred. ſubſtituebatur ita, *ſi hæres non erit*, aliique. Hæc autem verba in eo, quem alieno juri ſubjectum eſſe teſtator ſciebat, ſic accipiebantur: *ſi neque ipſe hæres erit, neque alium hæredem effecerit.* In eo vero, quem paterfamilias arbitrabatur, illud ſignificabant: *ſi hæreditatem ſibi, vel ei, cujus juri poſtea ſubjectus eſſe cœperit, non adquiſierit.* §. ult. Inſtit. de vulgar. & pupillar. *Briſſon. de Formul.* VII. *p.* 606. *Salmaſ. de modo uſur. c.* 11.

Hæres ſuus ideo appellatur, quia domeſticus eſt, & vivo quoque patre quodammodo dominus exiſtimatur. Quinam illi ſint V. ſupr. in *Hæres neceſſarius.* Suorum mentionem fieri in duodecim ex Calliſtrati verbis conſtat l. liberorum de verb. ſignif. *Liberorum*, inquit, *appellatione nepotes, & pronepotes, cæterique qui ex his deſcendunt, continentur. Hos enim omnes ſuorum appellatione lex* XII. *tabularum comprehendit.* Suos autem ab inteſtato primos ex eadem lege vocari ſcribit Juſtinian. Inſtit. III. §. 2. de hæredit. quæ ab inteſt. defer. & Cajus l. 1. & 3. de hæred. petit. ait ex lege XII. tabularum ab inteſtato ad nos *hæreditatem* pertinere, forte quod ſui *hæredes* defuncto ſumus vel agnati, vel ex aliis cauſis, quæ illic referuntur. Suos autem Juſtinianus appellat, ut dictum eſt, eos qui in poteſtate defuncti erant, in quibus adoptivi numerantur. Emancipati ſui *hæredes* non ſunt, quoniam in poteſtate parentis eſſe deſierunt, qua de cauſa nullo jure ex duodecim vocantur; prætor tamen eis bonorum poſſeſſionem *unde liberi* præſtitit, ut ſcribit Juſtinian. l. Emancipati l. l. Nepotes vero tum lex XII. tabularum vocat, cum filio mortuo, aut alio pacto e medio ſublato, is in poteſtate reperitur. Succedit autem cum filiis nepos hujuſmodi, quod evidenter in duodecim caveri Diocletianus Frontoni reſcripſit l. 3. de ſuis & legitim: Idem Marcellæ reſcripſit poſtumum ſuum potiorem ſorore conſanguinea eſſe ex ordine legis XII. tabularum. Qua de cauſa ſcribit Juſtinian. l. poſtumi de hæred. quæ ab inteſt. defer. *Poſtumi quoque, qui ſi vivo parente nati eſſent, in poteſtate ejus futuri forent, ſui hæredes ſunt.* Auguſtin. ad Leg. XII. tab. §. 23. & 24. de leg. in Junia Vellea. Rittersh. in Leg. XII. tab. Claſſ. III. p. 2. c. 21.

HAL.

HALTERES, ἁλτῆρες, erant plumbeæ pilæ, maſſulæve, quibus utraque manu ſe librabant, ut certius aſſilirent. Pauſan. Eliac. I. p. 175. *Sicut halteres, athletarum libramenta, circuli oblongiore figura, illa quidem non prorſus in ambitum circumducta. Nam qua pars manibus prenſatur, anſulas habet, intra quas digiti, uti intra clypeorum lora, immittuntur.* De his Mart. VII. 66. 6.

Halteres agili rotat lacerto.

XIV. 49.

Quid pereunt ſtulto fortes haltere lacerti?
Exercet melius vinea foſſa viros.

Bud. in Pandect. p. 96. B. Turneb. Adv. XXVIII. 28. Rhodig. Ant. Lect. XIV. 5. Alex. Gen. III. 21. & ad illum Tiraquellus. Mercur. Gymnaſt. II. 12. Voſſ. Lex. Etymol. Demſter. Paral. ad Antiq. Roman. Roſin. V. 1. Potter. Archæol. Græc. II. 21.

HAM.

HAMA fuit inſtrumentum idoneum reſtinguendis incendiis. Plin. Epiſt. X. 42. *Nullus unquam in publico ſipo, nulla hama, nullum denique inſtrumentum ad incendia compeſcenda.* Juven. Sat. XIV. 305.

Diſpoſitis prædives hamis vigilare cohortem
Servorum noctu Licinus jubet.

Ubi vetus interpres: *Per tranſlationem diſciplinæ militaris ſparteolorum Romæ, quorum cohortes in tutelam Urbis cum hamis, & cum aqua vigilias curare conſuerunt vicinis.* Paull. l. 3. §. ſciendum eſt ff. de Offic. præf. Vigil. *Sciendum eſt, præfectum vigilum per totam noctem vigilare debere, & coerrare calceatum cum hamis & dolabris.* Voſſ. Lex. Etymol. Brod. Miſc. IX. 17. Caſaub. in Treb. Poll. Claud. c. 14. Cerda Adv. ſacr. c. 36. §. 14. Briſſon. Antiq. Roman. II. 8. Leopard. Emend. IX. 22. Grang. in Juvenalem: Popm. de Inſtrum. Fund. c. 19. Qualis *hama* fuerit, non ſatis conſtet. A Polluce I. 12. 15: X. 29. inter ἐργαλεῖα γεωργικὰ, a Suida vero inter οἰκοδομικὰ & τεκτονικὰ ponitur. Et veriſimile eſt diſturbandis ædibus aptum inſtrumentum fuiſſe. Hæc interpretatio fit probabilis adjuncto dolabræ verbo, cujus & in re ruſtica & in re bellica uſus eſt. V. ſupr. in *Dolabra.* Briſſon. l. l. Ego vas aquarium rotundioris formæ, & ventris globoſioris interpretor, quo ad incendia exſtinguenda ſolebant uti. Forma intelligi poteſt ex Colum. X. 381. de cucurbita:

— *ſive globoſi*
Corporis, atque utero nimium quæ vaſta tumeſcit,
Ventre leges medio: ſobolem dabit illa capacem
Narycia picis, aut Actæi mellis Hymetti,
Aut habilem lymphis hamulam.

Turneb. Adv. XIX. 23. Briſſon. Leopard. & Voſſ. l. l.

HAMUS connectebat armillam, in altero capitulo eminebat. Præſtabat idem, quod in aliis fibulæ, circuli, aut clavi. Ab illo cutis erat tuta, quia, ut credo, non nudo brachio armillæ inducebantur, ſed manica interpoſita, roboris ergo. *Barthol. de Armill.* §. 4.

Hamus etiam, ſive ex ære fuerit, ſive ex ligno, fuit inſtrumentum in cubiculis, aulis & repoſitoriis, quibus capitis tegmina, & variæ res aliæ melius appenſæ, quam jacentes ſervarentur, verbo a piſcatorii *hami* ſimilitudine tranſlato. *Blond. Triumph. Rom.* IX. *p.* 182. *F.*

HAR.

HARENA. V. illam ſupr. in *Arena.*

HARIOLUS. V. illum ſupr. in *Ariolus.*

HARMAMAXA, ſive *armamaxa*, non eſt eſſedum, non pilentum, non petoritum, ſed vehes geſtatorius, qui opera humana ſine jumentis tollitur, & circumfertur manibus, humerisve; cujuſmodi ſellæ fuerunt geſtatoriæ Suetonio, & lecticæ Senecæ, ſive religionis, ſive mollitiei cauſa, præcipue ad ægrotos portandos comparatæ. Hoc Tertull. de Spectac. c. 7. demonſtrat, cum nominat primum currus, quos equi vehunt, & jumenta quælibet, & in eis pilenta: tum majoris religionis ergo thenſas, quas homines trahunt funalibus; poſtremo ſummæ religioni teſtandæ *harmamaxas*, quas homines ſuſtollunt, & geſtant, ſanctimoniæ ſtudium officio ſuo erga res ſacras, atque divinas oſtendentes. *Junius in Tertull. p.* 84. Qui errat meo judicio, quoniam aliud ex auctoribus colligitur, maxime Plutarcho in Themiſtocle, qui accipit pro vehiculo, quo mulieres vehi ſolebant. Valla aſſerit eſſe virorum currum, ſed fallitur, ſi velit ſolos viros eo uſos. Apud Athen. V. p. 206. D. corpus Alexandri illo portatur. Ex quo fatendum eſt, eum currum utrique

ſexui

ſexui in uſu fuiſſe, licet feminæ maxime uterentur. Itaque Tertullianus intelligit ejuſmodi vehicula, atque ex iis aſſerit probari, quorum eſſet circenſis pompa, Chriſtianorumne, an idololatrarum: quoniam Romani utriusque ſexus, qui iis *harmamaxis* vehebantur, erant in veſte, quæ erat in deorum ſacris uſitata, & coronas, atque exuvias in deorum honorem ferebant, aut certe aliqua pertinentia ad ſacrificia. Puto vero idem eſſe *harmamaxas*, quod eſſeda, pilenta, ac petorita: nam eis, ſicut *harmamaxis* in pompis circenſibus, & aliis, viri, feminæque utebantur. *Taffin. de Ann. ſecul. c.* 15.

HARPAGO & ferrea manus confunduntur a Curt. IV. 2. 12. *Ferreæ quoque manus, harpagonas vocant, quas operibus hoſtium injicerent. . . . . præparabantur.* Diſtinguuntur a Cæſ. Bell. Civ. I. 57. 2. *Ii manus ferreas, atque harpagonas paraverant.* Et recte. Nam ut Dion. LXXIV. p. 845. D. *harpagones* celeriter emitti ac retrahi ſolebant, manus ferrea cum pondere decidebat, retinebatque quodcunque amplexa erat. Huic accedit, quod Plin. VII. 56. Anacharſim *harpagonas*, manus autem Periclem Athenienſem inveniſſe memoriæ prodidit: etſi ἅρπαγα ab Agrippa excogitatum ſcribit Appian. Bell. Civ. V. p. 739. *Scheffer. de Milit. nav.* II. 7. *Stewech. in Veget.* IV. 44. *Rhodig. Ant. Lect.* XXIX. 27. *Brod. Miſc.* II. 30. *Calcagn. de Re naut. c.* 16. *Laz. Comm. Reip. Rom.* VI. 7: VIII. 18. *Grapald. de Part. dom.* I. 2. 6. *Voſſ. Lex. Etymol. Piiſc. in Curtium.* Puto igitur *harpagones* proprie fuiſſe uncos ferreos, ex capite aſſeris cujuſdam pendulos, quibus catena ex altera parte, quæ malo navis forſitan, aut turri affixus erat, demiſſis, ſubito corripere hoſtilem navim, correptamque in ſublime poterant attollere. Ipſe Liv. XXX. 10. *aſſeres* fuiſſe ſcribit *ferreo unco præfixos, ſuſpenſos e catenis*, quos in naves hoſtiles dejicere ſolebant. Et ſic fere Athen. V. p. 208. C. *In navi mali tres fuerunt, & horum ſingulis aptati aſſeres, e quibus harpagones, plumbeæque maſſæ in hoſtem jacerentur.* Præcipuus ergo uſus *harpagonum*, ut navim hoſtilem in ſublime erigerent, rurſumque demiſſam in fluctus præcipitarent. Quia vero ancorarum formam referebant, ideo opinor ancoras vocavit Zonar. II. ubi de Duillio: *Ancoras & ferreas manus paravit.* Scheffer. l. l.

HARPASTUM fuit pila parva e corio, dicta ex eo, quod ludentes alter alteri pulvere aſperſam raperet. Mart. VII. 31. 10. V. illum infr. in *Pulvis.* Σφαῖραν μικρὰν vocat Clem. Alex. Pædag. III. 10. *Buleng. de Lud. Vet. c.* 9. *Laurent. Polym.* IV. *Synopſ.* 8. Laborioſum ludi genus erat, grandioribusque tantum conveniens. Quum enim multi ſimul pilam arripere conantur, in terram ſe invicem proſternunt, pulvereque & ſudore infecti flaveſcunt. Mart. IV. 19. 6. V. illum ſupr. in *Endromis.* Souter. de Aleat. III. 4. Fab. Agon. I. 6. Mercur. Gymnaſt. II. 4. Ut diſcus in ſublime, ita *harpaſtum* in terram rotabatur incredibili volubilitate. Ut alii athletæ, ita *harpaſto* ludentes ſubligaria induebant. Mart. VI. 66. 4.

Harpaſto quoque ſubligata ludit.

Demſter. Paral. ad Ant. Rom. Roſin. V. 1. De *harpaſto* quoque *Scalig. Poet.* I. 18. *Argol. in Panvin. de Lud. Circenſ.* II. 1. *Bacc. de Therm. vet. c.* 7.

HARPE erat gladius falcatus & incurvus, quo Mercurius traditur Argo centum oculis inſignito caput amputaſſe, & quo Perſeum Meduſæ caput ademiſſe poetæ memorant. Is etſi nobis Germanis hoc ſeculo in uſu non ſit, fuit tamen ante patrum memoriam, & eſt adhuc Hungaris, Turcis, ac Tartaris, qui illud gladii genus gentilitia voce *ſablam* vocant. Lucan. IX. 662.

Et ſubitus præpes Cyllenida ſuſtulit harpen,
Harpen alterius monſtri jam cæde rubentem.

Laz. Comm. Reip. Rom. VIII. 18.

HARPOCRATES habebatur filius Iſidis & Oſiridis, qui cum ea poſt mortem, ut nugantur, rem habens genuit infantem ante completos menſes, & debilem inferioribus membris. Ejus tempus natale cenſebant circa ſolſtitium hybernum. Plutarch. de Iſid. & Oſir. p. 377. B. Nam idem ſcribit, quosdam velle Oſirin ſepeliri, quando ſemen terra occulitur, & rurſum apparere, quando pullulare incipit: ideo Iſin, cum ſe ſentiret gravidam, appendiſſe ſibi phylacterium, ſexta die menſis Paophi, & peperiſſe circa ſolſtitium hybernum imperfectum, ac recentem, quod tum primi flores, & germina incipiunt pullulare. *Cuper. Harpocr. p.* 3. *La Chauſſe de Deor. ſimul. tab.* XXVI. *Politian. Miſcell. c.* 83. *Spon. Miſcell. Ant. erud. Sect.* 1. *art.* 5. *Gyrald. Synt. deor.* I. 57. Et deus ſilentii. Ovid. Met. IX. 691.

Quique premit vocem, digitoque ſilentia ſuadet.

Unde *Ægyptium Sigalionem* illum appellat Auſon. Epiſt. XXV. 26.

Tu velut Oebaliis habites taciturnus Amyclis,
Aut tua Sigalion Ægyptius oſcula ſignet,
Obnixum Paulline taces.

Deſcribunt illum Capell. II. *Tunc ſubſellia flammabunda cœrum ſuſcepere ſidereum: verum quidam redimitus puer ad os compreſſo digito ſalutari ſilentium commonebat.* Auguſt. de Civit. Dei XVIII. 5. *Et quoniam fere in omnibus templis, ubi colebantur Iſis & Serapi, [illegible] ſimulacrum, quod digito labiis impreſſo admonere videretur, ut ſilentium fieret; hoc ſignificare idem Varro exiſtimat, ut homines fuiſſe eos taceretur.* Illum Ægyptii ſuis adhibebant ſacris, ut ſilentio colendum oſtenderet ſummum deum. *Cuper. ibid. p.* 2. *Politian. La Chauſſe, Gyrald. & Spon. l. l. Putean. Rel. conv. priſc. Theſ. Antiq. Roman. Græv. Tom.* XII. *p.* 256. *B.* Cupidinem ingenioſe finxerunt *Harpocrati* deo ſilentii roſam conſecraſſe. Forſan, quod ea ſilentii ſymbolum, cujus in amore vis magna. Præceptum eſt Ovid. Art. II. 607.

Præcipue Cytheræa jubet ſua ſacra taceri,
Admoneo, veniat ne quis ad illa loquax.

Tomaſ. de Donar. c. 16. Plura de *Harpocrate* qui voluerit, evolvat *Cuperi Harpocratem*, & *Lomejeri* ad mythologiam ethicam transferentis *Dier. gen. Dec.* 1. *Diſſert.* III.

HARUGA, ut Donat. Ter. Phorm. IV. 4. 48. ſive *harviga*, ut dicitur Feſto, *eſt hoſtia, cujus adhærentia inſpiciebantur exta.* Briſſon. de Form. I. p. 13. Buleng. de Sort. c. 6. Saubert. de Sacrif. c. 20. Cerda Adv. ſacr. c. 134. n. 17. Vera ejus ſcriptura videtur fuiſſe *aruiga.* Docuit hoc me Varr. de Ling. Lat. IV. 19. *Aries, quod eum dicebant ares veteres, noſtri aruiga: hinc arvignus. Hæ ſunt, quarum in ſacrificiis exta in olla, non in veru coquuntur: quas & Actius ſcribit, & in pontificalibus libris videmus in hoſtiis eam aruigem, quæ cornua habet.* Rutgerſ. Var. Lect. III. 9. Proprie igitur hoſtia, cum aries ſcilicet mactabatur. Sed poſtea quævis hoſtia, cujus exta inſpiciebantur, hoc nomine eſt dicta. *Dacer. ad Feſtum.*

HARUSPEX. V. illum ſupr. in *Aruſpex.*

HAS.

HASTA. *Haſtarum* origo apud Hetruſcos fuit, qui *haſtam corim* vocabant, & Sabini *quirim*: unde Romulus Quirinus dictus eſt. Ovid. Faſt. II. 477.

Sive quod haſta quiris priſcis eſt dicta Sabinis,
Bellicus a telo venit in aſtra deus.

Reges vero ſuos vocabant *Corrος*, id eſt, Joves haſtatos. Itis enim Jupiter, vel Jovis fiducia dictus erat, & *haſta* cum diademate erant Hetruſcorum Regum inſignia, ut probat Johannes Aonius in ſua hiſtoria Hetruſca. *Siccam. de Centumv. judic.* II. 3. Et a vetuſtiſſimis temporibus regiæ poteſtatis inſigne fuiſſe oſtendit Juſtin. XLIII. 3. 3. *Per ea tempora*, cum ſcilicet Sabinæ raperentur, *Reges haſtas pro diademate habebant, quas Græci ſceptra dixere.* Ita ex ligno Regum Latinorum ſceptrum componit Virg. Æneid. XII. 210.

Olim arbos, nunc artificis manus ære decoro
Incluſit, patribusque dedit geſtare Latinis.

Hinc de Guntramo Rege Gregor. Turon. VII. 33. *Data in manus Childeberti haſta, ait: hoc eſt indicium, quod tibi omne regnum meum tradidi.* Et Aimoin. III. 68. *Haſtam, quam manu gerebat, nepoti tradidit, inquiens: hoc*

amantiſſime nepos, indicio noveris, te mihi ſucceſſurum in regno. Chiſtlet. Anaſt. Childer Reg. c. 7. Hanſen. de vet. jurejur. c. 15. Feith Antiq. Homer. II. 4. Erant diis ſacræ, & illorum ſtatuis in antiquis monumentis, & numiſmatibus addebantur. Docent hoc Juſtin. XLIII. 3. 3. *N[illegible] ab origine rerum pro diis immortalibus veteres haſtas coluere: ob cujus religionis memoriam adhuc deorum ſimulacris haſtæ adduntur.* Pauſan. Bœot. p. 315. *Chæronenſes colunt ſceptrum, quod Jovi fabricaſſe Vulcanum fingit Homerus, quod Mercurius dedit Pelopi, Pelops Atreo, Atreus Thyeſti, atque ab eo Agamemnon accepit.* Qui pergit: *hoc enim ſceptrum colunt, haſtam illud vocantes.* Et mox: *Templum illi publice exſtructum non eſt; ſed qui ſingulis annis creatur ſacerdos, ſceptrum in domo ſua habet: & illi quotidie ſacrificia fiunt, & menſa apponitur referta omni genere carnis & bellariorum.* Parthenopæus apud Æſchylum Sept. contr. Theb. n. 535. per *haſtam* jurat, & colit pro deo. Verba Æſchyli ſunt:

Jurat vero per haſtam, qu[illegible]m habere magis quam deum
Auſus eſt colendam, oculisque cariorem.

Virg. Æneid. XII. 95.

—— nunc o nunquam fruſtrata vocatus
Haſta meos.

Turneb. Adv. VIII. 16. Cuper. Apoth. Homer. p. 22. Bernegg. in Juſtinum. Hartung. Memor. III. 6. 1. Gyrald. Synt. deor. I. p. 73. B. Laurent. Var. ſacr. gentil. c. 1. Stuck. de Sacrif. p. 143. Rhodig. Ant. Lect. XXI. 16. Lyd. de Re milit. III. 9. Donat. Dilucid. p. 606. Lampert. in Val. Flacc. III. 707. Cerda in Virgilium. Hanſen. l. l. Antiqui *haſtas* non, ut nunc fit, jacentes, pendulas, ſed intra ligneam columnam reconditas aſſervare conſueverant. Homer. Odyſ. I. 128.

Haſtam quidem fer[illegible] ad columnam longam
Intra thecam [illegible]

Ubi Euſtathius. Δυροθήκη *eſt turbinata theca haſtarum, in columnam inclinata, in qua haſtæ in rectum ſtant.* Ad quam fortaſſe conſuetudinem alluſit Virg. Æneid. XII. 92.

[illegible], quæ in mediis in [illegible] adnixa columnæ,
[illegible]dibus adſtabat, validam vi corripit haſtam,
Actoris Aurunci ſpolium.

Quem locum enarratores ex Homericorum verſuum ignoratione non recte exponunt, & profecto non arridet, quod de columnæ adminiculis dicit Donatus. *Mag. Miſcell.* III. 2. *Pontan. in Virgilium. Hanſen. l. l.* Terræ infixas, n[illegible] jacentes habere conſueverunt milites in armis dormi[illegible]. Ita Diomedem cum ſociis in armis dormientes *haſtas* ita habuiſſe collocatas, ut rectæ ſtarent ἐν σαυρωτῆρι, ſcribit Homer. Iliad. X. 150.

Iverunt ad Tydidem Diomedem: hunc invenerunt
Extra tentorium p[illegible]l cum armis, circumque ſocii
Dormiebant: ſub capitibus autem habebant clypeos: haſtæ vero ipſæ
Erectæ in cuſ[illegible].

Ubi Euſtathius: Σαυρωτὴρ *dicitur ferramentum quoddam, in quo humi defixo collocabantur haſtarum calces.* Cur ita haberi conſueviſſent, docet Dio Chryſoſtomus Orat. II. de Regno loquens in hanc ſententiam: *Diomedem vero valde dure reclinavit ſuper tergore bovis agreſtis, figens in circuitu haſtas, non ornatus gratia, ſed ut parata ad accipiendum eſſent.* Hanc defigendarum *haſtarum* conſuetudinem obſervavit Ariſtoteles, qui in Poet. inquit, ſua etiam ætate apud Illyrios fuiſſe ſervatam. Illyriis autem imperavit Diomedes, & Diomedææ inſulæ e regione ſunt Illyriorum. Quidam viri eruditiſſimi hanc conſuetudinem apud Illyrios duntaxat fuiſſe ſcriptum reliquerunt: verum ego & apud Hebræos eandem fuiſſe demonſtrari arbitror ex 1. Sam. c. 26. n. 7. Sic enim in eo legitur: *Venerunt David & Abiſai ad populum nocte, & invenerunt Saulem dormientem in tentorio, & haſtam fixam in terram ad caput ejus.* Mag. l. l.

Haſta amentata differebat a velitari. Erat gravior, & major, & ut majore impetu torqueretur, habena, vel amento media vinciebatur, cui digitus inſerebatur ad conatum jactus adjuvandum Metaphorice amentatam *haſtam* dicit Ambroſius. *Intorquenda eſt amentata illa, non manipularis ſententia.* Cicer. de Orat. I. 57. *Amentatas haſtas ab aliquo accipere, & eas oratoris lacertis, viribusque torquere.* Turneb. Adv. XIV. II: XXVI. 12. Donat. Dilucid. p. 605.

Haſta cenſoria, ſeu locationis erat, quam cenſores vectigalia, & tributa locaturi in foro figebant, quod auctoritate S. P. Q. R. fieret. Liv. XXXIX. 44. *Cenſores edicto, ſubmotis ab haſta qui ludificati priorem locationem erant, omnia eadem paullulum imminutis pretiis locaverunt.* Colum. de Re ruſt. præfat. 1. *Ubi dii cultus agrorum progeniem ſuam docuerant, ibi nunc ad haſtam locamus.* Siccam. de Centumv. judic. II. 3. Burmann. Diſſert. de vectig. c. 8. Briſſon. de Form. VI. p. 522. Laz. Comm. Reip. Rom. VIII. 17. Rabir. de Haſt. & auct. orig. Theſ. Antiq. Rom. Græv. Tom. III. p. 24. C. Rhodig. Ant. Lect. XXI. 17.

Haſta centumviralis er[illegible], quæ poſita ſignificabat centumviros eſſe cogendos, & centumvirale judicium quaſi publicum populi Romani conventum eſſe exercendum. Hæc nominatur, ubicunque centumviralis judicii mentio eſt. Suet. Aug. c. 36. n. 1. *Ut centumviralem haſtam, quam quæſtura functi conſueverant cogere, decemviri cogerent.* Mart. VII. 62. 7.

Hunc miratur adhuc centum gravis haſta virorum.

Stat. Sylv. IV. 4. 43.

Ceſſat centeni moderatrix judicis haſta.

Hæc centumviris fuit præfixa, ut indicaret ſummum, & populare eſſe judicium, cum ex univerſo populo Romano ad hoc judicium ſortiti; & ſupremam illis judicandi poteſtatem fuiſſe commiſſam, cum provocari ab illis non licuerit. Hoc clarum eſt, quod intricati juris, & difficillimas, non facti, ſed de æquitate, & jure controverſias ad ipſos deferrent: quod abſurdum fuiſſet, ſi ab illis ad alios provocare licuiſſet. *Siccam. de Centumv. jud.* II. 3. *Witell. contr. Merul. c.* 21. *Pollet. For. Rom.* III. 14.

Haſta cœlibaris haud dubie appellabatur, quia tollebat cœlibatum. Hac nubentium caput comebatur. Arnob. II. p. 91. *Cum in matrimonia convenitis, nubentium crinem cœlibari haſta mulcetis?* Ovid. Faſt. II. 559.

Nec tibi, quæ cupidæ matura videbere matri,
Comat virgineas haſta recurva comas.

Rationes dat Feſtus: *Cœl[illegible] haſta caput n[illegible] comebatur, [illegible] in corpore gladiatoris ſ[illegible] abjecti, occiſique, ut quemadmodum illa conjuncta fuerit cum corpore gladiatoris, ſic ipſa cum viro ſit. Vel quia matronæ Junonis Curitis in tutela ſint, quæ ita appellabatur a ferenda haſta, quæ lingua Sabinorum curis dicitur. Vel quod fortes viros genituras ominetur. Vel quod nuptiali jure imperio viri ſubjicitur nubens: quia haſta ſumma armorum, & imperii eſt: quam ob cauſam viri fortes ea donantur, & captivi ſub eadem veneunt, quos Græci δορυαλώτυς, & δορυκτήτυς vocant.* Illisque has addit Plutarch. Quæſt. Rom. 86. *Id eſſe ſignum, primas vi, & bello fuiſſe ductas. Vel moneri nuptas, quia bellicoſis jungantur maritis, debere ipſas ornatu uti ſimplici, & a luxu, ac mollitie alieno. Vel per ambages innui, ſolo ferro conjugium diſciſſum iri.* Beroald. Annot. c. 1. Boxhorn. in Plutarchum. Salmuth in Pancirol. de Reb. deperd. & invent. p. 683. Raynaud. de Pil. & cæt. cap. tegm. Sect. VII. Barthol. de Inaur. c. 2. Briſſon. de Rit. nupt. p. 46. Rhodig. Ant. Lect. XXI. 16. Voſſ. de Idolol. II. 26. Schill. Nomencl. Philol. p. 560. Caſal. de Urb. ac Imper. Roman. ſplend. part. 2. c. 16. Kipping. Antiq. Roman. IV. 2. §. 3. Blond. Triumph. Rom. VIII. p. 161. A.

Haſta cornea Romuli. V. illam ſupr. in *Cornus*.

Haſta cruenta erat rubei coloris, quæ in caſtris editiore loco ponebatur, cum civitas aliqua, vi ſubacta, hoſtili furore diripienda eſſet, quæ deſignabat militibus licentiam eſſe in bona fortunasque victorum impune graſſari. Cicer. de Offic. II. 8. *Dum homines perditi haſtam illam cruentam, & meminerint, & ſperabunt, quam P. Sylla cum vibraſſet,*

vibrasset, dictatore propinquo suo, idem xxxvi. *anno post a sceleratiore hasta non recessit.* Cæs. de Bell. Gall. ii. 33. *Postridie ejus diei, refractis portis, quum jam defenderet nemo, atque intromissis militibus nostris, sectionem ejus oppidi universam Cæsar vendidit.* Siccam. de Centumv. judic. ii. 3. Alex. Gen. iii. 16. Lyd. de Re milit. iii. 9. Cerda in Virg. Æneid. ii. 231. *Sceleratam*; & *cruentam* dictam observamus, quod *sceleratorum* opes commissas, & publicatas: vel bello, sanguine denique quæsitas sub *hasta* venire moris fuerit. *Rabir. de Hast. & auct. orig. Thes. Antiq. Rom. Græv. Tom.* iii. *p.* (23.) *E.* Hoc merum est commentum. Nihil Cæsar de *hasta*, sed significat illius oppidi incolas, & illorum bona vendita fuisse in auctione. Quam dicitur P. Sylla vibrasse: a Cicerone *cruenta* dicitur, q[illegible] Romæ posita *hasta* in foro civium in illo bello, & proscriptione jugulatorum bona vendebantur, non quod fuerit rubri coloris, ut ridicule exponit Siccama. Non alia fuit, quam quæ paullo post ab illo *venditionis hasta* dicitur. *Græv. Thes. Antiq. Roman. Præfat.* ii. * * * * * 4. Eademque *scelerata* vocatur, quod *scelestæ* venderentur bona civium, qui in bello civili a partibus adversariorum steterant, & aut in prœliis perierant, aut in proscriptione. *Græv. ibid. Tom.* iii. *Proleg.* * * 2.

Hasta decemviralis. Sed hujus nusquam fit mentio. V. supr. in *Decemviri stlitibus dijudicandis.*

Hasta fecialis erat, quam pater patratus bellum nomine populi Romani genti alicui indicturus, post sollennes precationes factas in eorum regionem projiciebat. Virg. Æneid. ix. 53.

> *En, ait, & jaculum intorquens emittit in auras*
> *Principium pugnæ.*

Siccam. de Centumv. judic. ii. 3. Argol. in Panvin. de Lud. Circens. i. 18. Erat sanguine infecta. Ammian. xix. 2. *Vixque ubi Grumbates hastam infectam sanguine ritu patrio, nostroque more conjecerat fecialis, armis exercitus concrepans involat in muros.* Vel e sanguineo frutice, sive e sanguinea arbore facta. Certe *sanguineam* vocat Liv. i. 32 ut cruentum, & atrox bellum minaretur. *Turneb. Adv.* viii. 23: xi. 17. *Barth. Adv.* xi. 4. *Nieuport. de Rit. Rom.* i. 11. Ritum hunc notavit Serv. ad Virg. l. l. *Post clarigationem hasta in eorum fines mittebatur, ma[illegible] jam pugnæ principium. Post tertium autem & tricesimum diem quam res repetissent ab hostibus, feciales hastam mittebant.* Posteris temporibus cum propter imperii magnitudinem pater patratus mitti ad fines hostium non posset, consul qui Imperator belli erat futurus, ex columna ad ædem Bellonæ, prope portam Carmentalem, *hastam* mittebat eam partem versus, in quam ituri erant. Servius: *Denique cum Pyrrhi temporibus adversum transmarinum hostem bellum Romani gesturi essent, nec invenirent locum, ubi hanc sollennitatem per feciales indicendi belli celebrarent, dederunt operam, ut unus de Pyrrhi militibus caperetur, quem fecerunt in circo Flaminio locum emere, ut quasi in hostili loco jus belli indicendi implerent. Denique in eo loco ante ædem Bellonæ consecrata est columna.* Ovid. Fast. vi. 207. V. illum supr. in *Ædes Bellonæ.* Festus. V. illum supr. in *Consul*, & ibi auctores laudatos.

Hasta fiscalis erat, qua posita ea vendebantur, quæ ad fiscum pertinebant, quæ venditio sine *hasta* peracta, rata non habebatur l. 1. & 2. C. de jur. fisc. nam auctoritate Principis, & ejus, qui Principis nomine ei præerat, facta non esse videbatur. *Siccam. de Centumv. jud.* ii. 3.

Hasta frumentaria, sive salutis erat, cum in summa annonæ caritate frumentum publicum ad *hastam* vendebatur. Quintil. Decl. 12. *Sed si semel ponis hastam salutis, & redemptores vitæ admittis, melius vendes.* Siccam. de Centumv. judic. ii. 3. Rhodig. Ant. Lect. xxi. 17. Nullius sunt pretii, quæ de hac [illegible] tradunt. *Græv. Thes. Antiq. Roman. Præfat.* ii. * * * * * 4.

Hasta militaris, Græcorum δόρυ. Commune fere id nomen est, & in plura valet: diciturque tam de grandi illa, qua cominus utuntur, quam de leviore, quam eminus jaculantur. Strab. x. p. 309. *Duplex hastarum usus, alio cominus, alio eminus.* Lips. Poliorc. iv. dial. 4. Salmas. de Milit. Rom. c. 5. Thys. de Oppugn. urb. p. 185. Præmium erat ejus, qui hostem percusserat. Polyb. vi. 37. *Imperator ei, qui hostem vulneraverit, hastam donat.* Γαῖσον est in Græcis. Hoc jaculi genus esse scimus: sed hic communiter sumit pro *hasta.* Latini quidem non aliter præmium efferunt. Festus: *Romani viros fortes sæpe hasta donarunt.* Sil. Ital. vi. 291.

> *Hæc tunc hasta decus nobis, pretiumque secundi*
> *Vulneris.*

Cato in oratione, quam habuit apud equites apud Festum in Optionatus, vocat *hastam donaticam.* Erat sine ferro. V. infr. in *Hasta pura.* Lips. de Milit. Rom. v. Dial. 17. Valtrin. de Re milit. Rom. vi. 4. Buleng. de Triumph. c. 12. Hugo de Militia equest. v. 1. Thys. Rom. Illustr. [illegible] p. 147. Demster. Paralip. ad Rosin. Antiq. Roman. x. [illegible] velitum. Polyb. vi. 20. *Junioribus quidem mandabant gladium ferre, & hastas, γρόσφους. Telum vero quod grosphos vocamus habet in longitudine quidem plerumque duos cubitos, in crassitie unum digitum. Ferrum est unus spi[illegible], ut [illegible] statim a primo jactu inflectatur, nec possint hostes retorquere.* Istæ, quia forma sua quadam minores, discretæ ab aliis dictæ *hastæ velitares.* Festus: [illegible] Liv. xxxviii. [illegible] ejus munus fuit [illegible] iii. [illegible] 12. *Kipping. Antiq. Roman.* iii. 1. §. 12. [illegible] iii. p. 69. Equitibus [illegible] *gracilis* [illegible] *primore parte* [illegible] *erat.* [illegible] *verunt loco suæ, in qua mucronis ictum* [illegible] *efficacem esse contingit, eo quod ita* [illegible] *versa hasta* [illegible] *violentum:* Quod quo tempore factum sit, silet enim [illegible], difficilis conjectura est. Illis *hastas* tribuit [illegible] ii. 6. *Contrario ictu per parmam uterque transfixus,* [illegible] Aruns & [illegible] xi. 40. [illegible] *magna strage hostium, infractis omnibus hastis, transcurrerunt.* Ex quibus locis haud missiles fuisse colligitur. Unde & contum equiti tribuit Veget. ii. 14. *Eligendus est decurio, qui turmæ equitum præponatur, ut possit equitare* [illegible]*, conto scienter uti.* [illegible] Liv. vi. 13. *Equitum,* inquit, *turmæ immissæ, dato* [illegible] *morando cæde, spatium ad evadendum* [illegible]. Et Cæs. Bell. civ. i. 79. *Equites ex loco superiore in adversos tela conjiciebant.* Patric. Rei milit. Rom. p. 7. sect. 4. Valtrin. l. l. Laz. Comm. Reip. Rom. viii. 17.

Hasta prætoria, seu venditionis erat, quæ ponebatur, cum ex prætoris decreto bona rei essent publice vendenda: alioquin enim prætorem *hastam* non posuisse existimo, sed tunc poni solitam, cum aut reo contumaciter emanente, aut parente quidem, sed causa cadente, prætor adversæ parti bona ejus addiceret. Quo sensu dixit Senec. de Brev. vit. c. 11. *Quos hasta prætoris infami lucro exercet.* Per *infame lucrum* eam haud dubie bonorum proscriptionem intelligens, quæ missionem in bona decretalem post diem xxx. sequebatur. Festus: *Hastæ subjiciebantur, quæ publice venum dabant, quia signum præcipuum est hastæ.* Senec. de Ira i. 2. *Vidit [illegible] capita principum sub civili hasta venalia.* Juven. Sat. iii. 33.

> *Et præbere caput domina venale sub hasta.*

Siccam. de Centumv. jud. ii. 3. Sigon. de Ant. jur. civ. Rom. i. 11. Rabir. de Hast. ac auct. orig. Thes. Antiq. Roman. Græv. Tom. iii. p. (22.) C. Brisson. de Form. vi. p. 511. Rhodig. Ant. Lect. xxi. 17. Laz. Comm. Reip.

Reip. Rom. VIII. 17. Fuit auctionis insigne, symbolum enim fortitudinis, & ea principes rerum suarum auctoritatem tueri, ac conservare solent. Homer. Iliad. II. 56.

Virginem, quam sane mihi præmium elegerunt filii Græcorum,
Hastaque mea possedi. . . . . Rabir. ibid. E. Et belli jure sibi vindicant aliena, & ideo ponebatur *hasta*, ut emptores cognoscant, se has res, quas sub *hasta* emunt, optimo jure empturos, ac possessuros, perinde ac si res bello quæsitas emant. Non longe ab hac sententia abit Hotomannus, qui putat *hastæ* signo indicare voluisse populum Romanum evictionem earum rerum belli & armorum periculo se præstiturum. Sed mihi potestatis signum, & symbolum videtur, ideoque tribuebatur diis, & deorum simulacris addebatur. V. infr. in *Hasta sacra*. A diis transiit ad Reges diis proximos. Hinc in Republica consules, & triumphantes, qui quasi Regum personam in Republica sustinent, utebantur sceptro eburneo, quod *hastæ* ligneæ successit. Sed & judicia centumviralia exercebantur *hasta* in foro posita. V. illam supr. in *Hasta centumviralis*. Sic quoque vectigalia locabantur a censoribus sub *hasta*. Græv. Thes. Antiq. Roman. Tom. III. Proleg. * * 2.

Hasta pura dicebatur, quæ erat sine ferro. Sicut argentum purum, cui nihil insculptum: vestis pura, cui nihil e purpura attextum. Suet. Claud. c. 28. n. 1. *Quem Britannico triumpho inter militares viros hasta pura donavit.* Virg. Æneid. VI. 760.

Ille, vides? pura juvenis qui nititur hasta.

Ubi Servius: *Pura, id est, sine ferro. Nam hoc fuit præmium apud majores ejus, qui tunc primum vicisset in prælio, sicut ait Varro in libris de gente populi Romani.* Lips. de Milit. Rom. V. Dial. 17. Zamosc. Daciæ antiq. *c.* 6. Valtrin. de Re milit. Rom. VI. 4. Buleng. de Triumph. c. 12. Turneb. Adv. XXIX. 1. Rhodig. Ant. Lect. XXI. 16. Sigon. de Ant. jur. civ. Rom. I. 15. Ursat. de Not. Rom. Thes. Antiq. Roman. Græv. Tom. XI. p. 738. F. Panvin. de Triumph. Thes. Antiq. Rom. Græv. Tom. IX. p. 1356. A. Lyd. de Re milit. III. 9. Donat. Dilucid. p. 604. Thys. Rom. Illustr. V. p. 147. Alex. Gen. dier. IV. 18. Rosin. Antiq. Roman. X. 26. & Demster. Paral. X. 10. Nicol. de Triumph. c. 10. §. 6.

Hasta quæstoria erat similis censoriæ in tabulis publicis, ubi multæ in ærarium referebantur. Unde de jure *hastæ* Tacit. Annal. XIII. 28. 3. *Addidit L. Piso designatus consul, ne quid intra domum pro potestate animadverterent: neve multam ab iis dictam quæstores ærarii in publicas tabulas ante quatuor menses referrent, medio temporis contradicere liceret: deque eo consules statuerent. Cohibita arctius & ædilium potestas, statutumque quantum curules, quantum plebeji pignoris caperent, vel pœnæ irrogarent. Eo Helvidius Priscus tribunus plebis adversus Obultronium Sabinum ærarii quæstorem contentiones proprias exercuit, tanquam jus hastæ adversus inopes inclementer augeret.* Laz. Comm. Reip. Rom. VIII. 17. Rhodig. Ant. Lect. XXI. 17.

Hasta rustica est stimulus, quo tardos boves increpamus. Virg. Æneid. IX. 609.

— versaque juvencûm
Terga fatigamus hasta.

Hoc enim sic accipiendum videtur: Semper in manibus tela militaria gerimus, etiam cum terram subigimus. *Turneb. Adv.* XXIX. 25.

Hasta sacra, quæ deorum immortalium statuis apponebatur. Lucan. VII. 458.

Fulminibus manes radiis ornabit, & hastis.

Significabant deos bellorum præsides esse, eorumque auspiciis gubernari. Sed an omnium deorum statuæ *hastis* fuerint ornatæ, affirmare non audeo; certe Lanuvii ad Junonis statuam *hasta* erat, quæ mota sæpe prodigio fuit. Martis quoque statua in Numæ sacrario ambabus manibus *hastam* ferebat, quæ cum moveretur, hostiis majoribus a pontifice maximo prodigium illud expiabatur apud Gell. IV. 6. *Siccam. de Centumv. judic.* II. 3. *Figrel. de Stat. Roman.* c. 21. & 32. Lucanus non agit de *hastis* istis: in emendatis editionibus dudum rectius legitur *astris*. Et sic legendum esse docti viri ostenderunt ex nummis Julii Cæsaris, quibus stella est apposita, divinitatis index. *Græv. Thes. Antiq. Roman. Tom.* II. *Proleg.* * * * * * 3. *vers.*

HASTARIUM vocabatur locus, ubi res publicæ venum dabantur, quia *hastæ* subjiciebantur. Tertull. Apolog. c. 13. *Publicos æque publico jure fœdatis, quos in hastario vectigales habetis.* Cerda Adv. sacr. c. 135. §. 14. c. 141. §. 398. Rhodig. Ant. Lect. XXI. 17. Grapald. de Part. dom. II. 10. §. 8.

HASTATI initio quum instituti sunt apud Romanos duxerunt nomen suum ab armis suis n. *hastis*. Varr. de Ling. Lat. IV. 16. *Hastati, quod primi hastis pugnabant.* Qui non male, si *primo* legas. Olim enim ita factum adsignificat, postea mutatum, etsi nomine manente. Nam Polybii ævo, atque etiam ante, *hastati* pilis & gladiis pugnabant: *hastæ* jaculatoriæ apud velites remanserunt solos. Olim tamen, ut Varro, aliter, & cum eo Ennius:

Hastati spargunt hastas, fit ferreus imber.

Quinetiam Liv. VIII. 8. bello in Latinos, cuique *hastatorum* manipulo admiscet *vicenos leves, qui hastam tantum, gesaque gererent:* reliquias, ut apparet, veterum *hastatorum*. Lips. de Milit. Rom. II. Dial. 1. Schel. in Polyb. Thes. Ant. Rom. Græv. Tom. X. p. 1272. D. Thys. Rom. Illustr. II. 54. Laurent. Polym. IV. Synops. I. §. 5. An antepilani, & antesignani fuerint dicti V. supr. in *Antepilani*. Quo loco pugnaverint V. infr. in *Principes*. Quot fuerint numero, docet Ovidius infr. in *Pilani*. Ut primipilus ordo primus triariorum; ita *hastatorum* primus ordo primus *hastatus*; secundus ordo secundus *hastatus* dictus: & sic deinceps. *Stewech. in Veget.* II. 8.

HAU.

HAUSTRA *proprie dicuntur rotarum cadi ab hauriendo, sicuti Græce ἄντλια. Lucret.* V. 517.

Ut fluvios versare rotas, atque haustra videmus.

Nonius I. 43. *Pith. Adv.* II. 16. *Barth. Adv.* I. 1. Minus recte. Nam cadi proprie sunt situli, qui tollenonibus suspenduntur, aut trochleis per funes e puteo tolluntur. Sunt vero modioli rotis affixi, quibus aqua hauriebatur, ac fundebatur. Vitruv. X. 10. *Circa earum frontes affiguntur pinnæ, quæ cum percutiuntur ab impetu fluminis cogunt progredientes versari rotam: & ita modiolis aquam haurientes, & in summum referentes, sine operarum calcatura, ipsius fluminis impulsu versatæ, præstant quod opus est ad usum.* Hi *modioli* sunt *haustra* Lucretii. *Salmas. Exerc. Plinian. p.* 416. *a. A. in Vopisc. Bonos. c.* 15. *Keuchen. in Frontin. Thes. Ant. Rom. Græv. Tom.* IV. *p.* 1645. *D.*

HEB.

HEBE erat dea juventutis, & adolescentiæ, ejusque qui flos ætatis dicitur: unde & *ephebus* dictus, ejus ætatis adolescens. Huic juvenes comas vovebant. *Tomas. de Donar. c.* 10. *Gyrald. Synt. deor.* XI. *p.* 334. *E.*

HEC.

HECATOMBE fuit celebre sacrificium. Capitol. Max. & Balb. c. 11. *Hecatombe tale sacrificium est: centum aræ uno in loco cespititiæ exstruuntur, & ad eas centum sues, centum oves mactantur. Jam si imperatorium sacrificium sit, centum leones, centum aquilæ, & cætera hujusmodi animalia centena feriuntur. Quod quidam etiam Græci quondam fecisse dicuntur, quum pestilentia laborarent: & a multis Imperatoribus id celebratum constat.* Lomej. de Lustrat. c. 23. Saubert. de Sacrif. c. 18. Gyrald. Synt. deor. XVII. p. 498. D. Blond. Triumph. Rom. I. p. 18. F. Voss. Lex. Etymol. Potter. Archæol. II. 4. Volaterr. Rer. Urban. XXIX. p. 1087. B. Stuck. de Sacrif. p. 237. Hospin. de Orig. Fest. Ethnic. p. 169. Cerda Adv. sacr. c. 135. §. 15. Sardus de

de Rit. gent. III. 15. Tomaſ. de Donar. c. 4. Schill Nom. Philol. p. 562. Etiam voverunt, cum bellum eſſent inituri: unde apud Plutarch. in Mario p. 420. C. Marius cum Cimbris pugnaturus *lautas manus ad cœlum tendens diis vovit ſe immolaturum centum boves.* Tomaſ. l. l.

HECATONSTYLON, ἑκατόνϛυλον, hoc eſt, porticus centum columnarum. Hæc fuit magna, & celebris illa Pompeji porticus ad ipſius Pompeji theatrum. Euſebius in Chronico: *Theatrum Pompeji incenſum, & hecatonſtylon.* Centenario numero cum poetæ, tum oratores utuntur in amplificando. Duplicant enim centum, & centum, non quod numerus centenarius ſit definitus, ſed etiamſi res ipſa centeſimum excedat, ut Pompejanæ porticus columnationes recta procedentes ſatis indicant in noſtro veſtigio, quæ majori longitudine producebantur. Andreas Buſalinus ipſum veſtigium refert ad inſignes reliquias, quæ durant adhuc in Cœlio amphitheatrum verſus, & agnoſcit murorum ſtrues, & hemicyclos per intervalla, deſcendentes a ſummitate collis in planitiem, ubi porticus ſtetiſſe autumat. *Bellor. Fragm. veſt. vet. Rom. tab.* XII.

HED.

HEDERA Libero patri fuit ſacra, *quia, ut ille ſemper juvenis, hæc ſemper viret: vel quia ita omnia, ſicut ille mentes hominum, illigat.* Feſtus. Tibull. III. 6. 1.

Candide Liber ades, ſic ſit tibi myſtica vitis,
Sic hedera ſemper tempora vincta feras.

La Chauſſe de Æn. ant. lucern. tab. x. Minos in Alciat. Emblem. 204. Si fabulas audimus, ob Ciſſi commutationem: is ex Bacchi ſaltatoribus erat, qui quum ex ſaltu prolapſus interiiſſet, in *hederam* verſus dicitur, ut refert Conſtant. Cæſ. XI. 31. Aliam fabulam narrant alii, nempe infantem Bacchum a perquirente Junone *hedera* occultatum. Ovid. Faſt. III. 769.

Nyſiades nymphæ, puerum quærente noverca,
Hanc frondem cunis appoſuere novis.

Plinius tamen XVII. 4. *Antiquitus,* ait, *corona nulla niſi deo dabatur; feruntque Liberum patrem primum omnium impoſuiſſe capiti ſuo ex hedera.* At Phurnut. c. 30. ideo Baccho tribui *hederam* ſcribit, quod ejus folia vitis foliis, corymbi racemis uvæ ſint ſimiles: quod neſcio quis conſiderat apud Plutarch. Symp. III. 2. Fabulam vero ſapit opinio de vitis feracitate, ſi putator ejus *hedera* fuerit redimitus, quam vide apud Conſtant. Cæſ. V. 24. An non potius, quia habet *ſpiritum, quo furor excitatur & commovetur,* ut viſum Plutarcho? an quia *antipharmacum eſt,* ut loquitur Iſidor. XVII. 9. *ebrietatis*? æquum enim fuit, ut Bacchus, qui vini potum invenit, malis inde enaſcentibus etiam ſuccurreret, quemadmodum Plutarchus conſiderat: quam quoque Varronis fuiſſe ſententiam innuit Serv. VIII. 13. ſive id efficiat refrigerando, ut quoque affirmat Clem. Alex. Pædag. II. 28. ſive quia ſua acrimonia vapores digerit in cerebrum ſublatos. *Aleand. Tab. Heliac. explic. Theſ. Ant. Rom. Græv. Tom. V. p. 713. B. Paſchal. de Coron. I. 16. Minos l. l.* Illa cingebatur caput eorum, quicunque Libero patri erant initiandi, ut oſtendit Euripides in Bacchis. *Tomaſ. de Donar. c. 27.* Imo & poetarum. Horat. Od. I. 1. 29.

Me doctarum hederæ præmia frontium
Diis miſcent ſuperis.

Ita & caput docti, & poetæ *hedera* circumiri, non item alicujus ruſtici, & imperiti ait Prop. II. 4. 25.

Ruſticus hæc aliquis tam triſtia prælia quærat,
Cujus non hederæ circumiere caput.

Ovidius mox laudandus miſſus in ultimas terras vult *hederam* imagini ſuæ demi veluti a ſe abdicans omnem jucunditatem, eamque, quæ nomini ſuo adhærebat, nominis æternitatem. Paſchal. de Coron. I. 18. Aleand. l. l. Gyrald. de Poet. dial. I. p. 21. Broukh. in Tibull. III. 6. 2. An quia vinoſi ſunt poetæ? Serv. l. l. *Hedera ideo coronantur poetæ, quoniam poetas ſemper vino plurimo manifeſtum eſt uti.* Nam vinum non immoderate ſumptum incitabulum ingenii videtur eſſe ad virtutes, & literas; quod & Plato non negat. Hac de re Plutarch. Symp. VII. 10. Aliter tamen alii. Serv. Ecl. VII. 25. *Hedera coronantur poetæ, quaſi Libero conſecrati, qui etiam, ut Bacchæ, inſaniunt: vel quod ſemper virent hederæ, ſicut carmina æternitatem merentur.* Dicendum tamen poetarum præſidem ſtatui Bacchum, quia non alius eſt ab Apolline. *Aleand. l. l.* Et poetas non minus in Bacchi, quam Apollinis tutela fuiſſe ab antiquis conſtitutos, ut etiam numina illa confuſa a theologis paganorum, *hederas* vero Baccho eſſe ſacras. Coronabantur ergo Baccho ſacris frondibus iidem æque atque Apollinis lauru. Ovid. Triſt. I. 6. 1.

Si quis habet noſtri ſimiles in imagine vultus,
Deme meis hederas, Bacchica ſerta, comis.
Iſta decent lætos felicia ſigna poetas,
Temporibus non eſt apta corona meis.

Quibus declaratur, ideo poetas *hederaceis* coronis fuiſſe ornatos, ut viderent omnes læto illos eſſe animo perpetuo, velut amicos deorum, & eorum inſignia portantes. *Barth. Adv.* LVI. 5. Pocula ejus foliis circumdabantur, vel ligno effingebantur. V. ſupr. in *Ciſſybium.* Bacchi ſacerdotes Liberalibus coronabantur. V. infr. in *Liberalia.*

HEL.

HELCIARII ſunt ſervi, qui loris, & capiſtris juncti, adverſis fluminibus, aut vento contrario naves, vel machinas, molasque trahunt. Mart. IV. 64.

Quem nec rumpere nauticum celeuma,
Nec clamor valet helciariorum.

Popm. de Oper. ſerv. p. 151. Brod. Miſcell. IV. 11. Grapald. de Partib. dom. I. 8. §. 20. Calcagn. de Re naut. c. 18. Scheffer. de Milit. nav. II. 3. Cerda Adv. ſacr. c. 185. §. 44. Voſſ. Lex. Etymol. Kipping. Diſſert. de Expedit. marit. §. 1. Hi ad officia ſe invicem adhortabantur, ut uno connixu pariter conſpirantes admoliri univerſis viribus poſſent, quod ſingulis nequeunt: ut fieri ſæpe vidimus Venetiis in loco, qui lingua Veneta Douana vulgo appellatur. *Dolet. de Re nav. Theſ. Ant. Græc. Gronov. Tom.* XI. *p.* 687. *C. Bud. in Pandect. p.* 106. *C.*

HELCIUM vocatur funis, quo equi currus, & onera trahunt. Apul. Met. IX. p. 279. *Iamque maxima diei parte tranſacta, defectum alioquin me, helcio ſparteo dimoto, nexu machinæ liberatum applicant præſepio.* p. 290. *Helcio tandem abſolutus, refectuique ſecure redditus.* Voſſ. Lex. Etymol. Cerda Adv. ſacr. c. 185. §. 44. Grapald. de Part. dom. I. 8. §. 20. Popm. de Oper. ſerv. p. 151. Florid. in Apulejum.

HELEPOLIS fuit machina bellica, utilis ad urbium expugnationem. Excogitata quidem a Demetrio Poliorcete, fabricata tamen a Dioclide Abderita, cujus in ea machina ſingularis induſtria fuiſſe prædicatur apud Athen. V. p. 206. D. Ammian. XXIII. 5. *Pro his arietum meditamentis jam crebritate deſpectis, conditur machina ſcriptoribus hiſtoricis nota, quam helepolim Græci cognominamus: cujus opera diuturna Demetrius filius Antigoni Regis Rhodo, aliiſque urbibus expugnatis Poliorcetes eſt appellatus. Ædificatur autem hoc modo. Teſtudo compaginatur immanis, axibus roborata longiſſimis, ferreiſque clavis aptata: & contegitur coriis bubulis, virgarumque recenti textura, atque limo aſperguntur ejus ſuprema, ut flammeos detrectet, & miſſiles caſus. Conſeruntur autem ejus frontalibus triſulcæ cuſpides præacutæ, ponderibus ferreis graves, qualia nobis pictores oſtendunt fulmina, vel fictores, ut quicquid petierit aculeis exſertis abrumpat. Hanc ita validam molem rotis & funibus regens numeroſus intrinſecus miles, languidiori murorum parti viribus admovet concitis: & niſi deſuper propugnantium valuerint vires, colliſis parietibus aditus patefacit ingentes.* Ejusdemque meminerunt Vitruv. X. 22. Athen. X. p. 415. A. Diodor. Sicul. XX. p. 758. C. 779. D. Plutarch. in Demetr. p. 908. B. *Lipſ. Poliorc.* III. 1. *Stewech. in Veget.* IV. 14. *Schott. Obſerv.* V. 26.

26. *Cerda Adv. sacr. c.* 131. §. 9. *Baldus Lex. Vitruv. Philand. in Vitruvium. Lindenbr. in Ammianum. Voss. Lex. Etymol. Crinit. de Honest. discipl.* XIX. 2.

HELIOCAMINUS dicitur vaporarium quoddam solare, & apricus locus, ad quem sol hybernus accedens ipsum evaporat, & calefacit. Fuit enim prisci moris, ut juxta zetam *heliocaminus* construeretur; zeta enim locus erat unius cubiculi capax, solem hybernum prospectans, ita constructa, ut per *heliocaminum* vaporem acciperet. Ulpian. l. si arborem ff. de servit. urban. præd. *Quod si arbor a te compacta heliocamino meo solem adimeret, eo quod umbram facit in loco heliocamini, id contra servitutem tibi facere non licet.* Plin. Epist. II. 17. 20. *In hac heliocaminus quidem, alia xystum, alia mare, utraque solem, cubiculum autem valvis, cryptoporticum fenestra prospicit.* Alex. Gen. Dier. V. 5. Bud. in Pandect. p. 115. C. Kobierzyck. de Lux. Roman. II. 9. Salmuth in Panciroll. de Reb. deperd. & inv. p. 131. Turneb. Adv. XVIII. 22. Grapald. de Part. dom. I. 10. §. 5. Catan. & Cellar. in Plinium.

HELIOGABALUS *prius est dictus Varius, post Heliogabalus a sacerdotio dei Heliogabali, cui templum Romæ in eo loco constituit in quo prius ædes Horci fuit, quem & Syria secum advexit.* Lamprid. c. 1. *Ursat. de Not. Rom. Thes. Antiq. Rom. Græv. Tom.* XI. *p.* 773. *B.* Circo *columnas addidit auro insignes, & pavimenta ipsa scobe auri, & argenti stravit, dolens quod non posset & electri.* Lamprid. c. 31. *Onuphr. Panvin. de Lud. Circens.* I. 7. *Buleng. de Circo c.* 4. *In euripis vino plenis navales circenses exhibuit.* Lamprid. c. 23. *Buleng. ibid. c.* 21. *Solido argento habuit lectos, & tricliniares, & cubiculares. Primus omnium privatorum toros aureis toralibus texit.* Lamprid. c. 19. *Buleng. de Conviv.* I. 34. *Montem niveum in viridario domus æstate fecit advectis nivibus.* Lamprid. c. 23. *Butius de Potu Antiq. c.* 18.

HELIOPOLIS urbs Ægypti quondam clara, utpote quæ regioni nomen dedit. De illa Strab. XVII. p. 553. *Est regio Heliopolitana, ubi solis urbs est, aggeri magno imposita. Solis templum habet, & Mnevis bovem, qui in septo quodam nutritur, & ab Heliopolitanis pro deo habetur.* Præfecturam eam nominat Plin. V. 9. quia Ægyptus tota in præfecturas erat divisa, quarum prima *Heliopolitana.* In hanc urbem a Severo Imperatore coloniam esse deductam docet Ulpian. l. 1. ff. de censibus: *Est & Heliopolitana, quæ a divo Severo, pro belli civilis occasione, Italicæ coloniæ rempublicam accepit.* Ursat. de Not. Roman. Thes. Antiq. Rom. Græv. Tom. XI. p. 631. C.

HELIX erat machina, quam Archimedes Syracusanus excogitavit, qua pauci navim omni instrumento plenam obiter in mare poterant deducere. Athen. V. p. 207. A. *Navim absolutam Hiero in mare detrahi jussit. At in detrahenda cum plurimum esset difficultatis, ac dubitationis, Archimedes machinarius paucis instrumentis eam deduxit, excogitata helice machina, qua tantum navigium in mare pertraxit.* De ea sic cecinit Sil. Ital. XIV. 352.

> *—— puppes etiam, constructaque saxa*
> *Feminea traxisse ferunt contra ardua dextra.*

V. etiam Plutarch. in Marcell. p. 306. *Scheffer. de Milit. nav.* III. 1. *Heins. & Dausq. in Silium.*

HELLESPONTUS vocatur angustum fretum circa Propontidem, vulgo *arctum Gallipolis* nuncupant: sed in Notitia imperii regio Asiæ ad *Hellesponti* oram sita significatur: ab oriente habet Pontum & Bithyniam, a meridie Lydiam, a septemtrione Propontidem, ab occasu *Hellespontum* fretum. *Panciroll. Notit. imp. orient. c.* 103.

HEM.

HEMERODROMUS dicebatur cursor, qui uno die ingens spatium cursu conficiebat. Liv. XXXI. 24. *Ni speculator (hemerodromos vocant Græci, ingens die uno cursu emetientes spatium) contemplatus regium agmen e specula quadam progressus nocte media Athenas pervenisset.* Nep. I. 4. 3. *Philippidem cursorem ejus generis, qui hemerodromi vocantur, Lacedæmonem miserunt, ut nuntiaret, quam celeri opus esset auxilio.* Turneb. Adv. XXVII. 7. Rhodig. Ant. Lect. XVIII. 8. Stephan. Schediasm. VI. 2. Bœcler. Buchner. Lambin. & Rave in Nepotem. Lips. Epist. Select. III. 59. Apud quem quantum spatium quotidie emensi fuerint, invenies.

HEMEROLOGIUM anni Juliani, mensibus suis distinctum, festorum, ludorumque dies exhibens, e luderibus antiquitatis produxit Petrus Ciacconius Toletanus. *Putean. de Nundin. Roman. c.* 21.

HEMICYCLIUM, quod vocat Cicer. de Amic. c. 1. *Cum sæpe multa narraret, tum memini domi in hemicyclio sedentem, ut solebat, in eum sermonem illum incidere*, quidam interpretantur sedem auguris, quoniam M. Scævola itidem erat augur. Sed meminerint, velim, Q. Mutium in templo tunc non fuisse, nisi Tullii domum quoddam veluti templum quis dicat deæ Suadæ, neque ibi avium oscinum, aut præpetum volatus, aut cantus observasse: sed cum amicis jucundis, ac beatis de amicitia disseruisse. Et quod Tullius illic utitur verbo *solebat*, conjectura potius est *hemicyclium* non fuisse Mutio paratum, tanquam sellam auguralem, ac prorsus debitam huic honori, sed quoniam consuetudinis, aut commoditatis gratia illic soleret quiescere. Mihi vero succurrebat referre ad totum consessum in orbem, ac rotunditatem paratum, sive exedram, domusque, aut ædificii partem, ubi disputationes habitæ. *Chimentell. de Hon. bisell. c.* 23. *Turneb. Adv.* XXVIII. 37.

HEMINA est dimidia pars sextarii. Fannius:

> *At cotylas, quas, si placeat, dixisse licebit*
> *Heminas, recipit geminas sextarius unus.*

Gell. III. 14. *Contra quoque, si ex sextario hemina fusa est, non dimidiatum sextarium fusum dicendum est.* Fuit mensura liquidorum, & aridorum. Colum. XII. 49. *Sat erit tot heminas salis adjicere, quot sunt modii olivarum.* c. 41. *Priusquam de igne medicamentum tollatur, tres heminæ roris Syriaci contriti, & cribrati, super omnia adjiciuntur.* Pendet vino, aceto, aut aqua plena uncias decem. *Pætus de Roman. & Græcor. mens.* III. *Thes. Ant. Rom. Græv. Tom.* XI. *p.* 1640. *C. Buleng. de Conviv.* III. 17. *Imp. Rom.* VI. 65. *Agric. de Mens. Roman.* I. *p.* 7. *&* 21. *Rhodig. Ant. Lect.* XXVIII. 30. *Bud. de Asse* V. *p.* 545. *Voss. Lex. Etymol. Alex. Gen.* II. 20. *& ad illum Tiraquellus. Calcagn. Epist.* XV. 1. *Porcius de Re pecun. c.* 9.

HER.

HERBÆ acres in antecœnio ἀναστομώσεως χάριν adhibebantur, ut appetitus excitaretur:

> *—— acria circum*
> *Rapula, lactucæ, radices, qualia lassum*
> *Pervellunt stomachum, siser, alec, fœcula Coa.*

Horat. Sat. II. 8. 7. *Buleng. de Conviv.* II. 4.

HERCULANEA aqua. V. illam supr. in *Aqua.*

Herculaneus rivus. V. illum infr. in *Rivus.*

HERCULES pictus refert capite divinitatis coronam, dextra clavam, læva poma aurea, pellem leoninam sinistro brachio impositam. De clava, & leonis pelle Albric. de Deor. imag. c. 22. *Secunda victoria Herculis notabilis fuit, quia ipse pugnasse cum leone, ipsumque clava mactasse, & interempto pellem abstulisse dicitur, quo deinde spolio incessit semper indutus, signum victoriæ perceptæ. In quo etiam ostentatur animi fortitudo, contra quam nulla vis corporea prævalet, quæ semper spolium leonis, id est, vim virtutis defert.* Diodor. I. p. 14. D. narrat clavam, & leonis exuvias *Herculi* antiquo ideo attributas fuisse, quia nondum inventis illo tempore armis homines secum bellantes lignis repellebant, pellibusque belluarum pro tegumentis utebantur: Poma aurea Hesperidum in hortis Atlantis Regis Mauritaniæ ab *Hercule* sublata dracone custode interempto canit Ovid. Met. IV. 643.

> *Tempus, Atla, veniet, tua quo spoliabitur auro*
> *Arbor: & hunc prædæ titulum Jove natus habebit:*

Id

Id metuens, solidis pomaria clauserat Atlas,
Mœnibus, & vasto dederat servanda draconi.

La Chausse de Deor. simul. tab. 30. Præter illa & tertium armorum genus illi tribuitur, nempe arcus, & sagittæ: ideo *Scytalo-sagitti-pelliger* Tertull. de Pall. c. 4. dicitur: *Aleand. Tab. Heliac. explic. Thes. Ant. Rom. Græv. Tom.* v. *p.* 715. *C. Cuper. Harpocr. p.* 55. *Voss. de Idolol.* 11. 15. Ludorum Circensium originem sunt qui ad *Herculem* referunt. V. infr. in *Ludi*. Putabatur præesse athletis, & gladiatoribus: qui facta ejus scilicet & robur æmularentur. De athletis lapis Græcus Romæ indicat, in quo aliquoties nominati, *Herculanei athletæ*. Varro: *Ex his, atque hujusmodi institutis vel ad Herculis athletæ facti erant.* De gladiatoribus Horatius laudatus supr. in *Gladiator*, & præter illum Commodus, qui *Herculem* se dici voluit, imo pingi, fingi: quia gladiator. Unde ejus ædes vulgo in Amphitheatro. Vitruv. 1. 7. *Herculi, in quibus civitatibus non sunt gymnasia, neque amphitheatra, ad circum.* Lips. Saturn. 11. 23. Voss. de Idolol. 111. 19. Et ejus statuæ in gymnasiis ponebantur. Eustath. ad Odyss. Θ *Ideo in gymnasiis Amorem cum Hercule & Mercurio [illegible], quorum alter robori, alter sermoni præest: e quorum copula generatur amor.* Buleng. ibid. c. 9. Aquas calidas [illegible] a Vulcano indicatas reperit, ut tradit Ibycus, ut cum laboribus esset confectus, recrearetur. Natal. Mythol. vii. 1. Pisander vero *Herculi* demonstratas ait. *Butius de Potu antiq. c.* 2. Illum religionis causa Apuli & Siculi fontibus apposuerunt, quia aquas exstincta hydra purgavit: Unde & thermæ urbis Himeræ in Sicilia, item Oetæ montis, & Pylarum in Thessalia in tutela *Herculis* fuerunt: quod Pindari, & Sophoclis interpretes scribunt. Et sunt, qui omnes ei thermas esse sacratas velint. *Herculeæ* thermæ Allifis, & Mediolani in primis nobiles, a quibus etiam vicus Mediolanensis nomen traxit. *Fabric. Descr. Urb. Rom. c.* 15. Illi supplicabant viam inituri. Festus: V. illum infr. in *Propter viam.* Tomas. de Donar. c. 24. Erat enim inter deos viales, quia credebatur peragrasse totius universi orbis terras & maria, ut monstrorum, quæ ipsius ætate per omnes orbis regiones erant, domitorem. Dionys. 1. p. 54. *Veriora videntur, quæ de eo,* Hercule, *narrant historici, qui res gestas ejus mandarunt literis: [illegible], quod cum [illegible], magnique [illegible] quicquid terrarum oceano [illegible], peragraverit, tollens tyrannos, qui [illegible], graves, & subjectis [illegible] aut, si qua civitas præ ferocia molestaret finitimos, hospitum [illegible] gauderet cædibus: pro quibus legitima regna, [illegible] respublicas constituit, & in vitam mores induxit [illegible].* *Adhæc cum Græcis juxta versatus est ac [illegible], cum maritimis atque mediterraneis, quibus ante [illegible] conveniebat per infida commercia: & in desertis terris urbes [illegible], fluminaque avertit campos inundantia, vias [illegible] montibus, nihil non molitus, ut mare, ac terra quam latissime paterent usibus cunctorum mortalium.* Bergier. de Viis milit. iv. Sect. 43. §. 10. Cur multi divitum illi decimam bonorum suorum consecrent, quærit, & sibi respondet Plutarch. Quæst. Rom. 18. *An quod is quoque Romæ decimam boum Geryonis partem deposuit? Aut quod effecit, ne Romani porro decimas Etruscis penderent? Aut Herculi, ut voraci, & [illegible] cœnanti copiosius sacraverunt?* Mihi quidem potissima ratio videtur, quod præ cæteris diis quam maxime & tueri, & mala averruncare posse crederetur. Unde in lapidum antiquorum inscriptionibus comes, custos, conservator, defensor, magnus custos, & ita porro nominatur. *Boxhorn. in Plutarchum. Marlian. Topogr. Urb. Rom.* 111. 15. Per Herculem mulieribus jurare nefas, & illicitum fuisse scribit Varro. Non enim templum ejus ingredi licebat, ut viris Bonæ deæ, ut dicit Suidas. Sed huic opinioni refragatur Plaut. Truc. 11. 1. 1. qui Astaphium sic loquentem introducit:

Ha, ha, ha! Hercle quievi, quia introivit odium.

Et Apulejus, apud quem anus per *Herculem* jurat Met. iv. p. 131. *Bono animo esto, me Hercules, nec vanis somniorum tormentis terreare.* Hansen. de Jurejur. vet. c. 4. La Chausse l. l. In ejus sacrificio nullus alius deus nominabatur, qui [illegible] Aut quia adhuc inter homines degenti Euander aram posuit, & victimam obtulit. Neque intra sepimenta canis conspiciebatur. Omnium enim animalium nullum infestius habuit cane. Hic enim ei plurimum negotii identidem exhibuit. Et Cerberus canis fuit. Plutarch. Quæst. Roman. 89. *Brisson. de Form.* 1. p. 61.

Hercules amicus cognominabatur, quia deus lucri ab antiquis creditus est. Horat. Sat. 11. 6. 10.

O [illegible] argenti fors qua mihi monstret; ut illi,
Thesauro invento, qui mercenarius agrum
Illum ipsum mercatus aravit, dives amico
Hercule.

Mercenarius enim colonus, hinc enim hoc cognomen, assidue *Herculem* deprecabatur, ut est a Porphyrione proditum, ut sibi aliquid boni præstaret. Hunc itaque *Hercules* in somnis ad Mercurium duxisse visus est, qui occultum, [illegible] thesaurum ostendit: quo effosso, ille illum ipsum agrum mercatus est, in quo mercenariam operam faciebat. *Gyrald. Synt. deor.* x *p.* 32[illegible]

Hercules Amphitryoniades dictus est, quod existimatus sit Amphitryonis filius. Prop. iv. 10. 1.

Amphitryoniades qua tempestate juvencos
Egerat a stabulis, o Erythea, tuis.

Catull. [illegible] viii. 112.

Audet falsiparens Amphitryoniades,

Gyrald. Synt. deor. x. p. [illegible]. D.

Hercules [illegible] est dictus, quod [illegible] se flammis injecit, quo [illegible] obscuratio solis. Festus. *Gyrald. Synt. deor.* x. *p.* 330. *G.* Atqui is se flammis injecit anno ante Christum natum 1196. quo nulla fuit solis obscuratio. Melius Serv. Æneid. 1. 747. *Hic Atlas, Japeti filius in Africa [illegible]. Hic quod annum in tempora divisit, [illegible] versus, vel circulorum, vel siderum [illegible], naturasque descripsit, cœlum est dictus sustinere, quia [illegible] Mercurium, & Herculem docuisse dicitur, unde & Hercules cœlum susceptum sustinuisse narratur propter cœli scientiam traditam. Constat enim Herculem philosophum fuisse.* Comment. in Festum.

Hercules Claviger dictus est a clava gerenda. Ovid. Met. xv. 22.

Claviger alloquitur: patrias, age, desere sedes.

Fast. 1. 543.

Ecce boves illuc Eritheidas applicat heros
Emensus longi Claviger orbis iter.

Gyrald. Synt. deor. x. p. 333. A.

Hercules Custos nuncupatus est. Ovid. Fast. vi. 209. V. illum infr. in *Templum.* Gyrald. Synt. deor. x. p. 331. A. Brisson. de Form. 1. p. 50.

Hercules Defensor dictus est in prisco marmore.

HERCULI. DEFENSORI
PRO. ITU. ET. REDITU
D. CLODII. SEPTIMI
ALBINI. CÆSARIS
D. CLODIUS. D. L
FELIX
ACTOR. CÆSARIS. N. D. D

Lips. Tacit. Annal. 11. *Excurs. F. Lomej. de Sacrif. c.* 4. Et Severus *Herculis Defensoris* elogio signatur in antiquo numismate. *Spanhem. de usu & Præst. numism. Diss.* viii. *p.* 747.

Hercules Dexter cognominatus est, hoc est, propitius, & savens. Pers. Sat. 11. 9.

—— & o si
Sub rastro crepet argenti mihi seria dextro
Hercule.

Idque sumptum, quod deus lucri ab antiquis creditus sit. Cornutus in Persium. *Gyrald Synt. deor.* x. *p.* 329. *A.* Et a studiosis rei faciendæ fuisse cultum, & πλουτοδότην existimatum

ſtimatum Græci Latinique auctores teſtantur: & ſatis notum eſt *Herculi* ſolitum polluceri a repente ditatis. Ad *κερδῷον Herculem* alludit ille, qui de Tranione damnoſiſſimo Theuropidis ſervo ait apud Plaut. Moſt. IV. 2. 68.

—— Is vel Herculi conterere quæſtum poſſit.

Ex hoc loco tamen Gyraldus non debuit *τὸ dexter* ceu proprium cognomen *Herculis* afferre. Nam *dextro* hic *κοινῶς* poſitum pro *βοηθοῦντος ἢ συνεργοῦντος*, & pro eo, quod Horatius, quem imitatus, dixerat Sat. II. 6. 10. *amico Hercule.* Sic *Apolline dextro* Prop. III. 1. 47. dixit. *Caſaub. in Perſium.*

Hercules Gaditanus cognominatus eſt. Nomen *Herculis* Hadriano tribuunt aliquot nummi, qualem unum evulgavit Triſtanus cum inſcriptione HERC. GADIT. ſeu *Herculi Gaditano.* Spanhem. de uſu & Præſt. numiſm. Diſſ. VIII. p. 745.

Hercules Maguſanus vocatur in hac inſcriptione:

HERCULI
MAGUSANO
M. R. R. I. M. F. F. I
V. I. S
TERTIUS
V. S. L. M

Quæ inventa eſt Weſtcappellæ, qui pagus eſt in ea Zelandiæ inſula, quæ Walachria appellatur, a Philippo Burgundo, qui oceano tunc temporis præfectus erat, anno poſt natum Chriſtum 1514. Hoc cognomentum a Goëſa Zelandiæ civitate derivatum facile mihi eſſet aſſerere, ſi aut urbs illa tantam antiquitatem præferret, aut mendacio ejus gloriæ ſtatuerem velificari, aut ætas hæc ineptias probaret. Quanquam interea non abnuerim *Herculem* ſic nominatum a loco, cujus veſtigia hodie non habemus. Sæpe quidem mecum cogitavi, an pro HERCULI MAGUSANO ſcriptum fuerit HERCULI MAGNO SANCTO, quod ab hac lectione tam longe non abit. Sed tamen hoc minus nunc probo. Quicquid ſit, miles Romanus *Herculi*, tanquam cuſtodi, & conſervatori ſuo lapidem hunc libens meritoque dedicavit. Enimvero deum hunc poſt Martem militibus bello præ cæteris opitulari perſuaſum olim fuit. Quo faciunt tot marmora antiqua, & inter cætera illud, quod Malaccæ in Hiſpania videtur:

Q. SERVILIUS. VULNERE
SERVATUS. HERCULI. DEO
INVIC. SING. ÆREUM. EX
VOTO. POSUIT. PROPE. MARTEM
ARGENT. IN. MAGNA
ARA

Quodcunque enim fortitudine, & virtute ſe probat, id in *Herculis* tutela eſſe credebatur. Illa autem in bello potiſſimum eſt opus. *Boxhorn. Quæſt. Rom.* 1. *Voſſ. de Idolol.* 1. 35. Prolixiores, quas hæc charta non capit, de hoc *Hercule* diatribas ſcripſerunt *Eynd. Chronic. Zeland.* 1. 8. & *Cuper. Monum. Antiq. p.* 218 -- 225.

Hercules Muſagetes appellatus eſt, quia Muſarum ductor, & dux. V. infr. in *Templum.*

Hercules Oetæus cognominatus eſt ab Oeta monte, ubi ſe hominem incendio exuit, qua de re leguntur tragœdiæ. Prop. III. 1. 32.

Troja bis Oetæi numine capta dei.

Arnob. I. p. 20. *Thebanus, aut Tyrius Hercules, hic in finibus ſepultus Hiſpaniæ, flammis alter concrematus Oetæis.* IV. p. 144. *Qui in Oetæis verticibus Herculem poſt morborum comitialium ruinas diſſolutum prodidit.* Gyrald. Synt. deor. X. p. 333. B.

Hercules Olivarius cognominatus eſt Romæ. Ejus Victor in undecima regione, quæ Circus eſt maximus, meminit, & non longe ab ara maxima & Portuni æde commemorat. *Gyrald. Synt. deor.* X. *p.* 332. *F. Primus Olympiæ oleaſtro eſt coronatus.* Plin. XVI. 44. Hinc Olivarius dici potuit ea corona redimitus. Hoc fuit Myronis opus Eleutheritæ. Plin. XXXIV. 8. *Fecit etiam Herculem, qui eſt apud circum maximum in æde Pompeji Magni.* Eum in circo conſecrarunt, quia Olympiæ quadrigis vicerat, in quibus oleaſtro victores caput cingebant. Plin. XV. 4. *Pancirol. Deſcr. Urb. Rom. Theſ. Antiq. Roman. Græv. Tom.* III. *p.* 367. *E. Borrich. Ant. Urb. Fac. c.* 13. §. 4. *Briſſon. de Form.* 1. *p.* 50.

Hercules Pacifer fuit dictus ob pacem, quam mortalibus victoriis ſuis procuravit. Inſcriptio Romæ:

SANCTISSIMO
HERCULI. PACIF
INVICTO
SACRUM
P. JUNIUS. P. F. CERI
NUS. PRÆF. EQUIT. SING.
V. S. L. M.

Spon. Miſc. Erud. Ant. Sect. 11. *art.* 10. *Cuper. Harpocr. p.* 81. *Gyrald. Synt. deor.* X. *p.* 331. *F.*

Hercules Pollens vocatur in antiquis inſcriptionibus: ut iſtac Interamnæ Nahartium in Umbria:

LOCUS
SEPULTURÆ
CULTORUM
HERCULIS
DEFENSORIS
POLLENTIS
INVICTI

Voſſ. de Idolol. 1. 22.

Hercules Prodicius cognominatus eſt a Cicer. Offic. 1. 32. ea ratione, quod Prodicus Ceus ſophiſta antiquus primus ſuis induxit ſcriptis, voluptatem, vel, ut aliis placet, vitium & virtutem in ſolitudine *Herculi* adhuc puero apparuiſſe, ut, utram ſibi vellet, vitæ comitem aſſumeret: hæc turpi, & deformi erat habitu, ſed genuino, ac nativo decore pulcra: illa ornatiſſimis veſtibus, ac calceis induta: nihilominus ille *Herculem* dixit voluptati virtutem antepoſuiſſe: hinc ergo *Hercules* Prodicius. *Gyrald. Synt. deor.* X. *p.* 327. *F.*

Hercules Sanctus dictus eſt a Sabinis. Ælius apud Varr. de Ling. Lat. IV. §. 10. ait *hunc eſſe Sanctum a Sabina lingua, Herculem a Græca.* Hinc Prop. IV. 10. 71.

Sancte pater ſalve, cui jam favet aſpera Juno,
Sancte, velis libro dexter ineſſe meo.
Hunc quoniam manibus purgatum ſanxerat orbem,
Sic Sanctum Tatii compoſuere Cures.

Ovid. Faſt. VI. 213.

Quærebam, Nonas Sancto, Fidione referrem,
An tibi Semipater: tunc mihi Sanctus ait:
Cuicunque ex illis dederis, ego munus habebo:
Nomina terna fero, ſic voluere Cures.
Hunc igitur veteres donarunt æde Sabini,
Inque Quirinali conſtituere jugo.

Sanctum pro propitio antiqui poſuerunt. Tibul. IV. 6. 7.

At tu ſancta fave, ne quis divellat amantes.

IV. 5. 12.

Tunc precor infidos, ſancte, relinque focos.

Gyrald. Synt. deor. X. p. 331. A. Sanctus, Sancus, an Sangus vocandus ſit, diſputant pluribus *Voſſ. de Idolol.* 1. 12. *Demſter. Paral. Roſin. Antiq. Roman.* 1. 13. *Dilher. Diſput. Academ. Tom.* 1. *Diſp.* 4. §. 4. *Manut. Quæſ. Epiſt.* 1. 1. *Pontan. Obſerv. in Fragm. Hiſtor. p.* 189. *Scalig. Conject. in Varr. p.* 32. *Gothofr. in Varr.* 1. 13. *Heinſ. in Ovidium, Paſſerat. in Propertium. Gyrald. ibid. Synt.* 1. *p.* 69. *E. Struv. Ant. Rom. c.* 1. *p.* 125. *Briſſon. de Rit. nupt. Theſ. Ant. Rom. Græv. Tom.* VIII. *p.* 1037. *A. Donat. de Urb. Rom.* 1. 21. *Borrich. Ant. Urb. fac. c.* 8. §. 1. *Boxhorn. in Plutarch. Quæſt. Rom.* 30.

Hercules Saxanus cognominatur in inſcriptione Tiburtina apud Gruter. p. XLIX. n. 3. vel, quod vias muniverit in difficilibus aſcenſu montibus, ac, ut ſic dicam, ſaxa aperuerit. Vel, quod ei acervi lapidum, & ſaxorum congeries

geries per vias dedicarentur. Aut, forfitan ex eo, quod pater Jupiter filio *Herculi* adverfus Ligures pugnanti auxilium in hoftes miferit imbrem faxorum, five petrarum rotundarum, ut ex Æfchyli Prometheo quoque adducit Strab. IV. p. 126. Aut quod Myfcelum Alemonis Argolici filium reum fpretarum legum, calculis nigris in album converfis abfolverit. Ovid. Met. XV. 41.

Mos erat antiquus, niveis atrisque lapillis,
His damnare reos, illis abfolvere culpa.
Tum quoque fic lata & fententia triftis, & omnis
Calculus immitem demittitur ater in urnam.
Quæ fimul effudit numerandos verfa lapillos,
Omnibus e nigro color eft mutatus in album:
Candidaque Herculeo fententia numine facto
Solvit Alemonidem.

Bergier. de Viis publ. IV. Sect. 43. §. 11. Kircher. Lat. vet. ac. nov. p. 194. Ego Saxani nomen ex eo natum exiftimaverim, quod in faxeto coleretur. Ut faxetanus dixit Mart. VII. 77. 1.

Quum faxetani ponetur cauda lacerti.

Et eundem puto cum eo qui in petra nominatur in antiquo monumento, quod exftat Mediolani in lupanari publico:

HERCULI
IN PETRA SACR. . . .

Boxhorn. Quæft. Rom. 1. Ego vero, quod ejus fignum ex lapide Tiburtino, quemadmodum Venus in vetuftis monumentis dicitur Gabinia, & Albana, quod ex lapide, qui exciditur in latomiis, fuerit formata. Eundem vero effe, qui vocetur *Hercules in petra*, non eft verofimile. Eft fane alius Mediolanenfis lapis apud me ineditus, in quo legitur HERCULI IN PETRAE. Unde conftat fic nominari *Herculem* ab æde agri Mediolanenfis ei facrata, quamvis ignoremus, an locus quidem ibi olim fuerit, cui Petræ nomen, & in quo fuerit ejufdem nominis templum, an vero aliam ob caufam illi templo hoc nomen fuerit impofitum. Non nego tamen *Herculem in petra* eundem effe poffe *Herculi Saxano*, dicique ut *tempus in novacula* apud Phædr. V. 9. 1. pro novaculam manu gerens, *milites in haftis* apud Ennium pro milites haftati: ut *Hercules in petra* fit *Hercules Saxeus*, ex petra excifus, ut in infcriptione Malaccenfi, quam Boxhornius paullo poft produxit, Mars argenteus. Hoc certum eft *Herculem* fuiffe Tiburis deum tutelarem, & præcipue ibi cultum, templumque habuiffe famofiffimum: unde *Herculeum Tibur* dicitur Mart. I. 13. 1. Nec aliam ob caufam dictus eft *Hercules Saxanus*, & *Hercules in petra*, quam quod templum Tiburtini *Herculis* fuit alte pofitum in edito faxo, five petra, quam *fummam Tiburis arcem* vocat Juven. Sat. XIV. 86. V. illum fupr. in *Ædes privata*. Ædificavit, inquit, villam in Tiburtino fummo monte, quæ & fplendore, & altitudine fuperat Fortunæ, & *Herculis* templum. Hinc & colles Tiburtini dicti funt *Herculei*, quod *Herculi* fint facri, & in uno illorum fuerit *Hercules in petra*, & propterea ipfum Tibur altum vocatur. Mart. VII. 12. 3.

Venit in Herculeos colles: quid Tiburis alti
Aura valet?

Græv. Proleg. ad Thef. Tom. V. * * *

Hercules Somnialis cognomine apud Romanos cultus eft. Hæc vox ὀνειροπομπὸν fignificat.

V. F.
CULTORES. HERCULIS.
SOMNIALIS. DECURIA. I
DIS. MANIBUS.

Salmaf. Exerc. Plinian. p. 248. *b. D.*

Hercules Sylvanus qui dicitur Victori in regione quinta, quæ Efquiliæ, eft idem qui *Hercules Rufticus* dicitur Lamprid. Commod. c. 10. Rufticus enim, & agreftis, & fylvanus συνώνυμα funt. Unde & fylvatica, & agreftia animalia eadem funt. Ut *Hercules* Sylvanus, f. & [illegible] Sylvanus dicebatur. *Salmaf. in Lampridium. Exerc.* [illegible] *p.* 294. *b. C.* Ego apud Victorem lego, *Hercules Sylvanus*. Et puto fic dictum ob ftatuam a Cornelio S[illegible] ho[illegible] in loco erectam. *Pa*[illegible] *Rom. Græv. Tom.* III. *p.* 341. *F. Le*[illegible] *de Form.* 1. *p.* 5[illegible].

Hercules Tarentinus dictus eft, quia Fabius Maximus Verrucofus, capta urbe Tarento, ejus ftatuam juxta fuam æneam equeftrem in Capitolio collocavit. Plutarch. in Fabio p. 187. C. Strab. VI. p. 192. Plin. XXXIV. 7. Aur. Vict. de vir. Illuft. c. 43. n. 6. L[illegible] fuit æreum, & a Verrucofo [illegible] victoriæ fuæ monumentum afportatum. *Ryq. de Capit. Rom. c.* 25.

Hercules Tricofus dicitur in carmine, quod Romæ in Capitolio fub ejus figno legitur:

ALCMENÆ. JOVIS. ET. MAGNI.
FORTISSIMA. PROLES.
TRICOSUS. SUBITO. POST. MEA.
FATA. VOCOR.

Tricofi nomine homo vafer, callidus, & [illegible] dolis omnibus confutus denotatur. [illegible] ctendis. Quippe *Hercules* tot [illegible] fuos artibus [illegible] videtur. Sed *Hercules* a fimplicitate [illegible] commend[illegible] minime vafer dicitur Sene[illegible]. Apocol. p. [illegible] *Herculi hom*[illegible] Et Placidus vocatur in veteri infcriptione, quæ eft Romæ:

HERCULI. PLACIDO
JABOLENUS. AUG. LIB

Hæc ergo interpretatio non placet. Et verfor, meo judicio, fefe offert. Tricofus eft idem ac ille, qui nullius amplius ufus, vim fuam, & robur diutius non poteft probare. Gloff. vet. *Tricofus*, ἀχρεῖος, ἔκλυτος, λαγώδης. Atque ita *Hercules* merito poft fata tricofus nominatur. Quamdiu vixit, par omnibus, aut major fuit: poftquam fato conceffit, fubito fimul cum vita invidendam, qua tot facinora edidit, tot labores decertavit, virtutem amifit. *Boxhorn. Quæft. Roman.* 2. Stephanus Pighius videtur propius a vero abeffe, qui putat a Græcorum poetarum variis tricis in fabulis de eo fcriptis, tricofum appellari. *Græv. Proleg. ad Ant. Rom. Tom.* V. *p.* 8.

Hercules Triumphalis. Plin. XXXIV. 7. *Hercules ab Euandro facratus in foro boario, qui triumphalis vocatur, atque per triumphos veftitur habitu triumphali.* Gyrald. Synt. deor. X. p. 330. G. Buleng. de Triumph. c. 36. Qui an idem cum Victore? uterque fane in foro boario. Sed hic auctorum dividia eft. Triumphalis ille, quem Plinius in foro boario locat, hoc eft in VIII. Urbis regione, a P. Victore ftatuitur in XI. ad portam Trigeminam. Sic enim ille: *Ara maxima, Hercules triumphalis.* Rufus quoque *Herculem triumphalem* cum ara maxima in regione circi maximi ponit: *Templum Herculis, Hercules triumphalis, Circus Maximus, Hercules Olivarius, Ara maxima.* Onuphrius in XI. regione Urbis fuæ recenfet templum *Herculis Victoris in foro boario.* Sed multis modis fallitur. I. nullum templum *Herculis Victoris* fuit, fed ædes tantum parva, & facellum. II. forum boarium non eft in XI. regione Urbis, fed in VIII. III. Rufus templum *Herculis* in XI. regione, ubi circus maximus, nominat tantum, non etiam Victoris. Omnino puto triumphalem, & victorem fuiffe idem cognomentum. Sic triumphales, & victrices lauros poetæ dicunt. Cum triumphalis igitur, five victor tam in foro boario, quam ad portam trigeminam fuerit, facile fic conciliari poteft Plinius cum P. Victore. *Salmaf. Exerc. Plin. p.* 8. *b. D.*

Hercules Victor eft cognominatus. Virg. Æneid. VIII. 363.

—— hæc limina victor
Alcides fubiit.

Quod nomen licet ab ejus crebris victoriis deduci poffit, & *quod omne animalium genus vicerit*, ut putat Varro apud Ma-

Macrob. Sat. III. 6. nibilominus tamen ad somnium refertur. Macrob. l. l. *Marcus Octavius Herennius prima adolescentia tibicen, postquam artis diffisus suæ est, instituit mercaturam; & bene re gesta decimam Herculi profanavit. Postea, [illegible] hoc idem ageret, a prædonibus circumventus [illegible] recessit. Hunc in somnis [illegible] cui Octavius impetrato a [illegible], & signum; Victoremque li[illegible] epitheton deo, quo & argumentum veterum victoria[illegible]lis, & commemoratio novæ historiæ, quæ recenti Ro[illegible] sacro causam dedit, contineretur.* Gyrald. Synt. deor. x. p. [illegible]28. E. Brisson. de Form. I. p. 50. [illegible] positum tradunt in foro bo[illegible]io, qui & Triumphalis diceretur. Extat adhuc antiqua inscriptio Aquini, [illegible] ULI VICTORI. *Gyrald. l. l.* V. supr. in *H[illegible]*

HERMÆ erant statuæ Mercurii sine brachiis, & pedibus, quas in compitis collocabant Græci, & Romani. Serv. Æneid. VIII. 138. *Mercurium quum in monte dormientem invenissent, manus ei amputaverunt, unde & ipse [illegible] tilatos parte corporis dicunt, unde etiam hermos vocamus [illegible]dam stimulos in modum signorum sine manibus.* Suidas in voce Ἑρμῶν. *Hermæ erant Athenis lapidei in vestibulis ædium, atque templis: quia enim ajunt Mercurium sermonis, & veritatis præsidem esse, propterea & e[illegible]s imagines quadratas, & cubicas [illegible]unt, indicantes quod [illegible]admodum ea, quæ hanc habent figuram, in quam parte[illegible]ant, semper stabilia, & recta sunt; ita sermo [illegible] semper sibi ipsi est: mendacium vero fluxum, multifidum, & minime sibi cohærens.* Erecto veretro ut plurimum depingebantur. Macrob. Sat. I. 19. *Pleraque etiam simulacra Mercurii quadrato statu figurantur, solo capite insignita, & [illegible]ilibus erectis: quæ figura [illegible] solem mundi esse caput, & rerum satorem, omnemque vim ejus non in quodam divisorum ministerio membrorum, sed in sola mente consistere, cujus sedes in capite est: quatuor latera eadem ratione finguntur, qua & tetrachordum Mercurio creditur attributum; quippe significat hic numerus vel totidem plagas mundi, vel quatuor vices temporum, quibus annus includitur, vel quod duobus æquinoctiis, duobusque solstitiis zodiaci ratio distincta est.* Has statuas præcipue co[illegible]bant feminæ, earumque virilia ornabant, & venerabantur, fœcunditatis sibi procurandæ causa; sicuti videre est in eleganti marmore apud Boissardum in Antiquitatibus Romanis sculpto. Solebant in triviis erigi ad indicanda viarum discrimina. V. infr. in *Lapis. Spon. Misc. Erud. Ant. Sect. I. art. 4. Gyrald. Synt. deor. X. p. 301. D. Aleand. Tab. Heliac. explic. Thes. Ant. Rom. Græv. Tom. V. p. 723. E. Bergier. de Viis publ.* IV. *Sect.* 43. §. 4. . 7. *& ad illum Hennins. Holsteen. Comment. in Nymph. Thes. Ant. Rom. Græv. Tom.* IV. *p.* 1802. *B. Gyll. de Bosphor. Thrac.* II. 13. *Meurs. Attic. Lect.* IV. 6. *Herald. Adv.* II. I. *Laurent. Var. sacr. gentil. c.* 7. *Clasen. Theol. gentil.* I. 13. 5. *Guther. de Jur. man.* II. 2[illegible] *Castellan. de Fest. Græcor. Thes. Ant. Græc. Gronov. Tom.* VII. *p.* 665. *F. Ursat. de Not. Roman. Thes. Ant. Rom. Græv. Tom.* XI. *p.* 780. *A. Sagittar. de Jan. Vet. c.* 38. *Figrell. de Stat. Roman. c.* 17. *Kipping. Antiq. Roman.* III. 21. *Demster. Paralip. ad Rosin. Antiq. Roman.* II. 9. *Minos in Alciat. Emblem.* 8. *Gyrald. Synt. deor.* IX. *p.* 301. *D.*

HERMÆUM erat diæta, seu cœnatio in Palatio, *ἀπὸ τοῦ Ἑρμοῦ*, a Mercurio, a cujus nomine nomen illi fuit inditum. Suet Claud. c. 10. n. 2. *In diætam, cui nomen est Hermæum recesserat.* Lapis vetus:

SYMPHORO
TESSERARIO
SER. CÆSARIS
DE. DOMO. GELO
TIANA. FECIT
PHILODESPOTUS
SER. CÆSARIS
EX. HERMÆO
FRATRI. B. M.

Donat. de Urb. Rom. III. 2. *Nardin. Rom. Vet.* VI. 13. *Borrich. Ant. Urb. Fac. c.* 12. §. 2. *Pitisc. in Suetonium.*

HERMATHENA erat statua *Hermam & Athenam* repræsentans, id est, Mercurium & Minervam. Simile signum cum Titus Pomponius Atticus reperisset Athenis, Romam illud misit, ut Ciceronis amici sui bibliothecæ ornamento esset. Cicer. Attic. I. 3. *Quod ad me de Hermathena scribis, per mihi gratum est ornamentum Academiæ proprium meæ: quod & Hermes, commune omnium, & Minervæ singulare est ejus Gymnasii. Quare velim, ut scribis, cæteris quoque rebus quamplurimis eum locum ornes.* Non mirum erat Mercurium Minervæ conjungi, fiebat enim utrique commune sacrum, eo quod ille eloquentiæ præesset, hæc doctrinæ. Eloquentia nisi comitem doctrinam habeat, quid est nisi nudus, inanisque sonus? Doctrina vero absque eloquentia obscurus, & inutilis thesaurus. Hic ergo mysticus *Hermathenæ* typus esse mihi videtur, ab Atheniensibus non immerito effictus, cum essent olim omnium hominum doctissimi, & eloquentissimi. *Spon. Misc. Erud. Antiq. Sect.* I. *art.* 4. *Figrel. de Stat. Roman. c.* 24. *Turneb. Adv.* VIII. 24. *Salmas. in Spartian. Adrian. c.* 14. *Tomas. de Donar. c.* 23. *Laurent. Var. sacr. gentil. c.* 8. *de Profess. c.* I. *Demster. Paralip. Antiq. Roman. Rosin.* II. 9. *Minos in Alciat. Emblem.* 9.

HERMERACLÆ dicebantur statuæ Mercurii & Herculis, quod nimirum Herculis caput Mercurii quadratæ statuæ impositum esset. Cicer. Attic. I. 18. *Signa nostra, & Hermeraclas cum commodissime poteris, velim imponas.* Cippo tetragono, & clava dignoscebantur. Mercurii cum Hercule conjunctio designabat vel fortitudinis sociam debere esse eloquentiam, vel eloquentiam ipsam esse monstrorum domitricem: unde Galli *Herculem* suum eleganti typo depingebant, catenis ex ejus ore exeuntibus, auditoresque multos illis alligatos trahentibus. *Spon. Misc. Erud. Ant. Sect.* I. *art.* 4. *Guther. de Jur. man.* II. 28. *Turneb. Adv.* VIII. 24. *Figrel. de Stat. Roman. c.* 24. *Salmas. in Spartian. Adrian. c.* 14. *Laurent. Var. sacr. gentil. c.* 8. *de Profess. c.* I.

HERMEROTES erant signa dei, compositi ex *Herme*, seu Mercurio, qui tenet caduceum, & crumenam perpetuum Mercurii typum, & Cupidine, qui *Eros* Græcis dicitur, qui amabilis pueri specie nudus incedit. Quo prisci mysteriis turgentes forte exprimebant amori conjunctam esse eloquentiam debere. Plin. XXXVI. 5. inter eximia sculptorum opera *Hermerotes* Taurisci recenset. *Spon. Misc. Erud. Antiq. Sect.* I. *art.* 4. *Gyrald. Synt. deor.* IX. *p.* 302. *A.*

HERMULÆ, sive *Hermetes* parvi erant duo simulacra Mercurii in circo ante carceres fixi, funem, vel catenam prætendentes carceribus, ne equi, apertis carcerum valvis, ante signum datum procurrerent. His catenis opera ministrorum ad signum datum prolapsis in certamen effundebantur. *Kipping. Antiq. Roman.* II. 6. §. 3. *Lyd. Agon. sacr. c.* 30. Inventum *Hermularum* ad laxandam ὕσπληγγα Tlepolemo Myrensi tribuit Philoxenus hoc epigrammate:

> Τληπόλεμος ὁ Μυρεὺς ἑρμᾶν ἀφετήριον ἕρμα
> Ὑροδόμοις θῆκεν παῖς ὁ Πολυκρίτεω.

Ὑρόδρομοι sunt σταδιόδρομοι, qui cursu certant in sacris agonibus. Ἀφετήριον ἕρμα est repagulum, vel ὕσπληγξ, vel βαλβίς. Nam ἕρμα est septum, & περίφραγμα. Ergo ἑρμᾶν ἀφετήριον ἕρμα repagulum, quod ab *hermulis* laxatur. Haud scio, utrum istos *Hermulas* e stadio in circum traduxerit Cassiodor. Var. III. 51. an ipsi quoque eo traducti sunt ad eundem usum. V. illum infr. in *Ostia*. Certe in stadio primulum visitati illi ἀφετήριοι ἑρμαῖ. *Salmas. Exercit. Plin. p.* 648. *b. F.*

HERNICI fuerunt proximi Latinis. Hos primus Superbus Rex societate devinxit, ac Latinarum feriarum participes fecit. Deinde C. Aquillio, T. Sicinio coss. anno ab U. C. 267. quod contra fœdus agrum Romanum populati essent, bello petiti, a Sp. Cassio III. consule, cum pacem petiissent, fœderis conditiones easdem, quibus Latinos

tinos ille in secundo consulatu obstrinxerat, magna cum populi Romani querimonia acceperunt. Servarunt pacem usque ad a. 363. quod ostendit Livius, cum scribit, *eo anno Latinos, Hernicosque defecisse, qui post pugnam ad lacum Regillum factam per annos prope centum nunquam ambigua fide in amicitia populi Romani fuerant.* Itaque anno 391. *Hernicis* post res nequicquam repetitas bellum indictum; L. Genucium consulem in hostes profectum, ut insidiis eorum circumventum interisse VII. 6. Postero anno Ferentinum eorum oppidum a C. Licinio consule vi captum VII. 9. deinceps a M. Fabio Ambusto, & C. Plautio pluribus prælis victos VII. 11. Cum autem concilium omnium populorum habentibus Anagninis omnes *Hernici* nominis cum populo Romano bellum suscepissent, a. 447. a Q. Marcio Tremulo consule acie superati sunt, atque in deditionem accepti. *Sigon. de Ant. jur. Ital.* I. 6. *Panvin. Imp. Rom. c.* 3. *Augustin. de Fam. Roman. in Aquilia.*

HEROES dicebantur, qui post præclarissimas quasque res gestas mortalia corpora relinquentes in cœlum ascendisse dicuntur, honores diis similes sortiti. Horum statuæ inter simulacra in circo quarto loco visebantur. *Panvin. de Lud. Circens.* II. 2. *Gyrald. Synt. deor.* X. *p.* 326. *B.* Apri, aut tigridis, aut leonis exuviis, aut pelle Libystidos ursæ, aut hinnuli, aut vulpis induebantur. Homer. Iliad. K. 177.

> *Sic dixit: hic circa humeros induit pellem leonis*
> *Fulvi, magni, talarem.*

Et ex heroicorum temporum consuetudine:

> *Dat Niso Mnestheus pellem, horrentisque leonis*
> *Exuvias.*

apud Virg. Æneid. IX. 306. Et Aventinus apud eundem VII. 666.

> *—— pedes tegmen torquens immane leonis*
> *Terribili impexum seta, cum dentibus albis,*
> *Indutus capiti, sic regia tecta subibat*
> *Horridus, Herculeoque humeros innexus amictu.*

Turneb. Adv. XXIX. 25. Paschal. de Coron. IX. 25. Byn. de Calc. Hebr. I. 2. 2. Cerda in Virgilium. In conviviis non accumbebant, sed sedebant. Quod de illis Athen. I. p. 14. Homerus *heroas* suos, & procos Penelopes sedentes in convivio facit Odyss. I. 7.

> *Convivantes autem per domum audiunt cantorem,*
> *Sedentes ordine.*

Et Catull. LXIV. 303.

> *Qui postquam niveos flexerunt sedibus artus.*

Lips. Ant. Lect. III. p. 144. Byn. ibid. II. 1. 4. Buleng. de Conviv. I, 34. Stuck. Ant. Conviv. II. 34. Cerda ibid. VII. 176. Laurent. Polym. III. 12. Carnibus utebantur maxime assis: interdum elixis. *Heroas*, inquit Eustathius, *inducit Homerus elixis utentes carnibus, præcipue tamen assis, unde & optami inflectitur nomen, ex usus frequentia.* Signatur autem eo verbo coquina. *Rhodig. Ant. Lect.* XXVIII. 2. *Buleng. ibid.* II. 5. Piscibus non sunt usi, nisi ubi terrestria animantia deficerent. Plato, ut evinceret illorum magnam continentiam dicit illos non fuisse piscibus usos, quamvis prope Hellespontum castra metati essent. Idem innuit Eubulus Comicus:

> *Piscem ubinam comedisse dicit Homerus quempiam Græcorum?*

Solos Menelai socios, annonæ penuria coactos, in Pharo refert piscationi se dedisse, ut famem placarent. Odyss. Δ. 368.

> *Semper enim circa insulam socii errantes piscabantur*
> *Curvis hamis; domabat vero ventrem fames.*

De illorum temporum frugalitate Ovid. Fast. VI. 173.

> *Piscis adhuc illi populo sine fraude natabat,*
> *Ostreaque in conchis tuta fuere suis.*

Nonn de Re cibar. III. 4. Buleng. de Conviv. II. 30. Trigis maxime sunt usi, quibus duo equi adjuncti sub jugum mitterentur, tertius funarius. *Buleng. de Circo c.* 59.

HEU.

HEURESIS quid sit mense Novembri in Kalendario rustico Farnesiano, quærendum. Fortasse dies designatur is, quo Ceres Proserpinam filiam a Plutone raptam, omnibus terris perquisitam invenit. Apul. Met. XI. p. 357. *Sive tu Ceres alma frugum parens originalis, quæ repertu lætata filiæ. . . . Repertu* pro inventione dixit, quod verbum respondet Græco εὕρησις. *Ursin. ad Kalend. Thes. Antiq. Rom. Græv. Tom.* VIII. *p.* 26. *E.*

HEX.

HEXAPHORUM dicebatur lectica, quæ a sex famulis gestabatur, delicatorum hominum arbitratu. Laxior erat ad modulum opum, & luxus. Modesti, & frugi homines quatuor tantum adhibebant, & Capell. Philol. II. Philologiæ in cœlum eunti totidem adscripsit; *laborem, amorem, epimeliam, & agrypniam:* nec aliter virginem decebat, studiosam videlicet, minimeque delicatam. Mortui honestiores *hexaphoro* efferebantur. Mart. II, 81. 1.

> *Laxior hexaphoris tua sit lectica licebit,*
> *Cum tamen hæc tua sit, Zoile, sandapila.*

IX. 3. 11.

> *Octo Syris suffulta datur lectica puellæ:*
> *Nondum sandapilæ pondus amicus erit.*

Pignor. de Serv. p. 274. Morest. Pomp. Feral. II. 8. & 9.

HIC.

HIC *jacet* erant sollennia in sepulcrorum titulis verba; quibus sepultum ibi aliquem volebant denotare. Tibul. I. 3. 53.

> *Quod si fatales jam nunc explevimus annos*
> *Fac lapis inscriptis stet super ossa notis.*
> *Hic jacet immiti consumptus morte Tibullus.*

Mart. VI. 52. 1.

> *Hic jacet in tumulo raptus puerilibus annis*
> *Pantagathus, domini cura, dolorque sui.*

Kirchm. de Funer. Rom. III. 19. Brisson. de Form. VII. p. 691. Broukh. in Tibullum.

Hic situs est erant etiam sollennia in sepulcrorum inscriptionibus verba, quibus sepultum ibi aliquem volebant denotare. Lucill. apud Donat. in Phorm. II. 1. V. illum supr. in *Columellæ.* Tibul. III. 2. 27.

> *Sed tristem mortis demonstret litera causam,*
> *Atque hæc in celebri carmina fronte notet.*
> *Lygdamus hic situs est: dolor huic & causa Neæræ*
> *Conjugis ereptæ, causa perire fuit.*

Aurel. Vict. de Vir. Illust. c. 42. n. 6. *Positus est apud Libyssam in arca lapidea, in qua hodieque inscriptum est, Annibal hic situs est.* Kirchm. de Funer. Roman. III. 19. Brisson. de Form. VII. p. 690.

HIE.

HIERAN facere dicuntur cursores, qui fessi eodem temporis articulo lineam, quæ ad ultimas metas erat, attingebant. Tenebant enim se immobiles, & ibi stabant, donec pronuntiarentur victores Hellanodicis. Senec. Epist. 83. *Quomodo tamen hodiernum certamen nobis cesserit, quæris? quod raro cursoribus evenit, hieran fecimus.* Metaphora ducta est a ludo calculorum, in quo e quinque lineis, media *hiera* dicta est, ubi inciti calculi erant. Qui ad *hieram* redactus erat, ad incitas redactus a Romanis dictus erat. Κινῶ τὸν ἀφ' ἱερᾶς, id est, res desperata est. *Buleng. de Circo c.* 22. *Argol. in Panvin. de Lud. Circens.* II. 1. *Muret. in Senecam.* Ajunt, parum probant, aut Senecæ aptant. Fallor, aut unus Polybii locus est, qui huc faciat, cum de Pœnis & Romanis scribit I. *diu illos in Sici-*

 lia

lia decertasse, neque malis victos, ut Fabius ait, destitisse, sed tandem, inquit, *velut indefessi, & invicti viri, atque athletæ, sacram coronam fecere.* Plane, quod hic noster dicit: eos paria fecisse in certamine, & utrumque coronam demeruisse, neque cepisse. Credo enim moris fuisse, ut in victoria ambigua, & cum pares in meta, deo corona sacraretur, ideoque proverbium, ἱερὸν ποιεῖσθαι, nempe τὸν ϛέφανον. Quod noster dixit ἱερὰν ad coronam adspectans. Ita arbitror. *Lips. ad Senecam.* V. etiam *Fabr. Agonist.* II. 33.

HIERAPOLIS fuit urbs clara majoris Phrygiæ. De illa Paull. ad Coloss. c. 4. n. 13. *Magnus zelus est ei pro iis qui sunt Hierapoli.* Nerone imperante terræ motu periit. Eusebius in Chronicis. *Panciroll. Notit. dignit. imperii orient. c.* 126. Vocabatur etiam Callinicum, quod Latine sonat pulcra victoria. Nunc Hepo. Erat in finibus imperii Romani prope Persas. Justinianus, dirutis vetustis muris, inexpugnabile fecit. Procop. de Ædific. Justin. *Panciroll. ibid. c.* 149.

HIERO tyrannus Siciliæ naves onerarias maximæ formæ ædificandas curavit. Illarum una amplius duo millia onerum, *la[illegible]s* vulgo appellant, portavit: singulis oneribus quater mille pondo tribuendo. *Meibom. de [illegible]bric. trirem. Thes. Antiq. Roman. Tom.* XII. *p.* 571. *B.* Ejus canis [illegible]itate domini, incenso heri rogo, injecit se flammæ. Plin. VIII. 40. *Alex. Gen.* III. 7. *Morestell. Pomp. Feral.* VII. 5.

HIEROGLYPHICÆ literæ. V. illas infr. in *Literæ.*

HIERONICÆ dicebantur certaminum sacrorum victores. Erant illa quatuor: Pythia. Isthmia, Nemeæa, Olympia. *Periodon vicisse dicebatur, qui illa vicerat, a circumitu eorum spectaculorum.* Festus. Ad eandem formam Πυθονίκην, Ὀλυμπιονίκην, περιοδονίκην, παντονίκην dicit Xiphil. LVIII. p. 720. A. Suet. Ner. c. 24. n. 3. *Ac ne cujus alterius hieronicarum memoria, aut vestigium extaret usquam, subverti, [illegible] trahi, abjicique in latrinas omnium statuas, & imagines imperavit.* Bud. in Pandect. p. 97. K. Volaterr. Comment. Urban. XXIX. p. 1091. E. Pitisc. in Suetonium. *Hieronicis* ingentes honores habebantur. Vitruv. Præfat. *Nobilibus athletis, qui Olympia, Pythia, Isthmia, Nemeæa vicissent, Græcorum majores ita magnos honores constituerunt, uti non modo in conventu stant[e]s cum palma, & corona ferant laudes, sed etiam cum rever[t]antur in suas civitates cum [illegible] in mœnia, & in patrias [illegible] perpetua vita constitutis vectigalibus fr[u]antur.* S[ue]t. Ner. c. 25. n. 1. *Reversus e Græcia Neapolim albis equis introiit, disjecta parte muri, ut mos hie[ronic]arum est.* C[a]usam prodit Plutarch. Sympos. II. 5. … *[illegible] nopere civitati muro opus esse [illegible] qui pugnare po[ssin]t & vincere.* Bud. l. l. Jun. Anim. I. 12. Camer. Decad. VIII. 8. Petav. in Themist. Orat. VI. p. 629. Lydius Agonist. sacr. c. 37. Bernart. in Stat. [Theb.] VI. 5. Reliquos honores *hieronicis* habitos fusius denarrat *Faber Agon.* II. 12. & 13.

HIL.

HILARIA deo Pani credebantur sacra, quem ut omnium auctorem coluit priscorum vanitas. *Rhodig. Antiq. Lect.* VII. 16. *Egnat. in Vopiscum mox laudandum.* Hoc est haud dubie falsum. Erant feriæ Matris deûm. Herodian. I. 10. II. *Veris initio, stato, sollennique die pompam Matri deûm Romani celebrant. In ea, quæ apud quemque sunt divitiarum præcipua, supellexque pleraque Imperatoria, materiæ, aut artis spectandæ, præferri ante deam solent. Passimque omnibus ludendi licentia permissa, sic ut personas in[du]ant quas cuique libitum, nullamque non magistratuum quoque imaginem, prout cujusque studium, repræsentent: sic ut non [illegible] veros dignoscas.* Celebrabantur VIII. Kalend. April. M[acr]ob. S[at]. I. 21. *Celeb[ran]t[ur] [illegible] ad [illegible] Kal[endas] [illegible], quem diem Hilaria appellant, quo primum tempore sol diem longiorem nocte protendit.* Vopisc. Aurelian. c. 1. *Hilaribus, quibus omnia festa, & fieri debere scimus, & dici, impletis sollennibus vehiculo suo me & judiciali carpento Junius Tiberianus accepit.* Lamprid. Alex. Sev. c. 37. *Kalendis Januariis, & Hilariis matris deûm fasianus.* Turneb. Adv. XXIV. 45. Gyrald. Synt. deor. XVII. p. 493. F. Casaub. in Lampridium. Petav. in Julian. Orat. V. p. 90. Salmas. in Vopiscum. Hospinian. de Fest. Ethnic. p. 135 Cerda Adv. sacr. c. 186. n. 2. Stuck. Ant. Conviv. I. 33. Laz. Comm. Reip. Rom. XI. 2. Lomej. de Lustrat. c. 26. Calcagn. Epist. 7. & de Reb. Ægyptiac. p. 236. Meurs. Græc. Feriat. IV. Thes. Ant. Græc. Gronov. Tom. VII. p. 802. D. Laurent. Var. sacr. gentil. c. 18. Polym. IV. Synops. 6. Faber Semest. I. 6. Kipping. Antiq. Roman. I. 10. §. 12. Rosin. Antiq. Roman. IV. 7.

HILARODI erant mimi, qui ludum gravitate temperabant, & *hilaritate* carmina sua condiebant. Athen. XIV. p. 620. D. *Nobis frequenter mimi exhibentur nomine Hilarodi, quos nunc quidam Simodos ideo vocant, ut inquit Aristocles de Choris I. quod Simus Magnes aliis poetis Hilarodus elegantior, ac concinnior fuerit.* p. 621. B. *Gravior illis poetis est, quem vocant Hilarodum. Non enim frangitur in motus parum viriles: utitur veste virili, corona aurea coronatur; olim calceo usus est, nunc crepida: psallit & mas & femina.* Buleng. de Theatr. II. 12. Scalig. Poet I. 52. Rhodig. Ant. Lect. VII. 16. Gyrald. de Comœd. Thes. Ant. Græc. Gronov. Tom. VIII. p. 480. C. Faber Agonist. I. 3. & 24. Voss. de Instit. Poet. II. 21. §. 2. & 3.

HIN.

HINNULEUS, & *hinnulus* est fœtus capreolorum, caprearum, damarum. Horat. Od. I. 23. I.

Vitas hinnuleo me similis Chloe.

Buleng. de Conviv. II. 22. Ex ejus ossibus tibias faciebant. Callim. Hymn. in Dian. n. 244.

Nondum hinnulorum ossa perforata erant,
Opus Minervæ, ex quo cervis pernicies.

Superstitioni forsan affine, quod non omnia *hinnulorum* ossa tibiis convenire putabant, nam eorum, qui cacto spina confixi erant, ossa tibiis inutilia judicabant. Hesychius: *Cactus spina, qua hinnulus confixus, ejus ossa utilia tibiis non sunt.* Philetas: *Hinnulus mortuus, qui acuta cacto confixus non fuerit, sonitum in tibia edat.* Bartholin. de Tib. c. 4. Spanhem in Callimachum. Ejus pelle induebantur Luperci. Senec. Oedip. II. 438.

Nebride sacra præcincta latus
Mænas.

Eurip. Phœn. n. 1742.

Heu Cadmeis hinnulorum pellibus
Induta ego aliquando
In montibus Semeles saltavi sacrum tripudium.

Lomej. de Lustrat. c. 34.

HINNUS est parvus equus. Recentioribus est burdo. Varr. de Re rust. II. 8. *Hinnus qui appellatur, est ex equo & asina, minor quam mulus, corpore plerumque rubicundior, auribus ut equinis, jubam, & caudam similem asini habens.* Colum. VI. 37. *Qui ex equo & asina concepti generantur, a patre nomen traxerunt, quod hinni vocantur.* Buleng. de Equis c. 13. Scheffer. de Re Vehic. II. 6. Rhodig. Ant. Lect. III. 20. Grapald. de Part. dom. I. 8. §. 3. Salmas. Plin. Exerc. p. 75. a. B.

HIP.

HIPPAGOGÆ erant naves, quæ equos, & equites vehebant. Liv. XLIV. 28. *Postero die, quam Sabota classis tenuit, quinque & triginta naves, quas hippagogas vocant, ab Elea profectæ, cum equitibus Gallis, equisque, Phancas promontorium Chiorum petebant. Hippagines* dicuntur Gell. X. 25. Et describuntur Festo: *Hippagines naves, quibus equi vehuntur, quas Græci ἱππαγωγὰς dicunt.* Suidas: *Hippagoga navis, equos & viros vehens.* Bayf. de Re nav. Thes. Ant.

Græc. Gronov. Tom. xi. p. 595. E. Dolet. de Re nav. ibid. p. 677. E. Calcagn. de Re nav. c. 11. Gyrald. de Navig. c. 18. Rhodig. Ant. Lect. viii. 9: xxi. 22. Scheffer. de Milit. nav. iv. 1. Grapald. de Part. dom. 1. 8. §. 16. Voss. Lex. Etymol.

HIPPIUM erat pars hippodromi, quæ equorum cursu terebatur. Diacon. viii. *Cumque hippodromum celebraret, introduxit Artabastum una cum filiis ejus, & amicis ligatum circum per hippium.* Inde deferebantur, qui pompabantur, Diaconus: *Quos omnes per hippium pompavit.* Ut sit *hippium* locus proximior spinæ Cassiodori. *Argol. in Panvin. de Lud. Circens.* 1. 27.

HIPPOCOMUS Græca voce, Latina a mulis mulio vocatur. Hi in singulis stationibus civitatum, mutationum, & mansionum erant, & accurabant equos cursuales, iisque paleas, stramina, fœnum, hordeum, avenam subministrabant. Hos Francogalli nostri appellant *palefreniers*, ab antiqua voce *palefroy*, quæ equum ephippio instratum veteri lingua, quam nostrates Romanensem dicunt, notat. *Bergier. de viis milit.* iv. *Sect.* 13. §. 9. *Panciroll. Notit. Dignit. Imp. orient. c.* 6.

HIPPODROMUS dicebatur iter, quod uno die conficit eques, sive via militaris, ut scribit Hieron. in Genes. xlviii. *Voss. Lex. Etymol. Buleng. de Circo c.* 1.

Hippodromus est equorum curriculum, sive theatrum, ubi agitantur equi, sive in quo de pernicitate certatur citra simulacrum pugnæ. *Voss. Lex. Etymol. Buleng. de Circo c.* 1. *Bud. in Pandect. p.* 165. I. *Paschal. de Coron.* vi. 15.

Hippodromus Palatii in Actis martyris S. Sebastiani memoratur: nam in eo virgis cæsus, & interemptus est. Locus ei assignatur supra arcum Titi, ubi nunc devota S. Sebastiani ædes est, cui prius S. Andreæ in Pallara nomen, ab Urbano viii. restituta. At mihi ipse circus maximus fuisse videtur, Palatio conjunctus. Certe id ipsa actorum ejus martyris verba significare videntur: ut & Bedæ illa in martyrologio: *Tunc jussit eum Diocletianus in hippodromum palatii duci, & fustigari, donec deficeret. . . . Sed ille apparuit in somnis S. Matronæ Lucinæ dicens: juxta circum invenies corpus meum pendens in unco.* Nardin. Rom. Vet. vi. 13.

HIPPONA fuit dea equorum & stabuli. Eam antiqui sunt venerati. Plutarch. Parall. p. 312. E. *Fulvius Stellus a mulieribus animo alieno cum equa rem habuit: ea suo tempore filiam edidit perpulcram, cui pater Hipponæ nomen indidit. Atque hæc dea est equorum procurationem gerens. Agesilaus Italic.* iii. Fulgent. Expos. serm. ant. §. 11. V. illum supr. in *Dii.* Gyrald. Synt. deor. 1. p. 46. C. In equilibus illam pingebant. Apul. Met. iii. p. 96. V. illum supr. in *Auriga.* Minuc. Fel. p. 260. *Quis tam stultus, ut hoc colat? quis stultior ut hoc coli credat? nisi quod vos & totos asinos in stabulis vestris cum vestra Hippona consecratis.* Et per illam jurabant. Juven. Sat. viii. 156. V. & illum supr. in *Auriga.* Tomas. de Donar. c. 32. Buleng. de Equis c. 20. Argol. in Panvin. de Lud. Circens. 1. 10. Stuck. de Sacrif. p. 35. Salmuth in Panciroll. de Reb. deperd. & inv. p. 476. Laurent. Var. sacr. gentil. c. 3. *Eponam* legendum esse contendunt *Turneb. Adv.* xxiv. 4. *Herald. Rigalt. & Ouzel. ad Minucium Felicem. Equonam* vero *Barth. Adv.* xxxvii. 1.

HIPPOPOTAMUS vocatur, *quod sit equo similis dorso, juba, & hinnitu, rostro resupinato, aprinis dentibus, cauda tortuosa, ungulis binis, die in aquis commoratur, nocte segetes depascitur, & hunc Nilus gignit.* Isidor. xii. 6. *Buleng. de Equis c.* 2. Describunt illum quoque Plin. viii. 25. Ammian. xxii. 15. Achill. Tat. iv. p. 222. *Vales. in Ammianum. Salmas. Exerc. Plin. p.* 323. 324. Ad boum speciem, non equorum accedere docet *Spanhem. Dissert.* iii. *de Præst. & usu numism. p.* 131. & ea de causa, jurene an injuria, tuus arbitratus esto, tua judicatio B. L. illum ridet *Gronov. in Ammianum.* Ἵππος ποτάμιος dicitur Ælian. de Anim. v. 53. Nonn. Dionys. xxvi. 236.

Et illic fluvialis equus, fusca ungula pontum
Illius per falsa natat, velut ille calentes,
Qui prope Niliacas Memphim transcurrit arenas.

Ejus testiculi sunt medicinales. Schol. Nicand. in Theriac. p. 37. *Et hippopotami testiculus prodest.* Est idem qui hippocampus. *Argol. & Pinell. in Panvin. de Lud. Circens.* ii. 2.

HIR.

HIRCUS Baccho immolabatur. V. supr. in *Bacchus.* Eratque præmium tragœdorum. Horat. de Art. Poet. n. 220.

Carmine qui tragico vilem certavit ob hircum.

Theocr. Eidyll. 1. 4.

Si ille acceperit cornutum animal, tu capram capies.

Alex. Gen. vi. 19. & ad illum Tiraquellus. Scalig. Poet. 1. 44. Torrent. in Horatium.

HIRNEA fuit vas vinarium. V. illud supr. in *Cirnea.*

HIRPINI fuerunt Samnites, & adhæserunt iis Lucanis, qui mediterranea tenuerunt. Strab. v. p. 173. *Samnites Hirpini subsequuntur, ipsi quoque Samnitæ. Nomen iis a lupo colonia ductore, quem hirpum Samnites appellant. Attingunt hi Lucanos mediterraneos.* Retinuerunt vel extremis temporibus nomen. Bellum ipsum Italicum anno ab U. C. 612. gestum est documento, in quo *Hirpinorum* præcipue egregia opera celebratur. *Sigon. de Ant. Jur. Ital.* 1. 20. Egregios alebant equos. Juven. Sat. viii. 62.

Sed venale pecus Corythæ, posteritas &
Hirpini, si rara jugo victoria sedit.
Nil ibi majorum respectus, gratia nulla
Umbrarum, dominos pretiis mutare jubentur
Exiguis.

Unde & *Hirpinus* equus ejus nominis apud Mart. iii. 63. 12.

Hirpini veteres qui bene novit avos.

Et in inscriptione antiqua:

HIRPINUS. N. AQUI
LONIS. VICIT. CXIV
SECUNDAS. TULIT
LVI
TER
TUL
XXXVI

Argol. in Panvin. de Lud. Circens. 1. 11. *Grang. in Juvenalem.*

HIRTIA gens. V. illam supr. in *Gens.*

HIRUNDINES in ludos afferebant veteres, solitasque domum redire, alligato filo victoriæ indicio ad suos dimittebant, ut rem prospere gestam renuntiarent. Quamvis in Romano circo idem olim factum testetur Plin. x. 24. *Cæcina Volaterranus equestris ordinis quadrigarum dominus comprehensas hirundines in circum secum afferens, victoriæ nuntias amicis mittebat, in eundem nidum remeantes, illito victoriæ colore.* Argol. in Panvin. de Lud. Circens. ii. 16. Lips. Saturn. ii. 6.

HIS.

HISPANI *didicerunt a Romanis post secundum bellum Punicum aqua calida lavari.* Justin. xliv. 2. 6. antea non consueverant nisi in frigida lavari. *Baccius de Therm. vet. c.* 3. Torquibus sunt usi. Nummi a Gothis in Hispania cusi hoc docent: cusi procul dubio ab illis, quum illic rerum potirentur. *Scheffer. de Torquib. c.* 12. Tributum Romanis in equis pendebant. *Falconier. Epist. ad Datum Thes. Ant. Rom. Græv. Tom.* iv. *p.* 1490. D. Martem coluerunt. Macrob. Sat. 1. 19. *Accitani, Hispana gens, simulacrum Martis radiis ornatum maxima religione celebrant, Neton vocantes.* Clasen. Theol. gentil. 1. 7. Censebantur in tribu Galeria. *Reines. Epist. ad Rupert.* 35. *Chimentell. Marm. Pisan. de Hon. bisell. c.* 2.

HISPANIAM Romani vocarunt quicquid terrarum Pirenæis montibus, mari mediterraneo, atque oceano ipso est:

est conclusum, Pyrenæis quidem ab oriente, mediterraneo a meridie, a reliquis partibus oceano. *Sigon. de Ant. Jur. Prov.* I. 5. Invadendæ Romanis eadem causa, quæ Siciliæ fuit, nempe ut Pœnis occurrerent, qui majorem fere partem ejus Amilcare primum, deinde Asdrubale Amilcaris genero ducibus occuparant. Itaque cum multa alia amicitiæ fœdera cum Pœnis, tum hoc postremum cum Asdrubale icerant, ut finis Punici imperii amnis Iberus esset, & Saguntinis trans Iberum populi Romani sociis libertas servaretur. Mortuo Asdrubale cum Annibal Amilcaris filius imperium accepisset, tota fere trans Iberum sub imperium adjuncta *Hispania*, cum Saguntum contra fœdus oppressit, tum exercitu Iberum traducto Ilergetes, Bargusios, Ausetanos, & Jacetaniam; quæ subjecta Pyrenæis montibus est, subegit. Hac de causa Cn. Scipio proconsul in *Hispaniam* missus, orsus a Jacetanis, usque ad Iberum flumen partim renovandis societatibus, partim novis instituendis, Romanæ ditionis omnia fecit, & post, cum ad Pœnos iterum defecissent, recepit. Victo autem classe ad Iberum Asdrubale, Annibalis fratre, populos amplius centum viginti ex ultima *Hispania* ad imperium Romanum adjunxit, atque usque ad saltum Castulonensem pervenit. Inde Publio fratre adjuncto Carpetanos subegit, & Sagunto recepta, Turditanos, qui contraxerant eis cum Carthaginiensibus bellum, in potestatem redactos vendidit. Horum inde gloriam P. Scipio P. F. qui postea Africanus est appellatus, cumulavit. Hic enim *Hispaniam*, quæ patris, patruique continuatis cladibus tota ferme defecerat, recepit, Carthagine nova trans Sucronem, & Astapa trans Bætim expugnatis, atque Asdrubale & Magone ducibus hostium tota *Hispania* pulsis. Quo factum est, ut Scipionis virtute imperium populi Romani usque ad Anam flumen propagatum sit, atque *Hispania* omnis præter Lusitaniam, & Callæciam ab occidente, & Cantabriam, Asturiamque a septentrione sub ditionem populi Romani concesserit. Hic annus fuit ab U. C. 542. quo anno Livius *Hispaniam primam continentis provinciam factam esse prodidit.* Appianus *annuos magistratus, qui pacis præsides essent, in Hispaniam mitti cœptos notavit.* Multis deinde bellis gestis universa *Hispania* præter Cantabros, & Astures, a populo Romano subacta in duas provincias est divisa: quarum finis plerumque fuisse videtur saltus Castulonensis, ut significat Cæsar de Bell. Civ. I. 38. cum scripsit: *Afranium citeriorem Hispaniam obtinuisse, Petrejum a saltu Castulonensi ad Anam, Varronem* [illegible] *agrum, & Lusitaniam.* Sigon. l. l. Panvin. Imp. Roman. c. 14. Panciroll. Notit. dignit. Imp. occid. c. 66. Augustus vero totam *Hispaniam* a se sub jugum missam in tres provincias divisit, Bæticam, Lusitaniam, Tarraconensem. Bæticam populo Romano reliquit, in quam Prætor mittebatur, in alias Legati. Strab. III. p. 115. *Bætica populo Romano attribuitur, ad quam Prætor mittitur, qui legatum habet & quæstorem. Reliqua Hispania est Cæsaris, qui duos mittit legatos, prætorium & consularem, prætorius legatum habet, qui Lusitanis vicinis jus dicit.* Panciroll. & Panvin. l. l. Paucis hæc Paterc. II. 38. 4. *In Hispanias primi omnium duxere exercitus Cn. & P. Scipiones initio secundi belli Punici, abhinc annos 250. inde varie possessa, & sæpe amissa partibus, universa ductu Augusti facta stipendiaria est.* Manut. de Leg. c. 10. Vectigal illis impositum est stipendiarium, & frumentarium. Cicer. Verr. III. 6. *Cæteris impositum est vectigal certum, quod stipendiarium dicitur, ut Hispanis.* pro Balb. c. 18. *Hispani agris, stipendioque multati.* Nam ut in Sicilia decumas, sic in *Hispania* vicesimas frumenti exactas ostendit Liv. XLIII. 2. ubi scribit, P. Licinio & C. Cassio coss. anno ab U. C. 582. *questos de magistratuum Romanorum avaritia Hispanos impetrasse, ne frumentis æstimationem magistratus Romanus haberet, neve cogere* [illegible] *vendere Hispanos, quanti ipse vellet; & ne præfecti in oppida sua ad pecunias cogendas imponerentur.* Conventus juridicos *Hispaniæ* multos enumerat Plin. III. I. & 3. Cordubensem, Hispalensem, Astigitanum, Gaditanum, Tarraconensem, Saldubensem, qui etiam Cæsaraugustanus, Carthaginiensem, Cluniensem, & Lucensem. Qui a populo ne omnes, an postea ab Augusto, cum totam perdomuisset, instituti sint, parum compertum est. Hispalensis certe ante Augustum meminit Cæs. de Bell. Civ. II. 12. Cordubensis Hirt. de Bell. Alex. c. 57. Gaditani Suet. Jul. c. 7. n. I. *Sigon. l. l.*

HISTORIA est rerum gestarum diffusa declaratio, quibus gerendis interfuerit is, qui eas narret: in qua temporum, locorum, hominum, rerumque gestarum monumenta ornate explicantur, regio sæpe, aut pugna describitur, conciones, & cohortationes interponuntur, quo consilio, & qua ratione singula gesta sint, edocetur. In hac autem *historiæ* circumscriptione *nonnihil rationis* existimat esse Gell. V. 18. quum nomen trahere videatur ἀπὸ τοῦ ἱστορεῖν, quod res præsentes spectare, sive cognoscere significat. Quæ declaratio mihi quoque multum placet. Accipi deinceps latius cœptum est *historiæ* nomen; ut non solum de expositione rerum gestarum diceretur, quibus interfuerit is, qui eas describeret; verum & de quavis narratione, quæ vel antiquitus, vel tempore illius, qui scribit, fuerit, sive observato annorum ordine, ut Dionysius, Livius, Tacitus, Dio, alii: sive non, ut Plutarchus, Cornelius Nepos, Plinius in vitis illustrium virorum; item Appianus, & Sex. Rufus fecerunt, qui alia ratione res gestas conscripsere. *Panvin. in Fast.* I. *p.* 3. V. & supr. in *Annales.*

HISTRIO. Hunc a Thuscis acceperunt Romani. Liv. VII. 2. *Sine carmine ullo, sine imitandorum carminum actu, ludiones ex Etruria acciti, ad tibicinis modos saltantes, haud indecoros motus more Thusco dabant: imitari deinde eos juventus, simul inconditis inter se jocularia fundentes versibus, cœpere; nec absoni a voce motus erant. Accepta itaque res, sæpiusque usurpando excitata, vernaculis artificibus, quia hister Thusco verbo ludio vocabatur, nomen histrionibus inditum.* Gyrald. de Poetis Dial. VI. Voss. Lex. Etymol. Instit. Poet. II. 36. §. 3: III. 9. 2. Scalig. Poet. I. 30. Casal. de Trag. c. 2. de Urb. ac Imper. Roman. splend. part. I. c. 7. Blond. Triumph. Rom. II. p. 47. B. Proprie est pantomimus. Glossæ: *Histrio*, παντόμιμος. Fabulas agebat saltando. Per saltatorem *histrionem* intelligit Suet. Cal. c. 54. n. 2. *Threx & auriga, idem cantor, atque saltator. Canendi, ac saltandi voluptate ita efferebatur, ut ne publicis quidem spectaculis temperaret, quo minus & tragœdo pronuntianti concineret: & gestum histrionis quasi laudans, vel corrigens palam effingeret.* Salmas. in Vopisc. Aurelian. c. 6. Tertull. de Pall. p. 329. Gronov. in Liv. VII. 2. Voss. l. l. Pro personarum, quas sustineret, varietate varius fuit ornatus. Latini Reges cum lituo egrediebantur: Imperatores Romani paludati cum purpura, laurea, & stipatoribus suis: Reginæ cum syrmate, & croceo velo: exsules cum atro, fuscove indumento: barbari Reges cum diademate, aut tiara: cæteri, quos ducebant, cum pileolis, & galeris. Dii cum insignibus suis, Liber cum thyrso, Phœbus cum cithara, Jupiter cum fulgure, & telo trisulco. Quod ad pedes attinet, omnes gestare cothurnos. *Casal. ibid. c.* I. *Buleng. de Theatr.* I. 55. Baculum manu habebat. Suet. Ner. c. 24. I. *In quodam tragico actu cum elapsum baculum cito resumpsisset.* Hunc Græci ῥάβδον, & σκῆπτρον vocant. Unde ῥαβδῳδοὶ, & σιχῳδοὶ, quod inter cantandum lauri ramum, seu virgam tenebant. *Torrent. in Suetonium.* Incurvum fuisse litui forsitan in modum scribit Plutarch. περὶ παιδ: ἀγωγ. p. 2. D. *Et incurvos histrionum baculos in rectum reducere nulla vis possit.* Neronis tamen apud Suetonium potius fuerit sceptrum regium, quod personam Regis agens in tragœdia manu sustinuerit. Docet hoc Philostr. Apollon. V. 2. *Et Creontis, & Oedipi,* quos, quum hoc acciderit, saltaverit Nero, *facta, dictave examussim scire tanti æstimat, ut timeat, ne forte quid in porta, aut in stola, sceptrove deliquerit.* Baculum manu gestabat, sive ad concinnitatem aliquam motus, sive ad gesticulandum. *Fab. Agonist.* I. 23. *Buleng. de Theatr.* I. 55. *Lips. Elect.* I. 28. *Ferrar. Elect.* II. 5. *Casaub. & Pitisc. in Suetonium.* Primum fæcibus ora obducebat, ne agnosceretur: postea personas assumpsit. Quas quis invenerit, constare negat Aristoteles de Poet. c. 5. Aliqui

The-

Thespidi tribuunt, alii Æschylo, V. infr. in *Persona*. Alebantur etiam ab Imperatoribus ad instruendum suas, populique voluptates. Spartian. Adrian. c. 19. *Histriones aulicos publicavit*. id est, in publico, ut agerent, permisit, & publice spectandos dedit. *Lips. Saturn.* II. 16. *Casaub. & Salmas. in Spartianum.* Per initia unus fuit *histrio* tragicus, quem Thespis invenit, ut chorus aliquando quiesceret, cum enim nondum *histriones* essent, chorus ipse totam fabulam agebat. Mox Æschylus secundum adhibuit. Tertium addidit Sophocles, & scenæ descriptionem, quam Græci σκηνογραφίαν vocant: unde & a Græcis quibusdam τριταγωνίςη est vocitata. Et in hunc ferme modum consummabatur tragœdia. *Gyrald. de Comœd. Thes. Ant. Græc. Gronov. Tom.* VIII. *p.* 1484. *C. Bulenger. de Theatr.* I. 7. Conviviis adhibebantur. Suet. Aug. c. 74. n. 6. *Acroamata, & histriones, aut etiam triviales ex circo ludios interponebat.* Liv. XXXIX. 6. *Tunc psaltriæ, sambucistriæque, & convivalia ludorum oblectamenta addita epulis.* Buleng. de Conviv. III. 30. Pignor. de Serv. p. 183. Et ne quid ineptiarum intermitteretur, *histriones* in funeribus indictivis lectum mortui præcessisse invenio. Dionys. VII. p. 477. *In illustrium virorum funeribus præter alias pompas vidi & satyricos, qui lectulum præcedebant, & [illegible] saltationem saltabant, præcipue vero in fortunatorum [illegible] funeribus.* Morestell. Pomp. Feral. II. 18. Statuæ illis ponebantur. Festus: *Statua est ludii ejus, qui quondam fulmine ictus in circo sepultus est, in [illegible], cujus [illegible] postea ex prodigiis, oraculorumque responsis [illegible] relata in Volcanali, quod est [illegible], obrutaque, superque ea columna [illegible].* De histrione Mnesthere Dio LX. p. 67[illegible]. D. *[illegible] memoriam ægre ferentes omnes [illegible], quod ejus imaginem [illegible] jusserunt, id quidem factum, non tamen æs in meliorem usum conversum, quia Messalina ex eo Mnestheris histrionis statuas fecit.* Figrel. de Stat. Roman. c. 13. Plausum petebant, & si placuissent, auferebant. Horat. de Art. Poet. n. 155.

—— donec cantor, vos plaudite, dicat.

Quintil. VI. 1. *Tunc est commovendum theatrum, cum ventum est ad ipsum illud, quo veteres tragœdiæ, comœdiæque clauduntur plaudite.* Buleng. de Theatr. I. 59. Pitisc. in Suet. Aug. c. 100. n. 1. Si inepte agerent, aut parum probarentur, a populo non expectata judicum sententia exsibilabantur. Cicer. Parad. 3. *Histrio, si paullum se movit extra numerum, aut, si versus pronuntiatus est syllaba brevior, aut longior, exsibilatur, exploditur.* de Orat. III. 50. *Quotusquisque est, qui teneat artem numerorum ac modorum? At in his si paullum modo offensum est, ut aut contractione brevius fuerit, aut productione longius, theatra tota reclamant.* Scal. Poet. I. 21. Ferrar. de Acclamat. & Plaus. II. 16. Voss. de Institut. poet. II. 10. §. 5. Buleng. l. l. Sæpe sunt Romæ coerciti. Suet. Aug. c. 45. n. 9. *Coercitionem in histriones magistratibus in omni tempore, & loco, lege vetere permissam ademit, præterquam ludis, & scena.* Ademit etiam jus virgarum. Tacit. Hist. I. 77. 2. *Theatri licentia proximo priore anno cœpta gravius tum erupit.... Actum de ea seditione apud patres, dicebanturque sententiæ, ut prætoribus jus virgarum in histriones esset. Intercessit Haterius Agrippa tribunus plebis, increpitusque est Asinii Galli oratione, silente Tiberio, qui ea simulacra libertatis senatui præbebat. Valuit tamen intercessio, quia D. Augustus immunes verberum histriones quondam responderat, neque fas Tiberio infringere dicta ejus.* Quod tamen redditum magistratibus videtur esse lege Julia de vi publica: non quidem nominatim, sed prudentum interpretatione. V. Paull. Sentent. V. tit. 26. Exsilium & carcer certe relicta sunt ab Augusto. Tacit. Annal. IV. 14. 5. *Pulsi tum histriones Italia.* Et XIII. 28. 1. *In vincula ducti fautores histrionum.* Idem ergo juris in histriones ipsos. *Lips. in Tacit. Annal.* I. *n.* 261. *Casal. de Trag. & Com. c.* 2. *Voss. ibid. c.* 39. §. 5. 6. 7. *Buleng. ibid. c.* 52. Illorum mercedem V. infr. in *Merces.*

Histrio statarius erat, qui erat minus actuosus, & ad fabulas statarias; nam statariæ quædam dicebantur comœdiæ, & statarius dicebatur *histrio*, qui ad illas magis quam motorias accommodatus habebatur. Cicer. Brut. c. 30. *Sed eos etiam, quos statarios appellant.* Turneb. Adv. I. 10.

HOC.

HOC *age*. V. supr. in *Age*.

HOD.

HODIE *nate salve*, salutationis formula erat usitata inter amicos de feliciter transacto puerperio. Meliorum enim morum gentes de illo lætabantur, & patri gratulabantur. Gell. XII. 1. *Eamus, & puerperium visum, & patri gratulatum. Tum in primis ædibus complexus hominem, congratulatusque assedit.* Formula fere legitur apud Plaut. Pseud. I. 3. 15.

Hodie nate, heus! hodie nate, tibi ego dico, heus hodie nate.

Bartholin. de Pue per. p. 61.

HOL.

HOLCADES quales fuerint naves V. infr. in *Naves onerariæ*.

HOLOGRAPHUM quid sit, V. infr. in *Testamentum holographum*.

HOLOSERICA vestis erat tota ex serico, nulla alia materie. Primus Romanorum est illa usus Heliogabalus. Lamprid. c. 26. *Primus Romanorum holoserica veste [illegible], cum jam subserica in usu essent.* [illegible] de Re Vest. c. 5. [illegible] Rom. c. 4. Rho[illegible] Adv. [illegible] c. 106. n. 19. [illegible] II. 6. 18. Ejus pretium [illegible] ex Vopisc. Aurelian. c. 45. *[illegible] neque ipse in vestiario suo habuit, neque alteri utendam dedit. Et quum ab eo uxor sua peteret, ut unico pallio blatteo serico uteretur, ille respondit: absit ut auro fila pensentur. Libra enim auri tunc libra serici fuit.* Bayf. l. l. Ferrar. de Re Vest. I. I. 20.

HOLOVERA, sive *holoblatta* vestis erat [illegible] totus sericus, & totus conchyliatus: velut e capitibus illius tituli, in quo ejus mentio est, Cod. XI. tit. 8. conjicere licet. Nam illæ vestes [illegible] dicuntur ex brevitate, & compendio sermonis: cum purpuræ, aut serici, aut conchylii nomen subaudiendum sit. Zonaras & Balsamon interpretantur texta holoserica. *Turneb. Adv.* I. 13. *Cerda Adv. sacr. c.* 71. *n.* 1. *Panciroll. Notit. dignit. imp. orient. c.* 75. *Du Fresne Glossar.* Si *holovera* sunt tota ex serico texta vestimenta, quid fiet holosericis? aut quo tandem ea numero habebimus? an erit aliquod discrimen statuendum inter *holovera*, & *holoserica*? nullum tunc video posse statui, si sententiæ doctorum virorum stabimus: & tamen discrimen erat tantum, ut cum promiscuus usus esset holosericæ vestis, sola *holovera* vestimenta privatis interdicta, principi, ejusque domui dedicarentur. Interpretati sunt ἀπὸ τῶν βηρίων, aut βήρων. Induxit illos in hunc errorem Zonaras, qui βήρια σηρικὰ esse ὑφάσματα dixit. Magnus scilicet, & idoneus auctor, cui vel injurato debeat credi. *Holovera* igitur erant vestimenta tota ex purpura, quibus non alius admixtus serebatur color, sed solus verus, & purpureus. Quod verba ipsa legis Theodosianæ [illegible] ostendunt, ut nemini, quantumvis pertinaci contra mutire liceat. Ita enim habent: *Nec pallia, tunicasque domi quis serica contexat, aut faciat, quæ tincta conchylio nullius alterius permixtione subtexta sint: proferantur ex ædibus, tradanturque, aut pallia ex omni parte texturæ cruore infecta conchylii.* Quid potest dici manifestius? tunicæ, aut pallia ex omni parte texturæ cruore infecta conchylii sunt, quæ *holovera* eadem illa lege appellavit: id est, in quibus utraque pars texturæ, subtemen & trama scilicet, purpura tincta essent: quæ propterea dicta sunt *holovera*, id est, tota ex vero colore. Sic enim purpureum per quandam excellentiam vocabant, nomine ex Græco, & Latino composito. Et Græci ἀληθινὸν χρῶμα dixere pro purpureo, vel coccineo. Hesychius: Κιννάβαρι εἶδος χρώματος ἀληθινοῦ

νῦ, ὃ λέγομεν κόκκινον. *Salmaſ. in Pollion. Claud. c. 17. Tertull. de Pall. p. 96. Exerc. Pliman. p. 695. a. C. de Ann. Climact. p. 621. Demſter. Paralip. ad Roſin. Antiq. Roman.* v. 31.

HOM.

HOMICIDA ſui ſepultura plerumque prohibebatur. Quintil. Declam. IV. *Qui cauſas voluntariæ mortis in ſenatu non reddiderit, inſepultus abjiciatur.* Et vulgatum illud in ſcholis Rhetorum: *Homicida ſui inſepultus abjiciatur.* Atque ideo tanquam novum in Tiberii ſævitia notat Tacit. Annal. VI. 29. 2. *Promptas ejuſmodi mortes metus carnificis faciebat, & quia damnati, publicatis bonis, ſepultura prohibebantur: eorum, qui de ſe ſtatuebant, humabantur corpora, manebant teſtamenta, pretium feſtinandi.* De his capio verba Joſephi apud Hegeſipp. de Bell. Hieroſol. III. 17. *Hæc non ſolum moribus hominum, ſed etiam legibus interdicta accipimus. Namque alii inſepultos projici jubent eos, qui ſe in ferrum dejecerunt. Dignum eſt enim, ut qui patris imperium non expectaverunt, priventur quaſi quodam matris gremio, terræ ſepulcro. Alii dextram manum abſcindunt defunctis, ut ſeparent a membris ſui corporis, quod adverſus corpus ſuum veſano militavit furore.* Veteri quidem jure nullam pœnam fuiſſe conſtitutam in reos, qui ante latam ſententiam ſe interficerent, teſtatur exemplum C. Licinii Macri, qui repetundarum reus, dum ſententiæ diriberentur, in Mænianum conſcendit, & cum *M. Ciceronem, qui id judicium cogebat, prætextam ponentem vidiſſet, miſit ad eum qui diceret, ſe non damnatum, ſed reum periiſſe, nec ſua bona haſtæ poſſe ſubjici. Ac protinus ſudario, quod forte in manu habebat, ore, ac faucibus coartatis, incluſo ſpiritu pœnam morte præcurrit. Qua cognita re Cicero de eo nihil pronuntiavit,* ut ait Val. Max. IX. 12. Sub Imperatoribus vero horum omnis tam ex teſtamento, quam ab inteſtato ceſſabat ſucceſſio, & bona hæredibus erepta in fiſcum redigebantur. *Kirchm. de Fun. Rom. Append. c. 9. Guther. de Jur. man.* I. 9. V. etiam ſupr. in Αὐτόχειρες. & infr. in *Mors.*

HOMICIDII *pœna legis Corneliæ olim quidem in inſulam deportatio, & bonorum omnium ademptio erat: hodie humiliores beſtiis ſubjiciuntur, altiores deportantur in inſulam.* Marcian. l. 3. §. pen. ad l. Corn. de ſicar. *Hodie,* hoc eſt, non Alexandri ſolum, ſub quo Marcianus floruit: ſed etiam Severi & Antonini temporibus. Iis enim imperantibus Tertullianus vixit. Qui de ſpectac. c. 21. *Et qui inſigniori cuique homicidæ leonem poſcit. . . .* de anima c. 23. *Nam illa ſicarium variis, & exquiſitis etiam præter naturam eruditis feris diſſipant, & quidem viventem, imo nec facile morientem, curata mora finis ad plenitudinem pœnæ.* Iiſdem etiam in crucem tollebantur. Paull. Sent. V. 23. *In honeſtiores pœna capitis vindicari placuit, humiliores vero in crucem tolluntur, aut beſtiis objiciuntur.* Petron. c. 71. *Cum interim imperator provinciæ latrones juſſit crucibus affigi.* Rævard. Conject. I. 16. Ritterſh. ad Leg. XII. tab. Claſſ. II. c. 10. Fuſtuario etiam puniebantur. Hirt. de Bell. Alex. c. 27. *Miles, qui fratrem ſuum in caſtris jugulaſſet, interceptus eſt a noſtris, & fuſti percuſſus.* Sichterman. de Pœn. milit. c. 4.

HOMULUS cognomen Valeriorum fuit. Notat Glandorp. in Indice cognominum. Addo ego ex Inſcriptione Juliorum:

D. M
C. I. HOMUL. SAL. LAC. UX.
PIENTISS.

hoc eſt, *Dis manibus Cajus Julius Homulus Salviæ Laches,* ſeu *Lacheſis uxori pientiſſimæ.* Urſat. de Not. Roman. Theſ. Ant. Rom. Græv. Tom. XI. p. 607. C.

HON.

HONOR erat deus, *qui dabat honorem.* Auguſtin. de Civ. Dei IV. 24. Lactant. I. 20. *Ab hoc illud M. Marcelli de conſecratione Honoris, atque Virtutis, honeſtate nominum differt, re congruit.* Ego aliquando rogatus, quomodo effingerem deum *Honorem,* ita reſpondi: quod deam virtutem fingerem præcedere; & dein ad eam *Honorem* a Cupidine duci. Idque ex re ipſa elicui. Nihil enim aliud eſſe videtur *Honor,* quam quem ex virtute ipſa aſſequimur. Nam & vidimus *Honoris* ædem poſt Virtutis templa poni ſolere. Alciatus tamen in Fidei ſymbolo *Honorem* purpurea veſte depingit, laurea coronatum. Ita enim cecinit:

Stet depictus Honor, Tyrio velatus amictu.

Gyrald. Synt. deor. I. p. 34. C. Illi aperto capite ſacra faciebant. *An quod honor ſplendida eſt res, illuſtriſque & aperta: qua de cauſa etiam egregios, & honoratos viros capite retegendo venerantur: ideo numini quoque ejuſdem nominis hunc ritum exhibent?* Plutarch. Quæſt. Rom. 13. *Gyrald. ibid. p. 27. C. Alex. Gen.* II. 22. *Stuck. de Sacrif. p.* 103. *Tomaſ. de Donar. c. 5. Laurent. Var. ſacr. gentil. c. 10. Ortel. Deor. & dear. cap. 11. fig. 41.*

Honor eſt idem ac magiſtratus, præfectura, imperium, publicæ rei adminiſtratio. Lucan. II. 18.

—— latuit plebejo tectus amictu
Omnis honos.

hoc eſt, qui erant in magiſtratu. *Si intervenerit honor* l. 3. ff. mandati, & *honoris cauſa* l. nuper de donat. inter vir. & ux. Hinc *honorati,* qui in magiſtratu, ἐν ἀρχῇ, aut ordinis dignitate, vel qui geſſerunt *honores.* Titulus eſt Cod. XI. de *Honoratorum* vehiculis: quo ſenſu *Honorati* in l. honorati 1. C. de offic. jud. civ. & *honoratis viris* l. 3. C. de offic. diverſ. jud. Adde Valentin. novell. de *Honoratis.* Inſcr. Gruter. p. 279. n. 3. *Honorati & decuriones.* Ubi *honoratos* accipio pro duumviris, aut alio ſummate magiſtratu in municipio; quatenus diverſi ſunt a decurionibus. Neque enim ſemper *honorati* ſimpliciter ſunt ipſi decuriones, ut voluit Panciroll. de Munic. magiſtr. c. 1. Ovid. Faſt. I. 52.

Verbaque honoratus libera prætor habet.

Chimentell. de Hon. biſell. c. 33. Manut. de Senat. Rom. c. 3. Illorum duo ſunt genera. I. quod in rebus divinis cernitur. II. quod in humanis. Eo ſacerdotia continentur; hoc magiſtratus, & imperia. Hæc decora, atque inſignia dignitatis nemo, niſi civis Romanus, aſſequi potuit, uſque adeo, ut qui furtim hoc eſſent adepti, ii re comperta *honorum* gradum cum toto civitatis honore lege Papia amiſerint. Id quod M. Perpernæ contigiſſe notavit his verbis Valer. Max. III. 4. §. 5. *Non parvus conſulatus rubor M. Perperna, utpote qui conſul antequam civis. . . . cum interim cujus vita triumphavit, mors Papia lege damnata eſt. Namque patrem ejus nihil ad ſe pertinentia civis Romani jura complexum, Sabelli judicio petitum, redire in priſtinas ſedes coegerunt. Ita M. Perpernæ nomen adumbratum, falſus conſulatus, caliginis ſimile imperium, aliena in Urbe improbe peregrinatus eſt.* Sigon. de Ant. jur. civ. Rom. I. 18.

Honor eſt magiſtratus, aut publici muneris ſpecies quædam, atque imago. Hinc *honorarii tituli dignitatum nullo laborioſo adminiſtrationis actu,* ut loquitur Imperator l. 187. C. de decurion. & *præfectura dignitas honoraria* Juliano Nov. 70. Et Tacit. Hiſt. II. 39. 1. *Honor imperii penes Titianum fratrem: jus, ac poteſtas penes Proculum præfectum.* Chimentell. de Hon. biſell. c. 33.

Honor eſt munuſculum, præmium, merces, donum. Lucill. XXX. apud Non. IV. 231.

Virginis hoc pretium, atque hunc reddamus honorem.

Cicer. Fam. XVI. 9. *Curio miſi, ut medico honos haberetur.* Dixerat Epiſt. 6. *Medico ipſi puto aliquid dandum eſſe, quo ſit ſtudioſior.* Inde *honorare* eſt donare. Suet. Aug. c. 45. n. 4. *Quo non pro merito certantium quemque honoraverit.* Macrob. Sat. II. 3. *Laberius in fine ludorum annulo aureo honoratus a Cæſare.* Ita apud Græcos & τιμὴ 1. Tim. c. 5. n. 17. & τιμᾶν Matth. c. 15. n. 5. ſi illi contuleris Marc. c. 7. n. 12. Contra *inhonoratus,* qui ſine dono. Ovid. Met. XIII. 41.

Nos inhonorati, & donis patruelibus orbi.

Chimentell. de Hon. bisell. c. 33.

Honor est ornamentum quodlibet, & existimatio ad laudem. Ovid. Fast. I. 619.

—— matres carpenta vehebant:
Mox honor eripitur.

Flor. IV. 11. *Omnes in unum principem congesti honores: templa, imagines. . . .* Cicer. Attic. V. 21. *Nullos honores mihi, nisi verborum decerni sino: statuas, fana, τέθριππα prohibeo.* Inde Inscriptiones: *Honore accepto, & Honore contentus.* E diverso *inhonoratus* apud Suet. Claud. c. 11. n. 8. *Ne Marcum quidem Antonium inhonoratum transmisit.* Chimentell. de Hon. bisell. c. 33. Pitisc. in Suetonium.

Honor dicebatur sacrificium. Plaut. Aul. prol. n. 23.

—— ea mihi quotidie
Aut thure, aut vino, aut aliquo semper supplicat,
Dat mihi coronas; hujus honoris gratia. . . .

Hinc *perfectus honor* est peractum sacrificium. Virg. Æneid. III. 177.

—— munera libo
Intemerata focis, perfecto latus honore
Anchisen facio certum.

Guther. de Vet. jur. pontif. IV. 7.

HONORARIUM dicitur dominii recognitio, & relevamentum, symbola quædam annua, ut fruges præcoces, armati homines, cataphracti, lanceæ, corollæ, & alia infinita, quæ ad constitutum diem domino a vasallo repræsentari debent, nisi pretio redimantur. *Pollet. For. Rom.* II. 10.

Honorarium vocatur advocatis quod datur hostimentum operæ oratoriæ, non merces, aut salarium, quasi quodam antidoro beneficium compensetur, non de opera satisfiat, sed *honor* recognoscatur. Itaque qui ante peractam litem quid petunt, committunt in leges, aut etiam paciscuntur de eo, quod post sententiam sunt consequuturi. Amittitur enim *honorarii* nomen, & transit in mercedem pactam, vel debitam. Quis enim hoc appellet *honorarium*, quod imperatum, & stipulatum est ab eo, qui accepturus est? *Honorarii* ea vis est, ut animo dantis æstimetur. Ulpian. l. 1. ff. de extraord. cognit. eleganter. *Si cui cautum est honorarium, vel, si quis de lite pactus est, videamus an petere possit. Et quidem de pactis ita est rescriptum ab Imperatore nostro, & divo patre ejus: Litis causa malo more pecuniam tibi promissam ipse quoque profiteris: sed hoc ita jus est, si suspensa lite societatem futuri emolumenti cautio pollicetur: si vero post causam actam cauta est, honoraria summa peti poterit usque ad probabilem quantitatem, etsi nomine palmarii cautum sit, sic tamen, ut computetur id, quod datum est cum eo, quod debetur, ne utrumque compositum licitam quantitatem excedat. Licita autem quantitas intelligitur pro singulis causis usque ad centum aureos.* Plin. Epist. V. 21. 3. *Proposuerat breve edictum; admonebat accusatores, admonebat reos, exsequuturum se, quæ SCto continerentur. Suberat edicto SCtum: hoc omnes, quicquid negotii haberent, jurare prius, quam agerent, jubebantur, nihil se ob advocationem cuiquam dedisse, promisisse, cavisse. His enim verbis, ac mille præterea, & venire advocationes, & emi vetabantur. Peractis tamen negotiis, permittebantur pecuniam duntaxat decem millium dare.* Pollet. For. Rom. II. 11. Alciat. Dispunct. III. 9. Tiraquell. de Nobilit. c. 29. Bud. de Asse V. p. 659.

Honorarium decurionatus dicebatur, quod aliis curialibus pro introitu dabant, qui fiebant decuriones. Trajanus apud Plin. Epist. 114. *Honorarium decurionatus omnes, qui in quaque civitate Bithyniæ decuriones fiunt, inferre debeant nec ne, in universum a me non potest statui.* Quantum hoc fuerit, narrat Plin. Epist. 113. *Lex Pompeja, domine, qua Bithyni, & Pontici utuntur, eos qui in bulen a censoribus leguntur, dare pecuniam non jubet: sed ii, quos indulgentia tua quibusdam civitatibus super legitimum numerum adjicere permisit, & singula millia denariorum, & bina intulerunt.* Pancirol. de Magistr. municip. c. 3. Pollet. For. Rom. V. 11.

HONORIUS nobilissimus in purpuris natus est die quinto Idus Septembris Ricomere & Clearcho coss. anno post natum D. Jesum 384. *Fast. Idat. Thes. Ant. Rom. Græv. Tom.* XI. *p.* 265. *E. Prosp. Chron. Thes. Græv. ibid. p.* 311. *F.* Romam cum triumpho ingreditur, præeunte currum ejus Attalo, quem Liparæ vivere jussit exsulem. Honorio XI. & Constantio II. coss. *Prosp. Chron. Thes. ibid. p.* 315. *A.* Legem cum Arcadio de aqua Claudia edidit, quæ est XI. lib. XV. tit. 2. in Cod. Theodos. & fortasse cum Theodosio II. aliquid in aqua Marcia operatus fuit. *Fabret. de Aquæd. Dissert.* II. *Thes. Ant. Rom. Græv.* IV. *p.* 1735. *E.* Urbis muros refecit, ut liquet e Claud. Honorii consulatu VI. & ex Inscriptionibus. *Nardin. Rom. Vet.* I. 8. Maridiano, & Asclepiodoto coss. est mortuus. *Prosp. ibid. F.* Ejus corpus, auctore Paullo Diacono, juxta Petri Apostoli atrium in Mausoleo sepultum est. Huic soboles nulla fuit. Nam duæ Stilichonis filiæ, Maria & Hermantia, una post alteram ei conjugio sociatæ utræque Dei judicio inopinata morte præventæ ex hac luce virgines migravere. *Marlian. Topogr. Urb. Rom.* V. 21. Hoc manifestum est mendacium, dicat, quicquid velit, Paullus Diaconus. Utriusque enim concubitum apertissime demonstrat Claud. in Epithal. Honor. & Mar. n. 339.

Aurea sic videat similes Hermantia tædas:
Sic uterus crescat Mariæ: sic natus in ostro
Parvus Honoriades genibus considat avitis.

Ursin. in Marlianum.

HOP.

HOPLOMACHUS est Græcum nomen. Universe sonat quemvis gladiatorem, qui pugnat armatus. Et vix aliter Dio Cassius, quum ὁπλομάχυς, & ὁπλομαχίαν scripsit, ubi magis trite dixeris μονομάχυς, & μονομαχίαν. Tamen etiam species est certa gladiatorum. Senec. Controv. III. *Quidam cum hoplomachis, quidam cum Threcibus optime pugnant.* Suet. Cal. c. 35. n. 5. *Hunc e spectaculis detractum repente Threci, & mox hoplomacho comparavit.* In utrumvis valet Mart. VIII. 74. 1.

Hoplomachus nunc es, fueras ophthalmicus ante,
Fecisti medicus, quod facis hoplomachus.

Idem forte qui Samnis. V. infr. in *Samnites.* Lips. Sat. II. 11. Mod. de Lud. II. 21. Rader. in Martialem. Casal. de Urb. ac Imper. Roman. splendor. part. 3. c. 4. Laurent. Polym. IV. 9. Thys. de Gladiat. p. 226. Lyd. Agonist. sacr. c. 10.

HOR.

HORA fuit juventutis dea. Ennius Annal. I. apud Non. II. 394.

Te Quirine pater veneror, Horamque Quirini.

Ovidius Hersiliam Romuli conjugem post amissum maritum a Junone in *Horam* mutatam scribit, atque canit Met. XIV. 851.

—— & priscum pariter cum corpore nomen
Mutat, Horamque vocat: quæ nunc dea juncta Quirino est.

Hanc nonnulli eandem volunt esse, quæ Horta. *Struv. Ant. Rom. c.* I. *p.* 172. *Stuck. de Sacrif. p.* 27. *Tomas. de Donar. c.* II. *Tiraquell. in Alex.* III. 22. *Viola de vet. & nov. Rom. temp. rat. Thes. Ant. Rom. Græv. Tom.* VIII. *p.* 181. *D. Columm. in Ennium p.* 43.

Horæ Romæ trecentis annis ignoratæ fuerunt. Censor. de Die nat. c. 23. *Horarum nomen non minus annos trecentos Romæ ignoratum esse credibile est: nam in* XII. *tabulis nusquam nominatas horas invenias, ut in aliis postea legibus.* Plin. VII. 60. *Tertius consensus fuit in horarum. Serius hoc Romæ contigit. Duodecim tabulis ortus tantum & occasus nominantur.* Stewech. in Veget. III. 2. Gyrald. de Ann. & mens. Oper. Tom. II. p. 817. G. Salmuth in Panciroll. de Reb. deperd. & inv. p. 749. Putabantur Jovis & Themidis filiæ, dictæ *Eunomia* ab æquali distributione, *Dice* a justitia, *Ire-*

ne a pace. *Gyrald. ibid. p.* 816. *C. Barth. Adv.* LIX. 6. Inventæ a Trifmegifto. Mar. Victorin. in Cicer. Rhetor. I. p. 151. *Horarum duodecim hæc esse origo memoratur. Quodam tempore Hermes Trismegistus, cum esset in Ægypto, sacrum quoddam animal Serapi dedicatum, quod in toto die duodecies urinam fecisset, pari semper interposito tempore, per duodecim horas diem divisum esse conjecit: & exinde hic horarum numerus custoditur.* Quod animal Cynocephalum fuisse fcribit Horus Apollo Hierogl. c. 15. *Rursum æquinoctia signantes Cynocephalum sedentem pingunt* Ægyptii. *Duobus enim anni æquinoctiis, duodecies in die per singulas nimirum horas urinam reddit, idemque & noctu facit. Unde non immerito suis hydrologiis Ægyptii Cynocephalum sedentem insculpunt: e cujus membro aqua defluat; idque propterea, quod duodecim, ut jam dixi, in quas æquinoctii tempore dies ac noctes ex æquo dividuntur, horas significat.* Sed ridicula prorfus hæc eft *horarum* origo. Verior omnibus videbitur de aqua clepfydram duodecies de die perlabente, quæ apud Victorinum ibidem legitur. *Alii dicunt ex quadratura cœli, quæ secundum musicam rationem in duodecim partes dicitur esse divisa, horas duodecim esse nominatas. Aquam enim per totum diem exceperunt tenuissima caverna defluentem, & hanc majores nostri in duodecim partes diviserunt: ex his partibus horis numerum imposuerunt.* Pier. Hierogl. VI. 4. Barth. l. l. Gyrald. ibid. E. Viola de vet. & nov. Roman. temp. rat. Thef. Ant. Rom. Græv. Tom. VIII. p. 182. A. Pinell. Additam. ad Panvin. de Lud. Circenf. I. 17. Stuck. de Sacrif. p. 27. Haguelon. Kalend. Triling. Thef. Ant. Græc. Gronov. Tom. IX. p. 1039. C. Alciat. de verb. fignif. p. 99. Credebantur Solis miniftræ. Val. Flacc. IV. 92.

— Sol auricomus cingentibus horis
Multifidum jubar, & bisseno sidere textam
Loricam induitur.

Ejus veftifpices, atque ornatrices. Stat. Theb. III. 407.

Solverat Hesperii devexo margine ponti
Flagrantes Sol pronus equos, rutilamque lavabat
Oceani sub fonte comam, cui turba profundi
Nereos, & rapidis accurrunt passibus Horæ,
Frenaque, & auratæ textum sublime coronæ
Deripiunt; laxant roseis humentia loris
Pectora; pars meritos vertunt ad molle jugales
Gramen, & erecto currum temone supinant.

Barth. ibid. XXVIII. 18: XXXIV. 14. Florum præfides. Unde πολυάνθεμοι dicebantur. Pindar. Olymp. XIII. 21.

— multas vero in
Corda hominum immiserunt
Horæ multum floridæ anti-
quas artes.

Et lectum nuptis parare, id eft, tapetibus, & floribus fternere. Theocritus, cum de Europa Agenoris filia ab Jove rapta Eidyll. XIX. 159.

— Jupiter rursus aliam assumebat formam
Solvitque ei zonam: & illi lectum parabant Horæ.

Barth. ibid. XXXIV. 14. Tomaf. de Donar. c. 13. Cœli janitrices, & cuftodes. Homer. Iliad. E. 749.

Portæque cœli ultroneæ apertæ sunt, quas custodiebant Horæ.

Ovid. Faft. I. 125.

Præsideo foribus cœli cum mitibus horis.

Viola l. l. Barth. ibid. LIX. 6. Gyrald. Synt. deor. XIII. p 418. D. Pigh. Them. Thef. Gronov. ibid. p. 1168. D. Stuck. ibid. p. 28. Jun. de Ann. & menf. c. 3. Duodecim diem, & totidem noctem conficiebant. Prima diei, cum primum diefceret, vocabatur: duodecima extremum diei tempus. Par *horarum* noctis ratio, quo numero cum dies, & nox circumfcriberetur, pro quoque anni tempore, ac dierum, noctiumque productione, atque contractione longiores quoque, ac breviores diverfis temporibus fuerunt. *Stat. Observ.* I. 9. *Calcagn. de Verb. signif. p.* 339. Hinc Mart. XII. 1. 4.

Hora nec æstiva est, nec tibi tota perit.

ubi productam horam vult intelligi. Rurfus Plaut. Pfeud. V. 2. 10. cum Simo dixiffet:

Credo equidem potesse te, scelus, Massici montis uberrimos quatuor
Fructus ebibere in una hora.

Pfeudolus protinus fubjicit: *hiberna addito*, brevem admodum volens fignificare. *Calcagn. ibid. p.* 40. *Laurent. de Ann. & mens. c.* 2. Qua ratione Romani fuas *horas* fuerint difpertiti, docet Mart. IV. 8.

Prima salutantes, atque altera continet hora,
Exercet raucos tertia causidicos.
In quintam varios extendit Roma labores,
Sexta quies lassis, septima finis erit.
Sufficit in nonam nitidis octava palæstris,
Imperat exstructos frangere nona toros.
Hora libellorum decima est Eupheme meorum,
Temperat ambrosias cum tua cura dapes.

Struv. Ant. Rom. c. 8. p. 361. Mercur. Gymnaft. IV. 6. Calcagn. Alciat. & Stat. l. l. Matutinæ erant meliores reliquis. Virg. Æneid. IX. 156.

Nunc adeo, quoniam melior pars acta diei.

Siquidem poftquam fomnus domitor curarum demulfit pectora, mane fub galli cantum, quam animus integrior, corpus validius, nullo labore defatigatum, ingenium vegetius, nullis curis exagitatum. Hinc matutina frons gravis, prudens, fevera. Mart. XIII. 2. 10.

Et matutina si mihi fronte venis.

Plaut. Perf. I. 3. 34.

— mane quod tu occœperis
Negotium agere, id totum procedit diem.

Et facræ antiquis habitæ: & ἱερὸν ἦμαρ dicitur a Plutarcho ὁ πρωΐ. Ideoque tunc diis cœlitibus facrificabant. Virg. Æneid. VI. 59.

Surge, age, nate dea; primisque cadentibus astris
Junoni fer rite preces.

Laurent. ibid. c. 3. Cerda in Æneid. IX. 156. Et falutationibus matutinis adeffe, & templis affidere deos veteres cenfebant, ut vere Apollonius Thyaneus fcriptum reliquerit, *primo mane cum diis esse versandum.* Tomaf. de Donar. c. 5. Illifque docebantur pueri. Aufon. Eidyll. IV. 28.

Nec matutinis agitet formido sub horis.

Mart. IX. 30. 7.

Nec matutini cirrata caterva magistri.

Barth. ibid. III. 18. *Horas* obfervabant, & indicabant pueri. Docent hoc poetæ. Juven. Sat. X. 215.

— clamore opus est, ut sentiat auris,
Quem dicat venisse puer, quot nuntiet horas.

Mart. VIII. 68. 1. V. illum infr. in *Hora causidicorum.* Docent hoc hiftorici. Plin. VII. 53. *Cn. Bebius Tamphilus prætura & ipse functus, cum a puero quæsisset horas.* Suet. Dom. c. 16. n. 4. *Tunc horas perquirenti, pro quinta, quam metuebat, sexta ex industria nuntiata est.* Salmaf. Exercit. Plin. p. 447. a. G. Laurent. ibid. c. 2. Grang. in Juvenalem, Herald. & Rader. in Martialem. Struv. ibid. p. 367. Pitifc. in Suetonium. Sereno tempore prætor, fi inter roftra, & Græcoftafin, quæ roftris vicina erat, profpexiffet Solem, accenfum exclamare jubebat meridiem. Ex umbra enim, radiifque folis, prout certa loca attingerent, meridiem, aliafque diei partes capiebant Romani; non fecus ac ruftici noftri folent. Varr. de Ling. Lat. V. §. 9. & Plin. VII. 60. V. illos fupr. in *Accensus.* Struv. ibid. p. 364. Lindenbr. in Cenfor. l. l. Calcagn. Epift. Quæft. II. Illas interdum tintinnabulo indicabant. Mart. XIV. 163. 1.

Redde pilam, sonat æs thermarum, ludere pergis?
Virgine vis sola lotus abire domum.

Laurent. l. l.

Horæ anni quatuor tempora, ver, æftas, autumnus, &

hyems vocantur. Macrob. Sat. I. 21. *Et quatuor tempora, quibus annuus orbis impletur, horæ vocantur.* Censor. de Die Nat. c. 19. *Sunt qui tradant, hunc annum trimestrem Horum instituisse; eoque ver, æstatem, autumnum, hyemem ὥρας, & annum ὧρον dici, & Græcos annales ὥρους, eorumque scriptores ὡρογράφους.* *Putean. Reliq. conv. prisc. Thes. Ant. Rom. Græv. Tom.* XII. *p.* 249. *E. Viola de Ant. & nov. Rom. temp. rat. Thes. Ant. Rom. Græv. Tom.* VIII. *p.* 181. *C. Stuck. de Sacrif. p.* 28. *Gyrald. Synt. deor.* XIII. *p.* 418. *D.*

Horæ æquales, sive æquinoctiales, & naturales sunt, quæ semper eædem sunt, ubique pro loco, cœlique regione certæ ac statæ. Bis in anno contingunt, nempe æquinoctio verno, & autumnali: quibus temporibus dies æquales sunt noctibus. *Stat. Observ.* I. 9. *Lalamant. de Temp. Thes. Ant. Græc. Gronov. Tom.* IX. *p.* 1048. *C. Gyrald. de Ann. & mens. p.* 817. *A. Calcagn. de verb. signif. p.* 332. *Viola de Ant. & nov. Rom. temp. rat. Thes. Ant. Rom. Græv. Tom.* VIII. *p.* 181. *D.*

Horæ inæquales, quæ & artificiales, civiles, & temporariæ dicuntur, potissimum fiunt circa sostitium & brumam. Nam cum circa solstitium æstivum dies sint longiores noctibus, fit, ut *horæ* etiam nocturnis sint longiores: tunc enim dies habet *horas* sedecim, nox octo. In bruma contra fit: nam cum tunc noctes sint longiores diebus, *horæ* etiam nocturnæ diurnis sunt longiores, ut nox sedecim horas, dies tantum octo habeat, æquales tamen inter se. *Lalamant. de Temp. Thes. Ant. Græcar. Gronov. Tom.* IX. *p.* 1048. *D. Viola de Ant. & nov. Rom. temp. rat. Thes Ant. Rom. Græv. Tom.* VIII. *p.* 181. *C. Gyrald. de Ann. & mens.* 817. *E. Alciat. de Verb. signif. p.* 99. *Gassend. Kalen. Roman. proœm. Putean. de Nundin. Rom. c.* 25. *Laurent. de Ann. & mens. c.* 2. *Calcagn. Epist. Quæst.* II. *de Verb. signif. p.* 339. *Bargæus de Obelisc. Thes. Ant. Rom. Græv. Tom.* IV. *p.* 1922. *D.*

Horæ planetariæ vocantur *horæ* planetarum, sive errantium stellarum, quoniam singuli planetæ singulis *horis* dominari, & præesse ab astrologis dicuntur, & mortalia, ut ajunt, disponere. *Gyrald. de Ann. & mens. p.* 817. *F. Stuck. de Sacrif. p.* 27.

Hora actori, & reo a prætore, aut alio judicii præside præscribebatur, & illud *horarum* præscriptum lex vocabatur. Plin, Epist. IV. 9. 9. *Nam quum ex lege accusator sex horas, novem reus accepisset: ita diviserat tempus reus inter me, & eum, qui dicturus post erat, ut ego quinque horis, ille reliquis uteretur.* Cicer. Verr. I. 9. *Hic tu fortasse eris diligens, ne quam ego horam de meis legitimis horis remittam, nisi omni tempore, quod mihi concessum est, abusus ero, queretur, deûm atque hominum fidem implorabis, circumveniri C. Verrem, quod accusator nolit tamdiu, quam licet dicere: quod mihi mea lex cum det, eo uti mihi non licebit?* Observavi ita comparatas fere ejusmodi leges temporum præstitutorum, ut reus sesquialteras haberet *horas* ad accusatorem, ut, si accusatori sex darentur, reo novem, id est, tantundem, dimidio plus, ut causa, quam egit Plinius. Item in causa Milonis accusator duas, reus tres, id est, sesquialteram habuit, naturalis enim favor pro laborantibus. Quanquam in causa Rabirii conqueratur se in semihoram coactum. *Pollet. For. Rom.* I. 11. *Alex. Gen.* IV. 11.

Hora, agi cum populo qua posset, omnis erat intra ortum solis, & occasum, reliquis non licebat. Ante primam enim horam, id est, ante lucem, ante auroram, nihil agi licuisse cum populo ait Dio XXXIX. p. 120. C. V. illum supr. in *Comitia tributa.* Quod si non ante primam, sequitur, ut nec post extremam, id est, eam, quæ diem claudit, agi cum populo licuerit: siquidem nec vespertina Scta rata fuisse, neque prætori urbano jus dicere post solis occasum licuisse, traditum est a Cicer. Phil. II. & a Censor. de die natali c. 24. *Manut. de Leg. c.* 40. *Zamosc. de Senat.* II. 7.

Hora, balneo assignata, erat octava æstate, nona hyeme. Plin. Epist. III. 1. V. illum supr. in *Balneum.* Ursin. Append. ad Ciaccon. de Triclin. p. 129. & 171. Stuck. Ant. Conviv. II. 25. Butius de Pot. ant. c. 3. Demster. Paralip. ad Rosin. Antiq. Roman. I. 14. Indicabatur sonitu tintinnabulorum, ære factitio conflatorum, in thermis summo quopiam fastigio positorum, sicuti hodie sacrorum. Martialis supr. in *Hora* laudatus. Qui illic indicat, elapsa communi *hora* lavandi, frigescere thermas, ac sola frigida fore lavandum, & virgine frigida. *Baccius de Therm. vet. c.* 12. *Stuck. l. l.*

Hora causidicorum erat tertia a Solis ortu, nisi ex gravi aliqua causa extra ordinem cognosceretur. Martialis. V. illum supr. in *Hora.* Nona a meridie, tertia scilicet post partum, ut mane post Solis exortum. Cicer. Verr. Procem. c. 10. *Nonæ hodie sunt Sextiles, hora nona convenire cœpistis.* Tamen legitur apud Plutarch. Cat. Utic. p. 780. D. ut paradoxon, M. Catonem post prandium, & vinum causas cognovisse, quasi id extra ordinem foret. Litibus a tertia ad sextam operam datam significat Mart. VIII. 67. 1.

Horas quinque puer nondum tibi nuntiat, & tu
Jam conviva mihi Cæciliane venis:
Cum modo distulerim raucæ vadimonia chartæ.

Significat enim dimitti forenses ante *horam* prandii, & vocatum ad prandium Cæcilianum venisse ante *horam*, & dum adhuc litigaretur in foro. *Pollet. For. Rom.* I. 10. Prætor diebus fastis, summo mane in comitium, sive forum veniebat, atque in tribunali sella posita assidebat, & accenso, ut horam tertiam populo circumstanti inclamaret, imperabat. Varro supr. in *Hora* laudatus. Tertia inclamata, tum per accensum populum eundem rogabat, num quis esset, qui apud se lege agere vellet. *Sigon. de Judic.* I. 9.

Hora cœnæ erat, quæ consequebatur lavationem. V. supr. in *Cœna.*

Hora jentaculi erat tertia. *Buleng. de Conviv.* I. 23. *Laurent. de Conviv. c.* 6. V. supr. in *Jentaculum.*

Hora prandii non fuit eadem omnibus olim gentibus. Olim Romæ sero vespere ab agris redeuntes cœnam, quod idem prandium fuit capiebant. Ætate Ciceronis sub *horam* nonam, aut decimam: ætate Ausonii sub *horam* quintam, ut & nos hodieque. Galenus de Telepho Grammatico: *Quibus diebus non lavabatur, tertia hora ungebatur, & leviter terebatur, tergebaturque, deinde postea alicam in aqua coctam crudo melle pulcerrimo admisto edebat, quod ei tum satis erat. Ita & prandebat hora septima, aut aliquanto citius.* Buleng. de conviv. I. 23. Laurent. de Conviv. c. 6. V. infr. in *Prandium.*

HORATIA gens. V. illam supr. in *Gens.*

Horatia pila. V. illam infr. in *Pila.*

Horatia tribus. V. illam infr. in *Tribus.*

HORATIANA tabula. V. illam infr. in *Tabula.*

HORATIUS Barbatus. V. illum supr. in *Barbatus.*

Horatius Cocles. V. illum supr. in *Cocles.*

Horatius Pulvillus. V. illum infr. in *Pulvillus.*

HORDEARII gladiatores. V. illos supr. in *Gladiatores.*

HORDEARIUM vocabatur, quod equiti pro *hordeo* ad alendum equum dabatur. Festus: *Hordearium æs, quod pro hordeo equiti Romano dabatur.* Muret. Var. Lect. XII. 5. Balduin. de Calc. c. 21.

HORDEUM primum Eleusine inventum fuit. Phurnutus: *Molæ dicuntur, grana hordei. Eleusis vero locus, ubi primum repertæ sunt.* In agone enim gymnico, qui habebatur Eleusine, victoribus dabatur præmium. Schol. Pindar. Olymp. IX. 150. *Celebratur illic agon Proserpinæ & Cereris, qui vocatur Eleusinia; cujus præmium erat mensura hordei.* Huc fortasse re[illegible] XVIII. 7. V. illum supr. in *Gladiatores hordearii.* Meurs. Eleus. c. 28. *Optimum esse candidum, & purum; sed minus quam triticum alere* scribit Dioscor. II. 108. *Buleng. de Conviv.* II. 58. Apud veteres Romanos dabatur equis. Plaut. Asin. III. 3. 116.

Demam tibi de hordeo, ni tolutim badizas.

Et *hordearius missus*, quod quadrigis pro præmio *hordeum* dabatur. Græci quoque *hordeum* ad pabulum equorum habebant: unde κριθῶντα πῶλον vocant. *Salmas. Exerc. Plin. p.* 274. *b. A. Hering. de Molendin. q.* 2. §. 23. Et ignominiæ pro tritico militibus. Polyb. VI. 36. *Reliquis hordeum*

pro tritico admetiens, extra castra, & munitionem castrorum tendere eos jubet. Atque ita cum periculum, & metus fortis ex aquo omnibus impendeat; nemo enim scit, in quem sit casura: exemplum autem vescendi ex hordeo in omnes pariter edatur: hoc instituto quam maxime poterat fieri, consultum est utrique rei: ut & terror injiceretur, & acceptum detrimentum sarciretur. Plutarch. Marcell. p. 313. C. *Concione dimissa, cohortibus, quæ terga dederant, jussit pro tritico hordeum dari.* Suet. Aug. c. 24. n. 5. *Cohortes, si quæ cessissent loco, decimatas hordeo pavit.* Valde ignominiosum hoc erat. Communi enim militum cibo videbantur indigni, rejecti ad jumentorum cibum. Plin. l. l. *Panem ex hordeo antiquis usitatum vita damnavit, quadrupedumque tradidit refectibus.* Lipf. de Milit. Rom. v. 18. Laz. Comm. Reip. Rom. iv. 8. Patric. Rei milit. Rom. Part. xi. Sect 7. Potter. Archæol. Græc. iv. 18. Faber. Semest. i. 17. Stewech. in Veget. i. 13. Hering. l. l. Robortell. de Pœn. milit. Thes. Antiq. Rom. Græv. Tom. x. p. 1484. B. Lyd. de Re milit. vi. 6. Nonn. de Re cibar. i. 7. Mercur. Gymnast. i. 3. Sigon. de Ant. jur. civ. Rom. i. 15. Pitisc. in Suetonium.

HORIA *est navicula piscatoria.* Plaut. Rud. iv. 2. 5.

Salute horiæ, quæ in mari fluctuoso. . . .

iv. 3. 81.

Mea opera, labore, & rete, & horia.

Non. xiii. 3. Unde Gell. x. 25. *horiolam* vocavit in scapharum numero. Fulgent. Expos. serm. ant. §. 15. *Horiam dicunt navicellam modicam piscatoriam. Plaut. Cacist.*

Malo hunc alligari ad oriam,
Ut semper piscetur, etsi sit tempestas maxima.

Gyrald. de Navig. c. 18. Palmer. Spicil. i.

HOROLOGIARIUM dicitur turris, vel quodibet eminens cum *horologio. Horologiarii* mentio est in inscriptionibus a Grutero collectis p. 6. n. 6.

I. O. M. ET
JUNONI REGIN
PRO. SAL. IMP. M. AUR. ANTONINI
ET. JULIÆ. AUG. MATRIS. AUG.
M. ULP. MUCIANUS. MIL. LEG. XIII. GEM.
HOROLOGIAR. TEMPLUM. A. SOLO.
DE. SUO. EX. VOTIS. FECIT

Ursat. de Not. Rom. Thes. Antiq. Roman. Græv. Tom. xi. *p.* 749. *D.*

HOROLOGIUM invenit Anaximenes Milesius. Plin. ii. 76. V. illum supr. in *Gnomon.* Laurent. de Ann. & mens. c. 2. *Horum antiquissimum Romæ quod fuerit, inventu difficile est. Alii enim apud ædem Quirini primum statutum dicunt, alii in Capitolio, nonnulli ad ædem Dianæ in Aventino.* Censor. de Die nat. c. 22. Qui significat, in tribus illis editioribus Urbis locis singula solaria fuisse posita, intervallis *horarum* ostendendis. Fabius quidam Vestalis apud Plin. vii. 60. *L. Papirium Cursorem primum horologium solare Romanis statuisse prodidit ad ædem Quirini, cum eandem dedicaret a patre suo votam ante duodecim annos, quam cum Pyrrho bellatum est.* Sed M. Varro apud eundem *primum statutum in publico, secundum rostra, in columna tradit, bello Punico primo, a M. Valerio Messalla consule, Catana capta in Sicilia, deportatum inde post triginta annos, quam de Papiriano horologio traditur anno Urbis* 477. Illud autem *ad Siciliæ clima descriptum cum ad horas Romæ non conveniret, Q. Marcius Philippus censor, aliud diligentius ordinatum juxta constituit; idque munus inter censoria opera, gratissime acceptum est.* Incidit censuta Q. Marci Philippi anno ab U. C. 589. collega L. Æmilio L. F. M. N. Paullo. *Rycq. de Capitol. c.* 39. *Salmas. Exerc. Plin. p.* 457. *b. D. Pollet. For. Rom.* i. 9. *Borrich. Ant. Urb. fac. c.* 8. §. 2. *Nardin. Rom. Vet.* iv. 6: vi. 6. *Struv. Ant. Rom. c.* 8. *p.* 366. *Victor. Var. Lect.* xxi. 13. *Stewech. in Veget.* iii. 8. *Augustin. de Famil. in Papiria. Gyrald. de Ann. & mens. p.* 819. *E. Pigh. Annal. Rom.* ii. *p.* 18. *Laurent. l. l.* Fuerunt etiam in basilicarum ornamentis. Varro de Ling. Lat. v. *Solarium dictum id, in quo horæ in sole inspiciebantur: quod Cornelius in basilica Æmilia & Fulvia inumbravit.* Ad illud secundum rostra, in foro, conciones persæpe habebantur, & judicia minorum rerum pronuntiabantur. Cicer. pro Quint. c. 18. *Vixit enim semper inculte, atque horride, natura tristi ac recondita fuit: non ad solarium, non in campo, non in conviviis versatus est.* Et de juvenibus ibi declamantibus ad Herenn. iv. 10. *Ita petulans es, atque acer, ut ne ad solarium quidem idoneus, ut mihi videtur; sed penes scenam, & in ejusmodi locis exercitus.* Rycq. l. l. V. & infr. in *Sciather.*

HORREA ultra privata, in singulis Urbis regionibus, etiam multa fuerunt publica. Numerum ex P. Victore inivi ad trecenta & novem. Cognomina etiam plerisque addita ab auctore, *horrea* Aniceti, Varguntei, Sejani: & ab ipsis Imperatoribus, *horrea* Augusti, Domitiani: quæ & in descriptione Urbis reperies, & in spectionibus antiquis. *Lips. Elect.* i. 8. *Bellor. Fragm. vestig. vet. Rom. tab.* i. Illis utebantur non tantum ad reponenda frumenta, verum etiam ad alia commoda; nempe ad asservanda deposita, & pignora. l. 8. C. de pignor. act. *Cum igitur asseveres in horreis pignora deposita: consequens est, secundum jus perpetuum pignoribus debitori pereuntibus; si tamen in horreis, quibus & alii solebant publice uti, depositæ sint.* Ab Alexandro Imperatore facta esse scribit Lamprid. c. 39. *Horrea in omnibus regionibus publica fecit, ad quæ conferrent bona ii qui privatas custodias non haberent.* Stewech. in Veget. iii. 7. Panciroll. Descr. Urb: Rom. Thes. Antiq. Rom. Græv. Tom. iii. p. 327. C. & Notit. dign. imp. occid. c. 16. Buleng. de Imper. Rom. vi. 5. Bellor. l. l. Nardin. Rom. Vet. iii. 4. Lampridio hac in re fides non est habenda. Constat enim sub Antonino fuisse Romæ, in quibus homines pretiosissima sua quæque reponerent. Paull. l. 3. ff. de offic. præf. vig. *Effracturæ fiunt plerumque insulis, horreisque, ubi homines pretiosissimam partem fortunarum suarum reponunt, cum vel cella effringitur, vel armarium, vel area, & custodes plerumque puniuntur: & D. Antoninus Erycio Claro rescripsit: ait enim posse eum horreis effractis quæstionem habere de servis custodibus, licet in illis ipsius Imperatoris portio esset.* In ejusmodi argentarii instrumenta reposita habebant. l. 6. ff. de edendo: *Si quis ex argentariis, ut plerique eorum, in villa habeat instrumentum, vel, in horreo, aut ad locum te perducet, aut descriptas rationes dabit.* Salmas. in Lampridium. Brisson. Ant. select. iv. 18. Vinarii suum vinum. Scævol. l. 7. ff. de instruct. vel instrum. leg. *Horreum vinarium cum vino, & vasis.* Nec obscure significant Imperatores, qui *vinum in horreis positum venisse* scribunt C. l. 2. de pericul. & comm. rei vend. *Brisson. l. l. Cellar. in Plin. Epist.* viii. 18. 11.

Horrea dicebantur etiam in civitatibus, & mansionibus loca publica, tanquam repositoria quædam, in quibus frumentum, & carnes salitæ adservabantur, militibus per vias militares in expeditionem ituris erogandæ, & distribuendæ: & quidem sub singulis mensibus, sub nomine communi annonæ militaris. Huc refer utriusque codicis titulos de *conditis in publicis horreis:* & præcipue Imperatorum Valentiniani & Valentis rescriptum Anthemio præsidi l. 2. C. d. t. *Cum ad quamlibet urbem, mansionemve accesseris, protinus horrea inspicere te volumus, ut devotissimis militibus deputatæ, & incorruptæ species præbeantur.* Bergier. de Viis milit. iv. 20. §. 2.

Horrea Aniceti, priori Victori memorata, item Varguntejj, & Domitiani apud recentiorem Victorem, si modo vere illa olim exstiterunt, nusquem melius quam in xiii. Urbis regione, sive Aventino, posita existimo: quo scilicet naves e Sicilia, & Sardinia, *horreis* Urbis appellatis, itemque ex Attica & Ægypto, frumentum adferentes appellere solebant. *Nardin. Rom. Vet.* vii. 9.

Horrea chartaria fuerunt in quarta Urbis regione, quæ templum pacis vocatur. In illis charta conservabatur. Testaria, quod legitur apud Rufum & Victorem, & Cantharia, quod præterea apud Victorem; ad rem vix faciunt. *Panciroll. Descr. Urb. Rom. Thes. Antiq. Rom. Græv. Tom.* iii. *p.* 337. *D.*

Horrea Domitiani in xiii. Urbis fuerunt regione. V. supr. in *Horrea Aniceti.*

Horrea Galbæ non lego, ſed Galbionis, quia non Galbana, ſed Galbiana vocantur a Victore in XIII. Urbis regione: *Horreorum Galbianorum Fortunæ.* Quod dicitur, quia ſimulacrum Fortunæ conſervatricis his *horreis* adſtabat, quod ea tueri a gentibus credebatur, ut oſtendit inſcriptio, exhibita ſupr. in *Fortuna conſervatrix.* In illa NUM. DOM. AUG. eſt, Numini dominorum Auguſtorum, ſcilicet Theodoſii junioris, & Valentiniani III. Lorinus ſacrum illud ſua pecunia dedicavit: appellatur magiſter nimirum regionis hujus XIII. Galbio unus fuit ex ducibus Valentiniani contra Bonifacium Africæ tyrannum miſſus circa annum 429. ut auctor eſt Proſper, a quo Galbiana *horrea*, quæ forte ille annona impleverat, aut ad hunc uſum Reipublicæ tradiderat, ſunt appellata. Galbana vero a Galba Principe, vel alio ex ea familia derivantur, ſed aliqua anterioribus temporibus eorum mentio fieret. *Panciroll. Deſcr. Urb. Rom. Theſ. Ant. Rom. Græv. Tom.* III. *p.* 372. *E. Notit. dign. imp. occid. c.* 16. Ego exiſtimo, ſi a Galbione illis factum nomen foret, non Galbianorum, ſed Galbioniorum ſcribendum fuiſſe. Tum & in Notitia vitium foret in lectione vulgata: *Horrea Galbæ.* Nardin. Rom. Vet. VII. 9.

Horrea Germaniciana & Agrippinæ fuerunt in octava Urbis regione, ſive in Foro Romano. A Germanico, & Agrippina ſunt condita. Ille fuit filius Claudii Druſi privigni Auguſti, quem jubente Auguſto Tiberius ejus patruus adoptavit: & Agrippinam M. Agrippæ ex Julia filia Auguſti natam uxorem duxit. Hæc, ſive a Germanico, ſive Agrippina facta, utriusque conjugis nomen conſervarunt. Victor ſeparat, & alia Germanico, alia Agrippinæ tribuit. *Panciroll. Deſcr. Urb. Rom. Theſ. Ant. Rom. Græv. Tom.* III. *p.* 356. *B.*

Horrea P. R. quæ a Diocletiano aucta, & inſtaurata ejus nomen ſumpſerunt: conſpiciuntur inter Tiberim, & montem teſtaceum, centum, & quinquaginta cellis conſpicua. Horum ruinæ inſtar arcis ampliſſimæ adhuc exſtant in vinea Julii Cæſarini patricii Romani. *Boiſſard. Topogr. Urb. Rom. Tom.* I. *p.* 16.

Horrea Sempronia. V. illa infr. in *Lex Sempronia frumentaria.*

HORTA erat dea, qua mediante juvenum animi ad honeſtas actiones incitarentur. V. Plutarchum infr. in *Templum Hortæ.* Struv. Ant. Rom. c. 1. p. 159. Lipen. de Stren. c. 1. §. 4. Tomaſ. de Donar. c. 11. Donat. de Urb. Rom. III. 22. Gyrald. Synt. deor. 1. p. 51. G. Laurent. Var. ſacr. gentil. c. 9.

HORTATOR remigum primus erat magiſtratuum navalium imorum. Ennius Annal. VII.

Hortatore bono prius, quam jam finibus termo eſt.

Plaut. Merc. IV. 2. 4.

— coquos, quaſi in mari
Solet hortator remiges hortarier,
Ita hortabatur.

Græcis κελευςής. Qui in Gloſſis *juſſor* vertitur. Κελευςής, *juſſor.* Nimirum, quia maxima officii illius pars jubere remiges, vel pergere, vel pulſare. Ovid. Met. III. 618.

— & qui requiemque, modumque
Voce dabat remis animorum hortator Epopeus.

Hinc *pauſarius* Senec. Epiſt. 56. *Audire vel pauſarium poſſim voce acerbiſſima remigi modos dantem.* Vocatur etiam *portiſculus.* V. illum infr. in *Portiſculus.* Scheffer. de Milit. Nav. IV. 7. Erat in medio remigum. Polyb. 1. 21. *Remiges ſedere ad remigia juſſerunt in littore, eodem ſervato ordine, ut ſi in navium tranſtris conſiderent, hortatore in medio locato.* Dicas, quomodo incedere potuit ſub cataſtromate? Quaſi hoc neceſſe fuerat. Poterat ſedere pari modo, ſicut remiges. Poterat ſedere altius, ut ab omnibus conſpiceretur. Poterat imo & ſtare, loco ejus ad hoc ſiç aptato. Et ſtetiſſe videtur propter iſta Polybii: μέσον ἐν αὐτοῖς ςήσαντες τὸν κελευςήν. *Opel. de Fabric. trirem. Theſ. Antiq. Roman. Græv. Tom.* XII. *p.* 699. *C. Heinſ. in Sil. Ital. p.* 403.

HORTI ſi plurali numero proferantur, non ſunt olerum, aliarumve herbarum; verum arborum: ut *horti* Alcinoi, Salluſtiani, Luculani, Pompejani, Curtiani. Et horum ſignificatio, ſive etiam ſingulari numero enuntietur, apud antiquos, Feſto auctore, latiſſima fuit, ut etiam *omnis villa* comprehenderetur: *In duodecim Romanarum legum tabulis*, ut ait Plin. XIX. 4. *nuſquam nominatur villa, ſemper in ea ſignificatione hortus, in horti vero heredium:* ut hacce appellatione non privatus hujuſmodi cujusque locus contineatur, verum amplæ latæque regiones, quæ fertilitate perſpicuæ, & arboribus domeſticis frugiferæ, riguæque, & amœnæ comprehendantur; quæ & prætoria, aut alia pulcerrima ædificia adjuncta, & addita habeant. *Curt. de Hortor. cultur.* VI. 1. *Bergier. de viis milit.* V. *Sect.* 8. §. 5. Unde de ſua ætate Plin. l. l. *Jam quidem hortorum nomine in ipſa Urbe delicias, agros, villasque poſſident.* Bergier. l. l. *Horti* enim Romanorum initio modici, ut ille Tarquinii Superbi in Eſquiliis, in quo capita eminentium papaverum decuſſit. Cultiores deinde, ſumptuoſiſſimi, & celeberrimi fuerunt. *Borrich. Ant. Urb. fac. c.* 14. §. 2. *Quam rem*, pergit Plin. l. l. *comitata eſt & religio quædam: hortosque & fores tantum contra invidentium effaſcinationes dicari videmus. In remedio ſatyrica ſigna, quanquam hortos tutelæ Veneris aſſignante Plauto.* Varr. de Re ruſt. 1. 1. *Adveneror Venerem, cujus eſt procuratio hortorum: quo nomine ruſtica vinalia inſtituta.* Feſtus illi *duo templa conſecrata duodecimo Kalend. Septembris fuiſſe* ſcribit: *alterum ad circum maximum, alterum in luco Libitinenſi.* Priapum autem *hortorum* deum cæteri voluerunt: illique generationis cauſa *hortorum* curam aſſignaverunt, quod *hortis* nihil fœcundius. Nam cæteri agelli ſemel quid annuatim procreant, *horti* vero fructu aliquo ſemper perennes ſunt. Colum. X. 26.

— ſed truncum forte dolatum
Arboris antiquæ numen venerare Ithyphalli,
Terribilis membri, medio qui ſemper in horto,
Inguinibus puero, prædoni falce minetur.

Tibull. 1. 1. 23.

Pomoſisque ruber cuſtos ponatur in hortis,
Arceat ut ſæva falce Priapus aves.

Curt. ibid. c. 3. Tomaſ. de Donar. c. 8. Statuis ornabantur. Cicer. pro Dom. c. 43. *Omnia ſigna, tabulas, ornamentorum quod ſuperfuit in fanis, & communibus locis, tota e Græcia, atque inſulis omnibus domum ſuam deportavit: adilitatem duobus in locis, partim in arca, partim in hortis ſuis collocavit.* Plin. Epiſt. VIII. 18. 11. Domitius Tullus *fuit tam copioſus, ut ampliſſimos hortos eodem, quo emerat, die inſtruxerit plurimis, & antiquiſſimis ſtatuis.* Curt. ibid. c. 2. Figrel. de Stat. Roman. c. 6. Habitabantur ab illis, qui ad ædificia voluptaria, quæ in illis erant, ſui colligendi, & reficiendi cauſa ſecedebant. Hinc Cicer. Attic. XII. 40. ſcribit, ſe cum filiæ mortem lugeret, *triginta dies in hortis fuiſſe.* Et Claudium *abjecta ſpe dignitatis, ad otium conceſſiſſe, modo in hortis, & ſuburbana domo. . . . delituiſſe* ſcribit Suet. c. 5. n. 3. Et de Thraſea Tacit. Annal. XVI. 34. 1. *Tum ad Thraſeam in hortis agentem quæſtor conſulis miſſus veſperaſcente jam die.* Briſſon. Ant. Select. III. 13. Popm. in Ciceronem, Pitiſc. in Suetonium. Hoſpitium præbebant hoſpitibus, qui in illos invitabantur. Senec. Epiſt. XXI. *Cum adierint hos hortulos, & inſcriptum hortulis: Hoſpes hic bene manebis, hic ſummum bonum voluptas eſt, paratus erit iſtius domicilii cuſtos, hoſpitalis, humanus, & te polenta excipiet, & aquam quoque large ſubminiſtrabit.* Hoſpitalitatem etiam ſuam in *hortis* ſic memorat Mart. IV. 64. 25.

Hoc rus, ſeu potius domus vocanda eſt,
Commendat dominus; tuam putabis:
Tam non invida, tamque liberalis,
Tam comi patet hoſpitalitate,
Credas Alcinoi pios penates,
Aut facti modo divitis Molorchi.

Tomaſ. de Teſſer. hoſpital. c. 14. Venales; antequam

emptio contraheretur, inspiciebantur. Cicer. Attic. I. I. *Si hortos inscripseris, & si de epistola certiorem me feceris, dederis mihi quod ad te scribam.* 28. *Hortos quoniam hodie eras inspecturus, quid visum tibi sit, cras scilicet.* Brisson. de Form. VI. p. 499. Vectigales erant. Frontin. de Aquæduct. II. loquens de vectigalibus ex aquæductibus, dicit *ea constare ex hortis, ædificiisve, quæ sunt circa ductus, aut castella. . . & ductus publici hominibus privatis ad hortorum usum subserviunt.* Burman. Dissert. de Vectig. c. 12. Illorum cultor servus erat tam in urbana, quam in rustica familia:

D. M
FELICI. CÆS. SER
VILLICO. HORTORUM
MAJANORUM

&

IDEM. POSTEA. VILLICUS. IN
HORTIS. SALLUSTIANIS. . . .

&

LOCUM. ADSIGNATUM. A MOSCHO. PROC. HORTORUM. MAJANORUM. & LAMIANOR

Pignor. de Serv. p. 496. Ursat. de Not. Rom. Thes. Ant. Rom. Græc. Tom. XI. p. 529. B.

Horti Adonidis, ex more Assyriorum floribus referti, ipsi Adonidi in florem commutato sacri, erant inter templa, porticus, aulas, thermas, cœnationes, bibliothecas, viridaria, aliasque peregrinas delicias, quas ædes Palatinæ augusta magnificentia, & amœnissima varietate nobiles continebant. Philostr. in vit. Domitiani: *Postquam Regi alloquendi Apollonio otium fuit: ii, quibus mandatum fuerat, in regiam ipsam introduxere. Forte autem Rex cum Palladi nuper sacrificasset, viridi ramo coronatus in Adonidis aula constiterat. Erat autem aula illa hortulis undique circumvallata, & floribus abundabat, quos Assyrii in honorem Adonidis mysteriorum causa domi plantant.* In nostro vestigio inspicimus multiplices porticus, & ambulationes miras columnarum structura dispositas, & in medio aula Adonidis, utrinque exornata hemicyclis elegantissime, *loriculis*, & areis oblongis ab utroque latere septa. An hæc est illa pellicum diæta, gynæceum, & domicilium feminarum cum porticu, de qua Plutarch. Poplic. p. 105. B. *Qui*, inquit, *Capitolii magnificentiam admiratur, si unam viderit in Domitiani domo porticum, vel basilicam, vel balneum, vel pellicum diætam.* Bellor. Fragm. vest. vet. Rom. tab. XI.

Horti Agrippæ fuerunt ejus thermis conjuncti, inter Pantheon, & ædem S. Andreæ. Hos moriens populo legavit. Dio LIV. p. 542. B. *Moriens*, Agrippa, *etiam populo hortos, & balneum a se denominatum legavit.* Donat. de Urb. Rom. III. 23. Nardin. Rom. Vet. VI. 4. V. & infr. in *Stagnum*.

Horti Agrippinæ, quæ nupta Germanico Cæsari, mater Caji Caligulæ, avia Neronis, fortasse Germanici antea fuerunt. Meminit Senec. de Ira III. 18. *Deinde adeo impatiens fuit differendæ voluptatis* Cajus, *ut in xysto maternorum hortorum, qui porticum a ripa separat, inambulans, quosdam ex illis cum matronis, atque aliis senatoribus ad lucernam decollaret.* Fuerunt ad Tiberim, quod illa verba significant: *qui porticum a ripa separat.* Confirmat Philo leg. ad Cajum. *Excipiens nos in campo ad Tiberim, primum, cum exiret de maternis hortis.* Donat. de Urb. Rom. III. 23. Fuerunt in illa planitie, quæ est inter basilicam D. Petri, & Tiberim. *Borrich. Ant. Urb. fac. c. 16. §. 3. Nardin. Rom. Vet.* VII. 13.

Horti Anteri. Horum meminit Lamprid. in Commod. c. 4. *Anterum eductum a palatio sacrorum causa, & redeuntem in hortos suos per frumentarios occiderunt.* Donat. de Urb. Rom. III. 23.

Horti Antonini Pii. Horum meminit Capitol. c. 3. *In viridario* Antonini *taurus marmoreus cornibus ramis arboris accrescentibus appensus est.* Donat. de Urb. Rom. III. 23.

Horti Argiani fuerunt in septima Urbis regione, quæ Via lata dicitur. *Panvin. Descr. Urb. Rom. Thes. Ant. Rom. Græv. Tom.* III. *p.* 294. *F. Donat. de Urb. Rom.* III. 23. In Notitia imperii multo rectius Largiani vocantur, quia Largiorum familiæ frequens apud veteres occurrit mentio. *Nardin. Rom. Vet.* IV. 10.

Horti Asiniani a Victore in regione Urbis duodecima, quæ Piscina publica vocatur, adnotantur, quia in Via nova fuerunt. Frontin. de Aquæd. I. *Anio vetus pervenit in regionem Viæ Novæ ad hortos Asinianos, unde per illum tractum distribuitur.* Videntur igitur fuisse sub Aventino prope thermas, & ad caput Viæ novæ, quoniam regio XII. ulterius non porrigebatur. *Nardin. Rom. Vet.* VII. 6. Sed quomodo Frontinus potuit meminisse Viæ novæ, si ea demum cœpit sub Caracalla? V. infr. in *Via nova.* Frontinus sub Vespasiano & Nerva floruit, Trajani obiit principatu, diu ante Caracallæ tempora. Restat, ut arbitremur, fuisse quidem illam Viam novam ante Caracallam, sed non ita munitam ædificiis, non ita superbam cultu. *Borrich. Ant. Urb. fac. c.* 14. §. 2. Forte fuerunt Asinii Pollionis prope thermas Antonianas & Aventinum, ubi atrium Libertatis instauratum bibliotheca instruxit. *Donat. de Urb. Rom.* III. 23. *Nardin. & Borrich. l. l.*

Horti Caji & Lucii fuerunt in Esquiliis, prope ipsorum basilicam, & porticum. Dio LXVI. p. 757. B. *Pugnatum est ab aliis in horto Caji & Lucii.* Alii pro *horto lucum* vertunt. Sed verisimile est, & *lucum*, & *hortos* fuisse; in Esquiliis præsertim, quas Augustus repurgavit, sepulcris amotis, & producto pomœrio salubriores fecit, & ornavit. *Donat. de Urb. Rom.* III. 23.

Horti Coloniæ Fabiæ fuerunt in regione Urbis duodecima. Fragmentum vestigii veteris Romæ: *Horti Celoniæ Fabiæ.* Celonia dicta a nomine, seu agnomine Cilonis patris, cujus domus in dicta regione a Victore describitur. Fabia a cognomine gentilitio. Itaque Fabium Cilonem speciosam domum in Urbe ædificasse, & Celoniam Fabiam *hortos* suos excultos habuisse comperimus. Cæterum Cilonis, aut Celonis, I litera in E mutata, non est novum in antiquis inscriptionibus. *Belor. Fragm. Vest. vet. Rom. tab.* X.

Horti Cœlii fuerunt ad Tiberim. Cicer. pro Cœl. c. 15. *Habes hortos ad Tiberim, ac diligenter eo loco præparasti, quo omnis juventus natandi causa venit.* Donat. de Urb. Rom. III. 23.

Horti Crassipedis fuerunt in prima Urbis regione, quæ porta Capena dicebatur, in via Appia. Cicer. Frat. III. 7. *Romæ, & maxime Appia, ad Martis, mira proluvies. Crassipedis ambulatio ablata, horti, tabernæ plurimæ.* Illorum etiam meminit Fam. I. 9. *Nam cum mihi condixisset, cœnavit apud me in mei generi Crassipedis hortis.* Nardin. Rom. Vet. III. 2.

Horti Dolabellæ. Horum meminit Suet. Galb. c. 12. n. 4. *Germanorum cohortem a Cæsaribus olim ad custodiam corporis institutam dissolvit; quasi Cn. Dolabellæ, juxta cujus hortos tendebat, proniorem.* Donat. de Urb. Rom. III. 23.

Horti Domitiæ. Hos alii Domitios vocant, & eos accipit Paullus Merula de *hortis Neronis.* Verum, quod Nero omni ævo cognomine hoc notior orbi exstiterit, quam nomine familiæ paternæ: *horti* vero illi non fuerunt familiæ hæreditarii, sed ipsius Neronis proprii, in illius sententiam pedibus ego non ierim: verum potius affirmarim *hortorum* Neronis tempore Victoris nullum fuisse vestigium, cum & circum, & *hortos* Neronis Constantinus, ut ædem D. Petri construeret, destruxerit. *Horti* Domitiæ, Neronis amitæ diversi fuere, non tamen longe ab illis Neronis remoti, & ad Tiberim: ubi Adrianus molem illam suam, seu sepulcrum erexit. Capitol. in Antonin. Pio: c. 5. *Sed Adriano apud Bajas mortuo, reliquias ejus Romam pervexit sancte, ac reverenter, atque in hortis Domitiæ collocavit.* De eodem sepulcro Spartian. Adrian. c. 19. *Fecit sepulcrum juxta Tiberim.* Quæ de sepulcro, & humatione Adriani dicuntur, ubi *horti* Domitiæ essent, demonstrant. Quia enim alter in *hortis* Domitiæ, alter ad Tiberim in suo sepulcro humatum refert, ostenditur, *hortos* ad molem, & sepulcrum Adriani fuisse. Ergo hic *horti* Domi-

Domitiæ fuerunt, quorum postéa Nero interfecta illa hæres fuit: qui & dehinc ad Cæsares alios pervenerunt. Vopisc. Aurel. c. 49. *Displicebat ei, cum esset Romæ, habitare in palatio, ac magis placebat in hortis Sallustianis; vel in Domitiæ vivere.* Donat. de Urb. Rom. III. 23. Nardin. Rom. Vet. VII. 13.

Horti Domitiæ alterius. Horum meminit Capitol. in M. Anton. Philos. c. 1. *Natus est Marcus Romæ in monte Cœlio in hortis: & educatus est in eo loco, in quo natus est, & in domo avi sui Veri juxta ædes Laterani.* c. 4. *Ubi comperit se ab Adriano adoptatum, magis est deterritus quam lætatus: jussusque in Adriani privatam domum migrare, invitus de maternis hortis recessit.* At Marci mater *vocata est Domitia Calvilla, Calvisii Tulli bis consulis filia*, ut Capitol. c. 1. quæ etiam Domitia Lucilla dicta est. Capitol. c. 6. *Valerius Omulus quum Lucillam matrem Marci in viridario venerantem simulacrum Apollinis vidisset....* Spartian. in Julian. c. 1. *Educatus est apud Domitiam Lucillam matrem Marci Imperatoris.* Hi *horti* quod in Cœlio monte juxta ædes Laterani fuisse dicuntur. non procul a basilica Lateranensi fuere, & iidem fortasse, qui postea Commodiani dicti sunt. Spartian. Pescenn. Nigr. c. 6. *Hunc in Commodianis hortis, in porticu curva, pictum de musivo inter Commodi amicissimos videmus.* Donat. de Urb. Rom. III. 23. Nardin. Rom. Vet. III. 7.

Horti Domitiani fuerunt in regione decima quarta Transtiberina. Et quidem Domitiæ Longinæ, quæ uxor Domitiani Imperatoris. In his libenter versatum fuisse Aurelianum memorat Vopiscus. V. illum supr. in *Horti Domitiæ.* Panciroll. Descr. Urb. Rom. Thes. Ant. Rom. Græv. Tom. III. p. 374. D.

Horti domus aureæ insederant Esquilinum montem usque ad templum S. Martini cognomento *in Montibus.* Et quia, teste Tacit. Annal. IX. 39. 1. *hortos suos & domum Mæcenatis hortis continuaverat*, hinc illi sumebant initium ad orientem extensi in parte collis, ubi Esquilinæ Virginis, vulgo majoris, & D. Antonii templa: desinebantque in *hortis* Perrettinis. Porro, cum *hortos* Mæcenatis Nero possideret, quod Augustum Mæcenas hæredem dixerat, & ab illo ad Cæsares successores bona devenerant, eosdem domui suæ Nero adjecit; ut a colle Palatino, palatioque Principum totas ferme Esquilias occuparent. *Donat. de Urb. Rom.* III. 5.

Horti Epaphroditiani Frontino memorati fuerunt Epaphroditi, qui Neronis fuit libertus, eidemque a libellis. *Donat. de Urb. Rom.* III. 23.

Horti Galbæ Imperatoris fuerunt via Aurelia, quæ prope ædem nunc S. Pancratii mittebat in Etruriam. Probabile est in ipso Janiculo prope templum B. Martyris fuisse. Suet. Galb. c. 20. n. 9. *Dispensator Argius Galbæ caput, & cæterum truncum in privatis ejus hortis Aureliæ viæ sepulturæ dedit.* Tacit. Hist. I. 49. 1. *Galbæ corpus dispensator Argius, è prioribus servis, humili sepultura in privatis ejus hortis contexit.* Donat. de Urb. Rom. III. 23. Nardin. Rom. Vet. VII. 11. Borrich. Ant. Urb. fac. c. 16. §. 1. Marlian. Topogr. Urb. Rom. V. 28.

Horti Gallieni ubi fuerint, non constat. Constat tamen Gallieno Esquilinum collem carum summopere fuisse, ibique ei positum arcum: eumdemque in eodem colle admirabilem colossum collocare voluisse. Quare *hortos* abducere non possum. Habuisse docet Capitol. c. 17. *Quum iret ad hortos nominis sui, omnia palatina officia sequebantur.* Donat. de Urb. Rom. III. 10. & 23.

Horti Getæ, Victore teste, fuerunt trans Tiberim. Hic Severi Augusti filius a patre regni successor æquali potestate cum Antonino Caracalla fratre constitutus, paullo post ab illo trucidatus est. Non est autem vero absimile, *hortos* Getæ prope portam Septimianam ad Tiberim, ubi hodie Farnesiani sunt, fuisse. Ambigi potest, an hos Severus ante possederit, & a patre filius acceperit, an ipse sibi paraverit. Sic enim de Severo Spartian. c. 4. *Proficiscens ad Germanicos exercitus hortos spatiosos comparavit.* Donat. de Urb. Rom. III. 23. Panciroll. Descr. Urb. Rom. Thes. Ant. Rom. Græv. Tom. III. p. 376. At Borrich. Ant. Urb. fac. c. 16. n. 1.

Horti Heliagabali fuerunt, qui *Spei veteris* dicti sunt. Lamprid. c. 13. *Et hoc quidem modo ipse secessit ad hortos Spei veteris.* c. 14. *Pars militum in palatium, pars in hortos, in quibus erat Varius, ire tendunt.* Et, *inde itum est in hortos: ubi Varius invenitur certamen aurigandi parans.* Ubi fuerint, indicat Frontin. de Aquæd. 1. *Partem sui aqua Claudia prius in arcus, qui vocantur Neroniani ad Spem veterem transfert.* Et, *rectus ductus Anienis veteris secundum Spem veterem veniens intra portam Esquilinam in altos rivos per Urbem ducitur.* Ex quibus locis deducitur, Spem veterem ad portam Næviam, nunc majorem, fuisse, ubi incipiunt arcus Neroniani, & transeuntes ab Esquiliis in Cœlium montem ad templum S. Stephani terminantur. *Donat. de Urb. Rom.* III. 23. *Nardin. Rom. Vet.* IV. 2.

Horti Julii Cæsaris ad portam Collinam fuerunt. Obseq. de Prodig. c. 131. *Turris hortorum Cæsaris ad portam Collinam de cœlo tacta.* Donat. de Urb. Rom. III. 23. Faunus Antiq. Urb. Rom. V. 7. Hi enim vel non fuerunt illi Tiberi vicini, sed alii: vel contextum Obsequentis hic corruptum esse necesse est; & pro Collina aliam portam substituendam, nisi forte Sallustianos *hortos* intellexit, qui postea Cæsarum fuere. Dio XLII. p. 197. A. de hoc flumine mentionem facit, solosque *hortos* Cæsaris nominat, non indicatâ, vel porta, vel flumine. *Nardin. Rom. Vet.* VII. 11. Fuerunt etiam circa Tiberim. Horat. Sat. I. 9. 18.

Trans Tiberim longe cubat is prope Cæsaris hortos.

Vicini Antonianis. Dio XLVII. p. 351. A. *Ex Cæsaris, Antoniique hortis, qui ad Tiberim siti, interque se vicini erant.* Hos populo testamento reliquit. Suet. c. 83. n. 5. *Populo hortos circa Tiberim publice legavit.* Dio XLIV. p. 258. A. *Civitati relinquebat hortos, qui apud Tiberim erant.* Nardin. & Donat. l. l. Turneb. Adv. XV. 18. Lips. in Tacit. Ann. VI. n. 2. Pitisc. in Suetonium.

Horti Lamiani fuerunt in Esquiliis, sive in quinta Urbis regione, Caligulæ adamati; in queis & sepultus est. Suet. c. 59. n. 2. V. illum infr. in *Sepulcrum.* Mæcenatianis propinqui fuerunt. Philo Legat. ad Cajum p. 1040. E. *Arcessens duorum hortorum curatores, Mæcenatis & Lamiæ: propinqui autem sunt inter se & Urbi.* Donat. de Urb. Rom. III. 23. Nardin. Rom. Vet. IV. 2. Borrich. Ant. Urb. fac. c. 7. n. 3. Hos Philo extra Urbem collocat. Nec mirum. I. Mœnia civitatis dignoscere tum temporis, Dionysio teste, difficile erat ab ædificiis tantum non obscurata. II. Homo peregrinus, ac ignarus locorum civitatis, qui in *hortis* Agrippinæ ante fuerat extra Urbem, in campo Martio; quum viridia illa late protensa, continuataque intueretur, *hortos* quoque Lamiæ extra mœnia esse credidit; aut saltem more consueto Urbis partem maxime celebrem, habitatamque, Romæ, seu civitatis nomine insignivit. Quod si igitur Mæcenatianis vicini fuere, aut si ad S. Mariæ majoris ædem, aut, si quis ita malit, juxta domum exiguam illam Æliorum fuisse necesse est, inter tropæa Mariana, ædem S. Bibianæ, & S. Matthæi. *Nardin. & Donat. l. l.*

Horti Luculli fuerunt in colle Pincio, sive Hortulorum. Verum quod eos Rufus & Victor unanimiter in regione nona collocent, partem ejus collis, planitiei contiguam, nonæ regionis fuisse consequitur, & cum sexta confinem, eo in angulo, in quo cum septima conjungitur, verum humilius multo, inter utrumque collem. *Nardin. Rom. Vet.* IV. 7. *Borrich. Ant. Urb. fac. c.* 11. §. 6. Quo loco Urbis consiti, facem præfert Frontin. de Aquæd. 1. *Arcus aquæ Virginis initium habent sub hortis Lucullianis, finiuntur in campo Martio, secundum frontem Septorum.* Aqua quidem Virgo, ut hodieque, postquam a Nicolao V. pontifice maximo ductus refectus est, cernitur, per subterraneos, & profundissimos specus meabat sub collibus declivibus in Tiberinam planitiem, & alveum, extra Urbem, & Pincianam, sive Collatinam portam. His collibus adjunctus est is, quem olim collem Hortorum, hodie Trinitatis, a celebri ejus templo dixe-

re, Campo Martio imminens; quem ſubterlabens aqua, inde ſuper arcus in campo exſtructos uſque ad Septa, ubi fons erat, decurrebat. Quare *horti* Luculliani, ſub quibus inchoatur arcus, aliquam partem Pincii collis campo Martio imminentem occuparunt, ubi nunc pars item hortorum Mediceorum, Cenobium, & *hortus* fratrum minimorum cognomento. Illorum tanta fuit amœnitas, ut poſtquam ſemel in Principum Romanorum venere poteſtatem, mirifice ab illis fuerint adamati. Plutarch. Lucull. p. 518. C. *Quando vel hac ætate, ita gliſcente luxu, horti Luculliani inter Principis ſumptuoſiſſimos habentur.* Venerunt in poteſtatem Auguſtorum Claudio Imperatore, cum a Valerio Aſiatico ſecundum conſule magnificentiores, pulcrioreſque factos Meſſalina Claudii uxor concupivit. Tacit. Annal. XI. 1. 1. *Parıterque hortis inhians, quos ille a Lucullo coemptos inſigni magnificentia excolebat.* In quibus deinde, ut hujus, cæterorumque flagitiorum pœnas penderet, gladio tribuni confoſſa eſt. Tacit. ibid. 37. 1: 38. 1. *Interim Meſſalina Lucullianis in hortis ictu tribuni tranſigitur.* Donat. de Urb. Rom. III. 23. Nardin. l. l.

Horti Mæcenatis a doctioribus antiquariis (& inter illos a Marlian. Topogr. Urb. Rom. IV. 19.) ad thermas Diocletianas, ubi fuerit turris illa editior, e qua Nero incendium Urbis decantavit, removentur. Nimium namque hic hallucinatur Blond. Rom. Inſtaur. 1, §. 100. qui in Quirinali eos fuiſſe vult, & turris illius veſtigia in *hortis* Columnenſibus exſtare, in quibus ingens quoddam veteris ædificii fragmentum reſiduum ſpectatur. Decepit bonum illum virum, quod ex eo loco in Urbis hodiernæ amplitudinem latiſſimus proſpectus ſit. Sed nec illorum minus inſignis error eſt, tam vanam ſibi opinionem fingentium. Nam, præterquam quod illorum immenſum debuiſſet eſſe ſpatium, ſi a thermis Diocletiani per plures colles uſque ad S. Petri in vincula protenſi fuiſſent, ubi domus aurea Neronis deſinebat, ipſas quoque vias pleraſque publicas intercluſiſſent, magis in Viminali, quam in Eſquilino colle fuiſſent: incendiumque Urbis, quo Palatinus, Cœlius, Circus, Forum, & vicina loca, imis Eſquiliis contermina, ut Suetonius ait, conflagrarunt, e Diocletiani thermis conſpici non potuiſſet. Erroris hujus duæ mihi cauſæ fuiſſe videntur; I. quod Horat. Sat. 1. 8. *hortos* Mæcenatis in campo Eſquilino factos indicet, qui ad aggerem Servii retro illas thermas fuiſſe creditur. Sed hoc eſt, in quo erraverunt: quod aggeres illos duos inter ſe non diſtinxerint. Campus enim Eſquilinus prope aggerem Tarquinii fuit, non autem prope aggerem Servii. II. quod Acro in eandem ſatyram dicit: *antea ſepulcra erant in loco, in quo ſunt horti Mæcenatis; ubi ſunt modo thermæ.* Verum non adeo res incredibilis eſt, in Eſquiliis, colle tam largæ amplitudinis, thermas fuiſſe a thermis Diocletiani diverſas: ſi modo in grammatico illo non aliquod vitium memoriæ, vel quis alius lapſus fuit. Nam, ut huic omnino fidem habeamus, Campus Eſquilinus in Quirinalem, Viminalemve transferendus mihi non videtur. Contra ea, ubi *horti* illi incipiebant, nempe ad S. Martini ædem in Montibus, thermæ erant Trajanæ, quas quin Acro intellexerit, nullus dubito. Sane rationi convenienter ait Donat. de Urb. Rom. III. 23. *fuerunt in Eſquiliis; latiſſimaque ambitu, a templo circiter S. Martini in Montibus, orientem verſus, ultra S. Antonii ædem proceſſere.* Nec uſquam melius, quam ad S. Martini eccleſiam, in univerſam Urbem, aut ſaltem frequentiſſimam ejus partem, proſpectus e turri patuit, ut eam deſcribit Horat. Od. III. 29. 9.

> *Faſtidioſam deſere copiam, &*
> *Molem propinquam nubibus arduis:*
> *Omitte mirari beatæ*
> *Fumum, & opes, ſtrepitumque Romæ.*

Ego tamen *hortos* illos anguſtiore ſpatio incluſos fuiſſe exiſtimem. Via namque Tiburtina, quæ in Urbe ab hodierna Suburra, & S. Luciæ æde in ſilice per S. Viti arcum ad uſque portam S. Laurentii perveniſſe animadvertitur, nec Auguſti, neque item Neronis ætate obſtructa, occluſave eſſe potuit. Quare quicquid loci inter eam viam, & tropæa de Cimbris, & Teutonis fuit, *hortos* Mæcenatis occupaſſe crediderim, porrectoſque deinde a S. Martini æde in Montibus uſque ad Urbis mœnia: ſi modo Urbis mœnia attigere; quod vix putem. *Nardin. Rom. Vet.* IV. 2. *Borrich. Ant. Urb. fac.* c. 7. §. 3. *Curt. de Hortor. cultur.* VI. 16. *Faunus Antiq. Urb. Rom.* IV. 4. *Meibom. Mæcen.* c. 28. §. 7. . . . . Habuit hos Mæcenas ex procuratione Auguſti. V. infr. in *Puticuli.* Hos *novos agros* appellat Prop. IV. 8. 1.

> *Diſce quid Eſquilias hac nocte fugarit aquoſas,*
> *Quum vicina novis turba cucurrit agris.*

Meibom. ibid. §. 16. Scalig. & Broukh. in Propertium. Kirchman. de Funer. II. 24.

Horti Mariani a Mario, opinor, Cimbrorum illo victore fuerunt conſiti. Plin. XXV. 7. *Ea pictura, cum peracta eſſet in Marianis hortis, accenſa fulmine, cum optima hortorum parte conflagravit.* Horum ſolum nomen ad nos pervenit: ubi, aut quomodo parati fuerint, quia cæteri ſiluerunt, ego quoque ſilentio præteribo. Neque enim dixerim fuiſſe ad Anienem, ubi Marii tumulus, de quo Lucan. I. 582.

> *Tollentemque caput gelidas Anienis ad undas*
> *Agricolæ fracto Marium videre ſepulcro.*

Donat. de Urb. Rom. III. 23.

Horti Martialis poetæ fuerunt in Quirinali. Ipſe ſic ait X. 58. 7.

> *Hic mihi quando dies meus eſt, jactamur in alto*
> *Urbis, & in ſterili vita labore perit.*
> *Dura ſuburbani dum jugera paſcimus agri,*
> *Vicinoſque tibi, ſancte Quirine, Lares.*

Donat. de Urb. Rom. III. 23.

Horti Martialis Tullii, vel Julii in regione Tranſtiberina, ſive Urbis decima quarta apud Victorem fuerunt: quamquam aliqui omnino falſi hos poetæ attribuant. Alius certe habendus eſt a Poeta, qui de illis ſic ſcribit IV. 64. 1.

> *Juli jugera pauca Martialis,*
> *Hortis Heſperidum beatiora,*
> *Longo Janiculi jugo recumbunt:*
> *Hinc ſeptem dominos videre montes,*
> *Et totam licet æſtimare Romam*
> *Illic Flaminiæ, Salariæque*
> *Geſtator patet.*

Hunc hodie locum *Montem Marium* nuncupant, valde apricum, & amœnum. *Donat. de Urbe Rom.* III. 23. *Marlian. Topogr. Urb. Rom.* V. 20.

Horti Mirabiles ſeculis minus vetuſtis dictus eſt locus, qui eſt poſt ædem S. Martinæ. Refert hunc Martinellus in Roma Sacra. Ego ſuſpicor, & mihi fingo, *hortum* fuiſſe infelici iſto ævo in ipſo Fori Auguſti ſitu: cujus cum ambitus columnas adhuc aliquas, & alia haberet priſcæ magnificentiæ monumenta, & reliquias, nomen ipſi mirabilis ab iiſdem fuiſſe conciliatum. *Nardin. Rom. Vet.* V. 9.

Horti Neronis iidem fuerunt, qui Caji, & antea Agrippinæ matris fuerant. Quis enim neget, occiſo ſine hæredibus Cajo, *hortos* ad Agrippinam ejus ſororem, ſororibus ſuperſtitem, Neronis matrem inſigni gratia, & potentia ab exſilio revocatam, tum in poteſtatem Neronis fuiſſe devolutos. Tacit. Annal. XIV. 3. 1. *Igitur Nero vitare ſecretos ejus congreſſus: abſcedentem in hortos laudare, quod otium laceſſeret.* Martyrum ſanguine Nero illos conſecravit. Tacit. ibid. XV. 44. 7. *Pereuntibus addita ludibria, ut ferarum tergis tecti laniatu canum interirent. . . . Hortos ſuos ei ſpectaculo Nero obtulerat.* Donat. de Urb. Rom. III. 23. Nardin. Rom. Vet. VII. 13. Borrich. Ant. Urb. fac. c. 16. §. 3. Marlian. Topogr. Urb. Rom. V. 21. V. ſupr. in *Horti Agrippinæ.*

Horti Numæ Regis ubi fuerint, non conſtat, niſi forte in Quirinali, ubi quædam alia hujus Regis, aut ſub

Aven-

Aventino collocandi sunt. Referuntur ab Ovidio. Sic autem ille Fast. III. 339.

Cæde caput, dixit: cui Rex, parebimus, inquit:
Cædenda est hortis eruta cæpa meis.

Donat. de Urb. Rom. III. 23.

Horti Ovidii fuerunt ad pontem Milvium. Ita enim Ovid. de Pont. I. 8. 43.

Nec quos pomiferis positos in montibus hortos
Spectat Flaminiæ Cl[illegible] ta vi[illegible].
Qu[illegible] ego nescio cui colui, quibus ipse solebam
[illegible] sata fontanas, nec pudet, addere aquas.

[illegible]stimantur autem in eo fuisse fastigio, quod est ultra pontem Milvium, inter duas vias, quæ ibidem disjunguntur. Verumtamen non minus recte, fortean & verius, in opposito clivo fuere, quantum ex ipsis verbis Auctoris colligere est, in via Claudia supra tabernam, in ejusdem viæ prospectu sito. *Nardin. Rom. Vet.* VII. 13. *Donat. de Urb. Rom.* III. 23. V. etiam infr. in *Via Claudia*. In his *hortis* operam carminibus navabat. Trist. I. 10. 37.

Non hæc in nostris, ut quondam, scribimus [illegible].

Masson Ovid. vit. p. 83.

Horti Pallantiani propinqui fuerunt Varianis, sive Spe. veteris. De his Frontin. II. *Finiuntur arcus Clau[illegible] [illegible] ens post hortos Pallantianos.* Victor in regione Urbis quinta Esquilina Plancianos, vel Plautianos nominat: quos tamen non semoverim a Pallantianis; mutantes scilicet subinde cum dominis nomen. Plautianus enim multum gratia, & opibus valuit sub Severo. Nec minus Pallas Claudii libertus, eidemque a rationibus, quemque incestis Agrippinæ nuptiis etiam pervertit; ideoque illo Principe ditissimus, & potens in aula, Neronis quoque imperio validus stetit: cum Agrippina *adversus Burrum, & Senecam moderatores Principis habebat in partibus Pallantem*, ut ait Tacit. Annal. XIII. 2. *Donat. de Urb. Rom.* III. 23. *Bellor. Fragm. vest. vet. Rom. tab.* IX. *Panvin. Descr. Urb. Rom. Thes. Ant. Rom. Græv. Tom.* III. *p.* 291. *B. Panciroll. Descr. Urb. Rom. Thes. ibid. p.* 352. *C.* Ab his ego non dissentiam. Accuratius tamen eorum situm indaganti intra mœnia fuisse videntur ad primum castellum, in quo aqua Claudia, & Anio novus, quæ uno, communique aquæductu Urbem intrabant, in usus privatos diducebantur. Quare non longe a porta majore, atque æde S. Crucis in Hierosolymis *horti* isti absuisse dicendi sunt. *Nardin. Rom. Vet.* IV. 2.

Horti Pompeji minus celebres sunt, quamquam duplices. Hos dono accepit a Cæsare, ut ait Appian. Bell. civ. II. *Antonius Pompejanis in hortis a Cæsare dono quondam sibi traditis versabatur.* Sed potius sub hasta emit, cum Pompeji bona a Cæsare venderentur. Cicer. Phil. II. 26. *Hasta posita pro æde Jovis Statoris bona Cn. Pompeji Magni voci acerbissimæ subjecta præconis. . . Tantus te stupor oppressit, vel, ut verius dicam, tantus furor, ut cum sector sis isto loco natus, deinde cum Pompeji sector. . . .* Idemque postea c. 29. *Appellatus de pecunia, quam pro domo, pro hortis, pro sectione debebas.* Duplices videtur adstruere Ascon. Orat. pro Mil. p. 187. *Timebat Pompejus Milonem, seu timere se simulabat: plerumque non domi suæ, sed in hortis maneb[illegible], itque ipsum in superioribus, circa quos etiam m[illegible] manus militum excubabat.* p. 202. *Et ideo ne domi quidem [illegible], sed in hortis superioribus ante judicium mansisse, ita ut villam quoque præsidio militum circumdaret.* Et huc verba Mart. II. 14. 10.

Illinc Pompeji dona, nemusque duplex.

accommodari possunt. Fuerunt extra Urbem. Quod perspicue tradit Ascon. ibid. p. 203. Notat enim, cum Pompejus proconsul, habebat enim exercitus in Africa, & in Hispania, easque per legatos administrabat, esset ad Urbem, *habitasse in hortis: senatum habitum in porticu Pompeji, ut Pompejus posset interesse.* Non enim in curiam intra pomœrium venire poterat. Quod & ipsam porticum extra Urbem fuisse demonstrat. Et idem Plutarch. Pomp. p. 642. B. *Quando ante triumphum vetitum erat i[illegible] Urbem, misit Pompejus petitum ad senatum, ut com[illegible] ria proferret. Quod cum non obtinuisset, quæ[illegible] consulem facere, nummos pro eo in tribus pronuntiavit, atque ad eos accipiendos venerunt in hortos Pompeji:* quos utique tunc Pompejus habitabat. Accedit, quod superiores villam, Asconio modo laudato auctore, adjunctam habebant: quare in edito, patentique loco esse debuerunt, quem Urbs civium tectis impedita non præbuisset. Has ob causas in colle Pincio fuisse arbitror, prope Lucullianos. Hæc enim videtur fuisse ejus loci dispositio, ut primo sepulcrum Domitiorum propius portæ Flaminiæ extaret. Suet. Ner. c. 50. n. 2. *Reliquias Neronis gentili Domitiorum monumento condiderunt, quod prospicitur e campo Martio, impositum colli hortulorum.* Credibile est, monumento propinquos alios *hortos* eodem colli impositos, sed eorum scriptores non meminere. Sequebantur Lucculliani in *hortis* nunc Mediceis: Pompejani versus Pincianam portam, ubi pars tum Mediceorum est, tum Lud[illegible] *hortorum*. Quoniam autem villa his erat adjun[illegible], [illegible]tror peramplo patentique ambitu protensam ad orientem, aliquam partem Burghesiæ nunc villæ attigisse. Inferiores, si divinandum est, probabile fuerit, ad Pompeji porticum & theatrum fuisse. Nisi quis putet, dici inferiores eo quod conjuncti cum superioribus ad radice[illegible] collium, aut certe in ima ejus loci parte essent constituti; quod in medium relinquo. In priorem tamen opinion[illegible] inclinat animus. *Donat. de Urb. Rom.* III. 23. *Nar[illegible] Rom. Vet.* VI. 3.

Horti Sallustiani in Quirinali ad portam Salariam, sive Collinam fuere. Auctor eorum Crispus Sallustius Romana primus in historia, idemque suorum *hortorum* amœnitate nemini secundus. Hic ex Africæ prætura, quam a Cæsare acceperat, refertus pecunia Rom[illegible] reversus, eam partem Quirinalis montis delegit, in qua *hortis pretiosissimis*, ut loquitur Cicero in Sallustiana, & loco amœnitatem, & sibi scriptis historiis perpetuum nomen daret, quamquam scriberet ipse, contra quam fecerat. Horum meminit Tacit. Hist. III. 82. 4. *Tertium agmen per Salariam Collinæ portæ propinquabat.* n. 6. *Ii t[illegible] conflictati sunt, qui in partem sinistram Urbis ad Sal[illegible] hortos per angusta, & lubrica viarum flexerant. Superst[illegible] hortorum Vitelliani, ad serum usque diem saxis pilis[illegible] subeuntes arcebant, donec ab equitibus, qui porta Collina irruperant, circumvenirentur.* Ex quo loco deducitur, n[illegible]do ad portam, sed intra portam Collinam fuisse. T[illegible] Annal. XIII. 47. 3. *Regredienti, Neroni, per [illegible] niam compositas insidias, fatoque [illegible] [illegible] itinere Sallustianos in hortos remeave[illegible].* N[illegible], eo Neronem divertisse; erant enim S[illegible] Quare post Neronem Ve[illegible] D[illegible] p. 650. A. *raro habitabat in Pal[illegible]. [illegible] autem Sallu[illegible] plurimum erat, eoque rec[illegible] non solum [illegible] [illegible] ordinis.* Nerva *morbo periit in hortis Sallu[illegible]* [illegible] referentibus Eusebio, & Cassiodoro in Chronicis. *[illegible] placebat vivere in hortis S[illegible].* V. Vop[illegible] *[illegible]*. [illegible] Alexandri Severi [illegible] [illegible] Ulpian. l. cum servus. §. constat ff. [illegible] de l[illegible] & [illegible] *[illegible] vero Sallustianos [illegible], qui sunt [illegible] [illegible], qui principalibus usibus deservit, legaverit quis, furiosi est.* Sub eodem enim floruit Ulpianus, & prætorianis præfectus fuit. Situs hic est. Curvat[illegible] collis ad portam Collinam, duæque planities: altera ad mœnia Urbis, & *hortos* Ludovisianos pertinet; altera secundum altam semitam, nunc piam, ad ædem S. Susannæ, & *hortos* Barberinos protenditur, utraque olim celebrata Sallustianis *hortis*. In medio vallis angusta primum, deinde latior. In angusta visitur cavea circi *hortorum* Sallustianorum, ubi acclivi hinc, atque hinc solo apparent hodieque sedilium, & templi Veneris subobscura vestigia. Sed ex altera parte ad *hortos* nunc Barberinos terminabantur. *Donat. de Urb. Rom.* III. 23. *Argol. in Panvin. de Lud. Circens.* I. 20. *Curt. de Hortor. cultur.* VI. 15. *Panciroll. Descr. Urb. Rom. Thes. Ant. Rom. Græv. Tom.* III. *p.* 345. *C.*

 Blond,

Blond. I. ſta 1. Rom. II. §. 28. illos agnoſcere videtur inter portam Salariam, Numentanam & ædem S. Suſannæ, quod ibi multa ætate ſua antiquitatum veſtigia vidiſſet. Nec Donatus in diverſum abit. Verum Tacitus modo laudatus apertiſſime extra Urbem fuiſſe arguit; nam agmen illud Veſpaſiani, quod via Salaria ad portam Collinam pergebat, ad *hortos* acceſſiſſe Salluſtianos dicitur, priuſquam Urbem intraſſet, de quorum maceriis Vitelliani hoſtes ab aditu Urbis arcebant. Idem & in Actis S. Cyriaci, Largi, & Smaragdi confirmatur, qui eo loco capite plexi fuere: ubi nomen thermarum *hortis* datum eſſe, ut naumachiæ, & theatri circo, palatii aliis ædificiis, res minime nova eſt. *Nardin. Rom. Vet.* IV. 7. *Borrich. Ant. Urb. fac. c.* 8. §. 5. Siti igitur fuerunt inter duos circos ſub B. V. Victricis æde, & S. Suſannæ, quam vallem ſua etiam memoria Saluſtrico nuncupatam fuiſſe Fulvius aſſerit. Ego vero partem eorundem etiam in Pincio fuiſſe crediderim, qui Quirinali oppoſitus, nunc collis hortulorum appellatur: perſuaſus loci altitudine, proſpectum in maximam Urbis ſibi ſubjectæ partem habente. Non tamen eouſque in longitudinem extenſi fuerunt, ut magnam hujus collis partem occuparint, quemadmodum recentioribus placet antiquariis; neque item, ut ad portam pertigerint Collinam; quoniam inde erumpentes equites Vitelliani ſpatium habuere milites Veſpaſiani circumveniendi, qui *hortos* adoriebantur Salluſtianos. *Nardin. l. l.*

Horti Senecæ ubi fuerint, non facile aſſererem; diverſos enim fuiſſe a fundis, & agris ſuburbanis probabile eſt: inter quos fuit Nomentanus. Senec. Epiſt. 110. *Ex Nomentano meo te ſaluto.* Criminabantur invidi teſte Tacit. Annal. XIV. 52. 2. *quod hortorum amœnitate, & villarum magnificentia quaſi Principem ſupergrederetur.* 53. 6. *Tales hortos inſtruit, & per hæc ſuburbana incedit, & tantis agrorum ſpatiis, tam lato fœnore exuberat?* De iiſdem Juven. Sat. X. 16.

—— ... Senecæ prædivitis hortos
Clauſit.

Donat. de Urb. Rom. III. 23. Curt. de Hortor. cultur. VI. 15.

Horti Serviliani. Sed illorum neque auctor, neque certa ſedes proferri poteſt. Servilia quidem gens Romæ clariſſimos plurimos conſules dedit. Ab aliquo hujus gentis Servilio dictos putaverim potius, quam a Servio: quamvis ſcribat Macrob. Sat. I. 6. *Cum contra & cognomina ex propriis ſint tracta nominibus, ut ab Æmilio Æmilianus, a Servio Servilianus.* Fuerunt Neroni Cæſari in deliciis. Tacit. Annal. XV. 53. 1. affirmat, eum *rarum egreſſu, domoque, aut hortis clauſum.* Hi vero erant Serviliani. Tacit. ibid. 55. 1. *Igitur cœpta luce Milichus in hortos Servilianos pergit, deductusque ad Neronem urgens periculum, & graves conjurationes docet.* De iiſdem Suet. Ner. c. 47. n. 1. *Nuntiata exercituum defectione*, Nero, *tranſiit in hortos Servilianos.* Ibique deſertus ab omnibus, *procurrit*, inquit Suet. n. 7. *quaſi præcipitaturus ſe in Tiberim.* Qui locus admonet, ut *hortos* Servilianos Tiberinæ ripæ adſitos putem. Cur enim habitans in *hortis* Imperator procurriſſet ſe præcipitaturus in Tiberim, niſi *hortos* fluvius ipſe alluiſſet? Neque enim credibile eſt, eum extrema timentem, ſi *horti* a Tiberi longe aberant, ab eis egreſſum de media nocte per mediam Urbem ad fluvium decurriſſe. Accedit, quod Nero cogitans de fuga, libertorum fidiſſimos Oſtiam præmiſerit, quo deinde ſecundo Tiberi eſſet ipſe venturus, ab eiſdem *hortis* ſoluto navigio. Itaque cum alium hac de re ſcriptorem non viderim, nec mihi manifeſtius argumentum ſit; arbitror non longe a ponte nunc Sixto in minore campo fuiſſe ad ripam Tiberis. Hic enim, affirmante Strabone, præter plurima, & pulcerrima ædificia, multis etiam lucis, & *hortis* ad amœnitatem conſitus erat. *Donat. de Urb. Rom.* III. 23.

Horti Spei veteris. V. Illos in *Horti Heliogabali.*

Horti Statilii Tauri memorantur ſub Claudio Principe a Tacit. Annal. XII. 59. 1. Agrippina *Statilium Taurum opibus illuſtrem, hortis ejus inhians, pervertit.* Donat. de Urb. Rom. III. 23.

Horti Tarquinii Superbi antiquiſſimi in Urbe fuerunt. In illis inambulans Rex conſulenti per nuntium Sexto filio nihil reſpondit; ſed, ut olim Periander Corinthiorum tyrannus in re non diſſimili eminentiores ſpicas contrivit, ſic Tarquinius ſumma papaverum capita decuſſit, auctoribus Liv. I. 54. & Dionyſ. IV. p. 255. Hi fuerunt in Eſquiliis. At in qua parte montis? Solin. c. 1. *Tarquinius Superbus & ipſe Eſquiliis ſupra clivum Pullium ad Fagutalem lucum.* Hic autem fageus lucus pertinebat ad montem Viminalem, qui idcirco Fagutalis etiam nuncupatus eſt. Ideoque *hortos* in Eſquiliis fuiſſe dicendum eſt, qua verſus vicum patricium vergunt ad partem viminei collis, in qua ædes S. Laurentii; erant enim ædibus adjuncti. Livius: *... ex velut deliberandus in hortum ædium tranſit, ſequente nuntio filii.* Ovid. Faſt. II. 703.

Hortus odoratis ſuberat cultiſſimus herbis,
Sectus humum rivo leve ſonantis aquæ.

Quæ ſequuta ſunt tempora *hortos* in pretio habuerunt, ſed minime pretioſos: quippe caulium, & braſſicarum proventu uberrimo *horti*, & agricolæ priſci probabantur: nec illos florum blandimenta delectabant; ſed olera, quæ aut facile coquerentur, aut *ex ſeſe expedita, & parata ligno parcerent, igni non egerent.* Quod ſcribit Plin. XIX. 4. Nec ſane exiguus *hortorum* fructus exſtitit, cum *procerum cognomina* produxerunt. Ut non minus natos inter legumina Fabios, Lentulos, Piſones, aliosque hujuſmodi Roma laudaret, quam ex lactucarum thyrſo Lactucinos. Jam, quod ait idem l. l. *In feneſtris ſuis plebs urbana in imagine hortorum quotidiana oculis rura præbebant, antequam præfigi proſpectus omnis coegit multitudinis innumeratæ ſæva latrocinatio.* Sed hi *horti penſiles* creſcente luxu *rotis promovebantur ad ſolem, rurſusque hibernis diebus intra ſpecularium munimenta revocabantur.* Plin. XIX. 5. Quod confirmat etiam Mart. VIII. 14. 1.

Pallida ne Cilicum timeant pomœria brumam,
Mordeat & tenerum fortior aura nemus,
Hibernis objecta notis ſpecularia puros
Admittunt ſoles, & ſine fæce diem.

68. 3.

Invida purpureos urat ne bruma racemos,
Et gelidum Bacchi munera frigus edat.
Condita perſpicua vivit vindemia gemma,
Et tegitur felix, nec tamen uva latet.

Sic autem non ſolum poma ſervabant, ſed etiam flores alieno tempore exprimebant. Senec. Epiſt. 122. *Fomento aquarum calentium, & calorum apta mutatione bruma lilium, florem vernum exprimunt.* Hac ratione, teſte Columella, fere toto anno Tiberio Cæſari cucumis ferebatur. Sed ſingulis diebus allatos Tiberio cucumeres notat Plin. XIX. 5. *penſiles eorum hortos promoventibus in ſolem rotis oliteribus.* Donat. de Urb. Rom. III. 23.

Horti Terentiani viginti jugerum fuerunt via Appia. *Marlian. Topogr. Urb. Rom.* V. 27. *Panvin. Deſcr. Urb. Rom. Theſ. Ant. Roman. Græv. Tom.* III. *p.* 254. *C.*

Horti Torquatiani in regione Urbis quinta Eſquilina fuerunt. *Panvin. Deſcr. Urb. Rom. Theſ. Ant. Rom. Græv. Tom.* III. *p.* 291. *B. Donat. de Urb. Rom.* III. 23. Poſſent jungi lacui, & balineo Torquati, quorum in prima regione Victor & Rufus fecerunt mentionem. Fuiſſe illos extra portam Capenam, ubi vetus Anio, & aquæ Auguſtæ ramus viæ Appiæ jungebantur, refert Front. de Aquæd. 1. *Jungitur ei*, loquitur de via Appia, *ad Anienem veterem in confinio hortorum Torquatianorum Auguſtæ ramus milliaria in ſupplementum ejus addito cognomento decem Gemellorum.* Nardin. Rom. Vet. III. 3: IV. 2.

HOS.

HOSIDIA gens. V. illam ſupr. in *Gens.*

HOSPES ſignificatu ampliori ſignificat peregrinum. Terent. And. IV. 5. 15.

—— nunc me hoſpitem
Lites ſequi; quam hic mihi ſit facile, atque utile
Aliorum exempla commonent.

Cicer.

Cicer. Acad. I. 3. *Nam nos in nostra urbe peregrinantes, atque errantes tanquam hospites, tui libri [illegible] domum deduxerunt; ut possemus aliquando, qui & ubi essemus, ag[illegible]oscere.* Attic. VI. 3. *Est aliquid advenientem non esse peregrinum, atque hospitem.* Tomas. de Tess. hospit. c. 4. Differt tamen a peregrino & advena. Cicer. Agrar. II. 34. *Nos jam non hospites, sed peregrini, atque advenæ nominabamur.* Stuck. Antiq. Conviv. I. 28. Proprie dicitur, qui vel alterum *hospitio* excipit, vel ipse excipitur. Cicer. pro Dejot. c. 3 *Per dexteram te istam, C. Cæsar, rogo, quam Regi Dejotaro hospes hospiti porrexisti.* Ovid. Met. I. 144.

— non hospes ab hospite tutus.

Priori modo Jupiter ipse *hospes* vocatur ab Ovid. Met. X. 224.

Ante fores horum stabat Jovis hospitis ara.

Posteriori Cicero ipse ad Fam. IX. 26. *Non multi c[illegible] hospitem accipies, sed multi joci.* Tomas. l. l. Stuck. ibid. c. 27. *Hospites* aut erant domestici, aut incogniti. Qui domestici, erant amici externi, in quos allusit Mart. III. 5. 3.

Unus erit, mihi crede, satis, cui non eris hospes.

Hi vero magnis honoribus excipiebantur. Nam ut eorum erat fortuna, & nobilitas, armis, fistulis, buccinis, atque tympanis procul admodum ab urbe, partim peditatu, partim equis, & curribus honorifice iis obviam ibant incolæ, eos exspectantes in amplissimo loco, ubi summa comitate, & verbis eos salutare, & in urbem ea pompa introducere, eosque ad proprios lares congregatis amicis deducere consueverunt. Cui officio, si legati erant, seligebantur etiam a senatu viri graviores, qui iis omnia *hospitalitatis* officia prolixe deferrent, conviviisque magnificis, ac muneribus acciperent. Habebant illi tesseras hospitales. V. illas infr. in *Tessera.* Sin autem erant incogniti, & peregrini, horum quatuor erant genera. I. peregrinorum, puta mercatorum, & negotiatorum, qui lucri gratia undique convolant, nihil maris pericula, vel asperas vias timentes. II. eorum, qui orbis delicias ut lustrent, vel discendi causa, longe a patria, & parentibus, veluti exsules spontanei regiones diversas peragrant, ut sunt hodie Germani, Galli, Flandri, ac Belgæ, qui propter virtutes sponte exsulant: vel qui sacrorum causa, & ludorum spectacula publica convolant. III. eorum, qui publice a populo, vel a Principe missi, legationis causa aliunde accedunt. IV. eorum, qui fortuna, aut casu aliquo adveniunt. Hi maxime *hospitio* sunt accipiendi, atque humaniter tractandi. *Tomas. ibid. c. 9. Casal. de Urb. ac Imper. Roman. splend. part. 2. c. 20.* Illorum pedes lavabantur, ut pulvis in via contractus detergeretur. Ita Ulyssi apud Homerum. Et quidem priscos *hospitibus* præbuisse aquam calidam, ad abluendum corpus, & pedes; gelidam manibus, indicat illud Martialis:

— calidæ, gelidæque minister.

Et Horat. Sat. I. 4. 86.

Sæpe tribus lectis videas cœnare quaternos;
E quibus unus avet quavis aspergere cunctos
Præter eum, qui præbet aquam.

II. 2.

— nec sic, ut simplex Nævius, unctam
Convivis præbebit aquam.

Ubi *præbere aquam* est convivio excipere. *Tomas. ibid. c. 13. Nann. Misc. IV. 2. Casal. l. l.* Quo loco fuerint, docet Gell. I. 13. ubi officiorum gradus, & ordines recenset. *Conveniebat facile, & const[illegible] moribus populi Romani, primum juxta parentes locum t[illegible]e pupillos debere, fidei, tutelæque nostræ creditos. Secundum eos proximum locum clientes habere, qui sese itidem in [illegible]em, patrociniumque nostrum dediderunt. Tunc in tertio loco hospites, postea esse cognatos affinesque.* Massurius autem Sabinus Jur. Civ. III. apud Gellium antiquiorem locum *hospitibus* tribuit quam clienti: *In officiis apud majores ita observatum est, primum tutelæ, deinde hospiti, deinde clienti, tum agnato, postea affi-*

ni. Tomas. ibid. c. 19. Discedentibus munera dabantur. Nero Claudius Tiridati Armeniæ Regi abeunti contulit sestertium millies, nimirum quinquaginta centena millia coronatorum. Et apophoreta dicta Martiali, quod retroferrentur, nempe domum. Sic Martialis librum XIII. Apophoreta inscribit. *Tomas. ibid. c. 2[illegible]. C[illegible] l. l.* Qui eos cædere ausi fuissent, scelerati & [illegible], & illorum facinus capitale. Plaut. [illegible]

TR. *Capitalis cædis facta est.* TH. [illegible]
tellito.
TR. [illegible]
[illegible]
Antiquum: id adeo nos nunc [illegible]
TH. *Quid istud est, scelestæ [illegible]*
TR. *Hospes necavit hospitem [illegible]*

Eodem omnino sensu Thracum Re[illegible] omne [illegible]pisse, quod Polydorum Priami filium [illegible] suum, ac tutelæ suæ commissum inte[illegible], [illegible] Virg. Æneid. III. 49—56. *Berthald. de* [illegible] 19. §. 3.

HOSPITALE dicebatur [illegible] I. 10. *Præterea dextra, ac sinistra do[illegible] tes proprias januas, triclinia, & cubicula commo[illegible] tes advenientes, non in peristylia, sed in ea hosp[illegible] exc[illegible]tur.* Nostra ætate caupona, & diversorium vocatur. *Tomas. de Tesser. hospital. c. 4. Stuck. Ant. Conviv. I. 27.*

Hospitale dicebatur in tragœdia domuncula *hos[illegible]*, & peregrinis advenientibus in scenam destinata. Vitruv. V. 7. *Mediæ valvæ ornatus habeant aulæ regiæ, dextra [illegible] hospitalia.* In scenis enim tres de more aperturæ, media nobiliori & principe erant, præcipue in trag[illegible], aulæ regiæ, utrimque vero *hospitalia.* Pollux IV. 19. de p[illegible]bus theatri: *In tragœdia dextra porta ad[illegible] est.* Bald. Lex. Vitruv.

Hospitale vulgo etiam dicitur domus publica egenis excipiendis. *Hospitium* non inepte potest appellari. Græcis *xenodochium* dicitur. Suidas: *Xenodochium, publicus locus hospitibus recipiendis destinatus.* Tomas. de Tesser. hospital. c. 4. Stuck. Ant. Conviv. I. 27.

HOSPITALITAS est quædam amicitia *hospitio* contracta, vel liberalitas, & quædam animi [illegible] in *hospitibus* recipiendis. Cicer. O[illegible] II. 18 *[illegible] a Theophrasto est laudata [illegible], [illegible], ut [illegible] videtur, valde deco[illegible], patere do[illegible] illustribus hospitibus: idque etiam est Re[illegible] ornamento, homines externos hoc [illegible] genere in Urbe [illegible] non c[illegible]ere.* Tomas. de Tesser. hospital. c. 4. [illegible] in pretio fuit, ut sanguinis id nex[illegible]. [illegible] autem sale, & mensa contrahi solitum. M[illegible] quoque muneribus inter se homines co[illegible]antur, vel coram, vel per internuntios. Hinc Virg. Æneid. IX. 359.

F[illegible] phaleras Rhamnetis, & aurea bullis
Cingula, Tiburti Remulo ditissimus olim
[illegible] dono, hospitio cum jungeret absens
C[illegible].

Et hoc quidem jus velut hæreditarium a parentibus ad posteros traducebatur. *Tomas. ibid. c. 10.*

HOSPITIUM est consuetudo, qua alios in nostram domum accipimus. De cujus necessitudine Budæus: *Hospitium est [illegible] quædam amicitia, vel mihi [illegible] illum, vel illi apud me.* Si vero locus [illegible] domus est, quæ gratis, liberalite[illegible] patet. Cicer. [illegible] IX. 6. *[illegible], hospitium tibi ubi parares.* Attic. II. 1[illegible]. *[illegible] Arpinati videbimus, & hospitio agresti accipiemus.* H[illegible] formulæ *hospitium* esse alicui cum [illegible] Cicer. Fam. XIII. 19. *Cum L[illegible]* 36. *Cum Demetrio [illegible] hospitium est: familiaritas autem tanta, [illegible].* *Hospitio* conjungi. Cicer. pro Dejot. c. 14. *[illegible] amicitiam Respublica conc[illegible], hospitium [illegible] conjun[illegible].* *Hospitium* cum aliquo facere. Cicer. pro Balb. c. 14. *Gaditani cum L. Cornelio publice hospitium fecerunt.* Tomas. de Donar. c. 4. Casal. de Urb. ac Imper. Roman. splend.

 part.

part. 2. c. 20. *Hospitii* usus, & necessitudo antiqui instituti erat, non modo inter privatos, sed etiam inter populos: neque id quidem modo, sed etiam inter singulos, privatosque homines, & civitates, quæ sancte, religioseque eam coluere. Sic populum Romanum cum aliis, vel populis, vel Regibus, vel etiam privatis hominibus Senatusconsulto scimus *hospitium* contraxisse. Quo alludens Virg. Æneid. VII. 263.

Ipse modo Æneas, nostri si tanta cupido est,
Si jungi hospitio properat, sociusque vocari,
Adveniat.

Tomas. ibid. c. 5. Bud in Pandect. p. 253. H. Stuck. Ant. Conviv. I. 27. Brisson. de Form. II. p. 241. Quod inter populos, & civitates contrahebatur, Græci προξενίαν, Latini *hospitium* publicum vocabant: quod inter privatos, Græci ἰδιοξενίαν, Latine *hospitium* privatum dicebatur, cujus nota, pignusque erat tessera *hospitalis*. Lucian. Phalar. II. p. 741. *Ego, o Delphi, cum neque publicum Agrigentinis, neque privatum Phalaridi ipsi hospitium antehac præbuerim:* οὔτε πρόξενος, οὔτε ἰδιόξενος. De Timasitheo Liparensi, qui legatos Romanos *hospitio* exceptos, ac Delphos usque deductos, retro in Urbem sospites reduxerat, Liv. V. 28. *Hospitium cum eo Sčto est factum, donaque publice data.* XXXVII. 54. Rhodiorum *princeps legationis expositis initiis amicitiæ cum populo Romano, meritisque Rhodiorum Philippi prius, deinde Antiochi bello: Nihil, inquit, nobis tota nostra actione, Patres conscripti, neque difficilius, neque molestius est, quam quod cum Eumene nobis disceptatio est: cum quo uno maxime Regum singulis, &, quod magis nos movet, publicum civitati nostræ hospitium est.* Cicer. Verr. IV. 65. Syracusani *decernunt statim, ut fratri meo hospitium publice fieret: quod is eandem voluntatem erga Syracusanos suscepisset, quam ego semper habuissem: id non modo tum scripserunt, verum etiam in ære incisum nobis tradiderunt.* Arctum necessitudinis hujus fuit olim vinculum, atque etiam divini numinis reverentia sanctum, quod juris hujus disceptationi præfecit antiquitas Jovem *hospitalem* appellans, & invocans, quasi *hospitii* præsidem, & vindicem. V. illum infr. in *Jupiter*. In Verrem, tanquam *hospitii* violatorem invehitur Cicer. Verr. V. 42. *Pater aderat Dexio Tyndaritanus, homo nobilissimus, hospes tuus: cujus tu domi fueras, quem hospitem appellaras: eum cum illa auctoritate, & miseria videres* [illegible] *num te ejus lacrymæ, num senectus, num* [illegible]*, atque nomen a scelere aliquam ad partem humani*[illegible] *revocare potuit? Sed quid ego hospitii jura in hac tam im*[illegible] *commemoro: qui Sthenium Termit*[illegible]*, absen*[illegible] *per* [illegible] *exhaust*[illegible] [illegible] *inimicis* [illegible] *reum detulerit, causa indicta capite damna*[illegible] [illegible] *Bud. l. l.* Tomas. ibid. c. 7. Si quem vero con[illegible] tracti [illegible] pœnituisset, renuntiare *hospitium* solebat, ne *hospitii* [illegible] Cicer. Verr. II. 26. *Itaque iste vehementer Sthenio infensus, hospitium ei renuntiat.* Tomas. ibid. c. 28. Brisson. ibid. p. 7[illegible].

Hospitia peregrinorum Romæ in Cœlio etiam fuerunt, hoc est, cohortes militares, Germanæ, Illyricæ, Batavæ, in usum Imperatoris, & Reipublicæ pretio conductæ; quippe locum incolebant proximum templo, hodie Navicellæ dicto. Nam, ne quis miretur, alios habebat Roma milites, quam qui castro prætorio claudebantur. Quid quod post destructum a Constantino castrum prætorium custoditum sit palatium a septem cohortibus Armeniorum, quibus & sua debebantur *hospitia*. Borrich. Ant. Urb. Fac. c. 4. §. 1.

HOSTIA est victima, dicitur de parvis animalibus, ut ovibus, volucribus: victima de magnis, ut tauris. Plaut. Pseud. I. 3. 95.

Nolo victimas: minimis med' extis placari volo.

Arnob. VII. p. 223. *Quoniam volucres hostiarum quoque numero ponitis.* Popm. Differ. Verb. II. p. 99. Scalig. in Catal. p. 233. Saubert. de Sacrif. c. 18. Adducta debebat esse *membris omnibus integra, indivisa, perfecta, sana, innocua, non mutila, non imperfecta, neque cornibus carens.* Pollux I. I. §. 26. neque cauda. Aristoph. Acharn. III. 3. 35.

Dic. *Sacrificari isthæc nequit.* Meg. *quidum nequit*
Sacrificari? cedo! Dic. *quia caudam non habet.*

Ubi Schol. *In sacrificiis non mactantur, quæ cauda truncantur. Et in universum, quod integrum non est, atque sanum, diis non mactatur.* Unde victimas probandi mos extitit. Lucian. de Sacrif. p. 368. *Sertis coronant pecudem, multoque ante explorant, an legitima sit, & sacris idonea, ne quid forte mactent ex iis, quæ religio repudiat: deinde ad aram adducunt, & sub oculis dei jugulant.* Hunc morem docet Virg. Æneid. IV. 57.

—— mactant lectas de more bidentes.

Ubi Servius: *Non vacat lectas. Moris enim fuerat, ut ad sacrificia eligerentur oves, quibus nihil deesset.* Virg. ibid. VI. 38.

Nunc grege de intacto septem mactare juvencos
Præstiterit: totidem lectas de more bidentes.

Ubi Servius: *Intacto, id est, indomito, ut Georg.* IV. 540.

—— intacta totidem cervice juvencos.

De more, antiquo scilicet, quem prætermisit, ut omnibus notum? id est, ne habeant caudam aculeatam, ne linguam fissam, ne aurem nigram. Lomej. de Lustrat. c. 23. Turneb. Adv. XI. 1. Saubert. de Sacrif. c. 18. Brisson. de Form. I. p. 14. Stuck. de Sacrif. p. 112. Guther. de Jur. Pontif. IV. 20. Struv. Ant. Rom. c. 10. p. 461. Nec quilibet fœtus statim a nativitate censebatur ad sacrificium idoneus, sed requirebatur tempus immolationi conveniens. Varr. Re Rust. II. 4. *Qui a partu decimo die habentur puri, ab eo appellantur ab antiquis sacres, quod tum ad sacrificium idonei dicuntur primum.* Brisson. ibid. p. 7. Saubert. & Lomej. l. l. Dicebatur probari. V. infr. in *Probari*. Ad aram ducebatur, non trahebatur. V. infr. in *Victima*. Ducebatur prælato titulo, cui scilicet deo esset mactanda. Suet. Aug. c. 59. n. 2. *Nonnulli patrumfamilias testamento caverunt, ut ab heredibus, prælato titulo, victimæ in Capitolium ducerentur.* Merul. de Sacrif. c. 2. §. 2. Faber Semest. II. 8. Et ad eam admovebatur. V. supr. in *Admoveri*. Admota dicebatur stare, interim dum vota conciperentur, eique vinum, ac mola inspergeretur. Illi vero verbo quædam placidæ quietis nota inest. Virg. Georg. II. 195.

Et ductus cornu stabit sacer hircus ad aram.

Mart. III. 24. 1.

Vite nocens rosea stabat moriturus ad aras
Hircus, grata tuis victima, Bacche, sacris.

Plin. XXVIII. 2. *Si repente extis adimi vel capita, vel corda, aut geminari, victima stante, acciderit.* Brisson. l. l. Stuck. ibid. p. 161. Struv. ibid. p. 468. Si vero inter ducendum reluctaretur, aut admota aufugeret, dirum esse omen putabatur. Macrob. Sat. III. 5. *Observatum est a sacrificantibus, ut si hostia, quæ ad aras duceretur, fuisset vehementius reluctata, ostendissetque, se invitam altaribus admoveri, amoveretur, quia invito deo offerri eam putabant.* Festus. V. illum supr. in *Auspicium piaculare*. Inter prodigia Pharsalicæ cladis hoc quoque ponit Lucanus laudatus supr. in *Admoveri*. Suet. Jul. c. 59. n. 2. *Quum immolanti aufugisset hostia, profectionem adversus Scipionem & Jubam non distulit.* Brouck. in Tibull. II. I. 15. Lomej. de Lustrat. c. 12. Cerda in Virg. Æneid. II. 223. Merul. l. l. Kipping. Antiq. Roman. I. 12. §. 14. Pitisc. in Suetonium. Antequam cæderetur, mola salsa conspergebatur. Serv. Æneid. X. 541. *Immolat, quasi victimam, ut ille consueverat, nam hoc verbo ad sacerdotis nomen allusit. Sane immolari proprie dicuntur hostiæ, non cum cæduntur, sed cum accipiunt molam salsam.* Cato in Originibus ita ait: *Lavini boves immolatos, prius quam cæderentur, profugisse in sylvam.* Festus: *Immolare est mola, id est, farre moluto; & sale hostiam perspersam sacrare.* Suetonius modo laudatus. Illa conspersa a victimario securi percutiebatur, sive feriebatur. Flor. II. 5. 3. *Legatos*

tos nostros non gladio, sed, ut victimas, securi percutiunt. Ovid. Trist. IV. 2. 5.

> *Candidaque adducta collum percussa securi*
> *Victima purpureo sanguine tingat humum.*

Met. VII. 428.

> — *feriuntque secures*
> *Colla torosa boum vinctorum cornua vittis.*

Brisson. ibid. p. 16. Struv. ibid. p. 475. Saubert. de Sacrif. c. 18. Stuck. ibid. p. 12. 148. Merul. de Sacrif. c. 3. §. 2. & 6. Feith Antiq. Homer. I. 10. Laurent. Var. sacr. gentil. c. 19. Kipping. l. l. Hering. de Molendin. q. 3. §. 15. Percussa, & ad aram data mactari dicebatur. Serv. Æneid. IV. 57. V. illum infr. in *Mactare.* Inde quoties mola, vel thus, vel vinum super victimam fundebatur, clamabant: *mactus est taurus thure, vel vino.* Serv. Æneid. IX. 641. *Macte, id est, magis aucte, affectatæ gloriæ. Et est sermo tractus a sacris. Quoties enim aut thus, aut vinum super victimam fundebatur, dicebant: mactus est taurus vino, vel thure, hoc est, cumulata est hostia, & magis aucta.* Brisson. ibid. p. 18. Stuck. Ant. Conviv. II. 37. de Sacrif. p. 148. 12. Voss. Instit. Orat. IV. 9. §. 9. Saubert. l. l. Struv. ibid. p. 463.

Hostiæ ambarvales dicebantur, quæ ambarvaliorum festo circum arva ducebantur. Festus: *Ambarvales hostiæ dicebantur, quæ pro arvis a duodecim fratribus sacrificabantur. Ambarvalis hostia est, quæ rei divinæ causa circum arva ducitur ab iis, qui pro frugibus faciunt.* Macrob. Sat. III. 5. *Hinc nomen hostiæ acquisitum est ab ambiendis arvis.* De illis Virg. Georg. I. 345.

> *Terque novas circum felix eat hostia fruges.*

Struv. Ant. Rom. c. 10. p. 464. Gyrald. Synt. deor. XVII. p. 487. G. Merul. de Sacrif. c. 2. §. 4. Broukh. in Tibull. II. 1. 15.

Hostiæ animales vocantur sacrificia, quibus aliquod animal sacrificatur. Hæc sacrificiis inanimatis, aut ex thure, aut ex visceribus crematis opponit Arnob. VII. p. 212. *Aut enim thus datur, & liquefactum carbonibus disperit: aut animalis est hostia, & ab canibus abliguritur sanguis: aut si aliquod viscus aris fuerit traditum, ratione ardescit pari, & dissolutum in cineres labitur.* Lomej. de Lustrat. c. 23. Brisson. de Form. I. p. 13. Etiam quibus sola anima deo sacratur. Macrob. Sat. III. 5. *Trebatius de relig. I. docet hostiarum genera esse duo: unum, in quo voluntas dei per exta disquiritur: alterum, in quo sola anima deo sacratur, unde etiam aruspices animales has hostias vocant. Virgilius illud ostendit, cum facit Entellum victorem Eryci mactare taurum; nam ut expleret animalis hostiæ causas, ipso usus est nomine:*

> *Hanc tibi Eryx meliorem animam pro morte Daretis*
> *Persolvo.*

Guther. de Jur. pontif. IV. 20. Turneb. Adv. XIV. 4. Gyrald. Synt. deor. XVII. p. 487. G. Merul. de sacrif. c. 2. §. 3. Quæ quidem observatio non caret vanitate. *Herald. ad Arnobium.*

Hostiæ aruigæ, sive harugæ. V. illas supr. in *Haruga.*

Hostiæ caviares. V. illas supr. in *Caviaria.* Scalig. & Dacer. in Festum. Gyrald. Synt. deor. XVII. p. 487. C. Lomej. de Lustrat. c. 23. Struv. Ant. Roman. c. 10. p. 464. Merul. de Sacrif. c. 2. §. 4.

Hostiæ circumferraneæ dictæ sunt, quia sacerdos eos aqua pura circumferebat, qui funeri operam dedissent. Apul. Met. III. p. 71. *Tandem pererratis plateis omnibus, & in modum eorum, qui lustralibus piamentis minas portentorum hostiis circumferraneis expiant.* Sic lego apud scriptorem Africanum, in fingendis nominibus audacem, cum illas ipse *lustrales* vocet Apol. I. p. 483. Frustra enim circumforaneæ *hostiæ* ad expiationem notarentur, cum *hostiæ* fere omnis a circumforaneis emi soleret. Nova quidem hæc vox videri potest, sed plura hujusmodi nova verba in Apulejo, ut in aliis scriptoribus Africanis, jam canescunt. *Guther. de Jur. man. II. 7.*

Hostiæ eximiæ dicebantur, *quod in sacrificiis optimum pecus e grege eximebatur.* Festus. Donat. Hec. I. 1. 4. *Eximia pecora dicuntur, quæ a grege excepta sunt ad usus dominorum suorum, ut uberius pascantur. Sed proprie eximii sunt porci majores, qui ad sacrificandum excepti liberius pascuntur.* Verum non de porcis tantum, sed de quibuslibet *hostiis* eximium dici, ex Veratio docet Macrob. Sat. III. 5. *Veratius in pontificiis quæstionibus docet eximias dictas esse hostias, quæ ad sacrificium destinatæ eximuntur a grege, vel quod eximia specie, quasi [illegible] offerantur [illegible].* Virg. Georg. IV. 538.

> *Quatuor eximios [illegible] tauros*
> *Duc [illegible]*

Brisson. de Form. I. p. 13. Guther. de Jur. pontif. IV. 20. Struv. Ant. Roman. c. 10. p. 465. Gyrald. Synt. deor. XVII. p. 486. F. Merul. de Sacrif. c. 2. §. 4. Laurent. Var. sacr. gentil. c. 14. Kipping. Antiq. Romar. [illegible] II. §. 12. Cerda in Virgil. [illegible]

Hostiæ [illegible] vocantur, [illegible] *nunquam domitæ, aut [illegible]* V. [illegible] S. supr. in *Hostia* [illegible] Macrob. Sat. III. 5. Et Senec. Thyest. n. 2[illegible]. requirit

> *A[illegible] tergo boum*
> *Cer[illegible] collum*
> *Depressum jugo.*

Fulgent. Serm. Ant. expos. n. 10. *Manilius Chrestus libro, quem de deorum hymnis scripsit, ait Minervæ injuges boves sacrificari, id est, jugum nunquam ferentes; illa videlicet causa, quod & virginitas jugum nesciat maritale, & virtus nunquam sit jugo prementi subjecta.* Struv. Ant. Rom. c. 10. p. 463. Gyrald. Synt. deor. XVII. p. 488. A. Merul. de Sacrif. c. 3. §. 3. Laurent. Var. sacr. gentil. c. 14. Kipping. Antiq. Roman. I. 11. §. 12.

Hostiæ lactentes, sive minores, opponuntur perfectis, & majoribus. Cicer. de Leg. II. 12. *Quibus hostiis immolandum cuique deo, cui majoribus, cui lactentibus.* Liv. XXII. 1. *Decretum, ut ea prodigia partim majoribus, partim lactentibus hostiis procurarentur.* Struv. Ant. Rom. c. 10. p. 464. Lomej. de Lustrat. c. 23. Brisson. de Form. I. p. 13. Merul. de Sacrif. c. 2. §. 3.

Hostiæ lustrales dictæ sunt, quas censores lustro completo sollenni sacrificio offerebant. Serv. Æneid. VIII. 182. V. illum infr. in *Lustralia.*

Hostiæ majores dictæ sunt ab ætate. Harum sacrificia ex decreto senatus sæpius sunt facta. Liv. XXII. 1. *Decemvirorum monitu decretum est, Junoni majoribus hostiis sacrificaretur.* & *Hæc ubi facta, decemviri Ardeæ in foro majoribus hostiis sacrificarunt.* Struv. Ant. Rom. c. 10. p. 464. Merul. de Sacrif. c. 2. §. 4. Serv. Æneid. XII. 170. *In rebus, quas volebant finiri celerius, senibus, & jam decrescentibus animalibus sacrificabant: in rebus vero, quas augeri, & continuari volebant, de minoribus, & adhuc crescentibus immolabant.* Ascanius Jovi majorem vovet Æneid. IX. 627.

> *Et statuam ante aras aurata fronte juvencum*
> *Candentem, pariterque caput cum matre ferentem,*
> *Jam cornu petat, & pedibus qui spargat arenam.*

Lomej. de Lustrat. c. 23.

Hostiæ mediales dictæ sunt, quia meridie immolabantur. Festus: *Medialem appellabant hostiam [illegible], quam meridie immolabant.* Struv. Antiq. Rom. c. 10. p. 464. Merul. de Sacrif. c. 2. §. 4.

Hostiæ optatæ dictæ sunt, quas ædilis constitutis *hostiis* immolandas optabat, sive eligebat. Festus: *Optatam hostiam, alii optimam appellant eam, quam ædilis tribunitius constitutis hostiis optat, quam immolari velit.* Struv. Ant. Rom. c. 10. p. 464: Merul. de Sacrif. c. 2. §. 4.

Hostiæ piaculares piaculi luendi gratia cædebantur. Plin. Pan. c. 34. n. 4. *Quum velut piaculares publicæ sollicitudinis victimæ supra sanguinem noxiorum ad lenta supplicia, graviores que poenas ducerentur.* Brisson. de Form. l. I. p. 13. Merul. de Sacrif. c. 2. §. 4. Laurent. Var. sacr. gentil. c. 17. Qui non annotaverunt, cum de succidaneis loquitur, eas piaculares dictas: quod monet Plaut. Epid. I. 2. 36.

> *Men' piacularem fieri ob stultitiam tuam,*
> *Ut meum tergum stultitiæ tuæ subdas succidaneum?*

Guther,

Guther. de Jur. pontif. IV. 20. Frustra. Nam ea erat differentia, ut omnes succidaneæ essent piaculares, non autem omnes piaculares succidaneæ. *Struv. Ant. Rom. c.* 10. *p.* 464.

Hostiæ p[illegible]cidaneæ dictæ sunt, *quæ ante sacrificia sollennia pridie cæd[illegible]ur. Porca etiam præcidanea appellata, quam piaculi gratia ante fruges novas fieri cœptas immolari Cereri mos fuit, si qui familiam funestam aut non purgaverant, aut aliter eam rem, quam oportuerat, procuraverant.* Gell. IV. 6. Et ita Festus. *Gyrald. Synt. deor.* XVII. *p.* 485. *E. Struv. Ant. Rom. c.* 10. *p.* 463. *Merul. de Sacrif. c.* 2. §. 3. *Laurent. Var. sacr. gentil. c.* 13. *Thys. in Gellium.* Paullus vero ejus mutilator, *Præcidaneam porcam dicebant, quam immolare erant soliti ante; quam novam frugem præciderent.* Qui non advertit, quid sit præcidanea, quid item succidanea. Præcidanea *hostia* imitabatur Græcorum προτέλειαν. Et quæ sunt Attejo feriæ præcidaneæ, Græcis eæ προτέλειος ἡμέρα, succidanea, τὰ δεύτερα ἀμείνω. Et non a cædendo, sed a cedendo, per e. *Scalig. ad Festum.*

Hostiæ prodigæ *dicebantur, quæ consumuntur;* Festus. *Struv. Ant. Roman. c.* 10. *p.* 464. *Gyrald. Synt. deor.* XVII. *p.* 487. *C. Brisson. de Form.* I. *p.* 13. *Merul. de Sacrif. c.* 2. §. 4.

Hostiæ puræ dicebantur, quæ ad sacrificium aptæ. Varro in *hostia* laudatus. Festus: *Sacrem porcum dici ait Verrius, ubi jam a partu habetur purus. Suis fœtum sacrificio die quinto purum esse, pecoris die octavo, bovis tricesimo* scribit Plin. VIII. 51. Et addit, *Coruncanum ruminales hostias, donec bidentes fierent, puras negavisse.* Et *agnum a Græco* ἁγνὸς, *quod significat castum: eo quod sit hostia pura, & immolationi apta.* Struv. Ant. Roman. c. 10. p. 461. Merul. de Sacrif. c. 2. §. 3.

Hostiæ regiæ dicuntur vel Regis animalia, vel pro Regis salute oblata, vel de Regibus victis capta. Nam etsi nomen Regis Imperatores Romani vitarunt, tamen quæ ad Imperatorem pertinerent, & Imperatoris erant, regia vocabantur. Hæc offert Aurelianus apud Vopisc. c. 20. *Qualibet animalia regia non abnuo, sed libens offero.* Nulla autem erant alia, quam quæ inter animalia, uti Reges inter homines, excellebant; qualia erant leones, aquilæ, & similia, quæ ad Imperatorum sacrificia alias requirebantur. V. Capitolinum supr. in *Hecatombe.* Struv. Ant. Roman. c. 10. p. 465.

Hostiæ ruminales dictæ videntur fuisse sexus feminei, eædem ac mammatæ, cum mamma veteribus dicta rumen. V. Plinium supr. in *Hostiæ puræ.* Struv. Ant. Roman. c. 10. p. 464.

Hostiæ succidaneæ dictæ sunt, *quæ si primis litatum non erat, post easdem ducta cædebantur: quæ, quasi prioribus jam cæsis, luendi piaculi gratia, subdebantur, & succidebantur: ob id succidaneæ nominatæ, litera i scilicet tractim pronuntiata: audio enim quosdam eam literam in hac voce barbare corripere.* Gell. IV. 6. Festus: *Succidanea hostia appellatur, quæ secundo loco cæditur, quod quasi succideretur, dicta. Quidam a succedendo, non a succidendo dictam putant.* Gyrald. Synt. deor. XVII. p. 486. A. Struv. Ant. Rom. c. 10. p. 463. Guther. de Jur. pontif. IV. 18. & 20. Laurent. Var. sacr. gentil. c. 13. V. & supr. in *Hostiæ piaculares & præcidaneæ.*

HOSTILIA gens. V. illam supr. in *Gens.*

HOSTILINA dicebatur *dea præfecta segetibus, cum novis aristis æquabantur, quia veteres hostire æquare dixerunt.* Augustin. de Civ. Dei IV. 8. *Tomas. de Donar. c.* 26. *Gyrald. Synt. deor.* I. *p.* 41. *E. Voss. de Idolol.* II. 61. *Stuck. de Sacrif. p.* 35. *Rhodig. Ant. Lect.* XXIV. 30.

HOSTIS Romana proprietate loquentibus peregrinum notat. Varr. de Ling. Lat. IV. I. *Multa verba aliud nunc ostendunt, aliud ante significabant: ut hostis. Nam tum eo verbo dicebant peregrinum qui suis legibus uteretur, nunc dicunt eum, quem tunc dicebant perduellem.* Cicer. de Offic. I. 12. *Equidem illud etiam animadverto, quod qui proprio nomine perduellis esset, is hostis vocaretur, lenitate verbi tristitiam mitigante: hostis enim apud majores nostros is dicebatur, quem nunc peregrinum dicimus. Indicant* XII. *tabulæ: adversum hostem æterna auctoritas esto.* Sic Petronius *hostile lignum* pro peregre advecto in Apodix: Bell. Civ. n. 30. dixit. Et apud Plautum aliquoties *hostis* civi opponitur. Quo allusit Val. Flacc. IV. 159.

Hostis an externis fato delapsus ab oris.

Jam *hostes* dicuntur illi, cum quibus publice bellum habemus. Cicer. Fin. V. 20. *Quotiescunque dicetur male de se quis mereri, sibique esse inimicus, atque hostis.* Barth. Adv. XXII. 9. Morestell. de Divers. dier. Dialog. XIII. Tomas. de Tesser. hospital. c. 23. Augustin. de Famil. in Lucretia: ad leg. XII. tab. §. 16. Ursin. ad easd. Thes. Antiq. Rom. Græv. Tom. II. p. 1354. F. Alard. in Valerium. Rittersh. ad Leg. XII. tab. Class. III. p. 3. c. 2. *Hostes* a senatu judicabantur qui contra patriam arma cepissent, vel a Republica defecissent, resque novas moliti essent. Cicer. Phil. III. 6. *Judicetur, non verbo, sed re, non modo non consul, sed etiam hostis Antonius.* Suet. Ner. c. 49. n. 2. *Legit se hostem a senatu judicatum.* Ulp. l. amission. §. 1. ff. de cap. minut. *Sed & hi, quos senatus hostes judicavit.* Brisson. de Form. II. p. 261. Nec provocationem ad ullum magistratum, aut ad populum habebant: nec erat, ut senatus judicium infirmare posset. *Manut. de Senat. Rom. c.* 10. In bello superati, quanquam in illos jure belli nihil non licebat, plerumque tamen mitius, & humanius habebantur pro eorum arbitrio, qui superiores exstiterant: ut cædi, & stragi erepti, vitam quidem certe, sed interdum & libertatem, atque commeatum, id est, abeundi ad sua licentiam: ut Hispani, & Masinissæ nepos a C. Scipione ad Carthaginem, ut Celtæ Romanorum socii ab Hannibale, integrumque statum, & facultates impetrarent: vel singuli, vel etiam universi, ut Tusculani, Æqui, Volsci, Sabini, Hernici, quos in civitatem etiam Romani acceperunt: &, aut nudi, hoc est, discincti, ereptis armis, telisque cum aliqua ignominia, aut sine ulla sub jugum missione, certis legibus, atque conditionibus fœdere inter belli duces icto, quod ex jure gentium valeret. Ii, quibus vitæ solius facultas concedebatur, libertatis, bonorumque omnium damno mulctabantur, & in servitutem deducti priorem conditionem, & statum permutabant, quod alieno dominio contra naturam ex jure gentium subjicerentur. *Fab. Semestr.* II. 3. Interdum pro deridiculo habendi tondebantur. Prop. IV. 12. 38.

Quorum sub titulis Africa tonsa jaces.

Claud. in Rufin. I. 379.

Tonsa comas imo barathri claudere recessu.

Barth. Adv. VII. 15. & in Claudianum. Lyd. de Re milit. VI. 6. In prælio devictorum colla pedibus conculcabantur. V. infr. in *Pes.* Interemptorum cadavera propinquis petentibus ad sepulturam reddebantur. Unde ad Cajum Gracchum Licinia uxor de insepulto Tiberii fratris cadavere apud Plutarch. Gracch. p. 845. *Viget improbitas, vis, & ferrum dominantur jam in subselliis. Si apud Numantiam frater tuus occubuisset, cadaver petitis induciis reddidissent nobis.* Et Vibulenus gregarius quidam miles ad Blæsum castris Pannonicis sub Tiberio præfectum in hæc verba erumpit apud Tacit. Annal. I. 22. 3. de patre suo per ipsius satellites jugulato: *Responde Blæse, ubi cadaver abjeceris: ne hostes quidem sepulturam invident.* Hoc ab Hercule ortum esse auctor est Plutarch. Thes. p. 14. *Herculem hostibus principem mortuorum cadavera concessisse in iis, quæ de Hercule prodita sunt, invenies.* Kirchm. Append. Fun. Rom. c. 4. Guther. de Jur. man. I. 6. Fab. Semest. II. 1. Aring. Rom. Subt. I. 4. §. 4. & 5. Interdum etiam ab ipsis victoribus sepeliebantur. Galli Senones a Romanis recuperata Urbe. Varro. V. illum supr. in *Busta Gallica.* Hanc humanitatem L. Cornelius Consul Hannoni Carthaginensium duci præstitit. Nam cum is pro Olbia oppido fortissime dimicans occubuisset, *corpus ejus e tabernaculo suo amplo funere extulit, nec dubitavit hostis exsequias ipse celebrare.* Val. Max. V. I. *Kirchm. ibid. c.* 5. Capita interdum a victoribus ferocioribus amputabantur, & in contumeliam hastæ suffixa circumferebantur. V. supr. in *Caput.* Arma nu-

mini consecrabant, & concremabant. V. supr. in *Arma.*

HOSTIUS, ut inquit Valerius; *fuit prænomen ejus, qui peregre apud hostem*, mendose hospitem, *natus esset.* Hostem appellatum fuisse apud veteres quemcunque peregrinum dictum supr. in *Hostis.* Macrob. Sat. I. 4. eum *Hostium* vocatum fuisse scribit, qui primus in *hostico*, id est, in agro hostili procreatus esset. Hinc prænomen a tribus tantum usurpatum fuisse reperi, a patre, avoque Tulli Hostilii Regis, & ab *Hostio* Lucretio Tricipitino consule, quod omnibus literis in tabulis Capitolinis exaratum est. *Panvin. de Nom. Roman. Thes. Antiq. Roman. Græv. Tom.* II. *p.* 2027. *D. Sigon. de Nom. Roman. c.* 3. Legendum est autem *Hostus.* Hoc ex eo intelligi potest, quod Liv. IV. 30. *Lucretium Tricipitinum Hostum* vocat: & in consulibus Capitolinis anno 336. scriptum est, P. LUCRETIUS HOSTI F. Macrobius etiam *Hostilii Hosti filii* mentionem facit Sat. I. 6. *Sigon. l. l.*

HUM.

HUMATIO est sepulturæ genus antiquissimum. Cicer. de Leg. II. 22. *Mihi quidem antiquissimum sepulturæ genus id fuisse videtur, quo apud Xenophontem Cyrus utitur. Redditur enim terræ corpus, & ita locatum, ac situm, quasi operimento matris obducitur.* Minuc. Fel. p. 327. *Nec, ut creditis, ullum damnum sepulturæ timemus, sed veterem, & meliorem consuetudinem humandi frequentamus.* Lactant. VI. 12. *Quin etiam non defuerunt, qui supervacaneam facerent sepulturam, nihilque esse dicerent esse mali, jacere inhumatum, atque abjectum. Quorum impiam sapientiam cum omne humanum genus respuit, tum divinæ voces, quæ id fieri jubent. Verum illi non audent dicere, id non esse faciendum, sed si forte non fiat, nihil esse incommodi. Itaque in ea re non tam præcipientium, quam consolantium funguntur officio; ut si forte sapienti id evenerit, ne se ob hoc miserum esse putet. Nos autem non, quid sapienti ferendum sit, dicimus; sed quid facere ipse debeat. Itaque non quærimus nunc, utrumne tota sepeliendi ratio sit [illegible], sed hæc, etiamsi sit inanis, ut alii existimant, tamen facienda est, vel ob hoc solum, quod apud homines bene, & humane fieri videtur. Animus enim quæritur, & propositum ponderatur. Non enim patiemur, figuram, & figmentum Dei feris, & volucribus prædam jacere; sed reddamus terræ, unde ortum est.* Guther. de Jur. man. II. 17. Elmenhorst. in Minucium. Calcagn. Collect. Vetust. p. 380. Kirchm. de Funer. III. 21. Nicol. de Sepulcr. Vet. II. 3. I. & 2.

HUMERUS dexter si salierit, utilitatem significat artifici manuali in opere suo, servo utilitatem, & mortem domini sui, virgini nuptias, viduæ lucrum, mercatoribus utilitatem, gubernatori bonum iter, mulieri gaudium. Sin autem sinister, insidias a muliere illatas sed salutares portendit. *Niphus de Augur.* I. 9. Dextrum una cum brachio exertum communis recentior habitus habuisse haudquaquam videtur. Ideo Quintil. XI. 3. *Tum sinus injiciendus humero, cujus extremam oram rejecisse non dedecet.* Ideo Curius Fortunatianus: *Sinus ab humero potest labi.* Quod non potest nisi de dextro intelligi: nam ad sinistrum *humerum* nulla pars sinus patet. Iterum Fabius post illa verba: *Operiri humerum cum toto jugulo non oportet: alioquin amictus fiet angustus.* Non totum jugulum vult una cum *humero* operiri: vult ergo ipsum *humerum* operiri: nam pars juguli *humero* plane nudo operiri nulla potest. Præterea Tertull. de Pall. c. 5. ait *umbonis ambitum, unde sinus nascitur, retrahi a scapulis.* Est ergo in scapulis aliquod tegimen, unde *retrahitur* (non dixit, *detrahitur*, ut ostendat aliquid in *humero* manere) illud circa umbonem unde nascitur sinus. Denique veteres statuæ id liquido ostendunt. *Gronov. Epist. ad Rhodium apud Ferrar. de Re Vest.* I. I. 39. Sed id nummi veteres, quorum non exigua apud me copia, tum statuæ omnes, quas Venetiis vidi, quasque Boissardus dedit, id manifeste evincunt. In nummis præcipue Adlocutiones omnes, Congiaria, Restitutiones provinciarum, quæ plurimæ in Adriani numismatis hunc habitum repræsentant. Negas id Quintiliani ætate factum. Atqui ipse tradit veteres more Græcorum veste brachium continuisse, ergo ipsius ævo exerebatur. Quomodo autem exeri velato *humero* commode potuerit, non video, etiamsi nullæ statuæ, aut nummi id ostenderent. Imo non nisi exerto *humero*, ac brachio sinus in toga efficiebatur. *Nam veteribus*, inquit Rhetor, *nulli sinus: perquam breves post illos fuerunt. Itaque etiam gestu necesse est illos in principiis usos esse alio, quorum brachium sicut Græcorum veste continebatur. Sed nos de præsentibus loquimur.* Cur nulli, aut perbreves veteribus sinus? quod brachium more Græcorum veste cohibebant, sive non exerebant. Exerto humero, ac brachio, quod tunc fiebat, pars togæ, quæ olim brachium, & *humerum* velabat delapsa, & brachio subjecta, cadensque in pectus sinum efficiebat. Quid clarius iis verbis: *Ille qui sub humero dextro ad sinistrum oblique ducitur velut balteus.* Paullo ante dixerat: *sinus decentissimus, si aliquanto supra imam togam fuerit, nunquam certe sit inferior.* Subjicit. *Ille*, id est, sinus, *qui sub humero dextro ad sinistrum obliquo ducitur.* An potest pars togæ esse sub dextro *humero*, & *humerum* velare? Nullus cohibito brachio sinus, qui exerto fiebat. Cum ergo addit, *humero sinum injiciendum*, de dextro accipi non potest. Quid enim injiceretur, si tectus *humerus* erat? Deinde quis credat partem togæ posteriorem ad scapulas sinum appellari? Nec aliter injici poterat, quam reducto intra togam brachio, quod sinum penitus destruxisset. Sinus ergo, hoc est, pars togæ, quæ sinistrum *humerum*, brachiumque velabat, cum sæpe delaberetur, & *humerum* renudaret, erat *humero* injicienda, & sedi suæ reddenda. *At si*, inquit Rhetor, *incipientibus, aut paullum progressis decidat toga, non reponere eam prorsus negligentis, aut pigri, aut quomodo debeat amiciri nescientis est.* Quod ait Curius: *Sinus ab humero potest labi.* Quare & illa: *operiri jugulum cum toto humero non oportet.* . . . de sinistro pariter capienda. Vult enim partem togæ, quæ *humero* labebatur, reduci in *humerum*, eumque velari, sed non cum eo etiam jugulum, ne angustior fieret amictus, & strangularet magis ita conjecta, quam operiret. Quod puto innuisse Tertullianum: nam dilapsa in brachium sinistra togæ parte, & renudatis scapulis, retrahendum posterioris umbonis ambitum, ut sinister *humerus* iterum operiretur. Vel, si aliud intellexit, parum ad rem nostram, qui vulgares habitus exequimur, & non quos ille Rhetorice de suo commentus est. Quare non modo pars sinus ad sinistrum *humerum* pertinebat, sed nihil aliud sinus superior fuit, quam pars togæ, quæ dextro brachio subjecta, ad sinistrum *humerum* recurrebat, extrema ejus parte ad pectus cadente, quam sinum vult esse decentissimum Quintilianus. *Si aliquanto supra imam togam fuerit*, id est, non ultra togæ oram inferiorem protendatur, quod aliquando eveniebat in togis laxis, ac fusis, quarum sinus longius fluebat, contra in angustis etiam brevior cadebat. *Ferrar. Epist. ad Gronovium de Re Vest.* I. I. 39.

HUN.

HUNNORUM gens omnium, qui imperium Romanum sunt conati exscindere, sævissima, quam Theodosius per Pannoniam se diffundentem devicerat, & trans Danubium rejecerat, iterum Istro trajecto Pannoniam omnem, Daciam, Mœsiam, Noricum, Rhætias, Illyrici & Thraciæ partem; Theodosio mortuo occupavit. Hujus gentis Reges fuerunt Supthar, Rufila, Bleda, & gentium, orbisque flagellum Attila, qui Romano imperio sub Valentiniano tertio ingentes intulit calamitates, urbes excidit, provincias devastavit, & omnia igni, ferroque consumpsit, Thraciam, & Illyricum sævissima populatione vexavit, omnia præter Perinthum & Adrianopolim cepit. Macedoniam posthæc, Mœsiam, Achajam, Græciam omnem populatus est. Non contentus his provinciis, quas majores sui imperio Romano eripuerant, fortissimarum gentium, quas debellaverat, præsidio fretus, animum ad occupandum totum occidentis imperium intendit. In Gallias transgressus, memorabili prælio in

campis Catalaunicis ab Ætio patricio, adjuvantibus Meroveo Francorum, & Theoderico Viſegothorum Regibus victus, in Pannoniam redire coactus eſt. Reparatis viribus, quum expeditionem in Italiam edixiſſet, & Aquileja capta, & diruta, Venetiam omnem devaſtaſſet, dum ultra progredi pararet, obvium habuit Leonem papam pro pace a Valentiniano miſſum, cujus precibus exoratus, relicta Italia in Pannoniam reverſus eſt. Ubi, dum iterum in Italiam redire pararet, morte repentina deceſſit. Poſt cujus obitum *Hunnorum* imperium paullatim labefactari cœpit, quum Oſtrogothi, Gepidæ, Heruli, Marcomanni, Toringi, Suevi, Quadi, Rugi, & ſeptemtrionales alii populi ab eo defeciſſent. Quibus rerum tumultibus ab Oſtrogothis victi Pannonia, & finitimis regionibus, quas Romanis antiquitus ereptas longo tempore tenuerant, ejecti ſunt, & in Scythiam fugati. *Panvin. Imp. Roman. c.* 28.

HYA.

HYÆNA in Africa naſcitur. Solin. c. 30. *Hyænam emittit Africa, cui non ſpina riget collum, continua unitate flecti nequit, niſi toto corpore circumacto.* Exhibebatur in ludis, & venationibus. Capitol. Gordian. c. 33. *Fuerunt ſub Gordiano Romæ belbi, id eſt, hyænæ decem.* Panvin. de Lud. Circenſ. II. 3. & ad illum Argolus.

HYALOSTROTUM erat pavimentum, factum e particulis vitri, variis & diverſis coloribus tincti. *Goeree Antiq. Biblic.* v. 6.

HYB.

HYBERNA veteres illi & priſci Romani diu ignoraverunt, continentia quidem cum accolis bella, ſed tamen ita gerere conſueti, ut hyeme quaſi a rerum natura, & tempore anni induciis factis dimitterent ſemper militem, in domosque, & tecta ſua reducerent. Obſidione Vejorum anno ab U. C. circiter 348. primum inſtituta *hyberna.* Liv. v. 2. *Quum ſpes major Imperatoribus Romanis in obſidione, quam in oppugnatione eſſet, hybernacula etiam, res nova militi Romano, ædificari cœpta.* Et quia nova, eoque gravis, *ſtipendiis*, ut ait Flor. I. 12. 8. ſunt *taxata.* Servabatur tamen diu poſt illa tempora, quoties licebat, mos antiquus, & hybernacula adeo in promiſcuo uſu tunc non erant, ut etiam pro pœna irrogarentur. Frontinus: *P. Valerio conſuli ſenatus præcepit exercitum ad Sirin victum ducere Setinum, ibique caſtra munire, & hyemem ſub tentoriis exigere.* Bello Punico II. militum, qui ex Cannenſi prælio fugerant, ignominiæ hoc legitur inter cætera adjectum apud Liv. XXVI. I. *Ne in oppidis hybernarent, neve hyberna propius Urbem decem millibus paſſuum ædificarent.* Equidem mali moris, ſolutæque diſciplinæ ſemper habitum, equitem, non tantum peditem, per oppida, vicos, aut villas ſparſum, ſub tectis, & in umbra æſtiva agere. Oſtendit hoc P. Scipio Africanus, cui cum relatum eſſet bene magnum Carthaginenſium equitatum per æſtatem ſub tectis contineri. *Sint*, inquit, *vel plures, dum talem habeant ducem.* Tam mollis, effeminatique animi, tam corruptæ licentiæ maximo Imperatori videbatur, quod hodie in morem vertit, equites æſtivo anni tempore domos circumſpicere, & receſſum, ut quantumvis multitudinem adoriri non dubitaverit, nec ſibi magnopere inquirendum de eorum numero putaverit, quos tam molliter haberi comperiſſet. Proprio enim rerum agendarum, & ipſius quodammodo virtutis tempore alibi quam ſub dio, aut pellibus habitare, quid niſi dedecus, niſi flagitium rei militaris æſtimarent homines in caſtris educati, in iisque tantum rei bene gerendæ momentum ponentes? Solebant autem fere remittere aliquid de virtute, nec vulgaris duritiæ habebatur, ne hyeme quidem domos ſubire. Jactantia erat Arioviſti: *In[illegible]ctos Germanos, exercitatiſſimos in armis, intra quatuordecim [illegible] non ſubiiſſe.* Sed poſtquam longinqua, & gravia bella procul a domo traxere, militem, militiamque perennem fecere nullo præſtituto militandi tempore, niſi quis legitimorum ſtipendiorum eſſet, aut bello confecto domum reduceretur: non raro diſciplinæ interfuit, ut tam hyeme, quam æſtate in caſtris continerentur, quo ſemper velut in procinctu adverſus hoſtem ſtantes, neque inſidiis locum præberent, neque hoſti laxamenti aliquid darent ad reſpirandum, viresque recolligendas: ſimul ut inter externos, & ſæpe peſſimos mores remoti ab oppidorum, vitiorumque contactu ſanctius, & incorruptius agerent. *Schel. in Hygin. Theſ. Antiq. Roman. Græv. Tom.* X. *p.* 1109. *F. Lipſ. de Milit. Rom.* v. *Dial.* I. *Laz. Comm. Reip. Rom.* IV. 4. *Stewech. in Veget.* I. 3. *Pigh. Annal. Rom.* I. *p.* 209. *Laurent. Polym.* IV. *Synopſ.* 3.

HYBRIDA fuit appellatus Q. Varius tribunus plebis. Val. Max. VIII. 6. 4. *Q. autem Varius propter obſcurum jus civitatis hybrida cognominatus, tribunus plebis legem adverſus interceſſionem collegarum perrogavit.* Plin. VIII. 53. *In nullo genere æque facilis miſtura cum fero, qualiter natos antiqui hybridas vocabant, ſeu ſemiferos, ad homines quoque, ut in C. Antonium Ciceronis in conſulatu collegam appellatione tranſlata. Non in ſuibus tantum, ſed in omnibus quoque animalibus, cujuſcunque generis ullum eſt placidum, ejuſdem invenitur & ferum.* Horat. Sat. I. 7. I.

Proſcripti Regis Rupili pus atque venenum
Hybrida quo pacto ſit Perſius ultus, opinor
Omnibus & lippis notum & tonſoribus eſſe.

Quo loco Acro aquilas quoque ex vulture & aquila ita appellari ſcribit, item canes ex venaticis & gregariis natos. *Auguſtin. de Leg. in Varia. Palæot. de Noth. & ſpur. c.* 17. *n.* 6. *Heuter. de Liber. homin. nativit. c.* 7. §. 3.

HYD.

HYDRAULÆ dicebantur organarii, ſive qui *hydraulica* inſtrumenta tractabant. l. 4. C. de excuſ. mun. *Hydraulæ munerum civilium immunitatem ſibi jure conceſſam minime approbare poſſunt.* Veteres gloſſæ: Ὑδραύλης, organarius. Suet. Ner. c. 54. n. I. *Producturum ſe parta victoria ludis etiam hydraulam.* Petron. c. 36. *Ut putares Darium hydraule cantante pugnare.* Barthol. de Tib. Vet. III. 7. Pignor. de Serv. p. 176. Panciroll. de Reb. deperd. & inv. p. 260. & ad illum Salmuth. Pitiſc. in Suetonium.

HYDRAULICA poteſt dici unaquæque machina, qua aqua per fiſtulas ſubducitur. Vox enim eſt ex ἀυλὸς, id eſt, tibia, aut fiſtula, & ὕδωρ, aqua. Si ergo Latine interpretareris, unico vocabulo diceres machinam aquafiſtularem. Quod quamvis ita ſit, uſus tamen apud peritos mechanicos obtinuit, ut de particulari machina diceretur, per quam aqua vento, qui aquæ motu creatur, preſſa, per fiſtulas in ſublime pellitur, & ſonum edit. Deſcribit illam pluribus integro capite Vitruv. X. 12. & hoc caput explicat Turneb. Adv. IX. 22. Invenit vero Cteſibius Alexandrinus. Vitruv. IX. 9. *Cteſibius, cum animadvertiſſet, ex tactu cœli, & expreſſionibus ſpiritus, voceſque naſci, his principiis uſus, hydraulicas machinas primus inſtituit.* Plin. VII. 37. *Cteſibius pneumatica ratione, & hydraulicis organis repertis.* Bald. Lex. Vitruv. Buleng. de Theatr. II. 32. Barthol. de Tib. Vet. III. 7. Pignor. de Serv. p. 176. Salmaſ. in Lamprid. Anton. Heliog. c. 32. Exerc. Plin. p. 449. b. E. Panciroll. de Reb. deperd. & inv. p. 260. & ad illum Salmuth. Lampe de Cymbal. III. 17. Savar. in Sidon. Epiſt. I. 2. Perfecit Archimedes. Tertull. de Anim. c. 14. *Specta portentoſiſſimam Archimedis munificentiam, organum hydraulicum dico, tot membra, tot partes, tot compagines, tot itinera vocum, tot compendia ſonorum, tot commercia modorum, tot acies tibiarum, & una moles erant omnia.* Pitiſc. in Suet. Ner. c. 41. n. 7.

HYDRAULIS fuit genus tibiæ, vel fiſtulæ, cujus canales aqua inſpirabantur. Athen. IV. p. 174. B. *Hoc muſicum inſtrumentum hydraulis, ſive reponas inter ea, quæ fidibus tenduntur, ſive ea, quæ inflantur, inventum eſt noſtratis Alexandrini, tonſoris arte, cui Cteſibius nomen fuit.* Salmaſ. Exerc. Plin. p. 449. b. E.

HYDRELÆUM cum Græcis appellamus aquæ, & olei

olei mixturam. Quo medicamenti genere in balneis saepissime utimur, & quando maxime diu humorem, vel aquae qualitatem inhaerere corpori volumus. Ut in exsiccatis, & squalidis usu evenit, cum enim aqua ex sui natura madefaciens, atque humectans actionem non obtineat diuturnam, leniter prodest: cogit vero oleum sui tenacitate plurimum eam inhaerere particulae, cui opus est. Partium vero mixtionis hujus non est certa mensura: cum & pro affectus qualitate, & prout collibitum fuerit, in capaci aquarum pelvi admixto oleo temperari possint. *Baccius de Therm. Vet. c.* 32.

HYDRIA est vas aquarium. Johan. c. 2. n. 7. *Implete hydrias aqua, & adferte architriclino.* Cicer. Verr. II. 19. *Dicebant hydrias argenteas Verri datas esse.* Illa utebantur etiam ad ferenda suffragia. Cicer. ibid. c. 51. *Quot essent renuntiati, tot in hydriam sortes conjicerentur: cujus nomen exisset, ut is haberet id sacerdotium.* Baccius de Vin. & Conviv. IV. p. 170. Voss. Lex. Etymol. Bays. de Vascul. Thes. Ant. Graec. Gronov. IX. p. 697. C. Cenal. de Pond. & mens. rat. Thes. Ant. Rom. Graev. XI. p. 1475. A.

HYDROGARUM inter veterum fuit cupedias. Sciunt hoc omnes, qui Graecos & Romanos scriptores non ignorant: ut minime sit mirum Romanos in publicis epulis ab istis lautitiis abstinuisse. Ejus, ut luxuriosae rei meminit Lamprid. Heliog. c. 29. *Hydrogarum Romanorum ducum primus publice exhibuit, quum antea militaris mensa esset, quam postea statim Alexander reddidit.* Salmas. in Lampridium. Nonn. de Re cib. III. 44. Buleng. de Conviv. II. 43.

HYDROMELI est genus aquae mulsae, ex imbre purissimo, & melle temperatum. Plin. XIV. 17. *Fit vinum & ex aqua ac melle tantum. Hoc vocatur hydromeli, & vetustate saporem vini assequitur, nusquam laudatius quam in Phrygia.* XXXI. 6. *Hydromeli quoque ex imbre puro cum melle temperabatur quondam, quod daretur appetentibus vinum aegris, veluti innocentiore potu.* Plautus *mellinam* putatur vocare Pseud. II. 4. 51. ubi jungit:

Murrhinam, passum, defrutum, mellinam.

Parandi diversos modos praeter Plinium habent Colum. XII. 12. Dioscor. V. 9. Pallad. VII. 7. *Voss. Lex. Etymol. de Idolol.* IV. 79. *Meibom. de Cerev. Vet. c.* 20. *Buleng. de Conviv.* III. 18.

HYDROMYLÆ sunt molae aquariae. Vitruv. X. 10. *Eadem ratione versantur hydromylae.* Ita enim legendum, non hydraulae: loquitur enim de tympanis aquariis ad molendam farinam. *Turneb. Adv.* III. 7. *Salmas. Exerc. Plin. p.* 416. *B. in Lamprid. Heliog. c.* 24. *Bald. Lex Vitruv.*

HYG.

HYGIAS filius fuit Æsculapii. Cujus ope quispiam, cum pedibus forsan laborasset, sanitate recepta appendit tabellam pedes exhibentem additis literis H. D. id est, *Hygiae donum.* Aut miles aliquis Romanus, qui Annibalis saevitiam evasit, dum caeteri captivi pedibus mutilati dimitterentur. Quod a Val. Max. IX. 2. ext. 2. notatum reperio. Spectatur haec tabella Romae apud Johannem Casalem in candido marmore. *Tomas. de Donar. c.* 7.

HYL.

HYLAS fuit histrio, discipulus Pyladis. Macrob. Sat. II. 7. *Pylades Hylam discipulum usque ad aequalitatis contentionem eruditione provexit: populus deinde inter utriusque suffragia divisus est. Et cum canticum quoddam saltaret Hylas, cujus clausula erat magnum Agamemnonem, sublimem, ingentemque Hylas velut metiebatur. Non tulit Pylades, & exclamavit e cavea: tu procerum, non magnum facis. Tunc populus eum coegit idem saltare canticum: cumque ad locum venisset, quem reprehenderat, expressit cogitantem, nihil magis ratus magno duci convenire, quam pro omnibus cogitare.* Buleng. de Theat. I. 51.

HYLERNA fuit locus Tiberi vicinus cum luco. Ovid. Fast. VI. 105.

Adjacet antiquus Tiberino lucus Hylernae:
Pontifices illuc nunc quoque dona ferunt.

Marlian. Topogr. Urb. Rom. IV. 2. Donat. de Urb. Rom. III. 13. Aring. Rom. Subt. III. 1. §. 3. Faunus Antiq. Urb. Rom. III. 3.

HYM.

HYMEN est membranula in natura muliebri: quae scinditur virginibus primo quoque Veneris tentamento, atque aditu. *Scalig. Poet.* I. 50. *Voss. Lex. Etymol.*

Hymen, sive *hymenaeus* est carmen nuptiale. Τὸ γαμήλιον ᾆσμα Pollux III. 3. §. 4. γαμικὸν ὕμνον Suidas vocant: & τὸ τοῖς γάμοις ἐπαυλούμενον interpretatur Hesychius. *Hymenis* voce sic usus est Stat. Sylv. I. 2. 23.

Ergo dies aderat Parcarum conditus albo
Vellere, quo Stellae, Violantillaeque professus
Clamaretur hymen.

Hymenaei Terent. Adelph. V. 7. 6.

—— Verum hoc mihi morae est,
Tibicina, & hymenaeum qui cantent.

n. 8.

—— missa h[illegible]c face,
Hymenaeum, turbas, lampadas, tibi[illegible].

Voss. Lex. Etymol. Bartholin. de Tib. II. 12.

HYMENÆUS deus nuptiarum est habitus. Pingebatur, ut ex Catull. LXI. 5 -- 10. facile colligimus, c[illegible]ron t[illegible] floribus, & amaraco, dextra facem tenens, sinistra flammeum, in pedibus croceos soccos habens. Seneca sic effinxit Med. I. 67.

Et tu qui facibus legitimis ades,
Noctem discutiens auspice dextera,
Huc incede gradu marcidus ebrio,
Praecingens roseo tempora vinculo.

Gyrald. Synt. deor. IV. p. 131. A. Sunt, qui putent, ex Libero, & Venere genitum, certarum nuptiarum auctorem fuisse, & inventorem; atque ob hoc meritum increbruisse consuetudinem acclamandi in nuptiis *Hymenaei.* Ita Donat. Adelph. V. 7. 7. Quidam apud Proclum in Chrestomathia, & Tzetzem Chil. XIII. 396. prodidere, Terpsichorae filium *Hymenaeum*, mox ducta uxore, e thalamo evanuisse: ideoque propter illius investigationem, ac desiderium fuisse a priscis institutum, ut in nuptiis acclamaretur. Narrant alii, juvenem quendam, *Hymenaeum* appellatum, ipso nuptiarum die, ruina domus oppressum, interiisse: expiationis autem causa coeptum ex eo tempore in nuptiis *Hymenaei* nomen frequentari, & acclamari. Sed Serv. Æneid. I. 655. *hoc falsum est*, inquit, *nam vitari magis debuit nomen extincti. Sed hoc habet veritas. Hymenaeus quidam apud Athenas inter bella [illegible] liberavit: quam ob causam nubentes ejus invocant nomen, [illegible] liberatoris virginitatis.* Et hoc placet Terent. l. l. & a[illegible] apud Proclum & Tzetzem, fusiusque expl[illegible] Lactant. Stat. Theb. III. 283. Proclus vero, in cujus sententia ego acquiesco, quid de hac voce, & consuetudine ip[illegible] sentiat, aliorum sententiis prolatis, subj[illegible] ista: *[illegible] felicis vitae acclamationem esse puto, praesentibusque [illegible] matrimonii societatem cum mutuo amore comprecari; Æolica dialecta votum innectendo, quasi* ὑμεναίειν, *&* ὁμονοεῖν, *id est, una habitare, & eadem sentire, eos concorditer [illegible] optarent.* Ferrar. de vet. acclam. & plaus. VII. 14. Gyrald. ibid. D. . . . . Feith Antiq. Homer. II. 14. Potter. Archaeol. Graec. IV. 11. Scalig. Poet. I. 50. Voss. Lex. Etymol. Buleng. de Imperat. Rom. III. 17. Calcagn. Equitar. p. 564. Laurent. de Spons. & nupt. c. 1. Casal. de Rit. nupt. c. 1. Acclamabatur, cum in domum viri nova nupta deduceretur. Plaut. Cas. IV. 3. 1.

Age tibicen, dum illam educunt huc novam nuptam foras,
Suavi cantu concelebra omnem hanc plateam Hymenaeo.
Io Hymen, Hymenaee, io hymen.

Catull. LXI. 120.

— *sed abit dies,*
Prodeas nova nupta:
Tollite, o pueri, faces;
Flammeum video videre.
Ite, concinite in modum,
Io Hymen, Hymenæe Io,
Io Hymen Hymenæe.

Ferrar. ibid. c. 15. Et quidem a tibicine, ut Plautus, & pueris, ut Catullus modo laudati dicunt. Non enim Catullus negat, quin tibicen: neque Plautus, quin pueri adhiberentur; nimirum pueri ad tibicinem modulate canebant *Hymenæum*. Terentius enim supr. in *Hymen* laudatus apertissime mentionem facit tibicinæ, & aliorum, puerorum scilicet, ut ego interpretor, qui ad tibicinam concinne canerent *Hymenæum*. Nec officit nostræ interpretationi, quod tibicinam dicat Terentius, Plautus tibicinem; nam sicut hodie, item & olim, promiscue tam feminæ, quam mares, & tibiis, & fidibus, & cæteris musicis instrumentis canebant. *Ferrar. l. l. Sigon. de Ant. jur. civ. Rom.* I. 9.

HYMNUS erat genus cantus, qui in sollennioribus deorum sacris, ac celebritatibus potissimum obtinebat. *Feith Ant. Homer.* IV. 4. Interea dum sacrorum sollennium vigiliis populus ante lucem ad templa veniret, *hymni* a sacerdotibus publicis decantabantur, collatis ad tibiam vocibus, quas *exercitationes deorum* Arnob. VII. vocat. Pontifex interea pulvinaria pertransibat, hisque verbis utebatur, *vigilasne deum gens*. In *hymnis* autem intercalaris versus frequenter post aliquantulos interponebatur, quem propius vero est in hujusmodi cantibus a populo fuisse repetitum. *Guther. de Jur. pontif.* IV. 1.

HYP.

HYPÆTHRÆ ambulationes erant apertæ, subdiales, sine tecto, aeri expositæ. Vitruv. V. 11. *Proxime xystum, & duplicem porticum designentur hypæthræ ambulationes, quas Græci περιδρόμιδας, nostri xysta appellant; in quas per hyemem ex xysto sereno cœlo athletæ prodeuntes exercentur.* c. 9. *Ita duas res egregias hypæthræ ambulationes præstant, unam in pace salubritatis, alteram in bello salutis.* Philand. in Vitruvium. Argol. in Panvin. de Lud. Circens. II. 1. Guther. de Jur. man. II. 30. Fabric. Descr. Urb. Rom. c. 12. Bud. in Pandect. p. 96. E. Alex. Gen. III. 9.

Hypæthræ ædes erant cœlo expositæ, ut liber in illas aer ingressum haberet. Vitruv. I. 2. *Ædificia sub divo, hypæthræque constituuntur.* Nos loca ejusmodi aperta, seu scoperta appellamus, qualia sunt cavædia displuviata, & peristylia in cœnobiis, & aliis. *Bald. Lex. Vitruv.*

HYPOCAUSTUM est locus in balneo sub pavimento concameratus, vacuus, in quo succenso igne calidus vapor conceptus in superiora emittitur. Vitruv. V. 10. *Sic enim efficietur, ut in vasario ex hypocausto communis sit usus eorum utriusque. Ahena supra hypocaustum tria sunt componenda, unum caldarium, alterum tepidarium, tertium frigidarium: & ita collocanda, ut ex tepidario in caldarium, quantum aquæ caldæ exierit, influat, de frigidario in tepidarium ad eundem modum: testudinesque alveorum ex communi hypocausi calefacientur.* Plin. Epist. II. 17. 23. *Applicitum est cubiculo hypocaustum perexiguum, quod angusta fenestra suppositum calorem, ut ratio exigit, aut effundit, aut retinet.* Si Latine vocabuli vim reddere velles, haud improbe diceres *subincensum*. *Vaporarium* vocat Cicer. Fratr. III. 1. *Vaporarium, ex quo ignis erumpit, est sub tectum cubiculi.* Bald. Lex. Vitruv. Philand. in Vitruvium. Argol. in Panvin. de Lud. Circens. II. 1. Mercur. Gymnast. I. 10. Salmuth in Panciroll. de Reb. deperd. & inv. p. 133. Grapald. de Part. dom. I. 10. §. 5. Baccius de Therm. vet. c. 9.

HYPOGEUM est ædificium subterraneum, arcuato opere exstructum: ut cellæ vinariæ, oleariæ, & ejusmodi. Vitruv. VI. 11. *Sin autem hypogea, concamerationesque instituentur.* Philand. in Vitruvium. Bud. in Pandect. p. 149. C.

Hypogeum erat etiam camera subterranea reponendis defunctorum cadaveribus, & sarcophagis. Inscriptio:

D. M.
FULVIUS CHARISIUS IN HYPOGEO
INSTRUXIT N XIII SIBI ET SUIS LIB....

Spon. Misc. Erud. Ant. Sect. IX. *p.* 291. Illa monumenta fuerunt apud Græcos, ubi corpora integra condere cœperunt. Petron. c. 71. *In conditorium etiam prosequuta est defunctum, positumque in hypogeo Græcorum more corpus custodire, ac flere totis noctibus, diebusque cœpit.* Salmas. Exerc. Plin. p. 849. b. F. Argol. in Panvin. de Lud. Circens. II. 3. Gonsal. in Petronium. Gyrald. de Var. sepel. rit. c. 2. & Faes in illum.

HYPOPODIUM erat instrumentum balneatorium apud Paull. Sent. III. 7. nimirum suppedaneum, quod cum scamnis merito conjungit Ictus. *Chimentell. de Hon. bisell.* c. 25.

HYPORCHEMA erat canticum, quod gestibus, & motibus saltantis repræsentabatur. Athen. IV. p. 181. B. *Inde vocantur Cretensia hyporchemata.* Vetus Epigramma:

O quoties imitata meo se femina gestu
Vidit, & erubuit, totaque mota fuit,
Motibus, ac dictis tragica quoque voce placebam,
Fingebam vultus, habitus, ac verba loquentum,
Ut plures uno crederet ore loqui.

Buleng. de Theatr. I. 51.

HYPOSCENIUM erat in magnificis theatris sub proscenio, illo aliquanto depressius, ad quod per gradus descendebant. *Scalig. Poet.* I. 21. Columnis, & sigillis ornatum, obversum theatro, sub legio situm. *Buleng. de Theat.* I. 22.

HYPSÆUS fuit cognomen Plautiorum. Et illorum C. Plautius C. F. C. N. *Hypsæus* consul fuit anno ab U. C. 406. & 412. Volscos vicit, Privernum cepit. L. Plautius *Hypsæus* prætor anno 605. male adversus Viriatum in Hispania pugnavit. M. Plautius *Hypsæus* consul fuit anno 628. Hunc cum conjuge Orestilla in rogum impositum tradit Valer. Max. IV. 6. P. Plautius *Hypsæus*, quæstor aliquamdiu Pompeji, consulatum petiit cum P. Scipione, & T. Annio Milone, sed, cum ob perditas ipsorum contentiones comitia haberi non possent, honore frustratus est, Pompejo sine collega consule creato. Huic ambitus reo, genibus provoluto, supplicantique, ut se ab imminentis judicio periculo liberaret: *facesse hinc*, dixit, *neque mihi cœnæ tempus exime.* Sed nimis superbe, & insolenter ad eum, qui & amicus esset, & quæstor suus fuisset. Val. Max. IX. 5. 3. *Glandorp. Onomast. p.* 681. *Augustin. de Fam. Rom. in Plautia. Strein. de Gent. & Fam. in Plautia. Ursin. & Patin. Fam. Rom. in Plautia.*

I.



pro E subinde in veteribus libris, & lapidibus irrepsit. *Consiptum* de Fragm. Ennii, & apud Festum Pauli l. 3. in saxis, *Aurelia*, *Jabolina*, *mancips*, *Missius* pro *Messius* in 2. 256, *Spindon*, *Senicio*, *Simpronia*, *Viratia* in lib. not. Tir. *Horcistipolis* pro *Orchestopolis*, *cantilina*, *tricliniastis*, *Archimedis*, nominandi casu. *Remes. Inscript. Class.* I. *n.* 51. *Malvas. Marm. Felsin. Sect.* VIII. *c.* 4. *Fab. Semestr.* II. 16. *Ursin. Not. ad Kalend. Rustic. Farnes. Thes. Antiq. Roman. Græv. Tom.* VIII. *p.* 25. *B. Salmas. in Spartian. Adrian.* c. 14. *Tertull. de Pall. p.* 307. *Palmer. Spicil.* I. *p.* 616.

I pro G positum in veteribus libris non raro reperitur. In Flori libro vetustissimo *tojam* pro *toga* scriptum reperi, cum illum auctorem recenserem. *Ilycias* pro *Glycias* hodieque legitur apud Suet. Tib. c. 2. n. 7. *foliora* pro *folgora* apud Arnob. II. *sajonum* pro *sagonum* apud Cassiod. Var. IV. 47.

IV. 47. *Salmas. in Spartian. Adrian. c.* 11. *Exerc. Plin. p.* 43. *a. G.* 137. *a. D.*

I duplici solebant veteres interdum uti inter duas vocales. Ideo scribebant *Aijacem*, *Maijam*, *Troijam*. In inscriptione Ursi togati legitur THERMIS TRAIJANI. Id notavit Velius Longus de Orthographia, dicens id observari, quoties *I* est inter duas vocales: imo addit, *I* aliquando triplicari, ut *conjicio*, *adjicio*. : . . *Turrig. ad Ursi inscript. Thes. Antiq. Roman. Græv. Tom.* XII. *pag.* 399. *B.*

I alterum in genitivis geminantibus solebant veteres subtrahere in oratione tum adstricta. Ita poetæ Claudi pro Claudii. Horat. Epist. I. 9. I.

Septimius Claudi nimirum intelligit unus.

Appi, pro Appii. Horat. Epist. I. 6. 26.

Porticus Agrippæ, & via te conspexerit Appi.

Peculi, pro peculii. Virg. Ecl. I. 33.

Nec spes libertatis erat, nec cura peculi.

tum soluta, ne metri causa id factum dicat Priscianus. Docent hoc veteres inscriptiones:

I. O. M. D.
PRO. SALUTE. AUGG. N. N
L. SEPTIMI SEVERI. PII
PERTINACIS. ET. M
AURELI. ANTONINI. PII
FELICIS. AUGUSTI. ET
JULIÆ. AUG. ET. S. P. Q. R
SEMNUS. AUGG. N. N. LIB. OPTIO
TABELLARIORUM. STATIONIS
MARMORUM. ARAM. POSUIT

Vides Septimi, Aureli, pro Septimii, Aurelii. Apud Delphinos:

TI. CLAUDIUS.
LEMNUS
DIVI. CLAUDI
AUGUSTI. LIB
A . : . . STUDIIS.

Claudi pro Claudii. *Castal. Var. Lect. c.* 9. *Noris. Cenot. Pisan. Dissert.* IV. *p.* 455. *Barth. Adv.* IV. 21. *Turrig. in Ursi togati inscript. Thes. Antiq. Roman. Græv. Tom.* XII. *p.* 402. *B.*

JAC.

JACI proprie dicebantur tesseræ, dari calculi. Hinc *jactus* videtur proprie vocari debuisse tessera, quod *jaceretur*; datus autem calculus, quod daretur: at vice versa nos hodie vocamus datos, vel dados tesseras, *jactos* vero calculos. Hinc *jacti*, vel *jactones* nobis hodieque dicuntur calculi, quibus in putandis rationibus utimur. Græci sane βόλους non tantum tesserarum *jactus*, sed etiam tesseras ipsas nuncuparunt. Ovid. Art. II. 203.

Seu ludet, numerosque manu jactabit eburnos;
Tu male jactato, tu male jacta dato.

Qui male *jactaverat*, male *jacta* non dabat, sed artem pro fortuna adhibebat, & in melius reponere tentabat, quod infeliciter ceciderat. Male *jactat*, cui quod *jactu* opus est non cadit. Male *jactum* dat, qui quod male cecidit, non corrigit, sed fortunam tesserarum sequitur, nullamque artem adhibet, qua vim fati, aleæque male faventis frangat, vel falsem molliat. Ovidius præcipit amanti cum amica ludenti, ut & male tesseras *jactet*, & male calculos moveat, & sic de industria perdat, ac vinci se patiatur. Male enim hodie legitur: *tu bene jacta dato.* Tesseræ *jactabantur*, calculi dabantur, id est, promovebantur. Dare enim calculum dicebant pro movere. In *jactandis* tesseris fortuna dominabatur, in dandis, hoc est, promovendis calculis sola ars locum habebat. Male igitur *jactabat*, qui in tesserarum *jactu* fortunam parum sibi faventem habebat. Male autem calculum dabat, qui male ludebat, nec ex arte calculum promovebat. Poterat vero aliquis, qui male *jactasset*, etiam si male *jactus* cecidisset, bene tamen calculum dare, in quo ars erat, & sic malam fortunam corrigere. At vult Ovidius, eum, qui cum amica ludit, & male *jactare* tesseras, hoc est, infelicem *jactum* adducere, & male etiam calculos dare. *Salmas. in Vopisc. Procul. c.* 13. *Souter. de Aleat.* I. 24.

JACULA duorum erant generum, rudia, & ferrata. Rudia appello, quæ simplici ligno constabant, non alia materie ad lædendum. In eo genere sunt sudes & faces. V. illas suis locis. Ad illa refero præpilata missilia, sic dicta, non quod e ferro, quasi pili instar præfixa; sed, licet essent sine ferro, quia pilæ instar rotunda. Vocem sic explico, & firmo ex Plin. IX. 30. ubi de l[illegible] marinarum cornibus, dicit ea *propr[illegible]*. De re satis liquet ex Quintil. Instit. V. 12. *D[illegible], quibus ad pugnam velut præpil[illegible] exerce[illegible]* [illegible] veris, micantibusque telis [illegible]: sicut declam[illegible], quæ scholæ, & exercitii sunt, forensibus [illegible], & pugnæ. Hirt. de bell. Afric. c. 72. cum Cæsar elephant[illegible] suos exercet, ipsosque milites, & equos adsuefacit ad eorum aspectum: *Equites in eos pila præpilata conj[illegible], atque in consuetudinem equos patientia bestiarum add[illegible].* Quis ibi censebit veris, ferratisque pilis peti[illegible]? Sed etiam cum a pilis sejungit, & restricte præpil[illegible] pila dicit, ostendit, non, ut vulgata, cum ferro fuisse. Simile de elephantis Plin. VIII. 6. *L. Piso introductos duntaxat in circum, atque ut contemptus eorum cresceret, ab oper[illegible] hastas præpilatas habentibus, per circum totum actos.* Profecto ibi quoque obtusas accipere est, in ludicra modo [illegible]tatione, & exactione. Ferrata fuerunt plura, & multigenera, ut hasta, lancea, verutum, gesum, tragula. V. singula suis locis. *Lips. Poliorc.* IV. *Dial.* 4. *Thys. de Oppugn. urb.* IV. *p.* 184.

Jacula veteribus Latinis dicebantur etiam tesseræ lusoriæ. Isidorus: *Olim autem tesseræ jacula appellabantur. Jaculum* est βολὶς, vel βολίον. Glossæ: βολὶς, *jaculum.* Salmas. in Vopisc. Procul. c. 13. Souter. de Aleat. I. 24. Senftleb. de Alea vet. c. 7. §. 6.

Jacula vocabantur quoque retia piscatoria, quod, ut *jaculum*, in mare conjiciantur. Inscriptio:

QUINTUS. MARIUS. OPTATUS.
HEU. JUVENIS. TUMULO. QUALIS. JACET. ABDITUS. ISTO
QUI. PISCES. JACULO. CAPIEBAT. MISSILE. DEXTRA
AUCUPIUM. CALAMO. PRÆTER. STUDIOSUS. AGEBAT

Plautus vocat *rete jaculum* Asin. I. I. 86.

Venari autem rete jaculo in medio mari.

Trin. I. I. 14.

Quasi in piscinam rete qui jaculum parat.

Ferret. Mus. Lapid. V. Memor. XI. Dicitur *rete jaculum* ad discrimen verriculi, quod non jacitur, sed verritur, id est, trahitur. Appellatur etiam funda a fundendo. Virg. Georg. I. 141.

Atque alius latum funda jam verberat amnem.

Ubi Servius: *Funda est genus retis, dictum a fun[illegible], id est, jaculum, quod dicitur βόλ⊗. Turneb. Adv.* XVIII. 26.

JAN.

JANA vocabatur luna. Varr. de Re rust. I. 37. *Nunquam rure audisti, octavo Janam crescentem, & contra senescentem? & quæ crescente, & quæ senescente fieri oporteret? & tamen quædam melius fieri post octavo Janam quam ante?* Ubique semper in Varronianis editionibus appositum est glossema, *luna*, & in textum irrepsit. Anno Romano depravato, opus fuit lunæ dies populo per pontificem calari, quos ante depravationem ex ordine mensium etiam rustici ipsi tenebant. Nam anno in menses imparis nume-

ri dierum redacto, pontifex in Curia Calabra, ſi nonæ ſeptimanæ futuræ erant, hoc ſignificabat populo, ſepties dicto, KALO JANA NOVELLA. Si autem quintanæ eſſent, quinquies dicto, KALO JANA NOVELLA. Apage apage JUNO COVELLA, quod in veteribus tam ſcriptis, quam excuſis Varronis libris legitur. Legitur autem de Ling. Lat. v. n. 4. Nam tametſi Kalendæ Junoni erant dicatæ, tamen nonæ nulli deo dicatæ erant, de quibus agitur. De luna quippe, non de Kalendis hic ſermo. Præterea illud COVELLA, quod pro cœleſti accipiunt, qui hanc lectionem defendunt, quam ridicule faciunt? Covum quidem veteribus erat cœlum, non autem cœleſte. De luna igitur eſt ſermo, non de Junone. *Scalig. de Emend. temp.* II. *p.* 174. *Guther. de Jur. pontif.* I. 22. *Voſſ. de Idolol.* II. 16. *Lipen. de Stren.* IV. §. 20. *Stuck. de Sacrif. p.* 29.

JANICULUM eſt mons imminens Tranſtiberinæ regioni. Janus in illo urbem ſuam poſuit, e regione Capitolii, quæ Saturni ſedes. Virg. Æneid. VIII. 355.

Hic duo præterea, disjectis oppida muris,
Reliquias, veterumque vides monumenta virorum:
Hanc Janus pater, hanc Saturnus condidit arcem,
Janiculumque illi, huic fuerat Saturnia nomen.

Panvin. Deſcr. Urb. Rom. Theſ. Ant. Rom. Græv. Tom. III. p. 278. F. Marlian. Topogr. Urb. Rom. v. 20. Panciroll. Deſcr. Urb. Rom. Theſ. Græv. ibid. p. 375. B. Fabric. Deſcr. Urb. Rom. c. 3. Nardin. Rom. Vet. VII. 11. Borrich. Ant. Urb. fac. c. 16. n. 1. Blond. Inſtaur. Rom. I. §. 31. Nunc Mons aureus nominatur, & corrupto vocabulo Montorius. Ex hoc propter altitudinem Roma maxime conſpicua, cæteris autem infrequentior eſt ob aeris gravitatem, utrumque teſtante Mart. IV. 64. 3.

Longo Janiculi jugo recumbunt
Et planus modico tumore vertex
Cœlo perfruitur ſereniore:
Hinc ſeptem dominos videre montes
Et totam licet æſtimare Romam.

In hunc aliquando plebem Romanam ſeceſſiſſe, & a Q. Hortenſio dictatore revocatam ſcribit Plin. XVI. 10. *Q. Hortenſius dictator, cum plebs ſeceſſiſſet in Janiculum, legem in Eſculeto tulit, ut quod ea juſſiſſet, omnes Quirites teneret.* Fabric. & Panvin. l. l. Ab ortu & meridie prata Mucia, & portam Portuenſem, ac Tiberim reſpicit: ab occaſu habet campos, Urbis muros, & portam Janiculenſem, vel Pancratianam: a ſeptemtrione reſpicit Vaticanum, campoſque Neronianos. *Panvin. l. l. Marlian. ibid.* I. 7. *Janiculum,* & quicquid erat trans Tiberim, olim extra Urbem, & pomœrium fuiſſe cenſet *Donat. de Urb. Rom.* I. 6. Sed ejus argumenta refutat, & Tranſtiberina loca, & Janiculum ingenti murorum ambitu olim Urbi fuiſſe connexa; eo ſolo muniendi intermiſſo ſpatio, quod interfluens ad tranſitum Tiberis occupabat, qui, cum nullus ripas murus impediret, libere hinc inde pontibus tranſibatur: ita ut utraque ripa intra mœnia incluſa fuerit, firmiter ſibi perſuadet *Nardin. Rom. Vet.* I. 4.

JANITORES erant ſervi, *januarum* cuſtodes. Illos offendimus nunc ſtantes. Petron. c. 28. *In ipſo aditu ſtabat oſtiarius praſinatus.* Sagittar. de Jan. vet. c. 16. n. 12. nunc ſedentes. Tib. I. 1. 55.

Me retinent vinctum formoſæ vincla puellæ,
Et ſedeo duras janitor ante fores.

Ovid. Faſt. I. 137.

Uſque ſedens primi veſter prope limina tecti
Janitor egreſſus, introitusque videt.

Vitam ſedentariam exigebant, haud, ante pedes quod erat, proſpicientes modo; ſed etiam poſt reſpicientes: credo, ne quis adventor gravior, quam adveniſſet, diſcederet. *Douz. Præcid. Tibull. c.* 1. *Almelov. Conject. p.* 147. *Sagittar. l. l.* nunc recubantes. Apul. Met. I. p. 22. *Janitor pone ſtabuli oſtium humi cubitans.* nimirum in cella, quæ prope januam. Varr. R. R. I. 13. *Villici proxime januam cella eſſe oportet; eumque ſcire, qui introeat, aut exeat noctu, quidve ferat, præſertim ſi oſtiarius eſt nemo.* Sagittar. ibid. n. 14. & 15. Non ſervabat vinctus, ſed canis: ipſe liber a vinculis erat, ut ex Plauto diſcimus. *Erhard. Symb. Petron. p.* 597. Qui hoc negat: nos tamen nube teſtimoniorum plerumque catenatos fuiſſe probabimus. Colum. Præf. *An putem fortunatius a catenato repulſum janitore ſæpe nocte ſera foribus ingratis adjacere?* Ovid. Amor. I. 6. 1.

Janitor indigne dura religate catena,
Difficilem moto cardine pande forem.

n. 25.

Excute: ſic nunquam dura religere catena.

Antipat. Anthol. VII. 161. 3.

Siquidem notam auri feras, amicus es, neque janitor
In pedibus, neque canis in veſtibulo ligatus eſt.

Et hæc ſunt oſtiarii impedimenta apud Afranium: cujus verba debemus Feſto in tintinnare: *Tintinnare eſt apud Nævium hoc modo. Tantum ibi molæ crepitum faciebant, tintinnabant compedes. Et apud Afranium: oſtiarii impedimenta tintinnare audio.* Sagittar. ibid. §. 19. Barth. in Stat. Sylv. I. 2. 35. Adv. LV. 1. Popm. de Oper. ſerv. p. 133. Muret. Var. Lect. XVI. 10. Kipping. Antiq. Roman. IV. 1. §. 1. Rævard. Var. v. 20. Pignor. de Serv. p. 447. Parrhaſ. in Claud. de Rapt. Proſerp. III. 146. Brod. Miſcell. IV. 3. Catenam manumiſſi conſecrabant Laribus. Horat. Sat. I. 5. 65. V. illum ſupr. in *Catena*. Vel Saturno. Mart. III. 29. 1.

Has cum gemina compede dedicat catenas,
Saturne.

Sagittar. ibid. §. 21. Illorum munus erat I. Servare, & cuſtodire domum. Voce ſervare hac in re uſi veteres. Prudent. Periſteph. II. 312.

Hoc cum ſtuperet territus
Obſeſſor atri liminis:
Quem cura pernox manſerat,
Servare feralem domum.

Venant. Epiſt. ad Syagrium V. *Si placet hoc capere parieti inſcripto, pro me oſtiario pictura ſervet veſtibulum.* Et obſervare. Senec. de Conſtant. c. 15. *Domus hæc ſapientis anguſta, ſine cultu, ſine ſtrepitu, ſine apparatu, nullis obſervatur janitoribus, turbam venali faſtidio digerentibus: ſed per hoc limen vacuum & ab oſtiariis liberum fortuna non tranſit.* Hinc dicebantur hoſpitem admittere. Tib. I. 7. 61.

Et tibi neſcio quas dixit mea Delia pœnas,
Si tamen admittas, ſit, precor, illa levis.

Et contra ea ingratum, qui introire vellet, ſummovere. Senec. ibid. c. 14. *Quidam ſe a cinerario impulſos moleſte ferunt, & contumeliam vocant oſtiarii difficultatem.* Illaſque inconſultius intranti obſtare. Coripp. III.

—— cuſtodes ardua ſervant
Limina, & indignis intrare volentibus obſtant,
Condenſi numeris, faſtu, nutuque tremendi.

Sagittar. ibid. §. 23. 37. 38. 39. Et ad manus illis erat arundo, qua amoliri a foribus indignos, & importunos poſſent. Petron. c. 94. *Ac me iterum in cellam ſacerdotis nihil recuſantem perduxit, impulitque ſuper lectum, & arundinem ab oſtio rapuit, iterumque nihil reſpondentem multavit.* Et hæc eſt *janitoris* virga apud Senec. l. l. *Quid ergo? ſapiens non accedet ad fores, quas durus janitor obſidet? Ille vero, ſi res neceſſaria vocabit, experietur, & illum, quiſquis erit, experietur, & illum, quiſquis erit, tanquam canem acrem, objecto cibo leniet: nec indignabitur aliquid impendere, ut limen tranſeat. Ille puſilli animi eſt, qui ſibi placet, quod oſtiario libere reſpondit, quod virgam ejus fregit: quod ad dominum acceſſit, & petiit corium.* Prop. IV. 7. 21.

Nec crepuit fiſſa, me propter, arundine cuſtos.

Sagittar. ibid. §. 40. Lipſ. ad Senecam. Douz. Præcid. in Petron. II. 4. Broukh. in Propertium Pignor. de Serv. p. 370. 11. Servare ignem Larium. Hoc ex Ariſtid. Sacr.

Serm. v. in principio observavimus. Ignem videlicet Larium familiarium, qui in atrio fuit non procul ab *janua*. Ovid. Fast. 1. 135.

Omnis habet geminas hinc atque hinc janua frontes,
E quibus hæc populum spectat, at illa Larem.

His venerationis gratia consueverat ignis accendi. Capitol. Pertin. c. 14. *Et cum apud Lares sacrificaret, carbones [illegible] extin[illegible] sunt, cum inflammari solent.* Pignor. ibid. p. 452. Sagittar. ibid. p. 43. III. Vilissima quæque ministeria obire. Videtur id colligi posse ex Petron. c. 28. *In aditu ipso stabat ostiarius prasinatus, cerasino succinctus cingulo, atque in lance argentea pisum purgabat.* Vile nimirum, & sordidum opus, quo & Venus Psychen exercuit apud Apul. Met. vi. *Pignor. ibid. p. 454. Sagittar. ibid.* §. 44. Etiam carcerum publicorum *janitores* fuerunt. Plin. xii. 36. *Humilis in plebe, & ideo ignobilis puerpera suppl[illegible] causa carcere inclusa matre, cum impetrasset aditum, a janitore semper excussa, ne quid inferret cibi, deprehensa est uberibus suis alens eam.* Prudent. Peristeph. ii. 346.

Tunc ipse manceps carceris,
Et vinculorum janitor,
Repente Christum credidit.

Sagittar. ibid. §. 45.

JANITRICES dicebantur feminæ, quæ ad custodiam *januæ* interdum ab antiquis adhibebantur. Plaut. Curc. 1. 1. 76.

Anus hic solet cubitare custos, janitrix.

Anus vocatur. Nam tales plerumque erant *janitrices.* Anus apud Tib. 1. 7. 67.

Hæc foribusque manet noctu me affixa, proculque
Cognoscit strepitus me veniente pedum.

Hinc illam sic alloquitur n. 69.

Vive diu, mi dulcis anus.

Petron. c. 39. *Quamvis non minus sudoris habuimus, etiam postquam ad stabulum pervenimus. Anus enim ipsa inter diversitores ingurgitata ne ignem quidem admotum sensisset.* c. 55. *Anus præcipue lippa, sordidissimo præcincta linteo, soleis ligneis imparibus imposita, canem ingentis magnitudinis catena secum trahit, instigatque in Eumolpum.* Et, quod ex regio culmine devoluta in servitutem, vel custos liminis, vel nutrix fore cogatur, Hecuba lamentatur apud Eurip. 1. 193.

— *an*
Apud ædium vestibula custodiam obtinens,
Aut liberorum gubernatrix, ego, quæ Trojæ
Regios olim habebam honores.

ii. 491.

Quæ autem huic senectuti sunt incommodissima,
His me adhibebunt, vel januarum custos
Claves ut servem, ego mater Hectoris.

Gebhard. in Prop. ii. 6. 37. Sagittar. de Jan. Vet. c. 20. §. 1. 2. Almelov. Conject. p. 148. Pignor. de Serv. p. 454. Voss. Lex. Etymol. Schill Nomencl. Philol. p. 591.

Janitrices dicuntur etiam duorum fratrum uxores. Modestin. l. non facile §. 6. ff. de gradibus. V. illum supr. in *Fratria*: ubi perperam laudatur ex l. 4. §. 6. de rit. nupt. In veterum patrum decretis relatum est Alexandri Pontificis, hujus nominis secundi, quoddam responsum, quo dicitur *duorum fratrum uxores janitrices appellari, quasi eandem januam tenentes, vel per eandem januam intrantes.* Quam sententiam, quisquis fuit, Isidorus omnino malus Latinitatis auctor, visus est sequi Etym. x. 8. Sed dii boni! quam evidenti errore: tantum incidisse in corruptos a librariis codices. Modestini verba sunt ita legenda: *duorum fratrum uxores εἰνάτερες dicuntur apud Græcos, quod idem Homerus significat.* Cum igitur magis probi illi patres quam docti apud Modestinum legissent, *duorum fratrum uxores inateres* dici, Græcam dictionem, quæ in eorum codice Latinis notis scripta erat, Latinam existimaverunt, & corrupte scriptam: unde non *inateres*, sed *janitrices* legendum crediderunt. Quorum error deprehenditur ex Homer. Iliad. ω. 769. quod inter legendum Icto restituimus. Nemo enim unquam audebit profiteri, se apud i[illegible]neos auctores *janitrices* eo significatu offendisse. [illegible] *Dispunct.* ii. 23. *Rhodig. Ant. Lect.* xxviii. 24. His ego assentiri non possum. Nam præter Florentini libri, & Isidori auctoritatem, veterum laudatissimæ Glossæ hoc vocabulum pro Latino agnoverunt: *Janitrices, δύο ἀδελφῶν γυναῖκες, σύννυμφοι.* Aliæ: Σύννυμφος, [illegible], *janitrix.* Consponsus proba, & antiqua vox, Afranioque usurpata. Cur non & *janitrix.* Hujus appellationis origo a patribus Decretalium non est petenda, a quibus hoc vocabulum ad nos defluxisse putat Alciatus, sed a doct[illegible]mis veterum monumentis, ac literis. Inve[illegible] Romanorum fuisse antiquum morem, ut quæ uxor [illegible]num viri primum convenisset, ea sibi in atrio domus ad ipsam *januam* lectum sterneret, qui adversus dictus. Prop. iv. 12. 81. V. illum infr. in *Nuptiæ.* Dictæ itaque sunt, quod pariter adversum lectum januæ sternere, in eoque cubare, tanquam custodiæ causa solerent. *Gentil. Parer[illegible]* ii. 11. *Scalig. in Catull.* lxvii. 3. *in Festum in P[illegible]* *Lex. in Janitrices. Wouwer. in Petron. p.* 403. *Sagittar. de Jan. vet. c. 20. §. 5. 6. Schill Nomencl. Philol. p.* 591.

JANUA est primus ingressus ad interiora domus. *Januis* præfuit *Janus*. Gloss. Philox: *Janus*, θυραῖος θεός. Terent. Maur. de Metris:

Jane pater, Jane tuens, dive, biceps, b[illegible]ormis,
Stridula cui limina, cui cardines tumult[illegible],
Cui reserata mugiunt aurea c[illegible] mun[illegible].

Hinc est, quod cum clavi ipsum effor marint veteres. Macrob. Sat. 1. 9. *Apud nos Janum omnibus præesse [illegible] dit, quod simile θυραίῳ. Nam & cum cl[illegible] [illegible]guratur, quasi omnium & portarum custos, & rector viarum.* Ovid. Fast. 1. 99.

Ille tenens baculum dextra, clavemque sinistra.

Arnob. vi. p. 209. *Fronte Janus ancipiti, aut dentata illa, [illegible] insignitus est, clavis.* Sagittar. de Jan. Vet. c. 1. [illegible]. Voss. Lex. Etymol. Gyrald. Synt. deor. iv. p. 154. F. Ortel. Deor. & dear. cap. 11. Fig. 27. Viola de vet. & nov. R[illegible]. temp. rat. Thes. Antiq. Rom. Græv. Tom. viii. p. 175. I. Est inventa cum ipsis ædibus. Adamum autem statuimus primum domus architectum. *Hujus* enim *sunt*, ut Suidas, *omnia inventa & documenta, ac omnes doctri[illegible], & quicquid ad vitam degendam est utile, & necessa[illegible].* Saturnio quidem ævo *non domus ulla fores habuit*, apud Tibull. 1. 3. 43. & apud eundem ii. 3. 45.

Nullus erat custos, nulla exclusura [illegible]
Janua.

Sed quis non videt, ea esse fabulosa? *Sagittar. ibid.* §. 22. 23. Pauperes, & mediocris fortunæ homines compar[illegible] ea ligna, quæ per fortunas suas comparare poterant. Divites ligna conquirebant pretiosiora. In hoc genere erat I. Cedrus, quam, quia *cariem non sentit, nec rimam, fissuramque capit sponte*, ut Plin. xvi. 40. non raro apud Romanos ad *januas* adhibitam fuisse reor. II. Cupressus. Plin. xvi. 40. *Valvas esse e cupre[illegible], & jam quadringentis prope annis durare materiam omnem novæ similem. Cupressus in eas electa, quoniam præter cætera uno in genere materiæ nitor maxime valeat æternus.* Cedrum, & cupressum conj[illegible]git Virg. Georg. ii. 442.

[illegible] alios aliæ fœtus, dant nobile lignum
Navigiis pinos, domibus cedrum, atque cupressum.

III. Ulmus. Plin. xvi. 40. *Rigorem fortissime servat ulmus, [illegible] cardinibus, assamentisque portarum utilissima, quoniam minime torquetur.* IV. Citrus. Varr. apud Non. ii. 132. *In quibus Libyssa citrus fasciis cingit fores.* V. Acer. Ovid. Met. iv. 487.

— *postes tremuisse feruntur*
Æolii, pallorque fores infecit acernas.

VI. Quercus, quia lignum ejus validissimum. Ovid. Amor. ii. 1. 25.

Car-

Carminibus cessere fores, [illegible]
Quamvis [illegible] erat, [illegible] victa sera est.

Fiebant etiam I. ex ferro. Plaut. Perf. IV. 4. 21.

[illegible] ostium, exurent fores:
P[illegible] aedes foribus ferreis:
F[illegible] [illegible] indas ferrea:
F[illegible] seram, atque annulum.

II. ex ære, non tantum templorum, sed etiam privatorum nonnullorum. Plin. XXXIV. 3. *Prisci limina etiam, ac valvas [illegible] in templis factitavere. Quin etiam privata opulentia [illegible]. C[illegible] inter crimina objecit Sp. Carvilius [illegible], quod [illegible] haberet in domo.* III. ex ebore, tum templorum. Cic. Verr. IV. 56. *Confirmare hoc liquido, judices, possum, valvas magnificentiores, ex auro, atque ebore [illegible] nullas [illegible] ullo templo fuisse. Ex [illegible] menta (L. antepagmenta)* [illegible] tum lautorum hominum. Plin. VIII. 10. *[illegible] um videtur quidem in templis præcipua. Sed [illegible], quæ confinis Æthiopiæ est, postium [illegible] [illegible]dere.* IV. ex auro. Sed an illo puro [illegible] posset dubitare. Laminis aureis obductas [illegible] s, ut proinde merito vocari possint aureæ. De Capitolini Jovis foribus res nota est ex antiquis [illegible] Stilico has laminas in summa pecuniæ inopia detraxit. Zosim. V. [illegible] *In magna pecuniæ inopia mandavit Stilico, ut fores in Capitolio Romano, quæ auro magni [illegible] inductæ laminis illis spoliarentur.* Auratos postes memorat [illegible] Hieron. [illegible] c. 22. Et Epist. ad Marcell. *Ad superbas fores pergimus, & inter linguas rodentium [illegible] auratos.* Sagittar. ibid. c. 23. [illegible] de Templ. Ethnic. Thes. Ant. Græc. Gronov. Tom. VII. p. 52. C. Injungi dicebatur postibus. Ovidius supr. laudatus. Injungere est ἐφαρμόττειν. Injungitur janua posti, dum immissa, & commissa combinatur. Possumus etiam injungere interpretari ex Polluc. X. 4. ἐπιζυγῶσαι. *Apud Comicos ἀναζυγῶσαι idem quod aperire [illegible]. Quemadmodum pro claudere ἐπιζυγῶσαι.* Vel injungere est [illegible] τὰς θύρας. Qua fortasse mente Onomasticon injungo reddit προσάγω. Apud Heliodor. I. θύρας ἐπικειμένας intellexeris fores injunctas. Injunguntur ergo, cum tabellæ postibus insertæ, atque adstrictæ sunt. Hinc Ovid. Amor. III. 1. 49.

Per me decepto didicit custode Corinna
Liminis adstricti sollicitare forem.

Sagittar. ibid. c. 6. §. 6. Erat in edito, & gradibus aliquot ad eam solebant veteres ascendere. Virg. Æneid. II. 492.

—— postesque sub ipsos
Nituntur gradibus.

Senec. Epist. 84. *Præteri istos gradus divitum, & magno [illegible] vestibula.* Hodieque hoc fieri videmus in [illegible], & regiis Principum. *Turneb. Adv.* XII. 5. *Donat. de Urb. Rom.* III. [illegible] *Ant. Conviv.* II. 30. *Sagittar. ibid.* c. 8. §. 34. *Cerda in Virgilium.* Græci [illegible] *januam* in publicum projiciebant. V. supr. in *Crepulæ fores.* Apud Romanos cum aperiretur, introrsum [illegible]: nisi quod singulari lege quibusdam concederetur, Græcorum more in viam explicare. Plin. XXXVI. 15. *Subit cogitatio, quota portio harum fuerint areæ illæ, quas invictis Imperatoribus decernebant publice ad exædificandas domos, [illegible] illarum honos erat. Sicut in L. Valerio Publicola, qui primus consul fuit cum L. Bruto, post tot merita, & fratre ejus, qui bis in eodem magistratu Sabinos devicerat, adjici decreto, & domus eorum fores extra aperirentur, & janua in publicum rejiceretur. Hoc erat clarissimum inter triumphales quoque domos.* Sagittar. ibid. c. 22. §. 12. Stuck. l. l. V. Cujac. Observ. XIII. 27. Antequam illi janitores adhiberentur, pulsabatur marculo, sive malleo. Plutarch. de Curiosit. p. 516. E. *Nisi pulsato prius ostio ingredi in alienam domum non est moris, & nunc ejus rei gratia janitores habentur. Antiquitus mallei januis appensi signum dabant: ne scilicet alienus matremfamilias in medio offenderet, aut virginem, aut servum vapulantem, aut vociferantes ancillas.* Sagittar. ibid. c. 16. §. 5. Mag. de Tintinn. c. 19. Stuck. l. l. Aliquibus etiam veterum, ceu vulgo hodie consuevit fieri, appendebantur tintinnabula. Suet. Aug. c. 91. n. 4. *Ideoque mox tintinnabulis fastigium ædis redimivit, quod ea fere januis dependebant.* Senec. de Ira III. 35. *Quid miser expavescis ad clamorem servi, ad tinnitum æris, ad januæ impulsum?* Sagittar. ibid. c. 22. §. 14. Mag. de Tintinn. c. 5. Fab. Semest. II. 8. *Januis* templorum leo, qui custodiæ, atque excubiarum signum est, appingebatur. Horus Hierogl. c. 19. *Leo vigilans oculos claudit, eosdem, cum dormit, apertos habet: quod quidem custodiæ, atque excubiarum signum est. Unde & non absque significatione sacrorum claustris leones, qui custodum loco sunt, appinxerunt.* Pier. Hierogl. I. 4. Rhodig. Ant. Lect. XIII. 8. Sagittar. ibid. c. 27. §. 19. Nomen dei, cujus erat, inscribebatur. Jamblich. de Vit. Pythag. I. 2. *Templum exstruxit Apollini, cum hac inscriptione, Pythii.* Dionys. I. p. 52. *Latini et Heroum posuerunt cum hac inscriptione, Patris dei terrestris, qui Numicum amnem possidet.* Symm. Relat. ad Valentinianum: *Vidit placido ore delubra, legit inscripta fastigiis deum nomina.* Herald. in Arnob. VI. p. 232. Buleng. de Templ. Ethnic. Thes. Ant. Græc. Gronov. Tom. VII. p. 52. E. Sagittar. ibid. c. 28. §. 3. Nicol. de Sigl. vet. c. 28. §. 1. Nonnunquam memorabiles sententiæ. Talis fuit γνῶθι σεαυτόν. Et integra interdum poemata affigebantur. Rutil. I. 268.

Intrantemque capit, discedentemque moratur
Postibus affixum dulce poema sacris.

Sagittar. ibid. c. 6. Interdum inscriptionibus addebatur nomen fundatoris. Inscriptio Jovis Maximi:

MARCUS HORATIUS CONSUL EX LEGE TEMPLUM JOVIS OPTIMI MAXIMI DEDICAVIT ANNO POST REGES EXACTOS

Sic post restaurationem Panthei nomina sua præfigi curarunt restauratores, simulque templi mentionem fecerunt in inscriptione, quam laudamus infr. in *Pantheon.* Nicol. ibid. c. 2. Scholarum, in quibus veteres philosophi docebant. Pythagoræ scholæ inscriptum fuit:

Cantabo doctis, vos vani claudite portam.

Platonis: *Nemo huc ingrediatur geometriæ ignarus.* Interdum fundatoris fit mentio: Inscriptio antiqua.

C. AVILIUS LICINIUS TROSSUS
CURATOR
SCHOLAM DE SUO FECIT
BEBRUX AUG. L. DRUSIANUS A. FABIUS XANTHUS CUR. SCRIBIS LIBRARIIS ET PRECONIBUS ÆD. CUR. SCHOLAM AB INCHOATO REFECERUNT MARMORIBUS ORNARUNT VICTORIAM AUGUSTAM ET SEDES ÆNEAS ET CÆTERA ORNAMENTA DE SUA PECUNIA FECERUNT.

Sagittar. ibid. c. 7. Nicol. ibid. §. 6. Tricliniorum, & cœnaculorum appingebant S. & ST. silentii notam V. infr. in *S.* Sæpius coronæ suspendebantur. V. supr. in *Fores.* Etiam obsignabantur. Aristot. de Rep. I. hinc ait, *& domus obsignari januas, & eas aperturi, ostendentes civibus, & hospitibus signa in hunc modum aperiunt.* Prop. IV. 1. 145.

Nec mille excubiæ, nec te signata juvabunt
Limina.

Longus de Annul. c. 11. Veteribus fuerunt sacræ habitæ, ac diis, deabusque consecratæ. De Jano, Limentino, Forculo, Cardea, Vesta, Hermis suis locis agitur. *Sagittar. ibid.* c. 38. Prope *januam* canis unus, pluresve excubabant, qui illam custodiebant, ne quis invitis janitoribus intraret. Antipat. Anthol. VII. 163. 3. V. illum supr. in *Janua.*

Sed

Sed de illis jam dictum est supr. in *Canis.* V. & alia de *janua* observanda supr. in *Fores.*

Janua Caci publica respexerit Palatium, nam alioquin Euander, quod Maro canit, non potuisset in Palatino consistens ejus cavum indice digito monstrare, nihilominus Hercules nequaquam ea parte irrupit, obstante immenso saxo; verum speluncæ forsan dorsum, quod Tiberi imminebat, perforans novam sibi *januam* aperuit, & illam in regionis undecimæ ramum patefactam. Hinc Maroni traditur illa silex, per quam avulsam penetravit Hercules, lævum ad amnem incubuisse; unde Solino dicitur habitasse Cacus ad Salinas prope portam tergeminam. Sed ejusdem posticum, sive pseudothyron esse versus Tiberim conversum, in quo elisæ ipsi fauces, & victoria Herculi parta: atque ideo in crepidine montis supra Navalia ædes Herculi victori decreta est. Intellexerit proinde pseudothyron Ovid. Fast. I. 563.

Ille aditum fracti præstruxerat objice montis,
Vix juga movissent quinque bis illud onus.
Nititur hic humeris, (cœlum quoque sederat illis)
Et vastum motu collabefactat onus;
Quod simul evulsum est, fragor æthera concutit ipsum,
Ictaque subsedit pondere molis humus.

Et cur negemus prædoni astutissimo posticum? quod & bestiolis subterraneis familiare; nec Romanis olim insuetum secundum Horat. Epist. I. 5, 31. V. illum infr. in *Posticum.* Quomodo Caci more, non unum, sed plura sibi fabricaverit postica Hannibal jam vetulus, & a Romanis sibi metuens, fuse edisserit Nep. XXIII. 12. §. 3. 4. 5. *Borrich. Ant. Urb. Fac. c.* 15. §. 1.

Janua consulum, prætorumque, ac denique magistratus illius, qui ludos edebat, signumque mittendis quadrigis edebat, erat in circo ostium illud, quod ad medium spatium dirigebatur. Auson. Epist. XVIII. 11:

Ostia quot pro parte aperit stridentia circus,
Excepto, medium quod patet ad stadium.

Hoc non solebat cum cæteris aperiri, vel si aperiebatur, nullæ ex eo certe mittebantur quadrigæ. Fuit medium inter alia circi duodena ostia, & sena utrimque habuit. Hoc *ad medium stadium patuisse* dicit Ausonius. Et sane ex adverso metas respiciebat. *Janua, consulumque sedes* vocatur Sidon. carm. XXIII. n. 317. V. illum supr. in *Carceres.* Qualis fuerit ille locus, aut quomodo vocaretur, non tacuit Auctor anonymus in vita Alexandri Magni de ludis Olympicis. Altare fuisse dicit circa mediam proram circi, proræ quippe habuit figuram ἡ ἄφεσις, quæ satis lata erat, quæque discriminabat utrumque ordinem ostiorum. *Januæ* consulum, vel ostio, quod ad medium circi spatium patebat Romæ, hic βωμὸς, vel hæc prora media respondebat. *Salmas. Exerc. Plin. p.* 633. *a. D. b. F.*

JANUAL, *libi genus, quod Jano tantummodo libatur.* Festus. *Cereale libum* vocat Ovid. Fast. I. 127.

Inde vocor Janus: cui cum Cereale sacerdos
Imponit libum, mixtaque farra sali.

Viola de vet. & nov. Rom. temp. rat. Thes. Antiq. Rom. Græv. Tom. VIII. p. 174. C. Lipen. de Stren. c. 2. prim. æt. §. 19. Stuck. de Sacrif. p. 75. Voss. Lex. Etymol. Struv. Ant. Rom. c. 9. p. 411. Crispin. in Ovidium. Kalendis Januariis *Jano* tanquam primo anni, & mensis auspici hoc sacrum fiebat. Ex libo, mola, mero, & thure conficiebatur. Mola farina horna, & sale miscebatur. Merum, & thus in lætitiam, & suffimentum fundebantur. Ovid. Fast. I. 172.

Jane, tibi primo thura merumque fero.

Lipen. l. l. Gyrald. Synt. deor. XVII. p. 549. C.

JANUARIUS mensis anni apud Romanos auspex. Junoni fuit sacer. *Alex. Gen.* III. 24. *Rhodig. Ant. Lect.* XXV. 30. *Jun. de Ann. & mens. c.* 4. *Struv. Ant. Rom. c.* 8. *p.* 345. *Panvin. Fast.* I. *p.* 28. Ante Numam dies octo & viginti habuit, a Numa in honorem imparis numeri uno die auctus, deinde e Cæsaris constitutione duobus additis unum & triginta tenet. *Viola de vet. & nov. Rom. temp. rat. Thes. Antiq. Roman. Græv. Tom.* VIII. *p.* 188. *D. Morestell. Philomus.* I. *Dial.* 4. Fuit tempus, quo mensis fuit penultimus, aliud quo primus. V. supr. in *Februarius.* Plutarch. Quæst Rom. 19. ait *Januarium* primum omnium numerari cœptum, cum antea undecimus esset, *quod Kalendis Januarii consules primi ejectis Regibus Romæ magistratum inierunt.* Addit tamen *probabilius esse, quod alii dicunt, Numam pacis studiosum, & qui cives a re bellica ad agriculturam transferre cuperet, Januario principem locum assignasse, Janoque magnos honores detulisse, ut qui civilis, & terræ colendæ, quam belli fuisset studiosior.* Gyrald. de Ann. & mens. Oper. Tom. II. p. 766. A. Synt. deor. IV. p. 157. C. Jun. ibid. C. Lalamant. de Ann. Rom. Thes. Ant. Rom. Græv. Tom. VIII. p. 274. B. Struv. l. l. Morestell. ibid. II. 2. Lipen. de Stren. c. 4. §. 11.

JANUS habebatur antiquissimus Rex Italiæ. Venit in Italiam, placida exceptus Tiberis vehitura. De ejus adventu ita majores ratiocinantur, ut factum adstruant anno post diluvium 108. qui & 23. ante regnum Babylonicum, & turrim illam, in qua linguarum confusio facta est. Deinde ad disponendas colonias orbem terrarum peragraturus solvit ratem: huc redeundi tamen concepta spe, ubi jam senior requietem delegerat: quod hæc regio Reginam suo in solio Orbi præsidentem in stola, si orbis situm advertas, repræsentat Europam, cujus Italia brachium dextrum, quæ coronatum sustinens tripodem hospitibus, & hospitalibus offerat diis. Tripus autem ipsa est Sicilia, quæ & penus, & horreum. Ea igitur figura nihil optatius magis optimo Regi, sanctissimo patrifamilias. Ager vero is est, qualem laboriosior, & industrior agricola exoptaret. Interim præmiserat in Italiam *Janus* Cranum, & Cranam, quæ & Carnia, & Crania, filios natu maximos, & eorum subcrescentem sobolem, cum Comero Gallo, & ejusdem filiis ex Japeti genere. *Leo Casell. de prim. Ital. colon. p.* 1. *&* 2. Quo *regnante omnium domus religione, ac sanctitate fuerunt munitæ: idcirco ei divini honores illi sunt decreti, & ob merita introitus, & exitus ædium consecrati.* Macrob. Sat. I. 9. Struv. Ant. Rom. c. 1. p. 106. *Primus fuit antiquorum illorum deorum, quos Romani materna lingua Penates appellabant.* Procop. de Bell. Goth. I. *Castal. de Templ. Pac. Thes. Ant. Rom. Græv. Tom.* IV. *p.* 1854. *C.* In sacrificii principio fuit invocatus: vel quia primus, ut ait Q. Fabius Pictor, docuit Italos vinum & far ad sacrificium. *Laurent. Var. sacr. gentil. c.* 22. vel quia primus templum in Italia condidit. *Clasen. Theol. Gentil.* III. 2. *Laurent. ibid. c.* 5. Rationem dat Cicero jam laudatus supr. in *Janua: quia in omnibus rebus vim habet maximam.* Dat Ovid. Fast. I. 171.

Mox ego; cur, quamvis aliorum numina placem,
Jane, tibi primo thura merumque fero?
Ut possis aditum per me, qui limina servo,
Ad quoscunque voles, inquit, habere deos.

Et Arnob. III. p. 117. *Quem in cunctis anteponitis precibus, & viam vobis pandere deorum ad audientiam creditis.* Guther. de Vet. jure pontif. IV. 2. Herald. in Arnobium. Struv. ibid. c. 4. p. 209. Etiam creditus est primævum chaos, seu confusa illa unitas & in profundum patens ex Hesiodi descriptione. Unde Ovid. Fast. I. 103.

Me Chaos antiqui, nam res sum prisca, vocabant:
Accipe, quam longi temporis acta canam.

Lipen. de Stren. c. 4. §. 20. Quæ invenerit, docet Draco Corcyræus de Lapidibus apud Athen XV. p. 692. D. his verbis: *Janum fama est bifrontem fuisse, altera facie posteriori, anteriori altera: Janum flumen, Janumque montem ab eo fuisse denominatum, quod in eo monte habitaverit: coronas illum reperisse, navigia, rates: nummum æneum ab illo signatum: qua de causa civitates in Græcia multæ, Italia, & Sicilia monetam cudunt impressa bicipiti facie, & ex altera parte, vel navigio, vel corona.* Muson. Philos. de Lux. Græcor. c. 8. Laurent. ibid. c. 9.

Janus Bifrons dicebatur, quia facie gemina pingebatur. Serv. Æneid. XII. 198. *Namque postquam Romulus & T. Tatius in fœdera convenerunt, Jano simulacrum duplicis fron-*

tis effectum est, quasi ad imaginem duorum populorum. Forte, quia præterita & futura respicere existimaretur. Ovid. Fast. I. 65.

> *Jane biceps, anni tacite lab[illegible],*
> *Solus de superis, qui tu[illegible].*

Alciat. Emblem. XVIII.

> *Jane bifrons, qui jam tra[illegible], futuraque calles,*
> *Quique retro sannas, sic[illegible], vides.*
> *Tot te cur oculis? tot fingunt [illegible]? an quod*
> *Circumspectum hominem f[illegible] d[illegible].*

Alias quoque rationes dat Plutarch. Quæst. Rom. 24. *Landus Numis. Roman. Miscell. c. 1. Gyrald. Synt. deor.* IV. *p.* 154. *G. Struv. Ant. Rom. c.* 1. *p.* 106. *Voss. de Idolol.* II. 16. *Lipen. de Stren. c.* 4. §. 45. *Cuper. Monum. Ant. p.* 204. *Lalamant. de Ann. Roman. Thes. Antiq. Rom. Græv. Tom.* VIII. *p.* 274. *E. Morestell. Philomus.* II. *Dial.* 2. *Rosin. Antiq. Roman.* II. 3. *Jani Gemini* simulacrum dextra manu trecentorum, & sinistra quinque & quinquaginta numerum designans ad ostendendam solaris anni dimensionem, statuerunt Romani. Plin. XXXIV. 7. *Janus Geminus a Numa Rege dicatus, qui pacis, belliqne argumento colitur, digitis ita figuratis, ut trecentorum quinquaginta quinque dierum nota anni, temporis, & ævi se deum indicaret.* Viola de vet. & nov. Rom. temp. rat. Thes. Antiq. Rom. Græv. Tom. VIII. p. 171. E. Jun. de Ann. & mens. c. 1. Lipen. ibid. §. 25. Struv. ibid. p. 107.

Janus Claviger dicebatur, quod cum clavi ipsum veteres efformaverint. *Sagittar. de Jan. vet. c.* 1. §. 4. *Gyrald. Synt. deor.* IV. *p.* 156 *E. Lipen. de Stren. c.* 4. §. 25. *Struv. Ant. Rom. c.* 1. *p.* 107. *Voss. de Idolol.* II. 16. *La Chausse Deor. simul. tab.* XV. Veteres hoc docentes V. supr. in *Janus.*

Janus Clusius cognominabatur a claudendis templi portis. Ovid. Fast. I. 129.

> *Nomina ridebis: modo namque Patulcius idem,*
> *Et modo sacrifico Clusius ore vocor.*

Gyrald. Synt. deor. IV. p. 156. E. Struv. Ant. Rom. c. 1. p. 196. Voss. de Idolol. II. 16. Viola de vet. & nov. Rom. temp. rat. Thes. Antiq. Rom. Græv. Tom. VIII. p. 174. A. Spon. Ignot. deor. ar. Thes. Ant. Græcar. Gronov. Tom. VII. p. 266. B. Rosin. Antiq. Roman. II. 3. Lipen. de Stren. c. 4. §. 26. Quando, & quoties ejus portæ clausæ sint. V. infr. in *Templum.*

Janus Consivius dicebatur, quod genus humanum consereret. Macrob. Sat. I. 9. *Consivium, a conserendo, id est a propagine generis humani, quæ Jano auctore conseritur.* Borrich. Ant. Urb. fac. c. 16. §. 1. Gyrald. Synt. deor. IV. p. 157. B. Lipen. de Stren. c. 4. §. 27. Struv. Antiq. Rom. c. 1. p. 106. Voss. de Idolol. II. 16. Rosin. Antiq. Roman. II. 3.

Janus Curiatius dictus est, quia Horatius victor cum Junone sororia in memoriam Curiatii Albani sacraverat. *Lipen. de Stren. c.* 4. §. 27. *Rosin. Antiq. Roman.* II. 3.

Janus Junonius fuit dictus, quod omnium mensium ingressum teneret. Macrob. Sat. I. 9. *Junonium, quasi non solum mensis Januarii, sed omnium mensium ingressus tenentem: in ditione autem Junonis sunt omnes Kalendæ: unde & Varr. Rer. divin.* V. *scribit Jano duodecim aras pro totidem mensibus dedicatas.* Lipen. de Stren. c. 4. §. 27. Gyrald. Synt. deor. IV. p. 155. G. Struv. Ant. Rom. c. 1. p. 106. Rosin. Antiq. Roman. II. 3.

Janus matutinus deus est dictus, quod *sit diei dominus*, ut ait Servius infr. in *Janus Quadriceps, in quo ortus est, & occasus.* Horat. Sat. II. 6. 20.

> *Matutine pater, seu Jane libentius audis,*
> *Unde homines operum primos, vitæque labores*
> *Instituunt.*

Gyrald. Synt. deor. IV. p. 157. D. Voss. de Idolol. II. 16.

Janus Pater dictus est *quasi deorum deus.* Macrob. Sat. I. 9. A Græcis etiam dictus προπάτωρ, ut in illo hymno, qui κοινὸς dicitur:

> Χαῖρ' Ἴανε προπάτωρ, Ζεῦ ἄφθιτε.

Gyrald. Synt. deor. IV. p. 157. D. Rosin. Antiq. Rom. II. 3.

Janus Quadriceps, & Quadrifrons etiam dictus est. Hoc innuit Mart. VIII. 2. 1.

> *Et lingua pariter locutus omni.*

Nam, ut ait Servius, *omnes de duobus non dicimus.* Scribunt Plutarchus & Critolaus, qui Phænomenων librum composuit, Saturnum a Latino quopiam agricola hospitio susceptum, ejus filiam Oenotriam vitiasse: quo partu natos ferunt, *Janum, Hymnum, Festum, & Felicem*, quibus Saturnus pater serendæ vitis, & vini conficiendi rationem ostendit, ejusque muneris ut aliis auctores essent, permisit. Hinc ergo finitimi agricolæ, cum vinum gustassent, inconsuetæ potionis vi diu gravi somno pressi jacuere: mox expergefacti, & sibi venenum propinatum suspicantes, *Janum* ejus inventorem saxis, & lapidibus obruerunt: cujus filiæ puellæ patris interitu mœrore percitæ, laqueo vitam finivere: quas in cœlum omnes sustulisse Saturnum tradunt: appellatasque προτρυγητῆρες, quod earum ortus vindemiam præcedant. Sed multo post tempore laborantibus pestilentia Romanis Apollinis oraculum respondit: *non ante pestilentiam sedandam, quam Saturni ira expiaretur, quam ex filii nece conceperat.* Hinc Lutatius Catulus ædem Saturno in rupe Tarpeja construxit, *Janumque* sacravit quadrifrontem: seu a puellarum numero, quæ patri laqueo, & spiritu parentaverant: vel a quatuor anni temporibus. *Gyrald. Synt. deor.* IV. *p.* 155. *C. Rosin. Antiq. Roman.* II. 3. Si Servio fides habenda, originem suam debet Phaleris, sive Faleriis, civitati Tusciæ. Ita enim scribit ad Æneid. VII. 607. *Postea captis Phaleris, civitate Tusciæ, inventum est simulacrum Jani cum frontibus quatuor: propter quod in foro transitorio constitutum est illis sacrarium aliud, quod novimus hodieque quatuor portas habere. Janum certe apud aliquos quadrifrontem esse non mirum est. Nam alii eum diei dominum volunt, in quo ortus & occasus: alii anni totius, quem in quatuor partes constat esse divisum.* Cuper. Monum. Ant. p. 208. Donat. de Urb. Rom. II. 23. & 26. Bonon. a Cruc. Syllog. c. 8. Voss. de Idolol. II. 16. Lipen. de Stren. c. 4. §. 42. Oisel in Minuc. Fel. p. 187. Gyral. l. l.

Janus Quirinus dictus est ab hasta, quam Sabini curim, seu quirim vocabant, quasi bellorum potens. Macrob. Sat. I. 9. *Quirinum, quasi bellorum potentem, ab hasta, quam Sabini curim vocant.* Lipen. de Stren. c. 4. §. 27. Struv. Ant. Rom. c. 1. p. 106. Gyrald. Synt. deor. c. 4. p. 157. C. Nardin. Rom. Vet. V. 7. Rosin. Antiq. Roman. II. 3.

Janus Vertunus etiam dictus est, si Fabio Pictori credimus, si quidem, qui ejus nomine circumfertur, liber legitimus est. Sic enim scribit: *Imus Argiletus est, ubi Janus quadrifrons, qui & Vertunus, in fine vici Tusci, ad radices Capitolii, in foro Boario.* Gyrald. Synt. deor. IV. p. 157. E. Bonon. a Cruc. Syllog. c. 8.

Janus via quædam adjuncta a templo *Jani* dicta est, in qua fœneratores & trapezitæ habitabant, ejusque partes *summus, imus, medius Janus* dictæ. Horat. Epist. I. 1. 54. V. illum infr. in *Mercatores.* Cicer. de Offic. II. 25. *A quibusdam optimis viris ad medium Janum sedentibus.* Hic locus an esset ad *Janum* bifrontem, an ad quadrifrontem definire non ausim; potius tamen ad quadrifrontem constituerem. *Donat. de Urb. Rom.* II. 26. *Borrich. Ant. Urb. fac. c.* 6. §. 8. Quæsitum est a doctis, cur *Janus* medius sit nuncupatus. Quibusdam placet Acronis sententia, scilicet, *Janum* dici medium, quod tres essent *Jani* statuæ, ad quarum mediam solerent fœneratores, & creditores convenire. Porphyrio eos ad *Janum* in Basilica stetisse dicit. Chiliadum auctor in Ciceronem de Officiis, tres illas *Jani* statuas, vel etiam, ut Landinus ex quorundam sententia dicebat, tria *Jani* in foro templa commenta esse suspicatur; probabiliusque esse ait, medium *Janum* vocari, quod in medio

dio foro basilicam haberet: nihilque ad hanc opinionem adstruendam allegat. Ægo in tanta vetustatis caligine censuerim medium dici, quod inter duo fora sacratus staret, ad quem tanquam celebriorem, ac loci ratione commodiorem & fœneratores, & mercatores convenire solerent. Ad quod existimandum me impellunt versus Ovid. Fast. I. 257.

Cum tot sint Jani, cur stas sacratus in uno,
Hic ubi juncta foris templa duobus habes?

Ad hunc in usum hujusmodi hominum sedilia fuisse docuit Cicero jam laudatus. *Mag. Miscell.* II. 12. *Nann. Miscell.* IV. 13. Non statuæ, aut templa ibi sunt intelligenda, sed transitiones perviæ. Unum enim erat in Urbe *Jani* templum, idque in vico Thusco, mercatoribus & fœneratoribus frequentissimo. Et hinc factum est, ut ille vicus *Janus* appellaretur. Caput ejus summus *Janus*, infima pars, imus *Janus*, media pars medius *Janus* appellabatur. Ibidem erat puteal, ubi debitores non solvendo damnabantur. Ovid. Rem. Amor. n. 561. V. illum supr. in *Fœneratores*. Scopp. Collect. I. 2. V. etiam Turneb. Adv. VI. 10. Lipen. de Stren. c. 4. §. 37. Torrent. ad Horatium. Cruq. ad Horat. Sat. I. 3. 18.

Jani compitalitii aliud longe erant quam *Jani* templa. Transitus erant, quibus ex uno in alium commeabatur locum, quibusque duplex, ut *Jano*, facies erat, introitus scilicet & exitus. Inserviebant usui publico compendia viarum sectantium in foro alibive negotiatorum. Cicero laudatus supr. in *Janua*. Plurimi tales Romæ per compita frequentiora, & fora varie sparsi. P. Victor. *Jani per omnes regiones incrustati, & ornati signis.* Erant saxeæ quadratæ moles, nullis plane januarum claustris munitæ; arcubus quatuor late patentibus visendæ, usu quidem similes hodiernis byrsis, non autem vel capacitate, vel forma. Talis *Janus* marmoreus in foro Boario conspicitur, pæne integer. *Nardin. Rom. Vet.* I. 9: V. 7. *Borrich. Ant. Urb. fac. c.* 6. §. 8. *Donat. de Urb. Rom.* II. 26. *Lipen. de Stren. c.* 4. §. 36. *Bonon. a Cruce Syllog. c.* 16. *Gyrald. Synt. deor.* IV. *p.* 156. *G. Figrell. de Stat. Roman. c.* 26. *Brod. Miscell.* II. 19. Etiam in portis interiores transitus, qui in multis tam antiquis, quam hodiernis, etiamnunc tecti, detectique visuntur, *Jani* fuere appellati. Liv. II. 49. & Ovid. Fast. II. 201. V. illos supr. in *Janus*. Et quia in Carmentali dexter fuit, consequitur etiam sinistrum in eadem fuisse. *Nardin. ibid.* I. 9.

JAP.

JAPUDES a Liburnis discrevit fluvius Tendanius, ab Istris flumen Arsia. Hos cis montes ad mare habitantes C. Sempronius Tuditanus in consulatu subegit, ac de iis anno sexcentesimo vigesimo quarto triumphavit. *Sigon. de Ant. jur. civ. Rom.* I. 7.

JAPYGES, quos & Peucetios, & Pediculos vocarunt, fuerunt unum genus Apulorum. *Sigon. de Ant. jur. Ital.* I. 13. Solin. c. 2. *Japygas ab Japyge Dædali filio.* Imperite quidam *Japyges* cum *Japudibus* confundunt. *Salmas. Exerc. Plin. p.* 43. *b. A.*

JAPYGIA. V. illam supr. in *Calabria*.

IDE.

IDEA Jovis legitur disertim Varisii oppido agri Mediolanensis. Tertio a Marsilia lapide etiam *Ideæ* nomen occurrit in hoc monumento:

MATRIS. DEUM. MAGNÆ.
IDEÆ. PALATINÆ. EJUSQ.
M. RELIGIONIS. AD. PANOR
NAVIUS JANUARIUS

Et Romæ in ædibus Colutianis, in ara; M. D. M. IDEA. ET. ATTIDI. MINOTAURO. Superfluum I. vitio statuarii existimaverim. Nec enim minus illi in literarum notis errarunt, quam librarii, qui tot mendosos codices nobis dederunt. Ita alibi veterum inscriptionum invenire est DIRVITA pro DIRUTA, MEDIOLANIENSIS pro MEDIOLANENSIS. Igitur pro *Idea Jovis* legendum est *Dea Jovis*, quæ est Juno. Nihil facilius quam in notis statuarum lineolam unam, qualis I litera, superaddere. An vero eo recurrere non est necesse, & bene scriptum *Idea Jovis*, sicut *Idea mater deum*? ut *Idea Jovis* sit mater deûm, ac proinde etiam Jovis. Mater autem deûm bene *Idea* dicta est ab *Ida* monte, quem sacrum, dedicatumque sibi habebat: quod nemo nescit. *Boxhorn. Quæst. Rom. c.* 5.

IDO.

IDOLA consecrabantur hoc ritu. Profani signi sacramentum erat θεὸς ἐκ πέτρας. Lapidem enim, vel lignum, cujusque materiæ simulacrum ritu, & sollennibus verbis deum fieri credebant. Itaque consecratum vulgus orare, & publice colere non dubitabat, tanquam in ligno, aut lapide præsentis numinis vis adesset. Simulacrum dum funditur, fabricatur, sculpitur, nondum deus est: plumbatur, consternitur, erigitur, nec adhuc deus est. Ecce ornatur, consecratur, oratur, & postremo deus erat, cum homo voluisset, aut dedicasset. Tria ergo in lapide requirebantur, ut deus evaderet, ornatus, consecratio, oratio. Primo enim ornabant *idolum*, supellectile varia, & pretiosa, quæ imperitæ multitudinis animos obumbraret: sic exornatum, & depexum *idolum* consecrabatur. Apud Romanos nihil fuit tam sollenne quam dies consecrationis. Verba sollennia cum idolorum vanitate perierunt, si quæ fuerunt, quæ forte nulla, ut ex Principum consecratione colligi potest, in qua nulla verborum conceptio sollennis. *Guther. de Jur. Pont.* IV. 22. *Laurent. var. sacr. Gentil. c.* 14. Kalendis Januariis pædore, quo per totum annum conspersa essent, abstergebantur. *Lipen. de Stren. c.* 2. *prim. et.* §. 21. V. infr. in *Kalendæ*. Illis immolari interdixit Constantinus Magnus. Euseb. de Vit. Constant. III. 50: IV. 25. Sozomen. I. 3. & 4. Socrat. I. 14. *Lipen. ibid. c.* 2. *et.* 3. §. 2.

IDU.

IDULIA dicebantur sacra ab ove, quæ singulis *Idibus* Jovi immolabatur. Festus: *Sacram viam quidam appellant, quod eo itinere utantur sacerdotes idulium sacrorum conficiendorum causa.* Varro de Ling. Lat. IV. 8. *Oritur caput Sacræ viæ ab Streniæ sacello, quæ pertinet in arcem, qua sacra quotquot mensibus feruntur in arcem, & per quam augures ex arce profecti solent inaugurare.* Donat. de Urb. Rom. II. 12. Turneb. Adv. XX. 35.

IDULIS *dicebatur ovis, quæ omnibus Idibus Jovi mactabatur.* Festus. *Tusci hoc nomine* illam *vocant, & omnibus Idibus Jovi immolatur a flamine.* Macrob. Sat. I. 15. *Junius de Ann. & mens. c.* 5. *Siccam. in Fast. Kalend. Roman. c.* 6. *Stuck. de Sacrif. p.* 27. *Hospin. de Fest. Ethnic. p.* 96.

IDUS dividunt mensem, nam eo lapso computamus dierum numerum, quatenus a sequentibus Kalendis distant. Unde cum dicimus sexto Kalendas, sextum diem intelligimus qui ante Kalendas est. *Alciat. ad leg.* 98. *de verb. signif.* Macrob. Sat. I. 15. *Idus vocamus diem, qui dividit mensem. Iduare enim Hetrusca lingua dividere est:* Quo allusit Horat. Od. IV. II. 16. V. illum supr. in *Aprilis*. Et Dionys. XI. p. 737. exponit *Idus* διχομηνίδα ἡμέραν, hoc est, *diem dissectorem mensis*. Jun. de Ann. & mens. c. 5. Voss. Lex. Etymol. Gassend. Kalen. Roman. c. 1. Siccam. in Fast. Kalend. Roman. c. 6. Viola de vet. & nov. Rom. temp. rat. Thes. Ant. Roman. Græv. Tom. VIII. p. 187. E. Gaza de Mens. Attic. c. 14. Haguelon. Kalend. Triling. Thes. Antiq. Græcar. Gronov. Tom. IX. p. 1038. D. Jovi sacras habuere Romani. Macrob. Sat. I. 15. *Omnes Idus Jovis feriis observandas sanxit antiquitas.* Ovid. Fast. I. 56.

Idibus alba Jovi grandior agna cadit.

Stuck. de Sacrif. p. 27. Perion. de Græcor. & Roman. magiſtrat. III. Theſ. Antiq. Græcar. Gronov. Tom. VI. p. 2815. D. Jun. l. l. In has ſolutionis dies ſolebat conferri: ut creditores, quæ fœneraverant in Kalendas, *idibus* reciperent, & relegerent. Horat. Epod. II. 67.

Hæc ubi locutus fœnerator Alphius
Jam jam futurus ruſticus
Omnem relegit Idibus pecuniam,
Quærit Kalendis ponere.

Cicer. Attic. X. 5. *Ad me nuper ſe HS.* XXX. *emiſſe, ut ſcriberem, an vellem, addici diem pecuniæ Idus Novembris eſſe.* Catil. I. 6. *Prætermitto ruinas fortunarum tuarum, quas omnes impendere tibi proximis idibus ſenties.* Inde Kalendariorum & iduariorum corpora dicta in inſcriptione apud Gruter. p. 478. n. 9.

L. VAL. L. FIL
GAL. FAVENTINO
II. VIRALI
QUI. ANNONA
FRUMENTARIA
EMPTA. PLEBEM
ADJUVIT. ET. OB
ALIA. MERITA. EJUS
COLLEGIA. KA
LENDARIUM. ET. IDUARIA. DUO
CIVI. GRATISSIMO
POSUERUNT

Habebant enim civitates, ut & privati, Kalendaria ſua, ex quibus qui fœnori ponebant, Kalendarii, & curatores Kalendarii: qui relegebant, iduarii dicebantur. Cicer. Attic. XIV. 20. *Jam vel ſibi habebat nummos, modo numeret Idibus.* Pith. Subciſ. II. 4. Briſſon. de Form. VI. p. 738. Torrent. & Cruq. in Horatium. Cujac. tract. VIII. ad African. in expoſit. l. pen. ff. de rebus cred. Manut. & Popm. ad Cicer. ad Attic. XIV. 20. Vereor, ut viris his aſſentiri poſſim. Nuſquam enim hoc exſtat, & contrarium exemplis probamus infr. in *Uſura.* Nec juvat eos Cicero. Quid ſi enim Catilina *idibus* acceperit fœnebrem pecuniam, & ejus reſtitutionem *idibus* promiſerit? quamvis enim ſolerent pecuniæ Kalendis dari, & repeti, tamen nil vetabat, ſi ita res ferret, eas aliis quoque diebus, verbi gratia, *idibus* dari, & repeti: & exemplum apud Scævol. l. 89. §. ult. ff. de ſolution. Horatius tantum indicat, Alphium fœneratorem, cui jam placebat vita ruſtica ex Horatii commendatione, mutaſſe conſilium: & cum exſpectaretur, ut rus abiret, contra relegiſſe omnes uſuras, ſibi ex Kalendis debitas: quod cum factum eſſet *idibus*, deinde non vitam ruſticam cogitaſſe; ſed opportunitatem pecuniæ, ne otioſa eſſet, futuris Kalendis rurſus fœnori collocandæ. Non magis quem movere poſſit lapis allatus. Hunc Gruterus ſic edidit; ſed mendoſe. Scribe QUI ANNONA, id eſt, QUIA ANNONA, geminata litera A: ut duplex ſit poſiti monumenti cauſa; una, quod *annona frumentaria empta plebem adjuvit* L. Valerius Faventinus; altera, *& ob alia merita ejus.* Utcunque erit, quod de Kalendariis dicit Pithæus, in ea inſcriptione appellari, qui fœnori ponebant pecuniam publicam, a vero non abhorret: ſed quod de *iduariis* dicit, ejus probationem quæro: nuſquam enim extat. Quanquam quæ ſint duo collegia iduaria, nec ipſe intelligo. Quod ſi ſuſpicioni locus ſit in re obſcura, quia laudatur Faventinus præſertim, quod annona frumentaria plebem adjuvit, forſan videri poſſint ea collegia eſſe eorum, qui in municipio habebant curam pecuniæ alimentorum infirmæ ætatis ex plebe, aut annonæ populo præbitæ: quorum munerum meminit inſcriptio apud Gruter. p. 386. n. 4.

L. CASURIO. L. F.
CLU. SPECULATORI
ÆD. IIII. VIR. I. D. Q. ARC
PUBL. ET. PEC. ALIMENTAR
DEFENSORI. R. P. CUR. ANN
POPULO ф PRÆBITÆ

Etiam Alexand. l. 3. C. de compenſat. cum ait: *In ea quæ Reipublicæ te debere fateris, compenſari ea quæ invicem ab eadem tibi debentur, is cujus de ea re notio eſt, jubebit, ſi neque ex Kalendario, neque ex vectigalibus, neque ex frumenti, vel olei publici pecunia, neque tributorum, neque alimentorum, neque ejus, qui ſtatutis ſumptibus ſervit, neque fideicommiſſi civitatis debitor ſis.* Illa tamen collegia *iduaria* dici non liquet. *Noodt de Fœnor. & uſur.* II. I. Octonos æris aſſes pueri pro mercede diſciplinæ, in ludum qui ibant, referebant. V. infr. in *Minerval.* Matrimonio contrahendo habebantur religioſæ. V. infr. in *Kalendæ.*

Idibus Januariis permiſſum erat tibicinibus, veſtem indutis muliebrem, per Urbem circuire. Magnos illis honores Numa Rex religionis cauſa contulerat, quibus cum poſtea tribunis militum conſulari poteſtate Rempublicam adminiſtrantibus privarentur, univerſi Roma Tibur receſſerunt. Deſiderati inde, quod religio tenebat animos Romanorum, nemine ſacrificiis præcinente, accitique cum non obtemperarent, ſed Tibure manerent, libertus quidam magiſtratibus promiſit occulte, ſe eos Romam reducturum. Inſtructo proinde polluctu, tanquam ſi diis rem ſacram feciſſet, invitat tibicines, adhibitis etiam convivio mulieribus: & per totam noctem compotatio, choreæ, & joci protrahuntur. Tum ſubito ficta trepidatione, improviſo patroni adventu ſe perturbatum ait, perſuadetque tibicinibus, ut vehicula circumquaque pellibus obtecta conſcendant, Tibur ſe eos revecturum doloſe promittens. Ibi circumactis vehiculis eos, qui per temulentiam, & tenebras animadvertere, ubi locorum eſſent, nequibant, univerſos Romam prima luce perfert. Erant autem pleraque veſtibus floridis, & muliebribus amicti ob nocturnam comeſſationem, & convivium. Exinde cum magiſtratibus tibicines in gratiam redierunt, decretumque eſt, ut tali habitu iſtum diem eis per urbem vagari liceret. Plutarch. Quæſt. Rom. 54. Liv. IX. 30. Valer. Max. II. 5. 4. *Alex. Gen.* III. 18. *& ad illum Tiraquellus. Bartholin. de Tib.* III. I. *Merul. de Sacerd. c.* 4. §. 4. *Stuck. de Sacrif. p.* 169.

Idibus Februariis in Tiberis inſula, ubi Fauni ædes erat, Romani rem divinam, & ſacrum annuum fecerunt. Ovid. Faſt. II. 193. V. illum ſupr. in *Faunus.* Alex. Gen. III. 18. & ad illum Tiraquellus.

Idibus Martiis *& publice, & privatim ad Annam Perennam, quo commode annare, & perannare liceret, feſtum geniale fuit.* Macrob. Sat. I. 12. Ovid. Faſt. III. 523.

Idibus eſt Annæ feſtum geniale Perennæ,
Non procul a ripis advena Tibri tuis.
Plebs venit, ac virides paſſim disjecta per herbas
Potat, & accumbit cum pare quiſque ſua.

Alex. Gen. III. 18. & ad illum Tiraquellus. Viola de Roman. temp. rat. Theſ. Antiq. Roman. Græv. Tom. VIII. p. 170. E. Lambec. in Kalend. vet. Theſ. Græv. ibid. p. 107. E. Buleng. de Omin. c. I. Briſſon. de Form. I. p. 58. Gyrald. Synt. deor. I p. 59. C. Kipping. Antiq. Roman. I. 10. §. 14. Roſin. Antiq. Roman. II. 17. Hic dies poſt Julium Cæſarem a Bruto & Caſſio interfectum parricidium eſt dictus, quia ille illo die conjuratorum ſcelere occubuerat, ac propterea perpetuum juſtitium in eum diem inſtitutum. Suet. Jul. c. 88. n. 3. *Placuit Idus Martias parricidium nominari: ac ne unquam illo die ſenatus ageretur.* Junius Faſt. Theſ. Ant. Rom. Græv. Tom. VIII. p. 234. D. Siccam. in Faſt. Kalend. Roman. c. 5. Zamoſc. de Sen. Roman. II. 7. Demſter. ad Roſin. Ant. Roman. IV. 8. Briſſon. de Form. II. p. 230. Stephanus Claverius ad finem Claudiani III. de laudibus Stilichonis, qui non Idus, ſed Kalendas Martias parricidium hoc facit. *Demſter. l. l.*

Idibus Aprilis Q. Fabius Jovi victori ædem, quam bello Sabino voverat, cum quibus cruento Marte, & inteſtinis ſæpe cladibus dimicatum fuerat, dedicavit: eaque dies feſta in poſterum haberi cœpta. Ovid. Faſt. IV. 621.

Occupat Apriles Idus cognomine victor
Jupiter: hac illi ſunt data templa die.

Alex.

Alex. Gen. III. 18. & ad illum Tiraquellus. Gyrald. Synt. deor. I. p. 79. E.

Idibus Majis mercatorum dies festus agebatur, quod Mercurio, qui mercimoniis præest, natalis foret: quodque Appio Claudio & P. Servilio consulibus ædes illi dicata fuerat, qui mensis mercimoniis sacer in posterum semper habitus. Quippe eo mense mercatores Majæ, Mercurioque sacrum facere, & suem prægnantem immolare, seque & merces ex Mercurii fonte ad Capenam lustrare assuerant, ita magnos, & uberes quæstus facere opinati. Festus: *Majis Idibus mercatorum dies festus erat; quod eo die Mercurii ædes esset dedicata.* Ovid. Fast. v. 669.

Templa tibi posuere patres spectantia circum
Idibus: ex illo est hæc tibi festa dies.
Te, quicunque suas profitetur vendere merces,
Thure dato, tribuas ut sibi lucra, rogat.

Sequentia V. supr. in *Fons Mercurii.* Alex. Gen. III. 18. & ad illum Tiraquellus. Putean. de Nundin. c. 29. Siccam. in Fast. Kalend. c. 11. Caroli Antiq. Roman. I. 5. Sigon. de Antiq. jur. civ. Roman. II. 10.

Idibus Juniis alter tibicinum dies anniversarius agebatur festus: qua die tibicines, qui sacris præcinunt, per Urbem vadere feriatos, & ad ædem Minervæ convenire sollenne fuit: ipsasque minusculas Quinquatrus, quod diem quintum post *Idus* feriatum haberent, appellarunt. Festus: *Minusculæ Quinquatrus appellabantur Idus Juniæ, quod is dies festus erat tibicinum, qui Minervam colebant.* Ovid. Fast. VI. 651.

Et jam Quinquatrus jubeor narrare minores.
Nunc ades o cœptis flava Minerva meis.
Cur vagus incedit tota tibicen in Urbe?
Quid sibi personæ, quid stola longa volunt....

Alex. Gen. III. 18. & ad illum Tiraquellus. Bartholin. de Tib. III. 1.

Idibus Quintilibus equitum turmæ festa fronde, & olea ornatæ, in campo Martio instructæ, tanquam qui congredi acie parant, trabeati ab æde Honoris in Capitolium transibant. V. hunc ritum supr. in *Equites.*

Idibus Sextilibus sacra fiebant Dianæ. Mart. XII. 68. 2.

Augustis redit Idibus Diana.

Auson. Eclogar. XVII. 5.

Et medias Idus Maji, Augustique recursu,
Quas sibi Mercurius, quasque Diana dicat.

Has intelligit Prop. II. 23. 39.

Cum videt accensis devotam currere tædis
In nemus, & Triviæ lumina ferre deæ.

Mulieres enim voti damnatæ, & compotes ab Urbe ardentes faces in Aricinum nemus, ubi religiosissime colebatur Diana, ferebant illius deæ feriis. Ovid. Fast. III. 269.

Sæpe potens voti frontem redimita coronis
Femina lucentes portat ab Urbe faces.

Venatores sæpenumero faces spicatas accensas eo ferebant, & canes suos morbo, aut scabie affectos infulis velatos deæ sistebant, omneque instrumentum venatorium ante eam collocabant. Grat. n. 485.

Spicatasque faces sacrum ad nemora alta Dianæ
Sistimus, & solito catuli velantur honore:
Ipsaque per flores medio in discrimine luci
Stravere arma, sacris & pace vacantia festa.

Sed & Diana illis ipsis feriis suis emeritos canes, quietosque a venatione, & immunes habere credebatur, ipsaque etiam feriari. Stat. Sylv. III. 1. 55.

— *ipsa coronat*
Emeritos Diana canes, & spicula tergit:
Et tutas sinit ire feras.

Turneb. Adv. VII. 26. Cruceus in Statium. Rosin. Ant. Rom. IV. 13. Hisce etiam servorum dies festus erat, quod Servius Tullius ancilla genitus in lucem tunc editus fuisset. Eodem tempore uxoribus caput lavare felix, faustumque putabatur: servique, & servæ æquato jure, & nullo discrimine liber, an servus esset, cum dominis colludere, & festos dies Romæ agere solebant. Festus: *Servorum dies festus erat Idibus Augusti, quia eo die Rex Tullius filius ancillæ natus est.* Plutarch. Quæst. Rom. 98. *Cur Idibus Sextilibus, qui nunc Augustus dicitur, feriæ sunt utriusque sexus servis, mulieres autem tum maxime lavare, & purgare capita student? An hoc servis datum, quod ea die Servius Rex natus fuit e captiva ancilla? lotio autem capitis ab ancillis feriarum causa cœpta, etiam ad liberas pervasit?* Alex. Gen. III. 18. & ad illum Tiraquellus. Rosin. l. l. Marlian. Topogr. Urb. Rom. IV. 4. Gyrald. Synt. deor. XVII. p. 494. G.

Idibus Septembribus prætor maximus clavum pangebat. V. supr. in *Clavus.* Et templum Jovis Capitolini a M. Horatio consule dedicatum est. V. infr. in *Templum.*

Idibus Octobribus in campo Martio immolabatur equus October. V. supr. in *Equus.*

Idibus Novembribus epulum indictum. Kalendarium. EID. NP. Epul indict. hoc est, Eidus, nefastus primo, epulum indictum. V. supr. in *Epulum.*

JEC.

JECORUS legitur in Lexico vetere Latino-Græco, qui ἀσυνόμ☉. Emendabat amicus meus pro *Jecorus Ephorus.* Sed in Lexico sub literam *I* non cadit *E.* Lectionem Latinam retineo, Græcam restituo paucis literis immutatis, vel conversis, θυσιονόμ☉. *Jecorus* ab *jecore* inspiciendo aruspex dictus est, qui vere legem sacrificiis dabat, & pontifici adhibebatur sacra facienti. *Guther. ac jur. pontif.* II. 14.

JECUR ad naturam sanguinis proxime accedit: siquidem nihil pæne aliud est, quam sanguis crassior redditus, & quasi concretus; nam & primum est sanguinis generandi instrumentum; qua de causa etiam animalium omnium *jecur* crassi est succi, & ad coquendum difficile, & tarde venas permeat, ut optime censuit Galen. de Aliment. facult. III. 11. Meliora autem, vel deteriora sunt, secundum animalis cujusque naturam, quare ut sues quadrupedum cætera alimenti bonitate superant, ita etiam suillum hepar cæteris præpollet. Longe præstantissimum erit, si sues antea caricis pastæ fuerint, quo cibo *jecur* amplissimum, jucundissimumque evadit, quod Græci συκωτὸν, seu ficatum appellant. Et Pollux VI. 9. §. 2. ἥπατα σεσυκασμένα vocat. Et sues ipsi dicuntur χοῖροι συκιζόμενοι a Pallada Anthol. II. 17. 2. n. 1. Inventum hoc fuit M. Apicii. Plin. VIII. 51. *Adhibetur & ars jecori feminarum, sicut anserum, inventum M. Apicii, fico carica saginatis, ac satie necatis repente mulsi potu dato.* Nonn. de Re cibar. II. 13. Castellan. de Esu carn. I. 4. Rhodig. Ant. Lect. IV. 17: VI. 5. Salmas. Exerc. Plin. p. 743. a. F. Voss. de Idolol. III. 93. Instit. Orat. IV. 13. §. 8. *Jecur* dicit Pers. Sat. I. 25.

— *Rupto jecore exierit caprificus.*

quod in eo etiam, non tantum in corde, sensa animi collocata, & affectus crederent, eamque animi sedem, & domicilium existimarent. Ideo idem n. 46.

— *neque enim mihi cornea fibra est.*

Et Sat. V. 29.

Quod latet arcana non enarrabile fibra.

Et in epigrammate apud Suet. Gramm. II. n. 4.

En cor Zenodoti, en jecur Cratetis.

Turneb. Adv. X. 1: XIII. 11. Casaub. in Pers. I. 25. Voss. ibid. 7. §. 8. Pitisc. in Suetonium. Deditum fuit vel maxime Cupidini. Claud. IV. Honor. Consul. n. 247.

— *nil collatura Cupido*
In jecur, & tractus imos compulsa recessit.

Firmicus: *In jecore, unde libido nascitur, & voluptas.* Barth. Adv. VII. 12. Anserinum in omni genere *jecinorum* præstat, tanquam tenerius, humidius, & suavius. Plin. X. 22. *Nostri sapientiores, qui eos jecoris bonitate novere.*

Fartilibus in magnam amplitudinem crescit: exemptum quoque lacte mulso augetur. Nec sine causa in quæstione est, quis primus tantum bonum invenerit. Scipio Metellus vir consularis, an M. Sestius eadem ætate eques Romanus. Sagina in magnam molem auctum est, & in summis deliciis habitum. Juven. Sat. v. 114.

> *Anseris ante ipsum magni jecur, anseribus par.*

Mart. xiii. 58. 1.

> *Aspice, quam tumeat, magno jecur ansere majus,*
> *Miratus dices, hoc rogo crevit ubi.*

Ut in molem excresceret, ficubus illos, non secus ac porcos alebant. Pallad. i. 30. *Peractis triginta diebus, si ut jecur tenerescat optabis; tunsas caricas, & aqua maceratas in offas volutabis exiguas, & per dies viginti continuos ministrabis anseribus.* Horat. Sat. ii. 8. 88.

> *Pinguibus & ficis pastum jecur anseris albi.*

Turneb. Adv. xiii. 17. Buleng. de Conviv. ii. 19. Nonn. ibid. c. 34. Castellan. ibid. iv. 23. Kobierzyck. de Luxu Roman. ii. 11. Tanquam insani, perditique luxus exemplum, quod *canes jecinoribus anserum paverit* Heliogabalus, notat Lamprid. c. 20. *Castellan. l. l.* Ejus inspectio vocabatur ἡπατοσκοπία. Hanc Græci per synechdochen sic nominarunt, quod, quanquam explorarent ea omnia, quæ viscerum nomine continentur, ut hepar, lien, cor, renes, & cætera: *jecur* tamen vaticinationis istius sedem, & quasi fontem existimabant: quo recte constituto, & optime temperato pro victimæ natura læta promitti; eo autem mutilato adversa portendi opinabantur, sive refragarentur cætera, sive consentirent: & quod inde initium inspectionis, considerationisve istius fiebat. *Stuck. de Sacrific. p.* 190. Considerabant enim, nitidumne id esset, atque plenum, an horridum & exile, cum capite, & sine capite, & quid inde læti, tristisve præviderent, renuntiabant. Philostr. Apollon. viii. 3. *Jecur, in quo vaticinii sedem esse dicunt ejus artis periti.* Ἡπατοσκοπικὴν τέχνην vocat Phlegon, qui ejus originem a Sibyllinis carminibus repetit περὶ θαυμασίων. Herodian. viii. 3. 17. *Dicebatur autem Crispinus ad bellum sic audacter sustinendum etiam aruspicum responsis, qui læta exta nuntiarent, animatus: etenim magnopere fidem hujuscemodi signis habere Itali consueverunt.* In hujusmodi extispiciis *fibras, fissum,* & *caput* observabant. V. illa suis locis. *Brisson. de Form.* i. *p.* 20. *Lyd. de Re milit.* i. 3. *Buleng. de Sort. c.* 7. *Vener. de Orac. & divinat. antiq. c.* 7. *Alex. Gen.* v. 25. *& ad illum Tiraquellus. Gonsal. in Petron. p.* 428. Petron. c. 97. *Recluso pectore extraxit fortissimum jecur, & inde mihi futura prædixit.* Veteres, urbes structuri, *jecinora* pecorum ibi pascentium inspexerunt; & si fuissent livida, aut vitiosa, alio secesserunt. Vitruv. i. 4. *Majores e pecoribus immolatis, quæ pascebantur in iis locis, quibus aut oppida, aut castra stativa constituebantur, inspiciebant jecinora, & si erant livida, & vitiosa prima, alia immolabant, dubitantes utrum morbo, an pabuli vitio læsa essent. Cum pluribus experti erant, & probaverant integram, & solidam naturam jecinorum ex aqua & pabulo, ibi constituebant munitiones. Si autem vitiosa inveniebant indicio, transferebant.* Ituri in prælium, & cum hoste pugnaturi consultatoriam mactabant victimam, in cujus *jecore* aruspex duo constituebat capita, quorum alterum civi, alterum hosti dicabat; collatisque capitibus hujus, aut alterius partis pronuntiabat victoriam. Lucan. i. 626.

> *Quodque nefas, nullis impune apparuit extis,*
> *Ecce videt capiti fibrarum increscere molem*
> *Alterius capiti, pars ægra, & marcida pendet:*
> *Pars micat, & celeri venas movet improba pulsu.*

Interdum deerat signo piaculari, & oppido horrendo. Plin. xi. 37. *Jecur in dextra parte est. In eo, quod caput extorum vocant, magnæ varietatis. M. Marcello circa mortem, cum periit ab Annibale, defuit in extis. Sequenti deinde die geminum repertum est. Deinde & C. Mario, cum immolaret Uticæ: item Cajo principi Kalendis Januariis, cum iniret consulatum, quo anno interfectus est: Claudio successori ejus, quo mense interemptus est veneno.* Saubert. de Sacrif. c. 20. Struv. Ant. Rom. c. 6. p. 290. *Replicata* dicuntur *jocinora.* Suet. Aug. c. 95. n. 2. *Immolanti omnium victimarum jocinora replicata intrinsecus ab ima fibra paruerunt, nemine peritorum aliter conjectante, quam læta per hæc, & magna portendi.* Plin. l. l. *Divo Augusto Spoleti sacrificanti primo potestatis suæ die, sex victimarum jocinora replicata intrinsecus ab ima fibra reperta sunt: responsumque duplicaturum intra annum imperium,* quæ *duplicia* Obseq. de Prodig. c. 129. *Cæsari cum honores decreti essent, & imperium adversus Antonium, immolanti duplicia exta apparuerunt.* & Dion. xlvi. p. 314. C. *Omnium hostiarum duodecim jecinora gemina, διπλᾶ inveniebantur.* Illa vero semper habita sunt lætissima, sive omnino essent replicata, sive tantum ex parte. Val. Max. i. 6. 9. *Ejus jecur sine capite inventum est: proxima caput jocinoris duplex habuit. Quibus inspectis aruspex tristi vultu, non placere sibi exta, quia prima tam tristia, secunda nimis læta apparuissent, respondit.* Suet. & Plin. l. l. *Buleng. de Sort. c.* 7. *Casaub. & Pitisc. in Suetonium.* Hanc impietatem prohibuit Imperator Theodosius l. 2. C. de pag. & sacr. & templ. *Ne quis mortalium faciendi sacrificii sumat audaciam, ut inspectione jecoris, extorumque præsagio vanæ spem promissionis accipiat; vel, quod est deterius, futura sub exsecrabili consultatione cognoscat. Acerbioris etenim imminebit supplicii cruciatus ei, qui contra vetitum præsentium, vel futurarum rerum explorare tentaverit veritatem.* Saubert. l. l.

JEJ.

JEJUNIA sua superstitiosa, & suas quasdam abstinentias a certo alimentorum genere habuerunt gentiles, vel ad tempus aliquod, vel perpetuum, ac semper, quibus magnam se putabant a diis suis inire gratiam. Talia fuerunt illa Cybeles, cujus sacerdotes, ut Hieronymus de illis scribit, per dies aliquot inediam perferebant, ut deinde phasianis avibus vicissim tanta majori cum voluptate impleri possent. Tale quoque fuit superstitiosum illud apud Romanos *jejunium,* quod decemviri ad expianda prodigia, & averruncandam iram cœlestem, e libris Sibyllinis Cereri instituendum esse renuntiarunt. Liv. xxxvi. 37. *Eorum prodigiorum causa libros Sibyllinos ex Scto decemviri quum adiissent, renuntiarunt: se jejunium instituendum Cereri esse, & id quinto quoque anno servandum.* Stuck. de Sacrif. p. 250. Rhodig. Ant. Lect. xxvii. 20. Struv. Ant. Roman. c. 9. p. 389. Argol. in Panvin. de Lud. Circens. ii. 2. De hoc Clem. Alexandr. Protrept. p. 13. D. *Tessera Eleusiniorum mysteriorum. Jejunavi, bibi cyceonem, accepi e cista, operatus deposui in calathum, & e calatho in cistam.* Arnob. v. p. 175. *Eleusiniorum vestrorum notas, & origines producunt turpes, antiquarum elogia literarum: ipsa denique symbola, quæ rogati sacrorum in acceptionibus respondetis: Jejunavi, atque ebibi cyceonem, ex cista sumpsi, & in calathum misi: accepi rursus, in cistulam transtuli. Jejunabant* ad repræsentandam Cereris in luctu suo a cibo, potuque abstinentiam. Clem. ibid. B. *Hospitio cum excepisset Cererem, præbet cyceonem illi. Illa autem recusante accipere, & bibere nolente, lugens enim erat, molesta Baubo facta.* Quæ habes quoque apud Arnob. ibid. p. 174. *Meurs. Eleus. c.* 10. Etiam Ethnicis fuerunt in usu valetudinis causa. Senec. Epist. 68. *Alius levat vomitu stomachum, alius frequenti cibo fulcit, alius interposito jejunio corpus exhaurit & purgat.* Suet. Vesp. c. 20. n. 3. *Quamvis ad tuendam valetudinem nihil amplius quam fauces, cæteraque membra sibimet ad numerum in sphæristerio refricaret, inediamque unius diei per singulos menses interponeret.* Laurent. de Prand. & cœn. vet. c. 22.

JEN.

JENTACULUM erat cibus matutinus. Isidor. xx. 2. *Jentaculum est primus cibus, quo jejunium solvitur. Nigidius: Nosipsi jejunia jentaculis levibus polluimus.* Usum, & horam indicat Mart. xiv. 223.

Surgite

Surgite jam pueri, vendit jentacula pistor,
Cristataeque sonant undique lucis aves

Afran. apud Non. II. 440. *Hæc jejuna jentavit.* Et *mane singulos jamne jentassent sciscitabatur* Vitellius apud Suet. c. 7. §. 6. *Bacc. de Conviv. Ant.* I. 1. *Laurent. de. Conviv.* I. 1. *Ursin Append. ad Ciaccon. de Tricl. p.* 161. *Stuck. de Sacrif.* I. 7. *Kipping. Antiq. Roman.* IV. 3. I. *Nonn. de Re cib.* I. 4. Non tamen hæc perpetua *jentaculi* ratio fuit: quemadmodum docet illud Apul. Met. I. p. 26. *En, inquam, paratum tibi adest jentaculum: & cum dicto manticam meam humero exuo, caseum cum pane propere ei porrigo.* Et illud Pomponii: *Nihil habens jentaculi præter nauticum panem.* Voss. Lexic. Etymol. Nunquam igitur *jentaculum* sine pane, imo panis caput erat *jentaculi*, aliquando siccus, & solus. Vopisc. in Tacit. c. 11. *Panem nisi siccum*, id est, solum, *nunquam comedit.* Senec. Epist. 83. *Non multum mihi ad balneum superest, panis deinde siccus, & sine mensa prandium.* Interdum pani addebant palmulas, uvas passas, nucleos, mel Atticum crudum, aut coctum, aut aliquid melliti, operisve dulciarii, salsi etiam aliquid aliquando. Inde panem gustare, comedere, & *jentare* res eadem. Suet. Aug. c. 76. n. 3. *Nos in essedo panem, & palmulas gustavimus.* Et: *Dum lectica ex regia domum redeo, panis unciam cum paucis acinis uvæ duracinæ comedi.* Et: *Qui in balneo demum post horam primam noctis duas bucceas manducavi priusquam ungi inciperem.* Salmas. in Vopiscum. Kipping. l. l. *Jentaculi* hora erat tertia, aut quarta. Unde Martialis eum, qui ad quintam venerat pransurus, sero venire, ut *jentaret*, nimis tempori, ut pranderet, dicit VIII. 67. 9.

Mane veni potius, nam cur te quinta moretur?
Ut jentes, sero Cæciliane venis.

Salmas. ibid. & ad Lamprid. Alex. Sev. c. 30. Pueri vero soli fere *jentaculo* sunt usi: perinde ac hodie ubique fere gentium hoc usurpatum est, ut pueri summo mane semper aliquid cibi capiant. Ea propter Phædromum adolescentulum *Veneri jentaculum vovere* facit Plaut. Curc. I. I. 72. Similiter & Phronesium meretrix sic ait apud Plaut. Truc. II. 7. 37.

— non novisti, obsecro?
Qui illic apud me erat; hujus pater pueri illic est: usque ad jentaculum
Jussit ali.

Præter pueros, & senes, qui valetudinis gratia utebantur *jentaculo*, nullos alios unquam usos puto; quod si aliqui erant, qui uterentur, protinus tanquam incontinentes notabantur. *Mercur. de Potion. ac edul. ant. c.* 10. *Nonn. l. l.* Opificibus tamen, qui laborioso opere vitam tolerant, ne natura laboribus deficiat, *jentaculo* vires sunt firmandæ. *Nonn. l. l.*

IGN.

IGNIS pro excubiis, seu vigilibus accipitur. Pro remissis, ac languidis excubiis dicit Tacit. Annal. I. 65. I. *invalidos ignes.* Pro crebris, ac densis Stat. Theb. XII. 353.

Contractæque vices, & crebrior excubat ignis.

Laurent. Var. sacr. gentil. c. 22.

Ignis est inventum Vulcani. Suidas: *Ister ait, Athenienses instituisse primum lampada Vulcano sacrificantes, in memoriam, quod usum ignis docere alios excogitaverit.* Hinc Æschyl. Prom. vinct. n. 7. 8.

Tuum enim florem, artificis ignis splendorem,
Mortalibus furatus tribuit.

Castellan. de Fest. Græcor. Thes. Antiq. Græc. Gronov. Tom. VII. p. 680. B. *Ignem* non semper domi suæ veteres excitabant, sed a vicinis plerumque petebant: neque enim facile negare petenti licebat. Videbatur enim hoc valde alienum esse ab ipsa humanitate, & vita hominum atque natura, quæ aqua & *igni* carere non potest. Hinc Plaut. Trin. III. 2. 53.

Facile est inventu: datur ignis, tamen etsi ab inimicis petas.

Eodem & Ennii versus pertinent, quos refert Cicer. de Offic. I. 16.

Ut homo, qui erranti comiter ministrat viam,
Quasi lumen de suo lumine accendat, facit
Ut nihilominus ipsi luceat, cum illi accenderit.

Eodem respicit Plautus, cum ait Aul. I. 2. 12.

Cave quemquam alienum in ædes intromiseris.
STA. *Quid si quispiam ignem quærit?* EUC. *Extingui volo:*
Ne causæ quid sit, quod te quisquam quæritet.
Nam si ignis vivet, tu extingueris extemplo.

Phædr. III. 19. 3.

Ignem quærens, aliquot lustravit domos:
Tandemque invenit, ubi lucernam accenderet.

De flamma tamen deûm, id est, de *igne* sacrificiorum, non licebat accendere *ignem*, vel mutuari lumen. Phædr. IV. 10. I.

Lucernam fur accendit ex ara Jovis,
Ipsumque compilavit ad lumen suum;
Onustus qui sacrilegio quum discederet,
Repente vocem sancta misit religio;
Malorum quamvis ista fuerint munera,
Mihique invisa, ut non offendar subripi;
Tamen, scelerste, spiritu culpam lues,
Olim quum adscriptus venerit pœnæ dies.
Sed ne ignis noster facinori præluceat,
Per quem verendos excolit pietas deos;
Veto esse tale luminis commercium.
Ita hodie nec lucernam de flamma deûm,
Nec de lucerna fas est accendi sacrum.

Rittershus. in Phædr. III. 19. 3. Taubm. in Plautum. Saubert. de Sacrif. c. 16. Schill Nom. Philol. p. 599. *Ignem*, & flammam apparentem in augurium receperunt gentiles: ut legitur de flamma Servii Tullii, quæ apparuit circa caput dormientis. Hanc historiam scribunt Plin. II. 110: XXXVI. 27. Cicer. Divin. I. 53. Val. Max. I. 6. I. Liv. I. 39. Dionys. IV. 2. Aur. Vict. de Vir. Illust. c. 7. n. I. Flor. I. 6. I. Serv. Æneid. II. 682. Et de flamma L. Martii ducis exercituum Cornelianorum apud Liv. XXV. 39. Valer. Max. I. 6. 2. Philosophi notant ex naturalibus causis oriri posse hunc *ignem*. Apud Photium certe Biblioth. cod. 242. Damasius recenset pluvia, quæ partim prodigiis, partim naturalibus causis accensas. Cæterum sicut *ignis* clarus est & splendidus, ita claros etiam futuros, quibus eveniunt, talia prodigia ostendunt. *Freinshem. in Florum. Niphus de Augur.* I. 10. Quid *ignis* saltans, sonans, crepans, extinctus in auguriis significent, fusius docet *Niphus ibid. c.* 21. *tab.* 8 – 11. *Igne* feræ irritabantur in circo. Euseb. Hist. Eccl. VIII. 7. *Impetus ac incursus pardalum, ursorum, aprorum agrestium igne, ac ferro inustorum, boumque.* Buleng. de Ven. circ. c. 22. In nuptiis adhibebatur. V. supr. in *Aquam.* Illo funestæ familiæ purgabantur. Funus enim prosecuti redeuntes aqua corpus aspersi *ignem* supergrediebantur. Festus in v. aqua: *Funus prosecuti redeuntes ignem supergrediebantur aqua aspersi, quod purgationis genus suffitionem vocabant.* Quod ad *ignem* rogi non extenditur solum, sed ad domesticum locum, quo domus omnis purgabatur *igni*, & aqua, quia his duobus vita humana maxime continetur. Hinc *puriter facere* dixerunt veteres. Nævius apud Non. XI. 58. *Sequere me, puriter volo facere, igne, atque aqua volo hunc accipere.* Guther. de Jur. man. II. 7. Kirchm. de Fun. Rom. III. 9. Alex. Gen. III. 7. Morestell. Pomp. Fun. VIII. 10. Habet vim lustrandi maximam, & lustrationes terreæ comprehenduntur sub illis, quæ per *ignem* fiebant. Serv. Æneid. VI. 742. *Animæ terra purgantur, quæ nimis oppressæ sordibus fuerint, deditæ scilicet corporalibus blandimentis, id est, transeunt in corpora terrena: & hæc igni dicuntur purgari. Ignis enim ex terra est, quo exuruntur omnia, nam cœlestis nihil perurit.* Ab *igne* hæ lustrationes denominabantur, quia hoc in eis elementum præ-

prædominatur maxime. *Igne* etiam noviſſimam mundi purgationem peragendam eſſe crediderunt gentiles. Ovid. Met. I. 256.

Eſſe quoque in fatis reminiſcitur, affore tempus
Quo mare, quo tellus, correptaque regia cæli
Ardeat, & mundi moles operoſa laboret.

Lomej. de Luſtr. c. 19. Laurent. Var. ſacr. gentil. c. 17. Feith Antiq. Homer. I. 6. Schubart. de Diluv. Deucal. c. 2. Iis, qui aras amplexi tenebant, ſolebat admoveri, ut non ab hominibus per injuriam inde extrahi viderentur, ſed incendii metu, & ardoris inde fugere cogerentur. Itaque Hermione apud Eurip. Androm. I. 256. *Ignem tibi adhibebo.* Ubi enarrator: *Moris erat ad aram confugientibus ignem adhibere.* Et leno, ut ancillas ſuas, quæ ad aram Veneris perfugerant, locum deſerere cogat, *ignem* ſibi poſcit apud Plaut. Rud. III. 4. 56.

DÆ. *Quid facies?* LA. *Vulcanum adducam, is Veneris eſt adverſarius.*

n. 60.

LA. *Ibo hercle aliquo quæritatum ignem.* DÆ. *Quid cum inveneris?*
LA. *Ignem magnum hic faciam.*

n. 63.

Haſce ambas hic in ara ut vivas comburam.

dicit quidem homo avariſſimus, & ſuperbiſſimus; ſed ea conditione, ni vellent locum relinquere: cujus fiducia herile contemnebant imperium, & jus ſui corporis lenoni adimere volebant, ſeque in libertatem vindicare conabantur. *Turneb. Adv.* IX. 12. Illo cruci affixi uſtulabantur. V. ſupr. in *Flamma.* Imo obſcœnis corporis partibus, ut viſcerum vivorum combuſtio corporis exterioris conflagrationem anteveniret, & præciperet, *ignem* fuiſſe immiſſum inter crudeliſſima antiquitatis ſupplicia notatum eſt. Suet. Domit. c. 10. n. 7. *Verum aliquanto poſt civilis belli victoriam ſævior, plerosque partis adverſæ novo quæſtionis genere diſtorſit, immiſſo per obſcœna igne.* Apul. Met. X. p. 339. *Dehinc, quod res erat, clamantem quoque, quod fruſtra pellicatus indignatione bulliret, fratrisque nomen ſæpius iterantem, velut mentitam, atque cuncta fingentem, titione candenti inter media femina detruſo, crudeliſſime necavit.* Barth. Adv. LIX. 16. Laurent. de Torment. c. 7. Pitiſc. in Suetonium. Imperatoribus præferebatur. Herodian. I. 8. 8. *Nihilo tamen ſecius priſtinum illi*, Lucillæ, *ſorori ſuæ honorem Commodus reliquit uſurpandum: nam & ſella Imperatoria ſeſſitare in theatro, & ignem de more præferri patiebatur.* I. 16. 9. Marcia Commodi concubina *nihilo differebat a legitima uxore, ſed omnia ut Auguſtæ aderant, præter ignem.* II. 3. 5. *Venit in ſenatum, neque ignem paſſus ſibi præferri, neque aliud ullum principatus inſigne attolli.* Non vero e carbonibus, aut ligno, nec qualis ille apud Horat. Sat. I. 5. 36. *prunæ batillus.* Lampas tantum fuit. Marc. Anton. de Rebus ſuis I. §. 17. *Poſſe eum, qui in aula vivit, carere ſtipatoribus, carere veſte inſigni, purpuraque, item lampadibus.* Corippus de adventante Imperatore in theatrum II.

—— *prænuntius ante*
Signa dedit curſor, poſita de more lucerna.

Lipſ. in Tacit. Annal. I. Exc. A. Barth. Adv. XI. 18. Buleng. de Imperat. Rom. II. 26. Gataker. in M. Antoninum. Opinor hunc morem Romam traductum e Perſis. Illorum enim Regi prælatus *ignis.* Xenoph. Κυροπ. VIII. p. 215. A. *Et pone currum in magno foculo ignis præferebatur.* Et poſt *ignem* illum ſecutus Cyrus. Ammian. XXIII. 6. *Ferunt etiam, ſi juſtum eſt credi, ignem cœlitus lapſum apud ſe ſempiternis foculis cuſtodiri: cujus portionem, ut fauſtam, præiſſe quondam Aſiaticis Regibus dicunt.* Lipſ. & Buleng. l. l. Briſſon. de Regn. Perſ. I. p. 83. Colere primus Nemrod juſſit: quem aliqui Ninum arbitrantur. Scriptor Chron. Alexand. p. 64. *Nemrodo cognomen Nini impoſuerunt. Hic pro deo ignem colere inſtituit.* Credibile eſt, ab eo cultu Ur vocatam Babyloniæ urbem, quia *ignis* in ea coleretur, ſive cultus is proprius fuerit, ſive ſymbolicus. *Voſſ. de Idolol.* II. 64. *Stuck. de Sacrif. p.* 30. In Romanam civitatem ejus culturam Numa Pompilius, Romanarum ſuperſtitionum primarius architectus invexit. Plutarch. Camill. p. 139. A. *Scribunt tamen nonnulli præter æternum ignem nihil eas ſervare, quem Numa Rex, tanquam rerum omnium principium, dedit colendum. Ignem igitur virum curioſum, Numam, conſecraſſe, & perennem mandaſſe ſervandum, ut inſtar æternæ, quæ univerſitatem moderatur, virtutis.* Stuck. ibid. p. 153. Etiam antiquitus in privatis ædibus, illarumque parte interiore, *ignem* ſervabant, & ſovebant. Arnob. II. p. 91. *In penetralibus, & colinis perpetuos fovetis focos.* Id factum Larium, aut & Veſtæ privatim honori. Varro de Vit. P. R. I. *Colina dicta, quod ibi colebant ignem.* Lipſ. de Veſt. c. 14. Dubio procul illum coluerunt, quod in illum reverſura ſint omnia, ceu reſurrectionis medium: ut nimirum hoc a malis purgati majori ſplendore deinceps oriantur. Super iſta re notabilis legitur annotatio Clem. Alex. Strom. V. p. 549. C. *Epheſius quoque novit, ex philoſophia barbara edoctus, expiationem per ignem eorum, qui male vixerunt, quam Stoici deinceps ἐκπύρωσιν dixere: ſecundum hanc eadem præditum ſubſtantia quenquam reſurrecturum ſtatuunt: & ſic illi reſurrectionem deſignant.* Idem ex Porphyrio demonſtrat Euſeb. Præp. Euang. III. 4. *Aquam, & ignem colunt, præſtantiſſima elementa, tanquam præcipuas cauſas noſtræ ſalutis.* Schubart. l. l.

Ignis exploratorius, ſive ſpeculatorius belli tempore in uſu fuit antiquis. Virg. Æneid. VI. 518.

—— *flammam media ipſa tenebat*
Ingentem, & ſumma Danaos ex arce vocabat.

Inventorem hujus doli Sinonem facit Dict. Bell. Troj. V. 12. Hi *ignes* ſpeculatorii vocati, aliquando fumi. Liv. IV. 27. *Prius pæne cepit caſtra, quam oppugnari hoſtes ſatis ſcirent: inde fumo, ut convenerat, datum ſignum: ubi conſpectum a dictatore eſt, exclamat, capta hoſtium caſtra.* Niſi velimus, *per noctem flammis, per diem fumo ſignificatum*, dicere cum Veget. III. 5. *Laurent. Var. ſacr. gentil. c.* 22. *Stewech. in Vegetium.*

Ignis ſacrificialis, ſive ſacrificus, in ſacrificiis plane fuit neceſſarius. Sine illo nullum ſacrificium confici poterat. Unde *aras flagrantes* vocat Virg. Æneid. XII. 171.

—— *admovitque pecus flagrantibus aris.*

Et *fulgentes* Tib. II. I. 15.

Cernite, fulgentes ut eat ſacer agnus ad aras.

Stuck. de Sacrif. p. 151. Adductis enim ad altaria hoſtiis, vel etiam paullo ante, *ignis* accendebatur. Ovid. Faſt. II. 647.

Ligna ſenex minuit, conciſaque conſtruit alte,
Et ſolida ramos figere pugnat humo.
Dum ſicco primas irritat cortice flammas;
Stat puer, & manibus læta caniſtra tenet.

Struebatur ex lignis lectis, & cuilibet deo ſacris, quare & *ſanctos ignes* vocat Virg. Æneid. III. 405.

Ne qua inter ſanctos ignes in honore deorum
Hoſtilis facies occurrat.

Struv. Ant. Rom. c. 10. p. 478. Et hinc dicebantur *ignem in aram inferre.* Plaut. Pœn. I. 2. 104.

Quia jam non dudum ante lucem ad ædem Veneris venimus,
Primæ ut inferremus ignem in aram.

Aris reponere ignem. Virg. Æneid. III. 231.

Inſtruimus menſas, ariſque reponimus ignem.

Aris imponere flammas. Lucan. VI. 525.

—— *funereas aris imponere flammas*
Gaudet.

Hunc petitum arbitror a ſacra perpetua flamma adytorum quorundam, quæ πυραιθεια, & πυρεῖα dicebantur, velut & ſacerdotes *ignis* æterni πυραιθοι. Suidas. Niceph. Hiſt. Eccl. XIV. 19. Theodor. Hiſt. Eccl. V. 39. *Saubert. de Sacrif. c.* 16. *Briſſon. de Regn. Perſ.* II. *p.* 265. *Stuck. de Sacrif.*

Sacrif. p. 154. Etiam ex cœlo petebant *ignem*, quo in hoc negotio utebantur. Serv. Æneid. XII. *Apud majores aræ non incendebantur, sed ignem divinum precibus eliciebant, qui incendebant altaria.* Scheffer. in Phædr. IV. 10. 13. Quamvis autem tota victima *igne* non lustraretur, primitiæ tamen in eum conjectæ totam victimam purificatam esse significabant. Homer. Odys. Γ. n. 444.

— senex vero eques Nestor
Aquamque molasque spargere primus cœpit; multis autem Minervæ
Supplicavit, primus primitias offerens, ex capite pilos in ignem jaciens.

Ideoque & culter resecans ἀγνίζειν, & ignis pilos resectos comburens ἀγνὸς dicitur. De cultro Eurip. Alcestide n. 75.

Accedo ad eam, ut gladio primitias resecem,
Iste fit sacer diis inferis,
Cujus hic culter consecrat, ἀγνίζει, capillum capitis.

De igne Electra n. 810.

— ex canistro
Sumpto deinde acuto cultro Ægisthus, vitulinos pilos
Exscindens, lustrali, ἀγνὸν, eos igni imponit dextera.

Lomej. de Lustrat. c. 28. Si non conspiciebatur clarus, erectus, hostiarum cupide devorans, ac ambiens, infelicissimum erat signum. Lucan. I. 549.

— Vestali raptus ab ara
Ignis, & ostendens confectas flamma Latinas
Scinditur in partes, geminoque cacumine surgit,
Thebanos imitata rogos.

Senec. Oedip. II. 307.

TIR. *Quid flamma? largus jamne comprehendit dapes?*
MAN. *Subito refulsit lumen, & subito occidit.*
TIR. *Utrumne clarus ignis, & nitidus stetit,*
Rectusque purum verticem cœlo tulit,
Et summam in auras fusus explicuit comam?
An latera circa serpit incertus viæ,
Et fluctuante turbidus fumo labat?

Plane se litasse existimabant, si erecte in altum surgeret, ut Octavio, & Alexandro Magno apud Suet. c. 94. n. 8. Ovid. de Pont. IV. 9. 53.

Surgat ad hanc vocem plena pius ignis ab ara,
Detque bonum voto lucidus ignis apex.

Saubert. l. l.

Ignis Vestæ perpetuus quare consecratus fuerit, rationem reddit Phurnut. c. 28. *Ignis perpetuus*, inquit, *Vestæ dicatus est, quod videatur plurimis & ipsam esse ens; nimirum ignis iste perpetuus Vestæ consecratus ostendit ipsam esse causam ejus ignis, qui in mundo est, quasi ejus vi exortus sit. Est & alia causa perpetui ignis, nempe quod terra fœcunda mater sit animalium omnium, & suam vitam ab igne habeat.* La Chause de æn. ant. lucern. tab. V. Exhibebatur in templo rotundo, quod Numa illi asservando exstruxerit. Plutarch. Num. p. 67. C. *Ferunt Numam ædem Vestæ sacro igni orbicularem circumjecisse, ut ibi asservaretur; adumbrans non effigiem terræ, quasi ea Vesta sit, sed universi mundi, cujus in medio ignem locant Pythagoræi, eamque Vestam nominant, & unitatem.* Festus in Rotunda ædes: *Rotundam ædem Vestæ Numa Pompilius consecrasse videtur, quod eandem esse terram crediderit, eamque pilæ forma esse, ut sui simili templo dea coleretur.* Sive itaque Vesta terram denotaverit, sive totum universum, sive *ignem* etiam, in omnibus illis rotunditatem observamus, & proinde ædes Vestæ rotunditati eorum debebat adæquari. *Boxhorn. Quæst. Rom. c.* 31. *La Chausse l. l. Casal. de Urb. ac Imper. Roman. splend. part.* 3. *c.* 3. *Demster. Paralip. ad Rosin. Antiq. Roman.* II. 12. Habebant illum in hoc templo, quia vigilantiæ forsan cujusdam infinitæ fuerit documentum. Virtus vero illa magna imperia & constituit, & conservat. *Boxhorn. ibid. q.* 22. Hujus custodia in templo Vestæ virginibus fuit commissa; vel quod purissimum elementum debuerit asservari ab iis, quæ libidinis impuritati nondum succubuerant; vel quod domesticis curis non debuerint illæ distineri, quas infinitam solicitudinem ad æterni *ignis* custodiam conferre oportebat; vel quod indicare voluerint, illibatam semper, & sui juris futuram populi Quiritium Romani majestatem, cujus pignus, *ignem* dico, virgines nullius libidinem expertæ, nulli viro subjectæ, liberæ, & plane suæ, custodiebant. *Boxhorn. ibid. q.* 31. *Rhodig. Ant. Lect.* XV. 13. *Clasen. Theol. Gent.* III. 1. Non in lampade aliqua fuit suspensus, ut crediderunt Licet. de Recond. antiq. lucern. IV. 37. & Casal. l. l. sed in ipsa ara: nec flamma ardens ex oleo, aut qua aliqua re liquida erat, verum substratis cineribus lignis alebatur. Liquet e facto Æmiliæ virginis Vestalis, quod refert Dionys. II. p. 128. *Hæc dicens, & e veste linea fasciam abstrahens, qua cincta erat, jactavit illam post orationem in aram. E frigido cinere, ac ne scintillam quidem retinente, multa per carbasum emicuit flamma.* Et *foculum* vocat Val. Max. l. l. §. 7. *Maximæ vero cujus Æmiliæ discipulam, extincto igne, tutam ab omni reprehensione Vestæ numen præstitit: qua adorante, cum carbasum, quam optimum habebat, foculo imposuisset, subito ignis emicuit.* Plures ibidem fuisse focos colligi potest ex Val. Max. V. 4. §. 7. *Ignoscite vetustissimi foci, veniamque æterni date ignes.* Non fuisse autem suspensum, nec in terra, verum supra aram, præter Dionysium exprimit etiam Lucanus modo laudatus. Et IX. 992.

— quorum lucet in aris
Ignis adhuc Phrygibus.

Item Sil. Ital. I. 542.

Et nos virginea lucentes semper in ara
Laomedonteæ Trojana altaria flamma.

Nec in nuda ara, ut aliorum sacrorum *ignes*, verum in ara unum, plurave erant vasa fictilia. Val. Max. IV. 4. 11. *Et æternæ Vestæ focos fictilibus etiamnum vasis contentos.* . . . Nardin. Rom. Vet. V. 5. Ferrar. de vet. lucern. sepulcr. Thes. Ant. Rom. Græv. Tom. XII. p. 1008. D. Rationes, quibus præter hunc etiam lucernæ flammulam in honorem Vestæ semper ardemtem absque ulla fomitis novi appositione Vestales custodivisse conatur Licetus probare, paginis una pluribus refutat *Ferrarius*. Inter prodigia omnium maxima habebant Romani, si extingueretur, interitus, aut imminutionis Reipublicæ id signum interpretantes, a quacunque tandem causa eveniret: Dionys. II. p. 128. & *si quando interstinctus esset, virgines verberibus afficiebantur a pontifice maximo.* Festus: Plutarch. Num. p. 67. A. nuda quidem, sed *obscuro loco, & velo medio interposito*, ut addit Plutarchus. Exempla hujus castigationis sunt in historia. Val. Max. I. 1. 6. *P. Licinio pontifice maximo virgo Vestalis, quia quadam nocte parum diligens ignis æterni custos fuisset, digna visa est quæ flagro admoneretur.* Liv. XXVIII. 11. *Ignis in æde Vestæ est extinctus, cæsaque flagro Vestalis, cujus custodia noctis ejus fuerat.* Nota de *flagro* utrobique: quæ servilis castigatio. Nota etiam de *custodia ejus noctis*, ut per vices ivisse videatur, & singulis suis noctibus duntaxat excubuisse. *Lips. de Vestal. c.* 8. *Struv. Ant. Rom. c.* 10. *p.* 625. *Casal. l. l.* Quod si autem extinctus; sua, & certa ratio accendendi iterum erat: quam Dionys. l. l. alibi se dixisse profitetur: sed nempe in libris, quos fatum invidit. Est ea tamen in Festo, quem laudavimus supr. in *Cribrum*. Quam rationem eliciendi *ignis* agnoscit Simplic. in Aristot. de Cœlo III. *Ignem e lignis excutiunt, alterum lignorum, tanquam terebram, in altero circumvertentes.* Similem ceremoniam, sed paullo diversam, Græcis fuisse tradit Plutarch. ibid. p. 66. C. Nam si *quando sacer ibi ignis devixit, negant eum fas esse alio igne accendi, sed novum parandum, eliciendumque ex ipso sole. Quod faciunt scaphiis, sive vasculis, quæ parantur ex latere trigoni rectanguli, quod duo latera æqualia habeat: devergunt autem ex circumferentia in unum centrum. Cum igitur soli opponuntur, ut radii ejus in ipsum centrum cogantur, & implicentur, aëre attenuato, fomenta levissima, & siccissima apponunt, quæ facillime per renixum & reflexionem concipiant accensum ignem.* Hæc ita alibi: Romæ, ut dixi. Lips.

& Hyde l. l. Vulgo legitur, ὅ φασι μὴ δεῖν. . . . . Legendum: ὥ φασί. Corrupta lectio Lipsium in hanc sententiam induxit, ut Plutarchum crederet, morem illum *ignis* e sole suscitandi Græcis solis, non Romanis adscribere: quos idem ille non solis, sed igniarii beneficio id ipsum curare solitos putat. Verum non est, quod de Romanis Plutarchum loqui dubitemus: si recte illius orationem expendimus. *Petav. in Julian. Orat.* IV. *p.* 86. Etiam sine interstinctione ulla *ignis* solebat novus accendi, novo anno, prima die mensis Martii. Macrob. Sat. I. 12. *Prima die Martii, ignem novum Vestæ aris solent accendere, ut incipiente anno cura denuo servandi novati ignis inciperet.* Ovid. Fast. III. 143.

Adde, quod arcana fieri novus ignis in æde
Dicitur, & vires flamma refecta capit.

Lips. Ferrar. Casal. & Struv. l. l. Curam hanc virginibus Vestalibus incubuisse Juliani apostatæ ævo, patet ex memorabili in eam rem loco, qui legitur Orat. IV. p. 155. *Æternam ecce flammam de sole conceptam sacræ apud nos virgines pro variis anni tempestatibus conservant: in quo id ipsæ præstant, quod circa terras efficit luna, ut ignem a sole succeptum custodiant.* Spanhem. de Vest. Thes. Ant. Rom. Græv. Tom. V. p. 690. B.

IGNISPICIUM Latinis, Græcis πυρομαντεία, & πυροσκοπία dicitur divinatio, quæ per ignem sacrificialem fiebat. Illud Amphiaraus invenit. Plin. VII. 56. *Ignispicia Amphiaraus.* Hujus rationem in sacrificii Argonautici explicatione tradit Apollonius:

—— Idmon autem cum admiratione conspicatus
[illegible] fulgorem
Purpureis circumgyrationibus, & auspicati ominis emicantem
E vestigio mentem Apollinis aperuit.

Ubi Scholiastes ταῖς πορφυρέαις ἑλίκεσσιν interpretatur *fumi circumvolutionibus, & curvis ignis circumgyrationibus, circumvolutionibus, quasi purpureis, & boni ominis.* Stuck. de Sacrif. p. 157. Barth. Adv. XXXIII. 15.

IGNITABULUM *ignis receptaculum* interpretatur Festus. In veteri Onomastico vertitur πυρεῖον. Et in eodem *igniarium* quoque πυρεῖον exponitur. Nempe *igniarium*, & *ignitabulum* idem notant. Πυρεῖον proprie appellabant lignum, quod altero ligno tamdiu terebrabatur, donec ignem conciperet. Lignum, quod substernebatur, vocabatur στορεὺς: alterum, quo vice perforaculi utebantur, τρύπανον. Ἐσχάρα vocatur Theophr. Hist. Plant. V. 10. *Igniaria commodissime capi ex atragena vocata existimant. Conceptaculum, ἐσχάραν, ex hac: terebrum vero, τρύπανον, ex lauro faciendum censent. Non enim, ut ex eodem quod agit, quodque patitur, sed e diversis accipiantur; & alterum patiendi vim obtineat, natura protinus exigit.* Salmas. Exerc. Plin. p. 126. a. G. Voss. Lex. Etymol. Bodæus a Stapel in Theophrastum. Grapald. de Part. dom. II. 4. §. 2.

Ignitabulum dicitur etiam cremium, sive fomes, hoc est, arida materia, quæ ignem terebrando excussum recipit. Gloss. Philox. *Ignitabulum*, δᾳδὸς ῥαβδίον. *Voss. Lex. Etymol.*

IGNOBILES appellabantur, qui nec majorum, nec suas habebant imagines: ut novi, qui suas tantum, & illi demum nobiles, qui majorum imagines. Jus enim imaginum jus nobilitatis fuit. *Hotman. Antiq. Roman.* II. 9. *Sigon. de Ant. jur. civ. Rom.* II. 20. *Guther. de Jur. man.* I. 21.

IGNOMINIA est nota nominis. Cicer. de Rep. IV. apud Non. I. 93. *Censoris judicium nihil fere damnato affert nisi ruborem. Itaque quod omnis ea judicatio versatur tantummodo in nomine, animadversio ista ignominia dicta est.* Plurimum distabat ab infamia, quæ non nisi magistratuum sententiis, ac judiciis, & quidem iis infertur, quibus ex lege irrogatur l. infamem 7. ff. de publ. jud. Nam si esset idem *ignominia* quod infamia, frustra prætor edictis perpetuis infamia notasset eos, qui ab Imperatore cum *ignominia* dimissi essent l. de his ff. qui not. infam. De his, qui a censoribus notarentur, nihil edicto comprehensum est. Non igitur infames sunt *ignominiosi*, ut infamium ac damnatorum pœnis teneantur. *Salmuth in Pancirol. de Reb. deperd. & inv. p.* 527. *Sigon. de Judic.* II. 3.

Ignominia militaris differt ab animadversione. Hæc pœnam significat, illa probrum, & notam. Suet. Tib. c. 19. n. 1. *Animadversionum, & ignominiarum generibus ex antiquitate repetitis, atque etiam legato legionis, quod paucos milites cum liberto suo trans ripam venatum misisset, ignominia notato.* Ibi simul adnota causam notandi *ignominia*; nec milites tantum, & centuriones notari solitos, sed etiam tribunos, & legatos. Cal. c. 44. n. 1. *Legatos, qui auxilia serius adduxerant, cum ignominia dimisit.* Robort. de Pœn. milit. & ignom. Thes. Antiq. Roman. Græv. Tom. X. pag. 1483. A.

Ignoscere gentibus devictis dicebatur Imperator, quas liberas relinquebat, ac suis uti legibus, suosque creare more patrio magistratus permittebat ex auctoritate senatus. Hic enim acceptis ab Imperatore de superatis hostibus, & regione in potestatem redacta literis, secum de mulcta, & præmiis eorum, qui victi essent, consultabat, ac quid sibi fieri placeret, Imperatorem admonebat, decem, aut quinque legatis senatoribus ad eum missis, ut ex eorum sententia de hostibus, & eorum regione statueret. *Sigon. de Ant. jur. prov.* I. 1.

ILE.

ILERNUS. V. illum supr. in *Hylerna*.

ILEX fuit Vaticano celebris ævo Plinii, utrum in monte, an campo, non exprimitur. Additus ei erat titulus literis Etruscis. Ait enim ille XVI. 44. *Vetustior autem Urbe in Vaticano ilex: in qua titulis æreis literis Etruscis religione arborem jam tunc dignam fuisse significat.* Nardin. Rom. Vet. VII. 13. Aring. Rom. Subt. II. 3. §. 13. Ultimus enim ibi Etruriæ limes, & Etrusci oppido olim intenti. Habet ergo hæc *Ilex*, quod fortiter opponat Pausaniæ, cui Arcad. p. 254. vetustissimæ arbores fuere *vitex Samia ad Junonis ædem, olea in arce Athenis, Deli palma, quercus Dodonæa, & platanus Menelas bello Trojano sata.* Borrich. Ant. Urb. Fac. c. 16. §. 3. Dalechamp. in Plinium.

ILI.

ILIA fuit filia Numitoris. Hanc patruus Amulius per speciem honoris Vestalem legit, & perpetua virginitate spem partus ademit, veritus ne liberi avi regno exacti injurias aliquando vindicarent. Alii eam Rheam Sylviam appellant. Quæ haud multo post vi compressa, quum geminos edidisset infantes, seu ita rata, seu quod auctor culpæ honestior erat, Martem incertæ stirpis patrem dixit. Verum nec deus, nec ipsi homines illam, aut filios a regia crudelitate vindicarunt. Ipsa enim secundum aliquos juxta legem viva defossa: vel, ut aliis placet, perpetuo carceri condemnata, & filii in profluentem mitti jussi. Sic Dionys. I. p. 62. *Quum Ilia Vestalis virgo ad Martis lucum isset, aquæ puræ hauriendæ gratia in templo compressa est. Sunt qui putent ab aliquo ex procis; nec desunt, qui dicant ab Amulio ipso patruo armato, qui quum amore ejus captus esset, Martis specie armatus, & incognitus cum ea rem habuit. Alii a genio loci, alii vero a sacerdote aliquo, seu pontifice eam compressam esse asserunt.* Panvin. Descr. Urb. Rom. Thes. Ant. Rom. Græv. Tom. III. p. 213. E. Strein. de Gent. & fam. Rom. in Sylvia. A poetis *Ilia* potissimum, ab historicis maxime Rhea Sylvia fuit dicta. De hujus appellatione multis inter se egerunt Theodorus Ryckius & Jacobus Perizonius. V. illa relata a *Perizonio ad calcem* VII. *Æliani.*

Ilia fuit sacer agon, quem Lysimachus videtur instituisse, quum Alexandro mortuo, qui debellatis Persis promisit se in Iliensium Urbe delubrum celeberrimum conditurum, & sacrum certamen instituturum, templum hoc condidit teste Strab. XIII. p. 408. Hujus mentio apud Eusebium in Chronico de Nerone: *Isthmiis, & Pythiis, & Iliis, & Actiis coronabatur.* Ruben. de Urbib. Neocor. Thes. Antiq. Rom. Græv. Tom. XI. p. 1352. F.

ILICET *ſemper finem rei ſignificat, ut actum eſt. Ilicet per ſyncopen, quod ſignificat, ire licet. Sic judices de concilio dimittebantur, ſuprema dicta cum præco pronuntiaſſet.* Calphurn. in Ter. Heaut. v. 2. 21. Donat. in Ter. Phorm. I. 4. 31. Hoc etiam legere eſt apud Serv. Æneid. II. 424. *Ilicet, confeſtim, mox. Sed apud veteres ſignificabat, actum eſt. Olim enim judex, ſi dare finem rebus agendis voluiſſet, per præconem dicebat: Ilicet, hoc eſt, ire licet, id eſt, acta & finita res eſt.* Briſſon. de Form. v. p. 480. Scalig. Conject. Varr. p. 106. Saub. de Sacrif. c. 27. Schill Nom. Phil. p. 600. Stuck. de Sacrif. p. 220. Laurent. Var. ſacror. gentil. c. 14. Voſſ. Lex. Etymol. Putean. Reliq. Conviv. priſc. Theſ. Antiq. Roman. Græv. Tom. XII. p. 254. B.

Ilicet tanquam noviſſimum verbum, corpore jam in monumentum collocato, reliquiisque conditis, & omnibus ſollenni more peractis, præfica pronuntiabat: quo dicto quilibet domuitionem parabat. Serv. Æneid. VI. 216. V. illum ſupr. in *Formula funeris dimittendi.* Kirchm. de Fun. Rom. III. 9. Moreſtell. Pomp. Feral. VIII. 8. Schill Nom. Phil. p. 601. Alex. Gen. III. 7. & ad illum Tiraquellus. Briſſon. de Form. VIII. p. 748. Stuck. de Sacrif. p. 220. Ferret. Muſ. Lapid. III. Mem. 2: IV. Mem. 24. Schegk. Præneſſ. Epiſt. IX. Parrhaſ. Epiſt. LIX. Gyrald. de Var. ſepel. rit. c. 12. & Faes in illum. Meurſ. de Fun. c. 27. Voſſ. Lex. Etymol. Kipping. Antiq. Roman. IV. 6. 10.

ILIENSÈS nummis ſuem imprimebant. Solebant enim veteres animalia, quibus abundabant, nummis ſuis depingere. *Panciroll. Notit. Imp. orient. c.* 38. In illorum urbe olim erat ſacrarium Palladis. Et extat Julii Cæſaris nummus inſcriptus: ΙΛΙΕΩΝ ΔΙC ΝΕΟΚΟΡΩΝ. *Ruben. de Urb. neocor. Theſ. Antiq. Rom. Græv. Tom.* XI. *p.* 1352. *E.*

ILITHYA eſt a plerisque Diana exiſtimata, ut ſcribit Phurnut. c. 34. V. illam infr. in *Sacrificium Ilithyæ.*

ILIUM dextrum ſi ſaliret, in auguriis peregrinationem portendebat: aliis ſi ſiniſtrum, bonum novum, aliis negotiationem præſagiebat. *Niphus de Augur.* I. 9. externa quadam notatione, & ſignificatione, præ dolore, & indignatione vehementiori feriebant veteres. Homer. Iliad. Π. n. 125.

--- at Achilles
Coxas percutiens, Patroclum allocutus eſt.

Odyſſ. N. n. 198.

Flevitque poſtea, & ſua percuſſit femora
Manibus dejectus.

Hartung. Memor. Dec. I. 8. 8.

ILL.

ILLEGITIMI. V. illos infr. in *Filius.*

ILLICE eſt urbs Hiſpaniæ Tarraconenſis. Plin. III. 3. *Reliqua ora colonia immunis Illici, unde Illicitanus ſinus.* Hinc inſignis viget, vulgo *Alicante.* Auguſtin. Antiq. Rom. & Hiſp. Dial. VII. Urſat. de Not. Rom. Theſ. Antiq. Rom. Græv. Tom. XI. p. 607. D.

ILLUSTRIS epitheton quando inventum ſit non conſtat. Id ſerius inſtitutum eſſe videtur. *Panciroll. Notit. dignit. imp. orient. c.* 2. Primum *nota fuit, non meriti, aut honoris: unde & meretricibus tribuitur.* Serv. Æneid. VI. 758. Hoc ſenſu *fama illuſtrem* dixit Virg. Æneid. VII. 79. Uſus poſtea obtinuit, ut viri magni nominis *Illuſtres* vocarentur, nomenque hoc maximæ dignitatis eſſet. Suet. Jul. c. 48. n. 1. *quo togati cum illuſtrioribus provinciarum diſcumberent.* Guther. de Offic. dom. Aug. I. 10. Erat hæc ſumma in imperio dignitas, quæ a patriciis ab Auguſto inventis originem habuit. *Panciroll. l. l.* Parum commode. Dignitates *Illuſtrium*, Spectabilium, Clariſſimorum, Perfectiſſimorum ævo Conſtantini Magni natæ ſunt, quo tempore patricii quatuor præfecti prætorio eſſe cœperunt. De quibus conſulendus Zoſim. II. 40. *Buleng. de Imp. Rom.* II. 21. *Spectabilibus erant ſuperiores* teſte Sidon. Epiſt. VII. 9. ſcilicet inter clariſſimatus, & *illuſtratus* dignitatem. Nam ſicut ſpectabiles clariſſimis ſuperiores ſunt l. 5. C. de prox. ſacr. ſcrin. ita *illuſtribus* ſunt inferiores dicta l. 32. Iſidor. IX. 4. *Primi ordines ſenatorum dicuntur illuſtres, ſecundi ſpectabiles, tertii clariſſimi. Jam inferius quartum aliquod genus non eſt.* Savaro in Sidonium, Buleng. l. l. Ob merita concedebatur. Innoc. Pap. Epiſt. I. 9. *Domine fili merito illuſtris.* Sidon. Epiſt. VIII. 6. *Vir ortu clariſſimus, privilegio ſpectabilis, merito illuſtris.* Cerda Adv. Sacr. c. 167. n. 10. Buleng. l. l. *Illuſtrium* ordo ita a Zenone componitur, ut *primi ſint patricii, vel expatricii, præfecti prætorio, præfecti Urbis, conſulares viri, quos tam ordinaria profeſſio, quam Principis ſublimavit oratio* l. C. 3. ubi ſenator. vel clariſſ. *Guther. l. l.* Novella Valentiniani de honoratis, & quis præferatur in gradu, quinque facit *Illuſtrium* gradus. I. Eorum, qui vere *illuſtrem* dignitatem geſſerunt. II. Vacantium præſentium in comitatu principis. III. Vacantium abſentium. IV. Honorariorum præſentium. V. Honorariorum abſentium. *Guther. Panciroll. Buleng. l. l.* Fruebantur hoc privilegio, ut per ſeipſos lites civiles, aut criminalem injuriarum actionem exercere non poſſent, ſed per procuratores id agere compellerentur. Indignum enim videbatur ſpecioſas perſonas cum inferioribus cauſam dicendo ante judices ſtare. l. pen. C. de procurator: Habebant & hoc præcipuum, ut rei criminum facti, a nullo quam a Principe, vel eo, cui Princeps cauſam delegaſſet, poſſent judicari. Quo tempore, etſi præſentes, cum judicibus tamen in inferiore auditorii parte ſedebant, ne litigantium modo ſtare cogerentur. A judicibus quoque inconſulto Principe condemnari non poterant, ſed tantum abſolvi l. ult. C. ubi Senat. vel clariſſ. nec niſi ex ſcripto in judicium vocari, vocatique ſe judicio ſtaturos, aut judicatum ſoluturos, ſatisdare non compellebantur, ſed ſatis etiam erat criminaliter accuſatos id juramento promiſiſſe l. pen. C. de dignit. Cum præſidibus provinciarum honoris gratia in tribunali ſedere poterant, niſi ipſi litigaſſent: nam quo tempore illorum cauſæ agitabantur, ab eo loco abſtinebant. l. ult. C. de Offic. div. jud. & l. 1. C. de Offic. civ. jud. Poterant etiam quas ferunt ſententias per officiales ſuos recitare: cæteri ex ſcripto legere tenentur l. ult. C. de ſent. ex peric. reci. Turpibus lucris abſtinere oportebat, nec ultra trientem uſurarum capere. l. eos. 26. §. 1. C. de uſur. nec vilem uxorem ducere l. 1. C. de natural. lib. quod ultimum poſtea eſt ſublatum §. ult. in Authent. quib. mo. nat. offic. ſui §. quia vero in Authent. ut lic. matr. & aviæ. *Panciroll. l. l.*

ILLYRICUM inter Italiam, quæ tum Formione amne terminabatur, ac Macedoniam, Epirum, Pannoniam, & mare ſuperum ſitum gentes quidem plurimas eſt complexum, ſed plerasque obſcuras, neque ulla ſane memorabili re geſta inſignes. Incolæ, muliere Teuta regnante, populationibus non contenti, & rapinis, quas in mari agebant, alterum quoque ex legatis Romanis, qui miſſi fuerant de acceptis injuriis conqueſtum, occiderunt. Quare bellum iis, L. Poſtumio, & Cn. Fulvio coſſ. primum indictum eſt. Quos brevi coſſ. Apollonia capta debellarunt. Atque cum Regina Teuta his conditionibus pax facta eſt, ut Teuta quotannis tributum penderet, ac omni fere *Illyrico* cederet, neque ei extra Liſſum, niſi cum duobus, iisque inermibus lembis navigare liceret. Quieverunt *Illyrici* uſque ad bellum Perſicum, vel Macedonicum II. In quo quum Perſeus ultimo belli diſcrimine a Romanis urgeretur, Gentium *Illyriorum* Regem ad belli ſocietatem magnæ pecuniæ pactione per legatos attraxit. Adverſus quem L. Anicius Gallus prætor a Romanis miſſus, *Illyricum* omne gentis capite Scodra capta intra triginta dies ſubegit, ac Gentium ipſum Regem cepit. *Illyriumque*, & Dalmatiam eodem anno, quo Macedoniam Paullus, idem L. Anicius debellavit, & unam provinciam fecit. Triumphavitque poſt Paullum aliquot diebus Rege *Illyriorum* Gentio, cum fratre, conjuge, & liberis ante currum ducto. *Panvin. de Imp. Rom. c.* 14. *Sigon. de Ant. jur. Prov.* I. 7. *Panciroll. Notit. dign. Imp. occid. Theſ. Antiq.*

Rom. Græv. Tom. VII. *p.* 1785. *B. Robort. de Prov. Roman. Thes. Antiq. Rom. Græv. Tom.* III. *p.* (6) *E. Manut. de Leg. c.* 10. *Lazi. Græc. ant.* I. 2. Romani in describenda *Illyrici* provincia non omnem *Illyrici* regionem sunt complexi, verum eam Lisso tantum oppido maritimo terminaverunt, reliquos autem ad Epirum *Illyricos* Macedoniæ provinciæ attribuerunt. Plin. III. 22. in *Illyrico* tres conventus nominat, Scardonam, Salonam, & Naronam, in quo quia utitur Varrone, fit, ut ita Varrone quoque, id est, Republica vigente, observatum esse existimem. Salonensis conventus meminit etiam Cæs. Bell. Civ. III. 9. Eadem cum in veteribus lapidibus *Salona Julia* nominetur, a Cæsare videtur deducta, eo magis quod bello civili Cæsaris *Salonam cives Romanos incoluisse* scribit Hirt. Bell. Alex. c. 43. *Sigon. l. l.* Incolæ bibacissimi fuerunt. *Buleng. de Conviv. Prolus.* III. Neptuno, quod tridentis ictu terra equum excierit, quaternos equos jaciebant nono quoque anno in mare. Festus in Hippius. *Tomas. de Donar. c.* 32. In omni *Illyrico* frequens fuit cultus Solis, vel Apollinis, quem Belenum vocabant. *Salmas. in Vopisc. Aurelian. c.* 39. *Borrich. Ant. Urb. fac. c.* 9. §. 7.

IMA.

IMAGINARII, *vel imaginiferi inter principalium militum nomina* appellantur, *qui Imperatoris imagines ferunt.* Veget. II. 7. *Imagines* Imperatoris vexillis inscriptas. V. infr. in *Imago.* Junius de Pict. I. p. 94. Savot. de Numm. Ant. I. 4. Choul. de Castram. vet. Roman. p. 16. Panciroll. Notit. dignit. imp. orient. c. 24. Buleng. de Imperat. Rom. II. 12. Casal. de Urb. ac Imper. Roman. splend. part. 2. c. 9. Ad hoc genus militum alludit & inscriptio vetustatis, quæ Lugduni visitur:

D. M. ET MEMORIÆ ÆTERNÆ.
SOLENNIO FIDO MIL. LEG. I. MINERVÆ IMAGINIFERO MATURINA VICTORINA CONJUGI CHARISSIMO PONENDUM CURAVIT.

Laz. Comm. Reip. Roman. VII. I.

IMAGO *est simulacrum oris similitudinem affabre, miroque artificio effictam, coloribus, pigmentisque adumbratam referens.* Polyb. VI. 51. *Sigon. de Ant. jur. civ. Rom.* II. 20. *de Nom. Rom. c.* 6. *Panvin. de Nom. Rom. Thes. Ant. Rom. Græv. Tom.* II. *p.* 2019. *D. Hotman. Antiq. Roman.* II. 9. *D.* Quanquam non raro dicantur, quæ ex metallo, & marmore sunt. Ita legimus apud Cicer. in Orat. c. 31. *Demosthenis imaginem ex ære vidi.* Et apud Tacit. Agric. c. 46. n. 4. *Non quia intercedendum putem imaginibus, quæ marmore, aut ære finguntur.* Tamen proprie *imago* est, quæ vel cera exprimitur, vel coloribus, & pictura repræsentatur. Et differt a statua, quæ proprie lapidea est, sive ænea, hæc vero, vel cerea, vel picta. Et hoc sensu cereas *imagines* signis opponit Plin. XXXV. 2. cum dicit: *Apud majores nostros in atriis hæc erant, quæ spectarentur, non signa externorum artificum, ærea, aut marmorea; expressi cera vultus singulis disponebantur armariis, ut essent imagines, quæ comitarentur gentilitia funera.* Sic *imagines* pictas argenteis, æreisque statuis opponit l. l. *Imaginum quidem pictura quam maxime similes in ævum propagabantur figuræ: quod in totum exolevit. Ærei ponuntur clypei, argenteæ facies surdo figurarum discrimine, statuarum capita permutantur. Adeo materiam malunt conspici omnes, quam se nosci.* Figrel. de Stat. Roman. c. 1. *Imaginem* sui ponere, ac posteris tradere non poterant, nisi qui curules magistratus gessissent: quorum post aliquot tempora primus esse cœpit ædilitas curulis, qui magistratus ante patriciis patuit, quam plebejis. De jure ponendarum *imaginum* Cicer. Verr. V. 14. *Ego me ob ædilitatem mihi delatam adeptum esse intelligo antiquiorem in senatu sententiæ dicendæ locum, togam prætextam, sellam curulem, jus imaginis ad memoriam posteritatemque prodendam.* Et Agrar. II. 1. *Est hoc in more positum, ut ii qui beneficio vestro imagines familiæ suæ consecuti sunt, eam primam habeant concionem, qua gratiam beneficii vestri cum suorum laude conjungant.* Est autem *consequi imagines familiæ,* magistratus curules a majoribus suis gestos capere. *Sigon. & Panvin. l. l.* Stultissime templis argenteas, aureasque legabant antiqui, ad pondus usque centum & amplius, pro inferorum pœnis evitandis. Stat. Sylv. V. 1. 189.

Da Capitolinis æternum sedibus aurum,
Quo niteant sacri centeno pondere vultus
Cæsaris, & propriæ signet cultricis amorem.
Sic ego, nec furias, nec deteriora videbo
Tartara, & Elysias felix admittar ad oras.

Ursat. de Not. Roman. Thes. Antiq. Rom. Græv. Tom. XI. p. 557. E.

Imagines amicorum annulis insculptas gestabant veteres. Ovid. Trist. I. 6. 5.

Hæc tibi dissimulas, sentis tamen omnia dici,
In digito qui me fersque refersque tuo.
Effigiemque meam fulvo complexus in auro
Cara relegati, quæ potes, ora vides.

Epicuri *imaginem* in annulis habuere familiares ejus. Cicer. de Fin. V. 1. *Nec tamen Epicuri licet oblivisci, si cupiam: cujus imaginem non modo in tabulis nostri familiares, sed etiam in poculis, & in anellis habent.* Kirchm. de Annul. c. 12. Long. de Annul. c. 6. Laurent. de Insign. c. 3.

Imagines cubiculares dicebantur in cubiculis positæ. Plin. XXXV. 2. *Iidem & vultus Epicuri per cubicula gestant, ac circumferunt.* Suet. Aug. c. 7. n. 2. *Nactus puerilem imagunculam ejus æream, veterem... hoc nomine inscriptam, quæ dono a me Principi data inter cubiculares colitur.* Cal. c. 7. n. 1. *Cujus effigiem habitu Cupidinis, in æde Capitolinæ Veneris Livia dedicavit, Augustus in cubiculo suo positam, quotiescunque introiret, exosculabatur.* Figrel. de Stat. Roman. c. 10. Barth. Adv. IV. 22. Guther. de Vet. jur. pont. III. 8. Faes ad Gyrald. de Sepult. c. 1. Casaub. & Pitisc. in Suetonium.

Imagines defunctorum, dum exsequiæ fierent, præferebantur. Polyb. VI. 51. *Cum illustris vir aliquis ex eadem gente, vel familia diem clausit ultimum, ad funeris elationem eas proferunt: assumunt vero togas, si consul, aut prætor fuerit, prætextas: si censor, purpureas.* Horat. Epod. VIII. 11.

—— funus atque imagines
Ducant triumphales tuum.

Ubi Interpres: *In funere nobilissimis quibusque solebant præferri imagines majorum, quod observari videmus in funeribus principum.* Val. Max. VIII. 15. *Africanus imaginem in cella Jovis Opt. Max. positam habet, quæ quotiescunque funus aliquod Corneliæ genti celebrandum est, inde petitur.* Erant nihil aliud, quam expressæ corporis effigies humerorum tenus e cera consolationis ergo asservatæ. Nam, ut ait Lactant. II. 2. *Omnino fingendarum similitudinum ratio idcirco ab omnibus inventa est, ut posset eorum memoria retineri, qui vel morte subtracti, vel absentia fuerunt separati.* Morest. Pomp. Fer. II. 19. Guther. de Jur. man. I. 19. Kirchm. de Fun. Rom. II. 7. Bellor. Descr. Sepulcr. Nason. tab. V. Sagittar. de Jan. Vet. c. 26. §. 13. Sigon. de Ant. jur. civ. Rom. I. 20. Lips. Elect. I. 29. Kipping. Ant. Rom. IV. 6. 6: II. I. 5. Ob turpe, & immane crimen damnatorum in exsequiis non ferebantur, sed frangebantur. Tacit. Annal. II. 32. 2. *Cotta Messalinus, ne imago Libonis exsequias posterorum comitaretur, censuit.* Sic Bruti & Cassii abolitas docet Tacit. Annal. III. 76. 4. *Viginti clarissimarum familiarum imagines antelatæ sunt, Manlii, Quintii, aliaque ejus nobilitatis nomina: sed præfulgebant Cassius atque Brutus hoc ipso, quod effigies illorum non visebantur.* Unde Juven. Sat. VIII. 18.

Frangenda miseram funestat imagine gentem.

Kirchman. l. l. Figrell. de Stat. Roman. c. 37. Quot igitur majorum *imagines*, totidem lectuli videntur funeribus præ-

prælati, ita ut ſuus cuilibet *imagini* lectulus eſſet, in quo portabatur. Quanquam interdum non in hujuſmodi lectis, ſed in oblongis perticis, vel haſtis fuiſſe latas, ut fercula triumphorum ſolebant, non inepte quis exiſtimaverit, præeunte Sil. Ital. x. 566.

Non conjunx, nativè aderant, non juncta propinquo
Sanguine turba virûm, aut celſis de more feretris
Præcedens priſca exſequias decorabat imago.

Kirchm. I. l.

Imagines deorum erant aut privatæ, aut ſacræ, aut honorariæ. Privatæ domi affixæ domus erant portio, ad quarum ornatum inſtitutæ, atque tanquam pars ædium vendi poterant, quia privati juris erant. Sacræ, aut honorariæ, ſine crimine majeſtatis vendi non poterant; quia privati juris non erant, quinimo publici; nam proximum ſacrilegio majeſtatis crimen. Aliquando *imagines*, & ſtatuæ non ſacræ, quæ nempe ex hoſtibus captæ, quæ & venales, & vectigales dictæ (loca namque capta ab hoſtibus deſinebant eſſe religioſa, vel ſacra, meritoque in fiſcum cogebantur) quas aliquando relinquebant, aliquando amovebant, & uſibus ſuis applicabant. *Laurent. var. ſacr. gentil. c. 5. Figrel. de Stat. Rom. c.* 36. Dei *imagine* annulum ne quis inſignitum geſtaret, inter Pythagoræ præcepta, quæ ſymbola appellantur, memoriæ proditum eſt, quod Pythagoræ effatum a Clem. Alex. Strom. v. p. 559. C. quaſi præceptum, aut conſilium fuit expoſitum, quod a Moſe juſſum fuerat; ne qua ſcilicet *imago* adoranda effingeretur: quoniam Dei majeſtas, quæ intelligentia tantum percipitur, vili pendi cenſetur, cum in materia colitur; eaque magis, quæ in annulo geſtatur; ſiquidem contemptum parit, quæ in promptu eſt videndi conſuetudo. Hujuſmodi geſtamen vetitum dicit Jamblich. de Vit. Pythag. I. ne cui forte in locum immundum ſacram *imaginem* deferre contingeret. *Caſal. de Inſign. c.* 3. In faſtigio domus collocabantur. Spartian. Peſcenn. c. 12. *Domus ejus hodie Romæ viſitur in campo Jovis, quæ appellatur Peſcenniana: in qua ſimulacrum ejus in trichoro*, id eſt, in faſtigio, *conſtituit.* Vopiſc. Florian. c. 4. *Imago Apollinis, quæ ab his colebatur, ex ſummo faſtigio in lectulo poſita ſine cujuſpiam manu deprehenſa eſt.* Salmaſ. in Spartianum, & Vopiſcum. Peregrinantes ſecum geſtabant, ut illis facerent ſuis feſtis. *Laurent. ibid. c.* 14.

Imagines doctorum ponebantur in bibliothecis, tum publicis. Suet. Tib. c. 70. n. 5. *Scripta eorum, & imagines publicis bibliothecis inter veteres, & præcipuos auctores dedicavit.* Plin. VII. 30. *M. Varronis in bibliotheca, quæ prima in orbe ab Aſinio Pollione ex manubus publicata Romæ eſt, unius viventis poſita imago eſt.* tum privatis. Plin. Epiſt. IV. 28. 1. *Herennius Severus magni æſtimat in bibliotheca ſua ponere imagines municipum tuorum, Cornelii Nepotis, & Titi Caſſii.* Cicer. Attic. IV. 9. *Literis ſuſtentor, & recreor, maloque in illa tua ſedecula, quam habes ſub imagine Ariſtotelis, ſedere, quam in aliorum ſella curuli.* Et melioris notæ libris præfigebantur. Mart. XIV. 186.

Quam brevis immenſum cepit membrana Maronem?
Ipſius vultus prima tabella gerit.

Jun. de Pictur. II. 8. §. 7. Lipſ. de Biblioth. c. 10. Lomej. de Biblioth. c. 14. Figrell. de Stat. Roman. c. 24. Laurent. Var. ſacr. gentil. c. 8. Thyſ. Antiq. Roman. p. 380.

Imagines Imperatorum etiam ſigna vocabantur. Veget. II. 6. *Hæc imagines Imperatorum, hoc eſt, divina, & præſentia ſigna veneratur.* Savot. de Numm. antiq. I. 4. Panvin. de Imper. Roman. c. 16. Quis unquam audivit *imaginem* Cæſaris ſignum dictum eſſe? *Imagines* Imperatorum in parvis orbibus adnectebantur haſtis ſignorum, non ipſæ erant ſigna. *Græv. Antiq. Roman. Tom.* I. *Præfat.* * * * *. 3. Nomen Imperatoris noviter creati vexillis inſcribere ſolebant milites. Dio XL. p. 128. E. *Signum unum ex iis, quæ magna ſunt & velorum ſimilia, & puniceas literas inſculptas habent, ad indicium exercitus, & Imperatoris ſui faciendum.* Suet. Veſp. c. 6. n. 4. *Nomenque ejus vexillis omnibus ſine mora inſcripſerunt.* Sub illis literis *imago* picta Imperatoris. Quod ſtatim dicet Xiphilinus. Hanc lacerabant, qui ab Imperatore deficiebant. Xiphil. LXV. p. 737. D. *Et tunc Vitellii imagines de ſignis detrahunt.* Tacit. Hiſt. III. 31. 3. *Primores caſtrorum nomen, atque imagines Vitellii amoliuntur.* Jun. de Pictur. II. 8. Tomaſ. de Donar. c. 21. Lipſ. de Milit. Rom. IV. dial. 5. & in Tacitum. Roa Singul. I. I. Marcil. & Pitiſc. in Suetonium, Stewech. in Vegetium, Figrel. de Stat. Roman. c. 31. Pancirol. Notit. dign. Imp. Orient. c. 33. Laz. Comm. Reip. Rom. VII. 5. Buleng. de Imp. Rom. II. 12. Nonn. in Goltz. Jul. Cæſar. numiſm. p. 72. Nicol. de Sigl. vet. c. 26. §. 6. Thyſ. Rom. Illuſtr. IV. p. 93. Quælibet legio habebat eaſdem pro inſigni. Modeſt. de vocab. rei milit. *Tanus legionis in igne ſunt imagines Imperatorum, quas tanquam divina, & præſentia ſigna ſinguli venerantur.* Veget. II. 6. *In ſecunda acie, poſt aquilam, & imagines cohors ſexta conſtitit.* Panciroll. ibid. c. 24. Ante omnia in caſtris inter legionum ſigna adorabantur. Suet. Cal. c. 14. n. 7. *Artabanus Parthorum Rex aquilas, & ſigna Romana, Cæſarumque imagines adoravit.* Sed præcipue ab ipſis militibus. Tertull. Apolog. c. 16. *Religio Romanorum tota caſtrenſis, ſigna veneratur, ſigna jurat, omnibus diis præponit. Omnes illi imaginum ſuggeſtus in ſignis* (ita pro *inſignes* legit *Lipſ. de Mil. Rom.* IV. 5.) *monilia crucium ſunt.* Ubi ſigna ſunt Imperatorum *imagines.* Capitol. Maximin. c. 24. *Milites interfectis publicis hoſtibus recepti ſunt ab oppidanis, rogantes: & primum ita, ut ante imagines Maximi, & Balbini, & Gordiani adorarent.* Et quidem inter principia legionum. Tacit. Annal. IV. 2. 4. *Ut ſocium laborum, non modo in ſermonibus, ſed apud patres & populum celebraret* Sejanum, *colique per theatra, & fora effigies ejus, interque principia ſineret.* Figrel. l. l. Suas ſolebant ad Urbem mittere, qui Imperatoris nomen, & Auguſtam dignitatem in abſentia conſequebantur, quo ſeipſos S. P. Q. R. facilius inſinuarent. Hoc ante Antoninorum imperium nemini, ut opinor, legitur accidiſſe: permulti autem id fecerunt ſubſequentibus annis. Quod Ammianus Marcellinus, & Zoſimus hiſtoriæ Romanæ auctores teſtantur. Nam & Conſtantii Imperatoris imago recepta in Urbem eſt: & item Galerii. *Crinit. de Honeſt. Diſcipl.* XVII. 10.

Imagines majorum etiam ex cera fiebant, quamvis, ſed rarius, ex ære. V. ſupr. in *Imago*; Hinc non ceræ, ſed μετωνυμικῶς ceræ dicebantur. Ovid. Faſt. I. 591. V. ſupr. in *Cera.* Formam exprimunt verba Plinii ſupr. in *Imago* laudata: *Expreſſi cera vultus.* Non enim tota corporis effigies ſtatuebatur, membris omnibus, a vertice ad pedes, juſta magnitudine efformatis. Quis enim locus, quæ domus tanti exercitus capax, ſi totis, integriſque ſimulacris majorum, avorumque replenda fuiſſet, præcipue cum ex *imaginum* multitudine cenſeretur omnis nobilitas. Probo inſuper auctoritate Polybii ſupr. in *Imago* producti. Cicer. Bruto. *Ex quo tanquam ex ore imago exprimitur.* Talis erat Pompeji Magni in triumpho ejus tranſlata, de qua Plin. XXXVII. 2. *Imago Cn. Pompeji e margaritis, illa regio honore grata, illius probi oris venerandique per cunctas gentes. Et hinc fieri tuos vultus?* Et *clareque intelligi poſſet, jam tum illud caput, orientis opibus ſine reliquo corpore oſtentatum.* Nec obſcura res eſt, quam etiam arguere poſſunt hodieque ex antiquiſſimis ſeculis reſervatæ apud Romanos, alibique in Italia veterum effigies hac forma ex ære, & vario marmore expreſſæ. *Figrell. de Stat. Roman. c.* 11. *Nardin. Rom. Vet.* III. 13. *Lipſ. Elect.* I. 29. *Turneb. Adv.* XXVI. 3. *Donat. Dilucid. in Vopiſc. p.* 1057. *Sagittar. de Jan. vet. c.* 27. §. 9. 10. 11. Credo tamen paullatim procedente luxu etiam juſta magnitudine ſtatuiſſe, membris omnibus a vertice ad pedes expreſſis. Id indicant Juvenalis verſus Sat. VII. 125. quibus Æmilium cauſidicum, quod ſtatuam ſuam equeſtrem in atrio poſuerat, perſtringit:

—— hujus enim ſtat currus aheneus, alti
Quadrijuges in veſtibulis, atque ipſe feroci
Bellatore ſedens curvatum haſtile minatur
Eminus, & ſtatua meditatur prælia luſca.

Nec est, quod quis objiciat, domum tanti exercitus vix capacem fuisse. Admodum nimirum ampla, & spatiosa erant atria, ut facile possent capere non contemnendam *imaginum* manum. *Sagittar. ibid.* §. 12. In atrio servabantur. Senec. de Ben. III. 28. *Qui imagines in atrio exponunt, & nomina familiæ suæ longo ordine, ac multis stemmatum illigata flexuris in parte prima ædium collocant, noti magis quam nobiles sunt.* Suet. Galb. c. 2. n. 2. *Ut Imperator etiam stemma in atrio proposuerit.* Mart. II. 90. 5.

Differat hoc, patrios optat qui vincere census,
Atriaque immodicis arctat imaginibus.

Plinius productus supr. in *Imago.* Sagittar. ibid. §. 4. Sigon. de Nom. Rom. c. 6. Panvin. de Nom. Rom. Thes. Ant. Rom. Græv. Tom. II. p. 2019. D. Kobierzyk. de Luxu Rom. II. 7. Nardin. & Figrel. l. l. Pitisc. in Suetonium. Causam, cur ibi ponerentur, eleganter exponit Val. Max. v. 8. 3. ubi, cum T. Manlium Torquatum dixisset filium suum ob male administratam provinciam condemnasse, *videbat*, inquit, *se in atrio consedisse, in quo illius imperiosi Torquati severitate conspicua imago posita erat: prudentissimoque viro succurrebat, effigies majorum cum titulis suis idcirco in prima ædium parte poni solere, ut eorum virtutes posteri non solum legerent, sed etiam imitarentur.* Figrell. & Sagittar. l. l. Junius de Pictur. II. 8. Quia vero ignis Larium servabatur in atrio, fieri non potuit, quin fumo obfuscarentur. Hinc legas de fumosis *imaginibus* apud Senec. Epist. 44. *Non facit nobilem atrium plenum fumosis imaginibus.* Cicer. in Pison. c. 1. *Obrepsisti ad honores errore hominum, commendatione fumosarum imaginum.* Juven. Sat. VIII. 6.

Quis fructus generis tabula jactare capaci
Corvinum, posthac multa contingere virga
Fumosos equitum cum dictatore magistros.

Sagittar. ibid. §. 5. & Nardin. l. l. Qui vero cavere vellent, ne plane corrumperentur fumo, armariis quibusdam, sive thecis includebant. V. supr. in *Armarium.* Sagittar. ibid. c. 16. Illisque apertis festis diebus exornabant. Polyb. VI. 51. *Imagines per sollennitates publicas aperiunt, & cum studio exornant. Togas hæc simulacra assumunt; si vir consularis, aut prætorius quis fuerit, prætextas: si censorius, purpureas: si triumphalis, aut simili quo alio honore functus, auro radiantes.* Addamus etiam coronatas. Hoc colligimus ex Cicer. pro Mur. c. 41. *Domumne se verteret? ut eam imaginem clarissimi patris sui, quam paucis ante diebus laureatam in sua gratulatione conspexit, eandem deformatam ignominia, lugentemque videret.* Hinc sensus aperitur Vopisci in Floriano, quem laudavimus supr. in *Armarium.* Est enim hujusmodi: quod senatores in publica lætitia, quod lætarentur pristinam auctoritatem sibi redditam, *imagines frequenter aperirent*, id est, reclusis armariis *imaginum*, eas conspiciendas ornarent, quod festis diebus fieri solebat. *Donat. in Vopiscum p.* 1058. *Kipping. Antiq. Roman.* II. 1. 5. Illarum curam apud atrienses servos fuisse reor. Hoc non obscure colligo ex Colum. XII. 3. V. illum supr. in *Atriensis.* Si hoc in villa factum a servis, qui constituti essent ab atrio: quidni in Urbe dixerimus iis inter cætera opera incubuisse, ut darent operam, ne quid detrimenti *imagines* caperent. *Sagittar. l. l.* Annulis insculptas plerumque solebant gestare. Cicer. Catil. III. 5. *Tum ostendi tabellas Lentulo, & quæsivi, cognosceretne signum, annuit. Est vero, inquam, signum quidem notum, imago avi tui, clarissimi viri, qui amavit unice patriam & cives suos, quæ quidem te a tanto scelere etiam muta revocare debuit.* Sed annulus ille, si a majorum virtute degenerabant, illis detrahebatur. Val. Max. III. 5. 1. *Cn. Scipio superioris Africani filius præturæ petitor candidam togam ... eo turpitudinis maculis obsolefactam in campum detulit. . . . Insuper e manu ejus annulum, in quo caput Africani sculptum erat, detraxerunt.* Kirchm. de Annul. c. 12. Junius l. l.

Imagines Principum in foro, vel alio loco publico, vel privatis ædibus alias locabantur. Habuit hoc ab Augusto initium. Hunc enim honorem antea in usu positum in principio sui principatus Tiberius sibi fieri vetuit. Suet. c. 26. n. 4. *Prohibuit etiam statuas, atque imagines, nisi permittente se poni: permisitque ea sola conditione, ne inter simulacra deorum, sed intra ornamenta ædium ponerentur.* Postea per totum imperium circumferebantur, cum quis Augustus creabatur. Zosim. II. 12. *Maxentius se jam constabilitum putans se habere imperium, mittebat in Africam, & Carthaginem, qui ejus imagines circumferrent.* IV. 37. Theodosius dat in mandatis Cynegio, *ut imaginem Maximi conspiciendam Alexandrinis exhiberet, publiceque reponeret, & populo indicaret consortem imperii hunc esse factum.* A Gratiano *sacri vultus* appellantur l. 1. C. pub. lætitiæ. *Si sacros*, inquit, *vultus inhiantibus populis inferimus, hoc sine immodico pretio nuntiari, excipique sancimus.* Ut vero honestius colerentur, velut idola diis dicata conceptis verbis consecrabantur, nec eas amplius cuique vendere licebat, qui læsæ majestatis crimen incurrere nolebat, cum alias a statuariis publice venire possent. Marcian. l. 5. ad leg. Jul. majest. *Non videtur*, inquit, *contra majestatem fieri, ob imagines Cæsaris nondum consecratas venditas.* Solebant & has privati secum ferre, aut ad eas confugere, ut se ab alicujus potentis vi tuerentur, quod ad alicujus invidiam, vel ad suggillandum fieri prohibetur. Callistr. l. capitalium §. ad statuas ff. de pœnis. *Ad statuas*, inquit, *confugere, vel imagines Principum in injuriam alterius prohibitum est: eumque, qui imaginem Cæsaris in invidiam alterius prætulisset, in vincula publica conjici.* Ex ære inaurato, & quandoque auro & argento conflari solebant. Ambros. Hex. VI. 9. *Sola*, inquit, *æra sua Principum capita, & ducti vultus de ære adorantur.* Lamprid. Diadum. c. 3. *Fecit Bassiani simulacra ex auro, & argento.* Quandoque etiam ex cera fingebantur. Nazar. Paneg. Constant. loquens de ejus *imaginibus* a Maxentio tyranno dejectis: *Aboleri*, inquit, *hic vultus non potest, universorum pectoribus infixus est, nec commendatione ceræ, aut pigmentorum fucis renitet.* Fisci pecunia, non provincialium fundebantur. l. pen. C. de stat. & imagin. Porticibus, aut aliis ædificiis publicis, atque adeo privatis affigebantur. Arcad. A. l. si quando C. de oper. publ. *Si quando*, inquit, *usus exegerit, vel porticus, vel quaslibet ædes ætatis senio, seu fortuitis concussas casibus reparari liceat, etiam inconsulta clementia cum reverentia sui imaginem deponere, vel nostram, vel retro Principum, reportatamque post refecta ædificia, loco proprio denuo collocare.* Panciroll. Notit. dignit. imp. orient. c. 24. Has transeuntes venerabantur, honoremque exhibebant. Nazianz. Orat. adv. Julian. III. p. 83. B. *Nec enim coronæ, & diademata, & purpuræ nitor, & memorabiles leges, & tributa, & subditorum multitudo ad approbandum, gratulandumque ipsis imperium sufficiunt; sed adorationem quoque accedere necesse est, ut augustiores appareant. Parumque habent ipsi adorari, nisi idem quoque sibi in imaginibus, picturisque præstetur, quo cumulatior sit ipsis, perfectiorque veneratio.* Ambrosius modo laudatus. *Figrel. de Stat. Roman. c.* 31. *Panciroll. l. l.* Insculpebant annulis. Plin. Epist. X. 16. *Quod paullo tardius feci, dum requiro gemmam, quam sibi habentem imaginem Pacori, & quibus insignibus ornatus fuisset, subtractam indicabat.* Laurent. de Insign. c. 3. Quod tamen fas non fuit, nisi quibus admissionum liberti jus illud dedissent. Ita intelligendus Plin. XXXIII. 3. *Fuit & alia Claudii principatu differentia in solis his, quibus admissionum liberti jus dedissent imaginem Principis in annulo ex auro gerendi, magna criminum occasione: quæ omnia salutaris exortus Vespasiani Principis abolevit, æqualiter publicando Principem.* Magna autem cautio adhibenda erat iis, qui Principis *imaginem* gestabant, ne delatoribus calumniandi occasio præberetur. Nam sub Tiberio capitale erat teste Suet. c. 58. n. 3. *circa Augusti simulacrum servum cecidisse, vestem mutasse, nummo, vel annulo effigiem impressam latrinæ, aut lupanari intulisse.* Imo matulam sumere ea manu, quæ annulum Principis *imagine* signatum habebat, crimini dabatur. Senec. de Ben. III. 26. *Cœnabat Paullus prætorius in convivio quodam, imaginem Tiberii Cæsaris habens ectypa, & eminente gemma. Rem ineptissimam fecero, si nunc verba quæsiero*, inquit Seneca, *quemadmodum dicam illum*

macellum sumpsisse. Quod factum simul & Maro ex notis illius temporis vestigatoribus notavit. At servus ejus, cui nectebantur insidiæ, ei ebrio annulum extraxit. Et cum Maro convivas testaretur, admotam esse imaginem obscœnis, & jam subscriptionem componeret, ostendit in manu sua servus annulum. Kirchm. de Annul. c. 12. Figrel. de Stat. Roman. c. 36. Gorl. de Annul p. 17. Long. de Annul. c. 1. Pitisc. in Suetonium. Et nummis. Zonar. 11. inter honores Julii Cæsaris refert simul decretum, ut ejus *imago nummis insculperetur.* Dio XLVII. p. 341. E. *Brutus numismati, quod faciebat, imaginem suam incidit.* Suet. Ner. c. 25. n. 6. *Posuit statuas suas citharœdico habitu; qua nota etiam nummum percussit.* Cujus loci indicio intelligimus ipsas statuas in nummis repræsentatas, ita quidem, ut cum Imperatoribus suis statuas erigerent provinciæ, ac urbes, confestim easdem & exprimerent in nummis, quos itidem in honorem Principum cudebant. *Figrell. ibid. c.* 35. Et hos qui promiscuis usibus violaverant, majestatis postulabantur. Docuit hoc nos jam laudatus Suetonius. Docet etiam Philostratus, apud quem in claro Pamphyliæ oppido impietatis nonnemo damnatus legitur, qui servum verberibus affecerat ferentem forte drachmam argenteam, in qua expressa erat Tiberii effigies. Quo referri debet infelix casus juvenis illius ex equestri ordine, qui ultimo supplicio destinatus a Caracalla legitur, quod nummum signatum ejus imagine in lupanar intulisset, ut observat Dio in Excerptis Peireskii. *Spanhem. de Præst. num. Dissert. 1. p. 20.* Tyrannorum dejiciebantur, solo affligebantur, frangebantur, luto oblinebantur. V. infr. in *Statua*. *Ne quis in invidiam alterius portaret, Scto cavetur*, inquit Scævol. 1. 38. de injur. Sententia est: qui in invidiam novi alicujus Imperatoris imaginem Imperatoris defuncti, etiam post memoriam ejus damnatam, portare non veretur. Id interdum fieri consuevisse testis est Suet. Ner. c. 57. n. 3. *Non defuerunt, qui imagines ejus prætextatas in Rostris proferrent.* Nec alio respexit Ambros. in Psalm. 38. ad hunc modum scribens: *Si quis tyranni imaginem habeat, qui jam victus interiit, jure damnetur. Quomodo tu hostis, & adversarii imaginem in civitatem veri Imperatoris inducis, nisi ipse te damnes.* Imperatoris *imago* sic interdum solebat portari, ut ea vestibus intexeretur. V. infr. in *Vestis*. Ræвard. Conject. 11. 6.

Imagines reorum ad vivum expressæ, & de industria sic effictæ, in crucem tollebantur. Pollio trig. tyrann. c. 29. *Novo injuriæ genere imago* Celsi *in crucem sublata persultante vulgo, quasi patibulo ipse Celsus videretur affixus.* Hic mos etiam hodie plane servatur in reis absentibus judicatis, & capite damnatis, quorum *imago*, eadem prope forma, eodemque genere a carnifice in patibulum defertur, & suspenditur, qua ipsi rei si adessent, idem supplicium ex sententia reapse subituri. *Salmas. in Pollionem, Lips. de Cruce* III. 12.

Imagines Adriani Imperatoris in templo Olympii Jovis, quod exstruxerat, & dedicaverat. Pausan. Attic. p. 16. *Ibi imagines Adriani, duæ quidem sunt ex lapide Thasio; duæ autem Ægyptiæ: æreæ autem stant ante columnas, quas Attici vocant colonias urbes.* Meurs. de Fort. Athen. c. 7.

Imago Jalysi erat Romæ in templo Pacis, opus Protogenis, cum cane isto celeberrimo, cujus spumam oris cum pictor effingere non posset, post repetita, tandem frustra tentamina indignabundus *spongiam picturæ impegit, qua colores e penicillis abstergebat, atque ita fortuna industriam pictoris, artemque admirabili similitudine effictа spuma supplevit*, ut est apud Plin. XXXV. 10. *Nardin. Rom. Vet.* III. 12.

Imago Scipionis Africani fuit posita in cella Jovis Optimi Maximi. Valerius Maximus. V. illum supr. in *Imagines defunctorum.*

IMB.

IMBRICES sunt tegulæ curvæ, & oblongæ, ad arcendum imbrem ex primo sui usu tectis applicitæ. Crediderim has fuisse ad testarum modum apte olim percussas, nisi mavis collisas, ut certum redderent sonum. Suet. Ner. c. 20. n. 6. *Qui divisi in factiones plausuum genera condiscerent: bombos, & imbrices, & testas vocabant.* Ferrar. de Acclam. 1. 11. Hoc plausus genus appellatum est ad similitudinem crepitantis super pluvias tegulæ. Hunc sonitum voce καχλάζειν in diluvii descriptione eleganter describit Lycophr. n. 80. *Casaub. in Suetonium. Ferrar. l. l. Buleng. de Imperat. Rom.* II. 31. Ego cymbalis vindicare aggredior. Lapides enim, & abscissa saxis frustula cymbalorum in modum in omni Græcia usitata reperio. Hermippus Comicus apud Athen. XIV. p. 636. D.

Petrarum vero lepades abscindentes crembala pulsant.

Aristoph. Nebul. 1. 3. 32.

Fies in dicendo tritus, crepitaculum, pollen.

Ubi Scholiastes clarius rem explicat: *Illa vero dicens lapides con[illegible] super ipsum.* Τρίμμα *ergo dixit ab attritu lapidum. Crotalum vero, [illegible]. Pollen vero ob a[illegible]tatem. Solent enim ita appell[illegible]. Illa dicens S[illegible]tes, simul conte[illegible] con-fligens, colligensque lapidum part[illegible] in senem, quemadmodum solent, qui sacrificant mola [illegible].* Eustath. in Iliad. Ψ. p. 1450. *Quod vero dicat [illegible] tritus, [illegible] convenit cum illo Comici* τρῖμμα, *quod coincidit cum crotalo facto ex tosto lapide.* Addere etiam poteris Suidam in voce Τρίμμα. *Lampe de Cymbal. Vet.* 1. 18.

IMM.

IMMISSARIUM erat receptaculum aquæ in aquæductibus. V. illud supr. in *Castellum*.

IMMOLARE est hostiam mola salsa conspergere. V. supr. in *Hostia*. *Immolare* autem non dicebatur popa, aut victimarius; sed is, qui sacra faciebat. Cicer. Div. 1. 52. *Quod ne dubitare possimus, maximo est argumento, quod paullo ante interitum Cæsaris qui cum immolaret eo die, quo primum in aurea sella sedit.* c. 33. *Cum Sylla immolaret in agro Nolano ante prætorium.* Suet. Jul. c. 59. n. 2. *Cum immolanti aufugisset hostia.* Brisson. de Form. p. 18. Pitisc. in Suetonium.

IMMUNES vectigalibus erant omnes res, quas quis non negotiandi animo, sed utendi deferebat l. 5. C. & l. 4. §. 1. ff. de public. Et sic in lege censoria Siciliæ portus cautum erat publicis tabulis, *servos, quos quis domo ducet suo usu, pro his portorium ne dato.* Qua lege etiam enumerantur servi, qui recte inter usuales haberi possunt, sub quibus eunuchi non comprehendebantur, qui magis luxui, & mollitiei, quam usus domestici gratia comparabantur; hinc & pro eunuchis portorium solvi debebat, ut ex l. C. de Eunuch. colligitur. Extra res has usuales *immunes* erant res, quas legati exterarum, vel sociarum gentium Roma ad proprias sedes deferebant l. 18. C. de vectig. non vero si ex patria sua Romam deportabant. Etiam *immunes* res erant exercitui paratæ l. 9. §. 7. ff. de publican. Instrumenta quoque itineris *immunia* fuisse, docet fragmentum legis censoriæ apud Quintil. Declam. 359. *Præter instrumenta itineris omnes res quadragesimam publicano debeant.* Illæ etiam *immunes* debere portus invehi videri possunt, quæ per provincias a negotiatoribus vendendi gratia circumvehebantur, sed quæ, cum emptorem invenire non possent, iterum domum reportabantur. Dubium autem circa hanc circumvectionem jus apud antiquos fuit, cum utrinque rationes, & pro publicanis, qui portoria flagitabant, & pro negotiatoribus, qui recusabant, allegarentur. Exemplum hujus altercationis est apud Cicer. Attic. II. 16. ubi Quintus fratrem Ciceronem consuluerat, num portorium circumvectionis deberetur publicanis, qui illud petebant, obloquentibus negotiatoribus. Ciceronis sententia erat, non deberi; Quintus vero rem ex concilii sententia ad Senatum rejecit, cujus decretum ignoramus. *Burmann. Dissert. de Vectig. c.* 5.

Immunes etiam in militia vocabantur milites, qui vacabant muneribus. Quænam illa fuerint V. infra in *Munifices*. Dicebantur etiam beneficiarii, quod beneficio Im-

Imperatorum illis vacarent. Duo enim genera ejusmodi *Immunium*: alii, qui ex lege, & more vacabant; alii, qui ex beneficio. Ex lege omnes tribuni & centuriones, qui arbitri erant, & exactores munerum, non actores. Item equites; ob dignitatem. Val. Max. II. 9. 7. *Equestris ordinis bona magnaque pars, quadringenti juvenes, censoriam notam patiente animo sustinuerunt: quia in Sicilia ad munitionum opus explicandum ire jussi, facere id neglexerant.* Frontin. IV. 1. 23. *Aurelius Cotta consul, cum ad opus equites necessitate cogente jussisset accedere, eorumque pars detrectasset imperium, questus apud censores effecit, ut notarentur.* Ex quo liquet *immunes* eos vulgo fuisse, nec nisi in necessitate admotos: quod tunc quoque recusarunt in parte, ne jus scilicet suum remittere, aut projicere viderentur. In eodem numero pono etiam veteranos, & evocatos, quos omnino probabile est, cum sponte militiam sumerent, munerum hac necessitate non adstrictos, nisi item in necessitate. A quo exemplo exauctorati, & qui sub vexillo habebantur temporibus Principum, *ceterorum immunes erant*, ait Tacit. Annal. I. 36. 4. *nisi propulsandi hostis.* Beneficio autem, quibus id indultum per gratiam, sive quia virtute meruissent. Tale, cum Annibal Imperator Campanis concedit apud Liv. XXIII. 7. *Ne civis Campanus invitus militaret, munusve faceret*: quod valet, nec ad militiam adigi debere; nec si in ea sponte esset, ad munus. In eodem VII. 7. octo cohortes Hernicorum scribuntur, *quæ duplex stipendium acciperent, immunes quoque operum militarium essent, in unum pugnæ laborem reservati.* Nec Imperatores solum ipsi dabant, sed etiam pro tempore tribuni. Quintil. Declam. III. *Transeo oblatam nolenti munerum vacationem, & blandius adulatum militi tribunum.* Remissiore, & minus intenta militia invaluit, vacationes pretio etiam, idque a centurionibus emi. Inter alia, quæ militiam, & rem Romanam everterunt, hanc scito esse inter occultas causas. Hoc per bella civilia cœptum mansit sub Augusto. In seditione, quæ statim ab ejus morte, milites loqui facit Tacit. Annal. I. 17. 4. *Hinc*, e decem assium stipendio, *arma, vestem, tentoria: hinc sævitiam centurionum, & vacationem munerum redimi.* Quam centurionum sævitiam, avaritiam, aut fraudem ampliter declarat Hist. I. 46. 3... 6. *Lips. de Milit. Roman. V. 6. ad Tacit. Hist. I. n. 90. Guther. de Offic. dom. Aug. I. 14. Thys. Rom. Illustr. V. p. 120. Laurent. Polym. IV. Synops. 3. Bernegg. in Justin.* XXXVII. 4. 1.

IMMUNITAS etiam hominibus quibusdam specialiter data est ab Imperatoribus, quod a bonis, & justis Principibus in utilitatem publicam, & ad reddendum bene meritis præmium frequentabatur, ab avaris autem etiam solebat vendi. Narrat hoc de Galba Suet. c. 15. n. 3. *Nihil non per comites, atque libertos pretio addici, aut donari gratia passus est, vectigalia, immunitates.* . . . De Commodo Lamprid. c. 14. *Vendidit etiam suppliciorum diversitates, & sepulturas, & immunitates.* Utilitatis publicæ causa multis personis *immunitates* a portoriis concessæ sunt. Sic militibus *immunes* res, *quas usui suo, non quas veno exercerent*, concessit Nero apud Tacit. Annal. XIII. 51. 2. postea ab sequentibus Imperatoribus militibus, & iis qui in Palatio degunt, *immunitas* concessa est ex Valentiniani & Valentis constitutione, quæ est l. 3. C. de immun. concess. Veteranis, & eorum filiis idem privilegium continuatum est a Constantino l. 2. C. de vectigal. quod postea iidem Imperatores confirmaverunt. l. 9. C. Quæstores etiam senatorii portoria non solvebant pro feris, quas ex remotis regionibus Romam ad spectacula deportari curabant. Symmach. Epist. V. 60. & 63. *Grave majoribus visum est, ut tolerantibus onera senatoriæ dignitatis sumptus immodicus adderetur.* Naviculariis, qui frumentum ex provinciis vectigalibus Romani vehebant concessum est, ut quasdam merces, quas sibi, & propriæ utilitatis causa, una cum frumento apportabant, *immunes* inferrent; dum modo sub prætextu fiscalium specierum, mercatoribus latebram, & fraudandi occasionem non præberent l. 23. & 24. C. de navicular. *Burmann. Dissert. de Vectig. c. 5.* Etiam lege a Constantino lata *immunitas* conceditur accusatoribus eorum, qui adulterinam monetam cudunt. l. 1. C. de fals. monet. Et Gratiani constitutione, quæ legitur C. Th. l. 1. de desert. sancitur, *ut qui desertorem servus prodiderit, libertate donetur: si mediocris loci ingenuus, immunitate potiatur.* Spanhem. ad Constit. Anton. Imper. Exerc. II. §. 20. Et sacerdotibus a militia. V. infr. in *Sacerdos.*

IMMUSSULUS *ales est ex genere aquilarum, sed minorum virium, quam aquilæ: quæ volucris raro, & non fere, præterquam vere apparet, quia æstum, algoremque metuit. Appellatur autem ita, quod subito, & inexpectata se immittat.* Festus. Glossarium: *Inemustulus*, ὄρνεον βασιλικὸν, ὄρνις βασιλικός. *Scalig. ad Festum.* Plin. X. 7. *Immussulum augures Romani magnæ quæstionis habent. Immussulum aliqui vulturis pullum arbitrantur esse, Masurius immussulum dicit esse pullum aquilæ, priusquam albicet cauda.* Arnob. II. p. 84. *Quid in mundo faciunt bubones, immussuli, buteones?* Rhodig. Ant. Lect. VIII. 18. Buleng. de Augur. c. 6. Brisson. de Form. I. p. 122.

IMP.

IMPEDIMENTA, cum in hostem movebant, sequebantur interdum, non suum genus, sed omnes legiones: interdum, cum ab hoste recedebatur, præmittebantur, ita tamen, ut his justa manus præsidio esset. Præmisit Cæsar, a Dyrrachio recedens, de Bell. Civ. III. 75. aliquot dies continuos, unamque iis legionem præsidio misit. Sæpissime autem hoste vicino in medio totius agminis recipiebantur. Cæsar, cum longius ab hoste abesset, post suam quamque legionem ducebat: hoste appropinquante, ex consuetudine, totius exercitus *impedimenta* in unum locum conferebat. Utrumque nos docet de Bell. Gall. II. 17. *Quidam ex Belgis, eorum dierum consuetudine itineris nostri exercitus perspecta, nocte ad Nervios pervenerunt, atque his demonstrarunt inter singulas legiones impedimentorum magnum numerum intercedere; neque esse quicquam negotii, cum prima legio in castra venisset, reliquæque legiones magnum spatium abessent, hanc sub sarcinis adoriri: qua pulsa, impedimentisque direptis, futurum ut reliquæ contra consistere non auderent.* c. 19. *Nam quod hostis appropinquabat, consuetudine sua Cæsar legiones expeditas ducebat, post eas totius exercitus impedimenta collocabat. Inde duæ legiones, quæ proxime conscriptæ erant, totum agmen claudebant, præsidioque impedimentis erant.* Probat hoc omnino scriptor militaris: *Impedimenta, saginarii, calones, vehiculaque in medio collocentur, ita ut expedita pars peditum & equitum sequatur: nam ambulantibus interdum a fronte, sed frequentior a tergo superventus infertur: a lateribus quoque pari armatorum manu impedimenta claudenda sunt.* Schel. Not. in Polyb. Thes. Antiq. Roman. Græv. Tom. X. p. 1260. D. Stewech. ad Veget. III. 6.

Impedimenta dicuntur etiam jumenta. Suet. Cal. c. 51. n. 4. *Ut eos impedimentis stipatos reperit.* Frontin. Strat. II. 1. 11. *C. Cæsar bello civili cum exercitum Afranii & Petreji circumvallatum siti angeret, isque ob hoc exasperatus, interfectis omnibus impedimentis ad pugnam descendisset.* . . . . Quæ Frontinus *impedimenta*, Cæsar eandem historiam narrans vocat jumenta de Bell. civ. I. 81. *Ibi & inopia pabuli adducti, & quo essent ad iter expeditiores, omnia sarcinaria jumenta interfici jubent.* I. 40. *Cum legiones flumen transissent: impedimentaque, & omnis equitatus sequeretur; subito vi jumentorum. . . . , pons est interruptus.* Græv. & Pitisc. in Suetonium.

IMPERATORIS appellatio in historia Romana accipitur. I. pro ἡγεμὼν, & ϛρατηγὸς, qui hoc nomine appellatus a militibus, imperium belli suis auspiciis gerendi a populo accepisset. Cicer. de Orat. I. 48. *Imperator est administrator belli gerendi.* Hæc titulus non erat, nec nomini præponebatur. II. pro victor, & νικητὴς, sic solitus appellari, qui res magnas bello gesserat, & decem millia hostium ceciderat. Appian. de Bell. civ. II. p. 455. *Id honoris olim ducibus conferebatur a suis militibus tanquam virtutis testimonium, quem illi post quodvis præclarum belli facinus* ad-

admittebant: nostra autem ætate, ut audio, nemini contingit hujusmodi appellatio, nisi cæsis hostium decem millibus. Dio XLIII. p. 235. C. *Imperatoris nomen, non antiqua tantum pro* [illegible] *ine; qua id cum alii, tum ipse quoque sæpius, ex bello reportaverant, neque ea ratione, quod ei merum imperium, absolutamque potestatem deferrent, Cæsari tribuerunt; sed eo modo, quo nunc iis, qui summum imperium obtinent, tum primo Cæsari primum imposuerunt, tanquam ipsi proprium. Hoc nomen a Julio, tanquam peculiare summi imperii cognomentum, ad omnes deinceps Imperatores dimanavit: non tamen sublata antiqua hujus nominis ratione, sed utraque integra. Itaque iterum eis tribuitur, quum victoriam aliquam obtinuerunt. Nam qui sunt Imperatores, semel hac appellatione, sicut & aliis, adeoque prima utuntur. Qui vero bellis hac appellatione dignum aliquid gesserunt, ii priscum quoque sibi nomen adsciscunt. Unde fit, ut quis eorum iterum, & tertium, & pluries, nimirum quoties id meritus sit, Imperator nominetur.* Hæc ponebatur post nomen, ut Cicero *Imperator* Lentulo *Imperatori*. III. pro Rex a Julio Cæsare. Hæc fere nomini præponebatur, ut in lapide veteri: IMP. CÆSAR. DIVI. F. AUG. PONT. MAX. COS. XIIII. IMP. XX. TRIBUNIC. POTEST. XXXVIII. *Buleng. de Imperat. Rom.* I. 1. *de Triumph.* c. 10. *Sigon. de Jur. prov.* II. 7. & *in Fast.* p. 304. *Valtrin. de Re milit.* VII. 1. *Ferrar. de Acclamat.* VI. 8. *Brisson. de Form.* IV. p. 351. *Castal. Obel. Thes. Ant. Rom. Græv. Tom.* IV. p. 1860. *Morestell. de Fer. Roman. dial.* 13. & 14. *Occo Numism.* p. 22. *Ursat. de Not. Roman. Thes. Antiq. Rom. Græv. Tom.* XI. p. 550. D. 618. D. *Nonn. in Aug. Cæsar. Numism.* p. 42. *Hotman. Antiq. Roman.* II. 14. *Panvin. in Fast.* II. p. 168. Ipse erat supremus, & communissimus, ut sic dicam, ducum, a quo cives, socii, equites, pedites; denique omnes; & omnia pendent. Ille est, qui non solum habet ductum, sed etiam auspicia. Distinguunt enim ista Suetonius, & qui hoc loquendi genus ad res Græcanicas transtulit, Curtius. V. illos supr. in *Ductu*. Ductu enim, cum ipse bello interfuit: auspiciis cum illo mandante alius, & fortunam, ac deos suos commodante. Pulcre ad Augustum de privignis Horat. Od. IV. 14. 32.

Te copias, te consilium, & tuos
Præbente divos.

Significat ipsos duxisse, hunc direxisse, & jussisse. Idem ad eundem de Tiberio clare Ovid. Trist. II. 173.

Per quem bella geris, cujus nunc corpore pugnas,
Auspicium cui das grande, deosque tuos.

Sumptum autem a more veteri, quo omnia gesta auspicato, & præsertim in bellis. Cicer. de Divin. II. 36. *Rem bellicam majores nostri administrari, nisi auspicato, noluerunt.* Et prælio Alliensi, ut novum, & triste prodigium habet Liv. V. 38. quod *nec auspicato, nec litato instruunt aciem.* Nec alia fini in castris ipsum augurale, & juxta prætorium situm. Hæc olim ita, & serio servata, postea nonnisi imago, & nomen mansit. Cicer. de Nat. deor. II. 3. *Veritas auspiciorum spreta est, species tantum retenta: itaque maximæ Reipublicæ partes, in his bella, quibus Reipublicæ salus continetur, nullis auspiciis administrantur.* Quid vero mirum, cum pleraque jam a proconsulibus aut proprætoribus administrarentur, quibus ea nulla? Cicer. de Divin. II. 36. *Quam multi anni sunt, cum bella a proprætoribus, & proconsulibus administrantur, qui auspicia non habent?* Causa, quia soli magistratus auspicia habebant, atque ea *domo, Latinis feriis actis, sacrificio in monte perfecto, votis rite nuncupatis, secum ferebant, nec privati auspicia sequebantur.* Liv. XXII. 1. Etsi tamen res neglecta, nomen mansit: & P. Scipio quoque ea sibi vindicat, qui sine ullo magistratu, proconsule in Hispaniam missus. Ita enim ad seditiosos milites apud Liv. XXVIII. 27. *Qui mihi nec hodie quidem scire videmini, quo amentiæ progressi sitis: quid facinoris in me, quid in patriam, parentesque, ac liberos vestros, quid in deos sacramenti testes, quid adversus auspicia, sub quibus militatis, ausi sitis.* Atque adeo auspicium simpliciter pro imperio. Tacit. Annal. III. 19. 4. *Drusus Urbe egressus repetendis auspiciis, mox ovans introiit.* Resumpsisse imperium proconsulare significat, quod ingressu amiserat: nec ipsa auspicia fas capere extra Urbem. Ejus insignia lictores cum fascibus, atque ii paludati. Ita enim ad bellum egredi solent. De Varrone consule Sil. Ital. IX. 420.

Isque ut Varronem procul inter prælia vidit,
Et juxta sagulo circumvolitare rubenti
Lictorem; nosco pompam, atque insignia nosco:
Flaminius modo talis, ait.

Liv. XLI. 10. V. illum infr. in *Paludamentum*. Lictorem Silius facit in *rubenti sagulo* ire, id est, paludamento. Quin ipse dux talis. V. infr. in *Paludamentum*. Tubæ etiam iacinuerunt, & ad eas facta profectio. Observa ritum apud Varr. de Ling. Lat. VI. 3. ibidem, nescio an alibi, lectum: nisi fortassis huc referendum ejusdem Varronis fragmentum apud Nonium laudatum sup. in *Abolla*. In illo enim pro *ad turbam, ubi sera* legerem ad *tubam* pro hoc ritu, & *urbi fera*. Ut diceret Varro, aut quicunque ille apud Varronem, togam sibi extractam, & paludamentum datum, incinente tuba. Lips. de Milit. Roman. II. 12. Thys. Rom. Illustr. II. p. 65. Magnam habebat vim, sicut [illegible] LIII. p. 508. B. declarat, ubi na[illegible]t, cum omni[illegible]rum arbitrium, & potestatem in se transferre [illegible] Cæsares, ne invisi essent, id sibi arrogasse, [illegible]mina illa, quæ vigebant Republica florente. Vis autem hæc erat, habere delectum, pecuniam colligere & imperare, de bello & pace statuere, in provinciis [illegible] jus habere, cives perimere posse & intra & extra [illegible]rium: quo loco sciendum non fuisse hanc potestatem ulli *Imperatori*, qui duceret exercitum, vigente Re[illegible] datam intra pomœrium, nam ubi primum U[illegible] gediebantur, imperium deponebant. *Robort. de* [illegible] *Imperat. Thes. Antiq. Roman. Græv. Tom.* VII. p. 114[illegible]. Etiam tribuniciam potestatem, & proconsulare jus, & summum supra senatum auctoritatem, quam jus quintæ [illegible] vocarunt, usurpaverunt. Dio LIII. p. 518. E. [illegible] *Augusto hos honores decrevit, ut tribunus* [illegible] *tuus esset, ut quoties senatus haberetur, etiamsi* [illegible] *gereret, de quibuscunque rebus referre posset, ut pro*[illegible] *imperium semper haberet, neque id in Urbem intra*[illegible] *ut renovando opus esset: ut major ipsi in pr*[illegible] *præfectis earum semper esset potestas. Inde exortum est, ut Augustus, quique eum sunt secuti Imperatores lege quadam reliquis hisce, & tribunitia potestate uterentur. Nam tribuni plebis nomen neque Augustus, neque ullus alius Imperator gessit.* Jus quintæ relationis innuitur a Dione his verbis: *ut quoties senatus haberetur, etiamsi consulatum non gereret, de quibuscunque rebus referre posset*, hoc est, quod post omnes magistratus, qui relationem habebant, iterum referre, & statuere posset: eo quod omnium magistratuum jus, functionemque in se haberet. Manifestius fit hoc ex decreto Senatus in æs inciso, & Romæ invento in Cœlio apud Johannem Lateranum, quo Vespasianum Imperatorem ornavere: *Utique ei senatum habere, relationem facere, remittere, senatusconsulta per relationem, discessionemque facere liceat, uti licuit D. Augusto, Julio Cæsari, Aug. Ti. Claudio Cæsari, Aug. Germanico: utique, cum ex voluntate, auctoritateve, jussu, mandatuve ejus, præsenteve eo senatus habebitur, omnium rerum perinde jus habeatur, serveturque, ac si e lege senatus edictus esset, habereturque.* Loens. Miscell. Epiph. VIII. 20. Laurent. de Rebuspub. c. 3. Illi, cum eligeretur, aut confirmaretur, acclamatum est a senatu Vopisc. in Tacit. c. 4. *Post hæc quum Tacitus, qui erat primæ sententiæ consularis, sententiam incertum quam vellet dicere, omnis senatus acclamavit: Tacite Auguste, dii te servent: te diligimus, te principem facimus, tibi curam Reipublicæ, orbisque mandamus. Suscipe imperium ex senatus auctoritate: tui loci, tuæ vitæ, tuæ mentis est quod mereris.* . . . Plures huic acclamationes similes collegit *Ferrar. de Acclam. & Plaus.* IV. 4: VII. 4. Prænomen *Imperatoris* Cæsari dictatori a senatu decretum esse auctor est Suet. Cæs. c. 76. n. 2. Hoc tamen illi decretum est; non ut imperium, ac suprema in omnes potestas instar regni denotaretur, quam illum subsecuti *Imperatores*, & Principes eo denotari voluerunt;

luerunt; sed quo omnium res gestas, & numero, & celeritate Cæsar superasse intelligeretur. Quare ad laudem, non ad potentiam declarandam hoc Cæsari delatum existimo. Opinionis meæ auctor est Cicero cum multis in locis, tum his verbis: *Laudetur vero hic Imperator, aut etiam appelletur.* Dio contrariam sententiam tueri videtur. Sed loquitur de temporum suorum consuetudine. Et in hoc fallitur, æque ac in eo, quod credit tribuniciam potestatem ab *Imperatoribus* susceptam ad se, non ad plebem tuendam. Sed rectius Tacitus, qui longe aliter nobiscum sentit. Neque enim aut senatus regiæ potentiæ prænomen decrevisset nondum omnino oppressa Republica, aut decretum Cæsar suscepisset, qui a se regiæ notæ invidiam amotam volebat. Nondum autem omnino oppressa Republica dixi, quod spes erat, ut constituta Republica Cæsar dictatura, ut Sulla fecerat, abiret. Denique fuerunt etiam qui *Imperatoris* prænomine abstinuerunt, Tiberius, Caligula & Claudius. Tiberium recusasse auctor est Suet. c. 26. n. 6. *Prænomen quoque Imperatoris recusavit.* Et juxta cum illo Dio LVII. p. 602. D. *His itaque artibus instructus Tiberius statim ad exercitus, & provincias omnes Nola tanquam Imperator literas dedit, Imperatorem quidem se non appellans: nam id cum aliis nominibus sibi decretum non assumpsit.* Castal. Obelisc. August. Inscr. Thes. Ant. Rom. Græv. Tom. IV. p. 1860. E. Panvin. II. p. 177. Gronov. Marmor. bas. coloss. Tiber. erect. c. 9. Fuit id moris aliquando Romanorum, ut quem *Imperatorem* facerent, eum in altum tollerent, & levatum dicerent *Imperatorem* factum. Claud. Honor. cons. IV. 173.

Sed mox, cum solita miles te voce levasset.

Ammian. XX. 4. *Impositus scuto pedestri, & sublatius eminens, nullo silente, Augustus renuntiatus, jubebatur diadema proferre.* Liban. in Προσφωνητ. *O felix scutum, in quo solemnis magistratuum mos peractus est, omni tibi tribunali conspectius!* Pith. Subcis. II. 6. Lindenbrog. & Vales. in Ammianum. Non utebatur pænula. Spartian. Adrian. c. 3. *Tribunus plebis factus est, in quo magistratu ad perpetuam tribunitiam potestatem omen sibi factum asserit, quod pænulas amiserit, quibus uti tribuni plebis pluviæ tempore solebant, Imperatores autem nunquam: unde hodieque Imperatores sine penulis a togatis videntur.* V. de hoc loco decertantes inter se *Casaubonum & Salmasium ad Spartianum, & Ferrar. de Re Vest.* II. 2. 5. Sed toga. Nam in toga confossum Cæsarem esse scribit Suet. c. 82. n. 1. & Caligulam, *cum die muneris spectaculo Poro ob prosperam pugnam servum suum manumittenti, studiosius plausum esset, ita se proripuisse e spectaculis, ut calcata lacinia togæ præceps per gradus iret.* c. 35. n. 8. Domitianum *Martem togatum* appellat Mart. VI. 76. 1.

Ille sacri lateris custos, Martisque togati.

Et VII. 1. 12. V. illum infr. in *Toga palmata.* Eaque non pura semper, & communi, sed aliquando purpurea, & triumphali. Hoc apparet, quod inter reliquos honores hunc Cæsari a senatu tributum testatur Dio XLIV. p. 242. B. *Primum ei datum est, ut semper etiam in ipsa Urbe toga triumphali ornatus incederet.* Eo tamen honore non semper usum Cæsarem credere par est, quod Dio XLIII. p. 234. D. tradit *eum ex SCto vestem triumphalem omnibus ludis gestasse.* Et LIII. p. 515. A. post devictos Astures datam Augusto *potestatem Kalendis Januariis singulis coronæ, & vestis triumphalis gestandæ.* Tacit. Annal. XIII. 8. 1. inter honores, quos sueta adulatione senatus Neroni ob pulsos Armenia Parthos decreverat, eum præcipue recenset, *supplicationes, & diebus supplicationum vestem Principi triumphalem.* Non igitur in usu communi. Et reliqui Imperatores in civili, & vulgari habitu. Lamprid. c. 40. tradit Alexandrum adeo civili ingenio fuisse, ut, licet Imperator, *prætextam, & togam pictam nunquam nisi consul acceperit.* Ferrar. ibid. I. I. 26 Bibebat frigidam. De Othone Tacit. Hist. II. 49. 3. *Vesperascente die sitim haustu gelidæ aquæ sedavit.* Suet. c. 11. n. 3. *Post hæc sedata siti gelidæ aquæ potione.* De Alexandro Lamprid. c. 30. *Ut biberet etiam frigidam Claudiam jejunus ad unum prope sextarium.* c. 37. *Frigida semper usus est.* De Gordiano juniore Capitol. c. 21. *Frigidorum percupidus fuit. Nec facile per æstatem nisi frigida, & quamplurimum bibit.* Butius de Pot. Ant. c. 19. Ad ejus tabernaculum omnes tubicines & cornicines tempore cœnæ tuba, & buccina canebant. Polyb. XIV. 3. *Cœnæ tempore buccinatores & tubicines canere Romæ erat moris.* Buleng. de Conviv. III. 37. Ornabatur I. pontificatu. Augustus primus illum suscepit. Suet. c. 31. n. 1. Augustus *postquam pontificatum maximum mortuo Lepido suscepit, quicquid fatidicorum librorum, Græci, Latinique sermonis, nullis, vel parum idoneis auctoribus vulgo ferebatur, supra duo millia contracta undique cremavit, ac solos retinuit Sibyllinos.* Hoc vero pontificum demonstrat potestatem, quorum fuit, sacrorum libros probare, vel improbare. *Guther. de Offic. dom. Aug.* I. 15. Creatus est anno ab U. C. 760. Tib. Claudio Nerone, & Quintilio Varo coss. pridie nonas Martias, ut est apud Ovid. Fast. III. 419--429.

Cæsaris innumeris, quos maluit ille mereri,
Accessit titulis Pontificalis honos. . . .

Fuit pontifex, sed non maximus, quamdiu vixit Lepidus, *cui vivo*, ut refert Suetonius, *adimere noluit pontificatum maximum.* Castal. Obelisc. August. inscript. Thes. Antiq. Roman. Græv. Tom. IV. p. 863. B. *Imperatores* cæteri Augusti exemplum secuti, omnes ad pontificatum maximum inepserunt. Horum tamen nullus ante Adrianum pontificis maximi officium peregit. Nam priores honore contenti rem ipsam neglexerunt. Et Domitianus, qui Corneliam virginem maximam damnavit apud Plin. Epist. IV. 11. non pontificis partes sustinuit, sed tyranni personam, qui illustrari seculum tali exemplo concupivit. II. auguratu. Hunc notavi in illorum numismatibus. Est apud me nummus argenteus Vespasiani, est æreus Aurelii Veri, uterque cum insignibus auguratus. Est aureus Augusti cum hac inscriptione: *Cæsar. Divi. Filius. Augur. Pont. Imp. Quar. Cos. Ter.* Est argenteus D. Julii, cum in numerum deorum allectus est, in quo Veneris templum signatum, cum stella, & Cæsaris statua habitu augurali. Quæ Taciti corruptam lectionem indicant. Ille Hist. I. 77. 4. *Otho Pontificatus Auguratusque honoratis jam senibus. . . .* Corrigo ex nummis meis: *Sed Otho Pontificatus Auguratusque honoratus insignibus.* Quod sequentia verba confirmant. Addit enim Tacitus: *cumulum dignitatis addidit*, quod Imperator, Pontifex maximus, & Augur esset, imperatoriamque majestatem amplissimorum sacerdotiorum honore cumulasset. III. Quindecimviratu, ut tribus illis summis, & amplissimis sacerdotiis sacra omnia in manu haberet. Est nummus Vitellii argenteus cum notis XV. VIR. SACR. FAC. in quo tripus cum delphino & avicula, quæ ad Apollinem omnia referuntur, cujus proprii Quindecimviri erant sacerdotes. Quod si duo, vel tres essent *Imperatores*, illorum unus pontificatum maximum gerebat, cæteri pontifices majores erant, ut ex nummis probatur. Sunt divorum fratrum, in quibus M. Aurelius Antoninus pontifex maximus duabus his literis vulgatis inscribitur P. M. M. Aurelius pontifex tantum. Quod idem in Caracallæ, & Getæ, Diocletiani, Maximinique nummis, & cæteris passim licet observare. *Guther. l. l.* Dicebatur adorari, dum protectores, illi qui semper aderant, eum quotidie salutantes, purpuream ejus vestem osculabantur l. 3. C. de advoca. divers. l. 1. C. de appar. præf. præt. l. 1. C. de appar. præf. Urb. & ejus limbum flexis genibus venerabundi deosculabantur. l. 1. C. de comit. & trib. schol. l. 1. C. de silentiar. l. 2. C. de fabricens. Primus Diocletianus gemma coram se flecti jussit, & adorari. Eutrop. IX. 16. 2. *Diocletianus primus regiæ consuetudinis formam magis, quam Romanæ libertatis invexit, adorarique se jussit, cum ante eum cuncti salutarentur.* Imo ante eum Caligula & Domitianus. Aur. Vict. de Cæs. c. 39. n. 4. *Namque se primus omnium Caligulam post, Domitianumque dominum palam dici passus, & adorari se, appellarique uti deum.* Cum igitur quotidie domestici id facerent, adorare purpuram is dicebatur, qui inter domesticos recipiebatur d. l. restituendæ & l. C. de fabricens. *Panciroll. Notit. dignit. imp. orient. c. 90.* V. supr. in *Adorare.*

rare. Ignis illi præferebatur. V. supr. in *Ignis*. Ejus nomen inscribebatur signis & vexillis. Quod etiam factitatum in libera Republica. De Crasso in Parthos movente Dio XL. p. 128. E. *Signum unum ex iis, quæ magna sunt, & velorum similia, & puniceas literas inscriptas habent, ad indicium exercitus, & Imperatoris sui faciendum.* Scriptor Thebaidos III. 399. etiam Græcis tribuit, sed mentem habens in historia Romana.

— aurea clarum nota
Nomen ducum vexilla præscriptum ferunt.

facitque literas aureas, quas Dio puniceas. Huc pertinet illud Suet. Vesp. c. 6. n. 4. *Nomen ejus vexillis omnibus sine mora inscripserunt.* Etiam scutis. Quintil. pro Milite: *Inscriptum in scuto C. Marii nomen.* Dio L. p. 421. D. notat Romanos *milites Cleopatræ nomen scutis inscripsisse.* De utroque ritu Prudent. contra Symmach. I. 487. V. illum supr. in *Crux.* Contra cum deficerent ab illo, lacerabatur. Tacit. Histor. II. 85. I. V. illum supr. in *Imago.* Lips. in Tacit. n. 39. Roa Singul. l. l. Buleng. de Imperat. II. 12. Tomas. de Donar. c. 21. Nicol. de Sigl. vet. c. 26. §. 6. Demster. Paralip. ad Rosin. Antiq. Roman. X. 29. Marcil. & Pitisc. in Suetonium. In bellum iturus in Jovis Capitolini templo auream coronam in sinu Jovis deponens vota nuncupabat. *Tomas. de Donar. c. 3.* Auctore Cicer. de Aruspic. resp. periculosissimis bellis vota faciebat diis, ea ad aras in ipsorum fano persolvens. Hinc Ovid. Fast. VI. 241.

Mens quoque numen habet, menti delubra videmus
Vota metu belli, perfide Pœne, tui.

Hinc tot in castris aras apud bonos scriptores legimus, tot ante bellum sacrificia, & oblationes; imo commisso sibi bello, antequam Urbe exiret, Martis sacrarium ingressus hastam numinis commovebat, dicens: *Mars vigila.* Alios item deos hostiis & votis deprecabatur, & præcipue Fortunam, ut sibi esset propitia, a qua potissimum incertos Martis eventus dependere opinabantur. Hinc Demosthenes in bellum iturus suo clypeo inscripsit, *bona fortuna.* Et Cæsaris symbolum erat: *virtute duce, comite fortuna.* De qua Inscriptio:

I. O. M.
ET. FORTUNÆ. SECUNDÆ
CÆS. . . . .

Hinc tot emanarunt elogia fortunæ. V. illa supr. in *Fortuna.* Tomas. ibid. c. 21. Valtrin. de Re milit. Rom. IV. 2. In illud iturus, aut ex illo reversus primum omnium ædem Jovis, deinde Vestalium, tum Jani adibat. Erat enim lex Romæ, ut in *discessu Imperator ædem Jovis ultimo, in reditu vero Jani templum omnium primum adiret.* Nam in expeditionem proficiscentium humeris in æde Vestalium injiciebatur paludamentum, eorundem in æde Jovis pedem senatores, & in templo Jani manum aversam osculabantur. *Lipen. de Stren. c. 4. §. 47.* Exercitum præmissum sequebatur, verum antequam id faceret, si consul esset, qui exiret, ferias Latinas indicebat, & Jovi Latiali sollenne sacrum in monte Albano faciebat, & ait Dio XLVI. p. 313. B. nunquam Consules ante Latinas ex Urbe profectos esse, quin ea res magno ipsis, & Reipublicæ steterit. Hinc illa apud Liv. XXI. 63. senatus indignantis, quia C. Flaminius hoc omisisset: *non cum senatu modo, sed cum diis immortalibus C. Flaminium bellum gerere: conscientia spretorum, & Capitolium, & sollennem votorum nuncupationem fugisse, ne Latinas indiceret, Jovique Latiali sollenne sacrum in monte Albano faceret, ne auspicato profectus in Capitolium ad vota nuncupanda, paludatus inde ad provinciam iret.* Munusque gladiatorium, & venationes dabat. V. supr. in *Gladiator.* Quibus omnibus, divinis, humanisque procuratis, sumpto paludamento, cum lictoribus item paludatis, aliisque insignibus imperii, amicis prosequentibus, ac bene ominantibus, proficiscebatur ad portam. Liv. XXXI. 14. *Tum P. Sulpicius secundum vota in Capitolio nuncupata paludatus cum lictoribus profectus ab Urbe.* Quæ profectio etiam celebris esse solet frequentia deducentium, prosequentiumque. Liv. XLII. 49. *P. Licinius consul, votis in Capitolio nuncupatis, paludatus ab Urbe est profectus. Semper quidem ea res cum magna dignitate, ac majestate geritur, præcipue tamen convertit oculos, animosque, cum ad magnum, nobilemque, aut virtute, aut fortuna hostem euntem consulem prosequuntur. Contrahit enim non officii modo cura, sed etiam studium spectaculi, ut videant ducem suum, cujus imperio, consilioque summam Rempublicam tuendam permiserunt.* Lips. de Milit. Roman. II. 12. Thys. Rom. Illustr. II. p. 66. Hinc tanquam novum, & insolens in C. Flaminio observat Liv. XXI. 63. *Line modo, sine insignibus, sine lictoribus profectum clam, furtim, haud aliter, quam si exsilii causa solum vertisset.* Et de C. Claudio XLI. 10. *C. Claudius consul veritus, ne forte ea res provinciam, exercitumque sibi adimeret, non votis nuncupatis, non paludatis lictoribus, uno omnium certiore facto in collega, nocte profectus præceps in provinciam abiit.* Ad portam prætoris nomine salutabatur. Festus: *Prætor ad portam nunc salutatur is, qui in provinciam proprætore, aut proconsule exit: cujus rei morem ait Cincius in libro de consulum potestate fuisse talem. Albanos rerum potitos usque ad Tullum Regem. Alba deinde diruta usque ad P. Decium Murem cos. populos Latinos ad caput Ferentinæ, quod est sub monte Albano; consulere solitos, & imperium communi consilio administrare. Itaque quo anno Romanos Imperatores ad exercitum mittere oporteret, jussu nominis Latini, complures nostros in Capitolio a sole oriente auspiciis operam dare solitos. Ubi aves addixissent, militem illum, qui a communi Latio missus esset, illum, quem aves addixerant, prætorem salutare solitum, qui eam provinciam obtineret prætoris nomine.* Salutatus, aut continuo ad exercitum proficiscebatur, aut si quid in Urbe negotii haberet, extra Urbem per aliquot dies commorabatur, propterea quod cum imperio in Urbe esse non posset. Et quamdiu extra Urbem cum imperio subsistebat, ad Urbem esse dicebatur. V. supr. in *Ad.* Valtin. l. l. In medio stabat agmine. Virg. Æneid. IX. 28.

— medio dux agmine Turnus
Vertitur arma tenens.

Ratio enim vult, ut ibi sit, unde prospiciat, & mandet facillime in omnes partes: qui locus medius est, sed paullum tamen ad finem magis admotus. Nam inter principes, & triarios, ante aquilas stetisse censeo. *Lips. de Milit. Rom.* IV. 4. *Barth. Adv.* XXVII. 13. *Valtrin. ibid.* V. 2. *Thys. ibid.* IV. *p.* 94. Vitellius tamen in ingressu Urbis Romæ ante primum agmen incessit. De Cajo Julio Suet. c. 57. n. 1. *In agmine nonnunquam eques, sæpius pedibus anteibat.* De Vespasiano Tacit. Hist. II. 5. 1. *Acer militiæ anteire agmen.* De Othone Tacit. Hist. II. 11. 7. *Lorica ferrea usus ante signa, pedester. . . .* Schel. in Polyb. Thes. Ant. Rom. Græv. Tom. X. p. 1265. E. Plurimum in equo. Liv. VI. 7. *Camillus in equum insilit, & ante signa obversus in aciem ordines interequitat.* Lips. l. l. Concionans, cum milites suos alloqueretur, aut pro concione laudaret, fere stabat: at cum judicis partibus fungeretur, sella sedit. In judicio adsidentes legatos describit Quintilianus in Milite Mariano: *Nec pudet accusatorem apud C. Marium assidentibus legatis, præfectisque, & istis illi prodigio dissimillimis tribunis, toto armatorum judicio, objicere militi, quod vir sit.* Prioris moris exempla habes in Galba & Vespasiano Tito: posterioris in Papirio, Scipione, & aliis. Tractum a more urbano, quo judices sedebant, oratores ad populum verba facientes stabant, satis congruente cum natura rerum habitu utroque, quia alteros quieto, sedatoque animo, alteros commotiori munus suum explere oportet. *Schel. in Hygin. Thes. Græv. ibid. p.* 1066. *E.* Augurio accepto, & addicentibus auspiciis, inauspicato enim nihil seriæ rei agere fas erat, exercitum ad concionem vocabat. Tacit. Annal. II. 14. 2. *Auctus omine addicentibus auspiciis, vocat concionem, & quæ sapientia prævisa, aptaque imminenti pugnæ disserit.* Hygin. de Castramet. *Ut augurio accepto insuper adscendat, & exercitum felici auspicio alloquatur.* Fiebat id classico: convocati sub suis quisque ducibus & signis, manipulatim aut centuriatim conveniebant,

& tribunali circumfusi, ibi potissimum signa, & aquilas constituebant. Liv. XXII. 30. *Ut constituta sunt ante tribunal signa, progressus ante alios magister equitum.* Quem habitum, faciemque circumstantium, & signa, & vexilla præferentium, numismata, & monumenta vetera etiam nunc ostendunt. In tribunali concionaturo ponebatur castrensis sella, ut apparet ex Suetonio, recensente c. 18. n. 7. inter infausta omina: quæ Galbæ in adoptione Pisonis evenerant, quod ministri castrensem sellam de more ponere obliti fuerunt: *Adoptionis die neque milites allocuturo castrensem sellam de more positam pro tribunali, oblitis ministris.* Liv. VIII. 32. *Ne tribunal quidem satis quietum: legati circumstantes sellam orabant, ut rem in posterum diem differrent.* Legati enim cum *Imperatore* adscendentes tribunal sellam ejus circumstabant. *Schel. ibid. p.* 1066. *B. Lyd. de Re milit.* IV. 2. Invisebat ægros, & saucios, non primores tantum, sed manipulares, sustentabat alloquio, cura, ope, sibique & bello firmabat. Paterc. II. 114. 1. *O! rem dictu non eminentem, sed solida, veraque virtute, atque utilitate maximam, experientia suavissimam, humanitate singularem, per omne belli Germanici Pannonicique tempus, nemo e nobis, gradumve nostrum, aut præcedentibus, aut sequentibus imbecillus fuit, cujus salus, ac valetudo non ita sustentaretur Cæsaris cura, tanquam distractissimus ille tantorum onerum mole huic uni negotio vacaret animus. Erat desiderantibus paratum junctum vehiculum lectica ejus publicata, cujus beneficium, cum alii, tum ego sensi. Jam medici, jam apparatus cibi, jam in hoc solum importatum instrumentum balinei nullius non succurrit valetudini. Domus tantum, ac domestici deerant: cæterum nihil quod aut ab illis præstari, aut desiderari posset.* Tacit. Annal. I. 71. 3. *Ut cladis memoriam etiam comitate leniret, circumire saucios, facta singulorum extollere, vulnera intuens, alium spe, alium gloria, cunctos alloquio, & cura, sibique, & prælio firmabat.* Schel. ibid. p. 1048. F. Stewech. in Veget. III. 2. Salutabatur summo mane in castris a centurionibus & tribunis. Joseph. Exc. III. *Mane & sub auroram milites quidem singuli ad centuriones, ad tribunos porro isti conveniunt salutaturi: cum quibus ad ducem primarium omnes deinde ordinum ductores.* Lips. ibid. V. 10. E castris profecturus prior detendebat tentoria. Nulli enim ante licitum erat suum tentorium detendere; uti nec licitum erat ea erigere, antequam *Imperatoris* erecta essent. Fiebat id autem, non solum ut sua ducibus constaret auctoritas & veneratio, sed etiam quia locatio prætorii, & tentoriorum tribunitiorum erat vel basis, & norma totius castrametationis, ad quam reliquarum pedaturarum omnium situs, & ordo exigebatur. Polyb. VI. 38. *Neque auferre, neque figere suum cuique tabernaculum prius fas est, quam tribunorum & Imperatoris fuerint tensa, aut detensa.* Patric. Rei milit. Roman. p. XIII. sect. 1. Quoties hostium exercitus delevisset, aut urbem expugnasset, lauro victoriæ signo literas involutas ad senatum mittebat. V. illas infr. in *Literæ.* Si res capitis ageretur, ipse cognoscebat, damnabat. Ita de Turpilio, qui oppidi præfectus turpiter aufugerat, Sallust. Bell. Jug. p. 119. *Jussus a Metello causam dicere, postquam sese parum expurgat, condemnatus, verberatus, atque capite pœnas solvit.* Et, ubi res liquida, sine causæ dictione. Dionys. XI. p. 723. *Lex dedit ducibus facultatem interficiendi eos, qui non obediunt, aut signa deserunt, idque causa indicta.* Flor. II. 2. 17. *Nec deerant, qui ipso Punici maris nomine deficerent, augente insuper metum tribuno Nannio: in quem, nisi paruisset, securi districta Imperator metu mortis navigandi fecit audaciam.* Hoc liberum jus valde submittebat militem, & ad omnia promptum, volentemque faciebat. *Lips. ibid.* V. 18. Curiam intrans patres salutabat. Suet. Aug. c. 53. n. 6. *Die senatus nunquam patres, nisi in curia salutavit, & quidem sedentes, ac nominatim singulos, nullo submonente, & discedens, eodem modo sedentibus valedicebat.* Et salutationi osculum addebat. Plin. Paneg. c. 23. n. 1. *Gratum erat cunctis, quod senatum osculo exciperes, ut dimissus osculo fueras.* Claude de Salut. vet. c. 9. Rationes die post triumphum in ærarium referebat. V. infr. in *Præsides.* Moriens legionibus, & cohortibus legabat pecuniam. Tacit. Annal. I. 8. 3. *Prætoriarum cohortium militibus singula nummûm millia; legionariis autem cohortibus civium Romanorum trecenos nummos viritim dedit.* Suet. Aug. c. 102. n. 4. *Legavit prætorianis militibus singula millia nummorum: cohortibus urbanis quingenos, legionariis tricenos nummos.* Robort. de Comm. milit. Misc. Erud. Ital. Tom. I. p. 663. Ludis *Imperatores* conviciis proscindebat populus Romanus. Spartian. in Julian. c. 5. *Occupatis indifferenter omnium subselliis, populus geminavit convicia in Julianum.* Suet. Aug. c. 68. n. 5. *Populus quondam universus ludorum die, & accepit in contumeliam ejus, & assensu maximo comprobavit versum in scena pronuntiatum de Gallo matris deûm tympanizante.*

Viden' ut cinædus orbem digito temperet?

Argol. in Panvin. de Lud. circens. II. 16. *Imperatores*, ut hoc ultimo loco addam, mali, & sævi aurigandi studio ad insaniam vacaverunt. Cajus apud Dion. LIX. p. 643. E. *Aurigavit, & pugnavit, & saltavit, & tragœdiam egit: & hæc quidem semper fecit.* & Suet. c. 54. n. 3. *Aurigabat exstructo plurifariam circo.* Nero apud Tacit. Annal. XIV. 14. 1. *Vetus illi copia erat curriculo quadrigarum insistere.* n. 3. *Clausum valle Vaticana spatium, in quo equos regeret, haud promiscuo spectaculo. . . .* & Suet. c. 22. n. 2. *Cum inter initia imperii eburneis quadrigis quotidie in abaco luderet, ad omnes etiam minimos circenses commeabat e secessu.* n. 4. *Mox & ipse aurigare, atque etiam spectari sæpius voluit: positoque in hortis inter servitia, & sordidam plebem rudimento, universorum se oculis in circo maximo præbuit.* Commodus apud Herodian. I. 13. 17. *Aurigando, bestiisque conficiendis supra modum exercebatur.* & apud Spartian. c. 8. *Voluit quadrigas in circo agitare. Dalmaticus in publico processit, atque ita signum quadrigis emittendis dedit.* Panvin. de Lud. Circens. I. 12. In ludis feras jaculabantur. Tiberius apud Suet. c. 72. n. 6. *Castrensibus ludis non interfuit solum, sed etiam missum in arenam aprum jaculis desuper petiit.* Commodus apud Dion. LXXII. p. 822. A. *Nam præter ea, quæ faciebat domi, magnum numerum hominum, & belluarum publice sæpe interfecit: quinque enim equos fluviatiles simul, ac duos elephantos variis diebus solus ipse manibus suis confecit: præterea rhinocerotes, & camelopardalin occidit.* Panvin. ibid. II. 5. Pitisc. in Suetonium. Cruentis spectaculis mirifice capiebantur. Marcellin. XIV. 7. *Erat autem divitatis ejus hoc quoque indicium, nec obscurum, nec latens, quod ludicris cruentis delectabatur, & in circo sex vel septem aliquoties vetitis certaminibus pugilum vicissim se concidentium, perfusorumque sanguine, specie ut lucratus ingentia, lætabatur.* Buleng. de Venat. circ. c. 25.

IMPERIOSI cognomen primus habuit *L. Manlius A. F.* quod nimis severe delectum habuerit dictator anno ab U.C. 390. clavi figendi causa creatus. Liv. VII. 3. *Ea religione adductus senatus dictatorem clavi figendi causa dici jussit. Dictus L. Manlius Imperiosus. . . bellum Hernicum affectans, delectu acerbo juventutem exagitavit.* Sigon. de Nom. Rom. c. 5. August. de Fam. Rom. in Manlia. Glandorp. Onom. p. 569. Brisson. de Form. VII. p. 733. Alter fuit *Cn. Manlius L. F. A. N. Capitolinus Imperiosus*, ut illum appellat M. Verrius. Consul fuit cum M. Popillio Lænate anno quarto post patris dictaturam. Iterumque anno interjecto cum C. Marcio Rutilo, ut quidam arbitrantur: neque enim a veteribus proditum est eundem iterum creatum. Interrex biennio post fuit. Censor cum eodem Rutilo primo e plebe fuit. Tertius alter Cn. Manlius superioris, ut creditur, filius, nisi forte idem ipse est, magister equitum fuit a dictatore L. Furio Camillo dictus a. 408. *Augustin. l. l.*

IMPERIUM est major quædam jubendi, cogendi, & coercendi potestas. *Sigon. de Ant. jur. civ. Rom.* I. 21. *Gruch. Refut. post. Sigon. Disput. c.* 1. In hac significatione negantur omnes magistratus *imperium* habuisse; tametsi omnes jubendi potestatem haberent. In ea accipitur apud Varronem, cum scribit: *magistratus ait vocationem habere, ut coss. cæterosque qui imperium habent.* Vocabuli ea vis passim observatur apud Livium, Sallustium, Cæsarem, Ci-

ceronem, cæterosque Latinos ſcriptores, ut in majoribus magiſtratibus ſæpiſſime *imperium* tantum, nonnunquam *imperium* ſimul, & poteſtatem uſurpent, in minoribus poteſtatem. Ita *imperium* accipit Paull. l. 2. ff. de in jus vocando: *In jus vocare non oportet, neque conſulem, neque præfectum, neque prætorem, neque proconſulem, neque cæteros magiſtratus, qui imperium habent, qui & coercere aliquem poſſunt, & jubere in carcerem duci.* Nam ſi *imperii* nomine omnes magiſtratus complecteretur; falſum dixiſſet: quandoquidem multi minorum magiſtratuum in jus vocari potuerunt, ut omnes, qui poteſtatem neque vocationis populi viritim habebant, neque prehenſionis, teſte Varrone apud Gell. XIII. 13. *Gruch. l. l.* Habebatur in Urbe; & magiſtratus, qui illud habebat, nullo alio honoris titulo, niſi, qui magiſtratus nomine continetur, ornabatur; cum magiſtratu ipſo mandabatur, eſt enim jus ipſum magiſtratus. Conſulare, ſi conſul habebat, prætorium, ſi prætor, dictatorium, ſi dictator haberet, vocabatur. Quin etiam conſulare, prætoriumque tum mandabatur, cum aliquis conſul, prætorque a populo comitiis centuriatis creabatur: eademque ratione dictatorium tum tranſmittebatur, cum aliquis a conſule, aut ab interrege dictator dicebatur. *Sigon. l. l.* Sed contra hunc diſputat *Gruch. ibid. c.* 19. *Imperium* ludere dicebantur pueri. V. infr. in *Ludere*.

Imperium juſtum vocabatur, quod a populo curiatis comitiis eſt tranſmiſſum. Cicer. Ligar. c. 9. *Juſto cum imperio in provinciam profectus erat.* Juſtum fore arbitrabantur, ſi juſtis acciperetur comitiis, quæ juſta habebantur, ſi auſpicato habita eſſent, qualia centuriata, ac curiata fuerunt: quorum illis magiſtratus, his *imperium* militare mandabatur. Hoc indicat Camillus in oratione, qua Vejentanam commigrationem diſſuadet apud Liv. v. 52. *Comitia curiata, quæ rem militarem continent, comitia centuriata, quibus conſules, tribunosque militares creatis, ubi auſpicato, niſi ubi aſſolent, fieri poſſent?* Tranſmittebatur autem non omnibus, ſed iis duntaxat, qui aut in magiſtratu, aut certe ex magiſtratu provincias adepti eſſent: ut dictatoribus, conſulibus, & prætoribus, aut qui ex conſulatu, & prætura ſortiti provincias eſſent. De dictatoribus, conſulibus, ſive tribunis conſularibus Liv. IX. 38. *Papirio dictatori legem curiatam de imperio ferenti triſte omen diem diffidit, quod Faucia curia fuit principium, duabus inſignis cladibus, captæ urbis, & Caudinæ pacis. Macer Licinius tertia etiam clade, quæ ad Cremeram accepta eſt, abominandam eam curiam facit.* Significat autem, præter dictatorem ad bellum iturum, etiam conſulibus, & tribunis militaribus conſulari poteſtate curiatam legem fuiſſe latam; quod clades, cujus meminit, ad Cremeram, & ad Caudinas furcas conſulibus ducibus accepta ſit: captæ vero Urbis, tribunis militaribus conſulari poteſtate. De conſulibus Cicer. Agrar. II. 12. *Conſuli, ſi legem curiatam non habet, attingere rem militarem non licet.* De prætoribus, aut qui ex prætura provincias ſortiti eſſent, Cæſ. de Bell. civ. I. 6. *In reliquas provincias prætores a ſenatu mittuntur, neque, quod ſuperioribus temporibus acciderat, expectant, ut de eorum imperio ad populum referatur.* Ad populum cum dicit, plebiſcitum excludit. *Sigon. de Ant. jur. prov.* II. I. *de Leg. cur. c.* 7. *de Ant. jur. civ. Rom.* I. 21. *& poſt. cum Gruchio diſput. Theſ. Ant. Rom. Græv. Tom.* I. *p.* 742. . . . Sed in illum verboſius invehitur *Gruch. Reſponſ. ad binas Sigon. reprehenſ. Theſ. Græv. ibid. p.* 719. *F.* . . .

Imperium merum fuit cognitio rerum capitalium, non merum privatarum, quod proprie juriſdictio eſt appellata; miſtum utrarumque. Ulpian. ff. de juriſd. *Imperium aut merum eſt, aut miſtum. Merum eſt imperium habere gladii poteſtatem ad animadvertendum in facinoroſos homines. Miſtum eſt imperium, cui etiam juriſdictio ineſt, quod in danda bonorum poſſeſſione conſiſtit. Juriſdictio eſt etiam judicis dandi licentia.* id eſt, merum *imperium* continet cauſarum capitalium cognitionem; miſtum non ſolum cognitionem rerum capitalium, ſed etiam juriſdictionem, id eſt, privatarum cognitionem, quæ cum multis aliis in rebus verſetur, tum vel maxime in danda bonorum poſſeſſione, & dando judicio poſita eſt. Paullus de officio ejus, cui mandata eſt juriſdictio. *Mandata juriſdictione etiam imperium, quod non eſt merum, videtur mandari.* Sigon. de Judic. II. 4. Pollet. For. Rom. III. I. Guther. de Vet. jur. Pontif. II. I. de Offic. dom. Aug. I. 2. Buleng. de Imp. Rom. V. 23. Cujac. Obſerv. XXI. 30. Noodt de Juriſdict. & imper. I. 4. & 5.

Imperium militare eſt jus habendi exercitus, belli gerendi, & rei totius bellicæ capeſſendæ. Cicer. Phil. V. 16. *Demus imperium C. Cæſari, ſine quo exercitus haberi, bellum geri, res militaris adminiſtrari non poteſt.* Et alibi. *Decrevi imperium exercitum habenti: quid eſt enim ſine imperio exercitus?* Quibus verbis ſignificatur, præſidi, qui habebat *imperium*, jus eſſe permiſſum exercitui imperandi, bellum auſpiciis ſuis gerendi, & totius rei militaris ſuo conſilio, atque arbitrio, in ſua provincia gubernandæ. *Sigon. de Ant. jur. prov.* II. 6. *Ant. jur. civ. Rom.* I. 21. *Robort. de Cognom. Imper. Theſ. Ant. Rom. Græv. Tom.* VII. *p.* 1142. Hoc niſi extra Urbem non habebatur. Et non niſi extra Urbem habitum eſſe duo ſunt argumenta. I. quod neque conſules hoc juris habuerunt, niſi nobili illo SCto armati, quo decerni ſolebat: *viderent, ne quid detrimenti Reſpublica caperet.* Salluſt. de Bell. Catil. p. 23. V. illum ſupr. in *Conſul.* II. quod neque triumphaturi in Urbem triumphantes cum exercitu inire, niſi lata de eorum triumpho lege potuerunt: Liv. XXVI. 21. *Tribuni plebis ex auctoritate ſenatus ad populum tulerunt, ut M. Marcello, quo die Urbem ovans iniret, imperium eſſet.* Habebat hoc lege curiata. V. ſupr. in *Imperium juſt. n.* Lege enim delatum *imperium* tum dicebatur, cum nominatim alicui erat commiſſum. Sic enim dixit Feſtus: *Cum imperio eſſe dicitur, cui nominatim eſt a populo mandatum imperium.* Sigon. de Ant. jur. civ. Rom. I. 21. Hinc *cum imperio eſſe* dicebantur ii, quibus ſenatus populuſque Romanus exercitum dederat; qui exercitui præerant; qui eſſent imperatores, qui habebant poteſtatem belli gerendi. Apparet hoc ex verbis Cicer. ex Phil. V. 16. jam productis. Differunt etiam inter ſe *cum imperio eſſe*, & cum magiſtratu eſſe. Suet. Tib. c. 12. n. 2. *Nemine cum imperio, aut magiſtratu tendente quoquam, quin Rhodum diverteret:* quibus verbis magiſtratus, qui imperatores eſſent, & qui non eſſent, intellexit. Eodem modo etiam locutus eſt Ulpian. ff. ad legem Juliam: *Quo quis magiſtratus populi Romani, quive imperium poteſtatemve habet.* Sigon. de Ant. jur. prov. III. 14. de Leg. curiat. c. 7. & poſt: cum Gruchio diſput. Theſ. Ant. Rom. Græv. Tom. I. p. 75?. C. Manut. de Senat. Rom. c. 4. Ego puto verbi *imperii* unam ſemper notionem, unamque ſignificationem in omnibus locutionibus hujuſmodi eſſe; *cum imperio eſſe*, vel *miſſum eſſe*, vel *in imperio eſſe*, *imperium datum*, *mandatum*, *prorogatum eſſe*, *imperii inſignia*, *pro imperio aliquid agere*, nempe, ut nihil intelligatur aliud, quam vehementior illa imperandi poteſtas, qua uti in gerendo publico negotio ſibi publice commiſſo quiſque poterat. Et *cum imperio* eſſe mihi ſignificat talem magiſtratum obtinere, in cujus poteſtate ineſſet belli gerendi facultas, tametſi nunquam bellum attingeret; quam ut ſignificet, cujuſdam exercitus *Imperatorem* eſſe. *Gruch. Reſp. ad bin. Sigon. repreh. Theſ. Ant. Rom. Græv. Tom.* I. *p.* 727. *B. ad poſt: Sigon. diſput. Refut. c.* 4. 45. *&* 49. V. tu interim *Sigonium l. l.*

Imperium Romanum appellatur totus ille gentium, nationum, locorum ambitus, qui ſub populi Romani erant ditione: Exempla frequenter apud ſcriptores occurrunt. *Gruch. ad poſt. Sigon. diſput. refutat. c.* I. Illius fines in omnia terrarum, & maris ſpatia fuerunt propagati. Itaque haud vane Petron. de Mut. Reip. n. I.

Orbem jam totum victor Romanus habebat,
Qua mare, qua tellus, qua ſidus currit utrumque.

Ovid. Faſt. II. 683.

Gentibus eſt aliis tellus data limite certo,
Romanæ ſpatium eſt urbis, & orbis idem.

Dionyſ. I. p. 3. *Roma urbs imperat toti terræ, quæ quidem*

 inacceſſa

inaccessa non sit, habitaturque ab hominibus; sed & toti mari imperat, non solum huic intra columnas Herculeas; sed ipsi oceano quocunque est navigabilis; primaque, & sola ab omnis ævi memoria terminos sibi potentiæ fecit orientem, & occasum. Sed illud nemo negaverit florem Asiæ, Africæ, Europæ, in hoc *imperio* fuisse: ipsa etiam gentium robora, ingenia, opes. Cætera non tam conquirere non potuit, quam contempsit, & judicio reliquit. Quod ut clarius liqueat; *imperium* cum in suo culmine fuit ab Augusto ad Trajanum, fines ejusdem sub Augusto erant ab oriente Euphrates; a meridie Nili cataractæ, & deserta Africæ, & mons Atlas; ab occidente Oceanus; a septentrione Danubius & Rhenus. Ita enim claudere *imperium* limitibus natura instituit. Hoc laudat Tacit. Annal. I. 9. 5. *Mari Oceano, aut amnibus longinquis septum imperium.* Et I. 11. 8. scribit Augustum libello, quo rationes imperii conscripserat, *consilium addidisse coercendi intra terminos imperii, incertum metu, an per invidiam.* Nolebat Augustus posteros proferre terminos *imperii*, quia nimia vastitas perinde *imperiis*, ac corporibus periculosa esset: temperarique melius, ac defendi justa amplitudo, quam immodica posset. Et Augusto quidem similes Imperatores potius cupiebant augere dignitatem, quam propagare *imperium* inter barbaros, gentem inopem, minimæque utilitatis, ut refert Appian. Hist. proœm. Sive etiam per invidiam noluit Augustus ampliari fines *imperii*, ne alii gloriam suam vincerent. Posteri hoc consilium neglexerunt, & ultra terminos nova quæsiverunt; ut Claudius, qui Britannias in ipso Oceano devicit: Trajanus, qui ab oriente Arabiam, Armeniam, Mesopotamiam, a septentrione Daciam subegit. Ita moti, prolatique termini trans Euphratem ad Tigrim: iterumque trans Danubium tota Dacia addita ad mare rubrum. Hoc laudat Tacit. Annal. II. 61. 4. *Ventum est ad Elephantinen, & Syenen, claustra olim imperii Romani, quod nunc rubrum ad mare patescit.* Hinc Claud. de Honor. Consul. IV. n. 42.

Subdidit oceanum sceptris, & margine cœli
Clausit opes: quantum distant a Tigride Gades,
Inter se Tanais quantum Nilusque relinquunt.

Qui vero deinde prædicti *imperii* claustra laxarunt, id magno rei Romanæ malo experti sunt; cum tantum *imperium* deinde mole sua dissolutum sit. *Casal. de Urb. ac Imper. Roman. splend. part.* I. *c.* 2. *Lips. de Magnit. Roman.* I. 3. *Thys. de Magnit. Roman.* I. *p.* 239. *Laurent. Polym.* IV. 4. Ab Augusto penes unum Principem usque ad M. Antoninum & Verum continuavit. Hi simul primi imperare cœperunt: deinde Severus cum Antonino filio, & alii; sed hi nullam provinciarum divisionem fecerunt, cum semper apud majorem tota auctoritas permaneret. Probus & Florianus, auctore Zonara in Probo, in diversis partibus, sed paucis mensibus regnaverunt. Cum vero Diocletianus, & Maximianus principatu se abdicassent, orientem cum Illyrico Gallerio Maximino: Constanti vero Chloro Constantini Magni patri cum Africa occidentis partes assignarunt. Sed is, Italia tum a Maxentio occupata, ultra Alpes Cottias tantum regnavit. Post hos Magni Constantini filii aliter *imperium* diviserunt: quod fratribus extinctis primo in Constantium, mox in Julianum apostatam in solidum pervenit, donec Valentinianus illud denuo cum fratre est partitus; orienteque Valenti tradito, occidentem sibi retinuit; quorum deficientibus successoribus solus Theodosius Magnus rerum potitus, filiis Arcadio orientem, & Honorio occidentem reliquit. Itaque Ægypto, & utraque Libya usque ad Syrtes majores, & Europa usque ad Drilonem fluvium Arcadio traditis; ibi utriusque fines *imperii* fecerunt. Reliqua in occidente cum Africa, Hispaniis, & Britannia Honorius obtinuit: cuncta tamen communi nomine, velut unum esset *imperium*, administrabant. Continuata hæc est divisio usque ad Valentinianum tertium & Martianum, sub quibus Barbari Britanniis, Hispaniisque prius occupatis, demum Gallias, ac tandem Italiam cum Illyrico, & Africa tenuerunt; occidentisque exstinctum est *imperium*, solum orientis, etsi multis agitatum fluctibus, aliquot seculis incolume permansit. *Panciroll. Notit. dignit. imp. orient. p.* 1330. *occid. p.* 1778. *Thes. Ant. Roman. Græv. Tom.* VII. In hoc omnino quatuor fuerunt Reipublicæ novæ formæ auctores. Quorum primus Romulus, secundus Augustus, tertius Adrianus, & quartus Constantinus Imperator fuit. Quæ omnia fusius persequitur *Panvin. Imp. Rom.* 1—24. . . . Reditus V. infr. in *Reditus.*

IMPETRITUM est auguralis disciplinæ proprium. Plaut. Asin. II. 1. 11.

Impetritum, inauguratum est, quovis admittant aves.

Val. Max. I. 1. 1. *Prisco etiam instituto rebus divinis opera datur: cum aliquid commendandum est, precatione: cum exposcendum, voto: cum solvendum, gratulatione: cum inquirendum vel extis, vel sortibus, vel impetrito: cum sollenni ritu peragendum, sacrificio. Impetrito*, an quod in saxo sedebat augur? Puto enim ratum illud auspicium, *impetritum*, quasi in petra fixum dici, ab saxo silice, in quo auguri de cœlo servanti sedendum erat. Qui postremum *vel* ex Valerio rejiciunt, næ potiori parte, ac pæne capite imminutum volunt. Hæc enim esset Valerii sententia: cum inquirendum est, cum quid occultum, aut futurum investigandum, rebus divinis opera datur, vel extis, vel sortibus; *impetrito*, hoc est, rato auspicio, & fixo augurio, sive litatione, ut exponit Scaliger ad Festum, cui *impetritum* est καλλιέρησις. Tertia vero potissima inquirendi ratio, per *augurium*, omittitur. Plenior est sententia, ut ego distinxi: *vel extis, vel sortibus, vel impetrito*, id est, augurali καλλιερήσει, litatione. Extorum enim inspectione inquirere haruspicum est, sortitione vatum, *impetrito* tandem augurum. *Bellus de Part. templ. augur. c.* 1. *Guther. de Vet. jur. pontif.* IV. 12. *Buleng. de Augur. c.* 9. *Turneb. Adv.* V. 18. *Stuck. de Sacrif. p.* 232.

IMPIATI dicti sunt scelerati. Festus: *Impiatus; sceleratus.* Hi proprie homicidæ creduntur. Et recte Apul. Met. I. p. 25. *cruore humano aspersum, atque impiatum* dixit: ut Plauti Tranio, cum monstra fingeret, & narraret hospitem ab hospite in ædibus necatum Most. II. 2. 73.

Scelestæ, inquit, *hæ sunt ædes, impia est habitatio,*

Impiique homicidæ dicti, quod ante expiationem sacris omnibus arcerentur, pro qua diis manibus debebatur postulio. *Guther. de Jur. man.* II. 14.

IMPILIA sunt pedum integumenta e lana coacta. Utitur Ulpian. l. 25. §. fasciæ ff. de aur. arg. leg. *Fasciæ crurales, pedulesque, & impilia vestis loco sunt.* Imo & Plin. XIX. 2. *Theophrastus auctor est, spartum esse bulbi genus, circa ripas amnium nascens, cujus inter summum corticem, eamque partem, qua vescuntur, esse laneam naturam, ex qua impilia, vestesque quædam conficiantur.* Græcis ἐμπίλια dicuntur. *Voss. Lex. Etymol. Guther. de Offic. dom. Aug.* III. 16. *Chiment. de Hon. bisell. c.* 29. *Cujac. Observ.* V. 11: X. 13.

IMPLORARE *est in malis positos cum ploratu aliquem rogare.* Donat. Adelph. III. 4. 43. Et Serv. Æneid. X. 19. *Implorare est auxilium cum miseratione deposcere: qua ratione bene dicimus, imploro te, ut auxilium misero feras. Contra, imploro te ad diem festum, non procedit narratio.* Adversus vim, & injuriam *implorabant* fidem populi Romani. Cicer. Font. c. 17. *Cum virgo Vestalis ex altera parte germanum fratrem complexa teneat, vestramque, judices, ac populi Romani fidem implorat.* & Quiritium. Senec. Epist. 15. *Nemo statim Quiritium fidem implorat.* Interdum exclamabant: *Porro Quirites.* V. infr. in *Quiritare.* Brisson. de Form. VIII. p. 718.

IMPLUVIATA vestis. V. illam infr. in *Vestis.*

IMPLUVIUM *est locus sine tecto in ædibus, quo impluere imber in domum possit.* Ascon. in Cicer. p. 88. Cicer. Verr. I. 56. *Ostendam, in ædibus privatis longa, difficilique vectura columnas singulas ad impluvium, HS. quadragenis millibus, non minus magnas locatas.* Plaut. Amph. V. 1. 56.

Devolant angues jubati deorsum in impluvium.

Quomodo differat a compluvio. V. supr. in *Compluvium.* Blond.

Blond. Triumph. Rom. IX. p. 191. A. Turneb. Adv. X. 17. Grapald. de part. dom. I. 2. §. 1. Philand. in Vitruv. VI. 4. Bald. Lex. Vitruv.

INA.

INARCULUM *erat virgula ex malo Punica incurvata, quam regina sacrificans in capite gestabat.* Festus. *Paschal. de Coron.* IV. 15. *Saubert. de Sacrif. c.* 10. *Blond. Triumph. Rom.* I. *p.* 15. *C.* Servius vocat *arculum.* V. supr. in *Arculum.*

INAUDITUM, indemnatum, incognita, indictaque causa neminem interficiendum esse adeo verum est, ut nec possit pater filium, quem in potestate habet, occidere, nisi præses, vel præfectus Urbi *audierit* eum prius, & condemnaverit. l. 2. ff. ad l. Cornel. de sicariis l. 3. C. de patr. potest. Id autem juris, quod in Urbe etiam tum cum Reges essent, fuit, postea relatum est in XII. tab. Salvian. de jud. & provid. Dei VIII. p. 168. *Interfici indemnatum quemcunque hominem etiam duodecim tabularum decreta vetuerunt.* Itaque dum August. de Civit. Dei I. 19. sic scribit: *Vos appello leges, judicesque Romani, nempe post patrata facinora, nec quemquam scelestum indemnatum impune voluistis occidi:* eum dicemus leges XII. tab. intelligere. Videtur hoc sumptum ex *Lycurgi legibus, quæ de indemnatis supplicium sumi vetabant.* Refert hoc Val. Max. VII. 2. 12. ext. *Cujac. Observ.* IV. 12. *Ravard. ad* XII. *tab. c.* 27. *Var.* I. 7. *Fornér. Rer. quotidian. c.* 7. *Delrio in Senec. Med.* II. 199. *Suzmann. in Salvianum. Rittersh. in Leg.* XII. *tab. Cl.* II. *c.* 4. *Hotman. Antiq. Roman.* III. 2. *p.* 403. *G.*

INAUGURARI dicebantur, qui in sacerdotum, & in specie augurum numerum adscribebantur, & cooptabantur. Cicer. Phil. II. 43. *Quid igitur cessas! cur non inaugurare? sume diem: vide, qui te inauguret.* Suet. Cal. c. 12. n. 2. *Deinde augur in locum fratris sui Drusi destinatus, priusquam inauguratur, ad pontificatum traductus est.* Qui *inaugurabantur*, jurejurando adigebantur, se nihil e mysteriis enuntiaturos. *Brisson. de Form.* I. *p.* 124. *Laurent. Var. sacr. gentil. c.* 1. *Buleng. de Augur. c.* 4. *Gruch. de Comit.* II. 4. *Guther. de Jur. Pontif.* I. 25. *Struv. Ant. Rom. c.* 12. *p.* 561.

INAUGURATIO est certus quidam ritus, quo sacerdotes publici ejus numinis majestati devoventur, ad cujus ministerium cooptati sunt. Summi sacerdotis *inaugurationem* vocat consecrationem, & eleganter versibus describit Prudent. Περὶ στεφ. X. 1011—1050. Et hic fuit ritus *inaugurandi* summi sacerdotis, cujus sollennitas in aliis publicis sacerdotibus mihi quidem parum perspecta. Conjicio tamen, quod in Regibus & magistratibus, qui Regum vices obierunt, illud idem in sacerdotibus aliquatenus observatum cum *inaugurarentur.* Sumebat diem cooptatus sacerdos, aut captus, qua præstituta, prodibat e tentorio sub divum, stansque in loco puro rite mactatis victimis, Jovi Regi, & cæteris diis vota faciebat. Augures intererant *inaugurationi*, ut signum de cœlo felix ostenderent, illudque signum fulguris a sinistris datum pronuntiarent, etiamsi nullum esset datum. De diei præfinitione Cicero jam laudatus in *Inaugurari.* In Rege sacrorum notandum, quod non *inaugurabatur*, nisi se magistratu abdicasset. L. Cornelius Dolabella cum in locum Cn. Cornelii Dolabellæ suffectus esset Rex sacrorum, essetque duumvir navalis: *contentio fuit inter illum & C. Servilium pontificem maximum* apud Liv. XL. 42. V. illum supr. in *Calata comitia.* Ratio abdicationis in sacrorum Rege ea fuit, quod ille sacerdotii legibus ab omni ministerio bellico abstineret. Dionys. V. p. 278. Quod in cæteris sacerdotiis non fuit constitutum, qui civilibus & bellicis muneribus fungi potuerunt. *Guther. de Jur. pontif.* I. 25. *Struv. Ant. Rom. c.* 12. *p.* 561.

INAURANDI ratio apud veteres non fuit una. Vopisc. Aurel. c. 40. *Habuit in animo, ut aurum neque in cameras, neque in tunicas, neque in pelles, neque in argentum mitteretur, dicens plus esse auri in rerum natura quam argenti: sed aurum per varias bractearum, filorum & liquationum usus perire, argentum autem in suo usu manere.* Cameræ igitur *inaurabantur* per bracteas, vestes auro intexebantur per fila, pelles, & argentea vasa *deaurabantur* per liquationes. Sic bracteationibus, filationibus, & liquationibus aurum peribat, non autem argentum. Nec enim bractearum argentearum quisquam meminit: nec filorum argenteorum ad vestes texendas, vel intexendas: nec item *inargentabantur* pelles, aut vasa. Liquatione autem, vel auro liquato *deaurabantur* pelles, sicut & vasa. Nam ita etiam in membranas aurum mittebatur, quum scilicet literis aureis perscribebantur. Hieron. ad Eustoch. de Custod. virgin. *Inficiuntur membranæ colore purpureo, aurum liquescit in literas.* Omisit hic Aurelianus aliud genus *inaurandi* pocula argentea, quod non fiebat auro liquato, sed aureis clavis immissis in argentum, & insertis. Hoc genere deaurata, *auro clusa, & auro vincta* dicebantur. Non exoleverat hæc *inaurandi* ratio Aureliani temporibus; sed ejus ideo non meminit, quod aurum sic missum in argentea pocula non pereat, sed integrum, & in sua natura maneat. Perit vero, nec in usu suo manet, quod in bracteas extenditur, aut in fila deducitur, aut liquatur. *Salmas.* [illegible]

INAURIS erat proprium ornamentum [illegible] Ambros. de Abrah. c. 9. *Has inaures habebat, quæ non gra[illegible] rent aures.* Et vix aliunde suspensa dicuntur pretiosa illa grana, id est, margaritæ, vel uniones, qui *inaures* d[illegible] tabant, quam de aurium cavernis, & cicatricibus. Quod, quamvis non approbet in Christianis, refert tamen Cyprian. de Habit. Virg. *An vulnera*, inquit, *inferri auribus Deus voluit, quibus innocens adhuc infantia, & mali secularis ignara crucietur, ut postea de aurium cicatricibus, & cavernis pretiosa grana*, id est, *inaures dependeant.* Barthol. de Inaur. c. 5. Cujac. Observ. X. 17. [illegible] I. 4. Imam aurium partem pro appendendis *in*[illegible] perfo[illegible] bant. Et ideo Tertull. de Hab. mulieb. [illegible] *rium cutes Kalendarium expendunt.* Barthol. ibid. c. 5. [illegible] bant ex margaritis. Plin. IX. 35. *Inter scopulos pars major margaritarum invenitur, sed in alto quoque comitantur* [illegible] *nis canibus. Nec tamen aures feminarum arcentur.* Pl[illegible] XII. [illegible] *magis admirari subit, ab iis principus cædi montes in marmora. Unionem in rubri maris profundo, smaragdum in ima tellure quæri. Ad hoc excogitata sunt* [illegible] *vulnera.* Ex auro. Proverb. c. 25. n. 2. ex vulgata versione: *Inauris aurea, & margaritum fulgens, qui arguit sapientem, & aurem obedientem.* Judic. c. 8. n. 24. *Postulabo a vobis postulationem, ut detis mihi quisque* [illegible] *suorum: inaures autem aureæ erant iis, quia Ismaelitæ erant. Fuit autem pondus inaurium aurea*[illegible] . . . . Job. c. 42. n. 11. *Dederunt ei unusquisque* [illegible] Apul. de Dogmat. Platon. p. 570. *Auri tantum* [illegible] *bilitatis insigne in auriculis gestare.* Barth. l. [illegible] c. 3. Ex ære. Ovid. Met. X. 115.

— p[illegible] lique ex ære nitebant
Auribus in geminis circum cava tempora baccæ.

Inter instrumenta cultus olim extabat Romæ apud Lælium Paschalinum *inauris* ærea gemmis tribus vitreis oblongis dependentibus ornata, e mundo tenuioris alicujus, & paupertinæ feminæ. *Pignor. de Serv. p* 410. *Barthol. l. l.* Erant communes tam viris, quam feminis. Plin. IX. 35. *Sed quota hæc portio est reputantibus purpuras,* [illegible] *Parum scilicet fuerat in gulas condi maria, ni, manibus, auribus, capite, toto corpore a feminis juxta virisque gestarentur.* Qui inter utrumque sexum earundem usum ita distinguit XI. 37. ut viros præcipue in oriente eis delectari dicat: *Aures homini tantum immobiles. Nec alia parte feminæ majus impendium margaritis dependentibus. In oriente quidem & viris aurum gestare eo loci decus existimatur.* In viros cum zelo haud exiguo invehitur Augustin. Epist. II. 73. *Execranda autem*, ait, *superstitio ligaturarum, in quibus etiam inaures virorum in summis ex una parte auriculis suspensæ deputantur, non ad placendum hominibus, sed ad serviendum dæmonibus adhibetur.* Et mox: *Quid autem cum iis agendum sit, si solvere inaures timent, & corpus Christi cum signis diaboli accipere non timent.* Et illis auri, & gemmarum

rum uſum interdixit Alexander Severus apud Lamprid. c. 41. *Gemmarum quod fuit, vendidit, & aurum in ærarium contulit, dicens gemmas viris uſui non eſſe: matronas autem regias contentas eſſe debere uno reticulo, atque inauribus, & baccato monili.* . . . Quamvis viris prohibeantur, nihilominus inter ornamenta mulieribus licita recenſentur ab Ulpian. l. 25. ff. de aur. arg. mund. mulieb. *Licita ornamenta muliebria enumeret armillas, inaures.* . . . Et l. 34. ff. de aur. & arg. leg. *Ornamenta muliebria ſunt, quibus mulier ornatur, ut inaures.* Et apud Romanos hæc aurium inſignia matronis adjudicata legimus apud Val. Max. v. 2. 1. *cum Marcum Coriolanum patriam oppugnare conantem Veturia mater, & Volumnia uxor nefarium opus exſequi non eſſent paſſæ, in earum honorem ſenatus matronarum ordinem benigniſſimis decretis adornavit. Sanxit namque ut feminis ſemita viri cederent, confeſſus plus ſalutis in ſtola, quam in armis fuiſſe, vetuſtisque aurium inſignibus novum vitæ ordinem adjecit.* Barthol. ibid. c. 6. Demſter. Paral. ad Antiq. Roman. Roſin. 1. 20. Geſtabantur I. in ornatum. Ulpianus jam laudatus. Ezech. c. 17. n. 1. *Et ornavi te ornamento, & dedi inaurem ſuper os tuum, & circulos auribus tuis.* II. ad gratiam conciliandam. Claud. de Honor. Conſul. vi. 523.

Ac velut officiis trepidantibus ora puellæ
Spe propiore thori mater ſolertior ornat
Adveniente proco, veſteſque & cingula comit
Sæpe manu, viridique anguſtat jaſpide pectus,
Subſtringitque comam gemmis, & colla monili
Circuit, & baccis onerat candentibus aures:
Sic oculis placitura tuis.

Nec propter aliam cauſam *inauribus* gratiam formæ conciliare meretricium ſignum credebatur. Ovid. de Art. 1. 431.

Quid cum mendaci damno mœſtiſſima plorat?
Elapſuſque cava fingitur aure lapis.

Et lautitiam meretriciam deſcribens Mart. xi. 50. 3.

Nunc plorat ſpeculo fallax ancilla relicto:
Gemma vel e digito, vel cadit aure lapis.

III. in luxum. Ælian. Var. Hiſt. 1. 18. *Nunquid vero pleræque antiquarum mulierum luxu diffluxere? quæ corollam ſublimem capiti imponebant, pedes vero ſandaliis induebant, ex auribus longas inaures dependentes habebant.* De Lollia Paullina conquerentem habeo Plin. ix. 35. *Lolliam Paullinam nec ſerio quidem aut ſollenni ceremoniarum aliquo apparatu, ſed mediocrium etiam ſponſaliorum cœna, vidi ſmaragdis, margaritisque opertam, alterno textu fulgentibus toto capite crinibus, ſpiris, auribus, collo, manibus, digitisque.* Barthol. ibid. c. 7. Luxus aurium magnus fuit. Senec. de Vit. beat. c. 17. *Quare uxor tua locupletis domus cenſum auribus gerit?* Hui, quæ iſta res, in auribus ſolis locupletis domus cenſum? Ita eſt, nihil mentitur. Nunquid Serviliæ margaritam Julius emit ſexagies ſeſtertio, ſive trecentis millibus florenorum? Suet. c. 50. n. 3. *Ante alias dilexit M. Bruti matrem Serviliam, cui & proximo ſuo conſulatu ſexagies ſeſtertio margaritam mercatus eſt.* Et, quaſi in quodam luxus certamine, Romanæ matronæ conjungebant uniones duos, tres, quatuor, atque ita geſtabant, & quidem ex ſingulis auribus. Plin. ix. 35. *Hos*, uniones, *digitis ſuſpendere, & binos, ac ternos auribus, feminarum gloria eſt. Subeunt luxuriæ ejus nomina, & tædia exquiſita perdito nepotatu: ſiquidem cum id fecere, crotalia appellant, ceu ſono quoque gaudeant, & colliſu ipſo margaritarum.* Senec. de Benef. vii. 9. *Video uniones, non ſingulos ſingulis auribus comparatos: jam enim exercitatæ aures ſunt oneri ferendo: junguntur inter ſe, & inſuper alii binis ſuperponuntur. Non ſatis muliebris inſania viros ſubjecerat, niſi bina, ac terna patrimonia auribus pependiſſent.* Viden' bina, ac terna patrimonia; pro numero videlicet unionum. Hinc illud Senec. de Tranquill. ii. 15. *Quid refert, quantum* mulier *habeat; quot lecticarios, quam oneratas aures.* Meurſ. de Luxu Roman. c. 5. Demſter. l. l. In ſepulcra inferebantur. Arrian. vi. p. 436. In ſepulcro Cyri fuerunt *torques, acinaces, inaures ex auro & gemmis.* Bartholin. de Inaur. c. 10.

INC.

INCANTATIO erat maleficium, quo ſegetes, & fruges alienæ vel *excantabantur*, vel pelliciebantur, ac transferebantur alio, ſive in alium agrum ex eo, in quo ſatæ, & natæ erant. V. infr. in *Segetem.*

INCENDERE ad ſtipitem ſupplicii genus fuit Romanis uſitatum. Vulcat. Gallic. Avid. Caſſ. c. 4. *Primus etiam in ſupplicii genus invenit, ut ſtipitem grandem poneret pedum octoginta & centum, id eſt, materiam, & a ſummo usque ad imum damnatos ligaret: & ab imo focum apponeret, incenſisque aliis fumi cruciatu, timore etiam alios necaret.* vel, ut Salmaſius legendum monet, *alios fumo cruciatos, etiam timore, necaret.* Laz. Comm. Reip. Rom. iv. 8.

INCENDIA Romæ olim, plus quam hodie, frequentia fuerunt. Cauſam ego divinare non poſſum, niſi forte ædium camini alia olim, ut nunc, forma ædificati fuere. Tum nec in templis perpetuum fuit, uti nunc, lampadum lumen. *Nardin. Rom. vet.* iii. 7. Bello Punico ſecundo Romæ inter Salinas, & portam Carmentalem omnia ædificia, quæ erant in vico Jugario ſub Capitolio comprehendit, Æquimeliumque jacens inter rupem Tarpejam & Velabrum: mox extra Carmentalem portam per ripam Tiberis in Fortunæ, ac Matutæ templa debacchatum eſt. Livius xxiv. 47. *Romæ fœdum incendium per duas noctes, ac diem unum tenuit: ſolo æquata omnia inter Salinas, & portam Carmentalem, cum Æquimelio, Jugarioque vico: in templis Fortunæ, ac matris Matutæ, & Spei extra portam late vagatus ignis ſacra, profanaque multa abſumpſit.* Marlian. Topogr. Urb. Rom. 1. 8. Panvin Deſcr. Urb. Rom. Theſ. Antiq. Rom. Græv. Tom. iii. p. 256. F. Neronis cœpit in vico Æmiliano. Tacit. Annal. xv. 40. 3. *Pluſque infamiæ id incendium habuit, quia prædiis Tigellini Æmilianis proruperat.* Borrich. Ant. Urb. fac. c. 9. §. 3. Neronem Urbem *incendiſſe* prodiderunt Suet. c. 38. n. 2. *quaſi offenſus deformitate veterum ædificiorum, & anguſtiis, flexurisque vicorum incendit Urbem.* Xiphil. lxii. p. 708. B. *Paucos homines, quaſi ebrii eſſent, aut alia maleficia facerent, clam in varias partes Urbis dimiſit. Hi primo unum, & alterum locum, plurave, alia alibi ſuccenderunt.* & præter illos Oroſius & Euſebius. Dubitat Tacit. ibid. c. 38. n. 1. *Sequitur clades, forte, an dolo Principis, incertum: nam utrumque auctores prodidere. Regiones*, ut addit idem c. 40. n. 4. *quatuor integræ manebant, tres ſolo tenus dejectæ: ſeptem reliquis pauca tectorum veſtigia ſupererant lacera & ſemiuſta.* Donat. de Urb. Rom. 1. 27. Pitiſc. in Suetonium. Qui etiam tempus annotat c. 41. n. 3. *Fuere qui annotarent, 14. Kalend. Sextil. principium incendii hujus ortum.* c. 40. n. 1. *Sexto demum die apud imas Eſquilias finis incendio factus.* hoc eſt circiter 25. diem Julii. Confert in conſulatum C. Lecanii & M. Licinii, qui erat annus Julianus 109. Chriſti 64. *Scalig. de Emend. temp.* v. *p.* 471. Ad auguria trahuntur, ſi crebra ſunt. Xiphil. lxxii. p. 829. B. *Ante mortem* Commodi hujuſcemodi prodigia viſa ſunt. . . . *Præterea incendium de nocte excitatum in quibusdam ædibus ad templum pacis pervenit, conſumptisque tabernis, in quibus erant merces Ægyptiorum, & Arabum invaſit in palatium, ubi adeo exuſta ſunt multa, ut libelli qui ad principatum pertinebant, omnes fere conflagrarint.* Buleng. de Prod. c. 91. vigiles reſtinguebant. Senec. Epiſt. 66. *Intervenerunt quidam amici, propter quos major fumus fieret, non hic, qui erumpere ex lautorum culinis, & terrere vigiles ſolet; ſed hic modicus, qui hoſpites veniſſe ſignificaret.* Et hi quidem ad Auguſtum pertinent, qui rejecta triumvirorum noctunorum, ædilium, & tribunorum plebis cura, per ſe maluit huic rei conſuli. Suet. Aug. c. 25. n. 2. *Libertino milite Romæ incendiorum cauſa uſus eſt.* c. 30. n. 2. *Adverſus incendia excubias nocturnas, vigileſque commentus eſt.* Eadem Dio lv. p. 566. C. Paull. Dig. 1. 1. de Offic. præf. vig. Strab. v. p. 162. *Pignor. de Serv. p.* 64. *Nardin. l. l.*

INCENDIARIORUM crimen eſt grave. Ideoque recte fecerunt decemviri, qui hoc intactum non reliquerunt:

runt: ut discimus ex l. 9. qui ædes ff. de incend. ruin. nauf. quæ est desumpta ex IV. Caji ad XII. tab. Quibus verbis concepta lex fuerit, non satis liquet. Sufficiat nobis, quod sciamus mentem legislatorum, quæ ex sequentibus constare potest: *Q[illegible], acervumve f[illegible] juxta domum positum sciens, prudensque dolo malo combusserit, vinctus, igni necator.* Notetur vetus mos suppliciorum, quo vix quenquam capite puniebant, quin prius vinctum verberibus etiam multavissent. Crematonem etiam vocat Paull. Sent. V. 17. 2. ubi inter summa supplicia etiam illam numerat. Visa autem fuit hæc justissima pœna, ut qui igne aliis damna dedisset, ignis supplicium sustineret. Fere enim qua quisque re peccaverit, eadem etiam plectendus est. Eandem pœnam ignis etiam posteriores legislatores retinuerunt, ut videre est l. 28. capitalium §. 12. incendiarii ff. de pœn. Reperio etiam bestiis objectos, si humiliore loco fuerint. Sin autem in aliquo gradu dignitatis vel capite punitos, vel in insulam deportatos. l. ult. ff. de Incendiar. *Rittersh. in Leg. XII. tab. Class. II. c. 14.*

INCERARE genua deorum est votum suum nuncupatum, & in charta conceptum, conscriptumque deorum genibus *cera* obsignatum affigere. Juven. Sat. X. 55.

Propter quæ fas est genua incerare deorum.

Hoc *votum assignare* dixit Apul. Apol. p. 492. *Votum in alicujus statuæ femore assignasti*; & signare Plin. Epist. X. 44. *Precati deos, ut velint vota semper solvi, semperque signari.* Turneb. Adv. I. 17: XXX. 19. Voss. Lex. Etymol. in Cera. Lipen. de Stren. c. 5. §. 10. Rutgers. Var. Lect. V. 5. Guther. de Vet. jur. Pontif. IV. 17. Salmas. de mod. usur. c. 11. Nonn. in Cæsar. August. nomism. p. 72. Laurent. Var. sacr. gentil. c. 10. Caroli Antiq. Roman. I. 4. Kipping. Ant. Rom. I. 9. §. 14. Grang. in Juvenalem. Florid. & Gentil. in Apulejum.

INCESTUS est consanguineorum, vel affinium abusus C. lex. 36. q. 1. Et hinc *incestuosi* dicuntur, qui ex conjunctis transversalibus, vel affinibus suscepti fuere. Gloss. Rub. C. de incest. nupt. *Palæot. de Noth. & Spur. c. 16. n. 10. Heuter. de Liber. hom. natiu. c. 7. §. 3.* Ita grave crimen ducebatur, ut cum P. Clodius Bonæ deæ ceremonias, & sacra libidinis causa polluisset, Sctum factum sit, ut populus de reo cognosceret: quo licet cognoscere, quæstionem de *incestu* non esse legibus prætori demandatam. Quod eo magis opinamur, quia legimus apud Ascon. p. 171. de M. Æmilio Scauro, qui princeps senatus fuit, deminutæ, ac neglectæ religionis reo, comitiis tributis, accusante tribuno plebis Cn. Domitio esse quæsitum. *Manut. de Leg. Rom. c. 20.* Præterea, ut *incesti* persecutio ad judices, ita illius procuratio ad pontifices pertinebat. Tacit. Annal. XII. 8. 2. *Addidit Claudius, sacra ex legibus Tulli Regis, piaculaque apud lucum Dianæ per pontifices danda: irridentibus cunctis, quod pœnæ, procurationesque incesti id temporis exquirerentur.* Guther. de Vet. jure pontif. II. 7. Qui commiserant, de rupe Tarpeja dejiciebantur. V. infr. in *Rupes.*

INCILIA sunt *fossæ, quæ in viis factæ ad educendam aquam.* Festus: Cicer. Fam. VIII. 5. *Sane tanquam aqua in quodam incili, omnia jam adhæserunt.* Ulpian. Pand. XLIII. *Incile est locus depressus ad latus fluminis. Fossas inciles* dicit Cato de Re Rust. c. 156. *In monte fossas inciles habere oportet.* Salmas. Exerc. Plin. p. 512. a. D. Rhodig. Ant. Lect. III. 29. Guthberl. de Saliis c. 12. Voss. Lex. Etymol. Schill Nomencl. Philol. p. 608.

INCINARIUM dicebatur ministerium cinissonum. Charis. Instit. Gramm. I. p. 78. Vet. Gramm. Putsch. *[illegible] re ministerium incinarium dicitur, nam Cato in Or[illegible]. Mulieres, inquit, nostræ capillum cinere inungitabant, ut rutilus esset crinis.* Barth. Adv. IV. 21.

INCITATUS fuit nomen equi, quem insano honore affecit Caligula. Suet. c. 55. n. 8. *Incitato equo, cujus causa pridie circenses, ne inquietaretur, viciniæ silentium per milites indicere solebat, præter equile marmoreum, & præsepe eburneum, præterque purpurea tegumenta, ac monile e gemmis, domum etiam, & familiam, & supellectilem dedit, quo lautius nomine ejus invitati acciperentur, consulatum quoque tradere [illegible].* Dio LIX. p. 650. [illegible] *[illegible]* [illegible] VIII. [illegible] A[illegible]. [illegible] add. [illegible] A. [illegible] II. 10. [illegible] A. [illegible] post. c. 24. [illegible]

INCITEGA erat [illegible] in qua [illegible] in convivio amphora, de qua subinde defundebantur vina. Ea autem utebantur, ne vinum in vas, [illegible], aut amphora [illegible] ex fundo [illegible] relinquat, cum sæpe videmus [illegible] circulum de vino describere in mappa. [illegible] tile maculam ullam [illegible] ligno: super quibus statuun[illegible] [illegible] lunulas R[illegible] [illegible] læderentur, si [illegible] tos nudæ sustinerent, gausap[illegible]. [illegible]peres vero, ut puto, *incitegas* retinuerunt. M[illegible]

No[illegible]
O[illegible] esse potest.

Nam potest intellig[illegible] *incitega* per circulum illum. Sed nihil impedit & maculam circularem vasorum vinariorum intelligere. Et *incitegæ*, ut puto, non erant c[illegible]. Græcis vocatur ἐγγυθήκη. Polemo [illegible] ἐγγυθήκην, καὶ ἐπ᾽ αὐτῆς κύπελλον. Dicta est q[illegible] ab Alexandrinis. Ath[illegible] p. 210. C. *[illegible] ab Alex[illegible] dem ex argento pate[illegible] vulam ex ferro compactam.* [illegible] in Festum. Voss. Lex. Etymol. Buleng. de Ir[illegible] de Conviv. I. 37. Auctor misc. [illegible] Attic. & Rom. p. 451.

INCITI dicuntur calculi in ludo latrunculorum, qui eo sunt redacti, ut *cieri*, moverique nequeant. Isidor. XVIII. 67. V. illum supr. in *Calculi.* Plaut. Trin. II. 4. 136.

Alii exulatum [illegible] runt, alii emortui, alii se suspendere.
Hem nunc hic cujus est, ut ad incitas redactus est?

Pœn. IV. 2. 85.

— tacitus tace modo
Profecto ad incitas lenonem rediget, [illegible].
Quin prius disperibit, faxo quam unam calcem civerit.

Quid ciere calcem V. supr. in *Calcem.* Salmas. in Vopisc. Procul. c. 13. [illegible] Adag. p. 122. Souter. [illegible] p. 186. Nerius Anal. II. 16 [illegible] 10. §. 11.

INCOMMA [illegible] in castris, ad quem militum statura examinabatur. V. illum infr. in *Milites.*

INCORPORATIO vocabatur, quando rationales, seu procuratores, quos in singulis provinciis [illegible] comes rerum privatarum, bona publicata, aut [illegible] ad fiscum pertinentia, postquam comes illa inf[illegible] scripserat, in provinciis [illegible] gula describebant, & rebus Cæl[illegible] aggregabant: & [illegible] titulos, sive inscriptiones id significantes, vel insignia Principis prædiis imponebant. Valentin. A. 1. si quando C. de bon. vacant. ad Florentinum comitem rerum privatarum. *Si quando,* inquit, *alicujus public[illegible], aut ratione juris, aliq[illegible] nostræ addendum est, [illegible], atque sollenniter per comit[illegible] rerum privat[illegible], [illegible] per [illegible]les in singulis quibusque provinciis commorantes incorporatio impleatur, & diligens stylus sigillatim omnia adscribat: tituli vero quorum [illegible] nostris sunt consecranda substantiis, non nisi [illegible] proponantur.* Panciroll. Notit. dignit. in p. [illegible] c. 58. Guther. de Offic. dom. Aug. III. 25.

INCREMENTA dicuntur liberalitates. Spartian. Adrian. c. 7. *Pueris ac puellis, quibus etiam Trajanus alimenta detulerat, incrementum liberalitatis a[illegible].* V[illegible] c. 4. *Ut ejus dignitas incrementis adjuvetur.* Casaub. in Spartianum,

Buleng. de Vectig. c. 25. Guther. de Jur. man. II. 10.

INCRUSTARE est parieti, pavimento, aut alteri operi *crustam* adjungere, inducere, & applicare: marmor in *crustas* tenues sectum parieti imponere, & pro tectorio ei dare. Lucan. x. 114.

Nec summis crustata domus sectisque nitebat
Marmoribus.

Secandi ratio in Plin. xxxvi. 6. *Arena hoc fit, & ferro videtur fieri, serra in prætenui linea premente arenas, versandoque, tractu ipso secante. Crusta* vero feminino genere est fragmentum quoddam tenue, vel lapidis, vel ligni, vel vitri, vel alterius ejusmodi eorum, quæ non comeduntur. Virg. Georg. III. 360.

Concrescunt subitæ currenti in flumine crustæ.

Coras. Misc. IV. 16. Salmuth ad Panciroll. Rer. deperd. & inv. p. 137. Bergier. de viis milit. II. Sect. 19. §. 1. v. II. 1. Turneb. Adv. XIX. 4. Torrent. Horat. Sat. I. 3. 55. Lips. de Magnit. Roman. III. 14. Thys. de Magnit. Roman. III. p. 308.

INCUBARE pellibus victimarum, est in illis dormire in deorum templis ad accipienda illorum responsa. Virg. Æneid. VII. 86.

—— huc dona sacerdos
Cum tulit, & cæsarum ovium sub nocte silenti
Pellibus incubuit stratis, somnosque petivit.

Ubi Servius: *Incubare dicuntur proprie hi, qui dormiunt ad accipienda responsa: unde est, ille incubat Jovi, id est, dormit in Capitolio, ut responsa posset accipere.* Plaut. Curc. II. 2. 16.

Namque incubare satius te fuerat Jovi
Tibi qui auxilium in jurejurando fuit.

n. 18.

Siquidem incubare velint, qui pejeraverint,
Locus non præberi potis est in Capitolio.

Hoc a Græcis hauserunt Romani. Pausan. Attic. I. p. 33. *Præter eos, qui Apollinis furore correpti olim dicuntur, nemo inter vates oracula edidit, sed præstabant vel somniorum interpretatione, vel augurali scientia, vel aruspicina, ut facile existimem, Amphiaraum interpretandorum somniorum laude excelluisse. Quod vel ex eo liquet, quoniam quo tempore deificatus est, futurarum cognitionem per somnia constituit. Ad hujus oraculum quicunque accedit, purgari primum oportet. Purgatio est, ut deo res sacra peragatur, cui & omnibus, quorum nomina in ara sculpta sunt, sacrificant. His peractis mactati arietis pellem substernunt, atque ita dormiunt, somni significationem referentes.* Pius Annot. post. c. 10. Voss. de Idolol. III. 35. Guther. de Vet. jur. pontif. IV. 1. Braun. de Vest. sacerd. Hebr. I. 4. §. 9. Stuck. de Sacrif. p. 181. Saubert. de Sacrif. c. 20. Rhodig. Ant. Lect. XXVII. 14. Paschal. de Coron. IX. 24. Choul. de Relig. Rom. p. 260. Laurent. de Prand. c. 7. Cerda in Virgilium. Tomas. de Donar. c. 3. Clasen. Theol. gentil. I. 4. 17. Kipping. Antiq. Roman. I. 5. 1: 8. 8: II. 14. Demster. Paralip. ad Rosin. Antiq. Roman. II. 2.

IND.

INDEMNATUM non esse interficiendum V. supr. in *Inauditum.*

INDEX imaginis, sive statuæ est inscriptio, sive litera scripta, compendio *indicans* quod maxime sciri interest. Plutarch. de Homero: *Elegans est etiam genus orationis epigramma, sive inscriptio: quod inventum est imaginum, & monumentorum gratia, compendio indicans, qualis sit, cui honoris causa aliquid tale obtigit.* Tibull. IV. 1. 130.

Nec quivis quid quaque index sub imagine dicat.

Figrell. de Stat. Roman. c. 27. Vocatur etiam *Titulus.* V. infr. in *Titulus.*

INDICARE in germano significatu minus est quam deferre. Ita in conjuratione Catilinariorum Fulvia *index* fuit. Sed interdum pinguius, & plenius quid sonat, ut non deferre tantum, & denuntiare, sed damnare significet. Quod ita capiendum putamus, cum scilicet de præmio constituendo *indicanti* quæritur, quod demum consequitur, qui eam dat operam, ut non denuntiet, arguat, accuset solum, sed etiam damnet: ut cum effectu verba accipiantur, & aliquem tandem exitum sortiantur; quemadmodum invenire latronem est exhibere judicio vinctum, sistere præsidi, vel præfecto prætorio puniendum. Ulpian. l. indicasse ff. de verb. signif. *Indicasse est detulisse, arguisse, accusasse, & convicisse.* Ut ICti, ita omnino usurpat Plaut. Asin. v. 2. 87. ubi senex ab uxore deprehensus in lupanari, & condemnatus rapitur domum tanquam ad supplicium. Ait enim:

Male cubandum est, indicatum me uxor adducit domum.

Ubi primum delatus a parasito erat, accusatus, & convictus ab uxore. *Pollet. Hist. For. Rom.* IV. 11.

INDICIUM profiteri est ultro sese, consortesque criminis deferre. Tacit. Annal. VI. 3. 6. *Et summum supplicium decernebatur, ni professus indicium esset.* Suet. Domit. c. 17. n. 2. *Professus conspirationis indicium.* Quod Ciceroni est *indicium postulare* in Divin. c. 11. *Quapropter si tibi indicium postulas dari, quod tecum una feceris, concedo, si id lege permittitur deferre.* Curt. v. 11. 7. *Stimulante conscientia indicium patrono detulisse.* Pollet. Hist. Fori Rom. IV. 7. Bud. in Pandect. p. 225. I.

INDICTIO est qua subditi monebantur, ut se ad solutionem compararent, priusquam collecta exigeretur l. ult. C. de indict. *indiciturque* hoc genus collectæ, pro rebus, quæ possidentur, quibus si sponte cesserit possessor, onere hujus pensitationis liberatur, sicut ususfructus perit, re perempta, vel flumine occupata l. repeti l. cum usumfructum ff. quibus modis ususfruct. Quod tamen sua ætate usurpatum negat Salvian. v. p. 96. *Plerique*, inquit, *pauperculorum atque miserorum spoliati resculis suis, & exterminati agellis suis, cum rem amiserint, amissarum tamen rerum tributa patiuntur.* Non potest *indici* nisi ab eo, cui lege, aut jure imperii id competit. l. 1. C. de superind. l. 1. C. de vacat. mun. *Indicebatur* autem lustro quoque aurum, argentum, aut ferrum C. de indict. *Indictio* Ciceroni collecta, collatio, symbola, ἔρανον Polluc. III. 26. vulgo taille, similis capitationi. Indictionis primæ, secundæ, tertiæ meminit Cassiod. Var. III. 25. *Siliquatici titulum, quem fide dominicatus jure dederamus discussione indictionis primæ, secundæ, vel tertiæ per provinciam Dalmatiam ordinatio tibi nostra permittit.* Quædam fuerunt canonicæ, & e lege factæ, quædam extraordinariæ, & per magistratus ex improviso decretæ collationes l. 1. C. de indictione. *Buleng. de Vectig.* c. 18.

Indictio significat item spatium quindecim annorum, qui in se revolvuntur. Græci vocant ἐπινεμήσεις. Sub Augusto hoc olim monstravit annum, quo Romanis tributa ferri solebant, & simul etiam indicavit, quotus esset annus post tributorum solutionem. Cum enim Romani dominarentur universo fere orbi terrarum, terrasque remotiores sibi fecissent tributarias; Octavius Augustus tertio anno ante nativitatem D. Jesu præcepit, ut illi qui in remotioribus locis degerent, ob difficultatem itinerum, exacto demum lustro, seu quinquennio tributum solverent, ac in fine primi quinquennii aurum afferrent ad dominationis typum; in fine secundi argentum ad stipendia militum; in fine tertii æs & ferrum ad armorum reparationem. Neve hæc ipsorum constitutio facile ex memoria hominum laberetur, sanxerunt Imperatores, atque etiam postea pontifices Romani, nullum instrumentum a notariis publicis confectum, stabile, & firmum habendum esse, nisi anno *Indictionis* determinatum esset, quod & hisce temporibus observari solet. Incipit autem cyclus *indictionis* ex Imperatorum sententia 24. die Septembris; quo tempore ob maturitatem frugum optime solvi possunt tributa. At ex pontificum decreto tunc demum, quando & anni nativitatis Christi mutari solent. Unde tabelliones Imperiales mutant *indictionem* die 24. Septembris. Tabelliones Imperiales vero pontificia auctoritate fungentes,

in

in curia Romana pontificis post tres demum menses, ut patet ex actis concilii Constantiensis, in quibus mutatur annus Domini, & *indictio* simul. *Origan. apud Muncker. de Intercal.* III. 16. §. 4. *Buleng. de Vectig. c.* 18. Cujus rei nulla apud veteres auctores mentio exstat. Dionysius quidem Exiguus abbas Romanus, qui ante mille annos vixit, scribit, *indictiones* ab Augusto Cæsare ante Christi adventum institutas fuisse Olymp. 194. anno primo, 8 Kal. Octobr. Nam *indictione* quarta D. Jesum Christum natum scribit: quod & Bedas affirmat de natura rerum c. 47. Sed Chyrius Fortunatianus V. C. Afer, cujus Hieronymus, & ab eo Sophronius meminere, rationem inveniendi *indictiones* annuas conscribens, nullam earum originis mentionem facit. Mirum quoque & Isidorum tam accuratum scriptorem ne verbum quidem de *Indictione* fecisse. Et omnia, quæ hactenus de *Indictione* allata sunt, haud recte sunt dicta. Siquidem *indictiones* non sub Augusto Cæsare, sed longo tempore post sub Constantino Augusto inventæ sunt, neque ad tributi, vel pensitationis usum, sed ad temporum rationem digerendam, erroresque tollendos, qui circa tempora & annos oboriri poterant. Observavi enim ante Constantini Augusti imperium nullibi, neque apud publicos, neque apud privatos scriptores, unquam *Indictionis* mentionem fieri ea ratione qua nunc usurpatur; sub ejusdem vero imperio, & paullo post ubique & passim, pro annorum digestione *Indictionis* vocabulum tam in publicis, quam in privatis actionibus frequentari; verum quo potissimum anno, aut quam ob causam diu incertus fui. Sed singula Constantini facta cum examinavissem, & *Indictionum* rectam computationem fecissem, inveni eo anno, quo Maxentius a Constantino victus est, *Indictionem* primam inchoatam fuisse. Is erat annus Christi 313. Hoc anno Constantini de Maxentio victoriam fuisse, Socrates & Sozomenus cum Eusebio scribunt, septimo imperii sui anno, ipso II. & Licinio II. coss. atque ut auctor incertus in panegyrico scribit circa 8. Kal. Octobr. pridie quam tyrannus septimum imperii sui annum inchoaret. In cujus rei memoriam ego primam *Indictionem* institutam fuisse existimo, quæ & 8. Kal. Octobr. singulis annis inchoatur. *Panvin. Fast.* II. *p.* 265. *Gyrald. de Ann. & mens. Oper. Tom.* II. *p.* 754. *D. Laurent. Var. sacr. gentil. c.* II.

INDIGETAMENTA, τὰ ἱερατικὰ βιβλία, ut dicuntur in glossis, erant libri pontificum, qui dedicationum ritus continebant, & deorum, dearumque nomina, atque hominum in deos receptorum. Serv. Georg. I. 21. *Nomina hæc numinum in indigitamentis inveniuntur, id est, in libris pontificalibus: qui & nomina deorum, & rationem ipsorum numinum continent.* Varro apud Non. XII. 56. *Quorum nomina habent scripta pontifices.* Salmas. Exerc. Plin. p. 51. b. B. Voss. Lex. Etymol. de Idolol. I. 12. Guther. de Vet. jur. pont. I. 20. Scalig. & Dacer. ad Festum.

INDIGETARE est ὀνομάζειν, precari, invocare. Sic enim ea voce usus Macrob. Sat. I. 17. cum ait: *Namque virgines Vestales ita indigitant, Apollo medice, Apollo Pæan.* Falsus igitur Johannes Auratus, cum putavit, *indigetare* semper esse ἀποθεοῦν, sive *indigetem facere.* Nos potius putamus, nunquam sic accipi. *Voss. Lex. Etymol. Guther. de Vet. jur. pontif.* I. 20.

INDIGETES dicebantur *dii, quorum nomina vulgari non licet.* Festus. Recte: nec enim efferebantur eorum nomina in vulgus, in quorum tutela urbs Roma esse credebatur, ne ab hostibus possent evocari. Liv. I. 2. *Situs est Æneas, quemcunque eum dici jus fasque est, super Numicum flumen illum Jovem indigetem appellant.* Guther. de Vet. jur. pontif. I. 20. Crinit. de Hon. discipl. I. 18. Brisson. de Form. I. p. 51. Ita quidem Festus. Sed Serv. Georg. I. 498. Æneid. XII. 794. *Indigetes duplici ratione dicuntur, vel secundum Lucret.* I. 61. *quod nullius rei egeant:*

Ipsa suis pollens opibus, nihil indiga nostri.

Vel quod nos eorum indigeamus, unde quidam omnes deos indigetes appellari volunt. Alii patrios deos indigetes dici debere tradunt. Alii ab invocatione indigetes dici volunt, quod indigito est precor, & invoco. Ex his maxime probatur, quod dicitur I. deos *indigetes* esse patrios, qui Græcis θεοὶ πατρῷοι, καὶ ἐγχώριοι. Quomodo *indiges* erit ab *indu* pro *in* & *ago.* Atqui *indiges* sit, qui locum aliquem incolit. Unde & Græcis τοπικὸς vocatur. II. *indigetem* esse ab *indigito*, hoc est, invoco. V. supr. in *Indigetare.* Ita *indigetes* dicti sint, quia cum ex hominibus dii facti sunt, una cum cæteris diis invocantur. Atque eadem mente cum Salmas. Exerc. Plin. p. 51. b. A. deduxeris ab *in* & *dicare*, hoc est, ἱερῶσαι. a qua significatione est dedicare, ut *indico* sit ἐνιερῶ, *indices*, & *c* in *g* converso *indiges*, ὁ ἀφιερωθείς, *inter deos consecratus.* Voss. Lex. Etymol. Saubert. de Sacrif. c. 5. Dacer. in Festum. Gyrald. Synt. deor. I. p. 19. F. Vaillant Numism. c. I. p. 83. Barth. Adv. II. 13. Demster. Rosin. Paral. II. 17. Elmenhorst. in Arnob. I. p. 32. Cerda in Virgilium. Laurent. var. sacr. gentil. c. 2. Struv. Ant. Rom. c. I. p. 66. Vlit. in Grat. Cyneg. n. 438. Primus, quem *Indigetis* nomen sortitum invenimus, est Æneas. Cui sacellum exstructum cum ejusmodi inscriptione: PATRI DEO INDIGITI, QUI NUMICI AMNIS UNDAS TEMPERAT. Festus: *Indigitis nomine Æneas ab Ascanio appellatus, cum pugnans cum Mezentio nusquam apparuisset, in cujus nomine etiam templum construxit.* Meminit etiam Tib. II. 5. 45.

Illic sanctus eris, quum te veneranda Numici
Unda deum cœlo miserit Indigetem.

Voss. de Idolol. I. 12. Broukh. in Tibullum.

INDUCI proprie dicuntur calcei. Tertull. de Pall. c. 4. *Impuro cruri purum aut malleolum inducit calceum.* c. 5. *Si quid calceatus inducitur.* Cicer. Herenn. I. 13. de Invent. Rhet. II. 50. *Soleæ ligneæ in pedibus inductæ.* Apul. II. p. 63. *pedes palmeis baxis inductum.* id est, palmeas baxas pedibus inductas habentem. *Salmas. in Tertullianum.*

INDUCIÆ *sunt pax castrensis paucorum dierum.* Varr. Libr. human. qui est de bello & pace. Item alio in loco: *Sunt belli feriæ.* Varronem sequitur Donat. Eun I. I. 15. In illa autem Gell. I. 25. reprehendit, quod paucos dies adjecit, ostendens solere & in horas dari: addam ego & in annos etiam viginti, triginta, quadraginta, etiam centum: quarum apud Livium exempla: quæ & illam Paulli l. postliminium ff. de captiv. definitionem redarguunt: *Induciæ sunt, cum in breve, & in præsens tempus convenit, ne invicem se lacessant.* Sunt potius conventio, per quam bello manente ad tempus bellicis actibus abstinendum est. Bello, inquam, manente: nam bellum status est nomen, qui potest esse etiam, cum operationes suas non exerit. *Grot. de Jur. bell. & pac.* III. 21. I. *Brisson. de Form.* IV. *p.* 364. *Sigon. de Ant. jur. Ital.* I, I. *Cerda Adv. c.* 141. §. 160.

INDULGENTIÆ criminum ortum habuerunt a publica relaxatione publicarum pœnitentiarum, olim injungi solitarum pro delictis gravioribus, ut docet Bellarm. de Indulg. I. 3. ubi refert *indulgentiarum* initium ad Apostolorum tempora, atque earum usum tunc fuisse probat ex 2 Corinth. c. 2. n. 10. ubi Paullus incestuoso, & excommunicato seriam agenti pœnitentiam, auctoritate a Christo accepta concedit *indulgentiam*, condonans rogatu Corinthiorum id pœnitentiæ, quod supererat faciendum, ne ob nimiam severitatem daretur locus insidiis diaboli. Verba ejus sunt. *Cui autem aliquid condonastis, & ego condono: nam ego quod donavi propter vos condonavi in persona Christi, ut non circumveniamur a Sathana.* Solebant a Principibus dari tempore ludorum secularium, & alias. Mentio consuetudinis Principum concedentium abolitionem criminum x. Digesti novi tit. 16. ad SCtum Turpilianum l. 8. in qua Paullus ICtus ita loquitur: *Abolitio aut publice fit ob diem insignem, aut ob publicam gratulationem.* Ad eam legem Glossa notat, tum fieri abolitionem criminum ob publicam gratulationem, *quando par ludus fieri debet.* Par autem ludus est ille, qui est ad gratulationem publicam, ut maxime fuerunt ludi seculares. Glossa item habet abolitionem eam a solo Princi-

cipe fieri posse. Digesti l. l. l. si interveniente de ea re ita loquitur Ulpianus. *Si interveniente publica abolitione, ut fieri solet vel ob lætitiam aliquam, vel ob honorem domus divinæ, vel ex qua alia causa, ex qua senatus censuit abolitionem reorum fieri. . . .* De eadem Diocletianus & Maximianus ita loquuntur C. IX. tit. 41. l. 2. *Cum eo tempore, quo indulgentia nostra* (nota hoc nomen pro *abolitione*) *crimina extinxit, accusatio a te instituta non fuerit, publicæ abolitionis præceptio cessat.* In quam glossa recte per *crimina* intelligit accusationes criminum: addo ego & pœnas intelligi posse, non ipsas criminum culpas. Nam ut ex communi opinione Ovid. Pont. I. I. 64.

Pœna potest demi, culpa perennis erit.

Quæ confirmo ex I. C. eodem his verbis: *Indulgentia P. C. quos liberat, notat: nec infamiam criminis tollit, sed pœnæ gratiam facit.* Taffin. Chronol. Iud. secul. c. 15. §. 5. & 6. Buleng. de Vectig. c. 19.

Indulgentiæ munerum. V. illas infr. in *Munificentia.*

Indulgentiæ tributorum sæpius fiebant, si vel bellorum injuria, vel annona gravi possessores exhausti essent. Euagr. V. 13. *Tiberius remisit tributa subditis ad unum integrum annum, & necessitates vectigalium quibus Adaarmanes nocuerat, liberavit, non ad mensuram damni accepti, sed longe supra.* Georgius monachus in Chron. Constantinus Magnus *remisit publica vectigalia, & debitorum chartas in foro Romano incendit.* Euseb. de Vita Constant. IV. 2. *Illationum annuarum, quæ fiunt pro singulis regionibus quarta parte sublata, eam possessoribus donavit, ut si quis imminutionem æstimet, quarto quoque anno eos immunes agnoscat: quod & postea lege obtinuit.* Buleng. de Vectig. c. 19. Spanhem. de Præst. numism. Dissert. IX. p. 815. Laz. Comm. Reip. Rom. IV. 9. V. & infr. in *Reliqua.*

INDUMENTA barbarica civibus Romanis interdicere solebant Imperatores. Unde etiam C. IV. tit. de habitu, quo uti oportet intra Urbem *majores crines, & indumenta pellium* prohibentur, quæ Gothorum propria erant, ut ex Sidonio, Synesio, & aliis constat. *Ruben. de Re vest.* I. 12.

INF.

INFANTES utero egressi statim lavabantur. Hieron. in Ezech. IV. *Orti infantes ad eluendum sanguinem lavantur aqua.* Bromia ancilla apud Plaut. Amph. V. I. 50.

Postquam peperit pueros, lavare jussit nos.

A matre enim sanguinolenti prodeunt. Artemid. I. 15. *Propterea, quod a sanguine infans est rejectus.* Juven. Sat. VII. 195.

—— modo primos incipientem
Edere vagitus, & adhuc a matre rubentem.

Atque hos propterea ICti sanguinolentos nominant: extatque in Codice titulus de iis qui sanguinolentos exceperint: quod Constantinus Imperator dixit *a sanguine comparare*, l. I. ejus tituli. Inter rara Clodium Albinum, qui candidissimus natus est, refert Capitol. c. 4. *Quum exceptus utero, quod contra consuetudinem puerorum qui nascuntur, & solent rubere, esset candidissimus, Albinus est dictus.* Salmas. in Capitolinum. Barthol. de Puerp. p. 62. Grang. in Juvenalem. Potter. Archæol. Græc. IV. 14. Lavabantur autem partim sale, molesto satis, partim aqua, eaque vel tepida, ut in funeribus, vel fervente, vel frigida. *Rhodig. Ant. Lect.* VI. 2. *Barthol. ibid. p.* 63. Additum subinde oleum in χύτλῳ. Nonn. Dionysiac. XXV. 491.

Nato vero illi erat contentio nutrix: gladii vero ipsi
Mamma erat, & vasa olearia, χύτλα, cædes & fascia thorax.

vel toto corpore, vel oculis, naribusve, ad infantis robur, & calorem non satis firmum augendum, conservandum. Eo tamen ordine, ut lotionem aquæ sequeretur oleum. Collocabantur in clypeo. Ennius apud Nonium:

Nam ubi introducta est, puerumque ut lavarent, collocant
In clypeo.

vel in mnasiterna, vel labello, vel alio vase. *Barthol. ibid. p.* 66. Alvei quoque testudinei in familia Cæsaris erant in usu. Capitol. ibid. c. 5. *Fuit & aliud signum futuri imperii. Nam quum Cæsariana familia hoc speciale habuerit, ut parvuli domus ejus in testudineis alveis lavarentur, nato infantulo testudo ingens patri ejus munere piscatoris allata est: quod ille homo literatus omen accipiens, & testudinem libenter accepit, & eam aurari jussit, atque infantulo ad excaldationes pueriles dicari, nobilitandum etiam hinc sperans.* Barthol. ibid. p. 67. Salmas. in Capitolinum. Recens natis virgam populeam in solo defigebant. V. infr. in *Virga.* Parentibus dissimiles illegitimi habebantur. Phocylides.

Non similes natos lectus ducit adulter.

Huic facit jocus Juliæ Augusti filiæ apud Macrob. Sat. II. 5. quæ consciis flagitiorum mirantibus, quomodo similes Agrippæ filios pareret, cum tam vulgo potestatem sui corporis faceret, dixit: *non nisi plena navi tollo vectorem.* Et qui gratiam alicujus captabat, aspectis liberis, dicebat esse patri simillimos. Theophr. Charact. c. 6. *Et ad cœnam vocatus, convivii dominum jubebit vocare liberos suos, ingressosque magis similes patri dicet, atque ficus ficui.* In similitudine vultus magnum esse pudicitiæ argumentum existimabatur. Horat. Od. IV. 5. 23.

Laudantur simili prole puerpera.

Quintil. Declam. 18. *Quæ pudicitiæ prima fiducia est, edidit partum, quem maritus agnosceret: non timuit, ne stupra, furtivosque concubitus parvuli vultus, aut crescentis infantiæ similitudo detegeret.* Meurs. de Puerp. c. 2. In humum abjiciebantur. Plin. Præf. VII. *Hominem tantum nudum, & in nuda humo, natali die abjicit natura ad vagitus statim, & ploratum.* Suet. Aug. c. 5. n. 2. *Se esse possessorem, ac velut æditurum soli, quod primum Augustus nascens attigisset.* Ovid. in Ibin n. 221.

Qui simul impuræ matris prolapsus ab alvo
Cinyphiam fœdo corpore pressit humum.

Brod. Misc. IV. 3. Demster. ad Rosin. II. 19. Kemp. de Oscul. c. 25. §. 13. Rhodig. Ant. Lect. XXIX. 14. Meurs. ibid. c. 4. Laurent. de Natalit. c. 2. Barthol. de Puerp. p. 69. Factum hoc I. ut vocem terræ contactu acciperent. Macrob. Sat. I. 12. *Quod infantes partu editi non prius vocem edant, quam attigerint terram.* II. ut auspicarentur recti esse diis conjugalibus, ut explicat Varr. de Vit. pop. Roman. c. 2. apud Nonium. III. ut Opem, sive matrem communem salutarent. Hoc persuadet Macrob. Sat. I. 10. *Huic deæ,* Opi, *sedentes vota concipiunt, terramque de industria tangunt, demonstrantes & ipsam matrem mortalibus appetendam.* Barthol. & Kemp. l. l. Humo tollebantur a parente, vel procuratore ejus, quo inter legitimos numerarentur hæredes. Senec. ad Marc. c. 18. *Consulti sunt de nobis parentes nostri, qui cum conditionem vitæ nossent, in hanc nos sustulerunt.* Juven. Sat. IX. 84. V. illum infr. in *Postes.* Terent. Andr. III. I. 6.

Nam quod peperisset, jussit tolli.

Barthol. ibid. p. 72. Kemp. Laurent. & Demster. l. l. Kipping. Antiq. Roman. I. I. §. 10. V. & infr. in *Tollere.* Si sexus non essent sequioris, hunc enim patres tollere nolebant; sed potius præcipiebant exponi. V. supr. in *Expositio.* imo necari. Ovid. Met. IX. 677.

Edita forte tuo fuerit si femina partu;
Invitus mando: pietas, ignosce, necetur.

Barthol. ibid. p. 75. Illis sublatis coronam foribus in lætitiæ signum appendebant. V. infr. in *Postes.* Pannis involvebantur adhuc rubentes. Capitol. Albin. c. 4. *Filius mihi natus est, ita candidus statim toto corpore, ut linteamen, quo exceptus est, vinceret.* Hieron. in Ezech. c. 16. *Teneræ infantium corpora pannis involvuntur, duplicem ob causam: ut & sale siccetur corpus, quod pannis, ne defluat, servatur, & stringitur: & membra tenerrima ne facile depraventur: unde & corpora barbarorum Romanis corporibus rectiora sunt:*

usque enim ad secundum & tertium annum semper pannis involvuntur. Casaub. in Capitolinum. Barthol. ibid. p. 97. Potter. l. l. Solebant ablui vesperi, antequam dormituri in cunas reponerentur. Liquet hoc ex Ennio modo laudato, & Theocrito mox laudando. *Meurs. ibid. c.* 5. In cunis reponendus fasciis circumducebatur. V. illas supr. in *Fasciæ pueriles.* Cunarum loco erant clypeus. Theocr. Idyll. xxv. 3. 3.

Utrumque ablutum, & jam plenum lactis, alieno
Deposuit clypeo.

Et vannus. Auctor Etymolog. *Veteres in vannis liberos suos dormire faciebant.* Callim. Hymn. in Jovem. n. 47.

—— te vero sopivit Adrastea
In aureo vanno.

Qui in ventilabris collocabant, in auspicium futurarum divitiarum id faciebant. Scholiastes Callimachi: *In ventilabris olim infantes dormituros collocabant, in futurarum divitiarum, & affluentiæ auspicium.* Inde Λικνίτην Bacchum qui quæ dictum tradit Hesychius: *Licnites epitheton Bacchi a vannis, in quibus infantes dormiunt.* Serv. Georg. I. 166. nisi quod pro Λικνίτης Λικνιτὴς ibi dicatur: *Nonnulli Liberum patrem apud Græcos Λικνιτὴν dici a[illegible]unt: vannus autem,* non *vallus,* ut ibi legitur, *apud eos λικμὸς nuncupatur: ubi de more positus esse dicitur, postquam est matris utero editus.* Meurs. ibid. c. 5. Spanhem. & Anna Fabri in Callimachum. Potter. l. l. Claude Diatr. de Nutric. c. 4. Masculi Genio, femellæ Junoni in tutelam tradebantur. De Genio Arnob. II. p. 91. *Toga sternitis lectulos, & maritorum Genios advocatis.* Juven. Sat. VI. 21.

—— vetus est alienum Postume lectum
Concutere, atque sacri genium contemnere fulcri.

De Junone Tibull. IV. 12. 15.

Hæc per sancta tuæ Junonis numina juro.

Petron. c. 26. *Junonem meam iratam habeam.* Meurs. ibid. c. 4. Edusæ, & Potinæ initiabantur. V. infr. in *Initiari.* Nomen dare solebant proximi. Suet. Ner. c. 6. n. 4. *Futuræ felicitatis signum evidens lustrico die exstitit. Nam C. Cæsar, rogante sorore, ut infanti ei, quod vellet, nomen daret, intuens Claudium, ejus dare se dixit.* Ubi nomen pro prænomine capiendum, quia ipsa gentilia nomina certa semper eademque erant; at prænomina modo mutabant. Polyæn. VI. I. 6. *Jason, puero sibi procreato, ad imponendum ei nomen principibus Thessalorum convocatis, advocavit fratrem, ut primas in eo negotio partes ipse susciperet. Fratri litationum principatum concessit, eique potestatem nomen puero indendi dedit.* Ruben. Elect. I. 5. Pitisc. in Suetonium. Die lustrico salivam ad labra, & frontem illis solebant admovere, idque digito infami. Pers. Sat. II. 32.

—— frontemque, atque uda labella
Infami digito, & lustralibus ante salivis
Expiat.

Salivæ enim inesse vim quandam mirificam existimabant, ut fuse docet Plin. XXVIII. 4. Alludit eo Athanasius, cum Priscillæ & Montani deliria appellat *anuum sputa* in tractatu contra omnes hæreses. Adhibebant non meram, sed pulverem sputo turbatum, hoc est lutum. Petron. c. 91. *Mox turbatum sputo pulverem medio sustulit digito, frontemque signavit.* Neque apud Persium *lustralem salivam* aliter interpretor. Nam sine luto expiationes non peragebantur. Fascinum, quod timebant illis, avertebant. Pers. ibid. n. 34.

—— Urentes oculos inhibere perita.

Eo salivam, sive sputum valere credebant. Dio Chrysost. Orat. 33. *Quid vero lutum? oculum malum avertit, fasci[illegible].* Eam ob causam & Cuninæ vota faciebant. V. supr. in *Cunina.* Amuleta etiam, & res turpiculas pueris appendebant. Vota pro illis facientes eos manibus quatiebant. Persius mox laudandus. Quasi præsentibus diis illos ostenderent. Hoc πάλλειν χερσὶν dicit Homer. Iliad. Z. 474.

Sed hic suum dilectum filium, ut osculatus est, libravitque manibus,
Sic infit, supplicare Jovi, aliisque diis.

βράσσειν Lycophr. Alex. n. 460. de votis pro infante loquens:

Patri suo preces dixit impetrabiles,
Aquilæ catulum in ulnis quatiens.

ἀνοργάζειν alii apud Hesychium, qui hoc explicat, *infantem manibus quatere.* Faciebant vero vota pro divitiis. Pers. ibid. n. 35.

Tunc manibus quatit, & spem macram supplice voto
Nunc Licini in campos, nunc Crassi mittit in ædes.

Per *spem macram* intelligit infantem tenellum, ac ferme adhuc a partu rubentem. *Spes* enim Latinis familiare est pro pueritia, aut juventute: item pro puero, ac juvene. Pro forma, & potentia. Pers. ibid. n. 37.

Hunc optent generum Rex & Regina; puellæ
Hunc rapiant.

Idem Juven. Sat. X. 289.

Formam optat modico pueris, majore puellis
Murmure, cum Veneris fanum videt anxia mater
Usque ad delicias votorum.

Pro absoluta omnibus numeris felicitate, quam poetica circumlocutione exprimit n. 38.

—— quicquid calcaverit hic, rosa fiat.

ut Sat. I. 38.

—— e manibus illis
Nascentur violæ.

& Claud. Laud. Seren. n. 89.

—— quacunque per herbam
Reptares, fluxere rosæ.

Casaub. in Pers. II. 200. nomina apud acta parentes debebant profiteri, & in illorum capita aliquid Junonis Lucinæ templo inferre. V. infr. in *Nummus.* Ad tibiam efferebantur. V. infr. in *Tibiæ funerales.* Antiquitus non cremabantur. Plin. VII. 16. *Hominem prius quam genito dente cremari, mos gentium non est.* Juven. Sat. XV. 138.

Naturæ imperio gemimus, cum funus adultæ
Virginis occurrit, nec terra clauditur infans,
Et minor igne rogi.

Et quia discrimen ætatis in sepeliendis veteres observabant, *infantibus pueris neque inferias ferebant, neque cætera faciebant, quæ par est facere alios pro mortuis: nondum enim his terra communicata est, neque eorum quicquam, quæ terra nascuntur: neque sepulcra exstruebant, neque monumenta, ac collocationem mortuorum amabant, neque corporibus adsidebant.* Plutarch. Consol. ad uxor. p. 612. A. Tacit. Annal. XIII. 17. 3. *Festinationem exsequiarum edicto Cæsar defendit, id a majoribus institutum referens, subtrahere oculis acerba funera, neque laudationibus, aut pompa detinere.* Allusit huc Auson. Parent. X. 5.

Tu gremio in proavi funus commune locatus,
Invidiam tumuli ne paterere tui.

Sic apud Græcos hoc quoque ætatis discrimen observatum innuit Eurip. Alcest. n. 55. ubi Apollinem sic loquentem inducit.

Si anus moriatur, splendidius sepelietur.

Kirchmann. de Funer. Roman. I. 4. Locus, ubi sepeliebantur, vocabatur suggrundarium. V. infr. in *Suggrundarium.*

INFERIÆ erant *sacrificia, quæ diis manibus inferebant.* Festus. Suet. Cal. c. 3. n. 7. *Sicubi clarorum virorum sepulcra cognosceret, inferias manibus dabat.* Constabant præcipue liquoribus, ac victimis. Quæ liquoribus constabant, a Græcis proprie χοαὶ vocabantur a fundendo. Aristot. de Mundo. Θεῶν τε θυσίαι, καὶ ἡρώων θεραπεῖαι, καὶ χοαὶ κεκμηκότων. Quod Apul. de Mund. p. 751. ita reddidit: *Diis sacrificatur, genius ministratur, obitis libatione perfunditur.* Liquores erant I. Aqua, quæ arferial, vel arferia vocabatur. V. supr. in *Arferia.* II. Vinum. Festus: *Respersum*

sum vinum significat apud antiquos : quia in sacris novemdialibus vino mortui sepulcrum spargebatur. Eratque hoc plerumque merum. Virg. Æneid. v. 77. V. illum supr. in *Carchesium.* Allusit huc Apul. Met. IV. p. 124. *Post istum serminis terminum poculis aureis defunctorum commilitonum vino mero libant.* III. Lacte & sanguine. Virg. Æneid. III. 66.

> *Inferimus tepido spumantia cymbia lacte,*
> *Sanguinis & sacri pateras.*

Ubi Servius: *Ideo lactis & sanguinis mentio facta est , quia affirmantur animæ lacte & sanguine delectari.* Et paullo post. *Bene animam lacte & sanguine dicit elicitam ad tumulum. Lacte namque nutritur corpus post animæ conjunctionem, & anima sine sanguine nunquam est, quo effuso recedit.* Victimæ erant I. Animalium. Virg. Æneid. v. 94.

> *Hoc magis inceptos genitori instaurat honores,*
> *Incertus Geniumne loci, famulumne parentis*
> *Esse putet : cædit quinas de more bidentes*
> *Totque sues, totidem nigrantes terga juvencos.*

Tacit. Hist. II. 95. 2. *Latum fœdissimo cuique, apud bonos invidiæ fuit, quod, exstructis in campo Martio aris, inferias Neroni fecisset : cæsæ publice victimæ, crematæque, faces Augustales subdidere.* II. Hominum. Respexit eo Cicer. Flacc. c. 38. *Quam potestis P. Lentulo, qui vos in complexu liberorum, conjugumque vestrarum trucidatos, incendio patriæ sepelire conatus est, mactare victimam gratiorem, quam si L. Flacci sanguine illius nefarium in vos odium satiaveritis ? Litemus igitur Lentulo, parentemus Cethego. . . .* Kirchm. de Fun. Rom. IV. 2. Turneb. Adv. IV. 22. Noris. Cenot. Pisan. Dissert. III. c. 5. Paschal. de Coron. IV. 7. Quenstedt de Sepult. vet. c. 13. Saubert. de Sacrif. c. 5. Ferret. Mus. Lapid. II. 10. Guther. de Jur. man. II. 11. Kipping. Antiq. Roman. IV. 6. 11. Minos in Alciat. Emblem. 117. Nec propinquis tantum hæc propinqui faciebant, sed etiam amici amicis, & maxime viris illustribus, quorum memoriam sanctam haberent, quorumque virtutes admirarentur. Suetonius modo laudatus. Auctor horum Dispiter, unde & vita functis imperare est creditus, teste Diodoro Siculo. *Meurs. de Fun. c. 30. Quenstedt l. l.* II. Hominum. V. infr. in *Sanguis.*

INFERTORES appellabantur structores, qui fercula *inferebant.* Juven. Sat. v. 80.

> *Aspice, quam longo distinguat pectore lancem,*
> *Quæ fertur domino, squilla, & quibus undique septa*
> *Asparagis, qua despiciat convivia cauda,*
> *Cum venit excelsi manibus sublata ministri.*

Ubi habent veteres glossæ, *ministri; infertoris.* Eædem ad illa ejusdem Sat. XI. 142.

> *Nec frustum capreæ subducere, nec latus Afræ*
> *Novit avis noster tirunculus.*

ita explicant, *hoc est, quod vult dicere, infertor noster furtum facere ignorat.* Pignor. de Serv. p. 114. Buleng. de Conviv. IV. 4.

INFESTI dicebantur spectatores favorem denegantes, converso scilicet pollice. Suet. Jul. c. 26. n. 7. *Gladiatores notos, sicubi infestis spectatoribus dimicarent, vi rapiendos, servandosque mandabat.* Cæsar probe tenens, certissimo in vitæ discrimine positos gladiatores illos, qui inter dimicandum spectatores haberent *infestos,* hoc est, minime faventes, sive, quod esset natura lenissimus, sive quod in muneribus edendis frequentem omnino cuperet habere gladiatorum numerum, quos morti *infestus* populus converso pollice destinabat, eos vi quandoque rapiendos, sibique ad munera reservandos jubebat. *Infestum* quoque pollicem pro converso a Pentadio fuisse positum facile crediderim Elegia de Spe:

> *Sperat & in sæva victus gladiator arena,*
> *Sit licet infesto pollice turba minax.*

Nimirum ad id respexit poeta, quod in gladiatoriis ludis fiebat nonnunquam. Quamvis enim qui adversario inter dimicandum succubuerat, de more jugulandus esset, ipsumque necis signum daret populus converso pollice, fiebat tamen aliquando, ut populus ipse pro victo intercederet; & jam non alterum convertens pollicem, sed utrumque premens, eum a morte liberaret. *Ferrar. de Acclam. & plaus.* II. 13. *Politian. Misc. c. 42. Turneb. Adv.* XI. 6. *Lips. Saturn.* II. 22. *Erasm. Adag. p. 57.*

INFIBULATIO quid, & quinam *infibularentur* V. supr. in *Fibula.*

INFREQUENS *appellabatur miles, qui abest, absuitque a signis.* Cornific. ad Herenn. IV. 27. *Prætereo, quod rei militaris te infrequentem tradidisti.* Plaut. Trucul. II. 1. 19.

> *Hunc pro infrequente mittas militia domum.*

Talis ære dirutus fiebat. Auson. Centon. præfat. *Procedere mihi inter frequentes stipendium jubebis ; sin aliter, ære dirutum facies.* Bene *inter frequentes :* nam qui *infrequens,* patiebatur hanc pœnam. Frontin. IV. 1. 48. *Decrevit senatus, uti ea legio tota infrequens referretur, stipendium ei annuum non daretur, æraque rescinderentur.* Lips. de Milit. Roman. v. dial. 18. Thys. Rom. Illustr. v. p. 152.

INFULA est fascia latior, eaque lanea, & alba, quæ ambit eam capitis partem, quæ capillo tegitur, ab uno tempore pertingens ad alterum; & utrinque adstricta, ac dependente vitta. Virg. Æneid. x. 538.

> *Infula cui sacra redimibat tempora vitta.*

Ubi Servius : *Infula, fascia in modum diadematis, a qua vittæ ab utraque parte dependent, quæ plerumque lata est, plerumque tortilis de albo, & cocco.* Erat sacerdotum. Isidor. XIX. 30. *Infula est fasciola sacerdotalis capitis, alba, in modum diadematis, a qua vittæ ab utraque parte dependent, quæ infulam vinciant.* Erat sacerdoti, quod diadema Regi. Virg. Æneid. II. 428.

> *—— nec te tua plurima Panthu*
> *Labentem pietas, nec Apollinis infula texit.*

perinde ac si Martem accuset impietatis, qui *infulato* sacerdoti vitam eripere non dubitavit. Magistratuum summorum, ut Romæ consulum. Jornandes memorans libr. de Successor. exactis Regibus urbem Romam fuisse sub auspiciis consulum : *Postremo, Superbi illius importuna dominatio nonnihil, imo vel plurimum profuit. Sic enim effectum est, ut agitatus injuriis populus cupiditate libertatis incenderetur : mutataque regali dominatione, ad consulum infulas se referret.* Paschal. de Coron. IV. 22. Bernart. in Stat. Theb. v. 678. Raynaud. de Pil. & cæt. cap. teg. Sect. XIII. Voss. Lex. Etymol. Salmas. Exerc. Plin. p. 262. b. G. in Spartian. Adrian. c. 6. Potter. Archæol. Græc. II. 4. Bud. in Pandect. p. 147. I. Laz. Comm. Reip. Rom. II. 3. Turneb. Adv. XXVIII. 6. Bross. in Cassiodor. Var. II. 1. Barth. Adv. XLVI. 1. Stuck. de Sacrif. p. 104. Braun. de Vestit. sacerd. Hebræor. II. 4. §. 24. Casaub. in Spartian. Adrian. c. 6. Buleng. de Imper. Rom. II. 3: III. 14. Laurent. Var. sacr. gentil. c. 14. Falcon. de Pyram. C. Cestii Thes. Ant. Rom. Græv. Tom. IV. p. 1472. C. Saubert. de Sacrif. c. 10.

INFUNDIBULUM fiebat ex ligno excavato, & ære, per quod latices in vasa ex folio *infundimus.* Cato de Re Rust. c. 13. *In torcularium usu quod opus est. . . . infundibula duo.* Colum. XII. 3. *Raram supra modum velut per infundibulum transmittere imbres.* Grapald. de Part. dom. I. 3. §. 12.

Infundibulum est etiam in moletrina, sive molendino, instrumentum, quo machinæ appenso mobilis, & tremulæ ligneæ linguæ percussione ministratur molis frumentum, unde farina fiat. Vitruv. x. 10. *In qua machina impendens infundibulum subministrat molis frumentum.* Philand. in Vitruvium. Bald. Lex. Vitruv.

ING.

INGENUI, ita a Romulo facta est divisio populi, patricii erant, aut plebeji, quorum diversa gens esset. Qui ex duobus *ingenuis* ortus erat, gentem habebat. *Ingenui* enim non dicebantur priscis temporibus libertino-

rum

rum filii, qui libertini ipsi vocabantur. Sed ex his procreati *ingenuorum* sibi nomen vindicabant. *Guther. de Vet. jur. pontif.* II. 7. Multum inter ipsos intererat. Patebat omnibus æque aditus ad honores, sed ita, si a re familiari parati satis viderentur. Nam neque decurio, qui gradus in militia fuit, esse quisquiam poterat, nisi c. millia possideret: neque eques, nisi CD. neque senator, nisi CC∞. ita & virtute opus erat, qua præditi magistratus publicum negotium gerere præclare possent, & fortunis, quæ dignitatem augent, ipsamque quodammodo virtutem exornent. Erat etiam illa inter *ingenuos* differentia, quod qui supra ∞D. æris in censum non detulisset, is in militiam legi non poterat. Id adeo causæ fuit, quod res familiaris obsidis vice, pignorisque apud Rempublicam videbatur. Eorum hominum duo genera fuerunt, proletarii, & capite censi. V. illos suis locis. *Manut. de Civit. Rom. Thes. Ant. Rom. Græv. Tom.* I. *p.* 36. *F.* Libertinas uxores ducere non poterant. Hoc declarat SCtum, quo Hispalæ Feceniæ libertinæ concessum fuisse scribit Liv. XXXIX. 19. *ut ei ingenuo nubere liceret: neu quid ei qui eam duxisset, ob id fraudi, ignominiæve esset.* Quo patet, libertinis cum reliquis civibus connubia non fuisse. Postea lege Papia cautum est, ut *omnibus ingenuis, præter senatores, eorumque liberos, uxores libertinas habere liceret.* Addit Ulpianus: *Si senator libertinam habuerit uxorem, quamvis interim uxor non sit, attamen in ea conditione est, ut si amiserit dignitatem, uxor esse incipiat.* Et Paullus ex lege Julia subjungit: *Qui senator est, quive filius, nepos, pronepos-ve, ex filio, vel ex filia natus, cujus eorum est, eritve, ne quis eorum sponsam, uxoremve sciens dolo malo habeto libertinam.* Manut. de Leg. Rom. c. 16. Sigon. de Ant. jur. civ. Rom. I. 9. Laurent. de Sponsal. c. 2. Brisson. de Jur. connub. p. 120. Hotoman. de jur. nupt. & matrim. c. 2. Zamosc. de Senat. Rom. I. 16. Lips. in Tacit. Annal. III. Excurs. C.

INGRATUS libertus quis, & an in servitutem retrahi potuerit. V. infr. in *Liberti.*

INGUEN dextrum si salierit, utilitatem: cæteris autem inimicos exuperare portendit: sin autem sinistrum, insidias: cæteris autem iter utile enuntiat. *Niphus de Augur.* I. 9.

INH.

INHIBERE remis est sensim retrocedere. Qui enim urgentur ab hoste, non quidem aperte fugiunt, retrocedunt tamen, & majoris securitatis causa frontem obvertunt hosti, navigio sic inclinato, flexoque, ut, cum opus est, possint concurrere; cum non est, flexum penitus convertere in fugam. Justin. II. 12. 7. *Inhibete remis, & a bello discedite.* Curt. IV. 4. 9. *Quum Tyrii inhibentes remis ægre evellere navem, quæ hærebat.* Id ipsum dicit *inhibere* sine adjecto nominis casu Liv. XXXVII. 30. *Inde quum tumultu injecto, quum invellere se ab hoste cupientes inhiberent Rhodii.* Et *puppes avertere* Nep. XXIII. II. 6. *Nova re perterriti, cum quid potissimum vitarent, non viderent, puppes averterunt.* Scheffer. Mil. Nav. III. 4. Gronov. Obs. IV. 26. Bud. in Comm. Ling. Græc. p. 242. Salmas. Epist. 113. & 114. Vorst. in Justinum. Pitisc. in Curtium.

INI.

INJICERE manum est verbum antiquum juris, & est proprie, *quoties nulla judicis auctoritate exspectata rem nobis debitam vindicamus,* ut Serv. Æneid. X. 419. Quintil. VII. 7. *Si dubium, aut alteri, aut invicem utrique de jure sit controversia; ut in re tali patri in filium, patrono in libertum manus injectio sit, liberti heredem sequantur. Liberti filium quidam fecit hæredem, invicem petitur manus injectio: & patronus negat jus patris illi fuisse, quia ipse in manu patroni fuerit.* Bud. in Pandect. p. 59. A. Brisson. de Form. V. p. 374. Cerda in Virgilium. *Injectionis* hujus formula erat, *hic meus est.* Ovid. Amor. I. 4. 40.

Et dicam mea sunt, injiciamque manus.

II. 5. 30.

Injiciam dominas in mea jura manus.

Ad hunc vindicationis morem sollennem allusit Virg. Ecl. IX. 9.

Quod nunquam veriti sumus, ut possessor agelli
Diceret: hæc mea sunt, veteres migrate coloni.

Brisson. l. l. Manus injectionem recipere V. infr. in *Recipere.*

INITIA erant sacra, maxime Cereris. Varr. de Re Rust. III. I. *Cui consentaneum est, quod initia vocantur potissimum ea, quæ Cereri fiunt sacra.* Cicer. de Leg. II. 14. *Nam mihi cum multa eximia, divinaque videntur Athenæ tuæ peperisse, atque in vitam hominum attulisse, tum nihil melius illis mysteriis, quibus ex agresti immanique vita exculti ad humanitatem, & mitigati sumus: initiaque ut appellantur, ita revera principia vitæ cognovimus.* Arnob. V. p. 168. *Ut cæteras turpitudinum species persequamur, quas mysteria illa continent sancta, quibus initiis nomen est, & quæ non omnibus vulgo, sed paucorum taciturnitatibus traditis.* *Initiatus* est sacris imbutus. Varr. de Ling. Lat. IV. *Per initiorum dies non initiati templum Cereris impudenter ingressi.* Illis *initiatus* est Augustus. Suet. c. 93. n. 2. *Athenis initiatus, cum postea Romæ pro tribunali de privilegio sacerdotum Atticæ Cereris cognosceret.* Dio LI. p. 445. A. *Res Græciæ constituit, & divarum sacris initiatus est.* Saubert. de Sacrif. c. 17. Elmenhorst. & Herald. in Arnobium. Turneb. in Cicer. de Leg. p. 106. Pitisc. in Suetonium. *Initalia* dicuntur Capitol. Anton. Philos. c. 27. Ita enim habet codex bibliothecæ Palatinæ: *Athenis fuit, & initalia Cereris adiit, ut se innocentem probaret.* Hoc μυεῖσθαι in eadem historia reddidit Dio. Probavit vero innocentiam Antoninus, quod exesse sacris jubebantur qui sibi alicujus sceleris essent conscii. Hoc fiebat non solum in Eleusiniis sacris, sed in aliis omnibus, in quibus clamabat sacerdos, & edicebat, exirent omnes, qui se innocentes non esse scirent. Quod eleganter describitur a Grat. n. 446.

Emicat ipse, manu ramum pallente sacerdos
Termiteum quatiens, procul hinc extorribus ire
Edico præsente deo, præsentibus aris,
Queis scelus, aut manibus sumptum, aut in pectore motum est,
Inclamat, cecidere animis trepidantia membra.

Salmas. in Capitolinum. Illorum ritus fusius describunt *Meurs. Eleusin. c.* 7. 8. 9. *Lomej. de Lustrat. c.* 16.

INITIARI Edusæ & Potinæ sive Poticæ, dicebantur infantes, dum a lacte depellebantur. Eugraph. ad Terent. Phorm. I. I. 15. *Initiare est ad cibum infantem instruere, qui & ipse dies est natalis quodammodo.* Donat. ad eundem: *Legitur apud Varronem initiari pueros Eduliæ, & Poticæ, & Cubæ, divis edendi, & potandi, & cubandi: ubi primum a lacte, & cunis transierunt:* quod Virg. Ecl. IV. 63.

Nec deus hunc mensa, dea nec dignata cubili est.

Hoc adnotavit Probus. Sed Terentius Apollodorum sequitur: apud quem legitur in insula Samothracum a certo tempore pueros initiari more Atheniensium. Non. II. 310. *Varro Cato vel de liberis educandis: cum pro cibo & potione initiarent pueros, sacrificabantur ab edulibus Edusæ, & a potione Potinæ nutrici.* Almelov. Antiq. p. 49. Ego Terentium intelligendum arbitror, non de Edulia, Potica, & Cuba. Nam Athenienses suos liberos Cereri, & Liberæ *initiare* solebant, quod ita notum est omnibus, qui mediocriter in literis Græcis sunt versati, ut testimoniis confirmare velle, sit rebus non dubiis fidem quærere. *Turneb. Adv.* III. 6.

INJURIA est non cavere, quod caveri debuit & potuit, ut is, qui eo loco jaculatur, ubi vel nulli, vel soli se milites exercere solent. *Injuria* demum erat, quæ aut pulsatione, aut convicio, aut turpitudine corpus, aures, aut vitam alicujus violavit, aut nostram, aut alterius in contumeliam nostram. De ea sic in XII. *Si injuriam alteri faxit, XXV. æris pœna sunto. Si membrum rupit, nisi cum eo pacit, talio esto. Si os fregit. . . . . æris sunto.* Gell. XX. I. Justinian. III. Prætores inde permiserunt, ut passi

passi *injuriam* pro arbitrio æstimarent, secundum gradum dignitatis, & vitæ honestatem. *Sigon. de Judic.* I. 5. *Rutersh. in Leg.* XII. *tab. Class.* III. *p.* 2. *c.* 36. *Injuriæ* nomine & vis, non modo publica, verum etiam privata continetur. Nam L. Sylla, ad arcendam vim, legem tulit de Injuriis. V. illam infr. in *Lex.* Has leges magna ex parte lex Aquillia de *injuria*, ab Aquillio tribuno plebis rogata concepta: de qua mentionem facit Ulpianus his verbis: *Lex Aquillia omnibus legibus, quæ ante de damno injuriave locutæ sunt, derogavit, sive lex* XII. *tab. sive alia quæcunque fuerit.* Manut. de Legib. c. 30. De illa facta qui se purgare volebant, jurejurando id faciebant. Duplici autem modo ea res transigebatur. Interdum enim jurabant, se non fecisse l. lex Cornelia §. hac lege: *Hac lege permittitur actori jusjurandum deferre, ut reus juret, injuriam se non fecisse.* Interdum satisfaciebant. Mart. XII. 80. 1.

> *Nil in te scripsi Bithynice: credere non vis,*
> *Et jurare jubes: malo satisfacere.*

Ovid. Rem. Amor. n. 697.

> --- *qui dicit multa puellæ*
> *Perjura, satisfieri postulat ille sibi.*

Satisfacturi olim jurabant se agnoscere, quod indigno eam *injuriam* intulissent, eaque res vindicabat læsum ab infamia. Qui sine illa satisfactione hujusmodi offensas condonabant, habebantur vel ignavi, quod ultionem non audebant expetere, vel ita flagitiosi, ut in legibus, & judiciis spem nullam vindictæ haberent. Suet. Jul. c. 73. n. 4. *Valerium Catullum, a quo sibi versiculis de Mamurra perpetua stigmata imposita non dissimularet, satisfacientem eadem die adhibuit cœnæ.* Ejusmodi formula utebantur: *nolle esse dicta, nolle hanc injuriam factam esse, nolle factum.* Plaut. Amph. III. 2. 7.

> --- [illegible] *ego illum aut de* [illegible]*,*
> [illegible] *et insuper,*
> *Nolle esse dicta, quæ in me* [illegible] *protulit.*

Terent. Adelph. II. 1. 8.

> [illegible] *quod te posterius purges, hanc injuriam mihi nolle*
> *Factam esse, hujus non faciam: credo hoc; ego meum jus persequar:*
> *Neque tu verbis solves unquam, quod mihi re male feceris.*
> [illegible] *vestra hæc; nollem factum: jusjurandum dabitur, te esse*
> [illegible] *injuria hac; indignis quum egomet sim acceptus* [illegible]*.*

Brisson. de Form. VIII. p. 716. Nann. Misc. II. 7. Turneb. Adv. XVIII. 25. Muret. Var. Lect. XII. 7. Scalig. in Festum in manicularum. Broukh. in Tibull. II. 5. 104. Laurent. de Rebuspubl. c. 4. Torrent. & Pitisc. in Suetonium.

INQ.

INQUIRENDI dies, si reus, legibus interrogatus, in [illegible] en, a magistratu petebantur, maxime in [illegible] um, ut in causa Verris, Verres primum [illegible] itata divinatio, lege interrogatio, lite [illegible], demum accusatio, & damnatio. Ma[illegible] enim, qui sese improbe gesserant in administranda provincia, post missum successorem, postulati ab iis, quos concussionibus, & latrociniis vexaverant, causam dicebant repetundarum, ex lege Acilia, deinde Cornelia, & Julia. Sed de admissis vix constare poterat, nisi qui delationem obtineret, impetraret certos dies ad peragrandam provinciam, in qua grassatus erat reus, ut in omnia *inquireretur.* Est enim *inquirere*, quod vulgo dicimus, facere enquestam, & informationem, colligere, & conquirere argumenta inartificialia undequaque ad reum convincendum. Hoc muneris dabatur I. Accusatori. Cicer. Proœm. Verr. c. 2. *Itaque cum ego diem inquirendi in Sicilia postulavissem perexiguam, invenit iste, qui sibi in Achajam biduo breviorem postularet.* II. Reo. Plin. Epist. V. 20. 2. *Inducti in senatum inquisitionem postulaverunt: tum Varenus petiit, ut sibi quoque defensionis causa evocare testes liceret, recusantibus Bithynis cognitio suscepta est.* n. 6. *Censuit Acilius Rufus, consul designatus, inquisitionem Bithynis dandam: postulationem Vareni silentio præteriit. Hæc forma negandi fuit: Cornelius Priscus consularis, & accusatoribus, quæ petebant, & reo tribuit, vicitque numero. Impetravimus rem, nec lege comprehensam, nec satis usitatam, justam tamen.* III. Legatis extra ordinem, ut hodie fit commissarius. Plin. Epist. III. 19. 31. *Norbano non ordo legis, non legati nomen, non inquisitionis officium præsidio fuit.* n. 36. *Summo die Salvius Liberalis reliquos legatos graviter increpuit, tanquam non omnes, quos mandasset provincia, reos peregissent.* Pollet. For. Rom. IV. 9. Brisson. de Form. V. p. 575.

INS.

INSCRIBERE loco eminentiore solebant nomen suum in fronte ædis, qui illam novam, vel restitutam dedicassent. Arnob. VI. p. 193. *Templa, quæ tholis sunt aureis, & sublimibus elata fastigiis, auctorum inscriptionibus comprobantur.* Romæ in Pantheo:

> M. AGRIPPA. L. FILIUS. COS. TERTIUM. FECIT.

Hoc cum Septimius Severus, & M. Aurelius Imperatores restituissent, scripserunt ad nominis sui immortalitatem:

> IMP. CÆS. L. SEPTIMIUS. SEVER. PIUS. PERTINAX. ET. IMP. CÆS. M. AURELIUS. ANTONINUS. PANTHEUM. VETUSTATE. COLLAPSUM. CUM. OMNI. CULTU. RESTITUERUNT.

Cum victore Sylla Capitolium conflagrasset, curamque ille suscepisset deorum sedem amplissimam reparandi; hoc solum felicitati suæ negatum questus est, quod non dedicarit. Plutarch. Syll. p. 104. E. Tacit. Hist. III. 72. 6. Huic operi Q. Catuli nomen inscriptum est. Plin. XIX. 1. Quod ita Julium Cæsarem perturbavit, ut hoc maxime prætor egerit, ut Q. Catuli nomen a Jovis Capitolini templo tolleretur. Suet. c. 15. n. 1. Sed hoc tamen inter tot Cæsarum opera usque ad Vitellium mansit. Tacit. l. l. Licet huic repugnet Dio XLIII. p. 220. C. Hæc *inscribendi* nominis consuetudo non in templis solum, sed in signis, monumentisque publicis ambitiose quæsita est. Ut cum *Segestanis Diana redderetur, illa in excelsa basi posita est, in qua grandibus literis P. Africani nomen incisum erat, eum Carthagine capta restituisse.* Cicer. Verr. IV. 34. Quin etiam *omnium municipiorum foris statuæ ornamentum fuerunt, & honores legendi ævo basibus inscripti.* Plin. XXXIV. 4. *Guther. de vet. jur. pont.* III. 12.

Inscribere mercede ædes est illas velle locare. Terent. Heaut. I. 1. 92.

> --- *inscripsi illico*
> *Ædes mercede.*

Vox *merces* additur, ne de venditione intelligatur: nam æque domus, quæ venditur, quam quæ locatur, *inscribi* potest dici. Merces vero significat omne id, quod ex agris locatis, pecunia sub usuris credita, & aliis rebus, quarum proprietas ad nos, usus ad alios pertinet, redigimus. V. infr. in *Merces.* Cuper. Obs. I. 17. Salmas. de Mod. usur. c. 15.

INSCRIPTIO crucis astrictionem sequebatur. Erat causa supplicii, & ipsum crimen. Romana voce vocabatur *titulus.* V. infr. in *Titulus.* Lips. de Cruc. II. 11.

Inscriptio sepulcrorum adeo fuit propria, ut vix sine illa monumenti nomen, vel memoriæ tueri possint. Unde Servius. . . . . *Locus ustrina dici solet, operis constructio sepulcrum, inscriptum nomen memoria, atque monumentum.* Et se legendis sepulcris in memoriam mortuorum redire testatur Cato apud Cicer. de Senect. c. 7. *Nec sepulcra legens, vereor, quod ajunt, ne memoriam perdam, his enim ipsis*

ipsis legendis redeo in memoriam mortuorum. Græcis ἐπιγραφὴ vocatur. Interdum concipiebatur prosa oratione, interdum versibus. V. infr. in *Titulus*. Solebat minio plerumque signari, ut clarior esset, & a viatoribus tanto facilius legi posset. Plin. xxxiii. 7. *Minium in voluminum scriptura usurpatum, clarioresque literas, vel in auro, vel in marmore, etiam in sepulcris fecit.* Kirchm. de Fun. Rom. iii. 19. Bergier. de Viis milit. ii. Sect. 39. §. 2. Brisson. de Form. viii. p. 691. Salmas. Exerc. Plin. p. 858. b. A. Borremans. Var. Lect. c. 4. Exprimebatur hisce plerumque verbis D. M. vel D. M. S. vel disertim DIS MANIBUS SACRA. Prudent. in Symmach. i. 402.

Ecce deos manes cur inficiaris haberi?
Ipsa patrum monumenta probant. DIS MANIBUS illic
Marmora secta lego.

Gell. x. 18. *Id monumentum Artemisia cum DIS MANIBUS SACRIS Mausoli dicaret.* Kirchm. l. l. Sequebantur defuncti I. Nomen. Senec. Epist. 60. *Qui latitant & torpent, sic in domo sunt, quomodo in conditivo. Horum licet in limine ipso nomen marmori inscribas, mortem suam antecesserunt.* Prop. ii. 1. 81.

Quandocunque igitur vitam mea fata reposcent,
Et breve in exiguo nomine marmor ero.

Ovid. Met. viii. 539.

Affusæque jacent tumulo: signataque saxo
Nomina complexæ, lacrymas in nomina fundunt.

Laber. apud Macrob. Sat. ii. 7.

Sepulcri similis nil nisi nomen teneo.

II. Parentes, patria, & familia. Callim. Epigr. xvi. 1.

Quæ tu Timonoe es? proh Jupiter, haud ego nossem
Te, nisi vidissem, nomen inesse patris
Timothei cippo, Methymnæque urbis.

Theophr. Charact. c. 14. *Si uxor obierit, monumento ejus & mariti, & patris, & matris nomina inscribere, itemque cujas ipsa sit: tum hoc elogium insuper adjicere, singulari omnes probitate erant.* Kirchm. l. l. Morest. Pomp. Feral. viii. 13. III. Res gestæ, quibus præclarum sibi nomen pepererant. Sic Augustus res suas columnis æneis ad sepulcrum suum collocatis insculpi jussit. Dio lvi. p. 591. B. *Altero continebatur enumeratio rerum a se gestarum, quas incidi in columnas æneas, ac statui ante suum sepulcrum jussit.* Plutarch. in Syll. p. 475. E. *Monumentum Syllæ in campo Martio est. Inscriptionem ab ipso ferunt conceptam, & relictam, cujus hoc caput est, se neque ab ullo amicorum beneficiis, neque ab ullo inimico maleficiis superatum fuisse.* Talis fuit Virginii Rufi, qui sepulcro suo incidi jussit hoc carmen teste Plin. Epist. vi. 10. 4.

Hic situs est Rufus, pulso qui Vindice quondam
Imperium asseruit non sibi, sed patriæ.

Quam sic extulit Xiphil. lxviii. p. 770. C. *In cujus mortui sepulcro inscriptum fuit, eum, superato Vindice, nequaquam sibi imperium asseruisse, sed patriæ.* IV. Spatium vitæ, sive anni, menses, dies, & horæ, quot vixissent. Inscriptio:

VALERIA. TROPHIMA. FILIO. DULCISSIMO. ET. PIENTISSIMO. ET. FRUGALISSIMO. VIXIT. ANNIS. XXIX. MENS. VIII. DIES. XVI. HORIS. VII.

Mart. v. 36. 3.

Impletura fuit sextæ modo frigora brumæ,
Vixisset totidem ni minus illa dies.

Vult enim dicere, ipsam vixisse annos 5. menses 11. & dies 25. V. Matrimonii tempus. Inscriptio Romæ in veteri tabella marmorea ad aquam virginem, in horto familiæ Bubalorum:

VEJANIUS. SMETENIANUS. LICINIÆ. DEMETRIANÆ. CONJUGI. KARISSIMÆ. CUM. QUA. FECIT. ANNOS. IX. M. VI. D. XXV.

Si matrimonium fuisset placidum, & tranquillum; illi addebatur: *sine querela, sine offensa, sine jurgio.* . . . Illarum clausularum plenissimæ sunt *inscriptiones*. Plin. Epist. viii. 5. *Grave vulnus Macrinus noster accepit. Amisit uxorem singularis exempli etiam si olim fuisset. Vixit cum hac* xxxix. *annis sine jurgio, sine offensa.* VI. Mortis causa interdum, nunc ad gloriam, nunc ad commiserationem. Fuitque hoc ipsum moris admodum vetusti. Theocr. Idyll. xxiii. 46. ex Heinsii versione:

Hoc quoque carmen habe, paucis quod ductibus addam:
Sustulit hunc crudelis Amor, ne perge viator:
Sed procul absistens, dic, sævum ardebat amicum.

Tibull. iii. 2. 27.

Sed tristem mortis demonstret litera causam,
Atque hæc in celebri carmina fronte notet:
Lygdamus hic situs est: dolor huic, & cura Neæræ
Conjugis ereptæ causa perire fuit.

Sic Nursini *Mutinensi acie interemptorum civium tumulo publice exstructo adscripserant, PRO LIBERTATE EOS OCCUBUISSE.* Suet. Aug. c. 12. n. 2. *Kirchm. ibid. c. 20. Brisson. ibid. p. 692. Morest. l. l. Meurs. de Fun. c. 32. Broukh. in Tibullum.* Hæ fere nunquam sine siglis reperiebantur, ut multis docet *Nicol. de Sigl. Vet. c. 31.*

Inscriptio statuarum, & imaginum vocabatur index. V. supr. in *Index.* & titulus. V. infr. in *Titulus.*

Inscriptio erat quoque supplicii genus antiquum, quo summa irrogabatur ignominia, cum liberi hominis facies signis perpetuo mansuris, profundis characteribus inurebatur. Senec. de Ira iii. 3. *Varia pœnarum genera, lacerationes membrorum, inscriptiones frontis.* Suet. Cal. c. 27. n. 4. *Multos honesti ordinis deformatos prius stigmatum notis condemnavit.* . . . Etiam fugitivorum, & servorum, si quid gravius deliquissent, pœnæ nomine, facies aut literis, aut aliis quibusdam notis per ignominiam inurebantur. Unde στιγματίαι, id est, *notis compuncti* dicebantur. Pollux iii. 7. 2. *literati.* Plaut. Cas. ii. 6. 49.

Si hic literatus me sinat.

inscripti. Mart. viii. 75. 9.

Quatuor inscripti portabant vile cadaver.

Et illorum *vultus inscripti.* Plin. xviii. 3. *At nunc eadem illa vincti pedes, damnatæ manus, inscriptique vultus exercent.* Auson. Epigr. xv. 3.

Ergo notas scripto tolerasti Pergame vultu:
Et quas neglexit dextera, frons patitur.

Veræ literæ *inscribebantur* fronti, imo vultui sæpe toti. Literæ aut plura verba, quæ crimen continerent, causamque notæ: puta, *cave a fure, a fugitivo.* . . . Senec. de Ben. iv. 37. *Improbissimo militi, ingratissimo hospiti, avidissimo naufrago stigmata inscriberet ingratum hospitem testantia.* Optime Petron. c. 63. *Implevit Eumolpus frontem utriusque ingentibus literis, & notum fugitivorum epigramma per totam faciem liberali manu duxit.* Interdum & plures versus. Zonar. iii. duos quospiam monachos, quia Imperatorem Theophilum liberius monuissent, inter alias ignominias, *inscriptos* ait: & quidem ita, ut duodecim versuum epigramma exciperent illa vultus, ut sic dicam, tabula: *Deinde facies eorum compunxit, & notis illis hos Jambicos versus atramento infuso expressit:* additque ipsos versus probos, plenos. Ratio *inscribendi* ita habuit: ut primum literæ, sive notæ inurerentur candenti ferro. Juven. Sat. xiv. 21.

Tum felix, quoties aliquis tortore vocato
Uritur ardenti duo propter lintea ferro.

Asius quidam poeta de Cnisolœcho apud Athen. iii. p. 109. D.

Claudus, notis compunctus, ac inustus.

Val. Max. vi. 8. *Servus inexpiabili nota per summam oris contumeliam inustus.* Post inustionem atramentum subinde infunderetur, quo eminerent magis literæ, & lectui se præberent. *Lips. Elect.* ii. 15. *Hugo de Prim. scrib. orig. c. 19. Rhod. in Scrib. Larg. p. 310. Long. de Annul. c. 11. Popm. de Serv. p. 170. Douz. Pracid. in Petron.* ii. 6. *Rho-*

dig. *Ant. Lect.* VII. 31. *Laurent. de Torment. c.* 7. *Vinet. ad Auſonium, Herald. ad Martialem. Pignor. de Serv. p.* 27. *Cujac. Obſerv.* VII. 13. *Potter. Archæol.* I. 10. *Nicol. de Sigl. vet. c.* 25. *Brod. Miſcell.* IV. 24. *Kipping. Antiq. Roman.* IV. I. 3. Manus quoque tyronum aliquando *inſcribebantur*, & ſignabantur. Veget. I. 8. *Sed non ſtatim punctis ſignorum ſcribendus eſt tyro.* II. 5. *Nam victuris in cute punctis milites ſcripti jurare ſolent.* Vera hæc fuerunt ſtigmata. Aetius VIII. 12. *Stigmata vocant, quæ in facie, aut alia parte corporis inſcribuntur, qualia ſunt militum in manibus.* Suſpicor nomen Imperatoris ibi ſcriptum fuiſſe. Auguſtin. Epiſt. 50. *Neque enim ſi quiſquam regio charactere a ſignato deſertore ſignetur, & accipiat indulgentiam: atque ille redeat ad militiam, ille autem eſſe in militia, in qua nondum erat, incipiat; in aliquo eorum character ille reſcinditur, an non potius in ambobus agnoſcitur, & honore debito, quoniam regius eſt, approbatur.* Qui dum *regium characterem* appellat, non eſt dubium quin de illo ſentiat. An hoc a ſacris petitum? Dici poſſit. Nam quos deo alicui conſecrabant, & initiabant, hos ſtigmatibus inurebant. Prudent. Περὶ ϛεφ. X. 1076.

Quid cum ſacrandus accipit ſphragitidas?
Acus minutas ingerunt fornacibus,
His membra pergunt urere; utque igniverint,
Quamcunque partem corporis fervens nota
Stigmarit, hanc ſic conſecratam prædicant.

Potuit exemplo quodam pravæ religionis primo hoc induci, ut talis quaſi conſecratus militiæ oſtenderetur: tum etiam ab hac cauſa, ut agnoſci poſſet, nec latitaret. Eam Imperatores Arcadius & Honorius l. 3. C. de Fabric. præferunt: *Stigmata, hoc eſt, notæ publicæ fabricenſium brachiis ad imitationem tyronum infligantur, ut hoc ſaltem modo poſſint latitantes agnoſci.* Lipſ. de Milit. Rom. I. Dial. 9. Turneb. Adv. XXIV. 12. Hugo l. l. Stewech. in Vegetium. Lyd. de Milit. Rom. I. 6. Nicol. de Sigl. vet. c. 26. §. 13. Guther. de Offic. dom. Aug. III. 12. Cujac. ad Codicem.

INSEPULTORUM pœnam apud inferos obſervamus in Plaut. Moſt. II. 2. 68.

Nam me, inquit, *in Acherontem recipere Orcus noluit,*
Quia præmature vita careo per fidem,
Deceptus ſum, hoſpes hic me necavit, iſque me
Defodit inſepultum.

Ex quo *inſepulti* non ſolum dicuntur ii, quorum corpora Exquilinis alitibus exponuntur, aut quorum

—— crux futura eſt ſepulcrum,
Ubi majores ſunt ſiti, avus, proavus, abavus.

ut jocatur Sceledrus Plaut. Mil. II. 4. 19. ſed qui etiam defoſſi ſunt ſine glebæ, vel terræ injectione. Horum enim *inſepulta ſepultura*, ut Cicer. Phil. I. 2. qui inferorum exſules

Centum errant annos, volitant & littora circum.

Virg. Æneid. VI. 329. Hæc illos pœna gravior poſt mortem manere videbatur. Quamobrem Veſpaſianus tum prætor pœnæ conjuratorum Caligulæ addendum cenſuit, ut *inſepulti* abjicerentur. Suet. Veſp. c. 2. n. 8. *Guther. de Jur. man.* I. 8.

INSICIA. V. illa infr. in *Iſicia*.

INSIGNIA ſunt propria alicujus ornamenta, quibus ab aliis diſtinguitur, ut definit Accurſ. l. 2. in princ. inverſ. inſign. ff. de his qui not. infam. Ideo inventa ſunt, ut his honeſtatus cæteris ſpectabilior videatur. Quare qui aliis excellit ab *inſignibus inſignis* dicitur l. quicunque C. de procur. *Panciroll. Notit. dignit. imp. orient. c.* 22.

Inſignia conſecrationis Auguſtarum in nummis hæc fere notantur, templa, pavones, ſacerdotes, carpentum. Templum Juliæ Auguſtæ pulcerrimum in nummis expreſſum eſt. Pavones Junoni, ut aquilæ Jovi, ſacræ Auguſtas in cœlum ferunt, illarumque conſecrationem deſignant. Sacerdos in nummo Fauſtinæ Antonini, dextra imagunculam, ſiniſtra faciem inverſam tenet. Carpenta, aut thenſæ diis tantum, aut ſemideis decernuntur, quibus cœleſtis origo delata eſt. *Guther. de Jur. man.* II. 6.

Inſignia conſularia, quæ & ornamenta dicuntur, fuerunt trabea, ſtola latis clavis diſtincta, ſcipio, calcei aurati, ſella curulis a Principe data, aut permiſſa. Tacit. Annal. XIII. 10. 1. *Eodem anno Cæſar conſularia inſignia Aſconio Labeoni, quo tutore uſus erat, petivit a ſenatu.* Hiſt. IV. 4. 3. *Adduntur Primo Antonio conſularia inſignia.* Guther. de Offic. dom. Aug. II. 5. Buleng. de Imperat. Rom. I. 18. Imper. Rom. II. 14.

Inſignia deorum in ſtatuis conſecratorum erant fulmen, radius, aſtra. Quorum ſimul meminit Lucan. VII. 458. V. illum ſupr. in *Haſta*. Figrel. de Stat. Rom. c. 32.

Inſignia familiarum in ſcutis depingebant, & præclara a parentibus geſta repræſentabant. Virg. Æneid. VII. 657.

—— clypeoque inſigne paternum
Centum angues, cinctamque gerit ſerpentibus hydram.

Panciroll. Notit. dignit. imp. orient. c. 38.

Inſignia magiſtratus ſunt ſellæ curules, in quibus jus dicebant: quæ inter honores ſummos computatæ ſunt. Tacit. Annal. II. 83. 1. *Honores, ut quis amore in Germanicum, aut ingenio validus, reperti, decretique: ut ſedes curules ſacerdotum Auguſtalium locis, ſuperque eas coronæ querceæ ſtatuerentur.* Guther. de Offic. dom. Aug. II. 16.

Inſignia magiſtri militum erant non tantum ipſorum magiſtratuum, ſed & legionum, cohortium, & vexillationum equitum ſymbola, quæ ipſi in clypeis, aut vexillis depicta gerebant, nec mutare, aut deſerere poterant. A Principe enim inventa ex laterculo mittebantur. Hæc Veget. II. 18. δείγματα vocat, quæ diverſis imaginibus deſcripta, velut ænigmata, myſticum ſenſum continent. Hæc pro teſſeris Honorius uſurpat: *Clandeſtinum*, inquit, *ad collegas digma mittat.* l. 6. C. Th. de ſuariis. Ab his *inſignibus* Itali militum vexilla hodie *inſignia* appellant. *Panciroll. Notit. dignit. imp. orient. c.* 22.

Inſignia præfecti prætorio erant pilæ auratæ, & erectæ habentes vultus Principis, & menſam tapeto ornatam, in qua candelabra quatuor hinc inde depoſita, luminibus ardentibus apta: atque in medio eorum codex, ſive mandatorum liber, duabus fibulis occluſus, in cujus integumenti umbilico imago item Principis impreſſa eſt. Carpentum quoque quadrijugum. *Guther. de Offic. Dom. Aug.* II. 16. *Panciroll. Notit. dignit. imp. orient. c.* 22. *Buleng. de Imperat. Roman.* III. 3.

Inſignia rectorum provinciarum eadem ferme erant, liber ſcilicet mandatorum abaco impoſitus ſubſtrato tapete. Iiſdem vultus Principum in ſumma aurea pila expreſſi præferebantur. Iidem purpura, & torque aureo coronabantur. Tertull. de Idolol. c. 18. *Igitur purpura illa, & aurum cervicis ornamentum eodem more apud Ægyptios, & Babylonios inſignia erant dignitatis, quo more nunc prætextæ, vel trabeæ, vel palmatæ, & coronæ aureæ ſacerdotum provincialium.* Buleng. de Imp. Rom. II. 2.

Inſignia Regum ſociis bene meritis Romani contulerunt, ſellam eburneam, ſcipionem, coronam. Dionyſ. V. p. 303. *Romanus ſenatus cum Tyrrhenis abeuntibus conveniſſet, decrevit Porſenæ thronum eburneum, & ſceptrum, & coronam auream, & veſtem triumphalem, qua Reges ornari ſueti.* Liv. XXX. 15. *Scipio in tribunal aſcendit, & Maſſaniſſam Regem appellatum aurea patera, aurea corona, ſella curuli, & ſcipione eburneo, toga picta, & palmata tunica donavit.* Tacitus. V. illum infr. in *Socii*. Buleng. de Imperat. Rom. III. 5. Illa omnia a veteribus Etruſcis tranſtulit Tarquinius Priſcus. Flor. I. 5. 5. *Duodecim Tuſciæ populos frequentibus armis ſubegit. Inde faſces, trabeæ, curules, annuli, phaleræ, paludamenta, prætexta; inde toga picta, tunicæque palmatæ: omnia denique decora & inſignia, quibus imperii dignitas eminet.* Manut. de Civit. Rom. Theſ. Antiq. Rom. Græv. Tom. I. p. 8. A.

Inſignia ſenatorum erant lati clavi, calcei, publice epulandi jus, locus ludis honeſtiſſimus. Præter hæc in provinciis lictorum quoque & apparitorum pompa. V. infr. in *Senator*.

INSINUARE eſt veluti in ſinum audientis ſenſum ſuum immittere: & *inſinuatio* apud Rhetoras clara eſt ex

Quintil.

Quintil. IV. I. *Eo quidem exordium in duas dividunt partes, principium, & insinuationem: ut sit in principiis recta benevolentiæ, & attentionis postulatio.* Argol. ad Panvin. de Lud. Circens. I. II.

Insinuare est in acta referre. Leo A. l. 30. in hac C. de donat. *Donationes apud magistratum census insinuentur*, id est, actis inserantur. Anastasius ibid. l. 32. *Secundum divi Leonis constitutionem donationes apud virum clarissimum magistrum census insinuari præcipimus.* Panciroll. Notit. dignit. imp. orient. c. 14. Etiam publicare, notum facere, & denuntiare. Et qui jussiones magistratibus perferebat, *insinuator sacrarum literarum* dicebatur l. 2. C. public. lætit. *Constitutio vult singulas provincias insinuatoribus sacrarum literarum sex solidos dari.* Guther. de Offic. dom. Aug. III. 8.

INSITIO arborum a Saturno primum in Italia evulgata est. Macrob. Sat. I. 7. *Huic deo insertiones surculorum, pomorumque educationes, & omnium ejuscemodi fertilium tribuunt disciplinas.* Aliter Lucretius, qui hunc Saturno honorem dare non vult v. 1363.

At specimen sationis, & insitionis origo,
Ipsa fuit rerum primum natura creatrix:
Arboribus quoniam baccæ, glandesque caducæ
Tempestiva dabant pullorum examina subter.
Unde etiam libitum est stirpes committere ramis,
Et nova defodere in terram virgulta per agros.
Inde aliam atque aliam culturam dulcis agelli
Tentabant, fructusque feros mansuescere terra
Cernebant indulgendo, blandeque colendo.

Hujus cura arbores sylvestres & feræ agrestem naturam paullatim exuunt, adoptione melioris. Varr. de Re Rust. I. 40. *In quamcunque arborem inseras, si ejusdem generis est duntaxat, ut sit utraque malus, ita inserere oportet, referentem ad fructum, meliori genere, ut sit surculus, quam est, quo veniat arbor.* Pallad. de Re Rust. XIV. 6. I.

Insita proceris pergit concrescere ramis,
Et sociam mutat malus amica pyrum.
Seque feros sylvis hortatur linquere mores,
Et partu gaudet nobiliore frui.

Broukh. in Tibull. II. I. 43.

INSOLATIO erat corporis exercitatio apud gymnastas usitata, quæ in libris medicorum ἡλίωσις & ἡλιοκαΐα dicitur. Veteres inter quotidiana præsidia valetudinis habebant, jacere in sole. Plin. Epist. III. 5. 10. *Æstate, si quid otii, jacebat in sole*, aut ambulare nudos in sole. Plin. Epist. III. I. 8. *In sole, si caret vento, ambulat nudus.* Hoc uti sole dicit Plin. Epist. VI. 16. 5. Avunculus meus *usus est sole.* *Insolare* est in sole ponere. Colum. XII. 27. *Uvæ commodius insolatæ percoquuntur.* Et *insolatio* est siccatio in sole apud Plin. XXI. 14. *Candidissima fit etiam post insolationem recocta.* Alii uncti utebantur sole, alii sine unctione. Illum solem unctum, quo uncti calefiebant, quæ fuit ξηραλοιφὴ veterum: hunc solem assum appellat ad hunc morem alludens Cicer. Attic. XII. 6. *Pro isto asso sole, quo tu abusus es in nostro pratulo, a te nitidum solem unctumque repetemus.* Casaub. in Pers. Sat. IV. 32. Buchner. in Plin. Epist. VI. 16. 5.

Insolatio fuit & alia lascivorum hominum, quando nudi ad solem expositi operam dabant dropacistis, qui inhonestas partes corporis depilabant. Hæc est cura cutis ad solem, quam exagitat Pers. Sat. IV. 17.

Semper & assiduo curata cuticula sole.

n. 32.

At si unctus esses, & figas in cute solem.

Figere in cute solem, poëtica figura, pro exhibere cutem ad solem, cum diuturniore mora. Hoc enim significat figere. Senec. de Brev. vit. c. 13. *Persequi singulos longum est, quorum aut latrunculi, aut pila, aut exsequendi in sole corporis cura consumpsere vitam.* Casaub. in Persium.

INSOMNIA mane aqua calida, aut generoso temeto antiqui expiabant. Aristoph. Ran. v. 2. 81.

Agite ministri, facem accendite,
Rorem e flumine urnulis haurite,
Lympham calfacite,
Ut divinum somnium expiem.

De mero Mart. XI. 50. 7.

Amphora nunc petitur nigri cariosa Falerni,
Expiet ut somnos garrula saga meos.

Butius de Potu Antiq. c. 12.

INSPICIUM erat sollennis vox in sacrificiis. Tertull. Adv. Marc. I. 12.

Nascentum geneses constringere; posse videri
Extorum inspiciis, resque expectare futuras.

Hinc Mart. Capell. II. p. 39. hæc verba: *Tages sulcis emicuit, & ritum statim gentis, sypnumque monstravit*, emendo, & lego: *& ritum statim genti, inspiciumque monstravit.* Barth. Adv. XXV. II. Buleng. de Sort. c. 6.

INSTAURARE est ἀνανεοῦν, ἀνανεῶσαι, σφάξαι, mactare. Gloss. Hesych. Hinc *instaurare diem donis* est sacrificia repetere. Virg. Æneid. IV. 63. Ubi Servius: *Instaurat ideo, quia jam supra sacrificaverat.* Sacra enim, si polluta essent, rursus perficiebantur. Ut cum Clodius sacra bonæ deæ polluisset, Virgines cum pontificibus nefas esse duxerunt, & *instaurarunt*. Latinæ feriæ *Pontificum decreto instauratæ sunt: quod legati ab Ardea questi in senatu erant, sibi in monte Albano Latinis carnem, ut assolet, datam non esse.* Liv. XXXII. I. *Guther. de Vet. jur. pontif.* I. 21: III. 22. *Perion. de Græcor. & Roman. magistrat.* III. *Thes. Ant. Græc. Gronov. Tom.* VI. *p.* 2806. *D.*

INSTITA est limbus, sive fascia, quæ matronarum stolæ subsuebatur. Horat. Sat. I. 2. 29.

—— sunt, qui nolint tetigisse, nisi illas,
Quarum subsuta talos tegit instita veste.

Ubi Acron: *Quia matronæ stola utuntur demissa usque ad imos pedes, cujus imam partem ambit instita subsuta.* Voss. Lex. Etymol. Fallitur Acron, vestis enim *institæ* subsuebatur. Rectius Porphyrio: *Matronas significat. Hæ enim stola utuntur ad imos pedes demissa, cujus imam partem ambit instita assuta.* Ovid. de Art. I. 31.

Este procul vittæ tenues, insigne pudoris,
Quæque tegis medios instita longa pedes.

Ferrar. de Re vest. I. 3. 17. Rhod. in Scribon. Larg. p. 206.

Instita est etiam extra vestem fascia, qua vinciebant. Petron. c. 20. *Duas institas ancilla protulit de suris: alteraque pedes nostros alligavit, altera manus.* Scribon. Larg. c. 33. *Oportet ventrem constringere instita longa.* Talibus mortuos involvebant. Papias: *Institæ sunt parva linteola, quæ mortuum involvunt.* Hieronymus: *Lazarus institis vinctus jacuerat in sepulcro.* Voss. Lex. Etymol. Cujac. Obs. XII. 24. Wouwer. & Erhard. in Petronium.

INSTITOR *est qui tabernæ, locove, ad emendum, vendendumque præponitur: quique sine loco ad eundem actum præponitur.* Ulpian. l. 18. ff. de instit. act. & Paull. ibid. l. 3. Horum mentio fit l. 2. ff. de usu & habit: *Servus, cujus mihi usus legatus est, acquirit mihi, si institor sit, & operis ejus utar in taberna.* l. 13. §. 2. ff. de institor. act. *Si duo, pluresve tabernam exerceant, & servum, quem ex disparibus habebant partibus, institorem præposuerint. . . .* Pignor. de Serv. p. 349. Voss. Lex. Etymol. Sigon. de Judic. I. 17. Ant. Jur. civ. Rom. II. 10. Brisson. de Form. VI. p. 540. Schill Nomencl. Philol. p. 620.

INSTITUTIONES sunt libri, quibus prima elementa docendæ alicujus artis, aut scientiæ ita concluduntur, ut rudis aliquis per gradus ad ejus cognitionem pervenire possit. Sic apud veteres ICtos *Institutiones* legimus scripta brevia, aut pernecessaria tamen præcepta venientia ad finem juris civilis, ut illis lectis, atque cognitis certa fundamenta habeantur, ad quæ latior, & consummata notitia referri possit. Sic in humanis, & divinis literis libros eodem titulo habemus. Ut sunt *Institutiones* oratoriæ Quintiliani, Vegetii rei militaris, Lactantii rerum divinarum, Vitruvii Pollionis architectonicæ, Cassiani deni-

que rerum ad monaſticam vitam abſolvendum obſervandarum. Tales etiam quas Juſtinianus juri civili a ſe in corpus quoddam redacto præpoſuit, ut adoleſcentes velut certa inde elementa, atque fundamenta haurirent, quibus inniſi ampliſſimam juris, & conſtitutionum ſeriem aggrederentur. Sunt tamen, qui eum elegantiſſimum libellum *Inſtituta* inſcribere malint, avocati etiam auctoritate Græci metaphraſtæ Theophili; quod vocabulum, ſi eodem modo capiatur, idem certe etiam ſignificabit, tamen per tranſlationem hoc fiet, cum *Inſtituta* alioquin ſint ea quæ docentur, aut jam docta ſunt potius, vel quæ lege, aut conſuetudine in mores recepta, auctoritate quadam conſtituentium ſervantur. Pariter vero in veteribus manu exaratis libris Vegetii rei militaris *Inſtituta* inſcribuntur, & Caſſiani etiam codices idem præferunt. Ego tamen ſubbarbarum aliquid ſonare exiſtimo, & tranſlationem talem eſſe, quali opus ad perfectiorem titulum ſollicitandum e manibus ſtudioſorum non exiſtimem. *Barth. Adv.* II. 17.

INSTITUTUM differt a more. Nam qui primus egregii quicquam in Republica geſſit, adeo ut ejus exemplum poſteri ultro ſint ſecuti, is auctor *inſtituti* prædicatur. Ubi vero conſuetudo aliqua teneri ignorato exempli auctore cœpit, mos majorum appellatus eſt. Quia ergo *inſtitutum* antiqua obſervatio eſt, cujus auctor aliquis celebratur, profecto nihil inauſpicato agere, *inſtituto* agebatur, quia Romulus, & deinceps cæteri nihil non captatis ante auſpiciis eſt unquam aggreſſus. Collegam in demortui collegæ locum ſibi ſubrogare, *inſtituto* cuſtodiebatur; quia Valerius mortuo Bruto id fecit: eumque poſteritas omnis eſt imitata. Divortium cum uxore liberorum quærendorum cauſa, *inſtituto* tenebatur, quia C. Carvilio Ruga auctore factitatum ab omnibus eſt. More autem majorum cum alia fieri dicuntur, tum ea, quæ jam inde a majoribus *inſtituta* ſine ulla interruptione conſuetudinis etiam uſurpantur: ut petitores in toga candida, eoſdemque diſtinctos petere: ut ſeniores a juvenibus domo in curiam deduci, atque inde reduci; ut prætorem urbanum conſulare imperium abſentibus conſulibus ſuſtinere; ut ne quis ſe inter conſulem, & proximum lictorem, quamvis officii cauſa una progrederetur, interponeret. *Inſtituta* autem, & mos majorum tantam vim habuerunt, ut cum antequam in conſuetudinem venirent, ſine crimine præteriri poſſent, poſtquam tacita omnium aſſenſione ſunt comprobata, pro graviſſimis legibus ſanctiſſime cuſtodita ſint. Unde ſcripſit Cicer. de Rep. v. *ante ſuam memoriam & morem ipſum patrium præſtantes viros adhibuiſſe, & veterum morem, ac majorum inſtituta excellentes viros retinuiſſe.* Et Romulum Rempublicam *non legibus magis ſcriptis quam non ſcriptis* fundaſſe II. p. 94. Numam vero *leges omnes, & inſtituta Romuli obſervaſſe* ibid. p. 124. teſtis eſt Dionyſius. *Sigon. de Ant. jur. civ. Rom.* I. 5.

INSTRATUM dicitur quicquid ad injiciendi, *inſternendive* uſum adhibetur. Ulpian. l. 45. ff. de verb. ſignif. *Inſtratum omne veſtimentum contineri quod injiciatur Labeo ait: neque enim dubium eſt, quin ſtragula veſtis ſit omne pallium περίςρωμα. Chiment. de Hon. biſell. c.* 31.

INSTRUMENTUM eſt omne id, quo quidquam inſtruitur, ut v. g. in villa ſuburbana *inſtrumenta* omnia e ferro, lignove, quibus agricultura indiget; in palatio urbano penus, vel veſtiarium. Dein & ea, quæ ad memoriam, notitiamve alicujus rei, vel facti conſervandam valebant, *inſtrumenta* dicta; ut & indicia certa, atque teſtimonia. Paull. l. prim. ff. de fide inſtrum. *Inſtrumentorum nomine ea omnia accipienda ſunt, quibus cauſa inſtrui poteſt: & ideo tam teſtimonia, quam perſonæ inſtrumentorum loco habentur.* Suet. Veſp. c. 8. n. 12. Confecit *inſtrumentum imperii pulcerrimum, ac vetuſtiſſimum, quo continebantur pæne ab exordio Urbis Scta, plebiſcita de ſocietate, & fœdere, & privilegio unicuique conceſſis.* Quod a Veſpaſiano confectum, aut armarium fuit, exempla continens veterum tabularum ordine diſpoſitarum, vel potius volumen, ſeu volumina, cuncta Scta & plebiſcita. . . . continentia. Quod confirmat Apul. Florid. p. 775. *Quippe præconis vox garrula miniſterium eſt: proconſulis autem tabella ſententia eſt, quæ ſemel lecta neque augeri litera, neque autem minui poteſt: ſed utcunque recitata eſt, in provinciæ inſtrumento refertur.* Nardin. Rom. Vet. v. 13.

Inſtrumentum ſeu publicum, ſeu privatum nomen Imperatoris habebat adſcriptum. Arrian. Diſſert. in Epictet. I. 19. *Hodie quidam de ſacerdotio Auguſti mecum loquebatur. Dixi ei: abſtineto iſto ambitu, magnos ſumptus fruſtra facies. Reſpondit ille, at ii, qui contractus ſcribunt, nomen meum adſcribunt.* Macchab. I. *Ut omnes contractus in ea regione nomine ejus adſcripto tempus notent.* Buleng. de Imperat. Rom. I. 8. *Inſtrumenta* litium, & teſtamenta dictabantur quondam a ſtudioſis juris. Suet. Ner. c. 32. n. 3. *Deinde ut ingratorum in Principem teſtamenta ad fiſcum pertinerent. Ac ne impune eſſet ſtudioſis juris, qui ſcripſiſſent, vel dictaſſent ea.* Arrian. ibid. II. 13. *Sed neque juris ſtudioſum aſſumpſit unquam, qui ei legitima interpretaretur: ſed teſtamenta non ſcribit, neſciens, qui ſcribi debeat, nec ſcientem adhibens, neque ſponſionem aliter ſignat, quam ſecuritatem ſcribit, ſenſu ſuo, & arbitrio utitur ſine juriſconſulto.* Buleng. de Imper. IV. 8. Rævard. Conject. II. 10. Caſaub. & Pitiſc. in Suetonium. De *inſtrumentis* litium Quintil. XII. 8. *Ideoque opus eſt intueri omne litis inſtrumentum, quod videre non eſt ſatis, perlegendum erit.* . . . In tabulariis, ut in baſilicis diſceptabantur, & agebantur. Quintil. de Orat. c. 39. n. 2. *Quantum virium detraxiſſe orationi auditoria, & tabularia credimus, in quibus jam fere plurimæ cauſæ explicantur.* Nardin. Rom. Vet. v. 13.

Inſtrumenta artis ſæpe ſepulcro inſculpebantur, & artificem declarabant. In columella Archimedis ſphæra & cylindrus conſpiciebantur. V. infr. in *Sepulcrum*. Salmaſ. Exerc. Plinian. p. 859. b. A. Moreſtell. Pomp. Feral. VIII. 13.

Inſtrumenta fori erant in tribunali, ſubſelliis judicum, litigantium, patronorum, ſubſcriptorum, cognitorum, cuſtodum, laudatorum, pragmaticorum, teſtium, reliquorumque advocatorum, & abacis notariorum, & ſcribarum. Fuit & in fori *inſtrumentis* tabularium, quod & tablinum, Græcis grammatophylacion, & chartophylacion: ubi actorum forenſium commentarii velut in armario aſſervarentur. Virg. Georg. II. 501.

Inſanumque forum, & populi tabularia vidit.

Pollet. For. Rom. I. 6.

INSUBRES, ut conjectura auguror, intra Ollium, & Ticinum flumina, Alpes, & Padum ſe tenuerunt. De Ticino ſignificat Liv. v. 35. cum ſcribit: *Inſubres trajectis Alpibus præter antiquam gentem Lævos, Ligures circa Ticinum amnem incolentes expuliſſe, eamque regionem occupaſſe.* Oppida hi coluerunt Cremonam, Bergomum, Mediolanum, Ticinum, Acerras, & Novariam. *Sigon. de Ant. jur. Ital.* I. 24. *Cluver. Ital. ant.* I. 24. §. 2. *Leand. Deſcr. Ital. p.* 641.

INSULÆ appellabantur veteribus ædes, ſeu ædificia minora, domus autem majora, ac ſplendidiora, ſic ut ea inter illas differentia fuerit, quæ nunc eſt, inter privatorum tenuiorum ædes, & procerum, vel ditiorum palatia. Et hoc mihi ad verum accedere videtur, & cum Rufi, & Victoris mente convenire. Hoc confirmatur ex Suet. Ner. c. 38. n. 4. ubi Neronis incendium commemorat. *Tunc præter immenſum numerum inſularum* (ecce tantam copiam, ſeu numerum *inſularum* ante incendium) *domus priſcorum ducum arſerunt hoſtilibus adhuc ſpoliis adornatæ* (en tibi ædificia *inſulis* magis conſpicua, & ſplendidiora) *deorum ædes, & quicquid viſendum, atque memorabile ex antiquitate duraverat.* Hic illa *præter immenſum numerum inſularum*, diſtinctionem aperte præ ſe ferunt ab iis, *quicquid viſendum, atque memorabile.* . . . quibus & domus, & ædes deorum comprehenduntur. *Nardin. Rom. Vet.* III. 4. *Cujac. Obſerv.* XIX. 21. *Lipſ. de Magnit. Roman.* III. 14. Falſum eſt, domos dictas tantum eſſe ſplendidiores potentium hominum ædes, *inſulas* vero tenuiorum hominum ædiculas. Id quidem certum eſt, domos dici ampla procerum, & hominum nobilitate, & divitiis præſtantium

ædificia,

ædificia, sed *insulæ* quoque, si vocem hanc proprie accipias, ut antiquis Reipublicæ temporibus accepta fuit, erant majora ipsis domibus ædificia, ut *insula* Clodii, *insula* Luculli, quarum Tullius meminit. Ædes sane, quæ aliis non sunt adjectæ, & communi cum iis pariete junguntur, sed suis ambiuntur undique muris, quales sunt plerumque regiæ, & palatia principum, & nobiliorum hominum, majores esse solent domibus aliorum civium contiguis, quamvis & inter eas sint, quæ emineant amplitudine, & splendore, nec tamen sunt *insulæ*. Non verius est, quod Casaub. ad Suetonium, Voss. Lexic. Etymol. Gonsal. ad Petronium, aliique tradunt, post Neronem omnes ædes conducticias, præcipue quæ tenuioribus elocarentur, dictas fuisse *insulas*, & dominos *insularum* esse locatores: quod est falsum. Nec enim omnes XIV. regiones in illo perierunt incendio, nec omnibus illis ædibus conducticiis pauperiorum potuissent præstrui porticus. Sic enim sanxerat Nero teste Suet. c. 16. n. 1. *Formam ædificiorum Urbis novam excogitavit, ut ante insulas & domos porticus essent, de quarum solariis incendium arceretur.* Quomodo, & quænam ante quasvis egenorum angustas ædiculas possunt esse porticus? In hanc sententiam inducti sunt multitudine *insularum*, quas commemorat Victor, aliique, quæ fuerunt domicilia pauperiorum, quarum ubique major est numerus, quam pecuniosorum. *Insula* ergo proprie est spatiosum ædificium, quod non habet communem cum aliis parietem. Festus. Illis vero plerumque adsitæ fuerunt multæ ædes parvæ, & mediocres, quæ tenuioribus civibus locabantur, easque *insulas* æque dictas fuisse, quia majoris *insulæ* ambitus eas complectebatur. Hinc in glossis Philox: *insula*, νῆσος, συνοικία. Eædem: συνοικία, *conclavum*, *conclavia*, *insula*. Nimirum συνοικία est *cohabitatio*. Et σύνοικος ὁ ἅμα οἰκῶν, *cohabitator*: συνοικῶ, *commaneo*, *cohabito*. Σύνοικοι erant cum aut plures familiæ, vel inquilini habitarent aut in eadem domo, aut in pluribus ædibus ejusdem *insulæ*. Tales ædes dicebantur *conclavatæ*, quia sub eadem erant clave, hoc est, quibus una erat porta, sed plura loca, quæ incolebantur a diversis familiis. Inde & *conclavia* exponuntur in glossis. Nam *conclave*, ut Calphurn. ad Terent. Heaut. v. 1. 29. ait, *est locus, intra quem loca multa & cubicula clausa sunt adhærentia triclinio.* Hoc quid aliud est quam συνοικία aut in una domo, aut in unius *insulæ* pluribus ædiculis, quæ & ipsæ nominabantur *insulæ*. Qui in illis habitabant, dicebantur *insulares*. Justin. XXXII. 2. 1. *Antiochus, adhibito exercitu, nocte templum Elymæi Jovis aggreditur. Qua re prodita, concursu insularium cum omni militia interficitur.* Istud templum fuit *insula*, ut erant pleraque templa, uti & post Christianorum ecclesiæ, & basilicæ, quæ ab Hieronymo, & aliis vocantur quoque *insulæ*. Qui vero in ædibus illi templo appositis habitabant æditui, sacerdotes, & alii sacrorum ministri, qui primario sacerdoti parebant, dicti sunt *insulares*. In Asia fuerunt talia, circa quæ habitabant plurimi homines, qui erant sub ditione primi sacerdotis. Talis fuit sacerdos Comanorum in Bellonæ templo, quod erat in Cappadocia, de quo Cicer. Fam. XV. 4. *Cumque magnum bellum in Cappadocia concitaretur, si sacerdos armis, quod facturus putabatur, se defenderet.* Huic subjecta erant sex millia hominum, quæ interdum arma capiebant, & injuriam aliorum propulsabant. Hæc clarissime confirmat Petron. c. 95. & 56. Apud hunc videmus *insulam* M. Manicii, in qua plures ædiculæ, inter quas etiam fuit, quæ diversitori erat elocata. Cum inter cauponem & hospites rixa, & pugna incaluisset, concurrunt *insularii*, hoc est, & illi, qui hanc *insulam* parvam incolebant, quam conduxerat diversitor, & alii, qui in aliis *insulis*, seu ædibus illius majoris, & veræ *insulæ* Manicii habitabant, & opem ferebant, qui dicuntur *insularii*: intervenit tandem procurator *insulæ*, & Encolpum sibi cognitum servavit. Procurator *insulæ* est, qui Manicii absentis res procurabat in illa *insula*, & providebat, ne aut mercede dominus *insularum* defraudaretur Mancinius, aut *insulæ* ab *insulariis* corrumperentur, utque tota sarta tecta servaretur. *Insularios*, homines viliores degentes in *insulis* contumelioso nomine vocat servos: *non discedunt ocyus nequissimi servi?* Procurator *insulæ* qui vocatur, appellatur κατ' ἐξοχὴν *insularius* a Pompon. 1. 16. de usu & habitat: quod *insulariorum* primus esset, & illorum curam gereret, & quasi quoddam in illos inhiberet imperium: *Dominus proprietatis etiam invito usufructuario, vel usurario fundum, vel ædes, per saltuarium, vel insularum custodire potest.* Ab his *insulariis* alii sunt *insularum* domini, de quibus Suet. Jul. c. 41. n. 6. *Recensum populi nec more, nec loco solito, sed vicatim per dominos insularum egit.* Tiber. c. 48. n. 1. *Munificentiam exhibuit quibusdam dominis insularum, quæ in monte Cœlio deflagrarant, pretio restituto*, qui n. illas veras *insulas* urbanas possidebant, ut Clodius, Mancinius, Lucullus. *Græv. Antiq. Roman. Præf.* IV. * * 3.

Insula Feliculæ erat alta, & insignis domus, plura cœnacula, & cubicula habens, quam Tertull. adv. Valentin. c. 7. pro ampla, & in plures deitates divisa citat: loquens enim de insania Valentiniani, qui triginta deos somniabat, & cuique suum cœlum assignabat, ait: *Meritorium factus est mundus, insulam Feliculam credas, tanta tabulata cœlorum nescio ubi.* Panciroll. Descr. Urb. Thes. Ant. Rom. Græv. Tom. III. p. 362. A. Nardin. Rom. Vet. VI. 10. Fuit Romæ, in nona regione Urbis extrema ad Minervium, atque Minerviam Chalcidicam, non procul Isco & Serapeo, ut legitur in descriptione Urbis libro, qui notitia utriusque imperii inscriptus est. P. Victor insulam Phelidii, sive Phelidis appellavit ab eadem origine Urbis regione nona, quæ Circus Flaminius inscripta est. *J[illegible] in Tertullianum.*

Insula Tiberina enata est post ejectos Reges. Ita Liv. II. 5. *Ager Tarquiniorum, qui inter Urbem ac Tiberim fuit consecratus Marti, Martius inde campus fuit. Forte i[illegible] seges farris dicitur fuisse matura messi, quem campi fru[illegible] quia religiosum erat consumere, desectam cum stramento segetem magna vis hominum simul immissa corbibus fudere in Tiberim, tenui fluentem aqua, ut mediis caloribus solet. I[illegible] in vadis hæsitantis frumenti acervos sedisse illitos limo, insulam inde paullatim, & aliis, quæ fert temere flumen, eodem [illegible]vectis, factam. Postea credo additas moles, manuque adjutum, ut tam eminens area, firmaque templis quoque ac porticibus sustinendis esset.* Nec diversus abit Dionys. V. p. 288. Illam etiam describit Plutarch. Poplic. p. 100. E. Paullatim deinde ædificata fuit in speciem navis: cujus nonnulla extant ex Tiburtino lapide vestigia in hortis fratrum S. Bartholomæi, ubi & incisus visitur serpens. Ajunt in hanc illam formam effictam in memoriam navis, quæ serpentem, quem Æsculapium fuisse fabulantur, Epidauro Romam advexit. *Mesopotamiam* appellat Plutarch. Othon. p. 1068. D. ubi Cæsaris statuam sponte conversam in orientem refert, quo in medio fluminis illam sitam fuisse indicare vult: *Et in Mesopotamia insula statuam C. Cæsaris, cum neque terræ motus, neque ventus fuisset, vespere conversam esse ad solis ortum.*, Nec abludit in ejus descriptione Ovid. Met. XV. 739.

Scinditur in geminas partes circumfluus amnis;
Insula nomen habet, laterum quæ a parte duorum
Porrigit æquales media tellure lacertos.

Eadem & in compluribus Martyrum actis nomen *Lycaoniæ* obtinet. *Nardin. Rom. Vet.* VII. 12. *Borrich. Ant. Urb. Fac. c.* 16. §. 2. *Donat. de Urb. Rom.* III. 21. *Marlian. Topogr. Urb. Rom.* V. 16. *Boissard. Topogr. Urb. Rom. Tom.* I. *p.* 11. *Faunus Antiq. Urb. Rom.* IV. 4. *Blond. Instaur. Rom.* II. §. 78. Pontem, qui *insulam* jungit Urbi, indicat titulus marmori excisus Q. Lepidum, & M. Curium ædiles: alium qui *insulam* Janiculo jungit, Valentinianum superiorem, & Valentem, qui Romanum imperium primus ad ruinam perduci adjuvit, exstruxisse. Quos nuper pontificis Eugenii opera instauratos, & Tiburtino lapide stratos videmus. *Blond. ibid.* §. 80. & 81.

INSURGERE remis dicuntur remiges, qui quidem, cum remi sunt impellendi, consident, & reclinant se. Unde Virg. Æneid. V. 136.

Consident transtris, intentaque brachia remis.

Et Xenophon mox laudandus. Sed non ſemper ſedent. Verum cum remi ſunt elevandi, *ſurgunt* paullum. Val. Flacc. I. 450.

Inſurgit tranſtris, & remo Nerea verſat.

Virg. Æneid. III. 207.

Vela cadunt, remis inſurgimus.

v. 189.

Hortatur Mneſtheus: nunc nunc inſurgite remis.

Græci hoc προνεύειν nominant, ut ex Xenophonte mox laudando diſcemus. Remigandi artificium in hac re vel potiſſimum conſiſtit, ut ſimul & eodem tempore impellantur remi. Hoc dicitur *paribus remis inſurgere*. Virg. Æneid. III. 560.

Eripite o ſocii, paribusque inſurgite remis.

Lucan. III. 525.

—— paribusque lacertis
Cæſaris hinc puppes, hinc Grajo remige claſſis
Tollitur.

Sane, niſi hoc obſervetur, fieri neceſſe eſt, ut ſe impediant mutuo, uno ſeſe inclinante, ſurgente altero. Xenoph. Oeconom. p. 841. E. *Cur remiges ſibi invicem minime ſunt moleſti? an quod ordine ſedent, ordine remis incumbunt,* προνεύουσι, *ordine ſe in humeros attollunt.* Inæqualiter etiam impulſa navis modo in hoc, modo in diverſum latus deflecteret. Sicut piratæ illi *huc, atque illuc a recto curſu deferebantur, quod inſcitia non æqualibus intervallis remigabant* apud Heliod. II. Græcis hoc artificium ἀντίρεσθαι dicitur, notante Heſychio, quoniam *æqualiter, nec in alterum, aut alteram partem navis ſic impellitur.* Scheffer. de Milit. nav. III. 2.

INT.

INTER cæſa & porrecta notabat illud tempus, quod erat inter victimas cæſas, & exta porrecta, hoc eſt, illud quo exta porriguntur: quo medio tempore ſacerdotes ſolebant ceremonias quaſdam peragere. Cicer. Att. V. 18. *Ne quid inter cæſa, aut porrecta, ut ajunt, oneris mihi addatur, aut temporis.* Qui hoc dixit pro eo, quod eſt inter hæſitationem, & cunctationem rei alicujus cœptæ aut perficiendæ, aut omittendæ. *Moreſtell. Philomuſ.* V. *dial.* 16.

INTERCALARE denotat interſerere, ac velut interciere dies, menſeſve, ad complendam hiulci temporis rationem, ad inſtar termitis, qui in diffiſſas hianteſque plantæ rimas immittitur, coaleſcitque cum plantario: unde aptiore metaphora Græci iſtud ἐμβάλλειν efferunt, translatum a ſurculo in truncum ſciſſum inſito, atque immiſſo. Hinc inſititios dies, aut menſes, quos *intercalares* noſtri, illi ἐμβολίμους vocant, qui velut adventitiæ ſortis in dierum legitimorum numerum arceſſerentur, ut ἐμβόλιμα ἔπη, *verſus adſcititios, inſertoſque* genuino operi, illi nominant. Huc ſpectat & *intercidentis* vocabulum, quo diem Februarii *intercalarem* donaſſe Romani videntur, quem ita dictum exiſtimo, quoniam quarto quoque anno velut *interciderct.* Hoc ex Plutarch. in Numa p. 72. A. elici poſſe puto ſic dicente: *Menſem intercalarem, quem* ἐντερκιδῖνον (μερκιδῖνον perperam ſcripſerunt librarii) *vocant Romani, menſe Februario. . . .* Jun. de Ann. & menſ. c. 7. Muncker. de Intercal. I. 1. Gyrald. de Ann. & menſ. Oper. Tom. II. p. 759. G. Panvin. in Faſt. I. p. [illegible]9. De *intercalandi* apud Romanos auctore inter ſcriptores ambigitur. Macrob. Sat. I. 13. *Quando primo intercalatum ſit, varie refertur. Macer Licinius ejus rei originem Romulo aſſignat. Antias libro ſecundo Numam Pompilium ſacrorum cauſa id inveniſſe contendit. Junius Servium Tullium Regem primum intercalaſſe commemorat. Tuditanus refert magiſtratuum* III. *decemviros de intercalando populum rogaſſe. Caſſius eoſdem ſcribit auctores. Fulvius id egiſſe Marium conſulem dicit ab U. C. 562. inito mox bello Ætolico: ſed hunc arguit Varro, ſcribendo antiquiſſimam legem fuiſſe inciſam in columna area a L. Pinario, & Furio conſulibus, cui mentio intercalaris adſcribitur.* Cum ergo incertum ſit, a quibus primum *intercalatum* ſit, obtinuit tamen, teſtibus Plutarch. p. 72. A. & Liv. I. 19. ut a Numa Rege fere credatur. *Gyrald. ibid. p. 761. G. Muncker. ibid. c.* 5. *Viola de Vet. & nov. Rom. temp. rat. Theſ. Ant. Rom. Græv. Tom.* VIII. *p.* 178. *A. Putean. de Biſſext. c.* 2. *Jun. & Panvin. l. l. Turneb. in Cicer. de Leg.* II. *p.* 118. A quo inſtituta videtur ſacrorum potiſſimum cauſa, ut nempe ad ſuas ſemper tempeſtates congruerent. Sic certe Antias apud Macrob. l. l. Licinius Macer de illa *intercalatione* ob duos menſes, quovis anno deficientes, intelligi poteſt. Junius de mox memorata reformatione poteſt accipi; cum ſcilicet bruma ejus tempore regreſſa jam foret in finem Septembris. Tuditanum & Fulvium erroris jam arguit Varro. *Gaſſend. de Kalend. Rom. c.* 2. Cura *intercalandi* commiſſa fuit pontificibus. Cenſor. de Die nat. c. 20. *Quod delictum ut corrigeretur, pontificibus datum eſt negotium, eorumque arbitrio intercalandi ratio permiſſa.* Sed *errorum profunda caligine fluctuabant* Romani, *cum in ſacerdotes poteſtatem tranſtuliſſent intercalandi: qui licenter gratificantes publicanorum, vel litigantium commodis, ad arbitrium ſuum ſubtrahebant tempora, vel augebant.* Ammian. XXVI. 1. Solin. c. 1. Pergit Cenſorinus: *Sed horum plerique, ob odium, vel gratiam, quo quis magiſtratu citius abiret, diutinsque fungeretur, aut publici redemptor ex anni magnitudine in lucro, damnove eſſet, plus minuſve ex libidine intercalando, rem ſibi ad corrigendum mandatam ultro depravarunt. Adeoque aberratum eſt, ut C. Cæſar Pontifex maximus ſuo* III. *& M. Æmilii Lepidi conſulatu. . . .* Suet. Jul. c. 40. n. 1. *Faſtos correxit, jam pridem vitio pontificum per intercalandi licentiam adeo turbatos, ut neque meſſium feriæ æſtati, neque vindemiarum autumno competerent.* Guther. de vet. jur. pontif. I. 22. Gyrald. ibid. p. 762. A. Muncker. ibid. I. 7: III. 15. Manut. Quæſ. Epiſt. I. 3. Gaſſend. ibid. c. 3. Putean. ibid. c. 3. Jun. l. l. Petav. de Vet. an. Roman. c. 77. Ruben. Diſſert. de Nat. Auguſt. Theſ. Ant. Roman. Græv. Tom. XI. p. 1383. B. Laurent. Var. ſacr. gentil. c. 1. Correxit Cæſar, non ut pontifex maximus, ſed ut princeps. V. ſupr. in *Annus.*

INTERCALATIO in re militari, quam Ælianus de aciebus inſtruendis παρεμβολὴν appellat, eſt, cum inſerimus per directum intervallis præpoſitorum militum aliquos ex iis, quos poſtponi placuerat. *Bud. in Pandect. p.* 99. I. *Muncker. de Intercal.* I. 1.

INTERCEDERE erat id, quod vulgo dicimus, ſe opponere. In quo ſollenne erat verbum, *Veto.* V. infr. in *Veto. Intercedendi* jus datum eſt tribunis plebis jam ab illo tempore, cum in Sacro monte inſtitutus magiſtratus eſt, qui plebem tueretur. Quod cum ita ſancitum eſſet, *interceſſio* tribunitia Ælia lege confirmata eſt. *Manut. de Leg. c.* 8. Illis omnibus magiſtratibus licebat *intercedere*; quia in *intercedendo* major iis poteſtas erat, quam reliquis omnibus magiſtratibus in agendo. Quo fit, ut ceſſantibus omnibus imperiis, creato dictatore, adhuc *intercedendi* poteſtas tribunis plebis relinqueretur, ut ſcribit Plutarchus in Problematibus. Quo etiam in loco ſcribit propter illam *intercedendi* poteſtatem tribunos plebis verius imperii ſolutionem habuiſſe, quam imperium: ut qui in *impediendo* plurimum poſſent, in imperando parum. Et Sylla dictator, quanquam tribunitiam poteſtatem valde minuiſſet, detracta poteſtate agendi cum populo, gerendique poſtea alterius magiſtratus, *interceſſionem* tamen reliquit, ut ſcribit Cicer. de Leg. III. 9. *Gruch. de Comit. Roman.* I. 4. Et non tantum illi Scto *intercedebant*, ſed etiam omnes, qui eadem poteſtate, qua ii, qui Sctum facere vellent, majoreve eſſent. Varro in Epiſtola ad Oppianum apud Gell. XIV. 7. *Poſtea ſcripſit de interceſſionibus: dixitque intercedendi, ne Sctum fieret, jus fuiſſe iis ſolis, qui eadem poteſtate, qua ii, qui Sctum facere vellent, majoreve eſſent.* Scribit etiam Aſcon. in Cicer. p. 165. *Q. Scævolam, cum animadverteret, Craſſo, propter ſummam ejus in Republica potentiam, ac dignitatem, ſenatum in decernendo triumpho gratificari, non dubitaſſe majorem Reipublicæ, quam collegæ habere rationem: ac ne fieret Sctum, interceſſiſſe.* Itaque, ſi

Sctum

Sꝺum fiebat a conſule, jus *intercedendi* habebat alter conſul; erat enim eadem poteſtate: ſi a prætore, poterat non modo alius prætor, ſed conſul etiam *intercedere:* prætor, quia eadem poteſtate, conſul, quia etiam majore eſſet. Sed hujuſmodi *interceſſiones* admodum infrequentes invenimus; tribunitiæ ſunt creberrimæ: nam tribunorum plebis proprium erat *intercedere:* eſt enim tribunorum poteſtas non ad inferendam injuriam, ſed ad prohibendam induꝺa. *Manut. de Senat. Rom. c.* 10. *Bud. in Pandect. p.* 59. *D.* Tribunorum vero actionibus impediendis ſoli collegæ jus habebant. Dionyſ. x. p. 658. *Nihil enim eorum quæ a tribunis plebis fiunt, vetari, aut impediri poteſt ab ullo alio, quam ab uno ex collegis.* VII. 430. *Nunquid meminiſtis in pacanda ſeditione per vos id nobis conceſſum eſſe, quando tribuni plebis concilium plebis advocarint de re quavis, non affuturos patricios, nec concilium obturbaturos?* p. 431. *Tribuno cum plebe agenti nemo contradicat, nemo ſermonem interrumpat. Qui contra fecerit, tribunis vades dato mulctæ, quam hi dixerint, ſolvendæ. Qui vades non dederit, extremo ſupplicio plectitor: ejusque ſacra eſto omnis pecunia.* Horum *interceſſio* locum habebat in magiſtratuum centuriatis comitiis. Liv. VII. 17. *In ſecundo interregno orta contentio eſt, quod duo patricii conſules creabantur: intercedentibusque tribunis, interrex Fabius ajebat in duodecim tabulis legem eſſe, ut quodcumque poſtremum populus juſſiſſet, id jus, ratumque eſſet. Juſſum populi, & ſuffragia eſſe. Quumque intercedendo tribuni nihil aliud, quam ut differrent comitia, valuiſſent.* Dionyſ. VIII. p. 557. *Quando vocabant conſules populum, ut conſules crearent, tribuni plebis, quibus impediendi erat poteſtas, intercedebant: itaque comitia dirimebantur.* Hoc vero efficiebat *interceſſio* tribunorum, non ut populum vocare non poſſet conſul, quod nemo ei vetare poterat, ſed ne quid his comitiis ſuffragiis populi peragi poſſet. Etiam in comitiis legum. In illis magiſtratus *intercedebant*, non cum lex promulgabatur trinundino, ſed eo die, quo ferebatur. Neque enim tribuni vetare poterant, ne quisquam concionem haberet promulgandæ ſuæ legis cauſa: ſed ne populus acciperet legem, quæ inutilis, aut pernicioſa videretur. Itaque quamdiu promulgabatur, licebat oratione diſſuadere legem: cum vero ferebatur, *interceſſio* interponenda erat, ne a populo acciperetur. *Gruch. l. l. Auguſtin. de Leg. c.* 12. *Lycklama de Magiſtrat. c.* 4.

INTERCESSIO impediebat legem. Cauſæ, quæ, quo minus promulgata lex perferri poſſet, impedimento fuerunt, traduntur quatuor. I. Cum tribuni plebis, quorum proprie *intercedendi* jus erat, edita illa voce, VETO, *intercedebant*. Exempla V. infr. in *Veto*. II. Cum is, qui promulgarat, vel amicorum precibus adductus, vel ſenatus auctoritate commotus, vel ipſe ſua ſponte conſilium mutabat: quod C. Manilius, & L. Cæcilius, uterque tribunus plebis diverſis temporibus fecerunt, ille in lege de libertinorum ſuffragiis, hic in ea, quam de minuenda ambitus pœna promulgavit. III. Cum neque intercedente tribuno, neque eo, qui promulgaverat, conſilium mutante, comitiales dies, id eſt, eos, quibus agi cum populo licebat, conſul eximebat, vel ſupplicationibus decernendis, vel feriis indicendis, non ſolum iis, quæ Latinæ dicebantur, quas indicere ſoli conſules poterant; ſed etiam iis, quæ imperativæ, quas non modo conſulibus, verum etiam prætoribus ipſorum arbitratu licebat imperare. Quo in genere uſum eſſe Q. Cornelium Lentulum Marcellinum conſulem, ut C. Catonis tribuni plebis legibus obſiſteret, videmus in Cicer. ad Q. Fratr. Epiſt. II. 9. IV. Quæ & ipſa comitiis, quacunque de re haberentur, impedimento eſſet, erant auſpicia: quorum duo genera reperio, I. quo magiſtratus tantum utebantur, quæ ſpectio dicebatur, vel de cœlo ſervare. V. infr. in *Servare*. II. ad augures pertinebat, cum ex avium ſignis, id eſt, volatu, cantu, & tripudio ſoliſtimo auſpicium faciebant: nam ſi quid adverſi viderant, aut audierant, id nuntiantes comitia impediebant, & obnuntiare dicebantur. V. infr. in *Obnuntiare*. Manut. de Legib. c. 36. Auguſtin. de Legib. c. 12.

INTERCIDONA qualis fuerit dea V. infr. in *Pilumnus*.

INTERDIARIUS eſt fur diurnus. Antiquus gloſſematum ſcriptor: *Interdiarius eſt ἡμεροκλέπτης, cui contrarius ἡμερόκοιτος, dormitator, fur nocturnus.* Cujac. Obſerv. XI. 27.

INTERDICERE dicebatur prætor in edictis. Ita in edicto, ut in flum. publ. navig. lic. *Ut per lacum, foſſam, ſtagnum publicum navigare liceat, interdicam.* De cloacis: *Item, ne quid fiat, immittaturve, interdicam.* Briſſon. de Form. III. p. 285.

INTERDICTA erant formulæ, atque conceptiones verborum, quibus prætor aut jubebat aliquid fieri, aut prohibebat: quod tunc maxime fiebat, cum de poſſeſſione, quæ erat rei corpore præditæ, ut domus, aut quaſi poſſeſſione, quæ rei corpore vacantis, ut uſusfructus, inter aliquos contendebatur. Erant itaque decreta prætorum de iis rebus, quas judicum cognitioni committendas non putarunt, ſed ſibi ipſis pro imperio reſervarunt. Itaque *interdictum* fuit actionis, ſive judicii quaſi principium. Nam, ut ſcribit Cajus ff. de vindicatione, *is, qui deſtinavit rem petere, animadvertere debuit, an aliquo interdicto poſſet nanciſci poſſeſſionem: quia longe commodius eſt, ipſum poſſidere, & adverſarium ad onus petitoris compellere, quam alio poſſidente petere.* Et ita inter cæteras legis actiones recte reponitur etiam *interdicere:* quod eſt non tam *interdictum* interponere, quod eſt prætoris, quam *interdictum* poſtulare, ſive *interdicto* contendere, quod eſt litigatoris: ut ſcripſit Quintil. III. *Non debuiſti interdicere, ſed petere; an recte interdictum ſit, ambigitur,* id eſt, non debuiſti *interdicto* uti, ſed actione: an recte *interdicto* actum ſit, ambigitur. *Interdictum* dabat prætor, cum mittebat in poſſeſſionem. *Sigon. de Judic.* I. 16. *Guther. de Jur. man.* III. 13. *Cujac. Obſerv.* V. 17. Illa prætor in albo propoſita habebat. C. l. 1. de interdict. *Præſes ad exemplum interdictorum, quæ in albo propoſita habet.* Briſſon. de Form. III. p. 283. Ordinario jure reddebantur. Ulpian. l. 1. ff. ſi ventr. nom. mul. in poſſeſſ. mitt. *Coget eum diſcedere, non prætoria poteſtate, vel manu miniſtrorum: ſed melius, & civilius faciet, ſi eum per interdictum ad jus ordinarium remiſerit.* Briſſon. ibid. v. p. 388. & ab illo edebantur l. 2. §. Si per legatarium ff. quod legatorum: *Eo tempore, quo editur interdictum, ſatis accipere paratus ſit.* Briſſon. ibid. v. p. 389. Quo modo differat ab actione fuſius explicat *Cujac. l. l.*

Interdicta, quæ ad res privatas pertinuerunt, fuerunt de poſſeſſione I. adipiſcenda. Hoc dabatur ei, cui bonorum poſſeſſio a prætore decreta erat, in hunc modum: *quod bonorum ex edicto meo illi poſſeſſio data eſt, quod de his bonis pro hærede, aut pro poſſeſſore poſſides, poſſidereſve, ſi nihil uſucaptum eſſet, quandoquidem dolo malo feciſti, uti deſineres poſſidere, id illi reſtituas.* Erat autem utile hoc *interdictum* ei, qui tum primum conaretur adipiſci poſſeſſionem. II. retinenda. Ejus fuere duo, quæ tum uſurpabantur, cum inter eos, qui de proprietate litigare volebant, non conveniebat, uter poſſideret. Unum ad res immobiles pertinuit, quod fuit: *Uti eas ædes, de quibus agitur, nec vi, nec clam, nec precario alter ab altero poſſidetis, quominus ita poſſideatis, vim fieri veto.* Alterum ad mobiles, quod fuit: *Utrubi hic homo, quo de agitur, majore parte hujus anni fuit, quo minus eum ducas, vim fieri veto.* III. recuperanda. Hoc reddebatur eis, qui vi dejecti eſſent de poſſeſſione fundi, vel ædium. *Sigon. de Judic.* I. 16. Ejus fuere duo. Unum de vi armata, quod fuit: *Unde tu vi illum dejeciſti, eo illum reſtituas jubeo.* Alterum ſine armis, quod fuit: *Unde tu vi illum dejeciſti, cum abs te nec vi, nec clam, nec precario poſſideret, eo illum reſtituas jubeo.* Sigon. l. l. Briſſon. de Form. v. p. 388. Bud. in Pandect. p. 24. I.

Interdicta, quæ ad res ſacras, & publicas pertinuerunt, fuerunt vel prohibitoria, vel reſtitutoria, vel exhibitoria. Prohibitoriorum formula erat: *vim fieri veto.* Ita in edicto de mort. infer. *Quo, quave illi mortuum inferre invito te jus eſt, quominus illi eo, cave mortuum inferre, &*

ibi

ibi sepelire liceat, vim fieri veto. Quo illi jus est te invito mortuum inferre, quominus illi in eo loco sepulcrum sine dolo malo ædificare liceat, vim fieri veto. Restitutoriorum formula erat, *restituas.* l. 1. ff. *quorum bonorum* supr. Exhibitoriorum vero *exhibeas.* Ita in edicto de lib. pers. *Quem liberum dolo malo retines, exhibeas jubeo. Qui, quæve in tua potestate est, si is, eave apud te est, dolove malo tuo factum est, quominus apud te esset, ita eum, eamve exhiberi jubeo.* Brisson. de Form. III. p. 283: v. p. 388. Sigon. de Judic. I. 16.

INTERIOR in deambulationibus quis dicatur. V. infr. in *Locus sinister.*

INTERJUNGERE equos est illos dejungere, donec cibo sint recreati. Mart. III. 67. 6.

> *Exarsitque dies, & hora lassos*
> *Interjungit equos meridiana.*

II. 6. 15.

> *Et cum currere debeas Bovillas,*
> *Interjungere quæris ad Camœnas.*

Ludit Poeta in voce *Bovillas*, & *Camœnas*, & innuit frustra quærere in literis Severum & carminibus doctis, quæ hic Camœnæ sunt, remissionem aliquam, cum ingenium ipsius cogat eum ire ad Bovillas, id est, rustica, & crassa. Qui putant, tractum esse a curru, cujus rotæ interjecto sude junguntur, ut quiescant, nihili sunt. Lexicon Argentoratense: *Interjungo*, ἐφίσαμαι. Mallem, ἐφίστημι. Quomodo habemus apud Arrian. v. Ἐπέστησε τοὺς ἱππέας τοῦ πρόσω similiter pro cohibere, moram injicere, facere quiescere. *Scheffer. de Re Vehic.* I. 12. *Scalig. in Prop.* II. 14. 12. *Rader. ad Mart.* II. 6. 15.

INTERLUDE existimavi aliquando partem fuisse palatii Imperialis, locumve ei vicinum, quoniam ei proximum templum Palladis illic dicitur, quod in Palatino fuisse ex multis martyrum actis constat, ad tribunal Imperatorium ante illud templum adductis. Ejus fit mentio apud Anastasium in Cornelio: *Quem tamen jussit sibi præsentari cum præfecto Urbis in Interlude noctu ante templum Palladis.* Tum & Claudium II. & Diocletianum solitos jubere constat, ut martyres ad se in partem palatii anteriorem adducerentur. Unde conjiciunt nonnulli, *Interlude* locum fuisse conjunctum, seu contiguum conclavibus, seu areis *ludis* destinatis: cujusmodi & hodie in palatiis Principum conspiciuntur, ubi pila, rhombo. . . . luditur: Verum cum observassem in actis martyrum præsides, & magistratus sæpe inferiores parari sibi tribunal jussisse in *Tellure*, vel in *Tellude*, ut in actis Crescentiani, Julii, Gordiani, Sisinnii & Saturnini. . . . vocem *Interlude* apud Anastasium vitiosam esse animadverti, & in *Tellure* legendum. *Nardin. Rom. Vet.* VI. 13.

INTEMELIUM in Velabri ambitu quoque fuerit. Liv. XXXIII. 11. *Lupus Exquilina porta ingressus frequentissima parte Urbis cum in Forum decurrisset, Thusco vico, atque Intemelio, per portam Capenam prope intactus evaserat.* Quid fuerit, ignorare me fateor: & locum mendosum esse negare non audeo. Adhæc incertum, an in hac regione fuerit, cum inter vicum Thuscum, & portam Capenam in alia esse regione potuerit. Verum quid fuerit, aut ubi fuerit, aliis disquirendum relinquo, attigisse contentus, quia vico Thusco in Livio adjungitur. *Nardin. Rom. Vet.* V. 10.

INTERMETIUM dicebatur in circo totum illud spatium, quod a primis *metis* ad ultimas fuit. In glossis veteribus τὸ μεταξὺ τῶν καμπτήρων. Corippus dixit:

> *Et spatium media qua se via pandit arena.*

Πέλμα Cedreno. A Latinis spina. *Buleng. de Circo c.* 25. *Pinell. Addit. ad Panvin. de Lud. Circens.* I. 15. *Salmas. Exerc. Plin. p.* 460. *a. F.* 638. *b. E. Voss. Lex. Etymol.*

INTERMONTIUM dictus fuit instar valliculæ locus umbrosus, & medius inter Capitolium & Arcem. Dionys. II. p. 88. *Locum umbrosum & medium Capitolii & Arcis, quod nunc lingua Romana vocatur Intermontium, duorum querce*torum *ab utroque clivo densis septum arboribus, quibus jungebantur colles.* Donat. de Urb. Rom. II. 16. Nardin. Rom. Vet. V. 13.

INTERNUNTII fuerunt portio comitatus apud parum pudicas mulieres. Horum meminit Juven. Sat. XIV. 28.

> *Ut non ter decies respiret: conscia matri*
> *Virgo fuit, ceras nunc hac dictante pusillas*
> *Implet, & ad mœchum dat eisdem ferre cinædis.*

Pignor. de Serv. p. 428.

INTERPOLARE *est immittere, & interponere, & novam formam e vetere fingere. Cicer. Verr.* I. 61. *Aliquid demendo, mutando, interpolando. Et est tractum ab arte fullonia, qui poliendo diligenter vetera quæque quasi in novam speciem mutant. Plaut. Amphit.* I. 1. 61.

> *Illic homo me interpolabit, meumque os finget denuo.*

Non. I. 141. Frustra. Ducitur a tectorio, quod *interpolari* dicitur, cum propter venustatem induceretur, aut opus temporis longitudine exolevisset. Plin. XXXV. 16. *Terra Chia lacte diluta tectoriorum albaria interpolantur.* Gunther. de Jur. Man. II. 28. Taubm. in Plautum.

INTERPRES vocatur, qui inter venditorem & emptorem pararius, ac proxeneta difficultates inter utrumque oriri solitas ob *pretium* explicat. Inde ad alia translatum hoc nomen. Is efficiebat, ac contendebat, ut rei, quam deferebat venditor, exæquaretur *pretium*, quod offerebat emptor, & sic justa permutatio procederet. Græcis προπράτωρ & προπώλης is appellabatur, qui venditori emptorem conciliabat. *Salmas. Exerc. Plin. p.* 708. *b. F. de Usur. p.* 476. *Voss. Lex. Etymol.* Imo inter duos eadem lingua utentes quovis modo medius est, vel μέσος, qui pactionem, conventionem, & contractus quosvis conficit: quemque alio nomine proxenetam vocant. Ascon. in Cicer. p. 59. *Interpretes sunt, per quos inducitur pactio.* Plaut. Mil. IV. 1. 5.

> *Quin tu tuam rem cura potius, quam Seleuci: quæ tibi*
> *Conditio nova, & luculenta fertur per me interpretem.*

Curc. III. 1. 64.

> *Quod te præsente istic egi, teque interprete.*

id est, te proxeneta, te conciliatore. Sicque Juno a Didone apud Virg. Æneid. IV. 608. vocatur *interpres curarum*, sive, explicante Servio, *media, & conciliatrix*, quia illa quasi media erat inter Didonem, atque Æneam, conabaturque Carthaginiensium Reginam, & Trojanum ducem connubio stabili jungere. Et idem præstabat hominibus diversæ linguæ. Ideo Isidor. X. *Interpres, quod inter partes medius sit duarum linguarum, dum transfert.* Tales fuerunt illi, qui mercatoribus aderant in urbe Colchicæ regionis Dioscuriade. Nam eo cum ex omnibus nationibus confluerent peregrini, Romani necesse habebant ad negotiationes peragendas *interpretibus* uti. Plin. VI. 5. *Urbe adeo clara, ut Timosthenes in eam* 300. *nationes dissimilibus linguis descendere prodiderit. Et postea a nostris* 130. *interpretibus negotia ibi gesta.* Hinc & ipsi legati eo nomine nonnunquam veniunt; quia inter populos pacem, & fœdera facere solent. Val. Flacc. VI. 690.

> *Regius Eois Myraces interpres ab oris*
> *Venerat, ut Colchos procul atque Æetia Parthis*
> *Fœdera donato non irrita jungeret auro.*

Cuper. Apoth. Homer. p. 273. Borremans. Var. Lect. c. 11. Sigon. de Judic. II. 30.

Interpres judiciorum quis V. infr. in *Sequester.*

Interpres erat quoque, qui legatorum ab exteris, & diversa lingua utentibus gentibus ad senatum, vel Imperatorem missorum verba *interpretabatur*, & faciebat, ut senatus oratores, illi contra senatum intelligerent. Hi videntur *interpretes diversarum gentium* appellari in vetere inscriptione Goltzio laudata. Cicer. de Divin. II. 64. *Si Pœni in senatu nostro sine interprete loquerentur.* Fin. V. 29. *Ita quemadmodum in senatu semper est aliquis, qui interpretem postulet, sic isti nobis cum interprete audiendi sunt.* Unde Plin. XXV. 2. veluti rem miraculo proximam extollit, *Mithridatem solum*

lum mortalium viginti duabus linguis locutum esse, nec de subjectis gentibus ullam hominem per interpretem appellatum ab eo, annis 56. quibus regnavit. Huc pertinent, quos magistratus Romani in provincias cum imperio missi apud se habebant, ad desideria provincialium intelligenda. Cicer. Verr. III. 37. *Varius est in Sicilia interpres, quo iste interprete, non ad Græcam linguam, sed ad furta, & flagitia uti solebat.* Tales arbitror Julium Firmicum appellare *potentissimorum judicum interpretes*, id est, præfectorum prætorio, Urbis, & vice sacra judicantium. *Cuper. Apoth. Homer. p. 274. Buleng. de Imp. Rom. VI. 24. Sigon. de Ant. jur. civ. Rom. II. 15. Pollet. For. Rom.* V. 13. Horum dignitas etsi magna fuit, ipsis tamen cum Imperatore epulari non licebat. Procop. de Bell. Pers. II. *Justinianus Braducionem interpretem mensæ adhibuit, quod nunquam prius consuetum. Non enim interpretem, quanquam nullo magistratu inferiorem, simul cum Imperatore epulari fas esse omnes norunt.* Panciroll. Notit. dignit. imp. orient. c. 72.

Interpres sacer dicebatur vel deus, qui Jovis placita ad homines ferebat. Talis Mercurius qui *interpres* divum vocatur. Virg. Æneid. IV. 356.

Nunc etiam interpres divum, Jove missus ab ipso....

Ab hoc officio Ἑρμῆς vocatur παρὰ τὸ ἐρῶ, id est, λέγω, ut habet Etymologicum magnum. Eoque respiciens Servius ita commentatur: *interpres divum, Hermes: expressit verbum de verbo.* Hoc numero dæmones a gentilibus habebantur, quos πορθμεύοντας Plato appellat; qui hominum preces ad deos, & horum jussa ad illos reportant. Apul. de Deo Socrat. p. 674. *Sunt quadam divinæ mediæ potestates, inter summum æthera, & infimas terras, in isto intersitu aeris spatio, per quas & desideria nostra, & merita ad deos commeant: hos Græco nomine δαίμονας nuncupant. Inter terricolas, cœlicolasque vectores hinc precum, inde donorum, qui ultro citroque portant hinc petitiones, inde suppetias, ceu quidam utriusque interpretes, & salutigeri.* Vel homo, qui vates, aruspices, arioli, augures, conjectores, ostenta, portenta, prodigia, somnia, & quæcunque a diis putabantur mitti signa, victimarum fibras, volatus, garritus avium, per quæ deos futura prædicere persuasum habebant, interpretabantur, & explicabant. Virg. Æneid. III. 359.

His vatem aggredior dictis, & talia quæso:
Trojugena, interpres divûm, qui numina Phœbi,
Qui tripodas, Clarii laurus, qui sidera sentis,
Et volucrum linguas, & præpetis omina pennæ.

Servio exponitur; *vaticinator, qui mentem deorum mortalibus publicat.* X. 175.

Tertius, ille hominum divumque interpres Asylas,
Cui pecudum fibræ, cœli cui sidera parent,
Et linguæ volucrum, & præsagi fulminis ignes.

Et ibi Servius: *Deorum, quos interpretatur, hominum, quibus interpretatur, & qui divinas indicat mentes, interpres vocatur.* Cuper. Apoth. Homer. p. 275.

Interpres tandem dicitur etiam is, qui, dum ex incognita lingua in cognitam aliquid transfert, obscuram quodammodo orationem claram reddit, ac perspicuam, quid in aliam seu scripto, seu viva voce, linguam vertit. Horat. Art. Poet. n. 133.

Nec verbum verbo curabis reddere fidus
Interpres.

Cicer. Fam. VII. 19. *Nullam artem literis sine interprete, & doctore, & sine aliqua exercitatione percipi posse.* de opt. gen. Orat. c. 5. *Non converti, ut interpres, sed ut orator sententiis iisdem.* Cuper. Apoth. Homer. p. 278. Borremans. Var. Lect. c. 11.

INTERPRETATIO pontificum dicebatur, quia potestatem habebant judicum, hoc est, quasi laturi judicium sedebant, & apud illos de re ipsa disceptabatur, quam a senatu rejectam, & ab iis præjudicatam, consulibus postea referentibus SCtum sequebatur. Ut cum ad pontifices rejectum de domo Ciceronis frequens collegium omni eam religione liberavit. Quod cum ad senatum relatum esset, censuit domum illam religione liberatam videri. Cicero vocat *responsionem* ad Attic. IV. 1. *De domo nostra*, inquit, *nihil adhuc pontifices responderunt.* Guther. de Vet. jur. pontif. I. 24.

INTERREGNUM *appellatur spatium temporis, quousque in loco mortui alius ordinetur.* Festus. Primum institutum est mortuo Romulo. Liv. I. 17. *Patres decem decurias factis, [illegible] que in singulas dec[illegible], qui summæ rerum præ[illegible], [illegible] imperitabant, [illegible] cum [illegible] imperii, & [illegible] erat. [illegible] dierum spatio imperium [illegible], ac per omnes in orbem ibat: annuumque intervallum regni erat: Id ab re, quod nunc quoque tenet nomen, interregnum appellatum.* Eadem Plutarch. Num. p. 61. A. Dionys. II. p. 119. Inde mos fluxit, ut cum sine summo imperio civitas esset, tum & patricius, & a patriciis *Interrex* proderetur. Cicero pro Dom. c. 14. *Auspicia populi Romani, si magistratus patricii creati non sint, intereant necesse est, cum Interrex nullus sit, quod & ipsum patricium esse, & a patricio prodi necesse est.* Ascon. in Cicer. p. 180. *Ideoque Pompejus gener Scipionis, & T. M[illegible] tribunus plebis referri ad senatum de patriciis convocandis, qui Interregem proderent, non essent passi, cum Interregem prodere moris esset.* Qui dies tantum quinque imperium obtineret, a quo alius deinde creabatur in dies alteros quinque, itemque alius atque alius eodem modo, dum consules creari possent. Ascon. ibid. p. 195. *Domum ejus per omnes interregni dies, fuerunt autem ex more quinque, obsederunt.* Ad undecimum etiam perventum esse, cum per dies quinquaginta quinque sine summo imperio civitas esset, scribit Liv. VII. 21. *Infestam*, inquit, *patribus plebem Interreges cum accepissent, ad undecimum Interregem seditionibus certatum est.* Hotoman. de Magistrat. Roman. I. Thes. Ant. Rom. Græv. Tom. II. p. 1871. C. Gruch. de Comit. I. 2. Ouzel. in Gell. XIV. 7. Panvin. Fast. I. p. 48. Lips. de Magistrat. Roman. c. 19. Rosin. Antiq. Rom. VII. 16. Alex. Gen. Dier. V. 6. & ad illum Tiraquellus. Blondus Rom. triumph. III. p. 55. B. Stad. in Flor. I. 1. Edit. Franeq. p. 527. Kipping. Ant. Rom. II. 3. §. 4. Prevot. de Magistrat. Roman. c. 3. Pigh. Annal. Rom. I. p. 26. Perion. de Roman. & Græcor. magistrat. III. Thes. Antiq. Græcar. Gronov. Tom. VI. p. 2802. B. Flocc. de Potest. Roman. II. 4. Læt. de Magistr. Roman. c. 3.

INTERROGATIO quæ legibus fiebat; habet plus mysterii intus, quam præ se ferebat: nam litis contestationem in publicis continebat. Tum reus opponere poterat exceptiones dilatorias, declinatorias, reliquasque translationes, aut peremptorie submovere, depellereque intentionem constituto judicio. Dies dicebatur ante *interrogationem* legibus. Cicer. pro Dom. c. 18. *Qui neque adesse sit jussus, neque citatus, neque accusatus.* c. 31. *In me, cui dies dicta nunquam est, qui reus non fui, qui nunquam sum a tribuno plebis citatus.* Die accusationis rursus citabatur reus. Cicer. Divin. c. 13. *Ita mihi deos velim propitios, ut cum illius temporis mihi venit in mentem, quo die citato reo mihi dicendum sit, non solum commoveor animo, sed etiam toto corpore perhorresco.* Pollet. For. Rom. IV. 8. Hotman. de Lite ordin. c. 7.

INTERSCALMIUM est locus inter duos scalmos remigum vacuus & medius: Erat vulgo duorum cubitorum. Vitruv. I. 2. *Navibus interscalmio, quod διπηχαϊκὴ dicitur.* Voss. Lex. Etymol.

INTERTIARE est sequestro deponere, ex ἔντριτος, ut Glossæ Latino-Græcæ dicunt: *sequester*, μεσίτης, ἔντριτος. Ansegis. III. 46. *Si auctor venerit, & rem intertiatam recipere noluerit.* Illa vero *intertiata furto ablata si esset, licebat ei, super quem intertiata erat, sacramento se excusare de furto.* Sed ubi *intertiare* quis legit? *Hansen. de Jurej. vet.* c. 17. *Cerda Adv. c.* 121. §. 46.

INTERVALLA ordinum in acie dicebantur etiam viæ, & spatia, in quæ priores, qui pugnaverant, si pellerentur, aut non pellerent hostem, retrocedebant. In hoc ars omnis, & arcanum militiæ Romanæ, habere vias inter manipulos, claudere, & aperire eas, prout visum.

Huic invento pæne omnes eorum victorias liceat adscribere. Græci διαχώρυς vocant. Hæc *intervalla* duplicia: inter genera, & inter manipulos. Inter genera transversa erant, post singulum quodque militum corpus: ut post hastatos, spatio relicto, principes sequerentur: iterum spatio post illos triarii. Ergo transversa illa *intervalla* duntaxat bina. Alia inter manipulos directa spatia, aut viæ, quæ in uno ipso genere manipulum a manipulo discernebant. Hæc in denis manipulis necessario novem erant. Modus, & quantitas singulorum pro locis, pro copiis, pro ducis arbitrio variavit; tamen illa transversa grandiuscula fuisse videntur: & probabile est, principes ab hastatis, quinquaginta circiter pedes fuisse remotos, triarios ab illis centum. Nam hic erat prætor, & signa, & principiorum ipsa forma. Opus etiam profecto tali aliquo *intervallo* ad procedendum, aut recedendum, & ne agmina miscerentur. Jam in directis viis aliter atque aliter fuit pro usu. Si velites interjecti, latiusculas fuisse oportuit, pedum viginti, aut triginta. Si non, fuerint sane pedum decem. Id quoque pro numero legionum aliter, & ubi hæ multæ, ac, quod sequitur, manipuli, spatia non potuere esse magna. Usus istarum viarum magnus. In pugna enim, etsi divisi ordinibus, tamen unum omnes corpus statim fiebant, cum opus: & per vias istas jungebant se, & disjungebant. Hoc ita, exempli causa, factum. Hastati premuntur, volo principes succedere, & istos recipere, statim id fiebat beneficio viarum: recedebant enim manipuli hastatorum singuli, & aversi leviter vias principum ingrediebantur, quas ii laxabant, & ipsi quoque leviter procedebant. Tum aut retinebant apud se hastatos, duplicato agmine: aut plane fessos retro se locabant in grandiore *intervallo*, ordinibus semper servatis. Idem in triariis, si principes improspere pugnantes receptarent. Nec manipuli manipulos impellebant in hoc recessu. Nam singula genera vias suas dimensas habuere, sed non per alia genera penetrantes. Manipuli principum claudebant a tergo viam hastatorum, & liberum per eum adspectum, aut excursum habebant; idemque triarii per istorum. In quincuncem igitur dispositio ista manipulorum fuit. Inter singulos vero milites spatium fuit tres pedes, idque utrimque a latere, a tergo, ob gladii scutique usum commodum. Triarii sub vexillis considebant. V. Livium supr. in *Acies*. Vetus levis armatura, quæ constitit rorariis & accensis, non in prima acie, aut viarum *intervallis*, sed post triarios in extrema acie disposita erat. Itaque tunc non committebant pugnam, quod postea factum; pugnabant enim fundis, jaculis, & telis, quæ eminus mitterentur. Postera ætas velites a triariis removit, & ad principia locavit. Et triplex fere eorum locatio: interdum ante omnia signa, & in fronte: interdum mixta primis manipulis, aut potius in jam dictis viis: denique non in viis sparsi, sed in cornibus positi junctim; eaque crebra dispositio & Vegetio sollennis. Sed ubicunque positi, prodire ante alios soliti, & pugnam committere, cum datum signum. Cedentes autem inter legiones recipi solebant, & a tergo poni, aut iterum alia procurrere. *Lips. de Milit. Roman.* IV. I. *Thys. Rom. Illustr.* IV. *p.* 88.

INTERVALLUM proprie est spatium, quod est *inter vallum*, vel cervulum, & alium cervulum, ut testatur Varro. Hygino de Castrametat: usu castrensi est spatium hoc, quod est *inter vallum* & legiones, dum scribit: *Et hoc, quibusdam intervallum est cognominatum.* Schel. in Hyginum Thes. Antiq. Roman. Græv. Tom. X. pag. 1072. A.

INTERULA erat tunica interior. *Ferrar. de Re vest.* I. 3. 2. Nugatur professor ille regius, qui *interulam* a tunica sic distinguit, quasi tunica sub toga semper gestaretur, *interula* sub pallio: quo nihil imperitius, nec ineptius dici potest. Tunica enim sub pallio communiter gestata, haud secus quam sub toga: unde illud vulgare proverbium, *tunica propior pallio.* Et apud Plaut. Pœn. V. 2. 15.

Quæ illa avis est, quæ cum tunicis advenit?
Numnam it a balneis circumductus pallio?

Ex quibus versibus constat, palliatos etiam tunicas habuisse. Profecto tam palliati, quam togati, tam Græci, quam Romani tunicas habebant, & sub tunicis *interulas*. Eadem quippe differentia Latinis tunicæ, & *interulæ*, quæ Græcis χιτὼν, & χιτωνίσκος. *Interula* sub tunica habebatur, & ἀμέσως corpori insidebat, atque ἐπὶ γυμνῷ, ut vocant Græci. Lineæ erant, & nostris camisiis respondebant. Græci recentiores ὑποκάμισα appellant. Vocantur & ἐσωτέρια, hoc est, ad verbum *interulæ*. Ἐσωφόρια quoque dicta. Anastasius in vita Johannis Eleemosynarii: *Ille ergo putans quod egenus esset, expoliavit se esophorium suum. Hypocamisum* paullo post vocavit: *Et dicebat semper, quod posset intentione dandi pauperibus expoliare divites, & ipsum etiam hypocamisum ab eis benevole auferre. Interulam*, quia suberat tunicæ, *subuculam* Latine dixere. Horat. Epist. I. I. 95.

—— si forte subucula pexæ
Trita subest tunicæ.

Salmas. in Tertull. de Pall. p. 409.

INTESTABILIS habebatur, qui, ut inquit Caj. l. 26. ff. qui test. fac. poss. *lege jubebatur, ne ejus testimonium reciperetur, & ne ipsi diceretur testimonium.* Ulpian. l. 18. §. 1. ff. eod. *Si quis ob carmen famosum damnetur, SCto expressum est, ut sit intestabilis. Ergo nec testamentum facere poterit, nec ad testamentum adhiberi.* Glossæ Philox: *Intestabilis*, ἀπηγορευμένος, ἄτιμος, μὴ προσδεκτέος εἰς μαρτυρίας; item ἀτελὴς, ἀμάρτυρος. Hinc factum, ut *intestabilis* homo, invisus, sceleratus, flagitiosus & execrabilis esset. Horat. Sat. II. 3. 181.

—— is intestabilis & sacer esto.

Plaut. Curc. I. I. 30.

Semper caveto, ne sis intestabilis.

Turneb. Adv. XXIX. 14. Ouzel. in Gell. XV. 13. Sigon. de Judic. II. 14. Rævard. ad Leg. XII. tab. c. 10. Rittersh. ad Leg. XII. tab. Class. III. p. 2. c. 19. Hotman. Antiq. Roman. III. 3. p. 442.

INTESTATUS fuit dictus testamento, non facto, rupto, irritove facto, & ab hærede destituto. Quod si quis *intestatus* moreretur; lex primum liberis, deinde agnatis hæreditatem attribuit. *Sigon. de Judic.* I. 4. Ulpian. l. 1. in prin. de suis & legit. *Intestati proprie appellantur, qui cum possent testamentum facere, testati non sunt. Sed & is qui testamentum fecit, si ejus hereditas adita non est, vel ruptum, vel irritum est testamentum; intestatus non improprie dicetur decessisse. Plane qui testari non potuit, proprie non est intestatus, puta impubes, furiosus, vel cui bonis interdictum est: sed hos quoque pro intestatis accipere debemus.* Augus. ad Leg. XII. tab. §. 54.

INTESTINUM opus proprie dicitur, quod ex ligno fit, sed elegantiore fabrica, & ea arte, quam minutiariam nunc appellamus. Veteres quoque λεπτουργίαν dixere. Unde & λεπτουργοὶ τεχνῖται apud Theophanem. Glossæ: λεπτουργὸς, *faber tignarius.* Varr. de Re rust. III. 1. *Quam nulla habeat, opere tectorio, & intestino, & pavimentis nobilibus spectandam.* Vitruv. IV. 4. *Pluteis marmoreis, seu ex intestino opere factis.* Plin. XVI. 42. *Firmissima ad tectum abies, eadem valvarum repagulis, & ad quæcunque libeat intestina opera firmissima.* Plurimi artificii hæc opera. Ideo addit Plinius: *sive Græco, sive Campano, sive Siculo fabricæ artis spectabilis.* In illis locum habent asciæ, runcinæ, & planæ. *Intestina* sunt autem illa opera dicta, quod intra domum tantum locum habeant, & in ædium interiori parte sita sint, ad differentiam τῶν ὑπαιθρίων. *Salmas. Exerc. Plin. p.* 728. *Pancirol. de Corp. Artif.* §. 36. *Grapald. de Part. dom.* I. I. §. 7. Est instrumentum domus, ut scamna, sedes, grabati, abaci, subsellia, fulcra, plutei, armaria, scrinia, foruli, loculamenta, mensæ, tripodes, monopodia, dorsualia, quæ igni opponuntur cum accubimus, repagula & claustra lignea, & si quæ talia. *Bud. in Pandect. p.* 164. *C.*

INTIMARI est actis inseri, in acta referri. Leo A. Constantino P. P. l. 30. C. de donat. *Donani licet donation*-

tionem ſuam apud quemcunque voluerit magiſtratum intimare: Hinc *intimatio* vocatur ipſi inſinuatio l. conſulta 23. C. de teſt. *Panciroll. Notit. dign. imp. orient. c.* 14.

INTRITUM eſt moretum, cui allium admixtum eſt, aut cibus, cui allium *intritum* eſt. Terent. Phorm. II. 2. 4.

Tute hoc intriſti, tibi omne eſt exedendum.

Ubi Donatus: *Παροιμία apta paraſito, quæ de cibo eſt. Hoc autem inter ruſticos de alliato moretario dici ſolet. Et bene intriſti: proprie enim intrita dicitur hujuſmodi cibus.* Turneb. Adv. XVI. 17. Plene ac proprie etiam Phædr. I. 26. 7.

—— intrito cibo
Plenam lagenam poſuit.

Varr. de Re ruſt. II. 9. *Nec non ita panem hordeaceum dandum, ut non potius eum in lacte des intritum.* Fiebat ex comminuto pane, macerato lacte, addito nonnunquam allio, caſeo, & ſimilibus. *Scheffer. ad Phædrum.* Male. *Intrita* eſt proprie ἐμβροχή. *Intrita* ex vino, ex poſca, ex aqua apud Celſum eſt panis *intritus*, & friatus in vinum, aut poſcam, aut aquam. Ἔνθρυπτος ἄρτος Græcis. *Intritus cibus* Phædro. Ad hanc *intriti* ſignificationem etiam proverbium comicum jam allatum. *Salmaſ. ad Vopiſc. Aurelian. c.* 46. Imo illi bene. Apud Phædrum exiſtimo eſſe *intritum cibum*, quem conſummatum vocamus. Apud Heſychium ἔντριτον τοῦ Διονυσίου ἔμβρωμα. Forte ἔντριπτον τοῦ Διονύσου βρῶμα. Baccho enim id *intritum* ex vino offerebant; *une ſoupe trempée en vin.* Ἔμβρωμα vox uſitata apud Euſtathium. *Valeſ. in Lex. Harpocrat. p.* 26. *Neapol. ad Ovid. Faſt.* IV. 367.

INTRODUCTORES, Græcis εἰσαγωγοὶ, dicebantur, qui athletas in ſtadium inducebant. Plato de Leg. VI. agens de certamine monodiæ hoc nomine cenſet eum, qui athletas in theatrum inducit: *Unus ille princeps ſatis eſt, qui non minus quam quadraginta annos natus ſit. Unum quoque in monodia ſufficere arbitramur, qui non minus triginta, & qui perſonas in theatrum opportune inducat.* Itaque iſti εἰσαγωγεῖς eos in certamina inducebant, quorum jam inter athletas recepta nomina, id eſt, ſuper quorum meritis multa cognitio fuerat. *Paſchal. de Coron.* VI. 11.

INTUSIUM cœpit dici, cum binas Romæ tunicas habere cœperunt, quo ſcilicet ab inferiore ſuperior diſtingueretur, & ſubucula eſſet inferior viri tunica; *intuſium* inferior tunica mulieris. Varro apud Non. XIV. 36. *Poſtea quam binas tunicas habere cœperunt, inſtituerunt vocare ſubuculam & intuſium.* Nec Varro morem ſuæ ætatis oſtendit, ſed longe ſuperioris: nam *intuſium* ſemel & iterum a Plauto nominatur. Muliebrem fuiſſe inferiorem tunicam intelligitur I. ex Plauti locis, muliebrem veſtem plane ſignificantibus. II. Varronis verbis, quæ cum palla *intuſium* conjungunt de Ling. Lat. IV. 30. *Alterius generis item duo, unum, quod foris, ac palam, palla: alterum, quod intus, a quo intuſium.* Nec ſibi adverſatur Varro ſcribens apud Non. II. 312. *Mihi puero modica una fuit tunica, & toga, ſine faſciis calceamenta, equus ſine ephippio.* Non enim dicit, *me puero*, quibus verbis morem omnium communem oſtenderet: ſed, *mihi puero*, ut continentiam ſuam, domeſticamque diſciplinam oſtenderet. Nam, licet ante Varronis ætatem ſecunda tunica eſſet inducta, quam in viris ſubuculam, in mulieribus *intuſium* appellatam dixi: non tamen increbruerat ita hic mos, ut omnium communis eſſet. *Manut. Quæſ. per Epiſt.* III. 2. *Ferrar. de Re veſt.* I. 3. 1. & 30. *Kipping. Antiq. Roman.* IV. 5. 15.

INV.

INVITATOR vocabatur vocator. Cicer. Attic. II. 19. *Coſconio mortuo ſum in ejus locum invitatus: id erat vocari in locum mortui.* Vocabat ad cœnam Imperatoris. Mart. IX. 93. 1.

Ad cœnam ſi me diverſa vocaret in aſtra
Hinc invitator Cæſaris, inde Jovis.

Antiqua inſcriptio Romæ apud Gruter. p. 598. n. 6.

AGATHOPUS AUGG. LIBERT.
INVITATOR

l. ult. C. de Offic. diverſ. *Item ſcrinii ſa .o um libell..um ſic: Officii. . . . . invitatorum.* Panciroll. Notit. dignit. imp. orient. c. 66. Pignor. de Serv. p. 112. B..l.ng. de Imperat. Rom. II. 37. de Conviv. I. 25. Gutl.e.. de Offi.. dom. Aug. III. 5. Stuck. Ant. Conv. II. 4.

IO.

IO *Saturnalia* in Saturnalibus ut acclamarent, mos fuit. Mart. XI. 2.

Clamant, ecce mei IO Saturnalia verſus.

Liv. XXII. 1. *Ad ædem Saturni per Urbem Saturnalia die ac nocte clamatum.* Briſſon. de Form. VIII. p. 720. Ferrar. de Acclam. & Plauſ. VII. 16.

Io triumphe Imperatori triumphanti, dum per Urbem in Capitolium curru veheretur, milites ſolebant acclamare. Varr. de Ling. Lat. V. 7. *S. . . . . elatum, quod, cum Imperatore m. . . . . Urbem in Capitolium eunti, Io triumphe, Io.* Horat. Od. IV. 2. 49.

Tuque dum procedis, Io triumphe,
Non ſemel dicemus, Io triumphe
Civitas omnis, dabimusque divis
Thura benignis.

Tibull. II. 6. 121.

Ipſe gerens laurus, lauro devinctus agreſti
Miles, Io, magna voce, triumphe canet.

Briſſon de Form. IV. p. 351. Ferrar. de Acclam. & Plauſ. VI. 9. Nicol. de Triumph. c. 21. §. 2. Buleng. de Triump. c. 32. Demſter. Paral. ad Antiq. Rom. Roſin. X. 29. Caroli Antiq. Roman. III. 10. Kipping. Diſſert. de Expedit. marit. §. 4.

JOC.

JOCOS, & *jocularia* quædam carmina, & dicteria milites in ſuos Imperatores triumphantes ſolebant jacere. Dionyſ. VII. p. 477. *Ex triumphis, qui aguntur, ſatis liquet, luſus cavillatorios, & ſatyricos apud Romanos jam inde a priſcis ſeculis receptos fuiſſe. Permittitur enim iis, qui triumphum proſequuntur, jambos, & dicteria jacere in clariſſimos quosque viros, atque adeo in ipſos quoque Imperatores; quemadmodum Athenis olim iis, qui plauſtris vecti pompam proſequebantur, obvios quosque ſcommatibus impetere licebat; nunc vero carmina ex tempore canunt.* Mart. I. 5. 3.

Conſuevere jocos veſtri quoque ferre triumphi:
Materiam dictis nec pudet eſſe ducem.

Suet. Jul. c. 49. n. 7. *Gallico triumpho milites ejus inter cætera carmina, qualia currum proſequentes joculariter canunt, etiam vulgatiſſimum illud pronuntiaverunt:*

Gallias Cæſar ſubegit, Nicomedes Cæſarem,
Ecce Cæſar nunc triumphat, qui ſubegit Gallias.
Nicomedes non triumphat, qui ſubegit Cæſarem.

c. 51. *Ne provincialibus quidem matrimoniis abſtinuiſſe, vel hoc diſticho apparet, jactato æque a militibus per Gallicum triumphum.*

Urbani, ſervate uxores, mœchum calvum adducimus,
Aurum in Gallia effutuiſti, hic ſumpſiſti mutuum.

Ferrar. de Acclam. & plauſ. VI. 10. Briſſon de Form. IV. p. 352. Nicol. de Triump. c. 21. §. 3. Mariſcott. de Perſon. c. 5. Salmuth in Panciroli de Reb. deperd. & inv. p. 635. Buleng. de Triump. c. 32. Demſter. Paral. ad Antiq. Rom. Roſin. X. 29. Caroli Antiq. Roman. III. 10. Kipping. Diſſert. de Victor. §. 4. Alex. Gen. dier. VI. 6. & in illum Tiraquellus. Lydius de re milit. VI. 3. Rader. ad Martialem. His in triumphali pompa forte datus locus, ut inter præmia virtutis triumphator, modeſtiæ cauſa, vitiorum quoque admoneretur, nec ſibi nimium placeret. *Boxhorn. in Suetonium.* Illos ad modos mu-

ſicos dicebant. Dionyſius modo laudatus. Et quidem alternis. Liv. IV. 53. *Itaque quum ex SCto Urbem ovans introiret, alterni inconditi verſus militari licentia jactati.* Ferrar. ibid. c. II.

JOH.

JOHANNIS Apoſtoli ædes, ubi in ahenum bulliens immiſſum fuiſſe vetus per manus tradita fama eſt, fuit ante portam Latinam. Vocula *ante* hoc apertiſſime indicat, præterquam quod olim damnatos extra portam ad ſupplicium duci ſollennis mos erat. *Nardin. Rom. Vet.* I. 7.

Johannes VIII. audivit femina, quod a maſcula Nicolai deceſſoris fortitudine deſciſcere viſus eſſet. Unde fabula de *Johanna* Papiſſa, quam mendacii, & nugacitatis fere fruſtra revincunt Panvinius, Baronius, Remondus, ac Leo Allatius. *Raynaud. de Pil. & cæt. cap. tegm. Sect.* V. V. tamen infr. in *Sedes ſtercoraria.*

JOV.

JOVIA eſt dicta regio Spallato Dalmatiæ proximior a Diocletiano, qui ſe *Jovem*, vel *Jovium* appellabat. *Panciroll. Notit. dignit. imp. occid. c.* 37.

IPS.

IPSULLICES erant *bracteæ in virilem, muliebremque ſpeciem effictæ.* Feſtus. *Voſſ. Lex. Etymol. Jun. de Pictur.* II. 8. Videntur ſignare imagunculas, quibus magi utebantur, ut eum, cujus imago eſſet, pellicerent in amorem. *Voſſ. l. l.*

IRE.

IRENARCHÆ, quaſi *pacis auctores* dicti, erant præfecti militum ſtationariorum, in certis urbis, aut territorii locis collocatorum, ut ortos tumultus ſedarent, latrocinia prohiberent, & factioſos, & crimina patrata præſidi indicarent. Eligebantur a decurionibus, & a præſide probabantur. Honor. A. l. unic. C. de *Irenarchis. Irenarchæ*, inquit, *qui ad provinciarum tutelam per ſingula territoria faciunt ſtare concordiam, à decurionibus judicio præſidum provinciarum idonei nominentur.* Eorum literis ſine legitimis probationibus non credebatur. Marcian. l. Divus 6. ff. de cuſtod. reor. *Hadrianus Julio ſecundo ita ſcribit, & alias reſcriptum eſt, non eſſe utique epiſtolis eorum credendum, qui quaſi damnatos ad præſidem remiſerint. Idem de Irenarchis præceptum eſt, quia non omnes ex fide bona elogia ſcribere compertum eſt. Sed Irenarchæ, cum apprehenderint latrones, interrogent eos de ſociis, & receptatoribus, & interrogationes literis incluſas, atque obſignatas ad cognitionem magiſtratus mittant. Igitur qui cum elogio mittuntur, ex integro audiendi ſunt, etſi per literas miſſi ſunt, vel etiam per Irenarchas perducti.* . . . Panciroll. de Magiſtr. municip. c. 18. Notit. dignit. imper. orient. c. 75. Buleng. de Imp. Rom. VII. 22. Guther. de offic. dom. Aug. III 33. Urſat. de Not. Roman. Theſ. Ant. Rom. Græv. Tom. XI. p. 669. D. Cerda Adv. ſacr. c. 121. n. 24.

IRP.

IRPEX *eſt genus raſtri ferrei, quod plures habet dentes ad extirpandas herbas in agris.* Feſtus. Serv. Dan. ad Virg. Georg. I. 95. *Ad agrorum ſcilicet exæquationem, quam irpicem ruſtici vocant.* Voſſ. Lex. Etymol. Diverſi ſunt *irpices*, quia rapiunt, & verrunt, quæ in terra ſerpunt inutilia, & ſic agrum purgant, & mundant, ab illis raſtris vel cratibus dentatis, quibus occatur ager ad glebas comminuendas, & exæquandas. Haud dubium tamen, quin occatorias crates *irpices* ruſtici vocaverint ab ſimilitudine Nam hodieque noſtri agricolæ *herpices* appellant hujuſmodi crates dentatas, quibus ſemina, poſtquam jacta ſunt, operiunt. *Herſas* vocant deducto ab *hirpice*, vel *irpice* nomine. Utuntur autem ut plurimum hujuſmodi *irpicibus* in iis agris, qui nec depreſſos ſulcos, nec extantes habent porcas. *Salmaſ. Exerc. Pliman. p.* 513. *a. D. Popm. de Inſtrum. fund. c.* 8.

ISA.

ISAURIA Ciliciæ ad Taurum montem proxima, Lycaonibusque finitima a Publio Servilio ſubacta fuit. De hac Ammian. XIV. 8. *Ciliciæ lateri dextro adnexa Iſauria, pari ſorte uberi palmite viret, & frugibus multis, quam mediam navigabile flumen Calycadnus interſcindit. Et hanc quidem præter oppida multa duæ civitates exornant, Seleucia, opus Seleuci Regis: & Claudiopolis, quam deduxit coloniam Claudius Cæſar. Iſaura enim antehac nimium potens, olim ſubverſa ut rebellatrix interneciva ægre veſtigia claritudinis priſtinæ monſtrat admodum pauca.* Panciroll. Notit. dignit. imp. orient. c. 116. & 142. Emm. Græc. vet. VIII. Theſ. Ant. Græc. Gronov. IV. p. 174. F. Valeſ. in Ammianum.

ISAURICUS dictus eſt P. Servilius ab *Iſauris* urbe Ciliciæ captis. Strab. XII. p. 391. *Exhibuerunt Romanis negotium, & P. Servilio, qui cognomen Iſaurici inde retulit, quem nos vidimus. Is & Iſauriam Romanis ſubegit.* Sigon. de Nomin. Roman. c. 5. Pitiſc. in Suet. Jul. c. 3. n. 1.

ISC.

ISCHII pars dextra ſi quatitur, domeſticorum, aut amicorum rixam, aliis autem bonum: ſin autem ſiniſtra, triſtitiam narrat, aliis inſtabilitatem. *Niphus de Augur.* I. 9.

ISE.

ISELASTICUM eſt præmium *Iſelaſticorum.* Plin. Epiſt. X. 119. *Ego contra ſcribo iſelaſtici nomine.* Cellar. in Plinium. *Iſelaſticum agona* V. ſupr. in *Agon.*

ISEUM, vel *Iſium* templum fuit *Iſidis* in regione nona, quod Alexander Imperator ſignis ornavit. Lamprid. c. 26. *Iſeum, & Serapeum decenter ornavit additis ſignis Deliacis, & omnibus myſticis.* Panciroll. Deſcr. Urb. Rom. Theſ. Ant. Rom. Græv. Tom. III. p. 362. A.

Iſeum Metellinum fuerit Iſidis ſacellum, aut templum, ab aliquo Metellorum, conſtructum. Trebell. Poll. XXX. tyran. c. 25. *Tetricorum domus hodieque extat, in monte Cœlio, inter duos lucos, contra Iſium Metellinum, pulcerrima, in qua Aurelianus pictus eſt.* Nardin. Rom. Vet. III. 7.

ISI.

ISICIUM carne minutim *inciſa* cum arvina permixta conſtat. Græci ἴσικον & ἰσίκιον vocant: ut σάλσικα pro σαλσίκια; unde σαλσικοπῶλαι Græcis recentioribus ſunt ἀλλαντοπῶλαι. Erant aromatibus, vel herbis odoratis condita, vulgus *ſalziſas* vocat, & maximis deliciis annumerat. Ejuſmodi *iſiciis*, & minutalibus ex carne vulgo farciebantur avium ventriculi, ut anſerum & gallinarum. *Eſiciatæ* dictæ recentioribus pro *iſiciatis. Eſiciatam* deſcribit vetus epigramma nondum editum in lemmate *Eſiciata:*

Amiſit proprias vacuato corpore carnes,
Accepitque novas, dedit, ac tulit, & grave lucrum
Perdendo acquirit, damnum bene crevit in illa.

Item aliud de anſere farto:

Eminet impleto pullorum carnibus anſer,
Et varias menſæ torridus ambit opes.
Inguinibus nam portat olus, ventriſque ſoluti
Truditur e medio eſiciata nitens.

Vulvulæ eſiciatæ mentio eſt apud Apic. de Re coquin. II. 3. & *circellorum eſiciatorum* apud eund. ibid. c. 5. *Salmaſ. in Lampr. Heliog. c.* 19. *Nonn. de Re cibar.* II. 14. *Caſtellan. de eſu carn.* II. 2. *Buleng. de Conviv.* II. 30. *Humelberg. & Liſter. in Apicium. Gutberl. de Saliis p.* 139. Fiebant etiam ex piſcibus. Apic. ibid. c. 1. *Iſicia fiunt mari-*

n.

na de cammaris & astacis, de loligine, de sepia, de locustis, de pectine, de ostrea. Heliogabalus primus novas has cupedias orbi dedit. Lamprid. c. 19. *Primus fecit de piscibus isicia, primus de ostreis, & leiostreis,* potius *lithostreis, & alus hujusmodi marinis conchis, & locustis, & cammaris, & scillis.* Sed vetustius ex Apicio initium habuisse videntur. Nisi forte hos libros supposititios esse dicamus, ut doctorum nonnullis placet, & ipse stylus satis arguit, qui multum a Tiberii seculi puritate deflectit. *Casaub. ad Lampridium. Nonn. ibid.* III. 41.

ISIS fuit Jovis Ægyptii filia, Osiridis soror & conjux, de quibus singulari libello Plutarchus. *Ortel. Deor. & dear. cap.* II. *fig.* 44. *Clasen. Theol. gent.* I. 7. *Wolph. in Morell. de Philosoph. orig. Thes. Ant. Græc. Gronov. Tom.* X. *p.* 305. *C.* Ejus imago sindone tegitur, florem sacrum gerit in capite, & globum aspidibus circumdatum, solitum ejus caput ornamentum, vel modium abundantiæ, & fœcunditatis symbolum, sive calathum frugum maturitatis indicem. Porphyr. apud Euseb. Præp. Euang. III. 3. *Calathus autem is, quem ipsa gestat, ubi altiorem in locum subvecta jam est, frugum maturitatem, quam iis circa luminis incrementum alendis efficit, repræsentat.* Situlam tenet ad denotandam humidam vim lunæ, quæ semina humore fovet, donec sol eadem sublevat ad generationem: eaque de causa in ejus sacris amphoram aquæ inter mysteria efferri moris fuisse narrant Lucian. de Dea Syria & Plutarchus. *La Chausse de Deor. simul. Tab.* XX. & XXXIII. *Struv. Ant. Rom. c.* I. *p.* 184. *Cuper. Harpocr. p.* 45. Habebatur itaque eadem quæ Luna. Et hoc docent simulacra, quoniam nigris vestibus, & cornigera ad similitudinem lunæ effingebatur. Vestibus illis ejus occultatio, & adumbratio significabatur, in quibus desiderio, & amore capta solem sequi videtur. *Voss. de Idolol.* II. 24. *Gyrald. Synt. deor.* XII. *p.* 383. *G. Ortel. l. l.* Etiam credita est *Ægypti genius, qui per sistri motum, quod gerit in dextra, Nili accessus, recessusque significat, per situlam, quam sinistra manu retinet, ostendit affluentiam omnium lacunarum,* ut docet Serv. Æneid. VIII. 696. *Gyrald. & Ortel. l. l.* Illam quoque pro anni charactere ponebant Ægyptii. Horus Apollo Hierogl. c. 3. *Annum porro significare volentes, Isidem, hoc est, mulierem pingunt. Hoc ipso etiam deam indicant. Est autem apud eos Isis astrum, quod Ægyptia lingua Sothis, Græcis dicitur Astrocyon:* eo quod in reliqua sidera imperium obtinere credatur, vel quod in ejus exortu præsagia sumebant, quid eo anno eventurum esset, rei cujusque exitum explorantes. *Jun. de Ann. & mens. c.* I. *Anim.* I. 5. *Comment. in Horum. Ortel. & Gyrald. l. l. Toll. Dissert. de Sistr. Thes. Ant. Rom. Græv. Tom.* VI. *p.* 416. Ejus apparatus sacer tanta schematum diversitate, & ridiculis commentis instructus describitur ab Apul. XI. p. 368. ut nulla verius pompa personatorum quoddam simulacrum, & imitationem repræsentet. *Ecce,* inquit, *pompæ magnæ pa[illegible]tim procedunt anteludia, votivis cujusque studiis exornata pulcerrime. Hic incinctus baltheo militem gerebat; illum [illegible] chlamyde copides, & venabula venatorem fecerant: alius soccis subauratis, indutus serica veste, mundoque pretioso; & adtextis capite crinibus, incessu per[illegible]o feminam mentiebatur: porro alium ocreis, scuto, galea, [illegible]oque insignem e ludo putares gladiatorio procedere. Nec ille deerat, qui magistratum fascibus, purpuraque luderet: nec qui pallio, baculoque, & baxeis, & hircino barbitio philosophum fingeret: nec qui diversis arundinibus, alter aucupem cum visco, alter piscatorem cum hamo induceret.* Mariscott. de Pers. & Larv. c. 3. Cultum receperunt Romani. Lucan. VIII. 833.

Nos in sacra tuam Romana recepimus Isin.

Lamprid. Comm. c. 9. *Sacra Isidis coluit, ut & caput raderet.* Spartian. Carac. c. 9. *Caracalla sacra Isidis Romam deportavit, & templa n[illegible] magnifica eidem deæ fecit. Sacra majore reverentia celel[illegible] quam antea celebrabantur. In [illegible], quem ad modum sacra Isi[illegible] [illegible] primus [illegible]* invexit. Suet. Dom. c. 12. n. 5. *Sacra Isidis sæpe in lintea, religiosaque veste propalam celebravit.* [illegible] ad [illegible]. Ruit. Farnes. Thes. Ant. Rom. Græv. Tom. VIII. p. 24. A. Rosin. Antiq. Roman. II. 22. & ad illum Demsterus. In illis feminæ per decem dies secubabant, & maritorum consuetudine abstinebant. Tibull. I. 3. 25.

Quidve pie, dum sacra colis, pureque lavari
Te memini, & puro secubuisse toro?

Vocabant in casto, vel pervigilio secubare. Nec enim aliter rem divinam sine piaculo facere poterant. Tunc mulieres sacra nocturna in templo *Isidis* peragebant, neque eo viris accedere licebat, saltem quod audac[illegible] quidam veste muliebri amicti irrumperent, & mulierum pudicitiam attentarent. Ovid. de Arte Am. I. 77.

Neu fuge linigeræ Memphitica templa juvencæ.
Multas ill[illegible], quod [illegible] ipsa f[illegible].

Kipping Antiq. Roman. I. 5. §. 2. Ejus sollemnia ideo tristia vocantur a Prop. II. 24. I.

Tristia jam redeunt iterum soll[illegible] nobis.
Cynthia jam noctes est op[illegible] decem.

Itaque eas, quæ negare vellent no[illegible] [illegible] præ- texere posse causam sacrorum *Isidis* docet Ovid. Amor. I. 8. 73.

Sæpe nega noctem, capitis modo finge dolorem:
Et modo quæ causas præbeat, Isis erit.

Brisson. de Form. I. p. 6. V. etiam supr. in *[illegible]*. Sacerdotes, navigium, templa V. *suis locis.* Plantas in votum illi ponebant. Inscriptio spectatur Romæ ad D. [illegible]riam in ara Cœli:

ISIDI
FRUGIFERÆ
○ ○
POSUIT

Fortasse aliquis longa peregrinatione peracta ad patrios Lares reversus deæ peregrinationis præsidi ob vi[illegible] incolumitatem eas appendit; aut potius post multos viarum labores parato sibi præsidio vitæ reliquum, longe forsitan ab Urbe, huic deæ, tanquam tritici, & hordei inventrici sub *Frugiferæ* titulo desideratæ quietis monumentum fixit. *Tomas. de Donar. c.* 7. Ejus opem in recuperata valetudine experti, tabellas ei suspendebant: unde Tibul. I. 3. 28.

— nam posse mederi
Picta docet templis [illegible] tuis.

Qui mos in tota adhuc durat Italia. Sacra quomodo sublata, & quam ob causam sacerdotes Urbe pulsi, & templa diruta sint, docet Joseph. Ant. Judaic. XVIII. 4. *Fabric. Descr. Urb. Rom. c.* 9. Adde quæ in *mensa Isiaca* habet *Pignor[illegible]*.

Isis Athenodoria in regione duodecima a Victore ponitur. Antiquarii templum a Caracalla constructum put[illegible], qui & duo inscriptionum fragmenta afferunt inter ædem S. Sixti & thermas Ant. effossa. In horum altero legas: SECULO FELICI ISIAS SACERDOS ISIDIS SALUTARIS CONSECRATIO. In secundo vero: [illegible]IFICIS VOTIS ANNUANT DII ROMA[illegible] REIPUBLICÆ ARCANAQ. MORBIS PRÆSIDIA ANNUANT. QUORUM NUTU ROMANO IMPERIO REGNA CESSERE. Adducunt & illa Spartiani de Caracalla supr. in *Isis* allata. Verisimile enim in nova quoque a se munita via Imperatorem numini huic templum dedicasse. Hoc ut concedam, facile a me impetrari potest. Attamen *Isidem Athenodoriam* non ædem, sed statuam fuisse existimo, deæ illi alicubi in publico positam, ut cæteris diis fieri solitum: & autorem, [illegible], Athenodorum [illegible]rium Rhodium, [illegible] Polycleti d[illegible]ulum. De hoc Plin. XXXIV. 8. *Ex his Polycletus discipulos habuit Argium, Asopodorum, Alexim, Phrynonem, Dinonem, Athenodorum....* Fuitque is unus ex statuariis, qui admirabilem Laocoontis statuam fecere, quæ olim in Titi domo, nunc in Va-

ticano ostenditur. De ea Plin. xxxvi. 5. *De consilii sententia fecere summi artifices Agesander, & Polydorus, & Athenodorus Rhodii.* Quare quum Athenodorus is statuarius fuerit, non autem architectus, opus ejus statua fuit, diu arte Caracallæ principatum facta, unde toti illi tractui forsan impertitum nomen est. *Nardin. Rom. Vet.* vii. 6. *Panciroll. Descr. Urb. Rom. Thes. Ant. Rom. Græv. Tom.* iii. *p.* 369. *C. Borrich. Ant. Urb. fac. c.* 14. §. 2. *Faunus Antiq. Urb. Rom.* iii. 13.

Isis Patricia in regione quinta a Rufo & Victore ponitur, fuit ædes, vel sacellum, vel signum aliquod ejus, ab hoc vico, in quo erat, denominatæ. De vico Mart. x. 68. 2.

Sed domus in vico Lælia patricio.

Forsan ea una ex illis fuit statuis, quas Augustus in vicis posuit, cujusmodi Apollo Sandaliarius, & Jupiter tragœdus. *Nardin. Rom. Vet.* iv. 3. *Panciroll. Descr. Urb. Rom. Thes. Ant. Rom. Græv. Tom.* iii. *p.* 342. *F. Gyrald. Synt. deor.* xii. *p.* 386. *A. Cuper. Harpocr. p.* 151.

Isis Pelagia etiam cognominabatur, ut datur intelligi ex marmore quodam vetusto, reperto in vinea Johannis Poggii pontifi[illegible] extra portam Flaminiam. *Gyrald. Synt. deor.* xii. *p.* 385. *G. Bac*[illegible] *Thes. Ant. Rom. Græv.* [illegible] vi. *p.* 414. *C.* [illegible] propter in[illegible]. Culta etiam in Corintho. Pausan. Corinth. p. 48. *Jam qui in Acrocorinthum adscendunt, [illegible] duo Isidis videant: alterum Pelagiæ, alterum Ægyptiæ cognomento.* Cuper. Harpocr. p. 151.

Isis Pharia dicebatur a Pharo insula Ægypti ex adverso Alexandriæ. Itaque in veteri inscriptione apud Gruter. p. 84. n. 1. ΕΙϹΙΔΙ ΦΑΡΙΑ. Imo & ἁπλῶς Phariam videntur nominasse. Glossarium Benedicti Abbatis Floriacensis: *Isis, Φαρία. Voss. de Idolol.* ii. 24.

Isis Regina cognominata videtur in marmore, in ædibus Fr. Quirini Patavii. *Gyrald. Synt. deor.* xii. *p.* 385. *G.*

Isis Triumphalis nominatur in marmore, in domo Cardinalis Cæsii Romæ. *Gyrald. Synt. deor.* xii. *p.* 386. *A.*

Isis Urbis regio tertia conjuncta fuit Cœlimontanæ, sita in ea Exquiliarum parte, quæ latus australe respicit. Describunt illam Rufus & Victor. Ambitus ejus magna ex parte Cœlimontanæ conterminus, ab colle scilicet S. Crucis, usque ad prærupta Cœlii, quæ sub vinea sunt SS. Johannis & Paulli. Hinc dextrorsum flectens incluso amphitheatro Titi, & exclusa meta sudante, hortisque S. Mariæ novæ, & Piis, quæ quartæ fuere regionis, pertigit procul dubio ad radices usque Exquiliarum, quibuscum a S. Andreæ in Portugallo usque ad hodiernam Suburam, & clivum S. Luciæ in silice, & S. Martini in montibus secedens, quicquid antiquorum ædificiorum inter istas ecclesias fuit, complectebatur. Hoc in fastigio ad ortum tendens, excluso arcu S. Viti, sed ædem S. Martini in Merulana complexus, recta finitum ibat in angulo septentrionali Cœlii: cujus certa satis argumenta sunt horti Mæcenatis, qui ad S. Martini in montibus, & ædem S. Viti in macello pertingebant: quæ duo loca quintæ regioni attribuuntur: inde & ad S. Matthæi in Merulana, quæ ecclesia hujus regionis est. *Nardin. Rom. Vet.* iii. 8.

ISO.

ISOLINA. V. illa infr. in *Monolinum*.

IST.

ISTHMIA quinquennalia fuisse dicunt Plin. iv. 5. & Solin. c. 9. *Isthmi pars altera cum delubro Neptuni quinquennalibus inclyto ludis.* Sed τριετηρικὸς fuisse ludos, ita ut τριετηρίδα de solo biennio accipiat, exemplis pluribus affirmat *Schmidius Prolegomenis ad Isthmionicas.* Sisyphus instituit frater Athamantis, cum Ino Athamantis uxor, in quam sævierat maritus, cum filio Melicerta, in pelagus, ad petram Moluridem desiliisset: & Neptuni commiseratione Ino in Leucotheam conversa esset, Melicertes vero Palæmon habitus fuisset. Pausan. Attic. p. 43. Hos diu intermissos restauravit, & Neptuno sacros esse jussit Theseus longe, quam antea fuissent, illustriores. Plutarch. Thes. p. 11. E. *Ludos Herculis imitatione primus instituit, ambiens, ut sicut in illius memoriam Jovi Olympia, ita Isthmia Neptuno Græci in honorem suum agerent.* Laz. Græc. Ant. i. 6: ii. 3. Scalig. Poet. i. 26. Faber Agonist. ii. 23. Mod. de Lud. & spectac. vet. ii. 23. Paschal. de Coron. vi. 27. Barth. ad Stat. Theb. vi. 11. Guther. de Jur. man. ii. 9. Vaillant. Numism. i. p. 118. Meurs. Thes. c. 19. Potter. Archæol. Græc. ii. 24. Pitisc. in Suet. Ner. c. 24. n. 7. Ipsorum participes a Corinthiis facti sunt Romani post Fulvium & Postumium consules Olymp. 138. Polyb. ii. 12. *Post illud principium legati deinceps alii ad Corinthios, atque Athenienses missi fuere a Romanis: eoque primum tempore a Corinthiis decretum est, ut Isthmici ludicri participes Romani fierent.* Excisa dein Corintho, apud Sicyonem ludos Romano imperio vigente celebratos intelligimus e Pausan. Corinth. p. 45. *Isthmici ludi ne excisa quidem a Mummio Corintho intermissi sunt: sed etiam in ipsa urbis vastitate, ut eos faciundos curarent, datum negotium fuit Sicyoniis.* Ac ex eo demum tempore, vel etiam posterius sub Imperatoribus Romanis, *Isthmico* conventu apud Corinthum non gymnicos, aut musicos tantum, sed etiam bestiarios, seu venatorios immensis sumptibus ludos in theatris exhibitos tradit Julian. Imper. Epist. 35. *Non enim ad gymnicos, musicosve ludos magna pecunia Corinthiis opus est: sed ad venationes, quæ sæpe in theatris exhibentur: ursas, & pantheras emunt: quæ quidem ipsi facile ferunt propter opum, & sumptuum magnitudinem: & multis quidem civitatibus, ut par est, pecunias conferentibus, ipsi oblectationem sui instituti redimunt.* Faber l. l.

ISTHMUS est locus, qui ex utraque parte pelago alluitur. *Isthmorum* omnium clarissimus est Corinthiacus, qui medius inter Ionium, & Ægæum mare porrectus, a septentrione Atticam, a meridie Peloponnesum excipit. Plin. iv. 4. *Isthmus appellantur angustiæ, unde procedit Peloponnesus inter duo maria Ægæum & Ionium.* Pausan. Corinth. p. 44. *Isthmus Corinthiacus mari utrinque alluitur, duobus ejus latera promontoriis terminantur, Cenchreis, & Lechæo.* Gerbel. Græc. Ant. Thes. Ant. Græc. Gronov. Tom. iv. p. (44) D. Pitisc. Suet. Jul. c. 44. n. 5. *Perfodere navigabili alveo angustias tentavere Demetrius Rex, Dictator Cæsar, Cajus Princeps, Domitius Nero, infausto, ut omnium patuit exitu, incepto.* Plin. l. l. *Tam scilicet difficile est, divinitus attributam certis rebus naturam humana arte superare.* Pausan. l. l. Tentasse Demetrium docet Strab. i. p. 37. *Ait Strato, & Demetrium Isthmum Peloponnesiacum perfringere conatum; ut classibus navigationis transitum præberet, ab architectis prohibitum: qui, cum metarentur, renuntiaverunt. . . .* Julium Cæsarem Suet. c. 44. n. 5. *Destinabat perfodere Isthmum* & juxta cum illo Dio xliv. p. 242. D. Plutarch. Cæs. p. 735. B. Cajum Suet. c. 21. n. 4. *Destinaverat ante omnia Isthmum in Achaja perfodere, miseratque jam ad dimetiendum opus primipilarem.* Neronem Suet. c. 19. n. 3. *In Achaja Isthmum perfodere aggressus, prætorianos pro concione ad inchoandum opus cohortatus est, tubaque signo dato, primus rastello humum effodit, & corbulæ congestam humeris extulit.* Sed hoc tentante Nerone *sanguis e terra erupit, auditaque sunt lamenta, & mugitus, & spectra multa apparuerunt*, ut narrat Xiphil. lxiii. p. 722. A. Quem hoc tentaturum, sed frustra prænoverat Apollonius. Philost. Apollon. iv. 8. *Cum in Isthmo constitisset aliquando* Apollonius, *& mare Lechæo portus circumpositum mugiret: is, inquit, terræ vertex scindetur forsitan: ego tamen magis credo non scissum iri. Hæc autem dixit jam prænoscens non futuram Isthmi sectionem, quam post annos septem facere cogitavit Nero.* Bergier. de viis milit. iv. sect. 47. n. 2. & ad illum Henninius. Rhodig. Ant. Lect. xxi. 19. Gerbel. ibid. p. (45) D. Pitisc. ad Suet. Julium & Neronem. Postremus omnium Herodes Atticus, cum alia præclara opera confecisset, nihil egisse se arbitrabatur, nisi & *Isthmi* sectionem tentasset. Sed metuens, ne facile id a Principe nimium ambitioso impetraret, ab incepto magnifico quidem illo, & haud dubie,

si

si fortuna votis Attici aspiraffet, [illegible] utili destitit. *Gerbel. l. l.*

ISTRI fuerunt populi Illyrici, Italiæ adjacentes, quos a Japudibus Arsia flumen discrevit. Bello sunt petiti anno ab U. C. 532. cum naves & ipsi Romanorum cepissent, easque diripuissent. Quibus a P. Scipione & M. Minucio coss. partim vi, partim voluntate ad deditionem adductis, facile fuit, ut sequentes consules C. Lutatius, & L. Veturius sine pugna usque ad Alpes penetrarent. Renovatum est bellum cum illis. Scribit enim Livius anno ab U. C. 572. L. Duronio prætori Apuliam decretam, & *Istros* adjectos, quod Tarentini Brundisinique nuntiabant, maritimos agros infestos transmarinarum navium latrociniis esse. Itaque triennio post A. Manlius consul decreto *Istrico* bello profectus ab Aquileja castra ad lacum Timavi posuit, & collatis signis male pugnavit; post recuperata pugna *Istrorum* ad octo millia cecidit. Postero vero anno M. Junius & A. Manlius, cum Aquilejæ hibernassent, exercitu in fines *Istrorum* inducto, quatuor millia eorum ceciderunt, eosque ad pacem petendam datis obsidibus compulerunt. Dumque Nesactium oppidum, quo se principes *Istrorum*, & regulus ipse Æpulo receperat, summa vi oppugnabant, successor C. Claudius consul superveniens oppidum cepit. Rex, ne in manus hostium perveniret, sibi mortem conscivit. Duo deinde oppida Mutilam & Faveriam vi capta delevit. Atque ita *Istria* trium oppidorum excidio, & morte Regis pacata, omnes undique populi obsidibus datis in ditionem venerunt. *Sigon. de Ant. jur. prov.* I. 7. *de Ant. jur. Ital.* III. 5. *Stad. ad Flor.* II. 10.

Istri nomen inter Grajos & Latinos qui assumerent, fuerunt homines clari. Siquidem Antigenis *Istri* historias citant Plutarchus, & Plinius: & P. Attilius *Ister* Pannoniæ præfectus legitur sub Claudio apud Tacit. Annal. II. 29. 3. *Freher. Cecropistrom. Thes. Ant. Rom. Græv. Tom.* IX. *p.* 1154. *C.*

ITA.

ITA *me dii ament* est formula jurandi. Terent. Heaut. II. 3. 67.

Præ gaudio, ita me dii ament, ubi sim nescio.

Hinc Plaut. Bacch. IV. 8. 51.

— Ita me Jupiter, Juno, Ceres,
Minerva, Latona, Spes, Opis, Virtus, Venus,
Castor, Polluces, Mars, Mercurius, Hercules,
Submanus, Sol, Saturnus, dique omnes ament.

Hansen. de Jurejur. vet. c. 13. Brisson. de Form. VIII. p. 708.

Ita mihi deos velim propitios est formula jurandi. Cicer. Divin. c. 13. *Ita mihi deos velim propitios, ut non solum commoveor animo, sed etiam toto corpore perhorresco.* Ubi Asconius: *Genus jurisjurandi, id est, quod dicimus: tantum mihi divinitas faveat, quantum verum est illud, quod dico tibi.* Hansen. de Jurejur. vet. c. 13. Brisson. de Form. VIII. p. 708.

Ita sim felix est formula jurandi. Suet. Tib. c. 21. n. 8. *Jucundissime, & ita sim felix, vir fortissime.* Prop. I. 7. 3.

Atque ita sim felix, primo contendis Homero.

Hansen. de Jurejur. vet. c. 13. Brisson. de Form. VIII. p. 708. Vechner. Hellenol. II. 13. §. 3. Schott. in Senec. Contr. III. 16. Douz. & Passerat. in Propertium. Pitisc. in Suetonium.

Ita vivam est formula jurandi. Val. Max. IX. 13. 3. *Brutus a Furio, quem ad eum occidendum Antonius miserat, comprehensus, non solum cervicem gladio subtraxit, verum etiam constantius eam præbere admonitus, ipsis his verbis jurat, vit, ita vivam, dabo.* Senec. Epist. 82. *Hic est Brutus, qui cum periturus mortis moras quæreret, ad exonerandum ventrem secessit, & evocatus ad mortem, jussusque præbere cervicem: præbebo, inquit, ita vivam.* Cicer. Fam. II. 13. *Nam, ita vivam, putavi.* Hansen. de Jurejur. vet. c. 13. Brisson. de Form. VIII. p. 708.

ITALIA dicta est a quodam Italo, Arcadum Rege. Dionys. I. p. 27. *Italia post nominata est a viro præpotente Italo. Hunc Italum dicit Antiochus* [illegible] *ac prudentem virum extitisse,* [illegible] *ex finitimis alios oratione persuadendo, alios per vim cogendo,* [illegible] *sibi omnem subjecisse, quicunque intra duos sinus Napetinum* [illegible] *continetur.* [illegible] *quare* [illegible] *cum* [illegible] *sub potestate, e vestigio proximos quosque appetiisse, & suæ ditioni civitates multas adjecisse: illum autem fuisse Oenotrum genere.* Aristot. Politic. VII. 10. *Ajunt ex illis, qui illic habitant homines facundi, Italum quendam Oenotriæ Regem fuisse: a quo nomine mutato Italos pro Oenotris esse appellatos.* Arcadem [illegible] convincitur testimonio Thucyd. VI p. 411. B. *Et* [illegible] *adhuc extant in Italia Siculi, ipsaque regio ab Italo quodam, Arcadum Rege, hoc habente nomen,* [illegible]*ta.* Hinc Virg. Æn. [illegible] III. 163.

Est locus, He[illegible]
[illegible]
[illegible]

Ferrar. de Orig. [illegible] Thes. [illegible] Tom. I. p. (5) B. [illegible] Urb. Thes. Ant. [illegible] Tom. III. p. 208. A. Jun. Anim. I. 22. Cluver. [illegible] I. I. §. 7. Leand. Ital. p. 4. Vindung. Hellen. [illegible] Tom. XI. p. 375. [illegible] termini [illegible] alii a natura, alii ab hominum [illegible] & jure. A natura limitatur Al[illegible] mediterraneo, qua Siciliam, & Macedoniam respicit. Hos limites Sicul. Flacc. de Condit. Agro. p. [illegible] uit, cum dicit: *It*[illegible]*am ab Alpibus in mare porrig*[illegible] *tribus* [illegible] *esse contrarium: rursus a Leucopetra partem, quæ ad mare attingit, Macedoniam, & aliquam Epiri partem* [illegible]*: Adriaticum vero latus Illyricum contra se h*[illegible] Polyb. II. 14. Limites ab arbitrio hominum & jure dati sunt illi, quos populus Romanus pro temporis diversitate diversos constituit, & sæpe transposuit. Antea quidem versus Adriaticum mare Æsin fluvium terminum faciebat, rursus Rubiconem fluvium, qui fluvii in Adriaticum mare excurrunt: versus mare Tyrrhenum termini fuerunt fluvii, modo Varus, modo Arnus; secundum ea, quæ docet Str[illegible] p. 381. 404. 41[illegible] *milit.* III. *Sect.* 18. §. 2. I. [illegible] 6. §. 3. *Sigon. de Ant. jur. Ital.* I. I. *Ferrar. de Orig. Rom. ibid. p.* 3. *B. Pancirol. Notit. dignit. imp. occid. c.* 48. *Clavcer. ibid.* I. 3. *Pan*[illegible] *Imp.* [illegible] 4.

ITALICA est urbs Hispaniæ Bæticæ, vulgo Sevilla la Veja, fuit patria trium Augustorum, Trajani nempe, Adriani, & Theodosii senioris. De illa Augustin. Antiq. Hispan. Dial. VIII. *Vi*[illegible] *de Nort.* [illegible] *Thes. Ant. Rom. Græv. Tom.* XI. *p.* 900. *C.* [illegible] *m.* I. *p.* 37. Stephanus: *Est* [illegible] *Italica urbs Iberiæ, Gentile It*[illegible] Ptolem. II. 6. [illegible] *Lusitaniam tenent Tur*[illegible]*tani urbes plurimas, in quibus Lælia, & Italica, & Gallica ad Lusitaniam pectat, utraque in ultimis Hispaniarum sita.* Condidit hanc Scipio, cum rebus in Hispania compositis, de reditu in Italiam cogitans *omnes* [illegible] *vulneribus affectos in una urbe* [illegible]*, quam ab Italia It*[illegible]*, claram natalibus Traj*[illegible] *qui posteris temporibus Romanum imperium* [illegible] Appian. de Bell. Hispan. p. 275. *Ouzel. in Gel.* [illegible] 13.

ITALICENSES dicti fuerunt ab *Italica* Hispaniæ Urbe. Hi stulte, cum essent municipes, in jus coloniarum mutari cupierunt. *Existimarunt meliore esse conditione colonias, quam municipia. De cujus opinionis tam pro*[illegible] *erroribus D. Adrianus in oratione, quam de Italicensibus in senatu habuit, peritissime disseruit: mirarique se ostendit, quod* [illegible] *ipsi Italicenses, & qua*[illegible] *item alia municipia antiqua, quum suis moribus, legibusque uti possent; in jus coloniarum mutare gestiverint.* Manut. de Civit. Rom. Thes. Antiq. Rom. n. Græv. Tom. I. p. 30. L. Vaillant. Numism. I. p. 37.

ITALICUM jus. V. infr. in *Jus.*

ITE.

ITE, *missa est* dicitur in fine sacri. Ut enim Græci, cum sacris operati essent, missum populum faciebant, nec abeundi potestas prius cuiquam erat, quam sacrificulus pronuntiasset λαοῖς ἄφεσις, id est, *populis missio*: ita Latini uno verbo *Ilicet* dicebant, quod est, *ire licet*. Et nunc solet sacerdos dicere, *ite, missa est*, missam, ut videtur, pro missione accipiens: quo exemplo & Cyprianus *remissam peccatorum* pro remissione scripsit. Videtur ergo a parte totum sacrificium missa appellatum. Sed hæc sententia parum est probabilis, a recedendi facultate inditum nomen sacrificio, & Græci ipsi non ἄφεσιν, sed λειτουργίαν id appellant, quod nomen proprie id exprimit, quod Hebraice missa sonat. Est enim mus apud Hebræos, unde missa formatur, munus personale tributi, censusque offerendi; & missa ipsa oblatio, quæ domino suo fit propter debitum personale. Credendum itaque est, priscos Christianos, qui origine Judæi erant, sua voce id sacrum appellasse, quam deinde Latini receperunt. Itaque *ite missa est*, perinde est, ac si diceretur: *Ilicet, oblatum est*. Morestell. Pomp. Feral. VIII. 8.

ITER, actus, & via differunt, quod *iter* hominis est; actus hominis & jumenti; via hominis, jumenti, & vehiculi. Nam *iter* ab itum, qua ab homine itur: actus ab agendo, qua jumentum agitur; via a vehendo, qua ire potest vehiculum: quod tradit etiam Isidor. XV. 16. Unde consequitur, *iter* esse angustius actu, actum via. Nam angustiore spatio it homo, quam armentum; ac armentum angustius spatium requirit quam vehiculum. *Iter* duorum pedum latitudine definitur, quantum requiritur, ut transire possint occurentes. Actus est *iter* quatuor pedes latum: ut scribit Festus in voce *Actus*. At viæ latitudo legibus XII. tabularum in porrectum pedes habet octo: in anfractum, id est, ubi flexum est, pedes duodecim. Via igitur actum, actus *iter* comprehendit, non quidem ex vocis proprietate (nam *iter* solum jus eundi, actum solum jus agendi, via solum jus vehiculi significat) sed ex consequenti, quia minus in majori comprehenditur. *Voss. Lex. Etymol. in Via. Augustin. ad Leg.* XII. *tabb. Carr. Var. c.* 28. *Nann. Miscell.* IX. 5. *Cujac. Observ.* XXII. 35. *Rævard. in Leg.* XII. *tab. c.* 14. *Hotman. Antiq. Roman. p.* 431. Unius diei licet non eadem semper accipiatur ratione, quippe si per multos dies continuandum sit, σταθμὸς, seu mansiones viginti ut plurimum passuum absolvuntur millibus, sed si unius diei *iter* seorsim spectes, multo patet latius. Itaque Strabo *itineri* diurno stadia adsignat ducenta, & quinquaginta, & aliquando etiam plura quam trecenta. Procopius cum decem & ducentis id componit stadiis. Sed vero Græci antiquiores, ut Herodotus in Melpomene, & Dicæarchus, & complures alii *itineri* diurno terrestri ducenta tribuunt stadia, quæ viginti quinque passuum conficiunt millia. *Voss. de Magnit. Romæ vet. c.* 3. *Salmas. Exerc. Plin. p.* 351. *a. G: b. G.* Facturi *iter* se succingebant. Petron. c. 87. *Placuit puellæ consilium: itaque collegit altius tunicam, flexitque se in eum daphnona, qui ambulationi hærebat.* c. 96. *Deinde convicium verens, abeundi formavi consilium: collectoque cultu meo ire extra casam cœpi.* Oisel. in Minuc. Felic. p. 189. Gonsal. in Petronium.

Iter ad sepulcrum est jus sepulcri l. 3. ff. quemad. servit. amitt. Quod Paullo est *iter* sepulcro debitum l. 4. ff. eod. Nec tamen jus illud *itineris* pars est sepulcri: nullam enim servitus hæc religionem habet, quæ privati juris manet, ideoque remitti domino fundi servitutis, & acquiri potest l. servitus §. servitutem ff. de servitutibus. Hanc servitutem usus religionis admisit, cum aliter non possit constitui, nisi inter dominos prædiorum. Quare sepulcrum licet in nullius sit bonis, viam tamen ad sepulcrum possumus vindicare l. 1. ff. Si servit. vindic. Quod si nulla via sit ad sepulcrum, *iter* quod non debetur, vicinus præstare cogitur, & si a vicino id prohibeatur, Imperator Antoninus cum patre rescripsit, *iter* ad sepulcrum peti precario, & concedi solere, ut quoties debetur, impetretur ab eo, qui fundum habet conjunctum. Nec tamen hoc rescriptum, quod impetrandi dat facultatem, etiam civilem actionem inducit, sed extra ordinem vicinum interpellare permittit, quem præses compellere debet, ut justo pretio *iter* præstet: ita tamen ut de opportunitate loci prospiciat, ne vicinus magnum patiatur detrimentum l. si quis sepulcr. ff. de religios. Præses ipse extra ordinem judicabat de *itineris* præstatione ad sepulcrum, non dato judice speciali: sed post acceptum judicium tunc dabat judicem, qui de loci opportunitate cognosceret. Et quod Cicer. pro Sext. Rosc. c. 9. *de grandi patrimonio ne iter quidem* Roscio *ad sepulcrum patrium relictum esse*: docet jure veteri invitum neminem cogi potuisse, ut per suum fundum *iter* ad sepulcrum præstaret. Quod jus Imperatorum rescriptis correctum, quæ sæpe cum receptis legibus pugnant. *Guther. de Jur. man.* III. 12. *Kirchm. de Fun. Rom.* III. 22.

ITH.

ITHYPHALLUS est proprie penis erectus; ab ἰθὺς, quod valet εὐθὺς, & φαλλὸς penis, sive τὸ ξυλικὸν αἰδοῖον ἀνδρικὸν, ut Hesychius exponit. *Voss. Lex. Etymol.* Membra virilia, quæ Græco nomine *phallos*, & *ityphallos* appellabant, insolitæ magnitudinis in Bacchanaliorum festo, inter cætera pompæ impudicæ fercula a viris muliebri veste indutis gestare moris erat: & hæc ipsa in templorum propylæis, & in ipsis templis nudata omnium oculis proponebantur, ut auctor est Lucian. de dea Syria. *Nicol. de Rit. Bacchan. c.* 12. *Eggeling. Myster. Cerer. & Bacch. Thes. Ant. Græc. Gronov. p.* 73. *A.* Ponebantur etiam in hortis, quibus Priapus credebatur præesse propter eorum fœcunditatem. Colum. X. 31.

— sed truncum forte dolatum
Arboris antiquæ numen venerare Ithyphalle,

La Chausse de Mutino Tab. 1.

ITI.

ITIA gens. V. illam supr. in *Gens*.

ITY.

ITYRÆI sunt Syri. Plin. V. 23. Cui Strab. XVII. adstipulari videtur. Probus Scythas esse dicit. Parthos Serv. in Georg. II. 448.

— Ityræos taxi curvantur in arcus.

Verius est regionem Judææ conterminam fuisse ex Luc. c. 3. n. 1. qui Philippum fratrem Herodis Antipæ *tetrarcham Ityrææ, & Trachonitidis* fuisse scribit. Tacit. Annal. XII. 23. 2. *Ityræique & Judæi, defunctis Regibus Sohemo atque Agrippa, provinciæ Syriæ additi.* Panciroll. Notit. dignit. imp. orient. c. 141. occid. c. 70.

JUB.

JUBAR *dicitur stella lucifer, quæ in summo habet diffusum lumen, ut leo in capite jubam. Hujus ortus significat circiter esse extremam noctem. Itaque ait Pacuvius:*

Exorto jubare, noctis decurso itinere.

Varr. de Ling. Lat. VI. 4. *Ante solis ortum eadem stella vocabatur jubar, quod jubata.* Idem ibid. V. 2. De vespero etiam recte dici monuit Festus: *Jubar stella, quam Græci appellant φωσφόρον, vel ἕσπερον, hoc est, lucifer, quod splendor ejus diffunditur in modum jubæ leonis.* Calvus in Epithalamio:

Hesperium ante jubar quaties.

Aleand. Tab. Heliac. explic. Thes. Ant. Rom. Græv. Tom. V. p. 709. A.

JUBERE dicebatur populus Romanus. Festus: *Jubere ponebatur pro dicere, quod valet interdum pro decernere: ut populus jussit.* Hoc verbo utebatur, cum legem, aut

aliud rogatus a magiſtratu reſpondebat, ſi rogationem probaret, *volumus jubemusque.* Macrob. Saturn. III. 16. *Quod in foro geſtum ſit, qui ſuaſerint, qui diſſuaſerint, quod tribus juſſerint, quod vetuerint.* Cicer. de Orat. I. 14. *Num apud populum de legibus jubendis, aut vetandis.* Unde Cicer. de Leg. III. 3. *Populi juſſa, vetita cum ſuffragiis conſciſcentur.* Rogandi formula directa ἀσυνθέτως ita concipiebatur *velitis jubeatis.* Proinde vocula *ne*, quæ librariorum incuria ei ſeſe comitem dedit apud Liv. XII. rejicienda & expungenda eſt. Ab obliquis tamen rogationibus, quibuſcum ei belle convenit, non arceo. Liv. I. 46. *Auſus eſt ferre ad populum, vellent juberentne ſe regnare.* XXX. 43. *Tribuni plebis ad populum tulerunt, vellent juberentne ſenatum decernere.* Briſſon. de Form. II. p. 131. Dacer. ad Feſtum.

JUD.

JUDÆA antea a Pompejo domita, primo Herodi, deinde Archelao, Philippo, & alteri Herodi eſt conceſſa, & illis extinctis provincia facta; ſed eam rebellantem Romano imperio Veſpaſianus adjecit. *Panciroll. Notit. dignit. imp. orient. c. 99. Robortel de Prov. Rom. Miſc. Erud. Ital. I. p.* 608. Anno ab U. C. 759. deportato in exſilium Archelao, Romanis provinciis cum addita fuiſſet, ac Quirinius Syriæ præſes cenſum in eadem perageret, Judas Gaulonites teſte Joſeph. XVIII. I. ſolicitabat ad defectionem populos, cenſum nihil aliud quam manifeſtam ſervitutis profeſſionem dictitans. Erat hoc opus Judæis tum novum & inadſuetum, neque unquam in ea gente factitatum. Idem narratur Actor. c. 5. n. 37. *Poſt hunc extitit Judas Galilæus in diebus profeſſionis, & avertit populum poſt ſe.* Et illa verba, *in diebus profeſſionis*, indicant tum primum Judæos coactos ab Auguſto per Quirinum præſidem cenſum profiteri. *Noriſ. Cenot. Piſan. Diſſ.* II. *c.* 16. §. 10.

JUDÆI caput operiebant in mœrore, non quomodocunque, ſed illud obvolventes undique lacinia togæ ab humeris reducta. Et ſic opertus inceſſit David 2 Sam. c. 15. n. 30. fugiens truculentiam Abſolonis. In jejunio, juxta illud Pſalm. 68. n. 11. *Operui in jejunio animam meam.* Reliquo tempore nudis erant capitibus. *Raynaud. de Pil. & cæt. cap. tegm. Sect.* II. *p.* 1224. *F. Edit. Gravian.* Tum alibi, tum maxime in templo, inſtantes orationi, velabant operti caputiis. Hoc fecerunt imitatione Moſis, non audentis aſpicere contra Deum, ad rubi aſpectum, & idcirco abſcondentis faciem ſuam tegendo caput caputio. Idcirco ſacerdotes habuerunt varia capitis tegumenta, ut ſacris operando ſemper haberent caput velatum. Ut docet Abulenſ. in Levit. XIII. q. 10. *Raynaud. ibid. p.* 1228. *D. Brod. Miſc.* V. 8. Habuerunt ignem perpetuum ex juſſo Dei. Lev. c. 6. n. 5. *Ignis in altari ſemper ardebit, quem nutriet ſacerdos ſubjiciens ligna mane per ſingulos dies.* n. 6. *Ignis eſt iſte perpetuus, qui nunquam deficiet in altari.* Lipſ. de Veſt. c. 15. Romæ inter cives Tranſtiberinos locus & ſedes illis fuit. Tranſtiberinam regionem, inſalubrioris utpote aeris, & a nobiliori reliquæ Urbis ambitu diſſitam quique infimæ ſortis homines ut plurimum tenere conſueverant. Quare Mart. I. 42. I.

Urbanus tibi Cæcili videris.
Non es, crede mihi: quid ergo? verna es.
Hoc quod Tranſtiberinus ambulator,
Qui pallentia ſulphurata fractis
Permutat vitreis.

Qui loquitur procul dubio de Judæis, ſulphurariam hujuſcemodi artem jam tum tanquam hominum viliſſimis exercentibus. Hoc enim docet idem: XII. 57. 13.

A matre doctus, nec rogare Judæus,
Nec ſulphuratæ lippus inſtitor mercis.

Philo Legatione ad Cajum, ubi ita de Auguſto loquitur: *Nec diſſimulans ſibi probari Judæos: alioquin non paſſus fuiſſet trans Tiberim bonam partem Urbis teneri a Judæis, quorum plerique erant libertini, quippe qui belli jure in poteſtatem redacti ab heris ſuis manumiſſi fuerunt, permiſſi majorum more vivere.* Aring. Rom. Subterr. II. 23. 17. Borrich. Ant. Urb. fac. c. 3. §. 3. Voſſ. de Magnit. Urb. Rom. c. 4. Hoc tamen non obſtat, quo minus aliis quoque temporibus gens illa Romæ paſſim ſua habuerit domicilia, quippe ubi & aliis a ritu ſacrorum R. P. aliena ſacra colentibus habitandi facultas fuit; quemadmodum ex Aquilæ & Priſcillæ domo liquet. Hi enim ſub Claudio Urbe pulſi, & poſt reverſi in Aventino domum habuerunt, ubi nunc S. Priſcæ ædes eſt. *Nardin. Rom. Vet.* VII. II. Illorum religionem Romani, cum cæteras omnes probarent, non ſunt amplexi. I. quod gentium ſacra exſecrati ſemper fuerint Judæi. Et ideo quæ *Judæorum* deteſtati pagani. II. quod divinus cultus, qui apud *Judæos* obtinebat, plane a gentium religione eſſet alienus. Utramque rationem non obſcure innuit Tacit. Hiſt. V. 3. I. *Plurimi auctores conſentiunt, orta per Ægyptum tabe, quæ corpora fœdaret, Regem Occhorim, adito Hammonis oraculo, remedium petentem, purgare regnum, & id genus hominum, ut invisum deis alias in terras avehere juſſum.* c. 4. n. I. *Moſes, quo ſibi in poſterum gentem firmaret, novos ritus, contrariosque cæteris mortalibus indidit. Profana illic omnia, quæ apud nos ſacra: rurſum conceſſa apud illos, quæ nobis inceſta.* c. 5. n. I. *Cætera inſtituta ſiniſtra, fœda, pravitate valuere.* Boxhorn. Quæſt. Rom. I. Illorum nomine primis Eccleſiæ naſcentis temporibus etiam venerunt Chriſtiani. Sever. Sulp. Hiſt. ſacr. II. 99. *Adrianus exiſtimans ſe Chriſtianam fidem loci injuria perempturum, in templo, ac loco dominicæ paſſionis ſimulacra conſtituit. Et quia Chriſtiani ex Judæis potiſſimum putabantur (namque tum Hieroſolymæ nonniſi ex circumciſione habebat Eccleſia ſacerdotem) militum cohortem cuſtodias in perpetuum agitare juſſit; quæ Judæos omnes Hieroſolymæ aditu arceret. Quod quidem Chriſtianæ fidei proficiebat, quia tum pene omnes Chriſtum Deum ſub legis obſervatione credebant.* Minuc. Fel. p. 260. *Quis tam ſtultus, qui hæc colat, niſi vos, qui & totos aſinos in ſtabulis cum veſtra Hipona conſecratis?* hiſce gentiles mordet, quod fama adorati aſelli non modo Hebræos, ſed Chriſtianos quoque inſultarent. Noſtri enim iidem cum Hebræis habiti olim, præſertim vigentibus legalibus. Movebantur præſertim ethnici Euangelii fama; habet enim Luc. c. 2. n. 16. *Venerunt feſtinantes, & invenerunt infantem jacentem in præſepi.* Inde Juven. Sat. III. 14.

Judæis, quorum cophinus, fœnumque ſupellex.

Pii ſiquidem tunc Chriſtiani pro *Judæis* habiti præſepium domibus repræſentantes, fœnum, cophinumque apponentes ignaris ethnicis obloquendi, ac quod inſuſurratum fuerat de capite aſini adorato ab Hebræis, augendi rumore ſtolido anſam exhibuere. *Argol. in Panvin. de Lud. Circenſ.* I. 10. *Pitiſc. in Suet. Claud. c.* 25. *n.* 12. §. 43. Solem adorabant, & illum adoraturi inſidebant equis ſoli dicatis, & equitabant ab ingreſſu templi uſque ad cameram Nethan Melech. 2 Reg. c. 23. n. 11. *Joſias Rex abolevit equos, quos dederant Reges Judæ ſoli in introitu templi Domini, juxta cameram Nethan Melech eunuchi, qui princeps erat in ſuburbiis, & quadrigas ſolis combuſſit igne.* Argol. in Panvin. de Lud. Circenſ. I. 9. Pitiſc. in Curt. III. 3. II. §. 47. Roma ſunt pulſi a Tiberio. Suet. c. 36. n. 2. *Judæorum juventutem, per ſpeciem ſacramenti, in provincias gravioris cœli diſtribuit: reliquos gentis ejuſdem, vel ſimilia ſectantes Urbe ſubmovit.* Illos Urbe ſubmovendi occaſionem Tiberio datam prodit Joſeph. XVIII. 5. Et, cum Romam immutata rerum facie eſſent revocati, a Claudio. Suet. c. 25. n. 12. *Judæos impulſore Chreſto aſſidue tumultuantes Roma expulit.* Actor. c. 18. n. 2. *Eo quod præcepiſſet Claudius, ut omnes Judæi Roma excederent.* Quamvis illorum cœtus ſaltem inhibuiſſe ſcribat Dio LX. p. 669. A. *Aring. Rom. Subter.* II. 23. §. 6. 7. 8. *Pitiſc. in Suet. Tiberium & Claudium.* Corpora defunctorum aromatibus delibuebant. Johan. c. 19. n. 39. *Involverunt corpus Chriſti linteis, & aromatibus, ſicut mos eſt Judæis funerare.* Matth. c. 26. n. 12. *Quod unguentum hoc miſit ſuper corpus meum, ad ſepeliendum me fecit.* Kirchm. de Fun. Roman. I. 8. Moreſtel. Pomp.

Feral. I. 12. Aring. ibid. I. 23. 3. Ad tibias efferebant. Matth. c. 9. n. 23. *Et cum venisset Jesus in domum principis, & vidisset tibicines.* Morestell. ibid. II. 14. Extra urbem sepeliebant. Sepulcrum Lazari erat extra Bethaniam. Joh. c. 11. n. 38. Josephi Arimathæi extra Hierosolymam Joh. c. 19. n. 41. Patet idipsum ex historia viduæ Naimitanæ Luc. c. 7. n. 12. Monumenta illa, in quibus domicilium habuit dæmoniacus, extra urbem Gergesenorum fuerunt. Matth. c. 8. n. 28. Post resurrectionem Domini plurimi sancti, tumulis relictis, in urbem ingressi sunt. Matt. c. 27. n. 53. *Kirchm. ibid.* II. 20.

JUDEX & arbiter quomodo differant V. supr. in *Arbiter. Non omnes judices dari poterant ab iis, qui judicis dandi jus habebant. Quidam enim lege impediuntur, ne judices sint: quidam natura, quidam moribus. Natura, ut surdus, & mutus, & perpetuo furiosus, & impubes: quia judicio carent. Lege, qui senatu motus est. Moribus, femina, & servi: non quia non habent judicium, sed quia receptum est, ut civilibus officiis non fungantur.* Paull. ff. de Judic. l. cum prætor. §. non autem. *Sigon. de Judic.* I. 24. *Augustin. de Legib. c.* 15. *Judices* etiam dicebantur consules, antequam consules dicerentur. V. supr. in *Consules.* Qua ætate dari potuerint, V. supr. in *Ætas.* A magistratibus fuisse diversos, non minimo illa sunt argumento, quod magistratus *judicium* darent, *judices* causa cognita judicarent; illi *judices* cogerent, hi in *judicium* cogerentur: illi populi suffragiis, hi a prætoribus; illi ex universo populo, hi ex certo plerumque ordine allegerentur; in iis, quid quisque decerneret, observaretur; in his quid plerique statuerent, spectaretur; *judices* denique sententiam ferrent, magistratus *judicum* sententiam pronuntiarent. *Sigon. de Ant. jur. civ. Rom.* II. 18. Contentione aliqua orta, jurgioque moto, actor *judicem* adversario, quem ipsi commodum erat, ferebat. Liv. VIII. 33. *Eumque tibi fugienti exercitus tui, fugienti senatus judicium judicem fero.* Cicer. de Orat. II. 65. Ut *Sergius ille Galba cum judices L. Scribonio tribuno plebis ferret familiares suos.* In hæc verba sponsionis: *Ni ita esset, multi privatim ferebant Volscio judicem.* Item: *Se* [illegible] *judicem ferre, ni vindicias in servitutem ab libertate dedert.* Rogabat autem eum, ut eo contentus esset, & non alium posceret verbis, de quibus Festus: *Si alium procas, nive alium procas. Est enim poscere procare; quod dicitur in judice collocando.* Si *judex*, quem actor ferebat, a reo probabatur, tum *judex* convenire dicebatur. Cicer. Quint. Rosc. c. 15. *Quem si ferrem judicem, refugere non deberet, quo modo testem productum reprehendere audebit?* Val. Max. II. 8. *Itaque judex inter eos convenit Attilius Calatinus.* Sigon. de Judic. I. 23. Brisson. de Form. V. p. 369. Bud. in Pandect. p. 265. Land. Vet. Numm. Explic. Misc. Ital. Erud. Tom. I. p. 366. Fab. de Magistr. Roman. p. 212. Pollet. For. Rom. V. 7. Consensu enim litigantium *judices* a prætore olim dari solebant. Quod constat ex Papin. l. 23. ff. de appellat. Et potest intelligi ex Cicer. pro Clu. c. 43. *Neminem voluerunt majores nostri, non modo de existimatione cujusquam; sed ne pecuniaria quidem de re minima, judicem esse, nisi qui inter adversarios convenisset.* Et idcirco *observandum esse* ait Callistr. l. 17. de Judic. *ne is judex detur, quem altera pars nominatim petit.* Ræwvard. Protribun. c. 11. Noodt de Jurisd. & imper. I. 13. Qui judicem rejiciebant, sollennibus verbis illum sibi iniquum ejerabant. Cicer. de Orat. II. 70. *Placet etiam mihi illud Scipionis illius, qui Tib. Gracchum perculit. Cum ei M. Flaccus multis probris objectis P. Mutium judicem tulisset, ejero, inquit, iniquus est.* Verr. III. 60. *Scandilius postulare de conventu recuperatores. Tum iste negat se de existimatione sua cuiquam, nisi suis commissurum. Negotiatores putant esse turpe id forum sibi iniquum ejerare, ubi negotientur. Prætor provinciam totam sibi iniquam ejerat.* Brisson. l. l. In rejectorum numerum alios sive prætor, sive *judex* quæstionis subsortiebatur. Ascon. Cicer. p. 47. *Rejectio dicitur, quia, cum multi judices in consilio cum prætore judicaturi essent, qui quæsitor fuisset in publica causa, v. g. repetundarum, ambitus, majestatis, necesse fuerat eos primum de decuria senatoria conscribi, cum senatus judicaret, deinde in urnam sortito mitti, ut de pluribus necessarius numerus confici posset: tertio, id est, post urnam, permitti accusatori ac reo, ut ex illo numero rejiciant, quos putaverint sibi aut iniquos, aut ex alia re incommodos fore. Rejectione celebrata, in eorum locum, qui rejecti fuerant, subsortiebatur prætor alios, quibus ille judicum legitimus numerus compleretur.* Sigon. ibid. II. 12. Siccam. de Judic. centumv. I. 5. Brisson. Select. ex jur. civil. antiq. II. 1. Fab. de Magistr. Roman. p. 212. Illum prætor pro arbitrio suo non apprehendebat, quamquam tale exemplum in castris, & de militari præmio apud Liv. XXVI. 48. sed ex selectis, atque ex albo judicum dabat. Gell. XIV. 2. *Quo primum tempore a prætoribus lectus in judices sum* i. e. in album judicum selectorum relatus. Senec. de Benef. III. 7. *Non potest ad hæc judex sumi ex turba selectorum, quem census in album & equestris hæreditas misit.* Noodt l. l. Oizel. in Gellium. Nonnunquam rejiciendorum *judicum* numerum dictabat prætor, ut in causa Milonis per legem a Domitio judicii illius gratia datam quini tantum ex singulis ordinibus ab utraque parte rejici poterant. Quod si ita est, cum essent tres *judicantium* ordines, senatorum, equitum, & tribunorum ex lege Aurelia, quam aliquot ante annis Aurelius Cotta prætor tulerat ædile Marco Cicerone, & Cajum Verrem repetundarum accusante, & in eo tribuni fuerint usque ad dictaturam Julii Cæsaris, si quini ex singulis ordinibus rejiciebantur, necesse est ab accusatore quindecim, & a reo totidem rejectos. Si ergo auferantur de septuaginta & uno triginta, reliqui erant quadraginta unus. Quare Asconii codex corruptus est, ubi p. 191. legitur quinquaginta & unus pro quadraginta & uno, nisi ærarios tribunos ad equites, vel senatores retruserit. *Pollet. l. l.* Postulabantur enim a prætore his verbis: *Prætor judicem arbitrumve postulo uti des.* Quæ singularibus literis P. J. A. P. V. D. testatur Probus. Hinc toties recantatæ phrases prætoriæ in jure: *judicium dabo, judicium non dabo.* Brisson. ibid. p. 368. Pollet. ibid. V. 5. Sed interdum dabantur a Principibus. Ulpian. l. minor autem. §. 4. *Sed & si ab Imperatore judex datus cognoscat: restitutio ab alio, nisi a Principe, qui judicem destinavit, non fiet.* Brisson. ibid. p. 416. Pollet. ibid. III. 11. Ex quibus lecti fuerint V. supr. in *Equites.* Ea vero lectio per prætorem urbanum, aut peregrinum celebrabatur. De urbano agitur in lege Cornelia, ubi est: *Prætores urbani, qui juratos optimum quemque in selectos judices referre debent.* De peregrino in lege Servilia Glauciæ, in qua est: *Prætor, qui jus dicet inter peregrinos,* CDL. *viros legat, dum ne quem legat, qui in magistratu sit, aut fuerit, aut senator sit, aut fuerit, eosque in concione pronuntiet, juretque se eos dolo malo scientem non legisse.* Sigon. de Judic. II. 6. Ant. jur. civ. Rom. II. 18. & Siccam. de Centumv. judic. I. 5. Fiebat vero sortitione. Prætor enim eorum nomina in urnam conjiciebat, ac sorte eum numerum educebat, quem lex præscribebat. V. *Asconium modo laudatum.* Brisson. Select. ex jur. civ. antiq. II. 1. Sigon. ibid. c. 12. Siccam. l. l. Jurabant in leges, omnimodo se cum veritate, & legum observatione judicium dispositurus. Ascon. p. 48. *His perfectis, jurabant in leges judices, ut obstricti religione judicarent: cum jurassent omnes. . . .* Ante eum Cicero non semel de judicibus: *ut non nisi jurati sententias dicerent.* Et Offic. III. 10. mox laudandus. *Hansen. de Jurejur. vet. c.* 9. *Sigon. l. l. Brisson. ibid.* VIII. 715. *Manut. de Leg. c.* 27. *Rævard. Var.* V. 8. *Broid. Coroll. ad Pollet. For. Rom.* V. 7. *Putean. de Jurejur. ant. judic. Thes. Ant. Rom. Græv. Tom.* V. *p.* 893. . . . *Fab. de Magist. Roman. p.* 212. Sedebant. Animus enim sedendo magis sapit, ut est in proverbio, habetque acriorem contentionem in quiete corporis, & cum natura nulla molestia impeditur, constantius sese in rem propositam intendit, ut simul cum corpore affectus mentis componatur. Hinc Tranio in ara sedens, ad quam confugerat, cum solicitaretur ut surgeret, timens dorso suo, & olfaciens dolum Teuropidæ apud Plautum Most. V. 1. 53.

TEUR. *Surge dum huc, est consulere quiddam quod tecum volo.*

TRA.

TRA. *Sic tamen hinc consilium dedero, nimio plus sapio sedens.*

Accedit, quod auctoritas, & majestas magis visenda ostenditur in sedente, quam stante. Unde dictæ sunt in jure *sessiones judicum*, de quibus l. 2. ff. quis ordo in bonor. poss. Et apud Cicer. de Nat. deor. III. 30. *Exeamus a theatro, veniamus in forum, sessum ite precor. Quid? ut judicetur, qui tabularium incenderit.* Ubi Cotta Academicus Vellejum & Balbum *judicaturos* facit sedere. *Pollet. ibid.* I. 5. & 7. *Laurent. Var. sacr. gentil.* c. 10. *Minos in Alciat. Emblem.* 144. Stantes etiam judicabant, sed, ut verisimile videtur, de re parva. Unde Cicer. Brut. c. 84. *In comitium veniunt, ad stantem judicem dicunt.* Quomodo se gerere debeant, declarat Cicer. Offic. III. 10. his verbis: *At neque contra Rempublicam, neque contra jusjurandum, ac fidem amici sui causa vir bonus faciet, nec si judex quidem erit de ipso amico. Ponit enim personam amici, cum induit judicis: tantum dabit amicitiæ, ut veram amici causam esse malit, ut perorandæ liti tempus, quoad per leges liceat, accommodet. Cum vero jurato dicenda sententia sit, meminerit deum se adhibere testem, id est, ut ego arbitror, mentem suam, qua nihil homini dedit ipse deus divinius.* Sigon. de Judic. I. 28. Prætor illis dabat tabellas, &, ut sententias ferrent, mittebat in consilium. Cicer. pro Flacc. c. 39. *Cum tabella vobis, judices, dabitur, non de Flacco dabitur solum.* Mittere autem, & dimittere in consilium *judices* erat jubere illos ad urnas ire, atque in eas tabellas sententiam continentes conjicere. Ascon. in Cicer. p. 77. *Mittere judices in consilium est dimittere judices ad sententiam dicendam, ubi allegatis omnibus argumentis orator dixerit, dixi.* Cœl. apud Cicer. Fam. VIII. 8. *Mittit in consilium eosdem illos, qui litem æstimarant, judices.* Tum consurgentes in consilium ibant. Cicer. pro Cluent. c. 27. *Consurgitur in consilium.* Et c. 20. *Cum in consilium iri oporteret, quæsivit ab reo C. Junius, quæsitor ex lege illa Cornelia; quæ tum erat, clam, an palam de se sententiam ferri vellet: responsum est, clam velle fieri. Itum est in consilium, omnibus sententiis Scamander prima actione condemnatus est.* Sigon. ibid. II. 22. Brisson. ibid. v. p. 460. In consilium autem plerumque adhibebant amicos. Gell. XIV. 2. *Tunc ibi amici mei, quos rogaveram in consilium, viri exercitati, atque in patrociniis, & in operis fori celebres, semperque se circumundique distrahentibus causis festinantes, non sedendum diutius.* XII. 13. *Cur hoc me potius rogas, quam ex istis aliquem peritis, studiosisque juris, quos adhibere in consilium judicaturi soletis?* Brisson. l. l. In majoribus judiciis sententiam non dicebant, aut pronuntiabant, sed mutis tabellis clam declarabant; prætor autem ex tabellis majore numero pronuntiandam colligebat. Quæcunque vero cognovissent, habebant enim in illis solam cognitionem, ea non ut esse facta, sed *videri* pronuntiabant. Cicer. Verr. v. 6. *O præclarum Imperatorem, comprehendi jussit, quis non pertimescat causam dicere dominis, quid servis tam formidolosum, fecisse videri pronuntiavit.* Tacit. Annal. XIV. 43. 4. *Pronuntiemus ultro dominum jure cæsum videri.* Pollet. ibid. v. 15. Brisson. ibid. v. p. 482. Cujac. Obs. XII. 26. Bud. in Pandect. p. 268. E. Gronov. in Senec. Nat. Quæst. I. 16. Rittersh. Gud. Scheffer. in Phæd I. 10. 9. Decurias, in quas sunt distributi V. supr. in *Decuriæ*. Δωροφάγοι, & qui munera accipiunt, non tantum in sacris literis male audiunt, sed etiam apud profanos auctores, ut Hesiodum & alios: nec non in jure nostro. Loca parco adscribere. Et merito sane. Nihil enim est, quod magis occæcare solet etiam animum sapientis, quam sordes, sive munera, quibus rectum judicium corrumpitur. Ita sordes pro corruptela munerum legimus in jure nostro: ut l. 3. §. 1. & l. 9. §. pen. ff. de recep. arbit. l. 15. §. 1. ff. de judic. ubi hæc tria conjunguntur, gratia, inimicitia, sordes. Æque enim ista omnia magnam vim habent ad corrumpendum judicium. Etenim ut C. Jul. Cæsar præclare apud Sallust. Catil. p. 40. *Omnes homines, qui de rebus dubiis consultant, ab odio, amicitia, ira, atque misericordia vacuos esse decet. Haud facile animus verum providet, ubi illa officiunt: neque quisquam omnium lubidini simul, & usui paruit; ubi intenderis ingenium, valet. Si libido possidet, ea dominatur; animus nihil valet.* Pro sordibus etiam pretium quandoque usurpatur, ut l. 2. postridie C. de pœn. jud. qui male judic. *Qui pretio*, inquit Constantinus, *depravatus, aut gratia perperam judicaverit.* Recte igitur decemviri hoc crimen ad suam curam revocarint: & in talem *judicem*, talemve arbitrum, qui ob rem judicandam accepisset pecuniam, severissime animadvertendum censuerunt, lata lege, ut is capite pœnas lueret. Meminit hujus Gel. XX. 1. in disceptatione illa nobili, quam de Leg. XII. tab. cum Cæcilio Icto habuisse scribitur Phavorinus Philosophus. Steph. Pighius Annal. III. p. 156. eam his verbis concipit: *Judicem, arbitrumve jure datum, qui ob rem dicendam accepisse pecuniam convictus erit, capite puniunto.* Sed cum hæc pœna nimis acerba, & gravis videretur; passi sunt eam legem abire in desuetudinem. Puniebant quidem Athenienses ob tale crimen, sed multo levius. Multam enim duntaxat ei dicebant, teste Polluc. VIII. 1. Sic lege Julia repetundarum tenebantur, qui pecuniam acceperint ob talem causam. Successerunt deinde edicta prætorum, quibus cautum fuit de pœna *judicis* male judicantis dolo malo: nempe ut litem faciat suam, & proinde parti læsæ per talem sententiam cogatur veram litis æstimationem præstare l. 15. filiusf. §. 1. ff. de judic. Secutæ sunt postea constitutiones Imperatorum, ut videre est tit. C. de pœn. jud. qui male judic. & n. 142. c. 2. l. 2. C. constituit Imperator Constantinus, ut *judex*, qui dolo malo perperam judicaverit, non solum dispendium æstimationis sustineat, h. e. ut fiat infamis; sed etiam litis discrimen subeat, id est, quanti interfuerit illius, qui per sententiam ejus fuerit læsus. *Rittersh. ad Leg.* XII. *tab. Class.* II. *c.* 5. Sententias calculis in urnam missis dicebat. V. infr. in *Sententia*.

Judex in circensibus ludis dicebatur, qui ludos moderabatur, victorum palmas judicabat, & controversias ortas dirimebat. Suet. Ner. c. 12. n. 10. *Citharæ coronam a judicibus ad se delatam adoravit.* Vocabatur etiam *magister*. Suet. ibid. c. 22. n. 1. *Et quondam tractum Prasinum agitatorem inter condiscipulos querens, objurgante magistro.* . . . c. 12. n. 10. *Magistros toti certamini præposuit consulares.* Et *brabeuta*. Suet. ibid. c. 53. n. 4. *Brabeutarum more in stadio humi assidens.* Panvin. de Lud. Circens. I. 15. Paschal. de Coron. VI. 10. Fab. Agon. I. 26. Gerbel. Græc. Antiq. Thes. Antiq. Græc. Gronov. Tom. IV. (60) A. Pitisc. in Suetonium.

Judex cognitionum sacrarum præfectus Urbi, qui cognoscebat ex delegatione Principis. Inscriptio apud Gruter. p. 284. n. 8.

MEMMIUS. VITRASIUS. ORFITUS
V. C. ITERUM. PRÆFECTUS. URBI
JUDEX. SACRARUM. COGNITION
TERTIUM.

En Vitrasius præfectus Urbi iterum, qui jure magistratus vice sacra judicabat. Sed *judex* sacrarum cognitionum est tertium, id est, non jure magistratus, sed delectus a Principe. Quod clare alia inscriptio probat, in qua præfectus Urbi electus est ad cognoscendas jure Cæsaris cognitiones apud Gruter. p. 381. n. 3.

L. CÆSONIUS. PRÆ. URBI. ELECTUS. AD. COGNOSCENDAS. VICE.
CÆSARIS. COGNITIONES.

Guther. de Offic. Dom. Aug. I. 25.

Judex constitutionum sacrarum dicebatur, cui cura commissa erat controversiarum, quæ ex constitutionum interpretatione oriebantur. Omnes enim articuli illis singulatim non poterant comprehendi, ideoque ad Principem recurri debebat. Nam ejus est interpretari, cujus est condere. Dubias hujusmodi interpretationes Princeps Paullino delegavit in inscriptione, quæ hos *judices* exhibet apud Gruter. p. 282. n. 3.

ANICIUS. PAULLINUS. JUN. V. C.
CONS. ORDINARIUS. ET. JUDEX
SACRARUM. CONSTITUTIONUM.

Guther. de Off. Dom. Aug. I. 25.

Judex nummarius vocabatur nummis, sive pecunia corruptus. Cicer. Attic. I. 13. *Insectandis, exagitandisque nummariis judicibus.* pro Clu. c. 27. *Varia judicum genera: nummarii pauci.* Suet. Dom. c. 8. n. 3. *Nummarios judices cum suo quemque consilio notavit.* Pollet. For. Rom. v. 9. Bud. in Pandect. p. 126. H. Beroald. Torrent. & Pitisc. in Suetonium.

Judex pedarius quis fuerit V. infr. in *Pedaneus.*

Judex privatus, loquor de mere privato, non ideo solum dicebatur, quod causæ privatæ ab illo ventilarentur, sed quod homo privatus iis judicandis daretur, nec qui cum imperio, aut potestate erat, dari poterat. Errat enim Torrentius, qui privatos *judices* ad Suet. Claud. c. 14. n. 6. interpretatus est prætores, & centumviros, cum maxime inter se differant *judex* privatus, & centumvir. V. supr. in *Centumviri.* *Judex* privatus est homo privatus, qui causas privatas, & civiles dijudicat; prætor est, qui sententiam ejus exsequitur. Ipsumque refutant Suetonii verba, quæ interpretatus est. *Nam & iis, qui apud privatos judices plus petendo formula excidissent, restituit actiones.* Apud privatos enim *judices* ad formulam contendebant. In albo prætoris omnium formulæ erant perscriptæ. V. supr. in *Album.* Ad eas litigatores stricte agebant. Et ea qui cadebat, causa cadebat. V. supr. in *Formula.* Siccam. de Centumv. judic. I. 4. De qua re cognoverat, de ea quoque sententiam ferebat. Julian. l. 74. ff. de judic. *De qua re cognoverit judex, pronuntiare quoque cogendus erit.* Brisson. de Form. v. p. 460. Pollet. For. Rom. v. 15. Siccam. l. l. Sententiam latam non poterat rescindere, & desinebat esse judex. Ulpian. l. 55. ff. de re judic. *Judex posteaquam semel sententiam dixit, postea judex esse desinit, & hoc jure utimur: ut judex, qui semel pluris, vel minoris condemnavit, amplius corrigere sententiam suam non possit: semel enim male, seu bene officio est functus.* Brisson. ibid. p. 461. Siccam. ibid. c. 6. Pollet. ibid. c. 16.

Judex quæstionis. Hunc alii eundem ac prætorem faciunt, alii non solum non prætorem, sed hominem omnino privatum. Non fuisse prætorem hæc argumenta sunt I. quod in iisdem caussis, in quibus *judex* quæstionis versatus esse dicitur, in iis etiam prætor præfuisse invenitur. Ut in caussa Oppianici prætor Verres, *judex* quæstionis C. Junius; in caussa Verris prætor M. P. Glabrio, *judex* quæstionis Q. Curtius; & in caussa Cluentii prætor Q. Naso, *judex* quæstionis Q. Voconius. II. quod in legibus de judiciis publicis hæc verba reperiuntur: *magistratus, quive eum magistratu publico præerit.* Item: *magistratus, judexve quæstionis.* Ideo et nomine magistratus prætor non intelligendo, atque a *judice* quæstionis apertissime secernendo. Item in aliis: *prætor, qui ex hac lege quæret: judex, qui eam rem quæsiverit, quive judex ex hac lege factus erit.* III. quod Quintilianus scribit, prætorem fuisse occupatum in his, quæ essent imperii; judicem quæstionis in iis, quæ essent cognitionis. Non fuisse privatum, ostendunt I. quod *Judex* quæstionis in legibus *quæsisse*, & ab Asconio *quæsitor fuisse, & quæstionem exercuisse* dicitur. II. quod in lege Cornelia de veneficiis erat: *Judex quæstionis cum iis judicibus, qui ei obvenerint, de ejus capite quærito, qui venenum fecerit.* Et Cicer. Verr. I. 61. atque in illum Ascon. p. 109. *judicem* quæstionis sortitioni *judicum* operam dedisse aperte scribunt. Quæstionem vero qui habuit, & *judicum* sortitionem exercuit, is privatus omnino esse non potuit; est enim quæstio capitalis rei cognitio. III. quod a lege cognitionem acceperit, non a magistratu, ut apparet ex ff. de officio ejus, cui mandata est jurisdictio. IV. quod idem fuit in *judicio* publico *judex* quæstionis, atque in privato decemvir litibus judicandis. At decemvir fuit magistratus. Ergo multo magis *judex* quæstionis. Qui vero privatum esse dicunt, ii *judicem* faciunt: quod esse non potuit. *Judex* enim sorte obvenit quæsitori: at *judici* quæstionis sorte *judices* obveniebant, ex locis commemoratis. Si ergo ipse sortitus est *judices*, profecto non ut *judex* sorte lectus, sed ut magistratus suffragio creatus quæsivit. Ego vero censeo: *judicem* quæstionis neque prætorem fuisse, neque omnino privatum, sed tamen cum potestate: eum vero magistratum captum fuisse post ædilitatem, ut post quæsturam decemviratus litibus judicandis. Hoc apparet ex C. Visellio, quem scribit Cicer. in Brut. c. 76. *cum post curulem ædilitatem judex quæstionis esset, mortuum esse.* Et ex vetere monumento C. Octavii, in quo ipse item post ædilitatem, & ante præturam *judex* quæstionum vocatur:

C. OCTAVIUS. C. F. C. N. C. PRON
PATER. AUGUSTI
TRIB. MIL. BIS. Q. ÆDIL. PL. CUM TORANIO
JUDEX. QUÆSTIONUM
PR. PROCOS. IMPERATOR. APPELLATUS
EX. PROVINCIA. MACEDONIA.

Cicero quoque pro Cluent. c. 29. *C. Junium judicem quæstionis hominem ædilitium jam prætorem opinionibus hominum constitutum* scribit. *Sigon. de Judic.* II. 5. *Gruch. de Comit. Roman.* I. 2. *Robort. de Judic. Thes. Antiq. Roman. Græv. Tom.* III. *p.* (15) *C. Brod. Coroll. ad Pollet. For. Rom.* III. 7. V. etiam infr. in *Prætores.* *Judex* autem quæstionis, qui & *judicum* princeps appellatur ab Asconio, postquam a prætore data erat, exercebat, *judices* sortiebatur, testes audiebat, quæstiones habebat, tabulas inspiciebat, quæ prætor propter imperii dignitatem non curabat. *Sigon. l. l. Siccam. de Centumv. Judic.* I. 5. V. tamen & *Manut. de Legib.* infr. in *Veneficium.*

JUDICANDI necessitas quædam est imposita decuriatis, & non mirum, si tantopere contenderent, ut alias haberent in eo officio decurias molestiæ socias. Cicer. Verr. I. 8. *Hoc si vobis ideo levius videtur judices, quod putatis onus esse grave, & incommodum judicare, intelligere debetis, utrum id onus vosmetipsi rejeceritis, an quod probare populo Romano fidem vestram, & religionem non potueritis, ideo vobis judicandi necessitas erepta sit.* Arcadius item l. 18. §. 14. ff. de muner. & honor. cum judicatum refert *inter munera personalia judicandi* appellat *necessitatem.* Accedit & multæ periculum, si citati non adessent. Cicer. Phil. v. 5. *Quæro igitur, si Lysiades citatus judex non responderit, excuseturque Areopagites esse, nec debere eodem tempore Romæ, & Athenis res judicare, accipietne is, qui quæstioni præerit, excusationem?* Si ergo non aderant, poterat prætor multam infligere, quam opinor gravem fuisse ex Plin. Epist. IV. 29. 2. *Ecce, Licinius Nepos prætor acer, & fortis vir, multam dixit etiam senatori. Egit ille in senatu causam suam: egit autem sic, ut deprecaretur. Remissa est multa: sed timuit, sed rogavit, sed venia opus fuit.* Est autem verisimile pignoriscapione, aut multa arbitraria multatos, ut senatores, qui ex contumacia non veniebant evocati in curiam. Cicer. Phil. I. 5. Cum nollet venire vocatus, M. Antonius interminabatur ædium incendium, aut disturbationem, ad quæ Cicero: *Quis unquam tanto damno senatorem coegit? aut quid est ultra pignus, aut multam?* Pollet. For. Rom. III. 10. Bud. in Pandect. p. 263. F. Cujac. Observ. XXI. 31.

JUDICARE aliud est, aliud jus dicere: contra quam, qui veterum ICtorum libros ignorant, opinantur, &, quemadmodum civilibus in rebus prætor non cognoscit, neque *judicat*, sed jus dicit: sic, qui ab ipso judices sunt dati, non jus dicunt, sed cognoscunt ac judicant. Hinc recuperatores, hinc C. viri, hinc arbitri, quos prætor dabat. Et in epistola ad Q. Fratrem, *Prætor solet judicare, deberi?* Prætor enim urbanus de nullo crimine publico quærebat: itaque nec quæsitor dicebatur: tantum, civilibus controversiis ad eum delatis jus dicebat, hoc est, judices, & judicii formulam, quam sequerentur, dabat. Nec enim prætor ipse *judicare* solitus erat, sed, cum judices ab ipso dati de controversia cognovissent, ac *judicassent*, exequebatur. Ideo in omnibus ferme edictis prætorum legitur, *judicium dabo*, in quo posteriores lapsi sunt.

ſunt. Quædam tamen erant, in quibus non modo non *judicabat*, verum nec jus dicebat prætor urbanus, ſed, omiſſa jurisdictione, imperio prætorio exequebatur: ut cum bonorum poſſeſſionem ſecundum tabulas, aut contra tabulas dabat: itèm, cum reſtituebat in integrum & hujus generis nonnulla. *Manut. de Legib. c.* 19.

JUDICATA qui non faciebant, acerbiſſima coercebantur hac lege, cujus hæc ſunt verba apud Gell. XX. 1. *Æris. confeſſi. debitique. jure. judicatis. triginta. dies. justi. ſunto. poſt. deinde. manus. injectio. eſto. in. jus. ducito. ni. judicatum. facit. aut. quis. endo. em. jure. vindicet. ſecum. ducito. vincito. aut. nervo. aut. compedibus. quindecim. pondo. ne. minoribus. aut. ſi. volet. majoribus. ſi. volet. ſuo. vivito. ni. ſuo. vivit. qui. em. vinctum. habebit. libras. farris. in. dies. dato. ſi. plus. volet. dato. Tertiis. nundinis. partis. ſecanto. ſi. plus. minusve. ſecuerunt. ſine. fraude. eſto.* Auguſt. ad Leg. XII. tab. §. 38. *Judicatum* ſolvi ſatisdare, id eſt, ſolvere, quod eſſet *judicatum*, & vel rem reſtituere, vel litis æſtimationem præſtare, compellebatur olim poſſeſſor, ubi in rem agebatur. Et quisquis in rem actione conveniebat, ſive ſuo, ſive alieno nomine accipere, ita cavere cogebatur. At in actionibus in perſonam, ſi proprio quis nomine *judicium* accipiebat, *judicatum* ſolvi non ſatisdabat: ſi vero alieno nomine interveniret, omnino ſatisdabat, quia nemo alienæ rei, ſive litis idoneus defenſor ſine ſatisdatione intelligebatur. l. qui prop. §. qui alium ff. de procurat. *Briſſon. de Form.* V. *p.* 392. *Sigon. de Judic.* I. 27.

JUDICIUM eſt poteſtas de rebus aut privatis, aut publicis ex jure, & legibus Romanis *judicandi*. Sigon. de Ant. jur. civ. Rom. II. 18. Etiam ſententia, quam *judices* a prætore litigatoribus *judicium* poſtulantibus dati re cognita tulerunt. Quod docuiſſe videtur is qui Herenniana Rhetorica ſcripſit, cum dixit II. 13. *Judicatum eſſe id, de quo aut ſententia lata, aut decretum interpoſitum eſſet.* Neque enim dubium eſt, quin his verbis, & prætoris, & judicum cognitionem exprimere voluerit. Dabatur a præſide eo modo, quo poſtulabatur, id eſt, aut ex lege provinciæ, aut ex edicto prætoris, ſi quid, quod abeſſet a lege commodi contineret. Ex lege quidem, ut Rupilia apud Siculos, in qua ſcriptum eſt apud Cicer. Verr. II. 13. *Ut quod civis cum cive ageret, domi certaret ſuis legibus: quod Siculus cum Siculo non ejusdem civitatis, ut de eo prætor judices ex lege Rupilia ſortiretur. Quod privatus a populo peteret, aut populus a privato: ſenatus, ex aliqua civitate, qui judicaret, daretur, cum alternæ civitates rejectæ eſſent. Cæterarum rerum ſelecti judices ex civium Romanorum conventu proponi ſolebant. Inter aratores, & decumanos lege frumentaria, quam hieronicam appellabant, judicia fiebant.* Moris autem fuit, ut cum res ex lege Rupilia gereretur, dicæ ſcriptio præcederet, inde citatis litigatoribus una ſortitio poſt triginta dies, inde altera, & quidem ex voluntate litigatorum, fieret. Dicam ſcribere. & ſortiri quid ſit V. ſupr. in *Dica*. Hæc omnia ex judicio Heraclii hominis Siculi cognoſcuntur, de quo Cicer. Verr. II. 15. Ex edicto, cum more Romano poſtulabatur, id eſt, ut ſibi, aut *judex* unus, aut tres recuperatores darentur. Sic enim cum prætore quoque urbano agebatur. Hoc autem erat ex edicto, quia prætor hoc in edicto poſuerat, ſe de illis, aut illis rebus judicem, aut recuperatores daturum. Cicer. Verr. III. 14. *Præclara clauſula edicti, quod omnium controverſiarum, quæ eſſent inter aratorem, & decumanum, ſi uter velit, edicit, ſe recuperatores daturum.* Sigon. de Ant. jur. prov. II. 5. Conſtituere dicitur eodem modo, quo dare actionem, & futuræ cauſæ proceſſum, & ſeriem ordinare. Quintil. III. 13. *Rarum eſt, ut in foro judicia ſolum propter id conſtituantur, ſicut divinationes, quæ fiunt de accuſatore conſtituendo, & nonnunquam inter delatores, uter præmium meruerit.* Pollet. For Rom. III. 7. Bud. in Pandect. p. 209. K. Cogere eſt ejus, cujus præſidere, utrumque meri imperii. Val. Max. IX. 12. 7. *Cum M. Ciceronem, qui id judicium cogebat,* id eſt, qui cauſæ præerat. *Pollet. ibid. c.* 14. Dies *judicio* indicebatur in hunc modum. Si tribuni plebis multam irrogarant, diem comitiis tributis dicebant, quod ipſi pro poteſtate poterant, ſi perduellionem, diem centuriatis comitiis a prætore urbano poſcebant. Cicer. pro Dom. c. 32. *Cæſo ille Quinctius, & M. Furius Camillus, & C. Servilius Ahala damnati comitiis centuriatis, cum in exſilium profugiſſent, ab eodem populo in ſuam priſtinam dignitatem ſunt reſtituti.* Hos vero ſatis conſtat, reos a tribunis plebis eſſe factos. Antias apud Gell. VII. 9. *Licinius tribunus plebis perduellionis ei diem dixit, & comitiis diem a Q. Marcio prætore popoſcit.* Sigon. de Judic. III. 13. proferebatur, ſi aut judex, aut alter litigatorum morbo impeditus abeſſet. Sic enim ſcriptum erat in XII. *Si judex, alterve ex litigatoribus morbo ſontico impediatur, judicii dies diffiſus eſto.* Hinc Paull. ff. de Judic. *Judex datus in eodem officio permanet, licet furere cœperit, quia recte ab initio judex addictus eſt; ſed judicandi neceſſitatem morbus ſonticus remittit.* Sigon. ibid. I. 28.

Judicium calumniæ fuit in petitorem, ſi is calumniatus fuiſſe argueretur. Erant autem calumniatores, qui acce[illegible] litem falſo inte[illegible], aut [illegible]. Ulpian. ff. de [illegible] *[illegible], qui [illegible] cauſa negotium [illegible] diceretur, intra annum in quadruplum ejus pecuniæ, quam accepiſſe dicetur, poſt annum ſimpli in factum actio competit.* Gell. XIV. 2. *Is cum ſuis patronis clamitabat, probari apud me debere pecuniam conſuetis mo[illegible] expenſi latione, menſæ rationibus, chirographi exhibitione, tabularum obſignatione, teſtium interceſſione: ex quibus omnibus ſi nulla re probaretur, dimitti jam ſane oportere, & adverſarium de calumnia damnari.* Sigon. de Judic. I. 32. Ouzel. in Gellium.

Judicium centumvirale eſt decretum, ſeu ſententia, quam centumviri ex XXXV. P. R. tribubus. V. ſupr. in *Centumviri.* a decemviris litibus judicandis ſortiti & coacti, inque diverſis tribunalibus diviſi, haſta poſita, & prætore ſollenniter præſidente, in baſilicis, certisque ſeſſionum diebus, de controverſiis privatis, præcipue vero de hæreditatis petitionibus faciebant. Differebat a privato, nec enim centumviri privati erant *judices*. V. ſupr. in *Centumviri*. Siccam. de Centumv. Judic. I. 6. Magis ad publicorum, ſi illorum formam conſideres, judiciorum ordinem intelliges inclinare. Eaque ratione a privatis judiciis cauſas centumvirales viſus eſt diſtinxiſſe Plin. Epiſt. VI. 33. 9. *Intervenit acribus illis, & erectis frequens neceſſitas computandi, ac pæne calculos, tabulamque poſcendi, ut repente in privati judicii formam centumvirale vertatur.* Quintil. V. 10. *Proprium eſt illud cauſæ, quod Amphictyones judicant, ut alia apud centumviros, alia apud judicem privatum in iisdem quæſtionibus ratio ſit.* Nec id ignoravit Juſtin. l. fi. C. de petit. hæred. *Magnitudo, & auctoritas centumviralis judicii non patiebatur per alios tramites viam hæreditatis petitionis infringi.* Huc referendum, quod ſcribit Quintil. IV. 1. *Quibusdam in judiciis, maximeque capitalibus, ut apud centumviros, ipſi judices exigunt ſolicitas, & accuratas quæſtiones.* Rævard. Protribun. c. 20. Qui hoc argumentis probat adeo levibus, & ficulneis, ut [illegible]nti ICti auctoritatem vix mereantur. Nam nusquam aperit, qua in re cum publicis *judiciis* conveniat. Plinius, & Quintilianus centumvirale *judicium* a privatis diſcernunt. Sed in jure noſtro ſemper verum eſſe non poteſt, quod privatum non eſt, neceſſario eſſe pubicum. Ex Quintiliano ſi hoc probare velit, quod ſcribat, *capitalibus ut apud centumviros*, quaſi centumviralia *judicia* capitis pœnam irrogaverint, qua ratione vere publica fuiſſent, præter ſcripturæ mendum (nam *ut & apud centumviros* legendum eſt) reſpondeo etiam, capitales cauſas privatæ quæſtionis judicium fuiſſe: nec eas ſolas eſſe capitales cum de mortis pœna quæritur, quemadmodum nec publica judicia omnia eo modo capitalia ſunt; ſed & cum de exiſtimatione hominis dicitur, capitales cauſas appellari. Cicer. pro Q. Roſc. c. 16. *Si qua ſunt privata judicia ſummæ exiſtimationis, & pæne dicam capitis, tria hæc ſunt, tutelæ, fiduciæ, ſocietatis.* pro P. Quint. c. 31. *Horribile eſt cauſam capitis dicere.* Illa vero oratio rei privatæ fuit. Similiter quod ſcribit, etſi Rævardus ejus non meminerit, Plin. Epiſt. V. 1. 7. *Cohæredes mei componere, & tranſigere cupiebant, non diffidentia cauſæ, ſed*

metu temporum. Verebantur, quod videbant multis accidisse, ne ex centumvirali judicio capitis rei exirent. Non ita capiendum est, quod centumvirali *judicio* rei capitis judicarentur, sic enim interpretor, verum ne quid illis ab Aufidio Curiano, iisque quos advocaverat, objiceretur, quod deinde capitis pœnam irrogaret. Quod ipsum n. 8. Plinius confirmat, nimirum inter cohæredes ejus fuisse, *quibus Rustici, & Gratillæ*, cujus ex testamento Plinius cum cæteris legatum acceperat, *objici amicitia posset*, &, ut ego conjicio, propter infamiam periculosa. Deinde si ob id, quod centumviri *solicitas, & accuratas actiones exigerent:* sane illud ejusdem pretii argumentum est, cujus hoc quod sequitur, nempe, eam ob causam publicum fuisse, quod Justinianus dixerit. . . . Nam quid mirum centumviros *solicitas, & accuratas actiones exegisse*, qui plerumque omnes eloquentia ipsi, & juris scientia, erant insignes, & obscurissimas controversi juris, non facti causas deciderent. V. supr. in *Centumviri.* Magnitudo, & auctoritas, quam objicit, centumviralis *judicii*, non solum ad magnificum, & reverendum tot splendidissimorum hominum consessum pertinet (quamquam quid magnificentius spectari potuit, quam tot homines clarissimos in excelso, & spatioso tribunali, in splendidissima basilica, eloquentissimis viris causas agentibus, & adstante multiplici ordine numerosa civium Romanorum corona, controversias plenas dignitatis, & spei summa cum auctoritate decidere?) verum hoc magis significari existimo, centumvirale *judicium* tantæ fuisse auctoritatis, ut alio ei *judicio* præjudicium adferri non potuerit. Quod etiam confirmare videtur Ulpian. l. 7. ff. de hæred. petit. *Et per minorem causam majori cognitioni præjudicium fieri non oportet: major enim quæstio minorem ad se trahit.* Quemadmodum & post subscriptum centumvirale *judicium* dilatio nulla, ut in privatis *judiciis*, dari poterat. Etiam centumvirali *judicio* causæ privatæ disceptabantur. Nulla quoque hic *judicum* sortitio, aut aliud quidquam, quod ad publica *judicia* pertinere videtur. Dicimus itaque nec privatum, nec publicum fuisse, sed populare, & quodammodo universi populi Romani consilium, ad privatas controversias disceptandas coactum, cui prætor sollenniter præsidebat. Siccam. ibid. c. 7. Cujac. Observ. x. 20. Illud statim post primam centumvirorum creationem cogendi jus habuerunt decemviri litibus judicandis. Hoc Augustum instituisse indicat Suet. c. 36. *Ut centumviralem hastam, quam quæstura functi consueverant cogere, decemviri cogerent. Hastam* enim *cogere* est hastæ præesse, ut *judicium cogere* judicio præesse apud Val. Max. ix. 12. 7. Atque id sic interpretabitur Dio mox laudandus. Etiam ostendit Lucan. ad Pison. n. 41. his verbis:

Seu trepidos ad jura decem citât hasta virorum,
Et firmare jubet centeno judice causam.

Inprimis Plinius, qui laudatur supr. in *Centumviri.* Siccam. ibid. c. 8. Noodt de Jurisd. & imper. i. 12. Nec cogerent modo, verum sortirentur, & conscriberent non strictim, & uno numero, sed etiam majori, ad 180. post Augusti ætatem scilicet, qui in quatuor consilia distribuebantur. V. Plinium supr. in *Basilica*, & Quintilianum supr. in *Consilia.* Hoc confirmat Dio LIV. p. 540. scribens *decemviros delectos fuisse ad illa judicia, quæ ad centumviros sorte deferebantur.* Siccam. ibid. c. 8. Hotoman. de magistr. Roman. i. Thes. Ant. Rom. Græv. Tom. ii. p. 1867. E. Sigon. de Judic. i. 28. Edicebatur diebus cognitionalibus. V. illos supr. in *Dies.* nec iis omnibus, sed cum prætor consilium nec exerceret, nec præberet, minime feriis, cum forum Romanum *judiciis* vacabat, & res prolatæ dicebantur. Auct. ad Pison. n. 72.

Huc etiam tota concurrit ab urbe juventus,
Auditura virum, si quando judice fesso
Turbida prolatis tacuerunt jurgia rebus.

Stat. Sylv. iv. 4. 40.

— messesque reversæ
Dimisere forum, nec jam tibi turba reorum
Vestibulo, querulique rogant exire clientes.
Cessat centeni moderatrix judicis hasta.

Siccam. ibid. ii. 1. In basilica Julia habendum. V. supr. in *Basilica*, & *Causæ centumvirales.* Causas, quæ in illo disceptarentur. V. etiam supr. in *Causæ centumvirales.* Ad hastam in illo positam. V. supr. in *Hasta centumviralis.* Ad hos causas detulere prætores perplexi juris controversiam continentes, non tamen ipsi eis *judiciis* præfuere, credo, muneribus aliis occupati. *Sigon. l. l.* Imo ipse Prætor urbanus illi præsidebat. V. infr. in *Prætor urbanus.* Quomodo in illo sederit V. supr. in *Consilia.* Siccam. ibid. i. 12. Noodt & Hotoman. l. l. Græv. Thes. Antiq. Roman. Præfat. Tom. ii. * * * * * 2 vers. Tribunal, sellamque prætoriam ascendebat, centumviri se in quatuor tribunalia diffundebant, decemviri singuli singulis tribunalibus, tanquam *judices* quæstionis, & suffragia collaturi assidebant, hasta centumviralis *judicii* indice singulis consiliis affixa. *Judicio* ita ornato, & disposito, populus multiplici corona tribunalia omnia circumstabat, & advocati summa eloquentia causas orabant. *Siccam. ibid.* ii. 4.

De *Judiciis* corruptis crimen capitale crediderim. Id ex eo conjicio, quod C. Gracchus tribunus plebis eam legem in ordinem senatorium tulit, cæteros ordines excepit: ut in oratione pro Cluentio legimus. Cum igitur & crimen ipsum per se gravissimum fuerit (quid enim gravius, quam innocentem, accepta pecunia, condemnare?) & Gracchus eam legem, ut in eadem oratione ait Cicero, pro plebe tulerit, ad licentiam senatorii ordinis retundendam: leviore pœna eum contentum fuisse verisimile non est. Quod eo magis existimo, quia postea L. Sylla crimen hoc comprehendit ea lege, quam de veneno tulit, ut capitale crimen cum capitali, venenum scilicet cum *judiciis* corruptis conjunxisse videatur. Gell. xx. 1. legis xii. tab. testimonio hoc confirmat: in illa scriptum esse ait, ut qui *ob rem judicandam pecuniam accepisse convictus esset, capite puniretur:* ut Gracchus non hoc ipse novum sanxerit, sed a xii. tab. petitum in suam legem transtulerit. Romæ quis *judicium* primus corruperit, ignoratur. Athenis vero Anytum Anthemionis filium hanc pestem primum induxisse scribit Plutarch. Alcib. p. 193. E. *Manut. de Legib. c. 29.*

Judicium curiatum est curiatis comitiis factum. Unicum hoc extat P. Horatii. Hoc primum, ut inquit Cicer. Mil. c. 3. Romæ capitis *judicium* fuit. P. autem Horatius tum de parricidio interrogatus est lege Numæ, quæ fuit: *si quis hominem liberum dolo sciens morti duit, parricida esto.* Parricidam scilicet vocavit, auctore Festo, *non qui parentem occidisse diceretur, sed qualemcunque hominem.* Atque hac lege interrogatum eum tradunt Festus, Dionys. iii. p. 159. & Cicer. l. l. *Romana civitas primum judicium de capite vidit P. Horatii, qui nondum libera civitate, tamen populi Romani comitiis liberatus, cum sua manu sororem interfectam esse fateretur.* Actio tamen instituta est ea lege, quam tum Rex Tullius tulit, qua lege creati duumviri sunt, ut perduellionem, id est, rem capitalem, & mortis pœnam judicarent, & si reus ad populum provocasset, ad eum de provocatione certaretur. Provocavit Horatius. Ita de provocatione certatum ad populum est. Populus absolvit. Liv. i. 26. *Sigon. de Judic.* iii. 4.

Judicium falsi fuit in *judicem:* si ob judicandum pecuniam accepisset, de quo in xii. tab. scriptum fuit. Unde Gell. xx. 1. *Nisi duram esse legem putes, quæ judicem, arbitrumve datum, qui ob rem judicandam pecuniam accepisse convictus est, capite punit.* V. supr. in *Judicium.* Abrogata lege xii. tab. lege repetundarum de hoc crimine quæsitum est. *Sigon. de Judic.* i. 33.

Judicium juris extraordinarii est, cum magistratus ipse, nullo dato *judice*, causas leviores cognoscit. Cognitio proprie dicebatur, differentiæ causa a jurisdictione, quæ ordinarii juris erat. V. supr. in *Cognitio.*

Judicium majestatis, publicum quidem, sed non semper capitale fuit. Nam Claudiæ Vestali, Appii Cæci filiæ, C. Fundanius, & Tib. Sempronius ædiles plebis, quod populo Romano calamitatem esset imprecata, multam dixerunt æris gravis xxv. millia, quæ capitalis pœna non

non fuit. *Judicium* illud & publicum fuiſſe, inde patet, quod ad populum factum eſt. Id etiam Atejus Capito propterea inter publica retulit *judicia*. Et majeſtatis nomine notatum his verbis ſignificat Suet. Tib. c. 2. n. 8. *Claudia novo more judicium majeſtatis apud populum mulier ſubiit, quod in conferta multitudine, ægre procedente carpento, palam optaverit, ut frater ſuus Pulcer reviviſceret, atque iterum claſſem amitteret, quo minor turba Romæ foret.* Manut. de Legib. c. 19. Sigon. de Judic. II. 3.

Judicium ordinarium, quod conſueto juris ordine peragebatur. Eratque aliud privatum, aliud publicum, aliud centumvirale. V. ſingula ſuis locis. *Siccam. de Centumv. Judic.* I. 4.

Judicium privatum magiſtratuum erat decretum, ſeu ſententia de controverſiis privatis, quod aut magiſtratus ipſi, qui jus dicebant, aut judices a magiſtratibus jus dicentibus dati tulerunt, prout jure erat ſancitum. Tota *judiciorum* privatorum tractatio quinquepartita diſputatione conſtat, controverſiarum, juris, jus dicentium, actionum, & judicum. V. ſingula ſuis locis. *Sigon. de Judic.* I. 1. Cauſæ, de quibus conſtituebatur, erant lites, ſeu controverſiæ civiles, ac privatæ appellatæ; civiles quidem, quod aut jure civili comprehenſæ, aut a jure civili profectæ ſunt; privatæ vero, quod aut privatum quemque, non populum, nec Rempublicam attigerunt, aut quod privato tantum, cujus res ageretur, actio conveniret, non e populo cuicunque. Harum aliæ pertinent ad perſonas, aliæ ad res, aliæ ad obligationes. V. ſingulas ſuis locis. *Sigon. ibid. c.* 2. Ejus univerſa forma ſive legibus, ſive moribus fuit contenta, quouſque Auguſtus Imperator, cum Rempublicam conſtitueret, legem Juliam tulit, qua diligentius hæc omnia ſanxit. Ejus meminit Gell. XIV. 2. *Atque in rerum quidem diffiſionibus, comperendinationibus, & aliis quibusdam legitimis in rebus ex ipſa lege Julia, & ex Sabini Maſſurii, & ex quorundam aliorum juriſperitorum commentariis commoniti, & adminiculati ſumus.* Sigon. ibid. c. 27. Leges, ex quibus hæc *judicia* facta ſunt, fuerunt XII. tabularum, quæ jus omne privatum complexæ ſunt: & poſt illas, quæ XII. tabulas ſuppleverunt, Furia, Voconia, Atinia, Atilia, Aquilia, & Falcidia: & prætorum edicta, ſive leges, quas prætores, & ædiles curules initio magiſtratus propoſuerunt: in quibus quo modo de ſingulis controverſiis jus dicturi in ſuo magiſtratu eſſent, cives admonebant. Erat enim eis permiſſum, ut a legibus ſcriptis diſcederent, &, quoniam non omnia comprehendi eis potuerant, eas adjuvarent, aut ſupplendo, aut corrigendo, ſi opus eſt. *Sigon. ibid. c.* 6.

Judicium privatum populi de controverſiis, aut ad res, aut ad perſonas, aut ad obligationes pertinentibus conſtituebatur. Illorum unicum eſt exemplum. Liv. III. 71. *Victoriam honeſtam ex hoſtibus partam turpe domi de finibus ſociorum judicium populi deformavit. Aricini, atque Ardeates de ambiguo agro quum ſæpe bello certaſſent, multis invicem cladibus feſſi, judicem populum Romanum cepere. Quum ad cauſam orandam veniſſent, concilio populi a magiſtratibus dato, magna contentione actum. Jamque editis teſtibus, quum tribus vocari, & populum inire ſuffragium oporteret, conſurgit P. Scaptius: &, ſi licet, inquit, conſules de Republica dicere; errare ego populum in hac cauſa non patiar. . . . Agrum, de quo ambigebatur, finium Coriolanorum fuiſſe, captisque Coriolis jure belli publicum populi Romani factum. Conſules, quum Scaptium, non ſilentio modo, ſed cum aſſenſu etiam audiri animadvertiſſent, deos, hominesque teſtantes flagitium ingens fieri, patrum primores arceſſunt: cum his circumire tribunos, orare, ne peſſimum facinus pejore exemplo admitterent; judices in ſuam rem litem vertendo. Vocatæ tribus judicaverunt, agrum publicum populi Romani eſſe. Nec abnuitur ita fuiſſe, ſi ad judices alios itum foret.* Sigon. de Judic. III. 1.

Judicium proluſorium non eſt dictum a colluſione, quaſi συγκακουργικὸν, ſed προαγωνιςικὸν: eſt enim præjudicialis cauſa, quæ hoc verbo ſignificatur. Proludere eſt futurum certamen meditari, & exercendarum virium cauſa, confirmandique animi ſimulacrum certaminis inire. Virg. Georg. III. 232.

> *Et tentat ſeſe, atque iraſci in cornua diſcit*
> *Arboris obnixus trunco, ventosque laceſſit*
> *Ictibus, & ſparſa ad pugnam proludit arena.*

Juven. Sat. V. 26.

> *Jurgia proludunt.*

Auguſtin. de Civit. Dei II. 4. *Scenicos ipſos domi hæc ſua proludendi cauſa coram matribus ſuis agere puderet.* Inde proludere eſt aliquid agere, quod ad juſtum certamen pertinet: quaſique exordium legitimi plenique certaminis auſpicari. Certamen autem pro *judicio* ponitur apud Græcos, ut periculum: quod etiam Latini imitantur: ita factum eſt, ut proluſionis vocabulum ad cauſas tranſlatum ſit. Sic Cicero divinationem ſuam proluſionem Verrinæ accuſationis vocat Divin. c. 14. In ea enim de conſtituendo accuſatore Verris agebatur. Apud Græcos προαγῶνες præludia pugnæ vocantur, ut excurſiones ad prælium laceſſendum. Dicebantur etiam orationes, vel altercationes, quæ habebantur apud Theſmothetas. Ulpian. l. 14. ff. de Appellat. Si *perluſorio*, legendum eſt *proluſorio judicio actum ſit adverſus teſtamentum. . . . Bud. in Pandect. p.* 250. *D.*

Judicium publicum magiſtratuum erat decretum, aut ſententia, quod de criminibus ad Rempublicam pertinentibus, quæſitore aliquo *judicium* exercente, judices ex tribus ordinum decuriis ſecundum leges a populo latas, ordinaria judicandi via faciebant. Publicum dictum eſt, quod cuivis e populo actio permitteretur. Publicorum longe fuit alia ratio quam privatorum. *Neque enim*, ut inquit Juſtinianus, *per actiones ordinata ſunt, neque omnino ſimile quidquam cum privatis judiciis habuerunt, magnaque diverſitas eorum fuit & in inſtituendo, & in intendendo.* Sigon. de Judic. II. 1. Siccam. de Centumv. Judic. I. 5. Prevot. de Magiſtrat. Roman. c. 7. Græv. Theſ. Antiq. Roman. Tom. II. Præfat. * * * * * 4. Alia fuerunt capitalia, alia non fuerunt. Quod etiam ſcripſit Paullus ad edictum Principis his verbis: *Publicorum judiciorum quædam capitalia ſunt, quædam non capitalia. Capitalia ſunt, ex quibus pœna mors, aut exſilium eſt, hoc eſt, aquæ, & ignis interdictio; per has enim pœnas eximitur caput de civitate; nam cætera non exſilia, ſed relegationes proprie dicuntur: tunc enim civitas retinetur. Non capitalia ſunt, ex quibus pecuniaria, aut in corpus aliqua coercitio pœna eſt.* Sigon. ibid. c. 3. Hotman. Antiq. Roman. II. 13. His operam dederunt I. Reges. Dionyſ. II. p. 87. Romulum Regem delicta maxima cognoviſſe, minora ſenatoribus permiſiſſe ſcribit. Et Liv. I. 49. qui cum Superbum Regem ſcribat, *ut metum populo incuteret, cognitiones capitalium rerum ſine conſiliis per ſe ſolum exercuiſſe: perque eam cauſam, in exſilium agere, bonisque multare potuiſſe,* non obſcure, quid cæteri ſuperiores Reges ſervarint, oſtendit. II. Conſules. De illis ex eo elicere poſſumus, quod in Regum locum ſucceſſerunt. Et quod Brutus primus conſul de conjuratis ultimum ſupplicium cauſa ipſa cognita ſumpſit. III. Quæſtores a populo conſtituti, cum jus conſulum lege Valeria de provocatione lata eſt imminutum, & cautum eſt in poſterum, ne conſul de capite civis Romani injuſſu populi quæreret; verum ii quos populus quæſtionibus publicis præfeciſſet. Quæſitores parricidii ſunt appellati. Non multo poſt Reges exactos ſunt inſtituti. In lege enim XII. tab. eorum mentio fiebat. Pompon. ff. de orig. jur. l. 2. §. 23. *Quoniam de capite civis Romani injuſſu populi Romani non erat permiſſum lege conſulibus jus dicere, propterea quæſtores conſtituti a populo, qui capitalibus præeſſent, & appellabantur quæſtores parricidii, quorum meminit lex* XII. *tabularum.* Sigon. ibid. c. 4. Auguſtin. ad Leg. XII. tab. §. 46. Siccam. de Centumv. judic. I. 5. Leges, ex quibus facta ſunt, fuerunt Corneliæ, quas L. Cornelius Sylla tulit in dictatura; Pompejæ, quas Cn. Pompejus tulit maxime in tertio conſulatu; Juliæ, quarum alias C. Julius Cæſar & dictator, alias C. Cæſar Octavianus Imperator tulerunt. *Sigon. ibid. c.* 26. *Judicium* publicum populus

pulus

pulus Romanus jam inde a Romulo Rege uſque ad Auguſtum Imperatorem retinuit: verum non iiſdem ſemper comitiis; nam curiatis quidem tantum ſub Regibus, centuriatis autem, & tributis Republica dominatu regio liberata. Judicavit de criminibus, & pœnis criminum omnibus, quæ ad ſe a magiſtratu eſſent delata. *Sigon. de Judic.* III. 1.

Judicium recuperatorium vocabatur injuriarum a prætore datum. Cicer. de Invent. II. 20. *Non oportet in recuperatorio judicio ejus maleficii, de quo inter ſicarios quæritur, præjudicium fieri.* Sigon. de Judic. I. 22. Nann. Miſc. IX. 7. Recuperatores V. infr. in *Recuperatores.*

Judicium rei fuit duplex: unum pro reo, reſtitutio in integrum appellata. V. infr. in *Reſtitutio.* alterum contra reum, addictio. V. ſupr. in *Addictio.* Sigon. de Judic. I. 30.

Judicium ſecretum, quod tacitum vocabatur, aliquando ex ſenatus decreto fiebat: quo vel ambitus damnabantur candidati, vel ut ratio eorum in comitiis nulla haberetur, quod largitione, & contra majorum morem petiiſſe viderentur. Cicer. Attic. IV. 5. *Senatus decrevit, ut tacitum judicium ante comitia fieret ab his conſiliis, quæ erant omnibus ſortita in ſingulos candidatos, magnus tremor candidatorum.* Offic. II. 7. *Quamvis demerſæ ſunt leges alicujus opibus, quamvis tremefacta libertas, emergunt tamen hæc aliquando, aut judiciis tacitis, aut occultis de honore ſuffragiis.* Pollet. For. Rom. V. 10.

Judicium turpe erat calumniæ, prævaricationis, furti, bonorum vi raptorum, injuriarum, de dolo malo, pro ſocio, mandati, tutelæ, depoſiti, & alia quædam a Juliano memorata Dig. III. Hoc damnatis adempta erat *judicandi* poteſtas. Cicer. Cluent. c. 42. *Quod ſi illud judicium putaretur, ut cæteri, turpi judicio damnati, in perpetuum omni honore, ac dignitate privantur.* Manut. de Leg. c. 15. Zamoſc. de Senat. Rom. I. 5.

JUG.

JUGARIUS vicus. V. illum infr. in *Vicus.*

JUGATINUS deus colebatur, ut ex Varrone ſcribit Auguſtin. de Civit. Dei VI. 9. *cum mas & femina conjungebantur.* Pancirol. Deſcr. Urb. Rom. Theſ. Ant. Rom. Græv. Tom. III. p. 356. E. Tomaſ. de Donar. c. 13. Gyrald. Synt. deor. I. p. 56. D. Laurent. de Sponſ. c. 1. Struv. Ant. Rom. c. 1. p. 157. Blond. Triumph. Rom. I. p. 11. E.

JUGATIO eſt penſitatio certa, quam pro ſuæ poſſeſſionis portione veteres præſtabant, & pro numero animalium, quibus poſſeſſiones exercebant l. 1. lib. C. 10. tit. 48. In ſingula *juga*, & capita quaternæ ſiliquæ definiuntur. C. lib. 12. tit. 4. Huc facit Novell. 17. *Coges publicos mancipes, aut exactores in ſuis acceptilationibus omnibus diſerte indicare ſuper quibus eas edunt, hoc eſt, modum & numerum jugerum, & capitum, ſeu quæ eſt alia appellatio in iis locis, & pro quibus, & qualibus prædiis iſta exigunt.* Ζεύγη, *juga*, ζυγοκέφαλα, *jugatio & capitatio.* Unde apparet, aliud eſſe *jugationem*, aliud *jugationem* cum capitatione conjunctam, quæ ζυγοκέφαλα dicuntur. *Buleng. de Vectig. c.* 12. Ideo quantitas *jugorum* in tabulas relata. In Ecloga Baſilic. *Tabulas ſignificantes quantitatem pecuniarum, & ſpecierum, & jugorum.* Juſtinian. Novell. 17. *Dicentes, ſe non poſſe quantitatem jugorum exponere.* Buleng. ibid. c. 15.

JUGERUM quomodo ab actu differat, docet Plin. XVIII. 3. *Jugerum vocabatur, quod uno jugo boum in die exarari poſſet: Actus, in quo boves agerentur, cum aratur uno impetu juſto. Hic erat* CXX. *pedum: duplicatusque in longitudinem jugerum faciebat.* Similiter Colum. V. 1. *Clima quoquoverſus pedum eſt* LX. *actus quadratus undique finitur pedibus* CXX. *hoc duplicatum facit jugerum, & ab eo, quod erat junctum, nomen jugeri uſurpavit.* Voſſ. Lex. Etymol. Buleng. de Vectig. c. 12. Donat. de Urb. Rom. I. 25. Nardin. Rom. vet. VII. 2. Schel. in Polyb. Theſ. Ant. Rom. Græv. Tom. X. p. 1150. E. Cenal. de Pond. ac menſ. rat. Theſ. Ant. Rom. Græv. Tom. XI. p. 1486. E. Briſſon. de Form. VI. p. 502. Rycq. de Capitol. c. 12. Argol. in Panvin. de Lud. Circenſ. I. 5. Poſtell. de Republ. Athen. c. 1. An ſit πλέθρον Græcorum, te docebit *Perizon. in Ælian. Var. hiſt.* III. 1.

JUGULATIO eſt pœna leniſſima, quod mors, *jugulo* effracto, ſtatim conſequatur. *Laurent. de Rebuſpubl. c.* 7.

Jugulatio, ſive mactatio victimæ ſtatim conſecuta fuit, poſtquam percuſſa, cæſa, icta, ac in terram dejecta fuit. Sacerdos non *jugulabat* victimam, ſed popa, aut victimarius ad nutum ſacerdotis. Popa victimam *jugulante*, alius vaſe ſanguinem excipiebat, quod Attici σφάγιον vocant. Collum ejus reflectere ſolebant trahendo illud retrorſum, ita ut quaſi cœlum contueretur. *Claſen. Theol. gent.* III. 5. *Bochart. Hieroz.* II. *p.* 324. *Stuck. de Sacrif. p.* 175. *Feith. Antiq. Homer.* I. 10.

JUGULI ſi dextra pars tremuerit, bonum ſignificat, ſervo tamen cogitationes, virgini procacitatem, viduæ laborem, militi cognationis privationem: ſin autem ſiniſtra, maligni quicquam, ſervo ornamentum, virgini virum, viduæ bonam locutionem, cæteris autem non bonum: ſecundum alios ſignificat inſidias: iis vero, qui in anguſtia ſunt, malorum conſtantiam, ſervis ægritudinem, virgini convivium, militi lacrymas, mercatori reſtitutionem, gubernatori navis bonum navigium: ſin autem ſiniſtra, liberto injucunditatem, ſervo ægritudinem, militi ſubmerſionem, mercatori damnum, gubernatori triſtitiam, mulieri injucunditatem: ſed ſecundum alios viatorum damnum, ſervis triſtitias, cæteris omnibus bonum, & convivium. *Niphus de Augur.* I. 9.

JUGUM *fit tribus haſtis; humi fixis duabus, ſuperque eas tranſverſa una deligata.* Liv. III. 28. Dionyſ. III. p. 159. *Mos eſt Romanis, quoties hoſtes traditis armis deditionem faciunt, duo tigna recta humi defigere, hisque tertium tranſverſum ſuperimponere, captivosque ſub iſta tigna tranſmittere, atque liberos ad ſua dimittere. Hoc ipſi jugum vocant.* Pancíroll. Deſcr. Urb. Rom. Theſ. Ant. Rom. Græv. Tom. III. p. 337. E. Voſſ. Lex. Etymol. Ouzel. in Gell. XVII. 21. §. 77. Valtrin. de Re milit. VI. 9. Roſin. Antiq. Roman. X. 21. Schill Nomencl Philol. p. 630.

Jugum eſt inſtrumentum illud, ad quod & temo vehiculi, & funes cæteri, quibus trahitur currus, religantur. Materia ipſius vulgo fuit lignea. Inde Eſaj. c. 10. n. 27. *Auferetur jugum de collo tuo, & computreſcet jugum a facie olei.* Dicit, *computreſcet*, quod non convenit in aliam materiam. Apud Homer. Iliad. Ω. n. 269. in vehiculo Priami eſt buxeum *jugum.* Ænea tamen apud Apollon. III. 1283. & ferrea apud Claud. Conſul. Prob. & Olybr. n. 82. occurrunt. Forma eſt eadem in cunctis animalibus, cujuſcunque eſſent generis. Nullius enim differentiæ meminerunt Græci, nec Latini. Deinde, quia, quæ in *jugo* boario memorantur partes, eædem iiſdemque cum nominibus occurrunt & in *jugo* equorum, quod liquet ex Polluc. I. 10. 10. qui *jugum* equorum ſic deſcribit, ſicut alii *jugum* boum, aliorumve animantium. Habuerunt veterum *juga* ligna non duplicia, & coeuntia in orbem, qualia hodie per Germaniam, & regiones alias ſunt in uſu, ſed ſimplicia, eaque leviter inflexa circa medium, curvaque. Inde Ovid. de Art. I.

Prabet & in curvo colla premenda jugo.

Scheffer. de Re vehic. I. 11.

Jugum textorium, ſive liciatorium eſt lignum illud teres, circa quod licium, ſive ſtamen intendunt textores. Ovid. Met. I. 55.

Tela jugo juncta eſt.

Braun. de Veſtit. ſacerd. Hebr. I. 16.

Juga vocabantur quoque in navibus tranſtra remigum. Virg. Æneid. VI. 411.

Inde alias animas, quæ per juga longa ſedebant,
Deturbat.

Servius Æneid. V. 136. *Et tranſtra dicuntur, & juga.* & I. I. *Græce dixit: ζυγὰ enim dicuntur quæ tranſtra nominamus.* V. illa infr. in *Tranſtra.*

Jugum

Jugum contrahentibus matrimonium imponi consueverat. Serv. Æneid. IV. 16. *Vinculo jugali propter jugum, quod in matrimonio ponebatur conjungendis.* Festus: *Juges ejusdem jugi pares; unde conjuges.* Hinc Horat. Od. II. 5. 1.

> *Nondum subacta ferre jugum valet*
> *Cervice.*

Plaut. Curc. I. I. 50.

> *Jamne ea fert jugum.*

Casal. de Rit. nupt. c. I. de Urb. ac Imper. Roman. splend. part. 2. c. 16. Abstem. Annot. Lamp. Crit. I. p. 885. Lyd. Serm. Conviv. I. p. 59. Passerat. in Catull. LXIV. 302. Quia ut *jugi*, sic matrimonii quoque onera pariter ferenda sunt; hinc factum, ut *jugi* vocabulum, & ea quæ a *jugo* veniunt, ad matrimonium, & res matrimoniales passim transferantur. *Torrent. ad Horatium.* Hoc idoneorum, & locupletum auctorum testimonio non probatur, & ideo admittere non possum. Μεταφορικῶς sunt dicta, quæ Plautus & Horatius dixerunt. *Brisson. de rit. nupt. p. 56.*

JUL.

JULIA familia. V. illam supr. in *Familia.*

Julia lex. V. illam infr. in *Lex.*

Julia tribus. V. illam infr. in *Tribus.*

D. JULIANI castellum ad Osam fluviolum fuisse credit, & pro nostro Osæ castro accipit Frontinus. Verius S. *Juliani* parietinæ, nomenque, sesquimilliario circiter ultra, trans Castrum di Castiglione, Tibur versus, longiusque adhuc a Prænestina remanent. *Fabrett. de Aquæduct. Diss. III. Thes. Ant. Rom. Græv. Tom. IV. p. 1767. A.*

Julianus Imperator iter fecit per Danubium. Illud describit Mamert. Paneg. Julian. p. 165. *Longissimo cursu Istrum placuit navigari: proh sancta divinitas! quæ navigationis illius fuit pompa, cum dexteriorem incliti fluminis ripam, utriusque sexus, omnium ordinum, armatorum atque inermium perpetuus ordo prætexeret: despiceretur ad lævam in miserabiles preces genu nixa barbaria: omnes urbes, quæ Danubium incolunt, auditæ, omnium audita decreta, levati status, instaurateque fortunæ: innumerabilibus barbaris data venia, & munus pacis indultum: qui properationem illam contemplabitur, nihil egisse præter viam Imperatorem putabit: qui gestarum rerum multitudinem considerabit, properasse non credet.* Bergier. de Viis milit. IV. Sect. 44. §. 6. Lecticam consularem intra palatii secreta introire jussit. Mamert. ibid. p. 68. *Pæne intra ipsas Palatinæ domus valvas lecticas consulares jussit inferri, & cum honori ejus, venerationique cedentes sedile illud dignitatis amplissimæ recusaremus, suis nos prope manibus impositos mixtus agmini togatorum præire cœpit pedes, gradum moderans pæne ad lictoris nutum, & viatoris imperium.* Insidiosa Apostatæ humilitas! *Lipen. de Stren. c. 2. sec. æt. §. 24.* Gentilismum stabiliturus, templa restituit, sacrificia restituit, aras deorum, dearumque restituit, & quod vi parum proficeret, dolis, & variis prætextibus ad apostasiam Christianos solicitavit. Sic, ut alia omittam, militibus Christianis strenas obtulit, ut iis fidem eriperet, dona dedit, ut a Christo averteret. Idque anno Christi 362. Fl. Mamertino, & Fl. Nevitta coss. ipsis Kalendis Januariis factum est. Hoc fusius narrant Paul. Diacon. Hist. Misc. XI. 37. Greg. Nazianz. in Julian. Orat. I. Theodor. Hist. Eccles. III. 16. Sozom. V. 16. *Lipen. ibid. tert. æt. §. 5.* In Persas profectus, Christianorum diis suis post victoriam sanguinem voverat, ubi a quodam simulato perfuga ad deserta perductus, cum fame, & siti magnam partem exercitus perdidisset, occisus est. *Prosper Chron. Thes. Ant. Rom. Græv. Tom. XI. p. 306. E.* Quomodo perierit, fusius narrat Ammian. XXV. 3.

JULIUS, qui antea dictus est Quintilis, *in honorem Julii Cæsaris dictatoris, legem ferente M. Antonio, nomen sortitus est, quod hoc mense ad IV. Idus Julius fuerit procreatus.* Macrob. Sat. I. 12. Dio XLIV. p. 242. E. V. illos infr. in *Lex Antonia.* Festus: *Julium mensem appellarunt, quod eo mense dicitur Julius natus.* Morestell. Philom. II. Dial. IX. Viola de vet. & nov. Rom. temp. rat. Thes. Ant. Rom. Græv. Tom. VIII. p. 193. F. Junius de Ann. & mens. c. 4. Lalamant. de Anno Rom. Thes. Græv. ibid. p. 278. C. Augustin. de Fam. Rom. in Julia. Panvin. Fast. I. p. 27. Castellan. de Mensib. & ann. Græc. Thes. Ant. Græc. Gronov. Tom. IX. p. 2001. F. Struv. Ant. Rom. c. 8. p. 347. Muncker. de Intercal. I. 8. 6. Gyrald. de Ann. & mens. Tom. II. p. 776. B. Stuck. de Sacrif. p. 26. Habuit & habet unum & triginta dies, nonas septimo die mensis, idus autem decimo quinto. *Viola l. l.*

C. *Julius* Cæsar. V. illum supr. in *Cæsar.*

JULUS fuit antiquitus cognom[illegible] *Juliorum*, cum antea Ascanii Æneæ filii fuisset: q[illegible] *Julus* dictus est. Virg. Æneid. I. 271.

> *At puer Ascanius, cui nunc cognomen Julo.*

Ubi hanc rationem dat Servius: *Migrare postea [illegible] Ascanium & Mezentium bella, Jul[illegible] cæsse. Et occiso Mezentio Ascanium [illegible] a prima barbæ lanugine, quæ ei tem[illegible]* Sunt enim proprie *juli* teneræ illæ lanugines, [illegible] boribus flores antecedunt, ut in ficu grossuli. Plin. XVI. 29. *Ferunt & avellanæ julos compactili callo ad nihil [illegible].* Unde per metaphoram dicuntur *juli* teneræ illæ lanugines, quæ in juvenum genis primæ enascuntur. Hoc cognomen cum a gente *Julia*, quæ ab illo appellata fuit, intermissum esset, M. Antonius IIIvir iterum in usum revocavit, & in honorem C. *Juli* Cæsaris dictatoris a *Julo* oriundi, alteri filiorum suorum prænomen dedit, *Julumque* Antonium vocavit. *Panvin. de Nomin. Roman. Thes. Ant. Rom. Græv. Tom. II. p. 2017. E.*

JUM.

JUMENTUM, currumve, si ille, qui in jus vo[illegible]batur, imbecilla valetudine esset, qui vocabat, d[illegible]e cogebatur a lege in hunc modum loquente apud Gell. [illegible] I. *Si. in. jus. vocato. morbus. [illegible] in. jus. vocabit. jumentum. dato. si. nolet. [illegible]* Quibus Gellius addit: *jumentum quoque non [illegible] ficat, quod nunc dicitur; sed vectabulum etiam, [illegible] ctis pecoribus trahebatur.* Sigon. de Judic. I. 18. A[illegible] in Leg. XII. tab. §. 36. Rittersh. in Leg. XII. [illegible] Class. III. p. 3. c. 3. Cur vocans in jus vocato debuerit dare *jumentum*; neque potuerit cogere vocatum, ut pedibus incederet; ratio fuit: humanitas, & commiseratio; quæ vetat afflicto addi afflictionem. Periculum quippe fuisset, ne talis viribus exhaustus in via ipsa deficeret. *Rittersh. l. l.* Voce præconis, privatis vendentibus, venibat. Apul. Met. VIII. p. 254. *Refectis jumentorum corporibus, quo vendibiliores videremur, ad mercatum producimur: magnaque voce præconis pretia singulis nuntiantis, equi, atque alii asini opulentis emptoribus præstinantur.* IX. p. 277. *Altera die productum me rursum voce præconis venui sub[illegible].* Brisson. de Form. VI. p. 510. Qui *jumenta* vendebat, solebat ita promittere, *esse, bibere, ut oportet.* Ulpian. l. II. §. Animalium. ff. de action. empt. & vend. *Animalium quoque venditor cavere debet, ea sana præstari: & qui jumenta vendidit, solet ita promittere, esse, bibere, ut oportet.* Varr. de Re rust. II. 2. *De reliquo antiqua fere formula utuntur: cum emptor dixit, tanti sunt mihi emptæ, & ille respondit, sunt: & expromisit nummos: emptor stipulatur prisca formula sic: illasce oves sanas recte esse, uti pecus ovillum, quod recte sanum est, extra luscam, surdam, minam, id est, ventre glabro: neque de pecore morboso esse, habereque recte licere? hæc sic recte fieri spondes?* Mag. Misc. IV. 3. Brisson. ibid. p. 497. Fuerunt in castris plura, sed gregariis militibus non nisi ad usum communem: nempe, ut tentoria, ut molas, & si quid tale, ferrent. Digniores sibi quædam habuere, & ad proprium usum. *Lips. de Milit. Rom. V. Dial. XI.* Imbecillis erat suum valetudinarium in castris; sui medici. Non enim fabris ferrariis, & indoctissimis quibusque, uti hodie moris, sed medicorum filiis res veterinaria olim de-

demandabatur. *Schel. in Hygin. Theſ. Ant. Rom. Græv. Tom.* x. *p.* 1050. *C.*

JUN.

JUNCTORES erant ſervi, qui *j[…]ngebant* rhedam equis, vel mulis. Alphen. 1. 203. ff. de Ver[…]. ſignif. *Et ſibi videri eos demum uſus ſui cauſa patremfamilias habere, qui ad ejus corpus tuendum, atque ipſius cultum præpoſiti deſti[…]tique eſſent: quo in genere junctores. . . Jungere* hoc ſenſu probum verbum. Et inde *junctura* apud Capitol. Ver. c. 5. *Data etiam vehicula cum mulabus, ac mulionibus, cum juncturis argenteis.* Pignor. de Serv. p. 441.

JUNIA gens. V. illam ſupr. in *Gens.*

JUNIORES Romæ *invitati ad cœnam diligenter quærebant, quinam ei convivio eſſent interfuturi: ne ſenioris adventum diſcubitu præcurrerent; ſublataque menſa priores conſurgere, & abire patiebantur.* Valer. Max. II. 1. 9. *Buleng. de Conviv.* I. 34. Aut lucta, aut curſu, aut ſaltu, aut pila, ludicriſque id genus exercitiis ſe exercebant in ephebæis. Hunc morem repræſentat Plaut. Bacch. III. 3. 24. ubi in perſona ſeveri ſenis indicat pueros prim's viginti annis cum pædagogo in palæſtram ante ſolem exorientem veniſſe ſolitos:

Ibi curſu, luctando, haſta, diſco, pugilatu, pila,
Saliendo ſe exercebant, magis quam ſcorto, ac ſaviis.

Fortiori autem juventa iiſdem quidem exercebantur, vel acrioribus etiam plerumque ludis, halteribus, harpaſto, & aliquando cæſtu. Vel armorum variis generibus, ut in palæſtris. Vel in hippodromis curſu equi, vel agitatu. *Baccius de Therm. vet. c.* 7. Illorum nomine, ut ex Dionyſ. IV. p. 221. patet, omnes eos Servius Tullius comprehendit, qui quadraginta quinque annis minores eſſent. Et hi tenebantur foris militare. *Patric. Rei milit. Rom. part.* II. *ſect.* 2. V. & infr. in *Seniores.* Hi non tam urbani erant quam ruſtici, & ex ruſticis non ſolum, qui agrum Romanum incolebant; ſed etiam, qui extra agrum Romanum, vel publicum, vel privatum agrum cives Romani in Latio, atque adeo in Italia poſſidebant, vel negotii gerendi cauſa extra Italiam habitabant. Unde Livius de Bell. Perſ. dixit: *multitudinem juniorum ingentem ex foris, & conciliabulis eſſe conſcriptam.* Sigon. de Ant. jur. civ. Rom. I. 14. Ad palum in campo Martio omni genere armorum ſeſe exercebant, & in equos ligneos inſiliebant, & ex illis deſiliebant. V. ſupr. in *Campus.* & infr. in *Sa[…]litio.*

JUNIUS menſis primum triginta dierum a Romulo, mox viginti novem a Numa, deinde rurſus triginta a Cæſare fuit conſtitutus, & habet nonas quinto menſis die, idus vero decimo tertio. *Viola de vet. & nov. Roman. temp. rat. Theſ. Antiq. Roman. Græv. Tom.* VIII. *p.* 193. *F.* Nuptiis erat aptiſſimus. V. infr. in *Nuptiæ.*

JUNO fertur educata a Temeno Pelasgi filio, qui in priſca Stymphalo habitavit. Pauſan. Arcad. p. 253. *Vindung. Hell. Theſ. Ant. Græc. Gronov. Tom.* XI. *p.* 73. *F.* Ejus nutrices feruntur fuiſſe Euboea, Proſynna, & Aſcræa, quas filias habuit Aſterion fluvius. Pauſan. Corinth. p. 59. *Laz. Græc. Ant.* II. 2. Jovis ſoror, & conjunx nuncupatur, ob ſimilitudinem, & conjunctionem, quam aer, qui, cum eo nihil ſit mollius, femina dicitur, habet cum æthere. *Vener. de Orac. Ant. c.* 10. *Rhodig. Ant. Lect.* XXI. 1. *Stuck. de Sacrif. p.* 30. *Aleand. Tab. Heliac. Explic. Theſ. Ant. Rom. Græv. Tom.* V. *p.* 738. *E. Struv. Ant. Rom. c.* 1. *p.* 87. *Roſin. Antiq. Roman.* II. 6. Cui in Samo nupſit. Lactant. I. 17. *Inſulam Samum ſcribit Varro prius Parthenium nominatam, quod ibi Juno adoleverit, ibique etiam Jovi nupſerit.* Auguſtin. de Civit. Dei VI. 7. *Sacra ſunt Junonis, & hæc in ejus dilecta inſula Samo celebrantur, ubi nuptui data eſt Jovi.* Nam *Junonem* in Samo clam fuiſſe devirginatam ajunt: moremque inde manaſſe apud Samios, ut clam virgines abducerentur, ac mox in propatulo nuptialia ſacra peragerentur, ut ſcribit Euſtath. Iliad. Ξ. *Caſtellan. de Feſt. Græcor. Theſ. Ant. Græc. Gronov. Tom.* VII. *p.* 668. *C.* Dea erat cubilis, & illam inter naſcentes feminæ præcipue adeſſe putabant veteres. Teſtis eſt Tibull. IV. 6. 1.

Natalis Juno, ſanctos cape thuris acervos,
Quos tibi dat tenera docta puella manu.

Poetæ lucem affert Mart. Capell. II. *Ubi in conſpectum nubentis diva pervenit; atque, ut mos virginis erat, litavit aromatibus, divam talibus deprecabatur. Juno pulcra, licet aliud nomen tibi conſortium cœleſte tribuerit, & nos a juvando Junonem, unde & Jovem dicimus, nominemus: ſive & Lunam, quod lucem naſcentibus tribuas, ac Luceſiam convenit nuncupari.* Plutarch. Quæſt. Rom. 76. *In ipſa materia Juno eſt Lucina: ideoque Junoni nomen eſt a juveneſcendo: & Junonem vocant Lucinam, quaſi Lucidam diceres: putantque eam in partubus auxilium ferre mulieribus, ut & lunam, unde illud:*

Per cœruleum aſtrorum polum,
Partus celerantemque lunam.

Facillime enim mulieres ſub plenilunium videntur prolem eniti. Tomaſ. de Donar. c. 8. Gyrald. Synt. deor. II. p. 118. F. Berthald. de Ara c. 17. §. 5. Hinc Arnob. III. p. 112. *Parturiunt, pariunt, ut difficiles puerperiorum tricas Juno mulceat, corripiatque Lucina?* p. 114. *Puerperiis Juno præpoſita eſt, & auxiliatur genitricibus fœtis.* Meurſ. de Puerp. c. 1. Illique ad impetrandam partus facilitatem vota gravidæ faciebant. Alluſit Prop. IV. 1. 95.

Idem ego cum Cinaræ traheret Lucina dolores,
Et facerent uteri pondera lenta moram:
Junoni votum facite impetrabile, dixi,
Illa parit.

Tomaſin. ibid. c. 14. Et ſoboles commendabatur. Vetus monumentum in ara Capitolii in domus Auguſti conſervationem olim erecta:

JUNONI
CONSERVATRICI
LIBERORUM. DO
MUS. AUGUSTI
D. D.

Et vere *Junoni* honor iſte deferebatur. Quæ namque prima conjugum animos invicem conciliaverat, cujus nova mater ſenſerat opem, a prolis cura fuiſſe alienam, iniquum videbatur. *Tomaſ. ibid. c.* 10. Per illam feminæ jurabant. Quartilla apud Petron. c. 27. *Junonem meam iratam habeam.* Tibull. IV. 13. 15.

Hæc tibi ſancta tuæ Junonis numina juro.

III. 6. 47.

Etſi perque ſuos fallax jurarit ocellos,
Junonemque ſuam, perque ſuam Venerem.

Juven. Sat. II. 98.

Et per Junonem domini jurante miniſtro.

Berthald. de Ara c. 17. §. 5. Scalig. in Catull. p. 188. Politian. Miſcell. c. 89. Broukh. in Tibull. III. 6. 47. Propert. II. 4. 17. Demſter. Paralip. ad Roſin. Antiq. Roman. II. 6. Cum aerem ſignificet, *ἤρα ὁ ἀὴρ, κατὰ ἀναγραμματισμὸν,* pura, & alba hoſtia ad ſerenitatem expetendam ei accenſetur. Virg. Æneid. IV. 59.

Junoni ante omnes, cui vincla jugalia curæ,
Ipſa tenens dextra pateram pulcerrima Dido
Candentis vaccæ media inter cornua fundit.

Georg. III. 532.

Quæſitas ad ſacra boves Junonis.

nempe albedinis exquiſitæ. *Argol. in Panvin. de Lud. Circenſ.* I. 2. Illi omnes menſes erant ſacri. Per illam enim intelligitur luna, ut tradit etiam Plutarch. Quæſt. Rom. 76. Ex lunæ autem motu menſes numeramus. *Junonis* Lunæ Reginæ meminit antiquus lapis, quem videre eſt Veronæ:

JUN. LUN
REG. SACR

P. VITULLIUS
PHILOLOGUS
VI. VIR. AUG
INFERIO

Boxhorn. in Plutarchum. Augustæ, sive Imperatorum uxores vocabantur *Junones.* Liviam *Junonem* vocat Ovid. Pont. III. I. 117.

Quæ Veneris formam, mores Junonis habendo . . . .

n. 145.

Cum tibi contigerit vultum Junonis adire.

Et in nummo, quem æreum laudat Falconerius, circa caput Liviæ legitur ΛΙΒΙΑΝ ΗΡΑΝ. Et Octaviam nutrix apud Senec. Octav. I. 219.

—— tu quoque terris
Altera Juno, soror Augusti.

Cuper. Explic. gemm. August. p. 208. *Junones* etiam priscis temporibus uxores suas mariti appellaverunt, ut Joves hæ maritos suos. Plaut. Cas. II. 3. 14.

Eja, mea Juno non te esse decet tam tristem tuo Jovi.

Serv. Ecl. VIII. 30. *Varro spargendarum nucum dicit esse rationem, ut Jovis omine matrimonium celebretur, ut nupta matrona sit sicut Juno.* Senftleb. de Alea veter. c. 15. §. 5.

Juno Ammonia Græcorum more est dicta, caprinis cornibus in Latio culta, ejusque in nummis gentis Papiæ, Prociliæ, atque Rosciæ obvia. *Struv. Antiq. Rom. c.* I. *p.* 88. *Rhodig. Ant. Lect.* XVIII. 28. *Gyrald. Synt. deor.* III. *p.* 130. *B.*

Juno Argiva est denominata ab Argis, quo loco Ἡραῖα, & *Junonis sacra celebrabantur, in quibus hecatombe, id est, ex centum bobus sacrificium fiebat.* Hujus celebritatis præmium fuit æreum scutum, & ex myrto corona: id quod in commentariis in Pindarum legimus. Ejus signum describitur a Pausan. Corinth. p. 59. *Deæ signum in solio sedet, eximia magnitudine, auro & ebore fabricatum, Polycleti opus, corona capiti imposita: ea Gratias, & Horas egregie factas habet. Dea manu altera Punicum malum, altera sceptrum tenet.* Quidam putavere Argivam eandem esse cum Pelasga apud Prop. II. 21. 11.

An contempta tibi Junonis templa Pelasgæ.

Πέλασγος enim, ajunt, Argos tenuit, unde Argivi Pelasgi. Ego tamen secutus Eustathium, Samiam *Junonem* intelligo: nam de ea agens inquit: *Samus Pelasgia dicta est a Pelasgis quibusdam, ex quibus & Juno Pelasgia dicta.* Gyrald. Synt. deorum III. p. 127. F.

Juno bona, Græcis χρηστὴ, etiam dicta est. Virg. Æneid. I. 740.

Adsis lætitiæ Bacchus dator, & bona Juno.

Cujus interior doctrina retegitur verbis Pausan. Arcad. p. 266. *Ad ejus viæ lævam Boni dei ædes est. Quod si dii hominibus bonorum auctores sunt, deorum vero supremus est Jupiter, recte quidem hoc Jovis maxime proprium cognomen conjicere possis.* Rhodig. Ant. Lect. XXVIII. 6. Nicol. de Rit. Bacchan. c. 5. Gyrald. Synt. deor. III. p. 122. B.

Juno Caprotina a Romanis est culta. Ejus meminit Arnob. III. p. 118. Dies ejus festus erant Nonæ Juliæ. Originem narrat Macrob. Sat. I. 11. *Nonis Julis diem festum esse ancillarum tam vulgo notum est, ut nec origo, nec causa celebritatis ignota sit. Junoni enim Caprotinæ die illo liberæ pariter, ancillæque sacrificant sub arbore caprifico, in memoriam benignæ virtutis, quæ in ancillarum animis pro conservatione publicæ dignitatis apparuit. Nam post Urbem captam cum sedatus esset Gallicus motus; respublica vero esset ad tenue deducta, finitimi opportunitatem invadendi Romani nominis aucupati, præfecerunt sibi Postumium Livium Fidenatium dictatorem: qui mandatis ad senatum missis postulavit, ut, si vellent reliquias suæ civitatis manere, matresfamiliæ sibi, & virgines dederentur. Cumque patres essent ancipiti deliberatione suspensi: ancilla nomine Tutela, seu Philotis pollicita est se cum cæteris ancillis sub nomine dominarum ad hostes ituram: habituque matrumfamilias, & virginum sumpto, hostibus cum prosequentium lacrymis, ad fidem doloris ingestæ sunt. Quæ cum a Livio in castris distributæ fuissent, viros plurimo vino provocaverunt, diem festum apud se esse simulantes. Quibus soporatis, ex arbore caprifico, quæ castris erat proxima, signum Romanis dederunt: qui cum repentina incursione superassent: memor beneficii senatus omnes ancillas manu jussit emitti, dotemque eis ex publico fecit, & ornatum, quo tunc erant usæ, gestare concessit; diemque ipsum Nonas Caprotinas nuncupavit, ab illa caprifico, ex qua signum victoriæ ceperunt: sacrificiumque statuit annua sollennitate celebrandum: cui lac, quod ex caprifico manat, propter memoriam facti præcedentis adhibetur.* Fabric. Descr. Urb. Rom. c. 10. Siccam. in Fast. Kalend. Roman. c. 13. Ferrar. de Re Vest. I. I. 25. Gyrald. Synt. deor. III. p. 124. E. XVII. p. 494. L. Saubert. de Sacrif. c. 11. Struv. Antiq. Rom. c. I. p. 87. Hospinian. de Orig. Fest. p. 193. Laz. Comm. Reip. Rom. XI. 3. Laurent. Polym. IV. Synops. 6. Pier. Hierog. LII. 33. Schill Nomencl. Philol. p. 252. Rosin. Antiq. Roman. II. 6. Hæc omnia fere solens ex Plutarch. p. 145. F. sublegit Macrobius. Sed de *Junone* Ovid. Art. Amand. II. 57.

Porrige, & ancillæ, qua pœnas luce pependit
Lusa maritali Gallica veste manus.

Sed Macrobii illa ad Ovidii sententiam nihil faciunt, qui non Latinos, sed Gallos hoc dolo deceptos indicat, cui, ut Romano, major fides habenda. Illi tamen lux petenda ex eodem Plutarch. Parall. p. 313. A. *Atepomarus*, inquit ille, *Gallorum Rex bello Romanos infestans, professus est non ante recessurum, quam Romani suas uxores Gallis cognoscendas misissent. Romani consilio ancillarum obsequuti, has pro liberis miserunt & barbari nimio rei Venereæ abusu fatigati in somnum sunt soluti. Retana, ea princeps consilii fuerat, caprifico conscenso in murum evasit, remque consulibus indicat. Ita Romani facta eruptione vicerunt: atque hinc festus ancillarum dies sumpsit initium. Aristides Milesius auctor Italic.* I. Ovidii sensus: Ancillas ab amatore esse colendas, & quidem nonis caprotinis, peculiari eorum festo, in memoriam ejus diei, quo Gallicus exercitus deceptus veste maritali, id est, stola matronali, Romanis pœnas persolvit. Ejusdem festi meminit Auson. Eclog. c. 17. n. 9.

Festa Caprotinis memorabo celebria nonis,
Quum stola matronis dempta tegit famulas.

Ex quo apparet, ancillas ea die stolam, id est, tunicam purpuream, auro segmentatam, peculiarem matronarum gestasse. Sicut eadem die matronas prætextatas sacrificasse tradit Varr. de Ling. Lat. V. 3. *Ferrar. Elect.* II. 25. V. illum infr. in *Prætexta.*

Juno Cinxia dicta est, quia conjugalibus federibus præesse credebatur, a replicatione cinguli. V. hoc supr. in *Cingulum.* Festus: *Cinxiæ Junonis nomen sanctum habebatur in nuptiis, quod initio conjugii solutio erat cinguli, quo nova nupta erat cincta.* Arnob. III. p. 115. *Cingulorum replicationi Cinxia superest.* Brisson. de Rit. nupt. Thes. Antiq. Roman. Græv. Tom. VIII. p. 1028. D. de Form. I. p. 49. Gyrald. Synt. deor. III. p. 121. E. Stuck. Ant. Conv. II. 29. de Sacrif. p. 46. Struv. Antiq. Roman. c. I. p. 87. Ferret. Mus. Lapid. I. memor. 3. Voss. de Idolol. II. 26. Casal. de Urb. ac Imper. Roman. splend. part. 2. c. 16. de Rit. nupt. c. I. Laurent. de Spons. c. I. Kipping. Antiq. Roman. I. I. §. 10.

Juno Curis a Sabinis nuncupata, & deinde a Romanis: nam hastam Sabini curim appellabant. Cato orig. *Quirinalis collis a Junone Sabinarum dea, quam illi Curitim, id est, hastatam Junonem vocant: etenim hastam curim, & curitim proferunt, quia his simul & Hetruscis non est litera Q sicut Romanis.* Festus: *Curitim Junonem appellabant: quia eandem ferre hastam putabant.* Ovid. Fast. II. 477. V. illum supr. in *Hasta.* Hinc etiam a priscis institutum legimus, ut nubentium, quod essent in *Junonis* tutela constitutæ, caput comeretur hasta, quam vocabant cœlibarem. *Brisson. de Rit. nupt. Thes. Antiq. Roman. Græv. Tom.* VII. *p.* 1027. *D. de Form.* I. *p.* 49. *Gyrald. Synt. deor.* III. *p.* 125. *B. Boxhorn. in Plutarch. Quæst. Rom.* 86. *Rhodig. Ant.*

Lect. xxi. 16. *Cuper. Obſerv.* ii. 2. *Voſſ. de Idolol.* ii. 26. V. illam ſupr. in *H*[illegible]

Juno Cypra dict[illegible] eſt a Tyrrhenis. Sil. Ital. viii. 433.

[illegible] queis littoreæ fumant altaria Cypræ.

Tyrrheni huic templum condiderunt, & conſecraverunt pone Catellum Piceni emporium, ut ſcribit Strab. v. *p.* 166. *Gyrald. Synt. deor.* iii. *p.* 130. *D.*

Juno Domiduca, & Interduca vocabatur a Romanis, quod ad ſponſi ædes ſponſas comitabatur, vel earum iter protegeret. Auguſt. de Civit. Dei vii. 3. *Hæc tamen Interduca eſt pueris. . . . Ponitur autem Juno, quia Interduca eſt, & Domiduca, quaſi proſit quicquam iter capere, & domum duci.* Mart. Cap. ii. *Interducam, & Domiducam mortales puellæ debent in nuptias convocare, ut & earum itinera protegas, & in optatas domos ducas.* Gyrald. Synt. deor. iii. p. 121. C. Voſſ. de Idolol. ii. 26. Stuck. de Sacrif. p. 46. Briſſon. de Form. i. p. 49. de Rit. nupt. Theſ. Antiq. Roman. Græv. Tom. viii. p. 1031. D. Kipping. Antiq. Roman. i. i. §. 10. Demſter. Paralip. ad Roſin. Antiq. Roman. ii. 19.

Juno Februa, Februalis, Februata, & Februla nuncupabatur, quod ipſi eo menſe ſacra fiebant. V. Feſtum ſupr. in *Februarius. Ejus feriæ*, ut addit Feſtus, *erant Lupercalia, quo [illegible] mulieres februabantur a Lupercis amiculo Junonis, [illegible] pelle caprina.* Mart. Cap. ii. *Februalem ac Febru[illegible] poſcere non eſt neceſſe, cum nihil contagionis corpore [illegible].* Gyrald. Synt. deor. iii. p. 12[illegible]. [illegible] Lomej. de Luſtrat. c. 4. Urſat. de Not. Roman. Theſ. Antiq. Rom. Græv. Tom. xi. p. 714. C. Struv. Ant. Rom. c. i. p. 87. Briſſon. de Form. i. p. 49. [illegible] Muſ. [illegible] i. memor. 3. Meurſ. de Puerp. c. i. Roſin. Antiq. Roman. ii. 6.

Juno Feronia a pleriſque eſt credita. Serv. Æneid. vii. 800. *Circa h[illegible] tractum Campaniæ colebatur Juno virgo, quæ Feronia dicebatur.* V. illam ſupr. in *Feronia.*

Juno Fluonia appellata fuit, quod fluoribus menſtruis adeſſet: & proinde ei feminæ ſacra faciebant. Feſtus: *Fluoniam Junonem mulieres colebant, quod eam ſanguinis fluorem in conceptu retinere putabant.* Auguſtin. de Civit. Dei vii. 2. *Sed ibi eſt & dea Mena, quæ menſtruis fluoribus præeſt, quamvis Jovis filia, tamen ignobilis eſt. Et hanc provinciam fluorum menſtruorum in libris ſelectorum deorum ipſi Junoni idem auctor,* Varro, *aſſignat, quæ in diis ſelectis etiam Regina eſt: & hic tanquam Juno Lucina cum eadem Mena privigna ſua eidem cruori præſidet.* Gyrald. Synt. deor. iii. p. 129. A. Barthol. de Puerp. c. i. Tiraquell. in Alex. ii. 25: vi. 26. Stuck. de Sacrif. p. 44. Ferret. Muſ. Lapid. i. memor. 3. Struv. Ant. Rom. c. i. p. 87. Kipping. Antiq. Roman. i. i. §. 10. Roſin. Antiq. Roman. ii. 6.

Juno Gabina vocabatur, quod ſummo cultu a Gabinis coleretur. Virg. Æneid. vii. 682.

—— quique arva Gabinæ
Junonis, gelidumque An[illegible], & roſcida rivis
Hernica ſaxa colunt.

Sil. Ital. xii. 536.

—— nec amœna retentant
Algida, nec juxta Junonis tecta Gabinæ.

Gyrald. Synt. deor. iii. p. 130. E.

Juno Gamelia etiam colebatur. Plutarch. Conjug. præc. p. 141. E. *Junoni Gameliæ rem ſacram facientes cum reliquis ſacris fel non conſecrant, ſed eximentes poſt aram projiciunt: id ſcilicet ſignificante legiſlatore, neque quid bilis, neque iræ ullæ in nuptiis eſſe oportere.* Euſeb. de Præpar. Euang. iii. i. *Eandem in poſterum Gamelion appellarunt.* Gyrald. Synt. deor. iii. p. 120. B. Taffin. de Lud. ſecul. c. 12. Briſſon. de Rit. nupt. Theſ. Antiq. Rom. Græv. Tom. viii. p. 1029. E. Rhodig. Ant. Lect. xxviii. 23. Alex. Gen. dier. vi. 4. Laurent. de Sponſal. c. 2.

Juno Juga vocabatur a conjunctione maris & feminæ. Feſtus: *Quia ibi fuerat ara Junonis jugæ, quam putabant matrimonia jungere.* Exemplo Græci ſermonis, quo vocabatur Ζυγία. Hoc nomen Græciſſans uſurpavit Apul. Met. vi. p. 177. *Quam cunctus oriens Z[illegible] veneratur.* Comprobat hæc Dionyſius: *Jupiter [illegible] Juno primi juncti ſunt & ſociati. [illegible], ille pater omnium dicitur: hæc vero juga, quia jungit marem cum femina.* Briſſon. de Rit. nupt. Theſ. Antiq. Rom. Græv. Tom. viii. p. 1030. E. Gyrald. Synt. deor. iii. p. 119. F. Borrich. Ant. Urb. Fac. c. 10. §. 3. Taffin. de Lud. ſecul. c. 12. Urſat. de Not. Rom. Theſ. Antiq. Rom. Græv. Tom. xi. p. 788. D. Struv. Antiq. Rom. c. i. p. 87. Borremanſ. Var. Lect. c. 17. Alex. Gen. ii. 5. & ad illum Tiraquellus. Kipping. Antiq. Roman. i. i. §. 10.

Juno Kalendaris vocabatur, quoniam omnes Kalendas illi attributas exiſtimabant veteres. Macrob. Sat. i. 15. *Omnes Kalendas Junoni attributas & Varronis, & pontificalis a[illegible]mat auctoritas: quod etiam Laurentes patriis religionibus [illegible]; qui & cognomen deæ ex ceremoniis addiderunt Kalendarem Junonem vocantes.* Ovid. Faſt. i. 55.

Vindicat Auſonias Junonis cura Kalendas.

Siccam. in Faſt. Kalend. Roman. c. 6. Guther. de Jur. pontif. i. 23. Gyrald. Synt. deor. iii. p. 124. D. Struv. Ant. Rom. c. i. p. 88. Jun. de Ann. & menſ. c. 5. Stuck. de Sacrif. p. 27. Hoſpin. de Feſt. Ethnic. c. 4. Kipping. Antiq. Roman. i. 10. §. 5. Roſin. Antiq. Roman. ii. 6.

Juno Lacinia cognominabatur ab oppido Lacinio in extimis Italiæ partibus. Virg. Æneid. iii. 552.

—— attollit ſe divina Lacinia contra.

In ejus *ara ſub dio ſita cinerem immobilem eſſe, perflantibus undique procellis* ſcribit Plin. ii. 107. *Struv. Ant. Rom. c.* i. *p.* 89. *Bellor. Numiſm. Epheſ. tab.* 3. *Gyrald. Synt. deor.* iii. *p.* 125. *F.* V. plura infr. in *templum Junonis Laciniæ.*

Juno Lucina dicebatur, quod lucem credebatur naſcentibus dare. Varr. de Ling. Lat. iv. 10. *Quæ ideo videtur a Latinis Juno Lucina dicta, vel, quod eſt e terra, ut phyſici dicunt, & lucet: vel quod ab luce ejus, qua quis conceptus, uſque ad eam qua partus quis in lucem una vivat, donec menſibus actis produxit in lucem. Facta igitur a juvando & luce Juno Lucina: a quo parientes eam invocant. Lucina enim naſcentium dux, quod menſes hujus. Hoc vidiſſe antiquos apparet, quod mulieres potiſſimum ſupercilia ſua attribuerunt ei deæ. Hic enim maxime debuit collocari Juno Lucina, ubi a deis lux datur oculis.* Cicer. de Nat. deor. ii. 27. *Luna eſt Lucina. Itaque, ut apud Græcos Dianam, eamque Luciferam, ſic apud noſtros Junonem Lucinam in pariendo invocant.* Gyrald. Synt. deor. iii. p. 119. B. Nardin. Rom. Vet. v. 14. Bellor. Deſcr. ſepulc. Naſon. tab. viii. Voſſ. de Idolol. ii. 26. Struv. Ant. Rom. c. i. p. 87. Borremanſ. Var. Lect. c. 17. Briſſon. de Form. i. p. 49. Potter. Archæol. Græc. iv. 14. Laurent. de Sponſal. c. i. Meurſ. de Puerper. c. i. Faſold. de Feſt. Græcor. Theſ. Antiq. Græcar. Gronov. Tom. vii. p. 566. B. Feith Antiq. Homer. i. 2. Kipping. Antiq. Roman. i. i. §. 10. Roſin. Antiq. Roman. ii. 6. Fingebatur, ſi antiquis numiſmatibus credendum, hoc modo, ut eſt in Fauſtinæ Aug. Pii. In cujus tergo matronæ ſtolatæ imago ſtans cernitur, quæ dextera pateram, ſiniſtra haſtam tenet, his literis adſcriptis, JUNONI LUCINÆ. *Gyrald. l. l.*

Juno Magna cognominabatur. Macrob. Sat. iii. 4. obſervat ex Caſſio Hemina, *Samothracas deos eosdem eſſe Romanorum penates, & proprie dici θεὺς μεγάλυς.* Secundum hanc doctrinam ait loquutum Virg. Æneid. iii. 437. cum cecinit:

Junonis magnæ primum prece numen adora.

Etiam τὴν μεγάλην nominaſſe videtur Ovid. Faſt. ii. 435.

Monte ſub Eſquilio multis incæduus annis
Junonis magnæ nomine lucus erat.

Gyrald. Synt. deor. iii. p. 121. G.

Juno Matrona etiam dicta videtur. Ita enim Serv. Æneid. viii. 84. *Quæſitum eſt, quæ ſit Juno maxima. Nam, ut diximus, variæ ſunt ejus poteſtates, ut Curitis, Lucina, Matrona, Regina.* Taffin de Lud. ſecul. c. 12. Eratque, quæ heram in rebus domi gerendis regeret. Kipping. Antiq. Roman. i. i. §. 10.

Juno

Juno Mephitis quoque dicta fuisse videtur. Ita enim Serv. Æneid. VII. 84. *Alii Mephitin Junonem volunt, quam aerem esse constat. Novimus autem putorem (mephitis proprie est terræ putor) non nisi ex corruptione aeris nasci: sicut etiam bonum odorem de aere incorrupto: ut sit Mephitis dea odoris gra[illegible]simi, id est, grave olentis.* Borrich. Ant. Urb. fac. c. 7. §. 4.

Juno Moneta a Romanis est cognominata: nam cum, non multo ante captam Urbem a Gallis, *terræ motus factus est, ferunt vocem extitisse a Junonis templo, quod erat in arce, ut de sue plena fieret procuratio: quocirca*, ut jam dictis addit Cicer. de Divin. I. 45. *Junonem illam appellatam Monetam.* Gyrald. Synt. deor. III. p. 123. B. Marlian. Topogr. Urb. Rom. II. 5. Rycq. de Capitol. c. 41. Crinit. de Honest. Discipl. XXI. 4. Kipping. Antiq. Roman. I. I. §. 10. Rosin. Antiq. Roman. II. 6. Ortel. Deor. & dea[illegible] cap. I. fig. 19. Aliam hujus cognominationis causam in v. Moneta refert Suidas. Ait enim: *Cum Romani pecunia indigerent in bello contra Pyrrhum & Tarentinos, Junonem orasse: quæ illos monuit, si justitiæ armis uterentur, pecuniam eis non defuturam: quod cum Romanis recte contigisset, Monetam Junonem veneratos esse: ejus rei signum fuisse, quod numisma, id est, moneta inscripta in ejus templo asservabatur.* Panciroll. Descr. Urb. Rom. Thes. Ant. Rom. Græv. Tom. III. p. 332. E. Pigh. Annal. Rom. I. p. 451. Gyrald. & Ortel l. l. *Junonem* Monetam Carisiæ gentis nummus capite feminino, crinibus circumplexis, ac monili circa collum repræsentat. *Struv. Ant. Rom. c. I. p. 88. Gyrald. l. l.*

Juno Natalis dicta fuit, quod natali die colebetur. Sic dicitur a Tibullo laudato supr. in *Juno.* Gyrald. Synt. deor. III. p. 119. E. Stuck. Ant. Conviv. I. 16. Taffin. de Ann. secul. c. 13. Laurent. de Natalit. c. I.

Juno nuptialis dicta est a nuptiis. Plutarch. Ἀιτ. quæst. II. vocatur Ἥρα τελεία, *Juno nuptiarum præses.* Pollux III. 3. §. 4. scribit, & matrimonium vocari τέλος, & τέλειοι, qui matrimonium ineunt: quin & ipsa conjunctionis actio προτέλεια, ab *Junone* præside nuptiar[illegible], quam in primis virgines ante nuptias sacrificiis placabant. Suidas: *Juno τελεία, & Jupiter τέλειος colebantur in nuptiis, tanquam præsides nuptiaru[illegible]. Τέλος [illegible] Propterea προτέλεια dicuntur sacrificia, [illegible] nuptias.* Brisson. de Rit. nupt. Thes. Ant. Rom. Græv. Tom. VIII. p. 1029. B. Gyrald. Synt. deor. III. p. 120. D. Laurent. de Sponsal. [illegible]

Juno Opigena *a matronis colebatur, quod ferre eam opem in partu laborantibus credebant.* Festus. *Struv. Ant. Rom. c. I. p. 87. Gyrald. Synt. deor. III. p. 119. E. Rosin. Antiq. Roman. II. 6.*

Juno Pelasga. V. illam supr. in *Juno Argiva.*

Juno Populonia cognominabatur, quam populus, seu plebs precabatur, ut innuit Martian. II. *In Papiriano jure etiam relatum est, aræ vicem præstare posse mensam dicatam: ut in templo Junonis Populoniæ augusta mensa est*, ut scribit Macrob. Sat. III. II. Quidam Populoniam vocant, quod ex nuptiis populi procreentur. *Gyrald. Synt. deor. III. p. 121. F. Struv. Ant. Rom. c. I. p. 87. Rosin. Antiq. Roman. II. 6.*

Juno Regina a Latinis est cognominata, quod soror, & conjux Jovis, deorum, atque hominum Regis. Cicer. pro Dom. c. 57. *Te, Juno Regina, precor, ac quæso....* Liv. V. 21. *Te, Juno Regina, quæ nunc Vejos colis, precor....* Illam Camillus dictator Vejis transvexit in Aventinum. Liv. c. 22. *Cum jam humanæ opes egestæ a Vejis essent, amoliri tum deûm dona, ipsosque deos, sed colentium [illegible] gis, quam rapientium modo cœpere; namque delecti ex omni [illegible] juvenes, pure lotis corporibus, candida veste, quibus [illegible] inda Romam Regina Juno assignata erat, venerabundi [illegible] ventes manus: quod id [illegible] erdos attrectare non esset [illegible] spiritu divino tactus, [illegible] Romam ire Juno? annuisse cæteri deam [illegible] inde fabulæ adjectum est, vocem quoque dicentis, [illegible] auditam; motam certe sede sua parvi molimenti adminiculis sequentis modo accepimus levem, ac facilem translatu fuisse: integramque in Aventinum æternam sedem suam, quo vota Romani dictatoris vocaverant, perlatam, ubi templum ei postea idem, qui voverat, Camillus dedicavit.* Sacrum deæ peractum refert his verbis Liv. XXVII. 37. *Ab æde Apollinis boves feminæ albæ duæ porta Carmentali in Urbem ductæ: post eas duo signa cupressea Junonis Reginæ portabantur: tum septem & viginti virgines longam indutæ vestem, carmen in Junonem Reginam canentes ibant, illa tempestate forsitan laudabile rudibus ingeniis, nunc abhorrens & inconditum, si referatur. Vir[illegible] ri, coronati laurea, p[illegible]tique. A port[illegible] forum venere, in foro pompa constitit; & per [illegible] ta, [illegible] pedum modulatione [illegible] [illegible] immolatæ, & [illegible]* Gyrald. Synt. deor. III. p. 122. B. [illegible] Broukh. in Prop. IV. 5. 63. Brisson. de [illegible] I. p. 49. [illegible] Rom. III. I. Pigh. Annal. Rom. I. p. 451. Ortel. D[illegible] & dear. cap. I. 17. Kipping. Antiq. Roman. I. I. §. 10. Rosin. Antiq. Roman. II. 6.

Juno Samia nuncupata est a Samo insula notissima. Virg. Æneid. I. 19.

> *Quam Juno fertur terris magis omnibus unam*
> *Posthabita coluisse Samo.*

Pausan. Achaic. p. 209. *Dicunt Samii, natam in Samo Junonem ad flumen Imbrasum, sub vitice, quæ hac ipsa ætate in Junonis sacro solo ostenditur.* Gyrald. Synt. deor. III. p. 127. C.

Juno Sororia, ut dicitur Festo in *Sororium tigillum*, sive sororum inspectrix, ut Herodot. III. p. 159. prope Carinas fuit, ad clivum Suburanum, qui nunc ducit ad ædem S. Petri in vinculis. Habuit a nomen a Sororio tigillo, quod cum Jano Curiatio dicavit Horatius, unus ex trigeminis victor contra Curiatios. *Fabric. Descr. Urb. Rom. c. 10. G[illegible] Synt. deor. III. p. 121. C. Struv. Ant. Rom. c. I. p. [illegible] Antiq. Roman. II. 6.*

Juno S[illegible]pita Lanuvii in primis colebatur, & quidem [illegible], ut scribit Liv. XXII. I. Ejus simulacrum [illegible] *cum pelle caprina, cum [illegible], cum [illegible], cum [illegible]*, ut scribit Cicer. de Nat. deor. I. 29. Festus: *S[illegible] Junonem, quam vulgo So[illegible] appellant, antiqui usurpabant, cum ea vox ex Græco videatur sumpta, quod est σώζειν.* Ejus meminerunt Liv. XXIII. 31. *Signa La[illegible] ad Junonis Sospitæ cruore manavere.* Sil. Ital. XIII. 364.

> *Lanuvio generate, inquit, quem Sospita Juno*
> *Dat nobis Milo.*

Gyrald. Synt. deor. III. p. 123. F. Broukh. in Prop. IV. 8. 16. Rosin. Antiq. Roman. II. 6. Ortel. Deor. & dear. cap. I. fig. 18. Cuper. Obs. II. 2. Ejus sacra a Numa Pompilio Rege primum Romæ instituta ritu Aboriginum antiquissimo, quo Lanuvii superstitiosissime colebatur. *Pigh. Annal. Rom. II. p. 48. & 152.* Sub initium regiminis consules illi sacrificabant. Cicer. pro Mur. c. 41. *Nolite a sacris patriis Junonis Sospitæ, cui omnes consules facere necesse est, domesticum, & suum consulem potissimum avellere.* Lipen. Hist. de Stren. c. 2. æt. I. §. 22. Gyrald. l. l. *Sispitam*, non *Sospitam* esse dicendam docent *Spanhem. de Præst. Num. II. p. 83. Cellarius in Silium. Struv. Ant. Rom. c. I. p. 88. Ortel. l. l.*

Juno Unxia accepit nomen, quod vetus Romanorum mos fuit, ut novæ nuptæ mariti domum intrantes postes ungerent. V. infr. in *Nuptæ.* Sagittar. de Jan. vet. c. 30. §. 19. Gyrald. Synt. deor. III. p. 121. D. Stuck. Ant. Conviv. II. 30. Laurent. Var. sacr. gentil. c. 7.

JUP.

JUPITER pingebatur specie virili, triocularis, sine auribus, sinistra sceptro, dextra fulmine armata, pedibus gigantes, quos domuit, calcans, aquila adstante, quæ ei sacra,

ſacra, & quæ juvenem Ganymedem forma inſignem futurum pocillatorem ex Ida ſubvexit. *Ortel. Deor. & dear. cap.* 1. *fig.* 2. Sedens ſuperne nudus, inferne tectus fingitur, ut docet Porphyr. apud Euſeb. de Præp. Euang. III. 3. Sedet, ut immotam poteſtatis ſuæ conſtantiam, & ſtabilitatem ſignificet; partes corporis ſuperiores nudas habet, quod ipſe intelligentibus, ac cœleſtibus mundi partibus ſe conſpicuum exhibeat: inferiores vero tectas, quod deus humi repentibus ſit ignotus, & in infimis rebus, penitusque reconditis, abſconditus obliteſcat: ſceptrum læva tenet poteſtatis indicium, vel etiam quod in eo latere cor cæterarum humani corporis facile princeps, vimque intelligendi maximam complexum inteſtinum velut in proprio domicilio conquieſcat: adeſt aquila, qua indicatur, eum ſpiritibus aereis imperare, ut aquila volucribus. *La Chauſſe de Inſign. Pont. max. tab.* XXIII. Dicebatur tum Κρονίδης, ſive Saturnius, tum Ætheris filius: ut legere eſt apud Clementem Alexandrinum Admonitione ad gentes, quia pro diverſa conſiderandi ratione unum idemque numen, nunc Saturnus, nunc Cœlus videtur. *Voſſ. de Idolol.* II. 37. *Allat. in Philon. Byzant. de mund. mirac. Ant. Græc. Gronov. Tom.* VIII. *p.* 2660. *D.* Natus fertur in Creta. Lucian. de Sacrif. Edit. Amſtel. Tom. I. p. 367. *Cretenſes Jovem affirmant apud ſe & natum, & educatum fuiſſe.* Lambec. in Kalend. Vet. Theſ. Ant. Rom. Græv. Tom. VIII. p. 107. A. a Corybantibus nutritus. Schol. Sophocl. in Ajac. *In Creta a Corybantibus nutritus fuit Jupiter.* Argol. in Panvin. de Lud. Circenſ. II. 2. Barba profunda illi tribuitur. Cicer. Nat. deor. I. 30. *Iſto namque modo dicere licebit Jovem ſemper barbatum, Apollinem ſemper imberbem.* Arnob. VI. p. 209. *Riciniatus Jupiter, atque barbatus.* Prudent. Περὶ ςεφ. X. 272.

Barbam rigentem dum Jovis circumplicat.

V. tamen infr. in *Jupiter Anxurus.* Ruben. Diſſert. de Gemm. Tiber. Theſ. Ant. Rom. Græv. Tom. XI. p. 1336. A. Salmaſ. Exerc. Plin. p. 721. D. Fuit mas & femina, V. infr. in *Sive deo. . . .* Fuit ſupremus, & maximus deorum, quod tum ex omnibus veterum ſcriptis, atque monumentis, tum ex verſibus Orphicis adductis ab Apul. de Mund. p. 753. quam maxime patet. *Struv. Antiq. Rom. c.* 1. §. 83. *Vaillant. Numiſm.* II. *p.* 26. Conſiliarii, quibus in maximis rebus agendis utebatur, erant dii conſentes. Qui quinam fuerint, V. ſupr. in *Dii Conſentes.* Martian. Cap. I. 15. *Tunc etiam ut inter alios ipſius collegæ Jovis, qui biſſeni cum eodem Tonante numerantur.* Auguſtin. de Civ. Dei IV. *Cum his conſultabat Jupiter, ſi tonare vellet aliquando.* Et tunc *conſiliaria fulmina* dicebantur. *Argol. in Panvin. de Lud. ſecul.* II. 2. V. ſupr. in *Fulmen.* Habebatur præcipue inter deos communes, ſive publicos. Unde & deorum, hominumque pater eſt appellatus. Quo facit illud Themiſt. ad Valent. de Pace: *Homerus*, inquit, *quoties Jovem nominat, non Græcorum tantum, Barbaris excluſis, patrem, ſed plenius, divum, hominumque parentem vocat.* Boxhorn. Quæſt. Rom. I. In celebritate Olympica ſecundo loco ſacrificia illi fiebant. Pauſan. Eliac. p. 313. *Sacra primum faciunt Veſtæ, deinde Jovi Olympio.* Spanhem. de Veſt. Theſ. Ant. Rom. Græv. Tom. V. p. 665. B. Villarum procuratores pro illarum incolumitate vota faciebant. Hoc indicat marmor in agro Brixienſi:

JOVI. OPT. MAX.
CONSERVATORI. POS
SESSIONUM. ROSCIOR
UM. PAUCUÆLIANI. N. COS
ET. BASSÆ. FILIORUMQUE
EORUM. EX. VOTO. L
ROSCIUS. EUBULUS. NUTRIT
ET. PROCURAT. CUM. ROSCIO
FIRMO. LIB. PROC. EOR

Tomaſ. de Donar. c. 26. Atro die non nominabatur. Macrob. Sat. I. 16. *Fabius Maximus Servilianus pontifex* XII. *negat oportere atro die parentare: quia tunc quoque Janum Jovemque præfari neceſſe eſt, quos nominari atro die non oportet.* Guther. de Jur. man. II. 12.

Jupiter Ægiuchus, Græce αἰγίοχος Ζεὺς, ἢ αἰγιοῦχος. Lactant. I. 21. *Ipſius Cretici Jovis ſacra, quid aliud, quam quomodo ſit, aut ſubtractus patri, aut nutritus, oſtendunt? Capella eſt Amalthea nymphæ, quæ uberibus ſuis aluit infantem.* Germanicus Cæſar in Aratæo carmine:

— *illa putatur*
Nutrix eſſe Jovis; ſi vere Jupiter infans
Ubera Cretææ mulſit fidiſſima capræ,
Sidere quæ claro gratum teſtatur alumnum.

Hujus capellæ corio uſum eſſe pro ſcuto Jovem, contra Titanas dimicantem Muſæus auctor eſt: unde a Poetis αἰγίοχος *nominatur.* Gyrald. Synt. deor. II. p. 90. F. Choul. Relig. vet. Rom. p. 45.

Jupiter Ammon a Romanis, & Græcis in primis ab arena deducitur: ἄμμος quippe arena vocatur. Plin. XII. 23. *Ergo Æthiopiæ ſubjecta Africa, ammoniaci lacrymam ſtillat in arenis ſuis, inde etiam nomine Ammonis oraculo, juxta quod gignitur arbor.* Cum afflatu ſcribit Feſtus: *Hammo cognominatus, quia in arena putatur inventus, quæ Græce hoc nomine* ἄμμος *appellatur: cui cornua affiguntur arietis, a genere pecoris, inter quod inventus eſt.* Ægyptii, qui certiora videntur dicere, affirmant: *Amûn* Jovis eſſe nomen. Plutarch. de Iſid. & Oſir. p. 354. C. *Porro cum plerique exiſtiment peculiare apud Ægyptios nomen eſſe Amûn, quod nos producto vocabulo Ammonem dicimus.* Arati interpres, ſive Baſſus, ſive Cæſar Germanicus, & Hygin. Aſtron. Poet. II. 20. ſcribunt, quod aries, qui aquam Libero patri monſtravit, cum exercitum ſiti deficientem per Africam duceret, immortalitati redditus, & in numero ſignorum cœleſtium collocatus fuerit. Et quod ob beneficium illud Liber illi magnificum templum exſtruxerit illo loco, in quo aqua reperta fuit, novem dierum itinere ab Alexandria diſtante, arenoſo, & ſerpentium pleno. *Gyrald. Synt. deor.* II. *p.* 106. *F. Choul. de Relig. vet. Roman. p.* 45. *Ouzel. in Minuc. Felic. p.* 195. *Vaillant Numiſm.* II. *p.* 114. *Voſſ. de Idolol.* I. 27: II. 11. *Fuller. Miſcell. Theol.* II. 4. *Peucer. de Divin. p.* 226. *Turneb. Adv.* XIV. 18. *Rhodig. Ant. Lect.* XVIII. 37. *Borremanſ. Var. Lect. c.* 19.

Jupiter Anxurus cognominatus eſt in Italia, in tractu Campaniæ, habitu pueri imberbis. Hujus eſt mentio apud Virg. Æneid. VII. 799.

Circæumque jugum, queis Jupiter Anxurus arvis
Præſidet.

Ubi Servius: *Circa hunc tractum Campaniæ colebatur puer Jupiter, qui Anxurus dicebatur, quaſi* ἄνευ ξυρᾶς, *id eſt, ſine novacula, quia barbam nondum raſiſſet.* In lapide vetuſto legitur: FORTUNÆ. PRIMIGENIÆ. JOVI. PUERO. EX. TESTAMENTO. *Jupiter nondum barbatus* dicitur Juven. Sat. VI. 15. Et in nummo gentis Vibiæ apud Fulvium Urſinum cernitur juvenis radiatus, ut videtur, in ſella ſedens, & haſtam tenens, cum inſcriptione: JOVIS. AXUR. C. VIBIUS. *Cuper. Harpocr. p.* 84. *Gyrald. Synt. deor.* II. *p.* 108. *A. Aleand. Tab. Heliac. Explic. Theſ. Ant. Rom. Græv. Tom.* V. *p.* 708. *A. Choul. Relig. Roman. p.* 54. *Ouzel. in Minuc. Felic. p.* 195. *Landus Explic. in Numiſm. Rom. Miſc. Ital. Miſc. Tom.* I. *p.* 433. *Ruben. de Gemm. Tiber. Theſ. Ant. Rom. Græv. Tom.* XI. *p.* 336. *B. Nonn. in Cæſar. Auguſt. Numiſm. p.* 94. *Ortel. Deor. & dear. cap.* 1. 4.

Jupiter Ἀπόμυιος, id eſt, muſcarius fugabat, & pellebat muſcas. Ferunt, cum Hercules in Olympia rem divinam faceret, & multitudine muſcarum infeſtaretur, *Jovi* Apomyio ſacrificaſſe: qua re illico ultra Alpheum fluvium muſcæ omnes facto agmine evolarunt. Et *Elei Myiagron deum invocabant, muſcarum multitudine peſtilentiam adferente: quæ protinus interibant, qua litabatur illi die.* Plin. X. 28. Pauſan. Eliac. I. p. 161. *Proditum eſt Herculem Alcmenæ filium, Jovi porricientem, cum muſcas abigere non poſſet, vel quod ei tunc primum in mentem venerit, vel quod tralatitium fuerit, Abactori muſcarum hoſtiam mactaſſe: cum perlitatum eſſet, omnes repente muſcas trans Alpheum evolaſſe. Inde ſervatum ab Eleis, ut ad abigendas ex Olympia*

muſcas

muſcas idem ſacrum uſurparetur. Gyrald. Synt. deor. II. p. 94. G. Selden. de Diis Syr. II. 6. Voſſ. de Idolol. IV. 99. Lomej. de Luſtrat. c. 12. Rhodig. Ant. Lect. XXII. 2.

Jupiter Arbitrator cognominatur, ex æquitate omnia ſtatuens, & penſitans. *Jovis Arbitratoris pentapylon* in reg. x. quæ Palatium, ſtatuit Victor. *Panciroll. Deſcr. Urb. Rom. Theſ. Ant. Rom. Græv. Tom.* III. *p.* 364. *A. Gyrald. Synt. deor.* II. *p.* 88. *F. Rhodig. Ant. Lect.* XXI. I. *Briſſon. de Form.* I. *p.* 49. *Roſin. Antiq. Roman.* II. 5.

Jupiter Capitolinus Romæ in Capitolio ſumma veneratione eſt cultus, & ſummo honore habitus. Plin. Paneg. c. 94. n. 1. *In fine orationis præſides, cuſtodesque imperii deos, ego conſul pro rebus humanis, ac te præcipue Capitoline Jupiter precor.* Inſcriptio vetus:

JOVI. CAPIT
MARTI. ET. FORTUNÆ
ALIISQ. DIS. CONSERVAT
DOMUS. AUG. . . .

Huic proprium erat cognomen *optimi maximi.* V. infr. in *Jupiter optimus.* Ouzel. in Minuc. p. 198. Gyrald. Synt. deor. II. p. 80. C. Tomaſ. de Donar. c. II. Rycq. de Capitol. c. 20. Roſin. Antiq. Roman. II. 5. Ornamenta ejus erant I. Fulmen aureum. Minuc. Fel. p. 198. *Jupiter cum Capitolinus dicitur, tunc gerit fulmina.* Liv. XXXII. I. *Cn. Flaminio, & Cn. Servilio coſſ. decemvirorum monitu decretum fuit, fulmen Jovi aureum quinquaginta pondo fieret.* II. Barba aurea. Suetonius de Cajo Jovem imitaturo c. 52. n. 2. *Aurea barba fulmen tenens.* Petron. Fragm. Tragur. p. 29. *Licet Jovem Olympum clames. . . aut ego me non novi, aut non deridebis, licet barbam auream habeas.* III. Sceptrum aureum, vel eboreum. Auguſtin. de Civit. Dei IV. 9. *Ipſum enim,* Jovem, *deorum omnium, dearumque Regem eſſe volunt. Hoc ejus indicat ſceptrum, hoc in alto colle Capitolium.* Ovid. Faſt. V. 45.

Aſſidet inde Jovi, Jovis eſt fidiſſima cuſtos,
Et præſtat ſine vi ſceptra tremenda Jovi.

Rycq. de Capitol. c. 19. *Vacca ſimul, & taurus auratis cornibus Jovi Capitolino immolabatur.* Serv. Æneid. IX. 627. Tacit. Hiſt. IV. 53. 4. *Tum Helvidius Priſcus prætor, luſtrata ſuovetaurilibus area, Jovem precatus.* Guther. de Vet. jur. pontif. III. 13. Ex qua materia factus fuerit. V. infr. in *Jupiter fictilis.*

Jupiter Carvilianus eſt dictus, *quem in Capitolio fecit Sp. Carvilius, victis Samnitibus ſacrata lege pugnantibus, e pectoralibus eorum, ocreisque & galeis. Amplitudo tanta eſt, ut conſpiciatur a Jove Latiario,* malo legere *Latiari. Reliquiis limæ ſuam ſtatuam fecit, quæ eſt ante pedes ſimulacri ejus.* Plin. XXXIV. 7. In hoc miror allucinatum fuiſſe Fabr. Sem. III. 4. eundem cum ſummo Capitolino exiſtimantem, quem Vitelliani milites, incenſo ejus templo, oppugnant apud Philoſtr. Apollon. V. cum ille non æneus, vel marmoreus, ſed eburneus, vel aureus veroſimiliter fuerit. Adhæc Capitolinus intra cellam ſuam poſitus ab aſtantibus, aut prope accedentibus, conſpici tantum potuit. Templi enim alæ, ſive latera omnem eminus aſpectum auferebant. Cum tamen Carvilianum ſignum Plinius ab amphitheatro commode conſpectum (ſi vulgatam lectionem ſequimur, quam ſequendam non puto) vel (uti nos correximus) e monte Albano videri potuiſſe annotaverit. *Rycq. de Capitol. c.* 25.

Jupiter Conſervator eſt cognominatus in numiſmatibus. In Domitiani priore facie ipſius effigies, in poſteriore Jovis imago ſtans, dextera duas ſagittas, vel potius duo fulmina, ſiniſtra haſtam habet erectam. Inſcriptio: JOVI CONSERVATORI. In altero quoque ejuſdem C. Val. Diocletiani, a tergo cujus idem erat Jupiter, dextra Victoriolam porrigens, ſiniſtra vero haſtam erectam habet. Inſcriptio: JOVI CONSERVATORI ORBIS. *Gyrald. Synt. deor.* II. *p.* 109. *C. Choul. de Relig. Rom. p.* 46. *Rycq. de Capitol. c.* 20. *Briſſon. de Formul.* I. *p.* 49. *Roſin. Antiq. Roman.* II. 5.

Jupiter Corniger appellatur. Ovid. Art. III. 789.

Sed neque Phœbei tripodes, nec corniger Ammon.

Claud. Honor. conſul. IV. 142.

— tibi corniger Ammon.

Et ita conſpicitur in nummo argenteo Cyrenæorum vetuſto, adducto a Villiomaro in loc. contr. Titii VIII. 24. In cujus altera parte *Jupiter* Ammon cornibus arietinis viſitur. Cornutus fingitur, vel, quia cornua ingentem vim ſolis denotant. Macrob. Sat. I. 21. *Ideo & Ammonem, quem deum ſolem occidentem Libyes exiſtimant, arietinis cornibus fingunt, quibus maxime id animal valet, ſicut radiis ſol.* vel, quia ſignificant potentiam Chami, & regni ejus, quod poſteri obtinuerunt: vel, quia *fatis ejus ſunt involuta reſponſa.* Nempe ex gentium opinione, licet certa quidem, & infallibilia eſſent oracula Ammonis: nihilominus verbis flexis, tortisque, inſtar arietinorum dei cornuum, conſtabant. Unde Lucan. Pharſal. IX. 514.

— ſed tortis cornibus Ammon.

Sil. Ital. Punic. IX. 298.

A patriis flexis per tempora cornibus Ammon.

Ouzel. in Minuc. Felic. p. 197. Berthald. de Ara c. 6. §. 2.

Jupiter Creſcens vocatur in nummo Valeriani, in quo exprimi curavit capram, quæ *Jovem* puerum dorſo veheret, cum tali inſcriptione, JOVI CRESCENTI. *Cuper. Harpocr. p.* 85. *Choul de Relig. Roman. c.* 46.

Jupiter Cuſtos appellatus eſt, & in primis cultus a Romanis. Apul. de Mund. p. 752. *Multi vocant Urbis cuſtodem.* Senec. Nat. Quæſt. II. 45. *Eundem, quem nos Jovem, intelligunt cuſtodem, rectoremque univerſi.* In numiſmatibus quibuſdam Neronis ſedet in ſolio, dextra fulmen habet, læva haſtam, cum hac inſcriptione, JUPITER CUSTOS. *Gyrald. Synt. deor.* II. *p.* 80. *A. Choul de Relig. Rom. p.* 53. *Landus in Numiſ. Miſc. Explic. Miſcell. Ital. Tom.* I. *p.* 418. *Rycq. de Capitol. c.* 39. *Briſſon. de Form.* I. *p.* 49. *Spanhem. in Callim. Hymn. in Jovem n.* 81. *Burman. Jov. Fulg. c.* 2.

Jupiter Dapalis eſt dictus, quia dape, non victima placaretur. Dapes proprie ſunt cibi, ſeu epulæ ſacræ, quæ divis offerebantur inſtar ſacrificii. Cato de Re ruſt. c. 133. *Dapem hoc modo fieri oportet. Jovi Dapali culignam vini, quantum vis, polluceto. Eo die feriæ bubus, & bubulcis, & qui dapem facient. Quum pollucere oportebit, ſic facies. Jupiter Dapalis, quod tibi fieri oportet in domo familia mea culignam vini dapi. . . Jupiter dapalis macte iſtace dape.* Gyrald. Synt. deor. II. p. 89. C. Barth. Adv. XXXV. 4. Turneb. Adv. XXIX. 31. Briſſon. de Form. I. p. 49. Roſin. Antiq. Roman. II. 5.

Jupiter Dictæus in Dictæi montis antro, qui eſt Cretæ, habitaſſe fertur & educatus. Serv. Æneid. III. 171. *Dictæus mons Cretæ eſt, dictus a Dicte nympha, quæ ibi colebatur, in quo monte dicitur alitus Jupiter, ut Georg.* IV. 152.

Dictæo cœli Regem pavere ſub antro.

Gyrald. Synt. deor. II. p. 90. A. Ouzel. in Minuc. Felic. p. 160.

Jupiter Dieſpiter diei pater. Varr. de Ling. Lat. IV. 10. *Dieſpiter dictus, id eſt, diei pater.* Macrob. Sat. I. 15. *Cretenſes Jovem* διὰ τὴν ἡμέραν *vocant; ipſi quoque Romani Dieſpitrem appellant, ut diei patrem.* Gyrald. Synt. deor. II. p. 86. F. Turneb. Adv. XXV. I. Roſin. Antiq. Roman. II. 5.

Jupiter Dolichenus Romanis dicitur Græcanico more. Vetus lapis apud Smetium ſic eſt inſcriptus: JOVI. O. M. DOLICHENO. *Jupiter* videtur id nominis adeptus παρὰ τὸ δόλιχον, quod interpretantur veteres Grammatici τὸ ἱππόδρομον, quod potiſſimum erat quatuor ſtadiorum. Unde a longitudine ipſa decurſionis δόλιχον appellatum. Δολιχὰ namque ſunt iis τὰ μακρὰ, τὰ πολλά. Ideo δολιχὸς πλόος apud Homerum, & in florilegio, δολιχοὶ κάματοι, δολιχαὶ ἐλπίδες. . . . Hinc Dolichenus *Jupiter*, vel quia ſollennis illi thenſarum pompa quotannis e Capitolio

tolio in circum duceretur; vel quod Latinarum feriis quadrigæ certarent in Capitolio. *Rycq. de Capitol. c. 20. Salmas. in Spartian. Adrian. c. 2. Spon. Misc. Erud. Antiq. Sect.* III. *p.* 80.

Jupiter Elicius est dictus ab eliciendo. Ovid. Fast. III. 327.

Eliciunt cœlo te Jupiter, unde minores
Nunc quoque te celebrant, Eliciumque vocant.

Plin. II. 53. *Elicium quoque Jovem accepimus.* Ridenda ex Antiat. Hist. II. legitur fabula, quo pacto artem *Jovis* eliciendi Numa edoctus fuerit. Illam lectione dignam fusius prodidit Arnob. v. p. 154. *Gyrald. Synt. deor.* II. *p.* 87. *E. Rhodig. Ant. Lect.* XVI. 14. *Barth. Adv.* IV, 12. *Buleng. de Terr. mot.* V. 14. *Pier. Valer. de Fulm. signif. Thes. Ant. Rom. Græv. Tom.* V. *p.* 599. *C. Lomej. de Lustrat. c.* 10. *Struv. Ant. Rom. c.* 1. *p.* 84. *c.* 4. *p.* 231. *Bergman. Jov. Fulg. c.* 9. *Faunus Antiq. Urb. Rom.* III. 2. *Rosin. Antiq. Roman.* II. 5.

Jupiter Fagutalis. V. illum supr. in *Fagutal.*

Jupiter Feretrius a Romanis est appellatus, & cultus. Unde fuerit dictus, incertum fuisse ostendit Prop. IV. II. 45.

Nunc spolia in templo tria condita, causa Feretri,
Omine quod certo dux ferit ante ducem.
Seu quia victa suis humeris hæc arma ferebant,
Hinc Feretri dicta est ara superba Jovis.

Festus dictum scribit a *ferendo, quod pacem ferre putaretur, ex cujus templo sumebant sceptrum, per quod jurarent, & lapidem silicem, quo fœdus ferirent.* Scaliger optime monuit dictum a feretro pompæ triumphalis. Val. Flacc. III. 143.

Has precor exuvias, & opima cadavera nostro
Linquite, ait, feretro.

Gyrald. Synt. deor. II. p. 82. D. Rycq. de Capitol. c. 39. Herald. in Minuc. Felic. p. 199. Struv. Ant. Rom. c. 1. p. 84. Marlian. Topogr. Urb. Rom. II. 2. Donat. de Urb. Rom. II. 10. Nicol. de Triumph. c. 5. §. 3. & 4. Rosin. Antiq. Roman. II. 5.

Jupiter fictilis in Capitolio stetit. Plin. XXXV. 12. *Turrianus a Fregellis accitus, cui locasset Tarquinius Priscus effigiem Jovis in Capitolio dedicandam. Fictilis is fuit: atque ideo miniari solitus.* Huc allusit Juven. Sat. XI. 115.

Hanc rebus Latiis curam præstare solebat
Fictilis, & nullo violatus Jupiter auro.

Dictus igitur in populo fictilis *Jupiter*, quemadmodum Hercules etiam Romæ materiarius, quia e materia, sive ligno ab eodem artifice olim compositus. Plin. l. l. *Ab hoc eodem factum Herculem, qui hodieque materiæ nomen in Urbe retinet.* Rycq. de Capitol. c. 18. Tomas. de Donar. c. 2. Donat. de Urb. Rom. I. 25. Nardin. Rom. Vet. V. 15. Eburneum tamen fuisse Capitolinum postea duplici suspicione permoveor ut credam. I. quod fictilia, & lignea deorum simulacra eburneis mutata affirmat Plin. l. l. II. ex loco isto Arnob. VI. p. 201. quo Olympium & Capitolinum *Joves* comparat mordaci, & satyrica quadam ratione: *O utinam*, inquit: *liceret in simulacri alicujus medias introire pendigines! imo, utinam liceret Olympiacos illos, & Capitolinos Joves deducere in sua membra resolutos! omnesque illas partes, quibus summa concluditur corporum, discretas, & singulas contueri?* Optat utrumque videre *in sua membra resolutum*, hoc est, in eburneas laminulas, quibus summa corporum compaginata est, videre comminutum. Trajanus e solido auro *Jovem* in Capitolio videtur posuisse. Eruere id videor ex Mart. XI. 5. 3.

Scriptus, forte *sculptus & æterno nunc primum Jupiter auro.*

Rycq. l. l. V. etiam infr. in *Statua Jovis.*

Jupiter Fidius. V. illum supr. in *Dius Fidius.*

Jupiter Fulgur videtur appellari apud Festum: *Prævorsum fulgur appellatur, quod ignoratur, noctu an interdiu sit factum. Itaque Jovi Fulguri, & Summano fit, quod diurna Jovis, nocturna Summani fulgura habentur:* Gyrald. Synt. deor. II. p. 81. D.

Jupiter Fulgurator a quibusdam ex nostris dictus est, ut Græcum vocabulum ἀστροπαῖος exprimerent, & ἀστεροπητὴς, quo & Poetæ, & Lucianus usus est in Timone. Est etiam vocatus στεροπηγερέτης Ζεὺς, quasi συναγείρων τὰς ἀστραπὰς, hoc est, *fulgura, & coruscationes congregans*, ut exponit Hesychius. *Gyrald. Synt. deor.* II. *p.* 81. *E. Crinit. de Honest. Discipl.* II. 5.

Jupiter Fulminans, aut Fulminator dictus est a Latinis, a fulminibus videlicet, quæ Capitolinus gestare manu solitus. Plin. II. 7. *Alii in ipso Capitolio fallunt, & fulminantem pejerant Jovem.* Apul. de Mund. p. 752. *Idem fulminator, fulgurator, & tonitrualis, ac serenator dicitur.* In volumine Smetiano antiquarum inscriptionum ara Tudertina est, cum titulo: ARA JOVIS FULGURATORIS. *Rycq. de Capitol. c.* 20. *Gyrald. Synt. deor.* II. *p.* 81. *B. Vaillant Numism.* II. *p.* 15. *Buleng. de Terr. mot. & fulm. c.* 6. *Crinit. de Honest. Discipl.* VIII. 12. Non semper fulmine fuit armatus, sed sumpsit primo, postquam gigantes regnum cœleste affectarunt. Ovid. Fast. III. 437.

Jupiter est juvenis, juveniles aspice vultus,
Aspice deinde manum: fulmina nulla tenet.
Fulmina post ausos cœlum affectare gigantes
Sumpta Jovi, primo tempore inermis erat.

Cuper. Harpocr. p. 99.

Jupiter Gamelius, sive nuptialis nuptiarum, & matrimonii curam habere putabatur. Hujus meminit & Chrysippus, & Hieron. in Jovinianum: *Ridicule*, inquit, *Chrysippus ducendam uxorem sapienti præcipit, ne Jovem Gamelium, & Genethlium violet: isto enim modo apud Latinos ducenda uxor erit, qui Jovem non habent nuptialem.* Gyrald. Synt. deor. II. p. 105. A. Rhodig. Ant. Lect. XXVIII. 23.

Jupiter Herceus est cognominatus, quod aræ ejus intus in septo ædium, præsertim optimarum erigerentur. Περίβολον enim, id est, circuitum, & septum ἑρκὸν vocant Græci. Harpocrat. *Si tribules ei, & aræ Jovis Hercæi, & Apollinis patrii sunt. Jupiter Herceus, cui aræ intra conseptum, seu aulam domus cujusque structæ erant.* Περίβολον *quippe* ἕρκος *vocabant.* De Herceo Jove Ovid. in Ibin n. 284.

Cui nihil Hercei profuit ara Jovis.

Lucan. IX. 979.

Herceas monstrator, ait, non respicis aras.

Gyrald. Synt. deor. II. p. 96. B. Turneb. Adv. XIV. 15: XVII. 6. Siccam. in Fast. Kalend. Rom. c. 4. Rhodig. Ant. Lect. XXI. 1.

Jupiter Hospitalis fuerit hospitii præses, & vindex, & in cujus tutela hospites esse credebantur. Sine dubio Græcorum auctoritate. Ait enim Homer. Odyss. Ξ.

Ab enim Jove sunt omnes hospites.

Cicer. Fratr. II. 11. *Non faciam, ut illum offendam, ne imploret fidem Jovis hospitalis.* pro Dejot. c. 6. *Si te palam interemisset, Jovis quidem illius hospitalis numen non unquam celare potuisset.* Eadem mente Virg. Æneid. I. 735.

Jupiter, hospitibus nam te dare jura loquuntur.
Hunc lætum Tyriisque diem, Trojaque profectis
Esse velis.

Huc pertinet Lycaonis fabula. qui cum hospitio susceptos hospites necaret, a suscepto *Jove*, postquam ei epulas humanas apposuisset, versus in lupum, exemplo suo ostendit hospitii jura non esse violanda. Ideoque hospes vocatur *Jupiter*, ejusque ara fuit venerationi apud Ovid. Met. V. 224.

Ante fores horum stabat Jovis hospitis ara.

Tomas. de Tesser. hospital. c. 6. Brisson. de Form. I. p. 48. Barth. Adv. XXXIII. 2. Bud. in Pandect. p. 254. A. Casal. de Urb. ac Imper. Roman. splend. part. 2. c. 20. Demster. ad Rosin. Antiq. Roman. II. 5. Bourdelot. in Heliodor. II. p. 48.

Jupiter Idæus est cognominatus vel ab Ida Phrygiæ, vel ab

ab Ida Cretæ monte, ubi *Jovis* incunabula, & ſepulcrum. Mart. IX. 35. 1.

Jupiter Idæi riſit mendacia buſti.

Callim. Hymn. in Jovem. n. 6.

Jupiter, Idæis genitum te in montibus ajunt.

Ubi, ut notant Scholia, de monte Cretæ ſermo eſt. *Gyrald. Synt. deor.* II. *p.* 90. *D.*

Jupiter Imperator apud Prænestinos celebrabatur, cujus ſimulacrum apud ipſos cum eſſet, Romam tranſlatum fuit, in Octava Urbis regione collocatum, ut Victor teſtis eſt. Liv. VI. 29. *T. Quintius ſemel acie victor, binis caſtris hoſtium, novem oppidis vi captis, Præneſte in deditionem accepto, Romam revertit: triumphansque ſignum Præneſte devectum Jovis Imperatoris in Capitolium tulit. Dedicatum eſt inter cellam Jovis ac Minervæ.* . . . Cicer. Verr. IV. 58. *Jovem Imperatorem quanto honore in ſuo templo fuiſſe arbitramini? colligere poteſtis.* Gyrald. Synt. deor. II. p. 79. E. Briſſon. de Form. I. p. 49. Struv. Ant. Rom. c. I. p. 84.

Jupiter Inventor cognominatus & cultus eſt a Romanis, cujus ara dicitur fuiſſe prope portam Tergeminam, ab Hercule instituta, inventis bobus. Dionyſ. I. p. 31. *In proximo Jovi Inventori aram Hercules poſuit, quæ Romæ eſt prope portam Tergeminam, & ob inventas boves deo juvenium unum mactat. Hæc ſacra etiam mea ætate Romani ritu mere Græco faciunt, quemadmodum ab illo ſunt inſtituta.* Gyrald. Synt. deor. II. p. 88. F. Briſſon. de Form. I. p. 49. Roſin. Antiq. Roman. II. 5.

Jupiter invictus. V. illum infr. in *Templum.*

Jupiter Καταιβάτης, id eſt, deſcenſor eſt cognominatus. Pauſan. Eliac. I. p. 162. *At Jovi Katæbatæ quæ dicata ara eſt, maceria undequaque ambitur, & modico a maxima ara cineritia intervallo diſtat.* Sunt qui ſic ideo appellatum tradunt, vel propter fulmina, vel quod e cœlo ſæpe deſcendiſſe putaretur ad amores potiendos. *Gyrald. Synt. deor.* II. *p.* 110. *E.* & integro volumine *Petrus Burmannus.*

Jupiter Lapis dictus eſt, ut nonnulli exiſtimant ab ipſo lapide *Jove* vocato, qui Saturno oblatus fuit ab Ope: nam & Euſeb. Chron. ait: *in Creta regnavit Lapis.* Inde *Jovem lapidem jurare* eſt ſanctiſſimum apud Romanos jusjurandum. Cicer. Fam. VII. 12. *Quomodo autem tibi placebit Jovem lapidem jurare, cum ſcias, Jovem iratum eſſe nemini poſſe.* Gell. I. 21. *Jovem lapidem, quod ſanctiſſimum jusjurandum eſt habitum, paratus ſum ego jurare.* Apul. de Deo Socrat. p. 673. *Nam & jusjurandum Jovisjurandum dicitur, ut ait Ennius. Quid igitur cenſes? jurabo per Jovem lapidem, Romano vetuſtiſſimo ritu?* Ritum deſcribit Polybius. V. illum ſupr. in *Fœdus.* Gyrald. Synt. deor. II. p. 84. F. Hanſen. de Jurejur. Vet. c. 21. Stuck. de Sacrif. p. 139. Rhodig. Ant. Lect. XXI. 15. Struv. Ant. Rom. c. 7. p. 317. Rycq. de Capitol. c. 19. Pius Annot. prior. c. 10. Turneb. Adv. XXX. 16. Pollet. For. Rom. IV. 14. Sigon. de Judic. I. 28. Caroli Antiq. Roman. I. 7. Putean. de Jurejur. Theſ. Antiq. Roman. Græv. Tom. V. p. 859. E. Cujac. Obſerv. I. 21. Rævard. Var. V. 5. Roſin. Antiq. Romann. II. 5. Laurent. de Rebuſpubl. c. 4. Putat nonnemo, veteres *Jovem lapidem* appellaſſe, quod olim ejus fuerit *lapideum* ſimulacrum: atque ita *Jovem* velut teſtem juramenti manu ſua veneratos eſſe. *Thyſius in Gellium.*

Jupiter Latialis dictus fuit, quia in Albano monte, qui etiam Latialis appellabatur, cultus eſt. Huic curæ erant feriæ Latinæ. V. illas ſupr. in *Feriæ.* Ideo ſuſpicabar *Latiali Jove* legendum eſſe apud Plinium laudatum ſupr. in *Jupiter Carvilianus*, qui inter portentoſæ horrendæque magnitudinis ſimulacra *Jovem* illum nominat, ut ſcilicet e monte Albano, in quo hujus ædes celebrata eſt, videri potuerit, cum non fuerit res adeo magna, aut annotatione digna, ab amphitheatro Flavio, quod eſt in capite viæ ſacræ, & in quo ſacellum Latiarii, ſanguinarii hujus *Jovis*, coloſſum Capitolinum, turri parem, conſpicuum fuiſſe? *Rycq. de Capitol. c.* 25. *Roſin. Antiq. Roman.* II. 5. V. tamen *Nardin. Rom. Vet.* IV. 6.

Jupiter Latiaris, ſive Latiarius dicitur Feſto in Oſcillum: *Latinus Rex prælio, quod ei fuit adverſus Mezentium Cæritum Regem, nuſquam apparuit, & judicatus eſt Jupiter Latiaris.* Huic curæ erant ludi gladiatorii. Prud. in. adv. Symm. I. 396.

Funditur humanus Latiari in munere ſanguis,
Conſeſſusque ille ſpectantûm ſolvit ad aram
Plutonis fera vota ſui.

Plutonem enim quidam hunc eſſe exiſtimarunt, quamvis Latinum Regem Feſtus. Et inde humano ſanguine colebatur. Minuc. Fel. p. 198. *Jupiter veſter, cum Latiaris dicitur, cruore perfunditur.* Cujus? hominis ad beſtias damnati. Eo enim ſpectant verba Tertull. Apolog. c. 9. *Ecce in illa urbe religioſiſſima Æneadarum eſt Jupiter quidam, quem ludis ſuis humano proluunt ſanguine, ſed beſtiarii, inquitis. Hoc opinor minus quam hominis. An hoc turpius, quod mali hominis? Certe tamen de homicidio funditur.* Rycq. de Capitol. c. 25. Gyrald. Synt. deor. II. p. 83. B. Oiſel. in Minucium. Struv. Ant. Rom. c. 10. p. 459. Buleng. de Venat. circi c. 7. Tomaſ. de Donar. c. 40. Pigh. Annal. Rom. I. p. 52.

Jupiter Lucetius. De illo Serv. Æneid. IX. 570. *Lucetius*, inquit, *lingua Oſca Jupiter dictus a luce, quam præſtare hominibus dicitur: ipſe enim eſt noſtra lingua Dieſpiter.* Gell. V. 12. *Lucetius dictus Jupiter, quod nos die & luce, quaſi vita ipſa afficeret, & juvaret.* Gyrald. Synt. deor. II. p. 87. A. Turneb. Adv. XXV. 1. Gutberl. de Saliis p. 140. Roſin. Antiq. Roman. II. 5.

Jupiter Majus a Tuſculanis eſt cultus. Macrob. Sat. I. 12. *Apud Tuſculanos quoque vocatur deus Majus, qui eſt Jupiter.* Gyrald. Synt. deor. II. p. 88. F. Stuck. de Sacrif. p. 26.

Jupiter Minianus eſt dictus Cicer. Fam. IX. 16. *Volo videre animum, qui mihi audeat iſta, quæ ſcribis, apponere, aut etiam polypum Miniani Jovis ſimilem.* Obtinebat enim mos, ut *Jupiter* fictilis miniaretur. Patet hoc ex Plinio laudato ſupr. in *Jupiter fictilis.* Apud illum enim ex veteri lectione Aldina lego: *atque ideo miniari ſolitus.* Nec minus clara ſunt, quæ idem affert ex Verrio XXXIII. 7. *Enumerat auctores Verrius, quibus credere ſit neceſſe, Jovis ipſius ſimulacri faciem diebus feſtis minio illini ſolitam, triumphantiumque corpora: ſic Camillum triumphaſſe. Hac religione etiam nunc addi in unguenta cœnæ triumphalis, & a cenſoribus inprimis Jovem miniandum locari.* Rycq. de Capitol. c. 18. Borremanſ. Var. Lect. c. 4. Hanſen. de Jurejur. vet. c. 21. Brod. Miſc. III. 13. Guther. de Jur. man. I. 4. Balduin. de Calc. antiq. c. 14.

Jupiter Olympius, ut Stephanus ſcribit, celebrabatur in Olympia, quæ prius dicebatur Piſa: unde & Piſæus dicebatur. Fuerunt, qui a monte dictum putaverunt. Diodor. IV. p. 144. C. eum cognominatum prodit ab Olympo præfecto, qui *Jovem* erudivit. Hinc & Latini Olympum aliquando pro *Jove* ceperunt. Virg. Æneid. IX. 1.

Panditur interea domus omnipatentis Olympi.

Et Nævius, a quo deſumpſit Virgilius:

Panditur interea domus altitonantis Olympi.

Gyrald. Synt. deor. II. p. 93. A. Rhodig. Ant. Lect. XX. 13. In conviviis primum poculum, ſeu primus crater *Jovi* Olympio, & deis Olympiis, ut Pollux VI. 2. ſcribit, libabatur. *Buleng. de Conviv.* III. 15. *Gyrald. l. l.*

Jupiter Opitulus, & Opitulator eſt *dictus, quaſi opis lator.* Feſtus. *Gyrald. Synt. deor.* II. *p.* 89. *B. Briſſon. de Form.* I. *p.* 49.

Jupiter Optimus Maximus eſt cognominatus, quod velit, & poſſit omnibus prodeſſe; & optimus quidem, antequam maximus: quia majus eſt certe, gratiusque prodeſſe, quam magnas opes habere. Cicer. Dom. c. 57. *Quocirca te Capitoline, quem propter beneficia populus Romanus Optimum, propter vim Maximum nominavit.* Fin. III. 20. *Jovem cum Optimum, & Maximum dicimus, hoc intelligi volumus, ſalutem hominum in ejus eſſe tutela.* Lactant. I. 10. *Quid omnium horum pater Jupiter, qui in ſollenni precatione*

Optimus Maximus nominatur. Gyrald. Synt. deor. II. p. 79. B. Rycq. de Capitol. c. 20. Ouzel. in Minuc. Felic. p. 199. Vaillant de Numism. I. p. 156. Marlian. Topogr. Urb. Rom. II. 4. Caroli Antiq. Roman. I. I. Pitisc. in Suet. Jul. c. 79. n. 2.

Jupiter Paganicus dictus est, quia forte paganicis feriis venerandus. Vetustum marmor Assisii, quod oppidum est in Umbria: JOVI. PAGANICO. SACRUM. EX. INDULGENTIA. DOMINORUM. SUCCESSUS. PUBLICUS. MUNICIPUM. ASISINATIUM. SER. AMOENIANUS. ÆDEM. CUM. PORTICIBUS. A. SOLO. SUA. PEC. FECIT. *Gyrald. Synt. deor.* II. *p.* 117. *D. Ursat. de Not. Rom. Thes. Antiq. Roman. Græv. Tom.* XI. *p.* 785. *B. Brisson. de Form.* I. *p.* 48.

Jupiter in primis *Pater* est dictus, ob eam, quam erga omnia creata & condita benevolentiam, ac omnium rerum providentiam habere existimabatur, ut ait Diodor. V. p. 234. C. Varr. de Ling. Lat. IV. 10. *Jupiter mortales, atque arbores, herbasque omnes juvat. Eundemque appellans dicit Ennius: Divûmque hominumque pater rex. Pater vero, quod patefaciat omnia, & ipsum semen.* Val. Soranus apud August. de Civit. Dei VII. 9.

Jupiter omnipotens rerum, regumque, deûmque
Progenitor, genitrixque deûm, deus unus, & omnes.

Etiam a Græcis vocatus est *πατὴρ ἀνδρῶν τε θεῶν τε, γενήτωρ, πατρῷος*. Sed & ideo Pappum, & Pappæum appellatum legimus. *Gyrald. Synt. deor.* II. *p.* 78. *C.*

Jupiter Pistor est a Romanis cultus. Lactant. I. 20. *Quo tempore* Galli Capitolium obsidebant, *Jovi Pistori ara posita fuit, quod Romanos deus in quiete monuisset, ut ex omni frumento quod haberent, panem facerent, & in hostium castra jactarent; eoque facto, soluta est obsidio, desperantibus Gallis, inopia subigi posse Romanos.* De *Jove* Pistore sunt versus Ovid. Fast. VI. 349.

Nomine quam pretio celebratior arce Tonantis
Discant Pistoris quid velit ara Jovis.

n. 393.

Posse fame vinci spes excidit, hoste repulso,
Candida Pistori ponitur ara Jovi.

Gyrald. Synt. deor. II. p. 84. D. Struv. Ant. Rom. c. I. p. 84. Brisson. de Form. I. p. 49. Rosin. Antiq. Roman. II. 5.

Jupiter Pluvius etiam a Romanis cultus est. Tibull. I. 8. 26.

Arida nec pluvio supplicat herba Jovi.

Ausonius:

Annua sulcatæ conjecta & semina terræ
Pascit hyems; pluvio de Jove cuncta madent.

Græci quoque Ὄμβριον, & Ὑέτιον venerati sunt. *In Hymetto monte Atticæ Pluvii Jovis ara fuit.* Pausan. Attic. p. 31. *Gyrald. Synt. deor.* II. *p.* 87. *C. Lambec. in Kalend Roman. Tr. c. Ant. Rom. Græv. Tom.* VIII. *p.* 112. *D. Rhodig. Ant. Lect.* XXVII. 6. *Pius Annot. post. c.* 117. *Brod. Misc.* II. 21. *Barth. Adv.* XLI. 21. *in Papin. Theb.* IV. 758. *Kipping. Ant. Rom.* I. I. §. 22. *Auctar. in Pappum p.* 108. *Aleand. Tab. H. ac. Expl. Thes. Ant. Rom. Græv. Tom.* V. *p.* 756. *D. Parrh. in Prajat. de Rapt. Proserp.* II. 43. *Broukh. in Tibullum. Gatak. in M. Antonin.* V. §. 7. Athenienses, ut quondam Romani nimia siccitate & pluvia agris, campisque laborantibus, ambarvalia faciebant, & circum arva, camposque supplicationes obibant, *Jovem* invocantes, quem ob id Hyetium, hoc est, pluvium nuncupabant, circumeundo exorta voce clamitantes: plue, plue o Jupiter in aridos Atheniensium agros: ut videlicet aridam eorum regionem madefaceret. Formulam hanc prodidit M. Antonin. de Reb. gest. V. §. 7. *Loens. Miscell.* IX. 10.

Jupiter Pompejanus in campo minore colossus *Jovis* fuit, a Claudio Imperatore ad theatrum Pompeji erectus. Plin. XXXIV. 7. *Talis in campo Martio Jupiter a Claudio Cæsare dicatus, qui vocatur Pompejanus a vicinitate theatri.* Ejus etiam Rufus & Victor meminerunt. *Nardin. Rom. vet.* VI. 8. *Rosin. Antiq. Roman.* II. 5.

Jupiter prædator est cognominatus, quod ei e præda aliquid deberetur. Serv. Æneid. III. 223. *Romanis moris fuit, ut bella gesturi de parte prædæ aliquid numinibus pollicerentur: adeo ut Romæ fuerit unum templum Jovis prædatoris, non quod prædæ præest, sed quod ei aliquid ex præda debeatur.* Gyrald. Synt. deor. II. p. 88. G. Brisson. de Form. I. p. 49. Toll. in Appian. Punic. p. 41. Rosin. Antiq. Roman. II. 5.

Jupiter prodigialis fuit dictus, quia portentis averruncandis mola salsa illi facerent. Plaut. Amph. II. 2. 107.

Sed mulier, postquam experrecta es, prodigiali Jovi
Aut mola salsa hodie, aut thure comprecatam oportuit.

Buleng. de Omin. c. I. Turneb. Adv. VII. 15. Gyrald. Synt. deor. II. p. 88. B. Gruter. in Plautum.

Jupiter propugnator dicitur in lapide antiquo, in quo mentio ÆDIS JOVIS PROPUGNATORIS. Idem restituendum haud dubie in fragmento inscriptionis, quæ exstat Vesunæ Petrocoriorum; JOVI PR. . . . PAC. Et ita pro *propagator* malim legere apud Apul. de Mund. p. 753. *Boxhorn. Quæst. Rom.* I. *Brisson. de Form.* I. *p.* 49. *Choul. Relig. vet. Roman. p.* 52. *Rosin. Antiq. Roman.* II. 5.

Jupiter redux dictus est, quia qui re bene gesta ex bello redierunt, arma ei dedicabant. Laodamia Protesilao ita scribit apud Ovid. Heroid. XIII. 49.

Dî, precor, a nobis omen removete sinistrum:
Et sua det reduci vir meus arma Jovi.

Tomas. de Donar. c. 21.

Jupiter Romanus dictus est a Roma urbium principe, & Romana arce, quemadmodum ab aliis Italiæ civitatibus Hercules Tiburtinus, Juno Vejentana, Fortuna Antias & Prænestina, Pallas Surrentina, Apollo Cumanus. Liv. VIII. 6. *Cum & coss. crebro deos implorantes, testes fœderum, & patrum indignationem, & numina Jovis Romani sperneret Annius.* Rycq. de Capitol. c. 20.

Jupiter Sabazius, sive Sabatius occurrit in inscriptionibus. Romæ in horto D. Petri Montorii:

JOVI. OPTIMO. MAXIMO
SABATIO
C. CÆTRONIUS. OCCI
US. VALERIANUS. MIL
SEMPLAR. ARMATURÆ
V. S. L. M.

Et in antiquis scriptoribus. Val. Max. I. 3. §. 2. *Idem, qui Sabazii Jovis cultu simulato mores Romanos inficere conati sunt, domos suas repetere coegit.* Firmic. de Error. prof. relig. *Sabazium colentes Jovem, anguem, cum initiantur, per sinum ducunt.* Frequentissimum fuit cognomen Bacchi, teste Hesychio. Et forte a Baccho ad *Jovem* translatum, eo quod *Jupiter* Bacchi parens censeretur. Diodor. III. p. 148. C. V. illum supr. in *Bacchus*. Irrepsit vox illa ex Sabœ, bacchantium Thraciæ barbaro clamore. V. supr. in *Bacchus*. *Spon. Misc. Erud. Ant. sect.* 3. *p.* 78. *Ruben. Dissert. de numm. Asia recepta Thes. Ant. Rom. Græv. Tom.* XI. *p.* 1374. *B. Lampe de Cymbal. vet.* III. 10. *Gyrald. Synt. deor.* VIII. *p.* 277. *G. Voss. de Idolol.* II. 14. *Reines. Inscr. Class.* I. *n.* 256. *Camerar. Ύπομ.* IV. 6. *Jun. Anim.* IV. 1. *Demster. Paralip. ad Rosin. Antiq. Roman.* II. 5. Ego apud Prob. de Not. antiq. pro *Jovi Sabatio* lego *Jovi Stratio*, qui tanquam Imperator exercitus, vel militaris apud veteres colebatur. *Ernst. ad Probum c.* 9. *& Ursat. de Not. Roman. Thes. Græv. ibid. p.* 785. *F.*

Jupiter Stator dictus est a stando, quod ipse stet, erectus nimirum ad opem ferendam, ut vult Hieronymus: vel quod stare fecerit Romuli exercitum ad fugam inclinatum. Liv. I. 12. Dionys. II. p. 114. V. illos infr. in *Templum Jovis Statoris*. vel quod ejus beneficio omnia stent. Senec. de Benef. IV. 7. *Jovem statorem recte dices: qui non (ut historici tradiderunt) ex eo quod post votum susceptum acies Romanorum fugientium stetit, sed quod stant ejus beneficio omnia, stator, stabilitorque est.* In nummis Antonini Pii & Gordiani a tergo imago stans nuda, & dextra hasta nixa, sinistra fulmen tenet cum hac inscriptione:

JOVI

JOVI STATORI. *Panciroll. Descr. Urb. Rom. Thes. Ant. Rom. Græv. Tom.* III. *p.* 339. *A. Tomas. de Donar. c.* 3. *Gyrald. Synt. deor.* II. *p.* 83. *G. Struv. Ant. Rom. c.* 1. *p.* 84. *Choul. Relig. vet. Roman. p.* 52. *Hospin. de Orig. Fest. p.* 187. *Brisson. de Form.* I. *p.* 48. *Rosin. Antiq. Roman.* II. 5.

Jupiter Tarpejus etiam dictus fuit Capitolinus, quia *ante Tarpejus fuit dictus a virgine Vestali Tarpeja, quæ ibi a Sabinis necata armis & sepulta*, ut Varr. de Ling. Lat. IV. 7. Hinc Prop. IV. I. 7.

Tarpejusque pater nuda de rupe tonabat.

Ovid. Fast. VI. 34.

Junctaque Tarpejo sunt mea templa Jovi.

Gyrald. Synt. deor. II. p. 80. F.

Jupiter Tonans ab auguribus primum appellabatur, & fulgens. Cicer. de Nat. deor. II. 25. *Hunc etiam augures nostri; cum dicunt, Jove fulgente, tonante: dicunt enim, cælo fulgente, tonante.* Tonantem *Jovem* Augustus Cæsar post Cantabricum bellum in Capitolium constituit; unde & Capitolinus Tonans aliquando vocatus est, qui tamen alius est a Capitolino. Distinguit certe Suet. Aug. c. 91. n. 4. *Cum dedicatam in Capitolio ædem Tonanti Jovi assidue frequentaret, somniavit queri Capitolinum Jovem cultores sibi abduci: seque respondisse, Tonantem pro janitore ei appositum.* Gyrald. Synt. deor. II. p. 81. F. Rosin. Antiq. Roman. II. 5.

Jupiter Tragœdus fuit dictus. Romæ vicus tragœdus fuit, quod in eo tragœdi, sive histriones habitarent. In illo *Jupiter* dedicatus stetit. Suet. Aug. c. 57. n. 4. *Ex qua summa pretiosissima deorum simulacra mercatus, vicatim dedicabat, ut Jovem Tragœdum.* Commentat. in Suetonium.

Jupiter Victor est cognominatus, quod omnia vincere putaretur. Liv. X. 42. *Papirius in ipso discrimine, quo templa diis immortalibus voveri mos erat, voverat Jovi victori, si legiones hostium fudisset, pocillum mulsi, priusquam temetum biberet, sese facturum.* Romani illi diem festum celebrarunt Idibus Aprilis. Ovid. Fast. IV. 621. V. illum infr. in *Templum.* Græci etiam Nicæum vocavere, nescio an a Victoria, id est, *νίκης* dictum: an a loco. Meminit ejus Liv. XLIII. 21. *Alio Rex Perses profectus, altero die ad templum Jovis, quem Nicæum vocant, posuit castra.* Gyrald. Synt. deor. II. p. 79. C. Brisson. de Form. I. p. 48. Rosin. Antiq. Roman. II. 5.

Jupiter vimineus. Ejus aræ erant, ubi vimina multa nata essent. Varr. de Ling. Lat. IV. 8. *Collis viminalis a Jove vimineo, quod ibi aræ sunt ejus, aut quod ibi vimineta fuerunt.* Festus. V. illum infr. in *Porta.* Gyrald. Synt. deor. II. p. 88. C. Brisson. de Form. I. p. 48. Dacer. in Festum. Rosin. Antiq. Roman. II. 5.

Jupiter ultor sceleratorum impia facta ulciscebatur. Plin. XXXVI. 15. *Pantheon Jovi ultori ab Agrippa factum.* Exhibet hunc Gordiani nummus argenteus cum inscriptione: JOVI ULTORI. *Gyrald. Synt. deor.* II. *p.* 89. *E. Choul. Relig. vet. Roman. p.* 52. *Rosin. Antiq. Roman.* II. 5.

JUR.

JURAMENTUM vix est, ut Latine dici possit, quamvis hoc vocabulo Seneca & Ulpianus usi fuerint. *Trellier. de Jurejur. c.* 1. Non usus est illo Seneca de Clem. II. 1. Apud illum enim non est legendum: *In cujus verba Principes Regesque juramentum faciant*: sed *In cujus verba Principes Regesque jurent*, ut ad illum recte contendunt Muretus, Lipsius, Gronovius, Cellar. Antibarb. p. 62. Vorst. de Latin. merit. susp. c. 22. Nec Ulpianus ipse l. 34. §. 5. ff. de Jurejurando, ubi exstant hæc verba: *Si de qualitate juramenti fuerit inter partes dubitatum.* Nam vox *juramenti* Ulpiani verbis purioribus ex suæ ætatis consuetudine a Triboniano est inserta. *Cellar. Antibarb. l. l.* Unde vocabulum plane barbarum pronuntiat *Sciopp. de Styl. histor. p.* 155. De Ulpiano tamen non dubitat Vorstius. Et ego contrarium statuo, quia inveni sub argenteæ ætatis initium apud Asconium Pædianum in Cicer. p. 128. *Eaque pactio ab utroque juramento firmata est.* Ejusque sub finem apud Soranum Isagog: in Artem medicam, qui vixit Trajani & Adriani temporibus, si hæc, quod vult Cellarius, ad Antoninos extenditur. Apud hunc, ut testatur Johannes Rhodius ad Scrib. Larg. p. 22. legitur c. 2. *Per sacramentum juramenti.* & c. 3. *Memor sit juramenti Hippocratis.* Quos secuti sunt Ammian. XXI. 9: XXIV. 2. Sulpic. Sev. Hist. I. 8. Hieron. in Paral. I. 4. 4. Licet illos illo priores fuisse usos putet Cellar. l. l. *Pitisc. Lex. Latino-Belgico.* Dicitur etiam voce simplici *jurandum.* Plaut. Cist. II. I. 26.

Abi quærere, ubi jurando tuo sat sit subsidii.

Terent. Andr. IV. 3. 13.

Quia si forte opus sit ad herum jurandum mihi
Non apposuisse.

Ubi Donatus: *Sic locutus est, ut explicari, atque intelligi non possit: aut enim deest jus, ut sit jurandum pro jusjurandum: aut, ut vulgo dicitur, juramentum.* Hansen. de Jurejur. vet. c. 6. Popm. de Usu ant. locut. I. 7. Vorst. l. l. Composita *jusjurandum.* Cic. Fam. V. 2. *Magna voce juravi verissimum pulcerrimumque jusjurandum.* Offic. III. 31. *Nullum vinculum ad stringendam fidem jurejurando majores arctius esse voluerunt.* Et duabus divisis, quasi *Jovis jurandum* Ennius apud Cicer. Offic. III. 29.

O fides alma, apta pennis, jurandum Jovis.

Nævius:

Jus sacratum, Jovis jurandum sagmine.

Hansen. l. l. Satis commode definitur Cicer. l. l. *Jusjurandum est affirmatio religiosa.* Ubi affirmatio non simpliciter pro eo, quod negationi opponitur; sed generaliter pro omni asseveratione, seu assertione rei alicujus, sive affirmativa sit, sive negativa, quod Græci *ἀπόφανσιν* dicunt: nam & negative *jurari* aliquando infinitis exemplis probari potest. Et religiosa dicitur. Cum enim religio sit erga Deum, *jurari* autem nisi per Deum non possit, palam est eam demum affirmationem jurandi appellatione censeri, quæ religiosa est. *Trellier. & Hansen. l. l.* Hoc prius quam dignaremur mortalium usu, & sede, abierat fides, conventorum, dictorumque constantia, nusquam quid firmum humanis mentibus, aut verbis. Hinc Menander: *Ætate nostra fides omnis confunditur.* Opus erat Deo teste, vindice, ut quod nequitia violarat mortalium, summa immortalium auctoritas cohiberet. Hæc *jurisjurandi* origo, hæc cunabula, etsi pudenda. Numa Pompilius primus *ea pietate Romanorum pectora imbuerat: ut fides, ac jusjurandum, propulso legum, ac pœnarum metu civitatem regerent.* Liv. I. 21. *Hansen. ibid. c.* 1. Apud juris auctores solet adjungi his fere verbis: do, defero, refero, remitto, suscipio, exigo. Datum dicitur, cum *juratum* est, l. non erit §. dato, & l. nam postea ff. hoc tit. sunt enim hæc tria synonyma, præstitum, datum, interpositum. Deferre quid sit, neminem esse reor, qui non intelligat. Referre dicitur, qui cum ei delatum est, ait se non teneri *jurare*, sed ipsum, qui detulit. Suscipere dicitur, qui *jurare* paratus est. Remittere, qui *jurisjurandi*, quod semel detulit, gratiam fecit l. remittit l. Labeo ff. hoc tit. Exigere idem esse puto, quod deferre, vel petere l. quoties l. in duobus §. exceptio l. jusjurandum & ad pecunias §. ait prætor ff. eod. *Trellier ibid. c.* 2. Gratia *jurisjurandi* solet aut ad delatum, & susceptum, aut ad præstitum referri. Qui *jusjurandum* remittit, gratiam *jurisjurandi* facere dicitur l. 6. de jurejur. Qui præstiti religione aliquem liberat, is etiam *jurisjurandi* gratiam facit l. 38. ad municipal. Remittens *jusjurandum* non aliter gratiam facere intelligitur, quam si deferente se adversarius jurare paratus suscipiat *jusjurandum* d. l. 6. Eaque res efficit, ut hujusmodi gratia nec absenti, multoque minus ignoranti fieri possit. Nam quomodo ab ignorante suscipi *jusjurandum*, aut quomodo ignorans esse paratus actore deferente ad *jurandum* potest? Et idcirco nequaquam videri ambiguum debet, quin pessime de *jurisjurandi* delati remissione Pomponium acceperint interpre-

tes, Labeonis sententiam ad hunc modum referentem l. 41. de jurejur. *Labeo etiam absenti, & ignoranti jurisjurandi gratiam fieri posse respondit: sed & per epistolam gratia jurisjurandi fieri potest.* Proinde non delati, susceptique, sed præstiti *jurisjurandi* absenti, & ignoranti gratiam fieri potuisse verisimilius est, idque sibi Pomponium, & Labeonem voluisse. Dici non potest, quam id ipsum Plauti auctoritate confirmetur. Postquam enim *jurejurando* per Veneris aram conceptis verbis præstito talentum argenti magnum Gripo promisisset Labrax leno, hanc summam Dæmones lenoni a servo suo piscatore Gripo remitti volens, his verbis usus est Rud. v. 3. 57.

> DÆ. *Res soluta est Gripe, ego habeo.* GR. *At ego me mavolo.*
> DÆ. *Nihil hercle hic tibi est, ne tu speres, jurisjurandi volo*
> *Gratiam facias.*

Sic *jurisjurandi* gratiam visus est etiam accepisse Suet. Tib. c. 35. n. 2. *Equiti Romano jurisjurandi gratiam fecit, ut uxorem in stupro generi compertam dimitteret, quam se nunquam repudiaturum ante juraverat.* Ræyard. Var. v. 2. E-dicto ad illud vocabantur. Cæs. de Bell. civ. III. 102. *Erat edictum Pompeji nomine Amphipoli propositum, uti omnes ejus provinciæ juniores, & Græci, cives [illegible] jurandi causa convenirent.* Femori manu subjecta proponitur apud Cedren. p. 31. ubi Jacobi morituri cum Josepho actio declaratur: *Jacobus, ut finem vitæ suæ advenisse intellexisset ad se evocatum femori suo, ut moris erat, manum subjicere jussit, juramentoque obstrinxit.* . . . . . Affine illud Liv. VIII. 9. *Pontifex eum togam prætextam sumere jussit, & velato capite manu subter togam ad mentum exerta, super telum subjectum pedibus stantem sic dicere.* Hansen. ibid. c. 19. Manum levare rem adeo veterem non esse existimo, sed ritum hujus ævi, licet supplicum, & adorantium, imo mancipum, quid a populo ementium, aut conducentium ritus fuerit. Vir quidem doctus in observationibus suis, ubi Aristotelem Polit. IV. hujus meminisse dicit, pæne suasisset. Sed μνημονικὸν σφάλμα est, nec in toto Politicorum opere quicquam istiusmodi. *Hansen. ibid. c. 13.* Ejus formulas singulas V. suis locis. Romanis magna religione & observantia semper fuit. Gell. VII. 18. *Jusjurandum apud Romanos inviolate, sancteque habitum, servatumque id & moribus, legibusque multis ostenditur. Id indicant*, ut inquit Cicer. Offic. III. 31. *leges in XII. tabulis, indicant sacra, indicant fœdera, quibus etiam cum hoste devincitur fides: indicant notiones, animadversionesque censorum, qui nulla de re diligentius, quam de jurejurando judicabant.* Imperatores Arcadius & Honorius tanti *jusjurandum* æstimaverunt, ut cum pleraque acta a tyrannis aboleri voluerint, tamen, quæ fuerant *jurejurando* decisa, aut, ut ipsi loquuntur, *sacramento terminata*, rata ut essent, edixerint l. 9. C. de infirm. his quæ sub. . . . . Unde, in quem nescio, jure inclamat Sallust. Hist. I. *Ut te neque hominum, neque deorum pudet, quos perjurio, & perfidia violasti.* Ex hac religione factum, ut ad aras jurarent, & inter jurandum tangerent. Plaut. Rud. v. 2. 26.

> —— GR. *Tange aram hanc Veneris.* LA. *Tango.*
> GR. *Per Venerem hanc jurandum est tibi.*

n. 49.

> GR. *Tene aram hanc.* LA. *Teneo.* GR. *Dejura, te mihi argentum daturum.*

Cicer. pro Flacc. c. 36. *Is, si aram tenens juraret, crederet nemo.* Idem in Græcia servatum. Justin. XXIV. 2. 8. *Ptolemaus [illegible] manibus altaribus contingens ipsa simulacra, & pulvinaria deorum, inauditis, ultimisque exsecrationibus adjurat.* Hansen. ibid. c. 2. Brisson. de Form. VIII. p. 712. Caroli Antiq. Roman. I. 7.

Juramentum Aphrodisæum multis obvium, aliisque Venerium, amatorium, volaticum, mihi ridicularium dicetur. Plautus enarrationis chorum ducet; qui Aphrodisia Veneris esse festum diem ait Pœn. I. 1. 63: II. 45: V. 3. 4. Plato in Convivio: Ἀφροδίσιος ὅρκος οὐκ ἐμποίνιμος. Ex quo forte Ovid. Art. amat. I. 633.

> *Jupiter ex alto perjuria ridet amantum.*

Et Horat. Od. II. 8. 13.

> *Ridet hoc, inquam, Venus ipsa: rident*
> *Simplices nymphæ.*

Tibull. III. 6. 49.

> —— *perjuria ridet amantum*
> *Jupiter, & ventos irrita ferre jubet.*

Hoc, quia amantum est, irritum putabant, neque ad deos quicquam pertinere, tanquam jocosum. *Hansen. de jurejur. vet. c. 29.*

Juramentum, sive *jusjurandum* Calumniæ, sive Kalumniæ ortum a gladiatorum consuetudine habet. V. illud supr. in *Calumnia.* Multis in locis est sublatum, propter perjurii metum, quando ex philautia fere semper plus æquo suæ causæ serviant litigantes: adeo multi sibi in animum inducunt cogi non posse, aut debere ad veritatem denudandam, & in adversariorum castra deportandam. At quanto magis hoc formidandum est in criminalibus, ubi de capite, & fortunis quæstio vertitur; nam quotusquisque est, qui tum se putet religione teneri? Natura autem comparatum est, ut omnes, nescio quo modo, promptiores, & paratiores simus ad excusationem & elevationem culpæ propriæ, ad causationem, & confessionem tardiores. *Pollet. For. Rom.* V. 4.

Juramentum consulum dicimus, quia consules non semel *juraverunt*, dum inirent magistratum & ponerent, primis inquam honoris sui diebus. V. supr. in *Consul.*

Juramentum declamatorum vocamus, quia a *jurejurando* auspicabantur. Senec. Suas. VII. de Gorgonio: *Nam cum cœpisset scholasticorum frequentissimo jam more a jurejurando, & dixisset multa.* Et de Surdino ingenioso adolescente: *Solebat dulces sententias dicere, frequentius tamen prædulces, & infractas. In hac suasoria cum jusjurandum bellis sensibus complexus esset, adjecit.* . . . Quando id cœperit, desieritve, non legi. Sane in declamationibus utriusque Quintiliani, & Calpurnii Flacci nihil tale. *Hansen. de jurej. vet. c. 9.*

Juramentum Imperatorium vocamus, quia Imperatores, aut sub imperii natalem sollenni ritu, aut post ἐν τῷ καιρῷ jurabant. Docent hoc annales Romani & Græci: ex quibus pauca & de privato *jurejurando*, nam de illo stato nunquam finis. Photius in Praxagora auctor est Licinium Imperatorem Romanum, cui pars illa imperii obvenerat. quam Maximinus tenuerat, intellecta in se expeditione, *metu perculsum immanitatem texisse, & humanitatis speciem præferentem, jurejurando etiam se obstrinxisse, clementem deinceps subditis futurum, quæque fœdere ista promisisset, integre servaturum.* Herodian. II. 13. 18. narrat Severum Imperatorem, cum prætorianis militibus Roma ob Pertinacis cædem interdiceret, jussionem *jurejurando* firmasse: *vobis autem sic impero discedatis quam longissime: edico item, juroque, ac denuntio capite pœnas daturum, si quis vestrum posthac intra centesimum lapidem pareat.* In Roma vetere consul senior *jusjurandum* ab Imperatore accipiebat, argumento e Plin. Paneg. c. 64. n. 2. Ibi Trajanus apud defunctum, senioremque consulem, in sella sedentem curuli juravit, illo *jusjurandum* præbente, & sollennia verba præeunte. In nova ὁ μέγας λογοθέτης in templo Blachernarum, auctore Niceta in Manuele Comneno III. *Hansen. de jurejur. vet. c. 7.*

Juramentum judiciale appellatur, quod in judicio a judice defertur, ut necessarium, quod in judicio ab adversario, & voluntarium, quod extra judicium, quia ex conventione utriusque partis defertur. Atque ita *jurisjurandi* tres sunt species: voluntarium, necessarium, & judiciale, ut patet ex Rubrica, quæ his verbis concipitur: *De jurejurando, sive voluntario, sive necessario, sive judiciali.* Quod a judice defertur, necessarium vocare malunt interpretes: judiciale autem, quod ab adversario. Citantque Paulli responsum l. ult. ff. de in lit. jur. ubi *jusjurandum* in litem ex necessitate juris deferri dicitur, quod a solo judice deferri certum est l. videamus §. deferre ff. eod.

eod. Sed hoc argumentum non ita magni momenti eſt, cum & *jusjurandum* ab adverſario delatum neceſſitatem in ſe contineat. Paull. recept. ſent. II. 1. *Si reus*, inquit, *cum jurare velit, actor illi neceſſitatem jurisjurandi remiſit, & hoc liquido appareat, actio in eum non datur.* Hæc enim verba de eo *jurejurando* intelligenda eſſe, quod ab adverſario defertur, indicat Aniani interpretatio, cum l. remittit. ff. hoc tit. Dici fortaſſe commodius poterit *jusjurandum*, quod a judice defertur, ideo neceſſarium eſſe appellandum, quia referri non poſſit, c. ult. de jurejur. Sed hac ratione voluntarium etiam neceſſarium dicendum eſſet: nam neque in eo relationi locus eſt. Proinde *jusjurandum*, quod a judice defertur, judiciale malo appellare. *Trellier. de jurejur. c. 2.*

Juramentum judicum. V. ſupr. in *Judex.*

Juramentum magiſtratuum dicimus, quia fas cuiquam non fuit, magiſtratum ultra quinque dies gerere, niſi qui publice in leges juraſſet. Liv. XXXI. 50. *C. Valerius Flaccus, quem præſentem crearant, quia flamen Dialis erat, jurare in leges non poterat: magiſtratum autem plus quinque dies, niſi qui juraſſet in leges, non licebat gerere.* Ni *juraſſet*, ponere eum debebat. Qui etiam *jurarunt* illo poſito. docet Cicer. in Piſon. c. 3. V. illum ſupr. in *Conſul.* Hanſen. de jurejur. vet. c. 8.

Juramentum militare V. infr. in *Sacramentum.*

Juramentum nauticum dici poterit, quia nautæ, ut milites, & exercitus terreſter, in verba conſulis *jurabant.* Liv. XXII. 11. *Conſul Hoſtiam proficiſci juſſus, navibus, quæ ad urbem Romam, aut Hoſtiæ eſſent, completis milite, ac navalibus ſociis, perſequi hoſtium claſſem, ac littora Italiæ tutari. Magna vis hominum conſcripta erat. Libertini etiam, quibus liberi eſſent, & ætas militaris, in verba juraverant.* Scheffer. de Milit. nav. II. 4.

Juramentum patrium vocatur, quod patrio fit more. De illo Plutarchus in Pericle. *Jurejurando ſe obſtringere patrio more.* Et alibi: *tum patrium jusjurandum jurant.* Hanſen. de Jurejur. vet. c. 21. Schel. in Polyb. Theſ. Antiq. Rom. Græv. Tom. X. p. 1173. D.

Juramentum regium vocatur, quia Rex populo, populus Regi *jurabat.* Ita Athalaricus Rex Gothorum populo Romano jurat apud Caſſiod. Var. VIII. 3. *Ecce ad conditionem clementiſſimam ſacramento inclinando noſtrum eveximus principatum, ut nihil dubium, nihil formidoloſum populi habere poſſint, quos beatus noſter auctor enutrivit. Ecce Trajani veſtri clarum ſeculis reparamus exemplum. Jurat vobis, per quem juratis, nec poteſt ab illo quisquam falli, quo invocato, non licet impune mentiri.* Epiſt. 4. *Sed ut vobis benevolentiæ noſtræ jam nunc integritas innoteſcat, jurisjurandi vobis fecimus religione promitti, quod & noſtrum poſſit declarare propoſitum, & ſpem debeat munire cunctorum.* Ita populus Romanus jurat Liv. II. 1. *Omnium primum avidum novæ libertatis populum, ne poſtmodum flecti precibus, aut donis regiis poſſet, jurejurando adegit, neminem Romæ paſſuros regnare.* Hanſen. de jurejur. c. 7.

Juramentum ſenatus vocamus, quia ſollenne erat ſenatum *jurare*, ut ait Plutarchus in Solone. Initio anni addit Tacit. Annal. XVI. 22. 1. *Jurat* reliquus ſenatus excepto Thraſea: *Quin & illa objectabat, principio anni vitare Thraſeam ſollenne jusjurandum.* Et de ſenatu, & magiſtratibus cæteris, at re nata Hiſt. IV. 41. 1. *Senatus inchoantibus primoribus jusjurandum concepit, quo certatim omnes magiſtratus, cæteri ut ſententiam rogabantur, deos teſtes advocabant, nihil ope ſua factum, quo cujusque ſalus læderetur, neque ſe præmium, aut honorem ex calamitate civium cepiſſe.* Etiam poſt ſententiam dictam jurabat, e Republica eſſe quod cenſuiſſet. Plin. Epiſt. V. 14. 5. *Quin etiam Dextrum, qui primus diverſum cenſuerat, prolata lege de ſenatu habendo, jurare coegit e republica eſſe quod cenſuiſſet.* Tacit. Annal. IV. 31. 4. *Sicilium amovendum in inſulam, tanta contentione animi, ut & jurando obſtringeret, e Republica id eſſe.* Hanſen. de jurejur. vet. c. 5. Lip. in Tacit. n. 61.

JURARE *eſt jusjurandum, vel tanquam jusjurandum mente conceptum proferre affirmative.* Clem. Alexandr. Strom. VII. p. 729. B. *Hanſen. de Jurejur. Vet. c. 23.* Conceptis verbis dicebantur. Plaut. Aſin. III. 2. 16.

Ubi verbis conceptis ſciens libenter perjuraveris.

Cicer. pro Cluent. c. 48. *P. Africanus cum eſſet cenſor, & in equitum cenſu C. Licinius cenſor produſſet, clara voce, ut omnes audire poſſent, dixit ſcire ſe illum verbis conceptis pejeraſſe.* Quod paullo fuſius Petron. c. 93. *Tetigit puer oculos ſuos, conceptiſſimisque verbis juravit ſibi ab Aſcylto nullam vim factam.* Cum publice enim jurandum erat, *præjurationes* qui facerent, adhibebantur. Hoc erat *conceptis* ante *verbis jurare*, poſt in eadem jurantes ſubjicere: *idem in me.* Feſtus. V. illum ſupr. in *Juramentum militare.* Livius, apud quem exercitus Romanus jurat ſe victorem pugna rediturum II. 45. *Ego iſtos, Cn. Manli, poſſe vincere ſcio; velle ne ſcirem, ipſi fecerunt. Itaque certum, atque decretum eſt, non dare ſignum, ni victores ſe redituros ex hac pugna jurent. Conſulem Romanum miles ſemel in acie fefellit, deos nunquam fallet. Centurio erat M. Flavolejus, inter primores pugnæ flagitator. Victor, inquit, M. Fabi, revertar ex acie. Si fallat, Jovem patrem, Gradivumque Martem, aliosque iratos invocat deos. Idem deinceps omnis exercitus in ſe quisque jurat.* Hanſen. ibid. c. 5. Falſum non eſt pejerare, ut viſum nonnullis. Ita enim Cicer. de Offic. III. 29. *Non enim falſum jurare pejerare eſt, ſed quod ex animi tui ſententia juraveris, ſicut verbis concipitur more noſtro, id non facere.* Hanſen. ibid. c. 3. *Jurabant* per elementa. V. ſupr. in *Elementa.* Jovem. V. infr. in *Lapis.* Oculos. V. infr. in *Oculus.* Principem. V. infr. in *Princeps.* Junonem. V. ſupr. in *Juno.* Sua vota, ut Vatinius: ita conſul fiam. Quod tantam indignationem movit Catullo, ut diceret LII. 3.

Per conſulatum pejerat Vatinius
Miſer Catulle, quid moraris emori?

Et Cleopatra, quoties *jurare* volebat, maximum id votum concipiebat: *Sic in Capitolio jura reddam*, teſte Dion. L. p. 422. A. Ammian. XXIV. 3. *Animabat Julianus exercitum, cum nos per [illegible] magnum [illegible] dejeraret [illegible]: [illegible] Perſas: [illegible] tum recrearet orbem Romanum: ut Trajanus fertur aliquoties jurando dicta conſueſſe affirmare: Sic in provinciarum ſpeciem reductam videam Daciam.* Valeſ. in Ammianum.

JURATOR dicebatur cenſor, non quod ipſe *juraret*, ſed quod alios ſub ſacramento ex animi ſententia cenſeret. Plaut. Pœn. Prol. n. 58.

Vos juratores eſtis, quæſo operam date.

Trin. IV. 2. 30.

Cenſus cum juratori, recte rationem dedi.

Cenſus juratori, id eſt, cenſus a *juratore*, vel cenſore. Metalepſin vocant hanc figuram Rhetores. *Jurator* & *juratus* ſunt τῶν πρός τι, ut amator & amatus. *Juratus*, qui *jusjurandum* adigitur: *jurator* ergo qui adigit. Κατ' ἐξοχὴν *juratores* dicuntur cenſores. Nullus enim magiſtratus totum populum Romanum, omnesque adeo cives *jurejurando* adigebat, præterquam cenſores. Liv. XLIII. 14. *Cenſores ut eam rem adjuvarent, ita in concione edixerunt: legem cenſui cenſendo dicturos eſſe, ut præter commune omnium civium jusjurandum hæc adjurarent.* . . . Gell. IV. 20. *Cenſor adigebat de uxore ſollenne jusjurandum.* Gronov. Obſerv. IV. 3. Turneb. Adv. XIX. 12. Hanſen. de Jurejur. vet. c. 8. Acidal. in Plautum.

JURIDICUS dictus eſt, qui Italiæ, ſeu per Italiam *juri dicundo* a Principe erat præfectus. Hos ſub Adriano Imperatore, qui primus hoc munus inſtituit, conſulares dictos facile eſt cognoſcere ex Spartian. c. 22. *qui eum quatuor conſulares per omnem Italiam judices conſtituiſſe* ſcribit. Quos poſtea *juridicos* appellatos, diverſo nomine, ſed non diverſa auctoritate, ſub M. Antonino Philoſopho intelligitur ex his verbis Capitol. c. 11. *Datis juridicis Italiæ conſuluit, ad id exemplum, quo Adrianus conſulares viros reddere jura præceperat.* Urſat. de Not. Roman. Theſ. Antiq. Rom. Græv. Tom. XI. p. 790. F.

Juridicus Alexandriæ vocabatur, quia in illa civitate erat, ut in aliis defenſor, aut duumviri. Nam ſæpe com-

parantur, & ideoque utrisque, certis casibus, tutores dandi facultas pariter tribuitur l. sancimus in curation. 30. C. de Episcop aud. §. nos autem. Instit. de Attil. tuto. In hoc tamen differebant, quod de omnibus causis civilibus, etiam maximis, *juridicus* cognoscebat, duumviri minimas tantum judicabant. Strab. XVII. *Qui Alexandriam mittitur præfectus Augustalis, Regis ordinem gerit. Sub eo est δικαιοδότης, id est, juridicus, qui maximam in judiciis potestatem habet. Nam velut is, qui a Cæsare creabatur, de omnibus civilibus cognoscebat, quod duumviris non tribuebatur, qui ab ordine fiebant.* Panciroll. de Magistrat. municip. c. 7. Notit. Dignit. Imp. Orient. c. 122. Hotoman. de Magistrat. Rom. I. Thes. Antiq. Roman. Græv. Tom. II. pag. 1871. D.

JURISCONSULTUS *quisnam vere nominaretur, si quæreretur, eum dicerem, qui legum, & consuetudinis ejus, qua privati in civitate uterentur, & ad respondendum, & ad agendum, & ad cavendum peritus esset.* Cicer. de Orat. I. 48. Hinc juris civilis scientiam maximi viri, & maximæ dignitatis professi sunt. Unde quidam a causis agendis, ut [illegible] Patricius, ad jus civile transierunt l. 2. §. post hos ff. de orig. jur. quorum antiquitas tanta fuit auctoritas, ut si jus respondendi a Cæsare iis datum esset, qui *jurisconsulti* appellabantur, eorum sententiæ, & opiniones eam auctoritatem tenuerint, ne judici recedere a responso eorum liceret l. 1. C. de veter. jur. enucle. & l. fin. C. de legib. Unde & *juris conditores* nuncupantur l. 23. C. de procurat. *Guther. de Offic. dom. Aug.* III. 2. Antiquitus apud Romanos *jurisconsultorum* dabatur differentia, cum alii candidati, sive studiosi essent, qui in orationibus recitandis exercebantur: alii antecessores, vel sophistæ, qui jus interpretabantur publice: alii *Jurisconsulti*, qui populo auctoritate Principum de jure respondebant: & postea auctores juris, qui de jure dubitantibus suis responsis auctores fiebant. *Ferret. Mus. Lapid.* IV. *memor.* 19. *Ravard. Conject.* II. 10. Omnes provinciarum magistratus unum, aut plures secum ducebant l. 1. de offic. assess. quorum consilio secundum jura causas definiebant. Hi assessores & consiliarii vocabantur. *Panciroll. Notit. dignit. imp. orient. c.* 8. V. illos supr. in *Assessores*. Illorum mercedem V. supr. in *Honorarium*.

JURISDICTIO est appellata, quia qui jus reddiderunt, ii *jus dicere* dicti sunt. *Jus dicere* fuit reddere ea jura, quæ legibus, aut edictis continerentur. *Sigon. de Judic.* I. 7. *Guther. de Offic. dom. Aug.* I. 3. *Pollet. For. Rom.* III. 1. *Noodt de Jurisdict. & imper.* I. 1. Erat ordinarii juris, & differebat a cognitione, quæ erat extraordinarii juris. V. supr. in *Cognitio*. Pertinuit ad privatas controversias, & omnino ad jus Quiritium tuendum. Itaque cum in foris jus dictum tradimus, prorsus quæstiones publicas removemus, quas non in foris Italicis, sed Romæ cognitas fuisse, nisi quid forte extra ordinem factum sit, arbitramur: id quod in Bacchanalium quæstione usu venisse narrat Liv. XXXIX. 18. *Eadem solitudo,* inquit, *quia Romæ non respondebant, nec inveniebantur, quorum nomina delata erant, coegit consules circa fora proficisci, ibique quærere, & judicia exercere.* Sigon. de Ant. jur. Ital. II. 15. In duobus fuit posita, id est, ut prætor ipse judicaret, aut alterum judicare juberet. Cicer. de Leg. III. 3. *Juris disceptator, qui privata judicet, judicarive jubeat, prætor esto, juris civilis custos esto.* Cum autem judicavit, tum decrevisse, aut decretum interposuisse; cum judicare jussit, tum judicem, judiciumve, aut actionem dedisse dictus est. Cum autem decrevit, tum aut dixit, aut addixit, aut dedit; cum judicare jussit, tantum dedit. Itaque tota *jurisdictio* his tribus verbis fuit inclusa, *do, dico, addico.* Varr. de Ling. Lat. V. 4. *Necesse est uti aliquo trium horum verborum, do, dico, addico, cum quid lege peragitur.* Sigon. de Judic. I. 7. Siccam. de Judic. centumv. I. 13. V. supr. in *Do*. A prætore potuit alteri mandari, ob eam causam, quod non lege, sed jure magistratus competit: unde scripsit Papin. ff. de offic. ejus, cui mandata est *jurisdictio*: *Quæ jure magistratus competunt, mandari possunt. Qui mandatam jurisdictionem suscepit, proprium nihil habet; sed & ejus, qui mandavit, jurisdictione utitur.* Julian. ff. de jurisdict. *More majorum ita comparatum est, ut is demum jurisdictionem mandare posset, qui eam suo jure, non alieno beneficio haberet.* Sigon. l. l. Noodt de Jurisd. & imper. II. 1. Mos ille a Regibus cœpit: ut pleraque quæ magistratibus, propter vim imperii sui, competunt. Tacit. Annal. VI. II. 1. *Antea profectis domo Regibus, ac mox magistratibus, ne Urbs sine imperio foret, in tempus deligebatur, qui jus redderet, ac subitis mederetur: feruntque ab Romulo Dentrem Romulium, post ab Tullo Hostilio Numam Marcium, & ab Tarquinio Superbo Sp. Lucretium impositos: dein consules mandabant; duratque simulacrum, quoties ob ferias Latinas præficitur, qui consulare munus usurpet.* Liv. I. 41. *Interim Servio Tullio* Regem Tarquinium *jubere populum dicto audientem esse. Eum jura redditurum, obiturumque alia Regis munia. Servius cum trabea, & lictoribus prodit, ac sede regia sedens alia decernit, de aliis Regem se consulturum esse simulat. Itaque per aliquot dies, cum jam exspirasset Tarquinius, celata morte, per speciem alienæ fungendæ vicis suas opes firmavit.* Noodt l. l. Quomodo a mandatario solita fuerit geri V. infr. in *Mandatarius*. Pendebat ab edicto prætorum. Quia erat potestas reddendi juris, quod in legibus contineretur. Omnia vero legibus comprehendi non poterant. Hinc factum, ut multa edictis ipsis prætoriis permitterentur. Siquidem ut prætores urbani Romæ magistratum ineuntes edicta proposuerunt, ex quibus *jus se dicturos* esse professi sunt; sic præsides in provincias ingressi & ipsi sua edicta singulis de rebus diligenter scripta ediderunt, ad eaque postea totam *jurisdictionem* suam accommodarunt. *Sigon. de Ant. jur. prov.* II. 5. Ut aliquando binæ *jurisdictiones*, & binæ provinciæ singulis sunt tributæ, sic posthac & binæ *jurisdictiones* singulis, & *jurisdictio* cum quæstione uni, & una quæstio duobus ex S^cto commissa est. Nam Catulo, Lepidoque coss. L. Cornelius Sisenna utramque *jurisdictionem*, & C. Verres prætor urbanam *jurisdictionem* cum veneficii quæstione, & M. Fannius inter sicarios & parricidii, & M. Lætorius, ac C. Flaminius quæstionem inter sicarios, prætores omnes cum essent, sortiti sunt. *Sigon. de Judic.* II, 4. I. 7. Hæc est consideranda in judiciis tum publicis, tum privatis. Privata, id est, de rebus civilibus, exercebant soli urbanus ac peregrinus prætores. Publicis ante constitutas perpetuas quæstiones V. illas infr. in *Quæstio.* præfuere, quos populus creasset quæsitores, vel, ut vocat Pompon. §. 23. ff. de orig. jur. quæstores parricidii. V. illos infr. in *Quæsitor.* qui creari solebant, quotiescunque aliquod crimen publica animadversione dignum incidisset: aut is qui accusatus erat ab aliquo magistratu ad populum provocasset. *Panvin. in Fastor.* I. *p* 108. *Lycklama de Magistrat. c.* 6.

Jurisdictio ædilium obscurior est. Paucis de rebus jus dixerunt: inprimis autem de venditione mancipiorum, & de mensuris, & de foro venalium. *Sigon. de Judic.* I. 7.

Jurisdictio libera dicitur, cum is, qui eam habet, non impeditur majore aliqua potestate, quo minus agat pro imperio, & lege agi jubeat. Suet. Calig. c. 16. n. 4. *Magistratibus liberam jurisdictionem, & sine sui appellatione concessit.* Bud. in Pandect. p. 273. B. Pollet. For. Rom. III. II.

JUS.

JUS *inter & æquitatem hoc interest. Jus est, quod omnia recta, & inflexibilia exigit. Æquitas est, quæ de jure multum remittit.* Donat. in Terent. Adelph. I. I. 27. Ulpian. l. 1. ff. de justit. & jur. *Jus est a justitia appellatum, nam, ut eleganter Celsus definit, est ars boni & æqui.* Aristot. Ethic. V. 14. de justitia & jure disputans, duo hæc tanquam differentia ponit, non tanquam genere diversa. *Bonum & æquum,* inquit, *cum sit cujusdam juris, jus est præstantius, vel melius: non autem ut genus aliud æquum & bonum, jure præstantius est. Porro æquum & bonum est jus, non illud quidem lege comprehensum, id est, legitimum: sed legitimi juris emendatio. Siquidem cum lex posita sit in universum, sint autem quædam, de quibus universim caveri non potest: lex tamen*

men

men nihilo secius in universum loquitur necessitate coacta, tametsi id recte fieri nequit: videlicet lex id quod plerumque accidit, amplectitur, errati ipsa sui conscia: quanquam id non legis, aut legislatoris, sed rei ipsius peccatum est. Sic enim natura comparatum est, ut omnia, quæ aguntur, eodem legis præscripto constitui non possint. Bud. in Pandect. p. 1. C. Omne vel est a natura, vel a consuetudine, vel a legibus. *Jus* naturæ ipsum per se, sine consuetudine, & legibus, ad optimam vitæ conditionem satis erat. Satis enim beate viveremus, si naturam ducem sequeremur. Sed quia quod justum, & laudabile est, multi, vel quia sunt hebetes, non intelligunt: vel, quia sunt improbi, dissimulant: iccirco, ne peccantibus daretur excusandi locus, scripta lex est, quæ, quid agendum, fugiendumve esset, perpetuis literarum notis, testatum, atque expressum ante oculos poneret. *Manut. de Legib. c.* 1. Dicere quid sit V. supr. in *Jurisdictio.* Differt a judicare. V. supr. in *Judicare.* Dixerunt I. Reges. Docent hoc de Romulo Dionys. II. p. 87. *Regi munia fuerunt. . . . deinde, ut legum & consuetudinum patriarum haberet custodiam: omnisque juris, quod vel natura dictat, vel pacta, & tabulæ sanciunt, curam ageret: utque de gravissimis delictis ipse decerneret, leviora permitteret senatoribus, providendo interim, ne quid in judiciis peccaretur.* de Prisco Liv. I. 41. *Interim Servio Tullio jubere populum dicto audientem esse. Eum jura redditurum, obiturumque alia Regis munia.* II. Consules. Dionys. IX. p. 627. *Translato a Regibus, quorum arbitrio, quamdiu ab illis regnatum est, lites dirimebantur ad [illegible] annuus imperio, inter cætera officia regia, juris quoque reddendi munus ad eos devenit: ita ut quacunque de re orta esset inter cives controversia, illi de jure responderent.* III. Decemviri consulares. Dionys. IX. p. 683. *Ut injusta & atrocia eorum facinora specioso justitiæ velo tegerentur, singulis causis sua erant judicia. . . . . nec pauca crimina, & quidem quæ maximi erant momenti, decemviri suæ cognitioni vindicabant.* Liv. III. 33. *Decemviri decimo die jus populo singuli reddebant.* Sigon. de Judic. I. 7. Demster. Paral. ad Rosin. Antiq. Rom. IX. p. 698. b. IV. Prætores. V. infr. in *Prætor.* V. Ædiles curules. V. supr. in *Jurisdictio ædilium.* Locus, in quo dictum est, fuit aut superior, tribunal in comitio, quod fuit pars fori Romani, in quo rostra erant. Unde qui e rostris agebant, in forum, & comitium versus agere poterant. Gell. XX. 1. *Inter eos dies, trinis nundinis continuis, ad prætorem in comitium producebantur.* Et in tribunali, quod erat locus celsior, & multorum hominum capax, sella curulis. Cicer. de Orat. I. 37. *Nobis in tribunali Q. Pompeji prætoris urbani sedentibus.* Tacit. Annal. I. 75. 1. *Tiberius assidebat in cornu tribunalis, ne prætorem curuli depelleret.* Aut planus, quicunque locus præter tribunal, posita sella curuli. V. infr. in *e Plano.* Diebus fastis, id est, quibus licebat agere, prætores summo mane in comitium, sive forum veniebant, atque in tribunali sella posita assidebant, & accenso, ut horam tertiam populo circumstanti inclamaret, imperabant. *Sigon. ibid. c.* 9. V. illam supr. in *Hora causidicorum.* Qui alicui litem, sive actionem intendere in animo habebat, antequam in *jus* adiret, per amicos intra parietes, quid proficere posset, experiebatur. Cicer. Quint. c. 11. *Nonne si quid in controversiam veniret, aut intra parietes, aut summo jure experiretur?* Cæcin. c. 2. *Ea judicia, quæ dissi [illegible] rum controversiarum causa reperta sunt, [illegible] disceptatore domestico disceptantur.* Ubi vero res ita convenire non poterat, tum die postulationum petitor eum, unde petebatur, in *jus* vocabat. Erat autem in *jus* vocare, ut Paullus definit, *in jus experiundi causa vocare.* Non omnes tamen vocari poterant. Indicat edictum prætoris: *Parentem, patronum, patronam, liberos, parentesque patroni, & patronæ, in jus sine meo permissu ne quis vocet.* Item: *Magistratus, pontifex dum sacra facit, & qui uxorem ducunt, in jus vocari non possunt.* Vocabatur hoc modo. Qui petebat, eum, unde petebatur, conveniebat, atque ut se in *jus* sequeretur, admonebat. Si is sequi noluisset, eum in *jus* educebat, sive rapiebat. Verum ne injuriam facere videretur, ante aliquem ejus actionis testem faciebat: capta scilicet hominis forte intervenientis, aut præsentis auricula rogabat eum his verbis: *Licetne antestari.* V. supr. in *Antestari.* De domo sua neminem in *jus* vocari licebat. V. supr. in *Domus.* Si ille, qui vocabatur, imbecilla valetudine esset, tum, qui vocabat, jumentum, currumve dare cogebatur. V. supr. in *Jumentum.* Si is, unde petebatur, latitaret ita, ut nullam secum agendi potestatem faceret, cum de domo extrahi non posset, actor prætoris auxilium implorabat, atque reum evocari jubebat edicto. V. supr. in *Evocatio.*

Jus dicitur etiam locus jurisdictionis quicunque, sive in quo consistit prætor *juris* dicundi causa, per metonymiam. Paull. l. 11. ff. de justitia & jure: *Alia significatione jus dicitur locus, in quo jus redditur: appellatione collata ab eo, quod fit in eo ubi fit: quem locum hoc modo determinare possumus: Ubicunque prætor salva majestate imperii sui, salvoque more majorum, jus dicere constituit.* Cicer. pro Quint. c. 25. *Dejicitur de saltu, C. Aquili, [illegible], biduo post, ut statim aliquis de jure concurrerit, non toto triduo sexaginta millia passuum conficiuntur.* De *jure*, id est, de foro, ubi decreta erat ob vadimonium desertum bonorum possessio: unde fluxerunt illæ formulæ actionum: *quando te in jure conspicio, & manum in jure conserere,* & post XII. tab. *ex jure manu consertum.* V. illud supr. in *Ex.* Quibus addi possunt prætorum edicta *de in jus vocando: si quis vocatus in jus non venerit.* Et Ulpian. l. 4. ff. de interrog. act. *quod ait prætor, qui interrogatus in jure responderit,* interpretatur ad hunc modum: *sic accipiendum est, apud magistratus populi Romani, vel præsides provinciarum, vel alios judices: jus enim eum solum locum esse, ubi juris dicendi, vel judicandi gratia consistat: vel si domi, vel in itinere hoc agat.* Pollet. For. Rom. I. 4. Sigon. de Judic. I. 7. Rittersh. in Leg. XII. tab. Class. III. p. 3. c. 1.

Jus accretionis erat ejusmodi, ut quod alicui rei sic accrevisset, ut pars esset totius, ejus esset, cujus totum esset: atque hoc in alluvione, circumluvione, inædificatione, pictura, scriptura, prætexta valere voluerunt. *Sigon. de Judic.* I. 4.

Jus Ælianum dicebatur, quia continebat actiones, quas Sextus Ælius composuerat. Pompon. l. 7. ff. de orig. jur. *Augescente civitate, quia deerant quædam genera agendi, non post multum temporis spatium Sextus Ælius alias actiones composuit, & librum populo dedit, qui appellatur jus Ælianum.* Sigon. de Judic. I. 9. Pollet. For. Rom. V. 4. August. de Famil. in Ælia.

Jus applicationis antiquissimum non videtur alienum a *jure* clientelari. Cicer. de Orat. I. 39. *Quid quod item in centumvirali judicio certatum esse accepimus? qui Romam in exilium venisset, cui Romæ exsulare jus esset, si se ad aliquem tanquam patronum applicuisset, intestatoque esset mortuus, nonne in ea causa jus applicationis obscurum sane, & ignotum patefactum in judicio, atque illustratum est a patrono?* Terent. And. V. 4. 21.

> *— tum ille egens forte applicat*
> *Primum ad Chrysidis patrem se.*

Ego illud ab Atheniensibus ortum esse reor: apud quos peregrini se alicui opulento civi in clientelam dabant, dicabantque. Hoc in palliata comœdia imitatus est Terent. Eun. V. 8. 9.

> *Thais patri se commendavit in clientelam, & fidem.*

Id Athenienses appellabant νέμειν προστάτην. Qui autem ad patronum se non applicarat, in judicium vocabatur, quod dicebatur ἀπροστασίου δίκη. *Turneb. Adv.* XII. 10: XXIV. 32. *Broid. ad Pollet. For. Rom.* II. 10.

Jus captivitatis erat ejusmodi, ut quæ ex hostibus cepissent, sua fierent. *Sigon. de Judic.* I. 4.

Jus civile. V. illud infr. in *Jus Quiritium.*

Jus clientelare incepit sub Romulo Republica ordinata, & per senatores, ac cives in tribus, & classes distributa, usu a Græcis, Illyriis, Thessalis, Celtis, ac Ægyptiis recepto. *Lipen. de Stren. c.* 2. *prim. at.* §. 6. Incepisse sub Romulo docent Dionys. II. p. 84. Plutarch. Rom. p. 25. A. Gell. V. 13. Obligatio quænam fuerit hoc *jure* clientis ad

patro-

patronum V. ſupr. in *Clientes.* Hoc diutiſſime duraſſe apud Romanos non eſt dubium. Quin etiam latius productum colligimus: cum non tantum ſinguli homines ſe in clientelam potentioris alicujus conferrent: verum etiam totæ provinciæ, vel civitates ad aliquam familiam ſe applicarent, cujus patrocinio ſe tutarentur. *Rittersh. in Leg.* XII. *Claſſ.* III. *p.* 1. *c.* 2.

Jus cognationis utrum certa aliqua lege populi fuerit definitum, an moribus tantum, & veteri conſuetudine, difficile dictu eſt. De ſororis nuptiis leges fuiſſe dicuntur l. ſi ſtipuler. 35. §. 1. ff. de verb. oblig. cujus tamen in extremo mores nominantur, itemque l. 8. & l. ſororis 39. §. 1. ff. h. t. Credibilius eſt, *jus* antiquum de caſtis, inceſtisque nuptiis totum pontificium fuiſſe. Itaque Tacit. Annal. I. 10. 7. *Conſulti per ludibrium pontifices, an concepto, necdum edito partu, rite nuberet.* Quod pluribus verbis exponit Dio XLVIII. p. 383. D. conſultos a Cæſare pontifices, an Liviam Neronis uxorem gravidam ſibi in matrimonium accipere liceret. *Jus* Romanum tribus regulis comprehendi poteſt. Quarum I. Inter eas perſonas, quæ parentum, liberorumque locum obtinent, in infinitum nuptiæ *jure* gentium inceſtæ, ac nefariæ ſunt §. ergo ff. h. t. II. Inter eas perſonas, quæ a latere ſunt, fratris & ſororis nuptiæ jure gentium inceſtæ ſunt: patrui vero & amitæ, avunculi & materteræ, jure civili tantum: idque in infinitum. De fratribus, & ſororibus exſtat teſtimonium l. libertinus. §. 8. juncta l. ſororis 39. ff. h. t. De patruis, avunculis, amitis, materteris V. infr. in *Matrimonia.* III. Inter patrueles, amitinos, conſobrinos nuptiæ noviſſimo civili *jure* permiſſæ ſunt §. duor. Inſt. de nupt. l. celebr. 19. C. de nupt. *Hotoman. de Rit. nupt. c.* 5. V. etiam infr. in *Matrimo* [illegible].

Jus coloniarum. V. illud ſupr. in *Colonia.*

Jus effectionis rei eam vim habuit, ut ſi ſpecies ex aliena re confecta ad priſtinam formam revocari poſſet, ejus eſſet, cui erat ea res, quaſi materia non eſſet exſtincta: aut ſi ex utriusque materia confecta eſſet, ejus, qui effeciſſet. *Sigon. de Judic.* I. 4.

Jus Flavianum fuit dictum civile, *quia cum Appius Claudius actiones compoſuiſſet, & ad formam redegiſſet, C. Flavius ſcriba ejus, libertini filius ſurreptum librum populo tradidit, & adeo gratum fuit id munus populo, ut tribunus plebis fieret, & ſenator, & ædilis curulis. Hinc liber, qui actiones continet, appellatur jus civile Flavianum.* Pompon. de Orig. jur. l. 2. §. 7. *Sigon. de Judic.* I. 9. *Pollet. For. Rom.* V. 4.

Jus gentium. V. illud infr. in *Jus naturale.*

Jus hæreditarium eſt, quo quis quid, quia hæres relictus eſt, poſſidet. *Sigon. de Ant. jur. civ. Rom.* I. 11.

Jus honorarium fuit dictum prætorium. Papinian. l. 7. §. 2. ff. de juſtit. & jur. *Jus prætorium eſt, quod prætores introduxerunt, adjuvandi, vel ſupplendi, vel corrigendi juris civilis gratia propter utilitatem publicam, quod & honorarium dicitur ad honorem prætorum ſic nominatum.* Prætores enim ſua propoſuerunt edicta, ut ſcirent cives, quod *jus* de quaque re quisque dicturus eſſet. Et hæc poſt tantæ fuerunt auctoritatis, ut inde *juris* honorarii nomen invenerit. *Auguſtin. de Legib. in Cornelia de perpet. edict. Sigon. de Ant. jur. civ. Rom.* I. 5. *Guther. de Offic. dom. Aug.* I. 44. *Pigh. Annal. Rom.* I. *p.* 265. *Læt. de Magiſtrat. Roman.* I. 24. *Flocc. de Poteſt. Roman.* II. 19.

Jus honorum erat, quo *jus* civitatis explebatur, & quod qui in Urbe, agrove Romano habebat, is quam pleniſſimum *jus* civitatis obtinebat. *Sigon. de Ant. jur. civ. Rom.* I. 18. V. illos ſupr. in *Honor.*

Jus imaginis nihil aliud eſt quam *jus* nobilitatis. Etenim, ut imago a magiſtratu proficiſcitur, ſic nobilitas ab imagine: unde etiam ſæpe imagines pro nobilitate ſunt poſitæ. Qui majorum ſuorum habuerunt imagines, ii nobiles: qui ſuas tantum, ii novi: qui nec majorum, nec ſuas, illi demum ignobiles appellati ſunt. *Sigon. de Ant. jur. civ. Rom.* I. 20. *Figrel. de Stat. Rom. c.* 11. *Guther. de Jur. man.* I. 21. *Savot. de Numiſm.* I. 3. *Hotman. Antiq. Roman.* II. 9.

Jus Italicum, Latinitate deterius, provinciæ Galliæ *jure* commodius, appellatum eſt, quia Italici plerique convenerunt in *jure*, quod manavit ex ſocietatibus, quas populus Romanus cum populis Italicis ita iniit, ut alios deditione, alios ſponſione, quoſdam pactione, omnes demum fœdere aliquo in amicitiam accepit. Hujus partes multæ numerantur, ſed pleræque Italicis fuere cum Latinis communes. I. enim, ut Latini jure Quiritium caruerunt, ſic Italici: ita ut non eadem libertatis, ſacrorum, gentilitatis, legitimi dominii, teſtamentorum, ac tutelarum *jura*, quæ cives Romani, habuerint: niſi forte præcipua lege aliqua, ut municipes, & coloni aliquot, *juris* ejus partem aliquam impetraſſent. II. quod de cenſu, de tributis, & vectigalibus Latinorum in *Jus Latii* dicetur, idem de Italicis cenſeo judicandum; omnes in civitatibus ſuis per cenſores ſuos cenſos eſſe, omnesque tributa, & vectigalia, quo modo in fœderibus cujusque cautum eſſet, perſolviſſe. Unde tritum illud eſt Minionis legati Regis Antiochi apud Sulpicium conſulem, quod narrat Liv. XXXV. 16. *Quid magis Smyrnæi, Lampſacenique Græci ſunt, quam Neapolitani, & Rhegini, & Tarentini, a quibus ſtipendium, a quibus naves ex fœdere exigitis?* Cui reſpondet Sulpicius: *Ab Rheginis, & Neapolitanis, & Tarentinis, ex quo in noſtram venerunt poteſtatem, uno, & perpetuo tenore juris ſemper uſurpato, nunquam intermiſſo, quæ ex fœdere debent, exigimus.* Partem Italiæ vectigalem fuiſſe demonſtrat Cicer. Verr. III. 11. *Cum in omnibus,* inquit, *vectigalibus ipſius Italiæ, quæ vectigalis ſit, publicanus petitor, ac pignerator, non ereptor, neque poſſeſſor ſoleat eſſe.* Quæ quidem vectigalia, quippe Italiæ univerſæ moleſta Cæcilia tandem lege ſublata ſunt. V. infr. in *Lex Cæcilia.* Auguſtus, cum cenſum in toto imperii orbe indiceret, provincias alias tributo in caput, alias tributo in ſolum oneravit, ſed Italiam immunem utriusque reliquit. Et id *jus* Italiæ dictum. Hoc hanc vim habuiſſe oſtendit Paull. l. 8. §. 3. ff. de cenſib. *Laodicea in Syria, & Berytos in Phœnice juris Italici ſunt, & ſolum earum. Ejuſdem juris & Tyriorum civitas a divis Severo, & Antonino facta eſt. D. Antoninus Antiochenſes colonos fecit ſalvis tributis. Imperator noſter Antoninus civitatem Emiſenorum coloniam, & juris Italici fecit. D. Veſpaſianus Cæſarienſes colonos fecit, non adjecto, ut & juris Italici eſſent, ſed tributum his remiſit capitis; ſed D. Titus etiam ſolum immune factum interpretatus eſt.* III. Eodem jure militiæ quo Latini fuerunt obſtricti; nempe ut in auxiliis, non in legione mererent: atque ex fœderis formula numerum militum, quem juſſi eſſent, eodem modo, quo Latini darent. Hujus *juris* teſtis eſt Polybius, qui bello Gallico Ciſalpino maximas ſociorum copias præter Latinorum auxilia ait fuiſſe, Sabinorum, Etruſcorum, Umbrorum. . . . Et Plinius L. Æmilio Papo, C. Attilio Regulo coſſ. Italiam nuntiato Gallico tumultu ſolam ſine externis auxiliis equitum LXX. millia, peditum DCC. armaſſe prodidit. *Sigon. de Ant. jur. Ital.* I. 21. *Spanhem. ad Conſtit. Anton. Imper. Exerc.* I. §. II: 11. §. 20. Quomodo differat a *jure* Quiritium V. infr. in *Jus Quiritium.*

Jus Latii, vel Latinitas manavit ex fœdere, quod cum Latinis eſt percuſſum, *jure* civium Romanorum deterius, Italico aliquanto commodius. Latini alio quam cives Romani uſi ſunt *jure* I. privato. *Jus* Quiritium cauſam privatam complexum eſt, libertatis, gentilitatis, ſacrorum, connubiorum, patriæ poteſtatis, legitimi dominii, teſtamentorum, & tutelarum. Latini nulla hujus parte ſunt uſi, niſi quidam ex iis populi fundi eſſent facti. V. illos infr. in *Populus.* Quod autem *jus*, aut quæ conſuetudo harum rerum obeundarum apud Latinos fuerit, equidem vix inveniri, aut pro certo afferri poſſe crediderim. Quod tamen de ſponſalibus eorum proditum ſit, docet Gell. IV. 4. V. infr. in *Sponſalia.* Ex illo poteſt intelligi, Latinos ante civitatem Romanam acceptam alio *jure* ſponſaliorum eſſe uſos: poſtquam in civitatem accepti ſunt, *jus* in eo Quiritium eſſe ſecutos. II. publico cenſus, militiæ, tributorum, vectigalium, ſuffragiorum, & honorum. Nam ne omnino quidem idem habuerunt, ſed tamen in eo ad civium Romanorum conditionem propius acceſſerunt.

Cenſos

Censos Romæ Latinos non invenio, nisi si qui aut furtim eo nomine civitatem Romanam assequi voluissent, aut jam municipes facti essent. A tributis vacuos non fuisse videtur mihi prope ad similitudinem veri accedere, quia deteriore in causa erant positi, quam quidem cives Romani, qui tributum contulerunt, ac vectigalia pependerunt. Præsertim cum scriptum inveniam apud Liv. VIII. 8. *Latinos, postquam stipendiarii facti sunt, scuta pro clypeis usurpasse.* Militasse pro Romanis non est dubium. Hoc enim & aliis ante fœderibus, & maxime Cassiano est provisum, ut Latini Romanorum arbitrio copias pedestres, & equestres darent, quarum opera ipsi in bello uterentur. Liv. III. 22. *Hernici & Latini jussi milites dare ex fœdere: duæque partes sociorum in exercitu, tertia civium fuit.* VI. 10. *Cum quæsitum ab Hernicis, & Latinis esset, cur per eos annos militem ex instituto non dedissent. . . .* Suffragiorum latione ea usi sunt, ut nec tribum certam, in qua suffragium ferrent, habuerint; nec nisi ad leges ferendas, & judicia facienda vocati sint; nec intercedente, vel consule, vel tribuno plebis, *jus* ullum suffragii ferendi habuerint; sed sæpe Urbe, in quam suffragiorum causa venerant, abire sint jussi. Hoc Cassiano fœdere impetratum apparet, de quo Dionys. VIII. p. 538. Cassius apud illum gloriatur, *se Latinos Romanorum consanguineos, sed gloriæ eorum invidentes ad amicitiam adduxisse, atque æquo jure civitatis donasse, ut non amplius Romam adversariam, sed patriam appellarent.* Civitatem tamen neque omnino cum suffragio, neque prorsus sine suffragii latione datam, sed ad arbitrium magistratuum, intelligitur ex verbis, quæ addit p. 540. *Latinos, & Hernicos, quam plurimos potuit, ad suffragium ferendum accivit: qui cum frequentes venissent, urbem hospitum turba repleverunt. Quod cum ad Virginium collegam delatum esset, per compita edici jussit, ut qui in urbe domicilium non haberent, intra certam diem exirent. Cassius autem contra edixit, ut qui civitate donati essent, donec lex accepta esset, manerent.* Magistratum, sive honores Romæ ut peterent & caperent, civitatem Romanam sunt adepti. Ascon. in Ciceron. p. 156. *Cn. Pompejus Transpadanis colonis suis jus dedit Latii, ut possent habere jus, quod cæteræ Latinæ coloniæ, id est, ut petendi magistratus gratia civitatem Romanam adipiscerentur.* id est, ut qui *jus* Latii haberent, præter cætera civitatem etiam Romanam assequerentur, ubi apud Latinos magistratum petiissent, vel potius gessissent. Id aperte tradit Appian. Bell. civ. II. p. 443. *Novum Comum Cæsar ad jus Latii redegit, apud quos qui annuum gessissent magistratum, cives Romani fiebant: hanc enim vim habuit Latinitas. Marcellus autem consul Novocomensem quendam, & qui apud Novocomenses magistratum gesserat, ac Romæ se propterea pro cive gerebat, in Cæsaris contumeliam virgis cædi jussit, ut intelligeret se civem Romanum non esse.* Hi magistratus fuerunt ædilitas & quæstura. Strab. IV. p. 129. *Nemauso in Gallia jus Latii datum, ut qui Nemausi ædilitatem, & quæsturam adepti essent, ii cives Romani essent: eaque de causa populus ille Romanis prætoribus non paruit.* Sigon. de Ant. jur. Ital. I. 4. Panvin. Imp. Rom. c. 9. Goltz. Ital. p. 199. Prevot. de Magistrat. Roman. c. 1.

Jus legitimi dominii fuit positum in sex rebus: hæreditate, mancipatione, in jure cessione, usucapione, sub corona emptione, & auctione. *Sigon. de Ant. jur. civ. Rom.* I. 11. V. singulas suis locis.

Jus liberorum est a Græcis derivatum. Quippe Spartani multiplicandorum civium causa legem tulerunt, ut qui tres liberos genuisset, a custodiæ munere immunis esset, si credimus Ælian. Var. Hist. VI. 6. *Lex est Spartanis, ut qui tres filios suppeditaret Reipublicæ, is ab excubiis liber esset.* Ad Romanos ita transiit, ut præturas, quæsturas, omnesque magistratus, & honores ad numerum liberorum parentibus distribuerint. Frumentum pro liberorum numero accipiebant. Et in fascibus sumendis priores erant, qui liberos plures habebant. Ideoque variæ apud Romanos leges natæ, ut Julia, Papia Poppæa. . . . Inprimis trium liberorum, ad quod traho non invitum Juven. IX. 87.

Jura parentis habes, propter me scriberis hæres.

Legatum omne capis, nec non & dulce caducum.
Commoda præterea jungentur mille caducis,
Si numerum, si tres implevero.

Quia, qui sine sobole erant, quod in testamento a testatore legatum erat, non capiebant, nec ad caducarum hæreditatum admittebantur successionem. Quapropter etiam steriles, quod fortunæ iniquit[illegible], a bonitate Regum, vel Imperatorum impetrare conabantur. Mart. II. 91. 5.

Quod fortuna vetat fieri, permitte videri,
Natorum genitor credar ut esse trium.

Barthol. de Puerper. p. 5. Augustin. de L[illegible] in Papia Poppæa. Rader. in Martialem. Lipf. in T[illegible] Ann. l. III. Excurs. C. Bernart. in Stat. Silv. IV. 8. 21. Beroald. & Torrent. in Suet. Claud. c. 19. Origo ejus a lege Julia de maritandis ordinibus. Dio LV. p. 549. D. *[illegible]* Solum hoc dedit [illegible] bit Mart. II. 92. 1.

Natorum mihi jus trium roganti
Musarum pretium dedit mearum
Solus qui poterat: valebis uxor.
Non debet domini perire munus.

Lipf. & Bernart. l. l.

Jus mancipii est *jus* dominii emptione acquisiti. *Sigon. de Ant. jur. civ. Roman.* I. 11. V. infr. in *Mancipatio.*

Jus maritale a Romulo marito concessum in uxorem, si pudicitiam violasset, & vinum bibisset, horum convictam pro arbitrio punire, ubi causam cum propinquis cognovisset. Gell. X. 23. *Qui de victu, atque cultu populi Romani scripserunt, mulieres Romæ, atque in Latio abstemias egisse, hoc est, vino semper abstinuisse dicunt. . . . M. Cato non solum existimatas, sed [illegible] refert, non minus si vinum bibissent, quam [illegible] probrum, [illegible] adulterium [illegible]ssent. Verba Catonis adscripsi ex oratione, quæ inscribitur de dote, in qua id quoque scriptum est, in adulterio uxores deprehensas jus fuisse maritis necare. Vir, inquit, nisi cum divortium fecit, mulieri judex, & pro censore est: imperium, quod videtur, habet. Si quid perverse, tetreque factum est a muliere, multatur: si vinum bibit, si cum alieno viro probri quid facit, condemnatur. De jure occidendi ita scriptum: In adulterio uxorem tuam si deprehendisses, sine judicio impune necares [illegible], digito non auderet contingere, neque jus est.* Sigon. de Ant. jur. civ. Rom. I. 9. Rittersh. in Leg. XII. tab. Class. III. p. 1. c. 7.

Jus municipiorum. V. illud infr. in *Municipium.*

Jus naturale erat duplex: unum, quod natura docuerat, alterum, quod ratio. Quod natura docuerat, ideo naturale dicebatur, quia illud natura docuerat, quæ cunctis hominibus cum belluis communis erat, & sic directe. Quod ratio, ideo naturale vo[illegible]tur, q[illegible] ratio, quæ solis tributa est hominibus, esset naturalis; & sic indirecte. Non enim ideo naturale dicebatur, quod ratio illud docuerat, sed quia ratio naturalis erat, & sic per consequens, & indirecte. Si enim ratio non fuisset naturalis, utique nec *jus* illud, quod ratio docebat, *juris* naturalis nomine censeri potuisset. Hæc si considerasset Laurentius Valla, tam inique Ulpiano convicium non fecisset, existimans cum in brutis nulla sit ratio, nullum in iisdem *jus* esse. Quo quid absurdius potest dici? Si enim vim vi repulero, nonne *jure* facio? si id bellua fecerit, an quæso quod in brutis nulla sit ratio, ideo minus *jure* factum causabere? Vim vi repello, quod illud mihi suggerat, qua præditus sum, ratio: bellua vim vi repellit, quod illam id natura, quam cum hominibus habet communem, sic facere docuerit. Ut enim esset *jus*, non ex utentium qualitate, sed ex facto æstimabatur. Proinde quæ ab hominibus, vel a brutis fierent, si quam justi, & æqui effi-

 ciem

giem referrent, *juris* appellatione olim contineri, neminem poſſe inficiari arbitror. *Jus* illud, quod ratio docuit, partim erat conſtitutum, partim non conſtitutum. Quod enim naturalis ratio conſtituit, ſiquidem inter omnes homines, apud omnes peræque cuſtoditur, vocaturque *jus* gentium, quaſi quo *jure* omnes gentes utantur: ſin vero inter alicujus civitatis populum, *jus* civile dicitur. A *jure* autem ſolis hominibus proprio *jus* gentium recedere facile eſt intelligere, quia *jus* gentium *jus* eſt naturale conſtitutum, & uſu receptum: *jus* vero naturæ hominum mentibus inhærens juſta ratio. Quæ ſi conſtituatur, & in uſum aliquem recipiatur, mutat nomen ſuum: & ſi quidem a gentibus, *juris* gentium; ſin vero a civibus, *juris* civilis nomen adſumit. *Ræward. Var.* I. I. *Grot. de jur. bell. & pac.* I. I. §. 10.

Jus nexi eſt *jus* dominii oppignoratione, aut alia obligatione acquiſiti. *Sigon. de Ant. jur. civ. Roman.* I. 11. V. infr. in *Nexus.*

Jus nuptiarum dicebatur auctoritas tutorum & matris. Puellæ viripotentes ſic olim in tutorum fuiſſe videntur poteſtate, ut ex eorum, & matris, ſi ea ſuperſtes eſſet, arbitrio nuberent. Et quamvis in deligendo marito tutores a matre diſſentirent, nihil tamen arbitrio puellæ tribuebatur, ſed magiſtratus, ſi res peragi inter parietes nequiſſet, cognita tutorum, matriſque cauſa, aut ſecundum tutores, aut, ſi ita videretur æquitas poſtulare, ſecundum matrem judicabant, auctore Liv. IV. 9. Nec erat, cur in *jus* prodiretur, ſi de *jure* nuptiarum maternæ, & tutelares controverſiæ tranſigi *inter parietes non potuiſſent*, ut addit Livius. Tunc enim ſi non verbis, ſaltem ſortitione, controverſiis hujuſmodi finis imponebatur. Ea, niſi fallor, ratione, qua de ſervilibus nuptiis ſortitione conciliatis diſſerit Plaut. Caſin. I. 7. Eoque reſpexiſſe videri poteſt Suet. Tib. c. 35. n. 5. cum ita ſcriberet. *Alium & quæſtura removit, quod uxorem pridie ſortitione ductam poſtridie repudiaſſet.* Senſus enim eſt quæſtorem remotum a Tiberio quæſtura fuiſſe, quod eam, quam pridie tutoribus, matre, aliiſque proximioribus amicis diſſentientibus ſortitione acquiſierat uxorem, poſtridie, hoc eſt, altero, quam eam duxerat, die repudiaſſet. Et hoc quidem nuptiarum *jus* antiquiſſimum primi, expreſſa lege, Severus & Antoninus Imperatores ſuſtuliſſe videntur. Eos enim in hæc verba reſcripſiſſe auctor eſt Paull. l. 20. de rit. nupt. *Ad officium tutoris adminiſtratio pupillæ pertinet, nubere autem pupilla ſuo arbitrio poteſt.* Eamque legem intelligit Ambroſ. de Virginib. I. ſcribens: *Nempe ſi hominem amarent, filiæ veſtræ per legem poſſent eligere quem vellent.* Ræward. Conject. II. 15.

Jus occupationis erat ejuſmodi; ut, quod nullius eſſet, primum occupanti acquireretur. *Sigon. de Judic.* I. 4.

Jus ordinarium opponitur cognitioni. Suetonius. V. illum ſupr. in *Cognitio.* Eſt vero, cum prætor, aut is, qui juriſdictioni præeſt, ipſe non cognoſcit, ſed judices dat privatos. Marcian. l. 17. §. 2. ff. de furib. balnear. *Sed ſi interdiu furtum fecerunt, ad jus ordinarium remittendi ſunt.* Turneb. Adv. XXVII. 19. Salmaſ. de Mod. uſur. c. 3. Siccam. de Centumv. judic. I. 2. Ræward. de Div. reg. jur. c. I. Torrent. & Pitiſc. in Suet. Claud. c. 15. n. 2.

Jus Papirianum fuit dictum *jus* civile, quia Sextus Papirius, qui vixit tempore Tarquinii Superbi leges regias collegit. Pompon. l. 2. §. 2. ff. de orig. jur. *Romulus leges quaſdam curiatas ad populum tulit: tulerunt & ſequentes Reges, quæ omnes conſcriptæ exſtant in libro Sexti Papirii, qui fuit illis temporibus, quibus Superbus Demarati Corinthii filius, ex principalibus viris. Is liber, ut diximus, appellatur jus civile Papirianum, non quia Papirius de ſuo quicquam ibi adjecit, ſed quod leges ſine ordine latas in unum compoſuit.* Sigon. de Ant. jur. civ. Rom. I. 5. Auguſtin. de Famil. in Papiria. Pollet. For. Rom. V. 4. Ræward. de auctor. prudent. c. I.

Jus patrium, quod cives Romani in liberos habuerunt, prope fuit infinitum. Neque enim bona ſolum eorum, quod tradit Dionyſ. VIII. p. 547. ſed vita etiam, & libertas in poteſtate parentum fuit. Juſtinian. Inſtit. I. *Jus poteſtatis, quod habemus in liberos, proprium eſt civium Romanorum. Nulli enim ſunt homines, qui talem in liberos habent poteſtatem, qualem nos habemus.* Hanc jam inde a Romulo permiſſam fuiſſe tradit Dionyſ. II. p. 96. *Romulus omnem parentibus in liberos poteſtatem in perpetuum dedit coercendi, verberandi, ruſticis in operibus habendi, ac demum etiam occidendi: quamvis ipſi vel Rempublicam adminiſtrarent, vel ſummos honores geſſiſſent, atque ex iis maximam laudem conſecuti eſſent. . . . Neque hac licentia contentus Romulus, poteſtatem etiam filiorum vendendorum patribus uſque ad tertiam auctionem conceſſit: quæ poteſtas multo major eſt, quam domini in ſervum; nam ſervus a domino venundatus recepta libertate liber eſt; filius iterum in poteſtatem patris revertitur: poſt tertiam vero venditionem, ſi ſe in libertatem vindicarit, e poteſtate patris egreditur.* Sigon. de Ant. jur. civ. Rom. I. 10. Auguſtin. ad XII. tab. §. 6. Nann. Miſc. X. 5. Ræward. in Leg. XII. tab. c. 3. Ritterſh. in Leg. XII. tab. Claſſ. III. p. I. c. I. Hotman. Antiq. Roman. III. 3. p. 409.

Jus prætorium, quod Probus Imperator præſidibus dari voluit, vocat Vopiſc. c. 13. *Jus prætorium præſidibus darent*, quod præſides provinciarum ex adminiſtratione reverſi ſederent in ſenatu inter prætorios. *Caſaub. in Vopiſcum.* Cave hoc eſſe cenſeas. Eſt enim aliud nihil, quam præſides cum *jure* prætorio V. illud ſupr. in *Jus honorarium*, in provincias mittere. Qui cum *jure* conſulari provincias adminiſtrabant Cæſarianas, conſulares dicebantur, etſi nunquam conſules fuiſſent. Sic quos Cæſar idem provinciis ſuis præficiebat cum *jure* prætorio regendis, prætorii legati, & legati proprætorii audiebant. *Salmaſ. in Vopiſcum.*

Jus provinciale alio nomine formula provinciæ nuncupabatur. *Jus* enim ipſum ſingulis regionibus a populo Romano conceſſum, illud eſt potiſſimum, quo regio a regione diſtinguitur. Emanavit ex legibus fœderis cum populo Romano percuſſi. Itaque ut fœderis leges æquiores, iniquioreſve fuerunt, ſic diverſa fœderum genera intulerunt. Quoniam autem leges, quæ provinciis datæ ſunt, iniquiores fuerant, quam quæ Latio, atque Italiæ, propterea provinciæ *jus* etiam deterius, quam Latium, atque Italia, ſunt adeptæ. Nam Italia vectigalis eſt facta illa quidem, ſed tamen in univerſum libertate donata. Provinciæ non ſolum vectigalibus, ſed etiam ſervitute multatæ ſunt: quippe quæ legibus ſuis, ac magiſtratibus *jus* dicentibus ſpoliatæ ſunt. Id vero argumento eſt, quod provincia nulla fuit, quæ non Romanum prætorem, qui *jus* diceret, & quæſtorem, qui vectigalia procuraret, habuerit. *Sigon. de Ant. jur. prov.* I. I. *Goltz. Ital. p.* 199.

Jus Quiritium fere idem eſt, quod civitas Romana & *jus* Quiritium dare quod civitatem Romanam largiri. Dicit hoc Ulpian. fragm. tit. 3. §. 2. *Beneficio Principali Latinus civitatem Romanam accipit, ſi ab Imperatore jus Quiritium impetravit.* Ac jam ante de Cornelio Balbo minore, qui Romæ triumphaverat, Plin. V. 5. *Uni huic omnium externo curru, & Quiritium jure donato: quippe Gadibus genito, civitas Romana, cum Balbo majore patruo data eſt.* Quum alioqui non pro eodem continuo habendum *jus* illud Quiritium, aut Romanæ civitatis, quatenus nempe plenum, ſeu publicum haud minus, ac privatum *jus* civitatis intelligitur: erat enim paullo excellentius, & dignius, quam civitas Romana. Nam quibuſdam libertis concedi *jus* Quiritium a Trajano peregrinis ingenuis civitatem Romanam legimus apud Plin. Epiſt. X. 22. I. *Ago gratias, Domine, quod & jus Quiritium libertis neceſſariæ mihi feminæ, & civitatem Romanam Harpocrati, jatraliptæ meo, ſine mora indulſiſti.* X. 4. 2. *Quare rogo, des ei civitatem Romanam: eſt enim peregrinæ conditionis, manumiſſus a peregrina. Item rogo, des jus Quiritium libertis Antoniæ Maximillæ. . . .* Spanhem. ad Conſtit. Anton. Imp. Exercit. I. §. 12. Panvin. Imp. Rom. c. 9. Manut. de Civit. Rom. Theſ. Antiq. Roman. Græv. Tom. I. p. 17. B Cellar. in Plin. X. 4. 2. De illo Cicer. in Rull. II. 19. *Retinete iſtam poſſeſſionem gratiæ, libertatis, ſuffragiorum, dignitatis, urbis, fori,*

fori, ludorum, feſtorum dierum, cæterorum omnium commodorum. Quibus verbis cùm publicum, tum privatum *jus* Quiritium contineri facile quivis intelligit: quorum illud in *jure* cenſus, militiæ, tributorum, vectigalium, ſuffragiorum, honorum, ſacrorum erat ſitum: iſtud *jus* erat libertatis, connubiorum, patrium, legitimi dominii, nexus, teſtamenti, & uſucapionis. *Spanhem. ibid.* §. 2. *Sigon. de Ant. jur. civ. Rom.* I. 5. . . *Revard. Var.* V. 12. *Goltz. Ital. p.* 199. *Jus* civium Romanorum appello univerſum *jus*, quo utebantur, qui optima lege cives Romani erant: quod eſt aliud nihil, quam qui tribus, & maxime ruſticas obtinebant. Hujus autem duæ potiſſimum partes feruntur: una quæ ſcripto conſtitit; altera, quæ ſine ſcripto in conſuetudinem venit. Ac ſcriptum quidem Reges, decemviri, Juriſconſulti, conſules, tribuni plebis, ſenatus, & prætores conſtituerunt: non majorum inſtituta in Rempublicam invexerunt. *Sigon. l. l.*

Jus relationis penes quos fuerit. V. infr. in *Relatio.*
Jus ſacrorum. V. illud infr. in *Sacra.*
Jus ſuffragiorum. V. illud infr. in *Suffragia.*
Jus teſtamentorum. V. illud infr. in *Teſtamentum.*
Jus tutelarum. V. illud infr. in *Tutela.*

JUSSOR erat magiſtratus navalis. V. illum ſupr. in *Hortator.*

JUSTA ſunt exſequiæ, i. e. ſacrificia, quæ mortuis impenduntur, & funerandi ſollennitas. *Juſta funebria* dicuntur Liv. I. 20. *Nec cæleſtes modo ceremonias, ſed juſta quoque funebria, placandoſque manes ut idem Pontifex edoceret.* *Juſta peragere* eſt funerandi officium implere. Plin. II. 109. *Ea cum ſecutis diebus juſta peragerent, inveniſſe dicuntur epiſtolam.* A Græcis id ſumptum, qui ὁσίαν appellant τὴν κηδείαν, quaſi ſanctum *juſtumque* officium. Propterea *ſolvere juſta* dixit Cicer. pro Sext. Roſc. c. 8. *Hunc miſerum, luctu perditum, qui nondum etiam omnia paterno funeri juſta ſolviſſet, nudum ejecit domo.* Bud. in Pandect. p. 91. A. Sequebantur exſequias. Stat. Theb. IX. 903.

Huic dabis exſequias: atque inter juſta memento
Ne quis inexpertis hebetet mea tela lacertis.

Ubi vetus Scholiaſtes: *Hoc eſt, omnem pompam, qua manes meos decorabis, & mea memoriæ ſatisfacies.* Barth. in Statium. Hæc facere hæredes tenebantur, & everriatores nominabantur. Feſtus. *Juſta* autem facere erat glebam injicere: tenebanturque præſtare antequam novas fruges guſtarent. Qui neglexiſſent, capital commiſiſſe credebantur, ut ex illis Feſti verbis apparet. *Meurſ. de Fun. c.* 37. Non fiebant fulmine occiſis. Feſtus in Occiſum. *In Numæ Pompilii Regis legibus ſcriptum eſt: Homo ſi fulmine occiſus eſt, ei juſta nulla fieri oportet.* Legis ratio I. eſt quam adfert Artemid. II. 8. *quod nullus fulmine ictus infamis, aut ignominioſus exiſtat, qui etiam velut deus colebatur.* Diis enim nec *juſta* fiebant, nec illi lugebantur. II. & illa probabilior, quod inter prodigia haberentur. Liv. X. 31. *Annus prodigiis ſollicitus: in exercitu Appii Claudii nuntiatum eſt pleroſque fulmine ictos.* Ut in *Catilinianis prodigiis M. Herennius decurio ſereno die fulmine ictus eſt.* Plin. II. 51. Et poſt Agrippinæ parricidium *prodigia crebra & irrita interceſſere. . . . . mulier in concubitu mariti fulmine exanimata.* Tacit. Annal. XIV. 12. §. 4. Quæ quidem prodigia cum certo ſacrificii genere procuranda, expiandave eſſent, nullo alio ritu ſolvi *juſta* potuerunt, ſed prodigii ſaltem procuratio danda piaculari ſacro. *Guther. de Jur. man.* I. 2.

JUSTITIUM dicitur, quum *jura ſtant*, & ſilent. Gell. XX. 1. *Juſtitium eſt inter reos quaſi interſtitio quædam, & ceſſatio, quibus diebus nihil cum his agi jure poteſt.* Et tabernæ in foro claudebantur. Liv. IX. 7. *Extemplo, ſine ulla publica auctoritate conceſſum in omnem formam luctus eſt. Tabernæ circa forum clauſæ, juſtitiumque in foro ſua ſponte cœptum prius, quam indictum.* III. 27. V. illum infr. in *Tumultus.* Gloſſæ optimæ: *Juſtitium*, ἀπραξία. Unde *iners* dicitur Solin. c. 1. *Ne inerti juſtitio langueret opera virtutis.* Hoc in luctu publico ob amiſſos viros principes indicebatur. Auctor conſol: ad Liviam de morte Druſi n. 183.

Incerti clauduntque domos; ſtrepitantque per urbem;
Hic illic pavidi clamque palamque dolent.
Jura ſilent, mutæque tacent ſine vindice leges:
Aſſpicitur toto purpura nulla foro.

Tacit. de morte Germanici Annal. II. 82. 4. *Hos [illegible] mones audita mors adeo incendit, ut ante edictum magiſt[illegible]tuum, ante Senatusconſultum, ſumpto juſtitio deſererentur fora, clauderentur domus, paſſim ſilentia, & gemitus: nihil compoſitum in oſtentationem.* Kirchman. de Fun. Rom. IV. 11. Guther. de Jur. man. III. 29. Tiraquel. in Alex. V. 18. Fab. Semeſt. II. 10. Laz. Comm. Reip. Rom. IV. 7. Briſſon. de Form. II. p. 259. Bud. in Pandect. p. 144. C. Pollet. For. Rom. I. 8. Cerda Adv. ſacr. c. 185. n. 44. Salmaſ. Plin. Exerc. p. 13. b. F. Moreſtell. Pomp. Funeb. IX. 7. Aring. Rom. Subterr. VI. 49. §. 3. Pitiſc. in Suet. Tib. c. 52. n. 3.

JUT.

JUTURNA nympha fuit, ut Varr[illegible] de Ling. Lat. IV. 10. ſcribit, quæ juvabat: itaque multi ægroti p[illegible]pter id nomen aquam petere a fontibus ſoliti. Virg. Æn[illegible]. XII. 138.

Extemplo Turni ſic eſt [illegible]
Diva deam, ſtagnis [illegible]busque ſonoris
Præ[illegible]et: hunc illi Rex ætheris altus honorem
Jupiter erepta pro virgi[illegible]te ſacravit,
Nympha decus fluviorum.

Ubi Servius: *Juturna fons eſt in Italia ſaluberrimus, juxta Numicum fluvium, cui nomen a juvando inditum eſt: de hoc autem fonte Romam ad omnia ſacrificia aqua afferri conſueverat.* Alii tradunt, *Juturnam* in lacu fuiſſe ſubmerſam, cui ipſa nomen indiderit. Colebatur a Romanis. Ovid. Faſt. I. 463.

Te quoque lux eadem Turni ſoror æde recepit.

quæ erat ad aquam Virgineam in regione circi Flaminii; ut Victor:

Hic ubi virginea campus obitur aqua.

Quibus poeta oſtendit, in campo Martio prope virgineam aquam cultam fuiſſe. Varie tamen ab antiquariis hoc tempore de *Juturnæ* aqua traditur: quidam enim eam ſtatuunt in eo loco, qui nunc vulgo Treglio appellatur, qui non infirmis rationibus aguntur: alii prope forum, non procul a circo, quo loco, ut fontem conſpicarer, memini me ſæpe deſcendiſſe. *Gyrald. Synt. deor.* I. *p.* 51. *C.* V. *p.* 182. *E. Voſſ. de Idolol.* II. 80. *Marlian. Topogr. Urb. Rom.* V. 5. *Bacc. de Therm. vet. c.* 4. *Lomej. de Luſi[illegible]. c.* 17. *Hoſpinian. de Feſt. Ethnic. p.* 96. *Kipping. Antiq. Roman.* I. 4. §. 3.

JUV

JUVENALIA erant feriæ, cum juvenibus barba raderetur, ut, quemadmodum tyrocinii die pueros exuebant, ſic raſa barba juventutem, inque viros tranſirent. Illa inſtituit Nero. Suet. c. 11. n. 1. *Spectaculorum plurima, & varia genera edidit: Juvenales.* . . . Tacit. Annal. XIV. 15. 1. *Ne tamen adhuc publico theatro dehoneſtaretur, inſtituit ludos Juvenalium vocabulo.* Inſtitutorum cauſam tradit Xiphil. LXI. p. 698. C. *Poſt hæc celebravit feſta alterius generis, quæ dicuntur Juvenalia, ea propter barbam ejus, quæ tum primum raſa fuerat, facta ſunt: cujus pilos in ſphæram auream conjectos Jovi Capitolino conſecravit.* Primum per hortos, & domos agebantur. Tacit. Annal. XV. 33. 1. *C. Lecanio, M. Licinio coſſ. acriore in dies cupidine adigebatur Nero, promiſcuas ſcenas frequentandi: nam adhuc per domos & hortos cecinerat Juvenalibus ludis. Non tamen Romæ incipere auſus, Neapolim quaſi Græcam urbem delegit.* Rycq. de Capitol. c. 14. Lipſ. in Tacit. Annal. XIV. n. 38. & Excurſ. B. Faber Semeſtr. I. 20. Pius Annot. poſt. c. 21. Turneb. Adv. XXVII. 18. Rhodig. Ant. Lect. XIX. 22. Siccam. in Faſt. Kalend. c. 5. Tomaſ. de Donar. c. 11.

Hoſpin. Feſt. Ethnic. p. 231. Paſchal. de Coron. VI. 30. Laz. Comm. Reip. Rom. X. 11. Torrent. & Pitiſc. in Suetonium. Laurent. de Natal. c. 3. Mod. de Lud. vet. II. 29.

JUVENES olim barbati erant, raſi viri. Juven. Sat. VI. 215.

—— cujus barbam tua janua vidit.

Et id voluit Cicer. Attic. I. 16. V. illum ſupr. in *Barba.* Argol. in Panvin. de Lud. Circenſ. II. 1. Ad annum quintum & trigeſimum abſtinebant vino. *Buleng. de Conviv. Proluſ.* III. Frequentius debebant lavari. *Bacc. de Therm. c.* 19. *Ludis ſecularibus nocturnum ſpectaculum non frequentabant, niſi cum aliquo majore natu propinquorum.* Suet. Aug. c. 31. n. 5. *Panvin de Lud. ſecul. Theſ. Antiq. Rom. Græv. Tom.* IX. *p.* 1079. *A.*

JUVENTAS dea, *quæ poſt prætextam excipiebat juvenilis ætatis exordia.* Auguſt. de Civ. Dei IV. 23. Effingebatur ab antiquis mulier formoſa, ætate juvenili, veſtibus verſicoloribus, & floridis ornata, non abſimilis deæ Floræ. Vocabatur & *Juventus.* Liv. XXXVI. 36. *Juventutis ædem in circo maximo Licinius Lucullus duumvir dedicavit: voverat eam ſedecim annis ante M. Livius conſul, quo die Aſdrubalem. . . .* & *Juventa.* Ovid. Pont. I. 10. 11.

Nectar & ambroſiam, latices, epulasque deorum
Det mihi formoſa gnava Juventa manu.

Gyrald. Synt. deor. XI. p. 335. D. Laurent. de Natalit. c. 1.

K.



pro C apud Romanos in Cæſarum nummis juxta & ſaxis non ſemel legitur, ex priſca utique ſcribendi apud eos conſuetudine retenta. *Spanhem. de Præſt. & uſu numiſm. Diſſert.* II. *p.* 74. Eſt eadem omnino litera ac C. V. ſupr. in *C.* Unde Diomed. II. p. 419. edit. Putſch. *K. conſonans muta ſupervacua, qua utimur, quando a correpta ſequitur, ut Kalendæ, Kaput, Kalumniæ.* Idem fere, ſed explicatius, hoc ſcribit. Q. Terent. Scaur. de Orthogr. ibid. p. 2252. *K. quidam ſupervacuam eſſe literam judicaverunt, quoniam vice illius fungi C ſatis poſſet, ſed retenta eſt, ut quidam putant, quoniam notas quaſdam ſignificaret, ut Kæſonem, ut Kaput, & Kalumniam, & Kalendas. Hac tamen antiqui in connexione ſyllabarum ibi tantum utebantur, ubi A litera ſubjungenda erat.* Adſtipulatur his etiam Quintil. Inſtit. Orat. I. 4. qui *K.* literam inter redundantes numerat, & eſſe quorumdam nominum notam affirmat. *Pigh. Annal. Rom.* II. *p.* 485. Primus literis adjecit Salluſtius ludimagiſter quidam. In multis ea uſi veteres; non tamen ante *o*, quanquam KOS pro conſule ſit in antiqua inſcriptione quadam; ſed ante *a*, ut cum duobus KK. *Kalumniæ cauſam* ſignificarent, teſte Iſidoro. Sane quia ut *C.* condemnationis, ita *K.* Kalumniæ nota erat. Ideo non *C.* ut putat Turneb. Adv. VIII. 22. ſed *K.* intelligi puto a Cicerone verbis ex ejus oratione pro Roſcio Amerino adductis ſupr. in *C.* & illis verbis ſignificari, fronti kalumniatorum inuri ſolere *K*, ut kalumniæ notam; iisque hanc quoque pœnam imponi ſolere, ut accuſare amplius non poſſent. Sane hoc modo puniebantur prævaricatores, & tergiverſatores, ut ſcribit Paull. Dig. XLVIII. ad Sctum Turpilianum. Utebantur ea in multis, ſed inprimis in tribus vocibus: unde Auſon. de lit. monoſ. Græc. & Lat. n. 20.

Hæc tribus in Latio tantum addita nominibus K.

Quæ ſint hæ voces, docet nos Terentianus Maurus:

K ſimiliter otioſa eſt cæteris ſermonibus;
Tumque in uſu eſt, cum Kalendas annotamus, aut Kaput.
Sæpe Kæſones notabant hac vetuſti litera.

Intellige autem, cum legis, non cum hominis caput ſignarent. *Voſſ. Gramm.* I. 17. *Pigh. l. l.*

KÆS.

KÆSO ac Cajus diſtincta erant prænomina, ac primum *K*, alterum *C* ſcribebatur. Hinc in Faſtis Capitolinis anno ab U. C. 296. legitur: Q. FABIUS. M. F. K. N. VIBULANUS. nempe *Marci filius, Kaiſonis nepos.* Diphthongus Æ anno ab U. C. 271. Romæ nondum in uſu erat, ſed more Græcorum diphthongo *AI* utebantur, & ſcribebant, ut *Aimilius*, ita etiam *Kaiſo.* Noriſ. Cenot. Piſan. Diſſert. III. 4. *Cæſones appellantur ex utero matris exſecti.* Feſtus. Prænomen hoc quandoque fuiſſe loco cognominis indicant antiqua ſaxa, & præcipue iſtud apud Gruter. p. 535. n. 1.

D. M. S.
M. CÆLIO. L. F
MUTILO
VETER. LEG. XXX
V. V
M. T. CÆSI. M. F
KESONES. HERED
EX. TESTAMENTO. FEC....

Urſat. de Not. Rom. Theſ. Ant. Rom. Græv. Tom. XI. *p.* 790. *D. Kæſo*, ſive *Cæſo*, pater Q. Fabii Vibulani fuit quæſtor perduellionis anno ab U. C. 269. *Auguſtin. de Famil. in Fabia.*

KAI.

ΚΑΙΣΑΡΙΑ, aut Σεβάσια vocabantur omnes ædes Cæſaribus Romanis ſacratæ, ut liquet ex Philone Judæo de Legatione ad Cajum, & Joſepho de Bell. Jud. I. 16. Et Καισάριον dicta fuit eccleſia apud Socrat. VII. 15. non quia a Cæſare Conſtantio dedicata erat, ut viri docti exiſtimant; ſed quia olim Adriano Cæſari deſtinata fuerat. *Ruben. de Urb. Neocor. Theſ. Antiq. Rom. Græv. Tom.* XI. *p.* 1357. *C.*

KAL.

KALENDAS Græci non habent, ſed primum menſis diem νεμηνίαν vocant. Dionyſ. VIII. p. 525. *Menſe Decembri ſequentis anni, tempore novilunii, quod Græci νεμηνίαν, Romani Kalendas vocant.* Pitiſc. in Suet. Aug. c. 87. n. 2. Inde proverbium: *ad Græcas Kalendas*, pro nunquam. Hinc Auguſtus *ad Kalendas Græcas ſoluturos* dixit, apud Suet. c. 87. n. 2. *quos nunquam ſoluturos ſignificare voluit.* Eraſm. Adag. p. 538. a. Moreſtell. Philom. III. dial. 7. Hoſpin. Feſt. Ethnic. c. 4. Gyrald. de Ann. & menſ. Oper. Tom. II. p. 791. A. Poſtell. de Republ. Athen. c. 4. Et quia Græci illis carent, mirum, Romanos eas per Græcanicam literam ſignaſſe. *Voſſ. Gramm.* I. 17. Fruſtra eſt Balſamon, qui Expoſ. Canon. Synod. Trull. 62. ſic appellatas dicit a tribus prudentiſſimis viris Romanis, qui tempore Antonini Imperatoris Romanos a malo famis eripuerint, Kalendo, Ido, & Nono, quorum unus 18, alter 8, tertius 4 diebus urbem totam paverint, & hanc mercedem retulerint, ut a ſe dies cujusque menſis appellarentur. Hoc commentum, quod mirum eſt potuiſſe placere gravi, & docto ſcriptori, primus commentus eſt, cum ignoraret, unde dicerentur, jactantiſſimus ille Johannes Tzetzes Chil. III. hiſt. 6. 7. 8. *Voſſ. Lex. Etymol. in C. Lipen. de Stren. c.* 4. §. 6. De illis Macrob. Sat. I. 15. *Priſcis temporibus, antequam faſti a Cn. Flavio ſcriba invitis patribus in omnium notitiam proderentur, Pontifici minori hæc provincia delegabatur, ut novæ lunæ primum obſervaret adſpectum, viſamque regi ſacrificulo nuntiaret, itaque ſacrificio a rege, & minore pontifice celebrato, idem pontifex kalata, id eſt, vocata in Capitolium plebe juxta curiam Kalabram, quæ caſæ Romuli proxima eſt, quot numero dies a Kalendis ad nonas ſupereſſent, pronuntiabat: & quintanas quidem dicto quinquies verbo καλῶ, ſeptimanas repetito ſepties prædicabat: & hunc diem, qui ex his diebus, qui kalarentur, primus eſſet, placuit Kalendas*

lendas vocari. Lalamant. de Ann. Rom. Thes. Ant. Rom. Græv. Tom. VIII. p. 172. B. Siccam. in Fast. Kalend. c. 6. Lipen. de Stren. c. 4. §. 3. Viola de vet. & nov. Roman. temp. rat. Thes. Ant. Rom. Græv. Tom. VIII. p. 186. E. Jun. de Ann. & mens. c. 5. Gyrald. l. l. Ea erat ratio *k[illegible]ndi:* observandi autem momentum in vigilantia pontificis minoris erat situm, quam natura loci adjuvabat. Rupes enim Tarpeja, seu Capitolina, in qua cum curia calabra, tum ædes pontificis erant, illo loco erat editissima prope templum Jovis Capitolini, ex qua ortum lunæ, errantium siderum semitam observare promptum erat, quod plaga inter meridiem & occidentem opposita, liberum versus ortum haberet prospectum. Causa *calandarum* dierum erat, quod post novam lunam oporteret nonarum die populares, qui in agris erant, in Urbem confluere, ut acciperent causas feriarum a rege sacrorum, scirentque quid quoque istius mensis die faciendum esset. *Lipen. ibid.* §. 4. Qua formula usi fuerint, tradit Varr. de Ling. Lat. V. n. 4. dum scribit, quod pontifex ita proclamaverit: *Dies te quinque Kalo Juno novella,* si quintanæ essent nonæ. *Dies te septem Kalo Juno novella,* si septimanæ. Cur autem Juno? quia omnes Kalendæ in Junonis præsidio erant. Cur novella? quia de novis novi mensis diebus agebatur. Quanquam Scaliger pro *Juno Jana* legere malit ex vetustis quibusdam codicibus. *Lipen. ibid. c.* 5. V. Scaligerum supr. in *Jana.* Dicebantur primus dies cujuslibet mensis, & ab Idibus reliqui in finem mensis numero addito, ut decimo septimo, decimo sexto, decimo quinto *Kalendas,* & sic deinceps ordine retrogrado, & imminuto, seu numeros diminuendo, dum ad ultimum diem mensis veniatur. Sed pridie *Kalendas* dicimus, non secundo *Kalendas,* quod secundus a verbo sequor dicatur; ultimus autem dies mensis præcedat primum diem, seu *Kalendas* sequentis mensis, non autem sequatur. Macrob. Sat. I. 16. *Latii veteres incolæ, quia nihil jam tum ab Ægyptiis discere licebat, ad quos nullus illis commeatus patebat, morem Græciæ in mensium numerandis diebus secuti sunt, ut retroversum cedente numero ab augmento in diminutionem computatio resoluta desineret. Ita enim nos decimum diem, deinde nonum, ut Athenienses* δεκάτην καὶ ἐννάτην φθίνοντος μηνὸς *soliti sunt dicere.* In illis dicendi formulis compendiose loquimur, & defectuose: deficit enim præpositio ante, a qua accusativus *Kalendas* dependet, & regitur, ut integra sit oratio, decimo septimo die ante *Kalendas,* hoc est ante primum diem mensis denominati, Maji v. g. aut Junii, aut alterius. Similiter cum dicimus ad octavum, ad septimum *Kalendas* Aprilis, subaudimus diem ante, ut sit ad octavum, vel ad septimum diem ante *Kalendas* Aprilis. Unde liquet *Kalendas* mensis esse in mense antecedenti: sic *Kalendæ* Januarii in Decembri sunt, *Kalendæ* Februarii in Januario.... Quot Kalendas, Nonas, Idus quilibet mensis habeat, his versibus disces:

Sex Majus Nonas, October, Julius, & Mars,
Quatuor at reliqui: tenet Idus quilibet octo.
Inde dies reliquos omnes dic esse Kalendas:
Nomen sortiri debent a mense sequenti.

Versibus his noscas mensis cujusque Kalendas:
Tantum, Tendebat, Quod, Regni, Summa, Regebat,
Sanctus, Rex, Talis, Sapienter, Regna, Subegit.

Duo ultimi versus artis sunt, suis tantum primis, & capitalibus literis utiles, & notandi, cætera nullum sensum habentes. Ambo versus duodecim dictionibus constant, quarum singulæ singulis mensibus attribuuntur: prima scilicet *Tantum* primo mensi scilicet Januario, secunda scilicet *Tendebat* secundo mensi Februario, tertia tertio mensi, & sic deinceps. *Tantum* ergo, quæ prima est dictio, Januario attribuitur: *Tendebat* Februario: *Quod* Martio: *Regni* Aprili: cæteræ dictiones cæteris mensibus eodem ordine. Dictio ergo *Tantum,* quæ Januario attribuitur, & dictio *Tendebat,* quæ Februario, significat Januarium & Februarium tot *Kalendas* habere, quota *T* earum litera capitalis est in ordine alphabeti. *T* autem in alphabeti ordine decima nona est: unde colligere licet Januario & Februario *Kalendas* novendecim esse tribuendas. Sic quia litera *Q* capitalis tertiæ dictionis in primo versu in ordine literarum decima sexta est, quæ Martio tribuitur, fit ut Martio sedecim *Kalendas* tribuere oporteat. Id quoque in cæteris quoque mensibus pro dictionum ordine, & literarum initialium, seu capitalium numero observandum, & faciendum est. Sed memineris *Tantum* Decembri attribuendum, *Tendebat* Januario, *Quod* Februario, *Regni* Martio, *Summa* Aprili: quod in Decembri *Kalendæ* sint Januarii, in Januario Februarii, in Februario Martii, in Martio *Kalendæ* Aprilis, & cæterorum similiter. Cum autem in enumeratione menstruorum dierum Nonæ & Idus *Kalendas* antecedant, eaque *Kalendarum* conditio sit, ut præter unum, primum scilicet cujusque mensis diem, reliquæ alterius mensis sint: in enumeratione trium illarum mensis partium cavebant diligenter Romani, ne ante Nonas & Idus Kalendas nominarent. Itaque Nonas, Idus, *Kalendas* dicebant, ne si secus nominarent, male ominosum esset. *Lalamant. ibid. p.* 271. *B.* Junoni sacras habuere Romani. Macrob. Sat. I. 15. *Omnes Kalendas Junoni tributas, & Varronis, & pontificalis affirmat auctoritas:* V. supr. in *Junone Kalendari.* Matrimonio contrahendo habebantur religiosæ. Macrob. l. l. *Nec hoc prætermiserim, quod nuptiis copulandis Kalendas, Nonas, & Idus religiosas, id est, devitandas censuerunt. Hi enim dies præter nonas feriati sunt: feriis autem vim cuiquam fieri piaculare est. Ideo tunc vitantur nuptiæ, in quibus vis fieri virginibus videtur.* Junius l. l. Illis creditores exigebant æs alienum: unde Horatius eas *tristes* vocat Sat. I. 3. 85.

Qui nisi, cum tristes misero venere Kalendæ,
Mercedem, aut nummos unde unde extricat: amaras
Porrecto jugulo historias, captivus ut, audit.

Et Ovidius *celeres,* quod cito nimis recurrere debitoribus videantur, Rem. Amor. n. 561. V. illum supr. in *Fœneratores.* Voss. Pigh. & Hospin. l. l. Pith. Subcis. II. 4. V. & infr. in *Usura.* Senatus ut haberetur, moris erat. Hoc indicat Cicer. Epist. Attic. XIII. 46. *Rogat magnopere, ut sim Kalendis in senatu.* XVI. 6. *Maxime dolebat, me Kalendis Sextilibus in senatu non fuisse.* Et *ne plus quam bis legitimus senatus in mense ageretur, Kalendis scilicet & Idibus* Augustum sanxisse scribit Suet. c. 35. n. 4. *Manut. in Cicer. Attic.* XII. 5. *Hospin. l. l.*

Kalendis Aprilis Veneris simulacrum Romæ matronæ abluebant, eique sacrificabant simul cum floribus & myrto. Ovid. Fast. IV. 133.

Rite deam Latiæ colitis matresque nurusque;
Et vos, queis vittæ longaque vestis abest:
Aurea marmoreo redimicula demite collo:
Demite divitias: tota lavanda dea est.
Aurea siccato redimicula reddite collo:
Nunc alii flores, nunc nova danda rosa est.

Mulieres etiam apud templum Fortunæ virilis, quod erat in ripa Tiberina myrto coronatæ hoc ipso die sacrificare, & lavari consueverant. Ovid. ibid. n. 139.

Vos quoque sub viridi myrto jubet illa lavari:
Causaque cur jubeat, discite, certa subest.
Litore siccabat rorantes nuda capillos,
Viderunt satyri, turba proterva, deam.
Sensit, & apposita texit sua corpora myrto.

Reliqua V. supr. in *Fortuna virilis.* Hospin. de Orig. Fest. Ethnic. c. 14.

Kalendis Augusti mensis celebratum fuit festum Spei, ob dedicatum ei hoc die templum Romæ in foro olitorio, Gyraldo ex veteri Kalendario, & Junio testibus. *Hospin. de Orig. Fest. Ethnic. c.* 22.

Kalendæ Decembres, quæ alio nomine Saturnales dicebantur, viris erant dicatæ; atque his apophoreta iis mittebantur. Suet. Vesp. c. 19. n. 4. *Dabat sicut Saturnalibus viris apophoreta, ita per Kalendas Martii feminis.* Salmuth ad Panciroll. Rer. deperd. & inv. p. 747.

Kalendæ fabariæ. V. illas infr. in *Kalendæ Janiæ.*

Kalendis Februariis fuit festum deæ Sospitæ, cujus templum

plum ad ædem matris deum in Palatio primo hujus mensis die est dedicatum. V. infr. in *Templum.* Hospin. de Orig. Fest. Ethnic. c. 10.

Kalendæ femineæ. V. illas infr. in *Kalendæ Martiæ.*

Kalendæ Jañuariæ ex Numæ, quem postea secutus est Cæsar, institutione, initium fuerunt anni. V. supr. in *Anni principium.* Illis Jano tanquam primo anni, & mensis auspici sua sacra, quæ ex libo, mola, mero, & thure conficiebant, V. supr. in *Janual,* Romani fecerunt. Imo & juvenci albi velut deo supero mactarunt, & præ foribus ædium undiquaque suaveolentia incenderunt. Id forsitan est, quod iis suo adhuc tempore exprobravit Tertull. Apolog. c. 35. *quod faces, & choros in publicum educant, vicatim epulentur, civitatem tabernæ habitu adolefaciant, vino ludum agant, catervatim cursitent ad injurias, ad impudentias, ad libidinis illecebras.* Templa, statuas, & aras dedicaverunt, & dedicationes illis factæ majoris dignationis fuerunt. Illis ædem Concordiæ Tiberius sacravit inscripto suo, & fratris Drusi vita pridem functi nominibus. Dio LVI. p. 586. B. statuam Constantino posuerunt coriarii; illa enim latere averso se hoc die dedicatam esse loquitur: DEDICATA KAL. JANUAR. D. NN. DIOCLET. III. ET MAXIMIANO COSS. CURANTE THESSIO SECUNDO P. CORIARIORUM. Et aram Genio factam esse docet ipsa inscriptio:

GENIO SANCTO
M. AUR. CL. POMPEJANUS
MILES. LEG. VIII. ANTONINIANÆ
AUG. B. F. COS. K. JANUAR.

Lipen. de Stren. c. 2. æt. 1. §. 19. 20. Omnium superstitionum auspicia apud illos fiebant, hoc est; omnis renovabatur religio, diversi diversorum idolorum cultus, & simulacrorum religiones de integro velut exordium sumebant; producebantur numina ipsa, quæ stolidi putabant, & abstersо pædore anni elapsi cum novo in novum veluti florem reducebantur, & de integro ceremoniæ instituebantur. Petr. Chrysol. serm. 155. *Hinc est, fratres, hinc est, quod hodie gentiles deos suos fœditatibus exquisitis, excogitato dedecore, & ipsa turpitudine turpiores deos suos videndos trahunt, distrahunt, pertrahunt.* Sermo ipse scriptus est de Kalendis *Januariis, quæ varia gentium superstitione polluebantur.* Barth. Adv. LIII. 12. Lipen. ibid. §. 21. Varia suffimenta, varias victimas, & sacrificia addebant, ut Urbs isto die tota fumare, & quasi incendiis victimarum æstuare videretur. Mart. VIII. 8.

Principium des, Jane, licet velocibus annis,
Et revoces vultu secula longa tuo:
Te primum pia thura rogent, te voce salutent,
Purpura te felix, te colat omnis honos.

Tertull. ad Uxor. c. 2. *Moratur Dei ancilla cum laribus alienis, & inter illos omnibus honoribus dæmoniorum, omnibus sollennibus Regum, incipiente anno, nidore thuris agitabitur.* Lipen. ibid. §. 22. Vota pro magistratibus susceperunt veteri quidem Republica. V. infr. in *Votum publicum.* Supplicia, ne totius anni omina fœdari viderentur, cohibuerunt. Liban. in Ἐκφράσει Καλανδῶν p. 180. B. *Et flagra cessant, & plagæ: plena omnia sunt pacis, libertatis, voluptatis.* Hinc Urbi impendentium malorum maximum præsagium est visum, quod Kalendis *Januariis principio anni Sextum quendam Licinium de saxo dejecit Marius* apud Plutarch. p. 432. B. Quam fœditatem etiam exorsi anni velut indignabundus sollicitat Flor. III. 21. 17. *Hæc tot senatus funera intra* Kalendas *& Idus Januarii mensis septima illa Marii purpura dedit.* Et fœdum anni principium fecisse dicitur Tiberius interfecto Titio Sabino. Tacit. Annal. IV. 68. 1. *Junio Silano & Silio Nerva coss. fœdum anni principium incessit, tracto in carcerem illustri equite Romano Titio Sabino.* 70. 1. *Sed Cæsar sollennia incipientis anni* Kalen*das Januarias epistola precatus vertit in Sabinum. . . . Nec mora, trahebatur damnatus: quantum obducta veste, & adstrictis faucibus niti poterat, clamitans, sic inchoari annum.*

Hinc indignationis plena vox Suet. Tib. c. 61. n. 5. *Nullus a pœna hominum cessavit dies. . . . Animadversum in quosdam ineunte anno novo.* Lipen. ibid. c. 2. æt. 1. §. 25. Pitisc. in Suetonium. Læta, & jucunda verba profabantur. Ovid. Fast. I. 71.

Prospera lux oritur, linguis, animisque favete;
Nunc dicenda bono sunt bona verba die.

Ursat. de Not. Rom. Thes. Ant. Rom. Græv. Tom. XI. p. 792. B. Invicem fausta omnia precabantur. Plin. XXVIII. 2. *Cur enim primum anni incipientis diem lætis precationibus invicem faustum ominamur?* Ovid. Fast. I. 175.

At cur læta tuis dicuntur verba Kalendis*?*
Et damus alternas accipimusque preces?

Brisson. de Form. I. p. 90. Ultro citroque munera miserunt. Fuerunt hæc apud priscos Romanos palmarum poma, quæ caryotæ, seu caryotides appellantur, caricæ, & mella, unde tunc dulciaria dicebantur. Mart. VIII. 33. 11: XIII. 27. 1. V. illum supr. in *Caryota.* Miserunt hæc in omen suavitatis ineuntis anni, & ut dulces dies anni a dulcibus rebus auspicarentur. Ovid. Fast. I. 185. V. illum supr. in *Caricæ.* Quum imperium Romanum esset auctum ditiores & aurea, & argentea miserunt. Suet. Aug. c. 57. n. 4. *Strenam in Capitolio* Kalendis *Januariis, etiam absenti: ex qua summa pretiosissima deorum simulacra mercatus vicatim dedicabat.* Hospin. Fest. Ethnic. c. 8. Barth. Adv. LI. 10. Kipping. Antiq. Roman. I. 10. §. 8. Artes quisque suas modice attingebant, auspicandi causa. Ovid. Fast. I. 169.

Quisque suas artes ob idem delibat agendo:
Nec plus quam solitum testificatur opus.

Muret. Var. Lect. XVIII. 13. Chamillard. in Prudent. Symm. I. 237. Lips. in Tacit. Annal. IV. 11. n. 96. Rosin. Antiq. Roman. IV. 5. Convivia cum gaudio, & applausu magno paraverunt. Prudent. Symm. I, 237.

— Jano etiam celebri de mense litatur
Auspiciis, epulisque sacris, quas inveterato
Heu miseri! sub honore agitant, & gaudia ducunt
Festa Kalendarum.

Lipen. ibid. §. 23. Honorem inibant novi consules, auspiciis secundis, & regalibus, hoc est, majestate Imperatoria dignis, sibi fingentes, ea ratione totum illum annum magnificentia, & felicitate tantis viris digna decursurum. Claud. Honor. Consul. IV. 1.

Auspiciis iterum sese regalibus annus
Induit, & nota fruitur jactantior aula.

Sidon. Carm. II. 1.

Auspicio, & numero fasces, Auguste, secundos
Erige, & effulgens trabealis mole metalli
Annum pande novum.

Barth. ibid. LIII. 12. Kipping. l. l. Tunc enim adscendebatur in Capitolium, Jovi Opt. Max. injuges juvenci mactabantur, multaque odorem facientia in templis, & præ foribus templi cremabantur. Ovid. Fast. I. 79.

Vestibus intactis Tarpejas itur in arces:
Et populus festo concolor ipse suo est.
Jamque novi præeunt fasces; nova purpura fulget:
Et nova conspicuum pondera sentit ebur.
Colla rudes operum præbent ferienda juvenci,
Quos aluit campis herba Falisca suis.

Lipen. ibid. §. 29. Kipping. l. l. Et novum annum auspicantes manumittebant. Sidon. ibid. n. 545.

Nam modo nos jam festa vocant, & ad Ulpia poscunt
Te fora, donabis quos libertate Quirites,
Quorum gaudentes exceptant verbera malæ.

Lipen. ibid. §. 28. Savaro in Sidonium.

Kalendæ intercalares dicebantur priores & posteriores. Priores dicebantur vigesimus quartus Februarii dies, qui intercalationi dicatus erat; ut posteriores vigesimus quintus: quanquam totos reliquos a vigesimo quarto die in finem mensis ita etiam appellatos fuisse, jure fortasse quis con-

contendat. Cicer. Fam. VI. 14. *Ego idem cum ad secundas Kalendas intercalares priores rogatu fratrum tuorum venissem ad Cæsarem. . . .* Significat Cicero se diebus duobus ante *Kalendas* intercalares priores, id est, ante vigesimum quartum Februarii venisse ad Cæsarem: id autem est vigesimo secundo Februarii. Nam hic dies biduo antecedit vigesimum quartum Februarii: ut priores dixerit ad differentiam posteriorum *Kalendarum* intercalarium, id est, vigesimi quinti, revera interposititii & intercalarii, vel etiam illorum dierum, qui ab illo sunt ad *Kalendas* usque Martias. Cæterum vigesimus quartus *Kalendæ priores intercalares* abusive dicitur, quippe re vera posterior, non prior intercalatur; sed quia is intercalationem proxime antecedit, imo vero unus & idem est cum intercalario, iccirco *priores* Kalendæ *intercalares* dicitur. *Lalamant. de Ann. Rom. Thes. Antiq. Rom. Grav. Tom.* VIII. *p.* 2-6. *A. Gyrald. de Ann. & mens. Oper. Tom.* II. *p.* 764. *C. Scalig. de vet. Ann. Rom. Thes. Antiq. Rom. Græv. ibid. p.* 313. *F. Petav. de vet. anno Rom. c.* 72. *Pith. Subces.* II. 6.

Kalendis Juliis, sive Quintilibus migrabant ex domibus prius conductis in domos recens conductas. Cicer. Frat. II. 3. *Domus tibi ad lucum Pisonis Liciniana conducta est; sed, ut spero, paucis mensibus post, Kalendis Quintilis in tuam commigrabis.* Fam. XIII. 2. *Propter opera instituta multorum, subitum est ei remigrare Kalendis Quintilis.* Unde Mart. XII. 32. 1.

> *O Juliarum dedecus Kalendarum,*
> *Vidi, Vacerra, sarcinas tuas, vidi:*
> *Quas non retentas pensione pro bima*
> *Portabat uxor rufa crinibus septem.*

Unde Tiberius *senatori clavum latum ademit, quum cognovisset sub Kalendas Julii demigrasse in hortos, quo vilius post diem ædes in Urbe conduceret* apud Suet. c. 35. n. 4. Augustin. Emend. IV. 14. Tiraquel. in Alex. IV. 20. Merul. de Sacrif. c. 15. n. 2. Schott. in Senec. contr. III. 17. Brisson. de Form. VI. p. 514. Reines. Inscript. Class. VII. n. 34. Pancirol. Var. Lect. I. c. ult. Mornac. ad l. cum in plures 60. ff. Locati. Nic. Abram. ad Cicer. in Pison. n. 61. Hospin. de Orig. Fest. Ethnic. c. 20. Beroal. & Pitisc. in Suetonium.

Kalendas Junias Carnæ deæ sacravit antiquitas. Nam *Junius Brutus, qui primus consul Romæ factus est, hisce pulso Tarquinio, sacrum Carnæ deæ in Cœlio monte voti reus fecit.* Macrob. Sat. I. 12. *Hospin. de Orig. Fest. Ethnic. c.* 18. *Ursat. de Not. Rom. Thes. Antiq. Roman. Græv. Tom.* XI. *p.* 851. *A.* Vocantur *vulgo fabariæ: quia hoc mense adultæ fabæ divinis rebus adhibebantur, & Carnæ pulte fabacea, & larido sacrificabatur.* Macrob. l. l. *Junius Fastor. Thes. Antiq. Rom. Græv. Tom.* VIII. *p.* 240. *F. Siccam. in Fast. Kalend. c.* 13. *Viola de vet. & nov. Rom. temp. rat. Thes. Ant. Rom. Græv. ibid. p.* 193. *B. Rhodig. Ant. Lect.* IX. 8. *Gyrald. Synt. deor.* I. *p.* 43. *G. Hospin. l. l.* Sacrum sollenne illi Romæ celebratum fuit. V. infr. in *Mars.*

Kalendis Majis fuit festum Larium, quod ea die ara ex Curibus Sabinorum Romam translata illis consecrata fuisset. Ovid. Fast. V. 129.

> *Præstitibus Maiæ maribus videre* Kalendæ
> *Aram constitui, parvaque signa deum.*
> *Ara erat illa quidem Curibus, sed longa vetustas*
> *Destruit, & saxo longa senecta nocet.*

Hospin. de Orig. Fest. Ethnic. c. 16.

Kalendæ Martiæ, ut quod anni principium olim essent, celeberrimæ fuerunt; nam, ut Macrob. Sat. I. 12. & Solin. c. 3. indicant, *& in regia, in curiis, & in flaminum domibus laureæ veteres novis laureis mutabantur. Ignis quoque novus Vestæ aris accendebatur.* Docet id Ovidius, & simul eo probare conatur, ante Numam initium totius anni fuisse. Sic enim canit Fast. III. 135.

> *Neu dubites, primæ fuerint quin ante Kalendæ*
> *Martis: ad hæc animum signa referre potes.*
> *Laurea flaminibus, quæ toto perstitit anno,*
> *Tollitur, & frondes sunt in honore novæ.*
> *Janua tunc regis posita viret arbore Phœbi,*
> *Ante tuas fit idem curia prisca fores.*
> *Vesta quoque, ut folio niteat velata recenti*
> *Cedit ab Iliacis laurea cana focis.*
> *Adde, quod arcana fieri novus ignis in æde*
> *Dicitur, & vires flamma refecta capit.*

Eodem etiam die comitia auspicabantur, qui quidem mos usque ad bella Punica servatus fuit: tunc enim primum comitia cœperunt auspicari *Kalendis* Januariis. Ovid. ibid. n. 47.

> *[illegible]*
> *[illegible]*

Hospin. de Orig. Fest. Ethnic. c. 12. Junius Fast. Thes. Antiq. Roman. Græv. Tom. VIII. p. 235. E. Lipen. de Stren. c. 2. quart. æt. §. 27. Kipping. Antiq. Rom. [illegible] 10. § 5. Dicuntur etiam femineæ. Juven. Sat. IX. 53. V. illum supr. in *Dies uxorii.* Unde Horat. Od. III. 8. 1.

> *Martiis cælebs quid agam Kalendis.*

Quia munera mulieribus illo die viri mittebant. Suet. Vesp. c. 19. n. 4. V. illum supr. in *Kalendæ Decembres.* V. infr. in *Matronalia.*

Kalendis Septembribus Neptuni feriæ fuere celebratæ, ut est in veteri *Kalendario.* Hospin. de Orig. Fest. Ethnic. c. 21.

KALENDARIUM est vox Latina, deducta nempe a *Kalendis.* Est nihil aliud, quam mensium, dierumque, ex quibus annus constat; ac una festorum coordinatio: imo non modo festorum, sed aliorum etiam similium, quæ dici dierum adjuncta possunt; quoniam pleraque alia sunt, quæ *Kalendariis* plerique adscribunt. Quippe præter inscripta nostro, Ecclesiastico, *Kalendario* festa addi interdum videas comitia, ludos, nundinas, dies fastos & nefastos; interdum eventa quæpiam illustriora, ut prælia, triumphos, inaugurationes, sponsalia, natalitia, funera, incendia, eluviones. . . . interdum solis, lunæque ingressus in signa zodiaci, tempestatumque adeo initia; ortus, occasusque stellarum fixarum; adspectus luminarium, stellarumque errantium; prætereaque æstus, algores, pluvias, fulgura, ventos, alia, quæ astrologi ariolantur. *Gassend. Kalendar. Rom. capite proœm.* Constans est opinio, institutionem primam Romani *Kalendarii* esse ad ipsum Romulum gentis auctorem referendam. Proditum est nempe ipsum, inter alias constabiliendi regni curas, eam quoque sumpsisse, ut annum speciali ratione ordinaret, inque certos menses distribueret. *Gass. cod. loc. c.* 1.

Kalendarium est etiam codex accepti & expensi, qui pertinebat ad pecunias in fœnore positas, quod fœneratoribus fuit speciale. Ratio nominis est, quod antiqui moris esset, pecunias *Kalendis* credere, & usuras exigere. V. supr. in *Kalendæ.* *Paginas Kalendarum* vocat Mart. VIII. 44. 11.

> *Centum explicentur paginæ Kalendarum.*

Seneca divitem eum censet Epist. 88. quem *aurea supellex in via sequitur, qui in omnibus provinciis arat, qui magnum Kalendarii librum volvit.* Et huc alludit de Benef. I. 2. *Nemo beneficia in Kalendario scribit, nec avarus exactor ad horam, & diem debitorem appellat.* Voss. Lex. Etymol. Pignor. de Serv. p. 306. Lipen. de Stren. c. 4. §. 13. Gassend. Kalend. Rom. cap. proœm. Laz. Comm. Reip. Rom. II. 13. Buleng. de Imp. Rom. VII. 16. Noris. Cenot. Pisan. Dissert. I. c. 3. Noodt de Fœnor. & usur. II. 11. Reines. Epist. 23. *Kalendarii* curator est is, qui pecuniam, vel publicam municipii, vel privati cujusque fœnori locatam curabat, sub nominibus faciendis obnoxiis Reipublicæ, aut hero suo fœnebrem pecuniam ponebat, & *Kalendis* quibusque modo caput ipsum cum usuris, modo proventum usurarium exigebat. Octavius Modestus Honoratus AD CURAM KALENDARII REIP. CANUSINORUM ab Imperatore Antonino est Inscr. IX. p. 444. & V. p. 341. A. ATINIUS PATERNUS. CUR. KALENDARII Fabraternorum novorum. VI. p. 367. NERATIUS PROCULUS CURAT. KAL. NORBANORUM

NORUM datus ab Imperatore Trajano. *Reinef. Norif. Buleng. l. l. Lipen. ibid.* §. 14. *Pancirol. de Magiſtrat. municipal. c.* 14. Non ab ordine decurionum, ſed a præſide provinciæ facta ejus morum, & facultatum inquiſitione creabatur, & ob id nullam cautionem, ut alii, præſtabat. Papir. l. ult. §. item reſcripſerunt 7. de adm. rer. ad civ. pert. *A curatore*, inquit, *Kalendarii cautionem exigi non oportet, cum ex inquiſitione a præſide eligatur.* Hujus curatio non habebatur inter honores, ſed munus erat perſonale l. 18. §. 2. ff. de muner. & honor. *Kalendarii curatio in aliqua civitate inter honores non habeatur, ſed perſonale munus eſt.* Lipen. & Buleng. l. l. Huc referri poſſunt collegia *Kalendariorum*, qui fœnori ponebant, & collocabant, & Iduariorum, qui relegebant, quæ habet inſcriptio Exoniæ in Catalonia. V. illa ſupr. in *Collegium*. Pith. Subceſ. II. 4. Lipen. ibid. §. 15.

Kalendarium quoque accipitur pro nominibus faciendis, hoc eſt, debitoribus comparandis. African. l. qui filium 64. de legat. 3. *Cum quis*, inquit, *Kalendarium præſtari voluerit, utrumne nomina duntaxat debitorum præſtari voluiſſe intelligendus eſt, an vero etiam pecuniam, ſi qua ab his exacta, eadem tamen* Kalendario *deſtinata fuerit, & magis puto: quemadmodum ſi exactæ pecuniæ, & rurſus collocatæ eſſent, permutatio nominum non perimeret, vel minueret fideicommiſſum: ita ipſæ quoque pecuniæ, ſi adhuc Kalendario, id eſt, nominibus faciendis deſtinatæ eſſent, eidem fideicommiſſo cedere debeant.* Unde ſervus dicitur debitor domini *ex ratione Kalendarii* l. fin. ff. de peculio, id eſt, cauſa pecuniæ fænori datæ. Cujus rei frequens in jure eſt mentio, ubi *Kalendario præponi* dicitur is, qui huic negotiationi præficitur. African. l. ejus qui in provin. 41. ff. ſi certum petat. *Ejus*, ait, *qui in provincia Stichum ſervum* Kalendario *propoſuerat, Romæ teſtamentum recitatum eſt.* Et Scævol. l. uxorem 41. §. legaverat ff. de Legat. 3. *Kalendarium exerceri* dicit ab eo, qui hanc artem profitetur. *Panciroll. de magiſtrat. municip. c.* 14. *Reineſ. Epiſt.* 23.

Kalendarium amicorum dici poſſet, in quæ, ut ipſa jactantia ſe magis proderet, nomina illorum veteres referebant. Senec. de Benef. VI. 33. *Neſcis, quantum ſit pretium amicitiæ, ſi non intelligis multum te ei daturum, cui dederis amicum; rem non domibus tantum, ſed ſeculis raram, quæ non alicubi magis deeſt, quam ubi creditur abundare. Quid? iſtos in libros, quos vix nomenclatorum complectitur aut memoria, aut manus, amicorum exiſtimas eſſe? Non ſunt iſti amici, qui agmine magno januam pulſant, qui in primas, & ſecundas admiſſiones digeruntur: conſuetudo iſta vetus eſt Regibus, Regeſque ſimulantibus populum amicorum deſcribere.* Pignor. de Serv. p. 437.

KALUMNIA. V. illam ſupr. in *C*.





